



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

194 A 1 KW. 194 A-1

JOH. JACOBI HOFMANNI

SS. Th. Doct. Profeſſ. Hiſtor. & Graec. Ling. in Academ. Baſil.

LEXICON VNIVERSALE,

HISTORIAM SACRAM ET PROFANAM
Omnis aevi, omniumque Gentium;
CHRONOLOGIAM AD HAEC VSQVE TEMPORA;
GEOGRAPHIAM ET VETERIS ET NOVI ORBIS;
PRINCIPVM PER OMNES TERRAS FAMILIARVM
Ab omni memoria repetitam
GENEALOGIAM;
Tum
MYTHOLOGIAM, RITVS, CAERIMONIAS,
Omnemque Veterum Antiquitatem, ex Philologiae fontibus hauſtam;
VIRORVM, INGENIO ATQVE ERVDITIONE CELEBRIVM
Enarrationem copioſiſſimam;
Praeterea
ANIMALIVM, PLANTARVM, METALLORVM, LAPIDVM, GEMMARVM,
Nomina, Naturas, Vires,
Explanans.

EDITIO ABSOLVTISSIMA,
Praeter Supplementa, & Additiones, antea ſeorſum editas, nunc ſuis locis ac ordini inſertas,
VBERRIMIS ACCESSIONIBVS, IPSIVS AVCTORIS MANV
noviſſime lucubratis, tertia parte, quam antehac,
AVCTIOR, LOCVPLETIOR:
INDICIBVS ATQVE CATALOGIS
REGVM, PRINCIPVM, POPVLORVM, TEMPORVM, VIRORVM
ET FEMINARVM ILLVSTRIVM, ANIMALIVM, PLANTARVM;
Tum praecipue
NOMINVM, QVIBVS REGIONES, VRBES, MONTES, FLVMINA, &c.
in omnibus terris, vernacula & vigenti hodie ubique lingua appellantur;
Caeterarum denique rerum memorabilium,
ACCVRATISSIMIS INSTRVCTA.

TOMVS TERTIVS

Literas M, N, O, P, Q, continens.



KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'SHAGE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud JACOB. HACKIVM, CORNEL. BOVTESTEYN,
PETR. VANDER AA, & JORD. LVCHTMANS.
M DC XC VIII.
Cum peculiari Praepott. D. D. Ordinum Hollandiae & Weſt-Friſiae Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3



MA. MAA. MAB. MAC.

M Litera Græcis ſemivocalis ſimplex & immutabilis, Latinis liquida dicta. In compoſitione ante conſonantes *D. C. T.* & *Q.* in *N.* vertitur: ut *Tantum*, *Nuncubi*, *Nunquam*, *Eorundem*, &c. Similiter & *Am* ſyllaba, ante *F.* ut in *Anfractus* videre eſt. In Poëſi, ſub finem eliditur, ſequente vocali vel diphthongô, ob nimium ſoni mugitum. In Meſſeniorum clypeis ſcripta, gentis Inſigne fuit: aliàs *Moroſitatis* ſymbolum: unde frequens hoc apud veteres probrum, *Obvenit tibi M.* & nota ingenioſa ad id Dionyſii tyranni reſponſio. Pier. *l.* 42. *Hierogl. c.* 50. *&* 51. Voſſ. *in Ariſtarcho. l.* 1. *c.* 19. & *l.* 2. *c.* 16. In notis antiquorum, *Marcus*, vel *Mutius*, vel *Martius*, vel *monumentum*, vel *mulier*, vel *miles* vel *meum* vel *meam*, *mihi*, *moleſtus*, *mors*, *modò*, *munus*: MAG. EQ. *Magiſter equitum*: MAG. MIL. *Magiſter militum*: M. B. *Mulier bona*. M. D. O. *Mihi dare oportet*, *&c.* ſignificat, Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.* Quid in Muſica olim, item in Numerandi ratione valuerit, Vide infrà ubi *de Muſicis* ac *Numeralibus Notis*, item voce *Mugiens*.

MA, fœminæ nomen, quæ Rheam ſectata, & Bacchi educationi à Jove admota eſt. Imò & ipſius Rheæ, cui ſub hoc nomine Lydi taurum immolabant. Unde urbs eorum *Maſtaura*, vide ibi.

MAACHA, fil. Nahor ex Reumâ concubinâ, Gen. *c.* 22. *v.* 24. Filia Tholmai regis Geſur, uxor Davidis, mater Abſolomi, 2. Sam. *c.* 3. *v.* 3. Filia Abſalomi, 1. Par. *c.* 3. *v.* 2. Mater Abiam regis, 1 Reg. *c.* 15. *v.* 1. *&c.* Torniel. *A. M.* 3077. *num.* 1. quæ 2 Par. *c.* 13. *v.* 2. dicitur Michaja. Concubina item Caleb, 1 Par. *c.* 2. *v.* 48. Uxor Machir patris Manaſſe, 1 Par. *c.* 7. *v.* 16. Uxor Jahiæ, 1 Par. *c.* 9. *v.* 35.

MAACHATI, pater Aasbai, 2 Sam. *c.* 23. *v.* 34. Pater Jezoniæ 2 Reg. *c.* 25. *v.* 23. Civitas Amorrhæorum ſuper Jordanem, juxta montem Hermon, Joſ. *c.* 12. *v.* 5.

MAADI, nomen viri, Eſdr. *c.* 10. *v.* 34.

MAAI, nomen viri, Nehem. *c.* 12. *v.* 35.

MAALA, filia Salphaad. Num. *c.* 26. *v.* 33.

MAALINÆ, incolis *Machelen*, Gall. *Malines*, oppid. Brabantiæ, ad Demeram fluv. ſedes Metropolitæ facta A. C. 1559. cui linguæ Teutonicæ Metropoli Paulus IV. novas ejuſdem linguæ ſedes adſcripſit ſuffragantes, Antverpienſem, Gandenſem, Brugenſem, Iprenſem, Silvaducenſem & Ruramundenſem: è quibus primam Camaraco, ſecundam & tertiam Turnaco ademit. Nomen accepit à *Malina*, i. e. æſtu vel acceſſu Oceani majori, quia æſtus maritimi, adverſis fluminibus Scalde ac Demerâ, uſque ad eam urbem, atque etiam ultra per 3. circiter milliar. feruntur accedere. Ejus diœceſi continentur Lovanium, Bruxella, Tenæ, Diſta, Areſcotum aliæque urbes. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & infra in voce *Machlinia*.

MAARA *Sidoniorum*, Latinè *Spelunca Sidoniorum*, ſpelunca eſt inexpugnabilis, atque Chriſtianorum municipium in Sidonienſi territorio ſitum. Eſt in tribu Aſer.

MAASAI, fil. Adiel, 1 Par. *c.* 9. *v.* 12.

MAASIA, fil. Achas, 1 Par. *c.* 15. *v.* 18. Nomen cujuſdam Doctoris, 2 Par. *c.* 26. *v.* 11. Pater Sophoniæ, Jer. *c.* 22. *v.* 1. Princeps civitatis Jeruſalem, 2 Par. *c.* 34. *v.* 8.

MAASIAS, pater Neriæ, patris Baruch & Sarajæ, Jer. *c.* 32. *v.* 12. & *c.* 51. *v.* 59.

MAAZIAU, nomen viri, 1 Par. *c.* 24. *v.* 18.

MABSAM, fil. Iſmaëlis, Gen. *c.* 25. *v.* 13.

MABUSIUS, Johannes, vide *Johannes*.

MACÆ, populi Arabiæ Felicis, Carmanis oppoſiti, in tractu nardum & myrrham ferente, Mela *l.* 3. *c.* 8. hodie pars regni Ormuzii. *Maca* item & *Maces*, *Macai*, *Ptol.* populi Cyrenaici, circa Syrtim majorem ſiti, vel juxta Cinyphum amnem, Sil. *l.* 3.

Cinyphii didicêre Macæ, &c.

MACALLA, vide MACELLA.

MACANITÆ, Mauritaniæ Tingitanæ gens. *Ptol.* Hos Xiphilin. *in Severo*, *Macennitas* vocat.

MACAR, filium habuit Ereſum, qui Ereſo Lesbi civitati nomen dedit. *Steph.*

MACARA, inſul. Lyciæ. *Steph.* Item Siciliæ urbs, vulgò hodie *Citadella*. Vide *Machara*.

MACAREA, inſul. maris Ægæi. Vide *Lesbos*.

MACAREA, urbs Arcadiæ, à *Macaro* Lycaonis filio. *Beata* Romanis. *Steph.*

MACAREON & Sides, inſignes Chirurgi: quorum pharmaca Galenus *Method.* 5. & *l.* 2. γενικῶν *c.* 12. Ægineta quoque *l.* 17. *c.* 17. recenſet.

MACAREUS, fil. Æoli, qui mutuô Canaces ſororis ſuæ amore correptus, cum ea concubuit, puerumque ex eâ ſuſcepit, cujus & pater erat, & avunculus. Quam rem cùm Canace patrem neſcire maximè cuperet, ſacris frondibus puerum tegit, curatque clanculum ad nutricem perferendum. Verùm cùm per Æoli aulam efferretur, vagitu ſuô puer proditus eſt, avique juſſu canibus objectus. Filiæ autem pater enſem per ſatellitem miſit, ut eô pro meritis uteretur, quô & necem illa ſibi traditur conſciviſſe. Macareus verò re cognitâ, fugâ ſalutem quæſivit, cumque Delphos veniſſet, Apollinis factus eſt ſacerdos. Extat *Epiſt. Canaces ad Macareum*, apud Ovid. *Ep.* 11. *Heroid.*

MACAREUS, vetus hiſtoricus, de rebus Coorum ſcripſit, Athenæô teſte, *l.* 6. *c.* 131. *& l.* 14. *c.* 317

MACARIA, Herculis filia, quæ pro incolumitate publicâ ſe devovit. Hercule enim defunctô, quum Euryſtheus illius liberos inſectaretur, atque illi ad Miſericordiæ Aram confugiſſent, Athenienſes recuſantes eos in hoſtium manus tradere, cum Euryſtheo bellum ſuſceperunt. Porrò editô oraculô, futurum ut Athenienſes ab Euryſthei incurſatione liberarentur, ſi quis Heraclidarum ſe ſponte offerret ad necem, ſeque inferis devoveret, Macaria ſeſe ſpontaneæ morti obtulit. Quô factô congreſſi cum hoſtibus Athenienſes victoriam reportârunt, cùm aliis quamplurimis interfectis, tum Euryſtheô ipſo ab Hylo, ſive Iolao Herculis filio peremptô, cujus caput amputatum ad Alcmenam detulit. Illa verò defuncti oculos effodit. Cæterùm Athenienſes magnificum Macariæ funus fecerunt, tumulumque ejus floribus & coronis decorârunt, victiſque Argivis edixerunt, βάλλ' εἰς Μακαρίαν Jacta in Macariam. Vide Scholiaſt. Ariſtophan. *in Equit. Act.* 4. *ſc.* 1. Imò & illi ad ſcelus expiandum ſacra facere ſoliti ſunt, ut ex Platone *in Hippiâ* colligere licet. Cœl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 7.

MACARIA, inſul. Africæ, in Sinu Arabico, & in ora Abexia, prope Erquicum urbem Æthiopiæ ſuperioris *Sanſovin. Mazua* vulgò.

MACARIA, Cypri inſul. urbs, in ora Boreali ad Ortum nunc vicus inter Carpaſium & Ceraunium 8. mill. paſſ. *Jalines*, teſte Nigrô. Imo tota inſula ſic dicta. Eſt & fons ſive palus apud Marathonem oppid. Atticæ regionis. *Pauſan.* in qua ſubmerſis plurimis Perſarum, *In Macariam abi*, Proverbium ortum. Tractus etiam Peloponneſi apud *Strab.* & inſula ſinus Arabici. *Ptol. Macaria.* Vide *Anacaria*.

MACARIANA Tempora, dicta ſunt olim, quando *Macarius* Conſul à Conſtante Imperat. miſſus fuerat in Aſiam, unâ cum Paulo Conſulari viro, ad componendas fidei controverſias, inter Fideles & Donatiſtas. Baron. A. C. 348. *num.* 16.

MACARII, ſecta quædam Manichæorum, apud Auguſtin. *de Hæreſ. c.* 46.

MACARIUS I. Patriarcha Conſtantinopol. poſt Philotheum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

A. C. 1[illegible]5. per ann. 2. menſ. 7. dies 6. Onuphr. *in Chron.*

MACARIUS II. Jeremiæ II. pulſo ſucceſſit, A. C. 1573. Succeſſit ei Matthæus. Genebr. *in Chron.* Spond. *in Annal.*

MACARIUS I. Epiſcop. Hieroſolymitanus, poſt Hermonem, A. C. 312. A Theodoreto *l.* 1. *c.* 3. 5. *&c.* impenſè laudatus. Arrianis generoſè ſe oppoſuit, A. C. 318. Interfuit Concilio Niceno, à Conſtantino Baſilicæ celebris, quam Hieroſolymæ condidit hic Imperator, curam ſibi demandatam ſuſcepit. Obiit A. C. 331. ſedis 19. Vide Epiph. *hær.* 69.

MACARIUS II. Petro ſucceſſit, A. C. 546. pulſus ab æmulis, tanquam Origeniſmi ſuſpectus, poſtmodum innocentiâ in apricum productâ, ſedi redditus eſt, cui præfuit ann. 4. Joh. Moſchus *Prat. ſpir. c.* 96. Niceph. *l.* 16. *c.* 26. Evagr. *l.* 4.

MACARIUS I. Epiſcop. Antiochenus, hæreticus obſtinatus. Monothelitarum errores ſequutus Concilio 3. Conſtantinopol. A. C. 681. interfuit, ubi à Conſtantino Pogonato juſſus ſententiam ſuam exponere, impudenter aſſeruit, in JESU CHRISTO neque duplicem voluntatem, neque duplicem operationem reperiri: Hinc ſede pulſus, Theophane Siculô ſurrogatô, Acta 6. Concil. *act.* 8. 9. *&c.* & in Monaſterium detruſus eſt.

MACARIUS II. Armenius, ſucceſſit ſecul. 11. alteri cuidam cognomini, ut videtur. Eleutherio, curâ Eccleſiæ commiſſâ, in Palæſtinam profectus, ibique ab infidelibus malè habitus dicitur. Inde reverſus, in Flandriam abiit, ibi mortuus A. C. 1011.

MACARIUS Abbas, cùm aliquando per Scythioticam ſolitudinem deambularet, calvariam hominis humi jacentem conſpicatus, cœpiſſe per Chriſtum Jeſum obteſtari, & interrogare, cujas fuiſſet, dum viveret? quove nunc in loco animus quondam inhabitator ſuus degeret? dicitur. Tum aridum os, carneque & nervis nudum, prorupiſſe in vocem, ac ſe gentilem fuiſſe proximique vici indigenam: nunc verò in foveam barathri infernalis tam altè retruſum anguſtiari, quàm procul à terra diſtet cœlum, reſpondiſſe. Addidiſſe porro, adhuc ſe profundius ruere Judæos incredulos, & ſub ipſis hæreticos Chriſtianos, qui revelatam divinitus veritatem mendacibus pervertere ſententiis moliti ſint, Marul. *l.* 6. *c.* 14.

MACARIUS, Ægyptius Abbas, cognomine *Senior*, diſcipulus Antonii, floruit ſecul. 5. Præceptor Evagrii, doctrinâ & ſanctitate celebris. Scripſit Homilias 50. quas Joh. Picus latinè vertit. Hieron. *Ep.* 22. Pallad. *Hiſt. c.* 18. 19. 20. Socr. *l.* 4. *c.* 18. Niceph. *l.* 9. *c.* 14. Gennad. *c.* 10. *&* 11. *Ruffinus*, &c.

MACARIUS, Alexandrinus, cognomine *Junior*, Eremita celebris, ſecul. 5. Ob vitæ ſanctitatem gravia ab Arianis paſſus, regularum Monach. auctor à quibuſdam cenſetur. Morer. *Diction. Hiſt.* Item Eremita, cui Ruffinus apologiam pro Origene inſcripſit. Ejus meminit Hieron. *apol.* 2. *contra Ruffinum.* Romæ contra Mathematicos librum edidiſſe, *Gennadio* dicitur.

MACARIUS, ſub Decio Romanorum Imperat. martyriô, apud Alexandriam, coronatus, A. C. 251.

MACARIUS Mutius, ſcripſit *Victoriam Crucis*, ſeu *triumphum Chriſti.* Vide Angeli Politiani *Ep. l.* 7. Simler. *in Epit. Biblioth. Geſn.*

MACARONES, Gallis Italiſque dicuntur, quæ olim placentæ κοπταὶ, quòd ex ſpeciebus contuſis fierent. Salmaſ. *ad Solin.* Fiunt autem hodie ex amygdalis dulcibus, ſaccharo & ovialbumine. Voci origo, à Græco μάκαρ, quòd *beatorum* epulis dignæ ſint.

MACARON-NESOS, Acropolis Thebarum in Bœotiâ, *Thucyd.* Herodot. quoque *Muſâ* 3. *c.* 26. mentionem facit regionis, quæ Græcorum linguâ vocabatur *Macaronneſos*, in quâ ſita erat urbs Oaſis, 7. dierum itinere diſtans Thebis Ægyptiis. Sunt etiam Μακάρων νῆσοι, de quibus Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 7. *Extra Helleſpontum, earum quæ Aſiaticis regionibus adjacent, clariſſimæ ſunt, Tenedos, Sigæis adverſa litoribus, & quo dicentur ordine, ad promuntorium Tauri montis expoſitæ, quas quondam dici putavêre Μακάρων, ſive quòd fortunati admodum cœli ſolique ſint, ſive quòd eas ſuô ſuorumque regno Macar occupaverat.* Vide Diodor. Sic. *l.* 5. Et ſanè multo plures olim ſic vocabantur, nam ut de inſulis Oceani taceam, Creta, Cyprus, Leuce, multa denique in continente ſita loca *Inſularum Felicium* nomen conſecutæ ſunt.

MACASARIA, vulgò *Macaſar*, inſul. perampla Aſiæ, in mari Indico, quæ aliter *Celebes* dicitur. A Septentrione in Meridiem extenditur, inter Moluccas inſulas ad Ortum, & Bornei inſulam ad Occaſum, aliquando etiam ſub Moluccis comprehenditur: ejus longitudo à Borea in Auſtrum eſt 200 leucarum Francicarum circiter, latitudo autem in aliquot locis eſt 100. leucarum. In ea ſunt ſex regna, nempe Macaſaria *Macaſar*, Cionum *Cion*, Sanguinum *Sanguin*, Cauripanum *Cauripana*, Getiganum *Getigan*, & Supara, *Supara.* Urbes autem præcipuæ hujus inſulæ ſunt Macaſaria *Macaſar*, & Bantachaja *Bantachaja.* Ejus ora Auſtralis valdè frequentatur ab Anglis & Batavis.

MACASAR, vulgò *Macaſar*, urbs ampla Indiæ, inſulæ Macaſariæ caput, cum portu in ora Auſtrali inſulæ. Emporium eſt celebre, & regni cognominis præcipua, 35. leucis diſtat à Bantachaja in Auſtrum circiter. Ejus Rex nuper inſigni clade affectus fuit à Batavis, in illis partibus degentibus.

MACATURÆ, Pentapoleos regni in Africa gens. *Ptol.*

MACAUM, ſeu Amacaum, *Macao*, urbs Sinarum, in inſula parva Oceani Orientalis, in ora littorali Cantoniæ provinciæ, inter Aynanum inſulam in Africum & Formoſam inſulam ad Cæciam. Emporium eſt celebre & dives; ejuſque incolæ pro majori parte ſunt Luſitani. Suberat antea Regi Portuggalliæ, ſed A. C. 1668. à Sinarum Imperatore expugnata fuit, ipſique etiamnum ſubeſt.

MACCABÆI, Junio ſic dicti, à quatuor literis initialibus verborum Exodi *c.* 15. *v.* 11. מי כמכה באלם יהוה. *Quis ſicut tu, Deus?* מ.כ.ב.י. depictis in labaris & vexillis eorum militaribus; aliis aliunde: Cæteroquin *Aſſamonæi* vel *Haſmonæi* vocabantur; ſive ſimpliciter *Præfectos* dicas, ſive, quod vox Arabicè ſonat, *Venerandos Antiſtites*, Patriæ ſcil. ac Religionis, quales reverâ illi per multos annos fuêre. Poſtquam enim Duces ac Pontifices, quibus Judæorum Reſpublica poſt captivitatem Babylonicam ſubjecta fuerat, ad ſumma crimina fuiſſent delapſi, verſa eſt Reipubl. facies & prioribus deletis, extinctô Ducum nomine (de quibus vide ſuprà voce *Duces*) ſucceſſerunt *Machabæi*, in quibus Pontificatus primò cum Principatu, deinde etiam cum Regno fuit ſociatus. Vita namque functô Alcimô (quem, ſuffectum Oniæ, ab Antiocho Eupatore, poſt alia ſcelera, muros Sanctuarii diruere parantem mors antevertens oppreſſit) Populi ſuffragiis traditus eſt Pontificatus Judæ *Machabæo*, filio Mathathiæ Sacerdotis, è ſtatione ſeu claſſe Joaribi, 1 Chron. *c.* 24. *v.* 7. & 1 Machab. *c.* 2. *v.* 1. Hic enim, in crudelitatem Antiochi Epiphanis inſurgens, cæſô Apolloniô ejus duce, templum recuperavit, illudque fœdiſſimè violatum procuravit & expurgavit, annô admodum ante Chriſti Epiphaniam 168. ſicque in libertatem Populô aſſertô, ei poſt Alcimum, ſeu etiam, ut alii volunt, adhuc vivente, ſummæ rerum præfuit, per annos quatuor Pontificatu functus, donec, poſt vindicata fortiſſimè Patriæ jura, infelici in prælio cecidit, 1 Machab. *c.* 9. *v.* 18. Ei ſucceſſêre, ex eadem familia, varii uſque ad Joh. Hyrcanum, qui omnes fuerunt Principes ſimul & Pontifices, ſicut Judas: quod poſterius illorum munus legitimum planè fuit, neque per eos Pontificum ſucceſſio interrupta eſt; at nullo jure verô illi muneri Imperium adjunxerunt, quod Levitis ſeu Pontificibus malè conveniebat. Interim Rempublicam illi geſſerunt ſuô ductu ac auſpiciis, non precariâ à Perſis, Græcis aut Romanis poteſtate, ut quibuſdam placet, cùm excuſſô Græcorum jugô Regnô reapte ſint potiti, Romanorum non clientes fiduciarii; ſed ſocii ac fœderati facti, ſicut ex fœdere, quod cum Romanis iniit Judas, conſtat abundè. *Machabæos* poſtea Principes, exceperunt iſtius familiæ Reges, ut videbimus *infrà*; uſque ad Hyrcanum & Ariſtobulum fratres, quorum diſſidio, aptâ occaſione intervenerunt Romani, captâque Urbe & Templo, vinctum Ariſtobulum Romam deportavit Pompejus, Pontificatum & Principatum ſeu Ethnarchiam, non verò Regnum, Hyrcano reddens: quem tamen poſtea, mortuô Ariſtobulô, filius hujus Antigonus, Parthorum auxiliô, regnô occupatô, cepit: At Antonius Antiochiæ, inuſitato exemplô, Regem ſecuri percuſſit. Evectus interea Antipater Aſcalonita, atque propter magnitudinem meritorum erga Julium Cæſarem Procurator conſtitutus eſt; cujus filium Herodem Romanus Senatus Regem declaravit, qui *Machabæorum* ſeu Aſmonæorum proſapiam reliquam funditus excidit, Ariſtobulôque Pontifice adoleſcente, inter natandum, fraude ſceleſtâ ſuffocatô, ipſum quoque Hyrcanum grandævum, optimè de ſe meritum, ſuſtulit; poſtquam Pontificatus ac Principatus in Aſmonæorum domo hæſiſſet, per 130. circiter annos, quorum res florentiſſimæ mutuis odiis & truculentis ſceleribus utrinque admiſſis, penitùs interciderunt: ut ita Regnô funditus everſô, verus Populi Dei Rex enixiùs eò & vehementiùs deſideraretur. Unde etiam de corona Aſſamonæorum prædictum legimus, *quòd illa non ſit*, h. e. quòd ea non ſit illa, quæ promiſſa eſt, Ezech. *c.* 21. *v.* 31. 32. Vide Franc. Burmannum *Synopſi Theolog. Chriſtian. Tom. I. l.* 4. *c.* 38. *toto.* De Cimelio verò Haſmoniacæ Domus vite aurea, in Templo repoſitâ uſque ad Pompeji tempora qui illam Romam tranſlatam Jovi Capitolino conſecravit, vide infrà *Vitis Aurea.* Adde dicenda, in *Machabæi.*

PRINCIPES ET PONTIFICES MACHABÆI.

Judas, Mathathiæ fil. Templum, quod Antiochus Epiphanes, per triennium & ſemeſtre, fœdè profanaverat, recuperat, populôque in libertatem vindicatô, Princeps eligitur, annô quô dictum. Ei, poſt 4. ann. in Regimine exactos, extincto ſucceſſit

Jonathas, frater ejus: quem excepit

Simon, itidem frater. Pôſt

Johannes Hyrcanus, ejus fil. præfuit; itidem, ut Deceſſores illius, Pontifex ſimul ac Ethnarcha; imò ſecundùm Judæos, etiam Propheta; cujus fil. Ariſtobulus, miſſô *Principis* nomine, regium uſurpavit, uti dicemus paulò pôſt. Hyrcanus hic, ideo Principum Aſmonæorum ultimus, Idumæos ſubegit, illoſque ad circumciſionem rituſque Judaicos amplectendos, adegit. Qua de cauſa, poſt hæc tempora, in unum cum Judæis populum gens hæc coaluit, eorum quoque nomine cenſita, juxta vaticinia Num. *c.* 24. *v.* 18, 19. Eſai. *c.* 34. *v.* 6. & *c.* 63. *v.* 1, 2. Amoſ. *c.* 9. *v.* 12. & Malach. *c.* 1. *v.* 3. 4. 5.

REGES EX EADEM FAMILIA.

Ariſtobulus, Johannis Hyrcani fil. primus Regiô uſurpatô nomine, Ethnarchiam vertit in Regnum; ſed imperiô crudeliter geſtô, poſt annum extinctus eſt. Ei ſucceſſit Alexander Jannæus, frater, qui ex Alexandra uxore filios ſuſcepit, Hyrcanum & Ariſtobulum. Poſt ejus mortem,

Alexandra vidua, Regnum per novennium adminiſtravit, Phariſæis addicta, in quorum gratiam, Hyrcanum Pontificem creavit.

Hyrcanus, fil. Alexandri, mortuâ matre Regnum capeſſivit, Regiâ ac Pontificali dignitate fulgens, ſed utrâque illum, poſt menſes tres,

Ariſtobulus frater exuit. Poſtea captâ à Romanis Urbe, Ariſtobulus Romam deportatur: ſed hôc mortuô,

Anti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Antigonus filius ejus, Hyrcanum, Ethnarcham à Pompejo factum, cepit: ipſe tandem juſſu Antonii, ſecuri percuſſus. Vide *ſupra.*

MACCARA, regio ſuper Pharſalum. *Steph.*

MACCES, nomen loci. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 9.

MACCHABETUS, vel *Macbedus*, Scotiæ Regis fil. Præfecti Anguſiæ in Norvegia, provinciæ. Regnum invaſit poſt Donaldum vel Duncanum, tenuitque ann. 17. Ab A. C. 1040. uſque ad 1057. Buchan. *Hiſtor. Scot.*

MACCI, Libyæ interioris populi. *Ptol.*

MACCOCALINGÆ, Indica Brachmanum gens. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

MACCURÆ, Mauritaniæ Cæſarienſis populi. *Ptol.*

MACE, aliàs Μαιτάκη, Celtica civitas. *Steph.*

MACE, Steph. *Matnicz*, teſte Lazio, oppidum Norici, in Auſtriæ Carinthiæque confinio, nunc vicus, qui Gabrumagum Antonino putatur, inter Candolicam urbem Carinthiæ, & Laureacum urbem Auſtriæ in Boream occurrens, quaſi 20. leuc.

MACEDA, civitas tribus Judæ, Joſ. *c.* 10. *v.* 16.

MACEDNON, parva regio in Pindo. *Steph.*

MACEDO, fil. Oſiridis, filii Jovis: aliis Deucalionis fil. nepos aliis fuit, à quo Macedoniam quidam dictam volunt.

MACEDO, Philoſophus, de quo Gellius, *l.* 13. *c.* 18.

MACEDONIA, anguſta primùm, poſtea latiſſima Europæ regio, duobus olim Regibus, Philippô & Alexandrô M. patre ac filiô, & terræ imperiô clariſſima, antea *Æmonia*, *Mygdonia*, *Pæonia*, *Edonia*, *Pieria*, & *Æmathia* ab Æmathio Rege dicta; 1 Macchab. *c.* 1. *v.* 1. dicitur *terra Cethim*, fuit autem Cethim Gen. *c.* 10. *v.* 4. fil. Javan. Hæc tenuibus initiis, regum prudentiâ gentiſque eò magnitudinis excrevit, ut ad utrumque mare, quà Sol oritur, Ægæum: quà occidit, Ionium extenſa, domina centum quinquaginta facta fuerit populorum: è quibus ab Hiſtoricis poſteritati traditi ſunt, Taulantii, Elymiotæ, Daſſaretæ, Mygdones, Biſaltæ, Edonii, Orbeli, Sintici, Pelagones, Oreſtii, Lynciſtæ, Iori, Almopes, Æſtræi, & Eordeores. Nomen à *Macedone* Deucalionis materno nepote regioni hæſiſſe, vult Solinus: à *Mygdonia* potiùs id arceſſente Cluveriô. Hanc à Septentrione Dalmatia, Mœſiaque montana ſejungunt, ab Occaſu mari Adriaticô, ſive Ioniô, ab Ortu Ægæô adluitur. Meridianam oram Epiroticæ gentes, & ipſa Græcia excipit. Ejus partem quondam *Macetia* dictam ſcribit Steph. & Heſychius, & inde totam regionem nomen accepiſſe refert Euſtathius *in Dionyſium.* Poſterioribus ſeculis hujus pars Borealis *Salutaris* dicta fuit libro Notitiarum Item *Prævalitana* apud Sext. Rufum, pars Occidua *Albania*, pars ad Ortum *Jamboli*, Auſtralis verò *Comenolitari* apud Caſtaldum. Baudrando regnum fuit amplum, in Græcia, cujus partes fuêre etiam Theſſalia, Epirus, & aliquando Thracia. *Macedonia propria* dividebatur in quatuor partes præcipuas, ſub quibus provinciæ erant ſeu regiunculæ viginti ſex. Nunc autem etiamnum dividitur in quatuor partes, è quibus prima *Jamboli*, quæ olim Macedonia prima & ſecunda; eſtque magis ad Ortum inter Thraciam & ſinum Thermaicum: Secunda *Macedonia*, quæ aliàs Macedonia propria ſeu tertia, inter montem Scardum ad Boream ac Theſſaliam ad Auſtrum, & ad Occaſum ſinus Thermaici: Tertia *Comenolitari*, quæ pars Macedoniæ tertiæ, & aliqua pars Theſſaliæ, inter Macedoniam ad Ortum & Albaniam ad Occaſum: Quarta *Janna*, quæ pars maxima Theſſaliæ, & verſùs Meridiem. Albania autem, quæ aliàs pars Occidentalis erat Macedoniæ, in præſenti regnum eſt ſeparatum. Olim ſub Regibus, quorum familiæ ſeries hæc: Hercules, Hyllus, Cleodius, Ariſtomachus, Temenus, Perdiccas primus Macedoniæ Rex, Archelaus, Amyntas, Philippus, Alexander M. Poſt quem variè regnum inter æmulos diſcerptum eſt, donec Ptolemæus, pulſô Antigonô, totâ Macedoniâ eſt potitus. Sed hôc à Gallis oppreſſô, Soſthenes, qui invaſores compeſcuit, rerum ſummæ præpoſitus *Ducis* nomen aſſumſit. Quô à Brenno devictô, Antigonus in regnum reverſus eſt, quem Pyrrhus iterum ejecit. Demetrius dein præfuit, cui defuncto ſucceſſit filius Philippus, ſub tutela Antigoni, qui regnum mox invaſit: Sed illud paulo pòſt mortuus pupillo reliquit. Hic, malô conſiliô impulſus, Romanis bellum infert, ſucceſſu non infelici ſolùm ſed & ignominioſô. Parcunt tamen victores Regi, ob Demetrii filii virtutem, cui invidens frater Perſeus, eum de medio tollit, bellôque contra Romanos renovatô, ipſe vincitur & in triumphum ducitur. A quo tempore Macedonia in provinciam redacta eſt, legeſque à Paulo accepit: Poſtquam 30. Reges à Carano ſecundùm Juſtinum *l.* 33. *c.* 2. uſque Perſen: ſecundùm Livium 20. *l.* 44. *c.* 9. ſecundùm Euſebium 39. habuiſſet, annis 923. & rerum 192. ann. potita fuiſſet. Nunc tota ſubeſt dominio Turcarum, qui eam jam ſub Ottomanno claſſe vaſtarunt, A. C. 1323. & ſub Amurathe magnâ ex parte occuparunt, A. C. 1380. cum ejus partibus & annexis. In Macedoniam venit Paulus Apoſtolus, A. C. 49. in viſione inclamatus à viro Macedonico, verbis, *Tranſi in Macedoniam, ſuccurre nobis*: Sed Philippis, ob Pythoniſſæ ſpiritum ejectum, cum comite Sila incarceratus eſt; inde autem miraculo liberatus Theſſalonicam, ac poſtea Berœam abiit, ubi cùm novum ei periculum crearetur, contulit ſe Athenas, Act. *c.* 16. *v.* 9. *& ſeqq.* Gentile *Macedo* Hor. 3. *Carm. Od.* 16.

—— Diffidit urbium
Portas vir Macedo. ——

Item *Macedonicus*, & *Macedonius. Maceta* quoque, Auſon. *in clar. urbib. in Antiochia v.* 9.

—— Macetûmque attollite nomen.

Vide Juſtinum *l.* 7. *& ſeqq.* Plin. *l.* 4. Solin. *c.* 15. Strabonem, Livium, Vellejum Paterculum, Florum, Pauſaniam, Q. Curtium, Arianum, Cluverium, *Introd. Geogr. l.* 4. *c.* 9. &c. *Nic. Lloyd.* Cæterùm.

MACEDONICÆ Monarchiæ, quiſnam poſt Alexandri M. obitum ſtatus fuerit, & quot illa in partes diſſilierit; his verbis exponit Curtius *l.* 10. *c.* 10. *Perdicca perductô in urbem exercitu, conſilium principum virorum habuit, in quo imperium ita dividi placuit, ut rex quidem ſummam ejus obtineret; Satrapes Ptolemæus Ægypti & Aphricæ gentium, quæ in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phœnice data eſt: Philotæ Cilicia deſtinata: Lyciam cum Pamphylia & majore Phrygia obtinere juſſus Antigonus: In Cariam Caſſander; Menander in Lydiam miſſi. Phrygiam minorem Helleſponto adjunctam Leonati provinciam eſſe juſſerunt. Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia ceſſit. Præceptum eſt, ut regionem eam uſque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Arbate gereret. Solus hic detrectabat imperium. Python Mediam, Lyſimachus Thraciam, adpoſitaſque Thraciæ Ponticas gentes obtinere juſſi. Qui Indiæ, quique Bactris & Sogdianis, cæteriſque aut Oceani aut rubri maris accolis præerant, quibus quiſque finibus habuiſſet, imperii etiam jus obtineret. Decretum eſt, ut Perdicca cum rege eſſet, copiiſque præeſſet, quæ regem ſequebantur. Credidêre quidam teſtimoniô Alexandri diſtributas eſſe provincias, ſed famam ejus rei, quanquam ab Auctoribus tradita eſt, vanam fuiſſe comperimus.* Freinshemius fuſiùs iſta ſic enumerat, *Not. ad Curtium:*

Præfecti Provinciarum Macedonicæ Monarchiæ, ſub Alexandro M. & poſt obitum ejus:

Aridæus, toti Imperio cum regia poteſtate, ſive nomine potiùs, præfectus eſt.

Amyntas, Nicolai fil. ut videtur, Sogdianos accipit. Juſtin. *l.* 13. *c.* 4.

Antigenes præficitur Suſis.

Antigonus, Philippi fil., cum Pamphylia & Lycia Phrygiam obtinere juſſus, Diodor. *l.* 18. *c.* 2. Poſtea verò toti ferè Aſiæ imperavit: ut ferè omnes produnt.

Antipater, ſub Alexandro, Macedonibus, Theſſalis, Thracibuſque præfuerat, apud Curtium *l.* 10. *c.* 4. Tum exercitûs per Europam dux conſtituitur, Arrian. *l.* 1. apud Photium Juſtin. Macedoniam & Græciam, Diodor. Macedoniam cum vicinis populis attributam ei ait: quod eodem recidit. Dexippus apud Photium *Cod.* 82. latiùs *univerſæ Macedoniæ & Græciæ, Illyriis item & Triballis, atque Agrianis, omnibuſque adeò iis, quibus in continente* (Europæ) *fuerat ab Alexandro adhuc ſuperſtite cum plena & ſumma poteſtate imperator præfectus.*

Archo Babyloniam. *Diodor.*

Arciſelaus, ſortitur Meſopotamiam.

Aridæus quidam, apud Arrianum & Diodor. Phrygiæ ab Antipatro præponitur: poſtquam Alexandri corpus in Ægyptum tranſportâſſet.

Atropates, Mediæ majori præficitur.

Axiarches. Vide *Oxyartes.*

Caſſander, Antipatri fil. in Cariam mittitur.

Cleomenes, additur Prolemæo, qui provinciam Ægypti adſignatam illi traderet.

Clitus, Lydiam accepit ab Antipatro.

Craterus, Alexandri fil. ex Oreſtide, quæ Macedoniæ pars eſt. Arrian. *Indic. l.* 10. *c.* 11. Alexandri juſſu in Europam proficiſcebatur, *Antipatri locô Macedonibus, Theſſalis Thracibuſque præfuturus*; apud Curtium *l.* 10. *c.* 4. hôc interim mortuô, regiæ pecuniæ cuſtos conſtitutus, Juſtin. *l.* 13. *c.* 4. & cum Antipatro Macedoniam vicinaque regna obtinere jubetur, Arrian.; Curatoris etiam officio, quæque ad regiam pertinent tutelam, mandatis. *Dexippus.*

Eumenes, Hieronymi fil. Cardianus, Arrian. *Ind. l.* 3. *c.* 12. Cappadociam cum Paphlagonia habuit, cum præcepto, *ut regionem eam uſque ad Trapezunta defenderet, & bellum cum Ariarathe gereret:* qui ſolus detrectabat imperium Macedonum, & Alexandrô alibi occupatô jus regni retinuerat. *Curt.*

Laomedon Mitylenæus Syriam cum Phœnice, *Curt.*

Leonnatus, Euni fil. Pellæus, Arrian. *Indic. l.* 3. *c.* 12. Phrygiam minorem Helleſponto adjunctam. *Curt.*

Lyſimachus, Agathoclis fil. Pellæus, Arrian. *Indic. l.* 3. *c.* 12. *Thraciam adpoſitaſque Thraciæ, Ponticas gentes*, obtinere juſſus. *Curt.*

Meleager, Neoptolemi fil. Arrian. Indic. *l.* 3. *c.* 2. ſecundùm Curtium & Arrian. occiſus eſt ante diviſionem factam, quod veritati conſonum videtur: nec enim ante hunc occiſum Perdicca tantum potuiſſet. Non ergo mirum, de provincia ei tradita diſſentire Scriptores, cùm ei, qui non amplius in rebus humanis exſtabat, nulla fuerit adſignata. Cedrenus ergo cum *Euſebianis* Paphlagoniam ei tribuit, Diodorus Lydiam, Latino-barbarus Syriam, quæ *Cœle* dicitur, & Phœnicem.

Menander in Lydiam mittitur, vel potiùs remittitur.

Nearchus Androtimi fil. Cretenſis, Arrian. *Indic. l.* 3. *c.* 12. Lyciam & Pamphyliam ſortitur, *Juſtin.*

Neoptolemus, ex Æacidarum gente, Arrian. Indic. *l.* 2. *c.* 5. Carmaniæ præficitur, ut habet *Dexippus.*

Nicanor, nominatur apud Juſtinum. Cujus tamen Mſſ. magnoperè turbant. Immo Stagnorem quendam ſignare videntur, cui & *l.* 41. *c.* 5. Parthos ait traditos. Ceterùm Nicanori cuidam Cappadociam in altera diviſione tribuit Antipater. Arrian. *l.* 9. *Diodor. l.* 18. *c.* 39.

Oropius, partem Sogdianæ tenuit. *Dexippus.*

Oxyartes ſive *Oxathres*, Alexandri ſocer, Bactrianam, Cedrenus. Parapamiſadas, *Diodor. l.* 19. *c.* 14.

Perdiccas, Orontis fil. Macedo ex Oreſtide, Arrian. *Ind. l.* 3. *c.* 12. imperium dividens ſuo arbitratu; Curt. ſibi ſumit, *ut cum Rege eſſet, copiiſque præeſſet, quæ Regem ſequebantur*, hoc eſt, ut Rex eſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Curt.

Peuceſtas, Alexandri fil. Miezæus Perſidis Satrapa conſtitutus ab Alexandro, Arrian. *Indic. l. 6. c. 5.* in ea provincia remanet, *Diodor.*

Philippus, præficitur Drangianæ. Diodorus Philippo Bactrianam & Sogdianam tribuit.

Philo, recipit Illyrios, Juſtin. Mediam dant Cedrenus. & Euſebiana.

Philotas, obtinet Ciliciam, Curt. Sed provincia ei haud multo poſt adimitur. Juſtin. *l.* 13. *c.* 6. ob amicitiam Antigoni, ut colligitur ex Diodoro, *l.* 18. *c.* 62. Ciliciæ autem imponitur.

Philoxenus, Juſtin. *ibid.* Qui ſub Alexandro oræ maritimæ præfectus fuerat. Plut. in Alexandr.

Parataphernes, ſub Dario quoque prætor Hyrcanorum fuerat, Arrian. *l.* 3. *c.* 2. dedit ſe Alexandro apud Curtium *l.* 6. *c.* 4. à quo in provinciam reſtituitur, *l.* 8. *c.* 3.

Pithon, Agenoris fil. Dexippus: *Pithon quidam horum* (Pori & Taxilis) *finitimis imperavit, exceptis Parapamiſadis.* Hujus etiam ſortem ratam habuit Antipater. Arrian. *l.* 9.

Pithon, Crateæ fil. Alcomenæus.

Arrian. *Indic. l.* 3. *c.* 11. Mediam obtinere juſſus, *Curt.*

Porus, Regnum ſuum retinuit. Juſtin.

Ptolemæus, Lagi fil. Eordenſis, Arrian. *l.* 6. *c.* 5. Satrapiam Ægypti & Africæ gentium, quæ in ditione erant. *Curt.*

Seleucus, Antiochi fil. Juſtin. *l.* 15. *c.* 4. Syriâ & Babylone potitur, Cedrenus: quod quidem Arrian. & Diodor. *l.* 18. *c.* 3. docent in poſteriori diviſione demum accidiſſe.

Sibyrtius, nanciſcitur Arachoſiam & Gedroſiam, *Diodor.*

Staſander Cyprius, conſequitur Ariam & Drangianam ab Antipatro. *Diodor.*

Taxiles, regnum ſuum retinuit.

Tlepolemus, Pytophanis fil. Carmaniam, Alexandrô largiente, tenuit, Arrian. *l.* 6. *c.* 5. Sequuntur Provinciæ, itidem juxta literarum ſeriem, quarum pars maxima brevi in Regna ceſſit: Macedoniæ Antipatri; Aſiæ Antigoni; Ægypti Ptolemæi; Syriæ Seleuci; Thraciæ Lyſimachi, & Indiæ Sandrocotti. Qui ceteros commilitones ſuos potentiâ vitaque multum ſupergreſſi feruntur, ut apud Auctores videre eſt.

Provinciæ Macedonicæ Monarchiæ, juxta literarum ordinem.

Ægyptus, ab Alexandro pluribus Præſidibus credita, Curt. *l.* 4. *c.* 8. poſt mortem ejus tota traditur Ptolemæo.

Africa etiam, quoad perdomita erat, eidem Ptolemæo tribuitur.

Agriani, juſſi Cratero & Antipatro parere; poſt mortem Crateri cum ceteris Macedonici regni acceſſionibus, in unius Antipatri arbitrium concedunt.

Arabia, quatenus perdomita fuerat, Ptolemæo aſſignatur. Majorem tamen ejus partem Seleucus tenuit, Appianô teſte.

Arachoſia diu ſub Sibyrtio fuit: poſtea acceſſit etiam imperio Seleuci.

Arbelitis regio, apud Diodor. *l.* 18. *c.* 39. & Arrian. *l.* 9. Amphimacho traditur; mox cum vicinis regionibus in Seleuci poteſtatem concedit.

Aria, Staſanori primùm à Perdicca: deinde ab Antipatro Staſandro ſubjicitur. Inter utramque diviſionem bienniô minus interfuit.

Armeniam Tleptolemo obveniſſe, Juſtin. *l.* 13. *c.* 4. videtur tradere, ſive potius Neoptolemo, ut in eo nomine diſquiſitum Freinshemio. Poſtea & ipſa conceſſit in Seleuci ditionem. *Appianus.*

Aſia minor, Antigono ferè tota diu paruit, cujus ἐπίσκοπος & curator factus fuerat. *Appianus* ſed &

Aſſyria aliquamdiu.

Babyloniam priùs Archon habuiſſe videtur: mox Seleucus, qui etiam invaſam Antigono recuperavit, *Appianus.*

Bactriana ulterior, priores præfectos retinuit. Inter quos eminebat Oxathres vel Oxyartes. Alexandri ſocer. Eam totam poſtea poſſediſſe fertur Seleucus.

Cappadocia, Eumeni data eſt vel potius dicta: nam tum in hoſtium erat poteſtate, Probus: *l.* 18. *c.* 2. Ariarathis nimirum. Quô interfectô, ademptæ provinciæ Nicanor quidam præficitur. Poſtremò Seleucus obtinuit.

Caria, data Caſſandro: mox Eumeni. Juſtin. *l.* 13. *c.* 9. cui illam cum vita extorſit Antigonus.

Carmania, commiſſa Tlepolemo: videtur mox Seleuci imperio acceſſiſſe.

Cherroneſus Thracia, Lyſimacho paruit. *Arrian.*

Cilicia, Philotæ primùm, mox Philoxeno tradita. Ad poſtremum Seleucus eâ potitus eſt.

Drangiana, Philippo obvenit, plures Staſanori tribuunt. Alterâ diviſione Staſandro fuit commiſſa.

Epirus, cum Macedonia adhæſit Antipatro.

Gedroſiam Sibyrtius habuit.

Græciam Antipater. dein Polyperchon. Juſtin. *l.* 13. *c.* 6. A quo tranſlata in Caſſandrum filium.

Hyrcania, Phrataphernì manſit: quô pulſô aut mortuô adjicitur imperio Seleuci.

Illyrii, cum Macedonia, manſerunt penes Antipatrum.

Indiæ major pars, ſub Taxile & Poro manſit: adjectis etiam aliis, quæ priùs non poſſederant.

Iſauria, Philotæ tribuitur, cum Cilicia.

Lycaonia, Antigono data. Arrian. *l.* 9. unaque vicina Lycia.

Lydia, ceſſit in ditionem Antigoni, ejecto Clito, quem Antipater præfecerat. Diodor. *l.* 18. *c.* 52.

Macedonia, demandatur Cratero & Antipatro: penes quem poſt mortem illius manet, & in Caſſandrum tranſmittitur.

Mediam Atropates rexit. Ideo quamvis Pithon Mediæ præficeretur, ipſe tamen permiſſu Macedonum, dein etiam invitis ipſis, portionem ejus tenuit, quæ ab ipſo vocata, fuit Atropatia. Strabo *l.* 11. Cætera Seleucus poſtea occupavit, occiſô Antigoni Satrapâ Nicatore, ſecundùm *Appianum.*

Meſopotamia, poſt Arceſilaum & Amphimachum Satrapam, accipit Blitorem, imponente Antigonô. Ad poſtremum Seleuco ſubjicitur.

Palæſtina, in *Euſebianis*, Antigono tribuitur. At ex Joſepho conſtat, Ptolemæo paruiſſe, cum vicina Syriæ parte. Ejus tamen præſidia ejecerat Antigonus; *Appianus.* diuque inter eos, poſtea etiam inter Seleucidas Syriæ Reges, & Ptolemeos Ægypti, de ejus poſſeſſione pugnatum eſt.

Pamphylia, Antigono data, retentaque contra Eumenem, Juſtin. *l.* 13. *c.* 6.

Paphlagonia, cum Cappadocia eoſdem dominos habuit.

Parapamiſadæ, commiſſi Oxyartæ, cui videntur à Sandrocotto fuiſſe erepti.

Parthia, Phrataphernì tradita erat; mox Philippo, vel ſecundùm Juſtinum Stagnori mandata; tandem acceſſit Seleuco.

Patalæ, sraduntur Poro. Arrian. *l.* 9.

Perſidem, Tripolemo quidam (*Tlepolemum* videntur velle,) potiores Peuceſtæ tribuunt. Poſtea cum omnibus circaregnis Seleuco paruit.

Phœnice, cum Syria & fortè Palæſtina, Laomedunti obvenit.

Phrygiam majorem accepit Antigonus; quæ ad Helleſpontum pertinet, Leonatus. Eumeni Perdiccas poſtea adjecerat; ſed obtinuit validior Antigonus: cùm interim Leonatus occubuiſſet.

Pontus, majori ex parte Lyſimacho obtigit. Eumenes tamen etiam partem ejus acceperat.

Sogdiana, Philippo priùs, vel Amyntæ, dein Staſanori data fuit. At Dexippus Oropium præficit, ignoratum aliis. Ad ultimum Seleucus poſſedit.

Suſiana, poſt Perdiccæ finem, in præmium navatæ operæ, Antigono traditur.

Syria, Laomedonti fuerat tradita; quem Ptolemæus expulit; viciſſim pulſus ab Antigono, poſtea Seleucus totam obtinuit.

Tapyri, amiſſis Satrapis ſuis, cum Parthis & Hyrcanis, acceſſerunt Seleuco. *Appianus.*

Thracia, quidem Lyſimacho obvenerat, qui & magnam ejus partem obtinuit: ſuperabant tamen adhuc nationes Regeſque liberi, à quorum Seutha ipſe captus fuit. Plut. *Apophth. c.* 49.

Triballi, cum Macedonia, paruerunt Antipatro.

Urbes Macedoniæ hujus temporis:

* Achrida, *l'Ochrida.*
Ædeſſa, *Vodena.*
Albanopolis, *Albanopoli.*
Alectryopolis, Epiſcopalis, ſub Philippis, *Aleſteroſori.*
Amphipolis, *Emboli.*
Apollonia, *Eriſſo.*
Apollonia altera. Vide *Serra.*
* Aulon, *la Valona.*
* Berrœa, *Veria.*
Candavia, *la Canovia.* Regiuncula eſt, non urbs.
Caſandrea, *Caſſandria.*
Caſtoria, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Achridenſi, *Caſtoria.*
Chriſtopolis, antea Neapolis, nunc metropolis, *Chriſtopoli.*
Citrum, *Chitro.*
Daulia, *Eladaſagni.*
Deborus, *Dibrii.*
Derre, *Deterra.*
* Dyrrachium, *Durazzo.*
Elyma, *Canina.*
* Eribœa, *Croja.*
Gazorus. Vide *Alectryopolis.*
Heraclea, Epiſcopalis, gemina: una Sintica, *Cheſeja*, altera *Xenoxua.*
Hieriſſus, quid ſit non conſtat.
Hormia, *Coria.*
* Juſtiniana prima. Vide *Achrida.*
Lariſſa, *Larizza.*
Lete, *Lita.*
Liſſus, *Aleſſio.*
* Lichnidus. Vide *Achrida.*
Myeza, *Lagoviſchio.*
Neapolis. Vide *Chriſtopolis.*
Oeſyma, *Cavalla.*
Pella, *Jeniza.*
Philippi, *Filippi.*
Rentena, quid ſit non conſtat.
Scampes, *Scampi.*
Scotuſa, ſic hodie, Epiſcopalis, *Scotuſa.*
* Scupi, *Scopia*, & *Uſchub.*
Serræ, *Ceres.*
* Theſſalonica, *Salonichi.*
Zachniæ.

MACEDONICUM Mare, Livio dicitur, quod oram circa Canaſtræum promontorium alluit. *Macedonicus* Sinus Plinio, idem cum Thermaico, & Oroſio idem cum Pelaſgico.

MACEDONIUS I. Epiſcop. Conſtantinop. Hæreſiarcha. Ab Arianis, mortuô Alexandrô, intruſus A. C. 342. Pauloque-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

que oppoſitus, illô poſt jurgia, & cædes, pulſô à Conſtantio, tyrannicè imperavit. Mox tranſlatò Conſtantini cadavere ex templo Apoſtolorum in templum Acacii martyris, cruentis turbis exortis, Imperatoris gratiâ excidit. Junctus Semi-Arianis, novam, ſectam excudit, negatâ SPIRITUS S. divinitate: Pulſus Conciliô Conſtantinop. A.C. 359. Eudoxiô ei ſurrogatô. Caput *Macedonianorum*, quibus Ariani & Donatiſtæ in Africa facilè ſe junxerunt. Hi ſub ſanctitatis & auſteritatis vanâ ſpecie plurimis impoſuerunt. *Marathoniani* quoque dicti, à Marathone quodam, qui dives admodum innumeros ſibi ſequaces conciliavit. Item πνευματομάχοι. Hos Athanaſius, à Serapione Epiſcopo Ægypti monitus primus confutavit, Concilia dein ab Imperatoribus celebrata damnârunt, ſecundum inprimis Conſtantinop. A. C. 381. Hieron. *in Chron.* Auguſtin. *hæreſ.* 52. Athanaſ. *l. de Sp. S.* Epiphan. *hær.* 74. Socr. *hiſt. l.* 2. Sozom. *l.* 3. *&* 4. Ruffin. *l.* 1.

MACEDONIUS II. Euphemio ſucceſſit: quòd hæreticis favere nollet, pulſus ab Anaſtaſio Imperat. in exilio obiit, A.C. 515. In eo ſolo reprehenſus, quòd Acacii hæretici nomen è Dyptichis expungere noluerit. Theod. Lector, *l.* 2. *Collect.* Niceph. *Hiſt. l.* 16. *c.* 35. Cedren. *in Annal.* Hiſt. Miſc. *l.* 15. *Theophanes*, &c.

MACEDONIUS, Epiſcop. Antiochenus, poſt Anaſtaſium III, hæreticum, intruſus, A. C. 640. Ob eandem hæreſin excommunicatus eſt, A. C. 649. à Martino I. Succeſſores ejus uſque ad Macarium, depoſitum, A. C. 681. ignorantur.

MACEDONIUS, Epiſcop. Mopſveſtiæ, Arrianos ſequutus. Item Magiſter Officiorum Gratiani Imperat. Mediolani Priſcillianiſtis, contra Ambroſium favit. Periit miſerè. Paulin. *in vita Ambroſii.* Item, auctor Epiſtolarum 51. & 53. inter *Ep.* Auguſtini.

MACEDONUM Portus, locus in ora Carmaniæ, ad fretum Sinus Perſici, ubi Armuzum promontorium.

MACELLA, urbs Italiæ. Steph. *Macalla*, Lycophroni, Barius facit Calabriæ civitatem Epiſcopalem, ſub Archiepiſcopo Siberino, hodie *Strongoli* dictam, inter Crotonem ad Merid. 8. & Chrimiſſam ad Boream. 16. mill. paſſ. Ciacconius *in libello Columnæ Roſtratæ* hanc Macellam in Siciliâ ponit.

MACELLARIÆ Artis negotiator, in vet. *Inſcr.* Lugdun. apud Car du Freſne. Erat autem *Macellum* antiquis Latinis Forum, in quo omnia, quæ ad victum pertinerent, vænum ibant: poſtea ſic propriè appellari voluerunt, ubi caro venalis exponebatur. Hinc in *Gloſſis macellum*, κρεοπωλεῖον & *Macellarii*, Laniones; quos à *mactandis* pecoribus dictos vult Donatus in *Eunuchum*. De iis ita Manil. *l.* 4. *Aſtron.*

Sunt quorum ſimiles animos nec mœnia frenent,
Sed pecorum membris media graſſentur in Urbe,
Et laceros artus ſuſpendant fronte tabernæ,
Luxuriaque parent cædem, morteſque lucrentur.

Ubi *audaces* vel παραβόλους indigitari, ſine ratione, magnus ejus Interpres ſtatuit. Non enim οἱ παράβολοι, aut ferarum confectores & beſtiarii, ſed laniones, pecorum membris graſſantur in urbe media & pecora membratim diſcerpunt ac fronte laniониæ tabernæ ſuſpendunt diſcerpta; uti etiam innuit Phædrus, in *Fabb. l.* 3. *Fab.* 5.

Pendere ad lanium quidam vidit ſimium,
Inter reliquas merces atque obſonia, &c.

Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordianis*, & ſuprà aliquid voce *Culina.*

MACELLINUS, cognomen Macrini Imperat. quo ob ſævitiam à ſervis ſuis eſt appellatus. Capitolin. *in Opilio Macrino, c.* 13. *In vernaculis vel aulicis tam impius, tam pertinax, tam aſper, ut ſervi illum ſui non Macrinum dicerent, ſed* Macellinum, *quòd macelli ſpecie domus ejus cruentaretur ſanguine vernularum.*

MACELOTH, locus ad quem profecti ſunt Iſraëlitæ de Herada. Num. *c.* 33. *v.* 26. Item filius Abigabaon. 1 Par. *c.* 9. *v.* 35.

MACENIAS, ſacerdos. 1 Par. *c.* 15. *v.* 18.

MACER, avus paternus Severi Imperat. apud Spartianum.

MACER Æmilius, poëta Veronenſis, qui de Herbarum viribus, Serpentibus, item Volucribuſque Nicandrum imitatus, ut Quintilianus vult, & Manil. *Aſtron. l.* 2. ſcripſit. Olymp. 191. in Aſia mortuus, ut Hieron. refert. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 10.

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.

Præterea verò cecinit παραλειπόμενα Homeri, quemadmodum & Q. Calaber. Idem, *Ponticorum ſecundo Eleg.* 10.

Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero.
Ne careant ſummâ Troica fata manu.

Et *l.* 2. *de Amor. Eleg.* 18. Sed Poëma de plantis, quod ſub nomine Macri proſtat, non hujus fuit, qui ſub Auguſto vixit: Sed alterius cujuſdam, cùm ibi Plinius citetur, ipſeque nec herbarum peritus admodum, nec bonus fuerit Poëta. Vide Voſſ. *de Poëtis Lat. p.* 28. *de Hiſtor. Latin. l.* 1. *c.* 10. *de Græc. l.* 1. *c.* 16. Crinit. *de Poët. c.* 52. Girald. *dial.* 4. *&c. Nic. Lloydius.*

MACER, Vide *Clodius*, it. *Licinius.*

MACERATA, vulgò quoque *Macerata*, urbs ampla Niceni, ſeu Marchiæ Anconitanæ, in colle juxta Chientum fluv. prope ruinas Helviæ Recinæ, à Gothis deſtructæ, 10. mill. paſſ. à Tolentino in Ortum 15. à Laureto, & ab ora ſinus Veneti in Africum. Sub Pontifice. Epiſcopal. Tolentinâ ei ſede juncta, ſub Archiepiſcopo Firmano: cum Academia. Sedes Legati Marchiæ, non minus ac Ancona.

MACERIÆ, nomen multorum in Gallia locorum, inter quæ eminent *Maceriæ*, in Campaniæ Gallic. finibus ad Moſam poſitæ, in ipſis faucibus peninſulæ, quam Moſa facit, in pago Reiteſtino & Diœceſi Remenſi, vulgò *Maiſieres* Gall. *Macheren* Germanis. Sicut *Königsmacheren* in Ducatu Luciliburgenſi, ad Moſellam, *Regis Macerias*, &c. *Greven macheren* ad idem flumen *Comitis Macerias.* Eſt & villa *Maceriæ*, ad fluv. Altejam, in pago Pontivo, quam Furſeus ab Haimone Duce accepiſſe & ibi mortem obiiſſe dicitur: vulgò *Maſiers*, aliàs *Mazeroëles.* Item *Maceriæ*, vicus ad Iſaram, prope Ribodimontem caſtellum, vulgò *Maſieres.* Sunt quoque *Maceriæ*, vulgò *Maſeres*, in Comitatu Fuxenſi. Similiter in Turonibus *Maceriæ* in Brionis ſaltu cognominatæ, *Meſieres en Brenne* cum tit. Baroniæ olim, nunc Marchiæ. Item in pago Belnenſi, Monaſteriô Abbatiali B. Mariæ ſacrô illuſtres, *Maiſieres pres Beaune:* non longè quoque à Moſella fluv. & Mettis, *Maziere.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MACERIUS, Aulæ Pontificiæ Officialis, qui Papam equitantem comitatur. In *Ceremoniali* Davantriæ *MS. Quando duo ejus Domicelli ſeu* Macerii *debent eum ducere per frœnum equi.* Et alibi, *Servientes armorum vel vocati* Macerii *habent præcedere Papam*, apud Dominicum Macrum *in Hierolexico.* Hodie *Mazzieri* vulgò.

MACES, promontor. Arabiæ, in Macis. Amm. Marcellinus *lib.* 23. Cujus oſtia adeò perhibentur eſſe anguſta, ut ex Harmozonte Marmaniæ promontorio contra oppoſitum aliud promontorium, quod appellant incolæ Maces, ſine impedimento cernatur, Græce τὸ ἐν Μάκαις Straboni: Μάκετα Arriano, ex Nearcho, Καὶ οἱ τῶν χώρων ἐκείνων δαήμονες, τῆς Ἀραβίης ἔλεγον τὸν ἀνίσχουσαν ταύτην ἄκρην, καλέεσθαι δὲ Μάκετα, ἔνθεν τὰ κιννάμωμά τε καὶ ἄλλα τοιουτότροπα εἰς Ἀσσυρίους ἀγινέεσθαι. Ubi Μακίδα mavult legi Salmaſ. ut ſit Μακὶς ἄκρα, vide eum *ad Solin. p.* 1182.

MACESTUS, Myſiæ fluv. in Rhyndacum influens, *Megiſto* hodie, teſte *Ortelio.*

MACHA, vel potiùs *Maacha*, nomen regis. 2 Reg. *c.* 10. *v.* 6. *&* 8.

MACHABÆUS, cognomentum fuit ſolius Judæ, filiorum Mattathiæ natu maximi, idque jam à puero, quamvis Judæi velint, illum ita demum appellatum eſſe ab eo tempore, quo vexillo ſuo ſingulares literas intexi curavit, quæ ſingulorum illorum verborum, Exod. 15. initia eſſent *Mi Chamocha Belohim Adonai.* Sed ex vetuſtiſſimis Judæorum monumentis ſcimus, Leonem ejus vexillo intextum fuiſſe. Cæterùm veteres Eccleſiaſtici, non Judam ſolùm, ſed multos alios *Machabæos* vocant. Euſebius omnes Haſamonæos, i. e. omnem progeniem Mattathiæ Haſamonæi vocat *Machabæos*, *l.* 8. Eorum hiſtoria ſic habet. Mattathias, ex familia Joarib, è tribu Levi, præfectum Antiochi Epiphanis, Modini, occidit, A. 587. U. C. Pater quinque filiorum, è quibus Judas, Jonathas & Simon ei ſucceſſerunt. Hos ſequuti Pontifices & Reges Judæorum Johannes Hyrcanus, Ariſtobulus I. Alexander, Hyrcanus, Ariſtobulus II. Antigonus, Ariſtobulus III. ab Herode ſublatus: qui, Judaicæ Reip. vindices & aſſertores, contra potentiſſimos Reges bella geſſerunt. Vide Dan. *c.* 11. *v.* 34. Quin & *Machabæi* dicti ſunt, ſeptem fratres filii Annæ, propter verum cultum à ſatellitibus Antiochi excarnificati, de quibus in Epitomâ Iaſonis Cyrenæi, *Itaque omnes, qui ob legis obſervationem excruciati, cæſi, & malè tractati ſunt, à veteribus Chriſtianis dicuntur Machabæi, ut qui propter Chriſtum dicti Martyres.* Iſid. Peluſ. *l.* 3. *ep.* 4. ait, *Machabæum* Perſicâ linguâ *Dominum* ſignificare. Subdit Μακκαβαῖοι γὰρ ἐκλήθησαν καὶ οἱ ἐν τοῖς Μακκαβαϊκοῖς χρόνοις τὰ ἀνήκεστα ὑπομεμενηκότες, καὶ μὴ ἐξομοσάμενοι τοὺς πατρῴους νόμους. Vide plura *libb.* Machab. 1. & 2. Joſeph. *in Antiq. & de Bell. Jud.* *Machabæorum* liber uterque, quorum *primus* à Joh. Hyrcano compoſitus, *alter* à Iaſone Cyrenæo, vel potius hujus epitomatore, concinnatus, 2 Machab. *c.* 2. *v.* 23. videtur, Apocryphus eſt: utpote, in quibus *falſitates* plurimæ, Vide Frid. Spanhem. *diſput.* 6. *de Author. ll. Apocryph.* &c. Non paucæ *Contradictiones*, Vide de morte Antiochi 1 Machab. *c.* 6. *v.* 16. & 2 Machab. *c.* 1. *v.* 16. ut & 2 Machab. *c.* 9. *v.* 28. quæ confer cum Dan. *c.* 8. *v.* 25. Item, de templo purgato à Juda Aſſamonæo, ante mortem Antiochi, 1 Machab. *c.* 4. *v.* 36. quod demum poſt hujus mortem contigiſſe dicitur, 2 Machab. *c.* 10. *v.* 9. &c. Spanhem. *diſp.* 7. Innumera tandem mali commatis, & vel *ſuperſtitionem*, vel *Impietatem* olentia, ut quòd e. g. Mattathiæ facinus, 1 Machab. *c.* 2. *v.* 47. & 48. Ornamenta templi à Deo non juſſa, 1 Machab. *c.* 4. *v.* 57. Eleazari temeritas, 1 Machab. *c.* 6. *v.* 43. &c. Fœdus tam arctum cum Spartanis, 1 Machab. *c.* 12. *v.* 11. Sacrificium pro mortuis, 2 Machab. *c.* 12. *v.* 43. Razis αὐτοχειρίας, 2 Machab. *c.* 14. *v.* 37. &c. non ſine elogio referuntur & approbantur. Quibus impius accedit colophon, cùm Auctor 2 Machab. *c.* 15. *v.* 39. anxius hæret, an ſcriptio reſponderit arti, an digna ſit argumento, &c. fatetur interim ſe omnes vires intendiſſe, ad opus iſtud: Quale quid Spiritui S. ſine blaſphemia nequit tribui. Vide Spanhem. *diſp. de ll. Apocryph.* 11. *&* 12. Quidam *tertium* quoque librum addunt, quem Apocryphis accenſet ipſe Bellarminus *de Verbo Dei c.* 15. Catalogum commentatorum in hos libros exhibet Crowæus *in Elench.* Vide & ſuprà, *Maccabæi.*

MACHÆRA, fluv. Africæ, apud Carthaginem. *Polyb.*

MACHEROPHORI, militum genus in Ægypto, ſub veterib. Thebanorum Regibus. Vide *Calaſiris*: it. *Curſor.*

MACHÆRUS, *runtis*, caſtellum Judææ, Steph. ex Joſepho, quod apud Jordanem fluv. & lacum Aſphaltitem ſitum, 12. horarum itinere, verſus Orientem Hieroſolymis diſtat. Ibi S. Johannem Baptiſtam capite minutum eſſe, A. C. 31. probat *Baron.*

MACHAGENI, Scythiæ gens intra Imaum. Ptolem. *Machæriones*, apud Spartanos, dicti ſunt Anticratis poſteri, quòd is *machærâ*, id eſt, gladio Epaminondam in bello ſtrenuè confeciſſet. Cœl. Rhod. *l.* 13. *c.* 7.

MACHALAUM, oppidum in Brixiano agro, Inſubrium clade nobile.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MACHANIDAS, poſt Cleonem Leoidæ fil. ultimum Spartæ ex Euryſthenidarum familia Regem, ab Antigono victum, tyrannidem arripuit, ſed brevi ſublatus, Nabidem, ſucceſſorem habuit; quo ipſo à Flaminio Romano Duce & Philopœmene Græco pulſô, Spartani libertatem receperunt. Vide *Nabis*.

MACHAON, fil. Æſculapii & Arſinoës, alii Coronidis, alii Heſiones, alii Meropis, alii Xanthiones filium faciunt, Podalirii frater & medicus inſignis, qui unà cum reliquis Græciæ principibus ad Trojam profectus, tandem ab Eurypylo eſt occiſus. Ponitur aliquando ſimpliciter pro medico. Ovid. *l.* 3. *ex Ponto Ep.* 4.

Firma valent per ſe nullumque Machaona quærunt.

Martial. *l.* 2. *Epigr.* 16.

Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Virgil. *Æn. l.* 2. *v.* 262. *Machaonem* numerat inter eos, qui equo ligneo incluſi Ilii portas ſuis reſerârunt. Porrò *Machaon* Gereniæ, quæ Laconiæ civitas eſt, ſepultus fuit, cujus tumulus templô colebatur magnificô, quòd variorum morborum hinc peterentur remedia. Ejus ſimulachrum æreum erat, quod etiam coronâ inſigniebatur. Machaona & Podalirium inter inſignes Venatores refert, Xenophon *in Cynæget.*

MACHARA, vel *Macara*, urbs Siciliæ inter Syracuſas & Pachynum. Aliis *Imachara*; Incolæ *Imacharenſes* & *Maharenſes* Ciceroni & Cluverio; nunc eſt *Traina*, oppid. in meditullio Siciliæ, intra montes, in valle Demonæ, 40. milliarib. à Catania in Occaſum Panormum verſus.

MACHATI & MAACHATI, firma & valens Amorrhæorum urbs eſt, in tribu Manaſſe, ſita ſuper Jordanem juxta regionem Geſſuri & montem Hermon. Cecidit autem urbs & terra hæc in ſortem dimidiæ tribui Manaſſe, quæ tamen Machatæos ejus habitatores diſperdere non valuit.

MACABANÆI, nomen Principis. 1 Par. *c.* 12. *v.* 13.

MACHBENA, nomen loci. 1 Par. *c.* 2. *v.* 49.

MACHELA, pagus Belgii circa Trajectum ad Moſam; vulgò *Mechelen.*

MACHELONES, populi circa Pontum. Arrian. *in Periplo.*

MACHERUS, oppid. & caſtrum munitiſſimum, in ſaxoſa rupe in tribu Ruben, altâ & undique præcipite ſitum, vallibus ex omni parte cinctum, loci naturâ & firmitate inacceſſum & inexpugnable, magnitudine ſimul & pulchritudine admirandum.

MACHETAS, Scotorum Rex, A. C. 1050. Romæ argentum ſeminando pauperibus diſtribuit, *Marianus Scotus.*

MACHI, pater Guel, vel Gehuel, principis tribûs Gad. Num. *c.* 13. *v.* 16.

MACHIA, feſtum Turcarum, de quo vide aliquid voce *Gyrovagi.*

MACHIAVELLUS Nicolaus, Florentinus, Latinæ Linguæ tantùm non penitus rudis, Marcelli Virgilii diſcipulus, quòd olim ejectô Soderinô à Medicæis in quæſtione tortus fuiſſet, ab his leniendo dolori annuam ſcribendæ Hiſtoriæ mercedem promeruit, ita tamen ut compreſſô odiô cùm dicendo ſcribendoque Brutos & Caſſios laudaret, ejus conjurationis architectus fuiſſe putaretur, in qua Ajacetus Poëta, & Alamannus eques ex turma prætoria concepti ſceleris pœnas capite dederunt. Exinde ſemper inops, ut irriſor & atheus, obiit ſumtô pharmacô, quo ſe adverſus morbos præmuniret, A. C. 1529. paulo antequam Florentia Cæſareis armis ſub jugum Medicæorum denuo redigeretur. Scripſit *Hiſtoriam Florentinam libris* 8. *De Arte militari libros* 7. *de Rep. libros* 4. *Diſcurſus ad Hiſtoriam Livii libr.* 3. *Vitam Caſtruccii*, *Comœdiam Clizia inſcriptam*, *De Principe*, *De Senatore &c.* P. Freher. *Theatro Viror. erudit. claror.* Vide & *Nicolaus Machiavellus.*

MACHICOLIUM, oppid. Britanniæ minoris vix 3. leuc. à mari Aquitan. *Machecou.* Caput regiunculæ *le Duché de Retz*, 1. leucâ à confinnio Pictavienſis provinc. 5. à Ligeri in Auſtrum 10. à Nannetis in Africum.

MACHICORUM Tractus provinc. Madagaſcariæ, verſus partem Auſtral. & Ampatres populos ubi aliquot coloniæ Francorum, à paucis annis annis vulgò *Pais des Machicores.*

MACHIMOS, civitas, cujus incolæ pugnaces ſunt, armatique naſcuntur, ac bellum aſſiduè gerunt. Vide Cœl. Rhodig. *ex Æliano l.* 39. *c.* 50. *l.* 17. *c.* 31.

MACHINA, pro theſauro ſubterraneo, apud Livium, *l.* 39. *c.* 50. *Admonent deinde quidam, eſſe theſaurum publicum ſub terra, ſaxô quadratô ſeptum. eò vinctus demittitur, & ſaxum ingens, quô operitur*, machina *ſuperimpoſitum eſt*: quibus verbis id refert, quod *Plut.* in *Vita Philopœmenis* ſic: Οὐ μὴν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνον, οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον ἐνταῦθα κατέθεντο. Quod in omnibus Siris, Cryptis & templorum Theſauris ac faviſſis, quæ ſub terra ædificabantur, fiebat: Lapide nempe quadratô ſtruebantur & concamerabantur, relictô foramine, quod ſaxô deſuper impoſitô claudebatur. Cujuſmodi Cryptam quoque fuiſſe monumentum illud, in quo Domini noſtri cadaver à Joſepho reconditum, aſſerit Salmaſ. Item pro cataſta, in qua ſervi vendebantur, & quâ incluſi proſtabant, apud Ciceronem ubi ancillam *eruere de machina* ait. Porrò, pro toto molæ machinamento, unde *machinarius* aſinus, qui machinam circumagit, &c. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. pag.* 1210. & hìc paſſim, inprimis in vocibus, *Ciſterna*, *Faviſſa*, *Theſaurus.*

MACHINARUM Ars, Vide infrà *Mechanice* Aliàs *Machina* Vitruvio *l.* 10. *c.* 1. eſt continens ex materia conjunctio, maximas ad onerum motus habens virtutes, ac movetur ex arte circulorum rotundationibus, per κυκλικὴν κίνησιν. Delrius *ad illa Senecæ Thyeſte*, *Urbes ſternere* machinis *longè ſaxa rotantibus* &c.

MACHINATOR, epitheton Jovis, quem Phœnices vocabant Δία μίχιον, intelligentes Vulcanum, Euſeb. *Præpar. Euang. l.* 4. *c.* 10. Bochart. vertit πυριτεχνίτην, *Phœnic. l.* 2. *c.* 1.

MACHIR, fil. Manaſſe, Gen. *c.* 50. *v.* 23. Pater Galaad. 1 Par. *c.* 7. *v.* 14. Filius item *Ammihel.* 2 Sam. *c.* 9. *v.* 4.

MACHIRITÆ, familia quædam. Num. *c.* 26. *v.* 29.

MACHLINIA, urbs Belgii ampla & præclara, Brabantiæ metropolis, media inter Antverpiam, Lovanium, & Bruxellas. *Meckelen* & *Malines.* Ad Dylam fluv. Baudrando, in Brabantia inſerta; ſed tamen regiuncula adjacens, *Machlinienſe* dicta dominium, Belgii provinc. eſt. Media ferè inter Antverpiam ad Boream & Bruxellas ad Auſtream ſub Hiſpan. Dicitur & *Mechlinia.* Archiepiſcopat. facta eſt à Paulo IV. Philippo II. Hiſpan. Rege curante. A voce MACHALE ſeu MACHALUM, nomen habet quæ medii ævi Scriptoribus horreum ſine tecto denotat, Campanis Galliæ *Machau*; tum huic urbi, tum aliis ſimilis appellationis vicis ad Moſam & circa Beringiam, nomen datum eſſe, judicat Wendelinus, laudatus Car. du Freſne, in voce *Machale.*

MACHLIS, fera Scandinaviæ, ſimilis alci, labrô ſuperiori adeò propenſô, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia paſci nequeat, Plin. *l.* 8. *c.* 15. quòd alci tribuit Solinus. *c.* 20. Vide ad hunc Claud. Salmaſ. *pag.* 232. & 386.

MACLYES, Africæ populi ſupra Naſamones, quos *Androgynos* eſſe tradit Calliphanes, utriuſque naturæ inter ſe vicibus coëuntes. His Ariſtot. tradit dexteram mammam eſſe virilem lævam muliebrem. Plin. *l.* 6. *c.* 2.

MACHMAS, nomen oppidi & caſtri Templariorum, in tribu Ephraim. 1 Sam. *c.* 13. *v.* 2. *Bira* nunc, 12. mill. paſſ. ab Hieroſolymis in Boreal. Garizim montem verſus 15.

MACHMETHATH, terminus tribus Manaſſe in ſorte Ephraim. Joſ. *c.* 16. *v.* 6 & *c.* 17. *v.* 7.

MACHORBÆ, Arabiæ Felicis portus, verſùs Ortum. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

MACHUREBI, & MACHURES, Mauritaniæ Cæſarienſis gens. Ptol. *Macurebi* Plinio. *l.* 5. *c.* 3. *Machuribi* ſunt eidem Ptolemæo, Libyæ interioris populi.

MACHUSII, Mauritaniæ Cæſarienſis gens. *Ptol.*

MACI, circa Arachoſiam populi. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

MACIANUM, vulgò *Machian*, una ex Moluccis ſtrictè ſumtis, verſus Gilolum Inſul. ſub Batavis, inter Inſulam Motiræ ad Boream & Bachianum ad Auſtrum. Vide in voce *Molucca.*

MACICRATIS, urbs Ægypti, ab Athenienſibus condita. *Euſeb.*

MACIDOS, urbs Thraciæ. *Madi* Ptol. *Madytos*, Xenophonti, vulgò *Maiton*, & *Maitos*, teſte Leunclavio: 6. milliar. à Seſto. 13. à Callipoli in Merid. Fuit olim Epiſcopat. ſub Archiepiſcop. Heracleenſi, nunc metropolis eſt. *Ferrarius.*

MACIES, Vide ſuprà *Gracilitas.*

MACIS, apud Caſp. Barlæum *in Medicea*, ubi de Domo Societatis Indiæ Orient. Amſtelodami: *Hîc Perſarum, Arabum, Sinenſium, Moluccarum, Japonenſium dona ſegeteſque habebant capaciſſima porcellana -- piper rotundum oblongumque — Macis & nuces myriſticæ triplices, aliæ involucris ſuis incluſæ, aliæ foliis macidis tectæ, aliæ conditæ, Moluccarum proprios proventus & benignitatem prædicabant.* Paulo pòſt, *etiam tabellæ ex macidis ſucco, & Gutta gamba, flavo colore reliquis intermicans.* Item, *magni pretii olea è macide & nucibus myryſticis, &c.* aromatis genus eſt, parvus nempe, ruber & jucundus aſpectu cortex, alio majore cortice obvolutus, qui nucem myriſticam, cum maturuit, circundat, eaque exſiccatâ ſeſe aperit atque in aurum flaveſcit: ipſa nuce carior, Dalechampius *Hiſtor. Plant. Tom. II. l.* 18. *c.* 32. Ejus, ut & nucum, proventus maximus eſt in Inſulis Bandanis, quarum monopolium Belgæ habent Fœderati: Auctor Anonymus *Hiſt. Orb. Terr. c.* 10.

MACISTOS, urbs Triphyliæ, quam Caucones inhabitârunt, à *Maciſto* Phryxi fratre. Vide Steph. in Μάκιστος.

MACIUM, Indiæ provincia, elephantis referta, quorum decem millia Rex ad bellum nutrit: ipſe verò albo vehitur elephanto, cui catena aurea gemmis diſtincta, colloque circumdata ad pedes uſque propendet. Viri ac mulieres ſtylô ferreô variis coloribus, figuriſque corpora pingunt. Idola omnes colunt: è lecto ſurgentes ad orientem ſolem ſe convertunt, & junctis manibus orant: in oratione trini Dei opem petunt, ſerpenteſque aſſos in cibum pro deliciis habent. Æneas Sylvius *Aſiæ part.* 1. *c.* 10.

S. MACLOVII, peninſula Galliæ, in Britannia minore cum urbe cognomine. vulgò *St. Malo*, vel *St. Malo de l'Iſle*, Epiſcopat. poſt dirutum Aletum, à quo mill. paſſ. plus minus diſtat. Nomen ei dedit Machutes, qui & Maclovius, Aletenſium Epiſcop. Vide Valeſium in voce *Aletum.*

MACLOVIUM, urbs Gall. Celticæ Epiſcopat. parvi circuitus, ſed munita & dives, emporiumque celeberrimum, cum portu capaci: Epiſcopat. ſub Archiepiſcop. Turonenſi, in inſul. parva *S. Aaronis* dicta, vix à continente ſeparata, ipſique ponte juncta. *S. Malo* vulgò. Crevit ex ruinis Alethæ, & 16. leuc. diſtat ab urbe Briocenſi, 4. à Dola in Circuitu Hinc nautæ periti. Nomen accepit à primo ſuo Epiſcopo *Maclovio*, quem alii *Nacutum* vocant. Rupi inſidet, & commerciis inprimis Arctum verſus celebris eſt, regni clavis. Hujus portæ quoties clauduntur, 12. moloſſos ſolvi mos eſt, ut hoſtiles detegant inſidias. Templum ejus cathedrale Vincentio ſacrum, unum eſt ex antiquiſſimis totius regni. Vide Argentræum *Hiſt. de Bretagne*, De Paz *Hiſt.* Sammarth. *Gall. Chr. T. II.* Ducheſnium *Ant. des Villes*, &c. Dicitur etiam *S. Maclovii urbs.* An primus fuerit Aletenſium Epiſco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Epiſcopus Machutes ille vel *Maclovius*, ambigit *Valeſ.* Neque enim id dicit Auctor ejus *Vitæ*, apud Johann. Boſcium: ſed tantùm ſcribit, Machutem cum Aarone manſiſſe, donec *Epiſcopatus civitatis Britannicæ, quæ vocatur Aleta, ei extitit deſtinatus. Non erat ea civitas longè ab Inſula Aaronis, ſuper littus maris ſita: habens ex uno latere fluvium, nomine Kinctus ab altera verò parte mari alluebatur.* Ubi pro *Kinctus* legi vult *Rinctus* Auctor præfatus: Vulgò enim *Rance* dicitur. Meminit ejus *Vita* Maclovii à Joh. Mabilione edita, *Antiquiſſima civitas Aletis à meridianâ parte Rinctiô fluviô illic mari influente lavitur, ab Aquilone fretô irrumpente ab Inſula ſeparatur, populis & navalibus commerciis frequentata.* Incolas urbis *Maclovii* Britanni *Maliins* vocant, Hadr. Valeſ. in voce *Aletum.*

MACNA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

MACOCUM, vulgò *Nacoco*, regnum peramplum Æthiopiæ ſuperioris cui 10. alii Reges ſubſunt, 250. milliar. German. a regno Congi, verſus partem Septentrional. fluv. *Zaire.* Ei à Septentrione regnum Mujaci adjacet, cum quo perpetuum ferè gerit bellum,& ad Euro-boream ei vicinus eſt Rex Giringbomba. If. Voſſ. *de fontibus Nili.*

MACOCURSIUS Johannes, vide *Johannes.*

MACODAMA, Africæ propriæ urbs maritima, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthagin. ad Syrtim. Nunc pagus, apud oſtia Tritonis & Theænas. *Ptol. Macomades Antonino*, *Macros* hodiè, teſte *Moletio.*

MACOLICUM, Hiberniæ oppid. in mediterraneis *Ptol. Malclin Mercatori.*

MACOMADÆ, *Antonin. Calumacuma Ptol. Macellata Marmolio*, *Meſurata Moletio*, oppid. Africæ ad initium Syrtis magnæ. Nunc vicus tenuis, cum parva turri. Apud Aſpidem oppid. a Lepti magna 220. milliar. in Ortu.

MACOPSISA, urbs Sardiniæ. *Ptol.*

MACAROBA, Arabiæ Felicis oppidum. *Ptol.*

MACRA, amnis ex Apennino fluens, Liguriamque dividens ab Hetruriâ, & juxta Lunam civitatem in mare Liguſticum illabens, *la Magra* vulgò. Plin. *l.* 3.*c.* 5. Lucan. *l.* 2.*v.* 426.

—— Nullaſque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrit in æquora Lunæ.

Oritur in limite Ducatus Parmenſis, poſtea juxta Apuam labitur; dein auctus Verrâ, Ulá, aliiſque minoribus omnibus, tractum *Vallem Macræ* rigat; & per ditionem Genuenſem fluens, paulo infra Serezanam in mare Mediterraneum ſe exonerat. *Baudrand.* Eſt & inſulæ nomen in mari Myrtoo, apud Eubœam, à qua avulſa eſt, 60. ſtad. à Sunio promontorio circuitu totidem, 2. mill. paſſ. ab inſul. Helena, Plin. *l.* 4. *c.* 12. vulgo *Macronoſi.*

MACRANIA, vulgò *Macran*, provinc. Perſiæ, verſus mare Indicum, & confinia M. Mogolis. *Mekran* etiam, & aliis *Geteche Maquerona*; Pars Caramaniæ antiquæ, ut & nunc pars Oriental. regionis *Kirman* dictæ, ſub Perſis. Habet ad Boream Sigiſtaniam provinc. ad Meridiem mare Indicum, ad Occidentem Caramaniam propriam, & ad Ortum Sindam regionem. Principes habet ſub clientela Regis Perſarum. Cum urbe cognomine *Macranum.* Ejus portus præcipuus *Guadel*, dicitur verſus mare Indicum.

MACRAS, campus in Cœleſyriâ. *Strabo.* Hodie *Marzi Nigro.*

MACRENIS, Corſicæ gens. *Ptol.*

MACRI, campi inter Bononiam & Ravennam, per quos Romam itur. Μακροὶ Κάμποι Straboni, *l.* 5. Eorum meminêre *Varro*, *Livius*, atque *Columella.* Vide *Cluver.*

MACRIA, inſul. parva Rhodiorum. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Teiorum item promontorium in Aſiâ Ioniæ regionis. Pauſan. *Achaic. l.* 7,

MACRANUS, Gallienô & Aureliô uſurpante imperium, factus eſt Imperator, cum duobus filiis ſuis, Macriano & Quieto: idque conſiliô & operâ ducis Baliſtæ, ac omnium militum aſſenſu. Hic cùm ſtatim contra Gallienum veniret, ac 45000. militum ſecum duceret, in Illyrico, vel Thraciarum finibus, congreſſus cum Aureolo, victus & cum Macriano filio interemptus eſt: triginta denique millia militum in Aureoli poteſtatem conceſſêre, A. C. 26 . Domitianus autem eum vicit, dux Aureoli fortiſſimus & vehementiſſimus: qui ſe originem dicebat à Domitiano Imperat. trahere, atque à Domicilla. Vide quoque *Macrimus.*

MACRIANUS minor, unà cum patre factus eſt Imperator, unà item cum patre, cujus meritô imperare cœperat, à Domitiano victus, 30000. militum ſpoliatus eſt. De hoc multa dicuntur, quæ ad fortitudinem pertinent juvenilis ætatis. Fuit matre nobili, patre tantùm forti & militiâ clarô. Trebel. Pollio, *de* XXX. *Tyrannn. c.* 13. Vide *Macrinus.*

MACRIM, pro Stagira, Ariſtotelis patria, apud Georgium Logothetam *in Chronico* Conſtantinop.

MACRINA, virgo ſanctitate inſignis, Baſilii & Gregorii Nyſſeni ſoror, hunc ob illius mortem tam egregiè conſolata eſt, utpote erudita admodum, ut Gregorius hinc occaſione ſumtâ, *de Anima & Reſurrectione* dialogum ediderit. Vide Gregor. Nyſſen. *in ep. ad Olymp.* Avia virginis hujus itidem *Macrina* vocata eſt.

MACRINUS Marcus opilius Severus. Maurus obſcurâ ſtirpe, per omnes gradus a Fortuna evectus, Advocatus Fiſci & Prætorio præfectus evaſit: Caracallæ poſtmodum occiſo ſucceſſit, aſcitô in Imperii conſortium, Diadumenô filiô an. ætat. 10. ſed ob ſævitiam militibus exoſus, horum conſpiratione ſublatus eſt, A. C. 218. Imperii 1. menſ. 2. Jul. Capitolin. *in vita ejus*, Aur. Victor *in Macrino*, Æl. Lamprid. *in Diadumeno.*

MACRINUS, vel MACRIANUS & MARCIANUS Marcus Fulvius, à Baliſto, Præfecto prætorio ſub Valeriano, ad Imperium evectus, adjunxit ſibi *macrinum* vel Q. Fulv. Marcianum & C. Fulvium Quietum, filios. Sed victus in Illyrico, per Aureolum, cum Macrino, in pugna cecidit. Quietus verò, Odenatum, qui Baliſtum occiderat, perſequens, ab Emeſſenis interemtus eſt. Sub finem Secul. 3. imperante Galienô. Trebell. Pollio, *de* 30. *tyrannis. c.* 12. Item Conſul cum Ælio Celſo, an. 916. Urb. Cond.

MACRINUS Salomon, Julioduno-Picto, diſcipulus Fabri Stapulenſis, Poëta Lyricus, poſt Horatium, excellentiſſimus, dum juvenis eſſet, habitus, ſcripſit *Hymnorum libros.* 7. *Hymnorum Selectorum libros* 3. *Carminum libellum*, *Odarum libros* 4. *Neniarum libros* 3. *de Gelonide Borſatâ uxore*, quod ultimum palmam fert. Pater Caroli, Poëtæ patre quidem inferioris, ſed Græcâ eruditione præſtantioris, præceptoris Catharinæ Borboniæ, ſed in tumultu Pariſienſi trucidati. Obiit A. C. 1557. ſenex. De illo *Hoſpitalius* ——

———— Macrinus ad æthera notus
Carminibus fidicen modulandis ——— *Sammarth.* Mich. Hoſpital. *Ep. ad Card. Bellajum l.* 3. Teiſſier in *Elogiis.*

MACRIS, inſula Cariæ in mari Rhodenſi apud Cannum urbem maritimam. *Magri* hodie. *Macris* etiam, ob longitudinem, dicta eſt Eubœa, ſicuti & Chios.

MACRIS Sinus, Gall. *Golfe de Macre*, maris mediterranei in ora Lyciæ, prope Macram urbem inter Lyciam & Rhodum. Aliter *Glaucus ſinus.* Vide ibi.

MACRITIUS, Cous, Sinopen in Ponto condidit. *Steph.* Vide *Sinopa.*

MACROBII, populi Africæ in Meroë inſul. teſte Melâ. *l.* 3.*c.* 19. & in Æthiopiâ ad Solis ortum, teſte Plinio, *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 30. ſic ob vitæ longitudinem dicti. Juſtitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore, & formâ pulcherrimi ſunt. Hyperborei etiam populi & Æthiopes, prope Oceanum Atlanticum *Macrobii* dicti, teſte Euſtathiô & Dionyſ. Afric. ob eandem cauſam. Vide & Orphei *Argonaut.*

Venimus ad dites, omnique ex parte beatos
Macrobios. ———
Nic. Lloyd.

MACROBIUS Aurelius, nomen viri, qui ſcripſit Saturnalium libros, in quibus de variis tractans, criticum & antiquarium inſignem agit, & commentarios in ſomnium Scipionis, quos Planudes græcè vertit; Iſacius Pontanus Meurſiuſque eruditis notis illuſtrârunt. Vide & Merulam, *l.* 2. *antiq. Gall. Ciſalp. c.* 2. Vixit ſub finem ſecul. 4. fuitque unus ex Cubiculariis Theodoſii.

MACROCEPHALI, populi ad Boſphorum, Pomp. Melæ *l.* 1. *c.* 19. Stephanus Colchis vicinos eſſe ſcribit. Circa Ceraſuntem oppid. Cappadociæ ſunt Plinio. *l.* 6. *c.* 4. A capitis longitudine dicti.

MACROCHERÆ Tunicæ, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 33. *Chlamydes hirtas Severi, & tunicas aſemas, vel* macrocheras *ex purpura non magna ad uſum revocavit ſuum:* dictæ ſunt tunicæ, quæ longas habebant manicas. Salmaſ. *ad h. l.*

MACROCHIR, apud C. Nepotem *in Regibus c.* 1. Artaxerxis cognomen, ex Græco Μακρόχειρ, Latin. *Longimanus*, in Tarich, *Daras Daſt*, quod idem. Sic autem dicebatur, quia tam longis brachiis erat, ut ſtans rectuſque manibus genua contingeret, Strabo *l.* 15. Vel, quia dextram ſiniſtrâ habebat longiorem, *Plut.* R. David. Kimchi intempeſtivè ſubtilis, à magna potentiâ: aliis à liberalitate, id cognomenti arceſſentibus. Vide Philippum Melanchthonem *in Chron.* & plura de hoc Rege, voce *Artaxerxes I.*

MACROCREMNII montes, circa Iſtrum & Tyram fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

MACRON, Thraciæ oppid. non procul ab Iſthmo Cherronenſi, ita dictum à longo muro, quem Militiades à Propontide ad Melianum ſinum duxit, Cherroneſum à reliquâ Thraciâ excludens. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

MACRON, Sparton, vide ſuprà *Gymnaſtica*, & infrà *Petaurum.*

MACRONA, apud Anaſtaſium Bibliothecar. in *Leone* III. *Macronam verò ipſius Lateranenſis Patriarchii, quæ extenditur à campo & ultra imagines Apoſtolorum reſtauravit*, porticus videtur eſſe aut ſolarium in longum porrectum, teſtudinatum & cameratum, quaſi μακρὸν dictum. Cujuſmodi μάκρωνα in Patriarchio Conſtantinop. extitiſſe, & urbe à Francis primùm captâ conflagrâſſe, auctor eſt Nicetas *in Alexio Man. fil. c.* 6. *in Iſaacio & Alexio c.* 2. apud Car. du Freſne, qui *Macronem* & *Andronem* idem eſſe docet, *in Gloſſar.* Vide quæ de *Macrona* Lateranenſi *in ſua Diſſertatione de Lateranenſibus parietinis* attigit, *p.* 30. & 31. Nic. Alemannus.

MACRONES, Pontica gens ad fluv. Abſarum, in Colchidis, & Armeniæ majoris confinio. Quorum Val. Flacc. meminit, *l.* 5. *v.* 151.

Moſſynici vos & ſtabulis Macrones ab altis.

Et Dionyſius *v.* 766.

Μάκρωνες, Φίλυρές τε, καὶ οἱ μόσσυνας ἔχουσι
Δουρατέους.

Strabo *l.* 12. Καὶ Σάννοι οὓς πρότερον ἐκάλουν Μάκρωνας. *Machelones* ab Arriano appellari, *Macritas* ab Apollonio *l.* 1. *Argonaut.* credit Pintianus, ſic dictos, ut idem addit, ex ejus enarratoribus, quòd ſint coloni Eubœenſium. Eubœa enim olim *Macris* dicta. Sed Sannos diverſos à *Macronibus* faciunt *Xenophon*, & *Arrianus*, quod idem quoque *Pintianus* annotavit.

MACRONTICHOS, Thraciæ oppid. 60. milliar. à Byzantio. *Suidas.* Sed duplô ferè intervallô abeſt, *Ferrar.* In ora Propontidis, inter Rhædeſtum & Pactyam, à Lyſimachio 5. mill. paſſ. in Boream ab ore Ponti 150. à Doriſco 122. in Ortum. Olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Heracleenſi, poſtea Metropolis, cum Xanthia & Peritheorio, urbibus proximis, effecta.

MACROPOGONES, gens circa Euxinum Pontum. *Strabo.*

MACROPOLIS, vide *Euryalus.*

MACRYES, populi Libyæ. *Steph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MACRYNEA, urbs Ætoliæ. *Steph.*

MACRYNIUS, mons Ætoliæ maximus, apud Chalcidem oppid.

MACTARUM, urbs Africæ propriæ. *Auguſtin.*

MACTATIO, Agni Paſchalis, toti Iſraëlis cœtui imperatur, Exodi *c.* 12. *v.* 6. *Et mactabunt eum omnis congregatio Synagogæ Iſraëlis.* Proin *v.* 21. omnibus dicit Moſes, *Mactate Paſcha*: non ſolùm, quia tum temporis quiſque paterfamiliâs aut quilibet primogenitus in familia ſua erat Sacerdos; ſed &, quia mactatio tam ad populum, quàm ad Sacerdotem pertinebat, uti probat Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *p.* 575. 576. Et quidem *mactatio* legitima, Hebraicè שחטירה *ſechita*, ut Hebræorum Magiſtri tradunt, acutiſſimô cultrô fiebat, per animalis jugulum ductô & reductô. Sed נחירה *nechira*, mactatio illegitima erat, quâ nares diſcindebantur, qualique uſus eſt Balak Rex Moabitarum: Ita quidem Magiſtri. Bochart. verò, partem pectoris ſuperiorem; quæ Græcis στῆθος, Arabibus dici *nachar*, docens; verbum *nachara*, eſſe *mactare*, cultrô non in naſum, ſed in ſummum pectus adactô prope jugulum, oſtendit. Quod verbum, inquit, Arabibus notiſſimum etiam Chaldæi uſurpant, cùm de victimæ *mactatione* agitur, in infidelium ſacrificiis, in quorum numero erat Balak. Vide eum ubi ſuprà *c.* 50. *p.* 586. Cæterum quid propriè *Mactare*, docet Stewechius, *Solebant*, ajens, *hoſtiæ molâ ſalſâ tangi, ac tum immolatæ dici. cùm verò ictæ eſſent & aliquid ex illis in aram datum*, mactatæ *dicebantur per laudationem & boni ominis ſignificationem, & cùm illis mola ſalſa imponebatur, dici ſolebat, Macte eſto*, ex Varrone, *Electis Arnobianis l. ult.* Eandem in rem Servius *ad Æn. l.* 9. *v.* 641. *Quoties aut thus aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant: mactus eſt taurus vinô vel thure, h. e. cumulata eſt hoſtia, & magis aucta.* Vide Jac. Cujacium *Obſervation. l.* 2. *c.* 12. B. Briſſonium *de Formulis l.* 1. Alios.

MACTORIUM, urbs Siciliæ, *Steph. Mazarino Aretio.* Vide *Cluver.* Vix 18. milliar. ab ora Auſtrali. Nunc caſtrum in colle, cum titulo Comitatus gentis Brancifortiæ; inter Gelam fluv. ad Ortum, & Hymeram fluv. ad Occaſum. Aliis eſt *Botero*, caſtrum magis ad Auſtrum. *Baudrand.*

MACULA, Pompejus. Vide *Pompejus.*

MACULÆ, citrearum menſarum, in pretio olim Romanis, memorantur Tertulliano *de Pall. c.* ult. verbis his: *Hem quantis facultatibus æſtimavêre ligneas maculas!* Earundem Plin. quoque meminit. *l.* 13. *c.* 15. Nec enim unius generis, aut nominis, erant. Aliæ *tigrinæ*, aliæ *pantherinæ*, appellabantur, aliæ *pavoninæ*, aliæ etiam *apiatæ*. Tigrinæ, in morem venarum, longas lineas diſcurrentes habebant, tæniis ſimiles. tales enim maculæ tigridum, quas propterea ῥαβδωτὰς, i. e. *virgatas*, dixêre. At pantherinæ in orbes parvos & intortos erant criſpæ, ut ſunt terga pantherarum. Quam differentiam *tigrinarum* ac *pantherinarum macularum* ſcitè his verſibus deſcribit Oppianus, *Cynegetic. l.* 1.

Τοὶ μὲν γὰρ δειρὴν, καλλίτριχα δ' εὐρέα νῶτα.
Γεγράφαται δολιχῇσιν ἐπήτριμα ταινίῃσιν,
Τίγριες οἷα θοοὶ, κραιπνοῦ ζεφύροιο γενέθλη·
Τοὶ δ' ἄρ' εὐτροχάλοισι περίδρομα δαιδάλλονται,
Σφραγῖσιν πυκινῇσιν, ὁμοίια πορδαλίεσσιν.

Plinii verba, de his menſarum *maculis*, ita ex veterib. libris legit Salmaſ. *Menſis præcipua dos in venam criſpis, vel in vortices parvos. Illud oblongô evenit diſcurſu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intortô, & ideo tales pantherinæ vocantur.* Ubi eleganter *in venam criſpas* vocat, quæ venatim criſpæ ſunt, & *criſpas in vortices*, quæ ad inſtar vorticum intortæ criſpantur. Sequitur apud eundem Plinium: *Sunt & undatim criſpæ majore gratiâ, ſi pavonum oculos imitentur. Magna verò poſt has gratia extra prædictas criſpis, denſâ veluti grani congerie, quas ob id à ſimilitudine apiatas vocant.* Dicebantur nempe *apiatæ*, non ob apibus vel apiculis, ut Viri docti hariolantur; ſed ab *apio*, quòd denſâ grani congerie criſpæ, apii ſemen & grana denſè congeſta referant. Claud. Salmaſ. *Notis ad Tertullian. l. c.* 436. Vide quoque ſuprà *Diſtinctum*; ubi de *Maculis veſtium eluendis*, infra voce *Tinca.*

MACUM, Æthiopiæ ſub Ægypto oppidum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MACURIUS, Hydrunti præfectus, à Ragnerio, qui Tarento præfuit, mirô ſtrategemate deceptus eſt. Hic enim, cùm mortuô Totilâ, Tejum factum Regem, Francoſque in ſocietatem venturos audiviſſet; pœnitentiâ ductus, quòd ad partes Juſtiniani Imperat. tranſiiſſet, ad Gothos redire ſtatuit. Ut verò obſides ſuos, quos Romanis dederat in fidei pignus, reciperet, à *Macurio* auxilium popoſcit adverſus Gothorum copias, quas contra ſe venturas ſimulabat: Is, nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicans, quinquaginta milites miſit: quos Ragnerius in poteſtatem redactos, cuſtodiri juſſit, miſitque ad Macurium, ut ſibi ſuos obſides reſtitueret, ſi milites, quos Tarentum miſerat, vellet eſſe incolumes. Senſit ille, ſibi graviter eſſe illuſum, ac ſimul irâ accenſus, pauciſque militibus in præſidio Hydrunti relictis, ipſe cum cœteris copiis, adverſus Ragnerium profectus eſt: quem etiam in pugnam deſcendere auſum, in fugam conjecit. At milites ſuos à periculo eripere nequivit, quippe eos omnes ante congreſſum Ragnerius trucidaverat. Joh. Magnus *l.* 14. *c.* 19.

MADAFARIUS *Nic. Maria*, vide *ibi.*

MADAGASCARIA, ſeu *Inſul. Lunæ*, item *Inſul. S. Laurentii*, Inſul. perampla Africæ, in Oceano Æthiopico *Menuthias Ptolem. Cerne* Plinio *l.* 6. *c.* 31. & *l.* 10. *c.* 8. qui inſulæ cognominis meminit, in mari Atlantico. Vide *Madera.* 90. aut 100. leuc. Gallic. ab ora Africæ in Ortum. Ex præcipuis totius orbis, ſub Tropico Capricorni extenſa à gradu 11. latitudinis Auſtralis uſque ad gradum 25. ejuſdem latitudinis, ſed multo minor ab Ortu in Occaſum; aloës, pecorum, ſanguinis draconis, aromatum & lignorum odoratorum dives. Hîc tantùm pagi, ut & à paucis annis aliquot coloniæ & arces Francorum, verſus partem Meridionalem Inſulæ, ubi in Ortum vergit, nempe arx Delphina, arx Anoſſia, arx Sinûs S. Auguſtini, aliæque coloniæ minoris notæ in illis partibus, uti in inſul. S: Mariæ ei adjacente. Dividitur in plures provincias, ex quibus à Francis detectæ ſunt in parte Auſtrali Carcanoſſia. Ampatrum tractus, Machicorum tractus, Carembola, Mahafalia & Matatania. Boreales adhuc ignotæ. Dicitur *l'Iſle Dauphine* Gall. *Madecaſe* incolis, *Iſla de S. Lorenzo* Luſitanis, *Sarandib* Arabibus. Vide Steph. Flacurtium *in hiſt. hujus inſul.* Corn. Hautmannum *Itiner. p.* 9. *& ſeqq.* à Mandeſlo *l.* 2. *c.* 19. &c. *Becmanno*, una eſt è maximis Orbis inſulis. in Oceano Indico ſita, longitudine 150. latitudine 80. milliarium circiter: Prope eam plurimæ minores inſulæ hinc inde ſparſæ ſunt, è quibus inſulæ *de Cumoro* ad Boream, Madagaſcari adſitæ numerô quinque & his nominibus ferè appellatæ, *S. Johann de Caſtro, Spirito Sancto, Sancto Chriſtophoro, Auguzeria* & *Mayotto.* Vide Herberti *Itiner. p.* 13. Ad littus Melindæ regionis jacet inſula *Zanzibar*, quam Voſſ. probabiliter autumat eſſe *Menuthiam* Veterum, *Nott. in Pomp. Mel. p.* 303. Inſul. Mauritii, ab aliis *Cerne* dicta, Orientem verſùs poſt inſulam Madagaſcariam ſita eſt, &c. Cæterum hæc inſul. totius Africæ maxima, circa A. C. 1290. Regem non habebat: Sed quatuor Senioribus jure Ariſtocraticô parebat, teſte Marcô Paulô Venetô *l.* 3. *c.* 39. Noſtrô tempore, in plurima dividitur Regna, ſemper inter ſe hoſtilia. *Hornius.*

MADAI, fil. Japhet. Gen. *c.* 10. *v.* 2. Pater Medorum. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 14.

MADAN, vel *Medan*, fil. Abrahæ ex Cethura. Gen. *c.* 25. *v.* 2.

MADARANUM, Regnum Aſiæ, in Inſul. Java; de quo ſic Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 312. *In Java eſt Regnum Bantam Madaran; potentiſſimuſque in illa Inſula Rex eſt, quem vulgò vocant Regem Madaran*

MADASARA, urbs Arabiæ Felicis *Ptol.*

MADASUMMA, urbs Africæ propriæ, *Antonino. Maduſſama* alibi idem legit. *Madyſſumma* habet *Victor Uticenſis.*

MADATES, Uxiorum præfectus, qui ultima pro fide, quam regi ſuo Dario dederat, experiri ſtatuit. Cui cùm ex arce, triginta Oratoribus ad deprecandum apud Alexandrum miſſis, ſpes veniæ denegaretur; precibus Siſygambis, cujus ex ſorore neptem ille matrimonio ſecum junxerat, periculô exemptus eſt. Curt. *l.* 5. *c.* 3. Verùm Janus Gebhardus in ſuis ad Curtium exercitationibus adnotat, neque in Plutarcho nec Arriano hujus hominis fieri mentionem, tantumque à Diodoro Μήτον vel Μάδετον inſigniri *l.* 17. *parte poſteriore*, à Polyæno verò *l.* 4. *in Alexandro com.* 27. appellari *Phraſaorten.*

MADAURA, ſeu *Madurus Ptolemæo* & Plinio *l.* 5. *c.* 4. urbs Africæ Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi, inter Gætuliam & Numidiam, à quâ Apulejus *Madaurenſis* eſt appellatus: Ibi olim literarum gymnaſium, ad quod D. Auguſtin. adoleſcens ſe contulit, Quibuſdam urbs Africæ propriæ mediterranea, inter Hipponem & Lambæſam ad 60. mill. paſſ. diſtans. Cirthæ propior. nunc pagus tenuis. *Baudrand. Madara* vulgò.

MADELINARIUS, vide *Madrinarius.*

MADERA, Gall. *l'Iſle Madere*, inſula in mari Atlantico, nomen à copia lignorum ſortita eſt, nam quicquid inibi erat ſoli, totum id ſylvis opacum denſiſſimis conſpiciebatur. Operæ pretium igitur fuit his, qui primi inſulam coluêre, ut multô eam igni purgarent; qui adeò graſſatus eſt aliquando, ut etiam viros corripuiſſet, ni aquis humerotenus immerſi ſibi conſuluiſſent. Inſula in circuitu patet 40. milliar. portum non habet, verùm peropportunas ſtationes. Feracis eſt ſoli, licèt ſaltuoſa inſtar Siciliæ ſit, ſcatet tamen frugibus innumeris: hinc *Regina inſularum*, quibuſdam dicta: deſiit autem fertilitas (licet adhuc plura producat) nam frequentiore ſemine attrita eſt; irrigatur fontibus, & amnibus conſpicua eſt, quorum octo ibi viſuntur, qui inſulam interfluunt. Apri in montibus viſuntur innumeri. Quum primùm culta fuit inſula, maxima hîc fuit columbarum copia, quibus capiendis, non aliâ arte uſi ſunt aucupes, quàm ut alligatô perticæ uncinô, ex arboribus, quibus inſidebant, eas detraherent, non paventibus avibus, ſed mirantibus, veluti, rem non viſam hactenus, quoniam nullo habitatore humanô culta fuerat inſula, ſed ſolis avibus & feris ceſſerat. *Metel.* Alias *Cerne Atlantica*, *Sanſovin.* Detecta fuit A. C. 1420. à Joanne Gundiſalvo, & Triſtane Vaſæo auſpiciis Henrici Luſitaniæ Regis. Longa eſt 25. leuc. circuitus 60. circiter. Ejus primaria urbs Funchalia. Ibi etiam oppid. Moncrixum & Fanum S. Crucis, cum 36. Parœciis; Inſul. portus Sancti in vicinia eſt. *Baudrand.* Mariana *l.* 20. *c.* 11. *hiſt.* Maff. *l.* 10. *hiſt.*

MADERA, vulgò quoque *Madera*, fluv. qui & *Cayane.* Oritur in America Meridionali in confinio Peruviæ, verſus Argenteam urbem; dein poſt longum curſum, in Amazonium fluv. ſe exonerat, infra Cajanam provinc. *Petr. Texeira.*

MADERASPATANUM, urbs regni Narſingæ, in ora Coromandelis & ſinus Gangetici, cum portu & arce S. Georgii, ſub Hollandis ab aliquot annis.

MADERIACUM, ſeu *Meceria*, urbs Campaniæ Gall. ſatis munita, à Moſa fluv. ferè circumdata: vix dimidia leucâ à Carolopoli & ab arce montis Olympi, 4. infra Sedanum in Occaſum, totidem à Rupe Regia in Eurum, 3. tantùm à confinio Ducatus Luxemburg. 6. à Bullionio, 8. à Retelio, 16. à Remis in Cæciam. Eſtque ſatis culta. *Mezieres* vulgò.

MADI, vide *Macidos.*

MA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MADIA, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 5. Item oppid. Colchidis in Iberiæ confinio. Ptol. *Chipicce Moletio.*

MADIA Vallis, German: *das Meynthal*, una ex quatuor Helvetiorum præfecturis Italicis, & quidem ordine poſtrema, olimque Locarnenſis Comitatus appendix. Nomen habet à fluv. Madia *der Mayn*, qui ortus prope culmen montis S. Gotthardi, Meridiem verſus fluit, & poſt 7. milliar. Helvetica ad Locarnum, in lacum Verbanum, ſe exonerat. Hic vallem bipartitur, cujus ſuperior pars *Val. Lanizeria*, fonte Madiæ gaudet, qui 3. milliar. infra receptô fluv. Rouanâ, parti illi vallis *Rouanæ* nomen conciliat. Plurimi utrobique vici pagique. Olim ſub Ducibus Mediolanenſ. poſtea à Maximiliano Sfortia A. C. 1515. cum reliquis præfecturis, Helvetiis in operæ fortiter præſtitæ præmium, conceſſa. Vide Stumpf. *l.* 9. *de Lepontiis*, *c.* 10. Simler. *de Rep. Helvet. &c.*

MADIÆ, vicus agri Bononienſ. inter Bononiam & Mutinam, 10. milliarib. utrinque; *la Samogia.*

MADAN, fil. Abrahæ ex Cetura. Geneſ. *c.* 25. *v.* 2. Inde, *Madianitæ*, populi Arabiæ Petrææ in Palæſtinæ confinio, quorum regio Madian: *Steph. Mandianitas* & *Madrenos* appellat. Incoluerunt hi populi Arabiam Petræam, Palæſtinæ vicinam, ubi *Madian* deſertum, & urbs, quæ hodie *Salaboni Theveto.* Inter 7. populos internecioni devotos: integrô ſeptenniô gravi jugô preſſere Iſraëlitas, donec his Gedeon liberator obtigiſſet Judic. *c.* 7. & 8. 1. Paral. *c.* 1. *v.* 33. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 5. *c.* 8. Salian. & Torniel. *in Annal. V. T.*

MADINUM, oppid. agri Tarviſini.

MADISANTES *Sinus*, Perſici maris pars. Ptol. *Golfo di Saudra* hodie. *Meſanites* habet Steph. *in deſcriptione Arabiæ.*

MADIUS Menſis, pro Majo, apud *Papiam* & Domnizonem, de *Vitâ* Mathildis *l.* 1. Sic *Magius*, in *Chron.* Anonymi Barenſis.

MADMENA, civitas tribus Judæ. Eſai. *c.* 10. *v.* 31.

MADOCE, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol.* emporium & regia, extra fauces ſinus Arabici ad 30. leuc. *Aden Barroſio.* Aliis *Menden*, ejuſdem oræ.

MADOCUS, vide *Columbus.*

MADON, nomen civitatis. Joſ. *c.* 11. *v.* 1.

MADRINARIUS, in *Computo* Hoſpitii Reg. A. C. 1313. apud du Freſne *Gloſſar. Rad. de Aſneriis* Madrinarius *ſeu Madelinarius*: & in *Ordinatione* Hoſpitii Ludovici IX. Regis Francor. A. C. 1261. ubi memoratur *Guillelmus Madelinarius*; officium Scantionariæ eſt, cui *Madrinorum* cura incumbebat. Dicti autem ſunt *Madrini* ſeu *Mazirini* aut *Mazelini*, Gallis vulgò *Madre*, pretioſiora pocula: quæ *Somnerus* quidem lignea fuiſſe ſcribit & acerna, ex Belgico *Maezer*, cujuſmodi pocula in pretio apud Norvegos olim fuiſſe, refert Janus Dolmerus *Notis ad Jus Aulicum Norvagicum antiq. p.* 461. At, quia Fortunatus *in Ep. præfixâ Poëmatum l.* 1. *pocula acerna* inter viliora recenſet; eadem *Mazerina*, cum veterib. Murrhinis fuiſſe, cenſet Car. du Freſne ex *Gloſſario* vet. Lat. Gall. & Matthæo Pariſio *A. C.* 1181. Vide ubi de *Murrhinis.*

MADRITUM, vulgò MADRID, urbs perampla Hiſpaniæ, ſedes regia, à tempore Philippi II. ad amnem Manzanarem, in Caſtella nova. Crevit ex ruinis Mantuæ Carpentanorum, nunc *Villa Manta* dictæ, vix unâ hinc leucâ. Cum palatio regio: Creſcit indies. 7. leuc. ab Eſcuriali in Ortum 12. à Toleto in Boream 5. à Compluto in Occaſum. In regiuncula Algarria eſt, ſed ſine muris, editô ſitu elata. Hîc Concilium, A. C. 1473. contra craſſam ignorantiam, ſimoniam & perditum luxum Clericorum. T. 11. Conc. Mariana, *l.* 23. *c.* 18.

MADRUCIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

MADUALLIS, ſeu *Bona vallis*, prædium olim Regale Galliæ, in pago Cenomanico, quod Sigibertus Rex Sanctimedardenſibus, præter multa beneficia, delegavit, & Warinbertus Epiſcop. Sueſſonicus, neglectis Monachis, ſibi vindicavit. Vulgò *la Val*, ad Meduanam fluv. non longè ab oppid. Meduana, in finibus Cenomanorum, cum titulo Comitatus Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MADURA, vulgò MADURE, urbs Indiæ intra Gangem, forſan *Modura* antiquis ſatis ampla & culta, ſub proprio Principe, *Naique de Maduré* dicto, cum provinc. ſatis ampla, inter Malabariam ad Occaſum & oram Piſcariæ, ſeu fretum Manarium ad Ortum. Ei ſubeſt ora Piſcariæ, unde magni proventus. Sed clientelaris eſt Regis Biſnagariæ. Subeſt ei & Manaria Inſul. Urbs ipſa Madura eſt ad radices montium, 60. mill. paſſ. ab ora freti Manarii in Occaſum.

MADUS, Camdeno *Maidſton*, oppid. Angliæ, inter Londinium 28. & Rium in ora Merid. 20. mill.

MADYES, Protothyæ fil. Rex Scytharum, Cimmerios, priùs ſedibus ſuis pulſos, in Aſiam perſequitur, quam illi juxta mare iter tenentes ingreſſi erant, terram populaturi, viâ aberrans Caucaſumque ad dextram habens, in Mediam irrupit, ac victô Cyaxare Rege, qui ſolutâ Ninûs obſidione regnum ſuum defenſurus illi obviam venerat, rerum in Aſia aliquandiu potitus eſt. Herodotus *l.* 1. *c.* 104. Vide & voce Scythæ.

MADYRUS, urbs Helleſponti. *Steph.*

MADYTOS, vide MACISTOS.

MÆA, urbs Helleſponti. *Steph.*

MÆANDER, vulgò MADRE, fil. Terræ & Oceani, pater Cyanes, quæ Caunum & Biblida genuit, ſecundùm Poëtas. Fluvius ingens Aſiæ, in Phrygiâ magna, ex Aulocrene fonte oriens, obliquéque adeò fluens, ut in ſeipſum recurrere videatur, 600. flexiones faciens, teſte *Dione Pruſæo.* Cariam ab Ioniâ ſeparat, ac mare inter Heracleam, & Miletum ſubit. Mæandrum conſtat fluviorum omnium eſſe maximè ſinuoſum. Μόνος γὰρ ἐκ πάντων τῶν ποταμῶν ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀρχόμενος πηγῶν εἰς ἑαυτὸν παλινδρομεῖ. Ita Plut. *in lib. de Fluminibus.* Et de Labyrintho Dædaleo Ovid. *Met.* 8. *v.* 162.

Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque,
Occurrenſque ſibi venturas reſpicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum
Incertas exercet aquas.

Et *l.* 2. *Fab.* 1.

Quique recurvatis ludit Mæander in undis.

Et *l.* 9. *Fab.* 11.

——— *Mæandri toties redeuntis eodem.*

Silius *l.* 7.

Qualis Mœoniâ paſſim Mæandrus in undâ
Cùm ſibi gurgitibus flexis revolutus oberrat.

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 34.

——— *Ut Phrygio fallax Mæandria campo*
Errat, & ipſa ſuas decipit unda vias.

Sen. *in Herc. Inſano*, *Act.* 3. *v.* 682.

—— — *Qualis incertâ vagus.*
Mæander undâ ludit, & cedit ſibi,
Inſtatque dubius littus, an fontem petat.

Hinc à Lucano *errans* dicitur. *l.* 3. *v.* 228.

Errantem Mæandron adit.

Calaber 1. *v.* 281.

Μαιάνδρου τε ῥέεθρα βαθυῤῥόου, ὅς ῥ' ἐπὶ γαῖαν
Καρῶν ἀμπελόεσσαν ἀπὸ Φρυγίης πολυμήλου
Εἶσι πολυγναμπτῇσιν ἑλισσόμενος προχοῇσι,

Hinc & ab Orpheo πολυπλανὴς, à Nonno πολυσχιδὴς, & σκολιὸς appellatur. Vide Solin. *c.* 43. *Æthicus*, *Fluvius Mæandrus naſcitur in campis Aſiaticis, bicornis, currit quaſi ſint duo redigentes ſe in unum, influit in mare Cycladum, currit millia* 997. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Mæander*, &c. *crebris ita ſinuoſus flexibus, ut ſæpe credatur reverti.* Strabo, Σκολιὸς ὢν εἰς ὑπερβολὴν, ὥστε ἐξ ἐκείνου τὰς σκολιότητας, ἁπάσας Μαιάνδρους καλεῖσθαι, Sic apud Heſych. Μαίανδρος, εἶδος ἱππασίας, quô equi multiplicibus flexibus & gyris agitantur. Apud Feſtum, *Mæandrum picturæ genus dictum à ſimilitudine flexûs amnis, qui appellatur Mæandrus.* Unde Poëta *Æn. l.* 5. *v.* 250.

——— *Plurima circum*
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Paria ferè Nonius, apud quem Varro *Mæandrata* pro flexuoſis. Sed & *Mæandri* dicuntur vafra, & obliqua conſilia. Cicer. *pro Piſone*: *Quos tu Mæandros, quæ diverticula flexioneſque quæſiſti.* Prudentius *Cathemerinon Hymn.* 6.

O tortuoſe ſerpens,
Qui mille per Mæandros
Fraudeſque flexuoſas,
Agitas quieta corda.

Nic. Loydius, vide & infrà. Item *Mæandrus*, quæ & *Mæandropolis*, Magneſiæ urbs *Steph.* Cariæ oppidum, ad *Mæandrum* fluvium, *Madre.* Et Indiæ extra Gangem mons. *Ptol.* Item *Mæandria*, Epiri oppidum Plin. *l.* 4. *c.* 1. *Alandriana Pineto.* Et *Mæandrini* populi circa Mæandrum fluv. *Dictys Cret.*

MÆANDRI, Veteribus in veſtibus dicti ſunt, faſciæ & ornaturæ, quæ extremas oras flexuoſô circuitu ambirent; aliàs περίκλυσις, περίνησος, &c. Vide infrà, voce *Periclyſis.* Unde *Mæandri* quoque, in triglyphis, picturæ genus erat, ab eadem tortuoſitate vocati. Et hac notione nonnullis vox ſumi videtur, apud Tertull. *de Pall. c.* 4. *Prorſus ſi quis Mæandricô fluxu delicatam veſtem humi protrahat, audiat, ponè ſe quod & Comicus.* Sed ſententia hæc probari neutiquam poteſt. Si enim *flexu* legeretur, aliquid eſſet: longè aliud eſt *fluxus.* An fluxus pro laxitate veſtis? Verùm, quid illi laxitati cum Mæandro, aut qui *Mæandrica* dici poſſit? Præterea *fluxu*, apud Autorem hunc, ſemper pro mollitie ſumitur. Unde ſuprà, *de viro fluere.* Et *lib. de Spectac. Et eſt planè in artibus quoque ſcenicis, Liberi & Cereris patrocinium, quæ privata & propria ſunt ſcenæ de geſtu & corporis fluxu.* Et *de Habitu Muliebri Diſcutiendæ enim deliciæ, quarum mollitiâ & fluxu fidei virtus effœminari poteſt.* Nec proin alio ſenſu *fluxum* heic poſuiſſe, exiſtimandus eſt. Vetus Salmaſii, & antiquæ editiones, *Menandrico fluxu* legunt, quæ lectio potior. Menandri certè fluxum & delitias verſibus his deſcribit Phædrus, *l.* 5. *Fab.* 2. ad quos ſine dubio Afer alluſit,

Quin etiam reſides & ſequentes otium
Ne defuiſſe noceat, repetunt ultimi.
In quis Menander nobilis Comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguentô delibutus, veſtitu affluens,
Veniebat greſſu delicatô, & languidô.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremô agmine,
Quinam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire? Reſponderunt proximi,
Hic eſt Menander Scriptor.

Menandricô igitur *fluxu veſtem delicatam humi protrahere*, nihil aliud eſt, quàm Menandri Comici more, veſtitu delicatô & fluente, humum verrere, & Menandri delitias imitari, in veſte tali trahenda. Reſpexit ad illum verſiculum,

Unguentô delibutus, veſtitu affluens.

Quam autem is *delicatam veſtem*, Græci μαλακὴν ἐσθῆτα vocant. Diogenes Laërtius de Heraclide Pontico: Οὗτος ἐσθῆτι δὲ μαλακῇ ἐχρῆτο καὶ ὑπέρογκος ἦν τὸ σῶμα, ὥστε αὐτὸν ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν μὴ Ποντικὸν, ἀλλὰ Πομπικὸν καλεῖσθαι. Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio. p.* 339. vide quoque infrà *Menander.*

MÆANDRIUS Scriba, à Polycrate Samiorum tyranno, quem per inſidias Oretes, præfectus Sardium, interfecerat, domi cuſtos relictus, auditâ heri cæde, ſuaſit Samiis, ut Demo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ÿmicam Reipubl. ſtatum amplecterentur : Verùm, cùm populum tumultuari, ac interceptæ pecuniæ Mæandrium accuſare cœpiſſet, hic vi[illegible]ens, populo ſervitutem placere, tyrannidem retinuit. Vide Herodot. *l.* 3. *c.* 122.

MÆATÆ, Scotiæ populi apud Dionem *in Severo*, juxta eum murum, qui Scotiam ab Angliâ dividit : Horum regio *Lundiana* vocatur à Lhvido. Pictice gentis fuiſſe credit *Buchananus.* Montes incolunt aſperos, aquæ indigi, ac campeſtria deſerta paluſtriaque ſine urbibus ac domibus. nudi incedentes fabiſque contenti. Northumbros inter Mæatas ponit *Camdenus.*

MÆCENAS, memoratur Jul. Capitolino *c.* 20. *in Maximinis, Profecto igitur ad bellum Maximo, contra Maximinum, Balbinus Romæ bellis inteſtinis & domeſticis ſeditionibus urgebatur, occiſis præcipue per populum Gallicano & Mæcenate* : Confer cum uberiore deſcriptione, apud Herodianum. *l.* 7. *c.* 11. Ejuſdem idem *Capitolin.* meminit in *Gordiano III. c.* 22. ubi *ex Ducibus* eum fuiſſe, innuit.

MÆCIA, caſtri nomen in Italia, à quo *Mæcia tribus. Sex. Pompejus.*

MÆCIA Fauſtina, filia Gordiani I. nupſit Junio Balbo Conſulari viro, Jul. Capitolin. *in Gordianis. c.* 4.

MÆCIANUS, Græcè Μαικιανὸς, fil. Avidii Caſſii; Alexandriæ præfectus, ibi ab Exercitu occiſus eſt, apud Julium Capitolin. *in Marco Antonino c.* 25.

MÆCIUS Brunduſinus, Præfectus annonæ Orientis, ſub Valeriano, memoratur Vopiſco *in Aureliano c.* 13.

MÆCIUS Falconius Nicomachus, Senator Conſularis, apud Vopiſcum *in Tacito c.* 5.

MÆCIUS Gallicanus, Præfectus prætorio, memoratur eidem, *Ibid. c.* 8.

MÆCIUS Gordianus, occurrit apud Jul. Capitolin. *in Gordianis, c.* 30. *Suſceptô igitur Imperiô, quum & Philippus ſe contra Gordianum ſuperbiſſimè ageret, & ille ſe Imperatorem atque Imperatorum prolem recognoſceret : nec ferre poſſet improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, aſtante præfecto* Mæcio Gordiano *affine ſuo, in tribunali proceſſit, ſperans poſſe Philippo Imperium abrogari.*

MÆCUS Marullus, pater ex Ulpia Gordiana Gordiani I. Imperat. apud eund. in Gordianis *c.* 2. ubi quidem, ut & in ſuperioribus vulgò *Metius* habetur, ſed meliores libri *Mæcius* habent, & Græci hoc nomen conſtanter Μαίκιος efferunt, *Salmaſ.*

MÆDI, Thraciæ populi, cis Rhodopen, vicini Macedonibus, qui quoque *Mædobithyni* vocantur. Scribuntur cum *æ* diphthongo, ut differant à Medis populis Aſiæ. Tamen Medos & Medicam regionem ſine diphthongo ſcribunt *Strab.* & Liv. *l.* 26. *c.* 25. eorumque caput & arcem *Jamphorinam* appellant. Mædica regio eſt *Ptol.* & in eâ Pantalea urbs. Hinc præfectura Mædica Thraciæ vicina Pæoniæ, apud Ariſtotel. *de Mirabilibus & l.* 9. *Hiſt.* Vide *Steph.* Horum regio, quæ *Græcia Macedonica* quibuſdam etiam dicitur, verſus oram maris Ægæi eſt, inter Arderam ad Ortum, & Sinum Strimonicum ad Occaſum Ejus urbes fuêre Oeſima & Doperus. *Baudr.*

MÆMACTES Jupiter dictus, à quo *Mæmacterion*, quintus Athenienſium menſis, qui eſt hyemis initium, cùm jam aër turbatur.

MÆMACTES, Græcè Μαιμάκτης : Sic enim Jupiter Athenis dictus eſt, quaſi *furioſus* & *turbulentus*; a verbo μαιμάσσειν vel μαιμάζειν, quod inter cætera *ſtrepere* eſt, *turbari, tumultuari.* Suidas, Μαιμάζει, σφύζει, προθυμεῖ, κυματοῦται, πηδᾷ, καχλάζει, κλονεῖται. ſalit, promptus eſt, fluctuat, ſaltat, turbatur; *Heſych.* μαίμαξ, ταραχώδης, &c. Hinc itaque Ζεὺς Μαιμάκτης, uti dictum: Μαιμακτηριὼν, hyemalium menſium primus, quo aër turbari ac commoveri incipit, & ſacra Μαιμακτήρια, dicta quæ Jovi, ut pacatior hyems eſſet, fiebant. Harpocration, in voce Μαιμακτηριὼν, Ὠνόμασται δὲ ἀπὸ Διὸς Μαιμάκτου. Μαιμάκτης δ᾽ ἐστὶν ὁ ἐνθουσιώδης καὶ ταρακτικὸς, ὥς φησι Λυσιμαχίδης ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀθήνησι μηνῶν. ἀρχὴν δὲ λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ, ὁ ἀὴρ ταράττεται, καὶ μεταβολὴν ἴσχει. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 55. ubi in Græca verſione Pſalmi 58. verſ. 7. 15. vocem μαιμάξουσιν, à Scribis corruptam, reſtituit.

MÆNADES, eædem quæ Bacchæ, h. e. mulieres inſanientium ritu Bacchi orgia celebrantes, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod ſignificat *inſanire.* Propert. *l.* 3. *Eleg.* 7.

Seu ſequitur medias, Mænas ut acta, vias.

Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 477.

Mentis inops rapitur. ut quas audire ſolemus
Threicias fuſis Mænadas ire comis.

Propert. iterum, ubi ſuprà, *Eleg.* 3.

——— *Neque enim Ilia quondam*
Verax Pergameis Mænas habenda malis.

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 317.

——— *Crinemque rotant ululante Priapô*
Mænades. ———

Nic. Lloydius.

MÆNALA, oppid. Hiſpaniæ juxta Malacam; *Strab.* & *Avieno.*

MÆNALIA, urbs Galatiæ. *Steph.* Thucydidi regionis nomen, in qua Cyphreſtus urbs.

MÆNALUS, ſive plurali numerô *Mænala*, Arcadiæ mons altiſſimus, Pani conſecratus, & pinis refertus, ita dictus à *Mænalo* Lycaonis filio, ut annotavit Theocriti Scholiaſtes. Eſt & nomen urbis Arcadiæ. *Steph.* Virg. *Georg.* 1. *v.* 17.

Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ.

Idem *Eclog.* 8. *v.* 22.

Mænalus argutumque nemus, pinoſque loquentes
Semper habet; ſemper paſtorum ille audit amores,
Panaque. ———

Pauſan. *in Arcadicis*; Τὸ δὲ ὄρος τὸ Μαινάλιον, ἱερὸν μάλιστα εἶναι Πανὸς νομίζουσιν, ὥστε οἱ περὶ αὐτὸ, καὶ ἐπακροᾶσθαι συρίζοντος τοῦ Πανὸς λέγουσι. Ovid. *Met.* 1. *v.* 226.

Mænala tranſieram Latebris horrenda ferarum.

Frondens Statio *l.* 9. Thebaid. *v.* 639. dicitur, & *pinifer* Virgilio *Ecl.* 10. *v.* 14. *Nic. Lloyd.*

MÆNARIA, inſula Balearici maris, è regione Palmæ urbis. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Item inſula juxta Corſicam. *Baudrando* inſula maris Tyrrheni nunc *la Mallora*, parva admodum, ante Liburnum, 5. milliar. ab eo in Occaſum diſtans.

MÆNIUS, Conſul Romanus A. U. C. 330. devictis navali præliô priſcis Latinis, ac Antiatibus, eorum roſtra navium ærata in foro poſuit. Liv. *l.* 8. *c.* 14. Plin. *l.* 34. *c.* 5.

MÆNIUS, decoctor quidam fuit, & luxurioſus, qui ampliſſimô conſumptô patrimoniô, & domô venditâ, columnam tantùm exceperat, unde ſpectaret gladiatores, quæ propterea *Mæniana* dicta eſt. Horat. 1. *Sat.* 3.

Egomet mi ignoſco Mænius inquit.

Idem *Ep.* 15. *v.* 26. *l.* 1. *ad Vallam*,

Mænius ut rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumptis, &c.

Vide Lambinum *ad locum. Nic. Lloyd.*

MÆNOBORA, urbs Maſtienorum. *Steph.* qui alibi *Maſtianos* ad Herculis columnas habitare ſcribit.

MÆNOLIUS, Bacchi cognomen, *in Epigram.* quaſi *totum furentem* dicas. Μαινόλης apud Plut. περὶ ἀοργησίας. Cujus ſacra quâ ratione peragi conſueverint, docet Clemens *Protreptico*, ubi de Bacchanalibus, Διόνυσον, inquit, Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, *Bacchi orgiis celebrant Dionyſium* Mænolem, *crudarum carnium eſu ſacram inſaniam agentes; & cæſarum carnium divulſionem peragunt, coronati ſerpentibus.* Vide etiam *Agrionia*, item *Omadius.*

MÆNOMENA, ſeu MÆNOMENI, Sardiniæ montes. Ptol. *Inſani* Livio *l.* 30. *c.* 39. & Floro, *l.* 2. *c.* 6. *Canelle Ortelio.* In parte Boreali Inſulæ, verſus Corſicam; ibique per mediam Inſulam currunt.

MÆON, vicus erat Hetruriæ, apud Polymartium, cujus ager adhuc *Meana*, ſeu *Meona*, divo Anſelmo celebris : qui *S. Anſelmo di Meone* cognominatur.

MÆONIA, regio minoris Aſiæ, poſtea *Lydia*, dicta à *Lydo* Attyos filio, Phrygiæ ab exortu Solis vicina, ad Septentrionem Myſiæ, Meridianâ parte Cariam amplectens, ad Occaſum ſupra Ioniam excurrens. *Steph.* à *Mæone* fluvio dictam tradit. Μηονία *Herod.* & *Dionyſio*; unde Μηονὶς gentile fœminium apud Homerum Il. δ΄. Et Ovid. *Met.* 6.

Mæonis eluſam deſignat imagine Tauri.

Id eſt, Arachne, puella Lydia. Et *Mæonidæ* pro Muſis. Idem *Met.* 5.

Feliceſque vocat pariter ſtudioque locoque
Mæonidas. ———

Et *Mæonides* pro Homero. Ovid. *l.* 3. *Am. Eleg.* 9.

——— *Aſpice Mæoniden*, &c.

Martial. 5. *l. Epigr.* 10.

Et ſua riſerunt ſecula Mæoniden.

Item *Mæonius* dictus eſt Bacchus. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 380.

——— *Cape Mæonii carcheſia Bacchi.*

Nic. Lloydius.

MÆONII, Tuſciæ populi, Silius *l.* 4.

MÆONIUS, conſobrinus Odenati, hôc occiſô, Imperator appellatus per errorem, *brevi à militibus pro ſua luxuria meritis interemptus eſt*, Treb. Pollio *in XXX Tyrannis c.* 17. Idem *Mæonii Aſtyanactis* meminit, in *Macriano c.* 12.

MÆONYS, fluv. qui circa Achaida fluit. *Steph.*

MÆOTÆ, *Straboni Polybio* populi fuêre Sarmatiæ Aſiaticæ circa paludem Mæotidem ad Auſtrum inter oſtia Tanais fluvii & Boſphorum Cimmerium. *Tartari Nigro.*

MÆOTIDAS vocat Vopiſcus *in Aureliano*, *c.* 16. ubi huic contra illos bellum creditum à Claudio refert.

MÆOTES, piſcis, Elephantinæ in Ægypto incolis cultus, Clemens, *Admon. ad Gent.* Vide rationem infrà voce *Phagrus.*

MÆOTIS, palus Scythica, juxta Tanais oſtium, Cimmerio Boſphoro à Ponto Euxino diſcreta, ita dicta ab accolis, qui *Mæotæ* appellantur. Lucan. *l.* 3. *v.* 277.

Quaque fretum torrens Mæotidis egerit undas.

Hinc *Mæoticus.* Virgil. *Æn.* 6. *v.* 798.

——— *Jam nunc & Caſpia regna*
Reſponſis horrent divûm, & Mæotica tellus.

Aliqui Tauricam inſulam (vel potiùs peninſulam) *Mæotim* vocârunt. *Steph.* Hinc piſces *Mæotides* vel *Mæotici*, qui in Mæoticapiuntur, vel in genere omnes, vel ut *Steph.* putat, ſuæ ſpeciei tantùm, & *Mæotica mella* apud *Plin.* Ovid. *Triſt.* 3. Ep. 12. primam corripuit,

——— *Annôque peractô*
Longior antiquis viſa Mæotis hyems.

Quem locum ſic emendat Tanaquillus Faber,

Longior à vobis verſa Mæotis hyems.

Id eſt, hyems Scythica, ſive Mæotica, jampridem à vobis, qui in Italiâ degitis, verſa eſt, & locum veri adventanti dedit. Cui tamen conjecturæ aſſenſum ſe præbere poſſe negat Nicolaus Heinſius, reponit itaque:

——— *Anniſque peracta*
Tardior antiquis viſa Mæotis hyems.

Varia nómina hæc palus apud Geographos obtinet; vulgò *Limen*, ſeu *Mare delle Zabacche*, *Mare della Tana*, & *Mar Bianco* Italis. *Carpalk*, *Mar el Azach* Arabibus, teſte *Rhamuſio.* A Scythis olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

olim Temerinda, i. e. *mater maris*, ut tradit *Herodotus.* Alii tamen non matrem, ſed obſtetricem vocant, & inde dictam eſſe Μαιῶτιν, *Steph.* Τὸ θηλυκὸν Μαιῶτις ὡς Μαιᾶτις λίμνη, ἥν φασι κληθῆναι ἀπὸ τοῦ Μαῖαν εἶναι Εὐξείνου Πόντου. Ita reſtituendus locus ille corruptiſſimus. Paulo aliter Hipparchus in ſcripto inedito: Περὶ τῶν δώδεκα ζωδίων, Τὸν Πόντον ἔνθα ἐστιν ἡ Μαιῶτις λίμνη, ἐν ᾗ τὰς ἰχθῦς ἀπομαιοῦται, ἔνθεν καὶ αὐτὴ ἡ λίμνη Μαιῶτις ὀνομάζεται. Et certè piſces in hâc palude bene nutriri aſſerit Juven. *Sat.* 4. *v.* 41.

—— Neque enim minor hæſerat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti,
Deſidiâ tardos, & longò frigore pingueis.

Nic. Loydius.
Baudrando ſinus eſt ampliſſimus, ſeu potius mare Sarmatiæ, inter Europam & Aſiam, per Boſphorum Cimmerium connectitur cum Euxino, & à Buge palude ſeparatur Zenonis Cherſoneſô. Circuitus eſt circiter 600. mill. paſſ. Habet ad Occaſum Tauricam Cherſoneſum, & Sarmatiam Europæam ad Boream, Sarmatiam autem Aſiaticam ad Ortum & Meridiem. Dicitur *Palus*, quia adeò eſt humilis, ut plurimis in locis, non niſi ſcaphis & lintribus poſſit navigari, vixque naves figere anchoras in mari poſſint, cùm 40. mill. paſſ. diſtet ab ora littorali pleriſque in locis. Mæotis autem palus eſt inter Tartariam minorem & Circaſſiam. ſed ejus ora littoralis verſus Boream tota ferè inculta.

MÆPA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

MÆPHA, metropolis Arabiæ Felicis. *Ptol.*

MÆRA, canis Orionis, ut poëtæ narrant; propriè tamen eô nomine capra ſignificatur λευκομέλαινα, i. e. ex albo nigricans. Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 18. Heſych. Μαῖρα κύων τὸ ἄστρον, ἢ ἀκμαιότατον καῦμα, οἱ δὲ τὴν Σελήνην. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1 *c.* 30.

MÆREUM fretum, Gallis *Deſtroit de le Maire*, Americæ Meridionalis à Jacobo *le Maire* Batavo, die 25. Jan. A.C. 1616. primùm detectum, inter Terram Ignium, & Magellanicam ad Occaſum ubi Mauritii tractus, & Statuum Inſul. ad Ortum, ad Meridiem & Ortum freti Magellanici *Fretum S. Vincentii* Hiſpan. ſed tantùm ex invidia. Per illud facilè tranſitur ex mari Braſilico in Pacificum; Longum latumque eſt circiter 8. leuc.

MÆRONA, Perſidis urbs. *Ptolem.*

MÆSIA, vide MOESIA.

MÆSIA Sylva, cujus Liv. *l.* 1. *c.* 33. & Plin. *l.* 8. *c.* 58. meminêre. Hodie *Boſco di Baccano* dicitur, ut *Annius* & *Leander* tradunt. Territorii Romani in Tuſciâ eſt.

MÆSIUS Menſis, Oſcè pro *Majus.*

MÆSIUS Mons, in Myſiâ eſt, & *Olympus* propriè dicitur, teſte Plinio *l.* 5. *c.* 32. *Myſius* habet Mela *l.* 1. *c.* 19. qui dicit eum ſic ab inſulis vocari. Prius *Saturni collem* vocatum ſcribit Iſacius *in Lycophronem. Calogeron oros* Græcis, *Geſchidag* Turcis. *Leuncl.*

MÆSOLIA, regio Indiæ intra Gangem, *Ptol. Mæſoli* populi *Arriano. Mæſolus* fluv. ibidem, *Ptol.*

MÆSON, hiſtrio quidam Megarenſis, à quo natum proverbium, *Mæſonica dicteria.*

MÆTONIUM, Sarmatiæ Europææ oppidum. *Ptol.*

MÆVIUS, idem cum Veſevo. Vide ibi.

MAFFÆUS Johannes Petrus, Bergomas, Græcè & Latinè egregiè doctus, Romam primò profectus eſt, ubi omnes in admirationem ſui rapuit: dein Genuam delatus, Rhetoricam ibi profeſſus eſt. Hinc Jeſuita factus, vitam Ignatii ſcripſit, & hiſtoriam Indicam compoſiturus, in Luſitaniam ac Hiſpaniam tranſiit, ubi à Philippo II. honorificè eſt exceptus; juſſus dein à Gregorio XIII. hiſtoriam Papatus ſui condere: Sed nec hoc nec alia quædam ejus opera lucem viderunt. Vir etiam minimæ moleſtiæ impatiens ſed in poliendis ſcriptis ſuis diligentiſſimus. Obiit A. C. 1603. ætat. 74. Laur. Craſſus, *elog. Vir. erudit.* Alegamb. *de Script. Societat. Jeſu* Vide & *Johannes Petrus.*

MAFFÆUS Marcus Antonius, Vide *ibi.*

MAFFÆUS Vegius, Datarius Martini V. A. C. 1430. Scripſit 7. libros de Perſeverantia, in Pſalmos Pœnitential. decimum tertium lib. Æneidos, Epigrammata, &c.

MAFORIUM, Græcobarb. Μαφόριον: Stola ſeu pallium, cùm fœminarum, tum Monachorum, Iſidor. *Orig. l.* 10. *c.* 25. *de palliis fœminarum* Stola, matronale operimentum, quod coopertô capite & ſcapulâ à dextro latere in lævum humerum mittitur: Græceque hinc, quòd ſuperemittatur, nomen habet. Eadem & *Ricinium* Latinè, eo quòd dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgò & *Mavortem* dicunt, i.e. Martem, quia in illo ſignum maritalis dignitatis & poteſtatis. De Monachali habitu ſic è Gloſſar. Arabico-Latinis *Meurſius*: *Maforium*, facialis Græcè Φακιόλιον, i. e. anguſtum pallium, quô utuntur Monachi, collum pariter atque humeros tegens. Vide apud eum plura, in nomine Græcob. Gerhardo Joh. Voſſio *l.* 3. *de Vitiis ſerm. c.* 22. corrupta vox eſt ex ὠμοφόριον, quaſi dicas *ſuperhumerale* vel *humerorum geſtamen*, ab ὦμος, *humerus*, & φέρειν, *ferre.* Hujuſmodi tegmen & Monachi Sacerdoteſque, quo in cenſu Veſtales olim Romæ habebantur, velut galeam militarem capiti conſueverant imponere, qui mos hodieque in Eccleſia Romana viget. Parans enim ſe ad celebrandum Sacerdos, imponit capiti ſuo tegmen ad humeros in modum pallioli deſcendens, quod *Amictus* vulgo nuncupatur, his verbis uſus: *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos Diabolicos incurſus.* Cum iſtiuſmodi Reca, ſeu Ricino, vel *Maforio*, *Maforteve* ſeu antiquo Bardocucullo, Virginem Veſtalem, veſtitu pulcherrimô, integrô prorſus habitu, nimirum induſiô ſubuculâve podere & tunicâ ſuperinductâ poderi, alterâ manu geſtantem, ut conjicit, lucernam Veſtæ dicatam æterni ignis, exhibet ex ære Fort. Licetus *de Lucernis antiq. l.* 6. *c.* 83. Vide quoque infrà, *Mavorte.*

MAGADES Muſicum organum, de quo vide infrà voce *Organica.*

MAGADOXA, urbs ampla Zanguebariæ, caput regni cognominis, cum arce & portu capaci. Aliàs expugnata & malè habita à Luſitanis; in regno Adeæ & ora Ajani, ad oſtia fluv. Magadoxi, 450. mill. paſſ. à faucibus ſinus Arabici ſeu maris Rubri in Meridem. 600. à Dioſcoridis Inſul. in Africum. Vulgò *Magadoxo.*

MAGÆ, ſeu MAGNÆ, *Liber Notitiar. Antonin. Magnis* opid. Walliæ, *Old Radnord Camdeno.* Oppid. Walliæ inter Iſcam Legionem Auguſtam 43. & Uriconium 25. mill. paſſ.

MAGÆA, Siciliæ fons, haud procul à Plemmyrio, Plin. *l.* 3. *c.* 8. *La fontana de la Maddalena* hodie *Cluverio.*

MAGALA, nomen loci. 1. Sam. *c.* 17. 20.

MAGALONENSIUM urbs, hodie *Maguelonè*, urbs Galliæ Narbonenſ. ſub propriis quondam Comitibus. Inde 15. leuc. in Ortum, intra ſtagna Volcarum, adeoque mari pæne undique cincta, cujus gradus portus Saracenus *le port Saraſin* dictus eſt, extincta, poſtquam Saracenis eam Car. Martellus eripuiſſet, A.C. 737. Hanc per annos amplius 300. deſertam, ac ruinis deformem, tandem Arnaldus Julianus Epiſcop. muris turribuſque circummuniviſſe, & clauſô gradu, quô Saraceni prædones ex Africa & Hiſpania Magalonam invadere ac in Septimaniam erumpere conſueverant, alium non procul ab urbe navibus gradum extruxiſſe fertur. *Inſula Magalo* haud malè *Scaligero* dicitur, quæ fortè eſt Alonis Inſul. & urbs Maſſilienſium, Stephano περὶ πόλεων ex *Artemidoro*, memorata. In Notitiis veterib. inter provinc. Narbonenſis primæ civitates ultimô locô ponitur, in cæteris ſextô. In diviſione diœceſeon à Wamba Rege facta, inter Septimaniæ civitates ſecundum locum obtinet. Diu ſub Gothis Epiſcopalis olim ſedes, quibus temporalis poteſtas demum ſub Innocentio III. poſt Albigenſes turbas obtigit, nunc domus tantùm cum templo in mediis ſtagnis. 2. leuc. à Monte Peſulano, quæ ei ſucceſſit, ſede, ob piratarum Africanorum incurſiones, Franciſci primi juſſu, eò A. C. 1536. tranſlatâ. *Magalonæ* miminit Theodulfus *in Paraneſi ad Judices*,

Hinc Magalona habuit lævam, Sextatio dextram,
Hic ſcabris podiis cingitur, illa mari.

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAGANA, mons Calabriæ, Ancyræ urbi imminens, qui ex eo hodie nominatur *Monte d' Angori.*

MAGARIS, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

MAGARITA, apud Anaſtaſium *in Hiſtor. Eccl.* & Paulum Diaconum *in Hiſt. Miſcell.* ubi Μαγαρίτης habet Theophanes, apoſtata eſt, Chriſtianæ religionis deſertor: à verbo μαγαρίζειν, *magarizare*, h.e. *ſtercore faciem conſpurcare*, quô non modò Saracenicam & Mahometicam impietatem profitentes, ut quidam volunt; ſed maximè, poſt abdicatam & deſertam Religionem Chriſtianam, ad Muſulmaniſmum tranſeuntes, notari ſolebant, Vide Leunclavium *in Pandecte Turcico.* num. 22. Μαγάρισις certè, in Corona pretioſa *macula* & κηλὶς redditur: & *Magariſius* ſinus, verſus Rumeliæ vel Europæ promontorium, appellationem accepit, à fœdis tempeſtatibus, quæ illis in regionibus Boreâ flante exoriri ſolent. *Hiſtor. Miſcell. l.* 23. *Repromittit ſe non compellere ad magarizandum.* In *Capitulari* Radelchiſi Principis Benev. *c.* 24. *Nullum Saracenum recipiant præter illos, qui temporibus D. D. Siconis & Sicardi fuerunt Chriſtiani, ſi magarizati non ſunt.* Ubi tamen ſunt, qui *marcharitati* legant. Vide infrà. Sic μαγαρίζειν, apud Græcos Scriptores paſſim. Vide Car. du Freſne, *in Gloſſar.*

MAGARSUS, maximus collis in Ciliciâ juxta Mallum, *Steph.* Vide *Megarſus.*

MAGAS, à Cyrene expeditionem faciens, reliquit ſocios, qui urbem tuerentur. Inſtrumenta verò, atque tela & machinas arci incluſit, & mœniorum propugnacula ſuſtulit, ut, ſi quid novi molirentur, apertum haberet per mœnia introitum. Vide Polyæn. *l.* 2. *c.* 28.

MAGDALA, civitas in litore ſtagni Geneſareth, ſive maris Galilææ.

MAGDALENA Francica, quinta filia Caroli VII. ex Maria Andegavenſi ſapientiâ & formâ inter primas ſui ſeculi, deſponſata Ladiſlao Hungariæ & Bohemiæ Regi, illo, non ſine veneni ſuſpicione, ſublatô, nupſit Gaſtoni Foxio, Principi Vianæ, primogenito Gaſtonis IV. ex Eleonora Arragonia, Navarræ hæredi, A. C. 1462. Maritô A. C. 1470. ex vulnere, quod in ludis equeſtribus acceperat, mortuô, ſolicitè educavit filium Franc. Phœbum, & filiam Catharinam. Diſſidia Bellimontiorum & Grandmontiorum, in Navarræ regno ſuſtulit, filium coronam hanc ſuſcipere, læta vidit, cui A. C. 1483. ætat. 16. venenô ſublato, ſucceſſit Catharina ſoror, Johanni Albretano poſtmodùm nupta. Obiit Pompejopoli, quò filiam deduxerat. A. C. 1486. Favin. *hiſt. Navarr. &c.*

MAGDALENA Bavarica, filia Guilielmi V. ex Renata Lotharingica, uxor Wolphgangi Guilielmi, Comitis Palatini & Ducis Neoburgici, qui ut illâ potiretur, Evangelium ejuravit.

MADALENA de Chemeraut, Pictavienſis, proſâ verſuque varia edidit. Hilario Coſtus, *elog. fœm. illuſtr.*

MAGDALENA de Laubeſpine, Villaregii domina, uxor Nicolai de Neuville, Villaregii domini miniſtri fideliſſimi Franciſci II. Caroli IX. Henr. III. Henr. IV. & Ludov. XIII. itidem egregiè docta Obiit A. C. 1596. Vide Morer. *Diction. Hiſt.*

MAGDLENA Maria, mulieris nomen, quæ ſoror fuit Marthæ & Lazari, converſione ſui & gratiâ Servatoris inſignis, Matth. *c.* 28. *v.* 56. Luc. *c.* 8. *v.* 2. Vide tractat. *de tribus & unica Magdalena*, A.C. 1519. à Jac. Fabro Stapul. & Jod. Clichtovæo editum.

MAGDALEN Neveu, Pictavienſ. mater Catharinæ, *ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quarum ædes, tanquam ad aliquam Academiam, viros literarum & elegantiarum amantes confluxiſſe, refert Scævola San Marth. *in elog.* Vide eundem *Morer.*

MAGDALENA *Sabaudica*, uxor Annæ Montmorantii, famoſi illius Galliæ Conneſtabilis, ingentis animi fœmina.

S. MAGDALENÆ, Ordo militaris à Johanne Cheſnelo, nobili Britanno inventus, & in conſilio Ludovici XIII. A. C. 1614. propoſitus, quo inprimis equites adſtringendi erant, ut à duellis abſtinerent, ſucceſſu caruit. Favin. in *Theatr. hon & Eq.*

MAGDALENÆ fluv. *Rio de la Madalena*, Americæ, Meridional. in novo regno Granatenſi. Recipit *Carara*, *Pati*, *Guals* fluvios cum aliquot aliis. Dein in fluvium S. Marthæ ſe exonerat, in gubernio ſeu provinc. S. Marthæ.

MAGDALGAD, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 37.

MAGDALIA, apud Alexandrum Iatroſoph. *Paſſion. l.* 1. eidem laudatum: *Iterum cum vino teres & magdalia facies*; & Marcellum Empiric. *c.* 20. *ſub fin. Cætera vinô optimô madefacta ſimul in mortario colliges, ex quibus trochiſci vel magdaliæ fient*; Seplaſiariorum officinis nota vox; apud quos hodieque *Magdalones* ſunt teretes cylindri, in quos compoſita emplaſtra redigere ſolent. Galeno μαγδαλία eſt ipſum medicamentum, in paſtilli formam redactum: à forma mollioris ex pane pulpæ, quâ manus abſtergebant Veteres, & poſtea canibus devorandam projiciebant, uti videre eſt apud Athenæum *l.* 4. & 9. *Pollucem*, Ariſtophanem in *Equitibus*, & *ibi* Scholiaſtem, Plut. *in Lycurgo.* Cœl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 1. Alios. ut & ſuprà in voce *Apomagdaliæ.*

MAGDALIUS Jacobus, Hollandus, Dominicanus, Græcè Hebraicéque doctiſſimus, ſcripſit *Correctorium Bibliorum*, *Compendium Bibliorum metricum*, &c. Val. Andreas in *Biblioth. Belgic.* 1628. *Sixtus Senenſis.* &c.

MAGDALON, urbs Ægypti. Jer. *c.* 44. *v.* 1.

MAGDALSENNA, h. e. *turris Senna*, oſtendebatur uſque ad tempora Hieronymi, villa in ſeptimo lapide Hiericus, contra Septentrionalem plagam, in tribu Ephraim.

MAGDALUM, Mariæ Magdalenæ caſtrum, ubi & nata ac ſanata eſt, ſitum eſt in littore maris Galilæi, & ab Aquilone atque Occidente magnam habet planitiem: vocatum eſt Magdalum à turribus & munitionibus, quibus magnificè erat munitum, in tribu Zabulon, 8. mill. paſſ. à Bethſaida. 6. à Jotapata in Ortum. Et quidem Caſtri hujus dominas fuiſſe, Mariam Magdalenam & Martham, illamque hinc nomen inveniſſe, finxerunt nonnulli, quorum ſtuporem caſtigat Baron. *in Annal.* adeoque, quæ ipſe *ad A. C.* 32. *num.* 23. de caſtello *Magdalel* in Galilæa, & *Magdalo*, in Judæa, refert, frivola eſſe teſtis eſt. Et ſanè putare *Magdalenam*, à caſtello aut turri dictam fuiſſe, quia Hebræis *Migdal* eſt turris; non minùs eſt abſurdum, quàm exiſtimare, omnes qui *Moſis* nomine ſunt appellati, ab aquis fuiſſe extractos; qui *Abrahami*, patres eſſe multorum populorum; qui *Iſaaci*, propter riſum matris ſic eſſe vocitatos. Iſ. Caſaubon. *Exercit. XVI.* §. 2.

MAGDALUS, locus in monte ſitus, juxta quem caſtrametati ſunt filii Iſraël. Exod. *c.* 14. *v.* 2. Num. *c.* 33. *v.* 7.

MAGDEBURGUM, vulgò MAGDEBURG, ſeu MEYDBURG, olim *Parthenopolis*, à Venere Parthenia, quæ ibi celebrabatur, ſic dicta, metropolis ac primaria eſt urbs Saxoniæ inferioris, ſita ad Albim fluvium. Emporium fuit celebre, ubi Veneris ſimulachrum in curru ſtantis, cum tribus Gratiis, colebatur, unde nomen natum eſt loco, ut *Parthenopolis*, i. e. puellarum urbs diceretur, quod & *Magdeburg*, vox Germanica ſonat. A Johanne Capnione, viro doctiſſimo, *Dmoadum pyrgum* dictum. Æneas Sylvius Magdeburgenſem vocat & *Virginopolim* metropoliticam inſignem urbem, inter Saxones, opibus & authoritate memorabilem ſcribit. *Ptol.* μοσύνων, ſi litera non eſt falſa, *l.* 2. hanc urbem dixit. Hanc civitatem Otto primus condidit, ductu ejus conjugis Edithæ reginæ, Regis Edmundi Anglorum Filiæ, quæ & ibi ſepulta eſt. Hæc inclyta urbs Imperatorum Pontificumque ſedes honeſta, tres in partes dividitur, eſtque munita mœnibus & propugnaculis, turribus quoque ac foſſis excellens. Hinc fruſtra à Carolo V. Imperatore obſeſſa. *Fr. Irenic. & Metel.* Hodie in ditionem tranſiit Electoris Brandeburgici, cum titulo Ducatus, pace Monaſterienſi, & reparatur utcunque, poſtquam A. C. 1631. ab Auſtriacis, Tilliô duce, qui ab illo tempore ſemper infelix, expugnata, deſolata & penè deſtructa eſt. 12. leuc. à Witteberga in Circium, 9. ab Halberſtadia in Ortum. Quibuſdam eſt *Meſvium* antiquorum, teſte *Petrô Appianô.* Caput eſt regiunculæ cognominis *das Ertzbiſchthum* vel *Ertzſtift Magdeburg* vulgò, quæ terminatur à Septentrione veteri Marchiâ Brandeburgicâ, uti media ab Ortu, à Meridie autem Principatu Anhaltino, & ditione Halberſtadenſi. Ex ea etiam pendet Halla Saxonica, licèt intra limites Saxoniæ. Alia oppida parvi ſunt momenti. Poſt obitum præſentis Adminiſtratoris, è domo Saxonica, juris erit Brandeburgici, ut dictum. Archiepiſcopatus enim fuit, à Carolo Magno inſtitutus, poſt confectum bellum Saxonicum 33. annorum. Sedes Archiepiſcop. primò in Styde, tum ad Waſſersleev. tertiò in Vreſe, tandem per Othonem I. A. C. 930. Magdeburgum tranſlata, ejuſque auſpiciô in Primatum Germaniæ evecta eſt. Præcedente ſeculô Lutheri doctrinam Archiepiſcopus cum ditione totâ eſt amplexus, Albert. Crantz. *de Epiſcopatu Magdeburg.* Andreas Wernerus, *Chron. Magdeburg.* Cluv. *deſcript. Germaniæ.* De hac Itiner. *l.* 7.

Nobile ſe nobis Madeburgum oſtentat, & altas
Inſignes turres ac templa extendit in auras:
Salve urbs pace potens, ſalve clariſſima bello:
Nomine Parthenopen referens, Lacedæmona factis.

Cæterùm Epiſcopatûs primùm honore (quem à Carolo M. Styda primo Lippenſi Comite, poſt Angaria, à Witekindo; inde ab Henrico Aucupe Wallerſleva ut diximus, acceperat) ab Ottone M. quò Edithæ conjugis deſiderio ſatisfaceret, inſignitæ A. C. 930. dein Metropolitanâ dignitate, & in Miſnenſem, Mersburgenſem, Cizenſem, Havelbergenſem & Brandeburgenſem Epiſcopatus ſacrâ juriſdictione, terris tandem Principi congruis, auctæ; Epiſcopi atque Archiepiſcopi præfuêre, è variis, ut ſolet, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque familiis lecti: donec præteritô ſeculô & hôc noſtrô Albertus, Joannes Albertus, Fridericus, Sigiſmundus, Joachimus Fridericus, & denique Chriſtianus Guilielmus, omnes Brandeburgicorum proſapiâ orti, unius ferè domûs hæreditatem eam effecerant; quorum poſtremô, à Ferdinando II. Imperat. ob partes Daniæ Regis adverſus ipſum ſuſceptas defenſaſque proſcriptô, atque à Collegio Sacro, ſive *Capitulo*, ut vocant, ordine motô, Auguſtus, Joannis Georgii Electoris Saxoniæ fil. ademptâ iſti dignitate, Collegiô poſtulante potitus eſt; multum renitente Ferdinandô, qui Archiepiſcopatum iſtum, non Religioni minus Romanæ, quàm filiò ſuo Leopoldo Guilielmo, Pontificis adſenſu deſtinaverat. Et duravit lis, pluribus & majoribus cauſis in apertum cum Cæſare bellum protruſa, ad annum uſque C. 1635. quô confecta inter hunc & Electorem pax Pragenſis tutam Auguſto ſtabilemque ejus poſſeſſionem reddidit; ſecutâ inde Weſtphalicâ pactione confirmatam: poſt Auguſti tamen obitum, ad Electorem Brandeburgicum. *Ducatûs* titulo perpetuôque jure tranſituram, ut dictum. Tob. Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Princip. Gentibus*, *c.* 4.

MAGDELONUS Jarrius, Poëta, Orator & Hiſtoricus inſignis. Scripſit *des fait des François*, qui liber nondum prodiit. Obiit A. C. 1573.

MAGDIEL, dux ex poſteris Eſau. Gen. *c.* 36. *v.* 43.

MAGDOJUS, Ægypti oppid. à Peluſio 12. mill. paſſ. Serapium verſus. *Steph.*

MAGDUNUM ad Averam, caſtrum Galliæ vetus, in finibus Biturigum, ad Averam fluv. vulgò *Mehun ſur Yeure.* Averam autem Utrione auctum Cares fluv. apud Virſionem caſtrum accipit, & unà cum Salera in Ligerim defert. Eſt & aliud ad Angerem, *Mehun ſur Indre*, in finibus Biturigum Cuborum, aliaque nonnulla alibi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAGDUNUM ad Ligerim, oppid. Ducatûs Aurelianenſis, ad Ligerim, ubi Liſardus comite Urbiciô cellulam ſibi extruxit, ad fluviolum Malvam *Mauve*, ibique obiens Urbicio Monaſterium Magdunenſe regendum commendavit. 4. leucis infra Aurelias, in Occaſum, Bleſas verſus; *Mehun ſur Loire.* Caput pagi cognominis in quo Rauſedonis villæ meminit *Leodebodus Abbas*, apud Helgaldum: vulgò *le Mehunois.* Idem.

MAGEDDO, vel MEGIDDO, civitas in tribu Manaſſe. Joſ. *c.* 17. *v.* 11. quam reparavit Salomon. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 15. Hîc occiſus eſt Joſias. 2 Reg. *c.* 23. *v.* 29. *Subimbre*, Brocardo, *Suberge* aliis.

MAGEDO, vulgò *Meignon*, villa Galliæ, quam Irmino, Abbas Monaſterii S. Germani, *in libello de cenſibus Cœnobii*, pago Pinciacenſi attribuit, hodieque Pinciaco & Sequanæ proxima eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Pinciacum.*

MAGELLA, oppidum Siciliæ Polyb. *l.* 1. *c.* 24. Nunc *Mugellino* eſt, caſtrum vallis Neætinæ, *Fazello.* Sed *Brietio* eſt *Roſmano*, oppidulum ejuſdem vallis, ubi veſtigia magnæ urbis. 5. milliar. ab Enna in Ortum prope Chryſam amnem. *Macella Polyb.*

MAGELLANICA, vulgò *la Magellanique*, regio Americæ Meridionalis, ampliſſima verſùs Auſtrum, inter fluv Argenteum ad Boream & fretum Magellanicum ad Meridiem, ſic dicta à Ferdinando Magellano Luſitano. Sed nulla urbs in toto illo tractu, neque colonia Europæorum. Aliàs Hiſpani conſtruxerant urbem quandam, *Philippopolim* dictam, in parte Boreali freti Magellanici; eoque coloniam duxerant maximis ſumptibus. ut ſic Anglorum & Batavorum naves per fretum tranſeuntes tormentis bellicis impeterent; ſed id fruſtra tentarunt, & paulò poſt illa colonia omnino excidit, fame aliiſque miſeriis necata: unde poſtea Angli, qui per hoc fretum tranſierunt, illius Philippopolis rudera Portum Famis, *Porto Fame*, vocârunt; vixque ejus apparent veſtigia.

MAGELLANICA Inſul., *l'iſle Magellanique*, dicitur à quibuſdam ea inſul. perampla Americæ Meridionalis, quæ ab aliis vocatur Terra Ignium, inter Fretum Magellanicum & Fretum Maerëum. Vide *Terra Ignium.*

MAGELLANICUM Fretum, *Deſtroit de Magellan* Gallis, *Eſtrecho de Magaglianes* Hiſpanis, Fretum ampliſſimum & oblongum, quô conjungitur mare Boreale ſeu Magellanicum cum Pacifico ſeu Auſtrino, ab Ortu in Occaſum extenſum, inter Magellanicam ad Boream & Terram Ignium ad Auſtrum, per centum leucas. Detectum fuit à Ferdinando Magellano Luſitano. A. C. 1520.

MAGELLANICUM Mare, *mer Magellanique*, pars eſt Oceani Auſtrini, verſus Magellanicam regionem & partem Meridionaliorem Americæ, tam prope partem Orientalem Freti Magellanici quàm verſus Occidentalem etiam, & Auſtrum Terræ Ignium & Freti Maërei.

MAGELLI, Liguriæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 5.

MAGETÆ, populi Africæ *Ortelio*, gæſis utentes. Stat *l.* 2. *Achilleid.*, *v.* 417.

Quo Mageta ſua gæſa citent.

MAGETH, civitas Galaad. 1. Machab, *c.* 5. *v.* 26.

MAGETROBIA, oppid. Sequanorum, ubi Arioviſtus Rex German: Rhenum tranſgreſſus præliô fuſus eſt. *Mont. beliard* Gallis. *Magetrobiga* & *Amagetrobiga* dicitur. Quibuſdam eſt *Magſtat*, oppidulum Lotharingiæ, 6. leuc. à Marſalio in Boream Aliis *Bingium*, oppid. German. ad Rhenum ubi Navam amnem recipit, in ditione Electoris Moguntini, & in limite Palatinatus Rheni, 4. milliar. German. infra Moguntiacum in Occaſum Confluentem verſus,

MA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MAGI, Sacerdotes & Philoſophi Perſarum, quibus & ſacra & publica res curæ, magnô apud omnes pretiô, Aſtrorum præcipuè contemplationi vacabant: Horum auctor Zoroaſter, ſeu Aſtrotheates, doctrina verô nihil aliud fuiſſe videtur, quàm naturalis quædam Theologia, Numinis cujuſdam cultui ſuperſtructa, Arnob. *l.* 1. adv. Gent. Ex his, Cambyſes in Ægyptum movens, nomine Patizithen, regni præfectum, ſe abſente, conſtituit. Heródot. *l.* 3. *c.* 63. qui addit, hujus fratrem Smerdin, thronô occupatô, aliquandiu Perſiæ illuſiſſe, ſed utrumque brevi ſublatum, & Magos reliquos extinctos: unde *Magophonia*, celebre apud Perſas feſtum. Quanta autem his olim fides habita, Agathias *hiſt. l.* 4. inprimis oſtendit, cùm refert, Perſas, ab aliquo horum certiores factos, viduam reginam in utero ferre, ventrem hujus coronâſſe, & embryonem regium, Regem proclamâſſe, inditô Saporis nomine, diu antequam in lucem prodiiſſet. De Magis, qui ex Oriente venerunt Chriſtum ſalutatum. Vipertus Theologus Pontificius hiſtoriam ſcripſit fabulis undique refertam, aliique mira commenti ſunt. *Sapientes* illos fuiſſe, ex Abrahami Cethuræque poſteris, probabilis conjectura eſt. Vide Strab. *l.* 5. Frid. Spanhem. *Dub. Evangel.* Caſaubon. *Exerc. Baron.* Briſſon. *l. de reg. Perſ.* Bulenger. *in Eclog. ad Arnob. c.* 5. *&* 6. Philelph. *l.* 2. *Conv.* Heurn. *l.* 1. *Phil. Barbar.* Voſſ. *c.* 1. *de Philoſ. Sect.* Naudæum, *apol. des grands Hommes accuſez de Magie.* Morer. *in Diction. hiſtor.* Bodin. *de Dæmonomachia, &c.* Cæterum ea dictio quàm male ſonaret, apud Judæos & Syros, declarant iſta Auctoris *Aruch, Magus in lingua Græca eſt præſtigiator, blaſphemus, negans fundamentum, incantator.* Sed fallitur hîc eruditus Rabbinus, cum multis aliis, qui vocem Μάγος putârunt eſſe Græcam. Erat inter Græcos genus hominum, qui perſonas & loca polluta purgarent: quod faciebant certas res circumferendô, ut *ad Theophraſti Charact.* Caſaubon. oſtendit. Græci hoc περιμάττειν dicunt; & qui faciebant, περιμάκτας, viliſſimum hominum genus, & quod peſſimè audiebat, ut apparet ex *Orat.* Demoſthenis *contra Æſchinem*, cui, & ejus matri, hanc artem objicit. Auctor *Etymologici, Euſtathius* & alii Græci, ex eo putarunt, Μάγος eſſe verbum Græcum, à μάττω, unde μαγὶς; ſed fugit eos ratio. Nam dictio Μάγος Homero & aliis Græcis antiquioribus fuit incognita: quod teſtimonium eſt non leve, Perſicum id vocabulum eſſe, ſicut *Plato, Xenophon, Strabo, Diog. Laërtius* & plures alii, obſervant. Affirmat idem Plinius quoque *initiô l.* 30. Hoc igitur certum: at vox ipſa non uno modô accepta. *Herodot. Strabo*, alii, cum de *Magis* proprie dictis loquuntur, innuunt, Sapientes fuiſſe ſeu Sacerdotes Perſarum, quorum præcipuum officium, ut ſacra curarent & ſapientiam profiterentur. Neque aliter Græci, cùm de Perſicis rebus loquuntur, hanc vocem volunt intellectam. At longe aliter cùm de Magis illis, qui inter ipſos Græcos occultarum ſcientiarum notitiam profitebantur. Tunc enim, in malam partem ut plurimum vox capitur; quia plerique, Religionis & arcanæ ſcientiæ obtentu, artes maleficas exercebant. Unde querelá illa Plinii & cùm ipſius, tum aliorum deteſtatio Magiæ, *Philo Judæus* variis in locis duplicem facit *Magiam*, unam *legitimam*, circa Naturæ cognitionem verſantem, Regibus maximè, præſertim Perſarum coli ſolitam: alteram παράκομμα ταύτης, *adulterationem prioris*, Gallorum Matris Deûm & ſimilium æruſcatorum commune inſtrumentum ad fallendum. Cùm igitur æquivoca ſit Græcè loquentibus vox Μάγος; quærunt quidam, de utro genere hominum loquatur Evangeliſta Matth. *c.* 2. *v.* 1. cùm paulò pòſt Chriſtum, *Magos* ad illum ſalutandum acceſſiſſe, memorat. Sed explicat ſe is, cùm dicit, *Magi ab Oriente.* Ubi ἀπ' ἀνατολῶν conſtruendum eſſe, cum voce Μάγοι; non verò cum voce παρεγένοντο, ut ſic Μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν, ſint *Magi Orientales*, monet Joann. Camero *Myrothec. in c.* 2. *Matth.* Nempe *Magos* intelligit Perſarum, ad quos propriè illa appellatio pertinuit. Licèt enim etiam in Cappadocia Magorum meminerit Strabo *l.* 15. tamen & illi Perſæ erant, & ſacra Perſica in illa regione curabant, ut ipſe indicat. Et hæc *Chryſoſtomi* quoque ſententia fuit; *Juſtinô, Epiphaniô* & nonnullis aliis, *Magos* iſtos ex Arabia arceſſentibus. Sed Magos Arabum nullus Scriptor Græcus, nullus Latinus commemorat. Cum Chryſoſtomo verò conſentit Magnus Baſilius *Homil. de Nativ. Chriſti.* Vero itaque maximè ſimile eſt, fuiſſe Sapientes ex Perſide ſive Babylonia & Suſis, quos propriô nomine *Magos* vocabant. Hi ex Danielis, (qui Scholas purioris Sapientiæ in Perſide, rejectis vel ſaltem correctis veterum *Magorum* placitis, varias inſtituit) diſciplina, circa ea tempora expectârunt Regem, qui maximas res gereret: divinôque motu agitati, cum jam veniſſe certiores facti fuêre: Quô ſpectat illud Taciti, qui eô tempore in toto Oriente percrebuiſſe refert, *Judæos imperiô Orbis potituros.* Rudera autem Scholæ Danieliticæ adhuc ſuperfuiſſe, circa Chriſti aduentum, docet Beza *ad Matth. c. præfatum. Danielis apud Magos & dignitate penè regiâ, & Prophetiis celebratiſſimi Scripta, dubium non eſt, quin fuerint apud Perſas gratioſa, ac fortaſsè accuratiùs, quàm apud Judæos ipſos, obſervata.* V. Georg. Hornium *Hiſtoriâ Philoſophicâ l.* 5. *c.* 2. Annon autem Reges fuêre iſti *Magi*, qui Chriſtum venêre adoratum? Fortè Reguli fuêre & Toparchæ Perſicæ regionis: quæ illâ ætate proprium habebat Regulum, qui Parthorum Regi paruit, ut ait *Strabo l.* 15. Et ſatis conſtat, tum in Perſide, tum in vicinis provinciis, Media, Aſſyria, Parthia, plures fuiſſe Toparchas, quorum nonnulos *Strabo* indicat, & *Dynaſtas* appellat. Iſtos autem potuiſſe etiam *Reges* dici, probat exemplum Reguli Adjabenæ, quem Strabo *l.* 6. ſimplicitur Ἄρχοντα appellat; Joſephus verò *Regem*, in pulcherrima hiſtoria, de Monobazo Rege & Helena Regina, ejus matre, *l.* 20. *Jud. Antiq. c.* 2. & Ἁλώσ. *l.* 6. *c.* 16. meminitque Joſephus, in illa hiſtoria, Abennerigi cujuſdam, quem vocat Σπασίνου χάρακος βασιλέα, *Regem caſtri Spaſini*: quemadmodum & Scriptura, in hiſtoria Patriarcharum, ſingulorum ſæpe oppidorum dynaſtas *Reges* appellat. Verùm, ut probabiliter hoc poteſt diſſeri; ſic affirmare ita eſſe, parùm à temeritate abeſt. Non minus ſanè, quàm pertendere tres fuiſſe *Magos*, non plures, non pauciores; aut certa illis nomina affingere: in quibus omnibus mira Scriptorum varietas eſt. Ut de nominibus enim ſolùm verbum addam, afferuntur ex *Beda* hæc nomina, *Melchior, Caſpar, Baltaſar*: è *Zacharia Chryſopolitano* Hebraica iſta, *Magalath, Galgalath, Saracin*, Græca verò hæc, *Apellius, Amerus, Damaſcus*: quæ eadem nomina etiam apud Petrum Comeſtorem *in Hiſtor. Scholaſt.* qui & ipſe pro genuinis Græcis iſta poſteriora obtrudit. Sed iſta verè Attica nomina: illa autem ſuperiora pura puta Hebraica ſunt. Et excuſare poſſis *Zachariam & Comeſtorem*, qui, ante pauca ſecula, in denſiſſimis ignorantiæ tenebris, prout poterant & ferebant ipſorum tempora, ſcribebant. Illi hodie excuſari non poſſunt, qui, in tanta hac literarum luce, talia in lucem denuo protrahunt. Sunt enim appellationes iſtæ ab hominibus profectæ, non ſolùm otioſis & imperitis, ſed etiam impiis, & artium curioſarum ſectatoribus. Quod genus homines vaniſſimi, cùm Bibliorum cæteris nominibus, ad maleficia ſua uti ſolent, teſte etiam Origene *l.* 1. *contra Celſ.* tum etiam aliis, quæ ipſi ſibi finxerunt, & Biblicis hiſtoriis ſceleſtiſſimè accommodârunt. Sic Paſtores, qui Dominum viſerunt, quatuor fuiſſe hariolati, iis hæc nomina indiderunt: *Miſaël, Acheel, Cyriacus & Stephanus.* Magis autem non ſolùm ſuperiores appellationes tribuerunt; ſed etiam alias: cujuſmodi ſunt, *Ator, Sator, Peratoras.* Quæ nomina quem in finem iſtiuſmodi homines Fanatici excogitaverint, oſtendit *Caſaubon.* è Codice Græc. ſatis vetuſto Bibliothecæ Palatinæ: Τὰ ὀνόματα τῶν ἐν Βηθλεὲμ ποιμένων, Μισαὴλ, Ἀχεὴλ, Κυριακὸς καὶ Στέφανος. Τὰ τῶν Μάγων ὀνόματα, τῶν προσκυνησάντων τὸν Κύριον, Ἄτωρ, Σάτωρ καὶ Περατωράς. Ταῦτα τὰ ὀνόματα ἐὰν δηχθεὶς τις ὑπὸ ὄφεως ἢ σκορπίου ἢ ἄλλου ἰοβόλου ἑρπετοῦ καὶ θηρίου ἐπιγράψῃ ἐντὸς καινῆς χύτρας, μετὰ λιπαρᾶς δαδὸς καιομένης καὶ ἐπιδώσῃ τῷ μηνυτῇ τοῦ δηχθέντος; παραχρῆμα ἰᾶται ὁ δηχθείς, *Nomina Paſtorum in Bethlëem, Miſaël, Achëel, Cyriacus & Stephanus. Magorum, qui Dominum adorârunt, nomina, Ator, Sator, & Peratoras. Iſta nomina ſi vulneratus à ſerpente ſcorpio, aliove reptili vel beſtia venenata, ſcripſerit intra recentem ollam, cum pingui candela ardente, & dederit ei, qui vulnus indicavit, continuò ſanatur vulneratus.* En nugas: ſed impias & piorum execratione digniſſimas. Atqui non aliò ſpectârunt, qui primi nomina iſta ſunt commenti, Caſaubon. *Exercit. II.* §. 10. Vide etiam hîc infrà, ut & voce *Magus.*

MAGI, populi circa Mediam. *Steph.* quorum urbs Paſagarda. Plin. *l.* 6. *c.* 26. & Solin. *c.* 55. Vide & Ovid. *Metam l.* 7.

MAGIA, fons Siciliæ in agro Syracuſano. Item urbs Illyriæ. *Steph.* & alia Carmaniæ. *Ptol.*

MAGIA, triplex *Voſſio*: Primum genus totum eſt in occultis naturæ proprietatibus indagandis, & earum operationibus promovendis; adeoque naturâ nititur, quæ Deum Auctorem habet. Huc refert quædam περίαπτα ſive περιάμματα vel ἀποτρόπαια; Latinis ab amoliendo *amoleta*, vulgò *amuleta* dicta: *Negari enim*, inquit, *non debet, aliqua occultam habere facultatem, quæ de collo pendentia, ubi incaluerint à corpore noſtro, profluvia quædam, nobis neſcientibus, effundant, cutique noſtræ vel ori etiam, ac naribus infundant, eoque pacto morbis proſint variis.* Alterum, per incantationes ac *Magicos* ſuſurros medetur, & Homeri jam ætate, imò, ſecundùm eum, temporibus quoque Trojanis obtinuit. Quod Romanos veteres etiam adhibuiſſe mireris; docet autem id Cato *de R. R. c.* 160. ubi modum præſcribit, quomodo excantanda ſit luxatio aut fractura membri; cum inter alia ait: *Incipe cantare in alio; S. F. motas vata* (Aldus: *danata*) *daries dardaries aſtataries diſſunapiter* (Ald *dic unà pariter*) *uſque dum coëant.* Et paulo poſt: *Vel hôc modô; huat hanat huat* (Ald: *haut haut haut*) *iſta piſta ſiſta domiabo* (Ald. *damiabo*) *damnaſtra.* Et mox, Vel hôc modô: *Huat haut haut iſta ſit* (Ald. *iſtagis*) *tarſis ardannabon dunnauſtra.* Ubi Aldinus habet, *damauſtra.* Hinc Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Cato*, inquit, *prodidit, luxatis membris carmen auxiliari. M. Varro podagris.* Ac aliquanto poſt: *M. Servilius Nonianus Princeps civitatis, non pridem, in metu lippitudinis, priuſquam ipſe eam nominaret, aliusve ei prædiceret, duabus literis Græcis P. A. chartam inſcriptam, circumligatam lino; collo ſubnectebat.* Similis eſt quartanæ ſanatio per *Abracadabra*; apud Q. Serenum Sammonicum. Sed de his optimè docet Chryſoſtomus, utut iſtiuſmodi amoleta præſtarent, quod promittunt, ſatius nihilominus fore, ut morbô obeamus, quàm ſic recuperemus ſanitatem. Vide & Franciſc. Valeſ. *de Sacra Philoſophia c.* 3. Tertium *Magiæ* genus, commerciô cum Spiritibus conſtat, & proin planè nefarium eſt. Licèt enim talem *Magiam* in Θεουργίαν, quam *albam* vocant, & Γοητείαν, quam *nigram*, nonnulli dividant, ac priorem, ut quæ commerciô bonorum Spirituum fiat, licitam eſſe contendant: quemadmodum & Palingenius *Zodiaci l.* 8. ait, aëra eſſe bonis Spiritibus refertum, atque illos Θεουργίας auctores exiſtere. Melius longe Arnob. *l.* 1. *adv. Gentes, Magi*, inquit, *non tantùm ſciunt Dæmones, ſed etiam quidquid miraculi edunt per Dæmones faciunt: illis aſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt, vel quæ non ſunt videri, vel quæ ſunt, non videri.* Et quidem in incantationibus, variis uti ceremoniis, cæſis hoſtiis, maſculô thure accenſô, precibus, coloribus, & diverſis metallorum ac ciborum generibus, quibus omnibus ritè peractis, Dæmones illis invocatos adſiſtere, & quæ cupiunt, facere, docet Hieronym. *Tomô VI. l.* 3. *in ad Epheſ. c.* 6. *fol.* 193. Vide quoque Clementem *Recognition. l.* 2, ubi arrogantem *Magorum* jactantiam graphicè deſcribit, ipſum Simonem famoſiſſimum artium clandeſtinarum Auctorem loquentem introducens. *Recentiores* inprimis barbara & horrenda Angelorum ac Poteſtatum nomina proferre conſueviſſe, quorum vi & virtute res illas παραδόξως fieri exiſtimarint: imò eò impietatis progreſſos, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi (more à Judæis exorciſtis mutuatô & cum arte ſimul ad hodiernos maleficos tranſmiſſô) veneficiis ſuis immiſcerent, ex Origene diſcimus *l.* 1. *contra Celſum*, pleniùs *l.* 6. Vide quoque *ad Arnobii l.* 1. verba hæc; *Angelorum potentium nomina & remotas furatus eſt diſciplinas*, Deſ. Heraldum *p.* 40. &c. Et ſanè in hoc conſentit omnis Sanctorum Patrum chorus, quibus potiùs accedendum, quàm *Plotino*, *Jamblicho* & *Platonicorum* aliis, vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophia c.* 8. *Hornius* verò nullam *Magiam* licitam dici poſſe ſtatuit, docens *Magiam* priſcis fuiſſe θεῶν θεραπείαν, quæ, ut notum ex *Euſeb.* tota circa Dæmonum cultus verſata fuerit, nec aliam apud antiquos reperiri: coluiſſe autem propterea Dæmones, ut propitios in miris effectibus adjutores illos haberent. Quod proin primum *Magiæ* genus ſuprà memoratum attinet, quæ alio nomine Θαυματουργικὴ vocatur, ac ex arcanorum naturæ cognitione profecta, tam mirifica molitur opera, ut cauſarum ignaris, vel prodigia, Dæmonum artificiô, vel miracula, à divina ope profecta, videantur, non niſi impopriè ac abuſivè *Magiam* appellari vult, voce à priſca ſignificatione in paulo meliorem degenerante. Quod originem *Magiæ* attinet, eam à Zoroaſtre, Oromazi filio, Bactrianorum Rege, Chami ut quidam, volunt nepote, communis arceſſit Eruditorum opinio. Ita enim Plato *in Alcibiade priore*, ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τοῦ Ζωροάστρου τοῦ Ὠρομάζου, *Is quidem Magiam docet Zoroaſtris, Oromazi filii.* Et Juſtino *l.* 1. *primas artes Magicas inveniſſe Zoroaſtres* dicitur. Apulejus ſimiliter *in Apol. Ego ille ſum Carinondas, vel Damigeron, vel is Moſes, vel Jannes, vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicunque alius, poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter Magos celebratus eſt.* Perſis primus *Magiæ* auctor *Zarduſt*, vel *Zaraduſt* dictus eſt: Idem & *Mog* eſt appellatus; unde Græci fecerunt Zoroaſtrem & Zapatum: ex *Mog* Mochum & *Magum*, verba ſunt Cl. Salmaſ. *de Helleniſt.* Zoroaſter igitur hujus artis primus in Perſide Doctor extitit, neque eam vivâ tantum voce, verùm & ampliſſimis ſcriptis excoluit, Pliniô *lóc. cit.* & *Ariſtotele* teſtibus: de ea enim centum verſuum millia literis exaráſſe legitur, quos commentariis Hermippus illuſtravit; Sed ipſe Zoroaſter vanitatem iſtam ab Agonace quodam hauſit, qui, ut *Plin.* ſcribit, aliquot annorum millibus ante Trojanum bellum floruit. Quin idem inter antiquiſſimos Magos recenſet Apuſcorum & Zaratum Medos, Babylonium Marmaridum, Hippocum Arabem, & Aſſyrium Zarmocenidam, quorum omnum monumenta meritò perierunt. Minutius Felix *in Octavio: Magorum & eloquiô & negotiô primus Heſthanes.* Ita etiam Tertullian. *de Pall. Tatian.* Plut. *de defectu Orac.* Apulejus *loc. ſupra cit. Lactantius*, Alii. Etiam *Magiæ* præſes habita eſt, quæ modò *Diana*, modò *Ceres*, modò *Minerva*, *Hecate*, *Trivia*, aliiſque nominibus dicta eſt, *Tatian.* eaque *Magis* invocata miris quibuſdam ſacris, uti ex Porphyrio docet Euſeb. *l.* 3. Præpar. Euang. In Sacris antiquiſſimi cujuſdam *Magi*, qui *Bileam*, filius Beor, vocatur, mentio fit, quem eundem eſſe cum Zoroaſtre non pauca ſunt, quæ ſuadeant. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 2. *c.* 4. &c. De *Magia* verò veterum Ægyptiorum, Kircherum *in Oedipo*, uti de *Magorum* apud Romanos pœna infrà aliquid, ubi de *Sacrilegis.*

MAGICA Carmina, in Ludis Circenſibus olim, ſeriis etiam pugnis, adhibita. Vide Caſaubon. *ad Spartian in Didio Jul. c.* 7. Quæ propriè illi *murmurabant*, *demurmurabant* ſeu *muſſitabant*, Ovid. *l.* 14. *Metam.*

Ter novies carmen Magicô *demurmurat ore.*

Vide quoque hîc paſſim, in voce inprimis *Agitare*, item *Aſpis ſurda*, *Conſcia murmura*, *Conſerratio magica*, *Dæmon*, *Elicere*, *Epheſia litera*, *Exorciſta*, *Figere*, *Focus*, *Fæminarum communio*, *Galactites*, *Ludere*, *Muſſitare*, *Philtra*, &c.

MAGICA Lucerna, vide ſuprà *Lucerna.*

MAGICA Sacra, mortuis excitandis; aliàs *Lethæa ſacra*, quia ad Manes pertinebant; Corn. Gallo *in Ceiri*, *Hecateia*; longis logis deſcribuntur Papinio Statio *Thebaid. l.* 4. ubi imitatur Homerum *in Odyſſea.* Paria facit Lucan. *l.* 6. Heliodor. *l.* 6. Silius Italicus *l.* 13. &c. Quibus qui præerant, *Magici Dii* dicti. Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 2.

Et me luſtravit tædis & nocte ſerenâ
Concidit ad Magicos *hoſtia pulla* Deos.

Et Lucan. *l.* 6. *v.* 577.

Illa Magis, Magiciſque Diis *incognita verba*
Tentabat.

Sed & *Magica ſacra.* Manibus facta, arcana, remota à populo & aliis ſacrificiis. Virg. *Pharmaceutr.*

——— *Sanos* Magicis *avertere ſenſus*
Experiar ſacris.

Cujuſmodi Sacra Romanis religionibus ſemper ſunt excluſa. Sic enim Servius *ad Æn. l.* 4. *Romani, cùm omnia Sacra admitterent*, Magica *ſemper excluſerunt. Legibus* certè XII. *Tabb.* interdicta memorat Apulejus *Apologiâ, &c.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſion ad Papin. Statium Achilleid. l.* 1. & hîc non uno locô, inprimis in vocibus *Abori*, *Necyomantia*, *&c.*

MAGICUS Nodus, vide hîc in voce *Ligula*, item *Nodus Magicus.*

MAGIDA, Ptol. *Maſin*, Interpretib. Caramaniæ urbs.

MAGIDÆ, Græce μάγιδες, memoratæ Plinio *l.* 33. *c.* 11. *Mox additum argentum in angulis, lineaſque per commiſſuras, tympana verò ſe juvene appellata ſtateras, & lances, quas antiqui* Magidas *appellaverant;* exponuntur Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 8. *c.* 15. *menſæ*, quæ ponuntur tolluntur que. Sed diſertè Pliniùs vaſa potoria vult eſſe, eademque quæ tympana: Id eſt, quæ tympanum referrent, parva & cava, ſine fundo ac auribus, quibus quòd uſus eſſet Midias, utpote mollibus & parùm caſtrenſibus, convitium ei faciendi occaſionem Demoſthenes arripuit, apud Athenæum *Dipnoſoph. l.* 11. Meminit earum quoque Pollux *Onomaſt. l.* 6. *c.* 10. & *l. eôd. c.* 5. Item Paulus JC. *l.* 36. *ff. de condict. indeb. Servus cujuſdam, inſciente dominô*, magidem *commodavit, is cui commodaverat, pignori eam poſuit & fugit, &c.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joann. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30.

MAGINA, Pannoniæ, vel Norici opidum. *Lib. Notit.*

MAGINUS Johannes Antonius, vide *ibi.*

MAGIOVINTUM, vel MAGINTUM, Angliæ urbs, *Dunſtable Cambdeno* in agro Bedfordienſi.

MAGIRISCIA, Pytheæ opus, vide *Calare.* uti de *Magirice*, ſeu Coquinaria, aliquid infrà, voce *Medici.*

MAGISTER, quantus in Imperio titulus olim fuerit, indicat Caſſiodor. *Variar. l.* 6. *form.* 6. *de Magiſteria dignitate.* His tribui ſolet, qui vel claſſi, ſocietati & muneri præſunt, vel in ſcientia aliqua, præſertim literaria, eminentiæ gradum conſecuti ſunt. Gloſſ. ad Clem. *l.* 5. *tit.* 2. *c.* 2. *de Magiſtris*, ait, quod quidam dicunt, quod Doctores in jure Canonico & Civili: *Magiſtri* dicuntur in Theologia vel Artibus: & ſecundùm Hoſtienſem qui ſeptem docent artes liberales, ſicque recipi apud Italos. Sed Ultramontani communiter, inquit, vocant *Magiſtros.* Videntur & in textu ibidem ipſe Clemens V. totumque Viennenſe Concilium *Magiſtri* & *Doctoris* vocabula confundere. Ad coërcendum enim ingentem *Doctoratus* ſeu *Magiſterii* ineundi ſumtum, cavent, ut dictum recipientes honorem, juramentô priùs adſtringantur, ne ultra 3000. Turonenſium argenteorum, in ſolennitate expendant. Imò uſitatiorem tunc fuiſſe apud Anglos *Magiſtri* titulum, quàm Doctoris, ſuadent Trevetti Annales MS. & Matth. Paris ad A. C. 1267. teſte *Spelmannô.* Sed Lotharii Imperat. tempore differentia *Doctorum* & *Magiſtrorum* exorta eſt, circa quod tempus artem typographicam Moguntiæ inventam eſſe, refert *Steph. Pomeranus* J. C. *l.* 3. *part.* 2. *c.* 14. qui & Doctores omnes antea ſub *Magiſtris* fuiſſe contentos memorat. Apud Anglos, *Doctoris* nomen & gradus, ſub ævo *Johannis Regis* videtur innotuiſſe. Magnus *Magiſter* Franciæ, ſub tertia Regum ſerie, idem, qui ſub prioribus duabus Comes Palatii & Major domus nuncupatus eſt, ſub initio etiam tertiæ, Seneſcallus Franciæ: apud Orientales Megadomeſticus. Unde *Henricus* II. Angliæ Rex jure Comitatus Andegaviæ, hæreditarius fuiſſe Magnus Magiſter Franciæ Tillio dicitur, apud Henricum Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* Addo quod Ritum in Academiis uſitatum, quô *Magiſtris* ac Doctoribus, præter alias ceremonias, annulus aureus conferri, digitiſque eorum inſeri ſolet, ex ritu inveſtiendi Epiſcopos, fluxiſſe, *Kirchmann.* auctor eſt. Poſtquam enim, Deſideriô, ultimô Longobardorum Rege victô, in Synodo Romana, decretum eſſet, ut Carolus M. victor, jus & poteſtatem eligendi Romanum Pontificem, ordinandique ſedem Apoſtolicam haberet; additum eſt, ut Archiepiſcopi quoque atque Epiſcopi per ſingulas provincias, inveſtituram ab eo acciperent, Sigebert. *ad* A. C. 773. Inter alia autem inveſtituræ hujus Sacerdotalis ſolennia, etiam annulus fuit, quem unà cum baculo Imperator aut Rex, tanquam certum Symbolum, mittere ſolebat illi, cui beneficium aliquod volebat conferre. Qua de re ſic Conr. Rittershuſius *Partition. Feudal. c.* 8. *Epiſcopatus antiquô jure Gallicô per annulum & virgam dabantur; Eoque annulô ſeu pedô officii ſui admonentur Epiſcopi, quòd gregem Dominicum paſcere debeant, ſicut annulô admonentur, quòd deſponſata ſit ipſis Eccleſia, cui fidelem curam impendere debent.* Hinc, ſi quando uſu veniebat, ut propter delictum aliquod de gradu dejicerentur, annulum hunc, quô erant inveſtiti, deponere cogebantur: quem etiam, ſi innocentes eſſent reperti, coram Altari, recipiebant. Concil. Toletan. IV. *c.* 27. *Tom. II.* Concil. Atque hujuſmodi videntur fuiſſe, *Sedecim illi annuli Pontificales boni & magni, de Robino unus & impoſitis aliis gemmis minutis, de Smaragdo unus, de Topazio unus*, quos inter κειμήλια Eccleſiæ Moguntiacæ recenſet Conradus Epiſcopus, *in vet. Chron. Rer. Moguntiac.* &c. Vide Joh. Kirchmann. *de Annulis, c.* 20. & infrà aliquid voce *Magiſterium*, item *Magnificus.*

Magistrorum variæ species, quæ apud Scriptores occurrunt.

Magiſter, nomen erat muneris in Saliatu apud Romanos, diſtincti à munere *Præſulis* & *Vatis.* Capitolin. *in Marco, c.* 4. *Fuit in eo Sacerdotio & Præſul & Vates & Magiſter.* Videtur fuiſſe Ἔξαρχος, ad quem ſpectabat & inaugurandi & exaugurandi poteſtas. Sequitur enim, *Et multos inauguravit atque exauguravit nemine præcunte, quôd ipſe carmina cuncta didiciſſet.* Vide Salmas. *ad locum.* Sed & ſic dicebatur navis gubernator, vide infrà *Navigatio*: Alia notio verbô *Proſcribere.*

Magiſtri Pædagogi, Præceptores, inter honoratiores apud Romanos olim ſervos fuêre; de quibus, vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Magiſter Admiſſionum vide ſuprà.

Magiſtri Cantilenarum, vide ſuprà *Benemeriti.*

Magiſter Cenſus, ὁ τὰς τιμήσεις ἐγκεχειρισμένος, apud Dionem *in Caracalla*; ἐπὶ τῶν κήνσων καθεστηκώς Leoni, *Novell.* 44. cui ἐπιστασίαν τῶν κήνσων datam ſcribit; non erat *Cenſor*, qui Magiſtratus olim apud Romanos viguit, ſed idem cum Frumentariorum præpoſito, cui hæc cura incubuit, ut per frumentarios vel γραμματηφόρους, Imperatorem redderet de omnibus certiorem. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano. c.* 11.

Magiſter Ceremoniarum, vide ſuprà *Admonitor.*

Cœnarum *Magiſter*, Martiali *Epigr*, 48. *l.* 12. dictus eſt, quem Latini *Convivatorem.* Horat. *Parochum* & *Herum* vocat, *l.* 2. *Sat.* 8. qui amicos aut hoſpites domo ac menſâ excipit. Græc. ὁ συνιστὰς συμπόσιον, ὁ συμποσίου ἄρχων, συμποσιάρχης, ἑστιάτωρ, ἑστιοῦχος, &c. Aliàs *Convivii Magiſter* propriè qui dicatur; vide infrà,

Collegii *Magiſter*, dicebatur Ro-

ma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

manis, qui inter Collegas major eſſet & reliquos ætate anteiret. Sic Augurum cœtus, ſic alia Collegia, ſuos habuêre *Magiſtros.*

Magiſter Comedo, vide infrà *Imago.*

Convivii *Magiſter*, propriè dictus eſt, qui *Arbiter bibendi*, item *Rex convivii* aliàs appellatus eſt: unde *Magiſteria* & *Regna vini.* Hic talorum jactu creatus, certas bibendi præſcribebat leges, quas obſervare ſinguli tenebantur, cum ad eos circumlata potio perveniret; Idem dictabat, quantum quiſque vini & quomodò temperatum ſumere deberet. Vide Plut. *Problem.* 4. *l.* 1. *Sympos.* Idem *Sympoſiarchus* quoque, Οἰνάρχης, Modi imperator, & *Tapulla* vocitatus eſt, vide Thom Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 29.

Magiſter Diſpoſitionum, *l.* 2. *Cod. Theod. de proximis*: vide infra de *Proximis*, & Salmaſ. *ad Lamprid. in Severo c.* 31. ubi *Magiſtros* hoſce alibi paſſim *Comites* appellari docet.

Magiſter ad Epiſtolas, *Epiſtolarum & ab Epiſtolis*, vide infrà ubi *de Proximis*, ut & de *Scriniis.*

Equitum *Magiſter* dictus olim eſt, vir ut plurimùm Conſularis, aut alioqui vir induſtrius, cui poteſtas in Equites committebatur: Hunc Dictator, quam primum creatus eſſet, ſibi ipſe eligebat. Eorum eadem poteſtas ac dignitas, quæ Celerum ſub Regibus, & Prætorio Præfecti, ſub Imperatorib. erat. Subjecti erant Dictatorum imperio, bellô tamen Punicô ſecundô M. Minutio æqua cum Dictatore poteſtas fuit commiſſa, *Roſin.*, Eorum ſeriem, vide ſuprà, ubi de *Dictatore.*

Exercitiorum *Magiſter*, qui aliàs *Cuſtos*, & *Monitor*, præerat exercitationibus Romanæ juventutis, vir aliquis ſummæ auctoritatis, qui non hortari modò, ſed etiam coërcendo impellere tirones poterat. Claudian. *de* 4. *Conſul. Honorii*, *Inſonuit cum verbere ſigna Magiſter.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 25.

Magiſter Juſtitianus, vide ſuprà.

Magiſter Magni agri, vide infrà *Timophanes.*

Magiſter Militiæ, memoratur Hegeſippo *l.* 1. *c.* 41. ubi de Volumnio quodam loquitur: idem cum *Magiſtro Militum*, qualem Rubrium Gallum fuiſſe, narrat Ruffin. *Bello Jud. l.* 7. *c.* 23. dignitas fuit apud Romanos, Veſpaſiani ævô recentior, & Nicephori Phocæ Imperat. Græci temporibus jam intermortua. Vide Salmaſ. ad *Vopiſc. c.* 17. & Valleſ. *ad Ammian. l* 14. *c.* 1. nec non infrà *ad Reſponſum.* Quô argumentô docet Gronov., licèt Hegeſippus tam vetus non ſit, quàm nomen mentitur, tamen eum relegari ad tempora Nicephori & ſexcentis annis Imperiô Conſtantinopolim tranſlatô inferiorem ſtatui non poſſe, *Obſervat. in Eccleſ. c.* 21. Sic inprimis dictos eſſe Præfectos Urbis Neapolitanæ ſub Byzantinis Imperatorib. addit *Car. du Freſne.* Sed & Venetorum olim Remp. à *Magiſtris militum* annuâ poteſtate aliquandiu gubernatum fuiſſe, habes infrà, ubi de *Paulutio Anafeſto.*

Magiſter Militum præſentum, vide infrà *Præſens.*

Morum *Magiſter*, appellatus eſt Cenſor, apud Romanos, eo quod ipſius officium eſſet, inter cætera, eorum qui Senatorii aut Equeſtris erant ordinis, imò & reliquorum quoque civium, mores ac vitam obſervare, & peccantes ignominiâ notare: tollere quoque omnia, quæ probitati morum perniciem minarentur, Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 7. *c.* 10. vide infrà *Magiſterium.*

Magiſter Novitiorum, vide & infra *Novitii.*

Magiſter Officiorum, vide hîc infra *Magiſteria.*

Magiſter Palatii Apoſtolici vide ſuprà *Epiſtomonarchæ.*

Magiſter Obſonii, vide infrà *Obſonator.*

Populi *Magiſter* apud Romanos appellatus eſt, qui aliàs *Dictator*, vide *ſuô locô.* Præter quos occurrunt, *Magiſter à Bibliotheca*; *Magiſter Largitionum*, *tum ſacrarum tum privatarum*; *Magiſter lineæ veſtis*, item *privatæ*; *Magiſtri Scriniorum*, *&c.* de quibus, ut & præcedentibus, vide plura hîc paſſim, ubi de officiis eorum ſermo eſt.

Magiſtri Traditionum, vide infra *Sapientes.*

MAGISTERIA, in *l.* un Cod. de Quæſtoribus & Magiſtris Offic. *Qui ex Quæſturæ honore aut efficaci* Magiſteria *aut Comitiva utriuſque ærarii noſtri attonitô ſplendore viguerunt*; ubi perperam *Magiſterio* vulgò legitur: dignitas dicta eſt Magiſtri Officiorum, qui & *Princeps Officii Palatini*, & ſine ulla additione *Magiſter* ſimpliciter; Græcis ἡγεμὼν τῶν ἐν αὐλῇ τάξεων & ἡγούμενος τῶν αὐλικῶν καταλόγων; vocabatur, fuitque generalis Magiſter, cui, præter officiorum ſingulorum Magiſtros, omnia Officia Palatina ſuberant. *Suidæ*, Μαγιστρεία; Priſco *in Hiſtor. Goth.* Μαγίστρου ἀρχὴ. *Caſſiodoro Magiſteria dignitas*: quæ voces de ſolo hoc *Magiſtrô Officiorum*, qui unus in aula videtur fuiſſe, capiendæ, Corippus.

> ——— *Mandante Magiſtrô*
> *Omnis ſacrorum vis adfuit officiorum.*

De aliis vero *Magiſtris*, non *Magiſteria*, ſed *Magiſterium* dicebatur, ut *Magiſterium Militum*, *&c.* Vide hîc infrà in vocibus *Magiſteriani* & *Magiſterium*; plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *Not. ad Pollionem in Gallienis. c.* 17.

MAGISTERIANI, ſeu MAGISTRIANI, in *Epiſtolis* Hormiſdæ Pontif. & apud Victorem Tunnenſ. *in Chronico*, Μαγιστριανοὶ, apud Gelaſium Cyzicenum *l.* 3. *de Concil.* Nic. Palladium *in Hiſtor. Lauſiac. c.* 149. Iſid. Peluſ. *Ep.* 229. Alios, *Joanni Meurſio in Gloſſar.* laudatos, Officiales ſunt Magiſtri Officiorum: *Agentes in rebus*, ut eſt in vet. *Lexico*; quòd ex eorum Schola executores litis Magiſtro Officiorum attribuerentur, dicti. Καθωσιωμένοι dicuntur, in *Relatione* Neſtorii in Synodo Epheſ. *part.* 2. *Act.* 1. Concil. Chalcedon. *Act.* 3. 10. *p.* 176. 177. *&c. edit.* 1618. *Spectabiles*, in *Suggeſtione* Legatorum ad Hormiſdam Pontif. Roman. inter *Epiſtolas* ejus, C. du Freſne in *Gloſſar.* & J. Calvin. *Lex. Jur.* Idem *Magiſtri Principes* appellantur, in *Paſſion.* Proceſſi & Martiniani, *Erant autem cuſtodientes eoſdem beatiſſimos Apoſtolos milites multi, inter quos erant duo magiſtri principes Proceſſus & Martinianus.* Et *Magiſtriani principes*, paulo poſt: *Tunc baptizati ſunt beati Proceſſus & Martinianus, magiſtriani principes.* Ubi *Principes*, ſunt primates officii. Nempe ſingula officia Palatina habebant principes ſuos, qui & *primates officii* dicebantur & *priores*: præter hos erat *Magiſter officiorum*, qui omnibus officiis præerat & omnium officiorum Palatinorum ac principum officiorum Princeps fuit & Magiſter. Unde, qui ei ſuberant, *Magiſteriani* vel *Magiſtri principes*: de ipſo autem Officiorum Magiſtro, *Magiſteriana poteſtas*, dicebatur. Vide Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Marco. c.* 8.

MAGISTERIUM & MAGISTRATUS, in Cenſore, & Equitum Magiſtro, apud Romanos, concurrerunt; namque & Cenſor *Magiſter morum* dicebatur. Unde Symmachus *l.* 4. *Ep.* 45. de Cenſura, *Nolo mireris graviſſimum ordinem* Magiſterium *reſpuiſſe.* Nempe illius, ut & Magiſtri Equitum, *Magiſterium*: ambos fecit Magiſtratus Populi Romani. Non tamen inde Gruterus evicerit, Auctores attentiùs loquutos promiſcuò *Magiſterium* & *Magiſtratum* uſurpâſſe. Certè Cenſorem, *Magiſtratum morum*; Equitum Magiſtrum, *Magiſtratum Equitum* geſſiſſe, nemo dixerit. *Magiſtri* ſunt, ut ait Feſtus, *pagorum*, *ſocietatum*, *vicorum*, *collegiorum*; *equitum*: *Ludorum prætereà & conviviorum*: *denique doctores artium*: quorum dignitas Magiſterium, non Magiſtratus. Nec obſtat Sueton. *Caligula c.* 22. *Magiſteria Sacerdotis* dicens: Etenim Sacerdotum Collegia ſunt, non Magiſtratus. Aut *Domitiano*, *Minervæ*, *cui collegium inſtituerat*, *ex quo ſorte ducti Magiſteriò fungerentur.* Diſertè enim id *Collegium* vocat, cujus ſodales *Magiſtratus* nemo vocaret. Apulejus ſanè *Ædilis Magiſterium* dixit, *Metam. l.* 1. ſed loquitur, ut de Municipiorum Decurionibus Romani ſolebant. Suetonius *Octavio c.* 2. *Avus Municipalibus* Magiſteriis *contentus*, *&c.* Vide Joh. Frid. Gronov. *Not. ad Livium l.* 24. *c.* 25.

MAGISTOS, Elidis urbs in Peloponneſo, *Herodot.*

MAGISTRALES Pergulæ, apud Vopiſcum, in *Saturnino*, *c.* 10. Vide hîc infrà.

MAGISTRATIONES Publicæ, in *leg.* 3. Cod. Theodoſ. *de Studiis liberal. Urbis Conſtantinop. Univerſos, qui uſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum, in publicis* Magiſtrationibus *celluliſque collectos undecunque diſcipulos circumferre conſueverunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri*: *Vopiſco* dicuntur *Pergulæ Magiſtrales*, *d. l.* & fuerunt cellæ publicæ, in quibus docuêre Grammaticæ Rhetoricæque Magiſtri, aliarumque Artium, quæ *Liberales* indigetantur, Profeſſores, etiam qui de publico ſtipendium accipiebant. Picturæ porrò Profeſſores; Mathematici item, quibus etiam aliquando profitendi publiceque proponendi Romæ copiam conceſſam eſſe, ex Suetonio *in Auguſto l.* 94. diſcimus, &c. Vide infrà in voce *Pergula.* Vox orta à verbo medii ævi *magiſtrare*, h. e. docere; quod occurrit apud Spartian. in *Hadriano*, *c.* 10. ubi hîc *magiſtraſſe vitam militarem*, h. e. vicem Magiſtri functum eſſe & militibus exemplo præfuiſſe, atque in conſuetudinem vitæ militaris eos induxiſſe, dicitur. Vide Salmaſ. *loc. cit.*

MAGISTRATUS, apud Romanos, varii fuêre. Varro apud A. Gellium *l.* 13. *c.* 12. *In Magiſtratu*, inquit, *habent alii vocationem, alii prenſionem, alii neutrum. Vocationem, ut Conſules, & cæteri, qui habent imperium: Prenſionem, ut Tribuni Plebis & alii, qui habent viatorem: Neque vocationem, neque prenſionem, ut Quæſtores & cœteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem, &c.* Tribunos autem jus vocandi non habuiſſe, probatur auctoritate Lælii Felicis, vetuſtiſſimi Scriptoris, qui ſcribit *l.* 1. *ad Q. Mutium*: *Tribuni neque advocant Patricios, neque ad eos referre ullâ de re poſſunt.* Iiſdem tamen jus prenſionis in tantum competiit, ut & Conſules in vincula ducere potuerint. Sic Dio *l.* 37. teſtatur, Metellum Conſulem à L. Flavio Tribuno in carcerem ductum eſſe. Livius item *l.* 9. *c.* 34. Cenſorem Appium, à Publ. Sempronio Tribuno prehendi & in vincula duci juſſum eſſe, &c. De aliis *Magiſtratuum* diviſionibus, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 2. *& ſeqq.* Uti autem in aliis rebus religionis tenaces Romani videri voluêre, ſic & in deſignandis creandiſque *Magiſtratibus*, Deorum quoque velut ſuffragia ab iis expetita legimus. Quam in rem maximè ſolennis fuit Comitiorum precatio, de qua Cicero *Orat. pro Murana*: *Quæ precatus ſum à Diis immortalibus, Judices, more inſtitutôque Majorum hodie, quo auſpicatò Comitiis Centuriatis L. Muranam Conſulem renuntiavi; Ut ea res mihi Magiſtratuique meo, Populo Plebique Romano bene ac feliciter eveniret, eadem precor ab iiſdem Diis immortalibus.* Et paulo poſt, *Quòd ſi ſolennis Comitiorum precatio, Conſularibus auſpiciis conſecrata, tantam habet in ſe vim ac religionem, quantam Reipubl. dignitas poſtulat: idem ego ſum precatus, ut eis quoque hominibus, quibus hic Conſulatus me rogante datus eſſet, ea res fauſtè, feliciter, proſpereque eveniret.* Vide quoque Plin. *in Panegyr. Tajani. c.* 90. 91. alioſque, laudatos Barn. Briſſonio *de Formulis l.* 1. *p.* 64. Unde Tiberium, principiô literarum, quibus Druſo poteſtatem Tribunitiam à Senatu petierat, veneratum eſſe Deos, ut conſilia ſua Reipublicæ proſperarent, Tacitus auctor eſt *Annal. l.* 3. *c.* 56. *Magiſtratum* tamen *Plebejum* nullum auſpicatô creatum eſſe, diſcimus ex Livio *l.* 6. *c.* 41. Porrò *Magiſtratum* geſturi, intra quintum diem in Leges jurare cogebantur. Inde C. Valerius Flaccus, cùm jurare in leges non poſſet, quia Flamen Dialis erat, Magiſtratum autem (Ædilis enim Curulis creatus fuerat) plus quinque dies, niſi qui jurâſſet in leges, non liceret gerere, petiit *ut legibus ſolveretur*: ſed *datus eſt, qui juraret pro fratre Valerius*, apud eundem Livium *l.* 31. *c.* 50. *&c. Magiſtratu* poſtmodùm defunctis dies dicebatur, ſi quid deliquiſſent: uti legimus ibid. *l.* 3. *c.* 31. de T. Romilio & C. Ve-

tu-

turio Conſulib. quorum hic XII. millibus æris, ille X. damnatus eſt. Sed nec *Magiſtratus* duos eôdem annô; nec eundem *Magiſtratum* intra decem annos, in eadem Rep. capere licuiſſe, docet idem Scriptor, *l.* 7. *c.* 42. Vide quoque ſuprà *Genutia lex*, uti de *Magiſtratibus* in prætexta ſepeliri ſolitis infrà, voce *Prætexta*; item ubi de *Vilia* ſive *Villia Lege annali* quæ cuique *Magiſtratui*; idoneam ætatem definivit: ut alia omittam. Nomina verò dignitatum & Magiſtratuum, apud Romanos à ſummo ad imum, vide ſuprà, in voce *Dignitas*. Apud Athenienſes varia itidem fuêre *Magiſtratuum* genera. quæ tamen ad tria ab Eruditis referuntur: Nam alii erant κληρωτοὶ ſeu *ſorte ducti*, alii χειροτονητοὶ ſeu *ſuffragiis electi*, alii αἱρετοὶ ſeu *pro arbitrio delecti*. Erant autem *Magiſtratus* apud eos ſolos, quibus cenſus eſſet, ex Lege Solonis: quod tamen mutatum ab Ariſtide, Lyſimachi filio, donec, Optimatibus annitentibus, id rurſus mutavit, ut teſtatur apud Plut. *in Phocione* Antipater. Κληρωτὰς ἀρχὰς ſortiebantur in Theſei ſacello, præſidentibus Theſmothetis: Et quidem primò populus eligebat, quos vellet, qui deinde ſortiebantur inter ſe *Magiſtratus*, qui poſtquam ſortitione creati erant, alii, quaſi ſuccedanei, eoſdem *Magiſtratus* ſortiebantur, ut ſi primi illi ſorte lecti vel probarentur minùs Judicibus, vel intra ſui Magiſtratus annum morerentur, in illorum locum ſufficerentur iſti, quibus ſors obvenerat. Ad ſortitionem verò fabis uti juſſit Lex: Κυάμοις τὰς ἀρχὰς αἱρέεσθαι. *Fabis Magiſtratus ſortiuntor*, iſque ſorte captus erat, cui album obvenerat fabulum. *Magiſtratus* χειροτονητοὶ, populi creabantur ſuffragiis, in Pnyce, referentibus ad populum Theſmothetis. Pollux *l.* 8. *c.* 9. Erat autem Pnyx Athenis locus juxta Acropolin ædificatus, antiquæ ſimplicitatis ritu, non ad poſterioris theatri ſplendorem, in quo Comitia haberi ſolita. Penès populum enim jus atque arbitrium fuit creandorum Magiſtratuum, lege Solonis: Τὸν δῆμον ἀρχόντων καταστάσεως κύριον εἶναι. *Populus Magiſtratus creato*. Tandem αἱρετοὶ *Magiſtratus*, quos deligebant tribules aut populares, dicti ſunt: Deligebantur autem, vel ad obeundum munus aliquod, cum ἡγεμονίᾳ δικαστηρίῳ, vel ad obeundum munus quidem publicum aliquod, ſed ſine illa. Ubi verò creati fuerant *Magiſtratus*, antequam functionem aggrederentur, anteactæ vitæ rationem apud Judices reddebant, ut &, poſtquam abdicârant, apud Logiſtas, de quibus vide ſuprà. In iſtiuſmodi δοκιμασίαις interrogabantur: *An parentes honorâſſent*; *An ſtipendia ſua feciſſent*; *An ſacra eſſent iliis gentilitia*; *An cenſum haberent?* Ad quæ qui reſpondendo Judicibus non feciſſet ſatis, arcebatur concione, nec ſinebatur orare ad populum. Qui verò admiſſus erat, poſtquam *Magiſtratus* deceſſit, iterum rationes ſuas apud Logiſtas deferre tenebatur, *Se* videl. *de publico hoc accepiſſe*, *hoc non accepiſſe*: vel, *hoc expendiſſe*, *aut nihil expendiſſe*: Neque, rationibus non redditis, alium gerere Magiſtratum, aut coronâ donari potuit. Quem morem expreſſit Cicero *l. de optimo gen. Orat. extremo*. *Cùm eſſet Lex Athenis*, *Ne quis populi ſcitum faceret*, *ut quiſquam coronâ donaretur in Magiſtratu*, *priuſquam rationes retuliſſet*, &c. Vide Sam. Petitum. *Comm. in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 2. & ſuprà voce *Legiſtæ*: uti de *Magiſtratuum* in eadem Rep. corona, infrà *Myrtea corona*.

MAGISTRATUS, titulus honorarius Pontificis Romani apud Gervaſium Archiepiſcop. Remenſ. *Ep. ad Nicol.* II.

MAGISTRATUUM Libri, citantur apud Livium *l.* 4. *c.* 7. *His Conſulibus* (L. nempe Papiriô Mugilanô & L. Semproniô Atratinô) *cum Ardeatibus fœdus renovatum eſt*, *idque monumenti eſt*, *Conſules eos illo annô fuiſſe*, *qui neque in Annalibus priſcis*, *neque in* Libris Magiſtratuum *inveniuntur*. Et *c.* 20. *Quod tam veteres annales*, *quodque* Magiſtratuum libri, *quos linteos in æde repoſitos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores*, &c.

MAGISTRICA, oppid. Norici in Carinthia, inter Villacum & Saliſburgum, *Madran Lazio*.

MAGISTRUM flumen, Gall. *Maiſtre fleuve*, de Nilo, & quidem parte ejus majore, poſtquam ad Delta ſciſſus eſt. Priùs enim unicô alveô decurrit, poſtmodùm ad Delta ſcinditur in duas partes ſeu flumina, quorum alterum Occidentem petens majus eſt, ac veluti fluminis corpus; Græcè μέγας ποταμὸς, in ipſo verò oſtio, quô in mare exit, *Canopicum* appellatur & *Heracleoticum*, à locis ibi mari vicinis; apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 471. & ſuprà in voce *Agathus Dæmon*.

MAGITÆ, Arabiæ Felicis populi. *Ptol.*

MAGIUS, præfectus Piſonis, in quem Gallus productus teſtis, quum innumerabilem pecuniam Magio datam dixiſſet, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: *Erras*, inquit, *Scaure*: *Ego enim Magium non conſervâſſe dico*, *ſed tanquam nudus nuces legeret*, *in ventrem abſtuliſſe*, Cic. *de Orat. l.* 2.

MAGIUS, prænomine *Cneus*, Præfectus Fabrûm Cnei Pompeii, Cremonenſis, Velleji Paterculi avus; qui cùm poſt mortem Pompeii Bruto adhæſiſſet, illius quoque præfectus fabrûm: eô victô in Italiam rediit, ac demum bellô Peruſinô ſibi manus attulit. *Cicero*, *Cæſar*, Patercul. *l.* 2. *c.* 115.

MAGIUS Decius, cujus mentio apud Liv., Campanus fuit. Hic enim *l.* 23. ubi convivium narrat Campanum, ob conſtantem Perollæ in Romanos fidem & cogitatum in Hannibalem facinus, celebre, inter alia ait, *c.* 8. *Diverſatus eſt apud Minios Celeres*, *Stenium Pacullumque inclytos nobilitate ac divitiis. Eò Pacuvius Calavius*, *de quo antè dictum eſt*, *princeps factionis ejus*, *quæ attraxerat rem ad Pœnos*, *filium juvenem adduxit*: *abſtractumque ab ſe à Decii ait latere*. Ubi primò pro *Minios* & *Pacullumque*, omnes boni libri habent conſtanter, *Ninnios*, & *Pacuviumque*. Dein *traxerat*, pro *attraxerat*, legendum varia ſuadent. Nec verò quid τὸ *ait* hîc faciat, magnopere habet, quum minimè appareat, ullam obliquam Pacuvii orationem referri. Subvenit commodè Puteanæus: *abſtractum abſdecimagit latere*. Unde elicit Gronovius, *abſtractum abs Decii Magii latere*. Prope ſcopum jaculatur Valla, *à ſueto Decii Magii latere*. Idem nomen reddendum Silio Italico *l.* 4. *v.* 185.

Tum Remulum atque olim celeberrima nomina bello
Tiburtes Magios, *Hiſpellatemque Metaurumque*
Et Damum.

Ita namque MS. Oxonienſis & Romana vetuſtiſſima editio. Vulgò ſine ſale, *magnos*: quô tangi hiſtoriam trium Fratrum Tiburti, Coræ (non enim Coracis) Catilli, quod hic adnotârunt, non videtur. At voluit Silius, fratres aut gentiles *Magios* Tibure, & præterea tres, quorum nomina ſequuntur, à Chryxo interfectos. Vide Joh. Frider. Gronov. *Obſervat. l.* 4. *cap.* 4.

MAGIUS Hieronymus, Anglarâ, vulgò *Anghiari*, oppidô Hetruriæ, inter Aretinam urbem & Tiberim ſitô, oriundus, Robortelli Bononiæ auditor in Humanioribus; Philoſophiæ dein, Mathematicis artibus, & Juri ſe totum dedit. Juvenis apud Florentinos Legati munus cum laude ſuſtinuit. Turcis dein Cyprum invadentibus, Venetæ Reipub. muniendarum arcium urbiumque callentiſſimus, egregiam operam navavit, ſub Ant. Bragadino Judicis officio functus. Captus tandem, Famaguſtâ expugnatâ & in ſervitutem diriſſimam abreptus, ab immiti domino noctu d. 17. Maj. A. C. 1572. ſtrangulatus eſt; poſtquam is de captivi liberatione à Legato Franciæ Regis agi ſenſiſſet. Edidit complura ingenii ac eruditionis ſuæ multijugæ monumenta: quorum Elenchus exhibetur à Godofr. Jungermanno præf. in librum ejus poſtumum *de Equuleo*. Sed & Opera ejus tum edita, tum publico ab auctore promiſſa, enarrat Teiſſier *Elog. Part.* 1. Vide quoque Barthium Adverſ. *l.* 50. *c.* 1. Raph. Trichetum, Car. du Freſne *de Rer. Ital. Scriptor.* & ſuprà voce *Hieronymus*.

MAGLANA, Britanniæ inſul. oppid. *Lib. Notit. Maclenith Camdeno.*

MAGLIANUM, vulgò MAGLIANO, urbs parva, Sabinæ primaria, in ditione Pontificis prope Tiberim. *Manliana* quibuſdam. Ejus Epiſcopatus unus eſt ex 6. antiquioribus Cardinalib. & Sabinenſis dicitur. In colle, 4. milliar. ſupra Civitatem Caſtellanam in Cæciam 20. circiter Româ in Boream.

MAGLONA, urbs Comitatus Mongomericenſis in Wallia, Angliæ provinc. *Machleneth Camdeno.*

MAGMENTUM, vox Sacra apud veteres Romanos. Arnobius *l.* 7. *adv. Gentes. Non magmenta*, *non augmina*, *non mille ſpecies vel farciminum vel fitillarum*, *quibus nomina indidiſtis obſcura*, *vulgoque ut eſſent auguſtiora*, *feciſtis*. Quaſi *majus augmentum*, ut infrà videbimus voce *Proſicia*, ubi plura in hanc rem. *Dapem* interpretatur Scaliger *ad Varron. quæ profanabatur à ruſticis*, *Jano*, *Sylvano*, *Marti Jovi dapali*. Vetus Inſcr.

SI. QUIS. HIC. HOSTIA. SACRUM. FAXIT.
QUOD. MAGMENTUM. NE. PROTOLLET.
JDCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTUM ESTO.

apud G. Elmenhorſt ad *Arnobii locum*. Vide Turnebum *Adverſar. l.* 22. *c.* 6.

MAGNA, inſula Libyca. Vide *Steph.*

MAGNA Charta, auguſtiſſimum Anglicanarum libertatum diploma & ſacra anchora, condita annô 9. Henrici III. & confirmata denuo annis 25. & 28. Eduardi I. Prima eſt inter Regni conſtitutiones, & Erythrea id eſt ſanguinea, *Spelmanno*, quòd multo majorum cruore conſervata ſit: *Magna* ab amplitudine, eſt enim Chartâ Foreſtæ major; dicitur. Prima ejus fabrica emanavit ab Henrico I. qui pleraque ejus capitula, vel ſpecialiter in diſtinctis articulis, vel generaliter ſub confirmatione legum Eduardi Confeſſoris ſpontaneâ voluntate, tum Eccleſiæ Anglicanæ, tum Magnatibus Regni conceſſit. Imò & altius quidam ejus originem, ab ipſo nempe Guilielmo I. repetunt, qui legem Eduardi Confeſſoris cum quibuſdam auctionibus ratione juris feudalis, (quod ipſe primus Anglis impoſuit, cumulatius Guil. Junior auxit, & cohibere in multis dignatus eſt Henricus I.) in ſingulis obſervandam conceſſit. Hanc novarum conſuetudinum abrogationem ab Henrico I. factam, confirmârunt Succeſſores Stephanus, Henricus II. Richardus I. qui bonarum legum obſervantiam juravit, ut & Johan. ſub initium regni. Sed tertiô annô orta inter Regem & Innocentium Papam graviſſimâ diſceptatione, circa electionem Archiepiſcopi Cantuarienſis, quem hic inconſultô Rege, contra jus regni, intruſerat, Rex Monachos Cantuarienſes in exilium miſit, eorumque terras fiſco aſcripſit. Sed excommunicatione quinquennali, & Philippi Francorum Regis viribus territus, ſe & regna ſua in Papæ credidit patrocinium, coronam ſupplex tradens Legato ejus Pandolfo: ſimulque juravit commiſſorum omnium redintegrationem & legum Eduardi Confeſſoris obſervantiam, conceſſô inſuper Papæ cenſu annuô 700. marcarum ſterling. pro regno Angliæ, & 300. pro Hibernia. Verùm dum, circa legum prædictarum obſervantiam, tergiverſatur, Proceres d. 14. Kal. Nov. A. C. 1214. velut orationis gratiâ ad Monaſter. S. Edmundi Burienſis coëuntes, Chartam Henrici I. propugnare jurant, exercituque coactô, quem *Dei & S. Eccleſiæ* nominant, Regem à ſuis deſertum eò adigunt, ut petitis ſatisfiat: electis 25. Nomophylacibus, qui libertatum tuerentur caſtitatem, Regemque vacillantem brachiô cohiberent populari. Cujus pacti cùm brevi Regem pœniteret, Barones ab Innocentio III. nequicquam excommunicati, ad Papam id non ſpectare aſſerunt, ſibique Regem eligunt Ludovicum fil. Franciæ Regis, unde inteſtina bella, cædes, incendia, funeſta omnia. Mox ſequente annô, mortuô Johanne, filium ejus Henricum III. ſibi præficiunt Regem, exutô Ludovicô: qui in coronatione ſua de more bonas leges jurans, libertates petitas denuo conceſſit, annô Regni 9. & cùm biennio pôſt nutare videretur, à Baronibus acriter inſtantibus permotus, illas confirmavit, ſanctiùs in poſterum ſervandas. Quibus cùm tarda eſſet fides, Barones in Parlamento Londinenſi A. C. 1244. multa ad Chartarum roborationem, ſed fruſtra, petierunt. At novâ preſſus egeſtate, A. C. 1253. regni ſui 37. ad novam Rex acceſſit pactionem, rurſuſque Charta confirmata eſt, cum ana-

themate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

themate formidabili, quod Innocentius IV. rogatus bullâ roboravit; additis etiam de ſuo aliquibus ad terrorem. Verùm annô proximô Rex, cùm ſe & regnum, ſub pœna exhæredationis, Papæ obligaret, ad pecuniæ ſolutionem, quam in bello Siculo foret expenſurus, cauſâ ſuâ, à conventis iterum diſceſſit: Iterumque A. C. 1258. regni 42. unà cum Eduardo filio ſuo de novo, ſeu telis victus Eccleſiæ, ſeu pertinaciâ Procerum territus, Chartarum juravit obſervantiam, & 24. prudentium virorum conſilio ſe commendavit. Vix elapſô autem bienniô Rex ab Urbano Papâ vinculô juramenti ſolutus eſt, hinc novæ turbæ, bellum, captivitas Regis & filii: ſed filius brevi elapſus Proceres fundit Patremque & regiam dignitatem liberat, A. C. 1265. Actum cùm videretur de libertatibus, Rex ſponte, præter omnium ſpem, Chartas in toto regno tenendas ſtatuit: quod Eduardus I. patre mortuô, Anglorum *Juſtinianus* dictus, æternô robore ſtabilivit, annô regni ſui 25. & Parlamentariâ auctoritate confirmavit, additâ inſigni coronide, quam *Articulos ſuper Chartas* appellant. Electi tum è militibus cujuſque Comitatus per Comitatenſes in foro Comitatus ſunt 3. Juſtitiarii, qui diplomate fulti Regiô, de delictis cognoſcerent contra Chartas, eaſdemque ſartas tectas conſervarent. Poſt varios caſus & tot diſcrimina rerum, emicuêre ſic tandem ſacræ hæ Chartæ libertatum Angliæ, plenô vigore: atque eô ſupra à ſuccedentibus Regibus confirmatæ ſunt: decimâ quartâ ſcil. vice ſolo ſub Eduardo III. Et uberius demum ſub divo Jacobo: verba Henr. Spelmanni *Gloſſario Archæol.*

MAGNA Dies, apud Joannem *c.* 19. *v.* 31. ubi de Paraſceve, Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου, *Erat enim magna dies illius Sabbathi*; nihil aliud quàm *Feſtum* notat: non verò prærogativam aliquam Paraſceves præ reliquis neceſſariô infert, ut quidam contendunt. Apud Judæos enim nullum feſtum, in quod non quadret hoc nomen. Joh. *c.* 7. *v.* 37. *magna dies feſti*, vocatur ultima Scenopegiæ, Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς, &c. quæ tamen ſupra primam nihil habuit. Eſaiæ *c.* 1. *v.* 13. pro eo, quod in Hebræo eſt. *Novilunium & Sabbatum & ſolennem convocationem non feram.* Græci habent, τὰς νεομηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα καὶ ἡμέραν μεγάλην οὐκ ἀνέχομαι. E qua verſione, pro *magna*, haberi debet quæcunque dies, ſacris cætibus convocandis deſtinata. Proinde ad illum locum *Procopius*, magnam diem appellari aſſerit πᾶσαν τὴν ἐν τῷ νόμῳ καλουμένην κλητήν· οἷα ἡ πρώτη καὶ ἑβδόμη τῶν ἀζύμων καὶ ἡ τῆς πεντηκοστῆς, καὶ ἡ δεκάτη τοῦ μηνὸς, καὶ πᾶσαι ἁπλῶς ἐπίσημοι ἑορταὶ, *diem quamlibet in Lege* κλητὴν (a populi convocatione) *dictam, quales azymorum prima & ſeptima, & pentecoſte, & decima menſis* (Tiſri) *& uno verbô feſta quævis ſolennia.* Quô pactô nullum eſt Sabbathum, quod appellari ſic non poſſit; imprimis, ſi in aliquem Azymorum diem incidat, ad quorum celebrationem Hieroſolymam undequaque omnes Judæi confluebant. Hodie tamen שבת הגדול. *Sabbatum magnum*, Judæi nominant, non quod in Paſchales dies incidit, ſed quod illos proximè præcedit, cujus appellationis ratio fabuloſa eſt, in *Synagoga* Buxtorfii *c.* 12. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 50. De *Magnis* verò in Gallia *Diebus*, vide ſuprà in *Dies.*

MAGNA Græcia, regio fuit ampla Italiæ, aliàs Apuliam utramque Meſſapiam ſeu Calabriam Lucaniamque cum Brutiis continens. Poſtea conſtitit in Lucania & Brutiis, quanquam multi ei etiam addant Meſſapiam, ubi Calabri & Salentini. Ibi nunc Calabria citerior & ulterior Baſilicata, cum parte Auſtrali Principatus citerioris, quibus adjunguntur Terra Hydruntina à quibuſdam in regno Neapolitano. De hac veteres Auctores ita: Strabo *l.* 6. *Græci magnam Italiæ partam occupârunt & in tantum crevit eorum potentia*, ὥστε τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν, *ut hanc regionem & Siciliam vocarent magnam Græciam. Feſtus Pompej. Italiam* tantùm eo nomine intelligit, *quòd in ea multæ magnæque fuerunt civitates, è Græcia profectæ.* Seneca *partem* Italiæ, *Totum* ſcil. *Italiæ latus, quod infero mari alluitur. Conſol. ad Helv.* Servius *in Æn. l.* 1. *v.* 573. magis explicatè: *Italia* Μεγάλη Ἑλλάς, id eſt, *Magna Græcia eſt appellata, quia à Tarento uſque ad Cumas, omnes civitates Græci condiderunt.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Magna Græcia* agens, urbes illius diſtinctè enumerat, & accuratè ediſſerit.

MAGNA Mater, vide *Cybele.*

MAGNA Villa, oppid. munitum Normanniæ, in ora littororali maris Britannici verſus Inſul. Cæſaream, à qua 7. leuc. in Auſtrum diſtat, uti 6. à Conſtantia. 5. à monte S. Michaëlis in Septentrionen. *Grandisvilla* quibuſd. *Granville* Gall.

MAGNÆ, vide MAGÆ.

MAGNATA, urbs Hiberniæ. Populi *Magnates.*

MAGNENTIUS, natione Barbarus, Roman. Imperat. ah. Urb. Cond. 1103. Coronam Auguſtoduni, in Galliâ, arripuit, A. C. 350. Conſtantemque Imperat. in Ruſcinonenſi Comitatu interfici juſſit. Dein Africâ, Italiâ & Galliâ potitus, uſque in Noricum & Pannoniam poteſtatis ſuæ limites extendit. Per ſuos, Româ captâ, Nepotianum, Imperatorem ſalutatum, ſuſtulit, rerumque ſucceſſu ebrius, Conſtantio Imperat. inſultavit. Expugnatâ poſt hæc & ſolo æquatâ Siſciâ, omnibuſque ad Savum locis direptis, prope Murſam in Pannonia victus eſt, A. C. 351. à Conſtantio, qui florem ibi militum perdidit. Victus Aquilejam primò conceſſit, inde ut & totâ reliquâ Italiâ pulſus, in Alpibus Cottiis tertiâ clade acceptâ Lugdunum aufugit. Deinde in furorem converſus, Deſiderium fratrem vulneravit, Matrem, quæ pro vate habebatur, quoſdamque amicos interfecit, tandem verò ſe gladiô confodit, A. C. 353. regni 3. Tripart. Hiſt. *l.* 5. *c.* 10. Frater Decentius, Cæſar creatus, in Senonibus ſeipſum ſtrangulavit. Aur. Victor. *in epit.* Eutrop. *Hiſtor.* Hieron. Idacius & Marcellin. *in Chron.* Julian. *Orat.* 1. & 2. Socr. *l.* 2. *c.* 10. *& ſeqq.* Sozom. *l.* 4. *c.* 1. *& ſeqq.* Zoſimus. *l.* 2.

MAGNES, pater Glaphyræ, conditoris Glaphyrarum urbis Theſſaliæ *Steph.*

MAGNES, Athenienſis Comicus antiquæ Comœdiæ, tempore Epicharmi, docuit fabulas 9. vicit bis. Vide Scholiaſt. *in Equit. Ariſtoph.*

MAGNES, Smyrnæus puer præ cæteris mortalibus formoſus, poëticâ inſuper & Muſicâ ornatus, coronâ inſignis aureâ, ac habitu molliore indutus civitates obibat, multis dilectus, præſertim Gygi Lydorum regi. Parentes autem probrum hujuſmodi peroſi, captâ occaſione comam ejus inciderunt, & veſtem, ornatumque omnem laceraverunt. Quare perturbatus Gyges in Magneſios bellum movit, quibus tandem ſuperatis revertens, Sardibus Panegyricum celebravit magnificentiſſimum. *Suidas.*

MAGNES Demetrius, vide *Demetrius.*

MAGNES, ſubtilium cos ingeniorum, prodigium Naturæ, mirabilium thaumaturgus, reconditæ virtutis inſcrutabilis labyrinthus, lapis eſt, qui quoad exteriorem ſpeciem nil neque ſplendoris, neque pulchritudinis habet, tam eximiâ interim virtute præditus eſt, ut nulli lapidum ſpeciei ſecundus habendus ſit, nec ullus humano generi tantum utilitatis præbeat. Hic enim ſolus navigationes dirigit, hic ſolus in aëre magnas moles, ſine ullo alio fulcro, ſuſpendit, aliaque præſtat, quæ planè in ſtuporem dare etiam emunctioris naris homines apta ſunt. Ut de uſu ejus in navigationibus jam nil dicam, quod fiet paulò infrà. De corona Regis Ammonitarum, à Davide ſuperati, refert Kimchius, in eo *magnetem* fuiſſe, quo in aëre detinebatur, ad 2 Sam. *c.* 12. *v.* 30. Simile quid de vitulo Jeroboami legitur in *Sanhedrim c.* 11. Quæ ſi à ſubleſtæ fidei Auctoribus profecta dicas, eôdem lapide Dinocratem Architectum Alexandriæ Arſinoës Templum concamerare inchoaviſſe, ut in eo ſimulachrum ejus è ferro in aëre pendere videretur, teſtatur Plinius *l.* 34. *c.* 14. Quod idem de ſepulchro Mahometis diu creditum; quam tamen fabulam hodie multi refellunt, inter quos Vartomannus eminet, *Navigat. l.* 1. *c.* 30. apud Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 7. Sed nemo meliùs admirandam lapidis hujus indolem deſcripſit, Kirchero *Op. de Arte Magnetica*: de quo vide ſuprà in voce *Ars*: qui & machinis, quæ hodieque in Muſæo ejus conſpiciuntur, virtutes ejus clariſſimè ſpectantium oculis ſubjicit: Inter quas eminent, *Ara Magnetica*, *Architæ columba*, *Cymba Magnete animata*, *Horologium mirificum*, *Typhis Magneticus* & *Vaticinatrix Statua*, de quibus hîc paſſim vides; plura autem hanc in rem exhibet Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo c.* 14. Dictus autem *Magnes*, non tam à *Magnete* quodam inventore, quàm à patria *Magneſia*: appellatione poſtmodum ſatiùs extenſâ ad omnem hujus generis lapidem, quamvis patriam non haberet prædictam. Sic occurrit *Magnes Æthiopicus, Indicus, &c.* Sed & duo *Magnetes* ſunt diverſiſſimi generis; nempè unus, qui ferrum trahit, *Magnes* abſolutè, item *Heraclius Lapis* Veterib. dictus; & Μαγνῆτις λίθος, qui colorem argenti habens, tornabatur olim in vaſcula, de quo utroque vide accuratè diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1102 *& ſeqq.* Adde quæ hîc de *Heraclio* item *Lydio lapide* diximus, nec non in voce *Sideritis.* Cæterùm, in re nautica hodie maximi uſûs. Perpetuò enim index magneticus lineam meridianam, eoque plagam Septentrionalem ſemper monſtrat, quamvis alicubi cum aliqua variatione ſeu declinatione, quam *Chalyboclìſin* vocant, primùm Sebaſtiano Cabotto obſervatam. Utiliſſimæ hujus proprietatis *magneticæ* inventio communi ſuffragiô Johanni Gojæ (alii Flavium Giram vocant) Amalphitano defertur, circa A. C. 1300. Ad minimum, in vulgus, ante illum, arcanum hoc non fuit notum. Memorabile enim eſt, Poëtam Gallum, nomine *Gujot de Provines*, jam circa A. C. 1200. pyxidis nauticæ mentionem feciſſe, verbis, poſtquam de Polo Arctico locutus fuerat, ſequentibus:

> *Icelle eſtoile ne ſe muet,*
> *Un art font, qui mentir ne puet,*
> *Par vertu de la marinette,*
> *Une pierre laide & noirette,*
> *Où le fer volontiers ſe joint.*

Vide Athanaſ. Kircher. *de Arte Magnetica*, *Gaſſendum*, &c. nec non lemmate, *Pyxis nautica.*

MAGNES Æolius, in eodem *Muſæo*, piſcis eſt volans, qui flantem ventum intra cubiculi laquearia deſignat. Vide ſuprà *Hirundo Marina*

MAGNESIA, urbs Aſiæ, in Ioniâ, teſte Pliniô, *l.* 5. *c.* 29. vel in Cariâ apud Mæandrum fluv. & Thoracem montem, teſte *Diodorô*, media inter Epheſum & Tralles. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Epheſino. 30. mill. paſſ. ab Epheſo in Ortum, 25. à Tralle in Auſtrum, 80. à Smyrna in Euripum prope à Via. 1. aut alterô milliari à Mæandro fluv. *Baudr.* Hic Themiſtocles Athenienſis patriâ pulſus interiit, cùm rex Perſarum hanc ei urbem in panem donô dediſſet, & hîc Antiochus à Scipione victus eſt. Andronicus quoque Imperat. cum Turcis infeliciter ibidem pugnavit. A. C. 1303. Mahometes quoque à Patre Amurathe, ob indicia crudelitatis, huc relegatus eſt, A. C. 1590. vulgò *Mangreſia.* Item *Magneſia* altera urbs Lydiæ ad Sipylum montem proxima Sardibus. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Lyſtrenſi, *Maniſſa Leunclavio.* Item regio Macedoniæ inter Pieriam ad Boream & Theſſaliam, in Auſtrum in orâ maris Ægæi ad Ortum *Baudr.* provinc. eſt Theſſaliæ in Macedonia inter Sinum Thermaicum ad Boream & Pelaſgicum ad Meridiem. Ab Occaſu habuit Phthiotidem & Pelaſgiotidem, à Borea Pieriam, ad Peneum. Hîc Pelion mons, Oſſa, Olympus, Tempe Theſſalica. Ibidem ad Ortum *Magneſia* promontor. quibuſdam *Capo di S. Georgio. Brieti. Capo Verlichi, Sophiano* Populi *Magnetes.* Ovid. *Met.* 11.

> ——— *Conſiſtere Pelea terrâ*
> *Fata ſinunt: Magnetas adit vagus exul, &c.*

Hinc *Magneſius*, & *Magneſſus.* Horat. *l.* 3. *Od.* 7.

Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens.

Hi, violatô Numine, tot malis, teſte Strab. *l.* 13. afflicti ſunt, ut à Mileſiis prorſus deleti adagio locum fecerint, *magnetum mala*, de malis ingentibus. *Suidas Nic. Loyd.* Nummi, in quo Philippus fil. Apollinem ſedentem referens, cum Inſcrip. ΕΠΙ, ϹΤΡ. ΑΥΡ. ΤΑΤΙΑΝΟΥ Β. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥ. cuſi à Magnetibus, meminit Sponius *Itin. Græc. Part.* 3. *p.* 188.

MAGNESIA, ſive Concluſiones experimentales de effectibus Magnetis, nomen libri ab Athan. Kirchero in lucem emiſſi: editi Herbipoli A. C. 1620. *in quarto.*

MAGNETICO-HYDRAULICA machina, horas in univerſo Mundo exhibens, ut & horas Aſtronomicas, Italicas, Babylonicas & antiquas, in *Muſæo* Kircheriano, memoratur *p.* 2.

MAGNETICUM Naturæ Regnum, ſive *de triplici Magnete* liber, Auctore Athan. Kircherô, prodiit *in quarto* Romæ A. C. 1666. recuſus Amſtelodami *in duodec.*

MAGNETICUS Typhis, vide infra *Typhis.*

MAGNI Albi cum Corona, *Grans Blans à la Couronne*, nomen monetæ ſub Ludovico XI. & Carolo VIII. Gall. Regibus cuſæ. Crucem præferunt pedatam, cum 2. liliis & 2. coronis, inter crucis brachia: in averſa parte, ſcutum eſt cum 3. liliis inter totidem coronulas. Inſcr. LUDOVICUS, ſeu KAROLUS FRANCOR. REX. pond. 2. den. 5. gran. legis 4. den. 12. gran. pretii 11. den. Sub eodem Ludovico prodierunt *Magni Albi cum Sole*, vulgò *Grans Blans au Soleil*, cum cruce pedata in quadruplici circino & inſcr. SIT NOMEN &c. in poſtica verò, tribus liliis triplici circino incluſis & Sole in ſuperiori parte, ubi inſcr. LUDOVICUS FRANCOR. REX. pond. 2. den. 10. gran. legis 4. den. 12. gran. pretii 13. den. Turonenſ. Quam ob cauſam poſtmodum Trezeni, *Trezains* dicti ſunt. Sub Ludovico verò XII. cuſi ſunt *Magni Albi cum Hiſtrice*, Gall. *Grans Blans au Porc-Eſpic*, dicti *Ludovicus*, cum cruce inter duo lilia, & Inſcr. SIT NOMEN &c. in averſa parte, cum ſcuto & 3. liliis coronato atque ab hiſtrice ſuſtentato. Inſcr. habet, LUDOVICUS FRANCOR. REX. pond. 2. den. legis 4. den. 12. gran. De quibus omnibus V. Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Moneta*, ubi typos horum nummorum exhibet.

MAGNI Ludi, vide ſuprà *Ludus.*

MAGNIANA, oppid. Panoniæ ſuperior. in Hungaria. *Zika*, teſte *Lazio.*

MAGNIFICAT, ſecundum eſt ex tribus Euangelicis Canticis, quæ in Eccleſia Romana in pſalmodia recitantur. Cùm enim Canticorum horum X. ſint, ſeptem eorum ex antiquo Teſtam. depromta & per 7. hebdomadis dies ad *Laudes* diſtributa ſunt: reliqua tria ex Euangelio deſumta; quorum primum, *Benedictus Dominus*, etiam dicitur in Matutinalibus Laudibus; ſecundum *Magnificat*, cantatur ad Veſperas, quæ, utpote feſtivitatis initium, nobiliores ſunt laudibus, &c. Dicunt autem hoc Canticum tum, quia veſperarum tempore, perveniente ad Eliſabethæ domum B. Mariâ Virgine, fuerit compoſitum. Benzo *in Magnificat c.* 20. *l.* 1. apud Macro: Fratres *in Hierolexico.*

MAGNIFICI, dicti olim Præfecti prætorio, Magiſtri militum, Magiſtri officiorum, Magiſtri inter agentes, Quæſtores, Comites Domeſticorum, *l.* 16. *Cod. de teſt. mil. l. ult, C. ubi Sen. l.* 33. *C. de appell. §. ad iſtum, &c.* Sed & *Magnificentiſſimus*, ab Imperat. Exquæſtor appellatur, *in Auth. ut divina juſſ. &c.* Vide Joann. Calvin. *Lexic. Jurid.* At ſequentibus temporibus, *Magnificentia*, titulus fuit honorarius, ipſis Regibus tribui ſolitus. Vide *Epiſtolas Childeberti Hiſtor. Francic. Tom. I. p.* 809. *Ep.* 60. Nicolai I. Pontific. & plura hanc in rem, apud Briſſonium *de Formulis p.* 355. de quibus infrà. Hodie *Magnificus*, it. *Magnificentiſſimus*, tituli ſunt Rectorum Academicorum.

MAGNILOCENSE cœnobium *Manlieu*, vicus Galliæ Aquitanicæ cùm monaſterio, in Arvernorum finibus.

MAGNITUDO, titulus itidem honorarius Regum aliorumque, apud Ennodium *l*, 1. *Ep.* 4. Marculfum *l.* 1. *&c.* Car. du Freſne *Gloſſ.*

MAGNOPOLIS, olim *Eupatoria*, urbs Paphlagoniæ exciſa; Mithridatis regia, poſtea *Pompejopolis*, ſic à Pompejo, qui Mithridatem vicit, dicta. Item urbs Germaniæ, vulgò *Meckelburg: Megalopolis* quoque & *Megapolis.* Olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bremenſi, Ducatuſque caput: nunc caſtrum tenue Ducatus cognominis, vix 3. mill. paſſ. à Wiſmaria in Meridiem Suerinum, ſede nunc Epiſcopali decorum, verſus, à quo 12. mill. diſtat. Vide *Megapolis.*

MAGNUM Littus, nunc *Arquico*, portus & urbs Abexiæ, in ora ſinus Arabici, contra Macariam Inſul. aliàs ſub Abyſſinis. Multis *Ercoco* dicitur.

MAGNUM Myſterium, μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Incarnatio Domini noſtri vòcatur, 1 Tim. *c.* 3. *v.* 16. h. e. μέγιστον, *maximum*, ut Theophylactus exponit: alluſione ad ritus Gentilium, ubi non Numina tantùm quædam μεγάλα dicta, ſeu *magni Dii*, & in ipſa Epheſo μεγάλη Ἄρτεμις, *magna Diana*, Actor. *c.* 19. *v.* 27. Athenis, Ceres & Proſerpina, μεγάλαι Θεαὶ, magnæ Deæ; verùm etiam varia Sacra ſolennia: *majora* vocata, μεγάλα ἱερὰ, ut apud Lucian *initio de Dea Syra*: Ita feſta Liberalia, ſeu Dionyſia Athenis *majora* quædam appellata, quæ & Antheſteria & antiquiora è tribus, de quibus vide Thucididem *l.* 2. Panathænea ibidem: Dædala etiam apud Bæotios, alia μεγάλα, alia μικρὰ, fuêre, teſte Pauſaniâ *in Bæoticis.* Eleuſinia inprimis μυστήρια μεγάλα fuêre, utpote quæ maxima in toto Orbe habita ſunt. Imò horum ipſorum quædam μεγάλα, *magna* ſeu *majora* quæ & μεγάλαι νύκτες, *magnæ noctes*: alia μικρά, *minora*, Agræ videl. & Alimunte: quæ inter ſe non parùm differebant. Inter alia, illis initiari antiquitùs peregrinis fas non fuit, his licuit: illa Cereri propriè dicata erant, hæc Proſerpinæ: in illis plenè initiari mos fuit, ſeu δευτέρα μυήσει de omnibus edoceri, apud Clem. *l.* 6. *Strom.* unde ἐπόπται & ἔφοροι, in his ad majorum perceptionem præparari ſaltem, qui proin μύσται, & ſacra hæc προτέλεια vocitata. Tempore in ſuper differebant &c. Quia itaque doctrina de Incarnatione non modo fictitiis omnibus religionibus falſiſque myſteriis major certiorque eſt, utpotè quum de vero Deo ſit, qui eſt μέγας θεὸς, Tit. *c.* 2. *v.* 13. ſed & in ea tota juſtaque & abſoluta conſiſtit religio, ac cognitio pietatis, indeque ſalutis noſtræ. & quidem myſterium eſt omnibus gentibus, atque adeò etiam ξένοις, propoſitum, quod, quum antea veluti minoribus myſteriis adumbratum fuiſſet, ſuô tempore pleniſſimè revelatum eſt: ſicut omnes Chriſtiani ſint jam non nudi tantùm ἐπόπται, *ſpectatores*, ſed & ἱερεῖς *ſacerdotes*, meritò μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον Apoſtolô dicitur. Vide Cl. Gothofredum *Exercitatione II. quæ eſt de Incarnatione Chriſti*, & ex eo Cl. Suicerum *Theſauro Eccleſ.* voce Μυστήριον.

MAGNUM Promontorium, quod & *Olyſſipponenſe* Plinio *l.* 4. *c.* 21. ſeu *Luna*, dicitur, Luſitaniæ promontorium apud oſtia Tagi. Vulgò *Cabo de Caſcais*, nunc *Capo de la Reca*, 6. leuc. ab Ulyſſippone in Occaſum 1: ab arce *Caſcais. Baudr.* Item promontorium Mauritænia Cæſarienſis. *Ptol. Capo de One*, teſte *Marmoliô.* Item aliud Siciliæ, Arabiæ Felicis, Æthiopiæ ad ſinum Barbaricum, & aliud ad oſtium Gangis. *Ptol.*

MAGNUS I. Norvegiæ Rex fil. S. Olaci, cui ſucceſſit 9, ut & Canuto III. Dania Regi, A. C. 1045. per ann. 4. Eum in Norvegia Araldus vel Ervoldus excepit. Cujus fil.

MAGNUS II. ab A. C. 1070. regnavit per ann. 28.

MAGNUS III. fil. hujus nothus ſucceſſit, cumque regnô ceſſiſſet, poſtmodùm rediit.

MAGNUS IV. regnavit ann. 52. ab A. C. 1180.

MAGNUS V. fil. Erici, Sueciæ quoque Rex fuit, A. C. 1315 pater Aquini III. &

MAGNI VI. qui ſimiliter Sueciæ Rex fuit. Fuit etiam hoc nomen Ducis Sleſvicenſis & Holſat. Item Ducum Brunſvicenſium & Luneburg. &c. Vide infrà.

MAGNUS, fil. ſecundogenitus Chriſtiani III. Daniæ Regis, Friderico fratri tertiâ parte Holſatiæ ceſſit, acceptis, quas Rex ab Epiſcopo Johanne Munchauſio emerat, Oſilienſi & Curonienſi diœceſibus, quibus poſtea jus in provinc. Revalienſi, à Mauritio Wrangelio Epiſcopo conceſſum adjecit. Sed cùm ſuperbè & impotenter ſe gereret, turbatum. Ad Moſcos itaque ſe confert *Magnus* A. C. 1570. obtinetque à M. Duce, ut Livoniæ Rex renuntiaretur: Hinc Revaliam obſidet, ſed pace mox ſequutâ recedit. Poſtea ſobrinâ Czaris Mariâ interea ductà, iterum in Livoniam à Moſco miſſus, plurimos in ſuos partes pertraxit, ſed Rigâ gratis obſeſſâ, ipſe à Moſco, verbere etiam in os ingeſto, duriter exceptus, in Curionenſem ſuam diœceſin ſeceſſit, ubi obiit improlis A. C. 1583. Vide Thuan. *l.* 79.

MAGNUS I. cognomine *Pius* vel *Senior*, fil. Alberti Pinguis, Ducis Brunſuicenſis; à conjuge Sophia Brandeburgenſ. Sangershuſium & Landſpergam ſuis ditionibus jungenda accepit. Pater fuit Alberti Archiepiſcopi Bremenſis, Ludovici ac *Magni* junioris.

MAGMUS II. cognomentô *Junior*, fil. prioris, à torque argenteo *Torquatus* dictus, adverſus Duces Saxoniæ inferioris hæreditatem Wilhelmi Lunæburgici ſibi aſſerentes, cum fratre Ludovico bellum geſſit: quod tandem in nuptias filiorum *Magni*, cum duabus Saxonicis deſiit. Poſteà à Megapolitanis victus, à Lunæburgenſibus rejectus, tandem A. C. 1373. in duello, quo Ottonem Comitem Schavvenburgicum ſtraverat, eique lapſo necem adhuc intentabat, à gregario milite confoſſus eſt. Pater Friderici, qui locô Wenceſlai Imperat. ad Imperiale faſtigium electus eſt, Ottonis Archiepiſcopi Bremenſis, & Bernardi ac Henrici, quorum ille Lunæburgicam, hic Brunſuicenſem lineam propagavit.

MAGNUS, fil. Friderici Duci Ducis Wirtembergici, poſt varia itinera, militarem ſectatus vitam, Venetis primò, dein Unioni ſerviit, præliô ad Wimpinam A. C. 1622. miſerè confoſſus. Ei Neopyrgum habitandum aſſignatum fuerat: obiit improlis.

MAGNUS, Conſul, collega Apollonii, an. Urb. Cond. 1213.

MAGNUS Dionyſius, vide *Dionyſius.*

MAGNUS Jacobus, vide *Jacobus.*

MAGNUS Johannes, Archiepiſcop. Upſaliæ, Lincopiâ oriundus, tempore Guſtavi I. Euangelium, cum toto regno, amplexi. Scripſit Hiſtoriam Sueciæ libris 24. & ſeriem Præſulum Upſalienſium, uſque ad A. C. 1544. quô obiit. Ei ſucceſſit Olaus frater, qui Concilio Tridentino interfuit, A. C. 1546. Auctor libri de Moribus, Conſuetudinibus & bellis populorum Septentrionalium, quibus non rarò fabulas immiſcet.

MAGNUS, Monachus, ſub Henrico VI. Imperat. auctor Chronici, quod Johan. Aventin. ſequutus eſt. *l.* 6. Annal Bojorum. Opmer. *in. Chron. p.* 488. Quenſtedt. *de patriis doct. viror. p.* 251. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 54.

MAGNUS, Latinis inferioris ævi, non rarò pro *longo* & *procero*; unde Ludovicus X. Franciæ Rex, qui vulgo *Longus* cognominatus eſt, ſemper *Magnus* cognominatur in veterib. *Chartis.* Sed & Carolo I. Imperat. *Magni* nomen non aliunde inditum eſſe, teſtatur apud Car. du Freſne Egidius Pariſienſis *MS. Carolini l.* 1. ubi de Stephano Pontif.

Auguſti quarta Nonarum luce coire
Concilium fecit, ad quod cum conjuge Regem,
Et cum ſuſcepta de conjuge prole vocavit.
Tunc miſſam incipiens, quando conſedit ad aram,
Regificos cultus aptavit utrique Parenti,
Cum quibus impreſſo natorum crinibus auro
Inter utrumque duos chriſmavit vertice fratres,
Nominis ejuſdem, niſi quòd de fratribus alter
Dignoſcendus erat Carolus, cognomine Magni,

Cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Corporis ex habitu, meritus cognominis omen.
Qui bene Magnus *erat, quia ſicut corpore ſupra*
Iuius ætatis primævæ debita magnus,
Sic animô majorque fuit virtute futurus.
Jam tunc Magnus *erat cognomine, deinde futurus*
Magnus divitiis & famâ magnus & actis:
Præter quod ſolenne ſatis cognomen alius
Gratia quæ nulli plus affuit, addidit uſum
Nominis & Karolo fecêre Kariſmata nomen.

Quam eandem ob cauſam etiam *Karoli* nomen eidem Auguſto datum fuiſſe, contendit Anonymus Autor *de Nominibus Germanor.* Sed ita eum jam in Baptiſmo vocatum fuiſſe, docet præfatus Car. du Freſne *in Gloſſ.* Inter Herculis idem epitheta habes ſuprà.

MAGNUS campus, planities ampla Palæſtinæ, inter lacum Aſphaltitem, & Ginnabrim, pagus Samariæ.

MAGNUS Canon, feſtivitas Græcorum, feriâ quintâ primæ hebdomadis quadrageſimalis celebrari ſolita: ſic dicta, quòd cùm alii Canones 30. troparia contineant ad ſummum; hic 250. complectatur. Auctor Andreas Archiepiſcop. Cretenſis, qui ob compoſitum hunc Canonem, *Aliptæ* cognomen meruit. Vide Macros Fratres *in Dominica Orthodoxiæ*

MAGNUS Domeſticus, vide infrà *Megadomeſticus:* Item in voce *Syncellus.*

MAGNUS Dux, titulus olim Moſcoviæ Imperatorum, quô hodieque in legationibus ad Poloniæ Regem utuntur, apud alios Principes Tzari elogiô utentes, vide infrà *Moſcovia.* Sed & Μέγας Στρατηγὸς, ac Μέγας Δοὺξ glorioſa olim in Imperio Græco nomina, apud *Nicephorum Gregoram*, alioſque, qui poſtmodum *Magni* cognomine abrogatô, *Dux* ἁπλῶς appellari cœpit. Unde Laonic. Chalcondylas, Athenarum Ἡγεμόνα vocat, *l.* 4. quem Veteres ut in *Novellis* Juſtinianus notat, *Prætorem* dixêre. Vide Joan. Meurſii *Archontes l.* 1. *c.* 9. & infrà aliquid voce *Strategi.*

MAGNUS Locus, vicus fuit Galliæ, ad fluv. Duriam, in finibus Arvernorum, vulgò *Manlieu*, in quo Geneſius Arvernorum Epiſcop. *Magniloocenſe* Monaſterium exſtruxit. Fluvius autem Duria, vulgò *Dore* & *Doire* dictus, in Elaver effluit poſtquam præ cæteris Curvampetram *Corpiere* alluit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAGNUS Portus, geminus: unus Libyæ interioris in orâ occidentali maris Atlantici, *Porto Seren*, teſte *Caſtaldô.* Alter Albionis in orâ Angliæ Auſtrali contra Vectim inſulam. *Portſmouth Camdeno. Southampton Ortelio.*

MAGNUS Sinus, *Ptol.* pars eſt Oceani Indici, ubi nunc ſinus Cocinſinæ, inter Haynanum Inſul. ac Sinas ad Ortum, & regnum Cocinſinæ ad Occaſum *Sanſon.*

MAGO, hujus nominis plures fuiſſe conſtat. Primus rem ac diſciplinam Carthaginenſium auxit. Is ante bellum Punicum, ut *Livius*, & Trogus *l.* 18. *c.* 2. referunt cum 120. navibus bellô Tarentinô auxilio venit Romanis. ægrè ferens Italiam ab externis invadi, cui actæ à Senatu gratiæ, auxiliaque remiſſa. Duos moriens filios reliquit, Aſdrubalem, & Hamilcarem. Vide Juſtin. *l.* 18. & 19. Item *Mago* Annibalis frater, cauſa victoriæ apud Trebiam fuit, ſed apud Locros à Manlio clauſus ab Annibale liberatur. Livius quoque *l.* 30. *c.* 18. & 19. ſcribit, Magonem tum, cùm in Africam per legatos evocatus navigaret, apud Corſicam obiiſſe. *Mago* alius à Scipione capitur apud Carthaginem in Hiſpaniâ, Romamque per Lælium mittitur. *Mago* denique de Re Ruſticâ ſcripſit, quem Columella *l.* 1. *c.* 1. *ruſticationis parentem* vocat. Cujus 28. memorabilia volumina ex Senatuſconſulto in Latinum ſermonem converſa ſunt. Hujus meminit Servius, quem Virgilium in *Georgicis* imitatum ſcribit.

MAGO, Carthaginienſium dux, Olymp. 96. annô quartô, qui afflictas Pœnorum in Siciliâ res recreare affectans, & ſubjectis urbibus humaniter imperans, ac à Dionyſio hoſtiliter habitos benignè ſuſcipiens, & valida à Siculis aliiſque ſociis auxilia contrahens, primò amicos Dionyſii depopulatus eſt; dein cum Dionyſio congreſſus, pluribus octingentis amiſſis, in ſociam urbem Abacænum refugit.

MAGO, Carthaginenſium rex, dux contra Dionyſium ſuperiorem, cum ingentibus copiis in Siciliam miſſus Olymp. 99. annô ſecundô, cecidit in prœlio apud Cabala.

MAGO, Afer, in lingua Phœniciâ ſcripſit Geographiæ libros 29. quos Dionyſ. Uticenſis Græcè verſos Sextilio prætori miſit: Diophanes dein Bithynus, in libros 6. contractos Dejotaro Regi obtulit. Vide Plin. *l.* 23. Item, Medici nomen, qui diuturnâ peregrinatione defunctus, nil niſi toſtâ farinâ in cibum eſt uſus. Geſner. *Biblioth. Vander Linden, &c.*

MAGO, oppid. Balearis minoris. Mela *l.* 2. *c.* 7. *Mahon* hodiè, ſeu *porto Mahon*, portus ampliſſimus, cum oppidulo & arce S. Philippi, in parte Orientali à *Citadella* oppid. 15. milliar. in Ortum.

MAGOA, Perſidis oppidum prope Suſianam. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

MAGOG, filius Japhet, Gen. *c.* 10. *v.* 2. Vide Bochart. *Phaleg. pag.* 212. & 219. Ab hoc Scythæ genus ducunt, qui primùm *Magogi* dicti ſunt.

MAGON, Indiæ fluv. in Gangem effluens. Arrian. *in Indic.*

MAGONTIACUM, Tacito *l.* 4. *Hiſt. c.* 15. & *Amm. Marcell. Mocontiacum Ptol. Magontia Eutropio*, *Maguntia* poſterioribus, vulgò *Mentz*, urbs ampla Germaniæ ſuperioris Archiepiſcopalis ad Rhenum in Palatinatu, libera, media ferè inter Argentoratum ad Meridiem, & Coloniam Agrippinam ad Boream. Ejus Archiepiſcopus primum inter Imperii Electores locum tenet. Fabulantur illam à Moguntio Trojano, Hectoris filio, conditam. Hîc primum ars impreſſoria inventa traditur. Urbs recèns munita, Archiepiſcopalis eſt ab A. C. 745. & malè habita fuit à Frid. Ænobarbo Imperat. A. C. 1158. Sed reſtaurata ab Othone IV. & Academiâ aucta, A. C. 1482. ſita eſt ad Rhenum ubi Mœnum recipit. *Baudrando* Caput eſt ditionis cognominis, de qua infrà, una quoque eſt ex ſtapulis Rheni. Vide *Treveri.* Plura verò de hac urbe, apud B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 3. & ad eum *Not.* Ampliſſ. Ottonis *pag.* 619. item infrà *voce Moguntia.*

MAGONTINA, Ditio *Stift von Maintz*, quæ eſt provinc. parva, prope Rhenum & Mœnum, in Circulo IV. Electoral. Rheni, inter Veteraviam ad Boream Palatinatum inferiorem ad Meridiem. Ejus etiam pars in Franconia eſt. Ab Ortu ad Occaſum extenſa. Alia oppida ſunt Bingium, Aſciburgium ſeu Aſchaffenburgum, Miltenberga & Omeneburgum. Subſunt eidem Electori Friſlaria, in Haſſia Caſſelenſi, Erfordia cum annexis & Eisfeldia regiuncula, in Thuringia, uti Dauderſtadium, cum duobus aliis oppidulis.

MAGRADA, Melæ *l.* 3. *c.* 1. ſeu *Menlaſcus Ptol.* nunc *Rio Orio*, in Ipuſcoa, oritur ex monte S. Adriani; dein auctus aliquot fluviis Toloſam rigat, & juxta oppidulum *Orio* in Occanum Aquitanicum ſe exonerat.

MAGRADA & MEC-NAZA, duæ familiæ Zenetorum (Africæ populi, qui circa A. C. 950. familiam Idris penitus exſtirpârunt) tenuêre Imperium annos centum & quod excurrit: donec Lautunii, alius Africæ populus, ad montem Atlantem, creatô Rege, Zenetorum imperio finem impoſuêre, A. C. 1052. Fuit autem Idris præfatus, ex Ommiadis oriundus, & ad Atantem, urbem in Mauritania Fezzam condidit, ac in ea aſſumpto *Caliphæ* titulô, ſedem regiam poſuit. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 322.

MAGRON, vel MIGRON, locus in extremo Galaad contra Machmas. Eſai. *c.* 20. *v.* 28.

MAGUDA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

MAGULABA, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol.*

MAGURA, Libyæ interioris oppid. *Ptol.*

MAGUS, Græcè Μάγος. Præluxiſſe Perſis olim Magos ſapientiæ ſtudiis, atque etiam rerum Divinarum notitiâ varii tradunt ſcriptores, Apul. *in Apol. Nam ſi quod ego apud plurimos lego, Perſarum linguâ magus eſt, qui noſtrâ ſacerdos.* Siquidem *Magia* eſt, quod Plato interpretatur θεῶν θεραπείαν. Porphyrius περὶ ἀποχῆς δ'. Παρά γε μὲν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται, τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον αὐτῶν διάλεκτον ὁ Μάγος. *Heſych.* ſcribit, Magum à Perſis vocari τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον, καὶ ἱερέα. *Suidas* autem Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι. Cicer. *l.* 1. *De Divinat. c.* 23. *Sapientum & doctorum genus Magorum habebatur in Perſis.* Hinc Philo *in lib. Quòd omnis probus liber ſit:* Magos deſcribit, ut eos τὰ φύσεως ἔργα διερευνωμένους appellet. Cl. Voſſius ab Ebræo מהגים deducit, quod *meditabundos ac in rerum cognitione occupatos* ſignificat, à radice הגה, quod eſt *meditari. Nic. Lloyd.* Vide *Magi.*

MAGUS, Junius, vide *Junius.*

MAGUS, Samotheus vel *Magog*, ſecundus Celtarum Rex, Samothis filius, tectorum inventor primus, & œcumenicus ſui populi proviſor, caſtra, domus & oppida in ſuis ditionibus conſtituit, poſuit, firmavit. Unde ab ejus appellatione, veteres authores antiquiſſimarum urbium nomina adhuc in ſcriptis referunt, ut ſunt apud *Ptol.* & *Antonin. Breviomagus, Duromagus, Vindomagus, Rothomagus, Noviomagus*; & his ſimilia. Non ſolùm per Europam, ſapientiæ & eruditionis ejus Principis volabat fama, ſed etiam per univerſas Aſiæ & Africæ regiones, quippe tam Perſæ quàm Scythæ & aliæ adhuc Orientales ac Septentrionales gentes ſuos ſacerdotes & philoſophos in hunc uſque diem *Magos*, ab ejus nomine vocant. Obiit an. à mundi origine 2009. & ante Chriſti adventum 1961. Fides penès Auctores.

MAGUSA, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs.

MAGUSA, Arabiæ Felicis oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

MAGUSANI, Herculis fanum, *Weſt-cappel Ortelio*, vicus Scaldiæ inſulæ in Zeelandia, circa oſtia Scaldis fluv.

MAGUSTANA, majoris Armeniæ urbs. *Ptol.*

MAHADI-BILA, alias MADI, Calipha Saracenorum XXI. poſt Abujafarem (an Abubalam Mohammed, & Abedalam Bagdadi conditorem) regnavit ann. 10. menſ. 1. eum excepit Eladi-Bila, ab Irene in Cilicia victus.

MAHALATH, uxor Roboam, 2 Paral. *c.* 11. *v.* 18.

MAHALON, fil. Elimelech. Ruth. *c.* 1. *v.* 2.

MAHAMED-AMIN, Calipha Saracenorum XXIV. poſt Arachidum S. Aaronem, regnavit ann. 4. menſ. 7. bellô infelix & ab hoſtibus captus. Obiit A. C. 814. ſucceſſore *Mahamumo*, an Mohammede fratre, qui ſede Caliphatus Damaſcô Bagdadum tranſlatâ præfuit ann. 12. menſ. 7. extinctus A. C. 826. Vide quoque infrà *Mohammed.*

MAHANAIM, nomen loci, in quo obviam facti ſunt Angeli patri noſtro Jacob, ab ipſo propterea impoſitum, quòd duas turmas vidiſſet, in eo loco, ſuam, & Angelorum Gen. *c.* 32. *v.* 2.

MAHARAI, nomen viri. 1. Paral. *c.* 11. *v.* 30.

MAHARVALI, ſeu MAHARVANI, vide NAHARVALI.

MAHATH, fil. Amaſai filii Elcana. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 35.

MAHAUL, alias R. *Jahakob Movilin Sajel.* Rabbinus celebris, ſcripſit *Quaſtiones & Reſponſiones* circa ann. 187. Millenarii VI. juxta *Chronologiam* R. Ganz. Hic, & præceptores ejus R. Salom. Monian ac Rabbi Kadeſch, primi fuêre, quos nomine *Doctoris noſtri*, creatos deprehendimus: de quo titulo Vide infrà voce *Morenu*, & plura apud præfatum *Ganz.* & laudatum illi *Abarbanelem*, ac *Levi Aben.*

MAHELETH, tertia uxor Eſau, filia Iſmaelis. Gen. *c.* 28. *v.* 9.

MAHIDA, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 52.

MAHIR, fil. Caleb, patris Sur. 1 Paral. *c.* 4. *v.* 11.

MAHLBERGA, inter titulos Principum & Marchionum Badenſium. Erat autem olim ſub propriis Comitibus, quorum inter illuſtres Briſigaviæ familias memoria ſupereſt: at quô fatô ii delierint, quâve ratione ipſis Badenſes ſucceſſerint, nobis incertum eſt. Vide Tob. Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Principp. Gentibus c.* 9.

MAHMORA, vulgò quoque *Mahmora*, urbecula permunita Fezzæ provinc. è regione Aſgariæ provinc. ad oſtium fluvii Subæ, ſub Luſitanis, ab A. C. 1614. cum portu capaci, in ora Oceani Atlantici.

MAHMUDUS, Rex Perſiæ & Indiæ, Michaëlem filium Selghuci, Ducem Turcarum, vicit ac câptivum in Perſiam abduxit; quem cùm ex Mawaranacharia omnes Turci inſequuti, in planitie *Chorasan* conſiderent, diſplicuit id *Mahmudo*, filiuſque ejus *Maſud*, Succeſſor Regni, Turcas bellô laceſſere cœpit, qui irritati A. C. 1038. Togrul-Bekum, filium Michaëlis, Regem creârunt, &, occiſo Maſudô, totâ Perſiâ potiti ſunt. Quæ prima Turcici Regni origo, à Scriptoribus Græcis ac Latinis, monſtroſis fabulis involvitur. Horn. *loc. cit. p.* 269. Fuit autem *Mahmudus*, ex Bojitarum familia, qui genus ducentes ex primis Perſarum Regibus, adeoque ab ipſo Dario Hyſtaſpis, poſt Caliphas Saracenorum per univerſam Perſiam ſummô acquiſitô imperiô veterum Regum, tot jam ſeculis interruptam proſapiam, inſtaurârunt, & per ann. circiter 130. fortunâ variâ præfuerunt: Idem *p.* 281.

MAHOMADES, cognomine *Ibné Haben Hamur*, vel *Alabib* Almanzor, Dux Maurus, tutor Hiſſeni, filii Alhacæ, Regis Cordubenſis: Terras Chriſtianorum bis & quinquagies invaſit, ſemper felix. Legionem expugnavit, plurimiſque aliis urbibus captis & victoriis obtentis formidabilis longè lateque extitit. Nihilominus tandem ingenti ſtrage à Varamundo Rege Legion. A. C. 998. victus, ſpontaneâ inediâ vitæ tædium finiit. Roderic. Morales & Mariana *Hiſt. Scot.*

MAHOMERIA & MACHOMERIA, apud Matth. Pariſium; Guil. Tyrium, & alios *Geſtorum Dei* Scriptores, Templum Mahometicum dicitur: Gallis *Mahomerie.* Unde fortè iidem *Momerie* ſuum habent, pro re ridicula vocem uſurpantes; quòd preces, clamores, cantuſve in ejuſmodi Templis à Turcis excitari ſolitos pro ridiculis haberent. Iidem *Mahum* & *Maho* ut plurimum Mahometem appellabant; per quem quòd jurarent Mahometani, factum ut Ambianis hodieqe *Mahoner* ſit pugnis certare, quòd pugnando invicem ſubinde per Mahometem jurent. Car. du Freſne *Gloſſar.* vide infrà in *Meſquita.*

MAHOMETES, Arabs, famoſus ille Impoſtor & Pſeudopropheta, patre Abdalâ Ethnicô, & matre Eminâ Judæâ, utroque de vulgi ima fæce, natus: ambitioſus, mendax, ſuperbus, perfidus, malignus; ultionis avidus, omnibus tandem ſceleribus perditè deditus. Inopiâ preſſus, diviti cuidam mercatori Arabi primùm ſerviit, quo mortuô, viduam ejus Cadicham ſeu Tadigam uxorem ſibi junxit; hinc opibus affluens, jam urgendi malè auſâ occaſionem quæſiit. Batiræ ergo hæretico Jacobitæ, Sergio item, Monacho Neſtoriano, & Judæis quibuſdam junctus, *Alcoranum*, (Vide ibi) conflavit, religionemque novam ex Judaiſmo variiſque hæreſibus conſarcinatam introduxit, in quâ corruptæ carni indignè blandiens, plurimos brevi aſſeclas nactus eſt. Cum his arma cepit, multiſque populis, cum Arabia, ſubactis, quidquid imperium legemque ſuam agnoſcere renuebat, igni ferroque perſequutus eſt: Religionis prætextu uſus, ad potentiam augendam. Et quò efficacius ſuis imponeret, quoties epilepſiâ correptus eſt, morbô ipſi familiari, columbam habebat ſic aſſuefactam, ut interea aurem ipſi vellicaret, quô diſcipuli crederent, per Angelum Gabriëlem, hunc enim per columbam intelligi volebat, illum divinitus moneri. Ab uno inſuper ſociorum in puteo abſcondito, verum Mahometem Prophetam eſſe, exclamari curavit. Acceſſit errori efficacia, & turba vocem admirata eſt: quam ut confirmatiorem redderet, mox compleri puteum, miſerumque intus latentem lapidibus ſuperobrui juſſit, ne aliquando fraus proderetur. Arabes ipſum ut plurimum ſequebantur, quibuſdam nihilominus repugnantibus, quô factum, ut Impoſtor Mechâ aufugeret, 16. Jul. A. C. 622. Medinam Talnabi, i. e. in urbem Prophetæ. Hinc Æra ſeu Hegira Mahometanorum incipit. Vide *Hegira.* Obiit A. C. 631. imperii 8. ætat. 63. annorum Arabicorum ſeu Lunarium: ex pluribus uxoribus, nullâ prole ſuſceptâ, præter Fatimam filiam. Poſt mortem ejus ſecta hæc horrenda, longè lateque per Palæſtinam, Syriam. Ægyptum, Perſiam, Græciam, &c. unà cum imperio Mahometico ſe diffudit, hodiéque toti Orbi formidabilis eſt. Zonaras & Cedrenus Joh. Damaſcenus. Vide *Iſmaël*: Vincent. Bellovac. *l.* 24. *c.* 4. Petr. Cluniacenſ. *cont. ſect. Saracen.* Blond. *l.* 6. *dec.* 1. Volaterran. *in Mahom.* Mariana *l.* 7. *de rebus Hiſpan.* Poſtell. P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. 2. & 3. Polyd. Verg. *de invent. rerum l.* 7. &c.

MAHOMETES I. Turcarum Sultanus, fil. Bajazetis I. à Tamerlane victi, ſucceſſit fratri Moyſi, A. C. 1413. victoriis, juſtitiâ, conſtantiâque dictorum celebre nomen. Caramaniæ Principem à Burſæ obſidione depulſum, aliquot urbibus exuit: Pontum & Cappadociam ad obſequium reduxit, ſubjugavit Serviam, Dalmatiæ partem, cum Macedoniæ parte, occupavit, Valachoſque tributum pendere coëgit. Sedem Imperii Adrianopolim tranſtulit. Venetorum terras, ad mare Ionium vaſtavit, qui viciſſim Lampſacum ei, aliaque quædam loca eripuerunt. Iſmaëli, Principi Sinopenſi, apud quem Muſtafa frater perfugium habuerat, bellum intulit: gratus in Græcos, qui eum Theſſalonicæ detinuerant, cum illis fœdus initum conſtantiſſimè ſervavit. Obiit A. C. 1421. Chalcondylas. *Hiſt. Turc.*

MAHOMETES II. Amurathis II. fil. Turcarum Imperat. 9. patri ſucceſſit, A. C. 1451. Inter Turcas *Bojuc*, i. e. Magnus, appellatus, terror Europæ, & infidelium ab omni ævo feliciſſimus, Patre Crojæ obſidioni immortuô, exercitum in Thraciam reduxit, Adrianopoli thronô conſcenſô. Hinc bellum Græciæ illaturus: omnes primò aditus occupavit, unde ipſis auxilia ſummitti poterant; dein Conſtantinopolim vi cepit, & expugnavit, A. C. 1453. ubi Conſtantini Palæologi Imperatoris caput per ludibrium pilo affixum, & in urbe circumgeſtatum fuit. Poſtea Trapezuntinô quoque Imperiô potitus, Regna duodecim Chriſtianis ademit, 200. urbes cepit, & in his Chalcidem inſulam armis, & Scodram deditione Venetis extorſit: quibus peractis *Regis* titulum cum *Imperatorio* permutavit. Ab obſidione tamen Belgradi vulnere acceptô, fortitudine Huniadis & zelô Capiſtrani Chriſtianos ad rem ſtrenuè gerendam hortantis, depulſus, in Albaniam tranſiit, à Scanderbego ſimiliter malè habitus, ut & ab Uſuncaſſane Perſarum Rege aliquot urbibus exutus; nihilominus Fatô ſic volente, Hungariam, Perſiam, Mœſiam, Boſniam, Valachiam, Tranſylvaniam & Albaniam peragravit victor: Carinthiâ inſuper, Stiriâ, Sinope, totâque Peloponneſô potitus, Bellum maritimum annis multis cum noſtris majoribus geſſit. Rhodum fruſtra tentavit, Italiæ, captâ Hydrunte, arma intulit, Egnatius *l.* 3. A. C. 1463. *Rhodum fortem, & Italiam ſuperbam*, juxta Epitaphium, quod ipſe ſibi Latinè ſcripſerat. victoriarum cumulo aliquando additurus. Obiit Nicomediæ, cùm in Ægyptum moveret A. C. 1481. ætat. 53. Imperii 31. Græcè, Latinè, Arabicè & Perſicè doctiſſimus, Aſtrologiam percalluit, formâ, ingeniô, animô inclytus. Sed luxurioſus & fidei minimè tenax: Unde à Dracula, cui vim paraverat, in fœmore ſauciatus: in Stephanum Boſniæ Principem Lesbique, contra fidem Davidi Comneno & filiis datam ſævus: Turcicæ ſuperſtitionis pariter & Chriſtianæ fidei irriſor. Ob peponem devoratum, 14. ephebis eviſceratis, & fœdè direptâ Conſtantinopoli, crudelitatis quoque notam meritus. Paul. Jovius *in elog.* Vigener. *contin. Chalcond.* Leunclav. *Pand. Turc.*

MAHOMETES III. fil. Amurathis III. Imperium A. C. 1595. à cæde 21. fratrum, decemque prægnantium Patris uxorum, quas in mare præcipitari juſſerat, auſpicatus, ſemel ſolùm exercitum duxit. A. Chriſtianis Strigoniô, ſub Mansfeldio, Albâ Regali ſub Mercurio, & inferiori Budâ, ſub Archiepiſc. Auſtriæ exutus, plurimas inſuper arces locaque magni nominis amiſit. A' Melitenſibus porro, qui Naupactum ceperant, Vaivoda Valachiæ, ut & Principe Tranſylvaniæ, victô Sinane Baſſa, ſuperatus: Moldaviam, Valachiam, & Tranſylvaniam amiſit. Mox licet Caniſâ, Peſtô & Albâ Regali receptis, pacem fruſtra petiit; Ignavus & luxuriæ immerſus. Hinc Janizaris turbantibus, furori eorum amicorum intimos exponere coactus, matrem, omnium malorum cauſam creditam, in exilium pellere ſe ſimulavit. Strangulatô tandem primogenitô ſuô, hujuſque matre, ob proditionis ſuſpicionem, merſâ, peſte abreptus obiit, A. C. 1603. ætat. 39. Imperii 8. Baudier. *Invent. Hiſt. Turc.* Mezeray, *Contin. Hiſt. Turc.*

MAHOMETES IV. A. C. 1642. natus, ſucceſſit A. C. 1648. Ibrahimo I. patri, à Janizeris ſtrangulato. Leopoldum Imperat. bellô aggreſſus, in Hungariâ Neuheuſelium, fortalitium Serini, aliaque loca occupavit: victus, rem ſtrenuè gerentibus auxiliariis Gallis, in tranſitu fluvii *Raab.* Dein in Creta rem feliciter geſſit, Candiâ urbe, poſt memorabile obſidium, tandem ægrè, captâ. Formâ, ingenio, animi robore excellens, voluptatumque abſtinentior. Poſtmodum Poloniam ingreſſus, aliquot provincias celeri impetu invaſit, arcemque fortiſſimam Caminiecum cepit; ſed ab hodierno Rege Johanne ſemel atque iterum victus, pace bellum mutavit: Poſtmodum induciis, quas cum Leopoldo Auguſto in vicennium pepigerat violatis, ac ingentibus copiis Hungariâ irruptâ, ad ipſam penetravit Viennam, eamque acerrimè, ſed fruſtra obſedit: Præliis dein aliquot fractus, & plurimis urbibus munitiſſimis, ipſâ tandem Budâ, exutus, à ſuis throno cedere & Solimanno III. fratri ſceptrum tradere coactus eſt, ab quo tempore in cuſtodia degit, haud pridem extinctus. Vide & ſuprà voce *Achmet.*

MAHOMETES Aractæus, vide *Albategnius.* Idem quoque nomen aliquot Regum Granatenſium fuit.

MAHOMETES Bagdedinus, Mathematicus, auctor libri, *de Superficierum diviſionibus.* An verſio hæc Euclidei operis? Vide Voſſ. *de Mathem. c.* 16. §. 4.

MAHOMETES Effendi Turca, inſignis atheus; eô vecordiæ provectus eſt, ut impietatem ſuam non alio magis argumentô adſereret, quàm quod nullum in ſeſe, infenſiſſimum Deitatis hoſtem, ultionis exemplum Deus edidiſſet: non adeô ſegni animô contumeliam tantam laturus, ſi eſſet, qui vindicare poſſet. In qua impietate tantæ quoque pervicaciæ fuit, ut defendendæ huic, uti dicebat, veritati, extremum ſupplicium alacri animô ſuſciperet. Teſtis αὐτόπτης Ricautius Anglus de *Statu Imperii Ottomann. l.* 1. *c.* 14. apud Tob. Pfanner. *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 2. §. 2.

MAHUMITES, nomen viri, 1. Paral. *c.* 11. *v.* 46.

MAHUTEUS Obeliſcus, à *S. Mahut*, quod nomen Orientales S. Bartholomæo tribuunt, ex Templi Iſiaci fundamentis erutus erectuſque in Æde S. Bartholomæi Bergomatum Foro, Romæ conſpicitur. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo p.* 12.

MAJA, Vulcani uxor, vide infrà *Naja.*

MAJA. Atlantis filia ex Pleione nymphâ, ex quâ Jupiter Mercurium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

curium ſuſcepit. Virg. *Æn. l. 8. v. 138.*

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenes gelidô conceptum vertice fudit.
At Majam (auditis ſi quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui ſydera tollit.

Nonnulli etiam tradunt, eam Vulcano nupſiſſe. Significat & *obſtetricem*, ut ait Suidas *in Socratis vitâ.* Vide Macrob. *l. 1. c. 12. Plut.* Ovid. *libr. 5. Faſt.* Eſt & dea Fauni filia, cui in mellario vaſe non mel, ſed vinum ſacrificabant. Item Helleſponti urbs. *Steph.*

MAJA, Inſul. parva, in æſtuario Fortheæ amnis, Edimburgo vicina. *The May* vulgò. Hîc olim celebre cœnobium Clericorum Regularium.

MAJACTA, Infula fuit de ſquamis ferreis, quam birretis inſutam geſtare viri ſolebant, tempore Friderici II. Imperat. Car. du Freſne ex *Chron. Nonantulenſi MS.*

MAJAGUANA, una ex Lucaijs Inſulis inter Samanam inſulam ad Boream & Hiſpaniolam ad Auſtrum in mari Boreali.

MAJALIS, vide *Porca.*

MAJATUM, caſtellum Galliæ, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſt. l.* 10. vulgò *Maye.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAJAVILLA, vulgò MAYENFELD, oppid. Rhætiæ cum arce, in fœdere decem Juriſdictionum, ultimô locô: ad Rhenum, planitie patentiore, frumenti vinique juxta feraci & amœnâ. Dictum quaſi *Majæ villa*, à Maja Mercurii matre ibi culta, Munſter. *l.* 3. Guillim. *l.* 4. Sprech. *l.* 9. Vel quaſi *Magna-villa* corruptè, ut *Vadiano* placet. Olim *Lupinum.* Situm eſt infra Malantium, 1. horâ ab oſtio Langari fluv. Fuit olim cum Malantio Vatienſium Dominorum, à quibus ad Toggios Comites: inde ad Wolfhardum Brandiſium, ob Veronam uxorem è familia Werdenbergica pervenit, circa A. C. 1437. Nihilominus jam tum, ſalvô Brandiſiorum jure, cum reliquis 8. juriſdictionibus duæ hæ poſtremæ, fœderibus Rhætorum duobus ſe conjunxerunt. Poſtea Rhæti has juriſdictiones emerunt, hiſque Præfectum ab illo tempore mittunt, qui Lupini in arce habitat. Bellô inter Maximilianum Suevici fœderis caput & Helvetios exortô, oppidum proditione in Brandiſiorum, qui tum à Cæſare ſtabant, poteſtatem pervenit, præſidiariis Rhætorum interfectis, A. C. 1499. mox tamen, poſt victos ab Helvetiis, qui Rhætis auxilia ſummiſerant, hoſtes, receptum eſt, vide Stumpf. *l. 10. de Rhætis, c. 22.* Simler. Sprecherum *Pall. Rhæt.* &c.

MAJELLA, mons Aprutii altiſſimus, ob præcipuam celſitudinem, per ingentia ſpatia conſpicuus, verticé perpetuâ propemodum nive veſtitô: diviſus avulſuſque ab Apennino eſt, cui tamen adjacet, amplitudinis vaſtiſſimæ, difficillimô aſperôque aſcenſu. Vicina illi undique multa caſtella viciqúe, amnes etiam plurimos effundit.

MAJEMONIDES, Celebris Rabbinus, pater, R. Abraham, qui congeſſit *Quæſtiones* & *Reſponſiones. Vide Moſes ben Majemon.*

MAJESTAS, Dea Honoris & Reverentiæ filia. Ovid. *l. 5. Faſt.*

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuêre toris.
Hinc ſata Majeſtas, quæ mundum temperat omnem,
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora conſedit medio ſublimis Olympo,
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.

MAJESTAS, & *Numen*, junctim poſita ſemper legere eſt de Imperatore; unde illæ adeò frequentes in veterib. monumentis ſubſcriptiones, his notis ſignatæ, *N. M. Q. E. D.* h. e. *Numini Majeſtatique ejus devotus.* Et quidem liberâ ſtante Republ. non ſolùm *Populi Romani Majeſtas* dicebatur, ſed etiam Conſulis & Prætorum & aliorum majorum Magiſtratuum. At ſub Imperatorib. nunquam niſi de Imperatore ipſo nomen illud in uſu fuit, nec aliæ dignitates ſic appellatæ Imperator. ævô. Nec obſtat Treb. Pollio *in Gallienis c. 14.* cum ait, *Fuit ejuſdem ſocius in appetendo Imperio quidam Geronius ſive Cecropius-Valerianus-conſtat de genere: non tamen ſatis conſtat de dignitate, vel, ut cœperunt alii loqui, de Majeſtate.* Nempe anterioribus quidem temporibus, *Majeſtas Auguſti* & *Majeſtas divinæ domus*, ſemper uſurpata eſt, ſed eô ſenſu, ut pondus & gravitas & magnitudo quædam coli venerarique digna in Principe, illâ voce deſignaretur, & honos quidam eximius cum veneratione junctus, qui jure meritôque illi poteſtati deberetur, quæ ſupra omnes poteſtates eſſet. Nam ut *Majeſtas populi* olim dicebatur, propter Imperii magnitudinem ac dignitatem, quô tempore Populus Roman. Imperii ſummam tenebat: ſic poſtquam Imperium ad unum tranſlatum eſt, *Majeſtas* quoque, quæ tantô Imperiô dicebatur, ſimul ad unum illum tranſlata; atque hinc *Majeſtas Auguſti* dicta, quæ olim *Populi Romani* fuit. Ætate verò Trebellii; *Majeſtas* propriè vocari cœpta eſt, ipſa Imperii dignitas vel Imperium ipſum, h. e. Βασιλεία; quam qui habet, is *Imperator* & *Auguſtus* dicitur, ut dignitas Conſularis Conſulem facit & Prætoria Prætorem. *Dignitas* namque de aliis Magiſtratibus & honoribus, *Majeſtas* de ſolo Imperio dicebatur. Sed duæ tunc erant *Majeſtates*, *Cæſarea* & *Auguſta*: ideò Trebellius h. l. cùm diceret, dubitatum eſſe à multis, de Valeriano Juniore, utrum Auguſtus, an Cæſar tantùm fuerit, non ſatis de *Majeſtate* ejus inter omnes conſtitiſſe, ſcribit; quod alii eum *Auguſtum*, i. e. *Auguſti Majeſtate* præditum fuiſſe, alii *Cæſareanâ* tantùm, quidam neutrâ, affirmarent. Quô ſenſu *Majeſtas Auguſti* & *Majeſtas Cæſaris*, pro utriuſque dignitate, ſumitur. Et ſic omnino paulo ante *Infulas Majeſtatis*, dignitatem Imperatoriam appellavit, ut Præfecturæ infulas & Conſulatûs & Præturæ, &c. dicebant. Itaque *Majeſtas* Trebellii tempore dicebatur dignitas Imperatoria, quam Βασιλείαν Græci, *Imperium* recentiores Latini, Galli *Regalitatem* dixêre, &c. Priori verò ſenſu, *Majeſtas*, quæ Imperatoribus ſolis cum Diis communis facta eſt, Græcis modò μεγαλειότης, modò καθοσίωσις, exponitur: ſed καθοσίωσις propriè privati devotio eſt, quæ Principis Majeſtati debetur &c. Salmaſ. *Not. ad Trebellium loc. cit.* nec μεγαλειότης plus quàm *Magnificentiam* vel *Magnitudinem* exprimit: unde *Majeſtatem*, quam diſertè Plinius *Panegyr. c. 42.* à *Magnitudine* ſeparat, unum eſſe ex iis vocabulis Latinis, quibus nihil in tota Græca lingua par & ex æquo reſpondens, eruditus aſſerit Caſaubon. *Ibid.* Hodie titulum hunc Imperatorum Regumqúe proprium eſſe, conſtat: interim, uti alia, ſic etiam hoc axioma, quandoque non Pontifici ſolùm Romano ſed & Epiſcopis ac Archidiaconis tributum à Scriptoribus Eccleſiæ Romanæ, docet *in Gloſſario* Car. du Freſne. Apud eundem, *Majeſtatis* nomine, Bullam Imperialem ſeu majus Imperatoris ſigillum; in quo ſcil. cum Imperatoria *Majeſtate* exprimitur (unde Germanis *Majeſtäts-Brieff* ejusmodi ſigillô munitæ literæ appellantur) quoque inſigniri, obſervat Marquardus Freherus *ad Petrum de Andlo* & *ad Bullam Sigismundi Imp.*

MAJI Inſul. una Gorgadum, in Oceano Atlantico prope oram Orient. Inſulæ S. Jacobi; ſatis culta. Ibi ſalinæ magni proventus. Sub Luſitanis; *Ilha do Mayo* vulgò.

MAILLA, ſpecies monetæ minutioris, in *Charta* A. C. 1144. apud Car. du Frene *in Gloſſar.* contractè ex *Medallia*, vulgò *Maille* Gallis. Vide infrà paſſim, inprimis in voce *Mallia.*

MAILLARDUS Oliverius, vide *Olivier.*

MAIMODINA, in *Teſtamento* Nunonis Sancii Comitis Ruſcinon. A. C. 1241. *Item abſtuli cuidam Piſano in foſſa ſive apud Romam*, 1200. Maimodinas *in auro*: moneta eſt Saracenorum Ægyptiorum, aliis *Maſmodina, vide ibi.*

MAINARDUS, Tirolis Comes, circa A. C. 1300. quòd ambitioni Tridentini Epiſcopi reſiſteret, excommunicatus, apologiâ conſcriptâ in Epiſcoporum vitam acriter invectus, inter alia ſcribit: *Non ſacris Literis, ſed liberis dant operam: Liberum amant. Si Antichriſti non ſunt, quid aliud obſecro ſunt? Eſtne illud paſcere oves, amare gregem? regna, opes, aliena appetere.* Vide Aventin. *Annal. Boj. l. 7.*

MAINLANDIA, vulgò MAINLAND, Schetlandicarum Inſular præcipua. Extenſa à Septentrione in Meridiem ad 60. mill. paſſ. Ibi aliquot vici, & plurimi ſinus: Sub Danis. Intima ejus etiam paulatim incoluntur, ſed minori ſucceſſu. Montes hîc præalti: Ex his Cliftici montes primores ſunt ad Auſtrum; ad Boream mons eſt Reniſteltius, inſigni in apice pharô, decoratus. Mainlandia autem Orcadum Inſul. aliis dicitur *Pomona.* Vide ibi.

MAJOMA & MAJONIA, emporium & portus Gazæ, diſtans ab ea viginti ſtadiis, qui poſteà Gaza maritima nuncupatus eſt, in tribu Simeonis.

MAJOR, genus quoddam Nobilium apud Germanos, *Meyer*: ortum à Majoribus villicis, qui ab initio ex plebe erant, poſtmodum, cùm à dominis ſuis prædia in beneficium, ſive feudum accepiſſent, Nobilitatem ſibi vindicare cœperunt. Temporum dein fluxu, ii *Majores*, i. e. villici vocati ſunt, qui ſervi non eſſent, ſed prædia colenda certâ mercede conduxiſſent, ſuô nomine Coloni dicti. Hodie, apud Germanos ulteriores, omnes colonos, ſive liberi ſint, ſive ſervi, eô nomine gaudere, non item Alamannos, docet *Goldaſtus.* Apud Gallos *Major villæ* eſt Magiſtratus, & in municipio aliquo juriſdictione fretus: Prætor aliis vel Conſul. Sic dictus, quòd inter ſuos Collegas emineat. Regiminis formam à Romanis ductam oſtendit Spartian. *in Severo, c. 17.* ajens. *Alexandrinis jus dedit Buleutarum, qui ſine publico conſilio, ita ut ſub Regibus antè, vivebant, uno judice contenti, quem Cæſar dediſſet.* *Major* pro Magiſtratu dici apud Anglos demum cœpit, ſub Richardo I. circa A. C. 1189. Plura de hac voce vide apud Henric. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

MAJOR Domus, in Aulâ Principum, triplici gradu reperitur. Primò is ſic dictus, qui rem in domo curat ad victum ſolùm pertinentem; aliàs olim Eleater, Præfectus menſæ, Architriclinus, Dapifer & Princeps coquorum. Secundò, qui rem omnem familiarem & cum juriſdictione Officiales domeſticos moderatur, aliàs *Major Palatii*, Oeconomus, Domeſticus, & juxta recentiorem Helleniſmum Megadomeſticus. Tertiò, qui omnia domini ſui negotia intus & foris, bellô & pace tractat, diſponit & exſequitur. Aliàs *Præfectus Palatii*, *Præfectus Aulæ*, *Comes Palatii*, *Præfectus* item *Prætorio*, à ſimilitudine Roman. Magiſtratus, qui ab Imperatorib. inferioris ſeculi ad regendas provincias cum ſummo imperio miſſus eſt. Vide Caſſiodor. *l. 6. ep. 3.* Priorum exempla in Aulis Burgundica, Neuſtriaca atque Orientalium Francorum, apud *Gregor. Turonenſ.* Anglica quoque apud *Flor. Wigornienſem*, *Ingulfum*, &c. reperiuntur. Apud Gallos verò, ut primus gradus in ſecundum irrepſit, ita hic poſtmodum ita prorupit in tertium, ut, peſſundatô Regiô faſtigiô, omnem ſibi conflaverit poteſtatem, titulôque *Ducis Ducum*, *Ducis Franciæ* & *Principis Franciæ* non acquieſcens, nomen demum Regium cum ipſo regno involârit. Non enim id honoris ulli conceſſum eſt, niſi iis, *qui & claritate generis & opum amplitudine cæteris eminebant*, unde Annales Moguntini & Monachi Laureshemenſis, de Carolo Martello: *Carolus ſub honore* Majordomatus, *tenuit regnum Francorum ann.* 27. Cujus Epitaphium:

Dux Dominuſque Ducum, Regum quoque Rex fore ſpernit,
Non vult regnare, ſed Regibus imperat ipſe.

Vide Eginhardum *in vita Caroli*, Vetuſtum Scriptorem Annalium Francicorum, à P. Pithœo editum, Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. Gall.* Ducheſnium *in Hiſt.* Andr. Favinum *de primis Miniſtris Coronæ Gall.* &c. Primus ſic è Majoratu invaſit ſolium, ejectô Childericô

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dericô Pipinus: cui ſuccedens filius Carolus, ut, exutis jam prorſus Merovinis, ſceptrum genti ſuæ confirmaret, Magiſtratum iſtum, novandis rebus adeo minaciter imminentem, aut omnino ſuſtulit, aut terminis longè anguſtioribus concluſit. Refloruit tamen feralis Regibus hic Magiſtratus ſub Carolo Simplice, qui regnum iniit A. C. 892. cum potentiùs illum adminiſtraret Robertus, Dux & Marchio Franciæ appellatus. Huic velut jure hæreditariò ſucceſſit Hugo M. atque huic itidem ex filio nepos Hugo Capetus, qui, poſt ereptum ſine prole, non ſine veneni ſuſpicione, Ludovicum V. deficiente Carolinorum ſtirpe maſculâ, Regnum ex potentia ſui Majoratus, A. C. 988. occupavit, & ne hâc deinceps ſcalâ quiſpiam eveheretur, eum funditus abolevit: partibus ejuſdem, quæ ad ſervitium Regis magis videbantur neceſſariæ, civilibus quidem præſertim Seneſcallo: militaribus Conſtabulario & Mareſcallis commiſſis: quorum dein officia multò claruerunt illuſtriora, cùm è potentia, tum dignitate. Plura vide apud præfatum Spelmann. Sic de Henrico IV. docemur à Grammondo *l.* 1. nunquam in unum contuliſſe Imperii molem: à quo cùm receſſiſſet Ludovicus XIII. fil. qui Marchioni primùm Ancræo, dein Luynæo Conneſtabili, poſt hunc Richelio Cardinali, nimiùm tribuerat: hôc defunctô ſub Ludovico XIV. hodiè feliciter regnante Mazarinus Cardin. quidem ſub titulo *primi Miniſtri ſtatus*, idem potentiæ nactus eſt, at eô mortuô prudentiſſimus Rex iterum ſummam rerum in plures ſparſit, ipſe his omnibus verè *Major.* Vide Chr. Becmann. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 3. *de regno Gall.* §. 17. Ex cineribus *Majordomatus* priſci in Gallia, quomodo *Juſtitiariorum* in Anglia dignitas ſuſcitata ſit, vide *ſuô locô.* Cæterùm Hornio, primò in Gallia inſtituti fuerunt A. C. 687. quod officium complectebatur totam poteſtatem Regiam, præter Titulum & Coronam. In eorum manu, pax & bellum: neque qui ab eo tempore regnaverunt, Reges fuêre, niſi titulotenus. Quod ergo ſub Caliphis Saracenorum fuerunt Sultani, id in Galliæ *Majores Domus*, qui poſtea ſub Carolingis dicti fuerunt *Comites Stabuli*; Sed paulatim omnem ſuam poteſtatem ſic amiſerunt, ut tandem non niſi nomen reſtaret, quod ſuperioribus annis etiam extinctum eſt. Maximus ex his *Majoribus domûs* fuit Carolus Martellus, Princeps omnium, quos Gallia unquam habuit, pugnaciſſimus; qui multoties oblatum Regnum, ſeu potiùs *Regis* titulum, animoſè contemſit, dicens, *malle ſe Dominum Regis, quàm Regem eſſe.* At, ultimô Merovingorum Regum Chilpericô IV. à Zacharia Pontifice exauctoratô, ac in Cœnobium detruſô, à Merovingis ad Carolingos, ex præfato Carolo oriundos, dignitas Regia tranſiit; donec, ſub horum ultimis, orti ex poſteris Wittekindi Ducis Saxonum, Hugo Magnus & Hugo Capetus, *Comitatum Pariſienſem* obtinuerunt, cujus ea ferè, quæ olim *Majorum Domus* ſeu *Comitum Stabuli* poteſtas fuit. Tum enim, defunctô Ludovicô V. ſeu potius VI. Hugo Capetus excluſâ Caroli M. ſtirpe, Regnum Franciæ occupavit. Georg. Horn. *Orb. Imp. p.* 106. & 134. Secundùm *Car. du Freſne*, ſuprema hæc Aulæ Francicæ dignitas, penès quam non Palatii ſolum, ſed totius Regni & Reipubl. cura erat, tum demum cœpit, cùm imperavit Chlodoveus II. Dagoberti fil. ſub quo Regum auctoritas & ſuprema poteſtas intercidit. Ab ipſis autem Proceribus Franciæ Populoque eligi conſueviſſe, ex Fredegario *c.* 54. Aimoino *l.* 4. *c.* 15. Eginhardo in *Vita* Caroli Magni, Aliis, docet idem; &, cum Regnum Francicum in triplicem maximè Monarchiam diviſum eſſet, *Franciam* nempe, *Neuſtriam*, *Auſtriam* & *Burgundiam*, harumque Reges, qui omnes *Regis Francorum* titulum indiviſum retinebant, in ſuis quique Regionibus, *Majores Domus* haberent, eorum ſeriem, unâ cum nominibus Auctorum, qui illorum meminêre, exhibet. Ex illo ſeries *Majorum Domus* iſta:

SERIES MAJORUM DOMUS REGUM FRANCIÆ.

Badegiſilus, poſt modum Epiſcop. Cenomanenſis ſub Chlotario I.
Gundolandus, ſub eodem.
Laudericus, ſub Chilperico I. & Chlotario II.
Gundoaldus, ſub Chlotario II.
Æga, vel *Eganus* aut *Eganes*, ſub Dagoberto & Chlodoveo II.
Almaricus, ſub Chlodoveo II.
Grimoaldus, Pipini II. filius.
Erchinoaldus, aliis *Herginoldus*, ſub Dagoberto & Chlodoveo II.
Leudeſius, fil. ejus, ſub Theodorico.
Ebroinus, ſub Chlotario filio Chlodovei.
Warato ſub Theodorico I.
Bertharius, gener Waratonis ſub eodem.
Nordebertus, ſub Chlodoveo II. & Childeberto II.
Grimoaldus, Pipini junioris, fil. ſub eodem Childeberto.
Theudoaldus, fil. Grimoaldi, ſub Dagoberto filio Childeberti.
Ragenfredus, ſub Dagoberto.
Carolus Martellus, ſub Theodorico, filio Dagoberti.
Pipinus, Caroli Filius.

SERIES MAJORUM DOMUS REGNI AUSTRASIÆ.

Chrodinus Dux, electus *Major Domus* Regni Auſtraſiæ, ſub Sigeberto I.
Gogo, ſub eodem.
Rado, ſub eodem.
Florentianus, ſub Childeberto.
Wlfoadus, ſub eodem.
Warnacharius ſub Theodorico II.
Pipinus Senior; ſub Chlotario I. Dagoberto II. & Sigeberto II.
Martinus, itidem ſub Sigeberto II.
Grimoaldus, ſub eodem.
Adalgiſus, Dux Palatii, ſub Sigeberto III.
Pipinus Junior, fil. Adalgiſi, ſub Theodorico, filio Chlodovei & ſub Chlodoveo.

SERIES MAJORUM DOMUS REGNI BURGUNDIÆ.

Warnacharius; ſub Theodorico, Childeberti filio
Berthoaldus, ſub eodem.
Protadius, ſimiliter.
Claudius, genere Romanus, ſub eodem.
Flaocatus, ſub Chlodoveo II.

Quibus addi poſſunt.

Hermarius, *Gubernator Palatii* Regis Aquitaniæ, &c.
Robertus, ſub Pipino Rege Aquitaniæ A. C. 828.

Ex hinc, qui *Majores Domus*, ſub prima & ſecunda ſtirpe appellabantur, *Seneſcallos* dixêre Franci. Sic Theobaldus Comes Bleſenſis, modò *Major Domus*, modò *Seneſcallus*, dictus occurrit, &c. Plura hanc in rem, ut & de *Majoribus Domus* Reginarum; Item de *Majoribus Domus Eccleſiæ Romanor.* Epiſcoporum quoque (qui non alii forte à Vice Dominis) & Regum Aragoniæ, Caſtellæ, Hiſpaniæ: de *Majoribus* tandem *Domus* Cæſar-auguſtæ, ſeu tribus Judicibus Confratriæ Mercatorum. Vide apud præfatum Car. du Freſne in *Gloſſ.* & Auctores idoneos, magnô illi numerô *ibidem* laudatos.

MAJOR Domûs, in famulitio urbano, apud veteres Romanos, magni nominis, negotiationis ac dominicæ procurationis primas ſibi vindicabat, aliàs *Actor* dictus. Rabanus Maurus, *l.* 1. *de inſtitut. Cler. Quoniam enim Actor prudens & bonus ſcit, quid ſit Domini ſui cenſus, & omnis ſubſtantiæ modus, & redigit apud ſe totius poſſeſſionis inſtrumenta originalia.* Ubi quem *Actorem* vocat Ælius Donatus *Majorem Domus* appellat. Quod enim apud Terentium Demipho ita Getam alloquitur *Phorm.*, *Act.* 2. *ſc.* 1.

Bone cuſtos ſalve! columen verò familiæ:

Id ille ſic interpretatur, *Columen culmen, an columen columna? Unde columellæ apud Veteres dicti ſervi Majores Domus.* Lucillius:

Servu' neque infidus Domino, neque inutili quoquam
Luceili Columella hic ſitu Metrophanes.

Quô referenda eſt ſanctio Regis Theodorici Regis apud Papinianum, *tit.* 4. qui precium occiſi Actoris centum ſolidis taxavit. Neque aliunde fluit Julii Pauli ſententia, exiſtimantis animadvertendum eſſe ſeveriſſimè in eum, qui Actorem corrupiſſet, ut qui poſſet rationes dominicas intercidere vel adulterare, vel etiam rationem ſibi commiſſam turbare, *l. ult. ff. de Off. Præc.* Vide Laur. Pignorium *Comment. de Servis.* Sic itaque *Majores Domus*, inquit *Car. du Freſne*, jam Donati ætate ſervi dicti ſunt, qui primatum in familia tenerent: quod officii nomen poſtea traſlatum in Palatia variorum Regum, Francorum inprimis, ut videmus; pro eo, qui in Domo Auguſta apud Romanos dicebatur *Magiſter Officiorum*, ὁ προεςὼς τῶν βασιλικῶν παλατίν ταγμάτων: cui in Aula Conſtantinop. reſpondebat Magnus Pappias, vide infra *Pappias*, item *Seneſcallus.* Sed & in ſingulis Urbibus, οἱ πρῶτοι appellati ſunt *Majores* illius Urbis. Græci πρόοικον vocarunt ſervum *majorem domus*, &c. Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 1221. & plura de voce *Major*, item *Majores*, apud *Car. du Freſne*, & Calvin. *Lexic. Jurid.*

MAJOR Georgius, vide *Georgius.*

MAJOR Gradus, apud Papin. Stat. *Præfat. l.* 4. *Sylv. ad Marcellum: Plotio Grypho.* Majoris gradus *Juveni dignius opuſculum reddam, ſed interim hendecaſyllabos, quos Saturnalibus unà riſimus, huic volumini inſerui:* Patritiatus eſt, Barthio *Animadverſionib. ad l.* Vide infrà in hac voce.

MAJOR *Græcia*, apud *Feſtum Pomp. & Senecam*, vide *Magna Græcia.*

MAJOR Johannes, vide *Johannes.*

MAJORAGIUS, M. Antonius, fil. Juliani du Conte, à caſtro cognomine *Majoragii* nomen ſumpſit, ex una nobiliſſimarum Mediolani familiarum, oriundus. Ætat. annô 26. Rhetoricæ cathedrâ dignus habitus, poſtquam illam in patria octennium docuiſſet, Theologiæ ſe totum dedit, ſed ſtudiorum laboribus impar, in flore ætatis obiit, A. C. 1555. Ætat. 41. Scripſit ediditque plurima, quorum indicem exhibet Anton. Teiſſier *in Elogiis Part.* 1. inter illa eminent ejus *Commentarii in Rhetoricam Ariſtotelis.* Vide Thuanum *Hiſtor.* Ghilitium *Theatr. d'huom. Letter. part.* 1. L. Greg. Giraldum *de Poët. ſui temporis*, Poſſevinum *Biblioth. lib.* 18. *c.* 1. ut & aliquid ſuprà ubi de *Cælio Calcagnino*, & infrà.

MAJORANA, Vide infrà *Marum.*

MAJORENSES, Prætoriani Equites Aulæ Pontificiæ, Cencio Camerario *Stimulati*, i. e. calcaribus muniti: Fortè hodie *Cavalieri dello Speron d'oro*, quos Papa creare ſolet. Vide Macros Fratres in *Hierolexico.*

MAJORES, qui ultra Tritavum; ſumma in veneratione habiti: ſic ut etiam plerumque effigiem alicujus ex *Majoribus* in annulis geſtare Veteres ſoliti ſint, qui tamen illis, ſi ab eorum virtute degenerabant, detrahebatur. Valerius Maximus de Africani filio loquens, *l.* 3. *c.* 5. *Cn. Scipio*, inquit, *ſuperioris Africani filius Præturæ petitor, candidam togam adeò turpitudinis maculis obſolefactam in campum detulit, ut niſi gratiâ Cicerei, qui patris ejus Scriba fuerat, adjutus eſſet, honorem à Populo impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit, utrum repulſam, an ſic adeptam Præturam domum referret? Inſuperque è manu ejus annulum, in quo caput Africani ſculptum erat, detraxerunt.* Sic Publ. Lentulus Sura quoque Avi ſui imagine, in ſignando, uſus legitur. Cicer. 3 *Catilin. Tum oſtendi tabellas Lentulo ac quæſivi, cognoſceretne ſignum? Annuit. Eſt verò, inquam, ſignum quidem notum, imago Avi tui clariſſimi viri, qui amavit unicè Patriam & cives ſuos, quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta revocare debuit.* Vide Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 12. & ſuprà in *Major-Domus.*

MAJORES, dicti olim inter Waldenſes præcipui eorum. Unde legitur de Waldenſibus *libro Inquiſit. Tholoſ.* quòd *quoſdam ſectæ ſuæ Majores habuerint.* Et Johannes Lotharingus ſectæ illius *Majoralis* nominatur: Chriſtinus & Johannes de Chabilone, *Majores, Ibid.* Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 1. *c.* 8. ubi de Albigenſium & Waldenſium diverſitate.

MAJORIANUS Julius Valerius, Conſtantinô & Rufô Conſulibus, an. U. C. 1210. fit Magiſter militiæ, victoriâ de Francis & Alemannis obtentâ, Exemptô non multò poſt Martianô

Im-

Imperat. quum & Avitus in Italiâ deceſſiſſet, apud Ravennam invaſit imperium. A. C. 457. conſentiente Leone, qui non alium magis idoneum judicavit contra Vandalos. Nec vanô augurîô: paulo enim pôſt Majorianus hos ingenti clade vicit, Campaniâque, quò Genſericus jam pervenerat, depulit. Epiſtolâ dein ad Romanos ſcriptâ ſeveram juſtitiæ adminiſtrationem pollicitus, populos à tributis liberavit. Bellô contra Viſigothos felix, cum Theodorico horum Rege, pacem fecit. In Africam tranſiturus, à Genſerico, qui per ſtratagema 300. naves, in portu Carthagenæ Hiſpa. ceperat, impeditus: diſſimulatô habitu in Genſerici aulam ſe contulit, hujus contra Imperium conſilia expiſcaturus, tremente, in quo ambo collocuti, locô. Poſt quæ magna animô contra Vandalos volvens, Derthonæ juxta Hyram fluv. fraude Richemeris patricii cæſus eſt. an Urb. Cond. 1214. A. C. 461. Literis egregiè excultus, & animi fortitudine inclytus. Idac. & Marcellin. *in Chron.* Caſſiodor. & Jornand. *Hiſtor.* Procopius *Majorinum* appellat, ac de ejus virtute multa præclara memorat in 3. *belli Vandalici libro.* Sed & Sidon. Apollinaris *Panegyrico* illius laudes celebrat. Vide quoque Car Sigonium *de Imperio occidentali*, & *Onuphrium Panvinium.*

MAJORICA, aliàs *Balearis major*, inſul. *Mallorca* incolis, *Majorque* Gallis, ſatis ampla Hiſpan. in mari Mediterraneo inter Minoricam ad Ortum & Ebuſum ad Occidentem, cum quibùs regnum Majoricæ conſtituit. Aliàs Reges habuit proprios, nunc ſubeſt Regi Hiſpan. ut Arogoniæ Regi. Circuitus eſt ferè 110. mill. paſſ. Ejus præcipua eſt urbs Palma, *Mallorca*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi, ampla & permunita, cum portu in ora Occidentali Inſulæ, in qua etiam Alcudia oppidulum in parte Orientali cum 34. caſtris ſeu vicis. *Paul. Ferragutus*, indigena. Incolæ inſulæ hujus habentur piraticâ infames, terram fertilem colunt, licet ſatis illa ad mare clivoſa ſit. Sub Romanis olim, dein Piſanis fuit, donec à Saracenis capta eſt: quibus inde pulſis Arragonii & Caſtellani hîc rerum potiti ſunt. A. C. 1230. & Jacobus, ex Arragonenſi familiâ regnum hoc tenuit, eô poſtmodum exutus: Hodie ut dictum, ſub Regibus Hiſpan. eſt. Patria Raimundi Lullii, Mareſcalli Ornani, duorum Magn. Ord. Melit. Magiſtrorum, ex illuſtri Cottonerorum familia, &c. Ptol. *l.* 2. Mela, *l.* 2. Strabo, *l.* 3. Plinius, *l.* 3. *c.* 5. Florus, *l.* 3. *c.* 22. *Mariana*, *Majernus*, *Turquetus*, &c. Celebris præterea inſula eſt commerciô nummorum, qui, *Reales* dicti, ibi cuduntur. Addo, quod ſub Jacobo I. cognomine *Expugnatore*, Inſulæ Baleares *Majorica* & Minorica Saracenis ereptæ ſunt, quorum ultimum Regem, nomine *Retabahig*, Jacobus arreptum barbâ ex latibulo, quemadmodum ſe facturum juraverat, protraxit, idem Horn. *p.* 173.

MAJORINA Pecunia, ut & Centenionales, à Conſtantio prohibita legitur, in *Codice* Theodoſiano: Centenionales quidem (quòd *centum* æreos conficerent, dicti) propter nimiam ſui exiguitatem; *Majorina* verò, propter nimium pondus. Meminit ejus quoque *L. ſexta de falſa Mon. eod. Cod.* quæ ex argento & ære conflatam fuiſſe arguit. Pœna enim ibi indicitur in Flaturarios, qui Majorinam pecuniam *ſeparatô argentô ab ære purgant.* Alibi *major moneta* dicitur, cujus quidem ſpecies fuit *Decargyrus*, niſi eadem plane fuerit. Ita autem appellatum volunt, aut quòd decima tantùm ejus pars argentum eſſet, ſiquidem *Majorina pecunia* ex argento & ære conflata, vel potius quod decem, argenteis æſtimaretur, quemadmodum Denarium dixerunt Latini, qui decem argenteis valeret: Græci verò δεκάχαλκον, quòd decem æreis æſtimaretur, ita ut Decargyrus ſpecies fuerit *Majoris* pecuniæ, decem minutis argenteis æſtimata. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de Inferioris ævi Numismatibus*, *p.* 62. *num.* 97.

MAJORINI, apud Hiſpanos, iidem videntur fuiſſe; qui Majores villarum Francis, penes quos etiam juriſdictio Regia erat; vel certè iidem cum *Majoribus Domûs.* Qui enim apud Ordonium Monachum *de Mirac. S. Rudeſindi, Epiſcopi Dumienſis num.* 20. *Major domus*, appellatur; in alio *MS.* dicitur *Majorinus*, uti Henſchenius obſervat, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Erant autem alii *villarum Majorini*, alii *Majorini majores*; quorum hi ſæpe ſubſcripſere *in Chartis* Regum, additô nomine provinciæ, cui præerant, ut in *Charta* Ferdinandi I. Caſtellæ Regis æræ 1078. apud Antonium Yepezium *in Chron. Ord. Benedict. Tom. I. Felis Majorinus de Burgos: Sonna Sonaz Majorinus in Caſtella*, &c. Illorum meminit Lucas Tudenſis *in Chron. p.* 104. *Imperator mandavit Majorino terræ, ut cum ruſtico veniret ad Militem & videret, qualiter ei juſtitiam exhibebat & hoc ſibi reſcriberet.* Vide omnino præfatum Car. du Freſne *ubi ſuprà.* Ex *Majorinus*, corrupte *Merinus*, Luſitanis *Meirinho* Juſtitiarius eſt: cujuſmodi Magiſtratum apud Jaccetanos etiamnum vigere docet Blanca *in Rebus Aragonic.* Vitalis verò Oſcenſis Epiſcop. *Merinos* vocatos eſſe Apparitores & qui Judicum ſententias, exequutioni mandarent, docet *de Veterum in Aragonia Magiſtratuum nominibus*, apud *Eund.*

MAJORINUS, primus Donatiſtarum, in Africa, Epiſcopus, prius domeſticus Lucillæ, Vide ibi, & lector Cæciliani, cui pulſo ſurrogatus erat: unde ſchiſmati Donatiſtarum initium: nihilominus non ipſe Majorinus, ſed ſucceſſor Donatus hiſce nomen dedit. Auguſtin. *l.* 1. *contra Parmen. c.* 3. *l.* 3. *contr. Creſcon.* &c. Optat. *l.* 1. *in Parmen.*

MAJORUM Religio, quantopere cordi fuerit priſcis Athenienſibus, docet hæc lex Draconis. Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀττίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, Θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ ἑπομένοις νόμοις πατρῴοις κτλ. *Lex eſt antiquiſſima æternaque auctoritatis in Attica, Venerandos eſſe Deos atque Heroas patrios publicè, ſecundùm patrias ſanctiones, &c.* Nimirum hoc unicè obſervatum volebant Veteres, ne quid temerè immutaretur in ſacris cæremoniis Deorum: ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσωσι, μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσωσιν, inquit Iſocrates *in Areopag.* Quare etiam qui venerandi ſanciuntur hac Lege Dii atque Heroes, patrii fuêre atque indigenæ. Poſteà tamen adſciti ſunt & invecti Athenas, præter patrios, omnium pene Gentium Dii, ita ut

Αἰγύπτιον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν,

quod exprobrat alicubi Comicus: ſed reclamârunt plerique antiqui moris. M. Tullius *l.* 2. *de Legib. Novos verò Deos ſic Ariſtophanes facetiſſimus Poëta veteris Comœdiæ vexat, ut apud eum Sabazius & quidam alii Dii peregrini judicati, è civitate ejiciantur.* Sed fruſtrà: Reipubl. enim hujus inſtitutum fuiſſe videtur, peregrinos & advenas Deos colere, verùm id fiebat ex Senatus conſulto Areopagitarum, à quibus probati & publicè adſciti non minus colendi erant, quam οἱ ἐγχώριοι. Hinc ad Areopagitas rapitur B. Paulus Actor. *c.* 17. *v.* 18. quòd annuntians Athenienſibus Ἰησοῦν καὶ Ἀνάστασιν, peregrinorum Deorum annuntiator videretur. Certè, ne quis novos haberet Deos, ſed pareret νόμῳ πόλεως, intererat Reipubl. ut eſt ad Auguſtum Mæcenatis monitum, apud Dionem *l.* 52. Quod proin egregiè caverunt Romani, jam ab ipſo urbis natali, è Lege Romuli: è quo fonte hæc hauſit Cicer. *l.* 2. *de Legib. Suoſque Deos aut novos aut alienigenas coli, confuſionem habet Religionum & ignotas ceremonias.* Vide quoque Livium *l.* 1. *c.* 20. Sed & Romanos ad alienas religiones poſtea exorbitâſſe inſigni locô Tertullian. docet, *ad Nationes l.* 1. *c.* 13. *Vos certè eſtis qui etiam in Laterculum ſeptem Deorum ſolem recepiſtis: & ex ipſorum diebus prælegiſtis, quô die &c.* Et paulo pôſt, *Quod quidem facitis exorbitantes & ipſi à veſtris ad alienas religiones: Judæi enim feſti, Sabbatha, & cena pura*, & quæ ſequuntur. Vide Sam. Petitum, *Commentar. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1. Cui addo Gev Elmenhorſt *Obſervat. ad Arnob. l.* 2. *p.* 60. 61. & *Commentar. ad Minucium Fel. p.* 14. 15. nec non quæ infrà dicemus, lemmate *Nova religio*, item *Univerſum.* Quanto potiori jure *Majorum religio* inculcata Iſraëlitis, lapidationis etiam excidiique pœnâ ſancitâ in Prophetam Civitatemque dicentes, *Eamus & colamus Deos alienos*, Deuteron. *c.* 13. *v.* 6. qua cùm ſenſim deſciviſſent poſtmodum, *Veterum* (h. e. Magiſtrorum medii & ſequiores ævi) traditionibus adhærendo, Chriſtus ad primævæ antiquitatis puritatem Legis doctrinam reformavit, Matth. *c.* 5. *v.* 21. In Religione Chriſtiana idem obtinet, quæ cùm non pura ſit, niſi quatenus à *Majoribus* noſtris tradita eſt, Prophetis videl. ac Apoſtolis, *ſuper horum fundamento*, manere *ſuperſtructos*; *exiſtente imô angulari Lapide Jeſu Chriſtô.* Epheſ. *c.* 2. *v.* 20. huicque *doctrinæ*; quæ Athenienſibus *nova* viſa eſt, prædicante eam Paulo, Actor. *c.* 17. *v.* 19. *adjicere quidquam aut auferre*, religioni ducere, omnino convenit, Apocalypſ. *c.* 22. *v.* 18. & 19. &c.

LE MAIRE Johannes, vide *Johannes.*

MAIRONUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

MAIS, Indiæ fluv. inter Gangem, & Indum. *Arrian.*

MAINADARIUS, item *Meſnadarius*, in Aragonia, eſt, uti habet Vitalis Epiſcop. Oſcenſis, *qui de genere Ricorum h minum, ſaltim ex Patris linea oriundus*, inter domeſticos Principis aut in ejus familiam cooptatus eſt; à *Moſnada*, contractè pro *Maiſonada.* Lat. *Manſio.* Ricorum nempe hominum dignitati proximus erat *Meſnaderiorum* iſte Militaris ſeu Equeſter ordo: quibus quæ dabantur à Regibus ſtipendia, ut à prioribus etiam, nomine differrent, *Cavallerias de Meſnada* ſeu *Meſnaderias*, vocari conſueverunt, Hieron. Blanca *Commentar. Rerum Aragonic.* His itaque quæ addicta erant prædia, *Meſnadæ* appellatæ ſunt. Alias *Maunada* ſeu *Meſnada*, apud Scriptores medii ævi, pro militaribus catervis ac ſodalitatibus, maximè prædonum ac latrunculorum, qui in familias quodammodo coëunt, non rarò occurrit. Unde *Maſnadum facere*, in exercitum ire eſt, in *Bulla* Gregorii IX. A. C. 1231. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

LE MAISTRE, Antonius, vide *Antonius.*

MAITTAVONIUM, Gall. urbs in provincia inter Forum Julium, & Aquas Sextias. *Antonin.* Quibuſd. *Brignole*, aliis *Cotignac*, oppidulum illius tractus; ad Argenteum fluv.

MAJUMA, urbs, ubi Venus culta, unde ſacra, de quibus infrà, *Baron.* dicta vult. Vide *Majoma.*

MAJUMA, priſca Romanorum celebritas, à Claudio inſtituta, quam in Calendis Maji, luxuriante jam floribus vere, *Majæ*, ſeu *Floræ* Deæ, ut campis & arboribus faveret, expedierunt, apud Oſtiam, in æde Caſtorum. Id enim Numen ibi cultum, ventorum mariſque cauſâ. Ita legitur apud Amm. Marcellin. *l.* 19. *c.* 10. in ſumma frumenti inopia Tertullum, qui Præfectus annonæ erat, apud Oſtiam; in æde Caſtorum ſacrificâſſe, tranquillitatemque maris molliviſſe. Aliàs *Floralia*, Angl. *Maye games.* Ovid. *Faſt. l.* 4.

Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas feſtum Florale Calendas, &c.

Sed Floralia turpius peregerunt Romani veteres, quàm inferiores *Majumam*: eadem tamen fuiſſe; quòd omnes *Majumam* floribus celebrent, teſtis eſt Gyraldus *in hiſt. Deor. ſyntagm.* I. De ea *Suidas*: Μαϊουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάϊον μῆνα, τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες, ὅθεν καὶ Μαϊουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. Sed ut inquiunt *Gloſſæ Baſilicæ* εἰς τιμὴν τῆς Μαΐας, in honorem Majæ, quæ & Flora à floribus, & χλωρὶς à viriditate nomen habuit, dicata eſt. Celebrabatur magnô ſumtu, cùm in epulis, tum in oblationibus, ut in *Miſopogone* refert Julianus. Sed recidente in priſtinam ſpurcitiem, in Trullenſi ſynodo, ſub Conſtantino M. *Can.* 62. damnatæ ſunt Calendarum, Panis, Bacchi, & *primæ diei Maji* feſtivitates. Reſtituta tamen eſt, ſed cautè, ab Arcadio & Honorio, annô 1. Imperii *Cod. lib.* 11. *Tit.* 45. *Clementiæ noſtræ placuit, ut* Majumæ *provincialibus lætitia reddatur: ita tamen ut ſervetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bus perſeveret. Verùm cùm honeſtas non ſervaretur, (*Meurſium* loquor) quadriennio pòſt Chryſoſtomô nitente, iterum abrogârunt iidem Auguſti, circa A. C. 399. quorum Reſcriptum ad Aurelianum Præfectum prætorio, extat *Cod. Theodoſ. lib.* 15. *Tit.* 6. Sed, depoſitâ turpitudine, mos porrectus videtur ád noviſſimas ætates, quem tamen non tulit Mediolanenſe Concil. tertium, A. C. 1573. in quo cavetur, ut abuſus de frondibus erigendis Mediolani 5. Calendis Maji abrogatus ſit. Apud Anglos hodieque ſoſpitat, cùm in plebe, tùm in Regis palatio. Solet enim juventus palum in villis erigere eximiæ proceritatis; variis pictum coloribus, floribuſque, faſciis & tæniis adornatum: celebritatis quoque dominam ceu Reginam eligere, quæ circa palum choreas ducit. Manè etiam diei ad nemora confluunt, deductiſque inde ramis viridibus, ædes tam ſacras, quàm profanas, excolunt. Egrediuntur & cum cœtu aulico ad nemus, ipſe Rex & Regina, frondes atque ramulos referentes. Viguiſſe ſub Eduardo I. conſuetudinem ex eo conſtat; quod ab uxore Roberti Breucii, fortiſſimi coronæ Scoticæ reſtauratoris, cùm apud Anglos captiva teneretur, & de regno deſperaret, dictum eſt A. C. 1306. *Futuros ipſos Regem & Reginam iis ſimiles, qui choreas ducunt circa palum Majuma.* Non diſſimiles multò videantur olim ſub Majoribus domus laborantes Reges Franciæ, quos in A. C. 662. ſic depingit Sigebertus: *Nil agere, nil diſponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domique morari,* & *Calendis Maji præſidere coram totâ gente, & ſalutare, & ſalutari, obſequia & dona accipere & rependere, & ſic ſecum uſque alium* Majum *habitare*, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vide quoque Chryſoſt. *Hom.* 7. *in Matth. Hom. de Davide & Salomone,* &c.

MAJUS, menſis à *Majoribus* dictus eſt, quia (ut inquit Macrobius *l.* 1. *Saturnal. c.* 12.) Majoribus conſecratus eſt, quorum conſiliô Reſpubl. gerebatur, ſicut Junius à Junioribus, qui rem armis gerebant. Poſtquam enim Romulus populum Roman. in majores, minoreſque diviſit, ut altera pars conſiliô, armis altera Rempubl. tueretur, in honorem utriuſque partis, hunc Majum, ſequentem Junium vocavit. Ovid. *Faſt. l.* 5.

Hinc ſua Majores tribuere vocabula Majo,
Junius à Juvenum nomine dictus adeſt.

Sunt qui à *Majeſtate* deâ dictum volunt, quòd Flamen Vulcanalis calendis Maji huic Deæ rem divinam fecit. Alii à *Majâ* Mercurii matre, propterea quod hoc menſe Mercatores Majæ pariter & Mercurio ſacrificare ſoliti erant. Fuit in Apollinis tutela. Vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 9. Cæterum, nuptiis infauſtus habitus eſt, unde Proverbium *Menſe Majô nubunt malæ.* Ei apud Athenienſes Thargelion, apud Hebræos ex parte Jiar, ex parte Sivan reſpondit. Vide Fr. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 2. *c.* 10. & Thom. Godwin. *de Ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 1.

FESTI DIES MENSE MAJÔ APUD ROMANOS CELEBRATI.

Kal. *Maji* Laribus Præſtitibus ara à Curibus Sabinis conſecrata, & Bonæ Deæ ſacra facta ſunt, à Matronis, in æde Pontificis Maximi

2. die, ſeu 6. Non. Compitalia erant.

9. die ſeu 7. Idus, Lemuria celebrata ſunt.

12. die ſeu 4. Idus, Ludi Martii fiebant in Circo.

Idibus *Maji*, Argeorum ſcirpea ſimulachra & oſcilla de ponte ſublicio in Tiberim præcipitabantur quotannis. Vide infrà *Sigillaria* quoque, ubi ſimile quid, ſed alio tempore, factitatum. Eôdem die Mercatorum feſtum erat, quòd Mercurii ædes illô dedicata eſſet: Uberioris tum quæſtus gratiâ è Mercurii fonte, ad portam Capenam, adſpergebant ſe laureô termite immerſô.

12. Kal. Junii Agonalia ſive Agonia erant.

10. Kal. Junii, Tubiluſtria celebrabantur.

9. Kal. Junii ſeu die 26. Maji erat Regifugium alterum, de quo ita Kalendarium. Q. *Rex. C. F.* hoc eſt, *Quando Rex comitiavit, fac.* Ovid. *Faſt. l.* 5. *Quatuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.* Vide quoque infrà in voce *Martius.*

12. Kal. Junii, ſeu die 25. Maji, feſtum erat Conſecrationis ædis Fortunæ publicæ, &c. Apud Athenienſes 6. dies, natalibus Apollinis ac Dianæ celebris erat, ut & expiatione peccatorum populi, quam fieri credebant, mactatione duorum hominum, qui, velut καθάρματα urbis, Diis offerebantur; qua de re ſuprà quoque aliquid dictum, ubi de *Expiationis feſto*; item voce *Hoſtia.*

die 20. Βενδίδεια:

24. πλυντήρια erant, &c.

MAJUS, Gallis *May*, arbor Majalis, quæ ſcil. Kalendis Majis in compitis vel ad ædes Magnatum aut amicæ erigi ſolet. Sic iidem *Majum Typographorum* vocabant, *le May des Imprimeurs*, folium papyri ingens, in Joannis Euangeliſtæ, Regis, & Typographiæ laudes, linguâ Hebræâ, Syriacâ, Græcâ, Latinâ & Gallicâ, ad diem S. Joannis Portæ-Latinæ, imprimi ſolitum: quæ conſuetudo abolita A. C. 1665. *Richel.*

MAJUS Monaſterium, Abbatia Gall. celeberrima, Ordinis Benedictini, prope & extra Turones, in oppoſita Ligeris ripa, à D. Martino inſtituta, cum cœnobio recenti ſuperbiſſimo; *Marmoutier* vulgò.

MAJUSCULUS, Dignitas Canonicalis, in Cathedrali Eccleſia Januenſi, *Cantoris*, in aliis Eccleſiis, dignitati reſpondens. Macer *Hierolex.*

MALA, vide infrà *Maxilla.*

MALA Corona, cognomen Arnoldi Patriarchæ Hieroſolymitani apud Guil. Tyrium *l.* 12. *c.* 7. item aliorum quorundam, apud Guil. Gemeticenſem *l.* 7. *c.* 10. & Order. Vitalem *l.* 3. Sic autem appellabantur olim Clerici, qui Clericatus charactere abutebantur; à *Corona*, præcipuô Clericatûs & Sacerdotii, in Eccleſia Romana inſigni. Vide ſuprà in voce *Corona.*

MALA Fortuna, Romæ culta, in Exquiliis, Cicer. *de N. Deor. l.* 3. & Plin. *l.* 2. *c.* 7.

MALA Manſio, quod pœnæ genus fuerit, apud Romanos, in incerto eſt. Quidam hâc voce intelligi volunt foveam profundam, in modum putei efformatam; Sed *Puteum*, proprium ſupplicii genus, furacibus coquis deſtinatum fuiſſe, patet ex Plauto, *Aulul. Actu.* 2. *Sc.* 5. *Coqui abſtulerunt, comprehendite, vincite, verberate, in Puteum condite.* Alii anguſtum carceris genus, quod aliàs *Arca* appellabatur, fuiſſe volunt; cujus meminit Cicer. *pro Milone, Subitò abrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris; & in* Arcas *conjiciuntur, ne quis cum his colloqui poſſit.* E quibus verbis videre eſt, in hoc carcere detentos fuiſſe eos, qui nondum condemnati, ulteriori quæſtioni reſervabantur, Thom. Godwin. *Anthologiâ Rom. l.* 3. *Sect.* 3. *c.* 5. qui Anglicè *Little eaſe* ait dici poſſe. Vide infrà *Pedica.*

MALA SPINA, vulgò *Male ſpine*, tractus Tuſciæ, prope Genuam, cum Marchionatus titulo, Leand. Albertus *deſcr. Ital.*

MALABARIA, Gallis *le Malabar*, regio Indiæ, in parte Auſtrali Peninſulæ cis Gangem ad Occaſum inter regnum Decani ad Septentrionem & promontor. Comorinum ad Meridiem, valde abundans & fertilis. Extenditur, verſus oram maris Maldivarum, per 125. leuc. ubi regna Calecuti, Cochini, Cranganoræ, Cananoræ, Coulani & Travancoris. Sunt etiam ibi aliquot minora regna, nempe Auriola, Badara, Batimana, Bipurium, Calecoulanum, Changanara, Chombæum, Cota, Cicuianum, Curiga, Mangatum, Marta, Mouticum, Mutertum, Panhapelum, Panurum, Porcanum, Punhalum, Tanorum & Trivilaria. Præcipuæ urbes Malabariæ ſunt Angamala, Calecutum, Cananorum, Cochinum, Coulanum, Cranganora, quæ 4. ſub Batavis à paucis annis; Travancorium, &c. ubi plurimi Chriſtiani. Ibi aliquot coloniæ etiam Batavorum & Luſitanorum, in ora littorali. Ultimus Rex in hac Regione fuit *Sarama Ferymal,* qui Calecutii Regnum conferebat miniſtro cuidam ſibi amiciſſimo fideliſſimoque, titulum ſimul *Samorini* ipſi imponens, quod idem eſt, ac *Cæſar*, ſive *Imperator*, in reliquos omnes inferiores Regulos, jubenſque, ut reliqui huic pareant, tanquam vaſalli. Unde in hodiernum uſque diem Rex Calecutii titulum *Samorini* ſibi uſurpat, imperiumque in reliquos Malabarorum Reges ſibi vendicat. Malabari integunt pudenda, cætera nudi incedunt, idque tam fœminæ, quàm mares. In terra Malabar feraciſſima, piper creſcit, quod alibi non provenit, niſi in his locis maritimis, hinc igitur neceſſariò petendum eſt. Creſcit quidem ad Malacum piper, ſed parciùs: at in Malabarorum Regno conquiſitum, per univerſum orbem invehitur. Cinnami quoque hic ingens copia vide Maffæum *Inſt. Ind.* Linſchot. *Itin. Ind. c.* 13. P. de Valle *Itiner. tom.* 4. & de propagatione Chriſtianæ Fidei inter *Malabares*; aliquid ſuprà voce *Jaſanapatanum*, plura verò apud *Adr. de Mey* Miniſtrum Verbi & Rectorem Seminarii ibidem *Malabarici*, literis ſcriptis ad Amicum Jaſanapatano, die 7. Nov. A. C. 1690. & d. 22. Januar. 1692. ubi de diligentia & promptitudine juventutis Malabaricæ, in diſcenda lingua Hollandica, ac bonis Artibus, varia habet. Impreſſæ ſunt illæ Hagæ Comitis, A. C. 1693. Cæterum, floruit præfatus Sarama Perymal, circa A. C. 900. & à Mahometanis reductus, ultrò abdicatò Regnô, Meccam peregrinatum conceſſit, ibique ſanctitatis opinione vitam finiit; cumque liberis careret, regnum ſuum fidiſſimis Miniſtrorum diſtribuit, vide Joſ. Scaligerum *de Emend. Temp. l.* 5. & Linſchottanum *Indiæ Orient. c.* 12. Uni verò ex intimis ſuis titulum *Zamori* tribuit; qui A. C. 907. urbem Kalecuthum exſtruxit: Habentque ibi ſedem Imperatoriam uſque in hunc diem poſteri ejus, quanquam auctoritate multùm imminutâ. Nomina Imperatorum propria ignorantur, nec niſi confuſô *Zamorinorum* nomine memorati occurrunt. Unus tamen, nomine *Ganfer* circa A. C. 1498. regnâſſe traditur Aloiſiô Cadamuſto. Potentia eorum decrevit, circa A. C. 1500. infracta potiſſimùm à Luſitanis, qui ſedem Mercaturæ Calecuthô Cochinum urbem vicinam tranſtulerunt. Ita hoc Regnum ex maximo minimum factum: titulum *Zamori*, ſive *Imperatoris* nihilominus Regibus ejus retinentibus. Vide Hornium, *Orb. Imp.* Cœterum ſcribunt *Malabares*, ut & Siamenſes, non à dextra ad ſiniſtram, introrſum tendentes, ut Hebræi, Arabes & plerique reliqui Indi, ſed contrariô modô: Linguaque *Malaica*, una ex potioribus Aſiæ linguis, omnium in Indiæ Orientalis regionibus, puriſſima eſt, quam communiter Mercatores iſtorum locorum, utpote in Principum Indorum aulis, longè lateque (ſicut in Turcica Arabica lingua) florentem, callent. Edidit *Dictionarium Malaico-Latinum* David Haëx Romæ, A. C. 1631. in 4. extatque parvulum aliud Vocum Malaicarum & Javanenſium. *Tom. I. Navigat. Belg. Navig. II. fol.* 43. & *ſeqq.* Mahometiſmus hîc dominatur. Auctor Anonymus *Hiſtoriæ Orbis Terr. Part.* 1. *c.* 9. *ſect.* 3. §. 8. &c. Sed *Malaica* lingua, cujus modò mentio, non *Malabarum*, verùm Malaccenſium eſt. Vide infrà in *Malacca.*

MALABATHRUM, apud Horat. *l.* 2. *Carm. od.* 7.

Cum quo morantem ſæpe diem merô
Fregi coronatus nitentes
Malabathrô *Syriô capillos:*

pro *malabathrino* unguento, quod aliàs *Foliatum*; à *Malabathrô*, ſeu *Folio* per excellentiam ſic dicto, quod inter mirifica ſuavitate olentia illa Solino indigitata *c.* 52. quæ mittunt Indi, præcipuam ac primam auctoritatem, unà cum Nardi ſpica, obtinet. Nomen ei à voce Indica *Tumulapatra*; quâ licet Indi propriè *Folium Indum* indigitent (alterum foliorum aromaticorum in India genus, facie penè ſimili ac pari facultate præditum) Græci tamen μαλάβαθρον ſuum inde formantes, nomen hoc alteri generi Folii, quod ipſis notius erat, attribuerunt. Cur *Fo-*

lium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

lium κατ' ἐξοχὴν dicatur Scriptoribus Romanis diximus ſupra. Sed & *Herbam Paradiſi* Veteres appellavêre, teſte *Iſidorô*, ab excellenti odore. Item *Cataſpharum folium*. Vide ibi. Utile id ligno & folio, unde Φυλλον & ξυλόφυλλον illud dixêre: Aëtius *in ſecunda coctione olei Salca*, ξυλοφυλλε ἢ φυλλε καρποβαλσάμε ἀνὰ λίτραν μίαν κλ. Sed folia inprimis pretioſa, quæ in pilulas olim convoluta vænum ibant, & hâc formâ ex India in Syriam (unde *Syriaci* cognomen) inde in Europam adferebantur. Non autem plura folia in unam pilulam ſolebant conglobari, ſed ex ſingulis foliis complicatis ſingulæ ſphæræ fiebant: unde pro ratione foliorum ἀδρόσφαιρον, μεσόσφαιρον, μικρόσφαιρον; ex majore enim folio major pilula fiebat, ex minore minor. Complicabantur ea demptis priùs nervis ac fibris, ac trajiciebantur iis, ut in pilula hærerent, quod ἐξινιάζειν & διείρειν, totam verò hanc præparationem κατεργάζεσθαι, vocat Auctor *Peripli*. Calamos verò ſive virgulas *Malabathri*, quibus folia hærebant, πίτρες dixêre. Modum colligendi, ſed fabulis proximum, enarrat idem, & præter eum Dioſcorides *c.* 11. ac Plin. *l.* 12. *c.* 26. & *l.* 33. *c.* 4. unde colligere eſt, non magis hujus folii notitiam habuiſſe Veteres, quàm piperis, zingiberis, & ſerici, de quibus multa quoque tradidêre vero non conſentanea. Cœterùm uſum ejus quod attinet, mira ei ineſt vis ſtomachi corroboratrix; & linguæ ſubjectum commendat odoris ſuavitatem. Sed & ſirpeis hujuſmodi foliorum plenis ſtratorum vice, Seſatas uſos eſſe, Auctor *Peripli* præfatus refert: Βησάδας vocatos *Ptolemæo*, populos Indiæ extra Gangem. Hos enim ex interiore regione quotannis ad confinia Sinarum venire, cum liberis & uxoribus, tegetibus vel ſirpeis onuſtos, quæ foliis referta ſint vitium folia referentibus, illas ſirpeas ſibi ſubſternere, dum in illis locis agunt: eorum poſtea diſceſſu obſervatô Sinenſes ad ea loca accedere & in ſtratis, quæ reliquiſſent illi, malabathri folia reperta, eô, quô diximus modô, præparare, ait, &c. E quibus omnibus conficit Salmaſ. Veterum *Malabathrum*, non aliud eſſe à *Betre*, Indorum hodiernô foliô celebratiſſimô. Vide eum *ad Solin. p.* 1059. *& ſeqq.* & ſuprà in voce *Betre*, item *Folium*.

MALACA, vide *Malacha*.

MALACCA, urbs Indiæ extra Gangem: ubi aër mirè inſalubris. Caput eſt regni cognominis in parte Auſtrali Aureæ Cherſoneſi ad fretum Malaccæ, è regione Sumatræ. Suberat olim Regi *Ihor*; poſtea occupata fuit à Luſitanis, auſpiciis Emanuëlis Regis Duce Albuquerquiô, A. C. 1529. Tandem A. C. 1640. ab Hollandis capta eſt, poſt obſidionem 6. menſium. Emporium eſt celeberrimum, cum portu capaciſſimo & arce permunita. Linſchot. *Itin. Ind.* Magius *Geogr.* Cùm verò tractus hic inſaluberrimus ſit, diu incultus manſit, nec niſi caſæ ad littus piſcatoriæ ſeptem vel octo reperiebantur, donec numerus, confluentibus ex Pegu, Siam, Bengala, plurimis augeretur: inter quos tandem convenit, ut novam Urbem, Linguam, Rempubl. Legeſque conderent. Et quidem urbs *Malacca* dicta, quæ brevi tempore ita crevit, ut cum maximis & cultiſſimis totius Indiæ certaret: Fuitque id inprimis admirabile, quòd Malaccani novam penitùs linguam excogitârunt, delectis aliarum gentium elegantiſſimis vocabulis, cujus tanta ſuavitas ac nitor, ut hodie per univerſam Indiam communis ſit, ac nemo habeatur doctus vel moribus excultus, niſi ejus peritus ſit. Vartomanus *l.* 6. *c.* 17. tradit, urbem hanc à Rege *Kini* conditam eſſe A. C. 1420. ejuſque incolas à Javanis traxiſſe originem. Reges habuit Muhammedanos, ſub quorum ultimo Alphonſus Albuquerckius eam ad Luſitanos tranſtulit, à quibus ad Batavos delata eſt. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 310. Vide de Lingua Malaccanorum quoque ſuprà in voce *Malabaria*.

MALACHA, ſeu MALAGA, civitas Epiſcopalis, olim ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi, nunc Granatenſi, Hiſpan. Bæticæ, Marcianus *l.* 2. τῶν ἐπιτομῶν *Artemidori*. Plin. *l.* 5. *c.* 2. *Siga oppidum ex adverſo Malacha in Hiſpania ſita, Syphacis regia.* Facit & illius mentionem, *l.* 3. *c.* 1. ut & Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 6. Gentile *Malacitanus. Steph.* Hæc urbs celeberrima eſt ſitu, emporiô, rerumque omnium, & neceſſitati, & voluptati deſervientium, vini inprimis optimi copiâ. Hiſpaniarum Rex armamentarium hîc habet inſtructiſſimum, ex quo perpetuum præſidium in ſuis Africæ oppidis ſuſtentat, atque communit. A Phœnicibus, cum Abdera, conſtructam eſſe annô ante Chriſti adventum 1340. aſſerit *Fr. Tarapha. Malaca* unde dicatur, nulli erit ambiguum, qui legerit hæc Strabonis *l.* 3. Ταριχείας δὲ ἔχει μεγάλας. *Salſamentis autem abundat.* Nempe מלח *Malach* Ebræis eſt ταριχεύειν *Sale Condire.* Unde, מלחא *Malacha* dictum *ſalſamentorum oppidum*, Græcè Μάλακα aſpiratione demptâ. *Baudrando* in ora eſt maris Mediterranei ad oſtium Malacæ fluv. nunc *Quadalquivireja*: cum duabus arcibus probè munitis in colle. 14. leuc. ab Hiſpali in Eurum 23. à Gadibus in Ortum, 22. à Granata in Occidentem. Vide quoque *Merulam*, & *Marianam*. Dicitur incolis *Malaga*, Galli *Malgue*.

MALACHA, vel MALACHATH, Libyæ interioris oppid. *Ptol.*

MALACHBELUS, Solis apud Palmyrenos olim, ubi quoque cultus, nomen: quaſi *Rex Belus.* Nam Belum Syri & Phœnices & multi alii in Oriente populi præcipuô cultu dignabantur, quem Saturnum & Solem eſſe volebant: & quidem, commune hoc cùm eſſet omnium ferè Orientis populorum Numen, peculiare tamen in unaquaque cognomen habuit, dictum *Elagabalus*, apud Emeſſenos; *Mithres* apud Perſas; *Malachbelus*, item *Aglibolus*, apud Palmyrenos, &c. Hinc in vetere quadam *Inſcr.* Rom. θεοὶ πατρῷοι Palmyrenorum, Μαλάχβηλος & Ἀγλίβωλος vocantur; quorum & ſimulachra ibidem habentur in marmore ſculpta, virili habitu, criſpô crine, ſuccincta & tæniata, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſcum in Aureliano. c.* 25. *&* 31.

MALACHIAS, nomen Prophetæ, ex 12. minoribus, ultimi; erat ex tribu Zabulon, Epiphan *de vit. Proph.* & vixit poſt Zachariam, ſub Dario, vel Artaxerxe Longimano. Prædixit abolitionem ſacrificiorum Judaicorum, & inſtitutionem Sacrificiorum Spiritualium, quæ uſque ad finem mundi offerenda eſſent: Vaticinatus inprimis de adventu Chriſti in carnem, & præcurſoris ejus Johannis Baptiſtæ, qui in ſpiritu & virtute Eliæ prius venturus erat: ut ipſe CHRISTUS interpretatur, Matth. *c.* 17. *v.* 12. Conſtat Malachiæ prophetia capitib. 4. Vide Hieron. *præf. in Mal. Origenes* hunc Angelum incarnatum, Judæi Eſdram eſſe voluerunt: refutati ambo ab Euſeb. *in Chron.* Auguſtin. *de C. D. l.* 18. *c.* 36. Cyrill. *in c.* 1. *Mal.* Sixtus Senenſ. *Biblioth. S. l.* 1. &c. In ejus Prophetiam, extant: Acoſtæ *Comm.* fol. Lugduni, A. C. 1641. Balduini *Comm.* Brocardi *Explicatio. Chytræus. Danæus. Draconites.* Grynæi Ὑπομνήματα. in quart. Genevæ A. C. 1582. Martini *Analyſis & Obſervationes* in quart. Groningæ, A. C. 1647. Melanchthonis *Comm.* Polanus. Quadratus. de Quiros. Regius. Sclaterus. Seyfrid. in quart. Stock *Comm.* Angl. fol. Londini A. C. 1641. *Tarnovius.* Varenii *Collegium.* Willii *Comment.* in octav. *Winckelmannus*, &c. Vide Crowæi *Elenchum.*

MALACHIAS, Archiepiſcop. Armachanus, in Hibernia, ſecul. 12. Obiit Claravalle, inter amplexus S. Bernhardi, A. C. 1148. Scripſit prophetias, de vitis Paparum, à Cœleſtino II. &c. Bernhard. *in ejus vita.* Item, *ep.* 315. 316. 317. primus Cœlibatus legem in Hibernia introduxit. Ciacconius *in vitis Pontificum*, Balæus; *de Scr. Angl.*

MALACHINA Veſtis, vide infrà in voce *Molochina.*

MALACHINUS, apud Innocentium III. *l.* 13. *Ep.* 12. *Decem malachinos nobis perſolvetis*; monetæ Hiſpanicæ ſpecies eſt, cujus valor 7. ſolidorum. An quaſi *regalis*, ex Hebr. *melech?* certe hodieque *Real.* nomen eſt monetæ in Hiſpania notiſſimæ. Vide Dominicum Macrum *in Hierolexico.*

MALACHUS, vel MARACHUS, Poëta Syracuſanus, Ariſtoteli *in Quæſtionibus* memoratur, qui nunquam meliùs ſcribebat, quàm cum irâ percitus ad carmen accedebat.

MALACIA, civitas, quam Philoctetes, quum ob Paridis necem in morbum fœmineum incidiſſet, eoque nomine erubeſceret, deſertâ patriâ condidit, & ex re *Malaciam* dixit. Cæl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 1.

MALACIA, in mari Atlantico, prope Guineam & ſub Æquatore perpetuô ferè, nec ulla ibi aëris motio eſt, niſi quam Ecnephiæ ſubinde cient: Quæ una ex cauſis eſt, cur Guineæ littora tantoperè fugiant, qui ex Europa in Indiam abeunt, vel ex India domum revertuntur. Sæpenumero enim integrum ibi menſem naves, antequam à littore in profundum Oceanum ſubvehi poſſint, hærere coguntur, Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2. §. 12.

MALACUS, vetus autor de finibus Siphniorum ſcripſit. Athen. *l.* 6.

MALÆA, Arcadiæ urbs. *Pauſan. l.* 8.

MALÆI, populi Indiæ, citra Gangem, intra montes Malabariæ, verſus confinia Coromandelis regionis juxta ditiones Principis Maduræ; *Maleas* vulgò. Ibi plurimi Chriſtiani *S. Thomæ* dicti.

MALÆI Colon, Aureæ Cherſoneſi promontorium. *Ptol.* ubi *Malacha, Varrerio*, emporium Indiæ ulterioris.

MALALAI, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 35.

MALALEEL, fil. Cainan, natus A. M. 396. genuit. Jaredum, A. M. 461. Obiit an. 1290. Gen. *c.* 5. *v.* 12, 15, 17. Luc. *c.* 3. *v.* 37. *Salian. Torniell.*

MALAMANTUS Amnis, cum Soaſto fluvio Cophe, qui in Peucelaïtide oritur, receptus, ab ipſo in Indum fluv. defertur, *Arrianus*, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 593.

MALANIUS, Oenotrorum urbs mediterranea. *Steph. Maida* hodie eſt *Barrio.* In Calabria ulteriori ad Metaurum fluv. à Neocaſtro 8. mill. paſſ. in Meridiem, Hipponium verſus 16. Dicitur etiam *Malanium* & *Melanium.*

MALAPART Carolus, vide *Carolus.*

MALASAR, vel MELSAR nomen viri, Dan. *c.* 1. *v.* 11.

MALASSES, Rex Lazorum, ævo Trajani Imperat.

MALATESTA Sigiſmundus, vide *Sigiſmundus.*

MALAXUS Johannes, ſcripſit græcè hiſtoriam Patriarchalem Κωνσταντινουπόλεως, Conſtantinopoli, A. C. 1578. ubi ſummâ cum inopiâ conflictatus vixit, ut *ex literis* Gerlaci, ad Martinum Cruſium, patet. Voſſ. *l.* 4. *de Hiſt. Græc. p.* 493. *Nic. Loydius*

MALBERGIUM ſeu MALLOBERGIUM, in *L.* Sal. *tit.* 56. & 59. idem cum *Monte Placiti*, in *LL.* Malcolmi, locus fuit, ubi publici nonnunquam Conventus ſeu *Malla* vel Placita, tenebant & agitabant Veteres, in quibus publicæ privatæque cauſæ diſceptabantur ac judicabantur. Cujuſmodi locorum appellationes ad 200. ferme repræſentat Editio Legis Salicæ Heroldina; & in Brabantia, Taxandriæ pago, earum veſtigia extare pluribus oſtendere conatus eſt Gottefr. Wendelinus *in Natali ſolo Legis Sal.* Certè in *L.* Salica ſubinde Conventum & Locum, in quo illud judicium prolatum, obſervare licet: & poſterioribus ſeculis idem obtinuit in *Aſſiſus*, quæ ut plurimum à locis, ubi tenebantur, nomen ſunt ſortitæ. Nomen à *Mallo* ſeu Placito, & *Monte* Germ. *Berg.* Qui enim ad Placitum conveniebant, quò in communi loco reſidere viderentur, ubi eſſet plena & integra judiciorum libertas; eò terræ ſuæ, cujus nempe eſſent domini, aliquantulam congeriem deferebant, ut, dum ſimul & omnes unâ miſcerentur, eſſet locus omnibus communis & *omnium terra*, uti ait Skenæus. Quò facit vetus *Charta*, deſcripta à Frehero *in Originibus Palat. l.* 1. *p.* 48. *De Burganthar in Cicheshart, ubi Rado Domini Regis Miſſus fecit tumulum in confinio ſilvæ, quæ ad Michlin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

chiinſtatt pertinet. Ibidem infrà, alterius tumuli *Walinehoug* dicti mentio fit: unde omnino colligitur, in tumulis olim Placita habita, &c. Ab eodem autem *Malbergii* vocabulo, deductam Turris *de Maubergeon*, in urbe Pictavenſi, appellationem, cenſet *Beſlius*, quòd eo loci pridem judicia & malla publica exercerentur. At à *Malbergione* potius, Vicecomitis de Caſtello Airaldi conjuge, quam Guilielmus Comes Pictavienſ. ſpret à Hildegardi propriâ uxore ſibi junxerit, id nominis turri inditum eſſe, mavult Car. du Freſne *in Gloſſar.* ex Orderico Vitali *l.* 12. *p.* 859. Vide quoque infrà, *Placita Principum.*

MALBODIUM, oppid. Hannoniæ, ad Sabim fluv. medium inter Montes ad Boream & Avenas oppid. ad Auſtrum 4. leuc. Vulgò *Maubenge.*

MALCECA, Hiſpan. oppidum inter Cordubam, & Emeritam *Antonin. Ferrario* autem eſt inter Cætobricam, & Saladiam 20. mill. paſſ. *Marateca* hodiè *Jacobo Vaſconcello.*

MALCHIO, presbyter Eccleſiæ Antiochenæ, magni nominis, Rhetoricam docuit. Scripſit contra Paulum Samoſatenum, cujus fallacias, in Synodo Antiochena, contra eum congregata, præ aliis deprehendit: unde is damnatus, excommunicatus ac ſede Epiſcopali deturbatus eſt. A. C. 272. &c. Euſeb. *Hiſt. l.* 7. *c.* 23. & 24. Hieron. *de Scr. Eccl.*

MALCHUS, nomen ſervi ſummi Pontificis, cui Petrus auriculam abſcidit. Joh. *c.* 18. *v.* 10.

MALCHUS, Hiſtoricus, ſcripſit hiſtoriam ſecundum Photium, *in Biblioth. cod.* 78. à 17. an. Leonis Imperat. uſque ad mortem Nepotis. libris. 7. Secundùm *Suidam*, à Conſtantino uſque ad Anaſtaſium, ſub quo vixit. Ejus puritatem & elegantiam laudat *Photius*, commendatque illum, velut Hiſtorici conſummati exemplar. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 21. Geſner. *in Biblioth.* Hôc nomine etiam dictus Porphyrius, teſte ſeipſo *in vitâ Plotini*: Βασιλεὺς τοὔνομα τῷ Πορφυρίῳ ἐμοὶ προσῆν, κατὰ μὲν πάτριον διάλεκτον Μάλχῳ κεκλημένῳ. *Nic. Loydius.*

MALCOÆ, Libyæ interioris populi. *Ptol.*

MALCOLMUS, vel MILCOLUMBUS I. Scotiæ Rex fil. Dungali, vel Donaldi VI. ſucceſſit Conſtantino III. per ann. 15.

MALCOLMUS II. fil. Kenneti III. ſpe regni dejectus, aliquamdiu exulavit: poſt mortem verò Grimi, agnati ſui, eô potitus, effecit ut hæreditarium in poſterum eſſet, legibuſque egregiis latis, diviſit in Baronatus. Obiit A. C. 1040. regni 30.

MALCOLMUS III. fil. Duncani, vel Donaldi, ex Sybilla Northumbrica, Machabelis ſucceſſor, A. C. 1057. Pius & egregius Princeps, ad Anglorum imitationem, apud quos diu exul vixerat, Comitatus, Marchionatus, Baronatus, &c. in regno inſtituit: ingenti prædâ ex Angliâ, in quam ſæpe excurrit, A. C. 1050. actâ. Obiit A. C. 1094. regni 36.

MALCOLMUS IV. fil. Henrici Principis Scotiæ, nepos Davidis, huic ſucceſſit, A. C. 1153. Prudenter ſuborientes turbas pacavit, Obiit A. C. 1165. regni 12. Buchanan. *Hiſt. Scot.*

MALDIVÆ, Gallis *les Maldives*, Inſulæ Indiæ, in mari Indico, ferè 130. leuc. à promontor. Comorino in Ortum, majori ex parte ſatis parvæ. Extenduntúrque à Septentrione in Meridiem per 300. circiter leucas numero 10000. Sed dividuntur in 13. partes, *Atollons* dictas: nempe. *Tilladou Matis*, Luſitanis *Cabeza des Ilhas* i. e. caput Inſularum, *Milladove Madoué*, *Padypola*, *Malos Madou*, *Ariatollon*, *Male Atollon*, ubi Mala Inſul. *Poulisdou*, *Moluque*, *Nillandoux*, *Collomadoux*, *Adoumatis*, *Savadou*, *Addou*, & *Poue Molluque*; quæ duæ ultimæ pro una cenſentur. Sub Rege proprio, cujus ſedes in *Male* Inſul. circuitus 5. mill. paſſ. Vide *Franc. Pirardum*, *Aremoricum.* Hinc *Archipelagus Maldivarum* nomen habet. Multitudinem hanc intercurſantes Euripi faciunt, adeò anguſti, ut alibi navium antennæ jubas arborum deterant, alibi etiam qui valentiores ſunt viribus, ramô quôpiam manibus apprehenſô, ex una in alteram inſulam transmittant. Vide Franc. Pirardum, *deſcr. Maldiv.* Maffæum & Linſchotum, *hiſt. Ind.*

MALDONATUS Johannes Andaluzius, Jeſuita, Theologiam Lutetiæ docuit annis 10. inde à Gregorio XIII. Romam vocatus, ibi vigiliis laboribuſque fractus, obiit, in lecto mortuus repertus à famulo, qui illum ad cœnam vocatum venerat, A. C. 1583. æt. 57. Scripſit *Commentarios in IV. Euangeliſtas*, *in IV. Prophetas* &c. ut videre eſt apud Anton. Teiſſier *in Elogiis.* Ex Calvino & Beza multa tranſcripſiſſe, Scaliger docet *in Scaligeranis*. In juventute ingenii oſtentandi cauſâ, lectionibus duabus contrariis, *Deum eſſe* & *Deum non eſſe*, probare fuiſſe conatum, refert Paſchaſius *Catech. des Jeſuit. l.* 2. *c.* 7. Alius ejuſdem nominis, Presbyter Burgenſis, ſcripſit *Epitomen Vitæ SS.* & *Paræneſin ad literas politiores.* Vide & *Johannes Maldonatus.*

MALDRA, fluv. Galliæ, vulgò *Maudre*, vel *Modre*, Criſciacum, Nelſam villam *Neoſle la ville*, Maroilum *Mareüil*, Mauliam *Mole*, Avenacum, Spedonamque alluit, ac paulo ſupra Meduntam in Sequanam effluit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MALDUINUS, Scotiæ Rex fil. Donaldi ſeu Donevaldi IV. ſucceſſit Ferquardo II. A. C. 668. uſque ad A. C. 688. quô Eugenius IV. hujus nepos thronô potitus eſt. Buchanan. *hiſt. Scot.*

MALDUNENSE Cœnobium, oppid. Viltoniæ, 35. mill. paſſ. in Boream à Salisburia. *Malmesbury.*

MALEA, Lesbi promontorium è regione Mitylenes. *Thucyd.* Mons item Taprobanæ apud *Ptol.*

MALEA, promontorium Peloponeſi in orâ Auſtrali Laconicæ, per 50. mill. paſſ. in mare protenſum, adverſiſque ventorum flatibus navigationem reddens periculoſam. Unde factus eſt locus proverbio; *Cùm ad Maleam deflexeris, obliviſcere quæ ſunt domi.* Poëtæ pro licentiâ ſuâ mediam ſyllabam nunc producunt, nunc corripiunt. Producunt Ovid. *Amor. l.* 2. *Eleg.* 6.

Nec timeam veſtros curva Malea ſinus.

Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 16.

——— *Raucæ circumtonat ira Maleæ.*

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 18.

Præbeat hoſpitio ſæva Malea ſuo.

Corripiunt Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 193.

——— *Maleæque ſequacibus undis.*

Val. Flac. *l.* 4. *Argon. v.* 261.

——— *Maleæ velut arce fragoſâ*
Turbo rapax.

Dicta à *Maleo* Argivorum rege, qui in eâ pulchrum templum conſtituit, quod *Maleaticum* appellavit. *Maleum* Plinio *l.* 4. *c.* 5. *Cabo Malio Sophiano*, *Capo Malio di S. Angelo Brietio*; 10. milliarib. à Cythera Inſul. in Boream Hinc *Maleus* ſinus, qui & *Aureus* à latronibus, teſte Floro *l.* 3. *c.* 6. Iſacius *in Lycophronem*, ſcribit *Aſini maxillam* à formâ vocari. *Ptolemæo* tamen duo diverſa loca ſunt, in quorum medio *Boæ* ab eo deſcribuntur.

MALECENA, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

MALECONTENTI, vide infrà *Politici.*

MALEDICTA, nomen ſylvæ, in Germania, ultra Hanoviam Urbem ſic appellata, quòd nullâ glande proſit. Ajunt autem, inter diſceptandum, de uſu glandium, excidiſſe execrationem, quæ hactenus teneat, ob temeritatem voti & iniquitatem facti. Itaque incædua eſt, ne infortunium ædificiis adhibita attrahat. Auctor Anonymus *Sina* & *Europa c.* 35.

MALEDICTIO Numinis divini vide ſuprà in voce *Blaſphemia.* Sed & *Maledicta* liberioreſque voces, imò quæcunque minus religioſè, minus ſerviliter dicebantur de Imperatoribus, graviſſimis pœnis vindicata legimus. Donec Theodoſius, Arcadius & Honorius AAA. conſtitutionem ſanciverunt ſanè mitiſſimam in eos qui *maledixiſſent* Imperatori, ut videre eſt C. *de famoſorum carm. coërcit.*

Sì mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt;
Judiciumque ———

Deſid. Heraldus *ad Arnob. l.* 4.

MALEDRINI, apud Hieron. *dalla Corte Hiſtor. Veron. l.* 6. *p.* 309. ſeu *Malandrini*, apud Thom. Walſinghamum *in Henrico V. p.* 388. Latrones ſunt ſeu Graſſatores, voce Italicâ ſic dicti, a *malandria*, equini morbi ſpecie, Gallis *Malandre*, cujus meminit Vegetius *de Arte Veterinar. l.* 2. *c.* 42. Sed & ſic Franci, dum in Syria morarentur, latrones vocabant, ab Ægyptiis & Arabibus, quibus familiare cùm ſit latrocinia exercere, inde eos per contumeliam ut leproſos pleroſque *Malandrinos* appellabant. Elephantiaſin enim morbum eſſe Ægyptiis adeo familiarem, ut nec Regibus ipſis parcat, tradit ex Marcello Empirico *c.* 19. Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide hîc ubi de *Lepra* ac *Vitiligine.*

MALEFICÆ, vide *Lamiæ.*

MALEG, vulgò quoque *Maleg*, fluv. Æthiopiæ ſuperioris. Oritur in regno Damuti, dein recipit fluv. Anquetum, & poſt 80. leuc. conjungitur Nilo, in Nubia, infra provinc. *Faſculon.* Is. Voſſ. *diſſ. de Nilo.*

MALEGUETTA, ora Guineæ, maximè in Occaſum extenſa, inter oram Dentium ad Ortum & montem Leonis ad Occaſum, ubi primùm aliquot coloniæ Francorum jam ab A. C. 1636. dein Luſitanorum, poſtea Anglorum & Batavorum; *Tand. Cuſt.* hiſce, Gall. *Maleguette*; Ibi aliquot regna & portus, uti parva Deppa, Seſtrum ſeu Lutetia, fluv. Sanguinius & Gojana; nullæ urbes. Dicitur *Coſte de Graives* Gall. Aliis hæc ora reſtringitur, inter promontorium Palmarum ad Ortum & fluv. *dos Seſtos* ſeu Seſtrum ad Occaſum Hîc celebre piperis commercium, arbores ingentes, aër peregrinis infeſtus, incolæ robuſtiſſimi & in ferro elaborando ingenioſi, varia frugum genera, venatio opima, & vini ex palmis expreſſi vis ingens. Villaut *Relat. littor. Afr.*

MALELA Johannes, vide *Johannes.*

MALEMBA, regnum Africæ, inter Angolæ regnum, & lacum Zambre. Marmol. & Joh. Leo, *deſcr. Afr.*

MALEMORTIUM, oppid. Provinciæ, ad Druentiam, medium ferè inter Avenionem ad Occaſum & Aquas Sextias ad Ortum. Vulgò *Malemort.*

MALENA, Atarnitidis regionis locus. *Herodot.*

MALENNIUS, Daſummi fil. Salentinorum Rex, Lupias condidit, inter Majores Marci Imperat apud Capitolin. *in Marco c.* 1.

MALEOS, ex Ebudibus inſulis una. *Ptol.* Hodie *Mul* Scotis, aliis *Mula.* Inſul. ampla Scotiæ, verſus oram Occidentalem ab eo exiguô fretô diviſa, prope Loquabriam & Lorniam provincias. Circuitus 60. milliar. Scoticor. Ibi 14. caſtra cum aliquot villis 55. mill. paſſ. ab Hibernia. Metallifera eſt & unionibus clara. Emporium etiam Æthiopiæ, *Idem.*

MALETHUBALUS, Mauritaniæ Cæſarienſis mons. *Ptol.*

MALETUM, *P. Diacono*, *Lazio Malzan*, caſtrum Cenomanorum, in Tridentinorum finibus.

MALEVENTUM, Campaniæ urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 11. *Hirpinorum colonia Beneventum, auſpicatius mutatô nomine, quæ quondam adpellata Maleventum.* Livius *l.* 9. *c.* 27. *Cæſi, captique Samnites, niſi qui Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen eſt, perfugerunt.*

MALEVOLUS, cognomen Mercurii. Vide infrà

MALEUS, mons Indiæ ſub Æquatore, *Martianus Capella*, & Plin. *l.* 6. *c.* 19. Solin. *c.* 55. juxta Palibothram urbem ſtatuit. In Oretum gente deſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 73.

MALHERBE Franciſcus, Poëta celebris, Cadomenſis, ex illuſtri familia, & bello contra Anglos olim clariſſima. Patre Euangelii doctrinam amplexô, indignatus in Provinciam abiit, ductâque ibi uxore, numeroſam prolem, ſed cui omni ipſe ſupervixit, ſuſcepit. A' Cardin. Perronio Henrico IV. commenda-

tus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tus, ſub ipſo & Mariâ de Medicis, regiâ munificentiâ, lautè vixit. In converſatione paulò moroſior, verborum parcus, aliorum contemtor: Poëſi Gallicâ, imo totâ linguâ patriâ ad ſupremum puritatis & elegantiæ culmen perductâ, Obiit A. C. 1628. ætat. 73. Vide Balſac. *entr.* 31. & 37. &c.

MALIACA, Hiſpan. Tarraconenſis urbs. *Ptol.* vulgò *Malgrado.*

MALIACUS *Sinus*, *Lamiacus Pauſaniæ*, *Melicus Thucydidi Melis Herodoto*, ſinus Phthiotidis, partem Theſſaliæ alluens, & Locros Epicnemidios. *Golfo de Ziton Sophiano*, *Volo* tamen *Theveto* dicitur.

MALIANE, Arachoſiæ oppid. *Ptol*

MALIAPURA, urbs Indiæ citerioris in ora ſinus Gangetici, & tractu Coromandelis. Hîc, in templi veteris ruderibus, S. Thomæ cadaver repertum, indeque Goam tranſlatum eſſe, credi vult *Maffæus.* Aliter *urbs S. Thomæ*, ſeu *Meliapora.* Vide ibi.

MALIAS, Hiſpan. oppid. *Appian.*

MALIATTHA, Arabiæ Petrææ urbs. *Ptol.*

MALIBA, Indiæ urbs extra Gangem. *Ptol.*

MALICHIS, Antipatrum venenô necavit, an. Urb. Cond. 711.

MALICHUS, Inſul. cujus meminit Solin. *c.* 60. *Malchu* Plinio *l.* 6. *c.* 29. in Sinu Arabico, nomen habuit ab aliquo *Malicha* Regulo: quemadmodum in eodem Sinu multæ aliæ Inſulæ denominatæ ſunt, Αἴνȣ, Σωκράτȣς, Πολυβίȣ, Σιμαγένȣς, Ἀδάνȣ, quæ nomina ſunt hominum propria, à quibus Inſulæ illæ vocatæ ſunt: Μαλίχας vel Μάλιχος certè nomen eſſe proprium, ex quo contractè Μάλχος, notum, Lat. *Rex.* Quô nomine inſigniti occurrunt Porphyrius Philoſophus, Sophiſta quidam Byzantinus, alius qui vitam Pythagoræ conſcripſit, ut omittam eum, quem exauriculârit Petrus. *Peripli* auctor Nabathæorum Regem Μαλίχαν appellat, & propriô nomine ſic appellatum oſtendit: δι' ἧς ἐςὶν εἰς πέτραν πρὸς Μαλίχαν βασιλέα Ναβαταίων. Hirtius quoque *l.* 1. *c.* 1. *de Bello Alexandr. Malchum* nominat gentis hujus Regem, *Equites ab Rege Nabatæorum Malcho evocat.* Sic apud Romanos etiam, gentilitium ac proprium nomen, *Rex* fuit, ut ille *Rex Rupilus*, apud Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. &c. Salmaſ. *Exercitat. ad Solin. p.* 1264.

MALIDENSIA Coa, apud *Lucretium*, i. e. male denſata, Vide Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadriano. c.* 10.

MALIGNUS, Satanæ epitheton frequens, apud Veteres Aldhelmum imprimis, cujus poëma edidit atque partem *Antiquarum* ſuarum fecit Henr. Caniſius; ſed mendis paſſim graviſſimè deformatum. Ita autem is *p.* [illegible]. in *Athanaſio*,

Tum pius Antiſtes, detectâ fraude malignâ,

Ubi ex membranis Oxonienſibus, *Gronov.* reponit: *Maligni.* Satanam enim intelligit, de quo mox: *extollit vipera cæphal.* In *Hierem.*

Et Regnum cœli, deſtructâ fraude Maligni.
Ædificet.

In *Silveſtro*: *ſublatâ fraude Maligni.* Quemadmodum etiam ſcribendum videtur *ſeq. p.* ubi Numerianum ait intrare voluiſſe Eccleſiam, *ſtrophâ ſtimulante Maligni*, non *malignum.* Pro quo, *in Juliano*, *ſtrophâ ſtimulante draconis.* Sic in *Eugenia*, eidem memoratur quædam matrona, *ſtimulis agitata Maligni:* ut quidem in membranis legitur; nam hîc quoque editum *malignis.* Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 15.

MALII, populi circa Meſopotamiam. Strab. *l.* 16.

MALIMNUS, Siciliæ mons, malis, hoc eſt, pomis refertus. *Theocritus*, vel ut habet ejus Scholiaſtes locus paluſtris non procul à Crotone. Στομάλιμνον legi: *Caſaubon.*

MALINA, æſtus maris vehementior, ut *Ledo* mitior: an à Germ. *Mallen*, furere, inſanire. Virg. *Æn.* 1. *v.* 102.

——— *Furit æſtus arenis.*

Anglis *the ſpringh tyde*: Xantonenſibus in Gallia, *Maligne.* Quotidiana inundatio bis in die quovis per horas 24. ſemper peragitur, & per alternatas ſeptimanas *Ledonis & Malinæ* viciſſitudo comitatur. Sed *Ledo* ſex horas inundationis & totidem receſſus habet. *Malina* verô grandis, per 5. horas ebullit, & per 7. horas littorum dorſa retegit: tantâ cum Luna concordiâ, ut, antequam Luna naſcatur, tribus diebus & 12. horis ſemper incipiat, & poſt naſcentis Lunæ principia, alias tres dies & 12. horas habere conſueſcat. Similiter & ante plenilunium 3. diebus & 12. horis incipit, & poſt totidem temporis curſus ſui terminum conſumit. Sex verò unius cujuſque temporis *Malinas*, Veris ſcil. & Æſtatis, Auctumni & Hyemis, ſecundùm Lunarem ſupputationem, hoc eſt, ſimul omnes 24. unuſquiſque communis annus habet, exceptis emboliſmis, qui 26.) *Malinas* retinent: & uniuſcujuſque de prædictis temporibus mediæ duæ, videl: Æquinoctia & aliæ, quando vel dies vel nox curſus ſui terminum conſumit, ſolitò validior & inundatione altior fieri conſuevit, interpoſitis verò ſpatiis iterum tantundem ſemper *Ledo* intermittitur. Vide Henr. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

MALIPPALA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

MALLABA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

MALLADA, urbs Perſica. *Steph.*

MALLÆTA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

MALLAGUETTA, Gall. *Mallaguette*, regio Guineæ latè ſumptæ; in ora Oceani, inter Guineam propriam ad Ortum, & Nigritiam ad Boream & Occaſum, Oceano Atlanticô à Meridie alluitur. Ibi aliquot regna minoris famæ, & quædam Europæorum coloniæ. Ejus pars ad Ortum *Maleguetta.* Vide ibi.

MALLEA, ſeu *Malleacum*, urbecula Pictavenſis provinciæ Epiſcopalis *Mallezais.* Intra paludes, ægrè propter aëris inclementiam habitata. 1. alteroque milliari à Separa fluv. 8. leucis à Rupella in Cæciam 2. à Fontenæo Comitis in Meridiem: 4. à Niorto in Occaſum. Olim ſedes Comitum Pictavienſium, & Ducum Guiennæ fuit, qui ibi templum magnificum S. Hilarii extruxêre. Sub Roberto dein Rege, Guilielmus V. comes, ibi Abbatiam fundavit, A. C. 1030. quam in Epiſcopatum vertit Johannes XXIII. A. C. 1317. qui tamen tranſlatus eſt poſtmodum Rupellam, A. C. 1648. Bouchet. *Annal. Aquit.* Ducheſnius, Sammarthan. *Gall. Chr. T. III.* Morerius *Dict. Hiſt.* &c. Vide quoque *Malliacum.*

MALLEA, vide *Malliæ.*

MALLEATOR ballucis Hiſpan. apud Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 57.

Illinc balucis malleator *Hiſpanæ*
Tritum nitenti fuſte verberat ſaxum.

eſt Hiſpani auri malleator. Vetus *Inſcr.* SIGNAT, SUPPOSITORES. MALLIATORES. MONETÆ. CÆSARIS. Sic nempe vocabantur, qui monetas feriebant & malleis formas incudebant. Unde illa, *ære, argento, auro flando feriundo.* Sunt autem *balluces*, minuti auri calculi, ψῆφοι, ψήγματα. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 277.

MALLEO, oppid. non obſcurum Galliæ, caput vallis Subolæ, qui pagus eſt ſub radicibus montis Pyrenæi, Elloronenſis Eccleſiæ finibus incluſus: vulgò *Mauleon de Sole.* Munitur arce veteri, in loco edito. ad Saſonem fluv. troctis optimi ſaporis abundantem, *le Gave du Saiſon.* Olim ſub dominis, qui Vicecomites Subolæ dicti ſunt. *Hadr. Valeſ.*

MALLEO, oppid. Pictonum, *Mauleon*, in limite provinc. Andegavenſis, 11. ab Andegavo in Meridiem leucis. Patria Henrici Spondani Epiſcopi Apamiarum.

MALLEO, vulgô *Mauleon de Soule*, oppid. Aquitaniæ, in regiuncula Solenſi; inter Navarram inferiorem & Beneharniam. V. ſuprà.

MALLEOLI, ut habet *Nonius*, fuêre manipuli ſpartei, pice contecti, qui incenſi aut in muros aut in teſtudines jaciebantur: De iis ita Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 4. *Malleoli*, inquit, *teli genus*, *figurantur hâc ſpecie: ſagitta eſt cannea inter ſpiculum & arundinem multifidô ferrô coagmentata, quæ in muliebris coli formam quô nentur lignea ſtamina, concavatur, ventre ſubtiliter & plurifariam patens atque in alveo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento. Et ſi emiſſa lentiùs arcu invalidô (ictu enim rapidiore extinguitur) hæſerit uſquam, tenaciter cremat: aquiſque conſperſa acriores excitat æſtus incendiorum, nec remediô ullo, quàm ſuperjectô pulvere, conſopitur.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 17. At *Malleolum*, in arte Accipitraria, eſt ſacculus quidam ligneus capax longitudinis & groſſitiei corporis falconis recens capti, qui perforatur utrinque, ita ut caput & cauda liberè tranſeat, quò ſic falco abſque læſione domum transferri poſſit, ut habetur apud Fridericum II. Imperatorem *de Venatione l.* 2. *c.* 44. De *Malleolis pedum*, eorumque apud Veteres ornamentis, vide ſuprà aliquid, voce *Lunulæ.*

MALLEOLUS Felix, vide *Felix.*

MALLEUS, inter arma dimicantium, clava fortè vel gladius ipſe, in *Geſtis* Philippi II. Francor. Regis A. C. 1279. Sed & metaphorâ à *malleo* deſumptâ, nomen hoc ad Bellatores inſignes non rarò tranſiit. Apud Jeremiam *c.* 50. *v.* 23. & *c.* 51. *v.* 20. Nebuchodonoſor certe, *Malleus univerſæ terræ* dicitur; quemadmodum Belphetum Turcicum Sultanum, Guilielmus Tyrius *l.* 1. *c.* 9. ſimiliter vocat. Saladinus, *Malleus Chriſtiani nominis* & Alexander M. *totius Malleus orbis* appellatur, Wilhelmo Neubrigenſi *l.* 3. *c.* 10. & Jac. de Vitriaco *l.* 3. *p.* 1132. Inprimis celebris ille Francorum Carolus, modò *Tuditis* nomen habuit, à contundendo hoſtes, modò *Mundi malleus* dictus eſt. Hinc in *Epitaphio* illius,

Iſte Brabantinus Dux primus in orbe triumphat,
Malleus in mundo, &c.

Præcipuè autem *Martellus* cognominatus eſt, quæ vox *mediocrem malleum* notat, auctore *Papiâ.* Vide *infrà.* Apud Iſlandos olim, gentiles Conventus habendi ſignum fuiſſe *Ceſtram & malleum Jovis*, docet Janus Dolmerus, *ad Jus Aulicum Norvagic. vetus p.* 499. Ita autem *de Malleis Jovialibus*, Saxo Gramm. *Hiſtor. Dan. l.* 13. *Magnus*, inquit, *inter cœtera trophæorum ſuorum inſignia, inuſitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant, apud Inſularum quandam priſcâ virorum religione cultos in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum cauſas uſitatâ rerum ſimilitudine comprehendere*, malleos, *quibus cœli fragores fieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptiſſimè tantæ ſonoritatis vim fabrilium ſpecie imitandam exiſtimans*, apud *Car. du Freſne.*

MALLEUS, in aviariis ſuſpenſus, contra urſorum inſidias, memoratur Auctori Anonymo *Sinæ & Europæ c.* 38. *In vaſtis Sarmatiæ ſylvis, ubi in cavernis abietum ſedes habent apes, urſi mellis cupiditate, felium more aſcendunt: adversùs quos Apiarii* malleum *ingenti pondere ſuſpendunt ante apum veſtibula eâ arte, ut urſus malleum amoturus eò feriatur vehementiùs, quò majore impetu malleum repellit.* Cæterùm *Malleus* Vulcano, ut Fabrilis Artis præſidi, appictus olim, vide ſuprà, ubi de illa: ut & infrà voce *Pilamalleus.*

MALLI, Indiæ populi circa ortum Indi fluvii incolentes, qui cum Deriade Baccho reſtiterunt. *Steph.*

MALLIA, Gall. *Maille*, hodie moneta eſt minutior ac vilioris pretii; olim verò argenteis quoque & aureis vox iſta tributa. In veteri certè *Regeſto* Communis Ambianenſis, à Joanne Bargulio, deſcripto A.C. 1453. complures recenſentur; monetæ aureæ, quæ *Malliæ* nomenclaturâ donantur, cum earum pretio, ſcil. *Malliæ Ultrajectenſes*, *Malliæ Moguntinæ & Bethunienſes*, *Malliæ Trevirenſes*, *&c.* Alias *Mallias* recenſet Robertus Cenalis ævô ſuô notas, *Mallias au Chat*, *Mallias au Chien & Mallias de Horne* ſeu Hornenſes. Nec dum *Malliarum Florentinarum* omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

no exolevit appellatio: ut alia taceam. Nempe à *Medalliis* effinxerunt Galli ſuum *Maille*, quod pro monetis ex quovis metallo conflatis uſurpatum conſtat, Car du Freſne *Diſſertat. de Inferioris ævi numiſm. num.* 102. & in *Gloſſario*, in voce *Moneta*: ubi ei memorantur *Malliæ albæ*, Gall. *Mailles Blanches*, ſub Philippo Rege A. C. 1303. *Parvæ Malliæ*; Gall. *Petites Mailles*, ſub Carolo VI. & *Malliæ Turonenſes*, Gall. *Mailles Tournoiſes*, ſub Carolo VII. ponderis 15. gran. leg. 18. gran. pretii ſemiſſis Turonenſ. cum cruce pedata & inſcriptione OBOLUS. In averſa parte lilium eſt, cum Inſcriptione KAROL. REX. Apud Anglos Scotoſque *Blakmale*, h. e. *Blanca Mallia*, dictum eſt tributum; quod limitanei utriuſque Regni Magnati alicui vicino pendebant, ut à prædonibus ultro citroque irruentibus tuti eſſent, eo quòd, pro pendentium tenuitate, ære vel obſoniis plerunque præſtaretur, non argentô; vel quòd tenue eſſet ac æreum numiſma, à Saxonico *black*, i. e. niger & voce *mallia*, quâ minutiorem monetam indigitari ſolitam, diximus. Idem in voce *Blakmare*. Vide quoque infrà *Maſculum*.

MALLIA *Aquæ*, apud Thermopylas in Phthiotide, & apud Oeten montem videtur, ubi Maliacus ſinus, qui & Oetæus. Catul. *Epigr.* 60.

Cùm tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Mallia Thermopylis.

MALLIA Scantilla, uxor Didii Juliani; cum filia Didia Clara, Auguſta appellata eſt, apud Spartian. *in Juliano c.* 3.

MALLIACUM, locus Galliæ, in Pictonibus, amne Altiſiâ *Autiſe* undique incinctus, unde & Inſul. *Malliacenſis* nonnunquam dicitur: veteri Monaſteriô inſignis, Epiſcopatûs poſtea ſedes. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſupra in voce *Mallea*. Aliud *Malliacum*, veteri quoque Monaſteriô & ſepulchrô S. Solemnis illuſtre in Turonum eſt finibus, idque vel *Maillé*, in inſula Ligeris, infra Cæſarodunum Turonum, vel *Maillé* ad Virigendam. fluv. ſupra Inſulam Burchardi, in Turonibus quoque. Idem *Valeſ.*

MALLIACUM, ad Vidulam, locus Galliæ ad fluv. Vidulam: vulgò *Mailly*.

MALLIA, *Antonino* oppid. Brutiorum in ora, inter Scyllæum & Cænidem, cujus rudera hodieque *Mallea*: in Calabria ulteriori à Nicotera urbe 24. mill. paſſ. in Ortum *Barrius*.

MALLIÆUS Simon, vide *Simon*.

MALLIANA, urbs aliàs Mauritaniæ Cæſarienſis; nunc oppid. Teneſæ, in regno Algerii in colle, prope Miromum fluv. 40. mill. paſſ. ab ora maris Mediterranei in Meridiem *Meliane*.

MALLIUS, Varroni *Manilius* & *Manlius*, à Macrobio citatur *Saturnal. l.* 1. *c.* 10. Ejuſdem meminit A. Gellius *l.* 3. *c.* 3. *Verum eſſe comperior, quod quoſdam benè litteratos homines dicere audivi, qui pleraſque Plauti comœdias curiosè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælii, nec Sedigiti nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec* Manilii, *ſuper his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, ſed ipſi Plauto, &c.* Anton. Tyſius JC. *Notis in hunc locum.*

MALLIUS Chilo, ad quem *Epiſtola* Aureliani extat, apud Vopiſcum in *Aureliano. c.* 23.

MALLOIS, *entis*. Vide Steph. *in* Μαλόεις, ſic enim apud illum ſcribitur.

MALLOPHOROS, Ceres in Megaride ſic dicta, quod nomen ei ab illis videtur impoſitum; qui mortalium oves connutrire cœperint. Siquidem lanam dicunt Græci μάλλον, ex quo & iidem eam Μαλλωτὴν vocarunt. Cæl. Rhodig. *l.* 25. *c.* 1.

MALLOS, Ciliciæ oppid. clariſſimum, à *Mallo* conditore ſic dictum, ut ex Callimachi ſententiâ refert *Steph.* Ejus meminit Lucan. *l.* 3. *v.* 227.

Mallos, & externæ reſonant navalibus Ægæ.

Vide Euſtath. *in Dionyſ. v.* 874.

MALLOTÆ, populi nomen. 2 Machab. *c.* 4. *v.* 30.

MALLOTH, fil. Azabiæ. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 44.

MALLUS, mons Indiæ intra Gangem, à quo populi vicini *Malli*. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

MALLUS & MALLUM, apud medii ævi Scriptores, publicus eſt conventus, in quo majores cauſæ diſceptabantur judiciaque majoris momenti, à Comitibus, Miſſis Dominicis, aliiſque exercebantur: à Germ. *Mael*, i. e. congregatio, convivium; vel Saxonico *Mael*, i. e. Jus, lex, Judicium; unde complurium in Belgio locorum ac vicorum nominibus, quòd in iis olim *Malli* habiti ſint, vocem hanc inditam eſſe, obſervat *Wendelinus*. Vide Car. du Freſne & Spelmannum in *Gloſſar.* ut & ſuprà; in voce *Malbergium*.

MALLUVIUM, vide infrà *Mare æneum*.

MALMESBURIENSIS Guilielmus vide *Guilielmus*.

MALMESBURIUM, Burgus Angliæ, Monaſteriô, in veteri Merciorum regno, inclytus: Hodie in Comitatu Viltoniæ eſt. Vulgò *Malmesburi*, patria Guilielmi inſignis Hiſtorici. Hîc conciliô habitô A. C. 705. vel 707. Althelmus loci Abbas ſcribendi contra Paſchaitas mandatum accepit. Vid. Bedam *Hiſt. Angl. l.* 5. *c.* 19.

MALMESBURIUS Oliverius, vide *Olivier*.

MALMOGIA, urbs munita Scaniæ, cum portu capaci, juxta Sundicum fretum, è regione Hafniæ, à qua 4. leucis Danicis in Ortum abeſt, 2. à Lundi in Meridiem, uti 4. à Coronia. Cum arce munita, ab A. C. 1434. Nunc Suecis ab A. C. 1658. ſubeſt. *Malmuyen* ſeu *Ellebogen* vulgò.

MALMUNDARIUM, oppidulum ditionis Leodienſis & Abbatiæ Stabulenſis, ad amnem *Recht*, *Baudrand. Valeſ.* habet ad Warchinnam, piſcoſum rivulum, qui paulo infra in Albam cadit, in limite Ducatus Luxemburgici, Hoc Remaclus, Tungrorum Epiſcopus à Sigiberto Juniore Auſtraſiorum Rege donô accepit, & ſtructô ibi Monachorum cœnobiô, *Malmundarium*, tanquam à malo mundatum atque purgatum, appellavit. Inde haud procul à fluv. Amblava, in finibus diœceſeos Tungrenſis Trajectenſiſve in loco fiſcali, qui *Stabulaus* dicebatur, alterum Monaſterium regiâ pecuniâ exſtruxit; Vulgò *Stavelo* nuncupatum. Idem. Diſtat 2. leucis à Stabulo in Ortum Vulgo *Malmedy*.

MALOBODIUM, vide MALMODIUM.

MALODUNUM, oppidulum Eſſexiæ, ad amnem *Aquam nigram*, vix 7. milliarib. Anglic. ab ora Oceani Germanici aliàs *Camalodunum*. Incolis *Maldon*.

MALOGRANATUM, pulcherrimè floret & frequentes à radice emittit ramos rectos & proceros, qui malis punicis decorantur, ad admirationem ſpectantium; præſertim dum floribus purpureis inſtar calculorum, aut malis vermiculantibus ornantur, uti Romanorum delitiæ ſunt in punicetis. Grana compreſſa ſanguineum fundunt ſuccum, eumque ſapidum & ſalutarem, quem repræſentare ſanguinem Chriſti Patres quidam dixere. *Cyrillus* vult *malo granati* ſignificari Optimates Reipubl. Charitatis certè typum inde ſumere licebit: habet enim grana denſiſſima & conjunctiſſima, inſtar uvæ: adeoque videtur uva pomi, ſicût botrus eſt uva vitis: cortice enim eſt pomum, ſed granis uva & botrus. Adde puniceum vel purpureum, adeoque floris colorem, in amoris ſymbolum. Sicut itaque in malo granato, uno exteriùs cortice, multa interiùs grana uniuntur; ſic plurimos cives & urbes unitas Regni & Regis continet. Et ſicut grana ſuis loculis ſunt ordinata & folliculis diſcreta, ita quoque cives ſuis familiis & collegiis. Unde Veteres Junoni, quæ Regnorum præſes habebatur, malum Punicum dedicârunt & in manu poſuerunt, uti ſpectabatur olim Mycenis, cum alterâ ſceptrum teneret. Et Pontifex Moſaicus, in tunica ima, geſtabat tintinnabula *malogranatis* miſta, quæ unitatem Eccleſiæ ſignificabant, teſte *Eucheriô* & *Gregoriô M.* quod ſcil. multæ gentes conſpirarent in eundem ſonum. h. e. in eandem fidei profeſſionem, Deique laudem, quaſi tintinnabula, & in eandem animorum conjunctionem, quaſi malogranata, &c. Quam in rem vide plura, apud Auctorem Anonymum *Sinæ & Eur. c.* 36. ut & ſuprà in voce *Granatum*, ac infrà *Tuber*. A magno granorum hujus pomi numero, ut Zopyri hiſtoriam omittam, Ovidius quoque comparationem petiit, ut meritorum Sexti Pompeji erga ſe numerum exaggeraret *in Epiſt.* 15. *ex Ponto*

Tempora nam miſeræ complectar ut omnia vitæ,
A meritis ejus pars mihi nulla vacat:
Quæ numero tot ſunt, quot in horto fertilis arvi
Punica ſub lento cortice grana rubent.

MALOMBRA Petrus, vide *Petrus*.

MALORIGES alter, Friſiorum Dux, vacuos agros, & militum uſui ſepoſitos inſedentium. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 54. *Malrich* Teutonice. Unde *Malarichi* nomen Amm. Marcellin. *l.* 14. *c.* 5.

MALOVENDUS, Marſorum Dux, à Romanis, ſub Tiberio, in deditionem acceptus.

MALPAGA, vulgò *Malepague*, carcer Lutevæ, in Gallia, in quem conjiciuntur, à Creditoribus, debitores ipſô factô, inde niſi poſt debita perſoluta non eximendi, Catellus *Rerum Occitan. l.* 2.

MALPICA, nomen illuſtris in Hiſpania familiæ, cum titulo Marchionatus, quæ Riberææ ramus eſt. In hac enim, è Gallæcia oriundâ, Ruis Lopezius *de Ribera* meritis ſub Alfonſo ultimo inclaruit, pater Peraſani, Judicis majoris Andaluſiæ: cujus ex filio Didaco Gomezio nepos Peraſanus, Comitatûs *de los Mòlares* titulos prioribus adjecit, duaſque ſolùm filias reliquit, quæ *Riberanum* nomen Henriqueziis intulerunt. Sed præter hanc præcipuam lineam, Peraſani modò dicti filii etiam ac Didaci Gomeſii fratres fuerunt Rodericus, Conſalvus *Marinno* & Michaël Lopezius, ſinguli peculiarium linearum auctores: Inprimis Paganus (*Payo*) de Ribera Dn. *de Malpica* & *Valdipuſa* atque Mareſcallus Caſtellæ: Verùm cùm hujus filii prole carerent, per filiam Aldonciam ſucceſſio & nomen *Ribera* ad Barroſios tranſlatum eſt; ex his enim Petro Gomeſio iſta nupſerat. Hujus poſteritas huc uſque duravit, & March. *de Malpicâ* nomen nacta eſt, cujus ſeries ſic habet: Petrus Gomezius Barroſus Dn. *de Parla*, modò memoratus, pater fuit, ex Pagani *de Ribera*, Dn. *de Malpica*, filiâ Aldonciâ, Pagani ſeu *Payo Barroſo de Ribera* Dn. *de Malpica*; cui ex Leonora *Carrillo de Mendoza* genitus, Franciſcus I, *de Rib. Barr.* Mareſcallus Caſtellæ, Dn. *de Malpica*, pater fuit, ex Maria *de Figueroa* (fil. Franciſci Alvari Toletani Com. Oropeſæ) Petri Marchionis *de Malpica* Mareſc. Caſtellæ: quo & Catharina *de Ribera* (fil. Peraſani Ducis Alcalæ Proregis Neapolitani) natus Franciſcus II. Marchio *de Malpica*, Mareſc. Caſtellæ; ex Johanne Henriquezia, ſuſcepit Balthaſarum Comitem *de Navamoraz*, Catharinam (ux Henrici Davila & Guzmann. Marſch. *de Povar*) Marianam (uxorem Friderici *de Roxas* & *Guzman* Dn. *de Layos* Com. *de Mora*) Mariam & Agnetem Moniales nominis *de Ribera Barroſo* March. *de Malpica*, Spenerus Theſ. *Part. II. p.* 51.

MALSANE, urbs Arabiæ Felicis *Steph.*

MALTA, vide *Melita*.

MALTA, vide *Cereviſia*.

MALTANUS, Tuſciæ portus. *Antonin.*

MALTECORÆ Indiæ gens. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

MALTHACE, inſula haud procul à Corcyrâ. *Plin. l.* 4. *c.* 2.

MALTHARE, antiquiores Latini dixerunt, pro *Solidare*. Variæ autem fuere *malthæ* compoſitiones, quâ res fractas iterum componebant & *malthabant*. Sic inter alia *maltham* è calce fieri recenti tradit Plin. *l.* 36. *c.* 24. vinô reſtinctâ, mox tuſâ cum adipe ſuillo & ficu; neque quidquam eſſe tenacius aſſerit, adeò ut duritiem lapidis antecedat. *Frigidaria maltha* dicitur Palladio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ladio, *l.* 1. *c.* 17. quâ piſcinarum, ciſternarum ac puteorum rimæ lacunæque farciebantur ac ſolidabantur; ut *calidariæ* aliæ fuit *maltha*, quâ loca in balneis ſciſſa ac corrupta reficiebantur. Omnibus autem *malthæ* generibus calx admiſcebatur: ſed & ceram albam, in calidariæ malthæ compoſitionem & picem additam, tradit *Palladius*. Μάλθην certè, unde Latinum *maltha*, Græci mollitam dixêre & ſubactam ceram. *Harpocration*, μάλθη, κηρὸς μεμαλαγμένος: Et πισσόκηρον *maltham*, Græcè exponit Auctor *Gloſſarii*. Itali *ſmaltum* hodie appellant, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1096. & infrà *Smaltum*.

MALTHINUS, nomen viri proprium, Horat. *l.* 1. *Sat.* 2.

Malthinus tunicis demiſſis ambulat. ——

MALUA, fluv. Africæ ex Atlante oriens, *Ptolemæo*: Mauritaniam Tingitanam à Cæſarienſi dividit. *Mululo Caſtaldo* dicitur. *Muluya Marmolio*: 92. mill. paſſ. à Ryſſadiro in Ortum.

MALVAM ſerendi, in defunctorum tumulis, quemadmodum & aſphodelum, conſuetudo, occurrit in *Epigramm. Porphyrii*, apud Euſtath.

Νώτῳ μὲν μαλάχην τε καὶ ἀσφόδελον πολύριζον
Κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα ἔχω.
Foris quidem malvam *& aſphodelum radicibus abundans:*
Intus autem mortuum habeo.

Non enim integros verſus citat *Euſtathius*, neque ad verbum, quod indicat vox δεῖνα, quâ utimur, ut Legum conſulti, vice *Titii*. Cujus ritus quæ ratio fuerit, vide ſuprà in voce *Aſphodeli Prata*. Cæterùm de *malvæ* in ſcribendo apud Veteres uſu, vide ſuprà *Glutinum* in veſtitu, infrà *Molochina*.

MALVETIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

MALUM Punicum, nomen domus, regione Urbis Sextâ, quam quòd in ea natus eſſet, *poſtea in templum gentis Flaviæ convertit*, Domitianus Imperat. apud. Suetonium in *eo c.* 1. A fructus ſeu pomi genere, de quo ſuprà voce *Malogranatum*.

MALUS, *untis*, locus Myſiæ, inter Scepſim & Achæum oppid. contra Tenedum Inſulam.

MALUS Leo, caſtrum in Pictonibus, diœceſique Malleacenſi, clarum veteri Monaſteriô Auguſtinianorum, quibus ſuus eſt Abbas; vulgò *Mauleon*. Item caſtrum, in valle Subola, apud Novempopulos: cujus dominum, Savaricum de Malleone, *inimicum Eccleſiæ Regiſque Angliæ Seneſcallum*, vocat Petrus Monachus *de bello Albig. c.* 66. qui à Ludov. VIII. ad deditionem compulſus eſt, cùm Niortum defenderet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MALUS Vicinus, vulgò *Malveiſin*, quaſi *mauvais voiſin*, machinæ bellicæ ſpecies fuit, quâ muri lapidibus ingentibus oppugnabantur; quòd è propinquo hoſtes maxime incommodaret, ſic dicta. Matthæus Paris ſub A. C. 1216. *Propter petrariam, quæ* Malveiſine *Gallicè nuncupatur, quâ cum machinis aliis Franci ante caſtrum locatâ, muros acriter crebris ictibus verberabant.* Ubi petrariæ ſpeciem hanc machinam facit. At Guignevilla *in Poëm. vernac.* apud *Car. du Freſne*, videtur innuere plures ſimul eôdemque impetu ſagittas per hanc machinam emitti conſueviſſe: ita ut illa ſit catapulta; quam Angelus Portenarius *de Felicit. Patav. l.* 5. deſcribit cujuſque ibi figuram expreſſit. Idem nomen indidit Wilhelmus II. Rex Angliæ caſtello à ſe extructo, quô *Conſulem ad Bamburg* obſeſſum ad deditionem compellere nitebatur, apud Hènricum Heutindon. *Hiſtoriæ l.* 7. *p.* 373. Vide Eund.

MALYS, vide MEMPRICUS.

MAMA, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs.

MAMALA, Arabiæ Felicis vicus. *Ptol.* ubi thus, cinnamomum, caſia, myrrha.

MAMALUCI, aliquandiu in Ægypto regnârunt. Poſtquàm enim Ægyptus à Caliphis ad Turcomannos, ſub Saladino, pervenit; Turcomanni emptos à Tartaris, ex Mengrelia, Gurgeſtania & Kirkaſia, Chriſtianorum pueros, armis eruditos, cuſtodiæ corporis ſui ac defenſioni Regni præfecerunt, titulô *Mamalukorum*: idem autem *Mamaluk* eſt, quod mancipium regium. Iſti cum viderent, Turcomannos otiô & voluptatibus enervatos, conſilium ceperunt Regni ad ſeſe transferendi, idque feliciter effectui dederunt, d. 26. Nov. A. C. 1382. tum enim Kircaſſi ſeu *Mamaluci* primùm ex gente ſua Regem creârunt, nomine Berkukum. Atque ita longâ ſerie perpetuò Reges Æpypti ex *Momalucis* creati ſunt: quorum viceſimus primus, nomine *Cauſo*, vulgo *Campſon Gaureus*, in prælio contra Selimum I. Turcarum Imperat. in Syria occubuit A. C. 1516. Huic ſucceſſit Thomambajus, qui ab eodem Selimo, in Ægypto, victus, captus, ac miſerabiliter, in porta urbis Alcahilæ, occiſus eſt, A. C. 1517. Quô pactô, extinctis Kirkaſſis ſeu *Mamalucis*, Ægyptus, Arabia, Palæſtina ac Syria Turcico imperio acceſſerunt. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 276. & in voce *Mammeluci*. Idem nomen factioni civium fuit, in Republ. Genevenſi, ſub initia Reformationis, quibus oppoſiti, qui Reformationi favebant, *Eidgenotz*, ex Germ. *Eidgenoſſen*, h. e. *confœderati*, dicti, ut videre eſt apud Jac. Sponium *Deſcript. Genevæ Part. prior.*

MAMARCINA, urbs Auſoniæ. *Steph.*

MAMAUS, fluv. Peloponneſi, non procul à Pylo, qui olim *Amathus* vocabatur. Strab. *l.* 8.

MAMBLIA, oppid. Æthiopiæ ab eâ parte, quâ Africam ſpectat. Plin. *l.* 9. *c.* 26.

MAMBOLEJUM, caſtrum Venetiæ, *Ambuleio*.

MAMBRE, civitas, Gen. *c.* 13. *v.* 18. quæ *Hebron* & *Arbee* dicitur. Gen. *c.* 23. *v.* 19. & *c.* 25. *v.* 9. Item convallis Palæſtinæ, quæ & *Terebinthi*, à Chebron 6. ſtadiis à Bethlehem ferè 15. mill. paſſ. in Africum. *Ferrar.*

MAMBRINÆ, tanquam ex monte *Mambræ* prope Hebronem, dicuntur Ægyptiis, quas alii *capras Indicas*. Libyes *Adimain* vocant; Orientales nempe capræ, longis auribus, ſylveſtres & montanæ, quibus pro jumento utuntur tenuioris ſortis homines. Has deſcribit. Philoſophus *Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 28. Ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς οὐρὰς ἔχει τὸ πλάτος πήχεως, τὰ δὲ ὦτα αἱ αἶγες σπιθαμῆς καὶ παλαιστῆς, καὶ ἔνια συμβάλλουσι τὰ ὦτα κάτω ἀλλήλοις. *In Syria oves caudas habent cubitô latas; capræ verò aures dodrantis & palmæ longitudine: quibuſdam etiam infernè inter ſe coëunt.* Illas autem inequitari, docent recentiores; ut Scriptor Italus apud Geſnerum *in Deſcript. Terræ S. Capra* Mambrina, *in regione Damiata dicta, fert equitantem, ſel'am, frænum & cætera, quibus equi inſtrui ſolent, admittit.* Et *Leo Africanus*, *Ego quondam juvenili fervore ductus, horum animalium dorſo inſidens, ad quartam milliaris partem delatus fui.* Sed & jam olim capris ad eſſedum junctis nonnullos geſtari conſueviſſe; in Circenſibus, pueros hircis inequitaſſe; & in primis militiæ rudimentis tyrunculos, capris inſidentes, jaculari didiciſſe, *ſuprà* diximus.

MAMBRINUM, oppid. Pedemontii, ad capitis Padi dextram.

MAMBUTA, Meſopotamiæ oppidum. *Ptol.*

MAMELUCHI, vide ſuprà MAMALUCI, & MAMMELUCI.

MAMELUS, 16. Aſſyriorum Rex, regnavit ann. 30.

MAMERANUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

MAMERCIÆ, vulgò *Memers en Saonnois*, caſtellum Galliæ ad amniculum in Sartam effluentem, in pago Sagonenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAMERCII, à filiô Numæ manarunt, teſte *Plutarchô*, quorum nullam, unquam mentionem prætereà extare vidi.

MAMERCUS, Catanæ tyrannus, victô Dionyſiô & deditâ Catanâ dedidit ſe quoque Timoleonti, hâc conditione, ut apud Syracuſanos, Timoleonte non accuſante, cauſam diceret. Ductus autem Syracuſas cùm in conſpectum populi & concionem prodiiſſet, cœpit orationem quandam jam pridem à ſe meditatam pronunciare. Sed clamore populi adverſô & ſibilis exceptus, ac populum videns eſſe inexorabilem, veſte abjectâ per medium theatrum cucurrit, & in unum ex gradibus curſu irruens caput colliſit & confregit, tanquam eô ictu moriturus, non tamen eum, quem optabat, vitæ exitum conſecutus eſt: ſed adhuc vivus abductus, quas pœnas latrones ſubire ſolent, ſolvit. Videatur quoque Polyæn. *l.* 5. *in Timoleonte comm.* 2. ubi vitioſè dicitur *Milarcus*.

MAMERCUS, Præſul Viennenſis, qui teſte Ptolemæo Lucenſi, *A. C.* 453. ſupplicationes primus inſtituit, quas Rogationes vocant. Vide quoque *Mamertus*.

MAMERS, linguâ Oſcorum dictus eſt *Mars*, adjectione ſyllabæ, qui *Mavors* etiam appellatur. Inde *Mamercus* Æmilius dictator, & gens *Mamerca Livio*.

MAMERTHES. Corinthus, filium fratris ſui Siſaponis, libidine regnandi, interfecit, maximô ſuô malô. Nam ubi Siſapo factum reſcivit. eum membratim diſcerpſit. Ovid. *in Ibin.*

Trunca geras ſævô mutilatis partibus enſe,
Qualia Mamertis membra fuiſſe ferunt.

MAMERTINA, quæ & *Meſſana*, nomen urbis.

MAMERTINI, populi olim è Samo inſul. ejecti, à Meſſanenſibus hoſpitiô excepti, occupatâ urbe: illam *Mamertinam* appellârunt, ſicque Meſſanenſes, *Mamertini* appellati. Cicer. *Act* 4. *in Verrem.*

MAMERTINUM *fretum*, quod & *Rhegium Straboni*, *Siciliæ fretum Cicer. Plinio* & *Tacito*, *Scyllæum Ovidio* & *Athenæo*. *Siculum Capellæ*; anguſtia maris inter Cænidem Brutiorum promontor. & Pelorum promontor. Siciliæ, *Il Faro di Meſſina*. Hinc *Mamertinum vinum* Martial. *l.* 13. *Epigr.* 117.

Amphora Neſtoreâ tibi Mamertina ſenectâ
Si detur, quodvis nomen habere poteſt.

L. Lloyd.

MAMERTINUS, Conſul, collega Nevitæ, an Urb. Cond. 1114. Sub Juliano Apoſtota. cui panegyricum ſcripſit.

MAMERTINUS Petronius, cum filio Antonino, ex Commodi ſorore genito, hujus juſſu occiſus eſt. Lamprid. *c.* 7. *in Commodo.*

MAMERTIUM, urbs Italiæ, *Steph.* cujus cives, cùm ſub Agathocle præſidio urbis Meſſanæ in Sicilia recepti eſſent, contra Pœnos, ipſi Meſſanam occupârunt. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Magna Græcia* agens, Lucaniæ urbes recenſet. In nummis occurrit ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ, *ibi* vide. Hodie *Martorana*, in Calabria citeriori *Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Conſentino*, inde 16. mill. paſſ. ad Sabbatum fluv.

MAMERTUS, Epiſcop. Viennenſis, in Delphinatu clariſſimus, ſucceſſit Simplicio, frater Claudiani, qui de ſtatu Animæ 3. libros compoſuit. Circa A. C. 474. Ei ſucceſſit Heſychius vel Iſicius. Sidon. Apoll. *ep.* 1. *l.* 7. & *ep.* 14. *l.* 5. Auguſtin. *Serm.* 173. Greg. Turonenſ. *Hiſt. l.* 2. *c.* 38. Ado *in Chron.* Rorico, *de geſtis Franc. l.* 1. *c.* 3. Morerius *Diction. Hiſt.*

MAMERTUS Patiſſonus, Typographus Pariſinus, Græcè Latineque doctiſſimus. Sub finem ſeculi præteriti.

MAMILAS, 14. Aſſyriorum Rex poſt Ipheræum, A. M. 2465. Obiit 2495. Euſeb. *in Chron.* Genebr. *l.* 1. *Chron.*

MAMILIA Lex, à C. Mamilio cognomine Limitano Tribun. Plebis bellô Jugurthinô, lata, in finibus agrorum 5. aut 6. pedum latitudinem præſcripſit, quos uſucapi vetabat. Vide Cicer. *de LL.* & *in Bruto*: qui eadem lege ſingulos arbitros regendis finibus datos eſſe docet.

MAMILII, Romana gens, quæ ab Aboriginibus fluxit. Hæc gens initio Tuſculana fuit, quæ Tuſculô municipiô factô, cùm Romam veniſſet, inter plebeias relata eſt. Videatur Livius *l.* 3. *c.* 29. Manavit autem à Mamiliâ Telegoni, qui Tuſculum condidit, filiâ, Ulyſſis nepte.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MAMILIUS, alio nomine *Octavius* ſive *Octavus*, Tuſculanus, gener Tarquinii Superbi, qui ad ſe confugiente ſocerô, totum Latium adverſus Romanos concitavit.

MAMILIUS Vitulus, vide *Quintus*.

MAMILLA, urbs Germaniæ in ditione Neoburgenſi, ad Elſterum fluv. Media inter Neoburgum ad Occaſum & Altenburgum ad Ortum, 4. milliarib. Germanicis, 11. à Miſna in Occaſum in Miſniâ. *Zeitz. Fabricio.*

MAMILLARIA; Gall. MAMELLEIERE, armaturæ ſpecies, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MAMISTRA, urbs Ciliciæ mediterranea Adanæ finitima, Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno *Malmiſtra* vulgo. *Libri Concil.*

MAMITUS, 13. Aſſyriorum Rex, poſt Altadem A. M. 2385. *Hermaſcus*, Auguſtin. *de C. D. l.* 18. *c.* 7. regnavit annis 30. Milites exercuit, & laboribus aſſuefecit, formidinique eſſe cœpit Syris & Ægyptiis *Beroſus.*

MAMIUS Papyrius, Rex Sacrorum, an. Urb. Cond. 245.

MAMMACHICA, Nomen maris Peruvianorum, de quo vide infrà voce Peruvia.

MAMMACUTHUS, nomen comicum ſtulti, quo nomine & Plato quædam è dramatibus ſuis inſigniviſſe perhibetur. Vid. Scholia *in Ariſtoph. Ranas Act.* 4. *ſc.* 1. Cœl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 4.

MAMMÆ, oppid. Byzacenæ, in Africa. *Procopius.*

MAMMÆ, & Tatæ, apud Romanos, Nutrices dictæ ſunt, & Nutricii. Unde Inſcr. Romæ: *Dis. M. Zetho. Corinthus. Tata, ejus, & Nice. Mamma. ſ. V. A. I. DXVI.* D. Hieron. *ad Heliodorum, Nunc & Gerula quondam, jam anus; & Nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater, clamitat, morituros expecta pauliſper, & ſepeli, forſitan & laxis uberum pellibus mater, aratâ rugis fronte, antiquum referens* Mammæ *lallare congeminet.* Lalla autem ſolennis eſt nænia Nutricum, ut docet Cornutus *ad Perſium; Aut cur à Nutrice juſſus dormire ploras? Quæ infantibus ut dormiant, ſolent dicere ſæpè, Lalla, lalla, aut dormi, aut lacte.* Et hæc cantio apud hodiernas quoque *Mammas* exauditur. Laur. Pignorius *Comment. de Servis.* Apud Græcos ſimiliter λάλα infantibus dicere, vel βαυκαλᾷν, id eſt, cantiones infantibus ſopiendis aptas, quas καταβαυκαλήσεις, item νύνια vocabant, accinere erant ſolitæ: Et repetitur vox *nænia* hoc ſenſu, apud Arnob. *l.* 7. adv. Gent. *Somno occupari ut poſſint, leves audiendæ ſunt næniæ.* Fr. Roſſæus *Archæologiæ Atticæ l.* 5. *c.* 7. Vide quoque infrà, in voce *Nutrix.* Dictæ autem nutrices *Mammæ*, quod mammas præberent, Thom. Bartholinus *de Puerperio Veterum.* De quibus vide infrà voce *Uber.*

MAMMÆA, nomen diætarum, quas in Palatio fecit Alexander Sev. Lamprid. in *Vita* ejus *c.* 26. *In matrem Mammæam unicè pius fuit, ita ut Romæ in palatio faceret diætas, nominis* Mammææ, *quas imperitum vulgus hodie* ad Mammam *vocat. Et in Bajano palatium cum ſtagno, quod* Mammææ *nomine hodieque cenſetur.*

MAMMÆA Julia, mater Alexandri Severi, inſignis ingenii, & animi excelſi fœmina, à quibuſdam dicitur Chriſtiana fuiſſe, & ab Origene edocta. Hæc filium, qui & ipſe in ſinu matris aliquam Chriſtianiſmi notitiam hauſit, eô coëgerat, ut quæ menſæ ſuper-eſſent edulia, quamvis permodica, alterâ vice apponerentur. *Aurel. Victor. Abbas Urſpergenſis* Euſeb. *l.* 6. *c.* 15. 16. Dein in ſævitiam degenerans, ſocerum filii è medio tolli, nuru in Africam relegatâ, curavit, quò ſola, apud Imperatorem, rerum potiretur. Tandem à militibus, qui Alexandrum, ob matris avaritiam, exoſum occiderant, ſimiliter interfecta, obiit A. C. 235. Vide porrô Lamprid. *in Alex. c.* 60. Herodian. *l.* 5. it. infra *Mammea.*

MAMMÆUS *Pons*, à *Mammea* matre Severi ſic dictus, ſuper Anienem fluvium, ad 6. mill. paſſ. dictus *Ponte Mammolo*, teſte *Marliano.* Inter Sabinam & Latium. Extra Romam.

Ad MAMMAM, vide hìc *ſuprà.*

MAMMEA, Auguſta, religioni Chriſtianæ favit, in qua ut erudiretur, Origene Antiochiam ad ſe evocatô uſa eſt. Unde & fil. ejus Alexander Severus quandam Chriſti notitiam habuiſſe legitur Euſeb. *l.* 6. *c.* 20. P. Oroſius *l.* 7. *c.* 11. &c. Vide *Mammæa.*

MAMMEANÆ, puellæ alimentariæ, & *Mammeani* pueri ab Alexandro Severo inſtituti. Lamprid. *in Alex. c.* 57. an. Urb. Cond. 981.

MAMMELUCI, nomen militum, ſub Sultanis Ægypti, ſignificat *Servos* ſeu *Milites.* Communiter è Chriſtianis legebantur & cœlibes erant: Ex illis Sultani deſumti, & præcipui militiæ regnique proceres. Primi ex Circaſſia in Ægyptum veniſſe, primumque circa A. C. 1250. innotuiſſe dicuntur, eô tempore, quô Ludovicus IX. contra Saracenos moverat. (Aliis ad A. C. 869. illos referentibus, quo Achmadum fil. Tolonis, qui ſervus fuerat, poſt Elmuſtein trucidatum, Ægypti Syriæque Regem fecerint.) Dein per duo ſecula clari, A. C. 1516. à Selimo, Imperat. Turcico Campſone Sultano, prope Alepum occiſô, victi, Tomumbejum hujus locô ſibi præfecerunt, ab eodem ſimiliter ſuperatum, A. C. 1517. & Cairô captô, infelici ligno affixum. Sic Mammelucorum imperio, poſt ann. 267. finis impoſitus eſt. Pet. Martyr. Anglerius, *Hiſt. Leg. Ægypt.* Paul. Jovius *hiſt. libr.* 17. & 18. Chalcocondyl. *l.* 3. Baudier. *Hiſt. Turc.*

MAMMIDA, Perſiæ urbs. *Ptol.*

MAMMILLA nomen mulieris Telegoni filiæ, à quâ familia *Mammillorum* dicta.

MAMMISÆA, Syriæ quædam Tetrarchia. Plin. *l.* 5. *c.* 23.

MAMMOSA Epitheton Cereris; vide Ceres.

MAMMUCHA, Saracenorom Regulus, alter in Eccleſiam Pharao, cum tota claſſe mari abſorptus eſt: circa A. C. 564. Antonin. *l.* 15. *c.* 15.

MAMORTHA, Plin. *l.* 5. *c.* 13. urbs Samariæ. Vide *Neapolis.*

MAMPSARUS, Africæ propriæ mons. *Ptol.*

MAMUCHAN, vel MEMUCAN, dux Perſarum. Eſth. *c.* 1. *v.* 16.

MAMUDA, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MAMUGA, Syriæ urbs mediterranea *Ptol. Mabuga Andreæ Maſio*: in Caſſiotide regione inter Marathum & Apameam.

MAMURIUS, cognomine Marii, qui Victorinô, Lollianô & Poſthumiô interemtis, ex fabro ferrario triduum tantùm imperavit. Eum *plerique* Mamurium, *nonnulli Veturium, opificem utpote ferrarium, nuncupârunt - de quo illud addidiſſe ſatis eſt, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuiſſe, quum in digitis nervos videretur habuiſſe non venas. Nam & carra venientia digitô ſalutari repuliſſe dicitur, & fortiſſimos quoſque uno digitô ſic afflixiſſe, ut quaſi ligni vel ferri obtuſioris ictu percuſſi dolerent, &c.* Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis. c.* 8. Vide in *Mamurius Veturius*, item infrà *Vecturius.*

MAMURIUS *Veturius*, faber ærarius laudatiſſimus, qui tempore Numæ floruit & Saliorum ancilia confecit ad ſimilitudinem ejus quod de cœlo deciderat. Quô confectô præmii locô petiit, ut ſuum nomen Salii inter carmina canerent. Ovid. *Faſt. l.* 3.

Inde ſacerdotes operi promiſſa vetuſto
Præmia perſolvunt, Mamuriumque vocant.

Propert. *l.* 4. Eleg. 2.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Oſca manus.

Vide *Feſtum. Nic. Lloydius.*

MAMURRA, Formiis natus Eques Romanus, úti tradit *Cornelius Nepos*, primus Romæ in Cœlio monte parietes domus ſuæ marmore incruſtavit. Hic eſt, qui Epigrammate Catulli proſciſſus eſt. Idem columnas ex Caryſtio marmore habuit. Plin. *lib.* 36. *c.* 6. Horat. *Sat.* 5. *l.* 1.

In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus.

Erat autem ſenatoria familia Romæ.

MAMURRHÆ, oppid. non obſcurum Latii novi, in regno Neapolit. cujus rudera apud Itrum. Vide ſuprà.

MANA Geneta, à Romanis culta, partui præeſſe credebatur, ut apud Græcos Hecate: dicta à *manando.* Huic canem immolari, votoque ab ea peti dicit Plut. ne quis domi natorum bonus fiat, *in Quæſt. Rom. qu.* 52. *Bonus*, i. e., *imbellis.* Proin & canem ei immolabant, non ob pariendi facilitatem, neque ob ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ, audaciæ & fœcunditatis omen, Thom. Bartholin. *de Puerperio Veterum.*

MANA, titulus communis Regum Monomotapæ, in Africa: unde nomen *Manamo* Tapa, id eſt, *Rex Motapo*, ſicut *Manacongo*, & ſimilia, Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 318. Sed & apud Senenſes, in Italia, nomen honoris eſt, quô fœminæ vilioris conditionis, quibus titulus *Madonna* non competit, ſolent compellari; eâdem notione Græci Μάνα uſurpârunt. Vide Meurſium *Gloſſar.* & Codinum *de Origin.*

MANÆANA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. mediterraneum *Ptol. Miliana Marmolio*: inter Vagas & Oppidum novum.

MANÆTHUS, Ægyptius ex Dioſpoli urbe oriundus. qui de Phyſiologiâ, & Aſtrologiâ judiciaria carmen reliquit. Fuit & alter hôc nomine Mendeſius ſacerdos, apud Ægyptios, utriuſque meminit *Suidas.* Vide *Manetho.*

MANAHATH, fil. Sobar, filii Seir. Gen. *c.* 36. *v.* 23.

MANAHEM, fil. Gadi de Therſa, Dux copiarum Zachariæ, à Sallum occiſi, venit in Samariam & interfecit Sallum, qui menſem unum imperaverat, poſtquam occiderat Zachariam, Regem Iſraël, Regnum Phuli, cui tributum promiſerat, opibus nixus, occupavit A. M. 3264. ante Chriſtum natum annis 800. Secutus eſt hìc impietatem Jeroboam, filii Nabat, Tapſam civitatem, quæ nolebat eum intro admittere, uſque adeò perſequutus eſt, ut prægnantes quoque ejus urbis ſcinderet. Poſthæc Phul. Aſſyriorum Rex, Therſam obſedit, cui Manahen mille talenta argenti dedit. 2 Reg. *c.* 15. *v.* 19. imperavit annos decem. Joſeph. Ant. Jud. *l.* 9. *c.* [illegible].

MANAIM, civitas, quæ fuit terminus tribus Gad, in regione Galaitide, Levitis conceſſa. Joſ. *c.* 13. *v.* 26. *Manais* amnis circa Gedioſiam. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

MANAITA, Armeniæ regio ejuſdem nominis idolo conſecrata. *Dio.*

MANALIS Lapis, oſtium Orci, per quod animæ inferorum ad ſuperos manant, qui dicuntur Manes. Item petra quædam extra portam Capenam, juxta ædem Martis, quam cùm propter nimiam ſiccitatem in urbem pertraherent, ſequebatur ſtatim pluvia. *Feſtus.* Vide quoque *Lapis.*

MANANGAREUS, Gall. MANANGHARE, fluv. Madagaſcariæ, in parte Orientali ubi auctus aliquot fluminibus, ſeptemplici oſtiô, in mare Æthiopicum ſe exonerat. *Flacurtius.*

MANANPANUS, vulgò MANANPANI, fluv. ejuſdem regionis. In Oceanum Æthiopicum labitur, in parte Orientali Inſulæ.

MANAPIA, Hiberniæ urbs. *Ptol.* hodiè *Waterford*, teſte *Stanihurſtiô*, in Momonia regione ad Suyrum fluv. in ora ad Ortum. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi, ex primis, & emporium, à Dublino ad 50. mill. páſſ. in Meridiem recedens. *Wexford* autem *Camdeno*, urbs Comitatus cognominis ad Slanam fluv. ubi & *Manapii* populi *Ptol.*

MANARDUS Johannes, vide *Johannes.*

MANARIA; inſul. parva in ora Ceylani, ubi urbecula vulgò *Manar*, Sub Batavis, cùm antea ſubeſſet Principi Maduræ, in Coromandelia. Hinc Mare inter oram Piſcariæ, & Ceylanum *Fretum Manarium.*

MANARICIUM, Hollandiæ vicus in diœceſi Trajectenſi hodie *Mamrick* teſte *Simlerô*, in Geldria: inter Noviomagum 4.

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& Trajectum inferius 3. leuc. ad Licum Rheni foſſam, inter Batavodurum & Grinnes; proxima oppida.

MANARMANIS Germaniæ portus poſt Rheni oſtia *Ptol.* hodiè *Marna*, teſte *Hieron. Verrutio*, à quo tractus Friſiæ ſic nominatur, circa ſinum *Dungerdeel.* *Pirckhaymerus* credit *Campen* eſſe, *Becanus* mavult *Harlingen*, aut locum vicinum.

MANASSE, ſive MANASSES, primogenitus Joſephi, undecimi filii Jacob, ex Rachel uxore, natus in terra Ægypti ex Aſeneth, filia Putipharis, ſacerdotis Heliopoleos, atque unà cum fratre ſuo Ephraim, ab avo ſuo Patriarcha Jacob, in numerum & hæreditatem filiorum Iſraël fuit adoptatus, in cujus tribu juxta benedictionem Jacob, ſemen Abrahæ in Ægypto uſque adeò auctum eſt, ut in Iſraelitica ad montem Sinai recenſione, ex ipſius duntaxat familia virorum numerus, qui armis uti valebant, ad triginta duo millia & ducentos aſcenderit. Hic tribum diviſam habuit, cujus dimidia pars, cùm virorum pecorumque numerô abundaret, unà cum tribubus Gad & Ruben à duce Moyſe trans Jordanem poſſeſſionem ſibi dari petiit. Cui Moyſes, eâ lege, ut cæteris tribubus in expugnatione terræ promiſſionis opem ferrent, morem geſſit, eique dimidiam partem terræ Galaad, univerſamque ditionem Og regis Baſan, quæ in longitudine à Manaim urbe, torrenti Jaboc adjacente, uſque Baalhermon & confinia Damaſci: latitudine verò à Galaad, Seir & Hermon montibus uſque mare Galilææ & Jordanem extendebatur, pro hæreditatis ſorte conceſſit. Et hæc ad Aquilonem tendebat; Altera pars, cum Tribu Ephraim medium obtinebat totius Judææ cis Jordanem. *Heſych.*: Μανασσῆς, ἐπιλανθανόμενος.

MANASSES, Ezechiæ Regis Judæ fil., ſucceſſit patri in regno A. M. 3338. ante Chriſtum natum 725. impius hic ædificavit excelſa, quæ diſſipaverat Ezechias, pater ejus, & erexit aras Baal, templum contaminavit, filios diis immolavit: Jeruſalem innocentum ſanguine replevit: quare iratus Deus ſuſcitavit *Aſſar-Adinum* ſive *Aſarhaddonem* Regem Babyloniæ, qui Judæam invaſit, Manaſſen cepit, & vinctum catenis, compedibus duxit in Babylonem. In captivitate autem, agnoſcens Dominum reſipuit, pœnitentiam egit, atque regno reſtitutus idololatriam abolevit, vitamque reliquam in Dei timore tranſegit. Obiit A. M. 3392. ætat. 67. imperavit annis 55. Vide *l.* 2. Reg. *c.* 21. & *l.* 2. Paral. *c.* 33. item Joſeph. *Ant. Jud. l.* 10. *c.* 4. & 5. Sulpic. Sever. *Hiſt. ſacra l.* 1. *c.* 90. *Torniel. Salian.* &c. A tempore autem deportati *Manaſſis*, Judæorum Reges ſub Babyloniorum clientela in poſterum fuiſſe videntur, uti videre eſt ſuprà, ubi de *Joſia Rege*.

MANASSES, frater Jaddi, Pontificis Maximi, gener Sanballati Choronitæ, cùm edicto Nehemiæ cogeretur aut uxorem, quippe alienigenam, dimittere, aut Sacerdotio renuntiare, utrumque retinere ſibi propoſuit. Per Socerum proin, apud Alexandrum M. tantum impetravit, ut ſibi liceret templum condere, in celſiſſimo Samariæ monte, *Garizim* dicto: quò cùm plurimi Judæi apoſtatæ ſe recepiſſent, *Manaſſen* Pontificem ſibi ſumſêre, ſectamque, *Samaritanam* dictam condidêre, quæ quantum ſuis in veros Judæos odium ingeneraverit, ex Hiſtoria Euang. videre eſt. Montis præfati mentio fit Johannis *c.* 2. *v.* 20. cùm mulier Samaritana, in ſuo cum SERVATORE colloquio, ait: *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt.* Vide Thomam Godwin *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 11. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 11. *c.* 8. & infrà, in voce *Samaritani*.

MANATA, vulgò *Menat*, Monaſterium Aquitaniæ, ad Seulum fluv. *Siole*, in Arvernis. Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

MANATES, Italiæ populi in prima regione. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

MANATHATH, pagus Palæſtinæ, apud Saron montem & apud Antipatrida urbem, olim etiam *Cathoe* dictus. In tribu Manaſſe.

MANAZEI, in Boſnenſi Regno dicti ſunt, qui *Paterini* alibi. *Hiſtor.* A Cutheis A. C. 1366. an quaſi *Manichæi?* Car. du Freſne *Gloſſar.*

MANBURNUS, vox priſca Saxonum, pro protectore, ſeu patrono. Sic Philippus Bonus Burgundiæ Dux, ab Elizabetha Lucenburgica, dicta Gœrlicenſi, ſumtus *Manburnus*, vel protector, conatus Guilielmi Thuringiæ Landgravii, Lucenburgenſem Ducatum, ſibi vindicantis, irritos reddidiſſe legitur, circa A. C. 1453. Dicta vox ex *Main* i. e. manus & *Bour* i. e. fidejuſſio. quaſi *Hand borow*, quô nomine Saxones vocabant eos, qui datâ fide ſe mutuò tuebantur. Vel ex Saxonico *Mund*, i. e. tutela, defenſio, patrocinium, & *Bord*, i. e. fidejuſſor, vas, &c. Sicut *Mundeburdium*, ſit defenſionis vel patrocinii fide juſſio ſeu ſtipulatio: *Mundeburdus* vel *Mundborgus*, Item *Mundvaldus*, tutor, advocatus, patronus, quaſi defenſionem & tutelam ſpondens: quam vocem Galli detortâ jam olim voce, *Manbourg*, *Mainburg* & *Mainbour*, unde *Manburnus*, dixêre. Vide Henricum Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

MANCALEUS, 12. vel 14. Babyloniorum Rex, poſt Mamitum, A. M. 2416. regnavit annis 20. Euſeb. *Chr.*

MANCEI, ex Gall. *Manſois*, dicuntur apud Raim. *de Agiles in Hiſt. Hieroſol.* qui alias *Cenomanenſes*: quâ voce indigitati ſunt Denarii, in hac urbe olim cuſi, in quorum una parte ſcriptum erat, SIGNUM DEI UM: in altera, MONETA CENOMAN. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* in voce *Moneta Baronum*, Vide quoque *ſuprà*.

MANCEPS, Piſtor publicus, *l.* 1. & 2. *Cod. Theod. de Frumento urb. Conſtantinop.* ut videtur Cujacio: at Jac. Gothofredus, non quoſvis Piſtores, ſed eos, qui piſtrinis publicis, atque adeò panum civilium & militarium Piſtoribus præpoſiti erant, ſic appellatos contendit, ex *d. l.* 13. & ex Socrate *l.* 5. *c.* 13. Vide quoque infrà *Panetaria*. Verum *Mancipatum* ibi, panis *excoctionem & obſequium piſtrini* eſſe, ad quod omnes tenebantur, præter eos, qui ratione dignitatis à muneribus ſordidis immunes erant, docet Car. du Freſne ex *l.* 15. *eod. Cod. de Extraord. ſive ſordid.* Vide eum in *Gloſſario*, ubi μάγκιπα, Græcis recentioribus quemlibet Piſtorem dici conſueviſſe, addit: & de *Mancipibus Curſus Publici*, *l.* 15. 22. 35. 36. 42. &c. *Cod. eod.* De *Mancipibus Præbendorum* infrà, in voce *Salarium*: de *Mancipibus Salinarum*, *Thermarum*, &c. *itidem in Codice Theodoſiano paſſim.*

MANCHANA, Meſopotamiæ oppid. *Ptol.*

MANCI, vide MANTICULARII.

MANCINUS, Conſul Roman. qui quòd ignominioſam cum hoſtibus pacem erat pactus, ad liberandos religione Romanos, hoſtibus fuit deditus.

MANCIPATIO, vide infrà *Nexi*.

MANCIPIA, quòd ab hoſtibus *manu caperentur*, dicta: quemadmodum Servi, quòd Imperatores captivos vendere, & per hoc *ſervare*, nec occidere ſolerent; quæ vetuſtiſſima *Mancipiorum* ſervorumque origo eſt, ab ipſo Nimrodo vel Nino Eruditis accerſita. Horum apud Romanos alia erant *Urbana*, alia *Ruſtica*, & utrorumque innumeræ ſpecies ac officia. Urbanæ familiæ adſcribebantur, quotquot in urbe cultui dominico & urbicæ negotiationi adhibebantur: Item, qui ædium partibus nomenclaturam debebant. Reliqui in prædiis, ac rure colendo, ingenti ſæpe numerô, occupabantur. Rurſus alia *Novitia* erant, alia *Veterana*, quorum illa ideo erant vectigalia, quia à Venalitiariis pluris, quàm veterana, vendebantur. Sueton. *de Cæſare c.* 47. *Servitia recentiora politioraque immenſô pretiô, & cujus ipſum etiam puderet, ſic ut rationibus vetaret inferri.* Aſſervabant autem pueros venales *Mancipарii*, Mangones ac Venalitiarii, in cataſtis. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 59.

Sed quos arcanæ ſervant tabulata cataſtæ, &c.

Sueton. *de illuſtr. Gramm. c.* 13. *Laberius Hiera emtus de cataſta.* Notaque venalium erant gypſati pedes, ut ex Tibullo *l.* 2. *Eleg.* 7. & ex Ovidio *Amor. l.* 1. *Eleg.* 8. patet. Vide ſuprà in voce *Gypſati*. Iidem Mangones *Servos novitios apud Publicanos profitebantur*, *Plin.* Hinc Fabius Major *Declam.* 340. *Circumſcribere vectigalia Populi Romani voluiſti. ſpecie prætextati imponere Publicano voluiſti.* Sed ne emptores circumventi *Mancipia*, quæ novitia non erant, pro novitiis emerent, Ædiles curabant, Ulpian. *l.* 36. *ff. de Ædil. edict.* Unde Gellius *l.* 4. *c.* 2. Ædilium edictô Venalitiariis præceptum fuiſſe ſcribit, ut proponerent titulum ſuorum ſingulorum, in quo *morbi vitiaque eorum continerentur*: an errones, *an fugitivi, noxave non ſoluti eſſent*, & quicquid aliud emptoris interεrat non neſcire. Hic titulus venalium collo appendebatur, Propertius *l.* 4. *Eleg.* 5.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cum ſaliere foro.

Seneca, Ep. 47. de ſervis loquens: *Cui dominus titulum impegit.* Aliquando in Venalitiò, quod loci quoque nomen, pingebatur. *Petronius*, *Ego autem ſpiritu non deſtiti totum parietem perſequi: Erat autem Venalitium titulis pictum.* Quóque ſanitate ac celeritate corporis valetudinem ſignificarent, atque ita emptores allicerent, currere vel ſaltare circum adſtantem coronam fuiſſe ſolitos, ex *Propertii* pentametro modô laudatô, patet. Tralatitia Venditorum cantilena erat, quam Horat. indigitat *l.* 2. *Ep.* 2.

——— ——— —— ——— Hic eſt
Candidus & talos à vertice pulcher ad imos.

Vel,

Verna miniſteriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet.

Sed fallacias ac præſtigias horum hominum Plinius indicet *l.* 21. *c.* 26. *l.* 30. *cap.* 5. & *l.* 32. *c.* 10. ubi recenſet artes *Manciparioroum*, qui venalium pubertatem avertebant. Ad quam turpitudinem inſtitutæ fuerunt in urbibus officinæ, ubi molles pice obliti à vulſoribus depiles & glabri fiebant, teſte Clemente Alex. *Pædagog. l.* 3. Nec aliò pertinebant, in Commodiana ſupellectile Samnitica vaſa, calefaciendæ ſeu tepefaciendæ reſinæ ac pici, apud Capitolin. in *Pertinace. c.* 8. Neque malè omnino Ælianus *de Hiſt. Anim. l.* 13. qui Tarentinos notat, & Tyrrhenos, ex viris ſtuduiſſe, ut mulieres facerent: Primi quippe Tarentini cutem corporis lævigârunt, Athenæus. *l.* 12. De iiſdem fraudibus Seneca *Ep.* 80. *Mangones, quidquid eſt quod diſpliceat, aliquô lenocinio abſcondunt. Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſive crus alligatum, ſive brachium adſpiceres, nudari juberes & ipſum tibi corpus oſtendi.* Toranius ſanè, ut Antonium circumſcripſerit, prodidit Plin. *l.* 7. *c.* 12. Hinc Emptores morbos & vitia mancipiorum ſedulo explorabant. *Odore Gagatis lapidis incenſi*, an morbô Comitiali laborarent venales, experiebantur, teſte Apulejô *in Apolog.* Medicum ſollicitè conſulebant. Claudianus *in Eutropium l.* 1.

——— ——— ——— Quot jura, quot ille;
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit?
Nudatus quoties, Medicum dum conſulit emtor, &c.

Neque his tantùm experimentis Venditorum fraudes cohibitæ ſunt, ſed & cautionibus de ſanitate ſervorum interpoſitis, quas excogitavit fortaſſe Manilius ſive ille Mamilius, cujus leges venalium vendendorum tetigit Cicero *lib. de Orat.* Quæ tamen ab illis non videntur receptæ, qui *ad Caſtoris negotiabantur*, *nequam* Mancipia *ementibus vendentibuſque*, *quorum tabernæ peſſimorum ſervorum turbâ erant referta.* Cœterum quiſquis ſpecimen venditionis *Mancipiorum* intueri volet, is legat Lucianum *in vit. auctione*, apud quem præconia, quæ Venditor non tenebatur præſtare, exprimuntur: Emptoris nomen & patria in tabulas referuntur, cum ſolemni illa præfatione, Ἀγαθῇ τύχῃ, reſpondente illi alteri apud Romanos, quæ B. & F. id eſt, *Bonum Factum*, notabatur. Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, Vide quoque Scaliger. *in* *Pro-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Propertii l. 4. *p.* 268. & 269. ac Durantium *Varior. l.* 1. *c.* 10. Pretium *Mancipii*, decem millia æris, immenſum vocat. M. Porcius Lato Cenſor apud Livium *l.* 39 *c.* 44. ubi ſervum intelligit intra viceſimum annum: quorum magna pars non ad opus, ſed ad delitias, imò ad contumelias cubiculi, parabantur. At *Columellæ* octo millibus HS. h. e. 32000. æris, non carus vinitor. Idem Cato *Mancipia* luxurioſa decies tanto pluris; quam quanti empta erant, cenſeri voluit: ſicque in eos, qui mancipiis parvi uſus, tamen ingenti pretiô parandis, prodigi eſſent, graviorem, juſtam tamen, vel ob rei turpiſſimæ ſuſpicionem, ſtatuit mulctam; gravitate rei verbis mitigatâ, quaſi non mulcta hæc eſſet, ſed tributum ex cenſu, quum tantùm terni eſſent in millia ſtatuti, & centum millibus æſtimaretur, in bonis ſervus, decem millibus emptus. Ipſe autem nunquam *Mancipium* plus 1500. emit denariis, id eſt, ſcutatis 150. quôd nec molles nec formoſos, ſed valentes ac laborioſos deſideraret, teſte *Plut.* Contrà *Mancipia* rejicula & veterana, quod non ita facilè emtorem invenirent aut minimô æſtimarentur, ſolebant vel plura in cumulum vendere, vel quaſi mantiſſam & appendicem dare melioribus. Unde *Senes coëmptionales* dicebantur, h. e. *ſimul venales*, apud Plautum *Bacchid*, *Actu.* 4. *Sc.* 9. Cujuſmodi ſervi exemplum lepidiſſimum præbet Plin. *l.* 34. *c.* 3. *Acceſſio candelabri talis fuit: Theonis juſſu præconis Clejippus fullo, gibbere præterea & aliô fœdus aſpectu, emente id Geganiâ Seſtertiis quinquaginta, eademque oſtentante convivio emptum ludibrii causâ nudatus, atque impudentiâ libidinis receptus in torum, mox in teſtamentum, prædives Numinum vice illud candelabrum coluit & hanc Corinthiis fabulam adjecit, vindicatis tamen moribus nobili ſepulchro, per quod æterna ſupra terras Geganiæ dedecoris memoria duraret.* Sed de iſto etiam inter *Mancipia* infimo genere, ne quis putet eorum pretium non eſſe, audiatur de Turcis Busbequius *Ep.* 3. *Captum uſu membrorum ſervum nihilominus herus alit, nec eſt ita debilitatus quiſquam, quin opera ejus ſit aliquod pretium. Memini me redimere non ignobilem militem Hiſpanum, qui ordines apud ſuos duxerat: quem cùm membris omnibus ex vulneribus debilitatum Turca emiſſet, rationem tamen iniit, quâ fructum ex eo caperet. Trajecit eum in Aſiam, ubi anſerum greges aluntur: quibus paſcendis operas ejus locabat, ex quo non contemnendum faciebat lucrum.* Et mox, *Herus ſervi labore vivit: Turcæ maxima, quà publicè, quà privatim è ſervitiis emolumenta capiunt, rem familiarem ſervorum operis præclarè tuentur, ideoque Proverbiô negant, eum pauperem videri, cui vel unicus ſervus ſit.* Vide Johan. Fredericum Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 8. & infrà, in voce *Servi*, it. *Venalis*, nec non ubi de *Obnoxiatione*.

MANCLAVIUM, Græcis recentioribus Μαγκλάβιον, fuſtis eſt, quô cædebantur, qui fuſtuarium meruerant: quaſi *Manualis clava*. Vide Salmaſ. *Not. ad Trebellium Pollionem in Gallienis*, *c.* 16. & in *Claudio*, *c.* 14.

MANCOPIA, ſeu MANGUTUM, arx & oppid Tauricæ Cherſoneſi. *Mercat.*

MANCUNIUM, Britanniæ oppid. *Antonin. Mancheſter Camdeno.* à Comitatu Lancaſtrenſi inter Bremetonacum & Mediolanum 38. mill. paſſ.

MANCUSA & MANCA, apud Scriptores Anglicos, *Matth. Weſtmonaſterienſem*, *Simeonem Dunelm*, *Wilhelmum Malmesbur. Aſſerum*, alios, certum eſt monetarum aliquot pondus & de auro argentoque promiſcuè uſurpatur. Vide infrà *Marca*.

MANDA, Indiæ intra Gangem fluv. maximus, *Ptol. Menan Mercatori.*

MANDAETH, Æthiopiæ vicus in Adulico ſinu. *Ptol.*

MANDAGANDENI, Troadis populi Plinio. *l.* 5. *c.* 30.

MANDAGARA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol. Mangalo Caſtaldo.*

MANDAGARSIS: Mediæ oppid. *Ptol. Maſandram Nigro.*

MANDAGOTUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

MANDAGRÆUM, fluv. apud Scythas Aſiaticos. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

MANDALUM, Æthiopiæ lacus circa Azianum promontorium. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MANDANE, Aſtyagis filia, quæ ei viſa eſt per quietem tantum urinæ facere, ut omnem ipſius urbem oppleret, atque univerſam Aſiam inundaret. Hæc Cambyſi nupſit, ex quo peperit Cyrum. Herodot. *l.* 1.

MANDANES, ſecundus Medorum Rex, regnavit ann. 50.

MANDANIS, Gymnoſophiſta inſignis, quem cùm Alexander per internuncios ad Jovis filii epulum vocari juſſiſſet, & parenti ampliſſima præmia, detrectanti verò graviſſimum cruciatum proponeret, conſtantiſſimè ferunt reſpondiſſe. Nec illum Jovis filium eſſe, qui magnæ parti terrarum imperaret: nec ſe illius donis permoveri, cui nulla eſſet ſatietas, nec minas pertimeſcere, quòd viventi India abunde multa eſſet ſuppeditatura: mortem verò tantum abeſſe ut formidaret, ut multis etiam votis eam expeteret, quæ ſeſe marcidâ ſeniô carne liberatum, in puriorem, melioremque vitam immutaret. Strab. *l.* 15.

MANDARÆ, pars Macedonicæ Cyri. *Steph.*

MANDAREI, Sarmatiæ Aſiaticæ populi Plin. *l.* 6. *c.* 7.

MANDARINI, aliàs *Loitiæ* & *Literati*, Sinenſium Philoſophi, quibus ſuprema, ſub Rege, poteſtas. Vide *Confutius*.

MANDATOR, apud Anaſtaſium *in Hadriano* II. Luithprandum *in Legat.* Theophanem *in Juſtiniano*, Alios: Officium Palatinum eſt, in aula Imperatorum Conſtantinopolitanorum: ubi *Mandatores* dicebantur, qui Imperatorum juſſa & *mandata* expeditè deferebant, οἱ ταῖς βασιλικαῖς τάξεσι ταχύτατα διακονούμενοι, ut habetur *in Gloſſis* Βασιλικῶν Labbeanis. Apud Leonem *in Tacticis, Conſtitut.* 4. §. 16. Militare officium eſt, de quo vide *eod. c.* §. 6. 35. 49. & *c.* 7. &c. Hinc Πρωτομανδάτωρ, ſeu *Primus Mandator*, apud Anaſtaſium *in VIII. Syn act.* 5. ubi *Primus Mandator Excubitorum*, *Primus Mandator Icanatorum*, &c. de qua dignitate vide Scylitzem *p.* 541. 620. & Leonem Grammaticum *p.* 4,8. Sed & ejuſdem nominis & muneris Officiales habebant Caſtellani Reges, de quibus in *LL.* Alfonſinis, apud *Car du Freſne*. At *Mandatum*, in Eccleſia Romana, dicitur ablutio pedum, quæ fit in cœna Domini, Chorô cantante illud Chriſti, *Mandatum novum do vobis*: quæ ceremonia quomodo ſoleat peragi, vide apud Udalricum *Conſuetud. Cluniac. l.* 1, *c.* 12. alioſque Auctores laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi *Mandatum*; quôvis Sabbatô ſeptimanæ imperari, in *Regula* S. Benedicti *c.* 35. & varia, de *Mandato quotidiano*, quod à Monachis peragitur, à Capite jejunii, uſque ad Kalendas Novembris, poſt cœnam: de *Mandato trium pauperum*, per ſingulos dies cum eleemoſynâ in Quadrageſima fieri ſolito, & *de Mandato pauperum*, quod agitur inter pauperes, Sabbato ante Palmas, addit. Apud *Eundem*. *Mandatum* quoque domus hoſpitum eſt, in Monaſteriis, quod hoſpitum advenientium pedes lavarentur, ex *Chronico* Lobienſi, &c.

MANDATUM, eſt liberior alimoniæ inter pauperes diſtributio. Fortè à Gall. *Mande*, pro calatho & ſportula. Hinc quinta feria Magnæ hebdomadæ ſcil. Paſcham præcedentis, quæ aliis Cœna Domini, Anglis *Mandie-Thurſday* appellatur, quod in ea crebræ fiunt Eleemoſynæ. Ipſe etiam Rex tùm de antiqua regni conſuetudine, cultu accinctus humili ac linteô, tot jam pauperum pedes, quot regnavit annos, publicè lavat, tergit & oſculatur: ſinguliſque par unum calceorum, alterum caligarum, togamque inſuper & cibi ferculum, totidem item in crumena denarios, quot Regni agit annos, elargitur. More ab Imperio Orientali deſcendente, ut videre eſt apud Curopalat. *in Offic. Conſtantinop. p.* 141. Sed Imperator numerum videtur obſervâſſe 12. Apoſtolorum: *Præparantur pauperes duodecim, & inducuntur eis ſubuculæ* (ὑποκαμίσα) *ſive tunicæ, brevia tibialia & ſoleæ: poſitôque in cella Imperatoris pollubrô &c.* Vide Henr. Spelmannum *Gloſſ. Archæol.*

MANDEI, Indiæ populi ad Gangem. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

MANDELA, vicus in Sabinis: *Poggio Mirteto* vulgò, apud Digentiam fluv. à Maliana & Oriculo ad 12. mill. paſſ. ad Ortum apud cœnobium Farfenſe: Horat. *l.* 1. *Ep.* 18.

—— Gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit rugoſus frigore pagus.

Vide *Digentia*.

MANDEPA, Thraciæ urbs. *Procop.*

MANDERSCHEIDIA Familia, inter Germaniæ illuſtres de cujus origine certò non conſtat, niſi quòd jam A. C. 1370 aliquis legitur Wilhelmus *Manderſcheidius*. Hujus nepos Ulricus Archiepiſcopus fuit Trevirenſis, ſed Theodoricus Comes *de Manderſcheid* primus, cùm Eliſabetham, Sleidæ hæredem, duxiſſet; à tribus filiis ejus Cunone, Johanne & Wilhelmo totidem lineæ; à primo quidem *Sleidenſis* ac *Virnenburgica*, de qua vide infrà *ſuô locô*; à tertio, *Keilenſis*, à ſecundo per filios, Arnoldum, *Blanckenhemia*, & Gerardum, *Geroldſtenia*, deſcendunt. Et quidem Blankenhemios quod attinet, illorum ſeries ita habet: Theodoricus Dn. de *Manderſcheid*, qui obiit A. C. 1469. ex Irmgardi *de Dhuyn*, Dn. *de Oberſtein*, pater fuit Theodorici: præfati Comitis de *Manderſcheid*, Mariti Eliſabethæ *de Sleiden*, (natæ Johanne Dn. *de Schleiden*, *Blanckenheim* & *Geroldſtein*) atque ex ea genitoris Johannis Comitis *de Manderſcheid*, *in Blankenheim* & *Geroldſtein*; qui ex Margaretha Marcana (filia Eberhardi de Marca Dn. *de Aremberg*) ſuſcepit Arnoldum Seniorem Comitem *de Manderſcheid in Blankenheim*; quô, & Margarethâ Wiedenſi, genitus Arnoldus, junxit ſibi agnatam Annam Salomen (Caroli Comitis *de Manderſcheid in Geroldſtein* filiam) & ex ea genuit Salentinum Erneſtum, maritum primò Erneſtinæ (filiæ Erneſti Comit. Sayno Witgenſtenii), dein N. (filiæ Georgi Alberti Comitis Erpachii) è quarum illa, ſuſcepit Luiſam (A. C. 1654.) Maximilianum Johannem Ferdinandum (1655.) Franciſcam Eleonaram (1657.) Magdalenam Chriſtianam (1658.) & Salomen Sophiam Urſulam (1659.) omnes *Comites de Manderſcheid in Blankenheim.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. part. II. p.* 30. & *Part. II. p.* 85. ut & in *Indice*.

MANDETRIUM Dalmatiæ urbs mediterranea Plin. *l.* 3. *c.* 22. Vide *Andecrium*.

MANDEVILL Johannes, Anglus, poſt Marcum Paulum Venetum, qui primus Sinenſium ſeu Cathæorum notitiam in Europam intulit, ſcripſit *Itinerarium*, in quo eorum ſubtilitatem ac eruditionem pluribus perſequitur, *c.* 72. & *c.* 82. ubi ad Imperatoris, quem *Magnum Canem* vocant, complures ſedere refert, ſapientiſſimos Philoſophos, eruditos in Aſtronomia, Geometria & aliis artibus, quorum quiſque aſtrolabium habeat ante ſe poſitum. Poſt eum Catajæ notitiam iterum amiſit Occidens, donec navigationes Luſitanorum in Indiam vaſtiſſimum illud Sinenſium imperium aperuerunt. Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 6. *c.* 7. Vide *Johannes*.

MANDIACLINI, Indiæ populi Arrian. *in Indic.*

MANDIANITÆ, Arabiæ populi *Steph.*

MANDINGA, regnum amplum Nigritiæ, inter Nigrum ſeu Senegam fluv. ad Septentrionem & regnum Malaguettæ ad Meridiem. Caput eſt *Mandinga*, ſeu *Sango*.

MANDIOCA, panis Braſiliæ, ut & granum, è quo conſtat, ex Juccæ, venenoſæ cœteroquin plantæ, radicibus, in ſalutarem cibum, conficitur: cujus fragmentum exhibet *Muſæum* Kircherianum Romæ, Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſuiticæ Muſæo p.* 34.

MANDONIUS, dux Hiſpanus & Indibilis, partes Romanorum cum Scipione Africano in Hiſpania juverunt, deinde Scipione ægrotante, ſeditionem agitavêre, in Romanoſque inſurgere cœpêre. Quos cùm Scipio morbô liberatus comprehendiſ-

ſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſet. veteris officii memor, tantùm caſtigatos verbis dimiſit. Liv. *l.* 29. *c.* 3.

MANDORI, Libyæ interioris gens. *Ptol.*

MANDOUA, urbs & regnum, in Imperio M. Mogolis. Item fluv. regni Decani, juxta Goam; qui paulo infrà in Oceanum Indicum ſe exonerat.

MANDRA, in ludo Calculorum ſeu Latrunculorum, idem quod *capſus*, *carcer*, *ſeptum*. *vallum*, Græcè *τόπος*, *χαράκωμα*, *πόλις*, *χώρα*. & recentiori ævô *Ζατρίκιον*: quibus nominibus, loca illa ſeu ſedes indigitantur in tabula, in quibus velut cluſi tenentur calculi. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 72.

Mandris & vitreo latrone clauſos,

Auctor *Panegyrici ad Piſonem*,

——— ——— *hic ad majora movetur,*
Ut citus & fractâ prorumpat in agmina mandrâ.

Calculus enim, qui in calculi diſcoloris ſedem faciebat impetum, ut cum caperet & ſede ſuâ pelleret, *mandram* ejus ſive vallum frangere intelligebatur, &c. At *mandras* Vir magnus, apud utrumque Auctorem, pro quadrigis eburneis accipiebat, quibus aliquando luſitâſſe Veteres ex *Suetonio* ſcimus, Salmaſ. *ad Vopiſcum in Proculo*, *c.* 13. Vide hîc paſſim, ut & aliam vocis hujus ſignificationem, hîc infrà in voce *Mandragerontes*.

MANDRAGERONTES, apud Luithprandum *in Legat. Haud quaquam hæc veſtis fieri poteſt, cùm penès nos obolariæ mulieres &* mandragerontes *his utantur* Græcè *Μανδραγέροντες*, *Dominico Macro* ſtabularii ſunt in aula Conſtantinop. *Carolo Fratri ejus* meretrices, ex Græc. *Μάνδρα* & Arabico *Kahbe*: *Carolo du Freſne* Monachi vetuli. *Mandra* enim de Monaſterio, apud Græcos etiam recentiores crebro occurrit: unde *Mandrita* & *Archimandrita*, de qua voce retro dictum. Datum autem id Monaſteriis nomen quidam volunt, *ἀπὸ τῶν μανδρῶν*, i. e. à ſpecubus & cavernis, in quibus primitùs Monachi habitârunt & Monaſteria ſua exſtruxerunt, Græci enim ſpeluncam vocant *μάνδραν*. Alii, ut *Budæus*, à grege Monachorum, cui ceu *mandræ*, h. e. ovili, præſint paſtores Abbates, &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſario*.

MANDRAGORA, occurrit in verſione Vulgata Gen. *c.* 30. *v.* 14. & Cantici *c.* 7. *v.* 4. ubi Hebr. *Dudaim* eſt, quam vocem *Tremellius* & *Junius* in genere *flores amabiles* reddunt; LXX. tamen *mandragoras* quoque reddiderunt, & retinent vocem pleræque verſiones vernaculæ. Qua de re quid ſentiendum alii viderint & diximus aliquid ſuprâ in *Dudhaim*. Stirpis hujus duas ſpecies eſſe, docet *Levinus Lemnius*, quarum una eſt foliis lactucæ æmulis, ſed anguſtioribus, ſaturati umbroſique coloris: pomum verò emergit è centro imoque ſtirpis meditullio, quod herbaceo ſtylo incumbit, avellanæ nucis, nonnunquam juglandis aut caſtaneæ magnitudine. Atque ſpecies hæc *fœminæ* nomine inſignitur; mas verò ſpecioſâ magnaque foliorum amplitudine ac pompâ luxuriat, lacteô virore perpolita. Pomum, quod ex paſſis patuliſque quaquaverſum foliis è media ſtirpe prodit orbiculatum ac circinatæ rotunditatis, ovi gallinacei vitello aut luteo prorſus affine eſt odore, non ſine gravitate quadam ſoporata, jucundum radice craſſâ, piloſâque ac bifidâ, & in humanæ coxendicis aut cruris formam bifurcatâ. Quam proin impoſtores, qui & in radicibus bryoniæ aliarumque quarundam plantarum idem tentant, ut infœcundas mulieres decipiant, ſumentes, ſculpunt in eis adhuc virentibus, tam virorum, quàm mulierum, formas, infixis hordei & milii granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt; deinde factâ ſcrobe tamdiu tenui ſabulô obruunt, quouſque grana illa radices emittant, id quod fit viginti ad ſummum dierum ſpatiô. Eruunt eas demum & adnatas è granis radices acutiſſimô cultellô ſcindunt aptantque ita, ut capillos, barbam & cœteros corporis pilos referant. Quod jam Pythagoræ ætate factum eſſe, colligas inde, quòd is *ἀνθρωπόμορφον mandragoram* vocat. Fœtificandi enim vim mulieribus conferre credita hæc radix multis, qui proin Racheli tantoperè expetitam contendunt. Alii verò, cùm impensè frigida hæc radix ſit, hâc fini ſine ſucceſſu adhiberi, ajunt. Quas ſic conciliant ſententias quidam: ut *Mandragoræ* hanc virtutem permittant, in Africa, Hiſpania, Judæa, Mauritania, Ægypto, iiſque regionibus, in quibus, pomi hujus eſu, corporâ mulierum, aduſtos, ac fervidos uteros habentium, ad temperiem adduci poſſe exiſtimant. Hoc certum, ſoporiferam eſſe hanc radicem: unde Maharbalem Carthaginenſium Ducem, cum Barbaris bellum gerentem, eam miſcuiſſe vino, cùmque ſimulatâ fugâ & vinum & cœtera impedimenta deſeruiſſet, illa Barbaros involâſſe, ſicque in ebrietatem primò, mox ſoporem lapſos, à ſuperveniente Maharbale facili negotiô mactatos eſſe, legimus. Sed & ebur, intra ſex horas ita emollit, ut in quamlibet figuram ſequax fiat, &c. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 33. & plura apud Plinium. *l.* 25. *c.* 13. Pererium *in Geneſin*, *Dodonæum*, Alios, nec non ſuprà, *Animalia quatuor*, *Ginſeng*.

MANDRALÆ, Indiæ intra Gangem populi quorum civitas Palibotra. Hos populos *Strabo* videtur *Praſios* vocare, horum enim ſcribit Palibotram urbem eſſe, indeque etiam eandem gentem *Palibotros* quibuſdam appellari tradit Plin. *l.* 6. *c.* 19.

MANDREREUS, fluv. ingens Madagaſcariæ: oritur in regiuncula cognomine & multis auctus fluviis in Oceanum ſe exonerat, ad Auſtrum Inſulæ & prope Carcanoſſiam regionem, *Flacurtius*. *Mandrerei* vulgò.

MANDRO, navicularius quiſpiam, qui aſpirante fortunâ, tandem factus eſt Imperator: unde etiam factus adagio locus, in eos, qui præter meritum ad opes evecti, priſtinæ conditionis non meminerint.

MANDROCLES, Magnes, à Datame exercitui præpoſitus.

MANDRON, vide ANDRON.

MANDRON, Rex Bebrycum, cui contra finitimos Barbaros adfuit Phoxus Phocæenſium Dux. Polyæn. *l.* 8.

MANDROPOLIS, urbs Phrygiæ. *Steph. Mandropus Liv.*

MANDRUENI, vel MARDYENI, circa Margianam populi. Plin. *l.* 6. *c.* 16.

MANDRUS, fluv. circa Sogdianam. Plin. *l.* 6. *c.* 16. Mons item Libyæ interioris, & fluv. Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

MANDUALIS, in veteri *Gloſſar. ad L. Salic. tit.* 57. *cancellus eſt. qui deſuper tumulum ſtat*, German. *Mandel*: quâ voce vocamus id, inquit *Wendelinus*, quod in metam ſurgit, veluti mergites ſegetum, veluti & camini; unde *mantel-vert* dicimus lignum, quod ſupra focum eminet, cui caminus ſuperſtructus eſt. Ejus magnitudinis autem & formæ (quadratæ oblongæ) ſolebat ſuperſtrui tumulis, in defuncti honorem, aliquid ex aſſeribus compactum, quod ornamenta tumulo inſtrata tegeret, apud *Car. du Freſne*. Vide de Cancellis, quibus tumuli muniri conſuevêre, *Pithœum* ex Gregorio Turonenſ. *de Glor. Confeſſ. c.* 30. & *de Miraculis S. Martini l.* 4. ut & ſuprà, in voce *Cancelli*.

MANDUBII, Galliæ Celticæ populi apud Cæſarem *l.* 7. *Belli Gall. c.* 78. *& Strabonem*, quorum caput Alexia. Horum tractus nunc *Baſſigny* dicitur, teſte *Golluziô*. *Auſſois* verò in Burgundiâ *Marliano*, qui tractus ab Oriente terminatur Divionenſi territoriô, ab Occidente Nivernenſi, ad Meridiem ei eſt ager Auguſtodunenſis, ad Septentrionem Altiſſiodorenſis ager & montes ſunt: In longitudinem ad viginti milliaria ferè protenditur, latitudo autem ferè eſt æqualis. *Metel. Baudrando* fuêre ſub Æduis, ubi nunc *Auxois*, regiuncula Ducatus Burgundiæ, in confinio Campaniæ. Caput fuit Alexia, *Aliſe*, jam deſtructa.

MANDUBRATIUS, Britannus adoleſcens; qui Cæſaris fidem ſecutus, ad eum in continentem Galliam venit: Illius pater Immanuentius regnum in Trinobantium civitate obtinuerat, interfectuſque erat à Caſſivellauno, Cæſar *l.* 5. *Belli Gall. c.* 20. Ab *Oroſio* dicitur *Androgorius*.

MANDUCI effigies, ferebatur in triumpho, vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 10. *paralip. ad c.* 29.

MANDUESSEDUM, Angliæ oppid. *Antonino Mansfield* teſte *Talbotô*, in Comitatu Nottinghamienſi. Sed *Camdeno* eſt *Manceſter* in agro Warwienſi.

MANDURIA, oppidum amplum Salentinorum, Livio *l.* 27. *c.* 17. *Mandyrium Stephano. Caſalnovo Leandro* vocatur. 8. mill. paſſ. ab Uria urbe, inter Aletium 30. & Tarentum 20.

MANDURIUM, ſcribit *Leander* à Plinio *l.* 2. *c.* 103. vocari lacum in Apuliâ Daunia, qui hodiè *Andorio* dicitur, quem neque exhauſtis aquis minui, neque infuſis augeri tradit *Livius*, *Lago Verſentino Alex. Andreæ*.

MANDYAS, Græcè *Μανδύη*, mantum notat ſeu cappam Græcorum Epiſcoporum, quæ aperta ex parte anteriori atque talaris, circa collum criſpata eſt, nigri coloris, ſericis radiis rubris albiſque virgata, ad inſtar fluminum ſerpentum, quæ prædicationem ſignificent, juxta illud Chriſti. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Porro ad 4. latera habet totidem fruſta quadrata colorum diverſorum, quibus IV. Euangelia indigitari ajunt, &c. Dominicus Macer *in Hierolexico*. Plura de hac voce vide apud Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Claudio*, *c.* 17. ut & infrà in voce *Mantum*.

MANENTES, apud Gregorium Turonenſ. *de Vitis Patrum c.* 1. Helmodum *l.* 1. *c.* 10. Alios, iidem ſunt Colonis, qui & interdum *Servi manentes* dicuntur, Gall. *Manans* & *Habitans*; de quibus ſic apud Car. du Freſne in *Gloſſario* Ranfridus ſcribit, qui floruit ſub Friderico II. *Manentes ſunt, qui in ſolo alieno manent, in villis, quibus nec liberis ſuis invitô Dominô licet recedere. Iſti Manentes præſtant aliquando certos reditus & præſtant certa ſervitia. Item &* Manentes *appellamus, qui* 30. *annis in ſolo alicujus ſuperſederint; & dominus ſoli pro manentibus habuerit, & manentia ſervitia vel reditus, vel operas vel collectas, pro maritanda filia, & pro aliis ab illis* 30. *annis petiit ſcientibus & patientibus; vel etiam ſi alibi habitant voluntate domini, manentia tamen ſervitia dominus retinuit.*

MANEI, Hiſpan. populi juxta Bætis fluvii oſtia. *Avienus.*

MANERIUM, eſt feudum nobile, apud Anglos, partim vaſallis, ob certa ſervilia, conceſſum: partim domino in uſum familiæ ſuæ cum juriſdictione in vaſallos, ob conceſſa prædia, reſervatum. A *monendo* dictum. Aliis Baronis eſt ſedes tam majoris, quàm minoris, ſplendidam aliquam prædiorum portionem continens: intra quam Baro ſuis colonis & vaſallis jura reddit prædialia, juxta regni conſuetudines. Hujuſmodi villam Romani *villam urbanam* dixerunt, aliàs *prætorium*. Vide Henr. Spelmann. *Glaſſar. Archæol.*

MANEROS, Jul. Pollux *l.* 4. *c.* 7. Ἀλλ᾽ Αἰγυπτίοις μὲν ὁ Μανέρως γεωργίας εὑρετὴς, μουσῶν μαθητής.

MANES vel *Maznes*, Jovis ex Tellure fil. primus in Mœonia regnabat, ex Callirhoa Oceani filia pater Cotyos. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. Vide ſuprà *Cotys*.

MANES, à quo Manichæi hæretici orti ſunt, natione Perſa fuit, priùs *Cubricus* dictus, ſervus cujuſdam viduæ Perſicæ, quæ moriens Manem, (ita enim poſtmodum appellari voluit, ne priſtini ſtatus memoria remaneret) hæredem inſtituit, eique non ſolùm opes magnas, ſed etiam libros fanaticorum hominum Scythiani & diſcipuli hujus Therebinthi, qui cùm Magicis eſſet artibus deditus, è Palæſtina in Perſiam fugere coactus, Sacerdotes ibi & Philoſophos ſuis erroribus conatibuſque obluctantes deprehendit, proin apud viduam, cujus ſuprà mentio, perfugiô quæſitô in ejus ædibus occiſus eſt, quorum integram hiſtoriam, Epiphanius recitat, reliquit. Ex his libris hauſit fanaticas opiniones, quas poſtea Apoſtolum Jeſu Chriſti, & Spiritum S. olim promiſſum ſe vocans, ſparſit. Fortè eô tempore ægrotabat Regis Perſarum filius: Itaque ſe in aulam confert Manes, me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dendi artem profitens, verùm quum necâſſet puerum, fugit inde in Meſopotamiam, ubi diſcipulos ſibi adjunxit, quibus dogmata ſua tradidit. Inde rurſus à piis Epiſcopis pulſus, aufugit, & juſſu regis Perſarum captus ac excoriatus eſt, circa A. C. 280. Sed ſecta ipſius latè poſtea in Arabia, Ægypto, & Africa, Gallia & Italia, annis fere 200. propagata, ac ipſe B. Auguſtin. 9. ann. in ſectâ Manichæâ verſatus eſt. Poſtea verò erroribus agnitis refutavit Manichæos, ac nominatim Fauſtum, Felicem, Fortunatum, Adimantum, & alios. Libri extant *in 6. tomo operum* Auguſtini. Erant autem hæ Manichæorum opiniones præcipuæ: Fingebant duos eſſe Deos, alterum bonum, authorem rerum bonarum, bonæ inprimis Animæ, quem φῶτα, id eſt, lucem nominabant. Alterum malum pari potentiâ, quem Hylen vocabant. à quo mala Anima, corpus, conjugium, imperia, & omnia mala orta eſſent. Itaque abſtinebant à conjugio, & politicâ gubernatione, jactitabant ſe ſuis ritibus conſequi afflatus divinos. Interim voluptatum impuriſſimarnm cœnô impunè merſi, negabant Reſurrectionem, Eleemoſynas alienis à ſua ſecta negantes, motus Concupiſcentiæ malæ Animæ adſcribebant; μετεμψύχωσιν amplexi, animas ſuorum per Elementa ad globum Lunæ eluctantes, inde ad Solem eniti, ut ibi purificentur, ſicque tandem Deo uniri: reliquorum verò hominum in Infernum detruſas, aliis corporibus denuo immitti aſſerebant. Contendebant porro, Filium Dei non aſſumpſiſſe humanam naturam verè, ſed tantùm ſimulatè ſeu putativè; Illum ſerpentem fuiſſe, à quo Eva tentata: Sedem habere in Sole, ſicut Spirit. S. in aëre, Sapientiam in Luna, & Patrem, in Lucis abyſſo. Legem Moſis fingebant à malo Deo traditam, ideòque abrogatam eſſe, abſtinebant à caſeo, ovis, lacte, vino, carnibus, & mactationibus pecudum, denique magna confuſio erat fanaticarum opinionum, quas qui volet, legat apud Epiphanium *l. 2. tom. 2. hær.* 66. Diviſa erat ſecta hæc abominanda in duas claſſes, *Auditores & Electos:* è quibus poſterioribus 12. ſe Magiſtros vocabant, decimumque tertium pro Papa habebant. Ab his Epiſcopi 72. creati, qui Presbyteros elegerunt, Diaconoſque ſuos habuerunt. Refutati ab Orthodoxis, & Imperatoriis edictis coërciti, in Heriberto quodam & Liſojo, ſeculô 11. in Gallia, reviſcere cœperunt, ſed malum in herba extinctum. Auguſtin. *hær.* 46. *de Morib. Manich.* &c. Theodoret. *l. hær. Fab.* 10. *Cyrillus*, Genebrardus *in Chron. Philaſtrius*, &c. Facit & *Manis* mentionem Euſebius *l. 7. c. 27.*

MANES, Theophraſti ſervus, de quo Laërtius in *Theophraſto.* Ita vocabatur & ſervus Diogenis Cynici, de quo Laërtius itidem *in ejus vitâ.* Fuit & ancillarum appellatio, *Μανια*, ut videre eſt apud Athenænm *l. 13. c. 5.* & Plut. *in Demetrio.* Eſt autem *Μάνης* vox Babylonica, quæ σκεῦος, i. e. *vas* ſignificat, ſi Epiphanio fides, *in hæreſi Manichæorum.* Phrygiacam verò eſſe ait *Macon Comicus*: apud Athenæum *dictô locô*, & Strab. *l.* 7. Sanè ſervile nomen fuiſſe apud veteres, docet Euſtath. *ad Iliad.* E. Μάνης δουλικὸν παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Vide Suidam, in Μάνης. Cæterùm hanc notam debes Doctiſſ. Menagio *Obſerv. ad Laërt. p.* 127.

MANES, animas è corporibus egreſſas intelligimus, aut Deos Inferos, authore *Serviô.* Sunt autem, inquit, noxiæ, & dicuntur per antiphraſin. Nam Manum bonum eſt. Alii Manes à *manando* dictos intelligunt. Nam Manibus plena ſunt loca inter lunarem & terrenum circulum, unde defluunt. Hæc ille. Lucan. *l. 9. v.* 6.

Quodque patet terras inter, Lunæque meatus
Semidei Manes habitant. ———

Virg. *Æn. l. 12. v.* 646.

——— *Vos ô mihi Manes*
Eſte boni. ———

Propert. *l. 1. Eleg.* 19.

Non ego nunc triſtes vereor, mea Cynthia, Manes.

Virg. *Æn. l. 3. v.* 63.

——— *Stant Manibus aræ,*
Cæruleis mœſtæ vittis.

Augilæ populi Africæ juxta Syrtes, Manes tantùm Deos putant, per eos dejerant; eos ut oracula conſulunt, precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuêre, pro reſponſis ferunt ſomnia. Verba ſunt Melæ *l. 1. c.* 8. Manes etiam ad Genios duos, quos cum vitâ ſortimur, authore *Serviô*, retulit Virg. *Æn. l. 6. v.* 743.

Quiſque ſuos patimur manes.

Manes enim δαίμονες ſunt, Præſules corporibus humanis attributi, qui è parentum ſeminibus manaverunt. Inde *Summanus*, id eſt, Summus inter manes dictus eſt Pluto. Verùm Manes, quoniam corporibus eô tempore tribuuntur, quô fit prima conceptio, poſt vitam iiſdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures; Quæ ſi vitæ purioris adjuti fuerint honeſtate, in Lares domorum urbiumque vertuntur. Ac proinde pro *Laribus manes* poſuit Silius *l.* 2.

——— *Ceu prodita tecta*
Expulſi fugiunt Manes. ———

Vide ibi Heinſium. Sin verò animi depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Manes, *Feſtus* ait, Manes Dii ab auguribus vocabantur, quòd per omnia manare credebant, eoſque Deos Superos ac Inferos dicebant. Cicer. *l. 2. de Legg. Deorum Manium jura ſancta ſunto.* Vide Auguſtin. *de C. D. l. 8. c. 26. & 9. c.* 11. Voſſ. *in Etymologic.* in *Manes*, Spondan. *de Cœmet. Sacr. l. 1. P. 1. c.* 8. *Nic. Loyd.* Cœterùm, hiſce Diis ſuis Veteres ſepulchra paſſim commendabant, dicabant inſcribebantque, idque duplici de cauſa. Una eſt eorum, qui per Deos *Manes* Plutonem & alios Deos inferos intelligebant; quibus illi defunctorum animas commendabant. Altera illorum, qui Deos *Manes* ipſas mortuorum animas appellabant, quibus tum ſepulchra conſtituebant, tum lucernas in iis jugiter ardentes accendebant. Licetus *de reconditis antiqq. Lucernis l. 1. c.* 13. Namque vel Deos *Manes* animabus in ſepulchris cuſtodiendis vacare, vel ipſas Animas in Deos *Manes* tranſire credidit Antiquitas, atque ita ſupra mortalem ſortem evehi. Quod indigitatum columellis ſepulchralibus, quas violari nefas eſſe, juſſit Solon, Demetrius trium cubitorum menſuram aſcripſit, apud Cœl. Rhodig. *l. 7. c.* 20. Columnæ namque tales eminentiam ſupra cœteros mortales deſignabant, docente *Pliniô:* notavitque in Ægypto *Cl. Veſlingius*, obſervari ſummâ religione, ut columella non ſupra aliam Corporis partem ullam, quam ſupra caput, erigatur. ut nempe innuant, caput eſſe membrum diviniſſimum, ut ait Plato *in Timæo*, domiciliumque Animæ rationalis, quæ demum è capite per oris meatum halet, & abeat in numerum Deorum *Manium*, ſeſeque ſupra mortalem conditionem evehat. Vide Fortun. Licetum *Opere modò laudatô, l. 6. c. 6. ubi Columnam ſepulchralem in Lucerna deſcriptam explicat. num.* 11. Porrò cæſorum *Manes*, h. e. animæ, veniam redeundi ad ſuperna nanciſci ab Inferorum poteſtatibus crediti ſunt, ut ulciſcantur ſuos interemptores. Val. Flacc. l. 3. *v.* 378.

——— *Non ſi mortalia membra.*
Sortituſque breves & parvi tempora Fati
Perpetimur; ſocius ſuperi quondam ignis Olympi:
Fas ideò miſcere neces: ferroque morantes
Exigere hinc animas, redituraque ſemina cœlo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima ſolvimur oſſa,
Ira manet, duratque dolor: cum deinde tremendi
Ad ſolium venêre Jovis, queſtuque nefandam
Edocuêre necem, patet ollis janua leti,
Atque iterum remeare licet: Comes una ſororum
Additur, & pariter terras atque æquora luſtrant.
Quiſque ſuos ſontes, inimicaque pectora pœnis
Implicat, & variâ meritos formidine pulſant.

Imò non quieſcere, priusquam omnes ulti ſint ſuos perſecutores. Livius *l. 3. c.* 58. de Virginia, *Manes Virginiæ, mortuæ quàm vivæ felicioris, per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relictô ſonte, tandem quieverunt.* Aut, priusquam humanæ victimæ, ad tumulos ſuos, ab ultoribus, cæſæ eſſent. Juſtin. *l. 11. c.* 2. de Alexandro M. *Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus, ante omnia, cædis conſcios ad tumulum patris occidi juſſit.* Virg. *Æn. l. 10. v.* 519.

Viventes rapit inferias, quas immolet umbris:

ubi Servium vide, ut & Tertullian. *de Spectac.* Sic Claudianus *de Laudibus Stiliconis l.* 1.

Pallantis jugulum, Turnô moriente, piavit
Æneas, tractuſque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit, vel quæſtus Achilli.
Tu neque veſanô raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditaris in unum
Sævitiam, turmas equitum, peditumque catervas,
Hoſtileſque globos tumulô proſternis amici.
Inferiis gens tota datur.

Quò reſpexit Senec. *Conſol. ad Polybium c.* 35. de Marco Antonio, *Eô ipſo tempore, quô Antonius civium ſuorum vitæ ſedit mortiſque arbiter, M. Antonii frater duci jubebatur ad ſupplicium. Tulit hoc. Et hoc fuit ei lugere, viginti legionum ſanguine fratri parentare, &c.* Vide quoque ſuprà, *Elugere*, infrà *Spectra.* Sed & vivi nonnunquam, Magicis artibus, *Manes* ſedibus ſuis excibant, eos de negotii, cui impliciti, eventu conſulturi: quod quô pactô fieri conſueverit, dicemus paucis infrà, in voce *Manium evocatio.* Quinam vero *Manes*, ſeu quænam mortuorum animæ ſic elici poſſe creditæ ſint, vide ſupra in voce *Ahori*: De *Manium* autem placandorum ritu, à Numa inſtituto, Livium *l. 1. c.* 20. uti de numero iis ſacro, infrà voce *Novem.*

MANES, fluv. vel torrens Locrorum Epicnemidorum Thronion præterfluens, interdum tam exiguus, ut tranſeuntis vix tingat pedes: interdum tam latus, ut in bina ſe diffundat jugera. Dicitur & *Boagrius*, Vide Strab. *l.* 9.

MANESIUM, oppid Phrygiæ. *Steph. Alex.*

MANETHO, genere Sebenhita, Heliopolitanus Sacerdos, & Notarius Sacrorum penetralium per Ægyptum, vixit ſub Ptolemæo Philadelpho paulò poſt Beroſum. Scripſit Græcè hiſtoriam Ægyptiacam, citatam Joſepho *Ant. Jud. l. 1, c. 3. l. 1. contra Appion.* &c. Plut. *de Iſid. & Oſir.* Tertullian. *apolog. c.* 19. Euſeb. *l. 1. præparat. Evang.* Scalig. *notis in Euſeb.* Epitomen hujus hiſtoriæ compoſuit *Julius Africanus.* Fuit & alius Sacerdos Ægyptius, dictus Mendeſius, auctor operum quorundam, *Suid.* Hieron. *l. 2. adverſ. Jovin.* Vide *Manathus.* Cæterùm de *Manetho* vel *Manethone* vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 14. & de Poët. c. ult. Nic. Lloydius.* Addam ſaltem, in *Manethone* priore maximè deſiderari origines Dioſpolitanas, & quidem vetuſtiores Thebæorum Reges ab illo omnino fuiſſe prætermiſſos, videri *Illuſtr. Marshamo*, qui eum Regum horum Catalogum, ab illo, qui primus Heliopolim in Thebanorum poteſtatem redegerat, ſcil. ab Amoſe, orſum cenſet. Quam poſtea imperfectam horum ſeriem Eratoſthenes; ſub Ptolemæo Evergete ſupplevit. Vide eum *Canonis Chron.* προκατασκευῇ, ut & ipſo *Canone ad Sec. XI.* nec non ſuprà, ubi de *Eratoſthene* & *Jul. Africano.*

MANETHUSA, urbs Cretæ. Pomp. Mela *l. 2. c.* 7.

MANETI Antonius, vide *Antonius.*

MANETTUS Janus, vide *Janus.*

MANEZARDUM, Galatiæ oppid. *Antonin.*

MANFREDONIA, vulgò quoque *Manfredonia*, urbs Archiepiſcopalis, regni Neapolitani à Manfredo Rege Neapol. Friderici II. Imperatoris filio dicta, qui eam circa A. C. 1200. condidit. Haud procul inde, ad radices Gargani montis oſtenduntur ruinæ Siponti urbis. Portu gaudet capaci & arce munitâ. fruſtrà à Lautreco olim tentata. 22. mill. paſſ. ab oſtiis Aufidi in

Boream.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Boream. In Capitanata provinc. in rupe, in ora ſinus Veneti, 25. mill. paſſ. à Luceria in Ortum. Aliàs capta fuit à Turcis A. C. 1620. & miſerè direpta. Nunc utcunque reparata.

MANFREDUS, Siciliæ tyrannus, fil. nothus Friderici II. Imperat. patrem pulvinô in os injectô ſuffocavit, filiô hujus Conradô Siciliæ Apuliæque Rege & Pontificum acerrimô hoſte, venenô ſublatô. Qui moriens cùm Manfredum Conradini filii tutorem conſtituiſſet, tutor ipſe Siciliæ regnum ſibi rapuit. Hinc cum Innocentio IV. colliſus, hujus copias, à Sarracenis Lucerinis adjutus devicit, A. C. 1254. Ab Urbano IV. dein & Clemente IV. quos malè habuerat, excommunicatus, evocatôque à priore, Carolô Andegav. fratre Ludovici IX. quem in præjudicium legitimi hæredis Conradini Neapolis Siciliæque Regem appellavit, prope Beneventum, A. C. 1266. victus ac occiſus eſt. Filia ejus Conſtantia, Petro III. Arrogoniæ Regi nupta, in hancce familiam jus in regnum Neapolitanum &c. intulit. Sumoneta & Collenutius, *Hiſt. Neap. Fazel. Blond. Nauclerus*, S. *Antonin. Bzovius*. Rainaldus, *in Annal. Eccl.* P. Æmyl. *l.* 7.

MANFREDUS Hieronymus, Vide *Hieronymus*.

MANGALORA, vulgò *Mangalor*, urbs regni Biſnagaris, in ora Occidentali cum portu ad mare Indicum, in tractu *Canara*, verſus Malabariam. Forſan *Mandagara* antiquis.

MANGANA, apud *Suidam*, γαυλὸς οἰνηρὸν ἀγγεῖον, ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον, ὃ Ἰταλοὶ μαγγάναν ὀνομάζουσι, vas eſtvinarium, è lignis coagmentatum, quod *cupam* Latini ſeu *vagnam*, dixere, item *buttin*, Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis. c.* 22. *Manganum* verò apud Mœrim Atticiſtam *libr.* περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ Ἑλλήνων. peſſulus eſt, σιδηροῦς ὀχεύς. Imò non infima tantum Græcia, ſed etiam vetus, quamcumque *machinam*, μάγγανον appellavit, ut μάγγανα πολεμικά, *machinas bellicas*, quemadmodum videre eſt apud Ariſtophanis interpretem & Thucydidis Scholiaſtem. Unde *Mangenella* & *Mangonelli*, genus machinæ bellicæ jaculatoriæ, apud citimæ ætatis Scriptores Latinos: quas qui conficiebant, *Manganarii* dicuntur, *in Hiſt. Miſc. l.* 17. Μαγγανάριοι, apud Theophanem & Leonem *in Tacticis c.* 5. §. 7. 27. & *c.* 15. §. 35. Indidem μαγγανεία & μαγγανεύειν veteribus: ita μάγγανα τῆς κλειδώσεως, *Inſtrumenta januarum claudendarum*. At μάγγανον abſolutè & propriè Βάλανος vel ὀχεὺς, peſſulus ſeu ferreus obex, quô januæ intus occluduntur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 925. Vide quoque infrà *Mechanice*, cujus pars prima *Manganaria*.

MANGANUM, Græce Μάγγανον, machina *Heſychio*. Sæpiſſime in ſpecie ſumitur pro machinarum violentiſſima, quâ non ſolùm ſaxa ingentia, ſed & catapultæ inter alia, ut *Lipſius* refert, hominum & equorum cadavera projiciebantur, & quidem longiùs. A projiciendo *Baliſta* dicebatur: aliàs *Tormentum*, à torquendo: *Funda*, à fundendo. *Petraria*, à Petras emittendo: & *Catapulta*, de ejiciendo catapultas. Ejus adeò aliquando ſæviit impetus, ut lapidem trium talentorum, quæ ſingula *Vitruvio* pendunt pondo 120. emitteret, quod nec fulmineæ hujus ſeculi machinæ faciunt. Fabrica varia fuit. Abbo Floriacenſis *in Obſid. Lutetiæ l.* 1.

——— Magno cum pondere noſtri
Tigna parant: quorum chalybis dens ſumma peragrat,
Machina, quo citiùs Danum quiſſet terebrari:
Conficiunt longis æquè lignis geminatis
Mangana, quæ propriô vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus jaciant ingentia, ſeu jaculando,
Allidunt humiles ſcenæ gentis truculentæ, &c.

Hoſtem eminus, murum cominus minuit; nec minus muros tuetur, quàm labefacit. Etiam in navali prælio ejus uſus eſt. Machina iſtiuſmodi hodie in Reip. Baſileenſis armamentario aſſervatur. Vide Lipſium *Poliorcet. l.* 3. *dial.* 3. alioſque auctores Henrico Spelmanno laudatos, *Gloſſar. Archæol.*

MANGANUR, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

MANGAS, fructus Indicus longiuſculè incurvatus & ſemilunaris, flaveſcentis ex viridi in rubrum coloris, intus luteus & & capilloſus, cum nucleo ſatis magno, ſaporis gratiſſimi: Arbor nucem juglandem refert latè ſparſam & foliorum penè inopem: Fructus menſibus Octobre, Novembre ac Decembre maturus carpitur: Conditur autem alliô & viridi gingibere, unde albeſcit & pro acetariis menſæ infertur: plurimo apud Sinenſes in uſu, Auctor Anonymus *Sinæ & Europa c.* 36.

S. MANGO, Principatus provinciæ citerioris in regno Neapolitano Leand. Alberti *deſcr. Ital.*

MANGOCASTA, caput Incarum vel Ingarum, & auctor Regni Peruviani, in America Meridionali. Urbem regiam *Cusko* conſtruxit, circa A. C. 1200. ejuſque Succeſſores, longe lateque rerum potiti, vaſtiſſimum conſtituerunt imperium, quod incredibilis magnificentiæ Urbes atque palatia habuit, adeò ut iis ſimilia per univerſam Europam viſa non fuerint unquam. Circa A. C. 1500. regnavit Guainacapa, qui Regnum *Quito* ſubjugavit, ac univerſum Imperium ſuum admirandis exornavit ſtructuris: defunctus A. C. 1523. Hujus filii Guasgar & Attahu-Alpa, quem corruptè *Attabalibam* vocant, cùm inter ſe de hæreditate dividenda convenire non poſſent, occaſio Peruviæ invadendæ oborta eſt Hiſpanis, quam recens detexerat Franc. Pizarrus. Gravi enim diſſidiô colliſis inter ſe fratribus, & Guaſgare tandem captô interfectôque Attahualpa, ab Hiſpanis victus, captus & ſtrangulatus A. C. 1533. finem Imperio Incarum in Peruvia impoſuit. Qui enim poſt eum regnarunt, Inca *Paulo* & *Mango*, non niſi montanas quaſdam provincias, latronum potiùs, quàm Regum more, obtinuerunt: donec omnium ultimus *Xaires* Topa Inca, Philippo II. Hiſpan. Regi ſe dedidit, A. C. 1557. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 338. ut & infrà, in voce *Peruvia*.

MANGOLDUS Joh. Georgius Baſil. Medicus & Philoſophus Phyſico-Mechanicus excellens, Rhetorices in Acad. Baſileenſi Profeſſor diſertus; candore, pietate ac humanitate, inclytus, Obiit A. C. 1693. anno ætat. 43. Auctor *Antliæ*, inſigni artificiô concinnatæ, de cujus conſtructione & multiplici uſu alibi. Fratrem reliquit Matthiam Eccleſiæ Baſil. Archidiaconum, Theologum doctiſſimum & facundiſſimum.

MANGON, inſul. ſinûs Arabici. *Ptol.*

MANGON Benedictus, famoſus quondam in Sicilia latro, cujus hodieque extat memoria. Macer in *Hierolexico.*

MANGOTUS Jacobus; Julioduno-Picto, in Græcis D. Lambini, in jure Cujacii auditor, facundiâ forenſi inclytus, ad Advocatiam generalem, in Parlamento Pariſienſi, aſcendit: pauperum patriæque tam fervidô amore ardens, ut illis quotannis decimas bonorum ſuorum diſtribueret, quod ut & poſt mortem ſuam fieret, hæredibus injunxit: hujus verò res in deterius ruentes, tam impatienter ferret, ut præ mœrore diem obierit A. C. 1587. ætat. 36. hôc unô reprehenſus, quòd perorando nimium prolixus eſſet. Vide Thuanum *Hiſtor.* Loiſel *Opuſc.* Sammarthan. & Teiſſier *Elog:* Alios: nec non aliquid ſuprà lemmate, *Jacobus Mangotus*,

MANHATA, vulgo *Mankate*, aliter *Amſterodamum novum*. Vide ibi.

MANHEMIUM, vulgò *Manheim*, caſtrum Palatinatus ſuperioris ad confluentes Neccari & Rheni, probè munitum. Aliàs captum ab Hiſpanis & dirutum. 3. leuc. à Spira in Boream, 3. ab Heidelberga in Occaſum. ibi olim Valentiniani munimentum. Præſenti bellô ſolo æquatum à Gallis.

MANIA, Dea Larium mater, cui olim ſacrificabant. Et Maniæ Larvæ quædam, quas nutrices pueris minitari ſolent.

MANIA, Zenidis Dardaniarum urbium principis uxor, à genero Mediâ Scepſios tyranno trucidata. *Polyæn.* & *Xenoph.*

MANIA, mulier aulica reginæ Beronices, filiæ Ptolomæi, viduæ Antiochi. Polyæn. *l.* 8.

MANIA, mutilum ac dimidiatum eſt, pro *Cenomania* ſeu *ager Cenomanenſis*, Gall. *le Maine*, provinc. Galliæ, Normanniam ad Septentrionem, Bellovacos ad Ortum, Britanniam minorem ad Occaſum, & Turonum partem cum Andicavenſi pago, ad Meridiem habens. Dividitur in duas partes, Inferiorem *le Bas* & Superiorem *le Haut Maine*, priori fertiliorem & pulchriorem. Incolæ *Cenomani*, ſeu *Cœnomanenſes*, Gall. *les Manceaux* Cæſari *l.* 7. *Belli Gall. c.* 75. *Cenomani Aulerci* dicti; quorum Majores circa an. 160. Urb. Cond. principem ſuum Belloveſum, Elitovii ductu, ſecuti, in Italiam irruperunt, illumque terræ tractum, qui Pado, Alpibus & Hadriaticô mari terminatur, occupârunt, & victis Tuſcis ad Ticinum, illos Galliâ Tranſalpinâ, quam aliquandiu tenuerant, exegerunt, Brexiâ, Veronâ, Tridentô, Cremâ, Bergamô, Mantuâ aliiſque urbibus ſucceſſu temporis conditis. *Acres Joh. Baptiſtæ Egnatio* vocati:

Cenomanique acres & non ignobile ſemen.

Fuit hic inſignis terræ tractus primò ſub Gallis, dein Romanorum ſenſit jugum, tandem Francis, rerum in Gallia potitis, ceſſit. A Normannis tertiâ vice occupatus, bis quoque Anglis ſubfuit. Guilielmus enim nothus & Guilielmus Ruffus eum tenuêre, poſtea ad Eliam *de la Fleche* pervenit. Cujus filia Eremburgis Fulconi Andium Comiti nupſit, mater ex eo Godofredi Pulchri. Huic Henricus II. Angliæ Rex & Normanniæ Dux maternô jure ſucceſſit: cujus tertio genitus fil. Johannes ſine-Terris, cùm Arturum, ex Godofredo ſecundo-genito filio Henrici, fratre ſuo nepotem, è medio ſuſtuliſſet, Philippus Auguſtus Gall. Rex eum Cœnomanenſi regione, cœteriſque ditionibus, quas in Galliæ regno poſſederat, exuit. Ludovicus poſteà IX. Cœnomanos fratri ſuo Carolo Comiti Provinciæ tradidit, ſed hujus ditiones ſub Ludovico IX. ad coronam redierunt. Fluviis irrigatur hæc regio Idoneâ, Sartâ & Meduanâ, qui augentur amnibus *la Yaigre*, *le Jeay*, *la Dive*, *la Veuſve*, *la Graine*, &c. Silvæ præcipuæ ſunt *Berſay*, *Perſeigne*, *Longaunay*, *Sillé*, *Dandaine*, &c. Caput gentis Subdinum eſt ſeu recentiori vocabulô Cenomanum, *Mans*. Vid. Liv. *l.* 5. Cæſar. *loc. cit. Polyb. Juſtinum*, *Antonin.* Corvaſſerium de Courteilles, *præf. in Hiſtor. Epiſc. Cenomanenſium*, *Duchesnium*, &c.

Urbes regionis Maniæ ſeu Cenomaniæ.

Bellomontium *Beaumont*.	Firmitas Bernardi *la Ferté-Bernard*.
Caſtellum Guntherii *Chaſteau-Gontier*.	Lavalium *Laval*.
Caſtrum ad Lædum.	Meduana *Mayenne*.
Cenomanum *Mans*, caput gentis.	Sabolium *Sablé*.
	Subdinum. Vide Cenomanum.

MANIA, regio eſt, circa Eumenidum templum, quod eſt inter Megalopolim & Meſſeniam, ubi Oreſtes occiſâ matre, inſaniâ correptus eſt, & juxta eam dicitur alterius manus digitum exediſſe, unde nomen tumulus traxit. Maſerius *ad l.* 7. *Valer. Flacci.*

MANIA, urbs Parthorum Plin. *l.* 6. *c.* 25. Promontorium Lesbi, *Ptol.* Vid. & Scholia *in Ariſtoph. Ranas.*

MANIACES, unus ex ducibus Michaëlis Paphlagonis Imperat. Græci; proſtravit in Sicilia 50. Millia Saracenorum, hâc receptâ, quam Imperator poſtea, duce per calumnias abductô, ſub Stephano amiſit. A. C. 1040. Zonaras *tom.* 3. Cedrenus *Hiſt.*

MANIÆ, turpis deformeſque ſunt perſonæ aut larvæ, *quas Nutrices pueris minitantur*, auctore *Feſtô*: ſicut ſannæ ſunt ridiculæ, aut etiam horribiles vultus diſtorſiones, quas *grimacias* vulgò dicimus, quibus pueruli terrentur. Utrarumque meminit Arnobius *l.* 6. inſigni locô, ſed valde depravatô; Nam ita vulgò editur: *Uſque adeone mortales ſeculi illius ac temporis corde fuerunt vacui, rationis ſenſuſque nullius, ut ab actionibus improbis, tanquam parvuli puſiones perſonarum monſtruoſiſſimas torvitates*, annis

etiam conſtringerentur & manus. Scribit Salmaſius: *ut ab actionibus improbis, tanquam parvuli puſiones perſonarum monſtruoſiſſimâ torvitate, ſannis etiam conſtringerentur & manus.* Vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio. p.* 337. & infrà in voce *Manus*, item *Sanna.*

MANIÆNA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

MANIBUS clauſis intra manus Abbatis ſeſe offerendi ritus, vide infrà *Oblati Monaſteriorum.*

MANIBUS in cœlum ſublatis Deos precandi mos, Gentilibus in uſu, paſſim occurrit. Minucius Fel. *Octavio*, *Audio vulgus, cùm ad cœlum manus tollunt, nil aliud quàm Deum dicunt, & Deus magnus eſt, & Deus verus eſt, & ſi Deus dederit, vulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani confitentis oratio.* Faciebant autem id vel *junctis*, de quo ritu ſuprà: vel *Solutis*, iiſque ſupinis. Val. Flacc. *Argonautic. l.* 1. *v.* 80.

——— Tendenſque pias ad ſidera palmas
Omnipotens, Regina inquit.

Horat. Carmin. *l.* 3. *ode* 23.

Cœlo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Lunâ, ruſtica Phidile.

Homer. *Odyſſ.* 1.

Εὔχετο χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν

Et altè extenſis. Flaccus iterum ubi ſuprà *l.* 3. *v.* 437.

——— Hinc altè Phœbi ſurgentis ad ortus
Tende manus &c.

Plura apud Lambinum *ad Horat. d. l.* & Barn. Briſſonium *Formular. l.* 1. Neque verò precaturi ſolùm, verùm & qui in Theatris favebant Hiſtrionibus, vota pro iis concipiebant, *manus ad cœlum tollebant*, exclamabantque. Quem morem notat Arnobius *l.* 7. ubi de Spectatorum ſtudio agens, *Certare hos*, ait *Spiritu; buccas ventô diſtendere votiſque inanibus concrepare, manus ad cœlum tollere, rebuſque admirabilibus motos proſilire, exclamare* &c. ubi vide Deſid. Heraldi *Animadverſiones*, ut & de variis eandem in rem pertinentibus hîc paſſim, inprimis ſuprà voce *Exſultatio*, & infrà verbo *Plaudere.*

MANICA, à MANIBUS dicta, ſive arma intelligas, conſervandis manibus deſtinata, inter pugnandum: ſive vincula, quæ manibus injiciuntur: ſive denique tegmina, quibus adverſus vim frigoris homines muniri ſolent. In tunicis *Manicæ* olim, utpote mulierum ac virorum effæminatorum propriæ, probroſæ. Quare Principes Dalmaticatos (Dalmaticæ enim tales tunicæ appellatæ ſunt) in publico conſpectos, magni dedecoris locô poſuêre Scriptores, vide Lampridium *in Commodo c.* 8. & *Heliogabalo. c.* 26. Hincque tunicas manuleatas & ad pedes uſque demiſſas, tanquam cultum mulierculis quàm Viris congruentiorem Mæſa avia Antonino exprobravit, apud Herodianum *l.* 5. *c.* 5. Sed quæ olim fuerat mollium & delicatorum veſtis, poſtea graviſſimorum ſanctiſſimorumque Epiſcoporum facta eſt geſtamen, annotante Caſaubonô *ad locum Lampridii memoratum:* à tempore nempe Sylveſtri Pontificis, cùm antea Colobium ſive communis tunica, etiam penes Chriſtianos & quidem in Sacris, quoque eſſet. Vide Octavium Ferrarium, *de Re Veſtiaria Parte I. l.* 3. *c.* 9. & ſuprà *Chiridotæ*, *Dalmatica*, *Epimanicion. Macrocheræ tunicæ*; ac infrà voce *Panni*, ubi de *manicis* tunicarum talarium *variis* ac *fimbriatis*, it. *Suta*, ubi de operaria ſervorum tunica. Sagum quoque Gallicum olim, inſtar tunicæ, & quidem *manicatum* erat, qualia hodierna ſaga ſunt & *Saij* appellantur, *Plut.* Γαλατικοῖς ἀναξυρίσι, καὶ χειρίσιν ἐνεσκευασμένος σημείοις, καὶ ἄρχουσι Ῥωμαϊκοῖς διαλεγόμενος, ubi Cruſerius *manicas* vertit. Imò & præter ſaga, Celtas geſtâſſe, locô tunicæ, veſtes ſciſſas & manuleatas, uſque ad pudenda, tradit Sueton. *Calig. c.* 52. & Strabo *l.* 4. Cùm enim braccati eſſent, inferiora corporis velabantur, cùm reliquæ gentes, quibus nullus braccarum uſus, ob id clauſas, ac longiores tunicas haberent. Idem Ferrar. *Parte* 2. *l.* 3. *c.* 9. Hinc *Manicularia*, apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ quâ voce denotantur manicæ ejuſdem ſpeciei panni, quâ confecta ſunt veſtimenta Sacerdotum & Diaconorum, in illa Eccleſia, quæ Albis circa manus aptantur, in *Viſitat.* Theſaurariæ S. Pauli Londin. A. C. 1295. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* qui etiamnum in Eccleſiis aliquot, præſertim Cathedralibus, ubi in Sacrariis vetuſtiores veſtes aſſervantur, id obſervari, addit. Item *Manulearii*, de quibus infrà.

MANICELUM, vide IMMANICELUM.

MANICHÆI, Hæretici, vide *Manes.*

MANIFESTATIO, in Jure Hiſpanico, unum eſt ex præſidiis à Lege, contra regiorum Miniſtrorum iram vel affectus immodicos, inventis; cujus tanta vis, ut homini jam collum in laqueum inferenti ſubveniat. Illius enim beneficiô damnatus, dum per leges licet, quaſi experiundi juris gratiâ, de manibus Judicum confeſtim extorquetur & in carcerem ducitur, ad id ædificatum, ibidemque tamdiu aſſervatur, quamdiu jurene, an injuriâ quid in ea cauſa factum fuerit, indicetur. Quam ob cauſam carcer hic vulgari linguâ *la Carcel de los Manifeſtados* nuncupatur, à cujus ingreſſione ſupremi Judices omnino prohibentur, ut eorum præcipiti iracundiæ hôc pactô materia ſubtrahatur. Tum ſi quid contrà leges factum, pro irrito infectoque habetur; Sin contra jus nihil decretum, redditur Judicibus reus pro meritis puniendus. vide Hieron. Blancam *Commentar. Rerum Aragonic.* & Mich. Molinum *Repertor. Foror. Aragoniæ*, laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.*

MANIFESTI Hæretici, in Communione Romana dicuntur, qui contra fidem eorum publicè prædicant; aut qui errorem fidei contrarium profitentur; aut qui proprium ſuum, vel aliorum hæreticorum errorem defendunt: aut qui coram Judicibus fidei convicti de hæretica pravitate, vel coram illis confeſſi, aut tandem per eorum ſententiam de hæretica pravitate condemnati ſunt. Nic. Eymericus *Directorio Inquiſitorum P.* 2. *Qu.* 33. *de Occultis* Vide *infrà.*

MANILIA *Lex*, illos etiam admittebat ad gerendos Magiſtratus, quorum Majores in Romana Republ. Magiſtratum non exercuiſſent. Tulit illam C. Manilius Tribunus Pleb. an. Urb. Cond. 627. M. Æmiliô Lepidô, L. Volcatiô Tullô Conſulib. Alia ab eodem prius lata. Cn. Pompejo belli Mithridatici adminiſtrationem deferri voluit an. Urb. Cond. 587. Vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 3. & 4. Cicer. *Pro lege Maniliâ*, *de Orat. & Fin.* Anton. Auguſtin. *de LL.*

MANILIUS, vide MANILIA.

MANILIUS, unus ex auctoribus Juris Civilis. An dictus à *Manilio*, genero Tarquini, ad quem hic Româ pulſus confugerat? *Liv. l.* 2. *c.* 15.

MANILIUS Octavius, à quo *Manilii* fluxêre. Is Tuſculanorum dux, & Tarquini gener fuit, ad quem ille poſt fugam ſe recepit, ejuſque auxiliô Romanis bella intulit. Liv. *loc. cit.*

C. MANILIUS Antiochenſis, nobilis Mathematicus & Poëta. Scripſit primus Romanorum omnium de Aſtronomiâ carmen ad Auguſtum Cæſarem, male à quibuſdam *Manlius*, ab aliis *Mallius* vocatus. Vide Voſſ. *de Poëtis Latinis, c.* 2. *p.* 36. & *de Scient. Mathem. c.* 34. §. 7. *c.* 37. §. 12. Gevart. *in not. Stat. l.* 3. *Silv. car.* 3. *Nic. Lloydius.*

T. MANILIUS, Hiſtoricus, in omni literarum genere verſatiſſimus, ſub Mario Sullaque vixit, à Cicerone pro Roſcio teſtis invocatus: Vide Plin. *l.* 10. *c.* 2. ubi eum inſigni elogiô ornat. Varro *l.* 4. & 6. *de L. L.* Arnob. *l.* 3. *&c.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 9. Geſner. *in Biblioth.*

MANILIUS Felix, vide *Felix.*

MANILLA, vulgò *Manille*, Philippinarum Inſularum caput, ampla, dicta & *Luſonia.* Sub Hiſpanis cum urbe primaria cognomine quæ emporium eſt Archiepiſcopale cum arce & portu capaci, A. C. 1572. ab Hiſpanis expugnata. Sed deficit in dies. Hînc pars Oceani Indici, inter partem Auſtralem Manillæ inſul. & Tandajam Inſul. *Manillæ fretum* ſeu *Eſtrecho de Manilla dicitur.*

MANIMI, Germaniæ populi Tacit. *German. c.* 43. inter ſylvam Hercyniam & Danubium fluv. *Manhartzberg.* Nomina illa in Annalibus German. *Mainhart*, *Mainfrid*, arguunt aliquos populos *Mainos.* Quid de *Mansfeld*, veteri Saxoniæ caſtello & poſtea Comitatu? Sunt qui horum nomen in *Mone* Inſula putent ſupereſſe.

MANIOLÆ, inſulæ ex adverſo Indiæ extra Gangem. Eas tenent Anthropophagi, *Manioli* dicti. *Ptol. Iſlas de Pracel* hodiè.

MANIPULARIUS, in *Gloſſ.* Ταξίαρχος, *ordinarius: Ordinarios* enim recentiores dixêre *Manipulorum* ductores, de quibus intelligendus Capitolin. *in Maximinis c.* 4. *Ordines duxit, centuriatus & cæteras dignitates*; *&c.* Fuit autem *Manipulus* illô tempore decem tantùm militum, uti legimus, apud Spartian. *in Peſcennio Nigro*, *c.* 10. ubi decem commanipulones manipulum conſtituunt. Occurrit *Commanipulus*, in vet. Inſcr. COMMANIPULUS. ET. HÆRES. EJUS. CONTUBERNALI. KARISSIMO. apud Salmaſ. *Not. ad Æl. Spartian. in Hadriano. c.* 8. Vide hîc infrà.

MANIPULUS, pars minor exercitus, apud Romanos: Quemadmodum enim equeſtres copiæ, in Turmas & Decurias; ita pedeſtres in Cohortes & *Manipulos* dividi ſolebant: vel in Centurias & *Manipulos.* Erat autem *Manipulus*, idem quod Contubernium, decima Centuriæ pars, dicta: *quòd conjunctis manibus pariter dimicarent.* Vegetius, *l.* 2. *c.* 13. Varroni. *l.* 4. *de LL. Manipuli* ſunt *exercitus minimi, manus quæ unum ſequuntur ſignum.* Plut. *in Romulo*, *Ipſe*, inquit, *ſecum magnam manum adducebat, in Centurias diſtributam, quarum unamquamlibet Vir unus ducebat manipulum fœni ac herbarum contô erectum geſtans, unde hodie quoque militibus manipularibus nomen eſt.* Ubi originem vocis ſuggerit, ſed numerum militum auget. Imò Cincius apud A. Gellium *l.* 16. *c.* 4. ſcribit, Legionem Cohortes 10. habuiſſe, *Manipulos* 30. Centurias 60. Sic *Manipuli* majores fuerint ipſis Centuriis, ſingulique habuerint binos Centuriones, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 5. Hinc *Manipularis.* Ovid. *l.* 3. *Faſtor.*

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Unde Maniplaris *nomina miles habet:*

& *Manipularius*, vide ſuprà. Id eſt, qui ſub eodem inſigni ſeu vexillo, *ſub eodem manipulo fœni*, militabat. Qui *manipularibus* præfectus erat, caligâ utebatur: proin hi, qui Centurionibus ſubjecti erant, *Caligati* dicti ſunt. Unde apud Suetonium *in Aug. c.* 25. legas, de Auguſti facilitate, quòd vallares muraleſque coronas ſæpe etiam Caligatis tribuerit. Inter quos infimæ notæ milites, quia & enutritus, & aſſiduè verſatus erat Cajus Cæſar, qui Tiberio ſucceſſit, ab eo calceamenti genere, *Caligula* vocitatus eſt, Valerianus *in Hieroglyph. l.* 40. Hincque Phil. Beroaldus *Comm. in Suet. C. Cæſ. Caligulam*, infit, *Manipulario habitu*, i. e. *Calceamentô militari*, crebris & præacutis clavis ſuffixis: qualibus hodieque Turcæ, militeſque Græci, *Stratiotæ* nuncupati, paſſim utuntur. Vide Fortun. Licetum *de reconditis Antiquorum Lucernis, l.* 6. *c.* 28. *ubi Lucernam, Caligati pedis effigiem habentem, explicat.* Quando autem *Manipulatim* Romani aciem ſuam ſtruere cœperint, vide apud Livium *l.* 8. *c.* 8. uti de *Manipulo frugum*, poſtridie Paſchatis, Deo olim oblato, ante quem ritum ſolenniter peractum metere non licebat, infrà voce *Pentecoſte.*

MANIPULUS, in Eccleſia Romana dicitur ſacrum indumentum Subdiaconi: quod antiquitùs linteum erat ſeu ſudariolum, ad extergendum ſudorem & à Subdiacono præcipuè ferebatur ad polienda vaſa ſacra, aliàs dictum, *Aer*, *Brachiale*, *Brandeum*, *Cincticulum Sacerdotale*, *Epimanicion*, *Facialis*, *Fanon*, *Linteum*. *Manica*, *Mantile*, *Orarium* & *Sudarium.* Indui ita ſolet, ut non excurrat ultra brachii cubitum & Epiſcopo celebranti imponitur, factâ confeſſione peccatorum, ſuper Planetam, unde & *ſuper Planetam* dictum occurrit. In proceſſionibus nunquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quam fertur, nec ad veſperas : geriturque non niſi in brachio ſiniſtro. Græci tamen & Maronitæ utrique brachio ſuum aptant manipulum, vide Macros Fratres *in Hierolexico.* Jac. Cardinalis *de Coron. Bonifacii VIII. l. 2. c. 1.*

> —— *Chiroteca manus, digitoſque venuſtat*
> *Annulus, & cubitum lævum cingitque maniplus.*

MANIS, Rex Phrygiæ vetuſtiſſimus, bonitate ac potentiâ perinſignis, cujus de nomine Phryges etiam nunc admiranda omnia *Manica* nuncupant. A quibuſdam *Maſdes* vocatur. Cœl. Rhodig. *l. 21. c. 7.*

MANIUM Evocatio, non Lege ſolùm divinâ prohibita, ſed & a ſanioribus Gentilium rejecta eſt : à Romanis certè nunquam admiſſa, uti diximus ſuprà in voce *Magica Sacra.* Hinc *nefas* vocatur Papinio Stat. *Thebaid. l. 4. v. 141.*

> *Theſſalis haud aliter bello gaviſa recenti,*
> *Cui gentile* nefas, *hominem revocare canendo,*
> *Multifida attollens antiquâ lumina cedro*
> *Nocte ſubit campos,* &c.

Ubi omnia talia ad Theſſalorum & inventionem & præcipuum uſum referuntur; unde Theſſalam hîc Sagam introducens, *gentile nefas* artem hancce vocat. Vide quoque Lucanum *l. 6.* Heliodorum *l. 6. ſub fin.* ubi filii ſui Manes, contra Calaſiris Apollinis veri Antiſtitis ſententiam, exſuſcitat, magnô ſuô malô anus, &c. Quô more autem, quibuſque ritibus *Manes* evocari conſueverint, nemo fuſiùs & accuratiùs explicavit, Statiô præfatô, *Thebaid. l. 4. v. 443. & ſeqq.* Vide quoque hîc, paſſim, inprimis ubi de *Inferis, Libitina, Melicrato, Mortuis, Necromantia,* &c. ut & in voce *Python:* it: ubi de gemmis, *Anagogitide* & *Synochitide.* Addo ſaltem, Inferis hiſce Sacris Regibus intereſſe non licuiſſe. Senec. *Oedipo Actu. 2. v. 398.*

> *Nam te, penes quem ſumma regnorum eſt, nefas*
> *Inviſere umbras* ——

ad quem locum Delrii *Notas* vide, plura verò de hoc more, apud Gruterum in *Suſpicionum libellis.*

MANIUS Marcius, Ædilis plebis primùm frumentô populum in modios aſſibus donavit. Plin. *l. 18. c. 3.*

MANIUS Nicolaus, vide *ibi.*

MANIUS Papirius, vir Patricius, quietis amantiſſimus, primus Romæ Rex Sacrorum creatus eſt, Vid. Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l. 3. c. 25.*

MANIUS, ſinus Illyrici, Scilaci, inter peninſulas Hyllis & Neſti. Nunc *Golfo de Narenza*, in Dalmatia. *Joh. Lucius.* Vide *Narentanus ſinus.*

MANLATUS, quaſi MANUCLATUS, moneta Græca, *Manuelis* Comneni Imperat. imagine & nomine ſignata, cujus meminit Arnoldus Lubec. *l. 3. c. 33.* Vide Car. du Freſne *Notis ad Alexiadem Annæ Comnenæ.*

MANLIA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Celtiberis, nunc in regno Navarræ, in Arrogoniæ, & Caſtellæ confinio, â Tutela urbe 4. leuc. à Curiis 2. olim ſub Numantinis, teſte *Livio. Mallon* hodiè.

MANLIA, Lex, à L. Manlio Trib. Plebis lata, an. Urb. Cond. 646. C. Mariô, L. Caſſiô Longinô Coſſ. Conſuli C. Mario provinc. Numidiam detulit. Alia jam an. Urb. Cond. 396. à Cn. Manlio Capitolino Imperioſo 2. Conſul. cum C. Marcio Rutilio lata voluit, ut manumiſſi fortunarum ſuarum viceſimam ærariô darent. Vide Liv. *l. 7. c. 16.*

MANLIANA, olim oppid. Luſitaniæ in Vettonibus, nunc pagus Extremaduræ : Aliis nunc *villa Franca* ; caſtrum regni Legionenſis ad amnem *Tormes*, 35. milliarib. à Placentia in Boream *Brietius.* Item Tuſcorum oppid. in Senenſium ditione, hodiè *Magliano*, à Telamone 8. mill. paſſ. Suanam verſus 20. Item oppid. Sabinenſis agri.

MANLIANA, oppidulum Aprutii ulterioris, ubi Carolus Andegavenſis, utriuſque Siciliæ Rex nobilem de Conradino tulit victoriam. *Magliano* vulgò, in colle, juxta fontes Telonii fluv. 6. milliarib. à Fucino lacu in Circium.

MANLIUS. prænomine *Cajus* & Q. Cæpio proconſul. an. ab Urb. Cond. 642. adverſus Cimbros, Teutones, Tigurinos, Ambrones Gallorum gentes miſſi, amiſſis impedimentis, cæſô exercitu, refugerunt. Vide *Oroſium.*

L. MANLIUS, Prætor, Alba cum cohortibus ſex profugit. Cæſ. *l. 1. Civ. c. 24.*

L. MANLIUS, pictor egregius, apud quem cum Servilius fortè cœnaret, filioſque ejus deformes animadverteret, *Non ſimiliter*, inquit, *Manli, fingis, & pingis*; Ad quem Manlius, *In tenebris*, inquit, *fingo, luce pingo.* Macrob. *l. 2. Saturnal. c. 2.*

T. MANLIUS, Juris Pontificii peritiſſimus, judex inter Macedonas accuſatores & filium conſtitutus, auditâ causâ ita pronunciavit, *Cùm probatum ſit Silanum filium meum pecuniam accepiſſe, ipſum Republ. & domô meâ indignum judico, protinuſque è conſpectu meo abire jubeo.* Silanus itaque dolore animi percitus nocte proximâ ſe ſuſpendit, neque pater exequiis interfuit : ſed dum funus duceretur, conſulere ſe volentibus, ſui copiam fecit, vacuaſque aures præbuit. Val. Max. *l. 5. c. 8. num. 3.*

MANLIUS Antiochenus, conditione ſervus, Aſtrologus, ac Poëta unà cum Plotio Poëtâ mimorum, & Laberio Grammatico conſervus ex Aſia unâ navi advectus deſcribitur. Plin. *l. 35. c. 17.* Sed ibi *Mandius* legendum. Fuit & cognomen ejus, qui Carthaginem vicit. Hunc *Plinius* maximis utilem doctrinis nullo doctore fuiſſe prodidit. *Manlius* Mathematicus, de quo Plin. *l. 36. c. 10.* ſed ibi quoque legendum *Manilius.* Præterea, *Manilii ſeu Manlii* cujuſdam à Catone Cenſore, Senatu moti, quod parùm pudicè fœminam compellâſſet, meminit *Plut.* C. *Manlius* Cincinnatus, Conſul. cum M. Fabio Vibulano, an. 274. Urb. Cond. T. *Manlius* Torquatus, Conſ. an. 510. 515. 519. & 530. Urb. Cond. C. *Manlius* Vulſo; Conſul. A. C. 565. & 576. A. *Manlius* Torquatus, A. C. 590. P. *Manlius*; A. C. 634. L. *Manlius* Torquatus, A. C. 689. &c.

MANLIUS Capitolinus, prænomine Marcus, nobilis Romanus, Conſul, qui tricies ſepties præmium fortitudinis tulit. Hic re malè geſtâ à Conſulib. ad Alliam contra Gallos Senones, videns in mœnibus urbis parum eſſe præſidii, lectâ mille juvenum manu, arcem Capitolinam occupavit, & à vi hoſtium intactam ab anſeribus excitatus ſervavit, nomen hinc *Capitolini, Conſervatoris* urbis. frumentum è publico, & domum in Capitolio meritus. A quâ tamen ipſe arce, quod in affectati regni ſuſpicionem veniſſet, faſtus quoque intolerabilis & occultatorum theſaurorum Gallicorum argueretur, poſtea præcipitatus, cautumque eſt Senatus conſultô, ne quis ex Manliâ gente Marcus diceretur. an. 370. Urb. Cond. Olymp. 99. Liv. *l. 5. & 6.* Florus, *l. 1. c. 13. & 26.* Eutrop. *l. 2. c. 13.* Val. Max. *l. 6. c. 3.* Plin. *l. 7. c. 28.* Aurel. Victor, *de Vir. Ill. c. 24.* Et Servius enarrans illud *Virg. Æn. l. 8. v. 652.*

> *In ſummâ cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis.*

Vide & voce *Cajus.* it. *Cneus.* Fuit autem perduellionis & affectati regni reus à Tribunis Plebis ad populum factus, & convictus in Comitiis centuriaris, quæ non pro more in Campo Martio habita, ſed ex illo in Lucum Petilinum, extra portam Flumentanam, unde conſpectus in Capitolium non fuit, tranſlata tum erant, quô ab hujus conſpectu populi averterentur oculi, iſque ſic liberiùs de ejus conſervatore judicare poſſet. Ex Livio Roſinus *Antiqq. Rom. l. 6. c. 11.*

MANLIUS Cincinnatus, vide *Cneus.*

MANLIUS Maximus, Vide *Cajus.*

MANLIUS, Patruitus, ordinis Senatorii, pulſatus in Colonia Senienſi, cœtu multitudinis & juſſu Magiſtratuum Tacit. *Hiſtor. l. 4. c. 45.* imperante Veſpaſianô.

MANLIUS Publius, Vide *ibi.*

MANLIUS Statianus, Senator Roman. ſub Probo Imperat. memoratur Fl. Vopiſco in *Vita Probi c. 12.*

MANLIUS, Theodoricus, Conſul. cum Sabiniano, an. Urb. Cond. 1258. Floruit ſub Theodoſio, à Claudiano panegyricè laudatus.

MANLIUS Titus, vide *Titus.*

MANLIUS Torquatus, Ciceronis temporibus vir doctus ex Rhodia diſciplina Molonis, & naturâ ad dicendum nec ſatis ſolutus, neque expeditus. Cui ſi vita ſuppeditâſſet, ſublatô ambitu, Conſul factus eſſet. *Cicer.*

MANLIUS, Torquatus, prænomine *Lucius*, Orico juſſu Pompeji præfectus, contra quem P. Cornelium Sullam *Cicero* defendit. Periit in Africâ cum Scipione. Vide infrà, & voce *Lucius.*

L. MANLIUS Torquatus, *cui etſi non deerat* (inquit Cicer.) *oratio, quam Græci Politicen dicunt, erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ, ſumma verborum & gravitas, & elegantia, atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas, me quidem admodum delectat.* Pædianus autem de eo ſic ſcribit : *L. Torquatus qui P. Syllam patris competitorem in conſulatu accuſavit, quô & ipſe Sylla, & collega damnati ſunt.* Rurſus eum accuſavit, quòd in conjuratione Catilinæ fuiſſet, ſed defenſus eſt à Cicerone, cujus extat *Oratio.*

T. MANLIUS Torquatus, à quo *Manliana Imperia* pro ſeveris. Liv. *l. 4. c. 29.* Gell. *l. 9. c. 13.* quia Conſul. an. 414. Urb. Cond. filium, quòd contra edictum ſuum, licet victor, cum hoſte pugnâſſet, virgis cæſum ſecuri juſſiſſit percuti. Eraſm. *in Chil.* Hic ob ingenii & linguæ tarditatem à patre, cui *Imperioſi* cognomen erat, quique clavum in fano Numinis cujuſdam, peſtis avertendæ gratiâ, publicè defixerat, in prædia ruſticana relegatus : iſtum propterea à M. Pomponio accuſatum, judiciô exemit, ſtrictô pugione huic mortem minatus, Cùm militum Tribunus adhuc eſſet. Sulpitiô Dictatore. Gallo in monomachiâ aureum torquem detraxit, hinc nomen adeptus. Ad Veſirim fluv. hoſtes devicit, eôdem tempore, quô Decius Mus ſe pro patria devoverat. Conſulatum denuò ſibi oblatum renuit, neque ſe populi vitia, neque populum ſeveritatem ſuam, ferre poſſe profeſſus. Liv. *l. 7.* Val. Max. *l. 6. c. 9.* Aur. Victor. *de Vir. Ill. c. 28. Florus, &c.*

MANLIUS Tullus vide *Marcus.*

MANLIUS Valens, legioni in Britanniâ præfectus. Tacit. *l. 12. Annal. c. 40.* quanquam de partibus benè meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. *Hiſt. l. 1. c. 64.* Ita ſecretis eum criminationibus infamavit Fabius ignarum & quò incautior deciperetur, palàm laudatum.

CN. MANLIUS Volſo, de quo Livius *l. 38. c. 12. 44. 45.* Cn. Manlius Volſo, inquit, Conſul in Aſiâ acceptis à Scipione copiis, & exercitu luſtratô, contra Gallogræcos bellum geſſit, eiſque ſuperatis revertens, cùm in æde Bellonæ triumphum peteret, decem legati, qui cum eo miſſi fuerunt, reſtitère: Inter quos Lucius Furius Purpurio & L. Æmilius Paulus dicebant ſe legatos Cn. Manlio datos, pacis fœderiſque cum Antiocho incundi gratiâ, Manlium autem operam dediſſe, ut eam pacem turbaret, multoſque nobiles viros in exercitu ſuâ temeritate morti objeciſſe. Vicit tamen, amicis, atque cognatis ſuffragantibus, res feliciter geſtas, & exercitum integrum reportatum dicentibus: Triumphus igitur ei decretus eſt. Vide Liv. *l. 38. c. 50.* Flor. *l. 2. c. 11.* Aur. Vict. *de Viris Ill. c. 55.* *Manlius* Proconſul ex Hiſpania revertens, cùm in Æde Bellonæ triumphum ob res benè geſtas peteret, exemplum obſtabat ; quòd ita comparatum more Majorum eſſet, ne quis qui exercitum non deportâſſet, triumpharet, niſi perdomitam pacatamque provinciam ſucceſſori tradidiſſet. Medius igitur ei honos habitus eſt, ut ovans urbem intraret. Liv. *loc. cit.* Vide & *Cneus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MANNA Veterum, idem cum recentiorum *Saccharo Bambu*; liquidum mel eſt, quod in Praſiis, quæ Indiæ gens eſt circa Gangem, Vere præſertim ac Autumnô pluere, Ælianus *Hiſtor. Animal. l. 15. c. 7.* his verbis tradit: Ὅπερ ἐμπίπτον ταῖς πόαις, καὶ ταῖς τῶν ἑλείων καλάμων κόμαις, νομὰς ταῖς βουσὶ καὶ τοῖς προβάτοις παρέχει θαυμαστάς, *Quod in herbas & paluſtrium arundinum comas incidens, mira bobus & ovibus pabula præſtat.* Paſtores enim ex pecore eô rore depaſtô ἀμέλγουσι περιγλυκιστον γάλα καὶ οὐ δέονται ἀναμίξαι αὐτῷ μέλι, ὅπερ οὖν δρῶσι Ἕλληνες, *Suaviſſimum lac exprimunt, nec ei mel miſcere opus habent, quomodo Græci faciunt.* Nempe mel illud eſt ipſiſſimum veterum Scriptorum ſaccharum, de quo *Dioſcorides*, *Plinius*, *Galenus*, *Paulus Ægineta*, Arrianus in *Periplo* Maris Erythræi, Heſych. verbô Σάκχαρον, Aphrodiſæus *l. 2. Problem. 74.* Alii. Arabes *tabaſchir* vocant, & recentiores ſaccharum, ut diximus, *Bambu* aut *Mambu.* Quod ideo obſervat *Bochart.* quia Iſraëlitarum armenta & greges aliquandiu in deſerto ſimili rore vixerunt, *Manna* ſcil. cœlitus delapſô, quod pecori non niſi pabulum, Dei Populo & pabulum, & ſimul ſacramentum fuit, qua de re vide Exod. *c. 16. v. 15. & ſeqq.* & ad *h. l.* Andr. Rivetum *Exercit. in Exod. Franc. Burmannum*, Alios: à quibus diſcas, licet *Manna* illis regionibus familiaris eſſet, Deum tamen uſum ejus Iſraëlitis non uno modô miraculoſum reddidiſſe. Namque tum quotidie cadebat, non Vere ſolùm & Autumnô, uti aliàs: dein omni Sabbathô ceſſabat, poſtquam pridie duplô pluiſſet; Porrò, tantâ copiâ dabatur Iſraëlitis, ut toti populo in 40. annos ſuffecerit. Cùm aliàs in medicina ſolùm uſum haberet, Iſraëlitis cibi, & quidem unici locô fuit. Adde, quod contra Dei interdictum à quibuſdam in craſtinum ſervatum, produxit vermes & fœtuit: cùm aliàs diu conſervari incolume poſſit. Non verò ſolùm in herbas & arundines, ſed & in terram & ſaxa decidit, præſertim in Syria & Italia, ubi quòd in Calabria pluit, optimum habetur, &c. Vide infrà ubi de *Saccharo*, voce *Tabaita*, ubi de poculis in quibus *Mannam* ſuam diſſolvebant Veteres, & ſuprà in voce *Bedolach.* Item ubi *de Calamino Melle.* Apud Jul. Africanum *l. 5.* de tumulo S. Joann. Euangeliſtæ. *Et protinus* manna *exiens de ſepulchro apparuit cunctis, quam uſque hodie gignit locus iſte*, Gregorium Turonenſ. *de Mirac. l. 1. c. 30.* de eodem S. Joanne, quibus adde Leonem Oſtienſem, *Manna* liquor dicitur vel pulvis odorus, qui de ſepulchro ſeu corpore ejus effluere ferebatur. Quod & de aliis quibuſdam Sanctis, qui μυροβλύται hinc Græcis dicti ſunt, referunt Alii. De *Manna* verò Veterum vide præter Auctores laudatos, inprimis Salmaſ. *ad Solin. & Diſſertat. peculiar.*

MANNÆ, apud *Heſych.*, ſunt faſces. Unde *Mannæ Magiſtrales*, virgarum faſces, quas Pædagogi & Magiſtri literarii pueris intentant. Flav. Vopiſcus *in Tacito c. 6. Qui quid ſit Reſpubl. neſciat, nutritorem timeat, reſpiciat ad nutricem*, mannarum *Magiſtralium ictibus terrorique ſubjaceat*; quas *ſceptra Pædagogorum* Martialis *l. 10. Epigr. 62. Sceptrinum vimen & ſceptrinas virgas*, *Aldhelmus* vocat. Apud *Juvenalem*. vetus Interpres manipulos, *mannas fœni* interpretatur. Vetus *Gloſſar. manna, faſcis*: alibi *mannua* ſcriptum, & *manua*, Græc. δράγμα, quod fortè genuinum. Nam inde dictum *manuare*, pro furari, apud *Laberium*, h. e. *manuas colligere* & res furtivas convaſare; quod & *manticulari* dicebant, & Græcè σακκίζειν. Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug. Tom. 2. p. 604.*

MANNACARTA, urbs Arabiæ, *Steph.*

MANNARICIUM, vulgò *Manrich*, aliis *Maurick*, vicus Belgii, infra Ultrajectum & Carvonem *Grave*, ad ripam Moſæ ſiniſtram: memoratus Æthico *in Itiner.* Aliis *Mannaritium*, vide *Manaricium.*

MANNEOS, regio media inter fluvios, in quâ habitant Arabes Manneotæ. *Steph.*

MANNIA, inſul. Angliæ, vide *Monœda.* Adde hîc, quod Inſula hæc, aliàs *Mona*, mediô mari inter Angliam & Hiberniam ſita, eô tempore, quô Normanni Britanniam infeſtârunt, titulô Regni ornata fuit, ſub poteſtate tamen Anglorum. Complectebatur autem illud Regnum varias Inſulas, maximè Hebrides: unde *Manniæ* Rex, *Rex Inſularum* appellatus eſt. Memorabiles omnino leges ſunt, quæ in parvis his Inſulis obtinebant, inprimis compendioſæ, ad lites finiendas: Inter quas hæc exempli gratiâ *Furtum gallinæ majus eſt furtô equi & tauri*; cujus ratio reddi poteſt ex illis, quæ Juſtinus *l. 2. c. 2.* de Scythis tradit: & quia gallina faciliùs occultari poteſt, quàm bos vel taurus, &c. omneſque controverſiæ verbô finebantur, abſque ſcripto vel advocatia. Sed in graviſſimis caſibus XII. eligebantur, dicti *Claves Inſulæ*, quorum arbitriô atque ſententiâ partes ſtare cogebantur. Et certè hodieque apud Inſulanos hoſce obtinet ſtipulatio, quæ ſtipulæ traditione peragitur, majori certiorique fidei ſignô, quàm ſi magni pretii res traderetur. Multa itaque præclara hujus Regni cives retinuerunt inſtituta, ac longiùs remoti fuerunt à vitiis cœterorum Britannorum; duravitque Regnum, uſque ad tempora Alexandri III. Scotorum Regis, qui Inſulâ potitus eſt, A. C. 1266. ſed mox ipſa *Mannia* emptione pervenit ad Anglos, Hebrides autem in poteſtate Scotorum manſerunt. G. Hornius *Orb. Imper. p. 203.*

MANNUS, fil. Tuiſconis Dei, aliàs Teutonis, à quo *Alemanni* ſe dici gloriantur.

MANNUS, vide ſuprà *Burdo.*

MANOA, Hiſpanis *El Dorado*, urbs ampla Americæ meridionalis, de qua mira incolæ narrant, ajuntque ipſam eſſe ad ripam Occidentalem lacus Parimei, in Guajana regione. Sed hucuſque Europæi nondum pervenêre.

MANOBA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ cum fluv. cognomine, in ora maris Mediterranei inter Malacam 10. leuc. in Ortum & Sclambinam. *Menoba* Plinio. *l. 3. c. 1. Bezmiliana Moletio.* Nunc in regno Granatenſi ad oſtia amnis cognominis. Hodie *Almunecar Brietio.*

MANOBARBULI, militum genus, de quo vide infrà *Plumbata.*

MANODORUS, nomen ſervi Comici, Ariſtoph. *in Avib.*

MANOE, pater Samſonis, de quo vide Judic. *c. 13. v. 2.*

MANORA, arx Indiæ intra Gangem, in ora Oceani Indici, intra fines ditionis M. Mogolis. Aliter *Bandera*, ſub Luſitanis. *Petrus du Val.*

MANOSCA, vulgò *Manoſque*, urbs lepida Provinciæ, ad Druentiam fluv. 5. leuc. è Rejis in Occaſum 7. ab Aquis Sextiis in Cæciam 6. ab Apta in Occaſum.

MANOTHERA, caſtrum inter Biblum & Heliopolim, in valle Bacar. Tyr. *l. 21. bell. ſac. c. 11.*

MANOTUS Clemens, vide *Clemens.*

MANRALI, populi Colchidis. *Ptol. Mengrelli Poſtellô.*

MANRICIA, vulgò MANRIQUE, Familia Hiſpaniæ illuſtris, in duas præcipue ſtirpes dividitur, *Caſtannedenſem* & *Trebinnenſem*: in quarum illa claruit Garſias Ferrandus *Manricius*, Henrici Inf. Aragoniæ primarius Miniſter & titulum *Comitis de Caſtanneda* nactus; qui inde tamen variis fortunæ caſibus jactatus eſt, donec denuo dignitas illa confirmaretur. Ex Aldoncia Caſtellana (*de Caſtilia*) genuit Johannem Fernandum & Gabrielem: quorum ille Caſtannedenſes propagavit, per filium Garſiam Fernandum. Marchionum *de Aguilar* titulô auctos: præter quos quoque filius Johannis Johannes poſteritatem habuit. Hic (Gabriel) Comitis Oſornenſis & Ducis *Galiſtei* dignitatem obtinuit. Quarum illa ad poſteros, è quibus etiam Antonius quidam, à Conjuge Anna *de Luna* & *Arellano*, Comes *de Morata* factus eſt, huc uſque propagatur. Vide infrà in voce *Oſſorno.* In ſtirpe Trebinnenſi, quæ cognomentum *de Lara* adſumſit, celebris fuit Petrus *Manricius* Judex Legionis Dn. *de Trebinno* & *Hamuſco*, qui ex Leonora Caſtellana plures liberos ſuſcepit. Ex illis primogenitus Didacus Gomeſius Manricius primus *de Trebinno Comes*, Petrum genuit, primum *de Najera* Ducem & reliquorum ſatorem: cujus abneptis Luiſa Ducatum Bernardino *de Cardenas* Duci Maquedenſi attulit. Secundus filius Petri, frater Didaci, Rodericus, nuncupatus eſt *Comes de Paredes de Nava*, beneficiô Johannis II. Regis: è cujus primogenitis orta. Agnes Com. *de Paredes*, ad maritum Henricum Manricium, ex linea Najerenſi agnatum, ſucceſſionem tranſtulit. Præter hos verò, ex Roderici hujus filiis, Roderico & Henrico, alios hujus lineæ oriundos invenire licet. Didaci & Roderici frater fuit Petrus Manricius Dn. *de Valdizcari*: cujus nepos Antonius Luiſam duxit *de Padilla*, Dominam de Padilla & *Santagadea* hæredem. Unde hujus poſteri nomen *de Padilla* aſſumpſerunt, & Comitum titulum ratione Santagadeæ obtinuerunt. Quartus prædictorum frater fuit Gomeſius Dn. *de Villazopeque* & *Belbimbre*; nec non octavus (nam quorum poſteritas vel nulla vel fœminina tantùm fuit, recenſere nihil attinet) Garſias Fernandus Dn. *de las Amayvelas*, quorum uterque hæreditatem ſuam tranſcripſêre ex ſe genitis. Quâ ratione quoque, cùm Rodericus de Mendoza Com. *de Caſtrogeriz*, Annam Manriciam Dominam *de Villazopeque* duxiſſet, *Manricium* cognomen Mendozio junctum eſt. Fuit autem hæc Anna, filia Ludovici Gomeſii Manricii Dn. *de Villallopeque*, ex Agnete Caſtellana; mater verò Alvari *de Mendoza Manrique* Com. *de Caſtro Geriz*: quo & Magdalenâ *de Sandoval & Roxas* genitus Antonius, ex Iſabella *de Velaſco* Gomezium ſuſcepit; patrem ex Maria Henricia *de Ribera* (filia Petri de Ribera Barroſo March. de Malpica, Mareſc. Caſtellæ) Iſabellæ *de Mendoza* (quæ nupſit Didaco Sarmiento agnato; Com. *de Ribadavia*, de in Conſalvo Faxardo) & Catharinæ Henriciæ *de Mendoza*, (uxori Johannis Hurtadi agnati Com. Orgazii) Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. p. 48. & in Indice.*

MANSARIUS, in Capitularibus Caroli C. *tit. 42. apud Aimoinum l. 5. c. 35.* & Alios, dicitur qui *manſum* ingenuilem (quô nomine eá agri portio veniebat, quæ ab ingenuis h. e. liberæ conditionis hominibus, qui ſervilibus oneribus obnoxii non erant) aut *ſervilem* (qui à ſervis, ſub cenſu graviori, Domino præſtando aliiſque conditionibus) excolebat & certum cenſum aut annuam penſionem, domino prædii ac fundi præſtabat: quod ſecus erat in *Dominicis* & *Indominicatis manſis*, qui ſine *Manſario* erant, propterea quòd non elocarentur, ſed ab ipſis dominis colerentur. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi de aliis quoque *Manſi* generibus, *Eccleſiaſtico* inprimis, complura inſigni labore congeſſit.

MANSFELDIA, inſul. Terræ Arcticæ, in ſinu Hudſonio, recens ab Anglis detecta.

MANSFELDIA, veteris Saxoniæ portio, putatur nomen à *Manno* ſecundo Germanorum Rege ſortita; quaſi *Manni campus.* Scribit *Munſterus*, eſſe in hac regione ampliſſimum lacum, cujus piſcium, ranarum, aliorumque reptilium formas atque figuras adeo accuratè in ſaxis fiſſilibus, quæ hîc inveniuntur, quæque *Ardoſas* vocant, effigiatas atque à natura depictas cernas, ut primâ fronte illas dignoſcere, atque ſingulas ſuis nominibus exprimere queas. Prætereà regio eſt admodum metallifera, aurô, argentô & ære preſertim abundans: inter Erphordiam 9. leuc. in Cæciam & Magdeburgum 9. ſita eſt urbs ejuſdem nominis. Hic Comitatus quatuor alios Comitatus in ſe continet *Aruſtes*, *Wipra*, *Wethin*. & *Quernfurt*, qui olim proprios habuerunt Comites, nunc verò præter Comitem à *Mansfeld* neminem agnoſcunt. *Baudrando* hic Comitatus tractus eſt Thuringiæ, inter Principatum Anhaltinum ad Boream, ditiones Hallenſem & Merſoburgenſem ad Ortum, & Thuringiam propriam ad Meridiem ac Occaſum. Nunc ſubeſt Electoribus Saxoniæ, ſed aliàs ſub Comitibus propriis celeberrimis, quibus omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

omnibus & ſingulis perſolvere debet 2000. flor. in perpetuum. Ibi oppida præcipua Mansfeldia, Eiſlebia, Heldrunga & Querfurtum Illuſtris hæc Familia titulô *Querfortio* priùs uſa eſt, diciturque ex ea prodiiſſe Lotharius II. Imperat. Acceſſit dein titulus *Mansfeldiæ* Comitum, qui priùs in alia familia fuerat, ut tamen aliqua linea, quæ defecit A. C. 1496. *Querfortenſe* nomen retineret. *Mansfeldenſis* ſtirpis rami fuêre varii: præcipua verò diviſio fuit, cùm Guntherus Albertum & Erneſtum filios haberet; quorum hujus poſteritas denuo in aliquot lineas diviſa, deſiit nuper in Chriſtiano Friderico liberis orbo. Ille (Albertus) Erneſtum genuit, plurium filiorum patrem, inter quos Petrus Erneſtus Caroli *Principis Mansfeldiæ* pater fuit. Qui nunc ſuperant, etiam à duobus ex filiorum ejus numero deſcendunt: nempe à Johanne Georgio, Johannes Georgius modernus; à Philippo autem reliqui omnes. Cùm enim hujus filius Bruno Wolfgangum, Brunonem & Philippum genuiſſet: nullus ex his prole caruit. Wolfgangus enim Gubernator in Hungaria Javarini, defunctus A. C. 1638. ex Sophia Tautenbergica (fil. Bernardi *Schenck* ſeu Pincernæ *de Tautenberg*) genuit Carolum Adamum (maritum Thereſiæ, Maximilianô Principe Dietrichſteniô genitæ, extinctum---) Chriſtinam Eliſabetham (uxorem Joh. Franciſci Comitis Trautſonii) Sophiam Agnetem (Maximiliano Principi Dietrichſtenio nuptam) & Brunonem, demortuum A. C, 1623. Philippus verò, itidem Gubernator Javarini ſeu *Raab* (qui obiit A. C. 1657.) ex Maria agnata, fil. Johannis & Margaretæ Brunſuicenſis, ſimiliter utriuſque ſexus liberos ſuſcepit: ut & medius Bruno: (quorum omnium progenitores ab aliquot ſeculis ſic habent. Guntherus Comes *Mansfeldiæ*, qui deceſſit A. C. 1472. ſeu 1475. ex Margaretha Honſtenia (filia Erneſti Com.) pater fuit Alberti, defuncti A. C. 1484. Hoc & Suſannâ *Bickenbach* (filia Conradi Dn. *de Bickenbach* & Agnetis ſeu Margarethæ, Adolfô Com. Naſſoviæ *in Wisbaden* genita) quæ marito ſuperfuit annos 46. genitus Erneſtus, obiit A. C. 1532. relictô, ex Barbata Querfortia (filia Brunonis Nob. Domini *de Querfort*) Philippô filiô, qui deceſſit A. C. 1546. Pater, ex Amalia *de Leisnik* (filiá Hugonis Burggravii) Brunonis Com. *Mansfeldiæ in Bornſteit* præfati; qui (extinctus A. C. 1615.) ex Chriſtiana Barbienſi, prædictos tres fratres progenuit. Spenerus *Theatr. Part. II. p.* 44. Erneſtum verò quod attinet, filium minorem natu Guntheri, defuncti A. C. 1472. ſ. 1475. & Margaretæ Honſteniæ, obiit is A. C. 1486. ſuſceptô ex Margaretha agnata (filia Gebhardi Comitis, *Mansfeldiæ* Dn. *de Heldrungen*) Albertô, qui (defunctus A. C. 1560.) ex Anna Honſtenia (filia Erneſti Comitis) Johannem genuit, extinctum A. C. 1567. Hôc & Margarethâ Brunſuicenſi (filiâ Erneſti Ducis Brunſuic. & Lunæburg.) natus Fridericus Chriſtophorus, fatô functus eſt A. C. 1631. Pater, ex Agnete Eberſtenia (filia Wolfgangi Comitis Eberſtenii Dn. *in Neugarten*) Erneſti Ludovici, qui Agnete Ruthenâ ductâ, deceſſit A. C. 1632. Mariæ Sibyllæ, quæ nupta Joh. Henrico Dn. *de Schœnberg* obiit, A. C. 1642. Johannis Alberti, denati A. C. 1634. & Chriſtiani Friderici, qui natus A. C. 1615. nullâ prole ſuſceptâ, ex Eliſabetha Comite Lippienſi, obiit A. C. 1616. ſuæ lineæ ultimus. Vide eundem Spenerum *Part. III. p.* 21. imprimis verò *in Ind. Part. II. ubi familiæ hiſtoriam exhibet.*

MANSIATRI Sinus, parvus Africæ, in parte Occidentali Madagaſcariæ, *Anco de Manſiatre:* ubi Manſiatus fluvius in mare Æthiopicum ſe exonerat.

MANSIO, Græcè σαθμὸς, propriè locus eſt, ubi confectô itinere veteres per noctem quieſcebant: *manere* enim pro cubare propriè eoſdem dixiſſe, pluribus probat Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug.* Tom. 1. *p.* 315. Conſtabant autem ſingulæ *Manſiones* communes 20. millib. paſſ. quæ menſura legitima putabatur ad iter unius diei, ut & ex Juriſconſulto clarum eſt. Simile eſt, quod Herod. *l.* 5. centum & quinquaginta ſtadia ſingulis diebus imputat, velut juſtum iter; πεντήκοντα γὰρ καὶ ἑκατὸν σάδια ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάςῃ διεξιοῦσι. Quòd ſi enim ſeptem ſtadia & ſemiſſem unicuique milliario tribuat, ut multi faciunt, 20. mill. paſſ. reddet ille numerus ſtadiorum. Sic & Zenophon Ἀναβάσ. *l.* 5. centum ac viginti duas manſiones, ἑκατὸν εἴκοσι σαθμοὺς, peragi docet in decem & octo millibus ſtadiorum. Quæ ſtadia, ſi cum ſingulis manſionibus exæques, ad eam, quam diximus, juſti itineris diurnam quadrare comperies, ſolis trecentis ſtadiis ſupra æquum excurrentibus. In *Itinerario* quoque Hieroſolymitano *Manſionum* intervalla eôdem præter propter numerô definiri videmus. Ibi enim *ab Ancyra Galatiæ Tharſon uſque mill. CCCXLIII. mutationes XXV. manſiones XVIII.* juſtâ ratione milliaria 343. ſeptem ac decem manſiones abſolvunt. Et paulo pòſt, *Fit à Tharſo Ciliciæ Antiochiam millia CXLI. mutationes decem, manſiones ſeptem*: ubi ſic 20. milia pro ſingulis manſionibus numeres, ratio conſtabit. Et alibi: *Fit â Sardica Conſtantinopolim millia* CCCCXIII. *mutationes* XII. *manſiones* XX. ubi tredecim tantùm millibus plus eſt, quàm juſtus numerus poſtulat. Nec mirum, modò plures, modò pauciores manſiones, inveniri in eodem locorum intervallo, cùm itinerum commoditatibus & regionum naturæ inſerviendum eſſet, nec exactè liceret in omnibus eandem legem ac rationem obſervare. Sic mutatio veredorum in ſingula 6. milia fieri ſolebat; quomodo legitimum erat, tres aut quatuor mutationes fieri in unam manſionem: at in *Itinerario* præfato, ut plurimùm duæ mutationes pro una manſione recenſentur, &c. Sic itaque *Manſio* communiter pro unius diei itinere ſumebatur. At in camelorum manſionibus paulo aliter ſe res habebat; ut quæ pro aquationum ratione, quæ ὑδρεύματα vocabant, erant diſpoſitæ. E. g. à Copto Beronicen uſque portum Rubri maris, vetus *Itinerar.* 258000. paſſuum computat, quod iter undecim manſionibus fieri docet, quarum ſingulæ aut 20. aut 25. milliaribus conſtant. Dicebantur autem hæ manſiones ὑδρεύματα, i. e. *aquationes*, quòd in locis iſtiuſmodi aridis ac diſertis ad ὑδρεύματα vel puteos neceſſariò divertendum erat ac manendum, cùm iter aliâ viâ, propter aquarum penuriam, eſſet inexplicabile. Hinc quemadmodum ἐποχαὶ temporum dicuntur certæ notæ ac ſigna, quibus temporum intervalla diſtingui ſolent, quibuſque immorari ac ſtare neceſſe habent, qui tempora ſolicitè computant ac Chronica ſcribunt: Ita τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἐποχὰς vocat *Ptol. aquationum manſiones* has, quibus itineris intervalla diſtinguebantur, quòd per eas tranſeundum neceſſariò haberent viatores, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 495. Iſtiuſmodi verò *Manſiones* & Mutationes in numero Civitatum non habebantur; mentio tamen Curialium, Claudiopolis, Pruſiadis, Tottai & Voridis oppidorum ſeu manſionum per Bithyniam, *l.* 119. *Cod. Theodoſ. de Decur.* ut quæ jure civitatis donatæ erant, ut ex ipſa *Conſtitutione* conſtat. Sed & *Epiſcopus manſionis Nicææ in Thracia*, item *Epiſcopus manſionis Termenſis*, memorantur in *Actis* Concil. Arimin. & in *Actis* 3. Concilii Chalced. Vide quoque infrà *Mutationes*, item *Stationarii*, ubi de iis, qui in *Manſionibus* equorum publicorum curam gerebant, Græcis ἐπίσαθμοι τοῦ σαθμοῦ dicti, ſeu τῆς μονῆς προηγούμενοι; Græco-Barbaris Δημιγευομονοὶ, quaſi τὰς μονὰς *dirigentes*, Vir Cl. *ad Juſtinum l.* 13. *c.* 8. plura apud C. Barthium. *Adverſar. l.* 45. *c.* 5. Sequenti ævô *Manſiones* etiam dici cœperunt diverſoria Legatorum, Miſſorum aliorumque Magiſtratuum publicorum, qui Principis mandatô, aut in provincias, *ad juſtitias faciendas & reformandas*, uti loquebantur, aut in exteras regiones, rei publicæ causâ, proficiſcebantur. Tenebantur enim ſubditi hoſpitiô excipere Miſſos ejuſmodi & Legatos eorumque miniſtros, & viaticum eis, (quod *parata* dicebatur, ſicut ipſum jus hoc hoſpitii, *manſionaticum*) pro uniuſcujuſque dignitate, præſtare, *L.* Longobard. *l.* 3. *tit.* 4. §. 2. 4. Quod cum pecuniâ interdum redimeretur, vetitum id Conciliô Toletanô IV. apud Gratianum 17. *q.* 1. *de Vid.* Has autem *Manſiones* præparare, præſertim ſi ipſi Reges irent peregre *Manſionariorum* erat vel certè Comitum Provincialium: quibus hanc in rem tractoria dabatur, cujus hæc formula, *Quando ad vos venerit, manſionem ei & forum & panem & aquam largiri dignemini.* Interdum tamen Eccleſiæ & Monaſteria ab ejuſmodi hoſpitum exceptione, privilegiô peculiari *Emunitatis* appellatô, eximebantur, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque hîc infrà, in voce *Manſionarius.*

MANSIONARIUS, dignitas olim in Palatio Regum Francorum, cui incumbebat *manſiones*, Rege imprimis iter faciente præparare, uti dictum. Officium ejus pluribus deſcribit Hincmarus *Ep. de Ordine & Offic. Palatii capp.* 16. & 23. Idem *Comes Manſionarii* dicitur, apud Reginonem *A. C.* 859. aliàs *Metator.* In Eccleſia Romana hôc nomine venit, Cuſtos & conſervator ædis Sacræ, Æditimus, Matricularius, apud Gregorium M. *Dial. l.* 3. *capp.* 24. & 25. ubi Abundii, & in *Tabulario* Caſaur. ubi Scamberti, *Manſionariorum* fit mentio. Erant illi in Cleri ordine, & habebant inſuper reliquiarum ac phylacteriorum curam, ut & clavium Templi. Vide Car. du Freſne *Deſcript. Ædis Sophianæ c.* 86. ubi & monet, nomen illis inde datum, quòd *manſionem* ſeu domum Ædi ſacræ adjunctam haberent: unde Προσμονάριοι. Græcis vocati ſunt. Alia eorum munia fuſè exſequitur *Ceremoniale* Eccleſiæ Rotomagenſis, editum à Menardo ad librum *Sacramentorum* Gregorii præfati. In horum ordine primus, *Primus Manſionarius* nuncupatus eſt, de qua dignitate, vide in *Ordine Romano* Sed & in eadem Communione *Manſionarii* Canonici dicuntur, qui, aliàs *Reſidentes*, opponuntur Foraneis ſeu Forenſibus, qui *non faciunt reſidentiam*, uti loquuntur, &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne præfatum *in Gloſſario*, ut & ſuprà in *Aſſiſii*; infrà quoque voce *Martyrarius*, it. *Matricula.*

MANSIONES, Militares, vide *Horrea.*

MANSUETARII, apud Æl. Lampridium, *in Heliogab. c.* 21. *Habuit & Leones, & Leopardos exarmatos in delitiis: quos edoctos per* Manſuetarios *ſubitò ad ſecundam & tertiam menſam jubebat accumbere, &c.* Græcis ἡμεροποιοὶ, ſunt Magiſtri & Cuſtodes, qui cicurandis feris operam navare conſueverunt, ſeu qui callebant, ut Manilius ait *l.* 4. & 5.

Quadrupedum omne genus poſitis domitare Magiſtris,
Exorare tigres, rabiemque auferre Leoni,
Cumque Elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.

Et infrà:

Ille manu vaſtos poterit frænare Leones.
Et palpare lupos, pantheris ludere captis.

Quem imitatus Seneca, *Ep.* 85. *Certi ſunt*, inquit, *domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, docent pati jugum: Nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, uſque in contubernium mitigant. Leonibus Magiſter manum inſertat, oſculatur tigrim ſuus cuſtos, elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua & ambulare per funem.* Urſi enim & Leones placidè domi alebantur, ut etiam nunc aliquibus in locis fit, animi causâ. Pars proin hujus agminis Urſarii fuêre, quorum meminit Edinerus *in Vita* Anſelmi apud Laur. Pignorium *in Vita D. Anſelmi l.* 1.

MANSUETINUM, oppid. Hungariæ, *Antonin. Baboliza*, vel *Babolza Lazio*, inter Sopianas 25. & Arrabonem 105. mill. paſſ. *Pons Sociorum* & *Pons Manſuetinus* etiam dicitur, ab Aquino 105. ab Herculia 60.

MANSUETUS, alio nomine *Julius*, ex Hiſpaniâ Rapaci legioni additus impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter ſeptimanos à Galbâ conſcriptus, oblatum fortè Patrem inter Vitellianos & vulnere ſtratum, dum ſemianimem ſcrutatur, agnitus agnovit. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 25.

MANSUM, caſtrum Galliæ, in extremis finibus diœceſis Aginnenſis, triduô, ſed fruſtra oppugnatum, à Comite Montis

for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſortis, bellô Albigenſi, Petrus Monachus *c.* 77. Vulgò *le Mas d'Agenois*: ad ripam Garumnæ, ferè contra Marmondam. Iſtiuſmodi loca in Galliis plurima, quæ tamen *Valeſio Manſi* potius dicenda. Vox olim Germanis, Gallis, Italis atque Anglis, in frequenti uſu, à *manendo*: in Comitatu Valentino *Colonica*; Gallis aliter à vernaculo *Carrue* Carrucata: *Bedæ Familia*, Saxonibus Hida. Hinc *Manſio*, *Manſionile*, &c. Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.* & prolixè de hac voce differentem Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

MANSUR, Arabica vox, cognomen Joannis Damaſceni, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*, h. e. *Adjutus*.

MANTACÆUS, Portus, ad quem Petrus Heinius, Batavorum Archithalaſſus, claſſem Hiſpanorum argentiferam debellavit, A. C. 1628.

MANTALA, vulgò MANTOU, Gall. incolis *Manta'*, oppid. Galliæ Narbonenſis in Sabaudia & finibus Allobrogum. *Antonin.* inter Tarantaſiam; 32. & Viennam in Occaſum 80. mill. paſſ. *Baudrand.* Ubi Boſo, Conciliô A. C. 879. habitô Rex provinc. Arelatenſis & Burgundiæ proclamatus eſt. *Morer.* Nunc vicus eſt pagi Viennenſis, pari intervallô ab urbe Vienna atque Turnone, Gall. *Mante*, vel *Mente*, S. Petri cellâ ſeu Prioratu veteri Cluniaco ſubjecto clarus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MANTALUS, urbs Phrygiæ à *Mantalo* conditore. *Steph.*

MANTAVONIUM, *Antonin.* Vide *Maitavonium*.

MANTELA, propriè Χειρόμακτρον, h. e. *manualis tela*, quâ manus tergebantur; aliter *Mantele*, apud Treb. Pollionem, *in Gallienis*, *c.* 16. *Mantelibus aureis ſemper ſtravit*: & *Mantelum*, per generis enallagen. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 706.

——— *tonſiſque ferunt* mantelia *villis*:

Ubi *Servius*, *quibus*, inquit, *manus terguntur*. Villoſa igitur erant, uti & ex *Ovidio* & *Lucretio* diſcimus; apud quem poſteriorem, Philargyrus *mappas* interpretatur; nam mappæ tergendis manibus habebantur. Gloſſæ, *mappa* Χειρόμακτρον. Sic *Mantelia*, pro mappis villoſis etiam apud Plinium ſumuntur *l.* 7. *c.* 2. quæ quoque vera ac vetus hujus vocabuli notio. Ridiculè verò illi, qui, *Mantelia* in illo Plinii loco, pro thoracibus vel loricis, quibus pectus munitur, acceperunt: quaſi verò magnum munimentum ſit & magnoperè impenetrabile in cute humani capitis. Atqui mantelia Veteres ante pectora ponere cœnantes conſueverant, ut hodie ſolemus illa lintea, quæ ante pectora noſtra, menſæ adſidentes, ponimus & quibus manus & labra tergimus. Verùm ætate jam Plinii, non ampliùs *Mantelia* in uſu erant ἀντὶ Χειρομάκτρων, ſed integendis menſis ſerviebant. Martial. *in Epigr.* cujus lemma, *Gauſapa* vel *Mantele*: *l.* 14. *Epigr.* 138.

Nobilius villoſa tegunt tibi lintea citrum,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Atque hoc tunc temporis diſcrimen ſtatuebatur inter *mappas* & *mantelia*, ut mantelia menſis operiendis, mappæ manibus tergendis uſum præberent. Nam mappæ erant brevia lintea, quas quiſque ſecum ad convivia ferebat; nec enim eas ſubminiſtrabat dominus, apud quem reperiebatur quidem menſa manteli inſtrata, ſed ſuam unuſquiſque convivarum ſecum mappam afferebat, uti patet ex ejuſdem Poëtæ *l.* 11. *Epigr.* 29. luſu, in Hermogenem, qui, cùm mappas furari non poſſet, mantele ſurripuit:

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantele è menſa ſurpuit Hermogenes.

Sic apud Scriptores *Hiſtoriæ Aug.* paſſim *Mantele*, pro menſæ integumento, accipitur. Lampridius *in Heliogabalo*, *c.* 27. *Exhibuit paraſitis cœnas de vitreis & nonnunquam tot picta* mantelia *in menſam mittebat, his edulibus picta, quæ opponerentur.* Idem *in Alexandro*, *c.* 37. *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen, ut pura mantelia mitterentur*, in menſam ſcilicet &c. Poſtmodum verò *mappam* citimæ ætatis Latini etiam pro menſæ tegmine uſurpârunt, unde Gallorum *nappe* ortum. Vide Salmaſ. *Not. ad Lampridium*, *Pollionem*, *Vopiſcum*: & *Exercitat. Plin. ad Solin.* ubi de *Mantelibus* & *mappis*, è lapidis Caryſtii filamentis laneis, quæ in ignem mittebantur, ut à ſordibus nitidarentur: item de *Mantelibus*, è cute capitis hoſtium, *p.* 177. 178. & 188. ut & hìc paulo infrà.

MANTELLATÆ, in Eccleſia Romana dicuntur Sorores de Pœnitentia B. Dominici; quòd laneô utantur palliô. Car. du Freſne *Gloſſar.*

MANTELLETUM, machina bellica, Petrus IV. Rex Aragoniæ *in Chron. l.* 3. *c.* 23. Vide quoque infrà voce *Mozetta*. ubi alia vocis notio.

MANTELLUM, vide infrà *Mantuelis*: item ſuprà *Capella*.

MANTHYREA, vicus Arcadiæ. *Steph.*

MANTIANA, palus aquæ ſalſæ in Armenia, maxima poſt Mæotida, ad Atropatiam uſque pertingens. *Geluchalat P. Veneto. Van*, & *Vaſtan*, *Theveto.* Aliis *Abaunas*. *Minadojo Actamar.* Hanc 8. magna flumina ingrediuntur, nullumque egreditur, in ambitu habet iter 8. dierum, *P. Gyllius.* Dicitur *Argis* Abylfedæ in ſua *Geograph.*

MANTIAS, Athenienſium Dux, cum 3000. militum, & idoneâ claſſe, Argæum in regnum Macedoniæ, à civibus ſuis juſſus reducere. Diodor. Sic. *l.* 16.

MANTICHORA, ex inuſitatis & Europæ inviſis Indiæ animalibus, *triplici ordine dentium pectinatim coëuntium, facie & auriculis hominis, oculis glaucis, colore ſanguineô, corpore leonis, caudâ ſcorpionis modò ſpicula infigens: vocis, ut ſi miſceatur fiſtula & tuba, concentus: velocitatis magnæ, humani corporis vel præcipuè appetens*, ex Cteſia, deſcribitur Plinio *l.* 8. *c.* 21. Vide & Ælianum *Hiſtor. Animal.* Euſebium *in Hieroclem*, Pauſan. *Bœoticis*, alios. Contrà, Jarchas Rex Indorum, apud Philoſtratum *l.* 3. *c.* 14. de hac prodigioſa fera rogatus, negat ſe quidquam inaudiiſſe. At in palatio Sereniſſ. Bavariæ Electoris, cum effigie Alexandri M. inſpexiſſe ſe, memorat Cl. Raderus *Not. ad Curtium l.* 8 *c.* 9.

MANTICULATI, apud Matthæum Paris *A. C.* 1248. cognominantur Peregrini Hieroſolymitani, tanquam perâ inſtructi. *Mantica* namque πήρα eſt, in *Gloſſ.* Lat. Græc. apud Garol. du Freſne in *Gloſſar.* Aliam notionem verbum *manticulari* habet; quod idem eſt ac *manuas* colligere & res furtivas convaſare, Salmaſ. *ad Vopiſcum in Tacito. c.* 6. Vide ſuprà in voce *Manna*. at *Manticularii*, Græcè Βαλαντιοτόμοι à *manticulis*, in quibus pecuniam condebant, dicti, furum hoc genus; quos crurifragiô puniri ſolitos, diximus ſuprà voce *Crura*. Vide quoque infrà *Saccularii*, nec non ubi de variis *Furti* generibus.

MANTIENI, montes Armeniæ majoris, ex quibus Araxes, & Gyndes fluv. profluunt. *Herodot.*

MANTILE, olim *Mantele*, *Mantelium* & *mantelum*: Plauto Captiv. Act. 3. ſc. 3. *Mantilium*, Varroni *l.* 5. *de L. Lat.* *Mantellum*, quaſi *Manûs tela*, Linteolum dicebatur, quo manuum ſordes abſtergebant in menſâ: Veteres enim *Mantilia* ante pectora ponere cœnantes conſueverant, ut hodie ſolemus lintea illa, quæ *Servietæ* dicuntur; quibus manus & labra tergimus. Verùm jam ætate Plinii uſum mutârunt, & integendis menſis ſervire inceperunt. Atque hoc tum temporis diſcrimen inter mappas & mantilia ſtatutum eſt, ut hæc menſas operirent, illæ manibus tergendis præberent uſum. Unde Salmaſ. *in Martialem l.* 11. *Epigr.* 29. *diſtichon hocce*,

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantele è menſa ſurpuit Hermogenes,

Mappas, inquit, *ſuas ad convivia afferebant ſinguli*, Mantile *convivator præbebat. Erant autem Mappæ brevia lintea, quibus manus tergebant: unde* Mappæ breves *eidem Poëtæ* ἐπιθετικῶς *alicubi appellantur.* Villoſa vero erant hæc *Mantilia*, Plin. *l.* 7. *c.* 2. Unde Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 702.

——— *Tonſiſque ferunt Mantelia villis.*

Proin, ſicut lanea veſtimenta, quæ villos habebant. ita & hæc lintea *Gauſape* dicta ſunt, Martial. *l.* 14. *Epigr.* 138. cui tit. *Gauſapa villoſa*, vel *Mantele*,

Nobilius villoſa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Scil. ſolæ citreæ menſæ & pretioſiores *Mantili* tegebantur, ne fœdarentur, aut maculas traherent: at viliores orbes ſive menſæ (nam omnes tum rotundæ) ſine integumento erant, ideoque in iis circuli non ſemel ſpectabantur, impreſſi ex lancibus ſeu patinis. Et quia omnes tum menſæ rotundæ fuêre, ideò & *Mantilia* eandem habebant figuram: ad quorum diſtinctionem Gauſape, quod lectis pro ſtragulo injiciebatur, *Gauſape quadratum* dicitur eidem Poëtæ, *Epigr.* 152. *libri præfati.* Imò & Gauſape menſas tergebant, quod villoſum erat, & quidem luxuriæ cauſâ purpureum, ut docet *Lucilius* apud Priſcianum *l.* 7.

Purpureo terſit tunc latas Gauſape menſas, &c.

Plura vide apud Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. Parte* 2. *l.* 1. *c.* 7. Ludovicus Vives *in Auguſt. de C. D. l.* 21. *c.* 6. teſtatur, *Mantile* Lovanii mediô conviviô igni datum, redditumque Domino mundius ſplendidiuſque, quàm poſſet aquis & ſmegmatis quibuslibet: Nempe è lino incombuſtibili, de quo vide ſuprà, factum erat. Unde & Langius *l.* 2. *Ep.* 52. ex Gariſtio lapide netili *Manutergiorum* iſtiuſmodi: & Plin. *l.* 19. *c.* 1. *Mapparum* meminit, quæ in focis ardentes, ſordibus exuſtis, ſplendeſcerent igni magis, quàm aquis poſſent. Inprimis enim Χειρεκμαγεῖα iſtiuſmodi inde fiebant; ut videre eſt, apud Fortun. Licetum *de reconditis Antiq. Lucernis*, *l.* 5. *c.* 27. Vide quoque ſuprà, ubi de *Accubitalibus*, item voce *Mantela*; infrà porrò *Manutergium*, *Mittere*.

MANTILE lacerandi ritus, in menſa Militum, iis qui Milites non eſſent, occurrit apud Hedam in *Friderico* Epiſc. Ultraj. & Joannem à Leydis *in Chron. l.* 31. *c.* 50. ubi Wilhelmo Comiti Oſtrevandiæ, in menſa Regis Francorum id contigiſſe legitur: Nempe is mos invaluerat, teſte *Salanovâ*, apud Hieron. Blancam, *ut nemo niſi Miles ad Menſam militis ſederet*: Si qui contrà agerent, Fecialium partes erant, illorum *Mantile lacerare*, vide ſuprà ubi de *Armis plenis*, & infrà, voce *Menſale*.

MANTINEA, urbs Peloponneſi gemina, una in Argia ad ſinum Argolicum, *Mantegna Nigro.* Altera in Arcadia, *Mandi Zardo*, *Mandigna Leunclavio.* 25. milliar. à Megalopoli in Boream, Argos verſus; 12. à Tegea; 40. à Cleonis, ad Parthenii montis radices. Hìc inter Græcos dubiô Marte certatum, Epaminondâ Thebanorum duce cæſô. an. 391. Urb. Cond. Homer. *in Catalogo*,

Οἵ Τεγέαν τ' εἶχον καὶ Μαντινέην ἐνέμοντο.

Heſych. Μαντινέη πόλις Ἀρκαδίας. *Nic. Loydius.*

MANTINI, populi Thraciæ, Virg. *in Ceiri.*

MANTINUM, vulgò *la Baſtia*, caput Corſicæ, & ſedes Præfecti, in ora ad Ortum inter Sacrum promontorium ad Boream 25. & Marianam ad Meridiem 12. mill. paſſ. *Mantino Ptol.*

MANTITTUR, Indiæ urbs intra *Gangem Ptol.*

MANTIUS, Melampi fil. ex Iphianaſſa filia Protei, Polyphideum & Clytum ſuſcepit. Homer. *Od.* 5.

MANTO, mulier fatidica, Tireſiæ Thebani filia, quæ cùm poſt patris obitum Creontis & Theſei tyranniden fugeret, primùm in Aſiam venit, ubi Apollinis Clarii templum condidit. Deinde in Italiam delata, ex Tyberi fluv. (ut poëtæ fabulantur) aut certè ex Tyberino rege Ocnum peperit, qui poſtea ad fluv. urbem condidit, quam à nomine patris Mantuam appellavit. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 198.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris

Fatidicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Fatidicæ Mantûs, & Tuſci filius amnis,
Qui muros matriſque dedit tibi Mantua nomen. Nic. Loydius.

MANTUA, urbs Tranſpadanæ regionis clariſſima, Româ 300. annis antiquior, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Aquilejenſi, vulgò *Mantua* & *Mantoa* Italis, *Mantouë* Gallis. Non longè à Cremonâ abeſſe innuit Virg. *Eclog.* 9. *v.* 28.

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Ejus ſiquidem, ut & Taſſi, patria fuit. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 62.

Marone felix Mantua eſt.

Fertilitatem ejus innuit ipſe Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 198.

Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſô flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt.
Et quantum longis carpent armenta diebus;
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit.

Capta ab Agilulpho, A. C. 590. quem Exarchus Callinicus pacem rumpens irritaverat. Ferventibus dein Guelphorum & Gibellinorum diſſidiis, reliquarum in Italia urbium exemplum imitata, Paſſerinos ſibi præfectos conſtituit, A. C. 1308. Johannes poſtmodum Galeacius Rupertô Imperat. & Gallis victis urbium dominatores, inter quos Gonzagas, Mantuæ ſubjugavit. A. C. 1403. Sed à Sigiſmundo Imperat. Gonzaga Marchio Mantuæ creatus eſt, A. C. 1420. In Vincentium Mantuæ Ducem Polonorùm vota inclinabant, A. C. 1606. cùm diſſidiis inteſtinis regnum collideretur. Vide infra, & omnino Cluver. *de Ital. Antiq. l.* 1. *c.* 26. *Baudrando* urbs magnifica, populoſa & munitiſſima, antea dives, à Manto, vide ibi. Sed A. C. 1619. capta fuit à Germanis & miſerè vaſtata, reddita tamen ſuo Duci, è familia Gonzaga, indies pulchrior evadit. 18. milliar. à Piſcaria in Auſtrum, uti & 24. à Verona, 10. à Pado in Boream. Non omittenda tria ſuburbia, quæ velut totidem urbes, ad lacum, in cujus medio Mantua ſita eſt, quorum nomina *Porto Forteze*, *il Borgo di S. Georgio & Thé.* Urbes in ditione præcipuæ *Viadana*, *Borgo-forte*, *Pomponeſco*, *Goito*, *Governolo*, *Caneto*, *&c.* ut præterea Mirandulam, aliaque dominia, intra ejus limites comprehenſa. Hîc Concilium celebratum ab Alexandro II. contra Honorium II. ab Henrico IV. electum, A. C. 1064. quô inter alia ſtatutum eſt, *Papam à ſolis Cardinalibus in poſterum eligendum eſſe.* Item à Pio II. A. C. 1459. quô de Turcis repellendis actum eſt. Caput eſt Ducatus Mantuani, *Ducato di Mantoa*, qui à Pado bifariam ſcinditur. Terminatur ab Oriente Ducatu Ferrarienſi; à Septentrione territoriis Veronenſi & Brixianô, ab Occaſu agrô Cremonenſi, à Meridie Ducatu Mutinenſi & ditione Ducis Mirandulæ. Partes ejus anteà fuerant Guardiſtalla, Sabuloneta, Novellaria, Bozolum *Bozolo*, Caſtilio Stiveriarum *Caſtiglione*, & Sulphurinum *Solfarino*, ſed nunc ab eo revulſa, propriis ex eadem familia parent Principibus. Subeſt Duci Mantuano pars major Ducatus Montferratenſis, inter Pedemontium, Liguriam, & Ducatus Mediolanenſis. Inde *Mantuanus. Stat.*

Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.

Μάντυα & *Μάντυα Stephano*, vide quoque ſuprà, voce *Gonzaga.* Item pagus Hiſpaniæ Tarraconenſis in Carpetanis, vulgò *Villa Manta* dicta.

MANTUELIS, apud Pollionem *in Claudio*, *c.* 17. *Chlamydem Dardanicam mantuelem unam*, cognomen eſt chlamydis *μανδυοειδῆς*, i. e. *in modum manti facta*, vel ad formam *manti* accedentis. Diverſum enim *σχῆμα mandyæ* & chlamydis erat, quæ duo tamen plerumque confundunt Auctores. A Græco *μανδύη* ſeu *μανδύας*, *mantua*; unde *mantuelis*, *ὁ μανδυοειδής*, & *mantuatus*, apud Iſidorum *in Gloſſis. Mantum* tamen & *Mandum* etiam dixêre Latini & videtur Græcè non tantùm *Μανδύας* & *Μανδύης*, genus hoc veſtimenti dictum eſſe, ſed etiam *μάνδυς*, à quo Latin. *mantus* & *mantum.* Iſidorus, *Mantum Hiſpani vocant, quòd manus tegat tantùm: eſt enim breve amictum.* Idem in *Gloſſis*, *mandus veſtis virginalis.* A *manto*, *mantatus*, apud Martialem, *l.* 14. qui manto tectus eſt, *Epigr.* 29. *de Cauſia*,

In Pompejano tecum ſpectabo theatro.
Mantatus *populo vela negare ſolet.*

H. e. Qui mantatus eſt, in Pompejano theatro, vela populo ſolet negare, quibus ipſe non indiget, &c. In Eccleſia Romana *Mantum* olim habitum eſt inter præcipuas Pontificum veſtes, adeò ut dignitatis ſuæ inveſtituram per illud acciperent: quô cùm Prior Diaconorum Papam electum indueret, utebatur his verbis. *Ego inveſtio te de Papatu, ut præſis urbi & orbi*, ut habetur *in Ceremoniali Romano.* Sic, cùm deponerentur Pontifices, aut ſponte dignitatem abdicarent, eadem veſtis prima erat, quam ut præcipuum inſigne dimittebant, &c. Unde *Immantare*, propriè de Pontificibus Roman. apud Radevicum *de Geſtis Friderici l.* 4. *c.* 65 Joan. Sariſberienſem *Ep.* 59. alios. Sed & *Mantum* fuiſſe Præfectorum Urbis Romæ, per quod ſimiliter fuerint inveſtiti, diſcimus ex *Actis* Innocentii III. Fuit autem id aureô limbô circumtextum, apertum à parte dextra, uti habetur in *Ceremoniali Rom. l.* 1. *ſect.* 7. Etiam inter Regalia inſignia Aragoniæ Regum, *Mantum* recenſetur, *in Ep.* Martini IV. ſeu *Mantellum*, uti alii vocant, inprimis ubi de *Manto* Franciæ Regum, quod quâ ratione deſcribatur, in *Computo* Stephani *de la Fontaine* Argentarii Regii *A. C.* 1351. vide apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MANTURNA, Dea apud Romanos ut nova nupta domi maneret.

MANTUS, ſeu MANTUM, vide hîc *ſuprà.*

MANU ad Ferrum, cognomen militare Aureliani Imperat. quòd vulgò eſſet exerendi gladii cupidus. Salmaſ. *ad Vopiſcum c.* 7. Simile illud, *Manus in capulo*, apud Statium *Thebaid. l.* 4. *v.* 557.

——— *manus omnis in armis,*
Omnis & in capulo ———

Ad quem locum vide Barthium *Animadverſion. l.* 2. *p.* 1154. ubi & de pari ardore verba Lucani adducit *l.* 7. *v.* 767.

——— *armaque totâ*
Mente agitant, capuloque manus abſente moventur.

MANU involutâ in palla altaris offerendi ritus, occurrit in *Tabulario* Caſaur. A. C. 24. *Ludovici Imperat. Lotharii filii*, apud Car. du Freſne, *Ego Lupo-tibi dono Romano Abbati ad Partes Monaſterii cum oblatione manu involuta in palla Altaris*, &c. Vide infrà, ubi de *Oblatis*: item ubi *de Manu non temerè ſacris admovenda.*

MANU ſalutare, ſeu *Manu venerari*, apud Tacitum *l.* 16. *Annal. c.* 4. de Nerone cantante, *Poſtremò genu flexus & cœtum illum* manu *veneratus eſt*: ritus fuit Hiſtrionum, Pantomimorum & Cantorum, qui ſcenam ingreſſi populum adorabant. Nempe *manum* ad os referebant, eamque oſculabantur, poſtmodum porrigebant ad illos, quorum honori ac venerationi oſculum dederant, ſicque protenſione manus, quodammodo ipſum oſculum porrigere & ad eos jactare videbantur; id quod *jacere oſcula*, item *baſia jactare*, dicebant. Vide ſuprà in his phraſibus, item ubi de *Labratis* oſculis; & *Orantium ritibus*, uti de more *Manu canentibus modum dandi*, infrà voce *Neſochori*: it. *plauſum excitandi* ubi de *Orariariis.*

MANU Signatus, vide infrà *Signatus manu.*

MANU Tertiâ, Septimâ, Duodecimâ jurandi &c. ritus, medio ævô uſitatus, vide ſuprà ubi de variis ritibus *Jurandi.*

à MANU, ſeu Amanuenſis, vide infrà *Scriptor.*

MANUA, ſeu MANNUA, Græce *δράγμη*, recentiori ævô *μανυάδιον* vide in voce *Manna.*

MANUALE ſeu MANUALIS, ſtrophiolum, ſudarium, in *Paſſione* S. Montani, apud Dominicum Macrum *in Hierolexico.* Item Liber Eccleſiæ Romanæ in quo continetur *Ordo Servitii Extremæ Unctionis*, *Catechiſmi*, *Baptiſmi & hujuſmodi*, apud Gillebertum Lunicenſem Epiſcopum *de Uſu Eccleſiaſtico.* Aliam vocis notionem vide infrà ubi de *Mento.*

MANUARIA Lex vide infrà *Monomachia.*

MANUARIÆ Sellulariæque Artes, à civibus Romanis olim non exercebantur, teſte Dionyſiô *l.* 2. & 9. Apud Athenienſes verò, quos univerſos Theſeus diviſit in *Εὐπατρίδας*, qui cœteros dignitate antiſtabant, & *Patricii* dici poſſunt: *Γεωμόρες*, qui ruri habitantes agros colebant: & *Δημιεργὲς*, qui in ipſa urbe ſedes habebant hi poſtremi Opifices erant; & circa artes quaſcunque *manuarias* occupabantur. Nec tamen illi omnes: Nam cùm cives univerſi à Solone iterum diviſi eſſent in 4. ordines, Pentacoſiomedimnos, Equites, Zygitas & Proletarios; ex his, tenuioris fortunæ homines liberos ſuos ruri opus facere docebant, ut eſt in palliata Menandri fabula *Adelphis*, apud Terentium: aut ii artificium diſcebant, ut patet ex Lege: *Υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες ἐκ εἶναι*, *Filius, quem Pater artem non docuerit, ad eum exhibendum ne cogitor*: aut peregrè ad mercatum ablegabantur, ut habes in Comœdiis. Honeſtiores verò inſtituebantur in Muſicis, in Gymnicis, in re Equeſtri, ad venandum, in Philoſophia, ut inter alia ex Terentio *in Andria* patet. Sam. Petitus *Comm. in LL. Atticas tit.* 3. & 4. *l.* 2. Sic apud Ægyptios quoque inferioris conditionis Opifices erant, & militiâ arcebantur, lege Seſoſtris, neque illis licebat paternæ vitæ inſtitutum deſerere, *Scholiaſtes* Apollonii Rhodii. Quod cùm didiciſſet in Ægypto Lycurgus, Lacedæmoniis ſuis ſimiliter utrumque injunxit; Plut. *in Eo.* Sed & apud Thracas, Perſas, Scythas, Lydos, & omnes ferè Barbaros, illos, qui artificia diſcebant eorumque liberos, pro ignobilioribus civibus, generoſiores autem eos habitos, qui à *Manuariis* operibus abſtinerent, præſertim, qui rei militari vacarent: idque didiciſſe Græcos omnes, Corinthiis exceptis, qui Opifices minimè contemptui habuerint, legimus apud Herodotum *l.* 2. *c.* 167. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron. Sec.* xv. ubi de *Ægyptiorum militia.* Ut autem Artes, quæ magno in pretio Athenis erant diligenter excolerentur, lege cautum: *Ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔσω παντὶ τῷ βελομένῳ γράφεσθαι. Lentitudinis dicam quivis impingito*: quam ab Ægyptiis ſancitam & Athenas à Solone invectam fuiſſe, auctor eſt Herodotus *Euterpe.* Piſiſtratum tamen ejus auctorem facit *Theophraſtus*, apud Plutarchum: At Draco eam prius ſcripſerat, qui *τὲς ἀργὲς* infamiâ notavit, ut eſt apud Pollucem *l.* 8. *c.* 6. Proin & Theſeus, pecuniam bove ſignavit, ut refert Plutarchus, *πρὸς γεωργίαν τὲς πολίτας παρακαλῶν*, *ad agriculturam cives hortatus*: Addit Petitus, *καὶ πρὸς τὰς τέχνας*, *& ad artes ſeu opificia*, ut haberent, unde ſibi compararent victum. Quin etiam non licebat ſervum otioſum alere, qui artem aliquam non ſciret: nec advena ad *κοινωνίαν τῆς οἰκήσεως* aliter, quàm è Senatus Areopagitici ſententia recipiebatur, ne quis ſcilicet commigraret temerè, & niſi *ἐπὶ τέχνῃ* aut rei alterius utilis ergò, vide Ariſtophanem *in Pluto.* Interim duas artes exercere non licebat, ex Lege, cujus meminit Demoſthenes *in Timocratea*; *Μὴ δύο τέχνας μετιέναι. Duas artes ne exerceto.* Et lege cavit Solon, *τὲς ἄνδρας μὴ μυροπωλεῖν*, *Ne quis vir unguentariam facito.* Nec peregrinis permiſſum erat Artem exercere, ex Lege: *Τὲς ξένες ἐν τῇ ἀγορᾷ μὴ ἐργάζεσθαι*, *Peregrini in foro nihil vendunto, neque artem exercento.* Quò autem Opificum accenderetur induſtria, veteri Lege qui inter ſuos Artifices peritior habebatur, publicè epulabatur in Prytaneo, & primam in theatris atque concionibus occupabat ſedem: *Τὸν ἄριςον ὄντα ταῖς ἑαυτῶ συντεχνῶν σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ λαμβάνειν καὶ προεδρίαν.* Sed ſi quis alius, qui hunc ipſum arte ſuperaret, reperiretur, ei ſuam *σίτησιν* locumque prior cedere tenebatur, ut diſcimus ex Ariſtophane *in Ranis.* Committebantur autem inter ſe uniuſcujuſque artis Artifices, ut quis optimus eſſet fieret palàm, feſtô, quod *Χαλκεῖα* ſive *Πάνδημον*, quia ab omnibus artificibus triceſimô Pyanepſionis die agitabatur, dictum eſt, atque hinc *Δείξεις* i. e. *commiſſiones.* Olim tamen, ante Ariſtotelis ætatem, Diophantus Archon, qui præfuit annô 2. Olymp. 96. volebat, ut ſoli ſervi pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

blici artes exercerent, apud Ariſtot. *Politic. l. 2. c. 7.* verùm illud vel nunquam vel non diu obtinuit: ut tum ex præcedentibus videre eſt, tum ex Demoſthene *in Eubulidem*, προσήκει τοίνυν ὑμῖν βοηθοῦσι τοῖς νόμοις, μὴ τοὺς ἐργαζομένους, ξένους νομίζειν, *Convenit vobis legibus ſuppetias ire, &, qui artem non exercent, pro peregrinis habere.* Vide eundem Petitum *l. 5. tit.* 6. ut & infrà, voce *Opifices*, item *Sellularii.* Aliter vox *Manuariæ*, ſumitur, de parte Mechanices intellecta, quæ χειρουργικὴ Græcis, vide infrà *Mechanice.*

MANUBIÆ, præda quæ *manu* capta eſt A. Gellio *l. 13. c.* 24. *Nonio, manus exuviæ*; *Iſidoro* ſic dictæ ſunt, quòd *manibus detrahuntur.* Aſconius Pædianus in 3. *contra Verrem*, auctor eſt, Veteres *manubias* dixiſſe ſpolia quæſita de vivo hoſte nobili per deditionem. Suetonius *in Veſpaſ. c.* 16. ſimpliciter pro quacunque rapina uſurpare videtur, nec ab hoſte ſolùm, ſed etiam à cive petita: *Serò*, inquit, *ad manubias converſus eſt, cùm de confiſcationibus nullô jure ſubnixis mentionem faceret.* Gellius *alibi*, *Manubias* vult eſſe pecuniam, vel ex hoſte captam, vel ex præda vendita reductam: quæ videtur vocis maximè propria ſignificatio; atque ſic *Manubiæ* dicentur, quia ea pecunia eſt ex ſpoliis, quæ manu hoſti ſint detracta. P. Nannius tamen *in Miſcellaneis l. 3. c.* 3. arbitratur, illas ſic dictas eſſe, vel à *manu* & *vi*; vel à Græco βία, ut hybrida ſit dictio. Ex hiſce templa olim erecta. Ambroſius *Ep.* 29. *ad Theodoſ. Imperat. Legimus templa idolorum antiquitus condita de manubiis, & ſpoliis reliquorum hoſtium.* Sic *Ædem Caſtoris ex manubiis L. Metellus exſtruxit*, Aſconius Pedian. *in Verr. Ciceronis p.* 36. *C. Marius Pr. Trib. Plebis. Augur de manubiis Cimbricis & Teutonicis ædem Honori & Virtuti* Sueton. *Auguſto c.* 30. & *Tiberio c.* 20. Elei quoque bellô devictis Piſæis, templum & ſignum de *manubiis* Jovi fecerunt, Pauſanias *Eliac.* &c. Imò *Templa omnia de manubiis*, i. e. *de ruinis urbium. Octavius* apud Minucium Felicem, ubi Viros doctos vide. Indidem arcus extructi, aliaque Victoriæ monumenta publicè poſita ſunt. Sic *In faſtigiis Fori Trojani ſimulachra fuiſſe ſita circumundique inaurata equorum atque ſignorum militarium, cum ſubſcriptione*, EX MANUBIEIS, refert *locô præfatô* A. Gellius: ex Manubiis nempe Dacicis. Namque Forum illud à Trajano poſt Daciam ſubactam, exſtructum, & ex pecunia, quæ ex venditione prædæ in bello Dacico manucaptæ percepta eſſet, in eo arcus triumphales ob ſuperatos Dacos ac Sarmatas, porticus ampliſſimis excelſiſque opere Corinthiacô columnis magnis epiſtyliis adjunctis, ut Gigantum potiùs, quàm cœterorum hominum moles crederentur, ſtatuaque ipſius Trajani in medio porticus atrio columnis ſuperpoſita eſt, præ cæteris in Foro medio Cochlide columnâ marmoreâ altitudine pedum 128. erectâ &c. Vide Dionem Caſſium, *ubi de Trajano, A. Ciacconium.* Jac. Oiſelium JCtum *in Gellium* &c. & infra in voce *Præda.* Aliam notionem vocis habes ſuprà ubi de *Fulmine.*

MANUCODIATA, apodum genus, quas meliùs cum Ariſtotele, *Hiſt. Anim. l. 1. c. 1.* κακόποδας, *pravi-pedes*, dicas. Habent enim pedes, ſed non idoneos ad greſſum; imò, nec ut iis conſiſtant, ſed ut hæreant: quomodo *Plinius* capiendus, nec negat, habere pedum uſum. Non enim pedes Deus iis fruſtra omnino fecit; Aliter vocantur κύψελλοι & κυψελίδες, eò quòd nidificent ἐν κυψελλίοισιν ἐκ πηλοῦ πεπλασμένοις, *in alveolis è luto fictis*, Ariſt. *Hiſtor. Animal. l. 9. c.* 30. iiſque oblongis, unô aditu arctô, qui ſufficiat. Qui ab hirundinibus dignoſcantur, ibid. legas. De iiſdem ſic Plinius *l. 10. c.* 39. *Plurimum volant, quæ apodes, quia careant uſu pedum, ab aliis cypſeli appellantur, hirundinum ſpecie. Nidificant in ſcopulis. Hæ ſunt, quæ toto mari cernuntur: nec unquam tam longô naves, tamque continuô curſu recedunt à terra, ut non circumvolitent eas apodes. Cœtera genera reſidunt & inſiſtunt: his quies, niſi in nido, nulla: aut pendent aut jacent.* Ac tales ſunt Ariſtotelis Pliniique apodes. Longè verò minùs greſſus convenit apodum iis, quæ diſcriminis cauſâ *Indicæ* vocantur, atque aliter *Manucodiatæ.* Hæ enim ſemper volare, nec unquam quieſcere, dicuntur. Sed id pro vano prorſus habendum. Nam ut veriſſimè Ariſtoteli proditum eſt, nullum eſt animal, quod vel moveatur ſemper, vel ſemper quieſcat. Nihilô verius, quòd eas ſolô ajunt rore vivere, quem inter volandum manè percipiant. Nec enim ſemper ros decidit; &, cùm cadit, non tam puſillô rore animal tam grandibus alis vitam ſuſtentet. Veritas autem ſic ſe habet: Inſectis vivit, quæ venatur, & aliis, quæ reperit in arboribus: his enim ſe applicat, tum quietis ac ſomni cauſâ. Sunt verò hæ aves in Inſulis Moluccis ac Java majori. Nomen earum ſonat *Dei aves*: dicuntur quoque *Aves paradiſi*; quia vulgus, Muhammedicum inprimis, perſuaſum habet, venire illas è paradiſo. Imò Reguli Moluccani tam ſtultè ſapere dicuntur, ut ſe plumis iſtarum avium ornatos, utcunque vel in primori acie conſiſtant, vulnerari non poſſe arbitrentur. Credibile tamen eſt, quandoque etiam Regulos ipſos, aliorum inſtar, bellô cadere: eóque experientiâ vanitatem illam ſatis refelli. Quod cùm ignorare non poſſint, cenſeo, pennas iſtas aſſumere, partim ornatûs cauſâ; partim ut argumentum ſuæ in Deo fiduciæ & ſymbolum divinæ erga ſe curæ. Nempe ſperant, ſe per iſtas Dei ſive Paradiſi aves, Numini reddi commendatiores: nec facilè in prælio, à Deo, cui fidant, iri deſertum, atque ut cadant, mox transferendos eſſe in ſedes beatas. Neque verò Inſularum ſolùm incolæ, ſed & Janizari ſeu Prætoriani Turcarum Imperat. cum prælium inituri ſunt, earum plumis ſeſe ornant, teſte Belloniô *Obſervat. l. 3. c.* 25. Quanta enim illarum venuſtas ſit, exponunt fuſè Cardanus *de Subtil. l.* 10. & Scaliger *Exercitat.* 228. Vide Voſſ. *de Idolol. l. 3. c.* 80. & 87. *Georgiô de Sepibus* teſte hæc avis, duo longiſſima fila atri coloris è corpore emittit, quibus in arborum ramis implicitis, ſe ad quietem de iis ſuſpendit. Plerunque tamen in continuo motu per auras defertur: Alas enim habet, ſed immediate poſt prominulum roſtrum. Exigua ei corporis moles, variorum colorum, qui tamen maximè ad æruginem accedunt. Pennas habet ad duos palmos excurrentes, imò paucis circa roſtrum & lanuginoſis pennulis mirâ varietate contecta, videtur agglomerata quædam pennata maſſula; vix carne conſtans. Cauda verò, pavonum more, aureó ſplendore nitet, aliis mixtim coloribus coruſca. Exuviæ iſtiuſmodi volucrium ſeptendecim è Braſilia Kircherio miſſæ, in *Muſæo* ejus hodieque oſtenduntur, quarum una ſubtiliſſimi roſtri, quod penè ſemipalmare eſt & ejuſdem altitudinis pedes, corpulentiam verò junioris galli habet; pennæ porro intenſiſſimè rubent Aliæ ſedecim & formâ & colore mirabiles ac vagæ noviter acceſſerunt, de quibus videatur Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo p.* 33.

MANUDUCTOR, in *Gloſſis* dicitur, quem Μεσόχορον Græci vocant: qui videlicet in medio Chori conſiſtens reliquis inde auſpicium canendi modumque dabat. Quemadmodum *Heſiodus* Apollini, cum Muſis, in cœlo cithara perſonanti, ſedem adſignat, Χορῷ ἔνι μέσσῳ, *choro in medio.* Vide infrà paſſim, inprimis in lemmate, *Menſuram percutere*, & voce *Meſochori.*

MANUEL Byzantinus, Hiſtoricus laudatus Joh. Curopalati, *in procem. Hiſt.* Item Briennenſis, auctor libri de Muſica.

MANUEL MOSCHOPULUS, ſcripſit dictiones Atticas, Notas in Heſiodum, Synopſin in vitam Euripidis, &c. *Geſner. Poſſevin.* Reliquos quære, *in Emanuel*, it. *Immanuel.*

MANUELATI, in Veteri Inſtrumento, dicuntur nummi Manuelis Comneni Imperatoris Conſtantinop. contractè *Manlat*, apud Arnoldum Lubecenſem. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmat. num.* 24.

MANUFIRMA, apud medii ævi Scriptores fundus eſt conceſſus alicui ad vitam & hæredum ſub cenſu annuo, certis conditionibus interpoſitis: proinde diverſus ab *Alodo*, qui erat hæreditarius. Et quidem *Manufirmarum* ea primitus, quæ Feudorum ac Beneficiorum, ratio erat, cùm à dominis ad vitam concederentur, eâque finitâ ad donatores redirent: in eo tamen ab illis differebant, quòd Beneficia nulli alii oneri obnoxia eſſent, præterquam homagio & ſervitio militari; hæ verò vilius quidpiam redolerent, ut quæ annuo ſub cenſu concedebantur. Poſtmodum, & quidem crebrò, dari cœperunt, non ad unius modò, ſed & ad primi & ſecundi hæredis vitam, ita ut, illis decedentibus, licèt liberos haberent, ad dominos reverterent, quæ erat *Precariarum* & *Præſtariarum* conditio. Tandem, uti & in Feudis factum, hæreditariô jure poſſeſſæ ſunt, & de iis diſponendi facultas poſſeſſoribus, non minus ac de Feudis, eſt indulta. *Manufirmæ* porrò eædem fuêre cum terris cenſualibus, ſeu cenſui obnoxiis, quæ in eo quoque à Feudalibus diſtinguebantur, quòd cenſuales ſeu *manufirmæ*, non homagium, ſervitium, aut exercitum, ſed cenſum tantummodo annuum deberent; unde *feudalibus* perpetuò opponuntur, apud Butilerium *in Summa rurali* &c. Nomen illis inde quòd ejuſmodi conceſſiones *manu* concedentium & donatorum *firmarentur*, peculiariſque eſſet iis in contractibus formula, his verbis concepta: *Ut autem hujuſmodi manufirma ſtabilis & inconcuſſa permaneat, manu propria firmavimus* &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſario.*

MANULEARII, memorati Plauto *in Aulularia*, *Actu* 3. *ſc.* 5. ubi totus eſt in fœminei luxûs inſania publicè traducendâ, cùm inter alia ait,

Aut Manulearii, *aut Murrobathrarii:*

Dicti videntur, qui tunicarum manicas ſive tunicas manuleatas, quarum mentio apud Plautum alibi, conficerent: Si tamen hoc à Sarcinatoribus, quarum *in eadem Scena* inferiùs meminit, diverſum fuit artificium. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. Part.* 1. *l. 3. c.* 21. & ſuprà voce *Manica.*

MANUM aut *Dextram* perdere, pœna decreta maximè in perjuros in *L.* Wiſigoth. *l.* 8. *tit.* 5. §. 1. in *L.* Burgundionum *tit.* 6. §. 11. &c. in *L.* Bajwar. *tit.* 2. *c.* 6. & *c.* 11. §. 1. alibique paſſim: item pœna Monetariorum, in *Edicto* Piſtenſi *c.* 16. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Manus.* Sed & Speculatoribus, apud veteres Romanos, *manus* præciſas, legimus apud Livium *l. 22. c.* 33. *Per eoſdem dies ſpeculator Carthaginenſis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehenſus, præciſiſque manibus dimiſſus.* Transfugis item, apud eundem *l. 26. c.* 12. *Faſſus id ita eſſe & alios ſpecie transfugarum Numidas vagari in caſtris Romanis, hi ſupra ſeptuaginta comprehenſi & cum transfugis novi. mulctati virgis manibuſque præciſis, Capuam rediguntur. Conſpectum tamen triſte ſupplicium fregit animos Campanorum.* Imò & apud Iſraëlitas mulieri, quæ alterius viri maritum ſuum percutientis pudenda apprehendit, Deuteronomii *c. 25. v.* 11. & 12. *Si concertantibus hominibus inter ſe, viro cum fratre ſuo, accedat uxor viri unius illorum, ad eripiendum maritum ſuum è manu percutientis ipſum, & extendens manum ſuam, apprehendat pudendis eum: Tunc amputabis manum illius; ne parcito oculis tuis.* Vide quoque ſuprà, voce *Hæreſis*, item ubi *de Homicidii cauſa*, infrà quoque voce *Parricida.*

Ad MANUM canere, vide ſuprà *Hypocrita.*

MANUMISSIO, origo & allectio ſeu adoptio in cives, olim cives fecit. Tribus autem modis ſervos *manumitti* conſueviſſe. *Suetonius*, Interpres *Topicorum Ciceronis*, affirmat: Aut, ſi quis, conſentiente vel jubente Dominô, nomen ſuum in cenſum detuliſſet: aut virgâ in caput ſuum à Prætore impoſitâ, quæ *Vindicta* dicebatur, in libertatem vindicatus eſſet; aut à Domino teſtamentô liber relictus. De *Manumiſſione per cenſum*, quæ à Servio Tullio Rege originem traxiſſe perhibetur, Ulpianus loquitur. *Servi*, inquiens, *qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, ſi hi eos in cenſum Civium à Cenſoribus adſcribi juberent, libertatem conſequebantur.* Secundi generis, nempe *Manumiſſionis per Vindictam*, Auctor fuiſſe fertur P. Valerius Poplicola, annô primô poſt exactos Reges, cum de præmiis Vindicis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dicis ſervi, qui conjurationem indicaverat, ad Populum tuliſſet à quo etiam *vindictæ* nomen ductum fuiſſe exiſtimant, tum alii, tum Livius *l.* 2. *c.* 5. Poſt quem obſervatum ut qui ita liberati eſſent, in civitatem recepti viderentur. Hæc autem poteſtas primùm penès Conſulem fuit, poſt ab eo ad Prætorem urbanum tranſlata eſt, ut *vindictâ*, i. e. *virgâ* in caput impoſitâ (eam enim ſic appellare placuit) *manumitteret.* Quod ſic fiebat; Qui *manumittere* ſervum volebat apud Prætorem, ejus caput aut aliud membrum tenens, ad Prætorem ſic dicebat: *Hunc hominem liberum eſſe volo*, & emittebat eum è manu, *Sigonius ex Boëtio, Feſto, Valerio Probo ac Donato.* Idem tamen ex Iſidoro *l.* 9. refert, Romanos eos, quos *manumittebant*, alapâ percuſſos circumegiſſe, atque ita de manu miſiſſe: factâ ſic ipſis poteſtate abeundi, quo velint. Unde apud Phædrum *l.* 2. *fab.* 5. ad Atrienſem, multâ ſedulitate libertatem ambientem, inquit Tiberius Imperator,

Multo majoris alapæ mecum veneunt.

Et Claudian. *de* 4. *Conſul. Honorii* huc alludens ait,

In civem rubuêre genæ

Perſius quoque *Sat.* 5. *v.* 76.

——— *Heu ſteriles veri quibus una Quiritum*
Vertigo facit

Ac paulo poſt, *v.* 79.

Verterit hunc Dominus, momentô turbinis exit
Marcus Dama.

Prætor autem *vindictâ* ejuſdem ſervi capiti impoſitâ, ita dicebat: *Dico eum liberum eſſe more Quiritum.* Inde converſus ad lictorem ajebat: *Secundùm tuam cauſam, ſicut dixi; Ecce tibi vindicta.* Tum lictor, acceptâ hâc à Prætore, caput ſervi percutiebat, faciem palmâ tergumque verberans. Quibus actis nomen *manumiſſi* in acta à Scriba referebatur, adjectâ *manumiſſionis* cauſâ. Neque verò neceſſe erat omnino pro Tribunali manumittere, ſed poterat id quoque in tranſitu fieri, cùm aut lavandi aut geſtandi aut Ludorum cauſâ prodiiſſet Prætor. Et hinc forte deducendus mos eſt, quem hodie Nobiles aliique Magnates Viri obſervant, cùm ſervos jure arma geſtandi inſigniunt, quod Germani vocant, *Wehrhafft machen.* Tertius, qui *Teſtamentò* fit, in Inſtitutionibus diligenter explicatur, quô proin Lectorem remitto. Qui ſic *manumiſſi* & libertate donati erant, raſô capite geſtabant pileum, libertatis inſigne. Unde Proverb. *ad Pileum vocare.* Tertullian. *de Reſurr. carn.* docet, ſuô tempore ſervos tales à Dominis accepiſſe veſtem candidam, annulum aureum, & novum nomen priori additum. Et certè, tria habere nomina, non tam nobilitatis, quàm libertatis indicium fuiſſe, patet ex illo Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 127.

——— *Tanquam habeas tria nomina.*

Horum itaque modorum aliquo *manumiſſus*, majorem & juſtam conſequebatur libertatem, & fiebat ac dicebatur civis Romanus. Qui vero vel *inter amicos*, vel *per menſam*, vel *per epiſtolam* (quos tres modos, *naturales* dictos, prioribus addunt Juriſconſulti) *manumittebantur*, minorem conſequebantur libertatem & *Latini Juniani* fiebant ac dicebantur, ex lege Junia Norbana. Quod ſi quis tempore ſervitutis commiſiſſet aliquod crimen, propter quod notis in fronte & ſtigmatis compunctus: vel in publicos carceres conjectus fuiſſet aut propter delictum aliquod verberibus affectus, illud confeſſus eſſet, ac dein gratiâ cum Domino initâ, ab eo fuiſſet manumiſſus, ex Lege Ælia Sentia, *Libertus dedititius* fiebat, ac infimam conſequebatur libertatem. Vide Jac. Rævardum *Variar. l.* 4. *c.* 9. & *lib. ſing. de auctoritate Prudentum, c.* 7. Anton. Cujacium *Lectionum Subſeciv. Juris Civ. l.* 2. *c.* 9. Jac. Cujacium *Obſervat. l.* 5. *c.* 13. & *l.* 7. *c.* 20. Adr. Turnebum *Adverſar. l.* 18. *c.* 3. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 20. &c. Apud Athenienſes, Servi libertatem conſequebantur, vel invitis Dominis, pecuniâ numeratâ; quam *unam libellam* vocat Plautus *Caſinâ, Actu.* 2. *ſc.* 5.

Vobis invitis, atque amborum ingratiis,
Unâ libellâ liber poſſum fieri.

Aliquoties, quum afflictis Reip. temporibus egregiam in bello navârunt operam, libertate donabantur à Republ. ut illi, qui annô 3. Olymp. 93. Archonte Calliâ, ad Arginuſam Lacedæmonios fuderunt: item, qui Chæroneæ adverſus Philippum Macedonem militavêre. Non licebat autem, qui *manumittebantur*, liberos pronuntiare in Theatro, ex lege Æſchini laudatâ: aliàs præco, nam per hunc renuntiatio fiebat, ignominiâ mulctabatur. *Manumiſſi* dein ſervile nomen aliquando mutabant, aliquando ſyllabâ augebant, ut Stephanus ille, qui *Philoſtephanus* appellari voluit, *Antholog. l.* 2. Tonſuræ quoque genus mutabant, &c. Sam. Pet. *Comm. in LL. Atticas l.* 2. *tit.* 6. Cœtera vide ſuprà in voce *Liberti.* Apud recentiores *Manumiſſionis directæ* (h. e. abſolutæ, plenariæ in qua nullum reſervabatur obſequium aut Patronatûs jus) formula hæc exhibetur, à Marculfo *l.* 2. *Form.* 32. 33. 34. *Te ex familia noſtra à præſenti die ab omni vinculo ſervitutis abſolvimus, ita ut deinceps, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, vitam ducas ingenuam & nulli hæredum noſtrorum, vel cuicunque ſervitium, nec Libertinatis obſequium debeas, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubjecta ſunt: peculiari conceſſô, quod habes, aut deinceps elaborare poteris.* Adde *Formulas* veteres Bignonii *c.* 13. Goldaſtum in *Chartis* Alemann. *c.* 7. 8. Alios, è quibus præcipua hanc in rem, in *Gloſſar.* ſuo congeſſit Car. du Freſne. Atque hi, qui ſic *manu mittebantur*, habebant libertatem eundi, quò vellent; peculium ſibi comparare poterant; Teſtamenta inſuper condendi facultatem & jus Civitatis Romanæ, conſequebantur. At *Manumiſſio conditionalis*, directæ oppoſita, fiebat ſub conditione ſervitii ac obſequii; ita ut, qui ſic manumittebantur, non plenariam ac omnimodam libertatem conſequerentur, ſed, ut Latini Juniani & Dedititii apud Romanos, quodammodo remanerent obnoxii, eoque nomine, velut ſervi, ad ſacros Ordines non poſſent promoveri, ut eſt in *Concilio Toletano* IV. Cujuſmodi Manumiſſionis imperfectæ formula extat, apud eundem Marculfum *l.* 2. *c.* 33. in qua libertas à domino conceditur, *eâ conditione, ut dum advixerit, ſibi deſerviat: poſt obitum ſuum, ſi ſibi ſuperſtes fuerit, ſit ingenuus* &c. *c. verò* 34. habetur alia, quâ ita libertas datur, ut manumiſſus manumiſſoris ſepulchrum *luminaribus annis ſingulis procuraret.* Et hæc libertas imperfecta poſterioribus maximè ſeculis obtinuit, apud Francos potiſſimùm, quæ ita concedebatur, ut, retentis ſervorum obſequiis ac operis conſuetis, non tam ſervile nomen deleretur, quàm ſervitus ipſa augeretur, ſic ut ad abolendas extinguendaſque iſtiuſmodi conditiones duras, manumiſſioni adnexas, aliâ Manumiſſione opus eſſet. Erant autem Manumiſſiones tales eorum quos *homines de corpore* & *de capite* vel *capitales* appellabant, qui & obſequia *de corpore ſuo*, i. e. operas & *corvatas* & *cenſum de capite*, quotannis exſolvere tenebantur, quique ita glebæ addicti erant, ut ab ea recedere iis non licitum eſſet. quemadmodum nec matrimonia contrahere inconſultis dominis poterant. Donec ſenſim conſuetudo iſta aboleri cœpit, dominis ipſis ſeu pietate ac miſericordiâ motis, vel ex ipſo compendio, acceptâ ab manumiſſis pecuniâ, plenariam indulgentibus. Hinc tum *Manumiſſionum ſingularium*, tum *generalium* ſeu *libertatum*, quæ integrorum pagorum incolis, ſervitutis hujuſmodi nexu obligatis, conferebantur, *Chartæ* paſſim extant: Philippi Pulchri inprimis & Ludovici Hutini Franciæ Regum, quas *loc. cit.* exhibet præfatus *Gloſſarii* Auctor. *Manumiſſio in Eccleſia*, inducta potiſſimùm legitur à Conſtantino M. in *l.* 1. *Cod. de His, qui in Eccleſia manum. Jam dudum placuit, ut in Eccleſia Catholica libertatem domini ſuis famulis præſtare poſſint, ſi ſub aſpectu plebis, adſiſtentibus Chriſtianorum Antiſtitibus, id faciant ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiſcunque ſcriptura, in qua ipſi vice teſtium ſignent.* Offerebat autem dominus *libellum*, quô libertatem ſervo ſuo ab Epiſcopo donari expetebat, quem *Petitorium* vocat Ennodius *Opuſc.* 8. Fiebantque iſtiuſmodi Manumiſſiones *ad Altare* vel *circa Altare*, ex *LL.* Luithprandi *tit.* 109. §. 4. ſeu *ante cornu Altaris*, ut habent *Formulæ veteres* Bignonii *c.* 8. Quâ manumiſſionis formâ liberi facti, plenariam conſequebantur libertatem, eôque nomine Cives Romani fiebant, ex *l.* 2. *Cod. de His qui in Eccl. manum* &c. Plura hanc in rem, ut & de variis aliis *Manumiſſionis* formulis, ſpeciebus ac ritibus, vide apud ſæpius laudatum Auctorem, è quo unicum hoc ſuperaddere viſum eſt, *de Manumiſſione per Denarium.* Fiebat illa coram & præſente Rege, qui manumiſſionem ratam habebat, & manumiſſi deinceps defenſor erat, jactatô *denariô*, tanquam manumiſſionis pretiô, per manum vel domini vel alterius, & excuſſô de manibus ipſius ſervi, qui inde *Denariatus* & *Denarialis* cenſebatur & appellabatur. Quæ manumiſſionis forma Legis Salicæ propria fuiſſe dicitur, in *veterib. Chartis* ex *tit.* 48. ubi *ſervi ante Regem per denarium dimiſſi* mentio fit. Vide quoque *Formulas* Bignonii *c.* 16. Marculfum *l.* 1. *Form.* 22. Paradinum *Hiſtor. Lugdun. l.* 2. *c.* 24. alios. Interim apud Ripuarios quoque hanc conſuetudinem viguiſſe, colligere eſt ex *L. Ripuar. tit.* 57. §. 1. Ea autem erat *Denarialis* hominis conditio, ut *hæreditatem in ſua generatione non haberet, antequam uſque in tertiam generationem perveniſſet*, quod de *Chartulario*, ſeu manumiſſo per *chartulam* pariter obtinuit, uti videre eſt *in L. Longobard. l.* 2. *tit.* 35. §. 1. & *in L. Ripuar. tit.* 57. §. 4. Quòd ſi abſque liberis decederet, Regem ſeu fiſcum hæredem habebat &c. Ibidem egregia habes, de quadruplici *Manumiſſionis* ſpecie, apud Langobardos, deque ea potiſſimùm, quæ *per quartam manum*, & *quatuor vias*, manumittendo oſtenſas; ut & de Manumiſſione, quæ per *ſagittam* fiebat. Nec omittendum, *Manumiſſionis* veſtigium in ipſa Lege divina luculenter conſpici. Cùm enim in ſacrificiis omnis generis, tam pacificis, quàm expiatoriis, qui offerebat victimam, manum capiti ejus imponeret, hôc ipſô ritu eam Deo tradebat, & quaſi *manu-mittebat*, profeſſus ſe renuntiare juri, quod in iſtud animal habebat, ſeque illud dominio ſuo eximere & cultui Divino dicare &c. Vide Sam. Bochartum *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 54. ubi de Hirco *Azazel*; & de *Manumiſſorum*, viceſima lege, Livium *l.* 7. *c.* 16. & infrà ubi de *Viceſima hæreditatum*, it. voce *Vinculum.*

MANUPRETIUM ſeu PRETIUM MANUS, quod pro *manu* vel labore dabatur Artifici argentario. Cato, *Nec ullum vaſum manu pretioſum*, i. e. cujus manus vel labor pretioſus foret. Manilius *l.* 4. *v.* 428.

Materiamque manu *certâ duplicarier arte,*
Quidquid & argentô fabricetur, quidquid & aurô.

Quibus indigitat, materiam auri & argenti, *manu* & arte certâ, h. e. facturâ cælaturaque pretioſiorem fieri & quodammodo duplicari, ut materiæ pretio, etiam accedat artis & manus pretium. Ita enim Plin. *l.* 33. *c.* 11. *Nec copia tantùm argenti fuerat vitæ, ſed validius pæne* manuſpretium, *idque jam pridem, ut ignoſcamus nobis.* Vide ſuprà in voce *Laborioſi*: Labor enim & *manus* & opus hìc idem; & plura hanc in rem, apud Salmaſ. ad *Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 24.

MANUS, ordinandis impoſita, veteri Hebræorum ritu, quem illi סמיכת הזקנים *Ordinationem Presbyterorum* dixêre. Originem ejus à Moſe derivant quem ita creâſſe non modò Joſuam, Numeror. *c.* 24. *v.* 23. ſed itidem ante Septuaginta illos ſibi in Synedrium Magnum adſcitos, ajunt Magiſtri. Eô itaque utebantur olim in Presbyteris creandis, ſi videlicet ii præſentes eſſent, Abſentes verò, intra Terram ſanctam, per epiſtolam ſeu codicillô, etiam nuntiô ad creandos à creante, modò is etiam intra Terram eſſet, miſſô, ritè creari ſeu ordinari poterant, adhibitis in epiſtola ac codicillo, verbis illis actûs creationis ſolemnibus, *Ecce ſis ordinatus; & ſit tibi poteſtas* judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

judicandi etiam judicia pœnalia : Ego ordino te , ſis ordinatus ; quæ pariter *Manuum impoſitioni* adhiberi ſolita, idque à ſeculis vetuſtiſſimis. Quemadmodum hodieque, ubi dignitates aliquot tàm civiles, quàm militares, veluti Equitis Aurati, Doctoris, aliorum, quoties ritus ſolennior fuerit adhibitus, non ſine *manuum* , pro locorum diverſitate, ceremoniis aliquot à Principibus aliiſve, quibus eas creandi facultas eſt, conferri ſolent, quæ tamen interdum citra illas, verbis in diplomate ſeu codicillo conceptis, nec minùs legitimè ſive præſentibus, ſive abſentibus conferuntur. Unde colligas, ex more Majorum quidem, ſeu jure inter ipſos humanô, pro eorum, qui ſummæ rerum præerant arbitratu, introductô, hanc ceremoniam pependiſſe, non verò ex jure aliquo divino ad illam adhibendam fuiſſe adſtrictos. Tametſi enim Moſes *l. c.* ex præcepto divino *Manus* impoſuerit Joſuæ, adeoque eum in Presbyteratus dignitatem univerſalem ita ordinaverit, nihilominus non inde ſecutum eſt, ut Presbyteri aliqui, quaſi jure illinc divinô, ſic in poſterum ordinarentur. Neque enim actum illum ſingularem à Numine ſic imperatum, ritum, cui ſemper obligarentur, velut præceptum perpetuum, introduxiſſe volunt: uti viſum, & latiùs videbitur infrà, ubi de *Ordinandi ritu*; item *de Presbyteris*. Vocant autem hanc *Manuum Impoſitionem* סמיכה *Semica*. Et hic mos ab Hebræis ad primos Chriſtianos fluxit, apud quos non comparet ulla inſtitutio Presbyterorum nova ſeu ſingularis, ſed juxta morem Judaicum, qui etiam tunc Chriſtianus & erat & ſic dicebatur, creati ſunt, quorum in Actis & epiſtolis ſacris mentio eſt. Inter alia 1 Tim. *c.* 4. *v.* 14. *Noli negligere gratiam* Χάρισμα, ſeu *donum, quod in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶ χειρῶν τȣ̃ πρεσβυτερίȣ, *cum impoſitione manuum Presbyterii*: ubi nomine *Presbyterii*, non conſeſſum aliquem, collegium aut cœtum Presbyterorum Chriſtianum neceſſario, ſed ipſam dignitatem ſeu officium Presbyterii, intelligi vult *Seldenus*, quaſi dictum eſſet, *Quæ tibi data eſt per Prophetiam, cum manuum impoſitione, quâ creatus es Presbyter*. Inprimis cùm Paulus ipſe, alibi de eadem gratia ſeu dono in Timotheo loquens, dicat expreſſè, 2. Epiſt. *c.* 1. *v.* 6. Ὅ ἐϛιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶ χειρῶν μȣ, *Quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; quod quidem ſonat, quaſi Paulus ipſe eum creâſſet, non Presbyterorum cœtus aliquis ſeu conſeſſus Presbyterii nomine ſignantiùs inter Chriſtianos tunc notus. Nam Presbyterum unicum, alium potuiſſe creare, ex more Hebræorum, qui tunc viguit, vetuſtô, receptiſſimum erat. Et certè de eodem Paulo & Barnaba legimus, Actor. *c.* 14. *v.* 23. Χειροτονήσαντες αὐτοῖς Πρεσβυτέρȣς κατ' ἐκκλησίαν &c. *Cùm creâſſent illis Presbyteros per Eccleſias* &c. Hinc Paulus ad Titum, in Presbyterii dignitatem, ante creatum. *c.* 1. *v.* 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas*, καὶ καταϛήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρȣς, *& conſtituas per Urbes Presbyteros*. Idemque ad Timotheum, 1 Ep. *c.* 5. *v.* 22. Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει. *Manus citò* ſeu *temerè nemini impone*. Qui nimirum hôc nomine, ad capita maximè illa ſingularia Judaicæ Theologiæ veræ ſeu Chriſtianiſmi jam naſcentis propaganda, conſtituendi erant, ita ex more Judaico ordinabantur. Atque inolevit poſtea, ut Presbyteris ab Epiſcopis dignitate diſcriminatis, Presbyteros creare Epiſcopo quidem liceret unico, ſed ut Epiſcopi creationi plures etiam Epiſcopi neceſſariò intereſſe deberent, *Càn. Apoſt.* 1. *&* 2. & *Syn. Nic. Can.* 4. Quoquô autem modô eos ritè creare ſeu conſtituere tunc ſignificabat Χειροτονεῖν illud in Novo Teſtam. non *ſuffragiò eligere*, ut voluêre Viri aliquot magni. Quamvis enim vox hæc, primariò atque ex origine ſua, *manus* ad aſſentiendum aſſenſumque apertè præbendum ac indicandum *protendere* ſeu *porrigere*, Græcis ſignificet; unde etiam Χειροτονία, pro ipſa *Suffragiorum per manus porrectas latione* ſatis illis obvia eſt: Tamen in Scriptorum illorum ſeculis, tot annorum ſpatiis Novi Fœderis ſcriptionem antevertentibus, non ſolùm *manum* ſic *porrigere*, verùm etiam ſimpliciter *decernere, conſtituere, ordinare, creare, eligere*, ſignificâſſe Χειροτονεῖν palàm eſt, quoniam ſcil per ejuſmodi manuum uſum tum conſtitui ſolebant ac decerni leges, tum Magiſtratus creari. Inde Chorus mulierum, apud Ariſtophan. *Eccleſiazus.*

——— ὡς ἂν χειροτονῶμεν
Ἅπανθ' ὁπόσαν δέῃ ———
——— *ut decernamus*
Omnia, quæ fieri oportet.

Et Demoſtheni χειροτονεῖν Ταξιάρχȣς καὶ Στρατηγȣ̀ς καὶ Φυλάρχȣς καὶ Ἱππάρχȣς, pro *Centuriones, Duces, Tribunos. Magiſtros Equitum ſimpliciter creare, Philipp. I.* ut alia omittam. E quibus manifeſtum, vocem hanc nunquam ſignificâſſe aliam *Manuum* porrectionem, aut alia ſuffragia aliumve adſenſum præberi, quàm eorum tantum ipſorum, de quibus expreſſè dicitur. Uſurpabatur quidem tam, ὁ Δῆμος χειροτονεῖ, *Populus per ſuffragia conſtituit*, quàm Socratem, Platonem, Coriſcum χειροτονεῖ, ut de Barnaba & Paulo *l. c.* Et ubi ſententiam ſuam ſingularis quiſquam, aut ſic bini tantùm, præbere vellent, manum ex more invicem inter ſe, ſicut & aliis, in adſenſus ſignum, ut & in contractibus mutuò ineundis, porrigere ſatis tralatitium, &c. Neque verò vetuſtiori ſolùm ævô, verùm etiam ipſô Apoſtolorum tempore vocis χειροτονεῖν iſte uſus maximè obtinuit. Nimirum, ut χειραγωγεῖν ſeu *manuducere* & οἰκοδομεῖν ſeu *ædificare*, aliaque aliquot ejuſmodi compoſita, ſimplicem ex uſu induerunt *dirigendi ſtruendi*, aliorumque id genus ſignificationem; ratione vocum ipſarum, è quibus componuntur, habitâ nullâ (quod apud Scriptores eſt perquam obvium; unde compluries *ædificare* & *ædificatio*, in Novo Fœdere, pro eo quod nec *ædes* nec τὸν οἶκον propriè ſpectat) ita tum antè tum eôdem ſeculô, quô ſcripſit Acta S. Lucas & dein perpetuò inducta eſt vox Χειροτονεῖν ſignificatione illâ ſimplici, *ordinandi, conſtituendi, eligendi*, ſed non aliâ electione denotatâ, præter eam, quâ uſi ſunt ipſi, qui ordinârint, conſtituerint ſeu elegerint. Inde in verſione veteri è LXX: qui pro שלח אצבע, quod *extenſum digitum* denotat, habent χειροτονίαν, ſubſtituitur tantùm *ordinatio*, Eſai. *c.* 58. *v.* 9. Inde Græcis Scriptoribus, tam ipſis Apoſtolis coævis, quàm aliis, qui de ferendis apud Romanos legibus, & creandis Magiſtratibus aliiſque in dignitatem evehendis loqui ſolent, χειροτονεῖν & χειροτονία pro eo, quod ſimpliciter eſt, *conſtituere, creare*, aut *conſtitutio* ac *creatio*. Cujuſmodi vocis hujus uſus, apud *Appianum*, qui ſub Apoſtolorum exitum ſcripſit, frequentiſſimus eſt, ut in χειροτονίᾳ τῶ νόμων, Δημάρχων, Ὑπάτων, *latione Legum, creatione Tribunorum, Conſulum* &c. Neque obſtat, quòd per ſuffragia hæc fierent, apud Romanos. Nam per ſuffragia in Comitiis alibique quid facere, manibus porrectis, aut eô modô, qui per χειροτονεῖν, ex origine ſua primaria denotatur, Romanis non ſolum nunquam receptum eſt, ſed maximè etiam, qua Græci id faciebant, improbatum, ut ex Cicerone diſcimus *Orat. pro Flacco*; unde inſuper non iniquum eſt, ut exiſtimemus, poſt devictam ab eis Græciam (i. e. diu ante Acta Apoſtolorum ſcripta) legeſque & mores Romanos illuc introductos, deſiiſſe etiam, atque ut abrogatum evanuiſſe, apud Græcos ipſos, *manuum* ſic porrigendarum ritum; manente nihilominus vocis χειροτονεῖν ſignificatione illâ ſimpliciori. Hinc etiam Philo, Apoſtolis ipſis planè coævus, *de Joſepho*, ὅτε βασιλέως ὕπαρχος ἐχειροτονεῖτο, *Quando Regis vicarius eſt conſtitutus*. Et, ubi Aaronem à Moſe conſtitutum ait Pontificem Max. *de V. M. l.* 3. adjicit, *ejuſdem verò filios* Ἱερεῖς ἐχειροτόνει, *Sacerdotes creavit*. Similiter Lucianus *lib.* περὶ τȣ̃ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ, Alexandrum Magnum magnificentiæ Hephæſtionis funeri additum voluiſſe, ait, καὶ Θεὸν χειροτονῆσαι τὸν τετελευτηκότα, *ut mortuum etiam Deum crearet*, &c. Quantum verò ad uſum vocis in Chriſtianiſmo, præter locum ſuprà memoratum, ſimplex habetur ſemel tantum in Novo Fœdere, ubi memoratur frater χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶ Ἐκκλησιῶν, comes peregrinationis Paulinæ, 2. Cor. *c.* 8. *v.* 19. quod rectè vertitur, *Ordinatus eſt*, aut *electus ab Eccleſiis*. Imò, ipſe Actorum conditor *c.* 10. *v.* 40. & 41. verba faciens de Chriſto, tertiâ die reſurgente, *dedit*, inquit, *eum Deus manifeſtum fieri non omni populo, ſed* μάρτυσι, τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τȣ̃ Θεȣ̃, *teſtibus præordinatis à Deo* &c. ubi manifeſtum eſt, vocem non aliâ notione uſurpari, quàm quâ *conſtitutionem* aut *ordinationem*, aut *electionem* ſimpliciter ordinantis denotat, nullâ ſuffragiorum, aliorum ratione omnino habitâ. Atque hinc, apud Patres Græcos, in Synodorum Canonibus alibique perquam obvius eſt uſus χειροτονίας, pro *ordinatione* Epiſcopi ſeu Presbyteri, ſeu Diaconi, nulla ſuffragiorum, præter ipſorum, qui ordinant, habitâ ex vi vocis ratione. Et Græci recentiores χειροτονῶ reddunt, *Initio & ſacros ordines impertior*. Matthæus quoque Cigala Cyprius *in Synopſi Hiſtor* p. 67. de Moſe, ait, *manus Joſuæ imponens* ἐχειροτόνησεν *creavit eum Principem populi Iſrael*. Idemque vocabulum eôdem ſenſu ſæpiſſimè inde occurrit in Ritualibus Græcorum, ubi χειροτονεῖν & προχειρίζεσθαι ſynonyma habentur, qua de re vide ſis P. Arcudium *de Concord. Eccl. Or. & Occ. l.* 6. *c.* 8. Joh. Bapt. Catumſyritum *in vera utriuſque Eccl. Sacram. concordia*, *c.* 121. Iſacium Habertum *in Archierat*. Jacobum Goar *ad Euchol*og. Bilſonum Epiſc. Wintonienſem *de perp. Eccl. gubern. c.* 7. Hug. Grotium *de Imp. ſummar. Poteſtat. circa ſacra c.* 10. Alios, in quibus jam memoratis Viri etiam celebres ſunt, qui *de Manuum impoſitione*, χειροτονίαν Pauli & Barnabæ capiant. Et verum quidem eſt, χειροτονίαν ſeu creationem Presbyterorum ſolennem perfici tunc non conſueviſſe, ſeu rariſſimè, ſine hoc ritu. Interim non id aliter admittendum videtur, quàm, ſi dicas, ipſum ordinationis actum integrum τῇ χειροτονίᾳ denotari adeoque ex accidenti item *manuum impoſitionem*: neque enim ipſe actus χειροτονίας ſingularis ac per ſe ſic Veteribus denotatus, ullibi reperitur. Vid. plura hanc in rem, apud Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Ebræorum l.* 1. *c.* 14. alibique: & de *Manuum impoſitione* duplici veterum Chriſtianorum in Baptiſmo, ſuprà voce *Juſti* de eadem adhibitâ in pœnitentium reconcilatione infrà voce *Reconciliatio*: de *Manuum* porrò uſu in S. Euchariſtia, infrà voce *Partes*; it. *Scyphus*, in juramentis Veterum ſuprà ubi de *Juramento*: in precibus, ubi de *Junctis manibus precandi more*, alibique paſſim; de nive, eaque percolatâ, ad *manus abluendas*, adhibitâ, infrà voce *Nix*: de *Manibus Leonum*, ſuprà *Leo*: *urſorum*, dextrâ inprimis γλυκυτάτῃ, ut *Ælianus* vocat, aliquid ſuprà ubi de *Branca urſina*; plura infrà voce *Urſus*. Alia ſuprà ubi de compoſitis ex Χείρ.

MANUS, apud Quintilianum *l.* 5. *c.* 13. *Ut gladiatorum manus, quæ ſecundæ vocantur, ſiunt. & tertiæ, ſi prima ad evocandum adverſarii ictum prolata erat, & quartæ, ſi geminata captatio eſt, ut bis cavere bis repetere oportuerit*: ſunt petitiones, ſeu captationes, vitationes & ſimulationes, in gladiatorum certamine; Imò & in pyctarum. *Valerius*,

Nunc exire levis miſſas, nunc mittere palmas.

Idem *l.* 4.

——— *Nec ſpes effecta, ſed ambæ*
In pectus cecidere manus.

Apud eundem Quintilianum *l.* 9. *c.* 1. occurrunt *averſæ, rectæque manus*. Ubi iterum de gladiatoribus: *Namque uti in armorum certamine adverſos ictus, & rectas ac ſimplices* manus *tùm videre, tum etiam cavere ac propulſare facile eſt, averſæ tectæque minùs ſunt obſervabiles, & aliud oſtendiſſe, quàm petas, artis eſt: Sic oratio, quæ aſtu caret, pondere, mole & impulſu præliatur. ſimulanti variantique conatus in latera atque in terga incurrere datur, & arma avocare & velut nutu fallere.* Ubi *arma avocare* eleganter is dicitur, qui collatô pede cum adverſario, ſi quam corporis partem armis tectam & munitam obſervat, non in eam ictum dirigit, ſed aliam ſe petere velle fingit; Tunc adverſariô ſe aperiente & illam partem nudante, ut in aliam, quam peti videt, arma transferat, ibi

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

que ſe protegat: hic avocatis adverſarii armis, repentè & nec opinanter, non eam partem, cui minabatur ictum, ſed eam, quam detegit adverſarius, ferit. Vide ſuprà in voce *Fictio*, & plura de his, apud, Spartian. *in Hadriano c.* 26.

MANUS, in talorum ludo, jactus ipſe olim vocabatur; quamvis *manus* etiam dicta pecunia, quam conferebat quiſque poſt jactum infelicem. Ut facit Auguſtus *Ep.* ad Tiberium, quam Sueton. exhibet *c.* 71. *Nam ſi quas manus remiſi cuique, exegiſſem; & retinuiſſem, quod cuique donavi, vicifſim vel quinquaginta millia.* Ubi *manus* eſt pecunia, quam quiſque colluſorum, poſt infeliciorem jactum, conferre tenebatur, quam Auguſtus ſe remiſiſſe dicit. Unde *Manuarium as*, apud A. Gellium *l.* 18. *c.* 13. i. e. pecunia, quaſi ex pluribus manibus ſive jactibus collecta. Vide Iſaac. Caſaubonum *ad Sueton. loc. cit.* nec non Jac. Oiſelium JC. *in A. Gellium.*

MANUS Abſchalomi, 2 Sam. *c.* 18. *v.* 18. *Abſchalom autem aſſumtam ſtatuerat ſibi in vita ſua ſtatuam, in convalle Regis (dicebat enim, non eſt mihi filius) ut monumentum ſtatuam nominis mei; quapropter vocavit ſtatuam illam de nomine ſuo, quæ vocatur* Manus Abſchalomi *uſque ad diem hunc*: *Joſepho* dicitur *Statua*, quæ ſine dubio è marmore fuit. Eam hodieque ſupereſſe, in valle Joſaphati, & quidem hominis effigiem habentem; memorant recentiores quidam *Itinerariorum Orientis* Auctores: Sed cùm hominis integri figuram in columnis ſtatuiſque exprimere Judæi non ſoliti ſint, nec imaginis iſtius ulla alibi mentio occurrat, fidem hæc relatio non impetrat. Alii, tum è Judæis, tum è Chriſtianis, deſcribunt eam tanquam conditorium ſeu monumentum ingenioſè magnificéque extructum, ex unico lapide conſtans & variô ornatu inſigne, cum pyramide ſuperſtante; quod hodieque ſupereſſe aiunt, nullâ re intus, niſi lapidibus, repletum, quos tranſeuntium quivis eò conjiciant, hôc ſignô deteſtationem hominis tam ſcelerati teſtantes. Verùm quidquid de hoc ædificio ſit, Abſolonis eſſe non poteſt, quod non monumentum, ſed *ſtatua* ſolùm in Sacris appellatur, ſeu *manus*: quam ille videtur velut tropæum ac victoriæ ſignum extruxiſſe; quemadmodum de Saule Rege legimus, poſtquam Amalecitas deviciſſet, 1 Samuel *c.* 15. *v.* 12. *Deinde ſurgente Schemuele, obviam Schauli manè*: —— *venerat Schaul Carmelum, ubi ecce conſtituerat ſibi* Manum (alii reddunt, *ſtationem*, *ſtatuam*) *ſed deflectens tranſivit.* Non deſunt tamen, qui nomen loci id faciant. Suaviter verò Veterum quidam hallucinati ſunt, qui à veſtigio manus ab Abſchalomo lapidi, è quo monumentum hoc extructum, impreſſo, id nominis ei hæſiſſe dixère &c. Vide Franc. Burmannum *Meditat. in* 2. *Sam. loc. cit.*

MANUS Carnea, vicus Romæ, prope S. Marcum, vulgò *Macel de Corvi*, apud Macrum *in Hierolexico.*

MANUS Cava, Vide infrà *Vola.*

MANUS Dextra, in ſupplicando prætenſa. Stat. *Achilleid. l.* 1. *v.* 365.

—— *Ultro etiam veneratur ſupplice dextrâ.*

Et Sil. Italicus *l.* 2.

Æneam pulſum pelagô, dextraque precantem.
Cernere erat, fronde hunc avidè Regina ſerena
Infelix, ac jam vultu ſpectabat amico,

ad quem locum vide Dauſquejum. Imò & à ſupplicantibus prehenſa. Idem Stat. *ibid. v.* 48.

—— *dextramque ſecundi,*
Quod ſupereſt, complexa Jovis.

Et Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 266.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.

Quam proin, qui ſupplices nolebant audire, removebant, uti Uliſſes Polyxenæ ſupplicanti fecit, apud *Euripidem.* Vide ſuprà in voce *Dextra.*

MANUS Ferrea inter machinamenta bellica, tuendis urbibus excogitata memoratur Curtio *l.* 4. *c.* 2. ubi cum *Harpagone* idem facit. Sed utriuſque deſcriptio aliud ſuadet. Et harpagonis quidem ex *Livio* ſupra dedimus. *Manum ferream* ab Archimede excogitatam, idem Auctor, ubi de Syracuſis a Marcello obſeſſis, his verbis ob oculos ponit. *l.* 24. c. 34. *In eas naves tollenone, deſuper murum eminente ferrea manus firmæ catenæ illigata quùm injecta proræ eſſet; gravi, libramento plumbi recelIente ad ſolum, ſuſpenſa prora, navim in puppim ſtatuebat: dein remiſſa ſubitò, velut ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undæ affligebat, ut etiamſi recta recideraт, aliquantum aquæ acciperet. Ita maritima oppugnatio eſt eluſa.*

MANUS Juſtitiæ, Gallis vocatur Virga Regia ſeu Baculus, Imperii nota adeò inſignis, ut ejus traditione Regia dignitas reſignata intelligeretur. Ita enim Guntrannus Childebertum nepotem ſibi ſucceſſorem declaravit, ut auctor eſt Greg. Turonenſ. *lib.* 7. *c.* 73. E quo ſic Aimoinus *l.* 3. *c.* 69. *Rex Guntrannus datâ in manu Regis Childeberti haſtâ, ait, Hoc eſt indicium, quòd tibi omne regnum meum tradidi.* Ex auro fuit, & baculi paſtoralis formam quodammodo, atque ideò haſtæ, cùm longior eſſet & ſtaturæ Principis par habuit, uti docet Monachus Sangall. *de Geſtis Caroli M. l.* 1. *c.* 19. in apice *manum* præferens ex ebore, uti legimus apud Car. du Freſne *in Ordine ad conſecrandum Regem*, editô a Renato Benedicto: *Poſitis ſuper altare coronâ regia, gladiò in vagina incluſô, calcaribus aureis, ſceptrô deauratò & virgâ ad menſuram unius cubiti vel amplius, habente deſuper manum eburneam.* Quemadmodum in ſummitate ſceptri Regalis Anglici, apud Bromptonum, ubi de coronatione Richardi I. ſignum aureum Crucis; in alio, columba erat; apud Matth. Paris, ubi de eodem Ricardo. Eadem *Virga virtutis atque æquitatis*, dicitur in oratione, quam Archiepiſcopus, cùm ea Regi porrigitur, ſiniſtrâ manu geſtanda, pronuntiat, ut eſt apud Menardum *p.* 282. Et in *Cod. eodem Senonenſis Eccl.* cùm ſceptrum datur, Regem ſic alloquitur Pontifex: *Accipe ſceptrum inſigne regnantis; quô ſignificatur regula divinæ æquitatis, quæ bonos regit & malos conterit. In hac virga Regni diſce amare juſtitiam & odiſſe inquitatem* &c. Vide plura ſuprâ in voce *Baculus.* Addam hîc ſaltem, ex Ruellio, in *Pompa funebri Caroli III. Ducis Lotharingiæ p.* 161. apud Car. du Freſne, Duces Lotharingiæ, perinde ac Francorum Reges, *Manum Juſtitiæ*, geſtare.

MANUS Læva, inſtar clypei capiti prætendi ſolita, in Lucta Veterum, indigitatur *Nonno.*

Καὶ πρόμος ἐς μέσον ἦλθεν, ἑῷ προβλῆτα προσώπῳ
Λαιὴν χεῖρα φέρων, σάκος ἔμφυτον ——

Sic, inter alias Artis illius machinas erant, ut Stat. ait *Thebaid. l.* 6.

aditus ad vulnera clauſi.

Sed & funditoribus hæc manus maximè idonea, unde ſeptingentos viros *manum præcludentes dexteram ſuam*, fuiſſe in exercitu Benjaminitarum, legimus Judicum *c.* 20. *v.* 16. *E toto populo iſtis erant ſeptingenti viri lectiſſimi præcludentes manum dexteram ſuam; iſtorum quiſque fundâ lapidem ad capillum ſine erratione mittebat.* Vide quoque de Ehude Iſraëlitarum Judice Judic. *c.* 3. *v.* 15. Plura verò de *Manu Læva* ſuprà, ubi de *Annulis*, *Armillis*, *Clypeo*, item in voce *Læva.*

MANUS Dimiſſio, ſignum animi jacentis, & victoriam concedentis; ſicut *erectio*, certamen accipientis. Stat. *Theb. l.* 6. ubi de diſci certamine, *v.* 660.

—— *Abſiſtunt procul, attonitique fatentur*
Cedere, vix unus Phlegyas, acerque Meneſtheus
(Hos etiam pudor & magni tenuêre parentes)
Promiſere manum, *conceſſit cætera pubes*
Sponte & adorato rediit ingloria diſco.

Ad quæ verba Vide Petr. Fabrum *l.* 1. *Agoniſt. c.* 9. Et Lucanus *l.* 1. *v.* 386.

—— *cunctæ ſimul acceſſêre cohortes,*
Elataſque altè, quæcunque in bella vocaret,
Promiſêre manus.

Vide quoque ſuprà, ubi *de Digiti ſublatione*. At *porrectio* ſignum pacis erat, uti ex Appiani *Parthico* & *Pædia* IV. Cyri, apud Xenophontem, monet Barthius *ad Claudianum in Ruffinum l.* 1. *v.* 117. Vide & paulo infrà. Sed & *Manu* cohibitos ſæpe tumultus & compoſitum ſilentium, ex Hiſtoriis novimus, &c. Vide plura hîc paſſim, inprimis etiam ubi de *Benedicendi* & *Supplicandi ritibus.*

MANUS Loquaces, vide ubi de *Pantomimis*, it. voce *Signum*, ac ubi de *Digitis.*

MANUS Mortua, Gallis *Mortmaine*: per antiphraſin dicuntur immortales ſocietates illæ & poſſeſſores, qui perpetuâ viventes ſucceſſione; prædiis fruuntur, velut Reipubl. mortuis. Mortuo mari omnino ſimiles, cui multæ influunt aquæ, ſed nec refluunt, nec moventur, nec in uſum conducunt publicum. *Corpus perpetuum* in Satut. anni 15. Richardi II. *c.* 5. vocantur. Horum aliud ſimplex eſt, quod ex uno conſtat, & ab uno ad unum ſucceſſivè protelatur: ut Epiſcopi & Eccleſiarum Rectores, Abbates, Priores & Decani ſingulares à Conventibus ſeu Capitulis ſuis; aliud compoſitum, uti Abbates & Priores cum Conventibus, Decani cum Capitulis; Urbium, Oppidorum, Villarum Majores & Communitates, Societates, Collegia, Fraternitates & quoſcunque in municipium Principis conſcripſit indulgentia. Inter cæteras autem omnes *Manus mortuæ* ſpecies longè eminuêre tum in dignitate, tum in latifundiis Eccleſiaſtici. Deſcriptâ quippe totâ Angliâ ſub Guilielmo Conqueſtore, repertiſque illic 60215. feudis militum, poſſediſſe deprehenſi ſunt eorundem 28015. His additis, quæ uſque ad annum 7. Eduardi I. torrentem iſtum cohibentis, Eccleſiæ data ſunt & perquiſita, opinabitur quis dimidium feudorum Angliæ in ſortem Cleri tranſiiſſe. Igitur ne Moſes abſorberetur ab Aarone, ſancitum eſt ab Eduardo, ut nec Religioſis, nec aliis porro prædia talia, ſine Regis permiſſu, darentur: Quæ lex ipſa *Manus mortua* appellata; repertaque eſt adeo neceſſaria, ut an. 15. Richardi I. *c.* 5. ad laicas omnes ejuſmodi ſocietates traduceretur. Licentiâ nihilominus graſſante, ingens etiam deinceps prædiorum vis, ad Cœnobitas tranſvolare perrexit: Sed ſaginatos ſupra modum ſuæ tandem mactavit avaritiæ Henricus VIII. & quas per mille totos annos congeſſêre meſſes, in horreo diripuit vorax illa hora, quâ de exſcindendis Monaſteriis lata eſt ſententia An. regni ejus 27. Vide Henr. Spelmannum *Gloſſ. Arch.*

MANUS Veteranæ, apud Flav. Vopiſcum *in Divo Aureliano*, *c.* 19. *Agite Pontifices templum aſcendite, ſubſellia laureata conſtituite, veteranis* manibus *libros evolvite* &c. pro *Manibus velatis*, uti legendum eſſe vult Salmaſius; cùm Veteres in ſupplicationibus manus velatas habere conſueviſſe diſcamus, ex Plauto *Amphitruone*; *Actu* 1. *ſc.* 1. aditio autem & inſpectio librorum Sibyllæ non fuit citra ſupplicationem. Vide eum *Not. ad Vopiſcum*, *ubi plura de adeundi hos libros ritibus.*

MANUS ad Cœlum tollendi ritus, in precationibus, memoratur Livio *l.* 5. *c.* 21. *Quæ* (præda) *quum ante oculos ejus* (M. Furii Camilli) *aliquantum ſpe atque opinione major, majoriſque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cœlum tollens precatus eſſe, ut ſi cui Deorum* &c. Vide quoque infrà *Supinæ manus.* In devotionibus item, eidem *l.* 7. *c.* 6. *Silentiô factô, Templa Deorum immortalium, quæ Foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos manes porrigentem ſe devoviſſe. Equo dein, quam poterat, maximè ornato inſidentem, armatum ſe in ſpecum immiſiſſe* &c. Ubi de Marco Curtio ſermo eſt. At Deorum ſignis illas temerè admovere, nefas habitum. Unde Romani, cùm, Vejis expugnatis, jam humanas opes egeſſiſſent, *amoliri tum Deûm dona ipſoſque Deos, ſed colentium magis, quàm rapientium modô, cœpere; namque delecti ex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

omni exercitu Juvenes . purè lotis corporibus , candidá veſte, quibus deportanda Romam Regina Juno aſſignata erat, venerabundi Templum iniere , primò religioſè admoventes manus : quòd id ſignum more Etruſcô, niſi certæ gentis Sacerdos attrectare non eſſet ſolitus, apud eundem *l.* 5. *c.* 22. Inceſtas inprimis ſanguine. Unde L. Atilium in claſſe Cnei Octavii Samothracum appulſâ, hos ita allocutum eſſe idem refert *l.* 45. *c.* 5, *Cur pollutam ſacram hanc Inſulam homicida ſanguine Eumenis Regis violavit : & quum omnis præfatio ſacrorum eos, quibus non ſunt puræ manus, ſacris arceat, vos penetralia veſtra contaminari cruentô latronis corpore ſinetis ?* Hinc itaque *Manus* ad digitos uſque involutas , in re divina facienda , tenebant, ex inſtituto Numæ. Iterum Livius *l.* 1. *c.* 21. *Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit, ad id ſacrarium Flamines bigis, curru arcuatò vehi juſſit , manuque ad digitos uſque involutâ rem divinam facere* &c. Vide de Huzzæ *Manu* temere admota Arcæ Fœderis, 2 Sam. *c.* 6. *v.* 6. & 7. & hic paſſim.

MANUS preſſandi ritus , in intimæ benevolentiæ ſignum, occurrit apud Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 492.

vatiſque horrenda canentis
Nunc humeros, nunc ille manus, *& vellera, preſſat*
Anxius:

more eorum, quæ dicere non audent, quod velint. Et Prudentium Epiſcop. Trecenſem, in *Vita* Mauræ Virginis, *Cumque ſtatim ei novam movere inciperem, de Salvatoris noſtri gemitu, quæſtionem, manu ſuâ conſtringens & per hoc linguam meam compeſcens, hæc pauca ſubjunxit.* Vide quoque Plut. *Bruto*, ubi de Meſſala manu prehenſo à Pompejo inſignem hanc in rem hiſtoriam habes. Sed & *innectendi*, vel *nectendi in manibus* ritum apud eundem Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 511. deprehendimus.

——— *Sic fatus; & ambos*
Innectens manibus tecta ulterioris ad aulæ
Progreditur

Ubi Gloſſa habet, *Alterum à dextris & alterum à ſiniſtris tenens.* Quemadmodum & apud Maronem Æneas, viſis incolumibus ſuis amicis,

——— ——— *Sic fatus amicum*
Ilionea petit dextrâ, lævâque Segeſtum.

Æn. l. 1. *v.* 615. Ubi *nexum manuum* arctiorem dicit, ad affectum exprimendum, qualem teſtamur hôc modô & de ſe ſuos articulos comprimente ob mœſtitiam, ita Appulejus *l.* 3. *Complicitis pedibus , ac palmulis inter alternas digitorum viciſſitudines ſuper genua connexis, ubertim flebam* &c. Quam in rem vide plura apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium loc. cit.* ut & in *pecul. Tractatu de Manuum Religione : de Compreſſione verò manus* inter Veterum exercitamenta, ſuprà *Gymnaſtica*, ubi & de aliis *Manuum* exercitiis; pœnas quoque infrà voce *Nervus*: de *Manuum porrectione* & *demiſſione*, contrariis in pancratio ſignis, ubi de hoc certaminis genere; it. voce *Pugil*.

MANUTERGIUM, in *Ordine* Romano. *Ubi cùm ventum fuerit & Epiſcopus ſedem petierit , antecedant duo Acolythi cum* manutergio *& genuflexi ante eum, totum illi ſinum cooperiant , ne lavans manus aqua caſulam aſpergat* : & apud Iſidorum *de Ecclеſ. Offic. l.* 2. *c.* 10. ubi de Subdiaconorum ordinatione, *Hi igitur cùm ordinantur, ſicut Sacerdotes & Levitæ, manus impoſitionem non ſuſcipiunt : ſed patinam tantùm & calicem de manu Epiſcopi & ab Archidiacono ſcyphum aquæ cum aquimanili &* manutergium *accipiunt*; linteum eſt ſeu mantile, quo in Eccleſia Romana Miniſter ſacrorum manus extergit. Græce χειρόμακτρον, Vide Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

MANUTIUS Aldus , ex erudita familia Typographorum Venetorum , omnes nervos ad Barbariem è Latio pellendam intendit. Circa A. C. 1520. Scripſit *Inſtitutiones Grammaticæ Græcæ. Notas in Horatium, Homerum* &c. Geſner. *in Biblioth.* Frater Franciſci, itidem impensè eruditi, & Pauli, de quo infrà.

MANUTIUS Aldus, fil. Pauli, geminô *C.* ſe vocavit *Manuccium* ut Florentinâ ſtirpe ſe deſcendere doceret, ſub Sixto V. Romæ Profeſſor ſcripſit *de Orthographia* , 3. *libros Epiſtolarum* , *Commentar. in Cenſorinum* , &c. inter præclariſſima ſui ſeculi ingenia , ſed tantâ rei familiaris anguſtia , ut Bibliothecam ſuam inſignem à patre, avo, & avunculis magnis, ingenti ſumptui & curâ collectam, vendere fuerit coactus : quâ , 80. millib. voluminum conſtante, Piſani hodieque gloriantur. Adde, quòd tam infelix fuerit, ut doctiſſimus licèt eſſet , plerunque Auditoribus careret, & horam lectionis ante fores obambulando inſumere neceſſe haberet. Vide Janum Nic. Erythræum, aliàs Joh. Victorinum de Roſſi , *in Pinacoth. P.* 1. *c.* 109. Le Mire *de Script. S.* Geſner. *in Biblioth.* Placcium de *Plagiis Litterat.* qui ex Rhellicano magnam partem *Notarum in Cæſarem* exſcripſiſſe tradit, Anton. Teiſſier. *Elog.* 1. 2. qui ſeriem reliquorum ejus librorum exhibet &c. Obiit Romæ A. C. 1597. ætat. 50.

MANUTIUS Paulus , auctor *Correctionum & Notarum in Ciceronem, verſionis* 4. *Orationum Demoſthenis*, *Proverbiorum*, &c. Simler. *in Biblioth. Geſn.* Poſſevin. *in appar.* Anton. Teiſſier *in Elogiis P.* 1. & 2. ubi ejus enarrat ſcripta, in quibus *Commentarii* illius *in Epiſtolas famil. Ciceronis*, & *ad Attic.* it. *Antiqq. Rom. libri* eminent , Scioppius *de Stylo Hiſtor.* Joſ. *Scaliger.* Joh. Matth. Toſcanus *Peplo Italiæ*, *Bibliogr. Cur.* Imperialis *Muſæo Hiſtor.* Speron. Speronius *Dial. dell' Hiſtor.* Manutius ipſe in *Epiſtolis* &c. Obiit A. C. 1574. Romæ , quò vocatus erat , ut Librorum Sacrorum editioni præeſſet.

MANUUM Geſticulatio ac Formatio ridicula, ad alios deridendos, indigitatur Tertulliâno *de Pallio*, *c.* 4. cum ait : *Et acie figere, & manibus deſtinare & nutu tradere merito ſit.* Ubi tria hæc jungit, Oculos, *Manus*, nutus. Sic Appulejus *Metamorph. l.* 3. *Nec qui laverim, qui terſerim, qui domum rurſum reverterim, præ rubore memini. Sic omnium oculis nutibus ac denique manibus denotatus , impos animi ſtupebam.* Et *l.* 2. *Ac dum directis digitis & detortis nutibus præſentium denotor, dum riſus ebullit, inter pedes circumſtantium rigidò ſudore perfluens evado.* Cujuſmodi deriſiones, quæ oculorum & nutuum vultuſque aliquâ conformatione, aut omnino digitorum *manuumque* geſtu fiebant, aut labiorum ductu, ſine ullo verbo aut dicto, *ſannæ* vocabantur. Vide infrà in hac voce. Et de manu quidem Afer, *Digitô deſtinare*, inquit, h. e. digitô directô aliquem monſtrare ac denotare : non verò *deſtinare infamiæ*, ut quidam interpretationis vicem in ſuis gloſſematis addit. *Deſtinare* ſimpliciter , pro deſignare. *Paulus* apud Auctorem , qui leges Moſaicas ac Romanas inter ſe comparavit. *Certum dicit, qui ſuô nomine demonſtrat injuriam, neque ita, ut per disjunctionem hoc aut illud accidiſſe comprehendat , ſed ut neceſſe habeat , aut unam nomine ſuô rem deſtinare , aut plures ita complecti, ut omnes eas accidiſſe cogatur probare.* Perperam legitur , *nomini ſuo rem deſtinare* : nec melius Vir apprime doctus , qui mallet, *nomine ſuô rem deſignare.* Sic idem Paulus *l.* 15. *ad Sabinum D. de ſervitutibus* : *Si mihi conceſſeris iter agnæ per fundum tuum , non deſtinatâ parte*, i. e. *non deſignatâ.* Marcellus *l.* 3. *Digeſt D. de verb. oblig. Igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit, id eſt certi generis, certæ quantitatis , id habebitur pro expreſſo , alioqui ſi cùm deſtinare genus & modum vellet , non fecit , nihil ſtipulatus videtur* Sic apud Cajum *D. eod.* *Si ſervus aut filius familiàs ita ſtipulatus ſit, illam rem aut illam, utram ego velim, non pater dominuſve, ſed filius ſervuſve, de alterutra debet.* Ita ergo *deſtinare digitô loc. cit.* eſt δακτυλοδεικτεῖν. Variæ autem ſunt ad deridendum aliquem digitorum formationes, præter ſimplicem, quâ deſignatur ac denotatur aliquis, eorundem directionem. *Sanna* propriè os diſtortum cum vultu ſignificabat ; *Manuum* tamen etiam digitorumque geſticulatio ac ridicula formatio, ad ſubſannandum aliquem facta, ita vocabatur. Hinc *ciconia*, genus ſannæ, quum ciconiæ collum manibus fingebatur, de qua apud Perſium, Aſininarum aurium ſignificatio, ſtupidum & aſinum oſtendebat : Improbi, & obſcœni mediô digitô, aut *manibus* in obſcœnum modum formatis , deridebantur. Viri , quorum uxores mœchabantur, corniculorum oſtenſione, h. e. duobus digitis ad corniculorum inſtar, erectis. Leges Longobardorum. Græcè verſæ; in codice manuſcripto Regiæ Bibliothecæ : Ὁ τὸν πώγωνα μαδίζων τύπτεται ἀλλακτὸν, ὅ ἐστιν ἑβδομήκοντα φραγέλλια· ὁ ὑβρίζων κερατωρίων δείξει, λαμβάνει ἀλλακτὰ ἕξ. Ita autem hujuſmodi corniculorum oſtenſio, *manu* facta, contumelioſa cenſebatur, quia κερασφόρους, *cornigeros*, vulgò vocabant tunc, eôdem quô nos hodie ſenſu , qui uxores impudicas habebant. Lucillii Epigramma eſt , εἰς κερασφόρον Γραμματικόν,

Νῦν σὺ δίδασκε λέγων Πάριδος κακὰ καὶ Μενελάου,
Ἔνδον ἔχων πολλοὺς σῆς Ἑλένης Πάριδας.
Nunc tu doce ac enarra Paridis mala & Menelai,
Intus qui habes multos tuæ Helenæ Paridas.

Ita enim Epigrammatis lemma ex veteribus membranis reſtituit Salmaſ. Notum quoque Artemidori illud : Ἡ γυνή σου πορνεύσει καὶ τὸ λεγόμενον κέρατά σοι ποιήσει. Vide Salmaſ. *Notis ad Tertullian. p.* 336. & ſuprà ubi de *Digitis*; item infrà, in voce *Siniſtra*: uti de ratione ex Manuum lineamentis divinandi, voce *Chiromantia*, & plura hanc in rem in nominibus aliis ex χεὶρ compoſitis , item infrà de *Pantomimis*.

MANUUM Lotio, vide ſuprà *Lotio manuum*.

MANZER, Hebræis ſpurius dicitur , ex adulterio natus; à quibus Græci Μανζὴρ ſuum mutuati ſunt, ut videre eſt apud *Gregorium*, *Theophanem*, *Alios*. Occurrit vox Deuteronomii *c.* 23. *v.* 2. *Non ingredietur* Manzer *in Eccleſiam Dei*, ubi Seldenus *Manzerem* ait eſſe, qui è coitu aliquo *Turpitudinis* ſeu *Inceſti* nomine (exceptô duntaxat eô , qui cum muliere immunda habebatur) interdicto naſceretur, de quo liquidò conſtaret omnibus. Ex his qui naſcebantur liberi poſterique , itidem *Manzeres* erant, niſi ex pagana vel ancilla ſuſcepti eſſent. Ob natalium enim defectum interdicta erant utriuſque ſexus *Manzeribus* conjugia Iſraëlitica ſeu Iſraeliticorum Iſraëlitidumque , nedum Sacerdotum atque Levitarum *cap. cit. v.* 2. *Non ingredietur* Manzer *in congregationem Domini ; etiam in generatione decima, qui eſt natus illo , non intrabit in congregationem Domini.* Ubi *non intrare in congregationem Domini* , nuptiarum Iſraëliticarum interdictum interpretantur Magiſtri : cujus rationem hanc reddit Maimonides *More Neb. part.* 3. *c.* 49. *Ut inde adulteri adulteræque videant , ſe prolem ſuam irreparabili labe affecturos , ſi rem perpetrent.* At verò Proſelytorum Juſtitiæ nuptiis non arcebantur, quod idem dicendum de Libertinorum & Nethinæorum &c. Qua de re vide plura apud præfatum Joann. Seldenum *de J. N. & G. l.* 5. *c.* 16.

MAOCH, pater Achis, Regis Gath. 1 Sam. *c.* 27. *v.* 2.

MAOCOSMOS , vide *Naſcos*.

MAON, fil. Sammai. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 45.

MAON civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 55. in campeſtribus ſita ad dextram Jeſimon , contra Solis ortum Daromæ: cujus deſertum 1. Sam. *c.* 23. *v.* 24. nemoroſum & plenum faucibus & cavernis , in quo erant campeſtria & petra diviſionis, eſt confine deſerto Carmeli & deſerto Pharan.

MAONATHI, fil. Othoniel. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 13.

MAOZIM, nomen Idoli. Dan. *c.* 11. *v.* 38.

MAP vide infrà MEPE.

MAPALIA , Punica vox , aliis *Magalia* , Numidarum olim Pœnorumque caſæ, de quibus vide ſuprà vocibus , *Attegiæ*, *Cohors* &c.

MAPETA , Sarmatiæ in Aſia urbs. *Ptol.* vulgò *Copa*. Apud Boſporum Cimmerium : inter Geruſam ad Boream & Cimmerium promontor. ad Auſtrum apud oſtia Varadani fluv.

MAPPA, *Plinio* vox Punica: Quintiliano *l.* 1. *c.* 5. dicta, quòd *à manibus pendeat*, dum ſumus in menſa. Vetus Vocabular. quaſi *manupia*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

manupia, i. e. *manum pians*, tergendis enim manibus, quemadmodum priùs *Mantila*, usum præbebant. Breve erat linteum, quod quiſque convivarum ſecum ad convivium afferebat, *Mantile* ad menſam inſternendam ipſô convivatore ſuppeditante. Hinc *Mappæ breves* Martiali, *l.* 7. *Epigr.* 72.

Nec vani tripaces, breveſque mappæ.

Has ad limbum purpureis vel aureis clavis latioribus, in Senatorum videl. eorumque qui lati clavi jus habebant, variatas fuiſſe, idem innuit *l.* 4. *Epigr.* 45.

Et latô variatâ Mappa clavô:

Quas *puras & clavatas linteas* vocavit Lamprid. *in Alexandr. c.* 37. Quarundam ex lino Caryſtio confectarum, quæ in ignem conjectæ, depoſitis ſordibus, magis ſplendeſcerent, quàm aquis, meminit Plinius, ut ſuprà in voce *Mantile* videre eſt. Inter munera, quæ Saturnalibus ſibi invicem Veteres mittebant, fuiſſe, ex eodem Poëta diſcimus *l.* 5. *Epigr.* 18.

Quod tibi Decembri menſe, quo volant Mappæ,
Gracileſque ligulæ, cereique chartæque
Et acuta ſenibus teſta cum Damaſcenis.

In commiſſionibus inprimis Circenſibus celebre illarum nomen fuit. Juſtinianus Aug. de Conſulibus *Conſtitut.* 105. *Ac primus quidem illi (Conſuli) in publicum proceſſus erit, Cal. Jan. qua die Conſulatum ſuſcipiet & hujus adquiret codicillos: ab illo ſecundum producet ſpectaculum equorum curſu certantium, quod ſanè* Mappam *appellant, & tertium, Venationem theatricam* &c. Originem ritus ſuggerit *Cedrenus*, cùm ait: *Mappulæ nomen Romanis tali de cauſa uſurpatur. Mos erat, ut Conſules in theatro epularentur, ac poſtquam ſaturati conviviô erant, mantile quod manibus tenebant, quod &* Mappa *dicitur, projicerent, idque is, qui ab ea re* Mapparius *dicitur, arripiens, certamen adornabat.* Sed primum ejus Auctorem fuiſſe Neronem Principem, liquet ex Aur. Caſſiodoro *l.* 3. *Ep.* 51. Mappa *verò quæ ſignum dare videtur Circenſibus, tali caſu fluxit in morem: Cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut aſſolet, avidus ſpectandi populus flagitaret, ille* Mappam, *qua tergendis manibus utebatur, juſſit abjici per feneſtram ut libertatem daret certaminis poſtulandi.* Huc alluſit Tertullian. *l. contra Valentinianos ſub fin. Sed* Mappa, *quod ajunt, miſſa eſt.* Juvenalis *Sat.* 11. *v.* 191.

Interea Megaleſiacæ ſpectacula Mappæ,
Idæum ſolemne colunt. ——— ———

Mittebatur communiter à Prætore, qui ludos Circenſes aut Scenicos indicendi jus habebat. Interdum à Dictatore, Liv. 1. *Dec. l.* 8. Liberto id juris dedit Nero, apud *Sueton.* qui *miſit* Mappam, *unde Magiſtratus ſolent*: ubi rectè *Magiſtratus* inquit, nam & Conſuli quandoque ea provincia committebatur, *Juvenal.* Imo non modò ad ſignandas Circenſium commiſſiones, verùm etiam ad feras irritandas, *Mappæ* uſus fuit. Senec. *de Ira l.* 3. *c.* 30. *Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aſpis exurgit, urſos leoneſque* Mappa *proritat*; quod Lipſius de colore ejus candicante, nam & Martialis *cretatam* vocat, *l.* 12. *Epigr.* 29. intelligit. *Vicum Mappæ aureæ*, in regione 13. urbis Romæ, collocant Onuphrius Panvinius & *Victor*, cui fortè à commiſſionibus prædictis nomen hoc datum. Vide Thom Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. ſuprà *Lambina* & infrà *Mapparius*, it. *Napparia*.

MAPPA, etiam dictum eſt geſtamen Conſulum atque Imperatorum, chartaceo volumini ſimile, quod modò dextrâ, modò ſiniſtrâ, tractabant: quodque frequentiùs occurrit in Byzantinorum Imperatorum nummis, maximè in Conſulari Juliani Cæſaris, qui pro inſcriptione præfert, VIRTUS CÆSARIS; & in nummo aureo Theodoſii Junior. in quo Theodoſius hic & Valentinianus III. habitu Conſulari effinguntur: præſertim verò in Diptychis Conſularibus & ferè ſemper in Tiberii, Mauricii, Phocæ & Leonis Iſauri nummis. De quo plerique ſentiunt, *mappam* eſſe Ludorum edendorum ſymbolum, quos Conſules, ſtatim atque renuntiati fuerant, exhibere conſueviſſe, ſuprà diximus. Quæ quidem mappa in Bituricenſi Diptycho explicata, in Compendienſi & Leodienſi, ut & in omnibus nummis, convoluta ac complicata effingitur, ſic ut membraneo volumini ſimilis ferè ſit: in regio verò ita efficta conſpicitur, ut extrema in rotunditatem quandam complicata majora cernantur, quàm quà manu dextrâ ſtringitur, ut liquidò appareat, aliquid fuiſſe tractabile. Sed, cùm SS. Petrum & Paulum, in vetuſtiſſimis picturis cum ejuſmodi pariter voluminibus depictos deprehendere ſit, dubitat Car. du Freſne, an pro *Mappis Circenſium* generatim uſurpari debeant, vide illum *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmat. num.* 12. ut & ſuprà vide *Acacia*. In Eccleſia Romana *Mappa* ſeu *Mappula*, vocatur umbraculum, quod defertur ſupra Epiſcopi caput, dum procedit ad altare ſacra facturus ſeu dum ſtationes facit, diverſis imaginibus adornatum, quatuorque baculis inixum, quod a quatuor Miniſtris, qui inde *Mappularii* appellantur, teneri ſolet. Vide infrà *Mappula*.

MAPPÆ, Veteribus lintei libri dicti ſunt, quorum mentio eſt apud Vopiſcum *in Aureliano. c.* 8. Auctores *de limitibus*, *Terminus ſi ſcriptus fuerit & punctos habuerit literis Græcis, ſequeris curſum ejus à Sion, hoc eſt, ab Oriente, per litteras Græcas de mappa.* Item, *in mappa Albenſium inveniuntur hæc*, h. e. in libris linteis Albenſium. Inde *linteæ mappæ*, *in Cod. Theodoſ. leg.* 1. *de alim. quæ Imp.* &c. *lex æreis tabulis vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripta per omnes Italiæ civitates proponatur.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. d. l.* Et *Mappa Mundi*, apud Gervaſium Tilleber. *Otior. Imperial. l.* 2 *Conſiderantes quòd ipſa pictorum varietas mendaces efficit de locorum varietate picturas, quas* Mappam mundi *vulgus nominat.* Quô nomine in ſignatur charta vel mappa explicata, in qua orbis ſeu mundi deſcriptio continetur: Πίνακες ἐν οἷς αἱ τῆς γῆς περίοδοι εἰσὶν, ut eſt in *Teſtamento* Theophraſti, apud Diogenem Laërtium. Quarum quidem Tabularum Geographicarum primum auctorem fuiſſe Anaximandrum, quem ſubſequuti ſint Hecateus, Democritus, Eudoxus. Alii, tradit Euſtathius in *Epiſtola, præfixâ Notis ad Dionyſium Periegetem*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà, voce *Itinerarium*, & infrà *Oconoriſta*.

MAPPALIA, apud Victorem Utic. *de Perſecut. Wandal. l.* 1. locus, ubi conditum eſt corpus Cypriani, extra Carthaginem. Fortè *Mapalia*, Dominic. Macer in *Hierolexico*.

MAPPARIUS, apud *Chryſoſtomum*, Auctorem *Chronici* Alexand. *Stylitzen*, *Nicetam Choniaten*, Alios, dicitur is, qui projectam ab Imperatore vel Conſule aut alio Magiſtratu, *mappam* excipiebat, ſignumque gladiatoribus dabat, quod μαππαρίζειν dictum in *Gloſſis Baſil. can.* In Circenſibus ludis, cùm *mappa* mittebatur equis emittendis, jam pridem loca ſua ceperant ſpectatores; pompa enim priùs tranſduci per Circum ſolebat, ut ex Ovidii *Elegia*, de Circenſibus conſtat. Tum miſſâ *mappâ*, pandebantur oſtia carcerum & ἀπαλλαγή, i. e. *amiſſio* equorum, fiebat. Mittebatur autem mappa ex alto, ut ab omnibus videretur. Caſſiodorus, *Hinc tractum eſt, ut oſtenſâ mappâ certa videatur eſſe promiſſio Circenſium futurorum.* Unde Tertullian, *Diaboli gulæ ex alto præcipitati comparat mappam illam, quæ mittebatur: Non vident miſſum quid ſit: mappam putant, ſed eſt Diaboli ab alto præcipitati gula.* Et proin in medio oſtio Circi, quod inter alia XII. oſtia medium erat & ſena utrinque habebat, ſolebat conſiſtere *Mapparius*: Græci, Δώδεκα δὲ ὑσπληγγὲς κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα ζωδίων, Μαππάριος δὲ καλεῖται ὁ ἐν τῷ μέσῳ ἱστάμενος καὶ τοῦ δρόμου ἔχων τὸ σύνθημα, *Duodecim autem oſtia ſeu januæ, ad imitationem duodecim ſignorum.* Mapparius *verò, qui in medio ſtabat, curſus habebat ſignum.* In quo loco etiam Conſules Prætoreſque, ac denique Magiſtratus ille, qui Ludos edebat, ſignumque mittendis quadrigis dabat, conſidebant. Sidonius Apollinaris,

Hæc eſt janua Conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrimque ſenis
Cryptis porticibuſque fornicatus, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 901. & 922. At in *Patriarchio* Bituricenſi apud Car. du Freſne *c.* 30. *Mapparius* eſt, qui loturo Regi *mappam* porrigit. Vide & Aimoinum *Hiſtor. Francicæ l.* 4. *c.* 2.

MAPURA, urbs Indiæ intra Gangem, *Ptol.*

MAQUEDA, nomen familiæ Caſtellanæ, in Hiſpania illuſtris, quæ familiæ *de Cardenas* ramus eſt; In hac enim Garſiæ Lopezii *de Cardenas* filii, Garſias Lopezius & Rodericus cum diverſas lineas cepiſſent, uti ſuprà vidimus, minor hic natu; in civitate Ocanna habitans, Gutierium & Rodericum genuit; quorum ille pater fuit Didaci primi Ducis *Maquedæ*: quo nati, Bernhardinus, a quo reliquo Duces propagati ſunt & Gutierius, Dominorum *de Torralva* & *Beleta*; cum cognomine *Carillo de Albornoz*, Sator. Priorum ſeries hæc eſt: Rodericus *de Cardenas*, ex Agnete *Martinez del Caſtillo*, genuit Gutierium *de Cardenas* Dn. *de Maqueda*, Tereſiæ Henriqueziæ (filiæ Alfonzi Caſtellæ Admiralis) maritum & ex ea patrem Didaci *de Cardenas*, Duc *de Maqueda*. Huic ex Mencia Pacieca *de Velaſco* (filia Johannis Pacheci Ducis Eſcalonæ) natus Bernardinus I. Iſabellam *de Velaſco* (filiam Inici Fernandini Conneſt. Caſtellæ) ſibi junxit, ex eaque ſuſcepit Bernardinum II. patrem, ex Johanna Portugallica (filia Jacobi, Ducis Bragantiæ) Bernardini III. *de Cardenas*, *Ducis de Maqueda*, *Marchionis d'Elche*, cui Luiſa Mauricia *de Lara Manuel* Ducis *de Najera* (filia Johannis Manricii *de Lard Manuel D. de Najera* & Mariæ Gironæ *de la Cueva*) patrium Ducatum attulit, atque ei genuit Bernardinum Marchionem *d'Elche*, Georgium Ducem *de Maqueda*, Jacobum Manuel Johannem Petrum Mariam & Annam Mariam; è quibus Maria nupſit Johanni Andreæ *de Mendoza* Marchioni *de Cannetè*, Anna Maria verò Georgio *de Lancaſtro* Duci *de Aveiro*, & *Torres Nuevas*, ex eo mater Raimundi Ducis *de Aveiro*, A. C. 1642. Joannis & Mariæ Julianæ, Vid. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. II. p.* 41. & 101.

MAR, Chaldæis Chriſtianis *Dominum* notat, qui vocem hanc præcipuorum Sanctorum nominibus præponunt. Vide ſuprà *Domini*.

MARA, urbs, apud quam Damaſceni quondam caſtrametati fuiſſe ſcribuntur. In tribu Manaſſe. Tyrius, *l.* 15. *Bell. ſacr. c.* 9. Eſt & Mara quinta Iſraëlitarum manſio, ibi enim Moſes jactu ligni amaras aquas in dulcem vertit ſaporem. Exod. *c.* 15. *v.* 23. Num. *c.* 33. *v.* 8.

MARABINA, oppid. Pentapolis, in Africa *Ptol.*

MARABOTINUS, ſeu MARMOTINUS, moneta aurea Maurorum Hiſpaniæ, quaſi *Marranorum* ab Hiſpanis videl. ſæpiùs fuſorum victorumque) *Botinus*, i. e. *ſpolium*. Unde *Maravedini* Hiſpanis poſtea dicti, de quorum aureorum pretio ac pondere multa commentantur Anton. Nebriſſenſis *in Repetitionibus*, Didacus Covarruvias *in Collatione veter. numiſm. c.* 5. Alii. Mariana verò *de Ponderibus & Menſur. c.* 23. *Maravedinos*, monetam fuiſſe Gothicam, Regum ſcil. in Hiſpania Gothicorum ac proinde, multo ante Maurorum in Hiſpanias irruptionem, cognitam, ex nummorum Gothicorum pondere, ſe colligere ait. Hodie id nominis inditum eſt quibuſdam minutioribus ex ære nummis: qua tamen in parte, *Maravedinus* non tam eſt nummus, quàm nummorum numerus, ex duabus blancis, aut coronatis ſex, vel denariolis decem, conſtans, ut ait idem Covarruvias *c.* 1. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque Macros Fratres *in Hierolexico*, qui familiam nobilem in Urbe Veteri *Maraborinæ* nomine inſigniri, addunt.

MARACANDA, urbs Sogdianæ regionis *Arriano*, & Curtio *l.* 8. *c.* 1. Plut. *l.* 2. *de Fort. Alexand.* *Maragandam* vocat. Petrus Perondinus putat *Samarcanda* hodie eſſe, olim magni illius Tamerlani patriam, & regiam, qui illam ornavit, ibique Academiam inſtituit. Nunc in Zagataja regione Tartariæ, 100. mill.

paſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

paſſ. ab Oxu fluv. in Boream. Celebre emporium eſt, urbs ampla & regia totius regionis Hanc Chalcocondylas *Samrachantan* vocat. Vulgò *Samarcand.*

MARACAYBUS, Hiſpanis *Lago de Maracaybo*, lacus Venezuelæ provinc. in America Meridionali prope Corum urbem, in ſinum Venezuelæ ſe exonerat.

MARACHE, urbs Indica, *Steph.*

MARACHES, Ætoliæ populi Plin. *l.* 4. *c.* 2.

MARACLEA, Phœniciæ maritima urbs, juxta Antaradum verſus Septentrionem *Guil. Tyrius.*

MARACODRA, Bactrianæ urbs. *Ptol.*

MARAGA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

MARAI, nomen viri. 1 Paral. *c.* 27. *v.* 13. Item Perſiæ populi. *Strabo.*

MARAJA, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 12.

MARAJOTH, nomen viri. Ibidem *v.* 15.

MARANA, oppid. munitum in finibus Iſtriæ, cum portu. Hoc cùm bello inter Venetos & Ferdinandum Archiducem fervente, Maſſæ centurionis perfidiâ jamjam hoſti tradendum eſſet, conjurationem Veneti oppreſſère. A. C. 1617. Item oppid. provinciæ Terræ Laboris. prope Neapolim. Vulgò *Marana.* Du Val *Geogr.*

MARANANIA, Gall. *l'Iſle de Maragnan*, Inſul. Braſiliæ in parte Boreali ad oſtia Miarii fluv. Unde Præfectura Marananis, *Capitania de Maragnan.* Ante 50. annos à Gallis culta fuit; ſed poſtea ab ipſis derelicta, Luſitanis paret. Ibi arx S. Ludovici, *S. Luis de el Maranhan*, locus inſulæ præcipuus, capta à Batavis A. C. 1641. ſed recepta.

MARANATHA, *Heſych.* Μαρανα.θὰ, ὁ Κύριος ἦλθεν, ἢ ε.δον τὸν Κύριον. Vide *Suidam.* Syriaca vox eſt, & ſignificat, *Dominus venit.* 1 Cor. *c.* 16. *v.* 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maranatha.* Id eſt, exponente Theodoretô, *Sit alienus à communi corpore Eccleſiæ.* Idem nempe eſt quod *Anathema*, ſeu *Excommunicatio major*, apud Græcos Latinoſque, & *Shammata*, apud Hebræos, quô genere excommunicationis arcebantur peccatores â communione fidelium, omnique iis commerciô cum illis interdicebatur, velut excisis, donec reſipiſcerent. Ut fruſtra ſint, qui inter *Anathema* & *Maranatha* deſtinguentes, ex Synodo Turon. II. *c.* 25. *A. C.* 570. *Ut non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur*; hâc poſteriore voce denotari volunt Excommunicationem, quâ etiam in vitæ fine in gratiam recipi petentes illam non impetrent, divino Judicio committendi. Neque enim illud diſcrimen anterioribus ſeculis uſitatum occurrit, nec ipſi hi Patres hanc ſententiam in quenquam tuliſſe leguntur: licèt, ut homines à ſacrilega & pertinaci bonorum Eccliſiaſticorum direptione ac detentione abſterreant, iſtiuſmodi maledictionem illis comminentur. Auguſtin. certè *Ep.* 28. de his verbis ſic ait: *Simul Græcô & Syrô utitur verbô Apoſtolus: Si quis non amat Dominum, ſit Anathema, Maranatha. Anathema Græcô ſermone dixit, condemnatus; Maranatha, donec Dominus redeat.* Et ſunt Eruditi, qui dicant, Hebræos, quando illud Excommunicationis genus, quod *Shammata* (ejuſdem ferme notionis cum *Maranatha*) ſtringebant, uſurpaſſe illa Enochi verba, *Ecce venit Dominus* &c. Ep. Judæ *v.* 15. *&* 16. ut hâc formulâ reos terrerent adventus Domini ad Judicium contra rebelles denuntiatione; eoque reſpexiſſe Paulum, quando Chriſtum non diligentibus interminatus eſt *Anathema Maranatha loc. cit.* Vid Joann. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico Theologic. l.* 12. *c.* 3. §. 5. 7. 8. & 16. nec non ſuprà, ubi de *Cenſura Eccleſiaſtica*, & infrà voce *Shammata.*

MARANDUS Johannes vide *Johannes.*

MARANE, Arabiæ Felicis oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 28. populi *Maranitæ.*

MARANGA, tractus quidam *Ammiano*, *Moronſa* vicus eſt *Zoſimo*, Perſidis regionis locus.

MARANI ſeu MARRANI, apud Hiſpanos Mauri dicuntur, quaſi *Mauriani*, quibuſdam, qui id factum ſuſpicantur in Italia Friderici Ænobarbi tempore, cùm Mauri fidem Chriſto datam in Baptiſmo, paſſim ejuratâ, quam ſuſceperant, religione, violarent: Alii potiùs ex Syriaco *Maranatha*, quô anathematis ignominia & execratio in divinis literis continetur, vocis originem arceſſunt. At ſecus Scaliger ſentit *de Emendatione Temp. l.* 6. *In verbis*, inquiens, *Geographi Arabis ſit mentio factionis* Maravanjun. *Sciant igitur Studioſi; Abaz fuiſſe patruum Muhammedis, atque ejus progeniem & gentem dictam fuiſſe, dicique adhuc Abaziam. Ad eos jus Caliſatus pertinebat, utpote qui propiùs ſanguine Muhammedem attingerent. Sed* Marawan *quidam primus Chaliſatum ab illa gente ad ſuos, qui Marawaniun dicti ſunt, tranſtulit per tyrannidem, eôque nomine omnibus Muhammedanis in odio eſt nomen Marawanin, ad hanc uſque diem.* Sed pro media ſententia facit id, quod Joann. Mariana *de Rebus Hiſpan. l.* 7. ubi de donatione Aurelii Gallæciæ Regis in Hiſpania, æræ 813. factâ Monaſterio, habet: *Eſt*, inquit, *ad memoriam inſignis iis in literis contenta execratio; quâ ejus donationis violator jubetur eſſe anathema Marrano & excommunicatus.* An iidem cum *Maronibus?* Vide infrà, & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* ut & in voce *Mauri.*

MARANONIUS, vulgò MARAGNON, qui & *Xauxa*, fluv. ingens. Oritur in Peruvia ad radices Andium, è lacu *Chincacocha*; dein plurimis auctus fluviis in flumen Amazonum ſe exonerat. *Petr. Texeira.*

MARANTHIS, vide MARABINA.

MARANTIUM, Latini vocant oppidulum Tuſciæ mediterraneum, *Ripa Maranſi Leandro.* In agro Volaterrano ad Cecinam fluv. 5. mill. paſſ. à Volaterris in Auſtrum & Eurum.

MARANTIUM, oppid. tractus Alnetenſis, in Pictonibus, intra paludes, ad Separam Niortenſem. 2. leuc. ab ora Oceani in Ortum 4. à Malliaco in Occaſum, 4. à Rupella in Cæciam. Amplum & cultum, *Marans* vulgò.

MARANUM, oppid. Marchiæ Tarviſinæ in Comitatu Tyrolenſi, pertinens ad Epiſcopum Brixienſem, quod licet ad Italiam pertineat, tamen populô incolitur & moribus & linguâ Germanicô potiùs quàm Italicô. Item oppid. Foro-Julii.

MARAS, vir ditiſſimus apud Beroën Syriæ civitatem, humanus, & officioſus in omnes tum cives tum hoſpites. Vide *Suidam.*

MARASDI, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

MARATA, vulgò quoque *Marata*, regnum parvum Americæ Septentrionalis verſus regnum Mexicanum & oram maris Purpurei. *Sanſon.*

MARATHA, Arcadiæ vicus. *Pauſan. l.* 8. Oſrhoënæ urbs. *Liber Notitiar.*

MARATHESIUM, urbs Cariæ, Epheſi, & Samiorum. *Steph.*

MARATHI, gens ultra Tanaim. *Athen.*

MARATHIA, oppid. Lucaniæ.

MARATHIUS, tertius Sicyoniorum Rex, regnavit. ann. 30.

MARATHON, hodie MARATONA *Sophiano*, aliis *Maraſon*, Attici agri civitas, diſtans ab Athenis circiter 10. mill. paſſ. non procul à Tricoritho, & Rhamnunte, nece Icarii regis inſignis, & Miltiadis gloriâ, qui ibi centum millia ex Darii Regis Perſarum exercitu profligavit: Item Theſei victoriâ, qui ibi taurum Marathonium ſuperavit. Ovid. *Metam. l.* 7. *Fab.* 23.

——— Te maxime Theſeu,
Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine Tauri. Nic. Loydius.

Nunc *Marathona Baudrand.* verſus oram Euripi, 35. mill. paſſ. ab Athenis in Cæciam vicus hodie parvus. Sub Turcis. Inde *Marathonius*, ut *Marathonia virgo* pro Erigone. Papinius *l.* 5. *Sylv.* 3.

——— Nec enim Marathonia virgo
Parcius extinctum ſævorum crimine agreſtum
Fleverit Icarium. ———

Item *Marathon* vicus in tribu Leontide. *Steph.* Sed & *Marathonis* campi meminit Solin. *c.* 7. *Athenienſibus judicii locus Arios pagos. Marathon campus factus memorabilis opinione prælii cruentiſſimi.* Quem locum ex Mela *l.* 2. *c.* 3. ſumpſit: *Marathon magnarum multarumque virtutum teſtis, jam inde à Theſeo, Perſarum maximè clade pernotus.* Quæ planities ad 12. milliaria ſe extendit, & maximâ parte cultis agris conſtat, qui à montibus vicinis uſque ad mare patent. Dividitur fluviô cognomine, qui *Macaria* ſortè Veteribus dictus, oritur ex monte Parnethe & vicum prædictum perfluens in Euripum ſeſe exonerat. Ipſe locus olim tam celebris hodie vix quindecim aut viginti zengariis caſiſque Athenienſium conſtat, ubi Albanorum ad centum quinquaginta fortè degunt. Non verò ad Leontidem Tribum, ſed Ajantidem potiùs pertinere *Marathona*, docet Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *in Inſcr. antiqq. p.* 157. ubi, præter inſignem Inſcriptionem, eamque ſatis prolixam, hanc quoque exhibet, in Monaſterio S. Andreæ Athenis hodie extantem:

ΑΥΡΗΛΙΟC
ΕΥΕΛΠΙΣΤΟC
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟC
ΠΡΕCΒΥΤΕΡΟC.

Apud eundem *Part.* 2. *p.* 86. Seleuci *Marathonii*, Gymnaſiarchæ Athenienſis, memoriam ſervat iſta *Inſcr.* in Delo.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΣΕΛΕΥΚΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ.

De juramento, μὰ τὺς ἐν Μαραθῶνι, *per eos, qui in Marathonia pugna obierunt*, Demoſtheni memorato vide ſuprà.

MARATHONIA, urbs Thraciæ, non procul ab Abderis. *Steph.*

MARATHOS, urbs Phœniciæ. Mela *l.* 1. *c.* 12. *Margath* hodie *Olivario.* Syriæ *Ferrario* apud oram & Phœnicis confinia, Balaneis proxima & Tripoli.

MARATHUS; vide JULIUS MARATHUS.

MARATHUS, decimus quartus Sicyoniorum Rex, regnavit ann. 20.

MARATHUS, urbs Acarnaniæ, civis *Marathenus*, Gentile *Marathenſius. Steph.*

MARATHUSA, inſul. prope Clazomeniam, *Steph.* à fœniculi copia ſic dicta. Item oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *l.* 5. *c.* 31.

MARATONUS, vide MACEDONIANI.

MARBACHIUS Johannes, Lindavienſis, Argentorati docuit, hujuſque Magiſtratus miſſu ut Concilio Tridentino intereſſet, A. C. 1551. eô diſturbatô reverſus, Caſp. Hedioni in Paſtoratu Eccleſiæ ſurrogatus & Theologiæ Prof. creatus eſt, A. C. 1552. Obiit A. C. 1581. ætat. 60. aliquot ſcriptorum Auctor. Melch. Adami *Vit. Theolog.* Cœterum, Hieron. Zanchii Collega fuit. Qui cùm ſimul docerent Euangelium Argentorati, diſſentire de quibuſdam capitibus, ac ut plerumque in iſtiuſmodi concertationibus ſolet, magis magiſque Auditorum ſuorum animos diſtrahere cœperunt, circa A. C. 1560. Quô primùm tempore audita fuere, *Calvinianorum* & *Lutheranorum* nomina ſchiſmatica (cum priùs Euangelici omnes *Reformatorum* nomine deſignarentur) ac de duobus præcipuè articulis odiô implacabili diſputatum, *divina Prædeſtinatione* ac *Ubiquitate corporis Chriſti.* Schiſma dein vehementiùs actum, cùm Joh. Andreas Schmidelinus Theologus Wirtebergenſis tandem librum *Concordiæ* procudit, è quo velut equo Trojano, longe acriora Theologorum odia proſiluêre. Georg. Hornius *Orbe Imper. p.* 50.

MARBACHIUS Philippus, fil. prioris, Baſileæ Baccalaureus & Philoſophiæ Magiſter A. C. 1570. creatus, Roſtochii docuit, inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

inde Rector Scholæ Græcienſis in Stiria conſtitutus, A.C. 1574. poſt Theologiæ Doctor Baſileæ renuntiatus, A. C. 1579. Heidelbergæ Theologiam docuit, A. C. 1576. inde Electore Ludovicô mortuô, in Carinthiam vocatus Claudiforiani Gymnaſii Rectorem egit. Tandem extinctô fratre Eraſmô Theol. D. Argentorati illi in Profeſſione Theologiæ ſucceſſit, A. C. 1593. defunctus A. C. 1611. ætat. 61. Pater *Philippi* JCti & *Ulrici* Eccleſiaſtæ. Scripſit varia, quæ videre eſt apud Paul. Freherum *Theatro Viror, eruditione claror.*

MARBACHUM, oppid. Ducatus Wirtembergenſis. *Metel.*

MARBODUS, Epiſcopus Rhedonenſis, in Aremorica, Gallus. Obiit A. C. 1123. Proſâ verſuque varia ſcripſit, imprimis Poëma in Canticum Canticorum, vitam Laurentii, &c. Vide Ildebert. *ep.* 80. *&* 200. Sigebert. *in Cat. c.* 159. Sixtum Sen. *l.* 4. *Bibl.* S. Baleum & Pitſeum. *de ſcr. Angl.* Lilium Girald. *dial.* 5. *Poët.* Sirmond. *in not. ep. Goffr. l.* 3. *ep.* 14. Chenu *de Epiſc. Gall.* Argentreum & Auguſtin. de Pas, *Hiſt. Brit. Duc.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 44. *de Poët. c.* 6. Alius *Marbodus*, vel *Marbodaus*, Gallus, carminis auctor, *de gemmarum lapidumque pretioſorum formis, natura & viribus*, quod Coloniæ impreſſum, A. C. 1539. cùm notis Alardi Amſtelredami & Pictorii Villigenſis. Vincentius Bellovac. *l.* 9. *ſpec. nat.* Barthol. Anglicus, *l.* 16. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Poët. Lat. c.* 6. *&c.*

De MARBUCH Conradus, vide *Conradus.*

MARBURGUM, vide *Amaſia* & *Martisburgum.*

MARCA, nomen Comitatus in Germania veteris; cujus Dynaſtæ ab Ælio Gracili, non ſatis quidem certâ fide, arceſſuntur. Juſtiniano II. Imperat. coævo, qui ductâ in uxorem Beatrice, Theodorici Teyſterbandiæ (inter Clivenſes Batavoſque mediæ) Comitis filiâ, Civiâ potitus, Teyſterbandiæ Cliviæque Comitatus dignitatem, à Pipinis, Franciæ tum Majoribus Domus, acceperit. Manſit titulus hujus poſteritati, per aliquot ſecula: quæ, proceſſu temporis, in Clivenſem & Teyſterbandiam Lineas diſtincta eſt, cùm Ludovici (defuncti A. C. 829.) filii Eberbardus Rupertuſque, ex paterna fraternaque hæreditate, iſte Cliviam, hic Teyſterbandiam ſortiretur; quorum illis titulus, donec ipſi eſſe deſinerent, duravit: his non idem nominis ſui amor; quô poſitô A. C. 860. Theodoricus ejuſque fil. Adolphus, ab *Altena* caſtello, priùs *Wolfesbagen* vocato: Eberhardus, Adolphi frater, à *Bergenſi* terra, denominari maluêre, uterque ab Henrico Aucupe votorum damnati. Sed & *Altena* nomen tandem diſplicuit, quod imperante Fridericô II. Adolphus, *Marcani* Comitatûs vocabulô, comparatâ ſibi *Marcâ*, commutavit: Ita ſui Clivenſibus, ſui Marcanis Comites, utrique Ludovicô prognati fuerunt: qui tamen Comitatus iterum coaluêre in Adolpho; qui, emortuâ Eberhardi ſtirpe, abdicatô Ubiorum Præſulatu, agnationis nuptiarumque jure, civium votô, Theoderico ſucceſſor à Cæſare datus, Cliviæ ditioni, etiam *Marcam*, fratris Engelberti morte vacuam A. C. 1360. adjecit. Poſtea Bergenſis etiam atque Juliacenſis Comitatus (quem poſteriorem Henrico Aucupi acceptum ferunt) acceſſêre; tam felici iſtius familiæ fatô, ut in ipſam unam concederent, quæcunque Juliaci, Bergæ, Cliviæ, cœterarumque ditionum Comites atque Dynaſtæ omnes, ut volunt, ex Gracilis ſtirpe, plures per proſapias diducti, unquam habuerunt. Pfannerus *de præcipuis Germ. Princip. gentibus c.* 2. Hinc itaque *Marcana* familia, in Germania illuſtris, quæ cum Clivia veteri eadem eſſe creditur, & à *Marcano* Comitatu nomen accepit, ut dictum. Præcipuus ramus fuit ille, cui ipſa pòſt *Clivia*, & deinceps *Juliacenſis* atque *Montana* hæreditas, cum *titulo Ducali*, obtigit: nec minùs in Gallia Ducatus *Nivernii* aliaque. Sed omnis ille pridem exaruit. Porro ex Eberhardô Adolfi, qui Margaritæ Cliviæ maritus, atque præfatæ lineæ conditor fuit, fratre, alii rami ſuccrevêre; *Arenbergius*, *Bullionius* & *Lumainius*; quorum primus defecit in Margareta, à qua ad Ligneſios, ob maritum Johannem *de Lignes*, ſucceſſio delata eſt: alterius bona ex parte ad Turrios delata ſunt, ſed Comites *de Mauleurier* prætenſionem non omiſerunt: Ex tertio, cui *Sleidæ* cognomen etiam acceſſit, ſolus ſupereſt Franciſcus Comes *de Marca*, cujus Majores ſic habent. Johannes *de Marca* Dn. Arenbergæ, qui obiit A. C. 1469. pater fuit, ex Agnete ſeu Anna (filia Roberti Comitis Virnenburgi) Wilhelmi *de Marca* Dn. *de Lumain*, defuncti A. C. 1481. Hôc, & Johannâ *de Schonhoven*; genitus Johannes, obiit A. C. 1481. relictô, ex Margareta Runckelia (filia Theodorici Dn. *de Runckel*) filiô cognomine; cui Margareta *de Waſſenaer* (fil. Johannis Dn. *de Waſſenaer* & Jodocæ ſeu Joſinæ, Johanne Comite Egmondæ genitæ (peperit Philippum Comitem *Marca*, qui deceſſit A. C. 1613. pater, ex Catharina Manderſcheidia (filia Theodorici Comitis & Ericæ. Waldecciæ) Erneſti Comitis *de Marca & Schleiden*, defuncti A. C. 1653. quô, & Sibyllâ Zolleranâ, (filiâ Johannis Georgii Principis *de Hohenzollern*) natus eſt, præfatus Franciſcus Comes, Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part. II. p.* 97. Hodie *Marca* ſub Electore Brandenburgico eſt. Vide quoque ſuprà in *Clivia* & *Juliacum.*

MARCA, Papiæ *pondus unius libræ*: meliùs Johanni de Janua, *media libra.* In *Chronico* Moguntino, *auri libra habet duas marcas auri.* Itaque *Marca* duplicata libram efficit, quæ dividitur in uncias 16. uncia ſubdividitur in 8. drachmas, vel 24. ſcrupulos ſeu denarios, quorum quilibet conſtat 24. granis. Quô modô uncia conſtat 576. granis, ut libra 9216. At auri examinatores, vulgò *Eſſajeurs* Gallis, examen tam accuratum inſtituunt, in auri bonitate probanda, ut ipſum granum in 512. minores particulas dividant. Vide plurima hanc in rem apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi inter alia *Marcæ aureæ* quoque meminit, præſtationis apud Francos notæ, quæ ab Officialibus præſtari ſolet, cùm codicillos dignitatis ſuæ impetrant, cujuſque mentio occurrit in Ludovici XI. *Volum. I. Ordination. fol.* 117. Ubi deſcribitur *Charta* menſis Julii A. C. 1466. quâ vetantur Commiſſarii Regii in terris Ducis Burbonenſis, *franca feoda, novos aqueſtus, vel Marcas aureas*, de Notariis exigere &c. De voce *Marca* porro ſic Gronovius, *Marca, apud veteres Scriptores rerum Francicarum, bes fuit libræ argenti Francicæ. id eſt,* 160. *denarii, tredecim ſolidi triens, ſive quatuor denarii. Matthæus Pariſienſis in Henrico III. Centum & quatuor Marcas bonorum & legalium Eſterlingorum, tredecim ſolidis & quatuor ſterlingis pro* Marca *qualibet computatis* &c. Vide Joh. Frider. Gronovium *de Pecunia Vet. l.* 3. *c.* 6. ubi de acra terræ, *Marcæ argenti* ab Agrimenſoribus aſſimilatâ, ſuprà voce libra.

MARCÆ, APUD DIVERSAS GENTES, VARIÆ, EX EODEM.

Marca, Anglicana, de qua Matthæus Pariſ. *A.C.* 1235. *p.* 286. & Matthæus Thorn *in Chron. p.* 2107. eadem cum Rupellenſi, pro 13. ſolidis & 4. denar. eſterlingis computatur. At ſub Henrico I. Rege videtur fuiſſe tantùm pondo 6. ſolidor. & unius denarii.

Marca Aurea, præſtationis ſpecies, apud Gallos, Vide hîc *ſuprà.*

Marca Danica, alia fuit argenti & auri, alia aliorum ponderum: & marca quidem auri puri & argenti defæcati 8. unciarum pondus habuit; marca verò aliorum ponderum, idem fuit quod ſemis & ſex unciæ Romæ &c. Petrus Reſenius *ad Jus Ant. Canuti II.*

Marca Germanica (& ipſum vocabulum Germanicæ originis eſſe, docet Georgius Agricola, *de Reſtituendis pond. p.* 243.) videtur fuiſſe 20. ſolidorum; quot *marca* dicitur ponderare, in *Speculo Saxon. l.* 3. *artic.* 45. §. 3.

Marca Hiſpanica, ſic deſcribitur, apud Joannem Marianam *de Ponderibus & Menſuris c.* 9. *Aurifices marcum* (namque & hôc genere vox occurrit) *hoc eſt, uncias octo auri quidem dividunt in Caſtellanos* 50. *quod genus ponderis & nummi eſt drachmâ majoris atque denariô Romanô. Caſtellanus in octo tomines dividitur: tomin in* 12. *grana. Argenti autem marcum dividunt, in uncias* 8. *unciam in totidem octavas ſive drachmas, octavam in grana* 75. *ſic marcus argenti aurique eundem granorum numerum continet.*

Marca Lemovicenſis, in Gallia, appendit 13. ſolidos, obolos eſterlingos.

Marca Ponderoſa, nempe Germanica, appendit 26. ſolidos, ex *Weichbild* Magdeburg. *artic,* 44. §. 3.

Marca Rupellenſis, in Gallia, ſolidorum eſt 13. denarior. eſterlingorum 4. aliàs *Anglicana*, de qua dictum.

Marca Trecenſis, in eodem Regno, appendit 12. ſolidos, 11. denarios eſterlingos: nec in Gallia tantùm, ſed & in Germania, Anglia, Hiſpania, Flandria, aliiſque Europæ provinciis, in publicis præſertim commerciis, in uſu fuit & nominabatur. Forte quia in Nundinis Campaniæ ſeu Trecenſibus, quibus paucæ in Europa conferendæ fuerunt, ejuſmodi pondere Mercatores utebantur. Aliter *Marca Regia*, Gall. *Marc le Roy*, in *Chartis* A. C. 1306. & 1309. in *Probat. Hiſtor. Caſtilionea p.* 97. & 162. ubi de monetis Comitum S. Pauli & Bleſenſis fuſius agitur.

Marca Turonenſis, ibidem appendit 12. ſolidos 11. denar. obolos eſterlingos: ad quam marcam appendebantur monetæ Regum aliorumque, quæ *Turonenſes* vulgò dicebantur, &c.

MARCA ſeu MARCHA, facultas eſt à Principe ſubdito conceſſa, (qui injuriâ affectum ſe vel ſpoliatum ab alterius Principis ſubdito queritur, de qua jus ei negatur) in ejuſdem Principis *marchas*, h. e. limites ſeu terminos, tranſeundi ſibique jus faciendi, ut habet Bretius *de Superiorit. Regis l.* 2. *c.* 17. Gallis vulgò, *Droit de marque & de repreſailles.* Cujus mentionem in *Regeſtis* Parlamenti ſæpius fieri, teſtatur *Car. du Freſne.* In eo enim quod *Olim* inſcribitur, Mandatum Curiæ deſcriptum legitur, quô jubetur Ludovicus Rex Siciliæ uni è Regiis ſubditis, qui à prædonibus in mari ſpoliatus fuerat, jus dicere, cum *Marca* comminatione, niſi id fiat. *Ibidem* extat *Ep.* Caroli V. Regis Franciæ ad Martinum Arragoniæ Regem, quâ jus ſe facturum pollicetur ejus ſubditis, qui à Francis ſe in mari ſpoliatos querebantur, ut *marca* vitaretur, 5. Martii A.C. 1356. Denique in *Regeſto ordinationum Barbin.* Idem refert, haberi extinctionem *marcarum* conceſſarum Occitanis & Bellicadrenſibus, contra cives Avenionenſis Civitatis & Comitatûs, decretumque, ut in poſterum nullæ concederentur, niſi à Rege vel à Curia Parlamenti, d. 13. Junii A. C. 1443. &c. Vide eum in *Gloſſario*, & plura de hoc *Marcarum jure*, apud laudatos illi, Chopinum *de Dom. l.* 3. *tit.* 25. Jac. à Canibus & Martinum Laudenſem *l. de Contract. marit. c.* 10. Cardinum Bretium *de Superioritate Regis l.* 2. *c.* 17. Alios. Aliud eſt, quod apud Pictones, Andegavos & Armoricos, vulgô *Marchas* vocant, feuda ſcil. vel prædia in harum provinciarum ſita limitibus, quæ ſingularum juriſdictioni pro parte, vel, ut ajunt, *ex præventione* obnoxia ſunt. de quibus copioſè egit Gabriel Hullinus *Tract. Gall. de la Nature & uſages des Marches ſeparantes les Provinces de Poitou, Bretagne & Anjou*, Nannetis edito A. C. 1616. cujus meminit idem, *loc. cit.*

MARCA, vide MARKA.

MARCA Chriſtiana, filia Georgii Ludovici Comitis Leonſtenii, A. C. 1633. defuncti, ex Eliſabetha Juliana Comite Erpacenſi. Nata Venetiis, Gabrieli Oxenſtiernæ Regni Sueciæ Mareſcallo nupſit: ei jura ſua in hæreditatem paternam & maternam in pacificatione Monaſterienſi ſervantur.

De S. MARCA Jacobus, vide *Jacobus.*

MARCA Ancona, hodie appellatur ea Italiæ regio, quæ olim Picenum dictum fuit. Ab Iſauro flumine uſque Druentum amnem, inter Adriaticum mare, & Apenninum montem porrigitur. Valdenſibus, circa A. C. 1330. referta fuit, ut ſcribit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Antonin. Archiepiſcop. Florentin. *part.* 3. *tit.* 21. *c.* 5. §. 1. Habet hæc regio agrum fertilem, omnis generis frugum copiam producentem, ſed lignariis quàm frumentariis fructibus longè eſt præſtantior. *Silius* ejus laudem præcipuam in oleis laudat. Urbs primaria eſt Ancona; Item Ælia Ricina, quàm hodie *Recanati* vocant. Non longè abhinc eſt Lauretanæ imaginis fanum, validiſſimò murô cum vico illi adhærente cinctum, & multum totius Europæ hominum peregrinationibus, Religionis ergò, celebre.

De MARCA Petrus, vide *Petrus.*

De MARCA Nova Johannes, vide ibi.

MARCA Hiſpanica, dicebant ævô Ludovici Pii, Caroli & ſeqq. quæ hodie Catalonia.

MARCÆUM, mons Troadis juxta Gergithem. *Steph.*

MARCALA, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.*

MARCANA, ſeu MERCANA, vulgò quoque *Mercana*, urbecula Dalmatiæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Raguſino: cui perpetuò unitus eſt Epiſcopatus Tribunenſis. Sita erat in inſula maris Adriatici, circuitu tantùm 4. milliar. ſub dominio Reipubl. Raguſinæ; nunc in ruderibus jacens, vix 3. aut 4. habet domos.

MARCASIUM Radulfi, vulgo *Marche-rous* corruptè pro *Marchais-Raoul*, aut *Marcheroul*, caſtrum Galliæ in diœceſi Rothomagenſi, cum Monaſterio Præmonſtratenſium Monachorum, Abbati ſuo ſubjectorum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Monaſterium Villare.*

MARCASSITA, vide *Pyrites.*

MARCELLA, mulier Romana, quæ cum à matre rogata eſſet: Gauderetne ſe nupſiſſe? *Ita valdè*, reſpondit, *ut amplius nolim.*

MARCELLA, filia Octaviæ, ſororis Auguſti, ex Marcello, nupſit Agrippæ, dein nurus Marci Antonii facta, peperit Lucium Antonium, qui Maſſiliæ dein obiit. Habuit ſororem minorem natu cognominem.

MARCELLA, diſcipula Hieronymi, ſeptimô conjugii menſe maritô orbata, in poſterum S. Scripturæ lectioni ſe totam addixit, Paulæ & Euſtochiæ familiaris. Origeniſtis, qui Romæ ſuborti, acriter ſe oppoſuit, tantumque effecit, ut damnarentur. Obiit paulo poſt Romam à Gothis captam, A. C. 409. Hieronym. *in vita ejus, ad Principiam, ep.* 8. *&c.*

MARCELLEA, feſta quædam Syracuſis in honorem Marcelli inſtituta, quòd is in Sicilia optimè rexiſſet. Cicer. 4. *in Verr.* & Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 12.

MARCELLIACUM, oppidul. Galliæ in Tricaſſibus, ad confluentes Albæ & Sequanæ: *Marcilli ſur Aube*, vel *Marcilli où faut Aube*; ab aliis *Marcilli ſur Seine* dictum. Ibi quotannis juvenes nudi curſu contendere conſueverunt, propoſitô præmii locô pannô. Qui igitur unum milliare primus confecerit, is præmium capit, puellis charus & bonâ conditione uſurus: Sic & Judæi Romæ per tres dies ante caput jejunii curſu certant. Eſt & in Cadurcis ad fluv. Sellam *Sele*, oppid. *Marciliacum*, vulgò *Marſiliac*, illuſtre Monaſteriô ejuſdem nominis, à Leutado & Anſeberto extructô, neque procul ad eundem fluv. Figiacum *Figeac*, Monaſteriô veteri clarum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARCELLIANA, *Antonino* locus Lucaniæ, apud Atinam oppid. teſte *Celſô Cittadinô*, inter Calorem & Cæſarianam.

MARCELLIANUS, Dux potentiſſimus, in Dalmatia, poſt Ætii mortem, rerum potitus eſt. Inde tamen ab Imperat. Leone abſtractus, ejus hortatu, Vandalos Sardiniâ feliciter pepulit. Cæterùm *Marcelliani* dicti ſunt, ſeculô 4. Marcelli Ancyrani errores ſectati, Conciliô 1. Conſtantinop. condemnati ſunt, A. C. 381.

MARCELLINA, impudentiſſima fœmina, quæ ſub Aniceto Epiſcopo Romæ, Gnoſticorum ſectam introduxit, ingeniô & formâ plurimis ineſcatis. Irenæus, *l.* 1. *c.* 24. Epiphan. *hær.* 27. Item, ſoror Ambroſii, à Liberio laudata. Vide Ambroſ. *tract. de Virg. l.* 3.

MARCELLINUS, Conſul, an. Urb. Cond. 1093. Alius Conſul. cum Aureliano Auguſto, an. Urb. Cond. 1027. Item alius Romanus Pontifex 37., A. C. 296. Cajo ſuceſſit. Hic perſecutione univerſali 10. ſub Diocletiano vigente, quam Euſebius *l.* 8. *c.* 1. *&* 2. *&* 6. corruptis Eccleſiaſticorum moribus aſcribit, pœnæ metu, thuris granum Herculi, Jovi & Saturno, in Veſtæ templo, adolevit: A. C. 302. in ſe verò ſtatim reverſus, Diocletianum ipſum redarguit, & ad necem lubens ſe obtulit, A. C. 304. Balæus *l.* 1. *in vita ejus.* Succeſſit Marcellus I.

MARCELLINUS Comes, Illyricus, ſub Juſtiniano, compoſuit Chronicon, ab A. C. 379. ubi Hieronymus deſiit, uſque ad quartum Conſulatum Juſtiniani, qui incidit in A. C. 534. Imperii ejus 8. Cui dein continuatio acceſſit, uſque ad A. C. 566. Mirè commendat hoc opus Caſſiodorus, qui addit, illum quoque edidiſſe libros 4. de Conſtantinopoli & Hieroſolymis. Editum eſt Chronicon hujus auctoris ab Ant. Schoonhovio, Joſ. Scaligero & Sirmondo, A. C. 1619. Vide Caſſiodor. *divinar Lect.*

MARCELLINUS, frater tyranni Maximi, à Theodoſio victus, Zoſim. *l.* 4. Item Tribunus & Notarius Imperialis; cui munus ſuum in Africa exercenti, Auguſtin. libros 3. de Remiſſione peccati, tractatum de Spiritu & Litera, egregium item opus de Civit. Dei dedicavit. Vir ſapiens & agendi dexteritate inclytus, pacem Eccleſiæ, à Donatiſtis turbatæ, ardentiſſimè expetiit; electuſque ab Honorio hanc in rem, in celebri congregatione pro Orthodoxis ſententiam tulit. Hinc calumniis ſchiſmaticorum impetitus, à Marino, quem Honorius contra Heraclinum rebellem in Africam miſerat, tanquam horum motuum conſcius, è medio ſublatus eſt, A. C. 413. Auguſtin. *de geſt. cum. Emer.* Hieronym. *l.* 3. *contra Pelag. &c.*

MARCELLINUS Presbyter, junctus Fauſtino, ad Urſicini, qui, contra Damaſum, Epiſcopum ſe creari curaverat, partes ſe applicuit: Schiſma dein Luciferianorum quoque amplexus. Item Anglus Benedictinus, cum decem aliis in Germaniam Friſiamque miſſus, Euangelium ibi per ann. 70. annuntiavit. Auctor vitæ S. Suiberti, S. Willebrordi, & aliquot operum hiſtoricorum. A. C. 766. Pitſeus *de Script. Angl. p.* 152. Suffridus Petri, *de Script. Friſ.*

MARCELLINUS, Hiſtoriæ Græcæ ſcriptor, ex qua ſolum ſupereſt diſſertatio de Thucydidis vitâ, & ejus genere dicendi, quæ Hiſtorico huic præmitti ſolet. Arbitratur *Voſſius* eundem eſſe, cujus in Hermogenem de Statibus commentarios unà cum Syriano & Sopatro excudit Aldus. Quin & Conradi Geſneri ſuſpicio eſt, non alium hunc eſſe ab Ammiano Marcellino, cujus ex 31. hiſtoriarum libris extant libri 18. Nempe quia Ammianus ille Græcum ſe fuiſſe dicit *extremis l.* 31. *verbis*, & phraſis ipſa ſatis hoc prodit. At ſatis conſtat, Ammianum illum vixiſſe ſub Gratiano, & Valentiniano Juniore. Alterô quoque argumentô ætatem ejus oſtendere idem conatur, nempe quia Marcellinum dicat *Suidas* fuiſſe familiarem Salluſtio philoſopho. Eum cenſet eſſe Salluſtium prætorio præfectum, qui Valentinianum deſignavit Imperatorem, ut *Suidas* ait. Sed ſcrupulum injicit, quòd *Suidas* Salluſtium hunc diſtinguat à Salluſtio philoſopho; Adde, quòd non videas, unde Marcellinum, quem Principem Dalmatiæ; & Illyridis fuiſſe dicit *Suidas*, colligi poſſit, eumpſe eſſe, ac qui Græcè hiſtorias emiſit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 18.

MARCELLINUS, vide *Ammianus*, *Fabius*,

MARCELLIUS, à Tiberio Cæſare Judææ præfectus.

MARCELLUS Marcus Claudius, Romæ Conſul quinquies fuit, an. Urb. Cond. 532. naturâ vir ad bellum propenſus, acer ac ſtrenuus: ad cæteras vitæ partes humanus atque modeſtus. Græcæ verò diſciplinæ, ac ſtudiis dicendi addictus, quæ tamen per bellorum occupationes, non uſque adeò illi aſſequi licuit. Tunc prædam & arma ſecum auferens ad Collegam Cornelium regreſſus eſt, per id tempus adverſus Gallos infeliciter dimicantem: ut venit, Rege Viridomarô vel Britomarô, ſingulari certamine occiſô, Mediolanum ac Collegam obſidione liberavit. Poſthæc decretus eſt à Senatu ſoli Marcello triumphus. Syracuſas intra triennium cepit, cujus ſubjectam oculis magnificentiam ac ſplendorem, circumſpiciens, diu illacrymâſſe, fatumque Archimedis Geometræ, cujus admirandis machinis tamdiu impeditus fuerat, ægerrimè tuliſſe fertur. Cum Annibale, poſt Cannenſem cladem, congredi auſus eſt: quem & Nola expulit, ſicque primus vinci poſſe docuit. Annos ſuprà 60. natus, quintum agens Conſulatum, inter pugnandum jam ſemel præliô infelix latâ transfigitur lanceâ. Ejus clariſſima progenies ad Marcellum uſque Cæſaris nepotem propagatur, quem Octavia Cæſaris ſoror, ex C. Marcello ſuſcepit. Vide infra. Plut. *in Auguſti, Marcelli, Annibalis vita*: Liv. *Dec.* 3. *l.* 3. 4. 5. 6. *&* 7. Illius cadaver, viri virtutem admiratus Annibal, magnificè ſepeliri juſſit, ſed annulô ſignatoriô ad dolum uſurus fruſtra fuit. Videantur quoque Aur. Victor. *de Vir. Ill. c.* 45. Flor. *l.* 2. *Polyb. Eutrop. Oroſ.* &c.

Cajus MARCELLUS, Octaviæ, ſororis Auguſti, maritus, ex ea Claud. Marcellum ſuſcepit, magnam Romæ & libertatis ſpem, populi Romani delitias, quem cum M. Agrippâ Cæſar ſubſidium dominationis adſciverat, in quem imperii onus reclinaret. Adoleſcens animô alacer, ingeniô potens; frugalis & continens, patiens laboris. Obiit fraude Liviæ apud Bajas, non ſine crimine ipſius Auguſti. Vide Scaligerum *ad Propert.* Fuit hic ab Auguſto adoptatus annô 16. ætat. inciditque in valetudinem, ac 18. obiit, cum ædilitatem gereret: Ei tantùm pueritiam egreſſo (ut inquit Sueton. *in Aug. c.* 63.) Auguſtus Juliam ſuam filiam ex Scribonia nuptui dedit, deinde, ut is obiit, Marco Agrippæ. Hujus adoleſcentis generoſam indolem deſcribit Virg. *l.* 6. *Æn.* deflens immaturum ejus obitum aliquot verſibus, quos recitavit coram Auguſto & Octavia: Sed ubi tandem ad nomen Marcelli ventum eſt, perculſa dolore filii demortui mater, decidit, quaſi intermortua, ſilentiôque imperatô, juſſit pro ſingulis verſibus dena ſeſtertia numerari, quæ valent ducentos aureos. Sic is 5000. aureorum pro 18. verſibus reportavit, qui ſic incipiunt apud Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 860. ad calcem:

Atque hic Æneas una (namque ire videbat
Egregium formâ juvenem, & fulgentibus armis. &c.

Vide Suet. *in Aug.* & Plut. *in M. Cl. Marcello.*

MARCELLUS I. Epiſcopus Romanus, poſt Marcellinum A. C. 304. Maxentium precibus à perſecutione ſanctorum avertere niſus, fuſtibus cæſus, urbe expulſus, mox retractus, & ad ſordida officia, veredoſque equos curandos damnatus, obiit A. C. 309. Succeſſit Euſebius.

MARCELLUS II. priùs *Marcellus Cervinus* dictus, ſucceſſit Julio III. A. C. 1555. Hic miſerâ Pontificum conditione deploratâ, dicere ſolitus eſt: *Non videre ſe, quomodo, qui faſtigium hoc altiſſimum tenerent, ſaluti ſuæ conſulere poſſent.* Guicciardin. *l.* 3. Obiit die 22. ſedis, quòd nomen non mutâſſet, ut creditum. Alii tamen venenô ipſum peremtum tradunt. Genebr. *l.* 4. *Chron.* Panvin. *in ejus vita.* Hieron. Scripandus, *in ep. Princ.* &c. Eum excepit Paulus IV.

MARCELLUS, Epiſcopus Ancyranus, Arianæ impietati in Concilio Niceno fortiter obnixus, in Concilio Tyrio Athanaſii condemnationi, pari zelô, ſe oppoſuit, neque in Concilio Hieroſolymitano, Arii receptioni annuere ullatenus voluit. Hinc ab Arianis acerrimè exagitatus, maximè poſtquam contra Aſterium Sophiſtam, de ſubjectione *Domini Noſtri Jeſu Chriſti* ſcripſiſſet, & ſede, ſurrogatô Baſiliô quôdam, pulſus, Romam venit, poſtea Ancyram reverſus, A. C. 338. Inde hoſtium violentiâ denuo exturbatus, Sardicenſi Synodô tandem abſolutus ſedique ſuæ reſtitutus eſt, Poſtea tamen erraſſe in fide, & tempore S. Baſilii propterea conde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

d.m natus legitur. Athan. *apol.* 2. Hilar. *adv. Arian.* Baſil. *ep.* 52. Theodoret. *l.* 2. Socrat. *l.* 1. Sozom. *l.* 2. & 3.

MARCELLUS, Medicus Burdigalenſis, ſub Theodoſio, A. C. 383. Scripſit *de Medicamentis empiricis, Phyſicis, rationalibus.* Juſtus in *Chron. Medic.* Vander Linden *de Script. Med.* Alius Bergomas, Rhetor ſcripſit *Adrianum*, ſeu *de Regno. Suid.* Item, fil. Marci, præfectus urbis. Vide *Marcellus Vejus.*

MARCELLUS Cornelius, Eques Rom. adverſis L. Silani abreptus, tanquam conſcius inceſti, & dirorum ſacrorum cum Lepida: appellatô tamen Principe damnationem evaſit. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 8. Vide & *Cornelius.*

MARCELLUS Donatus, Medicus Mantuanus. *Scripſit de medica Hiſtoria, libros 6. de Variolis & Morbillis, &c.*

MARCELLUS Granius, vide *Granius.*

MARCELLUS Marcus vide *Marcus.*

MARCELLUS Palingenius, Poëta, auctor *Zodiaci vitæ*, librorum 12,

MARCELLUS Palonius, Romanus auctor poëmatis, de Gallorum ad Ravennam victoria A. C. 1512 obtentâ, librorum 2. Rubeus *in hiſt. Raven.*

MARCELLUS Sidites dictus, tempore Marci Antonii. De Medicina verſibus ſcripſit, de Piſcibus quoque tractatu edito. *Caſſiodor.*

MARCELLUS Vergilius, Secretarius Florentinus, A. C. 1506. Medicos quoſdam tractatus, plurimi æſtimatos, edidit. Juſtus *in Chron. Medic.* Vander Linden *Script. Med.*

MARCELLUS, prænomine *Vejus*, Eques Romanus cujus prædia h. e. prata, & oleæ, intercedente via publicâ in contrarias ſedes fuerunt transgreſſa, quod maximè mirandum eſt. Plin. *l.* 2. *c.* 83. lege *Vectius* pro *Vejus.* Erat autem Neronis Imperatoris procurator, prædiaque ejus in agro Marrucino fuêre.

MARCELLUS Ulpius, dux vigilantiſſimus Commodi Imperatoris, vicit Britannos, A. C. 186. Dion. *l.* 72.

MARCELLUS Vectius, vide *Vectius.*

MARCHADÆ, Troglodytici populi in Africâ circa ſinum Arabicum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MARCHALSIA, ſeu MARESCALCIA, carcer curæ & fidei *Mareſchalli Banci Regii*, apud Anglos, commiſſus, qualis ille in ſuburbiis Londinenſibus, *the Marshally* dictus. Vide Henricum Kuygthonem A. C. 1330.

MARCHARIZATI, apud Camillum Peregrinum *in Hiſtor. Principum Longobard.* in *Capitulari* Radelchiſi *c.* 24. *Expellamus de iſta provincia noſtra omnes Saracenos --- Præter illos, qui temporibus DD. Siconis & Sicardi fuerunt Chriſtiani, ſi* marcharizati *non ſunt*: *Voſſio* vox Punica eſt. At Carolus Macer, qui linguam hanc vernaculam ſibi eſſe ait, voce hac indigitari vult, *in Marchia* (h. e. territorio Marchionis) *adſcriptos*, in *Hierolexico.* Vide quoque ſuprà in voce *Margarita.*

De la MARCHE Oliverius, vide *Olivier.*

MARCHELMUS, Anglus, frater Marcellini, diſcipulus S. Willibrordi, & poſtea Gregorii Epiſcopi Ultrajectini: doctrinâ & pietate illuſtris. Idololatrarum converſioni intentus, S. Ludgeri ſomnium, editô ſcriptô, interpretatus eſt A. C. 772. Pitſeus, *de illuſtr. Angl. ſcript. p.* 155.

MARCHENIUM, vulgò *Roxburg*, oppid. Scotiæ, in Angliæ confinio. Fortè *Alta Ripa* veteribus.

MARCHESNEJUM, locus Galliæ, inter Ligerim & Ledericum, ſeu inter Caſtrumduni & Balgentiacum poſitus, in Carnutibus: Vulgò *Marchenoir*, quaſi Mariſcus niger. *Mariſcus* autem idem, quod palus & lacus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARCHETA ſeu MARCHETUM, Juriſconſultis Anglis ſignificat præſtationem, quæ pro prima nuptiarum nocte exigebatur olim apud Scotos, à voce *Marca*: quòd, ut ait Buchananus *l.* 7. Malcolmum III. uxoris ſuæ precibus conceſſiſſe ferunt, ut primam novæ nuptæ noctem, quæ Proceribus per gradus quoſdam ex Lege Eveni debebatur, ſponſus dimidiatâ argenti marcâ redimere poſſet, vide *LL.* Burgorum Scoticorum. Quò etiam referendum id, quod habent *LL.* Hoelii Boni Regis Walliæ *c.* 21 *Nemo fœminam det viro, antequam de mercede domino reddenda fidejuſſorem accipiat. Puella dicitur eſſe deſertum Regis & ob hoc Regis eſt de ea amachyr* (i. e. pretium virginitatis) *habere.* Quantum autem quælibet Sponſa ſolvere fuerit coacta, vide *Regiam Majeſtatem l.* 4. *c.* 31. ubi inter alias *Marcheta filiæ Comitis & Reginæ* 12. *vaccæ* &c. At in Anglia, tantum eos, qui obnoxiæ conditionis erant, non verò liberos homines, *Marchetum* ſpectâſſe, docet Bractonus *l.* 2. *c.* 8. aliique Auctores Car. du Freſne in *Gloſſario* laudati. Sed & ſcribit Dan. Papebrochius *ad Vitam S. Foranni Abb. Walciodor.* eam præſtationem, pro redemptione primæ noctis nuptiarum, à ſervis glebæ exigi etiamnum à prædiorum dominis, in Belgii, Friſiæ & Germaniæ aliquot tractibus. Ad quam conſuetudinem etiam referendum, quòd olim Ambianenſis Epiſcopus in Gallia, in ſuos diœceſanos jus ſibi competere aſſerebat, ut iis, qui noviter nuptias inierant, tribus primis noctibus, poſt celebrationem earum, unà cubare non liceret, niſi certâ pecuniæ ſummâ ei perſolutâ: quod quidem abrogatum Abbavillenſium petitione, Areſtô Parlamenti Pariſ. 19. Martii A. C. 1409. uti refert idem *Car. du Freſne* ubi *ſuprà.* Vide quoque Fletam *l.* 3. *c.* 13. §. 1. & infrà, in voce *Nox prima.*

MARCHIA, quæ & *Merchia* quibuſdam, *Merche*, provincia eſt parva Scotiæ Auſtralis, in confinio Angliæ, à qua ſeparatur Twedâ fluviô. Ejus præcipua urbs fuit Bervicum, nunc Angliæ contributa. Habet ad Ortum mare Germanicum, ad Septentrionem Lothianam, ad Occaſum Tuveoticam, & ad Auſtrum Northumbriam Angliæ provinciam.

MARCHIA, vulgò *la Marche*, quæ etiam *la Marche de Limoſin* dicitur, provinc. eſt Galliæ, in Aquitania, eſtque pars ſeptentrionalis Lemovicenſis provinciæ quibuſdam, quanquam revera provinciam ſeparatam faciat. Habet ad Boream Bituricenſem Ducatum, & ad Occaſum Pictavenſem. Dividitur in Superiorem, cujus caput Gueretum, *Gueret*, & Inferiorem, cujus caput eſt Oratorium, *le Dorat* vulgò.

MARCHIA, vulgò *die Marck* German. *la Mark* Gall. provinc. eſt Germaniæ, in Weſtphalia, ſub dominio Electoris Brandeburgici, cui obvenit ex hæreditate Juliacenſi. Ibi oppidum primarium Hamum, ad Luppiam fluv. A Septentrione terminatur ditione Monaſterienſi, ab Ortu Ducatu Weſtphaliæ, à Meridie & ab Occidente Montenſi Ducatu.

MARCHIA, vulgò *Marck*, caſtrum Germaniæ in Marchia provinc. unde regioni nomen, ad Luppiam fluv. & prope Hamum oppid. medium ferè inter Luppiam oppidum ad Ortum & Tremoniam ad Occaſum 5. leucis diſtans, in Weſtphalia.

MARCHIA Anconitana, quæ Piceni maxima pars, *la Marca d'Ancona*, provinc. eſt ampla ditionis Pontificiæ. Terminatur à Septentrione mari Adriaticô, ab Oriente Ducatu Urbinatenſi, ab Occidente Aprutiô ulteriori, â quo ſeparatur Truentô fluviô, & à Meridie dividitur ab Umbria monte Apenninô. Ejus urbs præcipua eſt Ancona, provinciæ caput.

MARCHIÆ ANCONITANÆ URBES PRÆCIPUÆ.

Æſis, *Jeſi.*	Camerinum, *Camerino.*
Ancona, *Ancona.*	Firmum, *Fermo.*
Aſculum, *Aſcoli.*	Lauretum, *Loreto.*
Auximum, *Oſimo.*	Macerata, *Macerata.*

MARCHIA Brandeburgica, *die Marck Brandeburg* German. *la Marck* ſeu *Marquiſat de Brandebourg* Gall. provinc. Germaniæ, ſub dominio Electoris Brandeburgici: Triplex eſt, nempe vetus Marchia, ſeu ſuperior ad Occaſum, vulgò *Alte Marck*, cujus præcipua Tangermunda; nova Marchia, *New Marck*, ad Ortum cujus caput Cuſtrinum, ad confluentes Wartæ in Oderam; & media Marchia, *Mittel-Marck*, quæ in medio duarum, & aliis major, cujus primaria Berlinum, ad Spreham fluvium, ubi Electoris ſedes. Tota autem Marchia eſt in Saxonia ſuperiori, ab Ortu in Occaſum extenſa, inter Pomeraniam & Ducatum Megalopolitanum ad Boream, & Saxoniæ Ducatum Luſatiamque ad Auſtrum.

MARCHIÆ BRANDEBURGICÆ URBES.

Berlinum, *Berlin.*	Havelberga, *Havelberg.*
Brandeburgum, *Brandeburg.*	Lanſperga, *Landſperg.*
Cuſtrinum, *Cuſtrin.*	Lebuſia, *Lebbuſſ.*
Drieſa, *Drieſen.*	Rupinum, *Rupin.*
Francofurtum ad Oderam, *Francfurt an der Oder.*	Ratenovia, *Ratenow.*
	Spandavia, *Spandaw.*
Gardelebia, *Gardeleben.*	Stendela, *Stendel.*
Tangermunda, *Tangermund.*	

MARCHIA Tarviſina, *la Marca Trevigiana*, provinc. eſt ampla Italiæ, ſub dominio Reipublicæ Venetæ, alias amplior, nunc autem continet territoria Tarviſinum, Cadorinum, Bellunenſe, & Feltrinum, inter provinciam Foro-Julii ad Ortum & territoria Vicentinum & Tridentinum ad Occaſum. Ejus primaria urbs eſt Tarviſium.

MARCHIA Venedorum German. *Wendiſche Marck* regio Croatiæ contermina, olim ad Sclavoniam ſpectâſſe videtur, Phil. Cluverius *Introduct. Geogr. l.* 3. *c.* 12. §. 2. Tob. Pfannerus de *præcipuis Germaniæ Principum gentibus*, *c.* 1. ubi de Gentis *Auſtriacæ titulis*, & Phil. Jac. Spenerus *Arte Herald. Parte Spec.*

MARCHINA Martha, vide *Martha.*

MARCHIO, originariâ ſignificatione, alius non eſt, quàm Comes limitaneus, ſeu limitibus regionis cujuſdam præfectus. *Marck* enim limitem Germanis denotat. Unde in vita Ludovici Pii à Pithœo tales *Finium cuſtodes* dicuntur. Hodie varii Imperii Principes, licèt limitum nunc defenſores non ſint, ex veteri tamen conſuetudine nomen retinent. Horum complures olim, Vide Goldaſtum *in corpore membr. Imp. Germ. tom.* 1. *Conſtit. Imp. p.* 17. Hodie præcipui ſunt Brandenburgenſis, quem omnium primum Marchionem eſſe docet Munſterus *p.* 904. Miſnenſis, Badenſis & Moraviæ. Reliqui minorum ſunt gentium, ut Hochbergenſis & Rötelenſis, quos hodie Marchiones Badenſes repræſentant. Marchio Burgoviæ, cujus dignitatis vices Auſtriaci nunc gerunt: Marchio Nummeniæ & Pontamuſſoni, cujus vices Lotharingus ſubit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 2. *c.* 15. ex quo unum hoc adjiciam: Marchionatum Miſniæ, inſtitutum eſſe ab Henrico Aucupe Imperatore A. C. 931. contra Milzenos, uti Ditmarus Vandalos vocat: an ad reprimendas excurſiones Hungarorum & Sarmatarum, ut voluit Beutherus *in geneal*, an contra Bohemos, ut ſentit Philippus *in Chron.* Brandeburgicum contra Henetos: Landsbergicum contra Sorabos: Luſatum contra Polonos & Sileſios; Sleſvicenſem contra Danos: Antverpiæ tandem Marchionatum à Dieterico I. Galliæ Rege initium habuiſſe: quemadmodum Auſtriæ & Stiriæ à Carolo M. contra Hungaros, conſtitutus eſt. Apud Scriptores mediæ ætatis etiam vox *Margravii* in uſu eſt, ſeu *Mergravii*, ex *Mera*, i. e. Major, & *Grave*, diſtinguit tamen voces has *Mergrave* & *Margrave*, ex Ll. Ed. Conf. *c.* 35. ubi habetur: *Teutonici etiam & Friſones, & Flandrenſes Comites ſuos* Mergreve, *quaſi Majores dominos vel bonos pacificos vocare ſolent*, Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

MARCHIOFINNI, populi Scandiæ fuêre, verſus Rubeam promontorium, ubi nunc Lapponia Norwegica ſeu Præfectura Wardhuſia, in parte Borealiori Norvegiæ, & tractus Finmarchia.

MARCHPURGUM, urbs Stiriæ metropolitana ad Dravi fluv. ſiniſtram ripam. *Metel. Marciana caſtra Amm. Marcellin.* 4. leuc. à Pætovio in Occaſum Vide *Marciana caſtra.*

MARCHUBII, Africæ propriæ populi Plin. *l.* 5. *c.* 4. qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Malchulii Ptol. populi Mauritaniæ Cæſarienſis.

MARCI, *Notitiæ Imper.* memorati, cùm ait: Sub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Belgicæ *Equites Delmatæ Marcis in littore Saxonico: Cluverio* ſunt, ubi hodie *Marquiſe*, paulo ſupra portum, Amblitolium. *Valeſio* potius ubi *Merq*, locus maritimus, inter Caleſium & Gravenengas, à quo agro circumjacenti nomen. Dicitur enim *la terre de Merq*, vel *le pays de Merq*, i. e. ager paguſque Marcenſis. Marcos Lambertus Ardenſis Eccleſiæ Presbyter *in Hiſt. MS. Comitum Giſnenſium, ante ann.* 460. *compoſitâ*, vocat *Mercuriticum territorium.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARCI Villa, olim, poſtea *Marvillâ* dicta, vulgo *Marville*, Poſitio eſt & Præpoſitura Belgii, in Ducatu Luciliburgenſi, ad rivum vel amniculum Veſinum *Vezin* ſita, quem Chares defert in Moſam, infrà Duciacum, inter Moſomagum atque Sedanum, *Merville* verò *Miraniacum* eſt, vide in *hac voce* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARCIA, concubina Commodi Imperatoris cæde ipſius notiſſima, cujus meminit Lamprid. in *Commodo c.* 8. & Herodianus *in eod. l.* 1. *c.* 17. Dioni dicitur *Μαρκία ἡ τῦ Κυαδράτυ παλλακὴ*, Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.* Vide in *Martia*. item in voce *Amazonia.*

MARCIA Otacilia Severa, Auguſti Philippi Severi uxor, celebratur in multis nummis antiquis. Eam Religionis Chriſtianæ ſacris imbutam fuiſſe, plerique autumant, quô factum, ut Philippum quoque, uxoris gratiâ, æquiorem piis, palàm Chriſtianum fuiſſe, Euſebius aliique multi ſcripſerint; Caſaubon. *Not. ad Hiſtoriam Aug.*

MARCIA Proba, Regina Britonum, uxor Guithelini, prudentiâ illuſtris. Mortuô maritô, ornando regno, & educando Siſillo, filio unico, intenta: *leges Martianas* promulgavit, à Gilda Sapiente Latinè, Alfredo Rege verò Saxonicè verſas. Polydorus Virg. Ducheſnius, &c. *Hiſt. Angl.* Pitſeus *de Script. Angl. p.* 66. Vide *Martia Proba.*

MARCIA, oppid. Bæticæ eſſe, in Vandalitia clarum, quod hodiè *Marchena* dicitur, ex antiquis ejus loci marmoreis inſcriptionibus docet *Car Cluſius*: inter Hiſpalim 8. & Urſolem 4. leuc. ab Aſtigi. 6. in Notolybicum.

MARCIA Lex, à Marcio Cenſorino lata eſt. *Ne cui bis Cenſuram gerere liceret*, vide Plut. *in Coriolano*: Alia à L. Marcio Philippo Tribuno Plebis Gracchanæ ſimilis, vide Cicer. *in Offic.* quam tamen ipſe facilè antiquari paſſus eſt. Alia à Q. Marcio C. Atinio Tribunis Plebis an. Urb. Cond. 557. lata ad populum: *Vellent, juberentne cum Rege Philippo pacem eſſe*, Liv. *l.* 33.

MARCIANA Caſtra, *Ammiano*, *Marburg Lazio*, oppid. Stiriæ, in Pannonia ſuperiore ad Savum fluv. à Pætovio 4. in Occaſum leuc. inter Celejam 8. & Græcium in Boream 6.

MARCIANÆ, vulgò MARCHIENES, locus Flandriæ, non procul ab oppid. Duaco, ad Scarpam fluv. in diœceſi Atrebatenſi: Ubi Monaſterium ab Amando Antiſtite Senonenſi extructum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARCIANI Sodales, qui Divi Marci Imperatoris ſacra curabant, memorantur Capitolino in *Pertinace*; *c.* 15. ubi propter A. Helvium Pertinacem *Helvianos* poſtmodum dictos eſſe additur.

MARCIANOPOLIS, Mœſiæ ſeu Bulgariæ urbs, vulgò *Breslaw*, inter Odiſſam & Anchialam à Marciana Trajani ſorore. Olim Epiſcopalis. Vide *Amm. Marcellin. Jornand.* Trebell. Pollio *in Claudio II.* Marmarii ibi Præſulis maximè Orthodoxi, meminit *L. de fide Cath. Cod. Theod. Zoſimo Μαρκιανῦ πόλις*, ubi pugnatum feliciter ſub Claudio II. Pollio in *Claudio. c.* 9. Vide & *Martianopolis.*

MARCIANUS, vel MARTIANUS, Imperator Orientis. Natus in Illyrico, humili locô, ex patre milite, prælió contra Genſericum Vandalorum Regem in Africa infelicibus Aſparis Ducis auſpiciis commiſſô, captus eſt: Quem cum Rex quieſcentem ſub dio ab Aquila, ne Solis æſtus ei officeret, protectum animadvertiſſet. A. C. 431. mox liberum remiſit Conſtantinopolim, poſtquam ab ipſo pacem cum Vandalis æternam ſtipulatus eſſet. Sic Fatis oſtenſus, poſt Theodoſii Junioris obitum à Pulcheria hujus ſorore, in Imperii thorique ſocietatem receptus eſt, eâ tamen lege, *ne ipſam annis jam gravem attingeret*, A. C. 450. die 29. Jul. vel juxta *Chronicon* Alexandrinum die 26. Aug. Triduô poſt, Edictô contra Hæreticos promulgatô, Epiſcopos Pſeudo-Synodô Epheſinâ depoſitos aut in exilium ejectos revocavit. Chalcedone dein Concilium Oecumenicum IV. ſexcentorum triginta Præſulum convocavit, ipſique cum Pulcheria Auguſta præfuit: *Nos*, inquiens, *ad confirmandam fidem, non ad oſtendendam potentiam, Conſtantini Imperatoris pii exemplô, intereſſe Synodo voluimus, ut inventâ veritate diſſidia tollantur.* In eo igitur doctrina priorum Conciliorum confirmata, Eutychianiſmus cum Auctore, ut & Dioſcorus, damnatus, ac decretum eſt: *Mariam non tantùm* Chriſtiparam, *ſed &* Deiparam *nominandam eſſe.* Clericis autem Monachiſque interdictum, ne ſeculares cauſas ſuſciperent, aut in duabus Eccleſiis miniſtrarent. Porrò in gratiam Flaviani occiſi, cui Anatolius ſucceſſerat, ſedes Urbis Antiochenæ ac Alexandrinæ prælata eſt: Cui cùm Leo Epiſcopus Romanus contradiceret, qui tamen reliqua omnia approbaverat, ortum inde de titulo *Univerſalis* infelix certamen eſt. Interim Imperator cum Perſis Vandaliſque pacem continuavit: Nobades Blemyaſque Æthiopiâ prolapſos per Florum repreſſit: Valentiniano Imperatori Occidentis auxilia ſummiſit contra Attilam, cujus, filiæ ſuæ Placidiæ conjugium affectantis, primò arcum per quietem fractum vidit, mox mortuum eſſe audivit, A. C. 454. Obiit A. C. 457. die 26. Jan. ætat. annô 64. Princeps morum ſanctitate, Orthodoxiæ zelô, charitate in pauperes, regiminis felicitate, paciſque ſtudiô inclytus: Unde vox ejus: *Donec in pace vivere licet, non decet Principem arma ſumere.* Vide Marcellinum *Chron.* Evagrium *l.* 2. Nicephorum *l.* 14. Jornandem *c.* 49. Zonaram *tomô* 3. Procopium, Joh. Lætum *Comp. Hiſtor. Univ.* &c. ut & infrà in voce *Martianus.* Servat Imperatoris hujus memoriam hodieque columna ex marmore Conſtantinopoli, 15. circiter pedes alta, in cujus apice imaginem ejus olim Statuamque ſtetiſſe, ex baſeos inſcriptione colligitur, quæ ſic habet:

PRINCIPIS HANC STATUAM MARCIANI
CERNE TORUMQUE
* ER EJUS VOVIT QUOD TATIANUS
OPUS.

Ubi quòd *tori* quoque ejus mentio fiat, ibi cor Imperatoris repoſitum, ſub ipſa verò pyramide corpus ſitum eſſe, conjicit Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part I. p.* 225. ubi columnæ hujus, Petro Gyllio præteritæ, iconem exhibet.

MARCIANUS, Dux Gallieni, quem contra Gothos pugnâſſe, in Achaja, refert Treb. Pollio *in Gallienis c.* 13. & *Zoſimus*, qui ei a Gallieno, contra Poſthumum profecturo, belli Scythici vel Gothici ſummam fuiſſe demandatam, his verbis refert, *Συνταραχθεὶς δὲ πρὸς τῦτο παραχρῆμα τ' ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ὁδῦ εἴχετο τὴν ϛρατηγίαν. τῦ πρὸς Σκύθας πολέμυ Μαρκιανῷ παραδὺς ἀνδρὶ τὰ πολέμια σφόδρα ἐξησκημένῳ.*

MARCIANUS, Heracleota Geographiam conſcripſit, cujus ſæpe meminit Steph. *de urbibus.* Alius fuit Smyrnæus, qui de ſimplicibus effectibus egit. *Plin.*

MARCII, hæc gens cum T. Tatio ex Sabinis cùm veniſſet, in Patricias allecta eſt. Fuerunt etiam aliquot gentis Marciæ familiæ plebejæ, his cognominibus diſtinctæ: Rutilus, Philippus, Thermus, Cenſorinus, Tremulus, Figulus, Rex & Ralla. Nam Coriolanus gentis Patriciæ cognomen fuit. Adepta eſt Romæ Marcia gens plebeja Dictaturas, Conſulatus, Cenſuraſque multas & triumphos maximos egit.

MARCILIANUS, locus ſuburbanus Conſilinatis urbis in Magna Græcia, ubi conventus eſt frequentiſſimus totius Lucaniæ: Leucoreæ quoque priſcâ ſuperſtitione nomen accepit, uti ſcribit Caſſiodorus *lib. Var. octavô ad Severum*, ubi hunc locum eleganter deſcribit.

MARCINA, inter Sirenuſas, & Poſidoniam, urbs in Italiâ. *Strabo Τυῤῥηνῶν κτίσμα* vocat.

MARCION, Hæreſiarcha Sinopenſis, *Ponticus* ſæpè dictus, quòd patria ejus olim ad Pontum pertineret, Stoicos primò ſequutus, dein ſeceſſum & paupertatem ſpontaneam amplexus eſt ſed vitii puellæ illati convictus, à Patre Epiſcopo Eccleſiâ pulſus, Romam pervenit: mox, de receptione in fidelium ſinum deſperans, ad Cerdonem ſe applicuit, illiuſque inſtitutione aliquandiu uſus, præceptoris erroribus nova deliria ſuperaddere ſibi in animum induxit. Cum Cerdone errore ex Gentiliſmo hauſtô, duos fabulatus eſt Deos; malum, Mundi ac Legis, & bonum, Euangelii & Redemptionis auctorem. Jeſum Chriſtum ſe eſſe, ad legem abolendam miſſum, blaſphemè docuit. Origenes illum 3. Deos ſtatuiſſe narrat, Judæorum unum, Chriſtianorum alterum, tertium infidelium. Tertullianus novem numerat, & exactiùs illius dogmata exequitur, *de Præſcr. & in Marcion.* Errorum reliquorum præcipui hi: Negavit reſurrectionem mortuorum, damnavit conjugium, tres baptiſmos inſtituit, vivos pro mortuis baptizari juſſit, Sacramenta à fœminis adminiſtrari voluit, &c. Hujus diſcipuli, *Marcionitæ*, nova commenta inſuper excogitarunt. Vide Iren. *l.* 1. *&* 3. Epiphan. *hær.* 42. Auguſtin. *hær.* 22. Origen. *dial. Mont. &c.* Theodoret. *l.* 2. *hær. fab.* Philaſtr. *de hær. c.* 40. Semel obambulans Romæ Marcion, cùm in S. Polycarpum incidiſſet, illumque interrogaret, annon ſe noſſet, reſponſi locô tulit, *Omnino novi te, primogenitum Satanæ.* Contra Marcionitas edicta publicavit Conſtantinus M. A. C. 326. decem millia illorum convertiſſe ſe A. C. 423. ſcribit Theodoretus Tyri Epiſc. *ep.* 146. Vide ulterius Euſeb. *l.* 3. *vitæ Conſt.* L. 1. Cod. Theodoſ. *de hæres.* Georg. Hornium *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſt. cum Notis & Obſervationibus* M. Leydeckeri, ubi inter alia Marcionem & Cerdonem, quòd *carnem Chriſti quidem admitterent, ſed cœlô delatam, non ex matre Virgine natam*, vocat *Anabaptiſtarum Patriarchas.*

MARCITÆ, Hæretici, memorati Irenæo, *adv. Hær. Valentini l.* 1. ſemetipſos vocabant perfectos, & libere omnia agebant, nullum ulla in re timorem habentes, *c.* 9. quam Simonis Magi doctrinam fuiſſe, idem ait *c.* 20. Vide in voce *Marcus Hær.* & infrà, ubi de *Simone Mago.*

MARCIUM, mons Latii circa Lanuvium, Româ 200. ſtad. *Diodor. Plut.*

MARCIUS Sabinus, prænomine *Marcus*, à quo Marcia gens, Numæ Comes, dum Romam commigravit, ab eodem in Senatum lectus & à Tullo Hoſtilio Rege tertio de regno contendens victus, mortem ſibi conſcivit. Hujus fil. *Numa Marcius* Numæ gener, primus Pontifex M. ab eo factus, à Tullo rege urbi Præfectus eſt.

MARCIUS Saltus, Liguriæ, apud Apuam, ubi Q. Marcius à Liguribus circumventus. *Liv.*

MARCLIDAS, latro inſignis in ſylvâ Dodoneâ. *Tortellius.*

MARCODAVA; Daciæ oppid. *Ptol. Marcozech Lazio*, in Moldavia: à Succidava, Principis ſede, 8. leuc. in Euronotum.

MARCODURUM, Vibiorum vicus. Tacit. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 28. *Duren* hodie, Juliacenſis ducatûs urbs *Rhenano* ac *Divæo*, inter Coloniam & Aquiſgranum 5. leuc. Ad Ruram fluv. non procul. ab urbe Juliaco. Hic frequentes olim Francorum Conventus ac Synodi (*Marcomagum* quoque in veteribus Itinerariis Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque B. Rhenanum Rer. Germanic. *l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti. *p.* 632.

MAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARCOLICA, nobilis Hiſpania urbs, *Livio.*

MARCOMAGUS, ſeu *um*, Germaniæ inferioris vicus inter Treviros, & Coloniam Agrippinam. *Antonin. Baudrando* oppidulum fuit Ubiorum, ubi nunc caſtrum *Steinfeld*, prope fontes Ruræ fluv. in Eiffalia provinc. Vix 2. leuc. ac Arenberga in Occaſum inter Tolbiacum ad Arctos & Egorigium in Auſtrum, ſeu inter ditiones Juliacenſem & Trevirenſem.

MARCOMANNA Vallis, Helvetiis finitima, Sequanis proxima & monti Juræ: unde fortè dicti *Marcomanni*: Certè Marcomannis Helvetios facit ὁμόρους καὶ ὁμοφύλους, Cæſar apud Dion. *l.* 38. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov.*

MARCOMANNI, Germaniæ populi Hercyniæ ſylvæ accolæ, qui hodie *Moravi* dicuntur. Hi Arioviſtô duce Rhenum tranſgreſſi magnâ ſuorum ſtrage à Cæſare ſuperati fuêre. *Mercher* veteribus, hodie *Mercher*, idque à Marcâ, hoc eſt, limite; eò quòd fluvius inde nomen trahens Pannonios à Noricis ſeparat. *Ptol.* eos, apud Gabritam, Germaniæ ſylvam, ponit ultra Danubium ac è regione Pannoniæ ſuperioris. Vitioſè à *Silio* vocantur *Marcomani. Cluver.* intra Rhenum, Danubium & Nicrum illos locat, unde in Bohemiam, cum Saduſianis & Harudis tranſgreſſi. Contra Romanos ſæpe rebelles, inprimis ſub Marco Antonino tumultuati ſunt. Vide *Dion. Vellejum. Jul. Capitolin* Converſi ſunt ab Ambroſio A. C. 396. Claudian. *de laud. Stiliconis l.* 1.

> *Marcomanes ſenſuque docet: quorum alter Hetruſcum*
> *Pertulit exilium.*

Ubi tamen alii *Marcomeres Sonnoque* legunt, ut ſint nomina virorum propria. Eoſdem Stat. *l.* 3. *Sylv. carm.* 3. *Marcomades* vocat:

> *Quæ modò Marcomades, poſt horrida bella, vagoſque*
> *Sauromatas.*

Sanſoni, *Brietio*, ubi Bohemia propria hodie. Horum regia ſuit Marobodum. Cœterum, *de migratione eorum cum Quadis in Valeriam, de Marcomannis ſive Suevis & Gothonibus, inter Marum & Cuſum fluv. de eorundem expeditione in Italiam, it. in Noricum & Rhetiam II. cum Nariſcis & Hermunduris*, B. Rhenanus pluribus agit *Rerum Germ. l.* 1. *paſſim*, ad quem *Notas* vide Cl. Ottonis JCti.

MARCOMIRUS, Francorum Sicamborum Rex, primus in Galliam impetum fecit, eamque ad Moſam uſque ſubegit. Is verò circa A. C. 418. Rex Francorum electus eſt, cui intra annum defuncto ſucceſſit Pharamundus; qui proin ſecundus fuerit, prærogativâ potiori jure priori debitâ, ſecundum *Hornium.* Sumſêre autem *Francorum* nomen, cujus prima mentio in Probi Imperatoris tempora incidit, hominesque *liberos* ſignificat, varii tum populi, qui à Romanis hactenus oppreſſi, declinante Imperiô, ſeſe conſpiratione factâ, in libertatem vindicaverant, intra Caracallæ ac Probi prædicti Imperatorum ætatem; fuerêque Chamavi, Uſipii, Tencteri, Dulgubini, Bructeri, Antibarii, Catti, Cheruſci, Chauci ac Chaſſuarii, ut ex tabula Itineraria ac aliis Scriptoribus mediæ ætatis patet. Ita prima Francia, cui *Marcomirus* imperitabat, complectebatur majorem Germaniæ partem, terminique ejus ad Septentrionem fuêre Oceanus; ad Ortum, Albis & Sala; ad Meridiem, Alemannia; ad Occaſum Rhenus. Unde ratio reddi poteſt, cur Galli hodieque omnes Germanos *Alemannos* appellent; quia videl. antiquis temporibus in Franciam & Alemanniam univerſa dividebatur. Pharamundi ſucceſſor Clodio cognomine *Comatus* fuit, in caſtro Thuringiæ Disberga ſedem ſuam habens, ſub quo Franci, in Galliam Belgicam irruptione factâ, Cameracum, Atrebates & reliqua uſque ad Somam, Romanis eripuerunt, ſed ab Aëtio & Majorano Ducibus Romanis iterum ejecti, antiquas in Germania ſedes repetierunt. Donec Merovæus, Merovingorum, qui ab A. C. 450. uſque ad annum 750. apud Francos regnârunt, conditor, trajectô Rhenô, ſedes cum ſuis Francis, ad Axonam fluv. poſuit, vide *infrà*, & plura hanc in rem, apud Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 110. *& ſeqq.*

MARCOMIRUS, nomen quinque veterum Galliæ, ante Pharamundum, Regum, apud Trithem. *tract. de origine Francorum*, qui cordatioribus fabulis refertus videtur. Stilico *Marcomiro* & Sunnoni principibus Gallis, bellô illatô, illum in Tuſciam exulatum miſit, dum hic à ſuis interfectus eſt. Claudian. *l.* 1. *de laud. Stiliconis.* ut quidam legunt:

> *Marcomer, Sunnoque docet, quorum alter Etruſcum*
> *Pertulit exilium, cùm ſe promitteret alter*
> *Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.*

MARCSULA, locus Saxoniæ, ubi Johannes Georgius, fil. tertiògenitus Wilhelmi Ducis Vinarienſis, ex Eleonora Dorothea Anhaltina, natus A. C. 1634. ſedem ſuam habuit, poſtquàm Johanni Erneſto natu maximo fratri Vinaria, ſecundo Adolfo Wilhelmo Iſenacum ceſſit. Nec mutavit hactenus, licet poſt fratris mortem Iſenacenſem ſucceſſionem ſortitus: quamvis nonnunquam in *Altenkirchen* quoque moretur, locô ditionis Witgenſteniæ, utpote maritus Johannæ, Erneſti Comitis Sayno-Witgenſtenii filiæ, Johannis Landgravii Haſſiæ viduæ, & Comitatus Saynii cum ſorore Manderſcheidia hæredis, quæ ambæ, adverſùs Patruos; Comitatum obtinuêre. Suſcepit autem Joh. hic Georgius, ex uxore ſua, Eleonoram Erdmuthim Luiſam, A. C. 1662. Fridericum Auguſtum 1663. Johannem Georgium 1665. Maximilianum Henricum & Johannem Wilhelmum gemellos, A. C. 1666. (quorum is obiit A. C. 1668.) Luiſam 1668. (denatam 1669.) Fridericam Eliſabetham, 1669. & Erneſtum Guſtavum (natum ac denatum A. C. 1672.) omnes, *Duces Saxoniæ lineæ Vinarienſis in Eiſenach* vel *Marcſul* vel *Altenkirchen*, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part, III, p.* 83.

MARCULFUS, Monachus A. C. 660. libros 2. Formularum ſcripſit: quorum alter *Chartas regales*, alter *Chartas pagenſes* continet. Hoc opus multum lucis affert hiſtoriæ Regum Gall. primæ ſtirpis. Edidit Hier. Bignonius, A. C. 1613. cum eruditiſſimis notis. Ducheſnius *Bibl. Hiſt. Gall.* Molanus *in indic. SS. Belgii.* Morerius *Diction. Hiſt.*

MARCULUS, à Cinyra inventus, Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Tegulas invenit Cinyra Agriopæ filius & metalla æris --- Item forcipem;* marculum, *vectem, incudem.* Ubi alii *Martulum*, alii *Sarculum* legunt. Vide Dalechampium *ad loc. cit.* uti de *Marculis*, quibus appenſis januæ pulſari olim ſolitæ, *ſuprà* voce *Fores*; item *Janua.*

D. MARCUS Euangeliſta, Petri diſcipulus, fidem annuntiavit, in Libya, Thebaïde, Pentapoli, Marmarica, & tota ferme Ægypto, ubi Eccleſiam Alexandrinam fundâſſe dicitur. Scripſit Græcè Euangelium, quod epitome ferme eſt Evangelii S. Matthæi. Hieron. *c.* 8. *Cat.* Auguſtin. Chryſoſt. circa A. C. 43. Martyriô coronatus, A. C. 62. obiit. Euſeb. *Hiſt. l.* 2. *c.* 15. 16. *in Chron.* Corpus ejus Alexandriâ Venetias tranſlatum, A. C. 831. refert *Sabellicus*, ad minimum firmiter id, in inclyta hac urbe, quæ Euangeliſtæ hujus patrocinio ſe totam commiſit, creditur. In Ejus *Euangelium*, extant: Brentii *Comm.* Bucerus. Chryſoſtomi *Harmonia.* Cyrilli *Fragmentum Comm.* Danæi *Quæſtiones & Scholia.* in octav. Genevæ A. C. 1594. de Dieu *Animadverſiones.* de la Fuente *Comm.* fol. Compluti A. C. 1582. Gerſonis *Lectiones* 2. Gualterus. Hegendorphii *Annotationes* in 8 Hagenoæ, A. C. 1533. Hofmeiſteri *Comm.* 8°. Pariſiis A. C. 1563. Junii *Expoſitio.* Lightfooti *Horæ Hebr.* in quart. Londini A. C. 1663. Myconii *Expoſitio*, Baſileæ A. C. 1538. del Paz *Commentaria*, Tom. 2. fol. Venetiis A. C. 1628. Petteri *Expoſitio*, Angl. 2. Vol. fol. A. C. 1662. Soarezii *Homiliæ*; fol. Conimbricæ, A. C. 1579. Socolovii *Notæ*: inter Opera. Stephani *Nova Gloſſa*, fol. A. C. 1553. Victor *in Marcum* Græc. octav. Ingolſtadii, &c. Winckelmanni *Commentar.* 8°. Gieſſæ A. C. 1612. Zuccoli *Homiliæ* 4°. Venet A. C. 1606. &c. Vide Crowæi *Elench. Scriptorum.*

MARCUS, Britanniæ tyrannus, à Legionibus Romanis electus, A. C. 307. Item. fil. Baſilidis, à Fatre Cæſar dictus. Item dictus Cyriades, Syrus, Saporis nixus opibus, Antiochiam, Cæſaream & Tarſum occupavit; à ſuis, appropinquante Valerianó, occiſus.

MARCUS, Catanenſium tyrannus, fecit cum Timoleonte ſocietatem, Olymp. 109. an. 1.

MARCUS, Judææ Præfectus. A. C. 14.

D. MARCUS, D. Pauli diſcipulus, primum Bavaris Euangelium annunciavit. *Joh. Aventin.* ſcripſit, ſe legiſſe in Bibliotheca Patavienſi, quòd hic Marcus Laureaci, & per aſcenſum Danubii, Chriſtum prædicaverit.

MARCUS, Epiſcopus Romanus poſt Sylveſtrem I. A. C. 336. Obiit menſe 8. die 22. Succeſſit Julius I. Item Epiſcopus Alexandriæ, A. C. 144. cui Celadion ſucceſſit, A. C. 154. Euſeb. *Hiſt. l.* 4. *c.* 10. *&* 19. *& in Chron.* Vide infrà. Item Epiſcopus Hieroſolymitanus primus ex gente peregrina, ceſſante perſecutione electus A. C. 138. Succeſſorem habuit Publium, A. C. 157. Idem *Hiſt. l.* 4. *c.* 6. *& in Chron.* Ado *in Chron.* Item Eremita, dictus *Aſceticus.* An idem cum eo, cujus Palladius *in Hiſt. Lauſ.* meminit, qui utrumque Teſtamentum memoriter perfectè tenuit: An cum illo, qui Leonem Imperatorem ſanavit, A. C. 900. quique ipſi decem adhuc annos vitæ prædixit? Ut *Joh. Curopalates*, *Cedrenus* & *Zonaras* volunt. Certè 9. tractatuum auctor fuit, qui in Bibliotheca Patrum. *Photius* inſuper, contra Melchedecianos, librum ipſi tribuit. Chryſoſtomi & Nili tempore vixiſſe dicitur.

MARCUS, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, Eumenidis ſucceſſor. Euſeb. *l.* 4. *c.* 11. *A. C.* 147.

MARCUS, unus ex primariis Arianiſmi propugnatoribus, Epiſcop. Arethuſæ, Confeſſionem fidei, à Conciliô Sirmienſi ſibi injunctam, condidit, ſed quæ nihil orthodoxi contineret: Alibique Arianorum errores tutatus, Julianum ſub initium Imperii Conſtantini incolumem præſtitit: poſteà magnificô Idolejô deſtructô, cùm illud ſuis ſumtibus reædificare ab Apoſtata juberetur, id renuens. exquiſitiſſimis ſuppliciis excarnificatus eſt. Vide Greg. Nazianz. *Or. I. in Jul.* Sozomen. *l.* 4. *&* 5. *Socr. l.* 2. Baron. *in Annal.* qui ejus ſub vitæ finem converſionem probabilem reddunt.

MARCUS, Eremita, cui occaſioni converſionis, commiſſum homicidium fuit. Nam cùm puer eſſet, & oves paſceret circa Marejam paludem ludens, quendam coætaneum interfecit, & metuens fugit in ſolitudinem. Qui cùm tribus annis ſub dio moraretur, poſtea parvum hoſpitium fecit ſibi, in quo annis 25. moratus eſt. Fuit valdè manſuetus, ſapiens, memoriâque Scripturarum ſacrarum clariſſimus, Deoque tam amabilis, ut cùm Dominicum corpus accederet, Angelus ei ſacramenta præberet, cujus manum uſque ad juncturam brachii tantummodo ſe dicebat aſpicere. Sozom. *l.* 8. *c.* 1.

MARCUS, Diaconus Eccleſiæ Gazenſis, à Porphyrio Epiſcopo miſſus A. C. 398. ad Arcadium, ut templum Marnæ, quò Idololatræ conſultum accedere ſolebant, deſtrui peteret, à Joh. Chryſoſtomo inſigniter eſt adjutus. Item, Epiſcopus Epheſinus, Florentino Concilio interfuit, Latiniſque acriter obnixus, illos hæreticos vocavit, quòd in ſymbolo ſuo adderent, *Filioque.* Obiit A. C. 1440. Conſtantinopolim redux. Item Monachus montis Caſſini, vitam Benedicti à Gregorio ſcriptam, carmine expreſſit. Sigebert. *c.* 33. quod ſub finem præteriti ſeculi in lucem prodiit.

MARCUS, Hæreticus, diſcipulorum Valentini peſſimus. Magicis artibus effecit, ut vinum in S. Calice ſanguis videretur, &c. Inprimis opulentis formâque eximiis fœminis ſeducendis intentus, ſub prætextu illas Gratiâ, cujus ſcaturiginem ſe eſſe blaſphemè jactabat, Spirituque ſanctô replendi, illis pro lubitu illuſit. Euſeb. *Hiſt. l.* 4. *c.* 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARCUS, Hæreticus, Memphi oriundus, Gnoſticorum errores per orbem circumtulit. In Galliam appulſus, plurimos habuit, impuritatum ſuarum aſſeclas, inde in Hiſpaniam delatus, fœminas complures, quarum princeps Agape, in ſuas partes pertraxit, cum Helvidio Rhetore, & Priſcilliano, capite Priſcillianiſtarum. Sulpic. Sev. *Hiſt. Sacræ l.* 2. Baron. *A. C.* 381.

MARCUS Acilius Avida, Conſul, an. Urb. Cond. 806. lege *Aviola.*

MARCUS Acilius Balbus, Conſul. an. Urb. Cond. 604.

MARCUS Acilius Balbus, Conſul, an. Urb. Cond. 640.

MARCUS Ælius Antoninus Philoſophus, & L. Ælius Commodus Verus Divi Fil. AA. 18 Roman. Imper. annô 19. Tum primum Romana Reſpubl. duobus æquô jure imperium adminiſtrantibus paruit. Eutrop. *l.* 8. Jul. Capitolin. *A. C.* 162.

MARCUS Æmilius, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 377.

MARCUS Æmilius Barbula, Conſul. an. Urb. Cond. 524.

MARCUS Æmilius Lepidus, Conſul an. Urb. Cond. 468.

MARCUS Æmilius Lepidus Porciana, an. Urb. Cond. 617.

MARCUS Æmilius Mamercus, 2. Tribun. Militum, an Urb. Cond. 355.

MARCUS Æmilius Mamercus, Conſul, an. Urb. Cond. 346. 5. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 380.

MARCUS Æmilius Paulus, Magiſter Equitum, Hetruſcos vicit, triumphum egit, an. Urb. Cond. 453.

MARCUS Æmilius Scaurus, Conſul, an. Urb. Cond. 639.

MARCUS Æmilius Scaurus Hortenſius, Conſul, an. Urb. Cond. 646

MARCUS Agrippa, in pedes dicitur ex utero matris egreſſus, unde nomen auſpicatus ſit, unicô felicitatis exemplô, quanquàm ille plurima ſit paſſus, duabus ſuſceptis Agrippinis, quibus C. Caligula & Nero principes totidem generis humani faces geniti ſunt. Hic gener fuit Auguſti, coronâque navali ab eo donari meruit bellô Actiacô, A. M. 3930. ante Chriſtum natum 32. de quo Virg. *l.* 8. *Æn.*

MARCUS Antoninus, vide *Marcus Aurelius Antoninus.*

MARCUS Antonius, Triumvir, fil. & nepos Antonii, qui, inſignis Orator, quod Sullæ partes eſſet amplexus, Cinnæ juſſu necatus eſt. Mater ejus Julia fuit, quæ, ex Julii Cæſaris familia, defunctô maritô, Lentulo nupſit, quem Cicero, quòd cum Catilina faceret, è medio ſuſtulit. Quæ funeſti forſan inter M. Antonium & Ciceronem diſſidii, prima ſcintilla fuit. In Græciam cùm juvenis tranſiiſſet, ſub Galinio meruit, eumque in Ægyptum & Judæam ſecutus eſt, munificus & animoſus, ſed ob vitia non parum bonis exoſus. Reverſus Romam, inde in Gallias abiit, ubi cùm Cæſaris gratiam ſibi conciliâſſet, eum contra Pompejum æmulum extimulavit, fidâ ipſi totô bellô civili operâ navatâ. Tandem collega Cæſaris in Conſulatu factus, feſtivô Lupercalium die huic diadema imponere conatus eſt: Occiſô poſtmodum illô, eôdem an 710. Urb. Cond. Senatum coëgit, induſiôque Cæſaris cruentô oſtenſô, concionem ad tumultum excitare contendit: quod cùm ad tyrannidem ſpectare videretur, arma ſumere coactus, Mutinam obſedit: Unde cùm nullâ ratione à Senatu ſe avocari pateretur, miſſus eſt ab hoc Octavius Cæſar, cum Panſa & Hirtio Conſulib. ut illi bellum inferrent: quô feliciter ſopitô, Triumviratus Marci Antonii, Octavii ſeu Auguſti, & Lepidi, plurimis egregiis civibus, Ciceronique inprimis tantopere funeſtus, exortus eſt. Annô ſequente, qui erat 712. Urb. Cond. junctus Auguſto, Brutum Caſſiumque devicit, dein cum eodem colliſus, mox ductâ Octaviâ arctius cum illo fœdus iniit. Hinc Lepidô neglectô, in Aſiam abiit, dum Auguſtus in Galliis rem gereret, ſed à Parthis malè mulctatus rediit ex Armeniâ in Ægyptum, ubi Cleopatræ artibus irretitus prolis uxoriſque oblitus eſt: quæ, hôc auditô, auxiliares ipſi adductura copias, ſimulque illum ab Ægyptica hac ſtrige abductura, advolavit. Sed ſiſtere ſe Athenis Romamque reverti juſſa eſt, quò brevi ſe rediturum promiſit maritus. Interea Cleopatræ ambitioni obſequens, Reges, quos vellet, illi prædæ expoſuit, captumque per proditionem an Urb. Cond. 720. Armeniæ Regem aureis catenis vinctum, Alexandriam in triumpho duxit. Poſt quæ hoſtis à Senatu judicatus, dum imperium Cleopatræ promittit, vincitur ab Auguſto ad Actium, an. 723. Urb. Cond. & Cleopatram è prælio fugientem ſequitur Alexandriam, vires reparaturus. Sed imminente, poſt anni decurſum, acrius Auguſtô, cum pellice, mortem ſumſit. Plut. *in vita ejus*, Sueton. *in Aug. Dio*, *Appian. Florus*, *Oroſ.* &c. *Nic. Loydius.*

MARCUS Antonius, Orator, avus prioris Nullam unquam Orationum ſuarum ſcripſit, ne, ut dicebat, arma porrigeret ſuam imperitiam arguere volentibus. M. Aquilium, jam condemnatum, defendit, nudatôque pectore ejus cicatricibus plenô, effecit, ut à Judicibus abſolveretur. Conſul, Cenſor, &c. juſſu Cinnæ, quòd Sullanas ſequeretur partes, necatus eſt. Cicer. *l.* 1. *de Orat.* 2. *in Verr. pro Cluent. &c.* Plut. *in Antonio.* Papir. Maſſon. *in elog.* Vide *Antonius.*

MARCUS Antonius Alcaimus, Medicus Siculus, de cujus ſcriptis, vide *van der Linden.*

MARCUS Antonius Antimachus, floruit Ferrariæ, A. C. 1544. Scripſit *de laudibus Græcæ liter.* &c. Geſner. *Biblioth.*

MARCUS Antonius Bavaria, JCtus ſcripſit in Inſtitutiones, &c.

MARCUS Antonius Blancus, Patavinus, JCtus ſcripſit *Practicam*, *ad legem Corn. de Sic.* &c.

MARCUS Antonius Caſanova, Comô oriundus, Poëta celebris. Scripſit Epigrammata, in quibus Catulli dulcedine relictâ, paulò aſperiorem Martialis Muſam imitatus eſt: Veterum etiam Romanornm heroum elogiis intentus. Compoſitô in Julium Mediceum, qui poſteà Clemens VII. dictus eſt, carmine, ut Pompejo Columnæ Cardinali placeret, veniam impetravit. Obiit A. C. 1526. quô Roma à Carolo V. capta eſt. Paulus Jov. *in Elog.* Bloſius Palladius ipſi hoc Epitaphium condidit.

Comenſis Caſanova, dum priores
Et duces canit, & canit poëtas,
Præcurtis Epigrammatis: perennem
Ac longam ſibi gloriam paravit.

MARCUS Antonius Coccius Sabellicus, Vico Varronis in Æquicolis, oriundus, fabri ferrarii fil. animum à teneris annis ad ſtudia applicuit, juventutis per pagos inſtitutione aliquantilllâ pecuniâ collectâ. Dein Pomponii Læti & Domitii Veronenſis diſciplinâ uſus, Romæ Venetiiſque, ubi humaniores literas profeſſus eſt, inter literatores inclytum nomen eſt adeptus: Scripſit *Hiſtoriam Enneadum*, à condito Mundo, uſque ad A. C. 1504. *De ſitu Venetiarum libros* 3. *Exemplorum libros* 10. *De Venetis Magiſtratibus librum* 1. *&c.* Obiit A. C. 1506. turpi morbô confectus ætat. 70. relictô filiô notho. P. Jov. *in elog. c.* 48. Leand. Albert. *deſcr. Ital.* Bembus *l.* 4. *ep.* 4. Phil. Bergomas, *l.* 16. *ſuppl. Chr.* Lud. Vives, *de tradendis diſcipl. l.* 5. Petr. Georg. Chalcedonius *in vita ejus.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 12. Pier. Valerian, *l.* 1. *de infel. Literat. p.* 28. Fecerat ſibi ipſi hoc epitaphium:

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,
Scribentem capit hæc Coccion urna brevis.

Aliud à Latomo eidem factum, idem ante laudatus *Jovius* refert.

MARCUS Antonius Columna, Cardinalis in prælio ad Naupactum, Pontificiis navibus præfuit: Pontifex futurus, niſi Hiſpani obſtitiſſent, Obiit A. C. 1597.

MARCUS Antonius Cucchus, ſcripſit *Inſtitutiones Juris Canonici*, Vide ſupra in voce *Cucckus.*

MARCUS Antonius de Dominis. Vide *Antonius.*

MARCUS Antonius Flaminius, Italus, in omni literarum genere ſcripta edidit.

MARCUS Antonius Genua Paſarinus, ſeu de Paſſeribus, Patavinus, Philoſophus celebris, fil. Nicolai, tradux familiæ, quæ Mutinenſi & Mantuanô olim imperiô defuncta, Genuam ſe receperat. Ab omnibus Italiæ Academiis certatim expetitus, munificentiam Reip. Venetæ ſingularem expertus eſt. Scripſit varia, præceptor Jac. Zabarellæ, Bernardini Tomitani, Speroni &c. Pater, ex Beatrice Sole, Nicolai, Paulæ, Helenæ, Lauræ & Caſſandræ, qui omnes eruditionis laude inclaruerunt. Obiit A. C. 1572. Jac. Philippus Thomaſinus, *in elog. illuſt. Vir. Patavinorum.*

MARCUS Antonius Gniphus, Gallus Grammaticus celebris ſub Auguſto.

MARCUS Antonius Maffeus, Cardinalis ſub Pio V.

MARCUS Antonius Majoragius, à loco natali, in Mediolanenſi ditione, cùm aliàs *Anton. Maria de Conte* vocaretur, dictus, ob quam nominis mutationem dicâ ei intentatâ, à Fabio Lupo, & Maximo Nigro, in Senatu Mediolan. facundè & feliciter ſe defendit; eloquentiæ laude inclytus fuit, ſeculô præteritô. Scripſit *Commentarios in Rhetoricam Ariſtotelis* & *Oratorem Ciceronis*, hujus quoque contra Cælium Calcagninum vindiciis editis, &c. Geſner. *in Biblioth.* vide & ſuprà *Majoragius.*

MARCUS Antonius Michaël, Venetus, Hiſtoricus magni nominis. A. C. 1516. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 12.

MARCUS Antonius Montiſianus, de S. Geminiano, Medicus Florentinus, ſcripſit *Quæſtiones Medicinales*, *&c.* A. C. 1555. Juſtus *in Chron. Med.* Geſner. *in Biblioth. van der Linden*, &c.

MARCUS Antonius Muretus, ex diœceſi Lemovicenſi, eruditorum ſui ſeculi facilè princeps, ſine præceptore, Latinè Græcéque doctiſſimus evaſit, Pariſiiis, in Collegio Cardinalis Monachi tertiam claſſem rexit, cùm Buchananus ſecundæ, Turnebus verò primæ præeſſet. Hinc, fortunam magis opimam ſectatus, in Italiam abiit, & Venetiis primò, dein Romæ in pretio habitus, Obiit A. C. 1585. ætat. 57. Scripta ejus varia ſuperſunt. *Scævola S. Marth. Juſtus Lipſius*, *Geſner. Scaliger*, Thuanus *in Hiſtor. &c.* Scripta ejus aliaque memorabilia, enarrat accuratè Anton. Teiſſier *in Elogiis p.* 2.

MARCUS Antonius Natta, Aſtenſis JCtus celebris. Scripſit *Conſiliorum libros* 3. *de Paſſione Domini libros* 7. *&c.*

MARCUS Antonius Peregrinus, Vincentinus, JCtus Reipubl. Venetæ à ſecretis: Juris ſuô tempore Oraculum, Decanus Juris Canonici in Univerſitate Patavina, poſt Barthol. Sylvaticum; Reipubl. partes, contra Paulum V. fortiter tutatus, obiit A. C. 1616. ætat. 86. Scripſit *de Jure Fiſci*, *libros* 8. *de Fideicommiſſis*, *&c.* Thomaſin. *in elog. ill. Vir. Patav.*

MARCUS Antonius Turrianus, Veronenſis, Medicus eximii patris fil. Poſtquam Patavii jam Ticinique magnam de ſe ſpem concitâſſet, febre abreptus, obiit, an. ætat. 36. ſeculi præteriti *Paul. Jovius.* Hoc ipſi Epitaphium Nicolaus Archius ſcripſit:

Ante annos ſciviſſe nocet, nam maxima virtus
Perſuaſit morti, ut crederet eſſe ſenem.

MARCUS Antonius Zimarus. Philoſophus. Scripſit innumera. A. C. 1523. Geſner. *in Biblioth.*

MARCUS Apulejus, Conſul, an. Urb. Cond. 204.

MARCUS Aquilius, Conſul, an. Urb. Cond. 625.

MARCUS Aquilius, Juris Conſultus egregius. Cicer. *pro Cæcina.*

MARCUS Aſinius Agrippa, Conſul, A. C. 26.

MARCUS Aſinius Marcellinus, Conſul, A. C. 53.

MARCUS Attilius Glabrio, Conſul, an. Urb. Cond. 563.

MARCUS Attilius Metilius Bradua, Conſul. A. C. 109.

MARCUS Attilius Regulus, vir Romanus, egregiâ virtute, primò Carthaginienſes pluribus præliis vicit, tandem tamen ab

iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

iis, duce Xanthippô Lacedæmoniô, captus, Romam miſſus eſt de captivis commutandis acturus, fide datâ, ſe, ſi nihil profeciſſet, rediturum. Cùm autem Romæ in Senatu ita egiſſet, ut cenſeret è Republ. non eſſe captivos commutandos, factumque eſſet in ejus ſententiam ſenatus conſultum, amicis omnibus invitiſſimis, ut fidem ſuam liberaret, ad Carthaginenſes rediit, ab iiſque eſt exquiſitiſſimis ſuppliciis interfectus. Cicer. *in Paradoxis & aliis locis.* Vide *Attilius.*

MARCUS Attilius Volſo, Conſul, cum M. Junio Bruto, an. Urb. Cond. 579.

MARCUS Aufidius Fronto, Conſul, cum P. Corn. Anulio, an. Urb. Cond. 951.

MARCUS Aurelius Antoninus Verus, cognomine Philoſophus, Imperator ſucceſſit ſocero Antonino Pio, A. C. 161. Luciô Æliô Verô, cui Lucillam filiam in uxorem dedit, in Imperii conſortium aſcitô. Tum primùm duo hi æquô jure, Imperium adminiſtrârunt. A principio vitæ tranquiliſſimus fuit, adeò ut in infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret: Vitâ, moribus & eruditione Philoſophus, tantæ admirationis fuit adhuc juvenis, ut cum ſucceſſorem paraverit Adrianus relinquere. adoptatô tamen Piô, generum eidem eſſe voluit, ut hôc ordine ad Imperium perveniret. Imperator maximâ ſolicitudine fovit ſubditos, nullo contra Chriſtianos quoque generali edictô publicatô, niſi quòd, dum Numam imitari cupiit, per varia Reſcripta anſam præbuit generali Perſecutioni quartæ. Peſtis famiſque tempore ſuorum egregiam geſſit curam, Barbaros rebelles coërcuit, de Parthis, cum Collega, qui ſub initium belli, de quo mox, fatô functus eſt, triumphavit. Bellum Marcomannicum, ſed quantum nullâ memoriâ fuit, adeò ut cum Punicis conferatur, ipſe geſſit, in quo, exercitui ſuo ſiti laboranti, fruſtra Gentilium Diis imploratis, Chriſtianorum precibus pluviam impetravit, hoſtibus contra fulminum fulgurumque terrore attonitis & in fugam conjectis: quod cùm Jul. Capitolin. *in vita Marci Anton.* hujus precibus, Dion verò *l.* 55. magicis cujuſdam Arnulphi artibus tribuiſſet, *Xiphilinus* tamen utrumque mendacii arguens, Legioni Chriſtianorum unicè vindicat, quæ prius *Melitina* dicta, hinc *Fulminatricis* adepta eſt nomen, cùm jam ſub Auguſto 12. legio eſſet vocata. Nec Tertullian. ſolùm *in apol. & adv. Scap. c.* 4. ſed & ex Paganis *Apollinaris* idem commemorat. Imperator ipſe datis ad Senatum literis, victoriæ hujus gloriam Chriſtianis aſcribens, illis parci juſſit, interim Pluvio Jovi ſtatuâ dedicatâ, quam Paulus V. collapſam reſtituit, S. Pauli imagine ſupernè poſitâ. Factum eſt autem illud A. C. 174. Paulo poſt Avidius Caſſius contra Imperatorem rebellis, ſed infelici ſucceſſu, fuit. Commodô dein filiô in collegam aſſumtô, Orientem adivit, Caſſianæ rebellionis reliquias diſſipaturus. Sed Marcomannorum motibus denuò in Germaniam revocatus, obiit in Pannonia, A. C. 180. ætat. 59. Imperii 19. An ſpontaneâ fame confectus, ne Commodi mores diutiùs perferre cogeretur? Princeps laudatiſſimus, ſed generi, filii, uxoriſque praviſſimis moribus infelix. Stoicam ſectam profeſſus, Græcè 12. libros ſcripſit de vita ſua, quos Guil. Xylander & Mericus Caſaubonus latinè verterunt. Vide de iis Judicium Eruditorum ſuprà, ubi de *Antonino Imperat.* adde plura de hoc Imperatore, apud Oroſ. *l.* 7. Euſeb, *l.* 5. *Hiſt. & Chron.* Suid. Geſner. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 14.

MARCUS Aurelius Julianus, Tyrannus. Vide *Julianus.*

MARCUS Aurelius Nemeſianus. Vide *Aurelius* & *Nemeſianus.*

MARCUS Aurelius Cotta, Conſul cum L. Lucullo, an. Urb. Cond. 680.

MARCUS Aurelius Cotta, Conſul cum M. Meſſalâ, an. Urb. Cond. 772.

MARCUS Aurelius Antonius Baſſianus, dictus *Caracalla*, Severo patri ſucceſſit, imperavitque A. M. 4174. A. C. 212. Hic Lugduni genitus eſt, dictuſque *Baſſianus*, ex avi materni nomine, *Caracalla* autem, quòd cùm e Gallia veſtem plurimam devexiſſet, talareſque caracallas feciſſet, coëgit plebem ad ſe ſalutandum talibus indutam caracallis uti. *Antoninus* porrò dictus eſt, in honorem Marci Antonini Imperatoris. Hic ſimul atque imperavit, fratrem & patrem Getam nomine, falsò criminatum occidit ipſe in gremio matris ejus. Papinianum etiam Juriſconſultiſſimum occidi à militibus juſſit, compluréſque alios. In ſumma, nullo in pretio apud populum fuit, etiamſi veſtes dediſſet, & thermas nominis ſui, id eſt, *Antonianas*, eximiè fabrefactas, extruxiſſet. Fuit patre dûrô crudelior, in eumque contumax, cibi & vini avidus, præter milites prætorianas omnibus caſtris exoſus, Alexandri M. admirator, quem collô in lævum humerum detortô, reddere, & ejus nomine vocari cupiit. Alexandrinorum dicacitatem ultus eſt ingenti eorum cæde. Perſas dolô magis quàm virtute fudit. Cùm Carris iter faceret, apud Edeſſam ſecedens ad onus ventris levandum, à milite, qui quaſi ad cuſtodiam ſequebatur, occiſus eſt, annô Imperii 6. ætat. 43. Herodian. *l.* 4. Egnat. *l.* 1. Eutr. *l.* 9. *Aurel. Vict. Ælius Spartian.*

MARCUS Aurelius Antonius Baſſianus Varius Heliogabalus, victô Opiliô Macrinô imperavit A. M. 4181. A. C. 219. Fuit hic impurus, ſuperbus, crudelis, honores & dignitates contulit in aurigas, mimos, hiſtriones, cùmque omnia ſordidè ageret inireturque à viris, ſtatim milites facti pœnituit: quare in Alexanderum Heliogabali conſobrinum inclinavêre animos: tandemque Heliogabalum cum matre & ſatellitibus interfecêre, operam etiam dante Alexandri matre, quæ militibus clam pecunias dabat. Tractum eſt cadaver per Circi ſpatia, priuſquam in Tiberim præcipitaretur. Æl. Lamprid. *in Heliogab.* Herodian. *l.* 5. Vixit ann. 18. imperavit 4.

MARCUS Aurelius Caſſiodorus, Ravennas, urbis Romanæ quondam Senator, (Theodorici Regis præceptor, *Volaterran.*) Monachus & Abbas Ravennatenſis in Italia, Theodorico ab epiſtolis: Scripſit plurima, quæ extant fol. Baſileæ A. C. 1490. Pariſ. A. C. 1515. 1570. 1600. Aureliæ A. C. 1622. &c. *Inter viros ſuo tempore doctiſſimos ſine dubio principatum tenuit*: Broſſejus *in vita ejus.* De eodem Cauſſinus: *Magna*, inquit, *Caſſiodori mens, quâ inter hanc Gotthici ſeculi barbariem, quaſi ſidus quoddam eluxit: ſtylo veniam deprecatur, & facile invenit.* Obiit circa A. C. 562. nonagenariô major, in ſuo Ulvarienſi ſive Caſtellenſi, prope Scyllitanam urbem, in Calabria, Monaſterio, quod extruxit, ac refertâ optimis libris bibliothecâ ditavit, vide *Labbeum*, *Sixtum Sen.* &c. ut & ſuprà in voce *Caſſiodorus.*

MARCUS Auſius, Poëta Hiſpanus, gentis hujus Petrarcha dictus.

MARCUS Bœbius Pamphilus, Conſul cum Cornelio Cethego, an. Urb. Cond. 573.

MARCUS Cæcilius Metellus, Conſul cum M. Æmilio Scauro, an. Urb. Cond. 639.

MARCUS Calphurnius Bibulus, Conſul. cum C. Julio Cæſare, nullam partem juris ſui obtinuit: Collegâ omnia pro libidine agente tantâ petulantiâ, ut aliquando Bibulum liberiùs ſibi reſiſtentem in carcerem duci curaverit, magnâ omnium bonorum indignatione. Hic legem Agrariam tulit, & aliam de jure trium liberorum. Sueton. *in Cæſare c.* 20. *Unus ex eo tempore omnia in Republ. ad arbitrium adminiſtravit. ut nonnulli urbanorum, cùm quid per jocum teſtandi gratiâ ſignarent, non Cæſare & Bibulô, ſed Juliô & Cæſare conſulibus actum ſcriberent, bis eundem præponentes nomine atque cognomine, ut vulgò mox ferrentur hi verſus.*

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt.
Nam Bibulô fieri conſule nil memini.

MARCUS Claudius Craſſus, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 313

MARCUS Claudius Marcellus Dictator, an. Urb. Cond. 428.

MARCUS Claudius Marcellus Conſul cum Nautio Rutilio, an. Urb. Cond. 466.

MARCUS Claudius Marcellus, vir Conſularis, cùm Pompejo faviſſet, à Cæſare tamen per Senatum veniâ impetratâ rediens Romam, à familiari quodam ſuo occiſus eſt. Extat elegans Ciceronis Oratio, quô Cæſari ob ejus reſtitutionem, gratias agit.

MARCUS Claudius Marcellus, tres Conſulatus geſſit; quorum primô Alpinos Gallos domuit, an. Urb. Cond. 588.

MARCUS Corn. Decemvir Legum ferendarum, an. Urb. Cond. 304.

MARCUS Corn. Cethegus, Conſul. cum L. Avitio Gallo, an. Urb. Cond. 594.

MARCUS Corn. Cethegus, Conſul. cum P. Sempronio Tuditano, an. Urb. Cond. 550. Hic eloquens dictus eſt, ut Sempronius Σοφὸς. Q. Ennius,

Additur orator Cornelius' ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega
Marci filius, is dictus popularibus ollis,
Qui tunc vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Vide Tullium *in Bruto.*

MARCUS Corn. Maluginenſis, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 386. & rurſum 389.

MARCUS Con. Maluginenſis, Conſul cum L. Papyrio Craſſo, an. Urb. Cond. 359.

MARCUS Craſſus, avaritiæ gurges, & abyſſus inexplebilis, cùm templum Hieroſolymitanum ſacris theſauris expoliâſſet, à Parthis apud Charram, unà cum Romanorum exercitu peremptus eſt. Plut. *in Craſſo*, & Appian. *in Parthicis.*

MARCUS Cratevitius, Bulgarorum Princeps, præliô ſuperatus à Pazaite patris mortem ulciſcente, qui Pazaites magnam Bulgariæ partem ſibi ſubjecit. Egnatius *A.C.* 1378.

MARCUS Curius Dentatus, vide *Curius.*

MARCUS Curtius, nobilis Romanus, qui cùm Romæ in foro terra ingenti hiatu diſceſſiſſet, reſpondiſſentque haruſpices, Deos Manes, non aliter quàm humanâ victimâ poſſe placari, neque prius hoc barathrum claudendum eſſe, quàm ſi ſe aliquis in id ſponte dejeciſſet, armatus equo inſidens ſe Diis Manibus devovit, atque ita in apertam voraginem ſe præcipitavit, quæ eô factô clauſa eſt. Vide *Curtius.*

MARCUS Fabius Ambuſtus, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 375. & 387. Idem 2. Conſul cum M. Popilio Lænate, an Urb. Cond. 400. Tarquinienſes & Faliſcos ſuperavit.

MARCUS Fabius Buteo, Conſul cum L. Cæcilio Metello, an. Urb. Cond. 506. Claſſem Punicam apud Ægimurum ſuperavit. 2. Conſul. cum Attilio Balba, an. Urb. Cond. 508.

MARCUS Fabius Dorſus, Conſul, cum Servio Sulpicio Camerino, an. Urb. Cond. 411.

MARCUS Fabius Licinius, Conſul. cum M. Octavio Craſſo Meſſala, an. Urb. Cond. 507.

MARCUS Fabius, cognomentô Pictor. nobilis Romanus, qui præter ſtudia literarum, & rei bellicæ, quibus inſignis erat, etiam pingere didicerat, unde cognomen reportavit. Scripſit etiam hiſtorias, quarum fragmenta quædam hodiè extant Vide omnino Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 3.

MARCUS Fabius Vibulanus, Conſul cum Poſthumio Ebutio Elua, an. Urb. Cond. 313. Item decennio pòſt Tribunus Militum conſulari poteſtate.

MARCUS Foſſius Flaccinator, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 323.

MARCUS Foſſius Flaccinator, Conſul. cum P. Plautio, an. Urb. Cond. 436.

MARCUS Fronto, Conſul cum Trajano Imperatore an. Urb. Cond. 852.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARCUS Fulvius Flaccus, Conſul. cum M. Plautio Hypſæo, primus omnium Ligures Tranſalpinos bellô domuit, an. Urb. Cond. 629.

MARCUS Fulvius Nobilior, Conſul. cum Cn. Manlio Volſone, anno Urb. Cond. 565.

MARCUS Fulvius Pætus, Conſul. cum T. Manlio Corquato, an. Urb. Cond. 454.

MARCUS Furius Camillus, vide *Camillus.*

MARCUS Geganius Macer, Conſul. cum C. Julio Tullo, ân. Urb. Cond. 308. Iterum cum T. Quintio Capitolino, an. Urb. Cond. 312. quô annô Civilium Volſcorum Imperatorem prælió victum cepit & in triumpho duxit. Iterum Conſul cum L. Servio Fidenate, an Urb. Cond. 318.

MARCUS Genutius Augurinus, Conſul cum P. Curiatio Philone, an. Urb. Cond. 310.

MARCUS Germeus Achæorum dux primus, an. Urb. Cond. 498.

MARCUS Herennius, Conſul cum C. Valerio Portio. Decemvirorum tyrannidem fregit, App. Claudium urbe pellendum curavit: de Volſcis, Equis, & Sabinis triumphavit.

MARCUS Hieronymus Vida, Cremonenſis, Epiſcopus Albæ, auctor Chriſtiadis librorum 6. ſcripſit inſuper de Bombycibus & Scacchiæ luſu.

MARCUS Horatius Pulvillus, Conſul cum C. Valerio, eôpſe annô, quô reges exacti ſunt. Nam cùm Brutus Conſul cum Arunte Tarquinio congreſſus mutuô vulnere occubuiſſet. Spuriuſque Lucretius in ejus locum ſuffectus, paulo pòſt eſſet etiam mortuus, Horatius ei ſucceſſit in id, quod ejus anni ſuperaret, biennioque pòſt Conſul factus eſt cum Val. Publicolâ.

MARCUS Horatius Pulvillus Pontifex Max. tantâ conſtantiâ, ut cùm Capitolini Jovis ædem dedicaret, poſtemque tenenti allatum eſſet de morte filii, neque vultum mutaverit, neque poſtem remiſerit, carmenque quod pronunciabat, interruperit, neque prius quidquam nuncio reſponderit, quàm abſoluta dedicatio eſſet. Val. Max. *l.* 5. *c.* 10.

MARCUS Jul. Philippus, occiſô Gordianô juniore, ab exercitu Imperator declaratus, ad Senatum ſcripſit de morte Gordiani (nempe gravi eum morbô periiſſe) & de ſua ipſius electione poſtulans, ut confirmaretur. Senatus rem non planè intelligens, eum Imperatorem confirmavit, A. M. 4207. A. C. 245. Fuit is Arabs, humillimô ortus locô, patre nobiliſſimô latronum ductore. Miſitheum cùm primùm venenô ſuſtulerat, Gordiani ſocerum, virum modeſtum ac frugi, cujus conſiliô Imperium augebatur: deinde Gordianum occidit. Hujus tempore Scythæ deſciverunt, contra quos Marium miſit, qui à militibus Imperator factus, ab eiſdem occiditur: atque iterum ab iis Decius Imperator creatur. Adverſus quem Philippus furens tendit, ſed à militibus occiditur Veronæ, mediô capite ſupra ordines dentium præciſô: Filius quoque an. 12. Romæ necatur, qui à quinquennio nunquam riſiſſe dicitur. Imperârunt annis 5. Sunt qui hunc primum Imperatorem Chriſtianum fuiſſe tradant, at perfidi mores obſtant. Bapt. Egnat. *c. 1. in Gordiano juniore.*

MARCUS Julius Tullius, Tribunus Militum an. Urb. Cond. 353.

MARCUS Junius Brutus, Juriſconſultus egregius, ſcripſit tres libros de Jure Civili. Cicer. *de Orat.*

MARCUS Junius Brutus, prioris fil. adeo à parente degeneràvit, ut comeſtô patrimoniô accuſatoriam factitârit. Cicer. *de claris Orat.*

MARCUS Junius Brutus, C. Cæſaris interfector, vide *Brutus.*

MARCUS Junius Pera, Conſul cum M. Æmilio Barbula, an. Urb. Cond. 524.

MARCUS Junius Pœnus, Conſul cum Qu. Ælio Pæto, an. Urb. Cond. 587.

MARCUS Junius Syllanus Conſul cum Q. Metello, dum collega Jugurtham Numidiâ exuit, ipſe interim à Cimbris fuſus fugatuſque eſt.

MARCUS Junius Syllanus, Conſul cum C. Octavio Cæſare, an. Urb. Cond. 629.

MARCUS Juventius Helua, Conſul cum T. Sempronio Graccho, an. Urb. Cond. 591.

MARCUS Laurinus Brugenſis, Antiquarius inſignis, & rei nummariæ peritiſſimus. Valer. Andreas, *Biblioth. Belg.*

MARCUS Licinius Craſſus, vide *Craſſus.* Alius, Conſul cum C. Octavio Cæſare, an. Urb. Cond. 724. Tertius, Conſul cum L. Calphurnio Piſone, an. Urb. Cond. 779. Quartus cognomentô Frugi, Conſul cum Q. Lecanio Baſſo, an. Urb. Cond. 856.

MARCUS Licinius Lucullus, Conſul cum C. Caſſio Varo, an. Urb. Cond. 681.

MARCUS Livius, Conſul cum Æmilio Paulo an. Urb. Cond. 535.

MARCUS Livius Denter, Conſul cum C. Æmilio Paulo, an. Urb. Cond. 452.

MARCUS Livius Druſus, vide *Druſus.* Alius, Conſul cum L. Piſone Cæſoniano, Scordiſcos vicit, gentem à Gallis oriundam, an. Urb. Cond. 642.

MARCUS Livius Salinator, Conſul cum Cl. Nerone, bellô Punicô ſecundô Aſdrubalem ex Hiſpania ad fratris Annibalis auxilium advenientem, collegæ ope interceptum vicit, & occidit, quæ res præcipuè Annibalis animum debilitavit. Sic enim exclamat apud Horat. *l.* 4. *Od.* 4.

Occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna noſtri
Nominis, Aſdrubale interemptô.

Idem cùm Tarentum amiſiſſet, atque apud Fabium Max, qui illud recuperârat, gloriaretur ſuâ operâ receptum eſſe: *Certè*, inquit Fabius, *niſi enim amiſiſſes, nunquam id recepiſſem.*

MARCUS Lollius, Conſul cum Q. Lepido, an Urb. Cond. 735. His Conſulibus Horat. jam quadrageſimum quartum ætatis annum agebat, teſte ſeipſo ad librum ſuum, his verbis *l.* 1. *Ep.* 20.

Fortè meum ſiquis te percontabitur ævum,
Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres,
Collegam Lepidum quò duxit Lollius annô.

MARCUS Manlius Capitolinus; vide *Manlius.*

MARCUS Manlius Tullus, Conſul cum Ser. Sulpicio Camerino, an. Urb. Cond. 255.

MARCUS Mantua Benavidius, Patavinus, JCtus ſcriptis editis celeberrimus. Jac. Thomaſinus *de Illuſtr. Viris.*

MARCUS Marcellus, Conſul cum Æliano, an. Urb. Cond. 936. Alius, libris egregiis editis, immortale nomen adeptus, ſeculô præteritô.

MARCUS Maſtelinus, Bruxellenſis, ſcripſit Necrologium Monaſterii Viridis Vallis, &c. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MARCUS Meſſalinus, Conſul cum C. Lentulo Gætulico, an. Urb. Cond. 751.

MARCUS Minutius Proconſul, in Macedoniâ Thraces ſuperavit, an. Urb. Cond. 645.

MARCUS Minutius Augurinus, Conſul cum Aulo Sempronio Atratino, an. Urb. Cond. 257.

MARCUS Minutius Rufus, Conſul cum P. Corn. Aſina; an. Urb. Cond. 533.

MARCUS Nonius Mutianus, Conſul cum L. Annio Fabiano, an. Urb. Cond. 953.

MARCUS Oblivitius Malleolus, Conſul cum M. Æmilio Lepido, an. Urb. Cond. 521.

MARCUS Octacilius Craſſus, Conſul cum M. Val. Maximo, an. Urb. Cond. 490. Iterum cum M. Fabio Licinio, an Urb. Cond. 407.

MARCUS *Ottus* Patavinus, Philoſophus, ſcripſit varia. Thomaſin. *in elog. Vir. Ill. Patavin.*

MARCUS Papyrius Craſſus, vide *Papyrius.*

MARCUS Papyrius Mugillanus, Tribunus Militum Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 338. Iterum biennio pòſt Conſul cum C. Nautio Rutilio, an. Urb. Cond. 340.

MARCUS *Paulus*, Venetus, fil. Nicolai, qui ambo Itineraria ediderunt. Seculô 13.

MARCUS Perpenna Nepos, Ariſtonicum Attali regis filium præliô victum interfecit.

MARCUS Plautius Hypſæus, Conſul cum M. Fulvio Flacco, an. Urb. Cond. 629.

MARCUS Petilius Libo, Conſul cum C. Sulpicio Longo, an. Urb. Cond. 441.

MARCUS Pomponius Matho, Conſul cum Q. Fabio Max. an. Urb. Cond. 520. Triennio pòſt Conſul cum C. Papyrio Maſſo.

MARCUS Popilius, Conſul cum Cn. Manlio Capitolino, an. Urb. Cond. 397. Iterum cum Fabio Maximo Ambuſto, an. Urb. Cond. 400. Tertiò cum A. Scipione Coru. Arvina, an. Urb. Cond. 406. Quartò cum M. Val. Corvino, fœdus cum Carthaginenſibus percuſſit. an. Urb. Cond. 408.

MARCUS Portius Cato, vide *Cato.*

MARCUS Poſthumius Albinus Tribunus Militum Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 353.

MARCUS Poſthumius Regillenſis, cùm Tribunus Militum Conſulari poteſtate multa egregia facinora feciſſet, Æquos viciſſet, Volſcos cepiſſet, ab exercitu ſuperbiam ejus peroſo lapidibus obrutus eſt.

MARCUS Pulcher Perpenna, Conſul cum P. Claudio Pulchro, an. Urb. Cond. 662.

MARCUS Pupius Piſo Calphurnianus, Conſul cum M. Valerio Meſſala, duobus annis poſt Ciceronis Conſulatum.

MARCUS Quintilius Varus, Tribunus Militum Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 353.

MARCUS Sempronius Tuditanus, Conſul cum C. Claudio Centone, an. Urb. Cond. 513. Alius Conſul cum Appio Pulchro, An. Urb. Cond. 569.

MARCUS Servilius, Geminus; Conſul cum C. Claudio Nerone, an. Urb. Cond. 252

MARCUS Statilius Taurus, Conſul cum L. Quintio Criſpino, an. Urb. Cond. 796.

MARCUS Suillius Servilianus, Conſul cum C. Antiſtio Vetere, an. Urb. Cond. 802.

MARCUS Syllanus, Conſul cum L. Norbano Balbo, an. Urb. Cond. 771.

MARCUS Terentius Varro, vide *Varro.*

MARCUS Titinius Magiſter Equitum ſub C. Julio Bubulco Dictatore, de Æquis triumphavit, an. Urb. Cond. 452.

MARCUS Tullius Cicero, vide *Cicero.*

MARCUS Tullius Decola, Conſul cum Cn. Corn. Dolabella, ſub Dictatore Sylla.

MARCUS Valerius Corvinus, vide *Valerius.*

MARCUS Val. Levinus, Conſul cum L. Apuſtio, an. Urb. Cond. 528. Alius Cn. Cornelio Hiſpalo Conſuli demortuo in Conſulatu ſuffectus, bellô Liguſticô cecidit, cùm priùs Letum montem de hoſtibus cepiſſet, an. Urb. Cond. 578.

MARCUS Valerius Martialis, vide *Martialis.*

MARCUS Valerius Maximus, Conſul cùm Sp. Virginio, an. Urb. Cond. 298. Alius Conſul cum P. Decio Mure, an. Urb. Cond. 443. Alius Conſul cum Q. Mamilio Vitulo, an. Urb. Cond. 488. Et biennio poſt cum M. Octacilio Craſſo, an. Urb. Cond. 490. Alius Dictator, qui de Hetruſcis triumphavit, an. Urb. Cond. 452.

MARCUS Val. Meſſala, vide *Meſſala.*

MARCUS Val. Publicola, vide *Publicola.*

MARCUS Val. Voleſus, Conſul cum P. Poſthumio Tuberto, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

de Sabinis triumphavit, annô ab ejectis Regibus 5.

MARCUS Varnevicus, Gandavenſis, ſcripſit *Speculum hiſtoriæ Belg. Chronicon Flandriæ*, &c. Valer. Andreas, *Biblioth. Belg.*

MARCUS Vibullius Augurinus, Conſul cum Sylvano, an. Urb. Cond. 908.

MARCUS Vigerus, auctor *Decachordi Chriſtiani*, ad Julium II. Alius Epiſcopus Semigalliæ, ſcripſit *de tollendis Eccl. abuſibus.*

MARCUS Vinitius Quartinus, Conſul cum A. Cornelio Corvino, an. Urb. Cond. 796.

MARCUS Vipſanius Agrippa, vide *Agrippa*, & *M. Agrippa.*

MARCUS Ulpius Trajanus Hiſpanus, optimus omnium princeps, externorum primus, Romæ imperavit A. M. 4060. A. C. 98. Hic Daciam Provinciam fecit, victô rege Decebalô: lapideum pontem in Iſtro ſtruxit, Parthos ſuperavit, ſuperatis regem dedit. Tranſtigritanas provincias imperio adjecit: Armeniam atque Arabiam pervaſtavit: amicitias, ſimplicia ac erudita ingenia coluit, ipſe à literis & Muſis non abhorrens. De hoc Cæſare ſcribit Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 1.

Et ſpes, & ratio, ſtudiorum in Cæſare tantùm:
Solus enim triſtes hâc tempeſtate Camœnas
Reſpexit, &c.

Hic Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, poſtea Arabiam provincias fecit. In mari rubro claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem civilitate & moderatione ſuperavit: liberalis in omnes fuit: immunitates civitatibus tribuit. Amicis culpantibus, quòd nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit, *Talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optâſſet.* In ſumma, Deo proximus habitus eſt. Sed è Perſide rediens profluviô ventris obiit an. ætat. 62. imperii ferè 20. Eutrop. *l.* 8. *Aurel. Vict.* Fuit paululum cibo vinoque deditus. *Nic. Loyd.*

MARCUS Zuerius Boxhornius, Bergis ad Zomam oriundus, prodigium ſcientiæ: Scriptis plurimis, in ætate adhuc juvenili editis omnium eruditorum applauſum meruit. Valer. Andreas *Biblioth. Belg. p.* 461.

S. MARCUS, urbs Epiſcopalis Calabriæ citerioris. Item urbs Siciliæ, Du Val. *Geogr.* Item Ordo Equeſtris in Republ. Veneta. Cujus inſigne Leo alatus, coccinei coloris, cum lemmate: *Pax tibi Marce Euangeliſta.* Equites jus civitatis habent, & rictum Leonis in inſignibus gerunt, quod maximi ibi æſtimatur. Juſtinian. *Hiſt Ven.* Le Mire, *de Orig. Ordin. Equeſtr.*

MARDAITÆ, præſidium utile è Libano, factâ pace cum Abedmelecho, à Juſtiniano Rhinotmeto Imperatore infelici eventu deductum A. C. 687. Cedrenus *in Hiſt.* P. Diaconus *l.* 19. &c.

MARDE, urbs Meſopotamiæ ad Tigrim fluv. *Herodot. Ptol. Mirduum Procopio, Merdino Onuphrio, Mirdin Barbaro.* In Aſſyriæ confinio ab Amida 50. mill. paſſ. circiter in Cæciam viâ, quæ Tabreſium ducit. Archiepiſcopalis & præclara eſt.

MARDI, populi Aſiæ in Armeniæ, & Mediæ confinio *Ptol.* qui etiam à *Strabone* & *Stephano* in Hyrcania deſcribuntur, ab *Herodoto* in Perſide, à *Plinio* in Sarmatiæ Aſianæ ora ad Euxinum mare, à quo & in Suſiana collocantur. Horum meminit Dionyſius *v.* 732.

——— ——— Ἄγχι δὲ Μάρδοι
Ὑρκάνιοι Τάπυροί τε. ———

Curtius *l.* 5. *c.* 6. *Ventum eſt in Mardorum gentem, cultum vitæ abhorrentium, ſpecus in montibus fodiunt, in quos ſe, conjuges, & liberos condunt, pecorum, aut ferarum carne veſcuntur.* Vide *Amardi. Nic. Loyd.*

MARDOCHÆI Dies, dies 14. menſis Lunaris Februarii, juxta morem Hebræorum qui Hebraicè *Adar* dicitur, occurrit 2. Machab. *c.* 15. *v.* 37. quô nomine indigitabatur feſtum, quod *Purim* aliàs, de quo vide *ſuô locô*, & Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

MARDOCHÆUS, fil. Jair, patruus Heſter, de tribu Benjamin, quibuſdam videtur auctor libri Heſter. Quod enim *de ritibus Judæorum* opus, inter Thalmudicos libros, attinet, certum eſt, ejus auctorem Mardochæum quendam Judæum eſſe, priori longè recentiorem. Heſt. *c.* 2. & ſeqq. Vide quoque *Aman* & *Eſther.*

R. MARDOCHÆUS, Fil. Hillel, auctor libri cognominis, Norimbergæ ſuppliciô affectus, annô 5070. juxta *R. Ganz.* quò ipſô obiit R. Meir Fil. Baruch, auctor *Theſchuvot.*

R. MARDOCHÆUS Jophi; auctor libri *Lebuſch malchut*, in quo continentur omnia judicia Thalmudis, & teſtimonia; item *Commentarii in Legem*; libri *Daraſot*; *Commentarii in Moreh Nebuchim*, & *in Hilchot Kiduſcha-chodeſch* Rambam, nec non *Commentarii in Hircanath.* Præſes fuit Scholæ in cœtu Oradnæ, in cœtu it. Lublinenſi & Cremnizenſi priùs, inde Pragam pervenit. R. Dav. Ganz *Chronol. Rabbinorum ſub Templo II. an.* 352. *Millenarii* VI.

R. MARDOCHÆUS Nathan, librum *Concordantiarum* ex Latino Hebraicè vertit, circa an. 198. juxta calculum prædictum.

MARDOCHAI, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 2.

MARDO-KEAMPADES, Rex Babylonius, vide *Merodach.*

MARDONES, gens Epirotica. *Steph.*

MARDONIUS, Nobilis Perſa, ſecundum *Cteſiam*, ex illis ſeptem, qui inter ſe conjurantes Magum ſe Cyri filium mentientem ſuſtulerunt.

MARDONIUS, Perſa, Darii gener, quem Xerxes apud Salamina victus cum exercitu reliquit, ut reliquias belli foveret. Hic captis Athenis Olymp. 75. Græciæ ſe formidabilem reddidit, paulò poſt tamen à Pauſania & Ariſtide, Lacedemoniorum & Athenienſium ducibus victus ad Platæam, in Bœotia & ab Arimneſto Spartiata, ſaxô obrutus eſt. Plut. *in Ariſtide.* Herod. *l.* 7. & 8. Diodor. Sic. *l.* 11. Juſtin. *l.* 2. *c.* 13. 14. Corn. Nepos, *l.* 4. *c.* 1. &c.

MARDONIUS, Scytha Ethnicus, Julianum Apoſtatam prima literarum rudimenta docuit.

MARDRINA Pocula, vide *Madelinarius.*

MARDUS, fluv. Mediæ per Mardos fluens, ac in Mare Caſpium labens, non procul à Cyropoli. Sed per Apyros ſive Tapyros illum fluere ſcribit Dionyſius, ubi ſuprà:

——— Ἐπὶ δὲ σφισιν ὁλκὸν ἑλίσσει
Μάρδος ——— ———

MARE, Gallis *la mer*, Hiſpanis *el mar*, Italis *il mare*, Germanis *die zee* ſeu *meere*, Anglis *The ſea*, Ruſſis *Moore*, magna eſt illa aquarum congeries, quæ Terram interluit. Ejus partes extantiores ſunt maximi ejus tractus, quos tabulæ & globi repræſentant: nempe Oceanus Atlanticus *Mar del Nort:* Mare Pacificum *Mar del Zur:* & Mare Indicum; quæ ratione regionum, quas alluunt, diverſa ſortiuntur nomina, Becmannus *Hiſt. Orbis terr. Baudrand. Mare* dividitur in Exterius & Interius: Illud propriè dicitur Oceanus, *l'Ocean*, & in quotuor partes ab omnibus diſpeſcitur in Orbe antiquis cognito. Quà ſpectat Ortum, vocatur Eous ſeu Orientalis, *Ocean Oriental* ſeu *Indien*, & à quibuſdam *mer de la Chine*; quà Occaſum, Occidentalis ſeu Atlanticus, *Ocean Occidental ou Atlantique*, ad Boream, Septentrionalis ſeu Scythicus, *Ocean Septentrional, Glacial, ou de Tartarie*; ad Meridiem, Auſtralis ſeu Æthiopicus, *Ocean Meridional ou Ethiopien.* In Orbe autem novo, ſeu meliùs in ea parte Orbis recèns detecta & in America, duplex eſt, nempe mare Boreale, *mer du Nort*, verſùs partem Septentrionalem & Orientalem; & mare Auſtrinum ſeu Pacificum, *mer du Sud ou mer Pacifique*. verſùs partem Meridionalem & Occidentalem Americæ: & pro diverſitate regionum, quas alluit, varia deinde ſortitur nomina, de quibus poſtea. Hoc nempe *Mare interius* multiplex eſt, videl. mare Mediterraneum, quod propriè etiam mare Internum dicitur *la mer Mediterranée*, & ejus plurimæ ſunt partes; mare Balticum, *la mer Baltique*, mare Caſpium ſeu Hyrcanum, *la mer de Bacu*, Pontus Euxinus, *la mer Noire*, ſinus Arabicus, *la mer Rouge* ſeu *la mer de la Mecque*, ſinus Perſicus, *Golfe de Perſe*, ſeu *mer d'Elcatif*, mare Album ſeu ſinus, Grandivicenſis, *la mer Blanche*, & Mæotis palus, *mer de Zabacche* ſeu *de la Tana*: Et hæc ſunt maria interna Orbis antiquis cogniti. Mare Mortuum enim veriùs eſt lacus, quàm mare, uti mare Galilææ. In America autem eſt tantùm mare Purpureum, *la mer Vermeille*, inter novam Hiſpaniam & Californiam inſulam; cùm nondum conſtet, quid ſint partes Oceani verſùs terras Arcticas & ſinum Hudſonium.

MARE Ægæum, quòd multis inſulis intercipitur, vulgò *l'Archipel* ſeu *l'Archipelague* Gallis, *Archipelago* Italis & Hiſpan. *Acdenitz* Turcis, pars eſt maris Mediterranei, inter Aſiam minorem ad Ortum, Thraciam ad Boream, Macedoniam & Græciam ad Occaſum, & Cretam inſulam ad Meridiem; eſtque quamplurimis inſulis ſparſum. Ejus partes ſunt mare Creticum, mare Græcum, mare Icarium, Macedonicum, Myrtoum, & Æolium.

MARE Ægyptium, pars eſt maris Mediterranei & ſinus Sattalici, ut ajunt. Alluit oram Borealem Ægypti & Marmaricæ; extenditurque ad partem Auſtralem Cypri inſulæ, uti etiam Cretæ. Vulgò *mer d'Egypte* dicitur; extenditurque à Peluſio ad Axillam villam.

MARE Æolium ſeu Myſium, pars eſt maris Ægæi, in ora Aſiæ minoris; & *mer de Smirne* ſeu etiam *Golfe de Smirne* dicitur à nautis.

MARE Æthiopicum, ſeu Oceanus Æthiopicus, *l'Ocean Ethiopiem*, ſeu *mer d'Ethiopie*, pars eſt perampla Oceani verſùs partem Auſtralem Africæ, tam ad Ortum Æthiopiæ latè ſumptæ quàm ad Occaſum. Ejus partes ſunt mare Congienſe, *mer de Congo*, mare Cafrorum, *mer des Caffres*, & mare Zanguebariæ, *la mer de Zanguebar*, aliàs Barbaricus ſinus.

MARE Africum, extenditur inter Melitam, Syrtim minorem, & Siciliam ad Ortum, & inter partem Auſtralem Sardiniæ & Ampſagæ fluvii oſtia, Africam propriam & Byzacenam alluens cum minuta parte Mauritaniæ Cæſarienſis: nuncque *mer de Tunis* & *de Tripoli* vulgò dicitur.

MARE Album, *Bella More* Moſcis, dicitur aliter *ſinus Granduicus*, Germanis *Wittezée*, Gallis *mer Blanche*, pars eſt Oceani Septentrionalis, terras ſubiens inter Duinam Moſcoviæ provinciam ad Ortum, & Lapponiam Moſcoviticam ad Occaſum, per 250. mill. paſſ. ejuſque emporium præcipuum eſt Arcangelopolis.

MARE Almachium dicitur aliter mare Scythicum. Vide ibi.

MARE Anchidolium, *mer de l'Anchidol*, pars Oceani Orientalis. A Java inſula ad terram Auſtralem porrigitur, verſùs novam Hollandiam & Carpentariam regionem.

MARE Aquitanicum, *mer de Guienne* ſeu *de Gaſcogne*, pars eſt Oceani Gallici, inter Britanniam minorem ad Boream & oram Cantabriæ ad Meridiem; alluitque Britanniam, Pictavenſem provinciam, Santoniam, & Vaſconiam latè ſumptam.

MARE Argolicum, idem cum ſinu Argolico.

MARE Aſiaticum, propriè alluit Aſiam minorem ad Meridiem, vulgò *mer de Caramante* & *de Rhodes*. Ejus partes ſunt mare Lycium, mare Pamphylium, mare Cilicium, & mare Carpathium.

MARE Atlanticum, *la mer Atlantique*, pars eſt perampla Oceani; unde dicitur etiam Oceanus Occidentalis: Hoc Africam alluit ad Occaſum, inter Artabrum Hiſpaniæ promontorium ad Boream, & promontorium Leonis verſùs Guineam ad Meridiem; extenditurque etiam ad Gorgades inſulas.

MARE Auſonium, pars eſt maris Ionii. Siciliam alluit ad Ortum, uti Brutios & magnam Græciam ad Orientem & ad Meridiem. Dictum fuit poſtea Siculum; & à quibuſdam extenditur à Sicilia Peloponneſum uſque.

MARE Auſtrinum, *mer du Sud* Gallis, *mar del Zur* Hiſpanis, quod etiam *mare Pacificum* dicitur, partem Auſtralem novæ Hiſpaniæ alluit ad Boream, & partem Occidentalem Americæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Meridionalis ad Ortum, uti & novam Zelandiam ad Occaſum. Sic dictum fuit, quod ad Auſtrum ſit reſpectu maris Borealis. Ejus partes ſunt mare Californiæ, mare Auſtrinum propriè dictum, in ora meridionali novæ Hiſpaniæ, mare Peruvianum, & mare Chilenſe.

MARE Auſtrinum, *Zuider zée*, ſinus Oceani Germanici, in Belgio, inter Friſiam Occidentalem, Tranſiſalaniam, Gueldriam inferiorem, & Hollandiam extenſus. Dicitur à Gallis *mer du Sud;* aliàſque fuit Flevo lacus. Extenditur à Septentrione in Meridiem, & rigat urbes Amſterodamum, Enchuſam, Hardervicum, Hornam, & Campos in Belgio unito, uti etiam plurima oppida.

MARE Azanium, pars eſt Oceani Æthiopici, in ora orientali Africæ, inter Aromata promontorium & Magadoxum. Nunc *mer d'Ajan* dicitur à multis, ſeu etiam *partie ſeptentrionale de la mer de Zanguebar*.

MARE Balearicum, *mar de Mallorca* Hiſpanis, *mer du Majorque* Gallis, pars eſt màris Iberici, in Mediterraneo, verſus Baleares inſulas, & à Charidemo promontorio Barcinonem uſque, in ora Hiſpaniæ.

MARE Balticum, alias *Codanus ſinus*, & *Suevicum mare*, nunc *Ooſtzée* ſeu *die Belt* Germanis, *mer Baltique* Gallis, latè inter Daniam, Sueciam, Ruſſiam magnam, Poloniam, & Germaniam extenditur; & ejus partes præcipuæ ſunt Venedicum mare, ſinuſque Bothnicus & Finnicus.

MARE Barbaricum ſeu Aſperum, & Barbaricus ſinus, pars eſt Oceani Æthiopici, inter oram Orientalem Æthiopiæ & Menuthiam inſulam; & vulgò *mer de Zanguebar* dicitur, à regione adjacente.

MARE Boreale, *Noort zée* Belgis, *mer de Nort* Gallis, *mar del Norte* Hiſpanis, pars ampla Oceani, Americam Septentrionalem alluens cum parte Boreali Americæ Meridionalis; & ejus partes ſunt ſinus Mexicanus, mare Braſilicum, & mare novæ Franciæ.

MARE Boſphoricum; idem cum Cimmerio.

MARE Braſilium, *mer du Braſil*, pars eſt maris Borealis, verſùs oram Braſiliæ regionis, in America meridionali.

MARE Brittannicum, *le Manche* Gallis, *The British Sea* Anglis, *het Canael* Belgis, mare eſt inter Galliam & Angliam, nempe à Gobæo & Antiveſtæo promontoriis Britanniæ minoris & Cornubiæ ad Fretum Gallicum.

MARE Caledonium ſeu Deucaledonius Oceanus, apud Anglos nomen retinet, *The Deucalidon Sea*, & Borealem partem Iberniæ, ac Occidentalem & Septentrionalem Scotiæ lavat, ad Iſlandiam uſque procurrens.

MARE Cantabricum, vulgò *mer de Biſcaje* dicitur; extenditurque à confinio Aquitaniæ ad promontorium Artabrum, in Gallæcia.

MARE Carpathium, *mer de Scarpanto*, pars eſt maris Aſiatici, verſùs Carpathum inſulam.

MARE Caſpium dicitur nunc *mer de Sala* ſeu *mer de Baccu*, & ab aliis *de Chouvarezem* & *de Tabriſtan*, Ruſſis autem *Gualentza moore*, & à reliquis maribus omnino ſeparatum eſt. Vide *Hyrcanum mare*.

MARE Cilicium, pars eſt maris Aſiatici, & nunc *mer de Caramanie* dicitur, ſeu etiam *Golfe de Satalie* à quibuſdam.

MARE Cimbricum, Cherſoneſum Cimbricam alluit ad Occaſum, & vulgò *Weſtzée* dicitur; eſtque pars Oceani Germanici.

MARE Cimmerium, pars Euxini circa Boſphorum Cimmerium.

MARE Congelatum, *la mer Glaciale*. Dictum fuit etiam Almachium; eſtque pars Oceani Septentrionalis.

MARE Creticum, vulgò *mer de Candie*, pars eſt maris Ægæi, verſùs oram Borealem Cretæ inſulæ, atque inter Samonium promontorium Cretæ, & Tænarium promontorium Peloponneſi.

MARE Cronium ſeu Concretum, aliàs *di Groenlandia*, nunc *mer de Petzorke* ſeu *mer Glaciale* Gallis, *Mourmanskoy more* Ruſſis, pars eſt Oceani Septentrionalis, & porrigitur à freto Veigatio ad promontorium Boreale.

MARE Cyprium, *mer de Cypre* ſeu *mer de Levant* Gallis, *mare di Cipro* Italis, pars eſt maris Mediterranei, verſùs Cyprum inſulam, & inter Ciliciam & Syriam.

MARE Dalmaticum, *mare di Dalmatia* Italis, *mer de Dalmatie* Gallis, pars eſt maris Adriatici ſeu ſinus Veneti, ſed aliàs ipſum mare Adriaticum dictum fuit Dalmaticum mare, poſt declinationem Imperii.

MARE Dulce, *la mer Douce*. lacus eſt maximus Americæ Septentrionalis, in nova Francia. Dicitur aliter *lac Karegnondi*, eſtque ad Occaſum novæ Franciæ extenſus verſùs lacum ſuperiorem. Sed vix ejus ora littoralis luſtrata fuit à Gallis.

MARE Eoum, ſeu Oceanus Eous & Orientalis, *l'Ocean Oriental*, aliter *mer de la Chine & du Japon* dicitur; eſtque pars ampla Oceani verſùs Japoniam & Sinas, inſulaſque Philippinas.

MARE Erythræum ſeu Rubrum, aliter Arabicus ſinus, extenditur inter Arabiam ad Ortum & Trogloditicam ac Ægyptum ad Occaſum; & nunc *mer Rouge* & *mer de la Mecque* dicitur à Gallis, *mare Roſſo* ab Italis. Sed mare Rubrum aliis pars eſt Oceani inter ſinus Perſicum & Arabicum; nuncque Oceanus Arabicus *mer d'Arabie* vocatur.

MARE Euboicum, vulgò *mer de Negrepont* dicitur; eſtque pars Ægæi maris.

MARE Euxinum, ab aliis meliùs dicitur Pontus Euxinus, vulgô *mer Noire* & *mer Major* Gallis, *mare Magiore* Italis, *Schwartz zée* Germanis, *Mauro Thalaſſa* Græcis; *Caradeniſi* Turcis, & *Zorno mare* Ruſſis.

MARE Galilææ, mare ſeu ſtagnum Tiberiadis, dictum *Galilæa*, à Galilæa, regione vicina, *mare Tiberiadis* ab urbe Tiberiade; quæ ab Herode Tetrarcha ampliata, in honorem Tiberii Cæſaris ſic appellata eſt; unde & mare proximum cui inſidet, ab ipſo nomen accepit. Maris hujus longitudo eſt 15. aut 20. mill. paſſ. latitudo 8. aut 10. interfluente Jordane, totum amœnis circumdatum oppidis, Bethſaidâ, Capharnaô, & Corozaim à Sententrione, Geraſâ, Gamalâ, Gadarâ ab Oriente, Bethſan ſive Scythoopoli à Meridie, Tirachæâ, Tiberiade, & Iotapata ab Occidente.

MARE Gallicum, *mer de Provence*, & *Golfe de Lyon* vulgò dicitur; alluitque Galliam Narbonenſem.

MARE Germanicum, *mer d'Allemagne* Gallis, *Weſtzée* Germanis, *The German Sea* Anglis, extenditur à freto Gallico ad promontorium Boreale, in Norvegia Septentrionali; eſtque pars Oceani Septentrionalis.

MARE Glaciale, idem Cronio & Congelato, Scandinaviam alluens ad Boream, *mer Septentrionale* & *Glaciale*.

MARE Græcum & Græcienſe, Græciam alluens, pars Ægæi. *Mer de Grece* vulgò dicitur.

MARE Hadriaticum, ſeu Adriaticum, quod & Superum, dicitur aliter ſinus Venetus, *Golfe de Veniſe* & *mer Adriatique* Gallis, *Golfo di Venetia* & *mare Adriatico* Italis, pars eſt maris Mediterranei, inter Græciam & Illyricum ad Ortum & Italiam ad Occaſum. Ab antiquis etiam Illyricum mare dictum fuit & Illyricus ſinus.

MARE Heſperium, pars eſt ampla Oceani Æthiopici, inter Æthiopicum proprium & Atlanticum, verſùs oram Guineæ: & vulgò *mer de Guinée* dicitur.

MARE Helleſponticum, & Helleſpontus, inter Cherroneſum Thraciæ & Myſiam Aſiæ, *Stretto di Gallipoli* Italis, *deſtroit de Gallipoli & bouches des Dardanelles* Gallis.

MARE Hibernicum, *mer d'Irlande* Gallis, *The Irish Sea* Anglis, *Mor Verridh* Vallenſi idiomate, Angliam & Hiberniam interluit, & ad Silurum inſulas promovetur; ſicque complectitur ſinum S. Georgii, *la Manche* ſeu *le Canal de S. George*, ad Sabrinæ æſtuarium, inter Valliam meridionalem & Cornubiam.

MARE Hyperboreum, pars eſt Oceani Septentrionalis ſeu Glacialis; & nunc *mer de Moſcovie* & *mer de Tartarie* dicitur.

MARE Hyrcanum, idem quod Caſpium.

MARE Ibericum, pars eſt maris Mediterranei; & vulgò *mer d'Eſpagne* dicitur. Extenditur autem à freto Herculeo ad Charidemum promontorium.

MARE Icarium, nunc *mer de Nicari*, pars eſt Ægæi maris; verſùs Icariam inſulam & oram Ioniæ, in Aſia minori.

MARE Illyricum, *mer de Dalmatie*, pars eſt maris Adriatici, verſus Dalmatiam & Liburniam. Sed aliàs mare Illyricum & ſinus Illyricus.

MARE Indicum, pars eſt perampla Oceani, quæ à multis ſub Oceano Orientali ſeu Eoo comprehenditur, ab aliis autem ſub Meridionali, vulgò *la mer des Indes* & *Ocean Indien* Gallis, *mar de las Indias* Luſitanis; eſtque verſùs Indiam propriam. Ejus partes ſunt mare Malabariæ *la mer de Malabar*, ſinus Gangeticus, *le Golfe de Bengala*, ſinus Magnus, & Archipelagus Maldivarum, cum aliis.

MARE Inferum, idem Tyrrheno & Thuſco.

MARE Internum, idem quod Mediterraneum.

MARE Inteſtinum, idem quod Mediterraneum.

MARE Ionium, extenditur inter Epirum Peloponneſumque ad Ortum, & Magnam Græciam Siciliamque ad Occaſum. Pars eſt maris Mediterrani, & vulgô *mare Ionio* dicitur ab Italis. Ejus pars eſt mare Auſonium ſeu Siculum.

MARE Libycum, nunc *mer d'Afrique* & *mer de Tripoli* dicitur; eſtque inter Cyrenaicum ad Ortum & Syrtim minorem ad Occaſum. in mari Mediterraneo.

MARE Liguſticum, *mer de Genes* Gallis, *mar Leone & mar di Genova* Italis, pars eſt maris Mediterranei, inter Liguriam & Corſicam; ſed differt à mari Leonino, quod pars eſt maris Gallici.

MARE Lycium; pars eſt maris Aſiatici, & nunc eſt *mer de Caramanie* ex parte.

MARE Macedonicum, pars Ægæi, Macedoniam ad Ortum alluens. *Mer de Macedoine* dicitur.

MARE Magellanicum, *mer Magellanique*, pars eſt maris Borealis, inter fluvium Argenteum & fretum Magellanicum, ac verſùs Magellanicam regionem, in America Meridionali, & pars etiam maris Pacifici verſùs partem Occidentalem Terræ Ignium & Magellanicæ.

MARE Magnum, quod & *Occidentale* & *noviſſimum*, & *Mare* ſimpliciter vocatur in ſacris paginis: hoc mare Latini Græcique ſcriptores vocant mare Interius & mare Mediterraneum, quod Europam, Aſiam, & Africam interluit.

MARE Mediterraneum, *la mer Mediterranée* Gallis, *mare Mediterraneo* Italis, inter Europam, Aſiam, & Africam extenditur, inter Syriam ad Ortum & fretum Herculeum ad Occaſum, & à variis variè dividitur. Ejus partes præcipuæ nunc ſunt mare Ægæum, mare Tyrrhenum, mare Adriaticum, mare Ionium, ſinus Leoninus, ſinus Attalicus, & mare Africum.

MARE Mexicanum, *mer de Mexique*, pars maris Borealis, verſùs novam Hiſpaniam; verius eſt ſinus ampliſſimus. Vide *Sinus Mexicanus*.

MARE Mortuum, quod & *mare Salis*, mare *Salſiſſimum* & *mare Deſerti ac Solitudinis* dicitur, teſte *Sanſone*. Ibi aliàs Vallis ſylveſtris. Ab omnibus Græcis Latiniſque ſcriptoribus vocatur Aſphaltites lacus, propter bituminis copiam, quod certô anni tempore ejicit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARE Myrtoum, quibuſdam eſt *mer de Mandria*; longè diſtat ab Attica in Ortum.

MARE Noſtrum, idem quod Mediterraneum.

MARE Pacificum, *mar Pacifico* Hiſpanis, *mer Pacifique* Gallis, novam Hiſpaniam & Peruviam alluens. Idem eſt quod mare Auſtrinum, ſed latiùs extenditur, nempe uſque ad Terras Auſtrales, novam Guineam, & Archipelagum S. Lazari, verſûs mare Indicum.

MARE Pamphylium, Pamphyliam alluens, Cyprum uſque extenſum, *mer de Caramanie* ex parte.

MARE Perſicum, ſeu ſinus Perſicus, nunc *Golfe de Perſe*, ſeu *mer d'Elcatif*, & *Golſe de Baſſora*. Extenditur inter Perſiam & Arabiam.

MARE Phaſianum, pars Ponti Euxini ad Ortum, verſûs Oram Colchidis & oſtia Phaſis fluvii.

MARE Phœnicium, idem quod Syrium, *mer de Sourie* dicitur.

MARE Pontus dictum, idem quod Euxinum, *mer Noire*.

MARE, quod *Propontis*, nunc dicitur *mer de Marmora*: eſtque inter Bithyniam & Thraciam.

MARE Purpureum, *mer Vermeille* Gallis, *mar Vermejo* Hiſpanis, eſt in America Septentrionali, inter novum regnum Mexicanum ad Ortum & Californiam inſulam ad Occaſum.

MARE Rhodium, *mer de Rhodes* Gallis, *mare di Rhodi* Italis, verſûs Rhodum inſulam & oram Aſiæ minoris.

MARE Rubrum, à Græcis *Erythræum* vocatur, & aliquando ab Indo fluvio ad mare Azanium intelligitur. Sed mare Rubrum, de quo in veteri Teſtamento mentio fit, propriè ab Antiquis ſinus Arabicus dicitur, quòd inter Africam, ubi Ægyptus & Æthiopia, ac Aſiam, ubi Arabia, per 1200. mill. paſſ. & ampliùs ſe extendit. Iſraëlitæ mare Rubrum tranſierunt, tanquam aridam terram, quod experti Ægyptii ſubmerſi ſunt; nuncque vulgò *mer Rouge* & *mer de la Mecque* vocatur à Gallis, *Baudrand*. *Loydio Mare Rubrum*, ſeu *Erythræum mare*, in duos dividitur ſinus, Perſicum & Arabicum, in quos varii fluunt amnes; *Dionyſio Æthiopicum*, *Plinio* & *Melæ Indicum*, & *Herodoto Perſicum* appellatur, inter Africam ac Taprobanam inſulam Aſiæ, cujus meridionalem partem alluit. *Strabo* illud ſub Atlantici nomine comprehendit. Hujus pars, quæ Perſiam, & Arabiam Felicem lambit, *Azanium* apud *Plin.* appellatur *l. 6. c. 24. Mar d'India* à Luſitanis dicitur, ut quidam volunt. Maris Rubri vocabulum tam latè apud bonos auctores extendi, fugit Guilandinum in ſuo *de Papyro* libello, ubi Euſtathium reprehendit, quòd ſcribat Indiam ad Rubrum Oceanum pertingere: Item Martinum Del Rio, apud quem malè audit Seneca, quòd dicat *in Troad. Actu.* 1. *v.* 11.

Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.

Sed hic error illis communis eſt cum his, qui mare Rubrum tantùm pro Arabico ſinu intelligunt; idque malè. Indum enim, Tigrim, & Euphratem fluv. in hunc ſinum minimè exonerari, cunctis penè notiſſimum eſt, eaque tamen in mare Rubrum ſe exonerare, apud claſſicos autores luce clarius oſtenditur. De Mari hoc cum Mari Mediterraneo conjungendo, Imperatores Turcici & Sultani Ægyptii, non unâ vice conſilia agitârunt, ut vel Nilum Mari Rubro conjungerent, indeque in Mare Mediterraneum navigatio inſtitui poſſet: vel ipſum Iſthmum, qui utrumque Mare disjungit, perfoderent: ſed irritô hactenus ſucceſſu. Aliud fuit conſilium Proregis Indici Alphonſi Albuquercii, qui Nilum ab Ægypto avertere conſtituerat, ductô alveô ex Abaſſia in mare Rubrum, ut ita Ægyptum ſterilem & Turcis infructuoſum redderet: verùm negotio immortuus eſt. Vide Becmannum *Hiſt. Orbis Terr.*

MARE Sardoum, inter Sardiniam & Mauritaniam Cæſarienſem, illam ad Boream, Sardiniam alluens ad Occaſum *mer de Sardaign.*

MARE Sarmaticum, *mer de Moſcovie*, ſeu *de Petzorke*: pars eſt Oceani Septentrionalis, Hyperborei, & Glacialis, verſûs oram Borealem Moſcoviæ, & Novam Zemlam: & mare *Myrmanskou More* ejus etiam pars creditur.

MARE Scythicum, pars eſt Oceani Septentrionalis, vulgò *mer de Tartarie* Gallis, *Niaren more* incolis.

MARE Siculum, *mer de Sicile*, aliàs mare Auſonium, pars eſt maris Ionii.

MARE Suecicum, ſeu Codanus ſinus, *la mer Baltique*. Vide *mare Balticum*.

MARE Superum, idem Hadriatico cum Auſonio, *Golfe de Veniſe*.

MARE Syrium, *mer de Sourie*, pars eſt maris Mediterranei, magis ad Ortum extenſa verſûs Syriam.

MARE Thuſcum, idem Tyrrheno & Infero, *mer de Toſcane*.

MARE Tiberiadis. Vide *mare Galilææ*.

MARE Trinacrium, idem Siculo, *mer de Sicile*.

MARE Tyrium, pars Syrii, Tyriorum oram alluens.

MARE Tyrrhenum, ſeu Thuſcum & Inferum, *mare Toſco* ſeu *di Toſcana* Italis, *mer de Toſcane* Gallis, pars eſt maris Mediterranei, inter Thuſciam, ditionem Pontificiam regnumque Neapolitanum, & inſulas Siciliam, Sardiniam, & Corſicam.

MARE Venedicum, ſeu potiùs ſinus Venedicus, *Golfe de Dantzick*, pars eſt maris Baltici, verſûs Pruſſiam provinciam Poloniæ.

MARE Virginium, ſeu meliùs Verginium, pars eſt Auſtralis maris Hibernici, inter Hiberniam & Bolerium promontorium Cornubiæ, nunc *mer d'Irlande* ex parte tantùm. Plura de Mari, Vide apud Auctorem anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* De quæſtione, *an mare ſit capax Imperii?* vide Joh. Seldenum & Hug. Grotium, quorum ille *Mare clauſum*, hic *liberum* edidit, &c.

MARE, apud Eſaj. *c.* 11. *v.* 15. Nilus eſt; quem ita vocârunt etiam Arabes, propter amnis amplitudinem, & quia certis temporibus per totum Ægypti *Delta* maris inſtar effunditur. Unde Plin. *l.* 35. *c.* 11. *Nili aqua eſt mari ſimilis.* Similiter lacus majores quilibet Hebræis, totidem ſunt *Maria*. Sic enim dicunt *Mare Salis*, *Mare Sodomæ*, *Mare Cinnerith* ſeu *Genezareth*, cùm hæc maria meri lacus ſint. Atque hinc explicat *Bochart.* quod hactenus nemo tentavit, quorſum Hebræi in terra Chanaan *Maria ſeptem* numerent, *in verba Pſalmi* 24. *v.* 2. *Super maria fundavit eam*, quæ ad terram ſuam referunt. Septem hæc Maria ita recenſent Talmudici in *Bava Bathra c.* 5. *fol.* 74. 1. *Mare Tiberiadis.* 2. *Mare Sodomæ.* 3. *Mare Helath.* 4. *Mare Helatha.* 5. *Mare Sobchi.* 6. *Mare Apameæ* & 7. *Mare Magnum.* Quæ tamen multo aliter recenſet Kimchius ex *Midras* ſeu *Commentario in Pſalmos vetuſtiſſimo*. *Bocharto* videtur hîc terra Chanaan latè ſumi, prout Salomonis ævô ab Ægypto & Mari Rubro, uſque in Syriam Antiochenam, extendebatur. Sic in terra Chanaan cenſebantur VII. *Maria*: Primum, *Mare Magnum*, ſeu *Mediterraneum*, Secundum, *Mare Rubrum* ad Sinum Elamiticum, quem Talmudici perperam vocant *mare Helath* & *Helatha*; ejuſdem ſinus duo nomina parùm diverſa ſic diſtinguentes, quaſi eſſent diverſa maria. Mare tertium, quartum & quintum, ſunt tres in Jordane *lacus*, quorum primum prope fontes, in Talmude vocatur *ſabchi*, in Kimchio *ſochni*: ſed verum nomen fuit *ſabchoni* vel *ſamchoni*, in Joſepho *Samachonitis*, vel *Semechonitis*, *Jud. Ant. l.* 5. *c.* 6. & *de Bello l.* 3. *c.* 18. Sextum eſt, *Mare Apamiæ*, qui lacus fuit prope Orontem & Apamiam, Æliano ἡ λίμνη ἡ Ἀπαμεῖτις, ubi ſiluri multi, *Hiſtor. l.* 12. *c.* 29. Septimum eſt Mare *Sarjetha*, h. e. Auſtrale; Sirbonis nempe lacus, quô ad Auſtrum terminatur Terra Chanaan. Neque verò Hebræis peculiare id fuit, quòd lacubus *Marium* nomen indiderunt. Æthiopicum enim lacum, circa promontorium Pytholai, θάλατταν, mare, vocari aſſerit Strabo *l.* 16. Et in Ariſtotele *Meteorologic. l.* 1. *c.* 13. memoratur, ἡ ὑπὸ τὴν Καύκασον λίμνη, ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλατταν, *Lacus ſub Caucaſo, quem accolæ* Mare *appellant*. Idem fortè, quod Agathias *parvum mare* vocat *l.* 3. &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 17. Sed & eâdem ratione, amnis ſeu fluvius Scotiæ *Fortha*, in *LL.* Malcolmi II. Scotiæ Regis *c.* 8. §. 11 *Mare Scotiæ* vocatur, quòd æſtuarium ejus, Lothianam & Fifam provincias ſeparans, reliqua omnia hujus Regni æſtuaria magnitudine ſuperet, Vid. etiam Buchanan. *l.* 1. Neque aliunde videntur enatæ voces, *mær* & *mor*, pro palude aut lacu, apud Germanos, Flandros & Anglos, apud quos, utì auctor eſt Gervaſius Tilleberienſis *de Otiis Imper. l.* 3. *c.* 90. *Omnis concurſus mere ſeu mare dicitur* &c. De Veterum feſtivitate, cum *Mare aperiebatur*, vide infrà *Navigatio prima*; aliquid etiam voce *Paſſag um*; de *Marium Subpolarium* rapiditate inſuperabili, ubi de *Polari Stella*; de ritu Græcorum *Mare Baptizandi*, vigiliâ Epiphaniæ, voce *Paramonarius*: de veterorum opinione *in Mari* ſceleratos puniri, voce *Scelerati*. Addam aliquid de celebri Θαλαττοκρατίας inter Athenienſes olim ac Lacedæmonios lite indigitatâ C. Nepoti, tum alibi, tum *Timotheo c.* 2. *Quô factô* (poſt fugatam ſcil. à Timotheo Laconum claſſem) *Lacedæmonii de diutina contentione deſtiterunt, & ſuâ ſponte Athenienſibus imperii maritimi principatum conceſſerunt* &c. ubi intelligit Θαλάττης ἐπικράτειαν, quam cùm per vices modò Athenienſes, modò Lacedæmonii tenerent: illi tandem principatum receperunt, operâ Timothei Ducis, & per 75. annos obtinuerunt. Inter cœtera verò commoda, quæ *Maris imperium* adferebat, fuit hoc τὸν ὄψον εἰς πλεῖν, ut dicitur ab Antiphane apud Athenæum *l.* 8. ſive quòd ex ſubjectis Inſulis piſces Athenas importabantur, Keuchenius *ad Corn. Nepotis loc.* cit. Plura infrà voce *Thalaſſocratia*.

MARE, Æneum, ſeu *Labrum*, item *Lacus æneus*, in Templo Salomonico (locô Malluvii, quod in Tabernaculo fuerat) in Atrio, ponè Altare æneum ſeu holocauſtorum, verſus Auſtrum extructum eſt, à Salomone & his verbis deſcribitur 1. Regum *c.* 7. *v.* 23. *& ſeqq. Item fecit ipſum lacum fuſum: decem cubitorum erat à labri parte una ad alteram, rotundum circumquaque, cujus altitudo quinque cubitorum, & filum triginta cubitorum cingebat eum circumquaque. Colocynthides autem ſubter labium ejus circumquaque cingebant ipſum, denæ in cubitum ambiebant lacum circumquaque duobus ordinibus colocynthides fuſæ in fuſura ejus. Stabat impoſitus duodecim bobus, tribus reſpicientibus ad Aquilonem, & tribus reſpicientibus ad Meridiem, ac tribus reſpicientibus ad Orientem: quibus erat locus impoſitus ſupernè: Ita eorum omnium poſteriora intus. Craſſitudo autem ejus palmaris erat & labium ejus ſimile operi labii calicis, aut floribus lilii: bis mille bathos continebat* &c. Uſus ejus indigitatur 2. Paral. *c.* 4. *v.* 6. *Lacus erat Sacerdotibus, ad lavandum ſe ex eo.* Sicut alia minora lavacra appoſita erant, abluendis victimarum carnibus, ut *ibid.* videre eſt. Promanabat autem ex Lacu aqua, è duodecim ſiphonibus ſeu mammis, ut uná vice duodecim Sacerdotes ex eo ſe lavare poſſent, juxta Legem Exodi *c.* 30. *v.* 18. 21. Quô exprimebatur ablutio noſtra ſpiritualis per Chriſtum, cujus ſanguis *nos ab omni peccato purificat*, 1. Joann. *c.* 1. *v.* 7. Sicut & illa ſimili imagine per Baptiſmum noſtrum adumbratur, quo ad ingreſſum Eccleſiæ Chriſtiani purgantur, Actorum *c.* 22. *v.* 16. Sed & Sacerdotibus ſacra non eſſe illotis manibus tractanda, eôdem Labrô innuebatur &c. Franc. Burmann. *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 14. *&* 15.

In MARE Dejectio Græcè καταποντισμὸς, inter Judæorum pœnas, vide infrà *Pœna*; Item Romanorum, vide ſuprà *Graſſantes*; aliorum porrò iterum infrà in *Submerſio*. Ab ea differt Superundatio, de qua ſuô locô.

MAREARCHUS vel *Mariſarchus*, apud Henr. Knyghtonem in *Eduardo III.* & *Richardo II.* vox hybrida eſt, ex Latino *ma-*

re & Græco ἀρχὸς vel ἄρχων, pro Maris Præfecto, Admiralio, Thalaſſiarcho, vide *ſuis locis.*

MAREJA, urbis ſeu vici in Ægypto nomen juxta Alexandriam, *Steph.* Inter illum & Pharum, apud Arapotem lacum ſive *Marium* & *Mareotidem* paludem. Aliis Æthiopiæ civitas, *Thucyd.*

MARENGIUM, ſeu MARVECUM, urbs Occitaniæ, in Gabalico tractu, ad radices montium, ad amnem *Colange*, verſus limites Ruthenenſis tractus. *Marenge*, ſeu *Marveiols* vulgo. 7. leuc. à Floriopoli in Auſtrum, ferè 4. à Mimate in Occaſum.

MARENNEJUM, vulgò MARIGNY, locus Galliæ in Normannia.

MAREOTIS, lacus in Ægypto, *Maria Straboni*, *Lago de Buchiara*, *Moletio*, *Caſtaldo*, &c. circuitu olim 600. mill. paſſ. trajectu 30. Alexandriam à Meridie alluens, & multis Nili foſſis, tum à ſuperioribus partibus, tum à latere adauctus portum habens nobilem, eôque qui ad mare eſt, multò utiliorem. Strab. *l.* 17. Hinc territorium circa Alexandriam ejuſdem nominis, variis pagis conſtans: in quorum uno, cui nomen, εἰρήνη σεκονταρούρου, degit Iſchiras, S. Athanaſii calumniator, ut ipſemet *Apol.* 2. ut & *Theodoret.* & *Socr.* referunt. *Mareotis* præterea appellatur pars illa Libyæ, quæ *Ptolemæo Marmarica* dicitur. Ejus deſcriptionem vide apud Plin. *l.* 5. *c.* 6. Hebeni Mareoticæ Lucan. *l.* 10. *v.* 117. meminit:

Calcabatur onyx: hebenus Mareotica vaſtos
Non operit poſtes.

Eſt præterea *Mareotis*, pars Epiri, in qua vinum optimum naſcitur, unde *Mareotides* uvæ dictæ ſunt, & *Mareoticum* vinum. Virg. *Georg. l* 2. *v.* 91.

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ.

Ita vulgò creditum, atqui vites iſtæ celebres ſunt, non in Mareotide Epiri, ut quidam falſò, ſed in Libyâ Mareotide Ægypto conterminâ. Strabo *l. ult. Eſt in his locis vini maxima copia, ut etiam Mareoticum vinum ad vetuſtatem perduret.* Plautus *in Caſinâ, Actu.* 3. *ſc.* 5.

Niſi hæc meraco ſe uſpiam percuſſit flore Libyco.

Id eſt, vinô Mareoticô, explicante Turnebô *l.* 8. *c.* 11. & Lambinô in eum locum. Athenæus quoque *l.* 1. ita perſpicuè, *Mareoticum vinum, quod etiam Alexandrinum vocavêre à Mareiâ lacu vicino Alexandriæ, & urbe lacui propinquâ, atque ejuſdem nominis. Frequens in eo tractu vinea eſt.* Demum Servius *Mareotidas* explicat *Ægyptias.* Itaque malè aliqui has vites ad Epirum rejiciunt; Malè etiam videtur ſcripſiſſe Columella *l.* 3. *c.* 2. *Nam quæ Græculæ vites ſunt, ut Mareotica, Thaſia, &c.* Plin. enim, qui pro Epiro adducitur, *l.* 14. *c.* 3. nihil tale. Horat. de Cleopatra *l.* 1. *Od.* 37.

Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar ———

Stat. *l.* 3. Sylv. 2.

——— *Modò nam trans æquora terris*
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum.
Prima ſalutavit Capreas, & margine dextrô
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Nic. Loyd.

MARES, populi vicini Moſſynoecis. *Steph.* Item nomen Principis cujuſdam. Eſther *c.* 1. *v.* 14.

MARES, fil. Goſormiæ, dictus Ἡλιόδωρος, *Solis donum*, Thebanorum in Ægypto Rex IX. præfuit ann. 26. Cæacho apud Thinitas, & Ameneme in Ægypto inferiori rerum potitis. Eum excepit Anoyphes, Eratoſthenes apud Joh. Marshamum *Canone Chron.*

MARES, apud Ælian. *Var. l.* 9. *c.* 15. inter Auſones, in Italia: vetuſtiſſimis temporibus, jactatur fuiſſe ἱππομιγής, & *antica hominis, poſtica equi habuiſſe:* qualia de Centauris ſcribunt Poëtæ, Vide ubi de *Centauris.*

MARESA, civitas in tribu Judæ, patria Michææ prophetæ, quam ædificavit Roboam. 2 Paral. *c.* 11. *v.* 8. Hanc *Benjamin Bethgebarim* vocat.

MARESCHALLUS Franciæ, ſeu Supremus Caſtrorum Præfectus, dignitas militaris in Gallia ingens, proprie enim hi ſunt, quod Magiſtri Equitum, vel Tribuni & Præfecti militum apud Romanos, apud Græcos olim Chiliarchæ. Primitùs agminis primi ductores erant, qui hoſtem detegerent & locum caſtris idoneum eligerent. Hodie milites in fidem recipiunt, deque cauſis militaribus vel per ſe vel Locumtenentes ſuos judicant: Præſtant autem juramentum non Regi ſolùm, cùm baculô Mareſchalli donantur, ſed Parlamento inſuper. Numerus, qui ante Franciſci I. tempora exiguus erat, hodiè ingens eſt. Sub his ſunt Mareſchalli Campi, ſeu Caſtrorum Tribuni, Mareſchalli diverſoriorum ſeu Metatores Caſtrorum, & Hoſpitiorùm deſignatores. In Germania, ubi Conneſtabilis ignotum nomen, Electores Saxoniæ magni Imperii Mareſchalli dicuntur: ſic Comitibus Flandriæ & Campaniæ ſui olim erant. In bello Simonis Montfortii contra Albigenſes, quidam Mareſchallus Fidei dictus fuiſſe legitur. Favin. *de Offic. Coronæ Gall.* Vide in voce *Marſcalcus.*

VARII GENERIS MARESCALLI, EX SPELMANNO ET CAR. DU FRESNE, ORDINE DIGESTI.

Mareſcallus Aulæ, apud Anglos, occurrit in Fleta *l.* 2. *c.* 15. *cujus officium, menſis præparatis, mappis ſtratis, intrinſecos & extrinſecos — evocare & decenter ac curioſè collocare, & indignos ejicere, non permittere canes aulam ingredi, & toti familiæ Regis, ipſo monente, hoſpitia liberare.* Eidem *Intrinſecus* dicitur *d. l. c.* 5. §. 2. Virgam præferre Magno Mareſcallo, & à quolibet Barone, factô Milite à Rege & quolibet Milite, *paleſridum cum Sella recipere* conſuevìſſe, legitur apud Mat. Paris *A. C.* 1250. & in *libro rub* Scaccarii Angl. *fol.* 30.

Mareſcallus Banci Regii, apud eoſdem, incarceratorum curam habebat, unde *Mareſcalcia* dictus ipſe carcer Londinenſibus. Ejus mentio in *Statuto* Eduardi III. *c.* 8.

Mareſcallus Curiæ, in *Bulla Aur. c.* 27.

Mareſcalli Epiſcoporum, apud Lindwodum *in Provinciali Cantuar. l.* 3. *tit.* 22. dicuntur, qui aulas eorum & interiora regunt. In quorum ſuperbiam, avaritiam ac inſolentiam, graviter invehitur Petrus Bleſenſ. *Ep.* 14. Sic *Mareſcalli* in domibus privatis Nobilium, memorantur in *Fleta l.* 2. *c.* 74.

Mareſcallus Exercitus Dei & Eccleſiæ ſanctæ, habetur apud Matth. Paris *A. C.* 1215. *p.* 177.

Mareſcallus Fidei, à vulgo dictus eſt Guido *de Levis* Mareſcallus exercitus Cruceſignatorum, contra Albigenſes, auctore *Tillio.* In *Tabulario* S. Dionyſii Thuanæo uterque Guido, pater & filius, *Mareſcalli Albigenſium* inſcribuntur, in *Literis* A. C. 1233. & 1234.

Mareſcallus Forinſecus, apud Anglos, opponitur *Mareſcallo Intrinſeco* ſeu *Mareſcallo Aulæ:* eſt autem hæc *Mareſcalcia*, quædam Magna Sergentia Regis, verba ſunt Fletæ *l.* 2. *c.* 4. Comiti Norfolcienſi in feodo commiſſa, cui, cùm perſonaliter, pro Sergentia illa, Regi debitum ſervitium facere non ſemper poſſit, licet aſſenſu Regis locô ſuô Militem, quendam conſtituere, qui vices ejus obeat. Atque huic quidem ſervienti commiſſa eſt virga, coram Rege deferenda, pacis ſignum; unde *Virgata* appellatur ſpatium 12. leucarum, quæ ſequitur Regem, ubicunque fuerit. In omni porro bello, primus eſt in acie, & loca aſſignat exercitui ac univerſis, in quibus erunt moraturi &c. Tempore autem pacis, ejus officium eſt, aſſignare Camerario Regis, pro Rege & Camerario. & intrinſecis ejus, hoſpitia, aliaque exequi, quæ in *Schedis* Gallicis à Spelmanno editis fusè continentur.

Mareſcallus Intrinſecus vide ſuprà *Mareſcallus Aulæ.*

Mareſcalli Magnatum, qui hoſpitia Magnatibus ac Dominis ſuis parabant, Gall. *Marechaux des logis.* Vide ſuprà, ubi de *Manſionariorum officio*, & infrà in *Protoſtrator.*

Mareſcallus Magnus, apud Anglos, qui *Comes Mareſcallus* interdum dicitur. Vide Matth. Paris. *A. C.* 1233. *p.* 263.

Mareſcallus Regiæ aulæ, vide ſuprà *Mareſcallus Aulæ.*

Mareſcallus Regis de Feodo, apud eoſdem, dicitur in *Statuto* 2. Weſtmon *c.* 46. ubi eadem de hominiis Baronum habentur.

MARESHUAN, vel METHASVAN, 8. menſis anni Hebræorum: nullô vel feſtô vel ſacrificiô quôdam extraordinariô inſignis. Sigon. *in Kalend. Hebr.* Torniel. *A. M.* 2544. *n.* 12. 2545. *n.* 30.

MARESIA, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 44. Urbs Ciliciæ videtur *Guil. Tyrio.*

MARESIUS Samuel, Gallicè *Des Maretz.*, Gallus Theologus celeberrimus, Natus Avimontii Gall. *Oyſemont*, oppidulô haud ignobili Picardiæ, A. C. 1599. formatorem pueritiæ habuit Eſajam Blanchardum Eccleſiæ patriæ Paſtorem, in literis egregiè verſatum: poſtea Lutetiæ Dempſtero & Grangerio, literas Humaniores docentibus, Guillono, & Theodoro item Marcilio, ut & Craſſotio ac Jano Cæcilio Frey eximiis Philoſophis, per triennium adhæſit. Inde Salmurii Theologiæ vacavit, per biennium Fr. Gomarô præceptore uſus: Genevam poſteà delatus Joh. Deodati, Theod. Tronchini & Bened. Turretini, excellentium Theologorum, lateri ſe applicuit. Sed Lutetiam, poſt aliquam moram, reverſus, ſub Paſtorum Pariſienſium ductu, praxi diligentiùs vacavit, ibique A. C. 1620. rigido, quale tum in Gallia erat, examini ſe ſtitit, mox Laodunenſi in Veromanduis Eccleſiæ admotus: in qua ſtatione dum magnô verſatur zelô, cum adverſariis quotidie confligere neceſſe habuit; à quibus ſicariô ei immiſſô profundum accepit vulnus A. C. 1623. quô ſanatô, à Synodo Vitriacenſi A. C. 1624. Eccleſiæ Faleſienſi commodatus eſt. Mox Sedanum ab Elizabetha Naſſovia, Bullionæi Ducis vidua, vocatus in Capelli locum, Paſtor Eccleſiæ A. C. 1624. & Theologiæ Profeſſor ibi magno cum fructu fuit: unde excurrens in Hollandiam, A. C. 1625. Leydæ, Docturæ inſignia accepit. Invitatus poſt hæc à Fœderati Belgii Ordinib. Trajecti ad Moſam Eccleſiam naſcentem paſcere cœpit A. C. 1632. mox inde Limburgum ductus, ibi primam ex publicâ auctoritate concionem habuit. Succeſſit miniſterium Eccleſiæ Sylvæducenſis, ad quod vocatus eſt A. C. 1636. Tandem in Gomari Præceptoris ſui, A. C. 1642. demortui locum, Groningam vocatus, utroque in munere, Eccleſiaſtico & Academico, talem ſe exhibuit, ut inter celeberrimos hujus ævi Theologos meritò numeretur. Scripſit plurima, quorum Elenchus *Syſtemati Theologiæ* ab ipſo edito, ſubnexus eſt: Obiit A. C. 1673.

Hocce diu felix Eccleſia lumine tandem
Poſcenti id Domino reddidit æqua ſuo.

MARESMIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

MARETH, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 59. urbs Ciliciæ, *Guil. Tyrio.*

MAREVENTUM, vulgò *Mervant*, locus Galliæ memoratus in literis Hugonis dicti *Archiepiſcopi*, datis A. C. 1263. locus eſt Partiniaco, quod oppidum eſt in agro Pictonio, proximus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Pertinaculum.*

MARECRA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

MARFETTA, quibuſdam *Morfetta*, oppidum Apuliæ Peucetiæ.

MARGÆA, nomen fontis apud *Plin.* Item urbs Elidis. *Steph.* pro quo *Margaiæ*, apud *Strab.* putat *Caſaubonus.*

MARGAII, populi Braſiliæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARGANA, vel *Margana*, urbs Indiæ. *Steph.*

MARGARA, Indiæ intra Gangem urbs circa ipſum fluv. *Ptol. Mogman Caſtaldo.*

MARGARIDA, mons Galliæ, in Gabalis, inſignis, Triobris fluminis fonte inclytus: pars Cebennarum, ſicut & Leſura, in eodem agro. Vulgo *la Maraide*, alias *Margeride*; Meminit & montis & fluvii, Sidonius *Propemptico ad libellum*,

Emenſuſque jugum die ſub uno
Flavum craſtinus adjicis Triobrem &c.

MARGARINUS Bignius, Doctor Sorbonicus, Normannus, inter illuſtres ſui temporis viros, deputatus ad Conventum Ordinum Bleſis inſtitutum, A. C. 1576. Bibliothecam PP. collegit, in qua ultra ducentorum Authorum ſcripta recenſet: ipſemet quoque libris editis clarus. Simler. *in append. Biblioth. Geſn. p.* 571. &c.

MARGARINUS Johannes, vide *Johannes.*

MARGARITA, Caroli Burgundiæ & Flandriæ Domini, filia & hæres, Maximiliano Cæſari nupſit.

MARGARITA, filia Raimundi Berengarii V. ex Beatrice Sabaudica, nupſit Ludovico IX. A. C. 1234. ejus in Orientem comes: formâ & virtute illuſtris: Mater 6. filiorum & quinque filiarum. Reprehenſa, quòd ditiones à Patre ſorori minimæ, quæ Carolo Andegavenſis Regis fratri nupſerat, relictas vindicatura, Imperatoris opem implorâſſet. Obiit A. C. 1285. Guil. Nangius, *in vita S. Ludovici.* Morerius *Dict. Hiſt.*

MARGARITA, filia Franciſci I. ex Claudia Francica, Græcè & Latinè docta, pietate ac virtute illuſtris, Literatos poſt Patrem patrociniô dignata, nupſit Emanueli Philiberto, Sabaudiæ Duci A. C. 1559. pignus pacis Cameracenſis. Prudentiâ, benevolentiâ in ſubditos, favore, munificentiâ in eruditos immortalem gloriam adepta. Obiit A. C. 1574. Thuan. *in Hiſt.* Morerius *Diction. Hiſt.*

MARGARITA, Henrici VI. Anglorum Regis uxor, magnô animô fœmina, Renati Andium Ducis filia.

MARGARITA, filia Henrici VII. Angliæ Regis nupta Jacobo IV. Regi Scotorum, prima unionis regnorum Magnæ Britanniæ, poſtea inſecutæ, jecit fundamenta. Nam cùm per XII. ſecula continua inter Anglos & Scotos bella fuiſſent, neque alterutra gens armis perdomari poſſet, tandem de matrimonio cogitatum fuit, quô univerſa Britannia aliquando conjungeretur, idque inprimis operam dedit Henricus VII. *Angliæ Salomo* cognominatus, ex cujus filia præfata deſcendens Jacobus VI. jure ſanguinis Eliſabethæ ſucceſſit. Et quanquam Henricus VIII. inter alias pacis cum Jacobo V. Rege Scotorum conditiones, etiam hanc tuliſſet, ut ejus filio Eduardo VI. Maria, Scotiæ hæres, nuberet, res tamen à Gallis impedita fuit, quorum artibus factum, ut Maria, ſpretô Eduardô, Franciſco II. Regi Galliæ, ſe jungeret: unde nova inter Scotos Angloſque bellorum cauſa. Poſtea tamen, Elizabetha Regina Virgo, ultima ex ſtirpe Wilhelmi Conqueſtoris, eô ipſô ſine innupta manſit, ut, poſt ſuum obitum, univerſa Britannia in unius tandem poteſtatem concederet: atque hinc Jacobum VI. Succeſſorem ac Hæredem teſtamentô ſcripſit. Quâ ratione CCCLX. Inſulæ Brittannicæ in unam Monarchiam coaluerunt, titulô *Regni Magnæ Britanniæ.* Inter alias enim conditiones, quibus utraque Regna conjuncta ſunt, etiam hæc fuit, ut ad evitandam adverſarum nationum æmulationem, cùm nec Angli Scotis, nec Scoti Anglis poſtponi vellent, *M. Britanniæ* nomine utrumque regnum in poſterum veniret. Atque tum impletum fuit vaticinium antiquiſſimum *Merlini* famoſi apud Veteres Britannos Magi, qui prædixit *fore, ut obolitis Anglorum nomine Britanni iterum in Inſula regnarent.* Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 220. *&* 221. ut & Verulamium *in Henrico VII.*

MARGARITA, filia Valdemari IV. Daniæ Regis, celebris Danorum Heroina, Hiſtoricis *Arctoa Semiramis* dicta. Haquino, Norvegiæ Regi, nupta peperit ei Olaum V. qui poſt mortem avi, Norvegiæ regnum Daniæ junxit tutrice matre, circa A. C. 1377. Pontan. *Hiſt. Dan. l.* 8. Poſteà filiô præmaturâ morte ereptô, mater Ericum, neptis ſuæ è ſorore filium, Regem Norvegiæ declaravit: Mox Albertum Suecum, è ſorore filium, Norvegiæ Daniæque inhiantem, à quo *miſſâ cote, ut aciculas ſuas cultroſque acueret*, irriſa fuerat, vicit, cepit, & poſt ſeptennalem carcerem regnô quoque ſuô cedere coëgit: quô factô Ericus VIII. Daniæ Sueciæ Norvegiæque Rex declaratus eſt A. C. 1396. Vide Crantz. *l.* 7. *Dan. & Suec.* 6. *c.* 39. Arnold. Vitſ. *Chron. Dan. part.* 3. &c.

MARGARITA, filia notha Caroli V. ex Margarita Vangeſta, puella nobili Flandrica, in aula Margaritæ, primò filiæ Maximiliani I. dein Mariæ Hungariæ Reginæ educata, nupſit Alexandro Mediceo Florentiæ Duci, eôque occiſô, Octavio Farneſio, nepoti Pauli III. quem utpote vix tredecennem, initiò aſpernata, dein, cùm biennium abſens ex Africa, quò ſocerum ſecutus erat, rediiſſet, tenerè amare incepit, gemellos maſculos paulo pòſt enixa, eôdem tempore, quô maritus Parmæ & Placentiæ Dux creatus eſt. Animi corporiſque robore incredibili, ſupra Sexum ſapuit, aliquâ etiam lanugine mentum obumbratâ: podagricos inſuper, quod in fœmineo ſexu rarius, aſſultus non rarò ſenſit. Belgio præfecta, à Philippo II. fratre, turbulentiſſimis illis motuum notiſſimorum temporibus, tantâ dexteritatis & prudentiæ laude, clavum tenuit, ut ſpes eſſet, brevi illos pacatum iri. Sed rigor Ducis Albani Margaritæ ſurrogati, vulnus, quod jam cicatricem ducere cœpit, exaſperavit: Quod illa prævidens doleníque in Italiam ſeceſſit. Obiit A. C. 1586. poſtquam filium Alexandrum, Johannis Auſtriaci, in præfectura Belgii, ſucceſſorem vidiſſet. Thuan. *in Hiſt.* Strad. *de Bello Belg.* H. Grotius, *in Annal. Belg.*

MARGARITA, filia Florentii, Comitis Hollandiæ, ex Michaëlide Lotharingica, quæ ex marito Hermanno, Comite Hennebergenſi prægnans dicitur unô partu 365. filios filiaſque enixa, in pœnam eluſæ pauperculæ cujuſdam. Sed fabuloſum hoc eſſe vir quidam eruditus haud pridem demonſtratum ivit. Aliam ejuſdem nominis 36. infantes unô nixu edidiſſe, hiſtoriæ Polonicæ referunt.

MARGARITA Auſtriaca ſeu Flandrica, filia unica Maximiliani I. Imperatoris ex Maria Burgundica, ſoror Philippi I. Hiſpaniæ Regis. Mortuâ, equi lapſu, matre, in Galliam miſſa eſt, ut in aula Ludovici X. educaretur, mox Delphino deſponſata, at hôc poſtea Annam Britannicam, quæ Maximiliano promiſſa erat, ſibi jungente, ad Patrem remiſſa eſt. A. C. 1492. Deſponſata poſtmodum Johanni, filio unigenito Ferdinandi & Iſabellæ Caſtiliæ & Arragoniæ Regis in Hiſpaniam profectura tantùm non naufragiô periit: Certè dum inter furentes fluctus mortem meditatur, ſibi ipſi hoc Epitaphium condidit:

Cy giſt Margot, noble Damoiſelle,
Deux fois mariée & morte pucelle.

Hôc liberata periculô in Hiſpaniam appulit, ſed brevi maritô mortuô, inde redux, nupſit A. C. 1501. Philiberto Sabaudiæ Duci qui triennio pòſt improlis obiit, poſt cujus mortem ad Patrem reverſa eſt. Dein Belgii præfecturam geſſit, non ſine magna prudentiæ laude. Ejus Symbolum, *Fortune, Infortune, fort-une*, quod varii variè explicant. Obiit Mechliniæ, A. C. 1532. ætat. 54. Scripſit proſâ verſuque varia, inter quæ, *Diſſertationem de vita ſua.* Vide Agrippam, qui illi à conſiliis fuit, *Orat.* 16. *Mariánam*, Morerium *Diction. Hiſt.* &c.

MARGARITA Eboracenſis, filia Georgii Clarentiæ Ducis fratris Eduardi IV. Ingeniô & pietate inclyta. Ex Richardo Polo, mater Reginaldi Poli Cardinalis. Ab Henrico VIII. & Catharina Arragonia, Mariæ filiæ educationi præfecta primùm, poſteâ quòd Regi filius Reginaldus liberè illicitos amores ſævitiamque exprobrâſſet, capite plexa eſt. Ducheſn. *hiſt. Angl.* Hilario Coſtus *in elog.* &c.

MARGARITA Francica, filia Ludovici VII. ex Conſtantia Caſtellana. Nupta primò Henrico filio Henrici II. Angliæ Regis, dein Belæ Hungariæ Regi, quem in Orientem ſecuta eſt: Obiit Acræ, A. C. 1197. Item, filia Ludovici IX. ex Margarita Provinciali uxor Johannis I. Brabantiæ Ducis. Item, filia Philippi Audacis ex Maria Brabantina, nupſit Eduardo I. Angliæ Regi A. C. 1299. Item, filia Philippi Pulchri Regis ex Johanna Navarræa, nupta Ferdinando IV. Regi Caſtellano. Item, filia Roberti II. Burgundiæ Ducis, uxor Ludovici X. adulterii, vivô adhuc ſocerô, convicta in carcere obiit, A. C. 1314. Item filia Philippi V. ex Johanna Burgundica, nupſit Ludovico Nivernio, Flandriæ Comiti. Obiit A. C. 1382. ætat 72. Mater Ludovici Malenſis.

MARGARITA Gorgona, Pſeudo-Demetrio II. qui in Moſcovia ſub initium ſeculi hujus turbas dedit, nupta, non minimi in illa gente nominis fuit. Poſtquam enim cæſô Pſeudo-Demetriô I. Ruſſi Baſilium *Ibanowitz Zuci* magnum Ducem elegiſſent, A. C. 1606. mox in Occidentalibus provinciis fama crebreſcere cœpit, miraculô evaſiſſe Demetrium ac propediem in Regnum reverſurum. Quippe eô ipſô tempore, quô Moſcoviæ Demetrius periit ſparſâ latè fama fuit, conſpiratum quidem in vitam ejus à ſicariis fuiſſe; cœterùm per medios hoſtes elapſum in Polonia, auxilii quærendi ergò verſari: Tamque ſubtiliter hic dolus inſtructus eſt, ut quidam Ludimagiſter oppidi Sogotiæ, cui nomen Johannis, perſonam interfecti Demetrii aſſûmeret, adjutus auxiliis Coſaccorum. Contra quem emerſit quidem Pſeudo-Demetrius III. in Ruſſia Septentrionali ſed imperium illius mox evanuit. Tandem verò & ipſe Pſeudo-Demetrius II. oppreſſus eſt, creatô Magnô Duce Michaele Federovitiô, florente ætate ac virtutibus juvene: cui ſe *Margarita* vidua Pſeudo-Demetrii oppoſuit, quæ ductô *Iwan* Martinovitiô *Caniſci* Coſaccorum Duce, provincias Ruſſiæ Orientales, Caſanum, Aſtracanum, Siberiam, Rezanam, Colugiam aliaſque provincias titulô Regni, pro filio ſuo adhuc impubere Pſeudo-Demetrio IV. occupavit. Donec, poſtquàm biennium durâſſet hoc Regnum, Pſeudo-Demetrius hic, cum Matre ſua Patreque captus ac à Ruſſis interfectus eſt. Vide eundem Hornium. *p.* 256. & 257. ut & *infrà.*

MARGARITA Lotharingica, nupſit Renato Valeſio, Duci Alenconio, &c. poſtea S. Claræ cœnobium ingreſſa *Hilar. Coſtus.*

MARGARITA Palæologa, filia Guilielmi, Marchionis Montisferrati, nupſit Friderico Gonzagæ, Mantuæ Duci.

MARGARITA, flos, vide ſuprà *Bellis.*

MARGARITA Scotica, Delphina Galliæ, filia Jacobi I. ex Johanna Sommerſetenſi, ingeniô inclyta, Ludovico Delphino, qui dein undecimus hujus nominis Rex Galliæ evaſit, nupſit A. C. 1436. Alano Charterio, ut erat literatorum amans, fortè in aula dormienti, oſculô fixô, interrogata, cur hominem adeò deformem tantô honore dignaretur, præclarè reſpondit, *non hominem, ſed os hominis* adeò facundum oſculatam ſe eſſe. Non magnopere dilecta marito, ſine prole deceſſit A. C. 1445. Mezeray *Hiſt. Gall.*

MARGARITA Valeſia, Franciſci I. Galliæ Regis ſoror, nupſit primò Carolo, ultimo Alenconii Duci, Conneſtabilis dignitate à Rege ornato, qui expeditionis Italicæ comes, in reditu, animi mœrore, ob captum ad Ticinum Franciſcum Lugduni contabuit. Sic maritô, ſic fratre orbata, Hiſpalim ſe contulit, captivo ægroque Regi miniſtratura, tantùmque parrheſiâ ſuâ effecit apud Carolum, & miniſtros ejus, ut de rigore ſuo non parum remitterent. Rege poſtmodum liberatô, nupta Henrico Albretano Navarræ Regi, & Bearniæ Principi, ex illo Johannam Albretanam ſuſcepit, matrem Henrici M. Heroinâ pietate, virtute & literis laudatiſſimâ, verſu proſâque prompta, edidit inter

alia *Margaritam Margaritarum*, varia Poëmata Comœdiaſque continentem, *Speculum animæ peccatricis*, *Triumphum Agni*, *Heptaëmeron*, &c. Jacobum Fabrum Stapulenſem, purioris religionis inſtaurationem fortiter aggreſſum, exulem tutata eſt, cumque defunctum marmore, quod pro ſe exſcindi curaverat, contegi voluit: Gerardum inſuper Ruſſellum audiit & opus Reformationis in Gallia plurimum juvit. Obiit A. C. 1549. Symbolum ejus caltha Solem reſpiciens, cum lemmate: *Non inferiora ſecutus.* Item, Lilium inter duos uniones, cum verbis, *Mirandum naturæ opus.* Integrum volumen Epitaphiorum, hujus Heroinæ memoriæ conſecratorum, extat, inter quæ Annæ, Margaritæ & Johannæ Seimeriarum plurima Latina eminent. Addam unicum Valentinæ cujuſdam diſtichon:

Muſarum decima, & Charitum quarta, inclyta Regum
Et ſoror & conjux Margaris hicce jacet.

Vide Sammarthan. & Anton. Teſſier *in Elogiis* quorum hic omnia hujus eruditæ Principis *poëmata* enarrat, Veaderium *Biblioth.* ubi Philoſophiæ quoque ac Theologiæ peritiſſimam fuiſſe, docet; Spondanum. *ad A. C.* 1549. &c.

MARGARITA Valeſia, filia Henrici II. ex Catharina Medicea, formâ & ingeniô inclyta, poëmata varia & commentarios de rebus ſuis ſcripſit. Nupta Henrico Principi Vianæ, qui dein Navarræ, tandemque Galliæ Rex evaſit, nuptias ſuas lanienâ Pariſienſi funeſtatas vidit, ob mores poſtmodum à marito repudiata, qui A. C. 1599. Mariam Mediceam uxorem duxit, diu extra aulam exulavit. Permiſſu Regis tandem Pariſios veniens, A. C. 1505. obiit A. C. 1615. Ultima Valeſiæ ſtirpis. Vide Thuan. *in Hiſt.* Barclaj. *in Euphorm.* ubi inſigne in hanc Reginam carmen in perſona ejus ſic claudit:

Et vivo & morior toties, me funere longô
Nempe mori decuit, quæ tot per ſecula clarum
Induco tumulis ſuprema Valeſia nomen.

MARGARITA Arbuzia, ex Avernia oriunda, Abbatiſſa Vallis Gratiæ. Pariſiis, Obiit A. C. 1626.

MARGARITA de Cambis, Gaila, uxor Baronis Ægremontii, in Occitania, vertit Joh. Georgii Triſſinii Itali librum, *de Viduæ officio*, & Boccatii *epiſtolam Conſolat* ad Pinum Roſſium, exulem.

MARGARITA Gigia, Angla, Margaritæ filiæ Thomæ Mori, ſtudiorum ſocia. Nupſit Johanni Clementi, Medicinæ Doctori, cum quo, Henricô VIII. in utriuſque religionis cultores ex æquo ſæviente, in Belgium delata: obiit Mechlinæ. A. C. 1570. Stapleton. *in vita Thomæ Mori.* Pitſeus, *de Scr. Angl. p.* 567.

MARGARITA Mora, filia Thomæ Mori, Angliæ Cancellarii, erudita & multilinguis, ex Guil. Ropero, mater egregiæ prolis. Patrem in vinculis retentum ſolata & ad conſtantiam hortata, illô capite plexô, in ſtudiis libriſque componendis reliquum vitæ tranſegit. Stapleton. *in vita Thomæ Mori*, &c.

MARGARITA Porreta, ex Hannonia oriunda, Lutetiam ſecul. 13. delata, librum ibi compoſuit, nugis erroribuſque refertum; docens inter alia, hominem, qui in amore Conditoris ſui contabuit, liberè poſſe fræna libidinibus laxare: Exuſta A. C. 1210. quô & Guiardus quidam ſe Angelum Philadelphiæ, de quo in Apocalypſi, *c.* 3. *v.* 7. venditavit.

MARGARITA Sarrocchia, Neapolitana, poëma heroicum de Scanderbego, plurimaque alia Latina edidit: Sed, nimiâ ambitione tumens, cum eruditis ſui temporis non parum litis habuit. Vide Jan. Nicium *Pinacoth. P.* 1. *c.* 145.

MARGARITA Inſul. *Iſola Margarita*, ampla, maris Borealis, ubi unionum piſcatio, prope oram novæ Andaluſiæ. Detecta fuit à Chriſtoph. Columbo A. C. 1498. Circuitus 50. leucar. Gall. 8. à continenti Americæ meridionalis 40. ab Inſula Trinitatis in Occaſum. Sub Hiſpanis cum urbe Epiſcopali cognomine.

MARGARITA Inſul. quæ *Gorgon*, vide ibi, aliàs *Urgo.*

MARGARITA vide ſupra *Alba*, & infra in voce *Peninim*, item in *Monolinum Perla*, & *Unio.* Scriptoribus Eccleſiæ Græcæ ſic vocantur particulæ S. Euchariſtiæ. Apud illos enim Sacerdos, dum communicat, hoſtiæ quartam partem abſumit, tres reliquas ſummis digitis in particulas, eaſque minutulas, ſuper patena comminuit, quod aptius commodiuſque ex pane recenti abſolvitur, cùm veteraſcens alias panis, humore abſumtô, in pulverem fatiſcat; quæ quidem particulæ pro infirmis reſervantur. Eas autem μαργαρίτας vocat *Liturgia* Chryſoſtomi, ψιχὰς *Cyrillus Hieroſolym.* μερίδας, *Euchologium*, de quibus vide hîc *paſſim.* Sed & μαργαρίτης Græcis recentioribus appellatur vas, in quo eæ aſſervantur, uti docet Franc. Richardus *Relat. de Inſul. S. Irenes p.* 221. apud Car du Freſne *in Gloſſar.* qui hanc in rem inſuper Leonem Allatium *de Recentiorum Græcorum Templis* laudet. Vide & ſuprà, voce *Aliobar*, item *Bedolach*, *Callus*, *Exaluminatus color*, *Lapilli.*

MARGARITARII, apud Firmicum *l.* 8. *Math. c.* 16. dicuntur margaritarum piſcatores, ſeu concharum margaritiferarum veſtigatores, qui non ſine ingenti periculo labore hôc defunguntur. Cùm enim *margarita*, ut Plin. *l.* 9. *c.* 35. ex eo Solinus *c.* 56. habent, plerumque inter ſcopulos aut marinos canes deliteſcant, ab his diſcrimen non parvum piſcantibus margaritas, ut ex hiſtoria illa colligere eſt, quam refert Procopius *in Perſicis l.* 1. Margaritarias enim conchas in alto comitari amant hi canes. Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 6. *Captura autem difficilis & perículoſa, ſed amplitudines pretiorum illa efficit ratio, quòd frequentari ſueta litora, propter piſcantium inſidias declinantes, ut quidam conjiciunt, circa devios ſcopulos, & marinorum canum receptacula deliteſcunt.* E quibus colligit Salmaſ. non ipſas conchas, comprimentes ſeſe ac manum urinatoris morſu abſcindentes, periculoſam hanc piſcaturam facere, uti multi ſcribunt. Vide eum de *Margaritis* pluribus differentem, *Exercit. Plin. ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1171. Sed & hinc *Margaritariis* metum eſſe, docet Iſidorus Characenus, qui margaritas venantur, ſi in hiantem concham rectà manum indiderint, eâ clauſâ digitos ſæpe amittere hôcque cruciatu ſtatim interire, hincque à latere conchæ manum ſubjicere, ſcribens. Dicitur autem piſcatio hæc Hebr. משך Jobi *c.* 28. *v.* 18. Græcè ἀπόσπασις, Latinè *tractio* vel *extractio*; unde de Margaritarum Urinatore, Manil. *Aſtronomic. l.* 5. verbum, *Protrahit*. Alkazuinius Scriptor Arabs, *Extrahit*; Hector Boëthius, ubi de margaritarum in Scotia piſcatione, nomen *Attractus*, veluti τεχνικὸν, uſurpat. Ut verò prædam extrahant, ex caſis, quas circa Inſulam Perſici maris margaritis fertilem extruunt, καθαλλόμενοι ἐις τὴν θάλασσαν ἐπ᾽ ὀργυιὰς εἴκοσιν ἀναφέρουσιν διπλοῦς κόγχους, *ad ulnas viginti in mare proſilientes, non niſi duas referunt conchas*, nempe utraque manu ſingulas, ut ait idem Iſidorus. Pleniùs hac de re ita Lud. Vartomanus *Navigat. l.* 3. *c.* 2. ubi de inſula Perſidis, ad quam margaritæ leguntur, *Sunt ibi nonnulli, qui piſcatu* (margaritarum) *victum quæritant. Hi vecti cymbis in mare jactum faciunt prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit à gemina cymbæ parte, ut utrinque jactis in profundum lapidibus conſtabiliri navis, non aliter quàm ſi in anchoris foret, poſſit. Firmatâ ſuô pondere cymbâ, alius --- in æquor jacit funem ſaxô dependente. In navi media alius, manticâ in pectus tergumque dependente, alligatô pedibus lapide, ſe vibrat in pelagus, ſubtuſque aquas urinantium more natat, actaſque in profundum ad paſſus quindenos; tantiſper urinat, donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt uniones ac margaritæ: collectas manticæ indit, lapidemque protinus, quô pedes gravabantur, abjicit funique innixus in ſuperiora evadit.* Atque hic quidem alter extrahendi à *Margaritariis* conchas modus eſt, qui nempe *urinando* fit, & per κολύμβησιν. Sed & alter has piſcandi modus *per retia* viguit; olim apud Indos multo in uſu, circa Perimudam Inſul. de quo multa Ælian. *l.* 15. *c.* 8. Summa eſt, quô tempore Bactris imperabat Eutratides, Soran, Regii generis virum, Perimudam Indiæ urbem & inſulam tenuiſſe, cujus incolæ Ichthyophagi conchas margaritiferas, retibus in orbem littus circa extenſis, capere conſueverint. Addit, hac eſſe στρομβοειδεῖς, gregatim natare & æquè, ac apum examina; Regem habere, cùm colore, tùm magnitudine præſtantiorem, quô captô cœteras duce orbatas facile capi: ac proinde piſcatores plus operæ in eo capiendo impendere. Quibus conſona habent Plin. *l.* 9. *c.* 35. Solin. *cap. de Taprobane*, Arrianus *in Indicis*, Alii. Quid quòd Patrum noſtrorum ævô, à Petro Martyrita traditum eſt, Novi Orbis Regulos retia & piſcaria, concharumque margaritas gignentium litora, pro prædiis habuiſſe, *Decad.* 3. *c.* 2. &c. Plura hanc in rem, ut & de tempore piſcationis, cymbarum multitudine, piſcationis loco, vide apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter l.* 5. *c.* 5. & hîc, in vocibus *Baharaim* ac *Peninim.* De *Margaritariis* ita, ſuprà laudatus Manilius *d. l.*

Pendentem & cœco captabit in æquore piſcem,
Cumque ſuis domibus conchâ vallôque latentes
Protrahet, immerſo nihil eſt audere relictum,
Quæſtus naufragiô petitur, corpuſque profundo
Immiſſum, pariter quam præda exquiritur ipſa.
Non ſemper tanti &c.

MARGARITIS pavimentum ſtratum, in Aſſueri aula Eſtheræ *c.* 1. *v.* 6. ubi vocem Hebræam; de *margaritis*, exponit *Bochart.* res videtur ſine exemplo. Niſi Mileſiis fabulis credimus in *Apulejo*, qui Pſychen *gemmas & monilia calcâſſe*, narrat, in palatio cujus *pavimenta ipſa lapide pretioſô caſim diminutô in varia picturæ genera diſcriminabantur.* Nam Romanas mulieres *calcare margaritas ac per uniones ambulare*, *Plinius* aliô ſenſu dicit, quia ſocculos habebant margaritis interſtinctos. At quantus fuerit Perſarum luxus, quàm profuſæ divitiæ, nemo ignorat: neque ullibi profuſiores, quàm in hoc epulo, leguntur. Sed & Suſarum hîc Regia deſcribitur, quam fuiſſe admirabilem, tradunt *Ariſtoteles* & *Apulejus*, ejuſdem adeò tectum & ſeptum exterius, aurô, argentô, electrô atque ebore, fulſiſſe. Sic apud Polybium *l.* 5. in Ecbatanorum Regia, trabes, lacunaria & columnæ, in porticibus ac periſtyliis, laminis partim argenteis, partim aureis, erant circumamictæ: omnes item tegulæ fuêre argenteæ. Quô pertinet, quod in Æſchyli *Perſis* Atoſſa (Reginam *Eſther* nonnulli intelligunt, quæ priùs *Adaſſa*, Eſther. *c.* 2. *v.* 7.) jactitat χρυσοστίλβους δόμους, atque extrinſecus etiam multô aurô fulgentes. Quanto igitur credibilius, atrium inferius gemmis & *margaritis* fuiſſe conſpicuum? Maximè ſi verum eſt, quod ſcribit Androſthenes, margaritarum annonam apud Perſas fuiſſe eandem cum auro. Apud Philoſtratum *in Apollonio l.* 2. *c.* 11. deſcribitur in India, Templum Solis, cujus pavimentum μαργαρίτιδος ξύγκειται συμβολικὸν τρόπον, *margaritis ſtratum ſymbolicâ ratione*; quâ ibi in Templis uti omnes Barbaros, addit. Apud Plinium *l.* 33. *c.* 3. Romæ Pompejus habuit *muſeum ex margaritis.* Et *l.* 37. *c.* 2. Nero *cubicula viatoria*, *unionibus conſtructa.* Sed & recentiori ævô, occurrunt in ſacris ædibus, à Baſilio Macedone Conſtantinopoli extructis: columnæ, parietes, gradus ipſaque etiam pavimenta aurô, argentô, gemmis & *margaritis* diſtincta atque exornata: quod in hujus Imperatoris *Vita* ab *Allatio* edita, non ſemel tradit ſucceſſorum unus Conſtantinus Porphyrogenneta. Sic *p.* 143. Templum ornatum deſcribit, inquiens, καὶ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καὶ λίθοις τιμίοις καὶ μαργάροις καταπεποίκιλται καὶ καταπεπλούτισται, *Adyta templi aurô & argentô & lapidibus pretioſis & margaritis variata & ditata ſunt.* Item cancelli qui altaria ſecludebant ab iis quæ extra & quæ ſurſum ſuperliminaria &c. ut & interiora ſedilia ac gradus, quæ ante illa erant, & ſacræ menſæ, ex argento, cui ſuperfuſum aurum, & gemmæ margaritis pretioſiſſimis diſtinctæ, ibidem memorantur. Quam in rem plura apud Bochart. ubi ſuprà *c.* 8.

MARGAS, inter nobiliſſimos Indiæ fructus: grande æquat ovum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ovum anſeris, quod vel bilibre & gravius, ex arbore grandi & ramoſa pendet diverſi coloris, ex viridi, flavo rubro mixti, pomô Pericô longè ſapidius; colligitur ab Aprili in Novembrem, nobiliſſimum in Ormo inſula. Cortex detractus in orbes ſecatur, ſic eſui, vel cum vino: conditur ſaccharô, acetô, oleô & ſale: hianti inſeritur gingiber, viride allium, ſinapi & quidvis. Sunt qui ſalem adhibeant, aut cum oryza coquant: ante maturitatem conſtringit; poſt dulceſcit: nuci putamen prædurum, nucleus glandem refert, ſub membranula carnem albam occultans. Eſt & genus quoddam, nuclei expers & ſylveſtre, malum cydonium æquans, venenum præſentiſſimum, cui ſuum antidotum ſagacitas mortalium nondum invenit, Auctor Anonymus *Sina & Europa* c. 36.

MARGASI, Mediæ gens. *Ptol.*

MARGASTANA, ſinus Perſici exigua Inſul. circa oſtia Aroſis fluminis, Arrian. *in Indicis.*

MARGATH, ſeu MARGAD, munitum Phœniciæ caſtrum eſt, juxta Valaniam fluv. altiſſimo in monte, ab Antarado 7. à Valania autem urbe atque à mari 1. milliar.

MARGELLA, Latinis dictæ ſunt ornaturæ ſeu lora aut limbi, quibus veſtes prætexi conſuevere. *Margum* enim vel *Margus*, idem quod *margo*; hinc *margulum* & *margellum*, pro limbo vel margine, quô veſtis ornatur. Sidonius, *Veſtimenta punicis marginata limbis:* Inde ex Latino Græci recentiores μαργέλλια dixêre &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Bonoſo.* c. 15.

MARGIANA, regio Aſiæ minoris inclytæ apricitatis (ut inquit Solin. c. 51.) ambitu ſtadiorum 1500. difficilis aditu propter arenoſas ſolitudines, in qua Antiochus Antiochiam extruxit. Strab. *l.* 9. & 11. *Jeſelbas Caſtaldo, Tremigan Pineto. Baudrando* provinc. fuit ſatis ampla Parthiæ, verſùs mare Caſpium & Oxum fluv. ubi nunc pars maxima provinciæ. *Khœmus*, & pars Occidentalis provinciæ Choraſan, in regno Perſarum. Ex *Sanſone.*

MARGIDUNUM, oppid. Albionis in Anglia, *Margret. Overton Camdeno.* Aliis *Leiceſter*, & aliis *Derby. Camdenus* verò prope *Belvior*, vel *Bevercaſtle*, caſtrum Comitatus Lincolnienſis in confinio Leiceſtrenſis ponit. Vide Guil. Burtonum *In Antoninum p.* 14.

MARGINIA, circa Ochum & Oxum flumina urbs Curt. *l.* 7. *c.* 10. Antiochia Margiana eſt *Ortelio.*

MARGIUM, civitas Phrygiæ, poſtea Apollonia dicta. *Steph.*

MARGOTIUM, oppid. Lombardiæ Tranſpadanæ.

MARGULANUS, Herculis cognomen, de quo ſuprà.

MARGUM, *Libr. Notitiar. Eutropio Murgum*, ſeu *us*, oppid. Epiſcopale Myſiæ primæ ſeu ſuperioris ad fluvii cognominis confluentes in Danubium. Hìc Carinus Imperator cecidit.

MARGUS. *Caſtaldo Morgab*, fluv. Aſiæ ingens, ex montibus Sariphis deſcendens, per Derbiccas in Oxum defertur, *Ptol.* Item fluv. per Seleuciam fluens.

MARIA, nomen B. Virginis, quæ filia Joachimi & Annæ, ex tribu Juda, familiaque Davidis, genealogiam ejus reticente Scriptura, orta, divinitus κεχαριτωμένη, antequam cum ſponſo conjungeretur Joſepho, Chriſtum in utero tulit. Mat. c. 1. v. 18. Luc. c. 1. v. 27. Soror item Marthæ ſororis Lazari. Luc. c. 10. v. 39. Joan c. 11. v. 1. 2. Vide etiam Rom. c. 16. v. 6. Porro mater Jacobi; Item nobilis mulier, quæ Hieroſolymis à T. Veſpaſiano obſeſſis, proprium filium, fame urgente, devoravit, Joſeph. *l.* 7. *Bell. Jud.* c. 15. Cæterum quod ad B. Virginis nomen attinet, quidam dignitatem quandam eô denotari volunt. Gregorius Nyſſenus, *Homil. in Natal. Chriſti.* Ἐπειδὰν ἐτέχθη τὸ παιδίον, ὠνόμασε μὲν αὐτὴν Μαρίαν, ὡς ἂν καὶ τῆς ἐπωνυμίας τὸ θεόσδοτον διασημανθείη τῆς χάριτος. Ubi tamen malè, ut videtur, *Mariæ* etymon tribuit, quod *Hanna* matri ejus proprium eſt. Ita ille *Gratiam*; alii autem *Dominationem* ejus nomine contineri putârunt. Author *Homil. de laud. B. Mariæ*, ſub nomine Epiphanii: Ἡ Μαρία ἑρμηνεύεται κυρία, ἀλλὰ καὶ ἐλπίς. Κύριον γὰρ ἔτεκε τὴν ἐλπίδα τοῦ παντὸς κόσμου τὸν Χριστόν. Damaſcen. *l.* 4. *c.* 15. Τίκτει τοιγαροῦν ἡ χάρις (τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται) τὴν κυρίαν, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ τῆς Μαρίας ὄνομα. S. Hieronym. *de Nom. Hebr. Sciendum quòd Maria ſermone Syrô* Domina *nuncupatur.* Iſidorus aliam nobis originationem exhibet, *Maria illuminatrix, ſive ſtella maris; genuit enim lumen mundi:* ut & Hieronym. *Mariam*, dicens, *plerique exiſtimant interpretari*, illuminant me iſti, *vel* illuminatrix, *vel* ſmyrna maris; *ſed mihi neutiquam videtur. Melius autem eſt ut dicamus, ſonare eam* ſtellam maris, *ſive* amarum mare. Et ſane Judæi ipſi *Miriam* deducunt ab Ebræo מרר *marar*, quô ſervitus Iſraëlitarum in Ægypto denotetur. Atqui malim cum eruditiſſimo D. Pearſonio *Mariam* deducere à radice רום unà cum additione Mem Heëmantici; ſic autem notatio manifeſtior erit, & ſignificatio planius apparebit, quaſi *aliis prælata.* Plurimus eſt in laudibus B. Virginis, D. Bernardus, ne dicam nimius: Monet ſiquidem nos in angoribus noſtris ad auxilium ejus tanquam ad aſylum confugere: *Reſpice ſtellam: Mariam cogita: Mariam invoca.* Non ferendus autem Bonaventura, dum *in Pſalterio ſuo*, quæcunque de Deo dicuntur, B. Virgini tribuit. Abſit autem, ut quiſquam S. Mariam divinæ gratiæ privilegiis, aut ſpeciali gloriâ, fraudare conetur. Loquamur cum Eccleſia Chriſti primæva: Ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ Κύριος προσκυνείσθω. Ita Epiphanius; & alibi: Εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ᾽ οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι. Græci eam Θεοτόκον vocare ſolent, nunquam tamen quod ſciam, μητέρα τοῦ Θεοῦ. Μήτηρ tamen Κυρίου ab Eliſabetha vocatur Luc. c. 1. v. 43. Quam non ſolùm ante Nativitatem Filii ſui, ſed poſtea, imo in perpetuum immaculatam, & beatam Virginem fuiſſe piè credidit antiquitas; Unde *Antidicomarianitæ* appellati ſunt hæretici, qui Mariæ Virginitati uſque adeo contradicunt, ut affirment, eam poſt Chriſtum natum viro ſuo fuiſſe commixtam, ut tradit B. *Auguſtin.* Ejus extra nativitatis Chriſti hiſtoriam, raro admodum meminerunt Euangeliſtæ, Apoſtoli autem nullam uſquam mentionem faciunt: inculcantes *unicum nomen illud, in quo oportet nos ſervari.* Act. c. 4. v. 12. cujus unius *meminiſſe nos*, vult Paulus, 2 Tim. c. 2. v. 8. A moriente CHRISTO Johanni Apoſtolo commendata, obiiſſe creditur A. C. 57. ætat. 72. Cœterum *Ad ſimilitudinem Dei unione fœcunda*, dicitur Hieronymo *ad Euſtoch. de Virgin. ſerv. Exibit virga de radice Jeſſe & flos de radice ejus aſcendet. Virga mater eſt Domini, ſimplex, pura, ſincera, nullo extrinſecus germine cohærente, & ad ſimilitudinem Dei unione fœcunda.* Ubi iraſcitur vir eruditus ſciolis, qui nihil non depravant. Et, non ſuccurrentibus exemplaribus, ita legendum arbitratur: *Germine; ſed ad conchæ ſimilitudinem, Dei unione fœcunda.* Intelligit autem *unionem* gemmam: quam & margaritam vocant: & dixiſſe vult *Dei unione fœcundam*, vel interpretando, fœcundam unione, qui Deus eſt; vel unione Dei, cui conjuncta ſit infuſione divinæ Naturæ: ſimulque alluſionem fieri ad vocem *unionis*, quæ gemmam ſignificat. Verùm ſervanda eſt omnium exemplarium lectio, & nulla hìc ſciolorum culpa. Dicit Hieronym. Deiparam *unione fœcundam*, h. e. ſine compare fœcundam, ſine viro, cùm alias fœcunditas, ex concilio duorum, exiſtat: deinde, *ad ſimilitudinem Dei*, qui & ipſe filium ab æterno unus ſoluſque genuit, *unione* ſic *fœcundus.* Utitur eâdem loquendi figurâ idem Auctor *ad Principiam: Tu unum quotidie concipis, parturis, generas, unione fœcundum, majeſtate multiplicem, trinitate concordem.* Eſt igitur *unio* hìc μονάς, non gemma, &c. Vide Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ.* c. 19. ut & ſuprà, voce *Deipara.*

MARIA, ſeu MIRIAM, ſoror Moyſis & Aaronis, filia Amrami ex Jocabetha. Nata creditur A. M. 2457. ante Aaronem 4. ante Moyſen 7. annis. Pharaonis filiæ, quæ Moſen è Nilo extraxerat, conſilium, ſic à parentibus inſtructa, ſuggeſſit, quod legitur Exod. c. 2. v. 7. Dein Hur nupta, Ægyptiis in mari rubro ſubmerſis, juncta fœminis reliquis ex Iſraële, Epinicium illud memorabile, quod Exod. c. 15. v. 20, 21. habemus, cecinit. Poſtmodum, cum fratre Aarone, contra Moyſen murmurans, leprâ divinitus percuſſa, ſed interceſſione Moyſis, poſt ſeptiduum, ſanitati reſtituta, Numer. c. 12. v. 1. Obiit A. M. 2583. In Cades, quæ 32. ſtatio Iſraëlitarum in deſerto fuit, ſepulta. Num. c. 20. v. 11. Joſeph. *Antiq. Jud.* &c. item filia Ezra, 1 Paral. c. 4. v. 17.

MARIA Albretana, uxor Caroli Clivenſis, Comitis Nivernienſis.

MARIA Andegavenſis, Galliæ Regina ingeniô, ſapientiâ, pietate inter primas, filia Ludovici II. Neapolit. Regis ex Jolanta Arragonia: annô ætat. 5. Johanni Tarentino promiſſa, quatuor pòſt annis Carolo VII. tum Comiti Pontiniacenſi, deſponſata eſt, A. C. 1412. Maritô jam Rege conſiliis ſuis Anglorum ſubditorumque rebellium conatus inſigniter ſuffiaminavit, fidos adhuc ſolata, milites officii admonuit, ſolaque Regem in Delphinatum ſe recipere cogitantem morata, regnum ſic ab interitu vindicavit. Poſtmodum mariti, à pellicibus in tranſverſum acti, animum averſum conſtantiſſimè ferens, nihilominus quidquid ipſi ſalutare noverat, perpetuò monuit, ſpretis Delphini ſuggeſtionibus, qui matri ſuaſerat, ut tam indignè habita ſe ex aula ſubduceret. Obiit, poſt maritum, numeroſæ prolis fœcunda mater, in pauperes cultumque ſacrum larga, A. C. 1463. ætat. 63.

MARIA, Angliæ Regina. Filia Henrici VIII. ex Catharina Arragonia, Eduardo VI. non ſine veneni ſuſpicione extincto, ſucceſſit A. C. 1553. Johannâ Suffolciâ, quam Rex hæredem ſcripſerat, cum marito & ſocero Dudlæo, aliiſque, capite plexâ. Mox reductis Latinis ritibus, perſecutio in Euangelicos mota eſt. Imagines reſtitutæ, earumque partes detruncatæ, naſi imprimis, magnô ſumtu reparati ſunt. Quod cernens muliercula quædam, animô præſagô ad artificem. *An non inſanus es* ajebat, *quòd novos naſos his imaginibus affingis, quæ brevi capita ſua amiſſuræ ſunt?* Nupſit A. C. 1554. Philippo II. Hiſpan. Regi ſorore Elizabethâ in cuſtodiam conjectâ. Sed, tædiô ob mariti abſentiam contractâ febriculâ, deceſſit A. C. 1558. trahens 16. horis poſt in comitatum ſuum Reginaldum Polum Cardinalem ſuum intimum, an. ætat. 59. Succeſſit Elizabetha, Vide Thuan. *Hiſt. l.* 13. 20. 21. &c.

MARIA Anglica, filia Henrici VII. à Ludovico XII. ſubditorum pacem anhelantium precibus permoto, cùm aliàs jam provectioris eſſet ætatis, ducta, mortuô brevi maritô, in Angliam rediit, atque à fratre Henrico VIII. in matrimonium Carolo Brandoni, Nobili, quem Ducatu Suffolciæ ornaverat, data, varios ex eo liberos ſuſcepit, *Regina Dux* vocari gaudens. Obiit A. C. 1533. ætat. 37. Ducheſnius *Hiſt. Angl.*

MARIA Auſtriaca, Imperatrix, filia Caroli V. ex Iſabella Luſitana. Maximiliano II. conſobrino ſuo nupta, maritum tenerrimè amavit, ægro diligentiſſimè inſerviens. Illô mortuô, in Hiſpaniam reverſa, Obiit A. C. 1603. ætat. 75. Mater 9. filiorum, & ſex filiarum. Mariana *Hiſt. Hiſp.* Serdonat. *de fœminis Illuſtr. Ital.* Hilario Coſtus, *elog. fœm. Ill. Gall.*

MARIA Auſtriaca, Hungariæ & Bohemiæ Regina, Filia Philippi Archiducis ex Johanna Arragonia, ſoror Caroli V. & Ferdinandi I. nupſit Ludovico Jagelloni, Hungariæ Regi, qui in prælio Mohacenſi, A. C. 1526. periit, A. Carolo fratre dein, cùm ſecundas nuptias aſpernaretur, Belgio præfecta, pace bellôque egregiè res geſſit. Henrico II. Gall. Regi bellô indictô, cùm Carolus Metam obſedit, in Picardiam irrupit, terrâ longe lateque vaſtatâ, Mariæburgô à ſe conditô poſtmodum ab Henrico exuta: Unde Prov. *Elle à fait la fole en Bray & Marie en Bourg.* Obiit in Hiſpania; A. C. 1558. poſtquam Belgium magna cum prudentiæ laude rexiſſet ann. 25. in illud, paulo poſt Caroli obitum, reditura.

MA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARIA Anna, Auſtriaca, filia Philippi III. Hiſpan. Regis ex Margareta agnata, Ferdinando III. Imperatori nupta, Leopoldum Imperatorem genuit: præter Ferdinandum Franciſcum Bohemiæ Regem A. C. 1646. Hungariæ A. C. 1647. & Romanorum A. C. 1653. creatum ac coronatum: ſed brevi pòſt extinctum. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. Hiſt.*

MARIA Leopoldina, Auſtriaca, Leopoldi Archiducis filia, altera Ferdinandi III. uxor, ei genuit Carolum Joſephum Epiſcopum Paſſavienſen & Uratiſlavienſem, ac M. Magiſtrum Teutonicum, præmaturâ morte abreptum, *Idem.*

MARIA Bavara, uxor Caroli Archiducis. Item, Borbonia, filia Ludovici I. Ducis Borbonii, ex Maria, filia Johannis II. Hannoniæ Comitis. Nupſit Guidoni, filio Hugonis Luſignani, Hieroſolymit. & Cypri Regi primùm, dein Roberto Tarentino. Item, uxor Gaſtonis Johannis Baptiſtæ, Ducis Aurelianenſ. A. C. 1626. annô pòſt obiit, priùs filiam Annam Mariam Ludovicam enixa. an. ætat. 21.

MARIA Brabantina, Galliæ Regina, filia Henrici & ſoror Johannis, Brabantiæ Ducum. Nupſit Philippo Audaci, A. C. 1274. ex eo unius filii & duarum filiarum mater. Obiit, poſt maritum, A. C. 1321.

MARIA Burgundica, filia Caroli Audacis, ex Iſabella Borbonia, patre in obſidione Nanceji occiſô, unica tot ditionum hæres, nupſit Maximiliano, filio Friderici Imperatoris, ex eo Philippi, Margaritæ & alterius filii parum vitalis, mater. Ex equo prolapſa cùm in femore vulnus accepiſſet, neque id à Chirurgo, ut erat laudatiſſimæ verecundiæ, tractari pateretur, Obiit A. C. 1482. Baſis Auſtriacæ magnitudinis. Ducheſnius, *Hiſt. Burg.* &c.

MARIA Caſtellana, filia Ferdinandi & Iſabellæ, ſecunda uxor Emanuelis Portugalliæ Regis. Item filia Franciſci I. Ducis Nivernii, ex Margarita Barbonia, nupta Henrico I. Principi Condæo, Euangelicâ veritate, in qua educata fuerat, abjuratâ: Obiit A. C. 1574.

MARIA de Coſta Blancha, Pariſina, Philoſophiæ, Mathematum & linguarum perita. Vértit ſeculô præteritô tres Dialogos Petri Meſſiæ, Hiſpani, de natura Solis, de terra, &c. Quod opus Lutetiæ impreſſum. A. C. 1566.

MARIA Denteria, puella Tornacenſis, ſcripſit ſeculô præteritô *Epiſtolam contra Turcas*, *Judæos*, *Lutheranos*, &c. quæ impreſſa A. C. 1539. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MARIA Francica, filia Ludovici VII. Gall. Regis ex Eleonora Guiennenſi, nupſit Henrico I. Diviti, Comiti Palatino Campaniæ & Briæ, &c. Prudentiâ, ingeniô, pietate inclyta. Obiit A. C. 1198. ætat. 60. cùm mortem filii Henrici, in terra S. de feneſtra prolapſi, percepiſſet. Mater inſuper Theobaldi V. qui fratri Henrico II. ſucceſſit, Scholaſticæ, quæ nupſit Guilielmo Comiti Viennenſi ac Matiſconenſi, & Mariæ, quæ Balduini Imperatoris uxor evaſit. Item filia Philippi II. ex tertia hujus uxore Agnete, promiſſa A. C. 1200. Alexandro, filio Guilielmi Scotiæ Regis, dein Arturo, Britanniæ Comiti, tandem nupſit A. C. 1206. Philippo Comiti Namurcenſi, & A. C. 1213. Henrico IV. Brabantiæ Duci. Item, filia Caroli IV. Pulchri, ex Johanna Ebroicenſi. Obiit A. C. 1342. Item filia Philippi Valeſii, ex Johanna Burgundica, nupſit Johanni, Duci Limburgico, filio Johannis III. Brabantiæ Ducis. Obiit A. C. 1345. Item filia Johannis Regis ex Bonna Lucemburgica, nupſit Roberto, filio minori Henrici IV. Ducis Barenſis. Obiit A. C. 1404. Item filia Caroli V. Sapientis, ex Johanna Borbonia, Guilielmo Bavaro, Comiti Hannoniæ deſponſata, obiit. Item, filia Caroli VI. Abbatiſſa Poiliacena: Obiit A. C. 1483.

MARIA, Edonis Wimeken, Domini Jeverenſis, ex Hedviga Oldenburgica, filia, Johanni Comiti Oldenburgenſi, ſobrino ſuo ſubditos adhuc viva jurare voluit, A. C. 1575. Unde in hanc familiam ditiones illatæ, quas Johannem Principem Anhaltinum Serveſtanum, Johannis ex ſorore nepotem, nactum eſſe, refert Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Hiſtor.*

MARIA Galla, fabulas Æſopi moralizatas ex Anglico Gallicè vertit, in gratiam Comitis cujuſdam Guilielmi, A. C. 1260.

MARIA Jarſia Gornacenſis, illuſtri genere nata, ſub tutela Michaëlis Montani, in literis tantum profecit, ut apud omnes Eruditos ſummo eſſet in pretio. Tentamenta Montani, *les Eſſais*, ſub judicii ſui limam vocata, poſt mortem ejus, rurſus imprimi curavit, Cardinalique Richelio dedicavit: *Faſciculum Pindi* Montani filiæ inſcripſit, variaque alia edidit, quæ illâ fatô functâ prodiêrunt ſub titulo, *L'ombre de la Demoiſelle de Gournay*. dein in 2. volum. collecta, acceperunt nomen, *Avis.* A' *Perronio*, *Bentivolio*, *Richelio Cardinal. Carolo I. Duce Mantuano*, *Heinſio*, *Puteano*, &c. per literas ſalutata: cum *Anna Maria Schurmannia* frequens epiſtolarum commercium habuit, *Baudio Galliæ Siren & decima Muſa* appellata. Obiit Lutetiæ A. C. 1645. ætat. 80. Epitaphium ejus: *Mariæ Gornacenſi, quam Montanus ille filiam, Juſtus Lipſius, adeoque omnes docti, ſororem agnovêre: Vixit ann.* 80. *Devixit A. C.* 1645. *Umbrâ æternum victurâ.* Petrus Romualdus, *tom.* 3. *theſ. Hiſt.* Lud. Jacob *in Bibl. fœm. erudit.* Hilario Coſtus *elog. fœm. ill.*

MARIA Lotharingica, filia Claudii I. Ducis Guiſii, ex Antonia Borbonia. Nupſit primò Ludovico II. Duci Longavillano, dein nuptias Henrici VIII. Angliæ Regis averſata, Jacobo V Scotiæ Regi à Franciſco I. conjux data eſt, ex illo duorum filiorum, qui brevi obierunt, & filiæ Mariæ mater. Maritô hôc iterum mortuô, A. C. 1542. ab Henrico Anglo denuò fruſtra expetita, unicæ filiæ ſuæ educationi incubuit: A' Franciſco I. & Henrico II. Gall. Regib. contra Anglorum machinationes, utcunque defenſa. Obiit regimine ipſi à Proceribus abrogatô, A. C. 1560. Eſpenſæus, *in elog. funebri. Thuanus*, *Ducheſnius*, &c.

MARIA Lucemburgica, filia Henrici VII. Imperatoris ſoror Johannis Bohemiæ Regis, nupſit Carolo IV. Pulchro Gall. Regi, qui paulò antè Blancam Burgundicam, ſub conſanguinitatis prætextu, repudiaverat. Egregiis dotibus illuſtris, in primo nixu, obiit A. C. 1324. Item, filia Petri Lucemburgici, nupſit primò Ludovico Sabaudo, Romontii Comiti, dein Franciſco Vindocino, pietate & caſtitate inclyta, per ann. 51. vidua, Obiit A. C. 1547. Mater quatuor filiorum, duarumque filiarum, quorum maximus natu Carolus, pater Antonii, Avus Henrici IV. fuit. Item, filia Sebaſtiani Lucemburg. ex Maria Bellocarienſi, nupſit Philippo Emanueli Lotharingo, Mercurii Ducis Mater, inter alios, Franciſcæ, quæ variorum Principatuum hæres, nupſit Cæſari Vindocino, filio naturali Henrici M. A. C. 1609. *Hilario Coſtus.*

MARIA Ludovica, Mantuana, uxor Poloniæ Regis.

MARIA Magdalena, Auſtriaca, filia Caroli Archiducis ex Maria Bavara, uxor Coſmi II. Magni Florentiæ Ducis.

MARIA Medicea, Galliæ Regina. Filia Franciſci, Magnæ Florentiæ Ducis ex Johanna Auſtriaca, natâ Hungariæ & Bohemiæ reginâ, nupſit Henrico M. poſtquam conjugium ejus cum Margarita Valeſia diſſiliiſſet. A. C. 1600. Ex illo mater Ludovici XIII. &c. A. C. 1610. à marito, qui ad ingens aliquod opus accinctus expeditionem extra regnum parabat, Galliæ Regens declarata, illô poſtridie coronationis nefariè trucidatô, rebus præfuit, uſque ad A. C. 1617. quô Mareſchallus Ancræus, qui Conchinus prius dictus, Florentinus, cum Leonora Galigay uxore, malis artibus Reginæ animæ occupatô, eouſque totam Galliam ſub pedibus ſuis trepidare viderat, occiſus eſt. Poſt quæ, variè cum filio Rege colliſa, Coloniæ exul & inops, Obiit A. C. 1642. Thuan. *Hiſt. l.* 125. Symbolum ei, A. C. 1608. fuerat, Pavo rotans, cum lemmate: *Virô partuque beata.* Maritô orbatæ, Pelicanus, cum verbis, *Tegit virtute minores.* Item avis Paradiſi, tres pullos alis cœlum verſus ſubvehens, cum dicto, *Meos ad Sidera tollo.* In Hollandia, ubi Amſtelodami magnificentiſſimè excepta eſt, ſub Cybeles forma repræſentata eſt, additô, *Læta deûm partu*, &c.

MARIA Philippus, vide *Philippus.*

MARIA Robuſta, vulgò *Tintoretta*, filia Jacobi, Veneti, pictoris excellentiſſimi: picturæ, Muſiceſque, apprimè perita. Expetita à Maximiliano Imperatore Philippo II. Hiſpan. Rege Ferdinando Archiduce, aliiſque Principibus, ut in aulas eorum concederet, à patre, qui filiam tenerrimè amaverat, retenta eſt. Nupta dein Maro, Auguſto, gemmati operis artifici, obiit. A. C. 1590. ætat. 30. Rodolphius, *in vitis Pictorum P.* 2. *p.* 71.

MARIA Romiæa, natione Galla, Opera ſua Poëtica edidit, A. C. 1581. in quibus inter alia fœminei ſexus apologia, contra Satyram à fratre editam continetur. Scripſit quoque de educatione puellarum.

MARIA Ropera, Angla, Guiljelmi ex Margarita Moria filiâ Græcè Latineque apprime docta, ex Latino Anglicè vertît, tractatum de paſſione filii Dei, ab Avo olim compoſitum, item hiſtoriam Eccleſiaſtic: Euſebii: Mariæ Reginæ grata. Hilario Coſtus *elog. fœm. Ill.*

MARIA Stuarta, Franciæ & Scotiæ Reginæ, filia Jacobi V. ex Maria Lotharingica, octo ſaltem diebus ante parentis obitum nata: rebus in Scotia turbatis, in Galliam miſſa, & in aula Henrici II. educata eſt: ingeniô & corporis formâ ſupra omnes ſui ſeculi principes fœminas. Nupta Franciſco II. adhuc Delphino; illô mortuô, in Scotiam reverſa, regimen matri à Proceribus, quibus liberum Religionis uſum interverſum ibat, abrogatum ſuſcepit; Henrico dein Stuarto nupſit, Matthæi filio qui ex Henrici VII. nepte prognatus erat. Sed eam mox Davidis Ritzii, Citharœdi Itali, indignis amoribus illaqueatam, præ illo maritum mox ſpreviſſe, in diplomatibus ejus nomen ſubſtituiſſe, interfecti à Proceribus necem ſeverè ultam, cadaver in ſepulchro Regum condidiſſe; narrat *Buchananus.* Infantulum tamen Jacobum, ſine craſſioribus ſuperſtitionibus, inprimis abſque ſalivâ, baptizari voluit. Ritzio in amore Reginæ ſucceſſit Jacobus Heburnus Bothueliæ Comes, libidinibus infamis, cui adhærens Maria, maritum primò, ut modò memoratus Auctor refert, venenô tentavit, dein eum ſtrangulari, & domus nitratô pulvere ſubverſæ ruinâ ſepeliri curavit: Bothueliô palam in conſortium thori aſcitô. Quod Proceres indignum rati, arma ceperunt, Reginamque ſub cuſtodiam dederunt, Jacobo VI. filiolô Rege proclamatô: ſed illa elapſa, cùm copias ſuas victas vidiſſet, in Angliam profugiens, ibi quoque rebus turbatis, in novum carcerem detruſa eſt: Tandem conjuratione contra Elizabetham initâ, Ordinum juſſu capite plexa eſt; Reginâ dolente, *præcipitatamque ſe inſciâ ſententiæ executionem queſtâ generoſum ſanguinem tam temerè fundi non debuiſſe*; Thuan. an. ætat. 44. A. C. 1587. Sex linguas calluiſſe fertur. Vide Buchan. *Hiſt. Scot.* Thuan. *l.* 86. Brantomum *in Commentar.* &c.

MARIA Stuartia Angliæ Scotiæ & Hiberniæ Regina. Uxor Guil. III. (vide Guiljelmus III.) nata eſt annô M. DCLXII. a. d. VI. Eidus Majas Parentibus JACOBO, Duce Eboracenſi, Regis Fratre Unicô, & ANNA, Filia Eduardi Hidii, Angliæ Cancellarii, quæ in Regnis prima nunc & potiſſima poſt Regiam eſt Dignitas. Imperitabat tunc Britannis Carolus II. MARIÆ Noſtræ Patruus, quoniam ipſe prolis legitimæ erat expers, nec Jacobus Maſculam habebat, aut aliam majorem natu, Hanc idcirco, Legibus Gentis & jure Natalium deſtinatam Solio, ſimulac ex infantia emerſerat, curavit imbui publicæ iſtic & Emendatæ Religionis ſalutaribus principiis; totamque Educationis operam, curam, & regimen permiſit Illuſtri Matronæ, ſummis quibuſque ingenii virtutibus præditæ, & quaſi aptæ natæ ad ſinu ſuô fovendum curandumque eximium hoc Cœli depoſitum, cui Fata totius Britanniæ incumbebant. Ea vero provinciam, quam ceperat, quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quantô potuit ſtudiô, diligentiâ, fide, ſedulò adminiſtravit, nec reliqui ſibi quicquam fecit, ad tenellam Alumnam, ingentis domi foriſque decoris materiam, egregiis artibus poliendam inſtruendamque; maxime poſtquam Optima Puellæ Mater vitam cum morte commutaverat. Tum enimverò eam non modo ab omni vitiorum contagio ſollicite in lubrica illa ætate removit, ſed & impenſiore cura ad veram Virtutem, Modeſtiam, Liberalitatem, quicquid Pulchrum, quicquid magnificum, quicquid Regium, excitavit. Sed incredibile etiam dictu, quam faciles illi Morum Magiſtræ & jucundas has partes præſtiterit divina Alumnæ indoles, quæ ſponte ſua, & ipſius Naturæ ductu, ad decus & veram laudem ferebatur. Quicquid illa verbô monebat, Hæc confeſtim exprimebat rebus ipſis: quicquid illa præcipiebat ſolidæ virtutis, quæ puellari cæteroquin ætati auſtera & dura accedere ſolet, Hæc non tantùm blandâ alacritate excipiebat & exſequebatur, ſed ſæpe etiam ultro antevertebat. Quid jam de mira ingenii ejus docilitate dicam in percipiendis atque addiſcendis liberalibus quibuſque diſciplinis? quâ factum, ut Sapientiæ quum Divinæ tum Humanæ longe ſupra Feminarum vel captum vel morem fuerit perita; ut Hiſtoriæ Geographiæque cognitione pleroſque exſuperaverit Viros, etiam ſummô locô natos ac liberaliter eductos, ut Linguarum, præter vernaculam, Belgicæ & Gallicæ uſum facillime ſibi comparaverit, & utraque dein prompte atque eleganter elocuta fuerit, quicquid mente conceperat. Super hæc omnia, Architectonicæ quoque in interiora penetravit eo uſque, ut qui de ea agentem aut cenſentem audiret, nihil pene aliud in omni vita curâſſe crederet. Neque minus feliciter ſcienterque pinxit, ſed & vulgaria mulierum artificia, quibus illuſtriores quoque Feminæ Veterum Reginarum atque Auguſtarum exemplô otium aliquando fallunt remittuntve animum, exercuit tam affabrè & eleganter, ut videri poſſet levibus hiſce multum fuiſſe dedita, quum tamen rariſſimam iis daret operam. Sed tam excellens erat ingenii vis, ut quicquid videret curſim, facilè imitaretur; quicquid ſubitò audiret, aſſequeretur continuò; quicquid leviter & animi gratiâ tentaret, decorè & quaſi ad amuſſim perficeret. Quum itaque tali cultu educta, & vel maxime ab ipſo ſuæ ſibi Naturæ Genio formata eſſet in exquiſitum aliquod Virtutum præcipuarum Exemplar, quod jam tunc pro modo iſtius ætatis in illa tanquam lumen aliquod elucebat, vix dici poteſt, quantopere ornaverit eam inſuper florentiſſima Formæ ſpecies, oris venuſtas, totiuſque corporis Regia quædam majeſtas. Hæc vero ipſa tanto conſpectiora ſimul & jucundiora reddebantur; quanto magis erant aſperſa, & veluti condita, dulciſſimâ frontis hilaritate, mitiſſimô oculorum aſpectu, ſuaviſſima comitate ſermonis, ut omnes unam Veneres, omnes Virginum illecebras, ſed decorâ gravitate temperatas, poſſidere facile jurares. Quis igitur miretur, non potuiſſe tam divinas & exſplendeſcentes latè dotes à publica ignorari Fama? Inprimis quum magna quælibet Fortuna hoc ſibi inſuper habeat præcipuum, ut nihil in ſuis patiatur eſſe occultum, nihil obſcurum, nihil, quod non in ore & oculis Hominum verſetur. Fuerit itaque Britannia toto penitus orbe diviſa, ut ferebant Veteres, minimè tamen potuit littoribus ejus contineri Novum hoc tam inuſitatæ Virtutis, ex Gynæceo tantum quod in publicam lucem prodeuntis, jubar, quin confeſtim etiam Exterorum Lumina, inque iis vel maxime Belgarum, inſolitô illô ſplendore adverteret & præſtringeret. Unus erat in Batavis Terris; quid dico? immo vero in tota, quam latè patet, continente Unus erat Princeps, WILHELMUS ARAUSIACUS, Virgine tam Auguſta dignus: ſicuti ipſa etiam Una erat, ſi maxime omnes Europæ receſſus veluti indagine quadam perveſtigarentur, quæ merebatur tam Incluti & Magni Principis amorem. Quid multa? Certiſſimis Dei Opt. Max. Fatis jam ante hujus Univerſi primordia alter alterius deſtinati erant matrimonio, in quo Chriſtiani Orbis Fortunæ & Summa rerum forent repoſita. Quin ipſa jam olim teneræ adhuc ætatis Puella, quum inter ludendum, ut fit, Bellicos Batavorum Modulos, manibus in ſuperius Arcæ alicujus tabulatum illiſis imitata eſſet, juberetur que à proximis mentem avertere à Batavis, hoſtibus tunc Regis & Patrui ſui, quumque inſuper è contrario Gallia ipſi, ejuſque oſtentaretur Delphinus, reſpondit divinâ tunc ſane, & præſagâ futuri voce, *Nolo Galliam, Batavia eſt, quam volo.* Quod ſi MARIA, ex omni Principum numero, qui ſunt aut unquam fuerunt, in arctiſſimum illud vitæ & tori conſortium adſciſcendi, quem vellet, copiam habuiſſet, dando illi pomum, quod de Theodelinda Langobardorum Regina tradunt Annales; non certè illud ad Agilulphum, non ad alium quemcunque, ſed ad ſuum continuo Wilhelmum ſine heſitatione detuliſſet. Si Wilhelmus viciſſim, quaſi Promotheus quiſpiam, ex argilla aut luto ad ſuum plane arbitrium potuiſſet fingere ſibi Uxorem, omnibuſque corporis atque animi ornamentis inſtruere, haud aliam ille finxiſſet, quam qualem in ſua habuit Maria, vero omnium ornamentorum Compendio & Tabula expreſſiſſima. Illa quum tot tantaſque dotes ad Wilhelmum adferret, læta tamen ac lubens eas ipſius gloriæ ſubmiſit, & inferiores haberi ultro voluit; Hic luculentiſſimum Gloriæ tot Titulis conſpicuæ fulgorem ad Novum hoc & Unicum Mariæ Sidus quodammodo hebeſcere, & remittere aliquid ſolitæ ſibi Excellentiæ, ſerio etiam gaviſus eſt. Multos Natura rerum videtur edidiſſe, ut doceret, quid ſumma poſſent Vitia in Summa Poteſtate. Hanc contra natam crediderim, ut liqueret, quam amplam beneficiorum materiam habeat Principatus. Nihil certe illi aliud Fortunæ addidit Magnitudo, nihil illa ampla & oportuna vitiis Poteſtas: Niſi majus & firmius multo ſtudium ab omni vitiorum commercio quam longiſſimè ſe removendi: Niſi Conſcientiam præcipuarum virtutum, tanto ſibi jam gratiorem certioremque, quanto magis illas nunc exercebat non juſſas aut commendatas, ſed ex ſua ipſius indole, judicio, arbitratu profectas: Niſi denique partam meritis ſuis in omnes ferme Gentes ſparſis laudem & Gloriam, quodque diſcere debuimus Viri, quam bene Femina, & pene dixiſſem, Puella, opes Primi inter Homines Loci temperare ac diſpenſare ſciret, quas plerique noſtri Generis in vitia, immo ſcelera ſæpe, turpiter conſumunt, aut in indignos & indecores ſine ratione ac modo effundunt. Quin immo, quum Multos inſuper iſthoc Potentiæ faſtigio nihil propemodum videas metuere, niſi Famam, liberrimè de Principibus quoque judicantem: Hæc è diverſo, dum omnia prius Deo ac ſibi probare ſtudit, nec temere quicquam fecit, quod poſtea minus aut aliter factum vellet, non ſanè metuit ergo Famam, ſed neque ſprevit irritavitve, neque etiam ullis in rebus quæſivit aut provocavit. Quid enim illam timeret, quæ maximè timebat Deum, & ſibi ipſa nullius faciebat gratiam delicti? Quid porro eam eliceret, aut lenociniis quibuſdam ſibi colligeret, cujus utique vita erat perpetua benefactorum ſeries, publicis omnium oculis expoſita? Bonitas certè Ejus & Liberalitas uſque quaque reperiebatur tanta, ut nemo ab Ea tulerit repulſam, aut diſceſſerit triſtis, modo quid æqui bonique, nec Legibus vetiti, aut damnoſi publico, poſtularet. Nam Facilitas in Familiam, vel eas, quæ præſto ac circa ſtabant, pene dixerim immodica, ut ferme neſciretur, an objurgare vel increpare, per manſuetiſſimam illam animi indolem, Miniſtras poſſet. Quid vero Munificentiam quoque memorem latè adeò diffuſam, ut ejus idcirco nequeat iniri ratio? Certum eſt, in ingentem multorum millium quotannis exceſſiſſe ſummam, curatam à Variis in diverſa Gentium, ubicunque eſſent non ſuâ culpâ, ſed Fatô miſeri. Lugdunum Batavorum Virum habet Spectatiſſimum; cujus Fidei & Curæ mandata eſt ſæpius Pecunia ad Pedemontanos Valdenſes, tunc Exules, & in ultimam redactos inopiam, mittenda. Neque vero Pauperes tantum, aut Patriis Sedibus Extorres, vel quoquo modo Religionis cauſa male habitos, benigniſſime fovit conſtitutis in multorum alimoniam annuis: ſed illuſtres quoque Familias curæ ſibi habuit, nullis ſubnixas divitiis ad tuendam priſtinæ dignitatis ſpeciem, vel ære alienô jam à majoribus ſibi relictô merſas. Complures ergo, ita ex vetuſto Generis atque opum ſplendore delapſi triſtem jam rei Familiaris anguſtiam, Mariam quoque ſenſerunt Fortunæ, quondam ſuæ, ſed nunc ſolitâ viciſſitudine ſe deſerentis, excipere partes; quodque in Hac jam deſiderabant, in Illa anniverſariis ſubſidiis cenſus priſtini reditus ſibi liberaliter explente, receperunt abunde penſatum. Cæterum ad hanc Inuſitatam adeo Optimæ Indolis præſtantiam acceſſit inſuper Novum itidem Inſolitæ prorſus Modeſtiæ decus, dum tam Benigna in alios, in ſe unam pene Maligna, parcô planè pretiô ſua ipſius æſtimare ſolebat Merita, adeoque nullam ex iis aucupabatur gloriam, ut ultro etiam elevaret aliorumque dictas ſibi eo nomine Blanditias rejiceret ſemper & reprimeret. Hôc animô quum eſſet, nihil profectò mirum, quod ergo Adulationes quoque indecoras, ſerviles, infidas, falſas, quâcunque tandem occaſione aut ſpecie factas, tantopere abhorruit, ut non tam repudiaret eas, quam deteſtaretur acerrimè, veluti peſſimam Fundi Regii calamitatem, certiſſimamque Aularum perniciem & peſtem. Neque tamen nimis in contrarium tendens, nimis de ſe ipſa abjecte humiliterve ſentiebat, quod parvi plerumque aut ignavi eſt & habetur animi, ſed Magnitudinem ſuam ſuô quoque Judiciô potiùs, ſyncerô & ab omni arrogantia procul habitô, quàm aliorum vel aſſentione vel admiratione, ut plurimum, fucatâ, metiebatur, Virtutemque ipſam ſeverè prorſus exigebat non ad mores Seculi, quibus jam magna eſt probitas, nihil feciſſe improbè, nihil ſceleratè, ſed ad perfectiſſimum illud Euangelicæ diſciplinæ exemplar, & antiquiſſima veræ Humanitatis officia. Jam Comitatem, quæ pars iſtius eſt Humanitatis duntaxat exigua, & cum tanta animi Modeſtia neceſſario pene & pene ſemper reperitur conjuncta, in Laudibus Mariæ oſtentare, quid foret aliud, quam in immenſa maximarum rerum copia conſectari minutias? Cui enim ignotum, quanta intuentis Vultum, loquentis Vocem, quanta Actiones Ejus omnes conciliârit ſemper Gratia? Nemo deſiderat, ut prædicem, quam lubens cum multis, præcipuæ quidem dignitatis ſed ſuam tamen infra Fortunam poſitis quam longiſſimè, Matronis mutua exercuerit officia, quam nihil Sibi unquam arrogaverit alieni, nihil etiam Sui ſumſerit, niſi quod ſalvâ Majeſtate, cujus ſecura erat, nec tamen negligens, prætermitti aut relinqui non poſſet? Cæteroquin enim nihil in quotidiana inter alios vita jucundius accidere Ipſi poterat, quam ſi liceret Eminentis adeo Principis & Reginæ perſonam deponere, ſeque ipſam familiariter ſubmittere in Privatæ conditionem. Hac itaque de cauſa, & ſimul, ut maledicentiam atque obtrectationem, in Aulis nimium fere frequentem, etiam iſtâ ratione ſuô ex Comitatu excluderet, ludis inter Feminas nunc uſitatis animum aliquando, ſed raro admodum, laxabat. In quibus tamen ipſis ut omnia ad virtutem revocaret, ſi quid perdebat, perdebat ſibi; quum vinceret ſemper aliis & maxime pauperibus, quibus collectam ita pecuniam ſtatis vel anniverſariis diebus erogabat omnem, minimè ſubductis aut expunctis prius damnorum, quæ fecerat identidem, rationibus. Tam Benigna ergo, tam Facilis & Humana quæ fuit Princeps, quis dubitet, fuiſſe etiam omnium Clementiſſimam? Immo vero, quum Ipſa nihil haberet, quod vel publicæ excuſaret Famæ, vel alterius cujuſquam Conſcientiæ, aliis tamen, pœnam licet & malum liquido meritis, petiit ſæpe ac præſtitit Veniam. Nunquam Illa Lætior, quam ſi Hominem ſervare poſſet: Nunquam Potentior, quam quum id Vellet: Sed volebat neutiquam certô animi conſiliô, niſi ſi Juſtitiæ ſua quoque conſtaret ratio. Alia conſulto prætermittens progredior ad potiſſimum vitæ ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

actum cupio, quò tandem Reginæ ſuſtinuit Perſonam: Perſonam, in qua ſuſcipienda tuendaque præcipua Illius & publica elucent Decora, Deo maxime & Patriæ præſtita, Pietas, Fortitudo, Conſtantia, Æqui Bonique Studium, populi & Legum Amor. Quin omnia hæc uno illo continentur temporis momento vel maxime implicita, quo Reſtituendæ Britanniæ capiendum erat Conſilium, & obviam eundum apertæ ac profeſſæ Sanctiſſimarum inter Homines Rerum Abolitioni; quo Filiæ, ſuô jure, non Patris arbitriô, ſucceſſuræ in Regni receptæque in eo Religionis tutelam, decidendum erat, utri plus debeatur, Regno an Regi, Patriæ an Patri, Deo an Parentibus. Abrahami legimus tentatam à Numine Supremo Fidem & Obſequium eo ipſo, quod jubebatur Unicum, quem ſuſceperat ex Legitima Uxore, jam vetula & decrepita, Filium Neci ad Aram dedere. Nihil profectò abſoni aut inficeti dixero, ſi affirmem, Divinitus quoque impoſitam Mariæ duram hanc & triſtem de Patre, cum omni divino humanoque Jure, cum Officiis Cœlo & Terræ debitis, tranſigendi neceſſitatem, quaſi ad explorandum maximo omnium documento, an vere ipſa & Terreſtre hoc & illud Cœleſte mereretur Regnum. Nam quo alio tandem potuit certiore experimento probari Virtus Ejus & Pietas, quam quod Illius conſenſu, vel armis occurrendum fuit Patri, inſtinctu Novercæ, ut credi par eſt, in Filias, in Populum, in Emendata graſſanti Sacra, & omnia palam jura pervertenti, vel negligenda prorſus & Dei & Patriæ & Sui ipſius Cauſa. Ardua, ſi quæ unquam, & multæ profectò atque anxiæ delibertionis res! Sed quis facile Indolem perſpexerit Hominis, qui Vitam ſecundo ſemper curſu procedentem recte inſtituit? Adverſi aliquid obveniat & periculi plenum, oportet, ut Animus ejus exploretur penitus & pernoſcatur: plane quemadmodum Gubernatoris peritiam, non obſequens ventus, placidumque æquor, ſed ſæva demum tempeſtas & mare procellis agitatum demonſtrat. Similiter igitur & Mariæ Pietas, in quem uſque modum poſſet excedere, quid & quantum Deo dare & Patriæ ſuſtineret, quis unquam ita exploratum habuiſſet, niſi in illas vidiſſemus redactam Anguſtias, Anguſtias enimvero maximas, quæ alto prorſus & infando diſcruciaverunt dolore ſanctiſſimum illud Pectus, quæ in ſolitudinem & ſqualorem, in intimos aulæ vel prætoriorum receſſus, abdiderunt mœſtam & curarum mole obrutam; immo verò, quæ largiſſimis lachrymarum rivulis irrigarunt identidem oppleruntque innocentiſſimum illud Os, mitiſſimam illam immenſæ Benignitatis atque Humanitatis ſedem. Vera dico, ipſe egomet accepi ex Nobiliſſimis & Fidei certæ Auctoribus, quæ illam audiverunt, antequam à Belgis avelleretur; teſtantem ſeriò, Si in unum conjungi poſſent dolium lachrymæ, ſine modo, diverſis temporum illorum articulis, in penetrali quodam Honsholrienſis Prætorii effuſæ, maximam earum fore copiam, & fidem multorum haud dubie exſuperaturam. Sed quid meis hic aut aliorum opus eſt aſſeverationibus? Revocamus nobis in memoriam, quam acerbos exegerit in his terris illos dies, quibus peracta eſt Anglicana Expeditio: quam aſſidua adfuerit in medio populi, precibus publicis ſuo potiſſimum rogatu vel voluntate tunc indictis: quam cæteroquin omnium ſe ſubduxerit oculis nullius admiſerit Officia, ſola Secum & ſuo cum Deo egerit. Iſti, Iſti ſunt dies, quibus accidit, quod nuper admodum pro Concione Eccleſiaſtica diſertiſſime explicitum audiverunt plerique; ſed vel ſic à Nobis quoque repeti, meretur. Iſtis ergo diebus mœrore tandem & luctu laſſata, arceſſi juſſit ſplendidi Generis & ſpectatæ Probitatis Matronam, cujus in ſinum effunderet ſuſpiria & miſerias, quibus tunc maxime premebatur. Effudit vero etiam triſtia illa quidem, ſed aurô vel cedrô digniſſima, Verba; Quod ſi id tantum ageretur, ut ſalvum maneret & integrum illud Jus ab Natalibus ſuis & Populi Legibus ſibi datum in Trium Regnorum Hereditatem, nunquam Se fuiſſe aſſenſuram ad illud Bello tuendum & Sibi à Patre vendicandum. Sed expugnatam Se unice eô, quod perſuaſum haberet, verſari in periculo præſentiſſimo & Jura Patriæ, & Religionis Synceræ Incolumitatem: Se cæteroqui facilè & abundè acquieſcere in illâ, quam in Batavis regionibus obtineat, Fortuna; in illo omnium Amore & Benevolentia, quam Regno contra caram non habeat: Nec poſſe ſatis admirabilem Dei Opt. Max. erga ſe prædicare bonitatem & curam, quod quum Puellarum ætatem exegerit in Aula Vitiis undiquaque tunc potiſſimum obſita; quum deſtituta Obitu Matris adoleverit ſub Noverca & Patre Papalibus addicto Sacris, nec Purioribus aliter, quam dicis gratia, Humanarumque Legum reſpectu, fuerit à Patruo tradita, ea tamen hauſerit jam tunc Veræ Religionis principia, quibus inſtructa facile in interiorem ejus cognitionem deinde penetraverit, viamque ſibi ad æternam muniverit ſalutem. Hæc ſingultienti tunc ore dicta, in lachrymis, & omnibus certiſſimis maximæ triſtitiæ indiciis, in qua neque impios facile Deum Hominesque fallendi lubido capiat, quin ex vero itaque Animi ſenſu atque Animi ſenſu atque optima fide ſint profecta, ſi quis in dubium tamen vocare velit, næ is ſuam magis arguat mentis malitiam, quam ſpectatæ tot Virtutum experimentis Reginæ Fidem, in illa præſertim rerum facie, & tempore, ſi nihil aliud, ancipiti certe & formidoloſo. Dedit ergo manus in iſtam Expeditionem, non ſanè volens neque lubens, ſed diu cunctata & victa tandem graviſſimis Officii & Pietatis rationibus, quum, quicquid Pulcherrimarum publice rerum, & quas nemo Bonus, niſi cum Anima ſimul, amiſerit, non ſuſcepiſſet tuendum, periturum in Patria per Patrem, Sacerdotum ſuorum conſiliis abreptum, clariſſimè videret. Et quidni videret illud ipſâ luce clarius, quum labefactata jam & convulſa eſſent iſtic omnia; quum proſtrata jacerent Jura Populi, Firmiſſima illa Regni Munimenta & inteſtinæ Pacis Vincula; quum caſtiſſima Integratæ Religionis Sacra continuis violata injuriis, & afflicta penitus, abjicerentur? Nihil utique Divini, nihil Humani, per Leges amplius ibi Sanctum, nihil à Vi majore relinquebatur intemeratum. Vetitæ Sacrato jure Ceremoniæ in Templa, Academias, Collegia, invitis omnibus palam immittebantur. Legitimarum contra ea Antiſtites, qui hiſce auſis & ingruentibus malis, non dico, reſiſtebant, ſed ſua ipſorum voce ut etiam diſertè faverent, adduci non poterant, dabantur ea tantum cauſa, cunctis inſpectantibus & attonitis, in cuſtodiam. Præcipua Regni Munera adempta iis, qui pietatem, fidem, decus, non habebant quæſtui, deferebantur ad Homines, quos nec Dei tangebat cura, nec Patriæ, immo quos Leges non tantum repellebant à Rep. ſed ex ipſis etiam Inſulæ littoribus exterminabant. Denique nihil prætermittebatur, quod vel pervicaciſſimi dictabant Superſtitionis Magiſtri, vel fœdiſſimi infinitæ Dominationis Satellites ſuggerebant, vel ipſa Novandi omnia Libido poterat comminiſci. Hæc omnia videns Maria, quum Britanniæ ſuis Legibus & Cerimoniis, & quidem ex periculis & malis perpetuis, vindicandæ conſilium tandem caperet, nihil in eo dedit iræ in Patrem, nihil vindictæ in Novercam, nihil immo Sibi, omnia ſoli Patriæ, ſoli Deo. Nullus Eam animi affectus vel minimum tranſverſam a vero virtutis tramite egit rapuitve. Nullam Illa ſui juris aut injuriæ, unicam Officii duxit rationem, quam & ſibi conſtare, & Deo Hominibuſque approbatam, inprimis volebat. Quocirca tantum afuit ab ulla in his culpæ aut criminis labe, ut nullum inter tot præclara veræ pietatis argumenta certius majuſve unquam ediderit, utque ſi aliter egiſſet, ſi ſediſſet otioſa ac ſecura tantæ calamitatis in Patriam invaleſcentis ſpectatrix graviſſimi citra dubium ſe peccati feciſſet ream. Etenim ſciebat videbatque tanto nunc liquidius, peſſum ire iſtic omnia, quanto illi immodeſtius jam graſſabantur, productô in Scenam Novo & ſuarum partium futurô Regni Herede. Neque ignorabat, niſi principiis obviam iretur, niſi illud inprimis tantæ Audaciæ Fundamentum ſubrueretur ſtatim, Tyrannidem & Superſtitionem, eo maxime ſubnixas, ita brevi temporis tractu invalituras, ut mox omne reſpueruet remedium, nec ullus amplius Medicinæ faciendæ ſupereſſet locus. Meminerat etiam, ſi quid publica Gentis Salus periclitaretur, proximam ejus à Patre curam Sibi incumbere in jus ac tutelam Regni natæ, atque ideo, ſi quid ab ipſo Patre in publicum proficiſceretur mali, tunc ſanè à nullo mortalium prius & potius, quam à Se, ſuppetias rebus labantibus eſſe ferendas aut exſpectandas. Noverat denique certiſſimô Divinæ Vocis Oraculô editum, *Qui Patrem vel Matrem præ Me ſuſpicit atque amat, non eſt me dignus.* Et dubitamus adhuc, quin ergo, ſi quidem Deô vellet haberi digna, Dei quoque cauſa ſuprà & contra quemcunque, etiam Patrem, ſeriò ac ſedulò Ipſi fuerit tuenda; quin laboranti ſuccurrere debuerit Religioni, nullo alterius cujuſquam, ne quidem Patris, amore cohibita? Quid ergo aliud reſtat, quam ut illuſtre hoc & ſalutare tot Populis conſilium reſtituendæ in integrum Britanniæ veneremur in Maria, tanquam præcipuum aliquod & ſingulare pietatis, officii, conſtantiæ exemplum? Quibus enim aliis, obſecro, rationibus moveri Illa potuiſſet, quo minus Patris voluntati à principio obſequeretur, Seque & ſuam animi ſententiam, quomodocunque poſſet, accommodaret? Nihil utique, ſi ita feciſſet! ſubiiſſet periculi, quin è contrario accepiſſet, ſalvô ſibi hereditatis jure, tanto majorem Regni poteſtatem, quanto magis uſu & exercitio dominationis jam à Patre firmatam. Utcunque ſit, certiſſimum ſanè illud, nihil omnino apud Mariam valuiſſe vel immoderatam Ambitionem, vel præproperam Regnandi Cupiditatem, quippe à quibus vitiis tam aliena ſemper rebus ipſis apparuit, quam quæ ulla unquam Feminarum. Nihil Illa Sibi neque ante id Tempus, neque poſt, quæſivit aut ſumſit unquam Potentiæ, niſi quum prodeſſe vellet; & præmiis vel honoribus augere, quos bene quid meritos putabat. Sed & hoc ipſum publicis in rebus cum modo & modeſtia fecit, cavitque ſedulò, ne temere aut ſæpius ſe ingerendo, præverteret Prudentiſſimi Regis judicium. Regnum certe ipſum adeo non deſideravit, ut ejus nil, niſi Titulum Majeſtatemque, ſecum communicari voluerit, omnem vim, curam, adminiſtrationem lubens volenſque Wilhelmo ſuo in perpetuum remiſerit ac reliquerit. Sed & quoties uſu venit, ut, Illo foris belligerante, Ipſa domi habenas imperii capeſſere deberet, promptiſſime ſemper eas ruſus dimiſit: uſque adeo, ut nota vulgataque res ſit, neque Conſilium amplius de ulla re publica advocare, ſed omnia in Regis differre Adventum ſolitam, ſimulac Eum vel conjectura augurari poſſet pedem denuo in Angliam intuliſſe. Quamobrem oportet mehercle vel ignaros eſſe omnium rerum, vel immanem in modum maledicos, qui ullam vel leviſſimam Ambitionis notam Reginæ Manibus aſpergere auſint; idque tantô magis, quoniam ſatis inſuper conſtat inter omnes, quam pulchrè familiari in vita moderari potuerit ſuis Affectibus, quam nullam in partem obnoxia fuerit iræ, avaritiæ, ſuperbiæ aut arrogantiæ, Vitiis, quibus, ſi non omnibus, ſaltem quibuſdam, ſi quis recte attendat & inſpiciat in mores hominum, laborare deprehendet, aut iis indulgere tanquam Dominæ cuidam, illos, qui præcipites feruntur Potentiæ, Auctoritatis, Honorum deſideriô. Cæterum quis altæ & Strenuæ Indolis decus, quis Conſtantiæ, Fortitudinis, Induſtriæ Laudem, ſalvâ ſibi fronte, negare Illi queat, quum nemo utique neſciat, quantâ animi præſentiâ, alacritate, vigilantia Regnum ſemper curaverit, quoties peregre in armis eſſet Wilhelmus? Excubabat enimverò pro ſalute Gentis ſuæ, tantô tunc ſtudiô, ſollertiâ, atque agilitate, ut injurius in Eam, & palam fuiſſet impudens, qui Calcaria nunquam ſecuræ, nunquam quieſcenti, adhibuiſſet: Eadem viciſſim tanta in omni negotio, maximo minimo, utebatur prudentiâ ſimul ac moderatione.

tione, ut nulla unquam in re Frenis cohiberi temperarive debuerit. Repræſentemus modò, mentibus noſtris vel unam illam Anni Nonageſimi æſtatem, quâ Rex in Hibernia feliciſſimè quidem profligavit debellavitque Jacobum, Regina vero quantas è deverſo tunc in ipſis Regnandi per Se ſolam quaſi rudimentis ſuſtinuit curas & ſollicitudines, quum hinc graviſſimarum Conſpirationum delationes animum Ejus ferirent, illinc minus fortiter aut proſperè rem gereret Britannicæ claſſis Præfectus, & jam Victores navali prælio Franci littora infeſtarent, totamque latè Angliam metu & trepidatione implerent? Quantis ô tunc periculis, quoquo mentis aciem, quoquo oculorum lumina verteret, cernebat ſe undique circumdatam obſeſſamque, veluti in medio deſtituta. Et quanta non requirebatur tunc Providentiæ & Fortitudinis pluſquam Virilis copia, ut tot ſimul & tantis diſcriminibus domi foriſque obviam iretur. immo cujus iſta Viri, etiam conſtantiſſimi, nedum Feminæ, animum non terruiſſent penitus, non perculiſſent oppidò, non dejeciſſent in ultimam planè deſperationem & conſilii inopiam? Illa tamen in tanto omnium metu intrepida, quaſi Muliebre nihil præter Formam haberet, brevi cuncta & prudenter expedivit. Multis in locis corpore, ubique animô Præſens. Caſtris & Militibus recognoſcendis præſedit Ipſa, quaſi altera Britanniæ Boudicea. Suſpectos, ne quid in ancipiti hoc rerum momento inſidiarum machinarentur, in Turrim Londinenſem miſit, etiam proximâ Cognatione junctos: Nullam quippe cognationem agnoſcebat, niſi cum Publica Salute connexam. Navales Duces, qui rem malè geſſerant, certè Noſtros cum hoſtium multitudine & adverſa confligantes Fortuna, deſtituerant, ad cauſam dicendam evocavit. Nautas ex pugna vulneribus ſaucios aut debilitatos impenſè & prolixè fovit; Cæſorum in Viduas Liberalitatem exercuit ampliſſimam, miſſâ in Bataviam quoque multorum ſanè millium Summâ, ut in eas diſtribueretur. Plebem Britannicam ſuô maximè exemplô confirmavit. Portus, Regnique aditus munivit: Claſſem novis auxit ſupplementis: Denique omnia Heroicô planè conſiliô providit, ne victoriam Hoſtes perſequi, aut exſcenſionem in Britanniam tentare auderent. Talem tamque illuſtrem publicis virtutibus reginam quum jam exhibuerim, ſupervacuum prope arbitrer, domeſticam ejus atque interiorem quoque vitam declarare. Sed tamen quia multos ex Viris, etiam præcipuô dignitatis ſplendore conſpicuos, videas ſæpe, foris quidem & in Rep. pacis aut belli artibus claros, at domi ſe abdere in ignavam ſegnitiem & turpe otium, tempuſque illud vitæ, quod breviſſimum ſemper queruntur, vix unquam rebus ſeriis aut humanioribus impendere diſciplinis, ſed ſomnô, aleâ, vinô, vel fallere, ut ajunt, vel potius flagitioſum in modum Sibi & Patriæ perdere: ea itaque de cauſa pretium me operæ facturum reor, ſi docuero inſuper, quam non degeneraverit à Regiis Mariæ dotibus in Publico tam glorioſè exercitis, Familiaris in Gynæceo vitæ decus, ut hâc quoque parte Exemplum, quod imitentur, ex Femina capiant Viri. Nec enim Hos inter facilè invenientur, qui elegantiùs diſponere diem, aut publicarum occupationum intervalla privatis meliùs diſtinguere fuerint ſoliti. Summô igitur plerumque ſurgebat mane, Deoque ante omnia vacabat. Tum Librorum, quibus mens noſtra vel excitatur in Pietatem, vel Sapientiæ doctrinis excolitur, dabat ſeſe lectioni. Inde negotia, quæ obveniſſent, expediebat, & ſalutationis, moleſtum profectò, comiter tamen, admittebat officium. Hæc ubi defluxerat, adeuntium qualiacunque excipiebat deſideria: dein corpus exercebat inſtitutâ per Hortum ambulatione, in qua tamen ipſa ſæpe ſimul Eminentibus doctrinâ & pietate Epiſcopis, aliiſve divinarumque rerum peritiſſimis Viris dabat operam, eorumque ſermonibus animum avidè paſcebat. A meridie in Regis, Conjugis ſui, conſpectu & colloquio ſeſe oblectabat, modò per bella, aut graviora negotia, fruendi Ejus copia ſibi daretur. Sæpe Illuſtribus Matronis indulgebat ſua tempora, reddebatve officia; aliquando muliebribus artificiis acu peragendis, Regiam illam Manum, etiam à Sceptro recentem, admovebat. Ne autem, neque illud tempus, abſque animi cultura aut fructu elaberetur, prælegi aliquid ex Variarum Gentium Hiſtoria plerumque jubebat; Neque verò ſolùm, dùm iis rebus erat occupata, ſed & quoties cibum veſperi ſeorſim in Cubiculo ſumebat, immo & quando ſomnum de nocte, ut fit, præ mole curarum capere vel recuperare non poterat; Mehercle vitæ eleganter inſtitutæ exemplum, & ex antiquitate politiſſima repetitum; neque Feminarum, ſed Virorum, neque horum etiam Vulgarium, ſed quos ſua Virtus & induſtria in Cœlum extulit. Sic enim & Octavianus ille Auguſtus, quando oculos ejus fugiebat ſomnus, lectores arceſſere fuit ſolitus: Sic ille omnium præſtantiſſimus Titus Atticus, non aliud convivio acroama adhibuiſſe traditur, quam eximiorum Operum Lectionem. Quid jam de eo dicam; quod, ſicuti Romanorum præcipui Libertum vel Clientem nationis Græcæ habebant ferme à ſtudiis, haud aliter Maria quoque Virum Eruditum, ex Gallia oriundum, auctoramentô honoravit annuô, ut ex tanta librorum, qui paſſim in vulgus prodeunt, copia potiſſimos priùs evolveret & quaſi prægustaret, atque ita ſibi dein renunciaret, quinam ſuos quoque ſubire oculos mererentur? Quæ tam dedita fuit rebus Seriis, ingenium maximè acuentibus & ornantibus, non potuit profectò capi aut oblectari multum Ludicris, quibus etiam nihil revera indulſit. Neque tamen prorſus iis abſtinuit, ne videlicet exiſtimaretur quadam Virtutis Auſteritate præ cæteris velle conſpici, aut Sola receptos jam in Aulas potiſſimùm mores ſeveriùs damnare. Periculum enim eſt certiſſimum, ne ſingulare ejuſmodi inſtitutum vitæ, hôc inprimis ſeculô, alias Humanæ Virtutis artes, quantumlibet egregias, reddat vel inviſas pleriſque & exemplo inutiles, vel certe ſimulationis cujuſdam ſuſpectas. Morem itaque gerebat aliquando Moribus publicis, ubi res & tempus videbatur poſtulare, ſed parcè, & neutiquam in ſeram uſque noctem. Solebat etenim, quando ſui erat arbitrii, tempeſtiviùs ſe in quietem componere, ut tantò etiam maturius evigilaret, & priuſquam aliis rebus operam dare cogeretur, temporis aliquid ſibi præciperet ſuiſque libris, quorum ſummô ſemper flagravit amore, maximumque comparaverat jam numerum, & tamen augebat quotidie, adeò, ut novam iis hôc ipſo tempore deſtinaverit Bibliothecam. Porrò Amor ille, quô cum alios, tum ſuos inprimis complexa eſt Britannos & Batavos, ſingularis adeo fuit, ut meis ſane verbis explanari vix queat. Nec vero Verbis opus; plurimis ille conſtat Rerum documentis; ſed nullo clarius, quam quod ſupremô etiam vitæ die in ultimis ad Wilhelmum, Cariſſimum Regni & Tori Socium, ſermonibus, nihil magis quam Populum Illi ſuum commendavit, ut, quoniam Deus nullam Ipſis dediſſet prolem, Populum ergo, Populum inquam, Liberorum ſibi adoptaret in locum. Hanc Illa vocem, in qua tantum non defecit, reliquit Britannis & Belgis certiſſimum affectus ſui pignus, in Regis pectore quaſi depoſitum. Tandem Valere dixit Regi his verbis, quæ a me Latinè efferuntur. Non enim quæ dicere potuit, ſed quæ dixit, auditis. Jam linquo terram. Spero Rex te nunquam dubitâſſe de mea fide & amore. Moderare dolori. Opto ut quô gaudiô ego decedo, tantâ tu facilitate mœrori modum ponas. Non longè poſt cæleſtem exhalavit animam (d. ſcil. 28. Decembr. annô M. DC. XCIV. ætatis XXXIII.) Divina Maria in manibus & complexibus Regis, qui nunquam receſſit, ac ex Ejus cubiculo pedem extulit die nocteque, quam diu graviſſimis tribus morbis, variolis, ut vocant, eriſypelate, & febri peſtilente, quorum ſinguli hominem facile poſſunt jugulare, infeſtata jacuit. Quô Rex fuerit dolore confectus præſtat ſilere, quam operam & verba perdere. Quæ omnia excerpſimus ex Oratione Exequiali eruditiſſima, quam Cl. Lugduni Batav. dixit Dn. *Perizon.*

MARIA de Succa, Leodienſis, filia Benedicti JC. Arithmeticæ & Muſices cognitione brevi hauſtâ, intra 6. menſes Latinam linguam perfectè addidicit, in eaque etiam Teſtamentum ſuum condidit. Obiit A. C. 1626. ætat. 26. Valer. Andreas *Biblioth. Belg. p.* 642.

de MARIA Henricus, vide *Henricus.*

S. MARIA del Dragona, Principatus regni Neapolitani in Terra Laboris.

S. MARIA di Leuca, urbs Epiſcopalis in terra Hydruntina.

Petrus MARIA Pennachius, Pictor inſignis, obiit A. C. 1528. Vide Rodolphum *in vitis Pictor.*

MARIA, ſeu *Marea, Strab.* Vide *Mareotis.*

MARIA, nomen plurimarum ædium ſacrarum, in Eccleſia Romana Romæ inprimis celebris *S. Maria Major*, Baſilica ingentis operis; ad diſtinctionem *S. Mariæ Minoris*, quæ & *Eccleſia Nova* ſeu *S. Maria Nova*, dicebatur: hodie *S. Franciſcæ Romanæ*; quod hæc ibi ſepulta, nomine celebris. Eadem quoque *S. Maria in Palatio* vocata, quia Palatio olim Imperiali, cujus ſitus hodie Duci Parmenſi pro viridario inſervit, propinqua erat. *Bullar.* Caſin. *Tom.* 2. *Conſtitut.* 150. *Cellam S. Mariæ in Palatio, quæ dicitur. Minor.* &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* Hinc *S. Mariæ Majoris* Obeliſcus, qui inter XIII. illos, qui Romæ viſuntur, memoratur Georgio de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo p.* 11. Sed & Sacella, quæ ſunt poſt Chorum, quæque Monachi Benedictini *Retrochorus* vocant, quòd Deiparæ ferè ſemper dicata, *S. Mariæ* nomine donantur, apud Adalhardum Abbatem *in Capitulis c.* 46. *De ſedendo* in S. Maria *vel aliis locis*, vide infrà in voce *Retrochorus*. uti de *Sancta Maria Rotunda*, ubi de *Pantheo.*

MARIA Lex, de ambitu: de nummis probandis: de pontibus, per quos ſuffragia ferebantur, anguſtioribus faciendis, vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 3. 20. 29.

MARIA Septem Palæſtinæ, vide ſuprà in voce *Mare.*

MARIABA, metropolis Sabæorum juxta mare Rubrum, Strabo *l.* 15. *Mariama Ptolemæo*, teſte *Hermolaô*, omnium Arabiæ Felicis oppidorum regina. Vide *Saba. Baudrando Marriaba*, ſeu *Marraba*, urbs Minæorum erat, in Arabia Felice. Nunc *Mecca*; ſatis ampla, ab Batium fluv. ex *Sanſone*; & celebris, propter ſepulchrum Mahometis Pſeudoprophetæ, 70. mill. paſſ. ab ora ſinus Arabici in Ortum, totidem ab urbe *Ziden* in Septentrionem. Nuper admodum ab Arabibus direpta. Sed longè à Sabæorum regia in Boream.

MARIACUM, vulgò *Mairé*, locus Galliæ, in finibus Pictonum & diœceſi Pictava ubi Junianus Monaſterium extruxit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARIÆBERGA, vulgò *Marienberg*, urbs Miſniæ. Metallica eſt, & in montanis ſita, A. C. 1519. ab Henrico Saxoniæ duce, condita, cùm ſuperiori annô ibi repertæ eſſent venæ metallicæ, valde divites. Sub Electore Saxonico prope Annebergam, in ipſo limite Bohemiæ, 9. milliar. German. à Miſna urbe in Meridiem 7. à Zuica in Ortum.

MARIÆBURGUM, vulgò *Marienburg*, urbs munita Pruſſiæ regiæ, in Pomeſania, ad amnem *Nogat*, alveum Viſtulæ, cum caſtro. *Margenburg* incolis. 5. milliar. German. à Gedano in Eurum, ferè 4. ab Elbinga in Africum, & 11. à Torunia in Boream. Aliàs ſedes prima Magiſtrorum Ordinis Teutonici, quibus ortum ſuum, nomen verò B. Virgini debet. Arx ipſa, prius quàm civitas, quæ condita eſt A. C. 1302. ædificari cœpta, A. C. 1281. firma & valida eſt, ſed A. C. 1644. ferè in cineres redacta. Urbem autem Caſimirus Rex in ſuam poteſtatem redegit, A. C. 1460. Capta fuit à Suecis A. C. 1625 iterumque A. C. 1655. ſed reddita Polon.

MARIÆBURGUM, vulgò *Marienbourg*, oppid. permunitum Hannoniæ, à Maria Auſtriaca, Hungariæ Regina excitatum, contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Gallos, quibus nunc ſubeſt pace ad Pyren A. C. 1660. cùm etiam A. C. 1542. illud cepiſſent. 2. leuc. à Philippovilla in Meridiem, 4. à Rupe Regia in Septentrionem, uti & a Carolomontio in Occaſum, juxta Album amnem.

MARIÆBURGUM, Hiberniæ urbs, metropolis regionis, vulgò *Queneſcoun* dictæ.

MARIÆSTADIUM, urbs recens Veſtrogothiæ, inter lacus Vuenerum & Weterum, vix 3. mill. paſſ. à Wenero, 28. à Lidkopia in Ortum, ferè 40. a Caroloſtadio in Auſtrum. Vulgò *Marienſtadt*.

MARIALE, Græcis recentioribus Μαρίαλε, Βιβλίον ἐστὶ ἔχων τῆς θεοτόκου ἐγκώμιον, *liber Deiparæ laudes continens*, apud Cruſium in *Turco Græcia p.* 243.

MARIAMNE, filia Alexandræ, uxorque Herodis fuit, quam ille ob pulchritudinem valde dilexit. Hæc cùm caſta eſſet, animô tamen interim ſatis rigidô ac præfractô, meridie quôdam recuſavit viri amplexus, quinetiam improperavit ei parricidium. Id ægerrimè tulit Rex: quod ſentiens ejus ſoror Salome, pincernam regium inſtruit, qui perſuadeat regi, Mariamnem ei confeciſſe potionem. Quare indignatus Rex, de uxore ſupplicium ſumſit, hinc ſpectrô territus. Vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 15. *c.* 3. & 9. Item *l.* 18. *c.* 11.

MARIAMNIA, urbs Phœnicum. *Steph.* ex Pauſan. *l.* 9.

MARIANA Jeſuita, Jacobum Clementem, Henrici III. Gall. Regis ſicarium, ſcriptô laudavit, *inſignem animi confidentiam facinuſque memorabile*, ejus crimen vocans. Vide Petr. Molinæum *in Monar. c.* 2. *p.* 15. Thuan. *l.* 96.

MARIANA Johannes, vide *Johannes*.

MARIANA Colonia, Corſicæ inſul. civitas, ita dicta à C. *Mario* 7. Conſule, qui eò coloniam duxit. Plin. *l.* 3. *c.* 6. hodiè *Marino Blondo*, *Cabo S. Maria*, *Pineto*. *Baudrando* nunc *rovine de Mariana*, urbs fuit, ad Tavolam fluv. aliquot milliar. ab ora Orientali Inſulæ, inter Baſtiam ad Boream 15. & Aleriæ rudera ad Auſtrum 20. milliar. eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Genuenſi, ejuſque Epiſcopus Baſtiæ reſidet.

MARIANA Caſtra, pagus agri Novarienſis, 5. mill. paſſ. à Novaria, Vercellas verſus. Aliis *Arcus Marianus*. Vulgo *Camariano*.

MARIANA Villa oppid. Latii, inter Romam & Velitras, in Via Appia, in monte, 15. mill. paſſ. utinque; *Marino* vulgò.

MARIANÆ Foſſæ, Narbonenſis Provinciæ oppid. quod hodiè *Aquas mortuas* appellant, ita dictum à vicina foſſa, à C. Mario ad mare uſque ductâ. Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Strabo *l.* 4. *Fos* hodie, *Ferrarius*. Vide. *Foſſa Mariana*.

MARIANDYNUM, regio Aſiæ Bithyniæ contermina, Acheruſiâ ſpecu nobilitata, per quam Hercules Cerberum canem tricipitem ad ſuperos traxiſſe dicitur; quem ferunt ibi virulentam ſpumam in ſaxa evomuiſſe, ex qua ibi natum volunt aconitum. Dionyſ. Perieg. *v.* 788.

> Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον, ἔνθ' ἐνέπουσιν.
> Οὐδαίου Κρονίδαο μέγαν κύνα χαλκεόφωνον
> Χερσὶν ἀνελκόμενον μεγαλόφρονος Ἡρακλῆος,
> Δεινὸν ἀπὸ στομάτων βαλέειν σιαλώδεα χυλὸν:
> Τὸν μὲν ἐδέξατο γαῖα, καὶ ἀνδράσι πῆμ' ἐφύτευσε.

Nomen regionis (inquit *Steph.*) eſt à *Mariandyno* quodam Æolico. Populi *Mariandyni*. Inde *Mariandynus tibicen* pro inepto poeta aut ſcriptore, apud *Æſchylum*. Sic & *Carica Muſa*, Euſtath. in *Dionyſ.* Val. Flac. *Argon. l.* 4. *v.* 171.

> *Et Mariandynum patrias penetravit ad urbes.*

Ptol. Mariandini. Melæ *l.* 1. *c.* 2. *Mariandynai.* Μεγαδινοὶ Xenophonti initio Κύρου παιδείας: Sed ſcribendum Μαριανδυνοί. *Nic. Loydius.*

MARIANDYNUS Sinus, pars Ponti Euxini, prope Bithyniam, Plin. *l.* 6. *c.* 1. inter Heracleam Ponti ad Ortum & Thinnium promontor. ad Occaſum; 60. mill. paſſ. à Byzantio in Ortum. In eum ſe exonerat Sangarus fluv.

MARIANE, Aſiæ palus, *Ptol. Bendemal Caſtaldo* in Medea, fortè *Mantiana Strabonis*.

MARIANI Montes, *Marianus Mons Ptol.* in Hiſpania Tarraconenſi, illam longo tractu à Bætica ſeparantes: quorum pars ſaltus Caſtulonenſis dicitur; hodie *Sierra Morena*. Sunt ab Ortu in Occaſum extenſi, à fluv. *Guadarmena*, ad confinia Extremaduræ, inter Caſtellam novam ad Boream & Vandalitiam ad Meridiem. Eorum pars ad Ortum *Las Navas de Toloſa* dicitur, prope Toloſam, oppidulum Vandalitiæ, ubi tranſitus *Puerto Muraldar*. Hîc Mauri à Caſtellæ Rege incredibili olim clade affecti.

MARIANUM, oppid. agri Mediolanenſis *Marliano Alciato*.

MARIANUM, oppid. & promontor. Corſicæ, in parte Auſtrali ſeu Ultramontana. Nunc *Caſa Barbarica*, *Brietio*. Fuit aliàs munitum à Saracenis Africanis.

MARIANUS, Jupiter dictus, à Mario, qui cum cœteris monumentis templum ei condidit: In hoc Senatuſconſultum factum eſt, de revocando ab exilio *Cicerone*, quod ei per ſomnium eſt ſignificatum.

MARIANUS, Florentinus, Franciſcanus, ſcripſit Chronicon ſui Ordinis, &c. A. C. 1430. Michaël Pocciantius *in Catal. Script. Florentinor.* Item Medicus, Geſnero *in Biblioth.* Marianus *S. Barolitani*, *Juſto* & *van der Linden* Marianus Sanctus, *Barolitanus Halus* dictus; Apulus. Vixit Venetiis, ſeculô præteritô variaque ſcripſit. Item, Romanus, Generalis Ordinis S. Auguſtin, A. C. 1500. Scripſit Epiſtolas, Orationes & Homilias. Joſ. Pamphilus, *in Chron. Aug.* Philippus Elſius, *in Encom. Auguſt.*

MARIANUS Socinus, Senenſis, JCtus inſignis, ſcriptis celeberrimus. Item hujus nepos, itidem ingeniô eruditioneque florentiſſimus.

MARIANUS Scotus, Scotus an Hibernus? patriâ egreſſus A. C. 1052. Coloniæ Monachi habitum ſumſit, A. C. 1058. Obiit A. C. 1086. ætat. 58. Chronographus inſignis. Chronicon condidit à Nato Chriſto uſque ad A. C. 1083. quod Dodechinus Abbas continuavit, uſque ad A. C. 1200. Tribuitur etiam ipſi, *Calculatio de Univerſali tempore*, &c. Sigebert. *de Viris Ill.* & *in Chron.* Aventinus *in Annal.* Jac, Waræus *de Script. Hibern.* Voſſius, *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 47. &c.

MARIANUS Victorius, Epiſcopus Ameliæ, Hieronymi opera, ſub finem præteriti ſeculi, edidit.

MARICA, nympha, Liris fluv. accola in litore Minturnenſium, quæ regi Fauno nupſit, eique Latinum peperit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 47. Lucan. *l.* 2. *v.* 424.

> ——— *Umbroſæ Liris per regna Maricæ*
> *Veſtinis impulſus aquis.* ———

Claudian. *de Conſul. Olybrii* & *Probini v.* 259.

> ——— *Flavaque* { *terens* / *tenens* } *querceta Maricæ*
> *Liris.*

Quidam per Maricam Venerem intelligunt, cui ibidem ſacellum fuiſſe perhibet. *Nic. Loydius.*

MARICA Sylva, *Maricæ Lucus*, Livio, *l.* 27. *c.* 37. ſylva Latii novi in Campaniæ confinio ad Lirim fluv. apud Minturnas à *Marica* nympha ſic dicta, de qua Virg. *loc. cit.*

> *Hunc Fauno* & *nymphâ genitum Laurente Maricâ.*

MARICI, populi Liguriæ, qui cum Lævis Ticinum condiderunt, teſte Pliniô *l.* 3. *c.* 17. quorum vicus adhuc viſitur apud Alexandriam, inde 2. mill. paſſ. Dertonam verſus, qui *Marengo* dicitur, & oppidulum *Pietra di Marici* ab Alexandria 3. milliar. Ticinum verſus, apud Tanarum fluv.

MARICUS, è gente Bojorum, Deum ſe & aſſertorem Galliarum ſimulavit ac concitis octo millibus hominum proximos Æduorum pagos traxit: cùm ea civitas electâ juventute, adjectis à Vitellio cohortibus fanaticam multitudinem disjecit. Captus in prælio *Maricus*, ac feris objectus, quia non laniabatur, vulgus inviolabilem credidit, at coram Vitellio interfectus eſt. Tac. *Hiſt. l.* 2. *c.* 61.

MARIDUNUM, urbs Albionis in Wallia Meridionali inter Landavam, & Meneviam. *Caermarthen Camdeno* dicitur. Ad Tobium fluv. *Baudrando*, 6. mill. Angl. ab ora maris Verginii in Boream, 35. mill. paſſ. à Menevia in Ortum, & 24. à Pembrochio. Caput Comitatus *Maridunenſis*, vulgò *Carmardenshire*, qui eſt inter Pembrochiam provinc. ad Occidentem, Cereticam ad Boream, Brecnochiam ad Ortum & Mare Virginium ad Meridiem.

MARIGALANTA, una ex Antillis, haud pridem ſub Francis, cum arce. 6. leuc. à Guadalupia Inſul. in Auſtrum; 10. à Dominica Inſul. in Boream. Fertilis admodum. Gallis *Marigalante*.

MARIGERI, Æthiopiæ ſub Ægypto populi, Plin. *l.* 6. *c.* 30.

MARILEGIUM, vulgò *Marley*, villa olim regia Auſtraſiæ Regum, in Alſatia, egregii operis muris excelſis inclyta. Hic Childebertus Rex per ſummiſſos à Fregedonde ſicarios, magnum vitæ periculum adiit, A. C. 590. Ibidem nutritus eſt, patris ſui Childeberti juſſu, Theodoricus, qui poſtea in Burgundia regnavit: & ob id villam hanc cum tota Alſatia, ſupremâ voluntate patris obtinuit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARILIÆ, ſeu *Maricolæ*, in Hannonia, ad Helpram fluv. Abbatia Monachorum S. Benedicti Ordin. Vulgô *Maroilles*. Idem.

MARILIUS, avus Hadriani Imperatoris quem *Marullinum* vocat Spartian. *in Adriano c.* 1. *Avus Marullinus, qui primus in ſua familia Senator Popul. Romani fuit.* Vide Caſaub. & Salmaſ. *Not. ad locum.*

MARILLIACA Ludovica, vide *Ludovica*.

MARIMATHA, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol.*

MARIMUTH, nomen viri Eſdr. *c.* 10. *v.* 35.

MARINA, in remotiſſimis à mari locis exhibuit Heliogabalus Æl. Lamprid. in *Vita* ejus *c.* 23. *Ad mare piſcem nunquam comedit: in longiſſimis à mari locis omnia marina ſemper exhibuit: murenarum lactibus* & *luporum in locis mediterraneis ruſticos pavit. Piſces ſemper quaſi in marina aqua cum colore ſuo coctos conditurâ venetâ comedit; momentarias* &c.

MARINESSUS, pagus fuit Helleſponti, patria Sibyllæ Helleſpontiacæ tempore Solonis & Cyri natæ. Lactant. *l.* 1. *c.* 6.

MARINIANÆ, Pannoniæ urbs. *Antonin.* ad Dravum fluv. nunc *Kemin Salw*, 10. milliar. à quinque Eccleſiis in Africum.

MARINIANUS, Conſul cum Paterno, an. Urb. Cond. 1020. Alius Conſul cum Aſclepiodoro, an. Urb. Cond. 1176.

MARINUM, ſeu *Fanum S. Marini*, vulgò *S. Marino*, Umbriæ urbs. *Strabo*. Hodiè *S. Marini*, in monte aſpero, inter Romandiolam & Ducatum Urbinatem, vix 4. mill. paſſ. ab Arimino fluv. Caput Reipubl. parvæ, vulgò *la Republica di S. Marino*, ſub qua XII. villæ. 22. milliar. à Piſauro in Occaſ. 5. à Fano S. Leonis in Cæciam. Aliis *Acer mons*. Hîc plurima ingentium veterumque murorum monumenta & cryptæ plurimæ. Hæc Reſpubl. literis ad Rempubl. Venetam ſubſcribere ſolet, Noſtræ chariſſimæ ſorori Sereniſſimæ Reipubl. Venetorum. *Boccalin.*

MARINUM, *Ortel. Roccha di Val di Marino*, oppid. agri Tarviſini.

MARINUM Vellus, in *Gloſſis* Πίννινον, de quo Tertullian. *de Pall. c.* 3. *Nam* & *de mari vellera, quo muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant:* pinnæ eſt ſeu conchæ margaritiferæ lana, quam ut hirſutam & villoſam deſcribunt priſci Scriptores, Androſthenes in Indiæ παράπλῳ, apud Athenæum *l.* 1. *c.* 13. Plin. *lib.* 9. *c.* 35. Heſych. Alii. Aurei coloris, uti docet Baſilius *in Hexaëmer. Homil.* 7. & Ambroſius *in Hexaëm. l.* 5. *c.* 11. *Aureum etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memorati ſpeciem metalli gignunt littora, cujus colorem nullus adhuc eorum, qui fucis diverſis obducunt vellera, imitari potuit.* Unde πιννινότριχα πρόβατα vocari Salmaſ. obſervat. *ad Tertullian. loc. cit. p.* 218. oves, quæ lanam habent ejuſdem coloris, cum pinnarum vellere, i. e. aurei. Illud nevere Veteres, ut ex ea comas facerent adſcititias, Phile *c.* 88. *de Animal.*

> Πίννη καὶ πεσεῖ καὶ τριχῶν βλάστην ξένην,
> Ὡς ἐξ ἀραχνῶν συμφυῶν τῶν ἐγκάτων·
> Ἧς ἡ φεραυγὴς καὶ χλιδῶσα λεπτότης,
> Ξανθοῖσι πλοχμοῖς συνδεθεῖσα παρθένων,
> Σπαργῶντας αὐταῖς μαστροπεύει νυμφίους.

Pinna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pinna autem facit pilorum germen mirabile.
Ac ſi ex aranearum produceret viſceribus:
Cujus lucida & delicioſa tenuitas,
Flavis cincinnis illigata virginum,
Prurientes in eas conciliat procos.

Sed & ad ell, chnii adhibitum, docent Talmudici, in *Tract. de Sabbatho c.* 2. ubi voce Hebr. *calch* ſeu *colcha*, vellus hoc indigitari, docet *Bochart.* Imò & veſtes ex eadem materia fieri conſueviſſe, refert Procopius *de Juſtiniani Fabricis*, *ſub initium l.* 3. Sic marſupium ingens, cum aſſutis è pinna fimbriis, Beringium, Henrici IV. Regis Gall. Cubiculariorum primicerium. ſibi oſtendiſſe, teſtatur Caſaubon. *in Athenæum l.* 3. *c.* 11. &c. Quòd verò Talmudici *Colcha* vocant hanc lanam, notandum eſt, præter Colchos illos πολυθρυλλήτους, alios ad Orientalem Oceanum fuiſſe Colchos, de quibus *Ptol.* & Arrianus in *Periplo*; hodie *Cochin* appellant non multùm diverſô nomine. Circa quos cùm conſtet ſatis magnam eſſe pinnarum copiam, juſta fuit cauſa, cur, ab iſtis Colchis ſumtô nomine, *colcha* diceretur, aureum illud vellus, quod pinnis adnaſcitur. Plura vide apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 45. & infrà ubi de *Pinnico vellere.*

MARINUS I. quem alii Martinum II. dicunt, Tuſcus, Johanni IX. Papæ ſucceſſit, acta Photii, qui Conciliabulum celebraverat, A. C. 879. reſcidit; hinc Baſilius Macedo Imperator ei offenſus, Formoſum Epiſcopum Portuenſem, ab anteceſſore Epiſcopatu motum, reſtituit. *Ejus tempore*, ait Sigonius *l.* 5. *Eccleſia Romana graviſſimè laboravit, Regibuſque & Pontificibus aſſiduis certaminibus occupatis, vetus Eccleſiæ diſciplina eſt lapſa*, &c. Obiit A. C. 884. Succeſſit Hadrianus III. *Petrus Guilielmus, Mart. Polonus, Platina, Ciacconius, Ducheſnius.* &c.

MARINUS II. aliis Martinus III. Romanus. excepit Stephanum IX. A. C. 943. Obiit A. C. 946. In pauperes beneficus. Succeſſit Agapetus II.

MARINUS, Sarmatici limitis Præſes, ab exercitu Imperator ſalutatus, Philippum Imperatorem adeo perculit, ut de deponendo imperio cogitaret, niſi eum Decius Senator confirmâſſet: paulò pòſt ſeditione militari cæſus. A. C. 251.

MARINUS, prænomine *Julius*, vetuſtiſſimus familiarium Tiberii, eumque etiam Rhodum ſecutus; poſteà inſidiarum in Libonem, Flaccô Veſculariô Atticô participe, internuncius, denique tædiô ſcelerum à Cæſare ad mortem actus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 10.

MARINUS, Comes, Africam ſub poteſtatem Honorii reduxit, Marcellini Tribuni cæde pollutus. Revocatus mox, in privati hominis ſortem redactus eſt.

MARINUS, Neapolitanus, Philoſophus & Rhetor ſeculi 5. diſcipulus Procli, cujus vitam, proſâ verſuque ſcripſit. *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 22. & *Poët. Græc. p.* 80.

MARINUS Barletius, Presbyter Scodræ, in Dalmatia, ſcripſit libros 13. de vita Georgii Caſtrioti, Scanderbegi dicti: Item libros 3. de obſidione Scodræ. Hunc Paul. Jov. *in elog. vir. doct. c.* 137. confundit cum Marino Belichemo, qui Scodrâ quoque oriundus, Brixiæ docuit, tempore Raphaëlis Regii, Georgii Vallæ, &c. Scripſit varia, Geſner. *in Biblioth.* Felix Oſius & Riccobonus, *de Gymn. Patav.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 6.

MARINUS Ghetaldus, Raguſinus, Mathematicus, A. C. 1607. ſcripſit *Apollonium redivivum, Collectiones, problematum*, &c.

MARINUS Homo, apud *Lud. Vivem*, in Batavia, viſus à plurimis & ſupra duos annos ibi detentus, tandem fari incepiſſe legitur, ſed in mare reſiliit, ubi primùm potuit: ex eo forte genere, de quo Alex. ab Alexandro agit in *Genialibus libris.* Alius Eugeniô IV. Pontifice apud urbem Sibinicum in Illyria, captus eſt, dum puerum ad mare trahebat, Effigies ejus penè humana, niſi quod cutis auguillæ ſimilis eſſet; in capite duo haberet cornua, manus duorum tantùm digitorum formam exprimeret, pedeſque in duas veluti caudas deſinerent, à quibus ad brachia alæ, ut in veſpertilione, extendebantur, teſte *Fulgoſô.* Sed & in Nilo, ſub Mauricio Imperatore Ægypti Præfecto Menâ unà cum quibuſdam amicis deambulante, in loco, qui *Delta* dictus; Sole ortô, animalia humanæ formæ perſimilia apparuère, in medio fluminis, Vir ſcil. & mulier, ſeque ſpectandos exhibuère umbilicotenus uſque ad horam nonam, ut Theophilus Iſaurus Abbas ſcriptum reliquit in *Chronol.* interprete Anaſtaſiô Bibliothecar. A. C 592. Ut de Muliere marina Harlemum delata, A. C. 1403. de Viro barbato ac capillato, in Friſia A. C. 1526. de alio in Balthico mari, prope Elepochum, Norvegiæ oppid. A. C. 1531. capto, qui Sigiſmundo Poloniæ Regi muneri miſſus, triduum in Aula vixit; de Adoleſcente marino, non procul à Lunæ promontorio in littus prodeunte, piſcatorumque piſces ſurripiente, apud Damianum Goës *in Olyſſiponis Enarr.* aliiſque nil addam. Comperiuntur certè in antiquis Luſitaniæ Regni Archivis ea de re monumenta, cùm hujuſmodi monſtra ad ſe pertinere, tum Rex tum M. Magiſter S. Jacobi contenderent; tranſactione verò ſic diremta lis eſt, ut Regibus cederet vectigal Sirenum, aliarumque belluarum maritimarum, quæ in littoribus Magiſtri caperentur &c. Vide eundem Goës, ut & Georg. Brun *in Harlemo* Plura autem hanc in rem apud Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 42. nec non in vocibus *Siren*, *Triton*, ut & ſuprà ubi de *Cauda Sirenis.*

MARINUS Johannes Baptiſta, Neapolitanus, fil. Johannis Franciſci, celebris JCtus, À patre Juri ingratiis admotus, illô relictô, genium ſuum Poëticum ſequutus eſt & ad March. Villam, unum ex fundatoribus Academiæ *Otioſorum*, ſe contulit, in qua carmina edere cœpit, quibus omnes in admirationem rapti. Interea Matthæo Capuano, Principi Concæ innotuit, eique à Secretis fuit: amicitiâ cum Taſſo in hujus aula contractâ. Paulo pòſt Neapoli diſcedere coactus, Romam venit; & Aldobrandinum Cardinal. Legatum in Sabaudiam ſequutus eſt: ubi, poſtquam Panegyricum ceciniſſet Carolo Emanueli Duci, Eques S. Lazari & Mauritii ab illo creatus; & muneribus excultus eſt. Hinc æmulum Gaſparem Murtolam nactus, poſtquam aliquandiu Satyricis ſcriptis inter ſe certâſſent, ab illo ſclopeti ictu petitus eſt, qui in Principis epheborum aliquem peccavit. Poſtea Taurinum deſerere coactus eſt, ob Principem ab æmulis irritatum: hinc à Maria de Medicis Lutetiam evocatus, ibi Poëma *Adonis* Ludovico XIII. dedicavit. A Cardinale Ludoviſio dein Romam invitatus, eò pervenit, Neapoli mortuus A. C. 1625. ætat. 56. cùm Romam reditum pararet, Urbanô VIII. litteratorum Mæcenate jam rerum potitô. Vide Morer. *Diction. Hiſt.*

MARINUS Merſennus, ingeniô ſcriptiſque inclytus.

MARINUS Sanutus, cognomine Torxellus, Venetus. Itinere quinquies in terram S. ſuſceptô, dein alias quoque regiones obivit, Principes Pontificeſque ore calamôque ad liberandos à Saracenico jugo Chriſtianos adhortatus. Scripſit *Secreta fidelium Crucis*, libb. 3. A. C. 1321. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9. Alius, dictus *Junior*, floruit ſeculô præteritô, Auctor libri de Magiſtratibus, item de Principibus Venetis, cum relatione belli Gallici. Ei Aldus Manutius Angeli Politiani opera inſcripſit. Franc. Modeſtus, *l.* 10. *Venetiados*, *Phil.* Bergomenſis, *l.* 16. *Chron.* Geſn. *in Biblioth.* &c.

MARINUS Tyrius, Geographus, A. C. 60. Luc. Gauril. *in Calend. Eccl. p.* 16. *edit. Ven. A. C.* 1552.

MARINUS Valerius, vide *Valerius.*

MARINUS Lacus, portui Herculis proximus in Tuſcia, ut Strabo eum deſcribit *l.* 3. *Lago d'Orbitello* hodie vocatur, ut ex tabulis colligitur.

MARIONIS, urbs Germán. non obſcura ad Albim fluv. in Saxonia, duci ſuo parens inter Brunſwicum & Lubecam, *Lunenburg*, teſte *Petrô Apianô.* Urbs Vindilorum *Cluverio*; eſt *Hamburgum.* Vide ibi. Altera urbs Pomeraniæ, *Lubec Ortelio*, in ora maris Suevici: Nunc *Wiſmaria*, vide ibi. *Cluver. Sanſ. Briet.*

MARIONUS Sihon, Nivernus, Advocatus generalis Curiæ ſupremæ, Orator eximius, & poſt Ciceronem maximus, teſte Card. Perronio *in Perronian.* Ejus exſtant *Actiones forenſes.* Obiit A. C. 1605. ætat. 63. Vide Anton. Teiſſier. *Elog. p.* 2.

MARIS, Eratoſtheni, qui *Mœris*, item *Myris*, Herodoto, Thebanorum in Ægypto Rex XXXIV. Siſtoſicherni ſucceſſit, *ſtruxit inſignes Vulcani porticus, quæ ſunt verſus Aquilonem & ſtagnum effodit.* Herodot. *l.* 2. *c.* 111. cui templo Rhampſinitus Rex poſtea προπύλαια ad Occaſum addidit. Unde colligitur, Memphim, in qua hoc templum erat, quæque à Paſtoribus ſub eorum adventum ante annos 200. capta fuerat, jam ſub Aſſide ſeu Aſeth illorum Rege VI. à Thebanis fuiſſe receptam ornatamque. De *Stagno Mœridis* ſeu potiùs *foſſa è Nilo in ſtagnum deducta* altero nobili hujus Regis opere, præclara idem Herodotus habet *ibid. c.* 149. Vide quoque Diodorum Sic. *l.* 3. & Strabonem *l.* 17. In medio lacu duas pyramides 50. paſſus ſuper aquam extantes ſtruxit, & ſuper utramque coloſſum lapideum in throno ſedentem, ſui & uxoris ſepulchra. Idem quòd tam inſignis aquilex eſſet, Geometriæ inventor habetur Diogeni Laërtio *in Pythagora*; regnavit ann. 43. ſucceſſore Siphoâ ſeu Mercurio II. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron. Sæc.* X.

MARIS, lacus Thraciæ in finibus Ciconum apud Maroneam urbem, *Lago di Marogna.*

MARIS *Imperium*, vide infrà *Thalaſſocratia.*

MARIS Stella, vide infrà *Vettinga.*

MARISSA, urbs Idumææ potens & opulenta, à Juda Maccabæo expugnata.

MARISUS qui MARUS Tacito: *l.* 2. *Annal. c.* 63. & poſterioribus *Maryſius*, fluv. Daciæ per Tranſylvaniam in Tibiſcum influens, ac Albam Juliam alluens. *Maris Herodoto* dici videtur. *Meriſch* Germanis, *Marons* incolis. Oritur ex monte Carpatho, in Tranſylvania ſupra oppid. Novum mercatum; dein Albam Juliam, Lippam, aliaſque Tranſylvaniæ urbes rigans, uti & Chonadium Hungariæ, ibi paulo infra Tibiſco miſcetur, juxta Singidavam. *Baudrand.*

MARISUS, ingens Thraciæ fluv. qui ab Hæmo defluens, rigatis Philippopoli, Adrianopoli, &c. in mare Ægeum ſe exonerat. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 524.

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus.

MARITHA, vel MARITHÆ, montes Arabiæ Felicis in ora Auſtrali, haud procul à littore, & ortu Laris fluvii. *Ptol. Martimos* hodie.

MARITIMA Colonia, Galliæ Narbonenſis urbs, caput Avaticorum, quibus ad mare inter ora Rhodani & Maſſiliam ſedes. *Martegues*, ſeu *l'Iſle de Martegues*, teſte *Joh. Poldô*, *Ptol:* Μετὰ δὲ τὸν Ῥοδανὸν ἐπὶ θαλάσσῃ κεῖται Ἀυατικῶν πόλις Μαρίτιμα κολώνια. Sic rectè libri veteres. Vide *Maſtramela. Baudrando* oppid. eſt Provinciæ celebre, cum titulo Principatus in Inſul. parva ad oſtia Aſtromelæ ſtagni, ubi ſe exonerat in mare Mediterran. cum portu capaci. Eſt ad ſtagnum hoc Maſtromelam *l'eſtrang de Martegue*, vel *mer de Martigues:* Item à loco proximo *l'eſtrang de Berre*, quoque Maramas, ſeu Miramas locus, quem alii *Maritimam Avaticorum* eſſe malunt. Intra Campos lapideos vicus cernitur *Fos*, qui à Foſſis Marianis proximis nomen videtur accepiſſe, unde Foſſenſis ager *terroir de Fos*, Maritimæ propinquus, Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hinc nautæ peritiſſimi, vulgò *les Marteganx.* 5. leuc. à Maſſilia in Circium, 9. ab Arelate in Eurum. Vocatur à quibuſdam *Venetiæ Gallicæ*. comprehenditque tres urbes *Jonquieres*, *l'Iſle* & *Ferrieres*, è quarum una in aliam ponte tranſitur. Captura hic optimorum piſcium locupletiſſima, ad quam uti ſolent incolæ cymbarum genere, ex arundinibus marinis confectô, quas *Bourdigous* vocant. Foſſa, quæ à ſtagno ad mare, unâ hinc leucâ diſtans: pertinet: Romani ſine dubio eſt operis. Urbs olim quoque inſul. ſeu pons S. Genaſii dicta, à Barbaris malè habita eſt, reparata tamen. Cùm ſub diverſis olim Dominis eſſet, jam Principatus eſt, ut dictum, ad Vindocinam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

domum pertinens. Certi chorearum generis hîc uſitati meminit *Solerius*, unde Proverb. *Danſer la Martingale.* Vide Noſtradamum *Hiſt. de Provence.* Bouchæum *deſcr. de Prov. l.* 4. *c.* 4. §. 1.

MARITIMÆ, Gallis *les Marennes*, in Pictonibus dicuntur agri ad Oceani littora, in quibus extant ſalinæ. Sic *Maremma* Itali, *Marèſme* Catalani dicunt, unde *Banyuls de Mareſme*, locus in Comitatu Ruſcinonenſi, haud procul à Caucoliberi, apud Andr. Boſchum *lib.* 1. *dels Titols de honor de Catalunya c.* 26. laudatum Car. du Freſne *d. l. de Comitibus Maritima* & *Maritimi tractus*, vide ſuprà.

MARITIMÆ Alpes, *le Montagne di Tenda*, à mari Mediterraneo ad montem Argentarium, extenduntur, in limite Delphinatus, ſeu etiam ad montem Veſulum, inter partem Liguriæ, Comitatum Tendæ & Marchionatum Saluciarum ad Ortum & Nicææ Comitatum ad Occaſum Earum partes ſunt montes *Col de l'Argentiere*, *Col delle Feneſtre*, & *Col de Tende*, uti Mons Acema.

MARITIMÆ Stationes, *Marmolio* & Moletio *Saline*, locus Cyrenaicæ apud Syrtim magnam, in Africæ confinio, inter Drepanum promontor. & Diarrhœam oppid.

MARITIMUS Circus, locus memoratus Livio *l.* 9. *c.* 42. ubi de Anagninis: *Qui ſe civem Hernicum dixerat, ſeorſum in cuſtodia habitus. Et omnes Fabius Romam ad Senatum miſit ---- id agrè paſſi Hernici; Concilium populorum omnium habentibus Anagninis, in* Circo, *quem* Maritimum *vocant, præter Alatrinatem Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici nominis Populo Romano bellum indixerunt.*

MARITIMUS Limes, vide ſuprà *Decimanus.*

MARITUS, apud Hebræos, uxori, ſive virgo tempore ſponſaliorum eſſet, ſive vitiata, ſive minor, ſive proſelyta, ſive libertina, præter amorem honoremque conjugalem, decem obligationum generibus tenebatur, quemadmodum ipſa viciſſim illi quatuor, ut videbimus infrà, in voce *Uxor.* E quibus decem, tria ipſô Legis ſacræ ſermone nituntur, reliqua ſeptem ex Majorum ſancitis orta ſunt. Occurrunt tria illa, in Lege lata, de ancilla Ebræa Domini, filio deſponſata, Exod. *c.* 21. *v.* 9. & 10. *Si filio deſponderit eam, juxta morem filiarum aget cum ea. Et ſi alteram duxerit ſibi, victum ejus*, ſeu *alimoniam, operimenta* ſeu *veſtimenta ejus* (quibus adjungunt utenſilia ac domicilium) *& conjugale debitum non minuet. Et ſi tria iſta non exhibuerit ei, egredietur illa gratis abſque pecunia.* Apud Helleniſtas vocantur, τὰ δέοντα, ὁ ἱματισμὸς καὶ ὁμιλία αὐτῆς; ſeu *neceſſaria, veſtimenta & congreſſus ejus maritalis.* Nam ὁμιλία ibi, uti apud *Ariſtotelem, Lucianum*, alios Græcorum, etiam uti apud Latinos *congreſſus*, ipſum ſignificat concubitum. Et quidem, quod *debitum conjugale* dicitur, ex hac Lege, quæ velut ſedes habetur primariorum *Mariti* erga uxorem officiorum, id ἡ ὀφειλομένη εὔνοια ſeu *debita benevolentia*, nuncupatur Apoſtolo Paulo 1. Corinth. *c.* 7. *v.* 3. Arabi *amor* redditur. Reliqua ſeptem ſunt, 1. Ipſa *dos principalis* ſeu עיקר כתובה (nam & ſunt qui dotem ipſam in univerſum Lege ſacrâ ſubniti etiam velint) 2. לרפאתה אם חלתה, *ut Medicinæ ſumtus Vir præſtet, ubi uxor ægrotaverit.* 3. לפדותה אם נשבית, *ut redimat eam, ſi capta fuerit.* 4. לקבורה אם מתה, *ut funebres ei præbeat ſumtus ſuperſtes.* 5. *Ut alatur ipſa ex ejuſce bonis & in ædibus ejus degat, poſt mortem ejus, quamdiu vidua fuerit, nec dotem acceperit.* 6. *Ut filiæ ejus ab eo ſuſceptæ, ex illius bonis, alantur uſque dum fuerint deſponſatæ.* Tandem, *Ut liberi ejus maſculi, ab eo ſuſcepti, ſuccedant in dotem ejus, præter partes, quas cum fratribus inſuper accipiunt hæreditatis paternæ:* Atque hæc ſex doti principali adjecta, vocitantur *Dotis conditiones* ſeu appendices, uti Seldenus docet *Lib. de Succeſſ. in Bona c.* 2. Ubi itaque ex affectu maritali, ſive alimenta, ſive veſtes, ſive debitum conjugale, minimè ut decuit præſtabantur, licuit in Foro uxori adversùs *Maritum* eô nomine agere: ubi alimenta præſtituebantur, ex ſententia. Si tenuioris eſſet Maritus fortunæ, & alimenta in univerſum ex ſententia ei eſſent ita ſubminiſtranda, decernebatur uxori panis quotidianus, qui diebus ſingulis profeſtis שתי סעודות, *binis refectionibus*, ſeu prandio & cœnæ ſufficeret; Sabbatô autem, tribus: iſque ſive hordeaceus, ſive triticeus, pro loci ac temporis uſu. Et pro more eorum, qui è vulgo infimo erant, in eodem loco ſeu regione, integræ valetudinis ac homines frugi, quantitas ejuſdem panis definita eſt. Addebatur (ut alia omittam) quâlibet hebdomade, מעה כסף לצורכה, *Obelus argenteus ob neceſſaria ſua* (monetæ Anglicæ circa ſeſquidenarium) ſeu, ut alii, לדברים קטנים, *ob rerum minutias:* quô non præſtitô, opificium ejus in ejuſdem cedebat compenſationem, non ut aliàs, in commodum *Mariti.* Quòd ſi verò adeò hic inops eſſet, ut neque hæc poſſet præſtare, ex ſententia forenſi divortiô eam ejicere cogebatur, uti & dotem pro bonorum qualiumcunque copia refundere. Cœteri, qui beatiores erant, ut pro opulentia, quâ pollebant, alimenta uxoribus præſtarent, eôdem modo ſolebat decerni. Si *Maritô* peregrè profectô, alimenta ſibi præberi à Foro peteret uxor, aute trimeſtre à Mariti diſceſſu elapſum, ſententiam ſecundùm eam non ferebant: præſumebatur enim neminem ſuas ædes rebus familiæ victui per tantillum tempus neceſſariis vacuas relinquere. Illô autem tempore tranſactô, involantes, ex ſententia Fori, lictores, in bona Mariti, ea in alimenta uxoris vendebant, &c. Nec diſſimile jus de Veſtitu. Præſtituebantur enim, ubi tenuioris fortunæ Mariti uxor, ex ſententia forenſi, erat veſtienda, in veſtimenta ejus, veluti togam, tunicam, induſium, quotannis 50. Zuzi., adeò ut hyeme tantum compararentur nova, æſtivo tempori antea detritis ſatis inſervientibus. Adjiciebatur item cingulum, capiti operculum & calcei novi *à feſto in feſtum*, i. e. ter quotannis, ſeu, in quolibet feſtorum, Paſchatis, Pentecoſtes & Scenopegiarum. Neque veſtimenta ſolùm, ſed & mundus muliebris, qualis in more, ei reddendus erat, quem appellabant תכשיט; Ita tamen, ut hic ei decernendus non eſſet, Maritô peregrè profectô: Tunc enim *deerat ei Maritus, cui ſe ornaret.* Quin domicilium ſeu conclave quadratum, cujus latera minimùm quatuor eſſent cubitorum, cum latrina extra adjacente, atque utenſilia domeſtica, velut lectus, olla, ſcutula, poculum, ex ſententia Forenſi, ei definiebantur. Sic tamen ut diverſitatis morum & locorum ſingularis ratio ſemper haberetur, uti & Mariti opulentiæ atque amplitudinis, juxta quam hæc omnia lautiora. Quin verò, qui veſtimentorum ſumtibus erat impar, is cogebatur uxorem divortiô à ſe dimittere, dotemque ei pro opum ſuarum modulo numerare; ut etiam de alimentis jam dictum. Cogendus eôdem modô erat, quicunque votô negaret uxori ſive alimenta, ſive veſtimenta idonea, nec idem, intra aut ſtatim poſt trigeſimum diem, laxari curaret. Per quod tempus curator à vicinis dabatur, qui uxori compararet, quæ voti ratione marito non licuit; poſtmodum è Mariti bonis compenſanda. Idem fiebat, ſi profiteretur votô Maritus, ſe nolle eam parentes aut propinquos, temporibus opportunis, inviſere, adeò ut contra morem patrium, quô ſemel in menſe id facere licuit, eam velut carcere domi clauderet, nec votum tempeſtivè curaret laxari. Quod itidem dicendum; ſi ab omni ſolenni ſive luctu ſive convivio eam votô arceret, niſi, ſi improbi eorum, qui ſimul adeſſent, mores ſatis erant in cauſa. Si quis porrò alicujus trium illarum provinciarum, Judææ, Galilææ aut Trans-Jordaninæ regionis, nempe Terræ Sanctæ, incola, uxorem ſibi duxerat in terra aliena, veluti Babylonia, Arabia, Ægypto, ea aut pro *Mariti* arbitratu eum in terram Sanctam ſequebatur, aut ejicienda divortiô, etiam ſine dote. Si verò nollet *Maritus*, illa autem vellet inde in terram Sanctam migrare, repudiatæ dos cedebat. Tacita enim hæc inerat omnium Hebræorum nuptiis conditio. Quod ſi ex aliqua trium illarum provinciarum eſſet uxor, licuit ei Marito in earum aliquam aliam, nedum in terras alienas demigraturo, ſine diſpendio, ſi repudiaretur, dotis obſtare. Integrum verò erat Marito domicilium in eadem provincia mutare atque uxorem cogere, ut ſimul mutaret, nempe ſive ex urbe alia migraret in aliam ejuſdem provinciæ, ſive ex vico pagove alio in alium ejuſdem provinciæ vicum pagumve, ſed non ex urbe in vicum aut pagum, neque è loco ſalubri in inſalubrem, neque ex inſalubri in ſalubrem, ne ex ſubitanea aëris mutatione corpori intemperies oboriretur. Circa debiti conjugalis præſtationem, ſimiliter ſuæ leges erant, eamque ad minimum ſemel intra menſem obeundam, volunt Eruditi. Certè & in Solonis Legibus, quæ haud parùm mores ſæpe imitatæ ſunt Judaicos, habetur apud *Plutarchum*, τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα, *Marito dotalis fœminæ ter ſingulis menſibus cum ea pernoctandum.* Proin &, ut uxori, cui debitum negatum, actio eo nomine forenſis apud Hebræos competebat, ita & apud Athenienſes actio, quam κακώσεως δίκην, nominabant, teſte Sam. Petitô *ad LL. Attic. l.* 6. *p.* 445. Præterea Medicinæ ſumtus, uſque dum convaleſceret uxor, à *Marito* erant erogandi, curaque ejuſdem ſolicitè habenda; ita tamen, ut, ſi grave nimis illud onus ei videretur, liceret, dote ei relictâ, & ſumtus & curam ſimul in ipſam transferre, aut repudiare. Licuit nempe ex jure ſtricto: ſed ut Maimonides, *Non decet ita fieri, ne boni mores violentur.* Quod ad redimendam uxorem captivam, Sacerdoti captiva, è gentili hoſtico, poſtliminio reverſa prohibita erat, adeoque à Marito quidem erat & redimenda & reducenda ad lares; ſed cum dote repudianda: utpote jam ei illegitima. Iſraëlita, quilibet & Levita ad redemtionem ſimiliter obligabatur. Sed omni juri priſtino reſtituebatur redemta. Eadem verò non fuit captivitatis primæ & ſecundæ ratio. Primâ namque repudiare *Maritus* nequibat, ante redemtionem; imò licet decies pretium dotem ſuperaret, nec repudiare licuit ante redemtionem, nec redemtionem detrectare. At captivitate ſecundâ numeratâ uxori dote, unde, quatenus poſſet, ſe ipſam redimeret, eam repudiare pro libitu fas erat. Quòd ſi peregrè profectus eſſet maritus uxoris captivæ, bona ejus ex ſententia Fori, in redemtionis pretium, vendebantur: ubi tamen iterum variæ erant exceptiones. Cura porrò funebris ita *Marito* incubuit, ut etiam cuique ſortis infimæ uxori demortuæ, *bina minimùm tibiæ adhiberentur, præter præficam*; ita tamen, ut loci morumque ratio ſemper obſervaretur. Si Maritus beatior eſſet, pro ejus amplitudine ac opulentia, præfiniebatur ſumtus. Ubi verò uxoris fortuna, familia, dignitas clarior, funus ejus, non pro obſcuri Mariti conditione, ab eo celebrandum erat, ſed, pro ea, quâ claruit illa. Unde receptiſſimum illud, de uxore: *Aſcendit ea cum marito, ſed non deſcendit cum eo ne mortua quidem.* Ita radiis, ſi qui fuêre, *Mariti*, luminoſioribus ſplendeſcebat ab ipſis nuptiis, ut pro ejus dignitate, ſeu, quod ajunt לכבודו tum haberetur ea viva, tum mortua eſſet ſepelienda. Sin aut minor eſſet *Mariti* dignitas, aut minueretur uxor nihilominus ſuam perpetuò civiliter retinens, præ ea, ſeu לכבודה, ut, ajunt & habebatur viva & ſepeliebatur. Peregrè autem profecti Mariti uxore demortuâ, ex ſententia Fori, ubi aliter amici non curabant funus, bonis ejus divenditis ſumtus exequiales erogabantur, &c. Addam pauca, de novi *Mariti* immunitate ſeu vacatione, de qua duo occurrunt in Lege ſacra loca: alter, in ſermone à Tribunis ad milites habendo, in procinctu ſcil. ſtantes: *Vir quoque ille, qui deſponſavit ſibi uxorem, & nondum accepit eam, vadat & redeat in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius accipiat eam.* Alter, in ipſis Legibus militaribus, *Cùm acceperit quiſquam uxorem novam, non egrediatur ad militiam, nec alia res, quæcunque tranſibit ſuper eum, ſed immunis erit in domo ſua annô uno*, vide Deuteron. *c.* 20. *v.* 7. & *c.* 24. *v.* 5. Unde videmus, eandem Sponſi & novi *Mariti* rationem fuiſſe. Hinc & Joſephus

Jud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Jud. Ant. l. 4. c. 8. tam τοὺς μνηστευσαμένους, *Sponſos*, quàm νεωστὶ γεγαμηκότας, *qui nuper uxores duxerant*, ex Lege immunes fuiſſe, ait. Imò, qui hôc Legis beneficiô gaudebant, integrô à deductione annô non ſolùm à militia immunes erant, verùm etiam ab omnimodo munere civili, quod publicum erat, veluti tributô, vigiliis: quod elicitur è verbis Legis, *Nec alia res, quæcunque tranſibit ſuper eum*; quæ Helleniſtæ explicant per οὐκ ἐπιβληθήσεται αὐτῷ οὐδὲν πρᾶγμα, ἀθῷος ἔσται ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ &c. *Nulla injungetur ei res, immunis erit* ſeu *damni expers in domo ſua* &c. Hinc cùm puſillanimes, qui ſimiliter dimittebantur, commeatum, aquam, id genus alia, nihilominus exercitui ſubminiſtrare, itinera ſternere, ſtationes apparare, tenerentur: etiam ab his univerſis primô ſuô annô Maritus immunis erat. Sed diſtinguunt Eruditi bellum, quod vel ex præcepto divino gerendum erat, vel ultroneum ac arbitrarium fuerat: atque ad prius Sponſi hanc immunitatem attinuiſſe negant; verùm ad ſecundum tantum. Miſna *tit. Sota c. 8. Quæ verba* (de immunitate militiæ) *intelligenda ſunt de bello ultroneo. Cæterùm in bello, quod ex præcepto* (divino) *gerendum erat, proficiſcendum etiam Sponſo è cubiculo ſuo & Sponſæ è ſuo thalamo.* Puellam ſibi ſpoponderat miles in diem, veluti in anni exitum: ante diem fieri deductio nequibat, unde nec immunis erat ex hac Lege. Cedit dies, dum in caſtris agit; exautorandus erat, ut ad Sponſam deducendam rediret & nuptiarum primitiis annô deinceps integrô frueretur. Quod annum tempus ipſô legis ſermone nec ei, qui vineam plantaverat, nec qui novas conſtruxerat ædes, indulgebatur: qui tamen & ipſi à militia immunes aliquandiu alicubi pronuntiantur. Attamen utrique ſuus itidem erat, ex receptiſſimo vetuſtiſſimoque Legis de novo *Marito* latæ interpretamento, annus utendi fruendi; adeò ut quantô tempore & quô modô immunis erat; apud novam nuptam, novus Maritus, tantô & eôdem undiquaque immunis ageret in novis ædibus dominus & in nova vinea vinitor. Plura vide apud Seldenum *Ux. Hebr. l. 3. c. 3. & ſeq.* ut & infrà voce *Vir*, it. *Uxor*: in ſpecie de more *Maritorum* ſuper conjugum tumulos roſas, lilia purpureoſque flores ſpargendi voce *Roſa*; & de *Maritorum jure* militibus Romanis à Claudio inducto, à Severo adempto, voce *Severus*. Hinc *Maritagium*, apud recentiores Scriptores, inter alia, denotat conjugii ineundi licentiam, diciturque de ſervis conditionalibus & glebæ adſcriptis, quibus matrimonium contrahendi, abſque conſenſu Domini, non erat venia. Eginardus *Ep. 16.* ad Hattonem Comitem. *Quidam homo veſter, nomine Hunno, venit ad limina ſanctorum Marcellini & Petri veniam poſtulans pro eo, quòd conſervam ſuam ancillam veſtram ſibi in conjugium ſociâſſet, ſine veſtra juſſione. Propter hoc precamur Benignitatem veſtram, ut à nobis indulgentiam de hoc facto percipere mereatur* &c. Vide quoque ſuprà *Foriſmaritagium* & *Manumiſſio*. Quam proin ut obtinerent, definitum illis cenſum præſtabant, qui duobus ſolidis annuatim interdum, aliquando 6. item 12. denariis nonnunquam, definitus legitur. Unde, cùm inter ſervitutum onera non minimum hoc eſſet, legimus in privilegiis, civitatum & oppidorum incolis à Regibus Principibuſque indultis, id potiſſimùm cautum ac conceſſum, *ut eis & eorum hæredibus ad libitum ſuum puellas & viduas ſuas nuptui tradere, & juvenes uxorare --- liceret.* In cujuſmodi immunitatibus, eximebantur Nobilium Feudalium matrimonia; de quibus copioſe agit Car. du Freſne *Not. ad Stabilimenta S. Ludovici.* Vide eundem hâc de voce prolixe diſſerentem *in Gloſſar.* ut & ſuprà in voce *Marcheta* ſeu *Marchetum*; quæ licèt aliam habuerit apud Scotos notionem, apud Anglos tamen, pro *licentia nubendi* paſſim occurrit. De Maritorum verò erga uxores obſequiis, apud Romanos, ſuprà in voce *Ancillarioli.*

MARIUM, oppid. Cypri in ora Boreali, olim Arſinoë apud *Steph.* dictum. *Vaſilipotamo Tho. Porcatio.* Catullus maſculinè protulit plurali numerô *Epigr. 37. v. 12.*

Quæ ſanctum Idalium, Marioſque apertos.

Nic. Loydius.

MARIUS, Arviragi fil. Britannorum Rex, Pictos vicit. A. C. 70. Ei ſucceſſit fil. Coylus, A. C. 93. Polyd. Virg. *hiſt. l. 2. & 3.*

MARIUS, prænomine *Cajus*, vir ſtrenuus fuit, ex municipio Arpinate humili locô natus, qui multos annos vitam ruſticam egit, procul ab urbanis negotiis. Deinde per ordinem primis honoribus functus, legatus Metellum in Numidia criminando, Conſulatum adeptus, an. 647. Urb. Cond. Jugurtham captum ante currum egit. Propert. *l. 3. Eleg. 4. v. 16.*

Conſule cum Mario victe Jugurtha ſedes.

Tantam fortitudinis ſuæ opinionem Romanorum animis infixam reliquit, ut imminente Cimbrorum Teutonumque terrore, quinque continuos Conſulatus ei detulerint; unde Ovid. *l. 4. Ep. 3. ex Ponto v. 46.*

Conſule quo toties Roma ſuperba fuit.

Propert. *l. 2. Eleg. 1. v. 24.*

Cimbrorumque minas & beneſacta Mari.

Hinc Cicer. (qui de Conſulatu ejus carmen ſcripſit) pro *C. Rabirio*, *C. Marius pater patriæ.* Et *pro Sextio*, *Ad ſalutem Romani Imperii natus.* Dictus & *Tertius Romæ conditor.* Sextùm Conſul cum Catulo factus, Cimbros in Gallia, Pyramide, cujus fundamenta adhuc cernuntur, in via regia, quæ Aquis Sextiis ad Fanum S. Maximini ducit, erectâ, An. 652. Urb. Cond. Teutonas in Italia vicit, deque his triumphavit; Cimbricô bellô primum profligatus in ſomnio præmonitus eſt, victoriam ſe conſecuturum, ſi prius diis victimam filiam nomine Calphurniam faceret. Patriæ igitur charitati naturâ poſtpoſitâ, eô factô victoriam comparavit. Duæ adhuc hiſce temporibus in Germania aræ ſunt, quæ eô tempore, quô victoriam Marius eſt conſecutus, tubarum clangorem edunt, Plut. *in Mario.* Saturninum Tribunum Plebis hôc Conſulatu, quòd ſeditioſus eſſet, necavit, & in Aſiam tranſgreſſus Mithridatem laceſſivit, novi triumphi materiam quæſiturus. Cujus belli cura poſtea Sullæ demandata cùm alibi occupatus Marius eſſet, tamen C. Sulpitiô Tribunô Plebis annitente, Mario denuo commiſſa eſt. Hinc Sulla Romam reverſus, cùm potentior evaſiſſet, Tribunô occiſô, Marium fugavit: qui victus à Sylla Minturnis in palude latuit: inventus, & in carcerem conjectus, immiſſum percuſſorem Gallum vultus autoritate, & his verbis, *Tune homo audes occidere Cajum Marium?* deterruit, acceptâque naviculâ in Africam trajecit, ubi diu exulavit. Mox Cinnanâ dominatione revocatus, cæſis inimicis ſeptimô Conſulatu, an. 668. Urb. Cond. morbô, aut (ut quidam ferunt) voluntariâ morte deceſſit. Hic cùm in cruribus varices haberet, præbuit varicoſum crus medico ſecandum, & dum ſecaretur, neque ſuſpirans, neque ſupercilia contrahens, pertulit ſectionem: Cumque medicus alterum crus ſecare vellet, minimè aſſenſum præbuit, dicens, Curationem tantô dolore dignam eſſe non arbitror. Vide porro Vellejum Paterc. *l. 2.* Salluſt. *de bell. Jugurth.* Liv. *l. 64. & 65. Brev.* Flor. *l. 3. c. 3.* Aurel. Vict. *de Vir. Ill. c. 67.* Eutrop. *l. 4. & 5.* &c. Habuit filium Marium nomine, qui cùm eſſet 27. annor. Conſulatum invaſit: quem honorem mater tam immaturum flevit. Hic patri ſævitiâ ſimilis Curiam armatus obſedit, & inimicos trucidavit. Tandem & ipſe crudeliſſimô mortis genere Catuli manes placatum miſſus eſt, Vide Lucan. *l. 2.* ſed hic fuit M. Marius, Caji frater. Juvenal. *Sat. 8. v. 245.*

Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alienô laſſus aratrô,
Nodoſam poſthac frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ.
Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excipit, & ſolus trepidantem protegit urbem.

Idem Sat. 10. v. 276.

Exſulium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis
Hinc cauſas habuêre. Quid illô cive tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumductô captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ animam exhalâſſet opimam,
Cùm de Teutonico vellet deſcendere curru.

Lucan. *l. 2. v. 69. ſ.*

Cùm poſt Teutonicos victor, Libycoſque triumphos
Exul limosâ Marius caput abdidit ulvâ.
Stagna avidi texêre ſoli, laxæque paludes
Depoſitum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedêre ſenem. longuſque in carcere pædor.
Conſul. & everſâ felix moriturus in urbe
Pœnas antè dabat ſcelerum. Mors ipſa refugit
Sæpe virum, fruſtraque hoſti eſt conceſſa poteſtas
Sanguinis inviſi, primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remiſit.
Viderat immenſam tenebroſo in carcere lucem,
Terribileſque Deos ſcelerum: Mariumque futurum:
Audieratque pavens: Non hæc contingere fas eſt
Colla tibi: debet multas hic legibus ævi,
Ante ſuam, mortes: vanum depone furorem, &c.

v. 88. ſ.

——Idem pelagô delatus iniquô
Hoſtilem in terram, vacuiſque mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos preſſit cineres. Solatia fati
Carthago, Mariuſque tulit: pariterque jacentes
Ignovêre Deis. Libycas ibi colligit iras,
Ut primùm Fortuna redit: ſervilia ſolvit
Agmina: conflatô ſævas ergaſtula ferrô
Exeruêre manus.——

v. 98. ſ.

——Prò fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quô mœnia victor
Corripuit? quantôque gradu mors ſæva cucurrit? &c.

v. 130. ſ.

Septimus hæc ſequitur, repetitis faſcibus, annus:
Ille fuit vitæ Mario modus; omnia paſſo,
Quæ pejor fortuna poteſt, atque omnibus uſo,
Quæ melior, menſoque homini quid fata pararent.

Nic. Loydius.

C. MARIUS, prioris fil. de quo vide Plut. *in vita Patris.* Mortem ejus innuit Strabo, ubi de Præneſtæ cuniculis, *l. 5.* Ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε: Epitome *l. 88.* *C. Marius Præneſte obſeſſus à Lucretio Aſella Syllanarum partium viro, cùm per cuniculum captaret evadere, ſeptus ab exercitu mortem ſibi conſcivit in ipſo cuniculo, cùm ſentiret ſe evadere minimè poſſe.* Vide Aur. Victor. *de Viris ill. c. 68.* Flor. *l. 3. c. 21.* Eutrop. *l. 5. &c.* Vide & *Cajus.*

MARIUS, interremptis Victorinô, Lolliano & Poſthumô, triduô tantùm imperavit: vir quidem ſtrenuus, ac militaribus uſque ad Imperium gradibus evectus. Antea opifex fuerat ferrarius, cujus manus vel ad feriendum, vel ad impellendum robuſtiſſimæ fuerunt: nam fortiſſimos quoſque unô digitô ſic afflixit, ut quaſi ligni vel ferri ictu percuſſi dolerent. Hujus concio prima fuit. Occiſus eſt à quodam milite, quem dedignari ac ſpernere videbatur, cùm tamen ejus quondam miles ille operarius in fabrili officina fuiſſet, dixiſſeque fertur inter occidendum, *Hic eſt gladius, quem ipſe cudiſti.*

MARIUS & Caſpius, amicorum par fideliſſimum. Sil. Ital. *l. 9.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sternitur unanimo Marius ſuccurrere Caſprô
Conatus, metuenſque viro ſupereſſe cadenti:
Lucis idem auſpicium, ac patrium, & commune duobus
Paupertas, ſacro juvenes Præneſte creati,
Miſcuerant ſtudia, & junctâ tellure ſerebant.
Velle, ac nolle ambobus idem, ſociataque toto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.
Occubuere ſimul, votiſque ex omnibus unum
Id fortuna dedit, junctam inter prælia mortem.

MARIUS Celſus, poſt Galbam & T. Vinium Conſul deſignatus; & Galbæ uſque in extremas res amicus, quem poſt cædem Galbæ à militibus ad ſupplicium expoſtulantibus, induſtriæ ejus innocentiæque quaſi malis artibus infenſis, Otho ſimulatione iræ vinciri juſſum & majores pœnas daturum affirmans, præſenti exitio ſubtraxit. Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 45.

MARIUS Cenſorinus, Vide *Cajus.*

MARIUS Georgius, Venetus, Philoſophus & Theologus, Servita. Scripſit contra Simoniacos; libros 2. quibus titulus: *de Libertate Eccleſiaſtica.* Item vitam S. Beniſii, metrô, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 3. Poſſevin. *in appar.*

MARIUS Maturus, maritimarum Alpium procurator, concitâ gente, arcere provinciæ finibus Othonianos nequicquam intendit. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 12.

MARIUS Maximus, Hiſtoricus Latin. ſcripſit libros 7. hiſtoriæ Auguſtæ, uſque ad Alexandrum Severum, qui perierunt. Amm. Marcellino, apud Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 3. multum laudatus. *Spartian. Vopiſcus, Lampridius,* &c. apud eund. Voſſ. *loc. cit.*

MARIUS Mazolenus, Theologus, Philoſophiam Patavii docuit.

MARIUS Mercator, ſcripſit contra Neſtorianos, Pelagianos, &c. tempore Auguſtini. An Italus? ita videtur: ab Auguſtino impenſè æſtimatus. Vide Auguſtin. *Ep.* Opera ejus Garnerius Jeſuita edidit.

MARIUS Nepos, prodigus, & ob flagitia egens, à Tiberio propterea Senatu motus. Vide & *Cajus.*

MARIUS Nizolius, ſcriptis celebris, ſeculô præteritô.

MARIUS Philelphus, fil. Franciſci, ſcripſit Poëmata, de arte Rhetorica, Epiſtolas, &c.

MARIUS Priſcus, Proconſul, Africam provinc. ſpoliavit. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 49.

Exſul ab octavâ Marius bibit, & fruitur dis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

Idem *Sat.* 8. *v.* 120.

Cùm tenues nuper Marius diſcinxerit Afros.

MARIUS Salominius, JCtus inſignis, librum *de Principatu* edidit. Item *de Bono & Æquo: de Voluntario & Involuntario. &c.* Fiſchard. *in vitis Juriſconſultor.*

MARIUS, prænomine *Sextus,* Hiſpaniarum ditiſſimus, delatus inceſtâſſe filiam eſt ſaxô Tarpejô dejectus: reverà ut magnam pecuniæ vim aurariaſque ejus Tiberius occuparet: Ser. Galbâ, L. Sullâ Conſulibus; Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 19.

MARIUS Victor, vide *Claudius.*

MARIUS Victorinus, vide *Victorinus.*

MARIUS, oppid. Laconiæ.

MARKA, vel MARCHIA, German. *Mark,* ſignificat regni aut provinciæ alicujus terminum: unde *Marchiones,* limitum Præfecti. Item regio Aquitaniæ, in agro Lemovicino, *la Marche de Limoſin,* ſic dicta, quòd inter Bituriges Cubos & Lemovices poſita. Aquitaniæ gentibus undique cingeretur. Dividitur in ſuperiorem *la haute Marche,* & inferiorem *la baſſe Marche,* quòd ſub montibus jaceat. Hanc regionem ab Auberto Comite, Henrico Anglorum Regi venditam, A. C. 1170. refert *Rogerius Hovedenus.* Iſabella dein Regina nupſit Hugoni le Brun, Comiti Marchiæ A. C. 1258. Thomæ Walſinghamio dicitur *Marchia Vaſconiæ,* fortè quòd inter Franciam & Comitatum Toloſanum provinciamve Narbonenſem, tùm Vaſconiæ nomine deſignari ſolitam, poſita eſt. Et certè hodieque per jocum cives urbis Lemovicarum *Gaſcons de Limoges,* quòd à Vaſconum finibus non longè abſint, appellantur. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARLA, vulgò MARLE, oppid. Picardiæ, ad amnem Sertam, in Tiraſcia tractu. 3. leuc. à Guiſia in Meridiem, 4. à Lauduno in Cæciam ſatis cultum.

MARLORATUS Auguſtinus, Lotharingus, Rotomagenſis Eccleſiæ Paſtor, ſtrangulatus juſſu Annæ Mommorencii Coneſtab. & Guiſii Ducis, obiit Rotomagi A. C. 1572. ætat. 56. Scripſit expoſitiones Eccleſiaſticas *in Geneſin, Pſalmos, Eſajam & Novum Teſtamentum:* edit. per H. Steph. A. C. 1562. 1564. 1570. ut & Morgiis, Genevæ, &c. Item, *Theſaurum locorum Comm. S. Script.* fol. editum A. C. 1624. & prius alibi. Vide Bezam *in Iconibus,* Melch. Adami *in vitis,* Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Biblia, &c.* adde Paul. Freherum *Theatro Viror erudit. clarorum.*

MARMA, Arabiæ Felicis urbs in Rubro littore. Plin. *l.* 6. *c.* 28. Phœniciæ quoque civitas. *Steph.* Occupata à Sultano; A. C. 1285. P. Æmilius *l.* 8.

MARMACES, populi Æthiopiæ. *Steph.*

MARMACUS, Pythagoræ pater. Diogenes Laërtius: *l.* 8. *c.* 1. Πυθαγόραν ἔνιοι μὲν φασιν υἱὸν εἶναι Μαρμάκου.

MARMANDA, villa valde nobilis dicta Petro Monacho *de bello Albig. c.* 63. caſtrum eſt Galliæ, ad Garumnam, in Nitiobrigibus. Vulgò *Marmande en Agennois.*

MARMARA, Syriæ aut Euphratenſis urbs, *Libr. Notitiar.*

MARMARES, Lyciæ gens & urbs, ad extrema ejus regionis, verſus Aſſyriam. Vide Diodor. Sic. *l.* 17.

MARMARICA, regio parva Africæ, inter Cyrenaicam ad Occidentem & Ægyptum ad Ortum, nunc *Barcha,* olim Mareotis Libya, teſte Plin. *l.* 5. *c.* 6. Urbes olim ejus claræ Cherſoneſus magna & Parætonium. *Baudrando* fuit, inter Libyam exteriorem ad Ortum & Cyrenaicam ad Occaſum, eratque pars Libyæ veræ, nunc regni Barcæ, ſub Turcis. Terminatur à Meridie deſertô Barcæ, à Septentrione mari Mediterraneô. Ibi vix aliquot oppidula in ora littorali. Populi *Marmaridæ Straboni,* & *Barcitæ. Ptol.* quos ſerpentes incantare ſcribit Solin. *c.* 30. Ibidem elephanti, teſte *Sidonio.* Lucan. *l.* 9. *v.* 891.

——— Gens unica terras
Incolit à ſævo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli: par lingua potentibus herbis

Vide plura ibidem Silius *l.* 3. *v.* 300.

Marmaridæ medicum vulgus ſtrepuère catervis:
Ad quorum cantus ſerpens oblita veneni,
Ad quorum cantus mites jacuère ceraſtæ.

Vide quoque *l.* 14. Item *Barce. Nic. Loyd.*

MARMARIDUS, magi nomen. Plin. *l.* 31. *c.* 1.

MARMARION, urbs Eubœæ. *Steph.* Inde Apollo *Marmarinus,* qui inſigne ibi habebat templum. Strabo *l.* 10.

MARMAX, fluv. in Peloponneſo, Elidis regionis. *Pauſan. l.* 6.

MARMESSUS, Mars eſt Romanorum linguâ. Lycophronis *interpres.*

MARMITA Eccleſiæ, in *Inquiſitione de Vita & morib. B. Johannis Epiſcopi Vicontini,* dicitur Diaconus quidam; & videtur nomen dignitatis, quæ forte *Marotimus,* in *charta* Theotolonis Archiepiſcopi Turonenſ. A. C. 933. apud Sammarthanos. Sed qualis illa, in abdito eſt, niſi forte Archivi Cuſtos indigitetur. Car. du Freſne in *Gloſſario.*

MARMOR, apud Taprobanitas in pretiô, ut & teſtudines, haud ſecus ac apud Romanos, inter inſtrumenta nitidioris & elegantioris vitæ. Et quidem apud hos L. Craſſus Orator primus peregrini *marmoris* columnas habuit, in Palatio, *Hymettias tamen nec plures ſex aut longiores duodenum pedum,* hinc *Venus Palatina* dictus in jurgiis, M. Bruto. Primus parietes cruſtá marmoris operuit totius domus ſuæ, in Cœlio monte, ut *Cornelius Nepos* apud Plin. *l.* 36. *c.* 6. refert, Mamurra Formiis natus, eques Romanus, Præfectus fabrorum C. Cæſaris in Gallia: idem primus totis ædibus nullam, niſi è marmore, columnam habuit, omnes ſolidas è Caryſtio aut Lunenſi. Limina ex Numidico marmore primus in domo poſuit M. Lepidus Catuli in Conſulatu collega, an. Urb. Cond. DCLXVI. Quod primum invecti Numidici marmoris veſtigium, non in columnis tantùm cruſtiſque, ut Mamurra Caryſtium poſuit, ſed in maſſa ac viliſſimo liminum uſu, ſe reperiſſe, ſcribit Plin. *l.* 36. *c.* 6. Poſt hunc Lepidum L. Lucullus Conſ. Luculleum marmor, ab illo dictum, atrum alioqui, primus Romam invexit, ex Nili Inſula allatum. Primos marmoreos parietes habuit ſcena M. Scauri ſolidis glebis poſitos, ut videtur Plinio *loc. cit.* nondum enim ſecti marmoris veſtigia invenerat Italia, de quo paulo infrà. Primus è duobus marmorum generibus *marmorandi* rationem, Alexander Severus inveniſſe dicitur, apud Æl. Lampridium in *Alexandro Sev. c.* 25. *Alexandrinum opus marmoris, de duobus marmoribus, hoc eſt, porphyretico & Lacedæmonio, primus inſtituit:* Sed id genus artificii jam Claudii & Neronis temporibus Romæ cognitum fuiſſe, patet, ex Plinio *l.* 35. *c.* 1. & Senecâ *Ep.* 86. qui Alexandrina marmora cruſtis Numidicis jam ſuô ævô ſolita diſtingui, ſcribit. Nòn igitur primus Alexander *marmorationem ex duobus marmoribus* inſtituit; ſed illius fortaſſe novum aliquod genus è porphyretico & Lacedæmonio &c. Græci Veteres columnis è marmore in Templis demum utebantur, nec lautitiæ causâ, ſed quia firmiores aliter ſtatui non poterant. Sic eſt inchoatum Athenis templum Jovis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus advexerat columnas. Fuit tamen inter *lapidem* & *marmor* differentia jam & apud Homerum: Dicit enim Paridis os *marmoreô ſaxô* percuſſum: ſed hactenus regias quoque domos laudatiſſimè præter æs, aurum, electrum, argentum, ebore tantùm adornans. *Odyſſ.* δ *v.* 71.

Φράζεο Νεστορίδη ———
Χαλκοῦ τε στεροπὴν καὶ δώματα ἠχήεντα
Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος.

Antiquiſſima, quod equidem occurrit, Halicarnaſſi domus Mauſoli Proconneſiô marmore exculta eſt, lateritiis parietibus. Primùm autem verſicolores iſtas maculas Chiorum lapidicinæ oſtenderunt, dum muros extruerent &c. Et quidem ſecandi marmor in cruſtas videtur Cariæ inventum fuiſſe: quiſquis autem id primum ſecare luxuriamque dividere repererit, importuni ingenii fuiſſe oportet. Arenâ hoc fit, & ferrò videtur fieri, ſerrâ in prætenui linea premente arenas verſandoque tractu ipſo ſecante: quem in uſum Æthiopia maximè olim, poſtmodum ex quodam Adriatici maris vado, deſumta, probatur. Indicâ vero combuſtâ polientes marmora fricabant: Thebaica item prolituris apta, & quæ è poro lapide aut è pumice. Scalpendo verò marmore (quæ ars Pictura aut Satuariâ longe antiquior) primi omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyllis Cretenſes, etiamnum Medis imperantibus; qui in Sicyonem ſe conferentes, ibi ſimulachra fecère Apollinis, Dianæ, Herculis & Minervæ, circa Olympiad. 50. De reliquis Artificibus, ut & variis *Marmorum* generibus, hîc infrà quædam ſubjungam. Vide Plinium hanc in rem prolixè differentem *l.* 36. *c.* 1. *& ſeqq.* Cæterum, *Marmorum* juncturæ tribus ſolvuntur modis, Vetuſtate. Prudentius *Symm. l.* 1.

——— Inſido rareſcit glutine ſenſim.

Violentiâ, ut cùm arbuſta in juncturis naſcuntur, caprifici, ut *Juvenal.* ait; hederæ, ut *Plin.* Et Artificio, quod fit vapore ligni oleagini, quod obſervavit *l. ult. c.* 16. Macrobius. Hinc *Marmorare,* i. e. marmore inducere, *Incruſtare,* ut in Cyrilli *Gloſſa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Gloſſario. Μαρμάρωσις, *Incruſtatio*, ibid. *Marmorarius*, Μαρμάριος. *Marmorare*, *rigore induere.* Fulgentius *Mytholog. l.* 2. *c.* 13. de Mida, *Nam & cibos & potus rigens auri materia marmorabat.* Papinius Stat. *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 95.

> ——— *pariterque ſe levârat.*
> *Ingenti plaga* marmorata *dorſo*
> *Hujus janua, proſperumque limen* &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad loc.* ubi *marmoreis* quoque *vaſis* ad cibum uſos eſſe Veteres ex Poſſidio, Scriptore *Vitæ* B. Auguſtini *c.* 22. addit. Indidem ὀρθομαρμάρωσις, opus quô parietes olim decorabantur; quemadmodum πάτωσις ad ſolum pertinebat. Codinus εἶθ' οὕτως ἐμυσίωσαν καὶ ὀρθομαρμάρωσαν καὶ αὐτὸν, ubi de Trullo loquitur. Et paulo pôſt, Ἐβούλετο δὲ ὁ Βασιλεὺς τὰς ὀρθομαρμαρώσεις καὶ τὸ πάτον ὅλον χρυσοῦν ποιεῖν, *Volebat autem Imperator parietes & pavimentum totum ex auro conficere.* Ὀρθοστρώσεις elegantiores Græci vocabant: unde ὀρθόστρωτοι τοῖχοι, apud Hieroclem *de Nuptiis*, penès Stobæum, h. e. ὀρθομαρμαρωτοὶ, uti poſteriores dixerunt, *cruſtis marmoreis & laminis inducti* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Æl. Spartianum in Peſcennio Nigro*, *c.* 6. ut & *Exercitat. ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1101. nec non ſuprà *Exemplum* & infrà ubi de *Pavimento*, it. voce *Platoniçe.*

Marmorum varia genera, quando primum et ad quæ opera adhibita?

Ægyptium, purpureum, Plin. *l.* 36. *c.* 7.

Æthiopicum, memoratur Sidonio *l.* 2. *Ep.* 2. ut & in *Epithalamio* Ruritii, ubi purpureum colorem ei tribuit. Vide quoque infrà *Baſaltes.*

Ex Armenia advectæ cotes, poſtquam Naxium diu ante alia ſignis è marmore poliendis gemmiſque etiam ſcalpendis atque limandis placuiſſet, illud tandem vicere. Plin. *l.* 36. *c.* 7.

Auguſtum, undatim criſpum in vortices, in Ægypto, Auguſti primùm principatu repertum eſt. Ibid.

Baſaltes, ferrei coloris ac duritiæ ibidem inventus: nunquam major, quàm in Templo Pacis à Veſpaſiano dicatus argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelligebantur Cui non abſimilis Thebis in delubro Serapis, Memnonis ſtatuæ dicatus &c. *Ibid.*

Caryſtium, *undoſum* Statio *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 34. à facie: è quo ſolidas columnas primum ædibus adjeciſſe diximus Mamurram. Vide de hoc marmore Raderum ad *Martialem l.* 6. *Epigr.* 28. & *l.* 9. *Epigr.* 77.

Lacedemonium, apud Sidonium *d. l.* albi coloris: apud Plinium *l.* 36. *c.* 7. *Marmora multa ſub terra ſparſa. Pretioſiſſimi quidem generis Lacedæmonium viride, cunctiſque hilarius.*

Lesbium, maculoſum, h. e. verſicolores maculas habens, lividius Pario. *Ibid. c.* 6.

Leucoſticton, genus porphyretici marmoris in Ægypto à candidis intervenientibus punctis, *Ibid. c.* 7.

Luculleum, à Lucullo Conſ. nomen accepit, qui admodum delectatus illo primus Romam, è Nili Inſul. invexit, atrum alioqui, cum cœtera maculis aut coloribus commendarentur. *Ibid. c.* 6.

Lunenſe, vide ſuprà *Caryſtium.*

Memphites, à loco dictum, gemmantis naturæ. *Ibid. c.* 7.

Miſchium, vide infrà.

Naxium, vide ſuprà *Armeniæ cotes.*

Numidicum, primùm Romam invectum eſt an. Urb. Cond. DCLXVI. à M. Lepido Conſ. qui illud in maſſa & viliſſimô liminum uſu, magnâ reprehenſione primus poſuit, ut diximus.

Onyx, potoriis primùm vaſis, dein pedibus lectorum ſelliſque, poſtmodum amphoris, columnis tandem, inſervit: quarum cùm 4. modicas in Theatro ſuo Corn. Balbus poſuiſſet; ampliores poſtea 30. in cœnatione Caliſti ſe vidiſſe Plin. refert *Ibid. c.* 7.

Ophites, ſerpentium maculis ſimile, inde nomen accepit. *Ibid.*

Parium, vide in voce *Paros.*

Phrygium, memoratur *Sidonio* ubi ſuprà, viridis coloris.

Porphyrites; rubet in Ægypto, & quantislibet molibus cædendis ſufficit. Statuas ex eo Cl Cæſari Procurator ejus in urbem ex Ægypto advexit Triarius Pollio, non admodum probatâ novitate. Plin. 36. *c.* 7. Vide quoque *Leucoſticton.*

Proconneſium, è quo antiquiſſima Halicarnaſſi Mauſoli domus exculta eſt, uti dictum.

Synnadicum, maculoſum *quod Phrygia Synnas-mittit*, Martial. *l.* 9. *Epigr.* 77. *Balneo Tuccæ.* De eo Statius *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 37. *Sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro Ipſe cruentavit maculis lucentibus Atys.*

Thaſium, maculoſum, memoratur Plinio *d. l. c.* 6. Ubi tamen alii *Parium* legunt.

Tiberianum marmor, principatu Tiberii primùm in Ægypto inventum, convolutâ caniciе ſparſum fuit, Idem *ib.*

Verſicolores maculas Chiorum lapidicinæ primùm oſtenderunt, Idem *c.* 6. &c.

Artifices in marmore eorumque opera nobiliora.

Dipœnus & Scyllis, de quibus ſuprà, primi omnium marmore ſcalpendo incleruerunt. Fecêre autem ſimulachra *Apollinis*, *Dianæ*, *Herculis*, *Minervæ*; quod è cœlo poſtea factum eſt, circa Olymp. 50. Et quidem Dipœni operibus Ambracia, Argos, Cleone, refertæ fuêre.

Malas, in Chio Inſul. celebris fuit, filiuſque ejus Micciades, ac dein nepos Anthermus, cujus duo filii Bupalus & Anthermus in ea ſcientia fuêre clariſſimi, circa Olymp. 60. Unde *non vitibus tantùm*, *ſed & operibus filiorum Anthermi*, *cenſeri Chium*, Proverbiis dictum. Opera eorum, *Hipponax*, fœditate vultus notabilis, *ſimulachra Deorum*, in Delo inſul. *Diana* in Iaſo: ejuſdem Deæ *facies* in ſublimi poſita, cujus vultum intrantes triſtem, exeuntes exhilaratum putabant, in Chio. Sed & Bupalus primus *Fortunam* fecit Φερέπολιν, *polum capite* & alterâ manu cornucopiæ geſtantem, item *Charitas*, in Attali concavi, apud Pergamenos; & apud Smyrnæos, *Pauſan.* Atque hi omnes candidô marmore è Paro inſul. ſunt uſi.

Phidias, *Venerem* fecit eximiæ pulchritudinis, circa Olymp. 83. quæ Romæ in Octaviæ porticibus ſtetit. Plura ejus opera recenſet Plinius *l.* 36. *c.* 5.

Alcamenes Athenienſis, cujus præclara *Venus* Athenis extra muros, *Aphrodite* ἐν κήποις dicta. Certaverat autem cum Agoracrito, cujus *Venus* cùm Athenienſum judiciô fuiſſet poſthabita, *Nemeſin* eam vocavit Agoracritus & Rhamnunte poſuit. Idem Alcamenes *Vulcanum* fecit, in quo ſtante ac veſtito leviter apparebat claudicatio non deformis, nim. τοῦ κυλλοποδίωνος, Pet. Victor. *l.* 29. *Var. Lection. c.* 19.

Praxiteles, cujus opera, *Statua equeſtris* & *Neptunus equo in ſidens* ac *Polyboten gigantem haſta petens*. Athenis in Ceramico: *Venus Gnidia* inprimis nobilis. Ejuſdem eſt *Cupido*, objectus à Cicerone Verri, ille propter quem Theſpiæ viſebantur, poſtea in Octaviæ Scholis poſitus. Item alter nudus, in Pario colonia Propontidis, par Gnidiæ Veneri. Romæ viſebantur Plinii tempore *l.* 36. *c.* 5. ejus *Flora*, *Triptolemus*, *Ceres*, in Hortis Servilianis; *Boni Eventus* & *Bonæ Fortunæ* ſimulachra, in Capitolio. *Menades*, *Thyades*, *Caryatides*, & *Sileni*, in Aſinii Pollionis monumentis, & *Apollo* & *Neptunus.*

Cephiſſodorus, fil. prioris: Cujus laudatum eſt Pergami *Symplegma*; Romæ, *Latona*, *Venus*, *Æſculapius* & *Diana.*

Scopas, fecit *Venerem*, *Pothon*, *Phaëtontem*, in Samothracia cultos: Item *Apolinem Palatinum*, quem Lucullus advexit ex Inſula Apolloniatarum; *Veſtam ſedentem cum duobus chametæris*, & *Canephorum* &c. *Venerem* inprimis Praxitelicâ præſtantiorem, aliaque Plinio memorata *d. l.*

Bryaxis, Timotheus & Leochares, æmuli Scopæ, pariter fecêre cum ipſo *Mauſolæum.* In ejuſdem ſummo *quadrigam* marmoream quintus Artifex, Pythis, addidit. Timothei quoque manu *Diana* fuit Romæ in Palatio.

Meneſtratus, *Hecate* & *Hercule*. Epheſi in Dianæ Templo, famam adeptus eſt.

Socratis, *Charites* in Propylæo Athenienſium eximiæ fuêre.

Ageſander, Polydorus & Athenodorus Rhodii, ſimul fecerunt *Laocoontem*, *& liberos draconumque mirabiles nexus*, ex uno lapide, quod opus in Titi Imperat. domo fuit &c.

Sunt & in parvis marmoreis famam conſecuti Myrmecides, cujus *quadrigam cum agitatore* cooperuit alis muſca: & Callicrates, cujus formicarum pedes atque alia membra, pervidere non erat, Plin. *l. cit.* 36. *c.* 5. ubi plura, hanc in rem.

MARMOR, dicitur in Eccleſia Romana tabellula marmorea *imaginata*, quæ oſculanda offertur ad *Pacem* in Liturgia. Aliàs *Lapis Pacis*, quod vide, ut & Synod. Bajocenſem A. C. 1300. *c.* 10. *Car. du Freſne.*

MARMORA in Exemplis, vide ſuprà in voce *Exempla.*

MARMOREA Cœna, paraſitis exhibita, ab Heliogabalo. Lamprid. *in eo c.* 25. *Paraſitis in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit.*

MARMOTINUS, apud Albertum *in Chron. Annuatim debent præſentare, ad Cameram Papæ; unum marmotinum, qui bene noſcitur à Curia & eſt minoris valoris, quàm florenus de Florentia:* monetæ Hiſpanicæ ſpecies eſt, florenô minor, aliàs *Marabotinus*, de qua voce diximus *ſuprà.*

MARMOTTA, Italis dicitur Mus montanus, ſeu Alpinus, ut Plinius vocat *l.* 8. *c.* 37. quia in Alpibus frequens: Non enim peculiaris Alpibus eſt, ſed pares Ægyptus gignit. Quàm ſomniculoſum hoc animal, Scaliger docet *Exercitat.* 203. *Cum glirium ſpecie* (marmotæ) *in ſomno conveniunt. Hybernos enim totos menſes tranſigunt ſopore.* Et Geſnerus, *Hi mures multùm dormiunt & in cavernis ſuis deliteſcunt quas mirô artificiô fodiunt* &c. Agricola item, *In montibus quidem fœnum, quod in ſaxis mollicimum creſcit, collectum, in cavernam deferunt, ut hyeme molliùs dormiant.* Stumpfius tandem, qui unam per biennium ſecum habuerat, in *Helvet. Chron. Cibi gratiâ hyeme tantùm dormientes effodiuntur.* Item, *Terraque effoſſâ dormientes auferunt.* Et paulo poſt, *Portantur dormientes, quò libuerit. Neque enim facilè expergiſcuntur, niſi calor Solis, ignis, aut hypocauſti eos reſolverit.* Et rurſus, *Occiduntur etiamnum dormientes, cultrô in jugulum adactô, unde parùm prioribus pedibus moveri incipiunt. Sed expirant priùs quàm prorſus expergiſcantur.* Sed & Plinius, qui hujus muris meminit ſolus Veterum *l.* 8. *c.* 37. *Conduntur, ait, hyeme & Pontici Mures-conduntur & Alpini:* nempe in cavis ſuis altùm dormituri. Unde ſomnus Saulis & militum circumſtantium, in Sacris, qui tam altum dormiebant, ut Davidem & Abiſæum, uſque ad Regium procedentes tentorium & Saulis auferentes lanceam, non ſenſerint, rectè ab Hebræo Scriptore תרדמת מרמוטה *ſomnus Marmotæ*, vocatur. Quam vocem in *Bereſchit Rabba* duobus locis, ubi *marmita* legitur, feliciter reſtituit Sam. Bochart. *Hieroz. Parte Prior. l. III. c.* 33.

MARNA, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 17. *ô Marna. ô Jupiter, ô Dii Immortales:* Deus fuit Syrorum, cujus mentio apud Hieronym. quoque in *Vita* Serapionis, *Glorificetur in Urbe gentilium nomen Domini & ingrediatur ſervus ejus Gazam & Marnas corruat:* Item Ep. ad Lætam & alibi. Eôdem nomine Gazæi Palæſtini Jovem colebant. Stephanus in Ἐθνικοῖς. Ἔνθεν δὲ καὶ τὸ Κρηταιοῦ Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι ὃν καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μάρναν, ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ· τὰς παρθένους γὰρ οὕτω Κρῆτες προσαγορεύουσι. Vide *Marnan.*

MARNA, nobile olim caſtrum Galliæ, in pago Laudunenſi, ad

ad Saram fluv. Vulgò *Marle.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARNAN, templum Jovis Cretenſis, in Gaza Palæſtinæ. Vocantur autem pueliæ in Creta *Marnam.* Stephanus Μάρναν ἑρμηνεύουσι Κρηταγενῆ. Ridiculè, neque enim id ſignificat *Marnas*, ſed *Dominum hominum. Bochart.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. I.* ubi de *Mene*, *Hammone*, *Belo*.

MARNIA, quibuſdam *Mernia*, vulgò *Mernis*, provinc. Borealis Scotiæ, in ora maris German. inter Marriam ad Septentrionem & Angusiam ad Occaſum. Ii itantùm caſtrum Denotyrum, in ora.

MARNIXIUS, Philippus Aldegondius, nobilis Belga, Fœderis contra Inquiſitionem initi verba Proceribus dictavit, A. C. 1566. Antverpiæ Præfectus, cùm à Parmenſi Duce obſideretur, A. C. 1584. urbe deditâ, ſcriptô calumnias malevolorum abſterſit. Nuptias Frederici IV. Electoris Palatini cum Conſtantina Aloiſia Juliana Guilielmi Arauſionenſ. Principis filia conciliavit. Scripſit vernaculâ linguâ librum elegantem, *Bienekorb*, contra Pontificios. Obiit A. C. 1598. De hoc Hugo Grotius: *Philippum Aldegondium, Arauſionenſi individuum, urbeſque & populos regentem olim qui viderant, ad ultimum uſque diem literatâ quiete reconditum mirabantur.* Vide Paul. Freherum *Theatro Virorum eruditione clarorum.*

MARO, opifex fuit figulus, ſive, ut alii putant, magi cujuſdam viatoris mercenarius, Virgilii Latinorum Poëtarum principis pater. Vide *Virgilius* & *Menephis*.

MARO, nomen urbis, vallis & Marchionatus, in Italia: ſub Duce Sabaudiæ, in ora Genuenſi, Du Val. *Geogr.*

MAROBODUUS, Suevorum Rex, adoleſcens Romæ benignè ab Auguſto habitus, reverſus ad ſuos occupavit dominationem privatus, ſibique præter Marcomannos populares ſuos ſubjecit Lygios magnam nationem, Zumos, Guthones, Mugilones, Sibinos, & inter ipſos Suevos magnum populum, Semnonas. Victus acie ab Arminio, dein à nobili inter Gothones juvene nomine Catualdâ, profugo olim vi Marobodui, pulſus, atque ad Tiberium confugiens, per duodeviginti annos, Ravennæ habitus eſt.

MAROBUDUM, ſeu *Marabodi Regia*, Prâga eſt *Aventino*, *Sanſoni*, *Brietio*. Vide *Praga*.

MAROCANUM, ſeu MAROCHUM regnum, Gall. *Royaume de Maroc*, regnum eſt amplum, Barbariæ juxta Oceanum Atlanticum, qui eidem eſt ad Occidentem, uti regnum Fezzæ ad Boream. Segelmeſſa, Tafileta, & Darrha, regiones Biledulgeridiæ ad Ortum, Tenſiſta regio ad Auſtrum. Sæpiſſimè unitum fuit regno Fezzæ, ut & nunc, ſub Rege Tafiletæ. Hiſtoria ſic habet: Sub Saracenis olim utrumque fuit, qui Feſſam *Aulam Occidentalem* appellârunt, quòd Muhammedani Imperatoris quaſi altera ſedes eſſet. Imperium autem hoc Caliphæ aliive Reges externi tenuerunt, uſque ad A. C. 1053. quo Abul. Texifius, Almohavidarum ſive Lamptuniorum gentis princeps exteros pepulit. Inde Abrahamô, pronepote ejus, occiſô, Abdul-Mumen rerum potitus eſt, ex ludimagiſtro primus in Africa Pontifex & Imperator, qui Imperium Tripolim uſque protulit. Pòſt Abdulacus, è Merina familia, circa A. C. 1210. ſurrexit, è cujus poſteris, ultimum itidem Abdulacum dictum, circa A. C. 1480. Sciriſius quidam delevit: ad quem genus retulêre Ahmedes & Muhammedes, fratres Sciriſii, qui regiam ſedem Maroci fixêre, primò tributum pacti à Muhammede Oatazeno, cujus familia, poſt Merinenſes extinctos, Feſſæ regnavit, mox verò eôdem ſuperiores redditi. Et Muhammedes quidem fratre mortuô, inſtructô bellô contra Muhammedem Oatazenum, cujus ſtudiis antea præfectus fuerat, eum vicit ac tandem ſuſtulit ſeculô præcedente. Nunc verò tractibus iſtis potitus eſt haud pridem Tafiletta, Princeps à loco paternæ juriſdictonis nomen nactus: Regis Marocani filiô apud Hiſpanos exulante. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 7. Relation. Reſidentis Angl. *in App. Diar. Eur. Cont.* 19. &c. Ejus provinciæ ſunt 7. Suſa, Hea, Guzula, Teldeſa, Haſcora, Ducala, & *Marochia*, quæ præcipua eſt, & maximè fertilis cultaque, ut & quæ in Occaſum tendunt; Eſt hæc in mediterran. habetque ad Boream Haſcoram, ad Occaſum Heam, ad Auſtrum Guzalam, ad Ortum Darrham regionem.

Urbes regni Marochani.

Agades, ſeu fanum S. Crucis, *Agades*, ſeu *Santa Cruz.*	Mazaganum, *Mazagan.*
Azafia, *Aſafi.*	Meſſa, *Meſſa.*
Azamurum, *Azamor.*	Tagavoſtum, *Tagavoſt.*
Elmadina, *Elmadine.*	Tarodantum, *Tarudante.*
Marochium, *Maroch.*	Tedneſta, *Tedneſt.*
	Tefza, *Tefza.*

Tejeuta, *Tejeut.*

MAROCHIUM, i. e. illuſtris & ſacra, Gallis *Maroc*, Hiſpan. *Maruecos*, Italis *Marocho*, ſedes regia, civitas ampliſſima & ſplendidiſſima, (ſub Principe enim Hali Joſephi fil. pluſquàm centies mille numeravit domos,) cum palatio ſuperbiſſimo, in regno Marochano. Rex Almanſor plurimum ſplendoris huic urbi conciliâſſe dicitur, in qua turrem fuiſſe ferunt, cujus apex tria aurea poma ſuſtineret, magicis artibus incantata. An *Bocanum Hemerum* antiquis. Vide ibi. Sed à paucis annis valdè imminuta eſt, deficitque in dies, propter bella. 160. mill. paſſ. ab ora maris Atlantici 90. à confinio regni Fezzæ. Vide Ortelium. Sanſon. *Geogr.* Marmol. & Joh. Leonem, *in deſcr. Africa.* Hiſt. *Tafileta.*

MAJORALICÆ Thermæ, ad radices Pyrenæorum, 5. leuc. ſupra Lgdunum Convenarum in Meridiem in ipſo limite Aragoniæ.

MAROJALUM, vicus vel villa Galliæ, ad Carim, *Marviel ſur Cher*, in extremis Turonum finibus, ſeu ipſo Turonum, Biturigum Bleſenſiumque confinio. Hìc Eccleſiam S. Martini, incenſam eſſe A. C. 594. ab exercitu Guntchramni Regis tradidit Gregorius Turonenſ. Ibidem Cuppa, Comes ſtabuli Chilperici, dum filiam Bandegiſili Cenomanorum Epiſcopi noctu per vim rapere conatur, à Magnatrude matre magna cum ſuorum clade repulſus eſt, A. C. 590. Item villa Regia Aurelianis propinqua, quò Epiſcopi Duceſque & populus convenêre, regnante Chlotariô Chlodovei junioris filiô: *Marolle* vulgò, in ſilva Aurelianenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARONEA, Ciconum civitas Archiepiſcopalis in Thracia, apud oſtia Hebri, ad Siœnum fluv. *Steph.* præſtantiſſimô vinô laudata. Tibull. *l.* 4. *Eleg.* 1.

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.

Iſmarus Homero, *Od. l. v.* 40. 198. teſte *Heſychiô*, *Marogna Sophiano.*

MARONES ſeu MARRONES, in *Vita* Odonis Cluniacenſ. Abbatis iidem cum *Marrucu*, uti eos idem Odo vocat in *Vita* S. Geraldi *l.* 2. *c.* 17. nomen eſt, quô appellatæ circa Alpium juga Saracenicæ gentis reliquiæ. Saraceni enim Afri, cùm tempeſtate validâ in Provinciæ oras eſſent ejecti, Leone Philoſophô imperante, illam potiſſimùm regionem inſederunt, tenueruntque annis aliquot, quæ circa *Maurum Montem*, in Italiæ Galliæque confiniis adjacet, caſtrôque Fraxineti expugnatô, ob adjacentes ſylvas latrociniis & excurſionibus eorum opportuniſſimô, vicinas provincias vaſtaverunt tandemque Alpium clauſtra & juga inſederunt; unde in Burgundiam & Italiam ſæpe excurrerant: eô proceſſu temporis virium provecti, ut ipſe Hugo Rex Italiæ, cui admodum moleſti erant, eos adortus fruſtra fuerit. Verùm haud multo pòſt vicini Toparchæ, collectô exercitu, non ex Alpium modô, quibus inhæſerant, jugis, ſed ex ipſa Provincia, atque adeò principe eorum ſede, Fraxineto, penitus exegerunt diſſipâruntque. Quod quidem inſigne facinus Rotboldo Forcalcarienſi Comiti Arduino Hyporegiæ Marchioni & Aymoni Comiti attribuit *Chronicon* Novalicenſe; Wilhelmo verò Comiti Provinciæ, Rotboldi fratri, Glaber *l.* 1. *c.* 4. Vide Car. du Freſne in voce *Marrones* & Autores ei hanc in rem laudatos, Wittikindum *l.* 2. Luithprandum *l.* 1. *c.* 1. Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum *Ep.* 19. Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli c.* 5. Ruffium *in Comitibus Provinciæ p.* 50. Alios, nec non ſuprà in *Maranus.*

MARONIAS, urbs Syriæ, Chalcidicæ regionis. *Ptol.* unde *Maronitæ* hæretici. Aliis urbs eſt Palmyrenes. 30. mill. paſſ. à Palmyra in Borea Chalcidem verſus, à qua 50. milliar. in Eurum diſtat, uti & 80. ab Antiochia.

MARONITÆ, populi Palæſtinæ, in Libano. Item à *Marone* quodam dicti: Jacobitarum, Neſtorianorum & Monothelitarum deliria olim ſecuti, ſeceſſione ab illis factâ, ſub Balduino IV. Rege Hieroſolymitano & Almerico Patriarcha Latino Antiocheno poſt ann. 500. cum Latinis coaluiſſe dicuntur. Poſtmodum horum in Oriente rebus in deterius ruentibus, refrixit amicitia, ſed A. C. 1445. ſub Eugenio IV. miſſô in Cyprum legatô, redintegrata narratur, &c. Linguâ utuntur, quæ aliquid ex Syriaca mutuatur. Jacobitiſque ac Neſtorianis quoque communis eſt, quamvis hi illam paulò aliter pronuntient, ſcribantque. Commercium cum Arabibus effecit, ut hodie non niſi in ſacris illâ utantur, exceptis 5. aut 6. circiter vicis, qui majorum linguæ tenaces exſtiterunt, quæ miſcella quædam ex Syriaca & Arabica eſt. Se *Telmitd Roumie*, i. e. diſcipulos Romæ vocant, Patriarcham habent, Archiepiſcopos, Epiſcopos & circiter 150. parochos. Sedes Patriarchæ Canobinum eſt, monaſterium in rupe exſtructum: A Turcis ſæpe, quibus ſubſunt, in proximos montes ſe ſubducere coguntur, tam inopes, ut etiam Epiſcopi illorum victum ſibi manuariis artibus quærere neceſſe habeant. Colunt autem hortos, & agros. Quamprimum Epiſtola vel Euangelium à Miniſtro, Syriacè prælectum eſt, mox idem Arabicè exponit, quæ lingua omnibus nota eſt: Inter legendum Auditores caput motitantes ſecum ſubmurmurant *Num.* i. e. omnino, & *Eynam*, i. e. certè, profectò confirmantes aliquando juramento, *Eynala*, hanc eſſe veritatem Dei. Jejunia per annum obſervant quatuor: Sacerdotes magnô honore colunt, qui cœruleâ in pileo faſciâ à reliquis diſtincti, conjugati ſunt; cùm Epiſcopi bibunt, reliqui vel ſurgunt honoris ergò, vel humi ſe proſternunt, felicia ipſis apprecati. In Sacramentorum adminiſtratione ferme Occidentales ſequuntur. Guil. Tyr. *l.* 22. *c.* 8. Jaç. Vitriac. *l.* 1. *c.* 77. &c. Porrò Jejunia olim ſeu Quadrageſimas obſervabant ſex: Primam & Majorem ante Paſcha: Secundam Sanctorum Apoſtolorum: Tertiam Aſſumptionis Deiparæ: Quartam Exaltationis S. Crucis: Quintam Nativitatis Domini: Sextam denique Ninives vel Jonæ. Quadrageſimam Paſchalem auſpicabantur ab hebdomade Sexageſimæ: ſecundam à feria 2. poſt Dominicam Trinitatis, uſque ad feſtum Petri & Pauli: tertia erat dierum 14. ante Feſtum Aſſumtionis: quarta unius ſeptimanæ: quinta 40. dierum ante Nativitatem: ſexta denique trium dierum in hebdomade ante Septuageſimam. Et quidem, eâ hebdomade, quæ Quadrageſimam Majorem præcedit, i. e. Sexageſimæ, à carnibus abſtinebant, reliquis cibis & vinô utentes uſque ad Feriam 2. Quadrageſimæ. Ab hac verò uſque ad Paſcha, non carnes ſolùm non, ſed nec ova, aut piſces, manducabant, à vino inſuper abſtinentes. In ſecunda Quadrageſima, carnibus, ovis & lacticiniis abſtinebant, piſces tamen aliaque comedebant & vinum bibebant, idque bis de die; ſic tamen ut non ante Meridiem. Idem obſervabant in Jejuniis Aſſumtionis, S. Crucis & Nativitatis. Jejunium Niniyes ſimile erat jeiunio Majoris Quadrageſimæ. Hodie, magna ex parte, Romanæ Eccleſiæ tantum jejunia obſervare, ait Car. du Freſne voce *Quadrageſima*, ex Fileſaco *de Quadrageſ.*

MARORA, Sargarauſenæ in Cappadocia urbs. *Ptol.*

MAROS, populi Indiæ, montium accolæ, & per totum tractum oræ Oceani prætenti, liberi ac Regum expertes apud Solinum. *c.* 55. Item nomen Regis, qui Labyrinthum condidit. *Mendes Diodoro.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 699.

MAROTIMUS, in *Charta* quadam vetere apud Sammarthanos, Vide ſuprà *Marmita.*

MAROZIA, Romana, Theodoræ filia, impudentia, ſceleribus, &

& tyrannide in Eccleſia Romana exercitâ famoſa. Formâ & ingeniô abuſa, pleroſque nobilium Romanorum in caſſes ſuos pertraxit, Mole Adriani, quæ ad Adelbertum ſpectabat, Tuſciæ Marchionem, ex qua Albericum filium ſuſcepit, potita, poſt Adelberti mortem, filio illius Guidoni nupſit. Creavit & removit Papas pro lubitu: Hinc Johanne XI. deturbatô, Petrôque fratre ejus occiſô, Leonem VI. carceris pœdore confecit, ſurrogatô A. C. 931. Johanne XII, quem ex ſceleſto concubitu cum Sergio III. ſuſceperat. *Proh pudor, proh dolor!* exclamat Baronius *in Annal.* Plat. *in vitis Pontif.* Luitpr. *l.* 3. Flodoard. *in Chron.* &c.

MARPAHIS, apud Paul. Diaconum *Hiſt. Longob. l.* 2. *c.* 6. & 9. Strator eſt, quod officium apud Longobardos nomen arceſſit, ex German. *mar.* i. e. *equus*, & Latino *puer.* Vide Domin. Macrum *in Hierol.*

MARPESIA, prima Amazonum regina. Juſtin. *l.* 2. *c.* 4. Vide & *Marthesia.*

MARPESSA, filia Eveni ſpecioſa, uxor Idæi, omnium illius ſeculi virorum formoſiſſimi, mater Cleopatræ pulcherrimæ fœminæ, uxoris Meleagri. Hanc maritus fertur tam tenere adamâſſe, ut, cùm eam Apollo rapere conaretur, ſumptô arcu & ſagittis raptorem invadere non dubitârit. Verùm cum ejus recuperandæ ſpes nulla ſupereſſet, mater eam pro Marpeſſa Alcyonem nominavit, quòd fatum cum eâ ſimile ſortita videretur. Homer. *Il.* 1. *v.* 553.

MARPESSUS, Myſiæ oppid. apud Idam montem in agro Trojano, unde ortum habuit Sibylla Helleſpontica, teſte Lactantiô *l.* 1. *c.* 6. Item mons in Paro inſula candidi marmoris ferax. Hinc *Marpeſia cautes* apud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 471. *Steph.* Μάρπησσα ὄρος Πάρου, ἀφ' οὗ οἱ λίθοι ἐξαίρονται. *Marpeſſa* itaque eſt מִיַר בצִין *maar-betſa*, i. e. *caverna exciſionis.* Bochart. *l.* 1. Chanaan. *c.* 14.

MARPSIAS, litigioſus quidam, nugax ac turbulentus Rhetor, quem traducit Ariſtoph. *Acharn. Act.* 2. *ſc.* 6.

De MARPURG Conradus, vide *Conradus.*

MARPURGUM, vulgò *Marpurg*, oppidum non ignobile Haſſiæ, quod mortuô Henricô Haſſiæ Landgraviô, cùm filii inter ſe partirentur hæreditatem paternam, obtigit Ludovico minimo natu, Epiſcopo Monaſterienſi, A. C. 1308. Iterum, cùm Ludovici Mitis fil. primogenitus Ludovicus Pius Caſſellas obtineret, junior Henricus Marpurgum nactus eſt, mortuus A. C. 1483. in cujus filio Wilhelmo Marpurgenſis linea eſt terminata. Cùm dein ſub Philippo Magnanimo, Pontificiâ religione abolitâ, monaſteria in Scholas & Xenodochia converterentur, hinc Academia Marpurgenſis initium duxit, cujus tamen privilegia demum A. C. 1541. promulgata ſunt. Ejuſdem Landgravii auſpiciis colloquium hîc, inter Lutherum, Melanchthonem, Zuinglium & Oecolampadium habitum eſt, A. C. 1529. cui etiam Bucerus & Capito interfuerunt: Ibi in omnibus Chriſtianæ Relig. capitibus conventum eſt, exceptô articulô S. Cœnæ, in quo tamen tolerantiæ mutuæ lex ſancita. Ex hujus filiis ſecundò genitus Ludovicus Marpurgum nactus eſt: quô ſine prole extinctô A. C. 1604. Mauritio Guilielmi filio ditio hæc ſortitò obtigit, qui Reformatâ religione introductâ, cives turbarum hinc concitarum reos, clementer habuit, condemnatus tum in hac cauſa, tum Waldeccia à Ferdinando II. A. C. 1622. & Ludov. Darmſtattinus, cui Marpurgenſis ſucceſſio à Cæſare addicta eſt, Auguſtanam confeſſionem ſolenni pompâ in Academiam A. C. 1625. reduxit. Tranſegit cum hoc Mauritii filio Guilielmus A. C. 1627. cujus Vidua aliquot prœliis contra Cæſareanos victrix, reſumtâ controverſiâ Marpurgenſi, adverſus Darmſtattinos bellum feliciter A. C. 1640. geſſit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. hiſt.* & de Colloquio Marpurgenſi Abr. Scultet. *in Annal. Eccl.* Lutherum *tom.* 4. *Jen. c.* 10. &c. Confluxiſſe in urbem hanc duodecies centena Millia hominum dicuntur, cùm Eliſabetha Haſſiaca, à Gregorio IX. inter Sanctas relata, publicè hîc promulgaretur, A. C. 1227. &c. Vide quoque *Mattiacum & Martpurgum.* Adde hîc, quòd Controverſiam præfatam *Marpugenſem* ita exſequitur Tob. Pfannerus; Philippus Haſſiæ Landgravius Smalcaldici fœderis aliarumque rerum geſtarum memoriâ celebris, morti jam propinquus, provincias (quarum ex inſtituto Ottonis & more Majorum, nonnisi unicus heres eſſe debuerat) in 12. uncias partitus, Guilelmo Caſſellano ſemiſſem, inferiorem nempe Haſſiæ & meliorem Zigenhainenſis Comitatus partem; Ludovico Marpurgio tres uncias, ditionem nempe ad Lanum, cum Niddæ Comitatu, adſcripſerat: Philippus Reinfelſius atque Georgius Darmſtattinus, uterque in dimidiam quadrantis; iſte nempe ad inferiorem, hic ad ſuperiorem Cattimeliboci Comitatus partem, vocatus. Addita extremis tabulis verba, quibus cuicunque hæredum, ſine maſcula prole obituro, cœteri æquis partibus ſufficiebantur. Et vitâ functus Philippus Reinfelſius locum ſubſtitutioni fecit, nullo hæredum certamine temeratæ. Non eadem concordia Ludovici hæreditatem partientibus conſtitit, qui Mauritio Caſſellani, & Ludovico, Friderico atque Philippo, Georgii Darmſtattini filiis, utriſque ex ſemiſſe in ſtirpes dividunda hæredibus inſtitutis, pœnam adjecerat, ut parte ſuâ excideret, ſi quis aut ſupremo huic judicio obniteretur, aut in religione quid mutare auſurus eſſet. Commiſit pœnam Mauritius, quem, Auguſtanâ Confeſſione neglectâ, Reformatorum ſacra amplexum, Teſtamenti beneficiô arcendum Darmſtattini contendebant; quod tamen nec ipſos quidem ſatis reveritos Caſſellani regerebant, tres partes hæreditatis, in capita ſcil. diſtribuendæ, ſibi vindicantes. Et tractata coram arbitris, more Haſſiacæ Domûs, ex utriuſque Familiæ Miniſtris Ordinibuſque pari numerô delectis, de vi Teſtamenti quæſtio, quorum tamen ſententiâ Darmſtattini ſtare recuſantes, rem ad Cæſarem detulêre. Hîc illis æquior & acutendæ Georgii induſtriæ, in perſuadendo ſocero Saxoniæ Electore curatiùs adhibendæ, ut is tranſlatam tum à Palatinis in Bavarum Electoralem dignitatem ratam haberet, Comitiis Ratisbonenſibus, contra Caſſellanos pronuntiavit, non terras tantum, ſed & perceptos ex ea hactenus reditus Darmſtattinis reſtituere juſſos. At hi Ferdinandum potentiâ, non ex vero ſtatuiſſe cauſati, ſententiæ parere detrectabant; & quamvis Mauritius cum Darmſtattinis certas in leges conveniſſet, A. C. 1627. conſenſu Procerum provinciæ atque Sacramentô firmatas, Guilielmus tamen, Mauritii fil. tanquam pactis vi atque metu extortis, quo firmiori munimento adverſus adgnatos, Cæſaris gratiâ fultos, inſiſteret, Gallorum Suecorumque partes amplexus eſt, quorum opibus nixi Caſſellani, cum durante bellô Germanicô Darmſtattinos multis modis afflixiſſent, operâ tandem Erneſti, Saxoniæ Ducis, ita cum illis tranſegêre A. C. 1647. ut ex Ludovici hæreditate dimidiam ſemiſſis, quæ *Marpurgia portio* vocabatur, atque ex altera dimidia (quarum quævis viginti quinque aureorum millia annuos reditus conficeret) 5000. ſibi ſervarent Caſſellani, reliquam ejus dimidiæ cum Gieſſenſi portione Darmſtattini haberent, quæ tractata conventaque, cum Oſnabrugæ de pace ageretur, ſecutâ Weſtphalicâ pactione rata habita finem tandem acerbæ diutinæque liti impoſuêre. Hactenus ille, *de præcipuis Germ. Principp. Gentib.*

MARQUARDUS Freherus, JCtus Auguſtanus celeberrimus, auctor plurium operum. Scripſit inter alia Corpus Hiſtoriæ Gallicæ.

MARQUARDUS Leo, Auctores Occidentis enarravit, &c. Editus liber Ingolſtadii A. C. 1610.

MARQUARDUS de Suſanis, Italus. Scripſit *de Cœlibatu, de Judæis,* &c. Geſn. *in Biblioth.*

MARQUEMONTIUS Simon, vide *Simon.*

MARRASIUM, Perſidis, oppid. mediterraneum *Ptol.* olim clarum, Perſepoli & Arbuæ finitimum. Vulgò *Marazu.*

MARRERIUS Martinus, vide *Martinus.*

MARRES, Ægypti Rex, operâ cornicis uti conſueviſſe in literis quô terrarum vellet, mittendis, eique mortuæ ſepulchrum ſtatuiſſe, ad lacum Myridis, prope Crocodilorum oppidum, legitur apud Ælian. *de Animal. l.* 6. *c.* 7. Sed omnino Ægyptiacæ vanitati tribuendum, quod ibidem dicitur, cornicem, ſimul ac audiiſſet, quò perferenda eſſet epiſtola, quæ regiones tranſeundæ, ubi quieſcendum, eô, prout acceperat, iter direxiſſe. Captum hæc brutæ animantis excedunt: ſed ſolent homines de magnis loqui majora, ut magis ſint admirationi. Quamvis ſint qui fidem habeant; ſed putant, malum genium alitem hanc duxiſſe. Quomodo Barbari, Chriſtianis Tyrios obſidentibus, columbæ miniſteriô in literis mittendis uſi ſunt; Chriſtiani autem in caſtris ſuis, alite conſpectâ, tantum excitârunt clamorem, ut ea conciderit, huicque illi literas contrarii argumenti alligârunt, atque ita illuſerunt obſeſſis, vide apud P. Æmilium *de Francorum geſtis l.* 5. *in vita Lud. Craſſi* & Petrum Juſtinianum *Hiſtor. Ven. l.* 2. Cujuſmodi alia ex Romana Batavaque hiſtoria adferri poſſent varia: de tinnunculis indigitabo ſaltem locum Plinii *l.* 10. *c.* 37. Plura Voſſ. *Idol. l.* 3. *c.* 98.

MARRHAMUS Radulphus, vide *ibi.*

MARRIA, vide *Marnia.*

MARRICHE, Parthiæ urbs. *Ptol.*

MARTONA, vulgô *Renelle*, quaſi *Maronella*, aut quaſi *Ranula*, vel *Ranella*, à ranarum copia, amnis Galliæ, Rothomagô ad Occidentem in Sequanam influens, *Hadr. Valeſ.*

MARRONES, vide *Marones.*

MARRUBII, populi Italiæ circa Fucinum lacum, ſic dicti vel à rege *Marrubio*, vel quòd circa *mare* habitabant. Stagna enim & lacus veteres etiam Maria appellabant. Urbs *Marrubium. Marho Leand.*

MARRUCI, vide *Marrones.*

MARRUCINI, populi Italiæ in regione Marſorum. Sub Samnitibus *Baudrando*, inter Veſtinos ad Occaſum & Frentanos ad Ortum prope Aternum fluv. ubi nunc pars Occidentalis Aprutii citerioris. Sil. *l.* 8.

Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes.

MARRUGINA, in *Gloſſis* optimæ notæ redditur εἶδος παλιέρου· ἔστι δὲ ἀκανθῶδες δένδρον, *paliuri ſpecies, quæ eſt arbor ſpinoſa.* Ubi *marrugina* idem videtur, quod μάραγνα; quam vocem uſurpat Chaldæus Interpres, ad locum 1. Regum *c.* 12. *v.* 11. *Pater meus caſtigavit vos ſcuticis: & ego caſtigabo vos ſcorpionibus*; uti reddunt Græci Interpretes, *Joſephus, Hieronymus,* & *Arabs.* Certè cùm hîc animal nequaquam, ſed flagri genus ſcuticâ gravius ſignificari, conſtet, Hebræi *virgam ſpineam* aut *flagellum ſpinis aculeatum*, intelligunt: *Chaldæus* מרגנין *maragnin*, habet, à ſingulari מרגנא *maragna*, quæ ipſiſſima vox Græca eſt μάραγνα, *Platoni Comico* pro *equeſtri flagello* uſurpata. Quod Pollux *l.* 10. *c.* 13. Περὶ ἱππικῶν σκευῶν his verbis teſtatur. Ὁ μέν τοι Πλάτων ὁ Κωμικὸς ἐν Κλεοφῶντι μάραγναν τὴν μάστιγα ὠνόμασεν. Sic *Heſych.* Μάραγνα, μάστιξ, ῥάβδος, ταύρεια. Μαράγνα, τῇ ταυρείᾳ, uti locum reſtituit *Bochart.* Namque & alibi σμάραγνα, cum proſtheſi τοῦ σίγμα, eidem exponitur, μάστιξ, ῥάβδος, *flagellum, virga* &c. Qui quamvis ταύρειαν, i. e. *lorum bubulum* interpretetur, tamen non rejiciendi Hebræi, qui ſpinæ genus eſſe ſtatuunt. Potuit enim id verbi primò *virgam ſpinis, ad inſtar ſcorpionis, aculeatam,* ſignificare, prout idem *Heſych.* ῥάβδον vocat; deinde καταχρηστικῶς, pro *loro bubulo* & quovis alio *flagello* ſumi &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 4. *c.* 29.

MARRUVIUM, idem quod *Marrubium*: nunc *Morea*, caſtrum Aprutii Ulterioris prope Lirim fluv. 5. milliar. à Lacu Fucino, paulo minus à limite ditionis Pontificis *Magino, Cluverio,* Aliis. Sil. *l.* 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Marruvium veteris celebratum nomine Marri.

Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 750.

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos.

Μαῤῥούιον Straboni. Nic. Loydius.

MARS, Deus belli ab antiquis creditus, dictus Varroni *l.* 4. *de LL.* quòd *maribus* in bello præſit, aut certè à Sabina dictione *Mamers*, quô nomine illi *Martem* dicebant. A Poetis *Mavors* dicitur per epentheſin. Jovis ac Junonis filius fuiſſe fingitur, vel, ut *Ovid.* fabulatur, ſolius Junonis. Cùm enim olim Juno turbata, quòd animadvertiſſet, Jovem percuſſô capite ſine feminæ commercio procreâſſe Minervam, verſus Oceanum proficiſceretur, ut ſcrutaretur, quô pactô & ipſa ſine viro parere poſſit; itinere fatigata ſecus fores Floræ Deæ, conjugis Zephyri, conſedit. Cumque interrogata ab ea eſſet, quam ob cauſam ad Oceanum pergeret, rationem reddidit. Quâ cognitâ, facturam ſe voti compotem Deam pollicita eſt, ſi id Juno Jovem celaret. Quod cùm Juno jurejurandô affirmâſſet, mox illam Flora monuit, in campis Oleniis florem eſſe, quô tactô ſtatim conciperet ſine viro. Id experta Juno concepit, & Martem peperit. Hunc ferunt poſtea cum Venere concubuiſſe, eoſque Vulcani artibus, ut erant nudi, occultis laqueis irretitos. Deorum omnium riſui expoſitos fuiſſe, donec Neptuni precibus motus Vulcanus eos diſſolvit. Sororem habuit Bellonam, belli Deam. Sacrum ei fecerunt equum, lupum, canem & picum, quos in Dei hujus tutela eſſe credi voluerunt. Salios habuit ſacerdotes & Flamines, qui ab eo *Martiales* dicebantur. Ex Venere Hermionem, Cadmi uxorem, ex Rhea Romulum & Remum, ex Thebe, Aſopi filia, Evadnen, ſuſcepiſſe dicitur. Vide Heſiod. *in Theogon.* Lil. Giraldum, *l.* 10. *hiſt. Deor.* Natal. Comit. *in Mythol.* Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. paſſim*, Alex. Roſſæum, *in Myſtagogo poëtico.* Servius *in l.* 8. *Æn.* annotat, moris fuiſſe apud Romanos, ut is, qui belli curam ſuſceperat, ſacrarium Martis ingreſſus, primò ancilia commoveret, pòſt haſtam ſimulachri ipſius, diceretque: *Mars, vigila!* Ponitur ſæpiſſimè pro ipſo bello. Hinc *Martius*, i. e. *bellicoſus.* Eſt & ſtella una ex 7. errantibus ſupernè Jovi proxima, quatuor & viginti menſibus & 6. diebus orbem luſtrans. Lucan. *l.* 1. *v.* 663.

Et Cœlum Mars ſolus habet ———

Cæterùm quid nomine Martis veteres poëtæ, & philoſophi intellexerint, prolixè docent *Lil. Giraldus & Natal. Comes.* Hinc *Martius*, menſis primus anni olim apud Romanos, quem Romulus genitori ſuo Marti conſtituit. Ovid. *Faſt. l.* 3. de quo infrà. Cæterum *Mars* Græcis Ἄρης, quod ex Hebr. חרם, quemadmodum & *Horus*, & Ἥρως, & *Heros* &c, deſcendit. Unde Judic. *c.* 8. *v.* 13. LXX. Interpretes Ἄρης vertunt; ἀπὸ ἀναβάσεως Ἄρηος, ubi Sol & Mars pro eodem ſumti. Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 6. Effinxêre eum Veteres ardentem, nunc in curru, nunc in equo, armatum, cum haſta & flagello, gallumque interdum ei, ob militum vigilantiam, comitem adjunxêre. Antiquiſſimum templum habuit Romæ, in Campo Martio: Eidem ædes fuit in Circo Flaminio, quam Hermodorus Salaminius architectatus eſt; in Capitolio, quam T. Tatius vovit & exſtruxit, cujus ſimulachrum Jovi Capitolio cedere noluiſſe aliquibus proditum; in Vaticano quoque. Sic *Mavortii* ædicula regione 4. fuit. Præterea cum Venere commune templum & altare habuiſſe, indigitat Claudianus *Carm. de Magnete.*

Mavors, ſanguineâ qui cuſpide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Illi extra portam Capenam Romanos ſacrificâſſe, refert Joh. Roſin. *in Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. *in Junio* Currum ejus comitatumque deſcribens Homerus *Iliad.* ξ'. Δεῖμον, i. e. *Terrorem*, Φόβον i. e. *Pavorem*, & Ἔριδα ſeu *Contentionem*; illi attribuit. Paulo aliter Virgilius *Æn. l.* 8. *v.* 701.

——— ——— *Triſteſque ex æthere Diræ,*
Et ſciſſâ gaudens vadit Diſcordia pallâ:
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Idem *Æn. l.* 12. *v.* 335.

——— *circumque atræ Formidinis ora,*
Iraque Inſidiæque, Dei comitatus, aguntur

Famam *Martis* aurigam facit Papin. Stat. *Thebaid. l.* 1. miniſtros verò *Furorem, Iram, Pavorem,* &c.

EPITHETA QUÆDAM MARTIS.

Ἀλλοπρόσαλλος: apud Homer. Il. ε'. *v.* 831. 889. audit, ob varias bellicæ Fortunæ viciſſitudines.

Enyalius, quaſi Ἐνυοῦς υἱὸς, i. e. *Bellonæ filius*; cujus tamen frater potius erat, à Græcis frequenter dictus eſt.

Gradivus, à *gradiendo* vel *progrediendo*: ſive à vibratione haſtæ, quod Græcis κραδαίνειν, appellatus: templum habuit elegans & magnum, extra urbem, prope portam, in via Appia, quod *templum Martis extramurani* à P. Victore vocatur. Reſtituit ampliavitque L. Corn. Sulla Felix, ac ſuprà 100. in eo ſtatuit columnas. Juxtà extra portam Capenam Manalis erat lapis; de quo vide *ſuô locô.*

Heſus, itidem Ἄζιζος, cum Mercurio, πάρεδρος fuit Elagabali, apud Emiſſenos, vide infrà *Sol.*

Quirinus, à Sabinis nuncupatus eſt, à *Quiri* haſta, quâ is uti exiſtimabatur. Hujus templum in 1. urbis regione collocatur: fuitque prope portam Capenam, intra urbem. Vide in voce *Quirinus.*

Sedens, vide hic infrà.

Thracius, apud *Minucium Felic.* à gente bellis aſſueta, quæ ipſi ut & Bellonæ, captivos immolabat. Colebatur autem præcipuè, in ea civitate Thraciæ, cui *Creſtone* nomen Ouzelius *ad Minucium.*

Thurcas, itidem infrà.

Ultor, ab *ulciſcendo* dictus: templum habuit in Foro ſuo maximum ac ſumtuoſiſſimum, cùm opere, tum artificiô, ab Auguſto exſtructum, bellô Philippicô, quod Patris ſui ulciſcendi causâ ſuſceperat. Vide Sueton. *Aug. c.* 29. & qui magnificentiam ejus multis celebrat, Ovidium *Faſtor. l.* 5. In aditu ejus, ante fores, ab utroque latere, *Martis* & Veneris erant ſtatuæ, teſte eôdem *l. Triſt.* 2. Ad idem Apellis tabulam poſuit Auguſtus, in qua Alexander triumphans, Belli imaginem vinctis ad tergum manibus, quaſi captivam, ducit: nunc in eo picta cohors Romana, cujus vexillifer pro ſignô labarum habet. Idem Auguſtus non multo poſt templum *Marti* bis Ultori, in Capitolio, erexit, in quo ſigna, à Parthis reddita, ſuſpenſa ſunt, Sueton. *loco cit.* Dionyſius *l.* 54. ubi, factum id fuiſſe, ad ſimilitudinem Jovis Feretrii, ſcripſit. Icones horum templorum in nummis conſpicui, quorum unum exhibet Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 10. *&c.*

MARS Sedens, coloſſeus, Romæ in Templo Bruti Callaici, apud Circum Flaminium, ad Labicanam portam, Scopæ manu factus ex marmore, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 5.

MARSACI, populi Germaniæ.

MARSACUM, pagus Petrocorii, dimidiô milliari ab urbe Periguria. Ibi fons, maris inſtar fluens refluenſque. *Merula.*

MARSALIUM, vulgò *Marſal*, oppidul. Lotharingiæ probè munitum, ad Sellam amnem; ſub Gallis ab aliquot annis. Vix 1. leuc. à. Mojennico in Ortum 5. à Nancejo, intra paludes. *Baudrand.* A *Sale* dictum inter Medianum Vicum *Moyen, Vic,* & Decem Pagos *Dieuſe.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARSALQUIVIRIUS Portus, Africæ, in ora Barbariæ, ſub Hiſpan. prope Auranum *Oran.*

MARSAN, tractus Galliæ, in teſquis Aquitanicis: vetus Vicecomitum ſedes, olim ſub Comitib. Bigerronum, dein in familiam Benearnenſem tranſiit. Hodie Principi Harcurtio paret. Caput eſt *Mont-Monſan*, conditum à Vice Comite Petro. Solum neque hominum neque aliarum rerum ferax eſt, ſecale tamen, milium, ceramque cum melle profert, Morerius *Diction. Hiſt.*

MARSANA, nomen principis. Eſther. *c.* 1. *v.* 14.

MARSANUM, Græcè Μαρσανὸν, mons Pæoniam, à Thracicæ Pæoniæ regione diſterminas; ubi Bonacus naſcitur: aliàs Ἡσανὸν & Μεσσάπιον dictus. Unde forte Μασανία appellatum eſt Pæoniæ oppidum, quod Μαρσονία *Ptolomæo.* Vide Salmaſ. *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 838.

MARSATII, populi Batavorum, quorum pagus *Marſen,* Plin. *l.* 4. *c.* 15. *Ortel. Marſaci*, Tacit. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 56.

MARSCALCUS, alias *Mareſcallus*, primò agaſonem ſignificat, i. e. qui equos curat, colit, pabulô donat, expedit & adornat. *Maere* enim Teutonicè & Angl. equus, vel potius equa: *Schalc*, ſervus, miniſter eſt. Sic *Mareſcalcus* equorum miniſter, vel potius equarum, quòd præſtare olim hoc genus videbatur. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 59.

Mittit & Eliadum palmas Epiros equarum.

Vide quoque Hom. *Il.* β. Plin. *l.* 8. *c.* 42. &c. Apud Becanum *Francicorum l.* 2. peritum notat in tractandis & curandis equis. Hinc pro Medico & Divis ipſis, quos morborum ſanationi præficiunt; ſic Divus Antonius *Mareſcalcus* ignis ſacri dicitur. Inde etiam, quòd calceos appingunt equis ferrarii, *Mareſcalci* utique nuncupantur. Sic omnino voci ab equo origo eſt: humile olim officium, & *Mareſcalci* inter paſtores numerati, diſtinctique invicem ſuis gradibus, juxta numerum equorum, quibus præfuêre. Unde & pro Stabulario, ſicut *Mareſcalcia* pro ſtabulo. Sed ut è tugurio Capitolium, ſic è ſtabuli miniſterio, ad ampliſſimos Regni Magiſtratus irrepſit *Mareſcalci* appellatio. Haud ſecus, ac Equiſonis apud veteres Romanos, quæ, *Varrone* atque *Nonio in Equiſo* teſtibus, primùm de equorum moderatore, uſurpata, poſtea ad cæteros omnes, quibus rei alicujus regimen credebatur, eſt delata. Ita *Mareſcalci* demum nuncupati ſunt, non ſolùm ſtabuli regii curatores & præpoſiti, ſed & regiæ domus, regii exercitus, curiarum regiarum, minorumque plurium officiorum adminiſtratores, nihil cum equis ſive ſtabulis commune habentes. Nec dedignantur humilem rei originem ſummi Principes, etiam in apice ſuæ dignitatis, profiteri. Unde Saxoniæ Elector, Imperii *Archimareſcallus*, in inauguratione Imperatoris, ſedens in equo, menſuram de avenæ acervo, ad id unicè congeſto, accipere & famulo primitus venienti miniſtrare ſolet, ſecundas in avenæ hujus diſtributione *Vicemareſcallô* ejus Dn. de Pappenheim, tertias *Mareſcallô* curiæ agente. Vide Auream Bullam *c. penult.* Videtur autem ſub hodierno Imperio idem eſſe *Mareſcallus*, quod ſub Carolo M. *Comes ſtabuli*: & in Imperio Orientali *Protoſtrator & Comes equorum*, quorum hic Imperatori parat & profert equum, ille aſcendentem ſurrigit & ſedenti frena moderatur. Longobardis *Marpais*, vel *Marhais*: Anglo Saxonibus *Heretochius.* Interim inter *Mareſchallum* & Comitem ſtabuli id olim videtur fuiſſe diſcriminis, quòd Comes in ſtabulo unicus, *Mareſchalli* plures: Ille à Principe datus, hi à Comite aſſumti ſunt. Imperium igitur ſtabuli penès Comitem, miniſterium inter Mareſchallos fuit. Elatô itaque Comite ſtabuli ab Officiali domeſtico, in militiæ præfecturam, (quod apud Gallos primitus videtur obtigiſſe Frogerio de Chalon, ævô Philippi I. circa A. C. 1083.) elata unà *Mareſcallorum* appellatio eſt. Cùm enim in tractandis equis Regis & equitandi artificio, alios plerumque omnes antecellerent, delecti ſunt ex eis ſæpe potiores aliquot; unus vel alius qui in militaribus expeditionibus, hoſtem luſtraret, caſtrametationi locum ſeligeret, pugnæque ineundæ rationem decerneret, equeſtribus præfectus turmis, ut Comes ſtabuli exercitui, pugnæ initium accenderet. Hinc Brito Armoricanus *Philipp. l.* 8.

Cujus erat primum geſtare in prælia pilum,
Quippe Mareſcalli clarô fulgebat honore.

Et reverà jam ævô Philippi Aug. clarus erat *Mareſcalli* honos, ante Ludov. Craſſum verò, qui regnare incepit A. C. 1107. non reperitur Fran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Franciæ Mareſcallus: Refertque *Tilletus* Gallis tantùm illorum duos fuiſſe, uſque ad Franciſcum I. qui numerum auxit. De *Mareſcallo* apud Anglo-Saxones, item de auctoritate & juriſdictione *Mareſcalli*, apud Anglos & Gallos, aliiſque huc pertinentibus, vide prolixè diſſerentem Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* & ſuprà in voce *Mareſcallus*.

MARSHIPPA, oppid. Novæ Angliæ; 50. leucis Baſtoniô diſtans, ubi Eccleſia Americanorum recens converſorum florens, quæ Anglicô primùm Paſtore uſa, jam hôc defunctô ab Americano Miniſtro paſcitur. Præter quam quinque alii Neophytorum cœtus, in vicinia, numerantur, ac quotſeptimanis inviſuntur à Paſtore Plimonthenſi, qui nunc eſt Joh Cottonus, Linguæ Americanæ peritiſſimus. Creſcens Matherius *Ep. ad* Joh. Leuſden. Vide *Matherius*.

MARSI; populi Italiæ fortiſſimi, Picentibus, Æquiculanis, & Samnitibus finitimi, quorum urbs, quæ *Valeria* etiam dicta, ad lacum Fucinum, exciſa, ſive aquis abſorpta, *Marci* adhuc dicta. Epiſcopalis eſt apud Piſcinam urbem, ubi ejus Epiſcopus moratur. *Ferrar. Baudrando* fuêre ſub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutii Ulterioris juxta lacum Fucinum, in limite ditionis Pontific. Hinc regiuncula *Ducato di Marſi*, gentis Columnæ. A Marſo Circes filio orti, ſalivâ ſuâ ſerpentum morſibus medebantur. Virg. *Æn. l. 7. v. 757.*

—— Neque eum juvére in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.

Vide *de la Cerdam* ad locum. Ovid. *l. 1. Art. Am.*

Mixtaque cum Magicis Marſa venena ſonis.

Author *de medicamine faciei*,

Nec mediæ Marſis rumpuntur cantibus angues.

Dionyſ. Μαρσῶν ἔθνος φῦλα vocat. Marſici belli meminerunt Liv. *l. 9. c. 41. l. 10. c. 3.* & Appian. *l. 1. Bellor. Civ.* quod an. 663. Urb. Cond. contra plurimos Romanorum fœderatos, quibus juris civitatis ſpes facta, moverunt. Hi, cùm propoſitum ambos Conſules in Feriis Latinis interficiendi ſucceſſu caruiſſet, Proconſul. Q. Servilium, & Fontejum Legatum necârunt, quidquid Romanorum præthereà Aſculi erat, occiſô. *Cæs. l. 2. Bell. Civ. c. 27. Strab.* Plin. *l. 7. c. 3. l. 8. c. 57.* &c. Appian. *loc. cit.* ἐστὶ γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον. *Marſi* quoque apud Herodot. *l. 4.* populi ſunt Scythiæ Europææ. Sunt & *Marſi* Germaniæ populi Tacito *in German. c. 2.* Hinc *Oetmarſen* oppid. Friſiæ regiuncula, hodie videtur, tractu Tranſiſalaninæ. *Nic. Lloydius.*

MARSICANUS, vide *Leo Marſicanus*.

MARSICUM, urbs Lucaniæ olim, nunc Baſilicatæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano, ad Acirim fluv. *Marſico vetere* vugò in limite Principatus ulterioris 50. milliar. à Salerno in Eurum 18. à mari Tyrrheno. Senſim deficit, & à paucis habitatur. *Marſicum novum*, 8. milliar. à Veteri in Circium, juxta fontes Aciris, in Principatu citeriore ad radices Apennini; eſt urbs ſatis culta.

MARSIGNI, Germ. populi Tacit. *in German. c. 43. Marvignos Ptolemæi* eoſdem eſſe putat *Althamerus*.

MARSILIUS & Fulgentius, Monachi, cum *Paulo Servita*, ſcripſerunt pro Republ. Venetorum, contra Paulum V. A. C. 1606.

MARSILIUS Ficinus, Florentinns, Platonem ſectatus eſt. Plotini, Jamblichi, Procli, &c. paraphraſtes. Obiit A. C. 1499. ætat. 66. De eo ſic Politianus *in coronide Miſcellan. Marſilius Ficinus Platonicam Philoſophiam, habitu Latinô donatam, excoluit, revocavitque veram Eurydicen, hoc eſt, ampliſſimi judicii Platonicam Philoſophiam ab Inferis.* Circa quæ tempora Beſſarion quoque, natione Græcus, inſtitutô Monachus, dignitate Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, edidit libros contra Platonicorum calumnias. Vide Georg. Hornium *Hiſtor Philoſoph.. l. 6. c. 8.*

MARSILIUS Ingenuus, ſeu de Inghen, Canonicus Colonienſis, Geldrus, primus Univerſitatis Heidelbergenſis reſtauratæ Rector, plantatorque ſtudiorum. Edidit Commentar. in Magiſtrum ſententiar. &c. Obiit A. C. 1394. Heidelbergæ ad S. Petrum ſepultus, & funebri Oratione à *Nic. Prozino*, laudatus. *Melch. Adam.* Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MARSILIUS Patavinus, tempore Occami, acerrimè vitia Cleri, cum *Dante Aligerio* Poëta, inſectatus; Scripſit ad Ludovic. Bavarum Imperatorem *Defenſorem pacis*, in quo Papam ſub Imperatore eſſe ſolidè defendit, hinc excommunicatus, ſeculò 12.

MARSILIUS Theodorus, vide *Theodorus*.

MARSIPPUS, urbs Phœniciæ. *Steph.*

MARSNA, villa fuit Regia in finibus Tungrorum ad Moſam, vulgò *Merſen*, prope Trajectum, Regum Lotharii, Ludovici & Caroli fratrum conventu nobilis, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARSONICA, Pannoniæ inferioris urbs. *Ptol.*

MARSPITER, Martis pater, ſicut Dieſpiter, Diei pater. A. Gellius *l. 5. c. 12.*

MARSUPIUM, Græcè Μαρσύπιον, ex μάρη *manus*, & σιπύη, *arca*, olim pendulum à zona, recondendæ pecuniæ, geſtabatur, unde Mercurius, Deus lucri & Negotiatorum Præſes *cum ſacello pingebatur*, ut ait Cornutus in A. Perſium *Sat. 5. v. 112.* i. e. cum ſacco vel *marſupio*, in quo Veteres pecunias ſuas circumferebant. vide ſuprà *Lucrum*: Sueton. *in Vitellio c. 16. Simul dilabentibus cunctis, zonâ ſe aureorum plenâ circumdedit, confugitque in cellulam Janitoris* A. Gellius *l. 15. c. 12. Cùm Româ profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia, inanes retuli.* Unde liquet non Mercatores ſolùm hujuſmodi zonis, ſed & Magiſtratus, uſos eſſe. Juvenal. *Sat. 14. v. 296.*

Nocte cadet fractis trabibus fluctuque premetur
Obrutus, & Zonam lævâ, morſuque tenebit.

Ubi Scholiaſtes, *Zonam*, inquit, *quâ fert ſolidos.* Non minùs Græcam, quàm Romanam fuiſſe conſuetudinem, diſcimus ex *Antholog. Epigramm. 12. l. 7.*

Ἔμπορε καὶ φορτηγὲ, τὸ σὸν βαλλάντιον οἶδεν,
Καὶ πόθεν αἱ ζῶναι, καὶ πόθεν οἱ πίνακες;
Mercator & nauta, tua crumena novit,
Et unde hæ Zonæ, & unde hæ tabellæ?

At non circa lumbos, ut nunc fit, geſtabantur tum hæ zonæ, ſed è collo pendebant: ut patet ex Plauto, *Truculento ſc. ult.*

Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata defero.

Ibid *Actu 3. ſc. 1.*

———— Homo crùmenam ſibi de collo detrahit,
Minas viginti mihi dat, accipio lubens, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 2. c. 9.* Poſtea alicui ex ſervis loculi, crumena, *Marſupium*, geſtanda commiſſa ſunt. Q. Labeo apud A. Gellium *l. 20. c. 1. L. Veratius fuit, egregiè homo improbus, atque immani vecordiâ. Is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuæ palmâ verberare, eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans* &c. Hinc apud Plautum *Menæchmis, Actu 2. ſc. 1.* Soſicles Meſtenionem ſervum ſic alloquitur:

Ego iſtuc cavebo: cedo dum mihi huc Marſupium, &c.

Vide Laur. Pignorium *Comment. de Servis* & ſuprà in voce *Loculi*, it. *Marinum vellus.* De inveſtitura per *Marſupium*, ſuô locô; uti de *Marſupiis* moſchi infrà, voce *Moſchus*, it. *Signum* & de voce ad hominem tranſlata, voce *Phago*.

MARSUS, regnavit in Tuſcia ann. ante Romam conditam 318.

MARSUS, Syriæ præfectus ſub Claudio Cæſare. Vide *Domitius Marſus*.

MARSYA, urbs Phœniciæ. *Steph.* in anguſtiis Libani & Antilibani. *Ferrar.* ubi calamus aromaticus provenit.

MARSYABA, Rhamanitarum urbs Arabiæ Felicis videtur apud Strab. *l. 16.*

MARSYAS, fil. Periandri, Pellæus Hiſtoricus, nutritus unà cum Alexandro M. ſcripſit res Macedonicas libris 10. à primo Rege uſque ad Alexandrum. De rebus Atticis libb. 12. *Suid. Geſn.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 10.* &c. *Marſyas* Philippus item hiſtoricus. *Marſyas* Tabenus, qui ſcripſit de Tranquillitate libros 12. fabuloſorum libros 7. & quædam alia de patria ſua. *Marſyas* fratrem habuit Cibyram, & Tabas in Lydia condidit. Vide eoſdem.

MARSYAS, ſive *Marſya*, inſignis tibicen ex Celænis oppid. Phrygiæ: Ovid. Satyrum fuiſſe author eſt, qui tibiis à Minerva inventis, auſus ſit Apollinem provocare, à quo victus & excoriatus eſt, *Met. l. 6. Fab. 6.*

———— Satyri reminiſcitur alter,
Quem Tritoniacâ Latous arundine victum
Affecit pœnâ. Quid me mihi detrahis, inquit.
Ah piget: ah non eſt, clamabat, tibia tanti:
Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus:
Nec quicquam, niſi vulnus, erat, cruor undique manat;
Detectique patent nervi: trepidæque ſine ullâ
Pelle micant venæ. Salientia viſcera poſſis,
Et perlucentes numerare in pectore fibras.

Primus invenit duplici ſimul tibiâ canere, quas ut unô ore poſſet inflare manumque digitis omnibus expeditis earum foramina pecurrere pulſareque, quandam velut habenam è ſummo capite tibias ad os detinentem geſtabat, ut auctor eſt Tzetzes, ex illo Salmaſ. *Exercitat. Plin.* qualem in ſigno æneo apud *Gaffarellum*, Sigentiæ in Galliis Abbatem, vidit *Joh. Rodius* & exhibet Fortunius Licetus *in Hieroglyph. ſuis c. 119.* Sic cùm in ſua Arte peritiſſimus eſſet, ſummo in honore ac pretio, apud omnes erat divitiiſque plurimum affluens, illuſtris ac celebris habebatur: Donec inventâ per Apollinem lyrâ, ſuaviorem harmoniam edente, ipſe doctorum hominum judiciô ſuperatus, & tibiarum cantu in deſuetudinem abeunte (niſi quòd in ſacris & commeſſationibus inflari à mercenariis tibicinibus perrexerunt) nummis, qui antiquitus ſcortei & ex corio fiebant, privari cœpit: Unde is mœrore confectus, urbeſque fugiens in avia nemora ſe recepit, inque lachrymas profuſus, dolore tandem contabuit. E quibus facile colligere eſt, quare Poëtæ illum ab Apolline, Muſarum judiciô, victum in antro, ut Stat. *Theb. l. 4. v. 186.* habet, & ab eo decorticatum, pelle Celænis in Victoriæ ſignum affixâ, inque fluvium cognominem mutatum fuiſſe, commenti ſint. Floruit autem, ſecundùm *Suidam*, tempore Judicum Hebræorum, ac omnino Iaſonis & Argonautarum ævô, ut ait *Apollonius Rhodius*. Ejus ſtatuæ paſſim erectæ, in liberis inprimis civitatibus, leguntur: qua de re Servius *ad Æneid. l. 3. v. 20.*

Auſpicibus cœptorum operum;

Quod de Libero diximus, inquit, *hæc cauſa eſt: ut ſignum ſit liberæ civitatis. Nam apud Majores aut ſtipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ. Sed in liberis civitatibus ſimulachrum* Marſyæ *erat, qui in tutela Liberi patris eſt. Idem Lyæus aptè urbibus libertatis eſt Deus, unde etiam* Marſyas *miniſter ejus per civitates in Foro poſitus libertatis indicium eſt, qui erectâ manu teſtatur, nihil civitati deeſſe.* Speciatim Romæ: ubi quum antea Numa tibicines ſummo in pretio habuiſſet, poſterioribus temporibus, in Foro ſtatua *Marſyæ* honoris ergò poſita fuit, & ad eam tribunal, ut ait Lipſius *in Senec. l. 6. de Benef. c. 32.* quique Cauſidici victores in eloquentia ſuperabant adverſarios, illam coronabant, quaſi ab eo ſermonis numeros habuiſſent, omine bonô & victoriam. Hunc tamen morem, impudica Auguſti Julia turpiſſime fœdavit, cujus *luxuriâ coronatum Marſyam, literæ illius Dei gemunt*, verba ſunt Plinii *l. 21. c. 3.* Vide Gruterum atque Juretum *in locum Senecæ præfatum*, & plura de *Marſya*. apud Fort. Licetum *loc. ſuprà cit.* Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 1. c. 13.* & Salmaſ. *ad Solin. p. 826. & ſeqq. Marſyam religatum*, Romæ fuiſſe in Concordiæ delubro, Zeuxidis manu, ſcribit Plin. *l. 35. c. 10.* Vide quoque ſuprà in vocibus *Aulocrene*, *Calamus*, *Capiſtrum*, infrà *Silenus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARSYAS, fluv. Phrygiæ haud procul à Mæandro oriens, in quem apud Celænas, & Apameam urbem, quam circumfluit, excurrit, à *Marſya* ibi ab Apolline decoriato, dictus. Ovid. ubi ſuprà:

Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Claudian. *l.* 2. *in Eutropium:*

Icarium pelagus, Mycalæaque litora juncti
Marſya, Mæanderque petunt: ſed Marſya velox
Dum ſuus eſt, flexuque carens: jam flumine miſtus
Mollitur, Mæandre, tuo.——

Vide *Celænæ.* Et Bochart. *Phaleg. l.* 1. *c.* 3. *Nic. Lloydius.* Item fluv. Syriæ, in Euphratem apud Samoſata influens, & alius in Cœleſyria.

MARTA, & MARTANA *Civitas*, urbs Umbriæ exciſa, locus *S. Maria de Pantano*. Abbatia nunc, à Tuderto 5. mill. paſſ. diſtans, Narniam verſus.

MARTABANUM, vulgò *Martaban*, urbs in ora Sinus Gangetici, cum portu commodo, ſub Rege Peguano: Malè habita ante aliquot annos. Aliàs ſub Regibus propriis.

MARTAGO ſeu *Lirium*, Gallis *Martagon*, flos eſt pulcherrimus, futurus ſanè multô pulchrior, majorique in honore, ſi odore non deficeretur. Color ei modò miniatus, modò amethyſtinus. Cauliculô eſt erectô ſatis & firmô, at calycis petiolô molliori ac languidô. Itaque cùm ſuſtinendo non ſit oneri, ſuaviter ſuccumbit. Hinc floris caput ad terram molliter inflexum; hinc flori major gratia. Se totum ſiquidem evolvens, aperienſque extra ſe, ſingula folia totidem torquet in anellos, Turcicum diceres ex ſerico pileolum, è cujus meditullio, enata fila eminent præpilata, extantque in modum criſtæ plumatilis & in cincinnum figurantur. Franc. Pomey *in Deſcript. var. p.* 11.

MARTAVIGUS, Imperator Aſſyriæ, cui Alis maximus natu filius Bojæ, è priſcis Perſarum Regibus adeoque ab ipſo Dario Hyſtaſpis, originem arceſſentis, poſtquam collectâ prædonum manu multa ſtrenuè geſſiſſet, ſocium ſe junxit, ſed paulô pòſt, confirmatis viribus, ab eo deficiens, Perſiam, *Irakam*, *Kermonem*, aliaſque latè provincias occupavit, eaſque cum fratribus ſuis, Haſeno & Achmete, diviſit, confirmatus in novo regno à Calipha Muktafibilla circa A. C. 932. à quo tempore, per annos 127. Bojitæ Perſarum tenuêre Regnum, uſque ad Melecranum, ex hac familia ultimum, ſub quo Turcæ Perſiam invaſerunt. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 280. *&* 281.

MARTELLI Caſtrum, *Martel*, in pago Cadurcenſi, Henrici junioris Regis, vivô patre Henricô Anglorum Rege defuncti obitu nobile A. C. 1193. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARTELLUM, urbs Cadurcenſis provinc. prope Duranium fluv. in colle, in confinio Lemovicenſi, & in Vice-Comitatu Turenenſi, 6. leuc. à Sarlato in Ortum 6. à Tutela in Merid. vulgò *Martel.* Item, oppid. Lombardiæ Tranſpadanæ ad lævam Abduæ ripam.

MARTELLUS, cognomen Caroli, Majoris Domus Regni Franciæ celeberrimi, cujus fil. Pipinus Rex, genuit Carolum M. Imperatorem. Sic autem dictus eſt, ob eximiam in bellis ac præliis fortitudinem: eſt enim *Martellus Papiæ mediocris Malleus*; quô uti fabri ferrum, ita ille hoſtes in præliis enſe contudit. Egidius Pariſienſis MS. *Karolini l.* 1. *de illo:*

Et quia contuſor tantus, contuſus & ipſe
Deinde fuit qui cùm Chriſti contunderet hoſtes,
Eccleſiam tutudit, nunc carcere tunditur idem,
Pœnali merito à tundi ſeu tundere verbo,
Nota magis laïco ſermone vocabula ſumſit.
Dictus Tudites vulgari malleus ore,
Ille ſui ſimul & contuſi malleus orbis, &c.

Nempe eandem ob cauſam & *Tudes* ſeu *Tudites* dictus eſt, quòd *contundi* hoſtes à victoribus victi & ſuperari dicerentur, quod mallei ſeu tuditis proprium eſt. Quia porrò Caroli hujus memoria Saracenis inprimis, quos ille non ſemel fuderat contuderatque, formidabilis fuit, factum hinc, ut & Carolum præfatum, ejus ex filio nepotem, non alio, quàm Avi cognomine, *Martelli* videlicet donarent, ut auctor eſt Monachus S. Galli *de Rebus Caroli M. l.* 2. *c.* 22. Sed & Goffridum Comitem Andegavenſem, Henrici II. Regis Angliæ parentem, eâdem quâ Carolus de cauſa, *Martellum* appellatum eſſe, teſtatur *Hiſtoria* Comitum ſeu *Conſulum Andegavenſ.* & Albericus A. C. 1040. Carolum item I. Hungariæ Regem & Carolum IV. Imperatorem docet Joann. Abbas Laudun. *Speculo Hiſtor. MS. l.* 11. *c.* 2. & *l.* 12. *c.* 35. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Atque ex hac loquendi formula, *Martelli* nomen inditum eſt enſi, quô hoſtes conteruntur, apud Froiſſardum *Volum.* 4. *c.* 53. *&c.* Vide quoque ſuprà in voce *Malleus*; & plura de *Carolo Martello*, Pipini Regis patre, ut & de reliquis hôc cognomine inſignibus, in voce *Carolus.* A' voce *Martellus*, nomen accepit *Martellagium*, jus quoddam ſic appellatum, quod Cenomanenſi olim Comiti competebat, in Gallia, in univerſis mercibus, quæ vel ab Artificibus, vel ab ipſis Mercatoribus in officinis propriis, vel in nundinis venum exponebantur, ita ut ex quacunque mercium ſpecie, poſtquam Artifex vel Mercator *caput* unum ſelegiſſet, *Martellagii* redemtor ſeu firmarius, meliorem ſibi adſcribendi facultatem haberet. Nomen inde, quòd primitus id juris in mercibus duntaxat, quæ *martellô* ſeu malleô conficerentur, exigi ſoleret: ſed poſtea ad alias quaſvis traductum eſt, uti ex *Regeſto* Ludovici Siciliæ Regis docet Car. du Freſne *in Gloſſario.*

MARTENA, & MARCENA, Jornandes. Vide *Marchburgum.*

MARTEOBARBULUM, jaculum ſagittæ inſtar pennis inſtructum, cuſpide ferreô, anterius præacutô, retrò autem latiori plumbumque habente infuſum, ut ſic gravius eat in hoſtem & vehementius ſauciet: Proin aliis *Plumbata.* Vide Vegetium *l.* 1. *c.* 17. Stewech. *in eundem*, qui *Salibam*, nunc dici & *Tzicurim* ait, Modeſt. *de vocab. rei milit.* Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* & infrà in voce *Plumbata.*

MARTES, vide infrà *Mures Moſcovitici* & ſuprà *Cattus.*

MARTHA, ſoror Lazari illius, quem ſuſcitavit Chriſtus, Luc. *c.* 10. *v.* 38. Joh. *c.* 11. *v.* 20. poſt cujus mortem, cum ſorore Maria, fratre, aliiſque in nave parum fida mari expoſita, Maſſiliam tandem appuliſſe dicitur. Latin. *provocans*, vel *amaricans*, vel Syriacè *Domina*, ſive *doctrix.*

MARTHA Marchina, Neapolitana, à parentibus juvencula admodum Romam deducta, totam familiam ſaponibus conficiendis ſuſtentavit. Latinè, Græcè & Hebraicè docta, verſus compoſuit elegantes. Obiit A. C. 1646. ætat. 46. Jan. Nicius Erythr. *P. III. Pinac. c.* 64.

MARTHA d'Oraiſon, Baronis cujuſdam German. de familia Maſia & Caſtellana, qui in duello Aquis Sextiis occiſus eſt, uxor: Vicecomes Valernia, laudata Hilarioni Coſto, *tom.* 2. *p.* 703. *edit.* A. C. 1647.

S. MARTHA, Familia illuſtris & literatorum virorum promaconda. Ex ea enim Carolus, Jacobus, Scævola, Abel, alii, aut elogia ſcripſerunt eruditorum Gallorum, aut poëmata, aut hiſtorias, Genealogicam Galliæ, Galliam Chriſtianam, aliaque rariſſimâ eruditione referta, Morer. *Dict. Hiſt.*

S. MARTHA, Provincia Caſtellæ aureæ & urbs Epiſcopalis.

MARTHA, fluv. Hetruriæ, per Tuſcaniam urbem in mare Tyrrhenum apud urbem Cornvetum, labens; cum opppido cognomine ad lacum Volſinium, unde is egreditur, *Antonin.* An etiam Albegna & *Oſſa* veterum?

MARTHACE, uxor Herodis, memorata Hegeſippo *l.* 1. *c.* 42. *Antipas & Archelaus Mathehatis erant filii Samaritanæ.* Scriptus habet, *Matthates*, Gronov. legit *Malthaces*, vel *Marthaces* potius: utroque enim modô legitur apud *Joſephum.* Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 24.

MARTHAMA, Africæ propriæ oppid. *Appianus.*

MARTHESIA, ſive *Marpeſia*, & *Lampedo*, ſive *Lampeto*, Reginæ fuerunt Amazonum, regnante Theſeô Athenis, A. M. 2734. ante Chriſt. 1228. Hæ in duas partes exercitu diviſô, inclitæ jam opibus, viciſſim bella gerebant, & ne ſucceſſibus deeſſet authoritas, generatas ſe Marte prædicabant. Itaque majore parte Europæ ſubactâ, Aſiæ quoque nonnullas civitates occupavêre, ubi Epheſum multaſque alias urbes condidêre, donec incurſu Barbarorum Martheſia interfecta eſt.

MARTHULA, Ponti Cappadocici civitas, *Ptol.*

MARTIA, princeps Romanarum icta fulmine, quùm eſſet gravida, partu exanimatò, ipſa citra ullum aliud incommodum vixit, Plin. *l.* 2. *c.* 51.

MARTIA, Catonis minor filia, quæ cùm quæreretur ab ea, cur poſt amiſſum maritum denuo non nuberet, reſpondit, non ſe invenire virum, qui ſe magis vellet, quàm ſua. Oſtendens, divitias magis in uxoribus eligi ſolere, quàm pudicitiam.

MARTIA, Catonis Uticenſis uxor, quam poſteà cùm ex ea aliquot liberos ſuſtuliſſet, Hortenſio amico conceſſit: eôque mortuô, ſub initium bellorum civilium, domum reduxit. Quâ in re Cato malevolorum reprehenſione non caruit, qui vacuam & pauperem eam dimiſſam eſſe calumniabantur, ut poſteà Hortenſii teſtamentô locupletem reciperet. Plut. *in vita Caton.*

MARTIA, Commodi Imperatoris concubina, ab hoc pacem Chriſtianis impetravit: unde Eccleſiæ mire floruêre, Romæ etiam ipſis Magnatibus in cenſum Eccleſiæ venientibus, A. C. 180. Euſeb. *l.* 5. *c.* 19. conjurationis in Commodum ſocia. Vide Herodian. *in Commodo. l.* 1. *c.* 17.

MARTIA Proba, Britanniæ regina, Guitheſini Modeſtini Regis olim uxor. Salutares condidit leges, quæ *Martiana* à poſteris dicebantur. Claruit A. M. 3615. Vide *Marcia Proba.*

MARTIA, & *Martiana Colonia*, Vide *Marcia.*

MARTIA Aqua, urbis Romæ, Plin. *l.* 31. *c.* 3. clariſſima aquarum omnium totô orbe, frigoris, ſalubritatiſque laude de cæteris preclara. Ex lacu Fucino ab Anco Martio Rege Romam perducta. Tibull. *l.* 3. *Eleg.* 7.

Temperet annoſum Martia lympha merum.

MARTIALES Ludi, in honorem Martis Romæ olim peragebantur, 4. Idus Maj. in Circo de quibus ita Dio *l.* 56. *Hæ tum leges ab Auguſto latæ ſunt, ludique extraordinarii ab hiſtrionibus & equitibus acti, Martiſque ludi in Foro Auguſti, cum equorum decurſu quodam & venatione celebrati. Hi iterum facti ludi ſunt, & in Circo iis Germanicus ducentos leones occidit.* Celebrabantur etiam ludi Martis Kal. Auguſti, eôdem teſte *l.* 60. *Quæ equeſtria certamina Kal. Aug. exhibentur, inſtituta ſunt propterea, quòd eâ die Martis ædes conſecrata fuit.* Vide quoque Sueton. *in Claudio, c.* 4. Numa Pompilius primus eorum auctor judicatur Tertulliano *de Spectaculis c.* 5. Vide Joh. Roſin. *Antiq. Roman. l.* 5. *c.* 16. ut & ſuprà, voce *Mars.*

MARTIALIS, interfector Caracallæ, A. C. 219.

MARTIALIS, nomine *Cornelius*, tribunus militum, cum aliis tribus exutus tribunatu, patefactâ conſpiratione Piſonianâ: quaſi Principem non quidem odiſſent; ſed tamen exiſtimarentur, Tac. *l.* 15. *Annal. c.* 71. in expugnatione Capitolii occiſus, Idem *Hiſt. l.* 3. *c.* 73.

MARTIALIS, nomine *Julius*, tribunus cohortium Prætoriarum ſub Galbâ & Othone. Vide Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 28.

MARTIALIS Gargilius, Scriptor Alexandro Severo coævus, cujus mentio apud Æl. Lampridium in *Vita* hujus, *c.* 37. *Habuit quotidie milii ſine pipere ſextarios quatuor, cum pipere duo: & ne ſit longum omnia inſerere, quæ Gargilius* Martialis, *ejus temporibus Scriptor ſingulatim perſequutus eſt, omnia illi ad modum & rationem ſunt*

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

probus. Eundem inter ſecundæ notæ Hiſtoricos recenſet Vopiſcus, *in Probo c.* 2. An idem cum *Gargilio Martiali*, qui *de re Hortenſi* libros ediderat, quorum Servius in *Virg. l.* 3. *Georg. v.* 1. 8. & Palladius *l.* 13. *c.* 4. meminerunt? Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.*

MARTIALIS, Epiſcopus Lemovicenſis, ſub Decio Imperatore. Item, Procurator Pariſini Parlamenti. A. C. 1480. *de Arvernia* dictus. Scripſit hiſtoriam Caroli VII. verſibus, cui titulus: *Les Vigiles du Roy Charles VII.* Item 50. Senatus conſulta Amoris, quæ *Benedictus Curtius Symphorianus*, notis ingenioſiſſimis illuſtravit. *Lil. Girald.* Ducheſn. *Bibl. Hiſt. Gall.*

MARTIALIS, Collis, unus erat ex tribus collibus Montis Quirinalis: reliqui duo Salutaris ac Latiaris. Joann. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 6.

MARTIALIS Cornelius, à Tacito ob fortitudinem celebratus. *l.* 3. *Hiſt. c.* 70. *Martialis* Gargilius, vide *Gargilius.* Julium quoque *Martialem*, impenſè Poëta Martialis laudat paſſim. Vide vel *l.* 6. *Epigr.* 1. &c. Fuit quoque hôc nomine Eeritæ in Hiſpania Epiſcopus qui quòd Libellaticus eſſet, ſede ſuâ pulſus eſt. Cyprian. Baſili des Aſturius, *ep.* 52. 64. 68.

MARTIALIS Marcus Valerius, fil. Frontonis ex Flacilla, poëta lepidiſſimus, ex Bilbili Hiſpan. oppido in Celtiberis. Vide *l.* 5. *epigr.* 35. [illegible], ſimiliter Hiſpan. Tempore Claudii Imperator. ſub Nerone ann. natus 21. Romam venit, atque annos iſtic egit 35. Tito, ac imprimis Domitiano carus fuit, à quibus & donatus jure trium liberorum: Etiam Tribunus, & equeſtris dignitatis fuit. At non item in honore fuit mortuô Domitianô. Itaque ſub Trajano in patriam rediit: atque ibi conſcriptô librô Epigramm. 12. partim tædiô patriæ, quia non in honore eſſet, quantô fuerat Romæ, partim etiam quòd à civibus ſuis ſugillaretur, tædiô vitæ, ut veriſimile eſt, deceſſit. De morte ejus extat *ep.* 21. Plinii *ad Priſcum l.* 3. ubi honorificè admodum de illo ſentit. Ejus Epigrammatum libros 14. habemus, aliis ejus ſcriptis deperditis. Vide Spartian. *in Ælio Vero. c.* 5. Scaliger. *l.* 6. *Poët. c.* 6. *Lil. Girald. Domitium Calderin. Georg. Alexandr. P. Crinitum, Ramirum de Prado, Matth. Raderum, Marullum, &c.*

MARTIANA Lex, vide ſuprà *Lex.*

MARTIANA Palus, *Ptolem.* Vide *Mantiana.*

MARTIANA Sylva in Germania eſt, *Ammian. Schwartzwaldt*, vulgo *la Foreſt Noire*, ex quo *Nigram Sylvam* faciunt Latini juniores. *Peucerus* & *Althamerus* putant idem eſſe cum *Ptol.* Eremo Helvetiæ. Vide *Mantiana* & *Hercynia. Baudrando* in Suevia eſt verſus Abnobam montem, & fontes Danubii & Nicri, inter Ducatum Wirtenbergenſem ad Ortum & Briſigaviam ad Occaſum, in longum protenſa, à Meridie in Boream: nempe à Seckinga & Rhenofelda Urbe Ortnaviam uſque & Marchionatum Badenſem majorem. Plura apud B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov. Antiqq. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti, *p.* 412. & *ſeqq.*

MARTIANÆ, vicus Flandriæ, in territorio Duacenſi, ad Scarpam, in ipſo limite Hannoniæ, *Marchiennes.* Sub Gallis, ab A. C. 1667. 3. leuc à Duaco in Ortum.

MARTIANOPOLIS, urbs Myſiæ inferioris in confinio, in ora, 50. mill. paſſ. ab Anchialo, 18. ab Odeſſo, ad mare Euxinum *Antonin. Marcianopoli* vulgò. Bulgaris *Preſlaw*, i. e. civitas illuſtris, Turcis *Conſtantinopolis vetus.* Nunc quoque celebris. Meliùs verò ſcribitur *Marcianopolis*, uti ex *Zoſimo* docuimus ſuprà, in *Marcianopolis.*

MARTIANUM, vulgò *Mont de Marſan*, locus Galliæ, à quo Epiſcop. Aturenſem, aliquando *Martianenſem* dici, ſcribit *Othenartus.*

MARTIANUS, Roman. Imperator ſucceſſit Theodoſio Juniori, favente Arcadii filiâ Pulcheriâ, qui licet humili locô natus, & ſenex eſſet, tamen rebus geſtis, & arte militari clarus, per annos ferè 7. imperium Orientis tranquilliſſimè gubernavit. Dicere ſolitus erat, *Dum pax conſtare poſſit, non ſumenda arma.* Vide quoque *Marcianus*, quod melius.

MARTIANUS, fil. Anthemii Imperatoris Zenoni imperium erepturus fruſtra fuit. Item Dux exercitus Juſtini Junioris Imperatoris, quem cùm munere ſuô Imperator ſine ratione privâſſet, hôc auditô milites irritati Niſibis obſidionem deſeruerunt: Perſæque occaſionem iſtam arripientes, in Syriam elixii rapuerunt Syriam. Heracleam, Apameamque, hancque poſtremam funditùs deleverunt. Item Dux militum, qui Baliſtæ, Prætorio Præfecti ſub Valeriano, ope, ad Imperium evectus, poſtquam duos ſuos filios in conſortium dignitatis adſciviſſet, jamjam in Italiam tranſiturus, in Illyrico victus eſt. Vide Treb. Pollionem *de* 30. *Tyrannis. c.* 12. Item Epiſcopus Arelatenſis, qui ſeculò 3. Novatianorum ſectam in Gallias introduxit, pœnitentibus ex Eccleſia ejectis, & ſeparatione à fratribus, qui illos receperant, factâ. Unde Cypriano occaſio data, ſcribendi ad Stephanum Epiſcopum Romanum, quò naſcens iis locis hæreſis in herba ſuffocaretur. Oeconomus tandem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſeculô 5. pietatis elogió celebris.

MARTIANUS, vide *Icelus.*

MARTIANUS JCtus inter eos, qui in Conſilio fuêre Alexandri Severi, memoratur Lampridio, in hujus *Vita c.* 68.

MARTIANUS Capella, vide *Capella.*

MARTIANUS Ager, regiuncula Vaſcitaniæ, *païs de Marſan*, ubi oppid. præcipuum Mons Martiani. Pars eſt Condomenſis tractus, inter Vazatenſem provinc. ad Septentrionem, & Vaſconiam propriam ad Meridiem.

MARTIE, Hiſpan. locus inter Bracaram, & Aſturicam, *Antonin.*

MARTIGIA, Gall. *Martigues*, familia Galliæ illuſtris, quæ Lucenburgicæ ramus eſt. In hac enim Valeramus II. Dux Limburgicus per duos filios, Valeramum quidem, Limburgenſes propagavit: per Henricum verò Blondellum, Lucenburgium, matris Namurcenſis jure, Comitem, iſtam Lucenburgiam novam ſtirpem orſus eſt. Hujus cùm duo eſſent filii, Henricus II. nempe, pater Henrici VII. Imperatoris & Valeramus Dominus *de Liney*, hic iterum plurimarum linearum auctor fuit: quarum præcipua diviſio tum facta eſt, cùm Petrus Lucenburgius Comes *de Converſan, de Brienne* & *de S. Paul*, tres præcipue filios habuiſſet, Ludovicum, Theobaldum & Jacobum. E quibus ille Comes de S. Paulo & Conneſtabilis Franciæ, numeroſæ rurſus familiæ fuit Pater: Hic Dominorum *de Richebourg*, Vicecomitum *de Launoy* & *Comitum de Cathenſar* auctor fuit: Iſte, medius nempe, Dominus *de Fiennes*, præter reliquos Fiennenſes (quorum hæredes fuêre Egmondani) Vicecomites *de Martigue* dedit, in quibus ultimus Sebaſtianus Dux Pentheuriæ deceſſit A. C. 1569. relictâ filiâ Annâ, cujus Majores ſic habent. Guido *de Luxembourg* Comes *de Ligny* Dn. *Beauv.* defunctus A. C. 1371. ex Mathilde (filia Johannis Caſtillionæi Comitatus de S. Paulo hæredis) pater fuit Johannis Lucemburgii Comitis *de Ligny*, quô & Margarethâ Dn. *d'Enghien*, Comite *de Brienne* & *Converſan*, genitus Johannes Lucemburgius, Comes *de Ligny, Converſan*, & *S. Paul*, deceſſit A. C. 1435. Pater ex Margarita *de Balzo* ſeu *de Baux* (filia Franciſci Balzi Ducis Andiæ) Theobaldi Lucenburgii Dn. *de Fiennes Armentieres*: qui ex Philippina Melodunenſi ſeu *de Melun* Dn. *de Sotteghem* (filia Johannis Melodunenſis Vicecomitis Gandavenſis &c.) ſuſcepit Franciſcum I. Lucenburgium Vicecomitem *de Martigues* maritum Luiſæ Sabaudæ March. *de Bougés* (filiæ Jani de Sabaudia Comitis Genevæ, extincti A. C. 1491.) & ex ea patrem Franciſci II. Vicecomitis *de Martigue* & Gabrielis, Equitis Melitenſis: quorum ille junctâ ſibi Carolâ Britannicâ Comite *de Penthieure*, pater fuit Caroli & Sebaſtiani Ducis Pentheuriæ, qui lineæ ſuæ ultimus, nonniſi filiam reliquit Mariam, quæ familiæ Lucenburgo-Martigiæ bona domui Lotharingicæ intulit. Eam enim uxorem duxit Philippus Emanuel Mercurii Dux, extinctus A. C. 1602. (filius Nicolai Lotharingi, nepos Antonii Ducis) atque ex ea Mariam ſuſtulit, Cæſari Duci Vindocino, Henrici IV. Gall. Regis filio naturali nuptam, è quo conjugio Dux Mercurianus ac Bellifortius hodieque ſuperſtites, originem arceſſunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theat. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 33. *Part. II. in Indice, & Part. III. p.* 24.

MARTII Fratres, quorum reſponſa fatidica habebantur, memorantur Servio *in l.* 6. *Æn. Virg. v.* 72. qui poſtquam recitavit hiſtoriam de Sibyllinis libris, à Tarquinio emptis, addit: *Qui libri in templo Apollinis ſervabantur: nec ipſi tantùm, ſed Martiorum, & Bygois Nymphæ, quæ artem ſcripſerat fulgaritarum arborum, apud Tuſcos.* Imò in templo Jovis Capitolini, ubi ſervati ſunt uſque ad Capitolii conflagrationem, quæ Sullanis temporibus contigit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 78. Vide eundem *p.* 80. ubi *Sibyllam* nomen proprium mulieris fatidicæ ita fuiſſe, apud Græcos, ut viri *Melampodem*, & apud Romanos, *Martium*, docet ex Plinio *l.* 7. *c.* 33.

MARTILIACUM, caſtrum Galliæ, olim ſub proprio Vicecomite, vulgo *Marcillac*: inter Carantonum & fluviolum, qui in eum influit, nunc cum titulo Principatus. Non longè hinc *Maſtatium*, vulgò *Matas*, caſtrum eſt, Comitatus titulo gaudens. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MARTINA, Heraclii Imperatoris ex ſorore neptis, ab eo ducta, infauſtis auſpiciis, A. C. 629. Dejecta à Senatu cum Heracleone filio.

MARTINA, infamis venefica in Suria, Plancinæ Gn. Piſonis uxori percara, quam Gn. Sentius provinciæ illius præfectus in urbem miſit, Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 74. Quæ ne quæſtioni ſubjici poſſet, ſubitâ morte Brunduſii exſtincta eſt. Venenum verò nodô crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta. idem *l.* 3. *Annal. c.* 7.

MARTINALIA, in Eccleſia Romana dicitur Feſtum *S. Martini*, quod quibuſdam in regionibus, ſecundorum Bacchanalium ad inſtar, commeſſando peragitur: *anſere* caput epuli conſtituente. Vide Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

MARTINELLUS, nomen Libri, in *Necrologio* Eccleſiæ Pariſ. 6. Id. Jan. *Dedit etiam tres libros Paſſionales, & unum, qui dicitur Martinellus.*

MARTINI, Arabiæ deſertæ gens, *Ptolem.*

MARTINI Evaſii Inſul. *Iſla de Martin. Vaz*, maris Æthiopici verſus promontor. Bonæ Spei, à Luſitanis detecta & dicta. Tota montuoſa eſt, & abſque incolis.

S. MARTINI Avis, apud Petr. Bleſenſem *Ep.* 65. cornix eſt, ſic dicta, quòd circa Feſtum S. *Martini* hyemalis demum videri incipiat. Ex ejus volatu auguria olim captata, unde *Auguralis avis* quoque dicta eſt, de quibus agit Martianus Capella *l.* 1. Vide de Veterum per avium volatus divinationibus, Briſſonium *de Formul. p.* 134. & Cæſ. Bulengerum *de Auſpiciis l.* 3. *c.* 2. Sed & aviculam *Martin Pécheur.* vocant Galli, cui roſtrum longum, robuſtum & acutum, caput plumis cœruleis clariſque tectum, alæ cœruleæ itidem ſed albô ſparſæ, corpus album & ſubviride, pectus rubiginis colorem præferens. Hujus cadaver exſiccatum appenſumque prohibere à veſtibus tineas creditum, *Olina.*

S. MARTINI Quadrageſima, vide ſuprà *Adventus.*

MARTINIACUM, olim Octodurum, celebris Valleſiæ civitas fuit: quâ ſubverſâ, reſtitit nomen ſolum *Martinach*, ab arce in præcipiti petra ſita, cujus hodieque rudera cum turri conſpiciuntur. Caput fuit quondam Vallenſium & ſedes Epiſcopi, quæ, oppidô ob nimbi ruinam ferè ſubverſô, jam ab aliquot ſeculis Sedunum eſt tranſlata. Romanæ inſcriptiones vetuſtatem

loci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

loci teſtantur, vide Joh. Bapt. Plantin. *Helv.* Simler. *l.* 1. *de Valleſia. Stumpf.* & in voce *Veragri.*

MARTINIANUS, in exercitu Licinii virtute bellicâ ad magnos honores provectus, Cæſar Chalcedone ab Imperatore dictus eſt. Sed poſt cruentam victoriam, quam Conſtantinus prope hanc urbem conſecutus eſt, victori militi deditus, ab illis in fruſta eſt diſcerptus, A. C. 325. in Cappadocia. Vide *Licinius.*

MARTINICA, ſic ab Hiſpanis vocata, antiquis accolis *Madanina*, una ex Antillarum præcipuis. Sub Gallis, ab A. C. 1635. qui in ea multas habent colonias, arceſque, ſæpeque Caraibas repulerunt. Valdè fertilis & culta, circuitûs 45. leuc. Rochefort. *Hiſt. Antill.*

De MARTINIS Octavianus, vide *ibi.*

MARTINIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

MARTINOPOLIS, urbs Germaniæ in Miſnia, *Mersburg Ottoni Friſingenſi.* Dicitur & *Merſoburgum*, ad Salam fluv. 3. à Lipſia leucis, Hallam verſus.

MARTINOPOLIS, vide *Turones*, & *Cæſarodonum.* A S. Martino, à cujus defuncti die, obiit 11. nempe Novembr. A. C. 402. ſeriem annorum numerârunt.

MARTINOZUM, nomen Carrocii Florentinorum, vide *Carrocium.*

MARTINUS, Arragoniæ Rex, fil. Petri IV. Ceremonioſi. Johanne I. fratre, equi lapſu in venatione, mortuô, regnum invaſit, præteritis ejus filiabus, Johannâ uxore Comitis Foxii, & Jolandâ, uxore Ludovici II. Neapolitani Regis & Comitis Provinciæ. Pater filii cognominis qui ductâ Mariâ, filiâ Friderici III. Simplicis, Siciliæ Regis ſine prole defunctus eſt. Obiit A. C. 1410. ultimus ex familia Comitum Barcinonenſium. Surita *in Ind. l.* 3. Mariana *l.* 19.

MARTINUS I. Tudertô oriundus, poſt Theodorum, Papa A. C. 6;9. Synodô Romæ convocatâ Monothelitarum hæreſin damnavit, Thcodorumque Pharaces, & Cyrum Alexandriæ Epiſcopum cum aliis, hæreticos declaravit: rejectô quoque Heraclii edictô, *Ecthesi* & Conſtantis *Typô*, quem Paulus Conſtantinopolitanus templorum valvis, tanquam Fidei formulam, affigi curavit. Hinc perſecutio in Orthodoxos Orientis mota, & Papa in Pontum deportatus, ibi obiit. A. C. 654. Auctor diverſarum epiſtolarum, quarum 18. habentur in editione Conciliorum Binii. Anaſt. *in vita Pont.* Succeſſit Eugenius I.

MARTINUS II. ſeu *IV.* ſi Martinus I. & II. inter *Martinos* referantur, Gallus, ſucceſſit Nicolao III. A. C. 1281. poſtquam 6. menſes ſedes vacâſſet. Germanis infenſiſſimus, Carolo Siculo honores ademptos reſtituit, Petrum Arragonium, ob Veſperas Siculas, & Michaëlem Palæologum Imperat. ejus fœderatum, excommunicavit: regnô Carolo Valeſio donatô, Concubinam anteceſſoris ad ſe recepit, quæ, quia infantulum hirſutum, inſtar urſi illi peperiſſet, omnia Urſinorum inſignia in palatio ſuo eradi curavit. Jo. Noviod. *in illuſtr. Bedæ.* Germaniam per ſummam avaritiam expilavit: ut & ſucceſſor ejus Honorius V. donec Synodus Herbipolim convocaretur, ubi Legatus Pontificis de vita periclitatus eſt, Probuſque Tullenſis Epiſcopus oratione acriter in Papas invectus, illos *Romuleos vultures, genus Archiſynagogæ peſſimum, &c.* vocitavit. Aventinus *l.* 7. *Annal. Boj.* Bulling. *l.* ·. *de Concil.* Obiit A. C. 1285. turbis in urbe pacatis. Succeſſit Honorius IV.

MARTINUS III. ſeu *V.* Romanus, prius *Otto Columna* dictus, à Concilio Conſtantienſi Papa electus eſt, poſt ſchiſma an. 40. A. C. 1417. Nec tamen Reformationem Sigiſmundus Imperator obtinere potuit, licet per Petrum de Alliaco Cardinalem vehementer inſtaret: inter alia urgens, *quia plus mali quàm boni ex Calixti decreto ſecutum ſit, meliùs & Animæ tutius eſſe, ut, juxta ritum Eccleſiæ Orientalis, Clericis licentia concedatur contrahendi honeſta matrimonia.* Martin. Chemnitius *in examine Concil. Trident. parte 3. de Cœlib.* Bulling. *l. 2. de Concil.* Johannem XXIV. Decanum Collegii Cardinalitii fecit, Ludovic. Andegavenſem Neapolitan. Regem creavit, hinc ab Alphonſo Arragonio, Benedicti Antipapæ defenſore, infeſtatus. Papiæ poſt Concilium indictum, quia nemo aderat, Senas tranſtulit, ubi concluſum, ut oſſa Wiclefi, jam 40. ann. ſepulta, exhumata cremarentur. Tum Baſileæ Concilium, pro Reformatione ſtatus Eccleſiaſtici habitum, in quo præſente Sigiſmundô, præſidente autem Julianô Cardinale liberiùs, quàm unquam aliàs, in authoritatem Pontificis inquiſitum, conſtitutumque *Concilium ſupra Papam eſſe.* Obiit apoplecticus, A. C. 1431. ætat. 63. poſtquam pace cum Clemente VIII. Antipapa poſt Benedicti mortem factâ miſſis ad Græcos, & Huſſitas literis fruſtra fuiſſet. *Platina, Onuphr. Ciaccon.* Ducheſn. *in vitis Pontif.* Ei ſucceſſit Eugenius IV.

D. MARTINUS, ex Pannonia ortus, poſt D. Gratianum Turonenſem Archiepiſcopatum adeptus, ſeculò 4. multa diſjecit Paganorum Idola, altariaque effregit. In Epiſcopatu vixit ann. 26. menſ. 4. dies 7. Ejus vitam doctiſſimis libris editis perſcripſit Sulpitius Severus. Tanti habitus fuit à Gallis olim, ut galeam ejus, quâ olim miles in bello uſus erat, militiæ tempore, locô vexilli, geſtarent, annoſque ab obitu ejus ſuos numerarent. Obiit autem A. C. 400. Vide etiam *Gregor. Turonenſ. Paulin.* Martini diſcipulum, *Fortunatum.* Morer. *Dict. Hiſt.*

MARTINUS Bracharæ, in Hiſpania Epiſcopus poſtquam in Oriente Suevos Arianos convertiſſet. Obiit A. C. 580. Pantardô ſucceſſore. Iſidorus Hiſpalenſis, ſcribit ſe vidiſſe librum ejus, de differentia quatuor Virtutum Cardinalium, ut & volumen Epiſtolarum: Quorum prior Ariamiro Regi dedicatus, & Baſileæ impreſſus eſt, operâ Gilberti Nazereni, &c. Vide Sigebert. *in cat. c.* 19. *&* 117. Iſidor. *c.* 22. *de Vir Illuſtr.* Honorat. Auguſtodunenſem *l.* 3. *c.* 26. *de lumin. Eccl. Trithem. Garſiam Loaiſam, Ambroſ. Moralem, Arnolphum Wionem, Poſſevinum*, &c.

MARTINUS Akakia, Catalaunus, Briſſoti diſcipulus A. C. 1541. Scripſit varia, Juſtus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

MARTINUS Alnevickus, Anglus, Franciſcanus, ſcripſit libros 4. Comment. in Magiſtrum Sententiar. de Diſputationib. & Chronicon. *Pitſeus.*

MARTINUS Antonius Delrio, Hiſpanus origine, Antverpiæ natus, Jeſuita, libris editis nomen adeptus. Valer. Andreas *Bibl. Belg.* Alegamb. *de Script. Societ. Jeſu* Vide infra.

MARTINUS Antonius Delrio, Belga, Antverpienſis, Cleydaliæ & Artzelaræ toparcha natus. Hiſpanâ origine Jeſuita. Ejus extant *Adagialia ſacra Vet. & Nov. Teſtam. de difficilioribus S. Scripturæ locis* tomi 3. *In Geneſin, in Cant. Cantic. in Jeremiam Comm. &c.* Poëta, Orator, Hiſtoricus, Juriſconſultus, Theologus inſignis, *Sandao*; Obiit A. C. 1608. ætat. 57.

MARTINUS Azpilcueta, vulgò *Navarrus*, à patria, JCtus ſui temporis celeberrimus: Scripta in Utroque Jure egregia edidit. Docuit Salamancæ & Conimbricæ, ubi velut Oraculum Juris habitus eſt, quod Cadurci & Toloſæ, in Gallia, prius addidicerat, Bartholomæum Caranzam, Dominicanum, Archiepiſcopum Toletanum, inquiſitioni ſubjectum, jam octogenarius, profectione Romam adornatâ, tuitus, magno ibi in pretio fuit. Parciſſimi cibi, vix oſſibus hæſit: mulâ uſus eſt, quæ quoties mendicus occurrebat, gradum ſiſtere docta fuit. Opera ejus Voluminibus 6. in fol. Lugduni, A. C. 1597. & Venetiis A. C. 1602. impreſſa habentur. Obiit Romæ, A. C. 1586. ætat. 94. Jul. Roſcius Horſtio. Simon Ramloteus, &c. *in ejus vita.* Tomaſin. *in elog. ill. Vir.* Janus Nicius Erythr. *T.* 1. *Pinac. c.* 1. *&c.*

MARTINUS Becanus, oriundus ex Hilvarenbeca, Campaniæ Brabanticæ municipio, unde illi nomen: Jeſuita, Confeſſionarius Ferdinandi II. plurima ſcripſit, quæ 2. Vol. in fol. prodière Moguntiæ, A. C. 1631. Obiit Viennæ. A. C. 1624. ætat. 63. *Magnô ingeniô & ad omnem literaturam natô. Swert.*

MARTINUS, Bellajus, vide *ibi.*

MARTINUS Bernardus, Biermannus, Blohwitus, & Bocidanus, Medici; Vander Linden, *de Script. Med. p.* 464.

MARTINUS Bonacina, Eccleſiaſticus Mediolanenſis, ſcriptis inclytus. Ab Urbano VIII. in Germaniam miſſus, æſtu admodum fervente, ut tenerrimus erat, obiit Viennæ A. C. 1631. Scripſit Theologiam Moralem, de electione Paparum, de Beneficiis. Vide Jan. Nic. Erythræum, *P. III. Pinac. c.* 3.

MARTINUS Borchenius, Tungrenſis, Poëta, Scripſit Epigrammata, & Chronographica de Memorabilibus ſui temporis, Valer. Andreas *in Biblioth. Belgic.*

MARTINUS Borrhaus, vide *Borrhaus.*

MARTINUS Bracharenſis, celebris Collector *Canonum*, vide ſuprà in voce *Bracharenſis.*

MARTINUS Breſſerus, Jeſuita: Scripſit de Conſcientia, &c.

MARTINUS Brunus, Abbas in Hannonia, &c.

MARTINUS Bucerus, Seleſtadii natus, A. C. 1491. ingeniô & eruditione inclytus, Ordinem Dominicanorum, in quo vixerat ann. 15. Euangelii doctrinam amplexus, reliquit A. C. 1521. quâ de re librum edidit, A. C. 1525. Luthero, dialogô Arbogaſtô publicatô, reſpondit. A. C. 1528. Formulæ Concordiæ cum Luthero, de S. Cœna à Philippo Melanchthone conſcriptæ, nomen dedit. A. C. 1536. in enarratione 4. Euangeliſtarum, ſeſe poſtmodum clariùs explicans. Cum P. Malvenda, Colloquium Ratisbonæ habuit, A. C. 1546. quod abruptum eſt Martiô menſe. Cum Petro Martyre Pauloque Fagiô, Argentoratô, ubi docuerat, ab Eduardo VI. invitatus, in Angliam pervenit, A. C. 1549. ut ibi doctrinæ ſuæ ſementem faceret, Cantabrigiæ Profeſſor: Obiit A. C. 1551. ætat. 61. Ejus oſſa, Mariâ ſæviente, effoſſa & cremata, A. C. 1555. unà cum Fagii oſſibus, ſed ambo, ſub Elizabetha, A. C. 1560. publicis laudibus ornati, honoribuſque ſuis reſtituti ſunt. Hebrææ Linguæ apprimè peritus fuit. Vide *Bucerus.*

MARTINUS Chemnitius, inſignis inter Lutheranos Theologus. Vide Thuan. *hiſt. l.* 84. & ſuprà in *Chemnitius.*

MARTINUS Clivius, Anglus, Benedictinus. Scripſit homilias. Pitſeus, *de Script. Angl.*

MARTINUS Copus, Chmielecius, & Cunea, Medici inſignes, laudati *Vander Linden.* Horum medius, gente Polonus, Baſileæ docuit.

MARTINUS Cromerus, Polonus, Sigiſmundo II. à ſecretis, Varmienſis Epiſcopus poſt Hoſium Cardinalem ſcripſit hiſtoriam Polonicam libris 30. Item, de ſitu, moribus, populis, &c. Poloniæ. Obiit A. C. 1589. Ejus Scripta reliqua enumerat *in Elogiis Part.* 2. Anton. Teiſſier. ubi & alterius cognominis meminit, qui ſcripſit de falſa Lutheranorum & vera Religione Chriſti Sermones Synodicos tres, Colloquia de Religione, ut & nonnulla Germanicô idiomate, ex *Bibliotheca* Simleri.

MARTINUS Cruſius, Profeſſor Tubingenſis, Græcè doctiſſimus. Hiſtorica & Philologica varia ſcripſit, Geſn. *in Biblioth.*

MARTINUS Delrio, Diſquiſitiones Magicas edidit. Vide ſuprà.

MARTINUS Dorpius, Hollandus, literas humaniores & Theologiam Lovanii docuit, Auctor plurium ſcriptorum. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.* Barland. *in Chron. Duc. Brab. Geſner.* Obiit A. C. 1525.

MARTINUS Duncanus, Kempenſis, è diœceſi Colonienſi præteritô ſeculô inter ſuos magni nominis. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MARTINUS Everardus, Medicus & Mathematicus, auctor Ephemeridum.

MARTINUS Francus, Atrebas, Felici Papæ & Nicolao. V. à Secretis; Auctor libri fabuloſi, *Roſa, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARTINUS Fumæus, nobilis Pariſinus; hiſtoricos Indicarum rerum in unum collegit, &c. Vide Morer. *Diction. Hiſt.*

MARTINUS Garcias, Magnæ Melitæ Magiſter, Hiſpanus, Obiit A. C. 1601. Prudentiæ & moderationis laude clarus.

MARTINUS Garratus, Calaber, JCtus ſcriptis inclytus. Forſter. *Hiſt. JurisC. l. 3. c. 35.*

MARINUS Gonſalvus, vel Gondiſalvus, Hiſpanus fratrem S. Michaelis ſe jactavit, A. C. 1379. addiditque, ſibi à Deo ſedem, è qua Lucifer excidit, reſervari, ſe primam eſſe veritatem, ſcalam Cœli, & Antichriſti everſorem: Exuſtus, juſſu Archiepiſcopi Toletani.

MARTINUS Gregorius Turonenſis Medicinam Lutetiæ docuit, A. C. 1542. Galeni quædam vertit. Juſtus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Scr. Med.* &c.

MARTINUS Groſia, JCtus celebris ſub Friderico I. Imperatore una cum Bulgaro, Legum Profeſſor in Academia Bononienſi: qui quòd ſuæ ſententiæ pertinaciter nimis adhæreret, factum eſt, ut in vulgare proverbium durities ejus apud Jureconſultos in hanc uſque diem tranſierit; qui *Martinum* appellant omnem eum, qui ſuam acriùs quàm par eſt & obſtinatiùs opinionem tuetur. Vide Baronium *A. C.* 1158. & plura de eo, apud Ott. Morenam *Hiſtor. Rerum Laudenſ.*

MARTINUS Hamconius, Friſius, ſcripſit *de viris rebuſque Friſiæ illuſtribus, Theatrum Regum, Principum, &c.* obiit A. C. 1621. ætat. 70.

MARTIN Hellingus Henricus *&* Heſſus, Medici. Vide *Vander Linden.*

MARTINUS Helvigus, Mathematicus inſignis, Obiit A. C. 1574. ætat. 58. Voſſ. *de ſcient. Math. c.* 70. §. 21.

MARTINUS Hortenſius, Delphis Hollandiæ oriundus, Mathematicus doctiſſimus. Obiit A. C. 1640.

MARTINUS Laudunenſis, Carthuſianus, Scripſit *Parænetica*, quæ Petrejus edidit, A. C. 1607.

MARTINUS Lipſius, Bruxellenſis, Canonicus regul. S. Auguſtin. Lovanii, magni Juſti patruus, Editionibus Auguſtini, Hilarii, Symmachi, Macrobii, &c. egregiá operâ navatâ, Obiit A. C. 1555.

MARTINUS Lutherus, vide *Lutherus.*

MARTINUS Marrerius, Benedictinus. Scripſit *Bibliothecam Cluniacenſem, &c.*

MARTINUS Matthæus, vide *Matthæus.*

MARTINUS Panſa, Medicus inſignis. Vide Vander Linden, *de Script. Med.*

MARTINUS Petrimannus, Lovanienſis, &c.

MARTIN. Pilus Hollandus, Vide Valer. Andream, *in Biblioth. Belg. p.* 653.

MARTINUS Polichius, Medicinæ Lipſiæ & Wittembergæ, Profeſſor, Juſtus *Chron. Med.*

MARTINUS Polonus, quem cum Martino Carſulano, qui Pontificum hiſtoriam ſcripſit, Volaterranus confundit: Dominicanus, Pœnitentiarius Johannis XXIII. & Nicolai III. ab hoc Archiepiſcopus Gneſnenſis creatus eſt: Sed cùm illuc profectionem adornaret, obiit Bononiæ, A. C. 1279. Condidit Chronicon, uſque ad Johan. XXIII. cui auctarium acceſſit, uſque ad A. C. 1320. Leander Alberti, & Anton. Senenſis, *de Viris Ill. Ord. Dominic.* Simon Staravolſcius, *de Script. Polon.* Geſnerus *in Bibl. &c.*

MARTINUS Rithovius Balduinus, è Brabantia, primus Epiſcop. Iprenſis. Turbatis Belgii rebus, Gandavum ſe recipere coactus, ibi in carcerem conjectus eſt. Inde liber, in Diœceſin ſuam excurrit, renaſcenti puriori doctrinæ ſufflamen poſiturus, ſed peſte abreptus, obiit, A. C. 1583. Audomaropoli. Scripſit Commentarios in Magiſtrum Sententiarum, qui adhuc inediti. Item, Manuale Paſtorum, impreſſum Lutetiæ, A. C. 1576. Morerius *Diction. Hiſt.*

MARTINUS Rulandus, Friſingenſis, Medicus inſignis, Græcè doctiſſimus. Plurima ſcripſit.

MARTINUS Segujerus Medicinæ Doctor, Pariſiis.

MARTINUS Siliceus, doctrinâ inclytus. Paulus Jov. *in elog.*

MARTINUS Smetius, Flander. *Inſcriptionum antiquarum* auctor. Ruremondæ à militibus ſuſpendiô necatus. J. Lipſius *Cent. 2. ep. miſc. ep.* 24. Valer. Andreas, *in Biblioth. Belg.*

MARTINUS Sœrtius, Schoockius & Steinpeiſius, Medici. Vander Linden, *de Script. Med.*

MARTINUS Turnhutanus, dictus Vander Keele, Franciſcanus, Profeſſor Lovanii, A. C. 1540. obiit, plurimis ſcriptis clarus.

MARTINUS Weindrichius, Uratiſlavienſis, Medicus, ſcripſit *de Monſtris, &c.* Vander Linden, *de Scr Med.* &c.

S. MARTINUS, nomen exigui Principatus in Patrimonio D. Petri. Item Comitatus Imper. in agro Mantuano. Item, in Mutinenſi, Comitatus. Item, arx Tuſciæ. Item, una ex Antillis, ſub Hollandis & Gallis.

MARTINUSIUS Georgius, vide *Georgius.*

MARTION, Smyrnæus de ſimplicibus effectibus ſcripſit, Plin. *l.* 28. *c.* 4.

MARTIS Caſtra, *Sozomeno, Ammiano, Marothæ Laxio*, oppid. Hungariæ, apud Saum fluv. haud procul à Sirmio.

MARTIS Dies, vide *Heſſus.*

MARTIUS, prænomine *Publius*, Mathematicæ vanitatis, imperante Tiberiô, convictus; in quem Conſules extra portam Eſquilinam, cùm claſſicum canere juſſiſſent, more priſcô advertêre.

MARTIUS Ancus. Vide *Ancus.*

MARTIUS Cenſorinus, vide *Lucius.*

MARTIUS Coriolanus, vide *Cajus.*

MARTIUS Feſtus, Eques Romanus, particeps Piſoni conjurationis in Neronem. Tacit *l.* 15. *Annal. c.* 50.

MARTIUS Figulus, vide *Cajus.*

MARTIUS Macer, gladiatorum in exercitu Othonis, Dux. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 23.

MARTIUS Philippus, vide *Lucius*, item *Quintus.*

MARTIUS Rutilius, vide *Cajus.*

MARTIUS Telo, Tolonium condidit. Vide *Tolonium.*

MARTIUS Varia, Vide *Quintus.* De *Martio* verò *Campo* vide ſuprà *Campus Martius.*

MARTIUS Menſis, primus ex decem, quos Romulus conſtituit, unde initium anni Romanis: à Marte dictus. De diebus ejus feſtis vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l. 4. c. 7.* & paulo infrà Hunc etiam ante Romam conditam Italiæ populos habuiſſe, ſed quoſdam tertiô, quoſdam quartô, alios quintô, nonnullos ſextô aut decimô locô collocâſſe, memorat Ovid. *Faſtor. l.* 3. Apud Romanos verò primum ipſi locum aſſignatum, etiam Macrobius *l. 1. Saturn. c.* 12. ac Solinus *c.* 3. teſtantur, docentes: Quòd Annæ Perennæ tum ſacrificatum, ut annare perennareque liceret; quòd hôc menſe mercedem exſolverint Magiſtris: quòd Comitia auſpicati fuerint; vectigalia locárint; quod Matronæ ſervis cœnas appoſuerint, quemadmodum Domini Saturnalibus &c. Adde quòd Veſtales tum ignem ſacrum de novo accenderint. Fuit autem in Minervæ tutela, & ex Romuli, Numæ ac Julii Cæſaris conſtitutione, habet dies 31. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 7.* Nuptiis non minus ac Majus, infauſtus habitus, vide infrà ubi de *Nuptiali tempore.* Ei apud Græcos reſpondet ἐλαφηβολιών, in cujus die 20. Dionyſia τὰ κατ᾽ ἄστυ, celebrabantur: apud Hebræos partim *Adar*, partim *Abib*, & *Niſan*, Fr. Roſſæus *Archæol. Att. l. 2. c.* 10. & Thom. Godwin. *de Rit. Hebr. l. 3. c.* 1. Quorum nominum illud, nempe *Abib*, ſpicam adhuc recentem ſonat, unde Arabibus *Menſis grandeſcentis ſegetis*; Græcis Interpretib. ὁ Μὴν τῶν νέων, ſupple καρπῶν, aut χίδρων, aut γεννημάτων, *menſis novarum frugum*, dictus eſt. Hoc, *Niſan* ſcil. à bellicis ſignis ſeu vexillis, quæ illô menſe educuntur primùm, originem trahit. ניסין *niſin*, enim militaria ſigna ſunt. Quam ob cauſam verni menſes priores duo Bithynis appellati ſunt Στρατεῖος & Ἄρειος, ut Romanis, *Martius*, à *Marte*. de quo vetus Poëta.

> Ἄρχει Ἄρης ἀπ᾽ ἐμοῖο, καὶ ἄνθεα καὶ γλάγος ἤδη,
> *Marti principium, lacque & floribus à me eſt.*

Sic alius de Ægyptio menſe *Phamenoth*, qui Martio ferè reſpondet.

> Ἄρεος ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς.
> *Militibus Phamenoth Mavortia tela miniſtrat.*

Vide Sam. Bochartum *Hieroz. Part. prior. l. 2. c.* 50. In *Chartis* quibuſdam medii ævi, apud Car. du Freſne *in Gloſſario*, *Martium ſuum habere* dicuntur, quibus agrum colere vel ſerere menſe Martiô licebat: id quod concedebatur Urbium incolis, quibus cæteroquin & aliis anni temporibus, in Urbe *ſtare*, neceſſe erat; quæ obligatio *reſſeandiſia* & *ſtagium* appellabatur, &c.

DIES HOC MENSE, APUD ROMANOS OLIM, FESTI.

Kal. *Martiæ* præprimis celebres fuêre. Iis enim ignis novus in Veſtæ aris accenſus; Laureæ veteres, tam in regia, curiiſque, atque in Flaminum domibus, quàm in faſcibus Conſularibus, novis mutatæ; Matronalia celebrata; Saliorum feſtum inchoatum ac ancylia circumlata, *Mamuriuſque* cantatus eſt.

6. die ſeu prid. Non. ſacrum Veſtæ erat. Eôdem C. Octavius Auguſtus Imperat. Pontificatum maximum iniit.

7. die ſeu Nonis *Martii*, Væjovis templum ad duos lucos Aſyli conſecratum eſt.

14. die ſeu prid. Idus, Equiria altera erant, quæ in campo Martio celebrabantur, niſi Tiberis exundâſſet: tum enim in montem Cœlium fuiſſe tranſlata, docet Ovid. *l. 2. Faſtor extr.*

15. die ſeu Idibus *Martii*, Annæ Perennæ feſtum erat; in quo largioribus poculis indulgebant, & pro cyathorum numero annos mutuô precabantur: Eôdem, jocoſa quædam & obſcæna carmina puellæ cantabant: Idem quoque dies *Parricidium* appellatus eſt, quô Jul. Cæſar, à conjuratis, eſt occiſus. P. verô Cornelius Dolabella Conſul, quòd hôc die Cæſare occiſô libertas Reip. reddita eſſet, eum celebrari juſſit, teſte Appianô *de bell. civ. l.* 12.

die 17. *Martii*, ſeu 16. Kal. April. Liberalia erant, in Liberi Patris honorem inſtituta, Græcis Διονύσια: quibus per totum oppidum ſedebant Sacerdotes Liberi, hederâ coronatæ anus cum libris & foculo pro emtore ſacrificantes. Idem dies *Agonia* appellatus eſt, teſte Varone: & liberam togam adoleſcentibus pueritiam egreſſis circumdedit. Eôdem: ut & precedenti, iri ſolebat ad Argeos.

19. die *Martii* ſeu 14. Kal. Apr. Quinquatria incipiebant & quinque dies continuabantur: quorum ultimô, qui erat menſis 23. Tubiluſtrium erat, quòd eô die in atrio Sutorio ſacrorum tubæ luſtrarentur

dies 24. in Kal. ſic notatus eſt: C. Q. REX C. F. hoc eſt, *Quando Rex Comitiavit, fas.* Hôc enim ſolô die Regi ſacrorum in Comitium ire licuit, ſacrificii cauſâ, quô properanter patratô, protinus fugâ ſe è Comitio eripiebat: Et tum lege agi fas erat.

die 25. *Martii* ſeu 8. Kal. April. Hilaria erant, in honorem Matris Deûm, ut ex Macrobio *Saturn. l. 1. c.* 21. & Lampridio in *Alex. Sev. c.* 37. conſtat. Celebrabantur maximâ populi lætitiâ & nobiliſſimâ pompâ, quovis è populo inſignia cujuſque dignitatis liberè mentiente.

die ultimô, Lunæ ſacra fiebant, in monte Aventino, tauruſque mactabatur. Mater quoque Deûm, magnâ pompâ, à Gallis ad Almonem fluvium, qui non procul ab urbe Tiberi miſcetur; producebatur, ibique ad confluentem duorum horum amnium veteri inſtitutô abluebatur: cujus lavationis meminerunt Lucan. *l.* 1, Ovid. *Faſtor. l.* 4. *Papinius, Silius Italicus, Martialis.* Alii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARTORANUM, urbecula Calabriæ citerioris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Conſentino. Vix.8. milliar. ab ora maris Tyrrheni in Ortum. Olim *Mamertium.* Ad Sabatum amnem, in limite Calabriæ ulterioris. 14. milliar. à Conſentia. Habitata à paucis, deficit in dies. Vulgò *Martorano.*

MARTORELIUM, vulgò MARTORES, oppid. Cataloniæ, ad Rubricatum fluv. ubi recipit Notam. 7. leuc. Hiſpan. à Barcinone, in Circium, 5. à Manreſa in Meridiem.

MARTPURGUM, vel MARBURGUM, quaſi *Martisburgum*, urbs & Academia Haſſiæ clariſſima. *Amiſia F. Irenico* dicitur. Vulgò *Martpurg.* Vide *Marpurgum* & *Mattiacum.*

MARTULANA, urbs Umbriæ, olim Epiſcopalis, vide *Marta.*

MARTURES, & MARTES, Martiali *Cattæ Pannonicæ*, *l.* 13. *Epigr.* 69. feræ ſunt exiguæ ex genere muſtelarum, quarum pellis ad veſtitum commendabatur. Hinc *Mardurinarum præſtatio*, tributi apud Hungaros, in Regno Sclavoniæ, genus, cujus mentio in *Decretis* Alberti Hungariæ Regis *p.* 62. Vide Car. du Freſne *in Gloſſario.* Suprà in *Banſalmora* & *Catta*, deque *Marturibus albis*, in Normannia Septentrionali, Adamum Bremenſem eidem laudatum *c.* 239.

MARTYPIÆ Fœminæ, apud J. C. Scaligerum *l.* 1. *c.* 18. ubi de Saltatione: *Ridiculæ autem Mimis & Satyris peculiares, quarum nomina Igdis & Mactriſmus. In hac cum alveolo prodibant & libis ac polentis -- Duæ autem habebantur, vetus & nova. Veterem ἀπόκινον vocabant -- Hanc multæ fœminæ exercuerunt, quas* Martypias *cognominârunt.*

MARTYR, Græcè Μάρτυς. Sic dicti ſunt Præcones Euangelii Apoſtoli, i. e., *Teſtes*, Actor. *c.* 1. *v.* 8. 22. & *c.* 22. *v.* 15. In ſpecie verò, qui ob Chriſti confeſſionem interfecti ſunt: quô ſenſu Stephanus Actor. *c.* 22. *v.* 20. & Antipas Apocalypſ. *c.* 2. *v.* 13. *Martyres Chriſti* appellantur. Vide quoque Apocalypſ. *c.* 6. *v.* 9. *c.* 12. *v.* 11. & *c.* 17. *v.* 6. Atque hæc notio in Eccleſia obtinuit. Dicuntur autem *Martyres* in illa, non ſolùm, qui propter Chriſtum aut juſtitiam occiduntur, ut pueri Bethleemitici & Abel, apud Cyprianum *Ep.* 56. Sed &, qui ob nomen Chriſti in carcere moriuntur; vel in fuga aut in ſolitudine à latronibus, aut à beſtiis interimuntur, vel præ rerum neceſſariarum inopiâ extinguuntur, vel quâcunque correpti ægritudine intereunt, apud eund. *Ep.* 37. Imò &, qui propter Chriſtum ea ſubierunt ſupplicia, per quæ mori eos neceſſe erat, niſi divinô miraculô conſervati fuiſſent, apud Athanaſium *Synopſ. S. Script.* Etiam hôc vocabulô honorabantur olim Confeſſores illi, qui tormenta propter Chriſtum perpeſſi, mori parati erant, etſi poſtea ſuperſtites manerent, apud Cyprianum *Ep.* 9. & in Concil. Carthaginenſi, ubi quidam *Martyres* adfuerunt & ſuffragia dixerunt, Cyprianô præſide. Nec à *Martyrii* ſplendore viſa eſt diſtare mors illorum, qui morbô peſtiferô per Ægyptum graſſante, dum ægrotis, propter Chriſti amorem, intrepidè miniſtrabant, ipſi contage infecti mortem oppetierunt, lætantes de exitu tam beato, apud Euſebium *l.* 7. *c.* 22. Ut alias ſignificationes, quæ apud Scriptores paſſim, occurrunt, prætercam. Vide eas, ut & plura hanc in rem, apud Joann. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico Theologic. l.* 12. *c.* 2. alibique paſſim. Quomodo verò apud Chriſtianos *Martyres* olim honorati, vide ſuprà ubi de *Baſilicis Martyrum*, *Feſtisque*, & hîc infrà, ubi de *Martyrum Pace.* De *Pſeudomartyrio* autem Hæreticorum, vide ubi de *Circumcellionibus.*

MARTYR Petrus Vermilius, de cujus nominis ratione conſule *Melch. Adami*, Hetruſcus, Florentinus: concionari cœpit, ut Regularis Monachus, an. ætat. 26. Brixiæ primùm, dein Romæ, Bononiæ, Piſis, Venetiis, Mantuæ, Pergami: tum Abbas Spoletanus creatus eſt: poſtea Præfectus Collegio Neapolitano S. Petri ad aram: Triennio pòſt generalis Ordinis Viſitator declaratus, demum Prior S. Fridiani, Lucæ fuit deſignatus: unde ob ſtructas ſibi jam Euangelico inſidias, Tigurum ſe contulit, paulo pòſt Argentinam, dein in Angliam delatus, Jac. Verheiden *in Effig. Proteſtant.* Tantô fuit ingeniô, tam excellenti doctrinâ, eâ præthereà pietate & modeſtiâ, morumque facilitate, ut non modò iis, quibuſcum vixit, gratus, charus, reverendus fuerit: ſed ab hoſtibus quoque & adverſariis inter ſummos numeratus ſit & admirationi illis fuerit, Oratio *de Vita & obitu ejus.* Obiit autem Tiguri A. C. 1562. ætat. 63. Ejus extant *Comment. in Geneſin*, *Judices*, *libros Samuelis & Reg. in Threnos*, *ad Romanos*, *in prior ad Corinthios.* &c. Vide præfatum Melch. Adami *in Vitis*, Guil. Crowæum *Elenchô Scriptorum*, Anton. Teiſſier *Elog. p.* 1. ubi omnia ejus ſcripta enarrat, inter quæ *Loci Communes* eminent, Hottingerum *Biblioth. Quadrip. l.* 3. *c.* 2. & 6. ut & in voce *Petrus Martyr.*

MARTYRARIUS, in Eccleſia Romana idem qui *Manſionarius*, ſeu *Cuſtos Eccleſiæ*, cui incumbit reliquias *Martyrum* in Ædibus ſacris cuſtodire & aſſervare, apud Gregorium Turonenſ. *de Mirac. l.* 2. *c.* 46. *Cuſtos Martyrum*, apud Anaſtaſium *in Sylveſtro* &c. Vide ſuprà quoque in voce *Cappellanus*, apud Car. du Freſne. Dominico Macro ſic vocatur Sacerdos, Ædi ſacræ, quæ aliàs *Martyrium* dicitur, additus. Vocant autem *Martyrium* ædem, ſub *Martyrum* invocatione, Deo dicatam, ex Iſidoro *l.* 15. *c.* 9. Walafrido Strabone *de Rebus Eccl. c.* 6. *L.* 7. *Cod. Theod. de ſepulchr. violat.* &c. Quô ſenſu Græci Μαρτύριον paſſim uſurpant. *Memoriæ Martyrum* Juliano Toletano *l.* 1. *Progn. c.* 20. & 21. *Baſilicæ Martyrum*, in *Capitulis* Caroli M. *l.* 7. *c.* 2. Vide quoque infrà *Oratorium.* Sed & *Martyria*, ipſa *Martyrum* ſepulchra, memoriæ, confeſſiones, quibus ſuperædificari altaria conſuevêre, ut videre eſt in *Ceremoniali* Epiſcopor. *l.* 1. *c.* 12. *Martyrum Concilia*, quoque hujuſmodi ædes appellari, diſcimus ex *Martyrologio Rom.* 23. Jan. & *Libro Pontificali*, ubi de Damaſo, &c. Floribus autem memoriæ Martyrum obumbratæ leguntur, apud S. Auguſtinum *de Civ. Dei l.* 22. *c.* 8. ubi & templi partem, in qua Martyris ſepulchrum, *Martyrii* nomine inſignit. Habetur perinde, σύναξις τῶν μαρτύρων, in Concilio Gangrenſi *can.* 20. apud Car. du Freſne. Sed vide quæ ſuprà de *Baſilicis Martyrum.*

MARTYRIANI, Hæretici, de quibus vide Epiphanium *Hæreſi* 80.

MARTYRIUS, Epiſcopus Antiochenus, poſt Acatium, A. C. 459. à Petro Fullone hæretico, juncto Apollinaris ſectatoribus; Neſtorianiſmi accuſatus, & ad Imperatorem Leonem citatus, Gennadium, ſtrenuum hyperaſpiſten nactus eſt. Hinc in ſedem ſuam remiſſus, cùm videret Petrum interea ſe in eam intruſiſſe, Epiſcopatu ſe abdicavit: reſtitutus dein, tandem ſub Zenone, qui Petro favebat, pulſus eſt; A. C. 474. Theodor. Lector, *l.* 1. *Collat.* Liberatus *in Breviar. c.* 18. Nicephor. *l.* 15. *&c.* Item Epiſcopus Hieroſolymitanus, poſt Anaſtaſium, A. C. 477. Cappadox, diſcipulus Euthymii. Obiit A. C. 485. *Succ. Salluſtius.* Niceph. *in Chron.* Evagr. *l.* 3. *c.* 16. Cyrill. *in vita Euthym. & Sabæ.*

MARTYROLOGIUM; Catalogus Martyrum ſeu Faſti SS. Gregori M. *l.* 7. *Ind.* 1. *Ep.* 29. *Nos autem penè omnium* Martyrum *diſtinctis per dies ſingulis paſſionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolennia agimus, non tamen in eodem volumine quid qualiter paſſus ſit, indicatur, ſed tantummodò nomen. locus & dies paſſionis ponitur.* Quod conficere olim Eccleſiæ Notarii conſuevêre, qui primum ſolorum *Martyrum*; poſtmodùm verò Confeſſorum quoque & aliorum Sanctorum, Natales adnotârunt. Vide Baronium *Præf. ad Martyrologium Romanum*, & de genuflexionis in lectione ejus ritu, Dominic. Macrum in voce *Genuflexio.* Sequioribus dein ſeculis, maximè apud Monachos, vox laxiùs ſumi cœpit, pro *Necrologio*, ſeu *Obituario*, ut vocant, & *Regula*, quod fere ſemper in eodem volumine Martyrologium, Obituarium & Regula Ordinis deſcripta legerentur: Unde *Martyrologio inſcribi* dictus, cujus obitus dies ibi adnotatur, ut ſcil. ex ea congregatione ſeu fraternitate, cui quis adſcriptus eſt. Ingulfus *p.* 907. *Nomen ejus & uxoris ejus, Fratrum noſtrorum* Martyrologio *inſcribi conſenſimus.* Neque verò dies duntaxat obitus in iis annotabantur, ſed etiam Eccleſiis quævis impenſa beneficia, aut factæ donationes. Ditmarus *l. ult. Sanctorum reliquias, & munda eorum receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis, tam in prædiis, quàm in mancipiis, ego acquiſivi &* Martyrologio *inſcripſi meo*, apud Car. du Freſne *in Gloſſario.* De inveſtitura *per Martyrologium* ſuô locô.

MARTYROPOLIS, *Procop. Miepherkin*, *Joh. Lydo*, aliis *Magarckin*, urbs Armeniæ majoris ad Nymphium fluv.

MARTYRUM Anni, ſeu Epochæ Diocletianæ, ab Ægyptiis Chriſtianis Eccleſiæ Alexandrinæ, hactenus uſurpatæ, initium deſumitur à perſecutione Diocletiani, quam in A. C. 302. vel 303. vulgò conjiciunt Chronologi: qua de re extant virorum doctiſſimorum conjecturæ, ex Concilio Cirthenſi potiſſimùm deſumptæ, *Baronii*, *Scaligeri*, *Petavii*, & noviſſimè Joannis Brœi, in *ea Diſquiſitione*, quam *de Initio perſecutionis Diocletianeæ & Epocha Concilii Cirthenſis* inſcripſit. Ab hac autem *æra Martyrum*, Alexandrini, Abyſſini, aliique nonnulli annos ſuos auſpicantur. Vide Adonem Vien. *in Chron. initiô Conſtantini* & *ann.* 627. *Chronicon* Orientale *p.* 85. 109. 124. 125. 127. 146. 202. ut & doctiſſimum Henſchenium *Exegeſi prælim. ad Tom. III. Martii c.* 2. *n.* 11. laudatos Carolo du Freſne, in voce *Annus.*

MARTYRUM Pax, olim in Eccleſia, pœnitentibus, qui excommunicati fuerant, reditum in Eccleſiam conceſſit. Præter enim graviora pœnitentiæ ſolennia aut Epiſcopi ſententiam ac manuum impoſitionem, lapſis in Idololatriam aliterve adeoque communione ab Epiſcopo pulſis, pacem ſeu poſtliminium, i. e., abſolutionem, non ſolum Presbyteri dederunt atque Diaconi, poſtquam ejuſmodi lapſis ſatis pœnitentes viſi ſunt, verùm etiam *Martyres* deſignati & Confeſſores. Et quidem pacem ac poſtliminium hi ſoli ipſis reddebant libelliſque ea de re ad Epiſcopos cum fiducia datis, eos in communionem admittendos judicabant, quos ſic abſolverant. Libellis autem nunc nomina abſolutorum inſerebant, nunc totas familias, Patrum tantum familiarum nominibus adjectis. Ut *Communicet talis cum ſuis*, Cyprian, *Ep.* 11. quaſi non omnino dubitâſſent, quin abſolvendi ipſis jus jam competeret. Luculentiſſima ſunt apud Cyprianum, modò dictum alioſque & compluria hujus rei teſtimonia, in quibus eminet illud de familiarum integrarum abſolutione, uti & hoc univerſorum Confeſſorum, ad Cyprianum alioſque Epiſcopos: *Scias nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem & hanc formam per ſe & aliis Epiſcopis innoteſcere volumus*, Vide cum *Ep.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 27. 28. 29. 38. &c. Verum quidem eſt, hoc Cypriano aliiſque diſciplinam, ut vocârunt, tunc in Hierarchia uſitatiorem enixè ſibi tuentibus, mirum in modum diſplicuiſſe; quod ex integris Epiſtolis, ab eo ea de re ſcriptis, ſatis conſtat: at verò tempore illô novum hoc minimè erat. Nam etiam apud Tertullianum ſeu ſub A. C. 200. reperitur, velut in morem haud parum etiam ex antiquitate tunc priſtina receptum. Poſtquam ſic à *Martyribus* facinoroſi qualeſcunque pacem impetrârant, *inde Communicatores*, inquit ille, *de Pudic. c.* 22. *revertuntur.* Et *lib. ad Martyr. c.* 1. *Pacem quidam in Eccleſia non habentes*, à Martyribus *in carcere exorare conſueverunt.* Ita in conſuetudinem etiam tunc abiverat. Vide Baronium *Annal. Tom. II. A. C.* 253. §. 58. &c. & 262. 30. & Gabr. Albaſpinæum *l.* 2. *Obſervat.* 19. Donec tandem invaluit Epiſcoporum, Presbyterorum, Præſidumque atque id genus aliorum, in Conſiſtoriis ſuis ſingularis ac ſola poteſtas & juriſdictio, ſeu facultas juriſdictionis imitatrix, ut excommunicandi, ſic etiam abſolvendi, exoleſcente illâ, nec ulteriùs admiſſâ, quæ penes *Martyres* alioſque prædictos, velut moris tum Judaici, tum Chriſtiani vetuſtioris reliquiarum pars reperta. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræor. l.* 1. *c.* 9.

MARUBIUM, oppid. Salentinorum, *Marugi*, vel *Maruggio*, apud oram littoralem Sinus Tarentini, 15. mill. paſſ. à Tarento in Ortum Gallipolim verſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MARUCINI, vide *Marrucini.*

MARULLINUS, avus Hadriani Cæſaris, apud Spartianum *c.* 1. ubi *atavus* ex libris ſuis repoſuit Caſaubonus.

MARULLUS, gente Juniâ, poſt P. Marium & L. Aſinium deſignatus Conſul. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 48.

MARULLUS; Tribunus plebis, coronas Cæſaris Dictatoris ſtatuis detraxit, eoſque, qui primi Cæſarem Regem ſalutaverant, in vincula duci juſſit. Quamobrem à Cæſare officio privatus eſt. Plut. *in Cæſ.*

MARULLUS, Calaber poëta, quum Attilam regem Hunnorum per adulationem Deum, & divinæ ſtirpis prolem nominâſſet, propemodum vivus ab ipſo, unà cum carmine, exuſtus eſt. Philippus Callimachus *in Attila.*

MARULLUS, Rhetor à Seneca *Controverſ.* 1. pro præceptore agnoſcitur. Sic enim *in præfatione*: *Quum eſſemus*, inquit, *condiſcipuli apud Marullum Rhetorem, hominem ſatis aridum, pauciſſimâ bellè, ſed vulgatô genere dicentem: quum ille exilitatem orationis ſuæ imputaret controverſiæ, ac diceret; Neceſſe eſt me per ſpinoſum locum ambulantem ſuſpenſos pedes habere.* Ajebat Latro, *Non mehercule tui pedes ſpinas calcant, ſed habent. Nic. Lloydius.*

M. MARULLUS, Poëta Mimographus ſub Antonino philoſopho, ipſum etiam Imperatorem inceſſere ſolitus. Hujus èſt illud: *Tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.* Meminit hujus Hieronymus *contra Ruffinum*, & *Galenas*, qui ſe filium ejus graviſſimô laborantem morbô, curâſſe ſcribit.

Pomp. MARULLUS, Grammaticus, Romæ profitebatur, ſermonis Latini exactor moleſtiſſimus, cùm in oratione Tiberium reprehendiſſet, affirmante Attejô Capitone, & eſſe illud Latinum, etſi non eſſet, futurum certè ob Cæſaris autoritatem & gratiam: *Jam inde mentitur* (inquit) *Capito. Tu enim Cæſar civitatem dare potes hominibus, verba non potes.* Lege *Marcellus. Nic. Lloyd.*

MARUM, Talmudicis exponitur vox Hebr. אזוב *ezob*, cujus faſciculum in Agni Paſchalis ſanguine intingi, eôque aſpergi Iſraëlitarum poſtes ac ſuperliminaria juſſit Deus, Exodi *c.* 12. *v.* 22. Vide quoque Levitici *c.* 14. *v.* 6. 7. ubi de purificatione Leproſi, & *v.* 49, 50, 51. 52. ubi de purgatione domus leprâ infectæ. Sed Apoſtolus, Hebr. *c.* 9. *v.* 19. 21. vocem hanc Hebræam ὕσσωπον reddit, vetuſtiſſimos Interpretes ſecutus. Nec multum abludunt Talmudici, cùm *Marum* quoque, & ſampſuchum, uti alii vocem reddunt, habeant pro herbis hyſſopo congeneribus. Cui aſſentiuntur hodieque Viri in re Herbaria non infimi nominis. Sic *in Hiſtoria Plantar.* Lugdunenſi *l.* 8. *c.* 29. *Pena hyſſopum genuinum Dioſcoridis ſtatuit eſſe communem illam majoranam, in Gallia & Belgio notam. quæ majorana craſſa & Anglica vocatur, quia in Anglia lætior & cibo aptior provenit.* Aliis majorana eſt marum. Itidem *c.* 4. *Quidam——Marum eſſe exiſtimant id plantæ genus, quod* (Dodonæus) *origani ſpeciem ſtatuit, quam olitores colunt & amaracum Britannicum ſive craſſum vocant.* At Veteribus idem ſunt *ſampſuchum & amaracus*, ut videre eſt, apud Dioſcoridem de ſampſucho, *l.* 3. ubi Cyzici & in Cypro optimum naſci, proximum in Ægypto, inter alia docet; & Plinium *l.* 21. *c.* 11. Et verò ad aſperſiones majorana noſtra eſſet percommoda, cùm parva, frequentia & tenera habeat folia, eaque leviter villoſa, quæ, in aquam aut ſanguinem immerſa humorem ſtatim imbibunt, & eundem excuſſa facile emittunt. Atque ex hujuſmodi plantis aptum fieret aſpergillum tribus caulibus in unum faſciculum colligatis, quale deſcribit Maimonides *de Vacca rufa c.* 11. *ſect.* 1. *Sumit vir mundus tres hyſſopi caules, quos in faſciculum unum compingit, & ſinguli rami ſpicas habent, quarum apices immergit in aquam ſeparationis, quæ eſt in vaſe.* Et Jonathan *in Paraphraſi* Numer. *c.* 19. *v.* 18. *Et capiet hyſſopum, tres nempe caules in uno faſciculo.* Sunt autem in his ſpicis תמרות *Themoroth.* i. e. grana ſeminis tenuiſſima, quæ deſcribit Aruch. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50.

MARUNDÆ, Mediæ, & intra Gangem populi *Ptol.*

MARUNTHAS, ſeu MARUTTHAS, Epiſcopus Meſopotamiæ, Isdigertem Perſarum Regem, graviſſimô capitis dolore ac diutinô, quem Magi profligare, ne mitigare quidem nequiviſſent, precibus ita ſanavit, ac liberavit, ut eum morbum poſtea Rex nunquam perſenſerit. Hiſt. Trip. *l.* 7. *c.* 8.

MARUS, mons Thraciæ, qui *Tmarus* ſecundum nonnullos & *Iſmarus* dicitur. Item, fluv. Germaniæ. Vide *Moravus.* Item, fluv. Hiſpan. in ora Aſturum.

MARUTTHAS, Epiſcop. in Perſia, Theodoſio Minore imperante Isdigerdem Regem parum abfuit, quin converteret: certè dolô Magorum memorabili detectô, effecit, ut Magis decimatis, religioni Chriſtianæ libertas permitteretur: A. C. 421. quæ poſt ſub Varane, ob Audæ Epiſcopi factum, perſecutione diriſſimâ permutata eſt, vide Theodoret. *l.* 5. *c.* 39. & ſupra in voce *Marunthas.*

MARUVINUS, fluv. Guajanæ, vulgò *Marwyne.* Fontes habet verſus lacum Parimum; & quamplurimis auctus fluviis in Oceanum Borealem ſe exonerat.

MARRUVIUM, *Strab.* Vide *Marruvium.*

MARWAN, Calipha Saracenorum XVIII. excepit Ebrahemum; à Conſtantino Copronymo ad Cyprum victus, obiit A. C. 751. regni 5. *Cedrenus.* Illi ſucceſſit Sapah, quem vide.

MARYSUS, vide *Mariſus.*

MARZANA, inter Numina veterum Sarmatiæ Europææ incolarum, vide infrà *Sarmatia.*

MASACI, populi Germaniæ inferioris in Belgio, quorum oppidum *Maſeyck* ad Moſam fluv. Sunt qui putent *Marſatios* eſſe Plinii *l.* 4. *c.* 15. ſed horum pagus *Marſen* dicitur, teſte *Orteliô. Baudrando* melius *Marſatii*, fuêre inter Uſipetes ad Ortum & Caninefates ad Occaſum, ſeu inter Sinum Auſtrinum ad Septentrionem & Rhenum ad Meridiem. Ubi nunc Veluvia, tractus Geldriæ inferioris.

MASADA, oppid. Palæſtinæ ad Aſphaltitem lacum, Plin. *l.* 5. *c.* 17. *Moaſada Strab. Maſſada Joſepho, Maſſa* hodie, teſte *Pinetô.*

MASÆSYLIA, regio Libyæ, Maurufiis contermina. *Steph.* populi *Maſæſylii.* Dionyſ. *v.* 187.

Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην,
Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα θήρην.
Οὐ γὰρ γειομόροιο τομὴν ἐδάησαν ἀρότρου,
Κείνοις δ' οὔποτε τερπνὸς ἀκούεται ὁλκὸς ἀμάξης,
Οὐδὲ βοῶν μυκηθμὸς ἐς αὔλιον ἐρχομενάων,
Ἀλλ' αὔτως, ἅτε θῆρες, ἀνὰ δρυμὰ βουκολέονται
Νήϊδες ἀσταχύων, καὶ ἀπευθέες ἀμήτοιο.

Nic. Lloydius.

MASAL, civitas in tribu Aſer, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 74. quæ Joſ. *c.* 19. *v.* 26. *Meſſal.*

MASOLOTH, nomen urbis, in tribu Nephthalim, à Bacchide expugnata. Dicitur & *Arbella*, plur. 1. Machab. *c.* 9. *v.* 2.

MASANORADA, urbs Cariæ, *Steph.* in nummo Titi Imperatoris.

MASARA, Armeniæ minoris urbs *Ptol.*

MASARA, ſeu MASSARA, molendinum, ad molendas cannas mellis, dictum eſt Siciliæ Saracenis, in *Bullario* Caſin. *Tom. II. Conſtitut.* 185. *num.* 5. In Sicilia eâdem hodie ex Græco, *Trapeto* vocatur, Macer. Vide ſuprà *Canamella.* At *Maſarii* apud Sanutum, *l.* 2. *Part.* 4. *c.* 21. ſunt, *qui præſunt victui, vel ſcribanis*, in navibus, Vide Car. du Freſne in *Gloſſario.*

MASARES, vide *Maſtaura.*

MASATI, Libyæ interioris populi Plin. *l.* 5. *c.* 1.

MASBATTA, Gall. *Masbatte*, una ex Philippinis, inter Manillam ad Septentrionem & Cebuam ad Meridiem ſub Hiſpanis.

MASBOTHÆI, Sectatores Simonis Magi, vel diſcipulorum ejus. Theodoret. *hær. fab, in Simon.* Baron. *A. C.* 35.

MASBURGI, ſeu *Bravum*, urbs fuit Murbogiorum, nunc caput veteris Caſtellæ, *Burgos* Hiſpan. ad Arlanzam amnem: Epiſcopalis ab Urbano II. A. C. 1075. & Archiepiſcopalis à Gregorio XIII. facta. Crevit ex ruinis Aucæ à qua 15. mill. paſſ. diſtat. Caſtrum habet naturâ munitum, 35. leuc. Hiſpan. à Madrito in Septentrionem, 42. à Cæſarauguſta in Occaſum, 15. à Pincia in Cæciam.

MASCA, urbs Celtiberorum, *Strabo.* Item Arabiæ deſertæ fluv. Xenoph. *l.* 1. *exped. Cyri.*

MASCALATUM, vulgò *Maſcalat*, urbs Felicis Arabiæ, vix 60. milliar. ab ora Sinus Perſici, in Auſtrum, Caput regni cognominis.

MASCARDUS Nicolaus Italus, regiones circa Fretum Magellanicum à ſe noviter detectas, librô deſcripſit peculiari. In quo porrò, miram proprietatem montium, quos *Andes* vocat, queiſque ſub Cœlo altiores non eſſe retur, *Cordelliera* Hiſpanis; de Zona tandem Torrida utriuſque Oceani *Zud* & *Nord* Inſularumque adjacentium, quæ *Quilloa* dicuntur, ſtupenda enarrat. Aſſervatur opus, ab Auctore, è Regno Chile, transmiſſum, in *Muſæo* Kircheriano, Romæ. Georg. de Sepibus *in Deſcript. ejus p.* 66.

MASCATUM, vulgò *Maſcate*, urbs & emporium Arabiæ Felicis in ora Sinus Armuziani, cum portu commodo & arce munita, antea ſub Luſitanis, qui haud pridem ejecti, 220. mill. paſſ. ab Armuzia in Eurum.

MASCAUCI, vide MISAUCI.

MASCEZEL, vel MAZEZIL, Dux copiarum Honorii, Afer, filius Nubeli, Maurorum potentiſſimi, frater Gildonis, Africæ Comitis, quô contra Imperatorem inſurgente, Maſcezel fratris perfidiam deteſtatus in Italiam venit, viribuſque exiguis nixus Gildonem, qui duos filiorum ejus interea necaverat, cum 70000. militum, quæ frater ducebat, ſuperavit. Quâ victoriâ inſolentior redditus, mox pœnas dedit, ut Oroſius *l.* 7. vult, vel ut Jornand. *de regn. ſucceſſ.* Zoſim. *l.* 5. *&c.* referunt, in Italiam redux, per milites à Stilicone, felicitati ejus invidente, de ponte in fluv. quendam præcipitatus eſt. Vide etiam Marcellin. *in Chron.* Claudian. *lib. de bell. Gildon.*

Eſt illi paribus, ſed non & moribus iiſdem
Maſcezel. ——— ———

Vide ſis Heinſium *in locum.*

MASCHANE, urbs Scenitarum Arabum, *Steph.*

MASCIACUM, vicus Galliæ in Biturigibus Cubis, Monaſteriô cognomine clarus, 3. aut 4. mill. paſſ. ab oppoſit. Virſione diſtans: vulgò *Macay*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MASCOTUS, urbs Libyæ, & alia prope Heſperidas, *Steph.*

MASCULA, urbs Numidiæ, *Antonin.* & *D. Auguſt.*

MASCULI, nomen monetæ, Pictavenſibus olim in Gallia Comitibus propriæ. Goffridus Vindocin *l.* 1. *Ep.* 20. *Quòd ſi trecentos ſolidos Pictavienſium* Maſculorum *vobis daret, &c. Tabularium* Angeriac. & *Tabularium* S. Stephani Lemovic. *in Charta* anni 1081. *monetam Maſculinam* vocant: & paulo ante, *ſolidos nummorum Pictavenſium.* Unde patet, *Maſculinam* & *Pictavenſem* monetam eandem fuiſſe. Dicti autem ſunt, *Maſculi*, in nummis, quòd ejus ſpeciei monetæ eſſent, quam *Malliam* vocant, vel quòd univerſim quoſcunque nummos *Mallias* vocarent. Unde ſiquis ejus ævi verba Goffridi Gallicô reddidiſſet idiomate, indubiè dixiſſet, *trois cent ſols de Mailles Poitevines*: cùm horum temporum Scriptores ac Commentarienſes, qui Latinè Chartas exarare ſolebant, efferre ſe debere voce aliâ, quàm *Maſculus*, non arbitrarentur, quòd ea propiùs accederet ad vernaculum *Maſle*, quæ *maſculum* notat. Verùm ſi quis *Mallias* Pictavenſium fuiſſe proprias contendat, arceſſere poterit nominis originem, à Pictonum oppido *Meille*: cùm ex iis fuerit, in quibus ſtante ſecundâ Regum ſtirpe monetæ cudebantur, uti docent *Capitula* Caroli Calvi *tit.* 31. *num.* 12. ubi *Metulum* & *Metullum* appellatur. Qua de re quidquid ſit, id in confeſſo eſt, quòd *Malliarum* nomenclaturam minutioribus nummis vulgò Galli attribuant, inde fluxiſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

xiſſe, quòd *Malliæ Pictavinæ* ferè ſemper minutiſſimæ fuerint: ſed & A. C. 1329. cudi cœpiſſe *Mallias* minutiores 18. *granorum legis argenti regii ad Marcam*, ut eſt in veteri *Regeſto* Cameræ Computorum Pariſ. ex quo neceſſe eſt, monetas iſtas, minutiſſimas & vilis admodum pretii fuiſſe. Probabilius tamen, *Mallias* minutiores ſeu *Maſculos Pictavienſes*, eſſe id genus monetæ, quam *Malliam Pitam* vocant, i. e. *Malliam Pictavinam* &c. Vid. Car. du Freſne *Diſſertat. de Inferioris ævi nummiſmatibus num.* 103. & ſuprà, in voce *Mallia*. De gente verò hoc nomine inſigni ſuprà voce *Dachareri*.

MASDORANI, Aſiæ populi juxta Parthiam, Carmaniam deſertam incolentes, *Ptol.*

MASDORANUS, mons qui Parthos ab Aria ſeparat. *Ptol. Chite Junilius Caſtaldo.*

MASEPHA, civitas in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 38. Vide *Maſpha*.

MASEREPHOTH, vel MASEREPHOTHMAIM, i. e. *aduſtiones*, & *incendia aquarum*. Locus eſt, ubi excoquunt aquam ad ignem, refrigerandoque ſalem faciunt, Joſuæ *c.* 11. *v.* 8. Vide illic *um*, & *Maſium*.

MASEREI. filius Sobal filii Hur primogeniti Caleb, ex Ephrata concubina, 1 Paral. *c.* 2. *v.* 53.

MASES, urbs Argivorum, dicitur & *Maſetus*. Cives *Maſetii*. *Steph.*

MASETIS, palus quædam, & vicus, & inſula, *Idem.*

MASFA, urbs Arabiæ Felicis, caput regni cognominis in mediterraneis ferè 300. mill. paſſ. ab Armuzia in Meridiem uti 200. à Maſcato in Occidentem. Forſan *Maſpha* aliàs.

MASGABA, Maſiniſſæ regis filius, Rex Numidiæ.

MASGID, vide MESGEDA.

MASICES, Mauritaniæ Tingitanæ populi, *Ptol.*

MASICYTUS, mons mari incumbens, qui Pamphyliam, & Lyciam dividit, *Ptol. Climax Straboni*. Crago vicinus. *Maſſycites* Plinio *l.* 5. *c.* 27. dicitur. Vox eſt prorſus Phœnicia, quæque palam alludit ad Hebræam מצוקה *Metſucoth*, i. e. *anguſtia*. Huc facit quòd Q. Calaber Φοίνικον ἕδος loca appellat Maſſicyto vicina. Sic enim ille *l.* 3.

Πάντες ὅσοι Φοίνικον ἕδος περὶ πάγχυ νέμονται
Αἰπύ τε Μασσικύτοιο ῥίον, βωμόν τε Χιμαίρης.

MASIH, i. e. *Unctus*, unum eſt ex quatuor nominibus, quibus Imperatorem ſuum Abaſſini ſeu Abyſſini ſolent appellare. Is enim, Perſicâ voce *Preſter Chan*, i. e. *Rex mancipiorum* (totô enim Oriente Abyſſina mancipia frequentiſſima ſunt) dictus, cujus locô *Presbyterum Johannem* quidam eum vocant malè, ab Æthiopibus quatuor nominibus inſigniri ſolet. Et quidem *Belulgian* illum vocitant communiter, quaſi dicas *lapidem pretioſum ac præfectum*: cùm in ſolio regio collocatur, *Haſe*, h. e. *Electum*; cum coronatur, *Neguz*: cùm verò ungitur ſacrô oleô à Patriarcha, *Maſih*, nuncupant. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper p.* 316. & infrà, ubi de *Presbytero Johanne*.

MASII, Perſiæ populi, *Herodot.*

MASINISSA, Rex Numidarum, acerrimus primùm nominis Romani hoſtis. Pœnos ſecutus, binis vicibus Syphacem Numidiæ Regem vicit, An. 541. Urb. Cond. poſteà verò, cùm Scipio, victô Aſdrubale, nepotem Maſiniſſæ abſque lytro dimiſiſſet, fideliſſimus ſocius, An. 551. Urb. Cond. prælio interfuit, quô Aſdrubal cum Syphace denuò ſuperatus eſt, junctuſque Cajo Lælio Syphacem è fuga reduxit, captâ Metropoli ejus regni Maſſylorum. Ductâ dein victi Regis uxore Sophonisbâ, cùm Scipio conjugium non probaret, potionem illi, quam, ne dederetur Romanis, hauriret, ſummiſit. Pace poſt hæc inter Romanos Pœnoſque initâ, aliquot horum terras nactus eſt. Hic ad extremam uſque ſenectam mirâ valetudinis proſperitate, vegetôque corporis robore eſt uſus, adeo ut nonageſimô ætatis annô filium genuerit. Reliquit liberos, ex diverſis uxoribus, quadraginta, mortique proximus rogâſſe Manlium Romanum Ducem, dicitur, mitteret ad ſe Scipionem Juniorem, quò inter amplexus ejus ſibi mori liceret, ipſique mandata, de regni ſui diviſione, ultima daret. *Florus, Polybius, Appian. Oroſius*, Liv. *l. de* 3. *bello Punic.* Ovid. *Faſtor. l.* 6.

——— *Superat Maſiniſſa Syphacem.*

MASINUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

MASINISSENSES, Mauritaniæ populi, *Ammian.*

MASITHOLUS, Libyæ interioris fluv. *Ptol.*

MASIUM, ſeu MAZIUS, mons Aſiæ, Tauri pars, inter Armeniam majorem ad Boream & Meſopotamiam ad Meridiem extenditurque à Samoſata, prope Euphratem Amidam uſque, ad Tigrim, à quo tantùm ſeparatur Niphate monte.

MASIUS Andreas Bruxellenſis Brabantus, ſeculi ſui decus, & commune Eruditorum oraculum, præter LL. vulgares, Orientalium fuit peritiſſimus, Syriacæ præſertim, cujus linguæ *Grammaticam* & *Dictionarium* primus edidit. Editioni Bibliorum, cum Aria Montano, Antverpiæ incubuit; unà cum ipſo Pontifici ſuſpectus, ut qui *Commentarium in Joſuam* ejus Indici expergatorio inſerendum curavit. Obiit in agro Clivenſi, cujus Principi, Duci Guilielmo ab intimis Conſiliis fuit, A. C. 1573. ætatis vix 40. Opera ejus enumerat *in Elogiis* Anton. Teiſſier P. 1. Plura vide apud Thuanum *Hiſtor.* Valer. Andream *Biblioth. Belg.* Aub. Miræum *Elogiis*, Poſſevinum *Appar.* Laur. Craſſum *Hiſtor. de Poëtis. Græcis*, Henr. à Weze *Ep. de morte Maſii* P. Simon. *Hiſt. Crit. du V. Teſt. l.* 3. *c.* 15. &c. Ejus *in Joſuam Illuſtrationes*. in fol. & 8. Antverp. A. C. 1574. & 1609. ac inter Criticos per Corn. Bee, Londini 1660. impreſſæ exſtant. *Vir* πλυσόγλωττος, *qui præter linguas Europæas, Græca, Hebraica, Syriaca cognitione non vulgari claruit*, Valerio. *Papiſta quidem, at ſanior & dexterrimus S. Scripturæ interpres*, Glaſſio, *In Indice Romano prohibitus, donec expurgetur*, Poſſevino. Deceſſit ex hydrope haud ita ſenex Zevenaræ, in ditione Clivenſi, Guil. Crowæus *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.*

MASMA, fil. Iſmaelis, Gen. *c.* 25. *v.* 14.

MASMANA, nomen viri principis, 1. Paral. *c.* 12. *v.* 10.

MASMODINA, in *Tabulario* S. Victoris Maſſilienſis, apud Car. du Freſne *in Gloſſar*, moneta eſt Saracenorum Ægyptiorum, quos *Masmudos* & *Maſſemutos* vocant alii. Nomen iis ab Aben Jos. *Mahoſumeto* Miramulmino, Maurorum Hiſpanorum Imperatore uti Gariellus obſervat; qui hos nummos aureos, vel argenteos, ſingulos ſenis regalibus æſtimatos, docet.

MASNES, vide *Manes*.

MASOBIA, nomen loci, 1 Paral. *c.* 11. *v.* 47.

MASONIS Monaſterium, oppid. Sundgoviæ, ſub Gallis: vulgò *Maſſmünſter*. Ad radices Vogeſi, in limite Alſatiæ, 12. mill. paſſ. à Mulhuſia in Occaſum, uti 22. à Baſilea, juxta Tolderum amnem. An à Maſone, Alemannorum Duce?

MASORA, Hebr. מסורה & מסרת, ex מסר l. e. *tradere*: Scribitur & *Maſſora*, Ezech. *c.* 20. *v.* 37. ex אסר, h. e. *vincire Buxtorffius*. Eſt doctrina critica, à priſcis Hebræorum Sapientibus, circa textum Hebræum S. Scripturæ ingenioſè inventa, quâ verſus, voces ac literæ ejus numeratæ, omniſque ipſarum varietas notata & ſuis locis, cum ſingulorum verſuum recitatione, indicata eſt, ut ſic conſtans & genuina illius Lectio conſervetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternum præſervetur, & validè præmuniatur. Hinc *Maſorethæ* dicti ſunt, criticarum iſtiuſmodi notarum, in ſacri textus margine, Auctores. Hos quidam volunt fuiſſe Viros in Judæis eruditos, in urbe Tiberiade commorantes, unde *Sapientes* illos *Tiberiadis* appellant: qui notas iſtiuſmodi marginales Bibliis, poſt abſolutum Talmud Babylonicum, adjecerint, circa A. C. 506. Aben Eſra, Elias Levita *in præfat. tertia l Maſoreth ham maſoreth* &c. Sed nec in Hiſtoriis ulla mentio Synagogæ in hac euſque florentis, cùm intra quartum à Chriſto nato ſeculum gradus doctrinæ ibi ceſſaverint: & in utroque Talmud *Maſora* jam laudatur. Unde ſententia eorum vero ſimilior, qui per *Maſorethas* intelligunt, Senatum Eccleſiaſticum, ab Eſdra, Haggæo, Zacharia, Malachia, aliiſque inſtitutum, ad reformationem Eccleſiæ, poſt reditum è captivitate Babylonica: qui *Viri Synagogæ magnæ* aliàs appellati fuêre. Duravit hoc Concilium, ad minimum annos 40. Præſide Eſdrâ, de quo Judæi dicere ſolebant, *Dignus erat Eſdra, ut data fuiſſet Lex per manus ejus Iſraëli, ſi non præceſſiſſet eum Moſes.* Ultimus Simeon erat cognomine *Juſtus*, qui Pontificiali habitu inſignis Alexandro M. hoſtili animô Hieroſolymam venienti obviam proceſſit; ſicque ceſſavit celebre hoc Collegium 300. circiter annis, ante adventum Meſſiæ in carnem. Quæ ab iis peracta, ſequentia fuêre. 1. Canonicos libros ab Apocryphis ſecreverunt. 2. Canonem ab omnibus mendis, quæ tempore captivitatis fortè irrepſerant, liberarunt. 3. Eumque in 22. libros, ad numerum elementorum Linguæ Hebraicæ; digeſſerunt. Quartò, textum in ſectiones ac verſus diſtinxerunt. 5. Additis obſervationibus ſuis Criticis, circa variarum vocum anomaliam, ratione tum punctorum vocalium, tum accentuum. 6. Non verſus ſolùm omnes, ſed & voces, ac literas quoque uniuſcujuſque libri exactè numerârunt; ut ſic, cùm donum Prophetiæ mox ceſſaturum eſſet, (ultimus enim Prophetarum Malachias erat) corruptioni textus omnis præcideretur anſa. 7. Tandem varias lectiones ſcriptioneſque annotârunt. In textu enim Originali plurimæ voces, pluribus paucioribuſque literis exaratæ ſunt, quàm pronuntiantur: imò *ſunt octo votes, quæ ſcriptæ ſunt in textu, ſed non leguntur*, quas adducit Maſora Ruth *c.* 3. *v.* 12. Hanc igitur varietatem in margine expreſſerunt, differentiamque in textu כתיב *Cethib*, i. e. *Scriptionem*: in margine verò קרי *Keri*, i. e. *Lectionem*, appellaverunt: quia legendum eſſet, eô modô, quô ad marginem adnotatum, &c. Hos itaque ipſorummet punctorum vocalium Auctores fuiſſe qui contendunt, ipſorum officium non bene interpretantur, faterique neceſſe habent, Scripturam S. ante *Maſoretharum* tempora, *corpus fuiſſe ſine anima*, quod in Deum, Scripturæ Autorem, injurium. Vide Buxtorffium *Comment Maſor.* Pirke Aboth. *c.* 1. Tertullianum *l. de hab. mul.* Chryſoſtomum *Homil.* 8. *ad Hebr.* Irenæum *contra Hæreſ. l.* 3. *c.* 25. Auguſtin. *de Mirab. S. Script. l.* 2. Genebrardum *Chronol. l.* 2. Thom. Godwin. *de Ritibus Hebræorum tr. Angl. l.* 6. *c.* 7. &c. nec non infrà, ubi de *Synagoga magna*.

MASOVIA, ſeu MAZOVIA, Gallis *Maſovie*, regni Polonici regio, Samogitiæ ad Septentrionem, Magno Ducatui Lithuaniæ ad Ortum, Poloniæ utrique ad Occaſum, & Ruſſiæ ad Meridiem contermina eſt, Regibus Poloniæ feudalis, Metropolim habet Varſoviam, ubi optimus conficitur potus ex melle conſtans, & ſæpe Rex moratur. Cromer. *in Chron. Polon. Baudrando* terminatur ab Oriente Lithuaniâ & Poleſiâ, à Septentrione Pruſſiâ, ab Occaſu Poloniâ majori, à Meridie minori. Aliàs Duces habuit proprios. Reliquæ Urbes ſunt Plocum & Czerckum. Polachia provinc. ad Ortum ei etiam aliquando annexa fuit, ubi urbes Bieska, Auguſtavia, Tikoczinum, & Drogicina. Subjecit autem ſe Maſovia Poloniæ ſub Caſimiro magno; Duces tamen habuit, uſque ad A. C. 1526. quô regno Poloniæ in perpetuum eſt unita. Cromer *Hiſt. Polon. Ortel.* &c.

MASPHA, civitas in tribu Juda, quam ædificavit Aſa rex, 1. Regum *c.* 15. *v.* 22. Eſt & locus Galaad, 1 Sam. *c.* 22. *v.* 3. ubi pactum inierunt Laban & Jacob, Gen. *c.* 31. *v.* 48. *Baudrando* urbs fuit duplex, una Tribus Gad, quæ & *Maſphe*. Altera, quæ dicitur *Maſphath*, 1 Sam. *c.* 7. *v.* 7. & *Meſphe*. In tribu Benjamin. In medio utriuſque Lapis adjutorii, *Ferrar.*

MASPII, gens Perſica, *Stephano.*

MASQUÆ, vulgò *Maſques*, Gallis dicuntur, quæ Græcis veteribus πρόσωπα, recentioribus προσωπεῖα, *perſonæ* videl. ſeu larvæ, ad ſimilitudinem veri vultus effictæ. A *Maſca*, i. e. *ſtriga*, in LL. Longob. *l.* 1. *tit.* 11. §. 9. Vide quoque hic paſſim, in vocibus *Aſpectus, Perſona, Vultus*, it. *Roſtra. Terricula.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MASREGA, civitas Idumææ, regia Semlæ quinti regis in Edom. Geneſ. *c.* 36. v. 36.

MASSA, Procurator Africæ, delator, optimo cuique exitioſus. Vide *Bebius.*

MASSA Nicolaus, vide *Nicolaus.*

MASSA, idem quod *Manſus:* Fundi portio, cum idoneo domicilio, ad ſuſcipiendam familiam unam, majorem, qualis Nobilium: vel minorem, qualis Ruſticorum eſt. Unde plurimis locis nomen. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Manſum*, & Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.*

MASSA, apud P. Papinium Statium *l.* 1. *Sylv.* 6. *in Saturnalibus, v.* 18.

Molles Caïoli, Lagunculique,
Et maſſis *Amerina non peruſtis,*
Et muſtaceus &c.

quid notet, vide apud Caſp. Barthium *Adverſarior. l.* 24. *c.* 7. Certè pyra hodieque, abjectis inutilibus, in merum ſuccum redigi videmus; quem cùm incraſſeſcere cogant, in *maſſam* eum conſtipant: unde rectè *maſſæ fruſta* illa appellantur. Idem *Animadverſion. ad Statium Part. I. p.* 149. Alias *Maſſa*, idem quod *Offa* de qua voce vide infrà. Auri *maſſas* olim Romanis Imperatoribus à quibuſdam provinciis penſitari conſueviſſe, docet Beatus Rhenanus *ad Tertullian.* Sed & *Maſſa*, apud Recentiores, pro *Manſo* eſt. Unde *Maſſariorum Magiſter* ſeu *Maſſariorum Proviſor*, apud Petrum de Vineis *l.* 3. *Ep.* 66. h. e. villicorum, *maſſæ* ſeu *manſi* cuſtodum, colonorum, qua de notione vocis multa congeſſit Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud eundem occurrunt *Denarii aurei cum Maſſa*; Gall. *Deniers à la Mace*, quod nomen monetæ fuit, ſub Philippo IV. Galliæ Rege valoris 22. ſol. 6. den. Item *Floreni cum Maſſa*, valoris 21. ſol. 3. den. E quibus priores prohibiti ſunt A.C. 1310. quemadmodum & *Denarii duri cum Maſſa*; Gall. *des Deniers durs à la Mace* A.C. 1311. Vide eum in voce *Moneta.*

MASSA Candida, locus apud Carthaginem, in quo ſub Imperatorib. Gentilibus & in Chriſtianos ſævientibus, fovea erat calce plena, in quam Chriſtiani Gentilium Diis ſacrificare renuentes præcipitabantur. *Maſſa Cypriani* apud Vincentium Belvac. *l.* 12. *c.* 130. Vide Savaronem *ad Sidonium l.* 6. *Ep.* 1. & Leon. Fuchſium *ad Myrepſum ſect.* 3. *c.* 89. laudatos Car. du Freſne *in Gloſſario.* Apud eundem Prudentius *Periſteph. Hymn.* 5. *v.* 83. ſic de hoc loco:

Proſiluêre alacres curſu rapidô ſimul trecenti,
Gurgite pulvereô merſos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum, fundo tenus implicavit imo,
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes,
Candida Maſſa *dehinc dici meruit per omne ſeclum.*

Ubi *Gloſſæ* Iſonis Magiſtri: *Candida Maſſa, id eſt,* CCC. *Martyres.*

MASSA, quæ & *Maſſa Carraræ*, vulgò quoque *Maſſa*. oppid. cultum & amplum, Lunegianæ regiunculæ in Hetruria, nuper Ducatus titulô decoratum, ſub proprio Duce, è gente *Cibo*, 12. milliar. à Sarzana in Ortum ab ora maris Tyrrheni. Eſt hic Dux & Princeps Carraræ. Familiæ auctor Guido quidam Genuenſis perhibetur, tempore Ottonis I. Imperatoris clarus: in cujus poſteris Innocentius VIII. Pontifex Romanus ex virgine Neapolitana, cui ſe, ante ordines ſuſceptus, junxerat, inter alios liberos, filium ſuſcepit Franciſcum Comitem de Anguillara & Ferentillo, quô genitus Laurentius, ab uxore Richarda, Malaſpinarum hærede. *Maſſam* & Carrariam ſtirpi ſuæ acquiſivit: quibus in filio Alberico Ducatus *de Ayello* acceſſit. Hic enim Albericus Cibous Malaſpina Princeps *Maſſæ*, Dux *de Ayello* factus eſt obiitque A. C. 1623. Ei ex Eliſabetha Roborea (filia Franciſci Mariæ Roborei Ducis Urbini, qui fatô functus eſt A. C. 1538.) genitus filius Alderamus Cibo Marchio Carrariæ, obiit ante Patrem, A. C. 1606. relictô ex Marfiſa Eſtenſi filia Carolô Ciboô Principe *Maſſæ* Duce Ayelli hujuſque fratribus. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Part. II. p,* 103. Vide quoque ſuprà in voce *Cibo.*

MASSA, cognomine *Lubrenſis*, urbecula eſt Terræ Laboris, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Surrentino, cum titulo Principatus in ora Sinus Neapolitani 4. milliar. à Surrento in Africum Capreas verſus, 20. à Neapoli. Parvi nominis, vulgò *Maſſa di Sorrento.*

MASSA Veternenſis, urbecula Tuſciæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Senenſi, in territorio Senenſi, 35. mill. paſſ. à Senis in Africum Populonium verſus, à quo 18. milliar. abeſt. In colle ſedet, ſub M. Duce. Illic natus Conſtantius Gallus Imperat. *Onuphrius.*

MASSA, fluv. Libyæ, *Ptol. Muſat* adhuc in tabulis recentiorib. *Ammian.* Et fil. Iſmaëlis, Gen. *c.* 25. *v.* 14.

MASSACA, urbs Indorum, *Stephan.*

MASSÆLIBYI, Africæ propriæ *gens*, *Strabo.*

MASSÆSYTIA, vide *Maſæſylia.*

MASSÆUS Chriſtianus, vide *Chriſtianus.*

MASSAGA, Indiæ urbs, *Arrian. in Indic. Mazaga* Curtio. *l.* 8. *c.* 10.

MASSAGETÆ, populi Sarmatiæ Europææ juxta Euxinum mare, qui *Alani*, quaſi graves Getæ, *Maſſa* enim apud Scythas *grave* ſignificat, teſte *Iſidorô.* Ultra mare Caſpium, Orientem verſus, trans Araxem eos ponit Dionyſius *v.* 739.

Τοὺς δὲ μετ' ἀντολίην δὲ, πέρην κελάδοντος Ἀράξεω
Μασσαγέται ναίουσι, θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν
Ἀνέρες, οἷς μήτ' αὐτὸς ἐγὼ, μηθ' ὅστις ἑταῖρος
Ἐμπελάσαι μάλα γάρ τε κακοξεινώτεροι ἄλλων.
Οὐ γὰρ σφιν σίτοιο μελίφρονος ἐστὶν ἐδωδὴ,
Οὐδὲ μὲν οὐδ' οἶνος μελαδήμιος, ἀλλὰ γὰρ ἵππων
Αἵμασι μίσγοντες λευκὸν γάλα, δαῖτα τίθενται

Salluſtius *de Diis*, & *mundo.* Μασσαγέται μὲν τοὺς πατέρας ἐσθίουσι;
Stat. *in Achilleide: l.* 1. *v.* 307.

Lactea Maſſagetæ veluti qui pocula fuſcant
Puniceô. ——

Lucan. *l.* 3. *v.* 282. *Longaque Sarmatici ſolvens jejunia belli*
Maſſagetes qui fugit equô. ——

Claudian. *de* 4. *Conſul. Honor.*

Maſſagetæque truces, duro gens aſpera bellô.

Idem *l.* 1. *in Rufin.*

Eſt qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Maſſagetes. ——

Uxores habent communes, cum quibus in publico coire non verentur. Sub tentoriis habitantes, nulla templa habent, Solem præcipuè venerantur, cui & equum immolant; cæteros habent neglectui. Sævi & crudeles, hoſtes propinquoſque defunctos devorârunt; Strab. *l.* 11. *Ptolem. Herodot. Alani* Amm. Marcellino *l.* 23. *c.* 5. & *Gregoræ. Abaſgos* eſſe putat *Joh. Tzetza*, poſtea *Argos* vocatos dicit *Iſacius Tzetza in Lycophronem. Thevetus* eos *Abinadal* vocat. *Baudrando* erant populi Scythiæ, intra Imaum, inter Jaxartas & Alano-Scythas, ubi nunc pars Auſtralis Tartariæ deſertæ, verſus Zagatajam.

MASSALA, Homeritarum urbs in Arabia Felice Plin. *l.* 6. *c.* 28.

MASSALIA, Cretæ fluv. *Ptol. Maſano Pineto:* in ora Auſtrali inter Phœnicem & Pſychium oppid. fluens.

MASSALIANI, Hæretici, ſub Conſtantio exorti A. C. 361. etiam *Euchaitæ*, i. e., Precatores & Spirituales dicti: eô quòd omnia bona opera negligentes, ſolis precibus inſiſtendum dicerent, abuſi illo Pauli 1. Theſſal. *c.* 5. *v.* 17. *Indeſinenter orate.* Auctores ſectæ hujus Monachi erant è Meſopotamia, qui precum prætextu manuarias operas, quibus tum inter alia Monachis vacare ſolenne erat, omiſerunt: Porro quemque duas habere animas ſtatuerunt, quarum altera plus quàm cœleſtis, altera Dœmon eſſet, per preces exigendus. Prophetiæ donum jactantes, corporeis oculis ſe Trinitatem videre, ejuſque commerciô tam propinquô frui, ut à peccatis planè ſint immunes, dicebant. Presbyteros habebant, & Epiſcopos, quibus, inprimis cùm ordinabantur, Diabolus ſæpiſſimè illuſit, viſibili formâ, quaſi Spiritus Sanct. eſſet, in illos deſcendens: tum choreas orſi Diabolo ſe inſultare dictitabant, unde *Enthuſiaſtæ* vocati. Nemini, niſi ſuæ ſectæ eleemoſynam erogârunt, conjugia diſſolverunt, liberos invitis parentibus ſequi ſe coëgerunt: Cœtera comati, ſplendideque induti. Cùm undique naſcenti ſectæ Orthodoxi ſe opponerent, ultra Meſopotamiam Syriamque non progreſſa eſt. Eôdem tempore, alii quidam Monachi in Ægypto cum nemine precari volebant: Alii ſeipſos Epiſcopos creantes, munera ſacra obibant, propriâ authoritate baptizantes, qui Arianiſmô deſertô ad fidem convertebantur. Alii nec exſpuere, nec nares emungere licere, inter orandum, crediderunt. Qui omnes condemnati. Theodoſius M. legibus hoſce *Saccophoros*, ita enim quoque vocabantur, coërcuit. Flavianus Antiochenus, ex Adelpho Sene, de erroribus eorum edoctus, Synodô convocatâ, illos damnavit, nuntiô hac de re ad Armenios & Oſroënos miſſô: Amphilochius quoque illis in Lycaonia ſe oppoſuit. Nihilominus adhuc clam ſuppullulantes, A. C. 427. Synodô celebratâ denuo damnati ſunt, decretumque, ut propter frequentiſſimam illorum Apoſtaſiam, ne quidem pœnitentiam polliciti, reciperentur. Epiph. *hær.* 80. Auguſtin. *de hær. c.* 57. Theodoret. *hær. fab. l.* 4. Joh. Damaſc. *hær.* 80. Baron. *in Annal.*

MASSALIOTICUM, *Polybio*, Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Gras de Paſſon*, oſtium Rhodani, maximum, in Ortum, Maſſiliam verſus ſpectans, & Maritimam, oppidum.

MASSANI, Indi fluv. circa oſtia accolæ, Diodor. Sic. *l.* 17.

MASSAVA, locus *tabulæ Peutingerianæ* notus: *Maſva vicus in pago Autiſiodorenſi* dictus, in *Append.* Fredegarii: *Maſſua*, in *Geſtis* Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, vulgò *Meſve*: locus ſcil. Galliæ ad Ligerim fluv. inter Caritatem *la Charité*, veteri Monaſterio nobilem, & Paulliacum *Pouilly.* Hîc Pipinus Rex, Waifario Aquitaniæ Principi bellum illaturus, flumen cum omnibus copiis tranſiit. Hadr. Valeſius in vocibus, *Ligeris* & *Meſua.* Dicitur quoque *Méve.*

MASSEPHA, in Moab, quò profugit David, Saulis inſidias declinans. In tribu Ruben, *Hieron.*

MASSERANUM oppid. Pedemontii, ſub Principe proprio, è gente Ferrera Fliſca, cum regiuncula adjacente, 16. milliar. ab Eporedia, in Ortum, 23. à Vercellis in Circium. Inſertum eſt in territorio Vercellenſi. Princeps hic Pontificis cliens eſt, & ei etiam Crepacorium, oppidulum illius tractus adjacet. Vulgò *Maſſerano.*

MASSESYLI, vide *Maſſyla.*

MASSIA, oppid. Hiſpan. Bœticæ, ubi lateres ſiccati in aqua non merguntur. Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Maxia Vitruvio:* apud Tarteſios.

MASSICA, regio Bæticæ Tarteſiis oppoſita.

MASSICI Montis promontor. extremum Maſſici montis. Plinio *l.* 3. *c.* 5. aliàs in Campania, ad Sinueſſam, nunc in provinc. Terræ Laboris, & *Rocca di Mandragone* dicitur: Eſtque in ora maris Tyrrheni, medium inter oſtia Liris & Vulturni.

MASSICUS, mons Campaniæ. Nunc Terræ Laboris, *monte Marſico:* Inter Minturnas & Calemum extenſus, verſus oram maris Tyrrheni. Etiam *Falernus* dictus eſt, ab agro contermino. Pars ejus *Mondragone* incolis, verſus oram maris Tyrrheni *Baudrand.* Optimi vini ferax, quod etiam *Maſſicum* dicitur. Horat. *l.* 1. *Od.* 1. *Veteris pocula Maſſici.*

Idem *l.* 2. *Od.* 7. *Obliviosô levia Maſſico*
Ciboria exple.

Martial. *l.* 1. *epigr.* 27. *Egerit & nigros Maſſica cella cados.*

Idem *l.* 13. *epigr.* 111. *De Sineſſanis venerunt Maſſica prælis.*

Idem *l.* 4. *epigr.* 13. *Maſſiaca Theſeis tam bene vina favis.*

Hinc Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 143.

—— *Et Bacchi Maſſicus humor.*

Signatiſſimè ad laudem vini Maſſici verba iſta Columellæ *l.* 3. *c.* 8. *Neque enim dubium eſt, Maſſici Surrentinique & Albani, atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe.* Plin. *l.* 14. *c.* 6. ubi de vinis nobiliſſimis: *Certant Maſſica aquè.* Hodie *monte Marſo* dicitur. *Nic. Lloydius.*

MASSICYTUS, vide *Maſicytus.*

MASSILIA, Græcis Μασσαλία, de qua Florus *l.* 4. *Epitom. Rerum Rom. c.* 2. *Maſſilia,* inquit *Græcula civitas: non pro mollitie nominis, & vallum rumpere, & incendere machinas auſa, & congredi navibus:* ſive quòd μάσσειν mollire ſignificat, ſive quòd μαλακία parum abeſt a Μασσαλία: urbs Galliæ Narbonenſis præclara, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Arelatenſi Phocenſium colonia, vide *infra*, Lampſaci in Helleſponto ſoror: Optimarum olim diſciplinarum ſtudiis florentiſſima, legibuſque ſanctiſſimis optimè conſtituta. Macedonibus Ætopô, Ebræis verò Sedeciâ imperante, condita. Diruta deinde à Phocenſibus inſtaurata eſt, qui Cyri tyrannidem fugientes, deſtitutâ Græciâ, in hanc Galliæ oram ſeſe contulerunt. Imò jam antè eorum colonia fuit. Sic enim Joh. Marshamus, *Ultra, in Liguribus, eſt* ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ *urbs celeberrima. Maſſilia autem à Phocæenſibus condita eſt; diu antequam Phocæenſes, Perſarum adventu fugati, Olymp.* XLIV. (ut Solinus *c.* 8. habet) *ex Aſia illuc ſe contulerunt: quod ex Ariſtotele docet Harpocratio in Μασσ.* Vide eum *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Græcorum coloniis. Marſeille* Gallis, *Marſiglia* Ital. Agrum habet vini præſtantiſſimi feracem, cujus vini utpote fumati, ſæpius meminit Poëta Martialis, ut *l.* 13. *epigr.* 123.

Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Maſſilienſes olim non ſolùm literis, ſed & moribus maximè claruerunt, uti apud Cicer. *pro L. Flacco,* & apud Strabon. *l.* 4. videre eſt. Unde Plautus *in Caſinâ, Actu* 5. *ſc.* 4. *Maſſilienſes mores,* tanquam optimos, & probatiſſimos dixit: *Ubi tu es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?* Iidem luxus notati ſunt. Unde *Maſiliam navigas,* & è *Maſſiliâ veniſti* apud *Suid.* de nimis cultis dicitur. Cæterum de *Maſſilia* vide omnino Conr. Rittershuſium *comm. in Saluſt. p.* 568. De quâ etiam nos plura, *ad illud Dionyſii Perieg.*

——— ——— Ἔνθα τε γαῖα

Μασσαλίη τε τάνυσαι ἐπίστροφον ὅρμον ἔχουσα.

Lloyd. Morerio civitas eſt Epiſcopalis Provinciæ, cum portu celeberrimo, ad mare Mediterraneum viribus literiſque tanti nominis, ut cum illa ſocietatem arctiſſimam Romani inierint, privilegiiſque eam ampliſſimis ornaverint. A Phocenſibus, colonia Athenienſium in Ionia, condita: qui patriâ relictâ, an ob ſterilitatem, an ob Harpali, Præfecti Perſici, tyrannidem, Epheſum venerunt, ubi Ariſtarcha, nobilis fœmina, per ſomnium monita eſt à Diana, ut unam ex ſtatuis ſuis ſumeret, hoſque peregrinos ſequeretur. Quod factum. Sic ergo, poſt Corſicam prius occupatam, quam Cyrnon appellavêre, in Provinciam appulerunt, An. 164. Urb. Cond. primaque Maſſiliæ fundamenta jecerunt: Vide Senec. *Conſol. ad Helviam, c.* 8. & Liv. *l.* 34. *c.* 9. qui hos Phocenſes à Belloveſo adjutos narrat, in loco, invitis Salyis Cavaribus, capiendo. Juſtinus autem *l.* 43. *c.* 3. rem paulo aliter perſequitur. Hanc poſt annos quinquagenos nova popularium manus adveniens inſigniter auxit. Duces Furius & Peranus, quem quidam Euxenum appellant, fuêre: qui Senani Ligurum Gallorum Regis gener factus, ex Gipite, aliis Peta ſeu Ariſtoxena Protyn genuit, unde Protidarum illuſtre Maſſiliæ genus. Ab his Maſſilia legibus, templis, Academiâ, artibus exornata, Ariſtocratice recta fuit, ſub quindecim Viris, è numero 600. Senatorum ſelectis. Huc poſtea miſſi ex univerſa Gallia Italiaque, tanquam ad communem Scholam, ut literis imbuerentur; Hinc egregii mores legeſque per totam Galliam propagatæ. Et certe *Maſilienſium* civitatis diſciplinam atque gravitatem, fidem in Romanos, & priſci moris obſervantiam laudant Cicero *loc. cit.* Val. Max. *l.* 2. *c.* 6. Silius, *l.* 15. Livius, *loc. cit.* omnes. Strabo *loc. cit.* de eorum parſimonia & ſtudiis liberalibus, deque Republ. à Senatoribus regi ſolita multis refert: & Tacitus *in Agricola, c.* 4. *Maſſiliam* vocat *locum Græcâ comitate & provinciali parſimoniâ miſtum ac bene compoſitum,* quam Cnæus J. Agricola ſedem ac Magiſtram ſtudiorum habuerit; & quò L. Antoninum ſororis nepotem Auguſtus ſepoſuerit, ſpecie ſtudiorum. Romanis, quibuſcum veterrimum fœdus ei intercedebat, quoſque in magnis ſæpe diſcriminibus adjuvit, ut Civibus ejus immunitas decreta & locus ſpectaculorum in Senatu datus ſit, urbs adeò fida fuit, ut Paterculus *l.* 2. *c.* 50. ſcribat, *Maſſilia fide major, quàm conſiliô prudentior,* Cæſarem poſtea, qui *arcis* Maſſiliæ meminit, *l.* 2. *Belli Civ. c.* 21. 22. in qua Epheſium ſeu templum Dianæ Epheſinæ & Delphini Appollinis fuiſſe, *Strabo* docet, infeſtum experta, & ab ipſo capta eſt. Dein prædâ Gothis aliiſque Barbaris fuit. Occupata etiam ab Alphonſo, Arragonum Rege, A. C. 1423. poſtea recepta, tamque inſigniter reparata eſt, ut Caroli Borbonii, A. C. 1524. & Caroli V. Imperat. 1536. acerrimos impetus ex facili eluderet, jam vetuſtiſſimis temporibus bellô contra Gallos, Cavares nempe, Vocontios, Volcas Arecomicos & Tectoſages, Ligures, Salyos Segorejos, Deceates, & Oxubios, Pœnos, alios: coloniis Nicæâ, Antibâ, Rhodâ, Agathâ, &c. deductis, inclyta: quibus adde emporia in Hiſpania Tarraconenſi poſt amicitiam cum Hiſpanis junctam, ex parte condita à Maſſilienſibus & poſſeſſa: Item Cabellionem & Avenionem, quas urbes in Cavaribus occupavêre. Verbô, nominibus Græcis, cenſentur trans Varum in Italia portus Herculis Monœci, Nicæa plaga trans Varum, Antipolis portus, Athenopolis Maſſilienſium, Heraclia Cacabaria portus, Telo Martius portus, Taurentum portus, Olbia, promontor. & portus Citharista, Agatha trans Rhodanum, atque Leucata littus ac promontor. & trans Pyrenæam in Hiſpania Tarraconenſi emporia: in ora Galliæ inſula Agatha, Alonis, tres Stœchades: Prote, Meſe, Hypæa, Phœnice; Phila, Lero, & Planaſia, ſive Lerina: quorum pleraque Maſſilienſes poſſedere. Poſtquam Gothis ſe urbs ſubduxiſſet, ſub Burgundiæ Regibus fuit, donec ad Gallos pervenit. Tum primò Vice-Comites habuit peculiares, dein ad Comites Provinciæ devoluta eſt, A. C. 1243. Coronæ tandem unita A. C. 1481. Portum urbs habet aptum navibus, qui Λακύδων, Melæ *l.* 2. *c.* 5. & *Euſtathio* dicitur: Hic naturâ quidem factus & tutiſſimus, at anguſtus aditu, nec magnæ claſſis capax eſt; unde & catenâ ferreâ clauditur. Portui proxima olim navalia, de quibus Cæſar atque Lucanus, *l.* 3. quorum ille altitudinem quoque muri & turrium celebrat, *loc. cit.* Ibidem & priſcis temporibus Amphitheatrum fuit, unde *Monachorum S. Mariæ de Arenis* Monaſterium nomen accepit. Solis 1050. paſſ. terræ cohærere Maſſiliam, ait Eumenius *in Paneg. Conſtantini c.* 19. quæ in *veter. Notit.* inter provinc. Viennenſis Civitates 14. ultimô locô: in *recentiorib.* verò inter Epiſcopos Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffragantes primô ponitur, quemadmodum hodieque Maſſilia, Auguſta Tricaſtinorum, Telo Martius, & Arauſio Cavarum Arelatum pro Metropoli habent. Hinc orti fuerunt Menecrates JCtus, Crinas, Charmenides & Demoſthenes Medici: Pythias & Eudemenes Geographi: Pacatus, Oſcius, Victorinus, & Petronius, Rhetores: Telonius & Gujareus, Aſtrologi: Item Caſſianus, Salvianus, Honoratus, Gennadius, Muſæus, Cyprianus Telonenſis, &c. Primus Epiſcopus S. Lazarius fertur: fuitque olim hic Epiſcopatus ſub Metropoli Viennenſi, nunc ſub Arelatenſi eſt, ut dictum. Regionem olim habuit ſatis, ut ex dictis colligere eſt, amplam, & Cn. Pompejus patronus civitatis, *agros Volcarum Aremoricorum & Ilvorum publicè Maſſilienſibus conceſſit,* Cæſ. *l.* 1. *de bell Civil. c.* 35. ſed hic *victis terrâ marique & dedentibus ſeſe abſtulit omnia, præter libertatem,* Florus *l.* 4. *c.* 2. Quædam tamen eis, ut Stœchades & Athenopolis, videntur relicta, ſed & fœdus cum Romanis manſit intactum, unde *Fæderata* dici perrexit. Plin. *l.* 3. *c.* 4. cui adde Strabon. *loc. cit.* & *Caſſiodorum,* qui & *Maſſilienſium horreorum* meminit. Poſtea Provincia Maſſilienſis dicta, continebat præ cœteris Maſſiliam, Avenionem, Aquas Sextias, & Auſtraſiorum Regibus parebat: eratque ab Arelatenſi provinc. Burgundiæ Regibus parente, in qua erant Arelatum, Ugernum, Reii, &c. diſtincta: Cujus Præſides Gregor. ſæpe Rectores provinciæ, nonnunquam Præfecti, atque etiam Patricii appellati. Ager *Maſſilienſis* vitem ac oleam tolerare, frumenti impatiens eſſe *Straboni* dicitur. Quare Juſtinus *l.* 43. *c.* 4. affirmat, Gallos à Maſſilienſibus vitem putare & olivam ſerere didiciſſe. Incolæ *Maſilienſes,* vulgò *Marſeillois,* Phocenſium conditorum induſtriam imitati, mercaturâ & navigationibus magnas ſibi opes paravêre: nundinas etiam ſtatô quotannis tempore domi inſtituêre, ad quas naves tranſmarinæ oleô, chartâ, odoribus onuſtæ ex Ægypto aliiſque partibus confluebant: quibus nundinis mercibuſque *Cataplì* nomen inditum, ut ex Martiali, *l.* 12. *Epigr.* 75. Auſonio, *in Claris Urbib. Epigr.* 13. Sidonio *l.* 6. *Ep.* 8. patet. Sanè, regnantibus in Ægypto Soldanis, Maſſilienſes mercatores cum Avennicis & Lugdunenſibus bis quotannis Alexandriam navigantes, inde aromata merceſque alias in Provinciam totamque Galliam importabant. Quod commercium ſibi poſtea vindicavêre Veneti, quibus dein quæſtum invidit Luſitanorum navigatio. Hodieque Maſſilienſes Alexandriæ ad Iſſum Vice-Conſulem ſuum habent, Conſulem Halapiæ Syriæ, unde aromata, goſſipium, piſtacia, gemmas, margaritas, monetam auream & ſericum, ut & in Cypro apud Arniquam, unde goſſipium, ladanum, reſinam è terebintho & crocum petunt. Ab urbe hac oſtium Rhodani tertium ampliſſimumque *Maſſilioticum* dicitur: item *Gradus Maſſilitanorum* in Rhodano, *littus Phocaicum* in Hiſpania, Mare *Græcum,* quod toti Septimaniæ ac Provinciæ præjacet, Mare *Maſſilienſe* circa Maſſiliam & Stœchades Inſulas, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Adde prædictis Auctoribus Ruffinum, Solerium & Guenajum *Hiſt. de Marſeille.* Noſtradam. & Boucheum *Hiſtor. Prov.* Robertum & Sammarth. *Gall. Chriſtiana*: qui ex priſcis ſæpiſſime laudant Ptol. *l.* 2. & 5. Strabon. *l.* 4. Ariſtotel. *Politic. l.* 6. Juſtin. *l.* 43. Athenæum *l.* 13. Amm. Marcellinum *l.* 15. &c.

MASSILIÆ Specula, vicus Provinciæ, in ora maris Mediterranei vix 2. leuc. à Maſſilia in Ortum, ubi pharus, è qua Maſſilienſes animadvertunt naves proximè adventantes. *Baudrand.* αὐτόπτης. *Marſeille veire.*

MASSILIENSES, qui & *Semipelagiani,* vide *ibi.*

MASSIMA, Guluſſæ fil. Maſiniſſæ regis Numidiæ nepos, Romæ, ex inſidiis, à Bomilcare quodam interfectus eſt.

MASSONIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

MASSONIUS Papyrius, vide *Papyrius.*

MASSUS, tertius Epiſcopus Pariſienſis, Malloni ſucceſſit, auctor *Hiſt. Martyrii S. Dionyſii & Eleutherii*: quod opus periit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 2.

MASSYLA, mediterranea eſt pars Mauritaniæ, inquit Servius, *in l.* 4. *Æn. v.* 483. unde non longè ſunt horti Heſperidum, & Atlas mons. Apud Livium in Numidia ponitur. *l.* 24. *c.* 49. Populi *Maſſyli.* Μασυλῆες *Dionyſio,* quos Plinius *l.* 5. *c.* 4. inter Capſitanos, & Gætulos apud Libyæ deſerta locat Hi neque frænis, neque ephippiis utuntur, ſolâ contenti virgâ, quâ equos regunt. Lucan. *l.* 4. *v.* 682.

Et gens, quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo,
Ora levi flectit frænorum neſcia virgâ.

Martialis *l.* 9. *Epigr.* 23.

Et Maſſylæum virga gubernat equum

Item *Maſſylus* adjectivum. Silius: *l.* 1. *v.* 101.

Non ille Evantis Maſſyli palluit iras.

Nic. Lloydius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MASTA, Æthiopiæ ſub Ægypto mons, & civitas, *Ptol. Grari* incolis hodiè, teſte *Joh. Barojio.*

MASTATIUM, vulgo *Matas*, caſtrum Galliæ cum titulo Comitatus. Hoc cum Martiliaco *Marcillac*, à quo non longè abeſt, extruxit Vulgrinus, Comes Encoliſmenſium, Petrocoriorum & Aginnenſium, circa A. C. 870. vel 880. contra Normannos, cum quibus illi ſæpenumero fuit confligendum. Inter Milites poſtea & Armigeros, qui Philippum Franciæ Regem, Comiti Fuxenſi bellum inferentem, ſequuti ſunt, A. C. 1271. memoratur præter cœteros, *Robertus de Maſtacio*, Vide Hadr. Valeſ. in voce *Martiliacum.*

MASTAURA, *Leunclavio Meſtaurebe*, urbs Lydiæ, ſic à *Ma* appellata, quæ Rheam ſequebatur, cui Jupiter Bacchum nutriendum dedit. Quum verò à Junone *Ma* interrogaretur, cujus eſſet infans, Ἄρεος, id eſt, Martis eſſe reſpondebat. Atque hinc apud Cares Bacchus *Maſaris* vocatus fuit. Ipſa etiam Rhea *Ma* vocabatur, cui taurô apud Lydos faciebant. Vide *Steph.*

MASTELINUS Marcus, vide *Marcus.*

MASTHALA, Arabiæ Felicis urbs, *Ptol.*

MASTIANI, populi, juxta Herculis columnas, ab urbe *Maſtia* dicti, *Steph.*

MASTIGIA, apud Recentiores, ſcutica eſt ex corio confecta, quâ Monachi præcinguntur, vide Guibertum *de Vita ſua l.* 3. *c.* 5.

MASTIGOPHORI, Lictores, qui virgas in ſacris certaminibus ferentes, inſolentiam certantium ſpectantiumque coërcebant: Meminit illorum Arcadius *l. ult.* §. 1. *de muner.* Item, qui Agonothetas in certaminibus comitabantur & ſcribæ Magiſtratus perſonali munere ſerviebant, Jul. Pollux *l.* 3. *ſub fin.* Vide quoque Xiphilinum *in Nerone.*

MASTINUS Scaliger, Veronæ Dominus, Parmam, Lucam & Patavium in ſuam poteſtatem redegit: conjuratione tamen totius Italiæ perterritus, Patavium quidem fœdere ictô dimiſit, Parmam tamen & Lucam retinuit. *Blond. Platin.*

MASTITÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto gens, & in Ægypto, *Ptol.*

MASTOR, Mycenarum Rex, à Perſeo patre ſecundus, Electryona Alcmenæ patrem ſucceſſorem habuit. Joh. Marshamus *Canonone Chronico Sec. XI.*

MASTRAMELLE, urbs & palus Celticæ, *Steph. Maſtramela* Plinio, cujus hæc ſunt verba *l.* 3. *c.* 4. *Ultra foſſæ ex Rhodano, C. Marii opere, & nomine, inſigne ſtagnum Maſtramela, oppidum, Maritima Avaticorum.* Eadem itaque eſt Maſtramela, & Maritima. Vide etiam *Aſtromela.* Nunc *Martegue* vocatur oppidulum, & lacus quem obſtruit, *Lac de Martegue.* Apud Feſtum Avienum memorantur hôc locô:

——Oppidum priſcum Ramas,
Trabalæ paludes.——

Sed profectò portentosè locus ille eſt inquinatus. Totum itaque ſic legit Voſſius:

Gens hic Veragri: Bergineque civitas,
Salyes atroces, oppidum Maſtramelæ
Priſcum paludis, terga celſum prominens
Quod incolentes Mithariſtium vocant.

Nic. Lloydius.

MASTRUCA, apud Arnobium *adv. Gentes l.* 2. *Indicet, in quos habitus veſtis ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophium — calautica, mantele*, maſtruca, *ſoccus, ſolea, calceus?* Seu *Maſtruga*, Sardorum vox. Quintilianus *Orat. Inſtitut. l.* 1. *c.* 5. *Maſtrugam, quod Sardum eſt; illudens Cicero ex induſtria dixit.* Locum Ciceronis indigitat Iſidorus *Originum l.* 19. *c.* 23. ubi ſimul quid voce denotetur, exponit: *Maſtruca veſtis Germanica, ex pelliculis ferarum, de qua Cicero pro Scauro: Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum maſtruga mutavit*: Iſidoro de re ſufragatur Papias, *Maſtruga veſtis Germanica ex pelliculis ferarum.* Et Prudentius *contra Symmachum l.* 2. *v.* 695.

Tentavit Geticus nuper delere tyranus
Italiam, patrio veniens iratus ab Iſtro
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Solvere, maſtrucis *Proceres veſtire togatos.*

Vide quoque Hieronymum *Dial. I. contra Luciferianos initiò*, ubi *ob Sardorum maſtrucam tantùm Dei filium deſcendiſſe* negat, & G. Elmenhorſt *in Arnobium d. l.*

MASTUSIA, *Ptol.* Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Capo Griego, Nigro*, promontor. Cherſoneſi Thraciæ, in ora Auſtrali contra Sigeum, 163. mill. paſſ. ab Athomonte in Ortum.

MASTUTIUS, vide MATUSIUS.

MASTYA, oppidum Mileſiorum, in Paphlagonia, Plin. *l.* 6. *c.* 2. inter Tejum & Cromnam.

MASULEPATANUM, Gallis *Maſulepatan*, urbs & emporium regni Golcondæ, in ora ſinus Ganget. Cum portu capaci, valde ab Europæis frequentato, ubi aliàs arx Luſitanorum.

MASURIUS, ſeu MASUERUS, vel MASURERIUS, JCtus Gallus, ſcripſit *Practicas Forenſes*, A. C. 1560. Ejus non ſine elogio meminit Covarruv. *Pract. quæſt. c.* 17. Vide & *Ludovicus.*

MASURIUS Sabinus, eques Romanus, JCtus, auditor, & ſucceſſor Attei Capitonis. Meminit illius Perſius. *Sat.* 5. *v.* 90.

Exceptô ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Similiter Pomponius *Pandect. de Origine Juris.* Citatur ſubinde ab *A. Gellio.* Scripſit Faſtorum, & rerum memorabilium libros, Commentarios de Indigenis, de Jure civili, de Furtis. Porro jam quinquagenarius, quum inopiâ magnâ laboraret, ab auditoribus ſuſtentatus eſt. Floruit ſub Tiberio, à quo ut ſibi de Jure reſpondere liceret, obtinuit. Athenæus *l.* 14. hæc de eo habet, Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφὸς, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος. Vide etiam Plin. *l.* 7. *c.* 5. Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 4. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 21. *&c.* Alius eſt, cui Paulus aliquot libros ſcripſit, *l.* 2 *Inſtitut. c.* 14. Vide & *Sabinus.*

MASYNTIAS, nomen Servi, apud Ariſtoph. *Veſpis.*

MATAFUNDA, apud Monachum Vallis Sarnaji in *Hiſtoria Albig. c.* 86. machina bellica eſt, lapides ejaculans.

MATAJA, vulgò *Mataya*, provinc. Americæ meridionalis juxta fluv. Amazonum, inter oſtia Maderæ & Tapaiſæ flum. *Petr. Texeira.*

MATALIA, *Ptol.* oppid. olim, nunc pagus Cretæ, in ora Auſtrali ad Electræ fluvii oſtium. Inter Pſychium oppid. ad Occaſum & Leonem promontor. ad Ortum. *Matalia*, & *Matala* hodie.

MATAMANUM, vulgò *Mataman*, regnum Africæ infer. in ora Occidentali maris Æthiopici, inter regnum Benguelæ ad Boream, & oram Caffrorum ad Meridiem.

MATANIA, vulgò *Matan*, una ex Philippinis, inter Cebuam ad Boream & Mindanoam ad Auſtrum. Aliàs Regem habuit proprium, dein Hiſpano paruit, nunc iterum ſui juris, à paucis annis.

MATAPUTINA, i. e. devincens meretricem, *Mate putain*, caſtrum Galliæ, ab Henricô I. Angliæ Rege A. C. 1119. conditum: hodieque proximus Albæmarlæ viculus, *Vieil Rouën.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MATARACIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

MATARIS ſeu MATARA aut *Matarus*, teli genus, ſeu miſſile: paulo quàm lancea minus; cujus Siſenna apud *Nonium* meminit. Gallis proprium, *de Bello Gall. l.* 1. *c.* 26. ubi de Helvetiis, *Nonnulli inter carros rotaſque* mataras *ac tragulas ſubjiciebant, noſtroſque vulnerabant.* Et Livius *l.* 7. *c.* 24. *Conſul, dum inter primores incautus agitat, lævô humerô* matari *propè trajectô, ceſſerat parumper ex acie.* Vide Turnebum *Adverſar. l.* 9. *c.* 7. Sed *Marcellus Donat.* mendum in textu eſſe non dubitat, & loco *matari*, reponendum *materi.* Nam μάτερις πάλτε τὶ εἶδος, h. e. *materis jaculi ſeu teli ſpecies eſt*, uti docet Strabo *l.* 4. *Geogr.* Et *Nonius Marcellus*, *materim* teli genus poſt lanceam longius dixit. Hinc *Siſenna, Galli materibus, Suevi lanceis configunt.* Et alibi, *Lanceis & materibus medium perturbant agmen* &c. Unde Gallorum *mater*, vincere ad anguſtias redigere, præſertim in ludo Scacchorum uſitatum, Vide *infrà.*

MATATANIA, regiuncula, in parte Orientali Madagaſcariæ, prope oram littoralem & Matatanum fluvium, ubi aliquot coloniæ Francorum, à paucis annis. Gallis *païs de Matane.*

MATAURUS, urbs Siciliæ à Locris condita, *Steph.*

MATELGÆ, oppidum Garamantum, Plin. *l.* 5. *c.* 5.

MATENI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens, *Ptol.*

MATEOLA, urbs Archiepiſcopalis provinc. Hydruntinæ, ad amnem *Canapro*, in limite Baſilicatæ. Deficit in dies, 30. milliar. ab Acherontia in Ortum, totidem à Taranto in Occaſum, & 25. à Bario in Meridiem; *Matera* vulgò. Olim Apuliæ Peucetiæ, in confinio Lucaniæ fuit urbs, ſed ejus hodie idem cum Acherontia Archiepiſcopus eſt.

MATER, ut fiat fœmina, fit uxor, ob hanc ſpem & omen, *Matrona* dicta, ut infrà videbimus. Hinc ſi non ad propoſitum reſponderet, nec ad certum diem, fœcunditas, quamvis *Seneca* moneret, *Expecta modò, pariet*, impatientia ſuborta, cujus rei exemplum etiam, in Rachele, S. pagina exhibet Gen. *c.* 30. *v.* 1. Pagani inprimis, hujus moræ impatientes, cum partus tempore, quaſi ad arbitrium ſuum, tranſigebant; quum Naturæ hoc jus ereptum ad Deos ſuos transferrent, ſed fictitios, quos ad partes vocabant. Hinc ſuper *Priapi ſcapum* novæ Nuptæ ſedere cogebantur, apud Romanos, teſte Auguſtinô *de C. D. l.* 7. *c.* 24. ut citiùs conciperent; & Lupercis ſeſe offerebant, ferulâ caprinâ pelle corioque tectâ cædendas. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 142.

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Quod propriè *catomidiari* dictum; κάτωμον enim pars ſub collo Græcis eſt, quâ verbera Matronæ excipiebant: quamvis & manibus nonnunquam, Ovid. *Faſtor l.* 2. Geſtabant præterea pyxide Lyden, immenſô prolis deſideriô, quô Reip. augendæ causâ, connubii retinendi, & ob jus trium liberorum, ardebant. Supplicationes inſuper & vota Veneri Genetrici, apud Romanos; Τριτοπάτορσιν ſeu Θεοῖς γενεθλίοις, apud Athenienſes, magis pro filiis, gemelliſque, quàm filiabus concepta, quæ illud includebant, ut ſimiles fierent Parentibus. Gravidæ jam hæc feliciùs ut aſſequerentur, braſſicam comedebant, aliaque faciebant, de quibus infrà latiùs dicemus, in voce *Puerpera.* Zonam inprimis, in Templo Dianæ, ut commodiùs fieret geſtatio, ſolvebant, quam primiparæ eidem deinde ſuſpendebant cum veſtimentis. In lecto jam cubantes celebrabant Parilia dum pro naſcituris vota fierent primò Genitæ Manæ, exin Poſtverſæ & Proſæ: tandem inſtante jam partu, Eugeriæ & Fluoniæ; Uterinæ item, Alcmenæ, Vitumno, Sentino, apud Romanos quibus Genetyllis acceſſit, apud Athenienſes. In ipſo partu, ſi difficilior nixus, Nixii Dii invocati; alioquin lucis cauſam Lucinam familiaris erat advocandi mos; cui vota ipſæ nuncupabant puerperæ. Quibus peractis ipſô puerperii momentô uxor fiebat puerpera & Mater, quæ prolem *edere* dicebatur, quemadmodum pater *ſuſcipere.* Quam in rem vide plura apud Thom. Bartholinum *lib. de Puerperio Veter.* & infrà *d. l.* Quia autem ſic iis longa novem tulerunt faſtidia menſes, hinc tenerior illarum in ſobolem amor. Unde Papinius Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 33. ubi de Archemori funere,

Aſperior contra, planctuſque egreſſa viriles
Exemplô famulas premit, hortaturque volentes
Orba parens, laceraſque ſuper procumbere nati
Reliquias ardet, totieſque avulſa refertur.
Arcet & ipſe pater.

Certè earum luctu majorem partem Tragicarum fabularum conſtare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtare, notum. Vide quoque infrà, ubi de Veterum *Planctu*. Atque ab eadem cura eſt, quòd (ut alia omittam) elegantes in bellum euntibus pueris, vel alioquin, veſtes ſuâ manu *Matres* olim texerent. Uti de Atlanta & Parthenopæo loquens idem Stat. teſtatur *Theb. l. 9. v. 690.*

Ipſe his Oebalio ſaturatam murice pallam,
Lucenteſque auro tunicas, hoc neverat unum
Mater *opus, tenui collectus in ilia vinclo.*

Vide quoque *Theb. l. 8. v. 565.* &c. & plura hanc in rem, apud Caſp. Barthium *Animadverſ. ad d. l.* nec non hîc paſſim. Eaſdem filiabus nuptiales faces prætuxiſſe, apud Græcos & Barbaros diximus ſuprà, voce *Fax*. In Eccleſia Romana *Mater Monaſterii*, & *Mater* abſolutè, Abbatiſſa dicitur, Monialium præfecta, uti refert Greg. M. *l. 7. ind. 2. Ep.* 28. &c. De origine vocis aliquid infrà, voce *Mithra*.

MATER Caſtrorum, dicta Julia Auguſta ſeu Domna, uxor Severi Imperatoris, è qua Caracallam ac Getam genuit: in *Inſcr. veter.* Florentiæ ſuperſtite: apud J. Sponium *Itinerar. Græc. Part. 3. p. 55.* quæ ſic habet:

JULIÆ DOMNÆ AUG. MATRI
CASTRORUM MATRI AV
GUST ......IMP. CÆS. L. SEP
TIMI SEVERI PII PERTINACIS
AUG. CONIVGI Q. SILICIUS
VICTOR ET C. TADIUS FOR
TUNATUS OB HONOREM
FLAM. SVI PERPETUI STA
TUAM CUM BASE EX HS BI
NIS MILIB. N. LEGITIMIS AD
JECTIS TERTIS EX DECRETO
PAGANORUM PAGI MERCU
RIALIS S. P. F. IDEMQUE DEDI
CAVERUNT.

Eodem elogiô poſtmodum ornata Victorina vel Victoria, Victorini mater, qui unus è XXX. Tyrannis, Lollianô interemptô, Imperium arripuit. Pollio *in Lolliano c. 5.* Victorina *poſtea Mater Caſtrorum appellata eſt & Auguſtæ nomine affecta.* Vide quoque eum in *Victorino, c. 6. Tetrico Juniore, c. 25.* & *Victoria c.* 31. Sed & in veteribus nummis legitur, VICTORIA. MATER. CASTRORUM. F. M. P. A. cujuſmodi ex ære, auro & argento, nummorum formas ſuô adhuc tempore apud Treviros extitiſſe, idem addit, locô ultimô dictô.

MATER Magna, Terra dicitur, & ſus prægnans ei mactabatur, quæ hoſtia eſt propria Terræ. Dicitur & *Mater Alma*, quòd omnia alat. Item *Mater Deûm*, quòd omnia generet. Vocatur item *Phrygia*, à monte Phrygiæ, quem plurali numerô *Dindyma* vocant. Vide *Cybele* & *Matres*.

MATER Matuta, vide *Matuta*.

MATER Monaſterii, vide ſuprà in voce *Mater*.

MATER Puerorum, vide ſuprà *Caprimulgi*.

MATER *familiâs*, Æolio Melliſſo *l. de loquendi proprietate*, dicta eſt, quæ ſæpius peperit, ſicut *Matrona*, quæ ſemel, apud A. Gellium *l. 18. c. 6.* Sed hic nullis id veterum Scriptorum auctoritatibus confirmari poſſe dicens, probabilius cenſet, *Matronam dictam eſſe propriè, quæ in matrimonium cum viro conveniſſet* (ut infrà latiùs dicemus in voce *Matrona*) *etiamſi liberi nondum nati forent ——— Matrem autem familiâs appellatam eſſe eam ſolam, quæ in Mariti manu mancipioque aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioque eſſet, quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet.* Quibus paria Servius habet *Æn. l. 11. v.* 476. In manum verò mariti mulier veniebat per coëmptionem. Unde Boëthius *ad Topica Cicer. c. 3. Matresfamilias*, inquit, *erant quæ ducebantur per coëmptionem.* Et Servius ib. *quæ in manum per coëmptionem convenerunt, nam per quandam juris ſolennitatem in familiam migrant mariti.* Quod quô modô quâve ratione fieret, vide ſuprà ubi de *Coëmtione*: & plura hanc in rem, apud Oiſelium *ad Gell. d. l.* ut & infrà voce *Nuptiæ*.

MATERÆ Deæ, quibus haſtæ olim dicabantur, affigebanturque.

MATERANUM, vulgò *Materan*, & *Materaw*, urbs ampla & primaria Javæ inſula, caput regni cognominis in parte Auſtrali Inſulæ, 100. leuc. à Bantamo in Ortum, Balambuanum verſus 120. ſed 40. tantùm à Japara in Meridiem. Hujus Regi ſubfuit olim tota Java, ſed regna in parte Boreali jam dudum ab eo defecerunt.

MATERIA, apud Vitruvium *l. 2. c. 8. Sed noſtri celeritati ſtudentes, erecta coria locantes, frontibus ſerviunt & in medio farciunt fractis ſeparatim cum* materia *cæmentis*, i. e. fractis lapidibus cum calce: ferrumen eſt è calce & arena. Et paulo ſuprà, *Utraque autem ex minutiſſimis ſunt inſtruenda, uti materia ex calce & arena crebriter parietes ſatiati, diutiùs contineantur.* Imò totô hôc capite *materiam* appellat, iſtiuſmodi ferrumen ad farciendos & conſolidandos parietes. Haud diſſimili ratione, *Materiam* vocabant farinam aquâ conſperſam & ſubactam, quam vulgò *paſtam* dicimus, *intritam* Plinius appellat, *l. 35. c. 14. Quin & intritam ipſam eorum, priusquam fingantur macerari oportet* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 379. Alias *Materia*, ſeu potius *Materies* de Ligno Græcè τὸ ξύλον neque niſi de magnis arboribus. Idem *ibid. p.* 463. & 1035.

MATERIÆ Infames, ſive *Inopinabiles* A. Gellio dicuntur, quas Græci ἀδόξους appellavêre; de quibus is ita *l. 17. c. 12. Infames materiàs, ſive quis mavult dicere inopinabiles, quas Græci* ἀδόξους ὑποθέσεις *appellant, & veteres adorti ſunt, non Sophiſtæ ſolùm ſed Philoſophi quoque --- vel ingenio expergificando; vel exercendis argutiis vel edomandis uſu difficultatibus. Sicuti quum Therſitæ laudes quæſivit* (Favorinus) *& quum Febrim quartis diebus recurrentem laudavit* &c. Adde, Sophiſtas ut plurimum hujuſmodi *Materias* pertractandas ſuſcepiſſe oſtentationis causâ, ut ſcil. de re naturâ exili, & ob improbitatem aut tenuitatem non ſatis ad dicendum idoneâ, eloquentiæ & ingenii ſui vires oſtenderent, ſpecioſâ & ad pompam elaboratâ oratione. Unde Ennodius *l. 1. Ep. 6.* de Fauſto, qui Cornum, materiam, ut ipſe exiſtimabat, illaudabilem & abſurdam, magnis laudibus evexerat: *Tanti*, inquit, *fuit, divitias facundiæ in rebus laude carentibus oſtentare.* Vide quoque Sidonium Apollinar. *l. 8. Ep.* 10. & Iſocratem *Orat. de Laud. Helenæ.* Sic itaque Gorgias omnibus orationis copiis probare conatus fuit, *Nihil eſſe in rerum Natura, quod verè ſit.* Dio Pruſæus *Pſittacum* miris laudibus extulit; Polycrates *Mures*; Lucianus *Muſcam*; Syneſius *Calvitium*; Ariſtophanes *Paupertatem*; Alcidamas *Mortem*, Pittacus *Molam*; Mich. Pſellus *Pulicem*: Polymates & Iſocrates *Buſiridem*; Elienſis quidam adoleſcens *Podagram*, *Surditatem* & *Cæcitatem*, ut refert Philoſtratus in *Vita* Apollonii *l. 4. c. 9.* alii aliàs id genus materias. Ad quorum exemplum, inter Recentiores, quidam fecêre *Moriæ* encomium, alii luſêre in laudibus *Aſini*, *Entis rationis*, *Ovi*, *Pediculi* &c. Vide Jac. Oiſelium JCtum *Not. ad Gell. l. cit.* & infrà ubi de *Sophiſtis*.

MATERIALES, dicebantur olim Valentinianis Hæreticis omnes illi, qui ſectæ ipſorum non adhærebant quorumque animas unà cum corporibus in morte corrumpi delirabant; imitati Stoicos, qui non niſi Sapientium animas poſt mortem ſuperſtites eſſe, docebant. Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theolog. Gentil. c.* 17. §. 11.

MATERIANUS Peſcennius, inter Nobiles Romanos juſſu Severi, ſine cauſæ dictione, interfectos, apud Spartianum. *in Severo c.* 13.

MATERIARIA, Fabrica, Dædali inventum, Plin. *l. 7. c. 56.* Vide ſuprà *Materia*.

MATERIS, vide ſuprà *Mataris*.

MATERNENSE, aliô nomine *Elobremenſe* caſtrum olim Galliæ, vulgò *Marné*, vel *Marnay*, nunc vicus eſt, non procul ab Auguſtoduno. Ejus meminit Auctor *vitæ Heptadii Presbyteri*, civis Auguſtodunenſis, qui intra caſtri Maternenſis terminum, nutritus ibi dicitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MATERNUM Genus, apud Iſraëlitas, inprimis ſpectatum, quum de puris natalibus ageretur, qui ad ſucceſſionem requirebantur. Unde puri ſatis, Natales habiti, quantum ad nobilitatem Iſraëliticam & dignitates omnimodas (præter Pontificalem ac Sacerdotalem) tametſi patre quis genitus eſſet ſanguinis non Iſraëlitici, qua de re fusè agit Jo. Seldenus *de Jure Gentium & Natur. l. 2. ubi de Proſelytis, Herode Rege aliiſque huc ſpectantibus agitur.* Vide de *Campanis*, *Ilienſibus*, *Ponticis*, Ulpianum *l. 1. §. 2. ff. ad Munic.* Idem de Antiochenis, habet Julianus Auguſtus *C. Theodoſ. l. 10. tit. 1. l. 51.* & *C. Juſtin. tit. de Decurionibus l.* 22. De Xanthiis quibus à *Matribus* propterea nomen imponi ſolitum, Plut. *de claris mulier. c. 9.* imò Lyciis cunctis, Herodotus *l. 1.* Et conſonum eſt illud Virgilii de Drance, *Æneid. l. 11. v.* 340.

———*Genus huic* Materna *ſuperbum*
Nobilitas dabat.———

Sed & de nobilitate à *Matre* ſola præſtita, recentiora habentur exempla, in Campanis, Trecenſibus, Senenſibus, Clarimontanis Galliæ, de quibus vide Dionyſ. Gothofredum *ad l. 1. D. de Munic.* Imò recentiſſima, in variis Indiæ gentibus, quorum ſceptra non ad Regum filios, ſed nepotes ex ſororibus, devolvi patrius mos eſt; uti pluribus videre eſt, apud Petr. de Vallé *Itinerar. Parte IV.* Ex jure autem Cæſareo, *exemplo Senatorii ordinis, Patris originem municeps unuſquiſque ſequatur*, *C. Theodoſ. l. 12. tit. 1. l. 101.* & *C. Juſt. tit. de Decurion l.* 36. nec valuit contra Reſcriptum Principale; quo privatus quis ex Materno ſanguine ſibi privilegium vendicaret, licet jus ejuſmodi civitatibus aut provinciis integris ritè ſatis, ut in ante dictis, concederetur, qua de re plura congeſſit A. Tiraquellus *de Nobilit. c. 12. §. 20. &c.* Certè ad *Materni ſanguinis* ſolius, inter homines, dignitatem ſpectat haud parùm egregium Juliani Auguſti commentum illud, ubi de Diis, veluti Jove, Apolline, aliis, locô Patrum nonnullis habitis, differens, *Orat. 2. de Conſtantii Imperatoris geſtis*, eouſque ſanguinis apud homines *Materni* ſolius (Patribus humanis ſpretis) vult haberi rationem, ut, quoties cuiquam Viro præclaro ac virtute eminentiùs prædito defuerit ejuſmodi Pater humanus, eidem divinus ſeu è Deorum cœtu aliquis fuerit pro Patre aſſignandus, à quo, ut à matris amatore, adeoque per matrem, apud homines, ſolùm nobilitatus fuerit: apud Joann. Seldenum *de Synedriis veter. Ebraor. l. 3. c. 9.* Ratio hujus moris inde nonnullis arceſſitur, quòd, ut Homer. ait *Od. α. v.* 216.

----- ὃ γάρ πω τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.
Patris nemo ſibi conſcius ipſe eſt.

Et *Menander*

Α'υτὸς ὀδεὶς οἶδε πῶς ἐγείνατο,
Nemo ipſe novit, quô ſit exortus ſatu.

Qui & alibi,

Ε'στιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρὸς,
Η' μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ' οἴεται.
Mater teneriùs liberos adamat patre:
Quia mater *eſſe ſcit ſuos, pater autumat* &c.

Ideo ratio reperienda fuit, inquit H. Grotius, *quâ probabiliter conſtaret, quis eſſet partus cujuſque pater, de Jure Belli & Pacis l. 2. c. 7.* §. 8. ubi hanc in rem plura.

MATERNUS, Conſul cum Bradua, An. Urb. Cond. 927.

MATERNUS, D. Petri diſcipulus Coloniæ primus fidem

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Chriſti annuntiavit. Munſt. *Coſmogr. l.* 3.

MATERNUS, Senator Roman. Imperio à militibus deſtinatus de quo ſic Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 6. *Timebatur autem militia ſub ſene Imperatore. Denique tertium Nonarum diem Votis ipſis milites Triarium* Maternum *Laſcivium, Senatorem nobilem, ducere in caſtra voluerunt; ut eum rebus Romanis imponerent: ſed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in palatium venit, & poſt ex urbe diſceſſit.* Ubi pro *Laſcivio* Regius codex *Lasgurum* habet, *Caſaubon.*

MATERNUS, militiæ deſertor, bellum Deſertorum excitavit, Herodiano memoratum uni, in *Commodo. l.*1. *c.*10

MATERNUS, vide *Julius Firmicus Maternus*, & *Curiatius Maternus.* Item, Epiſcopus Colonienſis, deputatus ad Donatiſtarum cum Epiſcopo Carthaginienſi diſſidia cognoſcenda.

MATERTERA, apud Papinium Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 24.

Ad gemitus ſylvis comitatus & amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter Matertera *vatem,*
Omnis Apollineus tegeret Bacchique Sacerdos:

Græcis μητραδέλφη eſt, *matris ſoror.* Orpheus hinc Calliopes fil. octo cæteras Muſas *materteras* habuit, i. e. matris ſorores. Sic Cyrillus *in Gloſſar.* Μητρὸς ἀδελφὴ, *Matertera.* Philoxenus *in Gloſſ. Matertera*, Μητρὸς ἀδελφή. Θεία πρὸς μητρός. Idem tamen docet, & Novercam hôc nomine cenſitam: *Matertera & Noverca*, μητρυιά. quod ſanè inauditum. Quare *Mater ſcæva. Noverca*, μητρυιά: Vel *Mater læva*, i. e. infelix, inimica, ſcribendum eſſe, conjicit Caſp. Barthius *Animadverſ. ad Statium d. l.*

MATGENUS, *Menandro Epheſio* Μέτγηνος ſeu Μέτινος, Tyri Rex poſt Badezorum patrem: vixit ann. 31. regnavit ann. 9. ſucceſſore Pygmalione, quem vide.

De MATHA Johannes, vide *Johannes.*

MATHAN, Deiparæ Virginis avus, *Hieronym.* Item pater Saphatiæ, Jer. *c.* 38. *v.* 1. Prior potiùs avus Joſephi, ſponſi Virginis θεοτόκου (qui apud Bedam & alios Auctores dicitur *Mathat*, quo modo apud Lucam ſcriptum eſt) & *Melchi*, ambo è tribu fuerunt Juda, ambo è domo Davidis; ſed tamen è diverſis familiis orti: *Matthan* è Salomone oriundus; à Nathane, fratre ejus, *Melchi* ſive *Mathat.* Quorum ille prior uxorem duxit Eſtham. Ἐστὶ γὰρ καλεῖσθαι τὴν γυναῖκα παραδέδοται, inquit *Africanus.* Sed Hebraicum eſt אשה, neque proprium nomen fœminæ, ſed commune omnium: ut ſi dicas, ἡ ἄνδρα vel ἀνὴρ, fœmininô genere. Ex Eſtha natus eſt Matthani Jacobus; deinde Matthane mortuô eadem nupſit τῷ *Melchi* ſeu *Mathat*, è quo conjugio Eli genitus eſt. Sic Jacobus & Eli frater uterini, eandem quidem matrem, ſed diverſos patres habuêre: è quibus Eli, cùm uxore ductâ diſceſſiſſet improlis; Jacobus ei ex Moſis lege ſemen excitavit & è relicta conjuge Eli ſuſtulit Joſephum: naturâ quidem filium ſuum, ſed beneficiô Legis filium Eli, &c. Ita quidem præfatus Africanus, ex traditione antiqua, quam à Deſpoſynis Domini, ut ait, & cognatis, acceptam, *Ep. ad Ariſtidem* retulit. Verùm quid hac de re ſentiendum, vide apud Caſaubonum *Exercitat. I.* §. 17.

MATHANA, ſolitudinis nomen. Num. *c.* 21. *v.* 18.

MATHANAI, nomen viri, Eſdr. *c.* 10. *v.* 33.

MATHANIA, ſive MATHANIAS, fil. Joſiæ, patruus Joachin, frater Joacim, ſive Eliacim, à Nebuchodonoſor Sedecias dictus 2. Reg. *c.* 24. *v.* 1. Vide *Sedecias.* Fil. Micha. 1 Paral. *c.* 9. *v.* 15.

MATHANIAN, nomen viri, 1 Paral. *c.* 25. *v.* 4.

MATHAT, pater Eli, patris Joſeph viri Mariæ, Luc. *c.* 3. *v.* 24. Matth. *c.* 1. v. 15. illum Eleazari filium facit, & Mathanem vocat: quod hinc factum, quia ex hoc quidem genitus, ab illo verò adoptatus eſt. Torniel. *A. M.* 3911. *num.* 2. 4037. *num.* 5. & 6.

MATHATHÆI, Arabiæ Felicis populi, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

MATHATHIAS, Sacerdos, ex familia, Joarib Machab. ſeu Aſſamon. dicti ab Avo, Pater Judæ Machabæi, vir pietate clarus, Judæum quendam idolis palàm ſacrificantem, juxta mandatum Antiochi zelô Domini accenſus, occidit ad altare ipſum, quod & diruit: ac mox etiam interfecit Antiochi Regis Legatum, præcipientem idolis immolare. Idem poſtea author fuit, pugnandi Judæis, etiam die Sabbathi, cum jam mille occubuiſſent, religiosè nimis obſervantes hunc diem. Multi itaque Judæorum adjunguntur Mathathiæ, & ſibi judicem creant, qui & Sabbathis eos docet pugnare: quod ſi non feceritis, inquit, vobiſmet ipſis eritis hoſtes, in illo die contra vos venientibus inimicis. Sic arma corripiens, cum filiis quinque patrias leges adverſus Antiochi duces vindicavit, præfuitque populo annum unum, ſcil. Mundi 3887. ante Chriſtum natum 167. Vide *l.* 1. Macchab. *c.* 2. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 12. *c.* 7. & *l.* 1. *de Bell. Jud.* Hoc initium Principatus Aſſamonæorum, qui duravit uſque ad Herodem, fermeque ſemper Pontificatum annexum habuit: quam dignitatem Mathatiæ primogenitus Judas Machabæus, primus poſſedit. Vide inſuper Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.*

MATHATIAS, primogenitus Sellum Coritæ, 1 Paral. *c.* 9. *v.* 31. Sacerdos, 2. Paral. *c.* 15. *v.* 18.

MATHERA, urbs Italiæ à Græcis deſtructa, A. C. 979.

MATHERIUS Creſcens, Miniſter Eccleſiæ Baſtonienſis, & Rector Collegii Hovardienſis, Cantabrigiæ in Nova Anglia, *de Converſione Indorum Occid.* Anglorum zelô procuratâ, *Epiſtolam* ſcripſit *ad Joh. Leuſden Profeſſ. Ultrajectinum* lectu digniſſimam *Baſtonio d.* 12. *Julii A. C.* 1687.

MATHESILANUS Matthæus, vide *Matthæus.*

MATHESIS, vide *Quadrivium.*

MATHESIUS Johannes, Rochlicius, ex familia virorum doctorum ferace, aliquandiu domeſticus Lutheri, in valle Joachimica poſtea Euangelii Miniſter, facundiâ, zelô, eruditione inclytus, ſæpius narrare ſolitus eſt, in Communione Romana, cujus membrum fuerat uſque ad annum ætat. 25. Decalogi, Symboli Apoſtolici & Orationis Dominicæ nullam unquam mentionem ſe audiviſſe. Obiit trihoriô poſt concionem de reſuſcitatione mortuorum habitam, A. C. 1565. ætat. 51. Thuanus *Hiſtor.* Scripſit vernaculô ſermone plurima, de quibus vide *Elog.* Teiſſierii *part.* 1. & Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione claror.*

MATHIAS, Huniadis fil. Ungariæ Rex, A. C. 1460. magnam Bohemiæ partem ſubegit, poſteaque Bohemorum Rex electus eſt. Vide quoque *Matthias.*

MATHIAS, frater Jonæ, ſummus Judæorum ſacerdos. A. C. 45.

MATHILDIS, filia Balduini, Flandriæ Comitis, uxor Guilielmi Angliæ Regis; Obiit A. C. 1083. Item, alia Angliæ Regina, quæ obiit A. C. 1118. Item, mater Ottonis M. Item uxor Henrici V. Imperatoris filia, Angliæ Regis.

MATHILDIS, vel *Matildis*, quædam virili animô mulier, Tuſciæ Comes, filia Bonifacii Regi, Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ, & Mantuæ Marchionis, (cui pater Theobaldus, ex Azonis, de quo vide in voce *Welfi*, ſtirpe oriundus erat) ex Beatrice, an filiâ Conradi II. Imperatoris, quæ Bonifaciô maritô orbata, Godofredo Barbato Duci inferioris Lotharingiæ nupſit. Hujus fil. cognomine inſuper *Gibboſus* dictus, paulò antè Hedwige Namurcenſi, ſorore Alberti II. Comite viduatus, Mathildi fidem matrimonii dedit, ſed conjugium ſucceſſu caruit, & poſt Ducis mortem, nupſit Mathildis Guelpho Juniori Bavariæ Duci nepoti Azonis, Ferrariæ Marchionis A. C. 1089. Sedis Romanæ partes cum zelo amplexa Henrico IV. Imperatori acriter ſe oppoſuit, ipſa ſæpe in acie militum ductrix. Parmam, Mantuam, & Ferrariam cepit, A. C. 1101. Adulterii cum Gregorio VII. qui Wormatiæ in Synodo, Necromantiæ, adulterii aliorumque ſcelerum accuſatus legitur, *Lamb. Schaffnaburgenſ.* ſuſpecta, omnes ſuas ditiones Romanæ ſedi legavit: Hinc patrimonium Petri. Obiit nullâ ex maritis prole ſuſceptâ, A. C. 1115. ætat. 76. *Abbas Urſperg.* &c. De donatione ejus, vide in voce *Italia.*

MATHIS, ſeu MATIS, *Caſtaldo Matin*, fluv. Macedoniæ apud Pyrrachium.

MATHITÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto populi Plin. *l.* 6. *c.* 30. *Matites* fortè *Ptol.* quos in Libya interiori deſcribit.

MATHO, Afer quidam ſeditioſus, cujus hiſtoriam vide apud Cæl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 2.

MATHO, cauſidicus, de quo Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 32.

Cauſidici nova cùm veniat lectica Mathonis
Plena ipſo. ——

Idem alibi *Sat.* 7. *v.* 129.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit.

Ubi *Lubin. Dejicit.*

MATHUMANNUS, Maſiniſſæ fil. apud Solin. *c.* 4.

MATHUSAEL, fil. Mehujael, Gen. *c.* 4. *v.* 18. Lege *Methuſaël.*

MATHUSALEM, fil. Henoch, filii Jared. Natus A. M. 688. cùm Pater eſſet ann. 65. Genuit Lamechum, patrem Noahi, A. 875. Obiit Ann. M. 1656. ætat. 969. paulo ante diluvium: Inter omnes homines longiſſimam vitam adeptus. Gen. *c.* 5. *v.* 21. Luc. *c.* 3. *v.* 37. *Torniel. Salian.* &c.

MATIANA, pars Mediæ, Steph. *ex Strab.*

MATIBERNI, in *Charta* Alani Comit. Britanniæ A. C. 1087. apud Argentreum *Hiſtor. Armor. l.* 1. Procerum genus.

MATICA, provinc. regni Apalacatarum, in Florida. Verſus Apalatæos montes, ubi aliquot coloniæ Anglorum, à paucis annis. *Matique* vulgò, *Briſtochius.*

MATIENA, quod & *Tiora* Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Umbriæ oppid. eſt, in quo quatèr prata ſecantur, *Vincentinô* authore.

MATIENI, populi Aſiæ Armeniis proximi. De quibus Dion. *v.* 1002.

Ἀνέρες Ἀρμένιοί τε καὶ ἀγχέμαχοι Ματιηνοὶ
Οὔρεσι κεκλιμένοι, ποταμοῦ πρόπαρ Εὐφρήταο
Πιόν.ς ἀφνειοί τε, καὶ Ἄρεος εὖ δεδαῶτες.

Item populi Cappadociæ, ad dextram Halys ripam.

MATILICATES, populi Piceni, quorum oppidum hodiè *Matelica* dicitur, oppid. Piceni, in ditione Pontificis verſus montes, 9. milliar. à Septempeda in Occaſum. 7. à Fabriano in Ortum, 17. ab Æſi in Auſtrum.

MATINUS, mons Apuliæ buxis abundans. Lucan. *l.* 9. *v.* 184.

—— —— *Arva*
Vulturis, & calidi lucent buxeta Matini.

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 28. *v.* 2.

Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera. —— ——

Item *l.* 4. Carm. Od. 2.

——*Ego apis Matinæ*
More modoque &c.
Carmina finga.

Idem *in Epod. Od.* 16.

Padus Matina laverit cacumina.

Hinc *Matini* populi. *Nic. Lloydius.*

MATISCO Æduorum, urbs Galliæ Epiſcopalis, primùm memorata Cæſ. *de bello Gall. l.* 7. *c.* 90. ad Ararim fluv. in *veteri Notit.* inter provinc. Lugdunenſis primæ civitates ultima ponitur. Ibi olim ſagittæ fabricabantur, quippe *Notit. Imper. Roman. Fabricam Matiſconenſem ſagittariam*, præter cæteras, in Galliis fuiſſe, docet. Habuit quondam ſuos Comites præpotentes & nobiles, unde inter Burgundiæ Vexilliferos Milites Philippi Auguſti *Comes Maſticonis* numeratur. Quintæ ſedis locum in Primatu Lugdunenſi obtinet: è cujus Epiſcopis, Placidus, Concilio Aurelianenſi 3. & 4. Chelidonius Lugdunenſi 2. Euſebius Lugdunenſi 3. interfuêre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fuêre. Varia quoque in ipſa hac urbe concilia habita ſunt. Plura vide paulò infrà in voce *Matiſcona.*

MATISCONA, ſeu MATISCO, urbs Galliæ Celticæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Lugdunenſi ad Ararim fluv. ſæpius exciſa fuit: ſemel ab Attila: iterum per Francos. prætereà tempore Lotharii Imperatoris Ludovici Pii filii; tandem tempore Ludovici Junioris à latronibus deſtructa eſt. Comitatus titulô claruit, quem Francorum Rex Ludovicus IX. vulgò *Divus* dictus, emit a Johanne & ejus uxore, Comitib. Matiſconenſibus. *Metel. Merula.* Posteà aliquoties à corona ſeparatus, ſemper tamen iterum illi reunitus eſt. Diœceſis Matiſconenſis 226. habet Parochias, ſub 4. Archipresbyteris: Cluniacenſi quoque Abbatiâ, celebris, &c. Meminit urbis jam Cæſar *Comm. l.* 7. *c.* 90. ubi ait, *Ciceronem & Sulpitium Matiſconem Cabillonemque miſſos eſſe, commeatuum causâ.* Petr. Julian. *in antiq. Burg.* Adrian. *in theatr. Urb.* Severt. *Hiſt. Præſul. Matiſcon.* Robert. & S. Matth. *Gall. Chriſt.* Hîc Concilium à Guntramo Rege A. C. 581. celebratum, ut & A. C. 585. à Guntramo & Childeberto diſciplinæ Eccleſiaſticæ cauſâ. Gregor. Turonenſ. *l.* 8. *c.* 1. 7. *&* 20. Item A. C. 627. &c. Vide Morer. *in Dict. Hiſt.* Eſt hæc urbs in Burgundiæ Ducatu, hodiè *Maſcon. Antonin. Matiſconenſe caſtrum* vocat. *Baudrando* urbs Æduorum eſt, in limite Seguſianorum aliàs, nunc in Burgundiæ Ducatu in confinio Breſſiæ. Media inter Cabillonum & Lugdunum, 11. utrinque leuc. Satis culta, in colle. Hinc tractus, *le Maſconnois.* Vide & *Matiſco.*

MATISSA, Corſicæ inſul. oppid. *Ptol. Matagi*, à Bonifacio oppido litorali 9. mill. paſſ. in Boream, inter Moram & Allinam urbes.

MATIUM, urbs Archiepiſcopalis Cretæ in ora Boreali, primaria, & caput inſulæ, *Candia* teſte *Pinetô.* Permunita eſt cum portu ſatis capaci, arce, & armamentario: Venetis erepta à Turcis, A. C. 1669. poſt aliquot annorum obſidionem. Tota ferè nunc deſolata, paucisque inculta, cùm anteà eſſet celebre emporium. In planitie, ad montium radices. Item Themiſcyræ regionis urbs. Plinio *l.* 4. *c.* 12. circa Colchidem.

MATRA, Veneris cognomen apud Perſas.

MATRACHA, urbs Thraciæ mediterraneæ una ex metropolibus Patriarchæ Conſtantinop. jubjectis. *Curopalat.*

MATRALIA, matris Matutæ feſta, Idibus Junii celebrari ſolita; de quibus vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 4. & 10. Ritus ſacrorum hic erat; Aditu templi ſervæ prohibebantur, exceptâ unâ, quam Matronæ introducebant, colaphos genis ejus infligentes, quod ex æmulatione hujus Deæ adversùs maritum profluxiſſe arbitratur *Plut.* Dein Matronæ ſororum liberos, in hoc feſto, pro ſuis in ulnas accipiebant, iiſque bona precabantur: Denique ea agebant, quæ Bacchi nutricibus, & caſui, in quem Ino propter pellicem incidit, convenirent, Vide Plut. *Camillo*, Item *in Quæſt. Rom. quæſt.* 16. *&* 17. Libum, quod cum offerebatur, *Teſtuatium*, quia *in teſta calida* coqueretur, dictum fuiſſe. Varro teſtatur *L. L. l.* 4. Sacra prolixè deſcribit Ovid. *Faſtor. l.* 6.

MATREAS, Alexandrinus quidam, qui Romanis, Græciſque admirationi fuit, quòd diceret feram à ſe nutriri, quæ ipſa ſemet voraret: ut vel anxiè ſcrutentur multi, Τὸ Ματρέα θηρίον τί ἐςι, i. e. *Quænam ſit Matreæ fera?* Euſt. *in Odyſſ. α.*

MATRED, mater Meetabel, uxoris Adar, Regis in Edom ſeptimi, Gen. *c.* 36. *v.* 39.

MATREIUM, & MATREIO, Rhætiæ oppid. in Comitatu Tirolenſi. *Matran Pirchaimero.* Aliis *Matray*, caſtrum ejuſdem Comitatus ad amnem *Ulz*, ad radices Alpium, 2. leuc. ab Oeniponte in Meridiem.

MATRES, apud Plut. *Marcello*, quem locum attulimus voce *Enguium*, Ciceroni *in Verrem IV.* ſingulariter effertur, *Matris Magnæ fanum apud Enguinos eſt.* Ea eſt *Mater Idæa*; & *Deorum Mater*, vide eundem *in Verrem* & Joh. Marshamum *Sec. III.* ubi de Θεοπτίᾳ, ac *Sec. IX. ubi de Cadmo*, it. hîc ubi de *Cybele.* Fuêre autem hæ Epiphaniæ ſeu Manifeſtationes (quales *Matrum* prædicat Euguium nobilitâſſe Plutarchus) Deorum patriorum maximè & domeſticorum. Dio Chryſoſtomus *Orat. Tarſic. I. Dicunt, conditores, Heroas ac Deos urbes ſuas frequenter adire in feſtis & diebus ſolennibus; aliis autem inconſpicuos eſſe.* Cujuſmodi apparitiones illi ſignis ſubitis & inſolitô delubri ſplendore teſtabantur. Claudian. *Raptu l.* 1.

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & clarum diſpergere culmina lumen,
Adventum teſtata Dei ——

Vide quoque voce *Epiphanes*, & *Epiphania.* Addo ſaltem, Deorum Matris primam ἐπιφάνειαν in Cybelis, Phrygiæ monte, contigiſſe Annô Atticô 77. regnante Athenis Erichthoniô. In nummis, triplex Deæ Schema, *Stantis*, *Sedentis*, *Aurigantis.* Vide & *Cybele*, ac de cultu ejus plura apud præfatum Equitem Illuſtr. *Sec. IX.*

MATRICA, Pannoniæ inferioris oppidum. *Antonin. Thelen Simlero* Budâ 2. leuc. in Auſtrum ad Danubium.

MATRICARII, in *Novell.* 13. *de Prætore* Pleb. in *Notis* quibuſdam vetuſtis, ad Juliani Patricii Epitomen exponuntur de illis, *quos videmus ad incendia currentes & portantes ſpongias, cum ferramentis, & alia ferramenta, per quæ poſſint de pariete in parietem tranſire, & ita incendium extinguere.* Sic dicti, quòd in *matriculam* Prætoris Plebis eſſent relati, *B. Briſſonius.*

MATRICENSIS Pagus, vulgò *Madrie*, à quo Theodebertus Comes Matricenſis dicitur Eginhardo *in Annalibus*, irrigatus amnibus Auturâ *Eure*, Ittone, Arva *Aure*, & Maldrâ *Maudre*, Nelfam *Neaufle*, alluente; ab urbe Ebroicis & Ittone amne, ad Arvam uſque & Vernonem oppid. pertinuiſſe videtur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MATRICETAS, Aſtronomus, Methymnæ, ex monte Lepetymno aſtra ſpeculabatur. Vide Salmaſ. in Solin. *p.* 747.

MATRICULA, vox nota Jureconſultis, catalogus, deſcriptio, index: Ματρίκιον καὶ ἀρχέτυπον τῆς Νυμιδίας, in *Cod. Canon. Eccl. African. can.* 86. Apud Scriptores Eccleſiaſticos duplex fuit *Matricula*; *Clericorum*: in quam Clerici Eccleſiarum referebantur, qui eô nomine ſtipendiorum Eccleſiaſticorum erant participes; item in qua Clericorum Hebdomadariorum in Eccleſiæ Officiis munus indicatum: & *Pauperum*: in qua pauperum qui ab Eccleſiis alebantur, nomina erant deſcripta. Et quidem hi *Matricularii* inde dicti, memorantur Aldhelmo *de Anatol. & Vict. Omne patrimonium & ornamentorum gloriam* &c. *mancis &* Matriculariis *prodigâ liberalitate contulerunt.* Ad quæ verba bene Meurſius, *ex Gloſſis Iſidori in Gloſſar. Matricularius*, inquit, *pauper*; *inops*: quam interpretationem ipſe confirmat Aldhelmus, *in op. metr.* cùm ut hîc *mancos* & *matricularios*, ita *mancos* & *pauperes* vel *egenos* conjungit. De Martino,

Dum ſtirpem manci & peplum ferret egenis.

De Lucia:

Pauperibus ſtirpem tribuens & munera mancis:

Denique, de Anatoſia & Victoria:

Cunctaque pauperibus mox ornamenta miſellis,
Nil ſibi ſervantes, vendunt pro ſtipe ſuperna.

Ratio nominis jam indigitata: Uti enim olim nomina illorum, qui frumentum de publico accipiebant, æreis tabellis notabantur; ſic & pauperum, quos alebat Eccleſia, nomina *matriculis* inſcribebantur, ut noſcerentur & ordine citari, atque ad nomen reſpondentes, Principum & Eccleſiæ liberalitate foverentur: Iſti dicebantur *Inciſi*, hi *Matricularii. Teſtamentum* Remigii: *Pauperibus duodecim, in matricula poſitis, ante fores Eccleſiæ expectantibus ſtipem, duo ſolidi, unde ſe reficiant. inferentur.* Atque ut illos *incidi* dictos legimus, cum referentur in numeros ac catalogos frumentantium: ſic hos *expungi*, cum eis diſtribuebatur, cujus gratia nomina, ut ſic dicam, facta, atque in matriculam perſcripta erant. *Expunctus manipulus* & *expungi nomen*, apud Plautum *Ciſtell. Actu.* 1. *ſc.* 3. *Expunguntur milites*, cùm militiæ munere, *expunguntur pauperes*, cùm inopiæ onere ad tempus levantur. *Expunguntur nomina*, quæ ſolvuntur: *expunguntur pauperes*, quibus ſolvitur, quod gratuitum propter Chriſtum debet Eccleſia. *Expunctæ rationes*, in libris Juris, cum paria ſunt facta: *expuncti*, quorum cum neceſſitatibus paria fecit Eccleſia. Hinc ergo *Matricularii*, qui & referebantur in matriculas & expungebantur. Optatus *diſpungere* dixit, *l.* 3. *qui pauperes ubique diſpungerent.* Minus quidem propriè ſed etiam rectè: antecedens namque ponitur pro conſequenti, vel initium actionis pro actione tota: ut *commiſſum prælium* dicimus, pro *pugnato. Diſpungere* enim *rationes* eſt ſubducere & ſummam facere: id quod præcedit, & ideo fit, ut expungantur. Quare & *Tertullianus* ſæpe illud pro hoc uſurpat. Et, ut videtur, etiam Pacianus *in Paræn. Deſpectus multis Spiritus S. hæc nobis capitalis periculi conditione legavit,* Ubi vir doctiſſimus, *Deſpectis*, vel *Deſpectis in idoliis. Gronov.* legit: *Diſpunctis tam multis.* Loquitur enim de variis obſervationibus legis ceremoniarum, quibus adſtricti fuerant olim Judæi, quibuſque ſanguis Domini, ſacrificiorum finis, ſolvit atque emancipavit fideles: cum exceptione trium illorum capitum, quæ Actorum *c.* 15. *v.* 29. exprimuntur. Vide Gronov. *Obſervat. in Eccl. c.* 8. & la Cerda *Adv. ſacr c.* 21. *&* 76. Alebantur autem in domo peculiari, ad oſtia Ædium ſacrarum ut plurimum exſtructâ, quæ & ipſa *Matricula*, quemadmodum & Ædes nonnunquam ſacra, ei vicina, vocabatur: cujuſmodi domibus certi reditus, quibus alerentur pauperes, erant adnexi. Vide ſuprà *Manſionarius.* Inter *Matricularios* verò *Primicerii Matriculariorum* erant, qui è numero reliquorum ſelecti, aliorum vitæ moribuſque invigilabant, uti habet Chrodegangus *Reg. Canonic. Metenſ. c. ult.* ubi multa de *Matriculariis*, & quomodo ad pietatem hi ab Epiſcopis formarentur. Porrò ex *Matriculariis* eligebantur quidam ad viliora Templorum adjacentium munia, verbi gratiâ qui campanas pulſarent, Ædium ſacrarum cuſtodiam haberent, eas verrerent, mundarentque & hujuſmodi, ita ut deinceps, in alimoniæ mercedem, Eccleſiarum obſequiis totos ſeſe darent. Atque inde *Matriculariorum* in Eccleſiis Parochialibus origo, quorum ſedes ideo ad Templi fores hodie, in Eccleſia Romana aſſignantur, quòd eas obſervarent: vel, ut alii putant, quod Matricularum, quæ ad oſtia Ædis ſacræ erant, eſſent cuſtodes pauperumque alimoniis invigilarent, quod quidem munus ſeu onus ipſis poſtea Parochianis attributum: Erant verò *Matricularii*, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegialibus, ex ordine Clericorum & Laicorum, quorum munia ita exequitur Auctor *Hiſtoriæ Epiſcoporum Autiſſiodor. c.* 59. *Sacriſta providere tenetur & exhibere Clericum unum Matricularium & alios, qui campanas pulſare, & ea quæ ad officium ſuum pertinent, valeant exercere. Epiſcopus tres* Matricularios, *unum videl. Clericum, quem attitulavit Altari ſanctæ Crucis in eadem Eccleſia, ut ibi ſerviret in officio Sacerdotis, medietatem beneficii ejuſdem Altaris illi matriculariæ perpetuô jure annectens. cum centum ſolidis in denariis Pentecoſtalibus de Varziaco percipiendis annuatim, & duos Laicos, quibus ſingulis decem libras in reditibus aſſignavit.* In Eccleſia Pariſienſi, *Matricularii* Sacerdotes ſeu *Clerici*, quatuor inſtituti fuêre ab Odone Epiſcopo, de quorum officio agitur in *M. Paſtorali l.* 20. *ch.* 8. De *Matriculariis* verò *Laicis* ejuſdem Eccleſiæ, idem agit Odo in *Charta anni* 1204. quæ *ibidem* habetur, &c. *Matricularii* tandem in Monaſteriis munus ita deſcribitur, in *libro Ordinis S. Victoris Pariſ. MS.* apud *Car. du Freſne*, *c.* 21. *Sacriſta ſocium & coadjutorem habere debet Matricularium Eccleſiæ, ad cujus officium ſpecialiter pertinet horas Canonicas nocte & die, ad officium celebrandum conſtituere, ſigna pulſare, horologium temperare, ad matutinas & in æſtate, poſtmeridianam; ad excitandos Fra-*

tres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tres in dormitorio, nolam pulſare, oſtia Eccleſiæ ſtatutô tempore claudere & aperire, & his, qui vel ad januas Eccleſiæ vel Chori pulſant, ad eorum cauſam cognoſcendam occurrere -- Matricularius adjuvare debet Sacriſtam in Eccleſia purganda, in lampadibus & præparandis &c. Plura hanc in rem vide apud præſatum *Car. du Freſne*, Macros Fratres in *Hierolexico*, hîc infrà, in voce *Nutricarii.* Uti autem *Matricularii*, ſic *Matriculariæ*, Diaconiſſæ, Presbyteræ, Viduæ, quæ in matriculam Eccleſiæ relatæ, beneficiis & reditibus Eccleſiarum alebantur, occurrunt apud Flodoardum; *Hiſt. Rom. l.* 1. *c.* 9. *Spelmanno Matricula* eſt Regiſtrum, quô ſcribebant olim eorum nomina, qui in Eccleſiis Cathedralibus ad Baptiſmum perducti ſunt: qui ritus apud Anglos teſtitutus eſt à Thoma Cromvello, A. C. 1538. Hinc *Matricularius*, qui in Matriculam, vel Xenodochium: namque & pro hoc Matricula apud veteres ſumitur, aſcriptus eſt. *Matriculariæ* viduæ, in Concilio Laodicenſi *c.* 11. quæ apud Græcos Presbyteræ. Vide Henr. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

MATRICURIA, matrona, quæ ædis ſacræ curam habebat, Græcis *Presbytera*; *can. Mulieres diſt.* 32.

MATRIMONIUM, vide ſuprà in voce, *Conjugium*: & infrà ubi de *Nuptiis*: uti de ritu *Matrimonii nomine potandi*, mediô ævô inolitô, voce *Potandi.*

MATRINUS, fluv. Piceni, juxta Adriam urbem. Strabo *l.* 5. *Ptol. Librata*, teſte *Pyrrhô Ligoriô.* Aliis *la Piomba*, amnis Aprutii Ulterioris prope Adriam Urbem.

MATRIOLÆ, vulgò MAROLLES, duæ ſunt in Gallia, in agro Pariſienſi, alteræ in Decanatu Linarienſi, inter S. Germanum de Caſtris & Ludovillam: alteræ in Decanatu Moiſſiaci Epiſcopi, prope Suciacum *Suſſy*; Hadr. Valeſ. in voce *Pariſii.*

MATRONA, propriè quæ in matrimonium cum viro conveniſſet. Hinc Servius ad *Æn. l.* 11. *v.* 476. notat. *Matronam dici, quæ in matrimonium cum viro convenerit, & in eo matrimonio manſerit, etiamſi liberi nondum nati fuerint, dictam matris nomine, ſpe atque omine; unde & Matrimonium dictum* Itaque *Matronas* A. Gellius *l.* 18. *c.* 6. vocat, quas Cicero *in Topicis c.* 3. ſimpliciter *Uxores* appellat: quæ ſcil. in matrimonium conveniſſent; quô denotabant, eam uxorem, non concubinam fieri, & in matrimonium, non concubinatum eſſe datam. Unde Plautus *Trinummo, Actu* 3. *ſc.* 2.

Sed ut inops infamis ne ſim: ne mihi hanc Famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis, quàm in matrimonium.

Feſtus autem ait, *Matronas eas eſſe, quibus ſtolas habendi jus erat*: Sic *Matronæ* dicerentur notæ auctoritatis ſpectatæque vitæ ac pudicitiæ fœminæ. Ut apud Livium *l.* 1. *Ut nulla, niſi ſpectatæ pudicitiæ Matrona, & quæ uni viro nupta eſſet, jus ſacrificandi haberet.* Quod de ſtola modò dictum, inde deſumtum eſt, quod habitu *Matronæ* à fœminis non bonæ notæ diſcernerentur. Poſtquam enim apud Romanos Toga penes viros remanſit, ſolaſque fœminas, quæ ſe viris vulgarent, *Matronarum* fœminarumque honeſtarum propria fuit tunica, quam *Stolam* dixerunt, & pallium ſive palla. Horatius, *l.* 1. *Sat.* 2.

Ad talos demiſſa ſtola & circumdata palla.

Unde apud Livium, ubi de matre & uxore Coriolani, *l.* 5. *c.* 21. *plus ſalutis Reip. in ſtola quàm in armis fuiſſe*, legimus: & propterea Martialis ſtolam pro *Matrona* poſuit *l.* 10. *Epigr.* 5.

Quiſquis ſtolæve purpuræve contemtor.

Stolam autem ad talos demiſſam, ut dictum ex *Flacco*, & inſtitâ ad oram ornatam fuiſſe, docet Turnebus *Adverſar. l.* 29. Unde iterum Horatus, *loc. cit.*

——— *Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.*

In quæ verba *Porphyrio Matronas*, inquit, *ſignificat.* Erat itaque hæc ſtola, tunica manuleata ſive manicata, ad imas plantas fluens; inſuper purpurea, ſegmentis ſive limbis aureis ornata, eademque multis rugis ac plicis conſtricta: quâ totum corpus operiebantur, ut nihil præter faciem appareret. Cùm libertinæ & quæ ſtupri licentiam vulgaverant, non cervice modò, ſed humeris atque lacertis conſpicuis eſſent, & quia altiùs tunicas ſuccingebant, crura pedeſque aureis circulis cultos oſtentarent: Proſtibula verò brevibus tunicis, ad inſtar virilium, & togâ uti cogerentur. Præterea *Matronæ* à Libertinis, crinium ſertis diſtinguebantur, quæ ſolæ habere poterant, novum diſcrimen à Senatu adjectum, ſcil. Vittæ, ſive faſciolæ; cùm nec Libertinis nec Meretricibus Vittæ Stolæque jus eſſet: Unde apud Ovid. *Segmenta aurea, Vitta*, quâ coma ligabatur, & *Stola* perpetuò conjunguntur. *l.* 3. *Ep.* 3. *ex Ponto.* & *l.* 2. *Triſt.* Tibull. *Eleg.* 6.

——— *Quamvis non vitta ligatos*
Impediat crines, nec ſtola longa pedes, &c.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria part.* 1. *l.* 3. *c.* 17. & 23. Apud Athenienſes quoque à *Matronis* & pudicis fœminis meretrices veſtibus & mundô fuiſſe diſtinctas, docet Lex illa: Τὰς ἑταίρας ἀνθινὰ φορεῖν, *Meretrices floridas veſtes indutæ ſunto*: memorata *Suida.* Quam ſuis Locrenſibus quoque Zaleucus poſuit, teſte *Diodorô Sic.* & eâ uſos eſſe Syracuſanos; docet Philarchus apud Athenæum *l.* 12. Quanquam non ferebant, ut videtur, Athenienſes meretrices non magis quàm eas in quibus adulteri eſſent deprehenſi, ornatas prodire in publicum, unde auro illis interdictum, &c. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 6. *tit.* 5. Porrò, *Matronis* apud Romanos honos habitus, ut pilentô ad ſacra ludoſque, carpentis feſtô profeſtôque uterentur. Liv. *l.* 5. *c.* 25. *Cujus* (auri à Camillo, ex præda Vejentana, Apollini perſolvendi) *quum copia non eſſet*, Matronæ *cœtibus ad eam rem conſultandam habitis & communi decretô pollicitæ --- aurum & omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè Senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt Matronis habitum, ut pilentô ad ſacra ludoſque, carpentis feſtô profeſtô-que uterentur.* Iiſdem ſolennis laudatio poſt mortem conceſſa, apud eundem *l. cit. c.* 50. ubi de Gallis Româ exactis & ab eodem Camillo victis fuſiſque, *Jam antè in eo religio civitatis apparuerat, quòd quum in publico deeſſet aurum; ex quo ſumma pactæ mercedis Gallis confieret, à Matronis collatum acceperant; ut ſacrô aurô abſtineretur.* Matronis *gratiæ actæ, honoſque additus: ut earum, ſicut virorum, poſt mortem ſolennis laudatio eſſet* &c. Elegantem *Matronalis lecti* deſcriptionem exhibet Apulejus *l.* 10. *Met. Dii boni qualis ille, quàm præclarus apparatus? Quatuor Eunuchi confeſtim pulvillis compluribus ventosè tumentibus, plumâ delitatâ nobis cubitum præſtruunt. Sed & ſtragulâ veſte, aurô ac murice Tyriô depictâ, probè conſternunt ac deſuper brevibus admodum, ſed ſatis copioſis pulvillis, aliis nimis modicis, queis maxillas & cervices delicatæ mulieres ſuſfulcire conſueverunt, ſuperſtruunt* &c. Ubi videmus, *plumeis* etiam *pulvillis* uſos Romanos, iiſque ad partes corporis ſcitè conformatis & compoſitis. Sed hæc ſequiori ævô, ubi luxus invaluit. Vide quoque Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. & ad eum *Animadverſiones* Caſp. Barthii: uti de ultimo officio ſuppliciô afficiendis, à *Matronis* honeſtis nobilibuſque præſtari ſolito; aliquid infrà ubi de *Murrato vino.*

MATRONA, Juno dicta eſt, quòd iis præſit mulieribus, quæ aptæ ſunt, ut fiant matres.

MATRONA, fluv. Galliæ in Lingonum montibus naſcens, unaque cum Sequana Belgicam dirimens à Celtica. Vulgo *la Marne. Baudrando* in Campania oritur, prope Andomatunum Lingonum, in vico ſylvæ Lingonicæ Baliſma, locô, cui nomen *Marmote*, 1. milliar. ab urbe Lingonum in Auſtrum, diſtante; dein in Arctos tendens, Lingones rigat, Calvum montem, Joanvillam, Fanum S. Deſiderii, Victoriacum Francicum, & Catalaunum, Campaniæ Urbes, uti & Sparnacum, Dormanum, Caſtrum Theodorici, Meldas & Latiniacum, Gornacum, Foſſata & Carentonem, tandem aliquot fluviis, Vangione nempe *Vingnory*, Bloſiâ *Bloiſe*, Saltu *Saux*, Saldâ *Saude*, Mucrâ majore *Morin*, Urco *Ourc*, & Mucrâ minore *le petit Morin*, auctus, ad pontem Carentonium, Sequanæ miſcetur, 2. leuc. ſuprà Lutetiam in Ortum. Sed Belgas à Celtis non ſeparat; ut nec Sequana. *Baudrand. Valeſius* verò Auſonium Gallos ſeu Celtas à Belgis hôc fluviô diſtinguentem, his verbis, *in Moſella:*

Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non, Gallos Belgaſque interſita fines.

verè id feciſſe ſtatuit: Addens, Sequanam quidem, fluv. inferiorem, exactè id non facere, quod tamen Julius Cæſar, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. Plin. *l.* 4. *c.* 17. *Ptol. Amm. Marcellin.*, aliique plurimi affirmant, *Notit. Gall. Matrona*, quoque eſt nomen montis, vulgò *le Mont Genevre*, inter Seguſionem & Brigantionem poſitus, ſed huic propior. Ejus meminit Euhodius Epiſcopus Ticinenſis:

Matronas tacio.

Ei caſus nobilis fœminæ nomen dedit, teſte *Ammianô.*

MATRONÆUM, Græcis, Ματρωνικὸν, apud Anaſtaſium *in Symmacho, Fecit cameram & matronæum, & ſuper confeſſionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apoſtolos poſuit, qui penſant libras vicenas*: locus in Æde ſacra videtur eſſe, *matronis* aſſignatus, qui *Pars matronarum* in *Ord.* Rom. *Matroneum ſeptum*, apud eundem Anaſtaſium in *Gregorio IV.* & *Pars mulierum*, alibi dicitur. Vide Car. du Freſne *Not. ad Alexiadem p.* 420. & *in Gloſſario*, ut & Dominicum Macrum in *Hieroloxico.*

MATRONALIA, nomen feſti, apud Romanos à matronis, in Martis honorem, celebrati ipſis Kal. Martii. Vide Ovid. *Faſt. l.* 3. Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 7. &c. Hujus quinque cauſas recenſet & Ovid. *Faſt. l.* 5. Quarum prima eſt, quod mulieres Sabinæ à Romanis raptæ, ſuâ interceſſione atrox bellum, quod inter maritos & patres atque amicos fervebat, ſedaviſſent. Altera, ut favore Martis eam felicitatem conſequerentur in filiis, quam videbatur is Deus Iliæ conceſſiſſe. Tertia, quod menſe Martiô terra fœcunda eſſet, quales Matronæ fieri cuperent. Quarta, quòd Kal. Martiis Junoni Lucinæ templum datum eſſet in Eſquiliis: Ultima, quòd Mars Junonis, quæ conjugiis præerat, filius diceretur. Erat hic primus olim anni dies, quô *Matronæ* ſervis cœnas appoſuêre, quemadmodum Saturnalibus Viri, & ſibi invicem munera mittere ſolitæ ſunt. Vide Joh. Roſin. *loc. cit.*

MATRONIANUS, Præfectus Prætorio, ſub Carino Imperatore cujus primò conciliator fuerat. Vide Vopiſc. in *Carino, c.* 16. Vide & *Latronianus.*

MATROUS, is tibiæ ſonus dictus eſt, qui in Magnæ Matris ſacris olim uſurpabatur: in illis enim tibiam ſimul ac lyram adhibitam fuiſſe, ex *Horatio* annotant Eruditi. Eum à Marſya inventum fuiſſe, notat Pauſan. in *Phocicis.*

MATSUMAJA, regio in ora Auſtrali terræ Eſonis, verſus Japoniam, & fretum Sangarium, nuper à Batavis detecta, verſus oram littoralem tantùm; *Matzumay*, vulgò.

MATTA, Gallis *Natte*, ſtorea, teges, vox Veterib. nota. Ovid. *Faſt. l.* 6.

——— *In plauſtro ſcirpea* matta *fuit.*

Monachis in multo uſu, ut quas ipſimet conficiebant, in quibus etiam cubabant, orationes fundebant, collationes habebant & ſpiritum exhalabant: quæ omnia idoneis Autoribus probat *Car. du Freſne.* Vide quoque infrà in voce *Pſiathus.* Hinc *Mattarii*, appellati Manichæi, ut auctor eſt Auguſtin. *contra Fauſtum l.* 5. *c.* 5. & Eckbertus Schonauhienſis *Serm.* 1. *adv. Cathar.* quod ſuper arundines & *mattas* accumberent. Vide Joann. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico Theologic. l.* 14. *c.* 2. §. 2.

MATTEA & MATTYA, apud Tertullian. *de Teſtam. Anim. c.* 4. cibi delicati genus, *Athenæo* memoratum. Vide ſuprà voce *Lepus.*

S. MATTHÆI promontor. Galliæ, an *Gobæum Ptol.* in extremis finibus Britanniæ minoris diœceſique Leonenſi, in quo municipium Monaſteriô S. Matthæi inſigne, quæ omnia dicuntur *S. Matthæi finis terræ*, quia ad Oceanum ſunt poſita, vulgò *S. Mahé de fine terre*, alias *S. Mattheu*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MATTHÆUS, ex Publicano Apoſtolus & Euangeliſta, qui & *Levi* dictus, Alphei filius, Mat. *c.* 10. *v.* 3. Quum autem exactor publicorum vectigalium eſſet, vocatus eſt à Chriſto ad miniſterium Apoſtolicum, Euſeb. *l.* 3. *c.* 24. & *l.* 5. *c.* 19. *Ecclef. Hiſt.* vult Matthæum Euangelium ſuum conſcripſiſſe linguâ Ebræâ, vel potius Syriacâ, ut volunt Irenæus *l.* 3. *c.* 1. Athanaſius, *in Synopſi*, *Auguſtin.* Euſeb. *l.* 3. *c.* 18. 24. *&c.* B. Hieron. quoque *in Catal. Script. Eccleſ.* Euangelium Matthæi Ebraicum in Bibliotheca Cæſarienſi extare ait, & à ſe deſcriptum fuiſſe. Quidquid hujus ſit, idem dein Gæcè ex Hebræo tranſtulit, quod tamen alii S. Jacobo vel S. Johanni, Apoſtolis tribuunt. Deſcribit inprimis actiones humanæ CHRISTI naturæ, proin ſub hominis figura priſcis repræſentatus: factum id fuiſſe videtur A. C. 39. vel 40. Nazaræi, poſtquam hujus Euangelium diu illibatum ſervâſſent, tandem tamen multifariam corruperunt, quod & Ebionitæ Cerinthiani ac Carpocratiani fecerunt, qui, occaſione à CHRISTI genealogia captâ, illius Divinitatem hinc negatum iverunt. Sunt qui velint Matthæum, quum Ebræis primum Euangelium prædicâſſet, poſtea diſceſſiſſe, & peragratâ Aſiâ, ac Pontô in Æthiopiam veniſſe, atque ibi Chriſtum annunciâſſe, & tandem ab Hyrtaco quodam ad aram obtruncatum fuiſſe, A. C. 76. Solis leguminibus illum vitam ſuſtentâſſe, refert *Clem. Alexandr.* Vide etiam Hieronym. *c.* 3. *Cat. præf. in Euang. Matth. &c.* Epiphan. *hær.* 29. Origen. *l.* 3. *in Gen.* In hujus *Euangelium* extant: Ambroſii *de Concordia Matthæi & Lucæ*, *in geneal. Chriſti.* Anſelmi *Comm.* Auguſtini *Quæſtiones.* Bertrami *Matthæus Enucleatus*, 4. Arnſtadii A. C. 1651. Bonni *Enarrationes*, 8. Baſil. A. C. 1571. Bredenbachii *Comm.* Coloniæ, A. C. 1560. Buck, *in 8. beatitud. Matthæi Tractatus*, 4. A. C. 1630. Buceri *Explanatio*, fol. Baſileæ A. C. 1556. Bugenhagius *in capita* 3. *priora* Witeb. A. C. 1543. Buonriccii *Expoſitio*, Venetiis A. C. 1577. Chromatii *Diſſertatio in c.* 5. *&* 6. in 8. Baſileæ, A. C. 1528. Chryſoſtomi, item Chytræi *Prælectiones.* Clarii *Orat. in c.* 5. 6. 7. in 4. Venetiis. Crellii Socin. *Commentar. in* 5. *priora Capita.* *Cyprianus.* Danæi *Commentarius.* de Dieu *Animadverſiones*, Epiſcopii Sociniani *Notæ breves*; *in* 24. *priora capita.* *Ferus.* Flinsbachii *Genealogia Chriſti.* fol. Baſileæ A. C. 1567. Fulleri Comm. *in c.* 4. *v.* 11. *pr.* Angl. 8. Londini A. C. 1652. Gerhardi *Annotationes.* Gomari *Explicatio loc. diffic.* Gynæi *Explanatio capitum* 10. *prior.* Heidelbergæ A. C. 1585. *Gualterus.* Guevarra *Comment.* Hegendorffus. in *hiſt. Paſſionis Chr.* Hagenoæ A. C. 1525. *Heſſelius.* Hunnii *Comment.* 8. Francof. A. C. 1602. Junii *Expoſitio.* Kirſtenii *Notæ*, fol. Breslæ A. C. 1611. Lightfoot: *Horæ*, 4. Cantabrig. A. C. 1658. Lutheri *Enarrationes in capita* 6. *prior.* Chriſtiani Mathiæ *Analyſis Logica in* fol. Amſtelod. A. C. 1652. Joh. Meiſneri *Exercitationes.* Munſteri *Annotationes cum verſione*, Baſileæ. A. C. 1582. *Muſculus.* Oecolampadii *Enarrationes*, Baſil. A. C. 1536. Origenis *Tractatus.* *Pareus.* Pelargi *Quæſtiones Euang.* 4. Francof. ad Oder. A. C. 1615. Perkinſii *Expoſitio c.* 5. 6. 7. Pricæi *Annotata*, Pariſiis A. C. 1646. in 8. *Schnepſius*, *Soaretz*, *Socinus*, *Socolarius.* Spanhemii *Dubia Euang.* Spilenberger. *Promtuarium*, 8. Stephani *Nova gloſſa.* *Titelmannus.* Thummii *Exegeſis*, *Cap.* 1. in 4. Francof. A. C. 1619. Toſſani *Notæ.* Winſtrupius, &c. Plures vide in Guil. Crowæi *Elencho.*

MATTHÆUS, I. Dux Lotharingiæ, fil. Simonis I. ex Adelheida, ſorore Lotharii Imperatoris. Ex Bertha, ſorore Friderici Barbaroſſæ, pater Simonis II. Friderici, qui familiam propagavit, Theodorici Metenſis & Matthæi Comitis Tullenſis, præter duas filias: Obiit A. C. 1207. *S. Marth.* & Vignerius, *orig. Domus Lothar.* Champier, *Chron. Auſtr. & Geneal. Duc.* Edmundus Bullæus, *Geneal. Princip. Lothar.*

MATTHÆUS II. fil. ſecundogenitus Friderici, qui mortuo patruo ſuo Simoni II. filio Matthæi I. ſucceſſerat, Theobaldô I. fratre, poſt prælium Boviniacum, cui interfuerat, mortuô, A. C. 1214. Dux, ſuſcepit ex Catharina Limburgenſi, filia Walerantii II. Fridericum II. qui patri ſucceſſit, &c. Iidem, ut & Rozieres *Stemm. Duc Lothar.* &c.

MATTHÆUS I. cognomine Magnus, Vice Comes Mediolanenſis ex familia Turrianorum, Vicarius Generalis ab Imperatore in Longobardia creatus, hunc alioſque ſtatus occupavit, intricatiſſimis cum Imperatoribus & Papis ſe negotiis involvens. A Johanne XXIII. hæreſeos accuſatus, A. C. 1318. Obiit A. C. 1322. *Corius*, *Villanius*, *Bzovius* &c.

MATTHÆUS II. ſceleribus infamis: à duobus fratribus junioribus occiſus eſt, A. C. 1355. Villan. *l.* 5. *c.* 18. Corius, P. 3.

MATTHÆUS, Patriarcha Conſtantinop. poſt Macarium, depoſitus, Gabrielem, Theophanem & Meletium, vi argenti & amicorum in aula Ottomannica ſucceſſores habuit. Reſtitutus dein, iterum à Neophyto pulſus eſt, ſed factione illius denuo prævalente, ſedem ad finem vitæ tenuit. Seculô præteritô. Genebr. & Gautier. *in Chron.*

MATTHÆUS de Afflicto, JCtus Neapolitanus varia ſcripſit. Geſner. *in Biblioth.*

MATTHÆUS Audebertus, ſcripſit *flores D. Bernardi.*

MATTHÆUS de Aqua Sparta, Funigerorum Generalis, Cardinalis. Obiit A. C. 1302. Scripſit in Magiſtrum Sentent. Epiſtolam ad Rom. &c.

MATTHÆUS Bandinellius, Italus, Dominicanus, A. C. 1500. Egeſippum vertit, vitas Plutarchi contraxit &c. Leand. Alberti *l.* 4. *Vir. Ill. Ord. Præd.*

MATTHÆUS Beroaldus, Pariſinus, Theologus, Hiſtoricus & Mathematicus, in Chronologicis varia edidit &c. Geſner. *in Biblioth.*

MATTHÆUS Blaſtares, vide *Blaſtares.*

MATTHÆUS Boſſius, Veronenſis, Abbas; ſcriptis clarus *Geſn.* ut &

MATTHÆUS de Bové, Veronenſis ſimiliter. *Idem.*

MATTHÆUS Cantacuzenus, fil. Johannis Imperatoris à patre conſors imperii factus & à Philotheo Patriarcha coronatus eſt, A. C. 1354. Dein cum illo, à Johanne Palæologo pulſus, in monaſterium montis Atho ſe recepit: ubi Johannes admiranda ſua opera compoſuit. Mathæus in Canticum Cantic. commentatus eſt, qui liber Romæ impreſſus, Tribuuntur eidem Commentarii in Sapientiam Salomonis, Præcepta ſalutaria, &c. Vide *Johannes V. Imperator.*

MATTHÆUS Chanejus, Carthuſianus Anglus, A. C. 1540.

MATTHÆUS Charreterius Hiſtoriographus, Regi à ſecretis, & Advocatus celebris, ſeculô præteritô fuit.

MATTHÆUS Cracovienſis, Polonus, Presbyter, ab Huſſitis Pragâ pulſus, Pariſiis docuit. Scripſit *de Prædeſtinatione*, *&c.* A. C. 1370.

MATTHÆUS Curtius, Ticinenſis, Medicus: varia ſcripſit. Obiit Piſis, A. C. 1544. Juſtus, *Chron. Medic.* Vander Linden *de Script. Medic.*

MATTHÆUS Debaſcius, Fundator Capucinorum, A. C. 1525. Spoletanus: qui Ordo approbatus eſt à Clemente VIII. A. C. 1528. ſub nomine Fratrum minorum Capucinorum. Obiit Venetiis, A. C. 1552. Boverius *in Annal. Capucinorum*, Morer. *Diction. Hiſt.*

MATTHÆUS Dreſſerus, Erfortienſis, Medicus & Hiſtoricus, auctor *Iſagoges hiſtoricæ.* Seculô præteritô. *Geſner.* & *Vander Linden.*

MATTHÆUS Ebroicenſis, Normann. Dominicanus. A. C. 1390. ſcripſit in Pentateuchum, Eſdram, &c. *Anton. Poſſevin. Senenſ.* Leand. Albert. *de Viris Illuſtrib. Ordinis Dominicani.*

MATTHÆUS Galenus, Zeelandus, doctrinâ inter ſuos inſignis, Guilielmo Lindano, in Academia Dillingana ſucceſſit, dein Duacum vocatus, naſcentis Academiæ Cancellarius factus eſt. Scripſit *Commentarium de Chriſtiano ſacerdote*: *De originibus Monaſticis*, *&c.* Obiit A. C. 1573. à Thoma Stapletono ſucceſſore *funebri oratione* laudatus. Valer. Andreas. *Biblioth. Belg.*

MATTHÆUS Gandavenſis, priſcus Poëta Gallus, ſcripſit varia.

MATTHÆUS Grabo, Saxo, Dominicanus, docuit A. C. 1418. vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ Monachorum, non eſſe meritoria: condemnatus à Martino V. Gerſon *Tom.* 1.

MATTHÆUS Gribaldus, JCtus Tubingenſis, Trinitatem verbique divinitatem negâſſe dicitur, à Spondan. *in Annal. A. C.* 1561. *n.* 33. *&* 35.

MATTHÆUS Gribaldus, & Guarimbertus, ille JCtus; hic Mathematicus, ſcriptis clari, Geſn. *in Biblioth.*

MATTHÆUS Herbenius, Trajectinus, Theologus & Poëta, ſcriptis clarus, Valer. Andreas.

MATTHÆUS Joh. Baptiſta, vide *ibi.*

MATTHÆUS Judex, unus ex Centuriatoribus Magdeburgenſibus.

MATTHÆUS Martinus, Medicus, Vander Linden, *de Script. Med.* Item Franciſcanus, ſcripſit *Appennagium equitis Chriſtiani*, *&c.* Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MATTHÆUS Matheſilanus, JCtus Bononienſis, A. C. 1435. Scripſit *de electione verioris opinionis*, *&c.*

MATTHÆUS Palmerius, Florentinus, ſecul. 15. eruditione inclytus, Florentino Concilio interfuit. Continuavit Chronicon Proſperi, qui Hieronymi, ſicut hic Euſebii, erat continuator, uſque ad A. C. 1449. cui Matthias Palmerius Piſanus additionem attexuit, uſque ad A. C. 1481. Scripſit inſuper bellum Piſanum, vitam Nicolai Acciajoli, de vita Civili, &c. Sed quòd de natura Angelorum, heterodoxe ſcripſiſſet, liber ejus exuſtus eſt. Verrin. *l.* 2. *Florentia Illuſtrata* Phil. Bergom. *in ſuppl. Chron. A. C.* 1439. Volaterr. *Comm. Urb. l.* 21. Paul. Jov. *in elog.* Trithem. *in Cat.* Genebr. *in Chron.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 7.

MATTHÆUS Pariſienſis, Anglus, Monachus Cluniacenſis, ſcriptis inclytus: temporis ſui miraculum. Obiit A. C. 1259. Callebat egregiè Graphicen, Architectonicam, Mathemata, Poëſin. Erat inſignis Orator, Theologus, Hiſtoricus, &c. Zelotes & parrheſiaſtes ingens, Romanæ ſedi Patriæ privilegia imminutum eunti acriter ſe oppoſuit. Vide Card. Baron. *da A.C.* 996. Scripſit *Hiſtoriam majorem*, *libris* 2. quorum prior à Mundo Condito uſque ad Guil. Conqueſtorem, poſterior uſque ad A. C. 1250. pertingit. Dein continuavit eam, uſque ad A. C. 1259. Auctarium addidit Guil. Riſhangerus, itidem Monachus S. Albani, uſque ad A. C. 1273. quô Henricus III. obiit. Idem Matthæus ipſe hiſtoriam ſuam contraxit, *Hiſtoriamque minorem* appellavit: Edidit plura alia. Vide Pitſ. & Balæum, *de Scr. Angl.* Arnolph. Wionem, *in ligno vitæ.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 58. Geſn. *in Biblioth.*

MATTHÆUS Sylvaticus, Mantuanus, Medicus Roberti, Siciliæ Regis, cui A. C. 1336. *Opus Pandectarum Medicinæ* dedicavit, Juſtus; *Chron. Medic.* Vander Linden, *de Script. Medic. Geſner*, *&c.*

MATTHÆUS Vauzellius, Typographus Cœnomanenſis, auctor diverſorum Poëmatum. Item Lugdunenſis, Advocatus Parlamenti Dumbenſis, ſcripſit de Pactis.

MATTHÆUS Villanius, Florentinus, Hiſtoricus inſignis, ſecul. 14.

MATTHÆUS Vindocinus, Abbas S. Dionyſii, Regens regni ſub Ludovico IX. & primus Miniſter Philippi Audacis, à Philippo Pulchro quoque magni habitus, nec non Clemente IV. Nicolaô III.

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& Martinô II. Archiepiſcopatum Turonenſem recuſavit, prudentiâ & doctrinâ incl.tus. Hiſtoriam Tobiæ carmine expreſſit, quod Joh. Heroldus, Germanus, edidit A. C. 1563. Obiit A. C. 1286. S. Marth. *Gall. Chr. T. 1. de Archiepiſcopis Turonenſ. p.* 773. *& T. IV. de Abbatib. S. Dionyſ. p.* 336. Autueil. *Hiſtor. miniſtrorum Status*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 64. Jac. Doubletus, *Hiſt. Abbatiæ S. Dionyſii.*

MATTHÆUS Voſſius, Dordracenus, fil. celeberrimi Johannis Gerardi, ſcripſit Hiſtoriam Comitum Hollandiæ, &c.

MATTHÆUS Weſenbecius, Antverpianus, JCtus celeberrimus, Juri operam Lovanii dedit, illud dein Jenæ ac Wittenbergæ docuit: fil. Petri itidem JCti & 13. liberorum parentis, quorum XII. primos, *XII. Apoſtolos* vocare ſolitus eſt. Ad religionem Euangel. ope cœci cujuſdam ob religionem in carcere ſedentis, & pſalmorum decantatione calamitatem ſuam lenire ſoliti, perductus, ita vitam ſuam inſtituit, ut quotidie vicibus quinque ad preces ſe componeret & in S. Scripturæ lectione aſſiduus eſſet. Scripſit *Iſagogen in libros Inſtitution. Prolegomena Juriſprudentiæ &c.* Vide Valer. Andream *Biblioth. Belg. p.* 657. Reliqua ejus opera enarrat And. Teiſſier *Elog. p.* 1. Inter quæ *Paratitla* præ reliquis laudat Dav. Chytræus *Epiſt. p.* 746. Obiit A. C. 1586. ætat. 55. Thuanus *Hiſtor.* Melch. Adami *Vit. Jureconſultor.* Alii.

MATTHÆUS Weſtmonaſterienſis, Benedictinus Anglus, cognomine Florilegus, quia *Flores Hiſtoriarum* edidit: ſeu Magnum Chronicon, cujus pars I. à Condito Mundo ad Natum Chriſtum pertingit, II. uſque ad Normannorum in Angliam adventum ſe extendit, III. quidquid à celebri hac Epocha, uſque ad Eduardum II. contigit, exſequitur. Matthæo Parienſi perpetuò inhæret, exceptô illô quod addit uſque ad A. C. 1377. quô Eduardo III. mortuo Richardus II. ſucceſſit. Exactus, diligens & fidelis. Scripſit quoque Chronicon ſui ordinis, S. Edmondi, &c. Pitſ. *de Ill. Angl. Scr. p.* 518. Balæus *de iiſd.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 2. *&c.*

MATTHÆUS, tandem fil. Udalrici, JCtus & Canonicus Auguſtanus, Annalium ſuæ gentis conditor. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Item, Urbs Floridæ, cum portu.

S. MATTHIAS, Apoſtolus, ſorte electus Judæ proditori, in Apoſtolatu, ſucceſſit. in Judæa, & parte Æthiopiæ Euangeliô prædicatô, martyrii coronam accepit. Sub ejus nomine Euangelium prodiit, jam ab Origene; Clemente Alex. *l.* 17. *Str.* & Euſeb. *l.* 3. *Hiſt.* falſitati convictum, quemadmodum & falsò tributus ipſi liber Traditionum eſt, unde Marcion ſuam hæreſin hauſit. Act. *c.* 1. *v.* 23. Origen. *Hom.* 1. *in Luc.* Hieron. *de Scr. Eccl.* Niceph. *l.* 2. Baron. *A. C.* 44.

MATTHIAS, Imperator Occidentis, fil. Maximiliani II. frater Rodolphi II. huic ſucceſſit, A. C. 1612. cùm jam antea Hungariæ Bohemiæque Rex creatus eſſet. Amplioris ſpei, quàm gloriæ Auguſtus. Proteſtantes, in Comitiis Ratisbonæ, ob gravamina inprimis Conſilii aulici & Cameræ Imperialis non ſublata offendit. Cum Achmete, de jure Tranſylvaniæ Principes creandi diſceptavit, dein A. C. 1615. pacem vicennalem fecit. Aquiſgranenſes poſcripſit, & per Spinolam in ordinem redegit. Diſſidium Juliacenſe, mandando, ut Mulhemium deſtrueretur: inter Brandeburgicum & Neoburgicum accendit, bellô Bohemicô, injuriis Euangelicorum mature non vindicatis, excitatô, obiit A. C. 1619. ætat. 62. ſucceſſore Ferdinandô II. patruele relictô.

MATTHIAS Corvinus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, fil. Johannis Hunniadis, cognomine Magnus, ex carcere thronum conſcendit, poſtquam Ladiſlaus frater ab æmulis ad mortem damnatus eſſet. Succeſſit Ladiſlao Regi A. C. 1458. eôdem tempore, quô Gregorius Podiebradius Rex Bohemiæ Pragæ declaratus eſt: Sicque duo potentiſſima regna excelſiſſimô ſanguine, ad mediocris generis homines ſimul pervenêre. Oppoſuerunt ſe Matthiæ electioni Proceres quidam, Fridericô IV. advocatô, alii Polonum ſibi Regem quærebant: Unde turbæ, & Boſnia, cum Serviæ parte, à Turcis interea occupata. Sed brevi Matthias, omnibus recuperatis, Tranſylvaniam quoque & Valachiam, ad obſequium reduxit: coronatus, A. C. 1464. Dein, bellô contra Bohemos felix, Podiebradium Regem cujus operâ è vinculis dimiſſus fuerat, regnô excutere ingratus, Papâ incitante, voluit, ſeque Olmutii in Regem Bohemiæ, & Marchionem Moraviæ, exin Uratiſlaviæ, in Sileſiæ Ducem eligi curavit. A. C. 1469. captôque filiô Podiebradii, in Hungariam rediit. Cum Moldavis infeliciter pugnavit, ipſe ſauciatus, Turcas tum ipſe, tum per Duces ſæpe fudit. Jaïtza & Boſniâ receptis. Cum Mahomete II. tamen pacem inire coactus, hôc mortuô A. C. 1481. Bajazethem II. ſucceſſu optatiore aggreſſus eſt. Cum Imperat. Friderico dein colliſus, cepit Viennam, & Neoſtadium, cum Caſimiro Polono, qui Podiebradio defunctô ſucceſſerat, pacem fecit. In apparatu contra Turcas, iracundiâ ob comeſtos à puero ficus, extinctus, A. C. 1490. quô die, omnes qui Budæ erant Leones, ſubitò interierunt. Plurimas linguas calluit, literatos & literas fovit, optimos ex Italia pictores occupatos tenuit, & quidquid doctorum in orbe erat, in Aulam ſuam contraxit; ingeniô lætô & comi. Budæ admirabilem collegit Bibliothecam, quæ hactenus à Turcis detenta, haud pridem Leopoldo Imperatori muneri miſſa eſt. Albæ regali ſepultus. Huic Anton. Thebaldus hoc Epitaphium condidit:

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Fata, fuiſſe hominem, Facta fuiſſe Deum.

Cromer. *l.* 27. Bonfin. *Hiſt. Hung.* Turoſius, *in rebus Hung.* Petrus de Reva, *Monarch. Hung. Nic. Iſthuan. Crantz*, &c.

MATTHIAS. Pontifex Judæorum: ſub quo, *Matthias*, fil. Margalothi, & Judas fil. Sariphæi, facundiſſimi & Legis peritiſſimi ambo auream aquilam ab Herode in templo collocatam detraxerunt. Quod hic adeò ægrè tulit, ut Matthiâ depoſitô, ei Joazarum affinem ſurrogaverit, reliquis duobus, cum conſciis, ad vivicomburium damnatis. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 17. *c.* 8.

MATTHIAS, Epiſcopus Hieroſolymitanus, poſt Johannem ſeculô 2. Ei Benjamin ſucceſſit, Euſeb. & Onuphr. *in Chron.* Baron *in Ann.*

MATTHIAS Aquenſis, Profeſſor Coloniæ, Luthero & Bucero nequicquam obnixus.

MATTHIAS Boſſeme, Theologus Romanæ Communionis. ſicuti & *Matthias Bre.lenbachius* & *Matthias Caſtellanus*, ſcriptis inclaruerunt. Valer. Andreas *in Biblioth. Belg.*

MATTHIAS Colerus JCtus German. varia edidit. Quenſted. *de Patr. doct.*

MATTHIAS Cornax, Medicus, *Medicas conſultationes* evulgavit, &c. Vander Linden *de Script. Medic.*

MATTHIAS Feliſius, vel Catzius, Batavus, Provincialis Franciſcanorum in Belgio, duos edidit libros. Valer. Andreas *in Biblioth. Belg.*

MATTHIAS Flaccius Illyricus, Albonâ Illyriæ oriundus, clarò genere, vulgò *Francowitz* dictus, Venetiis Bapt. Egnatii auditor, an. ætat. 17. Baſileam ſe contulit Theologiæ operam navaturus, in Saxonia dein Lutheri doctrinam amplexus, Melanchthoni ſe A. C. 1548. ſociiſque, qui de Adiaphoris, ex præſcripto Interimiſticæ formulæ, admittendis, minus acriter pugnâſſe videbantur, litem movit, variis ſcriptis editis Magdeburgi, quò ſe Wittebergâ diſcedens contulerat, ſicque innumeris malis januam aperuit. Junctus Joh. Wigando Mansfeldio, Matthæo Judici, Baſilio Fabro, aliiſque, Eccleſiaſticam hiſtoriam, ſub nomine Centuriatorum Magdeburgenſium Voluminib. 13. edidit, cui operi ſe Baronius oppoſuit. Jenæ quæque Linguam S. ac Theologiam publicè docuit &c. Poſt hæc extra orbitam penitus exerrans, peccatum ſubſtantiam eſſe &c. voluit, hinc ab Eccleſiis ejectus, exul vitam duxit, Francofurti ad Mœnum lue epidemiâ abreptus, A. C. 1575. ætat. 55. *Hæreſi infamis. alioqui non malè de Eccleſia meritus*, editô Catalogô teſtium Veritatis *& adornatis* Centuriis Magdeburgenſib. Pezelio *in Mellific. Hiſtor. Homo vehemens, & quocunque pedem figeret; acerrimus turbarum incentor* Thuano: *eximius tum Antichriſtianiſmi, tum Adiaphoriſmi oppugnator. Verheiden.* Plura in *Elogiis* Teiſſierii.

MATTHIAS Hauſerus, Trajectô à Batavis captô A. C. 1633. vanâ loquacitate illorum Theologos ad diſputandum, infeliciter provocavit. Auctor *Exorciſmi Catholici maligni ſpiritus hæretici.*

MATTHIAS Hovius, Archiepiſcopus Mechlinienſis, Prædicator inſignis, diſciplinæ tenax, Regi à Conſiliis in Belgio. Obiit A. C. 1620. ætat. 78. Archiepiſcopatûs 25. Gramæus, *de urbe Machlin.* Valer. Andreas *Biblioth. Belg.* Gazetus, *Hiſt. Eccl. Belgii, &c.*

MATTHIAS Lambrechtus, Epiſcopus Brugenſis, A. C. 1596. Auctor *Hiſt. Eccl. vitæ SS.* in lingua patria. Obiit A. C. 1602. Iidem.

MATTHIAS Lobelius, Medicus Inſulis oriundus, Rondeletii diſcipulus Botanicus inſignis, à Jacobo VI. Londinum invitatus, editâ ibi hiſtoriâ plantarum; obiit. A. C. 1616.

MATTHIAS Lud. Glandorpius, Medicus Colonienſis ſcriptis inclytus.

MATTHIAS Martinus de Waucquier, Middelburgo Zeelandus, Græcè Latinèque doctiſſimus, verſionibus propriiſque operibus immortale nomen adeptus. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MATTHIAS Michovius, Canonicus Cracovienſis, auctor Chronici Poloniæ, quod Sigiſmundo Regi inſcripſit. Item librorum 2. de Sarmatia Europæa & Aſiatica: qui Lutetiæ editi A. C. 1532. Medic. inſignis. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10.

MATTHIAS Moronus, auctor *Direct. Medico-Practici. Vander Linden.*

MATTHIAS Naldius, & Narvatus, ille Senenſis, auctor libri ingenioſi, *de Mundi Amicitia*: iſte Aragonius, ſcriptis clarus, Medici ambo. *Idem.*

MATTHIAS Navæus, Canonicus Duacenſis, eruditos & curioſos aliquot tractatus edidit.

MATTHIAS Palmerius, Piſanus, floruit ſeculô 15. Chronicon Matthæi Palmerii Florentini, ab A. C. 1449. uſque ad A. C. 1481. continuavit. Traduxit quoque in Latium hiſtoriam Ariſtææ 70. Interpretum, aliaque ipſe compoſuit, injuriâ temporum perdita. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

MATTHIAS Pauli, libris Aſceticis nomen in Belgio meritus.

MATTHIAS Theodor. Melanelus, Medicus Antverpianus, edidit varia. Juſtus *Chron. Med.*

MATTHIAS Untzerus, ſcripſit *Anatomiam Mercurii Spagiricam de Sulphure, Phyſiologiam ſalis, &c.*

MATTHIOLUS, Medicus Peruſinus, ſcripſit *Artem Memorativam*, ſeculô 15. *Vander Linden.* Sub Matthioli quoque nomine, contra ſecundas nuptias liber, Lugduni prodiit ſeculô 16. Vide & *Joh. Petrus.*

MATTHIOLUS Petrus Andreas, Senenſis, Medicus celeberrimus, A. C. 1554. Græcè Latinèque eruditiſſimus, ſcripſit *Commentarios in 6. libros Dioſcoridis*, quibus Gaſpar Bauhinus, Botanicus Baſileæ excellentiſſimus, pulcherrimas *notas* adjunxit. Item, *Epitomen de Plantis, Conſilia Medica.* &c. Juſt. *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script Med.* Geſner. *in Biblioth.* E quibus ejus in *Dioſcoridem* opus, quod primò quidem Italicè ſcriptum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

prium, dein Latinè prodiit tantô plauſu exceptum eſt, Amatô Luſitanô & Melch. Guilandinô licet ringentibus, ut à prima ejus Editione xxx. millia exemplarium ſe vendidiſſe nec dum tamen deſiderium empturientium impletum eſſe, dixerit famigeratus ille Valgriſius, *Ep.* Hieron. Donzellini *in Ep.* Matthioli. Reliqua ejus ſcripta vide in *Elogiis* Anton. Teiſſier, *part.* 1. Cæterum in Aula Imperiali diu & cum gloria verſatus eſt, obiit utem A. C. 1577.

MATTIACI, Galliæ Belgicæ populi Batavis finitimi, qui Lemnio *Zeelanders* eſſe videntur, *Sanſoni Brietioque* fuêre, verſus Rhenum & Cattos, ubi nunc pars maxima Wetteraviæ, cum parte Auſtrali Haſſiæ. Earum Urbes fuere Mattiacum, ſeu caſtrum Mattiacorum, vide ibi, & Aquæ Mattiacæ, (*Wiſſbaden.*)

MATTIACUM, ſeu *Caſtrum Mattiacorum*, urbs Germanica Haſſiæ metropolis. *Mattium* Tacito eſt, *l.* 1. *Annal. c.* 56. quam Cattorum caput vocat, ſitus ejus, ut *Ptol.* eam deſcribit, Martpurgo congruit. Aliis *Baden* eſſe videtur: Marchiæ Badenſis urbs primaria, in Sueviâ, inter Argentoratum, & Phorcenam. quòd *Tacitus* ibi fontes calidos memoret; *Baudrando* eſt *Marpurg.* Urbs Haſſiæ ad Lanum fluv. cum caſtro munito, & Academia, A. C. 1526. à Ludov. Epiſcopo Monaſterienſi erecta Antea ſub Principe proprio, nunc Landgravio Haſſo Caſſellano ſubeſt. Media inter Francofortum ad Mœnum in Meridiem, & Caſſellam, 11. utrinque Germanicis milliar. 9. à Fulda in Occaſum. Dicitur quaſi Martisburgum; aliis à Marcomiro, Marcomiri 26. Regis Francorum filio. Vide *Martpurgum.* Hinc *Mattiaca pila* apud Martial. *l.* 14. *Epigr.* 27. Saponis genus.

Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Nic. Lloydius.

MATTIDIA, memorata Spartiano *in Hadriano c.* 5. inter illos, qui Trajani reliquias deferebant. In ſaxis *Matidia.*

MATTIUM, teli genus, aliàs *Mattiobarbulum*, unde *Mattiobarbuli*, militum genus apud Veget. *l.* 1. *c.* 17. Hinc *Mattiarii* in *Notit. Imper.* ſub diſpoſitione Magiſtri Militum præſentalis, qui junguntur *Lancearius* vel *Lanciariis.* Eorundem mentio, apud Zoſimum *l.* 3. Amm. *Marcellin. l.* 21. *c.* 13. & Senatorem *in Hiſtor. Tripart. l.* 6. *c.* 37. laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſar.*

Cn. MATTIUS, Poëta Latinus, ſub Cæſare, cui gratiſſimus erat. Vir eruditiſſimus, Mimiambos ſcripſit. Vide A. Gell. *l.* 15. *c.* 25. Girald. *Dial. Poët.* 4. Vinet. *ad* 1. *Epigr. Auſon.* Glandorp. *in Onomaſt. Rom.* Voſſ. *de Poët. Lat. l.* 1. *c* 2. Scripſit hic Mimijambos exemplô *Herodoti* λογομίμυς, & Homeri Iliada tranſtulit, ut Livius Andronicus, qui ducentis aliquot annis anteà Odyſſeam Homeri Latinè verterat. Anton. Thyſius *in A. Gellium l.* 6. *c.* 6.

MATTUS, antiqua vox, quæ emollitum, ſubactum & maceratum ſignificat: unde verbum *mattare*, pro domitare, ſubigere & macerare. Iſidorus *in Gloſſis*: *mattum eſt, emollitum, infectum*; & *via matta* Ciceroni, via lutoſa & humecta, *Ep. ad Attic. l.* 16. *ep.* 13. *Itaque eô die manſi Aquini. Longulum ſanè iter & via matta.* Per metaphoram proin homo triſtis & confuſi cordis, *mattus* dictus eſt, in Vett. *Gloſſis*, apud Turnebum *in Adverſar. l.* 28. *c.* 6. Origo voci Græca, à verbo μάττω; quod eſt *pinſo*, ſubigo, emollio; unde μακτὸς, *ſubactus* & emollitus, atque inde Latinum *mattus*: quod in ludo Scacchorum uſurpatur hodie, de *calculo*, quem Veteres *incitum* vocabant. Sed & jam in *Chronico* Senonienſi Richerii *l.* 3. *c.* 14. *Pro ludo ſcacorum, quô eum uxor ipſa ſæpius* mataverat, *ipſam verberaverat* &c. Vide Ducæ *Hiſtoriam Byzantinam c.* 16. p. 27. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo, c.* 13. & hîc *paſſim.*

MATTYA, vide ſupra MATTEA.

MATULAM ſumere, eâ manu, quæ annulum Principis imagine ſignatum habebat, inter Majeſtatis olim crimina; vide ſuprà ubi de *Imaginibus*: uti de *matellione Corinthio* ab Atrienſi cupidè tractato, Ciceronem *Paradox.* 5.

MATURINI, Gall. *Maturins*, Ordo eſt Religioſorum in Eccleſia Romana, quibus ex inſtitutione Innocentii III. Pontificis Romani, Chriſtianos captivos è manibus Infidelium redimere incumbit: Veſtitu incedunt albô, cruce rubrâ cœruleâque inſigni. Dicuntur etiam Religioſi *S. Trinitatis*, item *Redemptionis Captivorum*, ubi vide.

MATURA Nox vide ſuprà *Adulta*: uti *Maturi Fratres*, ubi de *Fratribus conſcriptis.* Apud Indos, *Strabonis* ævô *Maturos fructus* ſignô datô vendi conſueviſſe, dicemus infrà, ubi de *Vendendi jure.*

MATURINUS Clemens, Biturix, primarius Avarici Theologiæ Profeſſor, Carmelitarum Provincialis, A. C. 1520. Scripſit Comment. in Scripturam, &c. Poſſevin. *in Appar. ſacro tom.* 2. Geſner. *in Biblioth.* Marc. Anton. Alegr. *in Parad. Carmel. p.* 383.

MATURINUS Corderius, Normannus, ſcriptis clarus, Geſner. *in Biblioth. Univerſ. &c.*

MATURINUS Heretus, Medicus, Doctor Pariſinus.

MATURINUS Montanus, Petrocorienſis, Medicus & JCtus; Auctor *Genialium dierum*, *Commentarii in Jul. Pauli reſponſum*, *&c.* Vander Linden *de Script. Med.*

MATURUS Marius, vide *Marius.*

MATUSARUM, Lùſitaniæ urbs, inter Olyſſiponem & Emeritam, *Antonin.* Pagus nunc Portugall. *Puente de Sor*; prope Villam Formoſam, ab Amæa 6. ab Ulyſſipone 22. leuc. in Ortum Emeritam verſus. *Ferrar.*

MATUSIUS, de quo hanc hiſtoriam refert Hyginus *ex Phylarcho*: Regnante Demophoonte in Cherſoneſo Thracica; per totum regnum peſtilentia adeò vehemens graſſabatur, ut propterea oraculum Apollinis conſulerent. Quod cum reſponſum dediſſet, non priùs liberatum iri regnum à peſte, quàm ſingulis annis virginem quandam nobilem ſacrificârint: Rex protinus mandavit, ut omnium virginum in civitate ejus nobilium nomina reponerentur in cratere quodam; unde ſorte detractâ una victima fieret pro omnibus. Sed Demophoonte ex hoc ſortilegio filias ſuas excipiente, magna inter nobiles exorta eſt invidia. Quin & *Matuſius* quidam apertè dixerat, ſe nolle ampliùs conſentire, ut filia ſua ſorti ſit objecta. Quibus verbis offenſus rex protinus juſſit, ut, ſortitione neglectâ, filia Matuſii mactaretur. Qui iram quidem occultans, ſimulabat id ſibi non adeò ingratum fore. at poſt tempus aliquod regem cum duabus filiabus invitavit ad convivium, ubi filias regias in conclave incluſas mactari, & partem ſanguinis vino mixti in cratere quodam regi juſſit afferri. Qui cùm filias deſideraret, & quid his factum eſſet, reſciſſet, Matuſium cum cratere in mare projici juſſit.

MATUTA, ab antiquis dicta eſt Aurora, quam Græci Λευκοθέαν vocant. Hanc Poëtæ volunt fuiſſe filiam Cadmi, nomine Ino, Athamantis uxorem, quæ mariti inſaniam fugiens in mare ſe præcipitavit, unà cum Melicerte filio, quorum corpora cùm nuſquam invenirentur, pro Diis marinis habiti ſunt; & Ino quidem Græcis Λευκοθέα, Latinis *Matuta*: Melicerte verò à Græcis Παλαίμων, à Latinis *Portunus* dictus. *Matutæ* primus apud Romanos ædem poſuit Servius Tullius: quam poſtea refecit Camillus, confectô bellô Vejentinô, Liv. *l.* 6. *c.* 33. *l.* 7. *c.* 27. Ab aditu templi ſervæ prohibebantur, unam duntaxat Matronæ introducebant, colaphos genis ejus infligentes; de quo vide Plut. *quæſt. Rom.* 16. Neque in ejus ſacris ulla mulierum ſuis, ſed tantum ſororum liberis, bona precabatur, Vide eundem *in Camillo*, *&c.* Lucret. *l.* 5. *v.* 655.

Tempore item certô roſeam Matuta per oras
Ætheris Auroram defert.——

MATUTINALIS Liber, in *Charta* Antibar. Epiſcopi, apud Joann. Lucium *de Regno Dalm. l.* 2. *c.* 14. eſt, in quo officium Eccleſiaſticum matutinum continetur. Dicitur autem *Matutinum* in Eccleſia Romana Officii ſeptem horarum Canonicarum prima pars, quæ aliter *Nocturnum* quoque, item *Vigiliæ nocturnæ*, appellatur. In eo utuntur pluviali, vel alio *paramento*, niſi tempore nonæ lectionis, quæ ab Hebdomadario dicenda, qui unà cum duobus Præcentoribus pluvialibus ornatur; qui dein Laudum recitationem iiſdem ceremoniis fieri ſolitis ad Veſperas ejuſdem diei continuant. At cùm Officium ab ipſo Epiſcopo dirigitur, tunc ipſe, indutus cappâ conſuetâ nonam lectionem recitat, exceptâ tamen nocte Nativitatis Domini, in qua ſumit pluviale, ad dicendam orationem, in fine matutini &c. Vide Dominic. Macrum *Hierolexico*, & ſuprà, voce *Abſolutio.* Hinc *Matutinarius*, in *Regulis* Monachorum S. Cæſarii §. 21. *Poſt hos dicant* Matutinos *directaneum: Exaltabo te, Deus meus & Rex meus. Deinde in ordine totus Matutinarius in Antiphonas*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* qui etiam *de Matutinario curſu B. Mariæ* aliquid addit, ex Hugone Flaviniac. A. C. 961.

MATYCETÆ, gens Scythica, *Steph.*

MATYLUS, Pamphyliæ urbs, *Ptol.*

MATZUCA, vox Græcobarbara Ματζοῦκα, apud Curopalatem *de Offic. Aulæ Conſtantinop. Loco ſceptri, ſed eam, quam vulgus vocat matzucam*: clava eſt ſeu baculus, in ſummo capitatus, *Maſſuë* Gallis, Ital. *Mazza.* Unde thymum capitatum ματζουκοθόρυμβον vocat Neophytus, quòd caput inſtar *Maſſucæ* haberet, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 787.

MAUBURNUS Johannes, vide *Johannes.*

MAUGANTIUS *Genethliacus*, celebris Medicus & Mathematicus Regis Vortigerni, Anglus, A. C. 470. Scripſit de Magia naturali, & Apulejum illuſtravit. Pitſeus, *de Script. Angl.*

MAVIA, Saracenorum regina ad fidem converſa, A. C. 367. Dominicam Valentis Imperatoris viduam, miſſis copiis, contra Gothos juvit, A. C. 368. Vide *Mauvia.*

MAVITANIA, Hiſpaniæ Tarraconenſis regio. *Murcia Pineto.*

MAULBERGIUS *Johannes*, Baſileenſis, fil. cerdonis in minori Baſilea, Dominicanus, concionator inſignis, floruit circa A. C. 1400. Magnô hic zelô invectus in graſſantia vitia, hæreſes quaſcunque, & Beginarum inprimis ſectam, à Sigiſmundo Imperatore in Reformationis formula ad Concilium Conſtantienſe concepta, ut qui rectè docuiſſet, laudatus eſt. Fatidicô ſpiritu, Baſileenſis Eccleſiæ reformationem, ſed illam non ſine ſudore multo futuram, prædixit, ſemel pro ſuggeſtu exclamans: *Exultate, quotquot puri eſtis corde, quoniam gloria Dei appropinquat. Reformatione omnino opus eſt, quam, ſi Magnates Præſuleſque morabuntur, lapides promovebunt.* Tandem, cùm tempore ſchiſmatis, ob Gregorii Papæ obedientiam, cleri Baſileenſis odium ſibi conflâſſet; quòd item contra Sacerdotum fornicationem, uſurarioſque acriùs detonuiſſet, concionandi munere privatus, in Maulbrunenſi cœnobio Spirenſis diœceſis. A. C. 1414. exul obiit.

Eminus in tenebris video mirabile lumen,
O mihi ſi liceat jam propiore frui!

MAULEO, oppid. cum caſtro, intra montes, 5. leuc. à limite Hiſpan. Vide *Malleo.*

MAULIA, vicus Galliæ, in finibus Normanniæ, cum Monaſterio cognomine. Maldrâ fluviô per medium currente irrigatur. Vulgò *Môle.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAUMA, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs, Plin *l.* 6. *c.* 29.

MAUMAN, nomen Ennuchi, Eſth. *c.* 1. *v.* 10.

MAVORS, vide *Mars.*

MAVORTE, ſeu *Mavortes*, *Mavortium*, *Mafortium*, Græcis Μαφόριον, pro Μαφόρτιον, idem eſt quod κρήδεμνον, apud Homerum, ubi de Penelope triſti ricâ operta, Od. α. *v.* 334.

Ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα.

uti *ad. h. l.* habet Euſtathius; qui κρήδεμνον vulgariter loquentibus μαφόριον dici, ait. Latinis olim *ricinium*, teſtibus *Serviô* & *Noniô*: capitis nempe muliebris operimentum & ornamentum; uti teſtificantur *Achmetis* illa, Ἐὰν ἴδῃ γυνὴ, ὅτι μαφόριον αὐτῆς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

αὐτῆς ἤρθη ἀπ' αὐτῆς βίᾳ παρά τινος, ἢ ὅτι κατεκόπη ὅλον, ἀποθανεῖται ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἢ χωρίζεται ἀπ' αὐτῆς τέλεον. Cujus ſomnii ratio, quod mulieris caput vir eſt: Mulier igitur, quæ ſomniat *maſortium* ſibi tolli aut ſurripi per vim ab aliquo, aut morte aut diſcidiô virum amittit. Ad quod illuſtrandum faciunt hæc *Iſidori* verba de ricinio: *Vocatum autem dicunt mavortem quaſi martem, ſignum enim maritalis dignitatis & poteſtatis in eo eſt, caput enim mulieris vir eſt: inde & ſuper caput mulieris eſt.* Quæ *Achmetem* planè interpretantur. Poſtea in uſum etiam Monachorum hæc veſtis ceſſit. Caſſianus *l.* 1. *c.* 7. *Poſt hac anguſtô paliiô tam amictus humilitatem, quàm vilitatem pretii compendiumque ſectantes, colla pariter atque humeros tegunt: quod maſortes tam ipſorum, quàm noſtrô nuncupatur eloquiô.* In *Gloſſis* Arabico. Lat. *Maforium. faſcialis, id eſt, anguſtum pallium, quô utuntur Monachi, collum pariter atque humeros tegens.* Ubi legit Salmaſ. *Faſcia capitalis*, h. e. κεφαλόδεσμος, quem etiam *Capitulum*, & *Capitulare* & *Cappam*, recentiores dicunt &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano c.* 45. & in voce *Maforium.*

MAVORTIUS, Conſul, an Urb. Cond. 1189.

MAURABOTINUS moneta Hiſpanica, de qua vide ſupra, in voce *Marabotinus.*

MAURAHALNARIA, vel MAURAHALNANA, Gall. *le Maurenaher*, & *Mauvaralnahar*, regio ampla Aſiæ, & pars Tartariæ magnæ, *Usbechia*, & *Zagataja* quibuſdam, ubi alias Bactriana latè ſumpta, cum Sogdiana. Extenditur inter Oxum & Jaxartem flum. à monte Caucaſo ad Caſpium mare. Ejus urbes præcipuæ ſunt Maracanda, (*Samarcand*) quæ caput regionis, Balchia, & Buchara, *Bochara.* Sed ab Europæis difficillimè frequentatur. Poſtquam Tartarorum Imperium, mutuis diſſidiis prope collapſum, inſtauràſſet circa A. C. 1370. Timurus, cognomine *Lenck*, i. e. claudus, vulgô *Tamerlanes*, hujus filiorum natu maximus *Scha Rogh*, patre extinctô A. C 1404. in Turkeſtana, Schagadai, *Mawaranacharia*, Perſia, Gaina & Indoſtana, latè regnavit, Princeps pacificus ac moderatus: cujus ſucceſſores fuêre *Olog. Abeel Aiſ*, & *Abdulla*, regnumque in regnum *Chorazan* & *Mawaranachar* diviſum eſt, A. C. 1451. Sed iſta mox annô ſequente iterum coierunt, poſt obitum Regis Abuzaid A. C. 1470, denuò diviſa: atque ex regno Chorazanis ortum eſt regnum Magni Usbecki, de quo *infra*; ex regno verò *Mawaranachar* regnum Magni Mogolis ſeu Indoſtanæ, cujus conditor fuit A. C. 1526. Babur Rex *Mauranahalnaria*, qui pulſus A. C. 1500. à Schaibeko, in Indiam exul profugit, ac ibi res novas moliri compertus in Perſiam ſe recepit, tanta cum paupertate conflictatus, ut ruſticô opere victum ſibi quærere cogeretur. Donec à Schach Tamazo Rege Perſiæ copiis quibuſdam adjutus Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore regnum Magni Mogolis dicta fuit à Tartaris, qui propriô nomine appellantur *Mogoles*, vulgò corrupte *Mogores.* Sed de hoc regno, Regiſque prædicti ſucceſſoribus, *infra* pluribus dicemus. Vide Georg. Hornium. *Orb. Imper. p.* 248. *& ſeqq.*

MAUREGATHUS, Alphonſi Regis Hiſpan. nothus, poſt patris mortem, Maurorum factione, regnum adeptus.

MAURENSII, Mauritaniæ Tingitanæ populi *Ptol.*

MAURENTIUS, apud Æl. Spartianum *in Didio Juliano*, *c.* 3. cùm ſe antea Sulpitiano conjunxiſſet, *catervâ Julianum Imperatoriâ ſtipavit.*

MAURI, populi, qui Mauritaniam Africæ regionem Occidentalem verſus Gaditanum fretum incolunt. Eos fuiſſe Indos, & Hercule duce, cum innumer. aliarum gentium multitudine, in hæc loca perveniſſe, multi crediderunt, uti Strab. *l. ult.* ſcribit. Sanè Salluſtius, *in Jugurthino c.* 18. Mauros & Numidas, reliquoſque qui Maritimam Africæ cultiorem reddiderunt Medos, Armenios, Perſas & Phœnices, fuiſſe indicat. *Mauri* (inquit Bochartus *in Chanaan l.* 1. *c.* 25.) מוחרין quaſi *Poſtremi*, vel *Occidentales* dicta ab אחור, quod & *Poſterius*, & *Occidentem* ſonat. Plenè ſcriberetur *Mauharin.* Sed gutturales paſſim elidi nemo eſt qui neſciat. Inde *Maurus* pro *Mauritanius*, Horat. *Carm.* 2. *Od.* 6.

Barbaras Syrtes, ubi Maura ſemper
——— ——— *Æſtuat unda.*

Superati in Hiſpania, ab Alphonſo Legionis Rege & ejus Succeſſore Ferdinando, A. C. 1212. 1247. tota vero Hiſpaniâ exuti ſunt, à Ferdinando Arragoniæ Rege *Inquiſitione* contra ipſos inſtitutâ, & victô Mahomete Rege, A. C. 1491. Vide infrà. Hornio ſic appellantur omnes Saraceni Afri, à Mauritania, unde primùm in Hiſpaniam profecti ſunt, A. C. 713. ſub ultimo Gothorum Rege Roderico, atque hinc fluxit vocabulum *Mohr*, quô Europæi Germanicæ nationis Æthiopem deſignant, quia ſedes Æthiopum in Africa & Afri Europæis primùm, per hanc Maurorum irruptionem in Hiſpaniam, innotuerunt. Hi itaque, ducibus Muzâ & Tharifô, auſpiciis Walidi Caliphæ Saracenorum, à Com. Juliano Septæ in Africa præfecto, cujus filiæ Cabæ Rodericus illuſerat, in Hiſpaniam devecti, circa A. C. 713. eam appellârunt *Andaluſiam*, quæ Andaluſia ita à Vandalis fuerat dicta: unde Arabes & Turcæ Regem Hiſpaniæ hodieque *Andaluſiæ Regem* nominare ſolent. Ab eodem tempore lingua Hiſpanica vetus & Arabica ita confuſæ ſunt, ut hodie tertia ferè Hiſpanicæ linguæ pars Arabica ſit, ac pleraque flumina & oppida Arabicis nominibus inſigniantur. Interea, dum *Mauri* res ſuas in Hiſpania agunt, reliquiæ Gothorum, è montibus Auſtriæ, Cantabriæ & Pirenæis, in quibus latebant, progreſſi, *Mauros* parvis præliis laceſſere, victores longius progredi, denique prædâ atque opibus aucti, jam infractâ Maurorum virtute, nova Regna, velut è ruderibus, erigere cœperunt: nomine *Gothorum* abolitô, & ejus in locum priſcô *Hiſpanorum* revocatô. Sic A. C. 716. à Pelagio regnum Aſturiæ: A. C. 724. à Garſia Ximenio ſeu Inico, Suprarbiæ ac Ripagorzæ: à Kæſa Abarca, Aragoniæ ac Navarræ, A. C. 895. à Ferdinando Magno, Caſtellæ: ab Henrico Limburgenſi, Luſitaniæ, A. C. 1139. ortum accepêre. Mauri verò in Andaluſia regnârunt, cœpitque eorum Regnum A. C. 724. ſedes regia fuit Corduba, titulus Regum *Calipha* & *Emir el mumenina*, i. e. *Princeps credentium*, item *Melic*, i. e. *Rex*: primuſque Maurorum in Hiſpania Calipha Muhavia fuit, qui Hiſpaniam à Calipharum Syriæ ſubjectione liberavit. Sed poſtea, Cordubæ regnô collapſô, *Mauri*, inteſtinis colliſi diſſidiis, tot ferè excitârunt Regna, quot in ipſorum Imperio magnæ erant Urbes: inter quæ præcipua fuêre; Regna Cordubæ, Sevilitæ, Murciæ, Valentiæ, Saragoſſæ, Deniæ, Algezutæ, Jaënis; Algarviæ & alia minora; unicâ ad Chriſtianorum regna accedente Gallæciâ. Atque hinc factum, quòd Reges Hiſpaniæ tot in ſuo titulo Regnis ſuperbiant. Quæ ſequentibus temporibus à *Mauris* in Hiſpania acta, dictum in *Mauritania.* Vide plura apud Hornium *Orb. Imper. p.* 162. & *ſeqq.*

MAURI Albi, per contumeliam Genuenſes dicti ſunt, ab Aragoniæ olim Regibus, *Moros blanchs*: ut obſervat Michaël Carbonellus *in Chronic. Hiſpan.* apud Carol. du Freſne *in Additionibus.*

MAURI Monaſterium, vulgò *Maur-münſter*, in Alſatia, veterib. ſæpius memoratum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

S. MAURI Inſul. hodie Græcis dicitur, quæ *Leucas* olim. Propriè tamen ſic arcem vocant, Inſulam verò *Leucada.* Jac. Sponius *Itiner. Græc. Part. I. p.* 134.

MAURIA, nomen Deſerti, prope Tenedum Inſulam, cujus meminit Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part. I. p.* 203.

MAURIACUM, oppid. Galliæ, ad ripam Sequanæ, inter Tricaſſes & Duodecim Pontes, vetere cellâ ſeu Prioratu S. Stremonii, ad Monaſterium Cluniacum pertinente, clarum, in Arvernia Montana, ſeu Cebennica, vulgò *Meri.* Hinc campi *Mauriacenſes*, longi leuc. 100. ſeu 150. mill. paſſ. lati 70. ubi Thoriſmundus fil. Theodorici, cum Attila & Hunnis conflixit, levi præliô: antequam in campis Catalaunicis directâ acie pugnaretur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAURIANA, vulgò la MAURIENNE, vallis oblonga Sabaudiæ, inter montes aſperrimos, juxta Arcum fluv. ab Alpibus uſque ad Iſaram fluv. extenſa, inter Tarantaſiam ad Boream, & Delphinatum ad Auſtrum. Caput eſt Fanum S. Johannis ſeu Mauriana, *S. Jean* incolis, aliis *S. Jean de Maurienne*, urbs ſatis culta, ſed ſine mœnibus, in planitie, ad Arcum fluv. ſic dicta à pollice S. Johannis, ſecundùm alios ab indice ejus, qui ibi aſſervari creditur. Hinc cùm antea Taurinenſis Eccleſiæ Epiſcopis pareret, facta eſt poſtea Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Viennenſi. Primus ejus Epiſcopus Hiconius fuit, permiſſu Guntchramni Francorum Regis inſtitutus, Leporius dein, ſub Chlodoveo Juniore Concilio Cabillonenſi interfuit. Et *Maurienna* quidem Darantaſiæ primùm, unà cum Seguſio & Novalicio, ac tota valle Seguſina, à Guntchramno attributa eſt: quam urbem & vallem à Longobardis ex pacto acceperat, Mauriennenſique Eccleſiæ ſubjecerat. Demum provinciæ Viennenſi, cui hodiêque accenſetur, ſub Metropoli Vienna, adſcripta eſt; inter provinciæ hujus civitates nonô, ſecundùm quaſdàm *Notitias*; vel ſextô ſecundum alias, locô, 10. leuc. à monte Cenifio in Occaſum, 14. à Camberiaco in Ortum. Comites *Maurienna* primùm dicti ſunt, qui poſtea Sabaudiæ Comites, ac demum Duces, illuſtriori titulô nuncupari maluerunt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAURICIUS, Imperator Romanus à Phoca Tribun. Militum, una cum liberis & uxore crudeliter, coram populo Conſtantinopolitano, interfectus. Vide *Mauritius.*

MAURICIUS, Bracharenſis Epiſcopus, A. C. 1114.

MAURICIUS, aliô nomine *Junius*, Senator, qui à Cæſare Domitiano petiit ſub initium imperii paterni, ut commentariorum principalium poteſtatem Senatui faceret, per quos noſceret, quem quiſque accuſandum popoſciſſet. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 40. Quô virô nihil firmius, nihil melius ait Plinius *l.* 4. *Ep.* 22. Eum à Domitiano in exilium pulſum, rediſſe principatu primô Nervæ, docebit te ibidem *l.* 1. *Ep.* 5.

MAURICIUS, vide MAURITIUS.

MAURILIACUM, vicus pagi Waſtinenſis, in Gallia: patria Vulframi, Friſonum Apoſtoli. Vulgò *Milli en Gaſtinois*, ad Scolam amniculum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAURINIACUM, vulgò MORIGNY, locus Galliæ, ad Junnam fluv. in Senonibus, proximus Stampis, veteri Monaſteriô inſignis. *Idem.*

MAURIPENSIS, pagus Galliæ, *in Annal. Bretinianis* memoratus, inter Sequanam, Icaunam & Lupam fluvios jacuit, hinc ad Monaſteriolum, Brajum, Novigentum ad Sequanam, ac ad duodecim Pontes: inde ad Villam novam Gujardi, Pontem Icaunæ, Murittum ac Nemus. Hodie forte *le Hurepois*: cui quidam, ab Hoſdenco caſtro, ſeu à Vegeria fluvio ad Mandram amnem, cuncta attribuunt, nimirum Montem Fortem Amalarici, Villam Petroſam, Rumbelittum quoque ad Remandam, cum parte ſylvæ Aquilinæ, Caproſiam caſtrum ad Ivetam, aliaque loca. Certè conſtat partem agri Pariſiaci trans Sequanam poſitam ad Beveram, Urbiam & Junnam fluvios, ipſam etiam regionem urbis Lutetiæ trans flumen ſitam, quam Univerſitatem vocant, pridem à Gallis *Hurepenſi* agro accenſeri. Unde ſi quis parum urbanè aliquid dixit aut fecit, qualia Scholaſticis Univerſitatis ſæpe accidere & excidere conſueverunt, hoc *pagum Hurepenſem ſapere* dicitur, i. e. Univerſitatem; ejuſque collegia vel ſcholas, &c. Vide plura apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MAURITANIA, Africæ regio, extrema verſus Gaditanum fretum, & Occidentalem Oceanum, in quo Antæus gigas regnâſſe dicitur, ab Hercule victus. Eſt autem duplex, *Cæſarienſis* à Cæſarea, & *Tingitana*, à civitate *Tingi.* Sic dicta ἀπὸ τοῦ μαυροῦ, quod

obſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

obſcurum, vel *nigrum* ſignificat, quòd nigros habeat colonos, unde Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 53.

——— *Nigri manus oſſea Mauri.*

Marcus Manilius *Aſtronomic. l.* 4.

Pœnus arenoſis Afrorum pulvere terris
Exſiccat populos, & Mauritania nomen
Oris habet, titulumque ſuò fert ore colorem.

Gignit ſimias, dracones, ſtruthiones & elephantes. Ejus incolæ *Mauri* dicuntur. Invaluit autem jam apud noſtros conſuetudo, ut omnes Africæ & Aſiæ populi, Mahometanæ ſuperſtitioni dediti *Mauri* dicantur. Incolis *Numidia*, vulgò *Barbaria* hodie. *Phut* etiam Ebræis dicitur, teſte Ariâ Montanô *in ſuo Apparatu Biblico*, an à Phut filio Chami, unde & fluvii Phut meminêre *Joſeph.* & *Hieronym.* & totam hinc regionem *Phutenſem* appellavêre. *Strabo* eam *Maſſyliam*, & *Maſſæſyliam* appellatam ſcribit, incolas *Maſſæſylos* vocat Plin. *l.* 5. *c.* 9. qui hodie, ut dictum, Mauri vocantur, ex Arabibus vel Saracenis orti, & Mauritaniâ occupatâ, Mahometiſmum ibi plantârunt. Hi, Rodericô Hiſpaniæ regnum, poſt Vitizam Regem excæcatum, occupante, à Juliano Præfecto Tingitano, apud quem Vitizæ filii exules degebant, quique ob ſtuprum filiæ ſuæ à Roderico illatum ultionem meditabatur, invitati, primò quidem per Mazam, Legatum in Africa Valiti Caliphæ exiguas illi ſubmiſêre copias, poſtea his victis, Tarechus cum majoribus, Hiſpaniam ingreſſus eſt, A. C. 711. in monte Abila, poſtea Gabel-Tarich, Gibalter vel Gribaltar dictô, ſe muniens. Poſt quæ auctus viribus à Moſe, Armeniæ Præfecto, Hiſpalim cepit, &c. A. C. 712. Annô ſequente, occiſô Rodericô, totum regnum occupavêre Mauri, Cordubæ Imperii ſede conſtitutâ: Exin, quidquid Wiſigothi poſſederant, tanquam jure debitum, vindicaturi. Occitaniam & Provinciam ingreſſi, Nemauſum, Narbonem, Avenionem occupârunt, &c. victô Abderamô, à Carolo Martello, ulterius penetrare prohibiti. Interea Pelagius in montanis Aſturiæ manu coactâ, Regni Oviedi & Legionis fundamentis, A. C. 712. jactis, ſæpius fudit Mauros, qui & alibi victi, totâ Hiſpaniâ paulatim exuti ſunt, donec Boadbilâ, ultimô Rege, ſuperatô, Granatenſe quoque regnum cum Metropoli, Ferdinando & Iſabellæ ceſſerunt, A. C. 1492. poſtquam A. C. 800. rerum in Hiſpania fuiſſent potiti. Ubi tamen hodieque Mahometanæ ſuperſtitionis occultæ reliquiæ, Gregor. Turonenſ. & Aimoin. *Hiſt.* Ado *in Chron. Iſidorus*, Rodericus, Vaſæus, Garibæus, Turquet. Mariana *Hiſt. Hiſp.* Marmol. *deſcr. Afric.* Avogadrus, *Hiſtor. Afric.* Hodie regnum *Tremiſſenum* hôc locô videtur, ut *Girava*, & *Niger* quoque atteſtantur. *Tingitanam* à Bogud rege Bogudianam aliquando cognominatam tradit Plin. *l.* 5. *c.* 1. & 2. *Sitiphenſis*, & *Hiſpania transfretana* à *Sexto Rufo*: & *in lib. Notit. Hiſpania Tingitana* nominatur. *Inferior Mauritania* à Xiphilino, *in vita Severi* nuncupatur. Regnum *Marocco* ejus locô ſtatuit *Auguſtinus Curio*, *Feſſa* verò *Niger*. *Alarabes* hodie incolas vocant Hiſpani, *Olivariô* teſte, quaſi dicerent Arabes, *Al* enim articulus Arabicus. *Strabo* & Herodianus *l.* 1. *c.* 15. ajunt Mauritaniam Romanis ſubjectam, & ab ipſis incolis Numidiæ nomen obtinere. *Baudrando Mauritania* regio fuit Africæ, ab Ortu in Occaſum extenſa, ubi nunc pars Occidentalis Barbariæ. Triplex fuit, nempe *Cæſarienſis*, *Sitifenſis*, & *Tingitana*. Mauritania Cæſarienſis erat inter Sitifenſem ad Ortum, & Tingitanam ad Occaſum, Gætulos ad Meridiem, & mare Mediterraneum ad Boream, ubi nunc pars major & Occidentalis regni Algerii. Mauritania Sitifenſis erat, inter Cæſarienſem ad Occaſum, Gætulos ad Auſtrum, Numidiam ad Ortum, & mare Mediterraneum ad Boream, ubi hodie pars minor & Orientalis regni Algerii. Mauritania Tingitana dicta fuit etiam Hiſpan. Transfretana tempore Conſtantini; eratque inter Oceanum Atlanticum ad Occaſum, Fretum Gaditanum & mare Mediterraneum ad Boream, Mauritaniam Cæſarienſem & Gætulos ad Ortum, & Autololas ad Meridiem. In quo tractu ſunt hodie regna Fezzæ & Marochii.

MAURITANIÆ URBES ADHUC EXSTANTES.

Arſenaria, Cæſarienſis, *Arſen*, ſeu *Arzerum*.
Baba, Tingitanæ, *Beniteuda*.
Banaſa, quæ & Valentia, Tingitanæ, *Fanfara*.
Bocànum Hemerum ſeu Marochium, Tingitanæ, *Maroc*.
Cartennæ, Cæſarienſis, *Moſtagan*.
Deorum Portus, Cæſarienſis, *Mazzagran*.
Exiliſſa, Tingitanæ, *Ceuta*.
Feſſa. Vide *Volubilis*.
Gontiana, Tingitanæ, *Gemaa*.
Jagath, Tingitanæ, *Targa*.
Icoſium, Cæſarienſis, *Acor*.
Igilgili, Cæſarienſis, *Gigeri*.
Jol. Vide *Julia Cæſarea*.
Julia Cæſarea, Cæſarienſis, *Tenez*.
Lixa, & Lixos, Tingitanæ, *Latache*.
Manliana, Cæſarienſis, *Meliane*.
Marochium, Tingitanæ, aliàs Bocanum Hemerum, *Maroc*.
Myſocoras, Tingitanæ, *Aman*.
Opinum, olim Epiſcopalis, Tingitanæ, *Rabath*.
Oppidum novum, Cæſarienſis, *Mezuna*.
Portus magnus, Cæſarienſis, *Marzalquivir*.
Quiza, Cæſarienſis, *Oran*.
Ruſazus, Cæſarienſis, *Carbon*.
Ruſconia, Cæſarienſis, *Moraſus*.
Ruſibis, & Rutubis, Tingitanæ, *Ompirabi*, ſeu *Azamor*.
Ruſſocorum, ſeu Ruſucurum, Cæſarienſis, *Alger*.
Ryſſadirum, Tingitanæ, *Melilla*.
Sala. Tingitanæ, *Salé*.
Salde colonia, Cæſarienſis, *Bugia*.
Sittici, olim colonia, Epiſcopalis Cæſarienſis, *Sitifi*, ſeu *Steffe*.
Tamuſida, Tingitanæ, *Tifeldeſt*.
Teniſſa, Cæſarienſis, *Tenexa*.
Timice, Cæſarienſis, *Tremiſen*.
Tingi & Tingis, Tingitanæ, *Tanger*.
Tocoloſida, Tingitanæ, *Mergo*.
Vagæ, Cæſarienſis, *Tagdemet*.
Victoria, olim Epiſcopalis, Cæſarienſis, *Agobal*.
Volubilis, Tingitanæ, *Fez*.
Zilis & Zilia, Tingitanæ, *Arzilla*.

MAURITANIA, oppid. Galliæ Celticæ in Comitatu Perticenſi, *Mortaigne*, apud Belliſmum oppid. Vide *Moritania*.

MAURITIA, vulgò *l'Iſle Maurice* Gallis, *Mauritz Eyland* Belgis, inſula maris Æthiopici, in Africa, quæ aliter Cygnea dicitur, *do Cerne* à Luſitanis, à quibus primùm detecta fuit. Vide *Inſula Mauritia*.

MAURITIA, vulgò *Maurice*, urbs Americæ Meridionalis, in Braſilia regione, & in Præfectura Pernambuci, antea ab Hollandis excitata, & ſic dicta in gratiam Principis Mauritii Naſſovii. Sed poſtea à Luſitanis expugnata, ipſis etiamnum ſubeſt.

MAURITIENSIS Moneta, in veteri *Charta*, apud Guichenonum *in Probat. Hiſtor. Sabaudic. p.* 40. eidem laudatum, moneta eſt Monaſterii Agaunenſis, Sancto *Mauritio* dicati.

MAURITII Regio, *Mauritz landt* Belgis, *païs de Maurice* Gallis, regio Americæ meridionalis, in Terra ignium, maximè ad Ortum extenſa, verſùs fretum Maëreum, à Batavis detecta A. C. 1616. ſic dicta in honorem Mauritii Naſſovii Principis Auraici, cujus auſpiciis detecta fuit.

S. MAURITII Abbatia, in Antuatibus, à Sigiſmundo Burgundionum Rege fundata. Latinis *Agaunum*, circa A. C. 518. A. C. 881. Synodô ibi habitâ, Rodolphus fil. Cunradi & nepos Hugonis Abbatis, declaratus eſt Rex omnium Provinciarum veteris Burgundiæ transjuranæ. *Rhegino*, *Ado* & *edit. ult. Concil.*

MAURITIUS Fl. Tiberius, Imperator Orientis, Arabiſſæ in Cappadociâ, ſed ſtirpe Romanâ, natus. Animô ad militiam applicitô, poſt res egregiè geſtas à Tiberio Imperatore Dux exercituum, & datâ Conſtantinâ gener, futuruſque Imperii ſucceſſor lectus eſt: poſtquam è Perſia victor rediit, diadema & purpuram à ſocero, illum egregiè alloquente, accepit. Ingeniô, prudentiâ & dexteritate inclytus. *Evagr.* Fidei Orthodoxæ inſignis zelotes, Gregor. *in ep.* Tiberio ita ſucceſſit A. C. 582. Mox per Philippicum affinem ter contra Perſas victor, 2000. Captivorum Conſtantinopoli vidit. Poſt quæ militum ardor relanguit, nihilominus Choſroëm II. à ſuis pulſum, armatâ manu in regnum reſtituit: à Chagano dein, Avarum Rege, qui in inferiorem Hungariam, & Myſiam, ipſamque Thraciam, Conſtantinopoli quoque minatus, irruptione factâ, 12000. captivorum abduxerat, cùm hos vili lytrô redimere renuiſſet, illis à Barbaro occiſis, in odium populi incurrit, ſævi, avari, tyranni notâ aſperſus. Delicti pœnitentiâ mox Imperatoris animum ſubeunte, à Phoca centurione, poſtquam per quietem, à Viro divinæ ſpeciei, interrogatus, *utro in loco facinoris in captivos admiſſi pœnas dare mallet*, reſpondiſſet, *Amator hominum Domine & judex juſte, hîc potiùs & non in illo ſeculo*, Paul. Diacon. *l.* 17. Chalcedone, cum quatuor filiis, interfectus eſt, verbis Pſalmographi, *Pſ.* 119. *v.* 137. *Juſtus es Domine, & judicia tua juſta ſunt!* Dei providentiam veneratus A. C. 602. ætat. 63. Imperii 20. Auguſtâ, cum filiabus, quinquennio poſt ſimiliter trucidatâ. Niceph. *l.* 18. & 19. Cedren. *in Annal. Theophanes*, *Anaſtaſius*, *Baronius*, &c.

MAURITIUS, Elector Saxoniæ. fil. Henrici, cum fratre Auguſto, in tutela agnati Joh. Friderici Electoris adolevit, Cæſaris exin in Hungaria miles, ibi miniſtri, vulnera pro ipſo excipientis, fide ſervatus eſt: in Belgio quoque contra Gallos eidem operam navavit. A fœdere Smalcaldico alienior, bellô fervente, Joh. Friderici ditionem ferè totam in poteſtatem redegit: mox ab eodem ferè ſuis omnibus exutus. Sed Electore victô à Cæſare captôque, ejus ditiones iterum nactus eſt, mox ſocerô Landgraviô, quem, ut ad Cæſarem veniret, fide ſuâ interpoſitâ permoverat, detentô offenſus; Electoratu in eum ſolenniter A. C. 1549. in Comitiis Auguſtanis tranſlatô, Lipſiæ conventum habuit, ubi formula religionis cuſa: Legatos ad Concilium Tridentinum miſit, Magdeburgum, auſpiciis Cæſaris, domuit: tandem cùm fruſtrà intereà urſiſſet Soceri liberationem, cum Rege Galliæ aliiſque Germaniæ Principibus A. C. 1551. fœdere initô, Auguſtam intercepit, terroreque ſparſô Tridentinos Patres diffugere coëgit: captâ dein Erenbergâ, ipſum Cæſarem, ut Oenipontem confugeret, compulit: ſic Paſſavii paulo pòſt, ubi diſceptatum de gravaminibus Imperii & Religionis pace, tranſactio inſtituta eſt. Inde exercitûs in Hungaria, contra Turcas Dux fuit; Albertum dein Brandenburgenſem cum quo eo uſque vixerat conjunctiſſimè, ab Imperatore proſcriptum, hujus juſſu aggreſſus, prælið ad Sivershuſam A. C. 1553. commiſſô victor obiit: Princeps excelſô animô, profundus, gravis, magnificus. Vide Thuan. *l.* 11. Pater fuit Annæ Wilhelmo Naſſovio Arauſionenſi Principi nuptæ, quam maritus ob mores repudiatam patruo Auguſto, fratris in Electoratu ſucceſſori remiſit.

MAURITIUS Naſſovius, Princeps Arauſionenſis, fil. Guilielmi, Belgicæ libertatis auctoris, ex Anna Saxonica, Patri Delphis occiſo, A. C. 1584. ſucceſſit, prudentiâ & magnitudine rerum fortiter feliciterque geſtarum, immortalem gloriam adeptus. De quibus videantur, præ innumeris aliis, Thuan. *in Hiſt.* Hugo Grotius *in Annal. ac Hiſt. Belg.* & Heinſius *Orat. fun.* Obiit Hagæ Comitis. A. C. 1625. cœlebs, an fatô, an tædiô Bredæ non liberatæ? Et in ſummi Exercituum Fœderati Belgii terrâ marique Ducis dignitate aliiſque muneribus, maximis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mis, ſucceſſit Henricus Fridericus frater. Nomen Avi geſſerat *Mauritius*, de quo ſuprà.

MAURITIUS, fil. minimus natu Johannis Georgii I. Electoris Saxonici mortui A. C. 1656. Merſpurgum, Patris voluntate, obtinuit.

MAURITIUS, Haſſiæ Landgravius, Fil. Wilhelmi, Caſſellanæ lineæ auctoris, A. C. 1592. defuncti, linguarum Græcæ, Latinæ, Hiſpanicæ & Gallicæ peritiſſimus, aliis etiam ſtudiis excelluit: ſummò zelô Reformatæ Religioni addictus. Cum Darmſtatinis, ob ſucceſſionem patrui Ludovici, ei controverſia fuit: Marpurgi Theologos Auguſtanæ Confeſſionis dimiſit. Unioni nomen dedit; cum Spinola poſteà pactus: Ex eo nova cum Ludovico patrueli expoſtulatio, in cauſa Waldeccia, ob civitatem Corbacum, adverſus eum pronunciatum à Cæſare eſt A. C. 1622. ut & in cauſa Marpurgenſi A. C. 1623. quô infeſtatus eſt à Tillio, Cæſareani exercitus Duce, qui in Haſſia, invitô Principe, hyberna ſumpſit. Dein A. C. 1626. Caſſellis, à Gronsfeldio in Haſſiam juſſu Tillii movente, obſeſſus, tranſlatô in filium Wilhelmum regimine, periculô ſe exemit: Obiit A. C. 1632. Pater præter modò memoratum Wilhelmum, Philippi, qui A. C. 1626. prælið ad Lutteram cecidit: Hermanni, qui A. C. 1658. extinctus eſt; Friderici, qui A. C. 1655. Suecis in Polonia militans ibi occiſus eſt: & Erneſti, qui A. C. 1651. ad Pontificios tranſiit. Fuit quoque idem nomen uni ex filiis Friderici V. Electoris Palatini Bohemiæ Regis, qui cum fratre Ruperto, pro agnato Carolo I. Britanniæ Magnæ Rege contra Parlamentarios, fortiter rem geſſit, Exoniâ captâ: poſtmodum fratris, in expeditionibus maritimis, comes, tempeſtate ab illo disjectus, periiſſe creditur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt.*

MAURITIUS Chancæus, Anglus Carthuſienſis Monachus, ob Papiſmum de Anglia profugus, ſcripſit Hiſtoriam martyrum Angliæ, ſub Henrico VIII. qui tamen tyranni ac proditores extiterunt, &c. Verba Simleri apud Morer. *in Dict. Hiſt.* Obiit A. C. 1581.

MAURITIUS Gauritus, Anglus Dominicanus, A. C. 1290. in Eſaiam, Jeremiam, Baruch, &c. commentarios ſcripſit, Pitſeus *de Angl. Script.*

MAURITIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

MAURITIUS Morganus, Poëta ingenioſus, A. C. 1210.

MAURITIUS Poncetus, Benedictinus, Concionator inter ſuos inſignis, ſeculô ultimô.

MAURITIUS Porta, Pariſienſis, ſcriptis inclytus. Obiit A. C. 1571.

MAURITIUS Scæva, Lugdunenſis, auctor celebris, ſeculi præteriti. Morerius *Diction. Hiſt.*

MAURITIUS Sommerſetenſis, Anglus, Abbas, A. C. 1193. Scripſit Poëma, & librum *de Schemate Pontificali.* Pitſeus *de Script. Angl. p.* 260.

MAURITIUS Sullius; Epiſcopus Pariſienſis, poſt Petrum Lombardum, de infima paupertatis fæce, eruditione & virtute evectus. Nobilis, magnificus & excelſi animi. Abbatias aliquot ac complura monaſteria fundavit, primuſque Baſilicam Beatæ Virginis inchoavit. Obiit A. C. 1196. poſtquam juſſiſſet tumulo verba Hiobi *c.* 19. *v.* 25. *Novi Redemptorem meum vivere, &c.* inſcribi. Morer. *Dict. Hiſt.*

S. MAURITIUS, Ordo militaris Sabaudiæ, ab Amadeo VIII. poſtquam in ſeceſſum Ripariam, cum aliquot nobilibus ſe ſubduxiſſet, inſtitutus A. C. 1434. Unitus eſt cum Ordine S. Lazari A. C. 1572. Ejus officium, contra hæreticos depugnare, &c. Vide Pingon. *Arbor. Gentil. Ducum Sabaud.* Æn. Sylvium, *l.* 7. *Comment.* Miræum, *de Ordine Equeſtr. l.* 1. *c.* 18. & 19. Favin. Morerium. *Diction. Hiſt.*

MAUROCASTRUM, Armeniæ oppid. Curopalati, Epiſcopalis ſedes ſub Sergiopoli, teſte *Guilielmô Tyriô.*

MAUROCENUS Jacobus vide Jacobus.

MAUROLICUS Sylveſter, vide *Sylveſter.*

MAUROLYCUS Franciſcus, vide Franciſcus.

MAURUM, vulgò *S. Mauro, Liber Conciliorum,* urbs olim magnæ Græciæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhegino, nunc oppidum Calabriæ citerioris, inter Coriolanum & Thurios, teſte *Barriô*, à Coriolano 4. à Roſciano 10. in Boream, à Beſidiano ſupra 12. mill. paſſ. *Ferrar.* Nunc vicus eſt in colle, *Baudrand.*

S. MAURUS, Congregatio Ordinis Benedictini, in Gallia, à Gregorio XV. in gratiam Ludovici XIII. inſtituta, A. C. 1621. Diviſa in ſex provincias, quarum quælibet viginti domos continet. Monachi hujus Congregationis elegantioribus inprimis literis excolendis vacant, in quem finem Seminaria in qualibet provincia erecta, in quibus Juventus erudiatur. Morer. *Dict. Hiſt.*

MAURUS, Benedictinus Hungarus, Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, à Stephano Rege filio Gerſæ, poſt ſtabilitam in regno fidem, conſtitutus eſt. Scripſit *vitam* Zoerardi, & Andreæ, Monachorum.

MAURUS, equi nomen in Circenſibus. Unde *Maurorufus*, equi color, in veteri *Inſcr.* 342. Vide Meurſium *in* Μαυρός.

MAURUS Ælius, ſub Severo & Caracalla, libertus Phlegontis Tralliani, qui prius Adriani. Scripſit quædam, quorum meminit Spartian. *in Severo c.* 20. quem locum Andreas Schottus, *l.* 2. *Obſervat. c.* 19, correcturus, reprehenſus eſt à Voſſio *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 2.

MAURUS Lapius, Monachus Italus, auctor *vitæ* S. Petri Sardi. Poſſevin. *in Appar* Vide & *Rabanus Maurus.*

MAURASIA, regio, à *Strabone* in ora Libyæ occidua contra inſulas Fortunatas collocatur. De qua Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 206.

Juppiter omnipotens, cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris. —— ——

MAURUSII, Africæ populi, quorum regio *Mauruſia*, quam juxta Herculis columnas, ponit Dionyſius, *v.* 184.

Ἀλλ᾽ ἤτοι πυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα νέμοντας
Ἀγχοῦ στηλάων, Μαυρουσίδος ἔθνεα γαίης.

Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 206.

Juppiter omnipotens, cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Ubi per *Mauruſiam* gentem, *Mauritaniam* intelligi annotat De la Cerda *ibi.* Et Vitruvius *l.* 8. *c.* 2. *Mauruſia quam noſtri Mauritaniam appellant.* *Euſtath.* Οἱ Μαυρούσιοι οὓς καὶ Μαύρους οἱ Ῥωμαῖοι ἔλεγον. Strab. *l.* 17. Οἰκοῦσι δὲ ἐνταῦθα Μαυρούσιοι μὲν ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι, Λιβυκὸν ἔθνος μέγα, καὶ εὐδαίμον, Μαῦροι δ᾽ ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων καὶ ἐπιχωρίων. De ſitu Salluſtius *Jugurth. c.* 19. *Proximè Hiſpaniam Mauri ſunt. Nic. Lloydius.*

MAUS, locus ſuper ripam fluminis ubi Chriſtiani olim caſtra metati. Tyr. *l.* 7. *bell. ſacr. c.* 21.

MAUSAL, in Arabe Scriptore, apud Bochart. urbs eſt Aſiæ ad Tigrim, è regione ruderum urbis Ninives, quæ olim fuit Aſſyriæ caput. Vide eum *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 7.

MAUSIACUM, & MAUCIACUM, vulgò MAUSAC & MOZAC, locus in Arvernis, pagoque Ricomagenſi, veteri monaſteriô cognomine inſignis: Inter Abbatias Cluniacenſi Monaſterio ſubjectas. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hìc bellô contra Albigenſes fervente, A. C. 1212. horum plurimi ſublati ſunt. Vide Papir. Maſſon. *Hiſt. Gall. l.* 3. P. Æmil. *l.* 6. Lætum *Comp. Hiſt. Univ.*

MAUSOCA, Hyrcaniæ urbs. *Ptol.* mediterran. *Meſat*, ex *tabb. recentioriorib.* proxima metropoli *Caſſan. Molet.*

MAUSOLEUM, quid propriè, vide in voce *Artemiſia*. item *Mauſolus I.* De eo ſic Plin. *l.* 36. *c.* 5. *Sepulchrum hoc eſt ab uxore Artemiſia factum Mauſolo Cariæ Regulo* ---- *Opus id ut eſſet inter ſeptem miracula, ii maximè Artifices fecêre. Patet ab Auſtro & ſeptentrione ſexagenos ternos pedes breviùs à frontibus. totô circuitu pedes quadringentos undecim. Attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta ſex. Ab Oriente cælavit Scopas. à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus, ab Occaſu Leochares. Priuſque quàm peragerent, regina Artemiſia quæ mariti memoriæ id opus extrui juſſerat, obiit. Non tamen receſſerunt, niſi abſolutô jam, id gloriæ ipſorum artiſque monumentum judicantes: hodieque certant manus- Acceſſit & quintus artifex. Namque ſupra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit, viginti quatuor gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjectâ centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.* Apud Recentiores, frequenter hôc nomine inſignitur Adriani Moles Romæ, ubi habitabat Prætorio Præfectus ac Odoacri Regis Prorex; hodie Pontificis ſedes. *Macer.*

MAUSOLI, Libyæ interioris gens. *Ptol.*

MAUSOLUS, I. Cariæ Rex, de quo *Theopompus* ait, eum nullâ re abſtinuiſſe, pecuniæ cauſâ. *Suidas.* Fuit autem provinciæ Græciæ præfectus, quem *Satrapam* Perſæ vocant, Artemiſiæ, vide ibi, maritus, quæ illum tam ingenti amore proſecuta eſt, ut ejus fatô perfuncti cineres vino permiſtos tradatur ebibiſſe. Obiit autem Olymp. 106. an. 4. cùm Cariæ 24. ann. præfuiſſet. Adhæc ſepulcrum eidem ſumptuoſiſſimum extruxit, quod à nomine ejus *Mauſoleum* eſt appellatum, ob operis magnificentiam, inter 7. Orbis miracula numeratum, à quo omnia pretioſa ſepulcra *Mauſolea* dicuntur. Unde Sueton. ſepulcrum Cæſarum appellavit *Mauſoleum.* Sic enim ille *in Veſpaſiano c.* 23. *Cùm inter prodigia cætera Mauſoleum Cæſarum derepente patuiſſet.* Florus *l.* 4. *c.* 11. *Quod ubi deſperavit à principe* (Cleopatra) *ſervarique ſe triumpho vidit, incautiorem nacta cuſtodiam in Mauſoleum ſe (ſepulcra regum ſic vocant) recepit.* Martial. *l. de Spect. Epigr.* 1.

Aëre nec vacuô pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in Aſtra ferant.

Idem *Epigr.* 66. *l.* 5.

Jam vicina jubent nos vivere Mauſolea,
Cùm doceant, ipſos poſſe perire Deos.

Idem *l.* 10. *Epigr.* 63.

Marmora parva quidem, ſed non ceſſura, viator.
Mauſoli ſaxis, Pyramidumque legis.

Vide *Plin. l.* 36. *c.* 5. Herodot. *l.* 7. Gellium *l.* 10. *c.* 18. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 1.

Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri,
Mortis ab extrema conditione vacat.

MAUSOLUS II. Sociali bello, cum Byzantinis, Rhodiis, Cois, & Sciis, contra Athenienſes, junctus.

MAUSOS, vicus agri Corinthii. *Steph.*

MAUVIA, Iſmaëlitarum ſeu Saracenorum regina, Palæſtinam Arabiamque, ſub Valente Imperatore vaſtavit: tandem poſt varia prælia, fœdere cum illo initô, A. C. 382. Chriſtianæ fidei deſideriô tacta, Monachum quendam, in Ægypti Palæſtinæque collimitio degentem, ſubditis ſuis Epiſcopum petiit, obtinuitque: Valente dein mortuô, contra Gothos, Romanis ſubſidia ſummiſit. Socrates *l.* 4. *c.* 29. Sozomen *l.* 6. *c.* 38. Amm. Marcellin. *l.* 14. Baron. *in Annal. &c.*

MAWORNUS, Anglus, diſcipulus Worgreſi, Epiſcopus, floruit A. C. 636. lectioni & prædicationi verbi divini diligentiſſimè intentus, ſcripſit Quæſtiones S. Scripturæ, Annales & Sermones, Pitſeus, *de Script. Angl. p.* 107.

MAWYA I. Calipha Saracenorum VI. poſt. Acemum, regnavit ann. 20. extinctus A. C. 682. Ei ſucceſſit Jezid, quem vide.

MAWYA II. Jezido I. Succeſſit, auctô imperiô clarus, regnavit ann. 1. Eum excepit Abdelmaleck.

MAXALA, Africæ interioris urbs à Corn. Balbo devicta. Plin. *l.* 5. *c.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ad S. MAXENTIAM, locus Galliæ, in Bellovacis inter Compendium Sueſſionum, Credillumque Bellovacorum oppid. medium: vulgò *Pont S. Maixance.* Hic ponte junctus eſt Iſara. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

S. MAXENTII Monaſterium, olim in Pictonibus, ſic dictum à Maxentio Abbate, qui Chlodoveô Aquitaniam, contra Alaricum, ingreſſô, Monaſterium ſuum à Francis illæſum conſervavit: Vulgò *S. Maixent.* Ei præfuit Abbas Leodegarius, poſtea Auguſtodunenſis Epiſcopus, quem Ebroinus juſſit interfici. Nunc oppid. eſt ad fluv. Separim Niortenſem, in diœceſi Pictavenſi, Cœnobiô illuſtre, cui incrementa ſua accepta refert. *Idem.*

MAXENTIUS Marcus Aurelius Verus, crudeliſſimus tyrannus, fil. Maximiniani Herculis Imperatoris, viſô, Conſtantini M. imagines Romæ circumgeſtari, ibidem Cæſaris nomen invaſit, A. C. 306. neque à Conſtantino in conſortium Imperii, pacis cauſâ, aſſumi voluit, ſtatuis ejus ubique deturbatis. Severum à Maximiano Galerio Cæſare adoptatum præliô fudit, corruptis ejus militibus. Annullinoque inprimis prætorii præfectô in ſuas partes pertractô, ac Ravennæ obſedit. Quâ obſidione durante Maximianus Hercules è ſeceſſu ſuo prodiens, intravit Ravennam, & ſimulatâ cum Severo pace factâ, illum Romam pellectum ſtrangulari Tyrannus curavit. Cumque videret Conſtantino Chriſtianos favere, & ipſe talem mentitus, clementiæ famam ſibi conciliavit, ſed Alexandrô, in Africâ rebelli, oppreſſô, perſonâ depoſitâ, illorum hoſtem ſe profeſſus, ſævus & crudelis evaſit: Civibus prædæ militum indies expoſitis. Dæmones quoque conſulere non dubitans, ex prægnantium infantiumque extis, futura venatus eſt, luxuriâ inſuper infamis. Quibus flagitiis Senatus commotus, Conſtantinum in Italiam invitavit, ut ſe à tam gravi tyranno liberaret. Qui, licet difficultate negotii territus, nihilominus ſignô in aëre viſô, confirmatus, per Alpes irrupit, victiſque compluribus in locis Maxentii copiis, ipſummet aggreſſus, devicit. Tyrannus fugâ ſibi conſulturus, in Tiberi merſus eſt, A. C. 311. vel 312. Cadaveri extracto caput demtum, quod in lancea per urbem circumlatum jucundô omnibus ſpectaculô fuit, Euſeb. *in Hiſt. & vita Conſtantini.* Zoſim. *l.* 2. & 3. Eutrop. *l.* 10. *Idacius*, *Aur. Victor.*, Nazarius & Gallicanus, *in Paneg.* Baron. *in Annal.* Ab hoc Maxentia, vicus agri Mediolanenſ. 16. mill. paſſ. à Mediolano Novariam verſus, *Mazenta* vulgò, dictus.

MAXENTIUS, Vide *Johannes Maxentius.*

MAXERA, Hyrcaniæ fluv. *Ptol. Firi* hodie, juxta quem *Maxeræ* populi habitant, in Hyrcanum mare labitur.

MAXIES, Africæ populi à Trojanis, ut ipſi gloriantur, orti, qui dextram partem capitis comatam geſtant, ſiniſtram radunt, & corpus miniô tingunt. Herodot. *l.* 4.

In MAXILLA comburi, στιγματίζεσθαι in genis, pœnæ ſervilis ſpecies, apud Radevicum *l.* 3. *c.* 26. De more *maxillis* ferarum uncos injiciendi, vide infrà *Uncæ manus*: uti de Phœnicino unguento *malis* deſtinato, voce *Unguentum.*

MAXILLA Aſini recens occiſi, Samſoni pro telo, Judicum *c.* 15. *v.* 15. Ille enim è manu Philiſtæorum elapſus, ruptis vinculis, quibus captivus detinebatur, cùm incidiſſet in *maxillam*, eâ arreptâ, mille viros ex iis interfecit. Erat autem illa *recens*, cujus oſſa adhuc ſuccida non adeò facilè franguntur, quàm cùm, exhauſtô humore, penitus exaruerunt: Obtulitque eam ſervo ſuo Deus, utpote inter hoſtes nudo & inermi. Cujus proin fiduciâ Samſon, non timet omnibus Philiſtæorum telis, unam aſini maxillam opponere, quâ mille viros ſolus, percuſſit. Poſt victoriam ſic adeptam cecinit carmen hoc ἐπινίκιον, *Maxillâ aſini acervum, duos acervos, maxillâ aſini percuſſi mille viros.* Ubi gratia eſt in alluſione, quia in Hebr. vox חמור & *aſinum* & *acervum* ſignificat. Ac ſi quis Græcè dixerit, ἐν σιαγόνι ὄνου ὀγκηστοῦ ὄγκον, ὄγκους. Abſolutô canticô, projecit maxillam, atque ex argumento locum vocavit *Ramath lechi*, i. e. *projectionem maxillæ.* Qui Philiſtæis fatalis fuit, ſi Joſepho credimus *Jud. Ant. l.* 7. *c.* 10. ut in quo ipſo fortium Davidis tertius, Igi fil. *Sema* nomine, Philiſtæis ingruentibus, magnâ animi præſentiâ ſe oppoſuit ſolus, atque alios quidem occidit, alios in fugam vertit, 2. Sam. *c.* 23. *v.* 11. & 12. ubi Græca verſio Compluti edita hæc ipſa narrat, tanquam facta ἐπὶ Σιαγόνα, *ad Maxillam.* At Samſon, hoſte profligatô, ſiti enectus, exoratô mox precibus Deô, ut vidit miraculô ex ea uberes manare aquas, abjectam maxillam reſumſit, ut tam exoptatum liquorem avidè hauriret: quô pactô, ut prius teli locô contra hoſtes, ita jam, fontis, contra ſitim *maxillam* habuit. Unde *vocatum eſt nomen ejus.* En hakkore aſcher ballechi, i. e. *fons invocantis, qui eſt in maxilla, in ſeqq.* Quem fontem fruſtra ſunt qui hodieque durare volunt & oſtendi in Palæſtina; ut inter alios *Michaël Glycas*, qui ſub Joanne Comneno vixit circa A. C. 1120. in Eleutheropolis ſuburbano conſpici & *Fontem maxillæ* nuncupari ſcribit. Cùm enim non ſoleat Deus miracula exhibere, niſi quantum neceſſe eſt; poſtquam Samſon ſedavit ſitim, & abundè potus ex eo loco diſceſſit, quorſum durâſſet miraculum & in loco fortaſſe deſerto, nullô inſpectante, exſudâſſet è maxilla inutilis humor? Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior, l.* 2. *c.* 15. Vide quoque infrà in voce *Mortariolum.*

MAXILLAM contingendi ritus, apud Sueton. occurrit, *in Auguſto, c.* 94. qui talis erat: Solebant Veteres blandientes puerorum *maxillas* adprehendere, deinde manum ad os referre. Sic interpretati ſunt Critici illud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 258.

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum,
Oſcula libavit natæ.

Ubi Servius, *Sanè multi*, inquit, *nolunt intelligi ita, ut ſummum oſculum filiæ dederit, i. e. non preſſum, ſed ſumma labella contingens: ſed ita ajunt, tum hilarus Jupiter vultus natæ libavit, i. e. contigit, ſcilicet ut nos ſolemus cum blandimentis quibuſdam ſiniſtram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os noſtrum dextram referre. Ergò* libavit *meritò, quia partem vultus, non totos contigerat: ut* oſcula *dixerit quaſi minora & teneriora filiæ ora, ut ora, diminutivè oſcula.* Idem Sueton., de eodem blandimenti genere, capiendus *in Galba: c.* 4: *Conſtat Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales apprehenſâ bucculâ dixiſſe*, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Longè aliud quid erat adorandi illa ratio, quam Veteres erga Deorum ſimulachra & imperatorum imagines uſurpabant, uti vidimus ſuprà paſſim, inprimis in phraſi *Jacere Oſcula*, item in *Labrata.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo c.* 23. & ſuprà in voce *Gena.*

MAXILUA, Bæticæ urbs in Turdetanis. *Ptol.*

MAXIMA Hoſtia, apud *Feſtum*, ovis dicta, *non ab amplitudine corporis, ſed ab animo placidiore*: at Virgilio *l.* 2. *Georg. v.* 146. *Maxima taurus victima*, quia *victimæ* de majoribus pecudibus dicebantur, *hoſtiæ* de minoribus. *Scaliger* apud Bochartum. Atque hinc eſt, quòd, licet optionem haberent Iſraëlitæ, *ex ovibus & capris*, alterutrum eligendi, Exod. *c.* 12. *v.* 5. agnum tamen frequentiùs & libentiùs obtulerint, tanquam victimam Deo gratiorem: quod major in ovibus manſuetudo, docilitas ac innocentia eſt. Sic Sacrificium pro *delicto*, quamvis hoc gravius eſſet, quàm *peccatum* (utpote à conſcio perpetratum, Græcis πλημμέλεια, cum *peccatum*, Græcis ἡ ἁμαρτία, fieret per errorem) non tamen majore victimâ peragebatur, uti Sacrificium pro peccato, ſed ariete ſolùm oblatô. Levitici *c.* 6. *v.* 6. *Et delictum ſuum* (i. e. *Sacrificium pro delicto*) *offeret Domino arietem integrum de pecore* &c. Nempe contraria contrariis curanda, & peccato אשם, quod ſuperbiam & proterviam habet adjunctam, meliùs opponebatur ovium placidus & mitis animus; quas qui jubebantur offerre pro delicto, eâdem operâ monebantur, mores ſuos ita eſſe componendos, ut hujus animalis docilitatem & ſimplicitatem referrent. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 33. & 50.

MAXIMA Sequanorum, Galliæ regio apud *Sextum Rufum.* Nempe una eſt, ex quinque provinciis totius Galliæ Belgicæ, & quidem ultima poſt Belgicam 1. & 2. Germaniamque 1. & 2. Sic dicta, non quòd eſſet Galliæ provinciarum maxima & ampliſſima, ſed quòd una de maximis. Quibuſdam *Germania tertia* non abſurdè vocatur: quia Belgæ, quibus attributa olim, plerique à Germanis orti ſunt. Populi ejus ſunt Sequani, Helvetii & Rauraci. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & infra in voce *Sequani.*

URBES PROVINC. MAXIMÆ SEQUANORUM

Matrop. Civitas Veſontienſium.	Caſtrum Vindoniſſenſe.
Civitas Equeſtrium Noiodunus.	Caſtrum Ebrodunenſe.
Civitas Helvetiorum Aventicus.	Caſtrum Rauracenſe.
Civitas Baſilienſium.	Portus Abucim.

MAXIME *Deus*, apud Lutatium *Commentar. in Stat. Theb. l.* 4. eſt potiſſimus omnium, ſeu ſolus ille verus unicuſque κατ᾽ ἐξοχήν: quo de loco vide Caſp. Barthium *Adverſ. Part* 2. *p.* 1129. Sic *Malè-Deos*, pro in malitiam potentibus, dixit Seneca *in Thyeſte*, uti rectè interpretatur Scaliger ad *Manilium.*

MAXIMIANISTÆ, Secta Donatiſtarum in Africa. Vide *Maximianus diaconus Carthaginienſis,*

MAXIMIANUS M. Aurelius Valerius Hercules, Sirmiô oriundus, ob fortiter res geſtas, præcipuis militiæ muneribus admotus, & à Diocletiano conſors Imperii factus eſt, A. C. 286. In Gallia Bagaudas diſſipavit, cum ducibus eorum Æliano & Amando, qui Imperatores dici voluerunt. Dein, ob ſævitiam in Chriſtianos, eò gratior Imperatori, perſecutionem ingentem excitavit, quâ durante Chriſtianis neque emere neque vendere, imo neque aquam haurire, aut frumentum molendum tradere licuit, niſi prius Idolis, quæ in omnibus vicis paſſim erecta ſtabant, thura adoleviſſent. Cùm ſuppliciis Martyrum conſtantiam frangi non poſſe videret, ad Thermas, quas Romæ Carthagineque extructum ibat, ædificandas eos condemnavit. Similiter Mediolani, & Aquilejæ in Palatio, Veronæ in Amphitheatro &c. erigendo occupatos tenuit. Interea Quenquegentianos in Africa domuit & pace ubique victoriis Diocletiani Galeriique Armentarii partâ, omnium in hoc unum converſus labor. Fertur, cùm Maximianô ludos Circenſes ſpectante, populus duodecies ſucclamâſſet, *Occidantur Chriſtiani*, Præfectum Prætorio Eugenium Hermogenianum perſecutionis tam funeſtæ primum fuiſſe auctorem, quæ poſtmodum Edictô publicô confirmata, A. C. 302. & 303. Tum Chriſtianorum ſanguine inundatus orbis, & in ſola Ægypto ultra 144000. Chriſtianorum necata, ſeptingentis millibus in exilium pulſis: Quare etiam nomen illorum extinctum rati Imperatores, trophæa, cum ſuperbis inſcriptionibus, paſſim erexerunt. Sed A. C. 304. Diocletianus & Maximianus, purpurâ depoſitâ, ille Nicomediam, hic Mediolanum ſeceſſit, & quidem ille ſponte, hic tantùm non invitus Maritus Eutropiæ Syræ, cujus filiam ex priore conjugio ſuſceptam Conſtantio Chloro deſpondit, ex illa Maxentium quem tamen Victor, *de Cæſar*, *c.* 56. ab uxore ſuppoſitum fuiſſe ſcribit, & Fauſtam Conſtantino M. in matrimonium datam, ſuſcepit. Auditô, Maxentium Imperatorem proclamatum, prodiit denuo, Severo exitii cauſa: Conſtantinum quoque per Fauſtam perditurus, fruſtra fuit; ab illo tandem Maſſiliæ obſeſſus, ſibi ipſi, deſperatis rebus, fauces eliſit, A. C. 310. Euſeb. *l.* 8. Eutrop. *l.* 9. Oros. *l.* 7. Amm. Marcellin. *l.* 16. Zoſimus *l.* 2. Socr. *l.* 1. Theodoret. *l.* 5. &c.

MAXIMIANUS Galerius, Imperator Romanus cum Conſtantio, patre Conſtantini M. Chriſtianis infenſiſſimus. Vide *Galerius Armentarius.*

MAXIMIANUS, Epiſcopus Conſtantinopolit. poſt Neſtorium, Concilio Epheſino, A. C. 431. depoſitum. Pietate & zelô inclytus, ſed literarum rudis, & ad publicè dicendum ineptus. Obiit A. C. 434. Proclô ſucceſſore. Socr. *l.* 7. *c.* 34. & *ſeqq.* Item Diaconus Carthaginienſ. à quibuſdam Donatiſtis electus Epiſcopus,

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

contra Primianum, à quo Maximianus excommunicatus fuerat. Hinc Primianiſtarum & Maximianiſtarum, inter Donatiſtas, nomina turbæque. Auguſtin. *l.* 3. contra *Creſton. c.* 6. *&* 7. Baron. *A. C.* 394.

MAXIMILIANUS I. Imperator prudentiſſimus, Caroli V Cæſaris avus paternus, fil. Friderici III. *Pacifici* Imperatoris. Primus *Archiducis* titulum ſibi ſumpſit. Duxit A. C. 1477. Mariam Burgundicam, filiam & hæredem Caroli Audacis, Inducias cum Ludovico XI. pactus, minimè diuturnas, A. C. 1479. cum illo ad Guinegaſtum victor conflixit. Orbatus uxore A. C. 1482. à Gandavenſibus, ejus liberos apud ſe retinentibus, malè habitus eſt. Rex Romanus vivô adhuc patre creatus, ac Aquiſgrani coronatus, A. C. 1486. Gandavenſes, filiô illis ereptô, infeſtos ſenſit. Quibus cùm reliqua Flandria accederet, ipſemet Brugis A. C. 1488. à civibus detentus eſt: ſed paulo poſt liber. Annam Britannicam, per Legatum Comitem Naſſovium, ſibi, A. C. 1489. deſpondit, quæ tamen ipſi à Carolo VIII. injuſtè erepta eſt, remiſsâ inſuper ei Margaretâ filiâ, quam Carolus antea duxerat. Hinc irritatus Maximilianus cepit Atrebates, & Audomarum, Ambianum quoque jam ingreſſus. Poſt quæ pax coiit Sylvanecti, A. C. 1493. & ſucceſſit in imperio Maximilianus, parenti defuncto. Ductâ dein Blancâ, ſorore Ducis Mediolanenſis, junctus Italicis Principibus, Carolum VIII. ex Neapolitano regnô in patriam redeuntem ad Fornouam vicit, A. C. 1495. Alberto Saxonico Weſtfriſiam conceſſit. Cum Helvetiis infeliciter pugnavit, controverſiam Bavaricam prudenter decidit, non acquieſcentem Rupertum, Philippi Palatini filium proſcripſit, domuit, clementiâ proſecutus eſt. Ad potentiam Venetorum retundendam, fœdere cum Julio, Ludovico XII. Hiſpano &c. initô, per Anhaltinum illos X. Millibus cæſis ſuperavit, plurimaque illis ademit: pace mox factâ, eundem Galliæ Regem ſecundô ad Guinegaſtum prœliô, *calcarium* vulgò dictô, in fugam conjecit. Franciſcum I. nimis progredientem coërciturus, à militibus ſuis deſertus & à Borbonio ex agro Mediolanenſi pulſus eſt. Obiit A. C. 1519. Cameræ Imperialis fundator, Princeps eximius, ſed venator impotens. Unde frequens illi, de ſe & Julio II. dicterium: *Deus æterne, niſi vigilares, quàm malè eſſet mundo, quem regimus nos, ego miſer venator, & ſceleratus ille Julius.* Fautor inſuper literatorum, ipſe quoque poëmata, & commentarios vitæ ſuæ condidit, P. Jov. *in elog.* Cuſpinian. *in Orat. Fun.* Guicciard. *l.* 13. Phil. Cominæus & Gaguin. *in Hiſt. &c.* Ex Blanca, nullâ prole ſuſceptâ, ex Maria *Philippi*, qui Auſtriacam familiam continuavit, Pater fuit, & Margaretæ. Ei ſucceſſit nepos ex filio Carolus V. Cœterùm Burgundicæ hic domui, Mariá ductâ, eam cum Auſtriaca conjungens, non parum incrementi primus conciliavit. Unde cum hoc ſingulare in Hiſpanis, quibus hodie Auſtriaci dominantur, notet Hornius, quòd ipſorum Monarchia non tam armis, quàm conjugiis aucta ſit, qui modus acquirendi maximè naturalis ac innocens eſt, tria inprimis conjugia huic fini inſerviiſſe memorat. I. *Maximiliani* Cæſaris cum Maria, Caroli Burgundiæ Ducis unica filia, quæ totum Belgium traduxit ad domum Auſtriacam. II. Philippi I. cum Johanna, filiâ Ferdinandi & Iſabellæ Regum Caſtellæ & Aragoniæ, quô conjugiô Hiſpania, Belgium & Auſtriacæ provinciæ in unum coaluerunt. Hinc nati Carolus V. & Ferdinandus: quorum is mortuô Patre, Rex Caſtellæ & Princeps Belgii factus, Ferdinando Catholico, in Regno Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis & Sardiniæ, A. C. 1516. *Maximiliano* avo, in Imperio Germanico, triennio pòſt ſucceſſit. Hic (Ferdinandus) latiſſimas in Germania provincias, atque poſt fratrem, Imperialem quoque dignitatem nactus eſt. III. Caroli V. cum Iſabella filia Emanuelis Regis Portugalliæ, cujus fil. Philippus II. inde jus ſuum in Portugalliam derivavit. Acceſſit, ſub eodem Carolo, Ducatus Mediolanenſis, A. C. 1536. ut de Regno Mexicano, A. C. 1521. Peruviano A. C. 1533. utroque in America: ac in Africa, Tunetano A. C. 1535. ſubjugatis, nil dicam. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 180.

MAXIMILIANUS II. fil. Ferdinandi I. Rex Romanorum electus, A. C. 1562. Hungariæ quoque & Bohemiæ regnum tenuit, Proteſtantibus minime infenſus; unde & Romam de eo perlatum, quòd & Prædicatorem aleret, ſæpiuſque concionantem audiret, qui in pleraque regni loca, communionem calicis introduxiſſet; neque id Rex interdum diſſimulabat, ſe cœnam niſi plenam accipere non poſſe Proin & Pius IV. per nepotem ſuum Marcum Altempſium eum monuit, in fide Catholicâ perſtaret, ſpe oſtentatâ Imperii: Cui Rex, ſe Pontifici, de tam propenſa voluntate gratias agere maximas, reſpondit, ſed animæ ſuæ ſalutem rebus omnibus mundanis habere chariorem. Quam formulam loquendi Romanæ ſedis paraſiti idioma Lutheranorum eſſe dicebant. Petrus Suavis *in Hiſt. Concil. Trid. l.* 5. in pace Imperium rexit, Patris A. C. 1564. ſucceſſor: Bellum Grombachianum. per Auguſtum Electorem Saxoniæ confecit, ejuſque defenſorem Joh. Fridericum Ducem Wimariæ, Gothâ, arce ejus, ſolo æquatâ, captum ad perpetuos carceres damnavit. Bellum Hungaricum, duce Lazarô Suendiô, contra Johannem Tranſylvanum, & Solymannum II. qui in obſidione Sigethi A. C. 1566. obiit, geſſit: Vaivodâ, ademtis omnibus, quæ prius ceperat, Pacotâ exceptâ, coërcitô, & X. Millibus Tartarorum, ex hujus exercitu, occiſis, fines ad 40. milliaria cis & trans Tibiſcum dilatavit. Sigethum amiſit, pacem cum Selimo ſibi utilem fecit. Pontifici Coſmum, Magnum Hetruriæ Ducem creanti, minatus, *ſi Pontifex ulterius imperii jura invaderet*, reſtitit, eundem Pio IV. Regem creare non permiſit: *Non habet*, inquiens, *Italia Regem niſi Cæſarem*; pòſt tamen, Franciſco, Coſmi filio titulum Magni Ducis, ſed, ut Imperii beneficiario, confirmavit. Coronam Polonicam, ab Henrico Rege deſertam, præventus celeritate Stephani Batorei, non adeptus eſt. Obiit A. C. 1576. Imperii 12. Ex Maria filia Caroli V. filiorum novem, inter quos *Maximilianus* Magiſter Ordinis Teutonici, & ſex filiarum pater. Thuan. *Hiſt. l.* 36. 37. 39. 44. 60. *&* 62. Bodin. *de Rep. l.* 1. *c.* 9. Iſtauan. *Hiſt. Hung.* Natalis *l.* 14. Onuphr. *in Chron.* Princeps prudens, pius, pacificus: unde & pacem Religionis inviolatam ſervavit, *impium judicans, conſcientiis imperare, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm cæli arcem invadere.* Ei ſucceſſit fil. Rudolphus II.

MAXIMILIANUS, Archidux Auſtriæ, fil. prioris, frater Rodolphi II. & Matthiæ Imperatoris à quibuſdam Poloniæ proceribus Rex electus, contra Sigiſmundum, A. C. 1587. ab hoc victus captuſque eſt. Hinc liber, in Hungaria, Mahometi III. qui Agriam cepit, ſe oppoſuit, A. C. 1596. egregiæ victoriæ fructu, militibus nimis avide ad prædandum dilapſis, fruſtratus. Javarinô dein fruſtra obieſſô, obiit: A. C. 1618. Thuan. *in Hiſt.*

MAXIMILIANUS, Bavariæ Dux prœliô Pragenſi, per Tillium, contra Fridericum Bohemiæ Regem victor, hôc remotô, Elector Imperii à Ferdinando II. creatus eſt, A. C. 1623. Obiit A. C. 1651. ætat. 70. Prudentiâ inclytus. Ei ſucceſſit fil. Ferdinandus Maria natus A. C. 1636.

MAXIMILIANUS Habequius; Bruxellenſis, & *Sandæus*, Jeſuitæ, varia ſcripſerunt, Valer. Andreas *in Biblioth. Belg.* Phil. Alegambus, *de Script. Sac.* Item, *Vignacurtius*, Atrebas: & *Vrientius*, ſcriptis clari.

MAXIMILIANUS Sfortia. Dux Mediolani, præteritô ſeculô celebris fuit. Origo familiæ, à Franciſco Sfortia, qui humili ortus ſtirpe, è gregario milite, velut Agathocles alter, ad ſummam potentiam aſcendit. Hic enim, Philippi Mariæ, ex Vice-Comitum familia ultimi, per filiam notham, gener partim vi, partim fraude Ducatu potitus eſt, Fridericô III. Imperatore, Alphonſô Rege Siciliæ, Caroloque Ludovici Ducis Aurelianenſis filiò, fruſtra obnitentibus. Ejus ſucceſſor Ludovicus Sfortia, à Ludovico XI. Gall. Rege Ducatu exutus ac in carcere necatus eſt; ſed tredecim poſt annis, annô videl. 1512. Maximilianus I. Imperator *Maximilianum* Sfortiam, filium Ludovici, reſtituit, poſt triennium à Franciſco I. Rege Gall. ad Marignanum victore, denuo everſum. Captus enim à Franciſco, in carcere expiravit. At A. C. 1522. Carolus V. Franciſcum Sfortiam reſtituit, captumque Franciſcum Regem A. C. 1525. renuntiare ſuo juri coëgit: donec ultimô hòc Duce ſine liberis extinctô A. C. 1535. Carolus Imperator Ducatum Mediolanenſem, tanquam Imperii feudum, occupavit, atque ad poſteros ſuos, Hiſpaniæ Reges, tranſmiſit. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 92. *&* 151. Ab hoc *Maximiliano* Helvetii, operæ in recuperatione Ducatus A. C. 151?. fortiſſimè navatæ præmium acceperunt, A. C. 1513. Præfecturas IV. Italicas ſeu Tranſalpinas, quas hodieque poſſident, videl. Luganenſem, Locarnenſem, Mendriſianam & Madiæ Vallis, de quibus vide *ſuis locis.*

MAXIMILIANUS, Comes Pappenhemius, Landgravius in *Stulingen*, fil. Conradi Mareſcalli & Dn. *de Pappenheim*, extincti A. C. 1603. & Catharinæ *de Lamberg*, ex Urſula Maria Leiningenſi, non niſi filiam reliquit, Maximilianam Mariam, uxorem Friderici Rudolphi Comitis *de Furſtenberg*, atque uxoriô jure, *in Stulingen*: & defunctus A. C. 1639. clauſit lineam ſuam, cujus conditor Henricus fuerat, fil. ſecundo-genitus Hauptonis. Filii enim illius, ex eodem matrimonio, Erneſtus Fridericus natus A. C. 1609. eôdem annô, Henricus verò Ludovicus, natus A. C. 1611. A. C. 1633. diem clauſêre. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. II.*

Franciſcus MAXIMILIANUS, Comes Furſtenbergius &c. *in Stulingen*, lineæ Blombergicæ, fil. eſt Friderici Rudolfi præfati, defuncti A. C. 1654. ex *Maximiliana* Maria Pappenhemia, quam primam ditionem Stülingenſem Furſtenbergiæ familiæ intuliſſe, paulo antè diximus. Ex uxore Maria Magdalena *de Bernhauſen* liberos habet. Vide eundem Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 313.

MAXIMILLA, Montani hæretici ſcortum, ejus cum Priſcilla diſcipula & pſeudoprophetiſſa, opum magnitudine plurimis ſeductis, ut ipſe Montanus, ſuâ ipſius induſtriâ laqueo vitam finivit. Euſeb. *l.* 5. *c.* 15. Tertullian. *adv. Phyſic. c.* 13. Hieron. *ep.* 14. *ad Marcellam, ep. Cteſiph &c.* Baron. *A. C.* 173.

MAXIMINIANOPOLIS, Ægypti urbs. *Lib. Notit.* Prius *Mageddo, Hermanno Contracto.* Thraciæ item & Pamphyliæ, *Amm. Marcellin.*

MAXIMINUS, Hiſtrio è Syria Romam à Vero adductus. Jul. Capitolinus in *Vita* ejus *c.* 8. *His acceſſit, quòd, quaſi Reges aliquos ad triumphum adduceret, ſic hiſtriones eduxit è Syria: quorum præcipuus fuit, Maximinus, quem Paridis nomine nuncupavit.*

MAXIMINUS Cajus Julius, Imperator, Thrax natione, fil. Patris Gothi Micææ, ex Abaha matre, Alana. Ex paſtore miles, hinc Dux, Alexandri Severi mortis conſcius, militum clamoribus Imperator dictus eſt, A. C. 235. Prodigioſâ corporis mole, bibo guloque inſignis: Sævus in Chriſtianos, quibus terræmotus aliaque mala Imperium infeſtantia, adſcriptum ibat. Sævus in alios, magnum aliquod regnum non niſi violentiâ contineri poſſe dixit. Buſiris, Scyron, Phalaris ſui ſeculi, in illos inprimis deſæviit, quos natalium ſuorum conſcios nôſſet, neque fidiſſimis amicorum parcens. Poſt mortuos Gordianos, qui in Africa Imperium arripuêre, viginti Proceres à Senatu lecti ſunt, qui Maximino, hoſti judicato, opponerentur. Quod tantùm non in inſaniam tyrannum adegit, certè parum abfuit, quin proprium fil. C. Jul. Verum Maximinum, quem Cæſarem legerat, interimeret. E' Germania itaque in Italiam tranſgreſſus, Aquileiam obſedit; quâ egregiè à Civibus defenſâ, ipſe à militibus, cum filio, occiſus eſt, A. C. 238. ætat. 65. capitibus Romam delatis corporibuſque beſtiis objectis. Filius obiit ætat. 21. Juvenis egregius, Latinè Græcèque doctiſſimus, à paternis moribus abhorrens, ſub Fabilio Poëta, Philemone Grammatico, Modeſtino JCto Tatiano & Eugamio, qui Rhetor Græcus erat, litteris probè imbutus. Jul. Capitolin, *in Maximinis*, Euſeb. *l.* 6. Oros. *l.* 7. Aurel. Victor *de Cæſar. c.* 41. Vide & *Julius.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MAXIMINUS C. Valerius, cognomine *Daza*, nepos ex ſorore Maximiani Armentarii; Cæſar cum Severo factus eſt. Sævus in Oriente; qui ipſi contigit, inprimis in Chriſtianos, literis Conſtantini & Licinii coërcitus eſt. Interea, cum hoc colliſus, prælió victus eſt; hinc in patriam redux Idolorum Sacerdotes, per quos ipſi Oraculum victoriam pollicitum erat, necavit, edictó in favorem Chriſtianorum evulgató. Horribili tandem morbó correptus, incendió inteſtinó viſcera depaſcente, oculis quoque orbatus: obiit Tarſi, A. C. 314. Victor *de Caſar. c.* 55. 57. *Eutrop. Euſeb. Zoſimus*, &c.

D. MAXIMINUS, Apoſtolorum diſcipulus, unà cum Lazaro, qui à Salvatore ex mortuis fuerat excitatus, venit in Gallias: ubi in civitate hujus nominis, in provincia Narbonenſi ſepultus eſt, Belfor. *Tom.* 1. *Coſmogr.*

D. MAXIMINUS, Epiſcopus Trevirenſis, è Pictonibus oriundus, Athanaſium exulem benignè recepit, acer Niceni Concilii defenſor. Interfuit Concilio Colonienſi, contra Euphratem Epiſcopum A. C. 346. & Sardicenſi, A. C. 347. Obiit A. C. 351. Hieron. *in Chron.* Greg. Turonenſ. *Hiſt. l.* 1. *c.* 35. *& c.* 93. *de glor. Confeſſ. Socr. Sozom. Theodoretus* &c. Guil. Kyriander, *de orig. ac ſtatu Trevir.* Chriſtoph. Brouver. *de antiq. Trevir.* P. Cratæpolius, *de Epiſc. Trevir. &c.*

D. MAXIMINUS, Juliacenſis Epiſcopus, ab Herulis, & Oſtrogothis patibuli ſuſpendió martyrium paſſus eſt, A. C. 479. Munſt. *l.* 3. *Coſmogr.*

MAXIMUS Flavius Magnus Clemens, Romanorum Imperator, ab exercitu, cui in Anglia præerat, proclamatus, A. C. 382. ſe è Conſtantini ſtirpe & Theodoſii proximum agnatum jactavit. In Galliam transgreſſus, à Legionibus Gratiano ſuccenſentibus, pro Imperatore habitus, Treviris ſedem Imperii conſtituit, quó tempore Gratianus Lugduni, ab Andragatho, occiſus eſt. Cui ſepulturâ barbarè negatâ, ad Theodoſium miſit, in imperii conſortium ab illo acciri ardens: à quo vanâ ſpe lactatùs, ne Valentinianum in Italia opprimeret, quietus ſedit. Poſtmodùm Victore filió Cæſare creató, in Italiam cogitavit, ab Ambroſio obviam miſſo ſecundâ vice impediri ſe non paſſus. Ergo Italiam ingreſſus, Valentinianó cum Juſtina, matre ad Theodoſium profugô, Placentiam, Mutinam, Rhegium, Bononiam ſolo æquavit, reliquis urbibus miſerè vaſtatis, in publica calamitate, ſoló Ambroſió, cum Eccleſia ſua, intactó. Theodoſio adventanti, Andragathum in mari Ionio, Marcellinumque fratrem in aditu Italiæ oppoſuit, ipſe in Hungariam cum ingentibus copiis profectus. Sed ibi, & in Italia à Theodoſio victus, Aquilejam confugit, ubi à propriis militibus Imperatori deditus eſt, qui ipſi caput detruncârunt. Victore fil. proditione Abrogaſti, occiſó, Andragathus in mare præceps iit. Zoſim. *l.* 4. Theodoret. *l.* 5. Socr. *l.* 5. Pacat. *in Paneg.* Paulin. *in Ambroſio.*

MAXIMUS, domeſticus Gerontii, Ducis copiarum tyranni Conſtantini, Cæſar factus ab hero ſuo, qui ex Britannia oriundus erat A. C. 411. annó poſt purpurâ exutus, inter Barbaros delituit. Poſteà in Hiſpania turbaturus, captus, ad Honorium deductus & à Jovino occiſus eſt. A. C. 421. Proſper & Marcellin. *in Chron.*

MAXIMUS, Imperator ex Maximi, à Theodoſio Seniore devicti familia. Senator cùm eſſet, uxore pulcherrimâ à Velentiniano, mirâ fraude corruptâ, ultionem meditatus, operam dedit, ut Imperator Aëtium à ſe removeret. Quó factó conjuratione occultiſſimè initâ, Valentinianum occidit, in Campo Martio, A. C. 455. hinc thronó conſcenſó, & Eudoxiâ, Valentiniani viduâ, per vim ductâ. Palladio filio, Cæſari creato, Eudoxiam Imperatoris occiſi filiam, Gaudentio, Aëtii filio deſponſatam, junxit, Imperio in priſtinum ſplendorem reducendo intentus. Sed brevi parricidii pœnam dedit. Cùm enim amore amens, Eudoxiæ aliquando affirmaret, Valentinianum ſe, ut illâ potiretur, occidiſſe, illa, minimè perſuaderi ſibi id paſſa, clam ad Genſericum, in Africam miſit, ejus auxilium implorans: qui in Italiam advolans, Romam brevi, Maximô inde profugô, & à civibus occiſó, occupavit. Alii dicunt, Genſericô appropinquante, Maximum, à milite quodam Urſo, occiſum, & ab Eudoxiæ ducibus civibuſque Romanis in fruſta diſcerptum, ac in Tiberim projectum eſſe, A. C. 455. die Imperii 77. Procop. *de bello Vandal. l.* 1. Evagr. *l.* 2. Sidon. Apollin. *l.* 2. *ep.* 23. *ad Sarran.* Nicephor. *l.* 15. *&c.*

MAXIMUS, Conſul cum Gordiano, an. Urb. Cond. 903. Alius cum Orphito, A. C. 914. Alius cum Apro, an. Urb. Cond. 959. Idem 2. Conſul cum Æliano, an. Urb. Cond. 976. Alius cum Albino, an. Urb. Cond. 977. Alius cum Lupo, an Urb. Cond. 984. Idem proximo anno cum Paterno & ſequenti cum Urbano.

MAXIMUS Conſul Collega, apud Æl. Lamprid. in *Commodo c.* 12.

MAXIMUS, cognomento Memma, Conſul cum Plinta, an. Urb. Cond. 1172. Item *Maximus*, Conſul cum Theodoſio Aug. an. Urb. Cond. 1106. Idem 2. Conſul cum Paterio.

MAXIMUS, Alexandrinus, ex Cynico Chriſtianus, Conſtantinopolim venit, A. C. 379. ubi à Gregorio Nazianzeno benignè, tanquam Confeſſor, qualem ſe jactaverat, exceptus & laudatus, hunc inde pellere conſtituit. Proin Gratiani Imperatoris gratiam aucupaturus, Mediolani librum ipſi, contra Arianos, obtulit, magno in pretio ab Hieronymo habitum. Inde redux, per 7. Epiſcopos à Petro Alexandrino miſſos, clam Epiſcopus ordinatus, mox populó vitiis ejus infeſtô, urbe exiit: à Gregorio in eam reverſo, vivis coloribus depictus, qui Petrum, aliàs pietate celebrem, in facinus hoc conſenſiſſe, vehementer miratus eſt. Hinc ſchiſma Conſtantinopoli, Presbyteró quódam, Gregorii inimicó, Maximo favente: qui à Theodoſio quem interea Gratianus conſortem legerat, confirmari petens Theſſalonicæ, cùm votô non potiretur, pœnam veritus, Alexandriam ad Petrum ſe recepit. Sed & inde pulſus, poſteà in Apollinaris hæreſin prolapſus eſt, & ab Epiſcopis condemnatus; Gregor. Nazianz. *Carm. de vita ſua*, *& Or. in Max.* Theodor. *l.* 5. Nicephor. *l.* 12. Caſſiod. *l.* 9. Baron. *A. C.* 379. 380.

MAXIMUS, Patriarcha Conſtantinop. ſucceſſit Theodoro III. & Manuelem I. ſucceſſorem habuit, ſeculô 13. Item, ſeculô 15. poſt Simeonem, ei ſucceſſit Nipho.

MAXIMUS, aliis MAXIMIANUS, Epiſcopus Alexandriæ, durante perſecutione, poſt S. Dionyſium, A. C. 266. Obiit A. C. 285. Succeſſit Thomas. Euſeb. *in Chron.* Baron. *in Annal.*

MAXIMUS, Epiſcopus Alexandrinus, Domno ſurrogatus eſt, à Pſeudo-Concilio Epheſino: Obiit A. C. 456. Succeſſit Baſilius. *Acta Concilii Chalced.* 8. 9. *&c.* Baron. *in Annal.*

MAXIMUS I. Epiſcopus Hieroſolymitanus 19. ſeculô 2. poſt Publium, ante Julianum. Euſeb. *in Chron.* Baron. *in Annal.*

MAXIMUS II. Capitoni ſucceſſit, A. C. 185. Epiſcopus 26. ante Antoninum, Euſeb. *in Chron.*

MAXIMUS III. poſt Macarium, A. C. 334. plurima pro fide paſſus, in Niceno Concilio, inter Confeſſores eminuit. Concilio Tyrio, ubi Ariani prævaluerant, interfuit A. C. 335. à Paphnutio Epiſcopo de fraudibus horum monitus. Concilio A. C. 349. Hieroſolymis celebrato. Athanaſium in communionem Eccleſiæ recepit: literis hac de re ad Epiſcopos Ægypti, Libyæque & totam Eccleſiam Alexandrinam miſſis: hinc Arianorum technis depoſitus. Obiit A. C. 353. Succeſſit S. Cyrillus. Theodor. *l.* 2. Socr. *l.* 1. Sozom. *l.* 1. 3. 4. Rufin. *l.* 1. Philoſtorgius, *l.* 3. *c.* 12. *&c.*

MAXIMUS, alió nomine *Julius*, in partibus Civilis, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 33.

MAXIMUS, Scriptor Eccleſiaſticus, ſeculi 13. Scripſit de origine mali & materia, Euſeb. Cæſar. & Hieron. *de Script. Eccl.*

MAXIMUS, Sophiſta Alexandrinus, auctor Declamationum aliquot, Phot. *cod.* 135. Item, Scriptor geſtorum Apollonii. Philoſtr. *in hujus vita l.* 1. *c.* 5. Tzetz. *Chil.* 2. *Hiſt.* 291. Item, Hiſtoricus. Idem, *Chil.* 9. *Hiſt.* 292. Item, Epiſcopus Neapolitanus, ab Arianis, in exilio, necatus. Surrogató Zoſimó, qui graviter paulo poſt punitus eſt. Baron. *in Annal.* M. Herm. *in vita S. Athan. l.* 7. *c.* 6. Item, Grammaticus Madaurenſis, ſcripſit ad Auguſtinum epiſtolam quæ 43. eſt, inter hujus epiſtolas, qui ſequente illam, reſponſi locó, eſt dignatus.

MAXIMUS Cæſarauguſtanus. Epiſcopus, floruit A. C. 620. Auctor *Hiſtoria Gothorum in Hiſpania:* quod opus impenſè laudatur ab Iſidoro Hiſpalenſi, *Catal. de Viris Illuſtr. c. ult. Honorio & Trithemio.* Ei in Epiſcopatu ſucceſſit Johannes, quem Braulio frater excepit. Vide Vaſæum, *in Chron. rer. Hiſp. c.* 4. Poſſev. *in Appar. Sacr.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 24.

MAXIMUS Cynicus, Philoſophus, Idololatra & Magus, Epheſó oriundus. Juliano Apoſtatæ, cum quo familiariter agebat, odium religionis Chriſtianæ inſpiravit, ipſique imperium prædixit. Hinc Julianus jam Imperator tantô honore hunc coluit, ut ipſi advenienti obviam procederet, cumque cenſorem operum ſuorum eſſe vellet. Contra Perſas dein expeditione ſuſceptâ, cum ex Maximo audiiſſet, non minus illam glorioſam fore, ac Alexandri M. olim fuerat, ambitione inflatus, animam Alexandri per metempſychoſin in ſe tranſiiſſe credidit. Poſt Julianum & apud Jovinianum in honore, ob eruditionem, fuit, ſed à Valente promulgató edictó, ut Philoſophi Magi ad pœnam raperentur & ipſe Epheſi juſtas impietatis pœnas luit. Eunapius *in vit. Philoſoph.* Sozom. *l.* 6. Socr. *l.* 4. Zoſim. *l.* 4. Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 29. Baron. *in Annal.*

MAXIMUS Dexter, Conſul; cum Numio Albino, an. Urb. Cond. 1015.

MAXIMUS Eburnus. vide *Quintus.*

MAXIMUS Julius, vide *Julius.*

MAXIMUS Junius, vide *Junius.*

MAXIMUS Marius, vide *Marius.*

D. MAXIMUS Martyr, Abbas vel Confeſſor, natus Conſtantinopoli, inclytâ ſtirpe, doctrinâ & pietate generis ſplendorem auxit. Ab Imperatore Heraclio invitatus in palatium, ut ibi hiſtoriam Imperatorum elaboraret, eô in Monotheletiſmum prolapſô, in monaſterium ſe recepit. Jam Abbas, cùm errorem latè ſpargi hunc videret, Romam, in Africam, &c. profectus, Epiſcopos ubique cohortatus eſt, huic ut gangrenæ in Oriente ſerpenti mederentur. In Africa, A. C. 645. Pyrrhum Conſtantinop. hæreſin hanc ibi diſſeminantem, colloquió inſtitutó, ad meliora inflexit. Dein Romam cùm veniſſet, Martinum I. ad Concilium contra hos errores celebrandum induxit: aliquoties, cum Anaſtaſiis duobus diſcipulis ſuis, in exilium à Conſtante actus, obiit. *Opera ejus* 2. *Volum.* edita à Combeſio: *Quaſtio Eccleſiaſtici dogmatis*, diſputationis contra Pyrrhum titulus, &c. Morin *in ejus vita.* Photius *Cod.* 192. 193. 194. *&* 195. Anaſtaſ. Biblioth. *in Collect. Theophanes*, &c.

MAXIMUS Pacificus, vide *ibi.*

MAXIMUS Planudes, Monachus Conſtantinopolitan. Syllogen epigrammatum, libris 7. edidit, Metamorphoſes Ovidianas Græcè vertit; idemque in Commentariis Cæſaris conatus eſt, aliis quoque magni ingenii judiciique monumentis editis. Ab Imperatore juſſus contra Latinos ſcribere, utcunque id executus eſt. A. C. 1370. Raphaël Volaterren. *l.* 17. *Anthropol.* Genebr. *in Chron.* Voſſ. *de Hiſt. Grac. l.* 2. *c.* 29. *& Poët. c.* 9. *extr. Scalig. Geſnerus*, *&c.*

MAXIMUS Pupienus, cum Balbino imperavit, vide Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Maximo & Balbino. c.* 1.

MAXIMUS Regienſis, Epiſcopus ſeculô 5. Obiit A. C. 462.

Suc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Succeſſit ipſi Fauſtus, qui homiliam in S. Maximi laudes compoſuit. Dynamius *in vita ejus*. Sidonius Apollinar. *Verſu Euch. ad Fauſtum*. Gregor. Turonenſ. *de gloria Confeſſ.* Bartel. *Hiſtor. Nomencl. Præſulum Regienſium*. Alius ibidem Epiſcopus, ſeculô 13. Alius, Faventii ſucceſſor, A. C. 400. Homiliarum auctor, quæ ab aliis Euſebio Emiſſeno tributæ.

MAXIMUS Scaurus, centurio prætoriæ cohortis, in ſocietatem conjurationis, per Subrium & Sulpitium contra Neronem, adſcitus, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50.

MAXIMUS Taurinenſis, Epiſcopus hujus urbis, in Pedemontio, doctrinâ & pietate inclytus; auctor Homiliarum quarundam A. C. 465. Gennad. *in Catalog. c.* 40. Honoratus Auguſtodun. *libell.* 2. *c.* 40. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 13. *&c.*

MAXIMUS Toloſanus, Epiſcopus hujus urbis, ex viro primariæ in Republ. dignitatis, ſeculô 5. Ei ſucceſſit Agdus. Savaro *not. in Sidon. Apollin. l.* 4. *c.* 24. Catel. *Hiſt. Toloſ.*

MAXIMUS Tyrius, Philoſophus Platonicus M. Antonini præceptor. Romam venit A. C. 146. ubi ab Apollonio, Ariano, &c. maximi habitus eſt: ipſi etiam Marco Aurelio Imperatori, qui ſæpe auditor ejus eſſe voluit, gratus. Scripſit de Homero, & quæ apud eum antiqua Philoſophia? an rectè Socrates Apologiam detrectaverit? & alias id genus quæſtiones philoſophicas. Ita *Suidas*, qui eum Romæ uſque ad Commodum Imperatorem vixiſſe perhibet. Ejus 41. diſſertationes, *Coſmus Pactius*, Epiſcopus Florentinus, ſub initium præteriti ſeculi vertit, *Heinſius* verò longè correctiores edidit, notiſque eruditiſſimis illuſtravit. Volaterr. *l.* 7. *Anthr. &c.* Fuit præter hunc *Maximus* Epheſius, Philoſophus & Sophiſta, præceptor Juliani, ob magiam tandem à Valentiniano interfectus, teſte Socrate *l.* 3. *c.* 1. Vide ſuprà. *Maximus* Alexandrinus Philoſophus Cynicus, qui poſteà Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit. Vide ſuprà. *Maximus* quoque Ægienſis fuit, qui de Apollonio Tyaneo Pythagorico, nonnulla literis prodidit, geſta ſcil. ab eo Ægis. Vide Philoſtratum *l.* 1. *de vita Apollonii c.* 5.

MAXIMUS, it. *Maximus* Baſilius Valerius, vide *Valerius*.

MAXULA, *Antonin. Maxulla* Plinio *l.* 5. *c.* 4. *Mazula Ptol.* colonia & opppid. Africæ maritimæ Tuneti proximum, inter Carthaginem ad Occidentem & Clupiam ad Ortum, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi, inde 18. mill. paſſ. in Ortum diſtans, nunc *Marſa*, *Ferrar.*

MAYENSIS Comitatus *Mayo Countie*, regiuncula Connaciæ, in Hibernia. Ibi caſtrum, *May* præcipuum, in ora littorali.

MAYLLES, fil. Æneæ, ex Lavinia. Apollodorus, *in Euxenide*.

MAZACA Cæſarea, urbs Cappadociæ, ſub monte Argæo, quæ nunc *Tiſaria*, teſte *Nigrô*. Malè ab *Euſebio* & *Rufo* Magaram vocari, monuit Philander *ad Vitruvium*. *Baudrando*, verſus Armeniam minorem & Melam fluvium, 20. mill. paſſ. à Sebaſtia in Meridiem, 70. à Tyana in Cæciam 160. à Melitente urbe, & Euphrate in Occidentem.

MAZACÆ, Sarmatiæ Aſiaticæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

MAZACES, ſeu MAZÆI, populi Illyrici, verſus Savum, in Septentrionem, & Japodes, ſub quibus fuêre, ubi nunc pars Croatiæ, verſus Unam amnem.

MAZACES, præſidii Perſici Memphi dux, qui palantes & incautos Græcos urbe erumpens ad unum omnes, cum ipſo duce Amyntâ, occidit, Curt. *l.* 4. *c.* 1, Vide *Aſtaces*.

MAZACYLA, Marmaricæ urbs, *Ptol.*

MAZÆUM, civitas Bithyniæ, *Steph.*

MAZÆUS, Ciliciæ, ſub Artaxerxe Ocho, Satrapes, *Diodor Sic. l.* 16.

MAZÆUS, Babyloniæ Prætor & Darii gener: Alexandro procedenti Babylonem, cum adultis liberis ſupplex occurrit, urbem ſeque dedens, Curt. *l.* 5. *c.* 1. Ob id à Rege, ſatrapiâ Babyloniæ donatus eſt, *Ibid.*

MAZAGANUM, vulgò MAZAGAN, urbs Ducalæ, in regno Marrochio cum portu, in ora Oceani Atlantici, & arce munita, prope oſtia Ommirabihi fluv. Sub Portugalliæ Rege.

MAZANÆ, Paleſtinæ urbs, *Steph.*

MAZANDARANUM, vulgò MAZANDARAN, urbs Perſiæ, caput regni cognominis verſus oram Auſtralem maris Caſpii, ubi aliàs pars Hyrcaniæ Orientalior. *Ad. Olearius*. Vide P. de Valle *Itiner.*

MAZARA, ſeu UM, vulgò *Mazara*, urbs Siciliæ, cum portu capaciſſimo, ſatis munita; media ferè inter Thermas & Lilybæum, 30. mill. paſſ. à Drepano in Auſtrum, 55. ab Agrigento in Occaſum. Hinc pars Occidentalis Siciliæ *Val di Mazara*; eſtque una ex tribus Siciliæ provinciis.

MAZARA, Siciliæ fluv. *Diodoro*. Caſtellum item Selinuntiorum, *Steph.* & Armeniæ majoris urbs, *Ptol.*

MAZARES, Medorum Satrapes fuit, qui Prienenſes in Cyri ditionem redegit. Herodot. *l.* 1.

MAZARINUS Julius, è Siciliâ oriundus, propriâ induſtriâ ad purpuram & *primi*, ut vocant, in Gallia *Miniſtri Status* culmen emerſit. Ingeniò ſubtili, & morarum patiente, Reipubl. ſic conſuluit, ut ſuam rem non negligeret: Humanitate & rerum inprimis ſucceſſu inclytus. Quamvis enim Galliam exul relinquere coactus eſt, A. C. 1652. Principes tamen vindices nactus, ipſam Reginam in partibus habuit, unde cum gloriâ dignitati redditus, pace inter Regem ſuum Hiſpanumque, nuptiiſque auſpicatiſſimis, Pacis pignore, A. C. 1660. conciliatis, paulo pòſt obiit, die nempe 27. Febr. A. C. 1661. cujus mortem quàm ægrè Rex tulerit, teſtantur literæ ejus ad Hiſpaniæ Regem datæ, quas vide in Diar. Europ. *Cont. V. p.* 510. Ejuſdem Teſtamentum, ampliſſimarum ejus opum teſtem, habes *ibid. p.* 411. *& ſeqq.* De rebus ejus geſtis vide *Miniſterium* Richelii & Mazarini.

MAZARIS, Siciliæ urbs, *Antonin.*

MAZAX, Africæ populus, in torquendis miſſilibus non inferior Medis. Lucan. *l.* 4. *v.* 680.

——— Æquaturuſque ſagittas
Medorum, tremulum cùm torſit miſſile Mazax.

Claudian. *l.* 1. *de Laudib. Stilicon.*

——— Pavidus projectat miſſile Mazax.

MAZER & MAZERINUS, vide ſuprà *Madrinus* & infrà, ubi de *Murrhinis* poculis.

MAZERAS, Hyrcaniæ fluv. in mare Caſpium influens, Plin. *l.* 6. *c.* 16. Plutarch. *l.* 6. *c.* 78.

MAZENUS, Cyri regis miles, *Herodot.*

MAZIPPA, Maurorum dux, qui, cum Tacfarinate diviſo exercitu, leves copias accepit, ut incendia & cædes & terrorem circumferret. Vixit Tiberii Principatu.

MAZIRA, vulgò MAZIRA, Inſul. Aſiæ oblonga, in ora Felicis Arabiæ, aliàs *Organa*, 160. mill. paſſ. à Corodamo promuntorio in Occaſum, 120. à Maſcata urbe in Meridiem.

MAZOLENUS Marius, vide *Marius*. It. *Sylveſter*.

MAZORANI, populi Ariæ, in Parthiæ & Carmaniæ confinio, *Ptol.* *Μασδωράνοι* in *MS.* Seldeni.

MAZOVIA, vel MUZOSVIA, tractus Polocenſis in regno Poloniæ, nomen à Maſlao ſeu Maſoſz Pocillatore Miecziſlai Regis, qui interregni tempore, illum rapuit, nacta eſt, A. C. 1040. tandem à ſuis ſuſpenſus. Hanc cum Cujavia poſtea Leſcus Albus tenuit, fil. Boleſlai Criſpi, qui fratri Uladiſlo Regi pulſo ſucceſſerat. Horum frater quintus Caſimirus, poſteà Rex, Polonicæ ſeu *Mazoviana* familiæ auctor, obiit A. C. 1194. Pater Leſci & Conradi, quorum ille cum Cujavia *Mazoviam* Conrado fratri minori conceſſit, A. C. 1205. ad quam contra Pruſſos defendendam, Crucigeros evocavit, iis Culmenſi tractu, & quidquid inter Viſtulam ac Druentium fluv. traditô. Filii ejus A. C. 1247. extincti, Caſimirus rami Lencinienſis, & Ziemovitus rami *Mazovii* auctores extitêre. Hunc frater Siradienſi principatu ſpoliavit: Inter ejus filios Conradus adverſus Boleſlaum Calvum & poſteà Leſcum nigrum conſobrinum ſuum, regnum vendicaturus fruſtra fuit. Eum enim à rebellibus ſubditis contra ſe Regem electum, ad Rabam fluv. Ludovici Ungari auxiliis nixus ſuperavit Leſcus Niger, A. C. 1285. Alter fil. Boleſlaus ſtemma propagavit, quod aliquoties in diverſos ramos, in Ziemoviti inprimis, qui Mazoviam A. C. 1355. Regi Caſimiro obnoxiam fecit, in Warſovianum vel Cirnenſem, & Plocenſem ſeu Ravenſem, abiit. Warſoviana linea in Johanne & Staniſlao A. C. 1526. extincta eſt, ſicque omnis in Polonia Piaſteus ſanguis defecit: poſtquam Plocenſis A. C. 1462. in Ziemovito & Uladiſlao, jamque prius Ziemoviti ramus, deſiiſſet. Ita Johannes Albertus Rex, mortuô Januſſiò Mazoviæ duce, tractum Polocenſem & Mazoviam regno univit, (Conradoque demortui Ducis fratri, cujus filii Johan. & Staniſlaus præfati, Czirnienſem dominatum viciſſim conceſſit, A. C. 1501.) nec Regi Sigiſmundo conceſſum, ut eam uxori dotalitiam faceret. Vide Martin. Cromerum, *Hiſtor. Polon. à l.* 7. *uſque ad l.* 30. Spenerum *in famil. Piaſten.*

MAZUA, vulgò quoque *Mazua*, Inſul. in ora Barnagaſſi, anteà ſub Abyſſinis, nunc Turcici juris ab A. C. 1557. Aliàs *Macaria*. Vide ibi.

MAZULA, Africæ propriæ urbs, *Mazula. Ptolem.* Plin. *l.* 5. *c.* 4. *Antonin.* nunc *Marſa*, *Morerio* urbs Ægypti interioris, Gall. *Mazoure*, ubi Ludovicus IX. A. C. 1250. victus captuſque eſt.

MAZUR, apud Arabes, *avis eſt benedicta, in Oceano Occidentali, quam, qui navigant, pro auſpicata habent, quia ova ponit ad littus mari tranquillô. Proinde cùm ova illius vident, mare placidum eſſe colligunt*; *Damir*, ex aliquo Mirabilium conſarcinatore, quem non nominat: quæ ex alcyonis hiſtoria detorta videntur. Sed quæ ibidem idem addit, unde petita ſint, ignotum: *Venit hæc ipſa avis, cùm ad locum periculoſum aut belluam noxiam navis accedit, & coram vectoribus modò ſurſum, modò deorſum volitat, quaſi periculi eos moneret, donec re deprehenſâ nautæ recedant.* Vide S. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 15. *ubi de Animalibus Arabum fabuloſis.*

MAZUZÆ, ſchedæ erant, quæ periodis è Deuteronomio binis inſcriptæ, poſtibus ex Lege, apud Hebræos, affigi ſolebant. Et quidem, in Lege Militari, Deuter. *c.* 20. *v.* 5. cùm in bellum arbitrarium exeundum eſſet, Sacerdos *unctus in bellum* & delectûs copiarum Miniſtri, omnibus, qui in procinctu eſſent, reliquiſque proclamabant, *Vir ille qui ædificavit domum* novam ולא חנכו *καὶ ἐκ ἐνεκαίνισεν αὐτὴν & nondum dedicavit eam, vadat & redeat in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & vir alter dedicet illam.* Quam de novæ domus extructæ dedicatione Legem Targum Uzielidis ſic concipit: *Quis eſt vir, qui ædificavit domum novam, & non fixit in ea poſtes, ad fundandam ipſam? eat & revertatur in domum ſuam, ne occaſionem præbeat illi peccatum, ut interficiatur in bello, & vir alter fundet eam.* Ubi quod de poſtibus figendis, atque ita domo fundanda, paulo obſcurius eſt. Qui ædificaverit, fixit, fortè, poſtes. Sed alia omnino Paraphraſtæ mens. Poſtem quidem Chaldaicè τὸ מזוזתא ab Hebræo מזוזה denotare certum eſt. Atque ita uſurpatur, in præcepto, de verbis legis aliquot poſtibus portiſque inſcribendis, Deuteron. *cap.* 6. *verſ.* 9. & *cap.* 11. *verſ.* 20. וכתבתם על מזוזות (*Mezuzoth*) ביתך ובשעריך *Et ſcribes ea ſuper poſtes domus tuæ & in portis tuis.* Jam verò & Chaldaicè & Rabbinicè, voces illæ, à poſte & portis ipſis, tranſlatæ ſunt, ad ſignificandum itidem membranas ſeu ſchedas ipſas artificioſè ex Lege inſcribendas. Adeoque *affigere Mezuzam* (ſeu membranam ejuſmodi) *in foribus portarum*, obvium habetur, apud Talmudicos alibique in

Paraphraſtis Chaldaicis præceptum illud explicantibus. Unde Maimonides, ubi accuratam *Mazuzæ* ſcribendæ convolvendæque rationem tradit, *Halach Tephillim c.* 5. §. 6. *&c.* 7. addit, tum aptandam eam eſſe poſtibus oſtiorum, adeò ut *cavæ fiſtulæ ex canna aut ligno aut alia quacunque materie*, impoſita; poſſit clavô aliâve ejuſmodi re poſtibus adjungi, & demum inquit, *Et priuſquam eam affigebat* (qui ſic præparârat) *in Poſte oſtii, adhibenda erat tunc primùm benedictio hac, Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, Rex Mundi, qui ſanctificavit nos præceptis ſuis & præcepit nobis affigere Mezuzam* (ſeu Schedam jam dictam) *Nec benedictio adhibenda erat, in ejuſdem ſcriptione, nam affixio ejus erat ipſum præceptum*, &c. Non verò locus videtur ullus, שכלל תַּם quod in Targum eſt, in notione *fundandi*, ut quidem vertit Cephalerius *in MS.* cum neceſſariò in ipſa extructione fundaretur domus, ante allocutionem illam in procinctu. Unde *Seldenus* verba illa Targum ſic reddit, *quis eſt vir*, qui ædificavit domum novam & nondum affixit in ea *Mezuzam* ſeu *Schedam* illam, ad perficiendam eam (ſeu habitationi, juxta Legem idoneæ nondum aptavit?) &c. In *Mezuzis* verò illis accuratè ſcriptæ fuerunt periochæ binæ ſacræ; Altera, è Deuteronomii *c.* 6. *verſib.* 4. 5. 6. 7. 8 *&* 9. ubi præceptum habetur, de ſcriptura poſtibus affigenda; Altera, ex ejuſdem *c.* 11. *verſib.* 13. 14. *&c.* uſque in 21. ubi tantundem occurrit. Atque ſchedulæ illæ ſic poſtibus affixæ ædibus ita ſeu poſtibus ipſis cedebant, ut conductor ſive qui illas ibi repeeriſſet, ſive qui ipſe affixiſſet, cùm diſcederet, auferre jure nequiret. Regulariter autem ajunt alia ædificia, præter domos דירה *habitationi* aptatas, eaſque cubitorum quatuor minimum ſpatiô quadratas, præceptô de *Mezuzis* neutiquam teneri, adeoque nec ſtructuras Templi, aut Synagogas, in quibus habitatio nulla; exceptâ tamen, in Templo, portâ Nicanoris ejuſque interioribus & conclavi פרהדרין dicto, quod erat *domus habitationis Pontificis Max. per ſeptiduum ſeparationis ſuæ*, ante feſtum nempe Expiationum; atque exceptis itidem portis Atriorum, Introituum (in ædes ex diſtantia ducentium) Urbium ac Oppidorum, quoniam receptum erat: *Si fuerint domus præcepto Mezuzarum obligatæ, Introitus ad loca ejuſmodi ſimiliter eſſe obligatos.* Porro affigi ſolebant, ad latus dexterum introeunti; ſique plura eſſent domui oſtia, uniuſcujuſque poſtibus pariter erant affigendæ: ut alia temperamenta ac ſubtilitates perquam numeroſas, quas prolixè exequitur Maimonides tract. *Thephilin Wemazuza*, omittam. Ac in hac ceremonia *Mazuzarum* affigendarum, ipſam novæ domus dedicationem, nullâ temporis ratione habitâ, conſtitiſſe vult *paraphraſis* Jonathanis dicta; de qua ſententia quidquid ſit, certum eſt, non ſine benedictione ſolenni ac ſcheda illa ſacra poſtibus affigenda, dedicationem ipſam ritè perfici potuiſſe; quia ſcil. ſimulac ædes extruebantur, affigenda erat. Poſtea verò res in ſuperſtitionem verſa & *Mazuzis* iſtiuſmodi nimium tribui cœpit: Unde illud *Pſalm.* 121. *v.* 5. *Dominus cuſtos tui, Dominus umbra ſuper manum tuam dexteram* (quod in *Chaldaica paraphraſi Regia, Buxtorfiana, Jajana*, quaſi id ipſum eſt) in *Bombergiana* redditur, *Dominus cuſtodiat te, Dominus obumbrabit tibi, propter Mezuztha* (ſchedam illam) *quæ affixa eſt ſuper latus dexteræ tuæ in introitu tuo.* Sic alibi eadem *paraphraſis*, pro eo quod eſt, *læva ejus ſub capite meo & dextera illius amplexabitur me* Cantic. *c.* 8. *v.* 3. ſubſtituit, *Dixit Synagoga Iſraël: Ego electa ſum ſupra omnes populos, quia ego frontalia manui ſiniſtræ meæ & capiti meo, cartulaque* (Mazuza ſeu ſcheda ſæpiùs dicta) *affixa eſt lateri dextero portæ meæ, cujus tertia pars reſpicit thalamum meum, ut non habeant licentiam dæmones ad mihi nocendum*, &c, unde apparet, ſicut phylacteria, ita *Mazuzas* has, procedente tempore in abuſum degenerâſſe, hominum, ad ſuperſtitionem nimium quàm proclivium, culpâ. Et hinc fortè Gentilium, in dedicatione Templorum, poſtem oſtii Templi manu ſuâ tenere ſolitorum ritus ortus eſt, cujus luculentum teſtem habemus Ciceronem *Orat. pro Domo ſua* alioſque. Sed hac de re dicemus infrà in voce *Poſtes*, plura autem de *Mazuzis*, Vide apud Joh. Seldenum *de Synedriis Veterum Hebræorum l.* 3. *c.* 13. §. 2. *&* *c.* 14. §. 5.

MAZYES, Nomades Libyæ, aliis *Maxyes*, & *Machmes. Steph.* Aliis *Mazyges*, ſic enim apud Sueton. *in Nerone* legendum *c.* 30. *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillatâ & phaleratâ cum* Mazycum *turba, atque curſorum.* Ex hac enim gente curſores pedites, vult *Licetus*: equites, *Pignorius*, deſumſêre olim Romani, quorum velocitatem paſſim concelebrant Auctores. Nam apud Lucan. *l.* 4. *v.* 678. legas:

——— ———Tum concolor Indo
Maurus, inops Naſamon, miſti Garamante peruſtô
Marmaridæ volucres, æquaturuſque ſagittas
Medorum, tremulum quum torſit miſſile, Mazyx.

Apud Nemeſianum *Cyneget.*

Quemque coloratus Mazyx *deſerta per arva*
Pavit, &c.

Et certè *Curſores* ac *Numidæ* junctim paſſim recenſiti: quorum erat præcurrere & præcedere, ut ex *loco* Suetonii modò citato, & Seneca patet *Ep.* 123. *Omnes jam ſic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat comitatus, ut agmen Curſorum antecedat.* Item prænuntiare, ut innuit Appulejus *Metam. l.* 10. & Sueton. *in Nerone c.* 49. Imò & epiſtolas perferre, & quidquid Epiſtolas comitabatur, Martial. *l.* 3. *Epigr.* 58. Hos *phaleratos* dixit *ſuprà* Sueton. an quia hi vices equorum præberent, quorum proprium ornamentum phaleræ erant? An quia hæc non tam equorum, quàm equitum ornamenta fuêre, in culmine galearum eminentia; cujuſmodi viſitur in apice galeæ curſoris in Lucerna, apud *Licetum*, Sed nec ad ornatum ſolùm, verùm, quia plumatæ erant, ad eorum celeritatem indigitandam: illis datæ ſunt; quô nomine & Mercurio alæ ad pileum antiquitùs adpoſitæ ſunt. Eâdem fini nomina Ventorum iſtiuſmodi Curſoribus impoſita legimus, apud Cicer. *l.* 9. *Fam. Ep.* 2. Spartian. *in Ælio c.* 5. &c. Adjectæ inſuper ſunt olim in apice hujus phaleræ plumariæ duo tintinnabula, quibus à longe præpararetur ad curſum non intermittendum Curſor priori ſuccedaneus: Hæc in Scythia pedites Curſores ad cingulum ferre, aſſeverat M. Polus *l.* 2. *c.* 10. quorum locô hodierni quà cornubus, quà parvis tubis utuntur. *Armillatos* quoque *Mazyges* Neronis facit *Sueton.* & exhibet armillarum talium exemplar, deſcriptum ex antiqua ærea olim inaurata, quam Romæ nactus eſt, Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Addam de pera viatoria Curſorum, in qua portare conſuevêre vel epiſtolas tabellis exaratas papyrôque deſcriptas, Sueton. *in Nerone c.* 49. & Martial. *l.* 3. *Epigr.* 58. vel munuſcula, Idem *l.* 3. *Epigr.* 47.

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno Curſor ova portabat.

Quique non ita feſtinanti curſu vacabant, & longius iter conficere tenebantur, obſonia quoque, panem ac poculum viatorium; ut idem docet Martial. *l.* 14. *Epigr.* 81. Vide Fortun. Licetum *de reconditis Antiqq. lucernis, l.* 6. *c.* 82. *ubi Lucernam ſervi phalerati Curſoris apud Muſellos Nobb. Veronenſes explicat.*

MAZZABANES, Hieroſolymorum Epiſcopus 31. A. C. 253.

MCISLAVIA, urbs & Palatinatus Poloniæ, in Lithuania. Hîc Moſciâ Sigiſmundo I. victi, hodie tamen ſub illis eſt. Ad fluv. *Solſz.*

MDPS, in nummis Maximi, Victoris, Arcadii & Honorii, *Mediolani pecunia ſignatâ*, notat, interprete Car. du Freſne *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

M. E. M. in notis antiquis, *manceps ejus mancipii*: MENS. *Menſes*: MER. S. *Mercurio ſacrum*: MENS. JAN. *Menſis Januarius*: MA. F. *manifeſtum fecit*: M. H. *malus homo.* MAF. *manifeſtum*: M. *meritò*: M. F. *Marci filius*, vel *malâ fide*, vel *malè fidus*, vel *malæ fidei*: M. H. E. *mihi hæres erit*, *&c.* ſignificat. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

MEACUM, vulgò *Meaco*, urbs ampla Niphoniæ, in tractu Jetſeno. Antea totius caput & ſedes regia, nunc etiam populoſiſſima, & emporium celeberrimum. Vix 8. mill. paſſ. ab ora ſinus cognominis, 70. ab ora Borealis Japoniæ, 24. à Jendo in Occidentem. Urbs ipſa duplex eſt, *Superior*, ubi palatium Imperiale planè regium, & *Inferior*, quæ extenditur verſus oram littoralem & portum, ubi arx permunita *Fuxima.* Sed tantiſper defecit, ex quo Jenda regia facta eſt. Vide & *Nubunanga.*

MEARUS, Melæ *l.* 3. *c.* 1. *Metarus Ptol.* fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis in Callaicis. *Rio major* qui prope Trileucum promontor. in Oceanum Atlanticum ſe exonerat, 10. leuc. à confinio Aſturiæ in Occidentem.

MEATÆ, vide MÆATÆ

MECADES: Athenienſium princeps, an. ante Urb. Cond. 160.

MECCA, Maximini Senioris, ex Ababa, pater; fuit autem is Gothus, hæc Alana. Vide Capitolin. in *Maximinis c.* 1.

MECELIUS Hilarianus, Conſul, cum Pacatiano, An. Urb. Cond. 1094.

MECEUS Brunduſinus, Præfectus annonæ Orientis, ſub Aureliano Imperatore, apud Vopiſc. *in Aurelian. c.* 13.

MECHA, vulgò *la Mecque*, Gallis, *la Meccha* Italis, civitas Arabiæ Felicis, quam Saraceni incolunt, Mahumeticæ ſuperſtitionis caput. *Petra* veterib. Bellonio, *l.* 3. *obſerv.* Aliis & meliùs *Marraba*, fuit antiquorum. Juxta fluv. Betium, nunc *Chaibar*, ad radices montium 80. milliar. à mari Rubro in Ortum 200. à Medina Tanalbia in Meridiem; ibi ſepulchrum Mahumetis. Haud pridem ab Arabibus direpta eſt. Huc Caravanæ frequentes inſtituuntur à Mahumetanis. Unde & Scirificus Haſcenes, humili quidem locô natus, ſed homo vafer, qui genus ſuum ad Scirificum Feſſæ Regem referebat, quem Saïdus regnô exuerat, poſtquam affectatâ ſanctimoniâ plebem ad ſe traxiſſet, ut filios quoque ei charos redderet, Mecham eos, ad viſendum Mahometis ſepulchrum, miſit: qui reduces, Mahomete Feſſanô Rege victô & occiſô, regnum in ſe transtulerunt, A. C. 1507. 1508. 1550. Vide Thuan. *Hiſtor. l.* 7. Et de Caravanis hiſce P. de Valle *Itiner. tom.* 1 ut & Joh. Bapt. de Tavernier *Relation du Serrail.* Vide quoque *infra Methymna Talnabi*; item ubi de *Muſlimis*, & vocibus *Nahar ac Serif.*

MECHANICE, ſeu MACHINALIS *ſcientia*, ex Mathematicis & Phyſicis rationibus, efficiendi machinas & organa mirandi effectus, ad vitæ humanæ utilitatem: facilè Artium antiquiſſima eſt, ut ſine qua nec primi Parentes vitam tueri potuêre. Unde Guidiubaldus è Marchionibus Montis *in præfat Mechanices*, *Quâcunque* inquit, *neceſſitate Adæ vita degeretur; & quamvis etiam caſis contectis ſtramine, & anguſtis tuguriis ac gurguſtiis cœli defenderet injurias: Sic & in corporis veſtitu, licèt ipſe nihil aliud ſpectaret, niſi ut nives & ventos, ut Solem, ut frigus arceret: quodcunque tamen id fuit, omne* Mechanicum *fuit.* Hujus partes duas facit Politianus *in Panepiſtemone*, videl. *Rationalem*, quæ numerorum, menſurarum, ſiderum naturæque rationibus, perficitur: & *Manuariam* ſive *Chirurgicen*, cui Artes illæ, Æraria, Ædificatoria, Materiaria Picturaque adminiculantur. Non enim ſolùm inſignis hæc Ars machinas invenit, quibus mirabilia præſtet, quemadmodum exempli gratiâ vectis beneficiô fieri videmus: ſed cauſas etiam & principia exponit, quibus illa obtingunt, adeque malè à quibuſdam Philoſophiæ è civitate expellitur. Utraque iterum in 5. partes à Pappo *l.* 8. *Collectan.* ſubdividitur. Quarum 1. Ars eſt machinarum, quæ *Mangana* vel *Manganaria*, appellatur. Hæc ingentia pondera, machinis adhibitis, minimô

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

minimô niſu attollit, & in Templorum ac Fanorum: Murorum, turrium & portarum: Portuum, fororum, porticuum, balneorum, theatrorum, inambulationum & ſimilium: Ædificiorum tandem privatorum extructione, magnum habet uſum. 2. Μηχανοποιητικη, facile aquas antliis attrahit: Rotæ huc aquariæ & tympana pertinent, de quibus Lucretius *l. 5. v. 517.*

Ut fluvios verſare rotas, atque hauſtra videmus.

3. Ὀργανοποιητικὴ, inſtrumenta bello accommoda perficit, quorum plurima Politiano enumerantur *librô citatô.* Hinc Archimedes obſidionem Syracuſanam, hujus artis beneficio in longum tempus protraxiſſe legitur, apud Livium *l. 24. c. 34.* Plut. *in Marcello* & Plin. *l. 7. c. 37.* uſus inter cœtera, ſpeculis inprimis uſtoriis, quibus hoſtilem combuſſit claſſem. Quod Anaſtaſii Imperatoris temporibus imitatus Proclus felici eſt ſucceſſu, ut refert Zonaras *Annal. tom. 3,* & 4. Αὐτοματοποιητικὴ, quæ & Θαυματουργικὴ, quod magnam pariat admirationem; Ejus exempla ſunt, ex *Politiano, Hydraulica organa, quæque per ſe ventorum flatu reſonant, & quod vas diczometron vocabant, & quod voces avium variarum exprimit. Et quod indidem merum, mox dilutum vinum, mox aquam calidam, mox frigidam, copioſam tenuemque viciſſim funditat. Et ſiphones extinguendis incendiis, & medicinabiles cucurbitulæ ſine ignis miniſterio cutem prehendentes & pilæ ſponte ſaltantis, & lucerna ſuas ipſa producens ſtuppas, & animal, quod à ſtructore, dum ſecatur in menſa, bibit interim crepituque ſuo quodam & voce ſitientis repræſentat imaginem, &c.* Eôdem pertinet Architæ Tarentini columba lignea, quam ille ita ſuſpenderat: ut volaret, occultâ ſpiritus aurâ eam comitante: ad quod exemplum Norimbergæ muſca ferrea, è manibus artificis ſe attollens, convivas omnes circumvolabat, & aquila ad quintum ab urbe lapidem Carolo V. Imperatori obviam eſt facta, atque eum ad portas uſque civitatis comitata. Item ſphæra vitrea Archimedis, motus præferens cœleſtes: qualem & Poſidonius poſtea compoſuit, teſte Cicer. *de Nat. D. l. 2.* Ejuſdem Artis ſunt νευρόσπαστα, de quibus Horat. *l. 2. Sat. 7.*

Duceris; ut nervis alienis mobile lignum;

pleniùs Apulejus *l. de Mundo:* Hydraulicum item Archimedis, Tertulliano *l. de Anima*, prædicatum Triton, de quo Corn. Severus *in Ætna*; aliaque Muſica id genus organa, qualia deſcribit Claudian. *de Conſul. Manlii Theodori:* Hydraulicum quoque illud Claudii Galli, quô Tibure, in Cardinalis Ateſtini hortis, *effecit, ut aquarum levi ac placidô illapſu, æneæ aviculæ motu, voce, cantu, ad noctuæ adventum opportune intermiſſô, ad ejus diſceſſum repetitô opportunius. ita imitarentur veras, ut potius, qui fictas aſſererent, temerarii: quàm qui veras æſtimarent, nimis creduli viderentur,* ut ſcribit Poſſevin. *Bibl. Sel. l. 15. c. 1.* Qualesicunculas *Engibata:* ac, ſi cantus avium effingerent, *Merulas* appellat Vitruvius *l. 10. c. 12.* Quinta Σφαιροποιΐα, inſtrumenta ad obſervationes rerum cœleſtium idonea efficit, & in *Gnomonicam* ac *Dioptricam* diſpeſcitur. Quarum illa Horologia fabricat, & apud Græcos Auctorem habuit Anaximenem Mileſium, qui *Sciothericum* primus Lacedæmone oſtendit, Olymp. 58. tempore Cyri ac Servii Tullii, circa an. Urb. Cond. 200. ante quem tamen 200. jam annis horologium Sciothericum Regis Achaz, miraculô regredientis umbræ, in ſacris celebratur: Cùm apud Romanos demum Sciotherica haberi cœperint, tempore belli Tarentini ac cum Pyrrho Rege circa Urb. Cond. 478. Iſta nempe Dioptrice, de inſtrumentis agit; quibus lineam Meridianam, polorum elevationes, Æquinoctialis obliquitatem, Solis, Lunæ aliorumque ſiderum ſitus & intervalla, Planetarum congreſſus, Eclipſes & alia hujus generis exquirimus: adeoque Aſtrolabium & radius ad eam pertinent. *Suidas* etiam ex intervallo dimenſionem propugnaculorum, ejus ope, accuratè colligi docet: ſubdens hoc Piſidæ,

Τῇ σῇ διόπτρᾳ ταῦτα πρὸς πολλῦ βλέπεις:
Multò dioptrâ hæc antè proſpicis tuâ, &c.

Plura *de Mechanice*, ejuſque multifario uſu, in Architectura, Arte Nautica, ac Militari, necnon Sellulariis cunctis: de Scriptoribus item *Mechanices*, vide apud Gerh. Joh. Voſſium *l. de Scientiis Mathem. c. 45. & ſeqq.* ut & hic *infrà.* Adde quæ dicemus de *Statice.*

Scriptores Mechanici Græci ac Latini.

Archytas Tarentinus, primus *Mechanica, Mechanicis* principiis uſus, expoſuit; teſte Diog. Laërtiô *in ejus vita:* Claruit autem Platonis ætate.

Ariſtoteles, antiquiſſimus eorum eſt, quorum *Mechanica* adhuc extant.

Æneas Tacticus, circa eadem tempora floruit: cujus habemus Στρατηγικὰ, in Epitomen redacta, à *Cinea Theſſalo*, Pyrrhi Epirotarum Regis conſiliario.

Archimedes 160. annis poſt Ariſtotelem, Olymp. putà 140. *in* Ἰσοῤῥοπικῶν libris *Mechanices* cauſas particulares expoſuit.

Athenæus, eâdem ætate, Marcello ſua *de Machinis bellicis* dedicavit.

Heronis Alexandrini dein clarum nomen fuit; cujus extant: *Mechanica, Automatica, Pneumatica, Zygus, & Poliorcetica.*

Drades poſteà, Cteſibius, Nymphodorus, Philo Byzantius, Diphilus, Charidas, Polyidus, Pyrrhus, Ageſiſtratus, de eadem Arte ſcripſerunt: quorum è Commentariis, ut & *Archytæ*, ſuum confecit M. Vitruvius Pollio qui ſub Auguſto floruit.

Sextus dein Jul. Frontinus, poſt *Stratoclem* & *Hermiam*, ſcripſit de Tactica, quæ Homeri temporibus obtinebat.

Ælianus, ad Adrianum Τακτικὰ ſcripſit: Præterea ineditus extat liber ejus *de Urbium obſidione.*

Arrianus Nicomedienſis, circa eadem tempora, *Tactica* ſua Adriano Cæſari & ipſe nuncupavit.

Cl. Ptolomæus, ſub Antoninis, *de Analemmate* ſcripſit.

Jul. Africani, ſub Marco Antonino Elagabalo extant περὶ πολεμίων παρασκευαὶ, ſeu *Fabricæ militares.*

Pappus, ſub Theodoſio M. eadem de Arte egit.

Urbicius, ſub Anaſtaſio Imperat. *Tactica* Græcè literis & memoriæ mandavit.

Anthemius, patriâ *Trallianus*, Juſtiniani M. ætate, ſcripſit περὶ παραδόξων μηχανημάτων, *de machinis.*

Mauritius Imperator *de re militari*, libris 12. memoriam ſui nominis conſecravit.

Hero Junior ſub Heraclio vixit.

Leo Imperator A. C. 985. & fil. ejus Conſtantinus Porphyrogennetus, A. C. 1012. *Tactica* ſcripſêre, ut taceam Daimachum, Aſclepiodotum, Poſidonium Rhodium, Baſilium Patricium, Diodorum, &c.

Albategnius, Syrus, A. C. 888. de Horologiis quædam edidit.

Joh. Mullerus de Regiomonte, *de Ponderibus & Aquaductibus*, commentarium reliquit, A. C. 1464.

Joh. Stabius Auſtriacus, ſcripſit *Horoſcopion Univerſale &c.* A. C. 1510.

Joh. Jucundus Veronenſis, Vitruvium illuſtravit, A. C. 1518. quemadmodum Ariſtotelis quæſtiones *Mechanicas* Nic. Leonicus Thomæus A. C. 1524.

Georg. Agricola quinque *de Menſuris ac Ponderibus* libros emiſit. A. C. 1533.

Vannocius Biringucius Senenſis, *Pyrotechniam* vulgavit, A. C. 1540. quô eôdem *de Architectura* ſcripſit Leo Baptiſta Albertus Florentinus.

Guil. Philander Caſtilioneus *Vitruvium* eruditô Commentariô illuſtravit A. C. 1544.

Nic. Tartalea, multa ad *Mechanicen* pertinentia exaravit, A. C. 1550. etiam *Nauticen* & *Artem Militarem.*

Rich. Recordus, Cambrus, *de Arte faciendi Horologia* ſcripſit, A. C. 1552. In eadem dein Anglia, Leon. Diggs *Tectonicum* conſcripſit A. C. 1556.

Guidus Ubaldus Marchio de Monte, *Mechanicorum* pereruditum librum emiſit, A. C. 1577. agens, *de libra, vecte, trochlea axe in peritrochio, cuneo, & cochlea.*

Chriſt. Clavius octo edidit libros *Gnomonicos* A. C. 1580. &c.

Alexander de in Floravantius Capucinus *Retehorarium* excogitavit. A. C. 1590.

Simon Stevinus Brugenſis, 6. *Staticæ* libros evulgavit A. C. 1595.

Joh. Bapt. Villalpandus eôdem annô, Hier. Pradi in Ezechielem labores continuaturus, *de templi Salomonici fabrica, vaſorum forma, Hebræorum ponderibus, &c.* pluribus egit. Vide reliquos apud Voſſ. *lib. ſuprà laudato.*

MECHANUM, villa in tribu Juda, *Hieronymi* tempore, Eleutheropoli aſcendentibus Æliam, in octavo lapide.

MECHLEMPE, nomen felis, Conſtantini Monomachi Imperatoris Conſtantinopol. uxori tantopere amatæ, ut lautos opiparoſque cibos in aureis vaſis quotidie ei juſſerit apponi, ut refert Tzetzes *Chil. 5. Hiſtor. 12.*

MECHLENBURGUM, Lat. *Megapolis*, inclyta olim Obotritorum Urbs, illuſtriſſimæ Ducum *Mecklinburgenſium* familiæ nomen dedit. Et quidem, cùm latiſſimè olim Vandalorum pateret nomen, in plures civitates diffuſum, ex iis Obotriti terras habitavêre, quas à Megapoli, Germ. *Mechlenburg* vel *Meklinburg*, mutuatô vocabulô, *Megapolitanas* ſeu *Mecklenburgicas* ſecuta ætas nominavit. His, vetuſtiſſimis à ſeculis, uſque ad noſtra tempora, Principes manſêre ex gente ipſorum, nobile Godeſcalci & Buthuis genus; ſui aliquando juris, regiâque dignitate inſignes. Externos pati primùm Carolus M. pòſt Henricus Auceps, Ottonesque, & qui auſpiciis Ottonum regebant, Billingianæ familiæ Duces, coëgere. Sæpius rebellantes à Cæſaribus Ducibuſque in ordinem redacti, poſt Bernardi Saxonis mortem, acriùs erupêre. Cauſa motus, ſuper inſitam genti ferociam, quòd pati ulteriùs tributa aſpernarentur, quæ ſuâpte naturâ gravia acriùs, quàm ut tolerarent barbari, Saxones cogebant. Inde queſtus & lamenta, & poſtquam non ſubveniebatur, remedium ex armis; nihil patientiâ profici cernentibus, niſi ut graviora ex facili tolerantibus imperarentur. Spes ex Germaniæ malis, quam primùm Henrici IV. infantia, inde continua inter hunc Proceresque Imperii bella miſerum in modum afficiebant: Converſis ſic ad civile bellum animis externa ſine cura habituros arbitrabantur. Primum facinus reſumtæ libertatis fuit Godeſcalci Principis cædes, exuta mox religio, Crucone ſeu Critone Duce ſibi delectô, cui cum Godeſcalci filiis acerrimum certamen fuit, ipſô tandem Critone victore. Verùm cùm ipſâ temporis diuturnitate novum hujus imperium convaluiſſe videretur, Henricus minor Godeſcalci fil. exul, quia armis minus valebat, Danuſque & Saxones implorati tardiùs ſubvenirent, conſiliis & aſtu res Obotritas moliri cœpit. Itaque amici paterni, qui inter populares ſupererant, literis atque internunciis, quid factô opus eſſet, moniti, ad omne obſequium promti, plura auſuri, ſi ipſe adventâſſet. Sic compoſitis, quæ tempus ſuadebat, comparatâ ex Danis Sclaviſque militum manu, Aldenburgum (quod *Oldenburgum* aliàs dicitur) expugnat. Inde populationibus pervaſtata, quâ mari adjacebat, Vandalia; & actæ paſſim prædæ, animum, opes; famam addiderant, metuſque omnis ab Henrico in Critonem vertit. Qui cùm partem regionis Henrico permiſiſſet, interimque ei omni ratione inſidias ſtrueret, à Sclavina conjuge, Henrici amore correptâ, proditus, vitam, regnum; conjugem brevi perdidit, quæ omnia in Henrici poteſtatem conceſſêre. Hic proin inolitâ ferè Majoribus erga Saxoniæ Principes reverentiâ, ad Magnum Saxoniæ Ducem, per adfinitatem connexam, profectus, fidem ſacramento promiſit, & hoſtibus victis clarus brevi evaſit, tantâ Imperii magnitudine, ut ſupra Obotritos, Wagiros, Polabos Kycinos, Circipanos atque Lutitios (quo modo tum Oldenburgenſis, Guzkovienſis, Wolgaſtienſis, atque Luſaticæ terræ incolæ appellabantur) etiam Pomeraniam, omnemque, qui inter

Al-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Albim & Mare Balhticum Poloniam uſque porrigitur, tractum, ditione teneret. Non eadem filiis Zuentepolco, atque Canuto ſolertia proſperitaſque; qui tutore primùm Canutô Daniæ Rege uſi, poſteà, ubi ipſi præeſſe cœperunt, mutuis diſſidiis periêre, Suinicone quoque Zuentepolci filiô, ultimô Henrici proſapiæ, extinctô. Sic Danus ſucceſſit, ſed hôc demum deletô, perfidiâ Magni filii, Pribislaus atque Nicolottus, Buthuis filii, avitum patrimonium recuperavêre, ita partiti, ut Pribislaus Wagiros atque Polahos (Oldenburgenſes nempe & Raceburgenſes) Nicolottus Obotritos ſive *Meckelburgios*, acciperet. Quibus cùm diuturna cum Henrico Leone Saxoniæ Duce eſſent bella, extinctô utrôque per varios caſus, Nicolotti filiis, ademtâ Obotritorum regione, Circipanorum & Kycinorum ditio (Gryphiswaldia, Wolgaſtum atque Gutskovia cum agro) reddita eſt: donec alter horum Pribislaus, non aliud ruentis domus remedium, quàm in Saxonum clementia eſſe, animadverſô, ad obſequii conſtantiam compoſitus, receptâ Obotritorum terrâ (Polabis Wagiriſque exceptis) ſincerâ fide Leonem coluit, poſitâ regii honorîs memoriâ, *Ducis* dignatione contentus. A quo tempore, exoleſcente *Obotritorum* voce, *Meckelburgicum* nomen invaluiſſe videtur. Immutam à Saxonibus libertatem, non multo pòſt etiam Dani Rege Canutô Magni filiô, attentavêre; qui inter fratrueles Burevinum, Pribislai, & Nicolottum Wartislai, filios, arbiter lectus, ita ſententiam dixit, ut, quam utrique parti portionem adjudicaret, Danorum Regum beneficiô poſſiderent: quô tamen nexu non multo pòſt iterum ſunt exemti. Ex eorum poſteris, Joannes atque Albertus, à Carolo IV. Imperatore Principum Imperii ordini adſcripti, A. C. 1348. continuam Principatuum illorum poſſeſſionem ad poſteros transmiſêre. Quâ, Patrum ætate, Adolphus Fridericus Suerinenſis, & Joannes Albertus Guſtrovienſis fratres, tracti Danorum Regis caſu, cùm excidiſſent, Fridlandium ſucceſſorem à Ferdinando II. acceperunt: donec armorum Suecicorum operâ in integrum reſtituti ſunt A. C. 1636. &c. Titulus eorum, *Duces Meckelburgi* (quales primùm audiêre modò dicti Joannes Stargardiæ & Albertus *Meckelnburgi* Domini) *Principes Vandaliæ, Suerini & Racenburgi: Comites Suerini, Domini Roſtochii Stargardiaque*, de quibus omnibus vide ſuô locô, & hanc in rem plura apud Tobiam Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Princípp. gentib. c.* 6. Nec non in *Megalopolis*.

MECHLINIA, Gallis *Malines*, pulchra ac nitida civitas, quaſi cor & centrum Brabantiæ obtinere dicitur. Bruxellâ, Lovaniô, & Antverpiâ quatuor milliaribus diſtat, ſitu & opere munita, incredibili aëris puritate gaudet. Habet ædes ſacras quamplurimas, ſed duas, quæ longè cæteris antecellunt, Deiparæ unam, & alteram D. Rumoldi ornatiſſimam, cum turri, quæ & magnifica eſt, & altitudine ſpectabilis. Optimus eſt hujus Reipubl. ſtatus, nam in eâ Princeps ſuum imperium, Optimates authoritatem, populus ſuam vim, authoritatemque retinet. Eſt hîc etiam armamentarium regium incredibili machinarum, tormentorum, armorum, & rerum ad bellum neceſſariarum copiâ inſtructum. Varia quoque opificum hic inveniuntur examina, à quibus ænea conficiuntur tormenta, campanæ, naves, panni, artificioſæ picturæ, & id genus alia, quæ in varias orbis partes, maximè in Hiſpaniam, tranſportantur. Juxta S. Catharinæ portam, quà Antverpiam itur, amplum monaſterium eſt, muris inſtar oppidi cinctum, in quo aliquoties ſupra mille quadraginta ſunt moniales. A. C. 1546. ex pulvere tormentario à fulgure incenſo, multum labefactata Mechliniâ fuit, nunc verò reſtaurata, ſolitâ pulchritudine, & munditie claret. *Lloydius.* Ob quem ſplendorem & magnificentiam jactatum in Proverb. *Mechlinia pulchra, Antverpia dives, Bruxella nobilis: Lovanium ſapiens, Gandavum amplum, Brugæ veteres.* Situ egregiô urbs, à fluvio Dyla interluitur, quô maris æſtu augeſcente merces undique in urbem commodè ſubvehuntur, quæ commerciis proin præ multis aliis floret. In ſuburbio S. Alexii monaſterium eſt Virginum ad 1600. è quo his exeundi, ambulandi, alios viſendi, viſenteſque excipiendi, nubendi tandem libertas eſt. Fuit olim ſub dominis peculiaribus, uſque ad A. C. 1336. quô libera facta eſt. Poſtmodùm ad Burgundos, hinc Auſtriacos pervenit, A. C. 1477. Sedes eſt Archiepiſcopatus à Paulo IV. A. C. 1559. fundati: quemadmodum duodecim Canonicorum Collegium A. C. 1000. hîc Norgerus Leodienſis Epiſcopus fundavit: Senatus item regii, à Carolo Burgund. Duce A. C. 1473. inſtituti, locus inſuper Curiæ Equitum aurei velleris. Capta eſt ab Alexandro Farneſio Parmenſi Duce poſt Antverpiæ expugnationem, A. C. 1585. Cæterùm cives ab annuo tributo liberi ſunt, ob fidelem operam Carolo Audaci, in obſidione Noveſii, præſtitam. Vide Guicc. *deſcript. Belg.* Johan. Bapt. Gramæum, *Hiſtor. de Malines.* Valer. Andream *Biblioth. Belg.* Havenſium, *de erect. nov. Epiſcop. in Belgio.* Thuanum & Grotium *in Hiſt. &c.* Item in voce *Machlinia.*

MECHMAS, vel MACHMAS. oppid in tribu Ephraim. Nehem. *c.* 11. *v.* 31.

MECHNEDEBAI, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 40.

MECHOACANIA, vel MECHOACAN, regio novæ Hiſpaniæ, opulenta, ter quippe in anno fruges matureſcunt. Inter Mexicanam ad Ortum & novam Galitiam ad Occidentem, ſub Hiſpan. Extenſa per 80. leuc. à Septentrione in Meridiem juxta mare Pacificum, ex illa pendent Colima & Zacatula provinc. Ejus urbes ſunt S. Michaëlis *S. Miguel*, S. Philippi, *S. Felipe*, Conceptionis de Salaya, *la Conception de Salaya*, Legio *Leon*, Sentica ſeu *Zamora*, *Zacatula* & *Colima*. Sed caput eſt Valliſoletum ſeu *Mechoacanum*, Gall. *Valladolid de Mechoacan*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Mexicano, quæ incolis *Guayangarco*. 47. leuc. Hiſpan. à Mexico in Occaſum, & aliquot leuc. à lacu Mechoacano in Auſtrum, teſte *Herrerâ*.

MECISTUS, unus ex ſociis Ajacis Telamonii. Hom. *Il.* 13. Item Triphyliæ oppidum. *Steph.*

MECOENAS C. Cilnius, eques Rom. Auguſto gratiſſimus, ab Hetruriæ regibus oriundus, Horat. *l.* 1. *carm. Od.* 1. & Propert. *l.* 3. *Eleg.* 7. cui velut unico ſtudiorum patrono Virgil. *Georgica* ſua, & Horatius *libros Carminum* inſcripſit. Delicatum hunc fuiſſe, non ſolum cultu ac moribus, ſed etiam ſtylô commemorant, quare Auguſtus eum frequenter exagitat, ut Cacozelum. Interim taciturnus fuit, nec monere ac reprehendere Auguſtum dubitavit. Vide infra. Urbis cuſtodiæ præpoſitus, velut è ſomniis reſurrecturi belli civilis prævidit & reſtinxit initium, oppreſſô M. Lepidô juvene, formâ, quàm mente meliore, Vellejus Paterc. *l.* 2. *c.* 88. Præterea, fuit hic vir provehendis cùm omnium diſciplinarum, tum præſertim poëticæ cultoribus adeò benignus, ut ab eo etiam ſtudiorum patroni, qui, in ſublevandâ doctorum hominum egeſtate, ſe munificos præbent, *Mecænates* appellantur. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 56.

Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones.

Idem reperit notas, quibus celeriter ſcribi poſſet, & per Acilium, Aquilamve, libertum publicavit. Ejus mollitiem Seneca philoſophus irridet, & exagitat. *Ep.* 114. Scribe *Mæcenas.* Apud Herodianum *l.* 7. *c.* 11. legitur *Μαικίνας*, ut Latinè eſſet *Macinnas*: quem tamen in membranis antiquis *Μαικήναν* eſſe teſtatur vir doctiſſ. Frid. Sylburgius *Indice in Hiſt. Rom. ſcriptores Minores*, nec aliô à Jul. Capitolino *in Maximinis c.* 20. & *in Gordiano tertio c.* 22. nomine appellatur. Scripſit quædam egregia, inprimis *Prometheum*, Senec. *ep.* 9. Ad Antonium ab Auguſto auxiliorum causâ miſſus; contra Pompejum juniorem negotium feliciter confecit. Agrippâ in contrarium nitente, ſuaſit Auguſto, ut retineret Imperium, Vide utriuſque Orationes excellentiſſimas, apud Dion. *in Auguſto.* Eundem, magnam vim reorum condemnaturum, in ejus ſinum ſchedâ conjectâ, verbis, *Surge carnifex & abi*, monuit, ne ſævitiæ notam incurreret: moriturus illum hæredem ſcripſit, licet in uxore ejus Auguſtus peccaverit. Vide Macrob. *l.* 2. *Saturnal. c.* 4. Sueton. *in Aug. c.* 66. 72. 86. Plut. *in eodem.* Imo de nobili hoc Romano ſingularem librum ſcripſit Meibomius, cui titulus *Mæcenas*, quem ſis vide, Alterius Mæcenatis meminit Plin. *l.* 8. *c.* 6. qui integrum triennium ſilere potuit. *Nic. Lloydius.*

MECON, urbs Peloponneſi non procul à Corintho, quæ poſteà *Sicyon* eſt appellata. Strab. *l.* 8. Item Inſul. parva maris Ægæi, apud Delon, ubi Ajax ſepultus.

MECON, Græcè *μήκων*, i. e. *papaver*, media pars conchæ purpureæ, non minus edulis, ac ſpondylus, pars ſumma, inter quam & *meconem* tinctorius ille fucus & flos purpuræ continetur, Vide infrà *Spondylus.* Veſtibus quoque utilis, ſi *papaveracas* Veterum veſtes inde arceſſamus, quod *Salmaſ.* facit, ut infra videbimus ubi de illis.

MECONE, urbs fuit Sicyoniæ regionis, Cæl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 12.

MECRIDA, uxor Lyſimachi, mater Alexandri. Polyæn. *l.* 6.

MECULONIUS, pupillus quidam Romanus ditiſſimus. Cicer. *pro Flacco.*

MECYBERNA, Macedoniæ oppid. in Pallene peninſul. proximum Olyntho, inde 20. ſtad. & *Mecybernus ſinus*, oppido adjacens. Plin. *l.* 4. *c.* 10. Thermaicus, apud Melam *l.* 3. *c.* 3.

MECYRA, Marmaricæ locus in Africa. *Antonin.*

MEDA, urbs Arabiæ Felicis. *Ptol.* Item Thaſſaliæ, *Perotto.*

MEDA, vicus agri Mediolanenſis familiæ *Coriorum* (an à Curiis Roman?) 12. mill. paſſ. à Mediolano: cum antiquo cœnobio Virginum, ab Haymone & Veremundo Comitibus circa Caroli M. tempora extructo.

De MEDA Johannes, vide *Johannes.*

MEDABA, urbs Nebathæorum. *Steph.* Item urbs tribus Ruben. Joſ. *c.* 13. *v.* 9. primaria quondam Ammonitarum, in planitie. *Ferrario Medaba*, *Guil. Tyrio Medavon*, aliis *Medbah*, urbs eſt Arabiæ Petrææ in finibus Moabitarum, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi: *Madaba*, in libro Machabæorum.

MEDAD, nomen viri ſuper quem requievit Spiritus Dei in caſtris. Num. *c.* 11. *v.* 26.

MEDALLIA, apud recentioris ævi Scriptores, in Italia & Gallia, monetæ quævis dici cœperunt, communi & ab omnibus receptâ nomenclaturâ; à *metallo* nempe, è quo cuſæ. Nemini enim ignotum, antequam cuderentur monetæ, æs & argentum magnitudine ac certò pondere perpenſum pro nummo datum eſſe, neque impreſſam metallo figuram, niſi ut ponderis quantitatem indicaret; ut ait *Salmaſ.* Sed & *Paulus Venetus* teſtatur, ſuâ etiamnum ætate, in aliquot Italiæ provinciis, levioribus metalli laminis (quod hodieque inter Indiæ aliquot gentes viget) peracta commercia. Unde Manilius *factum metallum* quod Græcis *ἐπίσημον* dicitur, monetas ſignatas vocat, ad *infecti* ſeu *ἀσήμου* diſcrimen. *l.* 5. *Aſtron.*

Et facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum & alterius ſemper mutabit in uſus.

Maximè verò poſterioribus ſeculis *Metallum* appellârunt quoſvis nummos, quòd omnis pecunia ſignata tum temporis appenderetur quoque, non numeraretur tantùm, præſertim ſi uſu eſſet detrita, adeò ut pro ſolo *metallo*, ſeu pro ſola nummi materia acciperetur. Quô factum, ut ipſis interdum nummis inſcripta hæc vox legatur. Servat enim Gazophylacium Galliæ Regis bina numiſmata ærea, in quorum uno, METAL DELM. i. e. *Metallum Delmaticum*: in altero, quod eſt Trajani, in corona laurea, MET. NOR. i. e. *Metallum Noricum*, exaratum conſpicitur. Sed & complures proſtant nummuli argentei Caroli M in quorum altera parte Crux, cum inſcr. CARLUS REX. in altera, in ipſo nummo medio viſitur vox, METALLO. Alius habetur cum Cruce & inſcr. in circulo, METALLO, & in averſo medio, METALLUM. Alii etiam ejuſmodi nummuli Ludovici Pii præferunt in medio, LUDOVVIC. in altera parte, Crucem cum inſcr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

inſcr. in circulo, METALLUM. Alius ejuſdem Imperatoris nummulus argenteus, vocem hanc exhibet in media parte averſâ: in altera autem crucem, cum hiſce characteribus in circulo † HLUDOVICUS IMP. Proſtant denique & alii ejuſdem Imperatoris, qui in averſâ ſui parte monetarios typos, ſeu, uti Galli vocant, *Cuneos* binos & totidem marculos habent, cum eadem voce in circulo, METALLUM. Cùm igitur nummi iſti *Metalli* præferrent vocabulum, inde fortè accidit, ut quævis moneta hôc nomine vulgò donaretur: ita ut, quemadmodum in ſuis nummis, MONETA, vocem inſcribebant Romani, ita ejuſce ævi Franci inprimis vocem METALLUM adſcriberent. Quæ quidem quibuſvis nummis eo magis fuiſſe communis videtur, quòd non æreis duntaxat, ſed & argenteis, aureiſque tribuitur. Legitur enim *Medailhe d'aur*, i. e. *Medallia aurea*, in vetere Inſtrumento Vaſconico, apud Marcam *l.* 5. *Hiſtor. Benebarn. c.* 13. *num.* 3. *&c.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Diſſertat. de Inferioris ævi Numiſmatibus n.* 101. & 102. ubi vocis *Malliæ* originem à *Medallis* arceſſendam, addit, vide & ſuprà in hac *voce*.

MEDAMA, fluv. & urbs Brutiorum in ora Calabriæ ulterioris. Fluvius nomen retinet antiquum, urbs à Saracenis exciſa, ubi nunc *Nicotera*, urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhegino. Vide Voſſ. *ad Melam p.* 168. *Baudrando* nunc eſt *Roſſarno*, vicus Calabriæ ulterioris prope oſtia fluv. cognominis *Metranio* nunc dicti, in ora maris Tyrrheni, vix 4. mill. paſſ. in Meridiem à Nicotera, quæ ex ejus ruinis crevit.

MEDAMNA, apud *Priſcianum*,

Indigena populi pro re dixere Medamnam:

eadem eſt cum *Μίση τ̃ πόλεμῶν*, apud *Dionyſium*.

Τὴν δὲ περικλίονες Μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσι;

ineptè pro *Meſopotamia*. Dicendum enim eſſet *Mediamna*: an *Meſanam* potiùs ſcripſit? *Μεσήνη* namque idem ſignificat, Latinè *Interamnas*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 699.

MEDARDI Fanum, oppid. Galliæ, ubi in cœtum ſacrum impetu factô, multi miſere tractati, locus incenſus. & Joh. Malo miniſter Euangelii, ægrè periculô ereptus eſt, A. C. 1562. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 28. *&* 29. & infrà.

S. MEDARDI Vicus, vulgò *S. Mars*, meliùs *S. Mard*, in Gallia, ad fluv. Loam, qui apud Stampas in Junnam defluit. Item *Medardi* Monaſterium, apud Auguſtam Sueſſionum, *l'Abbaye de S. Mard lez Soiſſons.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

S. MEDARDUS, Noviomenſis, & Gildardus Rothomagenſis Epiſcopi, Fratres uterini doctiſſimi, ut eôdem die nati, ſic eôdem denati ſunt, A. C. 564. In *S. Medardi* cœnobium Ludovicus Pius Imperator à filiis compulſus eſt, A. C. 833. Vide *Ludovicus I. Imperat.*

MEDARDUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

MEDDIN, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 61.

MEDDIX, ſummi magiſtratus nomen erat, apud Oſcos. *Ennius*,

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter.

MEDEA, filia Æetæ Regis Colchorum ex Hypſea, vel ut alii, Idyiâ conjuge, quæ Iaſonem Colchos cum reliquis Argonautis profectum hoſpitiô ſuſcepit. Cumque ejus amore flagraret, vereretur que ne incolumis non rediret, utpote quæ pericula noſceret, habitâ ſui conjugii ratione, docuit ipſum, quâ ratione æripedes tauros domare, & jugo ſubmittere, draconemque pervigilem ſopire, ac deinde occidere, ejuſque dentes ſulcis immittere, & vellus aureum rapere poſſet. Vide *Iaſon*, & *Abſyrtus*. Naturâ miſericordem & ab immani patris crudelitate abhorrentem fuiſſe ſcribit *Diodorus*. Hæc poſteà cum Iaſone raptô aureô vellere aufugit atque in Theſſaliam Jolchon venit Peliamque regem filiabus ejus per ſpeciem pietatis deceptis interemit: decem ſic annos cum Iaſone concorditer vixit atque ex eo *Didymum*, *Alcymenum Theſſandrum* & *Theſſalum* genuit. Repudiatâ dein *Medeâ* Iaſon Glaucam ſive *Creuſam*, filiam Creontis Corinthiorum regis, uxorem duxit, quam nuptiarum die Medea cum totâ ſimul Creontis regiâ miſſâ coronâ venenis illitâ, vel naphthæ bitumine, ut Plinius *l.* 2. *c.* 105. ait, cremavit: filioſque in mariti ultionem trucidavit omnes, præter Theſſalum, qui fugâ ſalutem ſibi peperit. Tum Iaſon, cùm doloris vim ferre non poſſet, propriâ ſibi manu mortem conſcivit: Medea ad Ægeum Athenarum Regem confugit. Cui nupta *Medum* filium peperit, qui poſtea Mediæ imperavit. Inde expulſa ad partes Aſiæ tranſiens, cuidam clariſſimo nupſit regi, ex quo dicunt filium Medum peperiſſe. Poſt mortem, in Elyſiis campis Achilli nupſit. *Ibycus*, *Simonides* & *Apollonius*. Medeam nonnulli non veneficam, ſed prudentem fœminam fuiſſe dixerunt, quæ exercitiis gymnaſticis molles & effœminatos homines, ad integram ſanitatem, traduxerit, & laboribus in locis calidis ſervaverit. Eam ob cauſam fabulæ occaſio data, quaſi homines coquendo in juventutem reſtituerit. Vide Diodor. Sic. *l.* 4. Plut. *in vita Alexandri*, ignem quô Creuſa exuſta eſt, & quem in ſcriniolo, muneris loco, ei Medea miſit, ad naphthæ Babylonicæ vim refert. Medeæ fabulam explicat eruditè Nat. Comes *Mytholog. l* 6. *c.* 7. *&* 8. Hygin. *Fab.* 25. *Apollodor.* Veneficia ejus, & furores notiſſimi ex Ovid. *l.* 7. *Metam.* item ex Seneca *in Medea*. De Medea ita Horat. *Epod.* 5.

Cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent.

Ovid. κακοτεχνίας, *l.* 2.

Non faciunt ut vivat amor Medeides herbæ.

Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 2.

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.

Quibus locis moveor, ut errorem ex Propertio tollam, apud quem *l.* 4. *Eleg.* 7, depravatè, ut puto, legitur:

Si te non totum Chloridos herba tenet.

Repone *Colchidos*, i. e. *Medea.* Sic enim frequenter à poëtis appellatur. Horat *in Epod.* 16.

Neque impudica Colchis intulit pedem.

Ovid. *l.* 2. *Amor. Eleg.* 14. *v.* 28.

Colchida reſperſam puerorem ſanguine culpant,

Statius *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 141.

Nec fera crudeles Colchis durâſſet in iras.

Val. Flacc. *l.* 7. *v.* 596.

——— *Alium dehinc turbida Colchis*
Exarmat ———

Nic. Lloydius. Cæterum A Timomacho picta, ſed non abſoluta, omnibus tamen admirationi fuit, non minùs ac Venus Apellis, aliaque à ſummis Artificibus inchoata, uti Plin. teſtatur *l.* 35. *c.* 11. *Illud verò perquam rarum ac memoriâ dignum, etiam ſuprema opera Artificum, imperfectaſque tabulas, ſicut Irin Ariſtidis, Tyndaridas Nicomachi*, Medeam *Timomachi*, *&, quam diximus, Venerem Apellis, in majori admiratione eſſe, quàm perfecta. Quippe in iis lineamenta reliqua, ipſæque cogitationes Artificum ſpectantur: atque in lenocinio commendationis dolor eſt manus, cum id ageret extinctæ.* Pingebat autem eam Timomachus, filios, quos ex Iaſone ſuſceperat, necantem, præ dolore, quòd ſe repudiatâ is Creuſam Creonte genitam duxiſſet. Hanc poſtea, ut & Ajacem ejuſdem Artificis, Cæſar Dictator emit octoginta talentis, teſte eodem Plinio *l.* 7. *c.* 38.

MEDEA, urbs Thraciæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Heracleenſi, apud Cherroneſum, *Midia* vulgò.

MEDELACUS, pagus Lotharingiæ, cum cœnobio, ad Saram fluv. Vulgò *Meteloch*.

MEDELICUM, Auſtriæ urbs, *Melch* hodie *Lazio*, ad Danubium, inter Lentium ad Occaſum 14. leuc. & Viennam ad Ortum 12.

MEDELLINO, illuſtris in Hiſpania familiæ nomen, vide infrà in *Metallinum*.

MEDELPADIA, vulgò MEDELPAD, provinc. Sueciæ, inter Helſingiam provinc. ad Auſtrum, Angermanniam & Jemptiam ad Boream, & Sinum Botnicum ad Ortum. Ibi caſtra aliquot.

MEDEMBLICUM, urbs Weſtfriſiæ, juxta mare Auſtrinum, cum portu capaci, 2. leuc. ab Enchuſa in Circium, paulo ampliùs ab Hornia, in Boream; inter Alcmariam in Africum, & Staveram in Cæciam. 4. leuc. Vulgò *Medemblik*.

MEDEMENA, vide MADMENA.

MEDENA, provinc. Eſdr. *c.* 6. *v.* 2. Ebr. *Madai*.

MEDENA, ſic vocatum fuiſſe olim emporium Vectis inſulæ, quod hodie *Neuport* vocatur, contra Magnum portum & Hamptonam urbem Angliæ, ſcribit Nevyllius *in Norico*.

MEDENATENSIS Pagus, Audoëno *in vit. S. Eligii l.* 2. *c.* 7. memoratus, nunc *le Melantois*, caput habet Seclinium *Seclin*, collegiô Canonicorum & S. Piatonis martyris reliquiis nobile. Carolus Calvus *in lit. ſuis*, enumerans res ad Monaſterium S. Petri & S. Bavonis, *Gandæ ſuper fluvium Schald* ſitum, pertinentes, commemorat in pago *Medelentenſi* villam Solelnum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MEDENI, Africæ propriæ populi *Ptol.*

MEDEON, urbs Bæotiæ, & alia Phocidis, à *Medeone* filio Pyladis, & Electræ. Eſt & Epiri civitas & vicus. *Steph.*

MEDERIACUM, *Antonin.* pagus Germaniæ inferioris in Geldria apud Moſam fluvium à Venloa urbe 3. leuc. in Boream, *Mierle Simlero*. *Baudrando* fuit oppid. Ubiorum, in ipſo limite Menapiorum. Nunc vicus *Swalm Cluver.* ad rivulum cognominem in Geldria ſuperiore, vix 1. leuc. Germanic. à Ruremunda in Cæciam, paulo amplius à Caſtello Menapiorum in Eurum.

MEDESICASTES, filia Priami notha. Homer. *Il.* ν. *v.* 173.

MEDIA, Aſiæ regio latiſſima & notiſſima, cujus Reges olim percelebres. A Septentrione Hyrcanô mari, ab Occaſu majori Armeniâ, & Aſſyriâ terminata, à Meridie Perſidem, ab Ortu Hyrcaniam habet & Parthiam, quæ Caſpiorum montibus ab ea excluditur. Dicta Media (ut Solino *c.* 20. placet) à *Medo* Medeæ & Ægei filio. Strabo. *l.* 11. Mediam in duas partes dividit, in *majorem*, cujus caput eſt *Ecbatana*, & *minorem*, quæ *Atropatia* dicitur. Eſt autem Media, bonâ ſui parte montoſa, & frigida, & ferè tota ſterilis, exceptâ regione, quæ ſub Caſpiis portis in humili & concavo ſolo jacet, quæ opulenta eſt, rerumque omnium neceſſariarum ferax, præterquàm olei. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 136.

Sed neque Medorum ſylvæ, ditiſſima terra.

Strabo ubi ſuprà, Εὐδαίμων σφόδρα ἐςὶ καὶ παμφόρος. Idem ita regionis hujus divitias rimatur: *Cum magnitudine & opibus regionis concordant ea quæ de tributis traduntur. Nam cùm Cappadoces Perſis quotannis pendant præter argentum, mille, & quingentos equos, mulorum duo millia, ovium quinquaginta millia, duplum ferè horum Medi pendebant.* Conſentiunt quæ Curtius *l.* 5. *c.* 4. latè ſcribit de amne Medo, & quæ Plin. *l.* 37. *c.* 5. de ſmaragdis Medorum. De præſtantia *Mediæ* multa veteres recenſent, ſed nemo meliora Polybio *l.* 10. *c.* 24. & *l.* 5. *c.* 44. In Media campus eſt latiſſimus, quem *Hippoboten* vocant, in quo equorum 50000. millia paſci dicuntur. Regium id armentum eſt. Ex Media primùm allata eſt malus citrea, quæ inde *Medica* dicitur, & ſic à Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 125. deſcribitur:

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali, quô non præſentius ullum
(Pocula ſi quando ſævæ infecêre novercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba)
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ipſa ingens arbor, faciemque ſimillima lauro.
Et, ſi non alium latè jactaret odorem,
Laurus erat: Folia haud ullis labentia ventis;
Flos apprima tenax: animas, & olentia Medi
Ora fovent illo; ac ſenibus medicantur anhelis.

Cordini nomen vulgò habere tradit *Haithonus*, & *Servan Caſtaldus*. *Baudrando* fuit, ubi nunc *Servan*, regio ampla Perſiæ, cum parte Occidentali *Gailan* provinc. & parte Septentrionali *Yerack Agemi*, provinc. Quæ nunc ſubſunt Perſis. Aliàs Media Aſiæ imperium obtinuit, Arbace Medô Niniven, ubi Sardanapalus erat, capiente. Sed & viciſſim Medorum Imperium, Cyaxare mortuô, ad Perſas devolutum eſt. Vide infrà. Regia Medorum Ecbatana fuit. Medi deliciis dediti à Syneſio *l. de inſomniis* traduntur, ut *Medica menſa* in proverbium abierit pro exquiſitâ, & ſumptuoſâ. Sumitur & *Menſa Medica*, pro crudeli apud *Athenagoram*, ex eo quòd Aſtyages Medorum Rex Harpago conſiliario filium, ejuſdem Harpagi epulandum appoſuit, ut Juſtin. *l.* 1. *c.* 5. author eſt. Eorum τοξοσύνην commendat Horat. *l.* 2. *Carmin. Od.* 16.

Otium Medi pharetrâ decori.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 11.

Neve tuâ Meda letentur cæde Sagittæ.

Lucan. *l.* 2. *v.* 48.

——— *Conjuret in arma*
Mundus: Achæmenis decurrant Medica Suſis
Agmina. ———

Hiſtoria paucis hæc: Medi, à Madai, Japheti filio, olim Aſſyriis ſuberant, donec Arbaces, Mediæ præfectus, ſub Sardanapalo, jugum excuſſit, Niniveque deſtructâ, A. M. 3178. an. 100. ante 1. Olymp. 876. ante Chriſtum Natum, Monarchiam Medorum orſus eſt, quæ ſub 9. Regibus duravit ann. 317, uſque ad Aſtyagen, filium Cyaxaris, nepotem Phraartis, quem Cyrus thronô deturbavit, an. 195. Urb. Cond. ſub initium 5. Olymp. Hic Aſtyages, Harpagi, qui Cyrum ex mandato non interfecerat, filium in fruſta conciſum, patri inter epulas propoſuit. Hinc quibuſdam *Medica menſa*, i. e. cruenta, ut dictum. Vide Herodot *l.* 1. Juſtin. *loc. cit. Diodor. Sic. Euſeb. Jul. Africanum, Oroſium.* Scalig. *in Chron.* Petavium *doctr. temp.* Ricciol. *Chron. Reform.* P. de Valle *Itiner tom.* 2. & 3. Quomodo Mediam, Saracenis profligatis, receperit olim Baſilius Imperator Orientis A. C. 1015. vide Zonar. *tom.* 3. Joh. Marshamus verò Eques *Mediæ* Regum ſeriem, à Dejoce incipit, de Arbace autem à veritate prorſus aliena & cum Sacris Literis repugnantia, ex *Cteſia Diodorum* referre, docet, *Canone Chronico. Sec. XVII,*

MEDIA, vulgò MEATH, provinc. Lageniæ in Hibernia, cujus medium ferè tenet. Quinta pars Hiberniæ quibuſdam dicitur: Eſtque vel Orientalis, *Eaſt-Meath*, Comitatus, cujus caput Trima; vel Occidentalis *Weſt Meath*, Comitatus, cujus caput Molingaria. In confinio Ultoniæ & Connaciæ.

MEDIA Comœdia, vide ſuprà *Comœdia.*

MEDIA Nox, vide infrà *Nox.*

MEDIA Vita, in Concilio Colonienſi A. C. 1310. *can.* 21. apud *Alb. Stadenſem*, Alios, eſt proſa lamentationis, quam fecit Notkerus Balbulus, cùm in *Martinsdoel* pons in loco præcipiti & periculoſiſſimo ædificaretur: *Mediâ vitâ in morte ſumus, quem quærimus adjutorem, niſi te, Domine, qui pro peccatis noſtris juſtè iraſceris.* Canitur autem illa Antiphona, in Eccleſia Romana in Sabbato Dominicæ III. Quadrageſ. in Completorio. Car. du Freſne *Gloſſar.*

MEDIALE, in arboribus propriè à *medulla* diſtinguitur; *mediale* quippe etiam habent, quæ medullâ carent. Sic ſambucus plurimam habet medullam, cornus non habet; in corno tamen *mediale* ineſt, eſtque duriſſimum arboris, Græcè τὸ μέσον τοῦ ξύλου, τὸ μέλαν δρυὸς & ἐγκάρδιον, item ἐντεριώνη & ἐντερονία: in arboribus verò quæ medullam habent, idem *mediale* & *medulla* eſt. Et quidem ad opera inteſtina ac minutiaria, *mediale* tantùm ligni ſumebatur. Unde Vitruvius, *l.* 2. *c.* 9. *ejecto torulo ex eadem arbore, ad inteſtina opera comparatur.* Ubi *torulum* vocat, circulum corticeum vel lignum alburnum, quod ambit medullam abietis; & *ejicere torulum ex arbore*, quod *Theophraſtus*, περιαιρεῖν τὰ πρὸς μήτραν. Idem, *Cædi autem ita oportet, ut incidatur arboris craſſitudo, ad mediam medullam & relinquatur, ut per eam exſicceſcat ſtillando ſuccus. Ita qui ineſt in his inutilis liquor, effluens per torulum, non patietur emori in eo ſaniem, nec corrumpi materiei ſanitatem, &c.* Vide Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034. & ſuprà, ubi de opere *Inteſtino.*

MEDIANA, Oſrhoenæ regionis urbs. *Lib. Notit.* Suburbium Neſſi, urbis Myſiæ ſuperioris ſeu Dardaniæ, ab ea 3. mill. paſſ. *Ferrar.*

MEDIANA Dominica, in Eccleſia Romana Theophilo Raynaudo eſt quarta Quadrageſimæ; aliis eadem cùm illa, quæ *ad Sitientes* dicitur, uti colligunt ex Gelaſii Pontif *Ep. I. c.* 13. & *Ordine Romano* ubi lectiones Prophetæ Jeremiæ diſponuntur in *Dominica Mediana*, quæ reperiuntur in Dominica Paſſionis, in primo nocturno. Idem ex Ivone Carnotenſi *Ep.* 63. habetur, *Apoſtolica inſtitutio & paterni Canones habent, ut non fiat Levitica vel Sacerdotalis ordinatio; niſi jejuniô quarti menſis ſeptimi & decimi, aut initiô quadrageſimæ, vel ſabbatô medianæ.* Fuit autem ſic appellata, quia in ejuſdem lectione fit mentio Lunæ quartæ decimæ & decimæ quintæ, quæ Lunaris periodi medietates ſunt. Vide Dominicum & Carolum Macros *in Hierolexico*, in voce *Dominica.*

MEDIAS, Athenis quidam, cognomentô *Coturnix*, ob intentum ejus volucris aucupium. Vide Ariſtoph. Scholia *in Aves p.* 60?. *E.*

MEDIAS, Scepſios, quæ eſt Myſiæ minoris urbs, tyrannus, qui cum Maniæ Zenidis Dardaniarum urbium principis uxoris filiam in uxorem duxiſſet & fidelis ob affinitatem haberetur, clam ad ſocrum ingreſſus, eam confecit, cupiditate occupandæ ditionis. Sed à Dercyllide mercedem immanitatis tulit. Nam hic ad colloquium tyrannum evocavit, datô juramentô, ipſum ſtatim remiſſum iri. Itaque proceſſit tyrannus. Dercyllidas portas aperiri juſſit: Si minus, ſe mortem ei illaturum. Poſtquam verò metu victus aperuiſſet: Nunc, inquit, in urbem te dimitto, hoc enim juravi: verùm etiam cum exercitu meo ingredior. Vide Xenophontem *l.* 3. *Hellanicor.* & Polyæn. *l.* 2. ubi vitioſè extat *Timeſias.* Nomen integrum extat *l.* 8. *p.* 635.

MEDIASTINI, dicti ſunt apud Romanos, qui nulli certo miniſterio deſervientes, adeoque nec inter ordinarios, nec inter vicarios certam quandam Servorum differentiam conſtituentes, locum penè infimum ſervitutis tenebant: *ſordidioris operæ* Senecæ vocati. Quamvis aliter Porphyrio *l.* 15. §. 44. *ff. de injur.* & Acron, in hunc Horatii *verſum*, *l.* 1. *Ep.* 14.

Tu Mediaſtinus tacita prece rura petebas;

Ubi *Mediaſtinum* accipiunt mediæ civitatis incolam, & in balneatoris officio intelligi poſſe *Mediaſtinum* putant, ſicut & *Priſcianus*, quòd *in medio* balnei *ſtare* ſoleant. *Reſtius Nonius Mediaſtinos* pro balneatoribus, itemque pro miniſtris & curatoribus ædium accipit, quòd *in medio ſtent*, ut miniſtrent omnibus: ſicut in navibus *Meſonautæ*. At in agro *Mediaſtini* ſunt, qui abjectiſſima quæque munia inter ſervos obeunt, vide Ulpianum *L. citatâ*, & *l. ult. ff. de oper. ſervor.* Cicer. *in Catil.* Columellam *de R. R. l.* 1. *c.* 9. Tit. Popmam *de operis Servorum*: ubi inter *Mediaſtinos* vult referri, *Hoſtiarios, Scoparios, Peniculos, Unctores, Focarios, Fornacarios, Balneatores & his ſimiles.* Laur. Pignorio *l. de Servis Mediaſtini*, fuêre *Aliptæ* & *Unctores*, miniſtri balneares. Nam, quod Juvenal. cecinit *Sat.* 7. *v.* 4. de Poëtis eô deſperationis adactis, ut

Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent;

Veteres gloſſæ de *Mediaſtinis* & Piſtoribus interpretantur. Plin. *l.* 29. *c.* 1. *Nec fuit poſtea quæſtûs modus: quoniam Prodicus Selymbriæ natus, diſcipulus ejus, inſtituens quam vocant Iatralepticen, reunctoribus quoque Medicorum &* Mediaſtinis *vectigal invenit.* Hinc vetus *Inſcr.* Romæ. *Diis. Manibus. S. Tito. Flavio. Oleno. Servo. & Procurat. Balnei. T. Flavi. Aucuct. Mediaſtino.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

MEDIATORES, Græcis Μεσάζοντες, dicebantur in Aula Conſtantinopolit. qui rebus gerendis in Palatio præerant, ſeu, quibus veluti ſequeſtris Principes res ſuas peragebant, *Miniſtri Aulæ* Mamertino *in Panegyr. Rerum Miniſtri*, Manilio, *l.* 5. Meminit eorum Nicetas *in Manuele l.* 1. *n.* 3. & Cantacuzenus *l.* 3. *c.* 15. & *l.* 4. *c.* 39. Summus verò rerum Miniſter Μέγας Μεσάζων dicebatur, dignitas in Palatio ſumma, cui Ducas *Veſiriorum* Turcicorum dignitatem comparat, *capp.* 21. 22. & 28. Apud Bavaros, dicebantur *Mediatores*, quibus, veluti *mediis*, bona Laicorum, quæ ab iis comparare ex Legibus non licebat, ad Monaſterii uſus, iiſdem per imaginariam donationem eadem concedentibus, ſibi Monachi comparabant: quæ acquirendi ratio per Monaſteria, *Delegatio* appellabatur, uti pluribus in *Gloſſario* docet Car. du Freſne. Vide quoque ſuprà *Admezatores*, & infrà *Meſies*, it. *Sequeſter.*

MEDICA, ſeu *Perſica Avis*, infrà *Pavo.*

MEDICA, Propontidis Inſul. ex Conſtit. Emmanuelis Comneni.

MEDICA Herba, vide ſuprà *Herba Medica.*

MEDICA Veſtis, vide infrà *Veſtis Medica.*

MEDICÆ Gallinæ, maximè olim expetebantur ad ſeminium, utpote generis excellentis & magnitudinis haud vulgaris. *Athenæus*, καὶ οἱ Περσικοὶ ἀλεκτρυόνες, *Et Perſici galli*: unde Περσικὸς ὄρνις, *Perſica avis* abſolutè, gallus *Heſychio.* Ariſtophani Μῆδος ὄρνις, *Medica Avis*, in *Avibus* dicitur, & Scholiaſtiejus, Μηδικὸς, *Medica.* Neque tantùm, qui *Medici* generis erant, ſed etiam gallum gallinaceum abſolutè, Περσικὸν ὄρνιθα & Μῆδον appellabant, à tiara ſeu criſta recta; quàm capite gerit. Idem Interpres, Μήποτε οὖν τὸν ἀλεκτρυόνα λέγει, Μῆδος γὰρ λέγεται ἄρεως δὲ νεοττὸς, ἐπεὶ ἄλκιμος καὶ μάχιμος &c. Sed & præſtantiſſimi in eo genere *Medici* ſive Perſici: quibus è locis gallinæ allatæ vel ex eo ſeminio propagatæ *Melicæ*, pro *Medica*, veterib. Romanis dictæ ſunt, ut Varro teſtatur *l.* 3. *RR. c.* 9. Has cum noſtris Indicis, quas antiqui vocarunt *Meliagridas*, malè confundunt quidam. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 871.

MEDICAMENTARII, *Plinio* dicuntur, qui *medicamenta* componebant, à quibus ea emebant Medici. Medici enim olim à Seplaſiariis medicamenta ſibi comparabant, utpote apud quos omnis Ἰατρικὴ ὕλη proſtaret Inde emebant Medici, quorum munus tum fuit, non ſolùm præſcribere remedia, ſed etiam manu facere. Emplaſtra tamen & collyria jam facta plerique à pharmacopolis mercabantur. Quod conqueritur Plin. *l.* 34. *c.* 11. *Atque hæc omnia Medici (quod pace eorum dixiſſe liceat) ignorant, pars major & nominibus: in tantum à conficiendis medicaminibus abſunt, quod eſſe proprium Medicinæ ſolebat. Nunc quoties incidêre in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc eſt impendiô miſerorum experiri commentaria, credunt Seplaſiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti, factaque jampridem emplaſtra & collyria mercantur, tabeſque mercium. Fraus Seplaſiæ ſic exteritur.* Cùm nempe veras & ſinceras merces emere poſſent, è ſtolo Alexandrino. *Marcellus.*

Et quidquid confert Medicis Lagæa Cataplo.

Unde videmus, non hodie atque heri cœpiſſe Medicos à conficiendis medicaminibus abſtinere, quod antiquiſſimis tamen temporibus Medicinæ munus fuit. Atque hi, à quibus poſtmodum jam facta medicamenta emebant, *Medicamentarii*, ut dictum, vocati ſunt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtituit: quod extremis Græciæ temporibus paſſim obtinuit. Olympiod. *in Gorgiam Plat.* Ὁ μὲν Ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ πημεντάριος διακονεῖ τὰ πρὸς τὴν χρείαν εὐτρεπίζων· ubi Πημεντάριον vocat, quem nos hodie *Apothecarium* ſeu *Pharmacopolam*, ex voce infimæ Græciæ πήμεντον vel πίμεντον, à Latino *pigmentum*, quô non ſolùm aromaticas & exoticas omnes ſpecies, quæ condimentis inſerviunt; ſed etiam omne genus herbarum ac ſeminum condimentariorum, deſignabant ſequiori ævô: cùm Plinii tempore de coloribus tantùm poneretur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1051.

MEDICCARA, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

MEDICEA Familia, ampliſſimè ſe in Italia diffudit, ſi, qui nomen idem gerunt, ejuſdem etiam ſanguinis haberi debent: nam præter Florentinam domum, Mediolani, Veronæ, Brixiæ, *Medicei* vixêre. Inprimis verò in Tuſcia floruerunt & plures ex illis in Florentina libera Republ. principatum geſſêre, antequam Alexandrum nothum exque filia notha Margarita generum Carolus V. Imperator devictæ Urbi Ducem daret. Familiæ conditor fuit Sylveſter *Medices* Mercator prædives & præcipuus Nobilitatis adverſarius: cujus poſteri indies auctis divitiis tandem plus quàm regias ſibi comparârunt opes & favore Populi ad ſummam potentiam ac dignitatem emerſerunt. Cujus occaſio Coſmi *Medices* exilium fuit. Hic enim, cùm à factione Nobilium, iniquô judiciô oppreſſus Urbeque pulſus eſſet, alterô ſtatim annô à ſua factione revocatus, Principem Reipubl. ſe, ſed ſalvâ hujus libertate conſtituit, & obſcuram hactenus familiam *Mediceam*, ad illud faſtigium evexit, in quo hodie par magnis Regibus verſatur. Ejus nepos Laurentius eâdem moderatione favoreque Populi, eandem dignitatem tenuit; nequicquam reluctantibus Optimatibus, uſque ad A. C. 1492. quô unà cum eo pax Italiæ ſepulta eſt. Filius poſtea Laurentii Petrus II. cùm, præteritô Magiſtratu, clandeſtinam cum Carolo VIII. Rege Galliæ tranſactionem iniiſſet, A. C. 1494. à Florentinis hoſtis Patriæ judicatus, excidit Principatu: duravitque hæc Populi libertas, uſque ad A. C. 1512. quô *Medicei* à Ferdinando Hiſpaniæ Rege reſtituti ſunt. Cùm verò A. C. 1527. Roma à Carolo V, expugnata & ipſe Clemens VII. Pontifex Petri præfati ex fratre nepos captus fuiſſet, Florentini denuò libertatem, auxiliô Gallorum, recuperârunt. Sed, Clemente Imperatori reconciliatô, Florentia *Medicea* familiæ reſtituta eſt, A. C. 1530. Alexanderque *Medices*, à Carolo V. Dux creatus, A. C. 1535. Quô intra biennium ſublatô, ſucceſſit Coſmus. I. hodiernorum Magnorum Tuſciæ Ducum conditor, qui ſummâ prudentiâ Princeps Ducatum ſuum per univerſam latè Hetruriam extendit, & A. C. 1569. à Pio V. Pontifice *Rex*, ſed obtinente Maximilianô II. *Magnus* ab hoc *Dux* tituli permutatione, creatus eſt: à quo tempore *Medicei* dici cœpêre *Magni Duces Etruriæ* ſive *Tuſciæ*, ſive *Florentiæ*. Originem hic Coſmus ducit à Juliano *Mediceo*, Laurentii præfati fratre, & Petri I. filio, qui à Pactis occiſus A. C. 1504. ex Catharina filia Galeacii Mariæ Ducis Mediolanenſis, reliquit filium Johannem, qui obiit A. C. 1526, Huic Maria Salviata (filia Jacobi Salviati & Laurentiæ, Laurentiô M. *Mediceô*, Principe Florentinô, genitæ) genuit Coſmum I. Magnum Ducem Hetruriæ defunctum. A. C. 1574. Quô, & Eleonorâ Toletanâ (filiâ Petri Alvari Ducis Toletani, Proregis Neapolitani) extinctâ A. C. 1562. natus Ferdinandus I. obiit A. C. 1609. Pater, ex Chriſtina Lotharingica (filia Caroli Ducis & Claudiæ, Henricô II. Galliæ Rege genitæ) Coſmi II. qui deceſſit A. C. 1620. relictô ex Maria Magdalena Auſtriaca (filia Caroli Archiducis, Ferdinandô I. Imperatore geniti) Ferdinandô II. cui uxor Victoria *de Rovier* ſeu Roborea, hæres Ducatus Urbinatis, utpote filia Friderici Ubaldi Roborei Ducis Urbini ultimi, extincti A. C. 1623. peperit Coſmum (natum ac denatum A. C. 1639) Coſmum III. (natum 1642. & maritum Margaretæ Ludovicæ Aurelianenſis, quæ tamen eô relictô jamdudum in Gallia degit, inſigni palatiô in loco *Montmartre* prope Lutetiam, extructô) & Franciſcum: è quibus Coſmus, Patri haud pridem defuncto ſucceſſit. Vide Phil. Jac. Spenerum *The. Part. I. p.* 149.

MEDICEA Sidera, vide infrà *Planetæ*.

MEDICEUS Obeliſcus, inter XIII. illos, qui Romæ ſpectantur, dictus ſic eſt, quòd in Pincianis hortis Mediceorum Principum in Circo Floræ, à Magno Duce Hetruriæ erectus fuerit: hodie in Hortis Salluſtianis conſtitutus eſt Georg. de Sepib. *in Muſæo Kirch. p.* 12.

MEDICI, apud Romanos, olim ſervi tantùm erant, ut teſtantur Sueton. *Neron. c.* 4. & Seneca *de Benef. l.* 3. *c.* 24. qui Domitium Corfinio incluſum, à ſervo priùs, quàm à Cæſare ſervatum ſcribunt. Clariſſimè P. Oroſius *l.* 7. *c.* 3. *Adeò dira Romanos fames conſequuta eſt, ut Cæſar Laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, exceptis* Medicis, *& Præceptoribus trudi Urbe præceperit*: blando nimirum miniſterio, cui tunc id Auguſtus indulſit & longè pòſt Juſtinianus *l.* 3. *C. com. de Legat. & Leg.* 1. *C. de comm. ſerv. manum*: ut ſupra omnia ſervorum artificia æſtimaret. Claudian. idem docet *lib. de bello Gildon,*

Noxia pollicitum domino miſcere venena
Fabricius Regi, nudatâ fraude, remiſit,
Injuſto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas.

Medici nempe, ut Liv. oſtendit *l.* 42. *c.* 47. Auguſti tamen ævô, etiam in interiori Principum cultu fuêre. Tacit. *Annal l.* 4. *c.* 3. *Sumitur in conſcientiam Eudemus amicus ac* Medicus *Liviæ.* Vide quoque Senec. *de Benef. l.* 6. *c.* 16. *Medicis* certè aurei annuli uſum primus conceſſit Auguſtus Imperator, cùm antea is ſolis ingenuis, ac Magiſtratibus, concederetur. Inſignivit autem hôc honore Auguſtus Antonium Muſam libertum, quod ejus operâ ex ancipiti morbo convaluiſſet. Dio *l.* 53. Καὶ αὐτὸν μηδὲν ὅ, τι μηδὲ τῶν πάνυ ἀναγκαίων ποιεῖν δυνάμενον, Ἀντώνιος (*Voſſ.* legit Ἀρτώριος) Μούσας καὶ ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέσωσε. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλά, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι, τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις, ἔλαβεν. *Antonius verò Muſa, cùm nihil Auguſtus eorum, quæ maximè ad ſanationem opus erat, poſſet facere, lavacris frigidis frigidiſque potionibus, ſanitati reſtituit: quam ob rem pecunia ei ab Auguſto & Senatu multa, uſuſque annuli aurei, (libertus enim erat) datus eſt, immunitaſque non ipſi modò, ſed omnibus eandem artem exercentibus, in poſterum quoque tempus conceſſa.* Eadem habet Zonaras *l.* 2. Vide Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 16. &c. Principem *Medicorum* ſeu *Archiatrum* Auguſtorum familia etiam agnovit, quem, ut in antiquo titulo eſt, ipſi vocabant *Superpoſitum Medicorum.* Horum autem alii Chirurgi fuerunt, ſeu *Medici vulnerum*, ut appellat Plinius *l.* 26. *c.* 2. & *Inſcr.* Romæ: *Chreſtæ. Conſervæ. & Conjugi. Celadus. Antinous. Druſi. Medicus. Chirurg.* Alii Ocularii ſeu ab Oculis, qualis *P. Attius. Atimetus. Aug. Medicus. ab. Ocul.* Clinici aliqui, Chirurgi & Ocularii ſimul, ut Eros ille, qui manumiſſus *P. Decimius. P. L. Eros. Merula.* Scribitur Aſiſii in antiquo titulo, ubi notatur pro libertate dediſſe HS. IↃↃ. Nonnulli defunctorum geſſêre curam, unde Joſephum *ſervis ſuis Medicis, ut Patris defuncti cadaver aromatibus condirent*, præcepiſſe legimus Gen. *c.* 50. *v.* 2. 3. &c. Iſtiuſmodi familiares ſanitatis cauſâ ditiores Romani quique habuêre, Scævola *l.* 41. §. 6. *ff. de fideicom. libert.* Imò & ſingulis ludis ſui erant *Medici*, partim ut valetudinem curarent, partim ut vulnera ſanarent; Unde *ferum quendam in ludo Cæſaris gladiatorem, quum vulnera ejus à Medicis exſiccabantur, ridere ſolitum fuiſſe*, ſcribit A. Gell. *l.* 12. *c.* 5. & *Medici* factionis Venetæ in ludis Circenſibus, mentio conſervatur in hoc marmore: *M. Vipſanio. Fulloni. Tentori. Aurigator. M. Vipſanio. Mignioni. Viatori. M. Vipſanio. Quartin. Succondatori. M. Vipſanius. Medicus. factionis. Venetæ. Oll. IIII. d. d.* &c. Neque verò *Medicos* tantùm, ſed & *Medicas* fuiſſe in uſu, docet *Inſcr. Secunda. Livillæ. S. Medica.* Et hæ videntur Gynæcia curâſſe & curam adhibuiſſe mulierum paſſionibus, habueruntque miniſtrarum locô Tractatrices, ut Tractatores *Medici*: quò reſpexit Seneca *Ep.* 66. *An potius optem*, inquiens, *ut malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro verſus digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui ſic tractavit ignem, quaſi illam manum Tractatori præſtitiſſet.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & Thom. Dempſterum *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 17. Poſtea nobilis Ars ab ingenuis excoli, & ejus periti ſummo in pretio haberi cœperunt: etiam Jureconſultis in Academia Oxonienſi prælati, vi Statuti A. C. 1384. promulgati, quô *Doctores Medicinalis ſententiæ Juris Civilis Doctoribus præferuntur*, regnante Richardô II. Spelmannus *Gloſſ. Archæol.* Poſtquam ab Auguſto jam jure annuli, & à Valentiniano I. immunitate donati, atque ſalaria iis ex fiſco conſtituta eſſent. Caruit autem *Medicis* Roma ſexcentis annis. quô tempore, ſicut & alibi ante Medicinam conſtitutam factum eſt, ægrotos in forum deportari & prætereuntium de iis ſententiam rogari, moris erat. Apud Athenienſes verò veteri olim Lege cautum fuit. *Ne quis ſervus, neve qua femina artem Medicam diſcito*: Sed cùm Mulieres, quod obſtetrices non haberent, verecundiâ ductæ certatim interirent, Agnodiceque virgo, quæ aſſumtô virili habitu artem didicerat, illis ſubveniſſet, priori Legi hanc alteram ſuffecêre Areopagitæ: *Ingenuæ feminæ artem Medicam diſcunto*; ſecundùm quam apud Terentium in palliata è Menandro *Andria.* Lesbia obſtetrix quid factô opus ſit, imperat: Namque & apud Romanos id feminarum genus *Medicis* accenſitum, docet Ulpianus *l.* 8. *de omnibus Tribunal.* Qui autem Athenis Medicinam facere publicè vellent *Medici*, à populo, qui eos eligebat, id conſequebantur: Xenoph. Ἀπομνημ. *l.* 4. ſed gratis tales illam facere tenebantur, ut patet ex Ariſtophane *Acharnenſibus.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 3. *tit.* 8. Nec omittendum, *Medicorum* non alios magis Romæ olim, quam qui è Græcia erant, æſtimatos fuiſſe; quæ cauſa, quòd tum Imperatores ipſi, tum Magnates Romani, non aliis uſi legantur. Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 92. ubi Lampſaci repertam *Inſcriptionem.* Cyri Liviæ Druſi Cæſaris Medici memoriam ſervantem, exponit. Vide quoque infrà voce *Vulnus*, ubi de Archagatho, primo Romæ Medico, Peloponnenſi, Romam accito an. Urb. Cond. 535. qui primùm quidem *Vulnerarii* elogium meruit, mox ob ſecandi urendique ſævitiam *Carnificis* convitiô eſt affectus. Apud Iſraëlitas, inter Præfecturas viginti quinque Templi, quoque ממונה על החולים *Præfectus ægrotorum*, ſeu *Medicus* erat: *Sacerdotes* enim, *quoniam in pavimento jugiter ſtabant & carnibus pluribus veſcebantur, nec in hora Miniſterii veſtem, quæ corpus ſcilicet, ut tunica, tegeret, aliam præter unicam, eamque ſimpliciorem, habebant, affligi ſolebant dolore colicô; unde conſtituebatur Præfectus unicus, cujus officium erat eos ſcrutari mederique eorum morbis quibuſcunque. Atque hanc in rem aſſiduus erat ipſe cum aliis, qui ei ſuberant*, Maimonides *hal. Cæli hammikdaſh c.* 7. §. 14. & *ad Miſn. tit. Siklim c.* 5. §. 1. apud Joann. Seldenum *Synedriis veter. Ebræorum l.* 3. *c.* 11. &c. Vide quoque ſuprà, *Archiater*, & infrà *Periodeuta*, it. *Phyſica.*

MEDICORUM VARIÆ SPECIES.

Aſtrologici dicuntur, qui non ſolùm univerſalia in aſtris attendunt, ſed etiam penetralia artis ingreſſi, particularia exquiſitè conſiderant: diſtribuentes XII. Zodiaci ſigna in ſingula hominis membra, & trigonum, tetragonum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

numque aſpectum, ſimiliaque ſolicitè obſervantes.

Botanici, qui virtutis quæ in herbis eſt periti, harum inprimis ope morbos depellunt. Hanc Medicinam à Chirone, cùm in manu vulneratus eſſet, excogitatam, refert Plin. *l.* 7. *c.* 56. & *l.* 25. *c.* 6.

Chirurgi, qui manu operantur, quales jam Homeri ævô Machaon & Podalirius fuêre. Et certè Trojani belli temporib. Chirurgice ſola Medicinæ nomine veniebat: cujus Auctor Chiron Theſſalus fertur, Achillis & Æſculapii præceptor.

Chymici ſeu *Medici* πυρότεχνοι, ex Chymiæ documentis principia ſuæ Artis depromentes, materiem novâ ratione præparant ac adminiſtrant. Quam Artem ab Ægyptiis Arabes ſeu Mauri, qui Hiſpaniam occupârunt, accepêre, à quibus ad Europæos pervenit: eam dein diu ſepultam, quaſi ab Orco revocavit Theophraſtus Paracelſus.

Clinici, qui ægros cubantes ἐν κλίνῃ i. e. in lectulo inviſunt ac curant: unde *Clinices* nomen de tota Medicina dici patet. Hujus Auctorem Aſclepium Plut. *l.* 8. *Sympoſiac. c.* 24. Hippocratem Plin. facit. *l.* 29. *c.* 1. Aliqui tamen *Clinicen* vocant, illam Medicinæ famulam Artem, quam aliàs Μαγειρικὴν ſeu *Coquinariam* appellant.

Coſmetæ, qui pulchrum exempli gratia vultui colorem conciliant, maculas, ſcabritiem & rugas tollunt, capillis colorem mutant, dentes albos reddunt &c. Quam Artem primum docuiſſe ajunt Critonem, diſcipulam Acronis Agrigentini, qui apud Reges Reginaſque *Medici* munus obibat.

Diſſectores ſeu Anatomici, qui corpus humanum diſſecando, in membrorum omnium ſitum naturamque exactè inquirunt: Qualis Hierophilus inprimis fuit, Phalaridis æqualis, qui miſſis ſibi è carcere facinoroſis, *ſeptingentos vivos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur*, Tertullian. *de Anima c.* 10.

Dogmatici, qui ratione & experientiâ ſubnixi, tum evidentes, tum abditas cauſas conſiderant, ac præterea partes affectas & earùm explorant ſigna, Quæ ſecta maximè in Scholis regnat, *Galenô* Auctore.

Empirici, ſolùm nituntur experientiâ & analogiâ ad ſalubria eligenda, inſalubria fugienda: adeoque obſervationibus particularibus, & præceptis inde extructis utuntur. Qualis *Sextus* fuit ſub Antonino Pio.

Iatraliptæ vocantur, qui unguentis ac perfrictionibus morbis medentur. Verùm hæc Ars, quam Prodicus, diſcipulus Æſculapii, inſtituiſſe legitur, apud Plin. *l.* 29. *c.* 1. non tam Mecicinæ ſpecies, quàm famula eſt.

Magici triplices ſunt: Quidam enim in occultis naturæ indagandis earumque operationibus promovendis ſunt toti: Alii verbis, characteribus & ceremoniis medendi tribuunt efficaciam, quod jam Trojanis temporibus obtinuiſſe, ex *Homero* diſcimus: Nonnulli commerciô cum Spiritibus utuntur, ad exemplum *Plotini*, *Jamblichi* & aliorum Platonicorum. Vide ſuprà in voce *Magia*.

Methodici, qui rationi ſic inſiſtunt, ut contenti ſint theorematis paucis, iiſque methodô imperfectâ tractatis.

Muſici.

Ocularii ſeu ab Oculis, qui hujus inprimis membri curam gerunt: Cujus artis inventorem Apollinem facit Plut. *Sympoſ. l.* 8. *c.* 2.

Practici, qui in opere verſantes ſanitatem vel ſecundam conſervant, vel amiſſam reſtituunt. Quæ ars partim Προφυλακτικὴ, partim Θεραπευτικὴ proin dicitur: & hæc rurſus in Diæteticam, cujus Auctor *Herodicus* ſub Artaxerxe Longimano floruit, Pharmaceuticam ac Chirurgicem ſubdividitur.

Rationales ſeu Logici, qui in morbornm cauſas & rationes inquirunt: Cujus Artis principia condidit *Podalirius*, de quo vide Euſtathium *Iliad.* ί. In illa inprimis claruit *Menecrates* Tiberii & Claudii Cæſarum Medicus.

Theoretici, quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat, indagant: Principia corporis humani & partium ſtructuram, actiones & uſum: res naturales & præternaturales &c. accuratè conſiderant: morborum differentias, cauſas & ſigna tradunt &c. Vide quoque infrà.

Vulnerarii, de quibus vide infrà, voce *Vulnus*.

MEDICINÆ origo, ab experientia; experientiæ occaſio à neceſſitate eſt. Incrementa dedit conſuetudo, quâ antiquis temporibus ægri ſolebant in via exponi, quò rogarent tranſeuntes, eôdemne morbô laborâſſent, & quô pactô eſſent reſtituti. Artem poſteà auxit, quum à morbo liberati, quomodo ſanati forent, conſcribere ac dein ad Sacerdotes deferre inciperent, ut in templi ſacrario remedia deponerentur: quod Ægyptiis in more fuiſſe, teſtis eſt Plin. *l.* 29. *c.* 1. & Galenus *de Compoſit. Medic. l.* 5. Nec ſtructurâ magis, quam remediorum iſtiuſmodi præſtantium copiâ, celebrius fuit templum Epheſinum: ut de aliis nil dicam, contentus attuliſſe hac de re illuſtrem Plinii locum *l.* 29. *c.* 1. *Clarà* (Medicina) *Trojanis temporibus, quibus Fama certior, vulnerum tamen duntaxat remediis. Sequentia ejus in nocte denſiſſimâ latuêre uſque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates genitus in inſula Coo, inprimis clara ac validâ & Æſculapio dicatâ. Is, cùm fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque jam templô crematô inſtituiſſe Medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.* Quod ergo Poëtæ Apollinem ajunt *Medicinæ* inventorem, Solem intelligunt, à quo herbarum vires, quibus *Medicina* conſtat: Nec alius videtur Pæon, qui ſic ὑπὸ τῦ παίειν, h. e. θεραπεύειν *mederi, curare* dictus eſt. Quòd verò *Æſchylus* Prometheo, alii Ægyptiorum Hermæ ſive Mercurio, nonnulli Iſidi, inventi hujus gloriam eunt adſcriptum, inde eſt, quòd antiquiſſimis temporibus Ægyptiis hæc Ars nota fuit. Namque Athothis, ſecundus Rex primæ Dynaſtiæ Thinitarum & Toſorthros, tertiæ Dynaſtiæ Memphitarum Rex itidem ſecundus, Medici inſignes jam fuiſſe leguntur. Ab Ægyptiis ad Græcos Artis notitia pervenit, inter quos, in Arte Chirurgica, à qua *Medicina* cœpit, primus ex *Homero* celebratur *Chiron* Theſſalus, panaceæ inventor, & Achillis atque Æſculapii Præceptor. Quem qua ſerie reliqui ſecuti ſint, & quibus incrementis *Medicina* ſurrexerit, accuratè exequitur Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſopkia capp.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. E quo ſaltem hæc addam, *primum pracepta medendi clariſſimè tradidiſſe*, Hippocratem, teſte Plinio *l.* 26. *c.* 2. atque in Artis formam ſic redegiſſe: cui ſupremum poſtea addidit faſtigium Claudius Galenus, qui ſub Severo Imperatore Vixit. Vide Cardanum quoque *Subtilit. l.* 16. & ſuprà, in voce *Medici*, item *Curioſorum Collegium*; nec non infrà voce *Phyſica*: ubi de more *Medicinam ſomnô petendi Petronio* indigitato hîc paſſim, inprimis verbo *Dormio*: nobile exemplum habes apud Suetonium *Veſpaſiano c.* 7. plura apud Janum Wowerium *ad Petronium*.

De MEDICIS Laurentius, vide *Laurentius*.

MEDICUM ſeu Citreum malum, è Perſide vel *Media*, in Græciam ſerò admodum allatum eſt, nec niſi mediæ Comœdiæ Poëtarum ævô. Meminitque primus ejus Antiphanes, in *Bœotia*, qui fabulas in ſcena dictavit, poſt Olympiadem 98. Verſus ſic habent.

——— A. ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε
Παρθένε τὰ μῆλα. B. Καλά γε. A. Καλὰ δῆθ' ὦ θεοί.
Νεωςὶ γὰρ τὸ σπέρμα τῦτ' ἀφιγμένον
Ἐις τὰς Ἀθήνας ἐςὶ παρὰ τῦ βασιλέως.
B. Παρ' Ἑσπερίδων ᾤμην γε νὴ τὴν Φωσφόρον.
A. Φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταυτ' εἶναι τρία,
Μόν', B. ἐςὶν ὀλίγον τὸ καλὸν, ἐςὶ πανταχῦ
Καὶ τίμιον.

——— A. *Sed hîc cape*
Virgo mala. A. *Pulchra omnino.* A: *Pulchra certè ô Dii.*
Nuper enim ſemen hoc advectum
Athenas eſt à Rege magno.
B. *Ab Heſperidibus exiſtimabam, per Auroram.*
A. *Dicunt aurea mala hæc eſſe tria*
Sola. B. *parum eſt, quod pulchrum eſt ubique*
Et pretioſum.

E quibus conſtat, malis Heſperidum hæc mala ſimilia fuiſſe: imò nihil prohibet, eadem fuiſſe, quæ patriâ tantùm ac natali ſolô differrent. Præterea veriſimile eſt, citreum malum, quod primum vidêre Romani, ab Africa potiùs ipſis veniſſe, quam è Media vel Perſia. Hæc eſt Ἑσπερὶς vel Ἑσπερίδων μῆλον. Sic *Punicum malum* appellavêre τὴν ῥοιὰν, quòd ab Africa & Pœnis hoc genus primùm acceperint, non à Romanis (de quo vide ſuprà) Huic verò Malo Heſperio vel Heſperidum, *citri* nomen impoſuêre Romani, non Græci; cujus rei fidem præſtat, quòd vetuſti Græciæ auctores, qui *Medici mali* meminerunt, nullam citri mentionem faciunt, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 955. & *ſeqq.*

MEDICUS ſe *Medicinalis digitus*, vide ſuprà *Digitus*.

MEDICUS Peregrinus, in ſacris ſuis vocatus olim Toxaris eſt, de quô ſuô locô.

MEDIMNI, populi Æthiopiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 30.

MEDIMNUS, Græc. Μέδιμνος, ex Hebr. מרים, מדד־אס, ex מר i. e. *menſura* & מנה *numerus*, menſura fuit aridorum Attica, capiens ſecundum Budæum *l.* 5. *de Aſſe* duas amphoras: ſecundùm Georg. Agricolam *l.* 2. *de Menſuris* 108. libras menſurales ſeu 48. chœnicas; ſecundùm Anglorum menſuram: *ſeven gallons, a pottle, three ounces, three quarters and an half, and twelve grains*: notata hôc modô Ms. Dicitur & *Medimna*, i. e. *dimidia*, eò quòd quinque modiorum menſura ſit, qui dimidius numerus eſt à perfecto denario. *Iſidor.* At ſex modiorum facit C. Nepos *Attico c.* 2. *Univerſos* Athenienſes) *frumentô donavit; ita ut ſingulis ſex modii ritici darentur, qui modus menſuræ* medimnus *Athenis appellatur.* *Suidas* quoque & alii. Giſanii liber verò: *ſeptem modios tritici*; nominat. Itaque Alex. ab Alexandro diſtinguit, ut modios quidem 6. Medimnum facere; Athenienſem autem medimnum 7. modiis conſtare dicat, *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 20. Et tantum erat, de quo fœminis atque pueris Athenis diſponere licebat: Quod enim pretium excedebat *Medimni* hordei, teſtamento dare legare non poterant, ex lege, cujus meminit *Iſæus* ἐν τῷ περὶ τῦ Ἀριςάρχυ κλήρυ. Ubi pro modulo Legislatori fuit pauperiorum cenſus. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, non licere teſtamentô dare legare, quod excedat fœnus annuum cenſus illius, qui teſtamentum ſcribit: Minimus enim cenſus fingitur eſſe Ligislatori totidem drachmarum, quot eſt minima dos. Fuit autem minima dos drachmarum centum quinquaginta, quarum menſtruum fœnus erant oboli novem, qui per duodecim multiplicati efficiebant obolos 108. ſeu drachmas 18. quibus hordei Medimnus venit: Sam. Petitus *Comment. in LL. Atticas l.* 6. *tit.* 6. Ab eodem menſuræ genere primum τιμῆμα ſeu ordo civium in prædicta Republ. *Pentacoſiomedimnorum* nomen accepit. Sic autem appellati ſunt, teſte Plut. *in Solone*, οἱ ἐν ξηροῖς ὁμῦ καὶ ὑγροῖς μέτρα πεντακόσια ποιῦντες, quòd quingentos *Medimnos* in aridis ſimul liquidiſque conficerent: Hi, utpote ditiſſimi Reipubl. talentum pendere tenebantur; cùm Equites ſemitalentum; Zygitæ, minas decem; Thetæ verò ſeu proletarii nihil conferrent: In quos 4. ordines Athenienſes univerſos Solon diſtinxerat. Vide eundem Petitum *l.* 2. *tit.* 3.

MEDINA, vide METHYMNA.

MEDINA-CELI, vide MEDIOLUM, Item nomen familiæ, in Hiſpania, illuſtris, quæ ramus eſt familiæ *de la Cerda*. In hac enim, cùm Ludovici Comitis de Claro Mon-

te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tæ filia Iſabella nupſiſſet Bernardo Gaſtonis Phœbi Foxii Comitis *de Foix* & Dn. *de Bearn* filio naturali; huic Henricus Rex Caſtellæ conceſſit *Medinam Celi*, cum dignitate Comitis A. C. 1371. Ei ſucceſſit filius Gaſto, atque iterum huic Patri Ludovicus: qui, ex minore filio Johanne, Dominos de Turre Quadrata (*Torre quadrata*) ſevit; major Gaſto, Ludovici fuit parens, qui primus *Ducis de Medina Celi & Comitis del Puerto de S. Maria* axiomate inſignitus eſt, ac Johannem genuit, hic Ludovicum I. Marchionem *de Cogolludo*, Gaſtonem & Johannem, Patris in Ducatu ſucceſſores: è quibus ultimus hic ſtemma propagavit, non tam per ſecundo-genitum Sancium Marchionem *de la Laguna*, quàm primo-genitum Johannem, qui ex Johanne Ludovico, prioris matrimonii filio, aliquorum Ducum genitor; ſed alter ejus filius Conſalvus, à Matre cognomen *de Lama* ſortitus, Marchionum *de Ladrada* auctor eſt. Ducum geneſis ſic habet: Ludovicus *de la Cerda*, Dux *de Medina Celi*, ex Catharina Biquia *do Oreſon* ſuſcepit Johannem I. maritum Mariæ *de Silva* & ex ea patrem Johannis II. quô & Johannâ Manuel (filia Sancii *de Nerogna*, genitus Johannes III. ex Iſabella Aragonia (filia Antonii *de Aragonia* Dn. *de Montalio*) ſuſcepit Joh. Ludovicum, defunctum A.C. 1607. Hujus ex Antonia Toletana famil. *Davila*, filia Johannes IV. *de la Cerda*, Dux *de Medina Celi* Marchio *de Cogolludo*, genuit Johannem V. ſeu, Antonium Johannem Ludovicum *de la Cerda Henriquez Ribera Portocarrero* Ducem *de Medina Celi* & *Alcala*, maritum Annæ Mariæ Luiſæ *Portocarrero* Ducis Alcalæ (Petrô Gironô Equit. Ord. S. Jacobi & Antoniâ *Portocarrero* & *Cardenas* March. *d'Alcala* genitæ) & ex ea patrem Johannis *de la Cerda Ribera Portocarrero* Ducis *de Medina Celi* & *Alcala*, atque ab uxore Catharina *de Sandoval de Cordona* Ducis Lermæ & Ceæ: Antoniæ *de la Cerda*, (quæ nupſit Caſparo *de Haro Guzman de la Paz* Duci *de Carpio*) ac... *de la Cerda* (uxor Joh. Thomæ *Henriquez de Ribera* Admiral. Caſtellæ Ducis *de Medina de Rio ſecco* Comitis *de Melgar*) Phil. Jac. Spenerus *The. Nobil. Europ. Part. II. p. 39. & Part. III. p. 83.* Vide *Methymna Celia.*

MEDINA de Rio ſecco, itidem illuſtris in Hiſpania familiæ nomen, quæ Henriciæ, (*Henriquez*) familiæ ramus eſt. Alfonſus enim, major natu fil. Friderici, Patris in Admiralis Caſtellæ officio ſucceſſoris, Comitis *de Melgar* ac *Rueda*, munus Thalaſſiarchæ (quod primus in hac familia obtinuerat Alfonſus *Henriquez*, Friderici Magni Magiſtri ordinis S. Jacobi fil. & præfati Friderici pater) ad poſteros transmiſit; qui etiam nomen *Ducum Medina de Rio ſecco* nacti ſunt, ut ex hac eorum ſerie apparet. Alfonſus Henricius Admiralis Caſtellæ Comes *Melgar*, ex Maria (filia Petri Ferrandi *de Velaſco* Comitis *de Haro*) genuit Fernandum Admir. Caſtell. Ducem *de Medina de Rio ſecco*: quô & Mariâ Gironâ (filiâ Johannis Telleſii Gironi Comitis *de Urenna*) natus Ludovicus I. Dux *de Med. de Rio ſecc.* Admir. Caſtell. uxorem ſibi junxit Annam de *Cabrera*, & *Moncada* (filiam Johannis *de Cabrera* Comitis *de Modica*) è qua genitus Ludovicus II. Dux *de Med. de Rio ſec.* Patri in Conneſtabilis dignitate ſucceſſit, matris inſuper nomine aſſumtô, genuitque Ludovicum III. *Henriquez de Cabrera* Admiralem Caſtellæ Ducem *de Medina de Rio ſec.* ex Anna *de Mendoza* (filia Didaci Hurtadi *de Mendoza* Comitis *de Sald.*) Ludovicus Victoriam Columnam (M. Antoniô Columnâ Duce *de Paliano*, Pr. *de Tagliacozzo* genitam) cum duxiſſet, ſuſcepit ex ea Johannem Alfonſum, maritum Ludovicæ *de Sandoval* & *Roxas* Ducem *de Uzeda* atque ex ea familiæ propagatorem: in quâ Joh. Thomam *Henriquez de Ribera* Admir. Caſtell. Ducem *de Medina de Rio ſecc.* uxorem ex familia Ducum *Medina Celi* ſibi matrimonio junxiſſe, paulo ſuprà vidimus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part. I. p. 134.* Nomen familiæ, ab urbe cognomine, quæ Latinè dicitur *Methymna Sicca.*

MEDINA Sidonia, Familiæ alius in eodem Regno celeberrimæ nomen, ab urbe cognomine, Latinis *Methymna Aſidonia* dictæ, Ramus eſt Guzmaniæ ſtirpis & quidem præcipuus, quem condidit Alfonſus Perezius *de Guſman Bono*, Dominus *de S. Lucar de Barrameda*, à Mauris cæſus A. C. 1347. Ejus nepos Johannes Alfonſus, primus Comitis *de Niebla* titulum nactus eſt, & deinceps hujus major fil. (nam â minori Johanne poſthumo etiam Domini *del Cadoſo* orti ſunt) Henricus Johannem Alfonſum primum Ducem *de Medina Sidonia* genuit: à cujus fratre Alfonſo, Domini *de Torralva* & *de Sogena* oriuntur: ſed à filio Henrico (ut reliquorum mentio, licet poſteritate abundârint, in præſens mittatur) propagata eſt Ducalis dignitas, nunc quoque ſuperſtes; cujus ſeries hæc eſt. Henricus *de Guzman*, Dux Medinæ Sidoniæ, ex Leonora *de Mendoza* (filia Perafani *de Ribera* Comitis *de los Molares*) pater fuit Johannis Ducis; qui, juncta ſibi Leonorâ *Zuniga*, ſuſcepit Johannem Alfonſum Ducem, maritum Annæ Aragoniæ (filiæ Alfonſi Aragonii Archiepiſcopi Cæſaraugustani, Hiſpan. Rege Ferdinandô Catholicô geniti, ex Anna *de Urrea* ſeu *Gurrea*) & ex ea patrem Johannis Clari Comitem Nieblæ: quô & Leonorâ *de Zuniga* ac *Sotomayor*, genitus Alfonſus Perezius Dux *Medin Sidon.* ex Anna *de Silva* & *de Mendoza*, reliquit Johannem Emanuelem Dominicum Perezium *de Guzman* Ducem *de Medina Sidon*, cui Johanna Sandovallia (filia Franciſci *de Sandoval* & *Roxas* D. Lermæ) peperit Alfonſum Perezium Comitem Nieblæ: Caſparum Alfonſum Perezium Comitem Nieblæ, pòſt fratrem defunctum; Balthaſarem Melchiorem; Luiſam (uxorem Johannis IV. Portugalliæ Regis magnanimitate & prudentiâ omnes ſui ſexus longè ſupergreſſam, quippe quæ maritum coronam oblatam accipere cunctantem, egregiâ oratione ad Regnum capeſſendum hortata eſt, eoque mortuô, rerum ſummæ magna cum gloria, dum filius adoleſceret, præfuit;) Franciſcam & Catharinam. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part. II. p. 47. & in Indice.*

MEDIOCRITAS, vox minùs Latina, modeſtè de ſe loquentis Velleji Paterculi *l. 2. c. 111.* *Habuit in quoque hoc bello* mediocritas *noſtra ſpecioſi miniſtri locum.* Ubi Bœcclerus, *Ita jam ergo incipiebant loqui, poſtea ejuſmodi formulæ ad ineptias & faſtidium frequentatæ. Mirari poſſis jam tum, i. e. ſub Tiberio, auſum Valerium Maximum dicere mea parvitas &c.* Minus itaque mirum, quòd eôdem modô de ſe loquuti leguntur antiqui Galliarum Reges. Inter quos Ludovicus Pius apud Anſegiſum *l. 2. c. 2.* *Quoniam* inquit, *complacuit divinæ Providentiæ noſtram* mediocritatem *conſtituere.* Sic Μετριότητος voce in Eccleſia Græca, Patriarchæ & Epiſcopi, de ſe loquentes aut ſcribentes paſſim ſunt uſi. Theodoſius Patriarcha. Ἠξίωσε τὴν ἡμῶν μετριότητα καὶ ἱερὰν ἀδελφότητα *Rogavit* mediocritatem *noſtram & ſanctam fraternitatem.* Epiſcopi Arimini congregati od Conſtantinum Imperat. Ἀξιοῦμεν τοίνυν ὅπως γαληνιαίᾳ προσόψει τὰ νῦν γράμματα τῆς ἡμετέρας μετριότητος κελεύσῃς ἀναγνωσθῆναι, *Rogamus itaque, ut ſerenô vultu has* mediocritatis *noſtræ literas jubeas legi*, apud Athanaſium de *Synodis Tom. I. &c.* Vide Joh. Meurſium *Gloſſar.* & Joh. Caſp. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce μετριότης.

MEDIOLANENSIS Ducatus, *Ducato di Milano* Italis, *Duché de Milan* Gallis, pars Italiæ in Longobardia, ubi aliàs Inſubres, Provincia eſt fertiliſſima & cultiſſima, tota ferè in planitie ampliſſima. Terminatur à Septentrione Helvetiis & Rhætis, ab Oriente ditione Venetâ & Ducatu Placentinô, à Meridie dominiô Reipublicæ Genuenſis, & ab Occidente partim Montisferrati Ducatu & partim ditione Ducis Sabaudiæ, ſubeſtque Regi Hiſpaniæ. Dicitur aliter *il Milaneſe* ab incolis, ſeu *lo Stato di Milano*, Gallis *le Milanois*; & ejus partes ſeu territoria ſunt Mediolanenſe proprium, *territorio di Milano*, Papienſe, *il Paveſe*, Novarienſe, *il Novareſe*, Comenſe, *il Comaſco*, Laudenſe, *il Lodegiano*, Cremonenſe, *il Cremoneſe*, Dertonenſe, *il Tortoneſe*, Alexandrinum, *l'Aleſſandrino*, Viglebanenſe, *il Vigevanaſco*, & Laumellina tractus, *la Laumellina.* Ibi alias Inſubres & pars Borealis Liguriæ. Ejus partes fuêre etiam Vercellenſis ager & Aſtenſis Comitatus. Sed nunc ſubſunt dominio Ducis Sabaudiæ, & Cremonenſe territorium paret Reipublicæ Venetæ. Vide *Inſubres.*

DUCATUS MEDIOLANENSIS URBES.

Alexandria, *Aleſſandria.*	Mediolanum, *Milano*, caput.
Bobium, *Bobbio*	Mortaria, *Mortara.*
Comum, *Como.*	Novaria, *Novara.*
Cremona, *Cremona.*	Papia ſeu Ticinum, *Pavia.*
Dertona, *Tortona.*	Valentia, *Valenza.*
Laus Pompeja, *Lodi.*	Viglebanum, *Vigevano.*

MEDIOLANENSE autem territorium, *il territorio di Milano*, tractus eſt parvus Ducatus Mediolanenſis, prope Mediolanum, eſtque riguus & cultus admodum, cum inumeris pagis & villis.

De MEDIOLANO Stephanus, vide *Stephanus.*

MEDIOLANUM, vulgò *Milan* Gallis, *Millain* Anglis, *Milano* Italis, *Meyland* Germanis urbs Inſubriæ Archiepiſcopalis & metropolis ampliſſima, à Gallis condita, poſt Romam an. 395. Ducatus Mediolanenſis caput, Emporium, & urbium Italicarum maxima, ab urbe Româ 315. mill. paſſ. inter Venetias 165. & Lugdunum 215. Hic copia omnium penè rerum, ac artificum cujuſcunque generis multitudo. Auſonius *de claris urb.*

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, fœcunda virorum
Ingenia, antiqui mores, &c.

Hæc urbs inter cæteras Italiæ urbes excellit quatuor inter alia rebus: Populi frequentiâ, Templô auguſtiſſimô, vix unquam perficiendô, arce firmiſſimâ & Bibliothecâ Ambroſianâ appellatâ, à Friderico Borromæo Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanenſi, viro doctiſſimo, & ſtudioſorum Mæcenate de ſuo extructa; libriſque omnis generis & linguæ, ac reditibus amplis ad perpetuitatem inſtructa. Ibi ad 300000. capita hodie cenſeri putantur; cæteras enim Italiæ urbes incolarum multitudine, unâ exceptâ Neapoli, longè ſuperat, *Lloyd.* Nomen ejus & origo in incerto Interim à Belloveſo Gallorum Duce, qui circa an. 170. Urb. Cond. ſedem in Italia fixit, conditam eſſe, colligitur ex Livio, qui Gallos, Tuſcis devictis prope Ticinum, cùm audîſſent regionem Inſubriam vocari, nomine caſtri in pago Auguſtodunenſi, *ibi omen ſequutos loci urbem condidiſſe Mediolanum appellatam*, ait *l. 5. c. 34.* Poſtea Gallis ſæpius à Romanis, Virodomarô inprimis illorum Rege, an. Urb. Cond. 532. à Marcello ſuperatô occiſôque, Romani Inſubriâ ſimul & Mediolanô potiti ſunt: à quo tempore varii Imperatores ſedem hîc habuêre. Pluries vaſtata à Gothis & Hunnis, ſub Attila Rege, inprimis A. C. 452. & Vitige Gotho, qui Mediolani unà cum Burgundionibus ad 300000. maſculorum trucidavit, A. C. 537. poſtmodum Longobardorum Dominatum agnovit, uſque ad tempora Caroli M. tum enim pars Imperii Romani eſſe cœpit: ſed & ſic varios Dominos, Vicecomites Tyrannoſque ſubinde experta. Cum Cremonenſibus, ob Cremam, bellum geſſit, A. C. 1140. à Friderico Barbaroſſa, ob rebellionem, ſolo æquata, auctoribus turbarum ſecuri percuſſis, A. C. 1162. iterum à Friderico II. Imperatore X. Millib. cæſis victa eſt, A. C. 1237. Galeacium Ducem accepit à Wenceslao Imperatore, ob id ab Electoribus depoſito A. C. 1400. Cujus ſucceſſor Philippus Venetos mari, Florentinos terrâ debellavit, A. C. 1431. Hujus filiâ Blancâ in uxorem ductâ, Franciſcus Sfortia, Venetorum, ſtipendiarius, ad Ducatum viam ſibi ſtravit, A. C. 1438. ſocerôque oppugnatô, ei poſt mortem, Venetis Mediolanenſibuſque invitis, ſucceſſit, captôque Mediolanô Dux declaratus eſt. Orta dein ingentia bella, ob jus Gallorum, quod in Ducatum, propter nuptias Valentinæ filiæ Joh. Galeacii Ducis, cum Ludovico ſecundogenito Caroli V. Gall. Rege unde Carolus Dux Aurelienſis pater Ludovici XII. ortus, ſibi vindicabant. Hinc à Borbocio, Duce Franciſci

ciſci I. ex agro Mediolanenſi pulſus Maximilianus I. Imperator A. C. 1515. poſtquam jam Carolus VIII. à Ludovico Mediolanenſi evocatus Alfonſo Neapolitano Regi bellum intuliſſet, A. C. 1494. Ludovicus verò XII. Ludovicum Sfortiam, in Carolum Regem perfidum unà cum urbe cepiſſet, A. C. 1500. paulo pòſt ab Helvetiis inſigni clade affectus, & Sfortiâ reſtitutô, Ducatu ſpoliatus, A. C. 1512. quem 13. annis tenuerat. Sed Franciſcum Carolus V. ex Italia, ademtô iterum Mediolanenſi Ducatu, ejecit, redeuntem cruentiſſimâ clade ad Ticinum vicit & cepit, A. C. 1525. Quæ lis tandem, poſt mortem inprimis Franciſci Sfortiæ Ducis ultimi A. C. 1535. cùm ſopienda videretur, inveſtiturâ Ducatus uni ex Franciſci filiis promiſſâ, illum nihilominus Imperator in fil. Philippum II. transtulit: à quo tempore ſub Hiſpanis eſt, quibus ſatis addictè paret. Unde Proverbium: *Siciliam Hiſpani cum lenitate, Neapolim cum dexteritate, ſed Mediolanum autoritate regunt.* Et de Præfectis Hiſpanis: *Siciliæ Pro-Rex rodit, Neapol. manducat, Mediolanenſis vorat.* Patria Alexandri II. Urbani III. Cæleſtini IV. & Pii IV. Pontificum, item Andreæ Alciati, Hier. Cardani, Lud. Septalii, &c. Dicitur urbs obſeſſa quadragies, capta vicies bis. *Magna* vocatur, ob 10. milliar. ambitum. A Ticino & Addua fluv. per aquæductus, Gallorum opus, multum commoditatis ſentit. Portæ ibi numerantur 22. Templa Palatiaque Borromæorum inprimis, Vicecomitum, Sfortiarum, Trivultiorum & Mariniorum ſuperbiſſima habet: Sacellô, ubi Auguſtinus baptizatus, tumulis Ludovici Imperatoris & Pipini Italiæ Regis, an & ſerpente æneô, quem Moſes in deſerto erexerat, in S. Gervaſii templo, conſpiciendô? nobilis eſt: Certè ſerpentem hunc jam ab Hiskia Rege Judæ contritum in S. Scriptura legimus. Eccleſia Mediolanenſis, magni olim nominis, à Barnaba Apoſtolo fundata creditur, Ambroſiô inprimis Epiſcopô inclyta. Concilium ibi, A. C. 344. à paucis Præſulibus Orthodoxis, ut Arianorum furori occurreretur, habitum: Mox aliud priori illuſtrius contra Photinum, Urſacium & Valentem Epiſcopos Arianos, celebratum eſt, qui ad pœnitentiam, ſed ementitiam, adacti. Synodus poſt hæc acta A. C. 355. à Conſtantio, ad promovendum Arii dogma & damnationem Athanaſii: quorum tamen neutrum factum, Imperatore ab Hilario Pictavienſi & Liberio Epiſcopo Romano liberè increpitô. Contra Jovinianum eodem loci Concilium coactum eſt ab Ambroſio A. C. 390. Aliud A. C. 451. ſub Epiſcopo Euſebio; quô doctrina de Incarnatione Verbi, expreſſa in literis Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinop. approbata eſt. Iterum contra Monothelitas, A. C. 679. &c. Angilbertus Archiepiſcopus ab Eccleſia Romana A. C. 844. deficiens, ſchiſmatis ducentorum annorum auctor extitit. Inter cujus ſucceſſores Heribertum, quòd vexillô inſolenti in ſtupendo curru erectô uſus eſſet, depoſuit ac exiliô multavit Conradus II. Imperator. A. C. 1037. Guido verò, Epiſcoporum conventu celebratô, Clericis uxores habere permiſit: unde iterum ſeceſſio facta, ſed Guidone à Papa victô, jugum cœlibatus repoſitum, A. C. 1062. Bernhardo adventanti, omnis populus obviam prodivit: A. C. 1131. Numeroſi Valdenſium in agro & urbe cœtus fuêre, circa A. C. 1220. fratrum in Germania liberalitate ſuſtentati, ſed perſecutionibus mox ac Inquiſitione turbati: imo ut Friderico II. Imperatori faciliùs reſponderent cives, in multos eorum ultimô ſuppliciô animadverterunt. In Eccleſiam Mediolanenſem mitè liberalis Benedictus XI. fuit. Hîc & Romæ coronatus Ludovicus Bavarus Imperator, contra Johannem XXII. Pontificem quô invitô Italiam intraverat, Synodum habuit, eique depoſitô Nicolaum V. ſurrogavit, A. C. 1328. Ludovicus quoque XII. Gall. Rex ibidem Conciliô coactô, de emendando ſtatu Eccleſiæ egit, A. C. 1498. &c. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 17. Strabonem, *l.* 5. *Ptol.* Solinum, *c.* 8. Livium, *l.* 5. *c.* 34. Polybium, *l.* 2. *c.* 34. Tacitum, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 70. Juſtinum, *l.* 20. *c.* 5. *Amm. Marcellin. Procopium, P. Diaconum, Luithprandum, Sigebertum, Villanium, Blondum, Sigonium, Bapt. Egnatium, Volaterranum, Sabellicum, Simonetam, Platinam, Paulum Jovium,* &c. Corio & Merula ſcripſerunt *Hiſtoriam Mediol.* Ripamontius *Eccl. Hiſt.* Adde *Guicciardinum, Leandr. Albertum, Joh. Bapt. Sylvaticum. Vitalem, Erycium Puteanum,* Morerium *in Dict. Hiſt.* Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* Addo, quod poſtquam à Friderico Barbaroſſa, ſolô ſale conſperſô; ad ſterilitatem damnata fuiſſet, ſub Fridericô tamen II. tantis emerſit incrementis, ut altera poſt Romam Italiæ urbs cenſeretur. Factiones in ea duæ inprimis erant, Turriani ac Vice-Comites, quorum hi prævaluerunt ac præfecturam in Principatum perpetuum mutârunt. Sed Vice-Comitum hæc familia non niſi annis 55. duravit, extincta in Philippo Maria, qui, cùm prole legitimâ careret, Ducatum quatuor potentiſſimis competitoribus diſcerpendum reliquit: Friderico III. Imperatori titulô Imperii; Alfonſo Siciliæ Regi ex teſtamento; Carolo, Ludovici Ducis Aurelianenſis filio, ex Valencia Johannis Galeacii filia, & Franciſco Sfortiæ genero ſuo, per filiam notham. Quâ occaſione vicini Principes Ducatum omni à parte dilacerârunt, ac Veneti Placentiam, Cremam, Laudam; Ludovicus, Sabaudiæ Dux Valentiam & Confluentiam; Carolus Aurelianenſis Aſtam, occupârunt: *Mediolanô*, Novarâ, Comô, Alexandriâ ac Dertonâ, mutuô fœdere initô, aliquamdiu ſe contra omnes defendentibus. Donec Franciſcus præfatus, partim fraude, partim vi, Ducatu potitus eſt, qui humili ortus familiâ, ex gregario milite, velut alter Agathocles, ad ſummum faſtigium emerſit, Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 91. Plura vide infrà, ubi de *Sfortiis*.

MEDIOLANUM, Angliæ oppid. *Ptol.* vulgò *Lancaſter.* Vide Guil. Burtonum *in Anton. Itin.* quatenus Britanniam ſpectat. *p.* 132.

MEDIOLANUM, Aulerciorum Eburaicorum urbs. *Ptol.* eadem Ebroicis. Vide *Eburovices.*

MEDIOLANUM Germaniæ, nunc vicus ingens ad Vidrum fluv. in Weſtphalia, in Tranſiſalaniæ confinio, *Wetelen Mercatori.* inter Monaſterium urbem 4. & Veteres Salios urbem Tranſiſalaniæ 7. leuc. in Diœceſi & ditione Monaſterienſi.

MEDIOLANUM, alter. Germaniæ inferioris oppid., *Metteler Simlero*, pagus apud Moſam, inter Coloniam Agrippinam ac Trajanam. *Ortelio* verò pagus *Midelſlun* ejus tractus. *Baudrando* oppidulum fuit Gugernorum, 3. mill. paſſ. à Rheno; nunc *Cluverio* vicus *Moyland*, 6. mill. paſſ. ab urbe Clivia, in Auſtrum 3. à Calcaria. In Ducatu Clivenſi.

MEDIOLANUM item Santonum, *Mediolanum Ptol.* urbs Gall. Aquitanicæ; *Sainctes*, vel *Xainctes* hodie, vide *Santones.*

MEDIOLUM, Hiſpan. urbs in Celtiberis. *Ptol. Medina cœli* nonnullis putatur. Aliis *Molina*, urbs parva, juxta amnem cognominem intra montes, in Caſtella nova, in confinio Aragoniæ, inter Logetum & Seguntiam.

MEDIOMATRICES, populi, Cæſ. *l.* 4. *c.* 10. Strab. *l.* 4. qui illos poſt Helvetios & Sequanos Rhenum accolere ſcribunt: unde colligere eſt, Nemetes & Vangiones, fines Mediomatricum ad Rhenum paulo pòſt occupâſſe. Eoſdem Cæſ. *l.* 7. *c.* 75. *Mediomatricos* nuncupat, iiſque imperata eſſe V. Millia ad Aleſiam liberandam tradit. *Socia civitas* vocantur Tacito *Hiſt. l.* 4. *c.* 70. Eorum caput Divodurum eſt, ſeu *Mediomatrices*, nomine gentis, item *Metti* & *Mettæ*, urbs Galliæ Belgicæ in Lotharingia Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Trevirenſi, ad Moſellam fluvium probè munita, & habitata, olim libera, nunc ſub Gallis ab A. C. 1552. vulgò *Metz*, quæ etiam Latinè *Metæ* & *Metis* poſterioribus dicitur, à Viroduno 10. leuc. in Ortum, Comes Auxiliariorum *Metenſium* memoratur, in *Inſcr.* apud *Goltzium*, & in *Notit. Imper.* inter Legiones Pſeudocomitatenſes recenſetur *prima Flavia Metis*, i. e. legio prima Flavia, quæ præſidet Mettis, a Flavio Conſtantio A. patre Conſtantini M. aut à Conſtantio vel Conſtante Auguſtis fratribus, filiis prioris. Fuit & Præfectus militum primæ Flaviæ Conſtantiæ, in provinc. Lugdunenſi 2. ex eadem fortaſſe Legione: nec non Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangionis, in Germania prima. *Baudrando* nunc *pais Meſſin* tractus hic dicitur. Eorum urbs Divodurus Mediomatricum ſeu Metæ, ampla & Parlamenti ſedes, cum arce permunita, fruſtra à Carolo V. Imperatore olim obſeſſa fuit. 4. leuc. à Theodonis villa in Meridiem, ibi Sella fluv. in Moſellam ſe exonerat, Vide *Divodurus* & *Metis.* Addo, quòd Regni Auſtraſiæ ſedes fuit, ſub Merovingis. Chlodoveus enim Francorum Rex cùm deceſſiſſet A. C. 514. prima diviſio Regni facta, illudque inter quatuor ejus filios ſic diviſum eſt, ut Regnum Franciæ, cujus ſedes Lutetia Pariſiorum eſſet, obtingeret primo genito: reliquis Regnum Belgicæ, cujus ſedes urbs Sueſſionum, Regnum Aurelianenſe & Regnum Auſtraſiæ, cujus ſedes urbs Mediomatricum. Et quidem Theodoricus Auſtraſiæ Rex, etiam Regnô Burgundiæ, quod magnam partem Galliæ Lugdunenſis complectebatur, potitus eſt A. C. 527. Donec extinctis tribus fratribus, ſine prole maſcula, ſuperſtes ſolus Chlotarius Rex Sueſſionum univerſam rurſus Franciam conjunxit. A. C. 564. in eaſdem partes quatuor Regnum Franciæ iterum diſſiliit, niſi quòd Burgundia, à *Metenſi* Regno avulſa, Aurelianenſi acceſſit, donec A. C. 568. Chlotarius II. extinctis fratribus, iterum Monarchiâ potiretur, à quo tempore aliquoties Regnum Franciæ, in duo Regna, Auſtraſiæ ac Franciæ, denuo diviſum eſt. Hodie ex Regno Auſtraſiæ ſola, quæ nomen retinuit, Auſtria ſupereſt, Georg. Hornius *Orb. Imp. p* 115. & 116. Plura hanc in rem vide apud B. Rhenanum *Rer. German. l.* 3. cum *Notis* Jac. Ottonis JCti *p.* 620. & *ſeqq.*

MEDION, urbs juxta Ætoliam. *Steph.*

MEDIOXIMUS, vulgò MIOSSAN, fluv. Galliæ in Pictonibus, ad cujus & Clenni confluentes, Nobiliacum ſedet. Vide ibi.

MEDIOXUMI, dii Minores antiquis dicti ſunt. Plaut. *in Ciſtel. Actu 2. ſc.* 1. *Ita me Dii Deæque ſuperi atque inferi & Medioxumi.* Occurrunt quoque apud Servium *in Æn. l.* 3. *v.* 24. *Focorum commemoratione inſtantium ſacrificiorum mentio injicitur, quod ita eſſe multis locis docetur. Quidam Aras ſuperiorum Deorum volunt eſſe;* Medioximorum, *id eſt, Marinorum, focos; Inferorum verò mundos.* Quæ verba duplici cauſâ ſuſpecta. Non enim marini Dii ſunt *Medioxumi*, cùm illi nullo modô ſe à terreſtribus locis excludere poſſint, aut ea aſcendere; ſed aërii Dæmones, Diis Cœleſtibus inferiores. Hominum animis altiores. Apulejus *de Dogmate Platonis. Aliud genus eſt, quale Aſtra habent, cœteraque Numina, quos Cœlicolas vocamus. Tertium habent, quos* Medioxumos *Romani veteres appellant: Quòd & ſui ratione & locô & poteſtate Diis ſummis ſunt minores, hominum naturâ profectô majores.* Ubi ſcribendum, *naturâ & profectu, Barthiô* auctore. Scilicet cùm tales ſint, ut neque naturâ neque induſtriâ in eorum comparationem homines venire poſſint, *Medioxumi*, inter hominum animos & Deorum cœleſtium Numina, medii perhibentur. Scribi igitur idem apud Servium vult, *Medioximorum, i. e. aëreorum.* Sed & quid *mundus* ad Inferorum aras? Sanè clauſum Mundum Manibus, præter paucos dies anni, habitum Romanâ ſuperſtitione, docemur à *Feſto.* Verùm id huc non pertinet. Reponendum itaque apud Servium, *Inferorum tumulos:* quod confirmatur verbis Papinii Statii, ubi *aggerem* pineum Diti factum dicit, *Theb. l.* 4. *v.* 457. *& ſeqq.*

——— tibi rector Averni,
Quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras
Pineus ———

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad loc. cit.*

MEDITATIO Campeſtris, vide ſuprà *Campeſtris.* At *Meditationi literatæ* ſeu ſcriptioni operam daturi veteres quomodo ſe ſoliti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

liti fuerint componere, diximus ubi de *Lecticula Lucubratoria*. Sed & *meditari*, imò & *metetari* ex Græco μελετᾶν, Tibicinum proprium, ut infra videbimus, ubi de tibia *Vaſca*.

MEDITERRANEUM Mare, aliter *Internum*, latè extenditur, ab Ortu in Occaſum inter Europam, Aſiam & Africam. Ab Oceano Atlantico fretô Herculeô ſeparatur. Partes ejus ſunt Mare Ægæum, Adriaticum, Ionium, Aſiaticum latè ſumtum, Gallicum & Tyrrhenum. Vide *Mare*.

MEDITRINA, medicamentorum Dea *Feſto*. Sacra ejus *Meditrinalia* dicta, 30. Septembr. celebrabantur: quô die primum muſtum bibebatur. Varro *de L. L. l.* 5. *Dempſtero Metina* vocantur. Roſin. *Antiq. l.* 4. *c.* 14.

MEDIUM Oſtium Rheni, *Ptol.* inter Orientale & Occidentale, quod verum & antiquum, vulgò *Le Rhin*. Paulo infrà Lugdunum Batavar. in Occaſum juxta vicum *Catwick*; ferè oblimatum.

MEDIUS, Princeps Lariſſæ in Theſſalia, bellum geſſit, contra Lycophronem, Pherarum tyrannum. Miſit Concilio Corinthio, adverſus Phocenſes & Lacedæmonios, auxilio bis mille. Cepit Pharſalon à Lacedæmoniis cuſtoditam, civeſque ſub corona vendidit. Diodor. Sic *l.* 14.

MEDIUS Digitus, olim apud Gallos Britannoſque annulis ornari ſolebat, poſtea ſolus excluſus. Unde Plinius, de digitis, quibus annuli inſerebantur, copioſè diſſerens, inter alia *l.* 33. *c.* 1. *Singulis*, inquit, *primò digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tulli ſtatuis videmus. Poſteà pollici proximo induêre, etiam Deorum ſimulachris. Dein juvit & minimo dare, Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur, cœteri omnes onerantur.* Sed hujus rei vix aliud teſtimonium extat. Ideò verò eum Romani vitâſſe videntur, quòd hic digitus infamis vulgò ac impudicus cenſeatur, uti legimus, apud Perſium *Sat.* 2. *v.* 33. & Martialem *l.* 6. *Epigr.* 70. Unde Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 53.

——— *cùm fortunæ ipſe minaci*
Mandaret laqueum mediumque oſtenderet unguem.

Fuit nempe priſci moris, uti ſi quos flocci penderent, aut inſigni contumeliâ, deformique convitiô afficerent, id objectu *Medii digiti* protenti contractis reliquis, denotarent, id quod σκιμαλίσαι Græci dixêre; quâ voce propriè ſignificarunt prætentare digitô, an ova conceperint gallinæ: ſicut ἀθερίζειν ubi quempiam flocciſacere ſe oſtendunt. atque hinc Athenienſibus digitus hic καταπύγος, quaſi *cinædus* & ſcortum, agnominatus eſt, quòd ignominiam incuteret & convicium faceret. Vide *Alex.* ab Alexandro *Genial. Dieb.* Hadr. Turnebum *Adverſor. l.* 26. *c.* 6. Alios. Interim proditum memoriæ eſt, eidem Plinio *l.* 28. *c.* 6. ſingultum & ſternutationem ſedari, *ſi quis annulum è ſiniſtra in longiſſimum dextræ digitum transferat*: quod utrum verum ſit, viderint naturalium rerum Indagatores. Joh. Kirchmannus *de Annulis c.* 4. Vide quoque ſuprà *Digitus*, ac infrà *Verpus*, ubi δείλον Græcis quoque appellatum videbimus.

MEDIUS Locus, verba facientium olim erat; Septimius Roman. *de Bello Trojano l.* 1. *Tunc Priamus inter Regulos* medios *aſtans, factô ſilentiô, optionem Helenæ offert, ſi ei videretur, domum ad ſuos regrediendi.* Et *l.* 3. *Igitur Achilles, poſtquam nihil reliquum erat, Reges omnes ad conſidendum hortatur, ipſe* medius, *atque inter cœteros excelſior.* Amm. Marcellin *l.* 23. *Coronâque celſarum circundatus poteſtatum, talia ore ſerenô diſſeruit* &c. Similiter B. Lucas Actuum Apoſtolic. *c.* 1. *v.* 15. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος. ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν, εἶπε, *Et in diebus illis, ſurgens Petrus* in medio *diſcipulorum dixit.* Hinc Claudian. *Bello Gildon.*

Dictis antè tamen princeps confirmat ituros
Aggere conſpicuus: ſtat circumfuſa juventus
Nixa haſtis, pronaſque ferox accommodat aures.

Vide quoque Statium *Theb. l.* 4. *v.* 683. & Apollonium Rhodium *Argonautic. l.* 1. Sic Judicum erat, in *medio* thronum conſtituere. Papinius *Theb. l.* 8. *v.* 21.

Forte ſedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi populos poſcebat crimina vitæ,
Nil hominum miſerens, iratuſque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine mortes.
Sævaque multiſonas exercet pæna catenas.

Similiter & perorantium, cum tempus locuſque paterentur, ſedes *in medio* componebatur. Severus Sulpitius *Dialog.* 3. *c.* 1. *Tum Gallum media in ſede componimus, qui cùm diu nobili ſuâ verecundiâ ſilentium tenuiſſet, tandem ita exorſus eſt.* Imperatorum porrò in turmis. Arrianus *l.* 2. *c.* 23. *Darius* medium *aciei tenebat, Perſarum Regum in exercitus ordinatione veteri more obſervatô.* Lucanus *l.* 1. *v.* 244.

Ut notæ fulſêre aquilæ, Romanaque ſigna
Et celſus medio *conſpectus in agmine Cæſar* &c.

Imò *Medius locus* antiquis ubique honeſtiſſimus habitus ſive ſederent, ut ex Suetonio quoque diſcimus *in Claud. c.* 23. ſive ambularent. Sic Sigiſmeres regius juvenis, narrante Sidoniô Apollin. *l.* 4. *Ep.* 20. *pedes & ipſe* medius *inceſſit.* Et Hadrianus Imperat. *ſervo inter duos ambulanti Senatores colaphum juſſit impingi*, apud Spartian. *in Adriano. c.* 21. quod iſte locus ſervo non conveniret. Ovidius *Faſtor. l.* 5.

Et medius juvenum non indignantibus ipſis
Ibat &c.

Plura apud Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel. p.* 22. ubi & in Chriſtiana Eccleſia idem obſervatum, docet ex Concilio Nicen. *c. pervenit.* 93. *diſtinet. Et Diaconus in* medio *Presbyterorum ſedere non poteſt*: & in Judaica, ex Lucæ *c.* 2. *v.* 46. Adde Deſ. Heraldium *ad eundem*; præterea Juſt. Lipſium *Elect. l.* 2. *c.* 2. Nec omittendum, quòd apud Gentiles, ſimulachrum quoque Dei, cui conditum erat templum, quodque Numen templi proprium exiſtimabatur, *in medio* ſolebat poni. Ita enim Servius *ad Virg. Georgic. l.* 3. *v.* 16.

In medio *mihi Cæſar erit templumque tenebit.*

Semper, inquit, *ei conſecratus Numini locus eſt, cujus ſimulachrum in medio collocatur. Alia enim ad ornatum tantum pertinent.*

MEDIXTURICUS, ſic enim legi vult Juſt. Lipſius *in Epiſt. Quæſt l.* 1. *Ep.* 19. cùm aliàs *Mediaſtuticus* apud *Livium* extet, ſummus erat Magiſtratus Capuæ, antequam à Romanis deficeret. Joh. Roſinus *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 24. Sic Cn. Magius Atellanus, apud Livium *l.* 24. *c.* 19. & Seppius Leſius, apud eundem *l.* 26. *c.* 6. hôc munere functi leguntur. Annuum id fuiſſe, ex utroque loco patet: *Præerat Statius Metius, miſſus ab Cn. Magio Atellano: qui eô annô* Medixtuticus *erat* &c. *Medixtuticus*... ...*eô annô Seppius Leſius erat* &c. Eſt autem *Medix* ſeu *Meddix*, Oſcorum linguâ, *Princeps* ſeu *ſummus Magiſtratus*, apud *Ennium*; ex Græco μέδω, *impero*.

MEDRESA, collegia ſacra Perſarum hodiernorum, vide infrà *Muſlimi*.

MEDMA, oppidum in agri Brutii littore, unà cum portu. *Steph.* Plin. *l.* 3. *c.* 5.

MEDMASUS urbs Cariæ. *Steph. Medmaſſa* Plin *l.* 5. *c.* 29.

MEDME, urbs Italiæ, civis *Medmæus*. Eſt & alia Liguriæ. *Steph.*

MEDNICIA, vulgò *Medniky*, caput Samogitiæ; *Womie* etiam aliquando, ad fontes fluv. *Wirwitz*; ſatis parva, ſedes Epiſcopalis Samogitiæ, cujus Epiſcopatus fundatus A. C. 1413. à Wenceſlao Rege. 9. milliar. German. à Memelio, & ab ora maris Baltici in Ortum.

MEDO, genus potionis, ex aqua & melle confectum, aqua mulſa & μελίκρατον Medicis, Germanis *Mett.* Andr. Presbyter, *in Chron. Batav. Commendanſque domum ſuam Apoſtolorum Principi, reliquit in ea imaginem & ipſe abiit ad bibendum medonem.* Beda *de Remed. peccat. c.* 7. *In unaquaque ſeptimana tres dies ſine vino & medone & carne jejunant, uſque ad veſperas* &c. Æthiopibus imprimis in uſu, uti docet Dominicus Macer in *Hierolexico*. Ejus potione interdictum pœnitentibus, niſi diebus Dominicis, legimus in Concilio Triburt. A. C. 895. *can.* 56. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide infrà *Mulſum*.

MEDOACUS, qui *Meduacus* Livio *l.* 10. *c.* 2. fluvius Venetiæ, qui Plinio *l.* 3. *c.* 16. geminus eſt; *major* ex Alpibus Tridentinis per Baſſanum oppid. & Patavium urbem fluens in mare Hadriaticum. 5. mill. paſſ. à Venetiis, & *Brenta* appellatur. *Minor*, qui ex dictis Alpibus etiam deſcendit. Vincentiamque urbem interluit, ac ſecus Ateſte decurrit, in mare Hadriaticum labens apud Foſſam Clodiam, & *Bacchiglione* dicitur. Vide *Cluverium*.

MEDOACUS Portus, *Strab. Malamocco*, olim urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Aquilejenſi, 5. mill. paſſ. à Venetiis, aquis merſa; nunc portus, Epiſcopatu Caſtellum, quæ pars Venetiarum, tranſlatô.

MEDOBITHYNI, populi, de quibus Strabo *l.* 7. quos pauci veterum commemorant: ſed apparet ex duobus Thraciæ populis unum eſſe confectum. De Bithynis ſatis liquet. Medos autem, h. e. Μαίδους per Epſilon gentem eſſe Thraciæ apparet ex hoc ipſo *libro* Strabonis. *Mædos* vocat *Steph.* Μαιδοί, ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας, ἐκ τούτων μεταβάντες τινὲς εἰς Μακεδόνας Μαιδοβίθυνοι ἐκλήθησαν. Ita *Herodotus* ac *Thucydides*. *Ptol.* quoque in Thracia Μαιδικὴν στρατηγίαν ponit. Caſaub. *ad Strab. loc. cit.*

MEDOBRIGA, urbs Luſitaniæ ad montem Herminium, A. Hirtius *Bell. Alex. c.* 48. *Armenna Vaſæo*, exciſa. Cujus rudera apud Marvanum oppidum 3. leuc. ab Amœa Scalabim verſus.

MEDOE, inſula Nili in Æthiopia ſub Ægypto.

MEDON, Cyzicenus, qui à convivio ad arma reverſis, per errorem nocturnum, Argonautis, proſiliit, cæſuſque eſt. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 118.

MEDON, nothus Ajacis Oilei. Homer. Il. *β. v.* 727. Item unus ex procis. Penelopes. Ovid. Ep. 1. *Heroid.*

Quid tibi Piſandrum, Polybumque Medentaque dirum.

MEDON, fil. Codri ultimi Regis Athenienſium, cognom. *Claudus*, primus eorum Archon ſine regio nomine, an. ante Urb. Cond. 315. qui Magiſtratus tum *perpetuus* erat, prælatus oraculo fratri majori Neleo. Ad quas Apollinis ſortes fortè referendum id, quod habet Scholiaſtes *ad Ariſtophanis Nubes*, Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τοῖς Ἀθηναίοις πυθοχρήστως ἐγένετο καταλῦσαι μὲν τὰς βασιλείας, προσηνωθῆναι δὲ Δία βασιλέα, *Oraculum Apollinis in cauſa fuit, cur Athenienſes Reges ſuos exigerent, & Jovem Regem conſtituerent.* Ita ſicut Moſes pridem Θεοκρατίαν declaravit Hebræorum Rempublicam, ne ſibi poteſtas Regia deferretur: ſic Athenienſes Διοκρατίαν ſuam ad Apollinem retulerunt; ut *Regis* nomen (nulli amplius hominum poſt Codrum, qui ſe pro patria devoverat, conferendum) *Jovi* cederet: *neque tam titulus, quàm poteſtas regia imminueretur*, id quod docet Pauſanias *l.* 4. ubi Magiſtratum hunc ἀρχὴν ὑπεύθυνον, *rerum geſtarum rationi reddendæ obnoxium*. vocat. Neque tamen deſitum eſt *Regis* nomen: unde in *Marmore Arundel.* Medontidæ βασιλεύοντες citantur, uſque ad Æſchylum: & *Euſebio*, *Suidæ*, *Syncelio*, paſſim Archontes hi βασιλέων nomine veniunt. Incepit autem regnare *Medon*, ſecundum Euſebium *in Chron. A. M.* 2984. circa tempora Saulis Regis *Marſhamo*: fratre Nileô, quòd repulſam regni paſſus domi manere nollet, Ionibus migrationis autore factô, ut dicemus voce *Nileus*. Regnavit verò ann. 20. ſucceſſore Acaſtô, quem vide: uti & Vellejum *l.* 1. *c.* 2. Pauſaniam in *Atticis*, Joh. Marſhamum *Canone Chron Sec. XIII.* Duravit hic Archontum τῶν διὰ βίου Magiſtratus uſque ad Alcmæonem, quem XXX. vocat βασιλέα Ἀθηναίων *Syncellus*: poſt quem conſtituti ſunt Archontes Δεκαετεῖς *Decennales* VII. uſque ad Eryxiam, qui & ipſi, licèt minùs propriè, *regnare* dicebantur: donec hôc defunctô *annui* facti ſunt, quorum pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

primus Creon erat, de quo ſuprà.

MEDON, fluv. Peloponneſi, apud *Strabonem.*

MEDONTIAS, mulier Abydena, quam Axiochus & Alcibiades, cùm ſimul unà in Helleſpontum navigâſſent, abduxerunt, & cum ea tanquam communi uxore victitârunt: Suſceptâ quoque ex illa filiâ, cùm maturuiſſet, abuſi. *Lyſias,*

MEDOSACCUS, Sarmatarum, qui Ponticam maritimam attingunt, Rex, luxui crapulæque deditus. Polyæn. *l.* 8.

MEDOSLANIUM, Germaniæ urbs. *Ptol. Znaim*, in Moravia, *Cluv.* in limite Auſtr. ad Teyam amnem, in coll:, 10. leuc. à Vienna in Circium.

MEDUACUS, ſeu MEDUVEAGUS, fluv. Cantii. *Medway* vulgò. Roſſam rigat, dein in Thameſin labitur.

MEDUALI, populi Alpini Vocontiis proximi ad eos montes, è quibus prodeunt fluvii Padus ac Druentia *La Morienne Simlero.* Vide *Mauriana.*

MEDUANA, urbs ſatis culta provinciæ Cenomanenſis, ad fluvium Meduanam. 20. leuc. ab Andegavo, in Septentrionem 14. ab Alenconio in Occaſum, uti 14. à Cenomano, 6. à confinio Normanniæ in Meridiem, 19. à Rhedonibus in Ortum, *Mayenne* Gall. Vide infrà.

MEDUANA, vulgò *Mayne*, caſtrum Galliæ olim, nunc oppidum pagi Cenomannici, ad amnem cognominem, cum titulo Ducatus ſub Principe ex familiâ Lotharingica. Nomen traxit à Juchello, Galterii Meduanenſis filio, qui ſub Fulcone Comite Andium, Turonum & Cenomanorum, poſtea Rege Hieroſolymæ, floruit, circa A. C. 1220. & fluv. Galliæ Celticæ. *Baudrando* hic oritur in Seſſuis, in ipſo limite Normanniæ dein in Auſtrum per Cenomanos fluens, ibi Meduanum Juchelli *Mayne la Juchel* urbem & Lavallium rigat, hinc & Caſtrum Gonterii in provincia Andegavenſi; & paulo ſupra Andegavum, auctus Sartâ & Ladô flumin. 1. leuc. infrà ipſam urbem, in Ligerim ſe exonerat. Locum os Meduanæ *Bouche-Maine* vocant. Lucan. *l.* 1. *v.* 438.

In nebulis Meduana tuis marcere peròſus
Andus, jan placidâ Ligeris recreatur ab undâ.

MEDUBRICENSES, Hiſpaniæ populi qui & *Plumberii.* Plin. *l.* 4. *c.* 22. Horum oppid. *Medobriga.* Vide ibi.

MEDULI, populi Galliæ Aquitaniæ intra oſtia Garumnæ ad Oceanum, pars Biturigum Viviſcorum, vulgò *Medoquins*, quaſi Medulicini, quorum tractus *Meduc*, teſte *Vinetô*, *Medoc Baudrando*, cui eſt regiuncula Aquitaniæ, verſus Garumnæ oſtium, ad Meridiem, & oram Oceani Aquitanici in Guienna propria, 4. leuc. à Burdegala in Occaſum. Ibi oppida, Eſparea, Caſtellio, & Caſtrum novum, cum aliis minoris notæ. Sunt & Inſulæ circiter tres, in Garumna, infra ejus & Duranii confluentes, & una in mari, quæ Medulicæ *les Iſles de Medoc* dicuntur, quarum maxima vicis incolitur, inprimis Lariaco *Lairac.* *Meduli* alii. *Strab. Ptol. Medulli Vitruvio*, ac Plin. *l.* 3. *c.* 20. populi Galliæ Narbonenſis in Delphinatu, quorum oppid. *Miolans*, *Valeſio Meüillon*, in Caturigibus. *Notit. Gall. Sanſoni* fuêre, ubi nunc pars Orientalis Tarentaſiæ, juxta fontes Iſaræ fluv. ad Alpium radices. Incolis guttur vitiô aquarum intumeſcit. Vide Chorerium, *l.* 1. *&* 2. *Hiſt. Delph.* De Medulis prioribus Auſon. *Ep.* 4. *v.* 14.

Quam tamen exerces Medulorum in litore vitam.

Apud hos albens ſevum, ceram pinguem, ſciſſam papyrum, ac *fumantes olidum tædas*, *lumina paganica* abundare ſcribens, haſque ſolas Medulorum merces haberi: quibus mel & pecora addit *Valeſ.* Oſtrea *Medulica*, à vicina urbe *Burdigalenſia* olim, nunc à Solaco vico Medulorum, ad Garumnæ oſtium, *Solacenſia* dicta, laudat Auſonius *Ep.* 7. *&* 13. *Sidonius Apollin.* Plin. *l.* 32. *c.* 4. &c. His vicini ſunt Boji, vulgò *Bujes*, quorum ager *Buchs* & *Buch*, à vico *Buchs* ad Leriam, qui à Bajona duorum dierum itinere diſtat; olim ſub dominio, qui Capitalis Bojorum *le Captau de Buch* dictus eſt; ſicut dominium ejus Capitaletum *le Captalàt*, quod nunc Principatus eſt. Utrique Biturigibus Viviſcis ſeu agro Burdigalenſi attribuuntur. Bojorum fluv. Leria eſt *Laire*, qui in Oceanum effluit, & *Sigma Ptolomæo* à figura literæ *C.* quam curſu ſuô lunatô refert, dictus videtur. Inter hujus & Garumnæ oſtia promontor, eſt *Ptolomæo* Curianum, incolis *Cap. de Buch.* i. e. caput Bojorum, ut *Scaligero* placet. *Vinetus Cordan* eſſe mavult, ſcopulum in Oceano Medulico. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

MEDULLA, Hebr. מח, unde מחים dicuntur Arietes, vel Agni pingues, quaſi μεμυελωμένες ſeu *medullatos* dixeris, ſi *medulla re* ſit Latina vox, quô modô *emedullare.* Occurrit Pſalmo 66. *v.* 15. *Holocauſta medullatorum* (agnorum) *offeram tibi cum ſuffitis arietum.* Et Eſaj. *c.* 5. *v.* 17. *Et paſcent agni arbitratu ſuô, & ſolitudines medullati* (arietes) *peregrini depaſcentur.* Atque ita intelligunt Hebræi ferè omnes, qui his locis *agnos* & *arietes medullâ & adipe refertos* ſeu *pingues obeſoſque* reddunt. Sed & eadem phraſis apud Arabes in uſu eſt; qui medullam *much* & medullatam ſeu pinguem ovem *machieha* vocant. *Alcamus*, *Ovis medullata, id eſt, pinguis evaſit.* Ibidem, *Alchimlag* eſt ovis, *quæ propter maciem ſuam medulla caret.* Et *Zahik, i. e. pinguis, medullatus de jumentis.* Imò & Poëta *Iliad.* χ. *v.* 501. ut Aſtyanactem molliter vixiſſe doceat, dum pater Hector in vivis fuit, ait,

Μυελὸν οἶον ἔδεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημὸν,
Solùm adipe agninô vixit, pinguique medullâ,

Sic de Achille, *medullis* occiſarum ferarum à Chirone Centauro nutritum fuiſſe, unde ei tantum robur, annotat Euſtathius *Il.* α. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 45. Sed & in arboribus *Medulla* (in quibus *Medulla* inprimis abietis memorabilis) ſectilis optima ad inteſtina opera, Vide ſuprà in *Mediale.*

MEDULLIA, Latii oppidum, Albinorum opus. *Steph.*

MEDULLINA, virgo Romana, ab ebrio patre in tenebris violata, ut ſtupri authorem agnoſceret, digito ejus annulum detraxit; Ubi autem ex pignore patrem eſſe comperit, eum ad aram gladio confodit. Plut. *in Parall.*

MEDULLIUS, *Oroſ.* fluvius, in Vaſconibus ſive regno Navarræ; ut patet ex ſitu, quem *Ptol.* ipſi tribuit. *Ferrar.*

MEDULLUM, Vindeliciæ urbs *Ptol. Medlengen Lazio*, & *Aventino.* Aliis *Mitteſpach*, caſtrum Bavariæ ſuperioris verſus montes, 6. milliar. Germanic. à Monachio in Eurum 7. à Chiemo in Occaſum, inter Iſaram & Oenum fluv.

MEDULLUS, Hiſpaniæ Tarraconenſis mons, Minio fluvio in Callaicis imminens, *Oroſ. Manduria Garibæo.*

S. MEDULPHI Aquæ, vicus ad Morgiam fluv. in Arvernis, aquis ſuis & S. Medulfi nomine clarus, vulgò *S. Mion.* Ab oppid. Ricomago 6. mill. paſſ. ſeu 2. leuc. Ejus thermæ, vertiginoſis & quartanâ febre laborantibus conducunt. Had. Valeſ. *Notit. Gall.*

MEDUNTA, urbs Inſulæ Franciæ, vulgò *Mante*; cum ponte, ad Sequanam, 12. leuc. infra Lutetiam in Circium, Rothomagum verſus, à quo 16. leuc. diſtat, 11. ab Ebroicis in Ortum, uti 4. à confinio Normanniæ.

MEDUS, Mediæ fluv. in Araxem defluens. *Strab.* & Curtius *l.* 5. *c.* 4. à quo fortè *Mediæ* nomen.

MEDUS Joſephus, Anglus, Eſſexienſis, Burdeni viculô juxta *Biſhopſtortford* editus, Theologus eximius. Ejus extant *Diatribe in loca varia S. Scripturæ*, *Danielis Hebdomadæ*, *Expoſitio in 2. Petri c.* 3. *Clavis Apocalyptica &c. Inter opera* 2. *Vol. fol. Londini* 1664. De Clavi ejus & Comm. Apocalyptico, ſic ſcribit Lud. de Dieu; *Prodit ſcriptum, Auctorem non tantùm diligentiſſimum, ſed & doctiſſimum, rerum divinarum cognitione largiter perfuſum, & omnis politioris literaturæ ornamentis inſtructiſſimum.* Ejus *Apoſtaſia noviſſimorum temporum* ſeu *tract. in* 1 *Tim. c.* 4. 1. 2. 3. 4. Latinè verſus à Joh. Schönauvero Theologo, Baſileæ prodiit A. C. 1656. Vide *Vitam ejus in initio opp.*

MEDUSA, fil. Phorci ex Ceto marinâ belluâ, quæ unà cum duabus ſororibus Euryale & Sthenione Dorcadas inſulas, in Oceano Æthiopico, tenuiſſe fertur. Hæc, præter alias formæ inſignis dotes, capillos habuiſſe fertur proximè ad auri colorem accedentes; quarum ſplendore captus Neptunus in Minervæ templo, cum eâ concubuit, unde Pegaſus equus natus eſt. Quam injuriam Minerva gravi ac iniquô animô ferens, Meduſæ crines, quibus maximè amatori ſuo placuerat, in angues mutavit, deditque, ut omnes eam aſpicientes in lapides verterentur. Ovid. *l.* 1. *de Ponto. Ep.* 1. *v.* 37.

Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
Amittet vires protinus ipſa ſuas.

Quamobrem cùm nemo tam immane monſtrum intueri poſſet, Perſeus Jovis & Danaes fil. Mercurii talaribus, & falcatô enſe acceptô, Palladis item ſcutô, ut ære repercuſſam effigiem ejus videre impunè poſſet, ex improviſo (cum ipſa angueſque ſopiti eſſent) eam adortus unô validiſſimô ictu interemit, & in patriam rediens; cùm ejus caput ſecum deferret, contigit ut guttæ ſanguinis decidentes, per ſolitudines Africæ, mutarenrur in ſerpentes. Lucan *l.* 9. *v.* 619. Pegaſum & Chryſaora equos inde proguatos, ait Ovid. *Metam l.* 3. Hygin. *Fab.* 151. *Bocatius.* Fabulam ejus fuſe explicat Nat. Comes *l.* 7. *c.* 11. Dicitur & *Gorgon.* Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 11.

——— *Credam prius ora Meduſæ*
Gorgonis anguineis. ———

Item *Phorcynis.* Lucan. *ubi ſuprà*, *v.* 626.

Squalebant latè Phorcynidos arva Meduſæ.

Et *Phorcys* Propert. *l.* 4. *Eleg.* 9.

Sectaque Perſea Phorcydos ora manu.

Nic. Lloydius.

MEDYLLAI, urbs ab Albinis condita, Romanorum colonia. *Steph.*

MEETABEL, uxor Adar, Regis in Edom ſeptimi, Gen. *c.* 36. *v.* 39.

MEGA, promont. Mauritaniæ Cæſarienſis. *Ptol.*

MEGABYZI, ſeu MEGALOBYZI, Epheſiæ Dianæ ſacerdotes, quos Eunuchos eſſe oportebat, unde & pro imbellibus, ac mollibus poni conſuêrunt, quales ſunt ſpadones. Quintilian. *l.* 5. *c.* 12. Vide quoque *Heſych.* & Appianum *Bell. Civil. l.* 5. Xenophon, Ἀναβάσ' *l.* 5. Μεγάβυζον, τ τ Ἀρτεμίδος Ἐφεσίας νεωκόρον, *Dianæ Epheſiæ aedituum*, interpretatur. μεγαλοβύζυς Strabo appellat *l.* 14. ubi Eunuchos, ut dictum, fuiſſe ſcribit. Quod & oſtendit Heracliti *Epiſtola* ad Harmodorum, apud Politianum, caſtrari & exſecari *Megabyzum* ſolitum innuens, ne Deæ Virgini Vir ſacrificaret, vide eum *Miſcellan. c.* 48. ubi pompam Megabyzi (quam inter Apellis opera recenſet Plin. *l.* 35. *c.* 10. & 11.) deſcribit luculenter Xenophon Epheſius. In ea ferebantur ſacra, caniſtra, ſuffimenta; ducebantur canes, equi &c. Dalechampius *Not. ad Plin. d. l.*

MEGABYZUS, nobilis Perſa, unus ex ſeptem, qui Magorum tyrannidem ſuſtulerunt, à Dario rege dux exercitûs in Europa relictus, Perinthum cepit, Pæones vicit, Thraciam omnem ſubegit, Macedoniam fruſtra per legatos tentavit, quos rex Amyntas vinô obrutos interfecit. Ejus ſuaſu Darius Hiſtiæum tyrannum Mileſium revocavit, qui generum Ariſtagoram ad turbas concitârat. Cœterùm tantô apud Regem pretiô, ut apertô malô punicô, cùm is ab Artabano interrogaretur, cujuſdam rei copiam vellet granis pomi parem, Megabyzorum, reſponderit. Herodot. *Muſâ* 4. & 5.

MEGABYZUS, Zopyri fil. Darii Satrapes; qui Ægyptum domuit, & ex Memphide Græcos ejecit. Thucyd. *l.* 1. Scholiaſt. *in Aves Ariſtophan.*

ME-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MEGABYZUS, ſeu MEGAMBISES, alius Dux Perſicus, contra Ægyptios. Herodot. *loc. cit. Diodor.* Thucyd. *loc. cit.*

MEGACLES, Archon Athenis τ̃ διὰ βίȣ VI. poſt Phorbantem, præfuit ann. 30. circa tempora Seſoſtris. Sub eo Heſiodum floruiſſe, diſcimus ex Epochis Marmoreis apud Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. XV.* Illi ſucceſſit Diognetus, quem vide. Item Archon Athenis, circa initium Seculi à Diluvio XVIII. unus ἐκ τ̃ Εννέα, eô enim tempore IX. Archontes Remp. adminiſtrabant, Herodoto οἱ πρυτάνεις, τ̃ Ναυκράρων *l. 5. c. 71.* Erat ex Alcmæonidis, de quibus ſuprà voce, *Alcmæon.* & Cylonii piaculi reus, unà cum poſteris ſuis, factus eſt. *Ille enim conjurationis Cylonia conſortes, Minerva ſupplices, ad cauſam dicendam deſcendere compulit. Hi* κρόκην κλωστὴν *filum, Dea ſimulachro adnexum, manu tenentes, in deſcenſu Eumenidum aris appropinquarunt: quum ſtamine ſupplicatoriô ſuâ ſponte ruptô,* Megacles *& qui cum eo Archontes erant, quaſi Dea ſupplices rejeciſſet, trucidârunt eos, tam qui extra erant, quàm qui ad aras confugerant: ſoli evaſerunt, qui ad uxores ipſorum ſupplices manus tetenderunt. Inde illi,* ἐναγεῖς *dicti, deteſtabiles habebantur,* Plut. *Solone.* Inde Alcmæonidæ hujus cædis reatum ferebant; ac licet illi jam damnati ac in exilium miſſi eſſent, nihilominus τὸ Κυλώνειον ἄγος, *Cylonium piaculum* urbem diutiſſimè perturbavit. Non enim hoc tantùm ſeculo Cyloniis, qui ſupererant, perpetuæ cum *Megaclis* poſteris erant inimicitiæ; ſed etiam ſeculô ſequente Cliſthenes ejus pronepos cum 700. Athenienſium familiis, quaſi piaculô contaminatis, itidem expulſus eſt, a Cleomene Lacedæmoniorum Rege, ac defunctorum oſſa extra fines ejecta ſunt, circa Olymp. 72. quô tempore in Marathone pugnatum eſt. Imò poſtquam rediiſſent (genus namque eorum in urbe fuit, initiò belli Peloponneſiaci Olymp. 87.) Lacedæmonii piaculum hoc iterum exterminari juſſerunt; quôd ſcirent Periclem, Xantippi filium, per genus maternum, ἔνοχον τῷ ἄγει, *obſtrictum huic piaculo.* Herodotus *l. 5. c. 71.* Plut. *d. l.* Thucyd. *l. 1.* &c. laudati Joh Marshamo *Canone Chron. Sec. XVIII.* Vide & ſuprà, *Alcmæon* & *Cylon.*

MEGACLES, Cœſyræ filius, Eretrienſis, ter vicit Olympia, à Piſiſtratô ejectus; ſed Patriæ redditus. Vide Scholiaſt. *in Nub. Ariſtoph.* & Polyæn. *l. 1. in Piſiſtrato.*

MEGACLES, Hipparini fil. Dionis frater, nobiliſſimus inter Syracuſanos, à fratre adjutor ſumptus in deſtruendâ Dionyſii Junioris tyrannide.

MEGACLES, Hiſtoricus, de viris illuſtribus ſcripſit, teſte Athen. *l. 10.*

MEGACLES Meſſanius, ejus Meſſanæ quæ in Sicilia eſt, Agathocli Syracuſanorum tyranno rebus omnibus adverſabatur multoſque Sicilienſes contra eum concitabat, iiſque qui eum de medio ſuſtuliſſent, ampliſſima munera promiſit. Agathocles hinc irritatus, Meſſanios oppugnare parabat, miſſôque Præcone *Megaclem* à civibus expoſcebat: Quem niſi accepiſſet, omninò ſe eos, urbe per vim captâ, in ſervitutem redacturum interminatus. *Megacles* mortem non perhorruit: ſed ultrò ſe dedendum Tyrannô obtulit, ſi legatus mitteretur. Decernentibus hæc Meſſaniis, accedens in caſtris Agathoclem, *Ego verò,* inquit, *& legatus civitatis nomine venio & moriturus. Sed antè de legatione cum amicis audias.* Convocatis ab Agathocle amicis, horum in conſeſſu *Megacles* Patriæ jura percenſens ad extremum; *Si,* inquit, *ad exſcindendas Syracuſas expeditionem Meſſanii ſuſcepiſſent, utrum pro Syracuſanis an pro Meſſaniis omnia faceres?* Cùm ad hanc interrogationem ſubrideret Agathocles, amici qui præſtò erant, eum hortabantur, legato & oratori parceret. Ille, depoſitô bellô, Megaclem ſalvum & incolumen domum remiſit amicitiamque cum Meſſaniis fecit, Polyæn. *l. 5. c. 2.*

MEGACLES, qui Pentalidas, Mitylenes Principes, ob inflicta ſibi verbera ſuſtulit. Vide Ariſt. *Pol. l. 5. c. 10.*

MEGACLIDES, Dux incertum quorum, de quo Polyæn. *l. 2. c 17.*

MEGACLIDES, Philoſophus Peripateticus tempore Protagoræ. *Laërtius.*

MEGACLO, filia Macaris Lesbiorum Regis, quum patrem moroſum, & ſemper cum uxore contendentem videret, matris vicem dolens Muſas ancillas emit, & Myſas linguâ Æolicâ vocavit; has docuit canere, & veterum facta ad citharam modulari. Quum verò illæ cantûs ſuavitate Macarem demulcerent, & iram ejus ſedarent, uxorique placarent, Megaclo pro matre eis referens gratias, poſuit columnas æneas, & per omnia, templa honorari juſſit. Clemens Alex. *in Protreptico* Vide & *Megalco.*

MEGADOMESTICUS, vide ſuprà *Domeſticus,* & infrà *Seneſcallus.*

MEGADUCAS, apud *Guil. Tyrium* paſſim, qui Græciæ citerioris Scriptoribus Μέγας Δȣ̃ξ, i. e. *Magnus Dux,* Μεγαδȣ́κας, Ducæ *c. 37.* dicitur, penes quem ſumma Rei nauticæ ſeu claſſis militaris erat præfectura. Car. du Freſne *Gloſſar.*

MEGÆNETUS, cognomentô Μάνης ſervus, ſemibarbarus ac ſtupidus miniméque civilis; præterea arrogans & affectans ſeu ambiens Imperatoriô officiô potiri, denique audax & temerarius. Vide Scholia *in Ariſtophanis Ranas Act. 4. ſc. 1.*

MEGÆRA, una Furiarum, Noctis & Acherontis filia, ita dicta ἀπὸ τȣ̃ μεγαίρειν, quod *odiſſe* ſeu *invidere* ſignificat. Fallitur itaque Statii Scholiaſtes, qui ſic dictam putat quaſi Μεγάλη ἔρις. Virg. *Æn. l. 12. v. 845. ſ.*

Dicuntur gemina peſtes, cognomine Dira,
Quas & Tartaream nox intempeſta Megæram
Unô eôdemque tulit partu.

Claudian. *l. 1. in Rufin.*

Improba mox ſurgit triſti de ſede Megæra.

Ab Hebræo מגרה *megara* ſic dicitur, quod *ſerram* ſignificat. Familiare id olim Orientalibus, etiam Judæis, ſupplicium. Furiæ autem ſuppliciorum præſides. *Nic. Lloydius.*

MEGAHÆTERIARCHA, Græcè Μεγαεταιριάρχης, corruptè *Megaltriarcha,* apud Guil. Tyrium *de Bello Sacr. l. 21. c. 16. Erant per idem tempus Hieroſolymis Domini Imperatoris Nuntii Andronicus, Angelus Joannes vir magnificus Megaltriarcha:* nomen dignitatis illuſtris, in Aula Conſtantinopolitana. Sic autem vocati ſunt, qui ſummo imperio præerant *Hateriarchis* ſeu Præfectis τ̃ ἑταιριῶν, i. e. cohortium Palatinarum, ex *ſociis* Imperii conflatarum; quas ad Palatii & Imperatorum potiſſimum cuſtodiam inſtitutas fuiſſe, diſcimus ex Scylitze *in Michaële Balbo* & Anna Comnena *l. 1. p. 11.* apud Car. du Freſne *in Gloſſario.* Vide quoque Domininic. Macrum *in Hierolexico,* & ſuprà *Hetæriarcha.*

MEGAJUPANUS, vide infrà in voce *Zupanus.*

MEGALA, Inſul. parva, ante Smyrnam. Plin. *l. 5. c. 31.*

MEGALA Agora, *Leuncl. Malgara,* urbs Macedoniæ, in Thraciæ confinio.

MEGALARTUS, Ceres dicta, & culta eſt. Cæl. Rhodig. *l. 9. c. 16.*

MEGALCO, cujus ancillulas Muſas fuiſſe, Macari filias, *Myrtilus* auctor eſt, memoratur Arnobio *l. 4.* Aliter paulò Clemens *Protrept. p. 9.* Μȣ́σας θεραπαινίδας ταύτας ἐώνηται Μεγαλκὼ, ἡ θυγάτηρ Μάκαρος. Vide & *Megaclo.*

MEGALE, Inſul. in ora Lyciæ. *Steph.*

MEGALES, Phryx, qui cum Caco à Marſyâ rege ad Tarchontem Tyrrhenum legatus venit. Cacô in vincula datô, & poſtquam ea fruſtratus eſſet, ab Hercule occiſô; hunc Sabini receperunt, diſciplinam augurandi ab eo edocti. Solin. *c. 2.*

MEGALESIA, dies noſtro 12. April reſpondens, qui dicatus erat Magnæ matris Deûm, cujus imago, per Romanorum Legatos, Peſſinunte Phrygiæ Romam delata, & à Scipione Naſica, optimo à Senatu judicato, excepra erat, ceremoniis. Ludi quoque, qui celebrabantur ante templum, in ipſo Magnæ matris Deûm conſpectu, *Megaleſia* dicebantur. Liv. *l. 29. c. 14. Marcus Junius Brutus adem Magna matris Deûm in palatio dedicavit, & ludos ob eam dedicationem factos Megaleſia appellavit.* Juvenal. *Sat 6. v. 69.*

Atque à plebeiis longè Megaleſia.

Hinc *Megaleſiacus.* Idem *Sat. 11. v. 191.*

Interea Megaleſiaca ſpectacula mappa
Idæum ſolenne colunt.———

Vide Thom. Dempſterum *Antiq. Rom. l. 5. c. 13.*

i MEGALI teſſeracoſti, ἡ μεγάλη τεσσαρακοστὴ, dicitur hodiernis Græcis quatuor jejuniorum, quæ ab illis quotannis celebrantur, primum & maximè ſolenne, Paſchale videl. quod cùm octo duret hebdomadas, harum primâ piſces, ova, lac, caſeumque comedendi facultatem habent: unde eam *Tyrni* vocant, voce corruptâ ex τυρὸς, *Caſeus.* Reliquis verò ſeptem hebdomadibus etiam his abſtinere tenentur, niſi quòd piſcium quædam genera, ſanguine caſſa, illis permiſſa ſunt: præter legumina, oryzam mel, olivas & olera. In Inſul. Zacyntho maxima Græcorum pars ab oleo quoque hoc tempore abſtinet. Imò non pauci ſunt, qui qualibet harum ſeptimanarum integrum triduum omnimodô jejuniô exigunt, nihil penitus cibi ſumentes. Alterum jejunium annuum, ſtatos dies non habens, *Agioi Apoſtoli,* in honorem SS. Apoſtolorum, dictum, ordiuntur octiduò poſt Pentecoſten. Tertium *tis agias Parthenou,* τῆς ἁγίας Παρθένȣ, *ſancta Virginis,* incipit Kalendis Auguſti, & quatuordecim durat dies, quibus nec carne, nec piſcibus veſcuntur, exceptâ die 6. ejus menſis, quâ transfigurationis Chriſti memoriam celebrant, quam vocant Μεταμόρφωσιν τȣ̃ Σωτῆρος; illô enim die piſcium eſus illis licitus eſt. Quemadmodum durante τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ idem illis licet, die 25. Martii; quô Annuntiationis feſtum, quod Εὐαγγελισμὸν vocant, apud illos recolitur: ut & Dominicâ Palmarum: Quartum & ultimum, τῶν Χριστογεννῶν vocitatum, incipit quadrageſimô ante Nativitatis Feſtum die, atque eouſque durat, ſed non adeò rigidum eſt ac priora, &c. Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græc.*

MEGALIA, inſul. parva Campaniæ apud Neapolim. Stat. *l. 2. Sylv. 2. v. 80.*

Quaque ferit curvos exerta Megalia fluctus.

Vide *Megaris.*

MEGALIOTÆ, populi quidam, ut videtur apud Ariſtot. *in l. de Poëticâ,* niſi legendum ſit μεγαρεῶται. *Nic. Lloydius.*

MEGALOGRAPHIA, apud Vitruvium *l. 6. c. 4. & 5. Nonnullis locis ſignorum* megalographia, *habens Deorum ſimulachra, ſeu fabularum diſpoſitas explicationes, non minùs Trojanas pugnas, ſeu Ulyſſis errationes per topia, cœteraque qua ſunt eorum ſimilibus rationibus à natura procreata.* Græce μεγαλογραφία, quod genus picturæ in rebus *magnis* & argumentis nobilibus exprimendis verſabatur, ut ſunt Deorum ſimulachra, ædes, Heroës, bellorum hiſtoriæ veter. & id genus. Ei opponitur Ῥωπογραφία, unde Ῥωπογράφοι, qui belluas, arbores, homines, antra, portus & alia id genus, variaque & minuta, opere topiario exprimebant. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano c. 10.*

MEGALOPOLIS, urbs præcipua Arcadiæ in meditullio Peloponneſi, Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Corinthio, poſtea Chriſtianopolis dicta & Metropolis effecta; *Leondari Sophiano:* prope Alpheum fluv. Ferè 40. mill. paſſ. à Lacedæmone in Circium, 25. à ſinu Meſſeniaco in Septentrionem, 75. à Corintho in Meridiem ad radices montium. Vicus nunc nullius fermè nominis in Tzaconia provinc. Fuerunt autem non pauci clari *Megalopolita,* quorum aliquot à *Stephano* nominantur, inter quos Polybius. Hinc *Megaleſia* dicta: & Proverbium *Magna civitas magna ſolitudo.* Ovid. *l. 4. Faſt.* Strabo *l. 8.* Polyb. *l. 9.* Plin. *l. 4. c. 6.* &c. Alia eſt Cariæ civitas, alia Iberiæ. Vide *Steph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MEGALOPOLIS, i. e., *civitas magna*, German. *Mechelburg*. urbs Germaniæ, nomen dans Megapolenſi Ducatui: prope mare Balticum. Fuit quidem Vandalorum & Herulorum temporibus, totius Europæ maxima civitas, & non ſolùm regionis Megapolenſis metropolis, ſed & Antirii regia, qui ex Scythia venerat, & deinde Bullingi, potentiſſimi regis, qui & Virginum cœnobium ibi condidit, quod poſtea ab Henrico Leone Saxoniæ duce, in ſedem Epiſcopalem fuit mutatum: tandem diruta fuit hæc civitas, jacuitque diu inculta. *Metel.* Vix 3. mill. paſſ. à Wiſmaria in Auſtrum, Suerinum verſus, manet tantùm caſtrum. *Baudr.* Familiæ hujus Illuſtriſſ. eadem cum Herulorum Regibus, Principibus Vandaliæ, Ducibus Pomeraniæ Rugiæque Principibus origo eſt. E' filiis Henrici junioris nepos Pribislai, qui Roſtochium condidit A. C. 1215. Johannes ramum *Megapolitanum*, Nicolotus verò Vandalicum, orſus eſt. Johannes ille *Theologus* dictus, eò quòd Pariſiis Doctor Theologiæ creatus eſt: genuit; inter alios Henricum ſucceſſorem, qui Ludovici IX. in Orientem comes, à Saracenis captus, poſt 26. annorum captivitatem demum rediit, mortuus A. C. 1302. Pater Henrici Leonis, qui genuit Albertum & Johannem, Stargardienſis lineæ non diuturnæ auctorem, Imperii principes à Carolo IV. creatos; A. C. 1348. Albertus bellô inclytus Albertum genuit, qui ratione matris Euphemiæ, adverſus Magnum Smeeck Sueciæ Regem avunculum ſuum, ab Ordinibus ad regnum vocatus, Magnum vicit cepitque, ipſe tandem à Margareta Regina Daniæ & Norvegiæ A. C. 1388. captus, regni ſpe excidit. Frater hujus Henricus avus fuit Erici Pomerani, qui, intuitu aviæ, Rex Septentrionis electus eſt. Tertius frater Magnus, ſtemma produxit, pater Johannis, Academiæ Roſtochienſis conditoris. A. C. 1415. quô natus Henricus, Vandaliæ quoque principatum nactus eſt. Hujus fil. Magnus, pater fuit Henrici Pacifici, qui Euangelium amplexus, in Comitiis aliquoties reformationem urſit. Thuan. *l.* 11. Mortuo A. C. 1552. Philippus ſucceſſit: cui ſine prole extincto, ad patrueles ejus Joh. Albertum & Ulricum ſucceſſio delata eſt: quorum prior fœderi pro defenſione religionis & libertate Landgravii icto nomen dedit, ipſique expeditioni interfuit, annô prædictô. Pater Johannis, qui A. C. 1592. in flore ætatis abreptus, reliquit Adolfum Fridericum & Joh. Albertum Suerinenſis ac Guſtrovianæ, linearum auctores. Vide ibi, & Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt.*

MEGALOPOLITANUS Ducatus *Hertzogthum Mechelburg* Germanis, *Duché de Mecklebourg*, Gallis, provinc. Saxoniæ inferioris ſatis ampla, juxta mare Balticum, quod ei ineſt, ad Boream, uti Pomerania ad Ortum; Holſatia & Ducatus Lawenburgicus ad Occaſum, & Marchia Brandeburgenſis ad Meridiem. Duobus Principibus ſubeſt, ex eadem familia, pars ſcil. Orientalis Duci Guſtrovienſi, ab urbe ejus primaria, ſic dicto; & pars Occidentalis Schwerinenſi, ab urbe primaria ejus ſimiliter denominato. In ea provinc. ſunt etiam Wiſmaria, ſub Danis; Roſtochium, urbs libera & Hanzeatica, Domitium, Ratzemburgum, Stargardia & Warenum. Ibi aliàs *Varieni* populi.

MEGALOSTRATA, Poëtria, Alcmani familiaris. Olymp. 27. *Athen.*

MAGALTRIARCHA, apud Guil. Tyrium. *l.* 21. *c.* 16. pro *Megahetariarcha*, quod vide.

MEGANIRA, Celei uxor fuit, ac Triptolemi mater, cujus ſacellum erat non longè à puteo Bœotiæ, qui aliô nomine *Anthion* dicebatur.

MAGAN-KYRION, Principem Bœotiæ & Thebarum recentiores Græci appellârunt, Dominic. Macrô teſte *in Kyrion.*

MEGAPENTHES, Argivorum Rex XIV. ſucceſſit Acriſio patruo, utpote ejus ex fratre Prœto (de quo vide infrà) nepos. Perſeus enim Danaë Acriſii filiâ editus, ob cædem avi, regnum cum *Megapenthe* commutavit, & regnavit Mycenis, Apollodorus *Biblioth. l.* 2. Eum excepit filius *Anaxagoras*; dein regnârunt *Alector*, *Iphis*, *Eteoclus*, qui bellô Thebanô cecidit. Prætereà *Melampus* ſibi tertiam regni partem, tertiam fratri ſuo *Bianti*, à Præto, vel Anaxagora impetravit, ut ejus filias inſaniâ correptas ſanaret. Vide Pauſaniam *p.* 116. & ſuprà *Bias.*

MEGARA, Creontis Thebanorum Regis filia & uxor Herculis. Nam cùm Erginus Orchomeniorum tyrannus Thebanos gravi tributô premeret, Herculi filiam ſuam eâ lege pactus eſt, ſi urbem ex onere liberâſſet. Quô præmiô inductus Hercules, Orchomeniis bellum intulit, urbeque expugnatâ, tyrannum interfecit, victorque Thebas reverſus, Megaram uxorem duxit. Verùm cùm poſtea, Euryſthei juſſu, ad inferos deſcendiſſet, diutiuſque ibi moraretur, Lycus exul Thebanus, rei benè gerendæ occaſionem ſibi oblatam ratus, regnum Thebanorum invaſit, cumque Megaræ animum ad nuptias ſuas flectere non poſſet, vim ei inferre parabat. Inter hæc opportunè rediens Hercules Lycum interfecit, regnumque Thebanorum Creonti reſtituit. Lyci autem necem iniquè ferens Juno, tantum Herculi furorem objecit, ut ille Megaram uxorem cum libris ex eâ ſuſceptis interficeret. Hygin. *Fab.* 32. & Senec. *in Herc. Fur.*

MEGARA, numero plurali olim *Alcathoe*, urbs Achajæ, Megaridis caput, prope intimum receſſum ſinus Saronici, inter Athenas & Corinthum, *Baudrando* 25. mill. paſſ. ab Athenis in Occaſum totidem à Corintho in Cæciam 1. milliar. ab ora ſinus Saronici, ubi ejus portus Niſſæa. Hinc *Megaris* regiuncula adjacens, dicta; à ſinu Corinthiaco extenſa uſque ad Saronicum; prope Iſthmum ad Meridiem. An à Megaro, filio Neptuni, qui ſuppetias veniens Niſo, contra Minoëm, in prælio occiſus & in hac urbe ſepultus eſt? An à Megareo, filio Apollinis? Ipſi incolæ Sithonides Nymphas ſuas populares eſſe crediderunt, è quarum Thyatræa Jovi Megareus natus, tempore Deucalionis, huic regioni id nomen tribuerit. Alii dicunt, Pandioni Regi Athenienſium quatuor filios fuiſſe, Ægeum, Lycum, Pallantem & Niſum, huicque ultimo Megaram obtigiſſe: Adduntque, Codri tempore, Heraclidas, inſtigatu Meſſeniorum & Corinthiorum, Atticam ingreſſos, infelici ſucceſſu, in Megaricum agrum ſe recepiſſe, urbem Doricâ coloniâ eo deductâ, condidiſſe, Ionibus pulſis, Vellejus Paterc. *l.* 1. *c.* 2. & cippô Theſei, qui Peloponeſum ab Ionia diſtinguebat, vide ſuprà *Iones*, abolitô: unde factum, ut incolæ Doricæ linguæ in poſterum aſſueſcerent, & de Megarenſibus in poſterum diceretur, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ, Pauſan. *l.* 1. Primò à duodecim Regibus, hanc ditionem gubernatam, à Cleſone filio Lelegis, uſque ad Ajacem, filium Telamonis referunt. Dein libera fuit Reſpublica, donec ab Athenienſibus occupata, & ab Heraclidis his erepta fuit, ut dictum. Patria Euclidis, Stilponis, ac Theognidis; In hujus urbis agro præſtantiſſimi proveniebant bulbi. Columella *l.* 10.

Jam Megaris veniunt genitalia ſemina bulbi.

Ovid. *de Rem. Am. l.* 2. circa finem

Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An veniat, Megaris, noxius omnis erit.

MEGARES, numero plurali apud Plaut. *in Perſâ*, *Actu* 1. *ſc.* 3. ubi *Megaribus* in ablativo legitur. Hodieque nomen ſervat, in ruderibus ſuis, trecentis circiter quadringentiſque caſis ægre habitata, à Græcis, non alibi rituum ſuorum tenacioribus; ſed quibus à piratis quotidianæ moleſtiæ. In vicinia ejus arbor eſt, *xyloceratia* ferens, quibus filium prodigum paſtum eſſe, ajunt: terebintho non abſimilis eſt, & Auguſtô menſe fructus maturat. *Inſcriptiones* hodieque ibi non paucæ viſuntur, inter quæ una inprimis memorabilis, in honorem indigenæ cujuſdam Athletæ celeberrimi facta, quæ, nomine ejus præteritô, Ludorum publicorum variis in locis tum haberi ſolitorum, in quibus ille omnibus victor extitit, mentionem ſervat. Sunt illi, præter *Olympia*, *Pythia*, *Nemea* & *Iſthmia*; *Panathenæa*, Athenis; *Olympia* ibidem, nec non *Panhellenia* & *Eleuſinia*. Porro *Herculeus agon*, Thebis; *Trophonius*, Livadiæ; *Eleutherii ludi*, Platæis; *Clypeus Junonis*, Argis; *Pythia*, Mileti, item Magneſiæ; *Ludi univerſæ Aſiæ*, Philadelphiæ; *Ludi Actii*, in honorem Apollinis, Nicopoli; *Pythia* iterum, variis in locis celebrata; *Æſculapii Ludi*, Epidauri: *Capitolinus Agon*, Romæ; *Agon Minervæ Promachæ*, ibidem; *Euſebia*, Puteolis; *Ludi in honorem Imperatorum peragi ſoliti*, Neapoli. Sed & ibidem elegans ſupereſt *Inſcr.* Sabinæ uxoris Hadriani, facta Juliô Candidô Achajæ Proconſule; Item alia, quâ S. P. Q. Megarenſis, Herodis Attici munificentiam teſtari poſteritati voluit. Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 289. *& ſeqq.* Populi Megarenſes, ab Athenienſibus ingreſſu urbis prohibiti, A. Gell. *l.* 6. *c.* 10. Unde Euclides muliebri habitu ad Socratem ſe contulit, eâdem die domum reverſus. Varia inſuper cum aliis bella geſſerunt. Condiderunt Chalcedonem; Thucyd. *l.* 2. *&* 4. qui etiam refert, Lamidem Megarâ profectum, in Sicilia coloniam collocâſſe, ad Pantacem fluv. indeque pulſum Thapſum condidiſſe: Poſt ejus dein mortem, Duce Hyblone, Principe, ſocios ejus Megaram Hyblæam fundâſſe, unde an. 245. pòſt iterum à Gelone Syracuſano pulſi, Selinunte prius extructâ, An. 106. Urb. Cond. 33. Olymp. Hinc Megaricæ ſectæ nomen, cujus Euclides, ex Socratis auditoribus tertius, qui novas ſectas condidêre, Auctor fuit, de quo vide A. Gellium *loc. cit.* & Strab. *l.* 9. ubi ait: *Habuit aliquando* (urbs hæc) *etiam Scholam Philoſophorum*, qui Megarici *dicebantur*, *ſucceſſores Euclidis Socratici.* Hi poſtea Ἐριστικοὶ ſive *Contentioſi*, atque exinde à nonnullis *Dialectici* dicti ſunt, quòd valde in Dialecticis, præcipueque in captioſis argumentandi generibus, exercerent. Audivêre autem Euclidem Eubulides Mileſius, Clitomachus Thurius & Stilpo Megarenſis: Eubulidem Alexinus Elienſis & Apollonius ὁ Κρόνος: cujus diſcipulus fuit Diodorus ὁ Κρόνος, Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophorum ſectis c.* 11. *quod de Megaricis tractat.*

MEGARICORUM PHILISOPHORUM SERIES, EX VOSSIO.

Euclides *Megaricus.*	Apollonius ὁ Κρόνος.
Eubulides Mileſius.	Diodorus ὁ Κρόνος.
Alexinus Elienſis.	Clitomachus Thurius.

Stilpo *Megarenſis.*

MEGARA, urbs Siciliæ, prius *Hybla parva*, ſed poſtea à Megarenſibus Græciæ *Megara* & *Megaris* appellata. Vide ſuprà; in ora ad Ortum inter Catinam, & Syracuſas, à Marcello, cùm Syracuſas obſideret, exciſa: ex cujus reliquis Auguſta quibuſdam orta. Aliter *Galeotis*, prope oſtia Alabi fluv. 30. mill. paſſ. à Syracuſis in Boream, 24. à Catana in Meridiem *Megaris* quoque. De hac ita Marſhamus: *Megarenſes Attici jam pridem Dorienſes facti ſunt: Hinc jam in Siciliam deducta eſt colonia, quæ aliquandiu incertæ ſedis fuit: primò Trotilum, ad Pantagiam fluv. dein Thapſum in peninſula, non procul Syracuſis; tandem permiſſu Hyblonis Regis Siculi Hyblam condidit in littore, quam à patria nominavit* Magara, *& Sinus inde Megarenſis dictus eſt.* Et hæc *Hybla major.* *In Parta numiſmatis Siculis leguntur* ΝΑΞΟ. ΜΕΓΑΡΑ. ΥΒΛΑΣ. ΜΕΓΑΛΑΣ, *Canone Chron. ad Sec.* XVI. Sed & *Megarenſes*, an. 3. Olymp. 17. Aſtacum condiderunt in Bithynia, vide *ibi*: uti an. 2. Olymp. 28. Chalcedonem: atque an. 3. Olymp. 30. Byzantium ex oppoſito, in Thracia; duce Byzante, à quo nomen, Strabo *l.* 12. Euſebius *num.* 1342. & 1359. Idem Marſhamus *Sec.* XVII. ubi de *Græcorum Coloniis.* Ab iiſdem *Riſus Megaricus* ſicut *Chius*, ponitur pro profuſo, & intempeſtivo. *Megarienſis ars* in doloſos & aſtutos. Item *lachrymæ Megarienſis* de fictis dicuntur, à virginibus Megarenſibus à rege Corinthum, ad filiæ mortem lugendam, miſſis. Hodie pagus exiguus Megara eſt, *Megra* dictus, ſub Turcis Plin. *l.* 4. *c.* 7. Strab. *l.* 9. Plut. *in vita Solonis*, Diog. Laërtius. *in Euclid.* Euſeb. *in Chron.* Laurenbergius *Græc. ant.* *Dio-*

dor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dor. Suidas, &c. Eſt etiam urbs in Theſſalia, alia in Ponto, alia Illyrici, alia Moloſſiæ. *Steph.*

MEGAREUS, pater Hippomenis, nepos Neptuni ex Oncheſto Bœotiæ oppido oriundus, vel fil. Oncheſti, quæ controverſia ex varia lectione orta eſt, apud Ovid. *Met. l.* 10. *Fab.* 11.

Namque mihi genitor Megareus, Oncheſtius illi.
Eſt Neptunus avus; pronepos ego regis aquarum.

Alii ita legunt.

——— *Mihi genitor Megareus; Oncheſtus at illi.*

Item Apollinis fil. qui Megaris à ſe conditis nomen fecit.

MEGARI, Indiæ populi circa Indum fluv.

MEGARICUM, oppidulum Bithyniæ. *Steph.*

MEGARIS, ſoror Theagenis, uxor Cylonis Athenienſis, qui ibidem tyrannidem affectavit. Schol. *in Equites Ariſtoph.*

MEGARIS, regio Achaiæ parva ſinui Saronico expoſita, inter Phocidem ad Occaſum & Atticam ad Ortum ab Iſthmo Corinthiaco ſumens initium. *Baudrando*, inter Bœotiam eſt ad Ortum & Corinthiam regiunculam ad Auſtrum, atque inter Sinus Saronicum in Ortum & Corinthiacum in Occaſum. Ejus caput Megara. Ibi nunc pars Occidentalis. Ducatus Athenienſis, ſub Turcis. Item inſula parva, apud Neapolim, cui ponte jungitur, in Campania; vulgò *Caſtell' dell' Ovo. Megalia Papinio l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 80. aliter *Caſtrum Lucullanum.* Cum arce permunita, & valido Hiſpan. præſidio; atque ita ut inſcriptio arcis docet, poſita A. C. 1595. Tum verò ſub ipſo Caſtello ingens nunc Crypta exciſa arte, operis antiqui; tum longè lateque circum circa per mare ſparſa viſuntur rudera & veſtigia ingentium piſcinarum, neque nunc in toto hoc tractu locus eſt adeo oſtreis, echinis aliiſque piſcibus refertus.

MEGARSUS, Siciliæ urbs. *Lycophron.* Item oppid. Ciliciæ in ora ad oſtium Pyrami fluv. Mallo urbi propinquum. Eſt & Indiæ fluv. ex Emodis montibus naſcens. *Dionyſ.*

——— Ὕπανις θεῖός τε Μέγαρσος
Λαβρήταισι ποταμῶν. ———

Priſcianus Magarſum habet pro *Megarſo.* θεῖον verò *Dionyſii Steph. vaſtum* interpretatur, *Priſcianus* verò *rapidum.* Nos *divinum* potius reddidimus. Ille enim Poetis mos, ut fontibus ac fluminibus divinitatem quandam adſcriberent. Hinc Propert. *l.* 1. *eleg.* 18. *Divini fontes.* Et. *l.* 2. *eleg.* 26. *Divinæ aquæ. Theocritus,*

——— Ἄγχεα καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος.

Euripidi etiam apud Cicer. *Ep. ad Att. l.* 15. *Ep.* 4. dicuntur ποταμῶν ἱερῶν παγαί.

MEGASA, urbs Libyæ, in qua & σιτοφάγοι & ἀροτῆρες. *Steph.*

MEGASTHENES, Hiſtoricus Græcus, ſub Seleuco Nicanore. Strab. *l.* 1. Clemens *l.* 1. *Strom.* Scripſit Hiſtoriam Indiæ, ſæpe laudatam priſcis, quæ periit. Quam enim Annas Viterbienſis, ejus nomine, edidit, ſuppoſititia eſt. Euſeb. *l.* 9. *Præp. Euang.* Arian. *l.* 5. & 7. Ælian. *l.* 8. *Hiſt. Anim.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 11.

MEGATICHOS, oppidum in monte inter Ægyptum & Æthiopiam, quod Arabes *Myrſon* vocant. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MEGBIS, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 30.

MEGEM, oppid. Brabantiæ, ad Moſam. *Metel.* Caput Comitatus, 3. leuc. Buſco ducis diſtans.

MEGENFRIDUS, vel MEGINFREDUS, Monachus Fuldenſis primò, dein Præpoſitus Magdeburgenſis, ſeculô 11. Roſa inter ſpinas, Trithemio *in Chron. Hirſaug.* dictus, quòd, inter innumeros ignavos, ſolus ſtudiis & nominis immortalitati vacaret. Scripſit hiſtoriam Monaſterii ſui libris 24. Vitam S. Emmerani, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 42.

MEGENI Monaſterium, inter Offonisvillam & S. Deodati, memoratur in diviſione Regni Lotharii A. C. 870. facta: quam Abbatiam apud Lotharienſes eſſe, *Moien mouſtier*, quidam exiſtimant. At Chronicon Senonenſe hoc ab ipſo loci conditore Hidulpho ideo appellatum eſſe vult; propterea quod ab Ortu Senonienſe Monaſterium vulgò *Senone*, ab Occaſu Stivagium, à Meridie Juncturas ſive S. Deodatum *S. Diey*, à Septentrione Bodonis Monaſterium *Boudonville* habeat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MEGERLIN Petrus, per anagramma *Legum Interpres.* J. U. D. & Mathematicus Baſileenſis celeberrimus. Natus Campidoni A. C. 1623. patre Davide J. U. D. urbis ejus Syndicô & Pro-prætore, ſtudiis vacavit Tubingæ ab A. C. 1640. uſque ad an. 1645. Inde apud Parentem domi, Hailbronnæ poſtea apud Doct. Friſchium cognatum, atque in Camera Imperiali Spirenſi praxi juridicæ incubuit. Baſileæ exin Doctor creatus A. C. 1651. ad Syndicatus officium in Patriam vocatus eſt: ſed non admiſſus, ob puriorem doctrinæ Euangelii confeſſionem, Baſileam rediit; à Magiſtratu loci A. C. 1660. in Advocatum Reip. ac inſuper A. C. 1674. in Profeſſorem Matheſeos aſſumtus. Ejus extant, præter alia: *Diſſertatio de Cyclis Planetarum & Eclipſium*; Item, *Tabula Mathematico-Hiſtorica*, quâ ſecundùm 7. revolutiones conjunctionum magnarum, ſeries rerum à Mundo Condito ad noſtrum uſque ſeculum geſtarum 7. columnis exhibetur, cum *Indice copioſiſſimo* & *Commentario Chronologico.* Scripſit præterea *Patrocinium Aſtrologiæ*, Germanic. *Aſtrologiam* quoque *Carteſianam*, &c. quæ lucem brevi videbunt.

Nil blandum poppyſma moves, nil tetrice terror,
Poſt Chriſtum didici ponere cuncta meum.

MEGES, unus ex Græcorum principibus, qui Dulichio, & Echinadibus inſul. præfuit, & cum navibus 40. ad Trojam eſt profectus. Homer. *Il.* 2. *v.* 627.

MEGESAPHAR, locus in confinio Damaſci, in tribu Manaſſe; quâ Chriſtiani olim caſtra traduxerunt. Guil. Tyr. *l.* 13. *bell. c.* 26.

MEGIA, urbs Meſopotamiæ, ad Euphratem, circa Citham, *Zoſim.*

MEGILLUS vide *Lucius Poſthumus.*

MEGINENSIS Pagus, vulgò *Meylandt*, inter Moſellam & Rhenum in Treviris eſt: dictus à Megino vel Megeno, vulgò *Meyen*, loco prope Autunnacum & Biburgum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MEGINHARDUS, Monachus Germanus, circa A. C. 870. ſcripſit hiſtoriam S. Ferruti Martyris, cujus corpus à Lullio Archiepiſcopo Moguntino, in Monaſterium Bleidenſtadienſe translatum. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 36. Poſſevin. *in appar. ſacro.*

MEGISBA, ſtagnum Taprobanes Inſulæ. Plin. *l.* 6. *c.* 22.

MEGISTA, Inſul. Lyciæ, ante portum cognominem. Cujus portus Liv. *l.* 37. *c.* 22. meminit, è regione Pataræ urbis. Hæc *Strongallo* nonnullis, Inſul. Dolicho proxima.

MEGISTANES, dicuntur proceres & magnates, viri ſummates, quibus permiſſum erat cum regibus epulari. Nam & Herodes D. Marco *c.* 6. *v.* 21. dicitur μεγιστᾶσι convivium præbuiſſe, quos vetus interpres *Principes* vertit. Uſi hâc voce Seneca *Ep.* 21. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 27. & Sueton. *in Calig. c.* 5. Melius Megiſthanes, vide quoque ſuprà, voce *Chiliarchus.*

MEGISTÆ; urbs, & inſula Lyciæ. *Steph.*

MEGISTIAS, vates, patriâ Acarnan, à Melampode originem trahens: inſpectis extis, ſibi & Græcis, qui erant ad Thermopylas, mortem pariter impendere prædixit, tamen quum à Leonida, ne ſecum periret, dimitteretur, abſcedere noluit, filium tantùm unicum unà militantem miſſum fecit. Herodot. *l.* 6.

MEGISTUS, fluv. quidam in Ægæum mare decurrens. *Suid.*

MEGLEDUNUM, oppid. Gall. Celticæ 15. milliar. à Bituricis Turonenſib.

MEGPHIAS, nomen viri. Nehem. *c.* 10. *v.* 20.

MEHERDATES, Phraatis fil. obſidio Romanis datus, ſub Claudio, quem, odiô ſævitiæ ac luxus Gotarzis, Parthi patrium ad faſtigium poſcebant. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 10. & *l.* 12. *c.* 10. Sed à Gotarze victus, eique à Parrhace, paterno cliente, traditus, auribus decitis vivere juſſus eſt, oſtentui clementiæ ipſius. *l.* 12. *Annal. c.* 14.

MEHUMIUS Johannes, vide *Johannes.*

MEHUSIM, pater Ahitub. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 11.

MEIBOMIUS Henricus, Germ. *Meyenbaum* Lemgojâ Weſtphalus, fil. Martini Eccleſiaſtæ, â Rudolpho II. Imperatore Lauru Poëticâ exornatus A. C. 1590. honoribus in Academia Julia Magiſtratuum omnium iteratò perfunctus, obiit A. C. 16 5. ætat. 70. Scripſit, *Diarium ſeu Calendarium Romanum Oeconomic. Eccleſiaſt. Aſtronomicum & fere perpetuum*, *Tract. Aſtrologicum de Genethliacorum Thematum Judiciis*; *Mæcenatem*; *De incubatione in Fanis Deorum*; *Opuſcula Hiſtorica varia*, *res Germanicas concernentia*; *Piarum Meditationum Sylvulam*; *Vindicias Billinganas*; *Bardevici urbis hiſtoriam*; *Genealogiam Ducum Brunſvic & Luneburg. Parodias*, *Sylvas*, *Agalmata*, *Anagrammatiſmos*, *Centones*, *Elegias*, *Odas*, *Epigrammata* &c. Paul. Freherus in *Theatro Viror eruditione claror.*

MEIERUS, vel MEYERUS Jacobus, Reipubl. Baſileenſis Conſul. Natus A. C. 1492. patre Henricô Senatore, in Senatum & ipſe maturè lectus, ad Tribunitiam dignitatem brevi aſcendit, Johannis Oecolampadii, in Eccleſia illa reformanda ſtrenuè deſudantis, *clypeus & haſta*, Ramô teſte *in Baſil.* inde Conſul, patriam rexit uſque ad A. C. 1541. quô peſte extinctus eſt: *Pietatis ſanæ cultor ac promotor primarius*, *omnis honeſtatis*, *quod in ipſo fuit*, *inſtaurator diligentiſſimus*, Epitaph. Pater Rodolfi itidem Senatoris, & Academiæ Deputati, qui obiit A. C. 1564.

MEIERUS Jacobus, Theologus Baſilienſis: clariſſimus. Natus patre Rodolphô præfatô, Academiæ Triumvirô A. C. 1526. ſub inſtitutione Simonis Grynæi, viri ob præclariſſimas dotes totô orbe celeberrimi; adolevit: Argentinæ poſtmodum Wolf. Fabricii Capitonis auditor, ab A. C. 1539. uſque ad 41. hôc peſte ſublatô, in patriam redux, Oſwaldi Myconii & Martini Borrhai lateri hæſit: inde Argentinam A. C. 1546. rurſus delatus, præſtantiſſimô Theologô Mart. Buccrô præceptore uſus eſt: quô in Angliam A. C. 1549. invitatô; Philippi Melanchthonis famâ excitus Wittebergam conceſſit, quadriennium ibi moratus. In patriam redux A. C. 1554. mox in partem Marchicæ reformationis: exin in agrum Baſileenſem, tandem A. C. 1564. in ipſam urbem vocatus, ſacrum Miniſterium ſummâ fide & zelô obiit, donec A. C. 1604. ætat. 80. in ſummo templo funebrem habiturus concionem, cùm vix exorſus eſſet præclaram Eccleſiaſtis ſententiam, *de ſubitò ruente arbore*, *c.* 11. *v.* 3. apoplexiâ ictus, coram facie frequentis Eccleſiæ, obdormiit: Parens ex Agnete, Capitonis prædicti filia Wolfgangi. Vita *Jac. Meyeri.*

MEIERUS Wolfgangus, Theologus itidem Baſileenſis inſignis. Natus Jacobô præfatô, A. C. 1577. poſt Humaniorum, ut vocant, literarum curriculum mirâ felicitate decurſum, ſacratioribus ſtudiis ſe totum dedit: quorum fundamentis in Patria jactis, Angliam petiit: ubi mirâ humanitate exceptus, & ob avi Buceri magna in Eccleſiam Anglicanam merita, ab Elizabetha Regina, diplomate ad Proceres Academiæ Cantabrigienſis datô, de convictu ſumtibus regiis ei ſuppeditando inſtructus eò conceſſit: ubi eruditionis ſolidæ documenta cùm varia edidiſſet, SS. Theologiæ Licentiatus publicè proclamari meruit. Per Galliam inde in Patriam reverſus, Patri defuncto in ſacra ſtatione ſucceſſit A. C. 1605. Poſtea ſublatô A. C. 1610. Theologô celeberrimô, Amandô Polanô à Polanſdorff, publicè ex cathedra Theol. prælegendi; donec ordinarius Profeſſor, in defuncti locum ſurrogaretur; poteſtatem accepit, quô tempore Polani memoriam panegyricâ oratione excoluit, ipſe Docturæ axiomate ornatus, A. C. 1611. Miſſus A. C. 1618. cum D. Seb. Beckio Theologiæ Profeſſore ad Synodum Dordracenam, *de perſeverantia Sanctorum* cum applauſu, ibi peroravit. Inde per Angliam, ubi Jacobo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Regi Buceri librum, Latinâ civitate à ſe donatum, obtulit, Galliamque, patriæ redditus: mox S. P. Q. Mulhuſino, à Magiſtratu ſuo, ad ſemeſtre indultus, eò abiit, ut Eccleſiæ illi, adhuc aliquibus veteris fermenti reliquiis laboranti, ſuam operam impenderet. Quâ egregiè defunctus, circa A. C. 1621. ad ſtationem ſuam rediit; ad primarii Diaconi munus A. C. 1630. vocatus, in quo ad mortem uſque *fidus* & *induſtrius Dei* ſervus verſatus eſt. Obiit A. C. 1653. ætat. 76. morte tantùm non repentinâ, poſtquam die præcedente ſermonem προαγώνιον, cumque nuptialem, ex Hebr. *c.* 13. *v.* 4. ad cœtum habuiſſet. Ejus ſcripta extant varia, quorum indicem, ut & plura, de Viro hoc inſigni, exhibet Sam. Keſlerus in *Delineat. vitæ & mortis ejus A. C.* 1655. Baſileæ habita. Pater fuit inter alios, Jacobi, qui Cantabrigiæ per 4. annos in Collegio SS. Trinitatis, ſumtibus itidem Regiis, ex ſtipendio familiæ Meierianæ ab Eduardo VI. primùm ordinato; poſteà verò ab Elizabeta & Jacobo Rege confirmato, Theologiæ vacavit, in flore ætatis, poſt reditum in patriam A. C. 1634. ætat 21. defunctus: & Maximiliani Jacobi, nati A. C. 1635. & in agro Baſileenſi verbi divini, non ſine ſacræ eloquentiæ, familiæ huic quaſi domeſticæ, laude Adminiſtri.

MEIGRETUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

MEININGA vulgò MEINUNGEN, Franconiæ oppid. ad Verram fluv. in Principatu Hennebergico. 2 milliar. Germ. a Smalcalda in Meridiem Schwinfurtum verſus 8. circiter.

R. MEIR, Patavinus, ſcripſit in libr. Majemonidæ, docuitque Venetiis an. 318. Millenarii VI. juxta calculum *R. Ganz.*

R. MEIR, Rotenburgenſis, auctor libri *Agahot Maimoni*, h. e. Animadverſionum; floruit ſub Rodolpho I. Imperatore Alius, *Rab magnus Don Meir*, Medicus Caſtellæ Regis Ethicam Ariſtotelis Hebraicè vertit, floruitque decennio pòſt. Alius *R. Meir aben Aldebi*, ſcripſit *Schebile Amuna* h. e. Semitam fidei, an. 120. Millenarii VI. juxta calculum præfati *Ganzii.*

R. MEIR Mitthidros, Toleti docuit, *de Judiciis Legis* varia ſcripſit, obiitque an. 5. præfati Millenarii. Fuit & *R. Meir* celebris, tempore R. Akibæ, de quo ſuprà.

MEISNERUS Balthaſar Dreſdenſis, fil. Balthaſaris in patria per 40. ann. Eccleſiaſtæ, Wittebergæ Ethices primùm, A. C. 1611. inde Theologiæ, A. C. 1613. Profeſſor, præter alia adornavit *Collegium Practicum*, quô diſputaturum ſe de vita & modo tollendi & corrigendi ea, quæ non tantum in Eccleſia, ſed etiam in Rep. ſecus fiunt, decrevit; ſed morte præventus, obiit A. C. 1626. ætat. 40. Auctor plurimorum ſcriptorum. Joh. Meiſnerus *Jubil. Witteberg.* Paulus Freherus *Theatro Virorum eruditione clarorum*, Alii.

MEL, vide infrà ablat. *Melle.*

MEL Calaminum, vide ſuprà *Calaminum mel.*

MELA Pomponius, Geographus, cujus extat liber de ſitu Orbis. Natione Hiſpanus fuit, Claudiique Imperatoris temporibus floruit, ut rectè primus adſtruxit *Vadianus.* Inde eſt, quòd & ipſe meminit Corn. Nepotis, ut recentis ſcriptoris, & ad partes à Plinio advocetur, *in Hiſt Naturali*, qui Veſpaſiani temporibus claruit. Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 25. & *Pomponius Mela.*

MELA, vulgò *la* MELA, fluv. prope Brixiam Galliæ Ciſalpinæ urbem, in Ollium ſe exonerat, Catullus *ad Januam Carm.* 68.

Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronæ mater amata meæ.

Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 276. ubi de amello,

——— *Tonſis in vallibus illum*
Paſtores & curva legunt prope flumina Mellæ.

MELÆCA, pagus Atticæ. Stat. *Theb.* 12. *v.* 619.

Icarii, Celeique domus, virideſque Melæca.

MELÆNA, Inſul. maris Ionii ante Epirum, quæ & Corcyra. Plin. *l.* 3. *c.* 26.

MELÆNE, quondam Cephallenia dicta. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Item oppid. in Arcadiâ, à *Melenæo* Lycaonis filio, inter Heræam, & Megalopolim. *Steph. Melanæa*, Plin. *l.* 4. *c.* 6. Eſt & Μελαιναὶ urbs Lyciæ. Gentile *Melenites.*

MELÆNEIS, vicus in tribu Antiochide, *Callimachus Melanas* vocat. Tribulis *Melaneus. Steph.*

MELAMPEA, urbs Lydiæ. *Steph.*

MELAMPHYLLIS, inſula Samothraciæ. Quin & Samos ipſa *Melamphyllos* dicta fuit. *Steph.*

MELAMPHYLLOS, exiguus mons Theſſaliæ, Aliàs *Melamphyllon* inſulæ in Aſiâ nomen. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

MELAMPUS, Argivus, Amythaonis & Dorippes fil., A. M. 2705. Homer. *Odyſſ. penult.* Sic dictus, quòd mater eum infantem expoſuerit totô corpore tectum, præterquam pedibus, qui à Sole atri facti ſunt. Auguriô claruit, omnium avium cæterorumque animalium voces novit & intellexit. Fuit & Medicus præſtantiſſimus, cui templum erectum, feſtaque ſolennia, & ſacrificia fuêre ſtatuta, Pauſan. *l.* 1. Biantem juvit in auferendis bobus Iphiclo, quos ille Neleo reſtituit, cujus beneficii memor Neleus filiam ſuam nomine Pero ei uxorem tradidit. Filias quoque Protei furiis agitatas ſanitati mentis helleborô, quod poſteà *Melampodium* dictum, reſtituit, quarum unam Iphianaſſam cognomine conjugem accepit. Herodot. *l.* 9. illum ab Argivis Piſam ſe miſſuris, ut fœminas ejus loci à furore liberaret, jus civitatis & regnum petiiſſe, refert. Tertiam Argivi regni partem ſibi, tertiam ſuo fratri Bianti, à Præto, vel Anaxagora, in pretium filiarum ſanitati reſtitutarum, impetrâſſe, ait Pauſan. *l.* 2. Sub ejus nomine, liber *Ex palpitationibus divinatio*, prodiit Romæ, A. C. 1545. Alius, *de nævis*, Venetiis, A. C. 1552. Pet. Caſtellanus, *de Vit. Ill. Medic.* Johan. Neander, *in Syntagm. Med.* Juſtus, *Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.* Voſſ. *de Phil. c.* 11. §. 17. Virgil. *Georg. l.* 3. *de peſte*, *v.* 549.

——— *Ceſſêre magiſtri*
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.

Tibullus *ad Meſſalam*, *l.* 4. *v.* 120.

——— *Compertum eſt veracibus ut mihi ſignis,*
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.

Item unus ex canibus Actæonis. Ovid. *Met. l.* 3. *Fab.* 2.

——— *Primuſque Melampus*
Ichnobateſque ſagax latratu ſigna dedêre.

MELAMPYGOS, cognomen Herculis, quaſi *nigrô podice:* quòd eam partem corporis, non Lydorum more vulſam, neque candidam, ſed nigris pilis hirſutam ac ſylvoſam haberet. Vide Eraſm. *in Proverb. Nec incidas in Melampygum.*

MELANA, promontor. Chii Inſulæ *Strab.*

MELANÆETUS, Græce Μελαναίετος, i. e. *nigra aquila*, utut aquilarum minima, robuſtiſſima tamen eſt, hinc *Valeria* dicta Romanis. Ejus meminit jam Homerus *Il.* φ. *v.* 252 ubi de Achille.

Αἰετοῦ οἴματ᾽ ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος,
Ὅς θ᾽ ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν.
Aquilæ impetum habens nigræ, venatricis,
Quæ alitum ſimul fortiſſima eſt & celerrima.

Reliquas ejus dotes ita deſcribit Philoſophus *l.* 9. *c.* 32. Ἐκτρέφει δὲ μόνος οὗτος τὰ τέκνα καὶ ἐξάγει. ἔστι δὲ ὠκυβόλος καὶ εὐθήμων καὶ ἄφθονος καὶ ἄφοβος καὶ μάχιμος καὶ εὔφημος· οὐ γὰρ μινυρίζει, οὐδὲ λέληκεν. *Una hæc fœtus ſuos alit, atque educit. Eſt & pernix, elegans, ſine invidia, ſine metu ſtrenua, boni ominis; neque clangit, neque murmurat.* Quam proin cum chryſaëto ita confert. Thuanus *de Re Accipitrar. l.* 1.

Optima & ipſa æquans animis ingentibus illam,
Corporis inferior quamvis ſit mole, nec ungue.
Aut roſtrô tantum valeat, digitiſve: ſed ortus
Non mentita ſuos animive oblita virilis,
Accipitres collata nothos facit. Hanc quoque noſtri
Valeriam dicunt Græci μελαναίετον, *atrum*
Quòd referat roſtro pennis atque ungue colorem, &c.

Vide S. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 6. ubi vocem Hebr. *oznija* explicat.

MELANCHÆTES, unus ex canibus Actæonis. Ovid. *Met. l.* 3. *Fab.* 2, à *nigredine pili* dictus:

Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit.

MELANCHLÆNI, populi juxta Boſporum Cimmerium, inter Rha fluv. & montes Hippicos, *Ferrar.* à *veſtibus nigris* dicti. *Dionyſ.* ubi de Alanis.

Ἔνθα Μελάγχλαινοί τε καὶ ἀνέρες Ἱππημολγοί.

Mela *l.* 2. *c* 1. *Melanchlænis atra veſtis, & ex eâ nomen.* Dio Chryſ. *in Boryſthenit.* Χρῶνται δὲ τῇ ἄλλῃ ἐσθῆτι μελαίνῃ ὡς τὸ πολὺ ἀπὸ γένους τινὸς Σκυθῶν τῶν Μελαγχλαίνων, ὡς ἐμοὶ δοκοῦσι, κατὰ τοῦτο ὀνομασθέντων ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων. *Murophoros Leuncl.*

MELANCHTHON Philippus, German. *Schwartzerd*, Brettâ in Palatinatu oriundus, Germaniæ Phœnix, Artium Reſtaurator: Nepos ex ſorore Johannis Capnionis, ſeu Reuchlini, in cujus honorem tredecennis *Comœdiam* ſcripſit egitque. *Hippophilum Melangæum* etiam ſubinde ſe vocavit. Natus A. C. 1497. Heidelbergam venit, A. C. 1509. inde Tubingam ſe contulit, ubi Magiſter Artium creatus, anno ætat. 6. explicuit ſtudioſis Virgilium & Terentium, tum primum à ſe eâ formâ editum, quam nunc habet, cùm prius in proſa ſcripſiſſe crederetur, annô ſequente interea correctoris munere apud Thom. Anſelmium defunctus, *Rhetoricam* ſcripſit, annô ætat. 19. A Friderico Electore Wittembergam vocatus, Græcas ibi literas docuit, A. C. 1518. ubi plurima edidit, Scholarum multarum parens, in humanis diviniſque ſcientiis verſatiſſimus. Pariſienſibus Lutheri libros damnantibus, oppoſuit A. C. 1521. librum, cui titulus: *contra furioſum Pariſienſium Logaſtrorum decretum.* Itemque Emſero *Didymum Faventinum.* Cum Luthero, ſcriptum edidit, contra Articulos ruſticorum, A. C. 1525. Auguſtanam Confeſſionem, Carolo V. exhibitam, A. C. 1520. compoſuit, Apologiam dein Confeſſionis ſcripſit, quam Cæſar admittere noluit. Cum Eccio, Wormatiæ per triduum collocutus eſt, A. C. 1541. de peccato inprimis originis, poſt Baptiſmum remanente, ſed interruptum Cæſaris juſſu colloquium & Ratisbonam eſt rejectum. Refutavit librum *Interim*, & minus acriter de Adiaphoris certâſſe viſus eſt Flacio A. C. 1548. In S. Cœna, oralem manducationem non credidit, &c. Obiit A. C. 1560. à Ferdinando I. Eraſmo, & hoſtibus ipſis impenſè laudatus. Ejus opera tomis 5. in fol. Baſileæ, A. C. 1544. 5. Partibus, 4. Vol. Wittebergæ, A. C. 1564. 1580. 1601. &c. prodierunt, *Vir in quo cum doctrina pietas, cum utraque candor certavit*, Arrowſmith *in Tact. Communis Germaniæ Præceptor*, Lipſio: *Literarum & Literatorum decus*, Steph. *Theologiæ corculum Reformatæ*, Montacutio. De eodem Taubmannus *Sched. ſacr. l.* 2.

Heu! quam multorum loliô ſterileſceret arvum,
Ni bove ſolerti Melanchthonis illud arâſſent.

Ipſe ſuum Epitaphium, paulò ante beatam ἀνάλυσιν, hôc diſtichô pronuntiavit:

Iſte brevis tumulus miſeri tenet oſſa Philippi,
Qui qualis fuerit neſcio, talis erat.

Plura, præter alios vide in *Elogiis* Anton. Teiſſier. *Part.* 1. & 2. ubi, poſt recenſita ejus ſcripta *Syracidem* quoque *Græcô Elegiacô carmine*, *Pſalterium*, item *Græcis verſibus* redditum & *Confeſſionem* porrò *Auguſtam in hanc linguam translatam*, quæ ſub nomine Pauli Dolſcii prodierunt: item, *Chronicon*, quod nomen Carionis præ ſe fert Melanchthonem auctorem habere, docet ex Placcio *de Scriptis Anonymis p.* 185. & 174.

MELANDIA, regio Sicyoniæ. *Steph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MELANE, prius dicta Samothrace, in quam Dardanus venit: & pulſus inde ſterilitate ſoli demigravit, in ea Phrygiæ loca, ubi Troja poſtea. Hinc olim *Dardania* dicta Samothrace. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

MELANEA, oppid. Arcadiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

MELANEIS, Eubœæ inſulæ urbs. *Steph.* quæ & *Eretria* & *Arotria*, etiam dicitur, teſte *Strabone.*

MALANELUS Matt. Theodorus, vide ibi.

MELANEPHORI, vide infrà *Nigrigeruli.*

MELANES, nigri montes, juxta deſerta Arabiæ. *Ptol.* Hodie mons *Sinai*, & mons S. *Catharinæ*, *Sur* deſertum Ebræis, à Mauris *Tur* dicitur.

MELANEUS, Euryti pater, à quo Eretria *Melaneis* dicta. *Melaneus* etiam inter canes Actæonis numeratur, ab Ovid. *Met. l.* 3. *Fab.* 2.

Harpolos & Melaneus, hirſutaque corpore Lachne.

Eſt & Centauri nomen apud eundem, *Met. l.* 12. *Fab.* 4.

Et Pholus, & Melaneus, & Abas prædator aprorum.

MELANGA, locus Thraciæ apud Byzantium. *Glycas.*

MELANGE, vide MELIAPORA.

MELANGEA, Arcadiæ oppidum. Pauſan. *l.* 8.

MELANGITÆ, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

MELANI, montes Arabiæ Petrææ ad ſinum Arabicum deſcribuntur à *Ptol.* eò locò quò Moſes in ſacris literis *Sinai* ponit. *Syneum* eum vocat Juſtinus *ex Trogo Pompeio l.* 36. *c.* 2. *Syneum Joſephus* & *Suidas.* Ad ejus Meridiem erat Saracene regio, in Arabia Felici. Quibuſdam extenſi fuerunt, ab urbe Petra, Ælanum uſque in ora ſinus Arabici. Vix 180. mill. paſſ. ab Hieroſolymis in Auſtrum. Vide *Melanes.*

MELANIA, nomen duarum illuſtrium matronarum; quarum altera obiit A. C. 408. Auguſtino memorata *ep.* 249. altera A. C. 438. de qua vide Baron. *in Annal.*

MELANIA, Ciliciæ oppidum, *Straboni*: an *Myle* Plinii *l.* 5. *c.* 27?

MELANION, vir tantæ caſtitatis ut per avia montium & nemorum, cane, quò unò convictore utebatur, feras perpetuò inſectatus, domum redire noluerit, unde Proverbium, *Melanione caſtior.*

MELANIPPIDIS, Poëta Græcus, Olymp. 65. fil. Critonis, varia ſcripſit. Athen. *l.* 14. & *Suid.* Alius, cognom. *Junior*, Poëta Lyricus Mileſius, prioris ex ſorore nepos. Floruit Olymp. 80.

MELANIPPIUS Pamphyliæ fluv. *Steph.*

MELANIPPUS, Sacerdos Apollinis, apud Cyrenenſes, à Nicocrate tyranno propriâ manu obtruncatus, ut ejus conjuge Aretaphila potiretur. Polyæn. *l.* 8. *c.* 38.

MELANIS, Venus dicta eſt, quòd ipſa tenebras amet, hominesque noctu ſæpius coëant.

MELANIUM, vide MALANIUM.

MELANO, Doridis inſula in Ceramico ſinu. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

MELANOGÆTULI, Æthiopum gens in Libya interiori. *Ptol.*

MELANOPUS, civis Athenienſis, pater Lachetis.

MELANOS, promontor. Besbici Inſulæ *Strab.*

MELANOSYRI, populi Syriæ, inter ſinum Iſſicum, ad Occaſum & Euphratem ad Ortum. *Strabo.*

MELANTHES, ſcripſit de Myſteriis. Vide Scholiaſt. Ariſtoph. *in Aves.*

MELANTHIA, fil. Deucalionis ex Pyrrha.

MELANTHII, ſcopuli maris Ionii circa Samum. *Strabo. Fornelli Bordonio. Furni Nigro.* Lege *Melanthii.* Ita enim eos vocat Apollon. *Argon. l.* 4. uti videre eſt in his.

——— Ἴκεο πέτρας

Ῥίμφα Μελαντίους ἀρίηκοος, αἵ τ' ἐνὶ πόντῳ

Ἧνται. ———

Ubi *Scholiaſt.* Μελάντιοι δὲ εἰσὶ δύο σκόπελοι πρὸς τῇ Θήρᾳ, οὕτως ὀνομαζόμενοι ἀπὸ Μέλανος τοῦ κατασχόντος τὴν χώραν. *Nic. Lloydius.*

MELANTHIUM, fluv. Cappadociæ, qui in Euxinum mare, inter Pharnaciam & Polemonium, per agrum hujus, ut & Iaſonium, placide decurrens, ſeſe exonerat. Plin. *l.* 6. *c.* 4.

MELANTHIUS. Hiſtoricus de rebus Atticæ libros reliquit, teſtibus *Harpocratione*, & Athenæo *l.* 7. Item clariſſimus pictor Plin. *l.* 35. *c.* 7. de arte ſua ſcripſit. Diog. Laërtius, *in Polemone.*

MELANTHIUS, Tragicus Poëta, leproſus & malitioſus, qui à Comicis traducitur mollitiæ & gulæ nomine. Plato in *Scythis* eum ut garrulum perſtringit. Fuit Cimonis, Athenienſium Ducis, æqualis. Vide Scholia in Ariſtoph. *Ornithas. p.* 548. G. Plut. *in Cimone.* Etiam Elegias compoſuit. Vide *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 389. *& de Poët. Gr. c.* 7. *p.* 46.

MELANTHIUS, nomen viri, qui, cùm Gorgiæ inimicus eſſet, dixit, hic nobis de concordia præcipit, qui tres in una domo concordes facere non potuit. Eſt & nomen viri Trojani proprium, quem Eurypylus in bello Trojano interemit. Homer. *Od.* ρ. *v.* 369. Alius ejuſdem nominis paſtor apud *Theocritum.* Item caprarius Ulyſſis, qui quòd & rem domini abſentis unà cum procis abſumpſiſſet, & tam heræ, quàm herili filio moleſtum ſeſe præbuiſſet, poſt reditum Ulyſſis à Telemacho trucidatus eſt. Hom. *Odyſſ.* χ. *v.* 135. Ovid. *Ep.* 1. *Heroid.*

Irus egens, pecorisque Melanthius author edendi.

Item Cappadociæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 4. & Syriæ mons, ubi Veſtæ fanum. *Cedrenus.*

MELANTHO, filia Protei, cui, cùm poſitis veſtibus, Delphino inſidens, ſæpe per maria patris vagaretur, Neptunus ſub Delphini formâ ſtuprum obtulit: Unde Amycus natus, quem tamen *Servius* Melites filium facit.

MELANTHUS XVI. Athenienſium Rex, an. ante Urb Cond. 367. Meſſenius erat, Andropompi fil. & cùm ab Heraclidis, *in Peloponneſum reverſis*, (unde inſignis illa epocha, Ἡρακλειδῶν Κάθοδος, *Heraclidarum Reditus*, ſcil. in Peloponneſum) annô à Troja capta 103. pulſus eſſet, Athenas venit, ubi interfectô ſingulari certamine Bœotorum hoſtium duce Xanthiâ, rege Themoëte abdicatô, ad regnum evectus eſt. Ab eo *Melanthidarum* familia orta. Idem Apaturia ſacra Athenis inſtituit. Vide Scholiaſt. *in Ariſtoph. Acharnan.* Regnavit annos 8. circa tempora, quibus Ammonitæ dominabantur Iſraëlitis: Ei ſucceſſit Codrus fil. quem vide, ut & Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. XIII.* Addo ſaltem, illum Iones ab Achivis (quos Heraclidæ ſedibus ſuis, Argis & Lacedæmone, pepulerant) ex urbibus ſuis viciſſim exturbatos, & Athenas ſe conferentes, amicè recepiſſe Pauſan. *Achaicis.* Vide quoque ſuprà voce *Apaturia*, & de Ionibus hiſce, voce *Iones.*

MELANTHUS, Cyzicenus, cum fratre Are, in conflictu nocturno, interfectus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 203.

MELANTHUS, fluv. Sarmatiæ Europææ, qui in Boryſthenem labitur. Ovid. *Pont. l.* 4. *Ep.* 10.

Et tacitè peragens lene Melanthus iter.

MELANTIAS, quæ nunc vulgò *Melitias* dicitur, urbs Thraciæ ad Propontidem, olim Archiepiſcopalis inter Byzantium & Selymbriam: nunc vicus 102. ſtadiis Byzantiô diſtans. Ex *Suida*, & *Procopio*: *Athyra* etiam, ad oſtia Athyræ fluv. *Melancia Antonino*, & *villa Cæſariana*, *Amm. Marcellin.*

MELANYON, quibuſdam dictus eſt Hippomenes, ἀπὸ τῶν μήλων, hoc eſt, à *malis*, & ἀνύω *perficio.* Aliis *Melanion*, à nomine μήλων, & verbo ἀνίημι, quaſi *mala* è manu *emittens.* Tu lege & vide *Milanion.*

MELAS, Phryxi ex Chalciope fil. duxit uxorem Eurycleam: è quibus *Hyperes*, juxta *Pherecyd.*

MELAS, i. e. *niger*, Sinus Thraciæ. *Ptol. Melanes* Solino *c.* 16. *Cardianus*, à Cardia urbe adjacente, *Euſtath. Magariſius* hodie *Ortelio.*

MELAS, i. e. niger, fluvius multiplex. Nam unum eſſe in Mygdonia oſtendere conatur Ovid. *Met. l.* 2.

Mygdoniuſque Melas & Tænarius Eurotas.

Alium eſſe in minori Aſia, & Smyrnam circumeuntem. Solinus *c.* 43. ſcribit. Alium, navigabilem eſſe, qui Ciliciam à Pamphylia dividat, ſcribit Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Crionero Nigro.* Alium in Bœotia ponit idem Plin. *l.* 2. *c.* 103. qui è Parnaſſo profluens Minervæ ſacer dicitur à Poëtis, quia ripæ ejus olivis ſunt refertæ. Stat. *Theb.* 7. *v.* 273.

Palladiuſque Melas, Hecateia gurgite miſcet

Flumina. ———

Oves nigras facit, & Nili inſtar, per æſtatem, exundat. Fuit etiam Arcadiæ fluvius, Olenum urbem alluens. Virg. *l.* 4. *Georg.* Dionyſ. *v.* 415.

Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες ὑπὸ σκοπιὴν Ἐρυμάνθου,

Ἔνθα Μέλας, ὅτι Κρᾶθις, ἵνα ῥέει ὑγρὸς Ἰάων

Alius in Phthiotide *Herodot.* & Livio *l.* 36. *c.* 22. apud Heracleam Trachiniam fluens, & à Dyra fluv. 20. ſtadiis diſtans. Alius Thraciæ, in Sinum Melanem, ad Caridiam Urbem influens, qui non ſatis fuit ad bibendum exercitui Xerxis. *Herodot. Mater Nardo*, *Lariſſa Bellonio.* Alius Cappadociæ, apud Cæſaream, ex monte Argæo oriens, longôque tractu in Euphratem, per Armeniam minorem decurrens, non procul à Melitene, *Strab. Genſu i Caſtaldo.* Alius Lyciæ, ubi Latona incolas in ranas convertit, teſte *Probô.* Poſtremò alium eſſe in Sicilia, author eſt Ovid. *Faſt. l.* 4. cùm de fluminibus & locis Siciliæ, quæ peragraverat Ceres in quærenda Proſerpina, loquens ait

Sacratumque Melam paſcua læta boum.

Vide Cluver. *Sicil. Antiq. l.* 2. *c.* 5. *Nic. Lloydius.*

MELATAS, decem piratarum Dux, quorum ope mœnia Caſſandreæ Aminias cepit. Polyæn. *l.* 4. *in Antigono*, *comm.* 18. Ubi Interpres habet *Melotas.*

MELBODIUM, vulgò *Maubeuge*, locus Hannoniæ, in diœceſi Camaracenſi, ubi Adelgundis virgo monaſterium opulentiſſimum extruxit, ab Sabim fluv. poſt quam Adeltrudis, ejus ex Waldetrude Caſtrilocenſi ſorore neptis, Abbatiſſa præfuit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MELCABA, Ægypti urbs. *Lib. Notit.*

MELCARTUS, Hercules Tyriis dictus, quaſi *Rex fortis* מלך *melech* enim *Regem* ſonat. Unde & *Heſych.* Μάλικα τὸν Ἡρακλέα. עריץ *aritz* autem *validum* ſonat, unde Ἄρης Græcorum, & ἥρως.

MELCHA, uxor Nachor. Gen. *c.* 11. *v.* 29. Filia item Zalphaad, ſive Zelophead Num. *c.* 26. *v.* 33.

MELCHA, ſeu MELTHA, lacus monti & civitati Sephet vicinus. In tractu Nephthalim.

MELCHI, pater Levi. Luc. *c.* 3. *v.* 28.

MELCHIADES, ſive MELCIADES, Romanus Epiſcopus 29. A. C. 301. poſt *Euſebium*, Afer. Juſſu Conſtantini, Synodo Romæ coactâ, Donatum damnavit. Fideles diebus Dominicis & Jovis jejunare vetuit, ne Ethnicos imitari viderentur. Obiit A. C. 313. *Succeſſit Sylveſter.* I.

MELCHIAS, pater Phaſſur, Jer. *c.* 21. *v.* 1. Filius Amelecha Jer. *c.* 38. *v.* 6. Filius Athenai filii Zara 1. Paral. *c.* 6. *v.* 40.

MELCHIEL, fil. Beriæ filii Aſer. Gen. *c.* 46. *v.* 17.

MELCHIOR Adami, Sileſius, vitis Theologorum, Philoſophorum, Medicorum, & Jureconſultorum Germanorum editis, inclaruit.

MELCHIOR Barlæus, Antverpianus, varia edidit. Valer. Andreas *Biblioth. Belgic.*

MELCHIOR Canus, Hiſpanus, Dominicanus, Epiſcopus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Canariarum Inſular. eruditione & ſcriptis, inter ſuos, inſignis.

MELCHIOR Fendius, Medicinam Wittembergæ docuit A. C. 1544. Juſtus *in Chron. Med.*

MELCHIOR Guillandinus, Regiomontanus, Botanicus celebris itinere Aſiæ, Græciæ & Africæ, ubi diu captivus detentus eſt, hâc fini defunctus. Scripſit inter alia, *de Papyro*, quod opus Joſ. Scaliger & Hieron. Mercurialis *refutârunt.* Paſchal. Gallus, *in Bibl. Med.* Thuan. *Hiſt. l.* 96. Obiit Patavii, ubi Horti Medici curam gerebat, A. C. 1589. ſenex admodum, Vide *les Eloges* Anton. Teiſſier Part. 1.

MELCHIOR Hofmannus, Chiliaſta, Verbum negavit carnem, è ſinu B. Virginis deſumpſiſſe, ſalutem in viribus noſtris ſitam aſſeruit, &c. Seculô 16.

MELCHIOR Neipius, Flander, poſt Eraſmum; Adagiorum collector. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MELCHIOR Sebiſius, Argentinenſis, Medicus, ſcriptis inclytus: cum filio cognomine. Vander Linden *de Script. Med.*

MELCHIORIS Joh. Theologus Herbornenſis, vir eruditione & ſcriptis clarus.

MELCHIRAM, fil. Jechoniæ filii Joacim. 1 Paral. *c.* 3. *v.* 18.

MELCHISEDECH, Sacerdos, & Rex Salem. Latinè *Rex juſtitiæ.* Gen. *c.* 14. *v.* 18. Heb. *c.* 7. *v.* 1. Hunc fuiſſe Semum volunt *Hieron. Gerundenſis*, *Primaſius*, *Jonathan Hieroſolymitanus*, & alii. Contra eſt Procopius Gazæus *in Gen. c.* 14. & alii multi, quæ ſententia firmatur ex Ep. ad Ebr. *c.* 7. *Melchiſedeciani* Spiritum Sanctum, *Didymus* & *Origenes* Angelum, *Cunæus* non hominem, i. e. Meſſiam fuiſſe volunt: Quæ omnia à *Conſtant. L'Empereur* fusè refutata. Fuit enim unus ex regulis Chananæorum, qui piè inter illos, ac ſanctè vixit. *Suidas* oriundum vult à Side filio regis Libyæ; cujus parentes Epiphanius Heraclam patrem, Aſtaroth verò vel Aſteriam matrem appellat. Vide Riveti *Exercit. in Gen. c.* 14. &c.

MELCHISUA, vel MALCHISHUA, fil. Saul. 1 Sam. *c.* 14. *v.* 49.

MELCHITA, agnomen orthodoxis, poſt Chalcedonenſe Concilium, ab adverſariis adſperſum, ab Hebræo *Melech*, quod *Regem* notat. Ita enim velut *Regii* ſeu *Imperiales* dicti ſunt, qui Imperatoris Conſtantinopolitani, acerrimi hujus Concilii defenſoris, ſententiam ſequebantur, Niceph. Caliſtus *l.* 18. *c.* 52. quemadmodum *Chalcedonenſem*, ob eandem cauſam, ipſum Juſtinianum vocitabant. Vide hujus Apologiam *l.* 7. *Cod. de Summa Trin.* & infrà *Monophyſitæ.* Poſtmodum verò hæſit id nominis Græcis, qui, per totum Orientem longe lateque ſparſi, Spiritum S. à ſolo Patre procedere ſtatuunt. Vide Gabrielem Sionitam *de Nonnullis Orientalium Urbibus c.* 14. laudatum Carolo du Freſne *in Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*: inprimis verò Joann. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l.* 3. *c.* 17. §. 4. Certè fides non *Regum* imperio, ſed Divinæ auctoritati ſubjicienda, veréque illos etiamnum dixeris *Melchitas*, qui Regum auctoritate ad perſecutionem abutuntur, eorum juſſa concionantur, coguntque vel per milites immiſſos, animas Regum parere præſcriptis. Cœterum veterum *Melchitarum* hodieque per Orientem numeroſiſſima ſecta eſt, ejuſdem ferè cum Eccleſia Conſtantinopolitana fidei ac Patriarchæ Antiocheno, qui Damaſci reſidet, ſubjecta. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Eccl.* ſuprà ubi de *Jacobitis.*

MELCHIZEDECIANI, vide in voce *Melchiſedec*, & plura de iis apud eundem Forbeſium *ibid. l.* 2. *c.* 3. §. 1. & *l.* 4. *c.* 6. §. 3.

MELCHOM, vel *Milchom*, Idolum Ammonitarum. 2. Reg. *c.* 23. *v.* 13.

à MELCHTHAL Henricus, vide *Henricus.*

MELCOMANI, Dalmatiæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

MELDABA, Ægypti urbs. *Lib. Notit.*

MELDACENSIS Pagus, *le Comté de Mauge*, aliàs *les Mauges.* pars eſt veteris agri Pictavi, nunc Andibus attributus, trans Ligerim, in montibus ac finibus Pictonum, ſub Epiſcopo Pictavenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MELDÆ, Galliæ Lugdunenſis populi *Ptol.* quorum urbs *Jatinum*, ſeu *Meldæ*, elegans & culta, hodie *Meaulx*, oppid. ad Matronam fluv. inter Pariſios & Rhemos. 8. leucis à Sylvanecto in Ortum, ex præcipuis Briæ provinc. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Pariſienſi, prius ſub Senonenſi. Vid. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

LOCA DIOECESI MELDENSI CONTENTA, ULTRA, CITRAQUE MATRONAM.

Alnetum *l'Aunay Bruſlé.*	Jotrum *Jouärre*, ubi Monaſt.
Brolium, ubi Monaſterium S. Petri *S. Fiacre.*	Juliacum *Juilly*, ubi Abbatia.
Cameræ fons *Chambrefontaine*, ubi Abbatia.	Malleus *Villers les Mailles.*
Caſtrum Martini *Dammartin.*	Marolium *Mareüil.*
Cella *la Celle.*	Meduntum.
Columbarium *Coulomiers.*	Moncelli *Monceaux.*
Condetum *Condé.*	Nantogilum *Nanteüil.*
Criſciacum, ad Mucram *Crecy.*	Novum Monaſterium *Neufmouſter.*
Domunculæ *Maiſoncelles.*	Pons Mucræ.
Eboriacum *Faremouſtier*, Monaſterium clarum.	Quintiacum *Quincy.*
Foræ Monaſter. idem.	Radolium, ubi Prior. *Reüil.*
Firmitas Galterii *la Ferté Gaucher.*	Raſbacis *Rebais*, ubi veterr. Monaſter.
Firmitas ſub Jotro *la Ferté ſous Jouarre.*	Roſetum *Roſoy.*
Inſulæ *L'Ille.*	Santiacum *Sancy.*
Jojacum *Jouy ſur Moreri.*	Tria Bardoli *Trie le Bardou.*
	Tria portus *Trilleport.*
	Villa Regis ad Matronam *Ville Roy.*

Duos tandem habet Eccleſia Meldenſis Archidiaconos, majorem, & alterum trans Matronam, in pago Briegio, quem Archidiacon. *Brienſem* appellant. *Idem.*

MELDITA, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

MELDULA, oppidul. Romandiolæ, in confinio Hetruriæ, ad Bedeſim amnem, ſub utili dominio Principis Pamfilii. 10. milliar à Foro Livii in Auſtrum, *Meldola* vulgò. In ditione Pontificum.

MELEAGENES, Architectus Athenienſis qui fanum Minervæ extruxit.

MELEAGER, Macedoniæ Rex, poſt fratrem Ptolemæum Ceraunum, an. 474. Urb. Cond. victus à Gallis, & occiſus, ut & Antipater nepos Caſſandri ex fratre, qui illum excepit. Poſt quos Macedones Soſthenem Regem creârunt. Pauſan. *in Phoc.* Juſtin. *l.* 24. *c.* 5. *&c.*

MELEAGER, Oenei Calydoniæ Regis ex Althæa fil. quô recenter natô viſa eſt mater ejus ſibi tres Parcas igni aſſidentes videre, manuque ſtipitem tenentes, æqualem puero cum ſtipite vitam aſſignare. Recedentibus itaque Parcis, Althæa extinctum ſtipitem diligentiſſimè aſſervavit. Adultô deinde Meleagrô, contigit ut pater ejus ex ſuſceptis frugibus, omnibus diis ſacrificaret, omiſſâ Dianâ, quæ ob id

—— Oeneos ultorem ſpreta per agros
Miſit aprum, quanto majores herbida tauros
Non habet Epiros: ſed habent Sicula arva minores.

Uti loquitur Ovid. *Met. l.* 8. *Fab.* 4. Ad hunc igitur conficiendum Meleager, collectâ robuſtiſſimorum juvenum manu, aprum interfecit, caputque ejus Atalantæ, Iaſii Argivorum regis filiæ, quæ prius aprum vulneraverat, velut partem ſpolii, dedit. Quod ægrè ferentes Plexippus, & Toxeus Althææ fratres, Atalantæ caput auferre conabantur. Quamobrem Meleager irritatus eos obtruncavit, duxitque Atalantam in uxorem, quæ ei Parthenopæum peperit. Quod cùm audiſſet Althæa, in furorem verſa, fatalem illum ſtipitem in ignem conjecit: quô exuſtô Meleager etiam exuſtis intus inteſtinis omnibus conſumptus eſt. Quæ de fatali ſtipite in ignem conjecto referuntur, intelligenda ſunt, ait *Sabinus*, de execrationibus magicis, quibus Althæa Meleagro imprecata eſt mortem. Nam *Homer.* teſtatur, eam orâſſe Plutonem, & Proſerpinam, ut filio mortem inferrent. Vide Paſſeratium *in illud Propertii l.* 3. *Eleg.* 21.

Nec cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes,
Exitium nato matre monente ſuo.

Ab hoc dicta eſt *Meleagrea*, quæ & *Calydon.* Vide ibi. *Nic. Lloyd.*

MELEAGRIDES, ſorores Meleagri, quæ cùm fratrem immoderatè lugerent, in *Meleagrides* aves commutatæ ſunt. Hyginus *Fab.* 174. & Ovid. ubi ſuprà.

MELEAGRIDES, aliàs *Aves Barbaræ* vel *Barbaricæ*, quia, quô tempore harum avium magna erat raritas & penuria, illis ſummè fertilis fuit Rubri maris inſula quædam, ad Barbariam Troglodytarum pertinens. Strabo *l.* 16. Φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος ἀπὸ Ἡρώων πόλεως πλέουσι κατὰ τὴν Τρωγλοδυτικὴν πόλιν εἶναι Φιλοτέραν, &c. Εἶτα Μυὸς ὅρμον καὶ Ἀφροδίτης ὅρμον καλεῖσθαι λιμένα μέγαν, τὸν εἴσπλουν ἔχοντα σκολιόν. προκεῖσθαι δὲ νήσους τρεῖς, δύο μὲν ἐλαίαις κατασκίους, μίαν δ' ἧττον κατάσκιον, μελεαγρίδων μεστήν. *Dicit Artemidorus, ab Heroum Urbe navigantibus, juxta Troglodyticam urbem Philoteram eſſe —— Dein portum magnum ingreſſu flexuoſô, qui dicitur Muris ſtatio & Veneris ſtatio. Huic objacere tres inſulas, duas oleis obumbratas, tertiam minùs opacam, meleagridum avium plenam.* Et Diodor. *l.* 2. *p.* 120. Ὑπέρκεινται δὲ τούτου νῆσοι τρεῖς, ὧν δύο μὲν πλήρεις εἰσὶν ἐλαιῶν καὶ σύκων. μία δὲ λειπομένη τῷ πλήθει τῶν προειρημένων δένδρων, πλῆθος δ' ἔχουσα τῶν ὀνομαζομένων μελεαγρίδων. *Huic adjacent tres Inſulæ, quarum duæ oleis & ficubus ſcatent; una autem his arboribus minùs fœcunda, iis avibus referta eſt, quæ dicuntur Meleagrides.* Et utrôque antiquior Agatharchides *de Mari Rubro l.* 5. *c.* 42. Ἐν ᾗ καὶ νῆσοι τρεῖς εἰσι προσκείμεναι· ὧν αἱ μὲν ἐλαίαις πεπύκνωνται, μία δὲ ἧττον μὲν δασεῖα, τῶν δὲ καλουμένων μελεαγρίδων ἐκτρέφουσα πλῆθος. *Ubi tres Inſulæ adjacent, quarum duæ olivas crebras habent, una minus quidem ſylvoſa eſt, ſed avium, quas meleagrides vocant, copiam nutrit.* Ut appareat, hanc Inſulam illarum avium proventu fuiſſe celeberrimam. Quid verò propriè ſint *Meleagrides*, non adeò liquet. Cum Africanis ſeu Numidicis gallinis, avem eandem eſſe putant, Varro *Rei Ruſt. l.* 3. *c.* 9. & Plinius *l.* 10. *c.* 26. Columella tamen ita diſtinguit, *l.* 8. *c.* 2. *Africana gallina eſt, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi ſimilis, niſi quòd rutilam galeam & criſtam capite gerit, quæ utraque ſunt in Meleagride cœrulea.* Sed & natalibus differunt. Nam Africana nuſquam alibi: *Meleagris* verò Græca eſt avis, Heroicô ævô jam nota. Et in Græcorum fabulis duplex ejus origo traditur. Alii enim Meleagri ſorores; alii Jocallidis virginis, in Lero Inſul. cultæ, familiares in has aves mutatas fuiſſe, ſcribunt: nonnullis Lerias *meleagrides* cum Ætolicis perperam confundentibus. Leriæ enim alebantur, in gratiam Jocallidis, in Lero Inſul. & Ætolicæ, circa Calydonem & Pleuronem, in Meleagri gratiam. Hinc Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 103.

Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Et Menodorus Samius, Athenæi *l.* 14. pavones tradit primò in Samo eſſe editos, atque inde aliò translatos, ὡς καὶ οἱ ἀλεκτρυόνες ἐν τῇ Περσίδι καὶ αἱ καλούμεναι Μελεαγρίδες ἐν τῇ Αἰτωλίᾳ, *ut in Perſide galli, & in Ætolia, quæ vocantur Meleagrides.* Ex Clyto Athenæus idem longam habet *meleagridum* deſcriptionem, ita tamen ambiguam, ut neſcias, an gallinam Africanam, ſeu Numidicam (hodie *gallinam Barbariæ*) aut Gello pavonem (Gallis *gallum Indicum*) deſcribat, aut avis tertium genus, ab utroque diſſimile. Quippe neutri convenit, quòd alendæ meleagridi deſtinatur, ὁ τόπος ἑλώδης, *locus paluſtris.* Neque quòd legitur, eſſe ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον, καὶ ὀλιγωρεῖν τῶν νεοττῶν ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν, *Avis ſine ullo in prolem affectu, quæ-*

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

que pullos ſuos ita negligat, ut Sacerdotes neceſſe ſit eorum curam gerere. Cœterùm quod ſaporem attinet, gallinam Africanam, in veterib. cupédiis maximè evehunt, Horatius *Epod.* 2. *Petronius*, Juvenal. *Sat.* 11. Stat. *Sylv. l.* 1. *in Domitiani Saturnal.* Martial. *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 15. *Epigr.* 77. *v.* 4. Alii De iis tamen Varro, *loc. cit.* *Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt è culina, propter faſtidium hominum.* Et Plinius, *l.* 10. *Noviſſimè ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ, propter ingratum virus.* Itaque ſola raritas videtur auxiſſe pretium: quòd idem *Varro* docet, *Veneunt propter penuriam magno. Petronius* item,

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles, &c.

Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter*, *l.* 1. *c.* 19. vide quoque Salmaſ. *ad Solin.* & *hic paſſim.*

MELEAGRUS, Rex Macedoniæ 31. an Urb. Cond. 474. Vide *Meleager.*

MELECH, fil. Micha filii Meribbaal. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 33.

MELEGENE, inſul. in mari Adriatico, Dalmatiæ adjacens. *Ptol.*

MELELES Johannes, vide *Johannes.*

MELENDA, urbs Indiæ, intra Gangem. *Ptol. Meleynda* Interpretes.

MELERUS lacus Sueciæ amplus, inter Uplandiam ad Boream & Sudermanniam ad Auſtrum, ab Ortu in Occaſum extenſus, per 60. mill. paſſ. Ei adjacent urbes Holmia, Telga, Stregna, Arboga & Tortilia. In mare Balticum ſe exonerat. *Melerzee* indigenis, *Lac Meler.* Gallis.

MELES, Rex Lydorum circa Olympiad. 13. Dynaſtiæ II. quæ Heraclidarum fuit XXI. ſeu penultimus, ſucceſſit Alyatti, quô tempore ad Soum Ægypti Regem legatos miſit Hoſea Iſraëlis Rex ult. An ὁ πρότερος βασιλεὺς Σαρδίων, cui leo ex pellice (partu prodigioſo) cùm genitus eſſet, ex Telmiſſenſis oraculi reſponſo didicit, *Sardes inexpugnabiles fore, quacunque murorum parte Leo iſte circumduceretur.* Itaque per cœteram murorum partem, quacunque arx oppugnari poterat, Leonem circumtulit: per eam autem partem quæ ad Tmolum vergit, tanquam præciſam & inexpugnabilem, Leonem ducere prætermiſit: ſic ab hac parte urbs demum à Cyro capta eſt. Regnavit ann. 12. tyrannide expulſus à Moxo Lydo. Herodot. *l.* 1. *c.* 84. Vide *Excerpta* Nic. Damaſceni, apud Valeſium *p.* 442. ſucceſſit Candaules Heraclidarum ultimus, quem vide.

MELES, Piſiæ fil. tibicen ineptus ac nihili, traductus à Pherecrate ἐν Ἀργοῖς. Vide Scholia. *in Aves. Ariſtoph.*

MELES, vide *Tuſci*, it. Melis.

MELES, *etis*, fluv. prope Smyrnam, apud quem Homerus natus fuit, unde *Meleſigenes* dictus eſt. Item Samnitum urbs à Marcello capta. Liv. *l.* 27. *c.* 1. Meminit ejus Papinius Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 60.

Smyrna tibi gentile ſolum, potuſque verendo
Fonte Meles ——

Homeri pater habitus eſt, Arnob. *l.* 4. *adv. Gent.* *Quis Martem prodidit menſibus in Arcadia tribus & decem vinctum? Non Melæ fluminis filius?* Hinc Amaſtriani nummos cuderunt, alterâ facie hunc fluvium jacentem & lyram tenentem, alterâ bene barbatum & coronatum Homeri caput, adſcriptô utrique nomine, referentes: qualem exhibent Laur. Pignorius *Epiſtol. Quæſt. c.* 48. & Laur. Ramireſius *c.* 25. *Pentacontarchi*; in cujus picturâ malè omiſſa eſt corona, illud autem animadverſione dignum, quòd vultu *Melem* referat Homerus, ita expreſſus, ut Patrem haud difficulter agnoſceres. Inde *Meletææ chartæ*, apud Tibull. *l.* 4. *Eleg.* 1. *ad Meſſellam*, vide *ibi* Bernardinum Cyllenium & Joann. Paſſeratium: nec non *ad cit. loc. Statii* Barthium *Animadverſion. Part. I. p.* 312. Hodie exiguus rivulus eſt, niſi cùm pluviis increſcit; vixque duobus *molendinis* verſandis & proximis hortis irrigandis ſufficiens. Quod aliis fermè omnibus quoque Perſiæ fluviis, Auſtrum verſùs fluentibus, contigiſſe, docent *Itinerariorum* Auctores, Petrus de Valle, Joh. Baptiſta Tavernier & Jac. Sponius *Itiner. Græc. Part. I. p.* 308.

MELESE, *Barrio* MELISSA, oppid. magnæ Græciæ, in ora Calabriæ ulterioris à littore 7. mill. paſſ. inter Macellam 3. & Crimiſſam 13. *Temeſe* etiam Ovidio. *l.* 15. *Met. Fab.* 1.

MELETI Sinus, à Melete fluv. etiam Smyrnæus dicitur. *Steph. Elaites* Agathiæ, *in procem. hiſt.* Sinus eſt maris Ægæi juxta Æolidem regionem.

MELETIUS, Præſul in Ægypto, Arianæ hæreſeos ſectator, qui ſub Diocletiano in exilium pulſus eſt: *Meletianorum* anteſignanus. *Hiſt. Tripart.* Alius Epiſcopus Antiochenus, ab Arianis pulſus, A. C. 358. ſub Conſtantio Imperat. Euzoio Ariano locum fecit. Mox cùm reſtituendus eſſet, antequam rediiſſet, Lucifer Paulinum Epiſcopum creavit: unde Schiſma, & ſeceſſus Luciferi. Item nomen Patriarchæ Alexandrini & Conſtantinopolit. ſeculô præteritô.

MELFICTUM ſeu MORFETA, vulgò MOLFETTA, urbs agri Bariani, in regno Neapolitano, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Barenſi, inde 15. mill. paſſ. in Occidentem Tranium verſùs, 9. proxima Juvenacio, 3. à Rubo 5. in ora ſinus Veneti, parva ſed elegans.

MELGAR, nomen illuſtris in Hiſpania familiæ, quæ Henriciæ (*Henriquez*) ramus eſt. Namque Fridericus, major natu fil. Alfonſi (qui primus ex ſua familia Caſtellæ Admiralis ſeu Thalaſſiarchus fuit) non ſolùm Patri in dignitate hac ſucceſſit, ſed & Comitis *de Melgar* ac *Rueden* titulum primus nactus eſt. Pater Alfonſi, Ducum Medinæ *de Rio ſecco*, & Caſtellæ Thalaſſiarchorum, conditoris, ac Petri, qui ab uxoribus Beatrice ac Catharina (quæ germanæ & filiæ Peratani *de Ribera* erant) ſucceſſionem ac nomen *de Ribera* ſuæ domui, cum officio ſupremi Judicis Andaluſiæ, intulit. Vide ſuprà, ubi de *Henricis.*

MELGORIENSES nummi dicti ſunt, quos *Melgorienſes* primò in Occitania (Galliæ prov.) Comites, poſtea Epiſcopi Magalonenſes ſeu Montiſpeſſulani, poſtquam idem Comitatus in ipſorum jus conceſſit, A. C. 1197. cudere conſuevêre: juris hujus parte poſtmodum venditâ Montiſpeſſulani Conſulibus ac Dominis, ut habet Catellus *Rerum Occitanic. l.* 3. Horum 46. ſolidos confeciſſe marcam argenti, patet ex *Charta* A. C. 1145. apud Car. du Freſne; & Plantavitius *in Epiſcopis Lodov. p.* 96. teſtatur, A. C. 1188. 60. millia ſolidorum Melgorienſium valuiſſe, 24. mill. librarum Turonenſium: *Valebat enim*, inquit idem, *aſſes octo Gallicos hodiernos ſolidus unus Melgorienſis*; & *p.* 119. ait 50. ſolidos hujuſmodi confeciſſe A. C. 1213. marcam argenti *fini, &c.* Sed & etiamnum in Eccleſia Narbonenſi, *ſolidis Melgorienſibus* rationes ineuntur. Inclaruêre autem *Melgorienſis* inprimis monetæ officinæ, quoniam, cùm in compluribus Occitaniæ locis fodinæ auri argentiquè extiterint, in hoc præſertim tractu opulentæ quædam fuêre. Id porrò in haſce monetas juris erat Montiſpeſſulani dominis, ut pro quacunque, quæ cuderetur libra, tres eis percipere denarios liceret; quós tres denarios, in hæredii ſortem, Guilielmus cognomine *de Tortoſa*, fil. ſecundogenitus Guilielmi, Domini Montiſpeſſulani, & Sibyllæ, à patre primitùs obtinuit, ac Guilielmo Montiſpeſſulan. Domino, fratri ſuo, donavit A. C. 1157. &c. Quam in rem vide plura apud Car. du Freſne *in Gloſſar. ubi de Monetis Baronum.*

MELGORIUM, vulgò MELGUEUL, oppid. olim aut caſtrum Galliæ celebre, Montipeſſulano proximum, caput Comitatus cognominis: in Volcis Arecomicis & provinc. Narbonenſi. Ibi ſolidi & denarii *Melgorienſes* percuti conſueverunt: librarum *Melgorienſium* in priſcis tabulis mentio fit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Unde *Melgorienſes* nummi, de quibus dictum.

MELIA, urbs Cariæ. *Steph.*

MELIACUS Sinus, vide *Maliacus.*

MELIÆ & MELIADES, apud *Heſych.*, Nympharum genus, Μηλιάδες, νύμφαι. *Epimelides*, Græcè Ἐπιμηλίδες Scholiaſtæ priſco Homeri, *ad Iliad.* υ. ubi de Concilio Deorum Poëta, ipſô initiô,

Οὔτε τις οὖν ποταμῶν ἀπέην, νόσφ' Ὠκεανοῖο.
Οὔτ' ἄρα Νυμφάων, ταί τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Καὶ πηγὰς ποταμῶν, καὶ πίσεα ποιήεντα.

Ibi enim genera varia Nympharum recenſens, vulgò cum cœteris minùs nota. Αἱ τὰ ἄλση, inquit, κατοικοῦσαι Νύμφαι, ἀλσηΐτιδες καλοῦνται, αἱ δὲ ἐπὶ τῶν δένδρων, Ἀμαδρυάδες. αἱ δὲ τὰ νάματα τῶν ὑδάτων Ναΐδες, καὶ Ὑδριάδες. καὶ τούτων αἱ μὲν Κρηνίδες, αἱ δὲ Ἐπιποταμίδες. αἱ δὲ ἐπὶ τῶν βοσκημάτων, Ἐπιμηλίδες, αἱ δὲ ἐπὶ τῶν ὀρῶν Ὀρειάδες, καὶ ὅσαι ταύταις ὅμοιαι, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἑλῶν, Ἑλειονόμοι. Sicque *Alſeides* ſylvis, *Hamadryades*, arboribus: aquis *Najades* & *Hydriades*, & quidem harum aliis *Crenides*, aliis *Epipotamides*: gregibus *Epimelides*, montibus *Oreades* &c. præficit. Quæ Dæmonia colebantur communi aliorum cultu, aris, antris, ſpeluncis, fanis etiam & templis, quæ *Nympheones* perhibebantur. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Part.* 3. *p.* 253.

MELIAPORA, urbs Archiepiſcopalis, aliter *Civitas S. Thomæ.* Quia Thomas Apoſt, ibi martyriô coronatus, in loco *Calurmina* à Malabaris dicto, i. e. in rupe, prope hanc urbem, ut *Athanaſius Kircherius*, explicat. In peninſula Indiæ, cis Gangem. Melius *Maliapur.* Vide *Melange.*

MELIBOCUS, mons Germaniæ *Hardtswaldt*, *Pirchaymero. Brockersberg Peucero. Baudrando* mons Cheruſcorum, nunc in parte Auſtrali Ducatus Brunſuicenſis, & in tractu Grubenhagenſi, inter Halberſtadium ad Ortum & Goſlariam ad Occaſum. Cujus altiſſimus vertex, inter oppid. *Oſterwick*, & *Werningeroden*, accolis *Blockes barch*, ex Cluv. *Geogr.*

MELIBOEA, litoralis urbs Magneſiæ, vel ſecundùm alios, Theſſaliæ, ad radices Oſſæ, cis Peneum fluv. apud Bœbeidem lacum, Herodot. *l.* 6. Patria Philoctetæ Pœantis filii. Purpurâ nobilis. Feſtus, *Meliboea purpura, à nomine inſulæ, in quâ tingitur, eſt dicta.* Vid. Lucret. *l.* 2. *v.* 499. Virg. *Æn. l.* 5, *v.* 252. *Sidon. Apollinarem, &c.* Item Voſſ. *ad Melam p.* 141.

MELIBOEUS, Italiæ mons. Iſac. *in Lycophr.* Item nomen paſtoris, Virgilio, *Eclog.* 1. Theocrito *paſſim.*

MELICERTA, Inûs, & Athamantis fil., in cujus honorem Iſthmii ludi celebrati, Euſeb. in an. 3. Olymp. 49. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 437.

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Vide *Ino.*

MELICRATUM, Græcè Μελίκρατον, h. e. *mel lacte mixtum.* in evocationibus Manium olim adhibitum. Circe apud Homerum *Odyſſ.* κ. *v.* 517. juſſit Ulyſſem.

Βόθρον ὀρύξ' ὅσσοντε πυγούσιον, ἔνθα καὶ ἔνθα,
Ἀμφ' αὐτῷ τε χοὴν χεῖσθαι πᾶσι νεκύεσσι,
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ.
Foveam fodere, cubiti undiquaque longitudine,
Inque illam libamen invergere omnibus Inferis,
Primùm melicrato, *poſtea dulci vino.*

Sil. Italicus interpretatur, *l.* 8.

Fundunt mella ſuper, Bacchique & lactis honorem.

Unde videmus, *mel, lac & vinum*, ad nefanda hæc ſacra, popoſciſſe Circen. Adjicit deinde *aquam* & *farinam albam, verſu ſeq.*

Τὸ τρίτον δ' αὖ ὕδατι, ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ παλύνειν.
Tertio verò aquam infundere, eamque farinâ albâ inſpergere.

Quæ omnia Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 451. itidem memorat, ubi Sacra talia deſcribit,

Principio largos novies tellure cavatâ
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres, ſuadumque cruorem.

Ma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Manibus: aggeritur, quantum bibit arida tellus.

Ubi Lutatius, *Novem*, inquit, *ſcrobibus factis; in quibus nobiles latices fudit auctos aquâ, & quæ ſacris neceſſaria, collocavit.* Idem *Actæos imbres*, mel & oleum Atticum ſimul interpretatur. Sanè Chois Inferorum adhibitum etiam oleum docemur à Marone, quamvis infuſum dicat is extis jam ardentibus, *Æn. l.* 6. *v.* 252.

Tum Stygio Regi nocturnas incohat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Quòd verò idem Lutatius de *mulſo* addit, non rectè loqui videtur. Hoc enim cùm mel ſit & vinum, μελικρήτῳ Homeri non rectè reſpondet. Id namque *Lac* & *Mel* deſignare, facilè adjectio vini & quidem dulcis, convincit. Et ſic Didymus *in Scholiis*, Μελικρήτῳ τῷ μετὰ γάλακτος μέλιτι. Alioqui non neſcimus, *Mulſum* rectè dici & ſic interpretatur *Cyrilius* Gloſſographus, &c. Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Stat. d. l.*

MELIE, nympha à Neptuno rapta, ex qua Amycum Bebrycum Regem genuit.

MELIEI, vel MELIENSES, Theſſaliæ populi *Steph.* in Melide regione ad montis Othrys radices, *Ferrar.*

MELIGENE, quæ *Melituſa* Polybio *in Fragm. l.* 13. dicitur. Nos *Meliten* dicimus, de quâ poſteà.

MELIGNANUM, oppidul. Ducatus Mediolanenſis, ad Lambrum amnem, medium inter Mediolanum & Laudem Pompejam. *Marignano* incolis, *Marignan* Gallis. Quibuſdam *Merignanum.* Hic Helvetii cum Franciſco I. Galliæ Rege duobus continuis diebus pugnantes, tormentorum tandem vi & hoſtium multitudine ſuperati: denſatis ordinibus, depoſitis in medio ſauciis militibus ac tormentis, quæ ſecum adduxerant, ſignis item militaribus octo, quæ hoſti eripuerant, lentô gradu Mediolanum ſic rediêre, ut receptus eorum nihil fugæ ſimile haberet, neque victores eos perſequi & veſtigiis illorum inſiſtere auderent. Ceciderunt utrinque Helvetiorum 5000. hoſtium 12000. inter quos 8. Principes, & plurimi è ſumma nobilitate. Fortitudinis encomium in hoc prælio ab Italis Rœſtio inprimis & Engelharto Tigurinis tribuitur. Vide Simler. *de Rep. Helv.* &c.

MELIGUNIS, una ex Æoliis, quæ & *Lipara.* Callimachus *Hymno in Dianam*,

Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ (Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ᾽ ἔσκεν
Οὔνομα οἱ Μελιγουνίς.)

De ratione nominis conſule Bochart. *De Phœnic. Colon. l.* 1. *c.* 27.

MELILLA, vulgò quoque *Melilla*, urbs Gabetæ, in Fezzæ regno, ſub Hiſpanis ab A. C. 1497. Aliàs *Ryſſadirum*: ad mare Mediterraneum.

MELILOTIUM, urbs Floridæ, caput regni Apalatæi, ſatis ampla & culta, in provinc. Bemarina, ad radices montis *Olaimy. Briſtochius* Anglus. Vulgò *Melilot.*

MELILOTUS, in Attica laudatiſſimus, ubique naſcitur in aſperis & ſylveſtribus & plurimi olim ad coronas uſus apud Veteres fuit, quibus expetebatur non flore tantùm, ſed etiam foliis breviſſimis & pinguiſſimis. Unde & *Sertulæ Campanæ* nomen apud Latinos occupavit; eſt autem *ſertula* ςεφάνωμα. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 978. E *meliloto* enim coronæ olim frequentes, utpote odoris ſuaviſſimi & magnis æſtibus valde refrigerantes; uti videre eſt apud Athenæum *l.* 15. qui ideò *melilotum* nominat τὸν αἰεὶ φρουρὸν μελίλωτον, *ſemper muniens*, *nempe caput.* Fragrantiam ejus Theophraſtus commendat *de Cauſis Plant. l.* 6. *c.* 23. Ὁ δὲ μελίλωτος καὶ εἰς πλείω χρόνον εὔοσμος διαμένει, *At melilotus & ad multum tempus odoratus durat*, *&c.* Vide Car. Paſchalium *Coronarum l.* 3. *c.* 15.

MELINA, urbs in Argo, unde Venus *Melinea Steph.*

MELINDA, Gall. *Melinde*, urbs ampla Zanguebariæ, regni cognominis caput, in ora littorali Oceani Æthiopici, cum portu commodo, aliàs à Luſitanis expugnata. Media inter Magadoxum ad Boream & Quiloam ad Auſtrum, 400. mill. paſſ. utrinque; Arx adhuc ſub Luſitanis.

MELINOPHAGI, populi Thraciæ *Steph.* ſic dicti, quòd panico vitam tranſigant, *Ferrar.*

MELINUS, Color, Græcè μήλινος, quem ſæpe commemorari in veſtibus perſonarum Comicarum, notat Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 13. non à *melino* pigmento, quod in Mela Inſul. effodiebatur, ſed à colore malorum, quæ Græcis μῆλα, dictus; luteus eſt ſeu ex albo rufoque mixtus, non parvi fulgoris. At *melinum* pigmentum album ſeu candidum fuit, uti docet Plin. *l.* 35. *c.* 7. de antiquis Pictoribus, *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, ex albis* Melino, *ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento.* Et *cap. præcedent. Melinum candidum & ipſum, eſt optimum in Melo inſula, &c.* Non itaque *à terra Melina* ſeu *pigmento Melino*, vel candido vel cinereo, color hic nomen accepit; ſed à colore malorum maturorum, quæ à Sole rubeſcunt & colorem rutilum ſeu pallidum induunt. Inde μήλινος ἀχάτης, qui μήλων χροιὰν habet, *Orpheo*, & τὸ μηλίζον χρῶμα *Dioſcoridi.* Græci μηλοειδὲς χρῶμα vocant, & μήλοψ. *Heſych.* μήλοπα καρπὸν, τὸν πυρὸν, ὅτι μηλοειδής, ubi frumentum ita vocari innuit, à colore *melino*: quem proin Græci etiam appellant σιτόχρουν, qui *helvus* eſt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 256. *& ſeqq.* Hinc *Coccomelinus*, *Melinoporphyrus*, *Rhodomelinus*, in veterib. *Chartis.* Item *Melinovultis*, in *Epiſtola* Michaëlis Balbi Imperatoris ad Ludovicum Pium Imperatorem apud Baronium *A.C.* 824. *num.* 30. pannus lutei coloris, forte pro *Melinovenetus*, uti conjicit Car. du Freſne *in Gloſſ.* ubi hanc in rem adfert Fortunati iſta, de Floribus ſuper altare *l.* 8. *Poëm.* 9.

Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat lacteus inde nivet.
Stat praſino-venetus, pugnant & flore colores,
Inque loco pacis herbida bella putes.

MELINUS *de S. Gelaſio*, Abbas, Poëta celebris, Franciſco I. & Henrico II. gratus. Sanct. Marth. *elog. l.* 1.

MELIODUNUM, German. urbs, *Ptol.* Bohemiæ urbem ex eâ facit *Lazius*, quæ *Mileuſcko* nunc vocatur. 1. leuc. à Taborio. Item, in finibus Biturigum, vulgò *Mehun*, quod aliis *Magdunum. Ferrar.*

MELIOR, Latinis nomen proprium, uti Græcis Ἀμείνων. Hinc *Aminon*, Archon Athenis, annô ultimô Olympiadis 87. quô Pericles mortuus eſt, *Athenæus*, Περικλῆς δὲ ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἐπ᾽ Ἀμείνονος ἄρχοντος, *Pericles autem obiit, annô tertiô Peloponneſiaci belli*, Meliore *Archonte.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 157. In plurali *Meliores*, pro Proceribus ſive primariis Civitatis, eâdem ratione, quâ *Seniores*, occurrunt paſſim. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 56. *Et commotus his Avitus patienda* Meliorum *imperia.* Otto Friſing. l. 1. *c.* 20. *Gladio experto in* meliorem *& nobiliorem omnium Ravennatenſium manum miſit.* Radevicus *l.* 2. *c.* 30. *Dominus Imperator magna eſt in gloria, quoſdam de* melioribus *ex Mediolano & Brixia in vinculis retinet, &c.* Vide Joh. Calvin. *Lexico Jurid.*

MELIPIA, Mæſiæ oppid. *Antonin.*

MELIS ſeu MELES, animal memoratum Plinio *l.* 8. *c.* 38. *Alia ſolertia in metu* melibus: *ſufflatæ cutis diſtentis ictus hominum & morſus canum arcent.* Nomen ei ex Græco μέλι, *mellis* enim avidiſſimum eſt, unde frequentes ab eo favis inſidiæ. *Iſidor.* Vide quoque ſuprà *Tuſci*, ac infrà *Taxo.* Addo hîc ſaltem, faſciam diagonalem dextram auream *Mele* cœleſtinô colore inſigni comitatam, in campo rubeo, teſſeram eſſe Dn. *de Fay* Marchion. *de Perault*, apud C. Segorug. *Mercure Armorial. p.* 128.

MELIPIA, Mœſiæ opidum. *Antonin.*

MELISANDER, Mileſius *Lapitharum & Centaurorum* pugnam ſcripſit. Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 11. *c.* 2. apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. XV.* ubi de Poëtis Græcis Heſiodô vetuſtioribus.

MELISE, opidum Magnæ Græciæ. Ovid. *Met. l.* 15. *Fab.* 1.

Thurinoſque ſinus Meliſenque & Japygis arva.

MELISSA, Meliſſi Cretenſium Regis filia, quæ unà cum ſorore Amalthea, Jovem caprinô aluit lacte. Hanc primùm mellificium ferunt inveniſſe, unde *Meliſſam* finxêre in apem fuiſſe converſam, Columella *l.* 9. *c.* 2.

MELISSA, Periandri Corinthiorum tyranni uxor: quam ille, concubinarum delationibus temerè credens, cùm gravida eſſet, pedibus conculcans interemit. Laertius *in vitâ Periandri.* Item filia Epidamni. Steph. in *Dyrrhachio.*

MELISSA, urbs Libyæ, unde regio *Meliſſea.* Vide *Steph.*

MELISSEVUS, de rebus Delphicis ſcripſit, teſte Joanne Tzetze *Chil.* 6. *Hiſt.* 9.

MELISSOPETRIUM, oppid. Armeniæ. *Curopalat.*

MELISSUS, Cretenſium Rex, pater Amaltheæ & Meliſſæ, vide *Amalthea.* Item Grammaticus muneri datus Mæcenati, & manumiſſus ab eo. Vide infra. Tranquillus. *de Illuſtrib. Grammat. c.* 21.

MELISSUS, maritus Inachiæ, matris Phoronei, ſecundus Argivorum Rex primus Leges condidit. Euſeb. *l.* 5. *Præp. Euang. & in Chron.* Marcus *Meliſſus*, Spoletanus, celebris ſub Auguſto Grammaticus, & Hetius *Meliſſus*, ſub Adriano. A. Gell. *Noct. Attic. l.* 18. *c.* 6. C. *Meliſſus*, libertus Mæcenatis, Comicus, ab Auguſto Bibliothecæ ſuæ præpoſitus. Auctor togarum trabeatarum. Sueton. *de Illuſtr. Grammat. c.* 21. Hujus meminit Ovidius, *eleg. ult. de Ponto:*

Et tua cum ſocco Muſa, Meliſſe, levis.

MELISSUS, inter Hiſtoricos fortaſſe nomen meretur, de quo Palæphatus *initiô l. de Incredibilibus*; vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 385. *l.* 3. *& l.* 4. *p.* 518. Alius quoque *Meliſſus* ille, ex quo Plin. profeciſſe ſe fatetur dum conſcriberet libros 7. 9. 10. Item *Meliſſus* Samius, fil. Itagenis, Parmenidis auditor, Philoſophus, civibus ſuis, ut Epheſiis, quibus ab Heraclito impensè commendatus erat, charus; His præcepta plura dedit, Remp. adminiſtravit, claſſique in bello præfuit. Univerſum credidit infinitum, immutabile, immobile, unicum, ſibi ſimile, plenum, De divinitate nihil certi poſſe dici aſſeruit. Olymp. 84. Euſeb. *in Chron.* Diog. Laërt. *l.* 9. *vit. Philoſ. Apollodorus.*

MELISSUS Schedius Paulus, Francus, Comes Palatinus & Eques, Poëta laureatus, Civis Roman. obiit A. C. 1539. Poëmata ejus extant, quorum ſeriem habes *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 2. Bezæ, Sammarth. Joſ. Scaligero, ipſi Eliſabethæ Anglorum Reginæ, magni habitus, & *Pindari Romani* elogium meritus. Heidelbergæ, ubi Electoralis Bibliothecæ curam habebat, obiit A. C. præfatô. ætat. climactericô. Vide Melch. Adami *Vit. Philoſoph.* Bezam *Poëmat.* Scævolam Sammarthan. *Epigramm. l.* 2. Joſ. Scaligerum *Carm.* &c.

MELITA, Inſul. maris Libyci, inter Siciliam & Africam, à Pachyno promontor. 70. mill. paſſ. à Camarina 84. Ipſa longa 20. lata 11. circuitu 60. Sedes equitum Hieroſolymitanorum, ipſis à Carolo Quinto Aug. poſt amiſſam Rhodum donô data, *Malta* vulgò, Gallis *Malte*, cum urbe cognomine Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Panormitano. De eâ Ovid. *l.* 3. *Faſt.*

Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyræ.

Huc appulit D. Paulus poſt naufragium. Act. *c.* 28. *v.* 1. Quiſquis Hebraicè ſcit, facilè nomen ejus eruat ex Diodor. Sic. qui *l.* 5. ſic habet. *Siciliæ verſus Meridiem tres inſulæ, mediæ in pelago objectæ ſunt, quarum unaquæque urbem habet*, καὶ λιμένας δυναμένους τοῖς χειμαζομένοις σκάφεσι παρέχεσθαι τὴν ἀσφάλειαν, καὶ πρώτη μὲν ἐστιν ἡ προσαγορευομένη Μελίτη. Et paulo pòſt, *Eſt autem hæc Phœni-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nicum Coloniæ, qui cùm negotiationes ſuas ad Oceanum uſque extenderent, ΚΑΤΑΦΥΓΗΝ εἶχον ταύτην εὐλίμενον οὖσαν καὶ κειμένην πελαγίαν, h. e. *In REFUGIUM habebant hanc inſulam eo quòd & portubus commoda, & in medio mari ſit ſita.* Id ipſum enim ſignificat *Melitæ* nomen. Pœnorum ſiquidem ſermone מליטה *Melita* eſt *refugium* vel *effugium.* Radix מלט *malat* in Piel eſt *liberare* & *eripere*, & in Niphal *liberari*, *eripi*, *evadere*, *fugere* denique & *effugere.* Vide Bochart. *Geogr. l.* 1. *c.* 26. *p.* 550. &c. *Nic. Lloyd.* Hæc Inſul. *Baudrando* priùs fuit ſub Barbaris, dein ſub regno Tunetano. Ferè 500. leuc. à freto Herculis in Ortum, 600. à Syria in Occaſum. Longa eſt 25. milliar. lata 15. 60. milliar. diſtat à Pachyno promontorio in Boream. Aliàs erant in ea urbs Melita, nunc *Medina*, ubi Sedes Epiſcopalis & Junonis Fanum, *Caſtello di S. Angelo.* Nunc etiam Valeta, urbs munitiſſima, Burgus, & urbs S. Michaëlis ſeu *l'Iſle de la Sangle*, à M. illo Magiſtro dicta, qui eam Inſul. fecit foſsâ manuductâ.

MELITA, inſul. maris Hadriatici, Dalmatiæ adjacens, inter oram illius, & Corcyram Melænam 12. mill. paſſ. quot patet in latitudinem, longa 50. Canibus Melitæis, qui olim in deliciis, nobilis, ab Epidauro 70. mill. paſſ. Nunc *Meleda*, Slavis *Mliet*, cum oppidulo cognomine. Sub Rep. Raguſina. De Melitæis catulis autem Athen. *l.* 12. qui eos ſcribit maximè apud Sybaritas in deliciis fuiſſe. Unde *Melitæus catellus*, Proverb. de eo, cujus opera nulli rei ſeriæ conducit.

MELITA, quæ *Melitene Ptol. Malatia Nigro*, urbs Armeniæ minoris apud Euphratem fluv. Melitenes regionis caput, à Samoſatis 90. mill. paſſ. in Boream. A Cæſareâ 228. in Ortum. Item oppid. Brutiorum in Calabriâ ulteriori vulgò *Mileto*: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhegino, apud Hipponium, inde 5. mill. paſſ. Vide infra.

MELITA quoque penultimâ productâ, Cicer. *Verrin.* 6. quæ poſtea Miletus, *Mileto*, urbs Calabriæ ulterioris 5. mill. paſſ. ab Hipponio. Terram Novam verſus 25.

MELITÆENSES, Phthiotidis populi *Straboni*, quos aliquando Pyrrhæ nomen geſſiſſe ſcribit. Eorum urbs *Melitara*, *Ptol. Melitea Strabon.*

MELITÆI Catelli, quos opulentæ mulieres in deliciis habent, *Straboni* dicti ſunt à nobiliore illa *Melita*, quæ Siciliæ ſubjacet. At *Callimachus*, Plin. *l.* 3. *c. ult. Steph. Etymologus*, ad alteram *Melitem* referunt, quæ ad Illyricum pertinet. Neque lis deciſu facilis, cùm hodie catelli ſimiles in neutra reperiantur. Apud Arabes canis hujus nomen eſt multiplex, ſed vulgatiſſimum *Kalati*; an à Græco καλαθίνη, quod in Adæi *Epigramm. l.* 1. *c.* 33. *Melitææ* catellæ aptum eſt nomen, quia in calatho, ſeu quaſillo, circumfertur: an potiùs ab Hebræo קלט *Kalat*, quod ſignificat, *membra habere contracta?* Græci plerunque eos κυνίδια vocant & κυνάρια, ut Athen. *l.* 12. Ubi Timon Sybarita habere dicit κυνάρια Μελιταῖα, ἅπερ αὐτοῖς καὶ ἕπεσθαι εἰς τὰ γυμνάσια, *catellos Melitæos, qui ſequuntur ad balneum euntes.* Et Epictetus, in Ariano *l.* 2. *c.* 22. Κυνάρια οὐδέποτ' εἶδες σαίνοντα καὶ προσπαίζοντα ἀλλήλοις, *Nonne aliquando vidiſti catellos abblandientes invicem & inter ſe colludentes.* Quam ob cauſam Matth. *c.* 15. *v.* 27. & Marci *c.* 7. *v.* 28. κυνάρια illa, quæ micas è menſa cadentes colligunt, Vir doctiſſimus *Melitæos* catellos eſſe vult: quod *Bocharto* non probatur, vocem κυναρίων ad contemptum ibi pertinere aſſerenti, ut ſi pro homine dicas *homuncionem*; & pro muliere, *mulierculam.* Nempe menſarii canes, qui ſub menſa cibi minutias abliguriunt, ferè minoris ſtaturæ ſunt: unde Agaſæos in Britannia, ſagaces canes, qui non ſunt magnæ molis, cum his ita confert Oppianus *Cyneget v.* 471.

> Τῶν ἤτοι μέγεθος μὲν ὁμοίιον οὐτιδανοῖσι
> Λίχνοις οἰκιδίοισι τραπεζήεσσι κύνεσσι
> *Quorum quidem magnitudo æqualis eſt vilibus*
> *Catillonibus, domeſticis, menſariis canibus.*

Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 56.

MELITE, vicus in tribu Oeneide. *Steph.* Item Atticæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 7. vicum Plutarchus vocat *in Solone. Harpocration* ad Cecropidem refert. Templum ibi unum Euryſaci, alterum Melanippo filio Theſei, tertium Dianæ cognomine Ἀριστοβούλῳ, ubi ii ſepeliebantur, qui carnificis manu interempti fuêre, ſacrum erat. Extruxerat hoc ultimum Themiſtocles, qui ibi quoque ædes habuit, uti & Phocion, Tragicique Actores, uti pluribus videre eſt apud Meurſium *de Populis Atticæ.* Sed & Herculem cognomine Ἀλεξίκακον, Templum ibidem habuiſſe, diſcimus ex Heſychio voce Ἐκμελίτης. Mentionem Demi hujus ſervat hodieque *Inſcr.* iſta Athenis,

> ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΑ ΗΡΑΚΛΕΙ
> ΔΟΥ ΜΕΛΙΤΕΩΣ ΚΟΣΜΗΤΕΥ
> ΟΝΤΟΣ ΑΤΤΙΚΟΥ ΤΟΥ. . .
> ΤΟΣ ΓΑΡΓΗΤΤΙΟΣ
> ΚΑΙ ΣΥΣΤΑΤΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΑΝΕΓΡΑΨΑΝ
> Τ. ΑΙΛΙΟΣ ΛΕΥΚΟΣ ΠΑΛΛΗ . . .
> ΦΙΛΟΙΤΙΟΣ ΓΑΜΟΥ ΜELIT
> ΟΝΗΣΙΜΟΣ ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ
> ΣΩΣΙΜΟΣ ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΠΗ..
> ΤΕΛΕΣΦΟΡΟΣ ΜΕΝΕΚΡ...

apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 168.

MELITENE, Sumanæ ad Tigrim fluv. regiuncula, *Ptol. Aracgelaran Caſtaldo. Suar Theveto. Ptolomæo* regio eſt Armeniæ minoris ad Euphraten *Boſoch Caſtaldo*, *Suar* Nigro, *Melatie* autem *Leunclav.* cum urbe cognomine Archiepiſcopali, quæ *Reineccio* teſte, apud belli ſacri ſcriptores, *Malatma* & *Melotania* dicitur. *Baudr.* Erepta Saracenis à Conſtantino A. C. 932.

MELITENE, urbs Cappadociæ. *Steph.*

MELITENSES Barbari, Actorum *c.* 28. *v.* 3. *& ſeqq.* i. e. Pœni. Plerique enim Inſulæ illius incolæ, neque Græci, neque Romani erant, ſed Φοινίκων ἢ Καρχηδονίων ἄποικοι, Phœnicum aut Carthaginenſium coloni, ut ex *Scylace*, *Diodoro* & *Stephano* conſtat. Proinde primò bellò Punico, Atilius Conſul Romanus, in navali expeditione contra Carthaginenſes, Liparam Melitamque, *inſulas Siciliæ nobiles, pervagatus evertit*, ut docet Oroſius *l.* 4. *c.* 8. Et Punicò bellò ſecundò T. Sempronius, *à Lilybæo in inſulam Melitam, quæ à Carthaginenſibus tenebatur, trajecit*, Liv. *Decad.* 3. *l.* 1. Ipſum quoque *Melites* nomen Punicum eſt. Fuêre igitur *Melitenſes* pars Barbarorum, ut reliqui in Africa Pœni, à quibus tandem ipſa regio *Barbaria* appellata eſt. Vide eundem Bochart. *Hieroz. parte poſter. l.* 3. *c.* 2.

MELITIDES, nomen ob ſtultitiam à Comicis nobilitati, cujus Ariſtophanes *Ranis Act.* 4. *ſc.* 1. & Lucianus *in Amoribus* meminit.

MELITINA Legiò, precibus ſuis fulmina, ac nimbos cœlitus, contra Quados, impetravit, ſub Antonino Philoſ. A. C. 175. P. Oroſ. *l.* 7. *c.* 15.

MELITIS, unus ex feliciſſimis illis fatuis, quos Homerus ſuò carmine nobilitavit. Is non poterat numerare ſupra quinque, ductâque uxore novam nuptam non attigit, veritus, ne ſe illa accuſaret apud matrem, cujus ſtultitia abiit in Proverbium: *Melitide ſtultior.*

MELITITES Vinum, vide *Mulſum.*

MELITO, Epiſcopus Sardenſis, cujus meminit Euſeb. *Hiſt. l.* 4. *c.* 25. Seculò 2. M. Aurelio Antonino Imperatori excellentem pro Chriſtianis apologiam obtulit. Scripſit præterea libros 2. de Paſchatis feſto, de vita Prophetarum, de Eccleſia, de die Dominica, de Fide, de Baptiſmo &c. quæ omnia injuriâ temporum perierunt. Idem Euſeb. *in Chron. A. C.* 170. Hieron. *de Script. Eccl. c.* 24. &c. Alius qui de familiis Athenienſium commentarium fecit. Harpocration *in* Κάβειρος.

MELITOPOLIS, *Strab.* urbs Bithyniæ, aliis urbs Myſiæ minoris, Epiſcopalis prius ſub Archiepiſcopo Cyziceno, poſtea Metropolis, *Ferrar.*

MELITTA, urbs ab Hannone conſtructa ad Atlanticum mare, Arrian. *in Periplo.*

MELITTÆA, urbs Theſſaliæ. *Theopompus* & *Philo* Μελίτταιαν vocant, unde *Melitteus. Steph.*

MELITUS, vide Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 7. nomen ejus qui Socratem accuſavit. Fuit Orator & Poëta Tragicus, qui *Socratem* ſcripſit; ut frigidus, moribus pravis, & chororum vilium compoſitor, traducitur *Ranis* Ariſtophani.

MELITUSA, vide *Meligene.*

MELITUSSA, urbs Illyriæ. *Steph.*

MELIUS, vide *Publius.* Item *Spurius.*

Sp. MELIUS, vir Equeſtris ordinis ac prædives, largitione frumenti delinitô populô, quum conſilia regni agitaret, vocatus à Dictatore L. Quintio Cincinnato, quod ad illum venire nollet, opem plebis invocans, à C. Servilio Ahalâ Magiſtro Equitum interemptus eſt, an. Urb. Cond. 314. Bona publica facta, domus diruta & area *Æquimelium* dicta. Varro *l.* 4. *de L. L.* Val. Max. *l.* 6. *c.* 3.

MELIXANDRUS, Mileſius, Lapitharum, & Centaurorum bellum ſcripſit. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 11. *c.* 2.

MELIZIGARA, Indiæ intra Gangem emporium. Arrian. *in Periplo.*

MELIZIGERIS, Indiæ intra Gangem inſula.

MELLA, aliàs *Annæus*, Eques Rom. frater Senecæ, pater Lucani, Vide Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 17.

MELLA, fluvius, vide *Mela.*

MELLARIA, Inſul. aliàs, nunc ſcopulus maris Tyrrheni, in ora Hetruriæ, ante Liburnum, à quo vix diſtat 5. milliar. in Occaſum, & vix viſitur à præternavigantibus. Aliis *Mænaria*, vulgò *la Mallora* dicitur.

MELLARIA, urbs Hiſpaniæ Bæticæ exciſa, inter Tariffam, & Bellonem 2. leuc. *Beiar de Melena Morali*: patria Pomponii Melæ.

MELLARIA Altera, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ mediterraneæ in Extremaduræ confinio, à Corduba 14. leuc. Emeritam verſus. *Puente Oveiuna*, teſte *Morali.* Utraque *Mellaria*, à *mellis* copiâ dicta eſt.

MELLARIA, vas dicebatur. quò, in ſacris Bonæ Deæ, vinum inferebatur, quod non ſuò, ſed *lactis* nomine, tum appellare licebat; eò quòd Dea vinum bibens à marito fuiſſet interfecta. Quò fortè reſpexit Juvenalis *Sat.* 9. *v.* 115.

> ——*Taceant illi: ſed prodere malunt*
> *Arcanum, quam ſubrepti potare Falerni,*
> *Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.*

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19.

MELLE, ad plurima uſi ſunt Veteres, ad eſum, ad potum, ad medicinam, ad conſervanda cadavera: etiam in ſacris, homines ſuperſtitioſi. Ejus eſum quod attinet, de eo in Scriptura paſſim agitur, Deuteron. *c.* 32. *v.* 13. Pſalm. 81. *v.* 17. Prov. *c.* 24. *v.* 13. &c. & infantili etiam ætati convenire hunc cibum, patet ex celebri loco Eſaj. *c.* 7. *v.* 15. Unde eſt, quod in Baptiſmo, in quo fideles renaſcuntur, *lac & mel* prægustandum dabant Veteres, Tertull. *de Coron Mil. c.* 10. Sic ex antiquiſſimis Cretenſium hiſtoriis narrat *Didymus*, Meliſſea Cretenſium Regem duas habuiſſe filias, Amaltheam & Meliſſam, quæ Jovem puerum caprinô lacte & melle nutrierint, Lactant. *de falſa Relig. l.* 1. *c.* 22. Neque enim ſolò lacte, ſed & melle tum alebantur infantes. Itaque pueris in morbo ſi quid amari eſſet ebibendum, priùs ora poculi *melle* illinibantur, ut conſuetum cibum ſibi propinari putarent. Lucretius, *l.* 1. *v.* 934

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavóque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur, &c.

In potu, *Mellis* uſus commendatur, Nehem. *c.* 8. *v.* 10. in verſione Hieronymi; ubi *mulſi* mentio, quod eſt οἰνόμελι, i. e. potus ex vino & melle confectus, vide infrà in *Mulſum*. Primus verò omnium mel vino miſcuiſſe, dicitur Ariſtæus, apud Plinium *l.* 14. *c.* 4. De *Mellis* uſu ad Medicinam, vide Proverbiorum *c.* 6. *v.* 8. in Græca verſione, & 1. Sam. *c.* 14. *v.* 27. Eo ad cadaverum pollincturam & conditturam Ægyptii olim uſi. Stat. *in Propemptico Metii Celeris*, *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 117.

Duc & ad Emathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæô perfuſas nectare durat.

I. e. ad urbem Alexandriam, ubi conditoris Alexandri corpus ſervatur, melle perfuſum. Et apud Eutychium Alexandrinum, Philemon idem cadaver Alexandriam delaturus, melle illud implevit. Quem ritum etiam à Babyloniis adhibitum, docet Herodotus *l.* 1. & Lacedæmoniis, cum Reges peregrè defuncti domum referendi erant. Xenophon *Rerum Græcar.* *l.* 1. Vide quoque Lucretium *l.* 3. *v.* 902. Sed & Corippus Juſtiniani funus deſcribens, inter præſtantiſſima aromata, quibus imperatorum corpora condiebantur, melli ſuum etiam fuiſſe locum, refert *lib.* 3.

Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ, ſpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Nempe ſcribit Plinius *l.* 22. *c.* 24. mellis naturam talem eſſe, *ut putreſcere corpora non ſinat, jucundô ſapore, atque non asperô, aliâ quàm ſalis naturâ.* Et Democritus, in ſpem reſurrectionis, corpora voluit *melle* aſſervari, apud *Nonium* & Plinium *l.* 7. *c.* 55. Sacrum illius uſum quod concernit, de *Melle* lex habetur, Levitici *c.* 2. *v.* 11. 12. *Nullum fermentum & mel nullum Deo adolebitis in oblationem igni abſumendam. In oblationem tamen primitiarum ea Domino offeretis. Sed ſuper altare ne offeruntor in odorem ſuavitatis.* Cujus interdicti ratio hæc forte, quod in Dæmonum ſacris *Mellis* uſus veluti perpetuus fuerit. Non enim Baccho ſolùm id oblatum, ut ex Tibullo diſcimus *l.* 1. *Elog.* 8. unde is *Briſæi* invenit nomen: ſed & Deorum aliis paſſim. Quod Deus Synagogæ Judæorum objicit Ezech. *c.* 16. *v.* 16. 17. 18. *Feciſti tibi maſculas imagines, ut ſcortateris cum eis — Et cibum meum quem dederam tibi, ſimilam ac oleum ac mel, quibus te cibaveram hoc obtuliſti illis in odorem ſuavitatis.* Nam Deorum vix ullus fuit, cui melle non legatur libatum. Vide de Mercurio, Antipatrum Sidonium *Anthologiæ l.* 1. *c.* 38. & infrà *Veritas*; de Plutone, Silium *l.* 13. *v.* 415. de Hecate, Apollonium *Argonautic. l.* 3. *v.* 1034. de Priapo, Calphurnium *Eclog. Euang.* 2. de Jano, Ovidium *Faſtor l.* 1. *v.* 183. de Nymphis, Euſebium *Præparat. Euang. l.* 4. de Furiis, Silium, *ubi ſuprà* ut & voce *Eumenides*: de aliis Alios. Adde, quæ de Jove Olympio, habet Pauſan. *Eliac. prior.* & de Perſis, Strabo *l.* 15. Unde eſt, quòd Homerus mel vocat, Θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδὴν, *Deorum ſuavem cibum*, *Hymn. in Mercur.* Cujuſmodi ſacrificia νηφάλια & μελισπονδα, vocat Plutarch. *Sympoſiac. l.* 4. *c.* 5. Ut de frequenti *Mellis* uſu, inter inferias & libationes pro mortuis, nil dicam, de quibus omnibus vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 12. & de hoc ultimo ejus uſu, ſuprà in voce *Melicratum*. Adde quæ dicta, ubi de *Foratio pane*; item de *Melle* ἀκαπνίσῳ, voce *Hymettus*, ut & mox dicenda. Sed & *Mel* ad ſupplicia atrociſſima adhibitum, videbimus infrà voce *Scaphiſmus*, it. *Servi* ac *Veſpa*, ubi & de *Melle veſparum crabrorumque*, quod μέλιτος ἀρχὴν Φαύλην τινὰ, item σιταγρῶν μέλιτος, *Ariſtoteles* vocat, quædam videbimus.

MELLENTUM, an à molis? vulgò *Meulan*, caſtrum vel oppid. Galliæ, in Velliocaſſibus, ad Sequanam: cujus pars eſt in inſul. Sequanæ, dicta *le fort de Meulan.* Ibi Comites olim *Mellentini* opibus, armis viriſque florentes. Partem aliquam oppidi pertinuiſſe antehac ad Archidiaconatum Pinciacenſem *l'Archidiaconé de Pincerais*, qui unus eſt ex Archidiaconis Eccleſiæ Carnutinæ, colligere eſt ex literis Ivonis Epiſcopi Carnutenſis ad Clericos Mellentinos, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MELLERIUS Guilielmus, vide Guilielmus.

MELLIFLUUS Laurentius, vide *Laurentius.*

MELLINGA, oppid. elegans Helvetiæ in Argovia, ad Ruſam fluv. qui hîc ponte inſigni jungitur, 1. milliar. German. infrà Bremogart. Olim ſub Habeſpurgiis Comitibus, quibus fidelem operam in prælio Tattvillano A. C. 1351. & Sempacenſi A. C. 1386. præſtitit. Suburbium ejus ab Helvetiis incenſum A. C. 1388. ipſumque oppidum cum Bremogarto A. C. 1415. à Tigurinis, quibus & alii Helvetii acceſſêre, occupatum nomine Imperii, & utrumque poſteà à Sigiſmundo Imperatore itidem oppigneratum eſt, ſalvis tamen veteribus civium juribus & privilegiis: à quo tempore octo Helvetiorum pagis ſubeſt. Horribili incendiô arſit, A. C. 1504. malitiâ exulis cujuſdam: Miſſa cum imaginibus A. C. 1529. ibidem abolita, ſed A. C. 1531. reſtituta eſt. Vide Stumpf. *de Argovia l.* 7. *c.* 10. *Stettlerum*, *Simlerum*, &c.

MELLISURGIS, Macedoniæ oppid. inter Theſſalonicam, & Apolloniam. *Antonin.* Ultra Theſſalonicam 30. mill. paſſ. Amphipolim versùs diſtat, *Ferrar.*

MELLITA, apud Sueton de Nerone *c.* 27. *Indicebat & familiaribus cœnas, quarum uni* mellita *quadragies ſeſtertium conſtiterunt*, i. e. centena aureorum millia, ex *Budæi* ſupputatione, Nempe, præter ea, quæ retro diximus, non Pythagoræorum ſolùm nutrimentum *panis cùm melle* fuit, ut auctor eſt Athenæus *l.* 2. *c.* 7. quod ex præceptore ſuo videntur didiciſſe, de quo vide Euſtathium *Il.* λ. ſed & inter Regum & Magnatum dapes. Sic enim ad Joſephum, Ægypti Pro-Regem, pro eximio munere *mel* mittitur, Geneſ. *c.* 43. *v.* 11. & Regi Davidi; cùm eſſet in oppido *Mahanajim*, mel obtulerunt vicini nobiles, 2 Sam. *c.* 7. *v.* 29. Solomon quoque ita loquitur Cantici *c.* 5. *v.* 1. *Comedi favos cum melle meo.* Ut Jonathanem taceam, cujus oculi & vires mellis eſu refectæ ſunt. Quibus, ſi profana jungimus, *Il.* λ. *v.* 630. Hecamedem reperiemus Neſtori & Patroclo in convivio μέλι χλωρὸν, *mel flavum*, aut *mel recens*, appoſuiſſe. Et *Odyſſ.* 1. *v.* 69. Venerem Pandari filias nutriviſſe τυρῷ καὶ μέλιτι γλυκερῷ, *caſeô ac dulci melle, &c.* *Mel* namque, non ad ſanitatem ſolùm conducere, ſed & longævitatem conciliare creditum. Diophanes *in Geopon. l.* 15. Οὐ μόνον ἡδὺ τοῖς χρωμένοις, ἀλλὰ καὶ μακροβίους ποιεῖ, *Mel utentibus non ſolùm ſuave eſt ſed & eos longævos facit.* Vide quoque Athenæum *l.* 2. *c.* 7. de Corſis, ut & de Pythagoræis, alibique paſſim. Unde petitum Pollionis apophthegma, de quo Plinius *l.* 22. *c.* 24. *Multi ſenectam longam mulſi tantùm nutritu toleravêre, neque aliô ullo cibô, celebri Pollionis exemplô. Centeſimum annum excedentem eum Divus Auguſtus hoſpes interrogavit, quânam ratione maximè vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet; At ille reſpondit: Intus mulſô, foris oleô, &c.* Interim vocem *Mellita*, apud *Sueton.* quam habent vulgares editiones, mutavit *Caſaubon.* in *Mitellita*, quia ſic legunt Codices vetuſtiſſimi: ſed, quid *mitellita* ſint, ipſe ſe ignorare, fatetur. Vide ſuprà. Hodie, poſt ſaccharum inventum, multum de *Mellis* pretio deceſſiſſe nemo mirabitur. Vide præfatum Bochart. *Hieroz. Part. eâd. & librô c.* 11. & infrà *Mulſum*: ubi de ritu Sponſis partem aliquam capilli abſcindendi & *mellito vino* intingendi, Moſcis uſitato, infrà ubi de *Nuptialibus moribus*: de more verò placentam *ex farina & melle*, defunctorum ori, præter naulum Charontis, imponendi, apud veteres Græcos, itidem infrà ubi de *Offa Cerberi*: adde quæ dicemus, voce *Papaver*, it. *Pigmentum.*

MELLO, nomen celebris in Hiſpania familiæ, è ſtirpe Portugallica. Cùm enim tres præcipuæ familiæ, ex naturalibus liberis Regum horum, originem traxerint, media earum Bragantina eſt, in qua Ferdinandus I. Bragantiæ Dux, ex tribus filiis, totidem linearum fuit ſator. Primus namque, Ferdinandus II. Ducalem domum continuavit, ex qua nunc reges, aliique; tertius Alfonſus, Comites *de Faro*, *Odemira*, atque *Vimiero*, cognomines *de Faro* & *Norogna*, ex ſe dedit: Medius verò; Alvarus Dn. *de Ferreira*, numeroſæ itidem poſteritatis auctor fuit, in qua alii cum nomine *de Mello* Marchiones *de Ferreira* atque Comites *de Tentugal*; alii Marchiones *de la Tour de Laguna*, alii Comites *de Gelves*, alii demum Duces *de Veragua* ac Marchiones *de Jamaica* dicti ſunt. Et quidem primos quod attinet, Alvarus *de Portugal* præfatus, ex Philippa *de Mello* (filia Roderici *de Mello* Comite *d'Olivenza*) genuit Rodericum *de Mello* Marchionem *de Ferreira* Comitem *de Tentugal*; quô & Leonorâ Almeidâ (filia Franciſci *de Almeida*, Indiæ Prorege) natus Franciſcus I. *de Mello*, Marchio *de Ferreira*. Comes *de Tentugal*, ſuſcepit ex Eugenia Bragantina (filiâ Jacobi Ducis Bragantiæ, Ferdinandô II. Duce geniti) Nunium Alvarum *de Mello*, maritum Marianæ *Moſcoſo* (filiæ Roderici *de Moſcoſo Oſorio* Comitis *de Altamira*) & ex ea patrem Franciſci II. *de Mello*, Marchionis *de Ferreira* Comit. *de Tentugal*, (qui primis ſibi nuptiis junxit Mariam filiam Lupi Oſorii Comitis *de Altamira*; alteris, Johannam filiam Antonii Pimentellii Marchionis *de Tabara*: extinctus A. C. 1645.) Rodericum, Archiepiſcop. Eborenſem, A. C. 1642. Eleonoram (uxorem Emanuelis *de Moura*, Marchionis *de Caſtelrodrigo*) & Johannam (quæ nupſit N. Mauricio *de Silva*, Marchioni *de Portalegra.*) Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part.* 2. *p.* 43.

MELLO, vel MILLO, ambitus montis Sion interior, quem Reges incluſerant muro, vel, ut alii volunt, urbs non ita procul hinc, cujus cives Abimelech regem ſibi conſtituerunt. Judic. *c.* 9. *v.* 6. Ab hoc loco David cœpit munire terram. 2 Sam. *c.* 5. *v.* 9. Salomon hanc reparavit. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 15.

MELLONA, ſive MELLONIA, Dea mellis Romanis putabatur, vide Arnob. *adv. Gent. l.* 4.

MELLOPROXIMI, in *l.* 5. *l.* 7. & *l.* 14. *C. de proxim. ſacror. ſcrin. Briſſonio* dicuntur, qui inſequenti annô futuri erant proximi ſcriniorum: *Carolo du Freſne*, qui à Proximo ſcriniorum primi proximique erant, proximè *futuri Proximi* bienniô advenienté; qui Proximos proximè contingebant; quibus etiam eadem, quæ Proximis, dignitas attributa. *Inſcr.* Romæ, *D. M. M. Aurelio Aug. lib. Iſidoro melloproximo à rationibus Hermes alumnus & Glycon nutritor & Maximus bene merenti fecerunt.* In alia *Inſcr. Spe Beneficiarius*, idem valet ac *Mello-Beneficiarius*. Hinc *Melloproximatus*, in *Conſtitutione* Juſtiniani *de Adjutoribus Quæſtoris*, dignitas Melloproximi, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

MELLOTHI, nomen viri. 1 Paral. *c.* 25. *v.* 4.

MELLOTUM, vulgò *Mello*, vel *Merlou*, locus Galliæ, in finibus Bellovacorum; ad fluv. Taram.

MELLUCH, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 32.

MELLUM, regnum Nigritiæ, ubi Niger fluv. in plura brachia ſcinditur; Vulgò *Melli*. Habet ad Ortum regnum Mandingæ & Maleguetam, ad Occaſum Oceanum Atlanticum.

MELLUS, urbs Græciæ, condita eôdem tempore, quô Thaſus, & Paphus, annô ante Urb. Cond. 675.

MELLUSIUM, meliùs *Molluſcum*, & Bruſcum, aceris rubera, in Veter. elegantiore uſu. Plinius. *l.* 16. *c.* 16. *Bruſcum intortius criſpum: molluſcum ſimpliciùs ſparſum; & ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubiè præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque ſolidos aut laminas rarò uſu ſpectatur.* Nempe, quòd magnitudinem menſarum non caperet, ex eo

fiebant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fiebant ſolidi lecti vel laminæ, quibus operiebantur lecti: villori enim ligno laminas inducebant, ex pretioſiori. Idem *l. eod. c.* 43. *Hæc prima origo luxuriæ, arborem aliâ integi & viliores lignô pretioſiores cortice fieri, ut una arbor ſæpius veniret. Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ, &c.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.*416.

MELNICUM, oppid. Bohemiæ, ad Albim, ubi Muldam recipit, 4. milliar. Germanic. infrà Pragam in Boream, Leitomerium verſus. Vulgò *Melnick.*

MELO, nomen fluvii, qui *Nilus*, & *Geon* dicitur.

MELOBOSIS, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theog. v.* 354. ab *ovibus paſcendis* dicta.

MELOCABUS, German. urbs. *Ptol. Coburg Villanovano*; ad amnem *Krempen*, urbs culta. Chattorum olim. Aliàs Duces habuit proprios, nunc ſubeſt Duci Saxoniæ Altemburgenſi. Cum arce eleganti, 8. leuc. à Smalcalda, in Eurum. Vide ſuprà in *Coburgum.*

MELOCINA Veſtis, apud *Papiam*, eadem cum *Molochina*. de qua vide infrà.

MELODIA. Vide infrà *Melos.* At *Melodi*, apud Græcos Byzantinos quinam dicti potiſſimùm fuerint, vide Car. du Freſne. *Not. ad Alexiadem.*

MELODUNUM, oppid. Epiſcopale inter Celtas, vetuſtiſſimum, ac jam inde à Julio Cæſare non ignobile, in inſula fluminis Sequanæ poſitum, vicinum Lutetiæ, ab ea ſolùm diſtans 20. milliaribus. Hîc Childebertus Rex Chlodovei M. filius, Epiſcopum cupiens ordinari, obſiſtente Leone Senonum Epiſcopô, fruſtra fuit. Gallicè *Melun en Gaſtinois. Melledunum* in antiquis libris, *Mecledunum Gregorio Turonenſi. Oppid. Senonum* Cæſari: *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 58. 60. Diſtinctum à Metioſedo Pariſiorum ſeu Corbolio, contra quàm *Scaliger* ſtatuit. Nunc urbis area ipſam Inſulam & utramque Continentis ab oppoſito ripam, inſtar Lutetiæ Pariſ. occupat. Eſtque partim in Bria, partim in Vaſtinio, in Præfectura tamen Inſul. Franciæ. 10. leuc. à Lutetia in Meridiem, 4. à Fontebellaqueo, 7. à Monaſteriolo, ad fines Icaunæ in Circium *Baudr.* Urbs olim cum titulo Comitatus, ab Hugone Capeto Burchardo ipſi gratiſſimo, donata, ſub Roberto Rege ab Eude Campaniæ Comite argenteis haſtis expugnata, ſed à Rege recepta eſt, A. C. 999. Bellis Anglicis Fortunæ pila. Pagani de Meleun meminit Maria Trecenſis Comitiſſa, in *literis* ad patrem Ludovicum VII. Regem, ex quo intelligitur, ante annos 500. Melodunum *Meleun* dici cœpiſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Ducheſnius *antiq. urb. Gall.* Ruillardus, *Hiſt. Melodun.*

MELOESSA, inſul. ex Sirenis una, non tam à pomorum, quàm pecorum abundantiâ dicta. Plin. *l.* 3. *c.* 10. 7. mill. paſſ. a Caulone: *Stephano* Μηλῦσσα inſula eſt juxta Iberos.

MELOMACHIA Græcè Μελομαχία apud Athenæum *l.* 7. *c.* 1. inter certamina Artificum, qui ex toto ferè orbe Babylonem confluxerant, Alexandrô ex India reverſô, inſtituta.

MELON, Aſtrologus, qui cùm eſſet militiæ aſcriptus, videretque peſſimè parti ſuæ futurum, inſaniam mentitus domum ſuam incendit, ut miſſionem, & militiæ vacationem impetraret. Plut. *in Niciâ.* Vide *Meton.* Item Darii ultimi interpres, de quo vide Curt. *l.* 5. *c.* 13.

MELONES, inter cibos Clodio Albino Imperat. familiares, apud Jul. Capitolin. *in vita ejus c.* 11. *Nam & quingentas ficus paſſarias -- jejunum comediſſe dicit & centum perſica Campana*, & melones *Hoſtienſes decem*, *& uvarum Lavicanarum pondo viginti*, *& ficedulas centum*, *& oſtrea quadringenta.* Cucumeris genus, ætate Plinii, in Campania primùm natum, poſtea latiùs propagatum & diligenter cultum. *Melopepones* initio dicti, & Græcis quoque μηλοπέπονες; poſtea contractâ voce *Melones*, ut hîc & apud *Palladium*: qui tamen nihil ad hodiernos, quos omnis vetuſtas ignoravit. Etſi fuiſſe & Veterum *melones* à cupediarſis expetitos, ex hoc Capitolini loco, & alio *in Gallieni vita* poſſis colligere. Meminit & Vopiſcus *in Carino.* Vide Caſaubon. *ad Capitolin. loc. cit.* inprimis verò Salmaſ. *ad Solin. p.* 958. *&* 959. nec non ſuprà *Cucumer* & infrà *Sicyopepon.*

MELOPHORI, Græcè Μηλοφόροι, an, quòd *mala* aurea haſtis præfixa gererent, ut vult *Briſſonius*, *de regno Perſico p.* 128. an, à *melino* veſtis colore quod incederent πορφυρᾶς καὶ μηλίνας ἠσθημένοι στολάς, ut legimus apud *Ælianum l.* 9. *var. Hiſtor. c.* 3. & Athenæum, *l.* 12. Caſaubono *ibi* monſtrante. Perſarum Doryphori ſunt, de quibus diximus ſuprà.

MELOQUINUS, monetæ Italicæ ſpecies: apud Cencium Camerarium *in Ceremoniali Romano.* Vide infra *Molachinus.*

MELOS, inſul. oblonga Cretæ adjacens, à Borea in Auſtrum extenſa, & urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhodienſi, in parte meridionali cum tribus caſtris. A Peloponneſo promontorio Scyllæum, à Creta Dictynneum habens. *Strabo.* Inter Cycladas numeratur à Pomponio *l.* 2. *c.* 7. Hanc prius (inquit *Steph.*) Phœnices habitaverunt, unde & *Byblus* vocata eſt à Bybliis Phœnicibus, item *Zephyria.* Hinc Diagoras Mêlius, Socrates, & Ariſtophanes. Populi *Melii.* In Theſſalia verò populi quidam *Melienſes* dicuntur. Eſt & vicus Acarnaniæ, à quo & *Melicus.* Porro prior *Melos* à *Callimacho Mimallis* dicta eſt. *Milo* hodiè *Sophiano.* Gaudet portu capaciſſimô; 36. mill. paſſ. à Cydonia, urbe Cretæ in Septentrionem, uti 70. à Scyllæo promontorio in Eurum. Ei adjacet ad Auſtrum Inſul. parva, *Antimilo*, *Baudr.* Melon autem hanc, à mali rotunditate dictam volunt, quia, Pliniô *l.* 4. *c.* 12. auctore, *inſularum rotundiſſima eſt.* Feſtus à *Melo*, *qui ex Phœnice ad eandem fuerat profectus.* Sed Hebraice מלא *melo* eſt *plenitudo*, vel *expletio.* Hîc ſulphur laudatiſſimum. Rem de hâc inſulâ refert Philoſophus *in l. Mirabilium*, quæ ſuperat omnem fidem: Φασὶ δὲ καὶ ἐν Μήλῳ τῇ νήσῳ ἐν τοῖς ἐξορυσσομένοις τόποις τῆς γῆς πάλιν ἀναπληρώματα γίγνεσθαι. Vult in effoſſæ locum terram aliam ita ſuccedere, ut foſſa per ſe repleatur. Quod miraculum, ſive verum, ſive fictum, ſi modò fuit creditum, potuit dare nomen huic inſulæ. Porrò מלא *melo*, id eſt, *plenitudo* Ebræis, cùm de frugibus agitur, *maturitatem* ſonat, nec non *copiam* & *ubertatem.* Utrôvis ſenſu ſumpſeris, in Melon inſulam mirè congruit. Theophr. *de cauſ. Plant. l.* 4. *c.* 12. Τὸ γὰρ ἐν περὶ Μῆλον συμβαῖνον τῆς τελειώσεως, ὥστε τὸν ὕστατον σπείροντα θερίζειν ἅμα τοῖς πρώτοις, ἐπὶ τὴν χώραν ἀνοιστέον. ὡς εὔτροφον. Idem habet *l.* 8. *c.* 3. Vide Bochart. *Geogr. l.* 1. *c.* 14. *p.* 454. 455. *Nicol. Lloydius.*

MELOS, oppid. Theſſaliæ, à Nicia Athenienſ. Duce, machinis & fame expugnatum. Hinc *Fames Meliaca* Proverbium. *Thucydidi Melios.* Vide *Melus.*

MELOS de clangore tubæ, apud Hyginum *Fab.* 274. *Tyrrhenus, Herculis filius, tubam primus invenit, hâc ratione. quòd, cùm carne humanâ comites ejus veſcerentur, ob crudelitatem incolæ, circa regionem diffugerunt. Tunc ille, ubi qui ex eorum numero deceſſerant. conchâ pertuſâ buccinavit, & pagum convocavit, teſtatique ſunt, ſe mortuum ſepulturæ dare, nec conſumere. Unde tuba* Tyrrhenum melos *dicitur.* Ubi tamen de voce *melos* dubitatum olim Barthio, cui nomen *Melei* videbatur illatere, quem ab aliis tubæ inventorem tradi, *ad Statium*, *Thebaid. l.* 6. *v.* 404. auctor eſt Lutatius, vide eum *Animadverſionibus ad Poëtam hunc d. l.* Aliàs Μέλος Lyricorum proprium. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 44. *Proxima Heroicæ Majeſtati Lyrica nobilitas; ut illa à cantu Rhapſodia* & *Epos: ita hæc Ode*, & μέλος & μολπή. *Neque enim ea ſine cantu atque lyra pronuntiabant, unde & Lyricorum appellatio. Odas quoque à canendo titulum ſuorum librorum fecit Horatius. Grammatici Pindaricas inſcripſêre cantiones*, Μέλη, *alii verò maluerunt*, Εἴδη, *unde diminutivum Idyllion; quia Poëmata eſſent rerum quaſi ſpecies quædam. Meliambos citat in vita Diogenis Cynici Laërtius, qui ſint à Cercida Megalopolita ſcripti. Quinque ibi leguntur verſiculi. in quibus ne unus quidem Jambicus. Quanquam autem* μέλος *Lyricorum tantùm fuit: Melodia tamen eſt omnium cantionum ſonis attributa. Sic Chamæleon ---* μελῳδηθῆναι *non ſolùm ait Lyrica, verùm etiam & Archilochi & Heſiodi & Mimnermi, Phocylidæ & Homeri.* Cùm autem Lyricorum genera multa ſint, *Melos* ſive *Ode* κατ' ἐξοχὴν dicitur, quibus curas amatorias decantant. Quòd primum excogitâſſe Alcmana tradunt; alii id inventi Ametori tribuunt Eleutherneo. Certè in hoc genere plurima fuit Sappho. Anacreon autem non ſolùm dedit hæc *mele*, ſed etiam in iis mella. Alia genera in laudibus Heroum, locorum laudationibus, rerum geſtarum narrationibus, Hilaritates, convivia. Iiſdem numeris canebantur pæanes ſolis Diis, & hymni eôdem argumentô, ſed ſtylô demiſſiore. Item ea, quæ σκολιὰ μέλη vocata ſunt, de quibus dicemus infrà in voce *Scolion.* Vide plura hanc in rem apud Scaligerum præfatum *loc. cit.* ut & *c.* 3. ubi nobiliſſima carmina Hymnos & Pæanes eſſe dicens, ſecundô locô collocat *Mela* & Odas & Scolia, quæ in virorum fortium laudibus verſabantur; tertio loco Epica ponit; &c.

MELOTÆ, Græcè Μηλωταὶ, ſubintellige δοραὶ, i. e. *Ovillæ pelles*, ita enim plerumque vox ſumitur, in Gentilium ſacris celebres fuêre. His enim, ſomnia captaturi de rerum ſuarum eventu, incubabant, ut in templo Amphiarai factitatum. Sic de Dauniis in Calchantis fano refert Strabo *l.* 6. Ἐναγίζουσι δὲ αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐν τῷ δέρματι. *Sacrificant autem illi nigrô colore arietem vaticinaturi, ac pelli indormiunt.* Calabri idem, ad Podalirii tumulum, factitâſſe leguntur, Virgiliuſque ritus hujus meminit, cùm canit *Æn l.* 7. *v.* 87.

—— Cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Idque fiebat in ea templi parte, quam *Delubrum* vocabant. In Eleuſiniis ſacris quoque, ut & aliis, qui polluti erant, luſtrabantur pellibus victimarum, quas Jovi obtulerant, quæque proin Διὸς κώδια dicebantur, pedibus ſuppoſitis. In aliis inſuper vitæ negotiis non exiguus *Melotarum* uſus; Namque & in luctu iis inſidebant, & in conviviis, ut procorum Homericorum exemplum docet, & nuptiarum die, quô Sponſa pulvini locô iſtiuſmodi pellem habebat ſubſtratam, lanificium ſibi curæ fore hôc pactô indigitans. Nec Scytharum omittenda conſuetudo, apud quos cùm quis injuriam paſſus eſſet & vindictam pararet, bove mactatô, in ejus ſedebat exuviis, manibus poſt terga reductis, amicos auxilium ſuppetiaſque poſcens. Tum accedentes, qui bene homini volebant, dextrô pede pelli impoſitô, de carne aliquid guſtabant, hôcque ſymbolô, quod ſanctiſſimi illis Sacramenti locô erat, indubitatæ fidei ac promti auxilii ipſos certos reddebant, teſte Cœliô Rhodig. *l.* 27. *c.* 14. Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 7. *c.* 2. *ubi de divinatione per ſomnium ſuper Melotis, in templis, cum obſervatione diætæ*, prolixè agit. Ex *Melotis*, præſidia canum, ut *Feſto* vocantur, id eſt, *Millos* ſeu *Melia*, aut *Milia*, ut *Varroni* dicuntur, fieri etiam ſolita fuiſſe, notat Joſ. Scaliger, in hæc Varronis *de R. R. l.* 2. *c.* 9. *Collare, cingulum nempe ex corio firmo cum claviculis capitatis, Melium eſt:* unde etiam illi nomen. Propert. *Armillas* vocat abuſivè *l.* 4. *Eleg.* 8.

Atque armillatos colla moloſſa canes.

Vide Thom. Bartholinum *Schedio de Armillis veterum*, & paulo infrà.

MELOTES, h. e. *pellis caprina*, (Namque & ita vox nonnunquam ſumitur, quamvis *melota* à caprarum pellibus expreſſè diſtingui videatur, in his Pauli ad Hebræos *c.* 11. *v.* 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν) unà cum cucullo parvo (præter pallium & tunicam, omnium Monachorum communem amictum) Ægyptiis olim Monachis geſtabatur, quibus Europæi non utebantur Aſcetæ. Caſſianus *de habitu Monachi c.* 11. *Nam neque caligis nos neque colobiis, ſeu unâ tunicâ eſſe contentos hyemis permittit aſperitas; & parviſſimi cuculli velamen*, *vel* Melotis *geſtatio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

deriſum potiùs, quàm ædificationem ullam videntibus comparabit." Cùm itaque veteres Monachi, & præcipuè Græci, ſicut & Philoſophi olim, pallium (Græcis recentioribus propriè ῥάκος, i. e., τριβώνιον) ſupra omnem veſtem injicerent, Monachi Ægyptii caprinam inſuper pellem ſupra pallium ſumebant. Idem Caſſianus: *Ultimus eſt habitus eorum, pellis caprina, quæ* Melotes *vel pera* more ſeculi, *appellatur.* Et *Iſidor.* Hiſpal. *Melote, quæ etiam pera vocatur, pellis eſt caprina à collo pendens, præcincta uſque ad lumbos.* Hieronym. *in vita Hilarion. pelliceum ependyten* vocat. Quod autem Zonaras, ῥακοδυτεῖν, *ad Can. XII. Synodi Gangrenſis*, dixit: Οἱ περὶ τ̀ Εὐςάθιον πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ ῥακοδυτεῖν ἐδίδασκον: id *Balſamo*, in ejuſdem *Canon. expoſit.* ῥακενδυτεῖν vocat. Unde Ῥακενδύτης, pro Monacho, apud *Nicetam Choniatem*: pro quo in Codice Barbaro Græco, ῥασοφορῶν habetur, &c. Vide Cl. Salmaſ. *Notis in Tertullian. de Pallio. p.* 89. Sed & in genere vox apud Græcos Latinoſque Scriptores pelliceam tunicam notat aliquando, & pro pallio nonnunquam ſumitur, uti docet Suicerus *Theſauro Eccl. in* Μηλωτή, ubi & de voce Μῆλον tum *ovem*, tum *capram*, ſignificante quædam.

MELPHES, fluv. Lucaniæ in ſinum Pæſtanum, apud Palinurum promontor. influens, *Molfa Leandro*, cis Apenninum, nunc *Molpa Baudr.* in Principatu citeriore. Exonerat ſe in mare Tyrrhenum inter Sinus Laum, ubi caſtrum parvum cognomine & Pæſtanum. 12. mill. paſſ. à Policaſtro in Occaſum.

MELPHIA, vel MELPHIS, urbs Lucaniæ, media ferè inter Neapolim, & Tarentum: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compſano vel Sipontino, *Ferrar. Melfi* hodiè. Parvi circuitus, in Baſilicata, 4. milliar. ab. Aufido, & à limite Capitanatæ, 16. in Ortum, à Compſa, 65. à Neapoli etiam in Ortum, Tarentum verſus, à quo 80. diſtat. *Baudr.*

MELPIA, Arcadiæ vicus Pauſan. *l.* 8.

MELPINUM Caſtrum, vulgò *Merpin*, ad Carantonum Gall. fluv.

MELPIS, ſeu MELPHIS *Strab. Melfa*, fluv. Latii, ex agro Arpinate oriens, juxtaque Aquinum urbem decurrens, demumque in Lirim labens.

MELPOMENE, una Muſarum, Tragædiarum inventrix, à *modulando* nomen trahens. Pingitur vultu ſeriô, induta magnificâ veſte, ſceptra coronaſque alterâ manu, pugionem alterâ geſtans. De ea Virgil.

Melpomene tragicô proclamat mœſtâ boatu.

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 24.

——— *Præcipe lugubres*
Cantus Melpomene. ———

Nic. Lloyd.

MELPOMENOS, Bacchus ab Acharnenſibus ſic dictus, quaſi dicas *cantu oblectabilem.*

MELPUM, Inſubriæ oppid. amplum, *Melzo Gaudentio Merulæ.* 13. mill. paſſ. à Mediolano, in Ortum hybernum.

MELSUS, Hiſpan. fluv. in cujus viciniâ æſtuarium eſt, ut ſcribit *Strab.* quô Cantabros ab Aſturibus dividit.

MELTIANUS pagus, pars Meldici in Gall. agri, vulgò *le Multien.*

MELTIAS, nomen viri. Nehem. *c.* 3. *v.* 7.

MELUGDA vel MELUNDA, locus Galliæ, in Lingonibus, *Melome en Tonerrois.* cum Monaſterio.

MELUNIA ſeu MELODUNENSIS, vulgò *de Melun* Stirpis celebris nomen, quæ in duos ramos abiit, cùm Johannes Vicecomes Melodunenſis ſeu *de Melun*, ex Johanna *de Tancarville*, & Iſabella *de Antoing*, Johannem & Hugonem genuiſſet. Ab illo enim Comites Tancarvillæi & reliqui Vicecomites Melodunenſes: ab hoc deſcendunt Domini *de Anthoing*, quibus Vicecomitatus Gandavenſis acceſſit, & Principes Spinoji, *de Eſpinoy*. Gandavenſium ſeries hæc eſt: Hugo Vice Comes Gandavenſis Dn. *de Athoing* & *Eſpinoy*, ex Margareta (filia Johannis *de Piqueny* Dn. *d'Ailly*) genuit Hugonem *de Melun* Dn. *d'Antoing*, maritum Beatricis *de Beauſſart* (filiæ Roberti Conneſtabilis Franciæ) & ex ea patrem Johannis I. *de Melun* Dn. *d'Antoing*: quo & Johannâ *de Abbeville*, genitus Johannes II. Dn. *d'Antoing* & *d'Eſpinoy*, Mariam *de Sarbruck* (filiam Roberti *de Sarbruck* Dn. *de Commercy*) ſibi junxit, ex illa pater Hugonis *de Melun*, Vice-Comitis Gandavenſis: cui Johanna *de Horn* genuit Johannem Vice-Comitem; ex Eliſabetha Waldeccia genitorem Maximiliani Melodunenſis ſeu *de Melun*, Vice-Comit. de Gandavo, Baron. *de Caumont*, qui nulla ex Anna *Raulin d'Emeries* prole ſuſceptâ, lineam hancce clauſit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ Part. II. p.* 94. Spinoji Principes quod attinet, Johannes Melodunenſis Dn. *d'Antoing*, ex Iſabella Lucenburgica (filia Jacobi *de Lucenburg* Dn. *de Richeburg*, pater fuit Franciſci *de Melun*, Principis *d'Eſpinoy*; qui ſibi Luiſam Foxiam (filiam Johannis ſeu Gaſtonis *de Foix* Comit. *Candala*) junxit atque ex ea ſuſcepit Hugonem Principem Spinoji, maritum Jolandæ Barbanſoniæ *de Werchin* & ex ea patrem Petri *de Melun* Principis *d'Eſpinoy*: quô, & Hippolytâ Montmorenciâ, genita Anna *de Melun*, nupſit Philippo Principi Arembergæ, Duci Arſchottano & Croiaco, ex eo mater Alberti Ducis Arembergæ Principis Cimaci, qui obiit A. C. 1648. Idem *Ibid. p.* 78. &c.

MELUS, fil. Mantûs, à quo *Melois* Leshi locus. *Steph.*

MELUS, oppid. Theſſaliæ, quod Nicias Athenienſ. dux fame expugnavit, unde Proverb. *fames Melia.*

MELUSINA, vide *Luſignanum.*

MELUSSA, juxta Iberos inſula. *Steph.*

MELYERSES, Aſiæ minoris populi *Herodot.*

MELZITANUM, oppid. Africæ propriæ Plin. *l.* 5. *c.* 5.

MEMACENI, valida gens Aſiæ, qui 50. equites Macedonas, ad deditionem adhortantes, hoſpitaliter primò interceperunt, dein graves epulis ac ſomnô adorti interfecerunt. Curt. *l.* 7. *c.* 6.

MEMBLIARUS, unus ex Cadmi ſociis, Theram inſulam condidit. *Membliarus* item inſul. prope Theram, & Anaphen, à *Membliaro* Cadmi ſocio. Dicitur & *Bliarus* per aphæreſin. *Steph.* Vide Bochart. *de Phœn. Col. l.* 1. *c.* 15.

MEMBRA ſingula, aliquem apud Gentiles Deorum habuêre, qui peculiarem cujuſque curam gereret. Sic *Caput* Jovi deferebant; Neptuno *pectus*; *cinctum* Marti. *Frontem* Genio ſacram facit *Servius in l.* 3. *Æn. v.* 607. *unde*, inquit, *Deum venerantes frontem tangimus. Supercilia*, in Junonis tutela fuiſſe, ait *Sextus Pompejus*, quòd iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Junone tribui putabant, *Lucinâ* inde dictâ. *Oculos*, Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu ſpecula quadam, tribuit *Philoſtratus*: Minervæ ſacros eos faciente *Fulgentiô*. *Aurum* memoriæ conſecratam, refert idem Servius *ibid.* Locus *retro aurum dextram*, Nemeſi fuit attributus; *Dextra* Fidei ſacra eſt: nam in fidem porrigitur. *Dorſum* & *poſticæ partes* Plutoni propriæ aſcribuntur ab *Artemidoro. Renes* & *Inguina*, Veneri adjudicata: *Pedes* Mercurio. *Genua* Miſericordiæ conſignavit Antiquitas, *quòd ea ſupplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc ut aras adorent*, ut inquit Plin. *l.* 11. *c.* 45. *Tali plantæve* pedum in Thetidis fuêre poteſtate: *Digiti* Minervam habebant præſidem, Serviô *in Virgil. Eclog.* 6. *v.* 3. iterum teſte: Qua de re vide plura apud Lilium Giraldum *Syntagm. I. Deorum Gentil.* & Hadrian. Junium *Animadverſ. l.* 4. *c.* 12. Hiſtoriam verò naturæ Animalium per *membra* ſingula habes, apud Plin. *l.* 11. *c.* 37. In homine inprimis, quidnam in capite partibuſque cœteris religioſum, venerabile & ingenii morumque ſit indicium & argumentum, vide apud Alexandr. ab Alexandro *l.* 2. *c.* 19. ut & hîc paſſim ſuis locis. In Sacrificiis, cùm *Holocauſta* erant, omnia *Membra* comburebantur; cùm *Pacifica*, ſolus *adeps*, *renes* & *lobus jecoris*, abſumebatur: Sacerdoti cedebant *pectus* & *dexter humerus*, Levit. *c.* 7. *v.* 21. 22. Reliqua offerenti, quæ vel eodem die, vel poſtridie ſaltem, comedenda, & quidquid in tertium diem ſupererat, igne abſumendum erat, Levit. *c.* 7. *v.* 6, 7, 8. &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 33. Nec omittendum, quod Irenæus *contra Gent. l.* 1. refert, de Marci Hæreſiarchæ ſectatoribus, ſolitos illos eſſe impietatis ſuæ myſteria occultare characteribus Græcis, cuilibet *membro* applicatis, è quibus conflata nomina Hebræa eſſent. Qualia quædam recitans, *Baſyma, Eacabaſa, Eanaa, Irraurista, dyarbada, cdeotabà, febor Camelanthi*: interpretatur; *Hic quod eſt ſuper omnem virtutem patris invoco, quod vocatur lumen & ſpiritus & vita, quoniam in corpore regnâſti* Sed barbaras potiùs has voces eſſe, docet Commentator ejus *Fevardentius*: qualibus jaſpides, agathas, onychas antiquos ſæpe refertos videmus. Vide infrà quoque ubi de *Michaële Archangelo*, & plura hanc in rem, apud Cl. Sponium *Itinear. Græciæ Parte* 3. ubi de Bauſilidianis quoque Hæreticis varia habet non protrita: nec non aliquid ſuprà voce *Lamina* & infrà *Parricida*, it. *Tributum Unguentum Zodiacus.*

MEMBRANÆ, ex pellibus coriove animalium, Pergami primum paratæ, hodieque originis ſuæ nomen tenent. Ita enim Plin. ex Varrone *l.* 13. *c.* 11. *Pergami ab Eumene Rege inventas eſſe* Membranas, *ſupprimente chartas Rege Ptolomæô.* Sed non dubium eſt, quin diu antè *Membranæ* repertæ fuerint: Earum enim antiquiſſimum uſum indicat Græcorum Proverb. Ἀρχαιότερα διφθέρας, *Antiquiora diphtherâ.* Perſicos quoque Annales ſolere *Membranis* conſcribi auctor eſt Diodor. Sic. *l.* 2. Auctorem laudat Cteſiam, qui ſua ſe hauſiſſe ſcribit ἐκ βασιλικῶν διφθερῶν, *ex* Membranis *regiis.* Tales quoque fuêre libri, quos Eleazar, Pontifex Judæus, miſit Ptolomæo Philadelpho, apud Joſeph. *Ant. Jud. l.* 12 Unde mirum Eruditis videtur, quòd *Plinius* ad Eumenis tempora *Membranarum* originem referat: quibus æque mirum, quòd *ibidem Chartam Alexandri M. victoriâ repertam, conditâ in Ægypto Alexandriâ* docet; cùm, ut *Guilandinus* oſtendit, longè ante conditam Alexandriam, charta fuerit in uſu. Nimirum res ita habet: Alexandriâ conditâ, quia Ægyptus in Macedonum eſſet poteſtate, Chartæ per Græciam vulgaris eſſe uſus cœpit: uſque dum ex æmulatione inter Ptolomæos & Pergamenos Reges, (de nobilitate Bibliothecæ certabant) Rex Ægyptius vetuit Chartam Ægyptô efferri. Tum Pergamenus Rex, ne ab ſtudio priori remitteretur, curavit, ut *Membranarum* longè major eſſet copia: quæ *Pergamenæ* dictæ, quia optimæ Pergamô adferrentur. *Membranarum* nomen autem inde, quia degluptæ animalium membris, Iſidor. *l.* 6. *c.* 11. Sane Pergamenæ erant ovillæ pelles. Unde Martianus Capella *l.* 2. cùm dixiſſet, librorum alios eſſe ex papyro, alios ex carbaſo, addit, *ex ovillis multi quoque tergoribus.* Quia verò pelles illæ priùs pilos habuêre, eô Perſius *Sat.* 3. *v.* 9. ait.

Jam liber, & poſitis bicolor Membrana *capillis*

Nec tamen ſolùm uſi pellibus, quas membris detraxiſſent, verum & inteſtinis: ut omentis Elephantorum, de quibus Iſidor. *ibidem.* Item inteſtinô Draconis; quale illud, cui Zonaras *Annal. l.* 3. inſcriptam fuiſſe ait univerſam Iliada & Odyſſeam. Unde meritò *Membranacei* libri etiam linteis antiquiores dicuntur Gerhardo Joh. Voſſio, quem vide *de Arte Grammatica l.* 1. *c.* 38. Conſtruebantur autem hi & compingebantur, ex multiplicibus tabellis & foliis, haud ſecus ac noſtri hodie ſolent, qui ex multis conſtant foliis, aliis ſuper alia ſtructis & inter ſe compactis, ut videre eſt apud Martialem *l.* 14. *Epigr.* 184. *de Homerô*, item *de Virgilio in membrana. ibid. Epigr.* 186. cum chartæ & chartacei libri, in volumina conrotularentur & interiorem tantùm faciem ſcripturis oppletam haberent, uti dictum *ſuprà.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3. & ſuprà *Libri*, infrà item *Papyrus Pergamena.*

MEM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MEMBRUM, Africæ propriæ urbs. *Antonin.* inter Carthaginem & Hipponem Zarethum.

MEMELIUM, vulgò MEMEL, oppid. munitum Pruſſiæ Ducatus in confinio Samogitiæ, juxta Curonenſem lacum, ubi in mare Balthicum ſe exonerat. Sub Electore Brandeburg. 35. milliar. à Libavia in Meridiem, 70. à Regio monte in Septentrionem, in tractu *Schlavoniæ*; Curlandis *Cloupede*. Arcem habet validam, cum portu capaci.

MEMENTO, pars Canonis in Eccleſia Romana Eccleſiaſtici, in qua mentio fit vivorum & defunctorum, quæ incipit ab hac voce. Architrenius, apud Car. du Freſne, *l.* 3. *c.* 22.

Item in eodem ortuſque ſui natura Memento
Nemo ſuos habeat odio &c.

MEMERSIUM, vulgò MEMERS, oppid. provinc. Cenomanenſis, juxta fontes amnis Diræ, in limite Pertici tractus. 6. leuc. ab Alenconio in Eurum, 9. à Cenomano in Cæciam.

MEMMA, & MENNA, peninſul. parva Angliæ, in Cornubia, juxta Damnonium promontor. inter Falmuthum portum ad Ortum & montem S. Michaëlis ad Occaſum, cum aliquot viculis, in ora maris Britannici in intimo Cornubiæ receſſu; *Meneg* vulgò.

MEMMATE, vel MEMMATES, vulgò *Mande en Gevaudan*, vicus olim Galliæ in Gabalis, à monte *Memmatenſi* vel *Mimmatenſi*, in cujus crypta S. Privatus Epiſcopus Gabalitanus, ab Alemannis occiſus eſt; dictus: nunc urbs Epiſcopalis, poſtquam Gabalis poſthabitis ſedes hûc tranſlata eſt, non multò ante A. C. milleſimum. Olite fluviò allui *Maſſonus* aſſerit; ſed pleræque tabulæ aliquot paſſuum millibus inde removent. Ibi Privatus ſepultus eſt, Valeriani Gallienique principatu, ubi Baſilica S. Privati Martyris Abbatem ſuum habuit, docente Gregoriô *Hiſt. Franc. l.* 10, *c.* 29. Ragamundus Epiſcopus *Mimatenſis* interfuiſſe legitur Concilio Lemovicis habito A. C. 1032. etiam Concilium aliquod *Mimatenſe* memoratur. Non procul ab urbe abeſt, Gredonenſe caſtrum, vel Gredo, vulgò *Grèze*, radicibus montis adjacens, quô perfugiô uſos eſſe Gabalorum urbis incolas, irruentibus in Aquitaniam Alamannis, ut dictum, tradidit *Gregorius*. Cœterùm uti Vivarienſem ſeu Helvicum pagum, Vellavum, Arvernum, Cadurcinum & Rutenum, ſic & Gabalicum, Cebennæ montes dividunt, in ſuperiorem, qui in montibus: & inferiorem, qui in plano vel vallibus ſitus eſt, unde pagus Gabalitanus ſuperior *le haut Gevaudan* &c. dicitur: Reliqua vide in voce *Gabali*.

MEMMIA, Sulpitii Conſularis viri filia, Catuli neptis, uxor Alexandri Severi Imperatoris apud Lamprid. *in Alexandro. c.* 20.

MEMMIA Lex, *ut eorum, qui Reip. cauſâ abeſſent, nomina ne inter reos reciperentur*, memoratur Cicer. *in Vatin.* & Val. Max. *l.* 3. *c.* 7.

MEMMII, à Mneſtheo, Æneæ comite, plebeii & prætorii tantùm. *Reguli* cognomine. Vide infra *Memmius*.

MEMMINGA, vulgò MEMMINGEN, urbs Imperialis, Sueviæ, prope Ilarum fluv. 7. milliar. Germanic. ab Ulma in Auſtrum; 9. ab Auguſta Vindelicorum in Africum. In *Algea* tractu. *Druſomagus* antiquis quibuſdam. *Baudr.* Dicta eſt à Memmingo conditore, viro prædivite, à quo in dira fame, ut alii homines poſſent, multis eorum conductis extructa eſt. Priuſquam ad Imperium pervenit, Comiti *de Mergau* ſubfuit. Adminiſtratur partim ab Optimatibus, partim à populo, in tribus 12. diviſo. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 36.

MEMMIUS, civis Romanus ambitûs poſtulatus à Q. Curtio. Cicer. *ad Quintum fratrem l.* 3. Hic Largio rivali brachium aliquando mordicus arripuit: unde Proverb. *Lacerat lacertum Largii mordax Memmius.* Porrò *Memmiam* gentem plebeiam fuiſſe, declarant Tribunatus plebis á Memmiis geſti. Verumtamen ſi nobilitas antiquitate penditur, nobiliſſima eſt: A Mneſtheo enim Trojano oriundam eſſe traditum eſt, idque teſtatur Virgil. *Æn. l.* 5. *v.* 117.

Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi.

Itaque non immeritò Lucretius *l.* 1. *v.* 43. C. Memmium Gemellum Lucii filium, ad quem ſuos libros miſit, claram Memmii propaginem dixit. Hic *Memmius* Gemellus eſt, ad quem ſcriptæ ſunt epiſtolæ aliquot a M. Tullio *l.* 13. *Epiſtolarum*, qui cùm præfecturam Bithyniæ non dextrè ſatis adminiſtraſſet, apud Jul. Cæſ. delatus & abſolutus: poſtmodum verò, cùm idem munus denuo obiiſſet, in exilium pulſus eſt. Orator & Poëta, ſed ſeverior paulo. Cicer. *in Bruto.* A. Gellius *l.* 19. *c.* 9. Ovid. *Triſt. l.* 2.

Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen, apud quem
Nomen adeſt rebus, nominibuſque pudor?

Vide Lambin. *præfat. ad Lucret.*

MEMMIUS Fuſcus, Conſul, principatu Aureliani, apud Vopiſcum *in Aurelian. c.* 13.

MEMMIUS Henricus, vide *Henricus*.

MEMMIUS Regulus, poſt Imperatorem, clariſſimus Romanorum, adeò ut Nero æger valetudine interrogantibus, in quo potiſſimum Reſpubl. præſidium haberet, in *Memmio Regulo* reſponderit. Vixit tamen poſt hæc quiete defenſus, & quia novâ generis claritudine, neque invidioſis opibus erat. Mortuus Cæſoniô Pæto, Petroniô Turpilianô Conſulib. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 47. Vide *Lucius*.

MEMMIUS Rufinus, Nobilis Romanus inter eos, qui ſine cauſæ dictione ſub Severo occiſi, memoratur Æl. Spartiano. *in Sever. c.* 13.

MEMNA, peninſula Albionis. *Meneg*, *Camdeno.* Vide *Memma*.

MEMNIUM, oppid Meſopotamiæ apud Babylonem, ubi fontes bituminis multi.

MEMNON, fil. Tithoni fratris Laomedontis ex Aurorâ ſuſceptus: qui cùm maxima Orientalium populorum copia in auxilium Priamo venit, & in pugnâ ab Achille occiſus, vel ut alii tradunt, ex inſidiis à Theſſalis interfectus eſt. Hic cùm in rogo cremaretur, precibus Auroræ in avem mutatus eſt, ex eademque pyra multæ aliæ aves evolârunt, quas *Memnonias* vocarunt, quæ quotannis ex Æthiopiâ in agrum Iliacum dicuntur advolare, Memnoniſque ſepulchrum ter luſtrare, deinde duas in partes diviſæ, roſtris, unguibuſque concurrere, & generis ſui authori ſanguine ſuò parentare. Ovid. *Met. l.* 13. Hunc literarum inventorem A. M. 2232. Anticles, apud Plin. *l.* 7. *c.* 56. refert. *Memnonis effigies*, de qua Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 61. *Cæterum Germanicus aliis quoque miraculis animum intendit, quorum præcipua fuêre Memnonis ſaxea effigies, ubi radiis ſolis icta eſt, vocalem ſonum reddens*, Dionyſ. *v.* 249.

——— Ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.

Lucian. *in Toxari*, Τὸν δὲ Μέμνονα βοᾷν πρὸς ἀντέλλοντα τὸν ἥλιον. Juvenal. *Sat.* 15.

Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ.

Vide Strab. *l.* 17. Pauſan. *in Atticis*, Philoſtratum *in vita Apollonii*, Tzetzem *Hiſt. Chil.* 6. 64. &c. inprimis verò de hac *ſtatua Memnonis* ex profeſſo agentes, Joh. Marshamum *Canone Chron.* & Anton. van Dalen *de Oraculis Ethnicorum Diſſertat.* II. *p.* 280. & *ſeqq.* ut & de viro hoc illuſtri hîc infrà.

MEMNON, dictus eſt Græcis, qui Ægyptiis *Amenophes*, in ordine Thebanorum Regum LVII. illorum verò qui toti Aſiæ imperitârunt, à Seſoſtre tertius; ſucceſſit Rhamſi, circa tempora Homeri. Inter Ægypti Reges bellicoſiſſimos meritò numerandus, eductô in Aſiam exercitu gentes à Seſoſtre ſubjugatas inviſit & ordinavit; Phrygiam obambulavit; Suſis diu commoratus, ſui monumenta reliquit; Bactrianos rebellantes ſub obſequium reduxit; & de Aſia pacata, ſtabilitôque Seſoſtris imperiô ſuperbum deportavit triumphum. Inter plurima illius monumenta celebratur maximè *ſtatua vocalis* ſuprà indigitata: *Memnonis regia* in urbe Abydo mirificè exſtructa; è ſolido lapide: *Labyrinthus*, ſeu monimentum Regis Oſimandis, (qui idem cum Memnone) Hecatæo Abderitæ prolixè deſcriptus, apud *Suidam* & Diodor. Sic *l.* 1. (quod ipſum fortè *Memnonium* Strab. *l.* 17.) cum Inſcr. *Sum Rex Regum Oſymandis: ſi quis nôſſe velit, quantus ſim & ubi jaceam, vincat aliquid meorum operum &c.* Atque hæc Memnonis in Aſiam expeditio apud Græcos Seſoſtræâ multo celebrior fuit, vel quòd hæc recentior erat, vel quòd Poëtæ (qui omnium primi res geſtas literis mandârunt) tum primùm efflorеſcebant: unde illa Memnonis in belli Trojani hiſtoria mentio. Græci enim, cùm nihil illis bello Trojanô magnificentius haberetur, quidquid à majoribus illuſtre acceperant, ad illud retulerunt: *Pindaruſque* proin, qui Poëtarum primùs hanc fabulam celebravit, ac ultra annos 700. poſt Trojæ caſum floruit, στράταρχον Αἰθιόπων Μέμνονα appellat, & Auroræ filium Æthiopem; illumque ab Achille proſtatum cecinit, in Pythiis *Ode* 6. Olymp. *Ode* 6. & Nemeis *Ode* 6. cùm certum ſit Memnona hunc Thebanum bellô Trojanô longè recentiorem eſſe. Quemadmodum, ex homonymia nominis factum, ut Amenophem II. pro Memnone ſumerent nonnulli, eique ſtatuam tribuerent loquentem, ut ſuprà vidimus. Regnavit ann. 11. juxta Euſebium, 20. juxta Syncellum; πέντε γενεάς, *per ſpatium quinque generationum*, juxta Damidem apud Philoſtratum *l.* 6. *c.* 3. Ei ſucceſſit Rameſſes, quem vide. Nomen quod attinet, ex *Menis*, primi Ægyptiorum Regis, nomine compoſitum videtur; unde *Mennoph* Græcis & euphoniæ gratiâ *Mennon* ſeu *Memnon*, Marshamus *d. l.* ubi & eruditè explicat, quam ob cauſam *Æthiopum Rex* Græcis, res Ægyptiacas ante Pſammetichi tempora, ut plurimùm ignorantibus, is habitus ſit.

MEMNON, frater Mentoris, quorum ſoror Artabazo nupta, Darii Perſarum Regis dux exercitus, Rhodum, Chium, Methymnam, Ereſam ac Pyrrham & Mitylenem vel occupavit, vel vi cepit, quô tempore Alexander primum in Aſiam trajecit.

MEMNON, Andromacho vivo à Samaritanis exuſto, in adminiſtranda Cœleſyria, ab Alexandro, ſuffectus. Curt. *l.* 4. *c.* 8. Poſtea Arachoſiis Prætor datus. *l.* 7. *c.* 13. 4000. peditum & 600. equitum in præſidium relictis. Ex Thracia, in ſupplementum equitum 6000. adduxit. *l.* 9. *c.* 3. Item Prætor, ab Alexandro Thraciæ præfectus. Vide Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 7.

MEMNON, hiſtoricus, ſcripſit de rebus Heracleæ Ponticæ, ſub Auguſto. Photius *cod.* 224. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. c.* 5. *p.* 182.

MEMNON, inſidiator Leuconis, Boſphori Tyranni, per Alcibiadem Byzantium legatum. Polyæn. *l.* 5. *c.* 44.

MEMNONES, Æthiopiæ populi Plin. *l.* 6. *c.* 30.

MEMNONIA, *Herodoto.* Suſa dicitur.

MEMNONIS, Regia, quæ *Abydus Ptol.* Vide ibi.

MEMNONIS Sepulchrum, prope Belum fluv. & Cendeviam paludem: Joſeph. *l.* 2. *Bell. Jud. c.* 9. in tribu Aſer.

MEMORIA, inter Numina Veterum. Vide ſuprà *Dii*; it. infra *Minerva*. Aliàs Latinis propriè de mortuis, ſicut *mentio*, de vivis; uti vocem quoque Græcam μνῆμα, à μνεία, *Ammonius* deſtinguit. Sed & ſepulchra ſic vocârunt, unde *Memoriæ Martyrum*: ſicut in Græco *Epigr.* μνῆσις pro *tumulo*,

——— περὶ μνῆσιν δὲ παρέρπων.

Oratoria item, in quibus Sanctorum corpora recondita. *Itinerar.* Hieroſolym. ſeu Burdigal. *In Therebinto Chebron mil.* VII. *ubi eſt* memoria *per quadrum ex lapidibus miræ pulchritudinis, in qua poſiti ſunt Abraham, Iſaac & Jacob.* Vide Lud. de la Cerda *Adverſar. Sacr. c.* 87. *n.* 18. &c. Exequias porrò, Baſilic. *Ecl.* 4. Anniverſarium quoque Sanctorum diem, apud Optatum *contra Parmenian. l.* 2. *Codinum*, Alios. In cujuſmodi diebus paſſiones Martyrum legi voluit Concilium Carthagin. *can.* 46. ad quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Zonaram vide: adde Cl. Suiccerum *Theſauro Eccleſ.* voce Μνῆμαι &c. Nec non cippum & columnam, mortui tumulo impoſitam, in qua elogium ejus inſcriptum videbatur, quod nomen, patriam, parentes, profeſſionem, artem, ætatem, mortiſque continebat genus. Plerumque verò nullâ inſcriptione, ſymbolis aliquot inſculptis. Elogium mortuo faciebant: Sic in cippo Lyſidicæ inſculpta fuêre hæc ſymbola, *frena*, *capiſtrum*, *gallus Gallinaceus Tanagræus*, uti docet Antipater, *Epigr. iſtô.*

> Μαστεύω τίς σευ τίς ἐπὶ σταλητίδι πέτρᾳ,
> Λυσιδίκα, γλυπτὸν τ̃ δ' ἐχάραξε νόον;
> Τὰν μὲν ἀνεγρομέναν με ποτ' εἴρια νύκτερος ὄρνιν,
> Ἀνία δ' αὐδάσει δώματος ἡνιόχον.
> Ἵππαστρ δ' ὅδε κημὸς ἀείσεται ὁ πολύμυθον,
> Οὐ λάλον, ἀλλὰ καλᾶς ἔμπλεον ἡσυχίης.
>
> *Quæro, quis tua in columnari petra,*
> *O Lyſidica, ſculpſit hanc ſententiam:*
> *Surgentem me ad lanas pernox volucer,*
> *Frænum, loquetur domus moderatricem.*
> *Equeſtre autem hoc capiſtrum canet non loquacem,*
> *Non garrulam, ſed pulchra refertam tranquillitate:*

In alio ejuſdem, de quadam fœmina, *Myrô* nomine, *arcum*, *canem*, *lorum*, *anſerem*, & *noctuam*, ſepulchrali cippo inſculpta legimus: In columella Archimedis, *Sphæra* & *cylindrus* conſpiciebatur: quô *memoriæ* indiciô cognovit Cicero, ſepultum ibi Archimedem. Apud Jetas, tumulum Homeri demonſtravit olim *candida capra*, quòd Manibus ejus caprâ ii parentarent, &c. Vide quoque infrà *Monumentum.* Attamen & *memoria* & μνήμη, etiam de vivis, nonnunquam. Hinc *Memoria*, pro commentario rerum geſtarum, vel vitæ ephemeride Sueton. *Claud. c.* 1. *Auguſtus in memoria vitæ ſuæ.* Et inter officia Domus Auguſtæ, *Memoriæ Magiſter:* & *Memoriales*, qui ad Memoriæ officium apparebant, οἱ Μεμοριάλιοι, de quibus hîc infrà. Plura verò in hanc rem vide apud Deſid. Heraldum *ad illa Arnobii l. 6. Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe, memoralia ut indicant ſcripta.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1221.

MEMORIA, fons mirus, de quô ſic Plinius; *l.* 4. *c.* 7. *In Bœotia ad Trophonium, juxta fluv. Orchomenum, duo ſunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adfert, inde nominibus inventis.*

MEMORIÆ Ars Μνημονευτικὴ, Græcis dicta, Locorum imaginumque doctrina *Voſſio*, *inventa à Simonide Melico*, *conſummata eſt à Metrodoro Scepſio*, Plin. *l.* 7. *c.* 24. vide ſuprà *Charmadas*, ut & voce *Metrodorus:* recentiori ævô inſtaurata à Raymundo Lullo, cujus doctrinam tamen magis eſſe ad oſtentationem, quàm ad fructum, oſtendit Voſſius modò laudatus *librô de Natura Rhetorices*; qui & *Inſtitut. Orator. l.* 6. *c.* 9. de hac Arte eruditè diſſerit. Cæterùm Oratori inprimis felici memoriâ opus. Licet enim Cæſar Auguſtus, ne periculum memoriæ adiret, vel in ediſcendo tempus abſumeret, ferè de ſcripto dicenda recitaverit, teſte Tranquillo *c.* 84. & Dione *initio l.* 3. Carolus V. etiam ad Belgicæ Proceres orationem è ſcripto habuerit, cùm terræ hujus imperium traderet filio ſuo Philippo; aliis quoque idem permitti ſoleat, quos aut morbus impedit aut ætas: communiter tamen ut memoriter id fiat requiritur. Multum namque gratiæ ac virium de pronuntiatione deperire, dum quis in recitando lectioni vacat, neque oculos ac vultum à commentario valet referre, certum eſt: quod & B Bernhardus obſervat *Ep.* 66. & pluribus perſequitur Cœlius Calcagninus *Dialogo* quem de *Memoria* inſcripſit. Imò Chriſtianis omnibus *Memoriæ* exercitium perquam neceſſarium, à Paulo Apoſtolo enixè commendatum, 1 Tim. *c.* 2. *v.* 8. A Catechumenis certè, ut *memoriter* recitarent præcipua Chriſtianæ Religionis capita, Symbolum inprimis & Orationem Dominicam exigi ſolitum, diſcimus ex Theodoro Anagnoſta *Eclogâ.* 2. Ferrando Diacono *Ep. ad Fulgentium*, de Æthiope baptizando, Aliis: Principia item IV. Euangeliorum, ex Beda *de Tabernaculis l.* 2. *c.* 13. &c. Laudatque in Erone Palladius, quòd *memoriter* pronuntiaverit Pſalmos XV. dein magnum Pſalmum, centeſimum nempe decimum nonum, *Hiſtor. Lauſiac. c.* 32. Ammonius verò παλαιὰν καὶ καινὴν γραφὴν ἀπεστήθιζεν, *veterem & novam Scripturam ex pectore depromſit*, apud eundem in *Vita* ejus: quod & de Marco adhuc juvene, in eo; & de Tabennetis *c.* 39. refert Epiphanius, ſuô tempore plures in pſalmodiis & continuis precibus, in lectionibus inſuper καὶ ἀποστηθισμοῖς, *& recitationibus Sanctarum Scripturarum, quæ fiunt memoriter*, exerceri conſueviſſe ſcribit *in Compendiaria Doctrina de Fide p.* 466. Sec nec Iſraëlitarum quoque Reges à Sacro hoc gymnaſmate olim immunes: quos hac ipſa de cauſa manibus ſuis librum Legis deſcribere obſtrictos fuiſſe, legimus Deuteron. *c.* 17. *v.* 18. ac fuſiùs enarrat R. Moſes Majemonides *Halach Melech. c.* 3. *Halach. Tephillin. c.* 7. & inde Schickardus *de Regio Jure c.* 2. Inter memoriæ enim ſubſidia ſcriptionem eſſe, atque ita fieri, ut animus diutiùs rei immoretur, ac dum aliquid chartæ inſcribitur, ſimul inſcribatur animo, eruditè monet ſuprà aliquoties laudatus Ger. Joh. Voſſius *in Inſtitut. Orat.* ubi ſuprà.

MEMORIALIS Cuculla, inter pœnas Canonicorum Regularium; vide ſuprà *Cucullatæ Veſtes.*

Ad MEMORIAM dictare, apud Flav. Vopiſcum *in Caro c.* 8. *Junius Calphurnius, qui ad memoriam dictabat* &c. dicebatur, qui *Memoriæ dictator* erat; quemadmodum & *procurare ad alimenta*, qui alimentorum erat Procurator, Ita & *parére* atque *obſecundare ad Memoriam*, dicebantur, quos etiam vulgò *Obſecundatores memoriæ* vocabant. Unde *Obſecundatores ſcriniorum.* in *Cod. Theodoſ. de Proximis Scriniorum Parere* autem *ad memoriam*, dixit Spartianus *in Nigro c.* 7. de *Memoriæ Magiſtris*, iiſque, qui ad memoriam dictabant. Sic *Dictator memoriæ*, *& Dictator ad memoriam*, idem omnino erat & is planè, quem Græci vocarunt Ἀντιγραφέα τ̃ μνήμης. Quatuor enim erant Ἀντιγραφεῖς ſive Dictatores, primus libellorum; ſecundus *memoriæ*; tertius epiſtolarum; quartus diſpoſitionum, & totidem ſcrinia: Qui omnes habebant ſub ſe Librarios & Scribas, & eos, qui ſcrinium gerebant &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* Iidem, qui nempe in ſcriniis Memoriæ militabant, *Memoriales*, dicuntur, in *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Privil. eorum qui in ſacro Palat.* &c. Μεμοροφύλακες, in Concilio Chalcedon. *Act.* 4. quos eoſdem cum iis, qui οἱ ἐπὶ τ̃ Ἀναμνήσεων poſterioribus ſeculis dicti ſunt, facit Meurſius *in Gloſſ.* Vide quoque ſuprà in *Memoria*, ut & aliquid ubi *de Curioſis.* Sed & apud Veter. jam olim *à Memoria* Principibus fuêre miniſtri certi, qualis ille apud Darium Hyſtaſpidem, qui Regem Athenienſibus infenſiſſimum, appoſitâ cœnâ quotidie ter monere ſolebat, Μέμνησο Ἀθηναίων, ut *ad C. Nepotem in Miltiade c.* 4. adnotat Keuchenius. Ille item, qui Philippo Macedoni, quoties manè ſurgeret, occinere jubebatur, Φίλιππε μέμνησο ἄνθρωπος ὤν.

MEMPHEUS, mons circa Theſſaliam.

MEMPHI, populi Memphim habitantes.

MEMPHIS, cognomen Agrippi hiſtrionis, Vero Imperatori chari. Jul. Capitolin. *in Vero c.* 8. *Habuit & Agrippum hiſtrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipſum è Syria, veluti trophæum Parthicum, adduxerat, quem Apolauſtum nominavit.* Caſaubono *in notis* videtur is eſſe, quem unà cum aliis libertis aulicis cæſum, temporibus Commodi narrat *Lampridius:* cujuſque meminit antiqua *Inſcriptio* Romani Lapidis hæc:

L. AURELIO.
APOLAVSTO. MEMPHIO
AUGG. LIB. HIERONICÆ
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
DON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARCHIERI
SYNHODI. ET. AUGG.

L. AURELIUS.

PANNICULUS. QUI. ET
SABANAS. PATRONO
OPTIMO.

Sed hic, quem ex Syria adduxit Verus, non *Memphius*, verùm *Memphis*, cognominabatur. Præterea; nomen erat illi *Agrippus*, cujus in eo lapide nulla mentio. Potiùs itaque *Memphis* iſte idem eſſe videtur, cum eo, cujus Athenæus meminit, & quem ſuâ ætate vixiſſe, ſcribit *l.* 1. Τῶν ἐφ' ἡμῶν φιλόσοφον ὀρχηστὴν, Μέμφιν ἐκάλεσαν, ἀπαρχαΐζοντες τὴν διὰ τ̃ σώματος αὐτ̃ κίνησιν, τῇ τ̃ πόλεων ἀρχαιοτέρᾳ καὶ βασιλικωτέρᾳ, *Philoſophum ſaltatorem, qui noſtrâ ætate floruit*, Memphim *vocârunt*, *agilitati corporis ejus antiquitatem & ſplendorem conciliantes, ab urbe antiquiſſima & maximè regali.* Vide Salmaſ. *ad Capitolinum. loc. cit.*

MEMPHIS: Hebr. *Meph.*, vel *Noph*, & *Migdol*, urbs Ægypti exciſa, olim regia, ab Oſiride, ſeu Mene condita, apud verticem Deltæ, ex adverſo Babylonis à vertice 15. mill. paſſ. in Auſtrum diſtans. Ibi papyri copia. *Ægyptia Memphis* Lucano dicitur *l.* 1. *v.* 640. Martial. *l.* 4. *Epigr.* 1.

> *Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis:*

Pyramidum iſtarum veſtigia adhuc cernuntur. Locus *Menchis*, & *Mitzir* hodie *Poſtello.* Sunt qui *Cairo* eſſe putent, ſed Memphis ex altera parte Nili fuit, è regione Cairi. Quin & *Memphin* Arcadiæ Ægyptiacæ urbem memorat Dioſcorides *l.* 4. cujus mentionem faciunt *Euſtath. Lib. Notit.* & *Steph.* Horat. *l.* 3. *Od.* 26.

> *Carens Sethonia nive Memphis.*

Vide quoque Ovid. *l.* 2. *Amor. eleg.* 13. Propertium *l.* 3. *Eleg.* 9. Hinc *Memphitis*, patronymicum fœmininum, Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 122. Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 7. &c. Item *Memphiticus.* Ovid. *l.* 1. *Art. Am. v.* 77. Addo, ſuperioris Ægypti metropolim fuiſſe *Memphim*, ab ipſo *Mene*, conditore ſuo id nominis nactam, in qua celeberrimum Vulcani ab eodem fundatum templum fuit. Reges habuit poſt Menem peculiares, quorum primus Toſorthrus, ultima Nitocris fuit, pyramidum architectos. A Paſtoribus, de quibus infrà, occupata; per annos 200. rediit in Thebanorum Regum poteſtatem circa tempora Mœridis Regis, quem illam tenuiſſe atque exornâſſe ſuô locô dicemus. Cœterùm & poſt regnum multis ſeculis floruit, ſtetitque poſt Babylonem adhuc à Cambyſe conditam, & poſt Alexandriam à Macedonibus, exſtructam. Nam & ſub Romanis, quum jam Thebæ à C. Gallo eſſent deletæ, Memphim urbem *magnam & populoſam*, *& ſecundam poſt Alexandriam; Regias verò dirutas & deſertas fuiſſe*, refert Strabo *l.* 17. Vide Marshamum *Canone Chron.* paſſim.

MEMPHIS, nomen ſaltationis, cujus Socratem ſtudioſum fuiſſe dicunt; an fuerit à cognomine urbe dicta, non ſcribunt. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 18. *ubi de Saltatione.*

MEMPHITÆ, Crocodili Ægyptiis inter alia dicti, quaſi *Ægyptii*; quia Ægypto metropolis erat Memphis. Unde apud Epiphanium de *Vitis* Prophetarum, in Jeremia; Τῶν ὑδάτων θῆρες, ὃς καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι Νεφώθ. Ἕλληνες τ̃ς κροκοδείλ̃ς, *Aquarum feras, quas vocant Ægyptii Nephoth; Græci verò crocodilos.* Alii legunt *Menephoth*, ex Pſeudo-Dorotheo *in Synopſi*, Cum à beſtiis aquaticis turbarentur, quas Ægyptii *menephoth*, Græci verò crocodilos vocant. Arabibus enim *Menph*, vel *Meneph*, Memphis dicitur. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 8.

MEMPRICUS, Rex Britanniæ qui fratrem Malyn exuit vitâ, ut eô mortuô regnaret. *Volaterran.*

MEMPSIS, ab Arrhibæo bellô petitus, ne intra mœnia concluderetur, omnia extra muros protulit; & manifeſtô deſperationis indiciô, adverſarium à conflictu deterruit. Polyæn. *l.* 7. *c.* 30.

MENA, Dea apud Romanos, quæ menſtruis floribus præeſſe putabatur. Item primus Ægyptiorum Rex A. M. 1251. *Diodor. Sic.*

ſic. Item inſulæ duæ in Hippadis pelago. *Ptol.* Deæ meminit Auguſtin. *de C. D. l.* 4. *c.* 11. *Ipſe ſit Dieſpiter, qui partum perducat ad diem. Ipſe ſit Dea* Mena, *quam præfecerunt menſtruis fœminarum.* Credita autem hæc Dea Luna eſt, quia Luna Μήνη Græcis. Vide Thom. Bartholinum. *de Puerperio Veter.* & præter *Tertullian.* Auguſtinum *Opere* & *locô præfato* uti de tabula vocis hujus in *Lunam* mutatæ, infrà voce *Sol.*

R. MENACHEM Rekanath ſeu Recinenſis, ſcripſit *Rakanath*, & libr. *Thahame mitzvot*, h. e. Rationes præceptorum, It. *Quæſtiones & Reſponſiones.* Obiit ann. 50. Millenarii VI. juxta *Chronologiam* R. Ganz.

R. MENACHEM F. Zerach, auctor libri *Tzada Ladderech*, obiit ann. 5135. quô tempore etiam R. Macir vixit, auctor *Abekat Rechil*, juxta *Chronol.* prædicti Ganzii.

MENACH, calceamenti virilis genus, cui ab Auctore nomen, vide infrà voce *Vir.*

MENÆ, Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Menæhon. Diodoro Sic.* Siciliæ oppid. mediterraneum. *Ptol. Meneo* vel *Mineo.* Vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 9. apud Palicam urbem dirutam, 2. mill. paſſ. à Leontinis 12. ab Enna 36. Syracuſas verſus ſupra 30. Populi *Menenii* Cicer. *Verrin.* 3. *Menanini* Plin. *l.* 3. *c.* 8.

MENÆCHMI, nomen comœdiæ Plautinæ.

MENÆCHMUS, Philoſophus Platonicus Proconneſius, Eudoxi auditor; vixit temporibus Platonis. Item hiſtoricus Sicyonius. Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 11.

MENÆUM, Græcè Μηναῖον, liber, continens preces & hymnos in Choro recitandos, in XII. Tomos diviſus, pro menſium totius anni numero, in uſum Eccleſiæ Græcanicæ, Dominicus Macer *in Hierolexico.* Et quidem menſes ſinguli ſingula explent volumina, ſingulisque diebus unius vel plurium Sanctorum ἀκολουθίαι, *officium*, quorum ſolennitas eo die celebratur digeritur, Caſp. Suicerus *Theſauro Eccl.* vocibus Μηναῖον, vel Μηνιαῖον.

MENAIS, fons Leontinorum, per quem cives timent jurare. *Vibius.*

MENAJUS, vulgò MENAI, fluv. Walliæ Borealis, ſeu potius Fretum, Monam Inſulam ab Arvonia provincia ſeparans. Ei inſident Arvonia, Bangoria, & Bellomariſcus, urbes.

MENALCAS, paſtoris nomen apud Virg. *Ecl.* 3 *v.* 13.

MENALIPPE, Antiopes Amozonum reginæ ſoror, ab Hercule in bello Amazonico capta, quam cùm ſorori reſtitueret, accepit precium arma reginæ, & baltheum: Nam hæc quoque ex eo bello reportare fuerat juſſus ab Euryſtheo. Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 229.

Syrma vel Antigones, vel perſonam Menalippes.

MENALIPPE, inter Neptuno dilectas, apud Arnob. *l.* 4. *adv. Gent.*

MENALIPPIDES, poëta Melius genere, ſcripſit Dithyrambicorum plures libros, & poëmata Lyrica, & epigrammata, & elegos. Hujus ex filiâ nepos *Menalippides* junior, item poëta, ſcripſit Lyrica & Dithyrambica. Vixit, mortuuſque eſt apud Perdiccam regem Macedoniæ. *Suidas.*

MENALIPPUS, civis Thebanus, qui cùm Tydeo ad Thebas vulnus lethale inflixiſſet, ille ſibi hoc mortis ſolatium à ſuis præſtari petiit, ut antequam moreretur, Menalippi caput ad ſe referrent, quod cùm non exiguo ſuorum, hoſtiumque ſanguine obtinuiſſent, feræ ritu dentibus dilaniavit; tandemque, veluti vindictæ ſatur, æquiore animo expiravit, Stat. *Theb. l.* 8. Item Tydei frater, quem Tydeus in venatu fertur peremiſſe, obque id fratricidium exulâſſe. Item Trojanus quidam, ob virtutem à Priamo, filii locô, amatus.

MENAMBIS, oppid. Felicis Arabiæ. *Ptol.*

MENAN, vide MEMMA.

MENANDER, Archon Athenis, Olymp. 99. an. 3.

MENANDER, cùm Succeſſores Alexandri provincias inter ſe partirentur, ſortitus eſt Lydiam.

MENANDER, Athenienſis, fil. Diophyti, diſcipulus Theophraſti, natus Olymp. 109, novæ comœdiæ Comicus, ſtrabus fuit, mente acutus, amore in mulieres inſanus. Scripſit fabulas 80. & epiſtolam unam ad Ptolemæum Regem, aliaque nonnulla ſolutâ oratione. *Suidas.* Quintilianus autem de eo *l.* 10. *c.* 1. *Menander*, inquit, *meô judiciô diligenter lectus, ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda ſufficit. Ita omnium imaginem in vitâ expreſſit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas, ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus, ut omnibus ejuſdem operis authoribus tenebras obduxerit.* Porro tanto fuit in pretio, ut etiam invitatus ſit à regibus Ægypti, oblatis magnis honoribus & divitiis. Vid. Euſeb. *in Chron.* Caſaubon. *in Athen.* Voſſ. *de Poët. Gr. p.* 57. 58. *&c.* Ovid. *Triſt. l.* 2.

Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 21.

Librorumque tuos, docte Menandre, ſales.

Idem *l.* 4. *Eleg.* 5.

Sed potius blandi Thais pretioſa Menandri.

Stat. *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 114.

Attica facundi decurreret orſa Menandri.

Auſonius, *Idyll.* 4. *v.* 46.

Conditor Iliados & amabilis orſa Menandri.

Primus olim cum Homero pueris prælectus eſt. Auſonius *Idyllio* 4. *v.* 44. *ſ.*

Perlege quodcunque eſt memorabile; prima monebo
Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri
Evolvenda tibi. tu, flexu & acumine vocis,
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectuſque impone legens: diſtinctio ſenſus
Auget & ignavis dant intervalla vigorem.

Ubi nota, diverſâ Veteres in poëſi lectione uſos fuiſſe, à lectione ſolutæ orationis, uti ſuprà diximus in vocibus, *Carmina* & *Lectio*, Plura verò de celeberrimo hoc & ſummo inter Comicos Græcos & pæne omnes cœteros Scriptores Atticos, vide apud Caſp. Barthium *Adverſariorum l.* 7. *c.* 7. & *l.* 23. *c.* 23. ut & *Not. ad Manilium.* At ejus fluxum & delicias his verſibus deſcribit Phædrus *l.* 5. *Fab.* 1.

Quin etiam reſides & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, repetunt ultimi.
In quis Menander *nobilis Comœdiis,*
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius;
Et admiratus fuerat ingenium Viri;
Unguentô delibutus, veſtitu affluens,
Veniebat greſſu delicatô & languidô.
Hunc ibi Tyrannus vidit extremô agmine,
Quinam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire! Reſponderunt proximi,
Hic eſt Menander *ſcriptor.*

Ad quæ verba alludens Tertullianus *de Pallio c.* 3. *Prorſus*, inquit, *ſi quis Menandricô fluxu delicatam veſtem humi protrahat, audiat ponè ſe, quod & Comicus. Qualem demens iſte chlamydem diſperdit?* Ubi quidem nonnulli *Mæandrico* legunt, voluntque hic Mæandros in veſtibus, faſcias nempe ſeu ornaturas, quæ extremas oras flexuoſô circuitu ambirent, notari: Sed *Salmaſius Menandrico* reponit, docetque, *Menandrico fluxu veſtem delicatam humi pertrahere* nihil aliud eſſe, quàm *Menandri* Comici more, veſtitu delicatô & fluente humum verrere ejuſque delitias, in veſte tali trahenda, imitari. Quòd verò Afer addit, *Audiat ponè ſe quod & Comicus:* legit idem, *penès ſe & Comicus*, cùm ſequentia verba verſum, ex aliqua Menandri Comœdia depromtum, contineant Licèt enim Comicus hic molles & fluentes gereret veſtes, idem tamen in aliqua comœdia cinædum ac delicatum quendam, qui ſimili veſte humum verrebat, hôc tetigerat verſu:

Οἵαν ἄνοητος ὅδε χλαμύδα διολλύει;
Qualem demens iſte chlamydem diſperdit?

Unde videtur Satyricè Tertullianus dicere voluiſſe: Si quis igitur delicatam & ad talos uſque fluentem veſtem humi trahat, audiat penes ſe & Comicus, h. e. Menander, verſum illum, quô demens appellatur, qui talem veſtem gerat: & ſic dictum in ſemet ipſe accipiat, quod in alium dixit, ac ſuômet ipſius gladiô juguletur. Nam & ipſe chlamydem ſuam ſic diſperdebat humi protrahendo; dementem itaque ſemetipſum illo verſu Menander appellavit. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. loc. cit.* & ſuprà *Mæandri.*

MENANDER Epheſius, Hiſtoricus, ex libris cujuſque regionis, quò magis Hiſtoriæ veritatem diſceret, leges Regum Græcorum & Barbarorum, in unum opus collegit, Joſep. *Jud. Antiqq. l.* 8. *c.* 2. & *l.* 1. *contra Apion.* Tertullian. *in Apol.* Theophilus Antioch. *ad Autolicum l.* 3. Scalig. *de Emend. temp.* Vide etiam Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 386. Ejus *de Regibus Tyriorum* inſigne *fragmentum* conſervavit notis Joſephus *d. l.* ab Hiromo uſque ad Pygmalionem.

MENANDER. Laodiceus Sophiſta, ſcripſit commentarios in artem Hermogenis, & in præexercitamenta Minutiani. *Suidas.*

MENANDER, Pergamenus Hiſtoricus. De rebus Phœniciæ egit, ut cognoſcere eſt ex orat. Tatiani *adv. Gent.* & Clem. Alex. *l.* 2. *Strom.*

MENANDER, Simoni Mago ſucceſſit, ſeſe Servatorem dictitans, ex Olympo ad hominum ſalutem demiſſum, docenſque nullô pactô Angelos ab hominibus vinci, aut cogi poſſe, quàm artis Magicæ diſciplinâ, & baptiſmô ab eo traditis, ex quibus immortalitas humano generi proveniat. Epiph. *hær.* 22. & Euſeb. *l.* 3. Hinc *Menandriani*, ſectatores ejus. Vide inſuper Auguſtin. *de Hæres. c.* 2. ubi ipſe Magis accenſetur, & Irenæum *l.* 3. *c.* 4. ubi primogenitum hunc Simonis Magis diſcipulum peſſimorum Gnoſticorum auctorem facit, Alios.

MENANDER Protector, ſub Mauritio Imperatore Chronicon ſcripſit. *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 23. *&c.*

MENANUS, vulgò *Menan*, i. e. mater aquarum, fluv. Indiæ ulterioris. Oritur ex lacu Chiamajo, & poſt longum curſum, per regnum Peguvianum fluit, hinc per regnum Siam, ubi Judiam, urbem regiam rigat, & 30. leuc. Gall. infra in ſinum Siami & Oceanum Indicum exoneratur.

MENANINI, Siciliæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 8.

MENAPIA, Bactrianæ urbs. *Ptol.*

MENAPII, populi qui ad utramque Rheni ripam habitant juxta Nervios, qui pleriſque Juliacenſes & Clivenſes cum parte Geldrenſium eſſe videntur, Eburonibus, & Tungris finitimi. *Baudr.* fuêre, ubi nunc Ducatus Brabantiæ in Belgio, a Scaldi ad Moſam uſque protenſi. Eorum oppid. fuit Caſtellum Menapiorum, nunc *Keſſel*, ad Moſam. Quidam ipſis & partem Orientalem Flandriæ tribuunt. Pernam ex Menapiis, commendat Martial. *in Xeniis.* Vide B. Rhenanum cum *Notis* Ottonis JCtis.

MENAPIS, exul apud Philippum, regnante Ochô; poſtea ab Alexandro Hyrcaniæ Satrapes datur. Curt. *l.* 6. *c.* 4.

MENAPISCUS, vicus hodie Flandriæ Comitatus eſt, teſte *Divæô:* Pro parte, eodem authore, & Meyero Flandria, proavorum memoriâ *Ruthenia* dicebatur, teſtibus *Lhuydô* & *Cænali.*

MENARIA, vel potius *Manaria*, inſula parva contra Magonem, à *mænis* piſcibus dicta. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

MENARIACUM, pagus Flandriæ. *Mergen* Belgis, *Merville* Gallis, teſte *Orteliô.* Etiam *Minariacum* dicitur, *Sanderô* teſte, eſtque *Etayres*, oppidulum Flandriæ, ad Legiam fluv. Aliis eſt *Merville*, oppid. aliàs Morinorum, nunc Flandriæ, in ipſo limite

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Arteſiæ, 6. leuc. à Nemetocerna in Boream Caſtellam verſus. *Baudr.*

MENAS, vide MENUS.

MENASSEH Ben Iſraël, Judæus, natus Amſtelodami, eruditione inter ſuos magni nominis. Ejus extant: *Conciliator in Pentateuchum: de Creatione mundi: de Convenientia locorum S. Scripturæ, &c.* Obiit circa A. C. 1659. *Singulari modeſtiâ, & laudabili S. Scripturas V. T. explicandi ſtudio præditus, Dilherro.*

MENCHERES, Memphitarum Rex XII. alias Μυκερῖνος, Herodot. *l.* 2. *c.* 134. deam Iſidem imitatus, *defunctam filiam unicam in Bovis ligneæ atque inauratæ utero ſepelivit. & in conclavi exornato poſuit, ut ei odores omnifarii quotidie adolerentur, & lucerna ſingulis noctibus, incenderetur, ibid. c.* 29. de qua Ægyptiorum ſuperſtitione, Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. IV.* Idem pyramidis tertiæ auctor eidem Herodoto habetur, *dicto c* 134. quam alii Nitocri adſcribunt. Oraculum accepit ex urbe Buti *fore ut 6. omnino annos viveret, ſeptimò defuncturus,* Idem *ibid. c.* 133. quô apud gentes nullus occurrit χρησμὸς vetuſtior. Succeſſerat autem Suphidi II. regnavit ann. 63. dum Saophis, Sen-Saophis & Moſcheris in Thebaide regnarent & Abrahamus Patriarcha Circumſionem inſtituiſſet. Eum excepit Racæſes, quem vide.

MENCORVUM, oppid. Portugalliæ, *Mencorvum* quibuſdam, prope Durium fluv. 4. leuc. à confinio regni Legionis in Occaſum, 10. à Lameca in Ortum. *Torre di Mencorvo* vulgò.

MENDACES & glorioſi, in Cloacinæ ſacro quærendi, Plaut. *in Curcul. Actu* 4. *ſc.* 1.

> *Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;*
> *Qui* mendacem *glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.*

Ubi *Turnebus* aliique putant *Cluacinam*, cùm dicta ſit à cluendo, quod celebrari & inclytum eſſe ſignificat, idcirco glorioſorum & alazonum patronam habitam eſſe, & eorum omnium, qui in ſuis laudibus jactandis multi ſunt. Sed abſurdum *Salmaſio* videtur, cùm cloacarum præſidem intelligit, *Cloacinam* dicere; cùm gloriæ animalium patronam, *Cluacinam* ſcribere. Nam *cloacæ* ſunt *cluacæ*, ab antiquo verbo *cluere*, quod purgare ſignificat: & utrôque modô hæc vox ſcribebatur. Alia igitur quærenda ratio, cur *Mendaces* ac glorioſos in Cloacinæ ſacro, quæri velit *Plautus*. Nempe nihil odioſius aut putidius hominis glorioſi ac ſemet ipſum laudantis oratione, nullum æque ἄκουσμα auribus ingratum accidit. Hinc *putidi* & *ſtercorei* ejuſmodi homines vocabantur, nihil enim ſtercore σιχχαντότερον. Plautus *Milite Glorioſo, Actu* 2. *ſc.* 1.

> *Qui hinc ad Forum abiit, glorioſus, impudens,*
> *Stercoreus, plenus perjurii, adulterii.*

Hinc Græcis κοπρία, μύξα, βλέννα, κόρυζα, pro *jactantia*; & κοπρολόγοι, κόπρεις, κορύζης μεστοὶ, κορυζῶντες, *jactantes* & ἀλαζόνες. Uude κορύζης παῦσαι apud *Lucianum. Superbiam alicui demere*, & κορύζα, pro *tumore* ac *ſuperbia*, apud *Nicetam*, Rhetoreſque. Hinc, Sycophantæ, rabulæ, ſcurræ & hujuſcemodi tota hominum natio, qui multa ac magna promittunt & minantur, miraque de ſe prædicant, Κοπρολόγοι & Κοπρίαι vulgò dicti. *Suidas*, Ἀγοράνομοι οἷς ἔμελλε περί τε τῶν αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν καὶ κοπρολόγων. Ex eodem fonte Sueton. *in Tiber. c.* 61. *Copriæ*, Κοπρίαι, ſcurræ ſunt, qui deridiculi gratiâ vana multa de ſe jactabant ac pollicebantur. Unde & verbum *incopriare*, pro circulatorem agere & fumos vendere. *Gloſſæ* Iſidori, *Scurra qui incopriat.* Ita Cyprianum olim Gentiles quidam *Coprianum* unâ literâ mutatâ appellârunt, quòd aniles, ut ipſi volebant, fabulas & multa mendacia ſuis ſcriptis inſeruiſſet. Vide Lactantium *Inſtit. l.* 5. *c.* 1. At eadem re *Aretalogi* iſtiuſmodi ſcurræ dicebantur, Juvenali *Sat.* 15. *v.* 16. Ὀμηρισταὶ *in veter. Gloſſis*: Νεωτικολόγοι apud *Juvenalis Scholiaſt*: *Paradoxi* & *Paradoxologi* eidem: *Ordinarii*, Suetonio *de Rhetor. c.* 2. &c. Sic itaque καυχηματίας omnes & glorioſos, Κοπρίους & Κοπρολόγους vocabant: atque hinc Cloacinæ, quæ latrinarum & Cloacarum erant præſides, hujuſmodi ſtercoreorum ac putidorum hominum patronæ cenſebantur: Inde eleganter Tertullian. *de Pallio*. Empedoclis, hominis γόητος ac putide glorioſi, & qui ſe Deum haberi volebat, ſorores Cloacinas eſſe finxit. Nam qui Deus erat, Deas utique habuit ſorores. Sed talis Deus, haud alias habere debuit ſorores Deas, quàm ſtercorum & latrinarum Magiſtras, qui tam ſtercoreus eſſet ipſe ac putidus, ut Deum ſe jactare non dubitaverit. E quibus apparet, quàm magis ſeſe extollebant hujuſmodi gloriæ animalia, tam magis deprimi apud Veteres & rerum ſordidiſſimarum & abjectiſſimarum vocabulis appellari conſueviſſe. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit.* & hîc paſſim.

MENDÆ, vide MENDE.

MENDÆI, Thraciæ populi. *Steph.* in ora maritima apud Ænum urbem.

MENDE, urbs Siciliæ prope Palicos. *Steph.*

MENDE, Thraciæ urbs, in Pallena regione Erythræorum colonia; à *Mende* vel *Mendi* muliere dicta. Inde *vinum Mendæum.*

MENDELE, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

MENDES, Labyrinthum condidit, Diodorô teſte, quem Regem alii *Maron* vocabant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 475.

MENDES, urbs Ægypti, juxta Lycopolin, ubi Pana, & hircum colunt, Ægyptiorum linguâ *Mendes* vocatum, cujus libidini excellentiſſimâ formâ mulieres ſubſterni moris fuiſſe, ex *Herodoto*, teſte oculato, itemque ex *Pindaro*, *Strabone*, *Ariſtide* ac aliis patet. Quam ſuorum irreligioſam religionem defendens Aſclepiades, *in libris* Θεολογουμένων, ex tali concubitu ortos maximos viros dicebat, in hoc album referens, cùm ex fabulari hiſtoriâ multos, tum ex verâ, Alexandrum, Scipionem, Auguſtum. Cæſarem. Plut. *in Iſide*, Apim hîc cultum docet. *Nic. Lloydius.* Caper autem *Mendete* ſacratus eſt, jam ſub Cæacho, eôdem tempore, quô Bovis Apis & Mnevis Memphi ac Heliopoli coli cœperunt. Et quidem cum Mendeſii omnes capras colerent, mares tamen magis colebant, &*ex iſtis unum maximè, qui quum deceſſerit, luctus maximus toti Nomo imponitur*, Herodotus *l.* 2. *c.* 46. Atque ex hoc *Mendetis* ſacrario prodiit tota Veterum ματαιολογία *de Pane, Fauno, Sylvano, Silenis* & *Satyris*: à qua nec ipſi Iſraëlitæ intacti fuêre, Joſ. *c.* 24. *v.* 14. & Ezech. *c.* 23. *v.* 3. & 8. Vide Marshamum *Canone Chron. Sec. IV.* ubi *de Hirco Mendeſio.* Cæterum *Mendes* urbs fuit τοῦ Delta, *Nomi* poſtea *Mendeſii* caput, cujus metropolis Ptolemæi ætate Θμοῦις erat, *l.* 5. *c.* 5. quæ etiam Ammiani, *Urbs maxima*, *l.* 22. &c.

MENDESIUM, unum ex Nili oſtiis. Plin. *l.* 5. *c.* 10. Tanitico proximum; *Migrun* vel *Migni*: ad quod urbs *Mendes* ſita.

MENDESIUS, ab Ægyptiis, contra Nectanebum, Rex creatus, ingenti eum exercitu adortus eſt.

MENDESUS, urbs Ægypti, à quâ *Mendeſium* unguentum dicitur. Cives *Mendeſii*, Ovidius *Met. l.* 3.

MENDICI, vide hîc paſſim, *Egeni*, *Oblatio*, *Pauperes*, *Metragyrtæ*, uti de Veſpaſiano ab Alexandrinis *mendicis* ſex obolos viritim exigente, infrà voce *Tributum*; de Indorum *mendicis* ad tubæ clangorem ſatis ferociter ſtipem poſcentibus, infrà itid. in *Tuba*.

MENDICULEA, Luſitaniæ oppid. *Ptol.*

MENDOGUS, primus Lithuanorum Dux. Cùm enim Lithuaniæ nomen, ante A. C. 1200. ferè incognitum & ipſa gens contemta vicinorumque Ruſſorum ac Polonorum ſervitio obnoxia eſſet, adeò ut propter inopiam nonniſi viliſſimas res tributi locô penderet, primus *Mendogus*, Vir militiâ clarus, principatum gentis oppreſſæ ſumſit A. C. 1252. & felici armorum ſucceſſu eam à vicinorum contumeliis vindicavit. Ei ſucceſſerunt complures, brevi omnes Imperiô, donec A. C. 1279. Vitenen miles, obtruncatô Dominô ſuô, Lithuaniam occuparet. Huic ſucceſſit Gediminus A. C. 1300. qui fines Lithuaniæ longiſſimè per Ruſſos protulit & à finibus Pruſſiæ, uſque ad Pontum Euxinum protendit, unde *Magni Duces* appellari cœpti. Eum excepit Olgerdus A. C. 1325. cujus filii fuerunt Jagello & Skirgello: quorum prior, regnô Poloniæ per matrimonium potitus, primus omnium Lithuaniam, exterminatô idolorum cultu, fide Chriſtianâ imbuere cœpit, idque pro illorum temporum conditione proſpere ſucceſſit. Sed in conjungenda cum Poloniæ Regno Lithuania major difficultas. Opponebant ſe enim illi Skirgello frater & Vidoldus patruelis, qui denique fruſtra reluctanti Lithuaniam extorſerunt, quæ ſuos retinuit Magnos Duces, uſque ad A. C. 1501. quô demum tempore Alexander Lithuaniæ Dux, creatus Rex Poloniæ, unionem tamdiu deſideratam ad finem perduxit, à quo tempore idem & Poloniæ Rex & Lithuaniæ Dux cenſetur. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 262. De familia Jagellonis verò, vide ſuprà in voce *Lithuania*.

MENDOZA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ, ex Alavenſi provincia oriunda, in plures ſeſe diffudit ramos. Præcipui duo hi, Dominorum *de Hita* & *Butrago* (cujus Princeps Petrus *Gonzalez*, in prælio *ad Aliubarotta*, morte ſua Regem ſervavit A. C. 1385.) atque Dominorum *de Mendebil* & *Ribera*. In priori (nempe *de Hita*) ſecundogenitus Inicus Lopezius *de Mendoza* Dn. *de Caſtelnovo*, genuit Didacum Hurradum Comitem *de Priego* creatum A. C. 1465. quæ hæreditas ab uxore Tereſia *Carrillo* obtigerat. In horum filiis, Petro Carrello de *Mendoza*, reliquorum Comitum *de Priego* cognomin. *Carillo*, nec non Dominorum *del Termino de Perales*, & Inico Lopezio *de Mendoza*, Dominorum *de Argal* & *Mochales* proſapia incipit. Major autem Inici Lopezii Dn. *de Coſtelnovo* frater Didacus Hurtadus, Admiralis Caſtiliæ, ampliorem progeniem habuit. Cùm enim ejus fil. Inicus Lopezius *de Mendoza*, qui primus *Comes del Real de Manzannares* & March. *de Santillana*, creatus eſt, A. C. 1445. ſeptem genuiſſet mares, ex illis primus, Didacus Hurtadus, novum decus genti intulit, Ducis *del Infantadgo* dignitatem nactus. Hic in directa linea primogenitorum, Ducatus titulum, per ultimam Luiſam (cujus majores ſuprà habes, in voce *Infantadgo*) marito Didaco Gomezio, ac ita Sandovalliæ ſtirpi allatum, propagavit. Præter quem ſtipitem directum, præfati primi Ducis filii, Johannes Hurtadus, Dominorum *de Belenna* & *Valhermoſo*, ſed Garſias Laſo Dominorum *de Junquera in Guadalaxara*, cum cognomin. *de Laſo*; ulteriùs in Ducali ſerie nepos Alvarus *de Mendoza* & *Luna*, Dominorum *de la Torre de Eſtevan Ambran*, quibus ab hujus Alvari nuru Iſabella cognomen *de Alarcon* & Marchionatus *de la Bala Siciliana* obtigit, demum pronepos Rodericus novo axiomate Marchionum *de Montes claros*, ſurculos ex ſe dederunt. Secundus Inici Lopezii M. Santillanenſis fil. Patri cognominis, *Comitum de Tendilla* conditor fuit: cui ex filiis, Inico Lopezio, reliqui Comites Tendillæ & Marchiones *de Mondejar*, præter plures alios, & Petro, Domini *de Robres* & *Languerren* originem debent. Pretereà, alius ejus fil. Didacus Hurtadus Cardinalis poſteros habuit. Tertius Marchionis ſupra dicti fil. Laurentius, à matre cognomen *Suarez* Mendocio adjecit ac Comes *de Corunna* fuit, quod cum cognomine poſteritas ſervat. Quartus fil. Petrus *Laſe de Mendoza*, obtinuit à Conjuge Agnete *Carillo* dominium *de Mendojar*, ſed, ut & ſeptimus eôdem nomine dictus, non niſi filias genuit. Quintus Petrus *Gonſalez de Mendoza* Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus Eccleſiæ præfuit. Sed ex liberis ipſius Rodericus Marchio *del Conete* creatus eſt, dignitatemque per filiam ad primarium truncum Ducum *del Infantagdo* transmiſit; alter Dîdacus Hurtadus Comes *de Melito* factus, poſteros habuit, *Principes de Melito* ac *Duces Francavillæ* (qui tituli cum Mendozio cognomine deinceps in familia *de Silva* Ducibus Paſtranæ accreverunt) & cum agnomine *de la Cerda* addito, Comites *de Gelves*. Demum penultimus Inici Lopezii fil. Johannes Hurtadus Mendoza Inicum Lopezium Dn. *de Colmenar* & Johann. Hurtadum Dn. *de Freſno de Thorote* auctorem ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

genuit. Quod alterum præcipuum truncum concernit Dominorum *de Mendibil* & *Ribera*; Fratres fuêre Johannes Hurtadus Dn. *de Mendibil* & *Corçana*. Ab hoc reliqui Domini *de Corçana* & cum cognomine *de Salzedo*, Dominorum *de Salzedo & Legarda* palmes, progerminârunt. Ab illo genitus eſt Johannes Hurtadus, ex Maria Caſtellana, Johannis Hurtadi Dn. *de Mendibil.* & Didaci Hurtadi Dn. *de Cannete* genitor: cujus poſteri ſunt Marchiones *de Cannete*, de quibus *ſuprà*. Illius (qui etiam Comitum *de Orgaz*, cum Guzmannio epitheto ſator eſt) fil. *Ruiz Diaz* Dn. *de Moron*, dedit Alvarum Comitem *de Caſtrogeriz*, illius proſapiæ, cui etiam, cognomen *de Manrique* placuit aſſumere, autorem & Ruiſium Diazium Dn. *de Moron*, patrem Roderici, qui reliquos Dominos *de Moron*, demum Comitum *de Lodoſa* titulô auctos, ſevit, atque Johannis Hurtadi, cujus proſapiæ uxor Maria cognomen *de Sarmento* & Comitatum *de Ribadavia* attulit. Huic porro ſtirpi *de Mendibil* ramus Comitum *de Monteagudo* & Marchionum *de Almazan* (quam ſucceſſionem Antonia marito Caſparo *de Moſcoſo Oſorio* acquiſivit) accenſendus erit, atque ſic, qui è poſtgenitis eorum oriuntur, ſtolo Dominorum *de Lodarejos* & *la Vallana*. Hîc ſaltem exhibere placuit illorum ſeriem, quos cognomen *de Manrique* aſſumſiſſe diximus; reliquos enim ſuô quemque locô invenies. Alvarus *de Mendoza* Com. *de Caſtro Geriz*, ex Johanna (filia Gaſtonis *de la Cerda* Comitis *de Medina Celi*) pater fuit Roderici Comitis *de Caſtro*, mariti Annæ Henriciæ & ex ea patris Alvari *de Mendoza Manrique* Comit. *de Caſtro*: qui junctâ ſibi Magdalena *de Sandoval* & *Roxas*, genuit Antonium, patrem ex Iſabella Velaſca Gomezii: cui ex Maria Henricia *de Ribera* (filia Petri *de Ribera Barroſo* Marchion. *de Malpica* Mareſchal Caſtiliæ) natæ ſunt, Iſabella uxor Didaci primùm Sarmienti *de Mendoza* Comit. *de Ribadavia*. exin Conſalvi Faxardi: & Catharina, nupta Johanni Hurtado *de Mendoza* Comiti *de Orgaz*, ambæ nominis *de Mendoza Manrique* &c.. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Europ. Part.* 2. *p.*48. *& in Indic.*

MENDOZA Franciſcus, Luſitanus, Olyſipponenſis, Jeſuita celebris. Ejus inter alia extant: *In libr. Samuelis* 1. *Expoſitio.* 3. *Vol. In librum Regum Expoſitio*, *fol.* &c. De eo *Alegamb. Neminem, dum valuit, cubantem eum vidiſſe*, memorat. Obiit A. C. 1626. Vide Gulielm. Crowæum *Elencho Scriptorum S. Scripturæ.*

MENDOZA Johannes; vide *Petrus Caſtellanus.*

MENDOZA Mencia; Marchionis Zeneti filia, Valentina, eruditione celebris: Memoratur Ludovico Vivi, civi ejus *de Inſt. fœm. c.* 3.

De MENDOZA Petrus Gonzales, vide ibi.

MENDRISIUM, oppidum Italiæ, tertia inter præfecturas Helvetiorum Italicas ſeu Tranſalpinas, ad ſiniſtram lacus Gauni: Luganenſium quondam appendix. Venit cum reliquis, in poteſtatem Helvetiorum, ex dono Maximiliani Sfortiæ, Mediolanenſium Ducis, A. C. 1512. German., *Mendris.* Stumpf. *l.* 9. *de Lepontiis*, Simlerus *de Rep. Helvet. &c.*

MENDUS, urbs circa Cariam. *Porphyrogenneta.*

MENECINA, oppid. ſeu pagus Brutiorum, in agro Conſentino, à Conſentia urbe, 4. mill. paſſ. Ixio oppido propinquum. *Steph. Mendicino* vulgò.

MENECLES Bacaleus, hiſtoriam prodidit, teſte *Athenæô.* Alius videtur eſſe Orator Alabandenſis. Strab. *l.* 15. Priorem, vel tertium aliquem ſignat Pindar. *Schol. in Olymp. Od.* 2.

MENECLIDES, Rhetor, unus ex his, qui cum Pelopidâ & Melone in Charonis ædes, contra tyrannos convenerunt: qui cùm à Thebanis æquam cum cæteris gloriæ partem minimè conſecutus eſſet; cùm & procaci linguâ & malis moribus valeret; ſuôpte ingenio ad calumniandos Optimates utebatur.

MENECRATES, Amphidori fil. ex parte Sicyoniorum, cùm Demotimo, Naucrati filio; miſſus ad componendam inter Lacedæmonios & Athenienſes diſcordiam, annô belli Peloponneſiaci octavô. Vide Scholia *in Ariſtoph. Equit.* 336. G. Item, unus ex Ducibus Seleuci. Polyæn. *l.* 8. *c.* 57.

MENECRATES, Medicus Syracuſanus, 105. Olymp. ſub Artaxerxe Ocho, nullam dicitur accepiſſe mercedem medendi. Curabat imprimis ſacrum morbum, tantùm hâc mercede contentus, ut liberati, ſe ipſius eſſe ſervos faterentur, ſe verò Jovem, appellabat: De quo lepidam hiſtoriam narrat Ælian. *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 51. *Menecrates Medicus*, inquit, *adeò ſuperbiâ turgebat, ut ſeipſum Jovem appellaret. Miſit autem aliquando literas ad Philippum Macedonum regem, in hæc verba.* Φιλίππῳ Μενεκράτης ὁ Ζεὺς εὖ πράττειν. Ad eam autem reſcripſit Philippus: Φίλιππος Μενεκράτει ὑγιαίνειν. Συμβελεύσω σοὶ προσάγειν σεαυτὸν ἐπὶ τοῖς κατὰ Ἀντίκυραν τόποις. Quibus eleganter hominem non eſſe ſanæ mentis ſignificavit. Eandem hiſtoriam habes apud Athenæum *l.* 7. nec non apud Euſtath. *in Il.* λ. vide Suidam in Μενεκράτης. Sed & alteram hiſtoriam de *Menecrate* non invenuſtam exhibet nobis idem Ælianus, *prædictô locô: Aliquando lautiſſimum convivium inſtruxit Philippus, ad quod illum etiam invitavit; ſeorſimque ei menſam juſſit apparari, & apponi acerram, ſuffitumque fieri. Reliqui verò epulabantur, eratque admodum opipara cœna. Menecrates itaque primò ferebat, gaudebatque honore; Poſtquam verò paulatim fames obreperet, & homo eſſe convinceretur, idemque vanus & ſtolidus conſurgens diſcedebat, ſeſeque injuriâ affectum querebatur, feſtiviviſſimè Philippo ſtultitiam ejus redarguente, & in lucem proferente.* Scripſit de Remediis. Athen. *l.* 7. *Suid. Nic. Lloydius.*

MENECRATES, Medicus ſub Claudio & Tiberio. Item, Nifæus, diſcipulus Ariſtarchi, Hiſtoricus Græcus. Strab. *l.* 16. Item Epheſius, qui de re Ruſtica ſcripſit. Varro *l.* 1. *de RR. c.* 1.

MENECRATES poëta Comicus, Athenienſis. *Suidas.* Item *Menecrates*, Xanthius Hiſtoricus, Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *Ant. Rom.* de quo videndus etiam Voſſ. de *Hiſt. Græc. p.* 387.

MENECRATES, prænom. Julius, ad quem extat Papinii Statii Sylva, *l.* 4. *ſylv.* 1. cujus initium,

> *Pande fores Superum, vittataque templa Sabæis*
> *Nubibus; & pecudum fibris ſpirantibus imple,*
> *Parthenope: clari genus ecce* Menecratis *auget*
> *Tertia jam ſoboles* ———

Muſicus homo fuit, ut plerique omnes, quibuſcum res fuit ad pangenda carmina Papinio. Ita enim *in ſeqq.*

> ——— *patrias lauros promiſit Apollo.*

Ad quæ verba vide *Animadverſiones* Caſp. Barthii.

MENEDEMIUM, urbs Lyciæ. *Steph.*

MENEDEMUS, unus ex Prætoribus Alexandri, à Dahis cæſus, Vide Curt. *l.* 7. *c.* 6. *&* 9. Item Philoſopus nobilis, inter Socraticos, Phædri diſcipulus, pauperis architecti filius, alii habent, Phædonis, viri nobilis, ſed egeni, ex Eretria civitate, a qua Philoſophi *Eretriaci*, cùm prius *Eliaci* dicerentur, dicti ſunt. Eretria verò in Eubœa eſt. Strabo *l.* 9. Hic militiam primò exercuit, poſteà ad Platonem conceſſit. *Lloyd.* ſecundùm alios, cum Aſclepiade Stilponis auditor fuit. Hinc Eleam profecti, Antiphilum & Moſchum, diſcipulos Phædonis audierunt. Fuit honeſtate, & gravitate inſignis: ſtatus corporis in eo ſene, ut in juvene firmus fuit, & validus. Et cùm primùm ab omnibus ludibriô haberetur, poſteà in tantâ admiratione habitus eſt, ut civitatis gubernacula ei traderentur. Ab Antigono rogatus, ut comeſſationi cuidam intereſſet; *Memento*, reſpondit, *te natum eſſe Regis filium, cave ergo, ne quidquam te indignum committas.* Patriam, Demetrii opibus nixus, ſæpe à tyrannis liberavit, cùm idem ab Antigono impetrare non poſſet, ſeptiduanâ fame enectus: Obiit an. ætat. 73. Diogen. Laërt. *l.* 2. *vita Phil.* Lycophron ejus elogium ſcripſit; quod Athen. *l.* 10. per jocum compoſitum eſſe ait. Vide & Strab. *l.* 9.

MENEDEMUS, Lampſacenus; Cynicus, diſcipulus Colotis qui in tam prodigioſam venerat ſuperſtitionem, ut ſumptô habitu furiarum prodiret; dictans ſe exploratorem ex inferis veniſſe, delaturum dæmonibus mortalium peccata. Pullatus ambulabat, cum tunica talari, adſtricta balteo puniceo, Arcadicum pileum, in quo 12. literæ inſcriptæ, geſtabat, cothurnos Tragicos, virgam in manu, Laërtius, *l.* 6. *de vit. Philoſ.*

MENEGERE, Africæ propriæ urbs. *Antonin.* & *Menegeſes* oppid apud eundem.

MENEGETAS, Pancratiaſtes, Philippo Macedoni charus. Polyæn. *l.* 4. *c.* 2.

MENEGGESEM, urbs Numidiæ, *Antonin.* fortè eadem cum *Menegeſe.*

MENELAJUM, parva regio Spartæ. Gentile Μενελαεὺς, Poſſeſſivum Μενελαϊκὸς: ſed ab Ægyptia urbe *Menelaites* dicitur. *Steph.*

MENELAUS, fil. Atrei & Æropes, ut *Homer.* tradit. Philiſthenis verò, ut *Heſiodus*, & frater Agamemnonis, Rex Spartæ; uxoriô jure, Helenâ uxore filia Tyndari ſeu Tyndarei Laconum Regis à Paride Priami filio ſe abſente, raptâ, collectâ mille navium claſſe, Agamemnonis ductu in Trojam movit: Quam, jam totâ Phrygiâ, atque Myſiâ devaſtatâ, Græci decennali bellô oppugnatam, tandem fraude magis, quàm viribus expugnaverunt: Sic conjugem Menelaus recepit, poſt octavum erroris annum domum redux. *Homer.* Pater ex ea Nicoſtrati & Megapenthis, quibus à Laconibus repudiatis, in regnum receptus eſt Oreſtes Agamemnonis filius, ductâ in uxorem Hermione Menelai filiâ, Tyndarei nepte. Pauſanias *Corinth.* quorum filii, Penthilus ex regno Mycenarum, & Tiſamenus ex regno Spartæ, ab Heraclidis in Peloponneſum redeuntibus, pulſi ſunt, annô à Trojæ caſu 80. Vide *Oreſtes* &c. Item Mathematicus, ſub Trajano: auctor librorum 3. de Sphæra, quos Merſennus edidit. Item Prætor Ptolemei, Salaminæ præfecti, Polyæn. *l.* 4. *c.* 7. *ex* 7.

MENELAUS, quidam frater Simonis & Lyſimachi, ex tribu Benjamin, qui cùm ſacerdotium Judæorum, pulſô Iaſone, per fraudem adeptum occupâſſet, ſed pecuniam annuam promiſſam non ſolveret, Lyſimachus frater ejus munus nactus eſt. Mox magnâ vi pecuniæ denuo reſtitutus, Oniam ſacrilegia ejus improbantem, occidit, per Andronicum. Antiochum dein Epiphanem in profanando templo juvit, poſtea verò ab Antiocho Eupatore, Syriæ rege, interfectus eſt. 2. Machab. *c.* 4. *v.* 23.

MENELAUS, Anæus (Anæa autem Cariæ urbs eſt) hiſtoricus ſummus vocatur Stephano *in* Ἀναίᾳ. Diverſus ab eo eſt Menelaus poëta, qui patriâ Ægæus fuit, & Thebaidem libris 12. aliaque, teſte *Suidâ* ſcripſit.

MENELAUS, urbs Ægypti, Strab. *l.* 14. eadem Canopo. Vide ibi. Eſt & urbs Marmaricæ; *Portus Menelai.* Corn. Nep. *in Ageſilao. c.* 8.

MENENIA, tribus & gens Romæ, primis Reipubl. temporibus celebris, ex qua Agrippa *Menenius* C. F. Lanatus, Conſ. cum P. Poſthumio, an. Urb. Cond. 250.

MENENIUS. Vide *Cajus.*

MENENIUS Lanatus, vide *Lucius.*

MENENIUS Licinius, vide *Licinius.*

MENENIUS Publius, vide *Publius.*

MENENIUS Titus, vide *Titus.*

MENEPHESSA, oppid. Africæ in Byzacio, *Procop. Meneſeſſa*, *Vict. Uticenſi.*

MENEPHRON, viri proprium, qui cum matre concubuit. Ovid. *Met. l.* 7.

> *Dextra Cyllene eſt, in qua cum matre Menephron*
> *Concubiturus erat, ſævarum more ferarum.*

MENES, primus Ægyptiorum Rex, Memphim condidit, Niliquè curſum aliô flexit Herodot. *l.* 2. *Marshamo* ipſe Chamus eſt, quem proximis poſt diluvium annis in Ægyptum mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

grâſſe, atque in ea regnâſſe, cenſet. David certè Rex Ægyptum *Regionem Chami*, Pſ. 105. & *v.* 23. *Tentoria Chami* Pſ. 78. *v.* 52. appellat. Obiit ab Hippopotamo raptus, Syncellus *p.* 54. quod non malè ad planctum Thamuz, *Ezech. c.* 8. *v.* 14. h. e. Adonidis, referas: Nempe *Menes, Hammon, Thamuz*, ſeu *Adonis, Oſiris*, adde & *Belus* & *Saturnus*, idem. Succeſſit illi, in regno Thebaidis Athotis fil. in regno *verò* Memphitico Thoſorthrus, uti in inferiori Ægypto Cunedes: Cultus autem illius duravit uſque ad Technatim Bocchoridis Regis patrem, qui in expeditione contra Arabes *cibô obviô ſuaviter uſus, cepit ſuper toro profundum ſomnum. Inde* Menem *exſecratus eſt, execrationemque in ſtela inciſam poſuit, quòd primus Ægyptios à tenui & parabili victu abduxiſſet*, Plut. *de Iſide*, vide quoque Diodorum Sic *l.* 1. & plura hanc in rem, apud Joh. Marshamum *Canone Chronol. paſſim.* Tribuuntur ei anni regni 62. Idem ex *Manethone.*

MENESARDUS, fil. Pythagoræ, cum Telauge fratre, aliquandiu Patris ſcholæ præfuit. Euſeb. *Chron.*

MENESTHEI portus, *Ptol.* & *Strab.* Hiſpaniæ Bæticæ urbs, quam hodie *Puerto de S. Maria* vocant, teſte *Florianô. Beſippo* Plinii *l.* 3. *c.* 1. eſt, ut credit *Villanovanus.*

MENESTEUS, Petei fil. Erechthei Regis pronepos undecimus Athenienſium rex, ann. 24. regnavit. Hic ſeditione in abſentem Theſeum Athenis excitatâ, regnum occupavit, ope Tyndaridarum, quorum ſororem Helenam ille rapuerat, deinde cum cæteris Græcis ad Ilium expugnandum profectus, in inſula Melo, in reditu, mortuus eſt. Plut. *in Theſ.* Euſeb. *in Chron.* Ejus enim regni anno 13. quo *Panionia* fuerant celebrata, expeditio in *Trojam* à Græcis ſuſcepta, anno verò 22. Troja *capta*, dicitur in Epocha marmorea, apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XIII.* & quidem menſis Thargelionis die 24. Gideone adhuc Iſraëlitas judicante. Ei ſucceſſit Demophon, quem vide.

MENESTHIUS, Areithoi & Philomeduſæ fil. ex Arna civitate, quem Paris in bello Trojano occidit. Homer. *Il.* 7.

MENESTHO, Nymphæ nomen, à *memorando* dictæ, unde & *Meneſtheus* proprium nomen aurigæ Diomedis.

MENESTRATUS, ſculptor præſtantiſſimus, qui Epheſi, in templo Dianæ, Hecaten tantâ marmoris radiatione inſculpſit, ut in ejus contemplatione æditui admonerent oculis parcere.

MENETACUM, Cenna longa, in vicinia caſtri Norici, hodieque oppidulum vocatur, an à Cennis Germaniæ populis?

MENETAS, Pellæus & Apollodorus, ab Alexandro M. Babyloniæ regioni & urbi præfecti, vide Curt. *l.* 5. *c.* 1.

MENETOR, vetus author, de Donariis opus fecit. Athen. *l.* 13.

MENEVIA, dicta *S. Davidis* urbs, revera vicus, ob raros incolas; Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi in Comitatu Pembrochienſi, & ora maris Hibernici ubi alias Octapitarum promontor. in Demetis, nunc *S. Davids head.* 16. milliar. Angl. à Pembrochio in Circium 30. à Mariduno.

MENGERSHUSIA, urbs cum arce in Comit. Waldecceníi. *Metell.*

MENIA Columna, locus Romæ. Cicer. *pro Seſtio.*

MENIANA, à Menio Cenſore dicta. *Aſconius, Menius, quum domum ſuam venderet, Catone & Flaccô Coſſ. ut ibi Baſilica ædificaretur, exceperat jus ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret, ex prævolantibus tabulatis, unde & ipſe & ejus poſteri munus gladiatorium ſpectare poſſent, ex illo Menia columna vocata eſt.* Hinc *Meniana*, nomen ſimilis ædificii. Sueton. *in Calig. c.* 18. *Pauci ex proximis menianis ſpectabant*, apud Car. Macrum *in Hierolexico.* Sunt autem *Meniana* ſolaria quæ in tectis planis ſtruebantur. Hieronym. *ad Suniam & Fretellam, Δῶμα in Orientalibus provinciis ipſum dicitur, quod apud Latinos tectum: in Palæſtina enim & Ægypto---non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ vel Solaria vel* Meniana *vocant, i. e. plana tecta, quæ tranſverſis trabibus ſuſtentantur.* Græcis ἡλιαστήρια & ἡλιαστικὰ & ἡλιοκάμινοι, item. ἐξῶσται Sed & Latinis *protecta* & *projecta tecta*, ἀνατεταμένη, in Veter. *Gloſſis*, ἀνάτασιν ἔχουσα ἐπ᾽ οἰκίας. Ἀνάτασις tamen & ἀνατεταμένη οἰκία, videntur de illo tectorum genere accipienda, quæ faſtigata erant & culmen habebant; nam ἀνατάσεις *Galeno*, *Templorum faſtigia* ſunt. Faſtigata autem tecta & in altum educta etiam ſuas habuere projecturas, ad arcenda ſtillicidia &c. Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro c.* 12. ubi & de vocis etymo aliter. Vide infrà *Maniana*, ut & ſuprà *Deambulatorium.*

MENIDAS, Scytharum Equitum, in exercitu Alexandri, præfectus. Diodor. Sic eum vocat *Menidan. l.* 17. *parte priore.*

MENILIUS Baptiſta Advocatus Generalis in Curia Galliæ Suprema, Orator eximius & imperterritus, tantô patriæ amore ac publicæ, Regis item Regnique ſalute flagrabat, ut ſæpius ab uxore audiverit, quod olim Ariſtides à ſua, *Utinam negotia publica eſſent tua, & tua eſſent publica.* Primus in Parlamenti introitu orationem habuit, quem imitatus Guid. Faber Pibracus, morem ad ſucceſſores tranſmiſit. Melanchthonem, cum quo & morum & corporis aliquam ſimilitudinem habebat, magni æſtimavit. Perorandô adeò promptus, validus ac felix, ut plerumque ejus ſententiæ Parlamentum acceſſerit, niſi ultimâ actione, quâ, cum de duobus civibus ob religionem morti dandis ageretur, in mitiorem partem inclinaverat. Tandem, cùm in pejus omnia ruere, & prava conſilia plerunque prævalere videret doleretque, mœrore extinctus eſt, A. C. 1569. elogiô inſigni Mich. Hoſpitalii honoratus. Thuanus *Hiſtor.* & ex illo, aliiſque Ant. Teiſſier *in Elogiis p.* 1.

MENINA, oppid. Flandriæ, ad Liſam fluv. aliàs munitum. Sub Gallis, ab A. C. 1667. vix 1. leuc. à Corteriaco in Occaſ. 3. ab Inſulis in Cæciam.

MENINI, ſeu MIMENI, populi fuêre Provinciæ, juxta Druentiam, inter Caturiges ad Septentrionem & Salios ad Meridiem, quorum urbs Seguſtero; extendebanturque uſque ad Manoſcam oppid. *Sanſone, Brietio* teſtibus.

MENINX, inſul. circa Africam clariſſima, longitudine 30. mill. paſſ. latitudine 35. Plin. *l.* 5. *c.* 7. Ab Eratoſthene *Lotophagitis* dicta. *Stephanus* inſulam & urbem eſſe ſcribit juxta Syrtes. Ejus meminit Dionyſ. *v.* 480.

Μήνιγξ καὶ Κέρκιννα Λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσαι.

Ubi tamen MSS. Μῆνιξ καὶ Κέρκινα. *Menix* Punicè ſcribebatur מינקץ *me-niks*, quaſi dixeris *aquas defectûs*, i. e. *deficientes*, vel מינכצ *me. nics*, quaſi dixeris *aquas receſſûs*, i. e. *recedentes Menicis* enim vel *Meningis* oppidi ſitus hanc conjecturam plurimum firmat. Deſcribunt enim *Plin.* & *Ptol.* hoc oppidum à parte Africæ. Africam autem ab inſulâ nihil diſtinguit, quàm tenue & humile vadum, ſemel hyeme, bis æſtate accedere ſolitum, adeò ut plerunque 4000. paſſuum à mari deferatur. Hîc Philippus II. Hiſpaniæ Rex infeliciter Turcis reſtitit. A. C. 1557. Vide Thuan. *hiſt. l.* 18.

MENIPPE, una è præcipuis Amazonum, admodum juvencula, inter auxilia Æetæ. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 377. vulgò legebatur *Enippe*, unde *Maſerius* legit, *Nebippe*; *Carrio* verò *Henippe*; omnes perperam.

MENIPPUS Pergamenus, Geographus inſignis, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 850.

MENIPPUS, Phœnix Philoſophus Cynicus, ex ſervo civis Thebanus, nihil memoriâ dignum edidit; porro ipſe librique ridendi: Cumque habendi cupidiſſimus eſſet, bonis amiſſis laqueô vitam finivit. Diogen. Laërtius *l.* 6. Item Poëta Comicus. *Suidas.*

MENIPPUS, Stratonicenſis, in totâ Aſiâ diſertiſſimus, præceptor Ciceronis, teſte ipſô *in Bruto*; vide Strab. *l.* 14. Alium præterea ejus nominis Macrob. *l.* 1. *c.* 11. *Saturn.* adducit, quem Philoſophum, & ſervum fuiſſe tradit: ſcripſiſſeque libros, quos in Satyris M. Varro imitatur. quas *Menippeas* nominavit. Alii verò Cynicas vocant. Item Athenis quidam, alendis equis famoſus, dictuſque *Hirundo.* De quo vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.* De variis autem *Menippis* vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 388.

MENIS, apud *Strabonem*, qui tribus locis ejus templorum meminit, *Caſaubono* idem cum Luna Numen eſt. Sed quia nunquam Μηνὸς ἱερὸν ſine adjecto ponit, verùm ſemper aut Μηνὸς Φαρνάκου, Μηνὸς Κάρου, aut Μηνὸς ἀρχαίου, non poteſt ſub his cognominibus Lunam intellexiſſe. Et *Menem* revera alium eſſe à Luna, idem oſtendit Strabo, cùm ſcribit: Ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τὸ Σελήνης ἱερόν. Ibi enim mentionem facit *Menis Pharnacæ* vocati & ejus templi, quod ἱερὸν non ſolùm Μηνὸς, ſed etiam Σελήνης, i. e. *Lunæ*, eſſe ait. Nempe totus ille orbis & πρόοδος, quem Luna *modulationibus menſtruis*, ut loquitur Tertullian. *variat*, Μὴν, ut notum eſt, vocatur Græcis, Latinis verò *Menſis*: & videtur apud ſtultam Gentilitatem Dei nomen emeruiſſe. Unde Diogenes, gallum gallinaceum τοῦ Μηνὸς ἱερὸν fuiſſe ſcribit, ex ſcito Pythagoræ quod *Plinius* vertit, *Menſi ſacrum*: Cujus etiam meminit Jamblichus *in Vita Pythagoræ l.* 1. *c.* 28. &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Caracallo c.* 7.

MENISMINI, populi Æthiopiæ, qui vivunt lacte Cynocephalorum, quorum armenta paſcunt, maribus interemptis, niſi ſobolis gratia.

MENIUS, Conſul. Roman. an. Urb. Cond. 433. de victis navali prælió priſcis Latinis ac Antiatibus, eorum roſtra navium ærata in foro poſuit, appellarique forum *Roſtra* cœpit. Liv. *l.* 8. *c.* 14. Plin. *l.* 34. *c.* 5.

MENIUS, Lycaonis fil. qui cùm patre in lupum verſô & domô conflagrante Jovem deteſtaretur, ab eo fulmine percuſſus eſt.

MENIUS, Nepos, vide *Cajus.*

MENIUS, fluv. Peloponneſi, in mare Ionium, apud Chelonatem promontor. exiens. *Strab.*

MENLARIA, Hiſpaniæ urbs. *Ptol.* Vulgò *Marcia.*

MENLASCUS, Hiſpaniæ Tarraconenſis fluv. parvus, *Magrada* Pomponio *l.* 3. *c.* 1. hodiè *Oria* vocatur. Inter Vardulos & Vaſcones, *Baudrando*, nunc etiam *Rio Menlaſco.* Juxta Fanum S. Sebaſtiani, in Oceanum Cantabricum ſe exonerat. Ejus oſtium diſtat 8. mill. paſſ. in Ortum ab oſtio Magradæ fluv. qui *Orio* dicitur.

MENNA, Epiſcopus Byzantinus, A. C. 536.

MENNEIANA, Pannoniæ ſuperioris urbs. *Antonin.* 26. mill. paſſ. à Varianis in Ortum.

MENNI, nomen regionis. Jer. *c.* 51. *v.* 57.

MENNIS, Aſſyriæ civitatas, ubi caverna eſt, ex quâ fons ingentem vim bituminis effundit. Curt. *l.* 5. *c.* 1.

MENNITH, urbs Ammonitarum in terra Gad, Judic. *c.* 11. *v.* 33. ubi Jephthe præliatus eſt.

MENNIUS, inter legiones in Chaucis caſtrorum præfectus; qui bonô magis exemplô, quàm conceſſô jure, duorum militum ſuppliciô orientem ſeditionem repreſſit, ſub initium Imperii Tiberiani.

MENNIUS Ruffinus, alæ præfectus, præſidium Hadriæ agitans, vinxit Lucilium Baſſum proditorem claſſis Ravennatis in ſpeciem. *Hiſt. l.* 3. *c.* 12.

MENNO Simonis, gente Friſius, deſertô Papatu, docuit Groningæ, floruitque circa A. C. 1526. auctor præcipuus Anabaptiſtis, ut qui vim & arma infeliciter hactenus tentaverant, pacatiora conſilia capeſſerent. Voce & ſcriptis valens, diſſenſit à Monaſterienſibus & polygamiam improbavit: ſcripſit quoque contra Johannis Leidenſis, qui ſe Regem venditaverat, blaſphemias, ac Monaſterienſium [illegible], ipſos verò pro fratribus ſuis agnovit, Brandius *Hiſtoria Reformat. Part.* 1. *p.* 139. Ab eo celebre *Mennonitarum* in Belgio nomen, de quibus vide hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

hic aliquid infra: plura verò apud Georg. Hornium *Hiſtor. Eccl. cum Notis & Obſervat.* M. Leydeckeri: confer etiam ſcripta *Anti-Anabaptiſtica Cloppenburgii*, *Dooreſlarii* & Spanhemii Sen. *Syntagmatis Theol. Partem II.*

MENNONITA, ſecta Anabaptiſtarum, à Mennone Simonis Friſio, qui inſuper Verbum corpus ſuum cœlitus è ſubſtantia Patris attuliſſe deliravit. ſeculô 16. cum his veteres Waldenſes multa communia habuiſſe, contendit à Limborch *Hiſtor. Inquiſit. l. 1. c. de Albigenſibus & Waldenſibus.*

MENOBA, fluv, Hiſpaniæ Bæticæ cum oppido cognomine, inter Malacam urbem & Selambinam oppid. *Bez miliana Moletio* Aliis *Almunecar*, oppidulum cum caſtro, in regno Granata in ora maris Mediterranei, 14. leuc. à Malaca in Ortum Almeriam verſus, 4. à Selambina in Occaſum.

MENOBARDI, Armeniæ majoris populi Plin. *l. 6. c. 9.*

MENOCALENI, Alpium incolæ in Hiſtria, inter Tergeſtum & Polam. Plin. *l. 3. c. 20. Mingeſtal Lazio.*

MENOCHIUS Jacobus, Ticinenſis, jus docuit Patavii per annos 23. interea à Franciſco M. Hetruriæ Duce & Bononienſibus mille aureorum ſtipendiô oblatô fruſtra expetitus. Tandem à Mediolanenſi Senatu in Academiam Papienſem accerſitus, A. C. 1588. poſtquam aliquandiu ibi docuiſſet, inter Senatores Mediolani Regios relatus, mox Præſes & demum Conſiliarius Regius renuntiatus. Obiit A. C. 1607. ætat. 75. *Magnum Juſtitiæ Oraculum.* Scripſit varia, de quibus vide Jac. Phil. Tomaſinum *Elog. Virorum doct.*

MENODOTUS, Medicus inſignis ætate Serapionis, cujus meminit Galenus *in Therapeut.* Fuit etiam *Menodotus* Samius hiſtoricus, teſte Athenæo, *l. 15. Menodotum* fortaſſe alium ſignat Laërtius *in Ariſtippo.*

MENOECEUS, juvenis Thebanus, Creontis fil. qui, cùm Thebanis eô tempore, quô ab Argivis obſidebantur, redditum eſſet oraculum, urbem ſalvam fore, ſi ultimus ex Cadmi poſteris ſpontaneâ ſe morte manibus ejus devoveret, intelligens, oraculum illud ad ſe pertinere, nihil cunctatus, ſuô ſibi gladiô necem conſcivit. Stat. *Theb. l. 7.* & 10. Cicer. *l. 1. Tuſc. Qu.* Et quidem apud Stat. *Theb. l. 7. v.* 641.

——Sternuntque alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus:

Juvenis admodum, Creontis fil. de cujus pietate jam memorata ſic Apollodorus *l. 3.* Ἐγένετο καὶ πολυχρόνιος ὁ Τειρεσίας· οὗτος οὖν Θηβαίοις μαντευόμενος εἶπε, νικήσειν, ἐὰν Μενοικεὺς ὁ Κρέοντος Ἄρει σφάγιον αὑτὸν ἐπιδῷ· τοῦτο ἀκούσας Μενοικεὺς ὁ Κρέοντος ἑαυτὸν πρὸ τῶν πυλῶν ἔσφαξε. Et Juvenal. *Sat. 14. v.* 238.

——Amor in te eſt,
Quantus erat Patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, ſi Græcia vera, Menœceus.

Vide quoque Juſtinum Martyrem *Quæſt.* 146. Philoſtratum *Iconum l.* 1. Gregorium Theol. ejuſque Scholiaſtas *Orat.* 3. Hyginum *Fab.* 68. Lactantium *l. 3. c.* 12. & Theodoretum *Therapeutic. l.* 7. qui, cùm adjicit, evolventi Hiſtoricos crebrò occurſuram mentionem hujus hominis, ſocordiam nobis oſtendit *Valerii Max.* qui tam nobile hoc *pro Patria lethum* Collectaneis ſuis præteriit, in tot utique Scriptoribus viſum. Atque hinc *Sacer* & *Deus* perhabitus eſt. Idem Statius *l. 10. v.* 683.

——tum vulgis euntem
Auctorem pacis, Servatoremque Deumque
Conclamat gaudens:

& pro tali adoratus. Funus verò ejus roſis ſparſum ſertiſque. Infrà 788.

——veris honore ſoluto
Accumulant artus, patriaque in ſede reponunt
Corpus adoratum &c.

Vide de eo plura apud Caſp. Barthium *lib. Infelicium Heroum*, & *Animadverſion. ad Statium d. l.* At Fed. Morellius *Notis ad Liban. l.* 23: *Nonni Monœceum* inſcitè iſti confundit. Planè ibi enim is alius eſt. Nec omittendum, Heroa hunc avo ſuo, Creontis patri, cognominem fuiſſe; namque & hunc *Menœceum* dictum fuiſſe, ex Pauſania *l.* 9. diſcimus.

MENOECINA, vel MENECINA, urbs Oenotriæ in mediterr. *Steph.*

MENOECIS, urbs Phocenſium ultima, quæ ad Occaſum vergit.

MENOETES; unus ex ſociis Æneæ, gubernator navis, Centauri, Virgil. *Æn. l. 5. v.* 166.

MENOETES, altor Argiæ & cuſtos ſeu monitor, apud Statium *Theb. l. 12. v.* 204.

——unumque Menœtem
(Olim hic virginei cuſtos monitorque pudoris)
Eligit, & quanquam rudis atque ignara locorum,
Præcipites greſſus.——affert.

Cujuſmodi *Monitores*, veteribus Græcis Ἀοιδοὺς, dein Ἀκολούθους; Latinis quoque *Comites* ac *Cuſtodes* dictos, puellis additos, docent vel Sceledrus *in Milite glorioſo* & Ovidius, Tibullus, Propertius, laudati eidem Barthio ubi ſuprà *ad d. l.* Vide quoque ſuprà in voce *Cantor*, alibique paſſim.

MENOETIUS, fil. Actoris ex Ægina, quam vitiatam Jupiter illi conjugem dederat. Hic poſtea, relictâ Æginâ matre, in Opuntem Locrorum ſe contulit, ibique Patroclum ex Sthenele uxore ſuſcepit, qui ab eo *Menœtiades* dictus eſt. Ovid. *Ep. 1. v.* 16.

Sive Menœtiadem falſis cecidiſſe ſub armis.

MENOGENES Hiſtrio, M. Meſſalæ Cenſorio facie ſimillimus, Solinus *c.* 5.

MENOIDA, Palæſtinæ urb. *Lib. Notit.*

MENOIS, oppid. juxta civitatem Gazam, in tribu Simeonis. *Hieronym.*

MENOLOGIUM, Græce Μηνολόγιον, i. e. *Kalendarium*, dictus eſt in Eccleſia Græca liber, in quo notatæ feſtivitates cujuſque *Menſis*, ut & Sanctorum acta, quæ ad matutinum leguntur. Auxit id Baſilius Macedo Imperator & picturis undique, martyria variorum SS. exprimentibus, ornavit. Vide Macros Fratres *in Hierolexico.* De illo ſic Suicerus: *Menologia apud Græcos non alia ſunt, quàm quæ Latinis Martyrologia vel Kalendaria. Nec aliud in illis habetur, niſi vel Sanctorum vitæ quolibet die per totum annum ſummatim expoſitæ, vel quorum vitæ non habentur, commemoratio, nullaque ibi aut officii ordinandi, aut recitandi ſeries continetur. Hoc Menologium--pro opportunitate temporis variam quoque faciem induit: aliud quippe eſt, quod Latinè tantum ex verſione Cardin. Sirleti Caniſius in antiqq. Lection. repræſentavit: aliud quod ſeparatim hinc inde manuſcriptum adhuc in Bibliothecis & Barberina potiſſimum, quod & antiquiſſimum eſt, aſſervatur: quæ nec per omnia ſibi invicem reſpondent: aliud quod in Menæis Græcorum inſertum eſt: aliud, quod poſt divinas Horas, Euangelium, Apoſtolum aliosque libros legitur. Menologium ex Menæis Græcorum erutum & in linguam Græcorum vernaculam verſum, à Maximo Margunio, Cytherorum Epiſcopo, edidit Antonius Pinellus Venetiis anno* 1529, *in quarto*, ex Leone Allatio *Diſſertat. de Libris Eccleſ. Græcorum.*

MENON, bis mille Theſſalorum Equitum dux, inſignem de Macedonibus victoriam retulit, in quo prælio & Leonatus cecidit, Olymp. 114. an. 2. Diod. Sic *l.* 18.

MENON, Lariſſæus, Theſſalorum in expeditione Cyri contra Fratrem, Dux; ſolus ab Artaxerxe, cæteris cum Clearcho interfectis, incolumis dimiſſus, quòd putaretur commilitones Græcos prodere cogitâſſe. Vide Polyæn. *l. 7. c.* 18.

MENON, Sophiſta arrogantiſſimus, Socratis ætate. Plutarch. περὶ Πολυφιλίας.

MENONIANUM, vulgò *Menoniano* crypta celebris Hetruriæ, in agro Viterbienſi, de qua vide ſuprà *Cryptæ.*

MENOPHILUS, Vir Conſularis, memoratus Jul. Capitolino *in Maximinis, c. 21. Poſt hoc Aquilejam venit, quæ contra eum armatis circa muros diſpoſitis, portas clauſit: nec propugnatio defuit,* Menophilo *& Criſpino Conſularibus Viris auctoribus.* Et *in Maximo ac Balbino c. 12. Siquidem Maximinus, ab oppidanis Aquilejenſibus & paucis, qui illic erant militibus, ac Criſpino &* Menophilo *Conſularibus, qui a Senatu miſſi fuerant victus eſt.* Quo utroque in loco, *Menophilus* legi jubet *Salmaſ.* ex Palatina & veteri editione. Meminit quoque M. Aur. *Menophili*, vetus *Inſcr.* Polæ ſuperſtes.

IMP. CÆSARI L. SEPTIMIO
SEVERO PIO PERTINACI AUG.
PONT. MAX. TRIB. POT. VI.
IMP. XI. COS. II. P. P. M. AUREL.
MENOPHILUS ORNATUS IV
DICIO EJUS EQVO PUBLICO
SACERDOS TUSCULANUS
ÆDIL. POLÆ CUM MENO
PHILO PATRE LIB. AUGG. N.
N. EX PROCURAT. INDUL
GENTISSIMO
L. D. D. D.

Item *Menophili* Strategi, ſeu Præfecti urbis Thyatiræ. *Inſcr.* Græca ſepulchralis arcæ, quam Fabius Zoſimus, ibidem in loco Urbi vicino, *Sambathæ* dicto, ſibi conjugique Aureliæ Pontianæ, extruxit, Proconſule Aſiæ Minoris Catiliò Severò, qui Conſul ſub Hadriano fuit A. C. 120. ut videre eſt, apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 68. & 123.

MENOPHILUS, Eunuchus, cui Mithridates à Pompejo victus filiam ſervandam dedit in arce quadam, quam cùm Manlius Priſcus obſediſſet, defenſoreſque deditionem parantes Menophilus ſenſiſſet, veritus ne parentis opprobrio puella nubilis captiva ſupereſſet, interfectâ illâ, mox gladium in viſcera ſua compegit. Amm. Marcellin. *l. 16. c.* 7

MENOPHIS, Rex Ægypti, ante Urb. Cond. 662. Vide *Amenophis.*

MENOSCA, oppidulum Hiſpaniæ Tarracon. in Vardulis, *Orio*, ad oſtium fluv. Magradæ, in Guipuſcoa; in ora maris Cantabrici *Baudr.*

MENOSGADA, German. oppid. *Ptol. Eger* teſte *Appianô*, ſeu *Egra*, Bohemis *Heb*, in Bohemiæ confinio Urbs Armalauſiorum, *Baudr.* in Bohemia, ad amnem Egram, in ipſo limite Franconiæ. Cum arce munita, pluries tamen expugnatâ, ultimô bellô Germanicô 4. milliar. Germanic. à Locta in Occaſum, 9. ab Amberga in Boream, 13. à Pilſna in Circium.

MENOTYRANNUS, Græcè Μηνοτύραννος, cognominatus Attis, Cybeles delicium (quem eundem cum Sole eſſe credebant) hoc eſt, *Rex Menſium* & anni Moderator. *Inſcriptiones* haud pridem in Urbe effoſſæ:

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIVS FLAVIANUS
V. CL. PONT. MAIOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR. EPULONUM.
TAUROBOLIO. CRIOBO
LIOQ. PERCEPTO.
MATRI DEUM MAGNÆ
IDÆÆ SVMMÆ. PA
RENTI. HERMÆ. ET ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO
CLODIVS. HERMOGENIANUS
CÆSARIVS V. C. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hinc corrigendâ vetus *Inſcr.* quæ inter Gruterianas vulgata eſt, M. D. M. IDÆÆ ET ATTIDI MINOTAURO NOBILISS. pro ATTIDI MENOTYRANNO, vel MINOTYRANNO. Et paulo poſt, TAUROBOLINUS M. D. M. ID. ET. ATTIDIS. MINOTURANI, pro MINOTYRANNI. Attidem verò pro Sole habitum, docet Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.* 21. *Solem verò ſub nomine Attinis ornant fiſtulâ & virgâ.* (de Phrygibus loquitur) *Fiſtula ordinem ſpiritus inæqualis oſtendit: quia venti, in quibus nulla æqualitas eſt propriam ſumunt de Sole ſubſtantiam. Virga poteſtatem Solis aſſerit, qui cuncta moderatur.* Unde liquet, quare *Menotyrannus invictus* dicatur Attis. Vetus *Inſcr.* Græca.

Ἄττει θ' ὑψίστῳ δὲ συνέντι τὸ πᾶν,
Τῷ πᾶσιν καιροῖς θερμαζώτερα πάντα φύοντι
Attini celſiſſimo & omniſcio.
Qui cunctis temporibus quævis producit, &c.

Salmaſ. *Not. ad Æl. Lamprid. in Vita Heliogabali. c.* 7.

MENRADUS, inſignis Eremita, diu multumque in Eremo Helvetiorum verſatus, tandem à latronibus circumventus, & trucidatus eſt.

MENS, Romæ pro Dea culta olim. Cicero *de Legg. Olla, propter quæ datur homini aſcenſus, in cœlum,* Mentem *Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra ſunto.* Ibidem, *Bene verò, quòd* Mens, *Pietas, Virtus, Fides, conſecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata templa ſunt.* Idem *l.* 2. *de N. D.* teſtatur, *Mentem* in Capitolio dedicatam eſſe, à M. Æmylio Scauro. Matrem ex Jove Muſarum Minervæque facit Arnobius *l.* 3. *adv. Gent.* Et hæc tenuia erant in illa Rep. Sapientiæ initia, intra quæ aliquot ſeculis ſubſtitit: donec Punicô bellô ſecundô, cum Humanioribus literis, Philoſophia etiam ipſa, quæ à Græcis jam diu antè expolita fuerat, apud Romanos emerſit. Quò ſpectant verſus Servii de Romanis, a Gellio laudati *l.* 17. *c.* 21.

Punicô bellô ſecundô Muſa pennatô gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſoph. l.* 4. *c.* 3. *p.* 236. Sed & quorumcunque hominum egregiorum *Mentes* poſt vitam ſecundùm virtutem actam, ab ea ejuſque meritis, in ſiderum, qui antiquiſſimi Gentilium Dii fuêre, numerum, recipi, cecinerunt Poëtæ & perſuaſêre Philoſophi: Unde Clio apud Statium *Theb. l.* 10. *v.* 636.

——— *dans clara meanti*
Aſtra locum, quoque ipſa (Virtus) *polis adfixerat ignes.*

Et paulo pòſt, ſuum Juvenem ipſa his adhortatur, *v.* 664.

Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita Virtus:
Aſtra vocant, Cæloque animam (plus concipe) mittes.

Et Martianus Capella, de Philoſophia Magiſtrâ virtutis,

Quæque Platonis Pythagoræque
Eſſe dediſti ſidera mentes &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & *Adverſar. l.* 24. *c.* 6. nec non ſuprà, in voce *Anima,* item *Intellectus.*

MENS, ὁ Νοῦς, Ariſtoteles Platoni dictus. Vide *Ariſtoteles.* Item fluv. Pamphyliæ, vide ſuprà *Ceſcus.*

MENSA, vide MENSÆ. Has Sacras fecerunt Gentiles *Salinorum appoſitu, & ſimulachris Deorum,* ut ait Arnobius *adv. Gentes l.* 2. θεῶν videl. ἐπιτραπεζίων, ſeu ſigillorum epitrapeziorum, uti ad *Feſtum* obſervat Scaliger voce *Menſæ*; quæ velut *Genii* & *Tutelæ* earum habebantur, uti Herculem Vindicis Epitrapezium Stat. vocat *Sylv. l.* 4. Vide quoque J. Lipſium *Saturnal. Sermon. l.* 1. *c.* 2. & ſuprà aliquid voce *Euphrades.* Lindenbrogius talem antiquæ manus Deum apud Fr. Pithœum vidit, teſte G. Elmenhorſt. *ad Arnobium d. l.* Hinc *Menſæ Sacræ* ſæpius. Seneca *de Ira l.* 1. *c.* 2. *Alium inter ſacra Menſæ ira percuſſit.* Grande nefas. Origenes *contra Celſum l.* 2. Καὶ ὀνειδίζων γε ὁ Πλάτων τοῖς γαμβροῖς τὸν Λυκάμβην μετὰ ἅλας καὶ τράπεζαν συνθήκας ἀθετήσαντα, φησὶ πρὸς αὐτὸν, ὅρκον δ' ἐνοσφίσθης μέγαν, ἅλας τε καὶ τράπεζαν.

MENSA Aurea, cum ſacris panibus, in Sanctuario veteri, ad Septentrionem æquali ſpatiô poſita memoratur Exod. *c.* 25. *v.* 23. Facta erat ex cedro, ac auro obducta, latitudine unius, altitudine unius ac dimidii, longitudine duorum cubitorum. Inſtrata veſte hyacinthinâ, impoſitæque ei erant duodecim lances, accipiendis panibus, totidemque acerræ, quæ thure implebantur, & ſcopulæ, vaſis illis emundandis, Exod. *c.* 25. *v.* 29. & Numer. *c.* 4. *v.* 7. Collocabantur autem panes duplici ordine: utrinque ſeni, qui ſibi mutuò incumbebant, interpoſitis calamis, ut Judæi volunt, ne vitium contraherent: Appellabanturque *Panes facierum* & *Menſa facierum,* Numer. *c.* 4. *v.* 7. quod Septuaginta, & ex illis S. Paulus ἄρτους προθέσεως reddunt, 2. Chron. *c.* 4. *v.* 19. & Hebr. *c.* 9. *v.* 2. Singulis porrò Sabbatis *Menſam* hanc adornari & denuo inſtrui oportebat: tumque panes illi Sacerdotibus cedebant, Levit. *c.* 24. *v.* 9. thus autem iis impoſitum adolebatur, Levit. *c.* 24. *v.* 7, 8. &c. Gerebat autem Menſa hæc *Aurea,* panes iſtos (Chriſtum figurantes) ſuſtinens. Verbi ac Sacramentorum vicem, uti pluribus docet Franc. Burmannus *Synopſi Theol. Chriſt. Part. I. l.* 4. *c.* 14. §. 11. & 12. In Templo Salomonico pro una, denas fuiſſe *Menſas* hujuſmodi *aureas,* legimus *in* 1. *Regum, c.* 7. *v.* 27. *&c.* Vide infrà in voce *Templum.*

MENSA Canonica, apud Gregorium Turonenſ. *de Vitis Patrum. c.* 9. *Ut nec ad convivium* Menſæ Canonicæ, *cum reliquis accederet Clericis:* & *Hiſtor. l.* 10. *c.* 31. de Baudino Epiſcopo Turonenſi. *Hic inſtituit Menſam Canonicorum:* dicitur, ad quam una convivabantur Eccleſiarum Clerici. *Menſa Eccleſiæ,* Gregorio M. *l.* 3. *Ep.* 37. Unde poſtea *Menſa* dictum, quidquid ex bonis alicujus eſt, bona ipſa, patrimonium, dominicum, denique quidquid *ad menſam inſtruendam,* i. e., ad veſcendum, ſeu ad vitæ commoda, neceſſarium eſt aut conducit, Gallis vulgò *Menſe.* Quô ſenſu *Menſa Epiſcopalis, Patriarchalis, Regalis* occurrunt paſſim, apud Auctores, laudatos Car. du Freſne *in Gloſſario.*

MENSA Cypriani, locus fuit Carthagine, ubi is martyrium conſummavit, in cujus memoriam *menſa* ibi poſtmodùm erecta eſt: *non, quia ibi eſt unquam Cyprianus epulatus, ſed quia eſt ibi immolatus,* Auguſtin. *Serm.* 113. *de Diverſis.* Extant ejuſdem Auguſtini Sermones nonnulli, ad hanc *Menſam* habiti. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* Certè in ſepulchris *Menſas* poſitas jam olim, quòd ad ea res divinæ fierent ſacrô parentali, obſervat *ad Feſtum* Scaliger. Hinc in *Inſcr.* Sepulchralibus non ſemel, occurrunt iſta, *Menſam contra votum poſuit,* 850. 6. 1049. 9. Et in *Marmore* reperto A. C. 1223. in Area SS. Martyrum Fauſtini & Jovitæ, Brixiæ in Italia, apud Aſcanium Martinengum, in horum *Vitis: Fauſtino & Jovitæ Martyribus Victor Maurus ex voto poſuit menſam civibus ſuis, &c.*

MENSA Domini, apud Apoſtolum 1. Cor. *c.* 10. *v.* 21. οὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίου μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων, *Non poteſtis Domini Menſæ participes eſſe & menſæ Dæmoniorum:* Eſt ipſa Euchariſtia, quam exemplô Pauli Patres ita ſæpe nominant, Optatus *l.* 5. Auguſtin. *de Peccator. mer. &c. contra Pelagium l.* 1. *c.* 24. Leo I. *de Jejunio ſeptimi menſis Serm.* 6. Græci quoque, ſed cum diverſis epithetis: Illis enim ea, Τράπεζα ἐπουράνιος, *Menſa cœleſtis,* in *Liturg.* quæ Jacobi nomen præfert, Τράπεζα ἱερὰ, *Menſa ſacra,* apud Chryſoſtomum *Homil.* 2. *in ad* 1. *Corinth. c.* 10. *v.* 1. Μυστικὴ τράπεζα, *Myſtica Menſa,* apud eund. *Tom.* 5. *Savil. p.* 367. & Theodoretum *de Provid.* 5. *Serm.* 10. Τράπεζα φρικώδης, *Menſa terribilis,* apud eundem Chryſoſtomum alibi; Λογικὴ τράπεζα, *Rationalis Menſa,* apud Theodoretum iterum *Serm.* 6. Πνευματικὴ τράπεζα, *Spiritualis Menſa,* paſſim, &c. Nempe propriè *Menſa* erat, in qua S. Euchariſtia adminiſtrabatur; eaque lignea primis ſeculis Chriſtianiſmi. Unde Athanaſius dicebat de Arrianis, *in Epiſt. ad Solit. Subſellium, thronum, Menſam ligneam,* καὶ τὰ ξύλα τῆς Ἐκκλησίας, *& fores Eccleſiæ, & cætera quæ poterant, foràs elata combuſſerunt.* Et Optatus *contra Parmenium l.* 6. *Quis fidelium,* inquit, *neſcit, in peragendis myſteriis ipſa ligna. linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Eadem verò figuratè Θυσιαστήριον quoque, ſeu *Altare* dicta eſt. Propriè enim dicta Altaria in Chriſtiana Eccleſia locum non habere, patet ex Minucio Felice, apud quem, ad quæſt. *Cur nullas aras habeant, nulla templa, nulla nota ſimulachra?* Reſpondet Octavius, *Putatis autem nos occultare, quod colimus, ſi delubrum & aras non habemus.* Inſignita autem eſt hôc nomine *Menſa Domini,* quia in ea Sacrificii Chriſti fit commemoratio. Quòd item ei imponerentur fidelium oblationes, tam pro Sacramentorum uſu, quam pauperum ſubventione, uti legimus apud eundem Optatum *loc. cit.* Vide Matthæum inprimis Sutlivium Anglum *de Miſſa Sacrif. l.* 3. *c.* 14. Ut verò undique ad *Menſam Dominicam* acceſſus pateret, in medio Templi poſita fuit antiquitus. Auguſtin. *de verbo Dominic. ſec. Joann. Tom.* 10. *Menſa Chriſti eſt illa in medio conſtituta; Quid cauſæ eſt, ô Audientes, ut menſam videatis, & ad epulas non accedatis?* Ut alia non addam, de quibus prolixe Theologi, Philologique ſacri. inter quos eminet Joh. Caſp. Suicerus, quem vide *Theſaur. Eccleſ. in* Τράπεζα. Hodie Græci, præter inſtitutum Domini, in celebratione S. Euchariſtiæ duas *Menſas* adhibent: unam vocant Πρόθεσιν, quaſi dicas, *Menſam propoſitionis,* in qua reponuntur panis & vinum ante conſecrationem, ipſis τὰ Δῶρα dicta: quibus in priore Menſa poſitis tribuunt venerationem. Dein transferuntur, quæ fuerunt ibi appoſita in alteram *Menſam,* ubi fit conſecratio, & poſt conſecrationem adoratio λατρείας; quam *Menſam* vocant & *Altare* & ἅγιον Βῆμα, uti habet Caſaubonus *Exercit.* 16. *num.* 36. Vide quoque ſuprà in voce *Antimenſium,* ut & hîc paſſim, ubi de *Menſa Aurea, Menſa Sacra. &c.* it voce *Paratrapezii.*

MENSA Facierum, vide ſuprà *Menſa Aurea.*

MENSA Frigida; ſeu *Menſa Frigida,* vide ſuprà ubi de *Frigidis.*

MENSA Hoſpitalis, vide infrà *Peregrinus,* it. *Xenia.*

MENSA Nucina, vide *infrà.*

MENSA Numeraria, vide paulo poſt *Menſa pulvere reſperſa.*

MENSA Pomorum, vide ſuprà *Cœna:* & infrà *Menſa ſecunda.*

MENSA Marmorea, in qua antiqui mittebant calices, ut habetur in *Gloſſ.* veterib. Mſſ. Corbejenſibus, vide ſuprà *Abacus.*

MENSA Pulvere reſperſa, in quo numerorum notas olim Arithmetici delineabant, vide ſuprà *Abaciſta,* it. *Abacus.*

MENSA Rotunda, Veteribus in uſu fuit, ne quem ſibi prælatum in carmine quiſquam conquereretur, vide ubi de *Conviviis,* item *Scoliis.* Hinc & Tibiæ convivales puſillæ quidem erant, ſed pares & æquales: Δαὶς ἐΐση Homero dicta eſt, à *partiendo,* uti annotat Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 20. De *Menſa rotunda,* apud Veteres Britones, vide infrà, ubi de *Tabula Rotunda.* Imò omnes *Menſæ* aliquando *rotundæ,* apud Romanos præcipuè, cùm Veteres quadratis eſſent uſi, quæ etiam poſtmodum in Caſtris diu manſêre, Varro *de L. L. l.* 4. Vide quoque ſuprà *Abacus.* Hinc *teretes* eas vocat Stat. *Theb. l.* 1. *v.* 517.

——— *pars oſtro teretes auroque ſonantes*
Emunire toros, altoſque inferre tapetas,
Pars teretes levare manu ac diſponere menſas,

Atque propterea everſu faciles erant, Petronius *Satyr. Sic me loquentem objurgavit Gyton mitiſſimus puer & negavit rectè facere, quòd ſeniori convitiarer, ſimulque oblitus officii,* Menſam, *quam humanitate poſuiſſem, contumelia tollerem.* Et idem Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 263.

——— *vix primus ab ira*
Pallor, & impulſis ſurgunt ad prælia menſis.

E quo priore loco colligimus inſuper, *ablatiles* fuiſſe veter. *Menſas,* quæ videl. convivio parato *poni,* dein iterum auferri conſue-

ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

verint. Id quod etiam indigitat, Auctor *Cyclicæ Thebaidos*, apud Athenæum *l.* 11. *c.* 3.

> Αὐτὰρ ὁ Διογενὴς ἥρως, ξανθὸς πολυνείκης,
> Πρῶτα μὲν Οἰδιπόδῃ καλὴν παρέθηκε τράπεζαν
> Ἀργυρέην, Κάδμοιο δαΐφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα
> Χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.

& Poſſidonius *ibidem*. Et quidem *ponere* ac *auferre menſam*, ejus erat, qui hoſpitiô ſuo hoſpites exciperet, &c. Vide de Heroicis priſcorum *Menſis*, *Athenæum* hunc, *Plutarchum*, Plin. *l.* 13. *c.* 15. Alios; ex recentioribus, Janum Douzam Patrem *Explanation. Plautin. l.* 4. *c.* 12. Guil. Stuckium *Antiqq. Convivial. l.* 2. *c.* 17. Petr. Ciacconium aut Fulvium Urſinum *de Triclinio*, Jul. Cæſar. Bulengerum *de Imperatore l.* 2. *c.* 38. Alios.

MENSA Sacra, Euchariſtia eſt, cui nomen hoc à loco, in quo à CHRISTO inſtituta, eſt inditum, ἐπουράνιος τράπεζα, in Jacobi *Liturgia*, ἱερὰ, μυστικὴ, φρικώδης τράπεζα Chryſoſtomo: τοῦ Σωτῆρος τράπεζα, Palladio in *Vita* Chryſoſtomi, ubi de modo jurandi, κατὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος τραπέζης, &c. Vide ſuprà. Cujuſmodi *Menſa*, ubi S. Cœna adminiſtrata, in Æde S. Sophiæ Conſtantinopoli, *Cedreno* ita deſcribitur: *Tunc fecit &* Sacram menſam, *opus inimitabile: Ex auro enim & argento & lapide omnis generis & ligno & metallo & aliis ſpeciebus, quaſcunque fert terra & mare & univerſus orbis; Cùm ex omnibus collegiſſet, quæ quidem optima ſunt & pretioſiſſima, largiùs, quæ verò minoris pretii parciùs; fuſilibus fuſis arida in hac injecit: Atque ita eam in typum infuſam perfecit:* ὅθεν καὶ ποικίλη φαινομένη θάμβος παρέσχε τοῖς ἐπ' αὐτὴν ἀτενίζουσι. *Unde tam varia apparuit. ut intuentes in ſtuporem conjiceret.* Quem cinnum Χαλκολίβανον appellavit *Suidas*, Χαλκολίβανον, εἶδος ἠλέκτρου τιμιώτερον χρυσοῦ. ἔστι δὲ τὸ ἤλεκτρον ὀλότυπον (i. e., παντότυπον) χρυσίον μεμιγμένον ὑέλῳ καὶ λιθείᾳ. Ὁποίας ἐστὶ συνθέσεως καὶ ἡ ἁγία τράπεζα τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, *Chalcolibanum, electri genus aurô pretioſius. Eſt autem electrum ex alienis conflatum, vitro & gemmis mixtum, cujus compoſitionis eſt ſacra* Menſa *magnæ Eccleſiæ*. Vide in voce Ἤλεκτρον quoque. Nempe Juſtinianus, ut omnium, quæ à Chriſto largè acceperat, bonorum gratum ſe exhiberet, *Menſam* hanc, quam illi obtulit, ita coagmentavit, ut nihil eſſet in rerum natura pretii aliquantivis, quod in ea non eluceſceret. Proinde circa eam hæc legebatur *Inſcr.* Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν οἱ δοῦλοί σου, Χριστὲ, Ἰουστινιανὸς καὶ Θεοδώρα, ἃ εὐμενῶς πρόσδεξαι Υἱὲ καὶ Λόγε τοῦ Θεοῦ, *Tua ex his tibi offerimus ſervi tui, Chriſte, Juſtinianus & Theodora. quæ benevolè accipe. Fili & Verbum Dei, &c.* Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 16. Vide quoque Car. du Freſne *in Deſcript. Ædis Sophianæ*.

MENSA Scenica, vide ſuprà *Comœdia*.

MENSA Sortibus deſtinata, in pleriſque Antiquorum templis, ubi oracula edebantur & οἱ κλῆροι, i. e. *ſortes* vigebant, in promtu erat, ut infrà dicemus ubi de *Sortibus*, vide quoque voce *Tripus*.

MENSA Trapezitarum ſeu Argentaria, memoratur *l.* 19. *ff.* 1. *de Inſtitor. Dominus, qui ſervum inſtitorem apud* Menſam *pecuniis accipiendis habuit, poſt libertatem quoque datam, idem per Libertum negotium exercuit.* Notum enim, majorem ferè pecuniæ numeratæ partem habuiſſe Veteres in *menſa* vel depoſitam, pro occaſione uſuros & per partes erogaturos, vel ita traditam, ut alii fœnori collocaretur aut ipſi *Menſarii* fœneratam haberent, quâ ſuô arbitriô uterentur, ſpem lucri ſectantes. De qua illud accipiendum eſt apud Aur. Victorem: *Cujus Procuratores cùm provincias calumniis agitarent, adeò ut unus ex iis diceretur locupletiſſimum quemque ita convenire, quæ habes ad Menſam? alter, unde habes? tertius ponè quod habes?* Non enim cepit Andr. Schottus, duæ voces, inquiens, *ad Menſam*, non huc pertinent: relegandæ igitur. Profectò huc pertinent, ut quæ maximè, & relegandi potiùs illi codices, qui omittunt. Erat enim locupletiſſimi cujuſque habere pecuniam ad Menſam. *l.* 47. *ff. I. de Pactis: Ex ratione* Menſæ, *quam mecum habuiſti in hunc diem, ex contractibus plurimis, remanſerunt apud me apud Menſam meam* CCCLXXXVI. *& uſuræ quæ competierint*. Et *l.* 20. *de Inſtitor. Habes penès Menſam Patroni mei denarios mille*. Saltem recordatus eſſet verbum Domini Καὶ διά τι οὐκ ἔδωκας τὸ ἀργύριόν μου ἐπὶ τὴν τράπεζαν; *Quare non: dediſti pecuniam meam ad menſam?* De *Menſa* eadem ſurrexit infeliciter homo doctiſſimus, in Appuleii *Apolog.* quâ narratur, Catonem ſcriptum reliquiſſe, *Cùm in Hiſpaniam proficiſceretur, tres ſervos ſolos ex urbe duxiſſe: quum jam ad villam publicam venerat, parum viſum, qui uteretur: juſſiſſe duos pueros in foro* de Menſa *emi. Eos quinque in Hiſpaniam duxiſſe*. De *Menſa*, inquit, quærimus, quid ſit, unde mancipia à mangonibus vendebantur? an catаſta, in qua cretatis pedibus ſervi venibant? an in menſa ſubhaſtatio? an lapis, in quo præco ſtabat, & præconium faciebat? Schottus. Imò *Menſa* argentarii, ad quam homo locuples Cato haud dubiè grandem pecuniam depoſitam vel fœneratam habebat: de hujus ſcriptura mangonibus ſolvit: de hac reſcripſit argentum, quô ſervuli ſunt empti. Sic enim mavult *Gronovius*, quàm cum Scipione Gentili, pecuniâ mutuô ſumtâ apud Argentarios: quòd credibile non ſit, tam diligentem Patrem familiâs & in parte bene lauta vel nihil habuiſſe *ad Menſam*, vel ob tantillum ſumtum æs alienum feciſſe. Auſ. Popma. *ad Caton.* in Foro menſas publicas fuiſſe ait, à quibus non modô pecuniæ numeratio, ſed etiam rerum privatarum venditio fieret. Quæ autem res illæ? aut quæ venditio? Imò, *emere de Menſa*, non eſt comparare, quod Menſa vendit, ſed emere pecuniâ *de Menſa* perſcriptâ. Sanè Argentarii præerant auctionibus: Sed hæ nihil ad hunc loquendi modum. Abutitur etiam in hanc rem verbis Appuleji *Met. l.* 8. *Erat quidam juvenis ſatis corpulentus, ceraula doctiſſimus, collaticiâ ſtipe*, de Menſa *paratus*. Ubi titubavit etiam eruditus Elmenhorſtius, rectè, ſcribens, à Scickerado obſervatum, *Puerum de menſa dici*. παῖδα τραπεζοποιὸν, ſeu τὸν πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενον. Non enim puer vel *Juvenis de Menſa* vocatur ille, ſed juvenis ille dicitur *paratus de Menſa*. Imitatio Catonis eſt: ſubeſt tamen ſive catachreſis quædam, ſive tranſlatio. Nam propriè loquendo diverſa ſunt, nec de eodem dicuntur, *Collaticiâ ſtirpe parari*, & *de Menſa parari*. Sed quoniam ad Menſam Veteres pecuniam, habere ſolebant, *Menſam* appellat Appulejus *pecuniam communem ſocietatis*, ſive fiſcos communes, quô, quid quiſque mendicando corraſiſſet, in medium dabant. Et verò *Menſa* ſeu communis pecunia, tota conſtabat ex collaticia ſtipe, ſeu quas illis homines religioſi aliis alii, ſeu quas ipſi æruſcarores ab obviis exoratas eodem contulerant. Ita quod de communi pecunia mendicæ iſtius ſocietatis emebatur & de collaticia ſtipe eſt, de illorum *quaſi Menſa* parabatur. Neque Menſa vendidit Juvenem, ut volebat Auſonius, ſed præbuit argentum, quo emtus eſt. Hujuſmodi autem Trapezitarum ſeu argentariæ *Menſæ* exercitatores, *Negotiatores* dicebantur: quos à Mercatoribus ſeparat Cicero *pro Plancio, Negotiatoribus comis, Mercatoribus blandus*. Propriè enim Negotiatio & *de Menſa* & *Menſæ* ſeu *Menſariis* & de domo fœnerantium: nec aut res ipſa per ſe inhoneſta, aut hoc ei, quaſi nimis honeſtum, parùm aptum vocabulum. Sed de his *infrà*: plura hanc in rem ſuppeditabit Joh. Fred. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 24. Infrà voce *Samaria*, in Edicto Juſtiniani περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων, Samaritas τῆς τραπέζης ὑπογραφεῖς, *Menſæ miniſtros* dici, quod Negotiantibus id hominum genus operum præſtaret, *videbimus*.

à MENSA ſeparari, in Eccleſia Romana excommunicationis pœnæque ſpecies quædam eſt, apud Clericos & Monachos, quâ qui afficiebatur, ἀπευλογίας vocabatur, quòd Abbatis *benedictione* in menſa privaretur, vide *Regulam* Benedicti *c.* 31. Ebonem Remenſem Archiepiſc. &c. Sed & ſcribunt Saxo Gramm. *l.* 10. & Sueno *in LL. Caſtrenſibus c.* 5. ſtatuiſſe Kanutum Magnum Daniæ Regem, ut Curiales in capeſſendo menſæ diſcubitu, ordine, quô quiſque Militaris muneris advocationem ſortitus fuerat, uteretur, locôque antecelleret, qui prior obſequio foret. Unde, ſi quis delictum commiſiſſet, non alia ei imponebatur pœna, quàm ut à conſueto loco ad inferiorem transferretur, atque adeò tot gradibus diſcubitu indignior fieret, quot vicibus ſodalem offendiſſet. Quòd ſi quartò ſe quis eodem reatûs genere maculâſſet, diſcretô à Milite locô, *menſæ* alienus fiebat, cum commilitonum nemine catinô aut calice communicare auſus; neque enim ter veniam experto ulteriùs ignoſcendum putabat: Ita Grammaticus. Sueno verò, iſtiuſmodi hominem contumacem, extremum omnium locari, ſuo catinô poculôque contentum, cœteros verò, oſſa in eum pro arbitrio ſuo jactare conſueviſſe, ait. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà paſſim, inprimis in vocibus, *Arma plena* & *Baccalarii*; item ubi de ritu *Mantile ſcindendi*, & hîc infra in voce *Menſale*. Imperatoriæ certè Menſæ communicatio maximus honor habitus, uti docet Sueton. *Calig. c.* 39. *Compererat provincialem locupletem ducenta HS. numeràſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. Nec tulerat moleſtè tam magnô æſtimari honorem cœnæ ſuæ. Hinc poſterô die ſedenti in auctione miſit, qui neſcio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque, cœnaturum apud Cæſarem vocatu ipſius.* Et locus Ammiani, è *l.* 13. Caſaubono *ibidem* citatus. Hinc ipſius Jovis epulis Domitiani vocationem ſe prælaturum, gannit Martial. *l.* 9. *Epigr.* 93. in cujus tamen convivio nullam jucunditatem fuiſſe, facile perſuaſerit nobis Juvenalis, magnum pallorem agnoſcens, in omnibus ejus amicis, quique tum ad epulas ejus vocabantur, *Sat.* 4. *v.* 27.

> ——— ——— *vocantur*
> *Ergo in conſilium proceres quos oderat ille,*
> *In quorum facie miſeræ magnæque ſedebat*
> *Pallor amicitiæ* ——— ———

Ita feſtinare coacti & attoniti ad epulas veniſſe dicuntur, ab eodem invitati *v.* 144.

> ——— *Proceres, quos Albanam Dux magnus in arcem*
> *Traxerat attonitos & feſtinare coactos.*

Sincera magis in *Menſa Davidis* voluptas, cui aſſidere beneficii peculiaris loco Mephiboſetho, & poſtmodum Barſillai, datum eſt oblatumque; Imò *Menſæ* hinc imagine adumbrata Æternæ Vitæ gaudia, uti in Sacris legimus, &c. Vide quæ non parcâ manu adnotavit Joh. Savaro *ad Sidonium l.* 1. *Ep.* 11. & J. C. Bulengerus *Commentar. de Imperatore p.* 508. & 509. laudati Caſp. Barthio *Animadverſion. Part. I. p.* 361. ut & hîc paſſim, inprimis in vocibus, *Amici*, *Hoſpes*, &c. nec non, ubi de *Accumbendi ritu*, *Epulis*, *Maculis menſarum*, *Monopaliis* voce *Palæa*, it. *Parochus*, *Pellis*, *Spongia*, *Sternutatio*.

MENSÆ Præpoſitus, vide infrà *Præpoſiti*.

De MENSÆ Scriptura ſolvere, cui opponebatur *de Arca ſolvere* quid fuerit, vide ſuprà, *Menſa Trapezitarum*.

MENSÆ, ex ulvis olim paluſtribus, ut & lecticæ, adeoque etiam lecti ipſi, fiebant: juxta Val. Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 137.

> ——— *Viridique thorus de fronde, dapeſque.*

Poſtea ex acere conficiebantur, Plin. *l.* 13. *c.* 15. Hinc Martialis *l.* 14. *epigr.* 90.

> *Non ſum criſpa, nec ſilva Mauræ,*
> *Sed norunt lautas & mea ligna dapes.*

Lapſis deinde moribus & invaleſcente apud Romanos luxuriâ, poſt victam inprimis à Cn. Manlio Aſiam, lecti, abaci, monopodia, menſæ, triclinia primùm ærata, deinde & argentea, mox etiam laminis aureis induci cœperunt. Sed & citreæ menſæ in pretio non minori, ac argenteæ, vide Plin. *l.* 13. *c.* 15. Tertullian. *de Pallio c.* 5. &c. Citreis eburneæ æquiparatæ: vel etiam earum fulcra eburnea erant, laminis putaminum teſtudineorum minutim ſectis cooperta, Plin. *l.* 9. *c.* 11. Sed & puro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ligno ſecta teſtudo inſerebatur, maximè longè advecta, ut ex utroque velut unum corpus affabrè fieret, &c. Fuêre autem menſæ quadratæ primùm, Plin. *l.* 33. *c.* 11. poſtea rotundæ factæ ſunt, Athen. *l.* 11. *c.* 13. apud Græcos Romanoſque, niſi quòd Romanæ referebant figuram ſigmatis Græci C. ad cujus cornua honoratiores convivæ collocabantur. Vide Sidon. Apollinarem *l.* 1. *ep.* 11. Sternebantur Sigmata hæc initiò pellibus ferarum, dein & byſſinô periſtromate; atque cum epularum miſſibus mutabantur, Vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 5. *paralip. ad. c.* 26.

MENSÆ Secundæ dicebantur, cùm apponerentur Bellaria, Græc. πέμματα ſeu τραγήματα, quô vocabulô, omne genus *ſecundæ Menſæ* ſignificabatur, putà: Nuces, pyra, poma, ficus, oleæ, uvæ & alia, de quibus multa habet Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 18. 19. *&* 20. ac Varro apud A. Gellium *l.* 13. *c.* 11. Hinc Martial. *l.* 2. *Epigr.* 80. *v.* 11.

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum.

Et Horat. *l.* 2. *Sat.* 2.

——— *Tum penſilis uva* ſecundas
Ornabat Menſas, *& nux cum duplice ficu.*

Interim, quia Veteribus ex pomis conſtabant, quô nomine omnia τὰ τῆς ὀπώρας comprehendebant, hinc *Secunda Menſa* dicta eſt *Menſa pomorum.* Unde Horatio *Sat.* 3. l. 1. *Ab ovo uſque ad mala:* idem eſt, ac ab initio cœnæ, ad finem: & Servius *in illum verſum Virgilii, Æn. l.* 1. *v.* 220.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ:

Romanorum, inquit, *exſequitur morem, quorum duæ erant* Menſæ, *una* epularum, *altera* pomorum. Æl. Lamprid. *de Alex. Severo c.* 37. *Pomis*, inquit, *vehementer indulſit, ita ut* Secunda Menſa *illi ſæpius poneretur; unde etiam jocus extitit, Non* Secundam Menſam *Alexandrum habere, ſed* ſecundùm. Vide Anton. Thyſium ac Jac. Oiſelium *Notis in Gellii locum citatum.* In his *Menſis* Veteres poculis indulgebant, & ut ait Horatius *l.* 2. *Sat.* 2.

——— *Ludus erat, culpâ potare Magiſtrâ.*

Unde A. Gellius *l.* 19. *c.* 9. *Ubi eduliis finis & poculis mox ſermonibuſque tempus fuit*, i. e. ubi prima *Menſa* ſublata: & Plin. *l.* 12. *c.* 1. *Arbores poſtea blandioribus fruge ſuccis hominem mitigavere. Ex iis recreans membra olei liquor, vireſque potus vini, tot denique ſapores annui ſponte provenientes: Et* Menſæ *(depugnetur licèt earum cauſâ cum feris, & paſti naufragorum corporibus piſces expetantur) etiamnum tamen* ſecundæ, &c. Vide quoque ſuprà *Connarus, Epidipnides* &c. infrà *Potandi.* Ante miſſus autem hujus menſæ coronas & unguenta inferri ſolita, dicemus ubi de *Ungendi ritu.* Addam aliquid de *Menſa*, à Puerperis, totâ primâ hebdomade, olim Junoni propoſita, ſuper quam votivus infans Diis oblatus & commendatus, votis, quæ ſuſcepta fuerant, vel ſolutis vel adauctis. Cujus ritûs meminit Tertullian. *l. de Anima, Dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadem Junoni* Menſa *proponitur.* Erat autem ferè ara, in qua libatum; addebaturque Deæ lectus. Vide Thom. Bartholinum *de Puerperio Veter.*

MENSALE, apud Recentiores, mappa, linteum ſtragulum, quô *menſa* inſternitur. Unde *Menſale ſcindere* ſeu *dividere*, ignominiæ ſpecies, quâ ii afficiebantur, qui menſâ Principis vel Regis videbantur indigni. Sic Wilhelmo Comiti *de Oſtrevant*, ſedenti ad menſam Francorum Regis, Heraldus quidam ſcidit & diviſit *menſale*, quâ ante ipſum erat, quòd proavunculum ſuum Wilhelmum Hollandiæ Comitem à Friſonibus cæſum non vindicâſſet, A. C. 1395. apud Joannem de Leydis *l.* 31. *c.* 50. Et eôdem annô Wilhelmo Comiti Hollandiæ, ejuſdem Regis Menſæ adſidenti, Fecialis laceravit mantile ante poſitum, quod inſignia ejus apud Friſios Orientales eſſent amiſſa, uti refert Guil. Heda. Unde traditur in *Tract. MS. Galliæ, de officio Heraldorum*, incumbere his, ut ſi quem proditionis ſuſpectum in menſa Regis adeſſe moneantur, *Menſale* ante hos lacerent, & panem eorum invertant, ne cum Militibus Nobilibuſque laudatæ fidei menſâ communicari videantur, &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* Cui ſimile quid legimus de pagi *Marche-Ville*, in Lotharingiâ, prope Nancejum, ad montium radices, incolis; quibus, quòd perfidiâ aliquando in Ducem ſuum (quem *Fridericum* II. Hiſtoriæ appellant) notati eſſent, eam ob cauſam, quotieſcunque cum reliquis Principis ſui domeſticis epulari contingit, panem inverſum apponi conſueviſſe, refert Merula *Coſmogr. Part.* 2. *l.* 3. *p.* 478. Sed & *Menſale*, in *Provinciali* Eccleſiæ Cantuarienſis *l.* 3. *tit.* 1. *p.* 1 7. veſtis ſpecies eſt, aliàs *Supertunica* dicta, quòd referret *Menſalis* ſpeciem: vel quòd in ejuſmodi veſtibus ſedere ad *menſam* ſolerent, atque ita pretioſioribus veſtibus, quibus hæ ſuperinducebantur, parcere, uti habet Lindwodus *ad h. l.*

Ad MENSAM orandi ritus, apud Judæos occurrit in *Juchaſin:* ubi inter tria præclara Moſis inventa, vel, ut ipſi appellant; תקנות, recenſetur *Benedictio cibi*, è Deuteron. *c.* 8. *v.* 10. quo ex loco Rabbini multa commenti ſunt de ritibus in cibo ſumendo ſervandis: inter quos præcipuus hic eſt, de gratiis Deò agendis, & ſunt in eorum *Ritualibus* formulæ, in eum uſum. Philo quoque de eo more narrat multa, *de Vita Contempl.* Nec Paganis prorſus ignotum id inſtitutum fuit. In Platonis certè *Sympoſio*, ſtatim ut Socrates accubuit, convivæ libationes faciunt & ᾄδουσι τὸν θεὸν, *hymnum Deo canunt.* Narratque Athenæus *l.* 4. Naucratitis morem fuiſſe, quoties conveniebant, ad feſti cujuſdam ſolennis epulas, poſtquam in tricliniis diſcubuiſſent, ἐπανίστασθαι εἰς γόνατα, τοῦ ἱεροκήρυκος τὰς πατρίους εὐχὰς καταλέγοντος, *in genua ſe componere, Sacerdote patrias preces recitante.* Quò etiam ſpectat mos vetus libationum ad Menſam. Idem Romanis in uſu fuiſſe, docet Briſſonius *de Formul. l.* 1. *p.* 40. in eam rem laudans *Livium*, iſtudque Ovidii *Amorum l.* 1. *Eleg.* 4.

Tange precor Menſam, tangunt quô more precantes.

Inprimis memorabile præceptum eſt, apud Stobæum *c.* 41. Diotogenis Pythagorici, Καλῶς δὲ καὶ τὸ τὸν θεὸν ἐν ἀρχᾷ τῷ δείπνῳ καὶ τῷ ἀρίστῳ ἐπικαλεῖσθαι. οὐχ ὡς δεομένου τινὸς τοιούτω. ἀλλ' εἰς τὸ μνησθέντα καλλικοσμηθῆναι τὰν ψυχάν, *Bene fit etiam, ut Deus initiô & cœnæ & prandii invocetur: non quia tale quid Numini ſit opus; ſed ut quiſque* Dei *recordans animô ſit compoſitô.* Quòd paganus homo cùm ſcribat, monſtro ſimile eſt, reperiri inter Chriſtianos, qui ſecus faciant. Nam de ſua ætate Chryſoſtomus teſtatur, fuiſſe nonnullos, qui neque initiô, neque in fine cœnæ, Deum laudarent, *Homil. in Matthæum* 56. qui utinam nulli eſſent hodie! Quod verò idem habet de Precibus ἐπιτραπεζίοις, h. e. *quæ in menſa peragebantur*, eâdem *Homil.* non fuerunt Orientalium communes, ut videtur exiſtimâſſe Vir doctus, ſed propriæ quorundam Monachorum montes incolentium, &c. Caſaubon. *Exercit.* 16. *num.* 63. Vide quoque ſuprà *Archi Capellanus.* Sed & Pſalmos *ad Menſam* à veterib. Chriſtianis decantatos infrà videbimus voce *Pſalmus.*

Per MENSAM Manumiſſio, vide in hac voce.

MENSARII, Quinqueviri, Triumviri, vide infrà.

MENSATA, Hiſpanicè *Menſada*, unius *menſis* ſervitium, quô Milites in Aragonia Regi obnoxii erant, quos inde *Ricos hombres de la Meſada* appellabant, ut *Hieron. Blanca* obſervat. Vide infrà in voce *Rici.*

MENSIS, ex *metior*, quaſi numerus dierum *menſus:* vel ex Græco μὴν, ἀπὸ τῆς Μήνης, i. e. *Luna*, dictus, inter Numina Gentilium, vide ſuprà *Menis:* propriè ſpatium illud eſt, quô Luna Signiferum percurrit, & eôdem, unde inſtituit curſum, revertitur: Cui apud Gaderam in Hiſpania aram ſacram fuiſſe, meminit Ælian. *Hiſt. var.* Originem vocis nonnulli quoque ex Hebr. מנא, vel מנה i. e. *numeravit*, vel מני i. e. *Luna*, arceſſunt: Namque & Hebræi, ut inferiùs videbitur, poſt exitum ex Ægypto, ad Lunæ curſum *Menſem* metiri ſoliti ſunt. Hunc cum Anno antiquitus eundem fuiſſe, qui proin *Annus Lunaris* dictus, conſtat: Unde Jovianus Pontanus *Uraniæ l.* 1. *de Luna*,

——— ——— *Orbibus orbes*
Mutat, agens circum, & parvum convertitur annum.

Dein bimeſtris ſpatiô Annus terminatus eſt, qualem primum inſtituêre Ægyptii: qui poſtea in tres *Menſes*, aliquando in quatuor Annum ſuum ſecare inceperunt, Plut. *in Numa.* Cares & Acarnanes ſex *Menſium* ſpatiô eum clauſêre, *Cenſorinus de die Natali. c.* 19. *&c.* Atque hi quidem pro ſummo Numine Lunam habentes, ad ejuſdem curſus, Annos ſuos circumſcripſêre, reliquis gentibus cœleſtium ſiderum Ducem Solem agnoſcentibus: ſed nec his par ſemper in Anno *Menſium* numerus. Romulus decem in Anno *Menſes* poſuit, ob rationes Ovidio *Faſtorum l.* 1. *&* 3. memoratas: quibus poſtea Numa duos reliquos addidit, eôdem docente *Faſtorum l.* 1. *v.* 43.

At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,
Menſibus antiquis addidit ille duos.

Quod tamen alii tribuunt Tarquinio Priſco, vide Georg. Merulam *in Orat. pro Q. Ligario.* Cumque Principem *Menſium* feciſſet Romulus Martium, in Martis, è quo genitum ſe credi volebat, honorem: Numa Pompilius, ad naturæ ordinem reſpiciens; cùm poſt Brumam Sol, progrediendi fine factô, convertatur & ad nos ſe reflectens, quaſi de novo curſum ſuum ordiatur, Januarium Anni principium eſſe voluit. Quemadmodum autem Annus Jovi, ſic *Menſes* Junoni conſecrabantur, teſte Plut. *in Problem. Rom. c.* 77. in ſpecie Januarius, ut ſuprà videre eſt, voce *Conſentes:* erantque ex ordinatione Romuli diſtributi in partes tres, Kalendas, Nonas & Idus. Kalendæ primi erant cujuſque *Menſis* dies: reliqui ad Idus *Nonæ* vocabantur, quarum in quibuſdam *Menſibus* quatuor, in quibuſdam ſex erant, juxta verſum:

Majus ſex Nonas October, Julius & Mars,
Quatuor at reliqui.

Idus verò in quovis *Menſe* octo, dicebantur dies Nonas ſequentes: à quibus qui ſupererant dies, ad Kalendas *Menſis* proximè inſequentis referebantur. Elegans de XII. Romanorum *Menſibus* carmen Incerti Auctoris *in Anthologia l.* 1. *c.* 91. ita habet:

Μὴν ὑπάτων πρῶτος, ὁ δὲ δεύτερος αὔλακα τέμνει,
Ὁ τρίτος Αὐσονίων γενεὴν ἐπὶ μῶλον ἐγείρει,
Τέτατος ἀγγέλλει ῥοδοδάκτυλον εἴαρος ὥρην:
Εἰμὶ ῥόδων γενέτης, καὶ ἐγὼ κρινὰ λευκὰ νομίζω.
Οὗτος ἀμαλλοδέτης, τὰ δ' ἐμὰ πτερὰ Νεῖλον ἐγείρει:
Οὗτος ἀρισταφύλῳ πεφιλημένος ἔπλετο Βάκχῳ.
Τεύχω δ' οἶνον ἐγὼ μελιηδέα χάρμα βροτοῖσι.
Δαῖτα φέρω χαρίεσσαν ἐς οὔνομα φωτὸς ἑκάστου,
Φορμίζειν δεδάηκα, καὶ ὑπνώοντας ἐγείρειν.
Menſis Conſulum primus (Jan.) *ſecundus* (Febr.) *ſulcum ſecat:*
Tertius (Martius) *Auſonium genus ad pugnam excitat.*
Quartus (Aprilis) *annuntiat roſeam veris horam.*
Sum roſarum genitor (Maj.) *& ego lilia candida porto.* (Jun.)
Hic ligat manipulos, (Jul.) *& mea alæ Nilum excitant.* (Aug.)
Hic generoſo amicus eſt Baccho, (Sept.)
Paro vinum ego dulce gaudium hominibus. (Octob.)
Convivium fero gratioſum ad nomen hominis cujuſque. (Nov.)
Cytharâ cantare novi, & dormientes excitare, (December.)

Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. *& ſeqq. cum Paralipomenis* Thom. Dempſteri, & *Menſium* quemque *ſuô locô.* Apud Athenienſes, initium Anni olim faciebat Hecatombæon, Julio no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 2

noſtro reſpondens: Poſtea, ſub Alexandro M. juſſi Annum ordiri die 7. Octobr. Mæmacterionem primum habuêre *Menſem.* Tandem decretò Auguſti Cæſaris, Annô Juliano ſe conformaturi, Elaphebolionem Martio noſtro congruentem primò locô poſuêre. Et quidem apud illos *Menſis*, in tria δεχήμερα, ſeu tres δεκάδας dierum diviſus eſt: quarum prima ἱςαμένε μηνὸς, h. e. *ineuntis* ac *inſtantis Menſis*; altera μεσῦντος vel ἐπὶ δέκα, i. e. *medii* ſeu *ſupra decem*, poſtrema φθίνοντος μηνὸς, h. e. *præcipitis* vel *deſinentis*, dicebatur. Et quoniam Luna *menſem* incipiebat & finiebat, hinc primus dies Menſis vocabatur Νεμηνία, i. e. *Novilunium*; trigeſimus verò ſeu ultimus, ἕνη καὶ νέα, i. e. *vetus & novus.* Quod ſi menſis dierum 30. non eſſet, nihil tamen vetabat, quò minùs ultimum appellarent etiam, ἕνην: Secundus dein dies poſt νεμηνίαν, vocabatur δευτέρα ἱςαμένε, & ſic deinceps uſque ad decimum diem; poſt quem dicebant, πρώτη ἐπὶ δέκα, ſeu πρώτη μεσῦντος, δευτέρα ἐπὶ δέκα, ſicque conſequenter, uſque ad viceſimum, qui dicebatur, εἰκάς. Poſt hunc, ordinem invertebant. & juxta rationem Lunæ ſenſim deficientis, etiam numerum diminuebant, vocantes diem vigeſimum primum, δεκάτην φθίνοντος μηνὸς, *decimum præcipitis Menſis*, 22. ἐννάτην, *nonum*, & ſic uſque ad diem 30. qui appellabatur τριακὰς ſeu ἕνη καὶ νέα. Vide Rulandum *de Lingua Attic. l.* 2. Plura vero de menſibus Græcorum, apud Petavium *in Epiph. p.* 138. 139. Caſaubon. *in Athenæum p.* 931. Petitum *Chron. Eclog.* Franc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 2. *c.* 10. *&c.* Hebræi primum *Menſes* ſuos Solis deſinivêre curſu, qui proin *Menſes Solares* dicti ſunt, quorum quilibet tricenis conſtabat diebus. Unde *prævaluiſſe* dicuntur *aquæ à* 17. *die* Menſis *ſecundi*, Gen. *c.* 7. *v.* 11. *uſque ad* 17. *diem ſeptimi Menſis*, Geneſ. *c.* 8. *v.* 4. i. e. per 150, dies, qui efficiunt quinque *Menſes* plenos. Poſt exitum dein ex Ægypto, Lunæ curſu *Menſes* metiri incepêre: qui proin *Lunares* dicti, modò triginta conſtabant diebus, & *pleni* dicebantur, modò viginti ſolùm novem implebant, & appellabantur *cavi*: Et quia Lunam Sol 11. diebus curſu ſuô excedit, quovis annô ſecundo aut tertio *Menſis* decimus tertius inſerebatur, quod cùm fiebat, duodecimus Anni *Menſis* dictus eſt *Adar*, decimus tertius verò ac ultimus *Veadar.* Porrò ante captivitatem Babylonicam, non aliis nominibus, quàm numeralibus *Menſes*, diſtinxêre, ut dicerent, *Primus*, *ſecundus*, *tertius*, *&c.* poſteà verò illos appellavêre, *Niſan*, partim Aprili, partim Martio noſtro reſpondentem, *Ijar*, *Sivan*, *Thamaz*, *Ab*, *Elul*, *Tiſri* ſeu *Ethanim*, *Marcheſuan* ſeu *Bull*, *Chiſleu*, *Tebeth*, *Chebeth*, *Adar* & *Veader.* E quibus *Tiſri* initium Anni erat, ante egreſſum ex Ægypto, quod etiam ſequentibus temporibus obtinuit; in negotiis civilibus, Annis Sabbathicis, Annis Jubilæis &c. Poſt exodum verò, *Niſan* primus *Menſis* conſtitutus eſt, quod in Feſtis majoribus perpetuò obſervatum. Vide Munſterum *Kal. Hebr.* Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. &c.* Apud Italos & Gallos, *Menſes* integros in duas diſtinctos ac diviſos ſectiones eſſe, ex Scriptoribus & Diplomatis medii ævi, i. e. poſt annum 1000. colligitur: quarum primæ, quam vocabant *Menſem intrantem*, initium ſumebant à primo menſis die; alterius, quam *Menſem exeuntem*, *ſtantem*, *adſtantem*, *inſtantem*, *reſtantem* appellabant, à decimo ſextô, diverſô tamen utrobique numerandi computandique modô. Nam prior *Menſis* pars ordine conſuetô numerabatur, ſumtô à primô ejuſdem die principiô, uſque ad decimum quintum; quemadmodum Græci in prima & ſecunda dierum decade facere conſuevêre: altera autem, ſumtô ab ultimo Menſis die initiô, ordine retrogradô, non à Kalendis & à primo ſuccedentis menſis, ut apud Latinos; ita ut decimus ſextus fuerit ultimus ſecundæ partis, ſicut apud Græcos, tertiæ decadis primus dies dicebatur, *decimus deficientis* Menſis. Rollandinus, qui vixit A. C, 1265. *in Tr. Notularum* ſeu *de Arte Notariæ*, apud Car. du Freſne. *in Gloſſar.* Apud Germanos, hodieque nonnullis in locis, tripartitæ Græcorum diviſionis veſtigia ſupereſſe, notum. Plura de *Menſibus*, eorumque in metiendis umbris ad horas deprehendendas habitâ ratione, ut & aliis huc pertinentibus, vide apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *p.* inprimis 19. 441. 552. 638. &c. ac ſuprà, ubi de compoſitis ex Græco Μήν. In Eccleſia Romana *Menſes* Paſchales quinam dicti fuerint, vide Bernonem Abb. *de Miſſa c.* 6. Quotô verò *menſe* poſt obitum Patris natus infans legitimus habeatur, videbimus infrà ubi de *Poſthumis.*

MENSORES, dicebantur olim Romæ, qui advectam navibus annonam in horrea publica intulerunt, quæ quam plurima in Urbe fuiſſe, ex *Onuphrio* ac *Victore*, notum. Meminit eorum Lapis antiquus apud Smetium, *Inſcript. p.* 70. *Menſores. portuenſes. quibus. cum. Caudicariis. diuturnum. certamen. fuit.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipomenis in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 38. Sed & iiſdem *Menſores* dicebantur, qui Imperatori & comitibus ejus ac militibus hoſpitia præparabant, ac metabantur, & ſingulis quibuſque domos deputabant manuque propriâ adnotabant, poſtibus item hoſpitaturi nomen adſcribebant, quos adſignandorum hoſpitiorum Magiſtros, vulgò *Metatores* vocabant, (quam vocem infrà vide) Galli hodie *Hoſpitiorum Mareſcallos* & *Foderarios.* Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Alexandro Severo c.* 41. Alia notio vocis, ubi de Quinqueviris Menſariis accipitur, de quibus vide ſuô locô. Alia iterum, voce *Radius.*

MENSURA antiquiſſima, res diverſas comparans æquanſque, *Indigentia* fuit: in cujus dein locum ex inſtituto ſucceſſêre, *Menſurarum* varia genera, non tantùm apud diverſas Gentes, ſed etiam in eadem ſæpe, à ſe invicem non parum diſcrepantia. Unde Henricus VII Angliæ Rex ſapientiſſimus, quantamcunque operam dederit, ut una & eadem in ſuo regno ubique menſura obtineret, miſſis hâc fini ad oppida celebriora ratæ capacitatis æreis vaſculis, quæ velut exemplaria *Menſurarum* eſſent, impedire tamen neutiquam potuit, quò minus locis non ita multum diſtantibus permagna hodieque reperiatur *Menſurarum* diverſitas. Sunt autem illæ vel *Menſuræ capacitatis*, ut in Scholis loquuntur, quæ tum in liquidis tum in aridis, conſideratæ; putamen ovi pro fundamento habent, ad juſtam proportionem obſervandam: vel *Applicationis*, quæ aliis *Intervallorum Menſuræ* vocantur, quarum fundamentum ſunt grana aliquot frumenti juxta ſe invicem collocata; vel etiam partes humani corporis, ut inferiùs videbitur, ubi de celebriorum gentium *Menſuris* pauca ſubjiciemus. *Menſuras* verò primus excogitâſſe Kainus, ut & pondera, dicitur, utpote lucro inhians & avidus habendi: primus in Græciam intuliſſe fertur Pythagoras, &c. Romæ *Menſuræ* publicæ & Pondera in Capitolio, ſervabantur: ſicut teſtatur antiquæ *menſuræ Inſcr.* à doctis vulgata in hæc verba: IMP. CÆSARE. VESPAS. VI. COS. T. CÆS. AUG. F. III. I. MENSURÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Ad quas proin, tanquam ad Lydium lapidem, privatorum menſuræ exigebantur: quod cùm difficile eſſet, multique ex libidine pondera & *menſuras* ſibi componerent, inſtituit Valentinianus, per regiones Urbis univerſas, pondera, ut in *l.* 27. ſcribit Amm. Marcellin. Poſteà moris fuit, ut acceptas ab Imperatore *menſuras* & pondera ſervarent vel Papa vel Senatus: qua de re extat, Juſtiniani pragmatica ſanctio, cujus *c.* 18. jubentur dari vel ſuſcipi ſpecies vel pecunia, *in illis menſuris, vel ponderibus, quæ beatiſſimo Papæ vel ampliſſimo Senatui noſtra pietas in præſenti contradidit.* Atque hæ ſunt, quæ dicebantur *Capitolinæ* vel *urbanæ menſuræ* aut *Italicæ*: aliis majores, quarum vulgò uſus ſaltem in certis rebus etiam Romæ, nedum in provinciis. Symmachus *l.* 10. *ep.* 26. *Mille ſexcentas auri libras decennalibus Imperii tui faſtis devotus ordo promiſit, urbanis ponderibus conferendas: id eſt, trutinæ largioris examine.* At Hieronymus *Italicis menſuris* opponit *caſtrenſes*; quæ, ut ex illius verbis patet, urbanis erant dimidiô majores, *Hinc*, ait *duos* χόας *Atticos facit: quos non appellare poſſumus duos ſextarios Italicos: ita ut hinc menſura ſit Judaici ſextarii, noſtrique caſtrenſis: cujus ſexta pars facit tertiam partem ſextarii Italici.* Apud Ariſtidem *Sacrarum* 3. Ἡμίνα Βασιλικὴ, videtur eſſe Capitolina ſive Urbana Gemina. Ait enim ſe, cùm propter valetudinem vinô diu abſtinuiſſet, monitum à Deo ſuo, ut heminam ſive Imperatoriam vini biberet. Erat autem hemina Romana ſextarii dimidium, qui conſuetus modus erat modicorum potorum. Idem *ibidem* oſtendit, antea cùm valeret, ſolitum ſe bibere alterum tantum, ſive ſextarium Romanum; quam ipſe menſuram cum cotyla confert, cujus erat tum in Aſia uſus, ubi illa ſcribebat. De qua cotyla aut non multùm diſpari, Chryſoſtomi verba accepit Caſaubon, *in ad Epheſ. c.* 5. Οἴνε κοτύλη καὶ ἄρτος εἰς ἀρκεῖ γαςέρα ἐμπλῆσαι ἀνθρώπε, *Cotyla vini & unus panis ſufficit hominis ventri replendo, &c.* Vide Caſaubon, *ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 4. & de *Menſuræ* ratione apud Antiquos, fuſe diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 688. nec non qui de Ponderibus ac *Menſuris* accuratè ſcripſêre, Georg. Agricolam *libris* 5. *quorum primus eſt de menſuris Romanis, alter de Græcis. Andr. Alciatum*, Joh. Baptiſtam Villalpandum *Comm. in Ezech. l.* 3. *ubi de Hebræorum ponderibus, numiſmatis ac* Menſuris *agit*, Portium, Budæum, Fuchſium, Glareanum, Gouldmannum *Dictionarii ſui Appendice, in qua Pondera, Menſuras & monetas Veterum ad ea reducit, quæ Anglis ſunt in uſu.* Thom Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 9. *&c.* nec non infrà in voce *Quadrantal.* De more vero *in Menſuris numerandis* Veterum, aliquid ubi de voce *Kyriéles*: & de pœna *falſè menſurantium* infra ubi de Præcipitio.

ROMANÆ LIQUIDORUM MENSURÆ

Acetabulum, ab *aceto*, ut Græcorum ὀξύβαφον, quòd in ejuſmodi vaſculo acetum ad intinctus poneretur: habet ſeſquicyathum; uncias autem menſurales duas & dimidiam. Angl. *an ounce three quarters, two charats: tvelve grains and an half* Engliſch.

Amphora, à Græc. ἀμφορεὺς, aliàs *Quadrantal*, à forma cubica. Cubus enim eſt è pede Romano & Jovi ſacratus, qui ſervabatur in Capitolio; ut *Menſurarum* typus: Urnas habet duas, Libras verò 80. Capitur pro Metreta, ſed plerunque tunc diſtinctionis cauſâ adjicitur, *Attica*: Notatur ſic ℥

Congius ſextarios 6. habet, libras menſurales 10. Ejus nota eſt Ꞓ.

Culeus, Amphoras 20. complectitur. Libras menſurales 1600. Maxima menſura liquoris capax.

Cyathus, in Sacrificiis *Simpulus*, ligulas ſive cochlearia continet 40. ſeſcunciam: drachmam & ſcrupulum menſurales. Ejus nota Ꞓ V.

Hemina, à Græc. ἥμισυ, quartarios 2. continet; uncias menſurales 10. Notatur ſic ↄS.

Libra, quam Galenus μετρικὴν, i. e. *Menſuralem* vocat, continet uncias 12. eratque vas in oleo metiendo Romanis uſitatum, corneâ conſtans pellucidâ materiâ, & extrinſecus lineis ambientibus in 12. æquales partes diviſa. Quibus *Menſuris*, & earum partibus (quamvis ultra ſemunciam vix proceſſum) *Agricola* omnium menſurarum capacitatem æſtimat.

Quartarius, quia ſextarii pars quarta habet Acetabula duo, Uncias verò menſurales 5. Ejus nota eſt *Q*.

Sextarius, quia ſexta pars Congii, Heminas 2. uncias autem menſurales 20. continet. *Italicus* dicitur reſpectu Græci, & *Urbicus* reſpectu Caſtrenſis, qui 2. urbicos continet: Sextarius, qui 12 Cyathos capit, in partes eaſdem cum Libra & Aſſe dividitur, ſed pro ſemiſſe Heminam, pro Uncia Cyathum dicunt. Ejus nota eſt ↄ.

Urna, Congios 3. Libras verò 40. continet. Ejus ſignum eſt ℥ s.

ARIDORUM MENSURÆ.

Acetabulum, Cyathus, Hemina, Ligula, vide *ſuprà.*

Modius, à *modo*, continet Sextarios 16. Libras menſurales 26. &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

26. & uncias 8. Angl. 14. *pints and* 14. *ounces English*, *and ſomewhat more than a pint.* Ejus dimidium eſt Semodios: Trimodium tres Modios capit. Modiolus Plautinus, quantum continuerit, ignoratur. Modii autem nota eſt Mo.

Sextarius, vide *ſuprà*. Arida Plinius Libris æſtimat, quem vide *l.* 18. *c.* 7.

INTERVALLORUM MENSURÆ.

Actus minimus (Rei enim Ruſticæ Scriptores utuntur Pede, Paſſu, Actu, Climate, Verſu, Actu quadrato, Jugero) longus pedes 120. Latus 4. continet pedes quadratos 480.

Actus quadratus, longus *&* latus pedes 120. continet quadratos pedes 14400. diciturque etiam *Mina*.

Clima, longum & latum pedes 60. continet pedes quadratos 3600.

Cubitum & Cubitus eſt ſeſquipes.

Digitus, Architecti enim utuntur Digitô, Palmô, Pede) latus ſeu tranſverſus, minima eſt menſura. Vide *infrà*.

Gradus, pedes 2. & ſemiſſis.

Jugerum, longum pedes 240. latum 120. pedes quadratos continet 28800. & in eaſdem cum Aſſe partes dividitur.

Milliare (Geographi autem Milliari & Paſſu utuntur) eſt mille paſſus, olimque *Lapis*, item *Cippus*, dictum eſt.

Palmipes eſt palmorum 5. Eſt autem Palmus digitorum 4. unciarum verò 3.

Paſſus, à manibus *paſſis*, pedum eſt 5.

Pes, palmorum eſt 3. digitorum 16. unciarum autem 2. Unde fit, ut in partes dividatur, iiſdem, quibus Aſſis partes, nominibus appellatas. Eſt autem Pes triplex, Porrectus, pedis quadrati dimidium: Contractus, pes quadratus: Quadratus, duo pedes porrecti. Hinc *Semipes*, *Seſquipes*, *Semipedalis*, *Seſquipedalis*, *Bipedalis*, *&c.* Apud *Columellam* quoque Dupondium, pro 2. Pedibus reperias.

Verſus, longus & latus pedes 100. continet pedes quadratos decem mille.

Uncia, eſt digitus & tertia digiti pars. Unde fit *Uncialis* & *Seſcuncialis*. Porrò Romani, ſicut & Græci, viarum ſpatia Perticâ, quæ Græcis Ἄκαινα, pedum 10. fuit, uſi ſunt. Hinc Δεκάπους *Platoni* dicitur, & eum ſequuto Ciceroni *Philipp.* 14. *decempeda*. Quemadmodum etiam Σταθμὸς Græcis ſpatium quodcunque, quod ab Exercitu diurnô conficitur itinere, denotavit, ſic Latini dixêre: *Primis*, *ſecundis*. *&c. caſtris*, ad aliquem locum pervenire.

GRÆCORUM GEORGICÆ MENSURÆ LIQUIDORUM.

Ὁ Ἀμφορεὺς, *Amphora*, 4. continet choas, libras menſurales 54.

ἡ Κοτύλη, *Cotyla*, acetabula habet 4. uncias menſurales 13. & ſemiſſem.

ὁ Κύαθος, habet myſtra 4. menſurales uncias 2. drachmas 2.

ὁ Μετρητὴς, *Metretes* continet 2. Amphoras, libras menſurales 108.

τὸ Ὀξύβαφον *Acetabulum*, aliàs τρύβλιον quoque, capit uncias menſurales 13. cum ſemiſſe.

ὁ Χοῦς, habet Cotylas 12. menſurales libras 13. & ſemiſſem.

ATTICÆ LIQUIDORUM MENSURÆ.

Ἀρυστὴρ, apud *Herodotum*, menſura eſt ignotæ capacitatis.

Κοτύλη, τρυβλίον ἡμίξεστον, quartarios continet 2. uncias menſurales 9. Aliquando Κοτύλη pro Hemina ſumitur, aliquando pro Libra menſurali, apud *Plut.* pro Sextario Romano.

ὁ Κύαθος, *Cyathus*, conchas habet 2. myſtra 4. chemas 5. menſuræ ſeſcunciam.

ὁ Μετρητὴς, *Metreta*, choas habet 12. libras menſurales 108.

ὁ Ξέστης, *Sextarius*, cotylas 2. uncias menſurales 18. capit. Cùm pro Sextario Romano ſumitur, dicitur ξέστης Ἰταλικὸς. Notatur ſic ξ. vel ξε.

τὸ Ὀξύβαφον, *Acetabulum*, habet ſeſquicyathum, uncias menſurales 2. & drachmas 2.

Pocula ſunt: ῥυτὸν, capiens 2. choas: ἐλέφας 3. δεῖνος metretam.

τὸ Τέταρτον, *Quartarius* ἡμικοτύλιον, *Semicotyla*, habet acetabula 2. uncias verò menſurales 4. & ſemiſſem.

ὁ Χοῦς, *Chus*, & ὁ Χρεὺς, ἀπὸ τοῦ χύειν, *fundere*, ſextarios ſex continet, libras menſurales novem: Et quidem his menſuris maximè Medicos Græcos uti videmus, *Galenum*, *Dioſcoridem &c.* De *Menſuris* eorum *Georgicis* vide infrà, in voce *Ruſticana*.

ATTICÆ MENSURÆ ARIDOROM.

ὁ Μέδιμνος, *Medimnum* & *us*, capit chœnices 48. libras menſurales 108. Notatur hôc modô Με.

Χοῖνιξ, *Chœnix*, μέτρον κατ' ἐξοχὴν dicitur, quaſi ſit principium omnis menſuræ. Habet cotylas 3. vel ſextarium 1. & ſemiſſem, libras menſurales 2. & quadrantem. Aridorum quoque menſuræ ſunt Ξέστης, Κοτύλη, Ὀξύβαφον, Κύαθος, de quibus vide *ſuprà*.

INTERVALLORUM MENSURÆ APUD GRÆCOS.

Δάκτυλος, *digitus*, minima menſura.

Δίαυλος, ſtadia duo conficit.

Δόλιχος, ſtadia 12.

Δοχμὴ, *palmus*, 4. continet digitos. Dicitur etiam Δῶρον

τὸ Κλίμα, quoque verſus eſt pedum ſexaginta.

ἡ Λιχὰς, intervallum inter pollicem & indicem extenſos: 10. digitos capit.

τὸ Μίλιον, *milliare*, 8. ſtadia facit

τὸ Ὀρεόδωρον, à carpo ad ſummum digiti medii intervallum: 11. Digitorum.

ἡ Ὀργυιὰ, *paſſus*: Spatium, quod ambabus manibus extenſis ac pectore metimur.

τὸ Πλέθρον, pedum eſt 100. dimidium Ἄρουρα.

Πυγμὴ, *cubitus* decurtatus minor, digitorum eſt 18. ὁ πυγὼν, *cubitus* decurtatus major, 20. ὁ Πῆχυς, *cubitus*, ſpatium à cubito uſque ad ſummam digiti medii partem; digitorum eſt 24.

ὁ Ποῦς, *pes*, digitorum eſt 16.

ἡ Σπιθαμὴ, continet digitos 12.

τὸ Στάδιον, 600. pedum eſt. Vide quoque *ſuprà*.

HEBREÆ LIQUIDORUM MENSURÆ.

Bath בת βάθος, ejuſdem cum Epha capacitatis, decima erat pars Homer, Ezech. *c.* 45. *v.* 14.

Hin, הין, Ἴνα continebat 72. ovi teſtas, Angl. *three quarts*, Buxtorf. *Lexic. Hieronym.* vertit, *Sextarium*, Levit. *c.* 19. *v.* 36.

Log, לוג, λόγος, continet 6. ovi putamina, Buxtorf. *Lexic: the fourth part of a Kab, half a pinte*, *Godwyno. Hieronym.* vertit *Sextarium*: *Septuaginta* κοτύλην.

Nebel, Latin. *uter*, eſt *Epiphanio* menſura 150. ſextariorum.

ARIDORUM MENSURÆ.

Cab, קב, κάβος, continet 24. ovi cortices. Angl. *a quart.* Minima menſurarum, quarum Scriptura meminit, Cabi quarta pars eſt, 2 *Reg. c.* 6. *v.* 25.

Cor, כור, κόρος, cum *Homer*, tantundem capiebat, Ezech. *c.* 45. *v.* 14. *Gouldmanno* continet 2. *Lethec*, Atticos medimnos 40. libras menſurales 1080. *Epiphan.* & *Hieronym.* ei modios attribuunt 30. *Septuaginta* 3. Atrabas.

Epha, אפה, οἰφὶ, ὀφὶ, continet 3. Sata, Angl. *half a bushel an a potle.* Medimnus Atticus, *Gouldmanno*.

Lethec, לתך, continet 15. modios, ejus mentio Hoſ. *c.* 3. *v.* 2. *Godwyn.*

Omer, עמאר, γόμορ, *Joſepho* ἀσσαρῶν, capit 1. Cabum, cum dimidio & quinta parte Cabi: decima pars *Epha*, Exodi *c.* 16. *v.* 36. *Godwyn. Gouldmanno* 7. Atticos ſextarios & 5. ſextarii partem continet. *Homer* verò, חמר, à voce חמור *Chamor*, i. e. *Aſinus*, quia tantum continet, quantum aſinus ferre poteſt, capit 10. *Epha.* Ezech. 45. *v* 11.

Seah, סאה, σάτον, *ſatum*, à Latinis Interpretib. *Modius* communiter redditur, continetque 6. Cabos, Angl. *a gallon and half*, *Godwyn. Gouldmanno* 3. Omeres & tertiam unius partem tenet, Choas Atticas 4.

INTERVALLORUM MENSURÆ.

Amma, אמה Latin. *Cubitus*, fuit quadruplex: quorum.

Communis, Græce πῆχυς, continet ſeſquipedem, ſeu 15. digitos.

Sacer, alterô tantô major erat.

Regius, tribus digitis communem excedebat.

Geometricus 6. communes complectitur, qui in Arcæ Noahi extructione dicitur fuiſſe obſervatus.

Choleb, חלב, i. e. *Funiculus*, Græcè σχοῖνος, in agrorum dimenſione uſitatus, quàm longus fuerit, ignoratur. Apud Ægyptios 60. ſtadiorum, *Marino* tantùm 40. fuit. Eoſdem unà cum Perſis paraſangis pro ſchœnis & viciſſim uſos eſſe, ex *Strabone* & *Plinio* patet.

Etsbang, אצבע i. e. *Digitus* ſeu pollex, minima menſura, continet latitudinem 6. granorum frumenti prope ſe invicem poſitorum. Propriè tamen *quatuor digiti tres conſtituunt pollices*: Junius *in Ezech. c.* 40. *v.* 5.

Kaneh, קנה, i.e. *Arundo*, longa 6. cubitos regios & palmum, in ædium extructionibus adbibebatur: aliter *Canon* Indubitata ac certa *Menſura*.

Milliare, Hebr. ברת, *Barath*, quod propriè *prandium* denotat, ſpatium ſignificavit, quod dimidiô diei peragrari potuit, quantum nempe inter prandium & prandium intercedit. Ejus mentio Geneſ. *c.* 35. *v.* 16. ubi Græci reddunt Χαβραθὰ, an à *Cibrath*, quod Hebr. dimidium diei ſonat.

Pagnam, פעם, i. e. *pes*, 12. continet pollices.

Palmus duplex, minor Hebr. טפח *Tophach*, Græcè Παλαιστὴ, 4. erat, ſecundùm quoſdam, trium digitorum: major Hebr. זרת *Zereth*, Græc. σπιθαμὴ, Latin. *Spithama*, ac *Dodrans*, ſpatium ſignificat, inter pollicem ac indicem extenſos interceptum.

Stadium in N. T. ſæpe memoratum, efficit 125. paſſus, ſeu 8. millaris partem.

Tophach, vide paulò ſuprà, *Palmus*.

Tſagad, צגר, i. e. *paſſus*.

Zerah, i. e. *dodrans* ſeu *ſpithama*, Vide paulò ſuprà. *Palmus* Apud Perſas regius cubitus digitorum fuit 27. Paraſanga, ſtadiorum 30. &c. Apud Arabas, *Cuathum* fuit cyathus: *Corboni*, Hemina: *Dorach* Italicum, amphora Roman. *Falgerim*, Cochleare: *Johem*, congius: *Keiliatti*, quartarius: *Kiſt*, ſextarius: *Muſtarum*, myſtrum: *Rasfuſſ*, acetabulum: *Rotulus* libra menſuralis &c. Vide Auctores ſuprà memorator, ut & infrà *Milliare*.

MENSURAM percutere, quid ſit, vide infrà *Meſochori*, it. *Modi*, & *Percutere menſuram*.

MENTA, Plutonis concubina, à Proſerpina, zelotypâ, in herbam cognominem verſa. Strabo *l.* 8.

MENTÆ, populi apud Valſum, quo Scotia ab Anglia ſeparatur. Vide *Maata*.

MENTAGRÆ Orbis Terrarum, Cummiano Hiberno *de Controverſia Paſchali*, dicuntur *Britonum Scotorum particula* ſeu regiones, apud Car. du Freſne *in Gloſſar*.

MEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MENTALIA, Conteſtanorum in Hiſpania Tarraconenſi urbs. *Ptol. Briar de Melena Ariæ Montano.* Latini codices *Menlaria* legunt. Vulgò *Marcia.*

MENTELIUS Johannes, vide *Johannes.*

MENTERCOSA, vide METERCOSA.

MENTESA, urbs Hiſpaniæ, in finibus Oretanorum exciſa, *Ptol.* & *Antonino Mentiſa*, Livio, *l.* 26. *c.* 17. *Mentiſſa*: Epiſcopus cui Giena ſucceſſit. *Baudrando* oppid. Oretanorum fuit; nunc *Montizon*, vicus agri Lamitani, verſus montes Marianos, in Caſtella nova, in confinio Vandalitiæ, 5. leuc. ab oppid. Villæ novæ infantium in Africum, 7. à Toloſa in Cæciam, uti 5. à Cazorla in Boream.

MENTE-SUPHIS, Memphitarum Rex XXI. βραχύβιος, ſucceſſit longævo illi, qui Thebanis *Apappus Max.* Memphitis *Phiops* dictus, adeoque idem eſt cum Acheſco Ocara Thebanorum Rege XXI. quem vide ſuô locô.

MENTHITIA, vulgò *Menteith*, provinc. Scotiæ Meridionalis, cujus caput Dumblanum oppid. Habet ad Ortum Tiſam provinc. & Leviniam ad Occaſum.

MENTOAS, Iſter ſive Danubius olim ſic dictus, teſte Euſtathio *in Dionyſium.* Fortè pro *Matoas.*

MENTONOMUM, æſtuarium Oceani Germanic. Plin. *l.* 37. *c.* 2. *Friſchaff Ortel.* in ora German. Occidental.

MENTOR, Sidoniorum Rex, inter Phœnices, ab Artaxerxe Ocho deficientes, præcipuus, ſed proditione ſociorum ſalutem propriam redimens Sidonios magnis objecit calamitatibus. Diodor. Sic *l.* 16. *p.* 532. & 533. de ejus dedignatione & potentia idem *fol.* 537. & 538.

MENTOR, Aſiæ maritimæ præfectus ſub Artaxerxe, omnes ejus regionis civitates vi aut dolô ſubegit.

MENTOR, vaſis cælandis mirus artifex. Plin. *l.* 33. *c.* 11. *Craſſus orator duos ſcyphos Mentoris artificis manu cælatos* 10. *H. S. emit.* I. e. 2500. coronatis Gallicis. Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 104.

—Rara ſine Mentore menſa.

Martial. *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 16.

Vaſaque Mentoreâ nobilitata manu, &c.

Vide quoque Propert. *l.* 1. *Eleg.* 14.

MENTORES, Illyrici populi. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

MENTUM, nulli animali præter hominem; uti nec malæ, Plin. *l.* 11. *c.* 37. Hoc attingere in ſupplicando, antiquis Græcis mos erat. Idem *ibid. c.* 45. Unde Ulyſſi, ut duro ac inexorabili, objicit Hecuba, quòd vultum avertiſſet; ὡς μὴ προσθίγειν τοῦ γενειάδος, *ut mentum contingere non poſſet*, apud *Tragicum.* Sic apud *Homerum* paſſim, ſupplices contingunt *mentum* eorum, quos rogant, ut vel annuant, vel apud alios pro ſe intercedant; quemadmodum *dextram*, ut quod precantur, faciendum ſuſcipiant & *genua*, ut in eo, quod facere aggreſſi ſunt, pergant, Hadr. Junius *l.* 2. *Animadv. c.* 11. Vide quoque Alexandr. ab Alexandro *l.* 2. *c.* 19. Sub eo religari conſueviſſe Mitras & Tiaras Phrygias, diſcimus ex veteri Auctore apud *Athenæum*, Τοὺς πώγωνας ὑποδεδεμένοι, *mentum & barbam ſubnexi.* Et Poëta, *Æn. l.* 4. *v.* 216.

Mæonia mentum *mitrâ, crinemque madentem*
Subnexus.

Unde remidicula mitræ, idem tribuit *l.* 8. *v.* 616.

—& habent redimicula mitræ.

Imò, quòd mitris & redimiculis ſubnecterentur tiaræ Phrygiæ, hinc *mitras* dictas eſſe (quum aliàs pilea potiùs eſſent) indeque etiamnum Pileos Epiſcopales *mitras* dici judicat Salmaſ. *ad Solin. p.* 556. Vide quoque Farnabium *ad Thyeſtem Senecæ v.* 663. ubi, *Tiara*, inquit, *infula Phrygibus in uſu, cujus lobi ſub mento connectebantur.* Sed & in legendo, *Mento* Veteres uſi ſunt. In evolvendis enim chartarum voluminibus, partem adhuc involutam mento ſubjiciebant: primorum verò partem ſubinde explicantes ambabus tenebant manibus, ſimulque legebant, eam interim, quæ nondum explicita, ſub mento convolutam ſervantes. Unde de charta virgine & quæ adhuc erat intacta, dicebant, eam *mento tritam non eſſe.* Martialis *l.* 1. *Epigr.* 67.

charta,
Quæ trita duro non inhorruit mento.

Horridior quippe fiebat manibus & mento trita, excitatis inarum filamentis ac fibris. Græcum *Epigramma* ἀνέκδοτον Strabonis;

Εὐτυχὲς ὦ φθονέω, βιβλίδιον, ἦρά σ' ἀναγνοὺς
Παῖς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια τιθείς.

Aliud eſt, quod velut ſimile adducunt Viri docti, ex eodem Martiale, *l.* 14. *Epigr.* 84.

Ne toga barbatos faciat, vel penula libros,
Hæc abies chartis ſecula longa dabit:

perperam in ſuperiore verſiculo, *durum mentum*, pro ipſa chartæ barba accipientes; quum de lectoris mento intelligendum ſit, quo charta trita inhorreſcit. Cùm enim ex togæ & penulæ pannis integumenta libris vulgò tum pararentur, libri cum talibus operimentis *barbati* dicti ſunt, quia toga & penula lanuginoſis floccis barbata erant, adeoque chartam aſperitate ſua invicem atterendo barbatam ſimiliter reddebant, quam proin abiegnum involucrum, quod *Manuale* appellabatur, h. e. ἐγχειρίδιον, pro lævitate ſua magis conſervabat. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 392.

MENTUNIACUM, aliis MANTINIACUM, municipium olim Galliæ, ad Sequanam, ab urbe Tricaſſis non procul diſtans: *Mantenay* veteribus. Hodie vicus eſt S. Leonis appellatione gaudens, *S. Lie.* Hîc Romanus Abbas Monaſterium condidit, in diœceſi Tricaſſina Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MENTYRNA, urbs Samnitum in Italia. *Steph.*

MENTZERUS Balthaſar, Allendorfiô Haſſus, Theologiæ Prof. Marpurgi conſtitutus, A. C. 1595. Medicinæ quoque peritiſſimus fuit. Scripſit plurima *Theologica* Latinô vernaculôque ſermone. Obiit A. C. 1627. ætat. 63. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

MENUS, vel MENAS, vir quidam inter Samnites, qui mirè ſolitudinem amabat, in qua, ne quid per otium faceret, apes curabat.

MENUTHIAS, quæ & *Cerne Æthiopica*; & Inſul. *Delphinæ & S. Laurentii* à recentioribus, inſula ingens Æthiopiæ ad Ortum, quæ *Madagaſcar* nunc dicitur. *Ptol.* Vide *Madagaſcaria.*

MENUTHIS, vicus Ægypti juxta Canopum. *Steph.*

MENYLLUS, ex miniſtris Alexandri M. qui Phocionem corrumpere eſt conatus. Poſtea, victis Athenienſibus ab Antipatro, præſidii princeps conſtitutus. Fuit conjunctus Phocioni.

MEPE, apud Georg. Pachymerem *l.* 3. *c.* 21. & Phranzem *l.* 3. *c.* 1. Iberorum Regis dignitas & appellatio eſt: cum qua eadem fortè *Map* eſt, titulus dignitatis, quâ Proceres quoſdam Hibernos donari paſſim, apud Galfridum Monumenthenſem *l.* 7. *c.* 4. obſervat Car. du Freſne *in Gloſſar. Præter Conſules prædictos, venerunt non minoris dignitatis heroës, Donandius Map-apo, Chenes Map-choil, Penedurus Mapperiaur* &c. Ubi qui *Map* dicuntur, hodie *Mac* videntur apud illos appellari; quam vocem cognominibus complurium familiarum illuſtrium præponi ſolere, docet in *Britannia ſua* Camdenus. Forte etiam *Mepetus* legendum, in *Ep.* Gregorii II. ad Leonem Iſaur. Imperator. præfixa VII. Synodo, ubi *Septetus* extat. *Nuper ſiquidem ab interiore Occidente preces illius, quem Septetum appellant* &c. apud *Eund.*

MEPHAATH, civitas Levitarum in tribu Ruben. Joſ. *c.* 13. *v.* 18.

MEPHITIS, ait Servius, *in l.* 7. *Æn. v.* 84. ex ſententia aliquorum, *Mephitim* eſſe Deum Leucotheæ connexum, aut Junonem, nam Juno aër eſt, atqui putor naſcitur ex corruptione aëris, ac proinde ait, *Mephitis* erit Dea odoris graveolentis. Pertinent huc verba Taciti *l.* 3. *Hiſtor. c.* 33. *Solum Mephitis templum ſtetit ante mœnia, locô, ſeu numine defenſum.* Priſcianus *l.* 7. deducit vocem à Græco Μεσίτης, mutatione σ. in φ. Scaliger tamen *in Conjectaneis* ait eſſe vocem Etruſcam, Etruſcos autem ab Syris accepiſſe. Syrorum verò linguâ hâc voce ſignificari, *gravitatem*, aut *exhalationem*, & *flatum ſpiritus.* Vide Virg. *loc. cit.* Perſium *Sat.* 3. *v.* 99. &c. *Nic. Lloyd.*

MEPHRES, Rex Ægypti in ſerie Regum Thebanorum XLII. poſt Ameſſem præfuit, ann. 12. menſ. 9. cùm Oſorcho & Pſammus Tanitis imperitarent. Eum excepit Miſphragmuthoſis, horum victor. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron.* ex Manethone Africano, Euſebio, Syncello.

MEPHYLA, *Halicarnaſſeo* oppid. fuit Latii, ab Orvinio 40. ſtad. à Suna verò 30. quæ loca prorſus extincta.

MEPPA, vulgò *Meppen*, urbs ditionis Monaſterienſis, ſatis munita, ad *Haſe* amnem, qui paulò infrà cadit in Amaſium, paulò infra Lingam, medium ferè inter Monaſterium ad Auſtrum, & Emdam ad Septentrionem. Expugnata ab Hatzfeldio, uno ex ducibus Ferdinandi III. Imperatoris bello Germanicô.

MEQUINENCIA, oppidulum Aragoniæ, ad Secorim, ubi in Iberum cadit, in limite Cataloniæ, paulò infra Ilerdam. Vulgò *Mequinenza.*

MERA, ſacerdos Veneris. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 478.

MERA, Protei & Antiæ filia, quæ cùm venationi dedita, Dianam per nemora ſequeretur, à Jove Dianæ figurâ aſſumptâ, vis ei illata eſt. Hinc telis Dianæ confoſſa, tandem ejuſdem miſeratione in canem eſt verſa. Ovid. *Met. l.* 7.

MERA, canis Erigones Icarii filiæ; vide *Erigone* & *Icarius.*

MERACULA, apud Plantavitium *in Epiſcopis Lodov.* A. C. 1187. monetæ minutioris ſpecies, idem forte quod λεπτὸν.

MERACUM ſeu MERUM, in coloribus, dilutiori opponitur: ſic ἄκρατον μέλαν Ariſtoteli *de Color.* Et Theophraſto, ἄκρατα λειώματα κυανοῦ, quæ τοῖς ὑδαρεστέροις opponuntur, *merè cærulea expolitionibus pallidioribus.* Philargyrus, *In conſuetudine dicimus meraciùs ſatura, quæ puriùs & meraciùs lucent.* Aliter *plenum* Latinis, *ſaturum, preſſum, adſtrictum, triſte, auſterum, amarum* & ſimilia; Græcis βαθὺ, βαρὺ, κατακορὲς, αὐστηρὸν, πικρὸν, cùm nempe plus coloris inditur, quàm luminis, ſicque is fuſcior, obſcurior atque adeò triſtior evadit. Interdum verò quia pleniori ac ſaturatiori colori etiam accedit lumen intenſius ac vegetius, iſta diſcrimina confunduntur. Nam & ſaturum & κατακορὲς vocant, quod multum habet luminis, cum plurimo ac pleno colore: Sic αὐστηρὸν & πικρὸν tam triſtibus dant & pleno colore ſaturis, quàm florido & acutô lumine excitatis &c. Apud Solinum *c.* 55. *clarum* & *meracum* diſertè diſtinguuntur: *Duplex ei facies, aut enim purpuræ emicat claritate, aut meraciùs ſuffunditur cocci rubore*; ubi quaſi propriam vindicat purpuræ *claritatem*, eamque cocco adimit, cui *meracum* & ſuffuſum tribuit ruborem: reprehenſus propterea à Salmaſio, Nam & *claræ* dicuntur purpuræ, quæ plus habent luminis, quàm coloris, Græcè ὀξεῖαι; ut contrà *ſaturæ* & *meracæ*, quæ plus coloris habent, quàm luminis: & coccum ſimiliter, modò *clarum* eſt, acutum & plurimô lumine vegetum, ὀξυκόκκινον Græcè modò ſaturatius ac *meracô rubore ſuffuſum*, eoque obſcurius & auſterum magis. Quod & de cœteris coloribus obtinet, quorum alii clari ſunt, alii meraciùs ſuffuſi, Vide eum *ad Solinum p.* 1104. uti de *Meraci vini* apud Veteres uſu hîc *paſſim*, inter alia ſuprà ubi de *jentaculo*, infrà voce *Soter* it. *Temetum*, ac *Vinum.* Sed & in Sacris Gentilium *meri* uſus. Seneca *Octaviâ Act.* 4. *v.* 700.

———Thura cum Superis dares.
Sacraſque grato ſpargeres aras merô.

Sacrificantes nempe vinum è patera aris, vel prunis vel thuri dato ſuperfundebant, quo de ritu vide Briſſonium *Formular. l.* 1.

MERAJOTH, fil. Achitob. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MERALA, limes tribus Zabulonis. Joſ. *c.* 19. *v.* 11.

MERALLUS, apud recentioris ævi Scriptores, monetæ minutioris ſpecies eſt. Unde hodieque *Mereau* & *Merel*, calculum putatorium Galli vulgò dicunt. Sed & *Merallereſſe* iiſdem dicta olim obſtetrix, quòd pro mercede *merallum* acciperet, uti conjicit Car. du Freſne in *Gloſſario*, quem vide.

MERARI, fil. Levi. Gen. *c.* 46. *v.* 11.

MERCATOR Bartholomæus, fil. Gerardi, de quo mox, admodum juvenis, ſcripſit *Notas in Sphæram Joh. de Sacro-Boſco* extinctus A. C. 1568. ætat. 18.

MERCATOR Gerardus, celeberrimus ſui temporis Geographus, Ruremundâ Flander, ex parentibus Juliacenſibus; in juventute tam intentus ſtudiis fuit, ut ſæpe integros dies impaſtus, integras noctes inſomnis exigeret. Sylvæducis primò, dein Lovanii literis incubuit, ſummâ in primis in Mathematicas artes propenſione. Carolo V. Imperatori gratus, dein Ducis Juliacenſis Coſmographus fuit. Scripſit *Chronologiam*, *tabulasque Geographicas*, elaboravit *Atlantem*, quem ſub mortem ejus Jodocus Hundius edidit: Correxit inſuper Ptolemæum; Scripſit porrò *de Uſu annuli Aſtronomici*, *Globi cœleſtis* & *terreſtris ſculpturam*. In Theologia quoque edidit *Harmoniam Euangeliſtarum*, *de creatione ac fabrica Mundi* librum, qui condemnatus eſt, ob ſententiam ejus de peccato Originali *c.* 18. Obiit Duisburgi, A. C. 1594. ætat. 82. Gualt. Ghimmius *in vita ejus*. Poſſevin. *l.* 2. *Bibl. ſel.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 36. §. 24. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Anton. Teiſſier *Elogiis Parte* 2. *Freherus*. &c.

MERCATOR Ludovicus, vide *Ludovicus*.

MERCATOR Marius, vide *Marius*.

MERCATORUM Feſtum vide ſuprà ubi de menſe *Majo* & hîc infrà.

MERCATRUDIS, uxor Guntrami Regis; vide Gregor. Turonenſ. *l.* 4.

MERCATURA, inventum Pœnorum eſt, ſi Plinio credimus *l.* 7. *c.* 6. Mercurii, ſi Diodorum audimus *l.* 6. quem proin cum ſacello ſeu marſupio, à zona pendulo, pictum & à *Mercatoribus* Idibus Majis Romæ ſolenniter cultum: quemadmodum & apud Cretenſes *Mercurialia* vigebant, legimus. Idem ſibi Gallos quondam habuiſſe perſuaſum Cæſar refert *l.* 6. *Bell. Gall. c.* 17. cùm ait: *Deum maximè Mercurium celebrant*, *cujus plurima apud eos ſimulachra*; *Hunc enim omnium inventorem artium ferunt*, *hunc viarum atque itinerum Ducem*, *hunc ad quæſtum pecuniæ*, Mercaturaſque *vim maximam habere arbitrantur*. Plin. *loc. cit.* velut ſui immemor, *emere ac vendere inſtituiſſe Liberum Patrem* ait. Verùm ex Joſepho *Jud. Ant. l.* 1. vendendi emendique uſum multo antè apud Hebræos, idque Noahi jam temporibus, viguiſſe diſcimus: Quemadmodum primos Inſtitores, qui nempe à *Mercatoribus* emunt, ut minutim vendant, Lydos fuiſſe Herodotus *Muſâ I.* docet, Primum autem & ſimpliciſſimum *Mercaturæ* genus eſt, quod mercium permutatione fit. Sic apud Homerum *Il.* λ. Græcorum exercitus, vinum ex Lemno advectum emptitavit:

Ære alii, ferrô quidam lucente; bovinis
Tergoribus quidam: bubus plerique, ſed ipſis
Mancipiis alii.

Idem de Germanis Tacit. refert *l. de mor. Germ. c.* 5. *Proximi*, *ob uſum commerciorum*, *aurum & argentum in pretio habent*: *Interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium utuntur*. De Britannis *Solin. c.* 75. *Nummum*, inquit, *refutant*: *dant res & accipiunt*: *mutationibus neceſſaria potiùs*, *quàm pretiis parant*. Et hunc modum, ut naturæ maximè convenientem, Ariſtoteles commendat *Polit. l.* 1. *c.* 6. Proin, licet alter *Mercaturæ* modus jam invaluiſſet, *Lycurgus Spartanorum Rex emi ſingula*, *non pecunia*, *ſed compenſatione mercium*, *ſanxit*: *auri argentique uſu velut omnium ſcelerum materiâ*, *ſublatô*, Juſtin. *l.* 3. *c.* 2. Romæque, ut idem fieret, optavit Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Utinam poſſet*, inquiens, *è vita in totum abdicari aurum* &c. Et paulo poſt, *Quantum feliciore ævô*, *cum res ipſæ permutabantur inter ſe ſicut & Trojanis temporibus factitatum*, *Homero credi convenit*. Vide Matth. Berneggerum *Quæſt. in Taciti Germ. c.* 17 & 18. & Fort. Licetum *de Gemmis Annul. c.* 160. ubi Gemmam, in qua *duo Amaltheæ cornua*, *plena terræ pomis omnigenis*: *inter quæ culmus cum ſpica frumentacea*, *duabus humanis manibus invicem junctis in inferiori gemmæ parte*, explicat. Habuerunt Romæ *Mercatores* peculiare Collegium, quod *Mercurialium*, ob rationem ſuprà dictam, appellatum eſt; inſtitutum Appiô Claudiô, P. Serviliô Conſulib. Ejus meminit Cicero *l.* 2. *ad Quintum Fr. Ep.* 5. ubi & Capitolinorum: quemadmodum Tibicinum Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. *de Inſtitutis*, Fabrûm Ærariûm Plin. *lib.* 34. *c.* 1. Figulorum, Idem *l.* 35. *c.* 12. Viatorum A. Gellius *l.* 12. *c.* 3. Piſtorum, Naviculariorum & Fabricenſium Collegii, *Pandectæ* mentionem faciunt. Quorum prima origò à Numa arceſſitur *Plutarcho*: Habebant autem illa, ad exemplar Reip. res communes, arcam, Actorem ſive Syndicum &c. potueruntque manumittere, legatum capere legeſque ſibi ferre dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. Zonâ iidem utebantur, è qua marſupium, ubi pecunia reconderetur, pendebat, unde & Mercurium cum ſaccello pingi ſuprà diximus, & confirmat Vet. Gloſſ. *in A. Perſium Sat.* 5. *v.* 112. *Ipſum* (Mercurium) *Deum lucri dicunt*, *unde & cum ſaccello pingitur*, *& à Negotiatoribus plurimum colitur*. Vide quæ de eodem habet Fulgentius *Mytholog. l.* 1. ac Dempſterus, *Paralipp. in Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 9. ut & infrà, in voce *Negotiator*: Cœterum ob negotiatorum impoſturas, fraudes, mendacia, blaſphemias *Mercaturam* pene damnâſſe veteres Chriſtianos, utpote qui non ſpe prædæ aut quæſtûs causâ mare ingrediebantur, ex longinquis & diſſitis locis, vitæ cum periculo, lucroſas congerebant merces, abundè contenti ſorte ſuâ, quam Deus iis aſſignaverat, diſcas ex Auguſtino *Tomo* VIII. *in Pſalm.* 70. *f.* 166. 167. Ambroſio *de Officiis l.* 1. *c.* 40. Tertulliano *de Idolol. c.* 11. Arnobio *adv. Gentes l.* 2. &c. Adde dicenda, voce *Monopolium* it. *Pantapola*, *Polluctum Societas*.

MERCATUS, Gall. *Marché*, Cujacio, *ad tit. de Nundinis & Merc.* parvæ ſunt Nundinæ, in idiotiſmo *Aſſemblées*, neque proinde adeò celebres, ſed & nec totius alicujus provinciæ, verùm vici ſolùm aut civitatis unius. Hos diebus Dominicis fieri vetant *Capitula* Caroli M. *l.* 1. *c.* 145. & *Edictum* Piſtenſe Caroli Calvi. *c.* 19. unde ut plurimùm Sabbathô inſtituebantur. Ex ejuſdem Caroli Calvi *Capitulis tit.* 28. Regum Edicta in *Mercatibus* publicè prælegi conſueviſſe, diſcimus &c.

MERCEDE docendi mos, vide infrà ubi de *Rhetoribus* alibique.

MERCENARIA Militia, ſine delectu cauſæ, grande nefas. Sicut enim ſocietates bellicæ; eô initæ animô, ut in quodvis bellum nullô cauſæ diſcrimine promittantur auxilia, illicitæ; Ita nullum vitæ genus eſt improbius, quàm eorum; qui ſine cauſæ reſpectu *mercede* conducti militant, & quibus,

——— *ibi fas*, *ubi plurima merces*.

Quod Plato ex *Tirtæo* probat. Atque hoc ipſum eſt, quod Ætolis à Philippo exprobratum legimus: & Arcadibus à Dionyſio Mileſio, his verbis: Ἀγορὰ πολέμου πρόκειται, καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων κακὰ τὴν Ἀρκάδων τρέφει καὶ περιέρχεται πολέμους αἰτίαν οὐκ ἔχων, *Belli inſtituuntur nundinæ*, *& Græcorum mala in fructu ſunt Arcadibus*, *& ſine cauſarum reſpectu*, *modò hùc*, *modò illùc*, *arma circumferuntur*. Res ſanè miſeranda, ut Antiphanes loquitur.

Ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος,
Miles, *qui vitæ cauſâ ſe auctorat neci*.

Hinc Dion. Pruſæenſis, Καί τοι τί τοῦ ζῆν ἀναγκαιότερόν ἐστιν, ἢ τί τούτου περὶ πλείστου ποιοῦνται πάντες; ἀλλ' ὅμως καὶ τοῦτο ἀπολλύουσι διὰ χρημάτων ἐπιθυμίαν, *Quid magis eſt neceſſarium nobis*, *aut quid pluris ſit quàm vita? Et tamen hanc quoque non pauci perdunt*, *dum pecunias quærunt*. Parùm verò, quod ſuam vendunt necem, niſi & aliorum ſæpe innocentiam venderent; tantò carnifice deteſtabiliores, quantò pejus eſt ſine cauſa, quàm ex cauſa, occidere. Sicut Antiſthenes dicebat, carnifices Tyrannis eſſe ſanctiores, quò illi nocentes, hi innocentes occiderent. Seneca *Natur. Quæſtion. l.* 5. *quæſt.* 18. *Hoc verò quid aliud quis dixerit*, *quàm inſaniam? circumferre pericula*, *& ruere in ignotos*, *iratum ſine injuria*, *occurrentia devaſtantem*, *ac ferarum more occidere*, *quem non oderis*. Hinc Major Philippus Macedo huic hominum generi, τὰς τροφὰς εἰωθόσιν ἔχειν ἐκ τοῦ μισθοφορεῖν, *quibus unus ex militia quæſtus eſſet*, dicebat bellum eſſe pacem, pacem bellum. At non eſt inter artificia bellum, imò res tam eſt horrenda, ut eam niſi ſumma neceſſitas, aut vera caritas, honeſtam efficere nequeat. Namque Auguſtinô judice, *militare non eſt delictum*, *ſed propter prædam militare peccatum eſt*. Imo & propter ſtipendium, ſi id unice aut præcipuè ſpectetur: cum alioqui ſtipendium accipere licitum ſit omnino: Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; *quis ſuis unquam impenſis militat*, 1. Cor. *c.* 9. *v.* 7. H. Grotius *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 25. *de cauſis belli pro aliis ſuſcipiendi*. Cœterùm Romani *Mercenariô milite* uti cœpêre Bellô Punicô ſecundô, & primùm Celtiberos hâc fini adhibuerunt. Liv. *l.* 24. *c. ult.* *Celtiberam juventutem eâdem mercede*, *quam pacti cum Carthaginienſibus erant*, *Imperatores Romani ad ſe perduxerunt*, *& nobiliſſimos Hiſpanos ſupra trecentos in Italiam*, *ad ſolicitandos populares*, *qui inter auxilia Annibalis erant*, *miſerunt*. *Id modò ejus anni in Hiſpania ad memoriam inſigne eſt*, *quòd mercenarium militem in caſtris neminem antè*, *quàm tum Celtiberos*, *Romani habuerunt*. Ubi verò in acie collocandi, docet Annibal, apud eundem *l.* 30. *c.* 35. *Auxiliares* enim is (cùm Scipione in Africa conflicturus) *ante Carthaginienſium aciem* conſtituit, *ne homines*, *quos non fides teneret*, *ſed merces*, *liberum receptum fugæ haberent*: *ſimul primum ardorem ac impetum hoſtium excipientes fatigarent*; *ac*, *ſi nihil aliud*, *vulneribus ſuis ferrum hoſtile hebetarent*. *Tum*, *ubi omnis ſpes eſſet*, *milites Carthaginenſes*, *Afroſque* &c. Vide quoque ſupra in voce *Auxilia*, item *Geſum*: plura verò de *Mercenariis*, apud Alexandr. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 22.

MERCHETUM, vide ſuprà *Marcheta*.

MERCERUS Johannes vide *Johannes*.

MERCHINGA, German. *Merchingen*, caſtrum Germaniæ, ſub proprio Comite, ex illuſtri Rheingraviorum ſeu Comitum Rheni familia, in tractu, Rhenano, jam à pluribus ſeculis florentiſſima. In hac, Johannis filii, Johannæ Sarwerdenſis mariti, qui exeunte ſeculô XV. è vivis exceſſit, ramos diverſos cùm dediſſent, Johannes *Merchingenſem* ſeu *Kirburgium* orſus eſt, qui nunc in Johanne, ad quem *Merchinga* ſpectat, atque Georgio Friderico, qui Kirnæ ſeu Kirburgi habitat, ſubſiſtit: alterô Johannis filiô Philippô, *Daunium* ramum emittente. Et quidem *Merchingenſium* Comitum ſeries hæc eſt: Johannes, Comes Sylvarum & Rheni, major natu fil. Johannis & Johannæ præfatorum, defunctus A. C. 1531. pater fuit ex Anna Iſenburgica (filia Philippi Comitis Iſenburgi & Budingæ, ex Æmilia Reineccia, Philippô Comite genita) Johannis Comitis Sylvarum & Rheni, *in Merchingen*, qui obiit A. C. 1547. relictô, ex Anna Hohenloica filia Georgii Comitis & Praxedis Comitis Sulzenſis, extincta A. C. 1594.) Ottone Cognomine *Seniore* Comite Sylvarum & Rheni *in Kirburg*, defunctô A. C. 1623. Quô & Annâ Criechingenſi (filiâ Georgii Comitis ex Agnete Mansfeldica) genitus, Otto Ludovicus Campi Mareſcallus Suecicus fuit, ac deceſſit A. C. 1634. Pater, ex Anna Magdalena Hanoica, Johannis, nati A. C. 1634. Comitis

Sylva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sylvarum & Rheni ſeu *Wild* & *Reingrave* &c. *in Merchingen.* Vide, Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 87. & *in Indic.*

MERCII, populi Angliæ, quorum regio *Mercia*, quæ proprium habuit regem. Aliàs *Angli Mediterranei* ſunt etiam dicti. Horum regio continebat totum illum tractum, ubi aliàs fuêre Cornavii, Coritani, Dobuni, Atrebatum pars Septentrionalis & Catieuchlanorum pars Occidentalis. Ibi nunc Ceſtrienſis, Darbienſis, Nottingamenſis, Lincolnenſis Comitatus. Rutlandia item, Leiceſtria, Staffordienſis, Salopienſis, Herefordienſis, Wigornienſis, Warvicenſis, Northamtonia, Huntingdonia, Bedfordia, Bukingamia, Oxonienſis & Gloceſtrienſis, *Baudrand.* ex J. Speedo. Habebant ad Boream Northumbriæ regnum, ad Occaſum Walliam, ad Ortum partim Oceanum, partim regnum *Eaſt-Angliæ* & Eſſexiæ, ad Meridiem regnum Weſtſexiæ: In hac provinc. Concilium celebratum eſt A.C. 705. Vide Bedam *l.* 5. *c.* 19. Cæterùm fundatum eſt Merciorum Regnum à Penda, A.C. 656. fuitque ſeptimum & ultimum Regnum, ex iis, quæ Anglo-Saxones in Britannia Inſul. conſtituerunt. Primum enim fuit Regnum Cantii, fundatum A.C. 449. ab Hengiſto: ſecundum Suthſexiæ fundatum ab Ella, A.C. 488. Tertium Weſt-Saxonum, à Cerdicio inſtitutum, A.C. 519. Quartum Eaſt-Saxonum, cujus Auctor fuit Ida, A.C. 547. ſed hoc iterum ſubdiviſum eſt, in Regna Deiræ & Berviciæ, quorum illud denominatum fuit ab urbe Deirâ, quam hodie appellant *Durham*, alterum ab urbe *Berwica*. Quintum Northumbriæ: Sextum Eaſt-Anglorum, quod cœpit ab Uffa. A.C. 575. Septimum, *Merciorum*, ut dictum. In qua tamen heptarchia ſemper penès unum aliquem Monarchia fuit. Unde Venerabilis Beda teſtatur, hos ſeptem Saxonum Reges ſemper aliquem habuiſſe, cujus Majeſtatem, velut ſupremi Domini, comiter agnoſcerent. Fuit verò Monarchia hæc ambulatoria, & modò penes hanc, modò penes aliam gentem, non ſucceſſione, ſed armis ac potentiâ, quærenda. Donec A.C 800. ſub Rege Weſt-Saxonum Egberto, omnia hæc in unum Regnum coaluerunt, ipſeque primus perpetuus ſeptem Regnorum prædictorum Monarcha factus eſt, qui etiam, abrogatô *Saxonum* nomine, univerſam gentem appellari voluit *Anglos* & Regnum *Angliam.* Quod tamen non diu duravit, namque paulo poſt Dani & Normanni omnem Occidentem piraticâ ſuâ infeſtantes, Belgium præcipuè, Britanniam & Galliam impetere cœperunt; donec A.C. 1013. Anglo-Saxonibus ſuperatis eorum Rex Sueno Angliâ potitus eſt, atque ad hanc gentem Regnum tranſlatum. Permanſit autem Anglia, in Danorum poteſtate, uſque ad A.C. 1042. quô tempore, omnes Angli, Danorum conſpiratione, ſimul trucidati, & Regnum Edoardo Confeſſori legitimo Regi eſt reſtitutum: à quo ad Normannos tranſiit, quorum familia hodieque Regno præeſt. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 198. *& ſeqq.*

MERCIMEN, urbs Africæ propriæ, *Antonin.*

MERCIUS Johannes, Vide Johannes.

MERCORIA Villa, à Mercurio cognominata, quem Galli, inque his Fredegarius, & Carolus M. *in Ep. ad Faſtradam Reginam* conjugem ſuam, *Mercorem* dixêre; aliàs *villa Mercorius*, locus Galliæ eſt, in Lemovicibus, *Mercqs* vulgò: quam Aicardus de *Mercoria*, miſſus Unaldi, tradidiſſe dicitur cum Eccleſia S. Martini, Gairulfo Abbati Monachiſque Bellilocenſibus, annô 3. Caroli Imperatoris. Eſt autem Bellilocus *Beaulieu*, locus in Lemovicibus, ad Duranium vel Dordoniam ſitus, cum inſigni Monaſterio Abbatiali, ante annos 800. ſtructo. Eſt quoque *Mercorium*, caſtrum in Arvernis & provinc. Aquitania I. Ducatûs titulo illuſtre, olim *Marcutil* & *Mercueuil*; vulgô nunc *Mercueur*, *Mercoeur* & *Mercure*. Joh. Pariſienſis *Marcolium* nuncupat, Dalfinum Alverniæ, & dominum Beraudum *de Marcolio* numerans, inter adjutores Onardi domini Montisacuti, adverſus Erardum dominum S. Verani. *Mercurium* caſtrum appellatur *in vita S. Deſiderii Cadurc. Epiſc.* Meminit quoque *Mercuritii*, vulgò *Merq*, loci Caleſio proximi in Morinis, Lambertus Presbyter Ardenſis: Nimirum Galli Deum maximè Mercurium coluêre, ut ſcribit Cæſar *l.* 6. *Bell. Gall. c.* 17. & ab eo non pauca loca cognominavêre. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Melgorium.*

MERCORIS Dies, in Veterib. *Tabulis*, pro *Mercurii* Dies. Vide Perardi *Burgundica p.* 157. 166. & in voce *Mercurius.*

MERCORIUM, Gall. MERCOEUR, locus Galliæ. Vide ſuprà, unde illuſtri familiæ nomen. Eſt autem illa ramus Lotharingicæ ſtirpis, ortus à majori filio Renati Ducis Lotharingiæ & Barri Antonio, à quo Duces ipſi Lotharingiæ (per majorem hujus filium) originem ſuam habent. Minor enim Renati fil. Antonii frater Claudius, Guiſios, Joyeſios, Meduanios, Aumalios, Ellebovios, Harcurtios, ex ſe dedit, quibus omnibus in Gallia ſedes contigêre. Sicut igitur Antonius præfatus, per Franciſcum filium primogenitum, Succeſſorem ſuum, Duces ſevit, ita collateralem hunc *Mercurianorum* Ducum ſurculum ex ſe dedit, per Nicolaum, alterum filium; cujus progenitores poſterique ſic habent. Antonius de Lotharingia Comes *de Vaudemont & Guiſe*, qui obiit A.C. 1447. ex Maria *de Harcourt*, (filia Johannis Comitis, Aumalii & Ellebovii) genuit Fridericum Ducem Lotharingiæ & Barri extinctum A.C. 1470. Hoc & Jolanthâ Andinâ Duciſſâ Lotharingiæ & Barri (Renato Rege Siciliæ & Iſabellâ Lotharingiæ filiâ Caroli Ducis genitâ) natus Renatus Dux, obiit A.C. 1508. Pater, ex Philippa Geldrica, filia Adolfi Egmond. Ducis Geldriæ, Antonii Ducis Lotharingiæ & Barri, defuncti A.C. 1544. Hujus ex Renata Borbonia (filia Gilberti Borbonii Comitis Montpenſerii & Claræ Gonzageæ de *Mantua*) minor natu filius Nicolaus Lotharingus Comes *de Vaudemont* & *Chaligny* Marchio *de Nomeny*, Dux Mercurianus (*de Mercoeur*) obiit A.C. 1576. relictis, ex Johanna Sabauda (filia Philippi Ducis Nemoroſii Comitis Genev.) Philippô Emanuele Duce Mercurianô, Carolô Cardinali, qui deceſſit A.C. 1587. Johanne (qui puer obiit,) Franciſcô Marchione *de Chauſſiny* defunctô A.C....) de Margarethâ filiâ: è quibus hæc primis nuptiis Annam Ducem Gaudioſæ maritum habuit; alteris Franciſcum Lucemburgicum Ducem *de Piney*, defuncta A.C. 1625. Primus verò, Philippus nempe Emanuël uxorem duxit Mariam, Pentheuriæ domus hæredem; quo è matrimonio unica prodiit filia Maria, uxor Cæſaris Ducis Vindocini, Henrici IV. cognomine *Magni* Galliæ Regis filii nothi ex Gabrielide Eſtræa: cujus poſteritas in Ducibus *Mercurian*. atque Beaufortio apud Gallos ſupereſt. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 33.

MERCURIA, mulier, propter religionem Chriſti, ſub Decio Imperatore apud Alexandriam ſuppliciô affecta. *Eccleſ. Hiſtoria.*

MERCURIACUM, pagus agri Novarienſis apud Ticinum fluvium, Olegio proximus; à Mercurio dictus. *Vet. Inſcr.*

MERCURIALE, *Antonin. Mercogliano Mazellæ*, oppid. Campaniæ amplum, inter Neapolim 12. & Abellinum 18. mill. paſſ.

MERCURIALIA, apud Cretenſes, feſtum Mercurio ſacrum, ob inſignem in inſul. illa mercatorum frequentiam: Saturnalibus apud Romanos reſpondens. Vide *Joh. Brodæum*, *Dempſterum*, &c.

MERCURIALIS Hieronymus, Italus, Philologus & Medicus eruditus ac felix: juvenis adhuc patriæ res Legatus egit apud Pium IV. (Sorliviâ enim in Romandiola oriundus erat) & tum Romæ Alex. Farneſio Literatorum Mæcenati innotuit, atque apud illum Septennium moratus; *de Arte Gymnaſtica* librum ſcripſit. Inde Patavii Medicinam docuit, tanta cum nominis ſui famâ, ut Maximilianus II. graviter decumbens, Viennam eum invitaret; quô venit, at Cæſare feliciter curatô, rediit Patavium A.C. 1573. Inde lautiori ſtipendiô allectus, Bononiæ per 5. ann. Piſis per 17. Medicinam itidem profeſſus eſt, nec inde ullô variorum Magnatum Principumque invitatu ſe porro avelli ſuſtinuit. Tandem in patriam reverſus, ibi obiit A.C. 1604. relictô hæredibus patrimonio 120. mill. nummorum aureorum poſt varia legata ad pios uſus ab eo conſtituta: ſtatuâ poſt obitum à civibus ſuis honoratus. Scripta ejus, præter jam dictum opus, quod Eruditis in pretio præprimis eſt, enumerat *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 2. Vide quoque Nic. Erythræum *Pinacoth.* 1. *n.* 84. Laur. Craſſum *Elog.* Naudæum *Biblioth. Polit.* alios.

MERCURII Aquæ, apud Capenam portam, Romæ.

MERCURII Dies, Virginis deductioni, apud Hebræos deſtinata olim, ut infrà dicemus ubi de *Nuptiali tempore.* Ab eadem Nabuchodonoſorem ſeptimanam orſum eſſe, tradit Nicol. de Cuſa Cardin. *Reparat. Calendarii*, qua de re vide ſuprà voce *Hebdomas.*

MERCURII Promontor. *Hermea* promontor. *Ptol. Capo Bon*, Africæ, contra Siciliam, 100. mill. paſſ. à Lilybæo in Auſtrum, inter Carthaginem ad Occaſum, & Hadrumetum in Ortum.

MERCURIOLUS, ex ebeni loculis compactus, apud Apulejum *Apolog. Interim dum ruri ago, Sicinium Pontianum meum, qui mihi factum volebat, impetratos ebeni loculos à muliere honeſtiſſima Capitolina ad ſe attuliſſe* &c. Nempe loculos ebeni à Capitolinâ impetraverat Apulejo Pontianus, ad exſculpendum Mercurium. Sequitur enim, *Ita minutatim ex tabellis compactâ craſſitudine Merculiolum expediri potuiſſe.* Quæ tabellæ omnino oſtendunt, loculos fuiſſe, non *baculos* (ut alii legunt) ex quibus ille fabricatus Mercurius: ex tabellis quippe compacti loculi ebenini & ex iis minutatim junctis invicem compacta craſſitudo, quæ *Mercurioli* ſigillo exſculpendo ſufficeret. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1032.

MERCURIUS, Jovis & Majæ fil. Græcis *Hermes* ἀπὸ τῦ ἑρμηνεύειν. h. e. *ab interpretando* dictus. *Voſſ.* verò Ἑρμῆς vult eſſe ab אמר i. e. *ſermo*, *eloquium.* Erat enim nuncius Deorum, unde Horatio *in Odis l.* 1. *Od.* 10.

—— Superis Deorum
Gratus, & Imis.

Claudian. *l.* 1. *de Raptu Proſerpin. v.* 89. *de eo,*

—— Commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habet, gemminoque facit commercia mundo.

Præter hunc tres alii *Mercurii* dicuntur, unus Cœli ac Diei fil. alter Liberi & Proſerpinæ, tertius Jovis & Cyllenes, quem fama eſt ob Argi cædem profugum, literas Ægyptiis oſtendiſſe. Verùm omnes hi ad Majæ filium referri ſolent; cui idcirco alas in capite & pedibus attribuunt, eô commentô ſignificare volentes, velocem fieri per aëra ſermonem. Ideò autem Deorum nuncium dictum; quoniam per ſermonem omnia cogitata enunciantur. Dictus eſt Deus facundiæ, quòd hominibus eloquentiam præſtare putabatur. Habitus eſt etiam Deus mercatorum, lucri, palæſtræ, furum. Lyram invenit. Hermaphroditum ex ſorore Venere genuit, Martem è duris carceribus liberavit, Argum interemit, Prometheum in Caucaſo religavit. Vide *Heſiod.* Homer. *in Hymn.* Cartarium *de Imag. Deor.* Nat. Com. *in Mythol. l.* 5. *c.* 4. Eſt etiam unus ex 7. Planetis, omnium minimus, ferè ſemper ſubeſt radiis ſolaribus, à quibus non recedit longiùs quàm 28. gradus. A *merce*, ſive *mercimonio* Mercurii nomen fortè. Sed (ut inquit Vir Doctus) Hebræis eſt *Mercolis*, à רכל *negotiari*: ut in illô proverbio, de quo Druſius *Proverb. Claſſ.* 1. *l.* 2. *Proverb.* 34. *Sparſit lapidem in Mercolis.* Pro eo Salomon habet *Margemah*, à רגם *lapidibus obruit. Proverb. c.* 26. *v.* 8. *Sicut qui mittit lapidem in Margemah*, vel, ut habet vulgaris. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*; ita qui tribuit inſipienti honorem. Erant autem apud priſcos Ἑρμαῖοι λόφοι, ſive lapidum acervi Mercuriales, viis publicis & compitis ad itinera commonſtranda congeſti, quos tranſeuntes viatores crebro lapidum jactu in Mercurii ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

norem augebant. Dicuntur acervi iſti Ἑρμακες Nicandro; ac de iis eſt intelligendum, Anthol. l. 4. Epigramma 12.

Ἱερὸν Ἑρμείη με παρερχόμενοι ἔχευσαν
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.

Voluit igitur ſapientiſſimus ille hominum, eum qui ſtultum honeſtaverit, perinde facere ac ſi acervum Mercurii lapidis jactu augeret, neuter enim beneficium agnoſcit, neuter rependit. Alii autem a מכר *vendere*, *Mercurium* deducunt. *Nic. Lloyd.* Cœterum, quamvis Ollæ ſeu χύτραι aliis quoque Diis conſecrandis, ſive jam modò conſecratis, quandoque offerrentur; potiſſimum tamen illæ, quaſique eis proprium, uſum in *Mercuriorum Conſecrationibus* habebant. Ita enim Ariſtophanes *Pace*:

Χο. Ἄγε δὴ τί νῶϊν ἐντεῦθεν ποιητέον;
Τρ. Τί δ' ἄλλο γ' ἢ ταύτην χύτραις ἱδρυτέον?
Χο. Χύτραισιν, ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον;
Τρ, Τί δαὶ δοκεῖ; βούλεσθε λαρινῷ βοΐ;
Χο. Βοΐ; μηδαμῶς· ἵνα μὴ βοηθεῖν ποιῶμεν:
Τρ. Ἀλλ' ὑῒ παχείᾳ καὶ μεγάλῃ; &c.
Ch. *Age quid jam deinceps faciendum eſt?*
Tr. *Quid aliud, quàm illam ollis Conſecrando ſtatuere?*
Ch. *Olliſne, tanquam vitem quendam Mercuriolum?*
Tr. *Quid aliud videtur, num Juvenco ſaginato?*
Ch. *Juvenco? nequaquam; ne aliquo nobis juvandum ſit.*
Tr. *Suine pingui ac magnâ &c.*

Ad quæ verba notat *Scholiaſtes*, ditiores ac largos Deorum cultores majore ſumptu, pauperes ac avaros tenuiore, in hujuſmodi conſecrationis ritu, ſacrificia ſua peregiſſe. Etiam verò in Diis diſcrimen, inter quos qui majoris erant auctoritatis, ſumtuoſioribus victimis propitiabantur, qui minoris, qualem Mercurium fuiſſe ex verſibus præfatis liquet, leguminibus placabantur. Mos namque erat, ut idem *Scholiaſtes* ad Plutum obſervat, in conſecrandis ac collocandis imaginibus circumducere in pompa *Ollas cum leguminibus* decoctis, quæ portabantur à fœminis verſicoloribus adornatas. Et illa ut primitias gratulatorias Diis tribuebant. Vide Anton. van Dalen *Schediaſmate de Conſecrationibus Ethnicis:* Effinxêre eum juvenem formoſum, non tamen fucatum aut comptum, ſed nativâ quadam virtutis ſpecie, vultu hilari, acribus oculis, in baſi quadratâ; quæ ſtabilitatis, ac firmitatis figura eſt: capite ac pedibus alatis, cum caduceo, cui duo dracones implicati. Et quidem, quod diſciplinarum cœleſtium, ut eum Manilius vocat *Aſtronom. l.* 1. Auctorem, Eloquentiæque ac Veritatis Præſidem, cubicum ac quadratum Antiquitas figuravit, unde Τετραγλώχιν Antholog. *l.* 1. *Epigr.* à Leonide appellatur, hinc factum conjicit Solerius, ut pleriſque in locis pileus Doctoralis, qui magnâ ſolennitate in Academiis conferri ſolet, formâ ſit quadratâ: ut Italorum inprimis & Sinenſium exemplô monſtrat, *l. de Pileo ſect.* 11. Caduceum ejus, virgâ rectum, ad quam Herculeô nodô revincti erant angues duo, maſculus ac fœmina, egregiè explicat Fortunius Licetus *de recond. Antiqq. Lucernis l.* 6. *c.* 97. *ubi de Lucerna Ægyptia in Adriani numiſmate ei ſermo eſt.* Sed & eundem, utpote latronum quoque Deum, petaſatum, i. e. coopertum, formavêre, quòd hoc hominum genus alienis opibus, noctis tenebris tectum, inhiet. Porrò ſaccellum quoque ei tribuerunt, ſeu marſupium à zona pendulum, quòd Deus lucri ac Negotiatorum Præſes haberetur, quibus in more poſitum erat, in marſupio iſtiuſmodi pecuniam circumferre, non apud Romanos modò, ſed & Græcos: qua de re vide ſuprà in voce *Marſupium*, item *Mercatura*. Fuit autem *communis Deus* vocatus, & cum Deorum alii aërii, alii cœleſtes, alii marini, alii terreſtres; vocarentur, ſolus Mercurius, utramque velut naturam cœleſtium aeriorumque ac terreſtrium habere judicatus eſt. Claudian. *loc. cit.*

Atlantis Tegeæ nepos; commune profundis
Et ſuperis Numen, qui fas per limen utrunque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Hornius, qui *Mercurium*, primo *Mecar* ſeu *Mecarium*, à voce Hebræa מהקר, quà Viri ſapientes communiter antiquitùs appellabantur, κατ' ἐξοχὴν dictum vult, utpote inventorem omnium artium ac diſciplinarum, non ab Ægyptiis modò & Græcis, ſed & Barbaris gentibus innumeris habitum, *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 5. eum cum Jove *ibidem*, ac cum Apolline, *c. ſeq.* eundem facit, cùm nihil antiquis inſolens ſit, uni Deo diverſa, ut officia, ſic nomina, aſſignare. Ita quem Phœnices Kadmum, Ægyptii Thohuth, Libyes & Galli Herculem, Græcos Hermetem ſive Kadmilum dixiſſe oſtendit. Cum Minerva certe, ac Hercule communem aram ſtatuamque habuit, ut videre eſt ſuprà, in vocibus *Hermathena* & *Hermeracla*. Præcipuâ veneratione cultus eſt à Germanis antiquis, cui *hoſtilem aciem devovere*, & *certis diebus humanis hoſtiis litare* fuiſſe ſolitos, docet Tacit. *Annal. l.* 13. *c.* 57. & *l. de Mor. Germ. c.* 9. ab iis *Teutatem* dictum, docet Lucanus *l.* 1. *v.* 444.

Et quibus immitis placatur ſanguine dirô
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus.

De Gallis, vide ſuprà, in voce *Mercoria*. Græci Romanique in compitis civitatum ei ſtatuas erigebant, *Hermarum* nomine; quadratas, ſine manibus & brachiis, ſolô inſignitas capite, in quarum medio virilia adſculpebantur: qui mos ab Athenienſibus ad alias gentes defluxit, Pauſan. *Meſſeniacis*. Vide quoque Herodotum *l.* 2. Xenoph. *de Magiſt. Equit.* Servium *ad Æn. l.* 8. *v.* 138. Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 19. Valer. *in Hieroglyphicis l.* 35. ubi truncos hos Hermas vult eſſe indicia ſermonis, qui *ſuâpte vi polleat, ac ſine manibus omnia conficiat*, Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 73. &c. Habuerunt iſtiuſmodi Hermas Athenienſes in Fanis, in viis, inque ædium veſtibulis, illiſque faciem Alcibiadis affinxêre, teſte Arnobiô *l.* 6. *contra Gent.* Nomina iis à conditoribus, ſic *Hipparchæi Hermæ* dicti ſunt, quos Hipparchus Piſiſtrati fil. erexerat: *Andocidis Hermes* memoratur Corn. Nepoti *in Alcibiade, c.* 3. *Accidit, ut unà nocte omnes Hermæ, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat,* Andocidiſque *vocatus eſt* &c. Romani illos in triviis habebant erectos: erantque ex ligno, marmore, lapide communi, habebantque baſes elogiis clarorum virorum inſcriptas, ut ex Plut. *in Cimone* patet. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 9. *cum Paralipom.* Thom. Dempſteri. Cœl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 20. in ſepulchralibus quoque columnis imponi conſueviſſe *Mercurii* ſtatuam, eò quod in animas defunctorum jus habere crederetur, docet: quem morem poſtea Solon, lege latâ, quâ ſepulchrorum luxum circumcidebat, ſuſtulit. Unde ad Iſocratis tumulum, columnæ ſepulchrali ſtatuam Sirenis ſuperpoſitam legimus, apud Plut. *de vit.* 10. *Rhet.* Vide iterum Fortun. Licetum *de Lucernis Ant. l.* 6. *c.* 6. *ubi columnam ſepulchralem in Lucerna deſcriptam explicat.* In Gymnaſiis, nam & his præerat, ſtatuam ejus non minus erectam fuiſſe, docet Heliodorus *l.* 10. Illi die 19. primi menſis veteres Græcos feſtum agitâſſe, & mel ac ficus edentes dixiſſe γλυκὺ ἡ Ἀλήθεια, *dulcis eſt Veritas*, memorat. Plut. *de Iſid. & Oſir.* &c. Adejus modum Michaëlem Archangelum in amethyſto Thuanæa, cum charecteribus variis, uti Baſilidiani olim ac Gnoſtici ſolebant, ſculptum habes infrà ubi de *Michaële Archangelo*.

EPITHETA MERCURII, APUD GRÆCOS ET ROMANOS.

Ἀγοραῖος dictus eſt, quòd Athenis ἐν τῇ ἀγορᾷ, *in Foro*, ei ſtatua erecta eſſet.

Aliger, apud Statium *Theb. l.* 2. *v.* 1. a celeritate Artium, quas vitæ humanæ intulit. Barthius *ad. l.*

Arcas, apud eundem *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 18. *Tegeaticus Arcas, Nunc plantis, nunc fronte volat, Sidon.*

Camillus, ab Hetruſcis vocatus eſt, quòd miniſter eſſet Deorum: ſic enim illi ſacrorum miniſtros vocare erant ſoliti.

Chryſorrapis, Græcè χρυσόῤῥαπις, apud Muſæum & Orpheum *Argonaut. v.* 135. h. e. *auream Virgam geſtans:* quam ille ab Apolline, in compenſationem fiſtulæ ei donatæ, accepiſſe fingitur *Apollodoro.* De cujus *Virgæ Mercurialis* poteſtate & potentia peculiarem Tractationem, eamque ſatis Myſteriodem, in *Superſtitionum Magno Commentario* ſe date notat Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Papinium Statium Part.* 2. *p.* 291.

Communis eſt appellatus, ob rationem ſuprà memoratam: Unde Proverb. Κοινὸς Ἑρμῆς, & cùm quis in itinere quidpiam inveniſſet, ſolebat præfari, *Communi Mercurió.* Si verò duo fortè convenirent, *Heia commune quodcunque eſt lucri*, clamâſſe alter legitur, apud Phædrum *l.* 5. *fab.* 7.

Cyllenius, quem vide *ſuô locô*, Romæ ædes duas habuit, totidem ædiculas, aras & templum.

Ἐμπολαῖος, quòd Mercatorum curam gereret, Athenis eſt cultus.

Ἐνόδιος it. Εὐόδιος & Ἡγεμόνιος vide infrà *Viales Dii*.

Ἐριούνιος, ſimiliter ibidem.

Εὔφρων, apud *Orpheum*, vide prælongum de eo Homeri Canticum.

Λόγιος, apud Lucianum *Mercede conductis Apolog.* εὖ ἂν ἡμῖν ἔχῃ, καὶ τῷ Λογίῳ θύσομεν: ab Eloquentiæ præſidentia. Eum enim cum Rhetorica, à Jove ad homines miſſum, memorat Ariſtides *Platonicâ* I. Sed & omnium ſcientiarum conſultus hôc nomine coli potuit, Nam τὸ ἱστορίας ἔμπειρον ſive πεπαιδευμένον *Logion* exponit *Heſych.*, *gnarum omnis literaturæ* indicare volens, Barthius ubi ſuprà. *p.* 91.

Malevolus, teſte *Feſtô*, dicebatur, quod in nullius ſpectaretur taberna.

Μόνιμος, vide ſuprà *Dii*, infrà *Sol*.

Παλιγκάπηλος, vide ſuprà Ἐμπολαῖος.

Προπύλαιος, appellatus eſt, quod ædium veſtibula, ut ſuprà vidimus, ei Athenis eſſent ſacra.

Στροφαῖος, à ςρέφειν, quod poſt januas collocatus fures domibus inſidiantes abigeret, & ſe vertere cogeret &c. Plura alia ejus cognomina vide apud Scholiaſtes *Ariſtophanis*.

Τρικέφαλος, vide infra *Turium*. Walcher. in hac voce. &c. Hactenus de *Mercurio* Numinis locô habito.

MERCURIUM verò planetam vulgò pingi moris eſt ☿, quem *caduceum* ejus eſſe volunt, qui ita eum deformârunt. Sed depravatam hanc figuram eſſe conſtat & ab antiqua imagine multùm demutatam. Certè in antiquiſſimo codice Firmici Regiæ Biblioth. *Mercurius*, omnibus locis aliâ longè figurâ expreſſus conſpicitur eaque duplici modô variatâ. Sunt duo prima elementa nominis Στίλβων inter ſe implexa, quô Græci & Ægyptii Aſtronomi hunc planetam inſignierunt. Sed ſigma illâ effigie Romanum magis, quàm Græcum, licet in quibuſdam nummis pro Græco inveniatur inſcriptum, ut in nummo Hadriani ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΜΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ: antiquum tamen non eſt. Liquet igitur, Græcos veteres pro *Mercurii* nota hanc eandem figuram ita exarâſſe, ⚴ i. e., Στίλβων, quæ poſteà clauſô circulô ad formam hodie uſitatam immutata eſt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1238. Sed & *Mercurius* dictus eſt qui è damnatis ad mortem primum ſupplicii diem ſortitus eſt, ut infrà videbimus voce *Sortes*. Idem nomen acervis lapidum, in viis, ad Hermulas, erigi ſolitis itineri demonſtrando, tributum: Iſidorus *in Gloſſis*, *Mercurii, lapidum congeries, in cacumine collium* quod in *Mercurii* id fieret honorem. Unde iidem Ἕρμακες Nicandro in *Theriacis*; Ἑρμαῖοι λόφοι, aliis: uti diximus ſuprà lemmate *Acervus Lapidum*, vide & ubi de *Acervandi Lapides more*.

MERCURIUS, qui & Joannes, 54. Romanus Epiſcopus, A. C. 532. Vide & *Johannes*.

MERCURIUS *Braſilicus*, i. e., de Mirabilibus Braſiliæ, nomen libri, quô deſcribuntur primô ritus & conſtitutio naturalis Regionis, deinde hominum mores & vita, poſteà animalia qua-

dru

drupedia, volatilia, natatilia, inſecta quibus ſubjunguntur vegetabilia, arbores, herbæ, flores, fructus: & tandem de mineralibus, omniumque jam dictorum virtutibus & proprietatibus, eleganti ac politô ſtylô agitur: Auctore Valentinô Eſtancel Moravô Jeſuita teſte *αὐτόπτῃ*: aſſervatur Romæ, in Muſæo Kircheriano. Georgius de Sepibus, *in Deſcriptione ejus p. 6.* Ibidem depoſitum eſt, Opuſculum phænomenorum Solis, quô ſiderum, circa Polum Auſtralem apparentium nobis incognitorum, uti & de Cometarum præterlapſis annis in Braſiliâ apparentium, motu, duratione, interitu, idem Auctor ſcitè ſcripſit: quorum omnium ipſe primus ex Aſtronomis ſub Zona Torridâ obſervator fuit & plurima ſingularia, Europæ Aſtronomis incognita, aperit.

MERCURIUS Philoſophorum, eorum qui Hermeticam Philoſophiam ſectantur, unicum idolum, dum eum tanquam fugitivum ſervum ſtringere & inutile labore figere conantur, in tenues tandem evaneſcit auras; aliô nomine *Argentum vivum*, item *Lithargyrus* dictus. Sed fixi *Mercurii* annulus, in *Muſæo* pendet Kircheriano, qui Vulcani ferulæ cedens ad omnem Artificis nutum & normam ſe flecti ac duci ſinit, non ſolùm præſtantiâ artis, ſed etiam Medicâ, quâ pollet, virtute, pretioſus; utpote qui præſentaneum remedium ſive antidotum contra venena adhibetur, eaque ubicunque deliteſcunt, detegit. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jeſu Muſæo p. 46.*

MERCURIUS Triſmegiſtus, Sacerdos, Rex & Philoſophus Ægyptius, poſt Moyſen vixit, & cum Philoſophia, varias artes ſuos populares docuit, Cicer. *l. 3. de N. D. c. 22.* & Lactant. *l. 1. c. 6.* quinque hujus nominis Viros illuſtres habent, quorum ultimus hic. Marſilius Ficin. *T. II, p. 1836. & ſeqq. edit. Baſ.* 1576. eum Atlantis facit nepotem, Auguſtin. *de C. D. l. 8. c. 23. & l. 18. c. 39.* Magiæ operatum ait. Vide ſuprà *Hermes Triſmegiſtus.* Addo hîc, quòd hunc auditorem Noachi & primò Præceptorem, dein ſcribam Chuſi; eundemque Oſiridis & Jovis, liberorum Chuſi, Magiſtrum fuiſſe, nonnulli perhibent. Euſebius *προπ. l. 1. c. 7.* ex Sanchoniate eum Saturni ſcribam fuiſſe refert: ſic Moyſis ætatem anteceſſiſſet. Scripſit plurima, & quidem 36525. volumina, i. e. papyri folia, ut auctor eſt Jamblichus *de Myſter. Ægypt. c. 1.* ſed omnia interciderunt: quæ enim hodieque ſchediaſmata, *Mercurii* hujus nomine, circumferuntur, meritò jam olim pro ſubventaneis & *ὑποβολιμαίοις* habita ſunt, ut ex Galeno patet *de ſimpl. Medicam. Fac. l. 6.* Eundem doctrinam ſuam, ne inundatione Nili periret, columnis quibuſdam inſculpſiſſe, Proclus teſtatur *in Plat.* quas ſuô adhuc tempore fuiſſe ſuperſtites refert. Hinc ipſum Pythagoram ac Platonem ex Triſmegiſti columnis ſapientiam ſuam hauſiſſe, modò memoratus Jamblichus aſſerit. Vide Georg. Hornium *Philoſ. Hiſtor. l. 2. c. 6.* & infrà, in voce *Teuth.*

MERCURIUS Vipera, Beneventanus. Auditor Rotæ, ſcripſit *libros 5. de priſcis & ſacris inſtitutis.* ſeculô præteritô.

MERDASDES, fil. Coſrois, regno deſtinatus, à fratre Siroë, ante oculos Parentis, cum aliis ejus filiis jugulatus, A. C. 627. *Niceph.*

MERECRATES, corruptè hîc poni ſolet pro *Menecrates.*

MERED, fil. Bethiæ filiæ Pharaonis. 1. Paral. *c. 4. v. 17.*

MEREMOTH, nomen viri. Eſdr. *c. 8. v. 33.*

MERENDA, olim cum Prandio eadem fuit: dein, cùm luxus & nequitia ſerpere cœpit; & ab ea ad Cœnam, i. e., à meridie ad veſperam, jejunitas nimium viſa eſt longa, Prandii uſus in *Merendæ* locum ac horam ſucceſſit: *Merenda* vero poſt eam horam, unde nomen ſumſit, i. e. poſt meridiem, producta eſt, qui mos hodieque obtinet. De ea Juſtus Lipſius *Cent. 1. Ep. 65.* *Merenda*, inquit, *eſt cibus, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edendus, & proximè cœnæ, unde &* Antecœnium *a quibuſdam dicitur.* Jos. Scaliger tamen *Notis in Varr. de R. R.* ait, *Merendam* dictam eſſe, quod iis, qui *mererent* ære, h. e. mercenariis data fuerit, adducens fragmentum Calpurnii:

—— *Sera cùm venerit hora* Merendæ.

Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 26. & 27.* & ſuprà paſſim.

MERENDÆ, vide *Ant[illegible].*

MERES, Æthiops, Ægypti Rex. Olymp. 22. Vide *Maris.*

MERETIUM, vulgò MERETZ, oppidul. Lithuaniæ, ubi Uladiſlaus IV. Poloniæ Rex obiit, d. 20. Martii, A. C. 1648. 10. milliar. ab urbe Vilna, Grodnam verſus, ad confluentes Meretzii & Memeni fluv. Amœniſſimi eſt ſitus, cum ſplendido caſtro.

MERETRICIS, ſeu proſtibuli nuptiæ, inter vetitas, apud Hebræos, referuntur Joſepho *Ant. Jud. l. 4. c. 8.* ubi hæc habentur verba, inter Leges apud eum Nuptiales, *Εἶτι μηδὲ ἡταιρημένης εἶναι γάμον ἢ, δι᾽ ὕβριν τοῦ σώματος, τὰς ἐπὶ τοῦ γάμου θυσίας ὁ Θεὸς οὐκ ἂν πρόσοιτο*, Neque Meretricis *ſint nuptiæ*, (Gelenius, *neque meretrici ſit jus nuptiarum*) *cujus propter injuriam ſuo corpori factam nuptiale ſacrum Deus non admittit.* Ruffinus; *Sed neque fornicariæ ſequendæ ſunt nuptiæ, pro quibus corporis injuriis nuptiales hoſtias non ſuſcipit ſumma divinitas.* Sed undenam ille hanc habuerit Legem, aut *τὰς ἐπὶ τοῦ γάμου θυσίας* (ſi hoſtias nuptiis proprias verbis illis velit innui) negat ſe habere compertum, Joh. Seldenus *Uxor. Ebr. l. 1. c. 11.* Apud Græcos *Meretrices* à pudicis, veſtibus fuêre diſtinctæ, ex hac Lege: *Τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν*, *Meretrices floridas veſtes indutæ ſunto.* Cujus meminit *Suidas.* Hinc Artemidorus *l. 2. c. 3.* *Γυναικὶ δὲ*, inquit, *ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει· μάλιστα δὲ ἑταίραις· αἱ μὲν γὰρ, διὰ τὴν ἐργασίαν ἀνθηραῖς ἐσθῆσι χρῶνται.* Clemens Alex. *Pædag. l. 3. c. 2.* *ὡς τὸν δραπέτην τὰ στίγματα, οὕτω τὴν μοιχαλίδα δείκνυσι τὰ ἀνθίσματα*, *ſicut fugitivum ſtigmata, ſic adulteram indicant flores.* Eandem Legem ſuis Locrenſibus poſuit Zaleucus, ut *Diodor. Siculus* auctor eſt, & uſi ſunt Syracuſani, quod ſcribit Phylarchus, apud Athenæum *l. 12.*

Quanquam non ferebant, puto, Athenienſes, Meretrices, non magis quàm eas, in quibus adulteri deprehenſi fuiſſent, ornatas prodire in publicum, quò alludit Rhetorum illa Lex, apud Hermogenem *περὶ στάσεων. Ἑταίρα χρυσία εἰ φοροίη, δημόσια ἔστω*: cujus duplex eſſe poteſt ſenſus. Si enim penacute legas, *δημοσία*, Legiſlatoris mens hæc eſt: Meretrix quæ aurum geſtaverit, publica eſto, i. e. permittatur ingenuorum & ſervorum paſſim libidini. Sin antepenacutè *δημόσια*, ſenſus eſt: *Aurum, quô ornata fuerit meretrix, publicum fiat & in ærarium deferatur.* Veſtibus autem & mundo volebant diſtingui *Meretricem* à pudicis, *μὴ ὁμοίαν εἶναι ταῖς ἐλευθέραις, μηδὲ τὴν αὐτὴν ἀξίαν ἔχειν*, *Ne ſimilis eſſet ingenuis iiſdemque honoribus afficeretur.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l. 5. c. 5.* Similiter apud Romanos, Matronas à *Meretricibus* inprimis diſtinguebant, vittæ & crines, unde duo hæc ſimul junxit, *vittæ notam & privilegium galeri*, Tertullian. *de Pallio c. 4.* & de Vittis quidem vide *infrà.* De Crinibus, pauca addam: Fuerunt illi capiti adtexti & adnexi, vetuſtiſſima Matronarum inſignia, quibus poſtea vitta acceſſit. Val. Max. *l. 5. c. 2.* *Sanxit, uti fœminis ſemitâ Viri cederent, confeſſus plus ſalutis Reipublic. in ſtola, quàm in armis fuiſſe, vetuſtiſque crinium inſignibus novum vittæ diſcrimen adjecit.* Ubi vides, crinibus ac vittis Matronas præcipue inſignitas fuiſſe. Quæ duo in ſacerdotibus quoque Cereris memorat Afer *loc. cit.* ubi per *galerum* intelligitur crinium adtextorum compoſitio, in modum galeri facta, ſeu rotundus comarum ſuggeſtus, atque *ἐμπλόκια*, quibus fœminæ, & Matronæ præcipuè, caput velabant. Et de his crinibus capienda illa Plauti *in Mil. Actu. 3. ſc. 1.* *Uſui gerundum morem cenſeo, & capiundos crines.* Nam quæ nubebant, capiebant crines. *Feſtus*, *Senis crinibus ornantur nubentes, quòd is ornatus vetuſtiſſimus fuit.* Senas crinium ſpiras intelligens, quæ in orbem convolutæ, & aliæ aliis ſuperſtructæ, formam galeri efficiebant. *Tutulum* quoque Veteres dixêre, item *galeam* & *cæſariem*, Græci *περικεφαλαίαν* & *φενάκην*: hodie *perrucam* vulgò vocamus. Non unô autem modô ornabantur Matronæ: Siquidem, præter illam capillorum conſtructionem, quæ ad inſtar galeri totum capitis verticem contegebat, quam *vaginam & operculum capitis* vocat idem *Tertullian.* aliquando & pone cervices, comarum ſuggeſtum, in modum umbonis aut collyridis cujuſdam ſive popani formatum gerebant; cujus ornatus inſtar in mulierum cervicibus multi Veteres nummi exhibent; inprimis Fauſtinam ſic ferè ſemper comtam in iiſdem videre eſt, Juvenal. tamen hujuſmodi crinium galeros etiam *Meretricibus* tribuit, verbis, *Sat. 6. v. 120.*

Sed nigrum flavô caput abſcondente galerô,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Ad quæ verba vetus Scholiaſtes: *Crine*, inquit, *ſuppoſitô rotundô muliebri capitis tegumentô, in modum galeæ factô, quô utebantur meretrices.* flavô, *nigrô nam crine Matronæ utebantur.* Ubi iiſdem galeris & pudicas & meretrices uſas innuit: ad diſcerniculum verò Matronas nigros, *Meretrices* flavos ſumpſiſſe, docet Servius, *ad verſum 698. Æn. l. 4.*

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat.

Matronis, inquit, *nunquàm flava coma dabatur, ſed nigra.* Citat deinde verſus illos Juvenalis allatos. Et tamen apud eundem Servium ibid. loci adducuntur hæc verba *Catonis*, de crinibus Matronarum: *Comas flavô cinere ungitabant ut rutilæ eſſent.* In quibus etiam flavos crines Matronas habuiſſe conſtat; diverſâ ætate ac ratione, hæc omnia facile conciliante, Salmaſ. *Notis ad Tertullian. de Pall.* Vide quoque infrà *Mitra, Palliolum, Pornæ, Theriſtium.* Nec omittendum, uti in aliis, ſic in ſeceſſu quoque pudicarum fœminarum mentitas eſſe *Meretrices* verecundiam, quæ, ut dicemus infrà (ubi de virginibus *Recluſis*) *καλάκλειστοι* proin dictæ ſunt, ad imitationem puellarum virginum, quas tenellis aſſervandas diligentiùs uvis Poëta neſcio qui ſcribit. Callimachus *καλακλείστους* vocat his verſibus:

Παῖδες αἱ καλάκλειστοι,
Ἄφθασιν οἱ τεκόντες
Εὐναίους ὀαρισμοὺς
Ἐχθεῖν ἴσον ὀλέθρῳ.

Sed non aliô fine id *Meretrices* æmulatæ ſunt, quàm ut carius ſe venditarent. *Καλάκλειστον* enim vocârunt Græci, quidquid ita pretioſum eſt, ut ſervari diligenter atque clauſum teneri mereatur. Unde *catacliſta veſtis* Appulejo, *Met. l. 9. &c.* Idem. De *Meretricatu* porrò vectigali, infrà voce *Tributum*, ad ſacro relato (namque hunc inter ſacrorum quoque Ceremonias nonnulli Gentilium habuerunt) vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior.* Imò *Meretricum* ſub forma pleraſque olim Veneres cultas, docet *Arnobius*, qui, poſtquam de Cnidia Venere ad formam Cratinæ meretricis, à Praxitele effigiatam dixiſſet. *Sed ſola eſt hæc Venus*, pergit, *cui de ſcorti vultu tranſlatitium decus auctum eſt? Phryna illa Theſpiaca exemplarium fuiſſe perhibetur cunctarum, quæ in opinione ſunt, Venerum: ſive per urbes Grajas, ſive iſte quò fluxit amor talium cupiditaſque ſignorum. Itaque artifices omnes --- omni curâ ſtudiôque certabant, filum capitis proſtituti Cythereïa in ſimulachra traducere. Ardebant artificum ſcita, alterque alterum vincere -- quærebant, non Venus ut auguſtior fieret, ſed ut Phryna pro Venere ſtaret. Atque ita perducta res eſt eò, ut, pro Diis immortalibus, ſacra meretricibus fierent & infelix religio ſignorum fabricationibus falleretur.* Vide eum *l. 6.* ubi & de Hermis, Alcibiadis vultu, & de Jove Olympio, ſub Pantarces imagine, cultis; ut & ſuprà in voce, *Accabuſſare, Floralia & Lupanar*; ac infrà quoque aliquid, in *Proſtibulum* & *Ribaldis*, it. *Venula.*

MERGENTHEMUM, oppid. Franconiæ, ad Subarum fluv. in ditione Ordinis Teutonici. Dicitur vulgò *Mergentheim*, vel & *Marienthal.* 6. leuc. ab Herbipoli in Meridiem. Sedes eſt Magiſtri Ordinis, in Franconia.

MERGERE in cloacas Servorum apud Romanos pœna, vide ſuprà *Lacus*, & infrà *Submerſio*.

MERGES, vide infrà *Præmetium*.

MERGILLINA, Campaniæ locus, Virgilii ac Sannazarii tumulô, & maris proſpectu nobilis, *Thuanus*.

MERGORESUS, nomen monetæ, in Gallia olim cuſæ, de qua vide ſuprà in voce *Melgorenſes*.

MERGUS, vide ſupra *Fulica*.

MERGUS Ærarius ſeu *Erarius*, vide ſuprà, *Ærarius*.

MERI, urbs Meſopotamiæ, circa Edeſſam. *Simlerus* ex *MS. Antonin.*

MERIANUS Matthæus: fil. Waltheri Senioris Baſileenſis, Sculptor inſignis, Theodorum de Bry Bibliopolam Francofurtenſem celebrem, in deſcriptionibus Indiarum æri incidendis Ophemii egregiè adjuvit. Ejus dein filiâ ductâ, in patriam reverſus eſt: extinctus Swalbaci, ubi acidulis ſanitatis causâ uſurus erat, A. C. 1651. ætat. 58. Edidit *Theſauri Philopolitici Urbes Europæ, unâ cum Emblematibus, repræſentantis Tom. XVI. Librum de IV. Monarchiis à Joh. Gotfrido ſcriptum, centenis aliquot figuris exornatum; Archontologiam, Theatrum Europæum, Itinerarium Italiæ, Arcem & Hortum Heidelberg. Figuras Biblicas, Varias regiones, Venationes Prælia, Hiſtorias Roman.* &c. ſepultus Francofurti. Pater *Matthæi* itidem Pictoris eximii, *Caſpari* Sculptoris egregii, & Joachimi Phyſici Francofurti ordinarii. P. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

MERIBANES, Iberiæ Rex A. C. 362.

MERIBBAAL, fil. Jonathan filii Saul. 1 Paral. *c.* 8. *v.* 34.

MERIBRIGA, oppid. Portugalliæ, *Ptol.* nunc pagus *Abnedara Molet.* Bretolæo, urbi exciſæ, proximus.

MERIDIANA, apud Sidonium Apollin. *l.* 1. *Ep.* 2. ſomnus eſt meridianus, ὕπνος ἀμφὶ μέσην ἡμέραν, Procopio *de Bello Vandalico l.* 1. *c.* 2. qui Monachis permittitur, in *Regula* Benedicti *c.* 48. & Monialibus, in *Regulis* Monialium B. Mariæ *de Sopewel*, in agro Herfordenſi, in Anglia. Incipiebant autem Meridianæ, in Dominica Palmar. ut eſt *in Conſuetudinibus Floriac. p.* 396. *à die Iduum Majarum uſque in diem Iduum Septembrium*, in *Reg.* Pauli & Stephani Abbatum *c.* 11. Kalendis Octobris eas finiri, adnotat Lanfrancus *in Decretis Ordinis Bened. c.* 1. *ſect.* 1. *&* 4. *Meridianæ tamen jejuniorum*, ſeu in diebus jejunii poſt Sextam, *breves* eſſe jubentur, in *Statutis* Cluniac. Petri Venerab. *c.* 24. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* & infrà voce *Relevatio*: uti *de meridianis ſternutationibus* infantis olim habitis, infrà ibid. *ſternutatio.*

MERIDIANDI Veterum conſuetudo, vide hic & infrà *Prandium.*

MERIDIANI, gladiatores erant, qui Ἔφεδροι Græcis, quòd in aliorum, qui jam proſtrati erant, locum ſuccederent; ἔσχατοι Apoſtolo dicti ſunt 1. Cor. *c.* 4. *v.* 9. eò quòd in ultimum locum reſervarentur, ad certum & inevitabile exitium. Poſtquam enim matutinis horis cum beſtiis homines committi ſoliti ſunt, hi in Meridiem reſervati ſecum invicem crudeliſſimè pugnare cogebantur, non aliô quàm nudô enſe inſtructi; Unde Seneca, illos cum Beſtiariis comparando, *Quidquid ante pugnatum eſt, miſericordia*, inquit, *fuit*, *Ep.* 7. Eorum meminit Sueton. *Claudio c.* 34. *Beſtiariis* Meridianiſque *adeò delectabatur, ut etiam primâ luce ad ſpectaculum deſcenderet: & Meridie, dimiſſo ad prandium populô perſederet.* Vide quoque ſuprà ubi de *Beſtiariis*, & infrà voce *Præce.*

MERIDIANUS, in Globo Terreſtri, circulum longitudinis denotat, Æquatorem ad angulos rectos ſecantem: quorum integri exhibentur numero 18. dimidiati 36. quemadmodum contrà latitudinis circuli ad Æquatorem parallelè ducuntur, & ad utrumque Polum uſque pertingunt, denis gradibus à ſe invicem diſtantes. Horum uſus inſignis in ſpeciali ſingulorum terræ locorum deſignatione, quæ, ut juxta debitam proportionem exprimeretur, certa longitudinis & latitudinis menſura Terræ attribuenda fuit: unde & quemque locum ſuâ longitudine pariter ac latitudine donârunt Geographi, quarum illa, diſtantia eſt loci à primo longitudinis circulo ſeu primo *Meridiano*: hæc diſtantia ejuſdem ab Æquatore. Sed ubi primus *Meridianus* collocandus, hoc opus. hic labor eſt. Veteres Geographi & in iis Ptolemæus, eum in Canariarum una, quam *Junonem* nominabant, poſuêre, rati Canarias in extremo Occidente ſitas eſſe, à quo ad Orientem longitudo ſumi ſolet. Nec ſub initia creſcentis Geographiæ de alio cogitatum eſt: donec poſt detectam A. C. 1492. a Chriſt. Columbo Americam, lite inter Ferdinandum Catholicum Caſtellæ Regem & Johannem Regem Portugalliæ obortâ, ac inter Succeſſores eorum continuatâ, circa diviſionem novi Orbis, occaſionem de variando *Meridiano* anxietas ſumſit: cui alias dein rationes Mathematici, ut à declinatione pyxidis nauticæ, &c. petitas, adjunxêre. Blaeu in maximo ſuo *Globo*, montem *Pico de Teide*, incolis *Pico de Terreira* dictum, in Inſul. Teneriffa, Canariarum una pro *Meridiano primo* aſſumit ut & de Wit *in tabb. ſuis Geogr.* In Aſores eum alii rejiciunt, & Orientaliores Inſulam S. Mariæ & Inſul. S. Michaëlis adhibent, ut Duvallius *in Tabb.* Nonnulli Occidentaliores ſumunt *Corvo* & *Flores*, velut idem Blaeu facit in *Globis* ſuis minoribus. *Godofr. Wendelinus*, à *Meridiano*, qui tranſit oppida Iſlandiæ Holam & Schattolam, orditur. Alii in loco, ubi degunt, acquieſcunt: uti Landsbergius *in obſerv. Aſtronom.* qui Gœſæ Zelandiæ oppido id officii aſſignavit; & Origanus qui Francofurto ad Oderam. Nec omittendum, Ludovicum XIII. Gall. Regem juſſiſſe Regni ſui Coſmographos *Meridianum primum* ſtatuere in Inſul. Ferri, ſeu *de Ferro*, quod ex Furnerio narrat Ricciolus *Alm. tom.* 1. *part.* 1. *p.* 725. Cui tamen differentiæ ſic obviatur. Ut ſi longitudinem loci tui numeres à Teneriffa, alter verò à *Corvo* & *Flores*, totidem gradus iſtius computationi adjicias, $14\frac{1}{2}$. circiter: Item ſi à *Corvo* & *Flores* numerare cœperis, alter verò à Teneriffa, totidem gradus abjicias, &c. Vide Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. p.* 1. §. 12. *&* 13. *Hornio Meridianus*, olim in Fortunatis Inſulis ſeu Canariis; poſteà in Azoribus primum Mericianum conſtituêre Geographi, ob rationem hanc. Poſt Novum Orbem ab Hiſpanis verſùs Occidentem ac Orientem detectum, eundemque donatione Alexandri VI. Pontif. Romani (quod facile ipſi erat de alieno) ad Reges Hiſpaniæ tranſlatum, ne oriretur diſſenſio inter Portugalliæ ac Caſtellæ Reges, acceptô Papa globô & primô Meridianô conſtitutô, ſecundum *Ptolomæum*, in Inſulis Fortunatis, 180. gradus Geographicos adſcripſit Regibus Portugalliæ, & 180. gradus verſùs Occidentem Regibus Caſtellæ, hâc conditione, ut barbaros ad fidem Chriſtianam converterent. Verùm cùm Portugalli, per ſummam ignorantiam ac imprudentiam exiſtimarent, ſibi factam eſſe injuriam, ſcil. adhuc ignari Orbem eſſe rotundum, magnâ importunitate extorſerunt, ut primus *Meridianus* ab Inſulis Canariis removeretur, per 300. circiter milliaria verſùs Occidentem: quô factum ut hodie apud Geographos, non in Fortunatis, ſed in Azoribus, *Meridianus I.* locum habeat: Cujus mutationis cauſa non declinatio eſt acus nauticæ, ſed hæc ipſa diviſio, quæ primum omnino *Meridianum* pro termino habet. Et ex hac mutatione Luſitani quidem Braſiliam obtinuerunt, Caſtellani verò longè majus inde commodum referentes, ab eo tempore jus ſibi vindicârunt in magnam partem Indiæ Orientalis, nimirum Inſulas Philippinas, quas hodieque retinent; Moluccas, quæ jam Batavis ſubſunt, aliaſque, Georg. Hornius *Orb. Imper.* Novam praxin *Meridianam lineam* inveniendi, vide infrà in voce *Typhis Magneticus.*

MERIDIANUS Dæmon, in verſione Græca Pſalmo 91. *v.* 5. *&* 6. ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος ἐν σκότει διαπορευομένου, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ, *à ſagitta velitante interdiu: à peſte in caligine pervadente, à lue & dæmone meridiano.* Quod Apollinarius ſic reddit,

> Οὔποτέ μοι νυχίῳ περὶ δείματι δειμαίνειας,
> Οὐδὲ μεθημέριον, πταμένου ῥοιζηδὸν ὀϊστοῦ,
> Οὐδ' ὑπονισσομένου σκοτίους περὶ πυθμένας ἔργου,
> Οὐδ' ὑπὸ δαιμονίου τε μεσημβρινοῦ ἀντιόωντος κλ'.

Euthymio, ex priſcis Interpretibus eſt, aut voluptatis, quæ ſequitur ſatietatem, cupido; aut torporis incubitus, *pleno ventri familiaris.* Ita enim is, *Per Dæmonem*, inquit, *meridianum alii acediæ Dæmonem intelligunt, eò quòd illô tempore magis nos aggredi ſoleat. Alii verò Dæmonem illum, qui turpibus cogitationibus præeſt, atque incontinentiæ. Ingraveſcente enim ventre vehementiùs inſurgit & in animas hominum graſſatur.* Hieronym. *in eundem loc.* docet, vulgi ſententiam & locutionem fuiſſe; *Dæmones quoſdam ſingulares eſſe nomine* Meridianorum *cenſitos.* Quod utique è Paganiſmo ductum fuit, cujus perſuaſionem ſequitur Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 439.

> ——— *ingentes infelix terra tumultus*
> *Lucis adhuc medio, ſolaque in nocte per umbras*
> *Expirat, nigri cùm vana in prælia ſurgunt*
> *Terrigenæ*

Ubi & *in meridie* & *noctu* ait ſpectra in illo campo Cadmæo tumultuari. Et quidem, de *Nocte*, nota res eſt. De *Meridie*, Panem ibi tumultuum & pavorum Numen, amarulentô animô eſſe; memorat Theocritus *Eid.* 1.

> Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
> Συρίσδεν, τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
> Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται. Ἔντί γε πικρός.

Certè ſævire tum temporis malos Genios, ex Pſalmi *loco cit.* Patrum non pauci ajunt, &c. Vide Caſp. Barthium *Animadverſionib. ad Statium. Part.* 2. *p.* 1081.

MERIDIES, an quaſi *medidies*, i.e. medius dies: vel quia tum puriùs micat æther, quaſi *merus dies*, ſeptimum eſt diei tempus, de quo vide in voce *Dies.* Eam non reperiri in XII. Tabb. Plinius ait *l.* 7. *c.* 60. *Duodecim Tabb. Ortus tantùm & Occaſus nominantur. Poſt aliquot annos adjectus &* Meridies. *Accenſô Conſulum id pronuntiante cùm Curio inter Roſtra & Græcoſtaſin proſpexiſſet talem Solem.* Cùm tamen mentionem illius in XII. Tabb. diſertam habeamus, apud A. Gellium *l.* 17. *c.* 2. *Ante* Meridiem *cauſam conſcito*, & Auctorem ad Herennium *l.* 2. nec non Cenſorinum *de die Natali c.* 23. ubi inquit, *Horarum nomen non minus annos* 300. *Romæ ignoratum eſſe credibile eſt: Nam in XII. Tabb. nuſquam nominatas horas invenias, ut in aliis poſtea Legibus: ſed* ante Meridiem: *eò videl. quòd partes diei, bifariam tum diviſi*, Meridies *diſcernebat.* Quæ in ſpeciem contraria conciliaturus *J. Gothofredus*, Lucem diei in Legg. XII. Tabb. in duas quidem partes παχυμερέστερον diſtinctam ſic fuiſſe, ut una, *ante Meridiem*; altera *poſt Meridiem*, diceretur: *Meridiem* tamen ipſam in Tabb. illis ſpeciatim deſignatam non fuiſſe; quia eô tempore, cùm Leges hæ Decemvirales conſcriberentur, nondum obſervatum fuerit exactè momentum illud, quod medium divideret diem; ait. Vide Jac. Oiſelium JCtum. *Notis in Gellii locum præfatum*, & ſuprà *Hora*, item *Horologium.* Sequentibus igitur temporibus, cùm dies civilis ſeu νυχθήμερον in plures minutas & quidem 15. partes, nominibus ſuis diſtinctas, quarum apud Poëtas mentio paſſim, diviſum eſſet, à media nocte incipiendo: ſexta *ad Meridiem*, Angl. *The fore-noon*, ſeptima *Meridies*, Angl. *Midday or noon*, octava, *de Meridie* ſive *tempus occiduum*, Angl. *After-noon*, appellata eſt, vide Thom. Godwynum *Antholog. Rom. l.* 3. *ſect.* 1.

MERIMUTH, nomen viri. *Nehem. c.* 10. *v.* 5.

MERINA, familia Africæ regia. Vide *Marochanum* regnum & hîc infrà.

MERINI, poſt Almohadas, in Africa rerum potiti ſunt. Poſtquam enim, circa A. C. 800. familia Ommiæ, per Abbazidas, Caliphatu Syriæ dejecta fuiſſet, partim in Africam, partim in Hiſpa-

Hiſpaniam ſuperſtites ſe receperunt, ac ibi Caliphatus novos condiderunt. Ex quibus oriundus Idris, ad montem Atlantem in Mauritania, urbem Fezzam condidit, & in eadem ſedem poſuit regiam, adſumtô *Caliphæ* titulô: cujus ſucceſſores imperium longè latéque ampliârunt, ut videre eſt infrà, in voce *Ommiada*. Donec Zeneti familiam Idris penitùs extirpârunt, circa A. C. 950. quorum duæ familiæ, Mec-Naza & Magraoa, regnârunt annos 100. & quod excurrit. Horum regno finem impoſuerunt, circa A. C. 1052. Lautunii, alius Africæ populus ad montem Atlantem creatô Rege, atque in Africa & Hiſpania latiſſimè rerum potiti ſunt. Primus Regum fuit *Abul Theſſefin* ſeu Texifus, qui ſedem Regni poſuit in urbe Achmeda. Ejus ſucceſſor Joſephus, Nigritarum quoque regionem ſibi ſubjecit, exercituque in Hiſpaniam trajectô, illam penè univerſam occupavit, ut videre eſt, apud Roder. Toletanum *Hiſtor. Hiſpan.* & *Sarac.* Condidit quoque urbem Marocum, quæ Regni ſedes, deſertâ Fezzâ, in poſterum eſſe cœpit. Almoravidas verò hos pepulerunt Almohadæ, circa A. C. 1139. quò Ludimagiſter quidam *Abdalla El mohadi*, ſpecie Religionis reformandæ, comparatô exercitu, Abrahamum, ultimum Regem Almoravidarum præliô ſuperavit, ac ad tantam adegit deſperationem, ut ſe de rupe quadam cum equo in mare præcipitaret. Ita potitus Africâ Ludimagiſter Regem ſe fecit, ac paulo pòſt defunctus Succeſſorem habuit Abdelmumen, cujus tanta fuit potentia, ut in ſola Africa Regnum ejus in longitudinem 90. dierum iter complecteretur, & in Hiſpania, Aragoniam uſque, magnam Caſtellæ ac Luſitaniæ partem, poſſideret. Ei ſucceſſit Jacobus Almanſor, qui majus adhuc Regno incrementum addidit. Verùm, cùm circa A. C. 1210. Muhamedes Enazir in Hiſpania, ad Navas Tholoſanas, ingenti clade affectus eſſet, amiſſis ſuorum 200000. profugus in Africam ac paulo poſt mœrore animi extinctus, Almoravidarum potentia ad ruinam ſpectare cœpit. Quam calamitatem auxit diſſidium inter filios ejus, quorum cùm reliquiſſet decem diſcordes inter ſe, occaſionem præbuerunt defectioni provinciarum, ſingulis penè præfectis nova Regna conſtituentibus. Ita ex naufragio tanti Imperii, nata ſunt varia per Hiſpaniam & Africam Regna, nimirum Regnum Granatæ, Fezzæ & Marocci, Tremeſenæ, Tuneti, Tripolis, & alia minora. Et quidem, circa A. C. 1237. Mahomete *Aben Hud* Rege Andaluſiæ, occiſô, Mauri Hiſpanienſes, creatô Rege Muhamede Alhamarô, ſedem regiam ex urbe Almeria tranſtulerunt Granatam. Regni Tunetani primus conditor fuit Ibrahimus, fil. Zachariæ, circa idem ferme tempus. Regnum Thremeſenæ, aliô nomine *Telenſinum*, circa A. C. 1210. invaſit Gamzar, fil. *Zejen*, quem *Mariana* vocat *Gamaranza*, *Thuanus Gomarazanam*, &c. *Merini* Fezzæ regnum obtinuerunt; atque horum quidem Principatus & Regnum diſtinguuntur à Scriptoribus. Ille enim cœpit in *Buccar Merino* A. C. 1210. cujus ſucceſſores *Principum* titulô contenti fuerunt, donec captô Maroccô Jacobus fil. Abdullæ, ſeſe Regem appellavit, A. C. 1269. Horum verò Regum integra ſeries non extat, ſparſimque tantum eorum nomina, quamvis non omnia, apud Leonem Africanum comparent. Sed & hos tandem Oattaſeni pepulerunt, A. C. 1420. *Merinorumque* familiâ extinctâ, Haſcenes Scheriphius Regnum Fezzæ occupavit, intra annum dejectus, à Saido Abra, ex familia Oattaſſenorum, quæ variâ fortunâ regnavit, uſque ad A. C. 1548. quò Scheriphii imperium occupârunt. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper.* p. 320. & *ſeqq.* ut & infrà, ubi de *Oattaſenis* & *Scheriphiis*. De *Merinis* verò apud Aragonios, officii nomine vide ſuprà *Majorini*.

MERINIANUM, vide MELIGNANUM.

MERIONES, auriga Idomenei, & cum eo dux navium, quæ è Cretâ venerunt ad Trojam, fortitudine Marti ipſi comparandus. *Homer. Il. ν.* Ovid. *Met. l.* 13. *Fab.* 1. Horat. *l.* 1. *Od.* 6.

MERIONES, frater Iaſonis, admodum dives, ſed avarus; de quo Polyæn. *l.* 6. *c.* 1.

MERLINUS. Anglus, ſeculi 6. Mathematicus, ſcripſit Prophetias, aliaque. Vide Pitſeum, *de Script. Britan. p.* 101.

MERLUCCIA, piſcis ſaporis non boni, eoque vilis pretii: quò nihilominus cùm caperetur Hadrianus Pontifex, multi judicium hoc ſequuti ſunt; ut hic piſcis mox ſupra mediocre pretium divenderetur, ridente Forô Piſcariô, ut Paulus Jovius ait *libro de Piſcibus Rom.* Verùm addit, *Adrianum ſicut in adminiſtranda Rep. hebetis ingenii, vel pravati judicii, ita in eſculentis fuiſſe inſulſiſſimi guſtus.* Sed & pro temporibus variare hominum judicia in iis, quæ rem cibariam attinent, ciconiarum videmus exemplô, quæ Cornelii Nepotis ætate in pretio fuêre, in eoque manſerunt, uſque ad imperium Veſpaſiani per annos centum & decem, poſt quod tempus cibus is iterum deſpectui eſſe cœpit. Imò ſi grandiuſculum hoc videatur intervallum, *pullos mularum epulari Mæcenatem inſtituiſſe, poſt eum interiiſſe auctoritatem ſaporis*, adeoque uno cum homine itidem judicium de eorum ſapore natum denatumque eſſe, teſtatur Plin. *l.* 8. *c.* 43. Vide Gerh. Jo. Voſſium *de Orig.* & *progr. Idololatria l.* 3. *c.* 93.

MERMEROS, Centaurorum velociſſimus, in pugna Centaurorum adverſus Lapithas graviter vulneratus, vix fugâ ſalutem invenit. Ovid. *Met. l.* 12. *Fab.* 5.

MERMESSOS, urbs Troica, patria Erytrææ Sibyllæ. *Steph.*

MERMEX, nomen cujuſdam Athenis improbi, & à Comicis ob id traducti. Ariſtoph. *Ran. Act.* 5. *ſc.* 5.

MERMNADES, Dynaſtia vel Epocha Lydorum III. à Gyge inſtituta, an. 40. Urb. Cond. ult. an. 17. Olymp. Duravit uſque ad Crœſum devictum, per an. 210. Urb. Cond. Herodot. *l.* 1. Euſeb. *in Chron.* Clem. *l.* 1. *Strom.* Plin. *l.* 35. *c.* 8. *Nic. Lloydius.* Marshamus illuſtr. Eques Anglus, id factum vult an. 1. Olymp. 18. an. Nabonaſſ. 40. duraviſſe autem ann. 170. uſque ad Crœſum captum, an. 1. Olymp. 58. qui eſt Nabonaſſari 200. *Canone Chron. ad Sec.* XII. & XVII. Sic *Atyadis*, quorum primus Atys, ultimus ignoratur, ſucceſſerunt *Heraclidæ*, ex Herculis & Jardani ſeu Omphales ancillæ contubernio nati, quorum primus Argon, ultimus Candaules; Heraclidas excepere *Mermnadæ*, & ipſi ex Herculis ac Omphales conjugio profati; per Lamonem, quorum primus Gyges, ultimus Crœſus fuit, à Cyro victus, qui Lydorum regnum Perſico junxit. Vide hîc paſſim.

MERNIA, Comitatus in parte Septentrionali Scotiæ, vide *Marnia.*

MERO, cognomentum Tiberii Neronis, per jocum, quòd vinoſior eſſet.

MEROB, primogenita Saulis, Davidi promiſſa, ſed alteri data, 1 Sam. *c.* 14. *v.* 49. & *c.* 18. *v.* 17.

MEROBANDES, Conſul cum Gratiano Auguſto an. Urb. Cond. 1130. Iterum cum Saturnino ſexennio pòſt.

MEROBRICA, oppid. Portugall. in ora, *Santgajo de Cacem*; medium ferè inter Olyſſiponem ad Boream & Sacrum promontor. ad Auſtr. 18. leucis.

MERODACH, Rex Babyloniorum Jugæo ſucceſſit. Vide Jeſ. *c.* 39. *v.* 1. qui 2 Reg. *c.* 20. *v.* 12. dicitur *Berodach Baladan*, *Ptolomæo Mardokempades* fil. Baladanis, qui creditur Nabonaſſar in hiſtoriis profanis. Regnare incepit A. M. 3332. Ezechiam, poſt morbum ejus, per Legatos ſalutavit, & de miraculo, quod in Sole paulò antè contigerat, erudiri petiit. Poſtea Manaſſen captum, cateniſque oneratum Babylonem perduxit: Aſſyriorum quoque regnô potitus, Arphaxadum, Medorum Regem qui Arbianes, pater Dejocis, fuiſſe videtur, præliô ſuperavit. Imperavit ann. 42. vel 52. Ei ſucceſſit Ben-Merodach, quem Nabuchodonoſor ſenior, *Beroſo* Nabopalaſſar, excepit, cui ſucceſſit Nabuchodonoſor, avus Evilmerodachi, proavus Balthaſaris. Ptol. *l.* 4. *Almag. c.* 6. & 8. Euſeb. *in Chron.* & *l.* 9. *Præp. Euang.* Scalig. *l.* 5. *de Emend. Temp.* Petavius *l.* 9. *doctr. Temp.* Mercator, Ricciolus *Chron. Ref. l.* 5. *c.* 6. *n.* 1. *Codomannus*, *Funccius*, &c. Joh. Marshamo adnotante initium Regis *Merodachi* duabus Lunæ eclipſibus confirmatum eſt apud Ptol. *Almageſto l.* 4. *c.* 6. atque 8. illius anni Ezechiæ contemporanei ſunt: regnavit autem ann. 12. ſucceſſore Arkianô. Cæterùm apud Babylonius *Merodach*, idoli nomen fuit, ut & *Baal*, ſive *Bel*; *Adan* ſeu *Adonis*, Jerem. *c.* 50. *v.* 2. Vide præfatum Marshamum *Can. Chron. Sec.* XVII. De Manaſſe verò captivo abducto, vide in voce *Aſſar-Adinus* &c.

MERODACUS, Sicambrorum Rex 14. Olymp. 164.

MEROE, *Saba Joſepho*, ſicut & nunc ab Abyſſinis appellatur; inſul. Æthiopiæ ſub Ægyptô: *Ferrar.* Quid nunc ſit, non bene conſtat; Fortè *Beroam* aut *Baroam*, quam vitioſè *Barvam* vocant. Dicitur & *Debaroa*, ex *Debia Baroa*, quaſi mons Baroa, in monte enim poſita eſt. Urbs hæc regia eſt Barnagaſſi, & præ aliis Æthiopæ oppidis ſatis frequens: Illam ab Ortu præterfluens Aſtaboras flumen *Mareb*, ſeu *Marabo* nunc dicitur. If. Voſſ. *de Orig. Nili.* Hîc Sabæ regina, quæ & *Candace* nonnullis, regnâſſe traditur. Urbs à Cambyſe Perſarum rege condita eſt, & de nomine ſororis, ſive matris, ut alii, defunctæ, *Meroë* appellata. In ea mulieres grandes habent mammas. Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 163.

In Meroë craſſo majorem infante mamillam.

Alia eſt *Meroë* Antiochenæ juxta Daphnem, Orientem verſus. Item civitas Lyciæ. *Steph.*

MEROLIACUM, fortè *Olierge*, caſtrum Galliæ, in Arvernis. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 3. Meliùs *Oliergue*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MEROM, aqua, ſeu fluv. in terrâ Chanaan, juxta quod gentes convenerant adverſus Iſraëlitas. Joſ. *c.* 11. *v.* 5. 7.

MERON, qui & *Samachonitis*, *Maſio Tabario*, lacus Palæſtinæ, apud Serapionem, quem Jordanis efficit, qui æſtate ſiccatur.

MEROPE, una filiarum Atlantis, ex Pleione nymphâ, cujus ſtella ex 7. Pleiadibus obſcuriſſima apparet, quòd, cùm ſorores ejus omnes Diis nupſiſſent, illa ſola Siſypho nupſerit mortali. De qua vide Ovid. *Faſt. l.* 4.

MEROPIA, una Cycladum, quæ & Siphnus, & Acis dicitur. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

MEROPIUS, Philoſophus, cujus diſcipuli Ædeſius & Frumentius in India religionem Chriſtianam propagârunt. Circa A. C. 340. Socr. *l.* 1. *c.* 15.

MEROPUS, mons Theſſaliæ, ex quo ob multos anfractus echo multiplex redditur.

MEROS, mons Indiæ, inter Indum & Cophem fluv. *Nyſa* Plin. *l.* 6. *c.* 21. *Sacer Trogo*, *Tricoryphus* Polyæno, *l.* 1. *c.* 1. in cujus radice Dionyſius, in Indiam proficiſcens, Nyſam urbem condidit. Q. Curtius *l.* 8. *c.* 10. ubi de Nyſa, & incolis ejus: *A Libero Patre ſe conditos eſſe dicebant, & vera hac origo erat. Sita eſt ſub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxêre licentiam, Jovis femore Liberum Patrem eſſe cœlatum.* Græcè enim Μηρὸς *femur* ſignificat. Natus autem Bacchus fingitur ex femore Jovis, (ut illud addam) quia Phœnices nominibus illis, qui propriè femur ſignificant, etiam verenda intelligunt, unde tritum illud in ſcriptura, *egredi de femore patris.* Gen. *c.* 46. *v.* 26. Exod. *c.* 1. *v.* 5. Sunt autem, quibus in hiſtoria natalium Bacchi Μηρὸς non eſt femur, ſed montis nomen, in quo putatur eſſe genitus. Quod poteſt fieri, modò commodè ſumatur, non pro monte in India *Meri* nomine, ſed pro latere montis. Nam & hoc Phœnicium eſt, partes montis vocare *femora.* Hinc Judic. *c.* 19. *v.* 1. Ἐν μηροῖς ὄρους Ἐφραίμ, *In femoribus montis Ephraim* pro lateribus. Ita Bacchus potuit naſci ἐν μηρῷ, i. e. in latere montis, ut propterea nihil ſit opus Meron montem in India ſibi fingere. *Nic. Lloydius.*

ME-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MEROTH, terminus Galileæ ſuperioris verſus Occaſum: Joſeph. *l. 3. bell. Jud. c. 2.* In tribu Aſer.

MEROVEUS, Francorum tertius à Pharamundo, poſt Clodionem Comatum, Rex, A. C. 448. Aëtio, Romanorum Duci, & Theódorico Viſigothorum Regi junctus, Attilam A. C. 451. prope Aurelianum, devicit. Poſteâ regni ſui terminos, à fluv. Samaro, extendit, uſque in ſecundam Belgicam, & primam Germaniam, ad Sequanam, Matronam, Moſam, & Moſellam uſque. Ab eo Reges primæ ſtirpis *Merovingi* dicti. Obiit A. C. 458. Ætas, uxor, liberi ejus, exceptô Chilpericô ſucceſſore, in obſcuro ſunt. Videtur tamen Clodionis fil. idemque quem Priſcus Panites, Auctor Græc. in ſylloge Legationum, à Dav. Hœſchelio Græcè Auguſtæ edita, A. C. 1603. Romæ ſe vidiſſe, quò ab Aëtio miſſus erat, ad Valentinianum III. ait: Et fortè major natu ejus frater, ope Attilæ imploratâ, cauſa belli fuit. Gregor. Turonenſ. *l. 2. c. 7.* Priſc. *Hiſt. Byzant. tom.* 1. Proſper *in Chron.* Fredegarius, Rorico, Aimoinus, &c. in *Annal. Franciæ.* Nempe primus Francorum Rex Marcomirus, circà A. C. 418. Rex Francorum electus, cùm annô ſequente obiiſſet, Pharamundus ei ſucceſſit, auctor Legis Salicæ, ut nonnulli volunt. Huic Clodio Comatus ſuffectus, ſedem ſuam habuit in caſtro Thuringiæ Disberga, atque in Galliam irrumpens Belgicam, Cameracum, Atrebates, & reliqua loca Somâ tenus, Romanis eripuit: ſed ab Aëtio & Majorano Ducibus Romanis iterum ejectus, antiquas in Germania ſedes repetiit. *Merovingi* dein apud Francos, primò regnare cœperunt, A. C. 450. in qua familia Regnum duravit, uſque ad A. C. 750. Conditor familiæ *Meroveus* fuit, qui trajectô Rhenô ſedes cum ſuis Francis; ad Axonam fluv. poſuit. Inde permixtus Gallis, Romanam linguam cum Germanica, quâ Franci utebantur, in eam faciem corrupit, quæ hodie recepta eſt. Idem Tornacum, Cameracum, Rhemos, Sueſſiones, Aurelianum, Coloniam Agrippinæ, ac pene totam Galliam genti ſuæ adjecit. Quæ poſtea geſta, uſque dum Merovingi, à Carolovingis expulſi ſunt, ſuccinctè habes hîc infrà *Merovingi*; nomen primæ Regalis in Gallia familiæ, quæ à Meroveo præfato orta rerum potita fuit 300. annos integros, ab A. C. 450. uſque ad annum 750. In ea primus Rex Meroveus, de quo dictum. Sub ejus filio Chlodoveo longe majora incrementa Regnum Franciæ ſumſit, quippe qui, cunctis inter Sequanam, Rhenum & Ligerim oppidis potitus, Romanorum dominationi in Gallia finem impoſuit, ac præterea Thuringiam, Alemanniam, Burgundiam, Aquitaniam & Gothiam Gallicam ſibi ſubjecit. Primus etiam Francorum Regum Chriſtianam fidem amplexus eſt ac Regnum maximum & latiſſimum filiis ſuis reliquit, nimirum univerſum Rheni tractum, ab ipſis fontibus ejuſdem uſque ad Oceanum, cum omnibus regionibus in ripa Gallica ſitis & trans Rhenum ipſam Alemanniam, uſque ad Sueviam atque inde ultra Danubium, Rhætiam, cum Nigra Sylvâ, vulgò *Schwartzwald*, & lacu Brigantino, Algovia & parte Helvetiæ, inter Rhenum ac Urſam amnes, Franciam præterea Orientalem, h. e. Auſtraſiam & Thuringiam: quæ regiones unô nomine appellabantur *Francia* & mediô Rhenô dividebantur in 2. partes, quarum Occidentalis *Weſtraſia*, item *Neuſtria*, & à ſermone Latino *Romania*; Orientalis vero appellabatur *Auſtraſia* ſeu *Francia Teutonica*, ut videre eſt apud *Ottonem Friſing. Gottfr. Viterbienſem*, *Gregor. Turonenſem*, alios. Defunctus eſt autem Chlodoveus. A. C. 514. atque tum inter quatuor ejus filios diviſum Regnum eſt hôc modô, ut Regnum Franciæ, in ſpecie ſic dictum, cui ſedes Lutetiâ Pariſiorum, primo-genito cederet; Regnum Belgicæ, cujus metropolis urbs Sueſſionum, Clothario, ſecundo ex filiis; Regnum Aurelianenſe tertio; Denique Regnum Auſtraſiæ, cujus ſedes urbs Mediomatricum, quarto Theodorico, qui etiam Regnô poſteâ Burgundiæ potitus eſt. Sed hæc 4. Regna, extinctis tribus fratribus ſine prole maſcula, iterum uniit Clotharius I. A. C. 558. Eô verò extinctô A. C. 564. ſecunda Regni Franciæ diviſio, eaſdem in quatuor partes, facta eſt; niſi quôd Burgundia Regno Aurelianenſi acceſſit, donec A. C. 568. Clotharius II. mortuis fratribus, denuo Monarchiâ Franciæ potiretur, à quo tempore aliquoties ea rurſum diviſa eſt; in duo inprimis Regna, Auſtraſiæ & Franciæ, ut apud præfatos Auctores videre eſt. Circa A. C. 687. primò inſtituti fuerunt Majores Domus: quod officium complectebatur ampliſſimam potentiam & ſolô *Regis* titulô ac coronâ minorem. In quos cùm Regiminis onus omne Reges devolverent, vileſcere ipſorum auctoritas, & ad inſequentem Regni mutationem, via ſterni cœpit, inprimis poſtquam Majordomatu potitus eſt Carolus Martellus, omnium, quos unquam Gallia habuit, Principum pugnaciſſimus, qui multoties oblatum *Regis* titulum contemnens, dicere auſus eſt: *Malle ſe Regis Dominum, quàm Regem eſſe.* Ultimus itaque *Merovingorum* Regum fuit Chilpericus II. cognomine *Stupidus*, quô à Zacharia Pontifice Romano exauctoratô ac in cœnobium detruſô, Regnum ad *Carolingos* tranſlatum eſt. Vide infrà in lemm. *Nihil fecit*, it. *Pipinus*: quæ Regni à prima familia ad ſecundam tranſlatio, pro præcipuo Pontificiæ poteſtatis, quæ ab hoc initio immane quantum poſtea crevit, à Politicis ponitur. Sub his *Merovingis* Regnum Galliæ electivum fuiſſe, probant nonnulli ex eo, quòd apud Gregorium Turonenſ. & Aimoinum Pharamundus, itemque Pipinus ejuſque liberi Carolus, & Carolus M. electi dicuntur: quod Ordines Regni Childericum, propter flagitia & libidines pepulerunt; ut & Childericum alterum A. C. 657. & A. C. 890. Quòd duo Epiſcopi, Laodunenſis & Bellovacenſis, in Regis coronatione, populum rogare ſoliti ſunt, *Num Regem initiatum regnare velint?* hicque reſpondere, omnibus uno ore ter acclamantibus, *Laudamus, volumus fiat.* Quòd Rex novus ſcuto militari impoſitus ac humeris ſublatus Populo oſtendebatur, quem ritum omnes Scriptores antiqui *electionem* vocant, &c. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 113. *& ſeqq.* Hinc *Merovingia*, Franciæ Regnum dicitur Anonymo *de Mirac. S. Agili l. 1. c. 3.*

Reges ex Famil. Merovingorum.

Marcomirus, electus primus Rex Francorum, A. C. 418. regnavit ann. 1.	Chilpericus I. Clotharii I. fil. 23.
Pharamundus.	Clotharius II. fil. Chilperici 44.
Clodio Comatus, regnavit ann. 20.	Dagobertus I. 14.
Meroveus. 12.	Chlodoveus II. regnavit ann. 16.
Childericus I.	Clotharius III. 4
Chlodoveus I. primus Rex Francorum Chriſtianus. 30.	Childericus II. 12
Childebertus I. Lutetiæ Pariſiorum, regn. ann. 45.	Theodoricus II. 14
Lotharius ſeu Clotharius I. Sueſſionibus.	Childebertus II. 18
Clodomirus, Aureliani.	Dagobertus II. regnavit ann. 40.
Theodoricus vel Diedericus I. Metis.	Clotharius IV. 2.
	Chilpericus, vel *Helferich* II. *Merovingorum* ultimus, à Pipino cognom. *Brevi*, pulſus eſt.

MEROZ, urbis nomen. Jud. *c. 5. v.* 23.

MERREBECCHI, *Antonin.* vulgò *Meerbeke*, municipium Flandriæ, haud longè à Ninovia.

MERROMENI, aliis *Melomeni*, Illyrici populi prope Drinum fluv. inter Vardiæos ad Auſtrum & Savum fluv. ad Septentrionem.

MERRUS, vicus in duodecimo milliar. urbis Sebaſtiæ, juxta Dothaim, in tribu Iſaſchar. Hieronym. in *locis L. Hebr.*

MERSEBURGUM, vulgò *Mersburg*, urbs Miſniæ ad Sajam fluv. vix 3. milliar. Germanic. ab Halla in Auſtrum, totidem à Lipſia, ſub proprio Epiſcopo. Olim ſub Comitibus, quorum ſator fuit Fridericus, pater Dietgremi, nepos Witikindi Junioris, qui Wittebergam condidit. Hunc Comitatum dein Judita Merſpurgica Theodorico patrueli, marito attulit, quorum fil. Dedoni II. ab Ottone III. Imperatore is collatus eſt. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hiſtor.* Hic Conradus Imperator victus eſt ab Henrico Saxone A. C. 916. Tenetur hodie à Mauritio, 4. filio Joh. Georgii Electoris. Vide *Martinopolis* ſeu *Martiopolis.* Quaſi *Martisburgum* enim dictum eſt, à *Marte*, præcipuô honore veterib. Germanis culto. Hic idem Henricus Auceps Hungaros, qui omnem Italiam ac Germaniam immaniſſimè aliquandiu vaſtaverant, ita cæcidit, ut vix ſeptem internecionis ſupereſſent nuntii, quos Imperator manibus, naribus & cruribus truncatos in Hungariam remiſit. Quam cladem geminavit Otho I. ejus fil. A. C. 955. ad Auguſtam Vindelicorum, aliquot Hungarorum Regibus ſuſpendiô necatis. À quo tempore Germaniam gens iſta intactam reliquit. Georg. Hornius *Orb. Imper.* Urbs Epiſcopalis erat, jam verò *Mersburgium* Epiſcopatum & Luſatiam inferiorem poſſidet Chriſtianus, tertio-genitus filius Joh. Georgii Electoris qui ex Ferdinandi Dn. Biberſtenii, mortui A. C. 1667. hæreditate, partem dominii, ut *Forſt* &c. tanquam dominus feudi recepit: pietatis ſtudiô & prudentiâ Oeconomicâ inclytus. Ei ex Chriſtina Holſato-Glucksburgia (fil. Philippi Ducis Holſatiæ *in Glüksburg*, natâ A. C. 1634. ductâ A. C. 1650.) geniti ſunt, Magdalena Sophia A. C. 1651. Johannes Georgius A. C. 1652. (denatus 1654.) Chriſtianus 1653. Auguſtus 1655. &c. Spenerus *Syllog. Geneal.*

MERSENNUS Marinus, vide *Marinus.*

MERSPURGUM, oppid. Sueviæ, ad lacum Conſtantiæ, ſub Epiſcopatu Conſtantienſ. 2. leuc. à Conſtantia in Ortum paulo amplius ab Uberlinga in Eurum. Sedes hodie Epiſcopi. Vulgò *Merſpurg.*

MERTHES, Rex Ægypti, qui cornicem habuit uſque adeò cicurem, ut quoquò juſſiſſet ille, epiſtolas deferret.

MERUERA, oppid. conventus Hiſpalenſis. Plin. *l. 3. c.* 1.

MERVINIA, vulgò *Merionethshire*, Comitatus Walliæ Borealis cujus urbs primaria Harlechum. Dicitur & Merionethenſis Comitatus. In ora maris Hibernici & inter Arvoniam ac Denbighiam ad Boream Mongomerienſemque Comitatum ad Ortum. Ibi Ordovices olim ex parte.

MERULA Cornelius, vide *Cornelius.*

MERULA Georgius, Alexandria Mediolanenſis, ingeniô & eruditione inclytus, ab Eraſmo, Hermolao Barbaro, &c. impensè laudatus. Sed nimis in ſcriptis mordax, ne Philelpho quidem, Præceptori ſuo, pepercit: Politiano quoque, Calderino, &c. infeſtus. Docuit ann. 40. Venetiis & Mediolani. Auctor, inter alia, Hiſtoriæ Vicecomitum Mediolanenſium, libb. 12. Scripſit quoque de Veſuvio, & quæ Dion de Trajano ſcripſerat, vertit. Obiit Mediolani, A. C. 1494. Volaterran. *l.* 21. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c.* 8. Vide *Georgius Merula.*

Petrus MERULA, Dordracenus, Profeſſor Lugduni Batavorum, edidit *Part.* 1. Coſmographiæ libb. 3. Vide Valer. Andr. *in Biblioth. Belg. p.* 715. Obiit Roſtochii, A. C. 1607.

MERULA ſuper Sartam, *Melle ſur Sarte*, caſtrum Galliæ, ad Sartam fluv.

MERULA, fluv. Liguriæ apud Albingaunum urbem fluens. *Meira* vulgò. Item fluv. Pedemontii, per territorium Salucienſe in Padum influens; *Maira*, Latin. etiam *Macra.*

MERULÆ Campus, *Laonico Coſobus*, aliis *Caſſovius*, regiuncula Myſiæ ſuperioris à Meridie in Boream ad 30. leuc. patens, maximè ferax *Caſſowopolis* Slavis, *Amſerfeld* German.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MERULÆ, icunculæ hydraulicæ, de quibus vide ſuprà aliquid, voce Mechanice.

MERULANA & MERULANUM, Romæ locus, de quo vide Dominic. Macrum in voce *Baptiſmus*.

MERULIS, locus Tuſciæ, 8. mill. paſſ. à Populonio: ubi S. Cerbonius Epiſcopus a Totila Rege feris objectus eſt.

MERUSIUM, parva regio, cujus incolæ *Meruſii*. Vide *Steph.*

MERWAN, Chaliphatum XXI. dictus eſt, *Aſinus Meſopotamiæ*, eò quod in bello conſiſteret, *belici aſini* inſtar, qui nunquam fugere dicitur, uti habet Elmacinus *Hiſtoriæ Saracen. l.* 1. *c.* 21. Idem nomen, ſub Imperio Saffahi Chaliphæ XXII. Ægypti Pro-Regi fuit, qui, cùm guloſus eſſet mirum in modum, *tantopere delectabatur toſtis ovium renibus, ut, quotieſcunque in manus ejus incidiſſet ovis, continere ſe non potuerit, quin manum ſuam, tunicæ manicâ involutam, in ovis ventrem inſereret, reneſque acciperet & comederet. Tunicâ autem illâ deinde exutâ, aliam induebat. Ajuntque eum plures, quàm decem mille tunicas reliquiſſe, quarum manicæ pinguedine renum inquinatæ erant*, Idem Auctor *ibid. l.* 2. *c.* 2. & 8. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 13. & 45.

MERYLLUS, in primo Bœoticorum citatur a Plut. *in Paral. Min. c.* 14. Item in tertio Italicorum *c.* 28.

MESA, Rex Moab 2. Reg. *c.* 3. *v.* 4. Fil. item Caleb fratris Jerameel. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 42.

MESA, fluv. notus per Leodium fluens, vulgò *Moſa*.

MESABATENE, apud Plinium *l.* 6. *c.* 27. & *l.* 31. *c.* 3. ubi de Choaſpe & Eulæo fluviis, è quibus ſolùm Parthorum Reges bibere ſolent, *Suſianen ab Elymaide diſterminat amnis Eulæus, ortus in Media. medioque ſpatio cuniculo conditus ac rurſus exortus, & per* Meſſabatenen *lapſus circumit arcem Suſorum ac Dianæ templum auguſtiſſimum illis gentibus & ipſe in magna ceremonia. Siquidem Reges non ex alio bibunt & ob id in longinqua portant*: regio eſt *Meſſabatarum*, quos *Ptolemæus* collocat, ubi *Uxios Strabo*, in itinere ſcil. quod a Suſis ducit in Perſidis interiora. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 700 & in voce *Meſſabatæ*.

MESABIUS, mons Bœotiæ, apud Anthedonem oppid. Euripo imminens Pauſan. *l.* 9.

MESADA, urbs Arabiæ Petrææ *Ptol. Meſa* fortè in *libr. Notit.*

MESAMBRIA, tractus & Cherroneſus Perſidis, Arrian. *in Indic.*

MESANI Montes, à Pharan, quæ in intimo receſſu ſinus Arabici eſt, ad Judæam pertinentes, deſcribuntur *Ptolemæo*, ubi de *Arabia Petræa*. Ad horum occiduum latus, verſùs Ægyptum Saracenorum regionem prætendi, addit *idem*.

MESANITES, ſinus quidam apud Martianum in Perſici maris deſcriptione. *Steph.*

MESAPHAR, vicus, inter caſtrum Toronum & Pancadem urbem in ſummis montibus ſitus. In tribu Nephthalim.

MESAPIA, & *Meſapius*, vide *Meſſapia*, & *Meſſapus*.

MESE, inſula Galliæ Narbonenſis una Stœchadum, quæ & *Pomponiana*. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Nunc eſt *Portcros*, inter Hypæam ad Ortum & Proren ad Occaſum. Ejus circuitus eſt 3. leuc. circiter, vix 1. cum dimid. ab ora Continentis & ab arce Briganſonia in Auſtrum. Vide *Stœchades*.

MESECH, vide MOSCHI.

MESELEMIA, nomen viri. 1. Paral. *c.* 26. *v.* 1.

MESEMBRIA, quæ & *Menebria Strab.* & *Meſambria Herodoto*, urbs Archiepiſcopalis Thraciæ maritima, in Myſiæ inferioris confinio, in ora maris Euxini inter Anchialum, & Odeſſum, ad 20. mill. paſſ. ubi mons Hæmus deſinit, *Meſember Sophiano*. Hinc *Meſembriacus*. Ovid. *Triſt. l.* 1. *eleg.* 11. *v.* 37.

MESENE, regionis nomen. Strab. *l.* 12. Μέση τῆς Τίγριδος, ut *Steph.* ait: Vide Plin. *l.* 6. *c.* 27. An Adiabene, an regio, quam cingit Tigris in 2. alveos ſciſſus, quorum dexter *Delas*, ſiniſter *Tigris* dicitur?

MESESSI-MORDACUS, Babylonis Rex X. Regebelum excepit, an. 56. Æræ Nabon. regnavit ann. 4. ſequutô, fortè ob deficientem ſtirpem regiam, 8. annorum interregnô; quâ occaſione uſus Aſarhaddon Aſſyrius Babylonem occupavit, annô Manaſſis Regis 24. & utrumque Aſſyriorum regnum (quod à Nabonaſſari tempore duplex fuerat) in unum redegit. Vide *Aſarhaddon*.

MESEZEBEL, pater Barachiæ. Nehem. *c.* 3. *v.* 4.

MESGODA, vide MESQUITA.

MESIA, vide MOESIA.

MESITES, cognomen Mithræ, vide infrà.

MESIUS Gallicanus, Præfectus Prætorio, ſub Tacito Imperatore apud Vopiſc. *in Tacit. c.* 8.

MESIZABELI nomen viri. Nehem. *c.* 10. *v.* 21.

MESOCHORI, Græcis τοῦ χοροῦ Κορυφαῖοι, in omnibus Veterib. Choris Symphoniacis erant, cœteriſque ad canendum præibant & modum canendi dabant, *pede* in eam rem pulpitum aut ſolum tundere ſoliti. Pedem enim levantes & cum ſono ponentes, æquali ſemper ac perpetuô quodam tenore, cantici modulationem temperabant ac moderabantur; quod idem hodieque, ſed *manu*, fit in Muſicis Symphoniacorum concentibus, *Lucianus* de Laconicis Choris, & Tibicine, qui ad Chorum ſimul ſtabat & pede terram plaudebat: Καὶ αὐλητὴς μὲν ἐν μέσῳ κάθηται, ἐπαυλῶν καὶ κτυπῶν τῷ ποδί. οἱ δὲ κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι, σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες, *Et tibicen quidem in medio ſedet canens & pede ſonitum edens; hi verò ordine ſe invicem ſequentes varia ſchemata exhibent, ad rythmum incedentes.* In Theatris itaque, quò clarior ſonus eſſet, illi, qui pede pulpitum percutiebant ad incentivum dandum, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, ad hunc ſolùm uſum factas, quas Græci κρουπέζια, à *pedis pluſu* & percuſſione dicebant. Vide ſuprà in voce *Crupezia*, & infrà in *Scabella*. Sed & teſtarum crepitus, ſaltantibus Pantomimis, adhiberi ſolebat, uti vetus Interpres Juvenalis docet. *ad illud Sat.* 11. *v.* 170. *Audiat ille Teſtarum crepitus.* Quomodo autem manibus iidem percuterent, diſcimus ex Auctore *Epiſtolarum*, quæ ſub nomine *Ariſtæneti* circumferuntur: Digitis ſcil. dextræ manus contractis & in unum reductis, lævæ ſubjectæ palmam percutiebant, ut ſic invicem comploſæ cymbalorum in modum reſonarent. Ita enim is, Ἑτέρα δὲ τοῖς ᾄσμασιν ἐπεκρότει· καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν ἔπληττεν εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὥσιν αἱ χεῖρες εὔφωνοι συμπληττόμεναι τρόπον κυμβάλων, &c. Stabant verò in *medio Chori*, unde nomen &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 19. ubi ex verbis Heſiod. χορῷ ἐνὶ μέσσῳ, *Meſochori* vocem conflatam eſſe, addit. Erat autem, qui voce in Choro canebant, palliati vulgò, ſeptemque palliati, apud Veteres, chorum faciebant. Hyginus, *Fab*, 273. *Pythaules, qui Pythia cantaverat, ſeptem habuit palliatos. qui voce cantaverunt, unde poſtea appellatus eſt Choraules.* Quemadmodum Citharœdi pallis erant amicti, inter quæ longa erat differentia. Quô nomine meritò Salmaſ. illos carpit, qui apud Tertullianum *de Pallio* Chariſtas aut Citharœdos, qui pallis amicti erant, non verò Symphoniacos palliatos, intelligi volunt: Namque nec ipſe tibicen, qui tibiis ad chorum canebat, & *Choraules* inde dicebatur, palliatus eſſe conſuevit, ut Vir illuſtris docet *Notis in loc. p.* 469. Vide quoque ſuprà *Manuductor*, & infrà *Muſicarius*.

MESOCHUS, Memphitarum in Ægypto Rex III. poſt Tyrim, præfuit ann. 17: Athote II. apud Thebanos, Ceneeme apud Thinitas & Ariſtarchô in inferiore Ægypto regnantibus. Ei ſucceſſit Soiphis: Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex *Manethone*.

MESOCUROS, Græce Μεσόκουρος, una ex perſonis Veterum tragicis. Inter has enim cùm mulierum eſſent perſonæ undecim, una famularum dicta μεσόκουρος eſt, quòd in *medio raſa* eſſet. Ei frontis ſummitas tumore caſtigatô, candor ſubpallidus, mediocris canities. Illâ junior fuit ea, quam διφθερῖτιν vocabant, fronte tumore vacuâ. Duæ præterea, capillorum formâ diverſâ. Comatam κατάκομον nominabant, comâ nigrâ, pallidam, mœſtô vultu. Altera, quæ non eſſet comâ pleniore, ſed μεσόκουρος, Similis tonſura ei, quam πρόσφατον dicebant: quidam *recèns violatam*, alii *recèns tonſam* malunt; nonnulli *juvenculam* admodum intelligunt, &c. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 16.

MESOGIA, ſeu MESOIA, dicitur Græcis hodiernis planities fertilis, ad Ortum & Meridiem montis Hymetti, in Attico agro, ſita, in qua ſequentes vici hodie numerantur.

Vici seu loca habitata, in territorii Attici hodierni; Mesogia dicta.

Mitropis.	
Keratià.	Lecambáſi.
Miſochóri.	Lambrianò.
Chovarades.	Lambricà.
Marcopoulo.	Palæo Lamprica, ubi olim *Lampra*.
Courſala.	Elimbò.
Phyglià, olim *Phlyea*.	Egnapyrghi.
Carelà.	Spitià.
Alopéki.	Vraona. E quibus X. poſteriores, tantùm non in ruderibus, & proin non niſi *Zeugalatia*, h. e. *prædia*, incolis dicuntur. Jac. Sponius *Itiner. Græciæ Part.* 2. *p.* 248. & 249.
Cócla.	
Balambáſi.	
Bourà.	
Arvato-	
Agoúpi.	
Pikérni.	
Batì.	

MESOLA, urbs Laconiæ, una ex quinque. *Steph.* Eſt etiam urbs Arcadiæ, quam quidam putant ab *Homero Hiram* vel *Hieram* appellatam.

MESOLAM, fil. Saphatiæ. 1 Paral. *c.* 9. *v.* 8.

MESOMEDES, Cretenſis, poëta Adriano principi chariſſimus, ſcripſit in laudem Antinoi liberti ejus. *Suidas.* Meminit ejus Euſebius quoque *in Chron.* Μεσομήδης ὁ Κρὴς κιθαρῳδικῶν νόμων μουσικὸς ποιητὴς γνωρίζεται, ubi κιθαρῳδικῶν νόμων ποιητὴς, eſt *canticorum ſcriptor & lyricorum carminum auctor*; unde *Lyricum* eum Capitolin. *c.* 7. *in Antonino Pio*. vocat. Salarium ab Hadriano inſigne accepit, quod Pius illi poſtea imminuit. Extat illius inter vetera Epigrammata carmen Anacreonticum *de vitro*, quod cùm in Trochaicos numeros redegiſſent Critici ſic reſtituit Salmaſ.

Τὰν ὕελον ἐκόμιζε
Κόψας ἐργάτας ἀνήρ.
Ἐς δὲ πῦρ ἔθηκε βῶλον
Ὡς σίδηρον εὐσθενῆ.
Αἱ δ' ὕελος οἷα κηρὸς
Ἐξεχεῖτο παμφάγοισι
Φλοξὶν ἐκπυρούμενος,
Θαῦμα δ' ἦν ἰδεῖν βροτοῖς
Ὁλκὸν ἐκ πυρὸς ῥέοντα,
Καὶ τὸν ἐργάτην τρέμοντα,
Μὴ πεσὼν διαῤῥαγῇ.
Ἐς δὲ διπτύχων ἀκμαῖς
Χειλέων ἔθηκε βῶλον.

Cui ſimile reperitur inter reliquias Anacreontis, ad hunc modum,

Πῶλε θρηικίη τί δή με
Λοξὸν ὄμμασι βλέπουσα
Νηλεῶς φεύγεις, δοκεῖς δὲ
Μηδὲν εἰδέναι σοφόν;

Sed & ejuſdem Poëtæ *ænigma* nondum editum, *Notis* ſuis ad Capitol. *in Pio loc. cit.* idem Salmaſ., hoc inſeruit:

Μεσομήδους.
Ἔρπουσα πέλωμένα βεβῶσα κοῦρα,
Νόθον ἴχνος ἀραμένα δρομαῖα λέαινα,

Πτερόεσσα μὲν ἦν τὰ πρόσω, γυνὴ,
Τὰ δὲ μέσσα βρέμουσα λέαινα ἦν.
Τὸ δ' ὄπισθεν ἑλισσόμενος δράκων,
Οὔθ' ὅλκος ἀπέρρεξεν, ὃ γυνὰ,
Οὔτ' ὄρνις ὅλον δ' ἴμως, ὔτε θὴρ.
Κεφαλὰν δ' ὐκ ἔσχε βρέμουσα θὴρ,
Φύσιν εἶχεν ἀτακτία κεκραμένα
Ἀτέλεστα τέλεια μεμιγμένα.

MESONAUS, Græce Μεσόναος, apud Balſamonem *ad can.* 74. *Trull.* medium templi, quod ὀμφαλὸς, *umbilicus*, Mario *de dubiis Typici c.* 16. ubi crucis in eo ab Imperatore poſitæ meminit. In eodem lectulos ſeu ſtrata ad ſuam quietem, delitiaſque quoſdam collocâſſe, memorat idem Balſamon, vide quoque infrà *Umbilicus.*

MESOPERSICÆ, muliebris calceamenti genus, apud Pollucem *Onom. l.* 7. *c.* 20.

MESOPONTIUS, Neptunus in Ereſſo Lesbi civitate cultus. *Steph.*

MESOPOTAMIA, regio Aſiæ latiſſima, Tigrim habens ab Oriente, Euphratem ab Occidente, à Meridie Babyloniam, à Septentrione Caucaſum. Sic dicta, quòd ſit inter 2. fluv. Tigrim & Euphratem: Hinc Arab. *Al Gezira*, i. e. inſula. Ab Hebræis dicitur *Aram Naharaim*, i. e. Syria fluviorum ſcil. duorum, nam dictio ipſa eſt dualis numeri: Strabo *l.* 11. *Ptol.* &c. Olim *Seleucia* dicta, teſte Plinio *l.* 6. *c.* 26. Nunc dicitur *Halapia*, teſte Olivariô. Cic. *l.* 2. *De Nat. Deor. c.* 52. *Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quaſi novos agros invehit. Stephano Adiabene* eſt: recentiores *Azamia* habent. Urbes claræ olim, Edeſſa, Niſibis, Nicephorium, Seleucia, &c. *Ferrar. Baudrando*, pars eſt Aſſyriæ ad Occidentem nunc propriè *Diarbeck*, tota ſub Turcis. Ejus urbes nunc ſunt *Aſanchif.* primum *Orpha*, quæ Edeſſa olim *Caramit*, aliàs Amida, *Merdin*, Marde & *Herren*, aliàs Carræ. Maxima ejus longitudo eſt 420. mill. paſſ. à Circio in Eurum, latitudo 270. Ejus incolæ vocantur Arriano, *l.* 3. Οἱ ἐκ τῆς μέσης τῶν ποταμῶν. *Terras Interramnas* Meſopotamiam interpretatur Alexander Imperator apud Lamprid. *c.* 56.

MESOPTICE, pars Optices, de qua infrà ſuô locô.

MESOSPHÆRUM, vide ſuprà *Cataſpharum*, item *Malabathrum.*

MESPHAR, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 2.

MESPHARATH, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 7.

MESPHI, vide MASPHA.

MESPIEU, nomen illuſtris in Gallia familiæ, quæ Grolææ ſtirpis ramus eſt. Cùm enim Joſſelinus, fil. Jacobi Dn. *de Grolée*, Lugdunenſis Seneſcalli, qui floruit A. C. 1180. Guidonem genuiſſet & Andream, ab hoc quidem Domini *de Neyrieu*, in tres iterum lineas diviſi, deſcendunt: Ille verò ſevit Dominos *de Grolée*, *de Vaſſalieu*, *de Meſpieu*, *de Luys*, (qui nunc *Comites de Grolée* dicuntur) *de Chaſteaufort*, *de Auteville*. È quibus, lineam Dominorum *de Meſpieu* quod attinet, ſic illa habet: Aymarus *de Grolée* Dn. *de Luys* & *Meſpieu*, ex Catharina (filia Henrici Dn. *du Quart de Gergy*) pater fuit Arnoldi Dn. *de Meſpieu*, qui, Franciſcâ *de Chandieu* (Claudio Baron. *de Chandieu* genitâ) ſibi uxore junctâ, ſuſcepit ex illa Petrum, Dn. *de Meſpieu*, maritum Artaudæ *d'Arces* (filiæ Ludovici *d'Arces* Dn. *de Reaumont*) & ex ea patrem Benedicti Dn. *de Meſpieu*: quô, & Sebaſtianâ *de Grolée* agnatâ, natus Stephanus *de Grolée*, ex Ludovica *de la Poype* (filia Gabrielis *de la Poype* Dn. *de S. Julin*) genuit Gabrielem *de Grolée* Dn. *de Meſpieu*. Phil. Jac. Spenerus *Theat. Nobilitat. Europ. Part.* 2. *ut & in Indic. ubi de famil. Grolæa.*

MESPILA, malorum pirorumque generi adnumerata, ut & ſorba. Iis, ut Plinius habet, *tria genera, anthedon, ſetania, tertium degenerat, tametſi anthedoni ſimilius eſt, quod Gallicum vocant. Setania majus pomum, candidiuſque acini molliore lignô: cœteris minùs, pomum, ſed odore præſtantius & quod diutius ſervetur. Arbor ipſa de ampliſſimis. Folia, antequam decidant, rubeſcunt: radices multæ atque altæ, & ideo inextirpabiles. Non fuit hæc arbor in Italia Catonis ævô, l* 15. *c.* 20. È quibus id quod σητάνιον dictum, ad noſtram meſpilum meliùs facere, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 270.

MESQUITA, ſeu MESCHITA, apud Rodericum Tolet. *de Rebus Hiſpan. l.* 5. *c.* 16. alibique paſſim, & in *Ep.* Alfonſi I. Aragon. Regis *p.* 789. &c. templum Mahometanorum eſt; Turcis *Meſſit* ſeu *Meſzit*, quô nomine propriè appellant templa è lignis fabricata, qualia ſcil. ab iis extruebantur. quum nondum Imperii creviſſent opes, uti auctor eſt Leunclavius *in Pandecte Turcico num.* 20. cùm templum è lapidibus *Grumam* vel *Zumam* vocent, ut infrà videbimus, voce *Zuma*. Et quidem Conſtantinopoli primum Saracenorum Templum, in Prætorio Imperatoris extructum eſt, Michaële Balbo imperante, uti tradit Conſtantinus Porphyrogenitus *de Admir. Imper. c.* 21. *Maſalma Saracenorum Principis, qui Conſtantinopolim obſidebat, rogatu*; quô locô Templum iſtud μαγίδιον appellat Conſtantinus, niſi legendum ſit Μεσχίδιον, ut *Meskitam* (nam & ſic ſcribitur) intellexerit. Hoc poſteà dirutum & funditus everſum, in quadam ſeditione, Alexiô Angelô imperante, auctor eſt Nicetas Choniates *l.* 3. ſed mox inſtauratum conſtat, cùm idem tradat à Francis, expugnatâ Urbe, direptum ac incenſum. Idem ſequenti tempore de novo reſtauravit Iſaacius Imperator in gratiam Saladini, cum quo fœdus inierat, uti tradunt Mathæus Pariſ. *A. C.* 1188. *p.* 104. & Auctor *Hiſtoriæ Hieroſolym. in Geſtis Dei p.* 1159. Quorum hic, *Dignum*, ait, *quòd urbs illa ſolo tenus everſa procumberet. Nam ſi famæ creditur, novis polluebatur Mahumeriis, quas perfidus Imperator indulſerat fieri, ut fœdus, quod Turcorum conjuratus inierat, obligativus confirmaret.* Vide Ducam *Hiſtoriæ c.* 13. & *Oraculum* 4. Leonis Imperatoris, alioſque Auctores magnô numerô laudatos Car. du Freſne *in Gloſſario*, cui adde Macros Fratres *in Hierolexico*, ut & ſuprà quæ diximus, in voce *Mahomeria*. De hodiernarum verò *Meſquitarum* Turcicarum, quæ vulgò *Moſchea* appellantur, ratione adi, ſi placet, Petrum de Valle *Itiner. Tom.* 1. & 2. (Apud Perſas, quamlibet moſcheam habere ſuum *Monteucli*, qui illam ſartam tectamque conſervet, dicemus infrà voce *Muſſini.*) Origo vocis ab Arabico *Sagad.* i. e. *incurvavit ſe. adoravit, rogavit.* Hinc enim *Maſgid* & *Meſgeda*, locus adorationis; vulgò *Meſchit*, corrupte *Moſchea.* Vide Leunclavium *Lexic. poſter.*

MESRA, caſtrum in pede montis Hermon, in tribu Iſaſchar. *Breidenb.*

MESRIM, fil. Cham. Gen. *c.* 10. *v.* 6. Hebr. *Miſraim.* Vide Bochart. *Phaleg. l.* 4. *c.* 24. Vide ſis etiam *Ægyptus.*

MESSA, oppid. Laconiæ, Pauſan. *l.* 3.

MESSAA, regio Judææ. Hieronym. *de Loc. Hebr.* in qua habitaverunt filii Joctan. Gen. *c.* 10. *v.* 30. Item, nomen viri. 2 Reg. *c.* 11. *v.* 6.

MESSABA, urbs Carium. *Steph.*

MESSABATÆ, qui MASSABATÆ *Strab.* Perſidis populi. *Ptol. Sabbat* Hebræis dici, *Ar. Montanus* tradit. Horum tractum *Caſtaldus Savas* vocat.

MESSAGETÆ, vide MASSAGETÆ.

MESSAL, vel MASSAL, civitas in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 26. 1. Paral. *c.* 6. *v,* 74.

MESSALA, dictus eſt Val. Corvinus, quia Meſſanam in Sicilia vicit, & urbis captæ in ſe tranſlatô nomine *Meſſana* primò, paulatimque vulgò permutante literas, *Meſſala* dictus eſt. Unde & *Meſſalarum* familia Romæ florentiſſima, ex quâ *Meſſala* Corvinus Orator nobilis ortum habuit. Hic cùm provectior foret, biennium antequam moreretur, adeò memoriæ ſenſum amiſit, ut vix paucula verba conjungeret, & nominis quoque ſui immemor eſſet. Tandem verò, ulcere ori innatô, ſepiſum inediâ confecit. Crinitus *l.* 1. *c.* 12. Is *orator* fuit, Fabiô teſte *l.* 10. *c.* 1. *nitidus, & candidus, & quodammodo præ ſe ferens nobilitatem ſuam, viribus tamen minor.* Horat. *De Arte,*

——— *Mediocris abeſt virtute diſerti*
Meſſalæ ———

Vide Martial. *l.* 10. *Epigr.* 2. Paſſeratium *in Tibulli Panegyr. ad Meſſalam*, ut & in vocibus *Valerius* & *Vipſanius.*

MESSALA, Præſes Achajæ, ad quem Decii epiſtolam habes, apud Treb. Pollionem *in Claudio.*

MESSALA, Julius, vide *Julius.*

MESSALA, prænomine *Marcus*, Conſul cum Piſone, an. Urb. Cond. 693. Hunc Cicer. *l.* 1. *ad Attic. Ep.* 13. *Antronianam domum HS.* XXXVII. (quod eſt, ſeſtertiô tricies ſepties, ſeu ſcutatum 92. millibus quingentis) *emiſſe* refert. Vide Fred. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 3. *c.* 16.

MESSALA Vipſanius, vide *Vipſanius.*

MESSALEMETH, mater Amon regis Judæ. 2. Reg. *c.* 21. *v.* 19.

MESSALINA Valeria, filia Barbari Meſſalæ, conſobrini Claudii Imperatoris, cui etiam nupſit: ſummæ libidinis mulier, tandem ab ipſo Claudio ſuppliciô affecta eſt, cùm C. Silio nupſiſſet. Sueton. *in Claudio. c.* 26. 29. Prodigioſam hujus libidinem lege, apud Juvenal. *Sat.* 6. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 26. *l.* 12. *c.* 7. & Plin. *l.* 10. *c.* 63.

MESSALINI, vide MASSALIANI.

MESSALINUS Marcus, vide *Marcus.*

MESSALUM, urbs Arabiæ Felicis.

MESSANA, urbs Archiepiſcopalis Siciliæ, Emporium inſigne, cum Academia & portu, propinqua Peloro promontorio, à *Meſſeniis* Achajæ populis condita, hodie *Meſſina* incolis, *Meſſine* Gallis. Omnium totius inſulæ principatum ſibi vendicans, amplaque, Græcis dicitur Μεσσήνη. Unde oppidani *Meſſenii.* Sed illa Peloponneſi urbs Μεσσήνη, unde hæc Sicula nomen accepit, Damageto *in Epigrammate* dicitur Μεσσάνα hôc verſu,

Οὔτ' ἀπὸ Μεσσάνας, οὔτ' Ἀργόθεν εἰμὶ παλαιστής.

Et ita Latino etiam poetæ Statio, *Achil. l.* 1. *v.* 422.

Murorum tormenta Pylos Meſſanaque tradunt.

Eſt in valle Demonæ, ad Ortum Inſulæ, cum portu capaciſſimo. Oblonga, ob montes, quibus premitur: Suburbia habet perampla, pagorum in morem. Munita eſt quatuor caſtris & 14. aggeribus. 150. mill. paſſ. à Panormo in Ortum, & 60. à Catania in Septentrionem, è regione Calabriæ citerioris. Hæc primùm à Normannis, victis Saracenis, recepta eſt. Ab Anaxilao Rheginorum tyranno conditam ſcribit Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 11. Hodie ſub Gallis eſt. Hujus incolæ primùm *Meſſanenſes* dicti ſunt, poſtea verò cùm Mamertini Campana gens eò colonos miſiſſent, *Mamertini* appellabantur. *Zancle* olim ſeu falx vocabatur, teſte Strabone, *l.* 6. Hinc *Meſſenius.* Ovid. *Met. l.* 12. *Fab.* 6. *v.* 549. & *l.* 14. *v.* 17. Vide Cluv. *Sicil. Ant. l.* 1. *c.* 6. *Nic. Lloydius.*

MESSANICUS fluv. pars Padi, Vide *Paduſa.*

MESSAPEÆ, parva regio Laconica, ubi colitur Ζεὺς Μεσσαπεύς. *Steph.*

MESSAPIA, regio Italiæ, *Plin. Strab.* quæ & *Salentini Ptol.* ac aliis *Japygia*, peninſula inter Tarentum, & Brunduſium, *Terra d'Otranto* Italis, *Terre d'Otrante* Gallis. Hodie provinc. eſt regni Neapolitani inter mare Ionium, & Sinum Venetum ad Ortum: Sinum autem Tarentinum ad Occaſum. Ibi aliàs Calabri, inter Apenninum & oram Sinus Veneti extenſi; Salentini item, verſus Sinum Tarentinum. Vide *Hydruntica Terra.* A *Meſſapo* Italorum duce, qui Turno adverſus Æneam ſuppetias tulit, dicta. De quo Virgil. *Æn. l.* 11. Hinc *Meſſapius.* Ovid. *Met. l.* 14. *Fab.* 11.

MESSAPIA, oppid. Meſſapiæ, nunc *Meſagna*, ſuprà Brunduſium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

um. *Meſſana Apuliæ* etiam L. Holſtenio, *in notis ad Geogr.*

MESSAPIUS, mons Macedoniæ bonaſum animal gignens. *Ariſtotel.*

MESSARIUS, cuſtos *meſſium*, unde nomen & vinearum, Ὀπωροφύλαξ in *LL.* Georgicis *tit.* 2. §. 3. Item dignitas olim in Eccleſia Cameracenſi, cui agrorum cuſtodia incumbebat, apud Car. du Freſne, ex *Charta* Gerardi Epiſcopi A. C. 1245.

MESSATIS, oppid. Achajæ, inter Aroan & Anthean. Pauſan. *l.* 7.

MESSE, oppidum Cytheræ inſulæ. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 226.

——— *Volucrumque parens Cytherea Meſſe.*

MESSEIS, Theſſaliæ fons, non procul à Pharſalo. Plin. *l.* 4. *c.* 8. Et Strabo *l.* 9.

MESSENE ſeu MESSENA quibuſdam, civitas Græciæ in Peloponneſo, Meſſeniæ caput; ad oſtia Balyræ fluv. 13. mill. paſſ. à Pamiſo fluv. in Meridiem, 13. à Corone in Boream, in ora ſinus Meſſeniaci, cum portu tantiſper capaci. Ante ipſam tres Inſul. *Oenuſæ* ſunt. Nunc oppidul. tenue eſt & nullius nominis, in provinc. *Belvedere*, ſub Turcis. Populi *Meſſenii*, qui, ut Hieronym. habet *contra Jovin.* propter frequentem defectionem, à Spartanis in ſervitutem redacti, duriùs quàm reliqui ſervi tractati ſunt: Unde Proverbium, *Meſſenâ ſervilior*, in eos, qui alienô vivunt arbitriô. Duraverat autem hoc bellum ann. 20. à capta Amphia, uſque ad deſtructam Ittomen, an 1. Olymp. 14. Pauſan. *in Meſſen. Strabo, Plin.* &c. Ovid. *Met. l.* 6. *Fab.* 8.

Meſſeneque ferax, Patræque humileſque Cleonæ.

Hinc *Meſſenius*, Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 17. Item *Meſſeniacus ſinus*, qui & *Meſſenius*, *Coronæus*, & *Aſinæus Straboni.* Vulgò *Golfo de Coron*, ab urbe adjacente, *Sophian.* Nautis nunc *Golfo de Calamata Baudrand.*

MESSENIA, provinc. Peloponneſi, verſus Auſtrum inter Laconiam ad Ortum, & Elidem ad Occaſum, à Septentrione habens Arcadiam, inter ſinus Meſſeniacum & Cypariſſium. Nunc pars eſt provinc. *Belvedere.* Sub Turcis.

MESSIA Dea, à *meſſe*, apud Tertullian. *de Spectac. Delphinas Neptuno vomunt columnæ: Seſſias a ſementationibus:* Meſſias, *à meſſibus: Tutelinas à tutelis fructuum ſuſtinent*; ubi loquitur de columnis, quæ Dearum harum ſimulachra, in Circo, ſuſtinebant. Numero multitudinis autem iſtarum nomina enuntiat, veluti innuens, tot Deas eſſe Seſſias, quot ſationes: tot *Meſſias*, quot meſſes in diverſis locis orbis univerſi fierent, &c. Aliter eadem *Segeſta* vel *Segetia* dicitur, à *ſegetibus.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 912. Petiiſſe autem *Meſſes* opimas à Diis ſuis Ethnicos, etiam Arnob. teſtis eſt *adv. Gent. l.* 6. Et prolixè Ovidius, hujus rei curam Diis ſuis illi (ut rebatur) præfectis his verbis commendat, *Faſt. l.* 1. *ſub finem. v.* 677.

Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Ut capiant cultûs præmia digna ſuis.
Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus;
Nec nova per gelidas uſta ſit herba nives.
Cùm ſerimus; cœlum ventis aperite ſerenis:
Cùm latet; ætherea ſpargite ſemen aquâ.
Neve graves cultis, Cerealia dona, cavete,
Agmine læſuro depopulentur aves.
——— *Creſcat ſemen rubiginis expers;*
Nec vitiô cœli palleat ægra ſeges.
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquô
Divitiis pereat luxurioſa ſuis.
Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec ſterilis cultô ſurgat avena ſolô.
Triticeos fœtus, paſſuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat, ager!

Vide quoque infrà in voce *Pentecoſte*, it. *Præmetium* & *Primitiæ*, ut & ubi *de Veter. Cantilenis*, *Feriis*, ac voce *Julus*, & *Lytierſa*, it. *Quercus*, *Saturnus*, *Tabernac. feſtum.*

MESSIAS, vide *CHRISTUS.*

MESSIS, oppid. Calabriæ ulterioris *Meſiano*; inter Neocaſtrum 10. & Miletum 6. Hipponio proximum, 12. mill. paſſ. à Soriano.

MESSIUS Q. Trajanus, vide *Decius.*

MESSIUS Vectius, vide *Vectius.*

MESSKIRCHA, vide infrà *Wieſenſteiga.*

MESSOA, urbs Laconiæ & tribus ejuſdem. *Steph.* Sed pars fuit urbis Spartæ, *Salmaſio*, unde Alcmana fuiſſe, tradit *Suidas*, Ἀλκμὰν Λάκων ἐκ Μεσσόας. κατὰ δὲ τ Κράτητα τῷ ὄντι Λυδὸς ἐκ Σαρδίων, *Alcman Laco ex Meſſoa, juxta Cratetem verò reverà Lydus ex Sardibus.* Nempe revera ille Lydus & oriundo Sardianus, Spartanus μέτοικος, ut ex Alexandro conſtat. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 825.

MESSOGIS, mons Lydiæ, vini ferax. *Steph.*

MESSUA, vel MESVA, peninſul. Gall. Melæ *l.* 2. *c.* 5. *Meſe. Jo. Poldo.* Fortè *Meſe* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide *Meſva.*

MESSUA, vide MISUA, & *Niſva.*

MESSULAM, pater Aſalia patris Saphan ſcribæ. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 3.

MESTECII, vocantur in America, qui ex parentibus Hiſpanis ac Americanis mixtim nati ſunt. Americam enim tria Hiſpanorum genera incolunt, *Hiſpani*, *Criolii* & *Meſtecii.* E quibus *Hiſpani* dicuntur, qui, in ipſa Hiſpania nati, inde quotannis in Americam mittuntur. Hi omnes ferè dignitates ac ſupremos Magiſtratus occupant, tam in Politicis, quàm in Eccleſiaſticis rebus ac reliquos omnes durâ ſervitute opprimunt. In iis enim omnem ſuam fiduciam Rex collocat. *Criolii* vocantur, qui ex Hiſpanis parentibus, ſed in Americâ, geniti ſunt. Hi numerô quidem ac multitudine prævalent, ſed nunquam pervenire poſſunt in aliquam majoris momenti dignitatem. Unde implacabile inter Hiſpanos Europæos atque Americanos odium, adeò quidem, ut Hiſpani hi Americam ſeu Criolii quamcumque nationem Europæam lubentes admitterent, dummodo ab oppreſſione Hiſpanorum Europæorum poſſent liberari. Atque hinc præcipuus Regi Hiſpaniæ metus amittendæ Americæ, ne aliquando Criolii proprium ſibi Regem, Hiſpanis excluſis, imponant. *Meſtecii* reliqui dicuntur, qui partim ex Hiſpanis, partim ex Americanis parentibus naſcuntur: qui omnes ferè contemtim & ſerviliter habentur ac mixtam quoque ex utraque gente indolem obtinent. Georg. Horn. *Orb. Polit. Part. I. p.* 18.

MESTENO, in *veterib. tabulis* nunc *Maintenon*, locus Galliæ, ad Auturam fluv. inter Autricum Carnutum & Novigentum Regis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MESTRA, oppid. Italiæ, ad Muſonem fluvium, 10. milliar. à Tarviſio urbe, 7. à Venetiis in Occaſum, in regiuncula Ducatus Veneti, *Meſtre* Gallis.

MESTREZATIUS Johannes, Theologus inſignis. Paſtor Eccleſiæ Reform. Pariſienſis, quæ Carentone colligitur; Scripſit inter alia *Sermones in Epiſt. ad Hebræos*, 4. *volum. in octav. Gall.* Item nomen Theologi apud Genevenſes clariſſimi, prioris ex fratre nepotis.

MESTRIANA, *Antonin. Meſtri Lazio*, pagus Hungariæ, à Sabaria 6. leuc. Hungaric. in Ortum, Aquincum verſus.

MESVA, vulgo MESE, oppidul. Galliæ, prope Setium montem.

MESUJUM, urbs Germaniæ ad Albim in Saxoniâ. Vide *Parthenopolis.*

MESYMNIUM, Græcè Μεσύμνιον, inter veras Tragœdiæ partes. Cùm enim Chorus ad quindenos eſſet Æſchylo reductus, ſicque eſſent paria & ζυγὰ quina, ex ternis verſibus: is qui cantum incipiebat, κορυφαῖος, proximus παραστάτης, tertius τριτοστάτης, dicebatur. Et quidem, cùm fiebat πάροδος, i. e. *acceſſio per paria*; terni introducebantur: ſi autem fieret per verſus, quini ſeſe inferebant. Aliquando etiam ſingulatim fiebat ingreſſus. Cumque ſuos quæque pars haberet modos, in Parodis poſt decem anapæſtica catalecta, catalecticum apponi ſolitum. Tametſi quidam citiùs, quidam ſerius, quidam nuſquam ejuſmodi pericopas interſeruêre. Veluti Sapphicis, nullô certô numerô Adonium: Anapæſticis verò vel illum vel Jambicum. Talia ea quoque fuêre, quæ Ἐφύμνια vocitarunt: qualia, Ἰὴ παιάν: & ὦ διθύραμβε, & *Hymen ô Hymenæe!* Ponebatur autem id poſt ſtrophen. Si autem ſtrophe inſereretur, Μεσύμνιον dicebatur. Similia ἐφυμνίοις epiphthegmatica, ut ἰώ μοι μοι, & *Nefas* & *Heu*: quæ tamen poſtrema Critici ſupervacua fuiſſe judicant. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 11.

META, in Circo, creta erat & terminus, in quo currendi finem faciebant quadrigæ & palmam accipiebant: *Victoriæ nota*, Solino, *c.* 47. quòd ſolæ victrices quadrigæ, quæ metam ſeptimò circumagere anticipâſſent, couſque decurrebant præmium accepturæ. Eidem *locus palmæ*, at Plinio *l.* 35. *c.* 17. *Creta*, coronâ enim & palmâ ibi loci donabantur victores, qui cretâ præductus fuit, quique non longè aberat à carceribus. Undé βαλβίδα Græci tam initium, quàm finem curſus vocant, quia à carceribus, unde exierant, revertebantur & curſum ibidem terminabant, coronabanturque. *Pollux*, ἵνα δὲ παύονται, τέλος, καὶ τέρμα καὶ βατήρ, ἔνιοι δὲ βαλβίς. Fuêre autem tum *primæ*, tum *ſecundæ metæ*, circa quas ambas pariter currebant, & in quarum medio fuit obeliſcus. Niſi enim primæ metæ fuiſſent, pro lubitu ſuo agitatores contrahere ſpatia potuiſſent & brevioribus gyris curſus circumflectere. Præterea, nondum ædificatis Circis, quum in patentibus ad littora campis ludi equeſtres antiquitus celebrarentur, *metæ* ſemper duæ ſtatuebantur (ſtipites primitus ingentes querni & lapides terminales) una, unde curſus auſpicarentur, altera, quam ad finem agerent circumflecterentque: nam ex ultima meta reverſi, primam quoque circumibant. Stat. *l.* 2. *Thebaid.* de Ludis Equeſtribus in Archemori honorem celebratis.

Metarum inſtar erant, hinc nudo robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc ſaxeus umbo.
Arbiter Agricolis.

Et quidem in Circo Conſtantinopolitano, *Meta ultima* dicebatur σφενδόνη: quòd eâ parte Circus in anguſtias cogeretur, ad inſtar *fundæ*, quæ mediô latior eſt, utrinque ſtrictior. Circum namque utrinque claudi in teretem orbem, dixit *Corippus*: Quo modo pars prima Circi, ubi primæ metæ, non minùs σφενδόνη appellari meruerit. An potiùs σφενδόνη Meta illa appellata eſt, à baſis forma, quæ inſtar *palæ* annuli haberet, ita enim & Græci palam annuli vocârunt. Ovatæ certè formæ inſtar erat; cui ſimilis in Veterib. nummis metarum baſis, tres obeliſcos ſuſtinens, conſpicitur. Græci autem mentionem non faciunt, in Circo ſuo deſcribendo, nec primarum, nec ultimarum metarum, ſed θύρας opponunt τῇ σφενδόνῃ. carceres & oſtia Circi fundæ ejuſdem, ubi σφενδόνη, pro ultima meta, ſeu parte Circi, in qua ultimæ metæ. *Chryſoſtomus*, Οὐκ ἀπὸ λεύκης ἐπὶ σφενδόνην μιλιοδρομῶν, *Non à creta ad fundam ſpatia decurrens*; creta verò ad primas metas. Obtinebant porrò, ut *Caſſiodorus* habet, tres ſummitates *metæ*: & ſane in utraque tres velut obeliſci ab una baſi ſurgebant ut ex nummis quoque liquet, Græci, Οἱ δὲ τρεῖς ὀβελοὶ τὴν τρίστοιχον φύσιν δηλοῦσι. An verò ſepties eadem meta luſtranda eſſet, an ſeptem metæ luſtrandæ, quærunt Eruditi? Certe Poëtæ, *ſeptimæ metæ* meminerunt, & *Caſſiodorus*, *ſeptem metis certamen omne peragi*, dicit. Sed *ſeptima meta* Poëtis dicitur, pro ſeptimo metæ flexu, & *Caſſiodorus ſeptem metas* vocat, quæ alii *ſeptem ſpatia*, *ſeptem curricula*, *ſeptem orbes*, *ſeptem vias*, κύκλους, διαύλους, στάδια καμπτῆρας. Nec obſtat, quod *Metas* Latini numerô multitudinis dicunt, non *Metam*; quia in una Meta, uti dictum, tres veluti erant metæ: Hinc *Metas primas*, ſeu *intimas*, *Metas ultimas*, *Metas Murcias*, quæ eædem cum primis, paſſim vocant Auctores; qui très obeliſcos ſuperioris metæ vel ultimæ, Saturno, Jovi & Marti dedi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

catos ſcribunt: tres inferioris ſive primæ, Mercurio, Veneri & Lunæ; cùm medius obeliſcus, qui ſingularis erat & maximus, Soli eſſet conſecratus. Crepido verò illa ſive ſuggeſtus, ſive agger, qui ab una ad alteram pertinebat, & utramque conjungebat, κρηπὶς μέση τοῦ ἱπποδρόμου, *Euripi* nomine, infimâ ætate venit, &c. *Meta* autem ad ſiniſtram erat circumflectenda, in quo proin cùm victoria repoſita eſſet, dubium non eſt, quin maximam ad palmam apiſcendam momentum attulerint ſiniſteriores funales. Quare præſtantiſſimus quadrigæ equus & adprime flecti facilis frænoque docilis, ac cœteris doctior, ad funem ſiniſter locabatur. Hinc Silius *l.* 3. in ludis Scipionis, cùm cœterarum quadrigarum unum duntaxat equum nominet eumque ut par eſt intelligi, funalem ſiniſtrum, in quadriga Iberi agitatoris duos funales nominatim commendavit, *Caucaſum* & *Pelorum*, verſibus quos ita legi jubet Salmaſius:

Tertius æquatâ currebat fronte Peloro
Caucaſus: ipſe aſper, nec qui cervicis amaret
Adplauſæ blandos ſonitus, clauſumque cruento
Spumeus admorſu gauderet mandere ferrum.
At docilis fræni & docilis parere Pelorus
Non unquam offuſum ſinuabat devius axem.
Sed lævo *interior ſtringebat tramite* Metam

Ubi duos, uti dictum, nominat funales in illo curru, Caucaſum dextrum, h. e. δεξιόσειρον, Pelorum ſiniſtrum, nunquam demum à meta aberrantem, ſed eam interiore orbitâ doctum ſtringere, Eos *æquatâ fronte currere* ambos dicit, quia funalis uterque. In certamine verò ipſo obeundo, ubi ſpes victoriæ allubeſcit, cui incumbendum, tum Pelorum ſolùm alloquitur & animare conatur agitator, ut ex quo victoria potiſſimùm penderet:

Attonitus tum ſpe tantâ, genitore Pelore,
Te Zephyro eductum, nunc nunc oſtendere tempus.

Ergo & in cœteris quadrigis, qui ſoli totius currûs nomine laudantur, equi, de funalibus ſiniſtris audiendi ſunt, utpote quibus victoriam acceptum referrent victores, ſpem victi, quantamcunque vincendi habuiſſent, deberent. Id quod disertè ex Panchate equo colligas, quem ſolum pro curru ſecundi agitatoris nomine laudavit:

——— ——— *uſque ad colla repentè*
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens,
Concitat ardentem, quò ferret lora ſecundus,
Panchatem, voceſque addit, cum verbere mixtas.
Tene Aſtur certante ferat quiſquam æquore palmam
Erepto, conſurge, volà, perlabere campum.

Ex omnibus unum Panchatem urgens & excitans ad palmam, quia *ferebat lora ſecundus*, i. e. quia funalis erat ſiniſterior &c. Hinc itaque præcipui honoris ac meriti in quadrijugis curribus & Circo deſtinatis funales ſiniſtri equi fuêre. Sed & Heroum ævo *Meta* ſiniſtro gyro circumiri ſolebat & in ea flectenda ſiniſtri equi prima ac præcipua erat opera. Quare etiam tum equus inter cœteros optimus eligebatur, qui ſiniſtrum in curru locum teneret. Homer. *Il.* Ψ. *v.* 336.

———ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαι δέ οἱ ἡνία χερσίν
Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

Quæ eadem ars in Circo invaluit, ſub poſtremis Græciæ & Romanorum temporibus &c. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 898. *& ſeq.* ut & hîc paſſim, inprimis in *Campteres, Miſſus, Miliarii agitatores, Murcia, Stringere* &c. In mola quid *meta* ſit, vide ſuprà *Catillus*: uti aliam vocis notionem infrà voce *Mota*: quid verò in Re agrimenſoria ſignificet, dicemus infrà ibid. voce *Signum.*

METABEEL, nomen viri. Nehem. *c.* 6. *v.* 10.

METABUS, Privernatium tyrannus, Camillæ pater, qui à ſuis per ſeditionem regno pulſus, filiam fugæ comitem Dianæ conſecravit. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 540. Item Siſyphi fil. Æoli nepos, qui Metapontum in Italiæ finibus condidit. *Steph.*

METACHOEUM, caſtrum Bœotiæ, inter Coroneam & Orchomenon. *Steph.*

METACOMPSO, ſeu TACOMPSON. Plin. *l.* 6. *c.* 29. *Tachempſo* Melæ *l.* 1. *c.* 9. urbs Ægypti ad Nilum, juxta Syenen. *Aſuan Zeigiero.*

METACUM, urbs Arabiæ Felicis. *Ptol. Calajate Barroſio.* In codicib. Græcis *Cumacatum* legitur. Aliis eſt *Calhat* ſeu *Quelbat*, oppid. prope oſtia fluv. *Prim.* 450. mill. paſſ. ab Armuzia in Meridiem aliis autem *Matequa. Baudrand.*

METADULA, urbs Cappadociæ, in Ponto Polemoniaco, *Ptol. Megaluda*, Interpretes.

METÆ, vide *Mediomatrices, Metis,* & *Divodurus.*

METÆ Caroli, apud Wilhelmum Britonem, Pyrenæi montes dicti, quòd Carolus M. arma ſua victricia ulterius non protulerit. Ita enim is, apud Car. du Freſne, *Philippidos l.* 1.

———*Terrarum quidquid habetur,*
A pelago, quod nos hodie diſtinguit ab Anglis,
Uſque ad Hiſpanos fines portuſque remotos
Qui Caroli metæ *populari voce vocantur.*

METAGEITNIA, ſacra quædam, in honorem Apollinis Metageitnii, apud Græcos inſtituta, quæ fiebant ſecundô Græcorum menſe. Gyraldus *l.* 17. *Hiſt. Deorum.*

METAGENES Comicus, ut videtur, Poëta, quem laudat auctor Scholiorum *in Ariſtophanis Aves* ἐν αὔραις. *p.* 582. *D.* Iterum *p.* 602. *F.* ἐν Ὁμήρῳ.

METAGONIUM, promontorium, Numidiam ab Africa dividens, ſic dictum, quòd angulare ſit. *Stephano* eſt urbs Libyæ. *Capo de tres forcas Caſtaldo*, & *Baudrando* in ora littorali Garetæ, provinc. regni Fezzæ. In mare mediterraneum protenditur, è regione Alborani Inſulæ, à qua diſtat 20. mill. paſſ. & 160. à freto Gaditano in Ortum: *Capo de tres arcas* Olivario, *Capo de Caſaſa, Molerio.*

METALASSUS, Ponti Polemoniaci urbs, in Cappadocia. *Ptol.*

METALLA, Sardiniæ oppid. apud *Antonin.* inter Neapolim & Sulchos. *Civita de Gleſie Cluverio.*

METALLA, ſub Imperatorib. Gentilibus, habitacula piorum fuêre: Clemens enim Epiſcopus Romanus & Martyr Cherſoneſum deputatus, 2000. Chriſtianorum & amplius ibi ad marmora ſecanda damnatorum reperit; fuitque hæc familiaris ac frequens Chriſtianorum damnatio, quæ & libertatem adimebat. Vide infrà. Infimum enim apud Romanos ſervorum genus, compediti erant hi Ergaſtularii ſeu Foſſores, quibus per totam diem labore fatigatis vix *cantabrum edere ad veſperam* dabatur: ſic autem furfuraceus dicebatur panis, quô canes, ne dum ſervi, paſci ſolebant, Hadr. Turnebus *Adverſ. l.* 15. *c.* 16. Iſtiuſmodi foſſoris imaginem exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, Vide & ſuprà in voce *Foſſores.* Apud Athenienſes *Metallorum* fodinæ redimebantur παρὰ τῆς πόλεως, idque magni, quare non licebat effodere extra fines ſuos, ne alteri damnum daretur. Soli autem cives non redimebant iſtiuſmodi fodinas, ſed & pari jure hoſpites ac inquilini, teſte *Xenoph.* πόροις: atque ſi quis καινοτομίαν *Metallorum* aggredi vellet, tenebatur id indicare Præfectis huic rei à populo, ut ab illo acciperent quartam viceſimam *Metalli*, quod novô illô opere effodiebatur: qui ſecus feciſſet, poſtulabatur ἀγράφου μετάλλου; atque hæc dica, quæ propriè φάσις dicebatur, ſcribebatur apud Prætorem, Pollux *l.* 8. *c.* 6. Legem, *Metallicas* actiones concernentem, hanc ſuggerit *Demoſthenes* πρὸς Πανταίνετον: Ἐάν τις ἐξείλλῃ τινὰ τῆς ἐργασίας, ἂν ὑφάψῃ τις, ἂν ὅπλα ἐκφέρῃ, ἂν ἐπικατατέμνῃ τῶν μέτρων ἐκτός. μεταλλικὰς δίκας εἶναι. *Si quis alterum prohibuerit opus facere* (metallicum) *ſi quis ignem importârit*, & *ſuccenderit: ſi vaſa inſtrumentaque exportârit: ſi effoderit extra fines ſuos:* (metallicæ actiones adverſùs eos dantor.) Quas dicas apud Theſmothetas ſcribi ſolitas fuiſſe, docet Pollux *l.* 8. *c.* 9. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 7. *tit.* 12. Primus verò *Metalla* conficiendi artem inveniſſe in Occidente, Faunus Pici fil. in Oriente, Semiramis, Aſſyriæ Regina, dicitur *Suidæ*: quorum hæc populis quamplurimis ſubactis, ad fodienda metalla captivos adhibuerit. Sed utroque antiquior Chamus, Noahi fil. potiori jure hoc, ſi quid eſt laudis, ſibi vendicet: imò non ſine ratione altiùs nonnulli aſſurgunt, & Thubal-Kainum, fil. Lameci, perſonatum illum Poëtarum Vulcanum, qui *erudivit omnem fabrum ærarium & ferrarium*, Geneſ. *c.* 4. *v.* 22. *Metallurgices* Autorem faciunt, Namque originem hujus ipſi Agriculturæ, quæ omnium Artium extra controverſiam antiquiſſima eſt, vel coævam, vel non multò recentiorem credere convenit. Cum & agricolæ opus aratrô, & militi gladiô, & fabro ſecuri ac dolabrâ opus, quæ omnia ex *metallo* conſtant. Utraque dein operæ ac laboris fructum è terra nanciſcitur. Unde Agriculturam cum *Metallica* conjungens Ariſtoteles *Oeconom. l.* 1. *c.* 2. ait: Κτήσεως δὲ πρώτη ἐπιμέλεια ἡ κατὰ φύσιν. Κατὰ φύσιν δὲ Γεωργικὴ προτέρα καὶ δευτέρα, ὅσαι ἀπὸ τῆς γῆς, οἷον Μεταλλευτικὴ καὶ εἴ τις ἄλλη· ἡ δὲ Γεωργικὴ μάλιστα, ὅτι δικαία. *Ex iis, quæ poſſidemus, prima eſt cura quæ ſequitur naturam. At ordine naturæ prior eſt Agricultura: & ſecundum obtinent locum quæcunque aliquid è terra proferunt: Qualis eſt* Metallorum *ars, & ſi qua eſt alia hujuſmodi, præcipuè tamen Agricultura quòd ſit juſta.* Quæ ultima verba, quàm non *Metallicæ* inprimis quæ in auro argentoque, avaritiæ ac ſcelerum irritamentis, occupatur, conveniant, Sinenſes, apud quos tamen innumeræ *metallorum* ſunt fodinæ, hodieque agnoſcunt. Unde, aurum & argentum ne eruatur, lege apud illos cautum eſt, eo quòd, præter modò dicta, noxiis exhalationibus paſſim in mineris homines interire neceſſe habeant, quorum vitam pluris, quàm aurum argentumque (propter quæ Europæi & terræ matris viſcera ſcrutamur & ſuperficiem hominum cadaveribus ſæpe replemus) ab Imperatoribus ac Regibus æſtimari par ſit. Primùm autem Ferrum ac Æs, exin Argentum, ſerò tandem Aurum effodi cœpiſſe, ex *Plinio* diſcimus. Vide quoque Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſ. c.* 15. *Agricolam*, alios; uti de *Metalli ſeptuplicis* præfectura Platenis attributa, à veteribus horumque circa iſta ſuperſtitione, ſuprà aliquid voce *Lamina*: de *Metallis* olfactu dijudicari ſolitis, infrà voce *Olfactus*: de Chriſtianis olim frequenter *ad Metalla* damnatis, aliquid infrà itidem, voce *Phunon* &c. Addam pauca de præſtantiſſimis *Metallifodinis*, quæ hodie in America, olim in Hiſpania fuêre, è qua tanta *Metallorum*, auri præcipuè ac argenti, in Romanum ærarium copia olim illata eſt, à triumphantibus, Cn. Cornelio Lentulo, M. Helvio Blaſone, Q. Minucio Thermo, M. Porcio Catone, M. Fulvio Nobiliore, C. Calphurnio Piſone, L. Quinctio Criſpino, Q. Fulvio Flacco, T. Sempronio Gracchο, L. Poſthumio Albinio aliiſque, ut meritò dixerit Antonius Auguſtinus, *Hiſpaniam id temporis Romanis fuiſſe eô locô, quô nunc Hiſpanis America eſt*, Vide Adam. Preyelium *Sinâ & Europâ c.* 30. & ſuprà in voce *Fodina*. De Dæmonibus, ſubinde in locis, unde *Metalla* eruuntur, conſpicuis, ita quoque modò memoratus Auctor: *Hîc iterum*, inquit, *quæri ſolet quæ ſint illa dæmonia in fodinis obverſantia, cur execrationibus & fiſtulâ ibi ſit abſtinendum? Dæmonia videntur valde operosè laborare, cùm tamen nihil moveant, nihil promoveant (aliquando utique irritantur ac pœnas infligunt) id quod foſſoribus divitis venæ indicium, Princeps aëris & inferni eſt Satan, dominatur per inferiora, donec catenis relegetur in abyſſum tenebrarum ubi ignis ei æternus paratur. Habuerit ille Apoſtaſiarcha ſuos præfectos ac emiſſarios ad* 4. *mundi plagas; Sint ætherei, ſint aërei, aquei & terreſtres, ipſi famuli; ſint regnorum, fluviorum, negotiorum patroni; ſint marini, ſylvani, tutelares denique: ſed quis nobis gradus iſtos definiet cùm hactenus nemo eos demonſtraverit, niſi ex uſu Paganorum & ſimilitudine noſtrorum conceptuum. Ubi ſub aquis, & in viſceribus terræ ſunt, illic campi Elyſii, palatia, regiæ turbæ & ſplendores infernales. Injunxerit princeps eorum ſuis diverſiſſima illa miniſteria & jubendo firmârit corpora illis ſpiritualia, terrenæ maſſæ expertia, quibus ut inſtrumentis utantur & exuantur finitô miniſteriô, cùm ſcenâ excedunt: Sint & theſaurorum cuſtodes aut perverſores*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

res adeoque ultores &c. Hactenus ille. Vide quoque Nicolai Rigaltii *Notas ad Agrimenſores p.* 144. Phil. Jac. Mausſacum *ad Harpocrationem p.* 149. Joſ. Caſtalionem *Var. Lection. c.* 20. Lud. de la Cerda *Adverſar. c.* 142. Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim* &c. Hinc *Metallica*, *Georgio Agricolæ* dicuntur, quæ vel metalla ipſa ſunt, vel juxta metalla reperiuntur, vel dum in fornacibus alia excoquuntur, fiunt vel aliqua aliâ præparatione ex eiſdem conſiſtunt: *Metallici* verò quaſi Metallo addicti & mancipati dicuntur *l.* 8. §. *in miniſter. alibique*, qui *ad Metallum* (quod inter mediocris pœnæ genera numeratur à Paulo *l.* 5. *ſent. t.* 7.) erant damnati: Cujuſmodi pœnam à Tarquinio Superbo excogitatam eſſe, tradit Eutropius *l.* 1. *c.* 10. Sed jam ante eum Semiramidem *Metalla* inveniſſe eaque per captivos exercuiſſe, refert *Diodor. Sic.* & ex eo *Suidas*, ut diximus. Habebant autem Romani *Metalla* multa, ut in Macedoniâ, Epheſi, præter Hiſpaniam paulò antè memoratam: quibus duo alia addit Juſtinianus *Novell.* 22. τὸ ἐν τῇ προκοννήσῳ & τὸ ἐν τῇ καλουμένῃ γύψῳ; præter quæ *Docimeni* quoque & *Troadenſis* mentio eſt, *in l.* 9. & 11. *de Indulg. deb. in Cod. Theod.* Quò ſontes, vinculis additis, ad inquirendas eruendaſque ut dictum, venas, damnabantur. Adimebat autem hæc pœna libertatem & ſervitutem irrogabat *l.* 8. §. *eſt pœna* & *l.* 17. *l.* 36. *ff. de pœnis*, *l.* 3. *ff. de his, quæ pro non ſcrip. hab.* Cœterum diverſa ſunt *in metallum*, & *in opus metalli damnari*, *d. l.* 8. *alibique paſſim.* Nam qui *in metallum* damnati ſunt, gravioribus: qui *in opus metalli*, levioribus vinculis premebantur. Hinc refugæ ex opere metalli, in metallum dabantur: refugæ verò Metalli, gravius ac duriùs coërcebantur, *l.* 8. §. *inter eos*, 6. *ff. de pœn. l. pen. in fine ff. de var.* &c. Briſſonius apud Joannem Calvinum *Lexic. Jurid.* è quo rerum *Metallicarum* appellationes technicas, juxta noſtram linguam, quoque hîc ſubjungere viſum eſt.

RERUM METALLICARUM APPELLATIONES TECHNICÆ LATINO-GERMANICÆ,

Æs purum, *Gediegen Kupffer.*
Alveus, *ein Treg.*
Argentum, quod ſtatim ſuum eſt, *Gediegen Silber.*
Argentum rude, *Silber-Ertz.*
Argentum rude puniceum, *Rotgulden-Ertz.*
Argentum rude plumbei coloris, *Glaſs-Ertz.*
Argentum rude nigrum, *Schwarz-Ertz.*
Argentum rude purpureum, *Braun-Ertz.*
Argentum rude cinericium, *Graw-Ertz.*
Argentum rude ruffum, *Rotbrendig-Ertz.*
Argentum vivum purum, *Gediegen Queckſilber.*
Anthrax, ſive vena minii, *Queckſilber-Ertz.*
Caput dimenſionum, *Fundtgrub.*
Carbones foſſiles, *Steinkolen.*
Carrus, *Karren.*
Caſa, *Kann.*
Ceruleum, *Laſur.*
Chryſocolla, *Berggrün oder Schyfergrün,*
Cobaltum, *Cobalt.*
Cuniculus, *Stollen.*
Dæmon metallicus, *das Bergmemlein.*
Declive montis, *das Geheng des Gebirgs.*
Dimenſio, *Maſs.*
Excoquere, *Schmeltzen.*
Exitus venæ, *das Ausgehen deſs gangs.*
Extenſio venæ, *das Streichen des gangs.*
Ferrum purum, *Gediegen eyſen.*
Fibræ, *Klufft und geſchikt.*
Fluores, *Fluſs.*
Fodina, *Grub oder Zech.*
Foſſam agere, *Schroffen:*
Funis ductarius, *Seil.*
Galena, ſive Molybdæna, *Glantz und Bleyertz: auch Bleyſchwayff.*
Gypſum foſſile, *Gyps.*
Jacens, *das Liegende.*
Jurati, *die Geſchworene.*
Jurati Duumviri, *Zween Geſchworne, die ein gebirg beſahen.*
Lapis Specularis, *unſer lieben Frauen eyſs.*
Lapilli nigri, *Zwitter.*
Ligo; *Retthau.*
Lithargyrum, *Glett.*
Machina tractoria, *Haſpel.*
Magiſter metallicorum, *Bergmeiſter.*
Malleus, *Berghammer, Feuſtel.*
Metallici, *Bergleüt.*
Minium, *Bergzynober.*
Ochra nativa ſive Sil, *Berggeel, Ochrageel.*
Ochra factitia, *Bleygeel.*
Pendens, *das Hangend.*
Plumbum candidum, *Zin.*
Plumbum nigrum, *Bley.*
Præſes fodinæ, *Styger, oder Hutmann.*
Præfectus rationibus, *Schichtmeiſter.*
Puteus, *Schacht.*
Pyrites, *Kys.*
Pyrites colore argenteô, *Waſſerkys oder Wiſſerkyſs.*
Pyrites colore aureô, *Ein geeler Kys, oder Kupferkys.*
Pyrites prorſus aurei coloris, *Kys das gantz goldfarbig iſt.*
Pyrites colore galenæ ſimilis, *ein glanziger Kys.*
Pyrites cineraceus, *ein grauer Kys.*
Recrementum, *Schlacken.*
Rubrica fabrilis naturalis, *Bergrotel.*
Rubrica fabrilis factitia, *Rotel.*
Sandaraca foſſilis, *Bergrodt.*
Sandix, apud Dioſcoridem, *Paryſrot.*
Saxum ſciſſile, *Schyffer.*
Saxum corneum, *Hornſtein.*
Saxum harenoſum, *Sandſtein.*
Situlus, *Kobel.*
Spatum, *Spet.*
Specus, *Schacht.*
Splendor, *Glimmer, oder Katſenſilber.*
Terminus, *Lochſtein.*
Tumulus è fodina egeſtus, *Haldt.*
Vena, *Gang.*
Virgula divina, *die Ruthe* &c.

METALLICA Planta, in *Muſæo* Kircheriano, chymicæ artis Magiſterium; quam *Phœnicem redivivam* Auctor vocavit. Eſt in hermeticè occluſo vaſe vitreo, aqua ab omni ſeminali permixtione depurata, confecta ex cineribus plantæ, quæ *Adiantum* dicitur; cujus cineres in ſalem chymicô magiſteriô reducti, eâ virtute & proprietate pollent, ut eandem plantam reproducant, perpetuæ generationis & corruptionis viciſſitudine perennem. Sic herba iſta perpetuo renidens, *Phœnicis* inſtar, vivendo moritur & moriendo vivit: quæ res multis hactenus fruſtra tentata eſt. Sed & hiſce alia conjuncta in peculiaribus phialis Naturæ miracula oſtenduntur ibidem; quibus integram abietum ſylvam, tanquam peritiſſimi Artificis penicillô adumbratam, aut ſcalprô exciſam, in vitro parvi laboris impendiô ſpectabilem reddit Auctor; uſque adeò quidem, ut colore viridi ſubflaveſcente, pineis racemis, foliis comatis & cypariſatis, imò radicibus ex terre erumpentibus & intervallô truncorum in terræ ſuperficie mille arbuſtulis in diverſo gramine interjectis, ipſæ abietum formæ ſub aſpectum oculi veniant, nec evaneſcant, niſi fortè fractô vaſe. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo c.* 9. & ſuprà *Arbor Metallorum.*

METALLICUS Proteus, vide infrà *Proteus.*

METALLINÆ Caſtra, melius *Metallinum*, oppid. Extremaduræ, ad Anam, ubi Zujam amnem recipit, 17. leuc. à Pace Auguſta in Ortum, uti & 7. ab Emerita. Patria Ferdinandi Corteſii, qui regnum Mexicanum occupavit; Nunc *Medelin.* Hinc nomen illuſtri familiæ, quæ ramus eſt ſtirpis *Portocarrero.* In hac enim cùm Alonſus Fernandus, Dn. *de Moguer*, duos haberet filios, Martinus ſucceſſor Patris fuit & per neptem Mariam, in Gironum familiam, hæreditatem ſuam ac nomen tranſmiſit: alter Rodericus *Comitis Metellini* (Hiſpanicè *Medellino*) dignitate auctus eſt eamque ſuis poſt ſe reliquit. Natus enim ex Leonora *de Monroy*, vel Elvira *Horozko*, Beatricem ſeu Mariam Pachecam (filiam Johannis Pacheci Gironis Marchionis Villenæ, qui obiit A. C. 1474.) ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Johannem Portocarrerum Comitem *de Medellin*: quô, & Agnete *de Ribera* (filia Peraſani *de Ribera Comitis de los Molares*) genitus Rodericus Portocarrerus, ex Leonora Toletana ſuſcepit Johannem Portocarrerum Comitem *de Medellin*, maritum Mariæ Oſoræ (Johanne Portocarrerô Marchione *de Villanova de Freſno* genitæ) & ex ea patrem Roderici Portocarreti Comitis *de Medellin*: cui Johanna *de Corduba* (filia Ludovici Fernandi *de Corduba* Marchionis *de Comares*) genuit Johannem Portocarrerum (cui uxor obtigit Luiſa *Fajardo*, filia Franciſci Hurtadi *de Mendoza*, Marchionis *de Almazan*) Petrum Portocarrerum Comitem *de Medellin* (qui primis ſibi nuptiis junxit Mariam Mendoziam, filiam Garſiæ Raimiri *de Cardenas*; alteris Annam, filiam Ludovici Ferrandi *de Corduba*, *Cardona* & *Aragon.* Comitis *de Prades*) Ludovicum, Franciſcum & Mariam. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 4.

METALLORUM Comes, vide ſuprà.

METALLUM, in variis Veterib. numiſmatibus, vide ſuprà, in voce *Medallia.*

METAMORPHISTÆ, nomen illorum, qui ſeculô præteritô Corpus CHRISTI in cœlis, mutatum fuiſſe in Deum fabulati ſunt.

METAMORPHOSIS τοῦ Σωτῆρος, dicitur hodiernis Græcis Feſtum Transfigurationis Domini noſtri, quod die Auguſti ſextô celebrant, durante Quadrageſima τῆς ἁγίας παρθένου, *ſanctæ Virginis*: quæ cùm quatuordecim duret dies, quibus *nec carnem*, *nec piſces*, ut ajunt, guſtare iis licitum, hôc tamen feſtô piſcium caro illis permiſſa eſt, Jac. Sponius *Itiner. Græciæ Part.* 2. *p.* 353. Vide & ſuprà *Megali.*

METANGI, ſeu *Metangiſmonitæ*, vide ſuprà *Collutiani.*

METANGISMONITÆ, Hæretici, verbum in Patre, tanquam unum vas in altero eſſe delirârunt. Auguſtin. *hær.* 58. Philaſtr. *de hær.*

METANIA, apud ſequioris ævi Latinos, genuflexio eſt ſeu inclinatio, ex Græco μετάνοια, quæ vox Græcis citerioribus idem denotat. Duplex autem ea; μεγάλη ſcil. *magna*, cùm quis totô corpore, ſine tamen genuum flexione, ſe ferè ad terram uſque antrorſum inclinat; & μικρὰ *parva*, cùm tantùm cervicem inclinat & caput aliquouſque. Gerlachius apud Cruſium *in Turco-Græcia p.* 205. Hinc βάλλειν ſeu ποιεῖν Μετάνοιαν, *Reverentiam facere*, apud Dorotheum *Doctr.* 4. Decapolitam *de Mirac. S. Georgii*, alios, laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſar.* Quia verò Græci, in confeſſione, ſolent *pœnitentiæ* locô profundas hujuſmodi inclinationes imponere, hinc eſt, quòd promiſcuè *Metanœa*, tam apud Græcos, quàm apud Latinos Scriptores, *pœnitentiam* iſtiuſmodi Eccleſiaſticam notet. Unde Petrus Damianus, ubi de piis operibus, ab Eremitis in defunctorum Fratrum gratiam, impendi ſolitis, agit. *Cùm*, inquit, *frater quidam ex noſtris obierit, unuſquiſque pro eo ſeptem diſciplinas, cum millenis ſcoparum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rium ictibus accipit, ſeptingentas Metanœas *facit, triginta inſuper pſalteria*, &c. ubi per *Metanœas*, profundas corporis inclinationes, intelligit Dominic. Macer. Sed & *Metanœa*, aſceterium eſt pœnitentium Mulierum; cui nomen à celeberrimo Monaſterio Alexandrino inditum, cujus mentio fit in *Actis* Concilii Chalcedonenſis &c. Vide præfatum Macrum in *Hierolexico* & infrà in vocibus *Palmata*, *Pœnitentia*, *Reverentia*, *Venia*.

METANIRA, Celei conjux Ovid. *Faſt. l.* 4. ubi codd. vulgò *Menelina*, alii *Menalia*, alii *Melanira*, Μελανείρα eſt Nicandro *in Theriacis*, ejuſque Scholiaſtæ, itemque Nonno *Dionyſ. l.* 27. *&* 47. cui ἀρχαίη dicitur καὶ ἐξοχὴν, ut & Nicandro. Μελανείραν etiam vocat Apollodorus *l.* 1. bis, ut & Ariſtides *in Eleuſinia Oratione*, Athenagoras *Legatione pro Chriſtianis*, & Joh. Tzetzes *in Heſiodum.* Μεγανείρα Pauſaniæ *in Atticis*, & Nicandri Scholiaſtæ *in Alexipharm*, mendosè dicitur. Hujus nominis ſcortum etiam nobile fuit Athenis, Athenæus *l.* 3. *&* 13. à Lyſiâ, & Iſocrate amatum, niſi diverſæ fuerint.

METAPA, urbs Acarnaniæ, *Steph.*

METAPHRASTES Simeon, vide *Simeon* & *Simon.*

METAPINUM; unum ex oſtiis Rhodani. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

METAPONTIS, inſula, vide *Syme.*

METAPONTUM, Italiæ oppid. in ſinu Tarentino, à Pyliis, qui Neſtore duce à Troja navigaverunt, conditum; adeò terræ proventu felix, ut eâ gratiâ auream æſtatem Apollini Delphico aliquando donum obtulerint. Melâ *l.* 2. *c.* 4. & Strabo *l.* 6. Idem habet Scholiaſtes Dionyſii *in hos verſus.*

> Τοὺς δὲ μεθ' ἑξείης Μεταπόντιοι, ἐγγύθι δὲ σφῶν
> Ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐϋστεφάνοιο Κρότωνος.

Accedunt nummi, *ſpicâ*, in Cereris honorem, ſignari ſoliti. Cum Inſcr. ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ. *Ptol.* & *Strab. Metapontium.* A *Metabo* Heroë dictum ſcribit *Steph.* Siſyphi filio, quem barbari Metapontum vocant. *Torre di mare Leandro. Pelicore Gabrieli Barrio. Thebeſaze* verò caſtellum hôc locô nunc eſſe ſcribit *Niger. Vibo* aliquando vocata fuit, ut Solinus *c.* 8. author eſt. Sic quoque eam nominat Cæſar *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 89. Σίρις olim etiam dicebatur, teſte *Euſtathiô. Baudrando* urbs fuit Lucaniæ, ad oſtia fluv. Caſuenti, in ora ſinus Tarentini, in Meſſapiæ confinio, à Samnitibus everſa, nunc caſtrum tenue: *Torre di Mare*, in Baſilicata, 20. mill. paſſ. à Tarento in Occaſum, 12. ab Heracleæ ruinis in Septentrionem, 14. à Caſtellaneta in Meridiem *Leand. Albert.* Vide quoque Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Magnæ Græciæ* urbibus agens, locum Juſtini addit *l.* 20. *c.* 2. *Metapontini in templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi ſunt, Equum Trojanum fabricavit, oſtentant:* & horum agro Lucaniam finiri, docet ex Plinio *l.* 3. *c.* 11.

METARIS, æſtus ſive fluv. Albionis, in ora Angliæ Orientali. *Ptol. The Washes Camdeno.* Circa Boſtonum oppid. in agro Lincolnienſi, ut quidam volunt: Inter Icenos & Coritanos.

METARUS, Hiſpan. Tarracon. fluv. *Ptol. Mearos* Melæ, *l.* 3. *c.* 1. teſte *Pintianô:* apud Trileucum promontor. inter Aſtures & Callaicos. Vide *Mearus.*

METATIUS, Curator Illyrici ſub Valeriano, Pollio *in Claudio c.* 15. ubi *Metianus* legi vult *Salmaſ.*

METATORES Caſtrorum, apud Romanos dicti ſunt, qui exercitum præcedentes locum caſtris eligebant: His ſuberant *Menſores*, qui in caſtris ad podiſmum dimetiebantur loca, in quibus tentoria milites figerent, vel qui hoſpitia in civitatibus deſignabant. Magnæ autem id artis opus: Unde Alb. Tibullus *ad Meſſallam l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 82.

> *Nam te non alius belli tenet aptiùs artes.*
> *Quà deceat tutam caſtris praducere foſſam.*
> *Qualiter adverſos hoſti defigere cervos.*
> *Quemque locum ducto melius ſit claudere vallo,*
> *Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,*
> *Ut faciliſque tuis aditus ſit & arduus hoſti.*

Et Claudian. *de* 4. *Honorii Conſulatu, v.* 323.

> ——— ——— *Ponenda ſalubri*
> *Caſtra locô, prahenda vigil cuſtodia vallo;*
> *Diſce ubi denſari cuneos, ubi cornua flecti*
> *Æquius, aut iterum tendi, quæ commoda vallis,*
> *Quæ via difficilis.*

Artem hanc *Gromaticam* vocat Pet. Pithœus *Subſeciv. l.* 2. *c.* 14. ſed Gromatica in genere legitimam limitum directionem, quæ ex principiis Geometricis fit, denotat, dicta à voce *groma*, quæ ex Græco γνώμων orta eſt. Unde Gromatici Ciceroni *Agrar.* 1. *Finitores* dicuntur itidem *ſocii Arvales.* Græcis etiam οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασαί. Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. p.* 443 Quâ occaſione de *Metatoribus* in genere quædam ſimul interſerere viſum. Uti autem *groma* interdum in medio ſpatii, cujus erat menſura capiunda & ad lineam dirigenda, locabatur, tumque in tetrantem poni dicebatur: ſic eâdem machinâ, in Caſtrorum metatione delineanda, utebantur, & *locus groma* vocabatur, prope Prætorium, in ipſo *metationis* centro, quia ibi groma ſeu *gruma* ponebatur ad dictandas metas; Quæ in tetrantem ibidem tum poni ſolebat, ut ad medium quatuor viæ convenirent, & quatuor reſponderent portæ. Nempe, quemadmodum Forum in coloniis, in medio oppido poſitum erat, ad quod è quatuor portis viæ erant æquales; nam è Foro quatuor Coloniæ portæ conſpiciebantur; ita & in Caſtris, gromâ in tetrantem poſitâ, ad gromæ locum è quatuor portis congruebant ac conveniebant homines. Atque hic locus in Caſtris medius Forum erat caſtrorum, ad introitum Prætorii, ubi turba congruebat; ubi legationes & nuntii audiebantur, omniaque adminiſtrabantur. Sic poſitâ itaque gromâ, portæ caſtrorum in conſpectu rigoris ſtellam efficiebant. Hyginus *in Gromatico. Sive in dictatione metarum poſito ferramento groma ſuperponatur, ut portæ caſtrorum in conſpectu rigoris ſtellam efficiant.* Nempe groma fixo in terra ferramento ſuperponebatur & ſuper ipſum ferramentum quamcunque in partem movebatur percuſſa, ad dictandum rigorem & lineas dirigendas: Pertica autem fuit, normas habens & perpendicula pendentia; ſeu etiam fila ſive funiculos ac pondera, quod perinde; & proin eadem fortè cum Græcorum Chorobate. Hinc de groma, qua agrorum caſtrorumque *metatores* utebantur, Auctor *Dirarum*,

> *Pertica, quæ noſtros metata eſt impia agellos.*

Et Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1.

> *Abſtulerat patrias pertica triſtis opes.*

Vide infrà in *Pertica.* Quum igitur tota limitandorum ac metandorum agrorum, qui aſſignabantur, nec non conſtituendorum limitum ac dirigendæ menſuræ ratio, per ferramentum & gromam explicaretur, ut ad verum Solis ortum, i. e. æquinoctialem lineam rectè capere poſſent, Meridiem prius excutiebant, qui ſemper idem eſt: quô deprehenſô ortum & occaſum Solis de facili poſtea tenebant; & in Coloniis deducendis agriſque publicè viritim dividundis, lineam ducebant ab hoc ortu uſque ad occaſum, qui limes ita agrum ſecans *Decumanus* vocabatur. Dein aliam lineam per mediam illam decuſſatim ac normaliter in rectum ejiciebant, quæ à Septentrione ad Auſtrum deſcenderet: qui limes *Kardo* dicebatur. Horum priorum, *Decumanus* nempe, cùm longior tum latior fuit, quàm *Kardo*; & quidem multi, teſte *Hyginô*, agri longitudinem ſequuti, quà longior erat, *Decumanum* faciebant latitudo eidem, ex Auguſti lege, pedum fuit quadraginta, *Cardini* viginti. Ambobus autem quaſi viis ampliſſimis ac regiis in decuſſem ſeſe invicem ſecantibus, tota territorii aſſignati ac diviſi limitatio dirimebatur & quatuor regiones univerſæ perticæ (quô nomine totum Coloniæ territorium veniebat) fiebant &c. Uti verò, qui ſpatium condendæ urbi deſignans murorum ambitum circumſcribebat, vias omnes ad lineam dirigebat, ſitumque ædificiorum publicorum delineabat, is propriè *urbem metari* dicebatur; ſic omnino, qui *caſtra metabantur*, primò omnium ſolebant μετρῆσαι καὶ διελεῖν κατ' ἀγυιάς, *degrumare vias*, uti *Lucilius* vocat in hiſce.

> ——— ——— *viaſque*
> *Degrumabis, ut in caſtris menſor facit olim*

Unde verbum *metari*, quod per ſe ac ſimpliciter nil aliud ſignificat, quàm *metas ponere & conſtituere*, in *eligendi* notionem tranſiit, eâ de cauſâ, quod aſſignatione cultus tantùm ager & pinguis atque adeò electilis dabatur. Sic enim Veteres Grammatici τὸ *metari* explicant, apud Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 274.

> ——— *ſeu pinguis agros metabere campi*, &c.

Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim, inprimis p.* 669. *& ſeqq.* ubi totam Veterum metandi urbes, agros, *caſtra* rationem fusè exponit, & accuratè perſequitur. De *Caſtrametatione* porrò Hyginus, prolixè egit, vide quoque Lipſium *de Mil. Rom.* Thom. Dempſter. *Paralipom, in Roſin. l.* 10. *c.* 12. &c. ſuprà item, voce *Menſores*, ac infrà *Submonitor.* Addo ſaltem, apud Græcos recentiores *Metatorem* Μιτάτορα dici: quibus & Μιτάτον, hoſpitium quod militibus præbetur à provincialibus, Μιτατώριον quoque ſeu Μετατώριον, idem quod Ἀσπαστικὸν ſeu Διακονικὸν, Latin. *Salutatorium*, locum notat extra Baſilicam, in quo peregrinos ab Epiſcopo excipi mos, vide Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* in his vocibus, cui adde B. Briſſonium *de verbor. ſignific. l.* 11. *in Metatores.*

METAURUS, ſeu METAURUM Pomp. *Melæ l.* 2. *c.* 4. *Metauria* aliis, oppid. Brutiorum in ora Calabriæ ulterioris. *Gioja* hodie. A Roſarno oppido 6. mill. paſſ. in Ortum Scyllæum verſus, apud Taurianum, patria Steſichori. Ita *Ferrarius.* Atqui *Mataurus* urbs Siciliæ, patria iſtius poëtæ fuit. Vide Steph. in Μάταυρος. Quanquam Ἱμεραῖος ἀνὴρ dicitur Philoſtrato *l.* 6. *de vita Apollonii.* Quibuſdam eſt *Oppido*, aliis autem *Gioja*, oppidul. ad oſtia Metauri fluvii in ora maris Tyrrheni 9. mill. paſſ. à Nicotera in Merid. 18. à Scyllæo in Septentrionem. *Baudrand.*

METAURUS, fluv. Brutiorum, cujus oſtium ex adverſo Æoliarum inſularum deſcribitur à Plinio *l.* 3. *c.* 5. Hodie *Marro fiume*, teſte *Cluveriô.* Prope Seminaram caſtrum labitur; & auctus aliquot minoribus, juxta Metaurum oppid. in mare Tyrrhenum ſe exonerat, 7. mill. paſſ. à Roſſarno in Auſtrum, uti & ab oſtiis fluv. *Metramo*, Meſuna antiquis dicti.

METAURUS, Umbriæ fluv. ingens; hodie *Metaro* penultimâ correptâ, ut Piſaurum nunc *Peſaro: Ferrar. Baudrando* nunc fluv. eſt Ducatus Urbini, vulgò *Metro.* Oritur ex Apennino, dein Fanum S. Angeli in Vado, Urbaneam, & Forum Sempronii rigat; poſteà auctus aliis fluviis in ſinum Adriaticum ſe exonerat, 4. milliar. à Fano Senogalliam verſus. Lucan. *l.* 2. *v.* 405.

> *In lævum cecidêre latus veloxque Metaurus,*
> *Cruſtumiumque rapax.* ———

Vide quoque Sil. *l.* 8. & Claudian. *in Paneg. de* 6. *Conſulatu, Honorii.* Nobilitavit eum maximè clades Haſdrubalis. Vide Horat. *l.* 4. *Od.* 4. Silium *ubi ſuprà*, & Sidon. Apollinar. *Panegyr. ad Anthemium Aug.*

METAXA, vel MATAXA, ut libentiùs olim ſcribebant, propriè *filum* vel *ſertam* ſignificat; unde *lini metaxa*, *Lucilio*, pro *lini filo*, quod σειρὰν interpretatur optimum *Gloſſarium.* Poſteà propriè & abſolutè, pro *ſerico* vel *filo ſerico* denotando ſumi cœpit. Procopius *Perſic. l.* 1. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ μέταξα, ἐξ ἧς εἰώθασι τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν, τανῦν δὲ σηρικὴν ὀνομάζουσι. *Hæc autem eſt metaxa, ex qua conſueverunt veſtem conficere, quam olim quidem Medicam Græci, jam verò Sericam appellant.* Quemadmodum & πήνην recentiores Græci abſolutè *metaxam*, h. e. ſericum, vocant, cùm Veteres, πήνην quodvis etiam filum & ſubtemen nuncuparent &c. Salmaſ. *Not. ad Vopiſcum in Aureliano c.* 45. & *ad Tertullian. de Pallio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pallio. Inde *Metaxarii*, ſericorum Negotiatores, in *l. ult. Cod. de Pignor.* Μεταξάριοι, *Eclog.* 2. *c.* 56.

METELIS, urbs Ægypti juxta Heracleoticum oſtium Nili non obſcura, ab Alexandria 60. mill. paſſ. in Ortum Peluſium verſus. *Roſetto* Italis, *Raſchit* Turcis, teſte *Benjam. Tudelenſ.*

METELLI Caſtrum, ſeu *Metelloburgus*, urbs Zeelandiæ primaria, vulgò *Mittelburg* vel *Middelburg*, in Valachria inſul. vix 1. milliar. ab ora littorali, ampla & permunita, ſub dominio provinciarum unitarum Belgii. 1. leuc. à Vliſſinga in Cæciam, 4. à Clauſulis, uti & 12. ab Antverpia in Circium. Per annum ferè à Batavis obſeſſa fuit, & ab ipſis expugnata, A. C. 1574. Emporium eſt celebre. Vide *Middelburgum.*

METELLI Milites, qui & Ærarii. Vide Meurſium *ad Lycophronis Caſſandram p.* 300. Memorantur plures *Metelli*, ut Balearicus, Vittatus, quem Plin. *l.* 7. *c.* 44. Diadematum vocat, alii. Vide infrà.

METELLUS, Pontifex Romanus adeò impeditæ ac balbutientis linguæ, ut multis menſibus fatigatus, tortuſque fuerit; dum meditaretur in Æde Opiferæ dicere. Multis diebus in Pontificatu vixiſſe perhibetur. Hic Metellus, prænomine *Lucius*, conflagrante Æde Veſtæ Palladium Trojâ advectum ſubtraxit ab incendio, magnâ quidem pietate, ſed eventu miſerô. Nam dum in flammas avidus ſe conjiceret, orbatus eſt viſu. Plin. *l.* 7. *c.* 43. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 138.

——— Procedat ut Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.

Hic etiam primô bellô Punicô de Pœnis ſpecioſiſſimum egit triumphum, 13. ducibus hoſtium & 120. elephantis in eo ductis. Vide Liv. *l.* 19. *Nic Lloyd.*

METELLUS, Pœnis & Siculis ſocia adverſus Romanos arma parantibus, Imperator cùm eſſet creatus, omnibus Diis, exceptâ duntaxat Veſtâ, ſacrificium fecit: cui propterea iratæ Metellam filiam immolaturus erat, ſed Dea, adoleſcentulam miſerata, buculam ſuppoſuit, puellamque ad Lanuvium pater deferens, ſacerdotem draconis, qui ibi colebatur, fecit. Plut. *Parall.*

METELLUS Q. Cæcilius, à domita Macedonia *Macedonicus* vocatus. Prætor Pſeudo-philippum, & Achæos, quos bis præliô fudit, triumphandos Mummio tradidit. Inviſus plebi ob nimiam ſeveritatem, ideò Conſul ægrè factus. Liv. *l.* 59. Etiam in Hiſpan. victor, moriens 4. reliquit filios, ex quibus tres Conſules vidit, quartum triumphatorem, Q. C. Metellum, qui *Balearicus* à victoria dictus. Aur. Victor. *c.* 61. Plin. *l.* 7. *c.* 44. Florus, *l.* 3. *c.* 8. Lycoſthenes *in Plin. de Vir. Ill.* Hic ille *Metellus* eſt, qui in exercitu arcanum quiddam interrogatus, reſpondit εἰ ᾤμην τὸν χιτῶνά μου συνειδέναι τοῦτο τὸ ἀπόῤῥητον, &c. *Si exiſtimarem tunicam mihi eſſe conſciam hujus arcani, exutam eam in ignem injicecerem.* Plut. *de Garrulitate.* Vide plura de eo apud Plin. *l.* 7. *c.* 43. & 44. Cic. *l.* 1. *Tuſc. Idem Lloydius.*

METELLUS Q. Cæcilius Numidicus, quia de Numidiæ rege Jugurtha triumphavit, dictus: quòd legem Apuleji probare nollet, in exilium pulſus, ſed lege Calidii & precibus filii revocatus eſt. Hujus Metelli de uxoribus ducendis ad populum hæc verba fuerunt, teſte Gellio, *l.* 1. *c.* 6. *Si ſine uxore, Quirites, eſſe poſſemus, omnes eâ moleſtiâ careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis ullô modô vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati conſulendum.* Ejus filius *Q. Metellus*, cognom. *Pius* fuit, de quo vide Aur. Victorem *de Viris Ill. c.* 62. *&* 63. Florum *l.* 3. *c.* 1. 16. 17. Appian. *de Bell. Civ. l.* 1. *&c.*

METELLUS Creticus, à devicta Creta dictus. Plut. *in Pompejo.* Item *Metellus Dalmaticus* à devictis Dalmatis. Pædian. *act.* 3. *contra Verrem. Metelli* autem plebeji fuêre, ut ait Liv. *l.* 9. verùm clari victoriis & magiſtratibus, ac *Cæcilii* omnes vocati. Vide & *Lucius.*

METELLUS Tegerenſis, monachus Paſſavii, ſcripſit *Quirinalia* A. C. 1160. verſibus Lyricis, i. e. vitam S. Quirini, à Caniſio, edita, *tom.* 1. *antiq. Lect.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 7. Caſp. Brunſchius, *l.* 1. *de Petav. Germ.*

METELLUS, vide *Hugo Metellus.*

METEMPSYCHI, Græce Μετέμψυχοι. Hæretici, qui Pythagoræorum, (quibus ab Ægyptiis id traditum, Herodot. *Euterpe*,) imitatione *tranſmigrationem animarum* aſſerebant. Chryſologus *Serm.* 88. *Nemo cùm hæc audit*, Metempſychos *imputet.* Tertullian. *de Anima c.* 11. *Itaque metempſychoſin, ſi non in primo quoque vitæ hujus commeatu omnibus inclitis ſatisfaciat.* Alii. Nempe ita brevi impius hic error diſſeminatus eſt longè latéque, ut non Judæorum ſolùm complures, circa Chriſti tempora, invaſerit, (vide infrà aliquid ubi de *Phariſæis*) ſed & inter ipſoſmet Chriſtianos alicubi locum invenerit. Uti verò idem inter gentes fuerit ſparſus, & ad noſtra uſque tempora apud earum non paucas, propagatus vigeat etiamnum, fusè exponit Tobias Pfanner. *Syſtem. Theologiæ Gentilis purior.* quem vide. Addo hîc ſaltem, inter veter. Gallorum, ſeu Druidarum παλιγγενεσίαν & Pythagoræorum, hoc intereſſe, quod Pythagoras ac poſt illum Plato, etiam ad bruta, Galli verò ad homines tantùm, animas hominum tranſire aſſererent, uti ex Cæſare *Bell. Gall. l.* 6. docet Jac. Ouzelius *Animadverſion. ad Minucium p.* 201. *& ſeqq.* ubi de Getis quoque priſcis Germanis, Judæiſque modernis varia hanc in rem habet: uti de Indis, P. de Valle *Itinerar. Part. IV.* Contrarium huic dogmati delirium fuit Empedoclis, qui μετενσωματώσιν, ſtatuens, *unum corpus in aliud transformari* docuit; hiſce ab eodem Tertulliano irriſus, ubi ſuprà *c.* 32. *Planè ut piſcis, ne aliqua ſepulturæ conditio reputeſceret, aſſum ſe maluit in Ætnam præcipitando, atque exinde in illos finita ſit metenſomatoſis.* Vide Dominicum Macrum *in Hierolexico.*

METENSES, populi Germaniæ inferioris, ubi *Metenſis* tractus: *le pays Meſſin.* Regiuncula eſt inter Lotharingiam, inſerta, inter Lotharingiam propriam ad Ortum, Barrenſem Ducatum ad Occaſum, & Luxemburgenſem Ducatum ad Boream. Sub Gallis ab A. C. 1552. Ejus oppida Nomenium, Vicum; Marſalium & Gorza. Vide *Mediomatrices.*

METEOROSCOPIUM, Græcè Μετεωροσκόπιον, Ptolomæo *in Georg.* tam ἀστρολάβιον, quàm σκιόθηρον, dicitur. Licet enim μετέωρα aliud ſint, (vide aliquid de iis ſuprà, voce *Homo*) tamen etiam ſic *ſtellas* appellari conſueviſſe, conſtat. Heſychius, Μετεωροπόλιον, τὰ οὐράνια σκοπέντων. Alii tamen Μετεωροσκοπικὴν & Γνωμονικὴν diſtinguunt, ut Proclus ex *Gemino*, qui tertiam addit Aſtronomiæ partem, τὴν Διοπτρικήν. Et ſanè Ptolomæus ipſe *aliô locô* τὰ σκιόθηρα ſeparat ἀπὸ τοῦ ὀργάνου μετεωροσκοπικοῦ. Nempe σκιόθηρα de die tantum valent, μετεωροσκοπικὰ & noctu & die ad intervalla, magnitudines ac loca ſingularum ſtellarum ſignanda: cujuſmodi organa excogitaſſe Hipparchum tradit Plin. *l.* 2. *c.* 26. Græci recentiores Ἀστρολάβια dixêre. Sed & Σκιόθηρα quadantenus Μετεωροσκοπικὰ ſunt. Nam & Solis ortus ex umbris, & τὰ κατὰ κορυφὴν σημεῖα, & Meridiani per ea deprehenduntur, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 656. quem, ſi placet, vide.

METERCOSA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in Carpetanis. *Pedrazza de la Sierra*, teſte *Moletiô.* Hinc Trajanum ortum ferunt. 8. leuc. ab Aranda, Madritum verſus, in Eurum & Auſtrum.

METERANUS Emanuel, Antverpienſis, Mercator, Londini magna & ampla negotia habuit; cum Abr. Ortelio cognato Angliam & Hiberniam perluſtravit; diligens & accuratus Hiſtoriographus *Res Motuſque Belgicos* deſcripſit, *à Caroli V. natali, uſque ad ſua tempora*, Gallicè ac Latinè poſtea verſos; Obiit A. C. 1612. æt. 75. Londini, à Jac. Colio Orteliano, inſigni Epitaphiô honoratus. P. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.* Aliter & *Demetrius*, vulgò *Van Meteren*, dictus.

METHAMAUCUM, urbs olim Epiſcopalis aquis ſubmerſa, & portus, contra Medoaci fluv. oſtia 5. mill. paſſ. à Venetiis; quaſi μετὰ Μεδόακον. Vulgò *Malamocco.*

METHCA, nomen loci in quo caſtrametati ſunt filii Iſraël profecti de Thare. Num. *c.* 33. *v.* 28.

METHNICUS Hieronymus, vide *Hieronymus.*

METHODICI, Medicorum genus, de quo vide ſuprà voce *Medici.*

METHODIUS, Dalmatas & Slavos convertit ſub Ludovico II. Imperat. A. C. 862. Bohemos dein ad fidem perduxit, Borzivoô Rege baptizatô, A. C. 894. quibus, ut & Moravis, jam antea à ſe converſis, adhuc A. C. 910. diligenter Chriſtum prædicavit. Læt. us *Comp. Hiſt. Univ.* Alius cognomentô *Eubulius*, Epiſcopus Tyrius, Martyr ſub Diocletiano & Maximiano, A. C. 303. Fuit quoque nomen duorum Patriarcharum Conſtantinopolitanorum.

METHONE, urbs Peloponneſi in ora Meſſeniæ ad Occaſum tempeſtate clariſſima, & ſedes Præfecti; Turcis *Maitune*, teſte *Leunclaviô. Pedaſus* Homero *Il.* ζ. *v.* 21. teſte *Ferrariô. Baudrandô* hodie *Modon*, urbs in ora Meſſeniæ Auſtralis emporium celebre, cum portu capaciſſimo, in provinc. *Belvedere.* Cum arce permunita. Eſtque valde populoſa, 15. mill. paſſ. à Corone in Africum, 22. à Tænario promontorio in Occaſum, 105. à Nauplia in Africum, ſub Turcis, à Bajazethi II. tempore, qui illam A. C. 1498. cum Naupacto, Mytilene, &c. expugnavit, magna in devictos ſævitiâ uſus. P. Jovius *Hiſtor. l.* 8. *c.* 10. Vid. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 388.

——— Quem parva Methone.
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon.

Alia in Macedonia juxta Thraciæ fines apud Olynthum, cujus meminit Demoſt. *Orat. contra Philippum*, qui ibi in pugna oculô unô privatus eſt, expugnata & direpta ab eodem Olymp. 106. an. 3. Sunt etiam plures hujus nominis urbes. Vide Steph. in Μεθώνη. *Nic. Lloydius.*

METHURIADES, inſulæ 4. parvæ in ſinu Megarico, inter Æginam, Atticam, prope Troezenem. *Steph.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ferrar.*

METHURION, urbs Arcadiæ, alia Theſſaliæ. *Steph.*

METHU-SUPHIS, Memphitarum Rex XIX. poſt Phium, ante longævum Phiopem, præfuit ann. ſeptem: Paulò ante Joſephum natum. Joh. Marſhamus ex *Manethone.*

METHYDRIUM, oppid. fuit Peloponneſi, in agro Megalopolitano. *Xenoph.*

METHYMATNUS, fil. Maſiniſſæ, an. ætat. 86. ei natus.

METHYMNA, urbs Lesbi inſul. poſt Mitylenen primaria, in ora ad Ortum à *Methymna* Macaris filia, uxore Lepydni. Patria Arionis citharœdi nobilis. Illic naſcitur optimum vinum. Ovid. *l.* 1. *de Arte Amand. v.* 57.

Gargara quot ſegetes quot habet Methymna racemos.

Vide quoque Sil. *l.* 7. Virgil. *Georg. l.* 2. *v.* 90. Propert. *l.* 4. *Nic. Lloydius.*

METHYMNA Aſidonia, urbs Vandalitiæ; *Medina Sidoniæ* vulgò. Vide *Aſindum.*

METHYMNA Campeſtris, urbs regni Legionenſis, in limite Caſtellæ veteris, 8. leuc. à Valliſoleto in Auſtrum, 11. ab Albula in Septentrionem, 6. à Durio fluv.

METHYMNA Celia, oppid. veteris Caſtellæ, in limite Aragoniæ, caput Ducatus perampli, ad Salonem fluv. 6 leuc. à Seguntia in Ortum. Bilbilim verſus; *Medina Celi* vulgò.

METHYMNA Celia, *Methymna Sicca*, *Methymna Sidonia*, nomina Illuſtrium in Hiſpania familiarum. Vide ſuprà in *Medina.*

METHYMNA Sicca, oppidulum regni Legionenſis, 5. leuc. Hiſpanic. à Palencia in Occaſum, 8. à Valliſoleto in Circium, 11. à Sentica in Cæciam cum titulo Ducatus, vulgò *Medina de Rioſecco.* Vide ſuprà.

ME-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

METHYMNA Talnabia, incolis *Medina Talnabi*, i. e. civitas Prophetæ, antea *Jathreb*, urbs Arabiæ Felicis ad amnem *Laakic*, ubi natus Mahumetes Pſeudo-propheta, 200. mill. paſſ. à Mecha in Boream, 90. à mari Rubro in Eurum. Alii Mahometem, Mechæ natum, *Methymnæ* verò ſepultum ſcribunt. Sunt autem duæ hæ in Arabia urbes magni inter Mathumetanos nominis, & Mecha quidem, prima Muhammedicæ ſuperſtitionis ſedes eſt, ad quam ex univerſa Aſia & Africa peregrinationes quotannis ſuſcipiuntur, ab illis, qui ſingularem quandam ſanctitatem affectant. Sed & alii, ex Lege Mahometis, ſaltem unâ vice per vitam, peregrinatione hâc defungi tenentur, modô ſumtus facere poſſint, ad longinquum hoc iter & dona offerenda, neceſſarios: pauperes enim & egenos legis rigor non adſtringit. Quòd ſi quis iter per ſe obire non poſſit, per alium id facere tenetur. Non quòd ibi ſepultus ſit magnus ille Pſeudo-Propheta, quemadmodum Europæi fabulantur; nec quòd corpus ejus vi magneticâ in aëre & in ciſta ferrea ſuſpenſum pendeat, ſed quòd ibi Templum vetuſtiſſimum & in eo lapis niger, quem *Caabam* vocant ac ſummâ devotione venerantur, Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 1. *p.* 57. *Tavernier* verò, Mahometem hancce urbem, utpote natale ſuum ſolum, hâc ceremoniâ honorare voluiſſe, ſcribit: addens, credere Turcas idque ipſis à Majoribus longâ ſucceſſione traditum, urbem hanc eſſe locum illum, in quo Deus Abrahamum juſſerit ſibi domum ædificare, atque ibi poſteà ſuperſtitionis Auctorem cœlitus Alcoranum accepiſſe: prætereà, nil reliquiarum Pſeudo-Prophetæ hujus Mechæ, præter alterum ſandaliorum ejus, ibi aſſervari. Altera urbs *Methymna* ſeu *Medina Talnabi* eſt, i. e. *Civitas Prophetæ*, in qua Mahomedes ſepultus, quæque proin & ipſa ſanctitatis ergò frequentatur. Sed qui ſepulchrum Pſeudo-Prophetæ (de quo monſtroſa Turcæ fabulantur) inſpiciunt, illi ſeipſos dicuntur excæcare, exiſtimantes nullam in poſterum mortalem rem dignam eſſe, quæ ab ipſis, poſtquam ſemel Prophetæ ſui ſepulchrum adſpexerint, conſpiciatur. Interim Mechæ longe major veneratio frequentiorque concurſus, unde in Alcorano ſuo Mahometes non niſi hanc peregrinatione præfatâ ſolenni (quam *Caravanam* vocant) celebrandam injunxit, conveniuntque ſacerrimæ hujus Legis interpretes in eo, non neceſſariò *Methymnam* adiri, atque Mahometis præcepto, etiam omiſſâ hac peregrinatione, fieri ſatis. Vide Hornium iterum *loc. præfatô* atque Joh. Baptiſtam Tavernier *Relation du Serrail c.* 12. & 20. nec non infrà, voce *Muſlimi*, item *Muhammedes*.

METIA, una ex 35. tribubus populi Romani.

METIA Fauſtina, filia Gordiani Senioris Junii Balbi Conſularis Viri uxor, apud Jul. Capitolin. in *Gordianis c.* 4.

METIANUS, Juriſconſultus tempore Alexandri Auguſti.

METICHE, quæ & *Clepſydra*, Vide ibi.

METICHUS, Architectus celebris, à quo *Μητίχου Δικαστήριον*, *Metichi tribunal*, unum ex X. Dicaſteriis Athenienſium, nomen accepit. Vide ſuprà *Dicaſteria*.

METILIA Lex, à M. Metilio Tribuno Plebis lata Ann. 536. Urb. Cond. contra morem Majorum, Magiſtri Equitum & Dictatoris jus æquavit, Liv. *l.* 22. *c.* 25. quod factum in gratiam M. Minutii Rufi, qui Magiſter Equitum contra edictum Q. Fabii Maximi Dictatoris ſui pugnaverat

METILII, cum reliquis primoribus Albanis familiis, Romam à Tullo Hoſtilio vocati, & in patricias Senatumque, authore *Dionyſiô*, allecti.

METILIS, ſeu METELIS, urbs Ægypti prope Alexandriam, quæ nunc *Bechis* vocatur. *Steph.*

METILIUS Bradua, Conſul cum Vero, an. Urb. Cond. 912.

METINA, nomen Deæ apud Romanos cui ſacra fiebant Prid. Kal. Octobr. quô die primum muſtum bibebant. Item Inſula exigua Galliæ Narbonenſis Plin. *l.* 3. *c.* 5. quibuſdam eſt *Blaſco*, oppidulum permunitum in ſcopulo, in ora littorali Occitaniæ, continenti ferè junctum, vulgò *le Breſcon*. Vide *Blaſco*.

METIOCHUS, Miltiadis Athenienſis ducis filius, qui à Phœnicibus captus, & Dario Perſarum regi, contra quem pater bellum gerebat, oblatus, honorificè ab illo habitus fuit, Herodot. *l.* 6.

METIOCHUS alius, apud Athenienſes, qui exercitum duxit, vias curavit, farinam tractavit, & aliis præfuit. *Plut.*

METIOSEDUM, ſoli Cæſari *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 58. memoratum, infrà Lutetiam Pariſiorum ab illo ponitur. Vulgò *Meudon*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Quam ſententiam *Nic. Sampſon*, contra Raim. Marlianum, locum hunc Corboilum hodie, vulgò *Corbeil*: & Joſ. Scaligerum, Melodunum Senonum, vulgò *Melun*, eſſe, contendentes, ex Cæſareana relatione ſtrategematis Labieni confirmat ac veriſimillimam reddit. In Literis quibuſdam A. C. 1292. datis, vicus hic vocatur *Medo*, & *Simon Major de Medone*, *Simon de Mudon*: Item *Modun*, *Moudon* & *Moldun*, i. e. *Modunum* vel *Moldunum* dicitur, à *duno*, vel monte. In Literis A. C. 1187. *Matthæus de Modun Presbyter* præter cœteros commemoratur. In Literis A. C. 1203. *Matthæus Decanus de Modun*, qui & ibidem *Moudon* vocatur; in Literis A. C. 1259. *Decanus de Moldun*: ex *Valeſio*.

METIS, nympha, una ex filiabus Oceani & Tethyos, ſic dicta à *conſulendo*. Heſiod. *in Theog.*

METIS, antiquiſſima Galliæ Belgicæ urbs, Epiſcopalis, quam Mediomatricum vocant civitatem; qui ſic dicti, quòd eorum metropolis medium teneret locum inter tres civitates, Tullum, Verdunum ac Treverim. Sedes fuit Auſtraſiæ Regum & Conciliorum variorum: Habet Treverim ad Septentrionem, Tullum ad Meridiem, & Verdunum ad Occaſum. Dictam ſcribunt à Metio Romano, qui hanc urbem à Jul. Cæſare expugnatam ampliavit, muriſque cinxit. Illam Henricus II. Francorum Rex, cepit, A. C. 1552. per Conneſtabilem Montmorantium: quam cùm paulo poſt Imperator fruſtra obſediſſet, en verſum!

Siſte viam Metis, hæc tibi meta datur.

Munſt. *l.* 2. *Coſmogr.* Vide *Metæ*, item *Mettis*.

METISCUS, Turni auriga, Virgil. *Æn. l.* 12. *v.* 469.

Aurigam Turni media inter lora Metiſcum
Exuit. ———

Sunt qui ſcribendum putent *Methyſcus*, etymon ejus derivantes à μεθύσκομαι, quod eſt *inebrior*. *Nic. Lloydius.*

METITA, oppid. Armeniæ minoris in Lavinenſi præfectura. *Ptol.*

METIUS Carus, delator inſignis. Plin. *l.* 1. *Ep.* 5. & *l.* 6. *Ep.* 25. Vide & *Carus*.

METIUS Celer, vide *Celer*.

METIUS Curtius, Sabinorum dux, contra Romulum ob raptas Sabinas acriter pugnavit.

METIUS Falconius Nicomachus, Senator Conſularis, cujus orationem exhibet Vopiſc. *in Tacito c.* 5.

METIUS Gordianus, Præfectus, memoratur Capitolino in *Gordianis*; *c.* 30. ubi *Macius* legit *Salmaſ.*

METIUS Marullus, Gordiani Senioris ex Ulpia Gordiana pater. *Ibid. c.* 2. Vide etiam Lamprid. in *Alexandro c. ult.*

METIUS Suffetius, quem alii *Fufetium* vocant, Albanorum Dictator, tempore Tulli regis Romani, qui, quòd ex præſcripto fœderis ad belli ſocietatem contra Fidenates vocatus, euntibus in hoſtem Romanis, ſuos prælio eduxerat, juſſu Tulli, duabus admotis quadrigis, diſcerptus eſt. Liv. *l.* 1. *c.* 23. 28. Flor. *l.* 1. *c.* 3. Vide quoque Virgil. *Æn. l.* 8. *v.* 642. Ovid. *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 3. Claudian. *Paneg.* 4. *Honor.* Item *de Bell. Gildon.* & Dionyſ. Halicarn. *l.* 3.

METKERCUS Adolphus, Brugenſis, Græcè Latinéque doctiſſimus, Antiquitatis item peritiâ ac prudentiâ rerum agendarum inclytus, Fœderatorum Belgarum in variis aulis Orator, *pacis Coloniæ concluſæ* A. C. 1579. *Acta* collegit ediditque cum *Notis*. *Vitis Cæſarum*, *M. Græciæ* ac *Faſtis Conſularibus*, ab Hub. Goltzio in lucem editis, operam impendit, aliaque ſcripſit, Antonio Teiſſier enumerata *in Elogiis Part.* 2. Obiit Londini A. C. 1591. ætat. ſuæ Climacterico, mœrore ex morte Nicolai filii Daventriæ occiſi concepto. Vide quoque Valer. Andream *Biblioth. Belg.*

METLETÆ, vide *Micelæ*.

METOCHITES Theodorus, vide *Theodorus*.

METOCHIUM, ex Græco *Μετοχία*, apud Ughellum *Tom.* 3. *p.* 493. *Cupientes Monaſteria &* Metochia *relevari deſtructa & relevata illæſa ſervari*; hodiernis Græcis *Metoki*: cella eſt Monaſtica, à Monaſterio aliquo principali dependens. Vide Pachymerem *l.* 4. *c.* 8. *l.* 5. *c.* 2. & *l.* 8. *c.* 6. Leonem Gramm. *p.* 472. Theoſterictum *in S. Niceta num.* 36. Joan. Phocam *in Deſcript. Terræ S. c.* 14. Alios, laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſario*. Significat autem *Μετοικία demigrationem*, *coloniam*: hæ enim velut *coloniæ* Monaſteriorum ſunt principalium. Sed & veteres Græci quotannis Feſtum celebrabant, *Μετοίκια* dictum: quod inſtitutum erat in memoriam Theſei, qui duodecim Athenienſium populos in Reipublicæ formam redegit, & ruris incolas eò, velut in novam Coloniam, confluere compulit. Plut. *in Theſeo*. Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 313. & 314. Etiam *Μετοίκιον*, ſumma dicebatur duodecim drachmarum, quam quotannis inquilini ſolvere cogebantur, teſte *Harpocratione*. Iſæus viros 12. fœminas 6. pependiſſe, refert: quod tributum qui ſolvere neglexiſſet, ad cives deductus convictuſque venum ibat. Vide *l.* 4. *Cod. de Jure Fiſci l.* 19. &c.

METON, Aſtrologus, ex his unus, qui Athenienſibus adſcriptus fuit, navigaturis in expeditionem Siciliæ, qui onus detrectare cupiens, tempeſtatem futuram prædixit: cúmque proptereà minimè proficeret, ſimulavit inſaniam, atque hôc modô miſſionem impetravit. Edidit an. 331. Urb. Cond. ſuam Enneadecaëterida, i. e. Cyclum 19. annorum, quô ſolis Lunæque motum conciliare conatus eſt. Quod factum ſecundùm *Ptolom.* An. 316. Nabonaſſaris, ſeu 4. an. Olymp. 86. ſub Archonte Apſende. Socium obſervationum Solarium Euctæmonem habuit. Meminit hujus Metonis, Feſtus Avienus *in Arateis* cùm ait:

Illius ad numeroſa prolixa decennia rurſum
Abjeciſſe Meton, &c.

Ptol. *l.* 3. *Almageſti*. *Suid.* Scalig. *de Emend. Temp. l.* 2. Petav. *Part.* 2. *de doctr. temp. l.* 1. *c.* 2. & *in Uranolog. l.* 6. *c.* 2. Langius, *de ann. Chriſti l.* 1. *c.* 12. & 13. Ricciolus *Chron. Refor. l.* 1. *c.* 19. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 11. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 10. *c.* 7. & *l.* 13. *c.* 12. Ubi autem periodus hæc figenda, inter eruditos non convenit; quamvis Avienus ſupra laudatus id decidiſſe videatur, verbis hiſce *ibidem*:

Sed primæva Meton exordia ſumſit ab anno,
Torreret rutilo cùm Phœbus ſidere cancrum.

Nicolaus Lloydius. Cæterum Pauſaniæ fuit fil. & Olymp. 87. an. 1. Nabonaſſari an. 317. Urb. Cond. 322. ſolſtitium Athenis cum Euctemone obſervavit: ac eôdem vel præcedente annô publicavit ſuam Ἐννεακαιδεκαετηρίδα, atque ita emendavit Octaëteridem, à Cleoſtrato introductam Olymp. 61. an. 2. & ab Harpalo exactiùs elaboratam, cùm tetraëteride prius, quæ *Elidenſis Olympias* dicta eſt, Græci uterentur. Eſt verò hæc Enneacædecaëteris dierum ſolidorum 6940. hodieque *Aureus numerus* appellatur. Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 16. Vide quoque infrà voce *Phainus*.

METOPE, fluv. Arcadiæ. Callimach. *Hymn.* 1.

Πεζὸς ὑπὲρ Κράθιν τε πολύστειόν τε Μετώπην,

Ubi *Scholiaſt.* Μετώπην ποταμὸν Ἀρκαδίας.

METOPON, locus prope Peram urbem vicinam Conſtantino-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tinopoli, cujus meminit *Nicephorus Arca Spandona* Gyllio, *l.* 2. *c.* 6.

METOPOSCOPI, Græcè Μετωπόσκοποι, quaſi *Frontium inſpectores*, divinorum genus, qui ex faciei frontiſque lineamentis hominum noſſe ſe mores, atque eis eventura jactant, memorantur Plinio *l.* 35. *c.* 10. ubi de Pictoribus claris: *Imagines adeò indiſcretæ ſimilitudinis* (Apelles) *pinxit, ut incredibile dictu Apion Grammaticus ſcriptum reliquerit, quendam ex facie hominum addivinantem* (*quos* Metopoſcopos *vocant*) *ex iis dixiſſe aut futuræ mortis annos, aut præteritæ.* Et quidem Cirus Spontoni, qui *de Metopoſcopia* tractatum edidit, 7. lineamenta frontis in conſiderationem venire ait, quorum primum Saturno, ſecundum Jovi, Marti tertium, quartum Soli, quintum Veneri, ſextum Lunæ, & ultimum Mercurio adeoque eorum quodlibet peculiari alicui Planetæ ſubſit, illumque præſidem habeat &c. Vide ſuprà ubi de *Divinatione.*

METRA, Eriſichthonis Theſſali filia, nobilis fuit meretrix, quæ nondum inventô aurô, aut gemmarum uſu, bobus, aut equis, aut alterius generis pecoribus noctes ſuas locabat: unde factus eſt locus vulgi fabulæ, ut Metra diceretur transformari, in ea omnia, quæ ab amatoribus accipiebat; indeque manavit Proverb. *Mutabilior Metra.* Vide Ovid. *Met. l.* 8.

METRAGYRTA, Græce Μητραγύρτης, Callias vocatur Ariſtoteli *Rhetor. ad Theodect. l.* 3. *c.* 2. Λέγω δ' οἷον, ἐπεὶ τὰ ἐναντία ἐν τῷ αὐτῷ γένει, τὸ φάναι τὸν μὲν πτωχεύοντα εὔχεσθαι, τὸν δ' εὐχόμενον πτωχεύειν. ὅτι ἄμφω αἰτήσεις, τὸ εἰρημένον ἐστὶ ποιεῖν, Ὡς καὶ Ἰφικράτης Καλλίαν Μητραγύρτην, ἀλλ' οὐ Δᾳδοῦχον· ὁ δὲ, ἔφη, ἀμύητον αὐτὸν εἶναι, οὐ γὰρ ἂν Μητραγύρτην αὐτὸν καλεῖν, ἀλλὰ Δᾳδοῦχον, ἄμφω γὰρ περὶ Θεὸν, ἀλλὰ τὸ μὲν, τίμιον, τὸ δὲ, ἄτιμον. Quibus verbis adjutus eſt Vir doctus, qui in *Nonni Dionyſiaca* ſeveræ lucubrationis telum atroci ſtylô ſtrinxit, cùm ita ſcriberet: *Qui decorare quippiam vult, eum neceſſe eſt* ἀπὸ τοῦ βελτίονος εἰς τὸ χεῖρον μεταφέρειν. *Ariſtoteles pleroſque Achæos & Heniochos qui circa Pontum ſedes habebant,* λῃστὰς *fuiſſe memorat; qui horum rapacitati honeſtum nomen ponere velit,* ποριστὰς *appellabit. Dionyſium Jun. Siciliæ Tyrannum* Μητραγύρτην *dicit Athenæus l.* 12. *nihil enim vilius eſt, quàm ſtipem cogere. At Xenophon Calliam, qui itidem famulus erat Idææ Matris,* Δᾳδοῦχον *vocat, l.* 6. *de rebus Græcorum. Ille, ut Tyranni infelicem caſum cum ſplendore tantæ fortunæ componeret, rem, quantum potuit, maximè deturpavit: hic verò pluſculum ei tribuit, ne contemnere illum videretur, qui publicô munere cum aliis fungebatur.* Sed ut alia hìc omittam, quod de *Metragyrta* adſert, ſcopo ejus non quadrat. Ariſtoteles obſervat, Calliam, qui Δᾳδοῦχος erat Eleuſiniæ Matris, per contemtionem ab Iphicrate μητραγύρτην appellatum, quaſi Matris Idææ Gallus eſſet: quorum illud honeſtiſſimum, utique Athenis, hoc viliſſimorum & profligatiſſimorum erronum erat, ſimillimorum iis, quos Appuleji *Mileſiæ* traducunt. Plutarchus, haudquaquam parcus Deorum cultor, in libro περὶ τοῦ μὴ χρᾷν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν· Πλείστης, inquit, μέν τοι ποιητικὴν ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγυρτικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ Μητρῷα καὶ Σεράπεια βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος· οἱ μὲν αὐτόθεν, οἱ δὲ κατὰ κλῆρον ἔκ τινων γραμματίων χρησμοὺς περαίνοντες οἰκέταις καὶ γυναίοις. Quare eoſdem cum tertio genere mendicantium Vatum eôdem locô ponit & parat Ovidius *de Ponto l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 37. in qua, librum, Auguſti laudes continentem, rejiciendum non eſſe, contendit:

> *Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire*
> *Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?*
> *Ante Deûm matrem cornu tibicen acuto*, alii *adunco*,
> *Cùm canit: exigua quis ſtipis æra neget?*
> *Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ:*
> *Unde tamen vivit, vaticinator habet.*

Neque enim eadem, quæ priore diſtichô *Deûm Mater*, poſteriori appellatur *Diana*, quod nempe Phrygum & Epheſiorum idem Numen diverſô vocabulô, illud *Rhea*, hoc *Diana*, ut quibuſdam placuit. Non iſta enim miſcendi jus ſibi fecerunt Poëtæ, etſi ſub diverſis nominibus idem Numen coli docuerint Theologiæ mythicæ Interpretes. Vaticinator hic Ovidii eſt ex illa nota mendicorum, qui in luco Aricino Dianæ Nemorenſis ſive Nemoralis ſtipem corrogabant, titulô Fatorum arcana edicendi; quale genus mendicabula hodieque nomine *Ægyptiorum* ſive *Cingarorum* Europam perambulant. Cujus interpretationis auctor Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 13.

> *Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur*
> *Judæis: quorum cophinus fœnumque ſupellex,*
> *Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt*
> *Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camœnis.*

Sequente meminit mendicantium ad axes Aricinos, neque alius *clivus Aricinus* Martiali *l.* 2, *Epigr.* 19. Porro de iiſdem *Sat.* 6. *v.* 542.

> ——— ——— *Cophino fœnoque relicto*
> *Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,*
> *Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos*
> *Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli.*
> *Implet & illa manum, ſed parciùs Ære minuto:*
> *Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt.*

In chartaceo libro MS. ejus operis, habet Gronov. *nil tale Deorum.* Poſſes defendere, ut ad utrumque numen memoratum Iſidis & Cybeles referretur, quando & mox tantùm repetit de *ſiſtro Phrygiique foramine buxi.* Sed illam habebat Pirchemejerianus & plurium ſcriptura, neque opus erat plus repetere, quàm ſatis commodè verſus pateretur. Atque hac de cauſa Iphicrates, convitium facturus Calliæ, bellè μεταφέρει ἀπὸ τοῦ χείρονος εἰς τὸ βέλτιον, *tranſlatione utitur à deteriori ad melius* & pro Daducho *Metragyrtam* vocat Calliam: ſervavitque genus; utrôque enim ſacerdotium Deæ & quidem Matris, continetur. Quem ſalem cùm non intelligere ſe fingeret, regeſſit, Iphicratem ἀμύητον, *profanum & non initiatum* eſſe, utpote qui ſacra Deûm Matris & Eleuſiniæ Cereris confunderet: quod & ipſum convitium eſt, nec lepore caret. Hæc mens eſt Ariſtotelis, quam nec ſatis expreſſit Vir eruditiſſimus; qui declaraturus eam, notat in ſacris Idææ Matris honeſtius fuiſſe eorum munus, qui, quòd lampades geſtarent, Δᾳδοῦχοι vocabantur: illaudatius eorum, qui eò, quod pro Magna Matre æruſcarent, Μητραγύρται audiebant. Præivit utrique Victorius: *Munera famulorum Idææ Matris plura magnopereque inter ſe diverſa fuiſſe: quædam ſordidiora, quædam honeſtiora. Præferre faces honeſtum putatum; cogere verò ſtipem, abjectum miniſterium. Iphicrates igitur*, inquit, *Calliam dehoneſtare ſtudens, à ſordidiore munere eum appellaverat.* Seneca quidem *de Vita B. c.* 27. *Cùm aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex, brachia atque humeros ſuſpenſâ manu cruentat, laurumque linteatus ſenex & mediô lucernam die præferens conclamat, iratum eſſe aliquem Deorum:* Sed hanc nemo dixit δᾳδουχίαν, certè Athenis. Non enim δᾳδουχία in ſacris Idææ, ſed Eleuſiniæ Matris, vide Suidam & Apoſtolium in Διὸς κῴδιον. Quare non fuerit honeſta ἀπὸ τοῦ βελτίονος τῶν ἐν τῷ γένει tranſlatio, ſi *Metragyrtam* Daduchi nomine digneris: nam uterque ſerviunt quidem Deæ Matri, ſed non uterque jactant feſtas faces. Nunc ad Nonni doctiſſimum Cenſorem: Is, ut nominibus variaret, Dionyſium ab Athenæo Μητραγύρτην vocatum prodit; re vitiatâ & deturpatâ, ut infelicem Tyranni caſum cum ſplendore prioris fortunæ contenderet. Ubi autem vel ſimile vel analogum, ſine quorum altero nulla tranſlatio exiſtit? Nam ſi ob ſolam vilitatem Μητραγύρτου nomen meruit, etiam *cerdo* & *bajulus* vocari potuerit, & hi homines, quia viliſſimi, ſint & appellentur Μητραγύρται. Jam quod illud genus, quô Tyrannus & famulus Idææ Matris continentur? niſi fortè, quòd ambæ populum quæſtui habent, ille vi poteſtatis, hic ſuperſtitionis. Omnino ratio nulla eſt, cur Tyrannus ex arce depulſus, ob hunc infelicem ſuum caſum, Μητραγύρτης potiſſimùm ſalutetur. Itaque nec Athenæo hoc in mentem venit, ut ludibrii cauſâ ſic Dionyſium vocaret: non cavillatur, hiſtoriam ſine ſchemate narrat. Verba ſunt ejus *l.* 12. Αὐτὸς δὲ Διονύσιος τέλος μητραγυρτῶν καὶ τυμπανοφορούμενος οἰκτρῶς τὸν βίον κατέστρεψεν, *Ipſe tandem Dionyſius, pro Magna Matre ſtipem colligens & tympana geſtans, miſerè vitam exegit.* Idem refert Ælianus *Variar. l.* 9. *c.* 8. Ὁ δὲ ἐν Κορίνθῳ πολλαῖς καὶ ποικίλαις χρησάμενος βίου μεταβολαῖς, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀπορίαν, τελευταῖον δὲ μητραγυρτῶν καὶ κρούων τύμπανα καὶ καταυλούμενος δὲ τὸν βίον κατέστρεψεν, *Ille autem Corinthi, multivariis uſus vitæ viciſſitudinibus, egeſtate compulſus, tandem* Metragyrta *factus eſt, & tympana pulſans, tibiiſque canens, vitam egit.* Nulla igitur figura, nulla tranſlatio in verbis Athenæi. At Calliam tamen, qui Matris Idææ ſacerdos erat, Δᾳδοῦχον vocat *Xenophon*, pluſculum ei tribuendô, ne contemnere videretur, qui publicô munere fungebatur. Ne hoc quidem. Famulum enim Idææ Matris fuiſſe, nullibi dicitur: Δᾳδοῦχον autem fuiſſe revera, non per honorem & palpô modò appellatum, probatu facilimum, ut videre eſt apud Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 5. Vide quoque infra *Stips*, it. *Telchines.* Addo hìc ſaltem, cantilenam *Metragyſtarum* hanc referri à Gabria in *Jambis fabuloſis.*

> ——— Τίς γὰρ ἀγροίκων
> Οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν ὡς ἐπηρώθη;
> Τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
> Ἁγνῶς φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης;

Apud Jac. Ouzelium *Animadverſion. ad Octavium Minucii Fel.*

METRI, nomen viri, 1. Sam. *c.* 10. *v.* 21.

METRICA, tertia Muſicæ veteris pars, circa ſyllabarum quantitates verſabatur, diſpiciebatque, utrum breves vel longæ eſſent. Agebat verò de quinque hiſce rebus, de Elementis, ſive literis, de ſyllabis, de pedibus, de metris, de Poëmatis. Ejus meminit A. Gellius *l.* 16. *c.* 18. cùm inquit: *Eſt & alia ſpecies* Κανονικῆς, *quæ appellatur* Μετρική: *per quam ſyllabarum longarum & brevium & mediocrium junctura & modus longruens cum principiis Geometriæ, aurium menſurâ examinatur.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philologia c.* 4. uti de *Metrica oratione* ante ſolutam inventâ, infrà lemmate *Oratio ſoluta.*

METROCLES, Philoſophus Maronites, frater Hipparchiæ, Cratetis levir. *Tortel.* Diſcipulus Theophraſti, quo relicto Crateti adhæſit. Præceptor Theombroti & Cleomenis: Se ipſum ſuffocavit ſenex. Diog. Laërt. *in vita ejus l.* 6. *c.* 91.

METROCOMIÆ, vicorum Matres erant, *the mother Churches* Angl. ut Metropoles civitatum. Unde fortè *Cepha caſtellum*, *act.* 3. Concil. Chalcedon. In his non Epiſcopi, ſed Chorepiſcopi & περιοδευταί, i. e. Circuitores inſtituti olim, ut *Canone* 75. Concil. Laod. *Can.* 10. Concil. Antioch. *Can.* 6. Concil. Sardic. Anglis *Capcaſtels.* Henr. Spelmannus *Gloſſ. Archæol.*

METRODORUS Athenienſis, an Lampſacenus? ſcriptis inclytus, Epicuri diſcipulus fidiſſimuſque amicus. Strab. *l.* 13. Diog. Laërt. *l.* 10. *in vita Epicuri. c.* 22. *Clemens Alex. l.* 2. *Strom.* Gaſſend. *in vita Epicuri c.* 8. Johan. Sariſburius, *de nugis Curialium*, *l.* 7. *c.* 11.

METRODORUS Chius, Mundum æternum eſſe dicebat: Quoniam ſi factus eſſet, ex non ente factus eſſet: infinitum verò eſſe, quoniam æternum, & quum non habeat principium, unde incipiat, nec exitum habiturum quô terminetur. Immobilem quoque aſſeruit, quoniam moveri non poſſit, quod non tranſeat: tranſire autem neceſſe eſt, aut in plenum aut in vacuum, in quorum alterum tranſitus fieri non poteſt. Ex æthere autem nubes fieri denſatione aquæ, quæ ſuprà Solem aſcendens extinguat ipſum, & rurſus rarefacta accendat. Solem ſiccitate conſtipatum ex aquâ ſplendidâ, ſtellas efficere. Dixit etiam diem ac noctem inde fieri, quòd ſol extinguatur. Eclipſin quoque extinctione fieri. Euſeb. *Præp. Euang. l.* 17. *c.* 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Medicus quoque fuit, diſcip. Democriti, Hippocratis verò & Anaxarchi præceptor. Scripſit varia, Plin. *l. 7. c. 24. Athen. Iſaacus Tzetzes*, &c. *Nic. Lloyd.*

METRODORUS Lampſacenus, amicus Anaxagoræ. Euſeb. *Olymp. 70 & 39.* Diog. Laert. *in hujus vita. c. 11.* Alius Stratonicâ oriundus, Pictor & Philoſophus, ſolus deſerto Epicuro ad Carneadem ſe applicuit. Diog. Laert. *in Epicuro. l. 10. c. 9.* Cic. *l. 5. de Fin. l. 1. de Orat. l. 4. Acad.* Gaſſend. *l. 4. vitæ Epicuri c. 8. Idem.*

METRODORUS Medicus, artem memoriæ ita conſummavit, ut nihil non iiſdem verbis redderet auditum. Plin. *l. 7. c. 24.* Item Grammaticus apud Agathiam. *l. 5.*

METRODORUS, obſes Tirgatæo Mæotidi datus à patre Satyro, ſed ob fidem à Patre violatam, interfectus. Polyæn. *l. 8. c. 55.*

METRODORUS Sceptius, è Philoſophicâ vitâ in civilem mutatus eſt. Magna ex parte in ſuis ſcripturis oratoriè loquitur, novô quodam dicendi genere uſus. Propter nominis famam, quanquam pauper erat, clarum tamen conjugium apud Carthaginienſes adſecutus: Quum amicitiam Mithridatis Regis ſibi conciliaviſſet, ad illum cum uxore diſceſſit, & honore maximô affectus eſt, legatus ab eo ad Tigranem. Strabo *l. 11. & 13.* Hujus ſumma memoria à Cicer. commendatur *l. 1. Tuſcul. Qu.* Plin. *l. 7. c. 24. & l. 34. c. 7.* Athen. *l. 13. &c.* Cæterùm de variis *Metrodoris* vide Voſſ. *Hiſt. Græc. p. 389.* & Jonſium *de Script. hiſt. Philoſ. l. 1. c. 20. Nic. Lloyd.*

METRON, nobilis Macedo, in Alexandri M. exercitu, armamentario præfectus. Curt. *l. 6. c. 7.*

METROPHANES, Epiſcopus Byzantinus, ob ſenium, Concilio Niceno intereſſe non potuit, *Euſeb.* Morer. *Diction. Hiſt.* Item Patriarcha Conſtantinopolitan. ſeculô præteritô. Genebrard. *in Pio V.*

METROPHANES, Sophiſta, Eucarpiâ oriundus, præter commentaria in Hermogenem, & Ariſtidem, item volumen de ſtatibus, deque Ideis, ſcripſit 2. libros de Phrygiâ, *Steph. Byzantinus, Suidas*, apud quem 2. alii ſunt ejuſdem nominis, Voſſ. *l. 3. de Hiſt. Græc. p. 389.* Geſner. *in Biblioth.* Smyrnii cujuſdam meminit, auctoris libri *de Spir. S.*

METROPOLIS, urbs Phrygiæ magnæ apud Meandrum fluv. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Epheſino: Sed hæc in Ioniâ eſt inter Epheſum, & Smyrnam. *Baudrando Metropolis*, urbs duplex eſt; una Phrygiæ magnæ, ad Mæandrum, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Antiochiæ Piſidiæ, à qua 60. mill. paſſ. diſtat in Circium. Altera in Lydia, ad Cayſtrum fluv, in ipſo limite Ionia, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Epheſino, 20. mill. paſſ. ab Epheſo in Cæciam, & 50. à Smyrna in Eurum, Populi *Metropolitæ*. Plin. *l. 5. c. 29.* Fuit & *Metropolis* Theſſaliæ urbs, inter Gomphos, & Pharſalum., Cæſ. *l. 3. Bell. Civ. c. 80.* Item Sarmatiæ Europææ, *Ptol.* Decem *Metropoles* numerat *Steph.* Cœterum primæ hodie memoria non extat, niſi forte invico *Tourbalé* dicto: quod nomen ex *Metropolis* corruptum ſuſpicatur Sponius, *Itiner. Græciæ Part. I. p. 318.* Aliàs *Metropolis* quid ſignificet Hiſtoricis Politiciſque, notum: Civitatem nempe primariam, quam, velut *Matrem filiæ*, (ut in Sacris dicuntur paſſim) reſpiciunt minores, Germ. *Haupſtatt.* Hanc munitam eſſe, ut tempore belli minores perfugium eô habeant, volunt Politici. Iidem in eadem requirunt, ut in uno Regno, vel Republica nobili non ſit, niſi *una*, per excellentiam ſic dicta: Ut ſit *populoſa*, cùm ad Majeſtatem conciliandam, tùm ad Magiſtratum defendendum: Ut ſit *Sacrarium Juris & Religionis*, adeoque omnium facultatum doctiſſimis Viris inſtructa, ad quos velut Oracula in rebus dubiis ſubditi confugere queant: Ut ſit *ſplendidis exornata ædificiis*, pro Majeſtate Pincipis ac Magiſtratus: & *Cuſtos* tandem *Archivi*, h. e. documentorum publicorum, Juris publici, Legum fundamentalium, Actorum & Hiſtoriarum Reip. quæ ſemper ad manum eſſe Magiſtratui debent. M. Frid. Wendelinus *Inſtitut. Politic. l. 1. c. 6.* Vide quoque in voce *Urbs.* Hinc *Metropolites* ſeu *Metropolitanus*, Archiepiſcopus eſt, *quòd præſideat illi civitati, quæ cæteris civitatibus, in eadem provincia conſtitutis, quodammodo mater ſit*, dictus, Rhabanus *de Inſtitut. Cleric. l. 1. c. 5.* Cùm enim primi Epiſcopi pares eſſent & unum haberent Epiſcopatum, ac à communi concilio Eccleſiæ ejuſdem provinciæ per Synodos regerentur; dein *Metropolitarum* ſeu *Archiepiſcoporum* nomina nata ſunt. Erat autem horum officium Synodos provinciales convocare, iiſque præſidere & recèns electos Epiſcopos confirmare: ut primitus honore potiùs, quàm poteſtate, reliquis Epiſcopis majores eſſent. Poſtmodum, cùm à Conſtantino plures provinciæ in unam diœceſin redigerentur; ſupra ipſosmet conſtituti ſunt Patriarchæ ſeu Primarii, *Exarchi Diœceſium* dicti, de quibus infrà dicemus. Vide Franc. Burmannum *Synopſi Theolog. Chriſt. Part. I. l. 8. c. 13. §. 14.* ut & ſuprà aliquid, ubi de *Legatis a Latere*; ac infrà voce *Primæ*. Inde *Metrapolitanæ literæ*, apud Hincmarum Remenſ. *Opuſc. 17.* pro litteris, quæ ab Archiepiſcopo Clericis dantur, &c.

METRUM, à Rhythmo, qui differat, vide infrà, ubi de Poëtis *Rhythmicis* & *Rhythmo*, item in voce, *Numeri.*

METTA, ſeu *Mechtildis de Campen*, familiâ veteri inter Nobiles Lunæburgicos (Reuſnero *Anna Comes de Compenmois* Itala, aliis *Comes de Compiegne*) uxor fuit Ottonis Ducis Brunſuico Lunæburgici, qui *Harburgios* ſevit, cum fratribus, in Comitiis Auguſtanis, rem Religionis urſit A. C. 1530. & vitâ exceſſit A. C. 1549. Cui, cùm præter alios utriuſque ſexus, in tenera ferè ætate extinctos, Ottonem cognomine *Juniorem* genuiſſet A. C. 1528. linea à reliquis agnatis initiô agnita non eſt, donec auctoritas Cæſarea acceſſit. Obiit A. C. 1560. Vide Bunting. *Chron. Brunſuic.* Defecit autem linea hæc A. C. 1642. in Wilhelmo Ottonis Juniori filio, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Brunſuic.*

METTA, filia Johannis Comitis Naſſoviæ, ex Sibylla Ludovici Saxoniæ Palatini filia (filiorum novem, octo filiarum fœcunda matre) omnium natu minima, Wolfgango Comiti Zollerenſi & Sueviæ præfecto nupſit: ex eo, ut perhibent, Marchionum hodiernorum Brandeburgicorum & Comitum Hohen-Zollerenſium Atavia. Soror fuit, inter alios, Othonis, Comitis Naſſoviæ, Toparchæ Lopperæ, Lauriburgii & Sonnenbergii, ab Henrico I. Imperatore cognomine *Aucupe*, exercitui contra Hungaros ſummi Ducis conſtituti, à quo vulgatæ Genealogiæ Naſſovicæ ſeries initium capit. Ex marito Fridericum I. genuit Comitem Zolleranum; ita enim Danckonis, qui arcem Zolleranam A. C. 829. tenuiſſe legitur, poſteros, continuâ graduum ſerie, enumerant Auctores: Rudolfum, ſub Henrico Aucupe, Othonem, Wolfgangum *Mettæ* maritum, Fridericum I. Fridericum II. &c. uſque ad Fridericum VI. qui cùm duos haberet filios, Fridericum & Eitelfridericum, hic Zollerenſium, qui in Principum gradum hodie evecti ſunt, fuit ſator: ille (aliis etiam, *Eitelfridericus* dictus) Burggravios Norimbergenſes, atque hinc Marchiones Electoreſque Brandeburgicos ex ſe dedit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princip. Naſſov.* & Spenerus *Syllog. Geneal.*

METTERNICHIA Familia Germaniæ, inter Rhenanas Equeſtres illuſtris, illuſtres Eccleſiæ Romanæ Præſules non ſemel tulit. Namque hôc ſeculô Trevirenſi Archiepiſcopatui Lotharium dedit., & nuper Archiepiſcopatui Moguntino, Epiſcopum pridem Spirenſem, Lotharium Fridericum, cujus & fratris progenitores hi ſunt: N. *de Metternich*, ex N. Rumſchuttelia *de Frimdorf*, genuit Carolum *de Metternich*; quo & Sibyllâ Beiſſeliâ *de Gimenich* genitus Dietherus *de Metternich*, ſibi junxit Margaretam Weyeriam *de Nickenich*, atque ex ea ſuſcepit Stephanum *de Metternich*, patrem, ex Maria *de Metzenhauſen*, Dietheri *de Metternich*: quô & Catharinâ *de Wachendonc*, natus Johannes Gerhardus Mariam *de Leyen* in thorum aſcivit: atque ex ea genuit Lotharium Fridericum Archiepiſcopum ac Electorem Moguntinum, Epiſcopum Spirenſem & Wormatienſem; ac Wolfgangum Henricum Baronem *de Metternich*, cui uxor obtigit Anna Margareta Schœnbornia. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 3. p. 67.*

METTIS, quæ primitus *Divodurum*, poſteà nomine gentis, cujus caput erat, *Mediomatrici* dicta erat, vocari cœpit circa A. C. 400. urbs Galliæ Belgicæ inſignis, hodieque Epiſcopatu, Trevirenſi Metropoli ſubjectô, inclyta. In *Notit.* enim veter. *Civitas Mediomatricorum, i. e. Mettis*, reperitur. In *Notit.* Imperii Roman. *Procurator Gynæcei Auguſtoduni tranſlati Metis*, h. e. Auguſtodunum tranſlati Divoduro, aut certè Divodurum tranſlati Auguſtoduno. *Ibidem* invenitur *Procurator Gynæcei Juvarenſis* [illegible] *privatæ, Meti tranſlata Anhelas.* Nec non inter Legiones Pſeudocomitatenſes, intra Gallias cum I. V. Magiſtro Equitum Galliarum conſiſtentes, numeratur *prima Flavia Metis*, i. e. legio Pſeudo-comitatenſis prima Flavia, quæ præſidet Mettis. Ita enim plerumque ſcribitur. Ad Saliæ & Moſellæ confluentes ſita eſt, de qua ſic Venant. Fortunatus *l. 3. Carm. 15. ad Villicum Epiſcopum Mettenſem.*

Gurgite cœruleô pelagus Moſella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Hinc dextra de parte fluit, quà Salia fertur,
Flumine ſed fluctus pauperiore trahit.
Hîc ubi perſpicuis Muſellam curſibus intrat.
Alterius vires implet & ipſe perit.
Hôc Mettis *fundata locô, ſpecioſa, coruſcans,*
Piſcibus obſeſſum gaudet utrumque latus.
Urbs munita nimis, quam cingit murus & amnis &c.

Unde malè *Paulo Diacono* Forojulienſi, à Metio quodam Romano urbis appellationem gratis deducenti, & Gallico nomini Latinam originem vindicanti, per unicum *t.* ſcribitur. Treviris Metropoli ejus, præponit Amm. Marcellin. *l. 15. & 17. Aimoino* ac *Hugoni* Floriacenſi, inter urbes Belgicæ provinciæ inclytas, *quarta* ponitur. Caput eſt agri *Mettenſis*, Gall. *le pays Meſſin*, German. *Mettingow* dicti, ipſa *Mets* Galis Germaniſque vocatur, Ab ea Eccleſiaſticam cantilenam dictam eſſe *Mettenſem* vel *Metiſcam*, German. *Mette*, diſcimus *è vita Caroli M.* Reliqua vide in voce *Divodurum*; ut & in voce *Metis.*

METTIUS, prænom. *Marcus*, princeps Gallorum, hoſpes Arioviſti, à Jul. Cæſ. cum C. Valerio Procillo, ad Arioviſtum miſſus, ſed tum in vincula conjectus. *Cæſ. Bell. Gall. c. 47.*

METU extincti non pauci: inter quos Carem quendam, obſeſſâ Hieroſolymâ, cùm turris præcelſa à Romanis ſubruta procideret, rei terrore exanimatum eſſe, refert Hegeſippus *l. 4. c. 3.* Paria exempla plurium hominum, apud Vopiſc. *in Caro, c. 8. Negari non poteſt, eô tempore, quô periit Carus, fuiſſe ſubitò tonitruum, ut multi terrore ipſô exanimati dicantur.* Cujus rei cauſam docet Alexander Aphrodiſæus *Problem.* 16. Cùm ſit *animam percellens frigus, quem tali rigorê deficere*, auctor eſt Theophraſtus *Apoſpaſmatio libri de defectu Animi.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Papin. Statium Part. 9. p. 408. & 409.* De timidiſſimo leone Claudian. *in Eutropium l. 2. v. 457.*

Ecce levis frondes à tergo concutit aura,
Credit tela Leo; valuit pro vulnere terror.
Implevitque vicem jaculi, vitamque nocentem
Integer, & ſolâ formidine ſaucius efflat, &c.

Cœterùm ſubiti *metus*, quorum nulla perſpicua cauſa, Pani olim adſcripti ſunt, unde *Panici* appellati, vide in voce *Pan.* Item Corybantibus, vide ſuprà ubi de *Corybantiaſmo.* Quos adamantem pellere creditum eſſe, apud Plinium legimus *l. 37. c. 4. Adamas & venena irrita facit & lymphationes abigit, metuſque vanos expellit à mente, & ob id quidam eum anaciten vocavêre.* Ubi male nonnulli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nulli *anachiten* malunt. Nempe *ἀνάγκη* eſt, quidquid animum ſuæ ſpontis eſſe non patitur; unde lymphationes inprimis & *vani metus*, qui mentibus immitti ab aliquo Numine irato, credebantur, *ἀνάγκαι* dictæ. Hinc qui hujuſmodi neceſſitatis vinculis animum ſolvere exiſtimatus eſt Adamas, *Ἀναγκίτα* nomen accepit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1091. Inter Martis comites *Metum* quoque recenſet Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 127. uti videre eſt infrà, voce *Nefas*. Vide etiam voce *Timor*: uti de cura Ducis circa *metum* tum ſuorum, tum hoſtis, *Obſervation, Hiſtoric. l.* 10. *c.* 3. & *l.* 6. *c.* 9 Piccartum.

METUBARRIS, Pannoniæ inferioris inſul. in Savia, *Zygeth Lazio*. Sed *Zygeth* eſt vocabulum commune omnium inſularum linguâ Hungaricâ: *Baudrando* in Raſcia eſt, intra Savum fluv. 4. leuc. ab oppid. *Wivar* in Occaſum extenſa 3. leuc. Vulgò *Otozecz*.

METULLUM, ſive METULUM, oppid. Japodum apud Colapim fluv. in confinio Liburniæ. Appian. *in Illyricis* tradit, eam regionis metropolim eſſe, ſitamque in monte nemoroſo, duobus conditam tumulis, quos vallis modica interſecat. *Lazius* ſcribit, hodie *Trojam* eſſe in Ciliciæ Comitatu. *Baudrando Metling* eſt, oppid. amplum Japodum, nunc Carniolæ; in Vindorum Marchia; 2. mill. paſſ. à Colapi fluv. & 20. à Lugea palude in Ortum, uti 25. à mari Adriatico in Boream ſub Imperatore.

METULLUM Caſtrum, ſæpè *Metulum*, in priſcis literis *Mella*, vulgò *Melle*, locus Galliæ, in Pictonibus, monetâ olim ſuâ nobilis.

MEVANIA, Umbriæ urbs, Epiſcopalis, olim, ad Clitumnum fluv. nunc oppid. amplum; inclytum Propertiô alumnô; ad viam Flaminiam, 6. mill. paſſ. à Fulgino, 12. à Peruſia: armentorum & gregum ferax, *Mevaniates* populi Plin. *l.* 3. *c.* 14. Vulgò nunc *Bevagna* dictum. Columella *l.* 3. *c.* 8. *Armentis ſublimibus inſignis Mevania eſt*. Lucan. *l.* 1. *v.* 473.

——— *Tauriferis ubi ſe Mevania campis*
Explicat.

Sil. *l.* 6. Stat. *l.* 1. *carm.* 4. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1.

MEUCTIUS Sylveſter, vide *Sylveſter*.

MEVENATES, inter XV. Umbriæ populos, memorati, in *vet. Inſcr.* Fulginii ſuperſtite, apud Ludov. Jacobillium: quæ ita habet,

C. BETVO. TRO. CILONI. MINUCIANO.
XV. POPULORUM. UMBRIÆ. PATRONO. MUNICIPI.
AMERINI. ASISINATES. FOROFLAMINIENSES.
———
INTERAMNATES. MEVENATES. NARNIENSES, &c.
B. M. F.

Incolæ ſunt oppidi *Bevagnia*, quod *Mevania* olim. Vide ibi.

MEVIUS, poëta ineptiſſimus, Virgilii & Horatii temporibus, utrique æquè inviſus, quòd ex alienæ laudis obtrectatione gloriam occuparet. Vide Virgil. *Ecl.* 3. Horat. *Epod.* 6. &c.

MEVIUS Pudens, è proximis Tigellini, corruptor Prætoriarum cohortium, contra Galbam. Vide Tacit. *l.* 1. *c.* 24.

MEVONIOLA, vulgò *Galeate* pagus Galliæ Togatæ, ſive Æmiliæ, in Romandiola, à Forolivii ad 10. mill. paſſ. diſtans, à Ceſena 10.

MEUROS, Thebanorum in Ægypto Rex XXVIII. poſt Chuther-Taurum tyrannum, præfuit ann. 12. dum Beon adhuc Tanitarum regnum taneret. Eum excepit Choma-Ephtha, quem vide, ut & voce *Beon*.

MEURSIA, vulgò MEURS, urbs parva Germaniæ. In Ducatu Clivenſi ponitur à quibuſdam, quanquam ſit intra limites ditionis Colonienſis. Munita eſt & culta, 2. milliaribus Germanicis à Rhinoberga in Meridiem, & unô à Rheno fluvio diſtans, ſub dominio Principis Auraici, cum regiuncula ſeu Comitatu adjacente.

MEURSIUS Johannes, Loſduno Batavus, Orationes & Carmina Græca ſcribere cœpit jam annô ætat 12. In Lycophronem Commentari inſtituit & in Idyllia Theocriti. *Spicilegium* ſcripſit, an. ætat. 16. mox ad Latinas literas, Joſ. Scaligerum imitatus, animum adjecit, ac Poëſi, Philoſophiæ & Theologiæ quoque operam navavit. Juris Doctor Aureliæ creatus, A. C. 1608. inde in Academia Lugduno-Batava Hiſtoriæ primum, dein Linguæ Græcæ Profeſſionem, tandem *Hiſtoriæ patriæ* conſcribendi provinciam ſuſcepit. Obiit A. C. 1641. ætat. 62. Scriptis quàm plurimis, maximi æſtimatis, æternum nomen promeritus. Joh. Meurſius *Vitis Profeſſorum Leidenſ.* Franc. Swertius *Athenis Belg.* Freherus *Theatro* &c.

MEUTANG, nomen floris à Sinenſibus maximè æſtimati, quem inde *Regem florum* appellant. Roſâ noſtrate major, ejus figuram imitatur, ſed folia magis expandit; & odore cedens, pulchritudine ſuperat: ſpinis caret, coloriſque eſt magis albicantis, quaſi ex purpureo & albo miſti. Rubri tamen etiam nonnunquam flavique reperiuntur. Naſcitur in virgulto, ſambuco noſtrati haud abſimili. Colitur per totum illud Imperium in divitum viridariis, idque magnâ arte ac diligentiâ; in calidioribus quippe locis æſtate, contra Solis ardores, umbraculô defenditur. Imprimis verò magna ejus copia in provinc. *Suchuen* eſt, ad urbem *Chungking*: ut & in provinc. Xenſia, ad Jengam urbem. Auctor Anonymus. *Sinæ & Europæ c.* 33.

MEXIA ſeu MESIA *Carillo*, familia Hiſpaniæ, in Regno Gallæciæ illuſtris: in qua Conſalvus *Mexia Carillo* Dominus *de Sanctefimia*, duxit Agnetem, filiam ac hæredem Roderici *Mexiæ* Dn. *de la Guardia*, quô pactô duæ lineæ coaluerunt. Inter poſteros, præcipua linea eſt Marchionum *de la Guardia*: alii cognomina *Pontiorum de Leon.* & *Guzmanniorum* uſurpârunt. Marchiones præfatos quod attinet, Rodericus *Mexia Carillo*. Dn. *de la Guardia*, ex Maria (filiâ Roderici Pontii *de Leon* Marchionis *de Cadiz*) genuit filium ſibi cognominem, maritum Majoræ *de Fonſeca* (Alfonſô *de Fonſeca* Dn. *de Cocos* & Mariâ filiâ Ferdinandi Alvari Toletani Comitis *de Oropeſa* genitæ) atque ex ea patrem Conſalvi *Mexiæ Carillo* Marchionis *de la Guardia*; quô, & Annâ Manriciâ (filiâ Petri *Manrique* Comitis *de Paredes*) natus Rodericus *Mexia de Carillo Marchio de la Guardia*, uxorem habuit Iſabellam *de Mendoza* (filiam Didaci Hurtadi *de Mendoza* Marchionis *de Almaſan*) exque illa ſuſcepit Conſalvum *Mexiam Carillo* Marchionem *de la Guardia*. qui ex Maria *de Cardenas* (Franciſco Hurtado *de Mendoza* Marchione *Almaſan* Comite *de Monteagudo* genitâ) ſuſcepit Rodericum *Mexiam Carillo* Marchionem *de la Guardia* (cui uxor obtigit Ludovica ſeu Luiſa Antonia filia Ludovici Antonii Portocarreri, Comitis *de Palma*) & Franciſcum *Mexiam Carillo*, qui hôc ſeculô floruerunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit Europ. Part.* 2. *p.* 118. ut & in *Indice*, ubi familiæ hujus diſpoſitionem exhibet.

MEXICANA, Gall. *le Mexique*, regio præcipua Americæ Septentrionalis, alias regnum potentiſſimum, *Reyno de Mexico* Hiſpanis, eſtque pars ampla novæ Hiſpaniæ, verſus Mexicum urbem; regionis primariam, inter mare Boreale ſeu ſinum Mexicanum ad Ortum & mare Pacificum ſeu Auſtrinum ad Meridiem, ſub Hiſpanis. Mexicana etiam dicitur provincia novæ Hiſpaniæ, inter provincias Tlaſcalam ad Ortum, Mechoacanum ad Occaſum, Panucum ad Boream, & mare Pacificum ad Meridiem, *Mexico* vulgò. Ejus longitudo à Septentrione in Auſtrum eſt 140. leucarum Hiſpanicarum. latitudo autem eſt 50. leucarum. Sic dicitur à Mexico urbe primaria. *Mexicana* item dicitur America Septentrionalis à Mexicana regione ipſius præcipua. Vide *America*.

MEXICANA Nova, *Nuevo Reyno de Mexico*, regio ampla Americæ Septentrionalis: vide *novum regnum Mexicanum*.

MEXICANI, una ex ſeptem Navatlacarum, populi Americæ Septentrionalis cultiſſimi, gentibus, à duce ſuo *Mexio* dicti; in peregrinatione populi præfati, ex Septentrione verſùs Auſtrum, factâ A. C. 820. poſt diuturnam in itinere moram, reliquis ad lacum amœniſſimum delatis, ubi conſidere ac urbes quæque gens ſuas condere cœperunt, eò ultimi advenêre, atque Urbem *Tenoxtitlan*, quæ vulgò *Mexico* dicitur, in ipſo illo medio lacu extruxerunt. Primus ipſorum Rex fuit *Thenuch*, circa A. C. 1325. cui *Acamapixili* ſucceſſit A. C. 1375. quem Acoſta primum Regem fuiſſe falsò ſtatuit. Cùm verò initio exiguæ ipſis eſſent vires, tributum vicinis ſatis diu pependerunt, donec quintus eorum Rex *Iſcoalt*, circa A. C. 1437. arma pro libertate ſumpſit, & feliciter redactis vicinis ſub ſuum jugum gentibus, magnum imperium condidit; quod ab eo tempore tantopere crevit, ut ſub Motezuma I. ab uno ad alterum mare latiſſimô tractu extenderetur. Ultimus Regum fuit Motezuma II. cujus tempore A. C. 1519. Ferdinandus Corteſius cum Hiſpanis Regnum *Mexicanum* detexit, ac intra biennium, innumerabili multitudine barbarorum occiſâ, univerſô, nomine Caroli V. Imperatoris potitus eſt, inæſtimabilibus inde opibus in Hiſpaniam tranſlatis. Vide Georg. Hornium *Orb. Polit. Part.* 3. *p.* 112. & *Orb. Imper. p.* 336. Utuntur *Mexicani* linguâ, quæ tota ferè impulſu linguæ ad dentes & extremum palatum nititur, eoque literas T. L. creberrimè adhibet. Ut *Yecotl*, *Mecaxuchitl*, *Tlilxochitl*, &c. Scriptionem verò eorum quod attinet, non à ſiniſtra dextram verſùs, ut Europæi ac Æthiopes: nec à dextra ſiniſtrorſum, ut Hebræi, Arabes, ac plerique Indi, Malabaris ac Siamenſibus exceptis: nec βουστροφηδὸν, ut veteres Græci: nec à ſuperiori parte rectâ lineâ ad inferiorem deſcendendo, ut Chinenſes, Tartari, Coreani & Japanenſes: nec lineis ab inferiore parte ſurſum verſùs multiplicatis, ut Tangutani, procedunt: ſed in formam circuli ſcribunt, lectione à centro ad circumferentiam ſurſum verſus incipiendâ: Vide Purchas. Pelgrim. *l.* 1. *c.* 17. Herm. Hugon. *de Orig. ſcribendi*, &c. apud Auctorem *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 9. *ſect.* 3. §. 14. uti de *Mexicanorum* origine aliquid infrà voce *Norvegia*.

MEXICANUS Sinus, *Golfe de Mexique*, pars maris Borealis, in America Septentrionali verſus oram Mexicanæ ſeu Novæ Hiſpaniæ extenſus, uti & inter Floridam & Jucataniam provincias & Cubam inſulam.

MEXICANUS Lacus, *Lago de Mexico* Hiſpanis, lacus Novæ Hiſpaniæ, circuitus eſt 30. leucarum Hiſpanicarum, & Mexicum urbem primariam rigat.

MEXICO, civitas Hiſpaniæ novæ celeberrima, ubi Idola ex farina, & humano ſanguine conficiunt, quibus multa hominum corda ex viventium corporibus extracta quotidie offerunt. Plura lege apud Novi Orbis neotericos ſcriptores. Vide quoque infra *Mexicum*.

MEXICUM, vulgò *Mexico*, urbs Archiepiſcopalis Hiſpaniæ novæ in novo orbe, conventus juridicus, & Hiſpanorum colonia maxima, 100000. ædium, ut ferunt, continens, intra lacum, ut Venetiæ, conſtructa, *Ferrar. Baudrando Mexique* Gallis, *Tenuchtitla* ſeu *Temiſtitan* incolis, urbs eſt totius Americæ præcipua & ampliſſima, in America Septentrionali provinciæ cognominis & novæ Hiſpaniæ caput, ſedeſque Proregis Hiſpani. Sedet in ora lacus cognominis, ſed non intra lacum, neque inſtar Venetiarum; eſtque tota in planitie amœniſſima & pro parte à lacu cicumdata. Archiepiſcopalis facta fuit A. C. 1547. à Paulo III. Pontifice Romano cui ſuffragantur Epiſcopi Tlaſcalæ, Guaxacæ, Mechoacani, Novæ Galitiæ, Chiapæ, Jucataniæ, Guatimalæ, & Veræ Pacis. A. C. 1629. hæc civitas aquarum lacus eluvie deformata & peſſimè habita fuit; nunc tamen in dies reparatur. Aliàs fuit ſedes Regum Mexicanorum, ſed capta fuit à Ferdinando Corteſio, & ſubeſt dominio Hiſpanorum ab A. C. 1519. cum tota regione. 80. leucis Hiſpanicis diſtat ab Acapulco ad mare Pacificum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Boream, & totidem à portu Veræ crucis ad mare Boreale in Occaſum. Extructa fuit A. C. 1322. ut narrant incolæ. Synodô hic à Miſſionariis, Mexicanorum converſioni intentis, habitâ A. C. 1524. ſtatutum eſt, ut, qui ex recens Chriſtianis adhuc plures, pro more gentis, uxores haberet, unam retineret, cæteris dimiſſis. dein A. C. 1585. à Petro de Moiſa de Contreras Archiepiſcopo Mexicano ibidem Concilium provinciale habitum eſt, ad mores reformandos, &c. Morerius *Diction. Hiſtor.* Vide Novi Orbis Deſcriptores, ut & Itineraria varia.

MEXIUS, unus ex ſeptem Ducibus Navatlacarum, qui circa A. C. 820. ex Septentrionali America versùs Auſtralem migrârunt, profectione in multis circumſtantiis Iſraëlitarum ex Ægypto in terram Cananæam itineri non abſimili. Ab illo populi *Mexicani* appellationem hauſêre, vide ſuprà, ut & in voce *Navatlaca*.

MEZA, fil. Rahuel, filii Eſau. Gen. *c.* 36. *v.* 13.

MEZAB, pater Matred. Gen. *c.* 36. *v.* 39.

MEZADES, ſextus Athenienſium Archon. A. M. 3021.

MEZENTIUS, Tyrrhenorum Rex, ſummus Deorum contemptor, qui cùm tyrannidem domi crudeliùs exerceret, à ſuis per ſeditionem pulſus unà cum Lauſo filio ad Turnum ſeſe contulit, id temporis bellum adverſus Æneam gerentem. Quo in bello, cùm magnam tàm Trojanorum, quàm Hetruſcorum ſtragem edidiſſet, unà cum filio ab Ænea eſt interemptus. Vide Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 7. & 483. & de la Cerdam *ad locum*.

MEZUZA, vide MAZUZA.

MEZZABA, vulgò *Mezzaba*, tractus Biledulgeridiæ, cum urbe cognomine, *Sanſon.* juxta fluv. Majorem, & inter Zebum regionem ad Ortum & Tegorarinam ad Occaſum.

MEZZAROTA Ludovicus, vide *Ludovicus*.

M. I. in notis antiquorum, *Maxima Jovi*: ML. *miles* vel *maleficus*: MLT. *milites*: MM. *militem*: MMN. *matrimonium* MMT. *monumentum*, &c. denotat. Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

MIACORUS, urbs Chalcidica. *Steph.*

MIACUM, *Antonino* oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis inter Segobiam 19. & Titulciam 24. mill. paſſ. *Cercedilla* vulgò quibuſdam.

MIAMIN, nomen viri. Nehem. *c.* 10. *v.* 7.

MIARIUS, vulgò *Miary*, fluv. ingens, in parte Septentrionali Braſiliæ, ubi in mare Boreale ſe exonerat, juxta Maraniam Inſulam.

MIASENA, urbs Armeniæ, verſus Syriam. *Antonin.*

MIBÆ, pop. Libyæ interioris in Auſtrum vergentes, Æthiopibus & Nigritis proximi Sil. *l.* 3. *v.* 268.

His ſimul immitem teſtantes corpore Solem
Exuſto venere Mibæ. ——— ———

MIBAHAR, nomen viri. 1. Paral. *c.* 11. *v.* 38.

MICA, nomen diætæ ſeu cœnationis aureæ, quam Domitianus Imperator extruxit, & à parvitate ſic appellavit. De ea ſic Martial. *l.* 2. *Epigr.* 59.

Mica *vocor, quid ſim, cernis: cœnatio parva.*
Ex me Cæſareum proſpicis ecce, tholum.
Frange thoros: pete vina: roſas cape: tingere nardô:
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.

Nempe in hac cœnatione ſeu ſtibadio, è tholo, mortui cranium, quod *mortis admoneret*, pependiſſe videtur, uti Jul. Cæſari Scaligero placet *Lection. Auſon. l.* 2. *c.* 26. Niſi malis per *tholum* hic intelligi Mauſoleum Auguſti, quod cùm in vicinia eſſet, ut conſonat huic fidemque facit *Epigr.* 65. *l.* 5. potuit mortis admonere, atque ad vitæ uſum fructum hortari. Ramireſius verò exiſtimat, *Micam* hanc ita fuiſſe exædificatam, ut ex ipſo triclinio proſpiceretur aliquis tholus ædificii, quod ſepulchrum præteriti alicujus Imperatoris contineret; & in ſpecie, Mauſolei præfati, quod, quantum quidem ex ejus ruderibus & modo ædificii conjectari nunc poteſt, in tholum deſinebat. Vide cum *Not. ad d. l.* 1. Aliud quid *Micæ* apud Eccleſiaſticos ſcriptores, ut infrà videbimus ubi de *Panis fractione*.

MICA Aurea & *Innocentia*, nomina duarum urſarum ſævarum, homines ſibi objectos devorare aſſuetarum, in aula Valentiniani III. quarum caveas prope cubiculum ſuum, fidis cuſtodibus additis, locabat Imperator: donec Innocentiam, poſt multas, quas ejus laniatu cadaverum viderat, ſepulturas, ut benè meritam, in ſylvas liberam dimiſit, Marcellin. *l.* 29.

MICALUS, vide MYCALUS.

MICARE, vide ſuprà *Ad digitum pugnare*, *Decernere Dimicare*.

MICCA, virgo Elienſis præclariſſima, Philodemi filia, moribus & forma excellentiſſima, quam Lucius quidam tyranni ſatelles, cùm fruſtra miſſô nuntiô ad ſe venire juſſiſſet, libidine ſimul, atque ebrietate furens, ipſe domum virginis profectus eſt ac eam paternis genibus appoſitô capite hærentem offendens, ſe ſtatim ut ſequeretur, minitabundus imperavit. Quod illa cùm facere cunctaretur, Barbarus laceratis veſtibus, nudatam graviſſimis plagis cæcidit, cumque fortiſſimè dolorem pertuliſſet, tandem in paterno ſinu jugulavit. Plut. *de claris mulieribus*.

MICCIADES, Sculptor inſignis, apud Plinium *l.* 36. *c.* 5. ubi nobilitates operum & artificum in marmore CCXVI. recenſet, *Cùm ii eſſent*, (Dipœnus & Scyllis, qui marmore ſcalpendô primi omnium inclaruiſſe dicuntur *cap. præc.*) *jam fuerant in Chio inſula Malas ſculptor, dein filius ejus* Micciades, *ac deinde nepos Anthermus Chius, cujus filii Bupalus & Anthermus clariſſimi in ea ſcientia fuêre.*

MICEA, Gothus, ex Ababa Alana, genuit Maximinum Imperatorem Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 1. *Et patri quidem nomen* Micca, *matri Ababa fuiſſe dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus, ipſe prodidit; poſtea verò, ubi ad Imperium venit occuli præcepit, ne utroque Parente Barbarogenitus Imperator eſſe videretur.* Pro *Micea*, alii codices *Micca* habent, cui ſcripturæ magis accedit *Symmachus*, apud quem *Mecca* legitur. *Salmaſ.*

MICELÆ, ita ex vetere codice repræſentat Lud. Carrio, apud Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 130. Populi vicini Jazygibus. *Sabellicus* olim legebat *Metleta*.

MICHA, pater Abdon. 2. Paral. *c.* 34. *v.* 20. qui & *Michaja*. Item nomen viri de monte Ephraim, in Idololatriam prolapſi, de quo vide Judic. *c.* 17. & 18. Torniel. *A. M.* 2594. *n.* 15. Salian. *A. M.* 2622.

MICHÆA, nomen prophetæ, Mich. *c.* 1. *v.* 1. unius ex 12. minoribus, Moraſthiâ, in tribu Ephraim, oriundi. Prophetavit, ſub Joathamo, Achaſo & Ezechia, Judæ Regib. Locum nativitatis CHRISTI clariſſimè prædixit; ſeptem capitibus inſignia pandens myſteria. Hieron. *in Comment.* Epiphan. *de vit. Proph.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Alius fuit, fil. Jemlæ, Achabo cladem prædixit, propterea in vincula conjectus. Vide 1. Reg. *c.* 22. *v.* 9. 2. Paral. *c.* 18. *v.* 7. Torniel. *A. M.* 3137. *n.* 3. In prioris *Prophetiam*, extant: Brentii *Comm.* Danæi *Explicatio locorum diffic.* *Chytræi* item Witeb. 1565. *Gerlachii* 1524. Auguſtæ Vindel. Graweri *Expoſitio*, in 4to. Grayeri *Comm.* Salmanticæ 1570. Octav. *Oecolampadius. Phrygio.* Savanarolæ *Sermones.* Tarnovii *Comm.* &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

MICHÆA, ſeu MICHÆAS, fil. Gamariæ. Jer. *c.* 26. *v.* 18.

MICHÆA, fil. Joël. 1. Paral. *c.* 5. *v.* 5. Fil. Meribaal, filii Jonathan. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 35. Fil. Mephiboſeth. 2. Sam. *c.* 9. *v.* 12.

MICHAEL, nomen Archangeli. Dan. *c.* 10. *v.* 13. & *c.* 12. *v.* 1. Ep. Judæ *v.* 9. Hujus apparitionem Romæ Drepanius Florus, Poëta Chriſtianus vel in Gargano, Apuliæ monte, ſub Gelaſio III. cui proin à Bonifacio III. templum erectum, in mole Adriani, hinc *arx S. Angeli* dicta, jactent alii: alii celebre monaſterium, nomine *Mons S. Michaëlis*, in medio mari, ob aliam iſtiuſmodi apparitionem, extruxerint: Gallia illum Protectorem ſuum veneretur: Leſcus Niger, Polonorum Rex ad prælium contra Lithuanos, viſione Archangeli hujus confirmatus, unde Lublini templum poſt victoriam ei erectum, A. C. 1282. dicatur: Bongomitæ Hæretici, eum incarnatum dixerint, propiùs ad veritatem illi accedunt, qui per Angelum hunc Angelum increatum, JESUM CHRISTUM ipſum, intellectum volunt. Hic enim verè eſt *Michaël*: Latin. *Quis ſicut Deus*, aut *humilitas*, *paupertas*, ſive *percuſſio Dei*. Cœterum perquam mirum eſt, nec alibi fortè lectum, quod habet de Eccleſia *Cæſarea* dicta Alexandriæ Eutychius Patriarcha ipſe Alexandrinus atque ex Eccleſiæ ejuſdem monumentis edoctus. Is nec Conſtantio, ut nonnulli volunt, nec Gregorio Meletiano aut Athanaſio, ut alii, ſed tantùm Alexandro, proximo Athanaſii deceſſori, illius initia tribuit, ut *Michaëli* Archangelo ab eo dedicatæ. Etiam antea idolum magnum æreum ait, *Michaëlem* neſcio quem dictum à Gentibus illic cultum, templumque ipſum fuiſſe primò à Cleopatra Regina extructum *nomini Saturni*, i. e. *ei dedicatum*, *Annal. tom.* 1. *p.* 434. Adjicit, *Et Alexandriæ & Ægypti incolæ, die duodecimô menſis Haturi, feſtum magnum huic idolo celebrabant & ſacrificabant ei ſacrificia multa.* Et dein, quòd Alexander, ſimul ac Patriarcha illic factus eſt, Chriſtianiſmi, qui aliquatenus ibi vigebat, gratiâ, *voluit confringi idolum & aboleri ſacrificia*, cumque ei obſiſterent Alexandrini (qui, ut Ægyptii reliqui, Gentiliſmi ſui præ cœteris gentibus erant tenaciores propugnatoreſque acriores) *aſtutiâ ipſos aggreſſus, Idolum, inquit, illud nulli omnino rei utile eſt. Quòd ſi feſtum illud* Michaëli *Archangelo celebraveritis & ſacrificia hæc ei feceritis, ipſe pro vobis apud Deum intercedet, majoriſque vobis boni cauſa, quàm idolum iſtud, futurus eſt.* Quibus annuentibus. *Alexander idolum confregit, & crucem ex eo confecit & nuncupavit templum, Eccleſiam Michaëlis quæ ipſa Eccleſia eſt, quæ Cæſarea dicta, igne periit, cùm Occidentales Alexandriam ingreſſi illam devaſtârunt. Et cedebant feſtum & ſacrificia Michaëli Angelo. Etiam & adhuc Coptitæ in Mitzar* (ſeu *Babylonia Ægyptiaca*; Cairo, Metropoli Ægypti) *& in Alexandria feſtum illô die celebrant. Michaëli Angelo. & ſacrificant iis eo ſacrificia quamplurima.* Reſpondet dies ille in anno Ægyptiaco Auguſtorum ſeu fixo (qui, captâ ab Octavio Cæſare Alexandriâ & Antoniô ac Cleopatrâ devictis, ita incepit, ut prima dies *Thoth* menſis ſeu initium anni in Auguſti Juliani 29. inciderit) Novembris Juliani octavo. Sed ſi inſtitutum fuit, aut celebratum hoc feſtum, ut idolo iſti *Michaëli* dicto ſacrum, cui templum illud extruxit Cleopatra, quæ demortua eſt ſub ipſum tempus, quô annus Ægyptiorum Actiacus ſeu Auguſtorum, antè vagus, initia, poſt devictum cum ea Antonium, ſua habuerit, ex origine ſua neceſſe eſt illud non omnino ad octavum Novembris aliter atque ad diem revolventis anni quemlibet alium, ſpectâſſe, ſed ad 12. menſis Hathuri nondum fixi, qui, ut menſes reliqui Ægyptiaci, per Julianos tunc circumvagabatur. Qui ipſe dies in Menologiis aliiſque Ritualibus Eccleſiæ Orientalis, etiam nuncupatur, ἡ σύνταξις τῶν παμμεγίστων ταξιαρχῶν Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ καὶ πασῶν τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων, *Syntaxis omnino maximorum ordinum ductorum Michaëlis & Gabrielis & univerſarum ſupercœleſtium poteſtatum.* Et in Menologio Græcorum Cardin. Sirleti, apud Caniſium *Antiqq. Lect. Tom.* 2. *p.* 905. diei huic aſſignatur, *Celebritas Principis militiæ cœleſtis* Michaëlis *& reliquarum virtutum incorporearum.* Eadem ipſa tribuitur, in Eccleſiæ Orientalis Ritualibus, vigeſimo nono Septembris, quod feſtum eſt non modo *S. Michaëlis*, ſed etiam omnium Angelorum, ut tam ex titulis Liturgicis, quàm precibus diei aſſignatis liquet; tametſi in Martyrologio Romano alibique, ad diem illum, legatur tantum, *In monte Gar-*

gano

gano Apuliæ, juxta mare Hadriaticum, (*Monte di S. Angelo*, dicta) *venerabilis memoria Beati Michaëlis S. Angeli, quando ipſius nomine ibi conſecrata fuit Eccleſia, &c.* unde manavit & ejuſdem & reliquorum Angelorum feſtivitas, olim & nunc quotannis celebrari ſolita. Neque in Martyrologiis Occidentalis Eccleſiæ, nec apud eos qui illa ſive explicant, ſive prætermiſſos Martyres eorumque dies ſuppletum eunt, alia feſta *S. Michaëlis* occurrunt, præter apparitionem ejus in monte Gargano, 8. Maji, & dedicationem ejus, 29. Sept. Atque hoc quidem ſimpliciter dictum eſt *Dedicatio S. Michaëlis* & *Feſtum S. Michaëlis* antiquitùs, ut nunc vulgò. Sed verò nec in Orientis, nec in Occidentis ſcriptis alibi *Michaëlis* idoli templum, in *S. Michaëlem* Archangelum, i. e. templum ei ſacrum, Alexandriæ mutatum eſſe, occurrit. At alias alibi ædes ante eidem a Conſtantino M. dedicatas legimus, apud Sozom. *l.* 2. *c.* 2. & Niceph. Calliſtum *l.* 7. *c.* 50. adeoque haud novum tunc Chriſtianis tituli ſeu dedicationis illius ſub Conſtantio illic erat nomen. Memoratur porrò idem dies ut feſtum apud Ægyptios *Michaëlis* Archangeli, Scriptori perinſigni Muhammedano *Abulaiblan Achmed Calcuſendio*, apud Seldenum MS. dum feſta Chriſtianorum enumerat, à Chriſtiano, aliquo illic proculdubio edoctus. Vide Joh. hunc Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræorum. l.* 3. *c.* 15. §. 8. In amethyſto inſigni Thuanæa *Michaël Archangelus* ſculptus, ad eum ferè modum, quô Mercurium repræſentabant Gentiles, capite pedibuſque alatis, manu ſiniſtrâ tenet draconem, ejuſque ultima pedibus calcat. Præcipua verò membra characteribus Græcis inſcripta ſunt, è quibus tamen conflata nomina Hebræa ſunt vel Chaldæa: quô modô arcana hæreſeos ſuæ occultare ſolitos olim Baſilidianos ſeu Gnoſticos, quibus amuleti locô hæc gemma inſerviit, notum. Inſcriptiones cujuſque membri, earumque explicationem habes, apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *p.* 157. *& ſeqq.* unà cum gemmæ apoſphragiſmate delineato. Vide quoque ſuprà, ubi de *Baſilidianis*: nec non voce *Archiſtrategus* & *S. Archiſtratici*.

MICHAEL I. *Imperator. Græcus* cognomine *Rangabes*. Primò Curopalates, dein ductâ Procopiâ, gener Nicephori Imperatoris, eoque occiſô, ac filiô ejus Stauraciô vulneratô, in pugna contra Cromnum, Bulgarorum Principem, Imperator A. C. 811. Filiô Theophylactô in conſortium Imperii aſcitô, Saracenos per Leonem ducem repreſſit, à Bulgaris dein, quos primò vicerat, fugatus, rebus deſperatis in cœnobium abiit, miſſô diademate & palliô purpureô Leoni Armeno, A. C. 813. Theophanes *in Annal.* P. Æmil. *l.* 3. *Anaſtaſ.* &c.

MICHAEL II. cognomine *Balbus*, natione Phryx. A Leone V. in vincula conjectus, eô fine, ut poſt Nativitatis feſtum neci traderetur, ipſô Natali Chriſti Leone occiſô, Imperator ſalutatus eſt. A. C. 820. Impius, barbarus, imaginum reſtitutor, ſectâ Sabacæus, Patriarchæ Theodoſio Biſcodeptem, ejuſdem ſectæ, ſurrogavit. A Thoma fœderatorum legionis tribuno in urbe obſeſſus, per Bulgaros liberatus eſt, à Saracenis Cretâ exutus Siciliâque, prodente Euphemiô, Dalmatiam quoque, eripientibus Bulgaris, amiſit. Obiit omnibus exoſus, dyſenteriâ A. C. 829. *Cedrenus*, *Curopalates*, *Theodorus Studita*, Sigon. *l.* 4. *ad* A. C. 20.

MICHAEL *III.* Theophili fil. cum Theodora matre Conſt. Imperat. A. C. 842. Patri ſucceſſit. *Bibo* dictus; renuntianti de Saracenis, curſu certaturus, *cùm in tali*, inquit, *certamine ſim, & qui medius eſt, eum ad lævam propellere properem, tu ineptè de Saracenorum incurſione verba facis.* Interea mater à Monacho quodam, periculorum mortiſque metu territa, Imaginum cultum, à Theophilo ſublatum, reſtituit, Johannique Patriarchæ dejecto Methodium ſurrogavit: Sed illâ à filio Monaſterio incluſâ, ſuaſu Bardæ fratris hujus, per hunc poſtea omnia Imperator adminiſtravit. Patriarcham Ignatium, quòd Matri crines reſecare nollet, in exilium pepulit, Bardam Cæſarem creavit, à Saracenis dein ad Samoſatam victus, in urbe à Ruſſis obſeſſus, eundem inſolentius ſe gerentem occidit; Nicolaum I. qui Photium Ignatio ſurrogatum excommunicaverat, increpuit, illumque Conciliô Conſtantinopoli habitô depoſuit. A Baſilio Macedone, quem, collegam lectum, è medio rurſus tollere cogitabat, occiſus, A. C. 867. Nicetas, *in vita Ignatii. Curopalates*, *Cedrenus*, Zonaras tom. 3. &c.

MICHAEL *IV.* Paphlago, occiſô Romanô III. Conſtant. Imperatore, imperium arripuit. A. C. 1034. ope Zoæ Imperatricis, quæ ipſius, è viliſſima fæce & aurifabri, conſuetudine aliquandiu uſa, per eum, maritum in balneo ſubmerſerat. Saracenos in Sicilia per Maniacen vicit, & 13. urbes imperio adjecit, mox eandem ſub Stephano denuo amiſit, à Petro quodam, qui Bulgariam occupaverat, profligatus. Obiit A. C. 1041. Succeſſorem nactus Johannem fratrem, ingeniô & probitate inſignem, qui Zoën monaſterio incluſit. *Curopalat. Cedren. Zonaras*, &c.

MICHAEL *V. Calaphates*, Zoes Auguſtæ adoptione Conſtant. Imperat. factus, eôdem die, quô Michael Paphlago obiit, in inſulam eam relegavit, ſed ab ea poſtea, & regno, & oculis privatus eſt. Blond. Zonar. Cedr. *in Annal.*

MICHAEL *VI. Senior*, unô annô Conſtant. Imperat. A. C. 1056. etiam *Stratioticus* dictus: adoptatus à Theodora, Zoës minore natu ſorore, Theodoſium filium Conſtantini Monomachi vicit, ab Iſaaco Comneno, qui ab exercitu Imperator proclamatus fuit, victus & in cœnobium relegatus. Joh. Scilitz. *in Compend.* Zonar. *in hiſt.*

MICHAEL *VII. Parapinaceus*, Conſtantini Ducæ fil. A. C. 1071. Succeſſit Romano IV. à Xiphilino Patriarcha coronatus. Ob avaritiam populi odium incurrit, cum fame durante frumenti menſuram diminueret: Hinc nomen adeptus. Interim Literarum cultor, in Philoſophiâ inprimis, Mathematis & Poëſi egregiè profecit, ſed dum intempeſtivè hiſce vacat, Nicephorus Turcarum opibus ſubnixus, Conſtantinopoli captâ, coëgit Michaëlem purpuram exuere, A. C. 1078. qui in Studitarum Monaſterium ſe recepit, poſtea Archiepiſcopus Epheſinus factus. Zonar. *in Hiſt.* Baron. *in Annal.*

MICHAEL *VIII.* fil. Andronici Palæologi, ex matre ejuſdem familiæ, hic *Diplo-Palæologus* dictus. Deſpota primò, dein excæcatô Johanne IV. cujus tutor fuerat, Imperium adeptus eſt, A. C. 1259. Conſtantinopolim Balduino II. A. C. 1261. eripuit, poſtquam illô Imperiô potiti Germani eſſent ann. 58. Ob Imperii fines dilatatos *Magnus* appellatus, contra Venetos, ab Athenienſibus adjutus eſt. Carolum Siculum, qui imperium dotis nomine filio ſuo pro filia Balduini repetebat, verſutè initâ cum Arragoniis conjuratione, excuſſit. P. Æmil. *l.* 7. Papir. Maſſon. *l.* 3. Sed quòd in Concilio Lugdunenſi, A. C. 1274. ſe Gregorio X. ſubmiſiſſet, ſuis exoſus, & à proprio filio ſepulturâ privatus eſt. Obiit autem A. C. 1283. cùm Johannem Sebaſtocratum, Theſſaliæ Principem, oppugnatum iret. *Gregoras*, *Pachymerus*, &c.

MICHAEL Auguſtus, vide *Andronicus II.*

MICHAEL Federovitius, Ruſſorum ſeu Moſcorum Imperator laudatiſſimus, confuſam exhauſtamque civilibus turbis Moſcoviam, optatâ pace, recreavit, novæ familiæ conditor. Poſtquam enim à Pſeudo-Demetriis aliquot, poſt exceſſum Theodori, Ruſſia graviſſimè perturbata & Ruſſi, verô capite deſtituti, Tartarorum, Polonorum (qui urbem primariam Moſcoviam ferrô incendiôque funditus deleverunt A. C. 1612. ac inæſtimabiles Principum theſauros, ab antiquo congeſtos, diripuerunt) & Suecorum (qui complures Imperii Ruſſici, per has turbas, ditiones occupârunt) præda fuiſſent, ab A. C. 1604. ipſique inter ſe diſcordes, alii Magnum Ducem Vladiſlaum Poloniæ; alii Carolum Sueciæ Principes, vellent; tandem cum nullus videretur calamitatum finis; quidam ex infima plebe, nomine *Zacharias Lippenows*, lanius, habitans in provinc. Septentrionali cui *Dunia* nomen, in urbe Pleskovienſi, progreſſus in medium, dixit: *Perire Ruſſiam, creandum eſſe Ducem ex Ruſſica nobilitate, & ærarium fido Quæſtori eſſe committendum.* Cujus conſiliô ab omnibus collaudatô, Ruſſi, omnes exteros pellendos decreverunt, & indigenam Principem eligendum. Sic creatus Magnus Dux eſt *Michaël* Federovitius, florens ætate ac virtutibus juvenis, qui ſtatim, conſilii auctorem, lanium Ducem exercitus ac Quæſtorem ſuum conſtituit. Mox *Michaëli* ſe oppoſuit Pſeudo Demetrii II. vidua, Margarita Gorgona, quæ ductô *Iwam Martinovitz Caruſci*, Coſacorum Duce, provincias Ruſſiæ Orientales, Caſanam, Aſtracanam, Siberiam, Rezanam, Colugiam, aliaſque titulô Regni pro filio ſuo adhuc impubere Pſeudo Demetrio IV. occupavit, ſed bienniô exactô, Demetrius hic cum Matre ſua captus, atque à Ruſſis interfectus eſt. Ita ſolus *Michaël* ſuperſtes, primò omnium pacem cum Suecis ſancivit, illiſque, receptô Magnô Ducatu Novogardiæ, omni Livoniâ, Ingriâ, Careliâ multiſque ad Mare Album provinciis in perpetuum ceſſit. Polonos Moſcoviâ ejecit, brevique miſerrimè hactenus afflictum imperium, prudentiâ, moderatione animi, ac perpetuâ cum vicinis pace, ita recreavit, ut nunquam felicior fuerit, quàm ſub ipſo. Unam accepit eamque atrocem à Polonis cladem, A. C. 1634. Cùm enim Smolenſcum obſediſſet, ingens ipſius centum millium exercitus ad turpiſſimam deditionem coactus eſt. A quo tempore armis plane abſtinuit, amator exterorum, & ſuprà quam ejus gentis ingenia ferunt, ſummâ humanitate excultus. Obiit A. C. 1645. die 12. Julii, ſucceſſore filiô Alexiô *Michalovitio*, i. e. *Michaëlis filiô*, qui cùm adhuc minorennis eſſet, horribilis iterum ſeditio Moſcoviam urbem concuſſit A. C. 1648. Verùm paulò adultior factus, A. nempe C. 1654. cum exercitu Lithuaniam ingreſſus eſt, captâque urbe Smolenſcô maculam A. C. 34. Patri adſperſam eluit. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 1. *&* 3. *Orb. Imper. p.* 252. *& ſeqq.* Vide quoque in vocibus *Czar*, *Moſcovia & Ruſſia.*

MICHAEL Selghuki fil. Dux Turcarum, gentis paſtoritiæ: qui, cùm primas ſedes in Scythia habuiſſent, ad fluvium Jaxartem ſupra Perſiam; ex illa regione, hodieque *Turkeſtan* appellata, in Perſiam emigrarant Duce Selghukô. Cujus filium *Michaëlem* cùm Mahmudus Rex Perſiæ & Indiæ captivum abduxiſſet, ex Manarahalnaria omnes Turcæ eum inſecuti, in planitie *Choraſan* conſederunt. Quod cùm Mahmudo diſpliceret, filius ejus *Maſud*, ſucceſſor Regni, Turcas bellô laceſſere cœpit, qui hac injuriâ irritati, Togrul Bekum filium *Michaëlis* Regem creârunt, A. C. 1038. &, occiſô Maſudô, totâ Perſiâ potiti ſunt. Quæ prima Turcici Regni origo, à Scriptoribus Græcis Latiniſque monſtroſis fabulis involvitur. Vide eundem Hornium *Orbe Imper. p.* 269. & infrà in voce *Selgucus.*

MICHAEL, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeculô 13. quartus hujus nominis, Thomæ à Latinis oppoſitus.

MICHAEL Antiochenus, condidit hiſtoriam omnigenam, de qua Poſſevinus *in Apparatu ſacro.*

MICHAEL Anchialius, Patriarcha Conſtantinopolitan. ſub Emanuele Comneno, Philoſophus inſignis, pacis amans: Balſamo *in nomocl. Photii*, *in Can.* 65. *Conc. Trull. & in Can.* 16. *Conc. Carth.* Baronius *in Annal.* &c.

MICHAEL Angelus Bonarota, Pictor Sculptorque excellentiſſimus, fil. Lud. Bonarotæ Simonii, ex priſca Comitum Canoſſiorum ſtirpe. Anno ætat. 16. è marmore ſtatuas fingere incepit, omnibus in artis admirationem raptis: à Julio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV. expetitus: A Franciſco I. Carolo V. Coſmo M. D. Venetis, &c. Imò ab ipſo Solimanno Turcar. Imperatore maximi habitus: Obiit Romæ, A. C. 1564. ætat. 89. Cadaver ejus Florentiam tranſlatum & magnificè ſepultum eſt. Thuan. *in Hiſt.* Vaſarius, *in ejus vita.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Fillebenius, *de vit. Pictorum*, *Part.* 2. Eminet inter opera ejus, delineatio *Judicii ultimi*, Anton. Teiſſier *Elogiis eruditorum P.* 1. ubi plura de illa, ut & aliquid de alio ejuſdem nominis Italo, cognomine *Novello*, qui linguâ vernaculâ quædam proſâ & verſu edidit.

MICHAEL Attaliates, JCtus Hiſtoriam Græcam ſcripſit Pragmaticam, quæ eſt *Tom.* 2. *Juris Græco-Romani.* Joh. Leunclavii curâ editi. Vide Voſſ *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 21. Sub Michaële VII.

MICHAEL Bajus, cum Cornelio Janſenio, & Joh. Heſſelio, ad concilium Tridentinum, nomine Philippi II. miſſus, A.C. 1563. Theologiam Lovanii docuit: Auguſtinum novies evolvit, ſcripſit plurima, in quibus propoſitiones quædam Pio V. & Gregorio XIII. ingratæ. Obiit A. C. 1586. ætat. 77. Valer. Andreas *Biblioth. Belg. Poſſevinus*, &c.

MICHAEL Beutherus, vir undecunque doctus, ac Aſtrologiæ etiam & Chronologiæ ſtudiis egregiè excultus. Natus Carolopoli ſeu Caroloſtadii, Franciæ Orientalis oppidô, 3. milliar. Herbipoli diſtante. In Matheſi Wittebergæ Eraſmum Reinholdum audivit: A. dein C. 1546. ætat. 24. in Academia Gryphiswaldenſi, cùm Poëſin atque Hiſtoriam, tùm Matheſin publicè eſt profeſſus. Hinc Gallias atque Italiam adiit: ac Medicinæ Doctor à Gabr. Fallopio Patavii renuntiatus eſt. Poſtea Ferrariæ à Renato Caro gradum in Jure utroque accepit. Exin Pariſiis publicè de annorum ſupputatione docuit. ab Ottone Henrico Electore Palatino Conſiliis Eccleſiaſticis ac Bibliothecæ admotus, eumpſe in locum poſtea à Friderico III. cognomine *Pio* reſtitutus eſt. Plurima conſignavit; inter quæ: *de Globo Aſtronomico*, *de Circulis*, *de correctione novi Kal. Gregoriani*, *de* 70. *hebdomadibus Danielis*, *de tempore anni quô mundus conditus*, *de die emortuali* CHRISTI, *Ephemeridum hiſtoriam &c.* In Argentinenſi Academia Hiſtoriarum Profeſſor fuit A. C. 1560. Obiit A. C. 1581. ætat. 65. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 36. §. 23. *& c.* 68. §. 6.

MICHAEL Cerularius, Patriarcha Conſtantinopolitan. poſt. Alexin, A.C. 1043. prolixam contra Latinos Epiſtolam ſcripſit, poſtmodum ab Iſaaco Comneno, quem tamen ad Imperium promoverat, in exilium ejectus eſt, A. C. 1058. ubi paulo poſt obiit.

MICHAEL Choniates, Metropolitanus Athenienſis, eruditione inclytus; A. C. 1210. Frater Nicetæ hiſtorici. Diu in Zia, Cycladum una, exul vixit.

MICHAEL Eggenſtorphius, Conſtantienſis, viceſimus ſeptimus & ultimus Abbas cœnobii celeberrimi S. Salvatoris ſeu omnium Sanctorum, prope Scaphuſiam Helvetiorum, tùm adhuc vicum, extructi à Comite Eberhardo Nellenburgio A. C. 1052. Hîc poſtquam Reformationi Eccleſiæ Scaphuſianæ aliquandiu nequicquam obnixus eſſet, tandem Euangelio manus dedit, ſeque cum omnibus ſibi ſubjectis Magiſtratus auctoritati & protectioni ſubmiſit, A. C. 1524. Obiit in eadem urbe A. C. 1552.

MICHAEL Glycas, Hiſtoricus Græcus gente Siculus. Scripſit Annales, part. 4. In quarum prima, opera 6. Creationis dierum enarrat; in ſecunda res à Mundo condito ad JESUM CHRISTUM geſtas exequitur. Tertiam, in Conſtantio M finit. Quartam, uſque ad Alexium Comnenum perducit: Non Hiſtoricum modò ſed & Phyſicum, Theologumque agens. Quintam dein partem Leunclavius adjecit, quæ uſque ad Conſtantinopolim captam pertingit. Voſſ. *de Hiſt, Græc. l.* 2. *c.* 27. *Nic. Lloydius.*

MICHAEL Guilielmus, vide *Guilielmus.*

MICHAEL Hoſpitalius, Arvernus, Cancellarius Galliæ, Philoſophus eximius, JCtus excellens, in omni literarum genere verſatiſſimus, gratiâ & eloquiô inclytus, ſed quòd Reformatis faveret à ſcriptoribus Romanæ Communionis reprehenſus. Vixit ſub Franciſco II. & Carolo IX. cùm priùs Margaretæ, Sabaudiæ Ducis Cancellarius fuiſſet. Obiit A. C. 1573. Thuan. *in Hiſt.* Sanct. Marth. *elog. l.* 2. Beza, *in ejus vita.* Pater Magdalenæ, quæ Roberto Huralto nupta, ex illo, præter alios, *Michaëlis* Huralt-Hoſpitalii mater fuit, qui ut ingeniô excellenti polluit, Bibliothecam ab Avo muneri accepit, Cancellarius dein Henrici Navarri factus, qui Galliæ quoque Rex fuit. Sanct. Marth. *elog. l.* 4.

MICHAEL Johannes, vide *Johannes.*

MICHAEL Marcus Antonius, vide *ibi.*

MICHAEL Mœſtlinus, Mathematicus celebris, Tubingæ Profeſſor. Auctor Galilæo, ut Copernicum ſequeretur, fuit. Cùm enim junior in Italiâ agens, pro Copernicana ſententia publicè in Lyceo orationem habuiſſet, Galilæus perpenſis ejus argumentis, etſi anteà Ariſtoteli & Ptolomæo penitùs addictus, poſtea pedibus ſive animô potiùs, in ejus ivit ſententiam. Scripſit contra novum Calendarium Romanum jam Tubingæ Profeſſor, A. C. 1584. Primò enim in oppido *Bachnanus* Paſtor, exin in Academia Heidelbergenſi: ac poſtea ibidem Mathematices Profeſſor fuerat. Patria ei Goppinga. Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 36. §. 21. & *c.* 68. §. 13. Vide Paul. Freherum *Theatro Virorum Eruditione clar.*

MICHAEL Monachus, vitam exaravit æqualis ſui, Theodori Abbatis cognomine Studitæ: Multa ob imaginum cultum perpeſſus ab Imperatorib. Iconoclaſtis. Obiit A.C. 826.

MICHAEL Montanus, nobilis Petrocorius, Lipſio *Galliæ Thales*, Mezeræo *Seneca Chriſtianus*; à Patre ſummâ curâ educatus, Latinam linguam ante vernaculam, ab erudito quodam Germano, ipſi à prima infantia admoto, hauſit. Præceptores habuit Nicolaum Gruchium, qui *de Comitiis Roman.* ſcripſit, Guilielmum Guerentium; qui Commentariis Ariſtotelem illuſtravit, Georg. Buchananum & Marcum Anton. Muretum. Græcam linguam ſimiliter per ludum addidicit, inſtrumentorum Muſicorum ſonô quotidie è ſomno excitatus. Duxit an. ætat. 33. Franciſcam Chaſſanæam, filiam Conſiliarii in Parlamento Burdigalenſi, ipſe quoque eâdem dignitate aliquandiu functus, ſed illâ pòſt ſe abdicavit: Eques S. Michaëlis, Civis Romanus, & Major Burdigalenſis. Auctor libri notiſſimi, *des Eſſais*, obiit A C. 1592. æt. 59. Idem quoque Raimundi de Sabonde Theologiam, à Patre monitus, vertit. Vide Sanct. Marth. *l.* 1. *Elog.* Anton. Teiſſier *Elog. p.* 2. ubi diverſa Auctorum de *Montano* judicia prolixè exponit, & ſupra in *Maria* Gornacenſis.

MICHAEL Noſtradamus, vide *Noſtradamus.*

MICHAEL Paludanus, Gandavenſis, Natus A. C. 1593. amplexus fuit ordinem Eremitarum S. Auguſtini. A. C. 1628. emiſit *Chronologiam Regum Juda & Iſraël.* Exin ordinis ſui per Belgicam Rector eſſe cœpit A. C. 1634. denique in Academia Lovanienſi Theologiæ quoque Profeſſor creatus eſt. Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 41. §. 25.

MICHAEL Pſellus, ſive Balbus, Leone V. Armenio per fraudem necatô, imperio ſuo cuncta ſubjecit, A. C. 821. Vide ſuprà. Alius ab hoc fuit Michael Pſellus πολυγραφώτατος, præfectus ſtudii Michaëlis Ducæ, A. C. 1059. qui Romano Diogeni, A. C. 1071. ſucceſſit. Vide ſuprà *Michaël VII.* Scripſit plurima, quæ impensè ab eruditis laudantur. Vide Annam Comnenam *l.* 5. *Alexiad.* Cedren. & Zonar. *in Annal.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 25. Poſſevin. *in appar.* Simlerum *in Biblioth.* Leonem Allatium, *diſſert. de Pſellis. Nic. Lloydius.*

MICHAEL Ritius, Neapolitanus, JCtus Ludovico XIII. à conſiliis. Scripſit libros 3. de Galliæ, totidem de Hiſpaniæ Regibus, unum de Regibus Hieroſolymitanis, quatuor de Siciliæ & Neapolis, duos tandem, de Hungariæ Regibus Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11.

MICHAEL Rubertus, Florentinus. Auctor hiſtoriæ, à Mundo condito, uſque ad an. 1430.

MICHAEL Servetus, Tarracone Hiſpanus, Sociniſtarum Patriarcha. Medicinam primò Lutetiæ fecit, dein in Africam, ut Alcoranum accuratiùs addiſceret, delatus eſt. Reverſus, diu in Gallia & Germania moratus, impietatis ſuæ venenum paſſim ſparſit. Tandem Genevam cùm perveniſſet, ob horrendas in SS. TRINITATEM blaſphemias, conſultis priùs Helvetiis Theologis, vivicomburiô punitus eſt, A. C. 1553. Sleidan. *l.* 25. Thuan. *l.* 9. Beza *in Epiſt.* Non tamen ſine ingenti Joh. Calvini Theologi tum Genevenſis invidia, quanquam is pro ejus vita apud Magiſtratum deprecatus fuerit, & tota illa cauſa blaſphemiam pervicacem & ſeditionem ſpectaverit. Ipſe Melanchthon ac moderatiſſimi quique, ſupplicium hominis *juſtum* pronuntiaverunt, vide, ejus Epiſtolam in *Epiſtolis* Calvini: at de erroribus *Serveti*, quorum XXXVIII. in hujus *Ep.* 152. 156. 159. 161. 174. 187. & *Opuſc. p.* 608. Diſcipulus ejus Valentinus Gentilis Italus ob ſimiles blaſphemias ſimile ſupplicium Bernæ ſubiit, A.C. 1566. G. Hornius *Hiſtor. Eccl. cum Notis* Leydeckeri.

MICHAEL, Sicidotes, Hiſtoricus, cujus hiſtoria Græca adſervatur in Bibliotheca Vaticana, ut monet *Geſnerus.*

MICHAEL Sonnius, Typographus Pariſinus celebris. Sub finem ſeculi præteriti.

MICHAEL Stifelius, Eſlingâ Germanus, floruit ſeculô præteritô. Edidit *Arithmeticam perfectam*, quæ Norimbergæ cum præfat. Philippi Melanchthonis prodiit, ac à præſtantibus viris probata eſt, ut refert Poſſevinus *Bibl. Sel. l.* 15. *c.* 3. Etiam *Italicam praxin* literis tradidit: Germanicè quoque publicavit *Algebram*, quam unà cum tota Arithmetica, optimâ methodo traditam eſſe, judicium eſt Joſephi Blancani *in Chronol. Mathem.* Ejuſdem proſtat *Computus Eccleſiaſticus.* Docuit variis in Saxoniæ Boruſſiæque locis: Obiit Jenæ in Thuringia A. C. 1567. ætat. 58. Ger. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 52.

MICHAEL Vaſcoſanus, Typographus Pariſienſis clariſſimus. Sub Henrico III.

MICHAEL Verrinus, Poëta Florentinus, Diſtichis Chriſtianis & caſtitate inclytus Juvenis.

MICHAEL Villanovanus, Medicus Hiſpanus, ſecul. præterit. Addi poſſent, *Michaël*, Bulgarorum Princeps, qui in Chriſtiana fide ſubditos erudiri curavit, A. C. 866. Item, Magnus Moſcoviæ Dux qui contra Polonos victor, A. C. 1612. Obiit A. C. 1645. &c.

S. MICHAEL, Ordo militaris in Gallia, inſtitutus à Ludovico XI. Amboſiæ, A. C. 1469. in honorem Archangeli Michaëlis, quem Gallia Protectorem agnoſcit. Nobiles 36. in illum recepti, ſub capite Rege: Symbolum, *Immenſi tremor Oceani.* Vide Favin. *l.* 3. *theatr. hon. & Eq.* Petrum Matthæum *Hiſt. Lud. XI.* Nicolaum Ægidium, *in Annal.* Item una ex Inſulis Terceris: cujus præcipua loca, *Punta delgada*, *Villa Franca & S. Antonio.* Item Inſula maris Adriatici, aliis *Ugliana.* Item urbs novæ Hiſpaniæ. Item, urbs Americæ Septentrionalis quæ olim Chila. Vide infrà. Item, metropolis Ducatus Barrenſis.

S. MICHAEL Archangelus, urbs Moſcoviæ cum portu ad Mare Album mercaturâ florentiſſima.

MICHAELIA, ſeu *Inſul. S. Michaëlis*, vulgò *Ilha de S. Miguel*, una ex Aſſoribus ſeu Tertiariis, ſub Luſitanis, 28. leuc. à Tertiaria Inſula in Eurum. Circuitus 32. leuc. Ejus oppida ſunt *Punta delgada*, Inſulæ caput. *Villa Franca*, & Fanum S. Antonii *S. Antonio.* Hic glaſti eximia copia, cujus ut & frumenti ferax eſt Inſula.

MICHAELIA, Inſul. maris Adriatici in ora Dalmatiæ, vulgò *Iſola di San Michele: Ugliana* aliis. Vix 3. milliar. à Jadera, extenditur ad 14. mill. paſſ. circiter, ſub Venetis.

MICHAELIS Johannes, vide *Johannes.*

S. MICHAELIS Arx, in inſula Melita, fruſtra à Solimanno Turcarum Imperatore acerrimè oppugnata. Obſidionem enim ſolvere Barbaros Garſias Siciliæ Prorex claſſe admotâ non ſolùm coëgit, ſed & in turpem fugam compulit, A. C. 1565. Thuan. *Hiſt. l.* 38.

S. MI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

S. MICHAELIS Monaſterium Galliæ Benedictinorum, à Richardo, Wilhelmi Principis filio extructum, in confinio Brittonum & Normannorum, in cacumine promontor. in Abrincatuis, quod *Mons Tumba*, *Mons S. Michaëlis* & *in periculo maris* aliis atque aliis dicitur. Vulgò *S. Michel du Mont*: Mons verò *le Mont S. Michel.* Huic proximus eſt mons alter, mari quoque circumdatus, cum arce in vertice, dictâ *Tombelaine*, quaſi parva Tumba, quia monte Tumbâ minor eſt. Hinc locus olim dictus eſt locus *S. Michaëlis Archangeli ad duas Tumbas.* Tumbam autem pro monte accipi non mirabitur, qui Alpium tumulos à Floro *l.* 3. *c.* 3. dici obſervaverit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

S. MICHAELIS Monaſterium, a Vulfoaldo Præfecto Palatii Childerici Regis in pago Verodunenſi, ad Moſam, extructum, Vulgò *S. Michiel.* Nunc in oppidum excrevit, quod eſt in Ducatu Barrenſi, unus è quatuor ejus conventibus juridicis.

Loca in conventu S. Michaelis.

Calciata *la Chaucée.*	Mandræ ad quatuor turres *Mandres aux quatre tours.*
Confluentes *Coufflen*, *aliis Conflans au Jarviſi.*	Montio.
Dunum *Dun.*	Municipium S. Michaëlis.
Fagum *Foug.*	Satanacum *Stanay.*
Longus vicus *Long Wy.*	

Reliqui conventus ſunt Barrenſis, Claromontenſis, & Baſſiniacenſis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

S. MICHAELIS in Eremo, *S. Michel en l'Er*, Monaſterium Abbatiale, in Pictonibus, haud procul Turre Talemundi.

MICHAELOPOLIS, ſeu *Archangelopolis.* Vide ibi.

MICHAELOPOLIS, vulgò S. MIGUEL, oppid. Guatimalæ, in ora maris Auſtrini ad oſtia Lempæ fluv. Vide *Fanum S. Michaëlis.*

MICHAELOPOLIS, urbs Novæ Hiſpaniæ in Mechoacana provinc. *S. Miguel* vulgò.

MICHAELOPOLIS, urbs Quitoæ, in Peruvia, antea *Chila*; in valle *Piura.* 120. leuc. à Quito in Meridiem, 20. ab ora maris Pacifici. Satis culta eſt, & prima excitata fuit ab Hiſpanis in Peruvia. Vulgò ſimiliter *S. Miguel.*

MICHAJA, pater Achobor. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 12. Mater item Abiam regis Judæ. 2. Paral. *c.* 13. *v.* 2. quæ 1. Reg. *c.* 15. *v.* 2. *Maacha* dicitur.

MICHALATI ſeu MICHAELITÆ, nummi aurei *Michaëlis*, Imperatoris imagine ſignati: Μιχαηλάτοι Annæ Comnenæ *Alexiados l.* 13. *p.* 414. ubi à Michaele Duca cuſos fuiſſe disertè indicat, dum *Michaëlis τοῦ προβεβασιλευκότος*, *i. e. qui prius Imperium tenuerat*, fuiſſe ait. Meminit eorum Guilielmus Tyrius *l.* 11. *c.* 12. *Quærit quæ ſit debiti ſumma: cui reſponſum eſt* 30. *millium Michaëlitarum, quod genus aureorum tunc in publicis commerciis erat celebre, à quodam Imperatore Conſtantinopolitano, qui eam monetam ſuâ fecerat inſignem imagine.* Aliique, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* & *Diſſertat. de Numiſm. inſcr. ævi.*

MICHALE, vide MYCALE.

MICHELFELDIA, quaſi *Michaëlis campus*, ſeu *magnus Campus*, à priſco German. *Michel* ſeu *Mechel* i. e. magnus, locus dimidiò infra Baſileam milliari, ubi cœnobium olim fœminarum, Ciſtercienſis inſtituti, ſub Lucelenſi Abbate, poſtea Blotzhemium tranſlatum. Nunc Pandochium ibi. Chriſt. Urſtiſius *Epit. Hiſt. Baſil.*

MICHOL, nomen filiæ minoris regis Saul, uxoris David, quæ fida marito, ſuperba tamen & proin ſterilis fuit, 1. Sam. *c.* 14. 18. & 19. 2. Sam. *c.* 6. *v.* 20. *S. Ambroſ.*

MICHOVIUS Matthias, vide *Matthias.*

MICIACENSE Monaſter. vulgò *S. Memin*, ſeu *S. Meſmin de Miey.* Abbatia provinc. Aurelianenſis, ad Ligerulum fluv. 2. leuc. ab Aureliis in Occaſum.

MICINAS Rhodius, vicit ſtadium Olymp. 114.

MICIPSA, Numidarum Rex, Maſiniſſæ Regis fil. Manaſtabilis & Guluſſæ, à Patre antelatus, Jugurtham Manaſtabilis fratris filium unà cum Adherbale, & Hyempſale filiis regni participem reliquit. De quo Salluſtius *in Bello Jug. c.* 5. Ponitur pro Africano, apud Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 89.

MICISLAUS I. ſeu MIESKO, Dux Poloniæ, primus ejus Princeps Chriſtianus evaſit, ab uxore. Dambrovica fil. Boleſlai, Bohemorum Ducis, ad fidem perductus, A. C. 965. Obiit A. C. 999. Cromer *Hiſt. Pol.*

MICISLAUS II. Patri Boleſlao I. ſucceſſit, cum Rixa, filia Emfredi Palatini, uxore ſua coronatus, A. C. 1025. Ignavus, & infelix. Obiit A. C. 1034. *Wipo*, Auctor vitæ *Conradi Salici.*

MICISLAUS III. cognomine *Senior*, fil. Boleſlai III. frater Ladiſlai II. & Boleſlai IV. huic ſucceſſit: A. C. 1173. quadrienniô poſt depoſitus, ſurrogatô Caſimiro II. Juſtô fratre: Item nomen duorum Sileſiæ Ducum. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor.*

MICRÆLIUS Johannes, vide *Johannes Micrælius.*

MICROLOGUS, nomen in Eccleſia Romana Libri, *de Ritibus Eccleſ.* editi, cum aliis ſimilibus, cujus auctor vixiſſe dicitur ſub finem ſeculi XI. ut habet Cardin. Bona *Rerum Liturgic. l.* 2. *c.* 20. *artic.* 4. Alii Friderici I. Imperatoris principatu, cum ſcriptum eſſe, malunt. *Acta* Murenſis Monaſt. *p.* 31. *Item liber Miraculorum & in ipſo Romanus Ordo, qui vocatur Micrologus*, apud *Eund.*

MICROPSYCHUS, Græcè Μικρόψυχος, cognomine Novii, ad quem habes *Epigramma* Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 87. Ubi vocet, accipit *Scaliger*, pro homine teneræ frontis & ſubruſtici pudoris *Salmaſ.* verò pro homine ſordidè parco, qui neminem invitat; nec convivia agitat: de cujus proin vicinitate queritur *Martialis*, quòd cùm ſibi adeo vicinus eſſet, ut illum de feneſtris ſuis contingere poſſet, non tamen magis eum vicinum ſentiret, quàm

——— *Terentianum,*
Qui nunc Niliacam regit Syenen.

Divites namque tum temporis, vicinos ad cœnam frequenter vocare, in more habebant, quod qui non faceret, *Micropſychus* audiebat. Salmaſ. *ad loc.* Apud Plinium *Micropſychi* ſunt homines *animi humilis & præparci*, quibus aquam multam frigidam conducere ait, *l.* 22. *c.* 24. Ubi Dalechampius notat, intelligi voce hâc homines, *qui immodicô ſudore digeruntur. & quibus languidus pulſus eſt:* τοῖς διαφορουμένοις καὶ μικροσφύκτοις. *Dioſcorid.*

MICROSPHÆRUM, Græcè μικρόσφαιρον, Plin. *l.* 12. *c.* 12. nardi genus eſt; quam benè, vide retro in voce *Betre*, item *Malabathrum.*

MICROSCOPIUM, Græcè μικροσκόπιον, nomen inſtrumenti optici, quô etiam minima ita exactè videnda offeruntur, ut & in iis Creatoris ſapientiam potentiamque inſigniter admirari liceat. Cujus rei ſpecimina exhibentur in pulice, aliiſque quibuſdam minutiis, in *Ephemeridibus* Societatis Regiæ Anglicanæ. In Muſæo Kircheriano *Microſcopia* hujuſmodi eximia aſſervari, habes apud Georg. de Sepibus *in Deſcript. ejus.* Opus iſtiuſmodi organis erat olim, ad Callicratis Myrmecidiſque opera ſpectanda, de quibus Plin. *l.* 7. *c.* 21. *Callicrates ex ebore formicas & alia tam parva fecit animalia, ut partes earum à cæteris cerni non poſſent. Myrmecides quidam quadrigam ex eadem materie, quam muſca integeret alis, fabricavit, & navem, quam apicula pennis abſconderet.* Sed major eorum in minimis Naturæ, ut dictum, uſus, de quibus idem graviter *l.* 11. *c.* 2. *In magnis ſiquidem corporibus, aut certè majoribus, facilis officina ſequaci materiâ fuit. In his tam parvis atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio? &c.* Quô quantò pejores Marcion, Valentinus & Apelles, qui Deum non creâſſe *minimas beſtiolas*; delirârunt, ut ex Hieronymo *Tom. IV. Proœm. ad Philemonem* diſcimus. Contra quam ſententiam videndus imprimis Auguſtin. *de C. D. l.* 11. *c.* 15. & *l.* 12. *c.* 25. Sed & Arnobius hîc Marcionem ſequutus, *muſcas, ſcarabæos & cimices, nitedulos, curculiones, & tineas omnipotentis eſſe opus Regis*, negat *adv. Gentes l.* 2. ad quem locum vide G. Elmenhorſt. & Deſid. Heraldum: aliquid etiam ſuprà, ubi de *Inſectis, Marmore.*

MICTILIS, ſeu *Mictiris* merx, apud *Lucilium*,

Pulmentaria ut intybus, aut aliqua id genus herba,
Et jus mænarum, bene habet ſe, mictiris *hæc eſt*
Merx.

Græcis ὁ ῥῶπος eſt, *pauperculam* interpretatur *Nonius.* haud omnino malè. Nam ῥωπικὸν, οὐδενὸς ἄξιον καὶ εὐτελὲς, etiam Græci exponunt. Unde Ῥωποπῶλαι & Γελγοπῶλαι dicti, qui mercium omne genus minutarum, ut chartam, linum, ſtupam, candelas, unguenta, colores & alia id genus ſexcenta, ex Ægypto olim Romam advehebant: quod ἐμπολὴν Αἰγυπτίαν dixêre. Vide quæ ſuprà diximus, ubi *de Anabolicis Speciebus*, ut & infrà dicenda voce *Rhopopola.*

MICTIS, inſul. ultra Britanniam ſex dierum navigatione. Plin. *l.* 4. *c.* 16. In ea candidum plumbum provenit.

MICULI Mons, ſeu promontor. Dalmatiæ, prope Jaderam, vulgò *Ponta Micha*, *Joh. Lucio.*

MICYBERNA, oppid. Helleſponti, à Philippo Macedone, proditione captum. Diod. Sic *l.* 16.

MICYLLUS Jacobus, aliàs *Melcher*, Argentinenſis, Poëta & Orator inſignis, Græcam literaturam Francofurti primùm Heidelbergæ inde docuit, ubi extinctus eſt A. C. 1558. ætat. 55. non minore pietatis, quàm eruditionis, famâ, ut apparet ex carmine Lotichii Secundi, quô ultima ejus expreſſit. Scripſit complura, quorum catalogum exhibet Anton. Teiſſier. *Elog. P.* 1. eminet in iis Tractatus *de re Metrica*, Melanchthonis judiciô. Pater fuit Julii JCti & Electoris Palatini Cancellarii; nec non alterius, qui Sartoriam exercuit. Melch. Adami *Vit. Philoſoph.* Amicus Joach. Camerarii, Thuan. *Hiſtor. Micylli* nomen, quod Micyllum, de quo Lucianus in Dial. *Somnium* ſeu *Gallus* dicto, juvenis olim exactè repræſentâſſet, ei impoſitum eſt. Adami *d. l.* &c.

MIDÆ, vel MIDACUM, urbs Phrygiæ. Vide *Steph.*

MIDAJUM, *Ptol. Midelli Theveto*, urbs Phrygiæ magnæ; Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Synnadienſi, ad Sangarium fluv. Dorylæo & Synao urbibus proxima. Hîc Sex. Pompejus, juxta *Dion.* cæſus.

MIDAS, Gordii bubulci fil. Phrygiæ Rex pecunioſiſſimus, qui cùm Bacchum hoſpitiô ſuſcepiſſet, juſſuſque eſſet petere, quicquid vellet, petiit, ut quicquid attigiſſet, in aurum verteretur. Quod cùm obtinuiſſet, ſolô contactu omnia in aurum convertit. Verùm, cùm urgente fame cibum ſumere conaretur, atque illum quoque in aurum mutari videret, ſenſit tandem ſtolidus, ſe parum ſapienter optâſſe. Pulchrè Claudian. *l.* 1. *in Ruff. in v.* 165;

——— *Sic rex ad prima tumebat*
Mæonius, pulchrò cùm verteret omnia tactu.
Sed poſtquam riguiſſe dapes, fulvaque revinctos
In glacie vidit latices, tum munus acerbum
Senſit, & inviſo votum damnavit in auro.

Petiit itaque à Libero Patre, ut munus illud, quantumvis ſpecioſum, ſibi adimeret: qui ejus miſertus, juſſit ut in Pactolo fluvio ſe ablueret, à quo tempore aureas arenas volvere fluvius cœpit, hinc *Chryſorrhoas* dictus. Poſt hæc cùm Pan Apollinem ad cantus certamen provocâſſet, Tmoluſque judex electus ſecundum Apollinem pronunciâſſet; Midas; Panem Apollini præferre non dubitavit. Quamobrem Apollo indignatus, aſininas ei auriculas addidit, quas tam ſcitè occultavit, ut nemo ſciret præter ſolum tonſorem: qui cùm rem inauditam tacere non poſſet, foſſam ingreſſus proclamavit: *Auriculas aſininas habet Rex Midas.* Deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

de foſſam terrâ adoperuit, eoque in loco temporis proceſſu creverunt arundines, quæ commotæ vocem, quam tonſor infoderat, reddiderunt, ut latius fabulatur Ovid. *Met. l.* 11. Alii tamen malunt, Midam, inter Apollinem & Marſyam decertantes, judicem conſtitutum, & cùm pro Marſya ſententiam tuliſſet, auriculis aſininis à Phœbo fuiſſe donatum. Hinc natum Proverbium *Auriculas Aſini Midas habet*, quô utimur in ſtolidos, & craſſis auribus, pinguique judiciô homines. Alii rurſum ſic narrant: Cùm præteriret aliquando Midas Liberi Patris aſinos, atque eos afficeret injuriâ, iratum Bacchum aſininas aures ei addidiſſe. Sunt qui dicant, huic aures naturâ prælongas fuiſſe, & aſininarum inſtar prominentes, atque hînc fabulæ locum ortum eſſe. Quanquam pluribus placet, hâc allegoriâ ſignificatum; Midam, utpote tyrannum, ſubauſcultatores dimittere ſolitum, per quos, quæcunque per omnem regionem vel fierent, vel dicerentur, cognoſceret, nimirum illis utens aurium vice. Proinde cùm vulgus admiraretur, ab illo reſciri etiam ea, quæ clam ac procul fierent, occaſionem fabulæ datam eſſe, ut Midas diceretur auriculas aſini habere, idque vel quòd nullum aliud animal acriùs audit quàm aſinus, exceptô mure, vel quod aures habeat omnium longiſſimas. Herodot. *l.* 1. illum thronum aureum, in templo Epheſino, Dianæ conſecrâſſe, refert. Fuit & alius *Midas*, Phrygiæ Rex qui, taurinô ſanguine hauſtô, ſeipſum necavit. Euſeb. *in an.* 3. *Olymp.* 70.

MIDAS, in teſſeratio ludo, jactus erat fortunatiſſimus, teſte Cœl. Rodig. *l.* 20. *c.* 27. ex fragmento vetuſti cujuſdam Scriptoris, cujus *Suidas* meminit:

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλότατος,
Midas in teſſeris conſultor optimus.

Cùm videlicet tres ſeniones prodirent: quemadmodum infeliciſſimus, cùm tres uniones, ut ex illo Proverbio. *Aut tres ſex, aut tres teſſeræ*, patet. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 1.

MIDDELBURGENSIS Paulus, vide *Paulus*.

MIDDELBURGUM, Germ. *Mittelburg.*, Gall. *Middelbourg*, quaſi Meditburgum vel oppid. urbs Walachriæ, mercimoniis florentiſſima, cum tota inſula Euangelicam doctrinam amplexa, purgatis ab Idololatria omni templis, & principe cœnobiô Præmonſtrantium, olim adeo celebri, in Curiam converſô. Sedes Epiſcopalis facta A. C. 1561. Nicolaum à Caſtro Lovanienſem, primum ultimumque præſulem habuit, & Hiſpanicô & Pontificiô jugô paulò pòſt excuſſô. A. C. 1574. Guicc. *deſcr. Belg. Strabo, Thuanus*, Arnolph. Havenſius, *de erect. Nov. in Belgio Epiſc. l.* 1. *c.* 12. Vide *Mettelli Caſtrum*. Cæterum à ſitu nomen accepit, quaſi *Mediterraneum burgum*, aut oppidum; ſicuti *Middelſexiam* aut *Middleſexam* vocavêre Tranſmarini Saxones ſeu mediterraneam Saxonicam, provinciam Angliæ, cujus caput Londinium eſt; Merciam Angli *Middelangliam*, h. e. Mediterraneam Angliam, nuncupavêre, cui caput olim Dorcinca aut Dorkaceſtria, pòſt verò Lincolnia. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Valachria*.

MIDDELBURGUM, oppidul. Flandriæ, ſub Hollandis, 2. leuc. à Brugis, prope Clauſulas; Gall. *Middelbourg*.

MIDDELFORTIUM, urbs Fioniæ; unde freto nomen.

MIDDENDORPIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

MIDEA, urbs olim in Argo, apud Naupliam, nunc vicus ſic dictus à *Midea* Holoei filiâ, *Perſepolis* quondam dicebatur. Hinc *Mideates*, & *Mideus*. Eſt etiam Bœotiæ *Midea*, *Homer.* apud lacum Copaidem & Orchomenum, ab altero 12. mill. paſſ. Eſt & alia Lyciæ. *Steph.* Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 45.

Aptior armentis Midea, pecoroſaque Phyllos.

De prima ſic *Stephanus*: *Μίδεια πόλις ἐν Ἄργει. ἡ νῦν κώμη, ἡ πρότερον Περσέως πόλις ἀπὸ Μιδείας τῆς Ἀλωέως θυγατρὸς, λέγεται καὶ χωρὶς τοῦ ι Μίδεα ὁ πολίτης Μιδεάτης, καὶ θηλυκὸν, Μιδεᾶτις, καὶ Μιδιαῖος.* Ubi vicum ſuô tempore fuiſſe, antiquitùs autem Perſei urbem, poſtmodum, à *Midea*, Aloëi filia, *Midiam*, appellatam, refert. Alia eſt *Midie*, apud eundem Poëtam *Theb. l.* 7. *v.* 331.

Ducit Ithonæos & Alalcomenæa Minervæ
Agmina, quos Midie, *quos humida ſuggerit Arne.*

Boëotiæ nempe urbs, patria Alcmenæ, uti notat *Lutatius*. Cujus mentio etiam apud Homer. *Il. β. v.* 507.

Οἵ τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον, οἵτε Μίδειαν.

Mideam, ab aliis pronuntiari etiam Stephanus refert *d. l.* qui & ibidem aliam Lyciæ urbem eôdem nomine inſignem fuiſſe, addit. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion ad Statium d. l.*

MIDIAS, vide MEDIAS.

MIDILA, Civitas Africæ propriæ *Auguſtin. Cyprian. & Concil. Carthaginenſe.*

MIDLESEXIA, vulgò MIDLESEXSHIRE, provinc. parva Angliæ, cujus præcipua urbs Londinum, ad Tameſim. Vix extenſa ad 15. milliar. Anglica Terminatur à Septentrione Hartfordiâ Comitatu; ab Ortu Eſſexiâ, ab Occaſu Buckingamiâ, à Meridie Surrejâ, à qua provinc. ſeparatur Tameſi.

MIDLETONUS Richardus, vide *Richardus*.

MIE, lacus Imperii Sinici, ſub *Kiagan*, ita dictus, à ſuaviſſimis, quos alit, piſcibus, quaſi *mellis* dulcedinem referentibus. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 24.

MIEBIDUS, *Manethoni* Rex Thinitarum in Ægypto VI. ſucceſſit Uſaphædo patri præfuit ann. 20. regnante apud Thebanos Tægar-Amacho-Momchiri, paulò ante Nachorem natum: habuitque ſucceſſorem Semempſem. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

MIESKO; vide MICISLAUS.

MIEZA, oppid. Macedoniæ, quod olim *Strymonium* vocabant. *Steph.* à Mieza, filia Beretis. Hinc *Miezeus*, vel *Miezæus*.

MIGIRPA, urbs Epiſcopalis Africæ propriæ *Auguſtin.* & *Victor. Uticenſ.*

MILANION, adoleſcens, qui Atalantam puellam venatricem in Arcadia adamavit. Ejus meminêre *Muſæus*, *Propert. l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 9. Ovid. *Art. l.* 2. *v.* 188. & *Amor. l.* 3. *eleg.* 2. *v.* 29.

MILCOLUMBUS, Scotiæ Rex dignitatum vocabula inſtituit, Angliam vaſtavit, effecitque, ut Anglis non niſi ex parte ſubjectus eſſet. Conjurationem in ſe initam, auctore in ſylvam ad certamen evocatô, fortiter oppreſſit. Legem priſcam, quâ ſponſæ pudicitia Regi, ſi nobilis eſſet, vel domino loci, ſi plebeia, vindicabatur, ſuſtulit, ſanxitque, ut Virgo nupta nummum propterea Domino loci penderet. Ulturus contumeliam in Rufo Rege novâ irruptione, unà cum fil. Eduardo, occubuit. A. C. 1097. Buchan. *Hiſtor. Scot. l.* 7. Polydor. *l.* 9. Vide ſuprà in *Malcolmus*.

MILES, apud Germanos his ceremoniis olim inauguratus eſt: Mos enim illis in Martis limine ſalutando, ſolennis admodum. Statuitur in concione celebri votivus adoleſcens, magnâ ſtipatus propinquorum & amicorum multitudine, quem è cœtu aliquis laudatum Principi offert, votum & militiæ profeſſionem facientem. Tum Princeps ſcutô & frameâ Martis arrhabone adoleſcentem donat, partemque jam Reipubl. qui paternæ hucuſque familiæ habebatur, conſtituit: lautiùs dein epulatum eſt & ab amicis undique gratulatum. Hæc illis, inquit Tacitus, *Germ. c.* 13. virilis toga. Quos enim *Milites* Angli appellant, Gall. *Chevaliers*, aliunde dignitatem non ſunt aſſecuti, quàm ab honoraria iſtiuſmodi armorum collatione, quâ à gregario milite diſtinctiores fiant. Milites Romani cingulô uſi ſunt, Germani antiqui ſcutô & frameâ, Salici baltheô, Germani recentiores cingulô, gladiô & calcare. Nec Regum Francorum filii prius Regnô digni judicati ſunt, quàm ad Equeſtrem ordinem fuiſſent admiſſi. *Gorop. Fr. p.* 50. Et Longobardorum Reges filium ad menſam non ſuſcepêre, priuſquam armis donarentur militaribus, *Paulus Diac.* Et Rex renuit filiam dare Regi, nondum *Militi*, *Idem.* In exercitu Regis Franciæ Duces 16. Comites 26. Milites 3000. pugnatorum 100000. numerat Walſ. *in Richardo II.* Vide Henr. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* Hadr. Valeſ. *Milites* dici *Gentils hommes*, quaſi Gentiles Homines, hæcque duo vocabula pro uno eodemque uſurpari, obſervat è literis A. C. 1228. in Chartario Meldenſi repertis, vide ejus *Notit. Gall. in voce Meldi.* Cœterum, *Militibus* quoque gregariis, ut multa alia, quæ antea non habebant, indulſit: tum etiam *δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε*, *Aureis annulis uti permiſit*, Severus Imperator recens ad imperium evectus, teſte Herodianô *l.* 3. *c.* 8. Imò Valerius Aurelianus Imperator diſerte mandat Vicario ſuo inter alia, ut *Miles ſtipendium in baltheo habeat, non in popina, torquem brachialem & annulum apponat*, apud Vopiſc. *in Aurelian. c.* 7. Primis autem Reipubl. temporibus, ne Senatori quidem jus erat, iſtiuſmodi annulum, geſtare, publicéque aurei annuli his tantùm dabantur, qui ad exteras Gentes Legati ituri eſſent. Paulatim dein non ſolùm Senatores, verùm etiam Equites illos uſurpârunt, ut ex ſecundi belli Punici conſtat hiſtoria: *τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων*, i. e. *gregariis* adhuc *ferreos ſolùm geſtantibus*: donec etiam ad hos, imo ab his ad plebem quoque togatam, Libertinos inſuper Libertoſque tranſiit auri uſus, uti ſuprà vidimus. Sed & apud Plautum *Curcul. Sc. Beatus*, miles Terapontigonus annulo inſculptum habuit *Militem clypeatum*, qui elephantum machærâ diſſecaret:

CU. *Multam me tibi*
Salutem juſſit Terapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me juſſit. Ly. *Mihin'?* Cu. *Ita*
Cape ſignum, noſce, noſtin'? Ly. *Quidni noverim:*
Clypeatus elephantum ubi machæra diſicit, &c.

Vide Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 13. & 15. Iidem, ſi fortiter ſe geſſiſſent, *Coronas* accipiebant, & quidem à ſolo Imperatore. Ut enim initium militiæ fuit religio jurisjurandi & amor ſignorum, ac proinde ut militem non niſi dicto Imperatoris audientem eſſe oportebat: ita & ſtipendia ac præmia, inque his coronas, eum non niſi ab Imperatore accipere faserat. *Quis* verò *primus* eorum *donatus ſit coronâ*, inquit Plin. *non inveni, ſed quis primùm donaverit, à L. Piſone traditur*, *l.* 33. *c.* 2. Non fiebat autem id, niſi præviâ diligenti exploratione, uti diſcimus ex Sueton. *Aug.* At cùm militum tantus eſſet numerus, ut vix tot coronæ in promtu eſſent, datæ ſæpe ſunt pecuniæ illarum locô, ut inde ſibi ipſi coronas plecterent emerentque. Unde Græcorum phraſis orta, *μναῖς στεφανοῦν*, *minis coronare*, apud Plut. *in Dione*. Porrò non dabantur militares coronæ aureæ, uti nec armillæ, niſi iis militibus, qui cives Romani eſſent: Auxiliaribus verò & externis torques tantùm donabantur. Sed & Duces aliquando à *Militibus* coronati ſunt. Sic Titimanus unus Ducum Caſſii, cùm victor in certamine fuiſſet, coronatus ab equitibus, abiit ad Caſſium, apud Plut. *in Bruto*. Quod apud Græcos fuiſſe frequens, diſcimus ex Xenophonte *Hellenic. l.* 4. & in *laudatione Ageſilai*, nec non ex Luciano *in Antiocho*. Imò ſe ipſi *Milites* coronabant antiquitus: uti de Syracuſanorum militibus, poſt Athenienſes victos Niciamque Ducem illorum captum, legimus apud Plutarchum *in Nicia*. Qua de re vide plura infrà ubi *de Militaribus Coronis*. De pœnis verò *Militum*, ſuô locô, at plura hanc in rem infrà, in voce *Milites*.

MILES, recentiori ævô dictus eſt omnis is, qui Principi in quolibet officio, ſeu in qualibet dignitate, palatina, civili aut militari, deſerviebat. Quâ notione vox omnino capienda in vetuſtioribus Regum Anglo-Saxonum *Chartis*, quibus ſubſcripſêre varii Proceres, poſt Epiſcopos, Duces & Comites, *Militis* titulô: quos non alios licet conjicere, quàm Officiales domus Auguſtæ, qui in aliis *Miniſtri* appellantur. Interdum tamen poſt Miniſtros ſubſcripſiſſe hi deprehenduntur, adeò ut diverſi ab iis, ordineque inferiores fuiſſe videantur, ut inter alia videre eſt, in Conventu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tu Weſtmonaſterienſi A.C. 1066. ſub Eduardo Confeſſore, inter Concilia Anglicana relato. Sanè non alii ſunt ab Aulicis Miniſtris, quos aliàs Kanutus Magnus Danorum Rex ad ſuum vel famulatum, vel Comitatum adſcivit, quos *ad tria Militum millia* excreviſſe ait Sueno *in LL. Caſtrenſibus c.* 20. Saxo verò Grammaticus *l.* 10. ad ſex millia: unde Leges, quas Rex idem ad continendam in officio Militiam iſtam aulicam conſtituerat, *Leges Caſtrenſes* ſive *Militares* ſive *Leges Curiæ*, vocat idem Sueno *in Procœmio*. Et *militare*, pro in quolibet officio aut dignitate miniſtrare, paſſim. Poſtmodum Militia iſta civilis, ad militarem unicè profluxit: ſicut, qui alicui in bellis *militaret* ac mereret, ejus eſſe *Miles* diceretur: maxime verò, qui beneficii ſeu feudi alicujus ratione, ſervitio militari obſtrictus eſſet & obnoxius. Unde *Miles*, pro vaſſallo, toties apud medii ævi Scriptores. Atque hi, Romanorum olim more, armis ab eo inſtruebantur, cui vel ex dignitate, vel ex feudo, militiam debebant, ſicque *adoptabantur in Militiam*; unde Galli forſan *Adouber un Chevalier* dixerunt: de qua adoptionis ſpecie pluribus agit Car. du Freſne *Diſſertat.* 22. *ad Joinvillam*. Fiebat id autem certis ritibus præviis, armorum ſcil. benedictione à Sacerdote in Eccleſia factâ, & novo *Milite*, vigiliis ac jejuniis rite præparatis, enſe dein accinctô in ipſa ſacra liturgia: quod maximè apud Anglos obtinuiſſe, refert *Ingulfus*. Balneum verò pridie præmittebatur, è quo prodeuntes, relictis prioribus veſtibus, quæ Scutiferorum erant, novas veſtes induebant, quæ quales fuerint, accipe à C. du Freſne præfato, ex *Computo* Stephani Fontenæi Argentarii Regis A.C. 1350. *in Gloſſar.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Balneo*. Porrò in hiſce ſacris ceremoniis Cingulum Militare conferebatur novo Militi, ab aliquo Principe vel Magnate. datâ pro more alapâ militari; Enſe dein accingebatur, ab Epiſcopo benedictô; quem ab Altari, ſi majoris dignitatis Princeps eſſet, acceptum lateri ſuo ipſe aptabat &c. Quam in rem vide plura, apud Seldenum *de Titulis Honorar. Parte* 2. *c.* 5. §. 33. inprimis verò Car. du Freſne *d. l.* nec non hîc paſſim. Infrà inter alia voce *Neoptolemus*. Nondum verò militare cingulum adeptos Magnatum filios *Valetos* dictos eſſe, videbimus infrà.

MILESIÆ, à Clodio Albino Imperatore ſcriptæ, memorantur Jul. Capitolino *in Vita* ejus, *c.* 11. *Mileſias nonnulli ejuſdem eſſe dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter ſcriptæ ſunt.* De quibus judicium Severi, in *Ep.* ad Senatum, *Major fuit dolor, quòd illum pro literato laudandum plerique duxiſtis. quum ille næniis quibuſdam anilibus occupatus, inter* Mileſias *Punicas Apuleii ſui & ludicra literaria conſeneſceret*, *Ibid. c.* 12.

MILESIUS, cognomen Apollinis, cujus & *Strabo*, & Lactantius *l.* 4. *de verâ Sapientia c.* 13. meminerunt. Hic conſultus aliquando, Utrum Chriſtus homo eſſet an Deus? reſpondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς,
Γόμφοις καὶ σκόλοπεσσ' πικρὴν ἀνέλυσε τελευτήν.

MILESIORUM Murus, locus Ægypti, circa oſtium Bolbiticum. Strab. *l.* 17. *Pſammetichô* (primo hujus nominis) *regnante, quo tempore Cyaxares erat Rex Medorum*, Mileſii *cum triginta navibus in Bolbiticum oſtium appulerunt; ibique* τὸ Μιλησίων τεῖχος, Mileſiorum murum, *condiderunt*. Poſtquam Ionibus & Caribus idem Ægypti Rex, ſedes dediſſet ad Nili latus, prope mare, infrà urbem Bubaſtin. A quo tempore, Ægypti res exploratiores eſſe Græcis cœperunt, Herodot. *l.* 2. Naucratin dein, ſub Amaſe, *Mileſii* condiderunt anno 4. Olymp. 6. Vide ubi de hac urbe, ut & voce *Pſammetichus*.

MILETIA, una fuit ex filiabus Scedaſi, unà cum ſorore à juvenibus Spartanis conſtuprata, *Plut.* & Pauſan. *l.* 9.

MILETOPOLIS, Myſiæ urbs, inter Cyzicum, & Bithyniam ad Artyniam ſtagnuum, ex quo Rhyndacus oritur: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cyziceno, nunc etiam *Melitopoli* dicta. Alia eſt in Perſide. Steph. ex Strab. *l.* 12.

MILETUM, Calabriæ urbem à Mileſiis Aſiaticis conditam habet Barrius *ex l.* 6. *Herodoti*, quam hodie *Mileto* nominari ſubdit. Eandem à Cicerone *Melita* dici *l.* 3. *Ep.* 4. *ad Att.* putat. *Corradus*.

MILETUM, Græcè Μείλητον, nomen caſtri in agro Attico, cujus meminit Plin. *l.* 4. *c.* 7. ubi de Atticâ, *Rhamnus pagus, locus Marathon, campus Thriaſius, oppidum* Miletum, *& Oropus, in confinio Bœotiæ.* Quem locum cùm multi confundant, cum *Melite*, parte Athenarum, ad tribum Cecropidem pertinente; refelluntur inſuper, variis *Inſcr.* antiquis in quibus duo hi demi diſertè diſtinguuntur. Sic Conſtantinopoli, apud Oratorem Gallicum, vidit Cl. Sponius *Inſcriptionem* in marmore Athenis allato, cujus ultimæ lineæ ſunt

ΛΕΩΝΙΔΗΣ ΛΕΩΝΙΔΟΥ ΜΕΛΙ
ΤΕΥΣ
ΕΣΤΙΑΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΙΛΗ-
ΣΙΟΣ.

Ubi qui *Melite* oriundus erat, Μελιτεὺς; qui verò *Miletô*, *Mileſius* appellatur: quod certè de Mileto Aſiæ minoris intelligi non poteſt, cùm in hoc marmore non niſi de Atticæ populis agatur. Idem quatuor alias *Inſcriptiones*, idem firmantes, addit, *Itinerar. Part.* 3. *ubi de* CLXXIV. *Atticæ populis. p.* 17. E quibus una in loco, *Palæochori* dicto, prope Athenas ſic habet:

ΧΑΙΡΕ
ΑΘΗΝΑΕΙС ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΔΑ
ΠΤΕΩΝ
ΦΑΥΣΤΟΣ ΛΕΟΝΤΟС ΜΕΙΛΗ
СΙΟС.

MILETUS, fil. Apollinis, & Argeæ Cleochi filiæ, vel ut Ovid. habet, Deiones, qui cùm Minoa Cretenſium regem jam ſenem regnô privare vellet, à Jove territus in Samum, deinde in Cariam Aſiæ regionem fugit, ibique opidum condidit, quod de ſuo nomine *Mileton* appellavit, ejuſque incolas *Mileſios*. Ovid. *l.* 9. *Met.* Alii tamen, Miletum conditam malunt, à Sarpedone Jovis filio, Minois ac Rhadamanthi fratre, & ab eo Miletum appellatam fuiſſe, ab altera ejuſdem nominis urbe, quam in Creta reliquerat. Strabo *l.* 14.

MILETUS, urbs in finibus Ioniæ & Cariæ, *Herodoto* à Neleo, quamvis alii velint, à Mileto, Apollinis fil. vel à Sarpedone, ædificata, A. M. 2953. cum Cyzico, decem ſtadiis ab oſtio Mæandri amnis ſecreta. *Baudrando* urbs Ioniæ, verſus limites Cariæ, cum portu capaci, in ora maris Ægæi; *Melaſſo* hodie, 6. mill. paſſ. ab oſtio Mæandri in Meridiem, uti 90. à Smyrna, Halicarnaſſum verſus. Mela *l.* 1. *c.* 17. *Miletus* (inquit) *urbs quondam Ioniæ totius, belli paciſque artibus princeps, patria Thaletis Aſtrologi, Timothei Muſici, & Anaximandri Phyſici, aliorumque civium inclytis ingeniis meritò inclyta.* Adde Anaximenem, Pittacum, Æſchinem, &c. Nunc urbs parva, cum arce: Sub Turcis. Ab hac *Mileſii* populi dicti ſunt, qui quum eſſent priùs potentes, clari bellô, (unde *Mileſii olim ſtrenui*, oraculô reſponſum fuit Samiis primò, dein Caribus, Mileſios adverſus Perſas ſocios habere cupientibus) & opulenti, ſed deliciis dediti, & opes & potentiam amiſerunt, *Stephanus*: poſtquam enim maris Domini per annos 18. fuiſſent, 7. Olymp. &c. & Naucratidem in Ægypto condidiſſent: Sadiatem Lydum infeſtum ſenſêre, dein à tyranno Hiſtiæo arma contra Perſas ſumere inducti, urbem amiſerunt, an 250. Urb. Cond. 69. Olymp. Quæ quoque ab Alexandro M. capta, dein ſub Romanis fuit: donec, ut dictum, Turcis cederet. Vide *Ariſtoph.* & Athenæum *l.* 12. Et quia labracum apud illos copia, hinc *Labrax Mileſius*; Proverb. in magnum, avidum ac ſtolidum: Idem tamen *Ariſtophani Sapientiſſimus piſcis* dicitur. Porro adeò luxui fuêre dediti *Mileſii*, ut *laſcivi* paſſim dicantur; apud *Lucianum* & *Apulejum*. Prius *Lelegeis* vocabatur, teſte Pliniô, *l.* 5. *c.* 29. quòd Leleges eam inhabitarent, Deinde *Pityuſa*, à piceis arboribus. Poſtea *Anactoria* nominata eſt ab *Anactore* (ſic enim legendum videtur in *Steph.*) Terræ, & Cœli filio. Urbem hanc præſtantiſſimæ lanæ proventus nobilitavit, ex qua fiebant Mileſia ſtragula, & veſtes Mileſiæ, ob inſignem mollitiem, in matronarum deliciis habitæ, Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 306.

——— Quamvis Mileſia magnô
Vellera mutentur Tyrios incocta colores.

Fuit inſuper hæc urbs caput regionis ſatis luculentæ, in qua Apollinis oraculum Didymæi, Strabo *l.* 14. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Athen. *l.* 10. Herodot. *l.* 1. *& ſeqq.* Euſeb. *in Chron. Diodor. Sic. Thucyd. Arian.* &c. Eadem Coloniarum frequentiâ celebris fuit. Mileſii enim annô 2. Olymp. 19. *Parion* urbem in ora Helleſponti exſtruxerunt, vel potius inſtaurârunt, adjuvantibus Eriſthræis & Pariis inſulanis. Juxta Parium *Cyzicum* condidêre, annô 2. Olymp. 24. & *Lampſacum*, ex altera parte, Olymp. 31. quâ & *Iſtrum* oppid. exſtruxêre, & *Boryſthenem* urbem: uti *Sinopen*, in Paphlagonia &c. Sanè *Miletus*, *ſuper LXX. urbium, per cuncta maria, genitrix*, dicitur non immeritò Plinio *l.* 5. *c.* 29. De mulieribus porrò *Mileſiis*, virginibus inprimis, mirabilem narrat hiſtoriam Plut. *de Virtut. Mul.* cùm ait, Τὰς Μιλησίων ποτὲ παρθένους δεινὸν πάθος καὶ ἀλλόκοτον κατέχειν, ἐκ δή τινος αἰτίας ἀδήλου. Μάλιστα δὲ εἰκάζετο κρᾶσιν ἐκστατικὴν καὶ φαρμακώδη λαβὼν ὁ ἀὴρ, τροπὴν αὐταῖς καὶ παραφορὰν τῆς διανοίας ἐνεργάσασθαι, I. e. *Mileſias Virgines quodam tempore atrox animi & abſurda inceſſit perturbatio, qua de cauſa incertum. Niſi quòd putabatur aëris temperies venenô infecta & ad inſaniam excitandam parata, mutationem iſtam animorum atque alienationem effeciſſe.* Quæ inſania quouſque eruperit, docet A. Gellius *l.* 15. *c.* 10. *Virgines*, inquiens, *Mileſii nominis, ferè quot tum in ea civitate erant, repentè ſine ulla evidenti cauſa, voluntatem cepiſſe obeundæ mortis; ac deinde plurimas vitam ſuſpendiô amiſiſſe.* Furore uterinô qui eas laborâſſe putent, ſunt non pauci; Namque περὶ παρθενίων *Hippocrates*, hoc morbô affectas nonnunquam ob oppreſſionem, quæ circa cor eſt, ſuffocationem ſibi parare, ſeſeque ſtrangulare ſcribit, vel in puteos etiam deſilire ac præcipitare; exiſtimantes hoc, ut præſtantiſſimum remedium, omnemque utilitatem excedere; ſic ut voluptas quædam mortis, tanquam boni cujuſdam, expetendæ illos incedat. Nec aliter malo obviam itum, quàm decretô, *quô Mileſii, ut Virgines, quæ corporibus ſuſpenſis dimortuæ forent, eæ omnes nudæ cum eodem laqueo, quô eſſent prævinctæ, efferrentur. decrevêre: Poſt id enim Virgines voluntariam mortem, pudore tam inhoneſti funeris deterritæ, petere* deſierunt, ut *eôdem locô* ſubjungit A. Gellus præfatus. In Muſica, Ionicos modos, qui molles, cœteris omnibus prætulêre *Mileſii*: quemadmodum Spartani, patriam ſervantes conſuetudinem, Doricam harmoniam, quæ vehemens, ſevera, tetrica: Theſſali verò Æolicum amplexi ſunt cantum, qui ſuperbus ac tumidus, uti elata ipſa gens, equorum ſtudiô & amplis gaudens conviviis, fuit. Adeò cum gentis cujuſque moribus Muſica apprimè conveniebat. Unde Timotheus *Mileſius*, qui temporibus claruit Philippi, Amyntæ filii, patris Alexandri M. cùm in magade, organo Muſico, plures adhibuiſſet nervos, quàm antea ſolerent: in judicium eſt vocatus, quaſi priſcam labefaceret Muſicam: immutatâ namque Muſicâ ipſam Reipubl. formam immutari ſolitam eſſe, experientia docuit. Vide Cicer. *l. de Legg.* 2. & infrà in voce *Muſica*. Cœterùm *Miletum* non *Melaſſo* hodie, ſed *Palatſchia*, à ruderibus *palatiorum* marmorumque (tota enim in ruinis jacet) appellari, *Melaſſo* autem inde bidui itinere diſtantem Mylaſam Veterum eſſe, docet *Sponius*: edoctus ab Anglis Smyrnæ degentibus, qui in loco *Palatſchia* jam dicto, elegantem repererunt *Inſcriptionem*, in quâ vox hæc ΠΟΛΙΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ quintâ vice reperitur. Sed & ſitus convenit, Epheſô enim ſeſquidiei ſolùm itinere abeſt, prope

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Mæandrum, leuciſque aliquot à mari diſtat. Vide eum *Itinerar. Græciæ Part. I. p.* 359. Idem inſignem memorat nummum, fœderis inter Epheſios Mileſioſque initi memoriam ſervantem cum *Inſcr.* ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, Sculptæ in eo Venus & Diana, cum duobus ſuis cervis. In antica parte Fauſtina Junior expreſſa eſt. Alium ſimilem, cum Lucii Veri imagine, Venetiis aſſervari addit. Sed & Coorum & Mileſiorum fœdus in poſtica parte nummi cujuſdam Antonini Pii, repræſentari Æſculapio ſculptô & Venere, qui utrobique culti, cum *Inſcr.* ΚΩΩΝ ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ, docet Idem, *Itinerarii Part.* 3. *p.* 179. Alia fuit ejuſdem nominis in Creta. Homer. *Il.* 2. Altera in Brutiis, de qua ſuprà. Urbecula nunc Epiſcopalis Calabriæ ulterioris: *Melito* vulgò, 5. mill. paſſ. ab Hipponio in Meridiem 7. mill. paſſ. à Nicotera in Ortum uti ab ora maris Tyrrheni totidem à Suriano in Occaſum ferè media, inter Conſentiam ad Boream & Rhegium ad Miridiem. Deficit indies.

MILEVUM, ſive MILEVIS, urbs Africæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi (ubi concilium *Milevitanum*, vide infrà, habitum eſt) à Cirta 30. mill. paſſ. diſtans Sitiſim verſus. Hic Concilium, A. C. 402. ab Aurelio Carthaginenſ. tempore Innocentii I. Epiſcopi Romani celebratum, quô inter alia, Maximiani, qui ſchiſmate Donatiſtarum relictô, Epiſcopatu ſe abdicavit, cauſa ventilata eſt, ſurrogatô ei fratre Caſtoriô, &c. Dein A. C. 416. Pelagianiſmo naſcenti remedium quæſitum, & duæ erronum horum propoſitiones, quarum prior Gratiæ, poſterior Baptiſmi neceſſitatem inficiabatur, condemnatæ ſunt. Vide Auguſtin. *ep.* 91. 92. 17. &c. Tom II. Concil.

MILFORDIENSIS Portus, ampliſſimus & ſecuriſſimus Angliæ, in Wallia Meridionali & Comitatu Pembrochienſi ad mare Hibernicum cum duobus caſtris, 4. tantùm milliar. à Pembrochio urbe in Occaſum. Vulgò *Milfordhaven.*

MILIARE, ſive MULIARE, fluv. Daciæ, *Mulbach Lazio*, per Tranſylvaniam fluens.

MILIARENSIS, In denarii locum ſubſtitutus à Conſtantino M. uti diximus in voce *Denarius*, ex Gronovio de *Pec. vet.* Apud Scriptores Francicos medii ævi, moneta argentea minutior eſt, quæ ab Epiſcopis Magalonenſibus in Montepeſſulano cudebatur; ad inſtar eorum, qui vigebant in Hiſpania, ubi etiamnum Luſitani nummos aureos *Millereis* appellant. Scaliger vocem corruptam eſſe putat, *de Re Numm. p.* 55. *Quum*, inquiens, *verum nomen fuerit*, Muley-Rais. *ab Arabe Rege, quiſquis is fuit qui primus ejuſdem ponderis & valoris nomiſma in illis partibus Hiſpaniæ percuſſit.* Quò ſane videtur ſpectare Clemens IV. *Ep.* ad G. Epiſcopum Magalon. A. C. 1266. apud Car. du Freſne, ubi ait, Chriſtianum nec debere, nec poſſe cudere monetam, cum titulo Mahometi. At cùm vox hæc proximè accedat ad Byzantinorum Principum Μιλιαρήσια, minutos perinde nummos, de quibus egêre præ cœteris idem Scaliger *d. l.* Gronovius, ubi ſuprà, Petavius *ad Epiphanium*, idem Car. du Freſne *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſm.* & dicemus infrà aliquid, voce *Milliarenſis*; Aliis longè probabilius per aphæreſin videtur, inde huic monetæ appellationem acceſſiſſe. Sed & non deſunt, qui à *Miliarenſibus* Græcanicis *Liardos* Gallicos, minutiorem quandam trium denariorum monetam, quæ in Aquitania potiſſimum obtinuit, nomen ſumſiſſe opinentur. Vide eundem Car. du Freſne *in Gloſſar.* & ſuprà, in voce *Liardus.*

MILIARIA Avis, apud Latinos, quibusdam eſt Κεγχρῆνις ſeu Κεγχρὶς Græcorum, quam *Cenchrida* vocat Plin. *l.* 29. *c. ult. fimum Cenchridis, accipitrum generis eam Græci faciunt.* Κέγχρος enim Latinis *milium* eſt. Sed Cenchris tinnunculus eſt, qui cinereô colore punctis nigris, velut *milii* granis, ſparſus, inde nomen invenit. At *Miliaria* avis eſt, quæ inter coturnices, in aviariis ganeonum, *milio* ſaginabatur, teſte Varrone *l.* 3. *RR. c.* 5. Vide infrà *Milium.*

MILIARII Agitatores, in ludis Circenſibus, dicti à præmiis, ut & equi *ducenarii* & *centenarii*, qui ducenta & centum ſeſtertia merebant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 910. Apud *Chryſoſtomum*, quid ſit ἱππεὺς ἀπὸ λεύκης ἐπὶ σφενδόνην μιλιοδρομῶν, hærent Eruditi. Quòd enim nonnulli ab *aureo milliario*, quod μίλιον χρυσοῦν Græci vocant, quodque Romæ fuiſſe certum eſt, vocem deducunt, hallucinantur. Fuit enim id columna, in medio Romano Foro erecta, unde omnes in Italia viæ auſpicabantur, cui ſimile quid Conſtantinopoli fuiſſe non legitur. Sed fuerit, nam & ſic aliquis locus ibi dictus: tamen quis ibi potiùs, quàm in Circo, ludos editos Circenſes putet? Circum tria ſtadia longum, alii tria cum dimidio, quidam quatuor faciunt: uti Græci: qui τέτταρα στάδια in longitudine Circum habuiſſe ſcribunt. Quod ſi fuit, ſpatium hoc bis explicatum octo ſtadiûm fuerit oportet, quæ *Milliare* efficiunt. Ita ſingula Circi curricula, in curſu ac recurſu, octo ſtadiis conſtabant, i. e. mille paſſibus, ſicque ſingula ſpatia conficere, erit μιλιοδρομεῖν, quod poſuit *Chryſoſtomus* pro decurſu Circi, à creta ad metas ultimas. Sed & aliter hoc verbum reddi poteſt. Græci *ſpatia* Circi reddunt στάδια; ſeptem autem ſpatia peragebantur lege Circenſi, quæ miliare unum conſtituunt, dimidiô minus: quô modô ſeptena illa ſpatia decurrere, erit μιλιοδρομεῖν. Græci, Ἑπτάκις δὲ ἐκύκλουν τὸν Εὔριπον οἱ ἀγωνιζόμενοι, διὰ τὸ ἑπτὰ στάδια εἶναι τὸ μίλιον, *Septies autem circumierunt Euripum certantes, quia ſeptem ſpatia miliare efficiunt.* Unde μιλιοδρομεῖν, *ſpatia iſta conficere.* Et quidem μιλιοδρομεῖν *Chryſoſtomus* dixit, pro decurſu, qui fit à carceribus ad metas; quum propriè μιλιοδρομία eſſet, à principio ad idem principium revolutus decurſus, h. e. à creta ad cretam recurſus circumactis metis, qui curſus integrô miliari peragebatur: quia longitudo Circi dimidiô conſtabat &c. Vide Salmaſ. *p.* 515. & hîc paſſim, ubi de *Circenſibus*, *Circo*, voce *Curriculum*, it. *Meta*, *Miſſum.*

MILIARUM Aureum, Romæ fuit dicta columna, ab Auguſtô, in capite Fori Romani erecta, ad ædem Saturni, prope arcum Septimii, unde omnes viæ Italiæ olim initium & finem capiebant, Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. *extr.* Vide & *ſupra.*

MILIAS, vide MILYAS

MILICHIE, fons in agro Syracuſano. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

MILICHIUS Jacobus, Friburgo-Briſigavus, Eraſmô dum hîc degeret præceptore uſus, inde Viennæ ſtudiis incubuit, hincque Wittenbergam ſe contulit, ubi Melanchthonis ſibi tantopere ab Eraſmo commendati benevolentiam meruit. Eobanô quoque Heſſô & Joach. Camerariô ex interioribus amicis. Docuit & exercuit Medicinam Wittenbergæ per complures annos, omnibus gratus acceptuſque, de liberorum inprimis educatione tam ſolicitus, ut nullos extra urbem ægros unquam viſeret, ne vel tantillum à familia abſtraheretur, & quaſi domeſticam Eccleſiam intra privatos parietes haberet, in qua Miniſtri vice quotidie S. Literas familiæ prælegebat ac explicabat. Obiit A. C. 1559. ætat. 58. auctor variorum ſcriptorum, quæ enarrat *in Elogiis* Anton. Teiſſier *p.* 1. Vide quoque Melch. Adami *Vit. Medicorum.*

MILICHIUS Jupiter, apud Athenienſes, extra urbem, victimis non veris cultus: ſtatua pyramis erat. Item Bacchus ſic dictus, quòd non ſolum vini, ſed ficuum & fructuum propè omnium inventor fuerat. Nam *Milicha*, *ficus* olim ſignificabant. Illud nos docuit Andriſcus apud Athen. *l.* 1. Νάξιοι Μειλίχιον καλοῦσι τὸν Διόνυσον, διὰ τὴν τοῦ συκίνου καρποῦ παράδοσιν, &c. Haud procul Naupactô, apud Myoneam urbem; in montis vertice quoque lucus & ara fuit Θεῶν Μειλιχίων, quibus noctu ſacra facta. *Nic. Lloyd.*

MILICHO, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 14.

MILICHUS, libertus Scevini, conjurationem Piſonianam Neroni detexit, Tacit. *l.* 51. *Annal. c.* 54. hinc *Soteris* nomine ſumto, *Ibid. c.* 71.

MILINUS, in Creta prædo, & pirata crudeliſſimus ab Hercule Libyco interfectus, *Beroſus.*

MILISSA, ſeu MELISSA, urbs, *Epidaurus* poſteà dicta, ut ſupra ex *Stephano* diximus. Græcè Μελισσία.

MILITARE Prandium, vide infra *Prandium militare.*

MILITARES, apud Trebellium Pollionem *in Victorino*, *c.* 6. *Qui & ipſe* (Victorinus) *quòd matrimoniis militum &* Militarium *corrumpendis operam daret, à quodam actuario -- percuſſus* &c. ſunt, qui Milites fuerant, uti *Conſulares* dicebantur, qui non amplius erant Conſules, cùm priùs fuiſſent. Hinc ſicuti *ex Conſulibus* hi dicebantur, ſic *ex Militibus* idem Pollio alibi vocavit, qui jam militiâ exierant, h. e. *Militares. In Gallienis c.* 2 *Ac taciti ex militibus Viri detrimenta pertuliſſent.* Iſidorus in *Gloſſis*, *Militarem* verè & eleganter, *veterem militem* exponit. Dicitur autem *Vetus Miles*, qui *ex milite* eſt; quemadmodum *Vetus Procurator*, in antiquis *Inſcriptionibus*, qui Procurator fuit, vel ex Procuratore: Græcis παλαιοστρατιώτης vel παλαιὸς στρατιώτης, Latinis *Miſſicius* quoque, in *Inſcr. vetere* TRIB. LEG. XI. AUG. ET MISSICIUS LEG. VI. AUG. &c. Hujuſmodi verò erant in caſtris Vexillarii legionum, quorum legitimum militiæ tempus jam exierat & qui omnia ſtipendia confecerant, quique tamen adhuc retinebantur ſub vexillo, cœterorum immunes, præterquam manum cum hoſte conferendi, Salmaſ. *ad Pollion. loc. cit.* Hinc, qui in militia aliquam dignitatem habent, *Militares* poſtmodum dicti, in *l.* 18. 32. 138. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 7. *de Frument. urb. Conſtantinop. l.* 20. 21. *de Erogat. milit. annonæ* &c.

MILITARIS Ars, apud Vegetium, *l.* 1. *c.* 13. eadem eſt cum *Armaturæ Arte*, de qua *ſuprà.*

MILITARIS Corona, non una apud Romanos fuit. Et quidem priſcô more duces, cùm exercitum luſtrarent, coronatos fuiſſe, diſcimus ex Appiano *Bell. Civil. l.* 4. ubi Caſſio, exercitum luſtranti, lictorem coronam inverſam repoſuiſſe, memorat. Et Statio *l.* 4. *Sylv.* 2. *v.* 62.

Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris.

Neque tantùm Dux in exercitu, ſed &, quiſquis in bellorum ſimulachris decurreret, priſcô more coronatus erat, teſte Xenophonte *Hellenic. l.* 3. ubi de Ageſilao, aliiſque militibus, qui è Gymnaſiis redeuntes coronas ſuas Dianæ ſuſpenderunt. Vide quoque Virgil. ubi de equeſtri certamine puerorum, quod fiebat juſſu Æneæ *l.* 5. Atque hinc *Militares coronæ* fluxiſſe videntur; quarum primam apud Romanos à L. Piſone donatam eſſe, refert Plin. *l.* 33. *c.* 2. Proponebantur autem, priuſquam pugnaretur, coronæ militibus à Duce exercitus, ut earum ſpe ac cupiditate incenſi acriùs pugnarent. Quod ipſum in ludicris decurſionibus prius obſervatum eſſe, legimus apud Silium Italic. *l.* 16. ubi Scipio.

Mente favete pari atque aures advertite veſtras.
Septima cùm ſolis renovabitur orbita cœlo,
Quique armis ferroque valent, quique arte regendi
Quadrijugos pollent currus, queis vincere plantâ
Spes eſt, & ſtudium jaculis impellere ventos,
Adſint & pulchræ certent de laude coronæ &c.

Simili ratione, ſi caſtra perrumpenda erant; ſi capiendum vallum; ſi urbis obſeſſæ ſubeundus murus; ſi navali præliô dimicandum: caſtrenſis, vallaris, obſidionalis, navalis, coronæ promittebantur. Re dein fortiter feliciterque geſtâ, Imperator, ut promiſſa exſolveret, exercitu inſpectante promebat eas coronas: ſtatuebatque in edito loco. atque adeò hortabatur eos, qui ſe iis donis dignos ducerent, quos Val. Max. vocat *honorandos l.* 1. *c.* 8. *ex.* 6. ut id palàm atque in omnium oculis profiterentur: ne fraus ulla obrepere poſſet. Quòd ſi verò res in ipſis Imperatoris oculis geſta eſſet, ubi proin nec teſtibus aliis, nec profeſſione modò dictâ opus erat, tum Imperator nominatim appellabat Milites tantò decore dignos: qui accedentes ad tribunal Imperatoris multâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

multô honore verborum pulcherrimum præmium accipiebant, non ſibi tantùm, ſed & poſteris, familiæque decus. Quod inſtitutum, memoratum Livio *l.* 30. *c.* 14. 15. ubi de Maſaniſſa à Scipione donato, non ſolùm in libertate, verùm etiam, imò maxime, à Romanis Principibus obſervatum eſt. Neque in præſens tantùm corona dabatur benemeritis, ſed & jus illas geſtandi in publicis Spectaculis ſimul eſt collatum; uti de Alexandri militibus, quos ut bello inutiles, nempe vulneribus & ætate defectos, in patriam remiſerat, legimus apud Zonaram *in Alexandro.* Quam in rem vide plura apud Car. Paſchalium *Coronarum l.* 7. *c.* 2. ſuprà in voce *Miles*, & hîc paſſim, ubi de Coronarum Militarium ſpeciebus, *Caſtrenſi*, *Civica*, *Claſſica*, ſeu *Navali*, *Murali*, *Obſidionali*, & *Vallari*: è quibus *Muralis* & *Vallaris*, quòd alia dona militaria honore anteibant, nonniſi præcedente faſtidioſâ inquiſitione, reque ad unguem exploratâ dabantur, ut videre eſt infrà.

MILITARIS Statura, agud Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 4. *Fuit & ſtaturæ militaris*; i. e. qualis in milite exigebatur. Erat autem hæc in probatione Tyronum legitima ſex pedum, aut quinque cum denis unciis. Symphoſius in *Ænigmatis.*

Bellipotens olim ſævis metuendus in armis,
Sed pedes habui, quos nunquam nemo negavit.

Interdum quini pedes & unciæ ſenæ ſufficiebant tironi: Doſitheus *in Sententiis Hadriani*, Α'ιτȣ̃ντός τινος ἵνα ϛρατεύηται. Α'δριανὸς εἶπεν, πȣ̃ θέλεις ϛρατεύεσθαι; ἐκείνȣ λέγοντος, ἐις τὸ Πραιτώριον Α'δριανὸς ἐξήτασεν, ποῖον μῆκος ἔχεις; πέντε πόδας καὶ ἥμισυ. *Rogante quôdam, ut in militiam reciperetur --- Adrianus quæſivit, quàm longus eſſet? ſex pedes & dimidium*, reſpondit. Menſura autem, ad quam proceritas & ſtatura militum exigebatur, *incomma* vulgò ſeu *incoma* fuit appellata. Vegetius *l.* 1. *c.* 5. *Proceritatem ti ronum ad incommam ſcio ſemper exactam.* Palus nempe fuit menſuralis, in caſtris ad hanc rem defixus ac poſitus, ut ad eum admotis, qui ad militiam deligebantur, an ſtaturâ juſtâ ac legitimâ eſſent, examinaretur. Dictus à verbo Græco ἐγκόπτειν. unde ἔγκομμα; fortè quòd *inciſuras* quaſdam & κόμματα haberet, quibus pedum & unciarum notæ eſſent diſtinctæ & deſignatæ. Sic enim omnino factum oportuit, ut ad verum ſciri poſſet, quot cuique pedes & unciæ deeſſent, ad explendam ſtaturam, quæ requirebatur: Idque in omnibus ponderum & menſurarum generibus obtinuit, ut notis & numeris diſtinguerentur, punctiſque vel lineis quibuſdam indicarent, quantum penderent caperentve, &c. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro. loc. cit.*

MILITEMUS ſignum à Pertinace Tribuno datum. Capitolin. in *Vita* ejus, *c.* 5. *Ad Palatium ergo Pertinax profectus -- petenti ſignum primâ die Tribuno dedit*, Militemus, *exprobrans utique ſegnitiem temporum ſuperiorum: quod quidem etiam ante in omnibus ducatibus dederat. Exprobrationem autem iſtam milites non tulerunt* &c.

MILITES, qui ætate apud Romanos lecti, indicat Lex à Sempronio Graccho Tribuno Plebis lata: *Ne quis ante annum* 17. *ad militiam cogeretur*, cujus meminit *Plut.* Unde apparet, anteà etiam minores 17. annis aliquando militâſſe, fortè ſub bella Punica, acciſis patriæ rebus: Sed & ambitio intervenerat, ut quidam ante id tempus militiæ aſcriberentur, quò poſtmodum citiùs ad honores & Tribunatus venirent, quod lege hâc ſublatum. Scripti autem ſunt uſque ad annum 46. infrà quod tempus *Juniores* fuêre appellati, teſte A. Gellio *l.* 10. *c.* 28. quinquageſimum tamen annum diſertè ponit Seneca *de Brev. vitæ c. ult.* & Fabius *Inſtitut. l.* 9. quos J. Lipſius ſic conciliat, ut dicat, ſi quis *Miles* caſu aut morbô ſtipendia ſua non impleviſſet, cogi potuiſſe ad annum 50. qui liberabat, ſive facta eſſent, ſive infecta ſtipendia. Qui itaque militiæ nomen dederunt; prius quàm militum haberentur numerô, jurejurandô adacti; cincti & in numeros relati pro more fuerunt. Et primùm quidem *Milites* ſacramentô tantùm a Tribunis rogabantur, non jurejurandô adigebantur ad militiam: ipſi verò inter ſe conjurabant, ſe fugæ atque formidinis cauſâ non abituros, neque ex ordine receſſuros. Donec L. Æmil. Paulo II. C. Ter. Varrone Conſulib. an. Urb. Cond. 538. jurejurandô *Milites* fieri cœpêre: ut Liv. docet *l.* 22. *c.* 38. Cingi dein conſuevêre, qui mos inde fluxit, quòd, *Qui militabant, omnes cincti erant*, ut tradit Servius *in Virg. Æn. l.* 2. Hinc in procinctu facta teſtamenta, *Feſtô* interprete, dicebantur, quæ *Milites* pugnaturi, vel ut planius *Plut.* præſentibus commilitonibus nuncupabant. Nec verò in caſtris quis diſcinctus ſine nota verſabatur: imo cum ita ſtare, vel opus facere *Milites* cogebantur, non minimæ id pœnæ genus fuit, Tandem in numeros referebantur: in quibus qui nondum erant, etiamſi lecti tyrones eſſent & publicis expenſis iter facerent, nondum tamen milites hebebantur, *l. ex eo ff. de milit. teſt.* Vide Briſſonium *Antiq. Select. l.* 2. *c.* 6. *&* 7. Neque tamen apud Romanos aliis militare licebat, quàm civibus ac ingenuis, & quidem in quinque claſſibus cenſis, proletarii enim & capite cenſi inde non minus ac ſervi arcebantur, niſi extrema id flagitaret neceſſitas. Namque & capitali pœnâ propoſitâ ſervi à militia ſunt prohibiti, Plin. *Ep.* 39. *l.* 10. hocque adeò receptum fuit, ut cùm ex inopia liberorum capitum, Imperatores ad ultimum propedeſperatæ Reipubl. auxilium adigerentur, non tamen vel tunc legerent in militiam ſervos, niſi liberos factos. Sed & Hiſtriones omnes, præter Atellanos, à militia prohibitos fuiſſe, ex Livio *l.* 7. *c.* 2. & Val. Max. diſcimus, *l.* 2. *c.* 4. *ex.* 4. Non autem ab initio ſtipendium meruêre *Milites* Romani ſed de ſuo quiſque eô munere functus eſt: annô demum 347. Anxure, Volſcorum oppidô captô ac direptô, pedites primùm ſtipendium acceperunt, & triennio pòſt bello Vejenti etiam equites. teſte Liviô *l.* 4. *c.* 59. quod ad ſtateram illis diſtributum eſt, ut Varro docet *de LL. l.* 4. quia ære tum gravi Romani utebantur, quod pendebant, non numerabant, ut obſervavit Godeſc. Stewechius *ad Vegetium l.* 2. *c.* 19. Veſtem è publico dein addi juſſit, Cajus Sempron. Gracchus Tribun. Plebis ut *Plut.* refert. Sed de his plura vide infrà, in voce *Stipendium.* Veſtis, antiquiſſimis temporibus, *Militaris toga* erat, unde *apud antiquos togis in cinctu pugnâſſe*, docet Feſtus Pomp. *l.* 5. poſtea florente Rebul. *Sagum* fuit, quod cum Chamyde ac Paludamento idem facit Octav. Ferrarius *de Re Veſtiar. part.* 2. *l.* 3. *c.* 5. Vide infrà *ſuô locô.* Veſtigia tamen priſci ritus revocata ab Antonino Philoſopho deprehendimus, apud Jul. Capitolin. *c.* 27. *in ejus vita*, ubi inter alia ait: *Nunquam ſagatos ſub eo milites fuiſſe.* Calceamentum caliga fuit, quam ϛρατιωτικὸν ὑπόδημα Dio. *l.* 48. appellat, unde militia Tertulliano *Caligata l. de Idol. c.* 19. & *Milites*, *Caligati* paſſim dicti leguntur. Inprimis apud Juvenal. *Sat. ult. v.* 24.

Cùm duo crura habeas, offendere tot Caligatos.

Sic tamen, ut qui priorum claſſium erant, quique gradum aliquem tenebant, clavorum genere ab inferioribus diſtinguerentur: namque, qui caligis ſuffixi erant clavi, è diverſis metallis, vulgò quidem ferrei, aliàs quoque argentei, atque aurei erant, B. Balduinus *de Calceo c.* 13. Cœterùm, corollâ plumeâ pennisque tribus puniceis aut nigris erectis, longitudinis ferme bicubitalis, in ſummo vertice adornati, bullis aureis diſtinctos gerebant baltheos, qui præcipuus *Militum* honor fuit. Poſt exacta tandem legitima ſtipendia, Laribus arma ſua conſecrabant. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 8. *v.* 21.

Miles, ut emeritis non eſt ſatis utilis annis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares &c.

Ut & alia quædam breviter addam: *Milites*, æſtate in campo, hyeme ſub tecto, exercebantur apud Romanos; ſed pluviali tantùm tempore. Nam ſi pluviæ vel nives ceſſarent, etiam hybernis diebus in campo exercebantur & ſub dio: quam in rem porticus ſtruebant, tegulis vel ſcandulis, aut ſi abeſſent, ulvâ ſeu cannis, tectas. Vegetius *l.* 1. *c.* 18. *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo.* Et *l.* 2. *c.* 23. *Miſſilia quoque vel plumbatas jugi perpetuôque exercitiò dirigere cogebantur, uſque adeò, ut tempore hyemis de tegulis vel ſcandulis; quæ ſi deeſſent, certè de cannis, ulva vel culmo, & porticus tegerentur ad equites & quædam velut baſilica ad pedites.* In quarum locum, cùm virides porticus & flexibilibus atque in ſe curvatis arboribus conſtructæ, ſucceſſiſſent, ſub quibus delicati milites & otioſi, omnis jam militaris exercitii expertes æſtum vitabant, juſſit illas de caſtris derui Hadrianus Imperator, uti apud Spartianum *c.* 10. legimus. Vide de Militari exercitio plura, ſuprà in voce *Armatura.* Itinera *Militum* ut plurimùm ſic habebant, ut horas quinque ambularent quotidie: quô ſpatiô conficiebant modò vicena, modò vicena & quaterna paſſuum millia; quorum ille *militaris*, hic *plenus gradus* dicebatur, Vegetius *l.* 1. *c.* 9. Hinc & in Jure civili, ad legitimum diei unius iter 20. mill. paſſ. præſcribuntur, in *leg.* 3. *De verbor ſignific. & alibi ſæpius.* Vide quoque ſuprà *Exercitus.* Habebant autem dextrô latere cinctum enſem, priſcis temporibus, uti *Polybius* teſtatur: Poſteà, ut videtur, & ſub Imperatoribus, ſolis Prætorianis hôc modô cinctis, reliqui ſiniſtros enſes habuêre, uti diximus ſuprà in hac voce. Porrò *Milites* ſtantes cœnâſſe, Amm. Marcellin. *l.* 17. docet, ubi de Juliano, *Per varios*, inquit, *procinctus ſtans interdum, more militiæ, cibum brevem vilemque ſumere videbatur.* Hinc, ſicuti porticus virides, ut dictum, ita tricliniares lectos de caſtris, idem Hadrianus removit, ut in luxum lapſi milites priſcô more cibum caperent, Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit.* *Salmaſ.* id de prandio quidem verum eſſe addit: cœnantes autem accubuiſſe &c. Plura hac de re vide apud Lipſium *de Mil. Romana*, Jan. Gruterum, qui urbes effœminando, caſtra maſculando militi facere, juſta diſſertatione demonſtrat *ad Tacitum c.* 38. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempſteri, & paulo *infrà*, *ubi de variis* Militum *ſpeciebus, præmiis ac pœnis quædam ſubjungemus.* Apud Athenienſes, ad annum uſque 40. ab anno decimo octavo militare cogebantur, & quidem ad annum uſque 20. intra Atticæ fines, à viceſimo verò extra Atticam, ex lege Solonis, cujus meminit Ulpianus *ad Olynthiacam* 3. Quô reſpiciens Macrob. *in Somn. Scip. l.* 1. *c.* 6. ait: *Nonnullarum Rerump. is mos eſt, ut poſt ſextam hebdomadem* (i. e. quadrageſimum ſecundum annum) *ad militiam nemo cogatur: in pluribus detur remiſſio poſt ſeptimam*, (i, e. annum 49.) ita ergo à decimo octavo anno, poſtquam Ephebis adſcripti eſſent, ad vigeſimum uſque urbana ac ſuburbana caſtella cuſtodiebant, ſic quidem, ut ſi priore annô cuſtodiam in Urbe populo approbâſſent, inſtructi pro concione clypeô & haſtâ, ut & chlamyde, ſeu veſte militari, in ſuburbana caſtella mitterentur, Pollux *l.* 8. *c.* 9. Vigeſimô dein ætatis annô, in Lexiarchium librum referebantur, & in Agrauli æde juramentô ſe obſtringebant, ſicque ad externa bella mittebantur. Inſcribebantur autem Epheborum nomina, annotatô annô, per Archontis, qui Faſtos ſignabat, adſcriptum nomen: additô quoque Eponymi illius nomine, quô primùm cuſtodes erant publice; ut, cùm unumquemque Athenienſium militare oporteret ab anno 18. uſque ad annum 40. ſtipendiorum numerus iniri poſſet. Soli autem divites, quibus cenſus erat, ac ingenui, ἐκ καταλόγȣ apud Athenienſes ſimiliter militabant, excluſis proletariis & capite cenſis, uti de Romanis diximus, niſi quod aliquando evocati fuêre ſive pro milite, aut tumultuarii, non ſacramentô rogati. Unde cùm terreſtri præliô omnes pene, qui militabant, divites, à Lacedæmoniis eſſent occiſi, facile ivit in contraria plebs, quæ non militaverat, & mutatus eſt Reip. ſtatus. Inquilini tamen militabant, ſed inter gravis armaturæ milites, cum civibus, ſtipendia facere prohibebantur. Nec minùs in hac Republ. ſervi à militia, quàm in Romana, arcebantur, niſi id poſtularet neceſſitas. *Milites* conſcribebat Imperator, qui ex iis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quibus nondum vacatio militiæ erat, eligebat quos vellet: lecti in tabulas ac codices referebantur, quam ob cauſam οἱ ἐκ καταλόγου Polluci dicuntur; dicuntur; idque ideo, ut ſic hominum & ſtipendiorum memoria publicè extaret. Fiebat id in conſcribendis peditibus, à Taxiarchis, Pollux *l.* 8. *c.* 9. in Equitibus legendis, à Phylarchis, primaque perfectæ militiæ rudimenta inter pedites erant, neque quiſquam, niſi δεδοκιμασμένος, Equitibus adſcribi poterat. Primis verò annis in partibus illis exercitus, in quibus minus periculi erat, collocabantur, nnde pugna illa προθεωρία propriè vocata eſt, neque enim cum veteranis pugnare illis licebat. Equitum δοκιμασίαν à Senatu quingentorum factam exiſtimant Eruditi: iidem enim equos ad bellum probabant, delectuſque Equitum fiebat & ab Hipparcho & à Phylarchis, atque etiam à Quingentorum Senatu, neque hîc Leges ſinebant ullum eſſe gratiæ Imperatori locum, &c. Stipendium *Militum* quodnam fuerit, vide *ſuô locô.* Vacabant autem militiâ apud Athenienſes, Redemptores Vectigalium ac Choreutæ. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 8. *tit.* 1. 2. *&* 3. & Franc. Roſſæum *Archaol. Attic. l.* 6. *ſectione* 3. &c. Apud Iſraëlitas, ætas à vigeſimo anno uſque ad 60. pertingebat, vide Numer. *c.* 1. *v.* 3. 18. &c. ut & Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebr. l.* 6. *c.* 8. nec non ſuprà *Latrones*, ac ubi de *Latronum luſu.* Ut de *Militibus agris* aliquid addam, ſolebant illi in Coloniis relinqui. Sic urbem ad Aceſinem Alexandri juſſu conditam, *mercenariis ad militiam ineptis*, ſeniô puta vel vulneribus, attribuit Arrianus *l.* 5. *c.* 4. Vide quoque Curtium *l.* 7. *c.* 3. & 6. Plin. *l.* 6. *c.* 27. Arrianum iterum *l.* 4. *c.* 1. & *l.* 7. *c.* 4. Sed jam ante ipſum eadem Cambyſi cura: cujus *colonia inter Nelos & Marchadas deducta eo agris exercitus*, memoratur Plinio *l.* 6. *c.* 29. Imò Sobios, *de exercitu Herculis majores ſuos eſſe commemorantes, agros relictos eſſe, cepiſſe ſedem* &c. apud Curtium legas *l.* 9. *c.* 4. Pompejus hos imitatus, *urbem eô locô, quô Mithridatem vicerat, condidit, quam vulnerati aut ætate confecti milites ſui haberent*, apud Dionem *l.* 36. &c. Sed nec *mortuis* ſua præmia defuêre, ut hic paſſim videre eſt. Inter quæ non minimum, quod liberos eorum, qui pro patria cecidiſſent, publicè educati, lege latâ Athenienſes voluerunt. Quos aliæ quoque gentes ſequutæ, ut ſuprà vidimus, voce *Epigoni.* Quodque uxores eorum, qui bello cæſi, pecuniæ deſtributione conſolatus legitur Michaël Rangebes, apud *Zonaram*, Freinshemio laudatum, *Not. ad Curtium l.* 10. *c.* 4. ubi Romanas etiam Leges pupillis ejuſmodi varia ſolatia conſtituiſſe, addit.

VARIÆ MILITUM SPECIES.

Accenſi dicebantur, qui ad cenſum Legionum erant additi.

Adſcriptii vel *Adſcriptivi*, qui adſcribebantur inermes, ut ſuccederent armatis militibus, ſi quis eorum deperiſſet, Hi cùm erant attributi Decurionibus ac Centurionibus, qui eorum haberent numerum, dicebantur *Accenſi*, Varro *de vita Pop. R. l.* 3.

Ære diruti appellabantur, cùm propter ignominiam, ſtipendium ſubtrahebatur, quod in ære olim pendi ſolitum: hoc in fiſcum diruebatur, non in militis ſacculum; unde eis nomen.

Anteſignani, qui ante ſignum in acie collocati, ſigna ſeu vexilla propugnabant ac defendebant, Gall. *l'Avantgarde.* Hos Principes ſequebantur.

Auxilia, dicti ſunt *Milites*, qui à ſociis vel à fœderatis gentibus mittebantur. Hi altera pars erant exercitus Romani, ſicut altera, Legiones.

Baliſtarii, à genere armorum. per Conjurationem ſive *conjurati* dicebantur, qui obortô tumultu, i. e. bellô Italicô vel Gallicô, quô tempore ſingulos interrogare non vacabat, cum Imperator in Capitolium ſe conferens, exinde duo protuliſſet vexilla, unum roſeum, quô pedites evocaret, alterum cœruleum, quô equites, dicens; *Qui vult ſalvam Remp. me ſequatur:* conveniebant ſimulque jurabant, Liv. *l.* 45.

Dimachæ, qui pro loco vel equites, vel pedites erant: armaque graviora ferebant, cœterùm equis utebantur, Curt. *l.* 7. *c.* 13. Hodie *Dragons* Gallis.

Duplicarii, quibus ad virtutem duplicia cibaria ut darentur, inſtitutum.

Emeriti, qui verbis Tullii *pro lege Man. ſtipendia ſua confecêre.* His agri conceſſi, Sueton. *Auguſto c.* 13. pecuniaque donata eſt. *Veſtes in acceptos* miles *deducitur agros*, Ovid. *Amor. l.* 2. *eleg.* 9. *v.* 19.

Evocati, qui neceſſitate cogente, licèt veterani jam eſſent, evocabantur ab Imperatore contra hoſtem, Lipſ. *de Mil. Roman. l.* 1. *dial*, 8.

Fabiani, memorati C. Nepoti *Iphicrate c.* 2. *quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati ſunt. ſic* Iphicratenſes *apud Græcos in ſumma laude fuerunt.* Nempe ea fuit ambitio Principum, ut à nomine ſuo milites etiam inſigniri vellent. Hinc *Joviniani*, & *Herculiani*, apud *Zoſimum* & *Mamertinum*, Sic *Alexandrini* Caracallæ, de quibus diſertim *Dio* & Herodianus *l.* 4. *c.* 8. *Honorarii, Theodoſiani, Conſtantini, Gratianenſes, Valentinianenſes* in *Notit utriuſque Imp.* Quod etiam in populis portiſque adhibitum. Keuchenius *ad Nepotem d. l.*

Ferentarii dicebantur, levis armaturæ *Milites*: à *ferendis* telis, quæ erant fundæ ac lapides: vel à *ferendo* auxilio, *Feſtus.*

Funditores, qui fundis magnis dimicabant.

Haſtati, qui Velitibus ſeu Pilanis adultiores, armaturam ferebant, nempe ſcutum, enſem, ad dextrum femur, Hiſpanienſem, veruta duo, galeam æneam & crurum tegmen ocream. Præterea corollam plumeam in apice, & cordituum, i. e. æs unius ſpithamæ, in pectore: vel, ſi quis 10000. drachmarum cenſum exceſſiſſet, hamis conſertum thoracem. Hi primi haſtam ferebant.

Legionarii, qui in Legione aliqua militabant. Hos cives ac in 5. claſſibus cenſos ludicræque artis expertes eſſe oportuit: Neque arma ſolùm, verùm & vallum ac cibaria ſæpe ſecum ferebant, Cicer. *Tuſc. quaſt. l.* 2. Cœterùm iis aditus patebat ad militaria munera, ad cohortem Prætoriam, ad prædam, ad dona Imperatoria.

Oſtenſionales, vide infrà.

Pilani, erant natu minimi, quorum arma gladius, pila & parma. Addebatur etiam ſimplex caſſis. Vide quoque *Velites.*

Prætoriani, cohortis Prætoriæ milites, à Prætore h. e. Imperatore corporis, ſeu cuſtodiæ cauſâ delecti.

Primani, Secundani, Tertiani &c. in veterib. Lapidum inſcriptionibus, à numero Legionum, in quibus militârunt nominati ſunt.

Principes, Haſtatos ſequebantur, ætate ac robore præſtantiores, qui à principio gladiis utebantur. His eadem cum Haſtatis arma.

Pterophori, vide infrà in voce *Pinna.*

Rorarii, quibuſdam iidem cum Ferentariis, dicti à *rorando.* quòd, ut ante imbrem ferè rorare ſolet: ſic illi ante gravem armaturam incederent.

per Sacramentum, Græcis οἱ ἐκ καταλόγου, *Milites* dicebantur, qui ab ipſis Ducibus delectu habitô conſcribebantur: Et hoc ſolùm legitimum *Militiæ* genus erat.

Subitarii, iidem cum Conjuratis.

Superuumerarii, it. Supranumeros, vide hôc lemmate.

Superventores, vide infrà in hac voce.

Triarii, qui in acie tertiò ordine extremis ſubſidio deponebantur. Hi cæteris provectiores, inclinatam aciem ſæpiſſimè reſtituerunt: inſtructi iiſdem armis cum Haſtatis ac Principibus, niſi quod pro verutis haſtas gererent.

Tyrones dicebantur, qui annô ætat. 17. militiæ primùm nomen dedêre. Hi arma ſumturi in jusjurandum adigebantur.

Velites, dicebantur minimæ ætatis ac fortunæ tenuioris milites: quaſi *volantes*, expediti dicti, quorum uſus eô bellô, quô Capuam Fulvius Flaccus obſedit, repertus eſt. Iidem cum Pilanis.

Veterani, qui multa jam ſtipendia fecerunt. Aliquando pro Emeritis ſumuntur. Vide ſuprà in voce *Emeriti.*

Volones dicti ſunt, qui poſt Cannenſem cladem uſque ad 8000. cum eſſent ſervi, ſponte ſe ad militiam obtulerunt &c.

PRÆMIA MILITARIA OLIM USITATA.

Adorea, frumenti fuit genus, apud Veteres in honore habitum, quod eô per 300. annos populus Romanus victitâſſet: hujus certâ menſurâ milites antiquitùs, ob rem bene geſtam, ſolebant donari.

Armillæ, inter *Militum* donaria fuere; quarum plus 160. L. Siccium Dentatum retuliſſe, refert A. Gellius *l.* 2. *c.* 11. Vide Florum *l.* 1. *c.* 1. Verùm hæ non exteris: ſed civibus dabantur. Plin. *l.* 33. *c.* 3. Equitibus inprimis familiares, Th. Bartholinus *de Armillis.*

Brachialia Livio dicuntur *l.* 37. *c.* 9. quæ aliis *Armillæ*, quas vide. Hinc corruptè, inter ornamenta mulierum, *Bracoletta* appellantur.

Corniculi, armillis ſæpe ſæpius ſociantur: His equites donari ſolebant, qui corniculô merebant, apud Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *ex* 11. Vide quæ de iis habet Th. Bartholin. *de Armillis Veter. p.* 51.

Coronæ, vide ſuprà *ſuô locô.*

Δημοσίᾳ τροφή, apud Athenienſes concedebatur in bello mutilatis; quorum reditus annuus erat inter tres minas: ex lege, Τὰς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφειν, *Mutilati in bello publicè aluntor.*

Haſta pura, quæ Catoni *donatica*, aliô nomine *graminea* dicta eſt. Vide Turnebum *Adverſar. l.* 29. *c.* 1.

Inſignium locô arma ferre Athenis conceſſum eſt, cum gloria è bello reverſis: datuſque in Aſtu locus.

Monilia, quæ à collo eorum ſuſpendebantur, teſte *Feſtô.*

Munera militaria Centurionatus, Præfecturæ, Decurionatus, Optionatus &c. Unde & Lex Athenienſium: Πλεονεκτεῖν ποιεῖν τοὺς αἰτιώντους, *Qui egregiam in bello operam præſtant, ad majora provehuntor.*

Nomen *Cecropidarum*, i. e. antiquiſſimorum civium, conferebatur bene meritis, Athenis.

Pecunia, ante triumphum ab Imperatorib. diſtributa, teſte Liviô *l.* 28.

Phaleræ, ornamenta equorum in fronte erant, qualibus quinquies vicies donatus legitur præfatus Siccius, *Romanus Achilles* dictus. Ἀσπιδίσκους vocat *Suidas.*

Prætoriæ cohortis communio, quæ nemini niſi civi Romano permittebatur, ex qua qui fuiſſent, in beneficiis ab Imperat. ad ærarium deferebatur.

Προεδρίας jus, in Rep. Athenienſi, conſequebantur filii Parentum, qui in bello occubuerant; primas namque in theatris occupabant ſedes, & de publico educati ac inſtituti, πανοπλίᾳque inſtructi ad ſua mittebantur negotia: ex lege Solonis, cujus meminit *Laërtius.*

Sepulchra magnificè exornabantur: ac pyram ter circumeuntes commilitones, velut in acie, arma, enſes, clypeos, haſtas, in ignem vel ſepulchrum conjiciebant. Maxima autem ex parte in Ceramico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mico publicô ſumtu efferebantur.
Spolia populus dividebat.
Stipendia, pro meritis augebantur: ut videre eſt apud Lipſ. *l. Elect.* ac infrà, in voce *Stipendium.*
Torques, quales 83. Dentatus retrò dictus apud A. Gellium *l. 2. c. 11.* accepit: Erant autem vel Duplares, qui ob virtutem duplas conſequebantur annonas: vel Simplares, quibus una & ſemiſſis tribuebatur &c.

POENÆ MILITARES, QUÆ OLIM IN USU.

Canum dedecus vide ſuprà.
Cenſio haſtaria, cùm *Militi* mulctæ nomine, ob delictum militare, indicebatur, ut haſtas daret.
Cibum ſtandô capere cogebantur, potumque, apud Livium *l. 24. qui detrectatæ pugnæ memores ſeceſſionem fecerant.*
Cinguli ademtio non minima ignominia fuit, utpote dimiſſionis & exauctorationis infamis indicina. Vid. Freculphum *Chron. tom. 2. l. 3. c. 15.* & Suetonium *Auguſto c. 24.* ubi docet: *interdum tunicatos diſcinctoſque nonnunquam cum decempedis vel etiam ceſpitem portantes, ſtare per totum diem ante Prætorium juſſiſſe milites.*
Condemnatio, vide ſuprà.
Decimatio, totam legionem ſpectabat, cujus antiquiſſimum exemplum extat apud Livium, ab Appio Claudio Conſule exercitum *l. 2. c.* 59.
Dimiſſio ignominioſa, quô pactô Cæſar C. Avienum, ab exercitu ſuo removiſſe, apud Hirtium *de bello Afric. c. 54.* legitur.
Foſſam fodere, tunicis interioribus ſolutis, inſpectante reliquô exercitu, antiquum militaris ignominiæ genus fuiſſe, ex Plut. *in Lucullo* diſcimus.
Fuſtibus cæcidit militem extraneum, quem extra ordinem deprehendit, Scipio, diſciplinam militarem ad Numantiam corrigens. Sic Fuſtuarium meruêre Legiones, quæ Conſulem deſeruerunt, Cicer. *Philipp.* Inprimis infligebatur hæc pœna cuſtodibus, ſive vigilibus in militia, qui teſſeras non reddidiſſent, aut dormiviſſent, aut locum vigiliæ deſeruiſſent: Item qui furtô aliquid è caſtris ſuſtuliſſent &c.
Heliaſtis plectendus Athenis tradebatur, qui vel militare recuſâſſet, vel ordine exceſſiſſet, vel timidum ſe præbuiſſet, vel clypeum abjeciſſet.
Hibernare extra oppidum cogebantur milites, apud Liv. *l. 26.* neque propius ullam Urbem 10000. paſſuum accedere hibernando, ignominiæ causâ, licebat.
Hordeum pro tritico ignominiæ causâ datum cohortibus, quæ ſigna amiſerant, apud Liv. *l. 27.*
Mors transfugis ac proditoribus &c. illata.
Navi vetuſtæ impoſiti deſertores ventis permittebantur, vide infrà *Vetus Conſul.*
Nudis pedibus coram Ducis ſtare tentorio, vel etiam ceſpitem portare, inter pœnas quoque fuit.
Sanguinis miſſio, nota erat meritæ mortis, ſed clementer condonatæ, cujus ſpecies modica erat ejus effuſio.
Stipendiô, ſive menſtruô, ſive annuô interdum fraudabantur, qui officium non feciſſent, ut de integra Legione ſcribit Liv. *l. 40.*
Tentorii locus ſubinde in pœnam mutatus.
Virgis ſub furca diu cæſus, ſeſtertiô nummô veniit Cajus Matienus, quòd Exercitum in Hiſpania deſeruiſſet, apud Liv. *l. 29. c. 8.*
Vitibus militem Romanum quem extra ordinem deprehenderat, cæcidit Scipio diſciplinam militarem ad Numantiam corrigens, apud eundem &c.

MILITES, Hæretici, qui aliàs *Floriniani* & *Corpocratiani*, ſic dicti, *quia de Militaribus fuerunt*, Philaſtrius *de Hæreſ. Part. 3. c.* 10.

MILITES Chriſti, ſeſe inſcribebant olim Templarii, uti diſcimus ex *Monaſtico* Anglic. Tom. II. *p.* 997. In quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus Galliæ, *Milites Eccleſiaſtici* dicuntur Præbendarii aliquot, maximè in Viennenſi, ubi duo ſunt, hâc *Militum* nomenclaturâ, & Lugdunenſi, ubi decem, de quibus vide Joannem *de Lievre in Antiqq. Vienn. c.* 54. & *Chartam* Philippi Regis A. C. 1307. pro Eccleſia Lugdun. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

MILITES Gaudentes, dicti ſunt Fratres Ordinis Militiæ S. Mariæ Virginis in Eccleſia Romana: vide ſuprà *Fratres gaudentes.*

MILITES Gladii, apud Arnoldum Lubec. *l. 7. c. 9.* appellantur, qui, ad imitationem Templariorum, *Chriſti militiæ ſeſe dedentes, profeſſionis ſuæ ſignum in forma gladii, quò pro Deo certabant, in veſtibus ſuis præferebant.*

MILITES Regis, apud Scriptores Francicos dicuntur *Milites*, qui ex domo Regia & ex ejus peculiari familia erant ac ſtipendiis honorati: cujuſmodi complures in Veterib. *Chartis* recenſentur, Gall. *Chevaliers de l'Hoſtel du Roy.* Sic extat *Charta* Alberti Imperatoris 3. Id. Decembr. A. C. 1299. quâ Hugonem de Bovilla Cambellanum Regis Franciæ, in ſuum *Militem* & Domeſticum adſciſcit hiſce verbis: *Ad perſonam nobilis Viri Hugonis de Bovilla, magnifici Principis D. Philippi Regis Francorum illuſtris Camerarii nobis dilecti ramos noſtri favoris latiùs extendentes, ipſum in noſtrum familiarem & Militem duximus aſſumendum, volentes ut ubicunque locorum, quæ Romanum profitentur Imperium, noſtrorum familiarium & Militum prærogativâ, gratiis, libertatibus & juribus perfrui debeat, & gaudere præſentium teſtimoniô literarum.* Similiter & Reginæ aliæque nobiles fœminæ, *Milites* ſuos habebant. Unde Theobaldus *de Mauny* & Ferdinandus, *Milites Reginæ*, ſubſcribunt in *Charta* A. C. 1194. in *Hiſtoria* Monaſterii Longipontis *p.* 104. &c. Hodie iiſdem qui adſunt, manumque præbent ad eas deducendas, Gallis vulgo *Chevaliers d'honneurs de la Reine*, h. e. *Milites Honorarii Reginæ* appellantur, Car. du Freſne in *Gloſſar.* qui de ritibus medii ævi, quibus *Militum* ordini initiabantur, deque variis *Militum* generibus, copiosè ac eruditè ibidem diſſerit. Vide quoque hîc paſſim, ubi de *Armis*, *Bello*, *Stipendio* &c.

MILITES Rotundi, nummi, vulgò *Ridders*, dicti in *LL.* Opſtalbomicis *c.* 21.

MILITIA, apud Petrum Diaconum *Hiſtor. Caſin. l. 4. c. 35. Curtes, quæ manifeſtè Imperii erant*, Militias *& caſtra Imperii*: Gervaſium Tilleberienſem *MS. de Otiis Imperial. l. 2. Hic* (Henricus II. Imperator) *legem inſtituit apud Teutones, ut* Militiæ, *more Gallorum & Anglorum, ſucceſſionis jure devolverentur ad proximiores agnationis gradus, cùm antea penderent ex Principis gratia*; Alios medii ævi Scriptores; aliàs *Feudum Militis* & *Feudum Loricæ*: Item *Terra, quæ Militem debet in expeditione*, dicitur in *Charta* Balduini Comitis Flandriæ A. C. 1119. Gallicè *Gentilleſſe*, in quodam vetere *Regeſto*, apud *Car. du Freſne.* Cujuſmodi terras non niſi à *Militibus* poſſideri & teneri potuiſſe. docet is ex *Charta* Sanctii Regis Majoricarum, A. C. 1323. quâ Raimundo Rubey de Pratis concedit, ut tenere poſſit aliquot villas, quæ ab avunculo ex legato conceſſæ fuerant, etiamſi ab eodem Rege tenerentur *in feudum & de Militari ad perſonam non Militarem devenerint*, hâc appoſitâ conditione, ut, Raimundô extinctô, villæ eædem ad unum ex filiis ejus legitimis devenirent, *qui ſuô decenti tempore Miles efficeretur.* Militare autem Domino teneri ſolitos, qui *Militias* ac feuda poſſidebant, notum eſt. Unde Dudo *de Actis Normann. l.* 3. *Richardo infanti manibus ſuis datis, ſuper ſacroſanctas reliquias, fidem obſequentis famulatus & militationis facientes, ſpoponderunt & voverunt illi, ſe per omnia eſſe fideles.* Et Guntherus *Ligurini l.* 8.

Publica militiæ vaſſallus munera juſtæ
Non renuat, dominique libens in caſtra vocatus.
Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat iturum,
Arbitriô Domini, vel quem laudaverit ille
Compenſet redimatque ſuum mercede laborem.

Plura hanc in rem, vide ſuprà paſſim, in vocibus *Beneficium, Caballaria, Feudum, &c.*

MILITIA Chriſtiana, Ordo militaris; vide *Conceptio.*

MILITIA Cœli, Græcè Στρατιὰ τȣ̃ Οὐρανȣ̃, quod Beza mavult reddere, *Exercitus cœli*, memoratur Actor *c. 7. v.* 42. ubi Deum Iſraëlitas in deſerto tradidiſſe λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, *ad colendum exercitum cœli*, Stephanus ait: Quâ voce non Angeli, qui tamen & ipſi στρατιὰ οὐράνιος, *exercitus cœleſtis*, appellantur; ſed univerſa cœli ſidera intelligenda veniunt, ut diſcimus ex Deuter. *c. 4. v.* 19. *Ne ſublatis oculis tuis verſus cœlum, quum aſpexeris Solem aut Lunam aut Stellas ullam rem exercitus cœleſtis, tum impellaris & incurvans te eis colas ea, quæ impertitus eſt Jehova Deus tuus reliquis omnibus populis ſub univerſo cœlo.* Quamvis enim Sol & Luna, *duo illa magna luminaria*, ut vocantur Gen. *c. 1. v.* 16. præcipuô honore ab Idololatris colerentur, non his tamen ſuperſtitio acquievit, ſed ad reliquos quoque Planetas, imò & minora quæcunque ſidera, quorum natura, virtutes ac influentiæ diſtinctè non cognoſcuntur, ſeſe extendit. Sic alibi in Scriptura *Militiæ* ſeu *Exercitus Idolorum* mentio fit; & videntur hujus claſſis eſſe *Conclavia figurata*, in quibus Ezechiel Propheta vidit *omnes formas reptilium & jumentorum deteſtandorum, omniumque ſtercoreorum Deorum domus Iſraëlis: expreſſum* (opus) *in pariete ipſo circumquaque, c. 8. v.* 10. Apud Romanos *Pantheon*: apud Athenienſes ara. *Diis Aſiæ, & Europæ & Libyæ*, ac ne quis fortè omitteretur, *Deo ignoto ac peregrino*, ſacra huc facit. Vide Thomam Godwyn. *de ritibus Hebr. l. 4. c. 7.*

MILITIÆ Magiſter, vide ſuprà *Magiſter.*

MILIUM, omnium frugum fertiliſſimum, quippe ex cujus *uno grano terni ſextarii gignuntur*, Plin *l. 18. c. 7.* in Campania potiſſimum creſcit, quæ *candidam ex eo pultem facit. Fit & panis prædulcis. Sarmatarum quoque gentes hâc potiſſimum pulte aluntur, & crudâ etiam farinâ, equinô lacte vel ſanguine è cruris venis admiſtô. Æthiopes non aliam frugem, quàm milii hordeique novêre, Ibid. c.* 10. Cœterùm faſtigiatur *Milium*, ut & paniculum, in culmum geniculatum & concavum: quæ ambo etiam, cum omnium reliquorum ſatorum fructus aut ſpicis contineatur, aut includatur ſiliquis, aut vaſculis, *tantùm pro indiviſo & parvis avibus expoſita ſunt, indefenſa quippe membranis continentur*; Iterum *c. 7. cit.* Comæ verò granum ejus complexæ fimbriatô capillô curvantur, *Ibid.* Plinii ætate ex India in Italiam *milium* invectum eſt, *nigrum colore, amplum granô, harundineum culmô*, de quo vide ibidem. Purgamenta ejus, ut & panici, ſeſamæ ac tritici *appludam* dixêre, Idem *c. 10.* &c. Græcis Κέγχρος: unde Κεγχρίνης ſerpens, apud Nicandrum *in Theriacis*, quod inſtar *milii* granorum variatum habeat tergum. Et Κεγχρὶς, ſeu Κεγχρίνης avis, apud *Ariſtophanem*, accipitrum genus, à maculis ita dictum: quod perperam nonnulli confundunt cum *Miliaria* ave Latinorum, quæ inter coturnices in aviariis ganeonum *miliô* ſaginabatur, teſte Varrone *l. 3. RR. c.* 5. Porrò verbum κεγχρῶσαι, unde κεγχρώματα, τὰ ποικίλματα, quomodo dicebantur in clypeorum ambitu ornamenta, granorum inſtar aſperſa: parva videl. clavorum capita, ex auro extantia. Item labra poculorum; nummorum quoque in circuitu orbis, ex parvis granis factus & ornamenti gratiâ additus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 339. & 340. Sed & in veſtibus κέγχροι dicebantur rotundæ macularum formæ, quibus intertexi ac diſtingui ſolebant, apud Athenæum *l.* 12. quæ aliter ἧλοι, σημεῖα, σφραγῖδες, Latin. *clavi, ſigna, &c.* dicebantur. Etiam, uti in auro ἀδάμας puri puti auri granum vocabatur, ita in argenteis fodinis κέγχρος vel κέρχνος dicebantur parva grana meri argenti, quæ ad inſtar *milii* granorum in venis lucebant, *cenchron* vocat Plin. *loc. cit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 339. 340. & 1076. ut & ſuprà.

MILIUM, locus in Urbe Conſtantinopoli, vide ſuprà, *Miliarii Agitatores.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MILLE annorum Herba, in Sinenſi Imperio, ad *Kingcheu* urbem creſcens, ſic dicitur, quod ad vitam producendam valere exiſtimatur, quem proin & immortalem eſſe ſcribunt. Eadem quâ macerata ac epota, albos crines in nigros commutare dicitur. Ibidem & arbor eſt eôdem nomine, incolis *Ciennien* dicta; in provinc. *Suthuen*, urbe *Paoning*, in idolorum templo, tantæ magnitudinis, ut ſub uno ramo oves ducentæ ſtare & circumire facile poſſint, quas non videas etiamſi ad rami initia accedas. Forſan ex illis arboribus, quæ per Indiam inclinatis ad terram ramis in varias arbores excreſcunt. Luſitanis dicitur *Rays*. Vide Auctorem Anonymum *Sin. & Europ. c.* 32. & 35.

MILLE Deorum Deus, vulgò *Tinagogo*, incolis cujuſdam Aſiæ regionis Deus dicitur, apud Ferdin. Pinto *Itinerar. p.* 296. Sic Peguani, ſuum *Quiay Lacuſa*, h. e. *Mille Numinum Numen*, habent, apud Eundem *p.* 372. Adeò vera *de Uno Deo* ſententia etiam per denſiſſimas tenebras ſubinde elucet, &c. Cœterùm etiam Arnobius *Mille Deos* gentibus exprobrat *l.* 3. *adv. eas*: Sit *iſta, ut prædicatis, plebs Numinum, ſint Deorum innumeræ gentilitates. Fingamus vos Deos* mille *percolere, vel millia potiùs quinque: at in rerum natura poteſt forſitan fieri, ut Deorum millia centum ſint*. &c. Certè trecentos ſexaginta Deos confitetur Orpheus, apud Theophilum ad Autolycum *l.* 3. ſolos Joves ſeu Jupiteres trecentos Varro, apud Tertullianum *Apologet. c.* 14. Triginta milliá ſolis Athenis in veneratione fuiſſe, legas apud alios.

MILLE Drachmæ τὰ νοθεῖα, in Athenienſium Republ. *decies mille*, Grammaticorum, Rhetorum & Philoſophorum ſtipendium ſub Imperatorib. infrà in vocibus *Pellex* & *Philoſophia*.

MILLE vivat, &c. ſæpius repetitum in acclamationibus militaribus, apud Vopiſc. in *Aureliano c.* 6.

MILLEA, Siciliæ fluv. *Livio*, qui ab *Aretio*, & *Leandro S. Juliano* vocatur. Lege *Myla*, & vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 1. *c.* 11.

MILLENARII, Hæretici, vide *Chiliaſtæ*, *Nepos*, *Papias*. Item, alii, qui pœnas Inferni ſingulis mille annis ceſſare delirârunt.

MILLIACUM oppid. Inſulæ Franciæ, vulgò *Milly en Gaſtinois*, in Vaſtinio tractu. 12. leuc. à Lutetia in Auſtrum, 5. à Meloduno in Occaſum, juxta amnem *Eſcolle*.

MILLIALDUM, urbs Galliæ aliàs munita, *Millaud* vulgò, in provinc. Ruthenenſi, ad Tarnum fluv. versùs Gabalos, 7. leuc. à Luteva in Boream, 8. à Ruthenis in Ortum.

MILLIARE, τὸ Μίλιον, 8. ſtadia fecit, apud Græcos. Apud Hebræos ברת *Barath* dictum, h. e. *prandium*, ſpatium ſignificavit, quod dimidiô diei peragrari potuit, quantum nempe inter prandium & prandium intercedit. Ejus mentio Gen. *c.* 35. *v.* 16. ut ſuprà vidimus; ubi de *Menſuris Intervallorum*, Georg. Hornio: menſura locorum apud Græcos, fuerunt ſtadia 125. paſſuum, apud Perſas, Paraſangæ 30. ſtadiorum: apud Romanos, lapides 100. paſſuum: apud Recentiores, *Milliaria*; quorum minima ſunt Anglica, 1250. inde Scotica 1500. Gallica 2500. Hiſpanica, 3500. Germanica 4000. Suecica & Helvetica 5000. Hungarica, 6000. paſſuum. Vide eum *Orb. Politic. part.* 4. *p.* 4.

MILLIARENSIS, monetæ apud Romanos inferioris ævi nomen. Tulit id primùm ipſe vetus denarius, quia milleſima pars ſeu milleſimus nummus hujus generis erat in libra auri, vel unus ex illis, quibus argenteis millenis auri libra penſabatur. Gloſſæ Nomicæ, Μιλιαρήσιον, τὸ χιλιοστὸν τοῦ χρυσοῦ λίτρας. μίλε γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ χίλια καλοῦσι. Erat autem, ſicut denarius, trium ſcriptulorum olim, octodecim ſiliquarum: crevit poſtea & factus eſt plus quatuor ſcriptulorum, viginti quinque ſiliquarum, creſcente auri pretiô, ſicque 68. libram implebant, & erant ſinguli follium 21. Rurſus dein factâ mutatione 28. habere ſiliquas argenti & quod excurrit, cœpit, cenſituſque eſt auri duabus ſiliquis, unde & δικέρατον eſt vocatus, follibus 24. hi 60. libram argenti efficiebant, quinque unciam; 12. ſolidô taxati: Auctore Conſtantinô M. qui ut pleraque alia, ſic & nummos & proportionem inter aurum, argentum, æs, conſuetudine jam latenter immutatam, Imperatoriô decretô mutavit, ac inter alia, denariis priſcis abolitis, pro illis *Milliarenſes*, denariô graviores, introduxit. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pec. vet. paſſim; inprimis l.* 4. *c.* 15. *&* 16. & ſuprà in voce *Miliarenſis*.

MILLIARIA Porticus, apud Sueton. *in Nerone c.* 21. à pedum menſura. Vide ſuprà *Milliarii* uti de *Milliariis, pontibus* infrà voce *Pons*.

MILLUS, Æneæ ex Lavinia fil. Apollodorus in *Euxenide*, Item canum collare, de quo vide ſuprà *Melotæ*, infrà *Taxo*.

MILMANDRA, fluv. Galliæ, vulgò *Mormande*, in Carum effluit. In finibus Biturigum Cuborum. Ejus meminit Jonas, *in vita Euſtaſii Abbatis Luxovienſis, In ſuburbio Bituricenſi V. V. Theodulfus cognomine Babolenus Monaſteria ex regula B. Columbani extruxit; primùm in Inſula ſuper fluvium* Milmandram, *ubi religioſorum Virorum adunavit catervam; aliud Gaudiacum nomine haud procul à fluvio Albeta* (hodie fortè *Laurete*) *Tertium Chriſti Virginum, in loco dicto Carantonio ſuper fluvium jam dictum Milmendram*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MILO Crotoniates, inter cognomina militaria Maximini, apud Capitolin. *c.* 6.

MILO Crotonienſis, Sybaritas vicit, illorum urbe deſtructâ. Homo tantæ fortitudinis, ut in Olympico certamine bovem, retentô anhelitu, per ſtadium portaverit, quem ictu pugni interfecit, unôque die integrum devoravit. Malum tenenti digitis nemo poterat extorquere: dum conſtitiſſet, nemo veſtigiô educere. Quum autem nimiâ nervorum fiduciâ arborem in parte media hiantem diducere vellet, brachiis hinc inde conſtrictis, & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda. Cicer. *de Senect. c.* 9. *&* 10. Plin. *l.* 7. *c.* 20. Ovid. *Met. l.* 15.

——Fletque Milon, ſenior, cùm ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidorum mole tororum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.

Vide Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *ex.* 17. Gell. *l.* 15. *c.* 16. Strab. *l.* 16. Athenæum *l.* 10. Pauſan. *l.* 6. & Lubinum in illud Juvenalis. *Sat.* 10. *v.* 10.

——Viribus ille
Confiſus periit admirandiſque lacertis.

MILO, qui & *T. Annius Milo*, è Lanuvio municipio familia Papia, adoptatus à T. Annio avo materno, qui cum P. Clodium Tribunum plebis multa ſeditiosè in Rempubl. molientem occidiſſet, fruſtra à Cicer. defenſus elegantiſſimâ illâ oratione, quæ etiam hodiè omnium manibus teritur, Maſſiliam damnatus in exilium profectus eſt, *Pædianus*. Hic cùm ob eam cauſam exularet Maſſiliæ, vidiſſetque Ciceronis orationem pro ſe ſcriptam longè meliorem eâ, quæ habita fuerat, dixiſſe fertur: *Si ſic oraſſet Cicero, non ego Maſſiliæ lumbricos legerem.* Aſconius Pedian. *in Milone*, *Dio Caſſius*, &c.

MILO, Dux copiarum Pyrrhi, percuſſor Deidamiæ hujus filiæ Polyænus *l.* 8. *c.* 42. Item, Epiſcopus Bellovacenſis, Cancellarius Caroli VII. Item, Benedictinus Tornacenſis. Scripſit poëma de Sobrietate, ad Carolum Calvum. Vitam S. Amandi, luctam Veris & Hyemis, &c. Obiit A. C. 872. Sigebert. *in Catal. Viror. Il. c.* 106. *& in Chron. A. C.* 879. Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 36. Poſſevinus, &c. Ejus nepos Hubaldus, inter eruditos ſui ſeculi.

MILO, mons Indiæ, in quo homines naſcuntur averſis plantis, octonos digitos in ſingulis pedibus habentes. Solinus *c.* 55.

MILONIA, urbs Samnitum clariſſima. *Steph.*

MILONIUS, ſcurra quidam temulentus, & ſaltare ſolitus. Horat. *Sat. l.* 2. *Sat.* 1.

——Saltat Milonius, ut ſemel icto
Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis.

MILOPOTAMOS, vulgò *Milopotamo*, oppid. munitum Cretæ, cum portu, in ora Boreali in territorio Rithymni. 15. milliarib. à Rithymno in Ortum, 30. à Candia urbe in Occaſum, prope oſtia Arcadii fluv. ſub Turcis.

MILOTA, Moravorum Dux, ob fratris filiam ab Ottocaro vitiatam, patremque hujus in turri crematum, fugam in prælio Rodolfi I. Imperatoris contra Ottocarum, primus intendit.

MILTHAS, vates, quô in explicandis prodigiis Dion uſus. Plut. *in Cimone*.

MILTIADES, dux Athenienſium clarus, qui præter alia egregiè geſta, cum decem millibus ſuorum civium, & Plateenſibus auxiliariis mille, profligavit 600. milla Perſarum in campis Marathoniis. Vide Herodot. *l.* 6. Thucyd. *l.* 1. Corn. Nepotem, *in ejus vita*. Plut. *in Cimone*. Gell. *l.* 17. *c.* 21. Dionyſ. *l.* 5. Juſtin. *l.* 2. *c.* 9. & 5. Poſtea tamen peculatûs damnatus in carcere, & in vinculis mori ab Athenienſibus coactus eſt. Val. Max. *l.* 5. *c.* 3. Hujus trophæa Themiſtocli veternum excuſſerunt. Alii fuêre duo *Miltiades*, Archontes Athenienſes, priore antiquiores. Item *Miltiades*, Doloneorum tyrannus Olymp. 57.

MILTIADES, Theologus celebris, ſecul. 2. excellentem pro Chriſtianis Apologiam ſcripſit. Euſeb. *Hiſt. l.* 4. *c.* 25. Item Papa Roman. Vide *Melchiades*.

MILVIUS, nomen proprium paraſiti. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat. c.* 7.

Milvius & ſcurræ tibi non referenda precati
Diſcedunt.——

MILVIUS *Pons*, vulgò *Ponte Molle*, unus ex Romæ pontibus, ab urbe 2. milliarib. diſtans, unde incipit Via Flaminia: Ejus meminit Claudian. *Paneg. in* 6. *Conſ. Honor.*

Omne Palatino quà Pons à colle recedit
Milvius.——

MILVUS, ex accipitrum genere, *magnitudine differunt. Notatum in his, rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere unquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara. Ac ne ferentium quidem manibus, niſi lugubri municipiorum immolantium oſtento*, Plin. *l.* 10. *c.* 10. Nempe in funeribus cœna lauta apparabatur olim, quam ad rogum delatam cum defuncto cremarent. Appulejus *Florid. l.* 4. *Exclamavit hominem vivere: procul ignes amolirentur: rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad menſam inferrent.* Hinc autem, uti & Olympiæ, ubi frequens victima Jovi cadebat, ex ara, nihil rapere credebatur olim *milvus*, adeò aliàs notæ rapacitaris, ut inde *milvinam menſam* dixerit Plautus *in Menachmis*, *Act.* 1. *ſc.* 3. & *milvinas ungulas*, in *Pſeudolo*, *Act.* 3. *ſc.* 2. Iidem *videntur artem gubernandi docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante naturâ, quid opus eſſet in profundo.* Latent autem & ipſi hibernis menſibus, non tamen ante hirundinem abeunt, Plin. *Ibid. Circaneam avem* nominavêre Veteres quaſi κυκλεύουσαν, *quòd oberret ſemper agros circando.* Scaliger *ad Tibullum*. Cœterùm in volatu ea hoc eximium habet, quòd alis prope immotis in aëre omnium avium diutiſſimè libratur, *ad horam integram*, habet *Budæus*: quod Itali aucupes *tendere*, Galli *planare* vocant; elatâ namque paulisper alâ, motum aëris in reliquum corpus excipit atque ita ſuſtinetur. Eâdem ave nulla alia volat altiùs. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 55.

Hinc prope ſumma rapax milvus *in aſtra volat.*

Volando denique non facile delaſſatur. Unde Perſius *de Victidio* *Sat.* 4. *v.* 25.

——arat Curibus, quantum non milvus *oberret.*

Et Juvenal. *Sat.* 9. *v.* 54.

——cui tot montes, tot prædia ſervas
Appula, tot milvos *inter tua paſcua laſſes.*

Propterea דאה Hebr. à verbo דאה, quod *volare* eſt. Vide Levitici *c.* 11. *v.* 14. ubi quartô locô inter immundas aves recenſetur & *ad h. l.* Bochart. *Hieroz. Part. Poſter. l.* 2. *c.* 7. Ab hac ave navigandi artem dedicisse Veteres videbimus infrà voce *Volatus*: Eandem capiendis leporibus vulpibuſque aſſuefieri, diximus ſuprà, ubi de *Aucupio*.

MI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MILYAS, urbs Pamphyliæ mediterranea, in Carbalia regione *Milia* adhuc dicta. ſed exciſa, apud Termeſſum. Populi *Milyæ* Strab. *l.* 12. Plin. *l.* 5. *c.* 32. & Herodot. *l.* 1. Vide *Steph.*

MIMALLIS, Plin. *l.* 4. *c.* 12. à Callimacho Inſula dicitur, quæ ab aliis *Melos*, à nonnullis *Zephyria.*

MIMALLONES, mulieres Liberi Patris orgia celebrantes *Straboni*, quæ & *Thyades* dicuntur. & *Mænades*, & *Bacchæ.* Dictæ putantur, à *Mimante*, Ioniæ monte Baccho ſacro, vel, ut quidam nugantur, ἀπὸ τȣ͂ μιμεῖσθαι, eo quòd thyrſos & cornua ferentes, Indicam Bacchi expeditionem viderentur imitari. Hinc *Mimalloneus* Perſius *Sat.* 1. *v.* 99.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis:

Dicuntur *Mimallonides* Ovid. *l.* 1. *De Arte Am. v.* 541.

Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis:
Ecce leves Satyri, prævia turba Dei.

Vid. & Nonnum *Baſſaricωn l.* 1. *c.* 7. *Mimallonides*, Bocharto *l.* 1. *Chanaan c.* 18. ſunt quaſi מְמַלְּלָן *memallelon* i. e. *garrulæ*, & *loquaculæ.* Niſi quis à מָמָל *mamal* ſeu *torculari* deduci malit, ut *Mimallonides* eædem ſint quæ Ληναί. *Nic. Lloydius.* Illas ſequi currum Bacchi facit Papinius *Theb. l.* 4. *v.* 660.

Poſt exultantes ſpolia armentalia portant
Seminceſque lupos, ſciſſaſque Mimallones *urſas*

Præcedere jubet eoſdem Ovid. *loc. cit.* uti vidimus. Atque hactenus *Mimallones*, pro Bacchabus habitæ. Auctor *Etymol.* Μιμαλλόνες αἱ βάκχαι καὶ βοηδρόμοι, *quæ totis viribus currunt & clamant.* Aliis peculiare fuit Numinum inferiorum genus, nymfis. aut Fatuis, talibuſque aliis par. Sidonius *Panegyr. Anthemiani præfat.*

Sed poſt cœlicolas etiam mediocria fertur
Cantica ſemideûm ſuſtinuiſſe Deus.
Tunc Faunis Dryades, Satyriſque Mimallones *aptæ*
Fuderunt lepidum, ruſtica turba, melos.

Non enim rectè ibi *Savaronius* Bacchas intelligit. quæ mulieres humanæ erant. Sed *Mimallones* Sidonio ſunt Silenæ, Satyræ, &c. Si iis nominibus eloqui licet res, quas edicere aliter non poſſumus, niſi per ambages, quas nolumus. Sed & *Mimallones* mediis Numinibus inferioris conditionis fœmineis accenſet Strabo *l.* 10. Πρόσπολοι δὲ τῶν Μȣσῶν οἱ πεπαιδευμένοι πάντες. καὶ ἰδίως οἱ Μȣσικοί. τȣ͂ δὲ Ἀπόλλωνος ȣ̓͂τοί τε καὶ οἱ περὶ Μαντικήν: Δήμητρος δὲ οἵ τε μύσται, καὶ δᾳδȣ͂χοι καὶ ἱεροφάνται. Διονύσȣ δὲ Σιληνοί τε καὶ Σάτυροι καὶ Βάκχαι, Λῆναί τε καὶ Θυῖαι, καὶ Μιμαλλόνες καὶ Ναΐδες καὶ Νύμφαι, καὶ Τίτυροι. Ubi Baccho diſtinctè adſcribit *Silenos*, *Satyros*, *Bacchos*, *Lenas*, *Thyias*, Mimallones, *Naides*, *Nymfas*, *&* *Tityros.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium d. l.*

MIMARII, iidem cum *Mimis*, de quibus infrà.

MIMAS, gigas quem Jupiter fulminavit. Horat. *l.* 3. *Od.* 4.

Sed quid Typhœus, & validus Mimas
Contra ſonantem Palladis ægida.
Poſſent ruentes? ——

MIMAS, mons & promontorium, *Capo Stillari*, teſte *Nigrô.* Mons Ioniæ Colophoni urbi vicinus, contra Chium inſulam porrectus. Item mons Thraciæ, ut *Suidas* ait, continuis obſeſſus imbribus, unde futuræ tempeſtates ſentiuntur, Solinus *c.* 43. Ovid. *Met. l.* 2. *Fab.* 1. Lucan. *l.* 7. *v.* 450.

Immeritæque nemus Rhodopes, pinuſque Mimantis.

MIMATUM, ſeu *Mimate*, antiquis *Anderitum*, Gabalorum caput, in Occitania, versùs Cemenos montes & fontes Oldæ fluvii in colle. 10. leuc. à Floriopoli in Eurum, uti ab Anicio in Africum, 14. à Ruthenis. Gall. *Mende. Baudr. Morerio* urbs Epiſcopalis eſt, crevitque ex ruinis Gabali, ſeu Anderedi, capitis Gabalorum, deſtructi ſeculô 13. à Barbaris, Epiſcopô Privatô occiſô. Hinc ergo Mimatum, quod priùs burgus ſolùm parvæ notæ erat, ſedes Præſulis & caput provinciæ factum eſt. Situm ejus in valle, quam undique montes cingunt, verſibus his vetus quidam Poëta expreſſit.

Tum terram Gabalûm ſatis nivoſam,
Et quantum indigenæ volunt potari,
Sublimem in puteo videbis urbem.

Præteritô ſeculô capta eſt bellô civili. Epiſcopus Comes eſt ditionis, ex conceſſione Philippi Pulchri, A. C. 1306. facta, habebatque olim jus feriendæ monetæ. Vide *Ptol. l.* 2. *c.* 7. Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 11. *c.* 42. Ducheſnium *Antiq. des villes* Sammarth. *Gall. Chriſt.* &c.

MIMILOGIA, apud varias olim gentes varia fuit. Ut enim omittam Tragœdiam & Comœdiam, quæ & ipſe μιμήσει conſtant & ſub hoc genus cadunt; Lacones Δεικηλιστὰς vocabant, qui populari & vili ſermone hortorum furem, aut Medicum externum, præcepta ægrotis ſuis dantem, imitabantur. Κωμικῆς παιδιᾶς τρόπον παλαιὸν vocat *Athenæus* hanc ſpeciem; idemque ait, à Sicyoniis Φαλλοφόρȣς vocari; ab aliis αὐτοκαβδάλȣς, quod ludicra non præmeditata ex tempore funditarent, riſus captandi gratiâ: ab Italis magnæ Græciæ Φλύακας. *Suidas*, ἱλαροτραγῳδίαν vocat. Idem Φλύακας interpretatur κιναίδȣς; cujus *mimologiæ* primus Sotades auctor, & poſt eum Alexander Ætolus, uterque pedeſtri ſermone: ſequentibus eos Lyſide & Simo carmine, unde *Lyſiodi* & *Simodi*; quorum illi eidem erant cum Magodis; de quibus vide ſuprà & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 108. *&* 109. nec non hîc paſſim. In locum autem Comœdiæ *Mimos* ſucceſſiſſe, ſcribit Marcus Imperator in *Vita* ſua: & ſanè, quas hodie agunt & vocant Itali Comœdias, *mimi* ſunt & planipedes veriùs, quàm Comœdiæ; perſonas tantùm ex Comœdia habent. Nam antiquitus cùm variæ ſpecies fabularum agerentur, diverſæ perſonæ in ſingulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ, privatæ quidem, ſed honeſtæ: in *Mimo*, abjectæ tantùm & viles, unde *mimica vilitas*, *& mimi centunculus*, apud *Apulejum*, Sed poſtquam tota res ad *Mimos* rediit, perſonæ etiam induci in eos cœptæ, quæ Comœdiæ erant propriæ, pedeſtri ſermone componuntur, ut Sophronis Mimi. At quos in exitu Tragœdiarum reponunt Gallici hiſtriones, & *farcias* appellant, puri puti mimi ſunt. Idem *ibid.* Vide quoque eum *ad Vopiſcum in Aureliano, c.* 42. ubi quid ſint *Mimarii ſcurræ*, pluribus exponit.

MIMNEDUS, urbs Lydorum. *Steph.* ex Hecatæô. Gentile Μιμνήδιος.

MIMNERMUS, Poëta Colophonius, Ligyrtiadæ fil. teſte *Suidâ*; aut ut alii malunt, Smyrnæus. Claruit circa Solonis tempora. Elegiacis poëtis eum accenſet Cenſorinus *in Fragmento c.* 9. Apud Pauſan. quoque *in Bœoticis* legas, elegiacô verſu tradidiſſe pugnam Smyrnæorum contra Gygen & Lydos. Ejus porro meminit, Horat. *l.* 1. *ep.* 2. *&* 6. Athen. *l.* 14. 15. *&* 16. Strab. *l.* 14. Etiam Ἐρωτικὰ ſcripſiſſe, indicat illud Propertii *l.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 11.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homerô.

Superſunt hodiè quoque ejus verſus, contra Solonis ſententiam, annum ſeptuageſimum homini ſupremum ſtatuentis. Nam ille octogeſimum potius annum ſtatuit.

MIMUS, ſermonis eſt cujuſlibet ſeu facti, cùm laſcivia, imitatio, finitore *Diomede*: unde *Pantomimi*, omnium rerum imitatores; & *Archimimi*, mimorum principes dicti ſunt. Vide Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 10. Nomen *Pantomimi* primus uſurpavit Pylades, ex Aſia Romam delatus, T. Sulpitio & C. Licinio Stolone Conſulib. Hos articulis loqui rectè Poëtæ dixerunt, quia digitis præſertim ad id uſi: tantuſque illis honos tractu temporis habitus eſt, ut lege caveri neceſſe eſſet, ne domos Pantomimorum Senator introiret. Vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 6. Et quidem olim ridicula hæc geſticulatio, aliorum perſtringens mores, locô Chori, abſolutô Comœdiæ actu, abſque ſocco inducebatur extra argumentum, ad reficiendos animos ſpectatorum, dicebaturque in Atellana *Exodium*, quaſi ἔξω ὁδȣ͂. Poſtea cùm eo in luſu Pantomimi impenſius populo placuiſſent, auſi ſunt ſeorſim ſuis auſpiciis laudem inde quærere, & artificum nomen ſibi vindicare, Scalig. *loc. cit.* Sic natum eſt ex Comœdia novum fabulæ genus, *Mimi* nomine, quod conſtituit ſpeciem quandam ejus. quæ abſque ſocco nudis pedibus geſticulabatur, unde Latinis *Planipes* (quod vide infra) dicta fuit: tranſlataque in Italiam, argumenta *Mimica* adeo dicacitate ac ſalibus auxit, ut unus Publius univerſam Græciam eâ laude ſpoliârit, Laberius autem elegantiâ ſermonis etiam Latium ipſum provocârit. Hodie ſimile aliquid in Comœdiis habetur, quando abſolutis actibus ſingulis mores ruſticorum repræſentantur, aliave ridicula παρέργως inſperguntur. E ſcena poſtmodum Comœdi & Hiſtriones & Archimimi Pantomimique familiares in convivia inducti ſunt, idque jam inde ab Aſiatica illa præda, quæ Romanam frugalitatem afflixit, ſeu veriùs perdidit, uti teſtes ſunt Liv. *l.* 39. *c.* 6. Auguſtin. *de C. D. l.* 3. *c.* 21. Salluſtius *Hiſtor. l.* 2. & *in Jugurth.* Plinius Jun. *l.* 3. *Ep.* 1. &c. Nec funeribus defuère, namque *in exequiarum ordine & pompa Libertos* Archimimus *ſequebatur, qui perſonam mortui fingebat, & imitabatur*: Mimorum *grex Sicinnam ſaltabat: ſolus* Archimimus *facta ac dicta Viri imitabatur* verba ſunt Gutherii *l.* 1. *c.* 24. Hinc Sueton. *Veſpaſ. c.* 19. *Sed & in funere Favor.* Archimimus *perſonam ejus ferens, imitanſque, ut mos eſt, facta ac dicta vivi, interrogatis palam Procuratoribus, quanti funus & pompa conſtaret? ut audiit LLS. centies, exclamavit, centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent*: quibus verbis avaritiam defuncti elegantiſſimâ imitatione expreſſit. Cœterum *Mimi* non erant perſonati ſed fuligine obliti, & agninis amicti pellibus, quæ *Peſcia* dicta legimus in *Carm. Saliari*: ſaltabantque in numerum atque in honorem Bacchi, cujus more victores hederâ coronabantur: inſtructi caniſtris & herbis, ſerpyllô, menthâ, violis, hederâ, corollis. Inde procurrentes obvium quemque ſubſannabant. Manuum quoque tegumenta gerebant ex floribus confecta & tunicas albô ad medium diſtinctas, à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demiſſas, ſilentioque per oſtium ingreſſi, ubi ad Orcheſtræ medium evaſerant, convertebant ſe ad theatrum & loquebantur; Hæc Scaliger. Vide quoque Lil. Gyraldum *Hiſtor. Poët. dial.* 6. At *Caſalius* plures eorum humili ac populo communi ſocci calceamentô, atque illos quidem perſonatos, à *perſona* ſic dictos, (quod indumentum erat, quô caput & os undique tegebatur, unâ tantùm vocis emittendæ viâ pervium, per quam coacta vox magis claros canoroſque ſonitûs emitteret,) exhibet: quorum iconas etiam B. Balduinus tranſtulit in ſuum *de Calceo librum c.* 16. Fortun. quoque Licetus, in explicatione Lucernæ Galvanianæ, mortuales antiquorum ritus repræſentante, larvam, quæ, in fronte Lucernæ, hiante buccâ viſitur, *Archimimum* funeris interpretatur: occaſione verborum Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 174.

—— *Tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium, quum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Vide Licetum *de reconditis Antiquorum Lucernis l.* 6. *c.* 7. & 8. ubi *Mimos* priſcorum ſibi larvas atque perſonas ad os buccis apertis ideò aptâſſe docet, ut vociferarentur altiùs atque inclamarent vehementiùs, *ſub fin.* Artem verò hanc egregiè delineavit vetus Poëta, quem Pithœus edidit, *his verſibus*:

Nam cùm grata chorus diffudit cantica, dulcis
Quæ reſonat cantor, motibus ipſe probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adſtat,
Inluſtrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro. Mirabilis ars eſt,
Quæ facit articulos, ore ſilente, loqui.

Apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, qui typum quoque perſonati cujuſdam ex hoc grege, expreſſum ex æreo ſigillo vetuſtiſſimo Aloyſii Corradini exhibet, *p.* 185. Apud Ambroſium *Hexaëm, l.* 5. *c.* 15. ubi imaginem miratur Imperii liberi, quam inter ſe

grues

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

grues agitant, vicibus ducentes agmen ac cogentes, pro verbis illis, *Antiquæ hoc Reip. munus & inſtar liberæ civitatis eſt*; reponit Gronov. *Antiquæ hic Reipublicæ* mimus *& inſtar liberæ civitatis eſt.* Nemo enim non videt, *Mimus* & *Inſtar*; quamque benè dicatur hic *Reipublicæ antiquæ mimus.* Quô vocabulô non niſi eleganter Veteres utuntur quotieſcunque eô non in re ſua, ſed alieno commodatoque utuntur. Certè quævis actio ficta & veram ſimulans vel referens, *Mimus.* Petronius, *Quid ergo ceſſamus mimum componere?* Senec. *Ep.* 26. *Numquid ſimulatio fuit & mimus, quidquid contra fortunam jactavi verborum contumacium?* Sueton. *Aug. c.* 99. *Ecquid is videretur mimum vitæ commodè tranſegiſſe?* Plin. *l.* 7. *c.* 12. *Antiocho Regi Syriæ è plebe nomine Artemon in tantum ſimilis fuit, ut Laodice conjux regia, necatô jam Antiocho,* Mimum *per eum commendationis regnique ſucceſſionis peregerit.* Item apud Sueton. *Othon. c.* 3. *Ne pœna acrior mimum omnem divulgaret, &c.* In eadem voce paſſus injuriam Florus videtur *l.* 2. *c.* 14. *Quippe Regnum pariter & bellum vir ultimæ ſortis Andriſcus invaſerat, dubium liber an ſervus, mercenarius certè: ſed quia vulgò ex ſimilitudine Philippi Pſeudophilippus vocabatur, regiam formam, regium nomen animô quoque regiô implevit.* Nimis enim honeſtum, in ultimæ ſortis homine, & falſum, in hoc *regium animum* fuiſſe. Si habuiſſet, ut ille ſenex Virgilianus agricola, qui Regum æquabat opes animis, regnum non appetiſſet. Sed ſcripſit Florus: *Mimo quoque regio implevit*, h. e. ludibrio naturæ & hominum mendacium ſimulatæ originis brevemque & fucatam regalis pompæ turbæque imaginem addidit. Quam ſuſpicionem, præter optimum ſenſum, duo ſunt quæ confirment: alterum, quòd mox Florus *imaginarium & ſcenicum Regem* appellat, alterum, quod hîc adhibet verbum, *implere*, in iſta re uſurpari ſolitum perinde, ut *agere, peragere, tranſigere.* Petronius. *Audaciùs tamen ille tragœdiam implebat.* Ovid. *Met. l.* 1. *Fab.* 8.

—— *Alii partes aſſenſibus implent.*

Nam & *partes* de genere hoc, ne hinc tranſlatum dubites. Eleganter Liv. *l.* 3. *c.* 10. *Fabulam compoſitam Volſci belli, Hernicos ad partes paratos.* De quibus iſta *Gronov.* ſubjungit. Perſonarum aliæ erant partes primæ, aliæ ſecundæ, tam in Comœdiis, quàm in *Mimis.* Sed tamen aliqua differentia: In Comœdiis primas attribui videmus perſonis illis, quæ plurima dicerent agerentque & ſæpius reverterentur in ſcenam; ſecundas tertiaſque & deinceps, quæ minùs, in *Mimis* una videtur potiſſima fuiſſe perſona, cui cœteræ ſubſerviebant, ejuſque actionem imitabantur, ut ille veram. Et quidem de Comœdiis vide Donatum *præfat. in Andriam, Eunuchum, Hecyram, Phormionem*: Ciceronem *divinat. in Cæcil. pro Flacco,* &c. de *Mimis* Horatius *l.* 1. *Ep.* 18. *ad Lollium,* loquens de imi deriſore Lecti:

Sic iterat voces, ſic verba cadentia tollit.
Ut puerum credas ſævo dictata Magiſtro
Reddere, vel partes Mimum *tractare ſecundas.*

Sueton. *Calig. c.* 57. *Et cùm in Laureolo Mimo, in quo actor proripiens ſe ruinâ ſanguinem vomuit, ut plures ſecundarum certatim experimentum artis darent, cruore ſcena abundavit.* Feſtus in *Salva res eſt*: *Ait enim ita appellari, quòd C. Volumnius, qui ad tibicinem ſaltârit, ſecundarum partium fuerit, qui ferè omnibus Mimis paraſitus inducatur.* Quas autem quiſque partes agere ſolitus erat, inde appellabantur: Ille primarum, Πρωταγωνιστής, ille ſecundarum, Δευτεραγωνιστής; ille tertiarum, Τριταγωνιστής. Val. Max. *l.* 9. *c.* 4. *ex* 4. *Generoſiſſimum Conſulatus, collegium Lentuli & Metelli fuit: qui ambo in ſcena, propter ſimilitudinem hiſtrionum propemodum ſpectati ſunt: ſed alter ex quodam ſecundarum nomen Spintheris traxit, alter niſi Nepotis à moribus accepiſſet, Pamphili tertiarum, cui ſimillimus eſſe ferebatur, habuiſſet.* Plin. *l.* 7. *c.* 12. *Ejuſdem familiæ Scipioni poſt Cnæo cognomen Salacio mimus dedit; ſicut Spinther ſecundarum tertiarumque Pamphilus collegio Lentuli & Metelli Conſulum, in quo perquam informe fortuitum hoc quoque fuit: duorum ſimul Conſulum in ſcena imagines cerni.* Ex quo emendandum, apud Ciceronem *in Bruto c.* 69. *Quòd idem faciebat Q. Arrius, qui fuit Q. Craſſi quaſi ſecundarius.* Dionyſius Lambinus ex tribus MSS. protulit: *qui fuit M. Craſſi quaſi ſecundarum.* Quod parùm quidem æſtimatum à Viris doctis; ſed Gronov. illud, propter ſingularem ac nobis quidem novam elegantiam, priſcis adeò vulgatam, ut cuivis de plebe in ore fuerit, nec ſpretam principibus, omnino ac ſolùm verum eſſe cenſet. Ita enim loquebantur, *Ille primarum, Spinther ſecundarum, Pamphilus tertiarum*: pro illis, quæ forent integra, *Ille primarum partium actor, Spinther ſecundarum partium hiſtrio, Pamphilus tertiarum partium hiſtrio.* Sic *meus ſecundarum*, vel propriè, ſi Actor ipſe optionis ſui mentionem feciſſet, vel, ubi tranſlatum erat aliorſum, qui, ſive imitatorem ſuum, ſive ab ſe ſubornatum, ſive paraſitum & adſeclam ſignificarent. Sic, *M. Favonius M. Catonis ſecundarum*, admodum Latinè diceretur: neque aliter Cicero, *Q. Arrius M. Craſſi ſecundarum.* Quam compoſitionem qui non caperent, *Secundarius* ſubjecêre: ut apud Plinium, *ſecundanus retiariuſque*, quod & Hermolaum impedivit: ut apud Val. Maximum, *retiarii* vel *tertiarii*, quod etiam Turnebus retinet, fecêre. Etſi in Gloſſario *Secundarius* ὑποκριτὴς explicetur. Atque hinc quoque colligas licet, *ſecundas agere ferre, facere*, pro adſentari, obſecundare, non tam à Comicis primis ac ſecundis, ut voluit Lipſius, neque ex eo, quòd in *Mimis* ferè ſecundarum partium eſſet paraſitus, ut Scaliger, eſſe tranſlatum, quàm inde, quòd mimorum Actorem, qui ſecundarum eſſent, imitarentur, eademque dicerent atque agerent, quæ ille præiviſſet. Seneca *de Ira l.* 3. *c.* 8. *Optimum judicavit, quidquid dixiſſet, ſequi & ſecundas agere.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 9. *v.* 45.

—— —— —— *Haberes*
Magnum adjutorem poſſet qui ferre ſecundas.

Quod quidem cur à Circenſibus petitum velit Lævinus Torrentius, cauſæ non videtur ſatis. *Secundas* in circo *ferebat*, non profectò adjutor, ſed competitor. Ille autem promittit Horatio, ſi ab illo commendatus fuerit, has vices omnibus in rebus applaudendis obſecundandi & ſubſerviendi. *Ferre* autem *partes* tam benè dicitur, quàm *dare* & *imponere.* Plautus *Mercatore Act.* 2. *Sc.* 2. *Atque illius hæc nunc ſimiæ partes ferat.* Terentius *Adelphis. Act.* 5. *Sc.* 4. *Non poſteriores feram.* Plautus *Aſinar. Act.* 2. *Sc.* 1. *Jam nunc ſecundas mihi facis.* Ut rectè reſtituit Lipſius, expreſſitque Sidonius *l.* 1. *Ep.* 2. *Secundas faſtidit vel timere vel facere.* Fatetur verò Torrentius, frigidam fore adulatoris & ſecundarum hiſtrionis comparationem, ſi à Comicis, apud quas *ſecundas agere* eſt, proximum à primo locum tenere, arceſſeretur, cùm hi non alius alium imitarentur, ſed unuſquiſque ſuô locô agerent: ſed comminiſcitur genus quoddam hypocritarum, qui in eadem fabula nullam certam perſonam gererent, alios modô exprimerent, & ſolâ imitatione oblectarentur. Ab illis autem juſtæ fabulæ partibus, quia primæ ut negotiô, ita honore præcellebant, ſecundæ & deinceps minore pretiô cenſebantur, profectum, ut *priores partes agere* dicerent, pro *plus pollere efficere*; & ſic conſequenter. Varro *R. R. l.* 1. *c.* 4. *Priores partes agit, quod utile eſt, quàm quod delectat.* Terentius, *Eunuch. Act.* 1. *Sc.* 2. *Sine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere.* Lucanus, invectus in Septimium Pompeji interfectorem *l.* 8. *v.* 675

Degener atque operæ, miles Romane, ſecundæ,
Pompeji dico Sacrum caput enſe recidis,
Ut non ipſe feras.

Romanum, utpote de populo terrarum primo, in omnibus decebat primarum partium eſſe & illi ſubſervire alios. At hic leporem aliis excitavit: non ſuæ iræ aut ſtudio, ſed alienæ libidini ſcelus præbuit: ſed nec ovans ipſe cum opimo ſpolio inceſſit; ſatellitem Pharium ovantem ſequutus eſt, &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſiaſt. c.* 25. uti de *Mimis* à Maſſilienſibus urbe prohibitis infrà aliquid, ubi de *Pictura.* De *Mimorum* in funeribus officio voce *Præfica.*

MINA, Gallis *la Mine*, arx Guineæ, in ora aurea. Permunita, in colle, cum portu capaci, ſub Hollandis, ab A. C. 1637. cum Galli ibi habuerint antea coloniam, ab A. C. 1383. & Luſitani ibi arcem exſtruxerint, A. C. 1482. Vide *Arx S. Georgii de Mina.* Item duo Africæ fluvii.

MINA, pecuniariæ rei ſumma apud Græcos celebris, quemadmodum & Talentum. Erat autem vel *Major*, centum drachmarum: vel *Minor*, quinque & ſeptuaginta, *Agric.* quarum illa Anglis facit, *fifty eight ſhillings four pence ſterling.* Sicuti decem *Minæ, 29. pounds, 3. ſhillings, 4. pence.* Centum *Minæ*, 291. *pounds, two nobles or a mark.* Sic & erat Talentum minus 60. *Minarum* Atticarum, majus verô 80. Ita quidem poſt Solonis ætatem, antea namque *Minarum* ſingulæ 75. drachmas habebant, teſte *Priſciano.* Ratione metalli, *Mina* fuit vel auri, quæ quantitate argenti 100. drachmas, atque adeò centum ἡμιχρύσους, quinquaginta χρυσοῦς ſeu aureos Græcorum nummos efficiebat, idem quod Stater aureus, teſte *Polluce*: vel argenti, quæ 100. faciebat denarios ſeu 50. didrachma ex argento. Præter Atticas *Minas*, quæ celebriores, fuit & Æginæa, quæ fecit 166. drachmas & 4. obolos, qui reſpondent uncialibus Belgicis 20. Drachma enim Æginæa, cùm 10. haberet obolos Atticos, ſex Æginеticæ drachmæ decem Atticas valuerunt. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. paſſim.* Eſt & *Mina* medica, quæ habet uncias 16. Libra uncias 12. Uncia drachmas 8. Drachma ſcrupula 3. Scrupulum obolos 2. Obolus ſemiobolos 2. Semiobolus ſiliquam unam cum dimidia. Siliqua grana 40. ita ſimul & monetæ & ponderis genus fuit. Fr. Gouldmannus *Dict. Lat. Angl.* Vide & infrà *Stater.*

MINACE, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ ad mare Mediterraneum *Avienus.*

MINÆ, Martis comites, apud Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 47. ubi aula hujus eleganter deſcribitur,

—— *primis ſalit impetus amens*
E foribus, cœcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exſangueſque Metus, occultiſque enſibus adſtant
Inſidiæ geminumque tenens Diſcordia ferrum.
Innumeris ſtrepit aula Minis, *triſtiſſima Virtus*
Stat medio ——

Quibus ipſi Jovi aliquando minatus dicitur, apud Nonnum *l.* 8.

—— —— ἢν δέ ποτ' ἔλθῃ
Γαῖαν ἐς ἡμετέρην, ποθέων Βιστωνίδα κούρην.
Γνώσεται οἷος Ἄρης, ὅτε χώεται ἡμετέρην γαῖ
Τιτήνων ὀλέτειραν ἔχων θανατηφόρον αἰχμήν,
Ἐκ Θρῄκης Κρονίωνα γυναιμανέοντα διώξω.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.*

MINÆI, vide MINNÆI.

MINAGARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Maciquapatam Caſtaldus* vocat.

MINARE, de pecore & jumentis propriè. Feſtus, *Agaſones, equos agentes, i. e. minantes.* Idem, *Agere modò ſignificat, ante ſe pellere, i. e. minare.* Juvenalis Scholiaſtes *in Sat.* 6. *v.* 524. *Hanc igitur Io in tantum perſequuta eſt Juno, ut per omnem mundum minaret.* Arrianus,

Actus quò pecora minare conſuevimus.

Auſonius *Epigramm.* 67.

Ageret juvencas cùm domum paſtor ſuas,
Suam relinquens me minabat, *ut ſuam,* &c.

Quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 44. Ubi Hebræum נהל *minandi* voce commodiſſimè reddi docet. Hinc *Minatores* apud Eligium Noviom. Epiſc. *Homil.* 4. qui urſos aliaque animantia *minabant*, i. e. circumducebant, ἐπὶ πλάνῃ τῶν ἀπλουστέρων, uti habetur in *can.* 61. Synodi Trullan. ut infrà videbimus, voce *Urſus.* Apud citimæ ætatis Scriptores, cuniculos

niculos facere notat, Gallis *miner*: à *miniis* fortè ſeu fodinis, quod qui in illis operantur, ut metalla eruant, foſſas ſubterraneas, conficere ſint ſoliti. Quomodo autem olim ejuſmodi cuniculi fierent, retro diximus: Vide plura hanc in rem, apud Alb. Aquenſem *l.* 2. *c.* 36. Guil. T. rium. *l.* 3. *c.* 10. & *l.* 12. *c.* 11. Gruellum in *Hiſtor. Arthuri Ducis Britann.* Alios, laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* apud quem hac de re ita quoque Guilielmus Brito *Philipp.id. l.* 7.

———— ———— Certantque minare
Arte ſibi no:à latus & fundamina turris
Parmis protecti, ne fortè ruens ſuper illos
Miſſilium poſſet retropellere turbo cavantes,
Donec viſceribus muri latuêre cavati,
Truncis ſuppoſitis, ſubitò ne corruat in ſe
Pendula pars muri, pariens ſibi damna viriſque
Queis ſimul inciſum ſatis eſt, ſupponitur ignis,
Et fugiunt ad tuta viri, ruit Ilion ingens
Ingentemque ruens ſtrepitum facit, &c.

Hinc *Minarii*, apud Rigordum Gothum in A. C. 1191. *Turris, quæ maledicta dicebatur, & noſtris longò tempore multa mala intulerat, à* Minariis *regiis fuerat ſuffoſſa, & lignis ibi poſitis appodiata, ita quòd ad illius ruinam nihil reſtabat, niſi ut ignis ſupponeretur.* Et Guil. Britonem præfatum *Philipp.d. l.* 2. *v.* 3-8.

Foſſis jam plenis parmas ad mœnia miles
Appodiat, ſub iiſque ſecare Minarius *inſtat*
Celtibus &c.

Vide ſuprà ubi de *Cuniculis*

MINARIACUM, incolis *Merghem*, Gallis *Merville*, ad Letiam fluv. *Cluver. Auberto Miræo* locus eſt, Belgicè *Stegre*, Gall. *Eſterre* dictus: cui proxima eſt Mauronti villa, vulgò *Merghem* nuncupata. Vid. quoque *Menariacum.*

MINARII, montes Albionis excelſi in Anglia, qui incolis *Mendiphills* dicuntur in Comitatu Somerſetenſi.

MINATICUM, urbs Galliæ Belgicæ *Antonin. Nintiacum* legit Marcus Velſerus *in tabulis Peuting.*

MINCIUS, Venetorum fluv. qui ex Benaco lacu profluens, alium prope Mantuam lacum efficit, & inde rurſus multis torrentibus auctus influit in Padum. Ejus meminêre, Virg. *Georg. l.* 3. & *Æn. l.* 10. Claudian. *in Paneg. de . Conſ. Hon. & in Epith. Palladii Celerinæ. Μίγκιος Straboni*, vulgò *Menzo* dicitur.

MINDA, vulgò MINDEN, urbs Weſtphaliæ, Hanſeatica, à Tillio capta eſt, A. C. 1628. aliàs ſub Epiſcopo proprio, Archiepiſcopi Colonienſis ſuffraganeo inſtituto à Carolo M. unà cum Bremenſi & Oſnabrugenſi A. C. 794. nunc ſub Electore Brandeburgenſi, cum Epiſcopatu, Caminenſi & Mindenſi ac Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, locô Pomeraniæ citerioris, quæ Suecis ceſſit, pace Monaſterienſi. Parva eſt, & ſatis munita: Diſtat 9. leuc. ab Oſnabruco in Ortum, 12. à Verda in Meridiem, 10. ab Hannovera in Occaſum.

MINDANOA, vulgò MINDANAO, Inſula ampla, una ex Philippinis, aliàs ſub Hiſpanis, nunc ſui juris, Media inter Manillam ad Boream & Gilolum ad Auſtrum, ad 400. mill. paſſ. ab Ortu in Occaſum extenſa. Dividitur in tres partes ſeu Inſulas, quarum media propriè *Mindanao* dicitur, quæ ad Occaſum *Canola*, & quæ ad Ortum *Inſula S. Joannis*, ab ea anguſtô fretô ſeparantur. Ejus urbes præcipuæ *Sarago*, *Lomeaton*, *Dapito*, *Canola*, & caput Mindanoa *Mindanao*, in ora Auſtrali cum portu commodo; quæ & quibuſdam *Tabouc*; urbs ampla & munita.

MINDARUS, Lacedæmoniorum dux. Vide Voſſ. *ad Juſtin. l.* 5. *c.* 4.

MINDENSIS Principatus, incolis *Stift* ſeu *Furſtenthum Minden*, tractus Weſtphaliæ, aliàs ſub proprio Epiſcopo nunc ſub Electore Brandeburgenſi. Terminatur à Septentrione Hojæ Comitatu, ab Ortu Schaumbergenſi, Ravenſpergenſi à Meridie, ab Occaſu autem Epiſcopatu Oſnabrucenſi, ad 30. mill. paſſ. extenſa. Caput *Minda*, vide ibi.

MINDON, antiquis *Ocelum*, nunc *Mondonedo*, urbs Hiſpaniæ in Callaicis, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, 4. leuc. ab ora Oceani Cantabrici in Meridiem, 8. à Luco in Septentrionem, 6. à Ribadeo in Occaſum.

MINDORA, inſul. Oceani Indici, una ex Philippinis, ad Auſtrum Manillæ, à qua freto 30. mill. paſſ. ſeparatur, ſub Hiſpano, Ad 120. mill. paſſ. extenſa; cum urbe cognomine in parte Boreali, cui portus capax, è regione Manillæ Inſulæ juxta *Fretum Mindoræ*, vide ibi.

MINERVA, ſapientiæ, & bonarum omnium artium dea, ex Jovis cerebro ſine matre procreata: Quô commentô ſignificare voluerunt Poëtæ, bonarum artium diſciplinas, humani ingenii non eſſe inventum, ſed ex Jovis cerebro, h. e. inexhauſto divinæ ſapientiæ fonte, in humanum uſum eſſe depromptas. Vide *Pallas*, & *Tritonia*. Hæc prima lanificii inventrix creditur extitiſſe, deque artis ejûs præſtantia cum Arachne puella Lydia contendiſſe, cumque jam pene ab ea vinceretur, radiô percuſſam in araneam eam commutâſſe. Sunt qui Arithmeticæ quoque inventionem ei tribuunt. Liv. *l.* 7. *c.* 3. *Eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus ſit.* Olei quoque uſum prima putatur oſtendiſſe, ob id honores meruiſſe, dignamque ideo judicatam eſſe, quæ Athenarum urbi nomen imponeret, rejectô Neptunô, qui, editô equô, naſcenti urbi potentiam bellicam promittebat. Virg. *Georg. l.* 1, *v.* 18.

——— Oleaque Minerva
Inventrix ———

Bellis quoque præerat, unde Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 814.

Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.

Vulcani nuptias conſtantiſſimè fertur repudiâſſe, virginitatemque perpetuò illibatam ſervâſſe, unde & *Innuptam* peculiari epitheto appellant poëtæ. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 31.

Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ.

Horat. *Caſtam* vocat *Carm.* 3. *Od.* 3. Hinc apud *Coluthum* γάμων ἀδίδακτος Ἀθήνη. Et apud *Tryphiod.* Παλλάδος ἀχράντοιο θεῆς. Inde *Lycophroni* μισόνυμφος; *Orpheo* φυγόλεκτρος, *Nonno* ἀνύμφευτος, φυγόδεμνος, ἄγαμος, ἀπειρώδιν, πόθων ἀδίδακτος, εὐπάρθενος & καθαρὴ dicitur. Quinque autem *Minervæ* fuerunt. Prima Apollinis mater, ſecunda orta Nilô, quam Ægyptii Saitæ colunt. Tertia, quam à Jove generatam ſuprà diximus. Quarta à Jove nata & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam (alii Coryphaſiam) nominant, & quadrigarum inventricem ferunt. Quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Hæc Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 23. Effingebatur autem *Minerva* vultu virili & truculentô, galeam in capite gerens, armis inſignibus, oculis torvis & glaucis, cum haſta prælonga, & clypeo cryſtallino, caput Gorgonis inſculptum habente; quô modô è Jovis capite proſiliiſſe fingitur. Habuit Romæ templa ædeſque plurimas: & *Capta* quidem in 2. regione ædiculam habuit; *Medica* in 5. *Flaviana* in 6. *Aventina* in Aventino monte, templum antiquiſſimum, & Livii Andronici Poëtæ donariis celebre: Eidem in Capitolio delubrum, à Pompejo M. dedicatum eſt; confectô 30. annorum bellô, Plin. *l.* 7. *c.* 26. Porro *Chalcidicæ* Minervæ templum, erat in regione 9. ab Auguſto conſecratum, *Catulianæ* à L. Lutatio Catulo, &c. Minervam *Cuſtodem* Cicero domi ſuæ privatim coluit, quam poſtea in exilium abiturus detulit in Capitolium, Dio *l.* 8. Etiam cum Mercurio aram communem habuit, imo & eandem ſtatuam, quæ ob id *Hermathena* dicta eſt: à Cicerone in Academia ſua villæ Tuſculanæ poſita. Sacra ejus incidebant in 3. Jan. natalis in 19. Martii, quô *Minerval* Magiſtris ſolvebatur, & epulum in 30. Septembr. Vide Heſiod. *Theogon.* Pauſan. *in Att.* Cartar. *de imagin. Deorum.* Alex. Roſſæum, *in Myſtagogo Poëtico*, Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. paſſim*, &c. Quod ad nomen attinet, Arnobius, quaſi *Meminervam* dictam vult, eandemque *Memoriam* eſſe putat, *l.* 3. Etymon hoc firmat, quòd alii *matrem* ejus *Memoriam* faciunt. Afranius apud Agellium, *l.* 13. *c.* 8.

Uſus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Sed duo alia etyma adducit è *Feſto* Paulus, his verbis: *Minerva dicta, quod benè moneat. Hanc enim pagani pro ſapientia ponebant. Cornificius verò, quòd fingatur, pingaturque minitans armis, eandem dictam putat.* At apud Cicer. aliud quoque Etymon legas *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 26. *Minerva*, inquit, *quæ vel minueret, vel minaretur.* Ubi cùm *minuere* ait, reſpicere eò videtur, quòd bellô exhauriatur genus humanum. Minerva enim Dea bellica. Apud Iſidor. quoque legas *l.* 8. *c.* 2. *Minervam vocatam, quaſi Deam & munus artium variarum.* Videtur ex *munus*, & *ars* & *varia* deducere. Voſſ. *in Etymolog.* putat eſſe ab antiquo *menervo* pro *moneo*, unde *promenervo* eâpſe notione in Saliari carmine, teſte *Feſtô*; & inde veteribus *Menerva* dicebatur. *Invitâ, ſeu repugnante Minervâ*, idem eſt quod ingeniô, vel naturâ repugnante. Horat. *de Arte Poët.*

Tu nihil invitâ dices, facieſve Minervâ.

Hinc *Minerval* δίδακτρον, præmium quod præceptoribus dabatur. Sed (notante Voſſiô *loc. cit.*) non eſt tam ſalarium ipſum, quàm gratuitum munuſculum, quô aliquis ſe in diſciplinam tradens, novo commendabat magiſtro, unde in *Gloſſis* Philoxeni legas *Minervalitium* συστατικὸν, quaſi dicas *commendatitium*. Nomen, ut diximus, à *Minerva* ingeniorum præſide, cujus imago in Scholis poni ſolebat. Namque *Minerval* deſignat Juvenalis illô *Sat.* 10. *v.* 116.

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

Item *Minervium*, templum ei dicatum: *Minervii* verſus, à Saliis in ejus honorem cantati, &c. *Nic. Lloydius.* De etymo aliiſque hûc pertinentibus ut porrò aliquid addam, Memoriam quidem Brachmanes poſt Deos maximè coluiſſe, auctor eſt Philoſtratus *de vita Apollonii l.* 3. cujus vocis origo non aliunde, quàm ex Chaldæa, eſt arceſſenda: cui מימר idem, quod Græcis λόγος: unde & Targumiſtæ Filium Dei creberrimè ita vocant, & eos ſecutus Johannes Theologus. Λόγος autem, ut notum ex Ariſtotele *l.* 1. *poſter. Analyt.* alius eſt ὁ ἔσω ſive ἐνθυμηματικὸς: alius ὁ ἔξω ſive προφορικὸς, quem eleganter Damaſcenus τοῦ νοήματος ἄγγελον, i. e. *animi nuntium*, appellat, ſicut eundem *animi portitorem*, vocat Joſ. Scaliger *l.* 1. *Poët. c.* 1. In quo cùm præcipuæ partes Memoriæ ſint, quæ veluti rationis quæſtor eſt, & ipſi à voce præfata nomen eſt inditum. Hinc itaque non olim ſolùm *Minervæ* omnis Antiquitas artium inventionem aſſignavit, & Poëtæ Muſarum illam ſociam fecêre, unde Cicero *ſe à Minerva artes edoctum* gloriatus eſt: verùm hodieque loca ſtudiis ac Artibus dicata, *Athenæa*, à Græca voce Ἀθήνη, i. e. *Minerva*; vocare amamus. Chaldæis enim תנא *diſcere* eſt ac *ſtudere*: unde תנאה cum articulo, התנואה *eruditio*; *diſciplina*, ipſiſſimum eſt Græcorum Ἀθηνᾶς, & Athenarum urbis, ab initio ſtatim omnis eruditæ ſapientiæ ſedis ac domicilii, nomen. Vide Georg. Hornium. *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 3. *c.* 7. Et inaures dedicatas eſſe olim, videtur colligi poſſe ex antiqua *Inſcr.* apud Gruterum *p.* 1067. *Minervæ Aug. L. Callidius. Primus. Brixellanus. ex. arg. lib.* 2. *item L. Callidius. Primus. aures argenteas. V. S. L. M.* Ibi enim vel errore ſculptorum *aures*, pro *inaures* poſitas, vel etiam *aures argenteas* dictas eſſe, pro auribus, argenteis inauribus ornatis, utpote quæ ex argenti libris duabus conflatæ dicuntur, conjicit Caſp. Bartholinus *de Inauribus Veterum ſub fin.* Porrò *Minervam* Deam eſſe maſculo--fœminam credidêre antiquiores, teſte Phurnutô: *Minervam*, dicente, *vocari Athenam, quòd fœmina licet ſiet, minimè tamen muliebribus delitiis enervetur*; & apertiùs Valeriano *in Hieroglyph. Mundum univerſum Ægyptii ex mare & fœmina conſtare profitebantur: ſolos verò Deorum, Vulcanum & Pallada maſculo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fœminas aſſerebant. Quemadmodum Græci pariter Romanique etiam Venerem atque Lunam ambigui ſexûs Deos fecêre. Eidem draconem addidiſſe veteres comitem, notum: Unde in exilium abiturus Demoſthenes dixiſſe fertur, *Minervam tribus immanibus oblectari feris, noctuâ, dracone, & populô.* Et Gyraldus *Synt.* 11. *Poliadis Minervæ Cuſtodem Draconem vocatum, cui ex melle placentam obtulerint*, ex *Heſychio* refert. Plin. quoque *l.* 34. *c.* 8. *Demetrius*, inquit, *fecit* Minervam, *quæ Muſica appellatur, quoniam Dracones in Gorgone ejus ad ictus citharæ tinnitu reſonabant.* Sphinx quoque *Minervæ* typus fuit, unde & in galea ſphingem portare ſueta eſt. Pauſan. *in Attic. In eo verò templo, quod Parthenona appellant, ac eâ parte, quæ aquilæ dicuntur, ſigna poſita ſunt ad Minervæ natales attinentia: In poſtico, Minervæ & Neptuni de Attica certamen. Deæ ſignum ex ebore & auro factum: in galeæ cono Sphinx eminet.* Rationem rei diſces ex Pauſania *in Bœoticis.* Eidem Deæ, utpote Artium Præſtitæ, non niſi elaboratioris operis donaria ac munera, à priſcis conſecrata ſunt, uti Fort. Licetus notat *l. de recond. antiquorum Lucernis, l.* 1. *c.* 4. *ubi auream Lucernam Minervæ Athenis annum integrum ardentem, explicat.* Vide eundem & alibi paſſim, inprimis *l.* 6. *c.* 15. *ubi in Lucerna Galvaniana Minervæ illuſtranda totus eſt*, &c. Porrò ejus ita incorrupta atque virginalia fuêre omnia, ut etiam ſtatuæ illius oleô incommixtô inungi conſueverint. *Callimachus.*

> Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλαβάστρως,
> (Οὐ γὰρ Ἀθαναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ)
> Οἴσετε, μηδὲ κάτοπτρον ———

In quibus ultimis verbis, *Speculi* quoque Poëta meminit; eadem nempe ratio ejus, ne effigiem ex ſe aliam gignere crederetur. Quam ob cauſam nec in flumine aliquo, naturali ſpeculo, ſeſe contueri illa velle credebatur. Idem contrariô ſermone.

> ——— αἰεὶ καλὸν ὄμμα τὸ τήνας.
> Οὐδ' ὄκα τὰν Ἴδαν Φρὺξ ἐδίκαζεν ἔριν.
> Οὐδ' ἐς Ὀρειχαλκὸν μεγάλα θεὸς, οὐδὲ Σιμοῦντος
> Ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν.

Hinc hoſtiæ eidem non niſi virgines cædebantur. Arnob. *l.* 7. *Quia virgo Tritonia eſt, idcirco ei convenit virgines hoſtias immolari.* Rationem bene aſſignat Fulgentius *Mytholog. l.* 2. *c.* 2. quòd Sapientia *neque mori poſſit, neque corrumpi. Indidem & ſine matre natam ajunt, quòd ſuis bonis contenta Virtus, animô ſolô capiatur & regnet, non aliunde producta.* Vide de Sacro ei à Tydeo facto, apud Barthium *Animadverſion. ad Statium Thebaid. l.* 2. *v.* 719. *& ſeqq.* Inter epitheta illius, *Equeſtris* eſt, quàm verò fuiſſe Neptuni filiam dicebant; de qua Harpocration, & ex eo Jan. Parrhaſius *Ep.* 55. Vide quoque infrà. Effigies ex ebore, Phidiæ opus, Athenis, in Parthenone, h. e. Templo Dianæ virginis, magni olim habita. Idem, ex ære præter Amazonem, Minervam tam eximiæ pulchritudinis fecit, ut à forma nomen acceperit, καλλίμορφος dicta. Quâ eâdem appellationis & vocabuli ratione, τῆς καλλίστης καὶ ἀρίστης Ἀρτέμιδος ſigna in Academia fuerunt, Pauſan. *in Attic.* Amulius verò, *Minervam* pinxit, quæ ſpectantem aſpectaret, quacunque aſpiceretur, Plin. *l.* 35. *c.* 10. &c. Nec omittendum de *Ludicro Minervæ*; à Domitiano inſtituto, in quo hymnis certabatur. Et quidem Papinius Statius ter in eo victor renuntiatus legitur. Sed quòd Publium Mimographum ibidem certâſſe quidam produnt, falſum eſt: cùm is ſub Cæſare Dictatore jam grandis natu floruerit æmulus Laberii. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 34. *&c.*

Epitheta quædam alia Minervæ.

Ægyptia, dicta eſt, quam ſecundam ex Cicerone poſuimus: Hujus honori dicatam Lucernam nobiliſſimam, ab Hebræo quodam Idololatrâ, & in ejus familia longiſſimô tempore aſſervatam, illuſtrat prolixè Licetus *l.* 9. *de Lucernis c.* 13. *& ſeqq.*

Alalcomenis, cujus ſimulachrum, nullô igne ſubjectô, ſpontaneâ flamma combuſtum eſſe, docet Ælian. *l.* 12. *c.* 57.

Apaturia, i. e. *Fallax*, delubrum habuit in Inſul. Sphæria primùm, dein *Sacrâ* dictâ, extructum ab Æthra Sphæri, quem Pelopis aurigam fuiſſe dicunt, viduâ: Quæ eadem inſtituit, ut Trœzeniorum Virgines ante nuptias Zonam huic *Minervæ* irent conſecratum. Vide Licetum *l.* 6. *c.* 16. & 19.

Ἀρίστη, Athenis in Academia culta eſt.

Aventina, vide in voce *Minerva.*

Britannica; quam Britanniæ fontibus præeſſe, inque cujus æde perpetui ignes nunquam caneſcant in favillas, ſed ubi ignis tabuit, in globos ſaxeos vertatur, tradit Solin. *c.* 24.

Coryphaſia apud Arnob. *l.* 4. *vel ex Coryſæ, matris ſigno, vel quòd ex vertice ſummo Jovis palmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus.*

Cranæa, templum habuit apud Phocenſes, ad Eleam Urbem, de qua vide Pauſan, *in Phocicis*, ubi inter alia, Sacerdotes ejus impuberes & aram illius circumire ſolitos fuiſſe, tradit. Licetus *l.* 6. *c.* 15.

Equeſtris, vide ſuprà.

Flava, dicta eſt Statio *Theb. l.* 3. propter folium olivæ, ex ima parte flavæ. Barthius *ad loc.*

Hoſpita, dicta eſt in Templo, quod in Minervæ promontor. habebat inſigne. Vide Auſon. Popmam *de uſu antiquæ Locut. c.* 1.

Hygia, ab Athenienſibus culta eſt: namque & ei non minùs ac Æſculapio ſerpentem aſcripſêre, quòd in ſomnis uterque ægrotantibus ac Medicis medicamenta ſignificaret, morbis profutura. Hinc etiam *Pæonia* dicta eſt: *Sotera* quoque Pallas à Galeno antidotus quædam cognominata fuit, notante *Gyraldô.*

Itonia, ab Itone urbe Theſſaliæ, ubi Fanum celebre habuit; ut in id preſſi malis confugerint Bœotii, velut ab adverſa cum Ageſilao pugna, apud Pauſan. *l.* 3. Ibidem Pyrrhum, victis Gallis, ſpolia dedicâſſe, memorat idem *l.* 1. Ludos quoque celebrari conſueviſſe, Callimachus *Hymno in eam.* Vide Jan. Parrhaſium *Ep.* 55.

Littorea, apud Statium *Achilleid. l.* 1. *v.* 285. Minervæ enim grata putabant templa Veteres, unde proſpicerentur fluctus. Unde & *Speculatricem profundi* eam appellat idem *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 166.

Muſica, à Demetrio facta ſicque nominata eſt, quoniam dracones in Gorgone ejus, ad ictus citharæ, tinnirent. Plin. *l.* 34. *c.* 8. Ejus ſimulachrum ex ære fecit Phidias, quod Æmilius Paulus ad ædem fortunæ dedicavit, apud Plin. *loc. cit.*

Pallas, vide *ſuô locô.*

Pœonia, vide ſuprà, *Hygia.*

Polias, præcipuâ veneratione Athenis culta, utpote in cujus tutela ipſa Acropolis eſſet. De hac Gyraldus *Synt.* 11. *Cuſtodem* illius Draconem *vocatum ait: & hunc quidem unum, alium verò duos dicere in Erechthei templo: eumque Acropoleos, i. e. arcis cuſtodem, cui ex melle placentam offerri mos.* Hujus lucernam ex auro admirabilem, à Callimacho factam, pluribus illuſtrat Licetus *l.* 1. *c.* 4. Pauſan. verò in *Atticis*, prolixè *Minervæ* ſanctiſſimum illud, ut habebatur, ſignum exequitur.

Sotera, vide ſuprà in *Hygia.*

Speculatrix profundi, dicitur Statio *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 166. ob rationem paulo antè dictam.

Tetrica, Martiali eſt *l.* 10. *Epigr.* 19. *v.* 14.

Tyrrhena, apud Statium *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 24. quòd in ora Tyrrheni maris, in ſummo promontor. Fanum eſſet omnium illius oræ nobiliſſimum, &c. Dicta fuit etiam *Capta, Catuliana, Chalcidica, Cuſtos* &c. de quibus vide in voce *Minerva.*

MINERVA, tutela navîs, quâ Ovidius vectus; cujus paraſemon ejuſdem galea, in roſtro proræ. Ut enim ſua ſingulis Diis erant inſignia attributa, inſigne ejus Numinis, in cujus tutela navigium erat, pro paraſemo eadem in nave non rarô ponebatur: Sic navis Æneæ, cujus tutela Mater Deûm fuit, παράσημον habuit leones Matris Deûm, &c. Ita autem Ovidius de hac, quâ in Pontum vectus eſt, nave, *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 11. *v.* 1.

> *Eſt mihi, ſitque precor, flavæ tutela Minervæ*
> *Navis; & à picta caſſide nomen habet.*

Nempe *galea* dicta eſt, à Minervæ galea, quæ ejus paraſemon fuit. Interdum verò accidebat, ut una eademque res tutela eſſet & paraſemon vel inſigne navis, quoties ſcil. Numinis ipſius effigies, in cujus tutela navigium erat, pro inſigni locaretur in prora; atque tum navis nomine illius Dei veniebat. Vide infrà ubi de *Paraſemo* & *Tutelà.*

MINERVA Ara, inſul. ſinus Arabici apud Cardaminem, *Chiſale*, teſte *Orteliô. Ptol. Are* tantùm habet.

MINERVÆ Arca, apud Martial. *l.* 1. *Epigr.* 77.

> *Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ,*
> *Hæc ſapit, hæc omnes fænerat una Deos.*

Juridicina eſt. Dehortatur enim hôc *Epigrammate* Poëta Valerium Flaccum celebrem *Argonauticorum* conditorem, à Poëſeos ſtudio, tanquam inutili, & quod plus nominis, quâm divitiarum, promittat: monetque Juridicinæ potiùs & Foro ſe det; quippe quô nullum aliud ſtudium ſit quæſtuoſius. Studium autem Poëſeos per *Phœbum*, Juridicinam per *Minervam* deſignat. *Hæc*, inuit, *ſapit*, & *omnes fænerat Deos*, h. e. Deorum dona omnia, ſapientiam, pulchritudinem, potentiam confert. Ita enim Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 315.

> *Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia* ———

Seu, Arcæ patronorum, quibus leges & cauſæ, quas dedit, quas docuit *Minerva*, nummorum affatim præbent, unde facile tibi parabis, quæ ab aliis Diis ægrè obtineantur. Petronius,

> ——— *quidvis nummis præſentibus opta,*
> *Eveniet, clauſum poſſidet arca Jovem.*

Vide Gronov. *ad l.*

NINERVÆ Caſtrum, oppid. Magnæ Græciæ in Calabria ulteriore apud Locros, *Grottaria*, teſte *Barriô*: inter Hieracium & Caulonem 10. mill. paſſ. à Murgetia 6.

MINERVÆ Caſtrum in Gallia, à cultu & templo Minervæ nomen accepit, ut Latona ad Ararim, à cultu Latonæ. Fuit unum ex tribus munitiſſimis circa Carcaſſonam caſtris, captum à Simone Monfortio bellô Albigenſi, A. C. 1210. poſt multos inſultus. Vulgò *Minerve*, aliis *Menerbe*, in diœceſi Carcaſſonenſi, caput pagi cognominis *le Minervez*, vel *Minerbois*. Hic bellô prædictô contra Albigenſes, 50. horum, flammis extincti ſunt, A. C. 1210. Eſt & *Minervæ* Fanum, 14. milliarib. ab urbe Durocortoro. Valeſ. *Notit. Gall.*

MINERVÆ Obeliſcus, inter XIII. illos, qui Romæ viſuntur, Alexandri VII. auſpiciis erutus, in Foro Minervæ elephanti ὀβελισκοφόρῳ hodie incubat. Georg. de Sepibus *in Deſcr. Muſæi Kircheriani p.* 11.

MINERVÆ Promontor. quod & *Athenæum*, promontorium Picenôrum Plin. *l.* 3. *c.* 5 Vulgo *Capo Campanella*: Maximè extenditur, inter Sinus Neapolitanum & Salernitanum, *Baudrand.* aliàs in Campania, in ipſo limite Picenorum, nunc in Principatu citeriore verſus Capreas, à quibus 4. mill. paſſ. in Ortum abeſt. 6. à Surrento in Africum, 22. à Neapoli in Meridiem, 76. à Circæis in Eurum.

MINERVII, Athenienſium cognomen, apud Arnob. *adv. Gent. l.* 5. *Quid Erechthidæ ô cati, quid cives Minervii?* Idem *Minervii* in eadem urbe meminit, ubi Cecropem terræ mandatum eſſe memoriæ proditum ſit Antiocho hiſtorico, *l.* 3.

MINERVINA, uxor Conſtantini M. Criſpi mater. Hanc Victor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Victor. *in Conſtant.* & Zoſim. *l.* 2. pellicem ſolùm Imperatoris, ſed auctor Panegyrici uxorem ejus facit.

MINERVIUM, urbecula regni Neapolitani in provinc. Bariana, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Barenſi, in ipſo limite Baſilicatæ, verſus montes; vix 4. milliar. ab Aufido, 10. à Venuſia in Cæciam, 8. à Canuſio in Meridiem vulgò *Minerbino.* In regno Neapolitano.

MINES, portus Provinciæ, circa Maſſiliam. *Antonin.*

MINEUS, & MINEIAS, vide *Minyas.*

MINGENS ad parietem, phraſis uſitata in Sacris, ubi, cùm de domo aliqua ad internecionem delenda vel deleta, ſermo eſt, legitur neminem eſſe relinquendum aut relictum, משתין בקיר, *qui mingat ad parietem*; putà in domo Nabalis, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 22. Jeroboami, 1. Regum *c.* 14. *v.* 10. Bahaſæ, 1. Regum. *c.* 16. *v.* 11. Achabi denique 1. Regum *c.* 21. *v.* 21. & 2. Regum *c.* 9. *v.* 8. Quâ phraſi canes denotari complures volunt; neque aliter hæc verba accipiunt, quàm Aureliani minas, quas Vopiſcus refert his verbis *c.* 23. *Cùm Thyanam veniſſet, eamque occluſam reperiſſet, iratus dixiſſe fertur, canem in oppido non relinquam.* Et canis eſt ex animalibus, qui mingunt crure ſublatô, uti & leones, Philoſophus *Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 5. Verùm nec de omni cane id verum eſt, ſed de mare tantum; neque de hoc ſemper: ſed ſextô demum aut octavô menſe. Plin. *l.* 10. *c.* 63. *Exiſtimantur in urina attollere crus fere ſemeſtres, id eſt ſignum conſummati roboris.* Vide quoque Ariſtotelem ubi ſuprà *l.* 6. *c.* 20. Adde, quòd ſequentia aliud ſuadeant, *clauſum & derelictum in Iſraële*; item, *cognatos & amicos ejus*: quibus canes non aptè junxeris. Iis itaque accedit *Bochartus*, quibus *mingens ad parietem*, maris aut viri periphraſis eſt. E qua ſententia, *Exſcindam mingentem ad parietem, clauſum & derelictum* &c. eſt, Exſcindam omnem marem, ſeu captivum, ſeu liberum, vel in urbe degentem, vel in agris vel conjugatum aut cœlibem. Et in domo Baaſæ, *non reliquit mingentem ad parietem & cognatos & amicos ejus*, i. e. Non pepercit ulli viro, tam ex cognatis, quàm ex amicis Baaſæ. Hinc cùm oraculum, de delendo in domo Achabi *omni mingente ad parietem*, implevit Jehu, præter Joramum, Achabi filium natu maximum, ejuſdem filios aut nepotes ſeptuaginta interemit, ſed fœminam omnino nullam, ſolâ Jezabele exceptâ: de cujus nece peculiaris prophetia præceſſerat 2. Regum. *c.* 9. *v.* 8, 9, 10. Nempe ſolos viros cædere etiam in atroci bello tum fuit uſitatiſſimum, & habetur hac de re expreſſa lex, Deuteron. *c.* 20. *v.* 13, 14. Ad objectionem, viros in Oriente ad parietem non mingere, ſed mulierum more ſubſidere, reſpondet idem *Bochartus*, id de ſolis Perſis hodiernis valere, qui proin Turcas *Sekſunni per contumeliam appellant, quia canum inſtar ad parietem mingunt.* Olearius *Perſici Itiner. l.* 5. Nec obſtat de Græcis Heſiodi locus, ubi damnatur is, qui contra Solem erectus mingit, aut προβάδην, *incedendo* & ἀπογυμνωθεὶς, *denudatus.* Cùm contrà, Heſiod. *in* Ἔργ. *v.* 729.

> Ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ πεπνυμένα εἰδὼς,
> Ἤ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς.
> *Sedens Deorum amans vir mingat, & prudens;*
> *Aut ad parietem accedens bene, ſepti atrii.*

Utut enim Heſiodi ævô Græci bene inſtituti vel ſedentes mingerent, vel ad parietem accedentes: poſterioribus tamen ſeculis, prius illud à viris uſurpari deſiit. Vide quæ de Xantho, in *Vita* Æſopi, de Diogene, apud *Laërtium*: de Athenienſibus, apud *Heſychium*, voce ἐν Πυθίῳ, alibique leguntur. Hinc apud Plutarchum *Chryſippus* dicit, ὐκ ἀνεκτέον εἶναι τὸ πρὸς βωμὸν ὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα Θεῦ, *non ferendum eſſe, ſi quis ad aram mingat, aut ad Dei ſtatuam.* Et Herodotus, ut probet, Ægyptios in pleriſque aliter ſe gerere, quàm reliquos homines, inter cœtera hæc habet *l.* 2. *c.* 35. Οὐρέουσι αἱ μὲν γυναῖκες ὀρθαὶ, οἱ δὲ ἄνδρες καθήμενοι, *Fœminæ quidem ſtantes mingunt, viri autem ſedentes.* Sed & de Romanis idem patet, ex his Lucretii, de pueris, *l.* 4. *v.* 1020.

> *Puſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta*
> *Somno devincti, credunt extollere veſtem,*
> *Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant.*

Imò & Judæos eodem ſitu lotium excreviſſe, docet Talmudica lex, *Nemo mingat ad vicini ſui parietem, niſi poſtquam ab eo tribus palmis receſſerit* &c. Vide præfatum Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 55.

MINGUM, ſive NINGUM, oppid. Hiſtriæ, *Antonin.* in ora inter Tergeſtum & Juſtinopolim, utrinque 5. mill. paſſ. *Mugia.*

MINIATI Struthiones, occurrunt apud Jul. Capitolin. *in Gordianis c.* 3. ubi de ſylva ejus, *Equi*, inquit, *feri XXX. oves feræ C. alcès X. tauri Cypriaci C. ſtruthiones Mauri* miniati CCC. *onagri* XXX --- *Hæc autem omnia populo diripienda conceſſit die muneris, quod ſextum edebat.* Nempe *miniari* ſolita Romæ quæ ad ſpectacula aut pompam producerentur: ut ex *Plinio* docet Caſaubonus *Notis ad Capitolin.* Vide quoque infrà, in voce *Miniculator*, it. *Minium.* Hodie verò Gallis *Miniatura*, pictura dicitur, nullô exarata penicilli ductu, ſed molliculis colorum diſtincta punctis. Item Encauſtices ſpecies, ſeu ratio quædam peculiaris liquenti coloratoque metallô aurum inurendi pingendique.

MINIATUM, oppid. Thuſciæ, media ferè inter Florentiam, & Piſas. Vide *Fanum S. Miniati Teutonis.*

MINICA, Syriæ urbs, circa Emiſſam, *Antonino*, aliàs *Minniza Simlero.*

MINICIUM, pagus Larii lacus, cui à *Minicia* familia nomen, vulgò *Menaſio*, apud promontor. Rhetionico oppido finitimum; 20. mill. paſſ. à Como.

MINICULATOR, apud Romanos, dictus is eſt ex ſervorum genere, qui, quum minium in voluminum quoque ſcriptura uſurparetur, id muneris obiit. Eò reſpexit Perſius *Sat.* 5. *v.* 90.

> *Exceptô ſi quid Maſuri rubrica notavit.*

Inſerviebat autem Librariis, quemadmodum & Glutinatores, & Pumicatores, & Malleatores & Ornatores. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Erant verò tituli & capita librorum rubri coloris, quam ad rem minii uſus. Unde Ovidius *Triſtium initiô: v.* 7.

> *Nec titulus minio, nec cedrô charta notetur.*

Et *veteres Gloſſæ, Rubrica*, ἡ διὰ μίλτυ ἐπιγραφή. Symmachus *ad Ferreolum, de Epiſtolis ſuis, Jure*; inquit, *vobis in hoc opere rubricæ, prima ſermonum officia dedicarentur.* Idem in Legum fiebat titulis, ut Perſius ſuprà laudatus docet. Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 192.

> ——————— *Perlege rubras*
> *Majorum leges.*

Et Leo Imp. *leg.* 6. *de diviſ. reſcr.* vetat, *ſacra Reſcripta alio colore, quam purpureâ inſcriptione luſtrari.* Quem Conſtantinopolitanorum Imperatorum morem etiam confirmare eſt ex *Annalibus* Conſtantini Manaſſis. Briſſonius quoque *l. de verborum ſignific.* quô locô agit de Encauſto ſacrô, quod ex muricis ſeu conchylii cruore erat, refert ex epitome Chronicorum Werveronis, Monachi Leodienſis, Palæologum, Imperatorem Conſtantinopolit. Eccleſiæ Romanæ obedientiam ſpopondiſſe ſyngraphâ, cui conchylii ſanguine ſubſcripſerit. Ab Encauſti voce eſt, quòd Poloni colorem quô ſcribitur, etiam atrum, per ſynecdochen generis appellant *incauſt*, ut Itali *inchioſtro*: fortè & Belgarum *inket* inde, niſi potiùs deducatur à *tinct*, quaſi *tincta* vel *tinctura*, quia penna in eo tingitur, per aphæreſin. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 39. ut & in voce *Bulla aurea*, it. *Cinnabari.*

MINIMA, vide *Microſcopium.*

MINIMI, Ordo ſacer, in Communione Romana, à Franciſco de Paula inſtitutus. Pariſiis *Bons hommes*, dicuntur, à tempore Ludovici XI. & Caroli VIII. qui illos ſic vocârunt: In Hiſpania, *Patres victoriæ*, quia Franciſcus Ferdinandi V. contra Mauros victoriam prædixerit, appellantur. Jejuniô perpetuô ſeipſos macerant. Veſtem gerunt coloris caſtanei, ſeu ferruginei, cum caputio parvô, ſcapulari rotundo, & ejuſdem coloris pallio. *Richeliet.*

MINIMUS, ſeu Arnobii *l.* 5. voce *minimiſſimus* digitorum, & ipſe ornari jam olim annulô conſuevit, teſte Pliniô *l.* 33. *c.* 1. *Singulis primò digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſteà pollici proximo induêre; etiam Deorum ſimulachris. Dein juvit &* Minimo *dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur, cœteri omnes onerantur.* Et, *Sunt qui tres uni* Minimo *congerant: alii verò & huic unum tantum, quo ſignanda ſignent. Conditus ille, ut res rara & injuriâ uſus indigna, velut è ſacrariô promitur: & unum in minimo digito habuiſſe, pretioſioris in recondito ſupellectilis oſtentatio eſt.* Etiam notat Gorlæus, pleroſque annulos ſigillaritios, qui hodie reperiuntur, circumferentiâ (Græci περιφέρειαν dicunt) adeò eſſe arctâ & anguſtâ, ut niſi rarò admodum alii, quàm minimo digito aptari poſſint. Dicebatur autem hîc annulus propriè Ἀκαρὶς; Pollux *l.* 5. Περὶ δὲ τῷ σμικρῷ δακτύλῳ ἐφόρυν ὁ Ἀκαρὶς ἐκάλυν διὰ σμικρότητα, *Qui minimô digito geſtabatur annulus, Ἀκαρὶς vocabant. propter parvitatem.* Nam ἀκαρ Græcis idem, quod μικρὸν vel ὀλίγον, teſte Scholiaſte *Ariſtophanis.* Unde Scriptores, hominem lautiſſimè divitem notaturi tribuunt ipſi grandem in hoc digito annulum. Petronius de Trimalcione: *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem ſubauratum.* Lucianus *Dialog. Meretric.* Εἶχε δὲ καὶ αὐτὸν Παρμένων δακτύλιον ἐν τῷ μικρῷ δακτύλῳ μέγιστον πολύγωνον, &c. Vide Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 4. Cœterum *minimô* ſe *digitô* provocâſſe Gladiatores diximus ſuô locô, Arnobii locus citatus ſic habet; *Jupiter rogatus ab Acdeſti, ut Attis reviviſceret, non ſinit: quod tamen fieri per fatum poſſet, ſine ulla difficultate condonat, ne corpus ejus putreſcat, creſcant ut comæ ſemper, digitorum ut minimiſſimus vivat, perpetuô ſolus agitetur & motu.* Quæ verba in ſeqq. repetit & exagitat.

MININGRODA, quibuſdam eſt *Munſter.* Vide *Monaſterium.*

MINIO, fluv. Hetruriæ, inter Centumcellas, & Cornuetum in mare decurrens, parvus: *Minio* Rutilio *in Itinerar. Mignone Baudrando*; in Patrimonio Petri. Oritur in regione Sabatina, dein 4. milliar. à Centumcellis, in Circium in mare Tyrrhenum labitur, Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 83.

> *Qui Cærête domos, qui ſunt Minionis in arvis.*

MINISTELLI, media ætate dicti præſertim ſcurræ, mimi, Joculatores, quos etiamnum vulgò *Meneſtreux* vel *Meneſtriers* Galli appellant, quòd in minoribus aulæ Miniſtris accenſerentur: neque enim Viri doctiſſimi *ad Tacitum* ſententia aſſenſum impetrat, qui à quodam *Mneſtere* Pantomino, cujus præter Tacitum *l.* 11. *Annal. c.* 4. meminit Dio *l.* 1. ita Gallis nuncupatos cenſuit. Lambertus Ardenſis: O *garcionum &* Miniſtralium, *imò adulatorum injuſta laudatio!* Alberico A. C. 1237. *Miniſtellorum* vox idem ſonat: *Illi qui dicuntur* Miniſtelli, *in ſpectaculo vanitatis, multa ibi fecerunt, ſicut ille, qui in equo ſuper chordam in aëre ſaltavit.* Ejuſmodi autem Scurrarum munus erat, Principes non ſuis duntaxat ludicris oblectare, ſed & eorum aures variis Avorum adeoque ipſorum Principum laudibus, non ſine aſſentatione; cum cantilenis & muſicis inſtrumentis demulcere; teſte eôdem Lambertô. Interdum etiam virorum inſignium & Heroum geſta, aut explicabant & jucundâ narratione commemorabant, aut ſuavi vocis inflexione, fidibuſque decantabant, quô ſic Dominorum, cœterorumque, qui his ludicris intererant, Nobilium animos ad virtutem capeſſendam & ſummorum virorum imitationem accenderent: quod fuit olim apud Gallos Bardorum miniſterium; teſte Tacitô: ἡ Ἀοιδῶν, apud Græcos, teſte Nic. Heinſiô *diſſert. pecul.* Neque enim alios à *Miniſtellis*, veterum Gallorum Bardos fuiſſe, pluribus probat Henr. Valeſ. *ad Ammiani l.* 15. Vide quoque *Chronicon* Gueſclini. Sic Nic. de Braia, deſcribens ſolenne convivium, quô poſt inaugurationem ſuam Proceres Palatinos excepit Ludovicus VIII. Franco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rum Rex, ait, inter ipſius convivii apparatum, in medium prodiiſſe Mimum, qui Regis laudes ad citharam decantaverit, quas, ut planum fiat, cujuſmodi eæ fuerint *Miniſtellorum* cantilenæ, *Gloſſario* exhibet Car. du Freſne, oſtenditque, ejuſmodi Mimorum & *Miniſtellorum* cantilenas ad virtutem Principes incitâſſe. Quod & firmat Raimundus Montanerius *in Chron. Regum Aragoniæ c.* 298. ubi de convivio Regis Alfonſi, poſt coronationem ejus agit. Id verò præſertim, in pugnæ præcinctu, Dominis ſuis occinuiſſe ut Martium ardorem in eorum animis excitarent, diſcimus ex Guil. Malmesb. *de geſtis Anglor. l.* 3. Aimoinus *de Mirac. S. Benedicti l.* 4. *c.* 37. *Tanta verò illis ſecuritas-- ut ſcurram ſe præcedere facerent, qui Muſicô inſtrumentô res fortiter geſtas & priorum bella præcineret, quatenus his acriùs incitarentur* &c. Adeò porrò ingens hujusmodi hominum, in palatiis Principum, olim numerus fuit, ut, quæ in iis aut enutriendis aut remunerandis fiebant impenſæ, eorum præſertim, qui ejuſmodi *Miniſtellorum* aſſentationibus, præ aliis, delectabantur, æraria plerumque exhaurirent. Lamb. Ardenſis *p.* 247. *Arnoldus itaque militaribus vix indutus veſtimentis, proſilit in medium & miniſtrantibus Mimicis, nebulonibus, garconibus, ſcurris & jocularibus, omnibusque nomen ejus invocantibus & prædicantibus ſatisfecit: adeò ut in remunerationis præmium, laudem eorum conſecutus eſt & gratiam. Cùm enim, quæcunque habere poterat, vel perquirere liberalitatis vias, quaſi deſipiendo tribuiſſet & in prima Porphyrii pagina, quaſi in nudis & puris conſtitiſſet intellectibus, dando maxima cum minutis, dando ſua & à ſuis commodata, vix ſeipſum reliquit.* Johann. Sariſberienſis *Ep.* 247. *Non enim more nugatorum ejus ſeculi, in hiſtriones & mimos & hujusmodi monſtra hominum, ob famæ redemtionem & dilatationem nominis veſtri effunditis opes veſtras* &c. Rigordus *de Geſtis Philippi Aug. A. C.* 1185. *Cùm in Curiis Regum ſeu aliorum Principum, frequens turba hiſtrionum convenire ſoleat, ut ab eis aurum, argentum, equos ſeu veſtes, quas perſæpe mutare conſueverunt Principes, ab eis extorqueant, verba joculatoria variis adulationibus plena proferre nituntur. Et ut magis placeant, quidquid de ipſis Principibus probabiliter fingi poteſt, videlicet omnes delitias & lepores & viſu dignas urbanitates, & cœteras ineptias trutinantibus buccis in medium eructare non erubeſcunt. Vidimus quondam quoſdam Principes, qui veſtes diu excogitatas & variis florum picturationibus artificioſè elaboratas, pro quibus forſan 20. vel 30. marchas argenti conſumſerant, vix revolutis 7. diebus, hiſtrionibus, miniſtris Diaboli, ad primam vocem dediſſe* &c. Quin & Philippus Mouskeſius *in Philippo Aug.* fingit, Carolum M. Provinciæ Comitatum ſcurris & mimis ſuis olim donâſſe, indeque poſteà tantum in hac regione numerum Poëtarum excreviſſe &c. Quam immenſam in Pantomimos Magnatum prodigalitatem exagitat Auguſtin. *Tractat.* 100. *in Johann. c.* 6. *Donare res ſuas Hiſtrionibus, vitium eſt immane non virtus. Illa ſanies Romæ recepta & favoribus aucta, tandem collabefecit bonos mores, & civitates perdidit, coëgitque Imperatores ſæpius eos expellere.* Porrò *Miniſtellorum* voce intelligebantur cùm ſcurræ, & mimi omnes, tum qui buccinas inflare, aut Muſica inſtrumenta pulſare ſolebant. *In Computo Hoſpitii Regis* A. C. 1317. & 1319. *le Meneſtrier* refertur inter alios Officiarios. In alio Ducis Normanniæ & Aquitaniæ, A. C. 1348. ſub tit. *de Meneſtreux*, recenſentur *ceux, qui jouent des naquaires, du demycanon, du cornet, guiterne Latine, de la fluſte Behaigne, de la trompette, de la guiterne Moreſche, & de la vielle.* Vox verò *Meneſtrellorum* in malam partem ſumpta, pro nebulonibus, in *Stabilim.* S. Ludovic. *l.* 1. *c.* 32. ut *Meneſtrauder*, agere *Miniſtellum*, nugari, in *Conſuetudin. Inſulæ tit.* 1. *artic.* 29. Inter eos ſupremus, *Rex Miniſtellorum* dictus fuit; de cujus munere ac poteſtate in cœteros *Miniſtellos*, agit Charta Henrici IV. Regis Angl. Gallica *Monaſtico Anglicano tom.* 1. *p.* 355. & Charta originalis A. C. 1338. *Je Robert Caveron Roy des Meneſtreuls du Royaume de France*, i. e. *Ego Robertus Cavero, Rex Miniſtellorum, in Regno Franciæ.* Aliæ A. C. 1357. & 1362. Copini *du Brequin*, itidem in Francia *Miniſtellorum* Regis, meminerunt. Computum de auxiliis, pro redemtione Regis Johannis A. C. 1367. *Pour une couronne d'argent, qu'il donna le jour de la Tiphaine au Roy des Meneſtrels* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

MINISTER, in Eccleſia dicitur, homo ſelectus jure ſpeciali ſacra myſteria diſpenſans. 1. Cor. *c.* 4. *v.* 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de* Miniſtris *Chriſti & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* Et 2. Cor. *c.* 4. *v.* 1. *Quum miniſterium hoc habeamus, prout miſericordiam conſequuti ſumus.* Uti Διάκονος & Διακονία Græcè. Ejus functio nempe *Miniſterium* appellatur, quòd nullâ propriâ auctoritate & arbitriô, nulloque in gregem dominatu, ex ſolius Chriſti præſcripto, geri debeat. Matthæi *c.* 20. *v.* 26. *Quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter Miniſter.* Cujusmodi *Miniſteriorum* directio, *Politia Eccleſiaſtica* dicitur, ac Eccleſiæ ordinem regionemque conſtituit. Eſt autem *Miniſterium*, vel *extraordinarium* vel *ordinarium*. Et quidem in Eccleſia Iſraëlitica, prima olim ejus inſtitutio penes *Patresfamiliâs* erat: In Ægypto, præerant populo *Seniores*, & Sacerdotium à familiarum primogenitis præcipuè tenebatur: his deinceps ſubſtituti *Levitæ*, quorum erat, præter agenda in Tabernaculo, etiam Populum docere. Quod factum ab ipſis, tum in omnibus portis, tum præcipuè in loco quem elegerat Dominus, Deuteron. *c.* 17. *v.* 9. 12. Ut autem non niſi digni ad curam iſtam adhiberentur, per χειροθεσίαν in Magiſtros, ac legis vindices & cuſtodes ordinabantur. Ex eodem genere legebantur Cantores. Quæſtores, Scribæ ſeu Νομοδιδάσκαλοι, aliique publici Miniſtri, quin & Judices Municipales & ex parte ſummi Conſilii Hieroſolymitani aſſeſſores. *Extraordinarii* verò *Miniſtri*, erant tum *Prophetæ*, de quibus ſuô locô. Novum Teſtamentum aperuit Joannes Baptiſtes, pœnitentiæ Præco, ac Meſſiæ Regis anteambulo: cujus Miniſterium, quanquam ſub veteris temporis fine, maximam tamen partem Euangelicum fuit. Hunc excepit ipſe Dominus, Euangelii auctor & promulgator: qui cùm peractô Miniſteriô terras relicturus foret, duodecim legit *Apoſtolos*, novæ Eccleſiæ duces ampliſſimâ poteſtate inſtructos. Ac juxta hos *Prophetas*; *Euangeliſtas*; *Paſtores & Doctores* dedit, *ad opus Miniſterii*, Epheſ. *c.* 4. *v.* 11. 12. Idem Dominus noſter, non longè ante exceſſum ſuum, miſit de comitatu ſuo LXX. *Diſcipulos*; qui brevi itinere Judæam peragrarent, eam univerſam Meſſiæ jam præſentis famâ implerent, *regnumque* ejus *appropinquare nuntiarent*, Lucæ *c.* 9. *v.* 2. E quibus omnibus *Paſtores* & *Doctores*, qui Ἡγούμενοι, Προεστῶτες, Ἐπίσκοποι, Πρεσβύτεροι, Διδάσκαλοι promiſcuè in Sacris dicuntur; ſunt *Miniſtri* N. Teſt. *ordinarii*, de quorum ordinatione ac functione ſuô locô. In ſpecie verò *Diaconi* appellantur, qui, corporalium ſeu τῶν βιωτικῶν adminiſtri, Eccleſiæ theſauros in egenorum ac hoſpitum ſolatium curant quorum inſtitutio occurrit Actorum *c.* 6. *v.* 3. *ſ.* ac mentio frequens eſt in Apoſtolorum Epiſtolis, Roman. *c.* 12. *v.* 7. 8. 1 Cor. *c.* 12. *v.* 28. & 1 Tim. *c.* 3. *v.* 8. Quin & Diaconiſſæ ac *Miniſtræ*, ad eam curam adhibebantur, 1. Tim. *c.* 5. *v.* 9. 10. & Romanor. *c.* 16. *v.* 1. &c. Vide plura hanc in rem apud Theologos, Franciſcum inprimis Burmannum *Synopſ. Theologiæ Chriſtianæ Part. I. l.* 8. *c.* 6. & 7. ut & infrà, *Miniſtri Eccleſiæ*, ubi de veſtitu illorum, aliiſque hûc pertinentibus.

MINISTER, Superioris in Ordine Maturinorum nomen eſt, in Eccleſia Romana. *Richelietus.* Vide quoque infrà in voce *Miniſtri*.

MINISTER Imperatoris ac Imperii, vide ſupra *Archiminiſter.*

MINISTER Vini, apud Hegeſippum *l.* 1. *c.* 29. *Nec minùs Vini miniſter miſſus in Judæam dolis prætenderat, ut caperet Herodem:* Joſepho Οἰνοχόος eſt. *Vita vetus* Ambroſii: *Erat enim eô tempore, quô hæc loquebatur, Vini miniſter.* Ipſe Ambroſius de Joſepho Patriarcha *c.* 6. *Et quanta hæc potentia, ubi Vini miniſterium.* Rurſus *l.* 1. *c.* 32. *Illi pro nobis meliùs præliantur, & circumfuſi Angelorum legionibus in acie prætendunt.* Et *l.* 5. *c.* 13. &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ. c.* 1. & infrà in *Pincerna.*

MINISTERIALES Dominici, qui alias *Miniſtri*, famuli honorarii in *Notit. Imper.* ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Caſtrenſis. Vide Pancirollum *l.* 1. *c.* 91. *Miniſteriales & Pædagogiani*, *in l.* 5. *Cod. Theod. de diverſ. Off.* Apud veterem Agrimenſorem; *Miniſteriales Imperatorum*, *p.* 330. Item quivis famuli domeſtici, *in Pacto legis Salicæ tit.* 11. §. 6. Porrò *Miniſteriales*, minores Officiales Regum, Ducum Comitum & dominorum feudalium, qui dominorum ſubditis jus dicunt, eorum jura procurant, cenſus & reditus exigunt, villici ſeu villarum præfecti: Ita enim paſſim indigitantur, in veterib. Tabulis. Vide *de Ord. Palatii c.* 12. Flodoardum *l.* 1. *c.* 10. Sanjulianum in *Matiſcone p.* 239. Guichenonum *Probat. Hiſt. Breſſenſis p.* 10. &c. Sed & majores Aulæ ſeu Palatii Regii Officiales ſic dicti ſunt, in Areſto A. C. 1224. apud Belforeſtum *Hiſtor. Franc.* vide quoque ſuprà *Miles.* Apud Alamannos, eadem vox variè uſurpata reperitur: In *Speculo* namque Saxonico *l.* 1. *art.* 16. §. 2. alibique ſervis vel certè hominibus obnoxiæ conditionis accenſentur *Miniſteriales*, adeò ut liberis ſemper opponantur, & dicantur libertate donari ac permutari à dominis. Ita quidem appellati, quòd Dominorum *miniſteria* exequerentur, ſeu officia ab iis injuncta, quòd liberi non faciebant. Et hos, in Weſtphalia, triplicis eſſe generis, ait Serrarius *Not. ad vitam Godefridi Comitis Campeberg. I.* Qui corpore jumentiſque ſuis domino alicui ſerviunt, & vocari *prædia integra. II.* Qui ſolô corpore, vocatos *Rotter.* III. Qui tabellarios agunt, *Bringſitter*, de quorum miniſterio ſeu jugi obſequio erga Dominos teſtatur Conſtitutio Caroli Craſſi Imperatoris *de Expedit. Rom. A. C.* 881. §. 5. Bruſchius *de Monaſteriis Germ. p.* 41. &c. Horumque liberi perinde ac ſervorum in partitionem veniebant, *Charta* Henrici Comitis Palatini Rheni *A. C.* 1262. *in Metrop. Salisburgenſi tom.* 1. *p.* 388. Sed poſtea è fæce hominum emerſêre, habitique deinceps inter Nobiles, licet inferioris ordinis. Petrus de Andlo *l.* 2. *c.* 12. *Poſt Baronum ordinem Valvaſores, i. e. minores Capitanei, qui & Proceres, ſive Miniſtrarii dicuntur, locum ſibi vindicant, ſimplicem militiam tranſcendentes.* Vide quoque Crantzium *Metrop. l.* 1. *c.* 2. & *l.* 2. *c.* 11. ubi *Miniſteriales*, feudatarios fuiſſe docet: quod præterea firmatur ex Petro inprimis de Vineis *l.* 3. *Ep.* 5. fuiſſeque videntur, qui certa & rara, ac pactis definita obſequia dominis ſuis debebant, ut qui apud Francos *Servientes feodati* vulgò dicuntur. Quod præſertim colligere eſt, ex Charta Conradi Comitis Luziliburg. A. C. 1135. pro Monaſterio S. Maximini Trevir. *Accepimus igitur per ſententiam, quòd equos eorum, qui* Miniſteriales *ſunt, & jus Miniſterialium à prædeceſſoribus ſuis integritate generis & conditionis obtinuerunt. Illi, qui ad hoc officium in feodati ſunt, circa nonam advenientis feſti, in quoddam pratum, quod eſt Kune, deducent: & uſque ad nonam ſequentis diei vel quamdiu Abbas ipſos* Miniſteriales *detinere voluerit, cuſtodient, nullum pabulum illis debetur.* Miniſterialis *ſi cum uxore ſua venerit, 12. panes, 6. ſextaria vini, ovem unam recipiet. Si autem ſine uxore venerit cum Abbate ipſe & famuli ſui, qui duo tantùm vel tres eſſe debent, comedet. Et ſicut nullum prædictorum* Miniſterialium *à conſilio & à menſa Abbatis ipſo in feſto arceri debet, niſi ita nullus eorum prædictum ſervitium foris offerendum recipiet, niſi locô Militis Abbati decenter aſſiſtere & ſervire poſſit. Si quis* Miniſterialium *Eccleſiæ extraneam uxorem duxerit, filii ejus prædictum ſervitium, quod Pater eorum, quia Miniſterialis Eccleſiæ erat, habuiſſe videbatur, non habebunt. Femina* Miniſterialis *Eccleſiæ, ſi viro extraneo nupſerit, filii ejus propter conditionem Matris prædictô ſervitiô non privabuntur, ipſi* Miniſteriales *depoſitô amictu chlamydis vel alterius ſuperveſtimenti, in Veſperis, in Cœna, in Miſſa ſub-*

ſequentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſequentis feſti debita cum reverentia Abbatis obſequio ſe offerent. Abbas, ſi proximo die poſt Feſtum de negotiis privatis vel communibus cum Miniſterialibus, *aliqua tractare voluerit; ſive nos præſentes, ſive abſentes fuerimus; abſque expenſis eorum ipſos detinebit. Si ad placitum venire non poterimus, & Abbas eorum præſentiâ carere voluerit, circa nonam in ipſo feſto redeundi ad propria ſingulis licentiam dabit* &c. Unde poſt *Liberos homines* vulgò recenſentur, in Veterib. *Chartis Hiſtor. Arch. Bremenſium A. C.* 1337.

Reſpondit humiliter, ſe non eminere
Sanguine, divitiis, nec tamen egere:
Sed de mediocribus genitum ſincerè;
Qui ſponte nobilibus multum ſerviere.

Sed & hoc Nobilitatis argumentum eſt, quòd prædivites interdum eſſent, quandoque etiam *Milites* fierent. Sic apud Cæſarium *l. 4. c. 77. Erat in proximo manens dives valde potens & nominatus* Miniſterialis *Henrici Ducis Saxonum.* Imò & *Miniſteriales* dicti interdum ipſi Comites. *Metrop. Salisburg. tom. 3. p. 13. Hi teſtes adhibiti ſunt Perchtoldus Marchio de Andehſen, & filius ejus Perchtoldus Marchio Miniſterialis eorundem* &c. In Monaſteriis, *Miniſteriales*, dicti leguntur, qui præcipuas præpoſituras exercent Alardus *in Statutis antiqu. Monaſterii Corbej. l. 1. c. 1. Et ipſi* Miniſteriales *habent inde ſinguli breves ſuos, i. e. Camerarius, Cellararius & Seneſcalcus.* Iidem *Miniſtrales* vocati ſunt, & contractè *Miſtrales*, apud Guichenonum *Prob. Hiſt. Sabaud. p. 45. & 46.* &c. Alia de *Miniſterialibus*, vide apud Goldaſtum *Rerum Alamann. Tom. I. p.* 217. & Meibomium ad Levoldi Northovii *Chron. Marcanum.* Ad ejuſmodi autem exercenda obſequia, prædia concedebantur à Dominis feudalibus, quæ *Miniſteria* appellabant Charta Ottonis III. Imperatoris A. C. 999. apud Wilh. Hedam: *Inſuper ſibi donavimus, quidquid Popo filius Walageri habuit in Miniſterium in hoc Comitatu,* &c. Vide præter Auctores præfatos, Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MINISTERIALIS Liber, vide infrà *Officialis.*

MINISTERIUM, abacus, menſa, in qua pocula reponuntur. *Gloſſar. Lat. Gr. Abaci Delficæ*, Μινιςέριον, quòd ad abacum ſtent *Miniſtri.* Sic autem appellant *Credentiam* ſeu menſulam juxta altare, in qua reponuntur vaſa ſacra. Interdum pro vaſis ipſis. Lamprid. *in Alexandro Sev. c. 43. Ducentarum librarum argenti pondus Miniſterium ejus nunquam tranſiit.* Nonnunquam pro diſtrictu ſeu territorio, intra quod Miniſteriales & Officiales miniſteria ſua exercebant. Vide *Formulas* Veteres *c.* 30. apud Bignonium. Etiam pro beneficii ſeu feudi ſpecie, quæ ſub certi obſequii ac ſervitii conditione concedebatur, Lamb. Ardenſis *p.* 176. Flandri *Meſtiers* vocant, apud quos nota quatuor Flandriæ *Miniſteria*, *les quatre Meſtiers de Flandres.* Pro officiis porrò majoribus & minoribus, in Imperator. & Regum palatiis Magnatumque hoſpitiis: Unde Galli hauſerunt vocem *Meſtier*, quam primitus Aulæ Regiæ miniſtris majoribus, poſtea quibuſvis artificibus attribuerunt. Tandem, pro *Miniſtris*, unde apud Hegeſippum *l. 1. c. 15. Quibus ilico cum Tyrone correptis, Tryphon ex Miniſtris aulæ Regiæ, cui tondendi ars atque uſus ſuppeditaret:* reponit Gronov. *Tryphon ex miniſteriis.* Quomodo idem Autor locutus fuerat *c.* 12. Ambroſius *Serm. 8. in Pſalm.* 118: *Illa, quæ cœleſtium vel poteſtatum, vel miniſteriorum ſunt.* Sic θεραπειῶν Baſilio περὶ φθόνου, ubi poteſtatibus itidem *Miniſteria* jungit. Cyprianus de lapſis: *Non in Sacerdotibus religio devota, non in Miniſteriis fides integra.* Sic certè & membranæ Gronovii. At Pamelius, remotô, ut ait, quod Remboldus invexerat, *Miniſteriis*, ſubjecit *Miniſtris.* Quid invidemus verò Cypriano elegantiam ſuam? Nam ne hoc quidem ſine Auctoribus antiquioribus. Tacit. *Annal. l. 13. c. 27. Hinc plerunque tribus, decurias,* miniſteria, *Magiſtratibus & Sacerdotibus, cohortes etiam in Urbe conſcriptas.* Et *Hiſtor. l. . c. 59. Donec Junius Blæſus circumdaret Principi miniſteria. Sic Officia Miniſtrorum*, pro ipſis *Miniſtris*, Ambroſ. *de Offic. l. 1. c. 20.* &c. Vide Gronov. *Obſervat. in Eccl. c. 12.* & hîc infrà.

MINISTRATORES, vide MINISTRI, it. infrà *Pocillator.*

MINISTRI, ac MINISTERIA, quandoque in univerſum dicti ſunt olim ſervi, uti docent Senec. *l. 3. de Beneſic. c.* 18. Plin. *l. 7. c.* 52. Martial. *l. 7. Epigr.* 47. 49. &c. quâ notione *Miniſterialis*, apud Latino-Gallicos Scriptores, ſervus eſt: *Miniſtri* tamen, legitima & juſta Servorum tricliniarium nomenclatura fuit. Zeno Veronenſis *Serm. de livore & invidia: Joſeph utique in Ægyptum non veniſſet, nec pudicitiæ tenax dominæ laſcivientis inſidias incidiſſet, non fuiſſet retruſus in carcerem, nec* Miniſtris *Pharaonis familiarior extitiſſet.* Virg. *Æn. l. 1. v.* 709.

——— *totidemque pares ætate Miniſtri.*

Horat. *Carm. l. 1. Od. ult.*

Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te Miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
——— ——— *Vite bibentem* &c.

Iidem *Miniſtratores* dicti, menſæ adſtabant & ad nutum dominorum intuentes diligenter miniſtrabant, atque per eos datô ſignô ad inferendum cœnam, Senecæ verbis *Ep.* 95. diſcurrebatur. Hujuſmodi *Miniſtratores* Perſis quoque fuiſſe, ſed à dominis tam inhumaniter quandoque tractatos, ut & vivos excoriarent, memorat Amm. Marcellin. *l.* 23. Græcis Διάκονοι, à quibus *Diaconorum* in Eccleſia ſacer ordo, qui ex prima inſtitutione miniſtraverunt menſis, ut patet ex Actis Apoſtol. *c. 6. v.* 2. Hinc Arator *l. 1.* eos *Miniſtros* quoque vocat,

——— ——— *Sit cura* Miniſtris
Officium librare ſuum &c.

Vide ſuô locô. Veſtis *Miniſtrorum* tricliniarium tunica fuit, ut ſic expeditiores eſſent. Quò ſpectant *Ammiani* verba, *Stetit itaque ſubtabidus nuſquam reperto paludamento tunicâ auro diſtinctâ, ut regius Miniſter, indutus à calce in pubem, in pædagogiani pueri ſpeciem.* Ubi vox *Miniſter* rem declarat, quòd in convivio aurata tunicâ miniſtrarent. Lamprid. *in Alexandro, c. 34. Auratam veſtem* Miniſtrorum *nullus vel in publico convivio habuit.* Ita & cùm Imperatores auratas paragaudas privatis interdixêre, *Miniſtriſque* permiſerunt *Cod. de veſt. holov. leg.* 2. de conviviorum *Miniſtris* intelligendum eſt. Hinc Conſtantinus Imperator cùm chlamydes ademit Eunuchis, quorum immenſa & abſurda poteſtas ſub aliis Imperatorib. fuerat, infra ſervorum, quibus aliàs jus chlamydis fuit, conditionem dejectos, ſoli conviviorum miniſterio addixit: Et Chriſtus Dominus, pedes diſcipulorum ante convivium loturus, depoſuit pallium, *quia*, ut *Nonnus* interpretatur, *ſervile opus facturus erat.* Servorum enim erat ſine pallio, aut aliâ veſte exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteô ſuccinctos miniſtrare. Sub Flaviorum imperio *Miniſtros* regios aliquid peculiare etiam habuiſſe Sueton. ſuggerit *in Domitian. c. 12. Generum Fratris indignè ferens & ipſum albatos* Miniſtros *habere, proclamavit,* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Unde colligitur, vel privatorum ſervos in pullis tunicis miniſtrâſſe, quem veſtis ſervilis colorem *Plautus* & *Artemidorus* indicare videntur; Regios albatos: vel ſi etiam reliquorum ſervorum tunicæ albatæ, quod conviviorum lætitia veriſimilius facit, præcipuè ſi in linea interula; fortaſſe regiorum *Miniſtrorum* tunicas albatas i. e. candidatas & cretâ candefactas fuiſſe, quales petitorum togæ; cujus tamen moris non aliud veſtigium extat: vel non tantùm albas fuiſſe illas tunicas, ſed aurô diſtinctas. Sed nondum tum tunicis miniſtrantium additum aurum videtur, verùm longô pòſt tempore, cùm ſcil. paragaudæ inſtitutæ, niſi quis Senecæ etiam ætate tunicas auratas fuiſſe arguat, ex ejus verbis *de Tranquill. c. 1: Præſtringit animum apparatus aliquis pædagogii, diligentius quàm intra privatum Larem veſtita & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium* &c. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l. 3. c. 4. ubi quoque Miniſtrantium ornatum cultumque, ex antiqua tabula, quam Urſinus in appendice ad Ciacconii triclinium dedit, exhibet.* Interim *Miniſterii* nomine aliquando intelligi omnia vaſa argentea triclinio ſternendo neceſſaria, diſcimus ex Paulo Oroſio *l. 7. c.* 39. *Dumque expoſitis opibus, attonitum barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, Virgo Chriſti ad Barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra* Miniſteria *ſunt, præſume ſi audes, de facto tu videris.* Vide ſuprà. Cœterùm Convivalem *Miniſtrum* expreſſit Horat. *l. 2. Sat. 8. v.* 10.

——— ——— *Puer altè cinctus, acernam*
Gauſape purpureô menſam perterſit ———

Et *v.* 69.

——— ——— ——— *Ut omnes*
Præcincti rectè pueri, comptique miniſtrent.

Primuſque horum Obſonator erat, ἀγοραστὴς καὶ ὀψώνης Athenæo *l. 4.* quem præceptis inſtruxit Lynceus Samius. Reliquorum ſeriem vide apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Porrò Labeo *l. 11. de ſerv. fugit. Miniſteria publica* vocat illos, qui aliàs *Servi publici*, & ſimpliciter *Publici* dicti, officium & miniſterium publicum Sacerdotibus aut Magiſtratibus & Populo exhibebant. Tales habebant Oppida, Municipia, Societates & Fana, quos etiam manumittebant, impoſitis à ſe nominibus. Hi ad res forenſes & ad ſacra uſum præſtabant: Apparebant Magiſtratibus, ut Cenſoribus; apud *Liv.* Ædilibus, apud *Varr.* Quæſtoribus, apud *eundem*; namque in miniſterio hoc fuêre Lictores, Viatores, Apparitores; Brutiani & Scribæ: Servos tamen publicos à Lictoribus diſtinguit vetus Senatuſconſultum, quod Frontinus *l. de Aquæduct.* refert, apud Titum Popmam *de Operis ſervorum.* Iidem pro quolibet civium ſtipulabantur, pecuniam publicam à debitoribus exigebant, cuſtodias adſervabant, ipſi publicô ære empti. Sacra curâſſe argumento eſt factum Potitiorum, qui Servos publicos ſacra Herculis docuerunt, cujuſmodi & Martiales Larinates *Miniſtri publici*, Marti Deo ſacri, nec non & Calatores, fuiſſe videntur, Pignor. *l. præfato.* Vide quoque infrà in voce, *Publici.* In aula Regum Anglo-Saxonum eorum Diplomatis ſubſcribebant, poſt Epiſcopos, Abbates, Duces; teſte Ingulfô *p.* 882. 883. 884. 885. Vide *Monaſticum* Anglic. *tom. I. p.* 37. alioſque: Iidem erant cum *Thainis*, vel *Tainis*, ut in Diplomatibus vocantur, quæ voces *Miniſtros* & *Servientes* ſonant. Ita, qui hâc nomenclaturâ Regum iſtorum Chartas ſubſcriptione ſuâ firmabant, erant præcipui Aulæ Regiæ *Miniſtri*, ut Camerarii, Seneſcalli, Venatores, Accipitrarii &c. In *Monaſt. Anglic. tom. 3. p.* 121. quidam *Goda* (ſub Eduardo Confeſſore) *Optimas Miniſterque Regalis* inſcribitur. Vide Seldenum *ad Eadmerum p.* 170. Horum *Miniſtrorum* regiorum totum ordinem bellè deſcribit Florentius Wigornienſis, ubi de Alfredo Rege Anglo-Saxonum: *Conſiliô divinitus inventô, omnium uniuſcujuſque anni cenſuum ſucceſſum bifariè primitus* Miniſtros *ſuos dividere æquali lance imperavit; quarum primam ſuis* Miniſtris *nobilibus, qui in cultu regio viciſſim commorabantur, in pluribus miniſtrantes miniſteriis, annualiter largiebatur. In tribus namque cohortibus præfati Regis ſatellites prudentiſſimè dividebantur; adeò ut prima cohors, unô menſe in cultu Regio, die noctuque adminiſtrans, commoraretur: menſeque finitô alia cohorte adveniente; prima domum redibat, ut ibi duobus commoraretur menſibus. Secunda itaque cohors menſe peractô & adveniente tertiâ, domum redibat, ibidem duobus commoratura menſibus. Hôc ordine omni vitæ tempore, talium viciſſitudinum, in Regali cultu, rotabatur adminiſtratio.* Eorundem alibi quoque meminit, A. C. 871. 874. 878. 905. 1008. 1010. 1039. ut & Rogerus Hovedenus *p.* 450. 457. & Simeon Dunelmenſis, A. C. 1008. 1010. 1013. 1067. cui ut plurimùm *nobiles* ac *præpotentes Miniſtri* dicuntur. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Hodie in Regum Principumque Aulis *Miniſtrorum Status* honorifica admodum appellatio eſt, iis ſolùm competens, qui maximis rebus ſub Regum Principumque nutu admoti, Regnorum ſaluti pace belloque invigilant, quorum ſupremus, *Primi Miniſtri* nomine venit diviſâ

ſic in plures potentia, quam Majores domûs in Gallia, & Juſtitiarii magni in Anglia olim unicè, ſed non niſi cum Regiæ auctoritatis præjudicio Regnique ſæpiſſimè damno, poſſederunt. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. paſſim*, ut & paulo *infrà*.

MINISTRI EXTANTIORES ALIQUOT REGNORUM.

REGNI GALLIÆ.

Marchio Ancræus, nomine gentilitiô Conchinus, Florentinus, ſub Ludovico XIII. titulô *Mareſcalli Galliæ* invâſit *primum Miniſterium*, ſed ſeu quòd inſolentiùs ſe gereret, ſeu quòd invidiæ declinandæ eſſet impar, juſſu Regis obtruncatus & mox fruſtillatim diſcerptus eſt, d. 24. April. A. C. 1617.

Luynæus Conneſtabilis eum ſequutus, qui Regi ſuaſor Ancræi cædis fuiſſe credebatur, immenſam auctoritatem mox nactus eſt, ſed epidemicâ brevi lue abreptus A. C. 1621. poſtquam ipſi adhuc ſpiranti, mirô Fortunæ ludibriô, deficerent amici, familiares, Medici & ſupellex omnis.

Cardinalis Richelius hunc excepit, natione Gallus, Epiſcopus priùs Lucionenſis, qui cæſô Ancræô Avenionem ſeceſſit, ubi contra Reformatos quædam evulgandô otium fefellit. Mortuô dein Luynæo Regem, motâ priùs, dein planè excluſâ Matre, ita ſibi conciliavit, ut *unus in Regno omnia poſſet*. Cœterùm ingeniô erat acri ac vehementi, Regno, in cujus curam omnia conferebat, rebus præclariſſimè geſtis utilis, ſed in ſuperbiam paulò proclivior. Obiit incolumi autoritatis ſuæ faſtigiô A. C. 1642.

Maſarinus Cardinalis, nomine *Julius*, gente Siculus, ei ſucceſſit. Qui Reginam ſibi faventem nactus, cùm illa communem ſæpe ſuſtinuit invidiam: ingeniô ſubtili & morarum patiente præditus, ita Reipubl. conſuluit, ut ſua etiam reſpiceret; cœterum humanus & omnium ſuorum hoſtium, à quibus Regnô quoque totô ſemel pulſus erat, victor. Obiit in florente Regis Ludovici XIV. gratia, d. 27. Februar. A. C. 1661. Utriuſque *Miniſterium* publicè extat.

Hodiernus Galliæ ſtatus ad Henrici Magni tempora accedens, non unum fert, penes quem ſummâ rerum ſit; Habet tamen Rex, feliciter hodie regnans; ſelectos arcanorum participes *Miniſtros*, quibus tum rerum bellicarum cura commiſſa, tum qui extraneis proſpiciunt negotiis, tum quibus rei ædilis ac redituum ratio incumbit. Cœterùm Avum feliciſſimè Rex imitatus, vim conſiliorum ac auctoritatis, ſibi uni ſervat, qua de re vide quæ Grammondus habet *l.* 1. *ſua Hiſt.* & de miniſtris hodiernis *Hiſtoriam* hujus temporis.

REGNI HISPANIÆ.

Nic. Perenottus Granvellæ Dominus, inde *Granvellanus* communiter dictus. plebeji quidem generis & Fabri ferrarii, ut quidam ajunt, fil. cœterum inſigni prudentia, Mercurio Arboreo Gattinatæ Cardinali ac Cancellario, ſub Carolo V. ſucceſſit, arcanorum omnium conſcius & tranſactor, per 20. integros annos, firmô ſemper gratiæ auctoritatiſque faſtigio felix. Vide Thuanum *l.* 6. *ad A.* C. 1550.

Antonius fil. Epiſcopus Atrebatenſis, priori ſucceſſit: à Carolo quoque, cùm Philippo II. ditiones traderet, commendatus, *ut unus, cujus operâ filium in ſummis rebus uti exoptaret*. Sub hoc itaque *Miniſterium* continuavit, uſque ad A. C. 1586. quô Madriti obiit. Hic, ut inquit *Strada*, eò magis memorandus venit, quòd abſque adulationis tormento 40. ann. circiter incorruptâ fide arcem principalis aulæ obtinuit, ex eaque ſemel ejectus, ab eo caſu, tanquam à quiete repetitô ad favorem curſu longiùs quàm ante proceſſit &c. Hiſpaniam moderatus eſt, Rege ad Luſitaniam occupandam profectô, eique reduci unus omnium ſiniſter adequitavit.

Don Franc. Sandoval, Marchio de Denia, ac pòſt Dux & Cardinalis de Lerma, ſub Philippo III. rerum ſummam tenuit, à Philippo IV. A. C. 1621. locô motus. Quam fortunam etiam cum capitis ſupplicio paulò antè A. C. 1619. expertus fuerat, proximus à Lermio Comes de Olinda & ſeptem Eccleſiarum Marchio Rodericus Calderonenſis.

Don Caſpar de Guzman Comes *de Olivarez*, rerum Hiſpanicarum arbiter poſteà fuit, per annos 22. faſtigiô tandem excuſſus, artificiô Junici de Guevara Comitis de Ognata, & Cardinalis Borgiæ, accedente inprimis ad partes ipsâ Reginâ, &c.

REGNI ANGLIÆ.

Richardus Foxus & Reginaldus Brajus, Henrici VII. gratiâ & hinc auctoritate eminuerunt, quibus tamen non aliter, quàm velut inſtrumentô Artifex, Regem uſum fuiſſe, ait *Verulamius*.

Wolſæus Cardinalis Lanii, ut fertur, fil. ſub Henrico VIII. eouſque potentiæ, provectus eſt, ut non dubitaret nomen ſuum Regio præponere, & in literis formulâ hodieque Anglis exoſâ, *Ego & Rex meus*, ad Pontificem & exteros Principes, aliiſque occaſionibus uti. Sed gratiâ Regis tandem excidens, ac A. C. 1530. à Parliamento ſuperiore 44. delictorum accuſatus, bonis honoribuſque exutus eſt, & mox correptus dyſenteriâ diem ſuum obiit.

Thomas Cromvellus, Fabri ferrarii fil. favore Reginæ Annæ Boleniæ evectus ſummos honores, & majorem in ſacris Archiepiſcopali auctoritatem nactus eſt: Sed ob Religionem Pontificiis exoſus, inſtigante Epiſcopô Oxonienſi, paulo pòſt capite eſt truncatus, nullius criminis reus, ac ne auditus quidem.

Reginaldus Polus Cardinalis ſub Maria ſummæ rerum præfuit, Latinorum rituum tenaciſſimus. Paucis horis poſt obitum Reginæ febri extinctus.

Robertus Car. Scotus, Jacobo Regi à quo Somerſeti Comes factus eſt, chariſſimus fuit: Cujus inſolentiam, conjugium cum Eſſexia, vivô hujus maritô: ingratum adverſus Overburium, fortunæ ſuæ auctorem, animum, exilium denique perpetuum vide apud Auctorem *des Favoris p.* 504.

Georgius Villerius poſt hunc emerſit, Buckingamiæ Ducatus nomine celebris: qui Jacobi primò, dein Caroli I. gratiam conſtanter quidem retinuit, populo tamen minus charus à Feltono quodam occiſus eſt.

Franc. Baconus de Verulamio ſuas quoque ſub Jacobo partes habuit, ſummi Cancellariatus munere functus: Sed rerum, ob nimium Studiorum amorem, neglectim adminiſtratarum accuſatus munere excidit, donatus tamen annuô 200. librarum reditu. Infortunii cauſam tacitam Regis æmulationem fuiſſe volunt quidam, utpote qui admirandam ejus eruditionem ferre non potuerit, ipſe *Eruditi* famam impenſè captans.

IMPERII TURCICI.

Magnus Vezirius *ſupremus* Imperii *Miniſter* eſt, cujus auctoritas potentiaque uti impenſè magna; ſic raro durabilis eſt, pleriſque eorum vel depoſitis, vel violentâ morte, citiùs, tardiùs, prout Imperatorib. viſum eſt, interemtis.

Kiuperli, Achmedis hodierni Magni Vezirii parens incolumis evaſit: & quod mirandum maximè, dignitatem ſuam ad filium propagavit, qui Principis ſui gratiâ ſimiliter perpetuò florens, poſt res in Hungaria, Creta, Polonia, egregiè geſtas, nuper admodum fatô functus eſſe dicitur. Vide de his omnibus prolixè agentem Auctorem præfatum.

MINISTRI Eccleſiæ, Epiſcopi, Sacerdotes, *in Edicto* Piſtenſi dicuntur *c.* 1. Horum veſtis pallium commune erat ut plurimum, circa tempora adhuc Tertulliani: eorum inprimis, qui Aſceticam profiterentur, h. e. qui Apoſtolicæ humilitati & ſeveriori Chriſti diſciplinæ congruam & conſentaneam ſectam ſequerentur; Iidem nudipedalia ſibi omni tempore indicebant, ut de Heracla Presbytero narrat *Euſebius*: quod totum tamen arbitrarium erat, neque idem mos omnium præſertim circa veſtitum Aſcetarum. Poſteà, ut mores ſubinde mutant, ac tempora, nihilque rerum humanarum in eodem ſtatu permanet, etiam hæc res (veſtitus nempe ſimplex) in Eccleſia Dei mutationem paſſa eſt. Quamvis enim leviſſimi hæc momenti res eſt, veſtis mutatio, ſi ſola ſpectetur: tamen ferè ſemper, aut morum ruinam trahit, aut jam inclinatos ſequitur, præcipuè cum luxu Magiſtrô delicatior & inflatior veſtis viliorem ac modeſtam excludit. Quod in Eccleſia, magno cum ſacroſanctæ diſciplinæ detrimento videmus uſu veniſſe. Nam, ubi primùm ex malis illis & in arcto poſitis temporibus emergere cœpit, quibus adoleſcentiam laborioſam & exercitam habuerat, multum de priſtina ſeveritate remiſit, atque ab aurea illa ſimplicitate degeneravit. Pro paupertate quippe divitiæ magnò agmine intrârunt & divitiarum comes individuus luxus. Tum magnificè ac ſumtuoſè templa ædificari cœpta ſunt, atque aurô argentôque ornari. Exinde *Miniſtros* quoque, niſi mundulè ac nitidè veſtitos, talibus Templis inſervire indecens viſum eſt. Sic tribonas, vile & ſordidum veſtimenti genus, paſſim poſuêre Presbyteri, ut elegantiorem civilemque habitum ſumerent. A quo tempore bitris ac penulis amicti inceſſêre omnes, relictis penes ſolos Aſcetas palliis. Dalmatica quoque, manuleatarum tunicarum hoc genus eſt, in locum colobii ſucceſſit, & colobium cum pallio apud eoſdem Aſcetas remanſit. Ea re factum, ut, qui ſacroſanctæ diſciplinæ, ut loquitur *Ambroſius* attentiores eſſe vellent, & converſationem Apoſtolicam imitari, ſeorſim πολιτείαν inſtituerint & à clero ſegregem ac ſeparatam vivendi formam, quæ *Monaſtica* & *Aſcetica politia* vocata eſt, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, & ſuprà *Miniſter*.

MINIUM, inventum primùm à Callia Athenienſi, nonaginta circiter annis ante Theophraſti tempora, à quibuſdam *cinnabari* appellatum eſt, Indici cinnabaris nomine, quô illi ſaniem draconis eliſi vocabant, cùm Indicæ arboris gummi ſit, ut *Arrianus* docet. Et manſit *minio* in Epheſo primùm repertô, quum adhuc ſine nomine eſſet, hæc *cinnabaris* appellatio, etiam poſteà. Latini *Minium* dixêre, voce Hiſpanicâ, quod inde ad Romanos tantùm inveheretur; (quemadmodum omnia ferè metalla, è locis, ubi proveniunt, nomina ſunt nacta:) à fluvio *Minio*, ut Vitruvius vult. *l.* 7. *c.* 9. Contrà Juſtinus *l.* 44. *c.* 3. *minium* metallum amni nomen dediſſe ſcribit, quòd in vicino effoderetur. Curabatur autem Epheſi ex *nitela pulveris*, ut Solinus habet, *c.* 26. quæ ἄμωμος λαμπυρίζουσα Græcis; At in Hiſpania parabatur, ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ, *ex lapide quodam ſabulo argentifero permixto.* Cùm rubrica, quæ Græcis μίλτος, non confundendum: Namque jam Trojanis temporibus rubricam in honore fuiſſe, ex Homero. *Il.* β. *v.* 637. diſcimus, ubi νηῶν μιλτοπαρῄων meminit: at Homericis temporibus *minium* nondum cognitum fuit, uti ex prædictis colligere eſt. Sed & à *cinnabari*, diverſum *Minium*; illius enim color auſterus, unde βαρύχρουν Diſoſcoridi dicitur *l.* 5. *c.* 59. at *minium*, εὐανθὲς eſt ac floridum: de quo proin *Petronius nitorem* abſolutè dixit,

Heſperium coccum miles laudabat, eadem

Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 199. 268. *alibique paſſim*, ut & infra voce *Nitor*, & ubi de *ſignandi ritu.* Fuit autem *Minium* inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos etiam ſacræ. Narrat enim apud Plinium *Verrius*, Jovis ipſius ſimulachri faciem diebus feſtis eô illini ſôlitam, & apud Virgilium *Ecl.* 10. *v.* 27. Pan *ſanguineis ebuli baccis ac miniô rubet.* Similiter triumphantum corpora, ut quidem Camillus triumphâſſe legitur. *Quâ religione etiam nunc addi*, pergit idem Verrius, *in unguenta cœnæ triumphalis & à Cenſoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Cujus rei cauſam mitari ſe, ait Plin. *quanquam id hodie expeti conſtat Æthiopum populis, totosque eô tingi proceres, huncque ibi Deorum ſimulachris colorem eſſe*, *l.* 33. *c.* 7. Ubi quod de Æthiopibus habet, paulò aliter narratur ab Alexandro Neapol. qui Æthiopas pugnantes dimidiam partem corporis miniô, dimidiam gypsô tingere ſolitos, ſcribit *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 20. Sed & *Minium, in voluminum ſcriptura uſurpatum, clarioreſque literas vel in marmore etiam in ſepulchris faciebat.* Idem Plin. *ibid.* Quâ de re vide ſuprà in voce *Miniati* & *Miniculator*: Plura verò hanc in rem apud Plinium *d. l.*

MINIUS, fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis, qui Gallæciam à Portugallia dividit, à colore pigmenti, quô plurimùm exundat. *Baudrando Minho*; oritur in Gallæcia, juxta vicum *Caſtro de Rey*, 4. leuc. à Mindonia in Auſtrum, dein Lucum Auguſtum urbem rigat & Orenſem Gallæciam biſecans, tandem aliquot fluviis auctus, 5. leuc. infra Tyden in Oceanum Atlanticum ſe exonerat, juxta oppid. Caminam.

MINNÆI, populi Arabiæ, mari Rubro adjacentes, primi commercium thuris fecère. Plin. *l.* 12. *c.* 14. Dionyſ. v. 958.

Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλευρὸν ναίουσι θαλάσσης
Μινναῖοί τε Σάβαι τε. ———

De quibus fusè Bochartus *Phaleg. l.* 2. *c.* 22. *Nic. Lloyd.*

MINNAGAR, Scythiæ Auſtralis metropolis, apud Auctorem *Peripli*; *Ptol. Binnagara*: unde plurimum bdellii venale exibat. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1150.

MINNODUNUM, oppid Galliæ Lugdunenſ. *Antonin.* nunc oppidulum pagi Bernenſis, ad amnem *Broye*, inter Lauſonium ad Merediem & Peterlingam ad Aventicum in Boream, vix 5. leuc. Gall. à Friburgo in Africum; *Moudon* Gall. *Milden* German. Vide *Simler. Hadr. Valeſ. &c.*

MINOA, oppid. Cretæ geminum, unum in ora ad Ortum inter Samonium promontor. & Gamaram urbem in Boream vergentem. *Altemura Sophiano.* Alterum in ora Boreali à Cydone 10. mill. paſſ. in Ortum apud Amphimalim ſinum. *Minola Moletio.* Item urbs in Amorgo, inſula Cycladum. Steph. in *Amorgos.* Eſt & altera in Sicilia, condita à Minoë, cùm quæſitum Dædalum trajecerat in Siciliam, & hoſpitiô Cocali, regis Siculor. utebatur. Diodor. Sic *l.* 16. Quæ & *Heraclea*, *Ferrar.* Item Megarenſium emporium fuit 18. ſtadiis ab urbe diſtans, quod & *Niſea* appellatur. Gaza quoque Palæſtinæ olim *Minoa* dicta fuit. Strabo *l.* 9. Et alia quoque eſt in Siphno una Cycladum. Et alia Arabiæ, cujus cives *Minoitæ*, à Minoë. Paros etiam vocabatur Minoa, cujus cives, *Minoæ. Steph.* Eſt item portus ad ſinum Argolicum, apud Naupliam, in Peloponneſo. *Ptol. Altamura Moletio.*

MINORA, vulgò MINORI, urbecula Principatus citerioris in ora ſinus Salernitani, 8. mill. paſſ. à Salerno in Occaſum, 3. ab Amalphio in Ortum, 22. à Neapoli in Meridiem. Deficit in dies. Epiſcopalis ſub Archipiſcopo Amalphitano.

MINORA Animalia, expreſſiùs Naturæ vim indicant, *quippe in magnis corporibus facili officinâ, ſequaci materiâ*, ut ait Plin. qui in *culice & teredine, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio-- quàm in minimis Naturâ tota ſit*, facundè perſequitur *l.* 11. *c.* 2. Vide quoque ſuprà in voce *Microſcopium.*

MINORES, item *Fratres Minores, & Minores Pauperes*, dicuntur in Eccleſia Romana ſectatores S. Franciſci. Franciſcus *Reg. c.* 6. *Nullus vocetur Prior, ſed generaliter omnes vocentur Fratres* Mi*nores & alter alterius lavet pedes.* Vide quæ in *Annalibus* ſuis, de his congeſſit Waddingus, ut & ſupra, ubi de *Franciſcanis.*

MINORICA, incolis *Menorca*, Gallis *Minorque*, aliàs *Balearis minor* Inſul. regni Majoricæ, inde 30. mill. paſſ. in Ortum diſtans. Circuitus 60. mill. paſſ. Ibi *Citadella*, caput Inſulæ in parte Occidentali, ubi aliàs Jamna, & Mago, *Porto Maon*, portus capaciſſimus cum arce S. Philippi & 4. Pagis.

MINORISSA, urbecula Cataloniæ; *Maurela* vulgò, ad fluv. *Cardoner*, qui paulo infra in Rubricatum cadit. 2. leuc. à Monte Serrato in Boream, uti 10. à Barcinone, 5. à Cardona in Meridiem.

MINOS I. fil. Jovis ex Europa, ut poëtæ ferè omnes aſſerunt: Occaſione hinc captatâ, quòd ſpecioſa hæc puella, nave, cui Tauri inſigne erat, in Cretam aſportata, ibi Aſterio regi nupta, hunc filium peperit. Aliis eſt, Aſteri ſeu Xanthi regis Cretenſium fil. cui in regno ſucceſſit. Idem primus Cretenſibus leges dedit. Ariſt. *Polit. l.* 2. *c.* 8. Inde *Legifer* Ovidio dictus *l.* 3. *Amor. Eleg.* 10. *v.* 41.

Optavit Minos ſimiles ſibi Legifer annos.

Regnare cœpit A. M. 2645. Paſiphaën Solis filiam matrimoniô ſibi junxit. Maxima bella geſſit adverſus Megarenſes, & Athenienſes, quòd filium ſuum Androgëum occidiſſent: atque Megaram quidem Scyllæ puellæ proditione cepit, quæ amore Minois capta Niſum patrem fatali capillô ſpoliavit: Athenienſes autem eò neceſſitatis compulit: ut ſeptem quotannis juvenes in Cretam mittere cogerentur, Minotauro monſtro objiciendos, Dædalum quoque Athenienſem patriâ exulantem Minos hoſpitiô ſuſcepit, qui Labyrinthum ei extruxit inextricabilem, cui & Minotaurum incluſit, monſtrum ex Tauro & Paſiphaë uxore ſuſceptum. Verùm cùm poſteà didiciſſet, Dædalum vaccam ligneam fabricâſſe, cui illa incluſa tauro fuerat commiſta, ipſum unà cum Icaro filio eôdem Labyrinthô incluſit, cumque illi alis cera conglutinatis inde evolâſſent, claſſe eos in Siciliam uſque eſt perſecutus: ubi apud Camerinam, ſeu Camicum urbem, à filiabus Cocali regis occiſus eſt. Alii tamen à Cocalo ipſo, cui bellum ob Dædalum moverat, per proditionem captum, & in thermis à filiabus ejus ſuffocatum tradunt. Euſeb. *in Chron.* Ovid. *in Ibin, v.* 289.

Vel tua maturet, ſicut Minoïa fata;
Per caput infuſæ fervidus humor aquæ.

Unus ex inferorum Judicibus à poëtis ſtatuitur. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 432.

Quæſitor Minos urnam movit. ———

Vide quoque Propert. *l.* 3. *Claudian.* &c. Cæterùm duo Minoës erant, & quæ de patre Androgei dicta, *Minoëm II.* tangere videntur. Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 14. Hactenus *Nic. Lloydius in Dictionar. ſuo Geographico Hiſtor.* Meminit *Minois* hujus Marmor Arundell. ubi *in Apollonia* (quæ poſtea à nepote ejus *Cydone* nomen accepit) *ſedes fixiſſe*, regnante Athenis Pandione, dicitur, circa idem tempus, quô ferrum in Ida ab Idæis Dactylis repertum eſt. Utrum verò is advena vel indigena eſſet inter veteres non convenit. Ubicunque verò natus fuerit, illum quidem in Creta ſepultum eſſe, teſtatur *Scholiaſtes* Callimachi, hanc tumuli Inſcriptionem addens, ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. MINOIS F. JOVIS SEPULCHRUM, è qua poſtmodum, non tam injuriâ temporis, quàm impoſturâ Cretenſi, *Minois* nomine deletô, manſiſſe *JOVIS SEPULCHRUM*, atque hinc verſum Callimachi, Apoſtolo laudatum, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι κτλ. *Hymno I. in Jovem*, ortum docet Joh. Marshamius *Canone Chron. ad Sect.* x.

MINOS II. Prioris ex Lycaſto fil. nepos, genuit Deucalionem, Idomenei (Homericô carmine inclyti) patrem. Sed *Strabo, Apollodorus*, Alii, *Minoës* ambos non ſatis diſtinguunt; uterque Jove genitus habetur, utriusque geſta promiſcuè narrantur, ut vidimus. Idem *ibid.*

MINOTAURUS, monſtrum biforme, partim habens formam hominis, partim tauri, natum ex Paſiphaë uxore Minois, quæ operâ Dædali cum tauro concubuerat, juſſu Minois Labyrintho incluſum, humanis carnibus veſcebatur. Huic quotannis Athenienſes ex præſcripto fœdere, ſeptem ex ſuis liberis mittebant devorandos. Sed tertiô annô Ægei fil. Theſeus ſorte miſſus Minotaurum occidit, & ab Ariadne acceptô fili glomere, fugâ evaſit. Servius *in l.* 6. *Æn. v.* 14. interpretatur, Taurum fuiſſe ſcribam Minois, qui, abſente rege, cum Paſiphaë concubuit in domo Dædali, & quia Paſiphaë eodem tempore gemellos peperit, quorum alter Minoi, alter Tauro eſſet ſimilis, factum eſſe locum fabulæ, ut Minotaurum biforme monſtrum peperiſſe dicatur. Vide Plut. *in Theſeo.* Hunc Minotaurum Ovid. *l.* 2. *Art.* vocat.

Semibovemque virum, ſemivirumque bovem.

Vide quoque Virgil. *loc. cit.* Hanc fabulam quoque Catull. refert *in Argonaut. Epigr.* 65. Vide etiam Ovidii *Ep.* 10. ſed imprimis Diodor. Sic. *l.* 5. *c.* 13. Cæterùm erat olim inter ſigna Romanorum veterum militaria, ſicut & Aquila, Equus, Aper, quæ ſingulos ordines anteibant, teſte Plinio *l.* 10. *c.* 4. donec poſteà factum eſt, ut ſola Aquila in acie portaretur, reliquis ſignis in caſtris relictis. Uſi autem priſci in legionibus ſunt *Minotaurô*, ut indicarent, quemadmodum hic in intimo & abditiſſimo Labyrinthi receſſu clauſus fuiſſe perhibitus eſt, ſic Ducis conſilium occultum eſſe debere, vide Vegetium *l.* 3. *c.* 5. 6. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 5. & Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 26.

MINSCUM, vulgò *Minſck.* urbs Lithuaniæ, Palatinatus cognominis caput, probè munita, ad amnem *Suvislocz.* 32. leucis Polonicis à Vilna in Ortum, uti 36. à Breſlavia in Meridiem.

MINTHE, à Poëtis Cocyti filia puella fingitur, quam Proſerpina cum Plutone deprehenſam, in herbam ſui nominis commutavit. Nam Μίνθη priſcis Græcis dicebatur herba, poſtea ab odoris ſuavitate, ἡδύοσμος appellata, Latinis *Mentha.* Ovid. *Met. l.* 10.

MINTHE, mons Peloponneſi inter Taygetum, ad Auſtrum & Stymphalum ad Septentrionem *Mittena* hodiè. *Evan* Pauſan. *l.* 4. *Oleno* teſte *Nigrô.*

MINTURNÆ, oppid. Campaniæ inter Sinueſſam, & Formias, ad Lirim fluv. habens propinquas paludes. in quibus Marius delituit, fugiens perſecutionem Syllæ. *Plut. Georg. Fabricius* ſcribit vulgò *Trajetto* vocari. At ex ejus ruinis Trajectum, oppidulum ad 2. mill. paſſ. extructum, habet *Ferrar. Caſtro al Mar Nardo. Straboni ac Ptol.* Μιντοῦρναι, at Plutarcho in *C. Mario* μιντέρνη, & Dionyſio *l.* 1. Μιντοῦρνα, *Stephano* Μίντυρνα, denique *Procopio* Μεντύρνη, Paludoſum locum fuiſſe innuit Juven. *Sat.* 10. *v.* 276. ubi de C. Mario.

Exilium & carcer, Minturnarumque paludes.

Vide quoque Lucan. *l.* 2. *v.* 424. Horat. 1. *Ep.* 5. Ovid. cui *graves* dicuntur *Met. l.* 15. *Baudrando* urbs fuit Latii, ſatis culta, paulò ſupra oſtia Liris fluvii ad ejus dextram, in planitie, uti videre eſt in amphitheatri & aquæductuum reliquiis. Suntque in eo loco veſtigia pontis olim conjungentis viam Appiam. Ibi nunc Liris ſcaphâ trajicitur; hinc locus dicitur *la barca del Garigliano.* Sed vix urbis apparent rudera, & manet tantùm parva turris cum taberna.

MINUENDI ſanguinem ritus, in Monaſteriis, hiſce deſcribitur in *libro Ordinis* S. Victoris Pariſ. MS. *c.* 55. apud Car. du Freſne: *Quinquies in anno fient generales minutiones, extra quas ſine periculo gravis infirmitatis licentia minuendi nulli omnino conceditur. Propterea enim tam ſæpe conceditur, ne ab aliquo, exceptis his temporibus, ſuperfluo regulariter requiratur. Prima eſt in Septembri: Secunda eſt ante Adventum: tertia eſt ante Quadrageſimam: quarta poſt Paſcha: quinta poſt Pentecoſten---- tribus diebus minutio durabit: Poſt tertiam diem ad Matutinas venient & de cœtero in conventu erunt: ſicque die quartâ abſolutionem in Capitulo accipient.* Similia habet ferme *Regula* Ordinis Sempringhamenſis. In *Chronico* Trudonis *l.* 9. *Quando minuebant Fratres, chorus totus unus ſimul minue-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

minuebat cum ſilentio & pſalmodia, ſedentes ordinatè in cella una. Adde librum *Uſuum* Ordinis Ciſtercienſis *c.* 90. At in *Capitulari* Ludovici Pii A. C. 817. vetantur Monachi *certum flebotomiæ tempus obſervare*; cui quadantenus conſentit Udalricus *Conſuetudin. Cluniac. l.* 2. *c.* 21. Ad ejuſmodi verò *minutiones*, addita fuiſſe certa in Monaſteriis prædia ex eodem *Chronico* Trudonenſi, obſervat Car. du Freſne præfatus *in Gloſſario.* Vide quoque Macros Fratres *in Hierolexico*, nec non ſuprà ubi de *Militaribus pœnis.*

MINUSCULÆ Quinquatrus, dictæ ſunt Juniæ Idus, teſte Varrone *de L. L. l.* 5. ab ſimilitudine majorum, quòd tibicines tum feriati per Urbem vagarentur, & convenirent ad ædem Minervæ. Idem *Feſtus* habet. Originem ritûs indicat Liv. *l.* 9. *c.* 30. ubi ait: *Tibicines prohibiti à proximis Cenſoribus erant, in æde Jovis veſci, quod traditum antiquitùs erat: Ægrè paſſi, Tibur uno agmine abierunt, adeò, ut nemo in urbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit Senatum, legatoſque Tibur miſerunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis reſtituerentur. Tiburtini benignè polliciti, primùm accitos eos in Curiam hortati ſunt, uti reverterentur Romam: poſtquam pelli nequibant, conſiliô haud abhorrente ab ingeniis hominum eos adoriuntur. Die feſtô alii alios per ſpeciem celebrandarum cantu epularum cauſâ invitant, & vinô, cujus avidum genus eſt, oneratos capiunt atque ita in plauſtra conjectos Romam deportant, nec prius ſenſêre, quàm, plauſtris in foro relictis, plenos crapulâ eos lux oppreſſit: tum concurſus Populi factus, impetratoque ut manerent, datum ut triduum quotannis ornati* (veſtibus ſcil. floridis & muliebribus ac capite perſonis tectô) *cum cantu, atque hac, quæ nunc ſolennis licentia, per Urbem vagarentur, reſtitutumque in æde jus veſcendi iis, qui ſacris præcinerent.* Vide etiam Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. Plut. *in Quæſt. Rom. quæſt.* 55. & Ovidium *Faſt. l.* 6.

MINUSCULARII, memorantur *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Indulgent. debitor.* & Auguſtino *de C. D. l.* 7. *c.* 4. *Ridemus, quidem, cùm eos videmus figmentis humanarum opinionum partitis inter ſe operibus diſtributos, tanquam* Minuſcularios *vectigalium, conductores, vel tanquam artifices in vico Argentario ubi unum vaſculum ut perfectum exeat, per multos artifices tranſit, cùm ab uno perfecto perfici poſſet.* Hæc vera lectio, quam & *Gronov.* in membranis Noricis obſervavit. Varias corruptas proponit *Vives.* At Gruteus non bene hinc colligit, *Minutularios* negotiatores Appuleji *Magnariis* diverſos *l.* 2. *Suſpit. c.* 7. Etenim falſa illa lectio & hìc negotiatorum mentio nulla. Longè etiam à vero devius, qui *Minuſcularios vectigalium conductores*, è *Feſto* & *Servio*, ubi illi *de Minuſculis Quinquatribus*, explanare ſatagit. Quid enim ad vectigalia Quinquatrus? Quid publicorum conductores ad Matronas ſacrificantes & tibicines feriatos Palladi? Qui portoria aut alia vectigalia redimebant Publicani, eorum pro facultatibus & fide variæ erant portiones, Polyb. *l.* 6. Οἱ μὲν ἀγοράζουσι παρὰ τῶν τιμητῶν αὐτοὶ τὰς ἐκδόσεις· οἱ δὲ κοινωνοῦσι τούτοις· οἱ δ' ἐγγυῶνται τοὺς ἠγορακότας· οἱ δὲ τὰς οὐσίας διδόασι περὶ τούτων εἰς τὸ δημόσιον. Val. Max. *l.* 6. *c.* 9. *ex.* 7. *T. Aufidius cùm Aſiatici publici exiguam admodum particulam habuiſſet.* Qui hic parva muniebant mœnia, qui pro rei aut animi ſui anguſtiis exiguum quid aut ab Cenſoribus, aut à fiſco aut ab ipſis denique majorum vectigalium Publicanis conduxerant, *Minuſcularii* dicti. Quo modo κατ' ἐξοχὴν *leg. cit.* vox ſumitur, nempe de minorum publicorum conductoribus. Extat vox in ſimplici ſenſu etiam, in codice *Juſtiniani.* Hos verò omnes phraſi eleganti & rarâ, *in publico eſſe* dicit *Livius*, h. e. curationem muneris aut ſumptus aut vectigalis publici adſcriptâ locationis lege ſuſcepiſſe, conductores publici ſeu Publicanos eſſe. Sic ἐν γεωργίᾳ eſſe, pro γεωργὸν eſſe. Ælian. *Variar. Hiſt. l.* 1. *c.* 31. Τοὺς ἐν χειροτεχνίᾳ pro τοὺς χειροτέχνας dixit Libanius *Orat. de Vinctis.* Apud Plautum *in opera eſſe*, pro operas præbere, operarium eſſe. *Ciſtellar. Act.* 4. *Sc.* 2.

At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita eſt.

Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 23. & infrà *Publica.*

MINUTA, moneta minutiſſima, quam Græci λεπτὸν vocabant, de quo multa Scaliger, & alii, qui de *Re Nummaria* ſcripſerunt. Aimoinus *de Mirac. S. Benedicti l.* 3. *c.* 3. *Deſideriô accenſus eſt adeundi Matris Chriſti aulam —— quam introgreſſus, minutam ſibi à Vicario ejuſdem Viri, Ermenfredo nomine, obtentu tranſmiſſam eleemoſynæ, altario —— ſuperimponere cupiens, ſenſit ſuos reſolvi nervos.* Tabularium Dervenſis Monaſterii. *Opus verò caſtelli ſemel in anno fiet una hebdomada Martii, & non in alio menſe: & ſi opus non fuerit, pro redemtione operis ſex denarios de manſu veſtito, de dimidio tres, de quarta parte manſi tres minutas.* Ita denarius *binis minutis* conſtitit. Joh. de Janua, *Minutum, quoddam pondus, ſcilicet media pars quadrantis, unde pauper vidua miſit duo minuta*, i. e. *quadrantem.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & hìc infrà *Minuti.*

MINUTAL, apud Martial. *l.* 11. *Epigr.* 32. ubi de Cæciliano, homine ſordidè lauto, qui nonniſi cucurbitis in fruſta diſſectis variéque apparatis, hoſpites ſuos excipiebat:

Has primâ feret, alterâve cœnâ;
Has cœnâ tibi tertiâ reponet.
Hinc feras epidipnidas parabit;
Hinc piſtor fatuas facit placentas;
Hinc & multiplices ſtruit tabellas;
Et notas caryotidas theatris:
Hinc exit varium coco Minutal,
Ut lentem poſitam fabamque credas &c.

Cibus eſt è variis minutim conciſis, *Schrevelius ad loc.* Græcè μυττωτὸν, de quo conſule *Apicium.* Vide quoque ſuprà *Eſiciata, Iſitia.*

MINUTI, apud Romanos, alii ærei, alii argentei. De illis Æl. Lamprid. *in Alexandro c.* 22. *Tantum intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut quum fuiſſet octominutalis libra, ad duos unumque utriuſque carnis libra redigeretur.* Nempe ante legem Alexandri vendebatur libra porcinæ aut bubulæ octo *minutis*; poſteà redacta eſt ad duorum pretium: magna vilitas ex magna charitate. Caſaubon. *ad loc.* De iſtis Vopiſc. *in Aureliano, c.* 9. *Ipſi autem ad ſumtus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum* &c. Sed omnes *minutos*, qui Græcis λεπτὰ, argenteos fuiſſe, contendit Salmaſ. *Not. ad hos Scriptores. Minuti* enim inquit, ſeu *Minutuli* dicuntur apud illos, quos *denarios* vocabant veteres, qui denarii drachmæ ferè pondus ac æſtimationem habebant. Atque ut Latinis *minuti argentei*, pro denariis: Sic Græcis τὰ λεπτὰ ἀργύρια ἀντὶ τῶν δραχμῶν. Sed & abſolutè *Minutos* appellârunt Latini, cùm *argenteos* ſubintelligerent: ut Græci λεπτὰ, ſubintelligentes ἀργύρια· λεπτὰ igitur ſunt drachmæ. Certè *Heſych.* λεπτὸν dicit eſſe ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου: talentum autem ſex millibus denariûm vel drachmarum valuiſſe conſtat. Sic λεπτὰ δύο in Euangelio, Hilarius *in Pſalmum* 128. exponit *duos denarios*: & quadrantem, qui duos minutos habere dicitur in Euangelio Marc. *c.* 12. *v.* 42. definiunt eſſe unciæ quartam partem; ita *minutus*, erit octava pars unciæ, uti & drachma. Aſſentitur clarè *Epiphanius*, cùm *duas drachmas*, vocat, quæ alii *duo minuta.* Igitur *Minuti* vel *Minutuli* omnibus locis *Hiſtoriæ Auguſtæ* ſunt, quos *denarios* vetuſtiores vocant Auctores, quorum 25. aureum unum efficiebant. Hactenus Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* Vide quoque ſuprà *Denarius, Drachma, Minuta*, & infra *Philippei.*

MINUTIA, Virgo Veſtalis, quæ, propter corporis elegantem cultum, in ſuſpicionem venit libidinis, unde & ſervâ quâdam contra illam teſtimonium dicente, viva defoſſa eſt. Liv. *l.* 8. *c.* 15.

MINUTIA, porta quædam Romæ, dicta ab ara Minutii, cui erat proxima. Vid. Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 21.

MINUTIÆ Curator, vide ſuprà *Frumentum.*

MINUTIANUS, Sophiſta Athenienſis, qui artem Rhetoricam & præexercitamenta ſcripſit.

MINUTIARIA Ars, Græce λεπτουργία, Gallis *Menuiſerie*, quæ inteſtina opera ex ligno, elegantiore fabricâ, efficit. Unde λεπτουργοὶ τεχνῖται. apud *Theophanem.* Plurimi autem artificii hæc inteſtina opera. Plin. *l.* 16. *c.* 42. *Firmiſſima ad tectum abies, eadem valvarum repagulis & ad quæcunque libeat inteſtina opera firmiſſima, ſive Græcô, ſive Campanô, ſive Siculô fabricæ artis genere, ſpectabilis ramentorum crinibus pampinatô ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos runcinarum raptus.* Ubi pro *ad tectum*, *in rectum*, & pro *repagulis*, *paginis*, legi jubet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034. Vide quoque ſuprà in *Inteſtina*, & *Mediale:* uti de obolo argenteo, *ob rerum minutias*, quâlibet hebdomade, uxori à marito apud Hebræos ſolvi ſolito, ſuprà voce *Maritus*; de *minutiarum* ſeu *rerum minutarum* Pictoribus, infrà voce *Rhopographi*; aliis Artificibus, hîc paſſim, inprimis vocibus, *Marmor*, & *Microſcopium*, it. *Vitream; de mercium minutarum* venditoribus, infrà voce *Rhopopola*: de inſtrumento *minutiſſimas* quoque *res* exactè videndi, ſuprà iterum, voce *Microſcopium.*

MINUTIUS Augurinus, Tribunus plebis, qui Sp. Melium regnum Romæ affectantem reum peregit. Huic, quòd farris pretium trinis nundinis ad eam vilitatem redegiſſet, ut aſſe modius væniret, tantus à plebe eſt habitus honor, ut collatâ in capita ſtipe unciariâ, ænea ei ſtatua extra portam Trigeminam fuerit collocata. Plin. *l.* 34. *c.* 5. Vide *Marcus Titus:* it. *Publius.*

MINUTIUS Baſilus, prænomine *Lucius*, Cæſaris in Gallia Tribunus, *l.* 6. *Bell. Gall. c.* 29. & 30. poſtea conjurationis in eum particeps. Vide Cicer *l.* 6. *Famil. Ep.* 6. Vide & *Lucius.*

MINUTIUS Fundanus, Aſiæ Proconſul ſub Hadriano.

MINUTIUS Juſtus, præfectus caſtrorum legionis ſeptimæ Galbianæ, quia ſeveriùs quàm bellô civili imperitabat, ſubtractus militum iræ, ad Veſpaſianum miſſus eſt. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 7.

MINUTIUS Rufus, à partibus Pompeji, qui cum Aſiaticis navibus erat Orici, Cæſ. *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 7.

M. MINUTIUS Felix, cujus Imperatoris temporibus Romæ vixerit, non ſibi ſatis liquere ait Franc. Balduinus, Proleg. *ad Minuc. Fel. Octavium.* Hieronym. *in ſuo Catalogo*, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuiſſe, obſcurè ſignificat. Idem verò *in Ep. ad Magnum*, loquens de Latinis Eccleſiæ ſcriptoribus, etſi Minutium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem aſcribere Cypriano magis videtur. Sed & in *apologia*, pro ſuis adverſus Jovinianum libris, primô locô Tertullianum, ſecundô Cyprianum, tertiô Minucium commemorat. *Sabellicus*, ſed ſine teſte, affirmat eum Romæ floruiſſe, quô tempore Urbanus ibi erat Epiſcopus, h. e. temporibus Alexandri Severi Imperatoris. Si ita eſſet, Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, adeoque Juriſconſultis Ulpiano & Paulo foret, *Minuciam* verò gentem olim Romæ nobilem fuiſſe ſatis conſtat; in qua 4. Conſules *Minucii Augurini*, intra annos quadraginta, numerari poſſunt. Sed & *Minucios Rufos*, & *Minucios Thermos* in Faſtis Conſularibus legas. Denique & *Minucius Fundanus* Aſiæ Præſes fuit illuſtris, ad quem Adrianus Imperator non iniquam de Chriſtianis legem miſit: ut jam nihil dicam de eo, cujus in *Epp.* meminit Plinius, vel quem Julianus JCtus laudat, cujus ad *Minucium Natalem* libri de Jure civili laudantur. His verò omnibus unus *Minucius Felix*, etſi non fuerit ejuſdem aut generis, aut familiæ, facilè anteponendus eſt, ætate quidem poſterior, doctrinâ tamen, virtute, & pietate multo ſuperior. Fuit enim non modò Juriſconſultus magnus, & excellens ſuô tempore Orator, ſed (quod majus eſt) fuit ſeriò Chriſtianus. Luculentum teſtimonium de hoc ſcriptore profert Lactantius *l.* 1. *c.* 11. & *l.* 5. *c.* 1. *Minucius Felix, non ignobilis inter cauſidicos loci, fuit. Hujus liber, cui* Octavio *titulus eſt, declarat, quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet.* Sed & Hieronym. *ad Magnum: Minucius Felix cauſidicus Romani fori,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſori, in libro, cui titulus Octavius *eſt, & in altero* contra Mathematicos, *ſi tamen inſcriptio non mentitur auctorem, quid gentilium ſcripturarum demat imitatum?* Juniorem quidem, ſed fere æquævum Tertulliano credit *Joan. à Woweren. Scaligeri* quoque verba apponam: *Æqualem Tertulliano*, inquit, *Minucium fuiſſe, ſemper mihi perſuaſi, & quæ in utroque ſcriptore totidem verbis perſcripta extant, uter ab altero mutuatus ſit, dubito. Sub Heliogabalo ambos ſcripſiſſe veriſimile eſt.* Hæc ille. Alius de Fato, ſeu contra Aſtrologos, liber, hujus nomen præ ſe fert, ſed ejus non eſt: ut vel ex Hieronym. modò laudato licet colligere. Cæcilius, qui ab illo differens introducitur, videtur quibuſdam Præceptor Cypriani, cujus nomen honoris ergò ſibi ſumpſit. *Nic. Lloyd.* Vide inſuper Hieronym. *de Vir. Illuſtr. c.* 58. Item, *Orat. & apol. ad Pammach.* Eucher. *ep. ad Valer.* Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccl. Rigaltium, in not. ad. Minut.*

MINUTIUS Rufus, vide *Quintus.*

MINUTIUS Scævola, vide *Publius*; it. *Quintus.*

MINUTIUS Thermus, vide *Quintus.*

MINUTIUS & Protonius, perſonati Comœdiam primi egiſſe dicuntur. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 13.

MINYA, urbs Theſſaliæ circa Scarphiam, à *Minya* dicta, quæ prius *Almonia* dicebatur. Item Elidis, ubi Minycius fluv. juxta Pylum. Inde *Minyates* populi. Eſt & altera Phrygiæ. Hinc *Minyion, Minyeis, Minyejus:* Gentile *Minyæ. Steph.*

MINYÆ, populi Theſſaliæ, aut certè Magneſiæ, quæ eſt regiuncula Theſſaliæ ab Ortu annexa, qui Iaſonem in Colchos proficiſcentem ſequuti ſunt. Sic dicti à *Minya* Orchomeni rege, qui cùm omnes mortales ſuæ ætatis opibus ſuperârit, primus omnium gazophylacium conſtruxiſſe dicitur. Pauſan. *l.* 9. & Cæl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 25. Hos à Pelaſgo è Lemno ejectos, Theras Thebanus, unà cum Lacedæmoniis quibuſdam, duxit in inſul. Calliſten, quæ à coloniæ hujus auctore *Theræ* nomen accepit: ætate unâ ante Ionicam migrationem. Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec.* XIII. ex Pauſania *l.* 7.

MINYAS, vir quidam Thebanus, cujus filiæ *Minyeades* in veſpertiliones ſunt commutatæ. Ovid. *Met. l.* 4.

MINYEUS, ſive MINYEJUS, *Homero* fluv. Theſſaliæ, poſtea *Orchomenus* dictus. Plin. *l.* 4. *c.* 8. Strabo *l.* 8. eundem facit cum Anigro. Hom. *Il.* 11. *v.* 721. juxta Arenem in mare deſluere tradit.

MINYIA, Amorgi inſulæ civitas. *Steph. Mandria Caſtaldo. Plari Sophiano. Ptol.* eſt Inſulæ maris Icarii, inter Con & Samum.

MIR, apud Gothos, adjectum nominibus appellativis, quid ſignificet, docemur ex Smaragdo *Comment. in Partes Donati: In Francorum Gothorumque genere hæc patronymica ſpecies frequentatur multotiens: à parte enim gentili & Theodiſca veniunt lingua, de quibus in exemplo Gothorum pauca primùm ponimus nomina, quorum hæc ſunt, Altmir, Glitmir, Rigmir Raimmir, Watmir, -- & ſimilia, quorum hæc eſt in Latinum interpretatio. Altmir namque, vetulus mihi, interpretatur: Glitmir, debitus mihi: Raimmir, nitidus mihi: Watmir veſtimentum mihi*, apud Car. du Freſne *Ibid.*

MIRABELLUM Hiſpan. *Mirabel*, locus Hiſpaniæ & illuſtris familiæ nomen, quæ Davilarum ſtirpis ramus eſt. Alvarus enim Dominus *de Mirabel*, Alvari II. de *Zuniga* Ducis *de Bejar* filiorum unus, ab uxore Maria *Manuel de Sotomayor* dominium *Alconchel* obtinuit, quæ utraque ſucceſſio per Mariam *Manuel de Zuniga*, ad familiam Davilarum delapſa eſt, unde *Marchiones de Mirabel*, quorum ſeries hæc. Petrus Davila Dn. *de las Navas* & *Villafranca*, ex Maria Bracamonte, pater fuit Petri Davilæ Comitis *del Riſco*: quô, & Elvirâ Toletanâ, natus Stephanus Comes, Elviram *de Zuniga* ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Petrum Davilam Marchionem *de las Navas* Comitem *del Riſco*, cui Maria de Corduba Petrum genuit Marchionem *de las Navas* & Comitem *del Riſco*; patrem ex Hieronyma Henricia *de Guzman*, Antonii *de Toledo* & *Davila*. Hic, ductâ Franciſcâ *de Zuniga* & *Davila* Marchion. *de Mirabel* (filia Alfonſi *de Zuniga & Corduba* ac Hieronymæ *de Zuniga* & *Davila* Marchion. *de Mirabel*, Ludovico Davilâ Marchione *de Mirabel* genitæ) ſuſcepit Antonium, Henricum & Balthaſarum, nominis *de Zuniga* & *Davila* Marchiones *de Mirabello.* Vide Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 69.

MIRABELLUM, urbecula Pictavenſis provinciæ in tumulo, alias cultior, nunc deficit; & caſtrum ejus dirutum eſt 5. leuc. à Pictavio in Boream Salmurium verſùs, totidem à Richelæo verſus Auſtrum *Mirebeau* vulgò.

MIRABILIA Mundi, cognomen Ottonis III. Imperatoris apud Bucholzerum *in Indice Chronol.*

MIRACE, locus Scythiæ Vide *Tamyrace.* Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 50.

——— *Viridem Miracen Tibiſenaque juxta*
Oſtia. ——— ———

MIRACES Eunuchus, à Parthis, ad fœdera Colchica aurô conducenda, miſſus, dum temerè ſe bello & partibus miſcet, à Syene occiſus eſt. Vide Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 690.

MIRÆUS Aubertus, Bruxellenſis, natus A. C. 1573. patre Guilielmo, Johannis Epiſcopi Antverpienſis fratre, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione inclytus, Alberto & Iſabellæ Belgarum Principibus à Sacris Oratorii & Bibliothecis fuit; exin Decanus Eccleſiæ ad B. Mariam Antverpiæ factus, obiit. A. C. 1640. Scripſit *Elogia illuſtrium Belgii Scriptorum*, *Elogia illuſtrium gentis Spinolæ*, aliaque quàm plurima enumerata P. Frehero *Theatro Viror. Eruditione clarorum.*

MIRÆUS Johannes, vide *Johannes.*

MIRAG, Alkazuinio Scriptori Arabi, animal eſt mirabile, leporis inſtar, flavi coloris, cornu nigrum in capite unicum habens, tam terribile, ut illud ferarum nulla videat, quæ non ilico fugiat. Hoc monſtrum reperiri addit, in Inſulis maris. Ad quæ verba *Fortaſſe*, inquit Bochartus, *in eadem inſula, in qua latet algeſſaſa, portentoſa bellua, quam equitabit Antichriſtus, ut res novas inveſtiget.* Vide eum *Hieroz. Part. prior. l.* 6. *c.* 13. *ubi de Arabum animalibus fabuloſis.*

MIRAMOLINUS, vel MIRAMOMOLINUS, i. e. caput ſeu Princeps fidei, nomen Maurorum Principibus commune. Sed & ſolô hoc quidam inſignes fuêre: ut ille, qui A. C. 1193. Hiſpaniam ingreſſus, cum 600000. Mauris, Alphonſum Caſtellæ Regem Annô 1233. æræ Hiſpanicæ cæſis Chriſtianorum 50000. devicit. Item is, qui aliàs Mahometus Viridis dictus, Maroci Rex ſuperatus eſt, A. C. 1212. ab Alphonſo Caſtellano, Petro Arragonio & Sancto Navarræo. Alius, in Hiſpaniam irrupit, A. C. 1275. *Roderic. Mariana, Surita, Turquetus*, &c. Meliùs *Miramomelinus*; Gregorio Abulfaragio *in Hiſtor. Dynaſtiarum p.* 110. ex verſione Pocockii, de Omare Calipha filio Omari, *Amiral-mumnim*, ſic enim is: *Cumque vocaretur Chalifa Chalifæ* (Vicarius Vicarii) *nuntii Dei, dixerunt, Longus eſt hic* (titulus) *vocatus eſt ergo Amiral--Mumnim* (*Imperator credentium*) *atque is primus hôc titulô inſignitus eſt.* Sic itaque, item *Amirmumnes*, appellati ſunt Bagdadenſes, atque adeò ſupremi Sultani, qui ſub Chalipha univerſæ rerum adminiſtrationi præerant: Ἀμερμουμνᾶ *Cedreno*, *Zonaræ* & *Conſtantino Porphyrogenito:* Ἀμερουμνᾶ *Annæ Comnenæ*: *Amermis in* Fredegario Scholaſtico: *Amiral-mumin, in Ep.* 3. Leonis III. Pontif. *Amiramomemini* Roderico Toletano *de Rebus Hiſpan. l.* 6. *c.* 32. Bernardo Monacho *Amormomini*, in *Itiner. Terræ S.* Lucæ Tudenſi *Miramomelini*, ærâ 1129. *Miramummelini*, Rigordo *A. C.* 1211. at *Hemirmomelini*, A. C. 1195. *Mirmumni*, in *Vita* S. Wilibaldi *c.* 15. in *Chron. Or. Almamuni* & *Amir-Almumamini:* quas quidem voces *Credentium Principem* ſeu *Fidelium Dominum* ſignificare, apud Arabas, pluribus docuit Car. du Freſne *ad Alexiadem p.* 371. 372. *Amir* enim Arabibus Dominus. *Amir Gazis*, apud Ordericum *l.* 10. Ἀμὴρ, *Annæ Comnenæ* & aliis: à qua voce ortum ducunt *Amiræ* & *Amiralii*, apud Saracenos & Turcas, Satrapæ nempe Urbium vel provinciarum Præfecti atque adeò ſupremi Sultani, qui Caliphæ ſuberant. Martyrium S. Bacchi junioris *p.* 106. Ὁ στρατηγὸς ὁ παρ᾽ αὐτοῖς, ὁ καὶ Ἀμυρᾶς ὀνομαζόμενος. Anaſtaſius *Biblioth. ad* VIII. *Synod. act.* I. *Hamiram Græci vocant Principem Saracenorum: interpretatur autem, ut ferunt. linguâ eorum Præpoſitus* &c. At aliter de vocis notione ſcribit Iſidorus Pacenſis *in Chron. ærâ* 750. *Ulit Amir--Almuminin, quod idioma regni in lingua eorum reſonat. Omnia proſpere gerens.* Corruptè verò habet *Molanus*, *Hiſtor. Hieroſolym. p.* 1152. *Eô tempore gentilis quidam Seuvarius nomine, ſub Molano, quem patriâ lingua Dominum dicunt, univerſum procurabat Ægyptum.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in vocibus *Amir*, *Amirmumnes* & *Miramomelini.*

MIRANDA, nomen illuſtris in Hiſpania familiæ, Avellanedææ ſtirpi junctæ. Hæres enim hujus è Caſtella veteri familiæ Aldoncia filia Johannis *de Avellaneda*, qui Johanni II. Caſtellæ Regi inſerviit, nupſit Didaco Lopezio *de Zuniga* Comiti *de Miranda*, unde hujus poſteri nomen hoc gentile avito ſuo adjecêre. Eorum iſta eſt ſeries: Didacus Lopezius *de Zuniga* Comes *de Miranda*, ex Aldoncia (filiâ Johannis *de Avellaneda*) genuit Petrum *de Zuniga* & *Avellaneda* Comitem *de Miranda*: quô, & Catharinâ *de Velaſco*, natus Franciſcus I. Mariam Henriciam *de Cardenas*, uxorem habuit, atque ex ea pater fuit Franciſci II. qui ex Maria *de Bazan*, Vice Comite *de Valduerna*, filium habuit Johannem *de Zuniga*, *Avellaneda* & *Cardenas* Ducem *de Penneranda*; cui Maria agnata, genuit Didacum *de Zuniga*, *Avellaneda*, *Bazan* & *Cardenas* Ducem *de Penneranda* Comitem *de Miranda*: Patrem, ex Franciſca *de Sandoval* & *Roxas*, Franciſci Marchionis *de Banneza*, Catharinæ (quæ nupſit Philippo Johanni Balthaſaro Pacheco Duci *de Eſcalona*) Mariæ & Johannis, qui hôc ſeculô floruerunt; omnes nominis *de Zuniga*, *Avellaneda* & *Cardenas*, *ex Comitibus de Miranda de Duero, in Epiſcopatu de Oſma.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 36.

MIRANDA, vulgò MIRANDE, oppid. Aſtaracenſis Comitatus in Aquitania, ad Baiſam fluv. 4. leuc. ab Auſciis in Africum, Tarbam verſus, à qua ferè 7. leuc. diſtat.

MIRANDA Durii, *Miranda de Douro*, urbs Portugalliæ, ad Durium fluvium, in ipſo confinio regni Legionenſis. 12. leuc. à Sentica in Occaſum, uti à Salmantica in Circium, 6. à Brigantia in Meridiem, probè munita verſus montes.

MIRANDA Iberica, oppid. Caſtellæ veteris ad Iberum fluv. ubi aliàs Deobriga quibuſdam. In confinio Biſcajæ, uti & Alavæ, 15. leuc. à Flaviobriga in Meridiem, *Miranda de Ebro*, vulgò.

MIRANDULA, incolis *Mirandola*, Gallis *la Mirande*, Italiæ civitas parva, Joanne Picô Comite nobilis. Munita, cum arce valida, ſub proprio Principe, à gente Pica ab an. 600. cum regiuncula adjacente, 22. milliar. à Mutina in Boream, 10. à Pado in Meridiem. In Longobardia; inter ditiones Mantuanam, in Septentrionem, & Mutinenſem in Auſtrum. Nomen urbi dicitur Eurida dediſſe, filia Conſtantii Imperatoris, quæ ibi loci tres filios peperit, ex Manfredo gravida, qui in rei memoriam urbem hanc condidiſſe fertur. Leander Alb. *deſcr. Italiæ.*

MIRAPISCÆ, ſeu MIRAPINCUM, ſeu *Mirapicis caſtrum* olim, nunc urbs Occitaniæ ſuperioris ad Lertium fluv. 3. leuc. à Fuxio in Ortum, uti ab Apamæa, 7. ab Alecta in Occaſum, 11. à Toloza in Auſtrum, olim ſub Comite Fuxenſi. vulgò *Mirepois* vel *Mirepoix.* Sedes Epiſcopalis à Joh. XXIII. fundata, A. C. 1318. in gratiam Comitum Mirapicenſium, è familia Levi, qui ſub Montfortio contra Albigenſes meruerunt, Mareſchalli Fidei quoque vocati. Ducheſn. *antiq. urb.* S. Marth. *Gall. Chriſt.* In ejus diœceſi continentur præ cœteris Mirapicum, Vivaria, Rivus altus *Rieucros*, Exarta *les Iſſars*, Villa Nova, Monsferrarius. Aquæ Vivæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Fanum Jovis *Fanjaux*, Monaſteriolum *Moneſtrol*, & Lauracum majus *Laurac le grand*, Hadr. Valeſ. in voce *Apamiæ*.

MIRAVETUM, oppidulum munitum Cataloniæ, cum caſtro, ad Iberum fluv. 4. leuc. ſupra Dertuſam in Cæciam, 10. ab Ilerda in Meridiem, Vulgò *Miravet*.

MIRCENA, in L. Henrici I. Regis Angliæ *c.* 6. Lex mercio-rum ſeu Martiana una è tribus Legibus, quæ in Anglia obtinue-runt. Vide *ſuprà*.

MERECURTIUM, urbs Lotharingiæ ſuperioris ad Maidonem fluv. verſus Vogeſum montem. 7. leuc. à Nancejo in Meridiem, uti à Tullo, 6. à confinio Campaniæ in Ortum. Vulgò *Mirecourt*.

MIRIFICA Lucerna vide ſuprà *Lucerna*.

MIRISSIMUS, vide infrà *Muriſſimus*.

MIRITUS, exiguus mons Theſſaliæ

MIRMUMNI, vide ſuprà in voce *Amirmumni*.

MIROBRIGA, urbs Hiſpaniæ ulterioris in conventu Cordubenſi. *Ptol. Villa de Capilla*. Item urbs Vettonum excíſa: olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compoſtellano: cui Rodericopolis ſucceſſit. *Malabriga*, teſte *Morali*. Item, in Hiſpania Tarraconenſi in Oretanis.

MIRTILUM, oppid Portugalliæ, *Viana de Foz de Lima*; ad oſtia Limii fluv. in ora Oceani Atlantici, vix 3. leuc. ab oſtio Minii in Meridiem, uti à limite Gallæciæ.

MIRUS, Phrygiæ fluv. *Suidæ*.

MISAAM, fil. Elphaad filii Mehuſim. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 12.

MISACH, vel MESCHACH, unus ex tribus pueris, qui & *Miſaël*, unà cum Anania & Azaria in fornacem igneam conjectus hymnum ibi cecinit. Eſt item fil. Oziel filii Caath. Exod. *c.* 6. *v.* 22.

MISARIS, promontor. Sarmatiæ Europææ *Ptol.* ad Achillis Dromon.

MISAUCI, aliis MASCAUCI, in tropæo Auguſti apud Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Hiſarci*, ubi Tſchudus legit *Miſauci*, Lepontiorum populus, ſupra lacum Verbanum. Habitant hi vallem Meſoltinam vel Miſaucinam *Maſoxerthal*, à præcipuo loco Miſauco, *Maſox*, arce munita in primo Rhætorum fœdere. Paruêre quondam Baronibus Monſaxiis, quos Sigiſmundus Imperator poſtea Comitivâ dignitate ornavit. Vide Joh. Bapt. Platinum *Helv. Ant. & Nov.* Simlerum *de Rep. Helv. &c.*

MISCELLANEA, apud Juvenal. *Sat.* 11. 20.

——— *Veniunt ad* Miſcellanea *ludi:*

Britannico ſunt ludi & ludicræ artes, idemque cum *ludis miſcellis*, de quibus mox. At veteri *Scholiaſtæ* ultima cœna Gladiatorum, quam *ſupremam cœnam* vocat Tertullian. *in Apologetico*. Vide ſuprà, in *Cœna* & *Ludii*, infrà quoque ſimile quid ubi de *Murrato vino*.

MISCELLI Ludi, memorati Suetonio *Calig. c.* 20. Edidit & peregrè *ſpectacula*; *in Sicilia Syracuſis haſticos ludos & in Gallia Lugduni miſcellos*; qui fuerint, in dubio eſt. Lev. Torrentius *Comm. in hunc locum*, ſic vocatos exiſtimat, qui ad nullum certum genus Ludorum Scenicorum, ſive argumentum, ſive ſcenæ inſtrumenta & apparatum ſpectes, referri poſſunt: quemadmodum columbarum quoddam genus *miſcellum* vocat Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 7. quæ neque agreſtes neque domeſticæ ſunt. Wolfgangus Lazius *Comm. Reip. Rom. l.* 2. *c.* 15. ſcribit; *Miſcellaneos* ludos fuiſſe, ex variis multiformibusque ludicris commixtos. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Roman. l.* 5. *c.* 22. *ſub finem*. Scaliger, ſimiles fuiſſe Capitolinis, & victum victoris laudes ſcribere, ſua vera propriâ delere linguâ, coactum, refert *Poëtic. l.* 1. *c.* 34.

MISCELLUS, vir fuit, cui redditam ferunt ſortem ex adytis; Conditurum eum urbem, ubi in ſerenitate ipſum excepiſſet pluvia. Id nunquam futurum conjectatum ab eo, ob rei abſurditatem. Cùm tamen in Italiam appuliſſet, & maxima eventûs fluctuaret incertitudine, aſſedit illi pellex uberius flens, mœſtaque. Quod conſpicatus Miſcellus, finem habere oraculum ſuſpicatus, civitatem (Crotonem) condere adortus eſt. Cæl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 4. Cæterùm, variè ſcriptum hoc nomen, apud auctores invenias, *Mycilus*, *Miſſilus*, *Mirſilus* & *Micilos*. Heinſius *in Met. l.* 15. legit *Myſcelos*. Μύσκελος eſt Dionyſio Halic. *l.* 2. *Suidæ*, *Ariſtophanis Scholiaſtæ*, ac *Chronici Alexandrini* authori. *Straboni* nunc Μύσκελος nunc Μύσκελλος. Μύσκελλος Zenobio in *Adagio*.

Δῶρον δ' ὅτι δότης ἐπαινεῖ, Μύσκελλος verò dicitur *Marciano Heracleotæ*, & Scholiaſtæ *Dionyſii Alexandrini* Μισκέλλος; Stephano in Συρακοῦσαι, Solino *c.* 8. *Myſcellus*, quod vide. *Nic. Lloyd.*

MISCERA, urbs Sicaniæ. *Steph.*

MISCHIUM, vocatum fuit marmor Parium viride variegatum & diaphanum, è quo conſtans ſuperbiſſimum ac ampliſſimum labrum ſuperiori ſeculô, in thermis Titi effoſſum, & inde in hortos collium Vaticanorum, quos ob proſpectûs amœnitatem *Belvedere* vulgo vocant, tranſlatum eſt; vel potiùs vas ipſum: Dignum omnino, in quo tantus Imperator lavaretur. Thermas autem Titi ejusque palatium ſtatuunt in hortis D. Petri in vinculis; dicebaturque labrum. vas aquâ tepidâ, corpori abluendo, repletum, quod in una ex tribus præcipuis Thermarum cellis conſtituebatur. Labri figuram ex Boiſſardo exhibet Car. Patinus *Notis in Suetonium*, *p.* 411. Nomen autem labro inde, quòd in eo mixti ſint malachitæ, ſardonyches: agathites, cryſtallus, chalcedonius, amethyſtus, cyanus, aliæque gemmæ, quibus pretium referri nequit. Idem *ibid.*

MISCOVIA, vulgò MISCOU. Inſul. parva novæ Franciæ, fertilis, cum oppidulo & colonia Francorum, in Sinu S. Laurentii prope ſinum parvum Lebetis; inter Canadam ad Boream, & Inſulam S. Johannis ad Meridiem.

MISDATES, Perſarum Rex, A. C. 300.

MISELLI, i. e. *Leproſi*, *Gloſſæ Latino-Gall. Lepra Meſellerie*, *Leproſus Meſiaus*. Matth. Paris A. C. 1254. *Eccleſiæ S. Juliani*, *ubi* Miſelli *& Eccleſiæ S. Mariæ de Pratis*, *ubi* Miſellæ *vix habent vitæ neceſſaria*. Charta A. C. 1165. *Aſſignati ſunt ſex illi donarii*, Miſellis *de Mileduno*, *ſemper habendi in feſto S. Remigii*. Alia Raimundi Epiſcopi Magalonenſis: *Si* Miſellus *vel* Miſella, *Leproſus vel Leproſa recipi in domum voluerit*. Gallis medii ævi *Meſel*; apud Nangium MS. *in Dagoberto* alibique. Hinc *Miſellaria*, domus leproſorum. Charta A. C. 1245. in Regeſto Comitum Tholoſæ, *p.* 45. *Conceſſit Galharda de Mets & Bertrando de Miravel Leproſis & omnibus fratribus & ſororibus domus* Miſellariæ *porta Narbonenſis*, *&c.* Car. du Freſne. *in Gloſſar.*

MISENUS, Æoli fil. Hectoris tubicen, in ciendis militum animis præſtantiſſimus. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 164.

Miſenum Æoliden, quô non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Quô mortuô ſecutus eſt Æneam in Italiam. Hic cùm deos marinos ad tubæ certamen provocâſſet, à Tritone ſubmerſus eſt: ſed poſtea ab Ænea inventus, ab eo in monte quodam Italiæ ſepultus eſt, qui deinde *Miſenus* vocari cœpit. Erat autem in Campania, non procul à Cumis. Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 234.

Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo.

Item urbs in monte excíſa, olim Epiſcopalis à Bajis 2. Puteolis & Cumis 3. mill. paſſ. in ora, cujus adhuc rudera ſuperſunt. Populi *Miſenates*.

MISERICORDIA, ab antiquis fuit culta, ejuſque aram Athenienſes habuêre, ut Pauſan. *l.* 1. aliique tradunt: Romani etiam *Miſericordiæ* templum aſylum vocavêre. Nempe illius Templum primum apud Athenienſes Aſylum collocatum eſt: Nam *poſtquam Hercules*, verba ſunt Servii *ad Æn. l.* 8. *v.* 342. *migravit è terris, nepotes ejus, timentes inſidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis ſibi primi Aſylum*, h. e. Templum Miſericordiæ, *conlocârunt, unde nullus poſſet abduci*. Prolixè illud deſcribit Stat. *Theb. l.* 12. cujus vetus Interpres *Hyllus*, inquit, *Dejaniræ & Herculis, & reliqui ex eodem nati, poſtquam Hercules terris abiit pulſi ab Euryſtheo Athenas confugerunt à quibus poſtquam tam facilè auxilium meruerunt, hanc aram* Miſericordiæ *conſecrâſſe memorantur*. Erat autem in Foro poſita. Pauſan. *Atticis*, Ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλα ἐστὶν οὐκ ἐς ἅπαντας ἐπίσημα, καὶ Ἐλέου βωμός. Conſtitutaque non ſolum Atticis, ſed omnibus omnino hominibus, opus habentibus. Zenobius *Centur.* 1. *Adag.* 30. Τοὺς δὲ νεκροὺς αὐτῶν ἀτάφους τῶν Θηβαίων ῥιψάντων, καὶ μὴ διδόντων ταφῇ, οἱ τῶν ἀποθανόντων παῖδες πρὸς τὸν τοῦ Ἐλέου βωμὸν τοὺς νεκροὺς ᾔτουν. Ἀθηναίων δὲ στρατευσάντων οἱ νεκροὶ δίδονται. *Cùm autem Thebani mortuos illorum inſepultos abjeciſſent* —— *horum filii ad Aram Miſericordiæ confugientes mortuos repetebant. Itaque ab Athenienſibus bellô ſuſceptô illi redduntur.* Sic Heraclidæ, bellô ab Euryſtheo preſſi, confugerunt ad hanc aram, auctore eôdem, *Centur.* 2. *Prov.* 61. Intelligit eandem aram Lucianus *in Bis accuſato*, ὥσπερ ἱκέτην ἐπὶ τὸν Ἐλέου βωμὸν, ἐπὶ τὴν ἡδονὴν καταφεύγοντα traducens. Item Heraclides *in Geniûm Fragm.* ubi τῆς θεᾶς βωμὸν ſimpliciter, & per excellentiam vocat. Latè meminit Libanius *Relat. Demoſthenis de Ara*. Vide plura apud Lud. Cœl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 17. Didacum Covarruviam *Variar. Reſolut. l.* 2. *c.* 20. Jo. Livineium *Not. in Panegyr. p.* 325. Laur. Rameſium *Pentecontarch. c.* 16. Hug. Grotium *de Jure Belli l.* 2. *c.* 21. Caſp. Barthium *ad Claudianum* & *Statium*, Alios. Simile *Aſyli* ſeu *Miſericordiæ* jus ibidem habuerunt Minervæ templum in arce, & Eumenidum ara; Theſei quoque ædes. In quibus peregrinis quoque ſervisque licebat ſupplicibus ſedere, ex Lige, cujus meminit Demoſthenes *contra Neæram*. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1. *p.* 9. & 10. Sed & apud Romanos *Clementiæ Aram* fuiſſe docemur, à Tacito, *Annal. l.* 4. *c.* 74. *Neque Senatûs in eo cura---pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur. Ita quanquam diverſis ſuper rebus conſulerentur, aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigieſque circum Cæſaris ac Sejani cenſuêre: crebriſque precibus, efflagitabant, viſendi ſui copiam facerent.* Vide quoque, ſuprà ubi de *Aſylis*.

MISERICORDIA, apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ quod contra præſcriptas Monaſteriorum regulas in cibo, potu ac etiam veſtitu, Monachis per indulgentiam, vel ex neceſſitate præbetur. Order. Vitalis *l.* 13. *Abſtulit colloquia & infirmi corporis quædam ſubſidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiſerat clementia.* Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l.* 3. *c.* 8. *Per totam æſtatem in diebus dominicis ad cœnam impenditur illis* Miſericordia *de Lacte, &c.* At *Miſericordiæ regulares*, quæ ex præſcripto Regulæ indulgentur. *Monaſtic. Anglic. tom.* 1. *p.* 149. Sed & *Miſericordia* aula Monaſterii eſt, in qua fortè comedebant, quibus ab Abbate aliqua in cibis & potu indulgentia concedebatur *Chron. Beccenſe* A. C. 1452. Porrò ſic dicitur, quodvis onus, quod à Comitibus, Vicecomitibus & Præpoſitis provinciarum aut urbium incolis, pro eorum arbitrio imponitur. *Charta* Eduardi I. Regis Angl. *tom.* 1. *Monaſtici Angl. p.* 938. Item pœna, ſeu mulcta de quovis crimine, nullis definita Legibus, ſed Judicis relicta arbitrio, qui majorem vel minorem in reum, pro delicti modo, decernit: non quòd ſoleat hujuſmodi mulcta irrogari confitenti & *Miſericordiam* petenti, ut quidam volunt, ſed quòd ex Miſericordia Judicis ea unicè dependeat. Galli efferunt *Mercy*, Angli *Amerciamentum*. Leges Kanuti Regis Angl. *c.* 74. &c. Porrò ſic dictus legitur pugio, cultellus brevis, ſica. Cujus rationem hanc affert Falcetus, quòd milites ſeu equites ejuſmodi pugione, quô accingebantur, ad dextrum latus proſtratos hoſtes ad *Miſericordiam* victoris implorandam adigerent. Gaufredus Voſienſis *Chron. l.* 1. *c.* 44. *Cumque ſe ad muli pedes inclinaret, abſtractô Burgenſis gladio, qui* Miſericordia *vocatur, crudeliter militi infixit.* Lamb. Ardenſis, *Manus in eum injecerunt & extractis ſpathulis ſive miſericordiis, immiſericordiſſimi eum immiſericorditer jugulârunt.* Charta Communiæ Atrebatenſis, *A. C.* 1211. §. 10. *Quicunque cul-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tellum cum cuſpide, *vel curtam ſpathulam vel* Miſericordiam *vel aliqua arma multritoria portaverit*, *&c.* In plurali *Miſericordiæ*, mediô ævô dictæ ſunt ſellulæ, erectis formarum ſubſelliis appoſitæ, quibus ſtantibus ſenibus vel infirmis *per miſericordiam* inſidere concedebatur, dum alii ſtarent. *Veteres Conſuetudines* Floriacenſis Cœnobii: *Conventus erectis ſubſelliis*, Miſericordiis *aſſidebit*. *Statuta* Ordinis *de Sempringham p.* 721. *Factâ oratione ſuper formas aut* Miſericordias, *ſi tale tempus fuerit*, *ſignantes ſe inclinent*. *&c.* Vid Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Miſericordia*: ut & in *Addition.* ubi *Miſericordiam poſtulare*, apud Carthuſianos, dici illum, qui in Ordinem eorum admitti petit: annotat.

MISETUS, urbs Macedoniæ. *Steph.*

MISGETES, populi Iberum. *Steph.*

MISGOMENÆ, urbs Theſſaliæ. Gentile *Miſgomenius*.

MISITHEUS, eruditione & facundiâ pollens, à Gordiano Imperatore qui ejus filiam duxit, Præfectus conſtitutus, egregiè rem contra Perſas geſſit; fraude dein à Philippo Arabe ſublatus, unde Gordiano exitium. Jul. Capitolin. *in vita Gordian.* III. *c.* 23. 24.

MISNA, urbs ſuperioris Saxoniæ, Miſniæ caput, condita ab Henrico Aucupe, A. C. 928. qui Marchionem Miſnæ conſtituit. Sigiſmundus poſtea Imperator Friderico Marchioni, cum Saxonia, Electoratum contulit, A. C. 1423. Sub initium Reformationis, Johannes Epiſcopus Miſnenſis, venias venales, circa A. C. 1500. è ſua diœceſi ejecit, populi ſtoliditatem increpans: Vide Chytræum *par.* 1. *Saxon.* De Miſniæ autem Marchionum origine, vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hiſt.* in Familia Saxonica, & ſuprà in voce *Marchio.* Addo, quod primum Marchionem Henricus præfatus conſtituit agnatum Fridericum, ſeu, ut alii, Brunonem Wettini Comitem. Hæreditariô poſteà jure eam ab Ottone III. Imperatore accepit Eccardus I. ejuſdem familiæ, multis in Cæſarem officiis iſtam gratiam meritus. Pulſus pòſt à Bohemis Henricus Marchio, juſſu Cæſaris, contra quem cum reliquis Saxoniæ Principibus inſurrexerat, eique poſteà ſuffectus agnatus Timo Comes Wettinenſis; cujus tamen fil. Conradus Lotharii Imperatoris auctoritate, & ope poſſeſſionem demum terræ adeptus eſt, continuâ ſerie ad noſtra uſque tempora tranſmiſſam. Vide Tobiam Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus c.* 2.

MISNA, Carthaginenſium navale dicitur. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 38.

MISNA, pars Talmudis. Poſtquam enim ſacer Prophetarum Chorus terras reliquiſſet, ſenſim à Lege Patrum diſceſſum, & humanis commentis ac traditionibus Religionis caſtitas contaminata eſt: præcipuô ejus rei auctore Hillele Babyloniô, 140. circiter annis, ante ſecundi Templi excidium. Atque exinde, ut Judæi tum in ſectas ſcindi cœperant & nova facilè placebant, duplex obtinuit Hieroſolymis doctrina, una *Scripturæ*, altera *Traditionum*: cui docendæ in ſingulis Synagogis, duo Auditoria attributa ſunt. Defecit autem paulatim Scripturæ ſtudium ac prævaluerunt Traditiones. Quod factum inprimis annô poſt Chriſti excidium quinquageſimô. Deinde enim, quæ hactenus *Traditionum Seniorum* prætextu venerant, *Legis Oralis* nomine venerunt: tuncque, præter Legem ſcriptam, Judæi aliam à Moſe Legem, in monte Sinai acceptam, commenti ſunt; quæ, cùm ſublimioris ſapientiæ foret, ore excepta, eôdem modô propagari debuerit. Hanc itaque Moſen Joſuæ, hunc LXX. Senioribus, illos autem Viris Synagogæ M. tradidiſſe ajunt: donec tandem conſcripta, & in *Talmud*, tanquam Pandectas, relata ſit. Labente namque tempore, ne per Judæorum exilia crebraſque fugas, tam pretioſum depoſitum periret, Rabbi Jehuda, qui ſub Antoninis floruit, annô poſt Templum exciſum 120. in unum volumen traditiones illas congeſſit; quod *Miſna* vel *Sepher Miſnajoth*, ſeu Deuteroſeon volumen appellatur. Hiſce poſtea ſucceſſère Doctores, qui in explicatione *Miſnajoth* diſputationibusque circa illas, verſabantur, ex quibus altera Talmudis pars, *Gemara* dicta, coaluit: quæ, pro Auctorum & Scholarum diſcrimine, rurſus duplex eſt, *Hieroſolymitana* & *Babylonica*. Fr. Burmannus *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 2. *l.* 7. *c.* 1. §. 55. *&* 56.

MISNIA, vulgò MEYSSEN, ſuperioris Saxoniæ provincia, ſatis ampla, inter Salam & Albim fluvios poſita, quam olim Hermanduri, & Sorabi Slavorum natio habuerunt. Ejus montana ſunt fœta mineris. *Baudrand.* terminatur, à Septentrione Saxoniâ & Principatu Anhaltinô; ab Ortu Luſatiâ, à Meridie Bohemiâ, & Franconiâ, ab Occaſu Thuringiâ, Dividitur in 5. partes, nempe in Miſniam propriam, *das Meiſniſche*, Lipſienſem tractum *Leipziſche*, Oſterlandiam, *Oſterland*, Voigtlandiam, *Voigtlandiſche* & in dominia *Ertzgeburgiſchen*, verſus confinia Bohemiæ. Ejus etiam partes ſunt ditiones Merſeburgenſis, Naumburgenſis & Hallenſis, quæ tamen jam proprios habent Principes, è domo Saxonica, uti Oſterlandia Duci Altemburgico paret, & Voigtlandia, majori ex parte Duci Naumburgenſi. Caput provinc. *Miſna* eſt, quæ ad Albim. 3. milliarib. Germanic. diſtat, à Dreſda in Occaſum, 9. à Lipſia in Ortum, aliàs Epiſcopalis erat ſub Archiepiſcopo Magdeburgenſi cum territorio adjacente. Vide ſuprà, uti *de Toringorum & Miſnorum in Cheruſcos migratione*, B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. ac ad eum *Notas* Ottonis JCti.

Miſniæ urbes.

Altenburgum, *Altenburg.*	Lipſia, *Leypzig.*
Chemnitium, *Chemnitz.*	Merſoburgum, *Mersburg.*
Dreſda, *Dreſden*, Electorum ſedes.	Miſna, *Meiſſen.*
Halla *Hall.*	Naumburgum, *Naumburg.*
	Sitizum, *Zeitz.*
	Suicca, *Zwickaw.*

MISOR, civitas Levitarum, ſita in planitie, quondam Og Regis Baſan. in tractu Ruben. Apud Jerem. eſt regio Moabitarum. Vide Joſ. *c.* 21. *v.* 39. Hieronym. *Locis Hebr.*

MISPHRAGMUTHOSIS, Joſepho malè *Mephra-muthoſis*, ſt. *Haliſphragmuthoſis*, Thebanorum in Ægypto Rex XLIII. Mephrem excepit, contra Zet ultimum Tanitarum ſeu Paſtorum Regem victoriâ inclytus. Vergebat jam ſeculum ab ingreſſu Paſtorum quintum, quum Ægyptii longâ neceſſitate bellicoſiores facti, illis tandem prævaluerunt. Et quidem jam à tempore Maridis, Reges ex Thebaide & reliqua Ægypto, Xoitæ videl. invaſerunt hos barbaros, & bellum magnum ac diuturnum ipſis intulerunt. Nunc verò Miſphragmuthoſis illos magnâ clade affecit, totâ reliquâ Ægyptô exuit, & in Abarim quæ Græcis *Peluſium*, urbem ampliſſimam incluſit ibique obſeſſos tenuit. Regnavit ann. 25. menſ. 10. obiitque ſucceſſore filio Thummoſe, qui opus, à patre feliciter inchoatum, glorioſè abſolvit. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XII. *ex Manethone*, *Euſebio*, *Joſepho*, Aliis.

MISPILA, urbs Medorum. *Steph.*

MISR hodie, quæ olim Ægyptus; à Mari Rubro ad utramque Nili ripam jacet, totius Africæ cultiſſima & ditiſſima regio. Præcipuum in ea miraculum Nilus exhibet, qui, ex intima ortus Africa, quotannis circa medium Auguſti, univerſam regionem inundat, & ſi ad cubitos 20. vel ad ſummum 22. excreſcat, certiſſimum præbet fertilitatis argumentum. Quam ob cauſam in Ægypto omni labore caret Agricultura, & ſolus cœli beneficium eſt. Hinc populi ſegnities & otium, quæ cauſa, quòd imbelles, garruli & ſerviles Ægyptii cenſeantur, externique jugi facilè patientes. Sed mores eorum, inter tot mutationes, cùm modò Kircaſſis ſubeſſent, modò Turcis & Arabibus, vix certò deſignari poſſunt. Hodie triplex omnino gens inter ſe permixta regionem colit, priſci Ægyptii, quos *Elcopos* vocant; deinde Arabes, & denique Turcæ. Dividitur illa hôc tempore in V. provincias, *Sahid*, *Tennes*, *Reſid*, Alexandriam & Damiatam. Metropolis eſt Alcairum ſeu Alcahira, maxima totius ferè orbis, triplô major Lutetiâ Pariſiorum: utpote longâ 3. milliar. Germanic. ædiumque ducenties mille & ſedecies mille platearum capax. Templa porrò habet ſeptem mille, incolarumque ad ſedecim milliones; quô fit, ut frequentior peſtis unô ſæpe die viginti hominum millia abſumat. Sequitur Damiata, quam priſcorum Peluſium eſſe credunt: totius Ægypti clauſtrum munitiſſimum, adeò ut Ægyptus, niſi captâ Damiatâ, expugnari nequeat. Vicorum pagorumque hodie infinitus in hac terra numerus: Namque ſolum Delta, i. e. Regio inter Nilum, eorum 20000. complectitur, & in tractu Alcahiræ ad quadraginta millia ſunt. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 4. *p.* 70. 71.

MISSA, à mittendo populum. Unde antiquis German. *Senta*, Anglis adhuc *Sent.* Hinc *Miſſale*, liber quô continentur omnia ad Miſſam quotidie dicendam pertinentia. *Miſſaticum* Nuncium. *Miſſaticum* Regis, legatio, juſſio, mandatum, quod Rex per nuntium vel legatum ſuum, quem veteres *Miſſum* dixêre, exponit. In ſpecie *Miſſi* dicebantur, qui ab Imperatore legati ſunt in provincias, ad inquirendos cenſendoſque mores Clericorum, Monachorum, cœterorumque Eccleſiaſticorum: Hodie *Viſitatores* appellati. *Miſſus* vel Nuntius Papæ à Legato differt, quòd ſine Legati inſignibus mittitur. Henr. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.* Cæterum, *Miſſæ* vox circa tertii ſeculi finem primùm audita. Dicebatur autem *miſſa*, quaſi *miſſio*; uti *remiſſa*, pro *remiſſio*. Et quidem nonnulli à contributione eleemoſynarum, quæ olim fieri ſolebat in celebratione Dominicæ cœnæ, ſic dictam contendunt: Iis quippe collectis dici ſolitum, *Ite*, *miſſa eſt*, i. e. *collecta eſt*, Eleemoſyna. Alii à dimiſſione populi, quæ duplex erat, cùm Catechumenorum, ante Sacramenti communionem, tùm Fidelium, poſt illam peractam, proclamante Diaconô, *Ite*, *miſſa eſt.* A qua ſolenni voce, tùm cultus univerſus, tùm præcipuè Euchariſtia, & preces ac liturgia ejus, *Miſſæ* nomen acceperunt. Et huic ſententiæ videtur favere ritus Athenienſium, qui, uti ab initio ſacrorum populo ſilentium imperabant, verbis: εὐφημεῖτε, Σιγᾶ πᾶς ἔσω λεώς, quæ Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 14 interpretatur, *Malè ominatis parcite verbis*, i. e. *ſilete*: ſic, iis finitis, cœtus hiſce dimittebatur: λαῶν ἄφεσις. Vide Caſaubon. *in Theophr. p.* 321. ut & ſuprà *Apolyſis*, Fruſtra itaque Wechelius *l. de Sacram.* originem vocis arceſſit, ab Hebr. *Maſath*, i. e. *laudare*, *glorificare*, *&c.* apud Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 2. *c.* 8. Hodie in Eccleſia Romana, eô nomine intelligitur externum ac propriè dictum ſacrificium expiatorium; quô ipſum Dei filium, pro expiandis vivorum ac mortuorum peccatis, aliiſque rebus vel impetrandis vel averruncandis, Deo Patri, ſub accidentibus panis & vini per Sacerdotem quotidie offerri dicunt: in quo ſumma religionis hujus ac fidei conſtituitur. Unde tanta apud ipſos *Miſſarum* frequentia & varietas, ac tam multæ ejus ſpecies. Habent enim *Miſſas* alias *ordinarias*, quas in Sanctorum quoque ac B. Virginis nomine peragunt; alias *extraordinarias*, quas certis tantùm occaſionibus, in novi Epiſcopi, Templi, &c. conſecrationibus habent. Habent porrò *magnas* & *parvas*, *inferiores* & *ſuperiores*: à colore *paramentorum* (ut vocant) inſuper diſtinctas: Item *ſiccas* & *humidas*, *publicas* & *privatas*, *&c.* Cùm verò in ſacris quibuſve Liturgiis, ſub finem, *miſſæ* ſeu ἀφέσεις fierent, inde accidit, ut *Miſſa*, pro quovis Eccleſiaſtico Officio, in Ædibus ſacris peragi ſolito, interdum ſumatur, vel pro Lectione, ut cenſet Cardin. Bona *l.* 1. *c.* 2. *num.* 3. Sed & pro ea Liturgiæ parte, in qua Corpus Chriſti confici dicunt, uſurpata vox, uti pluribus probat Car. du Freſne *in Gloſſario.* Unde *Miſſas facere*, *dicere*. *tenere*, *cantare*, *&c.* i. e. ſacram Liturgiam celebrare; quòd qui Liturgiam peragit, *Miſſam* faciat, i. e. Catechumenos ab ea dimittat: Gall. *Dire la Meſſe à quelqu'un.* Tandem pro Feſto Sancti alicujus non rarò occurrit, quòd in eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Miſſa ſolennis peragatur: unde forte, inquit, *Vadianus*, Germani *Meſtag* ſeu *Miſſas* nundinas appellant, quia in feſtis principalibus indici ac celebrari, ob populi frequentiam, ſolent. Plura hanc in rem vide apud modò laudatum Auctorem, ut & Macros Fratres *in Hierolexico*, è quibus hæc ſubjungere viſum eſt.

In Ecclesia Romana occurrit, inter alia,

Miſſa Defunctorum, eadem cum *Miſſa Animarum*. Et quidem pro mortuorum ſuffragio non ſiſtit tantùm Eccleſia, inquit *Macer*, in quotidianis Miſſæ & Horarum Canonicarum precibus, ita ut in fine cujuſlibet horæ expiabilem requiem repoſcat; ſed etiam in quolibet Menſis principio Officium ac *Miſſam* pro illis recitat, Cum Pſalmo *de profundis* & collecta pro defunctis, terminat has Horas Eccleſia Lugdunenſis. Miſſam cantatam poſt Conventualem, Cathedralis Pragenſis quotidie pro iiſdem peragit; ac in univerſum uſus obtinuit, ut quôcunque primæ ſeptimanæ die pro animabus defunctorum preces fundantur, ex inſtituto quorundam Monachorum, ab A. C. 1056. Sed & tertiô die poſt obitum cujuſque *Miſſam* celebrant, in memoriam Reſurrectionis *Chriſti*: Item ſeptimô, in ſymbolum æternæ quietis. Trigeſimô porrò, quia Aaronis mors 30. diebus defleta. Ita quidem Latini, Græci verò id faciunt die poſt obitum 3. 9. & 40. Tandem anniverſaria generalia, pro omnibus defunctis ad diem 2. Novemb. ſtabilita ſunt, ab Odilone Abbate circa A. C. 998. quâ die omnes Sacerdotes ſacrificium pro defunctis omnibus faciunt, &c. Vide præfatum Auctorem *Hierolex.*

Miſſæ Feriales, quæ ſingulis hebdomadis feriis canuntur. Et quidem prima Feria ſuum habet officium de Trinitate; ſecunda, de Sapientia; tertia, de Spiritu S. quarta, de Charitate, quinta, de Angelis; ſexta, de Cruce; ſeptima, de B. Virgine, quibus etiam nominibus dies hos ab Alcuino inſignitos volunt.

Miſſa Judicii, erat Miſſa, in qua aliquis ſeculari more ſe purgabat. Introitus fuit, *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum* Collecta, *Abſolve quæſumus Domine tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro fragilitate ſua contraxerunt, tuâ benignitate liberentur & in hoc judicio, prout meruerunt, tuâ juſtitiâ præveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereantur, per Dominum, &c.* Epiſtola deſumebatur, ex Decalogo: Euangelium, ex Marco, in quo de obſervantia illius, *Magiſter bone quid faciam, &c.* Offertorium conſiſtebat in his Pſalmi verbis, *Immittet Angelum Dominus in circuitu, &c.* Sed & habebatur Præfatio rei apta: ac cùm communicabat accuſatus criminis, dicebat celebrans, *Corpus & Sanguis D. N. J. C. ſit tibi ad probationem hodie.* Poſt communionem hæ preces fundebantur: *Perceptis, Domine Deus noſter, ſacris muneribus, ſuppliciter deprecamur, ut hujus participatione Sacramenti, & à propriis nos reatibus indeſinenter expediant & in famulis tuis veritatis ſententiam declarent, per Dominum, &c.* Sic *Miſſâ* peractâ, Sacerdos ad deſtinatum locum ferventis aquæ accedebat, &c. Qua de re plura *hic paſſim.*

Miſſa pro Morte inimicorum; in Hiſpania olim frequens, abolita eſt Concil. Tolet. XVII. *can.* 5.

Miſſa Mozarabica, à Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo in Hiſpania inſtituta, cujuſmodi fuerit, docent præ cœteris Alvarus Gomezius *de Rebus geſtis Cardin. Ximenii l.* 2. & Cardinal. Bona *Rerum Liturg. l.* 1. *c.* 11. Vide infrà *Mixtarabes.*

Miſſa Præſanctificatorum Græcis λειτουργία τῶν προηγιασμένων, Græcanicæ Eccleſiæ propria, in qua Corpus Chriſti non conficitur, ut ajunt, ſed confectum anteà, divinis laudibus decantatis abſumitur. Solet ea celebrari, totô Quadrageſimæ tempore, exceptô Sabbathô & die Dominicô, vel etiam die Annuntiationis Deiparæ. Tum autem Sacerdos venturæ hebdomadis dies, quibus celebraturus eſt, digitis ipſe ſuis numerat: Inde tot particulas panis in oblatione abſcindit, quot *Miſſas* dicturus eſt; eas cum particula eô die abſumenda conſecrat & conſecratas, vinoque benedicto intinctas conſervat pro more in pyxide; ex qua poſtmodum tempore opportunô, cochleari, aliis ibi ad alium uſum relictis, haurit & in diſco reponit atque in Altare majus allatam conſumit. Id quod potiſſimum ſtatutum ajunt, in Concilio Trullano *can.* 52. Vide Leonem Allatium *Diſſertat. duplici ſuper hac re editâ*, poſt librum *de Concordia utriuſque Eccleſ.* Iſtiuſmodi *Miſſam* celebrare ſolent Latini, in Eccleſia Romana die Paraſceves: vide quoque *Euchologium* Græcorum & Cardin. Bona *l.* 1. *c.* 15. *num.* 5.

Miſſa Privata, quæ ſine Sacrorum ſymbolorum diſtributione, & nullô fidelium communicante, peragitur. Qui mos incepit ſeculo XIII. poſt Concilii Lateranenſis inſtitutum, de communione ſemel ſaltem in anno, præviâ peccatorum ad genua Sacerdotis confeſſione, celebrandâ.

Miſſa Publica, quæ coram omni populo peragitur: quod ante diei horam tertiam fieri prohibuit Teleſphorus. Mentio iſtiuſmodi *miſſarum*, potiſſimum in privilegiis fit, Monaſteriis indultis, quæ ab Ordinariorum juriſdictione eximuntur, in quibus vetantur ii *Cathedram ſtatuere* & *Miſſas publicas* celebrare; tum, quòd Juriſdictionis argumenta ſint, tum ut fœminarum in Monachorum & virorum in Monialium Cœnobia acceſſus vitetur, apud Baronium *A. C.* 601. *n.* 15.

Miſſa Sicca, Eckio *Annotat. ad librum oblatum Cæſari art.* 22. eſt *Miſſæ ſimulatio Sacerdote agente, quæ ſunt celebrantis, cum Introitu, Collecta, Epiſtola, Euangelio & Canticis, qui tamen, quia non vult communicare, non conſecrat, ita ut Miſſa ſit ſine corpore & Sanguine Domini* Dicitur etiam *Miſſa Navalis ſeu Nautica*, quòd in mari fluminеque, utpote in loco fluctuante & vacillante, ubi *perfectam Miſſam* celebrandam non putant, ad hunc tantùm modum Miſſam tradunt dici poſſe. Item *Veſpertinalis*, uti habet *Macer*. &c.

MISSALE, liber Eccleſiaſticus, in Communione Romana continens Miſſarum officium. Hunc Zacharias Pontifex primum compoſuit, deinde Gregorius M. in meliorem formam redegit, eique *Sacramentarii* ſeu *Libri Sacramentorum* titulum impoſuit, ut auctor eſt Johannes Diaconus *in ejus Vita* Tabularium S. Remigii Remenſis: *Miſſalem Gregorii, cum Euangeliis & lectionibus --- alterum Miſſalem Gelaſii vol.* 1. *Miſſalis Gregorianus, in Cod. Epiſtol.* S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini *Ep.* 114. *Miſſalis, qui vocatur Gregorialis*, apud Amalarium *de Eccl. Offic. l.* 3. *c.* 40. *Liber Miſſalis*, apud Ordericum *l.* 5. *Codex Miſſalis*, apud Leonem Oſtienſem *Chron. Caſin. l.* 1. *c.* 56. *&c.* Eâdem notione *Miſſarius*, in *Capitulis* Caroli Magni *l.* 1. *c.* 109. legitur. At *Miſſale Plenarium*, nude interdum *Plenarium* vel *Plenarius*, licer Eccleſiaſticus, apud eoſdem, in quo Euangelia & Epiſtolæ *pleniter* continentur. Leo Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 19. *Librum ad Miſſam deſcribi curavit, --- namque uſque ad illud tempus, in Plenario* Miſſali *tam Epiſtola, quam Euangelia legebantur, quod quàm eſſet inhoneſtum, modo ſatis advertitur.* Teſtamentum Heccaldi Comitis Auguſtodun. apud Perardum *p.* 26. *Miſſale plenario cum Euangelio & Epiſtolis.* Simpliciter *Plenarium*, apud Honorium Auguſtodunenſem *Gemma Animæ l.* 1. *c.* 4. *Poſt quos ſeptem Diaconi, cum Plenariis, incedunt.* Durandus *l.* 4. *Ration. c.* 6. *num* 17. ubi de proceſſionibus: *Illos ſequantur Subdiaconi, cum Plenariis, ſignificantes illos, qui per eandem gratiam plenitudinem divinitatis in Chriſto habitaturam corporaliter docuerunt.* Vide quoque Wildebrandum Oldenburgium *Itiner. Terræ Sanctæ.* Acta Murenſia *p.* 29. Adam. Bremenſem *c.* 161. *Chronicon* Epiſcoporum Mindenſium *c.* 15. &c. Sed & de aliis quoque libris *Plenarium* dicitur. *Acta* Murenſis Monaſterii *p.* 30. *Deinde de Novo Teſtamento ſunt hic duo Plenaria, unum ab invicem eſt diviſum* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infra *Sacramentarium.*

MISSANIUM, oppid. Salentinorum; aliàs *Meſſania.*

MISSESSUS, Armenius, Conſtantino Cæſare à ſe interfectô, Cæſar appellatus à militibus, ab iiſdem paulo poſt eſt interfectus, A. C. 691.

MISSICIUS, in *veteri Inſcr.* TRIB. LEG. XI. AUG. ET. MISSICIUS. LEG. VI. AUG. veteranus miles eſt & honeſtâ *miſſione* miſſus; idem proin cum *Militari*, de qua voce ſuprà. Gloſſæ *Baſilic.* Μισσίκιος, παλαιὸς στρατιώτης ἀπολυθείς. Sic *Miſſicius Prætorianus*, apud Sueton. *in Neron. c.* 4. *Equô autem odore abjecti cadaveris in via conſternatô, detectâ facie agnitus eſt à quodam Miſſicio Prætoriano, & ſalutatus*, eſt veteranus Prætorii ſeu à Militia Prætoriana miſſus. Vide Salmaſ. *Not. ad Trebellium Pollionem in XXX. Tyrannis, in Vita Victorini. c.* 6. Occurrit vox apud Martialem quoque *l.* 3. *Epigr.* 91. in ipſo lemmate, *De Miſitio*, ubi *Miſſicium* legendum nec proin proprium, ſed commune vocabulum eſſe, docet Gronov. Incipit *Epigramma.*

Cum peteret patriæ Miſſicius *arva Ravennæ,*
Semiviro Cybeles cum grege junxit iter &c.

MISSILIA, à *mittendo*, variarum rerum donaria dicta ſunt, quæ in perpetuam memoriam & liberalitatis cauſâ ſpargere olim ſolebant, populo colligenda, in Ludis, Conſules primùm Romani, dein Imperatores. Quibuſdam eadem cum Teſſeris, ſed male: cùm *Miſſilia* rem ipſam ſpargerent ac mitterent; Teſſeræ verò promitterent. Ita non lacerabatur rapientium manibus abſens avis & implebat ſinus ſecuros, ut Martial. loquitur *Epigr.* 78. *l.* 8. Quæ autem mitti ſolerent, notat Poëta hic, ubi de *Miſſilibus* ludorum Stellæ, qui præter triumphum Domitiani carmine celebratum, etiam Ludos in Principis honorem & victoriæ memoriam dederat, agit, *carm. præfatô.*

Non illi ſatis eſt turbatò ſordidus auro
Hermus, & Heſperiô qui ſonat ore Tagus.
Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

In quæ verba ſic Salmaſius: *Miſſilia*, inquit, *ludorum Stellæ commendat Poëta, quorum magnificentiam deſcribens ait, non illi ſatis fuiſſe aurea dona in populum ſpargere; ſed etiam margaritas miſiſſe, quæ aurò pretioſiores. Qui ergo hic non videt*, Lineam divitem, *ex genere miſſilium fuiſſe, quæ in ludis Stellæ populo ſparſa ſunt? Gemmas & margaritas in illis* Miſſilibus *ſpargi ſolitas oſtendit Suetonius. Ergo per* Lineam divitem *intelligi debere certum eſt, margaritarum lineam*, &c. Vide quoque Turnebum *Adverſar. l.* 29. *c.* 9. Græcè Ὑπάτια, quòd in proceſſibus publicis ludisque, (de quibus dictum) in populum ſparſa à Conſulibus, quo de ritu diximus ſuprà, in *Conſulatum edere.* Mittebantur autem præter dicta, nummi aurei, argentei, ærei, bellaria, minuta animalia & cœtera id genus. Primus Heliogabalus, in Conſulatu ſuo, boves opimos, cervos, camelos, aſinos & cœtera herbatica animalia populo diripienda objecit. Quòd enim Neronem feciſſe, tradit Sueton. *c.* 11. *Sparſa & populo* miſſilia *omnium rerum per omnes dies ſingula, quotidie millia. avium cujuſcunque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam manſuetæ feræ, noviſſimè naves, inſulæ, agri*; de teſſeris ſolum accipiendum, quæ ſpargebantur, non ipſis animalibus ad diripiendum datis. Nempe ſpectandæ quidem feræ populo exhibebantur; mox teſſeræ jaciebantur in populum, earum ferarum nominibus inſcriptæ, quæ in ſpectaculo exhibitæ fuerant. Quas poſtquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quam rapuère populares, ſingulis dein dabatur in manum, quod teſſera rapta cuique adſignabat, ſive illuc animal eſſet, ſive mancipium, ſive veſtis, ſive aliud quid. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 78.

Nunc veniunt ſubitis laſciva numiſmata nimbis:
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

At Heliogabalum, ipſos *boves, camelos, aſinos & cervos populo diripiendos objeciſſe*, narrat Lamprid. *c.* 8. unde *Venatio Direptionis* manavit, cujus meminit Vopiſc. in *Probo c.* 19. quam & *Sylvam* (vide ibi) vocârunt. Sub novis poſtea Imperatorib. h. e. à Conſtantini M. temporibus, uſque ad Juſtinianum, nulla alia in uſu ac more manſerunt *miſſilia* aut ſparſiones Conſulares, quàm aureorum, argenteorum & æreorum numiſmatum, direptione venationeque iſtiusmodi ludicrâ penitus ſublatâ. Vide Salmaſ. *ad d. l.* Juſtinianus dein, ne Conſules aureos argenteosque nummos ſpargerent, vetuit, ſolum iis ſparſiones facere permittens, ἐν μιλιαρησίοις (quæ erant monetæ argenteæ minutiores) τε καὶ μήλοις, καὶ καυκίοις, καὶ τετραγώνοις συμμέτροις, καὶ τοῖς τοιούτοις, *Novell.* 105. *c.* 2. §. 3. de quibus nummorum generibus, vide Car. du Freſne *Diſſertat de inferioris ævi Numiſm. num.* 98. Donec & æris ſparſionem ſuſtulit Marcianus Auguſtus, *qui*, apud Marcellinum Com. *ſuis ſtatuit edictis, ut hi, qui Conſules fieri cupiebant, nihil æris in populum ſpargerent. Sed ſtatutam pecuniam ad reparandum Urbis aquæductum dependerent*, &c. Spargebantur autem *Miſſilia* è gradibus theatri ſeu Auguſteonis, uti dictum ſuprà. De Teſſeris autem, ſuô locô. Vide quoque voce *Epicombia*. item *Globuli*. Alia erant, quæ Græcis προχύται dicebantur, *Miſſilia* videlicet florum & fructuum; quæ jaci ſolita erant à populo fauſtis acclamationibus Principem ſalutante: quod & victori in certaminibus conſuetum, Φυλλοβολεῖν, i. e. *Foliis floribusque accumulare* Virgilio *l.* 6. *Æn. v.* 884. dicitur. Plut. *Dione*: Καὶ καθ' ἃς γένοιτο, προχύταις τε βαλλόντων, Interpr. *quocunque acceſſerat miſſos flores frugesque ſpargebant*. Vide ſupra ubi de *Conjectu florum*. Sed & *Miſſilia* in bello apud Plinium aliosque tela ſunt, quæ manu vel machinis emiſſa, etiam nocent, Græcè τηλεβόλα, De quibus olim inter Chalcidenſes & Eretrienſes, manente bellô, convenſſe, μὴ χρῆσθαι τηλεβόλοις. *Ne miſſilibus uterentur*, legimus apud Strabonem *l.* 10.

MISSIO, in Ludo Gladiatorio, dicebatur apud Romanos quoties læſus aut victus Gladiator victori eripiebatur à Principe, vel Munerario, ex faventia Populi, quam ſignificabat preſſô pollice, i. e. pollice intra palmam conditô: Sed hæc liberabat ſolùm in eum diem, vel in illud munus; cùm contrà Rudis in omnem vitam Gladiatorem ab arena pronunciaret liberum, niſi volens ipſe, vel pecuniâ illectus pugnaret; unde *Miſſionis* & *Rudis* diſcrimen notandum. Tum *Miſſio* dabatur læſo ac victo, palma verò & Rudis victori: quemadmodum eidem Pileus non immunitatem ſolùm à cruentis his ludis, ſed & libertatem ac jus civitatis, conferebat. *Miſſionis* hujus meminit Martial. *de Spectac. Epigr.* 29.

Miſſio *ſæpe viris magno clamore petita eſt:*

Ubi de Priſco & Vero Gladiatoribus agit, qui ubi diu æquô pugnâſſent Marte, populus vel favore, vel moræ tædiô *miſſionem* utrique petiit; quam poſtquam Domitianus negâſſet, arenæ lege jubens agi, nec dirimi certamen ferens, niſi alterô victô, populumque interea donis ac miſſilibus moratus eſſet, utrique tandem ſimul ictu pari læſo palmas miſit & rudes. Nonnunquam verò adeò cruenti fuere Munerarii, ut ſpectacula *ſine Miſſione* indicerent, quod Auguſtum prohibuiſſe, memorat *in ejus vita c.* 49. Sueton. Sed & uſurpata vox de militibus fuit, quibus *Miſſio honeſta* contingebat, cùm juſta militiæ vacatio eſſet; cùm nempe aut legitima quis confeciſſet ſtipendia, aut major eſſet annis 50. *Cauſſaria* verò, cùm neceſſaria cauſa eſſet, cum videl. aut morbô, aut imbecillâ valetudine impeditus quis in caſtris eſſe non poſſet. Utriuſque meminit Liv. *l.* 7 *c.* 39. *Conſul eductô in æſtiva milite, exercitum purgare* Miſſionibus *turbulentorum hominum inſtituit, aliis emerita dicendo ſtipendia eſſe, alios graves jam ætate, aut viribus parùm validos.* Præter has fuerunt aliæ quoque vacationes extra ordinem gratiæ causâ, vel à Senatu vel ab Imperatorib. datæ. Sic P. Æbutio emerita eſſe ſtipendia juſſit Senatus, apud Liv. *l.* 39. *c.* 19. de Imperatoribus vide Epitomen Liv. 55. & de his plura apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c. ult.*

MISSIO Ferarum, in Amphitheatris, olim per ſexus diſcreta. Unde in *Vitis* Imperator. ſæpe legitur centum leones unâ *miſſione* editos & centum leænas, ut apud Vopiſc. *in Probo c.* 19. *Editi centum Leopardi Lybici: centum deinde Syri: editæ centum leænæ.* Sic de Scauro, refert Plinius, illum *primùm Ædilitate ſuâ varias centum quinquaginta univerſas miſiſſe, Pompejum Magnum quadringentas decem, Divum quadringentas viginti*: ubi *tot variæ*, tot pardi ſunt, & mares omnes. Vide infrà in voce *Variæ*, & hanc in rem plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 213.

MISSORIUM, Græcobarbarum Μινσούριον & Μινσώριον, concha minus grandis, cui liquores infunduntur. *Teſtament.* Remigii Epiſcopi Rhem. apud Flodoardum *l.* 1. *c.* 18. *Vide Clypeus, it. Strongyla.*

MISSUM & MISSARIUM, infimæ Latinitati præmium certaminis eſt, ſeu præmium *miſſibus* propoſitum. *Gloſſæ*, ἆθλον, *miſſum*, cum quo *miſſus* equorum ineptè confudit *Joa. Lydius*, qui *miſſus* βραβεῖα expoſuit, *Miſſus* enim equorum in Circenſibus, miſſio fuit, quarum quælibet ſeptem ſpatiis abſolvebatur. Lydius, οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων ἤτοι σταδίων περὶ τὴν πυραμίδα ἣν νῦν ὀβελὸν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταί. Mittebantur autem ſingulis *miſſibus* quatuor quadrigæ, quarum ſeptem his ſpatiis circa metas evolutis, quæ prior metam in ſeptimo curriculo circumflexiſſet, ea palmam adipiſcebatur. Cujuſmodi miſſus unâ die viginti quatuor exhiberi legitimum ac ſolenne fuit, quibus nonaginta ſex quadrigæ currebant. Olim verò & vigeſimus quintus addebatur, qui & *Ærarius* vocatus, quòd de collatione Populi exhiberetur; ſic viginti quinque *miſſus* centum conſtabant curribus. Horum ſingulis βραβεῖον erat propoſitum, & tot palmæ, quot miſſus erant. Unde Βαΐον, quæ vox palmæ ramulum ſignificat, poſitum pro miſſu ludicri Circenſis, apud *Cedrenum*: ubi narrat, Juſtinianum cognomentô Rhinotmetum, quum ludi Circenſes agerentur, ἱππικοῦ γενομένου, Apſimarii & Leontii antartarum colla pedibus calcâſſe, ἄχρις ἀπολύσεως τοῦ πρώτου βαΐου, *uſque dum primus miſſus abſolveretur*, i. e. à principio primi miſſus uſque ad finem, colla Tyrannorum ſub pedibus ſuis tenuiſſe, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 910. & 935. A præmiis autem, quæ ſingulis miſſibus proponebantur, *Miliarii* dicti ſunt Agitatores, ut & *Equi ducenarii* & *centenarii*, qui ducenta, qui centum, ſeſtertia, merebant. Imò non ducenta ſolùm, ſed & quadraginta, equis data fuiſſe, diſcimus ex illo Martial. *l.* 5. *Epigr.* 26.

Hoc rogo, non melius, quàm rubrô pulpita nimbô
Spargere, & effuſô permaduiſſe crocô?
Quàm non ſenſuro dare quadringenta caballo &c.

Aliàs legitimum præmium, quinque aurei. Idem Salmaſ. *ad l.* Vide quoque infrà voce *Monator*, ubi per deſultores ſolitos fuiſſe *miſſus* annuntiari, dicemus.

MISSUS, qui ab alio *mittitur*, legatus, nuncius. *Gloſſ.* Græco-Lat. *Miſſus*, ἀπόστολος. Arabibus *Reſoul*, inter præcipua Muhammedis epitheta, apud Turcas. *Miſſus* S. Petri, legatus à latere Sedis Pontificiæ, in Concilio Liptinenſi, *c.* 1. Apud Gallicos Scriptores, *Miſſi* propriè dicti ſunt, qui è Palatio in civitates & provincias, extra ordinem, mittebantur à Principe, cum ampliſſima poteſtate, *ut de omnibus cauſis, quæ ad correctionem pertinere viderentur, quantô poſſent ſtudiô, per ſemetipſos regiâ auctoritate corrigerent: & ſi aliqua difficultas in qualibet re eis obſiſteret, ad Regis ſeu Imperatoris notitiam deferre curarent*: deinde, ut inquirerent, *quo modo hi, qui populum regere deberent unusquisque in ſuo miniſterio ſe cuſtoditum haberet*, quique *gratiarum actione* & qui *correctione & increpatione* digni haberentur, ut eſt in *Capitular.* 3. Lud. Pii *c.* 3. 4. 5. unicô verbô, mittebantur *ad juſtitias faciendas, exequendas, ad recta judicia determinanda, ad oppreſſiones populorum relevandas* &c. Quò ſpectat, quod in *veteri Inſcr.* legitur: *P. Aquius Scæva & Flavia filius---extra ſortem auctoritate C. Cæſar. & S. C. miſſus ad componendum ſtatum in reliquum provinciæ Cypri*, &c. Præſertim enim *Miſſi* delegabantur, ut in Comitum & Judicum pravitates inquirerent. Unde in iis tantum *Comitum miniſteriis* morari jubebantur, de quibus querimoniæ ad Principem pervenerant; non autem qui *bonas juſtitias factas habebant*; proinde placita tenere vetabantur, abſentibus Comitibus Reip. causâ ex Leg. Longobard. *l.* 2. *tit.* 53. §. 24. Atque ex hac *Miſſorum* in Comitis auctoritate, iis *præponi* dicuntur *Miſſi*, in *Ep.* Epiſcoporum Franciæ ad Ludovicum II. *c.* 14. Quò faciunt iſta Theodulfi Aurelian. Epiſcopi *Parænеſ. ad Judices, v.* 99. ubi ait, à Carolo Rege *Miſſi* onus ſibi commiſſum:

Præfectura mihi fuerat peragenda tributa.
Resque actu grandis, officiumque potens.
Nulli vi ſtudiisque piis, armisque ſecundus
Rex dedit hanc Carolus, primus ad omne bonum.

Malis Scabinis præterea ejectis, *bonos in eorum locum eligebant*, qui juſtè judicarent, *ut & meliores & veraciores homines ad inquiſitiones faciendas & rei veritatem dicendum*, quique *adjutores Comitum eſſent; ad juſtitias faciendas*, ex *Addit.* 4. Ludovici Imperatoris *capp.* 73. & 74. In ipſos etiam Epiſcopos & Abbates inquirebant, ſi forteres aut *libertates injuſtè* abſtuliſſent, vel *ſi juſtitiam facere noluiſſent aut prohibuiſſent*, ex Lege Longob. *l.* 2. *tit.* 52. §. 17. 21. *Inquirebant. qualiter Epiſcopi, Abbates, Comites, & Abbatiſſæ per ſingulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam ad invicem tenerent, & ut bonos & idoneos Vicedominos & Advocatos haberent & undecunque neceſſe fuiſſet, tam regias, quàm Eccleſiarum Dei juſtitias, viduarum quoque & orphanorum, ſed & cœterorum hominum inquirerent & perficerent, & quodcunque emendandum eſſet, emendare ſtuderent, in quantum meliùs poſſent, & quod emendare per ſe nequiviſſent, in præſentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem Principi fideliter renuntiari ſtuderent*, ex Flodoardo *Hiſtor. Rhem. l.* 2. *c.* 18. De Monaſteriis portò, iidem ac Eccleſiis inquirebant, ac potiſſimum, *de converſatione virorum & puellarum*; de ſartistectis Eccleſiarum, *ſi emendatæ vel reſtauratæ* eſſent, ex *Capit.* Caroli M. *l.* 1. *c.* 122. Curabant inſuper, ut provinciæ latronibus ac prædatoribus purgarentur, ex *Capitul.* Caroli Calvi *tit.* 11. *c.* 1. &c. Denique, ad hoc potiſſimum mittebantur, *ut querelas pauperum & oppreſſiones, ſive quorumcunque cauſas examinarent, & ſecundùm legis æquitatem diſinirent*, ex *Annalibus Francor.* Bertini, A. C. 814. Præterea, *de orphanorum & viduarum cauſis, & de regalibus juſtitiis*, & maximè, *de raptoribus puellarum & viduarum & Sanctimonialium*, & de his, qui duriùs in Presbyteros ſævirent, cognoſcebant, ex *Edicto Piſtenſi c.* 2. De quibus rebus omnibus ita auctoritate regiâ decernebant, ut, ſiquidem civiles eſſent cauſæ, vel Laicos ſpectarent, eas in pleno mallo ſeu placito cum loci Judicibus judicarent, ex *Chron. Farfenſi p.* 653. &c. ſi verò Clericos & Eccleſias, in Synodo cum Epiſcopis & Sacerdotibus dirimerent, quod teſtatur Theodulfus in *Parænеſi ad Judic. v.* 107. ubi ait, *Miſſum* ſe à Rege delegatum in aliquot provinciis, quas ſic deſcribit:

Quò Synodus Clerum, populum lex ſtringeret alma,
Urbibus & validis mosque decorque pius.
Quas Arar & Wardo, Rhodanus quas alluit acer,
Elauris, ſine his commemorandus Atax.
Quasque Alpes Latio Libyæ diſcriminat æquor,
Quasque Pyrenæus orbe ab, Ibero, tuo.
Seu quas Lugdunum Arcturo aut Aquilone revellit,
Resque Aquitana tuis pulchra Toloſa locis.

Et *v.* 143.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Undique conveniunt populi, Clerique caterva,
Et ſynodus clerum, lex regit alma Forum.
Quis bene compoſitis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam ſtatuêre ſui.

Mox:

Quo Synodo Cleri, legum moderamine plebis
Pectora contudimus, juris & artis ope.

Obibant autem quater in anno legationes ſuas, *propter juſtitias, quæ uſquemodo de parte Comitum remanſerant*; in hyeme, Januario menſe, in verno Aprili, in æſtate Julio, in auctumno Octobri: cœteris verò menſibus unuſquiſque Comitum placitum ſuum habebat & jus reddebat. Ne verò *Miſſi* hi, ſi pauperiores eſſent, muneribus corrumperentur, ex ditioribus & honoratioribus Palatii ſeligebantur. Hinc *in Chron. Moiſſiacenſi* A.C. 802. legitur Carolus M. huic fini elegiſſe *in regno ſuo Archiepiſcopos, & reliquos Epiſcopos & Abbates, cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes munera accipere* &c. Crebro quippe muneribus eos tentari conſueviſſe, ſuprà laudatus Theodulfus innuit, *Paran. ad Judices, v.* 169.

Hôc animi murum tormentô frangere certant,
Ariete quò tali mens malè pulſa ruat.
Hic & cryſtallum & gemmas promittit Eoas,
Si faciam, alterius ut potiatur agris &c.

Ad obeundas verò functiones ſuas, ſumtibus publicis, tum in itinere, tum in ipſis provinciis, alebantur, *Tractoriaque* in eum finem à Principe illis data, quâ jubebantur provinciales *manſionaticum* & *metatum* iis, reſque neceſſarias ad victum præbere: idque *conjectum* vulgò apellabant, qui vel in ipſis *tractoriis* vel in Conſtitut. definiebantur. Hinc idem Theodulfus *Paraneſi laud. v.* 283.

Hæc ego pertractans ſumebam parva libenter,
Quæ non ſæva manus, chara ſed illa dabat.
Scilicet arboreos fructus, hortique virentis.
Ova, merum, panes, corni pedumque cibos.
Sumpſimus & teneros pullos, modicaſque volucres,
Corpora ſunt quarum parva, ſed apta cibis, &c.

Seligebantur præterea *Miſſi ex utroque ordine*, qui quòd à Rege mitterentur, dicti ſunt ut plurimum *Miſſi dominici, Regales, Regii; Miſſi Palatii, à latere, Legati à latere Regii* &c. Quos verò *Miſſos diſcurrentes* appellari videmus, in *Capitul.* 3. *ann.* 811. *c.* 8. non *Miſſi*, de quibus retrò, ſed, qui ad certas quaſdam functiones à Principe extra ordinem mittebantur, fuiſſe videntur. Vide Fredegarium *Chron. c.* 87. alioſque, è quibus diſcimus, ita juriſdictionem *Miſſos diſcurrentes* exercuiſſe, ut, ſi res eſſent momenti majoris, vel, quæ mandatum eis injunctum excederent, ad *Majores Miſſos* per ipſum *Miſſaticum* conſtitutos, qui cum *Miſſis dominicis* iidem fuêre, referre, vel cum iis res ipſas peragere tenerentur. *Miſſos Fiſcales* quod attinet, memoratos *in Leg.* Ripuar. *tit.* 89. videntur fuiſſe, qui in fiſcos Regios mittebantur à Principe, ut villicis invigilarent, reſque dominicas rectè diſponerent: Sicut *Miſſi Comitum*, qui vices Comitum abſentium agebant, in placitis & mallis publicis, & eorum mandata exequebantur &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà aliquid voce *Parata.*

MISSUS, Gallis *Mes de mariage*, jus quod domino caſtri *d'Aſſi* competit, quod ejuſmodi eſt, ut ex ſingulis cibis, qui in vaſallorum nuptiis apponuntur, diſcus unus ad dominum deferri debeat. Cui ſimile debetur Domino *de la Boullaye* in Normannia, quod *Regard de Mariage* vocatur, quò tenetur Sponſus die nuptiarum, cum Chithariſta, adferre ad dominum, 2. amphoras vini, 2. panes & *ſpatulam mutonis*, ac ſemel ſaltare, deinde domum redire. *Idem.*

MISTAVO I. ſeu Billungus, fil. Viſilai, Herulorum & Vandalorum Rex, à Viſtula ad Viſurgim imperitavit, & ductâ Vagonis Epiſcopi Oldemburgenſis Vagriæ ſorore, Chriſtianam fidem amplexus eſt, mox ejus non deſertor ſolùm ſed & perſecutor. Ex ejus filiis Grimmus, Rugiorum Principum conditor fuit.

MISTAVO II. verò, maximus natu, patris ſucceſſor, ob negatam à Bernardo I. Saxonico, cum quo Ottoni II. Imperatori in Italia militaverat, filiam & ingeſtum à M. Theodorico convitium, *canem non morſurum minùs, quàm latraturum*, proteſtatus, Saxoniam horrendum in modum depopulatus eſt, & Chriſtianâ fide extinctâ, univerſum Slavicum nomen ad Deorum cultum reduxit. Tandem ipſe ſenex converſus, Bardovici, quidquid ætatis erat reliquum, exegit. Eô præter alios geniti Udo lineæ Vandalicæ, ac Megapolitanæ, & Ratiborus ac Bogiſlaus Pomeranæ, conditores fuêre. Vide infrà in voce *Vandali.*

MISTHIUM, urbs Orondicorum, in Galatia. *Steph.*

MISTIA Pomp. Melæ *l.* 2. *c.* 4. *Myſtia*, Plin. *l.* 3. *c.* 10. *Miſtra* aliis, oppid. Magnæ Græciæ in finibus Locrorum, inter Hieracium urbem ad Meridiem & Auricellam oppid. ad Boream ferè medium. *Geloſia* vel *Giojoſa*, teſte *Barrio.*

MISTICO, Græcè Μυστικὸς, Secretorum Principis conſcius, *Auricularius*, dignitas olim Palatina, apud Byzantinos. Wilhelm. Tyrius *l.* 15. *c.* 25. de Manuele Imperatore. *Ubi fratrem natu ſe priorem palatium, auditâ Patris morte, jam obtinentem, per* Miſticonem *ſuum, qui palatio & theſauris præerat univerſis—— ex improviſo captum in vincula conjecit.* Μυστικὸς, inter præcipuas & illuſtriores Aulæ Conſtantinopolitanæ dignitates, recenſetur à Conſtantino *de Adminiſtr. Imper. c.* 51. & Codino *de Offic. Aulæ* Conſtantinopolit. *Myſticos* aliquot habent Scriptores Byzantini, Niceph. Gregoras *l.* 8. *p.* 206. Joh. Cantacuzenus *l.* 3. *c.* 36. & 89. Joh. Tzetzes *in Ep. p.* 268. & alii, quos Meurſius laudat. Tzetzes, *loc. cit.* Myſticum Servilium compellans, ὀφθαλμὸς γερουσίας, ὑπεροχὴ τῆς ἀρχῆς, μυστηριῶτις βουλή. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

MISTURA, in Coronis Veterum varia. Harum enim quædam ex uno, quædam ex pluribus floribus nectebantur. Prioris generis fuêre, Antinoia, cyliſton, jacche, Iſthmia, lotina, melilotina, è myrto, è palma, pothos, ſtruthia, tiliacea &c. Poſterioris conſtabant ex artifice mixtura plurium florum; cujuſmodi coronarum nexus emerſerunt ad ſummam ſolertiam, multis ingenioſè, tam à Glycera illa Pliniana, quàm ab aliis, ut veriſimile eſt, repertis. Certè Circen Ovidius artis hujus peritam facit, *Met. l.* 14. *Fab.* 5. *v.* 266.

Gramina diſponunt; ſparſoſque ſine ordine flores
Secernunt calathis, variaſque coloribus herbas,
Ipſa quod hæ faciunt opus exigit; ipſa quis uſus,
Quove ſit in folio, quæ ſit concordia mixtis
Novit & advertens penſas examinat herbas.

Non enim temerè copulabantur flores, ſed colorum ſignificatibus accedebat vis uniuſcujuſque floris ingenii & naturalis illa facultas, quæ flores aut copulare aut disjungere ſuadet. Et in hoc omne artificium. Unde apud Euripidem Hermione, cùm mori deſtinâſſet, inquit, *Androm. Actu* 4.

Ἔῤῥ' αἰθέριον πλοκάμων ἐμῶν
Ἄπο, λεπτόμιτον φάρος
Vale ſublimis mea coma.
Quam ſubtiliter nevit manus artifex, faſcia.

Nec ob aliud quid priſcus ille Amaſis, quàm ob munus coronæ è floribus ingenioſè contextæ Regi Æpyptio miſſum, die ejus natali, è plebejo aſſumtus eſt in amicitiam Regis; denique & ipſe Rex factus, apud Athenæum *l.* 15. Miſcebant autem flores coronarios nectebantque utplurimum eos, quos unum idemque anni tempus ferret, ut, quos natura prope gemellos faceret, eoſdem ars ſociaret. Inprimis verò jungebantur, ex quorum nexu, miſtura, diſpoſitione, conficebat omnis illa coronarum apud Veteres gratia. Sed nec flores ſolùm miſcebantur, verùm & folia, ramuli, frutices, baccæ; imitatione iterum naturæ, quam flores & folia ipſis arboribus & fruticibus miſcere, eleganter oſtendit Achilles Tatius *l.* 1. Sic apud Theocritum elichryſo flori jungitur hedera, *eidyll.* 1. apud Appulejum *Met. l.* 11. floribus poma: apud Petronium Arbitrum *Satyr.*

Et thymbræ veteres, & paſſis uva racemis &c.

Nonnunquam etiam ſoli ramuli diverſarum arborum ſociabantur: quô pactô hedera adhæret ramis lauri, apud Eurip. *Med. act.* 5. & Virgil. *Eccl.* 8. eadem quercui, cupreſſus lauro, alibi. In quibus omnibus, flores, herbæ, folia, ramuli, non temerè in coronamenta ingerebantur. Multa ibi aſpiciebatur diverſitas formarum & colorum artificis mixturæ, *ſive alterni flores*, ut Plin. ait *l.* 21. *c.* 1. *inter ſe necterentur, ſive privatis generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum.* Itaque nihil non in coronis diſcretum, nihil non propriô ſignificatu validum, nihil non propriâ indole fuit notabile. Omnia peculiare quid deſignabant, tempori, rebus, perſonis, præſenti ſive lætitiæ ſive dignitati, ſpei naſcenti aut adultæ, meritis, virtuti, felicitati conveniens. Res mutæ efficaciter loquebantur. Ab odoribus occulta ſagiebant, à coloribus abſtruſa, à materia ſive ſimplici, ſive *miſta*, rem omnem cognoſcebant: quædam leviter indicabantur, alia velut digitô demonſtrabantur, plura conjectanda relinquebantur. Cujuſmodi illud eſt, quod traditur de corona è perſæa, plantâ Iſidi Ægyptiæ ſacra, cujus fructus cordi, folium linguæ ſimile eſt. Quô indigitatum, inter omnia illa, quibus natura hominem donavit, nihil eſſe divinius ratione, neque quod habeat majorem impetum ad felicitatem, Plut. *de Iſ. & Oſir.* &c. Atque hôc modô factum, ut eò tandem profecerit id artificium miſturæ, ut coronæ ſic nexæ publica opera facta ſint, propriô vocabulô συνθηματικοὶ στέφανοι, h. e. ἠργολαβημέναι καὶ δημόσιοι, *quas ære publicô locabant texendas*, appellatæ, Athen. *l.* 15. De quibus vide quoque Nicephorum *l.* 4. *c.* 17. Prudentium *Pſychom.* Tertullianum *de Corona Mil.* Alios. Quemadmodum ipſam *miſturam*, γείτονας τῶν πετάλων περιπλοκὰς, τῶν φύλλων περιβολὰς, τῶν καρπῶν συμπλοκὰς, *proximos ramulorum circumplexus, foliorum implicationes, fructuum connexiones*; & unâ voce ὁμιλίαν τῶν φυτῶν, *congreſſum plantarum*, vocat Achilles Tatius apud Car. Paſchalium *Coronarum l.* 2. *c.* 15. quem vide, ut & *cap. ſeqq.*

MISTYLLUS, coci nomen, in quem jocatus eſt Martial. *l.* 1. *Epigr.* 51.

Si tibi Miſtyllus cocus, Æmiliane, vocatur:
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Ex Homer. *Il.* α. *v.* 465.

Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

MISUA, *Antonino*, *Niſua Ptol.* *Nucbia* nunc *Moletio*, & aliis *Nubia*, oppid. Africæ in ora, apud promontor. Mercurii, inter Carpim & Clupeam, 20. ferè mill. paſſ. à Clupea in Occaſum.

MISYNOS, *Ptol. Meſurata*, *Ortelio*, Inſul. maris Libyci, Cyrenaicæ adjacens, in Syrti magna.

MITA, apud Lindanum *in Teneramunda l.* 2. *c.* 2. *num.* 46. moneta ærea Flandrica, 4. obolos valens.

MITADOLUS, nomen proprium, in *Inſcr.* vaſis cujuſdam, apud Sugerium *de Reb. in adminiſtr. ſua geſtis*, laudatum Car. du Freſne in *Gloſſar.*

Hoc vas ſponſa dedit Aanor Regi Ludovico,
Mitadolus *avo, mihi Rex, Sanctiſque Sugerus.*

MITANA, in *Statutis* Ordinis S. Gilberti Sempringham, p. 720. *Cyrothecarum & mitanarum — omnis ſuperfluitas caveatur:* lanea eſt vel pellicea chirotheca. *Idem.*

MITELLA vel MITRELA, Tullio *Orat. pro Rabirio* & Apulejo *Met. l.* 8. Solino, *c.* 30. *Mitrula*, fœminei capitis operimentum fuit, apud Græcos teſte Apulejô *Met. l.* 7. ubi *textilis Mitellæ* meminit. Apud Afros ſimiliter tum matronarum conjugio illigatarum, tum Virginum Chriſto dicatarum, capita texit, niſi quòd, cùm Matronarum mitra eſſet amplior: Virginum verò angu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

anguſtior, illa ſimpliciter *Mitra*, hæc *Mitrela* vel *Mitella*, voce diminuente, diceretur. Aurum huic Virginum mitræ intexi ſolitum fuiſſe, docet Optatus *l.* 6. ubi ex lana, auro & purpura illas contextas fuiſſe ait: Hinc *aureas Mitrellas* vocat, non quod ex puro auro conſtarent, ſed quia aureis aliquot filamentis intextæ eſſent: expoſtulatque flebiliter, Virgines ſacras ſpoliatas *Mitrellis*, ab Epiſcopo impoſitis, cineribus aſperſas capita & falſâ aquâ perfuſas, ut exuerent primam conſecrationem, ac ritu Donatiſtarum de novo conſecrarentur vel potiùs profanarentur, ſolventes iteratò crinem &c. Vide Anſ. Solerium *de Pileo ſect.* 7. ut & *infrà*. Sed & *Mitella*, virorum geſtamen fuit. Ita enim Cicero *d. l. Deliciarum causâ & voluptatis, non modò cives Romani, ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummô locô natos, non in hortis aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli, in celeberrimo oppido, cum* mitella *ſæpe videmus.* Et Apulejus itidem ſuprà laudatus: *Die ſequenti variis coloribus induſiati & deformiter quiſque formati, facie cœnoſò pigmentô delitâ, & oculis obunctis graphicè prodeunt, mitellis, & crocotis & carbaſinis & bombycinis injectis.* Verùm imitatione & velut μεταμορφώσει muliebri hominum delicatorum id factum. Vide quoque C. Paſchalium *Coronarum l.* 4. *c.* 21. & aliam vocis notionem hîc infrà.

MITELLITA vel MITELLICA, apud Sueton. *in Nerone c.* 27. *Indicebat & familiaribus cœnas: quorum uni* Mitellita *quadragies ſeſtertio conſtitit, alteri pluris aliquanto roſaria:* erogatio eſt *mitellarum* in convivio. Sunt autem *mitellæ* hîc coronæ è veſte ſerica verſicolore, unguentis madidæ pretioſiſſimis, de quibus ſic Plin. *l.* 21. *c.* 3. *Summa auctoritas pactili coronæ, uti Saliorum ſacris invenimus ſolemnes cœnas. Tranſiêre dein ad roſaria: eoque luxuria proceſſit, ut non eſſet gratia niſi è mero folio ſutilibus mox petitis ab India aut ultra Indos. Lautiſſimum quippe habetur è nardi folio eas dari, aut veſte ſericâ verſicolori unguentis madidas.* Ubi dari coronas è nardi folio & veſte Serica dicit Plinius: dabantur nimir. in conviviis & ſic intelligendum. *Mitellicam* igitur vocat Suetonius dationem *mitellarum*, ſeu ſericearum iſtiuſmodi corollarum, quæ in conviviis nepotum ſolebant uſurpari: & hæc *mitellica* erogatio uni conſtitit quadraginta millibus ſeſtertiûm nummûm; aliquanto pluris & roſaria, coronarum nempe largitio è mero roſæ folio ſutilium. Sic utrumque conjunxit Callimachus *hôc Epigr.* Μίτραισί τε καὶ ῥόδων ἀώτοις Addit Plin. *Hunc habet noviſſimè exitum luxus fœminarum:* fœminarum luxuria Sericæ veſtes, quæ hunc exitum noviſſimè habebant, poſtquam diu habendo obſoletæ eſſent, ut inde coronæ & mitellæ verſicolores fuerentur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 556. Alii tamen *Mellita*, apud *Sueton.* legunt, inter quos *Bochartus*, de quo vidimus *ſuprà*.

MITHÆCUS, Pantomimus celebris, memoratur Plinio *l.* 7. *c.* 33. *Et quos noſtra adnotavit ætas, duo Equeſtris ordinis in eodem pantomimo* Mithæco, *tum formâ præcellente*, de quo vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 19.

MITHRA, Perſis dicitur Sol. Strab. *l.* 15. Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν Μίθραν καλοῦσι. Plut. *in l. de Iſide, & Oſiride*, poſt relatam eorum ſententiam, qui duos eſſe Deos credebant, quaſi adverſarios & ἀντιτέχνους, quorum alter Bona, alter Mala operaretur, illumque Deum, hunc Dæmonem appellabant: idem & ſenſiſſe Zoroaſtrem ait, qui ἐκάλει τὸν μὲν (videl. Bonum Genium) Ὠρομάζην, ſeu Ὠρομάσδην, τὸν δὲ (ſcil. Malum Genium) Ἀρειμάνιον, μέσον δ' ἀμφοῖν τὸν Μίθραν εἶναι. Διὸ καὶ Μίθραν Πέρσαι τὸν μεσίτην ὀνομάζουσιν. *Heſychius*, Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. A מיתר *mithar* Perſico deduci videtur, quod ſignificat *Major.* Et quamvis ſit gradus comparativi, Perſis tamen abſolutè dicitur; cujus generis exempla ſunt in ea lingua quamplurima. Hujus poſitivum eſt מה *Mai.* Unde lucem præbeamus *Heſychio*, Μαὶ μέγα, Ἰνδοί. Perſas intelligit, quod nec ſemel apud eum reperies. Ponitur aliquando pro primario ſacerdote. Apul. *l. ult. Ipſumque Mithram illum ſuum ſacerdotem præcipuum ſacrorum miniſtrum decernit.* Vide Lactantium, Statii Scholiaſten *in illud Theb. l.* 1. *in fine.*

——— Seu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Vide etiam Bernartium ibidem, ut & Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 2. *paralip. ad c.* 8. Hinc *Mithriaca ſacra*, de quibus Lamprid. *in Commodo c.* 9. & Claudian. *l.* 1. *de laud. Stiliconis*,

——— Rex ipſe micantem
Inclinat dextrâ pateram, ſecretaque Beli,
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.

Nic. Lloydius. E quibus Statii præfati verbis, quô vultu pingi fingique ſueverit, facile colligitur. Nempe vultu leoninô, cum tiara, utrâque manu reluctantis tauri cornua comprimens; cujuſmodi multis locis ejus ſimulachra Romæ viſuntur, ſtantis in ſpelæo vel rupe cavata, ſicque tiarâti, & taurum cornibus tenentis, aut eundem ſubſtratum calcantis, vultu tamen virili, non leoninô. Eadem forma habituſque Beleno, Pannoniorum Numini, quem proin cum *Mithra* eundem Salmaſ. facit, apud Vopiſcum *in Aureliano c.* 39. cujus mater Sacerdos Beleni ibi fuiſſe dicitur. Certè Perſarum *Mithra* non hujus demum Imperatoris ævô, verùm & longe antè haud minus in Occidente, quàm Oriente fuit cultus & templa vulgò habuit & ſacra paſſim ab omnibus recepta ac frequentata, quæ *Mithriaca* dicebantur, quorumque mentionis pleni ſunt libri & ſaxa Veter. Peragebantur autem hæc non ſine humana victima: ſed deſitus mos in Orbe Romano, lege ab Hadriano latâ, quâ omnes penitus ἀνθρωποθυσίαι ſunt vetitæ, uti Porphyrius narrat *de Abſtin. l.* 2. ex Pallante, qui *de Mithræ myſteriis* accuratiſſimè ſcripſit. Reduxit cruentum morem Commodus apud Lamprid. *c.* 9. *Sacraque Mithriaca homicidiô verô polluit, quum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleret.* Sed nec poſt ipſum retentus. Manſêre tamen in his ſacris multa veri timoris ac periculi plena: ut κολάσεις, quibus tentabantur initiandi, quarumque octuaginta fuiſſe refert Nonnus *in Nazianzeni Stelıteutic.* 2. ubi inter alia recenſet, οἷον πρῶτον διανήξασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολύ· εἶτα ἐν ἐρήμῳ διαιτηθῆναι καὶ ἀσιτῆσαι καὶ ἄλλα τινὰ ἄχρις οὗ τὰς ὀγδοήκοντα κολάσεις παρέλθοι· καὶ τότε λοιπὸν ἐμύουν αὐτὸν τὰ τελεώτερα, ἐὰν ζήσῃ. *Qualia, primùm tranare multum aqua aliquot dies: poſtmodum in eremo degere & inediam tolerare, aliaque nonnulla, donec omnes octuaginta* κολάσεις *exegiſſet. Tum, ſi ſupervivebat, ad interiora ſacra eum admittebant.* Quæ poſtrema verba indicant, raros quoſdam & paucos admodum omnia illa tentamentorum genera, abſque vitæ periculo, pervaſiſſe. Multiplicia porrò videntur hæc ſacra fuiſſe: nec enim *Leontica* tantùm ſacra ſuſcipere dicebantur, qui initiabantur hiſce; ſed & *Coracica* quædam erant ſacra, ab eo quòd miniſtrantes κόρακας vocabant; & *Hyænica*, quòd mulieres hyænas appellabant, ut viros leones. *Patrica* quoque in illis accipiebantur, nam Ἱεροφάντας ſuos *patres* dicebant &c. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug. paſſim, imprimis ad Lamprid. in Commodo. Heſychius* à *Mithra* diſtinguit *Mithren*, nomine hôc maximum ejus gentis numen indigitans. Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός, *Mithra Sol apud Perſas. Mithres primum illorum Numen.* Ubi à *Mithre* Solem diſtinguit, & eundem ſimul & ignem jungit Curtius *l.* 4. *c.* 13. *Darii caſtra ignibus tota fulgebant. Ipſe----agmina----circuinibat; Solem*, Mithren, *Sacrumque & æternum invocans Ignem.* Herodotus certè eò ſecedit, ut Venerem Perſis *Mithram* perhiberi autumet; *Muſâ* 1. ubi eum nequaquam aliis contradicere, ſed Perſas maſculo Soli etiam fœminam Deam Mithram adjeciſſe exiſtimat *Barthius.* Inprimis cùm Ambroſius *Mithræ fœminæ* clarè faciat mentionem; ſub Veneris cultu, *contra Symmachum: Quam Cœleſtem Afri, Mithram Perſæ, plerique Venerem colunt, pro diverſitate nominis, non pro Numinis varietate.* Et hanc in *Mather* Perſicam (unde Latinùm *mater* & German. *Mutter*) libentes revocent Viri docti, inter quos Jo. Seldenus; Quam in rem vide plura apud Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium Part.* 3. *p.* 247. aliquid etiam, apud Joh. à Woweren *Notis ad Jul. Firmicum Maternum de Errore profanar. Religionum, p.* 47. & 48. ubi hæc Firmici verba explicat: *Perſæ & Magi omnes-----ignem præferunt-----& Jovem in duas dividunt poteſtates -----& viri & fœminæ ſimulachra ignis ſubſtantiam deputantes, & mulierem quidem triformi vultu conſtituunt, monſtroſis eam ſerpentibus illigantes----Virum verò abactorem boum colentes, ſacra ejus ad ignis transferunt poteſtatem.* In quibus verbis *Abactor boum* Hercules eſt, quem eundem cum Sole eſſe, multîs probat Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 20. Græcè Βουκλόπος, quô nomine *Mithram* diſertè indigitat Porphyrius *in Antro*, καὶ βουκλόπος ὁ θεός, ὁ τὴν γένεσιν λεληθότως ἀκούων. Unde ejus feſtum quoque Βουκλοπίη, & quia quotannis in orbem redibat, κύκλα βουκλοπίης, in Mithriaci Prophetæ verbis, eidem Firmico paulo poſt citatis, quæ Joſ. Scaliger ſic legi vult. Μυκήταο βοὸς μύσται, Κύκλα βουκλοπίης συναείδειν τε πατρὸς ἀγαυοῦ. Nec omittendum, quod Athenæus memorat *l.* 10. die feſtô *Mithræ* ſolô Perſarum Regi licitum fuiſſe ſeſe inebriare, tumque Perſicum choreæ genus ſaltare, reliquis omnibus per totam Aſiam à ſaltatione eô die abſtinentibus: Ἐν μόνῃ τῶν ἑορτῶν τῶν ἀγομένων ὑπὸ Περσῶν τῷ Μίθρῃ βασιλεὺς μεθύσκεται καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται· τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς κατὰ τὴν Ἀσίαν κλ. E quibus verbis comparet, feſtum id ingens per univerſum Perſicum imperium fuiſſe, ut mirum non ſit ad Romanos ejus perveniſſe cultum, uti dictum, & *Inſcriptiones* non unæ docent, quarum eſt, quæ ſpeluncarum etiam ei Idolò dedicatarum faciat mentionem. *Mithram Meſiten*, h. e. Deorum duorum ſummorum, Boni Malique, Oromazæ nimirum Arcimanti, *medium*, à Perſis cultum, ex Zoroaſtris diſciplina, commemorat ut diximus. Plut. *de Iſid. & Oſir.* quam rem explicat clariùs Plethon *Scholiis in Oracula Magica Zoroaſtris.* De ejuſdem Numinis rebus, fuêre, qui peculiaria Opera commentarentur, inter quos Pallas, Adriano Imperatori coævus, maximè laudatur Porphyrio *de Abſtin.* ut dictum. Et notabilia ſunt comprimis, quæ *Commentario in Gregorii Theologi Opera, d. l.* ſcribit quoque Elias Cretenſis: *Mithra*, inquit, *apud Perſas Sol eſſe exiſtimatur. Eique victimas immolant, aliaque in honorem ejus faciunt. Nemo verò ejus Sacris initiari poteſt, niſi per aliquot ſuppliciorum gradus tranſierit. Sunt tormentorum ii LXXX. gradus, partim remiſſiores, partim intenſiores----Ita demum exhauſtis omnibus tormentis, ſacris imbuuntur.* Qui cruciatus igni potiſſimum & aqua conſtabant. Vide quæ antè dicta ſunt. Alii tamen XII. tantùm genera cruciatuum agnoſcunt, inter quæ *famem, uſtionem, flagra*, & talia. Vide eundem Eliam *Orat.* 3. & ſuprà *Frugifer*, it. *Hercules*, ac infrà *Triplex*.

MITHRACENES, Perſa, Beſſi parricidium peroſus, transfugit ad Alexandrum. Curt. *l.* 5. *c.* 13.

MITHRENES, Sardium proditor. Curt. *l.* 3. *c.* 12.

MITHRIDATES I. Parthorum Rex V. fratri Phraati I. ſucceſſit, Imperium Parthicum ad ſummum faſtigium perduxit, Bactrianos ſub jugum redegit. Medorum quoque victor Mediæ Bacaſin præpoſuit, Elymæorum exin gente regno adjectâ imperium à monte Caucaſo uſque ad flumen Euphratem protulit: atque ita, adverſâ valetudine arreptus, non minor Arſace proavô, glorioſâ ſenectute deceſſit, Juſtin. *l.* 41. *c. ult.* Eum excepit fil. Phraates II. de quo ſuô locô.

MITHRIDATES II. Parthorum Rex VIII. cui res geſtæ *Magni* cognomen dedêre, patrem Artabanum I. excepit, claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreſſus eſt. Multa bella cum finitimis magnâ virtute geſſit, imperium mirè auxit, cum Scythis proſperè pugnavit, ac parentes egregiè ultus, tandem Artavaſdæ Armenii Regi bellum intulit. Juſtin. *l.* 42. *c.* 2. Verùm ab Orocle fratre inſidias paſſus, regnôque pulſus eum ſucceſſorem habuit. Appian. *Parthic. initio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MITHRIDATES I. vir regii generis, è Perſia oriundus ab Antigono Aſiæ Rege vitæ ſervandæ cauſâ, in Cappadociam profugit, ibique caſtellô munitô regni Cappadociæ & *Ponti* primafundamenta jecit. Appian. *Mithridat. f.* 116. Ejus ex poſteris ſucceſſor quintus (intermedii enim ignoti) fuit *Mithridates* II. de quo jam.

MITHRIDATES II. cognomine *Euergetes*, Romanorum ſocius; iis contra Carthaginenſes bellantibus, navibus aliquot auxilio fuit, Appianus *d. l.* Ei ſucceſſit fil. *Mithridates Eupator*, de quo mox.

MITHRIDATES III. cognomine *Eupator* ſeu *Dionyſius*, Rex Ponti, vi tantâ & animi, & corporis, ut 6. juges equos regeret, duarumque & viginti gentium ore loqueretur. A Romanis graviſſimè læſus, cùm juſtitiam ſperare non poſſet, aggreſſus fœderatos eorum, Nicomedem Bithyniâ, Ariobarzanem Cappadociâ expulit. Græciam, inſulaſque omnes, exceptâ Rhodô, occupavit. Cives Romanos, totâ Aſiâ negotiantes, nocte unâ occidendos curavit. Qu. Oppium proconſulem & Apuleium legatum in vincula conjecit: Sed à Sylla, qui Athenas receperat, apud Dardanum fuſus, cum L. Lucullo apud Cyzicum, dein cum Pompejo congreſſus, tantâ ſuorum clade ſuperatus eſt, ut rebus ſuis diffidens, ad Tigranem Armeniæ regem confugerit: cujus ope cùm bellum inſtauraſſet, à Pompejo omnibus prorſus viribus eſt exutus, tandemque à Pharnace filio, in regia, obſeſſus, venenô vitam abrumpere tentavit. Verùm cùm eâ viâ parum proficeret, quòd corpus multis antea antidotis adverſus venena firmaviſſet (unde Martial. *l.* 78. *Epigr.* 5.

Profecit potô Mithridates ſæpe venenô,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Vide Plin. *l.* 25. *c.* 2. & Gell. *l.* 17. *c.* 16) immiſſum percuſſorem Gallum, authoritate vultûs ejus territum revocavit, & in cædem ſuam manum trepidantis adjuvit. Hic *Mithridates* maximæ crudelitatis arguitur. Nam Laodicem conjugem & ſororem, præterea matrem, fatremque ac tres filios impuberes, totidemque filias interfecit. Cœterùm literatus; & literatorum ingens fautor, ipſemet librum, *de Arcanis morborum*, ſcripſit, quem inter præcipua triumphi ornamenta, Pompejus Romam detulit, à Lenæo liberto hujus dein Latinè redditum. Ab hoc Mithridate quoque Mithridaticum antidotum appellatum volunt; quod Quintus Sammonicus ſic deſcribit:

Bis denum rutæ folium, ſalis & breve granum,
Juglandeſque duas, totidem cum corpore ficus:
Hæc oriente die modico conſperſa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Plura de hoc vide apud Appian. *de bello Mithrid.* Livium *l.* 77. 78. *& ſeq. Brev.* Flor. *l.* 3. *c.* 5. Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 18. *ſeq.* Gell. *l.* 17. *c.* 17. Plin. *l.* 24. *c.* 2. *l.* 37. *c.* 2. Plut. *in Sulla*, *Lucullo*, *Pompejo*. Dion. &c.

MITHRIDATES, Servat memoriam ejus, in Inſula Delo, *Inſcr.* hæc

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥ
ΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΤΥΧ . . . . . ΤΟΥ
ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΝΕΣ . . . ΝΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗ
ΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

In baſi ſtatuæ, quam Dionyſius quidam Athenienſis Gymnaſiarcha ei erexit. Fuiſſe filium hinc diſcimus *Mithridatis Euergetæ*, amici & fœderati Romanorum, de quo ſonat in eadem Inſul. hæc *Inſcr.*

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΣΕΛΕΥΚΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΓΥΜΝΑ
ΣΙΑΡΧΩΝ

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 87.

MITHRIDATES alius Bruti epiſtolas collegit, quæ impreſſæ ſunt ab Aldo. Item fil. Gazabar. Eſdr. *c.* 1. *v.* 8. Alius Parthorum Rex, Olymp. 129. Alius Rex Pergami; Olymp. 183. Alius item Parthorum Rex, Olymp. 203. Alius Armeniæ Rex, Olymp. 206. Vide Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 8. *Nic. Lloydius.*

MITRA, Syriacum *Scaligero*: ab antiquo *μίω*, i. e. *μιτόω ligo*, Euſtath. à *μίτος*, i. e. *filum*, Etymol. Lat. *Vitta*, Hebr. מיתר, funis, *σχοινίον*: propriè ſignificat tegmen muliebris capitis. Et quidem aliquando ſonat redimiculum capitis, è quò pendebant faſciolæ, quæ *phylla* dicebantur, quòd florum inſtar dependerent: quam notionem deprehendimus, apud Ovid. *Ep. Deianiræ ad Herculem*, *Heroid.* 9. *v.* 63.

Auſus & hirſutos mitrâ *redimire capillos.*

Ubi pro faſcia circa apicem capillos obligante ſumitur: Aliàs integrum capitis tegmen denotat. Sic apud Papinium *l.* 9. *Theb. v.* 795. Atlantiades ſe effœminatum negans ait, *haud quaquam deformes vertice* Mitras *induimus*. Forma ejus hujusmodi fuit, ut è pileo incurvo propenderent vittæ quædam ſeu tæniæ *buccas tegentes*, ut ait Servius *Æn. l.* 4. *v.* 216. Hinc Pollux *Mitras* & anademata conjunxit. Dionyſ. Lambinus *ad Lucret. l.* 4. *v.* 1122.

Et bene parta Patrum fiunt. anademata Mitræ.

Redimicula vocat Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 616. *Baccarum tegmina* Lutatius *ad Statium d. l.* quòd redimicula propendentia *baccis*, h. e. margaritis aliisve pretioſis talibus globulis, plena eſſent, ita tamen facta, ut circum *Mitram* involvi poſſent: *Religamina* Prudentius *Pſychom. v.* 359.

Ut mitra *cæſariem cohibens aurata virilem,*
Combibat infuſam croceô religamine nardum &c.

Cœterùm multiplicibus implexæ ſpiris, verſicolores fuêre, teſte Plinio *l.* 35. *c.* 9. & ſub mento redimicula ſubſtringebantur, ut diſcimus ex Claudiano *in Eutrop. l.* 2. *v.* 195.

——— ——— *Mitrâ redeunte capillos*
Strinxerat.

Diximus, muliebris capitis fuiſſe tegmen. Hinc in viris *Mitræ* uſus improbatus, indeque apud Virgilium *Æn. l.* 4. Æneæ ab Hiarba veſtis hæc, tanquam minùs apta viro, exprobratur. Imò nec fœmineô ſatis digna ſexu, poſtquam meretricum eſſe cœpit, ut Servius *ad locum Virgilii citatum* annotavit: *Sanè quibus effœminatio crimini dabatur, etiam* Mitra *eis adſcribebatur*; *Multa enim lectio* Mitras *meretricum eſſe docet*. Hinc & meretricibus tribuit Auctor *Copæ*, quem Virgilium fuiſſe vult Priſcianus,

Copa Syriſca, caput Grajâ redimita mitellâ,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

Quô locô non accedit Barthius Scaligero, ex *mitræ* uſu anum facienti hanc delicatæ nequitiæ copam, cùm totum Epigramma alia omnia dicat, & *mitrarum* uſum meretricum etiam Juvenal. firmet, *Sat.* 3. *v.* 66.

——— *Pictâ lupa barbara mitrâ* &c.

Ob id, molliſſimum habitum Baccho, Bacchantibus & Poëtis, qui in Bacchi tutela, *Mitras* abſcripſiſſe Antiquitatem veriſimile eſt, *ut cohiberentur vini vapores, ne caput peterent*, Euſebius Cæſ. *Præpar. Euang. l.* 2. *c.* 2. Seneca *in Oedipo Actu* 2. *in Choro*, *v.* 414.

Te caput Tyriâ cohibere Mitrâ,
Hederaque mollem bacciferâ
Religare frontem.

Sextus Propert. *l.* 3. *Eleg.* 16. *v.* 30. de Bacchi Sacerdotibus,

Cinget Baſſaricas Lydia Mitra *comas.*

Ubi *Lydiam* dicit, quia Lydi omnes ac Phryges olim gens utraque mollitiæ infamis, mitrati fuêre: quibus Arabes addit C. Solinus *c.* 36. Vide Thom. Dempſter. *Paralip. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 35. & ante eum Car. Paſchalium *Coronarum l.* 4. *c.* 20. Licuit tamen & Viris ferre *Mitram*, ſi non muliebrem, at muliebri ſimilem, ſed noctu, & comitem ſomni. Nimirum *Mitra* quoque ſignificavit pileum nocturnum, uti colligitur ex Palæphato *in Fab.* Quia verò muliebribus mitris plerumque addebantur flores, unde *πολυάνθεμοι* illæ dictæ: hinc factum, ut *Mitra*, corona plexa è faſciis, imò omnis corona vocaretur. Porrò & *Mitra*, lamina ferri dicta, & baltheus, unde *μιτροῦσθαι*, *armari, protegi*, apud Strabon. *l.* 3. Imò & faſcia ſeu lamina, quæ pectus muliebre tuebatur, è filo texta: intra quam ferebatur prægnantibus ærea, in ima parte ventris, majoris ſecuritatis gratiâ, quam in primo partu Dianæ appendebant. Sic apud Apollonium Rhodium *l.* 3. Medea venenum è radice Promethei.

——— εὐώδεϊ κάτθετο μίτρῃ,
Ἥ τε οἱ ἀμβροσίοισι περὶ στήθεσσιν ἔερτο.
odoratæ impoſuit mitræ,
Quæ ei circa divinum pectus conſerta erat.

Unde *μίτρην λύειν*, *mitram*, i. e. Zonam *ſolvere* dicebantur mulieres primùm parturientes. Alcimede apud eundem *l.* 1.

——— ᾧ ἐπὶ μούνῳ
Μίτρην πρῶτον ἔλυσα ———
ſub quo uno
Mitram primùm ſolvi.

Et Medæa, apud eundem, advoluta genibus Aratæ, ſibi adhuc *mitram* manere, h. e. virginitatem eſſe illibatam, ait *l.* 4.

——— Ἔτι μοι μίτρη μένει, ὡς ἐνὶ πατρὸς
Δώμασιν, ἄχραντος, καὶ ἀκήρατος ———

Vide Paſchalium *ubi ſuprà*. Hodie in Eccleſia Romana Epiſcoporum peculiare capitis tegmen, eſt viridis galerus & *Mitra*, quâ nemini alii licebat olim uti, niſi ex privilegio ſpeciali: Proin in Abbatibus eam improbat Petrus Bleſ. *Ep.* 90. & S. Bernardus *Ep.* 42. Eſt autem *mitra* hæc Epiſcopalis bicornis & patulô ſupernè curvamine hians, reſpondet pileo cornuto priſcorum apud Ethnicos Sacerdotum, quem in Nabide, Ammonis Sacerdote, deſcribit Sil. *l.* 15. *v.* 679. ubi inter alia ait.

Caſſide cornigerâ dependens Infula ſacros
Præ ſe terrores, Divumque ferebat honorem.

Bacchi quoque *Mitram* cornutam fuiſſe, meminit Lucianus in *Bacch.* indeque is Κερασφόρος ſive *Corniger*, cognominatus eſt. Non tamen eadem omnino eſt cum Infula, ut quidam volunt, & Silii verba indicare videntur; Infula enim faſcia erat lanea, partem capitis capillô tectam ad bina tempora aperiens, utrinque adſtricta ac dependente vittâ; idemque fuit in Pontifice, quod Diadema in Rege. Cùm verò *Phrygium* dicitur *Mitra*, ut cùm Cæleſtinus I. dicitur miſiſſe S. Cyrillo *Phrygium*, indigitatur *Mitra* Phrygiô opere conſtans, quali poſt Conſtantini tempora Pontifices Romani uſi videntur, cùm antea linea eſſet ac alba. Sequioribus dein ſeculis aurô & attextis gemmis quoque exornari cœpit, quod ante annos circiter ſexcentos accidiſſe, ſcribit Onuphrius *in calce libri de vocibus Eccl.* Hæc Anſel. Solerius *l. de Pileo ſect.* 13. Ejus certè uſum ante A. C. 1000. vix Pontificibus Epiſcopisque tribuunt Eccleſiæ Romanæ Scriptores. Orientales verò Græcique Epiſcopi ſacra faciunt nudô capite, exceptô Patriarchâ Alexandrinô, qui in capite gerit, quod *ἱερὸν* vocant & *mitram* vel *cidarim* reddunt, Sim. Theſſalonicenſis *de Templo & Miſſa*. Rutheni tamen Epiſcopi *mitram* ferunt rotundam, variis ornamentis decoratam; ut & Moſcorum Epiſcopi, ſed nigri coloris, præter Epiſcopum Novogradenſem, cujus mitra, ad imitationem Latinorum, eſt alba. In Eccleſia Romana ex conceſſu Pontificis, *Mitras* gerebant Cardinales, antequam galerus iis in Concilio Lugd. A. C. 1245. eſſet aſſignatus. Sed & poſteà, ex ſerico albo *Mitram* illis, quoties *paramentis* ſacris induti ſunt, permiſit Paulus II. A. C. 1464. De Epiſcopis, res nota. De Abbatibus quibusdam, vide ſuprà, in *Abbates Mitrati*. Sunt præterea multæ Cathedrales, in quibus Canonici vel Dignitates, ut vocant ex Papæ Honorii III. indultu, eôdem capitis tegmine operiuntur, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ut ſunt quatuor Dignitates Eccleſiæ Toletanæ, *Decanus*, *Archidiaconus*, *Cantor & Theſaurarius*. Similiter Prior Conventualis Eccleſiæ Melitenſis, item Canonici Cathedrales Eccleſiæ in Sicilia Meſſanenſis, *mitris* ex ſerico albo utuntur. Porrò Dignitates Cathedral. Manfredoniæ & Cathedral. S. Michaëlis Montis Gargani: Canonici inſuper Lugdunenſes in Gallia, *Comitis* titulô inſignes, in Eccleſia Cathedrali S. Joannis Baptiſtæ, omnesque Canonici Eccleſiarum Collegiatarum ejusdem Civitatis mitram geſtant colore currentis diei. Sic Neapolitanæ Cathedralis Canonici ex tela byſſina mitram ferunt, uti ex damaſceno ſerico Canonici Lucenſes. De Canonicis Eccleſiæ in Bohemia Pragenſis, cùm Archiepiſcopo adminiſtranti, in Subdiaconatus & Diaconatus officio adſunt: de Babebergenſibus, cum ſummæ feſtivitates imminent; de Pictavienſibus, vide *Bullas* Urbani & Bonifacii, Anonymum Hanſrietanum *in Gebhardo Epiſc. Eyſtettenſi*, Alios, laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſario*. Ut & iſta addam, habent præterea *Mitræ* privilegium, Præpoſitus Eccleſiæ S. Marci Venetiis, ex indultu Alexandri III. Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis in Bohemia, Præpoſitus Collegiatæ Pratenſis, Viſitator ſeu Corrector Hoſpitalis Neapolitani, Capellanus Regis Norvegiæ, ex conceſſione Clementis V. & Theſaurarius regiæ cappellæ Pariſienſis, ex privilegio Clementis VII. Ex Religioſis verò Generalis Monachorum Hieronymianorum in Italia, Præpoſitus Monaſterii Chotieſcovienſis & Guardianus S. Sepulchri Hieroſolymæ, in functionibus ſolennibus. Quòd enim in genere Monachis *Mitram* tribuit, *Ordo* S. Victoris Paris. MS. *c.* 18. & 40. de *capparonibus* intelligendum ait Car. du Freſne; quomodo vox ſumitur in *Jure Feudali Saxonum c.* 33. *art.* 5. Ex Laicis *Mitram* geſſit Uratiſlaus Bohemorum Dux concedente id Alexandrô II. A. C. 1008. quod nemini Laicorum contigiſſe, refert Alexandri ſucceſſor Gregorius VII. *Ep. ad Ducem.* Rogerio tamen Siculo idem indulſit Lucius II. apud Ottonem Friſing. Sed & *Mitram* Franci vocabant capitis illud operimentum, quod Imperatorum Regumque coronis ſolet ſubſterni &c. Cœterùm Canonici *mitrati* omnes, in diſtributionibus candelarum, cinerum ac palmarum, licet *mitram* gerant, ſurgere nihilominus tenentur ac ſtare; ad diſcrimen Epiſcoporum, quibus ſedendi jus eſt. Vide Dominicum & Carolum Macros *in Hierolexico.* Tandem & pro Diademate quoque non infrequens antiquis *Mitræ* notio eſt, Idem Solerius *ſect.* 6. &c. Quid differat à Tiara, vide *ſuô locô.*

MITRÆAS, Aſſyriorum Rex poſt Soſarmum. A M. 2822. uſque ad an. 2848. Euſeb. *in Chron.*

MITRALE, nomen libri, à Richardo Epiſcopo Cremonenſi compoſiti, quem laudat ſæpius Durandus Mimarenſis Epiſcopus *in Rationali.*

MITRULA, parva *Mitra*, pro diademate, apud Plinium, & Solinum *c.* 27. ex Græco: nam Græcis *μίτρα, ταινία, διάδημα*: cujuſmodi ſunt Arabum mitræ, nec alia acceptio vocis in tota Græcorum natione. At Latini *mitram* etiam pro pileo, qualis Phrygum mitra erat, uſurpârunt: unde & *Mitræ Epiſcoporum* hodieque cenſentur, quæ pilea ſunt. Aliàs à Diademate pileum multum differt; ſed novum non eſt, ut vocem à Græcis acceptam aliâ notione adhibeant Latini, quod in ſexcentis fecerunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 371. & 556. ut & ſuprà in voce *Mitellita.*

MITTENDARII, vox medii ævi, quâ Palatini inſigniri ſoliti, qui in ſacro Palatio militabant, & in provincias extraordinarie mittebantur à Principe, ut eorum mandata perferrent, cùm Comitatenſes Palatini in ipſo Palatio ſubſiſterent, ut docent Gloſſæ Baſilicæ in voce, *παλατῖνοι. Οἱ δὲ εἰς τὰς ἐπαρχίας πεμπόμενοι, Μιτενδάριοι.* Senator. *l.* 4. *Ep.* 37. *Expeditos enim properare Mittendarios volumus, non migrare cenſemus.* Vide *l.* 2. 5. 7. 8. 22. 23. *Cod. Theodoſ. de Palat.* & Pancirollum *ad Notit. Imper. l.* 1. *c.* 86.

MITTENTES, in veteri Eccleſia, inter lapſos, illi dicebantur, qui incenſum in ignem coram idolis *mittebant*, Gentilium minis adacti, ut feciſſe Marcellinum Epiſcopum Romanum refert Baronius *A. C.* 253. *num.* 18. & 19.

MITTERE Mantilia, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 37. *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen ut pura mantilia* mitterentur: *ſæpius cocco clavata, aurata verò nunquam*; non aliud quàm *ſternere* eſt. Pollio *in Gallienis*, *c.* 16. *Mantilibus aureis ſemper ſtravit.* Sic in Petroniano convivio dicitur Trimalcio, *circa oneratas veſte cervices laticlaviam* miſiſſe *mappam*: quod loquendi genus è tricliniis in Circos eſt tranſlatum. *Mittere* enim *quadrigas* vel *mappam*, ſæpe apud Livium, alioſque; quod munus fuit olim ſummi Magiſtratus, Dictatoris vel Conſulis aut Prætoris, etiam ſub Imperatorib. ſed quod ſæpe Imperatores infringerent, ut de Nerone, apud Sueton. *c.* 22. & de Commodo, apud Lamprid. legere eſt. Vide ſuprà paſſim, inprimis in vocibus *Mappa*, *Miſſile*, *Miſſio.*

MITYLENE, & MITYLENÆ, plurali numerô, urbs maxima Lesbi juxta Methymnam, Archiepiſcopalis ſic dicta à *Mitylene* Macaris filia. Hodie *Metelin*, ſicut & inſula ipſa, quæ poſtquam variis dominis ſubfuit, Turcis ab Andronico Juniori A. C. 1338. erepta eſt, poſteà ſub Venetis fuit, hodie iterum ſub Turcis, à tempore Bajazethis II. qui decies octies Inſulam agreſſus, tandem illam occupavit, A. C. 1498. Vide P. Jovium *Hiſtor. l.* 8. *c.* 10. Patria fuit Pittaci ex 7. ſapientibus unius, item Alcæi poëtæ, Diophanis oratoris, & Theophanis hiſtorici, qui Magno Pompejo admodum familiaris fuit. De hac ſcribit Vitruvius *l.* 1. *c.* 6. quòd magnificè, & eleganter ædificata fuerit, ſed non prudenter poſita, in qua Auſter cùm flat, homines ægrotant, cùm Corus, tuſſiunt, cùm Septentrio, reſtituuntur in ſalubritatem. Ab hoc oppido etiam tota inſula ſic dicta fuit, tempore Euſtathii. Longus Sophiſta *Pœmenicorum l.* 1. *Πόλις ἐςὶ Λέσβȣ Μιτυλήνη, μεγάλη, καὶ καλή. Διείληπται γὰρ Εὐρίποις, ὑπεισρεȣ́σης τῆς θαλάσσης, καὶ κεκόσμηται γεφύραις ξεςȣ̃ καὶ λευκȣ̃ λίθȣ, νομίσεις ȣ̓ πόλιν ὁρᾷν, ἀλλὰ νῆσον.* *Pulchræ* epithetô quoque illam ornat Horat. 1. *Ep.* 11. *v.* 17. Strab. *l.* 13. *κατεσκεύαςαι δὲ τοῖς πᾶσι καλῶς.* Cicer. *contra Rullum*, *c.* 16. eam vocat urbem & naturâ, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine inprimis nobilem, agros jucundos & fertiles. Cum Rhodo aliquoties à Poëtis conjungitur. Vide Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 7. & Martial. *l.* 10. *Epigr.* 68. *v.* 1. Hinc adjectivum *Mitylenæus*, Lucan. *l.* 8. *v.* 109. Utrumque dixêre veteres *Mytilene*, & *Mitylene.* Sed poſterius inter barbariſmi ſpecies refert Stephanus, Grammaticus Byzantius, *in comm. ad Dionyſium Thracem*, & *Μυτιληναῖον* dici jubet, addens rationem, *ἀπὸ γὰρ τȣ̃ Μύτωνος τȣ̃ κτίςȣ Μυτιλήνη καλεῖται.* Suffragantur nummi veteres, Voſſ. *in Melam p.* 201. Duos habet eximios portus, *Geremia* & *Caloni*, hodie dictos. *Nic. Lloydius.* Vide *Mytilene.*

MITYS, vir quidam, cujus ſtatua, eum, à quo interfectus fuerat Mitys, collapſa oppreſſit. Ariſtot. *c.* 10. *de Poëtica.*

MITYS, fluv. Macedoniæ, inter Dium & Agaſſas urbes. Liv.

MIXODIA, fretum Siciliæ, inter Scyllum & Charybdim. *Homer. Apoll.* &c.

MIXTARABES, Juliano Toletano appellantur, qui aliàs *Moſarabes*, Ita enim is., *Erâ* 757. *die Madii data eſt civitas Toleti Mauris, ſub hac conditione; ut relinquerent Chriſtianis ſeptem Eccleſias*, Mixtarabum *quas vocant, &c.* Infrà, *Erant autem ipſi Mixtarabes ſanctæ Juſtæ, ubi jacent in pace, &c.* Fuêre autem dicti *Moſarabes* in Hiſpania Chriſtiani, qui ſub Arabum dominatu vivebant, quaſi *mixti Arabibus*, uti cenſent Stephanus Præcentor Ulyſipponenſis *de Miraculis S. Vinc. c.* 1. *num.* 3. Surita *l.* 1. *Indic. Aragon. æra* 752. & ex iis Baronius *A. C.* 633. n. 87. Quippe *Muſa* Arabibus Chriſtianum ſignificare, docet Blanca *A. C.* 714. quod etiam etymon Julianus laudatus attigit. Alii volunt *Moſarabes* dictos à Muza, Arabum Duce, qui Hiſpaniam domuit. Jac. de Vitriaco *Hiſtor. Hieroſol. c.* 80. *Illi verò Chriſtiani, qui in Africa & Hiſpania inter Occidentales Saracenos commorantur, Moſarabes nuncupati, Latinam habent literam & Latinô ſermone in ſcripturis utuntur, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut alii Latini, cum omni humilitate & devotione obediunt, ab articulis fidei vel Sacramentis ab ullo deviantes, &c.* Adde Eugenium III. Pontif. *Ep.* 83. Sanutum *l.* 3. *part.* 8. *c.* 4. Alios. Eorum officium divinum, *Moſarabis* inde retinuit appellationem, jam olim, & maximè Leandri Hiſpalenſis & Iſidori temporibus uſitatum. Imò hoc uſa eſt Hiſpania, uſque ad Alfonſum VI. quô tempore, auctoritate Gregorii VII. Pontificis Romani mutatum eſt, ærâ 1109. ut eſt in *Charta* Ramirezii Regis Aragoniæ deſcriptâ *in Hiſtor. Pinnatenſi l.* 3. *c.* 16. licet & Toleti adhuc, in ſex Parochiis, ſervetur & in Cathedrali Eccleſia, in ſacello Fratris Franc. Ximenii, ac Salmanticæ ſtatis diebus, in ſacello Doctoris Talabricenſis. Ordinem divini hujus Officii deſcripſit & edidit Eupenius Robleſius, ex quo in Bibliothecam Patrum relatus eſt, *tom.* 6. *ult. Edit.* Conſule porrò de *Moſarabico* ſive Gothico hoc Officio, in aliquot Eccleſiis Hiſpanicis, Rodericum Toletanum *Hiſtor. l.* 6. *c.* 26. 27. Ambroſ. Moralem *l.* 12. *c.* 19. Marianam *l.* 9. *c.* 17. 18. *&c.* Item Bivarium *ad Pſeudo---Chronicon Marci Maximi p.* 424. *Notas* ad Concilia Hiſpan. A. C. 1068. Gregorii VII. *l.* 1. *Ep.* 63. 64. 83. & *l.* 3. *Ep.* 18. & *l.* 9. *Ep.* 2. Covarruviam *Theſaur. Linguæ Caſtell.* Alios, Car. du Freſne *in Gloſſar.* laudatos: & quæ dicemus infrà voce *Mozarabicus.*

MIXTUM, in *Regulis* Monaſticis, quibusdam eſt panis vino intinctus; aliis jentaculum. Certè vini certam menſuram & panis certam quantitatem ita appellari, docet Bernardus Monachus *in Conſuetudinibus Cluniac. MSS. c.* 7. apud Car. du Freſne. *Eſt autem conſuetudo, quatenus reindutis pannis afferatur ſcyphus plenus vinô & dimidia libra panis; dicente Priore poſt verberationem, Modò date ei mixtum.* In libro *Uſuum* Ordinis Ciſterc. *c.* 73. *Menſura* Mixti *ſit quarta pars libræ panis & tertia pars heminæ vini.* Quod firmat etiam Beletus *c.* 119. *Statutum eſt in quibuſdam Eccleſiis ---- ut illô die* (quô *Communio* ſeu Euchariſtia celebratur) *panis & vinum in Eccleſia habeatur & cùm homines communicaverint, detur ſtatim unicuique panis buccea, priùsquam recedant, & paululum vini, ne fortè quippiam de Sacramento in ore remanſerit, quod expuendo facilè emitti queat. Poſſet enim facilè contingere, ſi non ſtatim comederetur. Quæ ſanè laudata conſuetudo omnibus probatur, ſumſitque originem ex inſtitutione B. Benedicti: inſtituit namque vir ſanctiſſimus, ob eandem cauſam, ut illi, qui aliis Fratribus debent in prandio poſt Communionem miniſtrare, aliquid comederent. Atque hoc quidem prandium* Mixtum *appellari ſolet, &c.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexico.* At in *primo Comm.* Petri Boærii in *Regulæ S. Benedicti c.* 38. *Mixti* ſeu *Mixtones*, dicuntur in Monaſteriis quibuſdam, panes, ex mixtura frumenti & hordei vel ſiliginis, ita modici, ut quatuor aut quinque uni homini per diem alendo non ſufficiant, apud eundem Car. du Freſne *in Additionibus.* Aliud quid ſonat vox; in *Hiſtoria* Abbatiæ Condom. apud eund. *p.* 507. *Scripſit manu propriâ libros Eccleſiaſticos, videlicet duo Miſſalia, duos Graduales ſive Jornaria, duo Proſaria & unum Mixtum*: Ubi videtur fuiſſe liber quidam Eccleſiaſticus, ex aliis *mixtus* ac conſarcinatus.

MIZALDUS Antonius, Gergobiâ Gallus, Regni illius Æſculapius; Philoſophus inſuper ac Mathematicus doctiſſimus, ſcriptis compluribus Orbi erudito innotuit, de quibus Vide *Elogia* Teiſſerii *P. I.* adde *Theatr. d'huom. Letter.* Obiit A. C. 1578. Senex.

MIZRAIM, vide *Ægyptus.*

MKV. in nummis Conſtantini M. & Licinii, Moneta *Karthaginenſis.* Vide Monetarii nota.

MLAUNA, fluvius Bulgariæ, in Moraviam majorem influens. *Joh. Lucio.*

M. M. P. notæ ſunt apud Paulum Diaconum, pro *manu, mancipio, poteſtate.* Ulpianus *Inſtitut. c.* 24. *Ei, cujus in poteſtate, ma-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nu mancipiove eſt heres ſcriptus, legari non poteſt, apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.*

M. N. in notis antiquis, *meô nomine*, vel *mille nummûm*.
MNE. L. *manifeſtus locus*, &c. ſignificat. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

MNAS, pirata, qui temporibus Pompeji Magni oram Italiæ proditoriâ claſſe infeſtabat.

MNASALCES, Poëta Græcus, Platæenſis, an Sicyonius? Epigrammatum auctor, quorum quædam *Athenæus* refert. Ejus etiam *Strabo* meminit.

MNASEAS, Phocenſis, à Phayllo fratris filio Phalæco tutor datus, Olymp. 107. an. 1. Vide Ariſtot. Polit. *l.* 5. *c.* 4. Scripſit libros de Libya. Heſych. in Βαρκαίοις ὄχοις. Erant autem tres ejuſdem nominis hiſtorici, Berytius, qui *de Arte dicendi* & *Atticis verbis* ſcripſit. Colophonius, & Patrenſis, de quibus vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 21. Geſner. *in Bibl. Suid.* &c.

MNASICLES, Cres, inter duces Thymbronis, ab eo ob inæqualem prædæ diviſionem transfugit ad Cyrenenſes, Diod. *l.* 58.

MNASIPPIDAS, Lacedæmonius, qui, tubicinibus noctu claſſicum canere juſſis, multitudinem militum ſuorum ſimulavit. Polyæn. *l.* 2. *c.* 23.

MNASIPPUS, à Lacedæmoniis dux conſtitutus & cum 65. triremibus, ac 1500. militibus ad occupandam Corcyram miſſus. Diodor. Sic. *l.* 15. in ejus obſidione à Creſicle occiſus.

MNASITHEUS, pictor Sicyonius non ignobilis, Plin. *l.* 35. *c.* 11.

MNASON. Elatenſium tyrannus, qui pro duodecim Diis dedit Aſclepiodoro pictori in ſingulos mnas trecentas, ac Theomneſto in ſingulas heroinas mnas centum. Plin. *l.* 35. *c.* 10. Item nomen veteris diſcipuli cujuſdam, prout vocatur Actor. Ap. *c.* 21. *v.* 16.

MNASYRIUM, locus eſt in Rhodo inſula, non procul à Lyndo oppido, Strab. *l.* 14.

MNEMIUM, promontorium Æthiopiæ, ad ſinum Arabicum. *Ptolem.*

MNEMON, cognomine Artaxerxis II. apud C. Nepotem *Regibus c.* 1. ex Græco Μνήμων; i. e. *Memor*, ſeu, ut Hieronym. interpretatur, *Recordans*. Proprium ei nomen *Arſicas* fuit, & *Artaxerxis* regiam appellationem, cùm à Patre Dario Rex deſignatus eſſet, accepit, teſte *Plut.* quamvis *Darſem* ferat nuncupatum *Dinon*. Vide Keuchenium *Notis ad Nepotis locum.*

MNEMOSYNE, Nympha Pieria, quæ Jovi novem Muſas peperit. Heſiod. *in Theog. v.* 54. Latinè *Memoriam* interpretari poſſumus, quam ideò Muſarum matrem fingunt poëtæ, quòd omnium ſcientiarum theſaurus memoriæ beneficiô acquiratur, & conſervetur. Heſiod. *loc. cit.* Picturæ excellentis Mneſomynes, à Philiſco factæ, meminit Plin. *l.* 35. *c.* 11.

MNEMOSYNE, nomen fontis ſacri, in Bœotia, è quo bibere tenebantur, qui Trophonii oraculum conſulturi erant. Pauſan. *Bœoticis*, ubi Oraculum hoc accuratiſſimè deſcribit: Τὸ ἐντεῦθεν ὑπὸ τῶν ἱερέων οὐκ αὐτίκα ἐπὶ τὸ μαντεῖον, ἐπὶ δὲ ὕδατος πηγὰς ἄγεται· αἱ δὲ ἐγγυτάτω εἰσὶν ἀλλήλων· ἐνταῦθα δὴ χρὴ πίειν αὐτὸν Λήθης τε ὕδωρ καλούμενον, ἵνα λήθη γένηταί οἱ πάντων ἃ τέως ἐφρόντιζε. Καὶ ἐπὶ τῷδε ἄλλο αὖθις ὕδωρ πίνειν Μνημοσύνης, ἀπὸ τούτου τὸ μνημονεύειν τὰ ὀφθέντα οἱ καταβάντι. *Hinc non ſtatim ad Oraculum à ſacrificulis, ſed prius ad amnis fontes ducitur* (conſultturus.) *Sunt verò duo inter ſe proximi. Bibenda eſt illic Lethes quæ dicitur aqua, quò cunctorum ei quæ antè illi erant curæ, oblivio contingat.* Mnemoſynes *deinde aquas potat, ut ne mens effluat, quò minùs quæ intra penetralia eſſet viſurus, omnia memoriâ contineat.* Idem & throni ejuſdem nominis *ibidem* meminit, Τὸν δὲ ἀναβάντα παρὰ τοῦ Τροφωνίου, παραλαβόντες αὖθις οἱ ἱερεῖς καθίζουσιν ἐπὶ θρόνον τὸν Μνημοσύνης καλούμενον· κεῖται δὲ οὐ πόῤῥω τοῦ ἀδύτου, καθεσθέντα δὲ ἐνταῦθα ἀνερωτῶσιν ὁπόσα εἶδέ τε καὶ ἐπύθετο, μαθόντες δὲ ἐπιτρέπουσιν αὐτὸν ἤδη τοῖς προσήκουσι. *Conſultorem* à *Trophonio reverſum ſacrificuli in ſolio ſtatim collocant, quod* Mnemoſynes *vocant: poſitum illud eſt non procul ab adyto. Ab eo percontantur, quæcunque vel viſa vel audita reportârit. Ea ubi accepêre, iis hominem tradunt; quibus id officii demandatum eſt.*

MNESARCHUS, inter principes Philoſophorum Ciceroni numeratur, *Acad. Qu. l.* 4.

MNESIDAMUS, Prætor Athenienſium, qui dum contra Heraclidem, Demetrii Præfectum, Athenis conjurat, detectâ per Hieroclem conſpiratione, interfectus eſt, Polyæn. *l.* 5. Idem quoque *Mneſidemus*, dicitur. Vide ibi.

MNESIDEMUS, conjurationis contra Heraclidem Demetrii Præfectum Athenis particeps, occiſus eſt, Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

MNESILOCHUS, Poëta, ut videtur, Comicus, qui ſcripſit *Pharmacopolam*. Vide Scholia *in Aves.*

MNESIMACHUS, poëta Comicus, cujus tres fabulæ enumerantur à *Suida*, Athen. *l.* 8. 9. *& ſeqq.* Vide Voſſ. *de Poëtis Græc. c.* 7. *p.* 50. Alius meminit Scholiaſtes, *Apollonii l.* 4.

MNESITHEUS, Medicus, varia ſcripſit. Vide Galen. *l. de alim. facult.*

MNESON, fil. Mnaſeæ Phocenſis, vide ſupra.

MNESTER, Agrippinæ libertus, qui Dominâ à ſatellitibus Neronis interemptâ, ferrô ſe transfixit, incertum, charitatene in patronam, an metu exitii. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 9. item nomen Pantomimi, Meſſalinæ grati, Id. *l.* 11. *Annal. c.* 36.

MNESTHEUS, nomen proprium viri Trojani, qui ab Aſſaraco rege oriundus fuit. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 127.

Et genus Aſſaraci Mneſtheus.

Nonnunquam verò metri causâ additur *e* poſt *m*. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 129.

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.

Nec alitèr poteſt ſtare verſus, ut annotavit *Servius*. Item Pelei fil. 21. Athenienſium rex, an. ante Urb. Cond. 450.

MNESTHEUS, Medicus. Plin *l.* 21. *c.* 3. Item libertus Aureliani Imperatoris necis heri cauſa: fraude patefactâ cruci affixus & beſtiis objectus. Vide Vopiſc. in *Aurelian. c.* 36. Aurel. Victorem, *c.* 50. Eutropium, *l.* 9. De eo ſic Vopiſc. *loc. cit. Incidit autem, ut ſe res fataliter agunt, ut* Mneſtheum *quendam, quem pro notario ſecretorum habuerat, libertum, ut quidam dicunt ſuum, infenſiorem ſibi minando redderet, quòd neſcio quid de quodam ſuſpicatus eſſet.* Mneſtheus----*breve nominum conſcripſit, mixtis in quibus Aurelianus verè iraſcebatur, cum iis, de quibus nihil aſperum cogitabat, additô etiam ſuô nomine-----Hi quùm exarſiſſent timore, qui merebantur offenſam-----Aurelianum-----interemerunt-----Quò interfecto cùm res eſſet prodita, & ſepulchrum ingens & templum illi detulerunt ii, à quibus interemtus eſt, c.* 37. *Sanè Mneſtheus poſteà ſurrectus ad ſtipitem beſtiis objectus eſt, quod ſtatuæ marmoreæ poſitæ in eodem loco utrinque ſignificant.*

MNESTHEUS Portus, Gall. *Port de S. Marie*, in Vandalitia, in ora Sinus Gadit. 2. leuc. à Gadibus in Septentrionem, uti 2. à Xera, in Cæciam, 4. à Fano Luciferi in Eurum.

MNEVIS, bos niger ſoli ſacer, quem Heliopolitæ pro Deo colebant, in ſepto eum nutrientes, Strab. *l.* 17. *Suidas.* Vide Voſſ. *De Theolog. Gentili l.* 1. *c,* 29. Secundos poſt Apin honores obtinuit, qui Memphi cultus, Plut. *de Iſide:* uterque Oſiridi ſacer, Diodor. Sic. *l.* 1. *c.* 13. cujus anima tamen utrum in duos tauros tranſmigrâſſe (namque à μετεμψυχώσει conſecrationis origo) credita ſit; meritò dubitatur. Nemo enim Veterum duplicis conſecrationis rationem exhibet, nec bene conſtat, cur unô eodemque tempore duo Boves, *Apis in urbe Memphi, & Mnevis in urbe Solis, Dei habiti ſint.* An fortè, quia Ægyptus propriè dicta in duas Dynaſtias, *Superiorem*, cujus metropolis Memphis, & *Inferiorem*, cujus caput fuit Heliopolis, pro regnorum diverſitate, diverſa conſtituta ſunt Numina, quod paſſim factum? Cùm igitur Divus Oſiris in regno utroque ſimiliter coleretur (ſola enim Iſis & Oſiris communes Ægyptiorum Dii erant) & obtineret religio, cultum abſque viva numinis imagine non ritè peragi; neque quotidianus de regno in regnum pateret tranſitus, cœpit in Sacris ſchiſma, & Sacerdotes ſuum utrinque inveſtigârunt Bovem & veram Oſiridis εὕρησιν utrinque jactârunt. Cui ſimile quid mille annis pòſt factum in regno Jeroboami, 1 Reg. *c.* 12. *v.* 26. Vide ſuprà *Apis, Mendes* & infrà, *Momemphis*. Atque hunc potiùs Μνεῦιν, quam Ἄπιν, Iſraëlitas in deſerto μοσχοποιοῦντας fuiſſe imitatos, utpote in inferiori Ægypto degentes, exiſtimat Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* IV. quem vidiſſe non pœnitebit.

MNIARA, *Ptol. Mina Antonin. Hubet Marmolio* oppid. Mauritaniæ Cæſarienſis apud Telenſinum.

MNIZUM & MIZINUM, *Libr. Concil. Minyzum, Antonin.* urbs Galatiæ, inter Juliopolim Bithyniæ ad Occaſum 47. & Ancyram in Ortum 52. mill. paſſ. Eſt & *Mizinum*, idem quod *Druſipara*, Vide ibi.

M N L B. in nummis Conſtantini M. *Moneta nova Lugduni cuſa*. B. Monetarii nota eſt. Car. du Freſne, *Diſſertat. de infer. ævi Numiſmatibus.*

MO. in notis antiquorum, *modi*, vel *modo*, vel *mors*: M. P. *malè poſitus*: M. R. *miles Romanus*. M. S. *menſes*, vel *menſibus*, vel *manuſcriptum*, vel *moleſtus*, Franciſcus Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

MOAB, i. e. fil. patris, genitus ex inceſtu Lot cum filia majore, Gen. *c.* 19. *v.* 36. A. M. 2139. ex quo orti *Moabitæ*, gens magna, potens, & ſuperba valdè, unde & urbs *Moab*, aliàs *Areopolis Euſebio*, & *Moabitis* regio in tribu Ruben, ad Ortum Judææ, proxima mari Mortuo & Jordani, nomen acceperunt. Eſai. *c.* 11. *v.* 14. Eſt autem terra ipſa fertilis, & gens olim tam valida, ut dominati etiam fuerint Iſraëli: Poſtea à Davide victi, tributariique facti, ut & à Joſaphato, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 2. & 2 Reg. *c.* 1. *v.* 1. & 2. Paral. *c.* 20. *v.* 22. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *& ſeqq.* Torniel. *in Annal.* Eſt præterea nomen Regis. 1. Sam. *c.* 12. *v.* 9.

MOAB, urbs Arabiæ Petrææ, trans Jordanem, eadem Medabæ, *Stephano Areopolis*, hodie *Aroër* teſte *Tyrio*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi.

MOADIA, nomen viri. Nehem. *c.* 12. *v.* 17.

MOAPHERNES, matris Strabonis Geographi patruus. Strabo ipſe *l.* 12. Ὀψὲ δὲ Μοαφέρνης ὁ θεῖος τῆς μητρὸς ἡμῶν.

MOBA, pars Arabiæ pro *Moaba*, unde *Mobeni* & *Mobites*. *Steph.*

MOBÆ Caſtra, Græcè Μώβου χάραξ, item χαρακώμαβα, urbs Palæſtinæ; ſic dicta, quòd aliquando exercitus ibi *caſtra* metati eſſent. Exercitum enim vallo incluſum vel caſtra, χάρακα Græci vocant, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1203.

MOBANNAI, nomen viri. 2 Sam. *c.* 23. *v.* 27.

MOBILE Perpetuum, variis machinamentis utcunque adumbratur, in *Muſæo* Kircheriano: quibus tamen ipſe Auctor *motum perpetuum* non tam aſſerit, quam refellit; cùm ipſemet ullum ſemper duraturum motum ex puris Mechanicis principiis dari poſſe neget, ſed ad movens aliquod naturale ſemper confugiendum eſſe fateatur. Sunt autem Experimenta illa, *Cochlea Archimedea, Experimentum Hydroſtaticum. Luſus Globulorum, Machina Vaticinatrix*, & *Oraculum Delphicum*, de quibus vide hic paſſim, infrà quoque lemmate, *Perpetui motus ſpecimen*; & plura apud Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Soc. Jeſu c.* 5. 6. *&* 7. Vide quoque ſuprà *Hydraulica*.

MOBUCHARAX, ait vocari *Steph.* eam Tertiæ Palæſtinæ, i. e. Arabiæ Petrææ, partem, quam *Ptol. Characmoba* appellat.

MOCA, oppid. Arabiæ Petrææ. *Ptol.*
MOCARSUS, parva regio Thraciæ. *Steph.*
MOCATA, urbs Bithyniæ. *Steph.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MOCENIA, oppid. olim, nunc pagus Bavariæ, ad Danubium apud Straubingam urbem, inde 1. leuc. in Occaſum *Motzing Aventino.*

MOCHA, Inſul. Americæ, in mari Auſtrali prope Chilen,

MOCHIMUS, è Meſopotamia oriundus, Presbyter Antiochenus; ſcripſit egregium opus, contra Eutychen, ut & alia quædam. Gennad. *in Catal. Vir. Ill.*

MOCHLOSTATICA, pars Statices, de qua infrà.

MOCHONA, civitas, *Nehem. c.* 11. *v.* 28.

MOCHORI, pater Ozi. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 8.

MOCHURA, Arabiæ Felicis mediterranea urbs, *Ptol. Mecha* putatur *Nigro.* Sed hæc creditur *Marraba* antiquis.

MOCHUS, Phœnix, Phœniciâ linguâ res patrias conſignavit, cujus meminit Athen. *l.* 3. Videtor Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 390. poſt Strab. *l.* 16. & Joſeph. *l.* 1. *Ant. Jud. &c.*

MOCISSUS, & MOCASUS, urbs Cappadociæ Archiepiſcopalis, ſub qua Nazianzum, ſupra 50. mill. paſſ. à Cæſarea in Occaſum.

MOCLE, urbs Phrygiæ; Μόκκλη *Stephano.*

MOCOSA Actio, apud Quintilian. *l.* 11. *c.* 3. *ſub fin. Quare non immeritò reprehenditur pronuntiatio vultuoſa & geſticulationibus moleſta, & vocis mutationibus reſultans, nec inutiliter ex Græcis veteres tranſtulerunt, quod ab his ſumtum Lenas Popilius poſuit, eſſe hanc actionem mocoſam.* Uti locum reſtituit Salmaſ. cùm aliàs legeretur *motioſam*: eſt Græcè μωκώδης, actio videl. mimica & geſticulatoria. Μῶκος enim Græcis idem, quod ſanna. *Gloſſa, ſanna,* μῶκος. Et Græci μωκᾶσθαι propriè dicunt, de his qui ore vultuque diſtortô & valgis labiis aliquem derident. *Heſych.* διαμυλλαίνειν, χλευάζειν. ἐπὶ τῷ τὰ χείλη διαστρέφειν. διαμωκᾶσθαι. *Idem* διασιλλῶσι, διαμωκῶνται. Sic *labiis ductare*, Plauto, eſt διαμωκᾶσθαι καὶ τὰ χείλη διαστρέφειν, *Labiis dum ductant eum.* Gellius. *labiorum ductu irridere* id vocat, *l.* 18. *c.* 4. Ab hac itaque voce μῶκος, *mocoſum* Latini deduxerunt, de hoc genere ridiculi, quod fit non ſalibus & dicacitate, ſed vultu & geſticulationibus. Ipſe Cicero *ad Atticum Ep.* 13. *l.* 1. *Conſul autem ipſe parvô animô & pravô, tantùm cavillator, genere illô* mocoſô, *quod etiam ſine dicacitate ridetur; facie magis quàm facetiis ridiculus.* Ubi importuni & moroſi homines *moroſo* repoſuerant. Atque inde *Mocoſa actio, &c.* Vide Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Gallienis. duob. c.* 8.

MODERATIO, in nummo æneo Tiberii, in quo ſcriptum MODERATIONI, cum capite in medio clypei: ΚΡΑΣΙΣ appellatur, in alio Othonis Imperatoris rariſſimo, quem Cairo allatum Venetiis inter cimelia ſua poſſidet Dominicus Babelius. Expreſſa autem in hoc eſt fœminæ figura, dextrâ victoriolam, lævâ tropæum præferentis, notatque *moderationem* Principis illius, cujus in medio victoriarum curſu ſpecimina illuſtria edidit. Poſt exutum enim Imperiô Galbam, Vitellianas copias ter in fugam conjecit; quartò demum præliô, ſub ſpecie colloquii, circumventus, &c. Vide Cl. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 168.

MODERATUS, inter adulteros Fauſtinæ. Jul. Capitolin. *in Marco Antonino Philoſ. c.* 29. *Crimini ei datum eſt, quòd adulteros uxoris promoverit, Tertullum & Utilium & Orphitum &* Moderatum *ad varios honores.*

MODESTIA, pro Numine invocatur Druſo, Tiberii Imperatoris filio, contra Sejanum, apud Tacitum *Annal. l.* 4. *c.* 7. ubi queritur *incolumi filio adjutorem Imperii alium vocari: & quantum ſupereſſe, ut collega dicatur: precandam poſt hac* Modeſtiam *ut contentus eſſet.*

MODESTA Puteana, Veneta, ſcripſit Poëmata, aliaque, ſub titulo, *Moderata Fonte*: cum tractatu, de merito Fœminarum. Ex Philippo Georgio, viro literato, mater filiæ, quæ in opera ejus præfata eſt. Obiit. A. C. 1592. Nicol. Doglionius, *in ejus vita.* Ribera *theatr. mulier. eruditarum.* Lud. Jacob. *Bibl. doct. fœm.* Hilario Coſtus, *de fœm. illuſtr.*

MODESTINUS, aliàs Herennius, Juriſconſultus, Alexandri Auguſti temporibus. Vide *Herennius.*

MODESTUS, Conſul cum Arintheo, an Urb. Cond. 1125.

MODESTUS, Prætorio præfectus, cædem Edeſſanorum meditantem Imperatorem Valentem, motus conſtantiâ mulierculæ, quæ ignara imminentis ſævitiæ ad locum martyrii filiolum raptabat ne tantum facinus patraret, hortatus eſt, A. C. 368. Rufinus *l.* 2. *c.* 5.

MODESTUS, ſcripſit de *vocabulis rei militaris*, hortatu Taciti Imperatoris A. C. 275.

MODESTUS Aufidius, eruditus Grammaticus, in Virgilium commentatus eſt. Philargyrus, *l.* 2. *Georg. &c.*

MODESTUS Polento, JCtus Patavinus, ſcripſit de ſepulchris Patavinorum illuſtrium.

MODI, in Comœdiis dicebantur, quos *Ariſtoteles* μελοποιΐαν, i. e. *modulationem, menſuram* aut *harmoniam cantus* appellat, quæ cum affectibus Comœdiæ congruens Auctori indicabat, quam vocem in agendo ſequi deberet, humilemne an elatam: iratamne an triſtem? Aliàs quoque Νόμος Græcis, quòd ſtatam intendendi cantûs rationem ſeu legem tranſcendere non liceret, ſicuti jam quoque ſecundùm menſuram & tactum cantus gubernatur. Joh. Rolin. *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 9. Hi *Modi* ſeu *Moduli Canticorum*, in eadem Comœdia non raro mutabantur. Hinc in *Adelphis* Terentii, Donatus *Præfat.* ait, fabulam modulatam fuiſſe *tibiis dextris*, i. e. Lydiis, ob ſeriam gravitatem, quâ ferè in omnibus Comœdiis Poëta hic utitur. In *Inſcr.* verò illius Fabulæ habetur, modos feciſſe Flaccum *tibiis Serranis*, h. e. ſiniſtris, quæ acuminis levitate jocum ſignificabant: adeoque acta eſt illa Lydiis ſimul & Serranis, h. e. paribus dextris & ſiniſtris. Unde Donatus mox addit, *Sæpe tamen mutatis per ſcenam modis, cantica mutavit: quod ſignificat titulus ſcenæ, habens ſubjectas perſonis literas,* M. M. C. h. e. *mutatos modos cantici.* Sic ejuſdem *Heautontimorumenos* inſcribitur, *acta primùm tibiis imparibus*, h. e. dextrâ & ſiniſtrâ, *duabus dextris*, h. e. paribus. Cantica nempe Comœdiarum componebantur ad tibias, quos αὐλῳδικοὺς νόμους Græci dicebant: *modis* dein temperabantur, vel, ut Appulejus loquitur, *modificabantur*, h. e. ἐμελοποιοῦντο, à perito Muſicæ artis factis. Fiebant autem hi vel tibiis imparibus, h. e. dextrâ & ſiniſtrâ, vel duabus dextris, vel duabus ſiniſtris, quas *pares tibias* appellabant, atque hi tres erant modi. Nam pro mutatione modorum mutabantur & tibiæ, *Dextræ tibiæ*, ut ſcribit Donatus, *ſuâ gravitate ſeriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant* —— *ſiniſtræ acuminis levitate jocum in Comœdia oſtendebant: ubi autem dextrâ & ſiniſtrâ acta fabula inſcribebatur, miſtim joci & gravitates denuntiabantur.* Dicebantur dextra & ſiniſtra *Phrygiæ*; quæ licet impares eſſent, diverſâ tamen & diſpari modulatione compoſitæ non erant, ſed ejuſdem carminis modos, dextra quidem incinebat, ſiniſtra verò ſuccinebat, & graviùs illa, acutiùs iſta, ſonabat: quæ cauſa fortè quòd diverſam illis modulationem tribuat *Servius*, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c.* 19. & infrà voce *Modulatio*, nec non ubi de *Muſica*; it. voce *Nomi.*

MODIANA ubrs Arabiæ Felicis ad ſinum Arabicum *Ptol.*

MODICIA, *P. Diacono* Fortè *Modœtia.* Vide ibi.

MODIN, civitas in monte ſita, inter Emmaum, & Rhamam, patria Macchabæorum, ubi eſt eorum memorabilis ſepultura, ſeptem pyramidibus ex quadratâ mole ſurgentibus. 1. Machab. *c.* 2. *v.* 1. Inter Emmauntem & Rhamam, à qua 10. mill. paſſ. Hieroſolymam verſus abeſt.

MODIOLUS, vide ſupra *Hydia* & infrà *September*, it. Serapis.

MODIPERATOR & MODIMPERATOR, dictus eſt olim, qui in conviviis *modum* bibendi *imperaret* præſcriberetque, *Nonio.* Plauto *Convii Dictator*: Horatio *l.* 2. *Carm. Od.* 7. *v.* 25. 26. *Arbiter bibendi*, item *Rex*; aliis *Tapulla* etiam, ut qui *tapulo*, i. e. *menſæ* præſideret: frequenter *Magiſter convivii* &c. Hic ſorte eligi ſolebat, quemadmodum epulæ quoque à Diribitoribus eôdem modô diſtribuebantur. Plut. *In Apophthegm. Lacon. Cùm Ageſilaus Rex forte factus fuiſſet, à pincerna rogatus, quantum vini unicuique daret, Si parum eſt, inquit, vini, omnibus æqualiter; ſi abunde, quantum unicuique libet.* Horat. *l.* 1. *ode* 4. *v.* 17.

—— Quò ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis.

Vide quoque Platonem *de LL. l.* 1. & 2. A. Gellium *l.* 15. *c.* 2. Plut. *Sympoſiac. l.* 1. *c.* 4. Athenæum *l.* 10. &c. ut & ſuprà in voce *Magiſter*, ac infrà *Sympoſiarcha.*

MODIRIS, Indiæ intra Gangem emporium. *Ptol.*

MODOETIA, oppid. Inſubriæ amplum ad Lambrum fluv. *Baudrando* oppidul. Inſubrum aliàs, nunc Ducatus Mediolanenſis lepidum, ubi coronam ferream Imperatores, vide infra, accipiebant, 10. milliar. à Mediolano, verſus Larium, locum in planitie ampliſſima; vulgò *Monza.* Hic Carolus M. regnô Italiæ jure victoriæ ſibi vindicatô, ferreâ, per Archiepiſcopum Mediolanenſem, coronâ redimiri voluit, A. C. 774.

MODOGALINGÆ Inſula, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 944.

MODOGULLA, urbs Indiæ, intra Gangem. *Ptol.*

MODONUS, fluv. Hiberniæ Dublinum urbem alluens. *Liffeus Ortelio; Slane Camdeno.*

MODRENA, quæ & *Comopolis*; *Leuncl. Mudarni*, urbs Bithyniæ mediterranea Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Niceno.

MODRON, locus Phrygiæ magnæ, unde Gallus fluv. *Strabo.*

MODRUSA, urbs Epiſcopalis Croatiæ, 18. mill. paſſ. in Boream à Senia, olim *Tediaſtum*, quibuſdam.

MODULATIO, in paſtionibus inventa primùm, vel naturæ impulſu, vel aviculárum imitatione, vel arborum ſibilis, otium enim (quale Paſtores agunt, cùm Aratores in opere ſint) voluptatis ac laſciviæ pater. Et quidem duæ ſpecies Cantilenarum natæ ſic ſunt: altera μονοπρόσωπος, cùm ſinguli ſub æſtivam reducti umbram ſaturi canerent amores: altera, cùm aut fortè aut conſiliô conveniſſent ii, quos inter vel amor, vel odium, excitatum fuiſſet, aut eſſet æmulatio obtrectatiove, propter vel cantum, vel gregem, vel amicam. Cujus iterum cantus duo modi, unus, quum ſine numero certo, ſine lege, verſus funderent: cui idcirco nomen non eſt impoſitum, quia vulgaris eſſet, ac liber & naturalis, neque tam quæſitus arte. quàm oblatus ultro. Alter, in quo ſententias æmulas, verſus & ſimiles & pari numerô reponerent, quod idcirco appellarunt ἀμοιβαῖον h. e. *per vices reſponſus.* Quia verò plerunque imitatione aliquid repræſentabant, à *ſpecie*, i. e. imagine, Ε'ιδύλλια dixêre. Poſteà, quùm quædam etiam ſuis Auctoribus diſplicuiſſent, ex incondita turba eorum, quæ meditati non eſſent ſatis, quæque ſubitò calore excidiſſent, ſelecta quædam concinniora ea de cauſa Ε'κλογὰς dixerunt. Horum materia multiplex; vetuſtiſſima tamen videtur Amatoria fuiſſe, &c. Sic itaque primum omnium μονοπρόσωπον amatorium: huic proximum oaryſtiæ, in quibus procus & puella de amore vel diſputant mutuò, vel contendunt inæquali. Poſt hæc famæ ambitione, aut præmiorum cupiditate, aut obtrectatione exortâ, contentio impulit eorum cantilenas in colloquia. A genere autem paſtionum ſortita ſunt nomina, ab ovibus ποιμενικά, à bobus βουκολικά &c. Vide ſuprà ubi de *Bucolicis* & plura hanc in rem, apud J. Cæſ. Scaligerum *Poët. l.* 1. *c.* 4.

MODUNGA, urbs Mauritianæ Cæſarienſis apud *Ptol.*

MODURA, quæ *Deorum urbs* dicitur *Ptolomæo*, Indiæ intra Gangem urbs. *Biſnagar Caſtaldo.* Aliis eſt *Maduré*, urbs Coromandelis, ad montium radices; 100. mill. paſſ. à promontorio Comorino in Septentrionem, ſub proprio Principe. Item regia Pandionis eidem *Ptolemæo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MODUTI, Taprobanæ inſulæ urbs. *Ptol.Pinder* hodie *Villanovano.*

MOECENAS, vide MÆCENAS.

MOECHOSYNODUS, Græcè Μοιχοσύνοδος, h. e. *adulterina Synodus*, dicta eſt illa, quam coëgit Conſtantinus Copronymus Imperator Conſtantinopolitanus, defendendo ſuo cum Teudote ancilla, quam verâ uxore repudiatâ Imperatricem declarare in animo habebat, adulterio, uti habet Baronius *ad A.C.* 795. *num.* 42. *&* 43. Unde *Mœchiana* hæreſis orta, i. e. defenſorum imperialis adulterii, Idem *ad A.C.* 809. *num.* 28. *& ſeqq.*

MOECIA, ſeu MÆCIA, una ex tribubus 35. civitatis Romanæ numerô vigeſima octava, à quodam caſtro *Mæcio* ſcil. non procul à Janiculo, dicta, memoratur Livio *l.* 8. *c.* 17. *Eôdem annô* (Urb. Cond. 21. à Cornèlio II. & Cn. Domitio Conſulib.) *cenſus actus, novique cives.* (Lanuvini, Arcini, Nomentani, Pedani, qui paulo antè civitate donati fuerant) *cenſi, Tribus propter eos additæ*, Mæcia *& Scaptia. Cenſores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Poſthumius.* Vide quoque Ciceronem *l.* 4. ad *Atticum Ep.* 15. & *Orat. pro Plancio*, Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. *&c.*

MOENIANA, malè aliis *Meniana*, à *Menio* quodam, qui primus tigna projecerit & id genus conſtructionis invenerit, dicuntur. *Mœnianum* enim propriè περίβολος eſt vel podium, in circuitu ſolariorum poſitum, ne facilis in præceps lapſus eſſet. Hieronym. *in Ep. ad Suniam & Fretellam, Et quando præcipitur nobis, ut faciamus domati noſtro coronam, hoc præcipitur, ut in tecto faciamus per circuitum quaſdam eminentias, ne facilis in præceps lapſus ſit.* Nempe ſicut *mediana*, à voce *media* τὰ μέσα; ita *mœniana*, à *mœnia*, i. e. περίβολοι; quare περίβολον *mœnianum* etiam appellavêre, & voce Græcâ verſâ in Latinam *peribulum. Gloſſæ* MSS. *peribulum, deambulatorium:* quò modò *mœnianum* vocatur, quod in mœnianis & ſolariis deambulare ſolerent. Unde illud Auguſti, *Quid? Ego ut me populus dicat bene cultum, ſolario ambulaturus ſum?* Aliter πρόφορον *i. e. projectum* ac *provolans*; quam vocem apud Pomponium reſtituit. Salmaſ. *lib. pen. de verb. ſignific. Idem Labeo ait, prophurum*, i. e. *iterum, quod in ædibus fieri ſolet, ædium eſt.* Ubi intellexit prophora illa & *mœniana*, quæ ædibus adjici ſolebant, ex provolantibus & projectis tabulatis compoſita, quæ & eximi poterant haud difficulter: atque hæc ædium nihilominus eſſe reſpondit. Foribus etiam adjici ſolita, notat *Iſidorus: Mœnius collega Craſſi in Foro projecit materias, ut eſſent loca in quibus ſpectantes inſiſterent, quæ ex nomine ejus mœniana appellata hæc & ſolaria; quia patent ſoli, poſt hæc alii lapide, alii materiâ ædificavêre: porticibus mœniana, & foribus & domibus adjecerunt.* E quibus, quæ foribus adjiciebantur, & ſuper januas extruebantur, *grundas* Latini dicebant, *Balcones* hodie Itali, Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro c.* 12. In Comœdia quoque, Scena mœniana habuit. Nam cùm priſcæ è ramis ac frondibus conſtitutæ fuiſſent, cum racemis & corymbis, ac poſtea caſæ cum cellis: poſtremò ad magnificentiam auctæ ſunt projectis & *mœnianis* in Comœdia, in Tragœdia verò etiam prætoria, & palatia, regiæ, turres. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 21. Vide quoque ſuprà, in *Meniana*, alibique paſſim.

MOENUS; Germaniæ fluv. in Rhenum influens, *Mœnis* Melæ *l.* 3. *c.* 3. *Menus Ammiano.* Franconiæ regionis eſt, & *Meyn* hodie dicitur: Gallis *Mein.* Oritur ex duplici fonte, ſupra Culembachium; dein paulo infra Bambergam fluens, rigat Swinfordiam, Herbipolim, Verthemum, Aſciburgium, & Francofurtum ad Mœnum; tandem auctus aliquot fluviis in Rhenum, juxta Mogontiacum, abit. Hunc *Rheginus* hiſtoricus, & ejus temporis ſcriptores *Mogonum* vocant. Fortè *Julia* flumen eſt *Vell. Paterculo.*

MOERA, Danicæ originis vox, vulgò *Mœr*: qua ab his oriundi Norfolcienſes in Anglia, qui Comitatus, cum aliis aliquot, Alvredi munere, in Danorum tranſiit ditionem; A.C. 876. claras Virgines, ut Arctoæ gentes aliæ etiamnum; appellant. Inde, quæ canendo Heroum laudes ac poëmata palmam retulêre, teſte Olaô Wormiô, *Scaldmœr*, i. e. *Virgines cantatrices:* quæ in præliis gloriam ex fortitudine adeptæ ſunt, *Scioldmœr* i. e. *ſcutiferas Virgines*, nuncupabant. Eôdem nomine ipſas Amazones, quarum utique Reginam & Virginem fuiſſe, & ſcutis, quæ peltas vocant, inſtructa agmina duxiſſe, oſtendit Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 494.

Ducit Amazonidum Lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet
Bellatrix, audetque viris concurrere Virgo.

Vide Henr. Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

MOERAGENES, quatuor libros de Apollonio edidit. Iis fidem habendam negat Philoſtratus *l.* 1. *c.* 4. Meminit & Tzetzes *Chil.* 2. *Hiſt.* 60.

MOERAGETES, i. e. *Fatorum ductor*, Jupiter ſic dictus, itemque Apollo. Pauſan. *l.* 5.

MOERIS, Pathaliæ, Indicæ gentis, Rex, qui ad Alex. M. adventum, deſertâ urbe, in montes profugit. Curt. *l.* 9. *c.* 8.

MOERIS, fingitur villicus Menalcæ, i. e. Virgilii, cujus feſtinationem, ut vidit Lycidas, ita rogat. *Ecl.* 9. *v.* 1.

Quò te Mœri pedes? an quo via ducit in urbem?

MOERIS, ſeu MURIS *Herodoto*, *Mœridis ſtagnum*, *Ptolomæo*, palus ingens Ægypti à Memphi 72. mill. paſſ. in Occidentem diſtans, 20. milliar. circuitu patens, teſte Melâ *l.* 1. *c.* 9. Ex quo patet decipi eos, qui illam *Buchiara* indigitant, cum Mareotide eam confundentes; quæ juxta Alexandriam eſt, multo vaſtior. Vide *Maris*, it. *Myris.*

MOERSENSIS Hermannus, vide *Hermannus.*

MOERSPERGIA Familia, inter Germaniæ illuſtres, cujus à caſtro *Mœrſperg* ſive *Maurimont*, non procul Pfiretis in Alſatia ſito, cognominatæ mentio jam ſeculô XI. reperitur: ſed in deductionis ſerie Auctores variant. Superiori ſeculô, divortium linearum factum eſt, cùm Caſpar, Baro *de Mœrſperg* & *Beffort*, duos filios genuiſſet, Joh. Jacobum & Johannem; quorum hujus linea in Stiria terminata eſt: Illius poſteritas durat adhuc in Thuringia, in Ludovico Frederico Comite *Mœrsbergio*, & ſorore ejus Sophia Dorothea Comite Schwartzenburgica, quorum Progenitores iſti fuêre. Petrus Liber Baro *de Mœrsberg* & *Beffort*, pater fuit ex Margaretha *de Ratſamhauſen* Lib. Baron. *de Kingesheim*, Caſpari Lib. Baronis *de Mœrſperg*, qui genuit ex Helena Truchſeſſia *de Sonnenberg*. Joh. Jacobum, maritum Margaretæ Furſtenbergiæ (Wolfgangô Comite qui obiit A. C. 1510. genitæ) & ex ea patrem Joh. Jacobi: quô, & Annâ Barone *de Fridingen*, natus Hieronymus deceſſit, A.C. 1641. Hujus, ex Maria *de Heydeck*, fil. Georgius Liber Baro *de Mœrsberg*, junxit ſibi Dorotheam Gleichenſem (Walrabi ſeu Volrathi Comitis Gleichenſis filiam) atque ex ea ſuſcepit Ludovicum Fridericum & Sophiam Dorotheam (uxorem Chriſtiani Guntheri Comitis *de Schwartzenburg in Arnſtadt*) Comites *de Mœrſperg*, &c. defunctus. . . . Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 111. *& in Indice.*

MOESA, avia Heliogabali, nepotem ad Imperium evexit: Vide Æl. Lamprid. *in Vit. c.* 10.

MOESIA, *Myſia Ptol.* & *Strab.* regio Europæ, in ſuperiorem & inferiorem Ciabrô fluviô diviſa. Superior *Boſna* ad Occidentem & *Servia* ad Ortum dicitur. Inferior *Bulgaria*, in ſuperioris & Thraciæ confinio, inter Hæmum montem, & Danubium fluv. contenta. *Baudrando* Mœſia regio eſt Illyrici Orientis, ampla, ab Ortu in Occaſum extenſa, inter Macedoniam, & Thraciam ad Meridiem, Daciamque ad Septentrionem, à qua Danubiô ſeparatur. Eſtque vel Prima, ſeu Superior, ubi nunc *Servia*; vel Secunda & Inferior nunc Bulgaria, cui Scythia *Beſſarabia*, à quibuſdam conjungitur. Sub Turcis, & ſeparatur à Thracia Hæmô. Populi *Mœſi* Plin. *l.* 3. *c.* 26. dicuntur. Virg. *Georg.* 1. *v.* 102.

——— *Nullo tantùm ſe Mæſia cultu*
Jactat, & ipſe ſuas mirantur Gargara meſſes.

Vide ſis illic *de la Cerdam.*

MOESTITIA Publica, variis olim indiciis teſtata reddita eſt. Veſtibus ſciſſis: Sic Joſias, intellectô quid à violatoribus legis quantumque exigat Deus, ingenti adactus dolore, veſtem regiam diſcidit, apud *Joſephum.* Diademate depoſitô: quô habitu & David peccatorum pœnas à Deo deprecatus eſt. Vide Salvianum *l.* 4. Vel coronis lætitiæ indicibus: Sic Cato, ex quo die cedentem urbe Pompejum ſequutus eſt, nec caput raſitâſſe, nec barbam, nec coronam capiti impoſuiſſe, legitur apud Plut. in *Catone Jun.* Imò & diademate ſciſſô ac laceratô. Stat. de Adraſto *Theb. l.* 9. *v.* 162.

——— *Heu qualem verſare in ſanguine vidi*
Exutum canos lacerô diademate crineis.

Sic Tigranes, Armenii Regis filius, intellectô periculô Patris, ob non miſſas ad Cyaxarem copias, nec tributum, tiaram concîdit apud Xenoph. *de Inſtitut. Cyri l.* 3. Potiſſimùm, indictô jejuniô, cùm omnis ætas, omni poſitô ornatu, ſordibus & ſqualore obſiti, univerſi id unicè agebant, ut ſibi Deum propitiarent, quemadmodum de Ninevitis atque ipſo illorum Rege, legimus, in Prophetia Jonæ. Quam in rem Prudentius *Cathemer.* 7. *v.* 156.

Rex ipſe Coos æſtuantem murices
Lanam revulſa diſſipabat fibulâ.
Gemmaſque virentes & lapillos ſubtileis;
Inſigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditos pulvere, &c.

Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 10. *c.* 11. & hîc paſſim inprimis, ubi de *Lugendi ritibus.*

MOESTLINUS Michaël, vide *Michaël.*

MOGA, primùm dicebatur, quæ poſtea *Cappadocia.*

MOGARA, Galatiæ oppid. *Anton. Mochera, Lib. Notit.*

MOGETIANA, *Antonin.* ſeu *Mogentiana*, oppid. Hung. *Zidda Lazio.*

MOGGUS, cognomen Petri Hæretici, qui Græcis μογγὸς, i. e. *blæſus* ſive *balbus*, Liberatus Diaconus *c.* 16.

MOGOL Magnus, *le Grand Mogol*, nomen magni Indiæ Monarchæ. Hi ex Tamerlanis poſteris, è Tartaria prodeuntes ſeculo præteritô Imperium hoc ampliſſimum & opulentiſſimum, incolis *Indoſtan* dictum, fundârunt. Vide infra, & P. de Valle, *Itiner. tom.* 2. *&* 3. ut & ſuprà in voce *India.* Addo, quòd Rex Gelal Edim Muhammed, qui ante haud multos annos obiit, decimus fuit tertius ex Tamerlanis familia. Septimus Rex Accabas armis pariter ac ingenii perſpicacitate totô orbe celebris inprimis fuit: cujus Majeſtatem Kircherus *deſcr. Chin. l.* 2. *c.* 5. ita enarrat: *In publico*, inquit, *auditorio eâ Majeſtate refulgebat, ut pauci ex Monarchis ſimili formâ habitûs, quâ Numinis inſtar radiante diademate ex auro, perlis, lapidibuſque inæſtimabilis pretii ſe ſpectandum præbet, in ſede pari apparatu exornatâ. In manu globum tenet, quô ſe Orbis dominum ſummamque potentiam exprimit: Nudis pedibus more Majorum ſedet, qui à ſuis ſæpe ſæpius interdiu pretioſô liquore lavantur. Habet & appoſitum vas pretioſum liquorem continens, quô æſtivô calore aut cœteris temporibus, ubi placuerit, ſe reficiat.* Idem, dum porrò è Dan. Bartholo Jeſuita recenſet, ut in ejuſmodi ſplendore comparuerit, cùm P. Rudolfo Aquavivæ aditum concederet, pergit: *Numerus Principum præter* 20. *Reges ſuos Vaſalios, qui eum ſtipebant, non erat. Saracenorum more ſedebant ſupra culcitram holosericô aurôque contextam, de qua meritò dici poterat: Omnis lapis pretioſus operimentum ejus. Capitis integumentum erat faſcia aureis filis inæſtimabilis pretii, lapidibus gemmiſque, Indorum more Regum intorta: Veſtimentum ad genu uſque protenſum aurô coruſcum, nec non opere Phrygiô floribus foliiſque intertextum: Cingulum non diſpari ornatu concinnatum, nudis quidem pedibus, ſed femoralibus ſubtiliſſimâ carbaſo ad inſtar byſſi variis ſtriis, perliſque innexis incriſpatâ ſpectabantur. Ad unum latus acinacis, ad alterum Ephebis,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bis, arcubus, pharetris, cœteriſque exoticis armis inſtructis circundabatur. Loquenti gemmæ quaſi ex ore, tum ad recordationem eorum quæ dixerat, tum ad Majeſtatis magnitudinem demonſtrandam, decidere videbantur. Verba, quæ dicebat, arrectis auribus ab aſtantibus magnô ſilentiô excepta palimpſeſto committebantur, &c. Confer Mandelſlovium *l.* 1. *c.* 28. *& ſeqq.* Ditiſſimus autem hic Monarcha eſt, tum ob vim theſaurorum ſibi à Majoribus relictam, tùm ob abſolutum ſuum in ſubditos imperium, tum ob immenſitatem munerum ab exteris ſibi miſſorum: Sed Imperium, poſt obitum præfati *Gelal Edim Muhammed*, filiorum ejus de ſucceſſione contendentium inteſtinis turbis graviſſimè concuſſum eſt; donec bis victô primogenitô Daraxâ, & tandem alicujus ſuorum vaſallorum, ad quem confugerat, perfidiâ interemtô: ſecundo genitô dein Schaſchiâ, à minimo natu *Murat Baks* acie ſuperatô: hunc tertiogenitus Aurangzebus, in convivio, unà cum filio ſuo, interemit, fraterni ſanguinis purpurâ ad Imperium imbutus. Vide P. Henrici Roth. *Relationem*, apud Auctor. *Diar. Europ. contin.* 12. *p.* 153. & hîc infrà.

MOGOLA, urbs Aſiæ minoris circa Cariam. *Porphyrogeneta.*

MOGOLES, Gallis *les Mogols*, populi Aſiæ, qui ex Tartariâ Meridionali profecti, maximam partem Indiæ intra Gangem ſui juris fecerunt, verſus Boream, ſub initium ſeculi præteriti. Unde *Mogolum regio*, pars Aſiæ vaſtiſſima, quæ aliter *India vera* ſeu *ſuperior* Incolis *Indoſtan*. Gallis *l'Empire du Grand Mogol*, ſub quo Imperio ſunt XL. regna, inter Indum fluv. Sinum Gangeticum, & Caucaſum. Terminatur ab Occaſu Perſiâ, à Septentrione Tartariâ. Urbes ejus præcipuæ Agra, Lahorium, Dellium, Amedebatum, Cambaja & Surata. Vide *India*. Cæterùm, ut id hîc addam, Tribus Tartarica fuêre, ſub imperio Magni Chami, ut loquuntur, quô refertur, quidquid ſupra Usbekiam & Chinam ſitum eſt Tartariæ. De cujus tamen ſeu nomine ſeu potentia hactenus ne à proximis quidem gentibus quidquam explorari potuit. Donec Ruſſorum Imperator haud pridem expeditos miſit viatores, qui ultimum illum Aſiæ tractum perquirerent. Hi progreſſi ab Obi fluvio perpetuo verſus Orientem tractu tandem pervenerunt, ad celebrem illum murum, quô China à Tartaris Septentrionalibus diſterminatur, retuleruntque, varias ibi habitare gentes parvis diſtinctas regnis & Principatibus, barbaras plerumque & incultas, præcipuam verò *Mogolum* ampliſſimam eſſe nationem, in *flavos* & *nigros* diſtinctam: è quibus *Schinguis Kan* prodiiſſe dicitur, primus Tartarici Imperii conditor, circa A. C. 1200. Poſtquam enim Johannes *Unad Cham* ſeu *Unkam*, Rex Magnæ Tartariæ Neſtorianus, vidiſſet indies ſuccreſcere potentiam *Mogolum*, ſtatuit eos paſſim per provincias diſtribuere, quô ſic diviſi minus nocere poſſent. Quod conſilium cùm innotuiſſet *Mogolibus*, divelli à ſe invicem nolentibus, ii ex provinc. *Karokoram* verſùs Septentrionem, in campeſtria *Bargu* migrârunt & tributum Unkamo negârunt: ductu Suko Baduri, cujus filius Temukinus, in aula Unkami, velut obſes educatus, at proditionis apud Regem falſô inſimulatus ad populares profugit, divinâque ſimulatâ vocatione ad imperium Rex creatus mutatô nomine, *Schinguis Kan*, i. e. *Rex Regum*, appellari voluit. Hic primus, ut dictum, Tartarici Imperii conditor, quod omnium totô Orbe ampliſſimum fuit, habetur, & barbaros Scythas, Legibus & diſciplinâ militari inſtruxit. Mox exercitu comparatô Unkamum in Tendukanis campis ſuperatum, magnâ ditionum parte ſpoliavit, atque inde in Perſiam Indiamque prolatis Imperii finibus, ad fluvium uſque Tigrim ac Volgam cunctis potitus eſt regionibus. Ex quatuor ejus filiis, primogenitus Patri ſucceſſit, reliqui partem hæreditatis nacti ei ſubeſſe juſſi ſunt. Quorum poſteri cùm mutuis diſſidiis colliderentur, res Tartarorum prope collapſas reſtituit Timurus cognomentô *Lenck*, i. e. *Claudus*, vulgò *Tamerlanes*, atque eos, ad longè majorem, quàm unquam, Majeſtatem deduxit, circa A. C. 1370. Sed eô ſublatô A. C. 1404. variæ mox gentes deficere ac poſteros ejus opprimere cœperunt. Retinuerunt tamen hi regnum *Schagadai* & Indiam, filiorumque Timuri natu maximus *Scha Rogh*, in Turkeſtana, Schagadaja, Mauaranalharia, Perſia, Gaſna & Indoſtana, latè regnavit. Ei ſucceſſerunt *Olog Abdel Atif & Abdulla*. Diviſa poſtea potentia eſt A. C. 1470. in Regnum *Chorazan* & *Mawaranachar*; è quorum illo Magni Usbeki regnum ortum eſt: ex hoc Magni *Mogolis* in India ſeu Indoſtana. Cujus conditor fuit A. C. 1526. *Babur* Rex Mauaranalhariæ, qui pulſus A. C. 1500. à Schaibecko in Indiam exul profugit ac ibi res novas moliri compertus in Perſiam ſe recepit, tantaque in paupertate vixit, ut ruſticô opere victum ſibi quærere cogeretur. Tandem à Schacho Thamaſo Rege Perſarum copiis quibuſdam adjutus Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore *Regnum Magni Mogolis*, dicta fuit à Tartaris, uti diximus, propriô nomine ſic appellatis. Succeſſit Baburo A. C. 1530. filius *Homajon*, quem ex India, ultra Gangem, quæ hodie *Bengala* & *Potana*, adveniens Tzeer-Khan totâ iterum Indiâ expulit: Verùm hunc idem Schach-Thamaſus primùm in Regnum *Candahar* & *Kabul* A. C. 1550. & quinquennio pòſt, in ipſam Indoſtanam reſtituit. Sed ſextô Regni menſe, cùm fractis cervicibus repentè expirâſſet, ſucceſſorem habuit A. C. 1555. filium *Acbar*, qui Regum evaſit potentiſſimus ac multis præclare geſtis, A. C. 1606. regni 50. obiit. Eum excepit Selimus Muhammedes *Schi-Hangir* & huic, inter maximas turbas A. C. 1627. *Chorum* cognomine *Cha-Gean*; quô, poſt diuturnum & glorioſum regimen, tandem in carcerem conjectô, fratribuſque pulſis & occiſis, filius ejus *Aureng-Zeb* thronum invaſit, cujus hiſtoriam exactam habes, apud Joh. Bapt. Tavernier. *Itiner. Perſiæ & Indiæ Gallicè conſcripto.* Cœtera vide apud Georg. Hornium *Orb. Imp. p.* 290. *&* 300.

MOGONTIACUM, Hieronymo *Magontiacum*, *nobilis quondam civitas*: German. *Meintz* vel *Maintz*, Gallis *Mayence*, Metropolis Germaniæ ſuperioris, in tractu, qui *Wetteravia* dicitur, ad Rheni Mœnique confluentes: Mœnus enim dextrum Rhenum, è regione ejus, ſiniſtræ ſeu Gallicæ, Rheni ripæ appoſitæ, ingreditur. Quibuſdam à *Magog*, filio Japheti, nonnullis à Magantio Trojano, vel Magis quibuſdam conditoribus ridiculè dicta eſt: meliùs à Mœno fluv. quem Guntherus *Mogum* appellàt, cùm ait;

Nomen ab infuſo recipit Moguntia Mogo:

vocata. A Druſo conditam eſſe, colligitur, ex Floro *l.* 4. Caput olim Trebocorum fuit, ut *Valeſio* videtur; Sub diſpoſitione proin Ducis *Mogontiacenſis*, erant omnia præſidia urbium & caſtellorum Germaniæ primæ, præter tractum Argentoratenſem, Comiti ſuo ſubjectum. *Curatores civium Rom. Mogontiaci*, memorantur in *veteri* apud Goltzium *nummo*. Urbs ſæpius vaſtata: à Batavis, ſub Veſpaſiano: à Barbaris; ſub Juliano: à Vandalis, Alanis & Suevis, circa A. C. 413. ut patet ex Hieronymi *Ep. ad Ageruchiam:* Alias calamitates ſubiit Secul. 6. terræ motu tantùm non penitus obſorpta A. C. 872. incendiô afflicta A. C. 1080. munificentiâ Franciæ Regum, quibus diu ſubfuit, priſtino ſplendori reſtituta eſt. Chlodoveus enim, poſt Baptiſmum, plurima hîc templa condidit. Dagobertus ædificiis urbem exornavit, Carolus M. Rhenum ibidem ponte junxit, &c. Hodie ſedes eſt primi Electoratus Imperii: Ejus enim Archiepiſcopus, inter Septemviros primus, Cancellarius eſt S. Imperii per Germaniam, jamque inde ab A. C. 912. ſive à morte Ludovici, Arnulfi Aug. filii, in eligendo Rege Germaniæ, ſummæ ſemper, cum Archiepiſcopis Trevirenſi ac Colonienſi, auctoritatis fuit. Habebat autem tres ſedes Epiſcopatuum in Gallia, duodecim in Germania, in Rhætia ac Vindelicia, ſibi ſuffragantes, uti & nunc. Hinc in Gallia ſeu in regno Lotharii atque in Germania plurimum poterat; unà cum Colonienſi, cui duæ in Gallia, tres in Germania: & Trevirenſi, cui Mettenſis, Tullenſis ac Verodunenſis ſedes, in regno Lotharii, fuêre ſubjectæ. Quô factum, ut tres hi Præſules, etiam ante Collegium Electorale inſtitutum, ſuis ſuorumque ſuffragiis Regnum Germaniæ, cui vellent facilè deferrent, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* In hac Urbe Alexander Severus A. C. 237. ætat. 29. interfectus: Uratiſlaus verò Bohemiæ Dux ab Henrico IV. Imperatore ob fidelem ipſi navatam operam, Regis axiomate ornatus eſt, A. C. 1086. Vetuſtiſſimus ejus Epiſcopus S. Creſcens habetur, diſcipulus Apoſtoli Pauli, cujus alicubi *in Ep.* meminit. Bonifacius verò Anglus, *Germanorum* dictus *Apoſtolus*, primus Archipiſcopus creatus eſt, A. C. 745. è cujus ſucceſſoribus Willigiſo, Ruperti ſucceſſori, Electoralis dignitas cum Archicancellariatu per Germaniam primum eſt collata ſeculô XI. Academia fundata eſt A. C. 800. inſtaurata A. C. 1482. Metropolis Stephano olim, nunc Martino ſacra, ſub ſe habet Wormatiæ, Spiræ, Argentorati, Conſtantiæ, Herbipolis, Eichſtadii, Verdæ, Curiæ, Paderbornæ, Halberſtadii, Auguſtæ ac Bambergæ Epiſcopos. Hinc variæ in Civitate adeò celebri, variis temporibus, Synodi habitæ ſunt: à Carolo M. circa A. C. 808. à Ludovico Pio A. C. 828. quô tempore Rabanum Maurum Præſulem Eccleſia habuit, qui circa A. C. 848. Godeſcalcum Monachum, quòd *Prædeſtinationem & Reprobationem dari, nec Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe*, doceret, damnavit: Poſtquam Thiota Pſeudoprophetiſſa, quæ à Presbytero quodam ſubornata, lucrique causâ, inſtare diem judicii dicens, Moguntiam valde turbaverat, convicta & fuſtigata eſt. A. Carolo porrò Pipini Aquitaniæ Rege filio, Rabani ſucceſſore, A. C. 857. poſt quem Luitbertus, à Stephano V. Pontifice Romano purgationem per candens ferrum & ferventem aquam tum admodum frequentem, circa A. C. 884. tollere juſſus eſt: qui idem A. C. 880. Synodum celebrârat, quâ actum, inter alia, de mediis, Nortmannorum furori reſiſtendi. Cum Epiſcopo, ſub tempus Miſſæ, litigavit Leo IX. Pontifex Roman. A. C. 1049. ibi quoque Synodo habitâ, contra Clericorum ſimoniam, conjugia & concubinatum. Sigefridus de Epeiſtein poſt hæc, ſub Gregorio VII. Synodum convocavit A. C. 1069. cùm Henricus IV. Imperator Bertham uxorem repudiô à ſe dimittere meditaretur: Dein Erphordiæ conventu inſtitutô, Cœlibatum acriter, ſed infeliciter, urſit: pari in diſcrimine verſatus, cùm Moguntiæ aliâ Synodô coactâ id ipſum tentaret, A. C. 1075. Gilbertus contra Gregorium VII. modò memoratum, ob varia crimina depoſitum, ibidem Synodo hâc fini habita A. C. 1085. electus: in alia verò A. C. 1105. Henrico IV. imperium abrogatum, atque in filium ejus Henricum V. eſt tranſlatum. Ob religionem porro uſtulati hîc 39. homines circa A. C. 1230. Contra Tartaros, crebris incurſionibus Hungariam infeſtantes, iterum Synodus ibidem coacta A. C. 1261. &c. Circa A. C. 1450. ſub Diethero Archiepiſcopo cùm Fridericus III. ad Imperii ſederet clavum, Typographiæ Ars inventa, an conſummata (namque non parvi momenti argumenta Argentorato circa A. C. 1440. inventionis gloriam vindicant) ingens Urbi decus attulit. Vide plura apud *Ptol. l.* 2. *c.* 9. Tacitum *Hiſtor. l* 4. Eutropium *l.* 7. Florum *l.* 4. Amm. Marcellinum *l.* 15. Eginhartum *in vita Caroli M.* Ottonem Friſingenſem *l.* 3. *c.* 4. Goſvinum *l.* 1. *c.* 17. Cluverium *deſcr. Germ.* Middendorpium *l.* 3. Bertium *de rebus Germ.* Morerium *Diction. Hiſtor.* B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 2. cum *Notis* Cl. Ottonis, *p.* 311. &c. Petrus Cratæpolius edidit *Annales Electorum Eccleſ.* & in ſpecie *Principum ac urbis Mogontiaci*, Nicolaus Serarius Jeſuita. Vide quoque in voce *Moguntia.*

MOGORIN, flos Sinicus Induſque, Luſitanis ſic appellatus: naſcitur apud Sinenſes in *Chekiang* provinc. *ad Kinhoa*, in parva arbuſcula, mirè candidus, genſemino non abſimilis, niſi quòd plura habeat folia; odorem exhalat ſuaviſſimum, genſeminô multô præſtantiorem, adeò ut ab uno flore tota aliqua domus red-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

redoleat. Quam ob cauſam in magna apud incolas æſtimatione eſt, qui arborem illius ab hyemis intemperie, in vaſis ad id deſtinatis, diligentiſſime cuſtodiunt, Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 33.

MOGRUS, Ponti fluvius. *Arrian.* Plinius *l. 6. c. 4. Nogrum* vocat.

MOGUNTIA, urbs Archiepiſcopalis Germaniæ ſuperioris ad Rhenum celebris, ſic ab amne Mogi dicta. Vulgò *Mentz.* Vide *Magontiacum* & *Mogontiacum*: Agrum habet ab utraque Rheni ripa fœcundum & præſtantiſſimô vinô luxuriantem. Plurima antiquitatis monumenta oſtendit. Academiam habet, eique ſecundùm quoſdam artis Typographicæ inventio debetur, A. C. 1450.

MOGUNTINENSIS Archiepiſcopatus, Germanicè vulgò *Stifft Maintz.* Gall. *d'Archeveſché de Mayence*, tractus eſt Germaniæ ſuperioris in parte Franconiæ & Circulo Rhenano. Habet Wetteraviam *die Wetterau* à Septentrione, & Palatinatum inferiorem à Meridie. Præcipuæ urbes, poſt primariam, de qua ſuprà, ſunt Binga *Bingen*, Aſchaffenburgum *Aſchaffenburg*, ubi Elector maximam partem moratur, Mildemberga *Mildenberg*, Omæneburgum &c. in Haſſia porro Frizlaria: in Thuringia, Erfordia, regionis caput, Eichfeldia, Duxderſtadium, &c. Præſuli ſubſunt. Vide Baudrandum *Geogr.* & præter Auctores ſuprà memoratos, ubi de Metropoli ipſa egimus, Matth. Merianum *Topographiâ Archiepiſcopatuum Moguntinenſis, Trevirenſis ac Colonienſis.*

MOGUNTINUS Conradus, vide *Conradus.*

MOGUNTINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

MOGUS; Samotis fil. apud Gallos regnavit ſub annum à diluvio 330.

MOHAMMED, Calipha Saracenorum, poſt Iminem ſedem Caliphatus ſeu Regni Damaſcô tranſtulit Bagdatum, ſeculô IX. Quô tempore diſſidiis ſcinduntur Saraceni, & *Syri, in Bagdad. Ægyptii, in Cairo* (è quibus Saladinus Bello Sacro Chriſtianis infeſtus) quibus ſucceſſerunt Mamluci, à Turcis A. C. 1518. dejiciendi: *Africani in Carveno; poſt in Maroco, Tunis* &c. (Qui dein Siciliam & Calabriam occupârunt, à Normannis depellendi) *Hiſpani, in Mauritania*, (inde jam Seculô præfatô & gravius Seculô XII. irruptione factâ, Hiſpaniâ potiti, ſed ſenſim à Chriſtianis attriti, ac tandem ejecti) ſedem capiunt. Mohammedi verò ſucceſſit Impraël, quem vide ſuô locô. Vide etiam aliquid ſuprà voce *Mahamed Amin.* Mohammed II. Vide *Impraël.*

MOHILOVIA, urbs Lithuaniæ, probè munita, in colle, ad Boriſthenem, 10. leuc. Polonic. ab Orſa in Meridiem, 22. leuc. à Smolencio in Africum, 18. à Mcislavia in Occaſum, probeque culta. Capta à Moſcis, A. C. 1654. recepta à Polonis A. C. 1656. *Mohilow* vulgò.

MOHOLA, nomen viri. 1. Paral. *c. 7. v.* 18.

MOHOLI, filius Merari. Exod. *c. 6. v.* 19.

MOHR, vox eſt, quâ Europæi Germanicæ nationis Æthiopem deſignant, à *Mauris* deducta, i. e. Saracenis Africanis, qui à *Mauritania* nomen ſortiti, circà A. C. 713. inde primùm in Hiſpaniam profecti ſunt. Horum enim in Europam irruptione, ſedes Æthiopum in Africa & Afri Europæis primum innotuerunt. Hornius *Orb. Imp. p.* 162. Vide quoque ſuprà ubi de *Mauris.*

MOJENVICUM, vulgò MOJENVIC, oppid. Lotharingiæ permunitum, ad Sellam fluv. prope & infra Marſalium arcem. Nunc ſub Gallis, pace Monaſterienſi. Inter Marſalium ad Ortum, & Vicum ad Occaſum, dimidiâ leucâ utrinque, 5. à Nancejo in Ortum, 9. à. Metis in Eurum.

MOILLA vel MOILA pagus, Nithardo *l.* 1. memoratus, pars olim Hasbaniæ & unus è quatuor ejus Comitatibus extitit. Eſt hodieque ejus nominis villa & Monaſterium Præmonſtratenſium apud Thenas oppidum Hasbaniæ Brabantinæ, vulgò *Heyleſſem*, ad Hasbam fluv. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MOISSACUM, vulgò MOISSAC, oppid. Cadurcenſis provinc. ad Tarnum, qui paulo infra in Garumnam ſe exonerat. In ipſo Occitaniæ confinio cum celebri cœnobio, 9. leuc. infrà Toloſam in Boream.

MOLA Johannes, vide *Johannes.*

MOLA, perelegans & prælongus vicus Latii novi, in ora, inter Cajetam 4. mill. paſſ. & Minturnas. *Molæ Formianæ Cicer.* à molarum frequentia, quas hîc è montium radicibus profluentes aquæ continuò verſant. Non longè à Formiis, urbe exciſa.

MOLA, caſtellum Aquiliæ Peucetiæ in littore. Vulgò *Moiſac.*

MOLA, Græc. ἄλισμα, *in Gloſſar. Gr. Lat.* in ſacrificiis, olim dicebatur far toſtum & ſale ſparſum, quòd eô *molitô* hoſtiæ focus & cultri aſpergebantur, ut ait *Feſtus.* Poſtquam enim Sacerdos victimam ad aram adduxiſſet, ſtans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Quibus peractis ſacrum ab *immolatione* orſus eſt, frugeſque aut *Molam* ſalſam in caput victimæ deponebat, additô thure maſculô. Deinde vinum aſpergebat, &c. Unde Seneca *Oedipo Actu 2. Sc. 2. v. 335. Sparge ſalſâ colla taurorum molâ.* Virg.

—— Media inter cornua fudit.

Vide Pancirollum. *l. rer. deperditarum, c. de Ammoniaco ſale.* Ritùs antiquitatem Iliaca teſtantur tempora, unde frequens illud Homericum in ſacrificiorum deſcriptione, Οὐλοχύτας προβάλοντο, i. e. *molam ſalſam* altaribus, vel potiùs ipſis hoſtiæ cornibus *injecerunt*, quô pactô Veteres victimarum voluntatem (id enim diligenter notabatur, quâ promtitudine ad aram victimæ accederent) explorâſſe, notant Eruditi, in *Il.* α. Alias rationes affert Euſtathius ὁ παρεκβολίτης, *in eundem libr.* Erat autem apud Græcos *Mola* hæc hordeacea, unde Gloſſar. *Molæ ſalſæ*, κριθαὶ πεφρυγμέναι: in Latio verò farrea, quâ ut & thure poſt quodvis triſte ſomnium Jovi litantes comprecabantur Romani: ſicut Græci vivô flumine nocturnos tenores expiabant, Gronov. *Not. ad Octaviam Senecæ Trag.* ex Farnabio. Unde Martial. *l. 7. Epigr.* 53.

Semper manè mihi de me mera ſomnia narras,
Quæ moveant animum ſollicitentque meum.
Jam prior ad fæcem, ſed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi ſaga tuas.
Conſumpſi ſalſaſque Molas *& thuris acervos:*
Decrevêre greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova ſuperſunt.
Aut vigila: aut dormi Naſidiene tibi.

Simili modô monſtra ac prodigia, ex præſcripto Augurum & Aruſpicum Quindecimque Virorum procurabant, ut Cicero docet *de Divinat. l.* 1. Item Livius plurimis in locis, ac A. Gellius *l. 4. c. 6.* Fulmen quoque eodem modô procurabant, expiantes locum fulguritum ſive bidental, &c. Vide Laurentium JCtum *Notis in Phædrum. fab. 3. l.* 3. Sed & aliud *Molæ* Græcæ Romanæque diſcrimen. *Mola* enim Græcorum non de farre non freſo, ſed integris frugibus, accipienda, uti docet ex ipſa voce ὀλοὶ ſeu ὀλοχύται, Turnebus *Adverſar. l. 7. c.* 13. additque Theophraſtus, factum hoc ab iis in priſcæ vitæ memoriam, quandò homines ſolidis non contuſis, aut fractis frugibus veſcebantur. Frons ergo victimæ à Græcis ſolidô farre cum ſale admixto perſpergebatur: poſtquam verò mactata & in partes erat divisa, ſingulæ partes adolendæ, ut apud Romanos, polline adſpergebantur, ut ex Homer. *Odyſſ.* ζ. docet Dionyſ. *l.* 7. Vide & aliquid infrà voce *Muria.*

MOLA Aſinaria, Μυλὸς ὀνικὸς, memoratur Matth. *c. 18. v.* 6. & Lucæ *c. 17. v.* 2. ubi de ejus in καταποντισμῷ Judæorum uſu ſicque διακριτικῶς dicitur, ad diſcrimen *molæ truſatilis*, de qua utraque Cato *R. R. c.* 10. Ex his truſatiles minores erant, ut quæ manu truderentur: at illæ aſinariæ, majores, quas aſinus perpetuâ gyratione circumagebat. Ovid. *Faſt. l.* 6.

Et quæ puniceas verſat aſella Molas.

Velatâ autem facie molebant Aſini, ὀθόνῃ τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάσαντες, *Lucian.* Quò hæc Hilarii pertinent, *in Matth. c.* 18. *Molæ opus labor eſt cæcitatis: nam clauſis jumentorum oculis aguntur.* Et quòd Aſinus ita loquitur, *Anthologiæ l. 1. Epigr.* 33.

Οὐχ ἅλις, ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Σπειρηδὸν σκοτόεις κυκλοδίωκτος ἔχω;
Nonne ſatis fuerat, quòd cæcus & actus in orbem
Nocte dieque molas irrequietus ago:

Κάπην τῆς μύλης, idem *Lucianus* vocat *molæ ſcapum* ſeu *manubrium*, ut Theocriti Scholiaſtes *in Idyll.* δ. Ἀπὸ τῶν ἀλέντων καὶ τῇ κώπῃ τὰς μύλας ὠθέντων. *Molile* appellat Cato *c.* 11. & Jeremias *lignum*, Threnor. *c. 5. v.* 13. &c. Vide Bochartum *Hieroz. Part. prior. l. 2. c.* 13. & plura ſuprà: de rotis verò molendinorum, *ſuô locô.* Addo hîc ſaltem, Hieronymo, *Molam Aſinariam*, cujus in Euangelio mentio eſt, ſupplicii fuiſſe genus, Palæſtinæ peculiare, quod ob enormia crimina irrogari conſueverit, ut apud nos rotæ ſupplicium, &c. apud Joannem Calvinum *Lexic. Jurid.* Vide quoque ſuprà *Catnus* & infrà in voce *Molæ.*

MOLACHINUS, in *Charta* Alexandri III. Pontificis Romani A. C. 1162. apud Petrum Mariam Campum, *in Regeſto part. 2. Hiſt. Placentinæ num.* 16. *Statuimus, ut de cætero ſolummodo duos molachinos nobis noſtriſque Succeſſoribus annis ſingulis ſolvere teneatur:* monetæ aureæ (Saracenicæ forte) ſpecies eſt; an eadem cum *Meloquino?* de quo ſuprà.

MOLACUM, vulgò MOLAC, caſtrum Galliæ, unde illuſtri Familiæ nomen, quæ Roſmadeciæ ſtirpis ramus eſt. In qua cùm à Rivalone Equite A. C. 1191. ſeries continua oſtendi poſſit, ex poſteris ejus Johannes III. Dominus *de Roſmadec*, mortuus A. C. 1515. duos reliquit filios, quorum minor natu Johannes Dominos *du Pleſſis*, nunc quoque ſuperſtites, ſevit: Major autem frater Alanus Baro *de Molac.* iterum communis pater fuit Baronum *de Gael, de S. Jovan*, & *de Compes*, ex filio Claudio; inprimis autem, ex filio primogenito Tanaquile Marchionum *de Roſmadec* & *Molac*, Comite *de Chapelles* & *de Crozon*, quorum ſeries ſic habet. Johannes III. præfatus, ex Johanna (filia Alani Dni. *de la Chapelle & Molac*) genuit Alanum II. Dn. *de Roſmadec*, qui obiit A. C. 1560. Pater, ex Maria *du Chaſtel*, Tanaquilis Dni. *de Roſmadec* Baron. *de Molac*, defuncti A. C. 1574. Hôc & Margaretâ *de Beaumanoir* (filia Jacobi *de Beaumanoir* Vicecomitis *de Beſſo*) genitus Sebaſtianus I. Marchio *de Roſmadec*, deceſſit A. C. 1613. relictô, ex Franciſca Montmorancia (filia Franciſci Montmorantii Dni *de Hallot*) Sebaſtianô II. Marchione *de Roſmadec*: qui, junctâ ſibi Renatâ *de Kercoënt* Dna *de Kergournadec*, ex ea ſuſcepit Sebaſtianum III. Marchionem *de Roſmadec* (cujus uxor eſt Renata filia Ivonis *de Budes* Baronis *de Sacé*, ducta A. C. 1655.) Bartholomæum Renatum Comitem *de Chapelles*, (natum A. C. 1635.) Ludovicum. Corentinum (natum A. C. 1636.) Mariam Annam & Mariam Renatam. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 1. p.* 154.

MOLADA, civitas, quæ in tribu tam Judæ, quàm Simeonis reperitur. Joſ. *c. 15. v.* 26. 2. Paral. *c. 4. v.* 28.

MOLÆ, Deæ quædam antiquitus dictæ ſunt filiæ Martis, quas in Romanorum comprecationibus nominari ſolitas tradit Gell. *l. 13. c.* 23. Has Turnebus indigitari cenſet de nomine *Molarum*, quòd Mars, ut molis fruges, ſic bellis homines frangat ac comminuat. Moſellanus verò nominis originem à *molimine* deducit, h. e. ſolicitis conatibus ipſius belli apparandi: Mars enim pro bello Latinis, ut notum. Virg. *l. 6. Æn. v.* 165.

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Molarum uſus, antequam hominibus innotuiſſet, fruges in pilis torrebantur, & ſaxis frangebantur. Unde Servius *ad illud Virgilii Æn. l. 1. v.* 183.

Et torrere parant flammis & frangere ſaxo;

Apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Apud majores, inquit, *noſtros Molarum non erat uſus; frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi, unde & Pinſores dicti ſunt, qui nunc Piſtores appellantur.* Primò itaque torrebant fruges, inde pilis pinſebant: Quam ob cauſam, ſequentibus temporibus, cùm aſinariæ jam haberentur *Molæ*, quotannis Romæ feriis Veſtalibus 5. Id. Jun. *Molæ* ſertis ac floribus ornabantur, & quieſcebant; in memoriam priſtini temporis, quô farra ſolummodo in furnis Veſtæ, hoc eſt, ignis beneficio torreri conſueverant, quoque aſini, Deæ hujus beneficiô, à *Molis* circumagendis immunes erant. Vide Ovid. *Faſt. l.* 6. Poſtea *Molæ* excogitatæ ſunt, quarum uſum antiquum admodùm eſſe, docet Plin. *l.* 7. *c.* 56. cum *Cererem homines primam molere docuiſſe* refert: quod Stephanus *de Urb.* Mylanti cuidam adſcribit, in voce *Μυλαντία*. Cette Heroicis temporibus jam cognitas fuiſſe, ex Hom. *Od.* 11. *v.* 105. patet, ubi in horto Alcinoi *Molæ* meminit, cum ait:

> Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπὸν,
> *Aliæ quidem molunt ſub mola pomacei coloris frugem.*

Et quidem truſatiles primitus ſeu manuales fuêre, quæ circumactæ manuum agilitate & robore fruges terebant, A. Gell. *l.* 3, *c.* 3. Fiebat id itidem à Piſtoribus, qui non tantum panem tum faciebant, ſed etiam fruges *Molis* frangebant. Pomponius Comicus. *Cùm neque molis molui, neque palmis pinſui*: Euſebius *in Chron. Paulus ad molas manuarias Piſtorem ſe locavit*, &c. His Aſinariæ ſucceſſêre; tranſiitque id laboris genus ab hominibus ad bruta, Aſinos videlicet qui *Molas* verſabant, tectis capitibus velatâ facie, ut apparet ex Appulejo *Metam l.* 9. In quorum locum cum mali ſervi quandoque pœnæ locô *Molis* applicarentur, ut Terentius docet *Andriâ Actu* 1. *ſc.* 2. & hi nomine *Aſinorum* appellari, & *Molæ* ipſæ *præſepia* dici ſolitæ ſunt: quamvis non tantùm molarii ſervi, ſed quilibet alii ſtationem in domibus privatis dominorum habuiſſe, quæ *præſepe* diceretur, videantur, ex Varrone *de R. R. l.* 1. *c.* 2. Tandem in Aſinariarum locum *Aquariæ* inſtitutæ ſunt, quales juxta flumina, quorum impetu rotæ circumaguntur, paſſim hodie videmus. Quæ quâ ratione confici debeant, docet Vitruvius *Architect. l.* 10. *c.* 10. & meminit Zeno Imperator *l,* 10. *C. de Aquæd.* Valentinianus item & Valens Augg. *C. Theodoſ. de Canone frumentario Urbis Romæ l.* 4. Ubi notat Jac. Cujacius: Aquariæ molæ rotis ſublevatis inverſiſque ſuppeditatam fuiſſe aquam; eique muneri junctos aſinos, equos & equas. Harum *Molarum* uſum non ita recentem eſſe, ut quidam arbitrantur, tum ex Palladio *l.* 1. *c.* 42. ubi præcipit, *Ut ſi aquæ copia patiatur, fuſuram balnearum ſuſcipiant piſtrina, ut ibi formatis aquariis molis, ſine animalium vel hominum labore, frumenta frangantur.* Hodie variis in locis, Belgio inprimis, aliud *Molarum* quoque viget genus, quæ ventô circumaguntur, in aëre ſuſpenſæ; quarum uſus non exiguus in locis aridis, obſidionibus item Urbium &c. Habuit autem & *Mola* olim ſuum Numen Deumque tutelarem, teſte Polluce *Onomaſt. l.* 7. *c.* 33. *tit.* 8. Μυλωθρὸς, μύλων, μύλη, προμυλαῖα Θεὸς καὶ εὔνοςος, *Molitor*, Mola, *Piſtrinum*, *Dea molaris & benevola.* Sed & Promylius Deus ſemper ante eas collocabatur, *ob ſuavem alimoniam.* De ornatu earum in Veſtalibus feriis *ſuprà*: Nec omittendum, in ſomniis *Molam* viſam, durorum & difficilium negotiorum ſolutionem, & fidelem ſervum portendere, olim fuiſſe creditum, ut tradit Artemidorus *Oneirocrit. l.* 2. *c.* 47. Servi *Molitores*, ad uſum ruſticum parati, memorantur Ulpiano *l.* 12. §. 5. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* & Pomponio *in Piſtore.* Plura vide apud Tiraquellum *Comm. ad Alexandrum Neapolit. Genialium dier. l.* 3. *c.* 11. Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. Jac. Oiſelium JCtum *Notis in A. Gellium l.* 2. *c.* 2. Pignorium *Comm. de Servis &c.* ut & infrà in vocibus *Piſtor* & *Piſtrinum.*

MOLÆ Ferrariæ, olim uſu, armis acuendis. Gloſſæ *ad Stat. Theb. l.* 3. *v.* 584.

> ——— *attrito cogunt juveneſcere ſaxo.*

per molam, ajunt, *acuminariam.* Sic *molita arma*, ſamiata ſive acuta hôc modô reddita, intelligit Lindenbrogius, *in Friderici Imp. Conſtitut. Sicular. l.* 1. *tit.* 9. *Gloſſario Codicis LL. Semipriſcarum.* Quam ejus ſententiam cum ſua aſſumſit, *in Commentarium Molitorarum rerum Juridicum* Joh. Heringius, de quo vide Barthium *ad d. l.*

MOLÆ Formianæ, vide *Mola.*

MOLANUS Johannes, Lovanienſis, ſcripſit *Notas in Martyrologium Uſuardi*, *Calendarium Eccleſ. Sanctorum Belgii*, &c. Obiit A C. 1585. Bejerlink, *in Chron.* Valer. Andreas *Biblioth. Belg.* vide & *Lovanienſis.*

MOLANUS Johannes, Rector Gymnaſii Bremenſis, Obiit A. C. 1583. auctor *Poëmatum*, quæ Antverpiæ, cum Arnoldi Berchemii, prodierunt, & aliorum quorundam ſcriptorum. Valer. Andreas *Biblioth. Belg.*

MOLANUS Lovanienſis, vide ſuprà.

MOLANUS, apud Auctorem *Hiſtoriæ Hieroſolym. p.* 1152. *Eô tempore gentilis quidam: Seuvarius nomine, ſub* Molado, *quem patriâ linguâ Dominum dicunt, univerſam procurabat Ægyptum*: corruptè pro *Miramomelino* ſeu *Amiral mumini*, vide ibi. quô modô appellari tum Bagdalenſes, atque adeò ſupremi Sultani, qui ſub Chalipha univerſæ rerum adminiſtrationi præerant, *Credentium Principem*, ſeu *Fidelium Dominum*, voce hâc deſignari, apud Arabes, docet pluribus *ad Alexiadem Annæ Comnenæ*, Car. du Freſne *p.* 371. & 372. Vide quoque ſuprà in voce *Admirallus*, item *Amir.*

MOLARIS Lapis, quem Græci μυλίαν & μυλίτην vocant, *cui plurimus ineſt ignis*, ut habet Plin. *l.* 36. *c.* 19. Græcis quoque πυρομάχος dicitur & πυρίτης. Sic enim dictus, non quòd ignem faciat percuſſus, ſed quòd igni reſiſtat; nec enim igni ſolvitur, nec rumpitur: cujuſmodi lapides focis hodie ſubſternimus & caminis applicamus quia igne minime domantur. *Theophraſtus* πυρομάχον & μυλίτην conjungit & inter eos lapides numerat, qui igne liquantur ac fluunt: ὡσαύτως καὶ οἱ πυρομάχοι καὶ οἱ μυλίαι ῥέουσι. Ideo ad focum optimi, quippe qui nec igne diſſiliant, nec frangantur, nec crepitent. Nam quòd in fornacibus magnâ ignis vi domiti liqueſcunt, commune id habent cùm omnibus lapidibus, marmore exceptô, ut tradit *idem.* Sic *molaris* pyrites & πυρομάχος quibuſdam dictus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 717. Poëtis *Molares* dicuntur, omnia ſaxa grandiora: cujuſmodi lapidibus Heroas pro telis uſos canunt paſſim. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 710.

> ——— *circumque ſonori*
> *Vertice percuſſô, volvuntur in arma molares.*

Et de Scæva ſuo Lucanus ingenioſè, *l.* 6. *v.* 169.

> ——— ——— *ille ruenti*
> *Aggere conſiſtit, primumque cadavera plenis*
> *Turribus evolvit, ſubeunteſque obruit hoſtes*
> *Corporibus totaque viro dant tela ruinæ,*
> *Roboraque & moles, hoſti ſeque ipſe minatur.*
> *Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto*
> *Detrudit muris & valli ſumma tenentes*
> *Amputat enſe manus: caput obterit, oſſaque ſaxo,*
> *Ac malè defenſum fragili compage cerebrum*
> *Diſſipat, alterius flamma crineſque genaſque*
> *Succendit, ſtrident oculis ardentibus ignes.*

Vide quoque infrà in voce *Saxum.*

MOLCHU, vide Rabbi *Salomon Molchu.*

MOLDAVIA, German. *Moldaw*, Gallis *Moldavie*, pars anteà Hungariæ, nunc proprium habet Principem, ſub clientela Turcar. Ibi aliàs pars Daciæ Orientalis. Terminatur à Septentrione Poloniâ, ab Ortu Beſſarabiâ, à Meridie Bulgariâ, ab Occaſu Walachiâ. Urbes præcipuæ Jaſſium, ſedes Principis, & Soczova. Multò minor eſt, quàm tabulæ Geographicæ vulgò notant, nempe inter Septentrionem & Meridiem. Juraverunt Moldaviæ Principes, à multis retro ſeculis, ſocialem Regibus Poloniæ fidelitatem, unde Poloni ſemper id egerunt, ut aliquis ſibi fidus è Ducali ſanguine regioni præeſſet. Sic A. C. 1552. Alexandrum Moldaviæ Principem dederunt, aliiſque vicibus, ut A. C. 1572. 1595. & 1600. jus hoc tutati ſunt. Sed illo excidêre ab A. C. 1612. cùm Tartari in Moldavia ſedem ſibi comparârunt: Acceſſit Staniſlai Zockievii. Prœfecti exercitus cum Skinder Baſſa ad Baſſam tractatio, quâ ipſum hunc morem convulſit. Sequutum poſteà bellum Chozimenſe, quô Zolkievius cecidit A. C. 1620. & quamvis felicior Chodkievicius, pacem honeſtam Turcis extorſit A. C. 1621. labefactata tamen manſerunt Polonica in Moldavia jura &c. Vide Auctorem *Hiſt. Geogr. & Civ. c.* 10. *de Imp. Turc.* Huc conceſſerunt, pulſi à Matthia Rege è Moravia Fratres, A. C. 1481. & cum Matthia, ſacrorum Antiſtite, à Stephano Vaivoda, aliàs truci, benignè excepti ſunt: donec poſt biennium à Rege melius inſtructo libertatem redeundi, & ſuô more ſacra adminiſtrandi obtinuerunt. Laſicius *de geſtis Fratr. apud Latum.*

MOLENDINUM, vide ſuprà ubi de *Molis.* Aragonici *Molendini*, tanquam unius è jucundioribus ſeceſſibus Philippi IV. Hiſpan. Regis, ſæpe meminit Ferdin. Pallavicinus *in Deſcr. Caſus Comitis de Olivarez.* uti notat Auctor. Anonymus *Hiſtor Orbis. Terr. Geogr. & Civil. c.* 8. *ſect.* 2. §. 2. *ubi de Arcibus quibuſdam Regiis.* Pariſiis *ad Molendinum*, dicitur moneta quædam; Gall. *Monnoye au Molin*, cujus fabrica inſtituta in domo Thermarum Regiarum, ad caput horti Palatii, in quo illa cauſa ſub Henrico II. apud Car. du Freſne in voce *Moneta.*

MOLES, locus exciſus, in agro Cæſarauguſtano, ad Orbam fluv.

MOLES, apud Statium *Theb. l.* 6. *v.* 157.

> *Quem non anguis atrox (quid enim hâc opus, heu mihi, lethi*
> Mole *fuit?)*

omnem ſupervacuam copiam notat, *veteri Scholiaſta.* Ut *moles liquens* aque nimia, *l.* 9. *v.* 466. *Moles Dryantis*, homo ingenti corporis mole, *eod. l. v.* 861. *Moles ahena*, ingens onus clypei, ære obductô multiplicibus coriis taurinis, apud eundem *l.* 4. *v.* 167. &c. Inprimis verò uſurpatur vox, de ſubſtructionibus immanis altitudinis & amplitudinis. Et de Equo Max. Domitiani Idem *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 1.

> *Quæ ſuper impoſito* moles *geminata Coloſſo*
> *Stat Latium complexa Forum* &c.

Ubi *molem*, more ſuô magnam, magniloquentiâ ſuâ mirificâ auget Poëta. Intelligit autem equeſtrem ſtatuam Domitiani, dedicatam in memoriam equi, quem is inſignem jam Judaicô bellô habuit; uti diſcimus ex Joſepho *Halos. l.* 7. *c.* 2. Seu æneum equum, quem in regione 8. urbis celebrat Publius Victor, quem; quia ultra menſuram magnus erat, *coloſſum* etiam vocat Poëta. Nempe honorati olim *molibus* hujuſmodi Principes. Ut Auguſtus, non minore ſtatuâ illâ celebratiſſimi Jovis Olympii, apud Joſeph. ubi ſuprà *l.* 3. *c.* 16. pari verò magnitudine Argivæ Junonis ſimulachro, *Ibid.* Nero ſibi ipſe coloſſum Solis fecit pedum centum viginti, inque veſtibulo ædium ſuarum eum collocavit, apud Sueton. *c.* 31. Vaſtior animus Galieno Imperatori, qui ſibi coloſſum alterô tantô Rhodiô majorem faciebat, cùm occideretur, auctore Treb. Pollione. *c.* 7. Ad imitationem videl. Deorum, quibus pares ſtatuas erigi conſueviſſe, paſſim legimus. Vide quæ de Coloſſis Solis, Diis aut Heroibus poni ſolitis, adnotat Salmaſius *ad Hiſtoriam Aug.* Inprimis verò id factum Principi bene merito, à ſervatis aut reſtitutis populis: Sic Tiberio Principi, à Civitatibus Aſiæ, quas ille, poſt graviſſimum terræmotum, è ruderibus iterum excitaverat, coloſſum ingentis magnitudinis, prope Templum Veneris, quod erat in Foro Rom. ſtatuaſque pro numero civitatum, ordine poſitas, narrat Phlegon. Trallianus,

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ex *Apollonio Grammatico.* Veſpaſiano quoque, poſt optimè & cum ſumma laude adminiſtratum Imperium *Statuam Coloſſeam*, non minimæ ſummæ, publicè fuiſſe decretam, habes apud Suetonium *in eo c.* 23. Aliam, poſt Judæam devictam, erectam, pedes altam 107. *Euſebius* memorat. Monumentum devictæ Germaniæ fuiſſe, ait Collector Chronologus ex Idatio *l.* 2. Neronis aut Titi imaginem habuiſſe, poſitumque fuiſſe ſacrâ viâ, idem, vel ex eo potius Xi*philinus*, auctor eſt: dicatum à Veſpaſiano Solis honori, & pedes 120. habuiſſe, refert *Plin.* &c. Vide Caſpar. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & *Adverſar. l.* 31. *c.* 4. nec non hic paſſim, inprimis in voce *Cubile & Lapis.*

MOLETIUS Joſephus, vide *Joſephus.*

MOLFETA, vulgò *Molfetta*, urbecula Barianæ, Epiſcopalis, 12. milliar. à Bario in Occaſum, 7. à Trano in Ortum, in ora maris Adriatici cum Ducatus titulo.

MOLID, filius Abiſur. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 29.

MOLINA, oppid. Caſtellæ novæ, ad amnem cognominem in confinio Aragoniæ, ad radices montium, caput regiunculæ cognominis, inter Lobetum in Eurum & Seguntiam in Circium.

MOLINÆ; caſtrum Galliæ, in extremis finibus Æduorum, ad fluv. Elaver *Alier*, Burbonenſis pagi caput: dictum à molis aquariis vel hydromylis, quæ ibi multæ, aquis fluminis circumagebantur. Vide infra in *Molinum.* Sunt & *Molinæ Angilbertorum*, in Ducatu Nivernenſi, diœceſique Auguſtodunenſi, nunc *Moulins Engilbert:* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MOLINA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

MOLINÆUS Carolus, vide *Carolus.*

MOLINÆUS Johannes, vide *Johannes.*

MOLINÆUS Petrus, in agro Vexinate Galliæ natus A. C. 1586. Paſtor primò Eccleſiæ Aurelianenſis, dein in Academia Lugduno Batava docuit, Sedanum tandem tranſlatus eſt: Theologus inter primos ſui ſeculi. Scripſit plurima tum Philoſophica, tum Theologica, Obiit Sedani, A. C. 1658. ætat 90. Pater Petri, Ludovici, & Cyri, quos an. ætat. 82. cùm è gravi morbo convaluiſſet, inſigni epiſtolâ, ad pietatem hortatus eſt. Vide quoque *Carolus Molinæus*, & de utroque P. Freherum *Theatro Viror. erudit. clarorum.*

MOLINGARIA, urbs Lageniæ, caput Mediæ Occidentalis juxta ſtagnum, vix 6. mill. paſſ. à limite Connaciæ, 40. à Dublino in Occaſum vulg. *Mollinga.*

MOLINISTÆ, dicuntur Sorboniſtis Jeſuitæ, à Lud. *Molina*, inter illos celebri. A. Rivetus *Caſtigat. ad Not. Balſac. c.* 6. *n.* 22.

MOLINUM, caput Borbonienſis provinc. ad Elaverem fluv. cum caſtro antiquo Ducum, ubi plurimi Reges morari amaverunt, & ampliſſimis ſuburbiis: aquis ſuis nobile, 62. leuc. à Lutetia in Auſtrum Lugdunum verſus, uti 12. à Niverno, 20. à Claromonte in Septentrionem. Hîc inſignes cultri conſiunt. Vide *Morer.* & ſupra *Molinæ.*

MOLIO, Jupiter dictus eſt, ab hoſpite quodam *Molione.*

MOLISIA, Gall. *Moliſe*, oppidul. tenue in regno Neapolitano, 10. milliar. ab Æſernia in Ortum, uti à Bojano in Septentrionem. Deficit indies. Caput Comitatus Moliſini, vulgò *Contado di Moleſe*, qui eſt inter Aprutium citerius ad Septentrionem, Capitanatam ad Ortum, & Terram Laboris ad Occaſum. Ibi etiam Æſernia, Larina, Bojanum, & Triventum.

MOLISMUM ſeu *a*, vulgò MOLESME, caſtrum & cœnobium Galliæ in Campania, in limite Ducatus Burgundiæ, 4. leuc. à Bario ad Sequanam, 9. à Claravalle in Africum Tornodorum verſus, ad amnem *Leigne.*

MOLITOR Chriſtianus, vide *Chriſtianus.*

MOLITOR Gregorius, vide *Gregorius.*

MOLLA, nomen officii apud Turcas, Perſaſque, de quo vide infrà voce *Muſlimi.*

MOLLERUS Henricus, Theologus & Hebræus magni nominis, Wittenbergæ diu docuit, inde Hamburgi, extinctus A. C. 1589. ætat. 60. Scripſit *Commentarios in Malachiam* & *Hoſeam*, *Enarrationem in Pſalmos*, horumque *Latinam verſionem* juxta quam Paraphraſin ſuam metricam formavit Beza, *Commentarium in Eſaiam*, *Diſſertat. de Cœna Domini.* Anton. Teiſſier. *in Elogiis Part.* 2. Vide quoque P. Simonem *Hiſt. Critiq. du V. Teſt. l.* 3. *c.* 21. ubi de Verſione & Commentariis Molleri ſatis benigne judicat.

MOLLIS, apud Claudian. *Epigr.* 8. *de Apono, v.* 11.

Altò colle minor, parvis erectior arvis,
Conſpicuo clivus molliter orbe tumet:

idem cum *leni*, apud Fortunatum *l.* 1. *carm.* 19.

Hic brevis aſcenſus leni ſubit aggere clivum,
Carpit & obliquâ mole viator iter:

dicitur clivus vel agger, qui non præcipitis aſcenſus eſt, ſed quem citra laborem gradiendo vincere poſſis. Ei opponitur *iniquus mons*, præceps & aſcendi difficilis. Ovid. *Met. l.* 10. *Fab.* 5. *v.* 172.

——— *per juga montis iniqui*
Ire comes: Longaque alit aſſuetudine flammas.

At *Molles*, apud Petronium *Satyr. Molles, teretes, Deliaci manu recisi*; eunuchi ſunt ſeu exciſi. Unde *mollire*, pro caſtrare, apud Stat. *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 68.

——— *haud ulli puerum mollire poteſtas*
Credita, ſed tacitâ Juvenis Phœbeius arte
Leniter, haud ullo concuſſum vulnere corpus,
De ſexu tranſire jubet ———

Et Claudian. *Eutrop. l.* 1. *v.* 47.

Advolat Armenius certô mucrone reciſos
Edoctus mollire *mares* ———

Vid. Caſp. Barthium *Animadverſ. ad h. l.* Inter Deaſtros Gentilium Liber *membris cum mollibus & liquoris feminei diſſolutiſſimus laxitate* ridetur Arnobio *l.* 6. quia Bacchus λυσιμελὴς, non minus ac Venus. Eleganter autem ait, *liquoris feminei diſſolutiſſimus laxitate.* Sic enim feminæ dicuntur *molles*, quaſi liqueſcentes, ac diffluentes, unde inceſſus earum laxior ac diſſolutior. Appulejus *Miles* 2. *Inceſſu perfluô feminam mentiebatur.* ὑγρὸν βάδισμα Græci dicunt, ut videre eſt apud Clementem Alex. *Pædagog. l.* 3. ubi de hiſtionum ſaltatorumque fracto inceſſu, & Dionem Chryſoſtomum *de Regno l.* 4. Libero Venerem addit Tertullian. *de Spectac. c.* 10. ob rationem dictam. *Et eſt planè in artibus quoque ſcenicis Liberi & Veneris patrocinium, quæ privata & propria ſunt ſcenæ, de geſtu & corporis fluxu. Nam* mollitiam *Veneri & Libero immolant: illi per ſexum, iſti per fluxum diſſoluti.* Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobii loc.* & ſuprà voce *Diſſoluti.*

MOLLUSCUM, aceris tuber. Vide ſuprà *Acer.*

MOLMUTIUS, cum prænomine *Dunwallus* ſeu *Dungallus*, fil. Clothonis, Regis Cornubiæ, poſtquam Patri in Regno ſucceſſit, primus ſibi ex auro diadema fecit, & *LL. Molmutinas*, ut illas vocat Guilielmus Weſtmonaſter. *ætate* 5. *c.* 21. ſeu *Mulmuojas*, ut Gervaſius Tilleberienſis, *de Dungallo Angliæ Rege* condidit. De quibus ſic Galfridus Monemuthenſis *l.* 1. *c.* 16. *Hic Leges, quæ* Mulmutinæ *dicebantur, inter Britones ſtatuit, quæ uſque ad hoc tempus inter Anglos celebrantur. Statuit ſiquidem inter cætera, quæ multô tempore poſt beatus Gildas ſcripſit, ut templa Deorum & civitates talem dignitatem haberent, ut quicunque fugitivus ſive reus ad ea confugeret, veniam coram inimico ſuo haberet. Statuit etiam, ut viæ, quæ ad prædicta templa & civitates ducebant, nec non & aratra colonorum, eâdem lege confirmarentur.* Idem *c.* 18. *LL.* has à Gilda Hiſtoriographo, de Britannico in Latinum, à Rege verò Alvredo in Anglicum ſermonem tranſlatas eſſe, addit. Ad tempora uſque Eduardi Confeſſoris celebres fuiſſe, præfatus Wilhelmus refert. Vide Car. du Freſne in voce *Lex.*

MOLO, Orator Alabandenſis, qui Rhodi claruit Ciceronis ætate. Plut. *in vit. Ciceron.* & Strabo *l.* 14.

MOLOCATH, qui *Mulucha* Salluſtio *Bell. Jug. c.* 19. Plin. *l.* 5. *c.* 2. & Melæ, *l.* 1. *c.* 5. fluvius Mauritaniæ Tingitanæ inter Metagonitem promontor. & Malvam fluv. terminum utriuſque Mauritaniæ, *Mulucham* hodie, teſte *Marmoliô.*

MOLOCH, qui & MOLECH, & MILCHOM, Latinè *regnans*, aut *conſiliarius*, princeps Deorum, non Ammonitis ſolùm, ſed & Moabitis, apud Hieroſolymam aliquando in valle *Gehennæ*, elegans tabernaculum, & magnificum idolum habuit, quod inter omnia idola illic primatum promeruit. Erat autem ex ære, figuram regis præferens, fabricatum, habens magnam intra ſe concavitatem: hujus caput vitulum, reliqua verò pars inferior hominem exprimebat, deinde utrumque brachium extenſum ad immolatos pueros 2. Reg. *c.* 23. *v.* 10. Actor. *c.* 7. *v.* 43. comprehendendos, qui maximô idoli calore, inter nefarios ejuſmodi amplexus, comburebantur. Cùm enim idolum interius omnino concavum eſſet, facile impoſiti ignis actione quodvis appoſitum concremabat, ne autem inter immolandum puerorum clamor & ejulatio parentum viſcera commoverent, atque ut oblatio dæmoni gratior eſſet, Idoli *Moloch* ſacerdotes, quandiu ſacrificium durabat, raucô tubarum clangore ac ingenti & indefeſſô tympanorum ſtrepitu undique aëra replebant, unde & locus ille nomen *Tophet*, quod *tympanum* ſonat, ſibi acquiſivit. Cingebatur Moloch templum lucô, idolo iſti conſecratô, in quo ejus cultores, poſt expletum ſacrificium, ſub arborum opacitate ſcortabantur. Hujus Dei nefandâ religione capti Achab & Manaſſes ei omnem cultum & venerationem exhibere ſoliti fuerunt. 2. Reg. *c.* 16. *v.* 3. Quibuſdam hoc idolum cum *Baal* idem fuit: alii ſic diſtinguunt, ut Jovem ſub Baalis, Saturnum verò ſub Molochi nomine cultum dicant. Sed non hi ſolùm planetæ ſæpe apud Auctores confunduntur, verùm & Sol, modô Jupiter iis, modò Saturnus vocatur, atque porro modò Baalis, modò Molochi appellatione venit. Unde Jupiter Phœnicibus *Baal Samen*, i. e. Dominus cœli, dicitur, quod in Solem, ex Gentilium Theologia apprimè quadrat. Vide Thom. Godwyn in tract. Anglico, cui titulus *Moſes and Aaron*, *l.* 4. *c.* 2. Voſſ. *de Theol. Gent. l.* 2. *c.* 5. Adrichom. *in theatro Terræ Sanctæ.* Torniel. *A. M.* 3406. *n.* 2. *Nic. Lloyd.*

MOLOCHINA, vel MALACHINA veſtis, apud *Cæcilium* Nonio laudatum; *Carbaſina, molochina, ampelina*; an eadem cum *multicia?* σπαθητὸν autem *multicium*: unde *Heſychius*, μαλόχιον, σπαθητόν. Sed Nonius *molochinum colorem* flori ſimilem malvæ interpretatur. *Iſidorus molochinam quæ ex ſtamine malvæ conficitur*, exponit: quam alii *malvellam*, alii *melocinam* appellant. Vide Salmaſ. *Not. ad Flav. Vopiſc. in Aureliano. c.* 12. Hinc *Molochinarii*, memorati Plauto *Aululariâ Actu* 3. *ſc.* 5. ubi in fœminei luxus inſania traducenda occupatur; cùm inter alia ait;

Solearii aſtant, aſtant Molochinarii:

Nonio dicuntur *infectores molochini coloris, quem ſimilem fuiſſe flori malvæ* refert; Recenſet eum inter purpureos Plin. *l.* 35. *c.* 6. Vide Octavium Ferrarium *de Re Veſtiaria l.* 3. *c.* 21.

MOLOEUS, fluv. Bœotiæ, juxta Cithæronem. *Herodot.*

MOLOHOM, fil. Saharaim. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 9.

MOLON, Archon Athenis, Olymp. 104. an. 3.

MOLONES, ſecundùm Didymum duo exſtiterunt; unus Hiſtrio; alter fur Veſtiarius; quorum ille grandi atque enormi, hic puſillô corpore fuiſſe perhibetur.

MOLORCHUS, paſtor ſeniculus in agro Cleonæo, qui Herculem illàc iter facientem comiter hoſpitiô accepit. Cujus beneficii gratiam, ut hoſpiti ſuo rependeret Hercules, Leonem Nemeæum interfecit, qui circumjacentem regionem latiſſimè devaſtabat. Huic ſeni ſacra ſolemnia inſtituta, *Molorchea* dicebantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bantur. Eorum meminêre Virg: *Georg. l.* 3. *v.* 19. Tibull. *l.* 4. *ad Meſſalam*, ubi vide his Paſſeratium. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 1. & *l.* 4. *Sylv.* 6. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 44. & *l.* 4. *Epigr.* 64.

MOLORTUS, apud Stat. *l* 3. *Syl.* 2. *v.* 30.

Sunt quibus exploret rupes graviis arte Molortus,
Quaque ſecuturam religant poſt terga phaſelon &c.

quid ſit inter Eruditos non convenit Barthius *ad loc. Minimè viri aut hominis id nomen eſſe poteſt --- Officia nautarum Muſis injungit Papinius, itaque & hoc metiendi maris præſumtatem iiſdem --- Latinum vocabulum eſt, ut clarè docent verba Dioſcoridis a Doctiſſ. Gevartio huc allata --- Unde verò, vel qua ſit vox iſta, niſi aliis adjumentis, quàm qua nunc extant, adjutus, nemo facile divinaverit --- Si tamen Gracanicam vocem agnoſcere malis, cur repudies* molorthus, *à rectà demiſſo artificiali plumbo? Quam vocem ſanè non tam ex penu Grammaticorum produxerit Papinius, quàm ex uſu Naviculariorum.* At ſcrupulum facile eximit Salmaſ. vocem *molubdus* reponendo, ut diximus ſupra, in voce *Catapirater*.

MOLOSSI, populi Epiri, quorum regio *Moloſſia*, nunc *Pandoſia*, teſte Pinetô, à *Moloſſo* Pyrrhi & Andromaches filio, nominata, quam poſtea Helenus de nomine Chaonis fratris ſui, quem in venatione imprudens occiderat, Chaoniam appellavit. Hinc cànes *Moloſſi* dicti, quos poëtæ fabulantur originem traxiſſe à cane æneo à Vulcano fabricato, quem ille Jovi, Jupiter Europæ, Europa Procridi, Procris Cephalo dono dedit, Jul. Pollux. *l.* 5. *c.* 55. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 405.

Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum.

Vide quoque Horat. *Epod.* 6. Senec. *in Hippol. Act.* 1. *v.* 32. &c. Hos Ariſtotel. *Hiſt. Animal. l.* commendat ἀπὸ τῆς ἀνδρίας πρὸς τὰ θηρία καὶ τοῦ μεγέθους, *à fortitudine contra belluas, & magnitudine.* Clamoſi erant hi canes, quæ res etiam ad terrorem nata. Lucan. *l.* 4. *v.* 439.

Aut dum diſpoſitis attollit retia varis,
Venator tenet ora levis clamoſa Moloſſi.

Qui tam vaſtus clamor à magno ore, quo præditi ſunt: Lucret. *l.* 5. *v.* 1062. Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. Claudian. de canibus Dianæ, *in l.* 3. *Laud. Stil.* Martial. *l.* 10. *Epigr.* 1. Sunt & *Moloſſi* populi Theſſaliæ apud Jolcum oppid. teſte *Athenaô.*

MOLOSSUS Jupiter celebris, à Moloſſis Epiri populis & Chaoniæ cognominatus, apud quos oracula quercus reddebant. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 201.

Quin & cornigeri Vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra, tacebit.

Ad quæ verba Lutatius, *Quam Chaoniam dicit, h. e. Epiroticam. Moloſſia enim in Epiro eſt, ubi ſub quercu ſolebant columbæ oracula reddere.*

MOLOSSUS, pes dictus eſt ab ejus patriæ ſaltatione, vel quòd eô metri genere odas in templo Jovis ad laudem canere conſueverint, in memoriam Moloſſi filii Pyrrhi, & Andromaches, vel, ut alii volunt, quod *Moloſſi*, i. e. Theſſali ad bellum procedentes, hujus modulatâ compoſitione utebantur, conſtat autem tribus longis, ut *Æneas*.

MOLPIS Lacon de Republ. Lacedæmoniorum ſcripſit. Athen. *l.* 4.

MOLSEMIUM, vulgò MOLTZHEIM, urbecula Alſatiæ inferioris ad amnem Bruſch, 2. leuc. ab Argentina in Occaſum. Sedes Canonicorum Argentinenſium.

MOLSUS, Græcè μόλπος, demus Atticæ, apud *Heſychium*, Μόλπος, ὁ δῆμος Αἰολεῖς. Ubi Αἰολίδες Vir eruditus legi vult, & pro Atticæ populo haberi. Sed cùm nulla fuerit Æolis tribus, Heſychium Æolidis gentem hâc voce denotare voluiſſe, ſentit Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 3. *ubi de* 174. *Populis Attica.* *p.* 172.

MOLUCCÆ, Gall. *les Moluques*, Hiſpan. *las Molucas*, Inſulæ maris Indici, ſub Æquinoctiali circulo. Sunt vel *Magnæ* & *latè ſumtæ*, ut Celebes, Gilolum, Terra Papuum, ſeu Nigrorum, Ceramum, Flores, & Timor cum adjacentibus. Vel *Parvæ ſeu Vere*, 5. illæ verſus oram Occidentalem Giloli, nempe *Ternate*, *Tidor*, *Machian*, *Motir*, & *Bachian*: quarum nomina olim *Cupe*, *Duco*, *Mara*, *Moutil*, *Seke*. Ipſarum maxima eſt circuitus 45. milliar. Totæ ſub Hollandis, quanquam Ternata Regem habeat proprium, cui ſubſunt etiam Motir & Machianum. Tidora etiam Regem habet. Extenduntur à Septentrione in Meridiem. Earum nulla ambitum 6. leuc. excedit, omneſque intra 25. leucarum ſpatium comprehenduntur. Sunt in toto orbe celebres, ob ingentem aromatum copiam, præſertim Caryophyllorum, ſuaviſſimi odoris, nec minoris uſus condiendos ad cibos, quæ prope ſolæ ferunt. Hiſtoria illarum hæc: Sinenſes, circa A. C. 1013. latè per Indiam effuſi, has quoque inſulas tenuêre, non ſine ſumtu & ſanguine; quorum tandem pertæſi introrſum ſe recepêre, derelictis quæ 60. per annos poſſederant. Poſt hos profecti Malaccenſi regioni inſedêre, & his pulſis, Perſis mixti Arabes, qui & Mahumetiſmum intulêre: nec aliunde ipſum nomen, nam regna *Moluccas* Arabes vocant. Græcis veterib. ac Romanis ignoratæ hæ Inſulæ, qui ipſum tamen Caryophyllum, per Orientis populos habuerunt: & quia Ægypto tranſibat, auctum hinc Ptolemæis, & poſtea Romanis vectigal. Labaſcente re Romanâ, Genuenſes, & ſecuti hos Veneti per Theodoſiam petiêre, quæ *Caffa* pòſt appellata eſt. Ex quo dein Conſtantinopolis in Latinos ceſſit, & Græca invidia alias Imperii ſedes, inter has Trapezuntem, legit, tractum huc per Caſpium mare mercimonium eſt: poſtquam autem ibidem Turcæ invaluêre, per camelos ac dromadas Aleppum ivit: ſed Cairum qui tenuêre Sultani, Rubro iterum mari & Alexandriæ reddiderunt. Luſitani, poſtquam multa Africæ Aſiæque cognoverant coloniiſque inſederant, A. C. 1512. primùm in has inſulas venêre, armatique Regum ibi diſſidiis & ſuâ claſſe facile ſe Cariophylli dominos fecêre, corruptis etiam navibus, ſi quæ ab Arabum aut Perſarum oris venirent, & omni in Ægyptum itinere præcluſô: ita Sultanis non minus octuagies mille ducatis annuum periit. Mox Tidoris Rege Almanſore ab illis venenô necatô, filius ejus Raxamira Caſtellanorum fidei ſe permiſit, qui octavô pòſt annô Magellani ductu in eas partes palam, ac velut poſſeſſuri, venêre. Hinc pugnatum acriter, nec diu tamen, quia Caſtellæ Rex Carolus V. Imperator pecuniæ egens, nec dum ſatis intellectô, quanta res ageretur, acceptis à Johanne III. Luſitaniæ Rege 350000. ducatis, jus illi ſuum in Moluccas pignori tradidit. Ex eo Luſitani pro libitu illic agere: Caryophyllum omne Goam mittere, unde Perſæ, Turcæ, Sinenſes, Afri petebant, vix tertiâ parte remanente, quæ Europæis gentibus venderetur. Itaque haud mirum, ex Moluccis inſulis, & Ambona, quæ haud longè eandem fert frugem, & Banda, ubi nux odorata optimè naſcitur, cujus eſt flos, quem macin vocant, veniſſe quotannis Luſitaniæ Regibus ducatorum 200000.. Primi ab Europa Angli, Draconis ductu, poſſeſſionem Luſitanis turbavêre, A. C. 1579. Annô dein 1599. prima, quæ Luſitanorum potentiæ æquari poſſent, arma Batavorum, oppreſſi à Luſitanis Reguli læſi viderunt: cum quibus fœdere initô, Batavorum ibi potentia radicem egit, uſque ad hæc tempora inconcuſſa. Hugo Grotius, *Hiſt. l.* 15. Tellus arida eſt, & in modum pumicis fiſtuloſa, itaque non modò cadentes è cœlo imbres momentô combibit, ſed etiam è montibus manantes abſorbet aquas; antequam directô alveô ad mare perveniant: Eadem aliquot locis cum inſano reboatu ignes eructat, ipſas inſulas olim deſertas, & quà planities eſt, mari merſas fuiſſe, teſtantur conchylia & arenæ, quæ fodientibus paſſim occurrunt. Ibidem Manucodiata avis. Urbes Gammalamma, urbs Ternatæ primaria & arces *Malajo*, *Marieco*, *Mauritz*, *Naſſau*, *Laboua*, *Tabillola*, & *Nahaca*, cum aliquot aliis arcibus in Tidora Inſula, quæ ſola ſupererat Hiſpanis, ab ipſis etiam haud pridem relicta: *Baudr.* Vide Maffæum. *Hiſt. Ind.* Oroſ. *l.* 11. Cœterum Manucodiatæ illæ aves, quaſi *Mamuco dicatæ*, i. e. *Aves Dei*, dictæ videntur *Maximiliano Tranſylvano.* Ea: falſò pro apodibus habent multi, cùm ab Inſulanis ideo pedes ac viſcera reſecentur. ne pennis, quibus maximè ſuperbiunt, fœtor adhæreat. Vide quoque de his Inſulis Johannis Caëtani *Relatione del diſcoprimento dell' Iſole Moluccæ per la via de le Indie Occidentali*, Ramuſ. *Navigat. p.* 375. Maxim. Tranſilvanum *in Scr. Novi Orbis Edit. Baſil.* 1555. *p.* 524. ut & Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 5. *ſect.* 2. §. 13.

MOLURIS, nomen rupis, in Geranæa Megaræ monte, de qua ſeſe Milicerta in mare dedit præcipitem: quem ſecuta mater Ino ſimili fatô perfuncta eſt. J. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 26.

MOLUS, uxorem habuit Siden, Mentauri filiam. Stephanus in Σίδη. Item vir Cretenſis Merionis aurigæ, & Idomenei pater. Homer. *Od.* 6.

MOLY, Græcè Μῶλυ, *herbarum laudatiſſima*, teſte Plin. *l.* 2. *c.* 4. ſed ignota. Homer. à Mercurio monſtratam eam ſcribit contra veneficia Circes, *Od.* 10. Vide quoque Ovid. *Met. l.* 14.

MOLYBDANA, urbs Maſtienorum. *Steph.*

MOLYBDODES, inſula parva Sardiniæ adjacens contra Sulchos, unà cum inſula Hieracum; quæ Latinè *Plumbea* dicitur. *Iſola del Toro Leandro. Iſola piana, Brietio*; in ora Auſtrali Sardiniæ. *Baudr.*

MOLYCRIA, ſeu MOLYCRION Pauſan. *l.* 5. oppid. Ætoliæ, ſeu Locrorum Ozolorum in ora, inter oſtia Eveni fluvii ad Occidentem & Naupactum urbem proximam ad Ortum apud Antirrhium promuntorium. *Molicria* adhuc ex tabul. recentioribus.

MOLYNDIA, urbs Lyciæ. *Steph.*

MOLYS, urbs Libyæ. *Steph.*

MOLZA Marius, Mutinenſis, ingeniô ac eruditione Cardd. Bembi, Sadoleti, Hippolyti, Medicei & Alexandri Farneſii, benevolentiam meruit, ſed vita moreſque degenerârunt. Scripſit verſibus varia, *Elegias*, *Epigrammata*, *Rime*, *Nimpha Tiberina*, *Verſi in lode della ſalata & in lode de fichi.* Proſâ quoque facundus, contra Laur. de Medicis diſſertationem edidit, quâ illum arguit pulcherrimarum ſtatuarum Romæ noctu capitibus truncatarum. Obiit, apud Farneſium præfatum A. C. 1548. Paul. Jovius & Anton. Teiſſier *Elogior. Part.* 1. Vide M. Ant. Flaminium, qui inſigni hexaſtichô Molſam honoravit &c.

MOLZA Tarquinia, vide *Tarquinia.*

MOMBAZA, inſulare oppid. elegans ac nitidum in finibus Africæ, à Luſitanis A. C. 1505. ductu Franciſci Dalmaïdæ, vi occupatum & exuſtum: ſed poſteà ab Afris reſtauratum, *Theatr. Urb.*

MOMBERONUM, oppid Ducatus Inculiſmenſis, *Metel.*

MOMBRISONUM, oppid. Comitatus Foreſtii. *Metel.* Vide *Monbriſſonium.*

MOMEMPHIS, urbs Ægypti, unde *Momemphitis Præfectura*, *Steph.* Hìc *nutrita* βοῦς ἱερὰ *vacca ſacra, ut Apis Memphi, Mnevis Heliopoli: Atque illi quidem Dii putati. At qui alibi aluntur (à multis enim tam intra, quàm extra Delta vel mas vel fœmina bos alitur,) non Dii putantur, ſed ſacri*, Strabo *l.* 17. Et quidem ſequioris forſan ſexus adoratio antiquior: namque & Iſis Oſiridis membra; & eam imitatus Mencheres ſeu Mycerinus Rex, defunctam filiam unicam, εἰς βοῦν ξυλίνην διάχρυσον, *in bovis lignea inaurata uterum* incluſit, eique odores quotidie omnifarios adoleri juſſit, Diodorus Sic. *l.* 1. Herodot. *l.* 2. *c.* 129. Joh. Marsham. *Can. Chron. Sec. IV.* &c.

MOMIMUS, apud Julianum Aug. *Oratione de Sole IV.* è Phœnicum Theologia, *Qui Edeſſam habitant*, ait, *locum ab æterno*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Soli ſacrum, Μόμιμον αὐτῷ καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύουσιν, *Momimum & Azizum Soli aſſeſſores faciunt: quod Jamblichus* (Juliani præceptor) *ſic interpretatur*. ut Momimus *quidem ſit Mercurius; Azizus autem Mars*. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XIII. ubi de *Regibus Damaſci*, & ſuprà voce *Hazael*.

MOMONIA, vulgò MOUN Hibernis, *Mounſter* Anglis, una ex quatuor partibus Hiberniæ ad Auſtrum extenſa. Separatur à Connacia Sineô fluviô ad Boream, ad Ortum habet Lageniam, à Meridie verò & Occaſu alluitur mari Hibernicô. Dividitur in ſex Comitatus; Kerrienſem ſcilicet, *Comté de Kerry*, Limericenſem, *Còmté de Limerick*, Corcagienſem, *Comté de Corck*, Tipperarienſem, *Comté de Typperary*, Vaterfordienſem, *Comté de Waterford*; & Deſmoniæ Comitatum, *le Comté de Deſmond*. Caput eſt *Caſſilia*, urbs Archiepiſcopalis.

Momoniæ urbes præcipuæ.

Ardatum, *Ardart.*	Kinſalia, *Kynſale.*
Carićta, *Carick.*	Limericum, *Lymerick.*
Caſſilia, *Cashell.*	Liſmoria, *Liſmore.*
Corcagia, *Corck*, Epiſcopalis.	Roſſia, *Roſſe.*
Jogalia, *Youghall.*	Waterfordia, *Waterford.*

MOMPELGARDUM, Gall. MONTBELIARD, oppid. Sequanorum, cum titulo Comitatus, ſub Duce ex familia Wurtenbergica. Comitatus hîc antiquiſſimis temporibus, cum Ferretano ſeu Pfirdenſi, ut videtur, conjunctus, proprios Comites accepiſſe dicitur, circa A. C. 904. Sunt tamen, qui Fridericum Sueviæ Ducem, patrem Friderici Imperatoris Comitatus iſtius auctorem faciant, ex cujus poſteris Theodoricus II. vitâ functus circa A. C. 1270. nullâ ſuperſtite ſobole, ſororiis ſuis, Comiti atque Domino (utrique *de Novo Caſtro*, diverſis locis, unius tamen nominis) litigandi materiam reliquit; quorum hic genero Reginaldo, Burgundiæ Comiti, ob defenſas adverſus Comitem Novo Caſtrenſem gnaviter partes, Comitatum tandem ceſſit. Hujus filia Agnes Henrico de Monte Palcone nupta, eum Mariti familiæ intulit: qui, occiſô ad Nicopolim Henricô, hujus nepote, A. C. 1395. tandem, nuptiarum titulô, ad Wirtembergios devenit, quas cum Henrica, ejus filiâ, Eberhardus junior contraxerat. Vide Cruſium, Munſterum, Chytræum, laudatos Pfannero, *de præcipuis Germ. Princip. gentibus*, *c.* 7. & in voce *Montisbelicardum*.

MOMUS, Deus quidam à poëtis fingitur. Nocte matre, ut inquit Heſiodus, *in Theogon.* ac Somnô patre progenitus: ipſe quidem nihil operis edidit, interim aliorum Deorum opera curioſis oculis contemplatus, ſi quid omiſſum, aut perperam factum, id liberè carpſit, unde ei nomen. Nam Μῶμος Græcè *reprehenſionem* ſonat. Vide de eo fabulam, apud Lucianum, *Dialogo de ſectis*, & Proverbium *Momo ſatisfacere*. In hominis opificio illud potiſſimùm notavit, quòd artifex non in pectore feneſtras. aut oſtiola quædam addidiſſet, per quæ perſpici, quid in corde lateret, poſſet, quod ſinuoſum multis alioqui receſſibus finxiſſet. Vitruvius verò *præfat. l.* 3. id ipſi Socrati tribuit. Vide porro Lucian. *de Concil. Deorum*.

MOMYLLUS Romulus, vide *Romulus*.

MONA, inſula inter Angliam, & Hiberniam ſita, ut *Ptol.* & Plin. *l.* 4. *c.* 16. eam deſcribunt, *Monna* Xiphilino *in Nerva*. Hæc olim Druidum ſedes fuit, Tacito auctore *l.* 14. *Annal. c.* 29. & *in Agric. c.* 14. & 18. hodie *Angleſey*, teſte *H. Lhuydô* & *Lelandô*, *Mon* verò antiquis Britannis. Sed hæc inſula anguſtô vadô tantùm à Britanniæ continente disjuncta conſpicitur, ex quo quis fortaſſe hanc non eſſe Cæſaris Monam, quam mediô curſu inter Britanniam & Hiberniam ſtatuit, poſſit ſuſpicari, ſed potiùs eam, quam Anglo-Saxones hodie *Man* nominant. De qua vide *Monaæda*. *Baudrando* Inſul. eſt Walliæ Borealis prope Arvoniam, à qua ſeparatur anguſtô fretô *Menai*. Circuitus 60. mill. paſſ. Oppida præcipua Bellomariſcus *Beaumaris* & Novoburgus, *Newburgh*. Ibi 74. Parochiæ, ex *Speedo*. Angliæ mater, ob fertilitatem cluet. Eſt & inſula hujus nominis parva in Rheni oſtio, apud Friſios. Prior, eô tempore, quô Normanni Britanniam infeſtârunt, titulô Regni, ſub Angliæ tamen Regibus, ornata fuit. Complectebatur autem illud Regnum varias Inſulas, Hebrides maximè: unde Rex Manniæ *Rex Inſularum* dictus eſt. Vide ſuprà *Mannia*.

MONA, Inſul. parva Daniæ, in mari Baltico Selandiæ ferè adjacens, ad Auſtrum cum oppid. *Stege*, vix 4. mill. paſſ. ab Ortu in Occaſum extenſa; vulgò *Mœn*.

MONA, apud Saxones, teſte Bedâ *l. de temp. rat. c.* 13. Lunam ſignificat: *Mon* Germanis ſuperiorib. aliis *Man*, non à Dorico Μάνη, pro Luna, ſed à *Mon*, vel *Man*, veterrimo ipſorum Rege & Deo patrio, quem Tacitus *in German. c.* 2. meminit, & illi in Luna celebrabant. Hinc Lunam maſculinô, ut Hebræi, quibus Sol quoque fœmininum eſt, dicunt genere, *der Mon*: dominamque ejus & amaſiam, è cujus aſpectu aliàs languet, aliàs reſipiſcit, *die Sonn*, quaſi hunc Lunam, hanc Solem. Unde & idolum Lunæ, viri fingebant ſpecie, tunicati & caputiô induti, erectis cornibus, quare κηρασφόρος *Plutarcho*, & aculeatis calceis: ad velocitatem denotandam, conſpicui. Nec ſolùm Lunam ipſam, ſed in Luna Ægyptiorum Iſidem, juxta Tacitum *in German. c.* 9. Græcorum Romanorumque Cererem & Proſerpinam, juxta *Diod. Siculum*: & Gallorum Ditem, juxta Cæſarem, Germani coluêre. Ditem autem rentur eruditi, ſub Manni nomine, Thuiſconis filii, qui Nimrodi, i. e. Saturni Babylonici coætaneus cenſetur, contineri. Qui omnes cùm inferna haberentur Numina, & nocturnis maximè delectarentur ceremoniis, non Germani ſolùm, ſed & omnes Boreales populi, Noctem præ Die, Hyemen præ Æſtate, Lunam præ Sole, & in Luna, tanquam in πανθέῳ, & totius cœleſtis virtutis receptaculo, ac adminiſtratrice, cæteros omnes venerati ſunt. In auſpicandis igitur negotiis temporibuſque diſtinguendis. Lunam ſuperſtitioſiùs obſervârunt, à nocte diem exordientes, & pro dierum multitudine noctium ſubſtituentes numerationem. Vide de Gallis Cæſ. *l.* 6. de Germanis Tacitum, *loc. cit.* de Anglis Henr. Spelmannum *in Gloſſar. Archæol.*

MONABÆ, urbs Iſauriæ, *Steph.*

MONACHA Veſtis, Græcè Μοναχὴ, in *Periplo* Rubri Maris. Καὶ ὀθόνιον Ἰνδικὸν τὸ πλατύτερον, ἡ λεγομένη Μοναχὴ καὶ σαγματογήνη καὶ περιζώματα καὶ καυνάκαι; ſingularis eſt è lino Indico veſtis vel tunica, cui σαγματογήνη (lege σαγματοπήνη) oppoſita. Vocat autem JCtus *ſingulares tunicas*, quæ in ſyntheſim compoſitæ non eſſent. *Si eſſent tunicæ ſingulares relictæ cum palliolis, ex his tantùm eligi poſſe*: per ſyntheſes nempe veſtimenta componebant, ſeptenariô ut plurimùm numerô conſtantes. Sic μοναχὴ ὀθόνη contra diſtinguitur τῇ σαγματοπήνῃ, quâ voce vel lintea notantur, è quibus ſagmata & ſtragula fierent, ſive culcitæ, ut ex Cadurcenſi lino, apud *Plinium*; vel ſtragula veſtis, à qua μοναχὴν diſtinguit, quæ ad ſingulos homines velandos facta eſſet. An potius σαγματοπήνη linteum, non in veſtes ſingulares ac varias confectum, ſed in ſarcina corpus ipſum linteæ telæ ſic relictum, quod pluribus veſtibus faciendis ſufficeret: *peciam telæ lineæ* vulgò Galli appellant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1170. ubi tandem concludit, per ὀθόνην σαγματοπήνην, vel, uti quoque aliter legi poſſe contendit, σαγματογήνην, intelligi linteum vulgare. è quo ſtragula vel ſtramenta fierent; per μοναχὴν verò ὀθόνην, *ſingulare & eximium linteum*, è quo tunicæ fieri ſolitæ, &c.

MONACHIUM, caput Bavariæ, ad Iſaram, ſedes Electoris; muris cincta ab Ottone Duce, A. C. 1556. eſt ex munitiſſimis Germaniæ: capta tamen à Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege bellô Germanicô. Palatium Principis magnificentiſſimum, A. C. 1675. incendiô non parum detrimenti accepit. Præterea ædes tùm ſacræ tùm profanæ, ſupra modum hîc ſplendidæ. Duabus nundinis quotannis frequentatur, Morerius *Diction. hiſt.* Vide *Monacum*.

MONACHODAMUM, oppid. Hollandiæ Septentrional. cum portu, in ora maris Auſtralis, 2. leuc. ab Amſtelodamo in Boream, Hornam verſus, vulgò *Mönnickedam*.

MONACHUS, Solitarius Latinè dicitur ἀπὸ τοῦ μονάζειν. Eleganter Rutilius Numatianus *Itinerarii l.* 1.

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit,
Squalet lucifugis inſula tota viris;
Ipſi ſe Monachos *Grajô cognomine dicunt,*
Quòd ſoli nullô vivere teſte volunt.

Hieronym. *ad Paulin.*: *Sin autem cupis eſſe quod diceris Monachus, i. e. ſolus, quid facis in urbibus? quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum.* Habitârunt enim principiô Monachi non in urbibus, ſed in locis deſertis procul à converſatione hominum, primùmque eremus habitari cœpta videtur circa A. C. 253. à Paulo Thebæo, Hieronym. *in vita ejus.* Progreſſu verò temporis in urbes commigrârunt. Primus in Occidente Monaſteria in civitatibus condidiſſe dicitur Euſebius Vercellenſ. Epiſcopus A. C. 360. Baſilius in Oriente, A. C. 370. Vide Ambroſ. *Ep.* 62. Æn Sylv.

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrænis monachus, plenaque fraudis anus.

Et quidem, quod in ſua ſecta unuſquiſque Philoſophorum, hoc in Religione Chriſtiana *Monachi* quondam fuêre. Ἀσκηταὶ in ſuo quiſque genere dicebantur. Artemidorus *l.* 4. *c.* 35. Ἀλέξανδρος ὁ φιλόσοφος ἔδοξε τὴν ἐπὶ θανάτῳ κατακεκρίσθαι καὶ παραιτησάμενος μόλις ἀπολελύσθαι ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ σταυροῦ· ἔμελε γὰρ αὐτῷ ὄντι ἀσκητῇ οὔτε γάμου, οὔτε κοινωνίας, οὔτε πλούτου, οὔτε τῶν ὅσα ὑπὸ σταυροῦ σημαίνεται. His verbis, quibus Philoſophum, *Monachum* etiam nobis deſcribit, quem neque nuptiarum cura tangeret, non ullius ſocietatis, non divitiarum ambitio ſollicitaret. Et notandum Ἀσκητὰς etiam dictos Philoſophos, apud Gentiles, quomodo propriè vocabantur à Chriſtianis *Monachi* & quicunque auſterius vitæ genus inſtituiſſent. Hæc erat aſceſis Chriſtianorum, quam & *Philoſophiam* quoque dixerunt, uti legimus apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 3. Hinc & Tertullianus *Philoſophiam* appellat, non omnium Chriſtianorum, ſed eorum duntaxat, qui puriore & exactiore normâ Chriſti fidem colerent, *de Pall. ſub fin. Gaude pallium & exulta: melior jam te Philoſophia dignata eſt. ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.* Nempe, qui diſciplinæ Chriſtianæ diligentiores & rigidiores cultores præſtare volebant in omnibus, (quales Tertulliani ætate Epiſcopi Presbyterique, & omnes Clerici, ac poſtea *Monachi*) uti Chriſtiani Philoſophi erant ac dicebantur ita habitum Philoſophorum apud Gentiles, *Pallium* videl. ſoli inter Chriſtianos gerebant, ac proin *Pallium habitare* prædicabantur. Ambroſius *Ep.* 37. *Et quum ipſi* (Ægyptii) *capita & ſupercilia radant, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra, ſi fortè Chriſtianus vir attentior ſacroſanctæ religioni veſtem mutaverit, indignum facinus appellant.* Ubi non de quolibet Chriſtiano ita loquitur Ambroſius, ſed de eo qui *ſacroſanctæ diſciplinæ attentior* eſſet: per quæ verba omnino *Aſcetam* deſignat, h. e. τὸν ἀκριβῶς χριστιανίζοντα, ut loquitur Socrates *Hiſtor. Eccl. l.* 7. *c.* 37. Σιλβανὸς Ῥήτωρ μὲν ἐγεγόνει πρότερον Τρωΐλου τοῦ Σοφιστοῦ, ἀκριβῶς δὲ χριστιανίζειν ἐσπουδακὼς καὶ τὸν ἀσκητικὸν βίον ἀσκῶν τρίβωνα φέρειν οὐ προείλετο. Ex quo id colligitur, omnes Aſcetas, attentiores ſacroſanctæ diſciplinæ, veſtem mutare olim ſolitos fuiſſe & pallium Philoſophi ſumere: quod minimè tamen feciſſe Silvanum obſervat Socrates, & hoc tanquam novum in illo notat. Hieronym. *Ep. ad Marcellam*, *Nos qui ſericâ veſte non utimur*, Monachi *judicamur: quia ebrii non ſumus, nec cachinnô ora diſſolvimus, continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit, ſtatim illud è trivio, Impoſtor & Græcus.* Hi nimirum erant, qui hôc ſcommate taxabantur, ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, quique digitô oſtendebantur, Philoſophi nempe Chriſtiani, h. e. Aſcetici viri, qui

pari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pari cum Græcis Philoſophis amictu, malè quoque propter illos audiebant, quod pleríque ex eorum numero Philoſophos habitu ementirentur & fingerent, cùm de cætero puræ putæ mendicabula eſſent, & impoſtores meri, vide Quintilian. *l.* 1. *c.* 1. Nec palliô porrò tantùm, ſed etiam ſordibus & ſqualore inſignes tam Philoſophi, quàm Aſcetæ Chriſtiani. Hinc illud Hieronymi, *Si tunica non candueris, ſtatim illud e trivio, Impoſtor & Græcus eſt.* Quod de Philoſophis & præcipuè Cynicis accipi debet, qui non ſolum ſordidiſſimi, ſed etiam ut plurimum Impoſtores, teſte Lucianô *de Proteo Philoſ.* & *Philoſtrato.* Atque horum quoque ſordes affectârunt olim *Monachi*, qui, quam ſemel tunicam induiſſent, nunquam exuebant, priuſquam penitus tota uſu detrita & ſciſſa eſſet, ac de altera habenda cogitatum foret. Vide Hieronym. *in vita Hilarion.* Quæ cauſa, quod Rutilius Gallus *Itinerar.* illuviem hanc & ſqualorem *Monachorum* non ſemel exagitet. De Capraria ſic ſcribit:

Squalet lucifugis Inſula plena viris.
Hi ſeſe Grajô Monachos *cognomine dicunt.*

Et alibi de ſolitario:

Infelix putat illuvie cœleſtia paſci,
Seque premit læſus ſævior ipſe deis.

Et hanc ob rem Eunapius, Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis *l. de Vit. Philoſ.* dixit de ſui temporis *Monachis*, ὑώδη βίον eos vivere, quòd illud animal immunditiem in deliciis habeat, lutôque & olenticetis præcipuè gaudeat. Sed & Eſſeni Judæorum Aſcetæ, a quibus *Monachorum* Chriſtianorum originem quidam repetunt, ſordere & ſqualere pulchrum putabant, Porphyr. περὶ ἀποχῆς *l.* 3. &c. Qui itaque ſeculo ſeculique negotiis renuntiârant, quique ſanctiore vitâ in ſeceſſu frui præoptabant, ut Clerici ferè omnes & *Monachi*, eorum hominum habitum adamâſſe & adpetiſſe jure meritoque videntur, qui & ipſi de populo ſeceſſerant, ſibique vivebant, quales tum fuêre Philoſophi. Præterea, cùm ex omni veſtimentorum genere, quod in uſu promiſcuo tunc fuit, modeſtiſſimum & ſimpliciſſimum *Pallium Philoſophorum* eſſet, illud præcipuè ſibi habendum delegiſſe, modeſtiæ & ſimplicitatis ſectatores egregios, maximè veriſimile eſt. Adde, quòd & Apoſtolorum æmulatione, quorum vitam imitabantur, hunc habitum eos uſurpâſſe, non longius a vero ſit; namque & illos fuiſſe palliatos conſtat. Tunicam indutui habebant unicam & unum pallium amictui, Vide Matth. *c.* 10. *v.* 10. & Marci *c.* 6. *v.* 9. Quod Domini præceptum, moremque illum Apoſtolorum, præcepto Magiſtri ſui conſentaneum, ſtudiosè obſervârunt antiqui *Monachi* & præſertim Ægyptii, uti diſcimus ex Caſſiano *de Hab. Monachi l.* 1. *c.* 11. Erat illa tunica ſine manicis, unde & *Colobium* dicebatur: ſacco ſimilis & corpus preſſulè ſtringens, unde & *ſaccum* & *ſaccineam tunicam* Veteres appellant. *Ruffinus*, de Monachis Tabenneſiis, ingentis abſtinentiæ viros vocat, *quibus uſus eſt indui colobiis, quaſi ſaccis lineis & pelle confectâ.* Vide quoque Hieronym. *in vita Hilarion.* alios. Una igitur tunica, eaque ſine manicis, ſolis Ægyptiis *Monachis* in uſu erat, quibus in locis hyemes ſunt mitiores & cœli temperies major: Europæis, propter hyemis rigorem, una tunica non ſufficiebat, ideoque plures, ut videtur, uſurpabant, eaſque manicatas. Tunicæ pallium ſuperinjiciebant, quod nigrum fuiſſe innuit Syneſius *Ep.* 140. & Sacerdotibus Aſcetiſque peculiare, non verò omnibus commune Chriſtianis, quos albatos inceſſiſſe Clemens Alexandr. *Pædagog.* ſuô docet: cùm pallium Philoſophorum, quos Chriſtiani Aſcetæ æmulabantur, pulli fuiſſe coloris certum ſit. Cæterùm, Tertulliani tempeſtate perpetuum nondum fuit, aut pro regula obſervatum, ut omnes Clerici pallium ſumerent, aut ſoli iſtum habitum uſurparent. Multos quippe ex Laicis, propter ἄσκησιν, hâc eâdem veſte uſos eſſe ſcimus, & ex Presbyteris eos ſolos, qui Aſceticam profiterentur, h. e. qui Apoſtolicæ humilitati & ſeveriori Chriſti diſciplinæ congruam & conſentaneam ſectam ſectarentur. Nondum enim Aſcetarum πολιτεία, qui *Monachi* poſteà dicti ſunt, certis regulis ac legibus conſtituta, in notitiam venerat, licet inde originem accepiſſe ſit exploratum, ſed tum victus, tum veſtitus, ut & inceſſus (hi enim nudipedalia ſibi omni tempore indicebant) durities, tota arbitraria, nec idem mos omnium, præſertim circa veſtitum, Aſcetarum tum erat, ut de Silvano Rhetore paulò ante vidimus. Poſtquam verò, creſcentibus Eccleſiæ opibus & invaleſcente luxu, Presbyteri & Miniſtri Eccleſiæ (qui olim ferè omnes Aſcetæ fuerant) mundulè ac nitide veſtiri inciperent, factum ut, *qui ſacroſanctæ diſciplinæ*, ut ex Ambroſio ſuprà diximus, *attentiores eſſe* vellent & converſationem Apoſtolicam imitari, ſeorſim πολιτείαν inſtituerint & à Clero ſegregem ac ſeparatam vivendi formam, quæ Μοναστικὴ & Ἀσκητικὴ πολιτεία vocata eſt. Qui proin & birros, Presbyterorum cum hominibus ſeculi tunc communem habitum, ſibi interdixerunt; ut qui de ſeculo receſſerant, omnia ſeculi, adeoque habitum etiam, quantô poſſent opere, vitarent. Hinc Euſtathius quidam, Sebaſtenorum, ut nonnulli volunt, Epiſcopus & Aſceticæ atque *Monaſticæ* vitæ, apud Armenios, auctor, temporibus Conſtantini Magni, Epiſcopos Presbyteroſque ad antiquam ἄσκησιν & pallium reducere, veſtemque communem & civilem habitum in Sacerdotibus condemnare conatus legitur, apud Socratem *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 33. & *Ep. Patrum* in Synod. Gangr. ſed fruſtra. Poſtquam igitur ſic ἄσκησις ad certum genus hominum rediit, qui nec Clerici eſſent, nec Laici, ac certa hujus ſectæ πολιτεία conſtituta eſt, legibus quibuſdam ac regulis fundata, quas ſequerentur omnes, qui in cœtum illum aggregari vellent, illi hominum generi pallium quaſi peculiare relictum eſt & exinde *Monachorum* proprium pallium eſſe cœpit. Imò nec *Monachi* ſolùm, ſed & *Monaſtriæ* pallium habuêre, ut videbimus. Præter pallium verò & colobium, omnium *Monachorum* communem amictum, Ægyptii Aſcetæ cucullum parvum & meloten geſtabant, ut vidimus in hac voce. Nec omittendum, Ῥάκος recentioribus Græcis propriè appellari Monachicum pallium, i. e. Τριβώνιον. Inde Ῥακενδύται & Ῥακένδυτοι Monachi, Zonar. *ad Can. XII. Syn. Gangr.* in cujus verbis notandum, Euſtathium cum ſuis ſectatoribus pallium ſupra omnia ſua veſtimenta habuiſſe, qui mos fuit antiquorum Monachorum & præcipuè Græcorum, apud quos ut & apud Philoſophos, pallium ſupra omnem veſtem injiciebatur; at *Monachi* Ægyptii caprinam pellem ſupra pallium ſumebant. Pro Ῥακενδύτης autem, quô etiam Nic. Choniates utitur, in Codice Barbaro-Græco Ῥασοφορῶν habetur. Hinc Ῥασοφόροι Monachi, apud Græcos μιξοβαρβάρως. *Raſum* autem vox Latina & ſic dicitur indumentum, quod pilos non habet, &c. Calceatum quod concernit, cùm calceus, Græc. ὑπόδημα Togæ; ſolea verò, iiſdem σανδάλιον, Palliò convenerit, antiqui in Ægypto Monachi, calceos, h. e. ὑποδήματα (ita enim Romanus calceus Græcè perpetuò vertitur) velut interdicta recuſabant, & ſandalia; velut a Domino permiſſa geſtabant. Vide Marcum *c.* 6. *v.* 9. & Matthæum *c.* 10. *v.* 10. Unde Caſſianus *de Habitu Monach. c.* 10. *Calceamenta vero velut interdicta, Evangelico præcepto recuſantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus rigor, ſeu meridiani æſtus fervor exegerit; tantummodo caligis ſuis* (i. e. ſandaliis, ut Verſio vulgaris reddidit) *muniunt pedes, interpretantes uſum earum vel Dominica permiſſione ſignari, ut, ſi in hoc mundo conſtituti, curâ & ſollicitudine carnis hujus omnimodis exuti eſſe non poſſumus, nec ab ea penitus prævalemus abſolvi, ſaltem occupatione levi & implicatione tenui neceſſitatem corporis expedicemus,* &c. Licet verò tantus rigor *Monachorum* antiquitùs fuerit, illorum nihilominus beneficio hodie ſericô veſtimur. Cùm enim, adverſùs Perſas bellum gerens Juſtinianus Imperator magnoperè facere eniteretur, quaquâ poſſet arte, ne Romani ſuis ab hoſtibus tam raram ſpeciem, & luxui adeo neceſſariam emerent: hæc cùm maximè agitanti, commodè duo *Monachi*, ex India revertentes, qui ibi pluſculum commorati fuerant, ſeſe obtulerunt, retuleruntque, ex longiore mora, quam apud Indos fecerant, diligenter omnem ſe ſerici faciendi rationem explorâſſe. Tum de vermibus metaxæ opificibus ea narraverunt, quæ nunc videmus & uſu jam cognoſcimus, deque toto illo metaxæ conficiendæ artificio, ut rem fusè narrat Procopius *Gothic. l.* 4. Juſſu itaque Imperatoris iter rurſus in Indiam capeſſunt illi Monachi, indeque ova bombycum Indicarum Byzantium attulêre: quæ fimô cooperta, ut apud Indos ſolet, vermes excluſêre, τοὺς μετάξης δημιουργοὺς, *metaxæ artifices*; mori folia illis pro pabulo data: Inde per totam Europam & Occidentem propagata Sericorum vermium generatio & ſerici ex iis conficiendi ratio propalata. *Theophanes* tamen *Byzantius*, apud Photium, tradit, Perſam quendam, imperante Juſtinianô, Romanis ſerici inventionem oſtendiſſe, & ova ex India uſque Byzantium in ferula pertuliſſe &c. Vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio. p.* 240. *ſ.* Aliis origo Monachorum è perſequutionibus Eccleſiæ, quibus graſſantibus, primùm ſub Decio & Valeriano, deinceps ſub Diocletiano, Licinio, eorumque ſociis, in Ægypti Syriæque ſolitudines multi fidelium abacti ſunt; quorum inde non pauci, etiam remittente Tyrannorum furore, tranquillæ vitæ aſſueti, uſque ad mortem in ſolitudinibus iſtis hæſere. Antesignani eorum narrantur, Paulus Thebæus per 98. annos eremicultor: poſt quem Antonius non multo minori tempore ſolitudinum incola: Hilarion, Eremita per Palæſtinam ac Syriam primus; cui alii ſucceſſêre, qui tamen non tam Eremiticam, quàm Cœnobiticam vitam egerunt. Eremitæ enim ſcaturigo fuêre Cœnobitarum, in commune viventium; unde & *Monaſteria* nata, de quibus vide *infrà*: quod inſtitutum primò ex neceſſitate natum, mox alii imitati ſunt, ſeu zelô pietatis, mundive tædiô, ſeu Eccleſiarum diſſidiis Epiſcoporumque factionibus ac faſtu; ſeu otii ac meditationum amore: ſeu cacozeliâ virorum illorum eximiorum, de quibus ſuprà: vel faſtu, vel deſperatione tandem permoti. Donec tepeſcente pietate & fervore, in urbes commigratum eſt, circa A. C. 361. quô Euſebium Vercellenſem Epiſcopum primum in Occidente id inſtituiſſe tradit *Ambroſius*. Dicti fuêre veteres illi *Monachi*, à ſeceſſu *Anachoretæ*: ab exercitationibus *Aſcetæ*: habitanteſque in ſqualentibus arenis Chalcidis, Nitriæ, & Thebaidis, quæ Syriæ & Ægypto prætenduntur, degebant in cellulis anguſtiſſimis, longè ab invicem diſtantibus. Ibi incluſi operabantur, victum & cultum labore manuum comparantes, & quidquid à labore ſupererat, erogantes in egenos. Texebant ut plurimum fiſcellas ex palmarum foliis, & canistra plectebant ex vimine, aut humum ſarriebant, vel vacabant cultui hortorum, quod & hodie factitant *Monachi* Æthiopes, habentes uxores & liberos. Amplectentibus hanc profeſſionem res manebat integra, habebantque facultatem remigrandi ad ſuos, vel commigrandi quò vellent, ſi quos tæderet inſtituti: Jejunia erant libera, non omnibus eædem leges, nec regulæ, tituli, colores diſtincti: imò nec Clerici tum erant, exceptô unô Archimandritâ, *nec docentium, ſed plangentium*, tum *habebant officium*, ut ait *Hieronym.* Talium decem millia, eoſque omnes laborantes ac meſſis tempore metentes ſub ſe habuit Serapion: In Ægypto ac Oriente quotidie ad Patrem ſuum audiendum verbumque Dei hauriendum ad 3000. convenêre &c. Vide Hieronym. & Auguſtin. cujus poſterioris liber etiam extat *de Opere Monachorum*, nec non Franc. Burmannum *Orat. Inaug. de Collegiis*, ut & infrà in voce *Monaſteria.* it. *Moni*; ſicut de veterib. *Monachis*, ſuprà voce *Mandragerontes*: deque ſtrictiori Monachorum genere itidem ſuprà voce *Incluſi*; & de exploratione rigida eorum, qui in Monachorum numerum recipi deſiderabant, infrà voce *Pulſantes*; de vagabundo contrà *Monachorum* genere, voce *Sarabaitæ*: de triplici verò apud Græcos *Monachorum* ordine, ſuprà voce itidem *Aſcetæ*; vide & infrà *Schema*. it. *Sempecta* & *Seniores*. *Stabilitas*: Adde quæ diximus in *Abbates*, ubi hâc voce non rarò *Monachos* in genere: & τὸ [illegible] Ἀββᾶν, apud Annam Comnenam *Alexiad. l.* 3. ubi de Baſilio Bogomiliſtarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

hæreſeos auctore, *Dæmoniacum Monachum*, ac Ψευδάββαν, apud Cedrenum, de Philippico imperaturo, *Pſeudo-monachum* denotare vidimus.

MONACHUS ad ſuccurrendum, in Eccleſia Romana dicitur, qui, dum extrema agit, vel urgente mortis periculô, *monachicam* veſtem induit, quo Fratrum ſuffragiorum fiat particeps, ut ajunt, atque ita animæ ſuæ *ſuccurrant*. In *Charta* Prioratus S. Ægidii de Medunta: *Odo Ruffini filius maximâ ægritudine vexatus, ſuſcepit habitum Monachicum--&* Monachus ad ſuccurrendum *effectus eſt*. Quod fieri ab uxoratis non poterat, abſque uxorum conſenſu, uti de Rogero Salopiæ Comite agens, docet Bromptonus, *ad A. C.* 1088. Suſceptum verò ſic habitum monaſticum, ſi priſtinam valetudinem recuperâſſent, dimittere fas non erat, nec uxori, quæ adſenſum præbuiſſet, marito ad ſanitatem reverſo, eum convellere licebat, niſi diſpenſatio Pontificis interveniſſet. Sed & hâc voce videntur indigitati, qui, licet habitum Monachicum non induiſſent, ſocietatis tamen Monachicæ ſeu fraternitatis participes fiebant eôque nomine Martyrologio inſcribebantur. Hinc in *Necrologio* S. Martini Laudun. de Joanne Biennenſi Imperatore Conſtantinopolitano legitur, 16. *Kal. Maji*, *Commemoratio Joannis Imperatoris, hujus Eccleſiæ Fratris ad ſuccurrendum*, quem ſaltem non induiſſe veſtem Monachicam in eo Monaſterio, conſtat, cùm Conſtantinopoli obierit, &c. Quam in rem plura, ut & de *Monachis Laicis*, qui & *Fratres, Laicis Regularibus, Secularibus*, qui ſtrictiorem Regulam non amplectebantur, vide apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* ut & infrà in voce *Ordo*.

MONACHUS Johannes, vide *Johannes*.

MONACUM, vel MONACHIUM, urbs Bavariæ elegantiſſima & primaria, ſedes Ducum, vulgò *Munchen*, Gallis *Munich*, Italis *Monaco*, aliàs *Iſuniſca*, cum palatio ſuperbiſſimo. An *Abudiacum Ptol.* Ferè 5. milliar. à Friſinga in Auſtrum; 15. ab Oeniponte in Septentrionem. Ab Henrico Bavariæ Duce, A. C. 1072. ſub Ottone I. condita. Ab Auguſta Vindelicorum 8. leuc. in Ortum, à Ratisbona 15. in Auſtrum. Hodie Sedes Electoris Bavariæ eſt, ex familia Palatina, è qua Rudolfus major fil. Ludovici I. Electoral. lineam Rudolfinam ſeu *Palatinam* communiter dictam incepit: Ludovicus verò V. Imperator frater ejus Bavaricam orſus eſt; inter cujus poſteros, diviſis ditionibus, *Monachenſis* lineæ Auctor fuit Johannes, fil. tertius Stephani cognomine *Fibulati*, cui pater erat præfatus Imperator. Hæc cœteris, Ingolſtadienſi videl. & Landshutenſi tenuior, demum illis ſucceſſit. Johannem excepit fil. Erneſtus, quô genitus Albertus cognomine *Pius*, pater fuit Alberti, cognomine *Sapientis*, qui Bavariam, unione partium diviſarum & ſucceſſione Landshuto-Ingolſtadienſi, iterum conjunxit. Ex ejus filiis Ludovicus deceſſit cœlebs A. C. 1545. Wilhelmus verò major natu, pater fuit Alberti V. qui, Ferdinandi I. Imperatoris gener, Jeſuitis *Monaci*, Ingolſtadii atque Landshuti, collegia ſplendidiſſima extruxit: interim ſuorum precibus A. C. 1556. ad tempus indulſit, ut Dominica cœnâ integrâ fruerentur, & in Calicis negotio A. C. 1564. ad Pontificem ſcripſit. Ei ſucceſſit fil. Wilhelmus, qui traditô Maximiliano filio regimine, obiit in monaſterio, A. C. 1624. Maximilianus, bellô Germanicô, Palatinatum ſuperiorem, jure hæreditariô, unà cum 4. præfecturis inferioris Palatinatus & diplomate Electoratus perpetui A. C. 1628. poſſidendum à Ferdinando II. Imperatore obtinuit: Extinctus A. C. 1651. filios reliquit duos, Ferdinandum Mariam Franciſcum Ignatium Wolphgangum, natum A. C. 1636. Electorem hodiernum & Maximilianum Philippum Hieronymum, A. C. 1638. genitum. Frater autem Maximiliani Electoris minor natu Albertus, natus A. C. 1584. duorum filiorum pater eſt, Maximiliani Henrici, Colonienſium hôc tempore Præſulis, & Alberti Sigiſmundi, qui Friſingenſis eſt Epiſcopus. Vide Philipp. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.* & quemque horum *ſuô locô.*

MONÆSES, Parthorum Rex quidam, Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 6. *v.* 9.

MONAGHANUM, vulgò *Monaghan*, oppid. Ultoniæ, caput Comitatus. In colle, 20. mill. paſſ. ab Armaço in Africum, totidem à Kilmoria in Septentrionem.

MONALDUS, Juſtinopoli Dalmata, Franciſcanus A. C. 1332. Auctor *Summæ Monaldinæ.* Minimè confundendus cum illo, qui à Saracenis occiſus eſt. A. C. 1288. Trithem. *de Script. Eccl.* Lucas Wadingus, *in Annal. minor. ad A. C.* 1288. 1314. 1332.

MONALUS, Siciliæ fluv. *Ptol.* inter Cephalœdim & Alæſam in ora Occidentali & Boreali fluens, *Molina Fazello*, *Toſa* autem *Leandro*. Nunc *Pollina*; In ora Boreali, 8. milliar. à Cephalœdio in mare Tyrrhenum labitur.

MONAOEDA, inſul. Albionis, ſeu Britanniæ inter illam & Hiberniam, media ferè inter Monam ad Meridiem, & Gallovidiam regni Scotiæ ad Boream, *Monapia* Plin. *l.* 4. *c.* 16. *Menavia Bedæ. Eubonia Gildæ*, *Man* Anglis, & *Menaw* Britannicè dicitur, *Baudrando* Inſula eſt maris Hibernici à Septentrione in Meridiem extenſa, 34. mill. paſſ. lata verò 12. Ibi parochiæ 17. oppida 4. nempe *Ruſſin* ad Auſtrum, *Duglas* ad Ortum, *Peel* ad Occaſum, & *Balacuri*, ubi Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Eboracenſi ſedes. Aliàs Reges habuit proprios, nunc Comes Derbienſis, Inſulæ hujus Regulus eſt, ſub Rege Angliæ tamen. *The yle of Man* Angl. *Maning* incolis, & *l'Iſle de Man* Gallis. Vide quoque *Camdenum*.

MONARCHA, & MONARCHIA, de Epiſcopo quovis ac Epiſcopatu, apud Veteres quoſdam Scriptores, cujus appellationis hæc occaſio. In primitiva Eccleſia, *unus Rex; unus Monarcha, unum ſolum Caput* erat, Gregor. M. *Ep.* 36. *l.* 4. ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλή. *Unum & Solum verè Caput*, Baſil. *in Aſcetic. p.* 390. Dominus noſter JESUS CHRISTUS. Epiſcopi in ſingulis Eccleſiis conſtituti, cum ſuis presbyteriis & propriam ſibi quiſque peculiari curâ ac univerſam omnes in commune curantes, admirabilis cujuſdam Ariſtocratiæ ſpeciem referebant. Nam ſingulos Epiſcopos cum ſuis cleris Eccleſias, quibus erant præpoſiti, in ſolidum curâſſe, neque aliud in terris Caput agnoviſſe, vel ex unius B. Cypriani teſtimoniô, ut alia nunc taceam, certum eſt. Hinc adeò eſt, quòd Epiſcopi aliquando reperiuntur appellati *Monarchæ*, ut videre eſt in *Vita* Udalrici Auguſtæ Vindelicorum editâ: & *Monarchiam*, per ſimilem catachreſim, legas pro Epiſcopatu poſitam. Hilarius Papa Rom. ad Leontium Epiſc. *Dilectiſſimo Fratri Leontio Hilarus. Miramur fraternitatem tuam ita Legis Catholicæ immemorem eſſe ut quæque iniqua & contra Patrum noſtrorum ſtatuta, in provincia, quæ ad* Monarchiam *tuam pertinet, ſi ipſe, aut non vis aut non potes, etiam nec nos ſilentii tui taciturnitate permittas corrigere.* &c. Vide Iſ. Caſaubon. *Exercit.* 15. §. 11.

MONARCHIA, in genere, ſtatus Reip. in quo penes unum rerum ſumma: In ſpecie, Imperium in terris eſt ſummum, omnibus aliis potentius, vel iis ſuperandis par. Cujuſmodi quatuor fuêre: Aſſyriorum, Medorum & Perſarum, Græcorum, Romanorum. Sed & *Monarchiæ* dicuntur Regna cœteris eminentiora, qualia ex *Ferrario* hic exhibebimus. At *Monarchia* Palatii, in libro *de Fundatione Gozecenſis Monaſterii A. C.* 1153. de Dedone Comite Palatino Saxoniæ, *Unde in expeditione Hungarica per Regem Henricum, in anno Incarnationis Domini* 1040. *facta, quia cunctis virtute militari ſe prætulit, primus ſtirpis ſuæ* Monarchiam Palatii *à Rege promeruit.* Et mox, *Eô defunctô, quia filium legitimum non habuit, Monarchiam Palatii Dominus Fridericus Germanus ejus à Rege ſuſcepit:* dignitas eſt Comitis Palatini, cujuſmodi Comitum ſumma olim erat auctoritas, ut qui vice ſacrâ judicarent & ſupremô jure. Unde Theobaldus Comes Campaniæ, *ſecundus à Rege* dicitur, in *Chronico* Mauriniacenſi *p.* 365. Odo Bajocaſſinus Præſul, *veluti ſecundus Rex*, apud Ordericum Vitalem *l.* 4. *p.* 522. &c. Vide infrà, ubi de *Palatii* ſeu *Palatinis Comitibus*: uti de vocum *Monarchia* & *Regnum* diſcrimine, infrà aliquid in *Regnum*.

MONARCHIÆ A DILUVIO AD HÆC TEMPORA CLARIORES.

Aſſyriorum, quæ ſub Nino cœpit.

Babyloniorum ſeu Chaldæorum, à Nabuchodonoſore maximè aucta. Utraque conjunctim ſumta duravit ab A. M. 1789. uſque ad ann. 3435.

Medorum, Dariô Principe Auctore.

Perſarum à Cyro inchoata: Utraque, cujus Auctor ſecundum quoſdam Arbaces, cœpit A. M. 3435. duravitque ann. 207.

Græcorum, quæ ab Alexandro M. ſumpſit exordium, A. M. 3642. & duravit ann. 300.

Romanorum, primum ſub Conſulibus, dein ſub Imperatorib. Quibus addi poſſunt:

Francorum, cui Pharamundus Rex dedit initium, jamque continuâ ſerie ann. 1250. atque amplius perdurat; per aliquot ſecula Occidentis Imperiô, cum præcipua parte Europæ, potita.

Saracenorum & Arabum, à Mahumete Pſeudopropheta leviter cœpta, inde per omnes provincias ferè pervagata: nunc diviſa eſt in Turcas & Perſas.

Turcarum, quam Ottomannus I. orſus eſt, jam continuâ ſucceſſione ann. ſupra 300. durat.

Scytharum, hodie Tartarorum longè lateque per utramque Scythiam & Seres imperantium: quorum maximus eſt, qui Scythiæ extra Imaum montem & Sericæ dominatur ut & magnus Mogol. *Ferrar.* *Baudrando Monarchia* hæc olim perampla, nunc in plura regna diviſa eſt. Magnus Mogol, maximam partem Indiæ Borealis obtinens, & Rex Niucanus Tartarus nuper Imperiô Sinarum potitus, cœteris eminent.

Hiſpanorum *Monarchia*, aliàs ampliſſima, utpòte quæ Alexandri prætergreſſa metas ad Antipodes ſe extendit *Ferrar.* *Baudrando* nunc deficit indies, cùm, in ipſa Hiſpania, Portugallia Regem habeat ſeparatum. In Africa 3. ſolùm aut 4. arces, in ora Maris Mediterranei obtinet: In Aſia Philippinas tantùm Inſulas ex parte, in mari Indico: in America ſolùm Peruviam, Terram firmam, Paraguajam, & Cilem, in America meridionali & novam Hiſpaniam cum aliquot Inſulis in America ſeptentrionali poſſidet, ad ipſos Antipodes non extenſa.

Abyſſinorum in Africa, olim quoque perampla, majorem partem Æthiopiæ ſuperioris complectebatur. Sed hodiernus Rex vix dimidiam nunc proaviti Regni partem tenet: à 100. prope annis per Gallas valde imminuti.

Moſcorum & Ruſſorum valde extenſa eſt, præſertim à 3. ſeculis, creſcitque indies, maximè versùs Ortum & Tartariam. Vide de quaque harum *ſuô locô.*

MONARCHICI, Hæretici dicti ſunt, qui unicam in SS. Trinitate perſonam, & Patrem crucifixum eſſe, ſtatuerunt, ſub finem ſeculi 2. cùm Victor Epiſcopus eſſet Romæ. Vide Auguſtin. *de Hæreſ. c.* 41. Macro, unam ex perſonis SS. Trinitatis caput reliquarum ſtatuerunt, vide eum in *Hierolexico*. Aliô Orthodoxi ſenſu μοναρχίαν in Trinitate ſtatuerunt, quatenus videl. illa πολυαρχίᾳ ſeu πολυθεότητι oppoſita, omnibus tribus perſonis eandem eſſentiam, gloriam, potentiam, adeoque Regnum commune, ſignificat. Six extat Juſtini Martyris liber περὶ Θεοῦ μοναρχίας. Gregor. Nazianz. Regnum Trinitatis vocat μοναρχίαν, *Orat.* 40. negatque πολυαρχίαν, *Orat.* 37. Patres quoque Conſtantinopolitani, in *Ep.* ad Occidentales, apud Theodoretum *Hiſt. Eccleſ. l.* 5. *c.* 9. de Fide Catholica eſſe ajunt, ut Patris & Filii & Spiritus S. credamus ὁμότιμόν τε ἀξίαν καὶ συναΐδιον τὴν βασιλείαν, *æqualem digni*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dignitatem & coæternum Regnum. Vide quoque Athanaſium *contra Gent.* & *l. de communi eſſentia Patris, Filii & Spiritus S. c. Quòd non tres Dii ſint*, Epiphanium *Hær.* 63. §. 3. Gregor. Nyſſ. *de Orat. Dominic. l.* 2. Alios: è quibus elegantia omnino ſunt illa Epiphanii, ȣ̓ πολυθείαν εἰσηγȣ́μεθα. ἀλλὰ μοναρχίαν κηρύττομεν. μοναρχίαν δὲ κηρύττοντες, ȣ̓ σφαλλόμεθα, ἀλλὰ ὁμολογȣ̃μεν τὴν τριάδα, μονάδα ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι, μίαν Θεότητα Πατρὸς καὶ Υἱȣ̃ καὶ ἁγίȣ Πνεύματος. *Non invenimus Deorum multitudinem*, *ſed* Monarchiam *prædicamus. Monarchiam autem prædicantes non aberramus, ſed confitemur Trinitatem, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate, unam Deitatem Patris, Filii & Spiritus S.* Quam in rem vide plura apud Joann. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 18. §. 4. & *c.* 33. §. 14.

MONARDUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

MONAS, in talorum, jactu unitatem denotat, Angl. *Ace*, ſicut ſenio ſex unitates, Angl. *Sice*: Apud Græcos *Monas* Χῖος dictus eſt, ut patet ex Proverbio Κῷος καὶ Χῖος, de quo Suidas, ὁ μὲν γὰρ Χῖος, inquit, ἐδύνατο ἕν, ὁ δὲ Κῷος ἕξ, *Chius quidem valebat unum, Cous verò ſex.* In nummaria ratione *Monas*, Græcè Μονὰς, ſignificavit ſex millia, ut conſtat ex *Anaſtaſio Sinaita*: quod primus obſervavit Caſaubon. ejuſque rationem reddere conatus eſt Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* quoniam ſolidus ſex millibus æreorum denariorum illius temporis cenſebatur. Quod videtur hauſiſſe ex Caſſiodoro *l.* 1. *epiſt.* 10. etſi interdum ad 7000. interdum ad 7200. hujuſmodi æreolos augeſceret, ut videre eſt ex Novella Theod. *de pretio ſolidi.* Hinc Scaliger ad Caſaubon. *Ep.* 84. ἑκατὸν μονάδας λιτρῶν χρυσίȣ, de quibus loquitur Chryſoſtomus *in Acta Apoſt. homil.* 11. h. e. 600000. pondo auri, ait eſſe Coronatorum ſolatorum 86400000. ut calculones hodierni vocant, milliones 86. & præterea 400000. coronatorum. Vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 15. *ubi de valore ſolidi prolixè diſſerit.* Apud Platonem *Ep.* 7. ſacra μονὰς, tribuitur fabricatori Deo; qui unus cùm ſit, ad ejus exemplum maxima quæque unica ſunt & ſingularia, ut Mundus, Sol, Luna, Veritas. Dyas ex unitate profecta; materiam procreavit. Trias omnes materiæ ſpecies. E quibus velut auctoribus conficiuntur ſequentes numeri, &c. Vide Car. Paſchalium *Coronarum l.* 9. *c.* 14. ut & Tob. Pfannetum *Theol. Gentil. pur. c.* 2. *de Deo.*

MONASTERIA, propriè cellæ ſunt, in quibus unus degit Monachus, Caſſianus *Collat.* 18. *c.* 6. ſed poſteà ipſa etiam Cœnobia ſic dicta ſunt. Synodus Romana ſub Eugenio II. Pontifice A. C. 826. *can.* 27. *Abbates per Cœnobia, vel, ut hôc tempore nuncupantur, Monaſteria, tales conſtituantur, &c.* Nempe ex Eremitarum, in Cœnobitarum inſtitutum abeuntium, vivendi ratione natâ, inde muris clauſa, *Clauſtra* quoque, unde German. *Cloſter*, dicta ſunt. De quorum origine, item è ſolitudinibus in Urbes tranſlatione, vide ſuprà in voce *Monachus*: Hæc quemadmodum Euſebius Epiſcopus Vercellenſis primus in Occidente in Urbes introduxit: ſic in iis poſtea ordinandis præcipuam navârunt operam, in Oriente quartô ſeculô Baſilius, in Occidente 2. ſeculis pòſt Benedictus, poſt quem circa 10. ſeculum in plures familias hôc ordine Benedictinorum diviſô, plures ſubinde ex iis ſuppullulârunt, ut numerus eorum hodie ægre iniri poſſit. Quæ ratio fuerit primorum *Monaſteriorum*, ex iis, quæ in voce *Monachus* dictà, ex parte videre eſt: Erant namque officinæ jejunii, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis & laboris, inſuperque Studioſorum ſcholæ ac phrontiſteria; E quibus bene exercitatis exire licebat ad matrimonium, ad Rempubl. ad Eccleſiam. *Eraſmô* judice, *Monaſteria* dicebantur olim Epiſcoporum ædes, in quas ſe recipiebant à popularibus feriati negotiis, ut ibi ſacras docerent literas, & Juventutem ad pietatem inſtituerunt: unde hodieque Eccleſiæ, quæ Collegia & Capitula habebant, *Monaſteria*, & German. *das Münſter* vocantur. In tali *Monaſterio*, intra Hipponenſem Eccleſiam extructo, habitabat Auguſtinus, cùm tamen nec ipſe Monachus fuerit, nec Monachi inde prodierint: ſed Clerici potiùs ac Presbyteri eſſent, qui ibidem edocti, Collegæ erant Epiſcopi in officio Paſtorali, vel in Epiſcopos deligebantur. Poſteà, cùm non omnes Epiſcopi apti eſſent, ut in iſtiuſmodi cœtibus Juventutem erudirent, laboratum fuit, ut in Eccleſiis, ubi Epiſcopalis eſſet cathedra, Scholæ eſſent talium, unde cœtus Canonicorum emerſerunt, qui eas regerent: tumque, ut Collegiis hiſce Epiſcopi, ita *Monaſteriis* Abbates, præeſſe cœperunt; ſed & ſic manſêre *Monaſteria* Scholæ, ubi literæ ac pietas docebantur: quibus ideo Baſilius (qui ſponte Euſebio Epiſcopo cedens, in *Monaſterium* Ponti ſe recipiebat, Monachos ibi docturus, & per Ponti urbes *Monaſteria* inſtituebat, aut vetera repurgabat) ut in Scholis fieri amat, leges dedit, in iiſque Aſceticos ſuos ſermones habuit. Præcipuè in ea migrârunt bonæ literæ, ex quo tempore publicæ Scholæ per Gothos & Vandalos A. C. 410. exin per Hunnos, Francos & Alemannos, diſſipatæ ac penitus ſublatæ fuêre: quò tempore in Cœnobiis hiſce & literæ & literarum Auctores, graſſante illô Barbariei diluviô, maxima ex parte conſervata fuêre: Prout inter alia Corbejenſis *Monaſterii* ſcriniis utiliſſimi Scriptores non pauci, qui ex iis primùm editi fuêre, debentur. Adeò ut Artium, quâ divinarum, quâ humanarum conſervatio, imò Europæ converſio, illis *Monaſteriis* non immeritô adſcribenda ſit; cùm in illis, ut communibus Scholis, homines erudirentur, quò Eccleſiis Gentiumque converſioni utiliter præfici poſſent. Inde itaque producti Bonifacii, Rabani, Bedæ. &c. Atque hîc Caroli M. inprimis heroicus animus emicuit, qui, ut univerſam Europam ferè implevit Epiſcopatibus Academiiſque, ita & de *Monaſteriis* ac Collegiis illi proſpexit, quæ Eccleſiarum eſſent ſeminaria: Conſtituit proin, ut in ſingulis *Monaſteriis* atque Epiſcopiis ſcholæ eſſent, ubi ingenuorum ſervorumque filii Grammaticam, Muſicam & Arithmeticam, inprimis verò Scripturam Sacram docerentur. Adeò, ut ſicut Baſilii Auguſtinique ævô Aſia & Africa, ita Caroli M. tempore, Europa referta eſſet hujuſmodi Muſarum domiciliis & omnigenarum Virtutum Gymnaſiis: ac ſicut primò ex hominibus illiteratis *Monaſteria* conſtabant, tum etiam literatis placerent, tranſlatis eo Artium & Pietatis ſtudiis, unde Eccleſiarum Paſtores ac Miniſtri prodirent. Hinc olim in Anglia, in ſolennioribus *Monaſteriis* Scholas Prælati habebant, cùm necdum eſſent publica Gymnaſia: E Græcia quoque Viri docti in Galliam venientes, ſub Pipino & Carolo M. in *Monaſteria*, ut ibi docerent, miſſi ſunt. Similiter Augiæ *Monaſterium* Barones Principeſque educabat, qui inde ad conjugium tranſituri & Rempubl. recturi, cùm tempus erat, ſunt egreſſi. Eadem Lirinenſis Cœnobii, in maris Liguſtici Inſula Lerina, quæ hodie *S. Honorati* dicitur, ratio fuit: nec non Cœnobii Fuldenſis, in Germania, quod maximè ſub Rabano Mauro Abbate, illiuſque contubernali Haymone, ut & Walafrido Strabo, omnis eruditionis penu eſt habitum. Poſtquam verò varia Collegia, Academiarum Scholarumque jam fundatarum additamenta ac complementa oriri cœperunt, qualia unicum in Anglia Oxonium hodieque complura habet, unicaque Lutetia 54. jam numerat, *Monaſteriorum* nomen ſenſim eviluit, & divitiis aucta laborem ſtudiumque excutere cœperunt, circa A. C. 1000. donec ortu Monachorum mendicantium circa A. C. 1200. nova iis planè facies inducta eſt. Tum enim in iis doceri Philoſophia cœpit Theologiæ permixta, quæ quòd in Scholis illis Theologicis doceretur, *Scholaſtica* invenit nomen: apud Græcos, Auctore Joh. Damaſcenô; apud Latinos, Petrô Lombardô Epiſcopô Pariſinô, circa A. C. 1145. cujus libri, quibus novâ Methodô Theologiam tradidit, ſequentibus ſeculis pro regula & norma Theologiæ habiti, & Patres & Doctores Eccleſiæ Scripturæ S. æquiparati ſunt, Ariſtoteles quoque magnam impetravit dignationem. Donec, ſub Alberto M. Ratisbonenſi Epiſcopo circa A. C. 1220. præter Patrum ſcripta, in Theologiam, Ariſtotelis Philoſophia invecta, auctoritatis faſtigium conſcendit, ut non ſolùm omnia *Monaſteria* in ea ſola deſudarent, ſed & textus hujus Philoſophi S. Scripturæ vices in concionibus ad populum aliquibus in locis ſubierit. Succeſſit tertia ætas, quæ à Durando de S. Portiano ab A. C. 1320. uſque ad Gabrielem Biel ſecul. ſuperior. extenditur, quô temporis intervallô Ariſtotelis & Lombardi, Sententiarum Magiſtri Commentatores, in Occamiſtas ſeu Nominales, Scotiſtas ſeu Reales, Thomiſtas, Albertiſtas &c. diviſi, hiſce tricis tempus fefellêre. In primævum itaque ſtatum meritô *Monaſteria* ſeculi præteriti Reformatores reſtituere omni niſu allaborârunt, plurimiſque in locis perfecerunt, ut ex prima fundatorum intentione veræ pietatis doctrinæque exercitiis, & ſinceræ Juventutis culturæ velut ex poſtliminio vacarent. Quod Johannem Hilten, Iſenacenſem, virum pium & ipſum Franciſcanum ſeculô 15. prædixiſſe ferunt. Sic Magdeburgenſe *Monaſterium* in Scholam Juventutis, *Monaſterium* Auguſtinianorum Heidelbergæ, in Sapientiæ Collegium; Cœnobium Fratricellorum Lugduni Batav. in Theologiæ Collegium Eccleſiarumque Seminarium &c. verſum eſt: ut de aliis innumeris nil addam, vide Franc. Burmannum *in Orat. Inaugur. de Collegiis*, & ſuprà voce *Collegium* item *Epiſcopium*, infrà quoque *Semnium.*

MONASTERIA Regalia, vocantur paſſim, Βασιλικὰ Μοναςήρια Græcis; aliter *Abbatiæ Regales*, *Monaſteria Imperialia*, item *Fiſcalia*; quòd in fiſcis regiis extructa eſſent, & ab ipſis Regibus dotata, à quibus nudè pendebant. Hæc, ab omni juriſdictione Epiſcopali, imò & ab ipſa Patriarchali, exemta, nulli alii, præterquam Imperatori aut Regi immediatè, ſubjecta erant: unde nudè *Monaſteria libera* paſſim dicuntur. Nec Abbates eorum, *Regales* ab iis dicti, ab aliis, quàm ab ipſis Imperatorib. aut Regibus, vel certè cum eorum nutu, inſtituebantur, eligebantur & inveſtiebantur: idque *per baculum* haud aliter ac Epiſcopatus ipſi. Quia verò Abbatiæ iſtæ, ex fundis Regiis erant dotatæ, earum Abbates, *in militiam ire & Regalitati ſervire tenebantur*, ut eſt in *Diplomate* Henrici Imperator. A. C. 1063. pro Monaſterio S. Maximini Trevirenſi, quod à Ducheſnio deſcriptum eſt, *in Hiſtoria Limburg. p.* 29. Sed & id juris Regi in hujuſmodi Monaſteriis competit, *quòd utendô jure ſuô regiô poſſit Monachum* vel *Monialem in iis, in principio ſui regiminis, poſt ſuam coronationem, ponere*, uti refert Car. du Freſne, ex *Regeſto*, Parlamenti *Olim.* Præterea, Abbatiarum harum annatæ ad Regem ſpectabant, quas Ludovicus VII. Galliæ Rex Monaſterio S. Victoris Pariſino conceſſit. Etiam Abbates Regales, perinde ac Epiſcopi, Buticulario Franciæ centum ſolidos exſolvere tenebantur, cùm Abbatialis dignitatis confirmationem à Rege expetebant, vel fortè, cùm eidem fidelitatis præſtabant ſacramentum, de quo Buticulariorum jure & hominiis ſacramentiſque fidelitatis, ab Abbatibus iſtiuſmodi præſtitis Regibus, extat inſigne *Diploma* in Tabulario S. Genovefæ Pariſin. quod *Gloſſario* ſuo præfatus Auctor inſeruit: apud quem vide quoque de *Monaſteriis Canonicorum*, quibus *Monaſtica* opponuntur; *de Monaſteriis Conſiſtorialibus*, de quibus non niſi in Conſiſtorio Romano diſponi conſuevit; *de Monaſteriis Duplicibus*, virorum ſcil. & fœminarum, prope invicem poſitis; *de Monaſteriis Exemptis*, à juriſdictione Epiſcoporum & Pontificiæ Sedi immediatè ſubjectis, *propter infeſtationem præſidentium*, ut ait Gregorius VII. *l.* 2. *Ep.* 69. de quibus etiam ſuprà aliquid, ubi de *Abbatibus Exemtis*; *de Monaſteriis Patriarchalibus*, quæ ſolius Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictioni ſuberant, aliiſque huc facientibus. Nec omittendum, quod idem addit, *Monaſterii* vocem pro Eccleſia Cathedrali non rarò ſumi, eò quòd pleriſque in Eccleſiis talibus Monachi olim, non ut hodie Canonici, ſacra obirent: unde hodieque vox *Munſter* Germanis, Eccleſiam Cathedralem notare, obſervatum Nebridio Mundelhemio *Ep.* 17. *Antiq. Monaſt.* & Gretſero *Obſervation. ad Vitam S. Willibaldi c.* 17. Sed aliam hujus appellationis rationem ſuprà attulimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ABBATES REGALES, EX REGESTO QUODAM VETERI APUD EUND.

S. Dionyſii.
St. Germani.
S. Genovefæ.
Ferrarium.
S. Benedicti.
S. Maximini.
Mauriniaci.
S. Maxentii, in Pictavia.
de Burgolio.
Majoris Monaſterii.
S. Egidii.
Trinorcii.
S. Columbæ.
Compendii.
S. Medardi.
S. Criſpini.
S. Remigii.
Corbejæ.
S. Richarii. Vide eum in *Additionibus ad Gloſſarium.*

MONASTERIOLUM, vide MONSTROLIUM.

MONASTERIOLUM in Algia: *Montreul en Auge*, locus Galliæ in Normannia, ubi Monaſterium nobile. Hadr. Valeſ. in voce *Algia.*

MONASTERIOLUM Ambianorum, *Monſtreul*, teſte *Frodoardô*, primò vicus, dein caſtellum, tandem oppidum Galliæ Belgicæ, nomen accepit à parvo Monaſterio S. Salvii *S. Sauve*, quod Epiſcopus Ambianorum extructum B. Mariæ titulô donaverat: cùm antea *Bradum* diceretur, Ibidem eſt & puellare Monaſterium S. Auſtrebertæ, cum titulo Abbatiæ. Sedet in ora Picardiæ Occidentalis ad oſtium Canciæ fluv. inter Ambianos ad Meridiem, 16. & Bononiam ad Boream 8. leucis. Stapulis oppido proximum. Fuit olim ſub proprio Comite, habitumque eſt pro capite pagi Pontivi. Berthæ Philippi I. Francorum Regis uxori pro dote & domicilio, poſt repudium à marito, aſſignatum legitur. Majorem ſuum & Scabinos ſeu Pares olim habuiſſe docet Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque Ferrarium *Geogr.*

MONASTERIOLUM in Argilla, *Monſtreuïl l'Argille*, locus Galliæ eſt, in Neuſtris, Orderico Vitali *Hiſtor. l.* 12. memoratur.

MONASTERIOLUM Berlaji, à parvo Cœnobio & loci domino dictum; vulgò *Monſtreuil Belay*, ejuſdem regni in Andibus locus eſt: Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.* In hoc oppido tum munitiſſimo Gerardum Comes Andegavenſium obſedit, illoque occupatô munitionem diruit. Idem *ibid.*

MONASTERIOLUM in Gaſtina, caſtrum eſt Galliæ in Pictonibus. Idem.

MONASTERIOLUM ad Icaunam, *Montriau ſaut Yonne*, oppid. Galliæ, in Campania & partim in Vaſtinenſi tractu, ubi Icauna in Sequanam ſe exonerat, cum ponte. Hîc interfectus fuit Johannes Dux Burgundiæ, juſſu Caroli Delphini, qui poſtea *Septimus* hujus nominis Rex Galliæ fuit. Dicitur à quibuſdam *Mons Regalis*, & diſtat 17. leucis à Lutetia in Auſtrum, ut 7. à Meloduno, *Baudrand.* Vide quoque *Monaſteriolum Senonum.*

MONASTERIOLUM Senonum, municipium Galliæ eſt, in Senonibus, ad Icaunæ & Sequanæ confluentes, vulgò *Monſtereau faut Yonne*; i. e. *Monaſteriolum, ubi Icauna deficit*, Sequanâ hauſtus: à Cœnobio S. Martini nomen habet, cùm olim *Condate* diceretur, quô nomine veteres Galli confluentem deſignâſſe creduntur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONASTERIUM, vulgò MUNSTER, urbs Germaniæ, Weſtphaliæ primaria, ampla & Hanzeatica, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Colonienſi, olim *Minigroda*, vel *Miningroda*: ad Aam amnem, qui paulo pòſt in Amiſium cadit. Arcem habet munitam, & celebris eſt ultimâ pace Germaniæ: 7. leuc. diſtat ab Oſnabruga in Africum, 12. à Paderborna in Occaſum, 22. à Brema in Auſtrum; 18. à Colonia verſus Boream. Capta eſt à Bernardo Epiſcopo A. C. 1661. qui ob animum bellorum ſitientem, multi nominis, jam contra Suecos rem gerit. Eadem urbs A. C. 1533. maximam cladem ab Anabaptiſtis accepit, qui eam civibus expulſis invaſerunt, Regeque ex eorum colluvie creatô, urbem contra ejus Epiſcopum, Archiepiſcopum Colonienſem, & Ducem Clivenſem, qui illam validô exercitu obſederunt, per annum quaſi tenuerunt. Sed Epiſcopus tandem cum ſuis ſuperior factus, juſtum ſupplicium de Anabaptiſtis, & rege illorum ſumpſit. Caput eſt Epiſcopatus Germanici *Stift Munſter*, qui inter Tranſiſalanam ad Occaſum, Comitatum Embdenſem, & Oldenburgenſem ad Septentrionem; Weſtphaliæ Ducatum & Comitatum; Marchiæ ad Meridiem & Epiſcopatum Oſnabrucenſem & Comitatum Diepholtenſem, ac Ravensburgenſem ad Ortum; ad 100. mill. paſſ. extenditur, à Septentrione in Meridiem. Hîc etiam Coſfeldia, Linga, Meppa, Vechta & Varendorpia. Hodiernus Epiſcopus Bernhardus à Galen bellô hôc varias inſuper ditiones acquiſivit. Cæterum, hanc Anabaptiſtæ occupatam, *urbem novi Regni ſui*, Regnum autem, *Regnum Chriſti*, *Davidis*, *Sionis*, *Sanctorum*, appellabant. Creârunt illi Regem Johannem Bocoldum ſartorem Leidenſem: cujus tamen, ut & aſſeclarum deſperatiſſimis conſiliis, paulo pôſt ſingulari providentiâ Deus frænum impoſuit, G. Hornius *Orb. Imp. p.* 48.

MONASTERIUM, urbs Archiepiſcopalis Tarantaſiæ ad Iſaram, 5. leuc. à Fano S. Joannis Maurianenſis in Septentrionem, 8. à Camberiaco in Ortum, Auguſtam Prætoriam verſus; *Monſtiers en Tarentaiſe* vulgò.

MONASTERIUM, oppid. Eiffaliæ, ad amnem Erſt, in limite ditionis Colonienſis; ferè 6. milliar. Germanic. à Colonia Agrippina in Meridiem, 7. ab Aquiſgrano in Eurum. Sub Duce Neoburgico.

MONASTERIUM S. Petri, oppid. Nivernenſis provinciæ, ubi juridica ſedes provinciæ ferè medium inter Nivernum ad Boream, & Molinum ad Auſtrum, 7. leuc. vulgò *S. Pierre le Moutier.*

MONASTERIUM in Valle S. Gregorii, *Munſter im Gregorienthal*, urbs parva, ſed Imperialis Alſatiæ ſuperioris ad amnem *Fach.* ad radices Vogeſi, 5. leuc. à Briſaco in Occaſum, inter 10. civitates, ſub Præfect. Hagenoënſi.

MONASTERIUM Villare, vulgò *Montivilliers*, locus Galliæ, in diœceſi Rothomagenſi, Abbatiâ Virginum Benedictinarum inſignis. In qua eadem diœceſi quoque eſt Marcaſium Radulfi, vulgò *Marcherous*, ubi Monaſterium Præmonſtratenſium Monachorum, ſub Abbate fuit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONASTHI, ſive MORASTI, vicus juxta Eleutheropolim, ad Ortum ejus, ubi Micheas natus, & ſepultus. In tribu Juda.

MONASTRIA, eadem cum *Moniali.* Hæ, ut & Monachi, etiam pallium habuêre, nec muliebre quidem, ſed virile, quod tamen prohibuerat XIII. Canon Gangrenſis Synodi, his verbis: Εἴτις γυνὴ διὰ νομιζομένην ἄσκησιν μεταβάλλοιτο ἀμφίεσμα, καὶ ἀντὶ τοῦ εἰωθότος γυναικείου ἀμφιέσματος, ἀνδρεῖον ἀναλάβοι, ἀνάθεμα ἔστω, *Si quæ mulier, propter aſceſin, veſtem mutet, & locô conſueti muliebris pallii, virile ſumat, anathema ſit.* Ad quem Canonem quidquid argutetur Balſamo, certum eſt, & Melaniam, & cæteras olim famoſas *Monaſtrias*, quæ pallium gerebant, contra illum Canonem feciſſe, cùm hujuſmodi virilem habitum uſurpârunt. Vacabatur id, ſicut Monachorum pallium, τριβώνιον, item ῥάκος. Niceph. Xanthopulus *in Catal. Patriarch. Conſtantinop.* de Baſilio Diacono: Κατεβιβάσθη δὲ ὑπὸ Ἰωάννου Ἀγγέλου μή πως ἱερὸν στέψῃ ὡς καὶ αὐτὸν ἔστεψε. ἡ δὲ πρόφασις αὐτῷ, ὅτι εἰς κεφαλὴν γυναικὸς ῥιψάσης τὰ ῥάκη εὐλογίαν ἐποίησε. Ubi γυνὴ ῥίψασα τὰ ῥάκη, *mulierem quæ abjecit pallium*, intelligitur, quæ habitum Monialem ejuravit & abjecit. Ῥάκος ſiquidem etiam Μοναστριῶν pallium fuiſſe, confirmat Palladius, de Taor virgine, in *Lauſiaca*: Ἐκείνη δὲ ῥακοδυτοῦσα ἀδιαλείπτως ἐν τῇ μονῇ ἐν τῷ ἔργῳ καθεζομένη, *Illa autem ſumtô palliô in caſa indeſinenter operi immorabatur &c.* Vide ſuprà, ubi de *Monachis.*

MONATOLIUS Henricus, vide *Henricus.*

MONATOR, *Heſychio* μονάτωρ, κέλης, ἵππος καὶ ἱππεὺς, καὶ εἶδος νεὼς καὶ μονάτωρ, *celes, equus & eques, & navigii ſpecies & monator*; Sic enim Latini è Græco dixerunt equum ſingularem & ἄζυγον, aliter *ſimplum*, in veteri *Epigramm.* de Circo,

Lunæ biga datur ſemper, Solique quadriga,
Caſtoribus ſimpli ritè dicantur equi.

Item *deſultorem.* Eôdem certè ſenſu, *monatorem* veteres *Gloſſæ* habent. Sed & μόνιππον ac μονάμπυκα Græci τὸν κέλητα vocant: μονάμπυξ Latinè ad verbum *aureax*, ἄμπυξ enim eſt *frænum equi* Græcis, Latinis *aurea* vel *orea*, unde *aureax*, equus ſingularius vel eques ſingulator, &c. Cujuſmodi equites in Circo olim, præmii palmæque gratiâ, curſu contendebant. *Pauſan.* Μόνιππος, ὁ ἐπὶ ἑνὸς ἵππου ἀγωνιζόμενος δρόμῳ. Sed & exhibebantur olim in Circo deſultores, qui miſſus nuntiarent. Caſſiodorus *Variar. l.* 3. *ep.* 51. *Biga quaſi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta eſt, equi deſultorii per quos Circenſium miniſtri miſſus nuntiant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur*, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino Imperat. c.* 19. Vide quoque ſuprà in voce *Deſultor.*

MONAULOS, apud Martial. *l.* 14. *Ep.* 64. cui lemma, *Tibia*,

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis;
Sæpe duas pariter, ſæpe monaulon *habet:*

dicta eſt ſingularis tibia, ad differentiam τοῦ ζεύγους, cùm duæ ſimul inflabantur. Inventor ejus, an Mercurius, an Ægyptii? ſicut geminas Marſyas primus inſtituiſſe dicitur. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 20. Vide ſuprà in voce *Calamaules*, & infrà, ubi de *Tibiis.*

MONBACCIA, ſeu MONBAZA, urbs ampla Zanguebariæ, in ora maris Æthiopici, Caput regni cognominis cum arce probè munita, & portu. Sub Luſitanis, 150. leuc. à Quiloa in Boream ad radices collis, in inſula continenti ferè juncta. Marmol. *deſcr. Afr.*

MONBASON, nomen illuſtris in Gallia familiæ, quæ Rohanex ſtirpis ramus eſt. Cùm enim Alanus VI. Rohaneus duos ſuſcepiſſet filios Alanum VII. & Eonem; illô genitus eſt Johannes II. gener Philippi Eburovicenſis Regis Navarreni, & mortius A. C. 1395. Hic communis pater fuit duarum item linearum: Nam ex Alano VIII. primogenito, reliqui Vicecomites de *Rohan* Comites *de Porhoet* & Principes *de Leon*, deſcenderunt, donec ea linea præteritô ſeculô deficeret. Ex Carolo, filio minori, omnes reliqui deſcendunt, ita quidem, ut obſervetur, Ludovicum Caroli filium genuiſſe Ludovicum cognomine *Magnum* & Petrum: quorum hic Dnus *de Gié* Mareſcallus Franciæ, pater fuit Caroli Dni *de Gié* & *du Verger*, cujus poſteritas in nepotibus defecit ac Petri Dn. *de Fontenay*, Annæ, hæredis primarii Rohanei rami, mariti, in cujus poſteris iterum *Vicecomitum de Rohan* Principis *de Leon* & Dn. *de Soubizen* titulus continuatus eſt, uſque ad Henricum Ducem, qui lineam clauſit, A. C. 1638. Ille, nempe Ludovicus Magnus, Dominos ſevit, vel, ut nunc vocantur, Principes *de Guimené*, Duces *de Montbazon* & Comites *de Rochefort*, hodieque ſuperſtites; è quibus mediorum ſeries hæc eſt. Ludovicus IV. *de Rohan* Dn. *de Guimené* & *Montbaſon*, genuit ex Maria (filia Johannis III. Vicecomitis *de Rohan*) Ludovicum V. *de Rohan* Dn. *de Guimené*, maritum Margaretæ *de Laval* (Guidone XIV. Comite *de Laval*, qui obiit A. C. 1531. genitæ) & ex ea patrem Ludovici VI. *de Rohan* Dn. *de Guimené* Comitis *de Montbazon*: quô, & Renatâ Dn. *du Verger* (filia Franciſci *de Rohan* Dn. *de Gié*) natus Hercules *de Rohan*, Dux *de Montbazon* creatus, obiit A. C. 1654. Ei, ex Magdalena *de Lenoncourt*, genitus Ludovicus *de Rohan*, Princeps *de Guimené*, Dux *de Montbaſon*, junxit ſibi Annam *de Rohan* (Principem *de* [illegible]

mené Comitem *de Montauban* Petri Rohanei filiam) atque ex ea ſuſcepit Carolum Rohaneum Ducem *de Montbaſon*, (cui Johanna Armanda Schombergia nupſit) & Ludovicum, *Chevalier de Rohan* dictum. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 6. Vide etiam infrà.

MONBRISSONIUM, vulgò MONBRISSON, urbs Forenſis provinciæ ſuperioris ad Veſiliam amnem, olim *Caſtrum Briſſonis*, 10. leuc. à Lugduno in Occaſum, 5. à Fano S. Steph. in Circium 2. à Ligeri.

MONCHENSTENIUM, vulgò MONCHENSTEIN, quaſi *Monachorum lapis*, arx cum vico, in agro Baſileenſi, dimidiô ab urbe miliari, ſed olim Nobilium Monachorum; poſtea à Thuringo Monacho, Maximiliani I. conſenſu, A. C. 1518. Baſileenſibus vendita, quum eam pignoris jure jam aliquandiu tenuiſſent. Triduô fruſtra à Saloduriis oppugnata fuit, A. C. 1483. *Stumpfius.*

MONCONTURIUM, vulgò MONTISCONTOUR, oppid. Pictavii, ad Divam amnem, 9. leuc. à Salmurio in Meridiem, totidem à Pictavio Urbe in Circium; prælio inter Reformatos & Pontificios celebre.

MONCORIUS Obeliſcus, vide *Obeliſcus.*

MONDA, vel MUNDA Plinio, *l.* 3. *c.* 1. Luſitaniæ per Conimbricam urbem fluens in Oceanum occidentalem, medius inter Tagum, & Durium, cum oppido cognomine. *Mondego* hodie dicitur, teſte *Cluſiô.*

MONEMBASIA, urbs Archiepiſcopalis Peloponneſi in ora, vulgò *Malvaſia.* Vide *Epidaurus.*

MONEMUGIUM, vulgò MONEMUGI, regnum Æphiopiæ inferioris *Nimeamaje* aliter; peramplum, ab Euro & Auſtro Regi Maroco conterminum. Extenditur ad limites regnorum Monbazæ, Quiloæ, Soffalæ & Moſambici, *Iſ. Voſſio.* Incolæ labra genaſque ferro candenti ſignant, & palpebras frontem verſus erigunt, unde Cacodæmones videntur, *Metel.*

MONESES, nobilis Parthus, equitatui Tiridatem in Armeniam reducturo, à Vologeſe præpoſitus, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 2.

MONESI, ſeu MENEOSI, inter minores Aquitaniæ populos memorati Plinio *l.* 4. *c.* 19. forte fuêre, ubi hodie *Moneins* aut *Monins*, locus non ignobilis Galliæ, in regione Benearnenſi. Valeſ. in voce *Sibutſates.*

MONESIO, ex ære à Vulcano fabricatus canis Cephali. Pollux *l.* 5.

MONESUS, è ducibus Perſæ, ab Iaſone, aberratione ſaxi, quod in Colaxen miſerat, occiſus, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 651.

MONETA, Junonis cognomentum, apud Romanos à *monendo* impoſitum, Cicer. *l.* 1. *de Divin. c.* 15. *Nam cùm urbs maximô terra motu concuteretur nec quiſquam noſſet quâ victimâ id mali poſſet expiari, vox ex Junonis templo audita eſt, quæ ſacerdotes monuit ſue gravidâ terræ motum eſſe procurandum.* Plut. Liv. *l.* 4. *c.* 7. & 20. *Suidas*, Μονῆτα ἡ Ἥρα. Ei ſedes dicata eſt à L. Furio dictatore. Locus fuit in arce, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat: hìc extructa eſt ædes, annô poſtquam vota erat. Macrob. *l.* 1. *c.* 12. *Monetæ* dedicatum hoc templum Kal. Junii ait. Servabantur ibi libri lintei, in quibus Imperii Romani fata continebantur. *Suidas*, cùm Romani pecuniâ indigerent, bellô contra Tarentinos ac Pyrrhum, eos Junonem invocaſſe, quæ ipſos monuerit, ſi juſtitiæ uterentur armis; pecuniam iis non defuturam, cumque id Romanis rectè contigiſſet, *Monetam* Junonem veneratos eſſe ejuſque rei ſignum fuiſſe, quòd nomiſma, i. e. moneta inſcripta in ejus templo aſſervaretur, ſcribit: ſed veriſimile id eſſe negat Joh. Rolin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 6.

MONETA Cremonenſis, Profeſſor primo Bononiæ, dein Dominicanus: Scripſit contra Hæreticos; item Summam Caſuum Conſcientiæ *Monetanam*, dictam, Leander Albertus *de Viris Ill. Ord. Præd. l.* 5. *& deſcr. Italiæ.*

MONETÆ uſus, excogitari cœpit, poſtquam ſimpliciſſimum illud & naturæ maximè, teſte *Ariſtotele*, conveniens Mercaturæ genus, quod mercium fiebat permutatione, in deſuetudinem abiit. Quia enim alter alterius mercibus non ſemper opus habebat, *Moneta* inventa eſt, quæ pretium rei ſuppleret: nec profuit quidquam Lycurgi lex, qui *emi ſingula non pecuniâ, ſed mercium compenſatione*, priſtinum ſic morem revocaturus, ſanxit, apud Juſtinum *l.* 3. *c.* 2. nec votum Plinii, *utinam è vita aurum abdicari poſſet! l.* 33. *c.* 1. ita enim mox *Monetæ* amor invaluit, ut non ampliùs commerciorum vitæ gratiâ, ut ait Plato *de LL. l.* 5. ſed ſui ipſius cauſâ ab avidis habendi hominibus quæreretur. Verùm non propterea legitimus ejus uſus tollitur, quòd hominum libido ei delubra araſque, præter meritum, erexit: commodum humanæ vitæ inſtrumentum eſt. Materiam ejus triplicem eſſe, colligitur ex Pomponio JCto *l.* 2. §. *deinde ff. de or. Jur.* videlicet, *Æs*, *argentum*, *aurum*: unde & Treb. Pollio *in Victoria Tyr. c.* 31. *cuſi ſunt ejus nummi ærei, aurei, & argentei*; ſed hôc diſcrimine, quod initiô omnes omnino pecuniæ ex ære, (quod primò appendebatur, apud Romanos, demum à Numa Pompilio ſignatum) cuderentur: Neque ante victoriam Pyrrhi argentum ſignatum Romæ in uſu eſſet & aurum in pecunia demum cognoſceretur: cùm Carthago & Corinthus eſſent devictæ. Fr. Patricius *Republ. l.* 3. *tit.* 9. Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 221.

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Priſcaque conceſſit victa Moneta novæ.

E plumbo, ſtanno, ferro nummos olim conflatos eſſe, negat Dempſterus, & *nummos plumbeos*, quorum meminit Plautus *Tribus nummo Act.* 4. *ſc.* 2. *Huic ego*, Et in *Caſinâ Act.* 2. *ſc.* 3. *Omnibus, & Moſtellaria Act.* 4. *ſc.* 2. *Illi bucede*: item Martialis *l.* 1. *Epigr.* 100. & *l.* 10. *Epigr.* 74. interpretatur *viliſſimos.* Vide infrà. At obolum σιδήρου τι ἔλασμα, *ferream laminam*, vocat Euſtathius in *l. Il. a.* è ferro ſaltem id *Monetæ* antiquiſſimum genus primitus conſtitiſſe indigitans. Cœl. quoque Rhodig. *l.* 10. *c.* 2. teſtatur, *Pompilium Numam ex ferro & ære primùm cudiſſe numiſmata, quæ ex proprio Auctoris nomine ſint* Numia *appellata: quum ante illum ſcortea, & oſtracina pecunia impleret uſum; quod à Tanaquillo fuiſſe literis proditum, iidem tradunt Græci.* Idem addit, *Legimus tamen alicubi; Populo à Numa congiarium datum eſſe, aſſes ligneos & ſcorteos.* (fortè antequam è ferro & ære illos cudere cœpiſſet) *Nummi ſcortei meminit item Hieronymus. Sed & Donatus ad hunc ſenſum enarrat illud Virgilianum, Æn. l.* 1. *v.* 372.

Taurinô quantum poſſet circumdare tergo:

intelligens, *pecuniâ factâ de tergore bubulo* agrum illum à Didone fuiſſe emptum, quod tamen alii non aſſeverare auſint, intelligentes hìc monetam forte ex metallo, tauri iconem impreſſam habentem. Sed & fabulam de Marſya excoriato ab Apolline huc non ineptè trahunt quidam, dicentes illum, poſtquam Apollo lyram inveniſſet, opibus divitiiſque, quas antea tibiæ ſuæ cantu congeſſerat, ſenſim expoliatum, ſicque corium ei detractum fuiſſe, è quo tum temporibus nummi fuerint communiter cuſi. Sumebatur autem ad *Monetas* has formandas, teſte Licetô *de Gemmis Annul. ſchem.* 31. *non bovis pellis tenuior, ſed craſſior & durior in tergore tauri reſidens, ad uſum diuturniorem*: creditque idem, habuiſſe iſtiuſmodi nummos infixum fortè auri vel argenti fruſtulum, in quo cælata fuerit imago Principis: qualium, cum infixo claviculo argenteo certi ponderis, inſignem vim in arca quadam inventam eſſe A. C. 1634. in Dania, ibidem refert. Chartaceæ *Monetæ* mentionem facit M. Polus *l.* 2. *c.* 18. ubi refert, M. Chamum Tartarorum Imperatorem in ſuis regnis *Chartaceæ* ſolum *Monetæ* uſum permittere. Ut alia omittam: niſi quòd addere placet, noſtrô quoque ſeculô *Monetam* ex corio viſam eſſe, ſub Guſtavi Adolphi Regis in Germaniam primùm tranſeuntis tempora: ut & verſus finem præcedentis ſeculi Harlemi Hollandiæ urbe, quum ab Hiſpanis acerrimâ obſidione premeretur. Cœterum Darius & Tacitus Imperatores aurum purum ſignabant: Aryandes, Ægypti Prætor, Darium imitatus, ex argento puro nummos fecit: Athenienſes, Philippus, Alexander, Demetrius, Pruſias, Mithridates, vilioris metalli partem adjunxerunt quinquageſimam: Romani ſub Conſulib. ad Veſpaſiani tempora octavam, & quadrageſimam; poſteà viceſimam quartam: apud reliquas gentes argentum auri temperaturâ conſtabat. Vultibus autem Principum ac Imperatorum ſignabantur nummi: (unde quidam ænigma Virgil. *Ecl.* 3. *v.* 106.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores,

non incommodè de nummis ipſis, vel auri argentique, è quibus fiunt, fodinis interpretatus eſt.) Idque non modo florente jam Republ. ſed & naſcente, neque apud Romanos ſolùm; ſed & Græcos aliaſque gentes: cujus rationem ſuggerit Caſſiodorus *l.* 6. *Ep.* 7. *ut imago Principum ſubjectos videretur paſcere per commercium.* Addebatur nomen, inſcriptio, nota victoriæ alicujus aut caſus, ut ex theſauro Numiſmatum Goltzii videre eſt: Quare ut inſolens quidam, nec uſitatum, notatur à Procopio *de bello Goth. l.* 3. *quòd Franci, non ut alii Populi, Imperatoris Romani imagine ſed ſuâ impreſſâ nummos ſignent*: & nota eſt quæſtio Euangelica; de numiſmate Tiberii, Auguſti effigie impreſſâ ſignato. Factum id inprimis in inauguratione Principum, ut novô hôc largitionis genere (pecuniam enim ſuâ icone ſignatam in vulgus ſpargere, vel militibus ſingulis dividere Principibus tum ſolemne) favorem populi militumque captarent, ut patet ex Amm Marcellino *Hiſt. l.* 26. Corippus Gramm. *de Laudib. Juſtini l.* 4. *n.* 2.

Hinc vetus argentum formas ſpecieſque novatum
In varias, ſculptum titulis, preſſumque figuris,
Excelſis portant humeris, magniſque laborant
Ponderibus, ciſtæque graves funduntur in unum:
Utraque materies in magnos ſurgit acervos.

Interim, Plutarchi relatu *in Poplicola*, *Vetuſtiſſimi bove vel ovè vel ſue fuerunt ſignati*: quô pactô valoris in moneta differentiam notatam eſſe conjicit Licetus; *quoniam & bos pluris æſtimatur ac venditur quam ſus, & ſus, quàm ovis, locô ſuprà laud.* Athenis certè nummi didrachmi ſpecies erat, quem primus bove ſignavit Theſeus, apud eundem. Janus, qui primus omnium *Monetam* ſignâſſe legitur, in antica parte duo capita, in poſtica navem, cujus & ipſe Autor, expreſſit: unde ludi puerilis genus notum, *Capita aut navem, &c.* Quia verò tam utile vitæ noſtræ inſtrumentum *Moneta* eſſet, hinc magna Principum ſolicitudo ſemper fuit, ut illa probæ eſſet notæ, i. e. ut materiâ conſtaret probâ & iconem haberet ſuam, Proin *Moneta* falſa vetita legibus Romanis, & factum, ut manus amputatio adulteratoribus ejus deſtinata: Aryandes, de quo ſuprà, morte affectus eſſet: apud Suecos, falſarii hujuſmodi appenſis & circumjectis adulterinis nummis in cruces agerentur: apud Viſigothos, vel bonorum dimidiâ parte mulctarentur, vel, ſi ſine bonis eſſent, in ſervitutem Regi darentur, &c. Quibus non obſtantibus, cùm tales, ne ſtrepitu proderentur, in eremis ſibi antra officinaſque parâſſent, quod frequentiſſimum ſuô tempore fuiſſe, D. Hieronym. *in vita Antonii Eremitæ* docet, quô diligentiùs moneta cuderetur, in Palatio officinam eſſe voluit Carolus M. acerriméque in παραχαράκτας ſive *Monetarios* illos impoſtores animadvertit. Vide Thom Dempſterum *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 31. ſuprà *Abrodere* it. *Adulterare monetam*, ut & infrà in vocibus, *Nummus*, *Paracharaxima*, & *Pecunia*; it. *Percuſſæ*, *Pila*, *Stellatura.* Addam hoc unum ex Paſchalio inter cœtera honorum inſignia, etiam *monetæ* feriundæ jus nonnunquam Olympionicis olim conceſſum. Sic enim Anaxilas Rheginus, quadrigis victoriam adeptus, pecunia ex una parte *currum*, ex altera *leporem*, inſculpſiſſe legitur, apud Pol-

Pollucem *l. 5. c.* 12. Currum quidem, ob victoriam; leporem verò, quòd id animal primus Siciliæ intuliſſet. Vide Car. Paſchalium *Coronarum l. 6. c. 7. &c.*

MONETÆ, APUD VARIAS GENTES, SPECIES CELEBRIORES.

EX ÆRE

As, dupondius ſeu duplex As, Treſſis i. e. *tres Aſſes*: Nonuſſis, Decuſſis Vceſſis, Triceſſis, uſque ad Decuſſis, *a noble ſterling*, Angl. quò non fuit majus æris vocabulum, teſte Varrone *l. 4. de L.L.*

Aſſarius, Græcè Ἀσσάριον, *Rabbinis* איסור *Iſor*, cujus mentio Matthæi *c. 10. v. 29.* dimidia pars fuit aſſis ſemuncialis, lege Papyriâ percuſſi, ut Plinius auctor eſt *l. 33. c. 3.* adeoque quarta pars unciæ. Pondus ejus erat quatuor granorum frumenti. Vide ſi placet Druſium *in præter. Luc. c. 12: v. 59.* Thom. Godwynum *de ritibus Hebræorum l. 6. c. 10. &c.*

Dupondius, duos valebat aſſes.

Minutum, Græc. λεπτὸν, cujus mentio Lucæ *c. 12. v. 59.* pondus dimidii grani frumentacei habebat, eratque octava Aſſarii pars.

Quadrans, Græcè Κοδράντης, dimidia pars erat Aſſarii, adeoque valebat Minuta duo. Vide Marci *c. 12. v. 42.* Pondus ejus granum frumenti.

Semis, dimidius Aſſis: Angl. *two fifths of a peny.*

Sextula, Aſſis pars minima, *the ſixt part of a peny.* Angl.

Triens, Angl. *four fifteens of à peny.*

EX ARGENTO.

Agorath, Hebr. אגורת, *Argenteus*, cum *Gerah* ejuſdem valoris. Vide 1. Sam. *c. 2. v. 36.* & hîc *infrà.*

Ceſeph, כסף, Græcè Ἀργύριον, *Argenteus*, cum abſolutè ponitur in ſacris, ſiclum notat: cùm Græcæ monetæ genus ſignificat, ut Actor. *c. 19. v. 19.* Attica eſt drachma.

Denarius, Græcè Δηνάριον, qui tributi locô ſolvebatur, Matth. *c. 22. v. 19.* Erat vel Communis, vel Denarius Sanctuarii, didrachmâ valore. Vide quoque ſuprà.

Didrachmon, Græcè Δίδραχμον, Matthæi *c. 17. v. 24.* Syriacis *duo Zuzim*, qui apud Hebræos idem valebant, quod duo Denarii apud Romanos.

Drachma Attica, Angl. *ſeven pence ſterling*: apud Hebr. quartam partem ſicli efficiebat. Vide Lucæ *c. 15. v. 8.*

Gerah, apud Hebræos erat 24. Sicli pars, minimus ex argento nummus: pendebat obolum Atticum & quintam ejus partem Angl. *three half-pence ſterling.* Ejus mentio Exodi *c. 30. v. 13.*

Keshitah, קשיטה, i. e. *agnus*, quod effigiem ejus haberet inſculptam, ſecundum Rabbinos; oboli erat valore. quorum 20. ſiclum implebant. Ejus mentio Gen. *c. 33. v. 19.*

Libella, decima pars Denarii.

Obolus, Græc. Ὀβολὸς, Angl. *a peny*, ſexta pars drachmæ olim erat.

Quinarius ſeu Victoriatus, valebat aſſes 5.

Sembella, dimidia fuit Libella.

Seſtertius, dupondium & ſemiſſem valebat,

Shekel, ſeu *Siclus*, Hebræorum nummus, duplex erat: Regius, in communi vita uſitatus, duarum drachmarum valore: & Sanctuarii, qui 4. drachmas pendebat.

Siclus Perſicus & Sardianus, *Xenophonti* valebat 7. obolos Atticos & dimidium: *Heſychio* 8.

Stater, duplex didrachmon erat, apud Hebræos: apud Corinthios pendebat obolos Æginæos 10.

Teruncius, à tribus unciis aſſis, quas valebat, libellæ quadrans.

Teſtudo, Pelopponeſius nummus, ignoti valoris ac ponderis, &c.

EX AURO.

Adarchon, אדרכן, cujus mentio Eſdræ *c. 8. v. 27.* דרכמון, *Drachmon* dicitur Eſdræ *c. 2. v. 69.* Drachmas duas Atticas valuiſſe videtur, & fortè à Græc. Δραχμὴ nomen accepit: Sunt tamen, qui *Adarcon*, quaſi *Daricon* dictum velint. Vide infrà *Daricus.*

Aureus Romanus, ſub Conſulibus 2. denarios pendebat: poſtea Principes 2. drachmarum pondere percuſſerunt. Heliogabalus multiplicavit pondus, quos Severus ſuſtulit & ſemiſſes percuſſit, qui drachmam pendebant. Conſtantinus, Julianus & alii ſextulæ pondere feriebant. *G. Agricola.* Paulo aliter Joh. Frid. Gronovius *de Pec. vet.* quem vide. Athenienſis pendebat 2. drachmas.

Daricus, viginti drachmarum argenti fuit, par Attico ſtateri.

Stater, Græcè Χρυσοῦς, ſubintellige στατὴρ, Athenienſis pendebat 2. drachmas. Philippus, Alexander & Succeſſores, ſignabant pondere 2. drachmarum Atticarum, obolorum totidem, ut & ſiliquarum. Stater à Crœſo percuſſus, pondere fuiſſe 2. drachmarum putatur, ut & Daricus. Sed Cyziceni percuſſerunt obolis 4. & dimidio 2. minutis & decimâ minuti parte.

Τετραστάτηρ, aureus nummus apud Cyrenenſes, uncialis pondere: Angl. *fifty two shillings ſterling.*

Zahab, Hebr. זהב, *aureus*, cujus mentio 2. Regum *c. 5. v. 5.* videtur idem cum Sicloaureo, de quo vide Judicum *c. 8. v. 26.* Cujus pondus duæ drachmæ Atticæ. Vide Breerwood. *de Nummis*, Godwyn. *de ritibus Hebr. l. 6. c. 10. &c.*

MONETALES Triumviri, infrà *Triumviri monetales.*

MONETARIÆ Officinæ, olim ſub Imperatorib. in Oriente, præter Conſtantinopolim, *Alexandriæ* erant, teſte *Ammianô*, *Antiochiæ*, ut *Lamprid.* & *Cyzici*, uti *Sozomenus* & ex eo *Nicephorus*, referunt, qui complures in hac urbe tradunt extitiſſe *Monetarios*, qui περὶ τὴν τέχνην ἠσχολοῦντο τοῦ νομίσματος. Et quidem Alexandrinam Monetam, præ cœteris ſpectat nummus æreus Juſtiniani, in cujus averſâ facie *I.* & *B.* intra Chriſti monogramma deſcribuntur, cum hiſce characteribus: ΑΛΕΞ, qui Alexandriæ cuſum denotant, ubi maxima Eccleſia dicata erat Joanni Baptiſtæ, qui per *I.* & *B.* indicatur. &c. In Occidente, ſex potiſſimum fabricæ ejuſmodi extiterunt, uti docet *Notitia Sciſciæ* ſcil. in Pannonia, de qua urbe copioſè egit Triſtanus *Tom. III. p.* 288. *Aquilejæ* & *Romæ*, in Italia: *Lugduni*, *Arelate* & *Treviris*, in Gallia: quæ quidem ita diſtributæ erant, ut tres intra Præfecti Prætorio Italiæ, & totidem intra Præfecti Prætorio, Galliarum juriſdictionis limites eſſent. *Romæ* certè Monetam extitiſſe ſemper, notiſſimum: Ad *Aquilejenſem* quidam referendam putant Gratiani, Valentiniani & Theodoſii *Conſtitutionem*, quâ pœna ſtatuitur in monetarum opifices, qui ſe extraneis matrimonio jungebant. Præterea plures nummi occurrunt, in quibus SIS. & SISC. deſcribitur, quod ad *Sisciam* referri debere, omnes judicant. In Gallicis monetis, prima recenſetur *Lugdunenſis*, in *Notit. Imp.* mentioque ejus in nummo æreo Juliani, in quo ſub bove in eo efficto legitur, LUGD. OFF. S. i. e. in *Lugdunenſi Officina ſignata*, vel *Lugdunenſis Officina ſignavit*. Complures etiam habentur, in quibus *Arelatenſis* moneta variis characteribus denotatur. *Treverenſem* verò memorat Trebellius Pollio *in XXX. Tyrannis*, ubi de Victoria *c. 31. Cuſi ſunt*, inquit, *ejus nummi ærei, aurei & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treviros*, Vide Ortelium *Itinerar. p.* 54. Sed & præter recenſitas *Monetas* publicas, alias extitiſſe non minus celebres, ſtante etiam ac imperante Conſtantinianâ familia, ex nummis colligit Car. du Freſne: quas inter extitêre, *Theſſalonicenſis*, *Carthaginenſis*, *Sirmienſis* & *Cyzicena*. Labente dein Imperiô, *Nicææ* & *Nicomediæ*, in Bithynia, officinæ fuêre celebres, de quibus intelligenda Conſtantini *Conſtitutio ad Bithynos*, *l. 1. Cod. Theodoſ. de Murilegulis.* Conjicit denique Marc. Velſerus, fabricam monetariam Auguſtæ Vindelicorum extitiſſe, ex hiſce characteribus, qui Victoris Imperatoris nummo inſcribuntur, AUPS. quos quidem ita interpretatur, *Auguſtæ Vindelicorum pecunia ſignata*, *Rerum Vindelic. l. 7. p.* 159. Cui ſimili argumentô *Ambiani* cuſum præclarum illum Magnentii nummum æreum, contendit Car. du Freſne, qui in averſa facie Chriſti monogramma præfert, cum inſcriptione; SALUS DD. NN. AUG. ET CÆS. & infrà AMB. nam & in Gallia cum regnâſſe, ex Scriptoribus in confeſſo eſt. Ita in nummis Magni Maximi Tyranni & filii Victoris, MDPS. *Mediolani* pecuniam ſignatam, interpretari haud abſonum fuerit: nam Maximus Italiam obtinebat, cùm à Theodoſio fuſus eſt, ac proinde & Mediolanum. Eædem literæ occurrunt in nummis Arcadii & Honorii &c. Sed deſiêre tandem ejuſmodi Officinarum nomina monetis Imperatoriis adſcribi, poſt Michaëlem Theophili filium, uti monet præfatus Car. du Freſne *in Diſſertatione de Inferioris ævi Numiſm. num. 51. & 52.* ubi etiam, ſecundum ordinem literarum, characteres ipſos, cum eorum vi ac notione, ut adſcriptæ ſingulis numiſmatibus earundem Officinarum notæ faciliùs, ab harum rerum avidis, percipiantur, hôc modô ſubjungit.

CHARACTERES NUMISMATUM INFERIORIS ÆVI, QUIBUS OFFICINÆ MONETARIÆ INDIGITANTUR, A CAR. DU FRESNE, EXPOSITI.

ΑΛΕΞ, *Alexandriæ*, in nummo Juſtiniani.
AMB. fortè *Ambiani.* Magnentii.
AMID.... Conſtantini Magni.
ANT. *Antiochiæ*, Conſtantini M. & Juliani.
ANTA. *Antiochiæ*, ubi A. annus 1. Imperii vel nota Monetarii. Juliani & Eudoxiæ.
ANTB. *Antiochiæ*, ubi *B.* annus eſt Imperii ſecundus vel potiùs nota itidem Monetarii. Honorii & Heraclii.
ANTΓ. *Antiochiæ*, Γ. annus tertius vel nota Monetarii. Valentiniani. Theodoſii & Arcadii.
ANTE. *Antiochiæ*, E. annus Imperii quintus vel nota monetarii Valentiniani.
ANTH. *Antiochiæ*, H. annus 8. Imperii vel nota ejuſdem.
ANTP. *Antiochiæ*, P. nota Monetarii, vel Antiochiæ percuſſa. Valentiniani, Valentis & Honorii.
ANTS. *Antiochiæ ſignata*, Arcadii.
APLC. *percuſſa Lugduni*, Magnentii.
AQ. *Aquilejæ*, Conſtantini M. Conſtantii &c.
AQOB. *Aquilejæ obſignata.* Theodoſii M.
AQPS. *Aquilejæ pecunia ſignata*, vel *percuſſa ſignata*: Gratiani & Valentiniani junioris.
AQS. *Aquilejæ ſignata*, Conſtantini Junior. & Conſtantis.
AQT. *Aquilejæ percuſſa*, ubi T. pro *P.* perperam ſcriptum: Conſtantini M. & Conſtantini Junioris.
ASIS. *Siſciæ*, Conſtantini M. Licinii, Criſpi &c.
ATR. *Treveris*, Criſpi: ubi A. ut & in præcedent. videtur eſſe nota Monetarii.
BI.... Conſtantini Chlori.
BSIS. *Siſciæ*, Vetranionis. In aliis PSIS, i. e. *percuſſa Siſciæ.* B. Monetarii nota.
BTR. *Treveris*, Criſpi, B. nota Monetarii.
C... Conſtantii Chlori.
CAR. *Carthagine*, Juſtiniani.
CΓ.... Procopii.
CLC. *Cuſa Lugduni*, Conſtantii.
COM. *Conſtantinopolitana moneta*, Theodoſii.

COMOB.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

COMOB, *Conſtantinopoli moneta obſignata*, Arcadii, Joviniani, Placidiæ, Valentiniani, Majoriani, Severi.

CON. *Conſtantinopoli* Conſtantini M. Joviniani, Valentis, Theodoſii & Anaſtaſii.

CONA. *Conſtantinopoli*, Mauricii.

CONΓ. *Conſtantinopoli*, ejuſdem : ubi A. Γ. E. Monaſteriorum ſunt notæ.

CONOB. *Conſtantinopoli obſignata*, Hannibaliani, Valentiniani, Theodoſii, Aliorum.

CONS. *Conſtantinopoli*, Conſtantini M. & Conſtantii.

CONSA. *Conſtantinopoli*, vel Conſtantinopoli ſignata, ubi A. nota Monetarii, Juſtini.

CONSΓ. *Conſtantinopoli*, Γ. nota Monetarii, Arcadii.

CONSh. *Conſtantinopoli*, *h*. nota Monetarii, Honorii.

CONSP. *Conſtantinopoli*, Valentiniani.

CONSPΓ. *Conſtantinopoli*. Γ. nota Monetarii, Juliani.

CONST. *Conſtantinopoli*, Conſtantii Conſtantis & Valentis.

D...Conſtantii Chlori.

EI...ejuſdem.

HERACL. *Heraclea*, Juliani.

KAR. *Karthagine*, Juſtiniani.

KART. *Karthagine*, ejuſdem.

KE. *Karthagine*, Conſtantii.

KΔ. *Karthagine*, Conſtantini Junioris.

KONOB. *Conſtantinopoli obſignata*, Conſtantini M.

KONSA. *Conſtantinopoli*, A. nota Monetarii, Conſtantii.

KONSAV. *Conſtantinopoli*, Conſtantii & Juliani.

KRTC. *Karthagine*, ubi C. pro S. Mauritii.

K.R.T.S. *Karthagine ſignata*, Conſtantini Pogonati.

KYZ. *Cyzici*, Conſtantii Chlori, Juſtini, Mauricii, Phocæ.

KYZB. *Cyzici*, B. nota Monetarii, Phocæ.

LUG. *Lugduni*, Conſtantii, Juliani, & Julii Nepotis.

LUGD. *Lugduni*, Gratiani & Valentiniani Junioris.

LUGPS. *Lugduni pecunia ſignata*, vel percuſſa ſignata Valentiniani & Eugenii.

MDPS. *Mediolani pecunia ſignata*, Maximi, Victoris, Arcadii & Honorii.

MHR...Conſtantis.

MKV. *Moneta Karthaginenſis*, V. nota Monetarii, Conſtantini M. & Licinii.

MNLB. *Moneta nova Lugduni cuſa*, B. nota Monetarii, Conſtantini Magni.

MOSTQ. *Moneta ſignata Treviris*, ubi *Q*. nota Monetarii; niſi T. pro *A*. exaratum ſit, ita ut *Aquilejæ ſignata* intelligatur, Conſtantini M. & Licinii.

MOSTR. *Moneta ſignata Treviris*, Conſtantii Chlori.

N...Conſtantini Magni.

NHTA....Licinii.

NIC. *Nicomediæ*, Anaſtaſii.

NKCO. *Nicomediæ*, Juſtini & Mauricii.

NOS...Conſtantii Chlori.

PAQ. *percuſſa Aquilejæ*, Conſtantini Magni.

PAR. *percuſſa Arelate*, Conſtantii.

PARL. *percuſſa Arelate*, Conſtantini M. Licinii & Conſtantii.

PCON. *percuſſa Conſtantinopoli*, Conſtantii.

PCONST. *percuſſa Conſtantinopoli*, Juliani.

PERP. *pecunia Romæ percuſſa*, Conſtantini M.

PK. *percuſſa Carthagine*, Juſtiniani.

PL. *percuſſa Lugduni*, Criſpi.

PLC. & PLG. *percuſſa Lugduni*, Conſtantii Chlori.

PLM. *percuſſa Lugduni* : M. nota Monetarii, Conſtantini M.

PLN. *percuſſa Lugduni*, N. nota Monet. Conſtantini Chlori.

PR. *percuſſa Romæ*, Conſtantii Chlori, Conſtantini M. Licinii & Conſtantii.

PROM. *percuſſa Romæ*, Conſtantii.

PS. *percuſſa Siſciæ*, Licinii.

PSIS, *percuſſa Siſciæ*, Criſpi & Vetranionis,

PTR. *percuſſa Treveris*, Conſtantii Chlori &c.

QA. pro AQ. *Aquilejæ*, Conſtantini Junioris.

R. *Romæ*, Conſtantini & Juliani.

RA. *Ravennæ*, Heraclii.

RAV. *Ravennæ*, Heraclii & Conſtantini.

RB. *Romæ*, Conſtantii, niſi B. pro P. percuſſa.

RE... Theodoſii.

RM. *Romæ*, Honorii & Severi.

RO. *Romæ*, Gratiani.

ROM. *Romæ*, Juſtini, Mauricii & Heraclii.

ROMA. Joviniani & Juſtiniani.

ROMB. *Romæ percuſſa B*. pro P. Aviti.

ROPS. *Romæ pecunia ſignata*, Honorii.

RP. *Romæ percuſſa*, Conſtantii Chlori, & Conſtantini M.

RPS. *Romæ pecunia ſignata*, Magnentii.

RS. *Romæ ſignata*, Licinii & Nepotiani.

RSLC. *pecunia ſignata Lugduni*, ubi *R*. pro P. Juliani.

RT. *Romæ percuſſa*, ubi T. pro P. Conſtantii.

RUPS. *Ravennæ pecunia ſignata*, Honorii & Joannis.

S. *Siſciæ*, Conſtantini M.

S. ARL. *ſignata Arelate*, Conſtantini M.

SA. *Signata Antiochiæ*, Licinii.

SANB. *Signata Antiochiæ*, *B*. nota Monetarii, vel annus 2. Imperii Martiniani.

SAR. *ſignata* Arelate, Magnentii & Helenæ.

SC. *ſignata Conſtantinopoli*, Arcadii.

SCON. *ſignata Conſtantinopoli*, Conſtantii.

SCONS. *ſignata Conſtantinopoli*, Juliani.

SE. *Siſciæ*, Conſtantii.

SIR. *Sirmii*, Conſtantini M. & Licinii.

SIRM. *Sirmii*, Conſtantini Jun. & Joviani.

SIS. *Siſciæ*, Conſtantini M. Licinii, Conſtantii & Conſtantis.

SISCP. *Siſciæ percuſſa*, Gratiani.

SISPZ. *Siſciæ percuſſa*, Z. nota Monetarii.

SMA. *ſignata moneta Antiochiæ*, Juliani.

SMAB. *ſignata moneta Antiochiæ*, B. nota Monetarii, Conſtantini M.

SMAN. *ſignata moneta Antiochiæ*, vel *ſacra moneta Antiochena* Conſtantini M. & Conſtantii.

SMANΓ. *ſignata moneta Antiochiæ* Γ. nota Monetarii, vel annus tertius Theodoſii.

SMANR. *ſignata moneta Antiochiæ*. R. nota Monetarii, Conſtantini M.

SMANS. *ſacra moneta Antiochiæ ſignata*, vel *ſignata moneta Antiochiæ S*. nota Monetarii.

SMANT. *ſignata moneta Antiochiæ*, Conſtantii.

SMANTE. *ſignata moneta Antiochiæ*. *E* nota Monetarii ejuſdem.

SMANTS. *ſignata moneta Antiochiæ*, vel *ſacra moneta Antiochiæ ſignata*, Conſtantini M.

SMAQ. *ſignata moneta Aquilejæ*, Conſtantii, Gratiani, Arcadii.

SMAT. *ſignata moneta Antiochiæ*. T. nota Monetarii, Conſtantini M.

SMK. *ſignata moneta Karthagine*, Licinii Jun. Item Helenæ.

SMKA. *ſignata moneta Karthagine*, Licinii ejuſdem.

SMKE. *ſignata moneta Karthagine*, Conſtantini junioris, & Licinii & Arcadii. E. nota Monetarii.

SMN. *ſacra moneta nova*, Licinii & Conſtantii.

SMNA. *ſignata moneta nova Antiochiæ*, Martiniani, & Theodoſii.

SMNC. *ſignata moneta nova Conſtantinopoli*, Conſtantini M.

SMNΓ. *ſacra moneta nova*. Γ. nota Monetarii, Licinii Junioris.

SMNKAB. *ſignata moneta Karthagine*, B. nota Monetarii, Theodoſii.

SMNM. *ſacra*, vel *ſignata moneta nova*. M. nota fortè Monetarii: Criſpi.

SMNS. *ſacra moneta nova ſignata*, Conſtantii.

SMRB. *ſignata moneta Romæ*. B. nota Monetarii : Gratiani.

SMRP. *ſacra moneta Romæ percuſſa*, Valentis.

SMRQ. ubi *R*. pro *A*. *ſignata moneta Aquilejæ*; Conſtantii & Valentini.

SMSISC. *ſignata moneta Siſciæ*, Valentis.

SMTA. *ſignata moneta*... Theodoſii.

SMTLS. *ſignata moneta Theſſalonicæ*, Valentiniani.

SMTR. *ſignata moneta Treveris*, Maximi.

SMTRS. *ſacra moneta Treveris ſignata*, vel *ſignata moneta Treveris*, Conſtantii.

SMTS. *Signata moneta Treveris*, Conſtantini M. & Valentiniani.

SMTSE. *ſacra moneta Treveris ſignata*, vel *ſignata moneta Theſſalonicæ* Delmatii,

ST. *ſignata Treveris*, Conſtantii Chlori, Conſtantini M. &c.

STR. *ſignata Treveris*, Conſtantini M. &c.

TAR. pro PAR. *percuſſa Arelate*, Criſpi.

TCON. pro PCON, *percuſſa Conſtantinopoli*, Juliani, Gratiani, Valentiniani Jun.

TEC. *Theſſalonica*, Juſtini.

TES. *Ibidem*, Conſtantii, Conſtantis, Helenæ, Phocæ.

TESA. *Ibidem*, Arcadii.

TH. *Ibidem*, Conſtantii.

THEU. *Theſſalonicæ Urbe*, Juſtini, Tiberii & Mauricii.

THEUP. *Theſſalonicæ urbe percuſſa*. Juſtini, Juſtiniani, Tiberii & Mauricii.

TI. fortè *Treveris*, Conſtantini M.

TR. *Treveris*, Conſtantii.

TRMS. *Treveris moneta ſignata*, Jovini.

TRO. *Treveris obſignata*, Theodoræ, Conſtantini M. & Conſtantii.

TROB. *Treveris obſignata*, Valentiniani junioris.

TROBC. Similiter, ejuſdem.

TROBS. *Treveris obſignata*, Conſtantini Magni & Junioris.

TROBT. *Treveris obſignata*, T. Valentiniani & Gratiani.

TROS. *Treveris obſignata*, Conſtantini M.

TRP. *Treveris percuſſa*, Helenæ.

TRPS. *Treveris pecunia ſignata*, Valentiniani, Gratiani & Valentiniani Junioris.

TRS. *Treveris ſignata*, Conſtantini M. & Conſtantini Junioris.

TS. *Treveris ſignata*. Licinii.

TSE. *Treveris ſignata*, *E*. nota Monetarii, Conſtantis.

TSR. *Treveris ſignata*, R. nota Monetarii, Conſtantini Junioris.

TT. pro PT. *percuſſa Treveris*, Conſtantini M.

XMTA... Theodoſii.

MONETARII autem, eorumque Præpoſitus, ſive Procurator, (quem *Præpoſitum monetæ* vocat Amm. Marcellin. item *Procuratorem monetæ l.* 28. *Rationalem* ſimpliciter Vopiſc. *in Aurel. c.* 38. *Suidas τ̃ ἄρχοντα Μονηταρίων*) militârunt ſub ſacri ærarii Præfecto, quem *majoris ærarii Procuratorem* appellat Spartian. *in Diadumeno c.* 4. ſeu, poſt Conſtantinum, ſub diſpoſitione Comitis Sacrarum Largitionum, qui præfectus olim erat ac dicebatur ſacri Ærarii. Hi, auctore Feliciſſimo, *ultimo ſervorum*, verba ſunt Aureliani, Imperatoris, ad Ulpium Patrem, *cui procurationem fiſci mandaveram, rebelles ſpiritus extulerunt: compreſſi*-- *ſeptem millibus Hiberorum Ripparienſium & Caſtrianorum & Daciſcorum interemtis.* Quam ſeditionem *intramuranam* paulo antè vocavit: quòd intra Urbis Romæ ſepta deſæviiſſet. Cauſam *Eutropius* addit, *vitiatas monetas*; *Victor* autem, *quòd nummariam notam corroſiſſent*, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano. c.* 30. Nec omittendum, in *Monetis* Regum Franciæ primæ ſtirpis, licèt horum vultus & imago illis imprimeretur; nomen tamen eorum tituloſque plerunque omitti: ſed nomen *Monetarii* adjectum, cum litteris, M. vel MO. vel MON. vel. MONET. aut MONITAR. &c. quæ *Monetarius* ſonant; atque ex altera parte, Urbis nomen, in qua cuſa moneta, Car. du Freſne *in Gloſſar.* Id quod etiam in Anglia obtinuiſſe, colligitur ex nummo Plecmundi Archiepiſcopi qui vixit A. C. 889. apud Seldenum *ad Eadmerum p.* 217. Sed & vocem *Monetarii*, non tam Ἀργυροκόπον, i. e. eum, *qui monetam cudit & ſignat*, aut illum, qui jus cudendæ monetæ habet; quam ipſum nonnunquam, ad quem emolumenta *Monetariæ rei* pertinent, denotare, obſervat Lucas Acherius *ad Herimannum de Reſtaurat. S. Martini Tornac. c.* 59. ubi Goſwinus, Frater Caſtellani Tornacenſis, *Monetarius* agnominatur, quòd eſſet *Dominus Monetæ* Tornacenſis, cujus jus cudendæ ad Epiſcopum pertinebat, apud *Eund.*

MONETIUM, oppid. Japodum in Carniola regione, *Manſpurg*, teſte *Laziô*. In Comitatu Cilienſi. 12. leuc. à Labaco in Boream.

MONFERRANTIUM, urbs Alverniæ, vix 1. milliar. à Claromonte & 2. leuc. ab Elavere fluv. in Occaſum, in tractu Limaniæ, 25. à Lugduno in Occaſum. Hîc ſumma rei tributariæ Curia, à Cancellario Platenſi, ſub Franciſco I. erecta. Ducheſnius *Antiq. Urb.*

MONFIA, Inſul. Oceani Æthiopici in ora Zanguebariæ, verſus Quiloam urb. 40. milliar. ab ora.

MONFORTIUM Amalrici, *Monfort Amaury*, oppid. inſulæ Franciæ, in colle, 10. leuc. à Lutetia in Occaſum. Drocas verſus; 7. à Medunta in Meridiem.

MONGA; Saltationis genus, Scal. *Poëtices l.* 1. *c.* 18. *Θερμαυςρὶς inter furioſas recenſebatur: ſimul cum duabus aliis, Cernophoro & Monga, in illa τὰ κέρνα ferebant, quæ interpretantur ἐσχαρίδας, h. e. foculos, quia κέρνος erat poculi quoque genus.*

MONGAGUABA, vulgò MONGAGUABE, fluv. Braſiliæ, in præfectura Paraibæ.

MONGUS Petrus, vide *Petrus*.

MONHEMERIUM, ſpectaculi genus, quaſi *unius diei*, apud Juſtinianum *in Nov. de Conſulib. §. Ac primus.*

MONI, etiam Latinè dicti, Aſcetæ ſeorſim ab aliis degentes, ex Græco Μόνοὶ, qui aliàs Μοναχοὶ, *Monachi* vocati. Vetus *Chronicon* Monaſterii Novalicenſis: *Nam ipſi* Moni *hoc decretum ab ipſo ſuæ fundationis die, uſque ad deſtructionem ipſius loci ultimam, quam fecerunt Saraceni, qui de Fraxineto venerunt, inviolabiliter & inconcuſſam tenuerant.* Et *l.* 6. *Tunc* Monus *Acephalus ait: Si mihi dederis Abbatiam & contra Abbatem meum tenerum feceris, chartas patris tibi reddam.* Hinc *Nonos* quidam pro *Monis* dixêre: ſolenni ac uſitatâ permutatione literarum *M.* & *N.* ut *Ocinum* veteres Latini pro *Ocimo*, recentiores *nappam*, pro *mappa*, Græci Παροπένιστος pro Παροπαμισος, νετώπιον pro μετώπιον, dixêre. Et Νονὶς, apud Palladium, pro Μονὶς, *Virgo Monialis, Nonna.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 1170. Vide quoque infrà in voce *Nonna*, & *us*.

MONICA, mater D. Auguſtini, cujus vitæ ſanctimoniam & ipſe D. Auguſtin. & Maphæus Vegius Laudenſis vates literis mandaverunt.

MONILE, propriè ornamentum muliebre ex gemmis, è colle dependens, teſte Iſidorô *l.* 19. *c.* 31. περιτραχήλιος κόσμος Græcis. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 657.

> ——— *Quod geſſerat olim*
> *Maxima natarum Priami, colloque* Monile
> *Baccatum.*

Idem tamen *l.* 7. *v.* 278. cum phaleris confundit, inquiens:

> *Aurea pectoribus demiſſa* Monilia *pendent.*

Quæ à ſe invicem diſtinguit quoque A. Gellius *l.* 5. *c.* 7. Veneri Capitolinæ *Monile*, quod Fortunæ Tuſculanæ dedicatum erat, dedicâſſe Galbam, docet Sueton. *in eo c.* 18. Primum eorum Architectum, Vulcanum facit Nonnus *Dionyſiac. l.* 2. Vide quoque eundem *l.* 5. *ubi elegantiſſimè Monilium Torquiumque fabricam & connexum omnem demonſtrat:* Loci initium,

> Ποικίλον ὅρμον ἔτευξε &c.
> *Varium* Monile *fecit*,

Sed & *Monilia* omnem ornatum corpori appenſum deſignant nonnunquam, Caſſianus *Inſtitution. l.* 5. *c.* 11. *Auri una ſubſtantia eſt, licet per multa variaque* Monilium *genera, pro artificum videatur ingenio ac varietate diſtincta.* Unde ſplendida ornamenta muliebria, ea exponit vetus Enarrator Prudentii *Periſteph. Hymn.* 9. Illorum ſpeciem repræſentant typi Virginum Veſtalium, quos expictos in earundem *Syntagmate* dedit Lipſius. De *Monili* inprimis *Eriphyles*, illo adeò celebri, vide Stat. *Theb. l.* 2. & Caſp. Barthium *Animadverſion. ad eum:* uti de *Monilibus matrum, inter infantum crepundia*, ſuprà in hac voce: aliquid etiam infrà in *Nuſca*.

Quia verò in *Monilibus* plerumque arrhæ Sponſalitiæ conſiſtebant, hinc ὁρμάζειν & ὁρμάζεσθαι ſubarrhandi ritus Græcis quoque dictus eſt, ut videbimus infrà ubi de eo.

MONITOR, apud Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 147.

> *Hinc tibi vota patrum credi, generoſaque pubes;*
> *Te* Monnitore *regi, mores & facta priorum*
> *Diſcere* ———

Præceptor eſt. Sic enim vocabant, blandiente generoſis ſpiritibus vocabulô, Præceptores & Magiſtros Rectoreſque Juventutis priſci: uti pluribus exemplis oſtendit Caſp. Barthius *Adverſar. Volum.* 3. & ante eum doctiſſimus Symmachi Expoſitor Franc. Juretus *ad l.* 3. *Ep.* 12. & *l.* 4. *Ep.* 5. Joannes Meurſius *Comment. Lycophronis p.* 198. nec non Thom. Dempſter. *Collectan. Antiqq. l.* 5. *c.* 25. *p.* 217. Apud eundem Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 205. ubi de Argia,

> *Olim hic virginei cuſtos monitorque pudoris:*

vox pædagogum & thalami cuſtodem notat; quales additos puellis docent vel Sceledrus *in Milite Glor.* & *Ovidius*, *Tibullus*, *Propertius*. Nomen inde quòd *admonerent* decoris, &, ſi quid obditum, ejus juberent recordari. Unde libros Commentarios *Monitores*, quòd ſubjiciant neceſſaria, dictos notat *Feſtus:* nimirum pro officio *Monitorum*, quos ad latus habebant locupletes, Seneca *Ep.* 94. *Itaque ſi in medio urbium collocati ſumus, ſtet ad latus Monitor & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet, parvis divitem & uſu opus metientem. Oſtendat ex conſtitutione vulgi beatos* &c. His ſcripto datos officii ſui articulos diſcimus ex Cicerone *de Divinat. Video mihi non te, ſed librum hunc eſſe reſponſurum, quem* Monitor *tuus tenet, qui, ſi te rectè monere volet, ſuadebit tibi, ut hinc diſcedas, neque mihi verbum ullum reſpondeas.* Plura vide apud Juretum ubi ſuprà, Barthium *d. l. Statii*, & ſuprà in voce *Cantor*, item *Cuſtos*. Sed & *Monitor*, apud Romanos, in familia ruſticana, non multum abfuit à villico, ac operariis verbô & exemplô præivit. *Monitores*, apud Tertullianum *Apolog. c.* 30. ſunt, qui aliàs *Magiſtri exercitiorum*, ſummæ auctoritatis Viri, in Pyrrhicis decurſionibus Tirones hortabantur, ac in ſegniùs officia obeuntes, non voce modò, ſed & verbere animadvertebant. Eoſdem *Campi doctores* Amm. Marcellin. *l.* 15. *Cuſtodes* Iſidorus *l.* 9. *c.* 8. ſimpliciter *Magiſtros* vocat vetus Scholiaſtes Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 87. Vide Thom. Dempſterum *Antiqq. Rom. loc. cit.* Etiam *Monitores*, alias *Fartores* ſeu *Nomenclatores* dicebantur, qui Candidatis nomina civium, ut quiſque occurrebat: ſuggererent, Plinius Junior *Panegyr. c.* 23. *Gratum erat cunctis, quòd Senatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras: gratum quòd Equeſtris ordinis decora, honore nominum, ſine* Monitore, *ſignares.* De iiſdem Horat. *l.* 1. *Ep.* 6.

> *Si fortunatum ſpecies & gratia ſpectat,*
> *Mercemur ſervum, qui dictet nomina, ſævum*
> *Qui fodiat latus. & cogat trans pondera dextram*
> *Porrigere.*

Vide quoque infrà in voce *Nomenclator*. E campo in triclinium evocari, iidem cum *Invitatoribus*, Athenæi Ὀνοματοκλήτορσιν & Δείπνων ταξιάρχοις, Artemidori Δειπνοκλήτορσι, fuiſſe videntur. Et ab hac fortè opera ſervum *Calatorem* appellat *in Rudente Actu.* 2. *ſc.* 3. Plautus: cujus claſſis & puer, qui horas nunciabat, fuit, Martial. *l.* 8. *Epigr.* 67.

> *Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu*
> *Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.*

Sidonius *l.* 2. *Ep.* 9. *Ecce & ab Archimagiro adventans qui tempus inſtare curandi corporis* moneret &c. Appulejus *l.* 2. *circa fin. Poſt hac*, monitu *famuli mei, qui noctis* admonebat, *jam & ipſe crapula diſtentus* &c. Horum ingentem fuiſſe numerum, apud homines nobiles ac fortunatos, docet Seneca *de Brev. vitæ c.* 12. *Nec illos quidem inter otioſos numeraveris, qui ſellâ ſe & lecticâ huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt: quos, quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius* admonet; *& uſque eo nimiô delicati animi languore ſolvuntur, ut per ſe ſcire non poſſint, an eſuriant.* Concinnè Plinius *l.* 28. *c.* 5. *Quippe multo utiliſſima eſt temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de ſe præfecturam ſervo dederat, ultimoque probro manus in cibis triumphali ſeni deducebatur, vel in Capitolio epulanti, pudendâ re, ſervo ſuo facilius parere, quàm ſibi.* Contrà Carneades, apud Valerium Max. *l.* 8. *c.* 7. *qui cùm cibi capiendi cauſâ recubuiſſet, cogitationibus inhærens, manus ad menſam porrigere obliviſcebatur, niſi Meliſſa,* Monitrix *domeſtica, temperatô inter ſtudia officiô, manum neceſſariis uſibus aptâſſet:* ubi videmus etiam *Monitrices* in uſu fuiſſe, vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis, paſſim:* uti de alio *Monitorum* genere infrà voce *Oenoptes*, it. *Villa.*

MONITORES, officii nomen apud Roman. Vide Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 5. *paral. ad c.* 25.

MONITUS, apud Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 645.

> *Nec dum etiam reſponſa Deûm, monituſque vetuſti*
> *Exciderant, voxque ex adytis accepta profundis.*

Et *Theb. l.* 10. *v.* 68.

> *Fama canit monitus* ———

Reſponſa Deorum ſunt, oracula. Apud eundem *l.* 11. *v.* 149.

> *Sed fati* monitus *vicinaque munera ſentit.*

Sortes divinæ, *veteri Scholiaſtæ.* Et *monere*, Vatum hinc verbum eſt, inſpiratorum, apud eundem *l.* 19. *v.* 149.

> ——— *quæ verba Deorum*
> *Ille* monet: *ne fræna animo permitte* ———

Etiam portenta, prodigia, præſagia, hôc nomine veniunt, utpote Dei voces, de futuris calamitatibus homines præmonentes. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 464.

> *Multaque præterea Vatum prædicta priorum*
> *Terribili* monitu *horrificant* ———

Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 28.

> ——— *Vateſque canunt, pecudeſque per aras*
> *Terrifici* monitus *iterant* &c.

Iidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Iidem *diri monitus*, Statio *Theb. l.* 7. *v.* 404. *ad quem loc.* vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium.*

MONLUSSONIUM, urbs Borbonienſis provinc. ad Carim fluv. in limite Bituricenſi, 4. leuc. à confinio Alverniæ inferioris in Boream, 13. à Molino in Occaſum. Vulgò *Monluçon.*

MONMICOGA, Inſul. Belgii, in ora Friſiæ Occidentalis, vix 5. mill. paſſ. à Continenti, paulo plus ab Amelandia in Ortum. *Schiermong* quibuſdam.

MONMIRALIUM, oppid. Briæ, ad Morinum majorem fluv. in limite Campaniæ propriæ, 4. leuc. a Caſtro Theodorici in Meridiem, 12. à Meldis in Ortum, *Monmirail* vulgò.

MONMIRALIUM, oppid. Pertici tractus, in colle, in ipſo limite Cenomanenſis provinc. 11. à Cenomano in Ortum, 6. à Vindocino in Septentrionem; vulgò *Monmirail.*

MONMORENCIACUM, oppid. regiunculæ Franciæ propriè dictæ, in colle, 4. leuc. à Lutetia in Boream, cum titulo Ducatus. Hinc valli adjacenti & fertiliſſimæ nomen; *Monmorency.*

MONNA, vide MONA.

MONOBAMBYLUM, Græcè Μονοβάμβυλον, candelabrum eſt uno acetabulô conſtans, ſeu unius candelæ candelabrum; ſicut quod ex duobus, διβάμβυλον vocabatur. *Codinus ὁ δεύτερος ὀστιάριος κρατῶν τὸ μονοβάμβυλον, Secundus Oſtiarius, tenens monobambylon.* Ferri id ſolebat ante Patriarcham Conſtantinopolitanum quotidie, uti dibambylum, ante Imperatorem; at die creationis ſuæ idem quoque Dibambylô honorabatur. Pachymeres *Hiſtor. Tom.* 2. *l.* 2. *c.* 28. *At ille receptô paſtorali baculô ab Imperatore, ut fieri ſolet, honoratur dibambylô.* Nempe ὀξύβαφα & ἐμβάφια dicebantur vaſa, embammati continendo ſervientia; Latinis etiam *bamma*: unde *bammulum* diminutivum parvum oxybaphium, quod Græcis recentioribus dictum eſt βάμπυλον & βάμβυλον. Candelabra autem Veterib. ita fiebant, ut hodie videmus ea, quibus utuntur in templis; carinus eſt vel ſcyphus & in medio uncinus, cui infigitur candela. Varro *de Vita Pop. Rom.* apud Servium, *Facibus aut candelâ ſimplici, aut ex funiculo facta, cera veſtita: quibus ea figebant, appellabant funalia.* Poſt quæ Servius, *Nonnulli apud Veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi ſolebat vel candela, vel funes pico delibuti, quæ interdum erant minora, ut geſtari manu & præferri Magiſtratibus à cœna poſſent.* Unde candelabra ipſa, in modum lancis, vel ἐμβαφία uncinum in medio habentia, quibus infigebatur candela, cum pediculo, quô manu retinebatur, βάμμυλα vel βάμπυλα Græci citeriores vocârunt; hincque Μονοβάμβυλα & Διβάμβυλα, in quibus vocibus explicandis, nugantur eruditi homines. Nam βάμμυλον omnino eſt *bammulum* ſeu *parvum bammum*, vel ὀξύβαφον. Cujuſmodi acetabula Exod. *c.* 25. *v.* 31. in candelabro Templi *ſcyphi* vocantur, *Facies candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus & calamos, ſcyphos ac ſphærulas.* Sed & in lucernis Veterib. dicebantur ἐμβάφια, quæ oleum continebant, ut videre eſt apud Herodotum *l.* 2. Item, quæ candelæ emunctiones & decidentes ſordes excipiebant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 375. & Dominicum Macrum *in Hierolexico.*

MONOBAZUS, Adiabenorum Rex, tempore Neronis.

MONOBRICA, vulgò *Monbriga*, oppid. olim. Hiſpaniæ Bæticæ, nunc pagus teſte *Cluſiô.* Sed *Ferrario* videtur eſſe oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in Arragonia, vulgò *Menebriga*, ad Salonem fluv. à Bilbili 5. leuc. Cæſaraugustam versùs 16.

MONOCEROS, Latin. *Unicornu*, animal quadrupes unicô cornu prodigioſæ longitudinis maximique pretii inſigne: quod in India Nubiaque reperiri nonnulli tradunt. Sed qui de eo ſcribunt, ſibi non conſtant, nec ullus Græcorum Romanorumque id animal ſe vidiſſe affirmat: Imò nec quiſquam Arabum, qui Indiam diu tenuerunt. *Garcias* quoque *ab Horto* & *Linſchotus*, qui in India multum temporis triverunt, nihil de illo certi afferunt &c. Niſi fortè *equum, aſinum* & *boves Indicos* intelligas, qui, unicum in fronte cornu habentes, μονοκέρωτες vel μετωποκέρωτες dicantur. Et quidem equi meminit Oneſicritus, apud Strabonem *l.* 15. in India deſcribens ἵππους μονοκέρωτας, ἐλαφοκράνους, *equos unicornes, corvinis capitibus.* Et Ælian. *l.* 3. *c.* 41. ubi tam *equi*, quam *aſini* Indici, cornu inter alexipharmaca numerat. Aſinus hic ſeu verius onager equo magnitudine par eſt, albô corpore, capite purpureô, oculis cyaneis, carne amarâ & guſtui ingratâ; in fronte prominet unum cornu cubitale vel ſeſquicubitale, in medio nigrum, album infrà, ſuprà puniceum, magni in Medicina uſus; robur & pernicitas ſumma eſt; cornu, dentes & calces ex æquo terribiles, locis maximè deſertis degit, vivus raro capitur, uti eum deſcribunt Apoſtolius *Proverb.* 1357. Ælian. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 52. Ariſtoteles *Hiſtor. Animal. l.* 2. *c.* 10. Plin. *l.* 11. *c.* 37. Alii. Sed & *Boves* in India ſolidis ungulis & unicornes ex Cteſia tradunt Plin. & Solin. *c.* 55. quos in Æthiopia locat Ludov. Vartomannus *Navigation. l.* 2. *c.* 15. &c. Quòd verò de cornu monocerotis tam multa congerunt Scriptores, Arabes inprimis; è quibus Algrahid, ex eo, à Sinenſibus *baltheos, quorum ſinguli valeant pluſquam quatuor aureorum millia*: Damir, *bracteas Regum ſoliis baltheiſque exornandis*; Algrahid iterum, *monilia nobiliſſima, ab iiſdem Sinenſibus*, & Gihani, Regum Indiæ, *cultrorum manubria*, quæ venenatos cibos ſudore ſuo prodant &c. confici ſcribunt: Quodque in S. Dionyſii Fano in Gallia, Windſoræ in Anglia, Ultrajecti in Belgio alibique, monocerorum cornua aſſervari dicunt; ceti ſunt dentes, non quadrupedis cujuſdam cornua: quod primus aperuit *Bellonius* & poſt eum multi confirmârunt; ſed omnium uberrimè Scriptor anonymus, qui A. C. 1647. inſignem *de Groenlandia* Tractatum linguâ vernaculâ edidit, ubi inter alia, *monocerotum* cornua, quæ alibi rara ſunt, tam communia eſſe in Regno Daniæ, quò ex Groenlandia & Iſlandia deferantur, memorat. Ibi enim inter varia maris monſtra cetus eſt quidam, *narhual* nomine, quaſi νεκρόκητον dixeris, Iſlandis, ſic, quod hominum cadaveribus veſci creditus, dictus. Ex cujus maxilla ſuperiore dens à ſiniſtra parte prominet, longus aliquot pedes, durus, ita rotundus, ut in conum deſinat, ſuperficie in ſpiras contortâ, colore plerunque albô, ſed quandoque ſubfuſcô; denique cornua prædicta tam exactè referens, ut ovum ovo ſimilius non ſit &c. Sed & fruſtra objicias duas unicornes, in æde Mecchana, viſas à Vartomanno, cui fidem haberi jubet Scaliger *Exercitat.* 205. Neque enim hæ fuerunt Veteribus monocerotes ſolidungulæ, aut pedibus ἀδιαρθρώτοις, quales aſini & equi aut elephantes habent; ſed bifidæ caprarum aut cervorum modô, quod ille disertè aſſerit; *Tibias*, inquiens, *habet tenues id animal, eaſdemque graciles admodum, hinnuli modô. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referentes.* Quod probè notandum; inde enim apparet, orygem à Vartomanno deſcribi, non verum monocerotem. Vide hanc in rem complura, apud Sam. Bochartum *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 27. ubi etiam integrum ceti, de quo dictum, cranium, cum dente iſtiuſmodi integro quatuor pedes cum palmo extra maxillam prominente, ambitu in ſumma parte quinque pollicum, colore eburneô, multis σπειρηδὸν lineis ſuperficiem ambientibus, quod Holmiæ, in regio Cimeliarchio, viſitur, ut & varios oryges, ex veteri *Tabula*, in Italia, uti putatur, repertâ, deſcriptos videre eſt. Adde quæ infrà, ubi de *Oryge*, it. *Unicornu*, uti & quæ diximus voce *Charſan.*

MONOCEROS, cognomen Crateri cujuſdam, apud Plin. *l.* 10. *c.* 43. *Nec non & recens fama Crateri*, Monocerotis *cognomine, in Erizena regione Aſiæ, corvorum operâ venantis, eo quòd devehebat in ſylvas eos inſidentes corniculo humeriſque.* Ubi per *corniculum*, galeæ cornu intelligit, quod cùm unicum hic Craterus haberet, hinc ei *Monocerotis* cognomen. Præter namque varia alia galearum inſignia, cornicula etiam fuêre; non criſtæ plumeæ ſectæ ac diviſæ in cornua, ſed vera cornuum ſimilitudo ære vel ferrô expreſſa: atque ab his Comœdiæ Plautinæ nomen *Cornicularia*, in qua miles corniculis inſignem galeam geſtans traducebatur, Varro *de L. L. l.* 4. Vide Salmaſ. *in Solin. p.* 547.

MONOCHERIUM, vide ſuprà *Dextrocherium.*

MONOCHORDOS, vide ſupra *Clavicymbalum*: & infrà *Organica.*

MONOCHROMATOS Pictura, apud *Plin. l.* 35. *c.* 3. *De Picturæ initiis incerta —— Græci alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam affirmant, omnes umbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuiſſe: ſecundam ſingulis coloribus &* monochromaton *dictam, poſtquam operoſior inventa erat: duratque talis etiam nunc. Inventam —— dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuêre Ardices Corinthius & Telphanes Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore, jam tamen ſpargentes lineas intus. Ideò & quos pingerent, aſcribere inſtitutum.* Μονόγραμμος aliis, ab unica & eadem ſemper linearum ſpecie nomen habet. Quô modô Epicurus *de Nat. Deor. l.* 2. *Monogrammos* Deos vocat, eoſdem ſemper, qui nec irâ mutentur, nec lætitiâ: quamvis tenues & decolores apud Lucilium Nonius exponat hôc verſu:

—— vix vivo homini ac monogrammo.

Dalechampius *Not. ad l.* ubi Cleanthis laudati Trojæ excidium & Minervæ ortum, opera multum celebrara, cum Aregontis itidem Corinthiæ Dianæ in cunis deportatione, in Alphæoniæ Dianæ Templo, fuiſſe aſſervata, docet ex Strabone *l.* 8. Vide quoque Plin. *l.* 35. *c.* 8. Salmaſio *monochroma*, Gallice *Crayon* eſt, *ad Solin. p.* 5. Cœterùm *monochromata* cinnabari pingi conſueviſſe, diximus ſuprà. Vide quoque infrà, ubi de Veterum *Pictura.*

MONOCOLI, vide infrà *Monoſceli.*

MONODACTYLUS, Æthiopiæ mons. *Ptol. Pentadactylos* Plinii eſt *l.* 6. *c.* 29. Villanovanô teſte.

MONODIA, Græcè Μονῳδία, cantus lugubris ſpecies, in qua ſolum affectum Veteres poſuêre, ἠθοποιΐαν verò nullam, proſopopæiam nullam. Nempe fuit, quoties è Choro prodibat unus, qui defuncti memoriam lugubri carmine celebraret. Fiebat autem id ad tibiam Lydiis modis: quod primum feciſſe Pythoni tibicinem Olympium, ſcripſit Ariſtoxenus. Vide Scaligerum *Poëtic. l.* 3. *c.* 122. & infra ubi de *Tibiis paribus imparibuſque.*

MONODUS, Pruſiæ fil. qui dentium locô os unum continuum habuit, unde ei nomen, quemadmodum Pyrrhum Epirotarum Regem habuiſſe Plin. *l.* 7. *c.* 16. & *Plut.* referunt.

MONOECUS, incolis *Monaco*, Gallis *Mourgues*, portus & ſtatio Liguriæ, paucarum navium capax, ab Albinga oppid. diſtans ſtadiis 480. Dicitur *portus Herculis*, quia, teſte Serviô, pulſis aliis illic Hercules ſolus habitavit, vel quòd in ejus templo alius deorum non colitur. Arcem habet firmiſſimam, in rupe, & inacceſſam, cujus Princeps & Dominus, qui à Grimoaldo, filio Pipini, Auſtraſiæ Regis fratre Caroli Martelli, Palatii Magiſtri An. 713. ſeoriundum dicit: (de cujus filiis & diviſione hæreditatis, vide Bouchæum. *l.* 8. *Hiſt. Provinc.*) neminem ſuperiorem agnoſcit, licèt ſub tutela olim regis Hiſpani, nunc Galli, præſidium illius in arcem admiſerit. *Baudrando* oppid. eſt parvum, ſed munitum, cum palatio Principis, è gente Grimalda, in ora maris Liguſtici; ferè inſertum in Comitatu Niceenſi, cum *Mentone* & *Rocobruna* oppidulis, quæ eidem Principi ſubſunt. Vide *Herculis Monœci portus.* Ibi incipiunt Alpes maritimæ. Virg. *l.* 6. *v.* 830. De Cæſare & Pompejo:

Aggeribus ſacer Alpinis, atque arce Monœci.

Lucan. *l.* 1. *v.* 407.

—— Solus quâ litora turbat
Circius, & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Sil. *l.* 1. *v.* 586.

Et nebuloſa jugis attollere ſaxa Monœci.

Nic. Lloydius.

MONOETIUS, unus ex Argonautis, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 342.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MONOGISSA, vide Stephanum in *Μονόγισσα*.

MONOGLOSSUM, *Ptol.* Indiæ intra Gangem Emporium. *Mangalor à Nigro* indigitatur.

MONOGRAMMA, Priſci moris erat, in Chartis Regum & inferiorum quoque perſonarum, Baptiſmalia nomina inceptivâ ſolum literâ deſignare; ut *W. Dei gratiâ Rex Angl. &c. H. Dei gratia Londinenſis Epiſcopus, &c.* Et ita ſæpiſſimè, in citandis teſtibus. Quòd etiam in nummis obſervatum eſt, juxta illud in Capp. *Caroli Calvi l. 11. p. 306. Ut in denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum habeatur in gyro, in medio noſtri nominis* Monagramma, *ex altera parte nomen civitatis & in media Crux habeatur.* Vide Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Idem docet *Monogramma* nominis CHRISTI DOMINI, quod vel Græcorum X. ſolitarium ſignificavit: unde in Antiochenorum dicteriis recenſet Julianus *Miſopogone*: Τὸ Χῖ, φασιν; ὀυδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν; ὀυδὲ τὸ Κάππα; *Chi, inquiunt, & Kappa nihil injuriæ intulerunt civitati*, ubi per X. Chriſtum, per K. Conſtantinum, quorum nomina ab his literis ordiuntur, indigitat Apoſtata. Vel duæ priores literæ X. & P. junctæ, & literâ P. per X. literam immiſſâ, hoc modo ☧, quod cùm fuerit ſignum Conſtantino M. in aëre monſtratum, quodque poſtea ſignis militaribus, Labaro inprimis, nummiſque inſertum eſt, fruſtra ſunt, qui ex litera X. *Chi*, initiali nominis Chriſti, crucem faciunt, exque apparitione illa neſcio quid arceſſunt. Quò apprimè faciunt verba Fortunii Liceti *de recond. antiq. lucernis l. 6. c. 48. Quod Cl. Caſalius ait, in illa vetuſta lucernarum nota ☧ ſignari Crucem, & Chriſti Domini nomen, id ut ejus Viri pietati facilè dedero; ſic opinor aliter antiquos eâ notâ ſignificare voluiſſe, non crucem, quæ faciliùs, apertiùs & breviùs abſque ſuperpoſito P. Græcanico, ſimplici ſui notâ ſignatur* ✠. *at indicare Chriſti nomen duabus primis ejus literis in unum junctis & ex Alphabeto Græco deſumtis, quæ ſunt* Chi *&* Ro, *ac indicata, & juncta ſimul, efformant illud ſignum* ☧ *Non abſimili ratione D. Bernardinus nomen JESUS primus tribus literis Græcanicis abbreviavit, in hanc formam IHS. cui ſuperimpoſuit crucem* &c. vide quoque ſuprà, *Chriſti monogramma.* Sed & nummis antiquioribus ætate Chriſti, ſignum hoc ☧ ſculptum profanam quoque ſignificationem habuit, ut alia multa ſigna, de quibus vide Iſidorum *Orig. l. 1. c.* 20. ubi cùm afferat notas iſtiuſmodi 26. quæ vigeſima apud illum ſecunda eſt, & ita formatur ex X. & P. junctis, ut viſum, *Χρήσιμον denotare*, ait, *& ex voluntate uniuſcujuſque ad aliquid notandum poni.* Reperitur illa ſculpta in nummis Ethnicorum & ſervilibus fugitivorum collariis: item in pleriſque Regum Ptolemæorum æreis numiſmatibus &c. quam vetuſtam Gentilium notam, ſive *Chriſimum, Chremetem, Chryſanthum, Chryſacrum, Chryſoſtomum aut aliud quid* deſignaverit, Conſtantinus Aug. ad ſacrum uſum traduxiſſe videtur. Vide Laur. Pignorium *Ep.* 24. & qui de hac nota prolixè ac eruditè agit, ſuprà laudatum Licetum, *toto illo capite, ubi Lucernas Iſidori ac Caſalii, notam hanc habentes, explicat.* Uſus hujuſmodi nominum compendiò ſcriptorum ac certis literarum implexionibus concinnatorum non nuperus eſt, ut cujus Plutarchus jam *in Catone* meminit; extatque Marciani Imperatoris numiſma, apud Octavium Stradam, *p.* 249. in quo ejus monogramma exaratur. Vide quoque ſuprà *Bonifacius Africæ Comes.* Et certè Veteres integra ſua non tam nomina, quam prænomina, haud ſcripſiſſe, palàm eſt ex *veterib. Inſcriptionibus* & Auſonii *Epigr.* 35.

Lucius una quidem, geminis ſed diſſita punctis.
Litera prænomen ſic L. nota ſola facit.

In ſubſcriptionibus præſertim, nomina ipſa poſterioribus ſeculis brevi literarum compendiò ſcripſêre, eaque dein in *Monogrammatis* contraxêre formam, quod ſeptimô maximè obtinuit; tametſi horum uſum antiquiorem evincant nummi, quos ex Gazophylacio Regio ære incidi curavit Car. du Freſne, cum cœteris inferioris ævi Imperatorum Conſtantinopolitanorum numiſmatibus, ad Zonaræ aliorumque Byzantinorum Scriptorum illuſtrationem. Vide eundem in *Gloſſario*, ubi varia Regum complurium, ut & 5. Pontificum, Hadriani I. Paſchalis I. Nicolai I. Xyſti III. & Leonis III. *monogrammata* exhibet: nec non infrà, vocibus *Notæ* & *Sigla.*

MONOGRAMMUS, vide ſupra *Monochromatos.*

MONOLEUS, lacus Æthiopiæ, ex quo Aſtaboras fluv. effluit. *Strab.*

MONOLINUM, apud Jul. Capitolin. *in Maximinis c. 1. Monolinum de albis novem:* eſt filum unum, quo margaritæ inſertæ ſunt; nam albæ ſunt margaritæ. Nempe gemmæ & ſolutæ ornatui mulierum admovebantur & ſertæ atque in lineam miſſæ: unde apud Ulpianum, *extricatæ margaritæ*, opponuntur *pertuſis*, quibus in linea utebatur Titii uxor *l. 27. §. 30. Dig. ad Legem Aquiliam.* Et tum vel ſingula erant fila, Tertullian. *de Habitu Mul. Unolino decies ſeſtertium inſeritur*, quem locum imitans Hieronym. in *Vita* Pauli Eremitæ *uno filo villarum inſunt pretia:* quæ hinc *Monolina* dicebantur, Latin. *Unifila.* Vel plura fila, ut in trifilis, quæ tribus lineis conſtabant, Τρίλινα Græcis: item quadrifilis, quæ iiſdem Τετράλινα; namque & è quaternis margaritarum filis nonnunquam erant. Salmaſ. & Caſaubon. *ad Capitolin loc. cit.*

MONOLITHA Columna, ἡ μονόλιθος, apud Laberium, quid ſit, vide Salmaſ. ad *Pollionem in Tito. c.* 32. uti *de Monolithis ſepulchris*, ſuprà in *Camera.*

MONOLORIS Tunica, apud Vopiſc. in *Aureliano c.* 46. dicta eſt, quæ unum tantum *lorum*, ſeu paragaudam, adtextum habebat, quemadmodum *diloris, triloris, penteloris*, quæ bina, trina, quina &c. Vide ſupra in voce *Lorum.*

MONAMACHIA, dicta eſt olim exercitatio, in qua duo inter ſe utplurimum dimicabant, vel ut ad bellicas pugnas ineundas fortitudinem & peritiam compararent: vel, ut in ludis, Amphitheatris, atque aliis publicis certaminibus coronas victoriæ conſequerentur, populumque oblectarent; quos Euſebius *Hiſtor. Eccl. l. 8. c. 18. Μαχητὰς* nuncupare videtur. Ejus duæ ſpecies: cum telis una, quæ *Hoplomachia*, ſine telis altera, quæ *Sciamachia* vocata eſt. Illa fiebat, quum ſinguli inter ſe armis rudibus, vel incidentibus ac pungentibus certabant: quod exercitationis genus vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe docet Plut. *Problem. 2. Sympos.* 5. ubi refert, antiquitus *Monomachiam* in Piſis civitate & in Elide, Peloponneſi regione, ad Alphæum fluv. ludis Olympicis, uſque ad mortem devictorum cædemque jugulationem proceſſiſſe. Sacerdotes quoque in Pergamo priſcum morem retinuiſſe, ut æſtatis tempore *Monomachias* exercerent, narrat *Galenus.* Nec Græcorum ſolum eum morem fuiſſe oſtendit Athenæus *Dipnoſ. l. 4. c. 13. Romanos*, inquiens, *Monomachorum ſpectaculo non modo in Feſtis atque Amphitheatris, verùm etiam in conviviis à Tyrrhenis conſuetudinem mutuatos adhibuiſſe:* quamvis Romani non *Monomachos*, ſed Gladiatores, illos nominare maluerint, de quibus vide ſuprà, in voce *Gladiatorii ludi*, item voce *Ludi.* Et quidem rudibus armis factam militarem *Monomachiam* illam fuiſſe, quam Hermippus apud Athen. *l. 4. c.* 13. Mantinæos inveniſſe & Cyrenæos imitatos eſſe ſcribit, credunt Eruditi: ſicut ſimiliter exiſtimant, quam *Scrithiam* vulgus vocat, eam ipſam eſſe, de qua loquutus Plato in *Lachete* ſcripſit, *juvenibus conducere, ut armis pugnare diſcant; quoniam ſic habitus corporis robuſtis acquiratur*, &c. In hac haudquaquam ad necem uſque ſe feriebant, ſed rudibus telis ſeſe petere ſimulantes, quandoque etiam revera percutientes, & plagarum inflictiones & averſiones addiſcebant. In altera verò; ubi acutis telis pugnatum, aliquando ad necem proceſſiſſe ſuprà viſum eſt. Finis hujus pugnæ armatæ, apud Græcos fuit, ad bellum ut paratiores poſtea haberent milites: Romani verò, teſte Antyllô, apud Oribaſium *Collectan. Med. c.* 36. primi eam, quæ pro ſanitate exerceretur, invenêre: Unde & Galenus, inter alia Gymnaſtiæ munera, armorum exercitationem, tanquam bono corporis habitui conducentem recenſet, claréque monſtrat, ad exercenda brachia atque crura Sciamachiam: ad omnia verò membra Hoplomachiam, à Demea inventam, utiliter adhiberi, *l. 2. de tuend. valet. c. 11. & 12.* Vide quoque Martialem *l. 8.* ubi Medicum quendam Hoplomachum antagoniſtam graviter in oculis ferientem, hiſce verbis carpit, *Epigr.* 74.

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus antè,
Feciſti Medicus, quod facis Hoplomachus.

Sciamachia verò fuit, cùm homo adverſus umbram & brachiis & cruribus pugnabat, ut ex Platone *Apolog.* patet: item cùm certantes adverſùs columnam & palum, cujus meminit Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 246. digladiabantur. Nec mirum cum umbris olim pugnatum, quum & hodie iſtiuſmodi exercitatio in uſu: cujus Apoſtolus quoque meminit, 1. Corinth. *c. 9. v. 26. οὕτω πυκτεύω, ὡς ὀυκ ἀέρα δέρων, Ita pugnis certo, non quaſi aërem cædens.* Nec brachiis ſolùm pugniſque nudis, ſed etiam armis cum umbris pugnâſſe, Celtæ fidem faciunt, quos id poſt cœnam factitâſſe, *Poſſidonius* auctor eſt. Glauco quoque Caryſtio, Athletæ ſtrenuo non ſolùm ob pugilatoriam, ſed & in umbra pugnandi excellentiam, ſtatua habitu σκιαμαχοῦντος erecta eſt, apud Pauſan. *Eliac. l.* 6. Omnium verò frequentiſſimè pugnam ad palum Veteres exercebant, nec ſolùm milites, ſed etiam Gladiatores, *quos nunquam aut campum aut arenam Victores declaraſſe, niſi diligenter ad palum fuiſſent exercitati*, docet Vegetius *l. 1. de re milit. c. 11.* Juvenalis ſupra laudati verba de hoc pugnæ genere iſta ſunt,

———— ———— *Aut quis non vidit vulnera pali,*
Quem cavet aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit,
Atque omnes implet numeros.

Vide quoque infrà *Palus* it. *Sciamachia*; hæc de *Monomachia* Gymnaſtica Veterum, quam pluribus exſequitur, Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. l. 3. c.* 4. A qua multum degeneravit Gladiatura Romanorum, in qua *aut occidendus adverſarius, aut occumbendum* erat, ut loquitur A. Gellius *l. 7. c.* 3. quamque proin mitigavit Antoninus Imperator non acutô ferrô, ſed obtuſis ac teretibus gladiis dimicari, mandans: imò penitus merito ſuſtulit Honorius Imperator, apud Theodoretum *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. c.* 26. Nec quidquam cum ea commune habuit Χειροκρατία; ſeu Lex illa manuaria, quâ *id æquius quod validius*, Tacit. *Annal. l. 15. c.* 1. quamque in Dania Frotho III. Rex olim tulit, ut omnes controverſiæ *Monomachiâ* ſeu Duellô finirentur, apud Saxonem Gramm. *Hiſtoria Dan. l.* 5. id quod adhuc in Moſcovia uſitatum eſſe, refert Bodinus *de Rep. l. 4. c. ult.* Quemadmodum etiam in Anglia, inter rationes, quibus liti colophon imponitur, Duellum receptum fuiſſe, refert Thom. Smithus *de Rep. Angl. l.* 2. *c. 6. &* 8. & Longobardos, quotieſcunque deeſſet probatio, Judici per duellum fidem feciſſe, docet Alciatus *l. de Duello c.* 4. Nec veterum Germanorum apud Tacitum mos, *qui ejus gentis, cum qua bellum erat, captivum cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committebant; victoriam hujus vel illius pro præjudicio accipientes, de mor. Germ. c.* 10. Multo minus hodiernorum Duelliſtarum pugnæ, qui ad veterum Gladiatorum potius, quam *Monomachorum*, morem, levi de cauſa in mutuam perniciem, non ſine familiarum, civitatum, Regnorum graviſſimo damno furentes ruunt: quem propterea, ab Henrici Magni temporibus in Gallia deſævientem, magnâ ſui Nominis gloriâ ſuſtulit Ludovicus XIV. hodie feliciter imperans. Minus noxiam *Monomachiam* vide in voce *Juſta* item *Gallus* ſuprà: & plura de his, apud Auctores laudatos, quibus adde Matt. Berneggerum *in Tacitum quæſt.* 51. Addam ſaltem quædam, de certamine ſingulari duorum, quorum controverſiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

verſiæ alioqui totos populos graviſſimis malis eſſent implicituræ, ſi inter ſe parati ſint armis decernere, ut olim de Peloponneſo, Hyllus & Echemus; de regione ad Inachum, Hyperochus & Phemius; de [illegible], Pyrechmes Ætolus & Degmenus Epeus; de Iba, Corbis & Orſua: an id permittendum. Videtur enim id, ſi non ab ipſis rectè fieri, certè à civitatibus poſſe acceptari, ut minus malum. Et apud Livium quidem ſic Metius Tullum alloquitur *l.* 1. *c.* 23. *Ineamus aliquam viam, quâ utri utris imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine utriuſque populi decerni poſſit.* Et Strabo vetuſtam hanc fuiſſe dicit Græcorum conſuetudinem *l.* 8. Apud Virgilium quoque Æneas æquum fuiſſe ait, ut inter ſe & Turnum eô modo res definiretur. Nec alium inter Francorum veterum mores hoc laudat impenſiùs Agathias *l.* 1. Non quoque abludit Ætolorum & Eleorum, qui inter binos utrinque; Romanorum & Albanorum, qui inter ternos; Lacedæmoniorum & Argivorum, qui inter tricenos, certamini committendo, ſummam rerum credere olim conſuevêre. Verùm hanc ſententiam rectæ rationi ac Dei præceptis repugnare, certum. Proin, ſi res bellô digna agitur, ut multorum innocentium ſalus, pro eâ totis viribus pugnandum eſt. Condictô verò certamine uti, tanquam teſtimoniô bonæ cauſæ aut judicii divini inſtrumentô, vanum & à vera pietate alienum. Quam in rem vide plura, apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 20. §. 43. uti de damnatis εἰς τὸ πυγμῇ μονομαχεῖν aliquid infra voce *Pygmachi.*

MONOMERI, populi apud ultimas Orientis terras, ſingulis cruribus ſaltatim currentes, vivaciſſimæ pernicitatis, Gell. *l.* 9. *c.* 4.

MONOMOTAPA, vulgò quoque *Monomotapa*, regnum, in parte Auſtrali Æthiopiæ interioris peramplum, inter Imperium Monemugi ad Septentrionem & Cafreriam regionem ad Meridiem ibi plurima regna, vix nomine Europæis nota, & amnes auriferi. Hujus caput eſt.

MONOMOTAPA, ad fluv. Spiritus S. versùs regionem Cafrorum ad Ortum 40. mill. paſſ. ab ora Oceani Æthiopici. Significat autem vox *Monomotapa*, ſeu Benemetapa, Imperatorem, ſecundùm *Claver.* quem cierit regnare ab Oceano Æthiopico uſque ad mare Rubrum: ſed recentiores relationes, ejus potentiam Capite Bonæ Spei terminari dicunt. Ab incolis *Magnus Tabaquus*, vel *Tabachus* appellatur; habetque regiam *Zangibare*, & feminarum ſatellitiô cuſtoditur. Porrotam ſe dictis mandantur à ſe ditis, ut vitam æternam ſe, pro eo moriendo, mereri credant. Gentiliſmum profitetur, ſed jejunium rigidè obſervat. Vide le Blanc. *Itin. part.* 2. *c.* 4. Præter *Monomotapam*, etiam *Butuam* Metropolim Imperii vocat *Hornius*. Pertinet ad hoc promontor. totius Orbis maximum ac celeberrimum Bonæ Spei. Sequuntur ingenti juxta littus tractû Regna, *Ceſala, Mozambique, Quiloa, Milinde, Magodoxo*, à ſingulis urbibus denominata. Verum autem *Monomotapæ* nomen eſt *Mocaranga*, titulus communis Regum, *Mana*: unde nomen *Manamotapa*, i. e. *Rex Motapa*, ſicuti *Mana Congo*, i. e. *Rex Congi*, & ſimilia. Et quidem olim tota Mocaranga unum agnoſcebat Regem: ſed ſuperiori ſeculô Rex cum feſſus Regnis gubernandis ſentiret imperium, inter quatuor filios ea diſtribuit & maximo natu dedit Regnum *Monamotapa*, ſecundo Regnum *Quideve*, tertio Regnum *Sedanda*; quarto Regnum *Chicanga*: hâc conditione, ut tres hi poſteriores fratri maximo ſubeſſent. Verum hi, poſt Patris obitum, ſibi quiſque, ſpretâ Fratris auctoritate Regnum conſtituerunt, à quo tempore Imperium hoc ampliſſimum diviſum manſit. Hodie, inter quatuor hoſce Reges, Quidevæ Rex, potentiſſimus eſt. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 4. *p.* 72. & *Orb. Imp. p.* 318.

MONOPHAGA, ſacra apud Æginenſes, quæ copiosè deſcribuntur Plut. *in Quæſt. Græcis*, & *Athenæo*.

MONOPHAGIA, Græca vox, *Solitariam cœnam* denotans, velut criminis locô, quondam objecta eſt, ut *Athenæus* obſervat. Unde in criminatione Domitiani hoc non prætermiſerunt Veteres, quòd ſolus veſceretur; cùm civiliſſimi & communiſſimi quique Principes amicos ſemper ſuis conviviis, quà publicis, quà privatis, adhiberent, uti de Antonino Pio *Capitolin.* de Alexandro Sev. *Lamprid.* de Macrino, idem *Capitolin.* tradidêre. Et quidem quotidiani hi convivæ Imperatorum etiam non vocati aderant & adeſſe quodammodo cogebantur, quod ſine illis eſſe non poſſet Princeps: quâ neceſſitate veniendi eos cùm liberâſſet Marcus, illiſque ſecum conviviandi gratiam feciſſet, ſequius interpretati ſunt quidam & ad mores Marci arrogantes retulerunt, qui faſtigium Principis ſervare cuperet. Sed longè aliâ id ratione feciſſe, ipſe teſtatum reliquit, ubi ſe didiciſſe à Parente refert, amicis remittere & cœnandi & unà peregrinandi ſecum neceſſitatem, καὶ τὸ ἐπιτρέπειν τοῖς φίλοις μήτε συνδειπνεῖν αὐτῷ πάντως, μήτε συναποδημεῖν ἐπάναγκες: quam modeſtiam mentem & in commune quodammodo conſulentem, proprio ſibi voce κοινονοημοσύνην appellat, eruditiſſimo ejus Interpreti minus intellectâ. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in vita Marci. c.* 19. & infra *Senſus communis*. Neque verò Principes ſolum, verùm & alios homines divites in more habuiſſe olim, ut ſoli non cœnarent, vidimus ſupra, voce *Microphagus*.

MONOPHYSITÆ, Hæretici, quòd unam ſolùm in Chriſto φύσιν, i. e. *Naturam*, etiam poſt incarnationem, agnoſcerent, ſic dicti memorantur Niceph. l. 18. c. 45. & 46. Proles Petri Fullonis & Severi Hæreſiarchæ: contra quos ſcripſere *Leontius Monachus*, *Georgius Piſides Diaconus*, *Eulogius Papa Alexandrinus* & *Anaſtaſius Sinaita*: contemporanei Gregorio I. Eundem Theopaſchitarum & *Monophyſitarum* hæreſin Jacobus quidam, cognomine *Zanzalus*, genere Syrus, cùm magnoperè in gente ſua propagare ſtuduiſſet, ejus ſectatores per multa deinde ſecula *Jacobitæ* dicti ſunt, Nicephorus ubi ſuprà c. 52. Sic Jo. Damaſcenus de Hæreticis ſcribens, quos vocat *Ægyptios* & *Schematicos* & *Monophyſitas*, *Horum*, inquit, *principes fuerunt Theodoſius Alexandrinus, à quo Theodoſiani; & Jacobus Syrus, à quo Jacobitæ ſunt nominati:* (Ἰάκωβος ὁ Σύρος, [illegible]) *Antiochenorum pernicies: & qui fruſtra laborem ſuſcepit, Joannes Tritheites, qui communis ſalutis myſterium negant.* Ab his verò Orthodoxi in Syria; qui rectæ fidei in Synodo Chalcedonenſi propoſitæ, atque Imperatorum edictis defenſæ, omnibuſque injunctis adhæſerunt, appellati ſunt per contumeliam *Melchitæ*, ac ſi fidem ac religionem pro *Regis*, h. e. Imperatoris lubitu profiterentur. *Malca* namque Syris Regem ſignificat. Idem porrò Jacobus ille Armeniorum ſectæ dux fuit, qui cum *Monophyſitarum* erroribus multos quoque alios erroros & hæreſes hauſerunt, qua de re vide Nicephorum item c. 53. & plura hanc in rem, apud Joh. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 3. *c.* 17. Hæreſis hodieque in Æthiopia viget. Macer. *in Hierolexic.*

MONOPODII, apud Lamprid. in *Commodo c.* 10. Monopodios & *Luſcinios*, *eos quibus aut ſingulos tuliſſet oculos aut ſingulos pedes fregiſſet, appellabat;* ſunt Μονόποδες Græcis, aliter μονόποδοι: nam πόδιον dicitur diminutivè à πούς, πόδος; unde & *Monopodiæ menſæ*, quæ unô ſolum pede nitebantur. *Monopodios* autem vocando, quibus ſingulos pedes fregiſſet Commodus, per jocum alludebat ad gentis illius appellationem, quibus à natura ſinguli tantùm pedes, quique inde Μονόποδες & Μονόκωλοι: vocabantur, de quibus hic infrà. Vide Salmaſ. *Notis ad loc. cit.*

MONOPODIUM, Græcè Μονοπόδιον, apud Livium *l.* 39. *c.* 6. *Luxuriæ enim peregrinæ origo, ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt, ii primùm lectos æratos, veſtem ſtragulam precioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur, Monopodia & abacos, Romam advexerunt* &c. Hadrian. Turnebo *l.* 5. *Adverſ. c.* 20. menſa dicta eſt, quæ unô pede nitebatur, cujuſmodi menſæ pulcherrimæ lautiſſimæque eâ tempeſtate cenſebantur. A. Cn. Manlio id primitus factum, habet Plinius *l.* 34. *c.* 3. *Triclinia ærata abacoſque & monopodia Cn. Manlium. Aſiâ devictâ primum invexiſſe triumphô ſuo, quem duxit urbis anno CCCCCLXVII. L. Piſo auctor eſt.* Vide Urſinum & Ciacconium *de Triclinio.*

MONOPOLIS, vulgò MONOPOLI, urbs agri Bariani, in ora maris Adriatici 12. milliar. à Bario in Ortum, 40. à Brunduſio in Circium, 25. à Tarento in Septentrionem, proxima Egnatiæ, urbi eſt vetuſtæ, cui ſucceſſit.

MONOPOLIUM, non omne cum jure naturæ pugnat. Poſſunt namque illa interdum à ſummâ poteſtate permitti juſtâ de cauſâ & pretiô conſtitutô: cujus rei illuſtre exemplum nobis præbet Joſephi hiſtoria, cùm ſub eo Regni Ægypto præeſſet. Sic & ſub Romanis Alexandrini Indicarum mercium habebant, ut Strabo loquitur *l.* 17. μονοπωλίαν. Et certè, licet populo alicui cum alio populo pactiſci, ut is populus certi generis fructus, qui alibi naſcuntur, ſibi ſoli vendat: Si is, qui emit, populus, paratus ſit aliis vendere æquô pretiô. Non enim aliarum gentium intereſt, à quo emant, quod ad deſideria naturæ attinet. Lucram autem alterum alteri prævertere licitè poteſt, maximè ſi cauſa ſubſit, ut ſi, qui id ſtipulatus eſt populus, alterum populum in ſuam tutelam receperit, ſumtuſque eô nomine faciendos habeat. Quò jure & Syracuſani monopolium [illegible] [illegible] ſolùm [illegible] [illegible] æquô ſi idem [illegible] [illegible] *Monopolium* poteſt. Nota hanc in rem Thaletis hiſtoria de olivitate; & Pythoclis inventum, de plumbo Tyrio coëmendo, unde lucrum faceret Athenienſis populus, apud Ariſtotelem *Oeconomic. l.* 2. Ut de Monopolio erinaceorum, quibus expoliuntur veſtes, apud Plinium *l.* 8. *c.* 37. de Monopolio ſerici, apud Procopium *in Hiſtor. Arc.* nil addam. At qui, ut in Velabro Olearii, de compacto id agunt, ut res ſuprà pretium id, quod ſummum nunc eſt, in communi pretio vendantur, aut vi, aut fraude, impediunt, ne major copia importetur, aut ideo merces coëmunt, ut vendant pretiô, quod tempore venditionis iniquum ſit, injuriam faciunt, atque eam reparare tenentur. Quam in rem vide Legem æquam & prudentem *C. de Monopoliis*, & locum notabilem, apud Lyſiam, adverſus frumenti venditores, qui pretium falſis rumoribus incendebant. Adde Caſſiodorum *l.* 9. *c.* 5. & *c. quicunque, cauſa* 14. *quæſt.* 4. citatum Hug. Grotio *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 12. §. 17. ut & quæ infrà dicemus de *Negotiatorio Auro.*

MONOPROSOPOS, Græcè μονοπρόσωπος, dicebatur cantiunculæ paſtoralis ſpecies antiquiſſima; cùm *ſinguli* ſub arboribus reducti umbram ſaturi canerent amores; qua de re vide ſuprà, ubi de *Modulatione.* Sed & in Scena, per initia *Monoproſopos* Chorus fuit; unuſque quiſpiam prodibat, civium vitia recenſens, idque ſine cantu. Cujuſmodi eſt apud Plautum Choragus *in Gurgulione.* Deinde alter additus, ut interrogationibus atque reſponſionibus explerent animos varietate: Summa enim laus in Poëſi novitas. Poſteà quaterni fuêre, ut partirentur Chorum in paria duo &c. Vide Scaligerum *Poëtic. l.* 1. *c.* 9. & ſuprà in voce *Chorus.*

MONOSCELI, homines Indici ſingulis cruribus: qui & *Sciapodes* vocantur, quòd in majore æſtu humi jacentes σκιᾷ ποδὸς, i. e. *umbrâ pedis* ſe protegant, Plin. *l.* 7. *c.* 2. nonnullis, ſed omnino melius *Monocoli*, quia Græcis Μονόκωλοι, unde *Monoſceles* dicendi eſſent. At Μονόκωλοι, quòd unicum iis κῶλον, hominum genus *ſingulis cruribus, miræ pernicitatis ad ſaltum*, Plin. *loc. cit.* Cujuſmodi homines, caput, collum & pectus dimidia, ventrem quoque dimidium, oculum unum, aurem unam, manum unam; pedem unum, quô licet claudicantes, tamen citiſſimè ferantur, atque arbores etiam ſcandant, habentes inter ſe quoque colloquentes & verſus interdum cantitantes non inconditos, verſari circa paludes & maris littus, in terra *Seger*, quæ eſt Arabiæ Felicis pars thurifera, circa ſinum Sachalitanum, fabulan-

tur Arabes. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 6. c.* 13. & in voce *Monoſceli.*

MONOTESSARON, Græcum nomen *Hiſtoriæ ex IV. Euangeliis in unum contextæ*, editum ab *Appiano Alexandrino.*

MONOTHELITÆ, Hæretici quidam, qui duas in Chriſto voluntates negabant, divinam ſcil. & humanam. Princeps ſectæ fuit Sergius Præſul Conſtantinopolitanus, vel potius, à Theodoro Phorano Epiſcopo id hauſit, unà cum Cyro Placidenſi. Sophronius, Monachus eruditus, literis ſuis hanc hæreſin impugnavit. Vide Acta VI. Concil. General. & Joh. Damaſc. *l. de hæreſ.* ubi hæreticos hos etiam *Monophyſitas* & *Ægyptios* dictos refert. Baron. *in Annal. &c.* Quibus adjunge Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 2. *c.* 4. §. 5. *l.* 5. *c.* 1. 9. 13. 25. 29. &c.

MONOXYLON, Græcè Μονόξυλον, apud Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Regio autem, ex qua piper* monoxylis *lintribus Becaren convehunt, vocatur Cottonara*; ubi τὸ *lintribus* ex gloſſemate in textum receptum eſſe, ſentit Stewech. *ſuper Vegetium l.* 3. *c.* 7. Navigii genus eſt, ex *uno ligno* excavatum, unde nomen. Ἄδρυον Cypriis apud *Heſychium*, Ἄδρυα, πλοῖα μονόξυλα, Κύπριοι, à voce δρῦς, *quercus.* Cujuſmodi navium uſus hodieque frequens Leucadis Inſul. incolis, aliiſque populis vicinis: longitudine 15. vel 20. pedum, ſeſquipedis latitudinem & altitudinem habent, & uſui ſunt non niſi in locis littori proximis, atque ubi mare non multum profunditatis habet. Remis aguntur, veliſque etiam nonnunquam; uti hæc *Monoxyla* deſcribit Cl. Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 1. *p.* 142.

MONPENSERIUM, oppid. Alverniæ, in colle; in limite Borbonienſis provinc. cum titulo Ducatus, 7. leuc. à Claromonte in Boream, Molinum verſus; vulgò *Montpenſier.*

MONS, à *Statio* bis diſertè in *Dacis* nominatus: non quia montana *Dacia*: ſed ἑνικῶς & unum *Montem* duntaxat appellitando Poëta adſpicit, ad ridendam & miri ſtuporis ſuperſtitionem *Dacorum*: quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur & mons ipſe *Sacer.* Vide Strab. *l.* 7. Præterea Cappadocibus *Mons* pro Deo fuit. Tyrius Maximus: Ὄρος Καππαδοκίαις καὶ Θεὸς, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα. *Lloydius.* Sed & poſt Chriſtianam Religionem receptam, aliquas veteris ſuperſtitionis reliquias Majorum noſtrorum animis inhæſiſſe, Franciſque, qui cum Alamannis colles & lucos ac arbores Deorum numerô duxerant, etiam *Montes* colleſque placuiſſe; quos quoniam aliter venerari non poterant, varias ac plerumque magnificis titulis ac cognominibus honoraverint, ait Valeſius: additque haud facile dictu eſſe, quàm ingenioſi fuerint in excogitandis vocabulis Majores, cùm Galli, tum Franci, & quantopere in variandis, ut olim *dunorum* & *podiorum*, ſic poſtea *Montium* cognominibus luſerint, vide eum *Notit. Gall.* & hîc *infrà.* Antiquitus verò *Montes* etiam Heroum fuêre domicilia; arboribus nimirum tecti. Ovidius *Met. l.* 12. *Fab.* 4. de Nuptiis Pirithoi.

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenaſque feros poſitis ex ordine menſis,
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antrô.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 141. Iiſdem in ſepulchra placuiſſe, ſuprà diximus, ubi de *Cadaverum Cura*, *Defunctis* &c. Porrò *Montibus* pedes, pectora, capita, latera, gremia, frontes, dorſum, ſupercilia; & nihil ferè non humani corporis tribuere Poëtas, notum. Gratius *Cynegetico*,

——— *ruptoque è pectore montis*
Venit ovans Auſtris & multo vertice flamma.

Hegeſinus apud Pauſan. *l.* 10.

Ἄσκρην ἣ' Ἑλικῶνος ἔχει πόδα πιδακόεντα.

Dionyſius Periegetes,

——— κεῖται ὑπὸ ζαθέης πόδας Ἴδης &c.

Quàm in rem Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 331. & prolixius *ad Claudian.* ut & infrà aliquid voce *Montes.* Vocis originem quod attinet, nonnulli à *monendo* eam arceſſunt, alii à *movendo.* Et certè Principum pericula per montium motum portendi, Scholiaſtes ait Statii *ad Theb. l.* 3. *v.* 34.

——— *ubi primùm maxima Thetis*
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto,
Ima flagellatis, ſignum lugubre malorum,
Ponderibus trepidavit humus, motuſque Cithæron
Antiquas dedit ire nives ———

Quibus paria apud Poëtas alios & Hiſtoricos. A *manendo* tamen, μένω, dictum mavult *Montem* Scaliger, unde μόνος, & *mons*, *Poëtices l.* 3. *c.* 90. Vide quoque infrà *Montes*, it. *Vulcanus.* De *Montium catena magna* vide ibid. ut & ſuprà voce *Alpes.*

MONS Acer, *Aigremont*, locus Galliæ, in Lingonibus, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Acutus, *Montaigu en Combraille*, oppid. Galliæ, in Borbonienſi provincia, & in Combralia tractu, juxtà amnem Duplicem; in Limite Arverniæ, 13. leucis à Claromonte in Septentrionem. Item oppid. pagi Laudunenſis, ubi munimentum dicitur ædificâſſe Tetbaldus Comes, A. C. 948. *Frodoard.* captum tum à Latharienſibus Epiſcopis: ut & A. C. 989. à Carolo Duce. Hodieque *Montegu en Laonnois*, non multum diſtans ab urbe Lauduno, & Petriponte *Pierrepont.* Item caſtellum, in extremis Pictonum finibus, *Montagu en Poitou* vulgò. Item prope Galliacum: Item locus in Burgundia Comitatenſi, vide *Baudrand.* & *Valeſium*, quorum hic oppid. pagi Burbonenſis *Montagut* appellat: & *Acuti* quoque *Montis*, vulgò *Agumont*, vici in Picardia, Monti Deſiderii proximi· item *Montis Acutuli*, in Cadurcis, vulgò *Montagudet* meminit.

MONS Æſtivus *Montivier*, locus Galliæ, in Diœceſi Pariſienſi, ad æſtivum Solem ſpectans, Abbatiali Monaſteriô inſignis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Alacer, *Alibermont*, locus Galliæ, in Caletis, prope Arcas, ſylvâ amœniſſima ejuſdem nominis clarus: à quo tres vici S. Nicolai, S. Jacobi & B. Mariæ *Alacris Montis* cognomine cenſentur. *Idem.*

MONS Albanus, *Montauban*, urbs Galliæ, in provinc. Cadurcenſi, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Toloſano, à Joanne XXIII. Pontif. Roman. effecta, ad Tarnem fluv. præterfluentem, media inter Toloſam & Cadurcos 8. leucis: cum Academia Reformatorum, ante aliquod tempus in locum vicinum tranſlatâ. Cadurcinæ autem Eccleſiæ ſubtracta eſt, ut Epiſcopatus fieret & Toloſæ contribueretur: Erat ibi illuſtre Monaſterium S. Theodardi Epiſcopi quondam Narbonenſis, in quo ſedes Epiſcopatus conſtituta eſt. Petrus Monachus *c.* 63. caſtri *Montis Albani* meminit his verbis: *Omnia in circuitu caſtra ſe reddiderunt exceptô unô, quod dicitur* Mons Albanus. Sic à Ludovico quoque XIII. Rege, circa A. C. 1625. fruſtra obſeſſa hæc urbs eſt, *Idem.*

MONS Albanus, *Montalvan*, oppid. Hiſpaniæ, in Aragonia, ad fluv. Martinum, 9. leucis à Tetulo in Cæciam, Barbaſtrum verſus diſtans, *Baudrand.*

MONS Albus, *Montblanc*, locus Galliæ, prope Glannatevam: Item German. *Blanckenberg*, Gall. *Blamont*, locus Lotharingiæ, Richerio *in Chron. Senonienſi* memoratus, qui *Henricum Comitem Albi Montis* & *Caſtrum Albi Montis* ac *Blammont* etiam appellat. Sic *Montis Albani* nomine in Britannia quoque Ciſmarina, in Provincia, in Pariſiis, & alibi, multa loca veniunt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Albus, *Monblancq*, oppid. Hiſpaniæ, in Catalonia, Ducatus titulo clarum, ad amnem Francolinum, 5. leucis à Tarracone in Boream, *Baudrand.*

MONS Alcinous, *Montalcino* vel *Monte Alcino*, teſte *Volaterranô*, urbs Hetruriæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Senenſi, inde 17. mill. paſſ. non longè à via, quæ Romam ducit; quæ & *Mons Ilcinus* dicitur, in colle. *Idem.*

MONS Alfonſus, *Monte Alfonſo*, arx permunita Italiæ, in Ducatu Mutinenſi, in Carferoniano tractu, prope Caſtrum novum, in colle, ad Anſerem fluvium, fere 22. milliar. à Lucca in Boream, 20. à Serezana, in Ortum, ad radices Apennini, *Idem.*

MONS Altus, *Aumont*, vel etiam *Haumont*, locus eſt Belgii in Epiſcopatu Camaracenſi, veteri Monaſteriô clarus. Cognominem quoque locum ſibi habet Eccleſia Carcaſſonenſis: Item parœcia Rivenus in Gothia Francica, utrumque *Montaut* dictum: quæ in Aquitania, & maxime in Gallia Narbonenſi, trita eſt appellatio, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Item nomen urbi eſt parvæ Piceni, in ditione Pontificia, in colle, juxta Monociam amnem, 12. milliar. à Ferinô in Auſtrum, 8. ab Aſculo in Boream; vulgò *Moutalto.* Epiſcopalis facta eſt, à Sixto V. Pontifice cive ejus, ſub Archiepiſcopo Firmano. *Baudrand. Ferrarius.*

MONS Amatus, *Montemel*, locus Galliæ, in Cadurcorum finibus: memoratus in *tabb. Eccleſiæ Cadurc.* Item in ſuperiori Arvernia, *Cros de Montamat*, *Valeſ.*

MONS Aragonius, *Monte Aragon*, oppid. Hiſpaniæ in Aragonia, vix una leuca ab Oſca in Ortum, cum inſigni Cœnobio, *Baudrand.*

MONS Argentarius, *Monte Argentaro*, in Tuſcia, in ora maris Tyrrheni. Vide *Argentarius Mons.*

MONS Argiſus, *Montargis*, caſtellum vel oppid. Galliæ, ad Lapam fluv. prope ſylvam cognominem *la foreſt de Montargis.* An quaſi *Mons Auſegiſi*, qui Senonum Epiſcopus & ſedis Romanæ per Gallias & Germanias Vicarius, A. C. 876. floruit, ejuſque conditor creditur? Eſt in diœceſi Senonica, 10. ſolum leuc. ſeu 30. mill. paſſ. à Civitate Metropoli Senonum. *Oppidum Senonum Velaunodunum* Cæſaris *l.* 7. *c.* 11. videtur eſſe, quod is inter Agedineum Senonum & Genalbum Carnutum ponit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Arſicius, *Montarcis*, quaſi *Solis ardore exuſtus*, locus Galliæ, in Pariſiis. *Idem.*

MONS Aureolus, *Montauriol*, locus Galliæ, in diæceſi Toloſana, *Idem.*

MONS Aureus, *Montoire*, locus ejuſdem regni, Vindocino proximus: ubi ſcriptam à Carolo VII. ad Sigiſmundum Burgundiæ Regem epiſtolam ſe legiſſe, refert *Hadr. Valeſ.*

MONS Aureus quadratus cum cervis, leonibus, & pomis omnis generis circundatus vite aureâ in Templo olim Hieroſolymitano. Vide infrà *Vitis aurea.*

MONS Badonius, vide infrà *Mons Solis.*

MONS Balmæus, *la ſaincte Baume*, mons Galliæ, in Provincia, ubi S. Magdalena per aliquot annos pœnitentiam egiſſe dicitur. Situs eſt, inter Aquas Sextias & Telonem, 6. utrinque leucis diſtans. *Baudrand.*

MONS Barrus, *Montbar*, caſtrum Burgundiæ, inter Sinemurum & Caſtellionem: nomen habet ex eo, quòd adverſus hoſtiles incurſiones pro repagulo eſſet. *Barram* enim ante annos 600. Galli pro repagulo dixêre, hodie *une barre*, *une barriere*: eôque nomine Wilhelmus Brito utitur *Philippidos l.* 3. Guilielmi Barrenſis pugnas deſcribens,

——— *Barras, gaudete Quirites*
Fregimus, in manibus Barræ ſunt denique noſtris:
Nulla poteſt nobis jam barrula tollere Barras.

Item,

Stabat enim firmus ut Barra repagula firmans,
Agminis hoſtilis mediô:

Quem ibidem Guilielmum Baronem, *Barrarum nobilem heredem*, appellat. Rigordus *in geſtis Philippi. Aug. Guilielmum de Barris, Comitem Rupis fortis*, habet. Sub eodem Rege, inter Burgundiæ Milites Vexillarios, tertius numeratur Bernardus *de Monte Barri*, à Duce Burgundiæ & Pontio de Granciaco tertius, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MONS Baſonis, *Montbaſon*, locus Galliæ, in Turoniæ Ducatu, ad Angerem vel Andriam, cum titulo Ducatus. Idem in voce *Turones*.

MONS Belligardus, *Montbeliard* Gall. *Muntpelgard* German. oppid. eſt & Ducatus, ſub proprio Principe, è familia Wirtenbergica: Ad pedem montis Vogeſi, prope Dublim fluv. inter Alſatiam ad Ortum, & Comitatum Burgundiæ ad Occaſum in Germania; 40. mill. paſſ. à Veſuntione in Cæciam, 33. à Baſilea in Occaſum, *Baudrand*. Videquoque in voce *Montisbelicardum*.

MONS Bellus, *Montbel*, locus Galliæ, in parœcia Carcaſſonenſi apud Volcas Tectoſages. Item *Beaumont*, in Bellovacis, ad flumen Iſaram, Comitibus olim illuſtratus. Item in Cenomanis, Ducatûs titulo inſignis: Item in Arvernis, in Hannonia; in Ducatu Leporetano &c. Eſt & vicus hujus nominis, ad lacum Lemanum, vulgò *Belmont*: Duo item *Montes* in Lotharingia, ſaltuque Voſago, quorum alter *Beaumont*, alter *Bellemont*, communiter dicuntur. Omnibus à formoſitate nomen, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Berulſi, *Montberoul*, pro quo corruptè nonnullis *Montbrun* dicitur, caſtellum eſt ejuſdem Regni, in diœceſi Encoliſmenſi, Prioratu S. Mauritii nobile, Tardueram fluv. qui Rupem Fulcoaldi præterlapſus, in Carantonum effluit. Item locus, inter Durocortorum Remorum & Laudunum urbes, vulgò *Monberou*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Bodius, *Montalboto Blondo*, oppid. amplum Umbriæ, in Ducatu Urbinate, à Senogallia 7. mill. paſſ. in Meridiem, totidem ab Æſio in Occaſum. *Ferrarius. Baudrando Monte Albodo*, ac caſtrum eſt Marchiæ Anconitanæ, in ditione Pontificia vix 3. milliar. à limite Ducatus Urbini.

MONS Bonus, *Boumon*, caſtrum eſt ad lacum Lemanum. Valeſ.

MONS Briſiacus, *Briſac* Gall. *Briſach* German. oppid. Germaniæ ſuperioris, ad Rhenum fluv. cum arce permunita, in Alſatia, ferè medium inter Baſileam ad Meridiem & Argentoratum ad Boream, 7. leucis plus minus diſſitum. Vide *Briſacum*.

MONS Brunus, *Montbrun*, locus Galliæ, in Arvernia ſuperiore *Montbrion*, in Provincia, *Idem*.

MONS Bruſonis, *Montbriſon*, caſtrum vel oppid. ejuſdem regni, in pago Forenſi, quem ſuperiorem ſeu montanum vocant, *le haut Foré*; vix 2. leuc. à Foro Seguſianorum & Ligeri fluv. Ibi Xenodochium S. Johannis & Eccleſia S. Andreæ, *Idem*.

MONS Budelli, *Membrole* vel *Montbrole*, locus aut vicus Galliæ, inter Ligerim & Cuſillam, qui *Cuſilla*, vulgò *Choiſille* nuncupatur, & paulo infrà Turonos in Ligerim dextrum labitur. Hic arcem extruxiſſe legitur Fulco Comes Andecavorum, *Idem*.

MONS Cabilonis, *Montchablon*, locus Picardiæ. Inter Philippi Auguſt. Vexillarios Milites Codiciaci, numeratur Clarembaldus *de Montchablon*, *Idem*.

MONS Cæſaris, *Mont Ceſar*, locus Galliæ, in Bellovacis, Abbatiâ veteri clarus, *Idem*.

MONS Calidus, *Chaumont*, locus Galliæ. Sic quoque *Mons Calvus*, à ſterilitate ſoli, dicitur: cui opponitur *Mons Viridis*, vulgò *Montvert*, in ſuperiore Arvernia, & *Mons Piloſus*, de quo infrà. *Mons Calvulus*, vulgò *Montchauvet*, ſimiliter Galliæ locus eſt.

MONS Candidus, *Monte Canigo*, mons eſt Galliæ Narbonenſis & Pyrenæorum ramus, in Comitatu Ruſcinonenſi, *Baudrand*. vide quoque in voce *Candidus*.

MONS Canus vel Canoſus, *Montchenu*, locus in Delphinatu, à nivibus dictus, *Valeſ*.

MONS Capreoli, *Montcaurel*, locus caſtrumque Galliæ, in pago Bononienſi, cum titulo Marchiæ. Inter Philippi Auguſt. Vexillarios Milites Boloniæ, Guilielmus *de Montcaurel*: & inter *Milites* Veliocaſſinos, Johannes *de Mont-Chevrel* numerantur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Caſſinus, oppid. regni Neapolitani, in provinc. Terræ Laboris, *Monte Caſſino* vulgò. Vide *Caſſinum*.

MONS Cavus, *Caumont*, à cavernis ſic dictus, locus Galliæ.

MONS Celſus, locus Galliæ, cujus mentio in literis Philippi I. Francorum Regis, A. C. 1073. datis, ubi *Signum Ebonis de Monte Celſo* reperitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Ceniſius, *le Mont Cenis*, mons Sabaudiæ, pars Alpium, in ipſo limite Pedemontis. Vide *Ceniſius*.

MONS Ceſius, *Calemberg*, mons Germaniæ, in Auſtria inferiori. Vide *Ceſius mons*.

MONS Chriſti, *Monte Chriſto*, mons excelſus eſt Italiæ, in mari Tyrrheno, totam ferè Inſululam cognominem complectens, cum una aut altera turri tantùm, ferè inter Planaſiam ad Occaſum, & Igilium ad Ortum, Pendet ex agro Senenſi, à quo 3. milliar. diſtat in Meridiem, & ſubeſt Magno Duci Hetruriæ. Aliàs *Oglaſa* dicta fuit Inſula, teſte *Cluverio*; eratque ibi Monaſterium celebre, *Baudrand*.

MONS Ciminius, *Monte di Viterbo*, mons Italiæ, in ditione Pontificia, prope Viterbum, vide *Ciminius mons*.

MONS Clarus, *Clermont*, caput Arvernorum, in Gallia, à ſalubri cœli ſerenitate dictum. Item *Clermont*, caſtrum Galliæ in Bellovacis, cum titulo Comitatus: unde Borbonia gens proceſſit. Item *Montclar*, locus ejuſdem Regni, in Arvernorum finibus; ut & in diœceſi Carcaſſonenſi. Item *Montclair*, in Delphinatu, proximè Deam: Item *Monteclair*, in Lingonibus, prope Andelaum, &c. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque converſis nominibus, in voce *Clarus mons*.

MONS Clauſus, locus Galliæ, in pago Burbonenſi, vulgò *Monclou*: nec non in Delphinatu, *Monclu*; in Briegio quoque eſt *Montenglo*, fortè *Mons incluſus*. Idem.

MONS Conſularis, vel *Mons Contorius*, à Fultone III. cognomine *Nerra*, Conſule Andegavenſium, conditum caſtrum eſt in Gallia, vulgò *Montcontour*: clade olim Wilhelmi Comitis Pictonum ac Ducis Aquitaniæ, & præteritô ſeculô Reformatorum celebre, in Pictonibus. Id Ludovicus Philippi Rex filius maximus vi cepit ac ſolo æquavit, A. C. 1214. Eſt & *Mons Contorius*, in diœceſi Briocenſi Britanniæ minoris, inter Quintinum & Lambaliam, Prioratu S. Michaëlis clarus &c. *Idem*.

MONS Corneti, *Moncornet*, oppid. Galliæ, in Picardia, in tractu Tiraſcia, ac limite Campaniæ, 10. leucis à Remis in Boream diſtans, Aliàs *Mons Cornutus*. Eſt & alterum ejus nominis caſtellum 10. à priore leucis, *Mont-Cornet en Ardanne* dictum: quod & monti bicorni impoſitum, & ſylvæ adjacet Arduennæ, inter ipſum ac Rupem Regiam *Rocroy* ſitæ. *Idem*.

MONS Deſiderii, *Mondidier*, oppid. amplum Galliæ, in colle, in Picardia provinc. medium inter Ambianum & Compendium 7. leucis diſtans, uti à Novioduno in Occidentem. *Baudrandus*. Item in Brexia vetus caſtrum, ſimiliter *Montdidier* appellatum. Prius olim domum publicam, aram communem & Majorem ſuum ac Scabinos ſeu Pares habuit: Raugæ proximum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Doloroſus, poſteà *Sterlingium*, vulgò *Sterling*, oppid. Scotiæ, ad Fortheam fluv. à Glaſquo & Dumblano Urbibus 20. & 10. milliar. Edimburgum in Ortum versùs: in quo Reges coronari ſolebant, *Scriptor. Scotici*, Baudrand. *Lexico Geogr.*

MONS Draconis, *Mondragon*, locus Sabaudiæ. *Hadr. Valeſ.*

MONS Dublelli, caſtrum Galliæ, ab Odone Dublello, qui A. C. 1033. floruit, dictum: in Pertico minori, vulgò *Mont du bleau* hodie. Memoratur Orderico Vitali *Hiſt. l. 4. & 10.*

MONS Falconis, *Monfaucon*, locus ejuſdem Regni, Monaſteriô Monachorum primô, in S. Germani honorem, à Balderico extructô, dein Canonicorum Collegiô, celebris: S. Balderici tumulô ac patrociniô gaudet; in diœceſi Remenſi, à Moſâ fluv. & ab urbe Virduno 4. circiter leucis diſtans. Idem nomen multis Galliæ vicis: in Cadurcis *Monfalcou* dicitur. Eſt & caſtrum Trans-Moſanum. Gall. *Fauquemont*, Belgis *Valckenburg*. Latinè, *Falcoburgum*, olim ſub Comite proprio. Fortè, quòd in monte humili, quem falco non interruptô volatu trajicere poſſit; ſitum, inde nomen accepit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Feretranus, *Monfeltro* Italis, urbs Umbriæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Urbinate, inde 20. mill. paſſ. in Occaſum verſus recedens, in monte, cum arce permunita, Ducatûs Urbinatis; quæ & *Leopolis*, Italis *San Leo*, *Procopio Feretrus*: quod potius regionis nomen eſt, *Ferrar. Baudrando Monte Feltre* dicitur, & regiuncula eſt Italiæ, in Ducatu Urbinate & ditione Pontificia, ad radices Apennini, juxta Ariminum fluv. & confinia Romandiolæ. Ejus caput eſt Leopolis ſeu Fanum S. Leonis, urbs Epiſcopalis in monte excelſo.

MONS Ferrandi, aliàs *Mons Ferranni*, vulgò *Mont Ferrand*, locus Galliæ eſt proximus civitati Arvernorum, & velut pars ejus. Item caſtrum duplex, quorum unum prope Vaurum; alterum, prope Montem Peſſulanum: quæ omnia à Ferrando aliquo, vel Ferranno nomen videntur accepiſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Ferrarius, *Monferrier*, locus Galliæ, in diœceſi Mirapicenſi. Item locus, prope Montem Peſſulanum caſtrum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Ferratus, *Monferrato* Italis, *Monferrat* Gallis, provincia Italiæ, Ducatûs titulô clara: inter Mediolanenſem Ducatum ad Ortum, & Pedemontium ad Occaſum, ſub Mantuæ Ducis dominio. Ejus caput eſt Caſale *Caſal*: reliquæ Urbes ſunt Aquæ Stateliæ *Acqui*. Nicea Palea *Nizza della Paglia*, Alba, & Tridinum *Tridino*. Sed hæ duæ ultimæ Sabaudiæ Duci parent; pace Claraſci confectâ, A. C. 1631. Junctus hîc Ducatus Mantuano primùm fuit, beneficiô Caroli V. Imperatoris, poſtquam Joh. Georgius Palæologus, qui Bonifacio Montisferrati Marchioni Wilhelmi fratris filio ſucceſſerat, ſine liberis deceſſiſſet, & Fridericus Gonzaga Mantuæ Dux, qui Margaritam Bonifacii ſororem in matrimonio habebat, hæreditatem aditurus, Sabaudo & Saluciarum Principe contra nitentibus, à Cæſare ſucceſſor declaratus eſſet: cujus dein fil. Guilielmus à Maximiliano II. Imperatore ex Marchione in Ducem *Montisferrati* electus & magnis privilegiis ornatus eſt A. C. 1573. E cujus poſteris cum Vincentius Gonzaga ſine liberis deceſſiſſet, Carolus Nivernius, patruelis ejus, ſucceſſionem adiit, ſed ab Hiſpano & Sabaudo, qui jam ante de ditione hac diſceptaverant, circa A. C. 1628. imo ipſo Cæſare, quô inconſultô id auſus eſt, graviter infeſtatus, A. C. 1630. donec pace, de qua ſupra, Nivernio, feudum, exceptô Trindinô & Albâ, Imperator conceſſit. Primus autem ex Palæologis *Montisferrati* ac Caſalii Marchio fuit Theodorus, Andronici Palæologi Imperatoris Græci fil. cui Johannes fil. ſucceſſit, à Carolo IV. Imperatore in fidem publicô inſtrumentô, tanquam *Montisferrati Marchio*, acceptus. Vide Thuanum *Hiſtor. l.* 1. & Nobiliſſ. Conringium *Tract. de Finibus Imperii*.

MONS Ferratus, *Montferrat*, nomen variorum Galliæ locorum, in Provincia, in Delphinatu, & in Brexia. Dixêre autem *Montes Ferratos* Veteres, vel à duritie ſoli, vel à ferrugineo ejus colore: uti vias militares Romani operis, à duritie ſilicis, quô ſtratæ erant, *Cheminos ferratos*, in veterib. tabulis Galli nuncupavêre, *les chemins ferrez*. *Hadr. Valeſ.*

MONS Flanquinus, *Montflanquin*, oppid. Galliæ, in Aquitania, in agro Aginnenſi, ad amnem Ledum, 7. leucis ab Aginno in Boream, Petrocorium versùs; *Baudrand*.

MONS Fortis, *Monfort*, oppid. Belgii. in agro Ultrajectino. Item *Montfort*, caſtrum Lotharingiæ, pridem everſum. Sic quoque appellârunt Galli plurima loca, atque caſtella, in montibus ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

arduis & aditu difficilibus naturâque ac operè munitis ſita. Sic hodieque *Mons Fortis*, vicus Orderico Vitali memoratus *l.* 11. poſituſque inter Pontem Audomari & Tetboldi villam, ad Riſelam, *Montfort* nuncupatur. Ut caſtra in Petrocoriis, in Cenomanis, in Britannia minori hôc nomine inſignia prætercam: quorum ultimum Order. Vitali dictum *l.* 12. civitati Redonum proximus locus eſt, & *Montfort la Canne* appellatur, *Hadr. Valeſ.*

MONS Fortis Amalarici, *Montfort l'Amauri*, caſtellum eſt Galliæ, in Carnuribus, à domino Caſtri Amalarico, Simonis filio, cognominatum. Illud minivit Robertus Rex Galliæ, ante annos 650. Hinc Ducali familiæ *Montifortiorum* in Britannia minore nomen: cujus familiæ caput fuit Johannes Britannorum Dux, Comes Richemundiæ & *Montisfortis* Amalarici, Vicecomes Lemovicum, Johannis, alterius Ducis Britanniæ, frater ac ſucceſſor. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Francicus, *Franchimont*, locus Belgii, in pago Leodicenſi, Marchiæ titulô inſignis; à quo Epiſcopus Leodicenſis, Dux Bublionenſis, Comeſque Loſſenſis, *Marchionem* etiam *Francimontenſem* ſeſe appellat. *Idem.*

MONS Frigidus, *Froimont*, locus Belgii, in Hannonia: Item *Fremont*, in Bellovacis, Monti Cæſaris proximus, Abbatiâ veteri clarus. In Lotharingia quoque prope urbem Mettos: & flumen Moſellam, cujus Gaufridus meminit *l. 5. de vita Bern. c.* 1.

MONS Gajus, vel Gaji, *Monjay*, locus Galliæ, in pago Pariſiaco, non longe à flumine Matrona. An à gaudio, an ab ave, utrumque enim Gallis *gajus*, *jay*, denotat, dictus? *Idem.*

MONS Galardi, *Mons Gaillard*, caſtellum Galliæ, idem Valeſ. *ubi ſuprà.*

MONS Galtherii, vel *Mota* Galtherii, *la Mote Gautier*, locus eſt Galliæ, ſeu caſtellum, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſtoria l.* 10. Significâſſe autem montem ſeu monticulum *Motam* veteribus Gallis, diximus in voce *Mota.*

MONS Garganus, *le mont Gargan* Gall. *monte Gargano di S. Angelo* Italis, mons eſt Italiæ, in regno Neapolitano, in mare Mediterraneum excurrens, in cujus ora fuit Sipontum, urbs Archiepiſcopalis, everſa, cui Manfredonia ad milliarium ſuffecta. In monte verò oppidum S. Angeli viſitur, ubi templum S. Michaëli dicatum: eſtque Archiepiſcopale itidem, unitum cum Manfredonia, per Alexandrum III. Papam. Celebris eſt mons victoriâ Berengárii Regis contra Saracenos, qui eum inſederant, à Papa & Græcis adjuti, obtentâ. circa A. C. 915. Vide Sigonium *l.* 6. & in voce *Garganus.*

MONS Gaudii, *Montgauſi*, caſtrum Galliæ, Podio Laurentii proximum, cujus meminit Petrus *Hiſt. de bello Albigenſi c.* 50. apud Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Gaudii, Gallicè *Montioye*, quæ vox diminutiva eſt ex *mont*, quaſi *Monticulus*; nomen eſt, quod potiſſimùm Colli Vaticano ad Urbem Romam tribuit Otto Friſingenſis *de Geſtis Friderici l.* 2. *c.* 22. Guntherus *Ligurini l.* 4. Alii; uti docet pluribus Car. du Freſne *Diſſertat.* 11. *ad Joinvillam.* Idem clamor fuit militaris Franciæ Regum, vulgò *Montioje*, vel *Montjoje S. Denys*, ab eo monticulo ad Lutetiam, in quo S. Dionyſius mortem objiiſſe dicitur, ſub Decio Imperatore, *Matthæus Paris. Et factô congreſſu acclamatum eſt terribiliter, Ad arma, hinc Regales, inde* Montisgaudium, *ſcilicet Regis utriuſque inſigne.* Vide Car. du Freſne *in Gloſſario.*

MONS Gemellus, *Lonjumeau*, mons Galliæ, in Pariſiorum finibus, ita dictus in veterib. tabulis, quòd biceps ſit, & duos in vertices duaſque in partes diviſus.

MONS Genebra, *Mont Genevre*, mons ejuſdem Regni, in Delphinatu: pars Alpium eſt in confinio Italiæ, ad Druentiæ fluvii fontes. Vide *Genebra* & *Cottiæ Alpes.*

MONS Gomerici, vulgò *Mont Gommery* vel *Mongomery*, oppidulum Galliæ, in finibus Lexoviorum, cum titulo Comitatus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* In hiſtoria bellorum in Gallia civilium celebre nomen Comitis Montgomeri eſt, à quo in Torneamentorum ludo Henricus II. lethaliter vulneratus fuerat, ſeculô præteritô; vide Thuanum, *Hiſtor.*

MONS Geometricus. *Mont-Gommery*, oppid. Albionis, in Wallia Boreali, Comitatus cognominis caput, 2. milliar. à Sabrina fluvio diſtans, 18. mill. paſſ. à Salopia in Africum, 30. ab Herefordia, in Boream. *Baudrand.*

MONS Grandis, *Grammont*, locus Galliæ, in Lemovicibus, ordinis Grandimontenſis, A. C. 1076. à Stephano inſtituti, caput; Monaſteriô inſignis, non longè à Taurione amniculo, qui ſupra Lemovicas in Vingennam decurrit. Suus quoque eſt Turonibus *Grandis Mons.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Hulini, *Monthulin*, arx munita Galliæ, in Picardia, & tractu Bononienſi, 3. leucis à Bononia in Ortum, Teruanam verſus, aliàs contra Hiſpanos excitata. *Baudrand.*

MONS Incenſus, *Montencens*, locus Galliæ, *Idem.*

MONS Incluſus, *Montenglo*, locus Galliæ in Briegio, *Hadr. Valeſ.*

MONS Jovis, *Monjoyre* vulgò, caſtrum eſt Galliæ, prope Toloſam: Item *Mont-Jou* vel *Mont-Jeu*, ſummus Penninus, à fano aut ſimulachro Jovis olim ei impoſito, ſic dictus. Aliàs *Mons S. Bernardi*, Gall. *le grand S. Bernard. Idem.*

MONS Jovis, in Hiſpania, nunc *Monivi* dicitur. Ejus partem Occidenti adverſam, eminentiâ cautium, quæ inter exigua ſpatia, ut gradus ſubinde conſurgunt. *Scalas Annibalis* appellant. Mela. *l.* 2. *c.* 6.

MONS Judaicus, vel *Mons* Judæus, *Mon-Juif*, locus Galliæ in Brexia: Item in Gothia. Literis anni 1109. cum P. de Meſoa. Jeſ. de Monte Olivo, P. de Montelauro, *F. de Monte Judæo* ſubſcripſit, apud *Hadr. Valeſ.*

MONS Laurus, *Montlaur*, locus eſt ejuſdem Regni, in diœceſi Toloſana; lauretis nobilis. Item *Monlaur*, in parœcia Carcaſſonenſi, *caſtrum Montis Lauri* prope Monaſterium Craſſam: Petro dictus *de bello Albig. c.* 34.

MONS Leo, *Monte Leone*, urbs Epiſcopalis Regni Neapolitani, in Calabria ulteriore; aliàs Vibo Valentia, quod vide: *Mons* Leonis, *Montlion*, locus eſt Galliæ, in pago Meltiano: item in Turonia, ante annos 480. memoratus. *Baudr. Valeſ.*

MONS Limarii, *Montelimar*, urbs Galliæ, in Delphinatu, ad radices collis, 2. mill. paſſ. à Rhodano fluv. ferè 7. à Valentia in Meridiem, uti 4. à Fano S. Pauli in Septentrionem. Dicitur etiam *Mons Æmarorum Baudrand.*

MONS Logus, *Montlong*, locus Galliæ, in diœceſi Vaurenſi: Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Lupelli, *Montluel*, caſtrum vel municipiolum ejuſdem Regni, in pago Dumbenſi; in diœceſi Lugduni, hinc circiter 7. mill. paſſ. vix 3. à Rhodano diſtans. *Idem.*

MONS Luzonis, *Montluçon*, caſtrum Galliæ, ad Carum fluv. non procul ab Aquis Neri, *Idem.*

MONS Magnus, *Maimont*, vel *Memont*, caſtrum olim oppidumve Galliæ, in Lingonibus, à quo pagus *Magnimontenſis* nomen accepit. *Idem.*

MONS Malus, *Maumont*, locus Galliæ, in pago Cadrellenſi, *Idem.*

MONS Maranus, *Monte Marano*, urbs Italiæ, in Hirpinis; Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Beneventano, inde 18. mill. paſſ. Nuſcum verſùs 26. in provinc. Principatus Ulterioris, in regno Neapolitano *Ferrar. Baudrand.*

MONS Martiani, *Mont de Marſan*, oppid, Galliæ; in Aquitania, ad amnem *Midou*, agri Martiani caput, 5. leucis ab Aturo in Boream, Burdigalam verſùs, *Baudrand.*

MONS Martis olim, poſtea *Mons* Martyrum, locus Galliæ, ad Lutetiam. *Valeſ.*

MONS Maurilionis, *Montmorillon*, caſtrum Galliæ, in finibus Pictonum, ad ripam Vartimpæ, qui Croſâ recipitur. Item in Seguſianis pagoque Forenſi ſuperiore, 4. circiter leuc. à Ligeri & Rodumna Seguſianorum oppido, *Idem.*

MONS Maurus, *Montmaur*, locus Galliæ, prope Vapincum: item in diœceſi Rivenſi; Item *Monmor*, prope Deam. A colore ſic dicti. Quemadmodum enim *brun* Germanis & Gallis, nigredinem notat: Sic *Maurus* Græcis Latiniſque *niger* eſt & obſcurus, *Idem.*

MONS Medianus, *Miegemont*, locus Galliæ, in Lemovicibus, ſic appellatus, quòd in monte medio inter duos alios poſitus ſit, *Idem.*

MONS Medicus, ſeu Maledictus, *Monmedy*, urbs parva Belgii, ſed permunita, in colle, in Ducatu Luxemburgenſi, ad Carum fluv. Diſtat 7. leuc. à Viroduno in Boream, & ferè 3. à Stenæo in Ortum. Capta à Gallis A. C. 1657. ipſis poſtea remanſit pace ad Pyrenæos. *Baudrand.*

MONS Mercurii, locus Galliæ, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Merulæ, *Montmerle*, locus Galliæ, prope Burgum, Brexiæ caput. Item alius, à Bella Villa Arari flumine diviſus, *Idem.*

MONS Mirabilis, caſtrum Galliæ, monti, qui flumini imminet, impoſitum, in Briegio; vulgò *Montmirail.* Inter Campaniæ Milites Vexillarios Philippi Auguſti Dominus *Montis Mirabilis* numeratur. Item unus è Baronatibus Perſici Goëti, *Mon-Mirel.* Item in Petrocoriis, ad Viſeram fluv. *Miraumont.* Item in Arvernia ſuperiore *Miramonts.* Item locus non longè à Themnis, aliis *Mons Miratus. Idem.*

MONS Morillonis, *Mont Morillon*, oppid. Galliæ, in provinc. Pictavenſi, ad Vartempam fluv. 8. leucis è Pictavio in Eurum, verſùs Marchiam, *Baudrand.* Vide quoque *Mons Maurilionis.*

MONS Niger, *Montnoir*, locus Galliæ, in pago Lemovicino, *Gregorio Turonenſi* memoratus.

MONS de Nube, *la Mote de la Nuë* caſtellum Galliæ, ab altitudine dictum, Order. Vitalis *Hiſt. l.* 10. In Cenomanis. *Hadr. Valeſ.*

MONS Nucariorum, *Noyerſmont*, vicus Galliæ, in Picardia, non procul à Monte Deſiderii. Ejus ante mille annos meminit Audoënus, *in vita Eligii.*

MONS Olimpus, *Mont Olimpe*, arx Galliæ munita, in provinc. Campania, juxta Carolopolim, ad Moſam fluv. recens excitata, in colle, *Baudrand.*

MONS Olivus, *Montolieu*, locus eſt Galliæ, in diœceſi Carcaſſonenſi, priſcis tabulis A. C. 1109. memoratus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Orvinus, *Monorvino*, urbs Apuliæ Epiſcopalis. Vide Minervium, in voce *Minervium.*

MONS in Paſcuis, *Mont in Pouille*, vicus Flandriæ, in monte poſitus, paſcuiſque cinctus, ubi Philippus Pulcher acie conflixit. Aliàs *Mons in Pabula*, vel *in Pabulis.* De pago Pabulenſi, vulgò *Peule*, qui cum Auſtrebanto Flandriæ Gallicanæ attribuitur, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Monaſterium Benedictinorum S. Amandi *in Pabula*, memoratur veterib. Scriptoribus & Elno in eodem pago ponitur. *Idem.*

MONS Peluſius, aliis *Piloſus*, vulgò *Monte Peloſo*, urbs Lucaniæ eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Acherontino, (tametsi hodie ab ejus juriſdictione exemta) inter Archerontiam & Mateolam 10. mill. paſſ. à Gravina 6. quot à Tricarico: à Potentia 18. *Ferrar. Baudrando* urbs eſt parva regni Neapolitani in provinc. Baſilicata, unô aut altero milliari à Bradano fluvio diſtans, inter Acherontiam ad Occaſum & Mateolam atque Gravinam ad Ortum, in limite agri Batiani.

MONS Penſatus, *Monpeſat*, caſtrum Galliæ, à Cruce ſignatis vaſtatum, in Cadurcis. Sic autem dictum eſt à voce *penſare*, ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſeu *peſer*, eo quod ſimile eſſet rei alicui in ſtatera ſuſpenſæ & lancem, in qua appenditur implentis, quæ ſenſim ab imo creſcit in ſublime. Item in Volcis Arecomicis, non procul à Nemauſo. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Peſſulus, ſeu *Peſſulanus*, vulgò *Montpellier*, quòd adverſus finitimorum excurſiones *peſſuli* locô eſſet, dictus. Urbs ex primis Galliæ Narbonenſis eſt, ac Occitanæ regionis poſt Toloſam primaria, Epiſcopalis, quæ Magalonenſi ſucceſſit, inter Nemauſum ad Ortum, & Narbonem ad Occaſum, 14. leucis, *Ferrar. Baudrando* in Occitania eſt inferiori, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, Academiâ, ſtudiô Juriſprudentiæ olim, dein Medicinæ, jam ante annos 530. ut patet *ex Ep.* 307. Bernardi Abbatis Claravallenſis *ad D. Oſtienſem*, unde Collegium Medicum ibi ampliſſimum ab Urbano Pontifice extructum; balneis item, quæ Guilielmus loci dominus A. C. 1366. cum ſuis reditibus, & cum caſtris Monteferrario ac Piniano, Mathildi ſponſæ propter nuptias donavit, clara: juxta amnem *Lez*. Exhauſit Sextationem hæc Urbs, locum arduum magnique olim nominis & Comitivæ caput, nunc vicum ſemidirutum, *Souſtancion*, mille paſſ. diſtantem. Arcem habet munitam, vix 1. leucâ à ſtagno Magalonenſi, in colle, 2. ab ora maris Mediterranei, 7. leucis à Nemauſo in Occidentem, & 15. à Narbone in Ortum. Vide *Baudrand.* ac inprimis Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

Montispessulanæ Dioeceseos loca.

Aniana, cum Monaſterio cognomine.	Lunata, *Lunel.*
Fabricæ *Fabregues.*	Magalona.
Frontiniacum, vinô celebre.	Melgorium, caput olim Comitatûs.
Latara caſtellum, *Tour de Late.*	Mons Peſſulanus.
Lauretum.	Sextatio.

Vicus.

MONS Petroſus, *Montperroux*, locus eſt Galliæ, in Burgundiæ Ducatu, veteribus tabulis notus. Item in pago Burbonenſi; item in Arvernia, ad flumen Elaver, quem *Montpeyroux* appellant &c. Dicti à *ſaxis*; quibus *Montes terrei* opponuntur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Phyſcon, *Monte Fiaſcone*, urbs parva & ſublonga Hetruriæ, in monte Velſinio lacui imminente, in provinc. Patrimonii S. Petri, in ditione Pontificia, 8. milliar. à Viterbo in Occaſum, 20. à Corneto in Boream: Epiſcopalis facta eſt ab Urbano V, ſed ejus Epiſcopatus nunc junctus eſt Cornvetano, *Baudrand.*

MONS Pici, *Mont le Pico* ſeu *de Teyda*, aliis *de Pic de Teneriffe*, mons eſt altiſſimus totius Africæ, in Teneriffa Inſul. unà ex Canariis, in mari Atlantico, verſûs oram regni Marochii: Unde primum Meridianum hodierni Geographi ſumunt. Vide *Picus.*

MONS Picionis, *Montpinſon*, locus Galliæ, in Cenomanis, non procul à fluvio ac oppido Meduana, prope Curcejum & caſtellum Guntherii ad Furcas, Order. Vitalis *Hiſtor. l.* 15. Vide quoque infrà, *Mons Pintionis.*

MONS Piligardæ, caſtrum vel potius oppidum munitiſſimum, in Comitatu Burgundiæ, caput Ducatûs cognominis ſub Principe proprio. Vide ſuprà *Mons Belligardi.*

MONS Piloſus, *Monte Peloſo*, item *Monte Verde*, tres Urbes Epiſcopales, in regno Neapolitano: quòd in locis herboſis ac nemoroſis ſitæ, nomen accepêre, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque ſuprà, in voce *Mons Peluſius.*

MONS Pintionis, *Montpinſon*, locus Galliæ, in Normannia, ab ave cognomine dictus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Placens, *Montplaiſant*, locus ejuſdem Regni, in Delphinatu. *Idem.*

MONS Politianus, *Monte Pulciano*, urbs parva Hetruriæ, in ditione Senenſi, Epiſcopalis ſub nullo Archiepiſcopo, juxta Clanim paludem, in colle aſpero, ſub dominio Magni Ducis in confinio ditionis Pontificiæ, 28. milliar. à Peruſia in Occaſum; uti à Senis in Eurum. *Baudrand.*

MONS Regalis, *Mont-Real*, caſtrum Galliæ, in diœceſi Carcaſſonenſi. Item caſtellum in diœceſi Auguſtodunenſi, nunc in vici redactum formam, non longè ab Aballone, vulgò *Monreal*, Item oppid. in Comitatu Convenarum, vulgò *Moregau*. Item in Vaſconia, non procul à Condomio & Neraco. Item in pago Albigenſi, *Realmont*. Item in Bellovacis, prope Bellum Montem, *Reaumont*, ab egregio Monaſterio ibi à Ludovico IX. condito A. C. 1230. cùm anteà *Cuimont* vocaretur, &c. Quæ omnia, partim à Regum operibus, ac munitionibus, partim à nobilitate ac edito ſitu, nomen hoc ſibi conciliârunt. Eſt & *Mons* Regalis, *Monreale*, urbs Siciliæ Archiepiſcopalis apud Panormum, in monte, inde 4. mill. paſſ. tantùm diſtans; à Guilielmo II. Siciliæ Rege Baſilicâ auguſtiſſimè extructâ & ampliſſimis reditibus ditatâ, eôque curante ſede Archiepiſcopali à Lucio III. Pontifice exornata. Etiam urbs Epiſcopalis Liguriæ, in Pedemontano Principatu. Vide *Mons Vici.*

MONS Regis, *der Vogel*, teſte *Lazio*, locus inter Carnos & Noricos, intra Alpes Julias. *P. Diacono* memoratus.

MONS Regius, *Königsberg*, urbs ampla eſt Regni Poloniæ, in Pruſſia Ducali, ad Pregelam fluvium, ubi hîc in ſinum *Friſch Haff* ſe exonerat: Emporium celeberrimum cum Academia. Arcem habet munitam; ſubeſtque dominio Electoris Brandenburgici. 25. leucis Polonicis à Gedano in Ortum, totidem à Memelio in Meridiem, 4. ab ora maris Baltici. Vide *Regiomons.* Item *Montreal*, oppidum Americæ Septentrionalis in nova Francia, in Inſula fluvii S. Laurentii, 150. milliar. a Quebeco in Occaſum, ſub Francis, ſatis cultum ab annis aliquot.

MONS Regius, Hiſpan. *Monroy*, cognomen familiæ Aragonicæ illuſtris Corteſiæ, cui ingens decus conciliavit Ferdinandus Corteſius de *Monroy*. Medellinô Eſtramaduræ oriundus, geſtis in America rebus & obtentô titulô Marchionis *de la Valle de Guaxaca*, atque ſupremâ Novæ Hiſpaniæ præfecturâ, inclytus. Ei Martinus Corteſius de *Monroy* Pater, Rodericus Perczius de *Monroy* avus, Rodericus de *Monroy* proavus fuêre. Vide Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *in Ind.* & ſuprà in *Corteſius.*

MONS Relaxus, *Morlais*, oppid. Galliæ, in Britannia minore in monte, in diœceſi Leonenſi. Sic dixêre autem olim Galli montem, qui à tergo, quàm à fronte, apertior eſſet: ut *Montem Reverſum*, in Brexia, locum titulô Comitatus illuſtrem, quaſi *retroverſum*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Revelli, *Montreveau le petit*, locus Galliæ, in Andibus, inter Bellum Pratellum *Beaupreau*, & Glommam, Monaſteriô & nomine S. Florentii *S. Fleurent* illuſtris. Inter Vexillarios Milites Turoniæ Philippi Auguſti numeratur Rolandus *de monte Revelli*: qui fortè locus eſt *Monruveau*, ad Lidericum fluv. *Idem.*

MONS Reverſus, vide *Mons Relaxus.*

MONS Ricardi, *Montrichard*, oppid. Galliæ, ad Carim fluv. in provincia Turonenſi, & limite Bleſenſi. 12. leucis à Cæſaroduno in Ortum, 6. à Bleſis in Meridiem. *Baudrand.*

MONS Roſarum, *Montroſſe*, oppidulum Scotiæ Borealis, in Anguſia Comitatu, cum cœnobio olim celebri ac portu, in ora maris German. 10. milliaribus à Brechinia in Ortum, 25. ab Andreapoli, in Cæciam. Marchionem habuit, ultimis temporibus percelebrem & Regi ſuo apprimè fidum. *Idem.*

MONS Roſeus ſeu *Roſulus*, vulgò *Monteroſi*, oppid. Italiæ, in provinc. Patrimonii S. Petri, medium inter Romam & Viterbum, 20. utrinque milliar. in ditione Pontificia, pendet in Spiritualibus ab Abbate Trium Fontium, prope Gomam. *Idem.*

MONS Rotundus, *Montrond*, locus Galliæ, in Biturigibus. Item in Gothia, circa Montem Peſſulanum; in Britannia minore quoque, non longè à Ponte Urſionis. Contrà in Helvetiis eſt *Rotundus Mons*, vulgò *Romont*, caput Comitatûs, Murtenam caſtrum attingentis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Stumpſium *Chron.* &c.

MONS Rubeus, *Montrouge*, vicus Galliæ, Lutetiæ Pariſiorum proximus. Contrà in Burgundia Ducali, *Rubeus Mons*, vulgò *Rougemont*, locus eſt. Item prope caſtrum Dunenſe: Item non longè à Fracta Valle: Item in Brexia, *Idem.*

MONS Sacer, *Monte di Tivoli*, mons Latii, Tiburi urbi imminens. *Baudrand.*

MONS Salionis, *Mont Savion*, in tabulis corruptè *Mons Augen*, locus eſt Galliæ, ad fluv. Vigennam vel Vincennam, *la Vigenne*. Hadr. Valeſ. in *Rionava*. Aliàs quoque *Mons Salio* dicitur & caſtellum eſt, in Lingonibus. *Idem.*

MONS Salvius, *Montſalvi*, locus Galliæ eſt, in Arvernia ſuperiori à ſalvia herba, quæ copioſè ibi naſcitur, dictus, quemadmodum à caſtaneis *Mons* Caſtaneus, *Montchaſtaux*, prope Mantalam, in pago Galliæ Viennenſi, Prioratu ſuô notus: à lauretis *Mons* Laurus &c. nomen habent. *Idem.*

MONS Sancti Adriani, *Monte de S. Adrian*, mons excelſus Hiſpaniæ, inter Ipuſcoam & Navarram, extenſus ab Ortu in Occaſum, *Baudrand.*

MONS S. Gertrudis, *S. Gertruydenberg*, oppid. permunitum Belgii, in Hollandia, in limite Brabantiæ. Vide in voce *Gertrudoberga.*

MONS S. Gothardi, *Mont S. Gothard*, pars Alpium in Helvetiis. Vide *Adula Mons.*

MONS S. Michaëlis; *Mont S. Michel*, mons Galliæ, in Normannia, dictus *in periculo Maris*, quia unâ leucâ à littore diſtat, juxta oſtia Lerræ fluv. 4. leucis ab Abrincis in Occaſum Maclovium verſûs: cum arce & oppidulo. *Baudrand.*

MONS S. Winoci, ſeu *Vinociberga*, Gallis *Bergues S. Vinox* ſeu *Bergues* ſimpliciter, urbs eſt Belgii, in Comitatu Flandriæ, ad Colmam amnem, unâ leucâ à Dunquerca, ab ora Oceani in Meridiem ſimiliter: Pluries capta fuit & recepta, donec Francis manſit, cum toto tractu adjacente, pace ad Aquiſgranum confectâ, *Idem.*

MONS Securus, *Montſegur*, locus Galliæ, in provinc. Gothia, quòd probè munitus tutos ab hoſtibus incolas redderet atque ſecuros, ſic appellatus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Seleuci, *Antonino* memoratus, locus eſt Galliæ Narbonenſis in Delphinatu; inter Vapincum Urbem 22. & Lucum oppid. 6. mill. paſſ. occurrens, *Ferrar. Baudrando* eſt *Montmaur*, oppid. Delphinatûs, intra montes, 10. milliar. à Vapinco in Occaſum, Lucum verſûs, à quô 20. mill. paſſ. in Ortum diſtat. Valeſio omnino eſt locus, vulgò *Monſaleon*, 153. mill. paſſ. à Lugduno, 130. à Vienna, & 82. à Valentia, *Notit. Gall.*

MONS Serratus, *Montſerrat*, mons Hiſpaniæ, in Catalaunia, excelſus, prope Rubricatum fluv. devotione erga B. Virginem celebris, vix 1. leucâ à Minoriſſa in Meridiem, & 9. à Barcinone in Circium diſtans. *Baudrand.*

MONS Silicis, *Monſelice*, ſeu *Monte Silice*, oppid. Venetiæ, in agro Patavino, apud Medoacum fluv. minorem, amplum, inter Patavium 10. & Ateſte 5. mill. paſſ. *Idem.*

MONS Sinai, vulgò *Mont Sinai*, in Arabia: Habet inſigne Monaſterium, in quo 60. Calojeri ſeu Monachi ad minimum verſantur, aſſervantque, ut fertur, oſſa S. Catharinæ Virginis, Olim Epiſcopum habuit, Petracenſi Archiepiſcopo ſuffraganeum. Vide *Sinai.*

MONS Solis nunc *Bathonia*, vulgò *Bathe*, urbs eſt Angliæ, in Comitatu Somerſetenſi, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, ad Avonium fluv. 7. mill. ſuprà Briſtolium ad Ortum, 30. à Sariſburia in Circium diſtans. Olim *Aquæ Calidæ*, *Mons Badonicus* & *Badonia* quoque dicta. Vide *ſuis locis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MONS Sorelli, *Montſoreau*, locus Galliæ in confinio Andicavorum, & Turonum, cum titulo Ducatûs, ad Ligerim. Inter Philippi Auguſti Vexillarios Milites Turoniæ, numeratur Dominus *de Monte Sorel.*, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Tarenſis, *Mont-à Taire*, caſtellum Galliæ, in Bellovacis, non longe à caſtro Credilio *Creil*, ad Taræ & Iſaræ confluentes. *Idem.*

MONS Thabor, mons Judææ, Chriſti transfiguratione nobilis. Olim Epiſcopum habuit, ac Cœnobium Dominicanorum. Vide *Thabor.*

MONS Theſauri, *Montreſor*. locus Galliæ, in pago Turonico, ſeu caſtellum, ſic dictum, quod ad majus Templum Turonicum B. Mauritii pertineret: à Fulcone III. Comite Andicavenſi conditum: cum titulo Comitivæ. Situm eſt ad Andreſium vel Andriſium amnem, *l'Indrois.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Titanus, *San Marino*, oppid. Galliæ Togatæ, in Romandiola, apud Ariminum, inde 10. mill. paſſ. vide *Marinum.*

MONS Tricardus, *Montrichart*, caſtrum Galliæ, in Turonibus, ad Carem fluv. ſic dictum, quaſi *Mons fallacis* & *triconis*, aut *Mons fallax*, & ut Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 522. ait, *accommodus fraudi.* A Philippo Auguſto difficulter tandem captum, & arx ſeu turris ejus validiſſima everſa eſt, A. C. 1188. Vide Guil. Britonem *Philippidos l.* 3. Condiderat autem illud Fulco III. Comes Andicavorum, coguomine *Nerra*, adverſus Odonem Comitem Campanienſem alioſque ſuos inimicos. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Tuniatus, *Montaniata*, mons Hetruriæ, in agro Senenſi, ex pluribus aliis montibus conſtans, verſùs confinia ditionis Pontificiæ, inter Suanam, Radicoſanum, & fontes Floræ Fluvii. *Baudrand.*

MONS Vaſconis, *Montgaſcon*, locus Galliæ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONS Ventoſus, *Mont Ventoux*, locus Galliæ, in Provincia. *Idem.*

MONS Vici, *Mondovi*, urbs eſt Epiſcopalis munita Pedemontii, ad radices Apennini montis, verſùs Liguriam. 2. milliar. à Tanaro fluv. 28. ab Aquis Statiellis, 18. ab Alba in Meridiem, & 15. à Cuneo in Ortum. Ibi Academia fuit, quæ nunc Taurini eſt. Nomen ei à *Vico*, loco vicino; ſub Archiepiſcopo Taurinenſi. Olim quoque *Mons Regalis* dicta. *Ferrar. Baudrand.*

MONS S. Vinoci, German. *Winoxbergen*, nomen Dominii & Vicecomitatus, in Flandria, à cœnobio D. Winoci Angli, à Balduino Barbato, an Inſulano, in monte quodam exſtructo, & in oppidum tandem converſo, ſic dicti. Nobile illud *Sajarum* (genus panni tenue & præſtans) texturâ, annuis menſe Octobri nundinis frequentatiſſimis, & ingreſſu olim ac conventu Eduardi II. Angl. Regis ejuſque uxoris ac filiæ Iſabellæ, ad A. C. 1346. ubi hanc Ludovico Malano deſponſum ibat. Diſtat Dunkerkâ ſeſqui, Iperis verò 7. leucarum intervallô, Caput Caſtellaniæ Bergenſis pecoris butyrique ſapidiſſimi fœcundæ & 33. pagos continentis. Lud. Guicciardinus *Deſcript. Belg.* ubi de hac urbe.

MONS Virginis, *Monte Vergine*, oppid. Regni Neapolitani, in provinc. Principatus Ulterioris, inter Nolam ac Beneventum, in quo *Monte* inſigne Monaſterium conſtruxit Guilielmus, Ordinis *Mon Virginei* ſic dicti fundator. *Baudrand.*

MONS Viridis, *Montvert*, locus Galliæ, in ſuperiori Arvernia, à ſoli fertilitate, nomen adeptus. Item urbs Hirpinorum olim, nunc urbecula Regni Neapolitani, in Principatu Ulteriori, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compſano, ad Aufidum fluv. in limite Capitanatæ & Baſilicatæ, 13. milliar. à Compſa in Ortum, totidem ab Acherontia in Circium. Idem nomen in eodem regno alteri quoque oppido fuit. Ut annotavit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* &c. Vide quoque infrà, in voce *Montes.*

MONSONIUM, vulgò *Monçaon*, oppidulum munitum Portugalliæ, ad Minium, è regione Gallæciæ, pluries fruſtra à Caſtellanis tentatum, 4. leuc. à Tyde in Ortum, in provinc. *inter Minium & Durium* dicta. *Baudrand.*

MONSTERBERGA, vulgò MUNSTERBERG, urbs Sileſiæ, Ducatus olim cognominis caput: Fuit autem *Monſterbergicæ* lineæ Auctor Boleſlaus I. fil. Boleſlai Sileſiæ Ducis, qui Suidnicenſem lineam condidit; frater Bernardi majoris natu, qui Patri in Suidnicio Principatu ſucceſſit. Boleſlaus is A. C. 1236. Glacenſem Comitatum, Johanni Bohemiæ Regi vendidit, unde huic poteſtatis in Sileſiam principium: Eum tamen Johannis filius Carolus, Boleſlai victoris magnanimitatem admiratus, illi reddidit, ſed hâc lege, ut coronæ Bohemicæ ſubderetur. In hoc hymno: *Tribularer, ſi neſcirem miſericordias tuas, Domine, tu dixiſti, Nolo mortem peccatoris* &c. obdormivit, A. C. 1342. Pater Nicolai, quô genitus Boleſlaus II. à morione occiſus eſt A. C. 1377. Huic nati Johannes atque Henricus abſque prole deceſſerunt: & Johannes quidem ab Huſſitis A. C. 1429. ad Wilhelmi Villam trucidatus eſt. Sic lineâ horum extinctâ, Ducatus ad Bohemiæ regnum eſt revolutus: donec in eo Georgii Podiebradii Bohemiæ Regis filios Fredericus III. Imperator inveſtivit, in quorum familia ad ſuperius uſque ſeculum hæſit; demum venditus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Gen. Hiſtor. in Fam. Piaſtea.* ut & in voce *Munſterberga.*

MONSTRA, quia cunabula exterrent, ter novem Virginibus expiârunt olim Romani; cantantibus carmen, donum Junoni offerentibus, iteratiſque hoſtiis, ſi primis litatum non eſſet, ex præſcripto Augurum & Quindecim virorum, procurârunt. Non expoſita tamen, ſed occiſa ſunt, ferrô partim, partim igne: Plerunque in aquam immerſa. Quæ omnia ad placandos Deos perpetrata, qui imminentem iram *Monſtris* monſtrare videbantur. Thom. Bartholinus *de Puerp. Veter.* Inprimis Androgynos, ex Aruſpicum diſciplina; moribus Romanorum receptum erat, cùm hujus generis *Monſtra* minimè educanda eſſent religionis obtentu, in mare deportare & in profundum demergere, ut non uno in loco Jul. Obſequens teſtatur *libellô de Prodigiis*, ad avertendum, quod impendere inde Reipubl. verebantur, malum. *Jac. Durantius* expiationis cauſâ Androgynos æquoris undis ſuffocatos ait, quòd Veteres ad purganda & expianda mala omnia his aquis frequentiſſimè uterentur. Quod tamen ipſum retorquet Pet. Là Sena *in Cleombroto. c.* 8. Quippe projectione & necatione Androgyni mare potiùs ipſum pollui, verba hæc Ciceronis *pro Roſcio* evincunt: Noluerunt corpus feris objicere, ne beſtiis, quæ tantùm ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne cùm delati eſſent in mare, ipſum polluerent. Vide Caſpar. Bartholinum *Notis in Patris l. præfatum*, & ſuprà, ubi de *Exponendi more*, nec non voce *Mola.* Sed hæc de meris intelligenda *Monſtris*, non iliis, quæ in lege Papia Matri proderant, quæque nec ab Eccleſiaſtica dignitate, quia ſana ſunt, in Canonibus Veterum, excluduntur. Idem *Bartholin. Pater.* Vide quoque infrà voce *Moriones.* Atque hactenus *Monſtrum*, ſignificat fœtum abnormem, & vel defectu, vel abundantiâ præternaturali peccantem, adeoque curioſis *monſtrandum*, unde nomen. Aliter ſumitur vox apud Poëtas paſſim, uti jam dicemus.

MONSTRARE, ad Statium *Thebaid. l.* 6. *v.* 122.

—— *Pelopem* monſtrâſſe *ferebant*
Exequiale ſacrum, carmenque minoribus umbris
Utile ——

docere eſt, *veteri Scholiaſtæ.* Aliquid divinitatis certe verbum hoc infert, apud eundem *l.* 10. *v.* 719.

—— *Sed nec lachrymæ, nec verba movebant*
Diis votum juvenem: quin & monſtrantibus illis
Fraude Patrem tacitâ ſubit, avertitque timorem,

Et Virgilium *Georgic. l.* 1. *v.* 19.

—— *Uncique puer* monſtrator *aratri.*

Et *Æn. l.* 4. *v.* 636.

Dic corpus properèt fluviali ſpargere lymfâ,
Et pecudes ſecum & monſtrata *piacula ducat.*

Val. item Flaccum *l.* 2. *v.* 60.

—— *it tacitis ratis ocyor horis,*
Atque adeò non illa ſequi mihi ſidera monſtrans,
Quæ delapſa Polô reficit mare ——

Horatium porrò *Arte Poëtic. v.* 404.

—— *dictæ per carmina ſortes,*
Et vitæ monſtrata *via eſt* ——

Ac *l.* 2. *Serm.* 6. *v.* 10.

O ſi urnam argenti ſors quæ mihi monſtret ——

Divinitus nempe. Unde omina & præſagia, *Monſtra* dicuntur Statio *Thebaid. l.* 11. *v.* 143.

—— *Sunt* monſtra *Deûm, ſic ire parabat* &c.

Ubi in veteri Exemplari explicatio hæc extat: *Præmonſtrationes affirmat non fortuitò, ſed per revelationem Deorum venire.* Et *l.* 10. *v.* 205.

—— *vanæ nec* monſtra *Quietis,*
Nec ſomnô comperta loquor ——

Ubi Barthius, nomine monſtrorum oſtenta intelligit imagines rerum futurarum, *quæ certa, cùm à Diis offeruntur, vana cùm à ſomno.* Vide eum *Animadverſ. ad h. l.* & *alibi paſſim.*

MONSTRELETUS, vide *Enguerrandus.*

MONSTROLIUM, vulgò MONTREUIL, urbs munita Galliæ, in Picardia ad Quentiam fluv. vix 3. leuc. ab ora Maris Britannici. Dicitur quibuſdam *Monaſteriolum*, quod vide ſuprà. Arcem habet munitam; eſtque in limite Arteſiæ, 9. leuc. ab Abbavilla in Septentrionem, 8. à Bononia in Meridiem circiter. *Baudrand.*

MONSTRUM, in *Inventario* Eccleſiæ Eboracenſis *in Monaſtico Anglic. Tom.* 3. *p.* 173. idem eſt, quod *Monſtrantia* in *Actis* S. Quirini Martyris *num.* 11. phylacterium videl. vel arcula, in qua Latinæ Eccleſiæ homines reliquias vel Euchariſtiam recondere ſolent: Quô modô *Monſtrances* in Belgio etiam vocantur, quòd hominibus oſculanda præbeantur ac *monſtrentur*, Car. du Freſne *Gloſſ.*

MONTACUTIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

MONTALOMAGUS, vulgò MANTELAN, locus celebris Galliæ, in Turonibus. *Vicus Montalomagenſis* dicitur Gregorio Turonenſi, *l.* 7. *c.* 47. qui Eccleſiam quoque à Voluſiano ibi inſtitutam memorat, *Hiſt. Francic. l.* 10. *c. ult.* Fuit autem Voluſianus hic ſeptimus Epiſcopus Turonicus, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MONTANI, ſive MONTENSES, ab Optato Milevitano appellati ſunt Donatiſtæ Romam incolentes, quòd cultu ſuô in *montibus* extra Urbem defungerentur. *Sic Speluncam quandam foris à civitate gradibus ſepſerunt, ubi ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent, l.* 2. Eandem ob cauſam, *Campates* & *Campenſes* appellati Hieronymo in *Chron.* Item *Rupitani* & *Rupitæ* Auguſtino, *de Unit. c.* 2. & *ep.* 165. ubi de quodam Donatiſta Epiſcopo ſcribit, *Præſidens paucis Afris in Urbe Roma* Montenſium *ſive Rupitanorum vocabulum propugnavit*, &c. Vide in voce *Donatus.* At *de Montanis*, cognomen eſt Armeniæ, ſeu potius Ciliciæ Toparcharum, quòd hæc regio montibus rupibuſque altiſſimis paſſim rigeat, uti docet Car. du Freſne *ad Bryennium l.* 1. *n.* 21. Vide quoque ubi de *Aſſaſſinis* ſeu *Laſſatinis*; item infrà voce *Senex.* Apud Hungaros verò Proceres illi, in quorum territoriis montes, *mineris auri & cupri* referti, unde decimas Regi pendebant, *Montaniſtæ* dicuntur, in *Scheda* ſubjecta *Decretis* Hungariæ Regum, apud *Eund.* Ab his diverſi *Montaniſtæ*, ſectatores *Montani* Hæreſiarchæ, de quibus vide in hac voce.

MONTANUS, Archiepiſcopus Toletanus, pius & eruditus. Duas Epiſtolas ſcripſit, A. C. 531. Vide *Iſidorum*, *Vaſæum*, &c. Caſtitatem ſuam miraculô defendiſſe dicitur. Præſes fuit Concilii 2. Toletani. Vide *Acta* hujus Concilii.

MON

MONTANUS, memoratus in *Ep.* Gordiani ad ſocerum Militheum, apud Capitolin. *in Gordiano III. c.* 25. *Quid facerem, quod ad Mauros me venderet & conſilio cum Gaudiano &* Montano *habitò vel laudaret aliquos vel vituperaret: & illorum conſenſu quaſi teſtium, quod dixerat, approbarem.*

MONTANUS, Hæreticus quidam, A. C. 173. Caput Montaniſtarum. Plurimos vitæ auſteritate in Aſia ſeduxit, prodigioſô interim tumore inflatus. Paracletum ſe dixit, à Filio Dei Apoſtolis promiſſum: ſecundas nuptias damnavit; repudium permiſit, jejunium rigoroſum ter quadraginta dierum ſuis indixit, &c. Cum diu ſic Orbi Chriſtiano illuſiſſet, tandem cum Maximilla, diſcipula ſua, ex deſperatione, ad laqueum confugit. Sectatores ejus, docuerunt inſuper, Deum Patrem, cùm mundum fruſtra voluiſſet per Legem & Prophetas, ſalvum facere, incarnatum fuiſſe, atque in Jeſu Chriſto prædicâſſe & paſſum eſſe: nunc per S. Spiritum, in Montano & diſcipulis ejus habitare. Epiſcopos, poſt Patriarchas, & Cenones ſuos locârunt: Cœterum adeò ſeveri, ut, ob minimum delictum, ſectatores ſuos excommunicarent. Diviſi in Cataphryges, diſcipulos Procli & Æſchinis. Euſeb. *Hiſt. l.* 5. *c.* 15. Epiphan. *hær.* 48. Philaſtr. *de hær. c.* 50. Theodor. *hær. fab. l.* 3. Auguſt. *de hær. c.* 26. Alius item Hæreticus, A. C. 254. à quo *Montani*, qui & *Cathari*, Euſeb. *hær.* 6. *c.* 34.

MONTANUS, integrô nomine *Julius*, Senatorii ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet, congreſſus fortè per tenebras cum Nerone veſte ſervili per urbem graſſante; quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quaſi exprobrâſſet mori adactus eſt, Q. Voluſio, P. Scipione Conſulib.

MONTANUS Arias, prænomine *Benedictus*, natus Frexenalii de la Sierra, h. e. de Monte, unde illi *Montani* nomen, in agro Hiſpalenſi, unde & *Hiſpalenſis* dictus, an potiùs quòd ibi educatus eſſet. Philologus, Poëta, Theologus, & X. Linguarum peritiſſimus, Philippi II. juſſu editioni Bibliorum Complutenſium novæ adhibitus, dum Antverpiæ ſacro huic labori vacat, ab æmulis Leone inprimis de Caſtro, accuſatus, Romamque citatus, ægrè obtinuit, ut incolumi ſibi in patriam redire liceret, ubi lectione & meditatione SS. Literarum reliquum vitæ exegit, defunctus A. C. 1598. ætat. 71. Anton. Teiſſier *Elog. Part.* 2. ubi Scripta ejus vitamque ex variis Auctoribus congeſtam, habes.

MONTANUS Benedictus, vide *Benedictus.*

MONTANUS Joh. Baptiſta, vide *ibi.*

MONTANUS Julius, Poëta, hexametrô & elegiacô pollens Carmine. Ovid. *Ponticorum ultimo:*

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

Vide *Votienus*, & Voſſ. *de Poët. Lat. p.* 36. Item Curtius *Montanus* Orator ſub Veſpaſiano, quem & Carmina ſcripſiſſe docent illa Taciti *l.* 16. *Annal. c.* 28. *Num Montanum deteſtanda carmina factitantem eludere impune ſinerent?* ac poſt pauca *c.* 29. *Indignum, Montanum, probè viventem, extorrem agi, quia famoſi carminis protulerit ingenium.* Meminit quoque *l.* 4. *Hiſt. c.* 42. Extat quoque ad eum epiſtola 29. Plinii *l.* 7. de monumento Pallantis liberti. Juven. *Sat.* 4. *v.* 107.

Montani quoque venter adeſt abdomine tardus.

MONTANUS Julius, vide *Julius.*

MONTANUS Limes vide *Decumanus.*

MONTANUS Michaël, vide *Michaël.*

MONTANUS Paulus, vide *Paulus.*

MONTANUS Philippus, vide *Philippus.*

MONTARGIUM, vulgô *Montargis*, urbs lepida Vaſtinii tractus, ad Lupiam fluv. 25. leuc. à Lutetia in Auſtrum, Caſtro cum antiquo, ubi hiſtoria canis, qui domini necem vindicavit, depicta, 18. leuc. ab Aureliis in Ortum. Caſtrum à Carolo V. reparatum, Urbs verò ab Anglis obſeſſa, A. C. 1418. arſit A. C. 1518. denuò ſplendori priſtino reddita. Ducheſn. *antiq. Urb. Gall.*

MONTAUREONUS Petrus, vide *Petrus.*

MONTAUSIER, nomen Familiæ in Gallia illuſtris, vide infrà *Sanmauria.*

MONTBASONIA Familia, inter Galliæ illuſtres, vide ſuprà *Monbaſon.* Adde hic ſaltem, Carolo I. *de Rohan* Principi *de Guimené* Duci *de Montbaſon*, ex Johanna Armanda Schombergia (filia Henrici *de Schomberg* Comitis *de Nanteuil*, qui obiit A. C. 1632.) genitos eſſe, Carolum II. Ducem *de Montbazon*, Johannem Baptiſtam Armandum (dictum *le Chevalier de Rohan*) Johannem (dictum *le Chevalier de Montbaſon*) Annam (dictam *Mademoiſelle de Guimene*) & Eliſabetham natam A. C. 1663. dictam *Mademoiſelle de Montbaſon.* Spenerus ubi ſuprà, *Part.* 3. *p.* 82.

MONTCHALERIUS Philippus, vide *Philippus.*

MONTCHALUS Carolus, Archiepiſcopus Toloſanus, Hebraicè & Græcè doctiſſimus, Euſebium innumeris in locis correxit. Obiit A. C. 1651. Vide *Rigalt. Holſten. Sirmond. Aliatium,* Morer. *in Dict. Hiſt.*

de MONTE *Acuto*, Hiſp. *Monteagudo*, nomen familiæ celebris in Hiſpania, quæ ſtirpis Moſcoſo Oſoriæ ramus eſt. Petrus enim Alvarus Oſorius, ex Comitibus Traſtamaræ, Utracam duxit (filiam Roderici *de Moſcoſco* Comitem *de Altamira*) atque ex ea genuit Rodericum *de Moſcoſco Oſorio* Comitem *de Altamira.* Huic Tereſia *de Andrada* Lupum I. *de Moſcoſco Oſorio* Comitem *de Altamira* peperit, maritum Annæ Toletanæ, atque ex hac patrem Roderici *de Moſcoſo Oſorio* Comitis *de Altamira*; quô & Iſabellâ *de Caſtro* natus Lupus II. ductâ Leonorâ *de Sandoval & Roxas*, filium ſuſcepit Caſparum *de Moſcoſo* Marchionem *de Almazan* Comitem *de Monteagudo & de Altamira*, qui ex Antonia *de Mendoza* (filia Franciſci Hurtadi *de Mendoza*, Marchionis *de Almazan*, Comitis *de Monteagudo*; ſuſcepit Annam de *Mendoza*, Lupum de *Moſcoſo* & *Mendoza* Comitem de *Monteagudo*, Leonoram Monialem, Margaritam *de Mendoza*, Margaritam (defunctam...) & Franciſcum Hurtadum *de Mendoza.* Vide Phil. Jac Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 95. Ex his Annæ Toletanæ præfatæ Pater fuit Petrus Toletanus Prorex Neapol. qui obiit A. C. 1553. Antoniæ verò Mendoziæ, à qua titulus *de Monteagudo* familiæ illatus eſt, progenitores hi fuêre: Petrus *Gonſalez de Mendoza*, Dominus *de Almazan* Comes *de Monteagudo*, ex Iſabella (filia Didaci Lopezii *de Zuniga* Comitis *de Miranda*) genuit Antonium Comitem *de Monteagudo*, Mariæ Agnatæ maritum, atque ex illa patrem Joh. Hurtadi *de Mendoza* Comitis *de Monteagudo*; quô & Luiſâ Faxardâ genitus Franciſcus Hurtadus I. Marchio *de Almazan* Comes *de Monteagudo* junxit ſibi Mariam *de Cardenas & Tobar*, ex illa pater factus Franciſci Hurtadi II. cui Anna Portocarrera Antoniam, Caſpari *de Moſcoſo* uxorem, genuit. Spenerus *ibid.*

de MONTE Robertus, vide *ibi.*

de MONTE-NIGRO Johannes, vide *Johannes.*

de MONTE-REGIO Johannes, vide *Johannes.*

de MONTE Regio, Hiſpan *Monterrey*, nomen itidem familiæ in eodem regno illuſtris. Lupus enim Sanctius *de Ulloa* Dn. *de Ulloa.* cùm ex Agnete *de Caſtro* genuiſſet Sancium Sanctium *de Ulloa*, hic ductâ Tereſiâ *de Zuniga & Viedma*, (filia Johannis *de Zuniga & Viedma* Vicecomitis *de Monterrey*) cognomen hoc ſuæ familiæ intulit, *Comes de Monterrey* factus: quod tamen, cùm unicam haberet filiam Franciſcam, cum omni hæreditate, tranſiit in familiam *de Azevedo*, Luſitanicæ originis, ſed inde in Caſtellam translatæ, in qua hodieque durat. Franciſca itaque præfata *de Zuniga, Ulloa & Viedma* Comes *de Monterrey*, nupta Didaco *de Azevedo* (filio Alfonſi *de Fonſeca & Azevedo*) genuit Alfonſum *de Azevedo & Zuniga* Comitem *de Monterrey*: quô & Mariâ Pimentelliâ natus Hieronymus *de Azebedo & Zuniga*, junxit tibi Agnetem *de Velaſco & Tobar*, atque ex ea ſuſtulit Caſparum *de Azebedo & Zuniga* Comitem *de Monterrey*, Proregem Mexici: qui ex Agnete *de Velaſco* & Aragonia (filia Inici Fernandi *de Velaſco*, Conneſtabilis Caſtellæ Ducis *de Frias*) genuit Hieronymum (denatum...) Emanuëlem *de Azebedo & Zuniga* Comitem *de Monterrey & de Fuentes* (cui uxor obtigit Leonora Maria filia Henrici Guzmani Comitis Olivarii) Agnetem (uxorem Caſpari Guzmanni Ducis & Comitis Olivarii) Mariam (defunctam...) & Catharinam Monialem omnes nominis *de Azevedo* ſeu *Azebedo & Zuniga.* Idem *Part.* 2. *p.* 19.

MONTENSIS, ſeu *Bergenſis* Ducatus *Duché de Mons*, ſeu *de Berg*, in circulo Weſtphaliæ, juxta Rhenum, ſub Duce Neoburg. & hæreditate Juliacenſi. Ejus caput eſt Duſſeldorpium. Eſtque inter Marchiæ Comitatum ad Ortum, & ditionem Colonienſem ad Occaſum. Vide *Clivia & Juliacum.*

MONTENSES, iidem cum *Montanis*, de quibus ſuprà; Sic Romæ appellati ſunt Donatiſtæ Hæretici, ibi degentes, quibus ex Africa Epiſcopus mitti ſolebat. Vide *Montani* & hic infrà, in voce *Monteſes.*

MONTES, vulgò *Monts*, urbs Belgii, Hannoniæ primaria, in colles aſſurgens, & vallibus depreſſa, populoſa, naturâ & propugnaculis munitiſſima. Ad Trullam fluv. parvum *Ferrar.* habet, ad Hanam fluv. à Valencena. 7. leuc. inter Duacum ad Occaſum, & Namurcum ad Ortum 11. à Bruxellis 10. Hîc caſtrum vetus, ædes ſplendidæ, & palatium, ubi provinciæ Senatus cogitur. Celebris commerciô, egregiis opificibus & inſigni Cœnobio S. Waltrudis, Guicciard. *deſcr. Belg.*

MONTES, ante diluvium extitiſſe, argumentô eſt, quòd aquæ ejus, *omnes* Montes *ſub univerſo cœli operuiſſe*, leguntur, Gen. *c.* 7. *v.* 19. Conditi ſunt, ut aquam intra ſinus & alveos ſuos veluti continerent, Job. *c.* 38. *v.* 10. &c. Item, ut eſſent velut protuberantes quædam mammæ irrigando per fontium decurſus Geocoſmo. Et dum ſuperius terrâ eminent, inferiùs atque interiùs ſpatioſiſſima aquarum penuaria contineant, quem Naturæ conatum *Hydrophylacia* eruditiſſimus Kircherus nuncupat; qui idem memorabilem hanc veluti oſſaturam Geocoſmi in *Montium* ſtructura animadvertit, quòd, illum dum oſſium locô veluti ſtringunt ac continent, annularem quaſi catenam à Polo ad Polum ducere nodiſque veluti ſecari ac ſtringi videantur. Ducit autem hanc *Montium* ſeriem, a Polo Arctico auſpicatus, per Islandiam, Scotiam, Angliam, Germaniam continuatô ordine, rectôque tramite uſque ad Alpes, quæ velut nodus ſint magnæ hujus catenæ, quô diſcontinuô ordine extenſi *Montes*, ſic ubi aliquam connexionis labem incurrerint, vincirentur & ad firmiorem conſiſtentiam conſtringerentur. Ab Alpibus autem, novô veluti annulari ordine implexi Apennino junguntur: quô totius Italiæ meditullium, haud ſecus ac ſpina quædam dorſi, continuatâ ſerie per Siciliam *Montibus* Africæ, quos *Lunæ* vocant, connectitur. Alter catenæ hujus nodus, uſque ad ultimum Auſtri promontorium, *Bonæ ſpei* nuncupatum, extenditur, quem ordinem haud dubiè uſque ad oppoſitum Mundi Polum continuari, ipſa ratio dictat. Ab hoc verò Auſtrino Polo, per incognitos Auſtralis Terræ tractus, uſque ad Fretum Magellanicum diſtenditur, & hinc per Andium Americæ Auſtralis ac Borealis immenſos tractus, Polo Boreo, unde dimanârat, jungitur. Altera catena ad angulos rectos primam interſecans, abienſque ex Polo & diſtenſionis ſuæ propaginem per Tartariam derivans, Imaum ſibi conjungit, qui per mediam Scythiam, magnum Mogoris Imperium, & tandem per medium Indiæ dorſum in Promontor. Comorinum excurrit, ubi mediante Maris fundô, *Montibus* Zeilani inſul. & ſubter Oceanum in Polum Auſtralem diſtenditur; atque inde tandem per incognitos terrarum Oceanique tractus, principio, à quo diſceſſit, connectitur. Quoniam verò perpetuus Oceani æſtus, fluxuſque ex Oriente in

Oecidentem continuâ ſuâ alliſione nonnullum detrimentum ad-
ferre poterat, hinc provida natura tranſverſas *Montium* catenas
diſpoſuit, quibus totius Terrenæ molis machina firmiorem
conſiſtentiam adipiſceretur. Unde videre eſt ex Oriente in Occa-
ſum, ab ultima Sinarum regione *Montes Montibus* ita annexos,
ut quos China per tranſverſum propagat, Imaus extra Chinam
continuans in Occidentem Scythiæ, Indiæ, Caſpii Maris, A-
mericæ, Aſiæ minoris, Macedoniæ, uſque ad Alpes Cottias &
Rhæticas, continuans *Montibus* conjungat, quas Alpes per Del-
phinatum, totamque Narbonenſem Galliam continuo commit-
tit Alpibus Pyrenæis, quæ hinc tandem in ultimum Occidentis
terminum, uſque dum ſuo reſtituantur principio, ordine miri-
ficô propagantur, Athanaſ. Kircherus *Mund. Subterr. Part.* 1. *l.* 2.
c. 8. De *Montibus* verò *pontium operâ junctis*, vide infrà voce *Pons.*
Dicuntur autem *Montes* ab intervallo, quod occupant, vel *Ju-
ga*, cùm videl. longô tractu progrediuntur: vel ſimpliciter *Mon-
tes*, cùm parvô circumſcribuntur ſpatiô; de utriſque paulo in-
frà. Aperturæ & tranſitus eorum *Portæ*: excurſiones in Mare
Promontoria vulgò *Cabo* & *Capo*, appellantur, de quibus *ſuô locô.*
Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. c.* 7. §. 1. 9.

JUGA MONTIUM CELEBRIORA IN GEOCOSMO.
IN EUROPA NOSTRA.

Alpes, Italiam à vicinis regionibus ſeparant, vaſtôque Terræ tractu in alias provincias, velut brachia, emittunt: quæ ſunt Montes Pyrenæi, Maritimæ Alpes, Alpes Cottiæ, Grajæ, Rhæticæ ſeu Tridentinæ, Noricæ, Carniæ ac poſtremum Juliæ ſive Pannoniæ,

Grampius *Mons* Scotiæ, ſuo ab Ortu in Occaſum progreſſu, Scotiam in duas partes dividit.

Hercinium jugum, flexuoſis ambagibus varias Germaniæ provincias permeat. In Ducatu Brunſvicenſi *der Hartz*, nominis ſui tenax, vocatur; cujus & pars, famoſus ille *Mons* Bructerus, *der Blockers* aut *Brockersberg*.

Obii ſeu Riphæi *Montes*, à Mari Albo progrediuntur, ad oſtium Obii fluv. uſque, ac Ruſſis vocantur *Weliki Kamenypoyas*, i.e. *magnum lapideum cingulum*. Aliud hîc jugum eſt, Ruſſis *Iægoria*. Præterea triplex jugum decurrit inter Siberiam & Ruſſiam, à Septentrione versùs Auſtrum: Ruſſis *Coosvinſcoy Camen*, *Cirginſcoy Camen*, & *Podvinſcoy Camen* dicta.

IN ASIA.

Arabica juga, *Montibus* Sinai ab Horeb, jam olim celebritatem meruêre: quorum ille *Tur* & *Lurle* Arabibus, Europæis *Mons S. Catharinæ* quoque dicitur.

Ararat, mons Armeniæ, Perſis *Agri*, Arabibus *Subalahu*, ob terræmotus, hodie aditu difficilis.

Caucaſus, à Ponto Euxino ad Mare Caſpium extenditur, intermediô Colchidos Albaniæ Iberiæ diſtrictu, hodie *Caxes.*

Imaus, Crucis formâ progreditur tam versùs Orientem & Occidentem, quàm versùs Auſtrum ac Boream, dividitque Scythiam in duas partes. Septentrionalis ejus pars nunc *Alkai.*

Taurus, in Aſia minori à Pamphylio Mari incipiens, progreditur ab Occaſu in Ortum, uſque ad Indiam, ac dividit Aſiam univerſam in duas partes; Septentrionalem, ſeu *Aſiam intra Taurum*, & Meridionalem, ſeu *Aſiam extra Taurum*. Stipatur à latere Antitaurô majore ac minore, qui Armeniam majorem ac minorem interſecant. De periculoſiſſimo ejus tranſitu vide Herbertum *Itinerarii p.* 94. 95. Reliqua *ſuô locô.*

IN AFRICA.

Atlas, oritur à litore Africæ Occidentalis Oceani, & per totam Africam ſe extendit versùs Orientem, uſque ad confinia Ægypti loca.

Lunæ *Montes* ſeu *Cafates*, totam Monomotapæ regionem ferè cingunt.

IN AMERICA.

Andes, quò & Juga *Cordilleræ* referimus, omnes in toto Terrarum Orbe montium catenas longè ſuperantes, Americam totam Auſtralem, uſque ad Fretum Magellanicum, pervadunt. Vid. Varenium *l.* 1. *c.* 10. & Kircherum *Mund. Subterr. lib.* 2. *c.* 10. §. 4.

MONTES CLARIORES APUD VETERES QUORUM EXPLICATIONEM VIDE SUIS LOCIS.

Acroceraunii & a, *Monti della Chimera*, Epiri.
Ætna, *Mongibello*, Siciliæ.
Almus, *Arpatarro*, Pannoniæ inferioris.
Amanus, *Monte Nero*, Syriæ.
Antilibanus, *Abellinas*, Cœleſyriæ.
Apenninus, *Apennino*, Italiæ.
Argeus, *Monte di Sauſtia*, Cappadociæ.
Athos, *Monte Santo*, Macedoniæ.
Atlas, *Iduacal*, Mauritaniæ Tingitanæ.
Bagous, *Coſbocaran*, Drangianæ & Ariæ.
Bepyrrus, *Bonpruo*, Indiæ ulterioris.
Bermius, *Meſſò*, Macedoniæ.
Callidromus, *di Livadia*, Epiri apud Achajam.
Calpe, *Gilbraltar*, Hiſpaniæ.
Candavia, *Canovia*, Macedoniæ.
Caſius, *Liſon*, Phœnicis. Alter, Palæſtinæ.
Caucaſus, *Cocas*, Iberiæ & Albaniæ: Item Indiæ.
Cemmenus, vide *Gebenna.*
Ceraunii, iidem Acrocerauniis & Caucaſo.
Chimæra, Lyciæ, ignivemus.
Choatras, *Cabuſco*, Parthiæ.
Cithæron, *Monte di Stives*, Bœotiæ.
Citorus vel Citorum, *Monte di Famaſtro*, Paphlagoniæ.
Coronus, *Baſareſi* vel *Baſaraſi*, Parthiæ atque Hyrcaniæ.
Cragus, *li ſette Cavi*, Lyciæ.
Cybele, Phrygiæ magnæ.
Cyllene, Arcadiæ, altiſſimus.
Dicte & Dictæus, *Laſſhi*, Cretæ.
Dindymus & Dindyma, *Germian*, Phrygiæ magnæ.
Elephas, *Felles*, Æthiopiæ.
Emodus, *Moghali*, Scythiæ & Indiæ.
Erymanthus & Eryx; ille *Dimizana*, Arcadiæ: hic *Monte di S. Giuliano*, Siciliæ.
Falernus, *Falerno*, Campaniæ.
Garganus, *Gargano*, Apuliæ.
Gebenna, qui & Cemmenus, *d'Auvergne*, Galliæ, *Ferrar.* *Baudrando* nunc *les Montagnes des Sevennes* ſeu *les Sevennes* vulgò.
Grampius, *Granzebain* vel *Gransbain*, Scotiæ.
Hæmus, *Balkan*, Thraciæ.
Helicon, *Eialia*, Bœotiæ.
Horminius *di Caſtamona*, Bithyniæ.
Hyperborei, *Camenipojas*, Sarmatiæ Aſiaticæ.
Ida, *Ida*, Phrygiæ. Alter, *Pſiloriti* & *Pſiloteri*, Cretæ.
Idubeda, *Sierra d'Atienza* & *Monte di Strella*, Luſitaniæ.
Imaus, *Altay*, Scythiæ.
Iſmarus, *di Polyſtilo*, Thraciæ.
Jura & Juraſſus, *Joux* & *Jurat*, Sequanorum.
Libanus, *Libano*, Phœniciæ.
Lunæ Montes, *Bed*, Æthiopiæ, trans Æquatorem.
Mænalus & a, Arcadiæ.
Marianus, *Sierra Morena*, Hiſpaniæ.
Maſdoranus, *Chitelinr*, Parthiæ & Ariæ.
Maſſicus *Monte Maſſo*, Campaniæ Italicæ.
Nebrodes, *Madonia*, Siciliæ.
Niphates, *Curdo*, Armeniæ majoris & Meſopotamiæ.
Nyſa, Indiæ citerioris.
Oeta, *Bunina*, Theſſaliæ ſeu Phthiotidis.
Olympus, *Lacha*, Theſſaliæ, Myſiæ; *Anatolaidag*, Lyciæ & Cypri.
Oroſpeda, *Sierra de Molina* & *de Alcaraz*, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Oſſa, *Oliva*, Theſſaliæ.
Othrys, *Delacha*, Phthiotidis.
Pangæus, *Caſtagna*, Thraciæ.
Pariedrus, & Paryadris, *Leprus*, Armeniæ.
Parnaſus & Parnaſſus, *Liacura*, Phocidis.
Paropamiſus, *Calchiſtan*, Aſiæ.
Pelios, *Petras*, Theſſaliæ.
Pindus, *Mezzovo*, Epiri & Theſſaliæ.
Pylei & Pylæ, *Monte Amara*, Æthiopiæ.
Pyrene & Pyrenæus mons, *les Pirenées*, Hiſpaniæ.
Rhodope, *Valiza*, Thraciæ.
Riphæi, *Boglovvy*, Sarmatiæ.
Romaricus, *Remiremont*, Galliæ Belgicæ *Ferrar.* Sed hoc caſtri potiùs vel oppidi nomen eſt.
Scardus, *Monte Nero*, Macedoniæ. Aliis *Krantz.*
Semanthini, *Idifa*, inter Sinas & Seres.
Soractes, qui & Faliſcorum *di S. Oreſte.*
Sudeti, *Fiechtelberg*, Germaniæ.
Sypilus & Sipylus, *Siropino*, Lydiæ.
Tænarus, *di Maina*, Laconicæ.
Taurus, Aſiæ, variè nominatur.
Taygetus, *Mittena*, Laconicæ.
Tetricus, *Monte di S. Giovanni*, Umbriæ.
Tmolus, *Tomalitze*, Lydiæ.
Veſevus & Veſuvius, *Monte di Somma*, Campaniæ.
Veſulus *Monviſo*, Galliæ Subalpinæ.
Vogeſus, *Vauge*, Galliæ Belgicæ.
Zagrus, *Adilbegian*, Mediæ.
Zamerus, *Zimus*, Arabiæ Felicis, &c. Celſiſſimi autem in Geocoſmo *Montes*, è modò dictis ſunt Athos, Cyllene, Olympus, Parnaſſus &c. è Novi Orbis *Montibus*, Picus inprimis Teneriffæ, aliàs *Pico de Terraira* & *Pico de Teide* dictus, qui ad 60. milliaria in mari videtur, & hodiernis Geographis in primum Meridianum aſſumtus eſt. Dein, *Pico di S. Georgio*, in Aſoribus, *Pico de Adam* in *Zeilan* inſul. Figenojamma, Japaniæ mons, qui nubes excedere creditur, &c.

MONTES Acuti, *Spitzberg*, regio recens detecta, multò ſupra Norvegiam, in Boream extenſa, ubi altitudo Poli Arctici eſt 80. grad. circiter: Verſus Groenlandiam. Sed an ſit pars ejus, ſeu inſula, aut continens, neſcitur. Dividitur in Spitzbergam propriam quæ ad Occaſum, & novam Friſiam ad Ortum. Vide *Spitzberga.*

MONTES Ærii, ſic vocantur apud Diodor. Sic. *in fine l.* 4. montes quidam Siciliæ, qui hodie *Montiſori* vocantur, *Fazellô* auctore. Eorum pars editiſſima, *Monte Arteſino*. Ex his montibus apud Capitium oppid. Himera in Occaſum, Gelas in Meridiem, & Terias in Ortum profluunt.

MONTES Aſturiæ, *Montes de las Aſturias*, inter hanc & regnum Legionenſe, ab Ortu in Occaſum per 20. leuc. extenſi.

MONTES Clari, Hiſpanicè *Montes Claros*, nomen in Hiſpania Familiæ inclytæ, quæ Mendoziæ ramus eſt, cum titulo Marchionatus. Rodericus enim, ex poſteris Didaci Hurtadi *de Mendoza* (primi Ducis *del Infantadgo* & inter ſeptem filios Inici Lopezii Mendozæ primo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

primogeniti) Marchionum *de Montes Claros* conditor extitit, quorum hæc eſt ſeries. Prælati Didaci Hurtadi I. fil. Inicus Lopezius Dux *de l'Infantadgo*, genuit Didacum Hurtadum II. *de Mendoza* Ducem *del Infantadgo*, quô & Mariâ Pimentelliâ, præter primogenitum, qui Patri in Ducali dignitate ſucceſſit, natus Rodericus *de Mendoza* & *Luna*, Marchio *de Montes Claros* factus eſt, & ex Franciſca Mendozia Dn. *de Colmenar* ſuſcepit Johannem *de Mendoza* & *Luna* Marchionem *de Montes Claros*, maritum Iſabellæ Manriciæ *de Padilla*, & ex ea Patrem Johannis Manuelis *de Mendoza* & *Luna* Marchionis *de Montes Claros*: quô, & Luisâ Portocarrerâ, Iſabella *de Mendoza*, hôc ſeculô genita eſt. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 48.

MONTES S. Engilberti, *les Monts de S. Inglevert*, in Morinis, quondam Centulenſis Abbatis, à vico proximo ejuſdem nominis dicti. Ibidem, ſunt quoque *Montes* à Novo Caſtello & Danis cognominati, *les Mons de Neufcatel*, *&* *Dannes*, Hadr. Valeſ. in voce *Morini*.

MONTES *Excelſi*, qui Tyrenſi urbi ab Oriente adjacent, in quibus dominus caſtri *Thoron*, ſive *Torono*, magnas & ampliſſimas habebat poſſeſſiones. Tyrius, *l.* 13. *bell. ſacr. c.* 13. *&* *l.* 17. *bell. ſac. c.* 14. *&* *l.* 22. *bell. ſacr. c.* 24. Vitri *c.* 43. eſt in tribu Aſer.

MONTES Leænæ, vide *Leonis Mons*.

MONTES Lunæ, ſeu *Caſates*, montes ſunt Africæ, qui totam Monomotapæ regionem ferè cingunt; quemadmodum in eadem Orbis parte Atlas, à litore Occidentali per totam Africam ſeſe extendit, versùs Orientem uſque ad confinia Ægypti loca. Atque hos *Montes Lunæ* Kircherius, unum ex nodis facit magnæ illius Montium catenæ, quam ille à Polo ad Polum duci nodiſque veluti ſecari ac ſtringi animadvertit. Ducit hanc in circulum ordinatam oſſaturam montium primùm à Polo Arctico per Islandiam, Scotiam, Angliam, Germaniamque continuatâ montium ſerie, ac recto tramite uſque ad Alpes, quæ ſint veluti nodus catenæ magnæ, quô diſcontinuô ordine montes extenſi, ſicubi nonnullam connexionis labem incurrerint, vinciantur & ad firmiorem conſiſtentiam conſtringantur. Ab Alpibus dein novo velut annulari ordine implexi Apennino junguntur, quô totius Italiæ meditullium, haud ſecus ac ſpina quædam dorſi, continuatâ ſerie per Siciliam Montibus Africæ, quos *Lunæ* vocant, connectitur. Alter nodus, uſque ad ultimum Auſtri Promontor. Bonæ Spei extenditur &c. Vide Athanaſ. Kircherium *Mund. Subterr. Part. I. l.* 2. *c.* 9. Ex iiſdem *Lunæ Montibus* Hornius Nili originem arceſſit, ſed hac de re vide infrà, ubi de *Nilo*.

MONTES Nivoſi, ſeu *Andes*, vide *Andes*.

MONTES S. Martini, in Guaxaca, in ora Sinus Mexicani: *Sierras de S. Martin* Hiſpan.

MONTES Samariæ, in quibus vineæ, 2. Reg. *c.* 20. *v.* 23. Jer. *c.* 31. *v.* 5. Amos. *c.* 3. *v.* 9. in tribu Ephraim.

Montes urbis Romæ, ex Petro Victore.

Aventinus, *Monte di S. Sabina*, à ſacra æde in eo conſtructa, Tiberi imminens, à porta Trigemina incipiens, ab aliiſque prorſus diſeretus.

Cœlius, *S. Gio Laterano*, à baſilica Lateranenſi denominatus, apud portam Latinam.

Eſquiliæ & Exquiliæ, *di S. Maria maggiori*, & *di S. Pietro in vincola*, ab ædibus ſacris in eo ſitis.

Janiculus, *S. Pietro in Montorio*, ubi etiam ſacra ædes S. Honophrii.

Palatinus, *Palazzo maggiore*, Tarpejo attiguus.

Pincius, *S. Trinita del Monte*, ſic à ſacra æde in eo conſtructa nominatus, tempore Aureliani pomœrio incluſus eſt.

Quirinalis, *Monte Cavallo*, ubi palatium Pontificium, æſtivô tempore à Pontificibus habitatum, ſic ab equorum ſtatuis, quæ ibi viſuntur, dictus.

Tarpejus, qui & Capitolinus, ubi Capitolium, *Campidoglio*, Curia & Senatus, dum hic Magiſtratus ſtaret.

Vaticanus, *il Vaticano*, ubi ædes Pontificis, & S. Petri baſilica.

Viminalis, ubi ſacræ ædes S. Laurentii in Paliſperna, & S. Pudentianæ.

MONTESES, apud Auctorem *Prædeſtinati l.* 1. *Hær.* 44. *Sicut Donatiſtas &* Monteſes *& Parmenianos vocamus, Donatiſtas à Donato, Monteſes a montis latebra*; & *Hær.* 69. *Hi Hæretici in partibus Italiæ* Monteſes *appellantur, in inferiore Africa Parmeniani, in Carthaginenſi Donatiſtæ.* Aliter *Monteſiani*, apud Commodianum *Inſtruct.* 21. *Monteſianis* inſcriptâ, ubi primus verſus ita concipitur,

Monteſes Deos dicitis, dominentur in duro
Obſcurati malo &c.

Iidem cum *Montenſibus* præfatis, uti ex Auctore *Prædeſtinati* clarè liquet. Epiphanius tamen & Novatianos Μοντησίους appellat: Car. du Freſne in *Gloſſar.* & *Addition.*

MONTESIA, urbs regni Valentiæ. Item Ordo ibi militaris, poſt Templarios extinctos, inſtitutus, A. C. 1317. Statuta eadem ferè cum Ordin. Calatravæ ſtatutis. Equites, dicti fratres B. Virginis; in Aragonia, Valentia & Catalonia ampliſſimos poſſidebant reditus. Sub M. Magiſtro. Surita *l.* 3. *rer. Ind.* Mariana *l.* 15. *Hiſt. c.* 16. Spond. *A. M.* 1317. *num.* 3.

de MONTESONO Johannes, vide *Johannes*.

MONTEVELI, nomen officii, apud Perſas, vide infrà *Muſlimi*.

MONTFORTIA Familia, inter Germaniæ illuſtres, jam ſeculô XIII. floruiſſe legitur. Ex illis Brigantiam, patrimonium gentis avitum, Rudolfus, unius lineæ extremus & ſine liberis mortuus, Leopoldo Auſtriaco vendidiſſe dicitur. A Wilhelmi, mortui A. C. 1354. filiis Wilhelmo & Henrico, duæ extitêre lineæ, quarum hæc extincta eſt A. C. 1574. illa adhuc floret. Hermannus enim Comes *de Montfort*, ex Cæcilia Domina *de Liechtenſtein*, pater fuit Georgii, qui Catharinæ Polonicæ (filiæ Sigiſmundi Regis Poloniæ, ex Barbara, Stephano Comite Scepuſiæ Palatino Tranſylvaniæ, defuncto A. C. 1515. genitæ) conjugium meruit. His parentibus genitus Jacobus Comes *de Montfort*, Catharinam ſibi junxit Fuggeriam (Antonii Fuggerii Comitis *de Kirchberg* filiam) atque ex ea ſuſcepit Johannem Comitem, qui obiit A. C. 1619. Pater ex Sibylla Fuggeria conſobrina Hugonis Comitis *Montfortii*, defuncti A. C. 1662. Hôc & Johannâ Euphroſynâ Truchſeſſiâ natus Johannes, Mariam Catharinam (filiam Caroli Ludovici Erneſti Comitis Sultzenſis) duxit, atque ex ea liberos genuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 157. & *in Ind.*

MONTFORTIUS Lambertus Horſius, vide *ibi*.

MONTFORTIUS Simon vide *Simon*.

MONTGOMERIENSIS Comitatus *Montgomeryshire* provinc. Walliæ Borealis cum oppid. præcipuo cognomine, inter Salopiam Comitatum ad Ortum, Merviniam, & Cardiganiam in Occaſum, & Radnoriam in Meridiem; item Comitatum Normanniæ. Notus Comes Montgomerius, qui, cùm in ludis equeſtribus, Henricum II. Galliæ Regem lethaliter vulneràſſet, aulâ ſponte exul, in ſolitudinem abiit, ab amicis dein monitus, ut S. Scripturæ lectione mœrorem ſolaretur, Reformatorum in Gallia inſignis defenſor evaſit. Vide Thuan. *in hiſt.* Joh. Ser. *Inv. Hiſt. Gall.*

MONTHABURUM, caſtellum munitiſſimum in Germania à Baſano Sicambrorum rege conſtructum. Olymp. 131.

MONTHOLONUS, Franciſcus, vide *Franciſcus*, item *Nicolaus*.

MONTIA, vide MODOETIA.

MONTICOELIUS Obeliſcus, vide *Obeliſcus*.

MONTILIUM Ademari, *Montel-imar*, caſtrum olim, nunc oppidum Galliæ, in Delphinatu, ad Rubeonis *Roubion*, & Rhodani confluentes. Ejus meminit Petrus Monachus *l. de bello Albig. c.* 84. Fuit olim ſub propriis Dominis, è familia *Æmariorum*, unde *Montilium Æmarii* ſeu *Ademari*, dictum eſt. Et quidem Geraldi Æmarii mentio ſervatur in vetere *Inſcriptione*, quæ in Curia loci hodieque ſuperſtes, ſic incipit; *Annô ab incarnatione Domini MCXCVIII. Ego Geraldus Æmarius & Ego Lambertus nos Domini Montilii per nos & noſtros bonâ fide & ſine dolo & merâ liberalitate & ſpontaneâ voluntate donamus----omnibus noſtris de Montilio----ne de cetero toltam vel quiſtam vel aliquam novam exactionem* &c. Integram vide apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 19. *&* 20.

MONTINIACUM, oppid. Petrocorii, ad Vezeram fluv. ferè 7. leuc. à Petrocorio Urbe in Ortum Tutelam verſus, 4. Sarlato in Septentrionem *Montignac* vulgò.

MONTINIACUM Regium, oppid. tractus Baſſiniaci, ad Moſam, prope ejus fontes, 6. leuc. à Lingonibus, in Cæciam, 7. à Calvomonte in Ortum; vulgò *Montigny le Roy*.

MONTINUS, montium Deus, apud Arnobium *l.* 4.

MONTIO, urbs munita Aragoniæ, conventibus regni nobilis, in colle, ad Cincam fluv. 2. leuc. infra Barbaſtrum in Meridiem, 6. ab Ilerda in Circium, 5. à Fraga in Boream. Expugnata A. C. 1643. à Gallis, ſed recepta ab Hiſpanis. *Monçon* vulgò.

MONTIO, vicus Lotharingiæ, caſtro dare nomen idoneus, monti impoſitus, unde ei nomen, vulgò *Monçon*, vel *Mouçon*. Huic adjacet proximus *Pons* Moſellæ & amniculo confluentibus impoſitus, unde *Pont à Mouſſon*. Hoc oppidum S. jam portas habens S. Imperii urbibus adjunxit Carolus IV. Imper. in gratiam Roberti Ducis Barrenſis ac Marchionis Patrenſis. Sedet ad utramque Moſellæ ripam, ſed ad ſiniſtram magis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

de MONTIOSIEU Ludovicus, vide *Ludovicus*.

MONTISBELICARDUM, vulgò *Montbeliard*: oppid. Sequanorum, ſub Comite, ex familia Wirtembergica. Hoc ne Burgundicum agnoſceret feudum Henricus fil. Ulrici, A. C. 1480. demortui, neque Dolæ compareret, ab Imperatore juſſus eſt. Hinc idem Baſilienſes & Sundgojos, pro Carolo Burgundo, A. C. 1474. infeſtavit, mortuus Uraci, A. C. 1519. Pater communis duarum linearum, Ducalis primæ, per filium Ulricum & *Montisbelicardicæ*, ſeu Ducalis ſecundæ per filium Georgium. Ulricus à Carolo V. Ducatu exutus; Montisbelicardi commoratus eſt, A. C. 1525. illudque Galliæ Regi oppigneravit, A. C. 1533. ſed reluit A. C. 1534. religione Evangelicâ in Principatum introductâ. Lineâ ejus in Ludovico Pio, A. C. 1593. extincto; terminatâ: ſucceſſit agnatus Fridericus, ſub quo Colloquium conſtitutum eſt A. C. 1586. inter Bezam ac Muſculum, ab una: & Jac. Andreæ, Luc. Oſiandrum & Theod. Schnepfium, ab altera parte, nullô ſucceſſu. Hinc Legatus Principum German. in Galliam profectus eſt. Obiit A. C. 1608. Pater Joh. Friderici, qui Stutgardianum, Ludov. Friderici, qui *Monpelicardenſem*, & Julii Friderici, qui Julianum ſeu Brentianum ramum orſus eſt. Medius itaque Monpelicardum nactus, reditus ſuos, abſque ſubditorum onere, aliquot fodinis & fabricis ferri inſtitutis, non parum auxit: Mortuus A. C. 1631. Ei fil. fuit Leopoldus Fridericus, ſub quo oppidum à Gallis protectum eſt: uſque ad pacem Monaſterienſem, quâ, deductô præſidiô Gallicô, Princeps ditionem recepit. Moriens A. C. 1662. ſucceſſorem reliquit fratrem Georgium eruditione inclytum, qui ductâ Annâ, filiâ Gaſparis Colinii Mareſcalli, multa in Gallia bona obtinuit: è quibus Caſtellione ad Lupam venditô, Colinium dominium retinuit. Pater trium filiarum Henricæ, Eleonoræ Carolæ, & Annæ: ac filii Eberhardi Leopoldi. Principatus ejus à Gallis, ſub finem A. C. 1676. occupatus eſt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt.* & *Mons Belligardus*.

MONTISBURGUS, vulgò *Montebourg*, burgus Galliæ, in monte poſitus, in diœceſi Conſtantienſi, prope Valonias: cum vetere Monaſterio, Abbatiæ nomine, Benedicti regulâ & S. Mariæ titulô inſigni.

MONTISIANUS Marcus Antonius, vide *ibi*.

de MONTLENORI Guido, vide *Guido*.

MONTLUCIUS Johannes, Epiſcopus Valentiæ, frater Blaſii, Galliæ celebris Mareſchalli. Sedecies Legatus, quinque Galliæ Regibus, in Italia, Germania, Anglia, Scotia, Polonia & Conſtantinopoli, egregiam probavit operam. A Carolo IX. in Poloniam miſſus, regnum illud Henrico Andio feliciter conciliavit. Obiit Toloſæ A. C. 1579. à Ronſardo, Mureto, Cujacio, Thuano Scævo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

la S. Marth. impenſè laudatus. Reformatis eum faviſſe Dupleix, Spond. &c. ſcribunt. Vide etiam *Blaſius Montlucius.*

MONTMELIANUM, arx munitiſſima Sabaudiæ, in rupe, cum oppid. adjacente & ponte ligneo, ad Iſaram, in confinio Delphinatus, 3. leuc. à Camberiaco in Auſtrum, vix 2. ab arce Barrana. Vulgò *Montmelian.* In Gallorum poteſtatem, hôc bellô pervenit.

MONTMORANTIA Familia, ulgò *Montmorency*, inter Gallicas nulli ſecunda, quam Andreas du Cheſne inſigni opere excoluit, ab Eberhardo, Hugonis Capeti paraſtate (ut ad fabuloſas traditiones non accedamus) deducitur. Et quidem, primis temporibus, juxta ſtirpem enati ſunt palmites Dominorum *de Bray*, *Montlehery*, *Crecy*, *Attichy*, *Marly*, *S. Leu*, & qui peculiarem dein ſtirpem conſtituêre viri ſunt, *Lavalleorum.* Deinde, ex eodem trunco prodierunt, Domini *de Conflans*, *Beauſault*, *Gouſſainville*, *Auvremeſnil*, *Croiſilles*, *Neuvilie*, *Hubermont*, *Bours* & *Eſquencourt.* Demum, cùm Johannes II. Dn. *de Montmorency* tres filios habuiſſet, Johannem, Ludovicum & Wilhelmum; à primo, in Belgio, Domini *Nivellæ* & Comites Hornæ, à ſecundo Barones *de Foſſeux* (è quibus Marchiones *de Thury*; Barones *de Laureſſe*, Comites *de Bouteville* ac *de Luſſe* derivantur) atque iterum Barones *de Waſtines* (auctores Comitum *de Eſterre*, Principum *de Robecque*, Marchionum *de Morbecque*) à tertio, in Francia Duces *de Montmorency* & *Damville*, in Henrico II. Admirali Franciæ, decollato A. C. 1632. terminati, ortum trahunt. Hæc autem *Montmorantiæ* iſtius lineæ ſeries; Carolus Dn. *de Montmorency*, Mareſcallus Franciæ, defunctus A. C. 1381. ex Petronella Villeria (filia Adami *le Begue* Dn. *de Villiers*) pater fuit Jacobi *de Montmorency*, extincti A. C. 1414. Hôc & Philippâ Melodunenſi, (filia Hugonis *de Melun* Dn. *de Antboing*, ex Beatrice *de Beauſſart*, Roberto Dn. *de Wingles* Conneſtabili genitâ) natus Johannes II. Dn. *de Montmorency*, obiit A. C. 1477. relictô ex Margareta *d'Orgemont* Dn. *de Thorigny*, præter Johannem & Ludovicum, Wilhelmô, qui deceſſit A. C. 1551. Hôc & Annâ Potheres (filiâ Guidonis *Potheres* Comitis *de S. Pol.* Dn. *de la Rochepot*) genitus Annas Dux *de Montmorency*, Conneſtabilis Franciæ, deceſſit A. C. 1567. Pater, ex Magdalena *de Sabaudia* (filia Renati Legitimati *de Sabaudia* Comitis *de Villars*, Philippo Duci Sabaudiæ, ex Bona *de Romagnan* genita) Franciſci Ducis *de Montmorency* Mareſcalli, qui obiit A. C. 1579. Henrici I. Ducis *de Montmorency* Conneſtabilis (quô defunctô A. C. 1614. ultimus familiæ Henricus II. prædictus genitus eſt) Caroli Ducis *de Damville*, extincti A. C. 1612.) Gabrielis Dn. *de Montheron*, qui deceſſit A. C. 1562. Guilielmi Dn. *de Thoré*, Leonoræ (quæ nupſit Friderico Turrio Vicecomiti Turenæ) Johannæ (uxoris Ludovici *de la Trimouille*, Ducis *de Thouars*) Catharinæ (uxoris Gilberti *de Levis* Dn. *de Ventadour*) Mariæ (uxoris Henrici Foxii Comitis *de Eſtrac*) Annæ, Ludovicæ & Magdalenæ, Abbatiſſarum. Spener. *Part.* 2. *p.* 98.

MONTMORENTIUS Franciſcus, Belga, patriâ Arienſis, Comes Stegrenſis & Morbecanus, Præpoſitus Caſletenſis & magnus Decanus S. Lamberti, Leodii, floruit noſtrô ſeculô. Ejus extant: *Pietas victrix in 7. Pſalmos Pœnit. expreſſa Lyricè: Ejuſdem Poëtica Sacrorum Canticorum expoſitio cum acceſſione 15. Pſalmorum, Lyricis modis expreſſa: In Cant. Canticorum Expoſitio Poëtica:* Poëmata in unum collecta &c. Obiit A. C. 1640. ætat. 60. Swertius *Athen. Belgic.*

MONTONIUM, oppid. Aprutii, cum titulo Comitatus. Item, oppid. Vindocinenſis tractus, ad Lædum fluv. in confinio provinc. Cenomanenſis, 4. leuc. infrà Vindocinum in Occaſum, 9. ab Ambacia in Septentrionem. *Montoire* vulgò.

MONTREVELLIA Familia Gall. *Montrevel*, in Galliæ Regno illuſtris, Balmiæ ſtirpis ramus eſt. In hac enim cum à variis dominis variæ lineæ cognominatæ ſint, primaria facile eſt *de Monterebello* ſeu *Montrevel* dicta, cùm A. C. 1427. Comitis dignitate cum hoc titulo mactaretur Johannes. In cujus liberis, Johannes primogenitus titulum Comitatus ad poſteros propagavit; ejus autem frater Petrus *de Monte S. Sorlin* appellatus eſt. Donec Petri nepos Marcus, ductâ Johannis pronepte Bonâ, ad ſe transtulit ex altera linea decus ſemel ſtirpi collatum. Nihilominus Marci progenies maſcula, cùm etiam alia acceſſiſſent, in nepotibus defecit. Itaque *Montrevellia* hæreditas ad Claudii (qui Marci frater erat) filium Franciſcum delapſa eſt, & adhuc in poſteris hæret, quorum progenitores hi fuêre. Guido *de la Baume* Comes *de Montrevel*, qui obiit A. C. 1516. ex Johanna (filia Johannis *de Longvy* Dn. *de Raon* & *Giury*) pater fuit Claudii *de la Baume* Baronis *du Mont S. Sorlin*: quô & Guilielmâ *d'Igny*, genitus Franciſcus *de la Baume* Comes *de Montrevel*, junxit ſibi Franciſcam agnatam (filiam Johannis IV. *de la Baume* Comitis *de Montrevel*, neptem Marci *de la Baume* Comitis *de Montrevel* & Bonæ, Johanne III. *de la Baume* Comite *de Montrevel* genitæ) eque illa ſuſcepit Antonium *de la Baume* Comitem *de Montrevel* vel M. *de S. Martin le Chaſtel*, qui obiit A. C. 1595. Huic ex Nicolaa *de Montmartin* natus Claudius Franciſcus *de la Baume* Comes *de Montrevel* obiit A. C. 1621. Pater ex Johanna *d'Agoult de Montauban de Veſq. de Montlor* (filia Franciſci Ludovici *d'Agoult* & *de Montauban* Comite *de Sault*) Ferdinandi Comitis *de Montrevel*, Caroli M. S. Martini (cui nupſit Albertina Maria *de la Baume de S. Martin*) Mariæ (quam matrimonio ſibi junxit Spiritus Alartus Dn. *d'Eſplan*) Margaretæ (Franciſco *de Galles*, Baroni *de Miribel* elocatæ) Johannæ Monialis & Franciſcæ: è quibus Ferdinandus, ductâ Mariâ *Olier de Nointel* genuit Marchionem *de Saint Martin*, patrem Marchionem *de Savigny* atque Comitem *de Brancion.* Spenerus *Part. I. p.* 104. & *in Ind.*

MONTUNATES, pagus Inſubriæ Galërato proximus, 24. mill. paſſ. à Mediolano; *Albicia Merulæ.*

MONUBILES, ſeu MONABILES, apud Auctorem *Itinerarii Burdigal. Inde non longè quaſi ad lapidis miſſum ſunt monumenta duo*, monubiles *mirâ pulchritudine facta, in unum poſitus eſt Eſajas Propheta:* pro *volubilia*, uti Salmaſius judicat, qui monumenta hîc intelligi εἰλημματικὰ, i. e. concamerata, qualis olim omnia Judæorum ſepulchra, ut & Græcorum ſubterranea, quas Cryptas dicebant & ſpeluncas, contendit. vide eum *ad Solin. p.* 1219. & ſuprà.

MONUMENTUM, Jureconſulto *ff. de Religioſis, & ſumtibus funerum*, idem eſt quod Græcis *Cenotaphium*, ita enim ille: *Sibi ſit corpus, dici ſepulchrum: ſi abſit, dici* Monumentum, *ut & Græcis Cenotaphium, quia ſtructum ſolùm ad memoriam defuncti.* Virgilio *Æn. l.* 6. *v.* 505. *Inanis tumulus*, Suetonio *in Claud. c.* 1. *Honorarius tumulus*, dictum: Unde vetuſtæ marmorum inſcriptiones, notante Alciatô *l.* 10. *Par. c.* 12. hæc verba præferunt, *ob honorem:* & Tacit. *Honorique Patris Princeps ipſe cum Legionibus decurrit*, *Annal. l.* 2. *c.* 7. Philoſtratus *in Apollonii vita l.* 8. *c.* 13. vocat *Pſeudotaphium*, quia mendax ſepulchrum; Nonnus Κηνήριον καὶ τύμβον κενὸν, *Dionyſ. l.* 2. &c. Horum duplex uſus, quorum alterum indigitat la Cerda, in *loc. cit.* Virgilii ubi *Monumentum* iſtius modi ab Andromache marito Hectori in Epiro conſtructum memorat Poëta; *Conſuevêre*, inquit, *Veteres iis, quos amabant, pluribus in locis imaginarium quendam tumulum excitare.* Hinc Druſo, cujus cadaver Romæ in Campo Martio humatum, *Exercitus honorarium tumulum*, ut habet Sueton. locô præfatô, *excitavit: circa quem deinceps ſtatô die quotannis miles decertaret, Galliarumque civitates publicè parentarent.* Et Alexander, *Cenotaphium in Gallia, Romæ ampliſſimum ſepulchrum meruiſſe*, dicitur apud Lamprid. *in ejus vita: c.* 63. Euripidi quoque, quum ipſe in Macedonia ſepultus eſſet, in Attica honorarium tumulum excitatum eſſe, refert *in Atticis* Pauſan. Alterum innuit Xenoph. *in Expedit. Cyri l.* 6. *His, quorum corpora inventa non ſunt, Cenotaphium magnum fecerunt pyramque magnam & coronas impoſuerunt.* Nempe poſtquam defuncti cadaver haberi non poterat, Græci ἀνακαλέσασθαι ſolebant τὴν ψυχὴν, i. e.

——— Manes ter voce vocare:

dein *Monumentum* ei erexerunt, in nominis ejus perennem memoriam. Sic *in Corinthiacis* Pauſan. Ducibus omnibus, qui ad Ilium ceciderant, iſtiuſmodi tumulum extructum eſſe refert. Idem Pythagoræi iis, qui à doctrina ſua defeciſſent: & Athenienſes omnibus in mari merſis, factitâſſe leguntur; Pythagoræi quidem ideo, quia illos, qui principia ſuæ ſectæ deſeruiſſent, pro mortuis habebant. In ſpecie, quorum in prælio occiſorum cadavera dignoſci non poterant, Cenotaphio in Ceramico honorabantur Athenis, unde Ariſtoph. *in Avibus*, ὁ Κεραμεικὸς δέξεται νώ. Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annularibus*, *c.* 153. *ubi Chiorum nummum æreum, in Homeri honorem cuſum, explicat*, ut & ſuprà in voce *Cænotaphium*, pro *Cenotaphium.* Aliàs *Monumentum*, Græce μνημεῖον, Suidæ, Μνημεῖον ὁ τάφος: μνῆμα, *Ammonio*, qui duo hæc ſubtiliùs diſtinguit, Μνημεῖα, inquiens, ἔλεγον τὰ μνημόσυνα, Μνήματα καὶ τοὺς τάφους· μνήμη γὰρ γίνεται νεκροῦ, μνεία δὲ τοῦ ζῶντος. Sed uſus obtinuit ac pervicit, ut μνημεῖα paſſim ſepulchra dicerentur, non tantùm μνήματα. Vide ſuprà in voce *Memoria.* Dicebatur autem *Monumentum* propriè tumulus, cum cippo, ad memoriam defuncti impoſito, Atticis σῆμα. Quod his verſibus expreſſit ſummus Poëta Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 3.

——— Oſſaque nomen
Heſperia in magna ſi qua eſt ea gloria ſignat.

Ovidius, *tumulum nomen habentem* dixit, *l.* 12. *Met. v.* 2.

——— Tumulo quoque nomen habenti.

Homer. *Il.* λ. *v.* 371.

Τύμβῳ τε στήλῃ τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Ad quem verſum alluſit Virgilius, certe in animo habuit, ut & Ovidius. Tumulus enim nomen habens τύμβος καὶ στήλη: Aliàs tumulus ſine nomine, τύμβος merus eſt, qui στήλη caret. Non igitur *Monumentum* ſeu μνῆμα eſt, niſi tumulus in cippo vel columna nominis inſcriptionem habeat: *titulum* alii vocant, unde ipſi lapidi nomen; item *elogium*; Corn. Nepos *periculum*, in Epaminonda *c.* 8. de quibus vocibus vide *ſuô locô.* Sic cùm *Monumentum* primitus ſignificaret columellam vel στήλην mortui tumulo impoſitam, poſtea ad ipſum *ſepulchri locum* & *ſepulchrum* ædificatum ſignificandum tranſiit. Et quidem, uti ſepulchrum ab arca ſepulchrali diſtinctum, ut quod plurium arcarum capax eſſet; Vide ſuprà in *Arca*: ita *Monumentum*, generalis erat θήκη omnium in eadem familia defunctorum, in qua ſingulorum corporum arcæ ac ſarcophagi, vel urnæ aut cineraria, condebantur. Cujuſmodi ſepulchra *Familiaria* dicuntur Cajo, quæ quis familiæ ſuæ conſtituit. Monumenta verò ea non unius generis aut formæ. Apud Græcos, ubi corpora integra condere cœperunt, hypogæa & ſubterranea fuêre, omneſque mortui in illis Hypogæis, in ſua quiſque arca conditi, jacebant: erant autem hæc hypogæa fornicata, unde & καμάρας vocat *Phlegon*, qui & κλίνας appellat ſingulorum cadaverum thecas vel arcas, quæ unâ camera vel fornice habebantur conditæ, vide ſuprà *Hypogæum.* Romanorum Monumenta ſuprà terram extruebantur & ὑπέργεια erant: cujus diverſitatis ratio ex diverſo more proceſſit. Qui enim corpora integra ſepeliebant, quærenda his fuêre ſubterranea loca mortuis recondendis; ne cadaveris odor putreſcentis in ſupernis ſentiretur: nihil tale metuendum à cineribus & reliquiis combuſti corporis. Ideò, qui comburebant corpora ſua Romani, ſuper terram conditoria ædificata habuêre. Cujus rei argumentum non leve, quòd apud eoſdem, ſi qui defunctorum ſuorum cadavera non cremârunt, in Cryptis ea locisque ſubterraneis ſepeliverunt. Unde *Cryptæ Martyrum* tot locis leguntur, in veterib. *Martyrologiis* & Patrum ſcriptis. Quemadmodum hodie quoque Procerum monumenta & ſi qui alii gentilia ſepulchra habent, Cryptæ veræ ſunt, ſpecus nempe defoſſi & ſubterranei fornices, in quibus aut terrâ obruta ſunt corpora, aut marmoreis & plumbeis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

beis, atque etiàm ligneis arcis condita, ſuprà extante ad memoriam ex marmore aut lapide ſtructâ aliquâ maſſâ & inſcriptâ, quod propriè *Monumentum* vocari diximus. Nec aliô more modôque monumenta facta Judæi habuêre, quibus per facultates illa habere licebat. *Cryptæ* itidem fuerunt, ut eas auctores ſemper nominant, qui res eorum ſcripſêre. Σπήλαια Græci appellant. *Nonnus* χθόνια σπέη, ubi de Lazari crypta, quam Joannes *c.* 11. *v.* 38. μνημεῖον & σπήλαιον vocat, ait:

> Καὶ χθόνιον σπέος ἦεν ἔσω γλαφυροῖο μελάθρου,
> Καὶ λίθος ἀντιτύποιο φέρων μίμημα θυρέτρου
> Ἀμφιπαγὴς ἰσόμετρος ἐρείδετο χάσματι τύμβου.

E quibus colligere eſt, quali formâ fuerint Judæorum ſepulchra. Specus erat ſubterraneus lapide ſtructus & cameratus cum foramine deſuper ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur. Nec alterius generis aut formæ fuiſſe liquet Græcorum Hypogæa. Ægyptii verò, licet cadavera ſua non cremarent, quia odoribus ea condiebant, domi apud ſe, in conclavibus ei rei definitis, incluſos ligneis thecis vel loculis aſſervabant: nam periculum à fœtore nullum. *Herodot.* ξυλίνους τύπους ἀνθρωποειδέας vocat, ſed & θῆκαι dicebantur. *Aëtius* γλωσσόκομα nominat, *Diodor.* νεκροθήκας: neque ſolùm arculas, in quibus jacebant condita cadavera, ſed etiam monumenta ipſa plurium arcarum capacia ſic vocitârunt. Neque verò ſepulchrum ſolùm, ſed & ſepulchri locum, *Monumentum* denotat, qui plerumque huic rei ſacratus erat muro clauſus: ut in monumento Regillæ,

> Γῆν ἄστην περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐστεφάνωται.

Atque hoc dicebatur *munimentum ſepulchri*, ut in *l.* 38. *D. de Religioſ. & ſumptibus fun.* Interdum verò ſolâ inſcriptione ſepulchri, de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavebatur, *Tot pedes in agro.* Quò pertinent notæ illæ apud Valerium Probum IN FR. P. VI. LAT. VII. Item IN FR. P. XX. IN AGR. P. XX. *In fronte pedes ſex, latum ſeptem. In fronte pedes viginti, in agro pedes viginti.* Quem proin locum ſepulchri, is qui fundum vendebat, ſæpenumero excipiebat, uti de Cœlio Mantuano legimus, apud Virgil. *ænigmate* illô celebri, *Dic quibus in terris* &c. de quo ſuprà diximus in voce *Loci*, it. *Memoria*, ubi plura hanc in rem. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1206. *& ſeqq.* ut & hîc, præter prædicta, *paſſim.*

MONUMENTUM *Caleb*, in tribu Juda, Hieronym. *in vita Paulæ.*

MONUMETHIA, urbs Angliæ, ad Wagam amnem, in ipſo Herefordiæ confinio & Gloceſtriæ, 14. milliar. Angl. ab utraque urbe cognomine, uti 10. ab æſtuario Sabrinæ, 22. à Briſtolio in Boream, *Monmouth.* Caput Comitatus cognominis, *Monmoutshire*, qui in limite Walliæ, inter Gloceſtriam eſt ad Ortum, & Glamorganiam ad Occaſum; ſuitque aliàs pars Walliæ Meridionalis.

MONYCHUS, Centaurorum fortiſſimus, tantô corporis robore, ut vel proceriſſimas arbores humô evelleret. Equorum autem hoc epitheton, qui unicâ, eâque ſolidâ ungulâ pedes habent calceatos. Quô fit ut Centauris tribuatur, quibus poëtarum fabulæ equinos pedes affinxerunt. Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 145.

> *Fert gravis invito victorem Neſtora tergo*
> *Monychus,* ——————

Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 11.

> —— *Quantas jaculetur Monychus ornos.*

Et ante utroſque Lucan. *l.* 6. *v.* 388.

> *Aſpera te Pholoës frangentem Monyche ſaxa.*

Nic. Lloydius.

MONYMA, Mileſia, caſtitate inclyta, Mithridatis uxor, quæ in deſperatione rerum profligatarum detractum è capite diadema, illud collo circumligâſſe traditur, ſeſeque ſuſpendiſſe, & cum corporis pondere laqueus ille diruptus eſſet, dixiſſe: *Execrandum diadema, neque in tam triſti miniſterio mihi profuiſti*, moxque cum ſæpe illud humi abjectum inſputâſſet, Eunucho regio jugulandam ſeſe obtuliſſe. Plutarch. *in Lucullo.*

MONYMUS, Corinthii cujuſdam trapezitæ ſervus, qui cùm maxime cuperet operam dare Diogeni, neque tamen hoc à Domino poſſet impetrare, ſimulatâ inſaniâ monetam cœpit ſpargere, eôque modô dimiſſus ad philoſophiam ſe convertit, Diogenemque & Cratetem ſecutus eſt: Inter Cynicos Philoſophos æſtimatus. Scripſit facetias, pulcherrimis ſententiis refertas. Diog. Laërt. *l.* 6. *c.* 82.

MOOS, fil. Ram promogeniti Jerameël, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 29.

MOPHIM, vel MUPPIM, fil. Benjamin. Gen. *c.* 46. *v.* 21.

MOPHIS, Rex Indiæ Taxilis fil. ab Alexandro Magno devictus. Diodor. Sic *l.* 13. Vide *Omphis.*

MOPSIA, vide MOPSOPIA.

MOPSIUM, *Strab. Mopſius* tumulus Livio *l.* 42. *c.* 61. collis & oppid. Theſſaliæ, inter Tempe & Lariſſam.

MOPSVESTENUS Theodorus, vide *Theodorus.*

MOPSVESTIA, urbs Caramaniæ, *Plin. Ptolem. Strab.* Epiſcopalis primò, dein Metropolitana, ſub Patriarcha Antiocheno, ad Pyramum fluv. in mediterraneis. *Malmiſtra* quibuſdam: aliis *Mebſeſe* etiam. Hic à 9. Epiſcopis contra Theodorum, urbis hujus Præſulem, Concilium A. C. 550. celebratum eſt. Vide *Mamiſtra*, & *Mopſus.*

MOPSUS, Deus Cilicum, cui divinos honores exhibebant, ut eſt apud Origenem *l.* 3. *contr. Celſum*; & ante eum ita Tertullian. *de Anima*, *c.* 46. *Nam & oraculis hoc genus ſtipatus eſt orbis, ut Amphiarai apud Oropum. Mopſi in Cilicia, &c.* Sed quis Mopſus iſte fuerit, quæri video. Tres vulgò *Mopſos* imprimis celebrant, imò totidem à Strabone *in nono* referri, annotavit Andreas Schottus *ad Melæ l.* 1. *c.* 27. nempe iſthic legas, *Mopſium* Pelaſgitidis in Theſſalia urbem ſic dici, non à *Mopſo* vate Tireſiæ Thebani filio, ſed à *Mopſo* Lapitha, Argonautarum uno: ac deinde in codicibus vulgatis edi ſolet: Ἄλλος δ᾽ ἐστὶ Μόψος ἀφ᾽ οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία. Et ſane à *Mopſo*, *Mopſopiam* dici ſententia Stephani eſt in Μόψιον, qui ſimiliter apud Strabonem legiſſe videtur, quin idem etymon extat apud Euſtath. *in Dionyſ.* Verùm obſtat, quòd à *Mopſo* eſſet *Mopſia.* Rectè igitur Caſauboniana Strabonis editio pro Μόψος habet Μόψοπος, unde ἀναλόγως eſt Μοψοπία, uti & à Μόψοψ, quomodo idem vocatur *Callimacho*, apud Stephan. in Μοψοπία. Quare non dubium, quin Mopſus ille, cujus oraculum in Cilicia erat, vel Thebani Tireſiæ fil. fuerit, vel Argonautarum unus. Poſterius cenſet Pamelius, *ad allatum Tertull. locum.* Fuit is Ampyci filius, unde *Ampycides* dicitur Apollonio *l.* 4. & Ovid. *Met. l.* 12. Vatem autem hunc fuiſſe clarè & *Apollonius*, & *Val. Flaccus* teſtantur, quanquam veriſimilius ſit, oraculum illud Mopſi in Cilicia non fuiſſe Argonautæ Theſſali, ſed Tireſiæ filii, aut nepotis. Siquidem Mopſus vates, cujus in Cilicia oraculum, non Argonauticis vixit temporibus, ſed belli Trojani, uti conſtat ex Strabon. *l.* 14. Jam verò Argonautica expeditio generatione integrâ bellum Trojanum anteceſſit. Hic *Mopſus* etiam fuit, à quo in Cilicia *Mopſi focus*, *lares*, ſive *domus.* Græcè Μοψουεστία. Vide *Mamiſtra.* B. Hieronym. *Mopſi viculum* appellat. Μόψου ἑστίαν vocat Strabo *l.* 14. Cicero ſcribens *ad Appianum Pulchrum l.* 3. *Ep.* 8. *De noſtris rebus quod ſcire vis: Tarſo Nonis Octobribus Amanum verſus profecti ſumus. Hæc ſcripſi poſtridie ejus diei, cùm caſtra haberem in agro Mopſuheſtiæ.* Locus celebris mortuô illic Conſtantiô Imperatore & Epiſcopatu Theodori Mopſueſteni, viri à Baſilio, Chryſoſtomo, Cyrillo laudati, ſed poſt exortum dogma Neſtorianum ab eodem Cyrillo & Eccleſia damnati. Etiam hunc *Mopſum* intelligo apud Pomp. Melam. *l.* 1. *c.* 14. cùm ſcribit; *Trans eoſdem mons Sardemiſos, & Phaſelis à Mopſo condita, finis Pamphyliæ.* Interea & Mopſus Argonauta ſuum habuiſſe oraculum videtur, idque in Africa propriè dicta (interjecta nempe inter Cyrenen, & Mauritaniam) Apulejus *de Deo Socratis: Pro numine poſtea ab hominibus culti in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopſus, in Ægypto Oſiris.* De hoc *Mopſo*, apud Statium *Theb. l.* 3. *v.* 520. ſic ipſe Amphiaraus:

> —————— *Nec me ventura locuto*
> *Sæpius in dubiis auditus Iaſone Mopſus.*

Ubi ſic Lactantius, ſive Lutatius interpres: *In tantum magnus fuit Mopſus in augurali peritia, ut poſt mortem templa ei dicata ſint, à quorum adytis ſæpe homines reſponſa accipiunt.* Quibus cultus fuerit locis, non addit, ſed de Africa credere debemus Apulejo, homini Afro, addo, & Mago, eoque oraculorum callentiſſimo. Proque hoc etiam facere videtur Seneca *in Medea Choro, Actu* 3. *v.* 652. ubi legas:

> *Idmonem, quamvis bene fata noſſet,*
> *Condidit ſerpens: Libycis arenis*
> *Omnibus verax: ſibi falſus uni,*
> *Concidit Mopſus, caruitque Thebis.*

Favet & Ammian. *l.* 14. ubi quidem Argonautam Mopſum in Cilicia cultum, at rectè eum in Africa mortuum tradit. *Nic. Lloydius.* De illo, Origenes *contra Celſum l.* 3. præf. in Cilicia ejus reſponſa data per Dæmonem, auctor eſt: Ἆρ᾽ οὖν οὐδέν εἰσιν οὗτοι οὓς κατέλεξας, καὶ οὐδεμία δύναμίς ἐστιν ἐν Λεβαδίᾳ κατὰ τὸν Τροφώνιον, οὐδ᾽ ἐν Θήβαις περὶ τὸν τοῦ Ἀμφιαράου νεών, οὐδ᾽ ἐν Ἀκαρνανίᾳ περὶ τὸν Ἀμφίλοχον, οὐδ᾽ ἐν Κιλικίᾳ περὶ τὸν Μόψον. *Nempe nihil ſunt ii, quos innumeraſti, neque ulla virtus Labadeæ Trophonii, Thebis Amphiarai, in Acarnania Amphilochi, in Cilicia Mopſi.* Nec omittenda hiſtoriola lepida, quam tùm recentem memoriæ narrat Plut. *de Defectu Oracul. Præfectus fuerat provinciæ Ciliciæ Romanus. Is cùm Epicureos circùm ſe haberet, eorumque improbæ in Deos rationi accederet, ad delubrum miſit hominem ſpectatæ fidei, cum obſignatis literis, quibus inerant ſcripta, quæ putarent numen Mopſi deceptura. Literarum geſtor de more in Fano pernoctabat; venit ad eum per ſomnum pulchrô admodum aſpectu vir, qui unâ hâc voce editâ,* Nigrum, *ilicò abſceſſit. Abſurda ea res viſa præſentibus. Non ipſi Præſidi Romano, qui flexis genibus adoravit Mopſum, & apertis literis docuit aſtantes, percontatum ſeſe fuiſſe in iiſdem, Albumne an nigrum ſibi taurum immolari vellet Mopſus. Ita confuſi & ſepoſiti tùm fuêre Epicurei & Mopſus deinceps à viro illo præclaro cultus eſt* &c.

MOPSUS, cujus nomen in Paſtorali olim carmine frequens; Argivorum dux fuit, de quo ſic Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 4. *Antiphemi frater, Lacius Argivus, coloniam miſit in montana Colophoniorum,* Mopſô *duce. Is ibi certam emit à Cylabra paſtore indigena: in qua oppidum condidit, nomine* Φασηλίν. *Antiphemus autem ſuis auſpiciis cum ſacris & Diis patriis in Siciliam coloniam duxit: ubi Gelam urbem ædificavit, Dianæque ludos celebravit: quam in Mopſi memoriam ita cognominavit. Quare &* Mopſi *nomen in Paſtorali carmine frequens eſt.*

MORA, *Ptolem.* oppid. Corſicæ extinctum, in ora Boreali apud Opinum oppid. inde 4. mill. paſſ. in Ortum, à Baſtia 12. ferè, Centurinum verſus; *Villa de Mori* vulgò.

MORA, apud Corn. Nepotem *Iphicrate*, *c.* 2. *Hôc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit, quod maximè totâ celebratum eſt Græciâ:* à Græco verbo μείρομαι, *partior*, unde μοῖρα *portio*, cohors fuit apud Lacedæmonios militaris, in qua totius exercitus robur. Sicut apud Macedones, celebris fuit *phalanx*; ſtabile agmen continens octo peditum millia. Fuit autem *mora*, ſecundum nonnullos, quingentorum, ſecundum alios: nongentorum militum, ut videre eſt, apud Plut. *in Pelopida* &c. Diodor. Sic *l.* 14. μόρος vocare videtur: at Μόραν Andromachus ſive Auctor incertus *Etymologici*, cujus cohortis caſum & cladem multis verbis exponit Xenophon Ἑλληνικ. *l.* 4. ubi hôc ipſô vocabulô utitur. Pauſan. verò & Μοῖραν appellat *Laconicis.* Vide quoque *Heſychium*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſyckium, & plura apud Joann. Meurſium *Atticar. Lection. l.* 1. *c.* 15. Apud Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 196. *moræ portarum*, apud Virgilium, *moræ loricæ*: obſtacula ſunt. Uti apud eundem Statium *d. l. verſu* 520. *primæ moræ*: veteri Scholiaſti exponuntur *foſſata*, *& pinnæ & antemuralia*: Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad loc.*

MORA, apud priſcos Romanos, menſas claudebant. Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 21.

——— *ille ſalubres*
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore Solem.

Ad quæ verba *Dionyſ. Lambin.* & *Hadr. Turnebus*, nihil præter *mora* prandendum ſuaderi aſſerunt, atque hoc eſſe, *finire prandium*; quia Veteres modicè tantùm prandebant, lautiùs cœnaturi. At *Lud. Nonnus* Poëtam alludere hôc locô ait ad ſeculi ſui morem, quô tempore in uſu erat, fructus omnes, cum bellariis reliquis, ultimâ menſâ mandere, non ſecus ac in lactuca quondam eveniſſe ſcimus, quæ Auguſti ævô cùm dapes clauſiſſet, ſub Domitiano illas inchoare cœpit, uti apud Martialem *l.* 13. *Epigr.* 14. legimus. Sic *Plut.* docet, frigidas menſas à cauda ad caput fuiſſe reductas, ita ut, quæ ultimô locô olim adſumebantur, in primum poſteà locum migraverint. *Horatius* itaque, ex doctrina Catii, nihil aliud dixerit, niſi quòd ſalubris ſit *mororum* eſus æſtivô tempore, parum anxius, an primô, vel poſtremô locô eſſent ſumenda; morem ſui temporis reſpiciens, quô poſtremô locô ſumebantur: non ſecus ac hodieque plerique Germanorum, ultimâ menſâ, illis veſcuntur, nullâ habitâ ſalubritatis ratione. Hoc tamen non ſpernendum, quod Poëta monet, legenda eſſe mora ante æſtum; ſic enim decerpta æſtuanti ventriculo magis conveniunt. Aliàs poſt alios cibos ingeſta, ſi pravum in ventriculo cibum offenderint, celerrimè vitiantur: primis itaque epulis aſſumta probantur magis. Atque hactenus nigra, quæ paſſim in honore ſunt, quòd æſtate ſqualentem ſtomachum mirificè ſuccô ſuô recreant: At albus mori arboris fructus, qui minor atque infrà nigri magnitudinem multum, & cùm maturuit, multò dulcior, tamen ob ſaporis fatuitatem menſis non infertur. Narrant naturæ periti, ex inſitione ſuper albam populum factâ originem traxiſſe: nullo verò in uſu ſunt, niſi ut illorum foliis ſericum facientes vermes alantur. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 36. uti de elephantis, uvarum *mororumque* ſanguine ad prælium accenſis 1. Machab. *c.* 6. *v.* 34. aliquid etiam infrà voce *Morus*.

MORA Margarita, vide *Margarita*.

pro MORA finis, orandi conſuetudo veterum Chriſtianorum, memoratur Tertulliano *Apologet. adv. Gentes*, *Eſt alia major neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu Imperii, rebuſque Romanis, quòd vim maximam univerſo Orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſeculi acerbitates horrendas, comminantem, Romani Imperii commeatu ſcimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur, differri, Romanæ diuturnitati favemus-- Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Vide eum *c.* 32. & 39. & de hac conſuetudine pluribus agentem Joh. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico Theologic. l.* 13. *c.* 11. §. 14. uti de *Mora Nuptiali* infrà, lemmate *Nuptiale tempus*.

MORABOTINUS, vide ſuprà *Marabotinus*.

MORADUNUM, oppid. Ducatus Juliacenſis, ad Roram fluv. cum cœnobio. Vulgò *Werben*.

MORALES Ambroſius, Cordubenſis, fil. Antonii Medici clariſſimi, primò Dominicano Ordini nomen dedit; unde ejectus, quòd inconſultô zelô, Origenem imitatus, ſe Eunuchum reddidiſſet. Rhetoricam docuit Compluti; & Hiſtoriographi regii munere honoratus à Philippo II. hujus juſſu hiſtoriam patriæ ſuæ compoſiturus, totam hâc fini Hiſpaniam perluſtravit, atque omnes Bibliothecas ſolicitè evolvit, in explicatione tamen Inſcriptionum Romanarum non uſque quaque felix. Obiit Compluti A. C. 1690. ætat. 60. Ejus in lucem prodierunt, *La Cronica General de Eſpana*, *Corduba*, *Genealogia S. Dominici*, *de S. S. Juſto & Paſtore Complutenſis Eccl. patronis*, *Epiſtola ad Reeſendium.* Auctor eſt etiam *Vita Comitis Mathildæ de Canuſio*, *Mſcr.* Vide Auctorem *Biblioth. Hiſpan.* Poſſevinum *Biblioth. l.* 16. *c.* 13. *ſect.* 5. Auctorem *Biblioth. cit.* Anton. Teiſſier. *Elogiis Part.* 2.

MORANTIACUM, cujus mentio in Cod. Theodoſ. *l.* 1. *tit.* 6. vulgò *Moranci*, vicus eſt ad ſiniſtram Iſaræ ripam, inter Bellum montem & Credilium: vel certè *Morhanges*, caſtrum oppidulumve Lotharingiæ, inter Saliam & Saravum fluv. Quibus in locis Imperatores Romani ſæpius occupati erant, cum ad arcendos tranſitu fluminis Germanos, tùm ad Barbaros, ſi qui Galliam intrâſſent, reprimendos. Unde Ducheſnium *Montem Morentiacum*, caſtrum olim, nunc vicum Lutetiæ proximum, in Cod. Theodoſ. intelligi contendentem, corrigit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MORASTI, vicus contra Orientem Eleutheropoleos, patria Michææ Prophetæ, qui inde *Moraſtites* dicitur, Jerem. *c.* 26. *v.* 18.

MORATA, nomen Dominii & Familiæ in Hiſpania, quæ Manriciæ ſeu Manriqueziæ ſtirpis ramus eſt. Cùm enim hæc in duas præcipuè lineas dividatur, *Caſtannedenſem* & *Trebinnenſem*, in illa claruit Garſias Fernandus Manricius, Henrici Infantis Aragoniæ primarius Miniſter, & titulum *Comitis de Caſtanneda* nactus. Cujus ex Aldoncia Caſtellana fil. Johannes Fernandus Caſtannedenſes propagavit; alter verò, Gabriel, *Comitis Oſornenſis* & *Ducis Galiſtei*, titulum ac dignitatem obtinuit, quorum ille ad poſteros, è quibus etiam Antonius quidam *Comes de Morata* factus eſt, hucuſque propagatur. Vide infrà in voce *Oſornenſis Famil.*

MORATA Olympia Fulvia, Fulvii Morati Ferrarienſis Philoſophi, filia, Andreæ Grunthleri Medici Suinfordienſis conjux, Græcarum & Latinarum literarum cognitione egregiè exculta: edidit Carmina & Epiſtolas. Obiit Heidelbergæ, A. C. 1555. ætat. 29.

MORATA Oratio, vide infrà *Politici verſus*.

MORATENSIS Lacus, *Murtenſée* German. ab oppido Helvetiæ non incelebri Morato, de quo infrà, nomen habens: Incipit à fluvio Broja, cujus aquis augetur, dein in lacum Neocomenſem, prope ædes dictas *à la Sauge* ad Salicem, effluit: unde & vicinum pagum *Sougies* dictum habet. Ferunt omnino deperdi: quidquid in hoc lacu ſubmergitur; piſcoſiſſimus eſt, & aliquando tantô gelu ſtringitur, ut glacies onuſtos etiam currus ferat. Credunt nonnulli, latiùs patuiſſe olim, & uſque ad Aventicanos muros ſe extendiſſe, unde & *Aventicenſem* fuiſſe dictum. Certè in fœderum tabulis A. C. 1333. ſcriptis nominatur *die Uchtſee*, unde *Simlerus* colligit, Aventicum tunc *Uchten* nominatum, regioni nomen *Uchtland* dediſſe. Vide Stumpfium *de pago Aventic. l.* 8. *c.* 18. Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov. &c.*

MORATUM, oppid. Helvetiæ *Murten* incolis, Gallis *Morat*, ad lacum cognominem fermè in medio. Sub Romanis olim, quorum adhuc monumenta quædam è marmore viſuntur. Poſtea Remontiorum Comitum agnovit imperium ex parte; A. C. dein 1351. cum Bernatibus fœdus iniit, quibus demum A. C. 1475. ſponte ſe ſubmiſit, ſalvis tamen juribus ſuis & privilegiis, quibus jam ſub Comitibus olim uſum fuerat. Obſeſſum à Carolo Burgundionum ultimo Duce A. C. 1476. acriterque oppugnatum, ſed illô mox ingenti acie ab Helvetiis ſuperatô, liberatum eſt. Communem habent hanc Præfecturam, ut & Granſonium, Schwartzenburgum ac Chalanſum, cum Bernatibus Friburgii, qui his alternatim per quinquennium Præfectos conſtituunt. Diſtat 2. leuc. à Friburgo in Septentrionem, 3. à Berna in Occaſum.

MORATUM & MORETUM, potionis genus, apud Scriptores Eccleſ. Romanæ. Item panis ſubfuſci ſpecies. Vide Car. du Freſne.

MORAVIA, incolis *Mähren*, Gallis *Moravie*, regio German. nunc regno Bohemico adjuncta, ab A. C. 1086. ſub Henrico IV. Imperatore unà cum Luſatia & Sileſia. Olim *Marcomannia*, quia fines Germaniæ, quà à Danubio in Pannoniam pergitur, terminabat. Nam Germanis *Mark* limes dicitur, atque inde *Marcomanni* limitum, finiumque accolæ appellati ſunt. Hodie quoniam *Moravia* circumſcriptos *Moravâ* fluviô habet fines, ab eodem fluv. incolæ *Moravi*, & ipſa regio *Moravia* dicitur. Eam nunc tribus è partibus limitant juga montium, ſylvæ, ſaltuſque & fluvii, ab Oriente videl. ab Hungaris, ab Occidente à Bohemis, ab Aquilone à Sileſiis. Nam à Meridie Auſtriam verſus plana eſt, à qua dirimitur Thayſâ fluv. *Baudrando* eſt inter Sileſiam ad Ortum & Boream; Bohemiam propriam ad Occidentem; Auſtriam cum Hungaria ad Auſtrum. Ibi aliàs Quadi; & ferè in 2. partes à Moravo fluv. dividitur. Urbes præcipuæ Olmutium, Bruna, Iglava, & Znaima. A. C. 895. S. Methodius, Arnulfô Imperatore procurante, hîc Euangelium docuit: In agris numiſmata M. Antonini, Commodique & aliorum nonnullorum Cæſarum, tam aurea quàm argentea reperiuntur, quæ fidem bellorum cum Marcomannis olim in Moraviâ geſtorum manifeſta facere videntur. Thus & myrrha ibi inveniuntur uno tantùm in loco, cui *Gradiſco* nomen, non ex arbore deſudantia, ut alibi lecta, ſed è ſolo terræ eruta. Regionis poſitio quatenus interius patet, campeſtris eſt, campique ſunt molli, & pingui ſolô, ideoque ſegetibus valde idonei, ſicut colles vinetis. Culta ferè tota, cultoribuſque adeò referta eſt, ut nullum gregibus armentorum, quæ niſi in ſolitudinibus commodè paſci nequeunt, locum reliquerit. Bohemicâ linguâ Moravi utuntur. Dubravius, Æneas Sylv. *Hiſt. Bohem.* Cluver. *deſcr. Germ. &c.* Itiner. *l.* 5. Et quidem olim antiquum & potens fuit Regnum, quod magnam Poloniæ, Hungariæ & Auſtriæ partem complectebatur, exortum circa A. C. 680. ſed Regum nomina omnia non extant. Marothus regnum hoc tenuit, circa A. C. 700. cui ſucceſſit fil. Suathes, apud Bonfinium *Dec.* 1. *l.* 9. quem Dubravius *Suato-Plucum* appellat, A. C. 740. Hîc ab Ungaris, ſecundô ipſorum adventu, magnâ Poloniæ parte exutus, in *Moraviam* tranſtulit ſedem Regni. Ultimus Regum famoſus fuit ille Suato -- Plucus II. quem aliqui *Suendo-Copium*, alii *Suentopolcum* appellant. Hunc Imperator Arnulfus evertit, circa A. C. 898. à quo tempore *Moravia* in provinciæ formam redacta Polonis ceſſit; donec eam ad Bohemos tranſtulit Pretiſlaus circa A. C. 1040. Inter cujus ſucceſſores Premiſlaus Ottogarus III. poſtquam Regnum Bohemiæ ad ſummam amplitudinem deduxiſſet, tandem victus à Rudolfo I. Imperatore multas ejus provincias cum vita amiſit; remanſit tamen poſteris ejus Bohemiæ & *Moraviæ* Regnum, ac Wenceſlaus II. ductâ Rixâ, Poloniæ inſuper Rex creatus eſt. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 63. & 65. Sigiſmundus poſtmodum Imperator vivus adhuc, in generum Albertum II. Imperator. ex Auſtriaca familia, provinciam contulit, in qua familia hodieque hæret. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus c.* 1. De eadem ſic Conringius *tr. de Finibus Imp. l.* 2. *c.* 29. *Moravorum*, inquit, *omne regnum jam à Carolo M. leges accepit, & Arnolphi Cæſaris juſſu proſcriptô ultimô rege Zuentepolcô* (& Ungarorum auxiliis in ordinem redactô) *in partes diſcerptum à Polonis & Hungaris aliiſque occupatum eſt: Quodque hodie nomine illô audit, nonniſi illud eſt, quod Polonis tum occupatoribus ceſſit: Id verò ſeculô undecimô Uldricus & Brzetiſlaus Duces, faventibus Cæſaribus ereptum Polonis Bohemiæ vindicaverunt, atque ita Moravia iſta Bohemorum quaſi provincia facta eſt.* Et *c.* 4. *Marahenſium* (ita enim ibi *Moravos*, Mari fluminis accolas appellat) *fines haud licèt exactè definire, etſi, ultra Carpatum montem, partem Daciæ occupâſſe per ſit veriſimile.*

MORAVIA, provinc. ampla Scotiæ Borealis ab Ortu in Occa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Occaſ. extenſa, cujus caput Elgia, ſeu Elginum. Inter Roſſiam & Loquabriam, ad Occaſum, Badenotiam ad Auſtrum, Buchaniam ad Ortum, & Oceanum Germanicum ad Boream. *Muray* incolis.

MORAVUS, *Ptol. Ciabrus*, aliis *Marus*, fluv. provinciam Moraviam ſecat, & in Danubium cadit, ex adverſo oppid. *Haynburg*, in Auſtria inferiori, 5. milliar. Germanic. intra Viennam, Poſonium verſus. Oritur in ipſo limite Bohemiæ, juxta oppidum *Altſtatt*, & Olomutium rigat; *die Marck* Germanis, *Morawa* Sclavis.

MORAVUS, Gallis MORAVIE, fluv. Serviæ, *Margus*, ſeu *is*, antiquis quibuſdam. Oritur in limite Macedoniæ, verſus fontes Orphei; & auctus plurimis fluviis in Iſtrum labitur, infrà Senderinum, 80. milliar. infrà Taurunum in Ortum. *Ferrar.* Sed *Moravus*, ſeu *a*, alter major eſt & Bulgariæ, in Danubium influens, alter minor Serviæ, qui in majorem ſe exonerat, *Joh. Lucio.* Hic Uladiſlaus Turcarum XXX. Millia ſtravit, A. C. 1441.

MORBIHANUM, vulgò *le* MORBIHAN, portus capaciſſimus, in ora Auſtrali minoris Britanniæ prope Dariorigum Venetorum, ad Oceanum Aquitanicum, ferè 7. leuc. à portu Ludovici.

MORBIUM, oppid. Brigantum, nunc vicus *Moresby*, in Cumbria, in ora maris Hibernici 3. milliar. Angl. à Verkintonio in Meridiem.

MORBONIUM, oppid. Vallis Telinæ, ad Adduam, inter lacum Larium 8. & Sondrium oppid. in Cæciam, 16. mill. paſſ. Arci Fontanæ proximum, vulgò *Merbegno.* An ob aërem gravem, an a morbis?

MORBUS S. Martini, Gallicè *le Mal de S. Martin*, ebrietas dicitur in *Chronico MS.* Bertrandi Gueſclini, apud Car. du Freſne qui etiam *de Morbo S. Ægidii*, Gall. *le mal S. Eloi*: de *Morbo S. Fiacrii & S. Juliani*; de *Morbo S. Quintini*: de *Morbo Romano*, Petro Cluniacenſi aliquoties memorato, nonnulla ſubjungit.

MORDA, fluv. Walliæ, apud Salopiam urbem in Sabrinam influens; *Merſe.*

MORDAZA, Hiſpanis capiſtrum ſeu lupatum dicitur, quô in Hiſpania & Belgio ab Inquiſitoribus, ad ignem damnati capiſtrari nonnunquam ſunt ſoliti. Ne itaque ad rogum producti circumſtantes alloqui ſuamque conſtantiam publicô ſermone teſtari poſſent, lingua eorum inſtrumento ferreo adſtringebatur, ut non niſi inarticulatum clamorem poſſent edere, quod *pertinacibus hæreticis* fieri debere cenſet Simancas, *ne puſillos offendere queant*, *de Cathol. Inſtitut. tit.* 48. §. 6. Vide & ſuprà *Lupatum.*

MORDIÆUM. civitas Piſidiæ, *Apollonia* poſtea dicta, *Stephan.*, ubi optima mala, *Athenæus.*

MORDUVÆ, populi Moſcoviæ, verſus Rham fluv. ſatis extenſi, inter Czeremiſſos Nagornos ad Ortum, & Volodimeriam ad Occaſum, ubi vaſtæ ſylvæ; Gallis *Morduates.*

MORE, vel MOORE, urbs Hiberniæ, in Comitatu, *de Mayo*, in Connacia, cum titulo Epiſcopatus.

MOREI, ſive MORIENSES, populi Indiæ, ligneas domos habitantes, *Μωρεῖ Stephano.*

MORELLA Juliana, vide *Juliana.*

MORELLA Lucretia, vide *Lucretia.*

MORELLUS Guilielmus, vide *Gulielmus.*

MORELLUS Johannes, Ebrodunô Delphinas; Eraſmo oculos Baſileæ clauſit. Hinc itinere in Italiam defunctus, à Catharina de Medicis, Henrici Engoliſmenſis, Magni Franciæ Prioris, filii nothi Henrici II. educationi admotus eſt. Literatorum ſui ſeculi delitium, à Ronſardo, Dorato, Bellajo, aliis impenſ· laudatus. Ex Antonia Loynæa, parens Camillæ, Lucretiæ & Dianæ, quæ omnes literis inclytæ fuerunt. Obiit A. C. 1581. ætat. 70. Epicediorum, in Græca, Latina Gallicaque linguis volumen juſtum editum eſt, A. C. 1583. ætat. 70. Scæv. Sanmarth. *l.* 3. *elog.* Chorer. *Hiſt. Delph.* Vide & *Janus Morellus.*

MORELLUS Meraldus, Delphinas, Jus Valentiæ docuit, Senator Gratianopolitanus.

Guilielmus MORELLUS, Normannus, Typographus Pariſienſis, auctor *Dictionarii Græci & Latini.* Hujus frater, Johannes, ſimiliter Typographus eruditus, ob religionem, flammis eſt uſtulatus. Vide de his *Elogia* Teiſſerii *Part.* 1.

MORENA Otho, vide *ibi.*

MORENU, vide Doctor *noſter.*

MORETUM, vulgò *Moret*, oppidul. agri Vaſtinii, ad Lupiam fluv. qui paulo pòſt cadit in Sequanam, 15. leucis à Lutetia in Meridiem. Hic Concilium A. C. 850. cujus nomine Lupus Ferrerius ſcripſit *Ep.* 115.

MORETUM, vide infrà *Mortarium.*

MORGANA, prodigioſa & admiratione digniſſima paraſtaſis, juxta Rhegium, Calabriæ oppid. mediâ æſtate plerumque ſe ſpectandam exponens, de qua vide Kircher. *Art. M. Luc. l.* 10. *p.* 2. *c.* 1. & ex eo Auctorem *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

MORGANENSIS David, vide *David.*

ad MORGANICUM, conjugium dicitur, cum Princeps vel Nobilis, filium aut prolem habens, inferiorem duxerit; eâ conditione, ut ne ipſa ſuæ dignitatis titulum uſurpet, nec filii ex iis nuptiis ſuſcitati cum prioribus hæreditatem ſortiantur; ſed hôc contenta ſit, quô mane Nuptiarum, quod *Morgengaba*, ſeu *Morgangiva*, vel *Morgengeba*, Burgundis, Alamannis Ripuariis, Longobardis dictum, ſponſus ejus eam donaverit. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

MORGANTIUM, *Straboni* Μοργάντιον urbs Siciliæ. Silio *Morgentia*, *l.* 14. *v.* 266.

> —— *Non frondoſis Morgentia campis*
> *Abſtinuit Marte infidô.* ——

Livio *l.* 24. *c.* 27. *Murgantia* dicitur, *Diodoro* Μοργαντῖνα. Vide Cluv. *Sic. Ant. l.* 2. *c.* 8. *Murgo Fazello.* Populi *Murgentini.*

MORGANUS Mauritius, vide *Mauritius.*

MORGENTIUM, urbs Italiæ, *Steph. S. Georgio* in Brutis, teſte *Barrio.* In Calabria ulteriori apud Apenninum, inter Poliſtinam 2. & Oppidum 6. milliar.

MORGES, in Italia regnavit ſub A. M. 2349. Italo regi ſucceſſit, & ab eo *Morgetes* dicti: qui prius Oenotri. Porrò & Morgetes & Siculos ex Italia in Siciliam trajeciſſe etiam ex *Thucyd.* & *Diodoro* notum eſt.

MORGINA, urbs Siculorum; Gentile *Morginæus*, *Steph.*

MORGINNUM, vulgò *Morges*, locus Helvetiæ, in *tabul. Peutingeriana*, memoratus, ubi *Cularonem* Morginno & *Catoriſſæ* vulgò *Chartrouſſe* vel *Chatrouſſe*, unde hodie eremo Monaſterioque majoris Carruſiæ nomen) *medium* interponit, Hadr. Valeſ. in vocibus *Catoriſſium* & *Cularo*, ubi illud *vicum montanum* appellat. *Stumpſio* German. *Morſée*, oppid. eſt cum arce, 1. milliari non integrô Lauſannâ diſtans, in quodam lacus angulo, Sabaudici olim juris: poſtea ab Helvetiis occupatum A. C. 1475. à quibus cùm ſequente mox annô defeciſſet, denuo illorum fortitudini ceſſit. Sed iterum in Sabaudorum manus cùm perveniſſet, bellô contra Sabaudiæ Ducem & Lauſannenſem Epiſcopum, A. C. 1536. à Bernenſibus receptum, cum toto illo tractu, in illorum poteſtate hucuſque remanſit, vide Stumpſium *Chron. Helv. l.* 8. *de regione Vaudi.*

MORGUS, Salaſſorum fluvius, Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Orco* hodie *Leandro Orcho* verò *Merulæ.*

MORIA, collis, 2. Paral. *c.* 3. *v.* 1. qui *Terra viſionis*, Gen. *c.* 22. *v.* 3. dicitur, à latere montis Sion: Hic Abraham filium immolare juſſus eſt, *Hieronym.*

MORIBUNDI, Spectatores olim advocare ſoliti ſumendæ mortis, neceſſarios aliosque claros viros, quorum præſentiâ mors clarior teſtatiorque redderetur, uti de Pomponio Attico teſtatur C. Nepos *c.* 22. & de fœmina quadam in inſul. Co, mori deſtinatâ, Val. Max. *l.* 2. *c.* 6. *ex* 8. In Eccleſia Occidentali, inungi conſuevêre unde in Communione Romana Sacramentum extremæ Unctionis, de quo ſic Rituale Roman. *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & eis qui præ ſenio deficiunt, & indies videntur morituri.* Vide quæ de curationibus inter Chriſtianos ſeculis vetuſtis, per oleum, congerunt Scriptores, apud Tertullian. *ad Scapul. c.* 4. Baronium *Tom. I. A.* 63. §. 13. &c. qui etiam, à Presbytero unico, ſolo velut pluralis numeri officium in ſe ſuſtinente, infirmum ejuſmodi, ſi plures deſint, ritè inungi pronuntiant, *c.* 14. *Quæſivit*, *extr. tit. de verb. ſignif.* In Oriente autem idem inungendi hic ritus adhibitus, ſed plerumque non ſine Presbyteris ſeptem & ſubinde etiam leviter ægris, imò & convaleſcentibus. Oleum ipſum εὐχέλαιον vocant, *Precatioleum*, ob preces unctioni jungendas: de cujus illic conſecratione ac adminiſtratione, haud parum ab Occidentis uſu diverſa, plurima occurrunt in *Euchol og.* & Simeoni Theſſalonicenſi aliiſque Græcis apud Petrum Arcudium *de Concord. Eccl. Or. & Occid. l.* 5. & Jac. Goarum *in Euchol og. p.* 408. &c. Apud Hebræos verò veteres, nihil comperitur de oleo inungendis, ex ritu recepto, ægris ſive *Moribundis* ſive aliis, niſi ritus ille de claudendis per oleum oculis illuc ſpectare videatur, de quo dicemus *infrà.* Interim jam *mortuos*, in ſepulturam inungi, familiare fuiſſe tam Judæis, quàm Romanis Græciſque certum eſt. Vide ſuprà, ubi de *Inungendi ritu*, & infrà de *Oleo.* Porrò *Morientibus* annulos detrahere, moris erat. Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Gravatis ſomno aut morientibus religione quâdam annuli detrahebantur.* Sic Tiberio deficienti, *annulum extractum*, *quem mox reſipiſcens requiſiverit*, auctor eſt Sueton. *in eo c.* 73. Atque hæc cauſa eſt, cur Æl. Spartianus annuli ſpontaneum ex digito lapſum, inter ſigna mortis Hadriano Imp. oblata, retulerit: *Signa mortis*, inquiens *c.* 26. *hæc habuit. Annulus, in quo imago ejus ſculpta erat, ſponte de digito delapſus eſt.* Fortè autem ideo detrahebantur, ne in pollinctorum manus pervenirent; Nam poſtea redditos digito, & unà cum cadavere combuſtos eſſe, non obſcurè indicat Propert. *l.* 4. *Eleg. Sunt aliquid* &c. *v.* 9.

> *Et ſolitum digito beryllon adederat ignis.*

Ptolemæum quoque Herodis mortui digito annulum detraxiſſe & in concionem protuliſſe; eundemque poſteà fuiſſe Cæſari Auguſto tranſmiſſum, ſcribit Hegeſippus *l.* 1. *c. ult.* Sed & ipſi *morientes* nonunquam uni ex amicis, ſi quis charior inter extrema oſcula præſens adeſſet, annulum tradidiſſe leguntur. Plautus *Curculion. Actu* 5. *Scen.* 2. ubi Phædromus ait,

> *Miles quæſo ut mihi dicas, unde iſthunc habeas annulum?*

Et reſpondet Miles.

> *Pater meus habuit Periphanes, Planeſium:*
> *Is, priuſquam moritur, mihi dedit tanquam ſuo,*
> *Ut æquum fuerat, filio.* PL. *proh Jupiter!*
> MI. *& iſte me hæredem fecit.*

Sic Auguſtus Cæſar XI. Conſul cùm graviter ægrotaret, deſperatâ ſalute, poſtquam de Republ. quædam diſſeruiſſet, *Annulum Agrippæ tradidit*, τῷ Ἀγρίππᾳ τὸν δακτύλιον ἐνεχείρισε, verbis Dionis *l.* 53. Similiter Tiberium Cæſ. *intellecta defectione exemptum digito annulum, quaſi alicui traditurum, parumper tenuiſſe, deinde rurſus aptaſſe digito & compreſſa ſiniſtra manu jacuiſſe diu immobilem*, ex Seneca refert Suetonius *in eo c.* 73. quanquam ipſi ſpiranti adhuc Caligulam annulum detrahi, &, quoniam ſuſpicionem retinentis dabat, pulvinum injici juſſiſſe, tradit idem *in Calig. c.* 12. Fuit autem annuli hæc traditio teſſera quædam olim ac ſymbolum hæredis inſtituendi, uti Ariſtonus apud Curtium judicat, *l.* 10. *c.* 5. ubi de annulo ab Alexandro M. morienti Perdiccæ tradito. Vide quoque Juſtinum *l.* 12. *c.* 15. Corn. Nepotem *in Eumene*, *c.* 2. alios. Quod non neglexit Phil. Galtherus *Alexandreidos l.* 10. ubi Alexandri præfati extrema perſequitur:

> ———— *Sic fatur, at illi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quærere cum planctu, lachrymis & fletibus inſtant.
Quem velit hæredem mundoque relinquere Regem.
Optimus, inquit, & imperiô digniſſimus eſto
Rex veſter. Sed vox poſtquam non adfuit, aurum
Detractum digito Perdiccæ tradidit.

Neque malè illi ſic colligebant. Erat enim annulus ſignatorius vel ſigillum plerunque dominii & poteſtatis ſymbolum. Unde Philippus Macedo, cùm in Byzantinos moveret, Alexandro filio decimum ſextum ætatis annum agenti, Macedoniæ & ſigilli cum libera poteſtate curam demandâſſe, legitur apud Plutarchum *Alex.* Et Helenam Adjabenorum Reginam, grandiori natu filio Monobazo annulum Partis ſignatorium dediſſe, commiſſâ ei Reipubl. adminiſtratione, donec adveniret frater Izates, quem pater Regni hæredem deſtinaverat, auctor eſt Joſeph. *Jud. Ant. l.* 20. *c.* 2. Atque hac de cauſa Johannes Comnenus, cùm videret, Matrem id agere, ut in ſororem Annam, quæ Nicephoro Bryennio nupſerat, Imperium transferretur, patri Alexio jamjam *morituro* annulum detraxit. Imperium hôc pactô ſibi firmaturus, apud Nicetam non procul ab initio *Hiſtor.* Quanquam Cuſtodes magni Palatii, annulô oſtenſô, nondum contenti, aliud evidentius argumentum ab ipſo petebant, quô ſe Patris juſſu adeſſe comprobaret. Idem *ibid.* Et rectè quidem illi: Non enim ſola annuli traditio ad hæredis inſtitutionem ſufficiebat, niſi ea teſtamentô probaretur confirmareturque. Namque Q. Cæcilius *L. Luculli promtiſſimô ſtudiô, maximâque liberalitate & honeſtum dignitatis gradum & ampliſſimum patrimonium conſecutus, cùm præ ſe ſemper tuliſſet unum illum ſibi fore hæredem*, moriens *etiam annulos ei ſuos tradidiſſet, Pomponium* (nihilominus) *Atticum teſtamentô adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem*, apud Val. Max. *l.* 7. *c.* 8. *ex.* 5. T. quoque Barrulus *Lentulo Spinteri, cujus amantiſſimum animum liberaliſſimamque amicitiam ſenſerat, decedens ſuos annulos perinde atque unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat*, apud Eund. *ex.* 8. Imò, ut Idem habet *ex.* 9. M. Popillius Oppium Gallum, ab ineunte ætate ſibi familiariſſimum, moriens, *unum de multis, qui aſſidebant, ultimô complexu & oſculô dignum judicavit: ſuperque annulos ſuos ei tradidit, videlicet ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyùs vir diligens.* ſed morientis *amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repoſitos & à præſentibus obſignatos: diligentiſſimè hæredibus illius, exhæres ipſe reddidit.* Vide quid in hac controverſia reſpondeat Papinianus *l.* 77. *cùm Pater.* §. *Pater D. de Legat.* 2. &c. & plura in hanc rem, apud Kirchmannum in *Cancellario l.* 4. *c.* 2. *de Annulo c.* 22. & qui *ad Eumenem Nepotis* ſcripſere *c.* 2. Nec omittendum, quòd *Morientes* ultimo quærere ac contueri cœlum ſoleant, ut diximus ſuprà: quodque inclamari ſolitos, diſcimus ex Statio *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 82. ubi de puero delicato Fl. Urſi defuncto:

——— *quintâ vix Phoſphoros horâ*
Rorantem ſternebat equum, jam litora duri
Sæva Philete ſenis, durumque Acheronta videbas;
Quô domini clamante ſonô? non ſævius atros
Nigrâſſet planctu genitrix tibi ſæva lacertos &c.

Inclamabant autem Ethnici morientes, ne quâ latebrâ deliteſcens anima in rogum cum corpore efferretur, quod contigiſſe memorant ſæpius. Vide Johann. Kirchmannum *de Funeribus l.* 1. *c.* 12.

MORICAMBE. æſtus & fluv. Albionis in parte Boreali Comitatus Cumbriæ, inter Itunam & Beliſamam amnes. *The Bay of Cardronock*, teſte *Camdenô. Baudrando* eſt æſtuarium parvum, ad oſtia amnis *Wampul*, juxta Itunæ æſtuarium, vix 4. milliar. Scoticis, à confinio Scotiæ; longe à Beliſama æſtuario in Septentrionem, ex *Speedo.*

MORIDUNUM, oppid. Albionis in Comitatu Devonienſi, apud oſtia Axæ fluvii. Vulgò *Seaton.*

MORJEMAR, præſes Scholæ Soranæ, poſt mortem Rabbi Aſe, cum ſociis, in abſolvendo *Thalmude Babylonico* occupatus fuit. Cùm enim Rabbi Aſe commentarium Miſnæ ſeu Thalmudis abſolvere non potuiſſet, abſolverunt diſcipuli ejus 73. annis pòſt. Rabbi Ganz *ad ann.* 4187.

MORIMARUSA, mare Septentrionale, quod Scythiam alluit, vulgò etiam *Mare Septentrionale.*

MORINI, populi inter Belgas ad Oceanum Britannicum, Caletibus, & Nerviis vicini, quorum oppidum mediterraneum, *Ptolemeô* teſte, fuit Tervanna, etiam hodie nomen retinens. Hi à Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 727. *Extremi hominum* dicuntur, quòd, ut jam diximus, Oceano ſint proximi, breviſſimuſque ab eis, vel ipſo Cæſare *l.* 4. *Bell. Gall. c.* 20. teſte, in Britanniam ſit trajectus. Dicti ſunt proin, ut & Armorici, quaſi maritimi, à *mor*, quod Gallis mare olim ſignificabat. Hos ſcribit Cæſar *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 4. inter Belgas contra populum Roman. conjurâſſe, & ad id bellum 25000. armata pollicitos eſſe, atque in ſylvas & paludes ſe contuliſſe: poſtquam autem ſylvæ exciſæ, omnes ferè in poteſtatem Labieni veniſſe. Et certè apud *Morinos* hodieque, quanquam majore parte exciſâ, plurimæ ſuperſunt ſylvæ, numero ferè 21. vel 22. in primis magna ſylva Bononienſis, ſylva Hardelotia, ſylva Burſinia *le bois de Burſin*, à vico proximo, ſylva Abbatis non longè ab urbe Bononia, ſylva Cellenſis, ſylva Surenenſis, &c. Plurima item ſtagna & paludes, ut ſtagnum Neoletenſe *de Nieullet*, Giſnenſe, Hammenſe, &c. Ibidem & montes à Novo Caſtello & Danis cognominati, item Monaſter. St. Engilberti, &c. Totum autem hujuſce maris litus, ab oſtio fluminis Altejæ, collibus arenaceis aſſurgit, uſque ad fines Batavorum, quos colles *Dunos* vulgò: Plinius *montes mari oppoſitos* vocat, *l.* 19. *c.* 1. *Baudrando* fuêre, ubi nunc pars Occidentalis Flandriæ, inter Legiam fluv. & Oceanum German. pars Borealis Arteſiæ & Comitatus Bolonienſis & Guinenſis; ſeu, ubi Diœceſis Bononienſis in Picardia, Audomarenſis in Arteſia & Iprenſis in Flandria. Quare quidam Latini ſcriptores Comites Flandrenſium non abſurdè Morinorum Comites appellaverunt: quippe qui Morinorum partis non contemnendæ imperium obtinerent. Eorum caput erat Tervanna. Aliæ urbes, Geſſoriacum, Icius Portus, Caſtellum & Hedena. Grudii autem, Centrones, Gorduni, & Oromanſaci, ſub Morinis continebantur. Plin. *l.* 10. *c.* 22. de anſeribus loquens: *Mirum*, inquit, *in hoc alite, à Morinis uſque Romam pedibus venire.* Abundâſſe autem *Morinos* anſeribus, indicat hodieque vicus Auca Caleſio proximus ad mare, *Oye*, vulgò dictus, nomen ſuum dans agro Aucenſi, *la terre d'Oye*: item vicus Aucio, *l'Oiſon*, non procul à Quantia fluv. in confinio Morinorum, Atrebatium ac Ambianorum. Et memorant veteres ſcriptores, mulierem quandam inter peregrinos & milites Hieroſolymam petiviſſe, comite anſere ſemper & ubique præcedente. Idem Plin. & platanum Morinis placuiſſe umbræ gratiâ, pro quo vectigal populo Romano penderent, *l.* 12. *c.* 1. refert. In *Morinis* quoque fretum eſt, Solino *c.* 60. *fretum Gallicum*, *Tacito* & *Ammiano fretum Oceani* dictum: quod anguſtiſſimum eſt, inter *Blacneſs* Galliæ, & *The Neſſe* Britanniæ inſulas: Et olim quidem Romani à Geſoriaco Rutupias deferebantur, vel ab Icio portu; nunc Galli in Caleſio Dubrim trajiciunt, unde fretum Gall. *pas de Calais*, vel *le deſtroict de Calais*: Anglis *The ſtrait of Calleis* nuncupatur. Vide B. Rhenanum *Rerum Germanic. l.* 3. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Cl. Ottonem *Notis ad Rhen.* Alios.

Pagi Morinorum, secundùm Valesium:

Aucenſis, *la terre d'Oye.*
Bononienſis cum titulo Comitatus *le Boulonnois*: vel *la foſſe du Boulonnois*, circuitus 26. leuc. ſeu 80. mill. paſſ.
Dunkirca.
Geſoriacus pagus, idem cum Bononienſi.
Giſnenſis Comitatus *le haut pays de Guines.*
Gravenenga *Graveline.*
Ternenſis, *la Ternois.*
Teruanenſis, cujus portio Ternenſis fuit, &c.

MORIONES, utut deformes ac monſtroſi, in convivium animi gratiâ apud Romanos, ſequioribus ſeculis, recepti ſunt. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 82.

Opimianum Morionibus *nectar*
Cryſtalliniſque murrhiniſque propinat.

Qui idem eorum formam ac elegantiam tangit. *l.* 6. *Epigr.* 39.

Hunc verò acutô capite & auribus longis,
Quæ ſic moventur, ut ſolent aſellorum,
Quis Morionis *filium neget Gyrthæ?*

ubi alii *Cyrrhæ* vide ibi. Ab eodem ſtupor, cujus gratiâ inter cœtera comparabantur, notatur *l.* 14. *Epigr.* 210. *cui titul. Morio,*

Non mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſâ,
Quiſquis plus juſtô non ſapit, ille ſapit.]

Idque immani pretio *l.* 8. *Epigr.* 13.

Morio *dictus erat: viginti millibus emi.*
Redde mihi nummos, Gargiliane: ſapit &c.

Ita ut beatulis hiſce pareat, non ſcripſiſſe Ulpianum: *Fatuum vel* Morionem *vitioſum non videri.* Hic erat nimirum luxus eruditus, nihil amœnum & molle arbitrari, niſi quod novitas & rectè ſentientium contemtus viris perditis commendarent. Plutarchus ſanè *de Curioſit.* teſtatur, fuiſſe Romæ quoſdam monſtrorum conquiſitores, qui venalium formoſitatem odiô habentes, forum *Morionum* frequentarent. Hos Γελωτοποιοὺς, *riſus conciliatores*, ni fallor, vocat Lucianus *in Conviv*, ubi neſcio quem deformem, deraſô capite, pauculos capillos in vertice geſtantem eoſque in criſtam conformatos deſcribit. Senec. *Ep.* 50. *Harpaſten uxoris meæ fatuam ſeu hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum: Si quando fatuô delectari volo, non eſt mihi longè quærendus, me video.* Plin. junior, *l.* 9. *Ep.* 17. *Accepi tuas literas, quibus quereris, tædiô tibi fuiſſe, quamvis lautiſſimam cœnam, quia ſcurræ, cinædi,* Moriones, *menſis inerrabant.* Neque aliter Anacharſis, ille è Scythia ſapiens, qui in convivio nullis *Morionum* nugis in riſum ſe ſolvi paſſus, *nimis rem ſeriam hominem eſſe*, graviter dixit, *quàm ut deriſui propinaretur*: contrà ſimiæ illatæ, tanquam animali ad id à natura facto, modicè arriſit, apud Euſtath. *in Homer.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, *ubi* Morionum *icones ex Caſalio exhibet.* A *Morione* Principem Monſterbergicum occiſum habes ſuprà, in voce *Monſterberga.*

MORISCI, dicti in Hiſpania novi ex Mauris Chriſtiani, edictô Philippi III. totâ Hiſpaniâ pulſi ſunt, A. C. 1601. ſicque unâ vice 900000. hominum inde exceſſerunt. Quæ, inter alios, cauſa eſt, cur Hiſpania, quam ante ſeſquiſeculum adhuc frequentiſſimè habitatam fuiſſe, ac ingenti hominum multitudine abundâſſe, notum eſt, adeò nunc ſit exhauſta, ut fere in ſolitudinem videatur redacta. Reliquæ cauſæ Politicis ſunt, Judæorum expulſio, quorum 670000. familiæ ejectæ ſunt, A. C. 1492. Expeditiones in Novum Orbem, Bella, Inquiſitio & Tributa. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 184. Vide quoque ſuprà, in voce *Mauri*, item *Mohr.*

MORISENI, Thraciæ populi, circa Ponti litora incolentes. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

MORISOTUS Johannes, vide *Johannes.*

MORISSENA, ſeu MOROSSENA, tractus Hungariæ ſuperioris, per quem Maryſus fluv. decurrit, à quo urbs Morſenes 2. milliar. German. verſus Ortum diſtat, inter Cybinium ad Ortum & Cenadium *Chonad*, vel *Choniad*, urbem Epiſcopalem, cujus ſedes *Moriſſona* antea, ad Occaſum. In confinio Tranſylvaniæ.

MORITANIA, pagus amplus territorii Tornacenſis; aliàs munitus, ad Scaldim, ubi Scarpam recipit, in confinio Hannoniæ, 2. leuc. à Tornaco in Meridiem. Valentianas verſus; *Mortaigne.* A caſtro cognomine, quod ab Heriberto Comite, vi captum ac dirutum eſſe, A. C. 928. refert *Frodoardus.* Item in Aquitania ſecunda, non procul à caſtro Blavia, cum titulo Comitatus in con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

confinio Britanniæ minoris & Neuſtriæ. Aliàs *Moritonium*, vulgò *Mortain*, caſtrum prope ſylvam Putridam, non longe ab Abrincatis & à Ponte Urſionis. Item caſtrum in Pictonibus. Item oppidum amplum Perticenſis provinc. vix 2. leuc. in confinio Normanniæ, 17. à Carnuto in Occidentem, 10. ab Alenconio in Ortum, 8. à Sagio in Eurum. Vide infrà.

MORITASGUS, adventu in Galliam Cæſaris, regnum in Senonibus obtinebat; hujus fratrem Cavarinum Cæſar, illô, ut credi par eſt, mortuô, regem conſtituerat. Vide Cæſar. *Comment.* *l.* 54.

MORITONIUM, oppid. Pictavii, ad Separam Nannetenſem, in limite tractus Andegavenſis, 9. leuc. à Nannetis in Ortum hybernum; 10. ab Andegavo in Meridiem, vix 3. à limite Britann. *Mortagne* vulgò.

MORITONIUM, oppid. Normanniæ inferioris vix 2. leuc. à provinc. Cenomanenſi; 5. à Vira in Meridiem, 7. à Meduana in Boream, 8. ab Abrinco in Ortum; 18. à Bajocis in Meridiem. Vulgò *Mortain. Valeſio Mortaigne ſur l'Eſcaud*: quemadmodum alterum, Neuſtriæ caſtrum, *Mortain en Normandie*: & oppid. Pertici cognomine, *Mortaigne au Perche* appellatur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MORIUS Jupiter, ab Athenienſibus ſic cognominatus.

MORIUS, fluv. Bœotiæ, circa Thurium montem, *Plut.*

MORLÆUM, ſeu MONS relaxus, vulgò *Morlaix*, urbs Britanniæ minoris ad amnem cognominem cum portu in ora Boreali, vix 2. leuc. à mari Britanniæ, 4. à Fano S. Pauli, 11. à Trecorio in Africum.

MORLANDINUS Johannes, vide *Johannes*.

MORNÆUS Philippus, vide *Philippus*.

MORO, *Strab. Almourol*, vel *Muraon*, *Vaſconcello*, oppid. Portugalliæ, apud Anam fluvium, inter Oliventiam & Mauram oppidum 6. leucis.

MOROCHTHIS Gemma, *Dioſcoridi* λευκογραφὶς & γαλαξίας; *Ætio* μορόχθος, ab Ægyptiis adhibita olim, ad dealbanda lintea: ᾧ χρῶνται, inquit, στιλπνοῦντες τὰς ὀθόνας. *Dioſcorides*, ᾧ καὶ οἱ ὀθονοποιοὶ πρὸς λεύκωσιν τῶν ἱματίων χρῶνται, μαλακῷ καὶ εὐανέτῳ ὄντι. Colore viridem eſſe, idem *Aëtius* ait: ὑπόχλωρος γὰρ γενόμενος ἐὰν παρατριβῇ ἀκόνῃ ἢ ἱματίων τραχύτητι, λευκαίνει τὸν τόπον, *Cùm ſit ſubviridis, ſi ad cotem atteratur, aut aſperitate veſtium, locum dealbat.* Plin. *l.* 37. *c.* 10. porraceam eſſe *Morochthida*, & *lacte ſudare* ait; eſt autem porraceum πράσινον καὶ ὑπόχλωρον. Hodie eôdem lapide ſartores veſtium utuntur, in delineandis, quos ad modulum corporis in veſtem cædunt, pannis. Nam & ſubviridis eſt, & lineam albam per veſtimentum ductus facit, præcipuè ſi ſalivâ tingatur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 769. Vide quoque infrà *Smegma*.

MOROECA, oppid. Cantabrorum, *Miranda* ad Iberum fluv. *Ferrar. Baudrando* nunc vicus Caſtellæ veteris, *Villa Diego* quibuſdam, ad fontes Piſoracæ fluvii. Aliis *Fuentibre*, ad fontes Iberi, longè à Miranda oppido in Occaſum.

MORONUS Matthias, vide *Matthias*.

MOROSGI, Vardulorum oppid. in Hiſpania apud Plin. *l.* 4. *c.* 20.

MORPHASMUS, Græcè μορφασμὸς, genus ſaltationis apud priſcos, quô cum plurimis figuris Protei mutationes referebantur. Sic alia omnium literarum facies repræſentabat: quamobrem στοιχεῖα vocârunt, tantâ ſanè ſolertiâ, ut etiam componerent dictiones. *Morphaſmi* alia ſpecies σκὼψ fuit, cui nomen ab ave (quam *aſionem* Latini vocant) ridiculâ & mirabundâ circumactu capitis & colli flexu. Imitabantur autem in hac etiam ætates; itaque ſenes exprimebant cum ſcipionibus, qui ſaltatores tum ὑπογύπωνες dicebantur &c. Scaliger *Poëtices l. I. c.* 18.

MORPHEUS, Somni miniſter, qui, ut in fabulis eſt, juſſu domini quoſcunque vultus hominum fingit, verba ipſa, mores item, & geſtus imitans. Ovid. *Met. l.* 11. *Fab.* 10.

Excitat artificem formatoremque figuræ
Morphea. ——— ———

Qui ex regione Huronum, A. C. 1642. in Europam redierunt, Morpheum ab iis pro Deo coli retulère.

MORPHNUS, aquilæ genus, vide *Percnopterus*.

MORPHO, apud Lacedæmonios Venus dicta, ἀπὸ τῆς μορφῆς, i. e. *à formâ*. Hujus ſimulachro Tyndarus pedicas impoſuit, non quòd Venerem vinxerit, ut Deæ in filias opprobria ulciſceretur, quod nonnulli putârunt: ſed ut per illas denotaret, mulieres domi manere debere maritorum dicto audientes.

MORPHUS, Pantomimus celebris, ætate Galeni, principatu Marci Philoſophi Imperatoris, unuſque è tribus nobiliſſimis Pantomimis, qui vicibus & in orbem ſaltando orcheſtram tum calefaciebant. E quibus duos nominat Galenus, Pyladem & *Morphum in Commentar.* περὶ τοῦ προγινώσκ. Παραγενομένου τινὸς ἐκ τοῦ θεάτρου καὶ φάντος ὀρχούμενον ἑωρακέναι Πυλάδην, ἤλλαξε γὰρ αὐτῆς τό τε βλέμμα καὶ τὸ χρῶμα τοῦ προσώπου· κἀγὼ θεασάμενος τοῦτο, ἐπιβαλὼν τῷ καρπῷ τῆς γυναικὸς τὴν χεῖρα εὗρον τὸν σφυγμὸν ἀνώμαλον ἐξαίφνης πολυειδῶς γενόμενον, ὅστις δηλοῖ τὴν ψυχὴν τεθορυβῆσθαι --- κατὰ τὴν ὑστεραίαν οὖν εἰπὼν ἀκολουθῷ τινὶ τῶν ἡμῶν, ὅταν ἐπισκεψάμενος ἔλθω πρὸς τὴν γυναῖκα μετ' ὀλίγον ἀφικόμενος ἀναγγεῖλαί μοι, Μόρφον ὀρχεῖσθαι σήμερον, εἶθ' ὡς ἤγγειλεν, ἄτρεπτον τὸν σφυγμὸν εὗρον· ὁμοίως δὲ κατὰ τὴν ἑξῆς ἡμέραν ποιήσας ἀγγελθῆναι περὶ τοῦ τρίτου τῶν ὀρχηστῶν, ὁμοίως μείναντος ἀτρέπτου τοῦ σφυγμοῦ --- εὗρον οὕτως ἐρῶσαν τοῦ Πυλάδου τὴν γυναῖκα κτλ. Ubi mulierem quandam, ex mutato arteriæ pulſu, cùm nunciaretur Pyladem ſaltare, qui tamen ſibi conſtabat, cùm de *Morphi* & tertii Pantomimi ſaltatione perlatus nuntius eſſet, Pyladis amore captam eſſe, deprehendiſſe ſe, narrat. Licet autem is tertium non nominet, *Bathylli* nomen videtur habuiſſe Salmaſio: cùm Pyladis & Bathylli, qui primi hanc ſaltationem Pantomimicam in Romanam thymelem introduxerunt, ſucceſſores plerunque illorum nomina adoptaverint, ut ex Seneca conſtat, qui diu per ſucceſſores Pyladis & Bathylli domum ſtetiſſe alicubi ait. Vide præfatum Salmaſ. *Not. ad Jul. Capitolin. in M. Antonino Philoſopho c.* 23. & *Flav. Vopiſc. in Carino, c.* 19.

MORRONENSIS Ordo, in Eccleſia Romana, vulgò *Cæleſtinorum*, cujus auctor fuit Cæleſtinus Pontifex Roman. in ſua Communione pro Sancto habitus, ante Pontificatum agnominatus *de Morrone. Frati del Murrone* dicuntur Joanni Villaneo *l.* 12. *c.* 50. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MORS, apud Gaditanos olim aram habuit. Vide ſuprà in voce *Dii*. Etiam pro quodam Numine aut Dæmone Maroni. *Æn. l.* 11. *v.* 197.

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Ubi Servius, *Aut in mortem*, inquit: *aut Morti ipſi Deæ.* ac Lacedæmoniis, quos præter Metum, *Mortem* veneratos eſſe, habes apud Plut. *in Cleomede*, & prolixiùs apud Lilium Gyraldum *Hiſtor. Gentil. Syntagm.* 1. *fol.* 47. & *ſeqq.* nec non Ger. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 20. Statio quoque *Theb. l.* 4. *v.* 528.

In ſcopulis Mors *ſæva ſedet* ———

Ubi *Mortem*, idolum ſuâ quadam formâ circumſcriptum, *ſedere* fingit, licet omnium ſit formarum diſſolutrix. Sic *currentis* idolum præpingit Lucan. *l.* 2. *v.* 99.

Quis fuit ille dies, Marius quô mœnia victor
Corripuit? quantoque gradu Mors *ſæva cucurrit?*

Et *Mortis oracula*, inferorum conſultatio, apud eund. *l.* 6, *v.* 771.

——— *certus diſcedit ab umbris*
Quiſquis vera petit, duræque oracula Mortis
Fortis adit ———

Exſertis manibus figuratur. Val. Flacco *l.* 2. *v.* 206.

Et Dolus & Rabies, & Lethi major Imago
Viſa truces exſerta manus. ———

tanquam promta ad feriendum, implacabilis, ſtricta. Pedes et attribuit Horat. *l.* 1. *Od.* 4. *v.* 13.

Pallida Mors, *æquò pulſat pede pauperum tabernas*
Regumque turres ———

Idemque *currentem* facit, alibi, *l.* 2. *Od.* 2. *v.* 14.

Mors & fugacem perſequitur virum.

Et *alatam*, *l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 59.

——— *ſeu me tranquilla ſenectus*
Expectat, ſeu Mors *atris circumvolat alis:*

Habitationem adſcribit eidem Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 145.

——— *Non hîc ullos reverentia ritus*
Pectora Mors habitat, ſævaque hoc littore Pugna.

Imo adeò Numen *Mors*, ut & Angelos & Miniſtros habeat apud Poëtas: nimir. *Morbos*, *Febres*, &c. Vide Lucianum *Charonte*. Effigiem ejus habes, apud Euripidem *Alceſtide*: adde quæ Al. Roſſæus adfert Πανσεβείας *Sect.* 4. ubi de veterum Græcorum religione. Quin Numinibus thymiamate cultis adſcribitur ab Orpheo, ſive Onomacrito *In indigitamentis*. Hodieque apud Braſilienſes, in America Meridionali ſeu potiùs Mexicanos, Americæ Septentrionalis gentem, colitur, nomine *Dei mortuorum*, formâ adeò terribili hominis ingeniculantis & alati, ut Ariſtotelis illud φοβερὸν φοβερώτατον videantur exprimere voluiſſe: extat illa apud Chriſtoph. Arnoldum *in Addendis ſelectis*, *ad Januam Gentiliſmi reſeratam* Abr. Rogerii &c. Nec omittenda memorabilis Viſio Apocalyptica, quâ *Mors* proſopographicè repræſentata Joanni eſt, equo inſidens, ſequente infernô, *c.* 6. *v.* 8. *Tum vidi & ecce equus pallidus, & ejus, qui inſidebat ei, nomen erat* Mors. *Et infernus ſequebatur eum: dataque eſt eis in quadrantem terræ poteſtas trucidandi gladiô, & fame & morte, & per terreſtres feras.* Vide plura hanc in rem apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim*, inprimis verò *Theb. l.* 4. *d. l.* Cœterùm omnem omnino *Mortis* mentionem infamem & abominandam, ἀπευκταῖον καὶ ἀπότροπον, ut & funeſta ac funebria omnia, exſtimabant Veteres Sueton. *Claudio c. ult. Et in ultima cognitione pro tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quamquam abominantibus qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit.* Apud Euripidem proin Helena rogat Menelaum, an *mortuum* ſe dici pati poſſit:

Βούλει λέγεσθαι μὴ θανὼν λόγῳ θανεῖν;

Reſpondet is, ineſſe quidem in ea re peſtiferum omen, paſſurum ſe tamen ſi ita rebus ſuis conſulere poſſit:

Κακὸς μὲν ὄρνις· εἰ δὲ κερδανῶ λέγειν
Ἕτοιμός εἰμι μὴ θανὼν λόγῳ θανεῖν.

Et ῥῆμα κακὸν, i. e. *ſermonem malè ominatum* hunc vocat Sophocles *Electrâ*. Vide quoque Senecam *Troade*. Cum igitur *Mortis* mentio eſſet facienda neceſſariò, bonis quibuſdam verbis, quaſi amuletis præmiſſis, quidquid ominis erat amoliri & averruncare conabantur. Veluti, quum teſtamenta conderent, bene ſibi ominabantur primùm: deinde voluntatem ſuam, ſi quid ſecus accideret, teſtabantur. Ariſtoteles ita initiô teſtamenti ſui apud Laërtium *l.* 5. *c.* 11. Ἔσται μὲν εὖ· ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης. Et *Theophraſtus*, ἔσται μὲν εὖ· ἐὰν δέ τι συμβῇ, τάδε διατίθεμαι. Vide Deſ. Heraldum *Animadverſion. ad Arnobium l.* 2.

MORSIMUS, Poëta Tragicus frigidus, filius Philoclis: ſed egregius ophthalmicus, ſeu oculorum medicus. Staturâ fuit exiguâ. Filium habuit Amphidamantem. Vide *Equites Ariſtoph.*

MORTA, una ex Parcis, quòd qui naſcuntur ante tempus, vel poſt tempus, quaſi monſtra habeantur, Gell. *l.* 3. *c.* 16. Cæſellius autem Vindex, *in Lectionibus ſuis antiquis*, *Tria*, inquit, *nomina Parcarum ſunt*, *Nona*, *Decima*, *Morta*: & verſum hunc Livii antiquiſſimi poëtæ ponit *in Odyſſea*:

Quando dies adveniet quem profata Morta eſt?

Sed homo minimè malus Cæſellius *Mortam* quaſi nomen accepit, cùm accipere quaſi μοῖραν deberet. Hæc ille. Etſi verò Natura à nullo æque abhortet ac à morte, tamen & illi apud Poëtas in Numinibus eſt locus. Unde Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 197.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Ubi *Servius* annotat, & Mortem eſſe Deam, memoratam quoque Lucano, Statioque. hujus eſſe: *l. 4. Theb. v. 528.*

In ſcopulis Mors ſæva ſedet.

Ita eſt apud Servium, ſed apud ipſum Statium:

In ſpecula Mors atra ſedet.

Illius autem *l. 9. v. 221.*

——— *Ipſamque vocatam*
Quam notat à nobis Mortem tibi coge fateri.

Illi Lacedæmonii templa dedicârunt, auctore Plutarch. *in Cleomene* Θανάτε ἱερὰ, ait ille. Pauſan. *l.* 3. etiam ſimulachri cujuſdam meminit, quod erectum fuit Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ. Sed & in Orphei *Initiis* habes hymnum Morti, cui manna thuris ſacrificatum. Eſt autem numen hoc implacabile, cum eam effugere liceat nemini. Itaque nulla fuit ara inſtituta, exceptâ unâ apud Gaditanos, uti teſtis eſt Euſtath. *in Iliad.* 9. & in Dionyſ. *Perieg.* Meminit verò Ælian. *in Var. Hiſt. Nic. Lloydius.*

MORTA, vulgò MEURTE, fluv. Lotharingiæ, oritur in monte Voſago, in confinio Lothariæ & Alſatiæ, & accipit Mortanam & Rapidum *Rapin* fluviolum, ex valle Galilæa & Mediano Monaſterio venientem, & alios amnes plus minus quatuor, in his Amantiam *Amance:* Alluit oppida, vicos & caſtella aliquot, in primis S. Deodati *S. Diey*, Vivarium *Viviers*, Stivagium Abbatiæ titulô inſigne *Eſtivay*, Radonem *Raon*, Cannabarias *Chenevieres*, Roſaria *Roſiers*, vicum S. Nicolai & Waringiſivillam ei oppoſitam *Warangeville*, Novam villam, Vendoperam *Vendeure*, Nancejum: tum auctus Amantiâ *Amance*, qui caſtellum ſui nominis attingit, in Moſellam effunditur, ad Condate vicum *Condé.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MORTARIA, Gallis *Mortare*, oppid. probè munitum Ducatus Mediolanenſis Laumellinæ regiunculæ caput, ad amnem Gognam, olim *Bella Sylva*, poſtea ob Longobardos à Carolo M. hic, victo Deſideriô ultimô Rege, cæſos, ſic dictum. Acerris, ſive Achæris, vulgò *Acere*, antiquo caſtro proximum ad 3. mill. paſſ. inter Papiam 25. & Vercellas, 15. mill. paſſ. Vide *Luitprand. Ferrar.* &c. Vix 4. milliar. à Viglebano, in Africum, 10. à Novaria in Eurum. Captum à Gallis, A. C. 1658. ſed recetum, *Baudrandus.*

MORTARIOLUM Maxillæ, Hebr. מכתש *mactes*, Judic. *c.* 15. *v.* 15. *& ſeqq.* ubi de maxilla aſini recenti, quâ arreptâ mille viros ex Philiſtæis occidit Samſon, & ex qua potum ei, ſiti confecto, præbuit Deus: *Quapropter fidit Deus mortariolum* (in Hebr. eſt vox præfata) *quod erat in Maxilla, & ex eo exiverunt aquæ, & bibit Samſon* &c. alveolus dentium eſt, vel alveoli in maxilla dentium. Nempe dentium capſulas ſeu alveolos aut loculamenta maxillarum, in quibus conduntur dentes, ὀλμίσκυς, h. e. *mortariola*, nominari conſueviſſe, diſcimus ex Jul. Polluce *l.* 2. *c.* 4. Τῶν μὲν τοι μυλῶν τὸ μὲν πρὸς τῇ σαρκὶ μωμίσκον καλῦσι, τὰ δὲ λεαίνοντα τὰ σιτία τραπέζας, καὶ τὰς κοιλότητας ὀλμίσκυς, *Molarium quidem dentium, quæ pars carni adhæret, momiſcus; quæ cibos conterit, menſæ, & cavitates* (quibus inſeruntur) *mortariola nominantur.* Hinc Rabbi Selomo *ad d. l. Mactes*, inquit, *eſt foſſa, in qua dens ſitus eſt, facta ad inſtar mortarii.* Neque aliud Græci voluerunt, cùm reddiderunt τὸν λάκκον τὸν ἐν τῇ σιαγόνι. Ex hujuſmodi itaque *mortariolo* maxillæ aſini fiſſo, pro tabo aut ſanguine, tam uberes aquæ miraculô manaverunt, ut inde Samſonis ſitis facilè ſedari potuerit. Quare is, poſtquam illam decantatô epiniciô abjeciſſet, ut ſiti laborans vidit ex ea manare tam uberes aquas, mox eam reſumpſit, ut tam avidè exoptatum liquorem ebiberet, ſicque *rediit ſpiritus ejus* &c. Aliquid ſimile de Africano oryge narrat Plin. l. 10. *c.* 73. *Orygem perpetuò ſitientem Africa generant, & naturâ loci potu carentem & mirabili modô ad remedia ſitientium. Namque Getuli latrones eô durant auxiliô, repertis in corpore eorum ſalubertimi liquoris veſicis.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. Prior. l.* 2. *c.* 15. & ſuprà in voce *Maxilla.*

MORTARIUM, Vitruvio *l.* 7. *c.* 1. pro rudere pinſito & ſubacto, hodieque Gallis harenatum cum calce. Sed & alveum, in quo ſubigitur harenatum, ſic dixêre: inde & Galli ἀλετρίβανον ſic vocant. *Mortarium* autem quaſi *moretarium*, in quo ſubigebatur *moretum*, quod genus cibi *intritam* etiam vocabant, Gallis *farce* vulgò: unde *intrita* & *mortarium*, quô parietes farciuntur; in quod mortarium addebantur & fragmina cæmentorum, i. e. lapidum, vel parva cæmenta, ut ex aliquot locis *Vitruvii* & *Plinii* conſtat. At rudus ipſum, quod *mortarium* appellat idem Vitruvius, ex ſaxis contuſis componebatur: unde eſt, quòd recentiores *cæmentum* pro intrita ipſa & ferrumine uſurpârunt &c. *Mortariorum* Medicinalium & ad pigmenta pertinentium, meminit Plin. *l.* 36. *c.* 22. ubi quid *Pigmenta* ſint, infrà reperias. Ex his illa Græcis ſunt ἰατρικαὶ ἀκόναι; quia ex ἀκόνῃ i. e. *cote*, fiebant, ut idem Plin. aſſerit *loc. cit.* Niſi forte cotem, mortarii vice, terendis collyriis aptam intelligas, ut ſunt hodie ac vocantur marmora, quibus colores ſuos terunt ac diluunt Pictores. Hæc iiſdem Ζωγράφων θυῖαι. Vide quæ hanc in rem pluribus commentatur Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, & ſuprà ubi *de Eteſto lapide:* uti de *Phariſæo mortario*, infra voce *Phariſæi.*

MORTICINUM, inquinandi maximâ vi præditum. Unde cùm Iſraëlitæ olim, per omnem ætatem, in omni ſtatu, ab ipſis incunabulis, immunditiei multifariæ eſſent obnoxii; à morte tamen quæ proficiſcebatur contaminatio, reliquas omnes fermè ſuperabat. Erat autem ea vel in brutis, vel in hominibus: bruta mortua, tam immunda, quam munda, ſolô contactu inquinabant. Et quidem immunda animalia, ex quorum contactis cadaveribus impuritas contrahebatur, enumerantur Levitici *c.* 11. *v.* 24. 27. quibus adduntur octo reptilium ſpecies, *v.* 29. 30. 31. quinimo contaminabatur omnis res, quæ tale cadaver attigiſſet, *v.* 32. 33. Munda verò tacta contaminabant, ſi *morticina*, Græcis νεκριμαῖα aut θνησιμαῖα eſſent, i. e. ſuâ ſponte, nullâ vi extincta aut ſuffocata, abſque amiſſione ſanguinis, Levitici *c.* 11. *v.* 39. 40. At ipſius hominis cadavere nihil contagioſius; illud enim vel ex præſentia ſola, non ex contactu tantùm, inficiebat contagione omnem qui eodem in loco erat, Numer. *c.* 19. *v.* 14. eâque immunditie, quæ non niſi cinere vaccæ rufæ erat tollenda. *Ibid.* Quibus omnibus Deus, cujus regnum eſt vitæ, mortem, ut ὀψώνια peccati, Roman. *c.* 6. *v.* 23. horrere ſe & abominari, operumque mortuorum communionem vitandam eſſe, luculenter teſtatum volebat. Erat itaque præ cœteris omnibus ſingularis purificatio *polluti è morticino*, quæ aquâ ſeparationis ſeu aquâ cinere vaccæ rufæ conſperſâ peragebatur, Numer. *c.* 19. *v.* 19. Ad quem ritum allufit David, Pſalm. 51. *v.* 9. *Expiabis me hyſſopô & purus ero; lavabis me & præ nive albeſcam.* Paulus item 1. Cor. *c.* 15. *v.* 29. non levi argumentô reſurrectionem mortuorum inde efficiens. Quando enim βαπτισθέντες ὑπὲρ νεκρῶν, *à pollutione mortis purificati*, in Sanctuarium redibant; quid ſignificabant aliud, niſi reditum noſtrum ex morte, quâ in hac vita polluimur? Franc. Burmannus *Synopſ. Theolog. Chri. Part I. l.* 4. *c.* 22. §. 9. 16. 18, Vide quoque hic paſſim. inprimis ubi de *Aqua Separationis Cinere vaccæ rufæ, Mortuis, Munditie Ceremoniali* &c. Sed & Flaminis apud Romanos uxori *è morticino* ſandalia ferre non licuiſſe, diximus ſuprà voce *Flaminica.*

MORTONUS Thomas, vide *Thomas.*

MORTUARIUM, in Communione Romana jus illud dicitur quod Eccleſiæ, ſeu illius Rectori debetur, cùm quis decedit. Quippe *ſi decedens* parochianus *tria vel plura cujuſcunque generis in bonis ſuis habuerit animalia, optimô, cui de jure fuerit debitum reſervatô, Eccleſiæ ſuæ à qua Sacramenta recepit, dum viveret, ſine dolo, fraude ſeu contradictione qualibet, pro recompenſatione ſubtractionis perſonalium decimarum, nec non & oblationum; ſecundum melius animal reſervatur poſt obitum, pro ſalute animæ ſuæ, hujuſmodi liberandum. Quòd ſi duo tantùm in bonis decedentis èxtiterint animalia, de manſuetudine Eccleſiæ exactio qualibet nomine mortuarii remittitur*, in *Statutis* Provincial. Stephani Archiepiſc. Cantuar. apud Lambethe A. C. 1206. &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* in hac voce, & in vocibus *Catallum* ac *Heriotum.* In *Statutis* Ordinis Hoſpitalariorum S. Joannis Hieroſolymitani & qui eorum in locum ſucceſſêre, *Mortuarii* nomine intelliguntur fructus *Commendæ* currentes, à die obitus Commendatarii, uſque ad proximè inſequentis menſis Maji finem, ſeu Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, qui ad commune Ærarium ſpectant; quemadmodum & *annata* integra, à Majo hoc uſque ſequentis anni Majum, id quod *Vacans* vocant, &c. Dominic. Macer in *Hierolexicô.*

MORTUI, apud Poëtas, in Inferorum poſte notati. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 10.

Nec dum illum aut truncâ luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvô Proſerpina poſte notavit.

Uti Lutatius, *Aſſerunt enim Poëtæ*, inquit, *Mortuorum capita Furiarum lampade* (è taxo) *luſtrari & eorum nomina à Proſerpina in Inferorum poſte conſcribi.* Seu abſciſſione crinis, ab eadem, gregi mortuorum aſciti ſunt. Virg. *fine l.* 4. *Æn.*

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Quod figmentum Euripidi deberi, annotat Macrob. *l.* 5. *c.* 19. Hôc factô vel occurſus eorum polluere creditus Philoſophis, uti vides in *Hiſtoria* Jamblichi, penes *Eunapium.* Et Hebræorum divinis ſcitis impuri erant, qui mortuum aliquid vel tangerent, uti vidimus ſuprà de *Morticino.* Funeſta verò etiam ſuâ morte deleta, quorum antiquâ ſuperſtitione nec coria pedibus induere licebat hominibus ſanctis, vide Feſtum *Mortuæ pecudis.* Ita Principibus Romanis, quorum res juxta divinas ſacræ habebantur, non licebat etiam prædeceſſorum ſuorum corpora tangere. *Suid.* Imò unus *mortuus* totam polluebat communitatem. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 149.

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu neſcis, totamque inceſtat funere claſſem.

Vide quoque de Lajo Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 61. & de ritu hoc in re Hebræorum, ſuprà ubi de *Juvenca decervicanda* alibique. Proh atrô calculô notata tyrannis eorum, qui mortuos etiam terrâ & igni arcebant. Politiores certè gentes vel ſepulturâ, vel rogô dignabantur. Et quidem apud Romanos, olim noctu efferebantur, prælucentibus candelis è papyro cerâ circumdato. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 43.

Effert uxores Fabius, Chreſtilla maritos;
Funereamque thoris quaſſat uterque facem.

Quem morem, à nonnullis Chriſtianis uſurpatum, ab Hiſpaniæ Epiſcopis in Concilio Illiberino, Conſtantini Imperatoris tempore congregatis, damnatum ac prohibitum fuiſſe, novimus. In lectis, papyro itidem & ſcirpo fartis, cum quibus rogo inferebantur ac comburebantur. Idem alibi *Epigr.* 44.

Factus papyrô dum tibi torus creſcit.

Scirpus enim, ut & papyrus, uti candelis ad lumina uſum præbuit; *è quibus detracto cortice*, inquit Plin. *l.* 16. *c.* 37: *candelæ luminibus & funeribus ſerviunt:* Sic cadaveribus expeditius cremandis inſerviit. Simul autem *mortuorum* cum quibus oleas quoque efferri conſueviſſe, dicemus infrà) ſepulchris inferebantur reſculæ, quibus in vita uſi fuerant aut delectati; aut unà comburebantur, ubi mos fuit cremari defunctos. Plin. *l.* 36. *c.* 17. *Mucianus ſpecula quoque & ſtrigiles & calciamenta illata mortuis lapidea fieri auctor eſt*, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1002. *&* 1003. Vide quoque infrà aliquid voce *Prætexta.* Inſuper memoria eorum multis modis à viventibus colebatur. Sanè omnes pompæ, Ludi, Templa, Sacrificia, Aræ, Cæremoniæ ſolennes vetuſtiſſimorum Paganorum nihil, niſi *Memoria mortuorum*, fuêre, ut longis Catalogis repetunt Eccleſiæ primæ contra Nationes propagatores, Theophilus, Tatianus, Juſtinus, Athenagoras, Arnobius, Tertullianus, Cyprianus, Minucius, Alii Ia:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Inprimis Clemens Alex. quô doctior nemo unquam, ne apud Græcos quidem, Scriptor fuit, verus ille Varro Chriſtianæ antiquitatis, exque eo Euſebius, adjunctô ſuô ſermone, *Præparat. Euangel. l. 2. c. 6.* Vide quoque de conjectu coronarum florumque in *mortuos*, Paſchalium *Coronar. l. 4. c. 5.* & de orationibus, eleemoſynis & oblationibus quas ante Gregorii M. tempora faciebant quidam veteres Chriſtiani, pro mortuis, Jo. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico- - Theologicarum l. 13. c. 9.* nec non hic *paſſim.* Addam tamen, *Mortuos in Eccleſia ſepeliri*, vetitum eſſe *Canonibus*, qua de re vide quæ Lindenbrogius adnotavit in hâc voce. uti *de mortuorum excommunicatione* ſuprà.

MORTUI Hæretici, vide *Defuncti.*

MORTUUM Mare, nomen multorum in Galliis locorum, quæ à mari remotiſſima: Vulgò *Mortemer* vel *Mortemar.* Ita dicta autem ſunt, quia ad ſtagna, aquas nempe mortuas & reſides ſita. Sic in Normannia locus eſt veteri Monaſteriô inſignis, cujus meminit Ordericus Vitalis *Hiſtor. l.* 11. Item in Lemovicibus &c. Stagna autem maria ſolere dici, patet vel ex ſolo illo lacu ſeu ſtagno in Lotharingia, non longè ab oppido Albomonte *Blamont*, unde oritur amniculus, qui in Mortam ac Rotaria defluit; accolæ vocitant *la Grand' Mer.* Atque hinc illuſtri familiæ, ex Rupichovartiorum (*de Rochechouart*) qui è priſcis Lemovicum Comitibus orti, ſtirpe enatæ nomen. Johannes enim *de Rochechouart* Dn. *de Mortemar*, ex Margaretha (filia Petri Amboſiani Dn. *de Chaum.*) pater fuit Almerici; ex Johanna *de Pontville* Dn. *de Rochechouart*, genitoris Franciſci, Baronis *de Mortemar*: quô, & Renatâ Taveau, natus Renatus Johannam *de Saux* (filiam Caſpari *de Saux* Dn *de Tavanes* Mareſcalli Franciæ) ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Caſparum *de Rochechouart*, Marchionem *de Mortemar* Principem *de Tonnay Charente*, qui ex Luiſâ Comite *de Maure* (Carolô Comite, qui deceſſit A.C 1575. genitâ) proſevit Gabrielem Ducem *de Mortemar* & Ludovicum Comitem *de Maure.* Quorum huic uxor obtigit Anna, filia Octavii Baronis *d'Attichy*: Ille ex Diana (filia Johannis *de Grandſeigne*, extinctâ A. C. 1666.) ſuſcepit Ludovicum Victorem Comitem *de Vivonne*, Gabrielidem Principem *de Tonnay Charante* (uxorem Cl. Leonori de *Damas* Comitis *de Tianges*) Mariam Emanuelem; Monialem Franciſcam Athenaiſiam (quæ nupſit Ludovico *de Pardaillan de Gondrin* Marchioni *de Monteſpan*) & Mariam Magdalenam Monialem. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 8

MORTUUM Mare, vide *Aſphaltus.*

MORVILLERIUS, vide *Johannes Morvillerius.*

MORVINNUS, vulgò *le* MORVAN, pagus Galliæ, Fortunato *de vita S. Germani c.* 30. memoratus, inter Lutetiam ac Auguſtodunum Æduorum ab illo ponitur, à vico cognomine ſic dictus. In eo Cuſſiacum eſt, vulgò *Cuſſi en Morvan* nuncupatum. Attribuitur hodiè, partim Nivernenſi, partim dominio Caſtri Canini *Chaſteau Chinon*, partim etiam Burgundiæ, eſtque montoſa & ſylveſtris regiuncula. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MORVISIUS, moneta aurea Alphonſi Hiſpaniæ Regis voce fortè ex *maravedinus* detortâ: de qua monetæ ſpecie multa apud Covarruviam *in Collat. veter. numiſm. c.* 6. laudatum Car. du Freſne *in Gloſſario.*

MORUM Magiſter, vide ſuprà *Magiſter.*

MORUNDIA, tractus Ducatus Burgundiæ, inter tractus Alexienſem, Auguſtodunenſem & Divionenſem. Ejus periêre limites. Vulgò *le Morvant.* Satis montuoſus, *Baudrand.* vide ſuprà.

MORUNI, Indiæ populi montium, qui perpetuô tractu Oceani oræ prætenti ſunt, incolæ, apud Plinium *l. 6. c.* 20. & Solinum *c.* 22.

MORUS, arbor ſapientiſſima Plinio, quòd *noviſſima urbanarum germinat, nec niſi exactô frigore. Sed cùm cœpit, in tantum univerſa germinatio erumpit, ut unâ nocte peragat etiam cum ſtrepitu, l.* 16. *c.* 25. Unde & prudentiæ ſymbolum *Pierio* habetur: Sic enim Vir prudens graviora negotia & conſilia omnia conſultò prorogat, neque ante tempus ſeſe effert, ſed maturam occaſionem citra noxam ac periculum expectat. An Græcis propterea, quaſi per ἀντίφρασιν *ſtulta* dicta, quia ſapientiſſima eſt? μωρὸν certè *ſtultum* illis ſignificare notum. Eſt autem arbor fruticoſa, cujus fructus annô matureſcit: pariterque floret ſubnaſcens, & prior coquitur. Succus pomis in carne vinoſus; trini colores, candidus primò, mox rubens, maturis niger. In noviſſimis florent, inter prima matureſcunt. Tingunt manus ſuccô matura; Sic apud Virg. *Ecl. 6. v.* 21. Sileno Ægle,

> *Ægle Najadum pulcherrima: jamque videnti*
> *Sanguineis frontem* moris *& tempora pingit:*

eluunt acerba &c. Vide iterum Plin. *l. 16. c.* 24. & ſuprà in voce *Mora.*

MORUS Thomas, vide *Thomas.*

MORYCHIDUS, Archon Athenis, quò regnante latum eſt illud decretum, ne quis nominatim in comœdia perſtringeretur. Vide Schol. *in Ariſtoph. Acharn. p.* 274. *A.*

MORYCHUS, cognomen Bacchi apud Siculos, cujus faciem vindemiæ tempore muſtô, & recentibus ficis oblinere conſueverunt. Item Tragicus quidam poëta, ab Ariſtophane deriſus. Eraſmus *in Proverbio, Morychô ſtultior.*

MORYCHUS, nomen viri comicum, apud Platonem Περιαλγεῖ. Ab auctore Scholiorum *in Acharn. Ariſtoph.* indigitatur Poëta tragicus, qui delitiarum ac luxuriæ nomine malè audiit, *p.* 414. *A.* 2. Vide & *in Veſp. p.* 462. *E.* 1. Iterum perſtringitur, tanquam delitioſi victûs homo, cætera pallens & ad caleſcendum villoſis utens veſtibus & craſſis; *p.* 512. *D.*

MORYLII, vel MORILLII, Macedoniæ populi in Occaſum vergentes, Plin. *l. 4. c.* 10.

MOSA, fil. Caleb ex Epha concubina, 1. Paral. *c. 2. v.* 46. Fil. Zamri, filii Joadæ, 1. Paral. *c. 8. v.* 36. Filius Saharaim ex Hodes uxore. 1. Paral. *c. 8. v.* 9.

MOSA, vicus in finibus Lingonum, pagoque Baſſiniaco; à fonte fluminis Moſæ, cui adjacet, dictus, inter Andomatunum Lingonum, & Tullum Leucorum, ab urbe Lingonum quidem 12. mill. paſſ. a civitate Leucorum 30. à Monaſterio Luxovio ferè 40. Vulgo *Meuſe en Baſſigny.* Hic Salaberga, Gunduini illuſtris viri filia, natione Franca, Cœnobium puellarum inchoavit, quòd poſtmodum Lugdunum Clavatum tranſtulit, ſub Sigiberto Rege, unde ejectis ob incontinentiam puellis, ſub Ludovico Craſſo, A. C. 1128. Monachi ſubjecti ſunt. Vulgò *Abbatiam S. Johannis Bapt.* vocant. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MOSA vulgò *la Meuſe* Gallis, *la Moſa* Italis, *Mas* & *Maes* German. unde *Maeſtricht* ſive Trajectum ad Moſam; Moſacum, Comitatus Loſſenſis clarum oppid. *Maes-eyck*, i. e. quercus Moſæ: *Crommees*, vicus ad flumen hoc, prope Leodicum; Imo totus pagus Moſanus, de quo infra. *Maſau*: fluv. eſt inſignis Galliæ Belgicæ, ex Vogeſo monte, non procul à Lingonum finibus, profluens, & per Eburonum, Menapiorum, ac Sicambrorum agrum labens, tandemque in finibus Batavorum acceptô Rhenô in Oceanum ſe exonerans. Jul. Cæſar. *l. 4. Bell. Gall. c.* 10. *Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni receptâ, quæ appellatur Wahis, inſulam efficit Batavorum. Baudrando* oritur in Campania, juxta pagum *Meuſe*, 2. leuc. ab Andomatuno Lingonum in Ortum. Inde per Lotharingiam & Barrenſem Ducatum fluens, ibi Novum Caſtrum *Neuf Chaſtel*, Sabiniacum *Savigny*, Novam Villam *Neufville*, Valculerium, Commercium, villam quondam territorii Tullenſis in Leucis, nunc oppid. *Commerci*, Vinetum *Vigny*, Pontem Alliacum, Fanum S. Michaëlis, in parœcia pagoque Verodunenſi *S. Michiel*, Virodunum, Campos, Clariacum *Clairy*, Dunum, Villam Francam, Stenæumque rigat: Hinc per Campaniam iterum ad Moſomagum labitur, & auctus Carô, Sedanum, Doncherium, Macerias, Carlopolim *Charleville*, 4. loca in Rhemis poſita, Caſtrumque Reginaldi alluit: Dein in Belgium tendens, ibi juxta Fumacum, Carolomontium, Acutum montem, Dinantium, & Bovinam labitur, poſtea ad Namurcam recipit Sabim, uti, poſt Andanam & Hojum, ad Leodium Urtam fluv. Tandem, rigatis Jopilâ, villâ quondam Regiâ, Viſatô *Veſet*, Trajectô, Ruren undâ, ubi Rura fluv. nobilis, vulgò *Roër*, qui Marcodurum *Dure*, & Juliacum *Juliers* præterlabitur, in eum influit. Venloâ, Graviâ, aliiſque, recipit Vahalim in Hollandia, Inſulamque Batavorum efficit, & infra Dordracum, in Oceanum ſe exonerat. Inter hunc fluvium & Rhenum Corbulo, ne miles otiô torpeſceret, foſſam perduxit, A. C. 47. Tacit. *Annal. l. 11. c.* 20. Eundem memorabili in omne ævum trajectu, cum toto exercitu, in oculis hoſtis acerrimi, Albani, ſuperavit Guil. Auriacus, A. C. 1567. Moſæ dein cataractis, ut & Iſalæ, perfoſſis, ad ipſa mœnia Lugduni Batav. aqua immiſſa, urbi ab Hiſpanis graviſſimè obſeſſæ ſaluti fuit, A. C. 1574. quos dein fluvium hunc Rheno infundere molientes, diſturbavit Henricus Fridericus, Mauritii Principis fratris, in Ducatu Arautionenſi & Præfectura Belgii ſucceſſor, A. C. 1625. Vide Thuan. *Hiſt.* Lætum *Comp. Hiſt. Univ.* Sidon. *in Paneg. Majoriano*:

> *Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana, Ledus.*

MOSÆUS, fluv. Suſianæ regionis, in ſinum Perſicum fluens. *Muſeus Marcellin. Triticiri Ortel.* aliis *Tiritiri*, aliis *Macuf.*

MOSAICUM, unius literæ trajectione, ex *muſiacum*, quod à *muſio, muſeo* ſeu *muſivo* (variè enim pronuntiatur) Græcis Μȣσεῖον, opus dicitur, variorum colorum lapillis teſſellatum, ψηφίδων λεπτῶν ἐπιθέσεσι, ut habet Nicetas *in Alexio Man. fil. num.* 5. qui μȣσȣργικαὶ ψηφῖδες dicuntur, in *Synodica* Orientalium ad Theophilum Imp. *p.* 113. erantque ex vitro confecti, Auctor *Vitæ* Laurentii Epiſc. Sipontini *c.* 2. *Ex minutis vitreis lapidibus* &c. Cujuſmodi *Muſivum* videre eſt paſſim Romæ, Conſtantinopoli, & in variis Chriſtianorum Templis in Italia, Gallia, alibique: quod quidem à concinnitate & elegantia dictum vult Scaliger *ad l. 5. Manil.* cum μȣσῶν & ἡμικῶν & Μȣσικὸν in eam partem accipiant Græci. Ἀιθένδυτα illiuſmodi opera dicuntur, in *Origin. Conſtantinop.* de quibus vide plura apud Car. du Freſne in voce *Muſivum.* Decorabantur autem *muſivô* cameræ & apſides, uti *pavimentô* ſola: quæ proin duo malè confundunt Viri docti. Quamvis enim pavimentorum opus eâdem ratione & formâ componi aſſueverit, quò *muſiva*, ex parvis variiſque teſſellis aut lapidum ſecturis, quibus diverſæ formæ & figuræ exprimebantur uti abunde *ad Suetonium* Caſaubon. docuit: nuſquam tamen reperias, niſi cameras & apſidas muſivô ornatas, pavimenta autem marmoreis exemplis ſtrata. Plin. *l. 36. c.* 21. *Non prætermittenda eſt & pumicum natura: appellantur quidem ita & cætera ſaxa eroſa annis: in ædificiis* muſea *vocant dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam*: Ubi *Muſea* propriè vocat in ædificiis arcuaturam ad ſimilitudinem ſpecus arte factam. Quam exin Codinus differentiam religioſè obſervat: ubi, cùm eodem opere ſola, parietes & cameræ decorarentur; πάτωσιν vocat, quod in ſolo ponitur; ὀρθομαρμάρωσιν, quod in parietibus; in cameris verò & pendentibus, μȣσείωσιν. Idem trullo μȣσείωσιν tribuit. Anaſtaſius quoque paſſim eadem habet, inter alia, in *Hadriano*: *Fecit autem & in Patriarchio Lateranenſi triclinium majus ſuper omnia triclinia nomini ſuæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis columnis tum porphyreticis quamque albis & ſculptis cum vaſibus & liliis ſimul poſtibus decoravit cameram cum apſida de muſivo.* Poſteà, *fecit in triclinio majori miræ pulchritudinis decoratam apſidam de muſivo ornatam, & apſidas duas dextrâ lævaque ſuper marmore & picturâ ſplendentes, & in pavimento marmoreis exemplis ſtratis.* Idem, *Ædificavit Eccleſiam cum apſida ampliſſima & cacumina mirifica de muſivo atque cameram decoratam, ſeu Presbyterium & pavimentum marmoribus pulchris ornavit.* In quibus omnibus apertè *pavimentum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tum diſtinguit à *muſivo*, & marmorea exempla pavimento, muſivum apſidibus, conſtanter tribuit, Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro*, *c.* 6. Vide quoque infrà, ubi de *Muſivaria* ac *Pavimentiarte*, ut & ubi de *Quadratariis*. Vulgò tamen hæc commiſcentur, & pavimenta quoque *de muſivo picta*, ſolaque *muſivo ſtrata*, communiter dicuntur &c. Hinc ars *Muſivaria*, quam à Græcis Byzantinis in cœteras Europæ provincias tranſiiſſe, dicemus infrà in hac voce, & artifices *Muſivarii*, de quibus *ibid.*

MOSAISCUS, Ducatus Moſcoviæ, per vim Polonis ereptus, à Johanne Duce M. ſatis amplus.

MOSAMBICA, Gall. *Moſambique*, urbs Zanguebariæ, in inſula parva litori annexa, ad oſtia fluvii cognominis in ora Oceani Æthiopici, cum munita arce & portu celebri, ſub Luſitanis, media ferè inter Quiloam ad Boream & Soffalam ad Auſtrum, 270. mill. paſſ. à proximiori ora Madagaſcariæ, in Occaſum. Et adjacent S. Georgii & S. Jacobi Inſulæ fluviusque Mocambus, in ejus viciniis, in Oceanum ſe exonerat.

MOSANDER Jacobus, vide *Jacobus.*

MOSANUS, pagus German. *Maſau* olim, à fluvio nobiliſſimo Moſa dictus: diſtinguitur in diviſione Regni Lotharii A. C. 870. facta, in ſuperiorem & inferiorem, ex utraque fluminis parte. Nunc *Maeſlandt* dicitur, & prior quidem *Opper-Maeſlandt*, i. e. ſuperior Moſæ ager, poſterior verò *Onder Maeſlandt*, i. e. inferior ad Moſam ager, aut terra. Modica fluvii, inquit Valeſius, pars fuit, quæ dextrâ ripâ ab Attuariis ſeu Nerſæ amnis oſtio, ad Leodicenſem pagum pertinebat; ſiniſtrâ autem inter Hasbaniam & agrum Leodicenſem, jacebat, *Notit. Gall.*

MOSARABES, vide *Mixtarabes* & *Mozarabes.*

MOSBURGUM, caſtrum Cariathiæ, ad lacum *Werdſee Lazio*, everſum inter Vacorium, ſeu Villacum & Clagenfurtum.

MOSCATA Nux, Græce μυριστικὸν κάρυον, (vide infrà *Muſcellinum*) ob odoris præſtantiam, quaſi *Moſchata* dicta, ſic deſcribitur Matthiolo *in l.* 1. *Dioſcor. c.* 141. *Myriſticæ, quæ vulgò--- Muſcatæ--- afferuntur ex India--- & proveniunt copioſiſſimæ in Inſul. quadam nomine Bandan: ibique eas proferunt arbores quædam noſtratibus perſicis haud abſimiles, anguſtioribus tamen foliis, ac brevioribus. Fructus noſtratibus nucibus adhuc in arbore exiſtentibus perſimiles ſunt. Siquidem primò craſſô, ac viridi cortice conteguntur, cui deinde ſubeſt nux ipſa, duro ſatis putamine incluſa, noſtrâ tamen tenuiore, Maci quem vocant, in reticuli modum circumveſtitô, eôque fractô nucleus exit, quem myriſticam moſcatamve nucem vocamus. Has, cùm ſuô tempore matureſcunt, incolæ legunt certatim* &c. Virtutes ejus idem in *ſeqq.* exequitur. Certè inter pretioſiora aromata locum habet, unde inter alia Orientis fercula, quibus Maria Medicæa Galliæ Regina Amſtelodami, ab Indicæ Societatis Orientalis Præfectis excepta eſt, quoque, *Macis & Nuces myriſticæ triplices, aliæ involucris ſuis incluſæ, aliæ foliis macidis tectæ, aliæ conditæ, Moluccarum proprios proventus & benignitatem prædicabant--- Etiam magni pretii olea è macide & nucibus myriſticis, & zingiber non conditum & ſacchari conditura pellucens obſonium faciebant*, C. Barlæus *in Medicæa.* Hujusmodi verò nucum proventus maximus eſt in Inſulis Bandanis, ut *Matthiolus* ſcribit, quarum (ſunt & caryophyllorum) Monopolium penès Belgas Fœderatos. Arborem quidem in Moluccis quoque creſcere ajunt, ſed illa frugifera non eſt, quemadmodum nec ea, quæ in *Zeilan* Inſul. provenit. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. c.* 10.

MOSCHA, ſeu *Moſcua*, Gallis *Moſcow*, caput Moſcoviæ, urbs perampla, emporium celebre, ad Moſchum fluvium. Sedes M. Ducis. Occupata à Sigiſmundo III. Poloniæ Rege, ſed recepta A. C. 1612. majori ex parte fœdô conflagravit incendiô, A. C. 1668. Ibi arx perampla M. Ducis, cum valido præſidio. Domus omnes ligneæ, plerunque vineis & ſepibus cinctæ, 140. mill. paſſ. à confinio Poloniæ in Ortum, 240. à Novogardia *parva* in Africum, 370. à *magna* in Eurum. Hîc *Moſcha* fluv. recipit Jayuſam. Formâ eſt penè rotundâ, & dividitur in IV. partes, ſingulas ſuis muris cinctas. Intima pars dicitur *Kitaygorod.* Huic proximè adjacet Caſtellum regium, *Kremlenagrod.* Pars, quæ ab Oriente Septentrione & Occaſu has cingit, *Tzargorod*, i. e. Cæſarea civitas: Pars has extra circumcingens, *Skorod* appellatur: Erat aliàs amplior, antequam à Tartaris Precopenſibus A. 1572. penè tota flammâ deleretur.

MOSCHERIS, Thebanorum in Ægypto Rex XVII. exponitur Ἡλιόδοτος, *à Sole datus*; præfuit poſt Sen-ſaophem, regnavit ann. 31. eum excepit Muſthis, quem vide.

MOSCHEROSCH Joh. Michaël, in Societate Frugifera dictus *Philander à Sittenwald*, Wilſtätti in Comitatu Hanovico natus, Præfectus Grichingenſis primùm, inde Vinſtingenſis; Conſiliarius porro Bellicus Suecicus, Secretarius & Fiſcalis Argentoratenſis, Conſiliarius Hanovicus, A.C. 1656. Moguntinus, A. C. 1657. & Caſſelenſis A. C. 1664. obiit A. C. 1669. ætat. 69. Wormatiæ. Pater *Erneſti Bogiſlai* in Gymnaſio ad Mœnum Francofurt. Collegæ, & *Quirini* Paſtoris in agro Hanovico. Scripſit *Gymnaſma de Academicis Exercitationibus*, *Epigrammata*, *de Politico Diſſertationem*, *Inſomnem curam Parentum*, *Technologiam Germanicam & Gallicam*, *Viſiones* &c. P. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.*

MOSCHI, populi Aſiæ, Albanis & Iberis finitimi, circa Caſpium mare eos ponit Mela, *l.* 1. *c.* 2. circa Phaſidis fontes Plin. *l.* 6. *c.* 17. ubi & montes *Moſchici.* Hos *Meſech* in ſacris literis dici ſcribit Arias Montanus *in Appar. Bibl.* Lucan. *l.* 3. *v.* 270.

Heniochi, ſævisque affinis Sarmata Moſchis.

Sidon. Apollinar. *in Panegyrico Avito:*

Sauromatam taceo, ac Moſchum, ſolitosque cruentum
Lac potare Getas. ———

Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 12. *Nic. Lloyd. Baudrando* fuêre in Colchide, in limite Iberiæ, ubi nunc pars Orientalis Mingreliæ. Vide *Strab.*. Eos à Cn. Pompejo ſubjugatos habet *Plut.*

MOSCHIUS, mons magnæ Græciæ apud Scyllacium urbem, nunc inde dictus. *Caſſiod.*

MOSCHIUS, fluv. Mœſiæ ſuperioris *C. Scepepro Lym.* Aliis eſt *Ibar*, fluvius Serviæ.

MOSCHOPHAGI, i. e. *Vitulivori*, populi circa mare Erythræum, *Arrianus.*

MOSCHUS, Citharœdus nihili, Agrigentinus, ſic dictus, quòd victor præmium μόσχον ſive vitulum tulerit. Vide Scholia *in Ariſtoph. Acharn. p.* 371. *A.*

MOSCHUS, Grammaticus, & poëta Syracuſanus Bucolicus, quem Ariſtarcho fuiſſe familiarem ſcribit *Suidas.* Floruit ſub Ptolemæo Phyſcone.

MOSCHUS, vide *Johannes Moſchus.*

MOSCHUS, ſeu *Moſchi Capreolus*, à reliquis capreolis, juxta Arabes, in eo differt, quòd duos dentes habet exertos, ut apri dentes, quos *ſicas Plin.* vocat. Eſt autem is unde *muſcum* habemus, odoramenti genus præſtantiſſimum. Damir, *Etiam ad hanc ſpeciem pertinet Muſci capreolus, nigri coloris --- ſtaturâ ſimilis & tenuitate crurum & ungularum diviſione. Niſi quòd unusquiſque ex illis albos dentes duos habet, ex ore exertos, in inferiore maxilla, ad faciem ejus erectos, ut apri dentes.* Reperitur is in Sinis, in provinc. Xenſia, ubi *Xe* appellatur; item in Suchuena, Junnania, locisque illic ad Occaſum vicinioribus: habetque tuber ſeu exuperantiam quandam ad umbilicum, quæ parvum marſupium referens ſubtili pelliculà ac ſubtiliſſimis pilis veſtitâ, conſtat; ubi *muſcus*, de cujus generatione vide Matthiolum *Commentar. in Dioſcoridem l.* 1. *c.* 20. Sed & in India animal frequens, optimæ verò notæ, in urbe & regione *Tubet* notiſſima, ultra Choraſanam ſita, quô muſcô ipſi Indi ſuô utuntur libentiùs. *Colore eſt ſubflavus, cùm qui ex India advehitur, ad nigrum vergat.* Sim. Sethi: Sinenſi quoque præſtat duabus de cauſis, namque *& paſcuntur capreæ Tubetienſes ſpicâ odoratâ* ſeu nardô *aliiſque aromatibus, quum Sinenſes herbis vilioribus paſcantur; & Tubetienſes muſcum non ſolent è folliculis ſuis educere, quod Sinenſes faciunt*, Miludius *l. Mixtionis auri cum metallis ſubſtantiæ terreæ* &c. Sunt autem tubera illa ſeu marſupia, ſi ſincera ſint, præſtantiſſima adeoque vehementis odoris, ut odoratus organum offendant. At verſipelles Mercatores, ex ſanguine, pellibus aliiſque animalis exuviis muſcho additis, marſupia, quæ pellis animalis ſubminiſtrat, infarciunt, ac tanquam vera & genuina venditant. Adeò enim ſuaviter & pellis olet, ut totam domum aliquam reddat fragrantiſſimam, uti docet Joh. Baptiſta Tavernier, qui in India aliquot hujuſmodi capreolos vivos ſibi clam ab incolis (palàm enim efferre non licet) coëmit, & effigiem animalis, una cum deſcriptione ejus inſigni, *Itinerario* ſuo *Indiæ*, inſeruit. In Sinis porró urbem Sanuyen *moſchô* maximè nobilitari, animalque ex Regno *Lu*, in vicinum *Laos* tranſlatum, brevi emori: ſed & carnem ejus occiſi pro cibo ab incolis adhiberi, notat Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 40. Vide quoque infrà in voce *Muſcus:* uti de muribus Moſchum odore referentibus, *Mures Moſcovitici:* de *Moſcho* verò novi Pontificis marſupio ſerico unà cum 12. gemmis, poni ſolito, infrà voce *Signum.*

MOSCHUS, fluv. nunc vulgò *Morava*, in Myſia ſuperiore ex Orbelo monte in Danubium fluens; *Moſchius Ptol.* Vide ibi.

MOSCOSA, Hiſpan. *de Moſcoſo*, illuſtris Familiæ nomen, ex Gallæcia oriundæ, in qua *Ruis Sanchez de Moſcoſo*, circa A. C. 1455. dominium *de Altamira* habuit. Ei filius Rodericus ſucceſſit, pater duarum inprimis filiarum: quarum altera, Agnes, Vaſconi Lopezio *de Ulloa* nupſit, ex eo mater Lupi Sanctii *de Ulloa*, primi Comitis *de Altamira:* altera Urraca, huic ſuo nepoti ſucceſſit, & marito Petro Alvaro Oſorio hæreditatem ſuæ domus, cum nomine, intulit. Quibus parentibus genitus Rodericus I. *de Moſcoſo Oſorio Comes de Altamira*, ex Tereſia *de Andrada*, ſuſcepit Lupum I. maritum Annæ Toletanæ (Petri Proregis Neapolitan. defuncti A. C. 1553. filiæ) & ex ea genitorem Roderici I. *de Moſcoſo Oſorio* &c. quô & Iſabellâ *de Caſtro* natus Lupus II. junxit ſibi Eleonoram *de Sandoval* & *Roxas* (Franciſcô Marchione Deniæ & Iſabellâ Borgiâ genitam) atque ex ea ſuſtulit Caſparum *de Moſcoſo* Marchionem *de Almazan*, Comitem *de Monteacuto* & *de Altamira:* cui ex Antonia *de Mendoza* (filia Franciſci Hurtadi Mendozæ Marchionis *de Almazan* Comitis *de Monteagudo*) nati ſunt Anna Mendozia, Lupus *de Moſcoſo* & *Mendoza* Comes *de Monteagudo*, Leonora Monialis, Margarita *de Mendoza* & Franciſcus Hurtadus *de Mendoza*, omnes nominis *de Moſcoſo.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 95. & *in Ind.*

MOSCOVIA, & MOSCHOVIA: ſeu *Ruſſia alba* Gallis, *la Moſcovie*, ſeu etiam *la Ruſſie blanche*, regio eſt ex præcipuis Europæ verſùs Septentrionem, & ampliſſima, ubi aliàs maxima pars Sarmatiæ Europææ, cum aliqua parte Aſiaticæ. Nunc etiam *Ruſſia magna* dicitur, *la grande Ruſſie.* Terminatur à Septentrione mari Concretô, ab ortu dividitur à Tartaria magna Perſidâ, Obiô & Jaiciô fluviis, à Meridie Tanai minore, vulgo *Donetz*, Deſnâ, & Pſolâ, quibus ſeparatur à Tartaria minori, & ab Occaſu Boriſthene & Narvâ fluviis, quibus dividitur à Poloniæ regno. Ejus longitudo ſumma inter promuntorium Litarmin & Pſolæ confluentem ad oppid. Czircaſſium, implet milliaria Germanica 380. latitudo verò inter *Corelenborg* oppid. in confinio Finlandiæ, & Obium fluv. juxta oppid. *Lepin*, eſt 300. milliarium teſte *Cluverio.* Dividitur in quatuor præcipuas partes, nempe in Moſcoviam Occidentalem ſeu præcipuam, Moſcoviam Orientalem, Tartariam Moſcoviticam, & Lapponiam Moſcoviticam: ſub quibus ſunt 40. provinciæ circiter, quæ plerunque à præcipuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

puis urbibus denominantur : & iis nunc addi poſſunt Smolenſcenſis, & Severienſis Ducatus, qui antea erant juris Polonici. Totius regionis primaria urbs eſt Moſcua ſeu Moſcha. Notandum autem eſt, partes Boreales & Orientales Moſcoviæ non eſſe ſatis cultas & incolis frequentes pro provinciarum amplitudine. Moſcovia nomen habet ab urbe Moſcua, non à Moſcis populis ultra mare Euxinum, Colchis finitimis; in iiſque regionibus Ruſſi rerum potiti ſunt, à Roxolanis, fortè deflexô paululum nomine oriundi; atque eorum Principes ad Varagos origiginem referunt gentem tranſmarinam, ut ipſorum Annales teſtantur, qui Imperii ſedem primò Novogardiæ, deinde Kioviæ, ac poſtremò Volodimiriæ habuerunt, antequam Moſcoviam, ſeu Moſcuam transferretur. Populi *Moſci*, qui omnes ſe Principis, cujus imperium merè deſpoticum eſt, ſervos fatentur. Raro illis eſt quies; nam aut bellum Lithuanis, aut Livonienſibus, aut Tartaris inferunt, aut ſi nullum bellum gerunt, præſidia collocant circa Tanaim, & Occam fluv. ad reprimendas Tartarorum deprædationes. Tunicas oblongas, ſine plicis, manicis ſtrictioribus, Hungarorum ferè more geſtant. Ocreas ferè rubras, eaſque breviores, ut quæ genua non attingant, ſoleaſque ferreis claviculis munitas habent. Ventrem nequaquam ſed femora cingunt atque adeò pubetenus, quo magis promineat venter, cingulum dimittunt. Juſtitiam ſtrenuè exercent in prædones : Adulteros in fruſta ſecant : Furta & homicidia raro capitali pœnâ puniuntur : ebrietati mirum in modum dediti. Monetam argenteam habent non rotundâ, ſed oblongâ & ovali quodammodo formâ. Pellibus nobilibus, ac precioſiſſimis, quæ illinc per totam Europam exportantur, regio abundat; & ubique ferè ſylvoſa eſt. Illorum amicitiam exteri Principes aliquoties quæſiêre, ſed non eô, quem ſperabant, ſucceſſu: Æra utuntur non Nativitatis Chriſti, ſed Mundi. Crucem oſculandô juramentum confirmant : Salis & panis oblatione peculiariter ſubmiſſionem ſuam Principi teſtantur : quô modô inter alia Pleſcovienſes crudelitatem Johannis Baſilidis mitigâſſe legimus. Cæterùm de *Moſcovia* nemo meliùs ſcripſit, quàm Adam Olearius Germanus, librô cui titulus eſt Gallicè : *Relation du Voyage d'Adam Olearius en Moſcovie, Tartarie & Perſe.* Cui adde Sigiſmund. Baronem Herberſtenium *in Hiſtor. Moſcov.* alioſque Auctores laudatos Becmanno *Hiſtor. Orbis Terrar. c. 7.* Vide quoque in voce *Czar.* Addo, quòd ſic Ruſſia Alba dici cœpit, à quo, circa A. C. 1325. Georgius ſedem Imperii, ex urbe Vladimiria, in urbem *Moſcoviam* tranſtulit : quamvis nihilominus Vladimiria, ad hunc uſque diem, primum in Magni Ducis titulo locum obtineat, ſecundum demum *Moſcoviâ* tenente. Condiderunt autem Ruſſiæ Imperium Waregi, circa A. C. 753. in quo duo inprimis Ducatus eminebant, Kiovia Ruſſiæ nigræ & Vladimiria, Albæ, caput. Sed circa A. C. 1224. Tartari ex Scythia erumpentes, occupatâ Ruſſiâ, Duces ejus in miſeram redegêre ſervitutem : quæ per tria ferè ſecula duravit. Interea Ruſſia Nigra Poloniæ acceſſit A. C. 1300. & *Moſcovia* Albæ, ut dictum, caput facta eſt. Circa annum verò 1500. Johannes Baſilides I. reliquis Ruſſiæ Ducibus in ordinem coactis & Tartaris feliciter pulſis, *Magnum* ſe *Ducem* primus appellavit. Ejus ſucceſſor Baſilius, à Tartarorum Precopenſium Imperatore victus & tributarius factus eſt A. C. 1515. ſed poſtea, Betſorâ, Papinâ, Samojediâ, Ugrojâ, Obdorâ & Condorâ, provinciis, Oceano glaciali vicinis, potitus, *Moſcoviticum* Imperium, ad Obium fluv. ac Novam uſque Zemblam extendit. Acceſſit ſub eodem Ducatus Smolenſcius & Pleſcovienſis. Quam ob cauſam *Tzarum* ſeu Imperatorem ſe vocari voluit : quô titulô hodieque Principes Ruſſiæ utuntur, quoties ad Imperatorem, Pontificem, Turcam, Daniæ Sueciæque Reges, Legatos mittunt; in Legationibus ad Polonos *Magni Ducis* elogiô contenti. Sub ejus filio Johanne Baſilide II. duo Regna Tartarica, Caſanum & Aſtracanum, acceſſêre ſicque fines Imperii ad Mare uſque Caſpium & Perſiæ fines prolati ſunt. Hunc Theodorus ſeu *Fedor Ivanowitz* excepit, A. C. 1584. ingeniô ſocors, interim vallô ingentis longitudinis, inter Tartariam Precopenſem & Ruſſiam exſtructô, nomen meritus. Quô exſtructô (fecerat autem is in Imperio ſocium Boriſium Federovitium) per integrum decennium Ruſſia inauditis jactata fuit tempeſtatibus ac theatrum horrendarum miſeriarum fuit, cujus tragœdiæ quam luctuoſa ſeries, tam levia initia & fœdi exitus fuêre. Cùm enim Theodorus negligentius Ruſſiam adminiſtraret, atque inſuper prole careret legitimâ, Jeſuitæ, qui in Collegio quodam ſuo juvenem origine Ruſſum, cui nomen *Gregorius Strepius* ſive *Griſca Utrepaja*, haberent, hunc à prima juventute ad futuram ſcenam inſtruxerunt, ac imperanei præceptis tantô ſucceſſu imbuerunt, ut totam Ruſſiam deceperit. Quamprimùm ergo Theodori mors innotuit, quæ contigit A. C. 1605. Boriſiô adhuc vivô, ex ſchola progreſſus Gregorius *Demetrii* Johannis Baſilidis II. alterius filii, à Patre occiſi, nomen ac perſonam adſumere, ſeſe legitimum hæredem jactare, invaſorem Boriſium cauſari, & apud vulgus plus fidei reperire, quàm ipſi fraudis Architecti crediſſent. Quô pactô Imperium arripuit, ſed paulo poſt, detectâ fraude, occiſus. Sic Baſilium *Ibanowitz Zuci* M. Ducem elegêre Ruſſi A. C. 1606. ſed mox tres alii Pſeudo-Demetrii ſucceſſivè emerſerunt, Ruſſiamque lacerare perrexerunt, donec Michaël Federovitius gubernaculo admotus eſt; qui *Moſcoviæ* Imperium hactenus miſerrimè adflictum, prudentiâ, moderatione animi, ac perpetuâ cum vicinis pace, ita recreavit, ut nunquam felicius, quàm ſub ipſo, fuerit, vide ſuprà in voce *Michaël*, & plura hanc in rem apud Georg. Hornium *Orb. Imp. p. 252. & ſeqq.* ut & infrà, ubi de *Ruſſia.* De pileo Sacerdotum, apud Moſcos, ita Sigiſm. Baro *Comment. de rebus Moſcoviticis; Sacerdotes*, inquit, *veſtitum prope Laicorum habent, extra biretum parvum & rotundum, quô raſuram tegunt, pileum amplum contra calorem & imbres ſuperimponentes; aut pileô oblongô ex caſtorum pilis, colore griſeô utuntur.* Qualibus pileis oblongis Clerici in regionibus Septentrionalibus frequenter utuntur, Anſelm. Solerius *de Pileo ſect.* 14.

MOSCOVIA, vulgò MOSCOVIE, provincia eſt Ruſſiæ Magnæ, quæ ab ea Moſcovia dicitur à recentioribus. Terminatur à Septentrione Roſtovia & Suſdalia provinciis, ab Oriente Rhezaniâ; ab Occidente Bielkiâ, & à Meridie Vorotinâ : Illius caput eſt Moſcua, ſeu Moſcha, ſedes magni Ducis Moſcoviæ.

Moscoviæ provinciæ et partes:

Aſtracanum regnum, *Royaume d'Aſtracan.*
Biela Ozera, Ducatus, *Biela Ozera.*
Bielkia Ducatus, *Bielki.*
Bulgaria regnum, *Royaume de Bulgar.*
Cargapolia, *Cargapol.*
Caſanum regnum, *Royaume de Caſan.*
Condora, *Condora.*
Czeremiſſi Logovi, *les Czeremiſſes Logowoi.*
Czeremiſſi Nagorni, *les Czeremiſſes Nagornoi.*
Duina *Dwina.*
Jaroſlavia Ducatus, *Jeroſlaw.*
Jugra ſive Juhra, *Juborski.*
Lapponia Grandvicenſis, *Bellamoreskoy Leporie.*
Lapponia maritima, *Mourmanskoy Leporie.*
Lapponia Terſa, *Terskoy Leporie.*
Loppia, *Loppie.*
Lucomoria, *Lucomorie.*
Morduvæ populi, *les Morduates.*
Moſcovia Ducatus, *Moſcovie.*
Novogardiæ inferioris Ducatus, *Niſi Novogorod.*
Novogardiæ magnæ Ducatus, *Novogorod Veliki.*
Obdora, *Obdora.*
Permia, *Permiski.*
Petzora, *Petzora.*
Pleſcovia Ducatus, *Pleskow.*
Pola, *Pole.*
Reſchovia Ducatus, *Reſchow.*
Rhezania Ducatus, *Rezan.*
Roſtovia Ducatus, *Roſtow.*
Samojedæ populi, *les Samojedes.*
Siberia, *Siberie.*
Suſdalia Ducatus, *Suſdal.*
Tingoëſi populi, *les Tingoëſes.*,
Tuveria Ducatus, *Tuver.*
Viatka, *Viatka.*
Ukrania, *Okraina.*
Volodimeria, *Wolodimer.*
Vologda, *Wologda.*
Vorotina, *Worotin.*
Uſtiuga, *Ouſtiouga.*

Moscoviæ urbes præcipuæ:

Arcangelopolis, *l'Arcangel.*	Pereſlavia, *Pereſlaw.*
Aſtracanum, *Aſtracan.*	Permia, *Permaveliki.*
Biela Ozera, *Biela Ozera.*	Petzora, *Petzora.*
Bielha, *Bielha.*	Pleskovia, *Pleskow.*
Cargapolia, *Carhapol.*	Potivolium, *Potivol.*
Caſanum, *Cazan.*	Reſcovia, *Reſchow.*
Coluga, *Coluga.*	Rhezana, *Rezan.*
Columna, *Colomna.*	Roſtovia, *Roſtow.*
Corela, *Corela.*	Slaboda, *Slaboda.*
Demitriovia, *Demitrioff.*	Soratovia, *Soratof.*
Drogobuſcum, *Drogobuſck.*	Suſdalia, *Suſdal.*
Duina, *Dwina.*	Tobolſca, *Toboll.*
Jaroſlavia, *Jaroſlaw.*	Toropetia, *Toropetz.*
Kola, *Kola.*	Tuveria, *Tuver.*
Ladoga, *Ladoga.*	Vaſiligroda, *Vaſiligorod.*
Moſcha, *Moſcow*, regionis caput.	Viatka, *Viatka.*
Novogardia inferior, *Niſi Novogorod.*	Vielkiluchia, *Vielkiluki.*
	Volocza, *Volockz.*
Novogardia magna, *Novogorod Velikir.*	Vologda, *Vologda.*
	Volodimeria, *Wolodimer.*
Papinogroda, *Papinogorod.*	Vorotinum, *Vorotin.*
Uſtiuga, *Ouſtioug.*	

MOSCUS, ſeu MOSCHA, vulgo MOSKA, fluv. Ruſſiæ albæ, ſeu Moſcoviæ. Oritur in Tuverenſi provincia, 70. milliaribus Ruſſicis ſupra Moſaiſcum; à quo ad Metropolim Moſcuam 90. milliaria ſimilia ſunt, 6. autem miliaribus ſuprà Moſaiſcum navigabilis eſſe incipit. Hinc Moſcuam urbem rigat & dividit, atque infrà Columnam in Occam ſe exonerat.

MOSELLA, Floro *l. 3. c. 10. Moſula*, Gallis *Moſelle*, *Ptolem. Obrinca*, Germanis *Moſell*, fluv. Galliæ Belgicæ per Auſtraſiam ſeu Lotharingiam, & per fines Trevirenſium, in Rhenum, ad Confluentes urbem, multis acceptis amnibus, delabens. Dictus eſt, quaſi *parvus Moſa*, ſeu *Moſa minor*, etſi enim maximus eſt & clariſſimus provinc. Belgicæ primæ fluvius, tamen, ſi non latitudine alvei & rapiditate atque altitudine aquarum, ſaltem longitudine curſus multò inferior eſt Moſâ, per Belgicam primam, ſecundamque Germaniam, nimirum per Verodunum ac Namurcum, & per Leodium ac Ruræmundam Bataviamque Oceanum petente. Fontes ab Araris fontibus decem leucis diſtant : quo in ſpatio Lucius Veturius Roman. foſſam efficere conatus eſt, ut in Oceanum brevior eſſet navigatio. *Baudrando* oritur ex monte Vogeſo in Lotharingia paulo ſupra vicum *Buſſans*, in limite Alſatiæ & Comitat. Burgundiæ, dein Stratam *l'Eſtraye*, unde valli nomen, alluit, & per Lotharingiam fluens, ibi Romaricum montem, Spinalium *Eſpinal*,

Ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Caſtellum *Chaſtel*, Ad-Charpinos *Charmes*, Bajonem, Caleniacum *Chaligni*, & Tullum rigat; dein Fontanetum *Fontenoy*, Liverdunum, Condate ad ejus & Murtæ confluentem, Scarponnamque attingens, porro juxta Muſſipontem labitur, uti ad Divodurum, ubi recipit Sellam; poſtea Theodonis villam rigat, Sircam, Palatium *Pfaltzen*, atque Trevirim; uti poſt hanc Eringium *Erang*, ad quod oppid. Celbi augetur *Kil*, tùm Noviomagum *Nümagen*, tandem Rheno ad Confluentes miſcetur. De ea Auſonius *Idyll.* 10. Guil. quoque Britto Armoric. *Philippidos l.* 10.

Salve magne parens frugumque virûmque Moſella.
Millibus a Moſa diſtans ubi Moſula paucis,
Leucos & Mettes ſpatiis irrigat undis.

Paucis enim millibus à Moſa hic fluv. diſtat, circa Tullum & Vallem Coloris, quorum illud ad Moſellam, hoc ad Moſam ſedet. Hinc *pago* ſeu Comitatui *Moſellano* nomen, qui olim pars erat agri Moſellæ adjacentis circa Divodurum, vulgò *Muſel-gow.* Imperante Ludovicô Piô *Ducatus* etiam *Moſellanorum* fuit, à Comitatu Moſellano diſtinctus, qui fortè totum Moſellæ tractum deſignavit, aut certè majorem ejus partem: cujus portio Ducatus Lotharingiæ jam pridem vocatur. Lotharii quoque poſtea minoris regnô, in varios principatus diviſô, duo inprimis Ducatus inſtituti ſunt, alter Lotharingiæ ſuperioris, alter inferioris: quorum ille à Lamberto Schafnaburgenſi *Ducatus Moſellæ regionis*, à Sigeberto *Moſellanorum Ducatus* vocatur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MOSES, nomen inclyti Judæorum Ducis & Legiſlatoris: Fil. Amrami, ex Jochabeda. Natus is poſt Mariam ſororem, & Aaronem fratrem, A. M. 2464. in circumciſione Joachimi nomen accepit, *Clem. Alexandr.* poſtea, cùm ex aquis, à filia Pharaonis, quæ Thermutis *Joſepho* dicitur, extractus eſſet, *Moſes* dictus eſt. Vide infrà. Educatus in aula Regis, & eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum, quam Joſephus eò attulerat, cum Æthiopibus bellum feliciter geſſiſſe Euſebio & Joſepho, *in Antiq.* dicitur, quod tamen *Theodoretus* aliique meritò pro fabula habent. Quadragenarius jam exiſtens egreſſus, divinô inſtinctu, ad fratres ſuos viſitandos, cæde Ægyptii, qui ex illis unum oppreſſerat, futuro ſuo muneri, ad quod vocandus erat, præluſit. Hinc profugus in terram Madian, Sephoram, filiam Jethronis vel Raguelis, quem Artapanus apud *Euſebium*, Regem Arabiæ facit, uxorem ſibi junxit, Gerſone & Eliezerô ex illa ſuſceptis. A. M. 2544. à diluvio 887. ann. agenti 80. loquutus eſt Deus in rubo ardenti, illumque ad arduum, è ſervitute Ægyptiaca liberandi populum Iſraëliticum, munus vocare dignatus eſt, ſe excuſantem geminô miraculô confirmavit, fratremque Aaronem, ut ipſi interpres eſſet, adjunxit. Accinxit itaque ſe divinô fretus auxiliô Moſes, & ab Pharaone, ut populum dimitteret, petiit, renuentemque 10. plagis miraculoſis afflixit; quibus coactus Rex populum exturbavit, jamque procul diſſitum inſecutus, in mari Rubro, cum omnibus ſuis copiis ſubmerſus eſt. Reliquas ejus res præclarè geſtas, commercium cum Deo per 40. dies, Legem in monte Sinai traditam, Tabernaculi exemplar oſtenſum, quod fideliſſimè imitatus eſt, miracula, quorum 76. fuêre, &c. in ejus divinis libris longè meliùs invenies. Obiit in monte Nebo, nullô prius morbô tentatus, A.M. 2584. ætat. 120. & ab ipſo Deo ſepultus eſt: Hinc triginta dierum luctu ab Iſraëlitis honoratus, Joſuam filium Nun, in Ducatu ſucceſſorem accepit. Quinque ſcripſit libros, qui vulgò *Pentateuchus* dicuntur, an & *Hiobi* hiſtoriam? Scriptor fuit primæ, & antiquiſſimæ hiſtoriæ mundi, & Eccleſiæ, à prima orbis creatione, uſque ad annum 2493. Eſtque Scriptorum omnium tam ſacrorum, quàm profanorum antiquiſſimus. Nam Pherecydes Syrus, quem Plin. *l.* 7. *c.* 56. primum proſam orationem condidiſſe ſcribit, poſterior Moſe fuit, ut oſtendit Euſeb. *l.* 11. *de Præp. Evangel.* Literas eum inveniſſe, Judæisque tradidiſſe idem author eſt *l.* 8. & 10. quas tamen Philo ad Abrahamum refert. Mortuus eſt, ut dictum, Moyſes in monte Abarim, & non apparuit, nec inventum eſt ejus corpus, quod ſepelivit Dominus Angelorum miniſteriô. Hoc ideo factum eſſe autumant Hebræi, ne eum ipſi pro Deo colerent, quia proni ad idololatriam erant. Comeſtor *in c.* 34. *Deuteron.* Atqui non apparet, Judæos tunc temporis adeò Idololatriæ deditos fuiſſe, ut homines mortuos colerent. Et cùm Michaël Archangelus à Juda Apoſtolo introducitur τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, de Eccleſia Judæorum intelligi poteſt, quæ eâdem ratione *Corpus Moſis* dici queat, quâ Eccleſia Chriſtiana *Corpus Chriſti* vocatur, 1. Cor. *c.* 12. *v.* 20. Vide D. Hammondum *in locum.* Hebraicè משה i. e. *attractus*, vel *aſſumptus* ſcil. de aquis, Exod. *c.* 2. *v.* 10. ut non ſit audiendus Flav. Joſephus, qui eò, quòd Græcè Μωϋσῆς dicitur, credit eſſe ex Syriaco Μῶ *aqua*, & ὑσὴς *ſervatus*, quod ab הושיע. Quanquam Clemens Alex. *in l.* 1. *Strom.* ait, Μωϋσῆς eſſe ex eo, quòd ὕδωρ μῶν ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. De quo & illuſtris locus eſt, apud Hipparchum περὶ τῶν δώδεκα ζωδίων, ubi diſſerens, cur ſigno, quod proximum eſt ab Ariete, Tauro ſit nomen datum, de Nilo addit iſta, Πρὸς τὴν τοῦ Ταύρου φωνὴν τὸ ὕδωρ μῶς οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς δηλωτικὸν ὑδάτων, ἐκάλεσαν. Μῶς γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ ὕδωρ σημαίνει. Sanè hodieque Germanis *Moſa* fluvii nomen; non quidem ab Ægyptiis, ſed ut puto, à communi origine linguæ deperditæ. A Μῶ etiam fuerit *Monius*, quomodo ab Ægyptiis dictum ait *Abeneſra.* Imo in quibuſdam Orphei verſibus dicitur ὑδρογενὴς, h. e. ὑδατογενὴς, quaſi dicas *Aquigena.* Veſtigium nominis *Moſis* in ſacris quoque Liberi ſupereſt. Nam Orpheus *in Hymnis*, ſive potiùs Initiis *Liberum* vocat Μίσην, quod à verò nomine unicâ aberrat vocali. Nec obſtat, quod Μίσην ibidem dicat ἄρρητον ἄνασσαν *Indictam Reginam*; Nam Dionyſius, juxta Orpheum, ſexum habuit utrumque. Imo *Alex. Polyhiſtor* tradit, mulierem fuiſſe nomine *Moſo*, quæ leges tulerit Judæis. Vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 30. Salmaſ. autem *Ep.* 60. *Moſis* etymon planè Ægyptiacum eſſe putat, & ad verbum ſonat, inquit, ἀναληφθεὶς ἐξ ὕδατος, ut vetus poëta apud Euſeb, auctor eſt, h. e. Μωυσῆ, Μῶυ enim in illâ lingua *aquam* ſignificat, σί *aſſumere.* Moſes hic, Actor. *c.* 7. *v.* 20. dicitur ἀστεῖος τῷ Θεῷ. Eſt autem Græcis, ἀστεῖος, πιθανὸς, καὶ χαρίεις καὶ καθόλου ἐν πολιτικῇ ὁμιλίᾳ ἐπιδέξιος. Unde putet quis, non de ſpecie Stephanum, ſed de moribus loqui, & quidem Moſes *mitiſſimus ſuper faciem terræ* dicitur. Sed rectius, Pricæô judice, referas ad formæ elegantiam ejus. *Gloſſarium: Elegans* ἀστεῖος. *Suidas*, Οὐδεὶς ἦν οὕτω φιλότιμος ὥστε Μωυσῆν θεασάμενος μὴ ἐκπλαγείη τῆς εὐμορφίας. Quæ tamen propriè huc non ſpectant, ut de Moſe adulto dicta: cùm hic, ob ſequentia ea, ἀνετράφη, & ἐπαιδεύθη, intelligenda ſit venuſtas oris, quæ in recens nato eminebat. Philo *in ejuſdem vita*, de eodem, Γεννηθεὶς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφηνεν ἢ κατ' ἰδιώτην ἀστειοτέραν. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 4. *c.* 5. narrat, ut cum adoptârit Thermuthis, filia Regis, quaſi eſſet μορφῇ τε θεῖος, καὶ φρονήματι γενναῖος. Et quid apertius illis Trogi, ſive Juſtini *l.* 36. *c.* 2. *Filius ejus Moſes fuit, quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat.* Porro *Moſis* mentionem faciunt Gentilium plurimi. Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 101.

Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt Jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Plin. *l.* 30. *c.* 1. *Eſt & alia Magices factio à Moſe etiamnum & Jochebel Judæis pendens. Fuit autem Jochebel ipſius Moſis mater.* Locus corruptus. Lege *Jochebed* ex Sacris. Quin & Apulejus Moſen, & Jannem tanquam celeberrimos Magos conjungit *in Apologia.* Sed Strabo *l.* 16. Moſen non tam fuiſſe Magum dicit, quàm oraculis deditum, quales Minos, Lycurgus, &c. Quod & clarè indicat Diodor. Sic. cujus verba hîc apponam: *l.* 1. Παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεόν, *Apud Judæos Moſis Deum, qui Jao dicitur, legum ſuarum auctorem finxiſſe perhibetur.* Cornel. Tacit. *l.* 5. *Hiſt. c.* 4. *Moſes, quò ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus, contrarioſque cæteris mortalibus indidit, &c.* Vide plura apud Joſeph. *Hiſt. l.* 2. 3. 4. & *l.* 2. *contr. App.* Philon. *in vita Moſis*, *libris* 3. Euſeb. *in Chron. de Præp. Evangel. &c. Clem. Alexandrin. Numenium*, qui Pythagoram & Platonem, doctrinam ſuam ex hujus ſcriptis hauſiſſe retulit, & hunc poſteriorem, *Moſen Atticum*, vocare ſolitus eſt, *Theodoret. Genebr.* Rivet. *Exerc. in Geneſin & Exod. &c.* De controverſia circa *Moſis ſepulchrum*, quaſi repertum illud eſſet A. C. 1655. inter Maronitas; Græcos inde, Armenios, Franciſcanos, Judæos, ac Jeſuitas tandem exortâ turbiſque hinc in Aula Conſtantinopolitana, & quæſtione inter Eruditos mota, *quid de illo ſtatuendum?* Vide Georg. Hornium prolixè diſſerentem *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſt. Periodo III. Artic.* 3. §. 74. ubi doctum quendam Judæum, cui nomen *Jecomas Ben Gad*, Saphettæ habitantem, integrô librô de hac materia ſcriptô oſtendiſſe, non *Moſis* ſervi Domini, ſed alterius cujuſdam longè recentioris, ſepulchrum hoc eſſe, atque ita opinionem *de reperto ſepulchro Moſis* iterum evanuiſſe, ſub finem monet. Occaſionem errori præbuiſſe videtur odor miræ ſuavitatis, ex cavea illa aperta longè lateque diffuſus, *Ibid.* Cœterùm, ut *vita* ejus tribus periodis (nam XL. annos in Aula vixit, XL. vitam privatam egit, in Midianitide, XL. Iſraëlitarum exulum agmini præfuit, populique Dei Ducem egit) ſic *munus* ipſius & *revelatio* ipſi facta, memorabilis erat. Et quidem, *Munus* quod in Eccleſia geſſit, illuſtre id inprimis, & ſupra omnes, quotquot extiterunt unquam homines, eximium fuit, atque hiſce tribus abſolvebatur, I. enim populi Dei *Redemtorem* egit; dum gregem in deſerto paſceret, ad munus illud, per Angelum ex ardentis rubi igne loquentem, vocatus, Exod. *c.* 3. *v.* 2. 4. Miſſus inde cum expreſſa nominis *Jehovæ* nuncupatione, *v.* 14. Iſraëlitas, imbelle ac miſerabile agmen, ante ora hoſtium minantium frementiumque, multis cum prodigiis ac miraculis (quorum numerus omnia reliquorum Prophetarum ſimul ſumta exſuperavit) eduxit; Ægyptumque divinis juſſis repugnantem cœleſtibus plagis perdomuit; ac de ea, idoliſque ejus tantùm non triumphavit; non alio effuſô, quàm Agni Paſchalis, ſanguine. *Hunc Moſen---Deus miſit Principem &* Λυτρωτὴν, *ductu Angeli, qui viſus fuerat ei in rubo*, Actor. *c.* 7. *v.* 35. II. Perductos ad ſacrum montem Iſraëlitas Deo veluti præſentes ſtitit; ejuſque nomine Legem Populo dedit. Exodi *c.* 19. & fœdus cum univerſa gente iniit, *c.* 24. ſtans ipſe inter Deum homineſque *medius*, Deuter. *c.* 5. *v.* 5 Vide quoque Galat. *c.* 3. *v.* 19. III. Tandem & *Prophetam* ac Doctorem Eccleſiæ egit; quo in munere excelluit ita, ut nemo ipſi par aut ſecundus extiterit. Cùm enim primarius in *Domô Dei* foret *ſervus*, Hebr. *c.* 3. *v.* 5. veræ doctrinæ pleniſſimam formulam ac fœderis ſummam tradidit, cunctaque Eccleſiæ Fata deſcripſit atque univerſum ejus ordinavit Statum. Speciatim autem & illuſtrem in modum de CHRISTO vaticinatus eſt, Johann. *c.* 5. *v.* 46. atque alium Prophetam, alium Eccleſiæ ſtatum, alia denique ac meliora longè promiſit, Deuteron. *c.* 18. *v.* 15. 18. Quod verò *Revelationem* illi factam ſpectat, modus illius planè ſingularis fuit & ſupra reliquos Prophetas aliquid eximium habuit. Cùm, Deo videlicet familiaris, adire eum ac conſulere, quoties vellet; voceſque ejus ac reſponſa, non per ænigmata, aut nubem, ſed tanquam humanum ſermonem clarô auditu percipere ac haurire poſſet, Numer. *c.* 7. *v.* 89. & Exod. *c.* 33. *v.* 9. 11. Inque iſto cum Deo commercio, non voces ſolum divinas audiret redderetque; ſed cùm in monte occultis ſacris operaretur, ipſam cœleſtium ſpeciem viderit, quod nemini præterea conceſſum unquam fuit, Exodi *c.* 33. *v.* 18. & Numer. *c.* 12. *v.* 8. Adeoque non auditu ſolùm (videns, vigilanſque & mente præſens) ſed & quantum homini Deum uſurpare fas, viſu ipſius gloriam libaret, per glorioſiſſimam ſpeciem oculis ejus exhibitam. Intuebatur namque *ſimilitudinem Dei* i. e. Deus ſive *Filius Dei* ipſi apparebat, in forma externa glorioſa, cujus *poſteriora* videbat, Exodi *c.* 33. *v.* 23. &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

23. & abeuntis velut umbram ac extrema veſtigia humanô viſu carpebat; cum ipſam Dei gloriam in hac vita nemo videre poſſit, *v.* 18. 20. Nec exiguæ quoque gloriæ fuit, quòd, cùm è monte rediret, facies ejus divinâ luce perfuſa radiaverit, Exod. *c.* 34. *v.* 29. *Adeò, ut non poſſent filii Iſraël intentis oculis intueri in faciem* Moſis, *propter gloriam illam faciei ejus*, &c. Plura hanc in rem inprimis quoad myſticam horum omnium ſignificationem, vide apud Fr. Burmannum *Synopſ. Chriſtianæ part.* 1. *l.* 3. *c.* 5. §. 15. & *l.* 4. *c.* 18. §. 5. *& ſeqq.* aliquid etiam infrà voce *Moyſes*, & de Moſe Ethnicis non ignorato, Barthium *ad Statium Theb. l.* 4. *v.* 514. & *Adverſar. l.* 125. *c.* 9. Æthiopibus præſertim, infrà voce *Saba.*

MOSES, Epiſcopus Iſmaëlitarum, illorum converſioni intentus, ſecul. 4. Vide *Mauvia.* Item Rabbinus, qui Talmud docere Cordubæ incepit, An. 999.

MOSES Aben-Ezra, vide *Aben-Ezra.*

MOSES aben Thibbon, Rabbinus, librum Euclidis ex Arabico Hebraicè vertit, A. M. 5030. juxta ſupputationem Rabbi Davidis Ganz. Vide quoque *Schalſchelet Kabala*, *p.* 30.

MOSES Bar-Cheba, Epiſcopus Beth-Raman & Beth-Ceno, ac Curator rerum ſacrarum Mozai, h. e. Seleuciæ Parthorum, ſecul. 10. Scripſit de Paradiſo; quod opus Latinè verſum ab Andrea Maſio Bruxellenſi; *cautè legendum eſt*, ut monet Bellarm. Non confundendus cum Moſe Mardeno, qui præteritô ſeculô à Patriarcha Syrorum Romam miſſus eſt, & Novum Teſtamentum in Syriaca lingua edidit. Maſius *in addit. &c.*

MOSES Ben Majemon, Rabbinus, aquila Doctorum à Judæis & Rambam dictus, in Scientia Hebræorum, Mathematicis artibus & Medicina, exactiſſimè verſatus. Scripſit varia, de Aſtrologia opus, Item *Doctorem Perplexorum*, à celeberrimo Hebraicæ linguæ in Acad. Baſilienſi Profeſſore, Johanne Buxtorfio, fil. Latinè, cum eruditiſſimorum ſui temporis Judæorum ſtupore, verſum, &c. Vide Rabbi Gedaliah *in Chron.* Buxtorff. *in Præf.* Cunæum. *l.* 1. *de Rep. Hebr. p.* 12. Caſaubon. *Exerc.* 16. *n.* 77. Voſſ. *de Scient. Mathemat.* Quenſtedt. *de Patriis. Doct. p.* 7. Genebr. *in Chron, &c.* nec non infrà voce *Rambam.*

MOSES ex Kotzi, Rabbinus, in Hiſpania docuit, auctor libri *Mitzvot gadol*, circa initium Millenarii VI. juxta calculum *R. Ganz.*

MOSES F. Nachman Gerundenſis Hiſpanus, celebris Rabbinus, ſcripſit *Commentarium in Legem*, *in aliquot tractatus* Thalmudis, *Thorat Adam*, *Sepher Zechot*, & *Schulchan arbah*: It. librum *Bitchon*, & *Milchamot*, & *Aſagot*, *novas* etiam *Annotationes in Gemaram*, vide *Rambam.*

MOSES Dathrani, Rabbinus, ſcripſit *Kriat-Sepher* & *Beit-Elohim*, ac docuit Zephetæ. Rab. *Ganz. Chronologiâ Rabbinorum Millenariô VI. annô* 335.

MOSES Iſerles, Rabbinus itidem non incelebris, ſcripſit *Thorat hapola*, *thorat chataät*, & *Sculchan aruch*, ac docuit Cracoviæ per annos fermè 20. defunctus annô 332. Millenarii ejuſdem, juxta calculum præfati R. *Ganz.*

MOSES Kimchi, frater Davidis, qui ambo Hiſpani, & Grammatici celebres fuêre, ſec. 11.

MOSES, impoſtor, A. 432. Judæos Cretenſes, ut in mare ſe ſequentes præcipitarent, effecit. Socr. *l.* 7. *c.* 37. Baron. *A. C.* 432. *n.* 85.

MOSINI, vide MOSYNI, Alii codices habent *Magynos.*

MOSIS virga vide infrà *virga Moſis.*

MOSKETTA, genus armorum hodie in Europa uſitatiſſimum; tubus ferreus eſt, quô, pulveris pyrii intus conſtipati accenſique vi maximâ, glans plumbea incluſa exploditur & obvium quodque tranſadigit. Ei occaſionem præbuit arundo puerorum ex ſambuco excavata de qua infrà dicemus. Sed & inventa eſt non pridem, inquit Athanaſius Kircher. *in Magnete ſuo*, ratio eâ violentiâ comprimendi intra canalem aëris, ut in multis præſtet majorem, quam ipſæ *moskettæ* effectum. Et quidem dividit is Æolium hunc ſclopum in tres partes ſeu loculamenta; quorum primum inſervit onerando ſclopeto, alterum eſt aëris compreſſi receptaculum; tertium fiſtula, quæ projectilia excutit. Truſillum addit ſeu piſtillum cylindraceum, canali ita quadrans, ut omnem aëris elabendi occaſionem intercludat, idque coriô contegit; tum plaſmation. Videas in expoſitione aërem cœruleum, quem vel impetus, vel materia fiſtulæ metallaris fecerit. Auctor Anonymus *Sinæ & Europa c.* 34. In Cimeliarcho Magni Hetruriæ Ducis oſtendi *Moſkettam*, ex ſolido auro, muneri aliquando Imperatori cuidam miſſam, memorat Jac. Sponius *Itinerar. l.* 1. *p.* 61. Vide quoque ſuprà, ubi de *Bombardis.*

MOSOMAGUM, ſeu MOSOMUM caſtrum, à Moſa fluv. cui adjacet: vulgo *Mouſon* dicitur. Hîc cœnobium antiquum Monialium, quod Heriveus Archiepiſcopus Remenſis S. Mariæ ſacratum, Canonicis attribuerat, Adelbero ejus ſucceſſor A. C. 983. Monachis conceſſit, Abbate eorum Ledaldô ordinatô. Caput fuit pagi *Moſomagenſis*, in diœceſi Trevirenſi. In *Notit. Imper.* milites delecti ex incolis hujus loci *Muſmagenſes* vocantur. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Nivomagum.*

MOSON, Galatiæ urbs, *Ptol. Aricanda Nigro.*

MOSONIUM, urbs munita Campaniæ, ad Moſam, in confinio Ducat. Luxemburgici, media inter Sedanum ad Boream & Stenæum ad Auſtrum 3. leuc. 11. à Viroduno in Septentrionem, 12. à Retelio in Ortum *Mouſon.* Pluries obſeſſa, nunc indies inſtauratur, 21. leuc. à Muſſiponte *Pont à Mouſon*: oppid. Latharingiæ ad Moſellam. Hîc Concilium A. C. 948. quo Hugo Veromanduus, qui ad ſedem Remenſem an. ætat. 5. promotus fuerat, citatus, & quia non paruit, ſuſpenſus eſt. Item, A. C. 995. quô Gerbertus, poſteà Sylveſter II. quòd ſe in locum Arnolphi Archiepiſcopi Remenſis, intruſiſſet, depoſitus eſt.

MOSSINI, populi Myſiæ, circa Pergamum, Plin. *l.* 5. *c.* 30. quorum urbs *Moſſyne* forſan: Urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hierapolitano Phrygiæ.

MOSSINUS, Cariæ fluvius, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

MOSTENI, Lydiæ urbs, *Ptolem.*

MOSTENSIS, arx Bohemiæ, ubi Huſſitarum non pauci, ſicut & in arce Podiebradia ac Pragæ carceribus, captivi detenti ſunt, circa A. C. 1468. Laſicius *de geſtis Fr. Bohem. l.* 2. apud Lætum *Compend. Hiſtor. Univ.*

MOSTHENES, Lydiæ urbs, Tiberii Cæſaris principatu, terræ motu ſubverſa.

MOSTQ. in nummis Conſtantini M. & Licinii, *Moneta ſignata Treviris*, niſi. T. pro A. exaratum ſit, ut *Aquilejæ ſignata* intelligatur, Q. nota Monetarii eſt. Sic in nummis Conſtantii Chlori MOSTR. *moneta ſignata Treviris* itidem, notat. Car. de Freſne *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

MOSYCHLUS, mons Lemni, in quo fornax Vulcani, de quo *Heſych.* & Nicander *in Theriacis v.* 472.

Ἠ Σάυ, ἢε Μοσύχλυ. ———

Ubi Scholiaſtes hæc citat ex *Antimacho*:

——— Ἠ φλογὶ πυρὶ εἴκελον, ἥν ῥα τιτύσκει
Δαίμων ἀκροτάταις ὄρεος κορυφαῖσι Μοσύχλυ.
——— *Quales in ſumma rupe Moſychli*
Mulciber accenſis fornacibus excitat ignes.

Ex ex *Eratoſthene*:

——— Φαίνεσκε Μοσυχλαίῃ φλογὶ ἶσον.
——— *Elucet Moſychlæis ignibus æquum.*

Itaque *Moſychlus*, teſte Bochartô, *l.* 1. *Chanaan c.* 12. vel eſt מזלגא *Mazlego*, *ſplendens*, ut in Syra paraphraſi, Apocal. 21. 21. vel מזלק *Mazlec*, *ardens*, unde זליק *zelic* Chaldæis *ſcintilla. Nic. Lloyd.*

MOSYLI, gens Troglodyticæ, apud *Ptol.* à promontorio & emporio *Moſylo* ſic dicti, ad ſinum Arabicum: quod Μόσυλον ἄκρον καὶ ἐμπόριον eidem, Μόσυλον ἀκρωτήριον καὶ ἐμπόριον Αἰθιοπίας *Stephano*, Μόσυλλον Auctori *Peripli*, dicitur. Ab hoc ſinu, non Atlanticus ſinus, quod Juba voluit apud Plinium, ſed potius Azanius, exordium ſumit, quô nomine Perſicum ſeu Arabicum ſinum nonnullis venire, hic auctor docet *l.* 6. *c.* 24. Anguſtiæ ejus ducentorum ſtadiorum, teſte Strabone *l.* 16. quas pro faucibus Arabici ſinus obſervatas tum & habitas notat, quum antiqui anguſtias primores & arctiores, κατὰ Δειρὴν dictas, quæ 8. mill. paſſuum tantùm patebant, obſervarent & os Arabici ſinus inde ordirentur. Huc cinnamomum porrò devehi ſolitum & Seſoſtrim euſque exercitum duxiſſe, *Plin.* refert: ſed anguſtias illum Dires non eſſe prætergreſſum ac per eas tranſiiſſe, non per illas Moſſylici ſinus, ait *Strabo*, Ποιεῖ καὶ ἄκρα τὰ στενὰ πρὸς Αἰθιοπίαν Δειρὴ καλουμένη καὶ φασὶν ἐνταῦθα στήλην εἶναι Σεσώστριος μηνύουσαν ἱεροῖς γράμμασι τὴν διάβασιν αὐτοῦ, qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim inprimis p.* 1265.

MOSYLON, promuntor. & emporium Æthiopiæ, ad ſinum Archalicen, *Steph. Omgauli* hodiè, teſte *Moletiô.*

MOSYNOECI, ad Pontum Euxinum, gens Dionyſio, *l.* 1. *c.* 26. & 30. Inter Ceraſuntem & Cyrorum oppida eos deſcribit *Diodorus.* De his multa Xenoph. *l.* 5. *Expedit. Cyri.* Videntur *Moſyni* *Orphei*, *Stobæi*, *Euſtathii* & *Plinii*, quos vicinos Tibarenis facit: ſed geminato *SS.* legunt. Jacob. Micyllus apud Flacc. *l.* 5. *Argonaut v.* 151. legendum cenſet *Moſſynos* ex Græco, cui adſtipulatur Pomponius Mela MS. Ludovici Carrionis *l.* 1. Herm. Barbarus *in Plin. l.* 6. *c.* 4. ubi legitur *Maſyni*, legendum cenſet *Moſſynici* vel *Moſſynœci*: ſic autem dicti, quia in turriculis vivunt, quas Græci *Moſſynas* & *Moſſynos* appellant. Hecatæus Tibarenis jungit ad orientem Solem *Moſſynæcos*, quorum urbem Chereades dici plurali numerô teſtatur. Curtius *l.* 6. *c.* 4. ait mare Caſpium accolere à læva unà cum Cercetibus & Chalybibus. A Getis finitimos collocat Tibull. *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 147.

Quaque Hebrus, Tanaïſque Getas rigat, atque Moſynos.

Mela *l.* 1. *c.* 19. *Ultra Tibarenos Moſyni turres ligneas ſubeunt.* Ita locum illum reſtituit Voſſius. *Moſſonychi* dicuntur Val. Flacco *l.* 5. *v.* 151.

Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Moſſonychi. ———

Apollonius *l.* 2. *v.* 1018.

Ἧι ἐνὶ Μοσσύνοικοι ἀν' οὔρεα ναιετάουσι
Μόσσυνας, καὶ δ' αὐτοὶ ἐπώνυμοι ἔνθεν ἔασι.
Ubi Moſſynœci in montibus tenent
Falas, unde & ipſi cognomen traxerunt.

Dionyſius Perieg. *v.* 765.

Βύζηρές τοι πρῶτα, καὶ ἀγχόθι φῦλα Βεχείρων.
Μάκρωνες Φίλυρές τε, καὶ οἳ μόσσυνας ἔχουσι
Δουράτεους, τῶν δ' ἄγχι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοί.

Ubi *Scholia* Λέγει ὁ Γεωγράφος ἀπὸ μοσσύνων, ὅ ἐστι πύργων, αὐτὴν ὀνομάζεσθαι. Vide *Stephan. Nic. Lloydius.*

MOTA, vulgò la MOTE, nomen plurimorum in Gallia locorum. Sic inter alia dicitur caſtrum monti impoſitum, ad amniculum, qui in Moſam defluit: *Mota Galterii*, vulgò *la Mote Gautier*, Orderico Vitali *l.* 10. memorata. Item Mons de Nube, in pago Sagonenſi, apud Cenomanos, *la Mote de la Nuë*, *&c.* *Motam* autem parvum montem ſeu monticulum Galli olim appellavêre. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Cujuſmodi *motas* præclarè deſcribit Joannes de Collemedio *in Vita* B. Joannis Epiſcopi Morin. *c.* 6. 11. 25. *Mos namque eſt ditioribus quibuſque hujus regionis hominibus & nobilioribus, eò quòd maximè inimicitiis vacare ſoleant exercendis & cædibus, ut eô modô ab hoſtibus maneant tutiores, & potentiâ majore vel vincant pares, vel premant inferiores, terræ aggerem quantæ prævalent celſitudinis congerere, eique foſſam quam latè patentem multamque profunditatis altitudinem habentem circumfodere & ſupremam ejuſdem aggeris crepidinem, vallô ex ligneis tabulatis firmiſſimè compactô, un-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dique vice muri circummunire turribuſque ſecundum quod poſſibile fuerit per gyrum diſpoſitis intra vallum, domum, vel quæ omnia deſpiciat, arcem in medio ædificare, ita videl. ut poſtea introitus ipſius villæ nonniſi per pontem valeat adiri &c. Unde liquet, voce hâc, propriè collem, cui caſtellum ædificatum, denotari. *Molas* verò quaſi *metas*, ſeu acervos, vult dictas Octav. Ferrarius *in Orig. linguæ Ital.* apud Car. du Freſne. Ita enim Gregorius Turonenſ. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 41. *Acceptiſque clavibus metas annonæ, quæ aderant, elidit.* Et Guibertus *Hiſtor. Hieroſolym. l.* 2. *c.* 8. *Cùm enim plurimorum annorum ſegetes triticeas, ut in ea terra mos eſt, in modum turrium per agros ſtabilitas cernerent, quas nos metas vulgariter vocare ſolemus* &c. ubi *meta* acervus eſt ſegetum, congerieſque ſeu ſtrues in acutum tendens. Unde hodieque *Maye* & *Mojes* ejuſmodi acervos vocant Picardi. Idem in voce *Meta*; qui quoque curiam, placitum, conventum, vocabulô hôc apud Anglos indigitari, & *motas* ejuſmodi ſeu colliculos ita dictos eſſe, quod in iis placita dominorum tenerentur, indeque *montes placiti* appellatos, addit ex *Charta* Mathildis Imperat.

MOTENE, Armeniæ majoris regio ad Cyrum fluv. *Ptol. Exechia Caſtaldo.*

MOTENUM, Pannoniæ ſuperioris urbs, *Antonin.* à Vienna 4. leuc. in Meridiem *Bruck an der Leyte*, *Simlero.* Sed *Lazio Martz.* vicus eſt ejuſdem tractus. *Cluverio* eſt caſtellum *Muzon* prope Danubium in Auſtria inferiore. Etiam *Munetum.*

MOTEZUMA I. Mexicanum Regnum in tantum extulit faſtigium, ut ab uno alterum Mare illud latiſſimè extenderetur: poſtquam quintus Regum *Iſcoalt* primus circa A. C. 1437. arma pro libertate ſumſiſſet, & feliciter in poteſtatem, quibus tributum Mexicani pendebant, vicinis redactis, ingens hoc Imperium condidiſſet.

MOTEZUMA II. ultimus Mexicanorum Regum fuit, ſub initium ſeculi XVI. Ejus enim Principatu Ferdinandus Corteſius, cum Hiſpanis, Regnum Mexicanum detexit, ac intra biennium, innumerabili barbarorum multitudine interemptâ, univerſô, auſpiciis Caroli V. Imperatoris potitus eſt, atque inæſtimabiles inde opes in Hiſpaniam, avexit. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 336. Eundem Ferdinandum, Novæ Hiſpaniæ Præfectum, præter prolem legitimam, ex Johanna *de Zuniga* & *Arellano*, ſuſceptam, ex Iſabella, filiâ *Motezumæ* Novæ Hiſpaniæ Imperat. quoque liberos ſuſcepiſſe, quorum poſteritas ſuperſit, memorat Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Eur. Part.* 2. *in Ind.*

MOTHACES, dicebantur olim non ipſi quidem Lacedæmoniorum filii, ſed cum iis ſimul educati adoleſcentes, ingenui, qui dein ob præclara, quæ ab ipſis ſperabantur, Laconum Reip. adſcribebantur, Longolius & Magius *ad Lyſandrum C. Nepotis c.* 1. At conditione ſervos illos fuiſſe, *Heſych.* docet: Μόθακες οἱ συντρεφόμενοι τοῖς ἄλλοι παῖδες· dictos à verbo ὁμιλεῖν, unde & μόθος. Quô pactô fuerint Laconibus, qui aliis Græcis *ſervi à pedibus* vocati. Atque horum unum Lyſandrum fuiſſe habes apud Athenæum *l.* 6. & Ælian. *l.* 12. *c.* 43. quod tamen Plut. non habet. Vide Caſaubonum *ad loc.*

MOTHERUDES, cujus regia, ſecundùm Demotelem, Labyrinthus in Ægypto, in Heracleopolite Nomo, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 13.

MOTHO, vicus Arabiæ, in quo Antigonus Macedo à Rhabilo rege Arabum occiſus eſt. Significat autem linguâ Arabum τόπος θανάτου. *Steph.*

MOTHO, Græcè μόθων, ſpecies ſaltationis laborioſæ nauticæ, apud Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 18.

MOTHON, homo fuit garrulus, qui in conviviis inſcitiſſimè ſaltabat.

MOTHONA, Latinis auctoribus, Juſtino *l.* 7. *c.* 6. Solino *c.* 14. aliis eſt, quæ Græcis Μεθώνη, oppid. Magneſiæ, vide *Methone.*

MOTIENI, parva regio Iberiæ, Colonia Romanorum. *Phlegon. Mutenum* eam vocat, *Steph.*

MOTILENUS, Præfectus Prætorio, occiſus à Commodo. Æl. Lamprid. in *Vita hujus*, *c.* 9. *Motilenum præf. præt. per ficus veneno interemit*: ubi alii *Metilenum* habent. Caſaubon. mallet M. *Atilianum*, quæ nomina ſunt Romana.

MOTIRA, vulgò MOTIR, una ex Moluccis propriis *Timor* quibuſdam. Inter Inſulas Tidorum ad Boream, & Machiam ad Auſtrum, vix 18. mill. paſſ. ab ora Occidentali. Vide *Moluccæ.*

MOTITIO, in *Statutis* Equitum Melitenſium, *Macro* idem eſt ac *Optio*; quando ſcil. Commendatarius habens neceſſaria requiſita relinquit commendam, quam poſſidet & meliorem optat, vulgò *Smutitio*, à Gall. voce *motire*, i. e. nominare. Ita autem habent *Statuta* præfati Ordinis *tit.* 19. §. 22. *Gallica dictio eſt, & ſignificat nominationem ſeu pronuntiationem: nam veteri Gallorum linguâ* Motir *idem eſt, quod dicere*, nominare vel pronuntiare. Eô utuntur Fratres in linguis, cùm declaratur, cui commenda; cujus adminiſtratio vacat, conceſſa fuerit. Vide præfatum Macrum in *Hierolexico*, & Car. du Freſne in *Gloſſario.* ut & *in Not. ad Stabilimenta S. Ludovici p.* 183.

MOTTA, caſtellum agri Tarviſini.

De la MOTTE Guilielmus, vide *Guilielmus.*

MOTU PROPRIO, Bullæ Pontificiæ ſpecies, eadem cum *Statuto.* Vide Macrum in voce *Lex.*

MOTUCA, nunc *Modica*, oppid. amplum Siciliæ, in Valle Netina, ad Motycanum fluv. 20. mill. paſſ. à Pachyno promontor. in Occaſum, 5. ab ora maris Africi in Boream; *Motyca* etiam quibuſdam.

MOTULA, vulgò MOTOLA, urbec. prov. Hydrunticæ, ad radices Apennini, in confinio agri Bariani, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Barenſi, 7. mill. ab ora ſinus Tarentini in Septentrionem, 13. à Tarento in Circium, 25. à Bario in Meridiem.

MOTYA, vel MOTYE, oppid. Siciliæ, apud Pachynum promontor. ab Agrigentinis exciſum, Afris ejectis: cujus locis nunc *S. Giovanni Fazello.* Item apud Hyccaram itidem exciſum, inter illam & Panormum: cujus locus *Sferracavallo*, aliis *Porto Gallo.* Item in peninſula apud Erycem montem, in ora Occidentali, cujus locus nunc *Mundello Ortelio.* De *Motya* ſic Bochart. Vir Magnus *de Phœnic. Colon. l.* 1. *c.* 27. A Lilybæo promuntorio, verſus Aquilonem navigantibus, ſtatim occurrit Motye, Pœnorum colonia, Diodor. Sic *l.* 14. Οὐ μακρὰν τοῦ λόφου τούτου Μοτύη πόλις ἦν ἄποικος Καρχηδονίων, ᾗ μάλιστα ἐχρῶντο κατὰ τῆς Σικελίας ὁρμητηρίῳ. *Non procul ab illo colle* (Eryce) *ſita erat urbs Motye, colonia Carthaginenſium, quâ potiſſimum utebantur, ut belli ſede, unde in Siciliam irrumperent.* Proinde Thucydides de Phœnicibus, Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον. &c. ξυνοικήσαντες, &c. ὅτι ἐντεῦθεν ἐλάχιστον πλοῦ Καρχηδὼν Σικελίας ἀπέχει, *Motyam, Soluntem & Panormum incoluerunt, &c. quia minimô inde in Carthaginem trajectu Sicilia diſtat.* Et Pauſan. in *Eliacis*: Ἔστι δὲ κατὰ τὴν ἄκραν ἐν Σικελίᾳ τὴν τετραμμένην ἐπὶ Λιβύης καὶ Νότου, καλουμένην δὲ Πάχυνον (lege Λιλύβαιον) Μοτύη πόλις. Οἰκοῦσι δὲ Λίβυες ἐπ' αὐτῇ καὶ Φοίνικες, *Ad Pachynum (imo ad Lilybæum) Siciliæ promuntorium, quod in Africam & Auſtrum, eſt Motye urbs, quam tenent Afri & Pœni. Motye in Diodoro* legitur urbs fuiſſe valde inſignis τῷ τε πλήθει, καὶ τῷ κάλλει τῶν οἰκιῶν εἰς ὑπερβολὴν πεφιλοτεχνημένη, διὰ τὴν εὐπορίαν τῶν κατοικούντων, *& domorum copiâ, & ſpecie magnificè exornata propter incolarum divitias.* Situs propè qualis Tyri, nempe in inſula, quam Iſthmus manufactus ſtadiorum 6. ita continenti junxerat, ut ex inſula facta eſſet Cherſoneſus. Idem *Diodorus*, Αὕτη δ' ἡ πόλις ἦν ἐπί τινος νήσου κειμένη τῆς Σικελίας ἀπέχουσα σταδίους ἕξ. Et paulo poſt, εἶχε δὲ καὶ ὁδὸν στενὴν χειροποίητον, φέρουσαν ἐπὶ τὸν Σικελίας αἰγιαλόν. Dictam fabulatur *Steph.* ἀπὸ Μοτύης γυναικὸς μηνυσάσης Ἡρακλεῖ τοὺς ἐλάσαντας τοὺς αὐτοῦ βοῦς. Ego dictam interpretor Punicâ voce מתוחה *metuha*, i. e. *protenſam*, propter Cherſoneſi longitudinem. Ad Aquilonem fuit Motyenſium portus, quem multis deſcribit Polyænus *l.* 5. *in Dionyſio*, olim ſat tutus. Nunc *Iſola di S. Pantaleone*; in valle Mazaræ, inter Drepanum ad Boream & Lilybæum promuntor. ad Meridiem, contra Ægades, Inſul. *Baudrando.* Gentile *Motyæus*, nam corruptè legitur apud Steph. Μοτυσαῖος. *Nic. Lloydius.*

MOTYCHANUS, fluv. Siciliæ per oram Auſtralem fluens inter Motyam, & Inycum, *Ptol. Xicli*, teſte *Fazellô.*

MOTYLÆ, caſtellum Siciliæ juxta Motyen, *Steph.*

MOVIA Familia, Gall. *Mouy*, Lotharingicæ Stirpis inter ramos eſt. Fridericus enim Dux Lotharingiæ & Barri, defunctus A. C. 1470. ex Jolantha Andegavenſi Duce Lotharingiæ & Barri (filia Renati Siciliæ Regis) pater fuit Renati Ducis, defuncti A. C. 1508. Hôc & Philippâ Geldricâ genitus Antonius Dux, ex Renata Borbonia, præter Franciſcum Ducem (hodiernorum Ducum ſatorem, uti ex Claudio Duce Guiſiæ Fratre Antonii Ellebovii, Guiſii, Aumalii, Harcurtii, Meduanii, Joyeuſii Principes deſcendunt) ſuſcepit minorem natu Nicolaum Comitem de *Vaudemont*, Ducem Mercurii, defunctum A. C. 1576. Quô & Catharinâ agnatâ (Claudii Aumalæ Ducis filiâ) genitus Henricus *de Lotharingia* Comes *de Chaligny*, obiit A. C. 1601. Pater ex Claudia *de Mouy* hærede (filiâ Caroli M. nepte Antonii Baronis de *Mouy*, Nicolai, & Jacobi Dominorum *da Mouy*) Henrici *de Chaligny* Marchionis *de Meuy*, Caroli Epiſcopi *Virodunenſis.* Franciſci ibidem Epiſcopi, & Ludovicæ, quæ nupta Florentio *de Ligne* Marchioni *de Roubais*, filium ex eo ſuſcepit, qui hæreditatem & titulum *de Mouy* obtinuit. Idem Spenerus *Part. III. p.* 24.

MOURA, vide *Arx Naſſovia.*

MOUSSONES, Latinè *Motiones* dixeris, venti ſunt, qui certam temporis periodum quotannis obſervantes, in certis maris partibus per aliquot menſes ſpirant. Vide Kircherium *de Arte Magna Lucis l.* 3. *part.* 4. *c.* 2. *pag.* 469. & Auctorem *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2.

MOXUS, Lydus, à quo Meles Dynaſtiæ II. penultimus, tyrannide expulſus eſt, Nic. Damaſcenus *in Excerptis* Valeſii *p.* 442. & Suid. *in Moxo.* Vide quoque ſupra, *Meles.*

MOYSES, vide MOSES. Adde hîc: eum ſcripſiſſe, quibus omnem ſuam ſalutem ſe debere eſſent perſuaſi Judæi, ne Ethnici quidem ignorârunt. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 542.

——— coſinô fanôque relictis
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres Legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli

Quibus indigitat, opinionem fuiſſe, ex libris *Moyſis* potuiſſe Judæos ſcire futura, alluſione ad vaticinia de Meſſia & futurâ infelicitate aut proſperitate, ſecundum obedientiam divinis Legibus impenſam. Sed & Judæos, præſertim mulierculas, vaticiniis & reſponſis Allophylos homines illuſiſſe, nummiſque emunxiſſe indidem apparet. Et habebatur pro ultimo Magorum fideliſſimus Dei ſervus. Appulejus *Apologet. Si quamlibet modicum emolumentum probaveritis ego ille ſim Carinondas, vel Damigeron,* vel Moſes, *vel Jannes, vel Apollonius.* Vide quoque Plin. *l.* 30. *c.* 1. & plura hanc in rem, apud Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l.* 4. *v.* 514. & *Adverſar.* 125. *c.* 9. nec non ſuprà voce *Moſes.* Cœterùm præclara *Moyſis* ſtatua figulina aſſervatur, in Muſæo Kircheriano, Romæ, teſte Georgiô de Sepibus *in Deſcr. ejus p.* 8.

MOZAMBICA, vide MOSAMBICA.

MOZARAMBICUS, in Hiſpania, dicitur Ritus ſacer, qui aliàs *Gothicus* in nonnullis ibi Eccleſiis viget, ab Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo ut habet *Dominic. Macer*, inſtitutus, & à Concilio Totelano IV. univerſæ Hiſpaniæ commendatus. Quem cùm multis erroribus, per introductionem dominantium Barbarorum, depravatum judicaret Gregorius VII, regnante Alphonſô VI. maximâ parte ſublatus eſt, ut ex *Ep.* 64. & 83. *l.* 1. hujus Pontificis ad eundem Regem datis videre eſt. Tandem, tempore Franciſci Ximenii Toletani itidem Archiepiſcopi, Miſſale ac Breviarium, ad normam Romanam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nam revocata, Latinis characteribus impreſſa & aliquot Sacerdotes, ut officiô ſacrô juxta *Mozarabicum ritum* defungerentur, inſtituti ſunt: quod hodieque in quinque Toletanæ diœceſeos parochialibus Eccleſiis obſervatur, ut & in Capella, ab eodem Præſule erecta; nec non in Capella Doctoris Talabricentis Salmanticenſis diœceſeos. In hac autem Liturgia, panis Euchariſticus in novem partes dividitur, in memoriam totidem præcipuorum vitæ Chriſti myſteriorum, quæ ſunt, *Corporatio, Nativitas, Circumciſio, Apparitio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Gloria & Regnum*: quæ nomina cuilibet hoſtiæ particulæ ſigillatim attribuunt: Cùm Latini in 3. partes hoſtiam frangant, uti videre eſt, apud Dominicum Macrum in voce *Hoſtia*. In eodem officio *Invitatorium*, ſeu antiphona, quæ replicatur ad Pſalmum, *Venite exultemus*, quâ populus ad adorandum Deum invitatur, dicitur *Sonus*, Idem in voce *Invitatorium*. Dictus eſt verò ritus hic *Mozarabicus*, aliis *Mixtarabicus*, quòd Chriſtiani tunc Arabibus ſeu Agarenis permixti erant; cùm ante horum adventum *Gothicus*, uti dictum, appellaretur. Vide ſuprà in *Mixtarabes*, uti de Triſagio eorum infrà in hac voce.

MOZEL, nomen regionis, Ezech. *c.* 27. *v.* 19.

MOZETTA, ex Italico *Mozzeta*, Gallis *Moſſete d'Eveſque*, alias *Bavarum latum*, in *Bullario* Caſin. Tom. II. *Conſtitut.* 571. Item *Capuccinus*, in *MS.* Brocardi Diar. ac Pariſ. de Graſſis, apud quem *Capuccius* & *Capuccius Spatularius* legitur: *Birrum* quoque; exomis tunica Prælatorum eſt, in Eccleſia Romana quam ſupra Dalmaticam ſeu *Mantellettum*, & lineam ſeu *Rochetum*, geſtare ſolent. Et quidem Romæ ſolus *Pontifex* fert *Mozettam*, ſuper rochettum, abſque mantelleto; quia, cùm aliquis in propria domo moratur, opus non habet mantellô: quod etiam de *Cardinalibus* intelligendum in Eccleſiis ſui tituli, in congregationibus, quæ in palatiis eorum habentur, item cùm domi viſitantur, ut & ſede vacante, quia tunc juriſdictionem exercent. *Epiſcopos* quod attinet, extra ſuam diœceſim *mozettam* ferre non poſſunt, in illa verò eam, etiam coram Legato ſeu Cardinali gerunt, uti Angelus Rocca probat exemplis Julii II. & Pii II. quos, in itineribus ſuis, Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, uſum *mozettæ* & rochetti, mantelletô cooperti, conceſſiſſe, ait, apud Dominicum Macrum, in voce *Birrus*, ubi plura hanc in rem. Sed & *Abbati* Generali Congregationis Montis Virginis, in locis ſuæ juriſdictionis, *mozettæ* uſum permiſſum eſſe, diximus ſuprà in *Bavarum latum*.

MOZGAVIA, oppid. Poloniæ, ubi Mieziſlaus ſenex, regnum nepoti erepturus, victus eſt, A. C. 1199. Crom. *l.* 7.

MPAILUS, apud Nicephorum Gregoram *Hiſtor. Rom. l.* 4. *Magiſtratus verò, qui certis temporibus eò mittuntur, Venetorum* Mpailus, *ſive Curator Piſanorum & Gennenſium Poteſtas appellatur*: idem eſt cum *Bajulo* ſeu *Bailo*, quô nomine, à Græcorum jam Imperator. ævo, Orator venit Venetus, in Aula Conſtantinopolitana, Macer *in Bajulus*.

MSCISLAVIA, vulgò MSCISLAW, urbs munita Lithuaniæ, capta haud pridem à Moſcis, aliàs peſſimè ibi acceptis, ſub Sigiſmund. I. In confinio Moſcoviæ. 10. leuc. Polonic. à Smolenſco in Meridiem, 18. à Mohilovia in Ortum, juxta Soſz fluv.

MU. in notis antiquis, *Mutius*: M. VI. *menſibus ſex*: MUL. B. *mulier bona*: MUL. M. *mulier mala*: MUL. P. *mulier peſſima* &c. ſignificat, Fr. Gouldmannus *Diction.*

MUCAPORES, ad quem extat *Epiſtola* Aureliani Imperatoris, *in qua de belli* contra Zenobiam ſuſcepti *difficultate*, *ultra pudorem Imperialem, fatetur*, apud Vopiſc. *c.* 26. tandem manu ſuâ Imperatorem interfecit. Ita enim in ſeqq. *c.* 35. idem, *Sed quum iter faceret* (Aurelianus) *apud Cænophrurium - malitiâ Notarii ſui & manu* Mucaporis *interemtus eſt.*

MUCCINIA, uni Arnobio memorata *l.* 2. linteamina ſunt parva, apud Veteres hodieque, ad munditiem corporis magni multiplicisque uſus; aliter *Sudaria*, *Oraria*, *Semicinctia*, Gallis *Mouchoirs*, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 48.

MUCERANII, apud Ordericum Vitalem *l.* 12. Chriſtiani ſunt Hiſpani, ſub Saracenis; an iidem cum *Maranis*? Vide *ſuprà*.

MUCIALLIA, *Procop. Mugello*, *C. Cittadino*, ager Florentinus, 14. mill. paſſ. à Florentia Bononiam verſus.

MUCIANUS, prænomine *Licinius*, ſub Claudio, in ſecretum Aſiæ repoſitus, ſuſpectâ Principis iracundiâ, Veſpaſiano in capiendo Imperio auctor extitit. Per illud autem, quod in Aſia, velut exul, exegit tempus, adnotavit diligenter ea, quæ in æde Dianæ Epheſinæ memorabilia occurrerent, ac literis etiam mandâſſe videtur, quæcunque in Aſia vidiſſet digna memoratu. Plinius Lyciæ legatum fuiſſe addit, qui ſæpe teſtimoniô ejus utitur variis operis ſui locis. Vide eum inprimis *l.* 12. *c.* 1. ubi de mira Lyciæ ejuſdem platano & de Templo præfatæ Dianæ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 816. Vide & *Licinius*.

MUCISSUS, urbs Cappadociæ. *Steph.*

MUCRA, vulgò MORIN, fluv. Gall. duplex: Major & Minor, *le grand & petit Morin* dictus. Ambo in Matronam decurrunt, hic quidem infrà Jotrum ad Firmitatem Anſculfi, vel ſub Jotro; ille paulo infra Meldos urbem. A Matronæ & minoris Mucræ confluente parum abeſt Monaſterium Jotrenſe: Major verò Novum Vicum *Neuvi*, Firmitatem Galteri vel Galcherii *la Ferté Gaucher*, Gaudiacum, Boſciacum *Boiſy*, caſtrum Columbarium *Coulomiers* attingit: tum Albam *Aubete* recipit, dein ad Evoriacas ſeu Faræ Monaſterium & ad Cellam proximè accedit, Criſciacum alluit; apud Condate *Cordé* navicularum patiens eſſe incipit ac ſub mœnibus civitatis Meldorum, apud Vinetum *Vigny* in Matronam effluit; *Mucra Columbarienſis* quibuſdam cognominatus. Nihil autem duo hi fluvii, præter nomen, habent commune: & minor à majori 4. leucis diſtat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MUCRÆ, Samnii vicus inter Fauces Caudinas & Bovianum. Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 565.

Qui Batulum, Mucraſque colunt. Boviania quique
Exercent luſtra, aut Caudinis faucibus hærent.

MUCRONES lucentes apud Lamprid. *in Commodo*, *c.* 5. *Inter hæc habitu victimarii. victimas immolavit, in harena rudibus, inter cubicularios pugnavit lucentibus aliquando mucronibus*: plumbeis opponuntur, quales habuiſſe gladiatores, qui cum eo pugnabant, *Victor* Schotti refert; *Immiti prorſus feròque ingeniô, ut gladiatores ſpecie depugnandi crebrò trucidaret; cùm ipſi ferrô obtectô mucronibus plumbeis uterentur.* Nempe Commodus lucenti ferrô, h. e. pugnatoriis decretoriiſque mucronibus pugnabat cum gladiatoribus, qui plumbeis ſolùm, ſeu luſoriis armis inſtructi aut plumbeos mucrones habuerunt, aut ferrum quidem, ſed cujus in extremo plumbei mucrones erant: quô pactô eos trucidare illi in proclivi fuit. Vide Salmaſ. *Not. ad l.*

MUDÆUS Gabriel, vide *Gabriel.*

MUDEJARES, vocati ſunt Mauri, qui expugnatâ ab Alphonſo Rege Cæſarauguſtâ, in quadam urbis regione remanſerunt, tributa conferentes Regi, uti habet Hier. Blanca. *Reb. Aragon.*

MUENNA, *Antonin. Axuenna* legit *M. Velſerus.* Vide ibi. Sed provocat ad fidem codicum *Valeſ. Surita Avennia* quoque legit.

MUERDEM, miniſter Mahometanorum, qui in fanis eorum nolæ vicem voce ſuâ ſupplet. *Gloſſa in Clement. de Judæis & Saracenis, Qualibet Meſquita habet unum Sacerdotem de primis & unum Miniſtrum, qui vocatur* Muerdem, *quod ſonat præco, qui ſupplet defectum campanarum, quas licèt Saraceni multùm commendent, quia tamen Chriſtiani in eis habendis prævenerunt, nolunt eis uti*, apud Dominic. Macrum in voce *Nolarium*. Aliis *Muezin*, vide infrà *Muſlimi*.

MUEZA, *Guillimanno Meſa*, unde populi nomen, *Merulæ Muetium*, Rhætis *die Möuſſ.* Ital. *la Mueza*, fluv. Alpinus, oritur ex monte Avicula, quem etiam D. Bernardini vocant, & 4. ſuprà Bilitionum mill. paſſ. Ticino miſcetur. *Plantino* oritur ex monte Summano ſeu S. Gotthardi, & vallem Lepontinam, Bellizonamque præterlapſus, ac variis amnibus auctus, in Verbanum lacum evolvitur. Hujus fluv. Muezæ accolæ Miſauci ſunt.

MUFFULA, apud *Additionum* Auctorem *c.* 12. *Conſtitution. Caroli M. Abbas provideat, ut unuſquiſque Monachorum habeat wantos in æſtate &* muffulas *in hyeme vervecinas*: Dominico Macro eſt ſemimanica hyemalis ad manus calefaciendas, Ital. *Manizza* ſeu *Manicotto*, vide eum in *Hierolexico*. Gall. *Mouffle.*

MUFTI, ſummus apud Turcas ſacrorum Antiſtes, is eſt, *à quo in rebus dubiis, tanquam à quercu Dodonæa, reſponſa petunt*, Auguſt. Busbequius *Ep.* 3. De cujus officio, auctoritate, reditibus, impoſturis, vide Joh. Baptiſtam Tavernier *Deſcr. Serralii*, & infrà *Muſlimi*.

MUGAZIUM, locus Hungariæ, ubi Ludovicus Rex, à Solimanno Turcarum Imperatore victus & trucidatus eſt. A. C. 1526. Jovius *l.* 23. 28. 42.

MUGIENS Littera Quintiliano, *l.* 12. *c.* 10. dicitur litera *M.* communi cum bobus epithetô, de quibus Horat. *Epod. Od.* 2. *v.* 11.

Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes boves.

Et Homer. *Il. v. v.* 497.

——— βοῶν ὑπὸ ποσσ' ἐριμύκων.

Nempe litera hæc omnium optimè boum vocem exprimere putatur, unde ab *M.* incipiunt, μυκᾶσθαι, *mugire*, μυκηθμὸς *mugitus*, alia. Vide Bochart. Hieroz. *part. prior. l.* 2. *c.* 29. Aliàs *Mugire*, ad omnem ampliſſimum ſonum ducitur. Virg *Æn. l.* 3. *v.* 91.

——— *totuſque moveri*
Mons circum, & mugire *adytis Cortina recluſis.*

Et *l.* 4. *v.* 490.

——— *mugire videbis*
Sub pedibus terram ———

Lucan. *l.* 3. *v.* 418.

Sæpe cavas motu terræ mugire *cavernas.*

Sic apud Horatium *mugit nemus Garganum*, *l.* 2. *Ep.* 1. apud Val. Flaccum *monſtriferi* (maris) *ſinus*, *l.* 2. *v.* 498. apud Lucretium *tuba*, *l.* 4. *v.* 544. *ſomnus*, apud Stat. *Thebaid. l.* 6. *v.* 28. Verbô, omnis inconditus ſonus *mugitus* Poëtis. Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Stat. d. l.* nec non *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 69. De *Mugitus terræ* omine, vide *Delrium Not. ad Oedipum Senecæ v.* 173.

MUGILLANUS Curſor, vide *Lucius Papyrius*, it. *Papyrius*

MUGILLONES, populi Germaniæ, à Maroboduo ſubjecti, quorum nomen torrens *Muhel* in Auſtria redolere videtur, teſte *Laziô*.

MUGIUS, cognomen Romani cujuſdam à frequenti murmuratione, à quo Mugiola porta, cui ipſe aliquando præfuit, nominata eſt.

MUGONIA, porta Romæ, à *mugitu*, quòd per eam venale pecus intraret, an à Mugio? Hæc etiam *Trigonia*, à 3. angulis dicebatur.

MUHAMMEDES, ſic enim rectiùs ſcribitur, genere Arabs, gente Iſmaëlita, Parentibus idololatris prognatus, & ipſe idolorum cultor; cœtera pauper, ſed aſtutô & ad quidlibet audendum præfidenti ingeniô, mercaturam primùm camelorum, in Ægypto ac Palæſtina, exercuit. Mox matrimoniô opulentæ & potentis viduæ in *Corazan* Perſiæ provinc. dives factus, cùm populares ejus, ob non ſoluta ſtipendia, ab Heraclio ſeceſſiſſent, ſpe Principatus aſſequendi, animos eorum in defectione confirmavit: ſic à quadam militum parte dux creatus. Ubi cùm animadverteret, humilitatem generis ſui & prioris vitæ ſordes, exiſtimationi ſuæ non parum officere, apud nobiliores & potentiores, ipſe, ut ab hoc contemptu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

temptu ſe vindicaret; divinitatis opinionem artibus ſuis, ſceleratiſſimâ audaciâ, circundare anniſus, jam non ſe Ducem tantùm, Principemque, militari favore electum, ſed Prophetam, & Numinis internuncium; quò omnes dicto haberet audientiores, jactare cœpit. Quod cùm Meccæ, Arabiæ oppido, Magiſtratui innotuiſſet, is meritis Muhammedem afficere parabat pœnis: quibus hic ut ſe ſubduceret, clam ex urbe aufugit, A. C. 622. d. 19. Julii, veſpere illô, quod inter quintam & ſextam feriam intercedit, ſeque in aliam Arabiæ urbem *Jetrib* ſeu *Jesrab*, Euthymio Α'ἰϑρίβον dictam contulit, ibique, confluente ad illum undique delusâ multitudine, Principatus ſedem fixit. Unde civitati indita appellatio *Medina Alnabi*, i. e. Civitas Prophetæ, & per excellentiam, *Medina*, i. e. Civitas. A tempore verò fugæ Muhammedis ex urbe Mecca, æræ Muhammedicæ, quam *Hagiram* ſeu *Hegiram*, h. e. *fugam*, Arabes nominant, initium ortum; & quia feriâ ſextâ, h. e. die Veneris illa facta, hinc memoriæ ergò ſacram ſuam ſolennitatem hebdomadariam, uſque ad hæc tempora, iidem feriâ illâ celebrant; cujus initium, more Hebræorum, cenſetur in illo veſpere, quô quinta feria deſinit & ſexta incipit, Sole cadente. Quò verò Pſeudopropheta hic homines ſemel ſeductos in impietate ſua, ſeque in auctoritate & potentiâ malis artibus quæſita, magis magisque confirmaret: adjuvantibus Hæreticis quibuſdam, Bairá ſcilicet Jacobita & Sergio Monacho Neſtoriano; quibus acceſſerunt Judæi, Phineas, Abdias ben Salon, qui Arabicè *Abdalla* dictus eſt, aliique: ab utriſque venena & deliramenta veris quibuſdam miſta, eoque ad fallendam rudem plebeculam aptiora, ſumens; eiſque pagana quædam interſerens, chartas nonnullas conſcripſit, per modum Legis, impiis blaſphemiis & abſurdiſſimis commentis, impudentiſſimiſque mendaciis refertas, interſperſis quibuſdam generalibus præceptis *de colendo uno Deo*, *de eleemoſyna*, *de oratione* &c. quas *Alcorani* nomine indigitavit, de quo vide quæ retro diximus, in *Alcoran* & *Coran*. Hanc verò blaſphemam ſuam impiamque ſuperſtitionem ut ad poſteros propagaret, quatuor inprimis machinas adhibuit, *Latrocinium & terrorem gladii*, *Perfidiam*, *Carnalium voluptatum effrenem licentiam*, & *Stuporem cœcamque obedientiam ſuis imperatam*; quibus omni doctrinæ ſuæ examine ſeveriſſimè interdixit. Unde ad hoc uſque tempus, ubicunque Muhammediſmus dominatur, de religione quærere vel diſputare nefas eſt. Sic jactis potentiæ ſectæque ſuæ fundamentis, ſeptimô poſt ſuam è Mecca fugam annô, collectô exercitu, Meccenſes adortus, urbem expugnavit: indeque latiùs armis circumlatis; ad Reges diverſos Legatos miſit, per quos iis Legem ſuam commendavit. Sed decimô Hegiræ annô, ætat. 63. mortuus in civitate *Jetrib* ſeu Medina, ibidem ſepultus eſt: Abubechere ſocerô ſucceſſore. Cum Auctore autem adeò non extincta impietas eſt, ut quamvis per Legationes prædictas parùm efficeretur, ejus tamen cultores eam viribus & armatâ manu tantâ celeritate propagaverint, ut intra primam annorum Hegiræ centuriam, Saraceni victricibus armis totam Arabiam, Perſidem, Armeniam, Ægyptum, Syriam, & quædam Aſiæ minoris loca; Africam porro uſque ad Oceanum Atlanticum, & transmiſſô fretô Herculeô, totam etiam Hiſpaniam occuparint: ipſâ Romani Imperii ſede Conſtantinopoli crebris obſidionibus in magnas anguſtias redactâ. Reliqua vide ſuprà in voce *Chalipha*, plura verò hanc in rem, apud Joh. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico Theologic. l.* 4. nec non in voce *Mahometes*, ut & infrà *Muſlimi*.

MUHAVIA, primus Maurorum in Hiſpania Calipha, Hiſpaniam à ſubjectione Calipharum Syriæ liberavit. Cœpit autem Regnum Maurorum in Hiſpania, A. C. 724. ſedeſque Regia Corduba & Regum titulus *Calipha* fuit, Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 167.

MUJACUM, vulgò MUJACO, regnum Æthiopiæ ſuperioris valde extenſum; inter regna Macoci & Giringbombæ. *Iſ. Voſſ.*

MUICHEUM, vulgò MUICHEU, urbs ampla, ex præcipuis Suchuenſis provinciæ in Sinis, prope fluv. Chiangum & Hoanum lacum. *Martinus Martinius.*

MULA, vide MALEOS.

MULÆ, in vehiculis crebrô olim adhibitæ. Sueton. *Nerone c.* 30. *Nunquam carrucis minùs mille feciſſe iter traditur*, *ſoleis* Mularum *argenteis*, *canuſinatis mulionibus*, *armillatâ & phaleratâ Mazacum turbâ atque curſorum*: & *Veſpaſ. c.* 23. *Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas* Mulas *deſiliiſſe*, *ut adeunti litigatori ſpatium moramque præberet: interrogavit, quanti calceaſſet? pactuſque eſt lucri partem.* Matronæ quoque vehiculô carpentariô Romæ vehebantur, quod à junctis *Mulabus* trahebatur: Id quale eſſet, indicant nummi veteres ſignati nomine & imaginibus Juliæ & Agrippinæ Augg. apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Poſtea cùm carpentum ab Auguſtabus, ut & à Magiſtratibus, uſu cœptum eſt, ad baſternas Matronæ ſe receperunt. A carrucis autem, de quibus ſuprà, *Mulæ carrucariæ*, dictæ ſunt *l.* 38. §. *quæſitum ff. de Ædilit. edict.* à rhedis, *Rhedariæ*, apud Varron. *l.* 3. *de R. R. c. ult.* Vide Joh. Laurentium JCtum, *Notis in Phædrum*, *l.* 3. *fab.* 6. *v.* 1.

Muſca in temone ſedit, & Mulam increpans, &c.

uti de earum junctura ſuprà, in hac voce. Nec vectationi ſolum, ſed curſui adhibitas eſſe, probat Simonidis hiſtoria: qui à quodam, qui *Mulabus* viciſſet, ut eam victoriam Pæane vel Epiniciô aliquô celebraret, rogatus, quum præmium nimis exile offerretur, carmen recuſavit, gravari ſe dicens *Mulas* carmine laudare, quòd nimis ſterile id argumentum eſſet: poſtea auctô pretiô, hunc in modum magnificè exorſus eſt,

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων,

Salvete velocium natæ equorum, &c.

Apud Ariſtotelem *l.* 3. *c.* 2. *Rhetor.* Hinc quoque, qui curſui veloci deſerviebant, & mutationibus deputati erant, *Muliones publici* dicebantur: quos Arcadius & Honorius Imperatores mutari, vel ſubtrahi à quoquam, vel à Judicibus liberari, pœna propoſitâ vetuerunt: *l.* 1. *C. Theodoſ.* Inventionem *Mulorum* Hanæ, ſocero Eſavi, uni ex poſteris Seir Choræi, Hebræi plerunque adſcribunt, occaſione loci Gen. *c.* 36. *v.* 24. ubi de eo memoratur, quòd *cùm paſceret aſinos patri ſuo, invenerit in deſerto* את־הימם *ethhajemim*: quod illi *Mulos* interpretantur; unde colligunt, Hanam hunc primum fuiſſe auctorem admiſſionis aſinorum ad equas, è quibus naſcuntur *Muli*: quam ſententiam *Auguſtin. Steuchus* ita certam putavit, ut hôc nomine non vereatur Vulgatam ſuam verſionem, quæ *calidas aquas* interpretatur, reprehendere. Sed cùm in S. Scriptura *Mulorum* ſæpe fiat mentio, ſub nomine פרדים *peradhim*, nullibi verò extra hunc locum dicantur, *ethhajemim*; cùm verbum מצא *invenit*, non accipiatur apud Hebræos, pro eo, quod eſt *rem aliquam excogitare*: ſed ſignificet, *in rem factam incidere*, mavult Cl. Rivetus *Exercit.* 145. *in Gen.* ἐπέχειν, quàm certi hîc aliquid definire: Interim ſententiam *Hieronymi*, onagros in deſerto iniviſſe aſinos & inde ortos fuiſſe aſinos velociſſimos, quos reperiſſet Hana & cicurâſſet, contendentis, veriſimillimam judicat. Saltem in prima creatione à Deo non fuêre conditi, cùm nec *Mulæ* concipiant, nec *Muli* ad generationem apti, adeoque benedictionis illius, *Creſcite & multiplicamini*, participes non ſint. *Idem.* Placet hîc adjicere duo Epitaphia, quorum unum Thomas Porcacchius A. C. 1563. in agro Sabino equitans obſervavit, in ſuppedaneo quodam, vetuſtate aliquantulum diruto: Alterum M. Ant. Muretus in gratiam Livii Pagelli nobilis Vicentini ſcripſit: apud Fortun. Licetum *de recond. Antiqq. Lucernis l.* 2. *c.* 57. Prius, quod Publius Craſſus *Mulæ* ſuæ olim fecit, hoc eſt:

Dis. pedib. ſaxum,
Cinciæ Dorſiferæ & Cluniferæ,
Ut inſultare & deſultare
Commodetur, Pub. Craſſus Mulæ
Suæ Craſſæ beneferenti
Suppedaneum hoc cum riſu poſ.
Vixit annos XI.

Poſterius, tale eſt:

Cave tibi Viator
Ad Mulæ tumulum
Pueri ne temerè accedite
Ore riſit,
Pede luſit,
Dorſo tulit
Omnia bellè
Vixit annos VII:

Plura vide infrà.

MULÆ Fœcundæ, in Phrygia, Syria, Cappadocia & Africa. Ariſtoteles *Hiſtor. Animal. l.* 6. *c.* 36. Εἰσὶ δὲ ἐν Συρίᾳ οἱ καλούμενοι ἡμίονοι, ἕτερον γένος τῶν ἐκ συνδυασμοῦ γινομένων ἵππου καὶ ὄνου, ὅμοιοι δὲ τὴν ὄψιν, *Sunt in Syria muli dicti ab iis diverſi generis, qui ex aſini & equæ coitu naſcuntur, ſpecie tamen ſimiles.* Et paulo poſt: Αὗται αἱ ἡμίονοι γεννῶσιν ἐξ ἀλλήλων. σημεῖον δέ. ἦλθον γάρ τινες εἰς Φρυγίαν ἐπὶ Φαρνάκου --- καὶ διαμένουσιν ἔτι, εἰσὶ δὲ μὲν τρεῖς, τὸ παλαιὸν δ' ἐννέα ἦσαν, ὥς φασιν, *Hæ mulæ ex ſuo genere procreant. Argumentô eſt, quòd quædam in Phrygiam venerunt tempore Pharnacis, quæ adhuc perdurant. Saltem tres manent, cùm novem olim fuerint, uti dicitur.* Idem *in Mirabilibus*, Ἐν Καππαδοκίᾳ φασὶν ἡμιόνους εἶναι γονίμους, *Ajunt in Cappadocia mulos eſſe fœcundos.* Et Plin. *l.* 8. *c.* 44. *Theophraſtus* (mulas) *vulgò parere in Cappadocia tradit, ſed eſſe id animal ibi ſui generis.* Varro tandem R. R. *l.* 2. *c.* 1. tradit, *Magonem & Dionyſium ſcribere mulam & equum, cùm conceperint, duodecimô menſe parere. Quare non, ſi hic in Italia, cùm peperit, mula ſit portentum, adſentiri omnes terras.* Unde Columella *l.* 7. *c.* 36. *Quidam verò non diſſimulandi Auctores, ut M. Varro & ante eum Dionyſius, ac Mago prodiderunt, mularum fœtus regionibus Africæ adeò non prodigioſos haberi, ut tam familiares ſint incolis partus earum, ac nobis partus equarum &c.* His ſteriles opponuntur, qui ſunt hybridæ & ambigenæ, i. e. ex imparibus editi parentibus ac diverſæ ſpeciei: qui rurſus multorum generum. Alii enim procreantur ex equa & aſino, qui præſtantiſſimi ſunt & propriè *muli* dicuntur; alii ex aſina & equo, *hinni* nomine, &c. Vide Varronem præfatum *l.* 2. *c.* 8. Plinium *l.* 8. *c.* 44. Columellam *l.* 7. *c.* 36. Alios: & plura de his, apud Samuelem Bochart. *l.* 2. *Hieroz. c.* 20. ut & hîc *infrà*.

MULANCUM, oppid. Inſulæ Franciæ, ad Sequanam, cum ponte, aliàs munitum, 9. leuc. à Lutetia, Rothomagum verſus, 3. à Medunta; vulgò *Meulan*.

MULCEDONUM, vulgò MUCIDAN, oppid. Galliæ, in Petrocoriis, ad ſiniſtram ripam Ellæ fluminis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MULCIBER, *ciberis*, idem qui Vulcanus. Ovid. *Art. l.* 2. *v.* 562.

Mulciberis capti Marſque Venuſque dolis.

Apud Ciceron. verò *Tuſcul.* 2. legitur *genitivus Mulcibri* 2. declinationis 3. ſyllabarum: *Joviſque numen Mulcibri adſcivit manus.* Etiam *Mulcibero* auferendi caſu legas apud Martianum Capellam *l.* 6. Alii à *mulcando*, alii à *mulcendo* derivant. Prius placet Donato in illud *Adelph. Act.* 1. *ſc.* 2. *Omnem familiam mulcavit uſque ad mortem. Multavit* (lege *Mulcavit*) inquit, *mutilavit*, *maceravit*, *mollivit atque diſſolvit*, *unde Mulciber.* Additur, *à multando quaſi Multiber.* Sed putat Voſſ. *in Etymolog.* hæc eſſe ab aliena manu. Niſi fortè jam Donati ævô *multare*, & *mulcare* confundebant. Poſteriorem verò opinionem ſequitur. *Feſtus*: *Mulciber Vulcanus à mulcendo ſcilicet ferro dictus eſt. Mulcere enim mollire, ſive lenire eſt. Nic. Lloyd.*

MULCTA, ſeu MULTA, vox Oſca, pecunia propriè, quæ mul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

multa vel plurima penditur in licitationibus, quâ emptor plus licitans ſe privat, damnô ſeu detrimento ſeſe afficiens hâcque multæ expoſitione ſe quaſi puniens; quod πλειστηριάζειν Græci dixêre. Inde pecuniaria pœna, item ſacramentum, ſeu æs pœnæ nomine pendi ſolitum. Et quidem de *Mulctis*, tres leges à Romanis latas comperimus. E quibus primam tulêre Sp. Tarpejus Capitolinus & A. Aterius Conſules; Unde ipſa lex modò *Tarpeja*, modò *Ateria* dicta eſt. Cauſam ejus ſancitæ habes apud A. Gellium *l.* 11. *c.* 1. Alteram Feſtus latam ſcribit, à T. Menenio Lanato & P. Seſtio Capitolino Conſulib. biennio poſtquam Ateria lata fuerat. Tertiæ meminit Liv. ſuis verbis *l.* 4. *c.* 30. *Legem de mulctarum æſtimatione pergratam populo, quum à Tribunis parari Conſules ---excepiſſent, ipſi præoccupaverunt ferre*, videl. L. Papirius Craſſus, & L. Julius, quorum paulo ante mentio facta. Mulctatio autem, *nonniſi ovium boumque impendio dicebatur antiquitus --- cautumque ne bovem, priuſquam ovem, nominaret, qui indiceret mulctam*, Plin. *l.* 18. *c.* 3. Unde idem *l.* 33. *c.* 1. *Mulcta*, inquit, *Legum antiquarum pecore conſtat, etiam Romæ.* Poſtmodum pecunia exacta, quæ in varios uſus à Romanis impenſa eſt. Inde enim, apud eundem *Liv. l.* 33. *c.* 23. *Ludi facti, pateræque aureæ ad Cereris poſitæ.* Et *l.* 27. *c.* 6. *Ædiles Plebis Q. Catius & L. Porcius Licinus---ſigna ænea ad* (ejuſdem) *dedere: & ludos pro temporis ejus copia magnifici apparatus fecerunt.* Porrò *l.* 30. *c.* 39. *P. Ælius Tubero & L. Latorius Ædiles plebis vitio creati Magiſtratu ſe abdicarunt, quum Ludos Ludorumque cauſâ epulum Jovi feciſſent, & ſigna tria ex mulctaticio argento facta in Capitolio poſuiſſent.* Sic *l.* 31. *c.* 50. ex ejuſmodi pecunia *ſigna ænea quinque in Ærario poſita:* Et *l.* 33. *c.* 25. *Ludos factos & tria ſigna ænea Cereri Liberoque & Liberæ poſita.* Et *l.* 33. *c.* 42. *ædem in Inſula Fauni factam*; Et *l.* 35. *c.* 10. *Clypeos inauratos in Jovis æde poſitos*; Et *l.* 35. *c.* 41. *quadrigas inauratas in Capitolio conſtitutas*, legimus. Vide quoque hanc in rem, quæ infrà dicemus, in voce *Multa it. Pœna*, nec non ubi de *Triumviris capitalibus*. Sed & *mulcta* omnibus delictis conſtituta, apud veteres Germanos, ut videre eſt, verbo *Componere*.

MULDA, German. *Muldaw.*, Bohemis *Wultava*, fluv. Bohemiæ, in cujus ultimo limite oritur, ferè 5. milliar. Germ. à Paſſavia in Boream, uti 3. infra Pragam, exoneratque ſe in Albim, juxta Melnicum oppid.

MULE-ASSES, Tuneti Rex, cùm de regno cum fratribus altercatur, ab Hariadenô cognomine *Ahenobarbo*, aſtutâ ſocietatis ſimulatione, eô ejicitur, ſeculô præteritô Hiſtoria: ejus altiùs repetita ſic habet: Poſtquam Tunetanum regnum, de quo vide *ſuô locô*, per 35. Regum, intra 450. annorum ſpatium ſucceſſionem, ad Mahumetem *Mule-Aſſis* patrem pervenit, hôc defunctô, filius nefariô ſcelere, ac multorum fratrum nece cruentus, ſolium invaſit, ab Hariadeno, ut dictum, mox ſpoliatus. Verùm à Carolo V. pulſô Hariadenô, reſtitutus, ab Hamida filio autem rurſus regnô expulſus, poſtremô quoque oculis orbatus eſt. Parricidii proin ultorem quærens A. C. 1547. ad Cæſarem, poſt partam de Joh. Friderico Saxone victoriam Auguſtam Vindelicorum venit; ſed tum, in Siciliam ut ſe conferret, juſſus illuc abiit; donec rebus in Germania compoſitis, juſtæ de ingrati filii parricidio vindicando petitioni ſatisfieret, quod factum A. C. 1550. quô Cæſar Panormô ſolvens in Africam ſecum *Mule-Aſſem* abduxit, regnumque ei reddere conatus eſt. Verùm ſub idem tempus *Mule-Aſſes*, ſive ex mœrore animi ſive belli diuturnioris incommodis in gravem morbum incidit, & vindictam adhuc ſpirans fato conceſſit; annô ætat. 66. cujus corpus mox arcâ conditum Bucarus filius Carvennam deportari, & in Majorum monumentum inferri curavit. Vide Thuanum *Hiſtor. l.* 7. Luxum ejus, etiam exulis, prolixè exſequitur Paul. Jovius: qui tamen eum & Philoſophiæ Averrois exactiſſimè peritum, cum Philoſophis Italis de natura Univerſi, motu Cœli, poteſtate Siderum, diſputâſſe frequenter, refert, *Hiſtor. l.* 34. & 41.

MULE-BUCERUS, fil. Oatazeni Fezzæ Regis, in prælio contra Scirifium, A. C. 1550. commiſſo, quòd à Patris latere diſcedere nollet, cum ipſo in poteſtatem Victoris pervenit. Idem nomen fratri quoque Regis fuit. Vide Thuanum *Hiſtor. l.* 7.

MULE-CAZERIUS, alius præfati Regis fil. quem Pater ex Cordubenſi Chriſtiana fœmina ſuſceperat, victô captôque Patre in Urbem à civibus, cum reliquiis exercitus, receptus, & Rex dictus eſt, eâ conditione, ut quam primùm Pater liberatus eſſet, ipſe Regnô cederet. Mox, cùm paternæ cladis cauſas ſuperſtitioſi Mauri aſſignarent, quòd is à Chriſtianis vinum Fezzam importari paſſus eſſet & leones aluiſſet, protinus quidquid erat vini in cellis per Urbem effundi & leones ſagittis juſſit configi. Patri dein, quem duriſſimis conditionibus liberum dimiſit hoſtis, ſponte regnô ceſſit: vix autem elapſis duobus menſibus, urbe Fezzâ à Scirifio occupatâ, denuò cum Patre in hoſtis poteſtatem redactus, Tarudantum ab eo, unâ cum fratre Nacerio, ablegatus, ibique paulo pòſt à Præfecto, Scirifii juſſu, jugulatus eſt. Vide Thuanum *Hiſtor. l.* 7.

MULE-CHAIDIUS, fil. minimus natu Hametis Scirifii Regis Marochenſis; frater *Mule-Zidani*, qui patre in pugna cum patruo Mahamete captô, A. C. 1550. incolumis cum paucis Marochium reverſus, patriſque & ſuam vicem dolens, alioqui non adeò Chriſtiano nomini infenſus, de amicitia cum Carolo V. Imperatore jungenda & imploranda ejus ope conſilium inivit: ſed dehortante Janiô Marochi præfectô, per uxorem pacem tractavit, quæ in has tandem conditiones inter eos facta eſt, ut bellô ſubactæ regiones, theſaurusque à Patre Taxaroti relictus inter utrumque fratrem divideretur, & ex Avi voluntate Mahametes Harranus Regnorum ſucceſſor deſignaretur, ac poſt eum *Mule-Zidanus* Hametis filius. Quæ poſtea geſta, vide apud Thuanum *l. præfatô*: ubi aliorum quoque Africæ Principum, *Mule-Checi*, *Mule-Drii*, *Mule-Mucaldi*, *Mule-Mulcadini*, *Mule-Naceri*, &c. meminit.

MULHUSIA, vulgò MULHAUSEN, urbs Alſatiæ ſuperioris ad Hellelum fluv. Imperialis, munita, & Helvetiis aggregata, ab A. C. 1515. in Sundgovia inſerta. *Arialbinum* veterib. quibuſdam. Ejus Advocatiam olim habuit Epiſcopus Argentoratenſis, ſicut & Argentuariæ, quæ *Colmaria* hodie dicitur. Cœterùm bellô, inter Waltherum Geroltzeggium Epiſcopum & urbem Argentoratum, A. C. 1261. exortô, Rodolphus Comes Habſpurgenſis qui poſtea Imperator cum Argentinenſibus fœdere initô, *Mulhuſium* occupavit, arcemque ibi Epiſcopi diruit: à quo tempore rurſus in numero Civitatum Imperialium fuit. Captum iterum ab Alberto, Alberti Imperatoris filio, A. C. 1327. ad Imperium poſtea rediit, egregiaque privilegia impetravit, unde vicinæ Nobilitatis invidia, quæ tandem A. C. 1468. ex occaſione 6. aſſium, in atrox bellum, *der Plappert-Krieg* dictum, erupit. Quod prævidentes *Mulhuſini* eôdem annô, ut Stumpfius: vel priùs A. C. 1464. ut *Simlerus* habet, cum Bernatibus, Friburgiis & Solodoriis fœdus in 15. annos inière: mox, Bernatum interceſſione, in reliquorum etiam Pagorum tutelam recepti. Qui annô præfatô 68. communibus armis Nobilitatem, in Campo bovillo *Ochſenfeld*, ivêre quæſitum, ſed illa panicô metu percuſſa aufugit. Annô dein 1506. à Baſilienſibus *Mulhuſini* in civium numerum adſcripti, nonôque poſt annô omnibus XIII. Pagis Helvetiorum fœdere juncti ſunt d. 19. Jan. cujus eadem ferè, quæ Rotevillani, conditio eſt. Hodie Reformatorum 4. Cantonum, ejuſdem Confeſſionis ſocia, fœdere potiſſimum urbs gaudet. Horribili ſeditione ea laboravit, ſub finem præteriti ſeculi auctoribus Jacobô & Matthiâ Finningeris civibus, ac Doctore Schreckenfuchſio Phyſicô urbis, exule: quorum ope conjuratio inita d. 21. Novemb. A. C. 1586. in tantum vires ſumſit, ut Magiſtratum mutare, Conſulem, Petrum Zieglerum, & Hoſeam Schillingerum urbis Scribam, in carcerem raptos, tormentis excruciare, omnia denique pro lubitu agere, auſi ſint. Sed oppreſſo *gregi parvo*, hôc enim nomine, cives bonos ſeditioſis appellare mos erat, auxiliô advenientes ex 4. Cantonibus Euangelicis, quibus Glaronenſes ſe junxêre, copiæ, Duce Ludov. Erlachiô Bernenſi, urbe expugnatâ, pulſis punitiſque tanti facinoris reis, pacem urbi d. 14. JunI A. C. 1587. claves Magiſtratui die 7. Auguſt. ejuſdem anni, cuſtodiam tandem portarum civibus reſtituêre d. 25. Novemb. A. C. 1588. David Zuingerus Eccleſiaſtes Mulhuſinus, *in hiſt. Sedit. hujus MSCR.* Religioni Reformatæ, ut dictum, cives conſtanter adhærent, quæ ut apud ſe puriùs doceretur, & ſuperſtites quædam veteris fermenti reliquiæ penitus abolerentur, à Magiſtratu Baſilienſi, Theologum clariſſimum Wolphgangum Mejerum, ad ſemeſtre, eum in finem impetrârunt circa A. C. 1621. Vide in voce *Mejerus*: item Stumpf. *l.* 12. *de Raur. c.* 35. Simler. *deſcr. Helv.* &c. Diſtat 3. leuc. à Ferreta in Boream, uti à Baſilea in Circium & à Neoburgo in Occaſum. Arx ejus diruta à Rodolpho Comite Habſpurgico, dein Imperatore, ut dictum.

MULHUSIA, urbs Thuringiæ Imperialis, ſatis culta, ad radices montium, juxta amnem Unſtrum *Unſtrutt*. 7. ferè milliar. German. ab Erfordia in Occaſum, 4. ab Iſenaco, in Septentrionem, Northuſiam verſus, vulgò *Mulhauſen*. Dicta quaſi *Domus molaris*. Ab Henrico Leone Saxoniæ Duce olim direpta eſt. Inclaruit dein Comitiis Imperialibus & bellô ruſticanô, A. C. 1525. quô obſeſſa & capta eſt à Principibus, Pfeiferô unà cum ſocio & duce ſuo Muncero, Francuſii poſteo captô & capite mulctatô. Sub protectione Electoris Saxoniæ hodie degit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 37.

MULI, inſititii nempe illi, qui hominum operâ procreantur, aſinô equæ admiſſô, quando & ubi primum cœperint, incertum. Id verò liquet, illorum jam in antiquiſſimis Græcorum Fabulis fieri mentionem. Sic Homeri *Il.* α. *v.* 50. peſtis ab Apolline immiſſa,

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς.
Græcorum primùm invaſit muloſque caneſque.

Et apud eund. *muli* vehunt Priami currum, *Il.* ω & Nauſicaæ *Od.* ζ. & ad Patrocli pyram materiam convehunt, *Il.* ψ. Ut de Iphito taceam, qui cùm Tiryntha veniſſet, equas abactas duodecim quærens, quibus lactentes ſuberant muli totidem, ab Hercule eſt interemtus, *Od.* ο. Apud Hebræos, (quibus uti quidem, non verò generationi eorum incumbere, permiſſum) circa Davidis demum tempora *Mulorum* meminêre ſacri Scriptores. Ipſe primùm Pſalmo 32. *v.* 9. & 1. Regum *c.* 1. *v.* 33. ubi Salomonem jubet, ut in Regem inauguretur, mulæ Regiæ inſidentem ad Gihonem deduci. Sed & reliqui Davidis filii mulis vehuntur, 2. Sam. *c.* 13. *v.* 29. Et mulo inſidebat Abſolon, cùm hæſit inter arborum ramos, 2. Sam. *c.* 18. *v.* 9. Et inter cœtera donaria, *Muli* quotannis Salomoni offerebantur. 1. Regum. *c.* 10. *v.* 25. Mulis denique plebeji cibos Davidi afferunt, 1. Paral. *c.* 12. *v.* 40. Nempe, præter mulos, qui equitabantur, uti mox latiùs videbimus, quales muli Davidis ac filiorum, alii fuere ἀχθοφόροι, ſeu *ſagmarii*. *u. loc. cit.* alii item ζευγῖται ſeu *curules*. Unde LXX. Eſajæ *c.* 66. *v.* 20. Ἐν λαμπήναις ἡμιόνων *in rhedis mularum*, pro, quod in Hebræo eſt, *in rhedis & in mulis*; tanquam hic agnoſcentes figuram ἓν διὰ δυοῖν, ut in his Pindari, *Pythiâ quartâ*,

——— Ἀπὰ δ' ἡμιόνοις
Ξεστᾷ τ' ἀπήνᾳ προτροπάδαν Πελίας
Ἵκετο σπεύδων ———
——— *Mulis autem.*
Et politâ rhedâ, alacriter Pelias
Venit properans;

I. e. *rhedâ mulari.* Cujuſmodi rhedæ vel bigæ erant, 2. Regum *c.* 5. *v.* 17. vel trigæ, ut in Jonathane Exod. *c.* 14. *v.* 7. vel quadrigæ, Hebræis voce hybrida *Tetramulim* dictæ; quibus volunt Deum vectum eſſe, cùm deſcenderet legem daturus in monte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sinai. Imò & ἀροτῆρες, *aratores* Muli: quod arationis genus reliquis anteponit Homer. *Il. κ.* ex profeſſo tamen ſingulari opuſculo reprehendit Arietha Hiſpanus, bubulam reliquis præferens, Delrius *ad Hippolyt. Senecæ v.* 536. Vide quoque ſuprà ubi de *Aratro.* Ut ad *Mulos* equitationi idoneos redeam, uti præſtantiſſimos eſſe ſuprà diximus, qui ex equa & aſino generantur, quique ex parvis auribus cognoſcuntur; ita tales Perſarum Regis angari equitâſſe dicuntur, Eſtheræ *c.* 8. *v.* 10. Α'γαν enim δρομικοὺς, *ad curſum præſtantiſſimos* eſſe, *Ælian.* ait. Itaque in Olympicis non equis modò, ſed & *mulis* certabatur. *Pollux,* Α'γὼν δὲ τις ἡμιόνων ἤγετο πάλαι ἐν Ο'λυμπίᾳ, καὶ τὸ μὲν τῶν νωτέων ἡμιόνων ἀγώνισμα ἐκαλεῖτο κάλπη, τὸ δὲ τῶν ζυγίων ἀπήνητος, *Olim certamen quoddam mulorum Olympiæ celebrabatur: & dorſuariorum mulorum certamen calpe, jugalium verò rhedarium* (ſeu curule) *vocabatur.* Quod certamen licèt neget Pauſan. eſſe τῷ ἀνευρήματι ἀρχαῖον, *inventione priſcum,* tamen meminêre ejus vetuſtiſſimi Scriptores, Simonides, Pindarus, Ariſtoteles, *locis cit.* Heraclides: Et Anaxilas Rheginus, Pſaumis Camarinæus, Ageſias Syracuſanus, atque alii mulis vicêre. Quin & inter animalia publico curſui deſtinata, Romani *mulos* habuerunt: Atque Epiſcopis, ad Concilium Nicenum delegatis permiſit Conſtantinus δημοσίοις ὀρεῦσι καὶ ἵπποις χρήσασθαι, *publicis mulis & equis uti,* ut auctor eſt Theodoretus *Hiſtor. l.* 1. *c.* 16. &c. Vide iterum Bochart. *l.* 2. *Hieroz. c.* 19. ubi de *Mulorum* origine.

MULIADAS, fluv. Hiſpaniæ poſt Tagum fluens. Strabo *l.* 3. ubi Caſaubonus Μοῦνδας legit.

MULIEBRIS Mundus, Ulpiano *in l. argumento ff. de aur. & arg. leg.* eſt, *quô mulier mundior fit. Continentur eô ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, velut lavatio, riſcus.* Ubi nomine *lavationis,* omnem intelligit Jo. Laurentius JCtus ſupellectilem balnearem, ut ſtrigiles, guttos, urceolos, & id genus. Eunuchos addit Phædrus *l.* 4: *Fab.* 5. forte ut delicias dicerent, flabellô ventulum facerent. &c. Aliud verò *Veſtis,* & *Ornamenta muliebria,* quæ proin à *Mundo* diſtinguit *l.* 25. *ff. de auro & arg. leg.* Et Terentius *Heautontimor. Actu* 5. *Sc.* 1.

——— ——— Scilicet

Sponſæ veſtem, aurum atque ancillas opus eſſe; argentum ut dares.

Nempe ornamenta, veſtes, monilia, annuli, *Mundo muliebri* non continentur, *l.* 32. §. *Titia ff. de aur. & arg. leg. leg.* 100. §. *uxori. ff. de leg.* 3. Unde Tertullian. *de Hab. Mul. Habitus,* inquit, *fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, Cultum & Ornatum. Cultum dicimus, quem immundum muliebrem convenit dici. Iſte, in auro & argento, & gemmis deputatur. Ille, in cura capilli & cutis & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis.* Atque ita *Muliebris mundus* accipitur *l.* 39. *ff. de uſu & uſufr. l.* 39. *ff. de aur. & arg. leg.* apud Varronem *de L. L. l.* 4. alibique paſſim. Vide præfatum Laurentium *ad Phædrum d. l.* ubi commentatur in verſus hos.

Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, Eunuchos glabros.

Solebat autem mundus hic Sponſæ olim præferri ritu Græcô. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 101. *Antecedebant autem Sponſam ad lectum uſque δᾳδοφόροι——duoque præterea, qui colum——cum lana & fuſum ferrent——Ad hæc alii* mundum muliebrem, *aurum, ſpintheres, ſtalagmia: præter pelves, pectines, ſpeculum, ſandalia atque id genus alia, quæ præter dotem dicuntur ab Jureconſultis parapherna. Eam luxuriam ad trium tantùm veſtium modum, ac modici pretii vaſa aliquot à Solone reductam, memoriæ proditum eſt.* Ubi tamen voce *mundi,* paulo laxius ūtitur. De luxu verò muliebri ſui temporis ita Plin. *l.* 9. *c.* 35. ubi de margaritis: *Et procerioribus ſua gratia eſt, Elenchos appellant faſtigiatâ longitudine, alabaſtrorum figurâ in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. Subeunt luxuriæ ejus nomina & tædia exquiſita perditiore portatu. Siquidem, cùm id fecêre, crotalia appellant, ceu ſonô quoque gaudeant & colliſu ipſô margaritarum. Affectantque jam & pauperes, lictorem fœminæ in publico unionem eſſe dictantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt. Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt.* Vide eundem ubi de *Argento, Auro, Purpura, &c.* it. infrà *Mundus Nugivendi, Oppia lex, Sarcinator.*

MULIER, à MOLLITIE, Iſidoro *l.* 12. *c.* 2. unde *mollior turba,* apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 131.

——— ——— cinxêre Lycurgum
Lernæi Proceres, genitricem mollior ambit
Turba ———

Muliebris ſexus exponitur *veteri Scholiaſtæ.* Vide Varronem, laudatum Lactantio *de Opificio Dei c.* 12. Cum pileo, imago libertatis, in variis nummis Cæſarum, ut teſtantur Pancirollus *Var. Lect. Juris l.* 1. *c.* 17. & Pierius *l.* 4. *c. de Pileo.* In cœnis non accumbebant antiquitus *Mulieres,* ſed viri tantùm, ut *Vitruvius,* Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. & Iſidorus *l.* 20. *c.* 11. ex Varrone teſtantur, nec cum ipſis lavabantur, (etſi Tyrrhenos unà cum *Mulieribus* ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ accubuiſſe legatur, apud *Athenæum*:) uſque ad Pompeji magni, atque hinc ad Galeni & Conſtantini M. ætatem, quâ, cùm in frequentiſſimo uſu balnea eſſent apud quoſcunque, omnes ferè, atque etiam *Mulieres* cœnantes ſimul accumbebant. Ut *hiſce verſibus* Ovid. *l.* 1. *Art.* innuit:

Ergo ubi contigerint poſiti tibi munera Bacchi,
Atque erit in ſocii fœmina parte tori.

Interim non eodem cum Viris ſitu accumbere ſolitæ ſunt, unde in Romanis lapidibus, in quibus mulieres cum viris accumbentes repræſentantur, illæ quaſi ſedentes, & nulli alteri rei cubitis annixæ accumbentes ac edentes conſpiciuntur: Viri verò in principio cœnæ cubitô ſiniſtrô innixi pectoribus, menſam ut plurimum tetigêre, quô ſolâ dextrâ manu illam circumire poſſent; in fine verò ſe ipſos in latus ita, ut acutam corporis figuram redderent, verterunt. *Apud Græcos verò* Mulieres *nunquam accubuiſſe,* teſtatur Cicero 1. *Verr.* Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 11. Dempſterus tamen, *Mulieres* eâdem cum Viris accumbendi ratione uſas fuiſſe, & gremiis maritorum inhæſiſſe, apud Romanos docet ex Cicer. *ad Atticum l.* 1. *Ep.* 1. & Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. ubi tamen hic Mercuriali potiùs favet, cùm ait: *Fœminæ cum Viris cubantibus ſedentes cœnitabant.* Niſi fortè ita utrumque concilies, ut in gremiis maritorum *Mulieres* ſedentes potiùs, quàm accumbentes, cibum ceperint. Certè enim uxores ſuas Romani gremiis impoſitas & velut in ſe reclinatas habuiſſe leguntur, apud Ciceronem iterum 2. *Catilin.* Apulejum *Met. l.* 6. Suetonium *in Calig. c.* 25. &c. quem ſedendi ritum Ovid. non uno in loco reſpicit, inprimis *Amor. l.* 2. *El.* 18.

Sæpe mea dixi, tandem diſcede, puella,
In gremio ſedit protinus illa meo.

Et *l.* 3. *Eleg.* 2. Vide quoque Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 120. ubi voce *jacendi* utitur:

In gremio jacuit nova nupta mariti.

Vide Thom. Dempſter. Paralipom. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 28. Calvas quondam *Mulieres* Veneri pectines, velut inutiles, dedicâſſe legimus, apud Georgium Codinum Conſtantinop. Τῆς Α'φροδίτης τὸ ἄγαλμα πλάτ[illegible] κτένα φέρον, ἐπειδὴ συνέβη ποτὲ ταῖς Ρ'ωμαίων γυναιξὶ κνῆφην λοιμώδη γενέσθαι καὶ ξυρουμένων πασῶν γεγόνασιν αὐταῖς οἱ κτένες ἀχρεῖοι, Rigaltius, *Notis in Phædrum l.* 5. *fab.* 6. Cuſtodes porrò Eunuchos habuerunt, quod hodieque in Oriente uſitatum eſt: qua de re vide ſuprà in voce *Eunuchi.* Genas radere, in ſuorum funeribus, prohibitæ ſunt Legg. XII. Tabb. Vinô abſtinere Romuli lege, ſub graviſſimâ pœnâ, juſſæ, *loream ſolùm paſſam, murinam & quæ id genus ſapiant potu dulcia,* bibendi poteſtatem habuerunt; quoque certiùs à temeto ſibi temperarent, oſculum ferre cognatis coactæ, neque cellæ vinariæ iis commiſſæ ſunt, A. Gellius *l.* 10. *c.* 23. &c. De earum apud Græcos ſclerogagia, opificiis & œcuria, vide Fr. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 4. *c.* 12. 13. & 14. nec non infrà: *de veſtitu aliiſque* ſuprà in voce *Fœmina.*

MULIERUM OLIM PERSONÆ TRAGICÆ XI.

Prima, in qua maxima dignitas & ætas grandiſſima; cana coma, frontis tumor modicus, ſubpallida, hinc παρέχρωμος dicta.

Secundùm hanc anicula libera, quâ calamitoſam exprimebant. cutis ſubrufa, ſufflava canicies, frons modicè extans, crines paſſi ad claviculas uſque pectoris.

Poſt hanc, famula anicula, quô locô cœteræ frontis tumorem expreſſum habebant, ex agninis pellibus vittam gerebat, cutis rugoſa fuit.

Altera famula, μεσόκουρος, quia in medio raſa erat. Frontis ſummitas tumore caſtigatô, candor ſubpallidus, mediocris canicies.

Hâc junior erat ea, quam Διφθερίτην vocabant, frons tumore vacua. Duæ præterea, capillorum formâ diverſâ, comatam Κατάκομον nuncupabant, comâ nigrâ, pallidam, mœſtô vultu. Altera, quæ non eſſet comâ pleniore, ſed μεσόκουρος. Similis tonſura ei, quam dicebant πρόσφατον: quidam *recèns violatam,* alii *recèns tonſam* malunt. nonnulli *juvenculam admodùm* intelligunt: ſicuti mox Νεαρὸν πρόσωπον, ab hoc ſignificatu eſſet nitida, ſucci plena. Νεαρὸν πρόσωπον eſt in primo flore: qualis Danaë fuit repræſentata.

Duæ adhuc, quarum utraque Κούριμος virgo dicebatur, carebat frontis eâ exporrectione, quæ in aliis notata. Sed ejus locô capillum applanatum, bipartitum, modicè circumattonſum & cincinnatum, unde & nomen quidam attributum arbitrantur: namque alii κούριμον potiùs juvenculam interpretantur, color ſubpallidus. Altera eôdem nomine & facie: cœterùm in capillo neque diſcriminatio, neque cincinnus. Vide J. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 16. Hujuſmodi virginis perſonam manu ſuſtinebat Bacchi ſtatua, in Sophoclis ſepulchro ſculpta, ut infrà videbimus ubi de illo.

MULIER, in Jure Anglico, dicitur filius ex uxore legitima quidem, ſed quam ante nuptias maritus in concubinatu agnoverat, baſtardôque ex illa ſuſceptô, eam demum matrimonio ſibi copulaverat, natus. Littleton *Sect.* 399. Apud veteres Scriptores non rarò à virgine ſeparatur. Arnob. *adv. Gent. l.* 5. *Ad* Mulieris *nomen properavit Europa.* Infrà, *nondum* Mulier *& adhuc virgo Proſerpina.* Vide quoque Tertullian. *de Veland. Virginibus,* & Optatum Milevit. *l.* 2. Sic γυνὴ & παρθένος diſtinguuntur Græcis. *Theocritus* de puella vitiata:

Παρθένος ἔνθα βέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρπω.

Quod & in aliis linguis obſervari notat Deſid. Heraldus *ad Arnobii locum.*

MULIERUM Communio, vide infrà ubi de Hæreticorum *Nocturnis Cœtibus.*

MULIONES Publici, vide ſuprà *Muli* & infrà *Superazemularius.* Eorum Idolum apud Gentiles Epona fuit memorata Juvenali *Sat.* 8. *v.* 157.

——— ——— jurat
Solam Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Ubi Scholiaſt. *Epona,* inquit, *Dea mulionum eſt.* Vide voce *Epona.*

MULIONICA Pænula, apud Cicer. *pro Sextio, c.* 38. Initio enim pænulam apud Romanos tenuiſſimi quique tantùm geſtabant, putà ſervi, aut his conditione proximi, eratque propria iter facientium veſtis. Caſaubon. *ad Spartian. in Hadriano. c.* 3.

MULLEI Calcei, à *mullando,* id eſt, ſuendo, *Feſto*: à rubro colore, qualis eſt *Mulli* piſcis, Iſidoro *l.* 19. *c.* 14. quanquam *nomen Mullis à colore* Mulleorum *calceamentorum impoſitum,* potiùs vult Plin. *l.* 9. *c.* 17. genus calceamenti erat rubei, ſive purpurei, ſeu coccinei, ex aluta, multis elegantibuſque ſuturis, quæ ſugeren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rei, ſeu coccinei, ex aluta, multis elegantibuſque ſuturis, quæ ſuggerente *in brevibus ad Plin. notis* Pinetô, filum ſericum ut plurimum, atque alterius à rubro coloris punctuatim eminens, in diverſis partibus oſtentabant; altitudine inſuper inſignis; quod poſtremum non obſcure indicat Dio, cùm ſic de Cæſare *l.* 43. *circa fin. Delicus ſinatoris veſtis ubique luxuriabatur & calceamentorum, quibus etiam poſtea interdum uſus eſt, altioribus & rubri coloris, more Regum, qui Albæ quondam regnârunt ut qui propter Julum ipſos genere contingeret.* Et primò quidem Albanorum Reges *Mulleis*, ut à cœteris etiam auguſtiore pedum calceatu dignoſcerentur, uſi ſunt: à quibus ad Reges Romanorum mos fluxit; Namque & Romulus πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς, *calceis utebatur rubris*, ait Zonaras *Annal. l.* 2. Expulſis poſtea Regibus, & Reip. formâ mutatâ, *Mulleorum* uſus perſtitit, penes Senatores eos, qui Magiſtratum Curulem geſſerant; quibus ſolis calceos ex aluta, & quidem rubros aut puniceos, gerere licuiſſe, cùm reliqui perones portarent; docet Cato *Orig. l.* 7. Nec tamen & Magiſtratus illi ſemper iis calceis uſi videntur, ſed diebus ſolum ſolemnibus, ut quando ludos celebrabant aut thenſas ducebant. Tunc enim etiam palmatam & cœtera triumphantium portabant inſignia: inter quæ *Mulleos* fuiſſe, patet tum ex cultu, quô cum priſcis Romæ Regibus eôdem utebantur, tum ex veteri lapide Arimini, in quo de C. Mario hæc extant: *De Manubieis. Cimbricis. & Teutoniceis. ædem. Honori victor fecit. veſte. triumphali. calceis puniceis.* Proin Jul. Cæſar in eo inſolens viſus eſt, quòd, ut ſe ab Regibus Albæ oriundum teſtaretur, diebus etiam non feſtis *Mulleos* gereret, apud Dionem *locô laudatô*. Poſteriori ævô qui ſummæ rerum præfuerunt Imperatores eoſdem uſurpâſſe, ex Æl. Lamprid. *in Alexand. c.* 40. diſcimus, ubi notat præter morem feciſſe eum, quod *baxeis albis uteretur, non coccineis.* Inprimis id Imperatorib. Conſtantinopolitanis peculiare fuit, ut ex verbis P. Diaconi *l.* 16. *Ut agnoſceretur Imperator ex rubris calceis*, patet: quibus aquilas aureas intextas gemmaſque inſertas fuiſſe, vide in voce *Tzanca.* Tranſiit ab Imperatoribus rubeorum horum calceorum, quos paſſim Græci ὑποδήματα ſeu πέδιλα ἐρυθρὰ & ἐρυθρόχροα & φοινικόχροα appellant, ad Pontifices Romanos, uti docemur ex Ceremoniali Pontificum *l.* 1. *c. de indum. elect.* Imò & ſequior ſexus, albô colore non amplius contentus, iſtiuſmodi calceatum ſibi aptavit. Unde Tertullian. *de Pallio c.* 4. balneorum Antiſtitem ſuas lupas ornantem depingens: *Impuro*, inquit, *cruri purum aut Mulleolum inducit calceum, &c.* B. Balduinus *de Calceo antiquo c.* 10. *Salmaſ.* hos *Mulleos* eoſdem fuiſſe cum Tuſcis aut Tyrrhenicis calceis contendit: quos ex ſandaliorum ſive crepidarum genere fuiſſe, *Pollux* ac *Heſych.* teſtantur. Sanè *Mulleos ſimiles eſſe cothurnorum*, Iſidorus ait *Etymol l.* 19. *c.* 34. qui eidem crepidarum fuêre genus. Et certè utrique punicei erant, & tibiatim calceabantur. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 341.

Purpureôque altè ſuras vincire cothurnô.

Imò calceos Imperatorum Byzantinorum rubros, qui ſimiles cothurnis mulleis Albanorum Regum fuêre, *crepidas puniceas* vocat Nicephorus Gregoras, *l.* 3. *c.* 8. & mediam uſque ad tibiam perveniſſe teſtatur Procopius *de Ædif. l.* 3. Unde facile colligitur diſcrimen *Mulleorum* & Patriciorum calceorum, quorum hi quamvis à plebe corrigiarum numerô ac Lunæ inſigni differrent, non minùs tamen ac illi cavi fuerunt, totumque pedem texerunt. Habuiſſe autem *Mulleos* porrò in ſuperiori parte *oſſeos & æreos malleolos, ad quos lora deligabantur*, addit idem *Iſidorus* præfatus: Plura vide apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 36. & Alb. Rubenium *de re Veſtiar. l.* 2. *c.* 1. & 2.

MULLERASIUM, vulgò MULLERAS, oppidul. mediæ Marchiæ Brandeburgenſis in limite Luſatiæ inferioris, vix 2. milliar. German. à Francofurto, ad Oderam, & dimidio à Spreha fluv. Hîc A. C. 1669. ductum eſt juſſu Electoris Brandenburgenſis incile, inter Oderam & Spreham, quô lintres ex illa in hanc ducuntur, dein per Havelam in Albim deſcendere poſſunt & viciſſim.

MULLERUS Johannes, Theol. & Philolog. Tigurinus inſignis. Poſt Eccleſias exteras, Galliæ, Angliæ, Belgii, Germaniæque feliciter luſtratas, in Patria Miniſterio ſacro primùm, dein quoque Profeſſioni Theol. admotus, multijugam eruditionem egregiis ſpeciminibus hactenus edidit teſtatam. Ejus extant, præter *Homilias plurimas. Diſputationes variæ Hiſtorico-Philologico-Theologicæ. Hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum: Janua Antiquitatis Eccl. Tomus variarum Orationum, Tomus Epiſtolarum, &c.* Alia ad prælum parata ſunt. Vide ipſiuſmet *Tubam Joëlis, p.* 86. *& ſeqq.*

MULLERUS, vide *Regiomontanus.*

MULLINUS, Scriba Alexandri M. Curt. *l.* 8. *c.* 11.

MULLUS, piſcis albô ventre, aureas habet lineas, ſed dorſô & capite rubet: quæ res & nomen illi dedit. Plin. *l.* 9. *c.* 17. *Nomen his Feneſtella, à colore mulleorum calciamentorum datum putat.* Græcè Τρίγλη, quòd *ter* pariat quotannis, uti Ariſtoteles habet *Hiſtor. Animal. l.* 5. *c.* 9. & Oppianus *Halieutic. l.* 1. *v.* 590.

Τρίγλαις δὲ τριγόνοισιν ἐπώνυμοι εἰσὶ γονῆσι.
A triplici triglæ capiunt ſua nomina partu.

Ob quam nominis convenientiam Hecatæ olim hic piſcis fuit ſacer; niſi ratio magis placeat, quam ſuggerit Athenæus *l.* 7. Eundem tertiâ Myſteriorum die, quæ incidebat in 16. Kal. Octobr. Athenis ſacrificatum eſſe, dicemus infrà ubi de menſe *Septembri*, Sed & Pythagoræis in honore fuiſſe, diſcas ex Plutarcho *Sympoſiac. l.* 4. *Qu.* 5. Cæterum *Mullus*, obſoniorum præſtantiſſimum, ſtomachoque aptum, boni ſucci, ſapore gratus, concoctu haud facilis, ſed qui non difficulter admodum excernatur, Xenocrati in luculento illo apud Oribaſium *fragmento.* Et quidem Archeſtratus commendabat mullos ad Tichtunta, urbem Mileſii agri: Cratinus ac Nauſicrates Comici, quos Æxonis dediſſet, pagus Atticus: Juvenal. *Sat.* 5. Romanis fuiſſe in pretio indicat, quos miſiſſet Corſica, vel Taurominitana Siciliæ rupes. Sed nihil æque arguit, quanti fieret piſcis, quam pretium: quod immane temporibus Tiberii Cæſaris erat, uti legimus apud Senecam *Ep.* 95. ubi mullum 4. & ad ſelibram ponderis, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat, quinque millibus HS. ab Octavio emptum refert. Poſtmodum verò & decem millibus unum veniſſe, apud Suetonium reperias in *Tiber. c.* 34. Expetiti verò tantopere hi piſces, ob jecur & caput, Galen. *de Alim. Facult. l.* 3. *c.* 27. In capite porrò cerebrum placuit, Aëtius *l.* 2. *c.* 79. & gemina barba, *quâ inſigniuntur inferiori labrô*, Plin. *d. l.* Unde magnificentiæ, vel luxus potiùs, inſigne ſpecimen *Mullorum barbæ*, magnâ copiâ exhibitæ convivis, ab Antonino Heliogabalo, apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejus, *c.* 19. *Barbas ſanè mullorum tantas* (pro tot) *jubebat exhiberi ut pro naſturtiis, apiaſtris & facelaribus, & fœno græco exhiberet plenis fabatariis & diſcis; quod præcipuè ſtupendum eſt.* Quàm ingenti enim mullorum copiâ fuit opus, ut de illorum barbis diſci, atque capaciſſimi, implerentur? Cùm præſertim non omnes mulli binos illos cirros habeant; quos *barbam* Lamprid. γένειον Græci vocant. Sophron apud Athenæum *l.* 7. τρίγλαι αἱ τὸ γένειον ἔχουσαι ἡδιονές εἰσι, μᾶλλον τῶν ἄλλων, *Mulli barbati ſuaviores aliis.* Caſaubon. *ad Lamprid.* Adde quòd in unius *mulli* pretium integra latifundia impenſa leguntur, apud Plut. *Sympoſiac. l.* 4. *qu.* 4. quanti ergo tantam copiam conſtitiſſe neceſſe? &c. At hepar non ſolùm per ſe edi ſolebat, ſed etiam imponebatur oleo & garo cum vini paulo: inque his eouſque comminuebatur, donec ex iis, quæ dicta, ſuccus fieret unicus, in quo *mulli* carnes, quas ederant, tingebant. Cujuſmodi ſuccum *halecem* dixêre, teſte *Pliniô*: qui auctor etiam eſt, ut in ſociorum garo mullum necarint. Plato Comicus apud Athenæum *l.* 2. Ἐν σαπρῷ γάρῳ βαπτίζοντες ἀποπνίξουσί με *In putrido garo ſubmergentes ſuffocabunt me.* Nec ſatis erat ſic necare, niſi vitreamini incluſus moriens ſpectaretur. Unde Seneca *ubi ſuprà*, *In cubili natant piſces & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Parùm videtur recens mullus, niſi qui in convivæ manu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur & obſervatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctanti ſpiritu vertit.* Vide plura ibi, quibus hunc morem eleganter deſcribit & exagitat. Etiam illud ad luxum pertinebat, quòd tanti precii piſcem in menſam vaſis deferrent aureis, quibus illigarentur gemmæ. Martial. *l.* 2. *Epigr.* 43.

Immodicis tibi flava tegant chryſendeta mulli &c.

Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolatriæ paſſim*, inprimis *l.* 4. *c.* 25. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio p.* 301. Auctor. Anonymum *Sinæ & Europæ, c. de Piſcibus*, Alios.

MULONA, Æthiopiæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

MULSUM, Græcè οἰνόμελι, potus eſt ex vino & melle; cujus conficiendi rationem accuratè docent Dioſcor. *l.* 5. *c.* 8. Palladius *l.* 11. *c.* 17. & Auctores *Geoponicωn l.* 8. *c.* 25. Plin. quoque obiter *l.* 22. *c.* 24. Nec Talmudicos id præteriit; *in Tract. de Idolol. c.* 2. *fol.* 30. autem ubi ad quæſtionem; Quid ſit οἰνόμελι? reſpondent, *eſſe vinum & mel & piper, ſimul mixta & temperata:* quæ tamen deſcriptio potiùs ad *conditum* pertinet; cùm *mulſum* per ſe bibatur, abſque aliorum odorum conditura. Quærit denique Macrob. *Saturnal. l.* 7. *c.* 12. cur ex recenti melle & vetuſto vino mulſum optimè temperetur? Sed & *mulſi* Poëtæ frequenter meminerunt, Plautus *in Perſa Actu* 1. *Sc.* 3. *in Sticho Actu* 2. *Sc.* 1. Horatius *l.* 2. *Sat.* 2. & 4. Virg. *Georgic, l.* 4. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 97. & *l.* 13. *Epigr.* 108. Alii, quibus Homerum præiviſſe volunt, *Iliad.* κ. *v.* 234. ubi Circe,

——— ——— μέλι χλωρὸν
Οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα, ———
——— ——— *Mel recens*
Vino Pramnio miſcuit.

Quin olim ante Circen, *Ariſtæum primum omnium* (ajunt) *mel miſcuiſſe vino*, ita Plin. *l.* 14. *c.* 4. Cùm tamen Plutarchus οἰνόμελι inter ea cenſeat, quæ nuper inventa ſunt, *Sympoſiac. l.* 8. *quæſt.* 9. Πολλὰ γὰρ τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι καὶ μήτρα, *Multa enim, quæ guſtari olim & comedi non ſolebant, nunc pro ſuaviſſimis habentur, ut mulſum & vulva.* Sed fortè Veterum inventis tam multa addidit gula recentiorum, ut res nova potuerit haberi. Itaque ne nomen quidem οἰνόμελι uſpiam extat ante Dioſcoridem. Et in Nehemia, *c.* 8. *v.* 40. Hebræa ſolùm habent, שתו ממתקים, *Bibite dulcia:* Græca verò verſio, Πίετε γλυκάσματα. Vide quoque 3. Eſdr. *c.* 9. *v.* 52. At quàm ſalubris *Mulſi* uſus, Plin. enarrat. *l.* 22. *c.* 24. *Multi ſenectam longam* mulſi *tantùm nutritu toleraverunt, neque aliô ullô cibô, celebri Pollionis Romuli exemplô. Centeſimum annum excedentem eum divus Auguſtus hoſpes interrogavit, quânam ratione maximè vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet, At ille reſpondit, Intus mulſô, foris oleô.* Quod apophthegma ex Diophane petitum, Δημόκριτος δὲ ἐρωτηθεὶς, Πῶς ἂν ἄνοσοι καὶ μακραίωνες γίγνοιντο οἱ ἄνθρωποι; εἶπεν, Εἰ τὰ μὲν ἔξωθεν ἐλαίῳ τοῦ σώματος, τὰ δὲ ἔνδοθεν μέλιτι χρίσαιντο. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 11. & 12. Et quidem apud Romanos, ex vinis id hiſce fortibus & auſteris, erat Falernum & Maſſicum: cujuſmodi vino miſcebant inprimis mel Atticum, vel etiam Siculum, quod bonitate erat proximum, ut eſt apud Martialem *l.* 13. *Epigr.* 104. & 105. Idem *Epigr.* 108. cui lemma, *Mulſum.*

Attica nectareum turbatis mella Falernum,
Miſceri decet hoc à Ganymide merum.

In antecœnio tamen minùs id laudabatur, quod ex vino eſſet Falerno; eoque nomine Aufidium damnat Horatius *l.* 2. *Sat.* 4. quòd primis etiam poculis hôc uteretur, cùm lene mulſum tum ſit convenientius. A *Mulſo* differt vinum melitites, quòd illud ex auſtero & vetere fiebat vino, ac melle exiguo: iſtud adjectô ad quinque auſteri congiô mellis unô & ſalis cyathô, Dioſcor. *l.* 5. *c.* 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

c. 15. Item μελίκρατον, in quo recens aqua miſcebatur melli ad uſum repentinum: Ὑδρόμελι quoque, quod ex veteri fiebat miſtura; cujuſmodi potu, vini locô, Celtiberi olim uſi, apud Diodorum *l. 5.* Taulanrii Illyridis populi, ac Epidamno vicini, apud *Thucydidem*; & Græci, ante vinum inventum, apud Plutarchum *Sympoſiac. Quæſtion. l. 4. Quæſt. 5.* Quam in rem vide plura apud G. J. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l. 4. c. 79.* ut & ſuprà in *Conditum*, *Medo* & *Mellita.* Addam ſaltem, de *Mulſi pocillo* Jovi voto, locum Livii *l. 10. c. 42.* Bello Samniticô Conſul Romanus *in ipſo diſcrimine, quô Templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat Jovi Victori, ſi legiones hoſtium fudiſſet, pocillum mulſi, priusquam temetum biberet, ſeſe facturum, id votum Diis cordi fuit: & auſpicia in bonum verterunt* &c. Vide quoque ſuprà *December*, ubi de Angeronalibus, & infrà *Sitis prima*, ubi de *Mulſi* diviſione, Natali die, apud Romanos, nonnunquam fieri ſolitâ, itidem ſuprà, voce *Diviſio.*

MULTA, propriè in auctionibus, quod addebatur ad priorem licitationem, cùm ementes inter ſe contenderent & alii alios multarent pecuniâ, Græcè ἐπιτίμιον, πρόστιμον, τίμημα, ζημία. Hinc pro pecuniaria pœna vox ſumi cœpit; quia *multa*, Græcè πολλή, imponebatur, quæ numeranda erat, i. e. *multanda.* Ita enim Plautus *Stich. Act. 3. ſc. 1. multavi. i. numeravi*, ἐξηριθμησάμην. Inde *Mulctaticia pecunia*, apud Livium, *loc.* ſuprà in voce *Mulcta cit.* Nonnullis verò verbum *multare* frequentativum eſt, ex *mulcere.* Ita enim *ad Arnobium l. 7.* Heraldus, *Mulcere*, inquit, *eſt* πράως ἅπτεσθαι, *ut interpretatur in Camillo Plutarchus: unde & multare dictum; nempe mollire aliquem pugnis; aut fuſtibus, quomodo ludunt Comici---Sic enim, à ſupino mulſum fit* multo; *ut à confuſum ſit confuto, & ſimilia.* Certè & qui pecuniâ multatur, non malè *multari* ſeu *molliri* ab eodem themate dicatur &c.

MULTA Profeſſæ, apud Ovid. *Faſtor. l. 4.* Vide ſuprà *Illæ res.*

MULTANUM, vulgò MULTAN, caput provinciæ cognominis ad Indum fluv. media ferè inter Lahorium ad Ortum & Candaharium ad Occaſum, ſub M. Mogole. Aliàs perampla & probè culta, nunc deficit.

MULTICIA Syntheſis, apud Tertullian. *de Pallio*, eſt ſerica ſyntheſis, & nimia ſubteminum tenuitate, ut loquitur *Ammianus*, perflabilis. Quòd enim *Multicias tunicas* nonnulli apud Vopiſc. in *Aureliano c. 12.* ab ſubſericis diſtinguunt & πολυμίτους interpretantur, errant: quod ex Juvenali liquet, *Sat. 2. v. 65.*

——— ——— Sed quid
Non facient alii, cùm tu Multicia *ſumas,*
Cretice?

Paulo pòſt, *v. 69.*

Damnetur, ſi vis etiam, Carfinia: talem
Non ſumet damnata togam.

Ubi omnino intelligit togam ſericam, quæ tunc erat ad uſum mollium & delicatorum. Quintilian. *l. 12. c. 10. Sed me hactenus cedentem nemo inſequatur ultra. do tempori, ne toga craſſa ſit, non ſerica.* Sericam igitur togam *Multicia* Juvenalis vocat, quod etiam ſequentia oſtendunt, ubi Creticum *pellucere* ait: pellucidæ autem veſtes ſericæ, h. e. ſubſericæ, non aliæ enim tunc in uſu. Ideò vetus interpres Juvenalis rectè eo loco exponit *Multicia veſtes molli intextas ſubtemine. Vitreæ togæ Varroni* dicuntur, quæ ita pellucerent, ut tunicæ clavos oſtenderent &c. Erant autem *Multiciæ* aliæ viriles, quarum mentio apud præfatum Satyricum ac Vopiſcum *d. l.* aliæ muliebres, de quibus idem Juvenal. *Sat. 11. v. 185.*

——— Ne tàcito bilem tibi contrahat uxor
Humida ſuſpectis referens Multicia *rugis.*

Nominis etymon quod ſpectat, alii *Multicium*, quaſi *Multilicium* dictum arbitrantur, ut ſit quod Græci πολύμιτον vocant. Sed aliud longè eſt *Multicium veſtimentum*, apud Latinos, & illud, quod Græcis, à varietate & multitudine liciorum πολύμιτον dicitur: Sic enim veſtes vocant varias & animalium figuris pictas, uti infrà videbimus. Totum aliud *Multicium* eſt, quod proin dictum mavult Salmaſ. à *multum* & *icio*, ut ſit τὸ πολυσπάθητον ἱμάτιον, veſtis ſerica *bene denſata* & radiô bene percuſſa; nam id tenuitatem levitatemque veſtibus conciliat. *Heſych.* σπαθητὸν, γυναικεῖον, ubi σπαθητὸν eſt ad verbum, *Multicium muliebre*, vel *tunica multicia muliebris.* Idem μαλόχιον, σπαθητὸν: unde fortaſſe Veterib. *molochina veſtis* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. d. l.* Vide quoque infrà *Multitia.*

MULTIFORMIS Calceus, dicitur Tertulliano *l. de velandis Virgin. c. 12.* is, qui diſpunctionibus inciſuriſque variè ac artificiosè diſtinctus erat: quod genus, Epicteti *in Enchiridio* teſtimoniô, auratis & purpureis antiſtabat: Sic enim ille, ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γίνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητὸν, *In calceo, ſi ultra pedem progreſſus fueris, fit auratus calceus, dein purpureus, poſteà interpunctus.* Qualia Sicyonia fuiſſe, oſtendit B. Balduinus *l. de Calceo antiquo, c. 19.* Vide quoque infrà, in voce *Sicyona.*

MULTIFORMIS Corona, apud Appulejum *Met. l. 11.* qui eâ Deam, quôcunque eam nomine vocari fas fuerit, quòd ſe è bruto humanæ majeſtati reddidiſſet, ornavit, à diverſitate rerum, quæ illi inſculptæ, nomen habuit. Sic in corona, Vulcani manibus elaboratâ, juſſu Jovis, apud Heſiodum *Theogon. v. 575.* cælata fuêre multa artificioſa ex iis animantibus, quæ terrâ marique continentur:

Τῇ δ᾽ ἐνὶ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο, θαῦμα ἰδέσθαι,
Κνώδαλ᾽ ὅσ᾽ ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.

Fuit autem illa Pandoræ impoſita; ut hôc pactô indigitaretur, nihil neque mari, neque terrâ, contineri, quod non illius imperio ſubjecerit Jupiter. Corona Nemeſis ſimiliter *multiformis* fuit, ut in qua cervi & ſigilla victoriæ: quorum illi, animalia fugacia, ſignarunt fugientes Perſas; iſta robur & felicitatem univerſæ Græciæ, apud Car. Paſchalium *Coronarum l. 9. c. 10.* quem pluribus hanc in rem differentem vide.

MULTILOQUIUM in Sacris, vide ſuprà *Litania.*

MULTIMAMMIA, cognomenn. Dianæ, apud Hieronymum *Prœom. epiſt. ad Epheſ. Dianam colentes non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque ſuccincta eſt, ſed illam* multimammiam, *quam Græci* πολύμαστον *vocant, ut ſcilicet ex ipſa quoque effigie mentiretur, omnium eam beſtiarum & viventium eſſe nutricem.* Et Minucium Fel. *Diana--- Epheſia mammis multis & uberibus extructa.* Qualis etiam in nummis antiquis conſpicitur, ubi ſunt exſtructa ſeu diſpoſita ubera & mammæ, tanquam cæmenta & lapides in modum columnæ Dianâ ſive Cerere mammis & pectore tenus ſuper impoſitâ. Nempe Diana & Ceres idem Numen, quarum hæc proin *mammoſa* Lucretio *l. 4. v. 1161.* Iſis item, cujus & corpus *continuatis uberibus denſari*, Macrob. *l. 3. Saturn.* tradit. Sanè Diana virgo quidem, invocata tamen parturientibus, & Horatio *in Carm. Secul. v. 14.* tunc *Ilithyia* & *Genitalis*, quòd matres parturientes tueatur & in educandis fœtibus juvet: indidem Ἀμνιὰς quoque cognominata, à membrana, cui fœtus involvitur, ἀμνίον Empedocli dictâ, ut ſcribit Ruffus Epheſ. *de Partibus Hom. c. 37.* Vide Jo. à Wower & Nic. Rigaltium *ad Minucium Fel.* ſuprà. *Iſis* & infrà *Trivia.*

MULTIMANA, eadem cernitur in veteri numiſmate apud Jo. Bapt. Altinum. Unde idem Minucius *multis manibus honorificam* eam vocat, *ibid.* Convenienter certè Numini, quod eſt omnia. Vetus *Inſcr.* ἐν τῇ Σάει apud *Plut.* ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΤΟ ΠΑΝ. Alia Capuæ TIBI. UNA. QUÆ. ES. OMNIA. DEA. ISIS. Ipſa in Apuleji *Metam. Cujus nomen unicum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multi jugo totus veneratur orbis.* Vide Jo. Wowerium & Nic. Rigaltium *ad Minucium Fel.*

MULTINUBA, vide Hieronym. *Ep. 11. ad Ageruch.* & infrà ubi de *Polygamia.*

MULTITIA, vel MULTICIA, veſtis Muliebris: Cujus meminit Juvenal. *Sat. 11. v. 186.*

Humida ſuſpectis referens Multitia *rugis.*

Quamvis enim *Multitiarum virilium* quoque mentionem Vopiſc. *in Aurelian. c. 12.* faciat, tamen quia addit, *Virilium*, denotat propriè *Multitia* muliebria veſtimenta fuiſſe, & ſecutis temporibus à Viris uſurpata, ut & veſtes holoſericæ. Vocis originem quod attinet, fatetur eam ſe ignorare *Ferrarius.* Nam quòd alii, quaſi *Multicilia* dicunt, & polymita intelligunt, præter verbi novitatem, apud Juvenal. ſermo eſt de toga, quam albam fuiſſe conſtat, non filorum varietate intextam. Qui autem *Multicia*, à *multùm iciendo* deducunt, quaſi veſtimenta multùm icta & percuſſa, præter idem novitatis vitium, potiùs rei ipſi contrarium inducere videntur. Veſtes etenim multùm ictæ, & bene textoris pectine percuſſæ, denſiores ſunt minuſque pellucent: Cùm *Multitia* contrà Poëta vocet veſtem ſericam, ſeu bombycinam, quæ adeò tenuis, ut tranſluceret, hominesque non abſconderet, ſed nudaret. De Cretico enim ibi ſermo eſt, qui togam ſericam & quidem muliebrem, præter ſexûs ſui decorum, gerebat, ut verba illa oſtendunt:

Acer & indomitus libertatiſque Magiſter,
Cretice, pelluces.

Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſtiaria l. 1. c. 20.* & ſuprà in *Multicia.*

MULTITUDO Laureata, in publicis olim gratulationibus conſpecta legitur, velut circumplaudens ei qui rem proſperè geſſiſſet, ut particeps felicitatis hujus. Sic *Vitellio*, inquit Tacit. *Hiſtor. l. 2. c. 55. plauſêre Populus cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circùm Templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis, quam* quiſque ſcilicet capite tuliſſet. Et exercitum triumphantis laureatum habemus apud Livium. *Militum quidem propria eſt cas...* inquit apud eum *l. 25.* M. Servilius, *qui & ipſi laureati, & quiſque donis, quibus donati ſunt, inſignes triumphum nomine cient.* Apud Plutarchum quoque Alexander Macedonibus militibus nunc modeſtè incuſatis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exautoravit, magnificentiſſiméque donatos dimiſit: inprimis ſcribens ad Antipatrum Macedoniæ præfectum, eis ad ſpectandis certamina priores in Theatro partes aſſignari, coronatoſque ſedere juſſit. in *Vita* ejus. Qui mos potiſſimum à Romanis uſurpatus fuit. Namque, apud eundem Plutarchum *in Æmilio Paulo* in hujus Æmilii triumpho, laureatus Ducem ſequebatur univerſus exercitus, per cohortes & ordines. Quæ ſpecies triumphi ſervabatur in ſpectaculis aliiſque diebus ſolennibus, non ſolùm à primoribus, ſed ab ipſo Populo. Et quidem de Populo extat locus Livii *l. 25. c. 12.* ubi poſtquam egit de origine ludorum Apollinarium, addit, *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergò, ut plerique rentur, votorum. Factosque populus coronatus ſpectavit.* Quod Antiochus Epiphanes imitatus eſt, cùm pompam in celeberrimo Græcorum Conventu exhiberet, apud Athenæum *l. 5.* Quippe inibi primus ordo fuit hominum quinque millium, inſtar agminis Romani, cum hamatis loricis. Sequebantur Myſi totidem. Dein Cilicum tria millia levis armaturæ, cum aureis coronis. Sed & aliàs tota cohors aliqua, populus, publici Ordines, totæ Urbes, coronatæ leguntur, uti infrà paucis videbimus, in voce *Populus*: pluribus verò hac de re agit Car. Paſchalius, *Coronarum l. 7. c. 6.* & *l. 8. c. 11.* Hactenus de *Multitudine* unitati oppoſitâ, quatenus verò *infimam plebem* denotat, quâ notione vocem πολλοὶ & πλῆθος frequenter uſurpant Græci, vide illa infrà ubi de *Plebe*, item *Vulgo.* Addam hîc ſaltem, *Multitudinem Agreſtem*, ut ſtupidam, credulam, timidam, pervicacem, indocilem, ſui confidentem, contemtus ſuſpicacem ſimul atque deteſtatricem; *Urbanam*, ſupinam, pavidam, tumidam, mollem, ignavam, verbis quàm factis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

factis promtiorem, luxu, atque otiô feram, ſuperbam non reſiſtentibus, demiſſam inſtantibus, crocodili naturâ; *Militarem maleficam*, intentam motibus, exprobratricem operum ſuorum, glorioſam, vanam, otium quærentem, quæſitum rumpentem: In univerſum, *Multitudinem omnem* infidam, invidam, indulgentem genio rebus ſecundis, fractam in adverſis, ſubitæ pœnitentiæ, Ducis appetentem, appetiti recuſantem, facientem ut non faciat, ſatagentem ut nihil agat, ſervientem ut ne pareat, non ſine ratione deſcribi Poëtis, ut videre eſt, apud Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 3. *c.* 13. Sic Parrhaſius Multitudinem Athenienſium, *Demi*, Græc. τȣ̃ Δήμȣ, nomine, argumento ingenioſo, pinxiſſe legitur. *Volebat namque varium, iracundum, injuſtum, inconſtantem, eundem exorabilem, clementem, miſericordem, excelſum, glorioſum, humilem, ferocem, fugacemque & omnia pariter oſtendere*, Plin. *l.* 35. *c.* 10.

MULTO ſeu *Muto*, apud recentiores, vervex dicitur, Gallis *Mouton.* Unde *Multones* ſeu *Mutones*, moneta aurea Franciæ Regum, in quibus effícti, *Agnus Dei*, uti vulgò vocant, ſeu agnus lanatus cum crucicula, quoſque inde *Denarios* vel *Florenos ad Agnum*, appellabant Galli, *Deniers*, *Florins à l'aignel* vel *Moutons.* Cujuſmodi nummos poſt prælium demum Pictavenſe, primùm cuſos vult Froiſſardus *Vol.* 1. *c.* 171. Verùm longè prius id factum eſſe, inde pater, quòd legitur Parlamentum Pariſienſe erga Regem Philippum Pulchrum potiſſimùm inſtituiſſe, ut monetæ Franciæ ad probitatem & valorem reducerentur, quibus erant ſub S. Ludovico, atque adeò *Mutones aurei*, ad 5. ſolidorum pretium, uti ſub eodem Rege erant. Imò altius eorum originem Peireſcius arceſſit, qui à Regibus cuſos exiſtimat, vigentibus contra Albigenſes bellis, in quibus præcipua Crucesignatorum vexilla eo ipſo *Agnô Dei* inſignita erant, qui inde pro inſignibus toti Franciæ Clero & compluribus Eccleſiis Cathedralibus ac Collegialibus manſit, atque adeò ipſi urbi Toloſanæ, ex quo in eorundem Crucesignatorum poteſtatem devenit, ſervatâ tamen ejus, quam in inſignibus geſtabant Comites Toloſani, figurâ. Hinc itaque colligit Vir magnus, cuſas hâc imagine monetas, quibus militum ſtipendia exſolverentur &c. Idem verò monetæ in Flandria quoque obtinuiſſe, docet Tillius *de Pactis inter Francos & Anglos, ſub A. C.* 1351. *&* 1361. ubi *Mutonum Flandrenſium* meminit. Sed & Hiſpanis ſuos fuiſſe *Agnos Dei*, refert Covarruvias & Mariana: quorum is *de Veterum nummis collatione c.* 5. *num.* 9. *Ante eundem*, inquit, *Henricum III. hiſce in regnis habuit curſum moneta nuncupata Agnus Dei, quæ initio valebat Maravedinum: deinde percuſſa fuit ex tam infima materia, ut ſaltem valuerit unum coronatum vulgò Cornade* &c. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque ſuprà in voce *Agnus Dei* & infrà in *Muto.*

MULUCHA, Africæ fluv. Numidiam à Mauritaniâ dividens, *Strabo*, Plin. *l.* 5. *c.* 2. Cum oppido cognomine in Mauritania Tingitana.

MULVELLUS, in veteri *Charta* Spelmanno laudata, *Dedit--- quibuslibet leproſis Eborum venientibus, in vigilia dici S. Joannis Baptiſtæ*, mulvellum, *butyrum, panem, cereviſiam* &c. piſcis eſt, qui in mari Angliæ Boreali copioſè capitur in æſtate, Londonienſibus *Greenfish*, Lancaſtrenſibus *Milwin.* Vide eund.

MULVIA, vulgò quoque *Mulvia*, fluv. Barbariæ, oritur ex Atlante, & auctus aliis, regna Fezzæ & Telenſini ſeparat, dein in mare Mediterraneum abit.

MULVIUS Gallicanus, Præfectus Prætorii, ſub Valeriano, cujus ad eum *Epiſtola* extat apud Vopiſc. *in Probo c.* 4. *Valerianus Auguſtus Mulvio Gallicano præfecto prætorii. Miraris fortaſſis, quòd ego imberbem Tribunum fecerim, contra conſtitutum divi Adriani. Sed non multum miraberis, ſi Probum cogitas adoleſcentem verè probum: Nunquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit. Quod niſi nomen haberet, potuit habere cognomen. Huic igitur dari jubebis* &c. Reliqua vide apud Auctorem; quæ epiſtola eô lectu dignior, quòd, quidquid tum temporis *ſalarii* nomine Tribunis militum ab Imperatorib. dari conſuevit, eâ continetur, eruditis Caſauboni, Gruteri, Salmaſiique *Notis* illuſtratum.

MULVIUS Pons, apud Martialem *l.* 3. *Epigr.* 14.

> *Romam petebat eſuritor Tuccius,*
> *Profectus ex Hiſpania,*
> *Occurrit illi ſportularum fabula:*
> *A* ponte *rediit* Mulvio.

In via Flaminia erat, mill. paſſ. ab urbe diſtans. Aliis *Milvius*, vide *ibi.*

MULUS Centuriatus, apud Flav. Vopiſc. *in Aureliano, c.* 7. *Mulum Centuriatum comiter curet.* Solutâ enim veteris militiæ diſciplinâ, cœperant ſingulis centuriis muli deputari ad ſarcinas vehendas, uti obſervat *Hadr. Turnebus.* Cùm priùs *mulas* & *mulos* Præſides ſolùm provinciarum de publico acciperent: & *mulos* quidem, uti conjectat Salmaſ. ad impedimenta vectanda, *mulas* verò ad ducendam rhedam aut carrucam. Semper enim mulæ rhedis ducendis adplicitæ, at muli ad ſagmam ut plurimum habebantur. Meminit moris hujus Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 42. *Judices--- & argento & neceſſariis inſtruebat, ita ut Præſides provinciarum acciperent argenti pondo vicena: mulas ſenas, mulos binos, equos binos--- reddituri depoſitâ adminiſtratione* &c. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad d. l.* & plura *de Mulis* ſupra: de *Mulo* verò *Palladis* Attico, quem ob ætatem vacatione donatum, libere vagari ſine capiſtro ſine labore, conſueviſſe, tradit Plut. *de Animal. compar.* Vide infrà aliquid voce *Servi.*

MUM, vox Perſica, *ceram* notat, quâ non minùs, quàm melle, cadavera condiri olim conſueviſſe, diſcimus ex Herodoto *Muſâ* 4. ubi Scythas refert Regis mortui corpus κατακεκηρωμένον per totam Scythiam circumtuliſſe, antequam terrâ conderent: & *Muſâ* 1. ubi de Perſis, κατακηρώσαντες, inquit, τ̀ νεκρὸν γῇ κρύπτȣσιν. Unde Cicero *Tuſculan. l.* 1. *Perſæ jam cerâ circumlitos condiunt, ut quàm maximè corpora permaneant.* Et Strabo *l.* 15. θάπτȣσι δὲ κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα, *Sepeliunt autem cerâ circumlinentes cadavera* &c. Hinc itaque *Mumiæ* vox notiſſima, quâ quid notetur, infrà videbimus. Addam hîc ſaltem, ſine ratione ſtatuere nonnullos, in Judæâ quoque *Mumias* effodi, non minùs ac in Ægypto. Conſtat enim Judæos non condiiſſe corpora mortuorum, qui mos Ægyptiis peculiaris. At Judæi, cum plurimis unguentis & aromatibus defunctos ſuos ſepeliebant, eôdem prorſus more, qui apud Græcos & Romanos viguit; Lavabant cadavera, ungebant pretioſis unguentis & faſciis involuta condebant ſepulchro: Ægyptii inſuper exenterabant & condiebant, ut ſervari poſſent & in ſecula durare. Unde hodieque *mumiæ* ſepulchrorum in Ægypto reperiuntur & eruuntur. Nec hoc omittendum, gentem hanc cadavera primitus domi ſubrecta in loculo ad parietes ſtatuiſſe, ſed poſtmodum impoſuiſſe lectulis, uti docet *Athanaſius.* Sil. *l.* 13. *v.* 474.

> ——— *Ægyptia tellus*
> *Claudit odoratô poſt funus ſtantia ſaxô*
> *Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat umbram* &c.

Vide S. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 13. Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, ubi inter alia *mumias* & *momias* dictas contendit, à thure, quod ἄμωμον vocabant, Leonardum Fuchſium *ad Myrepſum ſect.* 1. *c.* 13. Alios. *Gabbara* Ægyptiis *mumiam* dici, tradit Dominicus Macer in *Hierolexico.* Hinc igitur *Mumiæ*, vulgò dicuntur medicata corpora, i. e. cadavera defunctorum, quæ aromatum exquiſitiſſimis generibus ex more gentis condita, ævum perdurant, & poſt multa annorum millia, integra penitùs, ſed in ligni duritiem rigida, in Cryptis locisque ſubterraneis Ægypti, ſubinde magnô labore eruuntur, in antiquitatis oſtentationem, & Medicum inſuper uſum. Sunt autem hæ Cryptæ è vivo alabaſtro exciſæ ac variis concamerationibus, velut ingentibus aulis diſtinctæ, ut Labyrinthus aliquis videri poſſint: Quarum nobiliſſimam, juxta Memphim hodiernam, vulgò *Cairo*, deſcribit Petrus à Valle *Itiner. tom. I.* & ex eo Kircherus *Jeſuita t.* 3. *Synt.* 13. *c.* 4. Aliam ejuſmodi ichnographiam delineavit, qui coram Cryptas illas luſtravit, Tit. Livius Burratinus, Poloniæ Regis Architectus, apud eundem Kircherum *cit. Synt* 13. *de Mumiis.*

MUMASTIS, urbs Cariæ. *Steph.*

L. MUMMIUS, homo novus, & ad Conſulatum an. 608. Urb. Cond. evectus contra Achæos, jam à Q. Metello ad Thermopylas victos miſſus eſt. Cum quibus, duce Diæô, motus ejus & belli auctore ad Iſthmon conflixit, vicitque. Mox omni Achajâ in deditionem acceptâ, Corinthum ex Senatus Conſulto diruit, quoniam legatos violâſſent. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxiliô fuerant, dirutæ ſunt. Ipſe Mummius ſe abſtinentiſſimum virum geſſit, nec quicquam ex iis opibus, ornamentiſque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Sic ferè Liv. *Epit. l.* 52. Item Plin. *de Viris illuſtribus c.* 60. Actô triumphô, qui ſignis & picturis variis ſpectatiſſimus fuit, *Achaici* nomen tulit. Geſſit poſteà Cenſuram cum P. Scipione Æmiliano; in quo honore cùm lenior viſus eſſet, non dubitavit Scipio pro Roſtris dicere, ſe omnia ex majeſtate Reip. geſturum fuiſſe, ſi ſibi cives collegam vel dediſſent, vel non dediſſent. Val. Max. *l.* 6. *c.* 4. *ex.* 2. Paterculus *l.* 1. *c.* 13. tam rudem & indoctum fuiſſe tradit, ut captâ Corinthô, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros. Scitum eſt quod ſcripſit Strabo *l.* 8. Lucullum cùm Ædem Fortunæ conſtruxiſſet, atque item porticum quandam, ſtatuas, quas Mummius complures habebat, petiviſſe in eum uſum: Nihil minus autem cogitantem ſtatuas conceſſiſſe Mummium, Lucullum verò eas omnes Deæ conſecrâſſe, quòd ſciret tum auferri non licere, & tamen miniſtris repetentibus, ut inde tollerent, juſſiſſe, adjectô, etiam ſibi jam nullum illarum uſum eſſe. Quam illius improbitatem & ſtropham quum Mummius æquô animô ferret, omni prorſus amiſſarum ſtatuarum abjectâ curâ, populum longè majore laude & gloriâ Mummium, quam qui eas Deæ poſuerat, Lucullum celebrâſſe. Deceſſit, cùm ære Corinthiô & ſignis urbem repleviſſet, non relictâ dote filiæ. Plin. *l.* 34. *c.* 7. & *l.* 37. *c.* 1. Florus *l.* 2. *c.* 6. Pauſan. *in Ach.* Vellej. *l.* 1. *c.* 13. Appian. *in Lib.* Aur. Victor. *c.* 60. *de Viris Ill. &c.*

P. MUMMIUS, dexteritate morum valde commendatus eſt, quem C. Publicius ob id dicere ſolebat, cuivis tempori hominem eſſe. Refert id apud Cicer. *l.* 2. *de Orat.* Cæſar. Ubi quod adjicit ſumtum ex Catone, priorem illo, vel certè ſynchronum fuiſſe arguit. Item Poëta Latinus. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 10.

MUMMIUS Lupercus, Legatus duarum legionum hibernis, ſub Hordeonio Flacco. Tacit. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 18. à militibus cinctus, Civilique traditus, inter dona Velledæ, *c.* 61. in itinere occiſus eſt.

MUMMIUS Quadratus, Antonini Pii, ex ſorore, nepos, apud Capitolin. in *Vita* hujus, *c.* 7. *Bonorum maternorum partem* Mummio Quadrato *ſororis filio (quia illa jam mortua erat) tradidit.* Salmaſ. legi jubet *Numidius* aut *Numius.*

MUMMIUS Secundinus, inter Nobiles Rom. à Severo ſine cauſæ dictione occiſos, memoratur Spartiano in *Vita* hujus. *c.* 13.

MUMMOLIUS, Patricius, Comes Antiſſiodorenſis, victoriis celebris: Duxerat exercituum Guntrani, Burgundiæ Regis, filii Clotarii I. Turones & Pictones Chilperico eripuit, qui illis Sigebertum exuerat. Dein Amatô, duce copiarum Guntrani à Longobar-

gobardis in Delphinatu victô, Mummolius hos ſæpius fudit, & Provinciæ Præfectus Saxones fortiter repulit. Paulo pòſt cùm Rege ſuo colliſus, ad Gombaldum tranſiit, ſed Convenis captus, occiſus, A. C. 585. & uxor ejus excruciata tormentis, confeſſa eſt, ingentem theſaurum Avenione maritum recondidiſſe. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. 6. 7. Paul. Diac. *l.* 3. & 4. Aimoin. *l.* 3.

MUNATIUS Gratus, Eques Roman. particeps Piſoni conjurationis in Neronem. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50.

MUNATIUS Plancus, Conſul fuit cum C. Silio, poſtea ad ſeditioſum Germanicum exercitum legatus, ac ſuſpectus, quòd auctoritate ejus Senatus conſultum factum eſſet, quô irrita redderentur, quæ per ſeditionem expreſſerant. Idcircò obvii milites eum invadunt, atque in caſtris primæ legionis ſigna & aquilam amplexum trucidare parant, ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet. Fuit & alius *Munatius*, qui cenſurâ an. Urb. Cond. 732. functus fuerat. Vide infra.

L. MUNATIUS Plancus, patrem, avum, & proavum eôdem prænomine habuit, Orator ac diſcipulus Ciceronis. Militavit ſub Cæſare in Gallia, cui & in bello civili quum adhæſiſſet, poſt Præturam deſignatus ab illo Conſul, cum D. Bruto Galliam Comatam adminiſtravit. Bellô Mutinenſi ſumma de ſe Reip. & Ciceroni pollicitus, ad extremum iis deſertis, cum Antonio & Lepido ſe conjunxit, quoque magis eiſdem & Cæſari gratificaretur, fratrem proſcribi paſſus eſt, Lepidi, qui & ipſe fratrem prodiderat, ſtudioſus imitator. Unde mox illis triumphantibus milites per jocum hunc verſum jactarunt, *De Germanis, non de Gallis triumphant Conſules.* Poſt bellum Peruſinum profectus ad Antonium, quum diu illi & reginæ Cleopatræ ſervilibus obſequiis & aſſentationibus ſe comprobâſſet, inter apparatum Actiaci belli transfugit ad Cæſarem, à quo poſt aliquot annos ad Cenſuram evectus eſt, pluribus etiam honoribus decoratus. Cæterùm Plancus idem aliquando in Mevia Gallâ nuptâ malè audivit. Unde ſutor rogatus ab illo in judicio, quô ſe artificiô tueretur, urbanè reſpondit, *Gallam ſe ſubigere*, adulterium per ambiguitatem exprobrans. Illud ſcitum eſt, quod refert Plin. *in Præfatione*, quum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, ſed poſt mortem primum edendas, ne reſpondere poſſet, dixiſſe Plancum, *Cum mortuis non niſi larvas luctari.* Quô dictô ſic repercuſſit adverſarios, ut apud eruditos nihil impudentius judicaretur. Deduxit colonias Lugdunum & Rauricam, ut inſcriptio habet Cajetæ: Ejus ſtatua viſitur Baſileæ in Curia, cum inſcr. à B. Rhenano concepta. Meminit quoque ædis Saturni ab ipſo erectæ an refectæ Sueton. *in Aug. c.* 29. Vide *Plancus*; it. *Lucius.*

MUNDA, oppid. Hiſpan. Bæticæ, nunc exciſum, adhuc *Munda*, memorabili illô prælió inter Cæſarem, & Pompeji liberos geſtô nobilitatum, quo quidem in prælio tanta utrinque edita eſt ſtrages, an. 709. Urb. Cond. ut Cæſar victor hoſtes, qui fugâ ſeſe in urbem receperant, obſidens, congeſtis corporibus vallum conſtruxerit. Ceciderunt ex Pompejanis ad 30000. peditum & 5000. equitum. Lucan. *l.* 1.

Ultima funeſtâ concurrunt prælia Mundâ.

Sil. *l.* 3. *v.* 400.

Et Munda Æmathios Italis paritura dolores.

MUNDA, vel WEISSELMUNDA, fortalitium Pruſſiæ regiæ valde munitum, in apice dextro oſtii, per quod Viſtula in mare Balticum ſe effundit; unde & dicitur. Impedit, quo minus hoſtiles naves Viſtulam ingrediantur. Prope & infra Gedanum.

MUNDA, fluv. Luſitaniæ. Vide MONDA.

MUNDÆ Annonæ, apud Lamprid. *in Alexandro Severo c.* 42. *Medicus ſub eo unus Palatinus ſalarium accepit: cæteri omnes, qui uſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas ſingulas conſequerentur, alias aliter:* ſunt *mundi panes*, oppoſiti ſordidis & furfuraceis, quibus utebantur elegantiores. Itaque cùm Archiatris iſtis annonæ exhiberentur binæ aut ternæ, ſingulæ tamen erant ex illis *mundæ*, h. e. aptæ lautioribus menſis; cœteræ in uſum familiæ. In *epiſtola* Valeriani Aug. de præmiis Aureliani, quam refert *Vopiſcus*, *mundi panes* opponuntur panibus caſtrenſibus & parciùs illi, quàm hi exhibentur. Sic autem iterum dicti ſunt, panes de prima nota ſeu ſiliginei, cujuſmodi panes poſtea Aurelianus idem, Imperator factus, Populo diſtribui juſſit, locô frumenti, quod illi priùs erogabatur. Quorum in locum cùm temporis ſucceſſu panes ſecundi ac ſordidi irrepſiſſent, uti docet *lex* 5. *Cod. Theodoſ. de pane gradili*, mutavit id Valentinianus, vel potiùs in antiquum ſtatum redegit, & ut populo *mundi* iterum e fiſco panes diſtribuerentur inſtituit. Caſaubon. *ad Lamprid.* & Salmaſ. *ad Vopiſc. c.* 48. Vide quoque hîc paſſim, inprimis in voce *Annona.*

MUNDIALIS, vide infrà *Mundus.*

MUNDIBURDIA, apud Ughellum paſſim, Diplomata ſunt Regum ac Imperatorum, quibus Eccleſiæ ac Monaſteria, in eorum *mundiburdio* ponuntur. Eſt autem *mundiburdium*, apud medii ævi Scriptores, defenſio, tutela, protectio: à Saxonico *mundius*, ſeu *mundio*, vulgò *mond-boor*, *mond-baer* & *mom-boor*, i. e. Patronus, defenſor, tutor. Spelmannus *Gloſſar.* Radix, *mund*, i. e. pax, ſecuritas, tutela, tuitio, patrocinium, defenſio. Et quidem apud Longobardos, quævis fœminæ in *mundio* erant; puellæ nempe in *mundio* ac tutela parentum, vel ſi deeſſent, agnatorum: fœminæ verò nuptiali jugo devinctæ, in *mundio* maritorum, L. Longob. *l.* 2. *tit.* 10. &c. Vide quoque in voce *Manburnus.*

MUNDITIES Ceremonialis, varia in Vet Teſtam. à Deo fuit requiſita. Præter amictus enim & edulia, quæ certis limitibus circumſcripſit, cautum etiam voluit Deus populo ſuo, *de Munditie*; ut ita omni ex parte eos ornaret ampliſſimè. Erat autem omnis immundities, pro vario hominis ſtatu, quatuor generum: Vel in ipſo ejus ortu, circa *generationem*; vel in naturali ejus conſtitutione, circa *eſculenta*; vel affectâ valetudine, circa *morbos*, vel in fine ejus, circa *mortem*. Circa *Generationem* immundus erat I. Gonorrhæus, Levit. *c.* 15. *v.* 2. II. Contaminabat omne ſperma, etiam conjugale, Levit. *c.* 15. *v.* 16. III. Mulier menſtruata, *v.* 19. IV. Mulier fluxum patiens, extra tempus ſtatum, *v.* 25. V. Puerpera, Levit. *c.* 12. *v.* 2. quæ impura erat diebus ſeptem, ut menſtruata; tum diebus 33. manebat in purgatione ſanguinis, ſi edidiſſet partum maſculum, *v.* 4. quod tempus geminabatur, ſi peperiſſet fœmellam, *v.* 5. unde & Circumciſionis ad octavum diem exactæ ratio patet. Vide Levit. *c.* 12. *v.* 2. *coll. cum v.* 3. Quâ generationis impuritate externâ, peccati originalis turpitudinem internam generationi adhærentem Deus exprimere voluit. Quoad *Edulia*, non tantùm eſui & eſculentis immunda erant animalia quædam; ſed & ipſo contactu quibuſdam, licet non adeò certò, immunda alia videntur, ut ſus &c. præcipuè verò contaminabant mortua. *Morborum* præcipua impuritas in lepra fuit, quaſi in ſummam hanc ſubducta, ut quæ ſcabiei omne genus aliaſque lues comprehenderet, Levit. *c.* 13. Inficiebat autem illa vel homines, *v.* 3. vel veſtes, *v.* 47. vel domos *v.* 34. Quam omnem lepram gravis alicujus peccati, nominatim calumniæ, pœnam eſſe arbitrabantur Judæi. Veriùs, corporis lepram non ſemper peccati particularis pœnam fuiſſe, ut colligitur, ex 2. Regum *c.* 5. coll. Lucæ *c.* 4. *v.* 27, lepram verò veſtium ac domorum, ut quæ minùs vulgaris eſſet, propter peccatum ſpecialiùs immiſſam videri. Judicium verò lepræ ſoli Sacerdoti competebat, ita ut ne peritiſſimo quidem Medico illud eſſet conceſſum, Levit. *c.* 13. *v.* 2. coll. Matt. *c.* 8. *v.* 4. &c. Atque ita per omnem ætatem, in omni ſtatu, ab ipſis iiſque incunabulis, *immundities* multiplici obnoxius erat Judæus, ne quidem ipſa *Morte* eximiâ; à qua quæ proficiſcebatur contaminatio, reliquas omnes ferè ſuperabat. Erat illa vel in brutis vel in homine, quorum illa mortua, tam immunda, quàm munda, ſolo contactu inquinabant. Et quidem immunda animalia, ex quorum tactis cadaveribus impuritas contrahebatur, enumerantur Levit. *c.* 11. *v.* 24. 27. quibus adduntur octo reptilium ſpecies, *v.* 29. 30. 31. quin imo contaminabatur omnis res, quæ tale cadaver attigiſſet, *v.* 32. 33. *Munda* verò tacta contaminabant, ſi morticina, Græcè Κενθόμια aut θνησιμαῖα, eſſent, i. e. ſuâ ſponte, nullâ vi extincta; vel ſuffocata, abſque amiſſione ſanguinis, Levit. *c.* 11. *v.* 39. 40. At ipſius hominis cadavere nihil erat contagioſius; illud enim vel ex præſentia ſola, non tantùm ex contactu ſuo, contagione afficiebat omnem, qui in eodem erat loco, Numer. *c.* 19. *v.* 14. eâque immunditie, quæ nonniſi cinere vaccæ rufæ erat tollenda, *Ibid.* Quibus omnibus Deus, cujus regnum eſt vitæ, mortem, ut ὀψώνια peccati horrere ſe & abominari, operumque mortuorum communionem vitandam eſſe, luculenter voluit teſtatum. Pro harum autem immunditiarum varia ratione, vario item modo, *immundi* à caſtris arcebantur, Numer. *c.* 5. *v.* 2. Deuter. *c.* 23. *v.* 10. & 2. Chron. *c.* 23. 19. donec ab immunditie ſua eſſent purgati, & violata ceremoniarum religio expiata: quòd fiebat tum in *ſacrificiis*, tum in *lotionibus* & *aſperſionibus*. Puerperæ ſacrificium, habes Levit. *c.* 12, *v.* 6. 7. 8. Gonorrhæi, Levit. *c.* 15. *v.* 14. Mulieris fluentis, *v.* 29. Leproſi *c.* 14. *v.* 10. quod omnes offerebant, poſtquam probè purgati & abluti eſſent. Communis enim purificationum omnium ratio & quaſi caput conſiſtebat in *balneis*, Levit. *c.* 15. *v.* 16. in quibus aquâ vivâ totum corpus abluebatur, quem ritum Hebræi טבילה dixêre. Solennior erat Leproſi purificatio, ut videre eſt Levit. *c.* 14. & *ſeqq.* Præ cœteris verò omnibus ſingularis erat purificatio polluti è morticinio; quæ *aquâ ſeparationis*, ſeu aquâ cinere vaccæ rufæ conſperſâ, peragebatur, Numer. *c.* 19. *v.* 19. &c. Vacca autem hæc erat I. tota rufa. II. Comburens eam erat Princeps Sacerdotum, à Pontifice ſecundus, qui per ſeptem dies eum in finem ſeparabatur ab uxore. III. Educebatur vacca è Templo ad montem Olivarum, in quo comburebatur & ſanguis ejus adſpergebatur. Tandem IV. aquæ ita reſperſæ cineres hujus vaccæ ſervabantur & valebant ad purgandam immunditiem ex tacto cadavere contractam. Quæ omnia quid ſignificaverint, apud Theologos reperies. Vide inprimis Franc. Burmannum *Synopſi Theol. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 22. Has verò ceremonias quomodo Gentiles in ſacris ſuis fuerint imitati, diximus alibi. Vide ubi de *Heterogeneis Purgatione, Purificatione* &c.

à MUNDO mulíebri, vide infrà *Mundus muliebris* it. *Sarcinator.*

MUNDUS, vide *Paulina.*

MUNDUS, per ovum myſticè repræſentatus, in Zoroaſtris Schola apud Plut. *de Iſide & Oſir.* Ei enim figuram ovalem antiquiſſimi tribuerunt; Sanchuniathon præcipuè, de quo vide ſuô locô. Unde Thebaidos incolæ, Deum *Mundi* opificem exprimere volentes, efformabant eum ore ovum effundentem: *ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ὠὸν κόσμον, ovum autem interpretantur mundum*, uti ait *Porphyrius* alicubi. Etiam in Orgiis Liberi Patris, quæ ab Orpheo inſtituta, ovum Mundi erat ſymbolum, ut docet Plut. *Sympoſ. l.* 2. *quæſt.* 3. & Macrob. *Saturnal. l.* 7. *c.* 16. Quare Proclus *in Timæum*, eadem eſſe ait, τὸ Ὀρφικὸν ὠὸν καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν, *Orphei ovum & Platonis Quod eſt.* Varro quoque cum ovo Mundum comparat, *in Logiſtorico*, qui *Tubero*, ſive *de Origine humana*, inſcribitur, apud Probum *in Eclog.* 6. *Cœlum eſt teſta; item vitellum terra; inter illa duo humor, quaſi in ſinum cluſus aëri, in quo calor* &c. Hoc ovum itaque, ab Oromaſde, Principio bono, perfectum; Arimanius, Principium malum, Geniis malis conditis, perforâſſe, atque ita bona permiſcuiſſe malis, mala bonis, delirârunt olim Zoroaſtris ſectatores. Quæ fabuloſa eſſe nemo non videt: interim non obſcuræ in iis apparent reliquiæ doctrinæ Noachicæ; tum de Deo, habitante lucem inacceſſam, Mundique opifice; tum de Satana, aëris ac caliginis Principe, mali omnis fonte & auctore. Vide quæ infrà de *Ovo*, & plura hanc in rem, apud Ger. Jo. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l.* 1. *c.* 5. Sed & ovi hieroglyphicum, ætern-

æternitatem Mundi, nonnullis olim creditam, indigitâſſe videtur. Certè circa originem *Mundi* variè dubitatum veteribus Philoſophis: Quorum alii, magnifici adeò operis admiratione perculſi, Mundum atque immenſum hoc quod videmus & palpamus, ipſum eſſe Deum dixerunt, ut Plin. *l.* 1. *c.* 1. Alii, etſi Auctorem aliquem ejus faterentur, non rectè tamen ad eum aſſurgere valuerunt: ſed cùm ex nihilo nihil poſſe fieri arbitrarentur, iſtô axiomate decepti, Mundum hunc docuerunt eſſe æternum, quæ Ariſtotelis fuit ſententia. Cùm autem inde ſequeretur, poſitâ hâc Mundi diſpoſitione, infinitus atque æternus Animarum numerus; Pythagoras, iſtâ difficultate victus, animarum μετεμψύχωσιν commentus eſt, quem plures Philoſophi ſecuti. Reliqui, contrariâ viâ, cum Epicuro Mundum nec æternum, nec eundem ſemper eſſe dixerunt, ſed eum ex atomis ſæpius conſtruxerunt, atque in eoſdem rurſus diſſolverunt; & non Deum, ſed caſum Mundi architectum fecerunt: unde neque Dei, neque etiam propriè hominum cauſâ eum factum voluerunt. Cùm tamen opus adeo magnum & elegans longè aliis, quàm Fortunæ manibus, extructum eſſe, vel cœcutienti pateat; ipſâ ratione Mundi conditorem haud obſcure loquente. Sed tutius & compendioſius Moſes qui ſine ullis ambagibus creati Mundi originem atque natales initiô ſacræ ſuæ Hiſtoriæ pandit, brevibuſque verbis infinitas ac moleſtiſſimas hominum cogitationes & quæſtiones in hac materia præſcindit; cujus rudera ac reliquiæ quædam in Philoſophorum atque Poëtarum ipſorummet ſcriptis hodieque extant. Etſi autem ipſum *Mundi* conditi initium atque annus ejus veluti natalis, exactè inveniri non poſſit, atque ea res à Chronologis pro deſperata habeatur; ſatis tamen è ſacro Moſis, & Prophetarum calculo conſtat, Mundum non adeò antiquum eſſe, ut ejus ortus ab immenſo ſeculorum intervallo repetendus ſit; ſed eſſe recentiorem, ut juxta Chronologorum communem calculum, necdum ſex mille annorum ætatem attigerit &c. Franc. Burmannus *Synopſi Theol. Chr. Part. I. l.* 1. *c.* 41. Vide & infrà *Tubarum Feſtum*, ubi de natali *Mundi* aliquid, ex Hebræorum ſententia. Effigiem *Mundi*, in diademate ſuo Imperator gerit. In illo enim bractea aurea & gemmata conſpicitur, incipiens à media lamina, quâ tegit mediam frontem undeque incipit ambire vacuum illud diadematis intervallum, quod in ſpeciem lunæ ſinuatur. Hæc bractea deſinit in aliam laminæ partem, quæ in occipicio media eſt: quô modô fit: ut habeat ad latera utrumque cornu, quæ ſunt culmina diadematis, unum dextrorſum, alterum ſiniſtrorſum. Summitas hujus bracteæ globum ſuſtinet, *Mundi* effigiem, quô nihil Majeſtati Imperatoriæ repræſentandæ aptius; ut videre eſt apud Car. Paſchalium, qui in hoc hieroglyphico explicando multus eſt, *Coronar. l.* 9. *c.* 21. Apud medii ævi Scriptores *Mundus* pro ſeculo ponitur. Unde *Mundialis*, Græcè Κοσμικὸς, h. e. ſecularis, ut vocant: quô nomine inprimis, apud Toloſanos, in Gallia, veniunt præcipui è civitate adoleſcentes delicatè ac munde veſtiti, *Moundi* vulgó, uti habet Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MUNDUS Muliebris, quid propriè ſit, diſcimus ex Livio *l.* 34. *c.* 7. *Mundicia & ornatus & cultus hæc fœminarum inſignia ſunt: his gaudent & gloriantur, hunc* Mundum muliebrem *appellârunt Majores noſtri.* Quem cùm C. Oppius Trib. Pleb. in medio ardore Punici belli, lege latâ, admodum circumcidiſſet; eamque poſtmodum legem M. & P. Junius Bruti Tribuni Pleb. tuerentur, matronæ Romanæ, concurſu, ex oppidis quoque conciliabuliſque, factô, omnes vias urbis adituſque in Forum obſederunt, jamque & Conſules Prætoreſque & alios Magiſtratus adire & rogare auſæ, non abſtiterunt antè, quàm abrogatâ lege priſtinus illis redditus ornatus eſſet. Vide dignas omnino lectu Orationes, M. Porcii Catonis pro lege, & contra eam L. Valerii *ibid.* ut & ſuprà, in voce *Socalia*, item *Muliebris Mundus.*

MUNDUS Parvus, vide ſuprà *Homo.*

MUNDUS Subterraneus, in quo univerſæ Naturæ Majeſtas & divitiæ, ſummâ rerum varietate, exponitur, abditorumque effectuum cauſæ, in totius Naturæ ambitu eluceſcentes, duobus Tomis demonſtrantur; prodiit, Auctore Athan. Kircherô, Amſtelodami 1664. *in fol.* & denuò multô auctior, 1678. ex Officina Janſſonio-Waesbergiana.

MUNERALIS, lex Cincia dicta eſt, quam de donis ac muneribus, in hæc verba tulit M. Cincius Tribunus Pleb. M. Corn. Cethegô & P. Semproniô Tuditanô Conſulib. an. Urb. Cond. 559. *Nequis ob cauſam orandam domum, munuſque caperet.* Liv. *l.* 34. *c.* 34. Tacitus *l.* 13. *Annal. c.* 42. Cicer. *ad Atticum l.* 1. *Ep.* 20. *de Orat. l.* 2. & *in Catone.* Plautus, *in Fragm.*

Ne quam Muneralem legem, neque lenoniam,
Rogata fuerit nec ne, flocci æſtimo.

Ejuſdem legis & alia quædam capita memorantur: *Ne quis plus ducentis aureis donare liceret: extra quam ſi conjunctis perſonis donaretur, quod eo amplius donatum eſſet, ratum non eſſet*, argumento *l. ſancimus C. de donat.* Ulpianus *Inſtitut. c.* 1. *l.* 1. & *leg.* 6. *C. Theod. de donat.* Item, *ut in donatione quibuſcunque perſonis facta, mancipatio traditione adhiberetur*, *ff. l.* 4. & *l.* 5. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l.* 8. *c.* 22.

MUNERARII, apud Romanos dicti ſunt, qui populo *Munus*, i. e. ſpectaculum exhiberent: Hôc enim nomine veniebant Ludi honorarii, qui ad populi favorem captandum inſtituebantur, Gladiatura inprimis, ac Ludi ſcenici. *Funebres* item, à quibus moris origo, ut vidimus. Unde ad verba Martialis *de Spectac. Epigr.* 6.

Priſca fides taceat: nam poſt tua munera *Cæſar,*
Hæc jam fœmineâ vidimus acta manu:

Munera, inquit Vir eruditus, *propriè ad gladiatorios Ludos ſpectant; ſed & includunt naumachias & venationes: quæ vel* pugnæ, *exque beſtiarum inter ſe commiſſarum, aut beſtiariorum*, θηριομάχων, *qui cùm feris congrediebantur; aut ubi vincti objectabantur feris captitis rei, malefici & miſelli Chriſtiani: vel* direptiones *miſſilium per teſſeras, vel ſine teſſera.* De naumachiis, intelligit vocem idem apud eundem Poëtam *l.* 4. *Epigr.* 2.

Spectabat modò ſolus inter omnes
Nigris munus *Horatius lacernis* &c.

Exhibebantur enim inter magnos imbres naumachiæ, unde in lacernis ſpectari ſolebant, quæ non niſi pluviali tempore ſumebantur. Sed & Spectaculum quodvis hôc nomine non rarô occurrit. Iidem & *Editores* dicti ſunt. Vide Lipſium *Saturnal. l.* 1. *c.* 7.

MUNGERE in Theatris nefas, vide ſuprà *Emunctio*, item *Excreare.*

MUNGHOA, vulgò MUNGHOA, urbs Junnaniæ, in Sina, prope lacum. *M. Martinius.*

MUNICHIATES, Arabiæ Petrææ urbs. *Ptol.*

MUNICIPES Criſpini, apud Juvenal. *Sat.* 4. de Criſpino Alexandrino, *v.* 32.

Nunc princeps equitum, magnâ qui voce ſolebat
Vendere municipes *Pharia de merce ſiluros:*

Siluri ſunt, qui piſcis, Nili amnis proprius: Criſpinus autem Alexandrinus fuit. Cujus proin *patriam* quoque *papyrum* idem ibidem vocat, h. e. *municipem*: *v.* 24.

Succinctus patriâ quondam Criſpine papyro.

Et alibi Creticas lagenas, *municipes Jovis* appellat, *Satyrâ* 14. *v.* 270.

—— — de littore Cretæ
Paſſum, & municipes Jovis advexiſſe lagenas.

Ita itaque planè *d. l.* de Faria merce Siluri, *municipes Criſpini.* Sic Martial. *l.* 10. *Epigr.* 87.

Cadmi municipes ferat lacernas,

ubi Tyrias intelligit &c. Vide Salmaſ. *Exerc. ad Solinum p.* 1314.

MUNICIPIUM, Latinis quid ſit, & quid à Colonia differat. & quid ſint *Municipes*, quæve vocabuli hujus ratio ac proprietas, integro *c.* 13. *l.* 16. exponit A. Gellius, ubi inter alia docet, *non meliore conditione fuiſſe Colonias*, ut vulgò creditum, *quàm municipia; quo de errore D. Hadrianus in oratione, quam de Italicenſibus in Senatu habuit, peritiſſimè diſſeruerit: mirari ſe oſtendens, quod & ipſi Italicenſes & quædam item alia* Municipia *antiqua, quum ſuis moribus legibuſque uti poſſent, in jus Coloniarum mutari geſtiverint: cùm contra Prænestini maximô opere à Tiberio Imperatore petierint, ut ex Colonia in* Municipii *ſtatum redigerentur.* Pergit dein, *Municipes ergo ſunt cives Romani ex* Municipiis, *legibus ſuis & ſuô jure utentes, muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellari videntur, nullis aliis neceſſitatibus neque ullâ Populi Rom. lege adſtricti, ni populus eorum fundus factus eſt.* I. e. niſi tota civitas juri Quiritium ſe ſubjeciſſet, ac ſecundùm id ſe victuram in poſterum recepiſſet, ut phraſin hanc explicat Cicer. *pro Corn. Balbo.* Addit Gellius, *Primos autem* Municipes *ſine ſuffragii jure Cærites eſſe factos accepimus: conceſſumque illis, ut Civitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent.* Subnectit tandem, *Sed Coloniarum alia neceſſitudo eſt: non enim veniunt extrinſecus in Civitatem, nec ſuis radicibus nituntur* (uti municipia): *ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia populi Romani non ſui arbitrii, habent* &c. Paulus aliter *Feſtus*, è cujus verbis conſtat, *Municipes* non ſemper eôdem modô acceptos eſſe: Illud interim conſtat, *Municipes* ex eo nominatos, quòd jus adepti eſſent cum Populo Romano *munere capiendi.* Unde & *Ulpianus*, Municipes propriè dictos ait, *qui in civitatem Romanam accepti, munerum participes fierent.* Munera verò nil aliud ſunt, quam officiorum civilium jura. *Municipes* itaque fuêre homines juris civium Romanorum participes, & *Municipium*, oppidum jure civium Romanor. donatum. Cœterùm non ejuſdem ſemper juris *Municipes* fuêre: Nam primis temporibus civitas aliis cum ſuffragio, aliis verò ſine ſuffragii jure data fuit; quorum illi Romanis vivebant legibus, ac jus habebant Romæ petendi Magiſtratum, iſti ſuis viventes legibus, ad dignitates non admittebantur; Quod enim *Muneris honorarii* participes facti dicuntur, nil aliud erat, quàm quòd honoris cauſâ in civitatem Romanam recepti, cives Romani dicebantur, & in Legione, tanquam tales, non in auxiliis, ut ſocii, militabant. Vide Jac. Oiſelium JCtum *Notis in A Gellium locô ſuprà laudatô*: Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. &c. Fuêre autem *Municipia* Romana quædam in Italia; quædam extra Italiam, de quibus infrà. Hinc *Municipalis Vita*, apud Martialem, *l.* 4. *Epigr.* 66.

Egiſti vitam ſemper, Line, municipalem,
Quâ nihil omnino vilius eſſe poteſt &c.

H. e. frugalis, ut poterustica, quam degunt in *Municipiis.* Irridet enim hôc Epigrammate Poëta Linum quendam, qui ingens patrimonium dilapidaverat cô victu & cultu, quô alius potuiſſet id multum augere: docetque illum rem feciſſe diſſimilem; Nam parcè vivendo, (quô modô alii diteſcunt) illum contra pauperrimum ex divite factum eſſe, Rameſius *ad l.*

MUNICIPIA ROMANA IN ITALIA. † SIGNUM EST, INTERIISSE; EX FERRAR.

Acerræ, in Campania, Livio. *l.* 23. *c.* 17.

Aletrium, in Latio, ex *veter. inſcr.*

Alliſa, in Samnio, ex *veter. inſcr.*

Ameria, in Umbria, Ciceroni, *pro Roſc.*

Anagnia, in Latio, Livio, *l.* 9. *c.* 41. & Ciceron. *l.* 16. *Attic. Ep.* 8.

Aquinum, in Latio, iiſdem. Liv. *l.* 26. *c.* 9. Cicer. 2. *Phil. c.* 41.

Aretium, in Hetruria, *vetus inſcript.*

Aricia, in Latio, Livio, *l.* 42. *c.* 63. Vellejo, *l.* 1. *c.* 14. *Feſto* &c.

Arpinum, in Latio, Livio *l.* 9. *c.* 44. Ciceroni, *l.* 2. *Attic. Ep.* 11.
Aſculum, in Piceno, Cicer. *in Bruto c.* 46.
Aſiſium, in Umbria, ex *veter. inſcr.*
† Atella, in Campania, ex *veter. inſcr.*
Blera, in Hetruria, ex *veter. inſcript.*
Bononia, in Gallia Togata, ex *Feſto.*
Bovillæ, in Latio, ex Cicer. *l.* 5. *Attic. Ep.* 13.
Cære, in Hetruria, *ex veter. inſcr.* & Gellio. *l.* 16. *c.* 13.
Calenum, in Campania, Ciceroni, 2. *Agrar. c.* 31.
Capena, in Hetruria, ex *veter. inſcr.*
Capua, in Campania, ex *veter. inſcr.*
† Caſinum, in Samnio, ex *veter. inſcr.*
† Caſventum, in Umbria, ex *veter. inſcr.*
Cluſium, in Hetruria ex *veter. inſcr.*
Cora, in Latio, ex *veter. inſcr.*
† Cumæ, in Campania, Livio *l.* 25. *c.* 7. & ex *veter. inſcr.*
Eporedia, in Salaſſis, ex Tacito, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 70.
Ferentinum, in Latio, Livio, *l.* 25. *c.* 9.
Forentum, in Latio, Plinio, *l.* 3. *c.* 5.
† Formiæ, in Latio novo, Livio, *l.* 35. *c.* 21.
† Forum Flaminii, in Umbria, ex *veter. inſcr.*
Forum Sempronii, in Umbris, ex *veter. inſcr.*
Fundi, in Latio, *Livio.*
† Gabii, in Latio, *Ciceroni.*
Hiſpellum, in Umbris, ex *veter. inſcr.*
Hydruntum, in Salentinis, ex *veter. inſcr.*
Interamna, in Latio, ex *veter. inſcr.*
† Lanuvium, in Latio, Livio *l.* 21. *c.* 62. Cicer. 2. *Agrar. c.* 25.
Larinum, in Frentanis, Ciceroni, *pro Cluent. c.* 63.
Lavici, in Latio, Ciceroni, 2. *Agrar. c.* 35.
Luca, in Hetruria, *Feſto.*
Mediolanum, in Inſubria, Tacito, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 70.
Mevania, in Umbria, *vetus inſcr.*
† Mevoniola. *ibidem.*
† Nahattes, in Umbria, *vetus inſcr.*
Nepet, in Hetruria, *Feſto.*
Nola, in Campania, *Feſto.*
† Nomentum, Sabinis, Livio, *l.* 4. *c.* 22.
Movaria, in Inſubria, Tacito, *l.* 1. *Hiſtor. c.* 70.
† Numana, in Piceno, ex *veter. inſcr.*
Ocriculum, in Umbria, ex *veter. inſcr.*
† Pedum, in Latio, Livio, *l.* 2. *c.* 39.
Piſæ, in Hetruria, *Feſto.*
Placentia, in Gallia Togata *Feſto.*
Præneſte, in Latio, *Feſto.*
Privernum, in Latio, Livio *l.* 7. *c.* 16. & *veter. inſcr.*
Rhegium, in Brutiis, *vetus inſcr.*
Sæpinum, in Samnio, *vetus inſcr.*
Sarſina, in Æmilia, *vetus inſcr.*
† Scaptia, in Latio, Plinio, *l.* 3. *c.* 4.
Seguſium, in Taurinis, ex *veter. inſcr.*
† Sinueſſa, in Campania, ex *veter. inſcr.*
Sueſſa, in Campania, ſimiliter.
† Sueſſula, in Campania, *itidem.*
Surrentum, in Picentibus, ex *veter. inſcr.*
Sutrium, in Hetruria, *Feſto.*
† Tarquinii, in Thuſcia, Ciceroni, *l.* 2. *Divinat.*
Tibur, in Latio, *Feſto.*
Tifernum, in Umbria, ex *veter inſcr.*
† Trebula, in Latio, Livio, *l.* 10. *c.* 1.
† Tuſculum, in Latio, *Sexto Pompejo,* Livio *l.* 3. *c.* 18.
Vercellæ, in Inſubria, Tacito *l.* 1. *Hiſtor. c.* 70.
† Vindinum, in Umbria, ex *veter. inſcr.*
Urbinum, in Umbria, ex *veter. inſcr.*

Municipiorum aliquot Italiæ, apud Veteres alius catalogus.

Acerræ, Campaniæ.
Aletrium, Latii.
Allifa, Samnii.
Ameria, Umbriæ.
Anagnia, Latii.
Aretium, Hetruriæ.
Aricia, Latii.
Arpinum, Latii.
Aſculum, Piceni.
Aſſiſium, Umbriæ.
† Atella, Campaniæ.
Blera, Hetruriæ.
Cære, Hetruriæ.
Capena, Hetruriæ.
† Caſſinum, Samnii.
Cluſium, Hetruriæ.
† Cora, Latii.
† Cumæ, Campaniæ.
Eporedia, Galliæ Subalpinæ.
† Formiæ, Latii novi.
† Forum Flaminii, Umbriæ.
Forum Sempronii, Umbriæ.
Fundi, Latii novi.
† Gabii, Latii.
Hiſpellum, Umbriæ.
Hydruntum, Salentinorum.
Interamna, Umbriæ, vel Latii.
Labici, Latii.
† Lanuvium, Latii.
Larinum, Apuliæ.
† Mæcia, Latii.
Mediolanum, Inſubriæ.
Mevania, Umbriæ.
Nepet, Hetruriæ.
Nola, Campaniæ.
† Nomentum, Sabinorum.
Novaria, Inſubriæ.
† Numana, Piceni.
† Pedum, Latii.
Privernum, Latii.
Rhegium, Brutiorum:
Sæpinum, Samnii.
† Scaptia, Latii.
Seguſium, Galliæ Subalpinæ.
Sueſſa, Campaniæ.
† Sueſſula, Campaniæ.
Surrentum Picentinorum.
Tifernum, Umbriæ.
† Trebula, Latii.
† Tuſculum, Latii.
Vercellæ, Inſubriæ, in confinio Galliæ Sabalpinæ.
Urbinum Umbriæ.

Et quia eædem aliquando Urbes Coloniæ fuêre, & *Municipia* & Præfecturæ; conditionemque aliàs mutârunt, ut ex Præfecturis Coloniæ, vel *Municipia;* vel ex Coloniis *Municipia* factæ ſint: ſeriem *Municipiorum,* quæ Præfecturæ fuêre, ſubjungam.

Municipia, quæ Præfecturæ Romanæ, in Italia, fuere.

Acerræ in Campania, *Sexto Pompejo.*
Alliphæ, in Samnio.
Anagnia, in Latio.
Arpinum, in Latio.
† Atella, in Campania.
Atina, in Latio, Ciceroni, *pro Planco c.* 12.
Cære, in Thuſcia.
† Calatia, in Campania.
Calenum, ibidem, Ciceroni. 2. *Agrar. c.* 31.
Capua, ibidem.
Caſilinum, ibidem.
† Caſinum, ibidem, Ciceroni *loc. cit.*
Cora, in Latio, *Ciceroni, Straboni.*
† Coſſa, in Thuſcia, *Ciceroni.*
† Cumæ, in Campania.
† Formiæ, in Latio novo.
Fruſino, in Latio.
Fundi, in Latio.
† Linternum, in Campania.
Neapolis, ibidem, Ciceroni, 2. *Agrar. c.* 31.
Nurſia, in Umbria.
Placentia, in Æmilia, Ciceroni, *in Piſon c.* 1.
Præneſte, in Latio, Ciceroni, *pro Planco c.* 26.
Puteoli, in Campania.
Reate, in Sabinis, Ciceroni, *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 2.
† Saturnia, in Tuſcia.
Sora, in Latio, Ciceroni, *pro Planco.*
Sueſſa, in Campania, Ciceroni, 3 *Philipp. c.* 4.
† Sueſſula, ibidem.
Tibur, in Latio, Ciceroni, 6. *Philipp. c.* 4.
Venafrum, in Samnio.
Vulturnum in Campania &c. *Municipia* extra Italiam plurima fuêre, quæ Colonias numerô ſuperabant. Quænam autem dictæ fuerint Præfecturæ olim apud Roman. Vide in voce *Præfectura.*

MUNIFICES, quinam in militia Romana dicti, vide infrà *Tyro.*

MUNIM, nomen viri. Eſdr. 2. *v.* 50.

MUNITIUM, urbs German. *Ptol. Göttingen,* teſte Villanovanô, in Haſſiæ, Saxoniæque confiniis, media inter Mundam ad Meridiem, & Eimbecam ad Boream. *Baudrando* oppid. fuit Cattorum. Quibuſdam eſt *Göttinga,* urbs Ducatus Brunſuicenſis ad Leinam fluv. in confinio Haſſiæ, 3. milliar. German. à Vilurgi in Ortum, 4. ab Embeca in Auſtrum, 8. à Northuſia in Occidentem.

MUNSTERBERGA, urbs Sileſiæ, ſub Duce proprio, cum arce ſplendida, ad Olavum amnem. 7. milliar. German. ab Uratiſlavia in Meridiem 7. ab Oppolia in Occaſum, Bohemiam verſus. Vide etiam *Monſterberga.* Familiæ caput Gerhardus fuit, ex Comitibus *de Nidda* & *Berneck,* Boſconis filius, qui Cunſtadium in Bohemia condidit, & titulum ad poſteros tranſmiſit. Ejus pronepos Boſco dein *Podiebradii* nomen aſſumſit, ac iterum pronepotem habuit Georgium, qui Regnum Bohemiæ geſſit. Hujus filii, Victorinus & Hinco, *Munſterbergenſes,* Oelsnenſes & Volavienſes Duces creati ſunt. E quibus Principatibus, poſtquam alienatus eſſet *Munſterbergicus,* cum hujus titulo *Oelsnenſis* & *Bernſtadius* ad poſteritatem tranſiêre. Eam terminârunt ex maſculis Henricus Wenceslaus A. C. 1639. & Carolus Fridericus A. C. 1647. mortui, quorum ſic habent Progenitores; Victorinus de *Cunſtad* & *Podiebrad* Comes *de Berneck, Nidda* & *Glaz,* ex Anna *de Wartenberg;* pater fuit Georgii Dn. *de Podiebrad,* Regis Bohemiæ, extincti A. C. 1471. Hôc & Cungundâ *de Sternberg* (filiâ Smilonis Liberi Baron. *de Sternberg*) genitus Henricus (poſt obitum Johannis ultimi Munſterbergenſium Ducum, ex familia Piaſtea) de ducatu hoc, cum fratre, à Friderico III. Imperatore inveſtitus eſt A. C. 1463. obiitque A. C. 1498. Pater, ex Urſula Brandeburgica (filia Alberti Electoris) Caroli Ducis *Munſterbergæ* & *Oelſæ,* defuncti A. C. 1536. Huic Anna Saganenſis (filia Johannis Ducis Glogoviæ & Sagani) peperit Henricum, qui deceſſit A. C. 1617. relictô ex Margaretha Megapolitana (Henrici Ducis filiâ) Carolô, qui eôdem, quô Pater annô, fatô functus eſt. Suſcepit verò hic, ex Eliſabetha Magdalena Lignicia, Georgium (natum & denatum 1590.) Henricum Wenceſlaum (natum 1592. denatum 1639. poſtquam Annam primò Magdalenam Palatinam; exin Annam Urſulam Reibnizam, uxores duxiſſet) Carolum Fridericum, ultimum ex Podiebradiis maſculum, A. C. 1593. maritum primò Annæ, dein Sophiæ Magdalenæ Ligniciæ defunctæ A. C. 1647.) Barbaram Margaretham (natam A. C. 1595. denatam 1652.) Georgium Joachimum (natum 1597. denatum 1598.) Eliſabetham Magdalenam (natam 1599. uxorem Georgii Rudolfi Ducis Lignicii, denatam 1631.) & Sophiam Catharinam (natam 1601. nuptam Georgio Duci Lignicio, defunctam...) omnes *Duces Sileſiæ, in Monſterberg & Oels* &c. è quibus Caroli Friderici filia Eliſabetha Maria (nata A. C. 1625. ex priore ejus uxore) Sylvio Nimrodo è Ducibus Wirtenbergicis, marito, hæreditatem attulit: impetrata à Ferdinando III. Imperatore inveſtiturâ (quâ ipſa Conjux ſimul inveſtitita, & Beneficium ad ſecundum, ſi iniret, conjugium protenſum eſt.) Quibus conjugibus nati ſunt, Ferdinandus Carolus (natus 1650. denatus 1668.) Sylvius Fridericus (natus 1651. & ab A. C. 1672. Eleonoræ Carolæ agnatæ maritus) Chriſtianus Ulricus (natus 1652. maritus Annæ Eliſabethæ filiæ Chriſtiani Principis Anhaltini, & ex ea Pater Chriſtiani Ulrici & Leopoldi Victoris) & Julius Sigiſmundus (natus 1653.) omnes *Duces Olſenſes, lineæ Julianæ Wirtenbergicæ.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Part.* 2. *p.* 17.

MUNSTERUS Sebaſtianus, Ingelheimenſis, Theologus ac Coſmographus præſtantiſſimus, linguæ Hebrææ Chaldææque palingeneſiâ, ejus induſtriâ promotâ, immortale nomen meruit. Hic anno ætat. 14. ingenii causâ Heidelbergam miſſus, biennio pòſt Ordinem Minorum de Obſervantia profeſſus eſt. Conradi dein

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dein Pellicani famâ permotus, obtinuit, ut A. C. 1509. illius in Hebraica eruditione, quæ tum rara admodum ac inſolens, audiendi cauſâ, ad conventum Rubeaquenſem mitteretur. Dein A. C. 1515. ad Tubingenſes Franciſcanos concedens, Mathematicas artes, ſub Joh. Stoflero Juſtingenſi, perdidicit. Hinc reverſus Heidelbergam, aulicum Ludovici Electoris egit Concionatorem: ibique Lexicon Chaldaicum concinnavit, cùm Dictionario Talmudico, & primus Grammaticam Chaldaicam annotavit. Inde Baſileam perveniens, Pellicano in Hebræa cathedra ſucceſſit, & in Schola quoque Theologorum aliquandiu docuit. Obiit tandem A. C. 1552. ætat. limacterico *Germanus Eſdras Straboque* in Epitaphico dictus. Scripſit, præter jam memorata, Coſmographiam, opus inſigne: *Annotationes item in V. T.* inter Criticos ſacros: *Annotationes Gramm. in Proverbia*, *Matthæi verſionem cum Annotat. &c.* De hoc *Verheiden*: *Qui cùm variarum ſcientiarum cognitione, tum verò Mathematicis præclarè imbutus fuit.* Plura vide in *Elogiis* Anton. Teiſſier. *Part.* 1. & 2.

MUNTZENBERGICA Familia, inter Germaniæ illuſtres, Hanovicæ ſtirpis ramus fuit: hæc enim, cujus inter Wetteravicos Comites à pluribus ſeculis memoria floruit, poſtquam plurium deficientium inſitione creviſſet, inde *Munzenbergicus*, *Rheineccius*, *Ziegenhainenſis* (qui iterum domô exiit) *Liechtenbergius*, *Bipontinus*, tituli, A. C. 1451. Reinhardus obiit, pater Reinhardi I. & Philippi, quorum hic ab uxore Lichtenbergium dominium nactus, novæ lineæ, adhuc ſuperſtitis, auctor fuit: Ille Hanovicum ramum propagavit, cujus extremos palmites, *Hanovicum* Philippus Ludovicus A. C. 1641. *Schwartzenfelſium* Joh. Erneſtus A. C. 1642. terminârunt. Ita autem Joh. hujus Erneſti progenitores habent: Præfati Reinhardi I. fil. Philippus I. Comes Hanoviæ in *Müntzenberg*, obiit A. C. 1500. ex Adriana (filia Engelberti Naſſoviæ Comite) pater Reinhardi II. defuncti A. C. 1512. Hôc & Catharinâ Schwartzenburgicâ (filiâ Guntheri Comitis) genitus Philippus II. deceſſit A. C. 1519. ſuperſtite, ex Julianâ Stolbergia (filia Botonis Comitis, extincta A. C. 1580.) filiô Philippô III. qui fatô functus eſt A. C. 1561. Huic Helena Palatina, (filia Johannis II. Comitis Palatini Rheni, lineæ Simmerenſis) peperit Philippum Ludovicum, Comitem Hanovienſem *in Munzenberg*, extinctum A. C. 1580. & ex Lucia Magdalena Waldeccia patrem Alberti Comitis Hanoviæ *in Schwartzenfels*, qui demortuus A. C. 1636. ex Irmgardt Iſenburgica (filia Philippi Comitis *de Iſenburg* & *Budingen*) pater fuit, Johannis Erneſti, totius lineæ *Muntzenbergicæ* ultimi, denati, A. C. 1642. Catharinæ Eliſabethæ (quæ nupta Wilhelmo Ottoni Comiti Iſenburgico, obiit A, C. 1647.) Johannæ (quæ primis nuptiis Wolfgango Friderico Rheingravio; alteris Emanueli Principi Portugalliæ juncta fuit) Eliſabethæ, Mariæ Julianæ (uxoris Johannis Ludovici Comitis Iſenburgici) & Magdalenæ Eliſabethæ (quam Georg. Fridericus Dn. & Pincerna *de Limpurg* uxorem habuit) &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 16.

MUNUS, inter alia pro dono, quod inter pares mutui officii cauſa datur; ſed & quod ab inferioribus exhibetur, ſuperioribus item. Romæ olim *Regia munera* dicta ſunt, inſignia Regia, quæ Sociis Populi Romani ſubinde conferri ſolebant. Quemcunque enim priſcus ille Senatus, aut etiam Princeps poſtmodum Romanus, regnare juſſiſſet, aut pateretur, hunc honorificâ appellatione *Socium Regem* vocabat; cui Senatus Conſultum, quô univerſum Jus regium continebatur, pro diplomate erat. Sicque talis hôc permiſſu Regem ſe, & nomine & cultu Regiô ferebat. Erant autem inſignia illa, Aurea corona, h. e. diadema, regii capitis inſigne; aurea patera; quâ Rex ſacrificans Diis munera offerret; ſella Curulis, quâ ſederet Regio muneri intentus; ſcipio eburneus, h. e. ex ebore ſceptrum; Toga picta, quâ domi uteretur; Sagulum purpureum, quô militiæ. Ac præter hæc Tunica palmata, Latus clavus, Equi phalerati, Arma equeſtria & Supellex militaris, qualis Conſulibus præberi ſolita. Qui ſanè mos dandi & accipiendi *munera* uſque eò invaluit, ut illi ipſi Reges, ad quos legitimâ ſucceſſione Regnum perveniſſet, non aliter regiam dignitatem uſurparent, muneraque obirent regia, quàm Senatus aut Principis conceſſu: uti legimus de Archelao Rege Judæorum, Tigrane Rege Armeniæ, Tiridate ejuſdem Rege, Vologeſe, & Parthamaſpe Parthorum, Decebalo Dacorum, Zato Laziorum &c. Regibus, apud Livium *l.* 10. Suetonium *Tiberio c.* 9. Suetonium & Xiphilinum *Nerone*, Tacitum *Annalium l.* 15. Nicephorum *l.* 1. *c.* 9. Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.* 2. *c.* 4. Dionem *Eclog. de Legat.* Agathiam *l.* 3. Alios. Et quidem hæc *munera* ſunt, quibus Principes magnificentiam ſuam teſtantur, cujus nullum illuſtrius ſpecimen, quàm largâ manu diademata aliis ac Regna conferre. Sed & illos viciſſim accipere à ſubditis munera, priſci jam moris fuit. Et quidem provinciæ integræ, urbiumque ac municipiorum primores id frequentes egêre, ut Reges ſuos magnis pretioſisque muneribus venerarentur: in quibus potiſſimùm coronæ ac diademata. Exhibebantur illa in pompis inprimis, ad quas magnus hominum fiebat concurſus, oſtentandis opibus & potentiæ. E qua tot divitiarum oſtentatione, in hominum animis, ingens oriebatur regii cultus admiratio, veneratio, fortè & metus. Hinc Indicæ pompæ meminit Strabo *l.* 15. in qua conſpiciebantur lebetes, crateres, menſæ, ſellæ, pocula, labra, ſingula magnam partem ſmaragdis, beryllis, carbunculis, incruſtata, præter veſtes aliaque. Qui mos non ſolùm in Oriente olim hodieque, ſed & in Occidente, invaluit. Unde in funere Sullæ, tranſlatas coronas aureas bis mille, dona civitatum, amicorum, ducumque, qui ſub ipſo militaverant; præter illas, quæ ſepulchro ejus injectæ ſunt, incredibili luxu memorandæ, refert Appian. Alexandrin. *Bell. Civil. l.* 1. Fiebat id verò inprimis die natali, ſicut hodie in Perſia primô anni die, & in India, die illô, quô Magni Mogoris pondus in ſtatera exploratur. Unde priſcum illum Amaſin, ob *munus* coronæ contextæ è floribus, Regi Ægyptio, die ejus natali miſſum, è plebejo in amicitiam Regis, inde in Regnum, adſumtum eſſe, teſtis eſt Athenæus *l.* 15. Porrò propinqui & affines, amici, hoſpites, aliique, *munera* ſibi invicem mittendi morem ſemper habuêre, ut inprimis ex Romanorum Saturnalibus Streniſque notum. Vide quoque ſuprà *Feria.* Amantium præſertim munera coronæ fuêre, quas frequentes ſibi miſſitabant. Unde Simætha apud Theocritum *Idyll.* 2. Delphidem non amare ſolùm, ſed & redamari, hinc probat, quòd illi domus referta coronis eſſet:

Καί φατο οἱ στεφάνοισι τὰ δώματα τῆνα πυκάσδεν.

De *muneribus*, infantibus recens natis offerri ſolitis, vide ubi de *Infantibus* & *Puerperio*. De iis verò, quæ Deo vero, Diisque, ubi de *Anathematis Donis, Donariis, Sacrificiis* &c. Nec omittenda *Munera*, quæ ad integras panegyres mitti conſueverunt. Ita legitur in decreto Byzantiorum facto, in honorem populi Athenienſis, in publicis gratulationibus, dona ad Ludorum celebritates miſſa, apud Demoſthenem *de Cor.* Ubi inter alia, *καὶ ἀνακηρύξαι τ̃ στέφανον ᾧ συστεφάνωται ὁ Δᾶμος ὁ Ἀθηναίων ὑφ᾽ ἡμῶν, & renuntiari coronam, quâ concoronatur populus Athenienſium à nobis.* Nempe ibi proclamabatur corona, quâ hæc aut illa civitas ab alia donata fuiſſet &c. Quam in rem vide plura apud Car. Paſchalium *de Coronis paſſim*, ut & hîc non uno in loco: inter alia infrà, voce *Novena*, aliquid etiam voce. *Rhoxolani it. Sporta.* De ingenti *Munerum* copia voce *Vitiligo.*

MUNUS, apud Scriptores Eccleſiaſticos per excellentiam, pro Spiritu S. Ambroſ. *in Symbolum Apoſtol. Æternitas eſt in Patre, ſpecies in Imagine, virtus eſt in Munere.* Unde Paſchaſius *de Corp. & Sang. Domini*, malos Corpus Chriſti verè accipere negat, quia non accipiant *Munus* ſeu *Donum*, i. e. Spiritum S. Græcè τὸ Δῶρον. Sed & in *Liturgiis* antiquis & apud Patres, τὰ Δῶρα, item τὰ Ἅγια δῶρα, appellantur oblationes panis & vini, ad S. Communionem in Eccleſia ſolitæ offerri. Hinc ipſum Corpus Chriſti myſticum, vel propter jam factam conſecrationem, vel propter futuram: Sicque factum, ut pro ipſa Cœna Domini vox acciperetur. Certè locis ſexcentis apud Patres, μεταλαμβάνειν τ̃ ἁγίων δώρων, eſt *participare S. Cœnæ.* Quæ locutio ita in Eccleſia Græca fuit uſu trita, ut Balſamon *ad Can.* 19. *Concilii Carthagin.* vocem & pueris fidelium notam, *Euchariſtia*, per iſtam interpretetur: δίδοται, inquiens, ἡ εὐχαριστία, ἤγουν τὰ ἅγια δῶρα. Accedit, quod τὸ Δῶρον, *Munus*, aliquando idem eſt ac *gratia*, propriè accepta, pro virtute Sacramenti. Itaque regeneratio, quæ eſt Baptiſmi fructus, & quò tota vis illius Sacramenti ſpectat, appellatur ἡ Δωρεὰ, vel τὸ Δῶρον, Chryſoſtomo *in Matthæum Hom.* 83. Unde ad ipſum Baptiſmum; vox tranſlata, à Gregorio Naz. *Or* 40. quæ eſt *in Baptiſm.* & Baſilio *in eund.* Similiter itaque Euchariſtia Δῶρον, *Munus* ſeu *Donum* appellatur, nempe Spiritûs S. cujus efficaciâ illa communio perficitur, in qua divini hujus Sacramenti fructus poſitus eſt. Sed & aliquando ſic dicitur, eandem ob cauſam, propter quam & *Sacrificium* vocatur: quia videl. eſt commemoratio Sacrificii ſemel à Chriſto oblati, ut videre eſt in Liturgia, quæ habetur in Clementis *Conſtitutionibus l.* 8. *c.* 13. Hinc Δῶρον ἐξιτήριον, *donum à diſcedente donatum*, apud Baſilium *Hom. de Charitate*; eſt enim velut pignus præſentiæ Chriſti poſt corpus ejus ſideribus illatum &c. Iſ. Caſaubon. *Exercit. XVI. num.* 51. Vide quoque Car. du Freſne in voce *Munus*, & hîc in vocibus, *Dona*, *Oblatio.*

MUNUS, pro feudo militari, apud Marculfum *Formular. l.* 1. *c.* 12. & Bignonium *in Notis.* Gunterus Poëta Ligurinus:

> *Si Patris dominum vaſſalli filius acri*
> *Læſerit offenſâ: feſtinet providus illum*
> *Conciliare pater: quod ſi contemnet agendum,*
> Munere *privetur. Si verò audire monentem*
> *Filius indomitâ neglexerit aure parentem,*
> *Non erit in feudo ſucceſſor idoneus illo:*
> *Ni prius accenſam Domini placaverit iram.*

MUNYCHIA, portus Atticæ Piræeo proximus, inter illum ad Occidentem & Sunium promont. ad Ortum, apud Iliſſi fluv. oſtium, antiquum nomen retinens Ovid. *Met. l.* 2. *Fab.* 12. *v.* 709.

> *Munychiosque volans agros, gratamque Minervæ*
> *Deſpectabat humum.*

A *Munycho* principe nomen habet, qui ibi templum Dianæ extruxit, quæ propterea *Mynichia*, & feſta ejus eôdem nomine, appellata. *Strab.* & *Plut. Lloydius.* Ibidem caſtrum erat cognomine. Hodie verò utriuſque vix ſuperſunt veſtigia, & de Templo Dianæ hinc cognominatæ nil, niſi rudera quædam in agro proximo viſuntur. Cœterùm portus hic à Piræeo terrâ non multum abeſt, mari verò, ob excurrentes in mare litoris lacinias 2. milliar. circuitu opus eſt, uti docet Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 230.

MUNYCHIATIS, regio Arabiæ Petrææ. *Ptol.*

MUNZIUS Johannes, vide *Johannes.*

de MUR Conradus, vide *Conradus.*

MURA, vulgò MURY, locus in Helvetiorum finibus, qui diœceſi Conſtantienſi pagoque Argoviæ & Comitatui Roræ attribuitur, cum veter. Cœnobio Abbatiali, vulgò *Mury.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Nomen loco à reliquiis ædificiorum Romanorum & *muris* ſemirutis hæſit, uti ex *Chronico Murenſi* diſcimus. Cœnobii hiſtoria paucis hæc eſt: Cuonzelinus Comes Altenburgenſis, Guntrami cognomine *Divitis*, fil. poſtquam loca vico cognomini *Murenſi* vicina cum hoc ipſo, prætextu Patrocinii, in poteſtatem ſuam redegiſſet: eô mortuô, priores poſſeſſores cùm armis ſuas res repetitum irent; à Cuonzelini filio Rapatone repreſſi ſunt; qui hic locorum latè dominatus eſt, circa A. C. 1006. Verùm poſteà uxor ejus Ita, Dietherici Lotharingici filia, & Wernheri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Epiſcopi Argentinenſis ſoror, quidquid miſeris ereptum erat, conſenſu mariti ægrè tandem obtentô in Cunonis Comitis Rinfeldii manus conſignavit, ſedi Romanæ conſecrandum. Quod cum ille utcunque feciſſet, (non enim ipſemet Romam adivit, ſed ea Talviſlæ, ad lacum Tigurinum, B. Mariæ, ac Sancto Petro omnibusque reliquis Sanctis, ſolemni ceremoniâ, muneri dedit:) Rapato Embricium Abbatem Eremitanum ad ſe accerſitum rogavit, ut *Mura* Cœnobium conderet: quod hic minimè cunctatus fecit, & Reginboldum Soloduranum Præpoſitum conſtituit, circa A. C. 1030. qui obiit A. C. 1054. intra quod tempus, defunctus Rapato, in Monaſterio recens extructo ſepultus eſt. Hujus mox fil. Wernerus Cuſſenacenſia ſua bona Cœnobio donavit: cui ſub Burcardo, Reginboldi ſucceſſore, qui illud ad umbilicum perduxerat, acceſſêre alia, in locis *Alikon*, *Brunnwyl*, *Utinhuſen* & *Rheinfridſchveil*. Inauguratum dein templum eſt à Rumoldo Epiſcopo Conſtantienſi A. C. 1064. & locô Præpoſiti, Abbas electus eſt Burcardus, qui vitâ exceſſit A. C. 1073. Ei Ulricus ſucceſſit, ſub quo omni jure, quod in Monaſterium habebat Wernerus Comes Monachis ceſſit illisque Advocatum ſibi eligendi veniam dedit; qui proin Comitem Regensbergium elegêre A. C. 1083. donec varias ob cauſas, Wernerus ſibi & primogenito ſemper in poſteris ſuis id juris conciliavit: donatô Sedi Romanæ & in Pontificis poteſtatem conſignatô Cœnobiô A. C. 1089. In Romani Imperii protectionem illud recepit, Henricus V. Imperator, cùm Baſileæ eſſet, A. C. 1114. illique donata hactenus literis ſuis confirmavit; quarum literarum inter alia hic tenor eſt: *In regno noſtro Regulare quoddam Monaſterium, ſitum eſt in provinc. Burgundia, in Epiſcopatu Conſtantienſi, in pago Aergow, in Comitatu Rore, quod* Mure *nuncupatum eſt* &c. Quomodo porro locus creverit, & quæ circà Monaſterium hoc geſta, vide apud Joh. Stumpfium *Chron. Helv. l. 7. de Argovia c. 9.*

MURA, fluv. Germ. *Muer*. Oritur in ditione Salisburgenſi dein per Stiriam fluens, ibi Judenburgum, Pontem ad Muram dictum, & Græcium Rachelpurgumque rigat; ac tandem Dravo miſcetur, in ipſo Hungariæ limite.

MURÆNA, vide *Licinius*, *Lucius*, *Murena*.

MURÆNA, piſcis priſcis Romanis in delitiis, unde & Licinio *Murenæ* cognomen placuit. *& apud Baulos, in parte Balana piſcinam habuit Hortenſius Orator, in qua Murænam adeò dilexit, ut exanimatam fleviſſe credatur. In eadem villa, Antonia Druſi Murænæ, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam nonnulli Baulos videre concupiverunt*, Plin. *l. 9. c. 55.* Craſſus quoque *Murænam*, quæ, inauribus & gemmis diſtinctô monili exornata, appellantis vocem agnoſcebat, atque ad eum adnatans eſcam è manibus ejus capiebat, poſtquam vitâ exceſſit, flevit uberiùs atque honore ſepulturæ affecit, Ælian. *l. 8. c. 4.* Inprimis verò, quemadmodum pavus è Samo, attagena Phrygia, grues ex Melo, hædus ex Ambracia, pelamis è Chalcedone, aſelli Peſſinuntii, oſtrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, ſcari Cilices, nuces Thaſiæ, palma Ægyptia, glans Iberica, ſic *Muræna Tarteſſia* ingenioſæ gulæ placuit, teſte A. Gellio *l. 7. c. 16.* & meminit iſtiuſmodi *Murænæ* jam in Βατράχοις Ariſtophanes. Siculas tamen *Murænas* quoque Varro laudat, apud Macrob. *Saturn. l. 3. c. 15.* de quibus ita Juvenal. *Sat. 5. v. 98.*

> *Virroni* Muræna *datur, quæ maxima venit*
> *Gurgite de Siculo.*

Quin & ex ipſo hoc freto ad piſcinas Magnatum traducebantur alebanturque: quorum primus *Murænarum* vivarium excogitavit C. Hirrius ante alios, *qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris* 6000. *earum mutua appendit. Nam permutare quidem pretiô noluit aliâve merce. Hujus* proin *villam (intra quàm modicum) quadragies piſcinæ vendiderunt*, referente iterum Pliniô, *locô præfatô*. Quæ ſumma, *Budæô* teſte, fuit centenum millium Philippeûm vel ſcutatorum. De eodem Varro *R. R. l. 3. c. ult. Hirrius*, inquit, *circum piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia HS. capiebat; eam omnem mercedem eſcis, quam dabat piſcibus, conſumebat.* Vide Vegetium *cum Annotat. Stewechii*, Polybium *l. 6.* Livium *l. 7.* Tertullianum *de Cor. Militis* &c. Cœterùm *Murænæ* aliæ dentatæ ſunt, aliæ edentulæ; non ſexu ſolùm, ut quidam voluêre; ſed & genere diverſæ. Sanè Ariſtoteles *de Animal. l. 5.* μύρον, quem *marem murænam* nonnulli exponunt, quemque Philoſophus καρχαρόδοντα vocat, quòd dentes habeat, ἔξωθεν καὶ ἔσωθεν; non eundem eſſe ſcribit, quod μύραιναν: nam *murænam* variam & infirmiorem, *myrum* unicolorem & robuſtum eſſe dentibusque præditum; ſexûs diſcrimine perinde atque in cœteris. Et quidem edentulas fuiſſe Vedii Pollionis Equitis Romani murænas, ad quas ille ſervum damnaverat, cryſtallini fracti reum, legimus apud Plinium *l. 9. c. 23.* Veniebant illæ ex gurgite Siculo, ubi capiebantur optimæ, & *Flutæ* vocabantur; quod, præ vitium imbecillitate, ubi in ſummo æquore natantes cutem Sole torrefecerant, peſſum redire ampliùs non poſſent, nec fundum maris repetere, ſed in ſummo æquore velut exanimes ferrentur. Græci antiqui Πλωτὰς eas vocabant, recentiores verò ἐξορμιςῶνας, ab eadem cauſa. Vide in vocibus *Exormiſtones*, *Flutæ*, *Myrus*, *Plotæ*, & plura hanc in rem, apud Ger. Jo. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l. 4. c. 14. 16. 18. 20. 21. 27.* & Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c. 5.* qui locus ſic habet: *Immergo æque ſcalpellum acerbitati ei, quâ Vedius Pollio ſervos murenis invadendos objectabat: nova ſcilicet delectatio terrenæ beſtiæ, & edentulæ, & exanguis & excornis: de piſcibus placuit feras cogere.* Ubi *murænam* piſcinâ concluſam, *beſtiam terrenam* vocat, ad diſcrimen marinæ, quæ in alto mari degit & aquâ ſuâ, i. e. marinâ fruitur. Miratur itaque novam ſævitiam Vedii, aut novum potius ſævitiæ ingenium, qui non ſolùm de piſce piſcinario, feram per vim facere volebat; ſed de eo etiam piſce, qui per naturam ferus eſſe non poteſt: imò qui *terrenus*, h. e. lacu & piſcinâ incluſus ac pæne manſuefactus. Quomodo autem hi piſces appararentur, docet Apicius *l. 10. Rei Culin. c. 2.* De *Murænis* quoque ex Theophraſto egit, & cum anguillis ac viperis cognationem earum oſtendit, Athenæus *l. 7.* &c.

MURALIS Corona, docente A. Gellio *l. 5. c. 6.* donabatur ab Imperatore ei, qui primus *murum* ſubiiſſet, inque oppidum hoſtium per vim aſcendiſſet: quæ proin quaſi *muri* pinnis (aut turribus) decorata fuit, Harum tres meruit Achilles ille Romanus Siccius Dentatus, eodem teſte *l. 2. c. 12.* &c. Fuit autem aurea hæc corona, & proponebatur ab Imperatore ille, qui murum obſeſſæ urbis primus ac per vim aſcendiſſet. Liv. *l. 26. c. 48. Itaque quanquam omnibus omnia deberent, præcipuum tamen* Muralis coronæ *decus ejus eſſe, qui primus murum aſcendiſſet. Profiteretur, qui ſe dignum duceret eô donô. Duo profeſſi ſunt.* Dabatur autem, ſicut & Vallaris (quòd duæ hæ coronæ dona militaria reliqua anteirent) nonniſi præcedenti inquiſitione faſtidioſâ: idque in omnium oculis. Quam proin, ne ulla fraus obreperet, petere, atque adeò profiteri id, cogebantur, qui hoc decus ambibant: niſi in ipſius Imperatoris conſpectu res geſta eſſet. Cujus moris exemplum illuſtre apud Silium Italicum eſt *l. 13. v. 361.* ubi de Milone, ab Q. Fulvio Proconſule, hujuſmodi coronâ donato:

> *Fulvius & finem ſpoliandis ædibus ære*
> *Belligero revocante dedit, ſublimis ab alto*
> *Suggeſtu, magnis auctor non futilis auſis.*
> *Lavino generate, inquit, quem ſoſpita Juno*
> *Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem;*
> *Tempora murali cinctus turrita corona.*

Ubi *turritam* vocat, quòd pinnæ muri, quæ coronæ hujus inſigne erant, turrim referrent. Qualis aliàs corona Cybeli, Deûm Matri, tribuitur: quam & ipſam inde *muralem* vocat Lucretius *l. 2. v. 608.*

> *Muralique caput ſummum cinxere coronâ,*
> *Et imis munita locis, quòd ſuſtinet urbes* &c.

Neque verò Centuriones tantùm, ſed & ipſos caligatos milites ad id decus admiſſos eſſe, ex Suetonii *Auguſto c. 25.* diſcimus, *Has* (nempe vallares ac murales coronas) *quàm parciſſimè: & ſine ambitione; ac ſæpe etiam caligatis tribuit.* Cœterùm Civica ſalutem corona potior habebatur. Plin. *l. 16. c. 4. Civica corona, militum virtutis inſigne clariſſimum -- Cedunt his* murales *vallareſque, quanquam pretiô antecedentes.* Sed & gramineam idem antefert, *l. 22. c. 3. Corona quidem nulla fuit gramineâ nobilior — Gemmatæ & aureæ, vallares,* murales, *roſtratæ, civicæ, triumphales, poſt hanc fuêre* &c. Vide plura hanc in rem, apud Car. Paſchalium *Coronar. l. 7. c. 3.*

MURANUM, oppid. Lucaniæ, nunc *Morano*, caſtrum Calabriæ citerioris, in confinio Baſilicatæ. Infra Appenninum, 40. mill. paſſ. à Coſentia in Boream, medium inter Sinum Tarentinum ad Ortum & mare Tyrrhenum ad Occaſum, 16. utrinque milliar.

MURANUM, vulgò MOURAON, quibuſdam *Moro*. Vide ibi.

MURATUM, vulgò MURAT, oppid. Alverniæ ſuperioris ad radices Cantalii montis, juxta Alagnonem amnem. 3. leuc. à Floriopoli in Circium, Vide etiam *Moratum*.

MURAVIA, vulgò MURAW, oppid. Stiriæ ſuperioris ad Muram fluv. in confinio ditionis Salisburgienſis, 6. milliar. German. à Judenburgo in Occaſum, 4. à limite Auſtriæ.

MURBACUM, vulgò MURBACH, oppid. Alſatiæ ſuperioris cum Monaſterio, cujus Abbas Imperii Princeps eſt, fundato à Comite Eberhardo, tempore Theodorici Franciæ Regis circa A. C. 724. 2. leuc. à Vogeſo in Ortum, 3. à Colmaria, in Africum, uti à Mulhuſia in Circium.

MURBOGI, *Ptol.* populi Hiſpaniæ Tarraconenſis quorum urbs *Burgi*. Vide ibi.

MURCI, & *Murcidi*, jlocaliter olim dicti ſunt, qui *munus Martium pertimeſcentes pollicem ſibi præſcindebant*, Amm. Marcellinus *l. 15.* Vide infrà *Pollex*.

MURCIA, Dea, quam ita appellabant, quòd præter modum faceret hominem murcidum, i. e. deſidioſum; Cui contraria erat Dea *Strenua*, quæ faciebat homines ſtrenuos. Vide *Murtia*.

MURCIA, vulgò quoque ſic, aliàs *Vergilia*, urbs ampla Hiſpan. ad Seguram fluv. in planitie peramœna, 3. leuc. ab Oriola in Occaſum, 6. à Carthagine nova in Boream, A. C. 1265. Mauris, qui regnum fundaverant, ejectis, recepta. Caput regni *Murciæ*, vulgò *Regno de Murcia*, quod, provinc. ſatis parva, ad Meridiem, Caſtellæ novæ annexum eſt, à qua terminatur à Septentrione, uti regnô Valentinô ab Ortu, Granatenſi ab Occaſu, & mari Mediterraneô ſinuque Virgitanô à Meridie. In illo & Carthago nova. Fuerunt hîc aliàs Baſtitani ex parte. Tam abundans hoc regnum omnis generis frugum eſt, ut *hortus Hiſpaniæ* dicatur. Urbs ſedes Epiſcopi, qui titulum Carthagenæ ſibi vindicat. *Mariana*, *Surita*, &c.

MURCIÆ Metæ, in Circo, eædem cum primis. Varro *de L. L. l. 4. Intimus Circus* ad Murciam *vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceis quòd is locus eſſet inter figulos:* à qua *Murcia*, metis primis nomen; Melius à *Murciæ* æde, quæ in illa parte erat. Has ineptè cum ultimis metis alicubi confundit Auctor *libri de Circo c. 4.* qui *ibid.* tres quoque Circi maximi partes fuiſſe, ſine ratione aſſerit: *Circum primum ubi primæ metæ: medium, ubi Medianæ: Intimum, ubi metæ Murciæ.* Sic namque *intimum* idem foret, quod *ultimum*, præterea nullæ medianæ metæ, ut ſuprà vidimus. Inter utraſque verò metas obeliſcus fuit in medio Circi centro poſitus, ut præter alios Veteris *Epigrammatis* auctor id teſtatur de Circenſibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Et medius centri ſummus obliſcus abit, &c.

Metis iiſdem *Murcis* primum oſtium, quod & *intimum*, proximum fuit: quo, cùm omnibus oſtiis ſubitâ æqualitate apertis eôdem tempore proſilirent ex omnibus carceribus equi, qui miſſus erat, ſortis ac loci beneficiô, cœteros antevertebat & *occupare* dicebatur. Cui ſi nihil adverſi accideret, atque inoffenſum teneret ad finem curſum i. e. ad ultimum uſque ſpatium flexumque metæ ſeptimum, haud dubiè vincebat. Sed plerunque eveniebat, ut præ ſtudio obtinendi ac ſervandi primatus, quem ab initio ſortis adeptus erat, prælaſſatis & conſumtis viribus equorum, ante ſeptimum curriculum deficeret, palmamque ſequentibus traderet, qui in ejus locum ſuccedentes metam ſeptimam, in qua fuit victoria, circumire anticipabant. Unde cauti agitatores in primis ſpatiis ſuſtinebant equos ſpiritumque ac vires eorum diſpenſabant, priuſquam ad finem venirent, ut integri & indefecti prægreſſos jam defeſſos opprimerent & in flexu metæ ſeptimæ præverterent, ut dicemus infrà, ubi de Circi Oſtiis. Vide Salmaſ. *ad Solinum p.* 904. *& ſeqq.*

MURCIUS Collis, dictus eſt Aventinus, à Veneris Murciæ ſacello ibi ſito.

MURCUS, aliô nomine *Statius*, Speculator, qui cum Sulpicio Floro Piſonem æde Veſtæ protractum, in foribus templi, trucidavit. Tacit. *Hiſtor. l.* 1. *c.* 43. Alius eſt apud Cæſarem *l.* 3. *de Bell. Civ. c.* 15. legatus, qui in argenteo denario STATIUS. MURCUS IMP. deſcriptus eſt.

MURDRUM, apud Anglos olim cædem dolô & clam commiſſam ſignificabat; item mulctam, eô nomine inflictam. Quoties enim cadaver aliquod reperiebatur, nec interfector erat cognitus, nec occiſus ipſe poſt vulnera eatenus ſuperſtes fuiſſet, ut eloqui potuiſſet tum interfectorem, tum genus ſuum, nec ſatis probaretur, idque & agnatorum & cognatorum utriuſque generis propaginis teſtimoniô, occiſum fuiſſe Anglicum, aut non caſu ſeu infortuniô occiſum, pro alienigena habebatur, atque inde pagus ſeu Comitatus, in quo repertus eſt, *Murdri* nomine mulctabatur. Aliàs, ſi Anglicum fuiſſe adſereretur, multa hujuſmodi non irrogabatur. Cujus moris originem Canuto Regi tribuit Henr. de Bractona *de Corona l.* 3. *c.* 15. non minus ipſô jure miram: *Cauſa vero inventionis Murdrorum talis fuit, quòd in diebus Canuti Regis Danorum, qui poſt Angliam acquiſitam & pacificatam, rogatu Baronum Anglorum, remiſit ad Daciam* (Daniam) *exercitum ſuum, & ipſi Barones Angliæ erga ipſum Regem Canutum fidejuſſores extiterunt, quòd quotquot Rex in Anglia ſecum retineret, firmam pacem per omnia haberent, ita quòd, ſi quis Anglorum aliquem hominum, quos Rex ſecum adduxit, interficeret, ſi ſe ſuper hoc defendere non poſſet judiciô Dei, Aquâ vel Ferrô* (Ordaliorum tunc purgatione ſolenni) *fieret de eo juſtitia; ſi autem aufugeret & capi non poſſet, ſolverentur pro eo ſexaginta ſex Marcæ, & colligerentur in villa, ubi quis eſſet interfectus, & ideo, quia interfectorem non habuerunt, & ſi in tali villa, pro paupertate, colligi non poſſent, colligerentur in Hundredo* (Centuria, intra quam Villa ſita) *in Theſauro Regis deponendæ.* Ubi certam habet mulctæ ſummam: cum alii de mulcta in genere loquantur, incolis, intra quorum territorium cædes facta, irroganda, eò quod homicidam ejuſmodi aufugere permiſiſſent. Sic in Archivo arcis Londinenſis, inter *Placita Coronæ* ſæpius occurrit: *Villata N. Occiſus repertus eſt N. Nulla Englisheria præſentata, ideo murdrum ſuper Villatam in Miſericordia.* Cui vetus Jus Cambrobritannorum ſeu Wallorum, ſimile erat, *Wallesheria* dictum. Sed tandem in Comitiis Edwardi III. Parlamentariis, A. C. 1339. utrumque, cùm Englisheriæ, tum Wallesheriæ jus, in deſuetudinem abiit, penituſque abolitum eſt. A quo tempore pro quolibet homicidio, ex malitia patrato, vox *Murdri* ſumi cœpit. Vide Jo. Seldenum *de Synedriis l.* 3. *c.* 7. §. 8. & ſupra in voce *Cædes*.

MURELLUM, caſtrum Galliæ, prope Toloſam, hinc 3. leuc. ad Garumnam, vulgò *Muret*. Portio habetur jam pridem Comitatus Convenarum. Hic Petrus Aragonenſium Rex cum Toloſano, Convenico & Fuxenſi Comitibus ac Gaſtone de Bearno, Albigenſium hyperaſpiſtis, à Simone Monfortio victus eſt, A. C. 1213. Eſt & è regione Mellenti, interfluente Sequanâ, vicus *Murelli*, vulgò *les Mureaux*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MURENA, vel MURÆNA, cognomen viri Romani, ab eo piſce deductum, qui *Muræna* dicitur, pro quo etiam extat Ciceronis *oratio*. Conſul, renovaverat bellum Mithridaticum, an. 672. *Urb. Cond.* ſed à Sylla ſequenti annô, revocatus, accuſatuſque coram Senatu, defenſorem Tullium nactus. Appian. *de bello Mithrid.*

Licinius Varro *Murena*, amicus Auguſti, ejuſdemque inſidiator, & eô nomine oppreſſus. Vide & *Muræna*.

MURENÆ ſeu MURENULÆ, mulierum ſunt ornamenta aurea, quibus metallô in virgulas lenteſcente, quâdam ordinis flexuoſi catenâ collum cingebatur, ut ſcribit Hieronym. *Ep.* 15. Oblonga fuiſſe, *murenarum* inſtar, ait Bulengerus. Meminit eorum etiam Willeramus Abbas *in Cant. Cantic.* apud Car. du Freſne, *in Gloſſar.*

Auri murenas *argentô vermiculatas*
Nos tibi nectemus.

MURENTIUS, ad Ægyptum deſtinatus, ſub Aureliano Imperatore, apud Capitolin. *in Vita hujus c.* 13.

MURES, inter animalia, Lege veteri immunda, quòd, præter cauſas, quæ cuivis ſeſe offerunt, inutile & noxium eſt hoc animal, ac typus eorum, qui dicunt.

Nos numerus ſumus & fruges conſumere nati.

Cyrillus *contra Jul. l.* 9. γαλῆ καὶ μῦς γράφουσι πῶς ἐφ᾽ ἑαυτοῖς τὰ δειλὰ, καὶ ἄνανδρα, καὶ ψοφοδεῆ τῶν κλεπτῶν γένη, *Muſtela &* musfu*rum referunt timiditatem & imbellia genera atque ad omnem ſtrepitum metuentia.* Quod muri quàm conveniat, Horat. Poëta eximius ſic docet in Apologo, de mure ruſtico & urbano, *Sat.* 6. *l.* 2.

Valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque:
Currere per totum pavidi conclave, magiſque
Exanimes trepidare, ſimul domus alta moloſſis
Inſonuit.

Nihilominus, uti Hieroſolymitanis eorum carô in eſum ceſſit, cùm obſeſſi ſummâ cum fame conflictarentur; ſic ii Cretenſibus, qui ad Hamaxitum caſtra poſuerant, clypeorum roſêre anſas & arcuum nervos exederunt, apud Ælian. *Hiſtor. l.* 12. *c.* 5. quod idem de populis Troadi vicinis, Polemo apud Clementem *in Protrept.* & de Polycratis popularibus, Ariſtoteles *Rhetor. l.* 2. *c.* 24. narrant. Quorum is prout Troadis incolas, *mures indigenas* σμίνθους illis dictos colere ſolitos, & Apollinem ab iis *Sminthium* nuncupari, addit; Strabone, ex Callino & Heraclide Pontico rem aliter narrante *l.* 13. erat autem *Mus* ſub pede Apollinis, *ibid.* quemadmodum contrà Sethonis Ægyptii, *Murem manu tenentis* (quod Peluſii à Senacheribo obſeſſus ope murium liberatus eſſet) ſtatuam ſe vidiſſe, Herodotus narrat *l.* 2. ubi cùm aliàs Ægyptiis ἀφανισμοῦ *deſtructionis*, fuerit hieroglyphicum mus, pietatem verò Regis imago ſuadeat, myſterium aliquod præ ſe ferre videtur Joh. Marshamo *Can. Chron. Sc.* XVII. Imo integros populos, Abderitas, apud Juſtinum *l.* 15. *c.* 2. Troës apud Plinium *l.* 10. *c.* 65. quaſdam Italiæ gentes, apud Ælian. *in Hiſtor. Anim.* Megarenſes & Chalcidenſes, apud Heraclidem *in Politiis*: Gyari unius è Cycladibus, incolas, apud eundem Plinium *l.* 8. *c.* 29. Alios, ſedibus ſuis pepuliſſe leguntur. Nec adeò mirum, ſi, quod Antigonus habet *Mirabilium c.* 21. in Gyaro mures ferrum peredunt; Τῆς δὲ Καρυστίας καὶ τῆς Ἀνδρίας χώρας ἐστὶ πλησίον νῆσος ἡ καλουμένη Γύαρος· ἐνταῦθα οἱ μύες διατρώγουσι τὸν σίδηρον, *Prope Caryſtiam & Andriam inſula eſt, nomine Gyarus, in qua mures ferrum corrodunt.* Sed & quòd Magicis artibus adhibiti; idque antiquiſſimis temporibus, immundi habiti ſunt. Namque *Myomantia* omnium divinationis ſpecierum prima fuiſſe legitur. Unde apud Eſajam *c.* 66. *v.* 17. inter res Gentium abominabiles, etiam *Mures* recenſentur: *Qui ſanctificant ſe & qui mundant ſe in hortis, ſequentes alter alterum palàm, qui comedunt carnem porci, & rei abominabilis,* muriſque: *pariter conſumentur, dictum Jehovæ.* Quæ ſuperſtitio ex Oriente tranſiit in Occidentem, & poſt Chriſti quoque tempora ſatis diu inextincta manſit; uti *Muroſitarum* patet exemplô, qui, quòd *mures* colerent, inde nomen accepêre. An eâdem ratione, propitiando Iſraëlis Deo & averruncandæ agrorum ſuorum calamitati, *Murium imagines aureæ*, inter cœtera dona, à Philiſtæis adhibitæ ſint, non liquet. Legimus certè 1. Sam. *c.* 6. *v.* 5. à Sacerdotibus & divinis eorum id conſilium datum eſſe, *ut facerent imagines murium, qui corruperant eam terram & darent gloriam Deo Iſraëlis: ſic fortaſſe fore, ut allevaretur manus Dei ab ipſis, & à Diis eorum & à terra eorum.* Ad quem locum vide Franc. Burmannum *in Exegeſi & Meditat. ſuis, vernaculo idiomate ſcriptis*: Plura verò hanc in rem, apud S. Bochartum *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 33. *& ſeqq.* ubi alia plurima eruditè congeſta, reperies, de *Mure aljarbuo*, Arabibus prolixè deſcripto, qui idem videtur cum Græcorum *Arctomye*, *de Mure item Montano & Pontico.* Nec omittendum, quòd *Murium* decem millia, mille muſtelas, mille ſorices, ſibi exhiberi juſſiſſe Heliogabalum, apud Lamprid. *c.* 27. legimus. Vide quoque hîc infrà: uti *de Muribus*, ad homines torquendos adhiberi ſolitis, ſuprà ubi de *Gliribus*; de *tinearum Muriumque die* ſuprà itid. voce *Dies*.

MURES Moſcovitici, animalcula ſunt, à *Moſcovia*, ubi magnô numerô reperiuntur, vix verò alibi occurrentia: abietum, terræ & radicum latebras incolentes, à muribus noſtratibus formâ parùm abſunt; ſed tantâ odoris fragrantiâ, ut ex muſco compacta & muſco fœta videantur. Hinc exuviæ eorum Magnatibus expetitæ, qui eas maximô pretiô coëmunt, ut indumentis ſubſutæ & adverſùs brumam clypei loricæque vices ſubeant, & graves ac tetrè olentes auras, odoris ſui fragrantiâ expugnent. Cujuſmodi *murium* binæ exuviæ proſtant in *Muſæo* Kircheriano, Auctori è Polonia muneri miſſæ, Georg de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo, p.* 29. Similiter in pretio pellis fuit *Ponticorum*, uti veteres vocârunt, quos ruminare, Ariſtoteles *Hiſtor. Animal. l.* 9. *in fin.* & in arborum faſtigio nidificare fœtuſque fovere, *Bochartus*, ſcribunt. *Sciuri Getulici* dicuntur nonnullis Scriptoribus; namque, ut in frigidis locis ferè naſcantur, tamen in calidis non deſunt. Unde Arabs Geogr. *Clim.* 1. *part.* 1. in cenſu animalium, quæ in intima Africa nutriunt Nigrorum ſylvæ, etiam Finnicos mures ſeu Ponticos habet. *Venetos* Hermolaus vocat, ſicut *Finnicos* Agricola, à Venetis & Finnis, populis ad Viſtulam in Boruſſia, à quibus ad nos deferuntur in pellicearum uſum. Unde Arabice *phenec* hic mus, qui à ſtatura & colore Gallis dicitur *petigris*. Sed & *ſungi ab* Arabib. Golio *ſciurus eſt, animal cinerei coloris, ejuſque pellis, quâ ſuffulciuntur veſtes, ſeu potiùs minium* (fortè, *herminium.*) *Hermellina* enim, Gallis quoque *Hermine*, mus Ponticus Thwruczio dicitur *in Salomone Hungar. Reg. c.* 52. Aliiſque: ab *Armenia*, ut cenſet Car. du Freſne, qui de hoc animali illiuſque pellibus multis agit *Diſſertat.* 1. *ad Joinvill.* Damir, animal eſſe dicit, *ad formam talpæ, mure majus, degens in ſummis arboribus, pellis cœruleæ molliſſimæ, quâ delicati veſtiuntur.* Eorundem pellem *calidam, boni odoris, in omnibus pelliciorum ſpeciebus odoratiſſimam*, ſcribit Abenbitar Arabs; qui è regione Sclavorum, in Scythia Europæa, verſùs Oceanum Occidentalem ſita, magnô numerô illas afferri, addit. Eandem *murinam* vocat Alcuinus, *in Poëmate de Carolo M.*

Lactea quippe ferunt pretioſam colla murinam.

Cujuſmodi pellem collum ambientem etiam Roberto Regi tribuit Helgaudus. Vide de Electorum Romani Imperii veſtitu

Lim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Limnæum *de Jure Publ.* Eſt & *Simur* Arabib. genus muris, cujus non abſimilis uſus. *Heſych.* Σιμὼρ παρὰ Πάρθοις καλεῖταί τι μυὸς ἀγρίου εἶδος, οὗ ταῖς δοραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας· *Simor apud Parthos vocatur quædam agreſtis muris ſpecies, cujus pelles cedunt in veſtium uſum.* Aliis tamen martes eſt: Damiri eſt *animal feli ſimile-cujus pellis mollitie, levitate, calore & pulchritudine ita excellit, ut eâ Reges & Magnates induantur:* apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 33.* quem vide. Adde quæ infrà dicemus voce *Mus*, *Sorex*.

MURETUM, vulgò MURET, oppid. tractus Convenarum, in Aquitania ad Garumnam. Ibi A. C. 1313. cæſi Albigenſes à Simone Montfortio, cum Aragonum Rege, Pet. Valcernæus *Hiſt. Albig.* Vide *Murellum*.

MURETUM, locus Aquitaniæ, provinc. Lemovicenſis, haud procul à Ratiaſto Lemovicum in Ortum. Ubi primi fundamenta jacta Ordinis Grandmontii.

MURETUS, vide *Marcus Antonius Muretus*.

MUREX, apud Martial. *l. 5. Epigr. 24.*

Non niſi vel cocci madidâ, vel murice *tinctâ*
Veſte nites ———

Et *l. 13. Epigr.* 87. cujus titul. *Murices*,

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, &, non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

piſcis ſeu conchæ genus eſt, cujus ſanguine ſeu flore, quem ore habet, morienſque expuit, veſtes olim tingebantur. Aliàs *buccinum*, & à purpura propriè dicta diverſum. Plin. *l. 9. c. 25. Mutianus* muricem *eſſe latiorem purpurâ, neque aſperô, neque rotundô ore, neque in angulos prodeunte roſtrô ſed ſimplice conchâ utroque latere ſe colligente.* Et *c. 36. Clavatum eſt* (purpuræ roſtrum) *ad turbinem uſque aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino. Sed utriuſque orbes totidem, quot habeant annos.* Quamvis Poëtis ea non raro confundantur, qui & conchylium (tertium conchæ ſeu oſtreæ genus, è quibus purpura elici ſolita) non raro pro purpura, per excellentiam ſic dicta, ſumunt. Neque verò veſtibus ſolùm tingendis, ſed & libris ornandis, cruor ejus adhibitus. Martial. idem *l. 8. Epigr. 72.*

Nondum murice *cultus, aſperoque*
Morſu pumicis aridi politus &c.

In eſcam porrò *Murex* ceſſit, ut ex ejuſdem *d. l.* patet. Hinc à Metello in indice cœnæ Pontificialis, apud Macrob. *Saturnal. l. 3. c. 13. Murices* quoque ac *purpuræ* recenſentur. Et quidem *Murex Bajanus* celebris erat, uti colligimus ex Horatio *l. 2. Sat. 4.*

Murice Bajano melior Lucrina peloris &c.

Etiam caſtrandis nobilibus pueris adhibitus eſt, Plin. ubi ſuprà *c. 25. Quibus inhærentibus, plenam ſtetiſſe ventis navem portantem nuntios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri; conchaſque quæ id præſtiterunt, apud Gnidiorum Venerem coli.* Ubi *Venereas conchas* ſeu *Murices* indigitari, ex præcedentib. docet Voſſ. *Cytheriacas* vocat Martial. *l. 2. Epigr. 47.*

Lævior & conchis, Galle, Cytheriacis.

Porcellanas hodie appellari, à *porcello*; ut Χοιρίνας Græcis, quia Χοῖρος & χοιρίον, *porcus* & *porcellus*, id in muliere fit, quô mulier eſt, (quam partem conchæ iſtæ referant) idem tradit Gerh. Jo. Voſſ. *de Orig.* & *Progreſſu Idolol. l. 4. c. 35.* Sed de *Porcellanis* vide ſuô locô. De *Muricibus* ſic Georg. de Sepib. *in Collegii Romani Societat. Jeſu Muſæo p. 28. Murices, complures purpuris non abſimiles excellentiſſimorum è conchyliorum ſpecie, ex quorum humore ſeu ſanguine præſtantiſſimus ad tingendum ſuccus elicitur, exhibentur in Muſæo, ſunt plerunque turbinati & longos forinſecus habent aculeos; interius verò ex albo purpuraſcunt. Teſtam habent gravem, ſolidam, duram, multiſque cuſpidibus horrentem. Quidam leves ſunt & in marmoris modum ſtriati ac maculoſi, labiô patulô & in modum canalis aperti diductô.* Quæ ex præcedentibus facilè corrigas. Hinc *Murileguli* de quibus infrà.

MURGANTIA, Samnii oppid. Liv. *l. 24. c. 27.* hodie *Mercone*. Oppid. amplum, inter Beneventum 16. & Bovianum 11. mill. paſſ. in Comitatu Moliſio.

MURGENTIA, vide MORGANTIUM.

MURGIS, vel MURGI, *Antonin.* oppid. Hiſpan. geminum, unum Maritimum in Hiſpania Tarraconenſi & Bæticæ confinio, in ora regni Granatenſis, *Muxacra* hodie, teſtibus *Florianô* & *Marianâ*. Alterum oppid. Bæticæ, nunc vicus regni Granatenſis, *Murga*, teſte *Marianâ*. Sed *Cluſio* eſt *Murcia*, urbs regni Murcienſis caput. *Baudrando Murgis* oppid. eſt Turdulorum, in Hiſpania Bætica nunc *Muxacra*; in ora maris Mediterranei ferè 3. leuc. à limite regni Murciæ, 6. à Charidemo promontor. in Cæciam, cum caſtro ſatis munito.

MURI Ceſpititii, *Valli* propriè Latinis; unde plerique Auctores murum Severi, quô transverſô Britanniam munivit, imitatus exemplum Antonini Pii, de quo vide Capitolin. *c. 5.* & ante Pium, Hadriani, de quo Spartian. *c. 11. vallum* vocârunt. Idem *in Severo, c. 22.* quaſi dubitans, utrum *vallum* appellaret, an *murum*, utrumque poſuit: *Poſt murum*, inquiens, *aut vallum miſſum in Britannia.* Cujuſmodi vallos aut ceſpiticios muros, Græci recentiores βωλερὰς appellârunt; βῶλος autem, ut notum, *ceſpes* eſt, vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. paſſim*, & in voce *Murus*.

MURIA, titulus *Epigr. 103. l. 13.* Martial.

Antipolitani fateor ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Liquamen eſt ſale thynni ſoluti. Cùm enim tria apud Veteres hujuſmodi liquaminum genera eſſent; primum, quod à ſcombro, *garum*; alterum, quod ex thynno piſce factum, *muria*, tertium, quod ex quovis minutiore, adeoque deterrimum erat, *alec* dicebatur. Ubi autem optima *muria*, exponit Plin. *l. 31. c. 8. Muriâ* (laudantur) *Antipolis & Thurii, jam verò & Dalmatia.* Ibidem *ſalſuginem* eam appellat, *ſalem durum* Servius; cujus in ſacris etiam Veterum aliquem fuiſſe uſum, notat Scaliger *ad Feſtum: Virgines tres Veſtales maximæ, ex Nonis Majis ad pridie Idus Majas, alternis diebus ſpicas adoreas in corbibus meſſuariis ponunt, eaſque ſpicas ipſæ virgines torrent, pinſunt, molunt: atque ita molitum condunt. Ex eo farre Virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Veſtalibus, Idibus Septembribus, adjectô ſale coctô & ſale durô*, Dalechampius *Not. ad Plinium ubi ſuprà* &c. Modum verò *Muriæ* conficiendæ hunc tradit Columella *l. 12. c. 6.* Sporta nempe juncea vel ſpartea ſale candidô repleta, demittebatur in dolium aquæ pluvialis aut fontanæ plenum & ſoli expoſitum, ore patenti: quæ tandiu ibi relinquebatur, donec ſal liqueſceret. Tum alium atque alium ſubinde ſalem ingerebant, donec in ſporta permaneret integer; ex eo intelligebatur, maturam eſſe muriam. Poſtea eam in vaſa picata diffundebant, & opertam in Sole habebant. Atque hæc erat *dura muria*; acerrima videl. & ſalſiſſima, atque etiam liquidiſſima, δριμεῖα inde ἅλμη Græcis Scriptoribus dicta. Qua de re vide plura, atque Salmaſ. *ad Solin. p. 345.* & infrà *Sagana* uti *de muriæ poculo*, inter pœnas conviviales, ſuprà voce *Colloquia*; item *Gryphus*. Adde, quòd Guil. Bukeldius Belga *muriâ* condiendi halecem ſicque efficiendi ut durare & longinqua in loca aſportari poſſit artem invenit primus, circa A. C. 1416. ut diximus ſuprà voce *Alec*.

MURICES, aliô nomine *triboli*, ſeu *tribuli* dicti, machinulæ ferreæ tetragonæ erant, aculeis exſtantibus infeſtæ, quæ ſpargi ſolebant adverſùs eruptiones hoſtiles. Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 17.* Hos in terram defodit Darius, quà Alexandrum hoſtem equites emiſſurum eſſe credebat, apud Curtium *l. 4. c. 13.* Quemadmodum Phocenſes, juxta urbem Hyampolim, depreſſâ ingenti foſſâ, amphoras illic inanes depoſuerunt; in quas Theſſalorum equi incidentes, fregere crura, apud Herodot. *l. 8.* Cui ſimile Dio de Gallis ad Alexiam *l. 40. Conati noctu per munitiones Rom. in urbem pervenire, magnum detrimentum paſſi ſunt. In iis enim locis, quà equitatu accedi poterant, occultas foſſas Romani duxerant: defixiſque in eas ſtipitibus, ſuperficie tenus texerant, ut æquales reliquo circumpoſito ſolo eſſent: in eas foſſas equi virique imprudentes delapſi peribant.* Salvianus *l. 6.* hæc omnia conjungens, *Exercitus pugnaturi*, inquit, *ea loca, per quæ venturas hoſtium turmas ſciunt, aut foveis intercidere, aut ſudibus præfigere, aut tribulis infeſtare dicuntur.* Quorum locô, fortiſſimus Bohemorum Dux Ziſca, hoſtilem equitatum mulierum, quarum maxima in exercitu copia erat, peplis impedit. Vide Lipſium *Poliorcet. l. 5. c. 3.* & *l. 2. c. 2.* de ſtylis cæcis: item Rittershuſium *ad Salviani verba citata*, Stewechium *ad Vegetium l. 3. c. 24.* &c.

MURILEGULI, Græci Κογχυλευταὶ in *tit. Cod.* Theod. & Juſtiniani, quoque *Conchylioleguli*, dicebantur, qui legendis conchyliis ſeu murici, vel purpuræ, ad fucationem ſeu ad colorandam & tingendam blattam ſericam & metaxam, in uſum Principis, operam dabant, de quibus copioſè *d. tit.* ad quem vide Cujacium & Jac. Gothofredum. Erant ii, ut & præfecti baphiorum, textrinorum, Magiſtri lineæ veſtis, Magiſtri privatæ, Gynæciarii, alii, ſub Præfecto ſacri Ærarii, ſeu, uti poſtea dici cœpit, ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum Largitionum; Salmaſ. *ad Lamprid. in Diadumeno. c. 4.*

MURILEGUS, apud Guil. Britonem *Philippidos l. 1.*

Cratibus interea, pluteis & robore crudô
Murilegus ſtruitur, ſub quo ſecura lateret,
Dum ſtudet inſtanter foſſas implere juventus:

Machinæ bellicæ ſpecies eſt, quæ aliàs *Catus*, ſeu *Cattus*; Ita etiam vocavêre felem recentiores, unde *Murilegina pelles*, *in Statutis* Abbatum nigri Ordinis A. C. 1249. aliter tamen ſentiente Scaligero *Exercit.* 215. In *Foris* Oſcæ Jacobi I. Aragon. Regis A. C. 1247. *fol.* 34. *murilegus* de collo ſuſpenſus rei, pœnæ genus: *Eſt tradendus Curiæ loci, quæ ipſum nudum cum* murilego *ſuſpenſo in collo, ex parte poſteriori duci faciat, ab uno oſtio civitatis uſque ad aliud, & cædi corrigiis iſtô modô, quòd latro & murilegus æqualiter feriantur*, Car. du Freſne *in Addition.*

MURINA, ſeu MURINES (quòd vide) inter potûs genera matronis permiſſa, quorum A. Gellius meminit *l. 10. c. 23.* Græcis μυρίνης οἶνος, vinum erat unguentô temperatum, vel cui ſuperinfundebant unguentum, τῷ μύρῳ κεκραμένον. Scribebant quoque Μυῤῥίνης, geminatione ſolenni caninæ literæ, ut *Salmaſ.* indicat, qua de re etiam videndus Hadr. Junius *Animadverſ. l. 5. c. 19.* unde Oiſelius Plinium, *Murrinum* quaſi *murrâ conditum*, interpretantem, reprehendit, cùm ſic vinum amarum eſſet: Potio enim [illegible] cis, ideoque *nectar* Græcis dicta eſt, teſte *Feſtô*, qui *Murrinam* tamen vinum cum *Myrrino* confundit. Plautus in *Pſeudolo, Actu 2. ſc. 4.*

Quòd ſi opus ut dulce promat, id ex ſe, ecquid dabit? Ch.
Rogas?
Murrhinam paſſum, defrutum, melinam mel cujuſmodi.

Quibus verſibus ſubjicit Plin. *l. 14. c. 13. Quibus apparet, non inter vina modò* murrhinam, *ſed inter dulcia quoque nominatum.* Extat quidem mentio, apud *Dioſcoridem* vini *murrâ* conditi, cum pipere, iride & anetho, ſed medicamentum illud potiùs ducendum dicendumque, quàm vinum. Neque verò muſtum ſic condiebatur, ſed vinum. At in aromatitem vel μυῤῥίνην, nihil myrrhæ addebatur, & muſtum, non vinum, ſic condiebatur. Unde ſemper dulce manebat, ſpeciebus aromaticis dulcedinem ei ſuam ſervantibus. Scaliger *in Theophr. de cauſis plantarum l. 6. c. 9.* ex myrti baccis confectum voluit. Sed *Heſych* & *Pollux* μύρῳ κεκραμένον [illegible] fuiſſe itidem docent. Addit *Feſtus*, *Quidam id dici putant, ex genere uvæ*, Murrinæ *nomine.* Meminit quoque *Murrhinæ* Fabius Doſſenus, antiquus Poëta,

Mittebam vinum pulteni, Murrhinam &c.

Et certè unguentorum oblectatio in vino olim quæſita, non ſolùm in capitibus ungendis, ſed & in factitio vino, cui admixtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mixtum unguentum, ut teſtatur Catullus *Epigr.* 67. *v.* 82.

Quam jucunda mihi munera liber onyx.
Veſter onyx, caſtô colitis quæ jura cubili.

Et Horat. *l.* 4. *Od.* 12. *v.* 16.

——— *Nardo vina merebere.*
Nardi parvus onyx eliciet cadum, &c.

Vide Jac. Oiſelium JCtum *in Gellii locum*. Thom. tamen Dempſter. aliique *Murinam* ſeu *Murinum* vinum, cum *Murrhata* potione, de qua cautum XII. Tabb. *ne mortuo indatur*, idem faciunt. In quæ verba ſcribit Feſtus, *Murrhatâ potione uſos antiquos fuiſſe, ejuſque rei indicium eſſe, quod etiam Ædiles per ſupplicationes Diis addant ad pulvinaria.* Sed nec Hier. Mercurialis, Medicus Patavinus celebris, *in variis Lect. de Murrhina*, quam cum *Murrhata* ſimiliter eandem habet, quid potionis id fuerit, ſatis explicat, ſaltem addit, fuiſſe artificialem quandam potionem, veterum tempeſtate vulgatiſſimam, à poſteris autem intermiſſam, unde vix ejus nomen remanſerit. Interim magnô ſumtu confectam fuiſſe, ex Lege patet. Meminit priſci ritus Auguſtin. *Confeſſ. l. 6. c. 2. Itaque cùm ad memorias ſanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes & panes & merum attuliſſet.* Paucíſque interjectis, *Quia illic parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima.* Et in ſequenti verſu apud Plinium loci, nempe *l.* 14. *c.* 13.

Panem & polentam, vinum, Murrhinam:

eôdem reſpici, credit Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c.* 30. Fr. Gouldmannus *Murinam*, vel ut alii ſcribunt *Murrhinam*, item *Myrinam* & *Myrrhinum*, interpretatur Angl. *a Princely Kind of wine mixt with myrrh and ſpices, wine worth the asking for, Nectar.* Item *Sweet meats as Hippocras or ſpiced wine, Diction. Lat. Angl.* Aliud omnino erat Vinum *murratum*, ἐσμυρνισμένον, quod è more Judæorum, ducendis ad ſupplicium, vel in loco ſupplicii jam conſiſtentibus, propinabatur, uti ex hiſtoria Paſſionis Dominicæ novimus. Vide infrà in ea voce; & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 709. *& ſeqq.*

MURINA, apud Alcuinum *Poëm. de Carolo M.* muris Pontici exuviæ, vide ſuprà *Mures Moſcovitici.*

MURISSIMUS, ex familiaribus Heliogabali, apud Lamprid. ibi *c.* 15 *In caſtris verò milites precanti Præfecto dixerunt, ſe parſuros eſſe Heliogabalo, ſi impuros homines--à ſe dimoveret atque ad bonam frugem rediret---Remoti ſunt denique ab eo Hierocles, Gordus & Muriſſimus.* Legi vult *Miriſſimus* Salmaſ. quod nomen agitatori multarum palmarum quadrat: Notum enim aurigis & hiſtrionibus, qualium hic fuit unus, ridicula & peregrina ac nova nomina plerunque imponi conſueviſſe. Sed & lapis extat Lugduni, in Baſilica Irenæi, C. VAL. MIRISMUS: quæ vulgata lectio ab hoc cognomine neutiquam abludit. Vide Salmaſ. & Caſaubon. *Not. ad l.*

MURITTUM, caſtrum Galliæ ad fluv. Lupam *Loin*, in pago Waſtinenſi, diœceſique Senonica, vulgò *Moret.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MURIS, *Herodot. Mœris Ptol.* vide ibi.

MURMELIUS Johannis, vide *ibi.*

MURMUR, apud Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 414. ubi Infera Sacra deſcribuntur.

——— *Lethæaque ſacra,*
Et merſum Iſmeni ſubter confinia ponto
Miſcentis, parat ante ducem circumque bidentum
Viſceribus laceris, & odori ſulfuris aura,
Graminibuſque novis & longô murmure *purgat.*

Vox eſt Magorum Incantatorumque propria, de qua vide ſuprà in *Canere*, item *Genitus.*

MUROBRECTARIS, ſeu potiùs *Murobractarii* Plauto *Aulul. Actu* 3. *ſc.* 5. qui Μυροβρέκται Græcis. Ita enim *bractare* verbum, ἀπὸ τȣ͂ βρεκτȣ͂ finxerunt, quod *humectare* & *madefacere* ſignificat & idem plane eſt, quod βρέχειν. Inde *bractamentum*, pro humore vel aqua poſuit Fulgentius *de Contin. Virgil. Nam ecce etiam ad me ipſe Aſcræi fontis bractamento ſaturior advenit.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano c.* 46. & in voce *Myrobrecharii.*

MUROCINCTA, oppid. munitum, Comiti Princip. Auriaco parens, ditioni Colonienſi inſertum; *Mœrs* incolis, *Meurs* Gallis: Vix 1. leuc. à Rheno, 9. à Colonia Agrippina in Boream, 3. à Geldria urbe in Eurum, 1. à limite Ducatus Clivenſis

MUROELA, urbs Pannoniæ ſuperioris. *Ptol. Muera Lazio.* Aliis eſt *Mureck* oppid. Stiriæ inferioris ad Muram fluv. 3. leuc. à Græcio in Eurum Rackelburgum versùs, à quo 4. leuc. abeſt.

MUROSITÆ Hæretici, murium cultores, vide *Mures.*

MUROTRIGES, vide DUROTRIGES.

MURRA, Græcè μόῤῥα, unde pocula *murrhina*, illa adeò apud Antiquos celebria, meliùs *murrea* & *murrina*; Græcè μόῤῥινα; occurrit apud Martialem, *l.* 10. *Epigr.* 80. *v.* 1.

——— *maculoſa pocula murræ,*

Et Statium *in Corona Earini, l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 57.

——— *hic pocula magno*
Prima Duci murraſque graves, cryſtallaque portat
Candidiore manu ———

Eſt autem Veterum quibuſdam lapis, aliis humor denſatus. Plinio *l.* 37. *c.* 2. *lapidis pretioſi genus, odoris præſtantiâ commendabile & colorum varietate inſigne, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremque & tertium ex utroque igneſcentem, veluti per tranſitum coloris purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente.* Baronio *A. C.* 34. ex Mich. Mercato, idem olim fuit, quod hodie *Benzui* vel *Benivinum*, materia ſcil. ex myrrhæ arbore inciſa fluens, ex qua in maſſam coagmentata, coloribus ad ſpeciem inductis, arte inde potoria vaſa fuerint efficta. Sed myrrha, Græcis σμύρνη, non μόῤῥα eſt, uti *murram* appellari videmus, etiam qui diſertiſſimè ſcribunt, atque Atticiſſant. Pauſan. *in Arcad.* Ἄλλως μέν γε καὶ κρύσαλλος καὶ μόῤῥα, καὶ ὅσα ἐςὶν ἀνθρώποις ἄλλα λίθȣ ποιȣ́μενα, καὶ τ͂ σκευῶν τὰ κεράμεα. Nec confundenda *murrina* nativa, cum factitiis. Petro Bellonio *murra* murex piſcis eſt, qui *Concha Veneria* aliàs dicitur. Antonio Nebriſſenſi *agathes*; Nic Guiberto Medico Muſſipontano *Aſſertione de Murrhinis, editâ Francof. A. C.* 1597. onyx, & quidem ea onychis ſpecies, quam *Corneolam albam* vocant, zonis tamen verſicoloribus & aliquam ſimilitudinem habentibus ad arcum cœleſtem (quas quidem venas *madratas*, à vulgo appellari annotat *c.* 6. unde Car. du Freſne *Mazerina* ſeu *Madrina* mediô ævô dicta, cum *murrhinis* Veterib. eadem eſſe conjicit) conſtantem &c. E qua ſententiarum diverſitate patet, non recentiores ſolùm, ſed & Veteres ignorâſſe, quid eſſent, aut quô modô fierent *murrina.* Quod & de ſerico factum; quô licet antiqui paſſim uſi fuerint: nemo tamen, quomodo illud proveniret, & quâ fieret arte, habuit perſpectum, uſque ad tempora Juſtiniani, ſub quo demum cognitum eſt, vermes ſericum apud Seres nere, non ex foliis arborum lanuginoſis depecti, quæ Veterum ſententia fuit. Qui verò tandem circa murram proximè ad veritatem accedant, videbimus infrà, in voce *Murrhina.*

MURRANUS, priſcus Latinorum Rex, à quo poſtea omnes Latini Reges *Murrani* dicti.

MURRATUM Vinum, ἐσμυρνισμένος οἶνος, memoratur in Hiſtoria Paſſionis Domini noſtri, Marci *c.* 15. *v.* 23. Καὶ ἐδίδȣν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον, *Et dederunt ipſi bibendum vinum myrrhatum* ſeu *murratum.* In ipſo nempe crucifixionis articulo, ex Hebræorum conſuetudine, poculum Servatori noſtro vini ἐσμυρνισμένȣ propinatum eſt, uti *Paulus Fagius* aliique Viri eruditi, è libris Talmudicis, & ſcriptis Rabbinorum, oſtenderunt jamdudum. Cujuſmodi humanitatis genus apud Athenienſes etiam in uſu fuit olim. Cùm enim, qui damnati capitis erant, è loco judicii apud illos exirent, ad ſupplicium ducendi, cibum vinumque largius ſumendi facultatem habebant, atque ſimul tria quæ vellent cunque proloquendi. Dein demum ubi edendi bibendique finem fecerant, ore obthuratô ad pœnam rapiebantur. Finis erat, ut vinô potuque obruti tales horrorem ſupplicii minùs attenderent. Quem eundem in finem Hebræi granum thuris aut myrrhæ vino miſcebant. Et Rabbini quidem thus in eam rem nominant; fortaſſe pro *myrrha*, cujus meminiſſe Marcum vidimus. Sæpe enim hæ ſpecies confundi ſolent: ſed utraque fortè in hanc potionem adhibita eſt. Atque hic communis Judæorum fuit mos: qui tamen in Domino noſtro integrè ſervatus non eſt. Namque propinatum illi quidem vinum eſt, idque *murratum*, in quo humanitatis erat ſpecimen, ſed illud dirum & crudele fuit, quòd fel poculo infuderunt, uti legimus apud Matth. *c.* 27. *v.* 34. Nempe ſanctæ mulieres, quæ Chriſto præparaverant id vinum (id enim officii puniendis præſtari ſolebat ab honeſtis & nobilibus matronis) cùm ad Dominum accedere non poſſent: vinum præparatum militibus tradidiſſe Domino porrigendum, hi verò, ut proni erant ad omne ſcelus, felle immixtô, illud corrupiſſe videntur. Alia potio, quæ præter morem, Domino ſitienti, cùm jam animam acturus eſſet, porrecta legitur, apud eundem Marcum, ubi ſuprà *v.* 63. de qua vide aliquid ubi de *Aceto*, plura verò hanc in rem, apud Iſ. Caſaubon. *Exercitat.* 16. *num.* 80. 87. *& ſeqq.*

MURRETUS, ſeu MURETUS, apud Anglicos Scriptores nonnullos xerampelinus color eſt, pulſus & ater, ex Anglico *Murrey*, uti docet Car. du Freſne in *Gloſſar.*

MURRHANUS, fuit quiſpiam, qui de generis nobilitate apud Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 529. gloriabatur,

Murrhanum hic atavos, & avorum antiqua ſonantem
Nomina, per regeſque actum genus omne Latinos,
Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi
Excutit. ———

MURRHINA, Vaſa, ac præcipuè Pocula, adhibita olim luxurioſis nepotum conviviis, memorantur Martiali *l.* 14. *Epigr.* 113. cui titul. *Murrina*, ita enim meliùs ſcribitur:

Si calidum potas ardenti murra Falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

In quæ verba inquit Schrevelius: *China dishes.* Ita ſanè videntur ex deſcriptione Plinii *l.* 37. *c.* 2. *Oriens*, inquit *myrrina mittit, ex humore ſub terra calore denſata. In pretio ſunt ob nitorem & coloris varietatem, purpurei, candidi & tertii igneſcentis. Aliqua & in odore commendatio eſt*, &c. Joſ. Scaliger *ad Propert. l. 4. Eleg. 5. v.* 26.

Murreaque in Parthis pocula cocta focis.

adverſatus Plinio, aſſerit *Murrina* pocula ex ſignino cocto apud Sinas facta eſſe, quæ nos *Porcellana* vocamus, Vide *Pancirollum* & *ad eum* Salmuthum. Lapidem, unde pocula *Murrea* ac *Murrina*, Salmaſ. Græcis Μόῤῥαν: Latinis *Murram*, appellatum eſſe, monet. Unde non tantùm hîc *Murræ* meminit Poëta, ſed & alibi, Martial. *l.* 10. *Epigr.* 80.

——— *Maculoſa poculæ* murræ:

reprehendit proin Vir Eruditus, qui *Myrrham* & *Myrrhina* ſcribunt: ac ſupra omnes turpiſſimè labi Baronium, qui *Myrrhina* pocula à *myrrha* aromate deducit & de myrrha facta interpretatur, contendit. Certè μόῤῥινα Græcis appellari, ſuprà vidimus. Uude *Arriano* λιθία μοῤῥίνη, à μόῤῥα, *murra*, quam vocem variis variè acceptam eſſe diximus. Salmaſio modò dicto nihil videtur vero propius, quàm antiqua *murrina*, noſtra *porcellana* eſſe, ſecutus ſic Scaligerum *d. l.* Quòd enim ex luto quodam albo & in fornacibus cocto apud Chinas porcellanea vaſa fieri contendunt, nil prohibet, quin Veter. *murrhina* fuerint. Id ſaltem ex diverſitate ſententiarum inter priſcos ſequitur, modum illos quô *murrina* fierent, ignorâſſe: Uti & de *Serico* vidimus. Quamvis enim *Arrianus* τ͂ μοῤῥίνης meminerit, quæ in Dioſpoli fiebat; at non de illa pretioſa *murra*, quæ ex Carmania & India advehebatur, ſed de vitro *murrhino* id accipiendum, quod in Dioſpoli Ægypti, ad imi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

imitationem murrinorum fiebat. Cujuſmodi vitri etiam *Plinius* meminit, ut & Opſiani, quod etiam imitabatur lapidem Opſidianum, in Æthiopia inventum &c. Dignationem autem ac immodicam eorum æſtimationem colligas, ex Seneca *de Benefic. l.* 7. *c.* 9. *Video illic cryſtallina, quorum accendit fragilitas pretium: Video* Murrina *pocula*, *parum ſcilicet luxuria magno furit*, *niſi quod vomant capacibus gemmis inter ſe propinarent.* Primùm Romam inducta ſunt, tertiô triumphô, quem de piratis, Aſia, Ponto, gentibuſque & Regibus variis M. Pisone, M. Meſſalâ Conſulib. die Natalis ſui egit Pompejus, *qui ſex pocula ex eo triumpho Jovi Capitolino dedicavit, quæ protinus ad hominum uſum tranſiêre, abacis etiam eſcariiſque vaſis inde expetitis*, *excrevitque indies ejus rei luxus*, Murrino *octoginta ſeſtertiis emto capaci planè ad ſextarios tres calice*, teſte Plinio *l.* 37. *c.* 2. Heliogabalus etiam *in Murrinis & onychinis minxit*, apud Lamprid. *c.* 32. Vide plura apud Thom. Dempſterum *Paralipomenis in Joh. Roſini Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 30. Inprimis autem Plinium, qui de iis prolixè agit, locô præfatô, nec non Salmaſ. *ad Solin. p.* 203. & 204. à quo tamen in eo diſſentit Caſp. Barthius, quod porcellanas hodiernas *murrinorum* veterum genus eſſe contendit, uti vidimus: Ipſe verò ſententiam hac de re non promit, *Animadv. ad Stat. l.* 1. *p.* 333. Vide quoque infrà *Myrrha*.

MURRHO Sebaſtianus, vide *Sebaſtianus*:

MURSA, urbs Ioniæ, ab Adriano condita. *Steph.* Item urbs Pannoniæ inferioris, *Murſia Ptol.* nunc oppid. Epiſcopale Hungariæ, *Eſſeck*, ſive *Ezeck Lazio*, ad Draum fluv.

MURSA, Galliæ caſtellum, 3. dier. itinere à Lugduno, ubi Magnentius à Conſtantino victus eſt, poſtquam apud *Murſam* prius, Pannoniæ inferioris civitatem, atroci jam præliô ſuperatus eſſet. *Eutrop. Socr. Sozom.* Quid nunc ſit non conſtat. *Baudrand. Valeſio* videtur locus *la Mure*, in Delphinatu, 25. leuc. ab urbe Lugduno, *Notit. Gall.*

MURSELLA, oppid. erat Pannoniæ ſuperioris inter Sabariam 22. & Arabonem 10. mill. paſſ. Antonin. *Itiner.*

MURTA, vulgò la MURTA, celebre Monaſterium Hieronymitanorum, in Catalonia, haud procul à Barcinone.

MURTA, fluv. Lotharingiæ, *la Meurte*. Oritur ex Vogeſo Nantejumque rigat, & in Moſellam ſe exonerat, 3. leuc. ſupra Muſſipontem.

MURTENA, caſtrum Burgundiæ, quod Odo Princeps Gallicæ Campaniæ, captum, præſidiô firmâſſe, A. C. 1032. legitur apud Hermannum Contract. *in Chron.* Fruſtrà ſequente annô obſeſſum à Conrado Imperatore, cùm Geneva & pleraque Burgundia recepta eſſet. Vulgò *Murte*, Gall. *Morat*, hodie oppid. Helvetiæ, non longè à Friburgo & Berna, Caroli Burgundi clade nobilis. Hinc lacui nomen. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà in voce *Moratum*.

MURTHLACUM, vulgò MURTHLAY, urbs Epiſcopalis Marriæ, nunc excisa, in Scotia.

MURTIA, Veneris cognomentum, à *Myrto*, arbuſcula illi ſacra, impoſitum, unde primum *Myrtia* dicta eſt, & deinde corruptô nomine *Murtia*. Plin. *l.* 15. *c.* 29. *Murcea* Feſto. Vide Varr. de *L. L. l.* 4. Dempſtero *Paral. ad l.* 2. *Antiq. Roman. Roſini* malè confunditur cum Venere; diciturque illi à *murcis*, i. e. ignavis. Dicti autem veterib. ſunt *murci*, i. e. mutili, qui pollicem ſibi præſcindebant, ut ad militiam eſſent inepti. Ei ſacellum erat ſub monte Aventino, qui antea *Murcus*: Conſulantur Tertullian. *de Spectac.* & Joſ. Scaliger *Caſtig. in Feſtum. Nic. Lloyd.*

MURTIPHLO, cognomen Alexii Ducæ Imperatoris Conſtantionopolitani, Græcè Μυρτζοῦφλος, *flos cordis*, Gunthero *in Hiſt. Conſtantinopolit. c.* 8. *Conſiliô cujuſdam cognati ſui*, *nobilis quidem viri*, *ſed perfidi*, *qui* Murtiphlo, *i. e. Flos cordis in illa gente dicebatur.* At Nicetas *in Iſaac*, *& Alex. num.* 4. ſic Alexium ſcribit appellatum, ἐκ τοῦ συνεσπάσθαι τὰς ὀφρῦς καὶ οἷον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐπικρέμασθαι, *quòd contracta ſupercilia & quaſi oculis impendentia haberet.* Villharduino dicitur *Morcuflex*, *num.* 16. Vide Car. du Freſne *in Gloſſario*, ut & in voce *Alexius Ducas*.

MUROIS, oppid. Africæ propriæ. *Ptol.*

MURUM, *Antonin. Mur Tſchudo*, *Caſtel Mur. Simlero*, vicus Rhætorum, inter Clavennam ad Meridiem 12. & Tinnetionem in Cæciam ac Boream. 16. mil. paſſ. Curiam verſus. Sed *Mur Tſchudo* in *Bregentz* tractu eſt.

MURUS, urbecula Baſilicatæ, in confinio Principatus citerioris prope Apenninum, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compſano, 12. mill. paſſ. à Compſa in Eurum, 24. à Marſico in Boream, 20. ab Acheruntia in Occaſum. Deficit in dies. *Muro.*

MURUS, pro carcere, in Concilio Toloſano A. C. 1229. *can.* 11. Unde *immurare*, Gallice *mettre entre quatre murailles*, in Concilio Narbon. A. C. 1235. *can.* 9. *Quia tamen intelleximus*, *vos de his tantum in pluribus partibus multitudinem* (Albigenſium pro Hæreticis tum habitorum) *inveniſſe*, *ut nedum expenſæ*, *ſed vix etiam lapides aut cæmenta*, *ſufficere poſſint*, *ad carceres conſtruendos*, *conſulimus ut eorum immurationes*, *ubi expedire videbitur*, *differatis*, apud eund. Quò pertinent, quæ de *Parietibus includendi* more, infrà dicemus. Cœterum *de ratione muris obducendi ceræ loricam*, *in eaque pingendi*, vide ſuprà ubi de *Encauſtica*.

MURUS Adriani, & Antonini: Item *Murus* Britannicus, vide *Murus Picticus*.

MURUS Cæſaris. *A lacu Lemanno*, *quem Rhodanus influit*, *ad montem Juram*, *qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit*, *mill. paſſ.* 10. (ita legi vult Cluverius) *murum in altitudinem pedum ſedecim foſſamque* ſe perduxiſſe, memorat Cæſar. *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 8. Hunc, prope Genevam, non longè ab Rhodani è lacu effluxu ad montem Juram, quidam: Gaudardus, inter ipſam urbem, Genevam, & ipſos Helvetios, incipiendo paulo ſupra urbem verſus locum in radice montis, ubi vicus *Jornan*, & pergendo per Gayenſis territorii medium, extructum fuiſſe autumat, ad Helvetios intra ſuos fines coërcendos. Nonnulli murum uſque ad Virginis Caſtrum extendunt. In hoc tria miratur Plantinus, longitudinem, firmitatem (foſſâ enim variiſque caſtellis egregiè munitus erat) & temporis in eo extruendo brevitatem, *in Helvetia Antiqua & Nova*. Ejus non obſtructa ſe vidiſſe veſtigia, refert Merula *part.* 2. *l.* 3. *c.* 43.

MURUS Hexamitus, 5. milliarium, in Iſthmo Corinthiaco excitatus, ut Moream ab invaſione ſecuram præſtaret, deſtructus eſt ab Amurathe Turcico Imperatore. Hunc dein reparârunt Veneti A. C. 1453. Sed iterum poſtea à Turcis occupatus ac deſtructus eſt. Becmannus *Hiſt. Orbis Terr. c.* 6. *ſect.* 6. §. 6.

MURUS Picticus, antiquus ultimuſque Imperii Romani limes. Primò ex ceſpitibus & ſtipitibus ab Hadriano factus, per 80000. paſſuum, quò ſic Barbaros à Romanis diſcluderet, circa. A. C. 117. Vulgò *The Picts Wall.* Poſt hunc Antoninus Pius, Britannis per Lollium Urbicum legatum devictis, aliô *Murô* ceſpititiô ductô Barbaros Caledonios ſubmovit, circa A. C. 144. Poſt à Severo Imperatore, 3. ante obitum annô, qui Chriſtianæ æræ 208. fuit, ubi *Murus* Adriani erat, è lapide multò jam munitior conſtructus, per Continentem, à mari Germanico ad mare Hibernicum perductus fuit; longitud. 60000. paſſ. Carauſius, qui A. C. 285. ſub Diocletiano & Maximiano Hercule, inſulæ Imperium nactus eſt, aliquibus in locis collapſum, inter fretum Dunbritannicum atque Edenburgicum reædificavit, opus adeò celebre, ut inde *Britannicus* dictus ſit. Tandem Imperiô jam devergente, à Valentiniano III. circa A. C. 426. è ſolido ſaxo 8. pedum latitudine & 12. altitudine, à *Boulneſſe* prope Itunæ ſinum in Occidentem inchoatus, perpetuô tractu ad Tinæ oſtium in Orientem ductus eſt, & lineâ maxima ex parte directâ per montes vaſtos aſcenſu & deſcenſu, ſuper præruptas rupes & excelſos colles procurrens, 100. mill. paſſ. ferè longitudine collegit: Cujus ductus multis in locis etiamnum extat, in Cumbria & Northumbria, ſuis tantùm pinnis nudatus. In eo crebræ turres ſpeculatoriæ 1000. paſſib. inter ſe diſtantes exſtructæ erant, in quibus milites, ad tutandos ab hoſtilibus excurſionibus fines, excubarent. *J. Speedus.* Hunc Scoti Pictique, circa A. C. 431. cuſtodibus deturbatis perrupêre, horribili intra murum habitantium ſtrage editâ: quâ in re Scotorum Albienſium Hiſtorici ſtrenuam Grimi cujuſdam operam prædicant, à quo perfoſſus ille murus *Grahamsdike* vel *Grimeſdike* appellationem hodieque retinet. Vide etiam Bedam, Buchananum *l.* 4. *&c.*

MURUS Sinicus, audax induſtriæ opulentiæque humanæ miraculum, à Xio Imperatore Cinæ familiæ auctore, extructus. Hic, totâ Sinâ ſubactâ Tartaros graviter afflixit, quorum in poſterum irruptiones repreſſurus, murum hunc condere aggreſſus eſt, annô Imperii 22. ante Chriſtum Natum 215. abſolvitque annis 5. tantâ operis ſoliditate & firmitate, ex meris ſcil. ſilicibus lapidibuſque, compactum, ut ſicubi clavus infigi per lapidum commiſſuras poſſet, morte luerent, qui illam partem fabricâſſent. Navibus, quæ crudi ferri maſſis plenæ, demerſis fundamenti locô, innixus, quatuor provincias ambitu ſuô cingit, 300. milliar. longus à ſinu maris, in quem *Yalo* fluv. ex Tartaria Orientali influit, uſque ad *Kin* civitatis montes, prope Crocei ripas, nuſquam interruptâ ſerie, præterquam ad Boreales partes urbis *Siven* provinciæ Pekingiæ, ubi exiguum ſpatium tenent horridi & inacceſſi montes, qui firmiſſimum murum nectunt. Ibidem Croceum fluv. ad *Se* fauces, uti & reliqua flumina minora alicubi, arcubus hinc inde fornicibuſque ſuperſtructis, ad inſtar pontis admittit: Cœtera totus ſibi conſtans ac ferè uniformis, non per planitiem modò, quæ in his partibus rarior eſt, ſed & quâ ipſos montes tranſcendit: Certis intervallis turres habet & portas, illiſque vicina caſtella munitiſſima, tum ad muri cuſtodiam, tum ad militum habitationem aptè diſpoſita: Habuit enim ibi aluitque, quâ longè ab Ortu in Occaſum patet, ad ejus cuſtodiam Sinicus Imperator decies centena millia militum. Altitudo 30. Sinenſium cubitorum eſt, latitudo 12. & ſæpius 15. Ad ſinum maris, in regionis *Leaotung* ultimis finibus, quâ in Septentrionem vergit Corea peninſul. ubi illius initium per aliquot ſtadia aquas ſubit, aſſurgens Occidentem verſus & *Leaotung* regionem, mox excurrit ad *Peking*, inde Xanſiam & Xenſiam provincias munit, non rectà ſemper progrediens, ſed quandoque, pro vario locorum ſitu, deflectens; reliqua ad Oceanum uſque montes Damaſii claudunt. Dignum omni admiratione muri robur eſt, ferè ſine labe aut noxa, contra tot temporum injurias perſiſtentis. Sed negligentior eius cuſtodia, tandem ex cauſis fuit Sinici Imperii à Tartaris noſtrô ſeculô everſi. Vide Adam. Preyelium *Sinæ & Europæ c.* 3. & infrà in voce *Sinarum regio*.

MUS, Græcè μῦς, Hebr. עכבר *achbar*, h. e. *agri comſumptor & vaſtator* (quæ tamen appellatio agreſti inprimis muri convenit) inter domuum incolas recenſetur, Plinio *l.* 8. *c.* 57. *haud ſpernendum in oſtentis etiam publicis animal. Arroſis Lavinii clypeis argenteis*, *Marſicum portendêre bellum*: *Carboni Imperatori*, *apud Cluſium*, *faſciis*, *quibus in calceatu utebatur*, *exitium.* Hinc Plautus in *Perſa*, *Actu* 1. *ſc.* 2.

Pater, *avos*, *proavos*, *abavos*, *tritavos*,
Quaſi mures edêre ſemper alienum cibum.

Ipſos verò nemo eſt qui in cibum expetat, cùm aliæ eſcæ ſuppetunt. In *Hiſtoria* tamen *Hebraica* Templi Secundi *p.* 241. cùm Hieroſolymitani à Romanis obſeſſi eſſent, comediſſe *cadavera canum & mures*. extremâ videl. fame urgente, legimus. Quo in caſu, *vaniſſe murem CC. nummis*, *Caſilinum obſidente Annibale*: *eumque qui vendiderat*, *fame interiiſſe*; *emtorem vixiſſe*, legas apud Plinium *loc. cit.* At apud priſcos Romanos ſorices in delitiis, *quos proin Cenſoriæ leges*, *principſque M. Scaurus in Conſulatu*, *non aliô modò* [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cœnis ademère, quàm conchylia, aut ex alio orbe convectas aves. Semiferum & ipſum animal, cui vivaria in doliis idem, qui apris, inſtituit, Ibid. Colores eorum tres, *niger*, *rufus* & *albus*; in quibus albus rariſſimus, non tamen ignotus Græcis. Ælian. *Hiſtoriæ l. 12. c. 5.* ubi de Templo Sminthii Apollinis, in Troadis urbe Hamaxito, Ὑπὸ δὲ τῷ βωμῷ φωλεύουσι λευκοὶ μῦες, *Sub altari nidificant albi mures.* Atque hi putantur omnium ſalaciſſimi, unde in Proverbium abiit, Μῦς λευκὸς, ἐπὶ τῶν ἀκρατῶν περὶ τὰ Ἀφροδίσια. Vide *Suidam*, & quid ex Philemone habeat Ælian. *Hiſtoria l. 12. c. 10.* Lætum tamen oſtentum priſcis fecêre, Plinius ubi ſuprà. Plura vide ſuprà, in voce *Mures.* Addam ſaltem hîc de Sennacheribi notiſſima clade, quam Angelo tribuunt Sacri Scriptores; illam Joſephum ex Beroſo peſti divinitùs immiſſæ, *Muribus* verò *agreſtibus* Ægyptios in Herodot. *l. 2. c. 142.* aſcribere. Quod an inde ortum, quia λοιμὸς, *lues* & λοιμὰς, *mus*, in *Heſychio* ſunt voces ita vicinæ, ut una potuerit pro altera uſurpari, atque ſic tribui *muribus* clades à lue accepta. Utut ſit, Cretenſibus illis, qui Hamaxitum Troadis urbem prædictam condiderunt, tale quidpiam accidiſſe memoratur, apud Ælian. *loc. cit.* Veterem Homeri Scholiaſtem *ad Il. α.* Ariſtotelem *Rhetoric. l. 2. c. 24.* & Polemonem laudatum Clementi *in Protrept.* Quæ cùm iis ſimilia ſint, quæ de Aſſyriis referunt Ægyptii; illos Creticam hanc, aut Troicam, ſi mavis, hiſtoriam interpolâſſe, putat Bochartus, *Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 34.* Vide & ſuprà *Mures.*

MUS Aquatilis, Magis Zoroaſtris ſectatoribus exoſus maximè, ſicut contrà echinum terreſtrem in veneratione habuêre, memoratur Plutarcho *Sympoſiac. l. 4. qu. 5.*

MUS Araneus, apud Interpretes Strabonis eſt quem ille μυγάλην vocat, Athibitus olim in veneratione, *l. 10.* Vide infrà *Mygale.*

MUS Arboreus, vide ſuprà *Glires.*

MUS Peregrinus, apud Hieronym. *adv. Jovinianum l. 2. Odoris autem ſuavitas & diverſa thymiamata --- & muſcus* peregrini muris *pellicula*: nonnullis eſt moſchus ſeu muſcus animal; qui proin legunt, *& muſcus è peregrini muris pellicula.* Videtur enim illis *muſcum* dictum exiſtimâſſe, quòd è *muris* pellicula ſudaretur: ut *mus* ſit, unde corraditur, & inde *muſcus.* Atqui mus non eſt, ſed animal gazellæ ſimile, è cujus ſanguine muſcus extrahitur, ut infrà videbimus. Putant itaque iidem, *muſcum* cum *zibetio* confudiſſe, quod etiam odoramentum eſt, ex ſudore animalis, ſimilis feli. *Cattum zibetticum* vulgò nominant: *murem* appellâſſe videntur Veteres, qui & ſic paſſim vocârunt ſylveſtres hujuſmodi beſtias, quarum pellis ad veſtitum commendabatur. Meliùs *muſcum* & *peregrini muris* pelliculam junxiſſe videtur Hieronym. uti μόσχον & ζαπέτιον ſive γαλαῖον Græci inferioris ævi. Nicetas *in Iſacio*, Καὶ ἠλείφατο μυρίσματα ῥοδοσυμμάτων παντοῖα, μόσχον, ζαπέτια, ἄμβαρ. Achmes *in Onirocritico*, ἠλείψατο μόσχῳ καὶ γαλαίῳ πρὸς τὸ εὐωδεῖν. Ubi per γαλαῖον intelligit zibetticum odorem; è muris vel muſtelæ peregrinæ pelle per ſudorem emanantem; Alii. Sic nihil in Hieronymi loco fuerit mutandum. Ubi *pelliculam* vocat, quia odoris illa ſuavitas ex pellicula emanat hujus animalis, multis plagis ad ſudorem coacta: cùm muſcus è vomica moſchi emanet &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 335.* & infrà ubi de *Zibettico Catto.*

MUS Pharaonis, vidè ſuprà *Ichneumon.*

MUS Ponticus, ſeu *Finnicus*, ſeu *Venetus*, Vide ibidem ſuprà, ubi de *Muribus Moſcoviticis.*

MUS Ponticus, Gall. *Hermine*, Ordo Equeſtris de Britannia, inſtitutus an reſtauratus à Johanne V. Britanniæ Duce, circa A. C. 1365. His torques aureus maculis diſtinctus, Symbolum *A ma vie: Sammarthanus.*

MUS Urſinus, vide *Saphan.*

MUSA, Latinè *veſtigatio*, ſeu *inquiſitio* dicitur. Sic enim Phornutus in *l. de Nat. Deorum.* Καλοῦνται δὲ Μοῦσαι ἀπὸ τοῦ μῶσθαι ὅ ἐστι ζητεῖν. Eò quoque alludit *Theognis*, ubi ait,

> Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον εἴ τι περισσὸν
> Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν,
> Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύσαι. ———

Sunt qui à convenientia, ſeu nexu diſciplinarum, & encyclopædiâ *Muſas* quaſi ὁμοιούσας dictas putent. Euſeb. *de Præp. Evang.* à μυέω *Muſæ* nomen deducit, id ſignificat *inſtituo*, *inſtruo.* Scal. *Poët. l. 1. c. 2.* ἀπὸ τοῦ μαιῶσθαι, quòd iis inventio tribuatur, Platonem ſecutus deducit. Dan. Heinſius *in Ariſtarcho ſacro*, ab Ebræo *Muſar*, quod diſciplinam ſignificat, derivat. Muſas autem Poëtæ *Jovis*, i. e. intellectus, & *Memoriæ* filias fecerunt. His enim rebus eruditio conſtat. Muſarum autem nomine omnes artes liberales continentur; quippe quæ ab iis inventæ creditæ ſunt. Plut. *Symp. l. 8. c. 14.* Hinc Cicero Muſas *humanitatem*, *& literas*, interpretatur *in Tuſcul. Qu. & Orat. pro Archiâ.* Gell. *l. 9. c. 3. A liberali tamen Muſâ, & a ſtudiis humanitatis nunquam abfuit.* Idem. *Ejuſdem Muſa*, i. e. ſtudii ſeu diſciplinæ. *Muſam Platonis* pro Philoſophia Boëthius dixit *l. 3. Metr. 11. & l. 1. Proſâ 1. Poeticas Muſas* ad differentiam aliarum dixit, de quo & Barthius *Adverſ. l. 6. c. 20.* Præcipuè tamen *Muſarum* voce *Poëſis* & *Muſica* deſignabantur. His enim artibus primùm omnium pueri imbuebantur. Hinc *Amuſos*, i. e. imperitus Muſicæ apud Vitruvium, *l. 1. c. 1.* & *amuſia* pro imperitiâ canendi Varroni apud *Nonium in Lactare* dicitur. Vulgò ſedem Muſarum Helicona, Parnaſſumque montes conſtituunt. Virg. *Georg. l. 3. v. 11.*

> *Aoniô rediens deducam vertice Muſas.*

Sed in cœlo Heſiodus locat, itemque Horatius *l. 3. Od. 4. v. 1.*

> *Deſcende cœlô & dic age tibiâ,*
> *Regina longum Calliope melos.*

Vide Macrob. *in Somn. Scip. l. 2. c. 3.* ubi & *Sirenas* appellat. Leſbo autem, ſi *Myrſilum Leſbium* audimus, novem Muſas debemus; ita quidem ex eo refert Clem. Alex. *in Protreptico*; vide *Megaclo.* Cicero *l. 3. De Nat. Deor.* de Muſis ſcribit: *Jam Muſæ primæ quatuor, natæ Jove alterô, Thelxiope, Mneme, Aœde, Melete. Secundæ Jove tertiô & Mnemoſyne procreatæ novem. Tertiæ Jove tertiô Pieriô natæ & Antiopa, quas Pieridas poëtæ vocant, eôdem numerô, quô proximè ſuperiores.* Aliqui tamen Cœli & Terræ filias dixerunt, ut Alcmæon & Phornutus, unde & Pindarus alicubi Muſam οὐρανοῦ θυγατέρα vocat. Muſarum epitheta ſunt *Camœnæ*, *Heliconiades*, *Parnaſſides*, *Aonides*, *Pierides*, *Pegaſides*, *Aganippides*, *Theſpiades*, *Libethrides*, *Caſtalides*, &c. Vide Lilium Gyrald. *Syntag. de Muſis. Nic. Lloydius.* Cœterùm Corona earum ex pinnis alarum fuit. Quippe memorant, Acheloi filias, ſuaſu Junonis auſas eſſe provocare Muſas in certamen cantus: At Muſas victrices iis victis, pinnas ex alis convulſas, & in ſpeciem coronæ coactas, ſuis capitibus impoſuiſſe argumentum victoriæ; & quodammodo in tropæi ſpeciem. Quemadmodum Indos & Bactrianos, quòd ſagittando valerent, ſagittis redimiri ſolitos legimus; apud Prudentium *Hamartigen.* Sed & Calliopen, omnium Muſarum præſtantiſſimam, hederâ coronat Ovid. *Faſtor. l. 5. v. 79.*

> *Tunc ſic neglectos hederâ redimita capillos;*
> *Prima ſui cœpit Calliopæa chori.*

Quod coronamenti genus ab ipſis Poëtis propterea uſurpatum. Palmâ porrò *Muſas* coronatas, legimus apud Phornutum, propter τὸ τρυφερὸν καὶ ἐνεργὲς καὶ ἀείζωον, καὶ δυσανάβατον καὶ γλυκύκαρπον τοῦ φυτοῦ, *mollitiem*, *efficaciam*, *virorem perpetuum*, *aſcenſum difficilem & fructus dulcedinem*, uti loquitur, περὶ τῶν Μουσ. Sappho quoque roſis incingit, apud Clementem Alex. *Pædagog. l. 2. c. 8.* Imò & diadematas illas facit Fulgentius *Mytholog.* ubi de Polymnia &c. Quam in rem vide C. Paſchalium *in Coronarum libris paſſim.* Nomina earum, Romanis temporibus, palàm mulierculis impoſita, quod de maſculis Diis, demptô quidem Apolline, nondum compertum, obſervat *Barthius.* Sic *Muſa* nomen eſt in *Inſcriptionibus*, *p.* DCCCCXX. 15. quod virile etiam fuiſſe, nemini ignotum. *Calliope*, legitur ibidem DCCXL. 2. & DCCLXXXII. 5. *Terpſichore*, DCCCCXLII. 14. *Euterpe*, MCXXV. 8. *Melpomene*, XXV. 9. &c. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion ad Stat. Theb. l. 4. v. 34.* Princeps Chori Calliope notatur à Scholiaſte quoque Heſiodi, Joanne Galeno Diacono, *fine Allegor. in Theogoniam Comment.* productis priſcis his verſibus,

> Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
> Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε.
> Καλλιόπη θ', ἣ καὶ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.
> *Clioque Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque;*
> *Terpſichoreque, Eratoque, Polymniaque, Uranieque,*
> *Calliopeque, illas inter quæ maxima Muſa eſt* &c.

Vide quoque Ger. Jo. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l. 1. c. 27.* ubi Oſiridi, novem Virgines fuiſſe, Muſices intelligentiſſimas; iiſque præfuiſſe Apollinem, inde Μουσαγέτην dictum, inter alia, refert. E qua hiſtoria Poëtis fortè fabulæ occaſio; uti in aliis accidiſſe novimus.

MUSA, Medicus Auguſti, poſt Camelium, qui cùm lactucarum eſum ægrotanti Auguſto negâſſet, *Muſa* contrà eum Imperatori ſuaſit ſicque valetudini illum reſtituit: à quo tempore lactuca in pretio Romanis. Vide *Artorius.*

MUSA, vide *Æmilia.*

MUSA, Arbor Ægypto familiaris, Græcis veterib. μοῦζα, de qua multa commentatur *ad Solin.* Salmaſ. *p. 1310. & ſeqq.* Sed & *Muſæ*, mirabile genus fructuum, quod Baruthi ſive Berythi Phœniciæ quondam non ignobili urbe provenit, de quo Baumgartnerus *Itinerar ſuô* ita: *Muſæ illic in tanta creſcunt copia, ut inde deferantur Tripolim, Damaſcum, Damiatam & uſque in Ægypti Alexandriam. Fructus eſt colore fabis haud diſſimilis, niſi quòd multo ſit grandior, guſtu ſapidiſſimô, odore admodum & ſuavi & ſalubri, & quaſi ſimilem cum melle ſaporem habens. Creſcit botratim, i. e. plures in uno botro, aliquando decem, plerumque viginti, nonnunquam etiam ſuprà: qui, ubicunque & quotieſcunque inciduntur, in utraque parte inciſa, crucis effigiem clarè oſtendunt. Folia ſunt decempedalis longitudinis, latitudinis verò palmaris & ſemis, in quibus ante papyri uſum Veteres dicuntur ſcriptitâſſe.* Etiam in Sinenſi Imperio in provinc. Quantonia *Muſæ* eæque ſingulares reperiuntur, uti adnotat Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c. 36. de Fructibus.* Apud Græcos inferioris ævi, *Muſa* inter miniſteria ſacra, occurrit, de qua vocis notione vide Meurſium *in Gloſſ.* & Leonem Allatium *de Recentiorum Græcorum Templis p. 149.* nec non *de Concordia utriuſque Eccleſiæ p. 1604.* Inſtrumentum quoque Muſicum, hoc nomine occurrit, in *l. 3. Miraculor. S. Dionyſii c. 7.* Gallis *Cornemuſe*; cujuſmodi inſtrumento pro tuba in bellis prælii ſque uti Hibernos, teſtatur Richardus Stanihurſtius *de Rebus Hibern.* ubi illud ſic deſcribit: *Utuntur etiam Hibernici, locô tubæ, ligneâ quadam fiſtulâ, callidiſſimô artificiô fabricatâ: cui ſaccus ex corio compoſitus & cingulis arctiſſimè complicatus adhæreſcit. Ex pellis latere dimanat fiſtula, per quam quaſi per tubum fiſtulator, inflatô collô, & buccis fluentibus, inflat. Tum pellicula aëre farcta, turgeſcit: intumeſcentem rurſus premit brachiô. Hâc impreſſione duo alia ligna excavata, brevius ſcilicet ac longius, ſonum emittunt grandem & acutum. Adeſt item quarta fiſtula, diſtinctis locis perforata, quam buccinator ita articulorum volubilitate, quà claudendo, quà aperiendo foramina, moderatur: ut ex ſuperioribus fiſtulis ſonitum ſeu grandem, ſeu remiſſum, quemadmodum ei viſum fuerit, facilè eliciat. Totius tamen rei prora & puppis eſt, ut aër per nullam aliam folliculi particulam, præter fiſtularum introitus, pervadat. Nam ſi quis vel acu punctum in culeo rimaretur, actum eſſet de iſto inſtrumento, quandoquidem follis ſubitò flacceſſeret. Hoc genus ſiſtri apud Hibernos bellicæ virtutis cotem eſſe conſtat* &c. Apud Germanos idem inſtrumentum in uſu, ſed paſtoribus agricoliſque, qui ejus modulamine gregem demulcent otiumque fallunt, vernaculô ſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mone, *Sackpfeiffe*. Excogitâſſe id Lydos, habet Scholiaſtes Pindari *Olymp. Od.* 5. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, in voce *Muſarabes*, *Saccomuſa*, it. *Utriculus*.

MUSA Antonius, aliis *Artorius*, vide ibi.

MUSACH, vox Hebraica, quæ occurrit 2. Regum *c.* 16. *v.* 15. unum notat ex tribus in Templo Hieroſolymitano locis, quibus oblationes inferebantur. Uti enim *Gazophylacium*, oblationibus Populi & *Corbona*, eleemoſynis Sacerdotum & Templi Miniſtrorum, erant deſtinata: Sic *Muſach*, à Rege Achazo ædificatum, ærarium erat, ubi Principum Magnatumque dona reponebantur. Inprimis ibi Reges ingredientes quovis Sabbathi die Templum donaria ſua inferebant. Macer *Hierolexico*.

MUSÆUM, locus circa Olympum in Macedonia. *Steph.*

MUSÆUS, tres ejus nominis commemorat *Suidas*, unum Eleuſinium, Antiphemi filium, ἐποποιὸν, verſificatorem, diſcipulum Orphei, qui ſcripſit Ὑποθήκας, i. e. vitæ præcepta, ad Eumolpum filium, verſuum ferè 4. millibus, & alia plurima. Alterum Thebanum Thamyræ filium, Philammonis nepotem, Trojani belli tempore, qui poëta etiam fuit, Μελοποιὸς, ſcripſitque Lyricos verſus, & cantica. Tertium Epheſium item verſificatorem, qui tempore fuit Eumenis & Attali Pergami Regum, ſcripſitque res Pergamenſes, præterea Perſeidos libros decem. Muſæum verò, qui amores Leandri & Herûs conſcripſit, Cæſar Scaliger (at quantus vir!) in ſuis de Poëtica libris Homero præmiſit, quia hunc putaret eſſe illum, cujus à Virgilio fit mentio *Æn.* 6. *v.* 667.

Muſæum ante omnes.

Sed nihil manifeſtius, quàm hunc vixiſſe ſub Auguſtis, & quidem poſt quartum ſeculum. Itaque in veterib. libris dicitur Μυσαῖος ὁ γραμματικός. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 519. & Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* xv.

MUSÆUS, fil. Lunæ & Eumolpi, ſcripſit de remediis morborum & Oraculis, Ariſtoph. *in Ran. Act.* 4. *ſc.* 2.

MUSÆUS, Auctor Græcus, de Iſthmis ſcripſit. *Suid.* Item Poëta Latinus, impudicus. Vide Mar ial *l.* 12. *epigr.* 96.

Muſæi pathiciſſimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis, &c.

MUSÆUS, Presbyter Maſſilienſis, ſecul. 5. à Venerio & Euſtathio Epiſcopis magni habitus: illius ſuaſu compoſuit lectiones, quæ Feſtis annuis convenientes, in Eccleſia cantarentur: hujus verò hortatu, tractatum de Sacramentis elaboravit. In Scripturis ſacris verſatiſſimus, obiit ſub Leone & Majorano Imperatorib. circa A. C. 459. Gennad. *de Viris Ill.*

MUSÆUS, fluv. Myſiæ inferioris, in quo S. Sabas ſubmerſus eſt.

MUSAGETES, inter cognomina Herculis, de quo ſuprà.

MUSAGORES, Plin. *l.* 4. *c.* 12. Melæ *l.* 2. *c.* 7. tres ſcopuli, in ora Auſtrali Cretæ. ante Criumetopon promontor.

MUSANDINUS Petrus, Medicus inſignis, memoratus Egidio Corbolienſi, qui vixit ſub Philippo Auguſt. *de Medicam. l.* 2. *MS.* apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

Dulcia Threïcii reſonans modulamina vatis
Tange cheli, digitisque fides percurre ſonoras,
Largo Cirrei libamine pota fluenti,
Diva Muſandinas *evolve & diſſere leges.*

Et libro *de Pulſibus*,

Verba Muſandino *maneant condita ſapore.*

Ubi Gentilis de Fulgineô, i. e. *ſapidis & ſententioſis auctoritatibus* Petri Muſandini, *qui fuit patronus & ſupremus opifex hujus facultatis, qui alium non habuit parem, nec habiturus eſt ſequentem.*

MUSANUS, Scriptor Eccleſiaſtic. ſub Antonino Vero, ſcripſit contra fideles quoſdam, qui Encratitarum opiniones amplexi erant. Qui liber commendatur, ab Hieron. *l.* 1. *de Scriptor. Eccl.*

MUSARABES, Chriſtiani in Hiſpania, ſub Arabum jugo viventes, dicti ſunt; an à *Muza* Arabum Duce, qui Hiſpaniam domuit; an à voce Arabica *Muſa* quâ Chriſtianum notant. In illorum Divino officio ſeu Miſſa, *Tom. VI.* Biblioth. Patr. τρισάγιον ſic pronuntiatur: *Agios*, *Agios*, *Agios*, *Domine Deus Rex æterne tibi laudes & gratias.* Vide ſuprà in vocibus *Moſarabes* & *Mixtarabes*.

MUSARDUS, cognomen Guilielmi Divionenſis Abbatis, ſic dicti, quòd *Muſarum* ſtudio ſedulò incumberet: quin & *Muſardi*, in genere bonarum literarum Studioſi ab Adelberone vocantur, Dominic. Macer in *Hierolexico*, ubi ejus hunc verſum laudat,

Si Muſas celebres clamant Muſarde *Sacerdos.*

At Car. du Freſne otioſum, pigrum, ſtupidum hac voce denotari contendit, ejus originem arceſſens ex Germanico *muſs*, i. e. *otium.* Unde & Gallis *muſer*, otiari vel rebus frivolis immorari eſt: & *Muſare* Florentinis, eſt ſtare otioſum, ſtupidi hominis inſtar. Vide Menagii & Octavii *Origines Italicas.*

MUSARNI, populi Italiæ antiquiſſimi, à Libyco Hercule conditi.

MUSCA, Poëtria lyrica, quæ epigrammata & odas conſcripſit. Cæl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 1.

MUSCA Canina, ſeu *Cynomyia*, una ex decem Ægypti plagis. Cùm enim certum ſit, *muſcas* ſæpenumero immensùm multiplicari, ut olim apud Eleos, ubi muſcarum copia peſtilentiam attulit, Plin. *l.* 10. *c.* 28. & in Cantabria Romani, pretiô datô, μυιοθηρῶντες πρὸς μέτρον ἀποδειχθὲν διεσώζοντο μόλις, *muſcas ad certam menſuram venantes vix ſervabantur*: id inprimis in *Muſca Canina* fieri voluit Deus, cùm quia magis noxium hoc animal, tùm quia canibus maximè infeſtum, atque ob id ipſum magis odioſum Ægyptiis, à quibus colebantur canes:

Omnigenumque Deûm monſtra & latrator Anubis.

Itaque hâc clade graviſſimè afflixit Ægyptios, permovitque Pharaonem, ut, quod hactenus vetitum fuerat, concederet Iſraëlitis publicè ſacrificandi facultatem. Cui cùm regereret Moſes, id non poſſe fieri, quia à ſuis ſacrificiis Ægyptii maximoperè abhorrerent, ac proin ut ſibi longius, tridui videl. itinere, recedere liceret, petiiſſet, timens ſibi Rex ſuisque ab importunis illis muſcis, quibus Ægyptus infeſtabatur, tandem & hoc conceſſit. Sic Deus has *muſcas* ex tota Ægypto amovit, ut ne una quidem ſuperfuerit. Sive Angelus, vel ventus à Deo excitatus, illas in mare demerſerit, aut in vicina Libyæ deſerta, propulſaverit: quod miraculum priore majus: Nam Ægyptum ſcatere muſcis, ex Bellonio notum *Obſervation. l.* 2. *c.* 47. ubi circa pyramides tantam earum eſſe frequentiam aſſerit, ut illis volantibus aër reſonet. Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 4. *c.* 16. Contrà, non intrabant *Muſcæ*, ædem Beel-Sebub ſeu *Dei Muſcæ*, Accarone Philiſtæorum; neque ædem Herculis Romæ in Foro Boario, uti Plin. teſtatur *l.* 10. *c.* 29. imitante etiam hâc parte verum Deum infernali ſimiâ, in cujus templum muſcis nullus aditus, ſi Talmudicis creditur, inquientibus, *in domo mactationis non eſt Muſca*, *Pirke Aboth cap.* 5. 6. 7. & 8. Vide plura hanc in rem, ut & de *Muſcarum* ſeptem ſpeciebus in Scriptura aut Verſionibus memoratis, *Muſca* nempe *propriè dicta*, *ape*, *veſpa*, *œſtro*, *cynomyia*, *culice & ſcinіphe*, apud eundem Bochartum *Part.* 2. *paſſim*: de Sacrificio verò *Muſcis* Olympiæ facto, infrà *Myiodes*: ac earundem ſupplicio, voce *Scaphiſmus*. Hinc *Muſcarium Flabellum*, ad abigendas *muſcas*, quod è pavonis cauda delicatioribus. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 67. cui titulus, *Muſcaria pavonina.*

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Vide ſuprà *Cauda pavonis*, it. ubi de *Eunuchis*, hoc enim apud fœminas Veteres eorum officium fuit, & voce *Flabellifera.* Ad ejus imitationem, *Muſcarium Bubulum*, apud eundem *Epigr.* 71. *loc. cit.* appellata eſt cauda bovis, ad tergendas & excutiendas veſtes; de qua is:

Sordida ſi flavo fuerit tibi pulvere veſtis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis &c.

MUSCA in Cerebro, cognomen Conradi *de Luzelinhart*, cui Principatum Ravennæ tribuit Fridericus I. Imperator apud Conradum Urſpergenſem, *ad A. C.* 1167. *Muſca in cervello*, in *Actis* Innocentii III. *p.* 5. *eo quòd plerunque quaſi demens videretur*, ut idem Urſpergenſis ait, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

MUSCÆ, dicti Plauto *in Mercat. Actu.* 2. *ſc.* 3. qui Horatio *l.* 2. *Sat.* 8. *Umbræ*, convivæ non invitati, & θράσος verarum *Muſcarum*, *Homero* jam notatum, imitantes: Hæ, quia à templis Bacchi Cererisque non æquè aberant ac ab æde Herculis, in Foro Boario, abfuiſſe memoriæ traditum eſt, ideo miniſter, qui *Muſcas fugaret*, in triclinio apud Romanos præſtò fuit. Hinc Martial. *l.* 3. *Epigr.* 82.

Et æſtuanti tenue ventilat frigus
Supina praſino concubina flagello,
Fugatque Muſcas *myrteâ puer virgâ.*

Seneca *de Ira l.* 2. *c.* 25. *Quid enim eſt, cùr tuſſis alicujus, cur ſternutamentum aut Muſca parùm curioſè fugata, nos in rabiem agat?* A Muſca *Muſcarius* Hercules, Græcè Ἀπόμυος dictus eſt, de quo vide in voce *Baal Sebub.* Plura verò hanc in rem ſuprà.

MUSCÆ, inter Inquiſitionis in Eccleſia Romana miniſtros, quorum ope è captivis confeſſio elicitur. Cùm enim humanâ tractatione, & blandis pollicitationibus, nihil efficitur, permittit Inquiſitor aliquem ad captivum intrare, illi non ingratum, qui cum ipſo loquatur, &, ſi opus fuerit, fingat ſe de ſecta ipſius eſſe, ſed præ metu abjurâſſe ac veritatem Inquiſitori prodidiſſe. Cùm captivus illi confidit, denuo ad illum venit ſerâ veſperâ & ſermones cum eo protrahit; tandem fingit, ſerius eſſe quàm ut abire poſſit; totâ ergo nocte cum eo in carcere manet, ut ſimul colloquantur & captivus inducatur alloquiô alterius, ut ſibi mutuo confiteantur, quæ commiſerint. Interea extra carcerem locô congruô aliqui ſtant, auſcultantes & verba eorum colligentes, ac ſi opus fuerit, cum iiſdem Notarius. Atque ita quidem ſuô tempore faciendum docuit Eymericus. Nunc verò qui ita inſidioſè quippiam ejus, quod concupierat, è concaptivis collegit, cuſtodem carceris vinctos pro more inviſentem orat, ut audientiam ſibi dari petat, ut moris quoque eſt vinctos agere, atque ita è carcere egreſſus muneris ſui rationem redditurus, non indicat modò quod inter vinctos audivit, verùm etiam, quô vultu vincti exceperint quæ eis de doctrina propoſuit, hilarine an ſubiracundô? &c. etſi nullum ab eis tulerit reſponſum; quidve de ipſis ſentiat: atque iſtius demum delationes probatiſſimi teſtimonii vim habent, cujuſcunque fidei vel exiſtimationis alioqui homo is ſit. Hujuſmodi verò *Muſcas*, uti vocantur iſti, inde facilè agnoſci ac deprehendi, ait *Regin. Gonſalvius Montanus*, quòd ut plurimum ipſi ad ejuſmodi colloquia ſeſe ingerant, haud à quoquam provocati, incipiantque vel intempeſtivè ejuſmodi ſermones de doctrina excitare, quibus proin nullum reſponſum dari conſultiſſimum judicat. Miratur porrò, homines tales, ut fiant voti compotes, duorum vel trium etiam menſium carcerem non morari vinctos cum vinctis, atque moleſtias illas omnes libenter ferre, etiam ex uno carcere egreſſos è veſtigio alium ingredi, atque inde tertium, bis, ter quater, eaſdem uſque moleſtias repetituros ac in eo demum delitiarum orbe vitam tranſacturos, *S. Inquiſit. Art. det. p.* 95. plura apud Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 4. *c.* 14. ubi de alio quoque in Hiſpania horum hominum expiſcandi more.

MUSCANDA, urbs Antiochianæ, in Cappadocia. *Ptol.*

MUSCARIA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in Vaſconibus. *Id.*

MUSCARIUM Flabellum, vide ſuprà *Muſca.*

MUSCARIUS, Græcè Ἀπόμυος, Herculis epitheton, quòd *muſcas* ab æde ſua abigeret, Plin. *l.* 10. *c.* 29. & Solin. *c.* 1. Imò & Jovis, Clemens *in Protrept.* Ἀπομυίῳ Διῒ θύουσιν Ἠλεῖοι; Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ, *Muſcario Jovi litant Elienſes*, *Romani verò Muſca-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Muſcario Herculi. Quod nempe ex Elide Olympia muſcas abegiſſet, uti habet Pauſan. *Eliacis prior.* Eum ipſum Deum *Myodem* vocat Plin. *l.* 29. *c.* 6. Sed μυιῶν Δία, *Muſcarum Jovem*, legi vult *Salmaſ.* &c. vide infrà in voce *Myacores*, it. *Myiagrus* & *Myiodes.*

MUSCELLINUM Unguentum, de quo Fuchlius *ad Myrepſum*, Græcorum recentium μοσχέλαιον & Veter. βαλάνινον eſt, ex myrobalano nempe factum, quam & μοσχόκοκκον Recentiores vocârunt. Sic nucem myriſticam iidem μοσχοκάρυον dixêre & κάρυον μυρεψικὸν & ἀρωματικὸν, quæ vulgò *muſcata nux.* Unde & *muſcata glans* dici potuit Veter. μυροβάλανος, ex quo μυροβαλάνινον; à quo μοσχέλαιον diverſum. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1325. & 1328.

MUSCHIANUS, Conſul cum Paulo, an. Urb. Cond. 1320.

MUSCIACUM, vetus Galliæ locus, ad fluv. Tarnim in Cadurcis, priſcô Monaſteriô illuſtris, vulgò *Moiſſac.* Caſtrum fuit, ad Comitem olim Toloſæ pertinens: Monaſterium verò aut reparatum eſt, aut recens extructum à Ludovico Pio, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MUSCULI, dicuntur Vegetio *l.* 4. *c.* 16. machinæ quædam militares, quibus tecti milites apportatis lapidibus, lignis & terrâ foſſas complebant, ut turri ambulatoriæ munirent viam. At Cæſar *Muſculorum* tecto uſum tribuit, non viæ aggere ſupportato muniendæ, ſed muri ſubruendi, lapideſque vectibus ſubducendi, qui etiam interdum ſubjectis rotulis impellebantur; cujuſmodi *Muſculi* deſcriptio apud eum extat *Belli Civ. l.* 2. *c.* 10.

MUSCULUS Wolfgangus, Duſanus, fil. victoris, Theologus Bernenſis. Eſt Duſa oppid. Lotharingiæ, ſalinis per celebre. Ejus extant *Commentarii in Geneſin, Pſalmos, Eſajam, Matthæum, Johannem, ad Romanos, Utramque ad Corinthios, ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, utramque ad Theſſ. In prior ad Timotheum*, 9. *tomis fol. Baſileæ variis vicibus editi.* Obiit Bernæ, A. C. 1563. ætat. 66. Vide Melch. Adami *in vitis Theol. German.* De eo Jac. Verheiden, *in Effig. Profeſſ. Labore*, inquit, *ſtudiô ac induſtriâ, ſacrarum item literarum cognitione clariſſimus evaſit.* Plura vide apud Anton. Teiſſier *in Elogiis.*

MUSCUS, apud Hieronym. *ad Jovinian. l.* 2. *Odoris autem ſuavitas & diverſa thymiamata & amomum & cyphi & œnanthe & Muſcus & peregrini muris pellicula*: eſt Græcorum μόσχος, Latinè etiam hinc *moſchus*, qui per ſe odoramentum facit idque fragrantiſſimum; unde & *muſcum* pro qualibet fragrantia & odoris ſuavitate, jam *Arnobius* & *Appulejus* poſuêre: Hunc è peregrini muris pelliculâ ſudari, adeoque hinc dictum eſſe, idem Hieronym. exiſtimâſſe videtur. Atqui, mus non eſt, ſed animal gazellæ ſimile in Regno Pegu & in Regno Ava Indiæ ultra Gangem, è cujus ſanguine (qui in umbilico ejus ſeu vomica coit) *muſcus* extrahitur. Paulus Venetus ita de eô *l.* 1. *c.* 62. *Invenitur in hac provincia muſchum optimum, & quo melius in mundo non invenitur. Eſt enim animal quoddam pulcherrimum in hac provincia, catti habens magnitudinem & pilos groſſos, ut cervus, pedes quoque habens ungulatos & dentes quatuor, duos ſuprà & duos infrà, longitudine trium digitorum: juxta umbilicum verò inter cutem & carnem veſicam habet ſanguine plenam & ſanguis is eſt muſcum, à quo tam ſuaviſſimus exhalat odor.* Adde *l.* 2. *c.* 34. 37. & 38. *Gazelam* vocat Jul. Scaliger *Exercit. in Cardan.* 211. §. 3. 4. 5. 6. Simeon Sethi, Τοῦ μόσχου facit διάφορα εἴδη· ὧν ὁ κρείττων γίνεται ἐν πόλει τινὶ πολὺ τοῦ Χορασὰν ἀνατολικωτέρᾳ, λεγομένῃ τοῦ Πάτα· ἔστι δὲ τὴν χροίαν ὑπόξανθον· τούτου δὲ ἥττων ὁ ἀπὸ τῆς Ἰνδίας μετακομιζόμενος. ῥέπει δὲ ἐπὶ τὸ μελάντερον· καὶ τούτου πάλιν ὑποδεέστερος ὁ ὑπὸ τῆς Σινῶν ἀγόμενος· πάντες δ' ἐν ὀμφαλῷ ἀπογεννῶνται ζώου τινὸς μονοκέρωτος μεγίστου ὁμοίου δορκάδος. *Muſci variæ ſunt ſpecies. Optimus naſcitur in urbe quadam Tupata dictâ, quæ multo magis eſt Orientalis, quàm Choraſe. Colore autem eſt ſubflavus. Et iſtô deterior eſt, qui ex India advehitur, ad nigrum vergens. Quò rurſus imbecillior, qui defertur ex Sinis. Omnes autem generantur in umbilico animalis unicornis maximi capreæ ſimilis.* Ubi *Tupata* eſt *Tubet*, urbs & regio notiſſima (ultra Choraſan) ex qua moſchum optimum advehi, magnô conſenſu ſcribunt Arabes: unde in ipſam Indiam & Sinas advehitur, quorum muſcus cur ſit Tibethienſi deterior, docet Maſudius Scriptor Arabs, apud Bochartum, his verbis: *Muſcus Tubetienſis Sinenſi præſtat duabus de cauſis: quarum una eſt, quòd capreæ Tubetienſes paſcuntur ſpicâ odoratâ* (nardô) *& aliis aromatibus, cùm Sinenſes capreæ herbis paſcantur, quæ ſunt inferiores herbis illis aromaticis, quibus paſci diximus Tubetienſes. Altera cauſa eſt, quòd Tubetienſes muſcum non ſolent è folliculis ſuis educere, ſed eum relinquunt ſuper id, quod eſt. Contrà Sinenſes eum educunt è folliculis* &c. Quòd verò *Muſci capreolum* monocerotem facit Sethi, falſum eſt, cùm conſtanter tradant Arabes, hunc à reliquis capreolis in eo ſolùm differre, quòd duos dentes habet exertos, ut apri dentes, quos Plin. *ſicas* appellat. Vide iconem animalis apud Joann. Baptiſt. Tavernier *Itinerar. Indic.* Nomen quod attinet, quare aut unde μόσχος dicatur, non liquet. Aliàs *Pollux* Μοσχίων λαγωῶν, meminit, qui acerrimum & odoratiſſimum veſtigiorum habeant odorem, adeò ut canes maximè proritent & incendant: cùm paulo antè τῶν Ἐλυμαίων quoque mentionem feciſſet, qui vulpibus minores non ſint, à gente, quam inter Hyrcaniam & Bactros collocat. Quô pactô & Μοσχίοι vel Μόσχοι lepores, à gente fuerint appellati. Et ſunt Μόσχοι, populi Armeniæ, Matienis vicini, à quibus & Moſchici montes. Latini certè *muſcum* vocant, cujus vetuſtior appellatio eſt, quàm vulgo putatur, cùm & *Arnobius* ejus meminerit & *Appulejus*; ut vett. *Gloſſarum* Auctorem omittam, qui & μοῦσχον appellat Græcè, quum aliàs omnibus Græcis μόσχος dicatur. Unde & μόσχατα *Aëtio* thymiamata, quibus additur *muſcus*, & μοσχέλαια & μοσχόμυρα *Paulo Æginetæ* unguenta, quibus is ſimiliter additur. Sinenſibus animal *Xe*, & odor ejus *Xe hiung* appellatur; ut apud quos frequens eſt, inprimis in provinc. Suchuena, in montibus urbis Paoningæ; nec non in Regno *Lu*, unde ſi in vicinum *Laos* transferatur, inſtar piſcis extra aquam detenti, emoritur. Maximè autem eô nobilitatur Sanyvena civitas, uti diximus, ſuprà in voce *Moſchus.* Vide plura hanc in rem apud Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 3. *c.* 26. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 379. *& ſeqq.* ubi de hoc animali fuſè.

MUSEA, inter ædificiorum genera, memorantur Plinio *l.* 36. *c.* 21. *Non prætermittenda eſt & pumicum natura. Appellantur quidem ita & eroſa ſaxa, in ædificiis, quæ* Muſea *vocant, dependentia, ad imaginem ſpecus arte reddendam.* Idem *Muſei ex margaritis* meminit, *in cujus faſtigio horologium erat*, à Pompejo tranſlati triumphô tertiô, quem de piratis, Aſia, Ponto, aliiſque regionibus egerat, *l* 37. *c.* 2 Alexandriæ olim ſic appellabantur Collegia Doctorum, qui publicô ſumtu alebantur. Ibi enim Marcum Euangeliſtam cœtus atque agmina Philoſophantium, lectionibus, diſputationibus, meditationibus & interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium coëgiſſe, memorant *Euſebius* & *Hieronym.* è qua Schola Pantænus, Clemens, Origenes. Trypho, Heraclas, Dionyſius, Anatolius, Pierius, Theo, Athanaſius, Didymus, Ambroſius, Maximus Philoſophus, aliique innumeri prodierunt, Fr. Burmannus *Orat. Inaug. de Collegiis.* Ibidem benemeritos epuli perpetui jus, quod σίτησιν dixêre Græci, habuiſſe, ſicut Athenis olim in Prytaneo videbimus infrà voce *Pancrates.* Cujus appellationis origo, an à *Muſis*, an à loco cognomine, ſeu colle, Athenis proximo, in quo *Muſæus*, Orphei diſcipulus, carmina ſua recitare conſueviſſe legitur. Ibidem quoque ſepultum, habet Pauſan. *l.* 1. ſed in portu Phalereo tumulum ejus fuiſſe, docet vetus marmor. Hodie *to Steggio* is collis appellatur vulgò: in quo etiamnum conſpicitur monumentum ex marmore Caji Julii Antiochi Philopappi Conſulis Romani ſub Trajano, curru triumphali vecti, præcedentibus iconibus aliquot & ſequente Victoria. Suprà imago ejus viſitur, ſub cujus pedibus hæc Inſcr.

ΦΙΛΟΠΑΠΠΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΒΗΣΑΙΕΥΣ.

Ex Biſa namque, Atticæ oppido oriundus erat: quamvis Syrus gente eſſet, uti ex columnæ ibidem, *Inſcriptione*, in qua dotes & munera hujus Philopappi commemorantur, docet Jac. Sponius, nec non ex Antiochi Syriæ Regis ſtatua à latere ei adpoſita, *Itinerar. Græc. part.* 2. *p.* 204. & *ſeqq.* Pedum *Muſei* hujus Iliſſus lambit, de quo ſuprà. Vide quoque ſuprà *Bruchium* & infrà *Muſivum.*

MUSEJARIUS, in veteri *Inſcr.* Romæ, *C. Julius Aug. lib. Nicephor. muſejar fecit ſibi & libertis libertabuſque eor.* idem qui *Muſivarius* alibi, Græcis Μουσιάτωρ, vide *infrà.*

MUSEJUM, vulgò *Muſſy ſur Aure*, locus eſt Galliæ memoratus *in literis* Gaufridi *Epiſcopi Carnutenſis, ubi ait: In loco qui dicitur Strata, diſtanti per unam leucam à nobili & famoſo caſtello Drocis, juxta* Muſejum *ſuper fluvium, qui dicitur Arva, Raherus de Donion vir nobilis dedit Monachis in eo loco (Strata) habitaturis locum congruum piſcationi, quam homines in vulgari ſuo Gort appellant;* Situs eſt ad dextram Arvæ ripam, Stratæ Abbatiæ, *l'Eſtrée*, ad alteram ripam conditæ oppoſitus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

MUSI, fil. Merari filii Levi, Exod, *c.* 6. *v.* 19.

MUSICA, ars nobilis, cujus inventionem, quidam ad aves oſcines: nonnulli ad Pythagoram, quem ajunt numeros primum obſervâſſe ex alternis fabrorum ictibus: Poëtæ ad Mercurium Apollinemque referunt. Sed multò Pythagorâ antiquior Homerus eſt, apud quem crebra *Muſices* mentio. At Homerô longè vetuſtior Ars eſt, cùm ea fuerit jam ante diluvium. Trinepos enim Adami Jubal citharâ & tibiâ canendi Artem reperit, Gen. *c.* 4. *v.* 21. Non dubium autem, quin ore priùs, quàm organis cecinerint. Unde benè Fabius *l.* 1. *c.* 17. *Timagenes*, inquit, *auctor eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam Muſicem exſtitiſſe.* Interim, quòd ejus inventionem Ægyptii Μανέρωτι Ægyptio, quem in conviviis ſuis cantabant, ut Auctor eſt Plut. *de Iſ. & Oſir.* quòd Græci Pythagoræ adſcripſerunt, ſic defendi poteſt, ut intelligatur *Muſica*, quatenus diſciplina eſt ſonos acutos & graves non ſenſu modò, ſed ſubtiliori etiam ratione perpendens. At notæ ſex, quibus vulgò utimur, nec dum fuêre ante annos 600. Namque primus eas invenit Guido Abbas Aretinus, qui adverſùs Berengarium ſcripſit, temporibus Conradi Junioris. Earum nomina in *Sapphicis iſtis* Pauli Diaconi ſic habent:

UTqueant laxis RESonare fibris
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLve pollutis LAbiis reatum.

Cujus hymni occaſione nomina iſthæc notis fuerunt impoſita, extrahendo tum initialem ſyllabam verſus: tum eam, quæ eſt poſt pentemimerim. Aliis hodieque Græci ſignis vocem variare ſolent, de quibus vide Cruſium *Turcogr. l.* 2. *annot. in Malaxi hiſtoriam Patr.* 6. Finem honeſtam habet aurium atque animi voluptatem: idem enim dulcedine ſuâ præſtat, ac ſomnus & vinum liberaliùs hauſtum, quæ tria μέριμναν παύει, *curas graves ſedant*, ut *Ariſtoteles* ait. Hinc Lacedæmonii ad vitæ auſteritatem modulorum temperandam dulcedine, Muſicâ uſi ſunt, Athen. *l.* 14. eâdem infantes permulceri, opifices ac mulieres (quemadmodum apud Homer. Circe) laborem ſolari, bruta quoque moveri videmus. Sic Pytocharis tibicen luporum impetum concitatô ac vehementi tibiæ cantu cohibuiſſe, apud Ælian. *Hiſt. An. l.* 11. *c.* 18. elephanti *Muſicâ* capti manſueſcere, apud eundem *l.* 12. *c.* 44. Equæ Libycæ in Venerem incitari, *c.* 45. delphines canendo oblectari, apud Plin. *l.* 9. *c.* 8. apri & cervi Artis vim perſentiſcere, apud eundam Ælian. *l.* 12. *c.* 46. piſcium etiam nonnulli, demulceri tibiis ac fiſtulis, apud Porphyrium *de abſtin. ab eſu animal. c.* 3. leguntur. Vide etiam Mart. Capellam *l.* 9. & Gyraldum *dial.* 1. *Hiſtor. Poëtarum.* nec non infrà voce *Pecus.* Nec

parùm valetudini confert. Multos enim ſuâ ætate, ac potiſſimum Thebanos, tibiæ cantu mederi morbis conſueviſſe, tradit Athen. l. 1. Iſchiadicis Muſicam mederi, à Theophraſto eſt proditum: morſibus hominum pluribus Medicinam fuiſſe incentiones tibiarum, A Gellius auctor eſt l. 4. c. 13. Febrem curâſſe vulneraque cantione Veteres: tuba ſurdiſſimis Aſclepiadem ſuccurriſſe, Xenocratem lymphaticos organicis modulis liberâſſe, Thaletem Cretenſem citharæ ſuavitate peſtem fugâſſe, ægrorum venas Herophilum rhythmorum collatione penſâſſe, literis tradidit Mart. Capella l. 9. Hinc Medicorum Muſicorum meminiſſe legimus A Gellium l. 3. c. 10. In animum ipſum quantam Muſica vim habeat, non tam Amphionis Orpheique fabulæ, quàm ipſa humana docet vita. Lyræ cantu Pythagoram ac Sectatores ejus, animum tum ad laborem accendiſſe, tum ad tranquillitatem traduxiſſe, teſtantur Plut. l. de Iſ. & Oſiride, Porphyrius in vita Pythag. Jamblichus in eadem c. 25. & 32. Cicero Tuſc. Quæſt. l. 4. in proœm. Seneca de Ira l. 3. c. 9. & Quintilian. l. 9. c. 4. quorum ultimus, Pythagoram concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, juſſâ mutare in Spondeum modos tibicinâ, compoſuiſſe, quoque tradit l. 1. c. 10. Empedocles Agrigentinus juvenem citharæ cantu à parricidio cohibuit, teſte Interprete Hermogenis in l. περὶ Ἰδεῶν: Lacedæmonii tibiæ cantu ad arma conceſſêre: iidem ſeditione laborantes auditô Terpandrô in συσσιτίοις canente, ad concordiam redierunt, ut docet Plut. l. de Muſica: Achillem cytharæ cantu mitigatum, exhibet, Homerus: Getarum quoque Legati, ſi pacis vel induciarum ergo mitterenrur, ubi pacatô eſſet opus animô, citharam pulſantes adveniebant, Athen. l. 14. Vocabantur autem Cantica quibus animi à motibus purgarentur, Μέλη καθαρτικὰ, ut diſcimus ex Ariſtotele Polit. l. 8. cujuſmodi κάθαρσιν ſacra præcipuè faciunt cantica, quale inprimis Davidis fuit, quô dæmonem quoque è Saule fugavit, 1. Sam. c. 16. v. 23. Hinc non mirum, ſi ſoli Arcadum Cinæthenſes uſque adeò fuerint efferi ac crudeles, quando ſoli eorum à Muſicis fuêre alieni. Sed & Ægyptii Muſicam, ὡς ἂν ἐκθηλύνουσαν τὰς τῶν ἀνδρῶν ψυχὰς, aſpernati ſunt, teſte Diod. Sic. l. 1. & Cynici omnem damnârunt, auctore Laërtiô l. 6. c. 104. nec non Ephorus, Iſocratis una cum Theopompo diſcipulus, fœdiſſimè de ea ſcripſit, Polyb. l. 4. At vulgò longè alia opinio atque conſuetudo erat Græcis, qui cum Grammatiſtice & Gymnaſtice Muſicâ ſociatâ, etiam ſervitia his imbuebant. Vide Quintiliànum l. 1. c. 17. Nuſquam verò major in Græcia Muſicis, quam apud Arcadas, honor fuit, Polyb. l. 4. Unde ſatis liquet, cur Maro in Bucolicis dicat Ecl. 7. v. 4.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Sed Romanorum hac parte longè aliud judicium fuit, ut patet ex Corn. Nepote præfat. nec tamen Romana gravitas adeò ab hac arte abhorruit, ut non adoleſcentulæ primariæ diſcerent lyrâ canere: Sic Cornelia, filia Metelli Scipionis, Muſicis exculta fuit, Plut. in Pompejo. Imo & Maſurius JCtus Ulpiano æqualis, Muſicis aſſiduam operam navavit, Athen. l. 14. &c. Diſtingui autem poteſt Ars hæc, vel pro ſono & inſtrumentis, vel pro modis harmoniæ univerſis, Sonus vel fractione aquæ fit, circa quem Hydraulice verſatur: vel aëris, qui iterum vel ore fit, & Harmonicem exercet: vel organis, unde Organica orta eſt. Quibus tribus Muſices formis Ὀρχηστικὴν ſeu Saltatoriam, adjicere videtur Jul. Pollux l. 4. c. 13. Modi, pro fine diverſo, aliter atque aliter vocem flectunt: variant autem fines illi, pro moribus gentium, quarum præcipuè in conſiderationem veniunt Æoles, Dores, ac Iones. Quibus addi præcipuè ſolent Cantus Lydius & Phrygius; quos tamen Heraclides ad eos facilè revocari poſſe ſtatuit. Innotuerunt autem hæc duo Muſices genera Græcis demum, quando utraque gens cum Pelope in Peloponneſum deſcendit. Sic cùm minimè par omnis cantus ratio ſit; ac ille maſculum inſpiret animum; alius verò emolliat: planè opus eſt diſpicere, cujuſmodi cantus pro tempore quoque alicui conveniat, ne pro Medicina quis inferat damnum: Hinc tubæ uſus in bello, dulcium canticorum in Theatris, Ammon. in Iſagogen Porphyr. Pulchrum rurſus in bello Orthion: in convivio Parœmion: Lacedæmoniis Embaterion: Athenienſibus Cyclion: inſequenti hoſtem Enceleuſticon: fugienti Anacleticon, Maxim. Tyrius Orat. 7. Porrò Dorius tonus pudicitiæ largitor eſt: Phrygius pugnas excitat: Æolius animi tempeſtates tranquillat: Iaſius intellectum obtuſis acuit: Lydius contrà remiſſione reparat, feſſos curis animos, Caſſiodor. Varior. l. 2. Ep. 40. ad Boëthium, &c. Nihil verò æquè diſparem arguit Muſices vim, quam quòd eâ immutatâ immutari etiam Reip. forma ſolita ſit. Quapropter Timotheus Mileſius, tempore Philippi Macedonis, cùm in magade plures adhibuiſſet nervos, quàm antea ſolerent, in judicium vocatus eſt, teſte Athenæô l. 14. *Vide quoque Ciceronem de LL. l. 2. Nec non Terpandro, cùm chordam unam in cithara intendiſſet, præter neceſſitatem, mulcta fuit ab Ephoris indicta, ac paxillo cithara ejus in rei memoriam ſuſpenſa: quod & Phrynidi contigit, apud Plut. περὶ προκοπῆς. Apud Romanos quidem ut parvum fuit Muſices decus, ita immutatio ejus, Ciceronis ætate, vel exigua fuit vel nulla: Diſpar ratio apud Græcos, ubi magnus ejus Artis honos; & pluribus Viris cordatis obſervatum, vel cum Muſica immutatos fuiſſe mores, ut voluit Plato de Rep. l. 4. vel cum moribus Muſicam, ut maluit Tullius de Legg. l. 2. Vide infrà Muſurgia, it. Odeum, Plaſma. &c. Hæc de Muſica antiqua, quæ jam diu degeneravit. Si enim exceperis, quæ fiunt, tum ſecundùm S. Scripturam, ubi præcipitur, ut Deum Pſalmis ſacriſque Canticis celebremus: tum ex Medicorum præſcripto qui Muſicem ad melancholiæ morbum proclivibus magno cum fructu commendant: pauci omnino hac Arte utuntur ad perturbationes animi ſedandas; plurimi ad voluptatem; nec non rarò etiam luxuriem ac proterviam, quô nomine & de ſuo jam olim ævo, conqueſtus eſt Athenæus librô ſæpiùs laudato. Vide Gerh. Joh. Voſſium tract. de quatuor Artibus Popular. c. 4. & ſuprà Hymnorum genera; de Muſica verò in conviviis apud Romanos & Muſicis utriuſque ſexus, Thom. Dempſter. Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. ac Laur. Pignorium Com. de Servis, ut & infrà in voce Symphoniaci.

Variæ Muſicæ species, earumque effectus.

Æolicus modus ſuperbus fuit ac tumidus; uti elata ipſa gens, equorum ſtudiis ac conviviis amplis, gaudens. Idem & Hypodorius dictus, quòd proximè ad Dorium accederet. Æolios modos etiam Theſſali, ut ab Æolibus orti & eandem vitæ rationem tenentes, ſequuti ſunt. Animi tempeſtates hoc Muſicæ genus tranquillare, ſonumque jam placatis attribuere, Caſſiodorus dixit ſuprà.

Canonica, dicta olim Muſica eſt, non à canone inſtrumento, ſed à rectitudine. *Siquidem ratio id, quod eſt rectum, reperit utendo canonibus ſive regulis harmonicis*, Porphyrius in Harmon. Vide quoque A. Gellium l. 16. c. 18. & ſuprà Metrica.

Dithyrambica, in Bacchi ſacris uſitata animos ad furorem concitandum tibiis accendit.

Doricus modus, pro natura gentis, non diffuſus aut hilaris: non varius, aut multiplex, ſed vehemens, ſeverus ac tetricus fuit: *caſtitatis largitor* Caſſiodoro, loc. cit. dictus. Hic Lacedæmoniis in uſu fuit, animum inſpirans bellicum: & ab Ariſtotele quoque commendatur, ut cui inſit ςασιμότης καὶ ἀνδρεῖόν τι, *ſtabile quid & maſculum.*

Harmonice, propriè dirigit ſonum, qui ore fit: ſic κατ' ἐξοχὴν dicta.

Hydraulice, à Cteſibio inventa, occupatur circa ſonum, qui fractione aquæ fit. Vide ſuprà ſuô locô.

Iaſius modus, *intellectum obtuſis acuit & terrenô deſideriô gravatis cœleſtium appetentiam bonorum operator indulget.* Caſſiodorus ubi ſupra.

Ionum cantus hilaris ac mollis erat: propterea quòd illis dominati ſunt barbari Aſiæ Reges, qui mollitie diffluebant. In Ionibus verò Mileſiorum ingenium relucebat, qui mollitie reliquos multùm anteibant. Quo factum ut Ægyptii fortè ac Cynici, de quibus ſuprà, averſiore in Muſicam animô fuerint.

Lydia Muſica querula erat: Hæc ſecundum Caſſiodorum loc. cit. *contra nimias curas, animæque tædia reperta, remiſſione reparabat & oblectatione animos corroborabat.*

Metrica, tertia Muſices pars, memorata A. Gellio l. 16. c. 18. circa ſyllabarum quantitates verſabatur, diſpiciebatque, utrum breves an longæ eſſent. Agebat verò de quinque hiſce 1. de Elementis ſive literis. 2. de Syllabis. 3. de Pedibus. 4. de Metris. 5. de Poëmatis.

Organica, inſtrumentis fiebat, quorum alia ſpiritu inflabantur, ut Buccinæ, Tuba, Lituus &c. Alia nervis intendebantur ut Cithara, Barbitus, Nablia &c. Alia pulſabantur, ut Tympanum, Cymbalum, Siſtrum &c.

Phrygia, Hyagnidis Phrygis inventum, gravis erat ac vehemens: & ut Dorica animum inſpirabat bellicum, ſic ipſa ciebat religionem ſive ſuperſtitionem potius. In ſacris inprimis Magnæ Matris uſitata, ubi idcirco non tibiis ſolùm, ſed & tympanis ac cymbalis, ad animos in furorem concitandos, locus erat: quam ob cauſam in conviviis Græci lyram potiùs, quàm tibiam, quòd ibi ſedatis animis opus eſſet, adhibuêre, aliter judicantibus Latinis, qui ad tibiam; *clarorum virorum laudes atque virtutes, accumbentes canebant*, teſte Cicer. l. 4. Tuſcul. initiô.

Rhythmica, Muſicæ pars eſt, quæ in voce conſiderat celeritatem ac tarditatem, numerans ſyllabas, eaſque ad aurium judicium examinans non habitâ ratione quantitatis. Agit itaque 1. de primis temporibus, ſive quæ primô ſenſu apprehenduntur. 2. de Generibus rhythmicis pedumque differentiis. 3. Celeritate ac tarditate temporum. 4. de Mutatione rhythmorum. 5. de facultate rhythmos efficiendi Oiſelius in Gell. loc. cit.

Saltatoria, Græcè Ὀρχηστικὴ, Muſica dicta eſt, quæ pedibus fiebat. Hâc non ſolum populus Dei in eo celebrando uſus eſt, ſed & Gentiles hyporchemata canebant in ſuorum Deorum ſacrificiis, nec abſque tripudiis poterant initiari. Vide infrà in voce Saltatoria. Poſſent & alia addi: Nam de Citharædo & Erico, Daniæ Rege miram hiſtoriam refert Saxo Gramm. l. 12. de Hippolyto Medic. Cardinali, in Pannonia apud exercitum agente, Hier. Magius Var. Lect. l. 4. c. 13. de Parthis, qui non cornibus, aut tubis claſſicum canentes, ſed pulſantes ligna cavata & coriô obducta, quibus ærea circumpoſuêre tintinnabula ac ad terrendum hoſtem, fuſcum & dirum edentes clangorem, qui aſperitatem tonitrûs habebat, M. Craſſi cum Parthis pugnaturi exercitum perculêre, Plut. &c. Sed in præſens ſatis.

Muſicorum ſectæ, et qui de Muſica ſcripſere.

Muſicorum veterum tria fuêre genera; Pythagorici, qui omnem concentum ratione dijudicabant: Ariſtoxenii, qui Ariſtoxenum ſecuti, ſenſum attendebant, & Ptolemaici, qui Ptolemæo præeunte, utrumque conjunxêre. Vide Porphyrium in Harmonicen Ptolemai: ubi & aliarum ſectarum, ſed minus nobilium, meminit. Nempe Epigoniæ, Dæmoniæ, Eratocliæ, Agenoriæ & aliarum quarundam, ante Ariſtoxenum: Archeſtratiæ, Agoniæ, Philiſciæ, Hermippiæ &c. poſt ipſum. De Muſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rum diſcrimine egit quoque Theo Smyrneus *Mathem. l.* 1. *c.* 1. & *ad eum in Notis* Iſmaël Bullialdus.

Pythagoras in Fabrorum ferrariorum officinis, ex malleorum ictibus, primus obſervavit diateſſarôn, diapente & diapasôn. Etiam Lyræ chordam addidit octavam. Reliqua inſtrumenta à quibus inventa ſint, vide infrà in voce *Organice.*

Laſus Hermionenſis, primus de *Muſica* ſcripſit, *Suid.* & Ariſtoph. *in Veſpis.* Vixit autem Olymp. 70. temporibus Darii Hyſtaſpidæ.

Democritus Abderita, ſcripſit *de Concentu* & *Harmonia*, Olymp. 80. Poſtea alii atque alii de hac Arte egerunt. In quibus etiam fuit Ariſtoteles, ac Theophraſtus, qui præter 3. *de Muſica* libros, etiam unum *de Muſicis* reliquit, Laërt. *l.* 5. *c.* 47.

Thraſyllus, Tiberii Cæſaris temporibus claruit, qui & ipſe *de Muſica* & *Harmonia*, opus edidit. Plut. *l. de Muſica*, Laërtius *in Democrito*, Porphyrius *in vita Plotini*, Tacitus *in Annal. l.* 6. *c.* 20. & 22. Sueton. *in Tiberio c.* 14. & 62.

B. Auguſtinus, è Latinis, poſt Varronem & alios, qui deperiêre, 6. de Muſica libros compoſuit, *Retractat. l.* 1. *c.* 6.

Mart. Capella & Aur. Caſſiodorus ſimiliter.

Severinus Boëthius inprimis: qui tamen, ut & Veterum alii tantùm majoribus tonis uſi fuêre, non repertis adhuc minoribus & ſemitoniis noſtris. Vide Merſennium *Harmon. l.* 4. *mon.* 4.

Venerabilis Beda.

Herm. Contractus, ſcripſit *de Muſica* & *Monochordo*, A. C. 1050.

Gudo ſeu Guidmundus Aretinus, 2. *libros de Muſica* ſcripſit, A. C. 1070. notarum quoque Muſicarum, quibus hodie utimur, auctor.

Albertus Magnus, Epiſcopus Ratisbonenſis, *de Muſica* librum condidit A. C. 1240.

Jac. Faber Stapulenſis, 4. *de Arte hac* libros reliquit, A. C. 1503. A quibus auſpicari jubet Joſ. Blancardus: his lectis accedere ad Boëthium; tum ad Ariſtoxenum, Ptolemæum, Euclidem, *appar. ad Mathem.*

Franc. Gafurius Laudenſis, *de Harmonia Inſtrumentorum Muſ.* ſcripſit A. C. 1518.

Lud. Florianus Mediol. *Muſicæ* θεωρίαν edidit, A. C. 1529.

Henr. Loritus Glareanus Helvetius, eruditos *de Muſicis* libros divulgavit, circa A. C. 1549.

Orlandus Laſſus praxi inclaruit: ſacello Muſico præpoſitus ab Alberto Bavariæ Duce A. C. 1557. Muſicus toto orbe tum clariſſimus, etiam Nobilitatis inſignia adeptus eſt, à Maximiliano II. Imperatore.

Vinc. Galilæus, poſt aliquot alios, inclaruit, hôc ſeculô librô *de nova & antiqua Muſica:* è quo jucundum fuerit, inter cœtera, videre veterum Muſicorum notas, additas Dionyſii in Muſicam jambis.

Marinus Merſennius *Harmoniæ libros* 4. Pariſiis edidit A. C. 1644. &c. Reliquos partim editos, partim ineditos, & in Bibliothecis adhuc latentes, vide apud Gerh. Joh. Voſſium *de Scientiis Mathemat. cap.* 19. 20. 21. & 22.

MUSICA, inter Minervæ epitheta, vide ſuprà in voce *Minerva.*

MUSICA Eccleſiaſtica, in V. T. & *cantu* & *organis* peragebatur, uti ex Levitico, libris Regum, Pſalmis &c. patet. In N. T. Cantus ſacer diu in primæva ſimplicitate ſtetit; concinente totâ Eccleſiâ, tum virorum, tum mulierum, puerisque & innuptis puellis; nec Davidicos modò numeros, ſed & alios Hymnos Eccleſiaſticos, reſonante: Quanquam non una ejus in omnibus Eccleſiis ratio fuerit. Alexandrini enim, auctore Athanaſiô, longô illô vocis tractu ſermonem magis, quàm cantum, referebant. Græcæ autem Eccleſiæ modulos in ſacris admiſerunt, ciendis affectibus. Quorum ſuavitate ductus Ambroſius, illos in Mediolanenſi ſua Eccleſia quoque inſtituit: unde in reliquas Latinorum Eccleſias pervenerunt. Erat autem cantus ille ſimplex ac intelligibilis, nec nimiô artificiô à Templorum uſu alienus. Poſtmodum introductæ ſunt *Antiphonæ*, duobus Choris ſimul concinentibus; quas itidem Ambroſius, à Græcis hauſtas, Latinis tradidiſſe dicitur. Quibus acceſſerunt *Reſponſoria*; in quibus alternis cantantes, alter alteri reſpondebat. Quod Latinorum ajunt inventum. Eccleſiaſticum verò cantum, ita multiplicatum, ordinâſſe fertur Gregorius M. inſtitutô certô tempore, horiſque, quas vocant, Canonicis. Cumque operoſior foret hæc Muſica, ac Latinâ linguâ conſtaret, paulatim populus ab ea excluſus eſt, conſtitutis certis hominibus, quibus Cantorum officium eſt impoſitum. Additus denique & organorum concentus; quæ fractis numeris vel choris cantantium interludebant, vel artificioſis modulis vacua Templa perſonabant. Quod Vitaliani Papæ inſtitutum ferunt, A. C. 657. ſed perperam, cùm ſeriùs illud obtinuiſſe conſtet. Docet enim Bellarminus, Eccleſiam octingentos ac viginti annos *Muſicæ Organicæ* uſu caruiſſe, uſque ad Ludovici Pii tempora, juxta Aimoinum. Vide eum *de Bonis Oper. l.* 1. *c.* 17. & Aimoinum *de Geſtis Francorum l.* 4. *c.* 114. nec non hic, ubi de *Cantu Gregoriano*, voce *Occidens*, & *Pneuma*; it. *Puncta, Tractus, Uſus.* Cùm autem muſæa iſta mele ac voluptuariæ cantillationes in Templis, plurimis viris probis diſplicuiſſent, factum ſeculô præteritô, ut Templorum quoque Muſica paſſim ad veram & juſtam rationem reduceretur, & Organa eatenus in poſterum adhiberentur, quatenus in Cantu ſacro dirigendo inflammandoque operam conferunt haud exiguam: conformiter præcepto Apoſtolorum, 1. Corinth. *c.* 14. *v.* 26. Epheſior. *c.* 5. *v.* 18, 19. Coloſſ. *c.* 3. *v.* 16. & Jacobi *c.* 5. *v.* 13. Franc. Burmannus *Synopſi Theolog. Chriſt. Part.* 1. *l.* 7. *c.* 17. §. 10. 11. 12. & 13. Addam de uſu Organorum in Eccleſia, verba Cajetani, *ad Thomam Summ. lib. quæſt.* 91. *Artic.* 2. *Notandum, tempore Thomæ Eccleſiam non uſam organis: unde hodie, in ejus rei ſignum, Romana Eccleſia, coram Pontifice non utitur. Et quidem... apparebit, quòd in Eccleſiaſticis officiis, ad quæ ſuſcipiendæ divinæ interioris diſciplinæ gratiâ convenimus, non ſunt admittenda inſtrumenta Muſica, tantoque magis excludenda ſunt, quantò divina diſciplina interior, excellentior eſt omnibus diſciplinis humanis, hujuſmodi inſtrumenta repellentibus.* Quæ tamen moderatum eorum uſum; de quo dictum, non tollunt &c.

MUSICANI Terra, quam *Strabo* totius Indiæ Auſtraliſſimam ponit. Erit ergo ea quæ hodie *Malaca* vocatur. At idem eam paulo inferius ad Pantalenam inſulam (hæc ad Indi oſtia eſt) ponit. Cui ſententiæ etiam Arrianus *l.* 5. & Diodor. Sic. *l.* 17. ſubſcribunt. Meminit eorum Qu. Curtius *l.* 9. *c.* 8.

MUSICARIUS, qui voce caneret, medii ævi Scriptoribus dictus eſt: *Muſica* enim magis propriè de vocis cantu dicitur. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.* 5. Apud eundem *Muſicam pulſans* eſt, qui Muſicam pulſu temperat ac moderatur: Symphoniaci enim in Choro, pulſu pedis vocem ſuam moderabantur olim, quod *Muſici* noſtri hodie manu faciunt, & *menſuram percutere* ſe dicunt. Vide ſuprà in hac phraſi, item in voce *Meſochorus* alibique paſſim.

MUSICI, Medicorum genus, de quibus ſuprà vide.

MUSILENENSES, apud Ditmarum *l.* 5. *p.* 54. pro *Moſellanenſes*, populi ſunt ad Moſellam, Car. du Freſne.

MUSIO, primus eſt amnis poſt Cumerum promuntorium, ut ſcribit *Blondus*, qui eum ad oſtia *Aſpidum* vocari addit, utrumque fortè recens eſt.

MUSISTRATUM, Polybio *l.* 1. aut potius *Myttiſtratum*, *Mutuſtratum* Plin. ſcribit *l.* 3. *c.* 8. Siciliæ urbs eſt, quam *Fazellus* & *Aretius Miſtretſa* vocant. Hos eoſdem eſſe cum *Ameſtratinis*, quorum Cicer. *in Verrem* meminit, ait *Aretius*, ſed negat *Hermolaus*. *Mytiſerata* habet *Steph.* urbs Siciliæ.

MUSIVARIA Ars, cujus opus *Moſaicum*, vide ibi, *Muſeum* ſeu *Muſivum:* à Byzantinis Græcis tranſiit, in cœteras Europæ provincias, uti ſcribit Manuel Chryſoloras *Ep. de vet. ac nov. Romæ comparatione p.* 122. quòd Conſtantinopoli omnes penè publicæ ac ſacræ ædes muſivô exornatæ eſſent; hincque *Muſivarii* ſeu *Muſici artifices* (de quibus *leg.* 1. *Cod. Juſtinian. de Excuſat. Artific. l.* 10. & Jul. Firmicus *l.* 3.) Græcis πεικιλταὶ, item Μουσιάτορες peti ſolerent: id quod teſtatur Leo Oſtienſis *l.* 3. *c.* 27. *Edit. Brolii, hiſce verbis: Legatos prætereà Conſtantinopolim ad conducendos* Muſæi *& quadratarii operis peritos artifices mittit: ut alii abſidam & arcum atque veſtibulum majoris Eccleſiæ muſivo componerent: alii Eccleſiæ totius pavimentum pulcrâ varietate conſternerent. Quàm verò periti ipſi artifices fuerint, ex opere ipſorum facilè conjici poteſt: cùm & in muſivo animatas ferè effigies & virentia quæque te putares aſpicere, & in marmoribus omnigeni coloris flores pulchrâ varietate vernare videantur. Et quoniam hujuſmodi artes quingentis jam ferme annis omiſerat magiſtra Latinitas, eas hujus induſtriâ recuperare promeruit ætate noſtrâ.* E quibus clarè liquet, *Muſivarios* à *Quadratariis* fuiſſe diſtinctos, & Muſivariam parietes, Quadratariam verò artem ſola ſpectaſſe, quod ſuprà ex Salmaſio ſtatuimus: Fiebat autem utrumque opus parvis teſſellis h. e. calculis quadratis, in varios colores tinctis, ad exprimendam aliquam imaginem, aut avis aut piſcis aut hominis aut aliam quamcunque, cùm Lithoſtrota ſectis parvulis marmorum cruſtis, ex diverſi generis & coloris marmoribus ſternerentur. Et quidem, cùm pavimenta primitus ex teſſellato iſtiuſmodi opere ſolùm fierent, ea lithoſtrotis expulſa ſunt, quæ ſub Sulla originem ſumpſêre, ac deinde pavimenta ex humo mota in cameras tranſiêre ac muſivi operis nomine appellata ſunt. Hinc *Muſivo ornatas cameras* paſſim apud Auctores legere eſt; quod in ſolo *pavimentum* dicebatur, & *teſſellatum opus*, uti dictum. Plin. *l.* 36. *c.* 25. *Celeberrimus fuit in eo genere Soſus, qui Pergami ſtravit, quem vocant Aſarotonœcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri ſolent, veluti relicta fecerat, parvisque è teſſerulis, tinctisque in varios colores.* Verbô Lucillii uſus eſt, cujus & verſum ibidem citavit,

——— lex is compoſta, & teſſerulæ omnes,
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

i. e. *tincto* vel *miniato*. Coccum enim & *vermiculum*, Græcis σκωλήκιον, jam tum Romanis notum erat. Poſteà verò vitrô ornari cameræ cœpêre, quod proximè ætatem ſuam incepiſſe, idem Plinius refert. Nempe cameræ ſigninô primùm opere inducebantur, deinde aut tectoriô poliebantur aut *muſivô* ornabantur, aut vitrô decorabantur, aut encauſtô pingebantur aut etiam deaurabantur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1214. & 1215. ut & hîc *paſſim.*

MUSIUM, ex Græco μουσεῖον, quomodo apud Spartianum *in Adriano c.* 20. legi vult Salmaſ. pro *Muſivum*, vide ſuprà: item *Muſea.*

MUSIVUM, ſeu MUSEACUM, Plin. *loc. cit.* picturæ genus, quâ extare aliàs videntur formæ & imagines, aliàs autem deprimi. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 45. *Eccleſiam*, inquit, *fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore*, Muſivô *depinxit.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

MUSLIMI ſeu MUSULMANNI, h. e. *Credentes*, ſic dicti ſunt, qui perniciabilem Muhammedis ſectam amplectuntur. Ricoldus vocem explicat, *Salvati:* de qua is ſic in *Confut. legis Muhamm. c.* 7. *Dixit Muhammed, mandavit mihi Dominus, enſe gentes expugnare quouſque confiteantur, quòd non eſt Deus præter Deum, & quòd ego ſum Apoſtolus Dei. Quod qui confeſſi ſunt, eorum argentum eo conſervaverunt & ſanguinem. Hinc & Saraceni* ſalvati *dicuntur, qui enim Muhammedis mandata ſuſcipiebant, ſervabantur, & ab eo & ab eis, qui ſub illo erant: neque interimebant eos, neque ſpoliabant: unde & Saraceni non vocantur Saraceni, ſed* Muſulmani, *i. e. Salvati.* Ejus radicem Schindlerus arceſſit ab Arabico סלם, *pacificus fuit, ſalvus evaſit, pacem habuit.* Unde nomen סלאם, *pax*, & מסלם, *muſallam*, i. e. ſalvus ſeu *ſalvatus à periculo:* indeque מסלמאן *Muſulman*, h. e. *ſalvatus per profeſſionem doctrinæ*

Mu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Muhammedicæ. Qui namque tum ſymbolum, illud amplectebatur, eô ipſô liber erat à gladio & ſpoliatione, dictusque eſt *Muſulman.* Hodie verò pueri inter Turcos, quamprimùm fuerint circumciſi, *Muſulmanni* dicuntur, & puella *Muſulman,* ubi verba illa ſolenniter confeſſa fuerit, *Non eſt Deus, niſi Deus* &c. Ab eadem radice *Iſlamos* iidem ſeſe vocant, i. e. *unanimes, concordes, pacificos,* ut narrat Jo. Leunclavius *Hiſtor. Muſulmanæ l.* 1. quô jure videbimus infrà. Dixi *perniciabilem ſectam;* Longè enim immanior Hunnorum è Scythia effuſione, Saracenorum Arabum eruptio, velut Oceanus quidam, non Imperio modò, verùm etiam Chriſtianæ Religioni, interitum & excidium ex vaſtis ſolitudinibus ſuis attulit: de quorum antiquis Tobbais ſive Imperatoribus Regibusque, eruditiſſimus Pocockius ex profeſſo ſcripſit. Secta autem *Muſlimorum* cœpit primùm levibus, ut videbatur, initiis, à Muhammede, qui genus ſuum ad Keidarem, Iſmaëlis filium, referebat; à Succeſſoribus dein ejus, arroganti *Caliphàrum* nomine tantô ſucceſſu propagata eſt, ut ab ultimis Sinarum oris, ad Hiſpaniæ & Orbis tum cogniti fines, Herculis columnas, cuncta terrarum gentiumque in Saracenorum ritus, mores, linguam, corrumperentur. Ac ni inſuperabilis Karoli Martelli virtus obſtitiſſet, raptæ impetu Galliæ totuſque fuiſſet Occidens & Chriſtianum nomen penitus deletum; cùm jam cis Pyrenæos innumeris copiis effuſi, uſque ad Ligerim & Turonum Urbem, cuncta Francorum occupaverint. Donec & ipſi inter ſe diſcordes & attritis internô bellô viribus, in V. Imperia ſive Califatus, Bagdadi, Kairawani, Ægypti, Andaluſiæ & Fezzæ, ſcinderentur: quorum tres priores Perſarum Turcarumque potentia abſorpſit. Andaluſiam ſuccreſcens in Aſturiæ & Suprarbiæ montibus, Gothorum fortitudo ita debilitavit, ut, novis Chriſtianorum in Hiſpania Regnis Legionis, Navarræ, Aragoniæ, Caſtellæ & Portugalliæ emergentibus, Maurorum reliquiæ, in Bæticæ angulum compulſæ, Granatâ captâ, penitus tandem exſcinderentur. Sic ut ſolus in Mauritania Fezzæ Califatus hodie ſuperſit, viciſſitudine imperantium & continuis motibus famoſus. Manſit tamen interea, hodieque ampliſſimas Regiones & innumerabiles Gentes *Muſlimorum* ſuperſtitio occupat, in omnibus tribus Mundi veteris partibus, Europa, Aſia & Africa; nondum enim in Novum Orbem pedem intuliſſe legitur. Hi omnes, quamvis circa explicationem Legis, ut vocant, diſcordes, & in duas præcipuè ſectas generales, quarum unam à Muhammede ipſo, alteram ab Hali, uno è primariis ejus ſucceſſoribus, arceſſunt, ſubdiviſi, in fundamentalibus Muhammediſmi articulis conveniunt. Inter quos, *preces* inprimis ſunt *quotidie quinis vicibus fundendæ & peregrinatio Mecham ſemel ad minimum in vita obeunda* &c. Sunt tamen, qui diſcrimen *Muſlimorum* inter ſe non tam à diverſa Alcorani interpretatione, quàm à diverſis circa primos Muhammedis ſucceſſores ſententiis, arceſſant, nomen primariis his duabus ſectis, *Sunnis* & *Schiais* imponentes. Prior enim, quam Turcæ ſequuntur, contendit, Abu-bakerum immediate Mahometi, utpote Vicarium ejus ſucceſſiſſe; hunc excepiſſe Omarum, poſt Omarum fuiſſe Oſmanem, Oſmani tandem *Mortuz Ali,* nepotem & generum Muhammedis, fuiſſe ſurrogatum. Additque, Oſmanem Muhammedi fuiſſe à ſecretis, & ingeniô non minus acri, ac tres reliquos, præditum; inſuper omnes illos, armorum gloriâ inſignes, Legem horum potiùs ope, quàm argumentorum pondere, propagâſſe. Quo fit, ut in Secta hac *Sunniorum* omnis diſputatio de Lege prohibita, neque aliter quàm armis Religionem defendendam eſſe, conſtans opinio ſit. Poſterioris ſectæ cultores, inter quos Perſæ præcipui, tres primos Muhammedis ſucceſſores, Abubakerum, Omarum & Oſmanem abominati, eos Muhammedis ſucceſſionem Ali, nepoti ejus ac genero, jure debitam, vi uſurpâſſe aſſerunt: ſucceſſionemque hanc XII. his Pontificibus, quorum caput ac genitor Ali fuerit, conſtituiſſe ajunt. I. erat Ali, fil. Aboutalebi. II. *Hocen.* fil. Ali. III. *Huſſein,* alter ejus fil. quorum duorum memoriam quotannis Perſæ ingenti feſtivitate celebrant. IV. *Iman-Zin el Abedin.* V. *Mehemet-el-Baker.* VI. *Jafer-el-Scadek,* quô auctore conſuetudo introducta in Perſia eſt, ut, quicunque Muhammedanum ſe feciſſet, hôc ipſô ex aſſe totius familiæ hæres fieret, omnibus ejus ſororibus fratribuſque excluſis. VII. *Mouſſa-Katzem.* VIII. *Ali el Rezza,* cujus ſepulchrum, quod in urbe *Meched* eſt in provinc. Coraſana, non multo minori, ac Muhammedis, veneratione excolitur. IX. *Mahammet-el-Jouad.* X. *Ali el Hadi* XI. *Hocen el Askeri.* XII. *Mouhemmet el Mohadi Saheb-Zaman:* de quo Perſæ idem, quod Chriſtianorum quidam de Enocho & Elia ſentientes, non raro, morituri ei domus omni ſuppellectile inſtructas, equos aliaque neceſſaria ad miniſterium ejus, cùm redierit, legare ſolent. Quæ verò gentes alterutri ſectæ addictæ porrò ſint, infrà videbimus, unde ſimul patebit, quàm latè peſtis hæc fuerit hactenus graſſata. In Turcica ſecta, *Moufti* per totum Imperium Legis habetur caput & Alcorani Interpres, qui Conſtantinopoli reſidens *Magni* cognomine diſtinguitur, à reliquis in Turcia *Moufti* nomine inſignitis, in quos tamen illi nihil juris eſt, cùm quiſque eorum non niſi à loci Magiſtratu dependeat & inter Turcas nulla toleretur hierarchia, aut ſuperioritas Eccleſiaſtica. Interim Magnus ille *Mufti* à reliquis omnibus maximi æſtimatur & præcipua in veneratione apud Turcas eſt: ejuſdem conſiliô, in gravioris momenti rebus, Imperator utitur illique ſoli advenienti aſſurgit. Muftos ſequuntur *Cadileſci,* qui cauſas militares diſceptant, *Judices* proin *exercituum* dicti. Hos excipiunt *Mollæ* vel *Mulæ-Cadi,* qui in majoribus oppidis jus dicunt, Cadileſcis ſubdelegati, ad quos proin ab iis provocatio eſt in civilibus negotiis: cùm enim de capite agitur, quiſque etiam infimorum Judicum fert ſententiam irrevocabiliter. *Cadi* poſt Mollas ſunt, & legum municipalium cujuſque loci periti eſſe ſtudent. His inferiores *Naipi,* juſtitiam per vicos adminiſtrant. Apud Turcas namque Leges civiles, Religionis pars habentur, Theologique eorum illorum quoque Juriſconſulti ſunt; ut qui firmiter credant, Leges has, à Muhammede ipſis datas, ipſum Deum auctorem habere, & proin cœcam poſcere obedientiam, neque tam pœnæ metu, quàm ex devotione, illis parendum eſſe. *Imani* porrò ſeu *Emauni* Sacerdotes eorum ſunt, & veluti Parochi Moſchearum: *Hogiæ,* ſunt Doctores Legis & Juventutis Præceptores; *Scheiki,* concionatores ſunt & publicè ſermonem ad populum habent, *Muezimi,* in Moſchearum faſtigiis vociferantes clamore ſuô populum ad preces convocant, campanarum enim nullus apud eos uſus eſt. *Derviſii* tandem, Turcarum ſunt Monachi, qui paupertatem profeſſi, mirè veſtiti incedunt & plerunque magni impoſtores ſunt. Apud Perſas, ſicut in Politicis primus Miniſter eſt *Athemat-doulet,* ita ſacrorum primarius adminiſter, & Legis Caput *Sedre* vocatur, qui in conſilio vel pompa publica Athemat douletum ſequitur. Inter hunc autem *Sedre* Perſarum & Turcarum *Moufti,* ut & inter reliquos utriuſque gentis ſacrorum miniſtros id diſcriminis eſt, quòd apud Turcas, ſacrorum Miniſtris ad functiones dignitateſque civiles omnis aditus præcluſus ſit, non item apud Perſas, apud quos non rarò *Sedre* ad dignitatem primi Status Miniſtri evehitur. Habet is ſub ſe duos magnæ auctoritatis Miniſtros, quorum unus *Scheik el Selom,* alter *Cadi* dicitur: qui ambo controverſias circa Religionis aliquem articulum obortas decidunt, de repudio judicium ferunt, contractibus aliiſque actis publicis præſident. Ad horum exemplum, in quavis primaria Perſiæ urbe, duo ſunt Judices Eccleſiaſtici, qui omnia negotia cauſaſque Legem ſpectantes expediunt. In qualibet præterea Moſchea eſt quidam *Pichnamaz* (licut apud Turcas *Imau*) qui primus ibi ſemper compareat, & preces populo præeat. *Mollæ* Perſis idem ſunt, quod Turcis *Hogiæ,* Doctores nempe Legis; qui magnis ſtipendiis conducti, ſingulis diebus Veneris Alcoranum legunt & populo interpretantur; ſcientias item harum rerum avidos docent: Ingenti *turbante* candido, in ſignum eximiæ ſanctitatis & veſtitu ſimplici ejuſdem coloris, ex camelinis pilis confecto, inſignes. Quævis quoque Moſchea ſuum habet *Monteveli,* qui operam dat, ut illa ſarta tecta conſervetur, *Muazenumque* ſuum, qui ſingulis diebus mane ac veſperi, ex alta turre inclamat, *Unus Deus eſt, & Muhammed Propheta ejus.* Collegia ſacra Perſarum *Medreſé* appellantur, in quibus Juventus à Magiſtris rationem ſacrorum addiſcit: Rector Collegii *Mouderes* dicitur, ut alia omittam. Addam ſaltem, apud Indos Muhammedanos aliud genus Monachorum reperiri, *Fakiros* nominatos, quorum ultra octies centena millia numerantur, in diverſos ordines ſectaſque diviſa. Suprà hos omnes cœteroſque cujuſcunque ſectæ Muhammedanos *Chekus* eſt, qui Meccæ reſidet. Hic ſummus Legis Sacerdos & omnium *Muſlimorum* Pontifex Maximus in illa Urbe, velut in ſacerrimorum horum ſacrorum Metropoli, Muhammedicæ ſuperſtitioni præeſt, & ſacra curat, ſub adventum inprimis *Caravanarum* (quô nomine appellari notum agmina eorum, qui religionis ergò ex variis Mundi partibus quotannis Meccam commeant) quæ peregrinatio cùm præcipuum *Muſulmannicæ* ſuperſtitionis caput ſit, præterea, quæ ſuprà in voce *Methymna Talnabi* in rem diximus, pauca hæc viſum eſt ſubjungere. Eam obire vel per ſe, vel per alium, quiſque *Muſlimorum* in vita ſemel ad minimum tenetur, cujuſcunque is demum conditionis valetudiniſque ſit, uti docet Joh. Baptiſta Tavernier *Relat. du Serrail ſub fin.* quamvis idem in præcedentibus, *c.* nempe 12. ad pauperes & manuum quotidianâ ſolùm operâ victitantes Legis hujus rigorem non extendere videatur. Sunt tamen, qui ex voto, vel ut majorem ſanctitatis opinionem ſibi concilient, ſæpius iter hoc ingrediantur. Principes inprimis recens in ſolium evecti, aliquos ex Magnatibus ſuis eô mittunt, cum ampliſſimis muneribus, qui partim pro defuncti Anteceſſoris anima, partim pro Succeſſoris felicibus auſpiciis, ibi preces concipiant, & ſummi Pontificis ſuffragiô adjuventur. Numerus eorum, qui quotannis ſolenni pompâ ad ſepulchrum hîc Muhammedis veniunt (quamvis nihil ibi reliquiarum ejus, præter unum ſandaliorum, præfatus Tavernier aſſervari affirmet) ingens eſt, perſuadetque miſeris Chekus, ſingulis annis utriuſque ſexus peregrinorum eò ad ſeptem myriadas confluere, qui numerus ſi fortè completus non ſit, è cœlo totidem Angelos deſcendere, quot eorum ſint qui deficiant. Per varias autem vias Caravanæ commeant: Legati Regum, qui in Inſulis Orientis rerum potiuntur, ut & qui cis Gangem habitant, maritimô itinere Mocham, urbem Arabiæ Felicis, perveniunt, indeque Meccam pergunt. Perſæ, ad mare habitantes, Ormuzium ſe conferunt vel Bandaram, & Perſicô ſinu trajectô ad urbem Pſeudo-Prophetæ perveniunt. Qui verò ſuperiora Perſiæ incolunt, Caſpium mare verſus, ut & Tartario- mnes Tauriſium commeant, inde Aleppum, atque ſic cum numeroſioribus Caravanis, quæ Aleppi congregantur, per Deſertum, Meccam tendunt. Similiter *Muſlimi* Europæi per Aleppum in deſtinatum locum veniunt: Afri verò Cairum primò, inde in deſertum delati, 18. dierum itinere Meccâ procul Aleppenſi Caravanæ ſe jungunt, hicque aquam primò, quam per occultum canalem Meccam uſque Muhammedes miraculoſe deduxiſſe fingitur, reperiunt, atque ſic eam ſequentes Meccam appellunt. Et hæc quæ Cairô venit Caravana reliquis omnibus numeroſior eſt, cujus Præfectus non raro ad 200000. Imperiales lucratur. Cùm itaque Caravanæ omnes Meccam convenerunt, munera quiſque, Principes inprimis atque in his præcipuè Turcarum Imperator, magnificentiſſima offerunt, & ſacra, quæ 17. durant dies, incipiunt. Hic diebus Summus Sacerdos, omnibus ſacrorum Miniſtris ſtipatus, noctu ac interdiu preces fundit & ceremoniis conſuetis defungitur. Interea peregrinantes, poſtquam aliquot dies Meccæ fuêre, Gebel-Araſſam, urbem biduô inde diſtantem & in montanis ſitam (ubi Turcæ Evam ab Adamo quingentis annis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nis, poſtquam creata eſſet, inventam fabulantur) ſe conferunt, & quibus ex eorum numero media ſuppetunt, arietem quiſque ſacrificant, carne inter pauperes diſtributa, exceptis duabus libris, quas pro ſe quivis retinere poteſt. Quod facere qui neglexerit, ei nec caput in poſterum radendi, nec ungues ampliùs reſecandi, venia eſt. Inde Meccam revertuntur, ubi ratio temporis, quô Caravana appulit, initur; namque terreſtri itinere eo delati 17. illos dies, de quibus dictum, Pontificis ſumtibus aluntur; qui verò mari eôdem pervenerunt, gratis ibi, quamdiu volunt, vivunt. Decimô ergò ſeptimô die exortô omnes conveniunt ad tentorium Cheki, qui in ejus aditu ſtans, nixuſque ſcabello, ut ab omnibus conſpici poſſit, preces fundit, & ſermone ad cœtum habitô ei benedicit, dimititque his verbis: *Deus vos in pace ad veſtros Lares reducat, quemadmodum in pace huc veniſtis.* A quo quisque ſuis impenſis iterum vivit, & in patriam reditum parat. Ne verò damnoſam hanc pompam Cheko, qui tantam hominum multitudinem ſeptendecim dierum ſpatiô alere tenetur, exiſtimes, notandum Principem illum eſſe, uti ſummâ apud omnes *Muſlimos* veneratione, ita potentiâ & opibus maximum: quod vel ex muneribus colligas, quæ, quotannis à Principibus Muhammedicis eô mittantur magnificentiſſima, durante quidem annô ſepulchrum Pſeudo-Prophetæ exornant, eô autem exactô, recentibuſque ſummiſſis. Cheko unicè cedunt: item ex donis reliquorum peregrinantium & immenſis argenti ſummis, quas undique accipit, pro abitrio ſuo, inter egenos diſtribuendam. Solus Turcarum Imperator quotannis ingentis pretii tentorium & tapetem Meccam mittit, ut hôc Muhammedis tumulus obtegatur, illud vero Pontifici inſerviat, qui ex hoc tentorio, quod è regione ſepulchri erigitur, totis his 17. diebus ne latum quidem unguem recedit. Quæ ambo, cùm, annô finitô, Pontificis ſint, ille eadem porrò ſibi lucroſa hôc modô reddit. Poſt novum Turcici Imperatoris donarium allatum, Chekus veteris tentorii fruſta, velut ingens ſacrarium, Principibus ſuæ ſectæ mittit, illis perſuadens, contra infideles nunquam non victores illos fore, ſi iſtiuſmodi fruſtum tentorio quiſque ſuo affixiſſet: qui proin tam grande donum mirâ veneratione excipientes, magnificè ipſum remunerantur. Majus conſequitur præmium, cùm integrum tentorium alicui muneri mittit, quod tamen nemini contingit, niſi Magno Chamo, vel Magno Mogoli, idque ſingulis tantùm decenniis aut duodecenniis, modo huic, modò illi; ut alia omittam: è quibus facile videre eſt, Caput hoc Muhammedicæ ſectæ, quod ſpeciem quandam dominii in omnia ejus membra obtinet, cum Principum gentiumque omnium Muhammedicarum diſpendio immenſùm diteſcere. Adjiciendum aliquid, de horribili ſacræ hujus, ſi Diis placet, peregrinationis effectu, in plurimis eorum, qui inde domum redierunt. Nempe hi, ſacerrimô non raró furore, ac cruentô pro Lege zelô, corripi ſolent, Indiæ Fakiri inprimis, arque tùm ſtrictô venenatô pugione, quem *Crit* vocant, (cujuſque figuram Tavernier exhibet *Itiner. Ind. l.* 3. *c.* 24.) inſanorum more per vicos ruentes quemque obvium, qui *Muſlimus* non ſit, confodiunt, rem gratam Deo & Muhammedi ſe facere, talibuſque viam ſic ad ſalutem ſe pandere, rati. Qui furor durat euſque, donec ipſimet ab aliis occiſi fuerint, quod ſi factum, à reliquis ſuæ ſectæ talis magnâ ceremoniâ tumulatur, pro Sancto habetur, atque ad ejus ſepulchrum largæ diſtribuuntur eleemoſynæ, ut pluribus docet aliquoties laudatus Tſavernier *loc. cit.* Vide quoque ejus *Itinerar. Perſic.* & *Relat. du Serrail* paſſim, &c. ut & infrà in voce *Muſus*, it. *Muſulmannus*, & *ſeus*, nec non ubi de *Jezidæis.*

GENTES PRINCIPESQUE MUHAMMEDICÆ SECTÆ ADDICTI.

IN EUROPA.

Imperator Turcarum, & Kamus parvæ Tartariæ.

IN ASIA.

Imperator Turcarum, qui uſque ad fontes atque oſtia Tigris; ut &, Septentrionem versùs Mengreliam uſque, in Aſia, dominatione ſuâ omnia complectitur.

Triplicis Arabiæ Principes, aliique.

Rex Perſarum.

Magnus Mogol.

Reges Viſaporæ, Golcondæ, Malabarum, quorum præcipuus eſt Rex Comorinus.

Magnus Kamus Tartariæ.

Reges Montanorum, ad Septentrionem ejuſdem Tartariæ, uſque ad Imperium Sinicum: imò & hodiernus Sinenſium Imperator poſtquam Tartari hîc rerum potiti.

In Inſulis Orientis, Rex Maldivarum, Rex Acemi, vel Sumatræ, Imperator Javæ, Rex Bantami in eadem Inſul. & Rex Macaſſariæ.

IN AFRICA.

Rex, maritimæ oræ dominus, *d'Abex* Gallis dictæ, quæ Arabiæ Felici oppoſita eſt, uſque ad Promontorium *Guardafu*; cujus potentia ad Mare Rubrum & Oceanum longè latéque patet.

Præfecti Turcarum Imperatorum in Ægypto, Inſulis Maris Rubri, & Barbariæ ora, Tripoli, Tuneti & Algerii, qui *Regiô* titulô inſignes ſunt.

Fezzæ porrò & Marocci Reges.

E quibus omnibus Reges Perſiæ, Viſaporæ, & Golcondæ, ſectam Hali, aliàs *Sciais* dictam, amplexantur, Reges Montanorum Tartariæ aliique quidam peculiares habent ſectas. Sectæ verò à Muhammede κατ' ἐξοχὴν dictæ, ſunt Imperator Turcarum & reliqui ſuprà nominati, qui proin Perſas pro hæreticis habent. Sed & hoc notandum, præter Turcarum Imperatores, Perſarum Reges, Principes Arabiæ & Tartarorum Kamum, reliquos omnes prædictos non niſi Idololatras habere ſubditos, ſoloſque Magnates, Principes ac Milites Muhammediſmum ſequi.

MUSLUBIUM, urbs Mauritaniæ Cæſarienſis inter Salden & Chobata. *Antonin.*

MUSOLANI, Africæ populi à Coſſo duce exercitûs Octavii Cæſaris victi Oroſius *l.* 6. *c.* 21.

MUSONIUS, Philoſophus non incelebris, de quo vide Gellium *l.* 16. *c.* 1. Amicus erat Apollonii Thyanæi, ſub finem 1. & initium 2. ſeculi. Extant utriuſque Epiſtolæ. *Suid.* qui etiam alterius Muſonii meminit. Vide Geſner *in Biblioth.*

MUSONIUS, Vulſiniis in Etruria natus, equeſtris ordinis. ſtudium Philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus eſt. Nomina illi *C. Muſonius Rufus*, Supervixit ad imperium Veſpaſiani. Philoſtratus *l.* 7. eum in Gyarum inſulam projectum à Nerone ſcripſit. Vide Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 81. Hunc eundem cum priore facit Jonſius *de Scriptor. Hiſtor. l.* 3. *c.* 7. nixus autoritate Taciti *Annal. l.* 14. *c.* 59. ubi de Plauto morte à miſſis percuſſoribus afficiendo ſcribit, cum hôc nuntiô nihil permotum; dudum enim ei *Doctores ſapientiæ Caranum Græci*, Muſonium *Thuſci generis, conſtantiam operiendæ mortis pro incerta & trepida vita ſuaſiſſe.* Hinc enim colligit Jonſius, *Muſonium* Stoicum illum Philoſophum & Muſonium Thuſcum ſive Tyrrhenum, munitionum Præfectum, ut eum *Suidas* vocat, unum eundemque fuiſſe; quandoquidem hic *Muſonius* Stoicus eſſe cognoſcitur, è conſilio de morte conſtanter ferenda. Revocatus eſt is ab exilio, in quod à Nerone, ob nimiam oris libertatem, ejectus fuerat, teſte Xiphilinô *l.* 2. *ubi de conjuratione in Neronem:* per Veſpaſianum Imperatorem, ut patet ex Tacito *Hiſtor. l.* 4. *c.* 40. *Xiphilino* & *Zonara.* Alter quoque *Muſonius* fuit, Juliani tempore, cujus meminit Eunapius *in vita Proæreſii.* Vide Anton. Thyſium & Jac. Oiſelium *Notis in A. Gellii l.* 1. *c.* 1. *l.* 9. *c.* 2. & *l.* 16. *c.* 1. nec non Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 5. *c.* 7. ubi, prohibente Julianô Chriſtianis Sapientiam profiteri, Proæreſium, Victorium & *Muſonium* ſuas Romæ ſcholas clauſiſſe, refert, &c.

MUSOPALLA, urbs Indiæ, intra Gangem. Nunc fortè *Viſapor*, caput regni Decani, in tractu *Cuncan* ubi perſæpe regia ſedes, ad Mandovam fluv. 5. leuc. Hiſpaniæ à Goa in Cæciam.

MUSSÆA, Familia *de la Mouſſaye*, inter Galliæ illuſtres, Gobioniæ *Goyon* ſtirpis ramus eſt. Alani enim II. fil. Stephanus, cùm tres genuiſſet filios, Bertrandum Dn. *de Matignon*, Ludovicum Dn. *de Launay* & Stephanum Dn. *de Launay Goyon*, à primo deſcenderunt Comites *de Thorigny* Domini *de Matignon*; à tertio (medii enim ſucceſſio defecit) Marchiones *de la Mouſſaye*, Comites *de Quintin* & *de Plouer*, quorum ſeries hæc eſt: Ludovicus *Goyon* Dn. *de Launay* obiit A. C. 1538. ex Ludovica *de Chaſteaubrient Beaufort*, pater Almerici I. Gobionii Baronis *de la Mouſſaye* Dn. *de Launay:* quô & Catharinâ Madeuc genitus Carolus Gobionius Baro *de la Mouſſaye* Comes *de Ploüer*, junxit ſibi Claudiam *du Chaſtel* atque ex ea ſuſcepit Almericum II. Marchionem *de la Mouſſaye*, Catharinæ *de Champagne* maritum atque ex ea Patrem Almerici III. Marchionis *de la Mouſſaye.* Huic Henrica Catharina *de la Tour* (filia Henrici Turrii Ducis Bullionii Principis Sedanenſis, defuncti A. C. 1623.) peperit.... Comitem *de Quintin* & fratres. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 114.

MUSSAHIR, apud Arabes Scriptores, avis eſt, quæ poſtquàm totâ die in quærendo victu occupata fuit, totam noctem ducit inſomnem & perpetuâ modulatione audientes ita afficit, ut eorum nemo ſit, qui de ſomno cogitet: dicta quaſi *excitans.* Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſteriori l.* 6. *c.* 14. *ubi de Avibus fabuloſ. apud Arabes.*

MUSSARE, à boum voce μύ μύ, propriè de hoc animali. Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 718.

——— *Muſſantque juvencæ.*

Inde ad homines tranſlatum, *qui cùm occultè & depreſſâ voce loquuntur, quod celatum velint, muſſare* dici cœperunt, *Noniô* teſte. Varro verò à mutorum ſono dictum mavult, cùm ait: *de L. L. l.* 6. *Muſſare dictum, quòd muti non amplius, quàm μῦ dicunt, à quo idem* (Ennius) *dicit:*

Quod minimum eſt, neque ut ajunt, μῦ facere audent.

Idem Nonius *muſſare:* & *murmurare* diſtinguit, quòd hoc apertius, illud magis in occulto fiat. Ennius, *In occultis muſſabant.* Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 345.

Quid Fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant &c.

Poſtmodum *Muſſare* & *Muſſitare*, Engaſtrimythorum proprium factum eſt, ut & Vatum Necromanticorum, qui mortuorum umbras evocare ſe jactant: Hos enim exili & ſubmiſſâ voce loqui, inter alios, Nonnus docet, *Dionyſiacῶn l.* 4. *v.* 272.

Καὶ κρυφίῃ μάγον ὕμνον ἀνέκλαγε θυάδι φωνῇ
Λεπτὸν ἔχων ὀλόλυγμα ———
Et magicum hymnum reſonavit occultâ voce ſacrâ
Exile murmur edens.

Qualem etiam Dæmonibus vocem tribuunt hujus artis ἐπόπται. Pſellus de Dæmonibus, Ἐξεπίτηδες τὸ γένος τοῦτο τὸν ἀμυδρὸν ἦχον ἐπιτηδεύουσιν, ἵνα διὰ τὴν ἀσάφειαν τῆς φωνῆς τὸν τοῦ ψεύδους ἀποδιδράσκωσιν ἔλεγχον. *Datâ operâ hoc genus exili ſonô loqui ſtudet, ut per vocis obſcuritatem mendacii reprehenſionem effugiant.* Unde Alcamus, *Attahabuido, reſponſa dæmonum, & vocis levis repercuſſio*; qualis ſcil. putatur eſſe dæmonum. Item, *Alazipho, vox dæmonum, i. e. levis ſonus, qui noctu auditur in deſertis.* A quo monti nomen in Dahua, 12. milliar. à Medina diſſito, in quo hujuſmodi ſibili creduntur ſæpe audiri. Sic apud Petr. Crinitum *de Hon. diſcipl. l.* 6. *c.* 11. profitetur Hermolaus Barbarus, *vocem ſe Dæmonis pertenuem audiiſſe, quâ ille de Ariſtotelis fortè Entelechia interrogatus, ſibi ipſi & Georgio Placentino reſponſitârit.* Quod nominatim aſſerit Procopius de Dæmonibus, qui animarum vicem præſtant, cùm arte Necromanticâ evocantur: Λεπτὰ λέγοντες, καθάπερ ἐπὶ νεκρομαντείας οἱ δαίμονες, ψυχὰς τὰς καλουμένας ὑποκρινόμενοι. *Exiliter loquentes ut Dæmones, qui ſimulant ſe eſſe animas, quæ per Necromantiam evocantur.* Itaque etiam Poëtæ mortuorum umbris tenuem hanc loquelam aſſignant. Hinc, cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Æneam viderunt in Inferis, apud Principem Poëtam, *l. 6. Æn. v.* 492.

——— *pars tollere vocem*
Exiguam, inceptus clamor fruſtratur hiantes.

Et Horat. *l.* 1. *Sat.* 8. *v.* 40. poſtquam multis deſcripſit, quibus artibus uſæ ſint Canidia & Sagana Veneficæ, ut elicerent animas reſponſa daturas addit:

Singula quid memorem: quô pactô alterna loquentes
Umbræ cum Sagana reſonarent triſtè & acutum.

Stridere, Græcis eſt τρίζειν, quâ voce Homerus uſus eſt, in argumento ſimili, nempe *Od. l. ult.* ferè initiô, ubi procorum animas, quas ad inferos deducebat Mercurius ſtriduiſſe refert more veſpertilionum, quæ in intimo magni antri ſinu ſtridentes volant,

——— ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.
Ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο
Τρίζουσαι ποτέονται ———
——— *Hæ autem ſtridentes ſequebantur,*
Ut cùm veſpertiliones in ſinu intimo antri ingentis
Stridentes volant.

Ubi μυθικῶς, ut Euſtath. ait, ταῖς ψυχαῖς ἐπελέχθη τρισμὸς οἷα λόγου μὲν ἐνάρθρου ἐστερημέναις, *fabuloſè animabus tribuitur ſtridor, quia ſermone articulatô carent*, &c. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 2. Vide quoque infrà *Muti.*

MUSSE, urbs Africæ propriæ ad Cinyphum fluv. *Ptol.*

MUSSIDANUM, oppid. Petrocorii, ad Illam fluv. 7. leuc. infra Petrocorium urbem in Occaſum, 4. à Bergeraco in Boream, alias munitum. *Mucidan* vulgò.

MUSSIPONTUM, oppid. Lotharingiæ, ad Moſellam fluv. Quibuſdam *Pons Comaſonis.* Cum Academia. 5. leuc. à Nancejo in Boream verſus Mediomatrices, ferè 2. à Nomenio in Occaſum, 5. à Tullo in Cæcium, 6. à Fano S. Michaëlis in Ortum. Aliàs munitum. 18. leuc. à Moſomio urbe Campaniæ; in Eurum. Vulgò *Pont à Mouſſon.*

MUSSUS Cornelius, vide *Cornelius.*

MUSTACEA, apud Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 203.

——— *Muſtacea perdas:*

idem quod dulcia, vet. Scholiaſti, *Solebant enim ante nuptias dulcia recedentibus erogare pro apophoretis.* Vide *ſuprà.* Ex farina & *muſto* factam placentam, docet Cato *R. R. c.* 121. ex eoque *Domitius* & alii.

MUSTAPHA, Turcarum Imperator fil. Mahometis III. è carcere à Janitzaris extractus, fratri Achmeti III. ſurrogatus eſt, A. C 1622. Poſtridie nepotem ſuum Oſmanem è medio ſuſtulit, poſt imperium unius anni & paucorum menſium, denuo in perpetuum carcerem compactus, A. C. 1623. Amurathe Oſmanis fratre illi ſuffectô.

MUSTELA, vir qui Ciceronem plurimùm dilexit, ut ipſe ad Atticum *l.* 12. *Ep.* 5. Alius, gladiator. Cicer. *Philip.* 2.

MUSTELA, inter Numina Thebanorum, apud Clementem Alexandr. *Protrept p.* 19. Θηβαῖοι (τετιμήκασι) τὰς γαλᾶς διὰ τὴν Ἡρακλέους γένεσιν. Galanthis enim Alcumenæ parturienti aſtutiâ ſuâ opem tulerat, quapropter ab Herculis noverca Junone in *Muſtelam* verſa eſt, ut legas apud Ovid. *Met. l.* 9. *fab.* 6. Vide quoque Ælian. *de Animal. l.* 12. *c.* 5. atque hinc venerationis occaſio, Jac. Ouzelius *ad Minucium Fel. p.* 182. Contrà in cibis, apud nonnullos, ut ſcribit Damir *c. de Reptilib.* In tecto viſa, Romanis infauſtum fuit omen, uti Suidas habet ex *Telegono.* Cœterùm animal eſt feli quadantenus ſimile, & muribus non minùs infeſtum: Quòd verò auribus concipere, & ore parere dicitur, falſum eſt, eoſque qui id aſſerere auſi, Ariſtoteles non refellit modò, ſed & fabulæ originem aperit *de Generat. Animal. l.* 3. *c.* 6. ubi, poſtquam muſtelæ vulvam eôdem modô ſe habere dixit, quo quadrupedum reliquorum, neque inde fœtum ad os poſſe pervenire, addit, natam eſſe hanc opinionem, διὰ τὸ τίκτειν πάμπαν τὴν γαλῆν σμικρά, τῷ δὲ στόματι πολλάκις μεταφέρειν τοὺς νεοττούς, *ex eo quòd muſtela catulos parit parvos admodum, eoſque ore ſæpe transfert.* At Bocharto veriſimilius, ad *muſtelam* id tranſlatum, quod in *muſtelo* piſce Veteres obſervaverunt. Quippe etiam ὁ γαλεὸς ſeu *muſtelus* piſcis creditus ore parere. Ælian. *l.* 2. *c.* 55. Ὁ γαλεὸς ὠδίνει διὰ τοῦ στόματος ἐν τῇ θαλάττῃ, *Muſtelus in mari per os parit.* Et *l.* 9. *c.* 65. Οἱ μυούμενοι ταῖν θεοῖν οὐκ ἂν πάσαιντο γαλεοῦ φασίν· οὐ γὰρ εἶναι αὐτὸν καθαρὸν ὄψον, ἐπεὶ τῷ στόματι τίκτει. *Dearum* (Cereris nempe & Proſerpinæ) *Sacerdotes ajunt muſtelum piſcem nunquam edere: neque enim mundum eſſe cibum quia ore parit.* Ideò verò is creditur ore parere, quia parvulos ſuos quandoque in os recipit, unde exeuntes qui vident, hunc partum ſuum eſſe putant: Quod ipſe Philoſophus obiter tangit, cùm de muſtelis ſeu galeis piſcibus, dicit *Hiſtor. l.* 6. *c.* 10. Ἐξαφιᾶσι καὶ δέχονται εἰς ἑαυτοὺς τοὺς νεοττούς *Fœtus ſuos emiſſos intra ſe ipſos recipiunt.* Nempe in ſubito metu illis ita conſulunt. Idem Ælian. *l.* 9. *c.* 65. Οὐ τίκτειν δὲ αὐτὸν ἔνιοι λέγουσιν, ἀλλά, δείσαντά τι τῶν ἐπιβουλευόντων, τὰ σκυλάκια καταπίνειν καὶ ἀποκρύπτειν. Εἶτα τοῦ φοβήσαντος παραδραμόντος, ζῶντα αὖθις ἀνεμεῖν, *Eum non ore parere quidam dicunt, ſed, inſidiarum timore perculſum, catulos ſuos devorare & abſcondere: deinde metu ablatô vivos rurſum evomere.* Quod idem de glauco piſce multi referunt, ut videre eſt apud Oppianum *Halieut. l.* 1. *v.* 749. Tzetzes etiam *Chil.* 4. *Hiſt.* 126. glaucum, canem & galeum ſcribit, in metu catulos abſcondere, glaucum & canem in ore, & galeum in ventre, καὶ πάλιν ταῦτα γεννᾶν, τοῦ φόβου παρελθόντος, *& eos rurſus parere, cùm præteriit timor.* E quibus omnino apparet, non τὴν γαλῆν, i. e. *muſtelam quadrupedem*, ſed γαλεόν, h. e. *muſtelum piſcem*, catulos ex ore emittere; quod aut verum eſſe partum, aut inſtar partûs ſe habere creditum. Meritò igitur Iſidorus *Origin. l.* 12. *c.* 3. eos refellit, *qui dicunt muſtelam aure concipere & ore effundere partum.* Et *ore* quidem *parere*, multi dixerunt: Sed *aure concipere* primus Ariſteas, qui fabulam videtur ideo ſic adornâſſe, ut muſtela delatorum & calumniatorum eſſet typus, qui alios malis involant, ὅσα διὰ ἀκοῆς λαβόντες, ταῦτα τῷ λόγῳ σωματοποιοῦντες, *ea, quæ auribus acceperant, verbis quaſi corporantes*, h. e. exaggerantes & in majus augentes. Falsò quoque Barnabas, ut in muſtelam horribile fellatorum crimen impingat, illam ore parere non dicit, ſed concipere: Ἀλλά, inquiens, καὶ τὴν γαλῆν ἐμίσησε καλῶς --- διὰ ἀκαθαρσίαν --- τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο τῷ στόματι κύει. *Sed muſtelam meritò averſatus eſt --- ob impuritatem -- animal enim hoc ore concipit.* Sed & Ægyptii voluere, laſciviæ tribadum in muſtelis eſſe exemplum, ut docet Horus *Hieroglyph. l.* 2. *c.* 34. Verùm alii honeſtiores, apud Plut. *in Iſide* ſtatuunt, τὴν γαλῆν κατὰ τὸ οὖς ὀχευομένην· τῷ δὲ στόματι τίκτουσαν, εἴκασμα τῆς τοῦ λόγου γενέσεως εἶναι, *muſtelam, cùm aure ineatur & ore pariat, ſermonis generationem referre.* Ita nonnunquam,

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Bochart. *Hieroz. Part. prior l.* 3. *c.* 3. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 458. *& ſeqq.* & Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 54. 63. nec non ſuprà *Martures* infrà *Utlagati.*

MUSTHIS, Thebaidis in Ægypto Rex XVIII. pòſt Moſcherem, præfuit ann. 33. dum Seſochris apud Thinitas, Ratæſes apud Memphitas, Uſe in inferiori Ægypto, ſceptra gererent, circa ultima Abrahami Patr. Ei ſucceſſit Pammos Archondes. Joh. Marshamus *Can. Chron.* ex Eratoſthene.

MUSTI, urbs Africæ mediterraneæ Epiſcopalis olim, ſub Archiepiſcopo Carthaginienſi ad Bagradam fluv. 20. mill. paſſ. ab Aſſuro, Carthaginem verſus 88. à Sicca 32. à Cirta 198. in Ortum, à Laribus 30. *Antonin.*

MUSTIUS Fabianus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, juſſu Severi, interemptos, memoratur Spartiano in *Vita* hujus Imperatoris *c.* 13. Et de *Muſtiorum* quidem gente docuerunt ex veteri lapide Viri docti. In Palatino tamen codice, legit Salmaſ. *Maſticinum Fabianum*: & in veteri editione, *Maſtium*, an *Maſcium*, vel *Maſſium*: nam & hæc nomina Romana ſunt, vide cum *Notis ad h. l.*

MUSTUM, apud Plautum *in Perſa Actu* 1. *Sc.* 3.

Commiſce muſtum, *ſtruthea coluteaque appara,*
Bene ut in ſcutris concaleat, & calamum injice.

Ubi *mulſum* alii legunt. Sed ex eo loco Plauti probare ſatagit Plin. *l.* 14. *c.* 13. laudatiſſima fuiſſe apud priſcos vina odore condita: Mulſum autem per ſe bibebatur, abſque aliorum odorum conditura; vinum ſiquidem erat & ipſum melle conditum. Adeoque *muſtum* meliùs legitur. In hoc certè decoquebantur cotonea mala & alii etiam odores eò adjiciebantur, de qua muſti conditura omnino hîc Plautus agit. Vide Columellam *l.* 12. *c.* 19. & 41. οἶνον κυδωνίτην Græci vocant, qui ex muſto & cydoniis malis ſic componebatur; & γλεῦκος in hac conditura nominant. Igitur *muſtum* in ſcutris concalere ac fervere Plautus vult, cum ſtrutheis malis; quæ de genere ſunt cydoniorum, ſed pro ipſis hîc Cydoniis in genere ponuntur. Quid autem *coluthea* ſint, quærunt Viri docti. Salmaſ. mavult, *ſtrutheaque lutea*, h. e. lutei ſeu aurei coloris: quibus & calamum addi jubet &c. Vide Salmaſ. modò dictum, *ad Solin. p.* 709. & 710. & ſuprà *Mulſum.*

MUSUL, quæ priſca Ninive nonnullis, ad fluv. Tigrim & totius Aſiæ ac Saracenorum omnium, qui *Muſlimi* & *Muſulmanni* dicti, ut vidimus, Metropolis atque caput: *Bagdad* item, ad eund. fluv. in ripa Perſica, haud procul à priſcæ Babylonis ruderibus, extructa à Califa Saracenorum Abujapharo, eò ferè in loco, ubi olim Seleucia fuit; inter celebres Aſiæ, ob Mercaturam, hodie Urbes. De qua occupanda tantâ contentione, inter Turcas Perſaſque, continuò certatur, quaſi ab hoc cardine Aſiæ penderet Imperium. Fuit autem ſedes Califæ ſive ſummi Sacerdotis Muhammedanorum, qui ſolus jus ac poteſtatem coronandi ac declarandi Imperatorem Muſlimorum, i. e. *fidelium* habuit, quem ipſi vocabant *Emirelmu-Menina*; ex quo vocabulo natum eſt monſtroſum illud *Admiralii Murmelii*, quod in Chriſtianorum hiſtoriis frequenter occurrit. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 4. *p.* 56. Vide de *Bagdado* urbe ſuô locô. Hinc *Muſulmanni*, tanquam *rectè credentes*, nomen quod maximè Turcæ, vel Saraceni potius affectant, teſte Leunclaviô *in Pand. Turcic. n.* 22. At *Muſalamiorum*, in Libya vel Ægypto, gentis ita dictæ, meminit Aur. Victor Schotti in *Claudio*: à quibus *Muſulmanni*, Ægyptii potiſſimùm, dici potuêre veteri nomenclaturâ ait, Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide inſuper Meurſium in voce Μουσουλμανίζειν, & ſuprà ubi de *Muſlimorum ſecta.*

MUSURGIA, ſive *Ars Magna Conſoni & Diſſoni*, quâ Muſicæ Theoricæ & Practicæ doctrina traditur: Conſonique ac Diſſoni vires effectusque mirabiles in Natura, in omni penè facultate, demonſtrantur; nomen libri, Auctore Athanaſiô Kircherô in duos Tomos diviſi editique Romæ A. C. 1650. in *fol.*

MUTA, Dea apud Romanos cujus ſacra feralia incidebant in 12. Cal. Martii. Vide Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 4.

MUTA, monaſticæ campanulæ ſpecies, quòd fortè minus acutum ſonum ederet. *Vita* Abbatum S. Albani *p.* 91. *Facta nola, cui* Muta *vel Silla eſt nomen. Mota* dicitur alibi.

MUTA, dicebantur ſacrificia, in quibus nulla inerant ſigna: quemadmodum contra illa, quæ conſpicuas & illuſtres notas exhibebant, *Arguta* vocabantur Auſpicibus: *Regalia* verò, quæ faventem fortunæ vultum, & felicia omnia pollicebantur. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 11. Vide quoque ſuprà in voce *Extiſpices.*

MUTA Aſtra, apud Manilium, *l.* 1.

——— *Nec ſeptem ad ſtellas, nec* muta *ſub Aſtra:*

dicuntur, quæ à nobis nunquam videntur, ut ea quæ ſunt in polo Antar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Antarctico. Significationes nempe ac divinationes ex aſtrorum motu, obitu atque exortu, Aſtrologis atque Aſtronomis peti ſatis notum eſt: quæ itaque nec oriuntur nobis nec occidunt, nec unquam conſpiciuntur, *muta* planè cenſentur, ut ex quibus nihil ſignificationis aut divinationis poſſit elici. Sic *muta exta* vocabant Aruſpices, ex quibus nihil divinationis animadvertebant &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 660.

MUTALA & MUTALASCA, pagus Cappadociæ, Cæſareæ finitimus.

MUTATIONES, loca in viis regalibus, ubi veredi vel animalia, apud Romanos olim, *mutabantur* in Curſu publico, ut & equi ipſi: in *LL.* 34. 36. 53. 58. 60. *de Curſu publ. l. 9. de Tribut. Cod. Theodoſ. alibique paſſim*: Græcis Ἀλλαγαὶ, apud Annam Comnenam *p.* 139. Fiebat autem *Mutatio* veredorum in ſingula ſex millia. Græci, Καὶ ἡ παρ' ἡμῖν ἐπινοημένη εἰς ὑπουργίαν τῶν βασιλικῶν προστάξεων ἀλλαγὴ διὰ τῶν κοντέρων μίλια ἕξ, ἤγουν στάδια τετταράκοντα πέντε. Itaque legitimum erat tres aut quatuor *Mutationes* fieri in unam Manſionem: at in *Itinerario* Hieroſolymitano, ut plurimùm duæ *Mutationes* pro una Manſione recenſentur. In Syria *ab Antiochia Tyrum uſque in millia* CLXXIV. *mutationes* XX. *manſiones* XI. Et in Italia, *fit ſumma ab Ancona uſque Capuam millia* CCLXXXIX. *mutationes* XXV. *manſiones* XIII. Et ſub finem, *Fit omnis ſumma ab urbe Roma Mediolanum uſque milia* CCCCXVI. *mutationes* XLII. *manſiones* XXIV. Quô pactô ſemel tantùm *mutare* ſunt ſoliti. Alibi triplæ numerantur *Mutationes* ad Manſiones, ut in Galliis: *A Burdigala Arelate uſque millia* CCCLXXI. *mutationes* XXX. *manſiones* XI. Item, *ab Arelato Mediolanum uſque millia* CCCLXXV. *mutationes* LXIII. *manſiones* XXII. &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 495. Vide quoque ſuprà, in voce *Manſio*. At apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ *Mutationes Presbyteri*: quæ aliàs *Introitus*, Græcis Ἐνθρονιστικὰ, præſtationes ſunt, domino loci, in quavis mutatione Sacerdotum ſeu Curionum fieri ſolitæ, uti docet Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide ſuprà *Enthroniſticum*.

MUTATORIA, apud Udalricum *Conſuetud. Cluniac. l. 2. c.* 13. ſeu *Mutatoria Veſtes*, apud Cogitoſum *in Vita* S. Gerardi *l. 1. c.* 34. ἐσθῆτος ἐξαλλαγὴ, ſeu ἐξαλλαγαὶ ἱματίων, Græcis apud Gregorium Nazianz. *in Julianum Oratione* 2. & Pachymerem *l. 7. c.* 29. veſtes ſunt quæ aliis *mutantur*; Præſertim verò veſtes ſunt, quæ aliis minoris momenti ac pretii mutantur, de quibus vide infrà, ubi de *Syntheſi & Syntheſinis veſtibus*.

MUTHI, Thebaidis in Ægypto urbs. *Antonin. Mutheos* in *libro Notitiæ*.

MUTI, inter Divinatores, apud Paſcaſium Ratbert. in *Vita* Arſenii *l. 2. c.* 9. iidem forte cum Engaſtrimythis. Vide ſuprà *Muſſare*.

MUTI Lapides, i. e. ſine inſcriptione vice terminorum poſiti, vide ſuprà in *Bonna*.

MUTIA, Cæſaris uxor, à Clodio amata, vide Suet. in *Julio, c.* 50. item nomen legis, quæ à L. Licinio Craſſo & Q. Mutio Scævola Pontific. Max. Conſulib. an. 658. Urb. Cond. de peregrinis lata belli Italici, quod triennio pòſt exortum eſt, cauſa fuit. Vide Ciceron. *l. 3. de Offic. pro Balbo*. Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l. 8. c.* 2.

MUTIA Lex, quæ & *Licinia*, à *Q. Mutio* Scævola Pontif. Maximo & L. Licinio Craſſo Conſulib. an. 658. Urb. Cond. lata, Claudiæ primùm, dein Papiæ legis tenorem renovavit, jubens, *ut in ſuæ quiſque civitatis jus redigeretur*. Vide ſuprà.

MUTIALIS Collis, pars collis Quirinalis, unius ex ſeptem montibus, in quibus Roma condita. Ejus reliquæ partes ſunt Salutaris & Latiaris, Thom. Dempſter. *Antiq. Rom. l. 1. c.* 6.

MUTIANUS, diſcipulus Chryſoſtomi, Commentarios hujus in Epiſtolas Paulinas, aliaque quædam Latinè vertit. Geſner. *in Biblioth.* Vide & *Licinius*.

MUTICENSES, populi Siciliæ. Vide *Motuca*.

MUTILANDI occiſos mos, Veteribus uſitatus, memoratur Lycophroni *Caſſandrâ*,

> Πάντας δ' ἀνάγνοις χερσὶν ἐν ναῷ κτενεῖ,
> Λώβαισιν αἰκισθέντας ὀγκαῖς βόθρου.
> *Omneſque cruda cædet in ſacris manu*
> *Cereris favisſis ſaucios crudeliter.*

Uti *Scaliger* reddit; *Meurſius* mavult reddere, *ignominiosè truncatos*. Nam ita ſolebant illis facere, quos è medio ſuſtuliſſent, ne à Manibus eorum (quos vagari & homines maximè inimicos noctu terrificare credebant) infeſtarentur; atque id vocabant μασχαλίζειν & ἀκρωτηριάζειν. Scholiaſtes Sophoclis *Electr.* Εἰώθασιν οἱ δράσαντες ἐμφύλιον φόνον ἀκρωτηριάζειν τοὺς ἀναιρεθέντας, ἐκ παντὸς μέρους τοῦ σώματος ἀποτεμνόμενοι, καὶ περιάπτειν ἑαυτοῖς τὰ ἄκρα συνείροντες, διὰ τούτων ὥσπερ τὴν δύναμιν ἐκείνων ἀφαιρούμενοι, διὰ τὸ μὴ παθεῖν εἰς ὕστερον τὸ δεινὸν παρ' ἐκείνων· ἐφόρουν δὲ εἰς τὰς μασχάλας τὰ ἄκρα, ὃ καὶ μασχαλισθῆναι ἔλεγον. *Solebant ii, qui cædem dolô commiſerant, occiſorum extremitates, è totius corporis unoquoque membro abſcindere & collo ſibi ita catenatas ſuſpendere, velut adimentes hôc pactô illis vim, ſibi in poſterum nocendi -- Id quod* μασχαλισθῆναι *dixerunt.* Ἐξάργματα i. e. *præſegmina*, vocat Apollonius *l.* 4. hujuſmodi extremitates: moremque plenè deſcribit Virg. *Æn. l. 6. v.* 494.

> *Atque hîc Priamidem laniatum corpore totô*
> *Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:*
> *Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis*
> *Auribus & truncas inhoneſtô vulnere nares.*

Vide quoque Stat. *Thebaid. l.* 1. Terentium *Hecyrâ Act. 1. Sc.* 1. Quintilian. *Decl.* 12. & 14. Salluſtium *Hiſt. l.* 4. &c. è quibus poſterioribus, etiam Romanis id non inuſitatum fuiſſe, colligitur. Sed nec occiſis ſolùm id faciebant Veteres verùm & vivis, quos punitos volebant. Juſtinus *l. 11. c.* 14. *Inter hæc* DCCC. *admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncatâ corporum parte tulerant.* Quò pertinet de Zopyro hiſtoria; de Mœcho *Epigr.* 83. Martial. *l.* 2. ubi naribus auribuſque; alibi ubi genitalibus, *mutilari* id hominum genus conſueviſſe legimus. De manibus, vide ſuprà. Atque eô modô mutilati *Laceri* dicebantur, Aſconius 2. *Verr.* & Feſtus &c. Vide plura hanc in rem apud Joann. Meurſium *ad Lycophronem d. l.* Fabrum *Semeſtr. l. 3. c.* 19. Loccenium *ad Curt. l. 5. c.* 5. & ſuprà ubi de *Cædem luſtrandi ritu*, nec non voce *Lacer*; uti de quintuplici apud Hebræos pœna in *mutilationibus* corporis exſolvi ſolita, infrà voce *Talio*.

MUTILATI in bello, de publico olim Athenis pecuniam accipiebant: ex lege Piſiſtrati, Τοὺς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφειν, *Mutilati in bello publicè aluntor*, quam æmulatione & exemplo Solonis tulit, ut refert Plut. *in Solone*, ubi Therſippo primum id contigiſſe, inter alia docet. At non quivis *Mutilati* ſic alebantur: Excipiebantur enim illi, quibus divitiæ domi ſuppeterent: unde Lyſiana illa περὶ τοῦ Ἀδυνάτου, inter cœtera quæ adferuntur argumenta, cur non oporteat Ἀδύνατον λαμβάνειν τὸ παρὰ τῆς πόλεως ἀργύριον, hoc non parvi momenti legitur, poſſe eum vivere ἄνευ τοῦ διδομένου τούτου. Itaque ſolis illis lex conſuluit, quorum reditus annuus erat intra tres minas tantùm, *Harpocratione* teſte: quare etiam ἐδοκιμάζοντο, apud Quingentorum Senatum; non tantùm, an eſſent *Mutilati* & revera ἀδύνατοι, ut videri volebant, ſed etiam, an annuus eorum reditus eſſet intra tres minas ſeu 300. drachmas, vel major. Pecunia, quam indies accipiebant οἱ ἀδύνατοι, obolus erat, ut ex Ariſtotele docet, modò memoratus Auctor, & teſtatur Lyſias *loc. cit.* Philochorus tamen auctor eſt, 9. drachmas ſeu 54. obolos in menſes ſingulos eos accepiſſe: Alii quoque diurnum illorum duos fuiſſe obolos contendunt: unde forte colligi poteſt, ſubinde mutâſſe rationem, & modum hujus τῆς ἀδυνάτων δημοσίας τροφῆς. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l. 8. tit.* 3. Aliàs *Mutilati*, inter malè ominatos erant: Eunuchi inprimis & claudi; quorum proin occurſus manè, aut in quolibet principio infauſtus habebatur. Sed & nec Sacerdotes eligi poterant nec victimæ, quæ integræ non eſſent, ut alibi vidimus. Vide Herald. *Not. ad Martialem l. 7. Epigr.* 87.

MUTILIA Priſca, intima Liviæ Auguſtæ ejuſque in animo valida, per quam, ſubornatô tamen ejus adulterô Q. Juliô Poſthumô, Sejanus Liviam ſuâpte naturâ potentiæ anxiam, inſociabilem nurui Agrippinæ effecit. Tacit. *l. 4. Annal. c.* 12.

MUTILIANA, caſtellum in Rheni ripa, à Camillo Sachino, qui Parmenſi Duci in Belgio militaverat, excitum, egregiô ſitu: utque creditur, in ipſis Aſciburgii veſtigiis: nomine patriæ, in Parmenſi ſolo, inditô. Hoc paulo pòſt A. C. 1597. à Mauritio Principe deletum eſt, irriſâ multùm hominis Itali arrogantiâ, qui *fundatam animi virtute, & inexpugnabilem arcem*, inſcripſerat. Grotius *Hiſtor. l.* 6.

MUTILUM, oppid. Galliæ Togatæ in via Æmilia, ſive Romandiola, non obſcurum. *Mutila Julio Obſequenti*; hodie *Mutigliano Blondo. Modiana Leandro. Baudrando Modigliana*, oppidul. in colle, juxta Marzanam torrentem, in ea parte Romandiolæ, quæ M. Duci Hetruriæ ſubeſt, in confinio ditionis Pontificiæ, 10. milliar. in Africum à Foro Livii, 13. à Britinorio in Occaſum.

MUTINA, Civitas Galliæ Ciſalpinæ in Flaminia, inter Regium Lepidi, & Bononiam, fontibus abundans, ut & porticibus fornicibuſque, ſed vicis arcta, *Strabo*. Colonia Romanorum, in qua Antonius D. Brutum obſedit, quam tamen Hirtius & Panſa Conſules, victô Antoniô, liberârunt an. 710. Urb. Cond. Sub Gothis Longobardiſque deſtructa, reparata eſt; imperantibus Caroli M. filiis. Hìc Concilium A. C. 973. ad lites inter quoſdam Germ. Principes componendas, habitum. *Ptolemæo* Μουτίνα Latinâ formatione, reliquis verò Græcis omnibus Μουτίνη exceptô unô Polybiô *l.* 3. apud quem fortè rectius Μοτίνη, quippe brevem eam ſyllabam fuiſſe habitam patet ex poëtis. Ovid. *Met. l. 15. v.* 822.

> —— *Mœnia pacem*
> *Victa petent Mutinæ, Pharſalia ſentiet illum.*

Lucan. *l. 1. v.* 41.

> *His, Cæſar, Peruſina fames, Mutinæque labores*
> *Accedant fatis.* ——

Sil. *l. 8. v.* 562.

> *Certavit Mutinæ quaſſata Placentia bellô.*

Martial. *l. 3. Epigr.* 59.

> *Fullo dedit Mutinæ, nunc ubi caupo dabit.*

Vide Plin. *l. 2. c.* 83. *Nic. Lloydius. Modena* hodie dicitur incolis. *Modene* Gallis. Urbs munita intra paludes, cum arce recenti, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Ravennate; ſedes Ducum ex familia Ateſtina; prope Seciam fluv. Caput.

MUTINENSIS Ducatus A. C. 1460. erectus, incolis *Ducato di Modena* ſeu *il Modeneſe*, Gallis *le Modenois*; qui provinc. eſt Longobardiæ, ſub Duce proprio ex Ateſtina familia: Cui etiam ſubſunt Ducatus Regienſis, Principatus Carpenſis & Corregienſis, dominium Saxuolenſe, Friniana & Grafiniana, majori ex parte. Terminatur Status ex his conflatus, Ital. *Il Modeneſe*, vel *lo Stato di Modena*, à Septentrione Ducatu Mantuanô & Mirandulanô, ab Ortu Bononienſi agrô ditionis Pontificiæ, à Meridie ditione M. Ducis, ab Occaſu Parmenſi Ducatu. Ditio autem Mutinenſis extenditur à Septentrione in Meridiem ad 60. milliar. ab Ortu in Occaſum ad 45. circiter, & aliàs ſuberat Duci Ferrariæ, ex eadem gente Eſtenſi. Sed Principatus Corregienſis haud pridem factus eſt juris Mutinenſis, anteà ſub Principe proprio. Terra omnium rerum, ingeniorum inprimis, fœcundiſſima. Strabo *l.* 5. Plin. *l. 3. c.* 15. Mela *l. 2. c.* 4. Tacit. *l. 1. Hiſtor. c.* 50. Appian. *de bell. Civ. l. 3. & 5.* Leand. Alberti *deſcr. Italiæ*. Origo *Mutinenſium* Principum hæc. Azo Ateſtinus ſeu Eſtenſis, ductâ Cunigunde, Welfi ſeu Guelphi III. Bavariæ Ducis ſorore, Welficum nomen & jus in ſuam gentem intu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

intulit. Eum quidem ex Cajo Actio, qui ex Romanis civis Ateſtinus fuerit, circa A. C. 390. ortum per Majores habuiſſe dicunt: alii Hugonis M. Tuſciæ filium, Lotharii I. Imperatoris trinepotem, ſicque è Caroli M. ſanguine oriundum, credunt. Horum quidquid ſit, certum eſt, Azonis conſanguineos non obſcuræ in Italia conditionis fuiſſe. Ex eadem enim proſapia orti Theobaldus, & fil. Bonifacius Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchiones: quorum hic pater fuit Mathildis, à qua *Patrimonium Petri*. Ipſe Azo ſecutus in Germaniam Conradum II. & Henric. III. Auguſtos, ibi Cunigundem, Guelforum priorum hæredem, & poſt illam, Juditam, Conradi II. Imperatoris filiam duxit: ex hac pater Azonis II. Eſtenſis ſeu Ateſtini Marchionis, à quo longâ ſerie reliqui Marchiones, qui, præter Ateſten, Genuam, Mediolanum, Anconam, Veronam, Ferrariam, Mantuam, Mutinam, Regium & alia, diverſis temporibus, tennêre, deſcendunt. Ex his Hercules I. Dux Ferrariæ creatus, novô titulô domum auxit, qui ad pronepotem Alfonſum II. duravit: hôc A. C. 1597. ſine maſculis hæredibus extinctô, ſucceſſionem ſibi deberi prætendit, ejuſdem patruelis Cæſar Ateſtinus. Sed quòd hujus pater Alfonſus ex vilis fœminæ contubernio ab Alfonſo I. Duce ſuſceptus diceretur, à Pontifice eâ excluſus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum obtinuit, vide Thuan. *Hiſtor. l.* 19. Ab hoc moderni Ateſtini & Duces Mutinæ derivantur: qui propter caſtellum *Borſelli*, Duci Mantuano calcarium par præſtare tenentur. Iidem jus in ditionem *Comacchio*, quam Papa poſſidet, ſibi vindicant, unde iis cum Sede Romana controverſia. Origo Ducatus ſecundùm alios hæc. Trienniô poſtquàm Rudolfus I. Imperator Italiæ Urbibus libertatem conceſſiſſet, Opizo I. Marchio Ateſtinus *Mutinam* & Regium ſibi eôdem permittente ſubjecit, Sigon. *de Regno Ital. l.* 20. & Joh. Baptiſta Pigna *Hiſt. Ateſtinæ l.* 3. Ex quo diſcere etiam eſt, A. C. 1312. Franc. Picum Mirandulanum, ab Henrico VII. Imperatore *Mutinæ* Vicarium conſtitutum eſſe: Inde Paſſarinum & Butironem Boneculfium tyrannos urbem invaſiſſe, ad A. C. 1327. quadrienniô pòſt Manfredum Pium à Johanne Bohemiæ Rege Vicarium Imperii conſtitutum, Principis nomine aſſumtô, ab hoc dein Urbem Opizoni II. Ferrariæ Marchioni conceſſam A. C. 1336. & in familiæ illius Ateſtinæ ditione permanſiſſe, donec A. C. 1510. Julius II. Pontifex à ſe captam Maximiliano I. Imperatori ceſſit: hunc verò illam quartô pòſt annô Leoni X. decem (Guicciardinus *l.* 12. ſcribit, *quadraginta*) aureorum millibus pignori dediſſe, ſed iterum ab Alfonſo I. Ateſtino eam recuperatam, A. C. 1527. poſſeſſione per auctoritatem ac ſententiam Caroli V. Imperatoris confirmata, multùm licet fremente Clemente VII. & ex ſententia Cæſaris oblatam à Ferrarienſi pecuniam repudiante. Quô tempore eidem idem Carolus 600. auri libris acceptis, Carporum oppidum, de quo diuturnâ lite cum Alberto Pio contenderat, conceſſit, Guicciard. *l.* 20. Quæ proin Imperialis juris oppida, cùm Alfonſo II. A. C. 1597. mortuô cœtera Clemens VIII. Papali ditioni reddidiſſet, Cæſari Eſtenſi ejuſque poſteris à Maximiliano II. primùm, dein & à Rodulfo II. Imperatorib. factâ gratiâ, remanſerunt fiduciariô jure: pro quo impetrandô numerata Imperatori 200000. ſcutatorum, fœnori à Genuatibus ſumta, ut hodieque cogatur Dux 16000. quotannis in uſuram pendere, tradit Auctor *Comment. de Principatibus Italiæ* à Thoma Segetho editus, apud Conringium *tract. de finibus Imperii c.* 23. In *Mutinenſi* agro ſtatis Vulcano diebus, ignem exire, tradit Plin. *l.* 2. *c.* 107. apud Fortun. Licetum *de Lucernis l.* 1. *c.* 1.

MUTINENSIS DUCATUS URBES:

Brixellum, *Briſello.*
Carpum, *Carpi.*
Caſtrum novum Graſinianum, *Caſtel novo di Graſagnana.*
Corregium, *Corregio.*
Finarium, *Finale de Modena.*
Mutina, *Modena.*
Regium Lepidi, *Regio.*

MUTINES, Annibalis ducum unus, memoratur Livio *l.* 25. *c.* 40. *Duces reliqui prioris belli, & tertius novus ab Annibale -- miſſus, Libyphœnicum generis Hipponiates (Mutinem populares vocabant) vir impiger & ſub Annibale Magiſtro omnes belli artes edoctus.* De cujus præclarè geſtis. idem *Ibid. Ita pervagatus eſt hoſtium agros, ut brevi tempore totam Siciliam impleret nominis ſui: nec ſpes alia major apud faventes rebus Carthaginenſium eſſet.* Hinc invidentes ei duces reliqui duo, Hanno & Epicydes, eô abſente, contra conſilium ejus, conflixerunt cum Marcello, ſed infelici ſucceſſu, *ſub fin. libri.* Quare ipſe poſtmodum partes adverſas amplexus, ob merita erga populum Romanum, *Civis Romanus factus eſt; rogatione ab Tribuno plebis ex auctoritate Patrum ad plebem latâ*, *l.* 27. *c.* 5.

MUTINUS, ſive MUTUNUS, Deus Romanis dicebatur, qui Priapus Græcis, ſuper cujus pudendis nupta ſedere jubebatur, ut ejus pudicitiam Deus prior delibâſſe videretur. Lactantius *l.* 1. *c.* 20. Arnob. *l.* 4. Auguſtin. *de Civit. Dei l.* 4. *c.* 11. & *l.* 6. *c.* 9. à *mutone*, membro virili. Malè *Mutenus* dicitur. Nonnulli *Tutunus*, apud *Arnobium*, legunt; idemque *Mutinus* dicitur *in Priapeis*, & apud *Feſtum*. Erat autem Numen πριαπῶδες, quod utriuſque obſcœni appellationem habuiſſe, ideoque *Mutuni Tutuni* nomine à Romanis Matronis cultum, vult Polyhiſtor *Salmaſ.* Quidquid ſit, Priapi erat ſignum, qualem ex ære è Muſæo Parentis exhibet Caſpar. Bartholinus *Notis in Parentis Thomæ libr. de Puerperio Veter.* Sacellum ejus Romæ fuiſſe in Veliis, adverſùm murum muſtellinum, indicat, *Feſtus*, laudatus *ad Arnobium* God. Stewechio. Iſtiuſmodi Faſcinus, ſeu *Res turpis*, in collo ex annulo appenſa infantibus, Sagas & Stryges pueris inſidiantes abigere credita olim eſt: Idem in poculis eôdem metu frequentatum, more Deabus familiari. Ob turpitudinem enim faſcinantium oculos avertere, ne aſpicerent infantes, dicebatur. Idem *ibidem.*

MUTISTRATUS, vide *Ameſtratus.*

MUTITARE, quando Patricii, quando Plebeji, ſoliti apud Romanos? Vide ſuprà, ubi de *Ludis Megalenſibus.*

MUTIUS, vide *Cajus.*

MUTIUS Adrianus, vide *Adrianus*, item *Hadrianus.*

MUTIUS Cordus, nobilis Romanus, qui acceptâ poteſtate à Senatu, in caſtra Porſenæ regis, tum temporis Romanos obſidentis, ſolus intravit, eô animô, ut regem occideret; ſed cùm regem non cognoſceret, unum ex purpuratis pro rege occidit. Propter quod comprehenſus, & ad regem perductus eſt: qui cùm extrema ſupplicia ei comminaretur, Mutius injectâ in foculum dexterâ, ſponte ſibi eam exuſſit: partim ut eô ſpecimine doceret, ſe vel exquiſitiſſima ſupplicia facilè poſſe contemnere; partim ut pœnam eam à dextera ſua exigeret, quæ, in cæde aberrans, ſatellitem purpuratum pro rege occidiſſet. Hinc poſtea *Scævola* cognomen traxit, quòd ſiniſtrâ manu pro dextra uteretur. Σκαιὰν enim Græci *ſiniſtram* vocant. Admiratus itaque hominis fortitudinem Porſena, liberum eum dimiſit. Cujus beneficii nomine cùm regi gratiæ aliquid vellet rependere, indicavit illi 300. juvenes ſimili modô in eum conjurâſſe. Quare territus Porſena, acceptis obſidibus, bellum pace mutavit. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 22.

Cum peteret regem decepta ſatellite dextra,
Injecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis juſſit abire virum.
Urere quam potuit contemptô Mutius igne.
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Major deceptæ fama eſt & gloria dextræ,
Si non errâſſet, fecerat illa minus.

Idem *l.* 8. *Epigr.* 30. De ſpectaculo Scævolæ.

Qui nunc Cæſareæ luſus ſpectatur arenæ,
Temporibus Bruti gloria ſumma fuit.
Aſpicis, ut teneat flammas, pœnâque fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus.
Ipſe ſui ſpectator adeſt, & nobile dextræ
Funus amat: totis paſcitur illa ſacris,
Quòd niſi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in laſſos ire ſiniſtra focos.
Scire piget poſt tale decus, quid fecerit ante:
Quàm vidi ſatis eſt hanc mihi noſſe manum.

Quod Mutii facinus hic laudat, alibi elevat, *l.* 10. *Epigr.* 25.

In matutina nuper ſpectatus arenâ
Mutius, impoſuit qui ſua membra focis,
Si patiens, fortisque tibi, duruſque videtur;
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cùm dicatur tunicâ præſente moleſtâ;
Ure manum: plus eſt dicere; Non facio.

Vide Flor. *l.* 1. *c.* 10. Livium, *l.* 2. *c.* 10. Dionyſ. Halic. *l.* 5. *c.* 2[illegible] Val. Max. *l.* 3. *c.* 3. Aurel. Vict. *de Viris Ill. c.* 12. &c. Fuerunt præterea alii *Mutii*, vel *Mucii*, quorum hiſtoriam multis proſequitur Raphaël Volaterranus *l.* 17. ex *Livio*, *Plutarcho*, & aliis. *Lloydius.*

MUTIUS, cognomen datum Gordiano Africæ Proconſuli, apud Jul. Capitolin. *in Gordianis*, *c.* 5. *Amatus eſt, ab Afris, ut nemo antea proconſulum: ita ut eum alii Scipionem, Catonem alii, multi* Mutium, *ac Rutilium, aut Lælium dicerent.* Et quidem & *Mutii* in veteri hiſtoria Romana multi occurrunt, viri clari & virtutibus inſignes: ſed hic *Q. Mutius Scævola* intelligitur, ut cujus ex Conſulatu Aſiam nactus tantâ eam integritate rexit, ut ejus adminiſtratio pro exemplo & forma officii cœteris, qui in eam provinciam poſtea profecti ſunt, à Senatu ſit propoſita. Caſaubon. *ad l.*

MUTIUS Macarius, vide *Macarius.*

C. MUTIUS Scævola, fil. Conſulis Romani cognominis, JCtus excellens, ſcriptis inclytus. Pontifex Maximus, eô tempore, quô cum Domitio, bellô Marii & Sullæ fervente, Prætoris Damaſippi juſſu, confoſſus eſt. Vellejus Paterc. *l.* 2. *c.* 26. Vide de quoque *Mutia* lex. & voce *Cajus.*

MUTO, Gallicè *Mouton*, item *Florin à l'Aignel*, ſpecies fuit monetæ aureæ Franciæ Regum, de qua vide ſuprà in voce *Mutto.* Item machina bellica, apud Froiſſardum *Volum.* 3. *c.* 102. quæ *Aries* aliis.

MUTONUS vel MUTTUNUS, Numen πριαπῶδες, *Mutuni Tutuni* nomine Romanis matronis cultum, quod utriuſque obſcæni appellationem videtur habuiſſe. Μυτλὸς enim, unde turpi huic Deaſtro nomen, Græcis τὸ γυναικεῖον propriè ſignificat; quum tamen *muttunum* & *muttonium*, ex eo, Latini pro virili tantùm uſurpent. Huic inſidere novas nuptas conſueviſſe, Arnob. docet *l.* 4. *Etiamne Tutunus, cujus immanibus pudendis horrentique faſcino veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis & optatis.* Et paulo pòſt, *Supplices Muttuno procumbimus atque Tutuno.* Nempe Satyrica iſtiuſmodi ſigna, uti Plin. vocat *l.* 19. *c.* 4. olim horto dicata, cùm *villam* ſignificaret: poſtea eadem ſuperſtitio duravit, ut horto dicarentur etiam tum, cùm aliud hâc voce ſignificari cœptum eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 310. Hinc *Mutonia*, vide ſuprà *Gloria.*

MUTORUM Pœna, apud Anglos Panis fortis eſt. Cùm ſcil. quis de felonia accuſatus, accuſatori, aut judici reſpondere renuit, aut *mutum* ſe fingit, vel certè os aperire aut loqui non vult: tum pœna ea illi imponitur, donec Judici ſatisfaciat, ut in carcerem tetrum conjiciatur, in eoque ſolô pane, durô ac mucidô alatur. *Fortis* autem is dicitur, quia adeò ponderoſus eſt & gravis, ut illum ferre aut ſuſtinere reus nequeat: *durus* verò, quia totô vitæ tempore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pore non aliò talis veſci cogitur. Qua de rè ſic Cowellus *Inſtitut. l. 4. tit.* 18. §. 35. *Reus in loco aliquo infero carceris & tenebricoſo conſtituitur nudus ſuper nudâ terrâ, pudendis tantùm tectis, brachiiſque & pedibus fune in quatuor domunculæ angulos tractis, ſupinus extenditur. In hunc modum ligatus, tantô ferri ſaxive pondere pectori impoſitô oneratur, quantum ſine contuſione ferre poteſt. Die ſequenti tria panis hordiacei fruſta ſine potu ſumit: nudius tertius totidem aquæ hauſtus quantoſcunque, dummodo non profluentis, quæ carceri proxima reperitur, ſed ſine pane: atque ita per vices pane & aquâ iſtiuſmodi quotidie veſcitur, donec oneris, frigoris atque famis cruciatu extinguitur.* Ad cujuſmodi pœnam, Vicarium Wintringhamenſem *obmuteſcentem* adjudicatum fuiſſe, memorat Hieron. Knyghtonus *A. C.* 1389. apud Car. du Freſne in voce *Panis Fortis.*

MUTUS Sanguis, apud Stat. *Theb. l.* 11. *v.* 284.

—— *At tu (pudet) hoſtia Regni,*
Hoſtia, nate, jaces, ceu mutus & *è grege* ſanguis:

ignobilis, plebejus eſt, nullus carmine encomiòque celebratus. Uti apud Horatium, ubi de primis hominibus è terra procedentibus *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 99.

—— *prorepſerunt primis animalia terris*
Mutum & *turpe pecus, glandem atque cubilia propter*
Unguibus & pugnis, mox fuſtibus, atque ita porro
Certabant armis.

Nempe, quia tum nulla adhuc erat Nobilitas. Contrà *ſonoram Phocidem* idem Statius alibi dixit, quia *nobilis* erat Oraculo Delphico: & *Delon ſonantem*, ob famæ celebritatem, *Theb. l.* 5. *v.* 55. &c. *Surdus* eòdem modò uſurpavit, idem Poëta *Theb. l.* 4. *v.* 359.

—— *ſurdum atque ignobile muros*
Firmat opus.

Ad quæ loca vide Caſpar. Barthium *Animadverſion. l.* 4. *paſſim* & *Adverſarior. l.* 13. *c.* 4.

MUTUSCÆ, quæ & *Trebia*, ac *Trebula*, vulgò *Trevi*, urbs Umbriæ, Epiſcopalis olim, nunc oppid. in colle amplum, inter Fulginium 6. & Spoletium 9. mill. paſſ. Populi *Trebulani* & *Mutuſcæi*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 711.

Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Sed cùm Eretum ſit in Sabinis, Mutuſcas quoque in finibus Sabinorum fuiſſe crediderim, Trebiamque à Trebula diverſam eſſe. Itaque *Mutuſcæ*, *M. Leone* in Sabinis hodie *Ferrario*. Oppidanos *Mutuſcæos*, ut dixi, Plin. vocat *l.* 3. *c.* 12. qui addit ibidem & *qui Suffenates. Dionyſ.* verò *Suffenas* vocat.

MUTUSTRATINI, populi Siciliæ, Plin. *l.* 3. *c.* 8. quorum urbs *Mutuſtrata*, nunc *Miſtretta*. Vide *Ameſtrata.*

MUZA, portus, & emporium Arabiæ Felicis, quò appellunt, qui ex Ægypto in Indiam navigant, *Gezien* Moletio, inter Pudnim & Ocelim.

MUZANA, urbs Armeniæ minoris *Antonin.*

MUZIRIS, urbs & emporium Indiæ citerioris. Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Chaul Moletio. Anor* verò ſuprà Calicut *Dalechampio*. Aliis eſt nunc *Calecutum*. urbs ampla Malabaris, in ora litorali proprio Regi parens Zamorino dicto. Hinc cum aliis mercibus etiam plures margaritas afferri, teſtis eſt Auctor *Peripli*, apud Salmaſ. *ad Solin.* qui multa de portu hoc & Emporio maximè celebri, habet *p.* 1285

MYA, inſula parva Doridis (quæ Cariæ regio eſt) in ſinu Ceramico ad Occaſum.

MYAGRUS, nomen viri, cujus meminit Plin. *l.* 34. *c.* 8. Quô etiam nomine dictus muſcarum deus, qui aliter vocatur Myodes & Achor, ut ſcribit *Plut.* Plin. *l.* 10. *c.* 28. *Invocant & Ægyptii ibes ſuas contra ſerpentium adventum; & Elei Myjagron Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, quâ litatum eſt illi die.*

MYARIDA, Ciliciæ urbs mediterranea. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

MYASES, Epiſcopus in concilio Epheſino.

MYCALE, Græcè Μυκάλη, urbs Cariæ, & mons, apud *Stephanum*: Μυκάλη, πόλις Καρίας. Δίδυμος δὲ ὄρος τὴν Μυκάλην φασίν. Ἐκλήθη δὲ, ἐπεὶ αἱ λοιπαὶ Γοργόνες ἐπὶ τόκῳ μυκώμεναι, τὴν κεφαλὴν Μεδούσης ἀνεκαλοῦντο. Οἱ δὲ Μυχάλην αὐτήν φασιν, ἐπεὶ ἐν μυχῷ κεῖται τ' Καρικῆς ἁλός. Vide Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 9. *v.* 281.

MYCALE, nomen veneficæ mulieris. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 263.

Mater erat Mycale: quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctanti conſtabat cornua Lunæ.

Eſt præterea promontorium in Continenti ſitum, è regione Sami inſulæ. *Stephano* urbs Cariæ eſt, quem vide. Inde *Mycalæus.* Claudian. *l.* 2. *in Eutrop. v.* 275.

Icarium pelagus, Mycalæaque litora. ——

MYCALESSUS, urbs mediterranea Bœotiæ, Thucyd. *l.* 7. ſic dicta, quod vacca, quæ Cadmum cum exercitu Thebas duxit, mugitum illic ediderit; hodie *Malacaſa.* Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 272.

Quos pinigeris Mycaleſſus in agris
Palladiuſque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphie. ——

Hinc Ceres *Mycaleſſia* dicta, cujus templum juxta Mycaleſſum ſigulis noctibus ab Hercule aperiri, rurſuſque claudi putabatur. Quinetiam fama erat, omnes fructus autumnô colligi ſolitos, ſi ante pedes Mycaleſſiæ Cereris depoſiti fuiſſent, totô annô integros manere. Eſt & alia Cariæ, item mons è regione Sami. *Steph.*

MYCALUS, vide *Smicythus.*

MYCENÆ, urbs Peloponneſi, quam Perſeus Danai fil. extruxit, in qua regnavit Agamemnon. Inde Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 838.

—— *Agamemnoniaſque Mycenas.*

Idem *Æn. l.* 2. *v.* 331.

Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.

Pelopeiades Mycenas vocat Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 83. quia illic Pelops habitavit; à cujus etiam filio Thyeſte *Thyeſteas* vocat Lucan. *l.* 1. *v.* 543.

—— *Qualem fugiente per ortus*
Sole Thyeſtea noctem duxêre Mycenæ,

Inachias vocat Papinius *l.* 4. *Theb.* quod juxta Inachum fluv. poſitæ videantur. *Agios Adrianos Sophiano. Nigro Charia* eſt, *Gerbigni Theveto.* Equi Mycenarum in pretio fuêre. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 121.

Et patriam Epirum referat, forteſque Mycenas.

Gratius *in Cynegetico, v.* 501.

Conſule Penei qualis perfunditur amne
Theſſalus, aut patriæ quem conſpexêre Mycenæ
Glaucum. ——

Horat. *l.* 1. *Od.* 7. *v.* 9.

Aptum dicet equis Argos, diteſque Mycenas.

Epitheton traxit ab Homero, apud quem, *Il.* ή. *v.* 180.

—— Πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Inde *Mycenæus.* Propert. *l.* 2. *Eleg.* 22. *v.* 31.

Quid? ferus Andromaches lectô cùm ſurgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuêre rates?

Ovid. *Epiſt.* 5.

Iſta Mycenæâ litera ſcripta manu.

Nic. Lloydius.

MYCERINUS, Cheopis Ægyptiorum Regis fil. qui poſtquam patri ſucceſſit in regnum, ita paterna facta peroſus eſt, ut populo ad extremum calamitatis afflicto res ſuas agendi fecerit poteſtatem: quinetiam præ regibus omnibus juſtitiam exercuiſſe dicitur. Herodot. *l.* 2. Cœterùm hunc ſocerum fuiſſe Salomonis Iſraëlitarum Regis ſapientiſſimi, teſtatur in magno ſuo volumine *de temporum ævo* Hieron. Vecchietus Italus, ſed ab Ægypto cognominatus, quòd illam regionem ultra 40. annos integros incoluerit, obſervationibus cœleſtibus in cœlo nunquam nubilo, & libris Ægyptiorum Sacerdotum evolvendis continuò vacans. Ait enim *Orat. Hiſt. c.* 12. Mycerinum *hunc Ægypti Regem, fuiſſe Pharaonem illum, cujus filiam duxit uxorem Salomon*: apud Fortun. Licetum *de reconditis Antiqq. Lucernis l.* 1. *c.* 13. *ubi multiplicem Regis hujus Lucernam illam inprimis, quæ perpetuò ardens ad cadaver alterius filiæ, in lignea bove inauratâ ſepultæ, adſtabat, prolixè explicat.* Sed vide ſuprà, voce *Mencheres.*

MYCI, populi de quibus Hecatæus in Aſia, Ἐκ Μυκῶν εἰς Ἀραξινόν ποτε. *Steph.*

MYCIBERNA, urbs Helleſponti, à Philippo Macedone per proditionem capta. *Diodor. Sic.*

MYCILLUS Jacobus, vide *Jacobus.*

MYCITHUS, Anaxilai Rheginorum tyranni ſervus, cui cùm dominus moriens, & regnum, & liberos ſuos commendâſſet, tutelam eorum tam ſanctè geſſit, imperiumque tam clementer obtinuit, ut Rhegini à ſervo regi non dedignarentur: adultis deinde pueris & bona, & imperium tradidit, ipſe parvô viaticô ſumptô profectus eſt, & Olympiæ ſumma cum tranquillitate conſenuit. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11. *Micythum* alii vocant. Juſtino *l.* 4. *c.* 2. *Micalus* dicitur.

MYCON, Medicus, qui, adverſus ſerpentes, nihil efficacius hippomarathô ſcripſit. Cæl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 29. Item nomen pictoris egregii. Fuerunt autem duo *Mycones*, unus Athenienſis, Syracuſanus alter.

MYCONE, ſeu MYCONOS, ſeu MICONE, inſul. maris Ægæi, una Cycladum, ſub qua poëtæ fabulantur ſepultos eſſe Gigantes, poſtremò ab Hercule interfectos: unde Proverb. *Omnia ſub unam Myconon congerere*, quod in eos dici conſuevit, qui res naturâ disjunctas eòdem librô, vel titulô conantur complecti. Scribit *Servius* hanc inſulam terræ motu diu laborâſſe: quô ceſſante, è vicinis inſulis populos veniſſe, qiu eam tenerent, & incolerent. Inſulares *Myconii*, de quibus literis proditum eſt, calvos eſſe ſolere. Inde *Myconius* pro calvo Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Micole* hodie *Nigro* & *Sophiano*, *Micoli Baudrando*; Circuitus eſt 20. milliar. cum arce permunita & duplici portu. Sub Venetis, pluries fruſtra, à Turcis tentata. Vilis autem inſula fuit ac deſpecta; Unde Stat. *l.* 2. *Achill. v.* 204.

—— *Placet ire per altas*
Cycladas, hinc ſpreta Mycenos, humiliſque Seriphos.

Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 463.

Hinc humilem Myconem, cretoſaque rura Cymoli.

Virg. tamen *celſam* vocat. *Æn. l.* 3. *v.* 76. ſed comparativè cum Delo eam conferens. Athen. *l.* 1. *Myconios* dicit διὰ τὸ πένεσθαι καὶ λυπρὰν νῆσον οἰκεῖν, ἐπὶ γλισχρότητι καὶ πλεονεξίᾳ διαβάλλεσθαι. Unde illud Cratini, in hominem ſordidum & avarum: Πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγονὼς Μυκωνίου φιλόδωρος ἂν εἴης, i. e. *Quomodo tu ab Iſchomacho Myconio genitus munificus eſſes?* Item Proverb. Μυκόνιος γείτων, & Μυκονίων δίκην, in eos, qui non vocati ad convivia ſe ingerebant. Proinde Μύκονος Phœnicibus erat מוכאון *Muc on*, quaſi dixeris *cenſu tenuem.* Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 14. *Nic. Lloydius.* Nunquam fuiſſe ſub Venetis hanc Inſulam, ſed forte ſemel atque iterum excenſionem ibi feciſſe, docet Cl. Sponius. Sed neque Turcis illa, cùm caſtrum nullum habeat, incolitur, ne piratis illuc ſæpe appellentibus in prædam cedant. Veniunt tamen illò quotannis triremes Turcarum Imperatoris, qui capitis tributum, quod *caratſch* appellant, exigant ab incolis, quorum circiter bis mille vicum, qui in tota Inſula unicus eſt, inhabitant. Vide de illorum veſtitu, moribus, vivendi genere, præfatum Auctorem *Itinerarii Part. I. p.* 191. & *ſeqq.*

MYCONIUS Oſwaldus, Lucernas, Eccleſiæ Baſileenſis Paſtor. Hic, poſt egregiam, in juventute moderanda, patriæ ſuæ probatam operam, præconis Euangelici munere, Tiguri, ſuſceptô,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

recléque curatô, Eccleſiam Baſileenſem, poſt Oecolampadium, annis 20. Verbô veritatis fideliter pavit, ab Anteceſſoris ſui veſtigiis nullatenus deflectens. Conſenſui Wirtembergæ A. C. 1539. etiam in capite de S. Cœna, inito, cum Luthero, Crucigero, Bugenhagio, Melanchthone & Menio, ſubſcripſit. Ejus extant: *Enarratio in Pſalm.* 101. *Bremæ* 1548. *In Eſajam, in Marcum Expoſitio docta & pia, Baſileæ A.* C. 1538. *Vita Zuinglii, &c.* Obiit A. C. 1552. ætat. 64. Succeſſit ei Simon Sulcerus.

Poſſe & poſtgenitis acceptam lampada Verbi,
Unica, inextinctam tradere. cura fuit.

MYDIA, inſula, quæ etiam *Delos* dicebatur, una Cycladum, ubi primùm ignis inventus fuit.

MYDON, auriga, Atymnis fil. Homer. *Il. ε. v.* 580.

Ἀντίλοχος δὲ Μύδωνα βάλ᾽ ἡνιοχὸν θεράποντα
Ἐσθλὸν Ἀτυμνιάδην. ———

Alius ab Achille interfectus, Il. *φ. v.* 209.

Ἔνθ᾽ ἕλε Θερσίλοχόντε Μύδωνά τε.

MYENUS, mons in Ætolia, qui antea *Alphius*, Plutarch. *l. de Flum.*

MYES, Græcè Μύες, appellatio oſtrei margaritiferi: in quo genere, qui majores ſunt, μύακες dicebantur, ut minores μυΐσκοι vel μυΐσκαι, Latine *mytili*, non *muſculi*, ut quidam reddunt. Unde miratur Salmaſ. Ennium in *Hedypatheticis*, cùm verſus Archeſtrati verteret, Μῦς reddidiſſe *mures*, quum ſint *myes*, retentâ voce Græcâ, vel *mytili* Latinè.

Τούς μὲν Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ᾽ Ἄβυδος.

Ita vertit Ennius *verſibus*, qui apud Apulejum leguntur:

Omnibus ut clupeâ præſtat muſtella marina,
Mures ſunt Ænia? aſpra oſtrea plurima Abydi &c.

Dictæ autem μύες conchæ ſunt. ἀπὸ τοῦ μύειν, quòd *claudant* ſe atque aperiant, quando libet, ut faciunt omnes conchæ duplices ac bipatentes. Inde μύστρον, pro *ligula*, quòd ex iſtis conchis ligulæ ac cochlearia fierent. Item μυστίλη & μυστίλος, *panis cavatus, ad excipiendum & hauriendum juſculum.* Grammatici exponunt, κοῖλον ψωμὸν εἰς ἔτνος καὶ ζωμὸν βαθυνθέντα. Eôdem nomine concavum manûs appellârunt. Pro μῦς verò vel μύαξ. Siculi μύτιλον dixêre, nunc Latinorum *Myttilum*, vel *Mytilus*, ut dictum. Ab iis diverſæ pinnæ & pectines; unde Salmaſ. *Pinnæ,* inquit, *pectines & myaces, diverſæ ſunt concharum ſpecies, in quibus margaritum gigni Veteres prodidêre---Omnium præſtantiſſimæ ad gignendas margaritas habentur eæ, quæ leves ſunt & candidæ. Eædem porro ſunt, quas pinnis ſimiles aut pinnas, dixêre antiqui.* Vide eum *ad Solin. p.* 1128.

MYES, ſeu MYENTIS, urbs Ionica: Gentile *Myeſius. Steph.*

MYEZA, *Plin. Ptol. Lagoviſchio, Moletio*, oppid. Æmathiæ.

MYGALE, pro Numine Athribitis. Strabo *l.* 17. ubi de Ægyptiis, Ἀετὸν Θηβαῖοι (τιμῶσι) λέοντα δὲ Λεοντοπολῖται· αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι· μυγάλην δὲ Ἀθριβῖται ἄλλοι δ᾽ ἄλλο τί. *Aquilam Thebani* (colunt) *leonem Leontopolitani, capram & hircum Mendeſii*, mygalem *Athribitæ, alii aliud.* Dicitur autem quaſi μυογάλη, uti rectè cenſet *Nicandri Scholiaſtes:* ſed perperam ex Amynta tradit, ſic vocari, quia ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς γίνηται, *ex mure & muſtela generatur.* Cum mure enim muſtelam aut felem conſueſcere, inter quæ animantia tantum eſt diſſidium, abſurdum. Veriſimilius multo, inde hoc nomen eſſe, quia partim murem, partim muſtelam, figurâ ac colore referat. De ejuſdem divino honore, teſtem etiam habemus Plutarchum *Sympoſiac. Quæſt. l.* 4. *quæſt.* 5. ubi in cauſis tanti honoris cæcitatem ait eſſe, quia tenebras luce antiquiores exiſtiment. Item, quòd è muribus quinta naſcatur ætate in Novilunio: & quòd jecur ejus decreſcente Lunâ, deficiat. Unde videmus, qualibus miſeræ gentes rationibus inductæ ſint ad colendam pro Conditore creaturam, Gerh. Jo. Voſſius *de Orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 74.

MYGDONIA, regio Macedoniæ in Thraciam vergens, inter Axium, & Strymonem fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 10. Populi *Mygdones*, qui in Aſiam tranſgreſſi, in ea parte Myſiæ conſederunt, quæ Troadi ſuperjacet, Rhyndaco amni, & Daſcylitico lacui propinqua, eamque regionem de nomine relictæ patriæ *Mygdoniam* appellârunt. In hac regione Nioben natam volunt Poëtæ. Eſt item magnæ Phrygiæ regio *Steph.* qui hanc quoque *Mychthoniam* vocari ait. Hinc *Mygdonia* mater Deorum. Val. Flac. *Arg. l.* 3. *v.* 46.

——— *Ancipitem lymphaverat urbem*
Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima matris.

Et *l.* 8. *v.* 239.

Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele.

Claudian. de Conſulatu quem Manlius Theodorus cum Eutropio geſſit: *v.* 298.

Perfoſſique ruunt populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frænare Cybelle
Optat. ———

Porro Mygdoniam terram divitem fuiſſe patet ex Horat. apud quem *l.* 2. *Od.* 12. *v.* 22. legimus,

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.

Marmore etiam abundabat. Ovid. *Ep.* 15. *Heroid. v.* 142.

Quæ mihi Mygdonii marmoris inſtar erunt.

Nic. Lloydius.

MYGDONIUS, fame preſſus, maximam frumenti copiam ſimulavit, quod ſtratagema recitat Polyæn. *l.* 7. *c.* 36.

MYGDONIUS, fluv. Macedoniæ Niſibim urbem interfluens. *Strabo.* An à *Mygdone* Rege; an à *Mygdonibus*, populis?

MYGDONUS, frater Otrei, teſte Porphyrio *in Il.* 3. ambo fratres Hecubæ regis Priami uxoris, & Ciſſei filii, ambo reges in Thracia: A *Mygdono* ejus filius Corœbus *Mygdonides* dictus eſt Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 341.

——— *Juveniſque Chorœbus*
Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus
Venerat, inſanô Caſſandræ incenſus amore.

MYGISI, urbs Cariæ, hinc *Mygiſia* Minerva, & *Mygaſii Steph.*

MYIACORES, Græcè Μυιακόρης, apud Plinium *l.* 29. *c.* 6. Deus eſt muſcarum everritor, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν καὶ κορεῖν τὰς μυίας dictus, Eliis in veneratione. Alius ab illo Jove Ἀπομυίῳ, qui Olympiæ tantùm colebatur, ad expellendas muſcas, quæ tempore ſacri certaminis, propter ſacrificia, magnâ multitudine Olympiam advolabant; quod ſingulis tantùm luſtris ſolebat factitari. At Elii ſive Elidenſes quotannis ſacra faciebant Deo Μυιακόρῃ, ut muſcas exterminaret, quarum copia aëris tractum peſtilenti ſpiritu corrumpebat: unde & Arcades Eleis contermini Μύαγρον Deum coluêre, ut importuni & improbi animalis moleſtiâ liberarentur, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 12.

MYIAGRUS ſeu MUJAGRUS, non *Myagrus*, ut alii ſcribunt, (*myagrus* enim non eſt muſcarum venator, ſed murium) Græcè Μύαγρος, Deus fuit, ſeu potiùs Heros, in Elide, apud Plin. *l.* 10. *c.* 28. *Invocant Elei* Myiagron *Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt illi Deo.* Ubi tamen *Myjacores* legi mavult Salmaſ. ut vidimus; qui Arcadum Numen *Myjagrum* facit: quamvis non multùm repugnet, quò minus & *Myjagorem*, pro *Myjagron*, vitioſô & tralatitiô ſcribendi genere obrepſiſſe videri poſſit. Pauſan. tamen in *Arcadicis* diſertè docet, non in Elide, ſed Eliſpheris Arcadiæ urbe, hunc *Myjagrum* fuiſſe in veneratione. Videntur autem hæc ſacra tranſlata fuiſſe, ex Accarone Philiſtæorum, ubi *Beel-zebub* ſeu *Deus Muſcæ* cultus, vide *ſupra.*

MYIAGRUS, inter Statuarios nobiles, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8.

MYIODES, apud Plinium *l.* 29. *c.* 6. *Nullum animal minùs docile exiſtimatur, minoriſve intellectus: eô mirabilius eſt Olympicô ſacrô certamine, nubes earum immolatô tauro Deo, quam* Myioden *vocant, extra territorium id abire:* quibuſdam idem videtur cum Jove ἀπομυίῳ, quem cultum apud Eleos tradit Pauſan. *cit. loc.* ut in ſacris hiſce muſcas abigeret. Sed nihil, inquit Salmaſ. tàm contrariæ ſignificationis, quàm μυιώδης & ἀπόμυιος. μυιώδης enim propriè *locus* eſt, quem muſcarum infeſtat multitudo; ἀπόμυιος verò *muſcarum abigens*, quaſi ἀπελαύνων τὰς μυίας. Itaque legendum in Plinio putat, *quem Apomyon Dia vocant*, h. e. Ἀπόμυιον Δία, aut etiam Μυιῶν Δία, i. e. *Jovem muſcarum*, aut *muſcarium.* Quippe & muſcis ipſis Olympiæ ante omnia ſacrificari ſolitum, ut inde abirent & in poſterum moleſtæ non eſſent, ſcribit *Antiphanes Comicus* apud Athenæum his verſibus, quos idem in numeros ſuos ita reſtituit, *ad Solin. d. l.*

——— Οὗτοι δὲ τῶν ἐν τῇ πόλει
Τὰ δεῖπν᾽ ἀφορῶσι, καὶ πέτονται δεξιῶς
Ἐπὶ ταῦτ᾽ ἄκλητοι, οἷσιν ἐκ κοινῶν ἔδει
Πορεῖν τροφὴν τὸν δῆμον, ἀεὶ θ᾽ ὥσπερεὶ
Ὀλυμπίασι φασὶ ταῖς μυίαις ποιεῖν,
Βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προτοκόπτειν πανταχοῦ.

Idem in templo Actii Apollinis factum, ex Heraclide tradit Clemens *Alexandr.* Ἡρακλείδης φησὶν, ἔνθα τὸ Ἄκτιόν ἐστιν ἀκρωτήριον, καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου τὸ ἱερὸν, ταῖς μυίαις προθύεσθαι βοῦν. Vide quoque Ælian. *l.* 11. *c.* 8.

MYLA ſeu MYLAS, fluv. parvus Siciliæ, in ora Orientali in valle Neetina. Nunc *Marcellino*, & in mare Ionium ſe exonerat, 5. milliar. ab Auguſta in Meridiem. *Plut.* Liv. *l.* 42. *c.* 54. *Thucyd. Baudrand.*

MYLACES, gens Epirotica: *Lycophron:*

MYLÆ, inſulæ circa Cretam ſunt Plinio, *l.* 4. *c.* 12. *Cambruſæ Nigro, Pineto* verò *Gnioſa*, & *Liſto.* Item Siciliæ urbs, *Plin.* & *Thucyd. Malazon*, vel *Milazzo Fazello*, & *Aretio* hodiè appellatur: à Zanclæis condita. Satis munita, in peninſul. in valle Demonæ, in ora Boreali contra Æolias Inſulas, 30. milliar. à Peloro promontor. in Occaſum Panormum verſus, 17. à Tyndario in Ortum, 55. à Catana in Boream. Hîc Solis boves ſtabulatos fabulantur: quòd quædam, ut fimum malè olentia, efferantur in littus, Plin. *l.* 2. *c.* 98. Sunt etiam *Mylæ* Theſſaliæ, incola *Mylæus. Steph. Myle* Silio dicitur *l.* 14. *v.* 203.

Subſidium infidum fugientibus æquora Myle,

Vide Senec. *Nat. Qu. l.* 4. Item *Myle*, Siciliæ fluv. Vide *Cluverium.*

MYLANTIA, promontorium in Camiro Rhodi. Hinc Dii *Mylantii.* Fuit autem illic Mylas quidam, qui molæ uſum primus reperit. *Steph.*

MYLASA, urbs Cariæ, à *Mylaſo* Chryſaoris filio; hinc *Mylaſæus. Steph.* Item liberum Cariæ oppidum, à *Mylaſo* Æoli abnepote. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Ferrario Mylaſa*, vulgò *Meſſi*, urbs eſt Cariæ, ad oram, à Mileto 30. mill. paſſ. in Auſtrum Bargyliam versùs: vel *Melaxo* ſeu *Melaſſo*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano. Sponio hodie *Melaſſo*, etiamnum inſignis eſt columnâ egregiâ, quam incolæ olim in honorem Menandri, nepotis Euthydemi erexerant. Ejus inſcriptio hæc eſt,

Ο ΔΗΜΟΣ ΜΕΝΑΝ
ΔΡΟΝ ΟΥΛΙΑΔΟΥ
ΤΟΥ ΕΥΘΥΔΗΜΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΤΗΣ
ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ
ΕΞ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ
ΓΕΓΟΝΟΤΑ.

Erat is Euthydemus, Orator celebris, & unus ex primariis urbis hujus civibus, qui circa Julii Cæſaris tempora floruit. Vide Strabonem *l.* 14. Sed 60. ſtadiis ab urbe hodieque viſitur Templum Jovis adhuc integrum, cujus iconem, ut & columnæ præfatæ, habes apud Auctorem laudatum *Itinerar. Part. I. p.* 362. *& ſeqq.* Mentio hujus Templi, in nummo eſt Hadriani, cui caput Jovis inſcul-

inſculptum cum Inſcr. ΜΥΛΑΣΕΩΝ, apud eundem *Part.* 3. *p.* 194.

MYLES, fil. Lelegis, antiquiſſimi Laconiæ Regis, frater Polycaonis, qui Andaniæ regnavit, filium & ſucceſſorem habuit Eurotam, cujus gener Lacedæmon Spartam condidit. Vide *Eurotas.*

MYLIAS, urbs Pamphyliæ, inter fluv. Eurymedontem ad Ortum & Ceſtrum ad Occaſum, 40. mill. paſſ. ab ora maris Pamphylii in Boream, 60. à Termeſſo in Ortum, ac inter Pergas in Circium & Aſpendum in Eurum.

MYLIAS, magnæ Phrygiæ pars, ſed Lyciæ attributa Arriano in *Ind.* Item *Ptolemæo.* Vide *Milyas.*

MYLISIN, gens Phrygiæ. *Steph.*

MYLITES Lapis, vide ſuprà in voce *Molaris Lapis.*

MYLITTA, Venus dicta eſt apud Aſſyrios, ad cujus templum mulieres indigenæ ſemel in vita cum externis hominibus conſuetudinem habere lege cogebantur: hoſpitem verò illum, qui pecuniam in ſinum mulieris injiciebat, dicere oportebat, *Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro.* Herodot. *l.* 1. Subdit *Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι.* Ritum iſtum Aſſyriorum, ſive Babyloniorum etiam Strabo commemorat *l.* 16. Eſt verò *Μύλιττα*, ut arbitratur Voſſ. à מולדת *Moledeth*, hoc eſt, *nativitas, progenies, genitura.* Gen. *c.* 48. *v.* 6. Ezech. *c.* 16. *v.* 3. Bocharto eadem cum Lucina & Ilithyia, ab Hebr. מלט, quod eſt *liberare*, uti multis probat Johannes Seldenus *de Diis Syris*, laudatus Bocharto *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 30. & *poſter. l.* 3. *c.* 15.

MYLOIS, Arcadiæ fluv. *Heſychio.*

MYLON, urbs Ægypti. Civis *Mylopolites, Steph.* & *Mylopoliten* nomus. Item poëta Comicus apud *Heſychium.*

MYNDONES, populi Libyæ. *Steph.*

MYNDUS, urbs Cariæ maritima, inter Bargyliam & Halicarnaſſum, *Mentoſe Leunclavio.* Plin. *l.* 5. *c.* 29. hôc tempore primaria regionis & ſedes præfecti: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano. Fuit in eadem Caria & alterum ejuſdem nominis oppidum, quod poſtea ad recentioris differentiam *Palæmyndum* appellavêre. *Sancto Pietro* hodie dici, ſcribit in ſuo Livio *Nardus.* Diogenes apud Laërtium *l.* 6. *c.* 57. *Εἰς Μύνδον ἐλθὼν καὶ θεασάμενος μεγάλας τὰς πύλας, μικρὰν δὲ τὴν πόλιν, Ἄνδρες Μύνδιοι, ἔφη κλείσατε τὰς πύλας μὴ ἡ πόλις ὑμῶν ἐξέλθῃ.* *Nic. Lloydius.*

MYNES, *etis*, Lyrneſſi princeps, maritus Briſeidis, quem Achilles captâ urbe occidit, uxoremque ejus abduxit, quæ poſteà, ab Agamemnone, ei erepta implacabilis inter eos odii cauſa extitit. Homer. *Il.* 2.

MYNIAS, fuit quiſpiam ſuâ ætate mortalium ditiſſimus, qui primus theſaurum recondendis pecuniis ſtruxiſſe fertur.

MYNSINGERUS Joachimus, Stutgardiæ cum dente, quod omine non caruit, natus A. C. 1514. fil. Joſephi Cancellarii Caroli V. in Ducatu Wirtembergico, nepos Johannis Friderico III. Imperatori à Conſiliis, in Academia Friburgenſi Zaſio defuncto A. C. 1535. in Cathedra Juridica ſucceſſit; Aſſeſſor dein Cameræ Imperialis factus A. C. 1548. Principibus Viris mirè gratus fuit. Poſt quæ ab Henrico Juniore Brunſuic. Duce ad Cancellarii munus vocatus, A. C. 1556. & Camerarius hereditarius Brunſuicenſis à Julio Duce factus, A. C. 1568. Helmſtadii in otio vivere cœpit, A. C. 1573. Academiæ ibi loci erigendæ Principi ſuo ſuaſor, quæ proin erecta eſt, biennio pòſt. Obiit in arce ſua Alſebiana, A. C. 1588. ætat. 7[illegible]. Edidit, *Poëmata, Commentarios in Inſtitutiones & Decretales, Centurias Obſervation. Cameralium, Decades Conſilior. Ordinationem Dicaſterii Brunſuic.* &c. Melch. Adami *Vitis JCtorum.*

MYOMANTIA, vide *Mures.*

MYON, urbs Locrorum in Epiro. *Steph. Myonia* Pauſan. *l.* 10. oppid. Phocidis, juxta fines Locrorum.

MYONIA, urbs Phocidis. Pauſan. *l.* 6.

MYONNESOS, oppid. Ioniæ, in peninſula inter Teum & Lebedum. *Steph.* Sed *Thucyd.* eſt Inſul. Tejorum, quod melius, Ferrar. Item inſula Theſſaliæ ante Lariſſam, teſte *Strabone.*

MYOS-HORMOS, urbs Ægyptiorum cum portu ad ſinum Arabicum, inter Arſinoen, & Berenicen. *Coſir* eo loco ponit *Ramuſius.* Vide Stuckium *ad Arrianum p.* 21.

MYRA, urbs Lyciæ mediterranea, numerô plurali, *Strumita* teſte *Stunicâ*, apud Limyrum fluv. & Limyram urbem in colle, 20. à littore ſtadiis, Metropolis olim ampliſſima, ſub qua 36. urbes Epiſcopal.

MYRÆUM, *Ptol. Micila, Marmolio* urbs Africæ mediterraneæ à Cirta 30. mill. paſſ. in Auſtrum *Μυρεον MS. Seldeni.*

MYRCENUS, oppid. Thraciæ, ſeu Macedoniæ in confinio, ad Strymonem fluv. circa Philippos. *Myrcinus Steph.*

MYRENÆORUM civitas Phrygiæ ſalutaris, meminit *Synodus VI. Conſtantinopol.*

MYREPSUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

MYRGETÆ, populi Scythiæ. *Steph.*

MYRIANDRUS, civitas Syriæ juxta Phœniciam, *Steph.* unde ſinus *Myriandricus.* Sita eſt, in ora ſinus Iſſici, ad Amani radices in Ciliciæ confinio inter Alexandriam & Rhoſium, 270. ſtadiis à portu Ciliciæ.

MYRICA, Macedoniæ civitas eadem quæ *Amphipolis, Steph. Et alibi, Μυρίκη*, inquit, *inſula eſt in rubro mari.*

MYRICA, apud Virg. *Ecl.* 4. *v.* 2.

> *Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricæ.*

Fruticis genus eſt, de quo Plin. *l.* 13. *c.* 21. *Myricem & Italia, quam alii tamaricen vocant, Achaja autem bryan* &c. Conveniens coronamentum illorum olim, qui inſigniter eſſent improbi. Hinc in Legibus Charondæ alterô locô hæc fuit, ut, qui calumniæ, dolique mali crimine convicti eſſent, per urbem circumvectarentur, coronati *myricâ*, apud Diodor. Sic. *l.* 12. ut omnibus ſcil. innoteſcerent, tanquam ſingulari improbitate inſignes. Et Strabo tradit, Sacerdotes Perſarum, quoties illas diuturnas diras alicui imprecabantur, tenere ſolitos faſciculum virgarum myricinarum tenuium, *l.* 15. Nempe & *ἄκαρπος* hæc planta, & infauſti ſemper ominis habita eſt. Hinc cum in funere Achillis propoſitum fuiſſet certamen curſus, Teucer, qui inibi erat, ut metam attingeret, *myricâ* implicitus lapſuſque, victoriam Ajaci tradidit. Q. Calaber *l.* 4.

> ——— *Τὸν γάρ ῥα Θεὸς βάλεν, ἠέ τις ἄτη*
> *Ὄζῳ ἐς ἀργαλέον βαθυρρίζοιο μυρίκης,*
> *Τῇ δ' ἄρ' ἐμπλεχθεὶς χαμάδις πέσε* ———
>
> ——— *Hunc Deus aut ſors noxia impegit*
> *In triſtem ramum altâ radice hærentis myricæ:*
> *Hâc enim implicitus humi cecidit.*

Vates tamen per myricam vaticinatos eſſe, lege ipſis ab Apolline præſcriptâ, docet Scholiaſtes *in Theriac. Nicandri.* Unde inſigne dumetum myricinum *μάντιν*, i. e. *vatem*, dixêre. Atque adeo Magi & Scythæ, tum in Europa complures, lignum myricinum tenentes, futura prædicebant. In Lesbo quoque Apollo ramos *myricæ* geſtavit, unde *Μυρικαῖος* is, h. e. *Myricinus*, appellatus eſt. Denique & Ægyptios, in pompa Jovis, ut & Magos, apud Medos, myricâ fuiſſe coronatos, legimus &c. Vid. Car. Paſchalium *Coronar. l.* 7. *c.* 6. uti de formicis Indicis *myricarum* ramos in Bengala, *laccâ* circumdantibus, quæ proin puriſſima limpidiſſimaque, ſuprà voce *lacca.*

MYRICE, Milichi mater, Sil. *l.* 3. *v.* 103.

> *Laſcivô genitus Satyrô, nymphaque Myrice*
> *Milichus indigenis late regnarat in oris.*

MYRICUS, urbs Trojæ è regione Tenedi & Lesbi, civis *Myricuſius. Steph.*

MYRII, Græcè *Μύριοι*, Conventus olim Arcadum dicebatur. Unde verba C. Nepotis de Epaminonda *c.* 5. *Cùm in conventum veniſſet Arcadum*, *εἰς τοὺς Μυρίους*, exponunt Eruditi. Ita nempe Harpocration, *Μύριοι ἐν μεγάλῃ πόλει. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου. συνέδριόν ἐστι κοινὸν Ἀρκάδων ἁπάντων· οὗ πολλάκις μνημονεύουσιν οἱ Ἱστορικοί.* Vide Xenophontem *de Rebus Græc. l.* 6. inprimis autem Plut. *in Apophthegm.*

MYRINA, quæ & *Sebaſtopolis* Plin. *l.* 4. *c.* 12. urbs Æolidis maritima, *Marhani*, teſte *Leunclavio.* Sic à Myrino conditore dicta. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Epheſino, inter Elæam & Cumam 60. ſtad. à Lariſſa 70. *Gircona Moletio.* Fuit præterea *Homero* urbs in Ætolia, & alia in Lemno, *Steph. Lemno* vulgò, *Bellonio.* Sita in colle mari imminente: Forum habet, in quo Solſtitio montis Athos ſpargitur umbra, 87. milliar. diſtantiâ, licet Sol nondum Occaſui ſit vicinus. Olim Archiepiſcopalis & celeberrima, nunc parum celebris & à paucis habitata. *Metel.* Item regina Amazonum, quæ 30. millia peditum, & 2. millia equitum in exercitu habuiſſe dicitur. Dion. Halicarn. *l.* 4.

MYRINES ſeu MYRRHINES, Græcè *Μυῤῥίνης οἶνος*, vinum Græcis dictum eſt, temperatum unguentô, vel cui ſuperinfundebatur unguentum, *ὁ μύρῳ κεκραμένος*, idem cum *murrhina* Latinorum. Nam inter dulcia *murrinam* numerant priſci Comici Latini. Plautus *in Pſeudolo, Act.* 2. *ſc.* 4.

> *Quòd ſi opus ſiet, ni dulce promat indidem, ecquid habet?*
> Ch. *rogas.*
> *Murrhinam pàſſum defrutum melinam mel cujuſmodi.*

Quibus verſibus citatis Plin. *l.* 14. *c.* 13. ſubjicit, *quibus apparet, non inter vina modò murrhinam, ſed inter dulcia quoque nominatum.* Ubi contra ſeipſum facit, ut qui *murrâ* conditum vinum interpretatur. Atqui notus eſt amaror myrrhæ, quæ proin delicioſis & dulcibus potionibus nunquam admixta eſt. Quòd enim mentio extat apud *Dioſcoridem* vini murrâ conditi, cum pipere, iride & anetho, medicamentum id potius, quàm vinum eſt. Nec muſtum ſic condiebatur, ſed vinum. At in aromatiten vel *μυῤῥίνην* nihil myrrhæ addebatur, & muſtum, non vinum, ita ſolebant condire. Unde ſemper dulce manebat, ſpeciebus aromaticis ei dulcedinem ſervantibus; atque hæc eſt *Murrina*, qui Comicis Græcis *μυῤῥίνης* abſolutè, vel *μυῤῥίνης οἶνος* dictus, *ἀπὸ τοῦ μύρου*, ut *μυῤῥὶς* herba & *μυῤῥίνης λίθος.* Aliud erat vinum *murratum* ſeu *ἐσμυρνισμένον*, quod ex more Judæorum ducendis ad ſupplicium vel in loco ſuplicii jam conſiſtentibus propinabatur, uti in Euangelio legimus, de quo vide Caſaubon. *Exercit.* 16. *ad Annales Baronii. n.* 30. Plura hanc in rem verò apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 711. & ſuprà in vocibus *Murina* & *Murratum Vinum.*

MYRINUS, Apollinis cognomentum, à *Myrina* Æolidis urbe, in qua religioſiſſimè colebatur. Item viri nomen, Martial. *l.* 12. *Epigr.* 29.

> *Nuper cùm Myrino peteretur miſſio læſo.*

Erat autem gladiator. Idem *l. Spectac. Epigr.* 20.

> *Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum.*

MYRIOE, in urbe Arcadiæ, quæ dicitur *Megalopolis.* utitur Demoſthenes *in oratione contra Æſchinem, de falsâ legatione*; concilium ſeu conventus eſt communis Arcadum, *Harpocratio.*

MYRIOPHYTOS, *Libro Concil. Miriofidi*, urbs Thraciæ in ora Propontidis, inter Callipolim ad Meridiem 32. & Rhædeſtum in Boream 35. mill. paſſ. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Heracleenſi.

MYRIS, nomen lacus in Ægypto, inter prodigioſa Regis cognominis opera deſcribitur prolixè Herodoto *l.* 2. *c.* 149. Diodoro Sic *l.* 1. & Straboni *l.* 17. Græcè *ἡ Μοίριος καλεομένη λίμνη*, *Stagnum Mœris*, fuit autem foſſa è Nilo in ſtagnum ducta: in qua Crocodilus, divinis honoribus excultus creditus eſt mira patrâſſe, non minus ac Leo, apud Leontopolitas &c. Diodor. Sic. *Ibid.* vide *Mœris*,

MY[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

MYRISTICA Nux, vide ſupra *Moſcata*, item *Muſcellinum*, & infra *Myrobalanus*.

MYRLEA, oppid. Bithyniæ, Plin. *l.* 5. *c.* 32. inter Daſcylium & oſtia Rhyndaci, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cyziceno, hodieque *Myrlea*, à *Myrlo* Colophoniorum duce, vel à *Myrlea* Amazone. Nicomedes autem Epiphanes Pruſiæ regis fil. de matris nomine Apames, *Apameam* vocari voluit. *Steph.*

MYRLUS, Colophoniorum Dux.

MYRMECIDES, nomen viri proprium, de quo Cicero *in Academicis l.* 4. *c.* 38. *Ut etiam inter deos Myrmecides minutorum opuſculorum fabricator fuiſſe videatur.* Vide Ælian. *Var. Hiſt. l.* 1. *c.* 17.

MYRMECIUM, oppidulum Tauricæ. *Steph.* & promontor. apud Panticapæum urbem ad Boſporum Cimmerium. *Ptol.* Plin. *l.* 4. *c.* 12.

MYRMECOLEON, Græcè Μυρμηκολέων, quaſi *Formicaleo*, apud Jobum *c.* 4. *v.* 11. juxta LXX. Interp. Μυρμηκολέων ὤλετο παρὰ τὸ μὴ ἔχειν βορὰν, *Myrmecoleo periit, eo quòd non haberet eſcam:* Gregorio *in Jobum*, animalculum eſt formicis inſidioſum, quaſi leo formicarius; Euſtathio *in Hexaëm.* eſt animalculum, priora leonis, poſteriora formicæ ſpecie, habens: Eulogio Alexandrino *in Novatianos l.* 4. non verum eſt animal, ſed Diabolus hâc voce ἀλληγορηθεὶς &c. *Bocharto*, leonis ſpecies. Sic enim habet in Vulgata verſus proximè præcedens: *Rugitus leonis & vox leænæ & dentes catulorum leonum contriti ſunt.* Et Græci in hoc ipſo loco, poſt verba laudata, σκυμνοὶ δὲ λεόντων ἔλιπον ἀλλήλους, *ſed catuli leonum defecerunt ad invicem.* Et verò pro *Myrmecoleonte*, Hebraicè legitur ליש, unum è Leonis nominibus, quod ab Aquila redditur Λίς, iiſdem prope literis. Quæ rationes Mercero hanc confeſſionem extorſerunt, *Ego myrmecoleontem potiùs genus quoddam leonis eſſe putaverim.* Certè inſignis id confirmat locus Agatharchidis *c.* 34. περὶ μυρμηκολεόντων, qui annexus eſt capiti de Leonibus Arabicis, ubi ſic habetur: Τῶν δὲ καλουμένων μυρμηκολεόντων, οἱ μὲν πλεῖστοι κατὰ τὴν ἰδέαν τῶν λοιπῶν οὐδὲν παραλλάττουσι, τὴν δὲ τῶν αἰδοίων φύσιν ἀπεστραμμένην ἔχουσιν, ἐναντίαν τοῖς ἄλλοις, *Eorum autem leonum, qui vocantur* myrmecoleontes, *plerique à reliquis ſpecie nihil differunt; Genitalia tantùm habent averſa, contrà quàm alii.* Μύρμηκας i. e. *formicas*, ſimpliciter vocat Strabo *l.* 16. ubi eos colore aureô & minus villoſos, quàm Arabicos, in Arabia Troglodytica magnô numerô reperiri ait. Et Ælian. *l.* 17. *c.* 42. Ἐν τῇ βαβυλωνίᾳ γῇ γίνονται μύρμηκες καὶ ἔχουσι τὸ παιδοποιὸν σῶμα εἰς τοὔπισω μετεστραμμένον, ἀντίως τοῖς ἄλλοις, καὶ ἔμπαλιν, *In Babylonia terra formicæ naſcuntur, quarum genitale membrum retro averſum eſt, contrariô quàm in aliis modô.* Cum quibus Arabicis & Babylonicis formicis hiſce, quæ leonum ſunt ſpecies, commune nihil habent formicæ illæ majores, quæ aurum in India eruunt & cuſtodiunt, ſi Herodoto *l.* 3. credimus & Nearcho, Daimacho, ac Megaſtheni, quibus vel hôc nomine fidem derogandam cenſet Strabo *l.* 2. & 15. Solinus tamen *c.* 30. τὰ ἀσύγκλωστα κλώθων, ex utroque animali novum procudit monſtrum dicens, in Æthiopia formicas eſſe, *ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruentes quos leoninos habent.* Atqui formicas χρυσωρύχους neque in Æthiopia fuiſſe, neque leonum pedes habuiſſe quiſquam ſcripſerat, ſed formicarum potiùs ad effodiendam terram. Proin dubium non eſt, quin utrumque hoc ſumſerit Scriptor parùm accuratus ex hiſtoria *myrmecoleontis*, ac ſi hic idem eſſet cum formica Indica χρυσωρύχῳ. Cui ſimili errore Heliodorus *Hiſtor. Æthiop. l.* 10. Troglodytas Regi Æthiopum offerre fingit, χρυσὸν τῶν μυρμηκίαν, *aurum formicinum*; quaſi *myrmeces* Troglodytici inter leonum ſpecies, iidem eſſent cum Indicis formicis, qui aurum effodiunt. Vide S. Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 6. *c.* 4. ubi de nominis etymo triplicem hanc conjecturam affert. Vel enim, inquit, ſic dicti ſunt hi leones, à *Marmacibus*, Æthiopiæ populis, vel à formicarum, quô delectantur, eſu, vel ab Arabico *hirmas* vel *hirmis*, quâ voce indigitant validum leonem in homines inſilientem. At animal Indicum canis magnitudine, cur μύρμηξ diceretur, cauſa non fuit vocis ſimilitudo, ſed rei. Namque in India verè dicitur eſſe animal ſtaturâ canis & formicæ ſpecie, ut Thuanus inter alios docet *l.* 24. *A. C.* 1559. ubi inter munera, à Thamo Perſarum Rege Solimanno Turcarum Imperatori per Oratorem ſuum oblata, formicam Indicam canis mediocris magnitudine, animal mordax & ſævum, fuiſſe dicit. Quod Busbequius confirmat *Ep.* 4. de eadem legatione agens: licèt ambo ex fama ſolùm, ut idem Bochart. addit, *Ibid.*

MYRMEX, Philoſophus Dialecticus, ex oppido Heneto Paphlagoniæ, apud *Steph.* ex Diogene Laërtio *Hiſtor. Philoſ. l.* 2. *c.* 13. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 889.

MYRMEX, Epimethei uxor, filium habuit Ephyrum, unde Corinthus olim Ephyre dicebatur.

MYRMEX, Inſul. parva Cyrenaicæ, ante Arſinoën urbem.

MYRMIDONES, Theſſaliæ populi, qui Achillem ad bellum Trojanum ſecuti ſunt. Sic apud Poëtas dicti, (ac teſte Pliniô *l.* 4. *c.* 7. ſic in univerſum Græci nominantur; unde Philoſtratus *in Heroicis* ait, Μυρμιδόνας ὀνομασθῆναι πάντας Θετταλούς) à formicis, quas ad Æaci preces in homines (illis peſtilentiâ ſublatis) converſas fabulantur. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 7.

Myrmidonum Dolopumve, &c. Vide *Æacus.*

MYRMILLO, nomen gladiatoris, *Murmille* aut *Murmilio* ſemper in ſcriptis Plinii; atque apud Feſti Abbreviatorem, in antiquiſſimo exemplari MS. ubi *murmulionica ſcuta*, & alibi, *Retiario adversùs Murmulionem pugnanti*, & *Murmulionicum armaturæ genus Gallicum eſt:* quod de propinquo vocis iſtius originem oſtendit. Nam Μορμυρίωνες Græcis dicti videntur hi Gladiatores, quòd μόρμυρον piſcem in galeis effictum geſtarent. Hinc Retiarius, qui adversùs Murmilionem pugnabat; cantare ſolitus erat: *Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle?* *Murmillones* enim, ut notat Feſtus, antea *Galli* vocabantur, quòd genere armaturæ Gallicâ uterentur: Quemadmodum *Samnites* gladiatores ab eadem cauſa dicti, quòd Samnitum ornatu erant armati. Cujus autem piſcis effigiem in galeis *Myrmillones* haberent, ab antiquis non eſt proditum: Sed ex notione nominis planè colligitur, μόρμυρον fuiſſe. Hinc namque Μορμυρίων, *murmilio*, ut ex λείριον, *lilium*, facili unius liquidæ in alteram lapſu. Ovid. *in Halieut. v.* 110.

---- pictæ mormyres & auri
Chryſophrüs imitata decus ----

atque inde fortaſſe cum retiariis compoſiti, quaſi qui piſcem quô ornata erat galea *Myrmilionum* captarent, dum eos rete ſtudebant impedire. Salmaſ. *ad Solin. p.* 43.

MYRMISSUS, urbs juxta Lampſacum. *Steph.*

MYRO, mater Homeri tragici, elegias condidit, *Suidas.*

MYROBALANUS, Martiali *in Apophoretis l.* 14. *Epigr.* 57. nec inter fructus edules eidem relata in *Xeniis*, ubi locum habere debuiſſet cum Caryotis, Cottanis & Damaſcenis, ſiquidem eô nomine tum intellexiſſent, quod nobis hodie in uſu eſt. Veteres de glande unguentaria tantùm vocem uſurpârunt, quæ aliàs *balanos myrepſica, ut nux muſcata*, Græcis μυρεψικὸν κάρυον; cujuſque tantùm cortices Unguentarii, Medici verò nucleos uſurpavêre. Factum autem inde βαλάνινον Veterum & μοσχέλαιον recentiorum, quo de diximus aliquid ſuprà, ubi de Unguento *Muſcellino.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1319. *& ſeqq.*

MYROBATHRARII, in *Aulul.* Plauti *Sc.* 3. *Actu.* 5. erant, qui calceamenta muliebria, ut bene olerent, unguentis perfundebant, Radero *Not. ad Curtium l.* 8. *c.* 9. quod non placet Ferrario, ut vidimus voce *Myrobrecharii*, vide & mox dicenda, uti & ubi de ritu *Ungendi* pedes.

MYROBLYTA, cognomen Dominici, Martyris & Sancti Græcorum, è cujus ſepulchro liquor ſcaturire dicebatur in morbos quoſcunque validus: à μύρον, *unguentum*, & βλύζω, *ſcaturio.* Dominic. Macer *in Hierolex.*

MYROBRECHARII, pro MURROBATHRARII, apud Plautum *in Aulul. act.* 3. *ſc.* 5. legit Octav. Ferrarius, vultque hâc voce indigitari eos, qui unguentô perfundunt & madefaciunt, i. e. ſimpliciter unguentarios: *de re Veſtiar. l.* 3. *c.* 21. ubi Turnebum refellit, qui illos *Myrobathrarios* interpretatur, calceamenta muliebria unguentis ac gratis odoribus & ſuffimentis imbuentes.

MYROBRECTARII, vide ſuprà, in voce *Murobrectarii*, ut & *Myrobrecharii.*

MYRON, Sicyonis tyrannus, ſed mitis; ſucceſſor, & ut videtur, fil. Orthagoræ. Ejus meminit Ariſtot. *l.* 5. *Pol. c.* 11. & 12.

MYRON Prienenſis, Meſſeniaca condidit. Athen. *l.* 6. & 16. & Pauſan. *in Meſſenicis.*

MYRON, ſtatuarius inſignis, Olymp. 84. Ageladis diſcipulus, qui cùm multis aliis operibus, tum præcipuè buculâ, ex ære, veræ vaccæ ſimillimâ, claruit Poëtarum verſibus: Propert. *l.* 2. *Eleg.* 31. *v.* 7.

Atque aram circum ſteterant armenta Myronis
Quatuor artificis vivida ſigna boves.

Ovid. *l.* 3. *de Arte amandi*, *v.* 219.

Quæ nunc nomen habent operoſi ſigna Myronis,
Pondus iners quondam duraque maſſa fuit.

Idem *Ponticorum l.* 4. *Ep.* 1. *v.* 34.

Ut ſimilis veræ vacca Myronis opus.

Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 102.

Et cum Parrhaſii tabulis, ſigniſque Myronis.

Stat. *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 50. *In Tiburtino Manlii.*

Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta coloſſos.

Idem *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 25.

Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra. ———

Petronius, *Myron qui penè hominum animas, ferarumque ære comprehenderat, non invenit hæredem.* Vide Plin. *l.* 34. *c.* 8. Legendus etiam *l.* 4. *Antholog. Tit.* Ἐις ἀγάλματα ζώων, quæ epigrammata Latinè fecit Auſonius, *Epigr.* 57. 58. &c. Item Rex Suevorum in Hiſpan. Vide *Ariamirus.*

MYRON, urbs Lyciæ. Vide *Myra.*

MYRONIANUS, Hiſtoricus, *hiſtoriarum ſimilium capita reliquit*, teſte Diog. Laërtio *in Xenocrate, Theophraſto, Epimenide & Platone.*

MYRONIDES, Athenienſium dux, inſigni ſtrategemate Thebanos vicit, vide Polyæn. *l.* 1. *c.* 35. & Frontinum *l.* 2. *c.* 4. *ſect.* 11.

MYRONOS, inſula in Arabico ſinu. *Steph.*

MYROPHORÆ, Græcè Μυροφόροι, i. e. *Unguentorum latrices*, dictæ ſunt tres mulieres, quæ ad Dominicum ſepulchrum, unguenta ferentes adveniebant, ut Servatoris corpus inungerent. Ab his Græci Dominicam tertiam poſt Paſcha, *Dominicam Sanctarum* Μυροφόρων appellant. Sic enim in *Typico* S. Sabæ legitur. Macer *in Hierolexico.*

MYRRHA, Græcè σμύρνη, aroma, inter munera DOMINO noſtro à Magis oblata, memoratur Matthæi *c.* 2. *v.* 11. Καὶ ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν, προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα, χρυσὸν καὶ λίβανον καὶ σμύρναν. *Et cùm aperuiſſent theſauros ſuos, obtulerunt ei dona, aurum, & thus & myrrham.* Pro more videl. Orientalium, qui non ſolebant comparere ſine munere coram ſuis Regibus illiſque, quibus honorem vel debebant, vel habebant. Et quidem *myrrham* Chriſto, ut homini morituro & reſuſcitando; ſicut aurum, ut Regi, thus, ut Deo; oblatam fuiſſe, Poëtarum Chriſtianorum Prudentii, Juvenci, Sedulii mens fuit. Alii, uti aurum, pellendæ paupertati; thus, fœtori loci; ſic *myrrham*, conſolidandis teneris infantis membris oblata contendunt. Quæ ſuo loco relinquimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mus. Hoc certum *Myrrham*, corpora à putredine conſervare; unde Joannis *c.* 19. *v.* 39. myrrham adfert Nicodemus, ad condiendum Domini corpus. Sed & per *Myrrham* amaritudines ingentes fuiſſe deſignatas dicere poſſumus, quibus Chriſtus in ſtatu Exinanitionis ſuæ obnoxius fuit; quum *myrrha* inſigniter amara ſit; unde non ſine cauſa milites dicuntur exhibuiſſe Chriſto οἶνον ἐσμυρνισμένον, *vinum myrrhatum*, Marci *c.* 15. *v.* 23. Imò & allegoria hinc duci poſſet, ad inſignem Chriſti ſuaveolentiam & fragrantiam: *Myrrha* enim, *Lemnió* teſte, *mirè odorata*, etſi inſigniter amara ſit. Hinc *madentes myrrhâ crines*, apud Virgilium *Æn. l.* 12. *v.* 100. Illaque proin non tantùm adhibita ad thymiama ſacrum, Exodi *c.* 30. *v.* 23. ſed etiam puellæ, copulandæ Ahasvero, ſex ante menſibus ſe oleô myrrhinô inunxiſſe leguntur, Eſther. *c.* 2. *v.* 12. Sic myrrhâ Sponſi veſtimenta inuncta dicuntur, Pſalmo 45. *v.* 9. ob odorem ejus fragrantiſſimum, qui ab illo ad omnes ſe diffundit, qui illius ſunt. Eôdem ſenſu *myrrhæ* mentio, in Cantic. *c.* 1. *v.* 13. *Amicus meus mihi, ut faſciculus myrrhinus, inter ubera mea pernoctans.* Et *c.* 3. *v.* 6. *Quænam eſt illa, ----ſuffumigata* myrrhâ *& thure?* &c. Vide Frid. Spanhemium *Dub. Euangelic. de Muneribus Magorum.* Erat autem odoratior *Myrrha*, quæ aridior, cujus pretium ait Plin. fuiſſe quatuordecim denarios. Duplex ſcil. myrrha fuit, alia ϛακτὴ ſeu χριϛὴ, i. e. *liquida*, alia θυμιατὴ, *odoraria*, quæ dura & arida. Et quidem ex *myrrha*, quæ lachrymam arboris propriè indigitat, collecta & contuſa pars liquidior, quæ exprimebatur arte, ϛακτὴ vocata eſt, quæ & unguentum per ſe faciebat, ἔλαιον hinc & μύρον *Theophraſto*: pars altera, quæ remanſerat, & unde ϛακτὴ expreſſione eliquata fuerat, πλαϛὴ eſt dicta; quòd in offas convolveretur. Id enim πλαϛὴ & ἀνάπλασις ſignificat, uti diſcimus ex Dioſcoride *de Myrrhæ generibus*. Sicque, uti ſtorax & alia gummium odoratorum genera, in maſſa afferebatur, & in pellibus hircinis ac ſaccis: *myrrhæ* nomen peculiariter ſibi apud Græcos vendicans. Quæ cauſa, quòd ſtacten à myrrha diſtinguat *Heſych.* Σταχτὴ, τὸ ἐκ σμύρνης γινόμενον. Et alibi, ἰσοστάσιον μύρον, ἡ ϛάκτη, ἡ σμύρνα. At Latini *myrrham* κατ' ἐξοχὴν vocant ſtacten Græcorum. Virg. *loc. cit.*

——— *Vibrati calidô ferrô, murrâque madentes.*

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 3.

Aut quid Orontéâ crines perfundere myrrhâ?

Varro quoque, *Magiſtratus myrrhâ atque unguentis unguntur* &c. Cæterùm optimam *Myrrham* guſtu probari dicit *Theophraſtus*, ut ſit nimirum leniter amara, utque non ſit varii coloris, ſed πανταχόθεν ὁμόχρους. Ipſa verò arbor humilis admodum, nec ultra quinque cubita aſſurgens, ſimilis ſpinæ Ægyptiæ, contortô caudice, lentiſci ſpeciem habet, circa Saba & Atramota, (ubi ligno ejus in cibis condiendis utuntur) frequens: Qua de vide pluribus agentem Plinium *l.* 12. *c.* 15. & 16. & *Solin. c.* 33. caſtigatos à Salmaſio *Exercitationibus Plinian. p.* 512. *& ſeqq.* uti de herba, cujus radix nidorem τῆς σμύρνης, *myrrhæ*, refert, infrà voce *Smyrnium.*

MYROPOLON, Græciæ urbs, ex adverſo Heracleæ, fortè juxta Thermopylas.

MYRRHA, filia Cynaræ Cypriorum regis, quæ patris ſui nefandô amore flagrans, nutricis auxiliô cum eo concubuit, peperitque Adonim filium: Pater verò cùm illud nefas cognoviſſet, filiam ſuam gladiô interficere voluit: ſed illa fugiens per Arabiam, deorum commiſeratione in arbuſculam ſui nominis commutata eſt, vide *Cynaras*, & *Adonis.*

MYRRHA, Græcè μυῤῥὶς, herba eſt, *ſimillima cicutæ, caule foliisque & flore, minor tantùm & exilior, cibo non inſuavis*, Plin. *l.* 24. *c.* 16. ſic dicta, διὰ τὸ μυρίζειν ἢ εὐωδὲς, ob *ſuavem* ejus *fragrantiam*, quam radice præfert. *Dioſcorides*, ῥίζαν δὲ ἔχει ὑποικακη, ἁπαλὴν, περιφερῆ, εὐώδη. Unde μυρὶς melius ſcribitur. Certè μυρίζουσαν eam voluit dicere Plin. cùm *myrizam* quoque appellatam eſſe ait, *d. l.* Idem cum geranio eam perperam confundit, *l.* 26. *c.* 11. uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 707. Cæterum *myrrham* quoque florem odoratum coronariis adnumerari, ſcribit Paſchalius. Certè coronas hinc fuiſſe nexas, planum fit ex Athenæo *l.* 5. quò auctore Demetrius fil. quotidie magnam hominum multitudinem conviviô exceptam multis rebus donabat; In quibus erant coronæ è thure ac myrrha, cum aureis monilibus hominis longitudine, locô lemniſcorum ac tæniarum. Vide eum *Coronar. l.* 3. *c.* 17. Verùm non de herba aut flore hujus nominis, ſed de *myrrha ſtacte*, ſeu lacryma arboris, de qua ſuprà dictum, locum Athenæi potiùs accipiendum, varia ſuadent. Namque Rex ille, qui ſua potiùs profundebat, quàm donabat, convivis quàm pretioſiſſima quæque donari voluit. Addit è *thure & myrrha*, quæ aromata frequenter etiam in Sacris junguntur. Notum inſuper, convivialibus coronis, eruditiore jam luxuriæ paratu, addi unguenta conſueviſſe, quibus eæ aut irrorarentur aut etiam mergerentur; ut gratiæ florum, quæ aſpectum paſcit, accederet olfactus voluptas. Qui mos unguenta cum coronis miſcendi uſque eò percrebuit, ut vix unquam harum ſine unguentis mentio fiat. Horatius *Carmin. l.* 3. *od.* 14. *v.* 17.

I pete unguentum, puer, & coronas.

Vide eundem *l.* 2. *od.* 7. & *l.* 3. *Od.* 29. Clementem Alexandr. *Pædagog. l.* 2. *c.* 8. Athenæum *l.* 15. Alios, laudatos Paſchalio, ubi ſuprà *l.* 2. *c.* 4. Niſi mavis de *myrrhæ thymiamate* id intellectum, cujus ut & thuris odoribus coronæ illæ perfundi potuêre. Euripides certè æthereum ejus nidorem vocat, *Troad. Actu* 4.

——— σμύρνης αἰθερίας τε καπνόν.

Et fumum ejus uſque ad Phœbum aſcendere, alibi dicit &c. Vide ſuprà.

MYRRHA, ſeu potiùs *Murra*, Græcè μύῤῥα, meliùs μοῤῥα, lapis, unde pocula *murrena* & *murrina*, Græcè μόῤῥινα. Erant enim qui *myrrhina* à *myrrha* aromate deducunt & *de myrrha facta* interpretantur: ita autem Græcis ἀπὸ τῆς σμύρνης, *myrrha*, σμύρνεια aut σμύρνινα dicenda eſſent: atqui μόῤῥας hunc lapidem paſſim vocant, etiam qui diſertiſſimè ſcribunt, atque atticiſſant. Pauſan. *in Arcadicis:* Ἄλλως μὲν γε καὶ κρύσταλλος καὶ μόῤῥα καὶ ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις, ἀλλὰ λιθοποιούμενα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ χρήσιμα. Ubi, uti κρύσταλλος Pauſaniæ, unde *cryſtallina pocula*, ita & μόῤῥα lapis ipſe, unde pocula *murrea* & *murrina*. Latini *murram* appellant, Martial. *l.* 10. *Epigr.* 80. & Stat. *in Coma Earini.* Ita enim ubique legendum, non *myrrha*: Græci, ut dictum, μοῤῥαν & μόῤῥινα: *Arriano* λιθία μοῤῥίνη. Sed nec minore ſunt in errore, qui *murrina* Veter. ex onychiis gemmis factitata fuiſſe, ſibi perſuadent. Ut enim alia omittantur: Si murrina Veter. ex onyche fierent, cur *murrina* vocata ſunt, aut quæ hujus appellationis ratio? Cur dein murrina ab onychinis ubique diſtinguunt. Lamprid. certe *in Heliogabalo, c.* 32. *in murrinis & onychinis minxit.* Vero propius eſt, antiqua murrina eſſe *porcellanea* noſtra, quôcunque modô hodie fiant. Quòd enim ex luto quodam albo & in fornacibus cocto, apud Chinas, porcellanea vaſa hodierna fieri contendunt, nihil prohibet, quin Veter. murrina fuerint. Nam quòd Veter. quidam lapidem eſſe *murram* ſcripſerunt, alii humorem ſub terra denſatum, certè ex eo patet, ignoraſſe illos, quid eſſent aut quomodo fierent hæc pocula. Quemadmodum Sericum omnis antiquitas paſſim habuit & geſtavit; cùm tamen nemo tum noſſet, quomodo id proveniret & quâ fieret arte: donec ſub Juſtiniano demum cognitum eſt, vermes ſericum apud Seres nere, non ex foliis arborum lanuginoſarum depecti, quod hactenus creditum. Meminit quidem *Arrianus* τῆς μυῤῥίνης, quæ in Dioſpoli fiebat: Sed cave putes intelligi, de illa pretioſa murra, quæ ex Carmania & India advehebatur; vitrum murrinum accipiendum, quod in Dioſpoli Ægypti, ad imitationem murrinorum, fiebat. Sic enim is, Καὶ λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη καὶ ἄλλης μυῤῥίνης τῆς γινομένης ἐν Διοσπόλει; ubi dicit *aliud murrinum*, ad diſtinctionem veri. Niſi potiùs legendum, καὶ ὑαλῆς μοῤῥίνης, *& vitri murrini*: cujus *Plin.* meminit, ut & opſidiani, quod etiam imitabatur lapidem Opſidianum in Æthiopia inventum, quem Græci ὀψιανὸν vocabant, quòd nigerrimi eſſet ſplendoris & imagines redderet, ut ὄψις & oculi pupilla &c. De utriſque tam cryſtallinis quàm murrinis, *frigidi potûs* eſſe, dixit Plin. adeoque calidum pati non poſſe, intellexit. Contrà Martialis, de murrinis, calido potui ea convenire, exiſtimavit, ſub lemmate *Murrinorum l.* 14. *Epigr.* 113.

Si calidum potas, ardenti murra Falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

Certè ſi contrariæ cauſæ cryſtallum & *murram* faciunt, frigus & calor, contrariis etiam affectibus cenſeantur oportet. Unde ſi cryſtallus; ideo caloris impatiens, quia ex gelu vehementiore creta ſit, neceſſe eſt, ut murrina, quæ calore denſantur ſub terra, juxta eandem rationem calido potui ferendo potiùs, quàm frigido, apta videantur. Verum nec Veteres ſatis exploratè videntur noviſſe, quâ ratione formarentur murrina, quôve modô fierent: & ſcripſêre nonnulli, cryſtallum non frigore, ſed calore denſari; quod aliis relinquit diſputandum & Plinium cum Martiali conciliandum, Salmaſ. *ad Solin. p.* 203. 204. Vide quoque ſuprà, ubi de *Murra* & *Murrhinis poculis.*

MYRRHINA, filia Pharaonis, quæ Moſen de fluvio ſuſtulit, Exodi *c.* 2. *v.* 5. Auctor *Chronici Alexandr.* qui urbem Hermopolim, Hermopolitæ Nomi caput *Myritum* ab illa appellari refert, & à Moſe conditam ait. Aliis *Meroë* minùs rectè dicitur. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* IX. Vide & *Apachmas*, ita enim Pharaonem huncce vocat.

MYRRHINA, Piſiſtrati uxor, mater Hippiæ & Hipparchi.

MYRRHINA, meretrix Attica, in cujus amoribus Leogoras, Andocidis Rhetoris Pater, cunctas ſuas facultates profudit.

MYRRHINA, urbs Aſiæ, terræ motu everſa, A. C. 105.

MYRRINUS, Atticæ municipium *Straboni*; aut pars tribus Pandionidis: habet nomen, teſte Ariſtophanis Scholiaſte *in Plutum*, à myrti copia ibi naſcentis.

MYRSILUS, fil. Myrſi, ultimus ex Heraclidarum genere, Lydiæ rex, aliô nomine *Candaules*; qui cùm uxorem haberet formoſiſſimam, non contentus ſecretâ ſuarum voluptatum conſcientiâ, Gygi cuidam ex ſuis ſatellitibus nudam eam oſtendit, quod indignè illa ferens, Gygem ad viri necem impulit: ſeſeque illi & Lydorum regnum tradidit. Herodot. *l.* 1. Vide *Candaules.*

MYRSILUS, Lesbius, ſi *Inſcriptioni* fides, de origine Italiæ, ac Tyrrhenorum ſcripſit. Edidit eum Joh. Annius Viterbienſis, & comment. ſuis illuſtravit. Sed *Myrſilus* iſte ipſius Annii proles putatur. De genuino autem *Myrſilo* Lesbio, videndus Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 391.

MYRSINUS, urbs Elidis, poſtea *Myrtuntium. Steph.*

MYRSUS, Candaulis regis pater. Vide *Myrſilus.*

MYRTÆUS, Rex Thebanorum in Ægypto XXIII. qui exponitur Ἀμμωνόδοτος, *ab Hammone datus*, poſt Nitocrim, præfuit ann. 22. circa extrema Jacobi Patriarchæ. Eum excepit Thyoſimares. Marshamus *Canone Chron.*

MYRTALE, nomen gladii, quô à Pauſania Philippus Macedo occiſus eſt; Juſtin. *l.* 9. *c.* 7. de Olympiade Philippi uxore, *Noviſſimè gladium, quô Rex percuſſus eſt, Apollini ſub nomine* Myrtalis *conſecravit: hoc enim nomen antè Olympiadis parvulæ fuit.* Vide quoque infrà *Tychon.*

MYRTEA, cognomen Veneris, quia *myrto* præeſſe credita, cujus uſum in nuptiis fuiſſe, dicemus infra; inde *Murcia* poſtmodum quibuſdam dicta. *Plut.* Καὶ γὰρ ἣν νῦν Μυρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσιν, Μυρτίαν τὸ παλαιὸν, ὡς ἔοικεν ὠνόμαζον, *Etenim quam nunc Murciam Venerem vocant, Myrteam olim, ut videtur, appellabant.* Plin. *l.* 15. *c.* 29. *Quin & ara vetus fuit Veneri* Myrteæ, *quam nunc Murciam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vocant. &c. Alii tamen *Murciam* illam cenſent cognominatam, quaſi *marcoris Deam*, quòd homines *murcos*, i. e. murcidos vel marcidos, h. e. deſides & ignavos redderet. Vide *ſuprà*.

MYRTEA Corona, Larium olim fuit; quos *myrtô* & rore marinò redimiri conſueviſſe, docet Horat. *Carmin. l.* 3. *Od.* 23. *v.* 15.

Parvos coronantem marinô
Rore Deos, humilique myrtô.

Item ſupplicum; de quorum apud Athenienſes more ſic Ariſtophanes *Veſpis.*

Ἀλλ᾽ ὡς τάχιστα πῦρ τις ἐξενεγκάτω,
Καὶ μυῤῥίνας, καὶ τὸν λιβανωτὸν ἔνδοθεν,
Ὅπως ἂν εὐξώμεσθα πρῶτα τοῖς θεοῖς.
Sed quam celerrime ignem aliquis efferat.
Et myrtos, & thus intus.
Ut ſupplicemus primùm Diis.

Magiſtratuum quoque, in eadem urbe: unde μυῤῥινῶν dicebatur ἀρχῆς ἐπιθυμῶν, *candidatus Magiſtratus*, apud Dionyſ. *Halicarn. l.* 2. Pancratiaſtarum porrò in Iſthmicis Ludis, uti diſcimus è Pindaro *Iſthm. Od.* 8. ubi μυρσίνας στέφανον *myrti coronam* Cleandri præmium fuiſſe ait. Atque hinc Virorum triumphalium, apud Romanos, unde Papyrium in monte Albano primùm de Corſis triumphâſſe, & myrtô coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum, ait Plin. *l.* 15. *c.* 29. & de ovantibus res notiſſima. Quas ob cauſas, coronam *Myrteam* Cæſari Auguſto Virgilius tribuit, velut tot gentium, æmulorum, ſervitii publici, victori, denique ut Numini, *Georg. l.* 1. *v.* 26.

——— *& te maximus orbis*
Autorem frugum, tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingens maternâ tempora Myrtô.

Nempe & Veneris *myrtus* fuit, nec procacis ſolùm illius & libidinoſæ, de qua poſtea; ſed illius bellacis, victricis, triumphatricis: Martis quinetiam & Herculis, Palladis item & Apollinis, fortiſſimorum Numinum, uti pluribus docet Car. Paſchalius *Coronar. l.* 8. *c. ult.* Sed & Poëtarum, Convivarum, Amantium coronæ, ex eadem plectebantur: utpote Apollinis, Bacchi (qui eâdem delectatus eſt) Veneriſque & Cupidinis, alumnorum, de quibus idem paſſim pluribus agit. Nec omittendus *Myrteæ coronæ* in ſacris uſus. Certè, in ſacrificali apparatu, frons hæc fuiſſe legitur, apud Ariſtophanem *Avib.* & inter ſacra coronamenta μυῤῥίνην στεφανῶτιδα σπεῖσαι, *myrtum coronariam libare*, moris fuiſſe, docet Pollux *l.* 1. Vide iterum Plinium *d. l.* Sic Seleucus in *Linguis*, apud Athenæum *l.* 15. textam è myrto coronam vocari ait *Ellotida*, ambitu cubitorum viginti; eamque in Ellotiorum feſto, quod apud Corinthum ſolenne erat, in pompa vehi conſueviſſe, cum oſſibus Europæ, quam Ellotida Corinthii dixêre. Claudianus quoque *de Nuptiis Honorii*, in ſacris Nuptialibus, fores myrtô coronat; uti & alibi, *ubi de Nuptiis Martis & Veneris* ei ſermo eſt:

——— *feſtâ frondentia* myrto
Limina cinguntur &c.

Vide iterum Paſchalium *l.* 7. *c.* 18. *& ſeqq.* nec non, quæ hîc infra dicemus: ut & ſuprà, voce *Libertas.*

MYRTETA, Horat. *l.* 1. *Ep.* 15. *v.* 5. & *Celſo. Frittola Mazzella*, lacus ſudatorius Campaniæ, apud Bajas.

MYRTEUS Color, idem cum *preſſo*, Servio & Iſidoro: *Myrteum, quem in purpura preſſum vocamus.* Eſt autem *preſſus* color, qui aliter *ſaturus* aut *ſaturatus*, Græcis κατακορὴς dicitur, quò nomine intenſiorem colorem & minimè dilutum appellant. Porphyrio *Myrteus color* medius eſt inter flavum & nigrum. Cynaræ flos, quem *myrteolum* Columella vocat, Dioſcoridi ὑπόκιῤῥος dicitur, ac Plinio *Myrteus.* Κιῤῥὸς autem & ὑπόκιῤῥος, color eſt, in fuſcum & lividum vergens. Sed &, ubi Servius *Georg. l.* 3. *Spadices*, inquit, *glaucique quos phœniciatos vocant, profeſſos myrteos.* Lege; *preſſos, myrteos.* Preſſus igitur & *myrteus* color idem; nempe ſubfuſcior, qui diluto opponitur. Junius Philargyrus: *Spadix phœnicius eſt, quales ſunt fructus palmarum, neque ſatis diluti coloris, neque nimium preſſi.* Idem ad illud *Georgic. l.* 4. *v.* 335.

——— ——— *Hyali ſaturô fucata colore.*

Saturô, ait, *i. e. vineô & ſaturô ebriô, i. e. preſſô colore, ut in conſuetudine dicimus, meracius ſatura, quæ puriùs & meraciùs lucent.* Eundem colorem etiam *plenum* Latini dixêre; apud Capitolin. *in vit. Albini, c.* 5. *Nam & bos albus, purpureis ad plenum colorem cornibus natus eſt.* Item *adſtrictum*, Plin. *l.* 9. *c.* 38. ubi *adſtrictum* colorem, qui & preſſus ac nigricans, *excitato* opponit, h. e. claro & acuto, quem Græci ὀξὺν dicunt: illumque purpuræ *nigrantis roſæ colore ſublucenti*, hunc cocco; utrumque Tyriæ purpuræ attribuit, utpote acumen lumenque cocci; & nigritiam ſaturitatemque purpuræ nigræ ſimul habenti. Porrò *auſterum* Latinis in colore idem, quod maxime ſaturum, Plin. *l.* 9. *c.* 36. *Sed unde conchyliis pretia, queis virus grave in fuſco, color auſterus in glauco.* Et *c.* 38. *Nimiæque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam nitoremque qui quæritur cocci.* Ubi *auſteritatem* vocat ſaturitatem & ſuperbiam nitoris. Sic idem de Scythicis ſmaragdis meraciùs ac improbius virentibus, *c.* 5. *ejuſd. l.* *Nullis major auſteritas, nec minus vitii.* Πικρὸν Græci, quòd *auſterum* in coloribus Latini dicunt. *Superbum* quoque in eodem ſignificatu: Unde *ſuperbia candoris* Vitruvio *l.* 7. *c.* 3. auſteritas καὶ ἡ βαθύτης τῆς λευκότητος; & *ſuperbum oſtrum* Virgilio, *l.* 1. *Æn. v.* 643.

Arte laborata veſtes oſtróque ſuperbô.

Improbum item à quo nomine Latini inſignire ſolent, quidquid ſupra modum extollitur atque eminet. Sic *improbior ſtatura*, *improbiora labra*, & hinc *improbus color*, de purpureo per excellentiam &c. Vide Salmaſium *ad Tertullian. de Pallio c.* 3.

MYRTI vel *Lauri* ramus ſeu virga, in conviviis olim, pro lyra circumferebatur, cum qua accumbentes, qui fidibus neſciebant, ſcolia; i. e. convivialia carmina cantarent. *Heſychius*, μυρσίνης κλάδον ἢ δάφνης παρὰ πότον ἦν σύνηθες διδόναι τοῖς κατακειμένοις ἐκ διαδοχῆς ὑπὲρ τοῦ ᾄσαι ἀντὶ βαρβίτου. Vide quoque Athenæum & Ariſtophanis Scholiaſtem. E quibus colligere eſt, nulla unquam carmina cani olim aut recitari ſolita, abſque lyra aut virga ſeu lauri ſeu *myrti*. Et quidem Lyrica ad lyram cantabantur, vel in convivio, ſi quis citharizare neſciret, virgam *myrti* tenens ea canebat: Epici verò Poëtæ, quâ privatim, quâ publicè, cum virga laurea carmina ſua recitabant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 868. Hinc natum apud Græcos Proverb. ᾄδειν πρὸς μυῤῥίνην, *Canere ad myrtum.* Nempe antiquitus convivantes Bacchi cantum primò communiter, & ſimul omnes unâ voce παιανίζοντες, decantabant. Alteram dein cantionem ſinguli canebant, poſtquam *myrti* ramus unicuique traditus eſſet, quem ᾄσακον dixêre, διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, *quòd, qui eum ramum acceperat, canebat.* Non autem ordine is ibat, ſed qui primus in lecto principe cecinit, dimittebat eum ad illum, qui in ſequente lecto eſſet primus; ille rurſus ad eum, qui in tertio lecto eundem locum obtineret. Sic reverſus ad primum lectum, dabatur ei, qui ſecundum in illo locum occupabat; ab hoc mittebatur ad ſecundum alterius lecti & ſic conſequenter. A qua diverſitate & multiplicis flexus circuitu, carmen hujuſmodi σκολιὸν, i. e. *obliquum*, dictum eſt, uti habet Plutarchus *Sympoſ. Problem.* 1. Secundum Scholiaſten verò Ariſtophanis *in Veſp.* qui primus ſedebat, tenens laurum aut myrtum canebat verſus Simonidis aut Steſichori, donec ei libitum. Poſteà cum ramum, cui volebat, tradebat, non quomodo ordo poſceret. Tum is, qui à primo acceperat, perſequebatur cœtera: rurſuſque tradebat, cui libitum erat, ramum. Quo modo factum, ut, cùm omnes præter ſpem canere ac loqui neceſſe haberent, hi verſus σκόλια dicerentur, διὰ τὴν δυσκολίαν, *ob difficultatem.* Et hoc accipere σκόλια, dixit Comicus *ubi ſuprà.* *Myrtos* autem ſic canentes dexterâ manu circumferebant &c. Vide infrà ubi de *Scoliis*, & plura hanc in rem, apud Car. Paſchalium *Coronar. l.* 2. *c.* 4. Ideò autem ramus *myrti* in hunc uſum adhibebatur, quòd hæc planta (utpote lætitiæ ſymbolum) non Bacho minùs, quàm Veneri, ſacra eſſet. Unde & corona convivialis è myrto ſæpius plectebatur, uti ſuprà innuimus. Sed & *Myrti* ramum Lesbii olim floribus intexebant, & *hypothymida* vocabant, qua de voce vide ſuprà.

MYRTIA, mulieris panariæ nomen, apud *Ariſtoph.* Ancylionis & Soſtratæ filiæ, *Crabron.*

MYRTILIS, oppidum in ora Luſitaniæ, juxta Anam fluvium, hodiè *Mertola. Baudrando* oppid. Portugalliæ, trans Anam, in confinio Vandalitiæ, 10. leuc. Portugall. ab Oceano, & ab oſtiis Anæ in Boream, Eboram verſus. Vide & *Julia.*

MYRTILUS, Mercurii ex Phaëtuſâ, ſeu Myrto Amazone fil. auriga Oenomai, qui à Pelope curuli certamine cum Oenomao certaturo pollicitis corruptus, axi vectem non objecit, ut eâ ratione Oenomai currus diſſolveretur, & Pelops victor evaderet. Quæ res cùm Pelopi ex ſententiâ ſucceſſit, Oenomaus curru delapſus, cervicem fregit, jamque animam agens Pelopem obſecravit, ut vicem ſuam ulciſceretur. Quare cùm pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope repoſceret, ab eo in mare projectus eſt, quod inde *Myrtoum* appellatur. Ovid. *in Ibin, v.* 369.

Proditor ut ſævi periit auriga tyranni,
Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.

MYRTOS, Inſul. maris Ægæi, proxima Caryſto urbi Eubææ, unde *Myrtoum mare* dictum, Plin. *l.* 4. *c.* 11.

MYRTOUM *mare*, pars Ægæi inter Peloponneſum & Atticam ac Eubœam inſulam, licèt Ptolemæus illud *Myrtoum* appellet, quod Cariam ad Occidentem alluit. Sic dictum à *Myrtilo* Oenomai auriga, ibi ſubmerſo. Plin. tamen *loc. cit.* appellatam mavult à *Myrto* exigua inſula non procul à Caryſto. Ejus meminit Horat. *l.* 1. *Od.* 1. *v.* 14.

Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

Vide Lambinum *ad locum*: *Mar di Mandria Caſtaldo.*

MYRTUNTIUM, mare inter Sinum Ambracium & Leucadem inſul. Epirum alluens. *Strab.*

MYRTUS, arboris nomen, *quæ in Europa citeriori cœlo, quod à Cerauniis montibus incipit, primùm Circejis, in Elpenoris tumulo viſa traditur*, Plin. *l.* 15. *c.* 29. Fuitque, ubi nunc Roma eſt, antequam Roma conderetur, *Quippe ita traditur: myrteâ verbenâ Romanos Sabinosque, cùm propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos; in eo loco, qui nunc ſigna Veneris Cluacinæ habet*; *Ibid.* Adhibita autem illa, quod Veneri, conjunctionis præſidi, fuit dicata, unde huic nomen *Myrtia*, quod poſtea in *Murtiam* abiit, teſte Pliniô *loc. cit.* & Plut. *quæſt. Rom.* 20. Hinc voluptatis illa hieroglyphicon eſt, docente Valerianô *l.* 50. ubi Pelopem, quòd Veneri ſimulachrum ex *Myrto* feciſſet, Hippodamiæ nuptiis potitum; ipſamque Venerem in judicio Paridis *Myrtô* coronatam adſtitiſſe, & proin arbuſculam hanc Junoni Palladique exoſam, refert. Unde etiam, cùm omnibus aliis germinantibus & florentibus in ſacris Bonæ Deæ uti liceret, *Myrtum* ſolam adhibere nefas fuit; Joh. Roſinus *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 20. Cùm quoque ovantes Urbem ingrederentur, quando bella nempe aut non ritè indicta, neque cum juſto hoſte geſta erant, aut cùm hoſtium nomen humile & non idoneum eſſet, ut ſervorum piratarumque aut deditione repentè factâ, ſine pulvere incruentaque victoria obveniſſet, quòd non Martius is, ſed Venereus potiùs triumphus eſſet, *Myrtô* coronatos ingredi neceſſe erat: Sic M. Craſſo, bello fugitivorum confecto, cùm myrteam coronam aſpernaretur, lauro uti conceſſum, Idem *l.* 10. *c.* 28. Sed & hilaritatis indicium erat, ramus *Myrti*, quem Veteres inter vina alter alteri porrigebant: ut eô circumlatô unuſquiſque diſcumbentium ad cantum excitaretur, de quo more latè diſputat Plut. *in Sympoſiacis.* Unde Horatium quoque legimus, ubicunque conviviorum lætitiam celebrat, coronas è *Myrto* inferri curâſſe. Vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Vide Fortun. Licetum *de Gemmis annularibus*, *Schem.* 50. & ſuprà, ubi de *Myrti Ramo*. Nec certè alia arbor certius ſymbolum lætitiæ, quà publicè, quà privatim fuit, uti ſuprà vidimus, ubi de corona *Myrtea*. Unde & in ſepulchris ejus uſus, quòd mortui cenſentur victores humanarum miſeriarum. Certè apud Euripidem Electra queritur ſepulchrum Agamemnonis, Patris ſui, nullum accepiſſe, neque libamen, neque ramum myrti. *Actu* 2.

> Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος
> Οὔ πώποτε, οὐ χοὰς, οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης
> Ἔλαβε ----

De eadem in Nuptiis adhibita, jam dictum aliquid. Addam hîc quòd *Myrtus* etiam apud Hebræos, Sponſis olim prælata. In ritibus enim illorum nuptialibus coronarum primò vetuſtiſſima eſt *in Miſna* mentio, quarum uſus in ipſa fuit deductione ſeu nuptiis. His namque ornabantur Sponſi in nuptias; & quidem Sponſi corona erat ſive aurea ſive argentea, ſive ex Sale toſto formata atque ſulphure depicta, ſive roſea ſive *myrtea* ſive oleagina: Sponſæ verò corona aurea ſeu aurata erat, ſcil. formâ עיר של זהב, *Urbis aureæ* ſeu turritæ, qualis Deûm matri vulgò tribuitur. Rami dein *Myrti* ac palmarum cum cantu Sponſis præferebantur: frumentum ferebatur ſive ſpargebatur: velaminibus obtegebantur Sponſi &c. E quibus, ſub tempus invaſionis Veſpaſiani ac Titi, nonnulla exoleverunt. Namque de coronis. *Miſna*, *Tit. Sota c.* 9. *Tempore, quò Veſpaſianus armis nos aggreſſus eſt, interdictæ Sponſorum ſunt coronæ, ut etiam tympana* (quorum uſus in Choris nuptialibus) *atque Titò nos invadente, interdictæ ſunt etiam coronæ Sponſarum.* Nolebant ſcil. exterorum armis hoſtilibus oppreſſi, ſplendidum illum Majorum in nuptiis celebrandis ritum diutiùs retineri. Idem de ritu ramorum *Myrti* ac Palmarum, legitur in Hebræorum Commentariis, *Sepher Juchaſin fol.* 102. *Myrtum & ramos palmarum Sponſis in pompa Muſica non eſſe præferendos* &c. Vide Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic. l.* 2. *c.* 15. Cœterùm jungebatur in coronis *Myrtus* roſæ, hyacintho, croco, acantho, liliis, lauro, aliis, uti videre eſt apud Virgilium *Cul.* Ovidius eam ſiſymbriis ſociat, *Faſtor. l.* 4. Theocritus lauro & cupreſſo, *in Epigramm.* Horatius rori marino, ut vidimus &c. Neque verò parum naturæ viſum eſt dare myrto odorem, teneritudinem & pulchritudinem, ob quas dotes in uſus præfatos eſt adhibita: eam inſuper ſolidô robore cumulavit. Unde Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 64.

> ---- *ſolido Paphiæ de robore myrtus.*

Hinc baculi ex myrto, de quibus Plin. *l.* 15. *c.* 29. *Virgæ quoque myrti geſtatæ manu, viatori proſunt in longo itinere pediti.* Eadem haſtilibus electa. Virg. ubi ſuprà, *v.* 446.

> *Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi,*
> *At* myrtus *validis haſtilibus* ----

Et *Æn. l.* 3. *v.* 23. ubi tela, quibus Polydorus confixus eſt, *myrtea* facit. Conſtantinus quoque Cæſar *l.* 11. *c.* 8. myrtum conficiendis ſagittis aptam eſſe, disertè tradit. Sic *Geoponicῶn l.* 1. tradit Didymus, urinâ hominis, ovinâ præcipuè, irrigatam, ita rectam præcelſamque exire, ut non vaſis tantùm textilibus, ſed jaculis etiam haſtisque apta evadat. Porrò Paſtores è myrto clavis uti ſolitos, indicat iterum Virg. *Æn. l.* 7. *v. ult.* ubi parem dat Camillæ, ſed ſpiculo præfixam.

> ---- *Lyciam ut gerat ipſa faretram*
> *Et paſtoralem, præfixâ cuſpide, myrtum.*

Inde *paſtoralis truncus*, apud Stat. *Thebaid. l.* 4. *v.* 301.

> —— *hi Paphias myrtos à ſtirpe recurvant,*
> *Et paſtorali meditantur prælia trunco*, &c.

Atque hanc ob cauſam veriſimile eſt, factum eſſe, ut corona *myrtea* ſymbolum haberetur fortitudinis. Certè è Claudio Saturnino Tertullianus tradit, myrtô milites redimiri ſolitos, *de Cor. milit.* Ipſe Hercules ramis myrti coronatus, memoratur Euripidi *Alceſt. Act.* 4. & ejus imitatione, alii viri fortes, *Elect. Act.* 4. Alceſtis quoque pro viro moritura, votis ad omnes aras factis, eas multis vinxit myrti ramis, apud eundem *Act.* 1. Sic apud Athenienſes, poſt Perſas devictos, Eleutheria legimus inſtituta, in quorum pompa conſpecti ſunt currus pleni *myrtó* & coronamentis, Plut. *in Ariſtide.* Imò & in publica lætitia, propter ſublatum tyrannum, Tyrannicidas geſtâſſe gladios *myrtó* redimitos, in ſignum victoriæ omnium pulcherrimæ, quâ ad libertatem itur, narratur *in Fragm. Alc.* Unde ad Triumphantes ejus uſus tranſiit, apud Romanos, ut ſuprà dictum: *Bellicis ita ſe rebus inſerens*, uti Plinius ait *d. l.* Quô pactô, & *Myrtum* Veneris arborem dixeris, ſed non procacis illius, ac libidinoſæ, verùm bellacis, victricis & triumphatricis; cujus nomen cum Marte & Victoria, tropæis ſuis, poſt ingentem de Archelao victoriam, inſcripſiſſe Sulla dicitur Plutarcho in *Vita ejus* &c. Vide plura hanc in rem, apud Carol. Paſchalium *Coronarum l.* 8. *c.* 7. *& ſeqq.* Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & ex Veter. Plin. *l.* 15. *c.* 29. ubi de uſu baccæ ejus, apud priſcos, locô piperis; de generoſo obſonio, inde *myrtati* nomine inſignito; deque ipſa arbore, ejuſque multiplici uſu varia. Adde, quæ diximus ſuprà paſſim.

MYRTUSSA, vel MYRTUSA, mons Libyæ. Callimachus in Apollinem, Στὰς ἐπὶ Μυρτούσης κερατώδεος. Ubi *Schol.* Μύρτουσα ὄρος Λιβύης. Idem habet *Steph.* Ejus meminit Apoll. *l.* 2.

> Αἳ Λιβύην ἐνέμοντο παραὶ Μυρτώσιον αἶπος.

Nic. Lloyd.

MYRUS, Græcè Μύρος, muræna dentata eſt, καρχαρόδους proin *Ariſtoteli*, utpote dentes habens ἔξωθεν καὶ ἔσωθεν. Murænarum enim aliæ dentatæ ſunt, Athen. *l.* 7. ubi ait, τῶν μυραινῶν δακούσας ἀναιρεῖν τὰς ἐξ ἔχεως; aliæ edentulæ. Quas ita quidem nonnulli diſtinguunt, ut marem eſſe, qui dentes haberet, fœminam dentibus carere, proderent: meliùs verò alii genere diverſas tradunt. Sanè Ariſtoteles *de Hiſtor. l.* 5. Μύρον non eundem eſſe ſcribit, quod μύραιναν, nam hanc variam & infirmiorem, illum unicolorem & robuſtum eſſe, dentesque intra & extra os habere, ſexus diſcrimine perinde atque in cœteris. Et quidem ſine dentibus Murænas in vivariis ſuis habuit Pollio, de quo hic Plin. *l.* 9. *c.* 23. *Invenit in hoc animali documenta ſævitiæ Vedius Pollio, Eques Roman. ex amicis Divi Auguſti, vivariis earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in alio genere totum pariter hominem diſtrahi ſpectare non poterat.* Nam feræ, quæ dentes habent, ſi quid invadunt, morſicatim id priùs contruncant & dentibus comminuunt, non totum pariter diſtrahunt. Veniebant autem hæ murænæ Romanis ex gurgite Siculo, ubi capiebantur optimæ & *flutæ* vocabantur; propterea, ut ex Macrobio *l.* 3. *Saturnal. c.* 15. diſcimus, quòd Sole torrefactæ in ſummo æquore natarent, nec ſe, præ vitiem imbecillitate, curvare & peſſum redire ampliùs, aut fundum maris repetere poſſent, ſed in ſuperficie velut exanimes ferrentur. Græci antiqui πλωτὰς eas vocabant, recentiores verò ἐξορμιστὰς, ab eadem cauſa: nempe quia ſedes ſuas & cubilia deſererent, ut in ſummum enatent. *Siculam* vocat *exormiſtonem Caſſiodorus*, & in ora littoris Rheni capi ſcribit; Vide eum *paſſim.* Meminit hujus generis Martial. cùm de Muræna fluta ait: *l.* 13. *Epigr.* 80.

> *Quæ natat in Siculo pinguis muræna profundò,*
> *Non valet exuſtam mergere Sole cutem.*

Archeſtratus θαυμαστὸν ἥδισμα dicit eſſe murænam talem, Caſſiodorus *regium cibum appellat*, & *appetibilem gratamque pinguedinem.* Muræna verò dentata, Caſſiodoro ſimpliciter *Muræna*, murænæ flutæ ſeu exormiſtoni ſimilis ac compar corpore erat, ſed colore diſtabat: & adeò quidem ſimilis, ut Veter. nonnulli, quemadmodum diximus, exiſtimaverint, murænam, quæ dentes haberet, marem eſſe; quæ non haberet, fœminam. Sic colore ſolô diſtabant: nam muræna dentata unicolor erat, edentula varia, ac infirma, Athen. *l. c.* Hinc Ariſtoteles *de Animal. l.* 5. Μύρος διαφέρει τῆς μυραίνης· ἡ μὲν γὰρ ποικίλον καὶ ἀσθενέστερον, ὁ δὲ μύρος λειόχρως καὶ ἰσχυρός. Et hanc murænam, quæ dentata erat & valida & robuſta, propriè Μύρον Græci appellabant, & ἀπὸ τῆς μυραίνης diſtinguebant. Μύραιναν tamen quoque vocat Nicander Θηρ.

> Μυραίνη δ' ἔκπαγλον ἐπὶ μογεροὺς ἁλιῆας
> Πολλάκις ἐκβρύξασα, κατεπρήνιξεν ἐπάκτρων
> Εἰς ἅλα φυζηθέντας:

quod murænæ flutæ aut exormiſtoni nequaquam convenire queat. *Heſych.* Μύραινα ἐπὶ τοῦ κακοῦ ἐλέγετο, ὡς ἔχιδνα, *Myræna in malam partem dicebatur, ut echidna*, quòd malefica nimirum dentibus eſſet. Unde & inter δακετὰ numerabatur. Latini nomen *murænæ* de utraque ſpecie ponunt indifferenter, qui *Myrum*, ut Græci, non agnoſcunt. At Græcorum etiam nonnulli Μύρον de genere illo molli & innoxio murænarum, quod nec dentes habet, nec ariſtas, uſurparunt. Athen. *l.* 7. Δωρίων δὲ τὸν μύρον φησὶ τὰς διὰ σαρκὸς ἀκάνθας οὐκ ἔχειν, ἀλλ' ὅλον εἶναι χρήσιμον καὶ ἁπαλὸν ὑπερβολῇ: Qui certè Dorionis *myrus* omnino idem eſſe debet cum muræna fluta & exormiſtone Caſſiodori, quam *coloſtrea delicatitudine præditam, oleoſó ac ſuavi liquore coagulatam* eſſe dicit. Hoc enim eſt, quod Dorion de *Myro* ſcribit, ὅλον ἁπαλὸν εἶναι καὶ χρήσιμον & ariſtis in totum carere. Hinc à murænis eas diſtinguit Caſſiodorus, qui murænas, ut vidimus, propriè intelligit τὰς δακούσας. Sic ex illa molli atque exoſſi ſpecie murænarum flutæ fuerunt & exormiſtones, quas Dorion μύρους appellat, qui & duas earundem ſpecies facit, ſolô colore diſtantes: εἰσὶ μὲν γὰρ, inquiens οἱ μὲν μέλανες, οἱ δὲ ὑποπυρρίζοντες· κρείσσονες δέ εἰσιν οἱ μελανίζοντες, &c. Vide Cl. Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio c.* 5.

MYS, MYOS, proprium nomen viri, qui claruit argento cælando. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 8. *v.* 13.

> *Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,*
> *At Myos exiguum flectit Acanthus iter.*

Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 51.

> *Quis labor in phiala? docti Myos anne Myronis?*

Idem *l.* 8. *Epigr.* 34.

> *Archetypum Myos argenti te dicis habere.*

Nic. Lloydius.

MYSECROS, fluv. Arabiæ Felicis verſus Meridiem, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

MYSCELLUS, vide MISCELLUS.

MYSIA, regio minoris Aſiæ ad Helleſpontum, Troadi contermina: cujus incolæ *Myſi*, abjectiſſimæ conditionis homines, ſortisque adeò contemptæ, ut ceſſerint in proverbium. Quoties enim hominem nullius pretii volebant denotare, *Myſorum ultimum* eſſe dicebant. Cicer. *pro L. Flacco.* Et quia erant injuriarum patientes, hinc *Myſorum præda*, Proverb. Item *Myſorum & Phrygum termini diſcreti*, Proverb. de rebus totô cœlô diverſis. *Strabo* etiam *Myſos* conſtituit in Europâ, in confinio Pannoniæ ad Danubium fluv. putatque *Myſos* Aſiæ populos ab his, ut originem, ita & nomen duxiſſe. Sed hi à *Plinio Mœſi* dicuntur. Vide Bochart. *Phaleg. l.* 1. *c.* 12. Dividitur autem *Myſia* in majorem, & minorem: Major Helleſpontica appellatur à *Galeno*, & populi Helleſpontii à *Strabone*, in qua Cyzicus & Lampſacus urbes præcipuæ. Minor à *Strabone* Olympica à monte Olympo dicitur, in qua Pruſa urbs Bithyniæ. *Baudrando* fuit hæc regio, maximè ad Occaſum extenſa. Eaque vel *Minor*, verſus Helleſpontum, & inter Propontidem ad Boream, & Troadem ad Auſtrum, ubi Cyzicus & Lampſacus, in ora Propontidis; vel *Major*, quæ Orientalior erat; inter Myſiam minorem ad Occaſum, Bithyniam ad Boream, Phrygiam magnam ad Ortum, & mare Ægæum ad Meridiem, *ex Phil. à Via.* Nunc utraque ſub Natolia propria comprehenditur, & ſub Turcis eſt, à tribus ferè ſeculis. *Myſia* etiam, regio Europæ gemina eſt apud *Ptol.* ſuperior & inferior. Vide *Mœſia*, ſic enim meliùs ſcribitur. Addo, quod in hac regione herbam reperiri, quâ oleum, quod vocent *Medicum*, inficiatur, tradit Solin. *c.* 23. Cujus naturam ſic exprimit Dion. *Afer de ſitu Orbis*,

> *Et Maſi Thracum boreis in finibus orti,*
> *In quorum terris, quas ponti perfluit unda,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol 3

Ignipotens oleô commiſtô gignitur herba,
Medica cui nomen; cujus compeſcere flammas
Si quis aquâ cupiat, plus ignem paſcit in illa;
Pulveris hunc jactus potis eſt extinguere ſolus.

URBES MYSIÆ SEU MOESIÆ EUROPÆÆ:

* Achillea, *Kylia.*	Rhætiaria, poſtea Nicopolis, *Nicopoli.*
* Alba.	* Scupi, *Uſchup.*
* Arribantium, *Wiczitern.*	* Siliſtria, ſic vulgò, Epiſcopalis ſuperioris, & ſedes Præfecti, *Siliſtrie.*
Barna. Vide *Varna.*	* Singidunum, *Senderim.*
* Bidina, *Vidin.*	* Sophia, ſic vulgò, metropolis & caput Bulgariæ, *Sophie.*
Calatis, *Kilia.*	Sucidava.
Dinogetia, *Drimago.*	Ternobum, *Ternovo.*
* Dionyſiopolis. Vide *Varna.*	Tiriſta, *Driſta.*
Duroſtorum, *Duroſtoro.*	Tomi, *Tomiſwar.*
Galatium, *Galacz.*	Varna, *Varne.*
* Meſembria, *Meſember.*	
Neſſum, *Niſſa.*	
* Nicopolis, *Nicopoli.*	
Odeſſus, *Lemano.*	

MYSISTRATUM, urbs Siciliæ, vide *Ameſtrata.*

MYSITHEUS, ſocer Gordiani III. vir doctiſſimus, *quem cauſâ eloquentiæ dignum parentelâ ſuâ hic putavit & præfectum ſtatim fecit*, uti habet Jul. Capitolin. *in Vita Gordiani c.* 23. Vide Salmaſ. & Caſaubon. *ad h. l.*

MYSIUS, fluv. Æolidis, *Strab. Mœſius* quibuſdam.

MYSOCARAS, *Ptol. Aman Moletio*, portus Mauritaniæ Tingitanæ ad Oceanum Atlanticum inter montem Solis, & Uſadium promontor.

MYSOMACEDONES, populi Aſiæ in tractu majoris Myſiæ; à *Macedonibus* oriundi, unde & nomen habent. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

MYSON, ex vico territorii Spartani oriundus, unus ex 7. Græciæ ſapientibus habitus eſt. De hoc dicitur, cùm Anacharſis Oraculum conſuluiſſet, quiſnam eſſet Græciæ ſapientiſſimus, elogium hoc Myſoni tributum eſſe, qui tum aratro terram findendo erat occupatus. Diog. Laërt. *in vita ejus.*

MYSTACEM obvelando, luctum teſtantur Judæi, vide ſuprà *Exequiæ*; quid autem *Myſtax* voce *Grani.*

MYSTARCHUS, h. e. *Sacerdotum præpoſitus*, titulus Archiepiſcopi in Hiſpania Toletani, apud Macrum *in Hierolexico.*

MYSTERIA Romana, Ciceroni *in Ep. ad Atticum* ter memorata, in ſui explanatione dudum occupatos tenuêre ſummos Viros. *In ult. l.* 5. *Quum ſcies, Romæ intercalatum ſit nec ne, velim ad me ſcribas certum, quô die* Myſteria *futura ſint.* Sic *Ep.* 1. *l.* 6. *Facieſque me, in quem diem Romana incidant* Myſteria, *certiorem, & quomodo hyemaris. Cura ut valeas. Poſt Leuctricam pugnam die DCCLXV.* Tandem *l.* 15. *Ep.* 25. *De meo itinere variæ ſententiæ, multi enim ad me, ſed tu incumbe quæſo in eam curam magna res eſt. An probas, ſi ad Kal. Januarias cogitamus? meus animus eſt æquus, ſic tamen, ut ſi nihil offenſionis ſit. Et tu etiam ſcitè, quô die olim piaclum:* Myſteria *ſcilicet. Ut ut ſit res, caſus conſilium noſtri itineris judicabit. Dubitemus igitur, eſt enim hiberna navigatio odioſa eoque ex te quæſieram* Myſteriorum *diem.* Simeo Boſius intelligit eum diem, quô *Mundus patere* dicebatur: quod ter in anno fiebat, poſtride Volcanalia, ante diem tertium Nonas Octobres & ante diem ſextum Eidus Novembres. Ac de hiemalibus *Myſteriis* egiſſe Ciceronem declarant, ait, in poſtremo loco, quæ mox ipſe ſubjicit de hiberna navigatione. Sed explicatio ea nec huic, nec prioribus locis quadrat. Quam ex *l.* 6. notavimus, ſcripta eſt VI. Kal. Martias, bienniô poſt cædem Clodii. Non eſt enim alia pugna Leuctrica, quam Milonis & Clodii ad Bovillas: prior etiam anterius. Volcanalia autem incidunt in XII. Kal. Septembres. Nimia profectò ac incredibilis ſolicitudo, Proconſulem menſe Februariô quærere de die navigationis inſtituendæ, menſe Sextili vel Octobri vel Novembri: cogitaret potiùs de negotiis provincialibus, quæ cumulo adhuc imminebant, aut de æſtivis incipiendis, quàm de die diſceſſus. Deinde fateretur, ex ſententia Boſii, ſe ad Kal. Januarias reſpicere, ut nullâ ſit opus cautelâ in vitando die religioſo iſtorum menſium. Adde, quod apertè indicat, ambiguum ſe eſſe de die, non ob religionem patentis Mundi, ſed ob metum hibernæ navigationis. Sed & cur adjiciat, *quo die olim piaclum?* Nam religio Mundi patentis utique tempore etiamnum illo durabat, uti ex *Feſto* & Macrobio *l.* 1. *Saturn. c.* 16. qui Varronis utitur teſtimoniô, patet. Denique, ratio nulla cur iſti religioſi dies, præter cœteros, in tanto numero feſtorum dierum dicantur *Myſteria Romana.* Boſio tamen facit ſecundas Dionyſ. Petavius, cùm ait *Romana Myſteria* ſacra quædam occulta fuiſſe, quæ tum celebrabantur, cùm *Mundus patere* diceretur, ac tum fuiſſe nefas arbitratos, publicè privatimque quidquam capeſſere, *de Doctr. Temp. l.* 2. *c.* 72 Auſonius Popma in prioribus locis intelligit Conſualia, quæ menſe, inquit, Martiô magnâ celebritate peragebantur: idque eò magis, quia dies epiſtolæ ſcriptæ ſit paulo ante Conſualia III. Non. Martias Paulô & Marcellô Conſulib. ad quem numerantur DCCLXV. dies à Clodii nece, III. Kal. Febr. alterô annô perpetratâ. Sed hîc iterum duplex hallucinatio. Primùm quòd Conſualia ponit Martiô menſe, quæ *Kalendarium Roman. Plutarchus*, omnes in Sextilem conferunt; niſi Equitia cum Conſualibus confudit. Deinde, falſum eſt, ſcriptam eſſe epiſtolam III. Non. Mart. & Clodium occiſum III. Kal. Febr. Id enim factum XIII. Kal. Febr. teſte Tulliô *in Milon.* adeoque data eſt Epiſtola VI. Kal. Mart. uti dictum. Quod cùm ipſe poſteà animadvertiſſet, *Notis ad Vellej.* ait, Liberalia intelligi, celebrari ſolita XVI. Kal. April. de iis quæſiviſſe Ciceronem, quia Quincto Ciceroni fratris filio togam puram illis dare conſtituerat. Ea rectè κατ' ἐξοχὴν *Myſteria Romana* dici, quia Cicero eadem in re *alibi* verbô utitur eôdem, & apud Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 166. *Myſtica vannus Iacchi.* Hic quoque mendoſum, conſtitutum Ciceroni eô die, de quo quærit, quemque *Myſteria Romana* appellat, togam puram induere Quincto fuiſſe. Verba ſunt: *Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare: mandavit enim pater, ea ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit.* Apparet, non ei fuiſſe ignoratum hunc diem: & cur roget de intercalatione ejus cauſâ, quem ſic ſe profitetur obſervaturum, quaſi intercalatum non ſit? Nec probant, quæ allegat, iſta Liberalia præter cœteros feſtos dies *Myſteria* nuncupata. Nam *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 24. accipitur vox generaliter pro quibuſvis initiis ſacrorum opertaneorum. Apud Virgilium non aliter, quàm apud Tibul. *l.* 3. *Eleg.* 6. *v.* 1.

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis.

Et Stat. *Theb. l.* 8. *v. ult.*

Nec prius aſtra ſubit, quam myſtica lampas, & inſons
Iliſſos multa purgavit lumina lymphâ.

Ita enim legendum, ubi vulgò ineptè: *Eliſos.* Oppianus, καὶ παῖδα τὸ μυστικὸν ὠρχήσαντο. Simplex deſcriptio eſt, vannus, cujus inſtar habetur in ſacris Bacchi, qualis Baccho ſacra eſt. Sic Lucretius *l.* 6. *v.* 153.

Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flammâ crepitante crematur.

At multo infelicior eſt correctio Popmæ *in l.* 15. *ad Attic.* ſcribentis: *quô die Olympia tum myſteria.* Ut dicat: Ego animô æquô & patiente ſum, ſive maneam in Italia, ſive in Græciam proficiſcar; modò tamen nihil in manſione mea vel profectione ſit offenſionis, de qua tu ſcitè monuiſti. Quærenti enim mihi, quô die *Myſteria* futura eſſent, reſpondiſti, illis diebus, quibus Olympia celebrantur. Unde incurrerem in vituperationem, me tam miſerô Reip. ſtatu ad Olympia profectum. Quæſieram autem ex te *Myſteriorum* diem, ne rediens è Græcia inciderem in hibernam navigationem, quod fieret, ſi poſt *Myſteria* profectus fuiſſem. Verùm, quô pactô ſenſus hic è verbis Ciceronis eruatur, vix apparet. Quòd enim animô æquô ſe eſſe dicit Cicero, non referendum ad profectionem aut manſionem, ſed ad dilationem diei, quô redire conſtituerat. Negat enim ſe feſtinare valde, propter exiguam ſpem de Republica, ideoque ait, ſuſque deque habere, ſive admoveatur paululum ſive prolatetur ille dies. Nec quid cauſæ eſt, cùm Romæ ageret Atticus, cur quæreret ex eo Cicero, quô die Olympia Piſæ, Athenis myſteria celebrarentur: quorum de diebus ex intercalatione Romana nulla ambiguitas. Joſ. Scaliger Olympiadum diem ab Romanis intercalatum putat ob quadriennium ſolare: eô die aliqua *Myſteria* facta, ante quæ nefas eſſet aliquid ſuſcipere; ideo Olympiadum diem & *Myſteria* pro iiſdem poni: ideo verò Ciceronem itineri ſe accingere non auſum, quòd omnis intercalationis dies religioſus, nefaſtus & infauſtus haberetur. *l.* 2. *de Emend. Temp.* Atqui, *ſi ad Kal. Januarias cogitat*, quid opus Olympiorum diem vereri, quæ non ante Solſtitium celebrabantur. Vocabulum autem *offenſionis* non poſſe ad religionem trahi apparet inde, quòd eundem diem Kalendas Januarias & quemvis commodum deſtinat hâc conditione, ſi tamen nihil ſit offenſionis: ipſis igitur Kal. Januariis offenſionem, quam timet, obtingere ſibi poſſe confitetur. Nòn igitur religionem illa ſignificat, quæ illô die eundi quò quis vellet nulla erat. Nec probare poſſunt Eruditi, quod Vir maximus in poſtremo loco ſcribit: *A. D. Olympia*; idque ſic interpretatur: Si Cicero migraſſet Olympiadum die, quòd is ἀνέκδημος ſit & peregrinationi non idoneus, difficile fuiſſet ipſum effugere vituperationem populi religionem illi objicientis. Scilicet hic Superis tum labor, ea cura quietos ſolicitabat, ut ex turbata & ſurſum deorſum rurſum prorſum miſta ac reciprocata Rep. ſolus Augur Cicero ſervaret integram tantam religionem, iter ſuſpendens feriis Græculis Olympiorum, ut Judæus Sabbatô. Necdum obſervatum, dixiſſe Latinos, *ante Diem Olympia*, ſi dies Olympia Romanis in Faſtis fuiſſet, necdum placet, *ante diem Kalendas*, pro Kalendis ipſis, etſi id à Viris doctis alicubi inculcatum. Omitto plura. Magaleſia aut Cerealia cur interpretetur Lydiates, cùm ipſe nullam rationem edat, nec nobis agendum multis, cur ea intelligi non poſſint. Nam quòd *l.* 15. agnoſcit *Olympia*, perinde ut cœteri, vitioſâ lectione deceptus eſt. Sam. Petitus *Miſcellan l.* 9. poſtremum locum ita concipit: *Et tu etiam ſcito, quô die olim piaclum Myſteria. Ilicet, ut ut res ſit, caſus conſilium itineris noſtri judicabit.* Ita autem interpretatur: Priora duo loca antecedere emendationem anni Julianam, ultimum eâ eſſe poſteriorem. Neſciſſe Ciceronem, ante emendationem Julianam, an menſis Merkedonius eſſet intercalatus, an dies Merkedonii imminuti eſſent, & hoc utrunque eſſet ei intercalare. Quærere igitur, an intercalatum ſit exemptique aut eximendi dies Merkedonii menſis Quintilis & Septembris itemque Novembris: unde diſcat, in quem diem cadant *Myſteria*, quæ, niſi dies Merkedonii eximerentur, inciderent ſemper in eundem & ſtatum Novembris diem. At quia è Novembri dies eſſent eximendi, quod pro Pontificum arbitrio, non è periode lege, ſæpius fieret, quærere illum, in quem diem incidant *Myſteria*, quas apud Plutarchum *Marcello* appellari ἀπορρήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας, ſive inferias Manibus Græci & Græcæ, Galli & Gallæ, tumultu Gallicô in foro Boario defoſſorum. Quòd autem emendatô jam annô quærat eundem diem, factum ideo, quia poſt Cæſaris cædem, antequam Auguſtus manum admoverit, non videatur à Pontificibus anni modus religioſè obſervatus. Contra quod Gronovius tantùm dicit: Verum eſt, ante emendationem anni Julianam ſcriptas priores, quippe Conſulib. L. Paulô, Claudiô Marcellô; alteram quidem Idibus Februariis, alteram VI. Kal. Martias: unde clarum eſt non de diebus Merkedoniis, tam remotorum menſium, ſed quia tum biſſextilis fuit annus (quod confirmat ipſe Vir doctiſſimus *Diatr. ſeq.*) de intercalatione, quæ menſe Februariô fiebat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bat, quæſiviſſe. At verò illum diem, quô memoriâ celebrabatur, *ſacri*, ut meritò *Livius* appellat, *minimè Romani*, dici præcipuè *Myſteria Romana* cui fiet veriſimile? Conjicit igitur præfatus Gronovius, ubique *Myſteria Romana* appellari Sacra Bonæ Deæ, quæ fiebant Kal. Majis. Quia enim id Sacrum fiebat, pro ſalute Populi Romani cærimoniâ ſanctiſſimâ, jure κατ' ἐξοχὴν *Myſteriorum* vocabulô id honoravit; quod nomen apud Græcos proprium Eleuſiniorum, venerabilis etiam maximè ſacri. *Orat. de Haruſpic. Reſp.* *De ſacris publicis, de ludis maximis, de Deorum Penatium, Veſtæque matris cærimoniis, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute Populi Romani quod poſt Romam conditam hujus unius caſti tutoris Religionum ſcelere violatum eſt.* Et rurſum, *Etenim quod ſacrificium tam vetus eſt, quàm hoc, quòd à Regibus æquale huic Urbi accepimus. Quòd autem tam occultum quàm id, quod non ſolùm curioſos oculos excludit, ſed etiam errantes? quò non modo improbitas, ſed ne impudentia quidem poſſit intrare?* &c. *quod fit per Virgines Veſtales, fit pro Populo Romano, fit in ea domo, quæ eſt in Imperio, fit incredibili cerimoniâ, fit Deæ, cujus ne nomen quidem Viros ſcire fas eſt.* Denique ibidem inferiùs de Clodio: *Deorum ignes, ſolennes menſas, abditos ac penetrales focos, occulta & maribus non inviſa ſolùm, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere pervertit.* Hæc autem, ob incerta Faſtorum, locô ſuô mota interdum fuiſſe, certiſſimum argumentum præbet Plutarchus *in Cicer.* ubi narrat, quô die Lentulus Sura & cœteri Catilinæ populares in Senatu convicti erant, Conſulem Ciceronem deductum in ædes vicinas ſuis: has enim tenuiſſe mulieres, quæ ſacris Bonæ Deæ operabantur; confirmatumque Ciceronem anxium & ſolicitum oſtentô flammæ ſubitò ex cinere & deuſtis corticibus, igne jam ſopitô, emicantis. Is dies erat ante diem pridie Non. Decembr. Hæc igitur intelligi *Myſteria* præcipuè firmat poſtremus locus; quandoquidem in duobus prioribus cauſam rogandi de iſto die ignoramus. In quo capitalis error nonnullorum, quòd de diſceſſus acceperunt die, quæ de futuri reditus conſilio jam ante exceſſum ex Italia Cicero pronuntiat. Hôc ſolô revictô illorum explicationes unô impulſu evertuntur. Scripta hæc Epiſtola eſt annô Urb. Cond. IↃCCX. eô tempore, quô poſt necem Cæſaris perterrefactus Antonii actionibus abeſſe longè à Rep. decreverat, & evitare tot oculorum τηκεδόνας; in eumque finem, ut ait *Plut.* feſtinavit cum Dolabella Legatus in Syriam navigare. Acceperat igitur liberam legationem & poteſtatem eundi, manendi, quò, ubi vellet, in quinquennium; ut ipſe ſcribit *l.* 15. *Ep.* 11. De diſceſſu non hic agi docet Epiſtola ſequens 26. ubi narrat, ſe itinera ſic compoſuiſſe, ut Nonis Quintilibus Puteolis eſſet, unde erat conſcendendum; ſine ullo mutati conſilii aut diei veſtigio. Acceptâ hâc laxiſſimâ libertate, nec curationes à Proconſule mandandas metuens (unde *Ep.* 19: *A Dolabella mandata habebo; quæ mihi videbuntur, id eſt, nihil*) deliberat cum Attico de reditu ſuo. *Si ad Kal. Januarias cogitamus*, bellè explicatur *l.* 16. *Ep.* 6. *Scribis enim, in cœlum ferri profectionem meam: ſed ita, ſi ante Kal. Januarias redeam.* Vide quoque *Ep. prox.* & *Philipp. I.* Cùm Epiſtola ſexta *l.* 16. ſcriberetur, jam conſulta & decreta res erat, dieſque ſtatus condictus: ſecus cùm primum illud, *in Ep.* 25. tum enim variabant etiam ſententiæ. Et quidem vellet redire Cicero ad Kal. Januar. ſi tamen aliqua melioris Reip. ſpes adfulgeret; h. e. *ſit tamen, ut nihil offenſionis ſit.* Atticus inter dubitationem iſtam ſuaſerat, ut vel Kal. Majæ termini peregrinationis eſſent: Quod nec improbat Cicero, ſed rurſus ita, ut à caſu & fortuna Reip. conſilii exitum ſuſpendat. Idque eo magis, quia navigatio hiberna, tentanda utique ſi ad Kalendas Jan. Romæ eſſe vellet, odioſa videretur. Significatque haud obſcurè, idem, quod Atticus voluerat, ſibi quoque in mente fuiſſe: atque ideo *Myſteriorum*, quæ in Kal. Majas incidebant, diem ex eo ſe quæſiviſſe. Hæc œconomia hujus Epiſtolii eſt. Porrò Atticus, non contentus Kalendas Majas appellare ſuô nomine; eleganter & jocosè circumſcripſit illas, in gratiam Ciceronis, quem delectari ſciebat inimici acerrimi victi & proſtrati mentione. Clodii dico: adeo ut olim in die, quô Epiſtolas dederat, ſignando à pugna, ut ait, Leuctrica ſeu Boviliana, dies computaret. Suaſit igitur, ut circiter eum diem eſſet præſto, *quô die olim piaclum*: i. e. quô die nefariô Clodii inceſtô ſacra Bonæ Deæ violata eſſent, ſeu ipſis *Romanis Myſteriis* ſive Kalendis Majis. Quô jocô nihil ſcitius, nihil magis ad Tullii guſtum. Quòd autem Popma de Olympiis ſententiam ſuam firmat, ex *l.* 16. *Ep.* 7. nihil ad rem. Refert enim ex ore Bruti: *Se lætari; quod effugiſſem duas maximas vituperationes, unam, quam itinere faciendo me intelligebam; ſuſcipere, deſperationis ac relictionis Reip.* (*euntes mecum vulgo querebantur quibus de meo celeri reditu* [agnoſcis conſtitutum fuiſſe] *non probabam*) *alteram, de qua Brutus & qui unà erant* (*multi autem erant*) *lætabantur, quòd eam vituperationem effugiſſem, me exiſtimari ad Olympia, hoc autem nihil turpius quovis Reip. tempore.* Ubi alterum dictum Attici unius laudat Cicero, tanquam jucundum ſibi: alterum Bruti & comitum abominatur & vituperationem maximam includere fatetur ac primus Attico ſignificat. Adeo re non inſpectâ, propter quarundam literarum affinitatem, collum huic loco torſerunt, pro Olympiis in illum inducendis. Favent præcedentibus *Excerpta* Appiani, qui narrans idem piaculum Sacra Bonæ Deæ μυστήρια appellat: Καὶ ἐς τὴν οἰκίαν τοῦ Γαΐου παρελθεῖν οἷα γυναῖκα νυκτὸς, ὅτε μόναις γυναιξὶν ἐξῆν εἰσελθεῖν μυστηρίων ἀγομένων, ubi allegat Valeſius ex *l.* 5. & 6. *ad Attic.* ac verbo *Myſteria Romana*, ſacra Bonæ Deæ interpretatur. Vide Gronovium *Obſervationum l.* 4. *c.* 10.

MYSTERIUM, Græca vox, paganis olim frequens, nec Scripturis Patribuſque ignota. Origo nominis Hebraica, סתר *ſatar* enim *occultare* eſt: מסתר *Miſtar*, aut מסתור *Miſtor* eſt *res obſcondita*, *ſecretum.* Græci Grammatici etymon variè explicant, Μυεῖν eſt *arcanam doctrinam tradere*, μυεῖσθαι, *illâ imbui*: inde Μυστήριον uſitatâ formatione. Alii etymon ſic explicant, παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα, *quòd os claudant, qui audiunt*: nempe, ad ſervandum ſilentium. In Scripturis aliquando *tota doctrina Chriſtiana* vocatur *Myſterium*; aut *Myſteria*, Matth. *c.* 13. *v.* 11. Luc. *c.* 8. *v.* 10. Marci *c.* 4. *v.* 11. & Paulo ſæpe *in Epiſt.* utpote quam Deus ab æterno abſconditam apud ſe quum habuiſſet, tempore ſuô mortalibus patefecit. Hinc Apoſtoli *Myſtæ*, 1. Timoth. *c.* 3. *v.* 9. & *Diſpenſatores Myſteriorum Dei*, 1. Cor. *c.* 4. *v.* 1. Verbi nempe, Sacramentorum & totius doctrinæ Chriſti. Aliquando *capita quædam doctrinæ Chriſtianæ* peculiariter ita vocantur, ut 1. Cor. *c.* 15. *v.* 51. Epheſ. *c.* 5. *v.* 32. & 1. Timoth. *c.* 3. *v.* 16. In 2. Theſſalon. *c.* 2. *v.* 7. dicitur conſummari in Antichriſto *Myſterium iniquitatis*, h. e. occulta quædam iniquitas, alta, profunda & numeris omnibus abſoluta: quæ vis locutionis etiam apud Joſephum *Bell. Jud. l.* 1. ubi de Antipatro fil. Herodis, & Dionyſ. Halicarn. *Ep. ad Pompejum*, obſervatur. Diverſô ſenſu apud Herodian. *l.* 8. ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, *jusjurandum, quod præſtabant Legiones*, dicitur eſſe *Imperii Romani grave myſterium*, ſive, ut loquitur Tacitus, *l.* 2. *Annal. c.* 59. *arcanum dominationis*: quocirca id jusjurandum Romanis *Sacramentum* dicebatur. Certè & μυστήριον apud Græcos & *Sacramentum*, apud Romanos, voces ſunt religionis, reverentiæ cujuſdam & Majeſtatis plenæ. Quam ob cauſam jam inde à principio Eccleſia illarum uſum ſibi vindicavit, neque ſolùm in commune omnia Religionis arcana nominavit *Myſteria* & *Sacramenta*: ſed peculiariter doctrinæ illi, quam *de Signis* Auguſtinus & Lombardus appellant, Græci Συμβολικὴν Θεολογίαν, eas dictiones accommodavit: Rationes vide apud Chryſoſtomum *Homil.* 7. *in* 1. *Cor. c.* 2. *v.* 7. ad verba, *loquimur Sapientiam, quæ abſcondita eſt.* Eadem *Teletas* & *Myſtagogiam* appellavit: tranſlatis vocabulis, ex iis Gentilium Sacris, quæ Græci Μυστήρια nominabant, & Latini etiam *Myſteria*, aut *Initia*, aut interdum *Sacra opertanea*, ut Plin. *l.* 10. *c.* 56. aut *Sacra operta*, ut Val. Flac. *l.* 2. *Argon. v.* 440. Nempe primò Religionis Chriſtianæ Antiſtites ut opinionem novitatis doctrinæ ſuæ à Gentilibus aſperſæ demerent, antiquiſſimos pietatis noſtræ ritus cùm iis comparantes, qui priùs erant apud paganos; multa nomina antiquæ ſuperſtitionis, multos ritus & ceremonias retinuêre, ſed piâ interpretatione omnibus in melius verſis: quô pactô, *pertinaci*, ut *Beda* ait, *paganiſmo mutatione ſubventum eſt, quum rei in totum ſublatio potiùs irritâſſet.* Niſi potius dicas, veteris Eccleſiæ ritus, quos inter paganos Dei ſimia quà pote imitando exprimere conata eſt (namque à Templi multiplicibus velis ſacra ſua obtegendi Gentilibus occaſio) N. Teſt. Eccleſiæ hâc ratione fuiſſe adaptatos, quæ ipſis Gentilibus non erat inuſitata. Mirum autem dictu & cogitatu horrendum, quantopere olim Satan, per hæc paganorum *Myſteria*, hominibus illuſerit. Quoniam enim neſcio quæ veritatis ſcintilla inter fœda alioqui mendacia & denſiſſimas tenebras micabat; tanti hæc ſacra facta ſunt, ut fidem omnem res ſuperet, veréque ſcribat Auguſtinus *de Trin. l.* 3. *c.* 10. *Diabolum animas deceptas illuſaſque præcipitâſſe, quum pollicerētur purgationem animæ per eas; quas* Τελετὰς *appellant, transfigurando ſe in Angelum lucis, per multiformem machinationem, in ſignis & prodigiis mendacii.* Erant verò Sacra hujus generis apud Græcos (nam Romani non ita apud ſe coluerunt, noctu enim peragebantur præcipui horum ritus; Romani autem ſacra nocturna ſemper improbârunt, ut Cicero *de LL. l.* 2. teſtatur) plura & diverſa: Matris Deûm; in Samothracia; Hecatæ; multis in locis; Cereris & Proſerpinæ, Eleuſinæ in Attica; Bacchi, in Bœotia; Mithræ, in Aſia, Orphei, paſſim in Græcia; Iſidis, in Ægypto & multis aliis in locis; teſte quoque Appulejô *l.* 11. *Metam.* qui *Teletas* vocat. Et erant alia *Majora*, alia *Minora*, quibus initiandi ad illa præparabantur. Ipſa ſacra μυστήρια dicta; operatio ſacrorum μύησις, & qui percipiebant ea, μυεῖσθαι, τελεῖσθαι, τελίσκεσθαι aut τελευτᾶσθαι. Nam ſcopum Sacrorum dicebant τέλος *finem*: ſic autem interpretabantur, perductionem Animæ ad illum ſtatum, in quo erat, priuſquam in corpus deſcenderet, Olympiodor. *in Platonis Phædon.* in quo apparet veriſſimum illud Tertulliani *Apolog. c.* 47. *Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa eſſe, operantibus æmulationem iſtam Spiritibus erroris.* Nam τέλος iſtud Olympiodori, quid aliud eſt, niſi ſtatus perfectionis, ex quo excidimus in veteri Adamo, & in quem aut multô meliorem, per novum Adamum ſumus reſtituti. Finem verò ultimum & fructum horum *Myſteriorum* dicebant eſſe; quòd initiati poſt mortem cum Diis eſſent habitaturi: quum non initiati in cœno ac luto, & ut vetus Poëta ait, Βορβόρῳ ἐν προχοαῖς, ſeſe eſſent volutaturi. Vide Plat. *Phædr. Plut.* Diogen. Laërt. *Antiſthen.* & *Diogene Cane*, Arrianum *Diſſertat. Epict. l.* 3. *c.* 20. inprimis Ciceronem *loc. cit.* ubi inter alia, *Initia*, inquit, *iſta revera principia vitæ cognovimus neque ſolùm cum lætitia vivendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi.* Sed Philoſophi Platonici, cùm hujuſmodi Sacrorum, tum univerſæ, ut ipſi appellabant, Θεωρητικῆς ἀληθείας, finem ſtatuerunt, ut evaderet homo quàm ſimillimus Deo, atque adeò Deus fieret, vide Caſaubon. *Diatr. de Communione.* Et ſcopus quidem ac finis ultimus horum *Myſteriorum* iſte erat; ratio verò eorum Sacrorum illa in univerſum fuit, ut, qui ſe diſciplinâ imbuendos traderent, paulatim purgati ab hujus vitæ inquinamentis & peccatorum ſordibus, per certos *gradus* & definita *temporum intervalla*, ad neſcio quorum ingentium arcanorum perceptionem atque notitiam perducerentur. *Olympiodorus*: Ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις· εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀπορρητότεραι· μετὰ ταῦτα συστάσεις· καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις. ἐν τέλει δ' ἐποπτεῖαι. *In Sacris præcedebant publicæ purgationes; deinde has excipiebant aliæ reconditiores: poſt has aggregationes: tum ſequebantur initiationes: ad extremum epoptia*: ſive ſacrorum omnium plena participatio. Ἐποπτεύειν enim eſt, percipere quidquid in ſacris ſacerrimum; neque quidquam ulterius fuit, quàm ut fieret aliquis Epopta. Tertullian. *in Valentin.* Auctor eſt, My-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtas, qui tradebant ſacra Eleuſinia *Epoptas ante quinquennium non inſtituiſſe, ut opinionem ſuſpendiò cognitionis ædificarent.* Sanè gradus proponuntur hic ab Olympiodoro quinque, quibus fortaſſe reſpondebat hoc quinquennium: *Purgationes communes; Purgationes recondiriores;* Συστάσεις; *Initiationes* & *Epoptiæ.* Peragebantur autem hæc initia, adhibitis quibuſdam ſymbolis, quæ ad recordationem erant inſtituta rerum certarum: de cujuſmodi ſignaculis habes multa, apud Clementem *Protrept.* Arnobium *l. 5.* & Jul. inprimis Firmicum, qui ex profeſſo de his *Myſteriis* ſcripſit. In nonnullis ſacris *Aqua* adhibebatur, in ſimilitudinem Baptiſmi, Auguſtin, *de Baptiſm. contra Donat. l. 6. c. 25.* Ad alia ſacra adhibuerunt Myſtæ ſymbola panis ac poculi; ſed aquæ, non vini, neque κράματος. Juſtinus *Apol.* 2. narrat malos Dæmonas, in Mithræ myſteriis S. Euchariſtiæ æmulationem quandam tradidiſſe: Ἄρτος, inquiens, καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν: ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. Ecce *panem,* & *poculum aquæ:* ecce verba ſolennia ſuper ſymbolis proferri ſolita, *Aut noſtis, aut noſſe poteſtis.* Etiam Arrianus *l. c.* ſacras *Myſteriorum* voces commemorat, quas magna cum reverentia excipi ſolitas oſtendit: Ἱεραί εἰσιν αἱ φωναὶ αὐταὶ καθ' αὑτάς. In iiſdem ſacris quàm mirô ſymbolorum genere communio, quæ eſt omnibus animantibus inter ſe, exprimi conſueverit, exponit Porphyrius *de Abſtinent. ab eſu Animal. l. 4.* Sed &, præter hujuſmodi ſigna, quibus utebantur in ipſo actu initiationis, alia quoque ſymbola habuerunt, quæ pro teſſera erant Thiaſotis eorundem Sacrorum, per quæ ſeſe invicem agnoſcerent. Talia ſunt apud *Clementem,* Ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον, *Bibi è cymbalo, fui cirnophoros & ſacrum vas geſtavi; ſacrum thalamum aut tenſam ſubii.* Apud *Firmicum.* Θεὸς ἐκ πέτρας, *Deus ex lapide.* Apud utrumque, Ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ, *Taurus draconis & draco tauri pater.* Jam ad *Myſteria* admittendi, *confeſſionem* peccatorum, ſaltem graviorum, priùs edebant. Vide Plut. *Apophth. Lacon.* Hinc vetus formula, excommunicationis vim habens, Ἑκάς, ἑκάς, ἐστὲ ἀλιτροί, *Procul hinc, procul ite profani:* & nota hiſtoria, de Nerone Auguſto, ad ſacra Eleuſinia, poſt occiſam Matrem, accedere non auſo, Sueton. *c.* 34. Ad hæc *Myſteriorum* cupidis *caſtimonia* ad certum tempus indicebatur: Qui vero in caſto erant, *humicubitiones* exercebant, à multis *cibis* abſtinebant, & σκληραγωγίας, multaque inſtituta rigidiſſime obſervabant, ut *Appulejus, Porphyrius,* alii, paſſim teſtantur. Auſtor eſt Libanius *in Corinthiorum act.* Myſtagogos ſummâ diligentiâ initiandos ante omnia monuiſſe, *ut manus puras animumque ſervarent purum* καὶ τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι, *& ut in ſermone Græcos ſe præſtarent.* Deinde ſubjicit, ſingulos privatim eſſe interrogatos (tunc videl. cùm peccata confitebantur) τὸ σῖτον καὶ τὸ μὴ σῖτον δὲ ἐγεύσω; οὐ καθαρὸς πάρει; *an legitimum cibum comediſti & ab illegitimo abſtinuiſti? an purus ades?* Tertullian. *l. de Jejun. contra Pſychicos,* obiter meminit, *Xerophagias verò novum affectati officii nomen & proximum Ethnicæ ſuperſtitioni, quales caſtimoniæ Apim, Iſidem, & Magnam Matrem certorum exceptione purificant.* Etiam *veſtem,* etiam *comæ* compoſitionem peculiarem habuerunt illorum Sacrorum Hierophantæ, ut præter alios oſtendit Arrian. *Diſſertat. l.* 3. Obſervavit etiam Caſaubonus in *Myſteriis,* populum aut initiatorum turbam Sacerdotibus reſpondiſſe, quod in Hiſtoria Eccleſiaſt. dicitur ἀντίφωνα λέγειν vel εἴδους ἀντιφώνους, ut apud Socr. *l. 6. c. 8.* Scribit enim Ariſtophanis Græcus interpres, in quibuſdam ſacris Bacchicis, Daduchos aut alios Miniſtros ſacrorum ſolitos adſtantium coronam ita compellare, Αἰνεῖτε Θεόν. *Laudate Deum:* illos autem reſpondiſſe, Σεμελήϊ' Ἴακχε πλουτοδότα, *ô Semele fili Jacche opum largitor;* quod videtur fuiſſe principium hymni alicujus, in honorem Liberi Patris. Vide quoque Euſebium *Hiſt. l. 2. c.* 17. Supra omnia diligentiſſimè caveri ſolitum, ne horum ſacrorum arcana τοῖς ἀμυήτοις; h. e. *Religionis imprudentibus,* quos *profanos* vocabant, innoteſcerent. Itaque *Herodotus, Plutarchus, Eunapius* alii, quum in eorum mentionem incidiſſent, negant ſibi fas eſſe ea loqui, quæ ſciant. In quam rem Græcis elegans locutio crebro in uſu fuit, περὶ τῶν μυστικῶν εὔστομα μοι κείσθω, quâ ſignificabant, perperam eos ore uti, i. e. loqui, qui *Myſteria* evulgant. Atque hoc qui facerent, ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια propriè dicebantur, i. e. *irreverenter habere, foràs proferre,* propriè *rythmum excedere & regulam rectam,* ut loquitur Ariſtides *in docta Diſput.* κατὰ τῶν ἐξορχουμένων. Atque hujus *Silentii* tanta fuit religio, ut nec qui violaret, nec qui oculos curioſos in hæc ſacra immitteret, impunè ferret. Vide hiſtoriam memorabilem, de duobus juvenibus Acarnanibus apud Livium *l. 31. c. 14.* & nemini ignota Penthei, propter *Myſteria* inſpecta, laniatio, &c. De quibus cùm plura adferri poſſent, ea duntaxat attingere hôc locô voluimus, quæ aliquam cum ſanctiſſimis Chriſtianæ pietatis inſtitutis ſpeciem affinitatis habere videbantur. Quod pii Patres cùm intelligerent, quò facilius ad veritatis amorem corruptas ſuperſtitione mentes traducerent; & verba ſacrorum illorum quamplurima in ſuos uſus tranſtulerunt & cùm doctrinæ veræ capita aliquot ſic tractârunt, tum ritus etiam nonnullos ejuſmodi inſtituerunt; ut videantur cum Paulo Actor. *c.* 18. *v.* 23. Gentibus dicere voluiſſe, ἃ ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, ταῦτα καταγγέλλομεν ὑμῖν, *Quæ ignorantes creditis & facitis, ut pii ſitis, ea qui poſſint ac debeant verè credi fierive, ut ſitis revera pii, vos docere volumus.* Hinc igitur eſt, quòd Patres Sacramenta appellaverunt vocibus è Paganiſmo petitis: Hinc quòd Dionyſius *c.* 5. univerſam τῶν τελετῶν τὴν ἱερουργίαν, *Sacramentorum traditionem,* in tres actiones diſtinxit, ritibus & temporibus diverſas, Κάθαρσιν *Purgationem,* Μύησιν *Initiationem* & Τελείωσιν *Conſummationem,* quam & Ἐποπτείαν ſæpe nominat. Et ut quinquenniô diximus fuiſſe præparatos, qui futuri erant Epoptæ, ita in ritibus Eccleſiæ priſcæ duplex temporum obſervatio non parum diverſa animadvertitur. Prior circa illos, qui fieri Chriſtiani primò cupiebant: Altera, circa lapſos, i. e. eos, qui graviore aliquô peccatô admiſſô, communionis jus fidelium amiſerant; deinde pœnitentes reſtitui in priorem locum optabant. Et quidem, quod ad priores, tempora illis contractiora erant præſtituta, neque ulla quinquennii neceſſitas: interim in iſtis certa temporum intervalla ſunt obſervata, & priùs quàm ad panem cum fidelibus frangendum aliquis perveniret, ſtadium conſuetæ exercitationis fuit decurrendum. Primò igitur fiebant *Catechumeni,* dein *Competentes,* poſtremo *Fideles* ac *Chriſtiani.* Circa Lapſos diſciplina fuit admodùm ſevera & prorſus admiranda; atque, uti in admittendo initiatos quinque gradus diximus fuiſſe obſervatos: ſimillimè vetus Eccleſia, in admittendis ad Sacram Communionem lapſis, quinque gradus ſervavit, ſive, ut loquuntur Scriptores Eccleſiaſt. Τέσσαρας τόπους ἐπιτιμίων ἀνύεσθαι, *quatuor loca pœnæ obiri* præcepit, antequam pervenirent ad ipſam Communionem. Primus locus dicebatur Πρόσκλαυσις, cùm in ipſo primo aditu Eccleſiæ, ſeparati non ſolùm à Fidelibus, ſed etiam à Catechumenis, tres ut plurimum annos manebant, pœnitentes in ſquallore & pædore, *omnibus fidelibus legationes deprecationis injungentes,* ut ait Tertull. *de Pœnit.* Proximus, Ἀκρόασις, ubi ut plurimùm ad alios tres annos admittebantur pœnitentes, tantum ut *audirent* verbum Dei, quando in Eccleſia legebatur: ſtabant autem intra portam, ἐν τῷ νάρθηκι. Greg. Neocæſar. *in Epiſt. Canon.* precibus tamen Eccleſiæ intereſſe non audebant. Tertius, Ὑπόπτωσις, ea fuit quædam interior admiſſio: ubi tres alios annos ſtabant pœnitentes, precum Eccleſiæ participes, ut & Catechumeni, quibus exeuntibus ipſi quoque exibant. Quartus, Σύστασις, quæ vox è *Myſteriis* gentium accepta, ubi pœnitentes duos perſæpe annos agebant; quod ad cœtera ejuſdem conditionis cum fidelibus, neque jam cum Catechumenis exeuntes, ſolâ participatione Myſteriorum cœteris fratribus inferiores. Tandem Μέθεξις dicebatur jus communicandi, &, ut loquitur *Baſilius* aliquoties, in deſcriptione harum pœnarum, ἡ κοινωνία τοῦ ἀγαθοῦ, *Communicatio ipſius boni:* Nam *bonum* eſt ipſa Euchariſtia. Alii eôdem ſenſu dixerunt, ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *pervenire ad conſummationem* ſive *ad Epoptiam.* Quemadmodum porrò Epoptæ, quinquennio inſtitutionis ſuæ, docebantur cum ingenti cupiditate epoptiæ ſuæ tempus expectare; unde illa *ſuſpiria Epoptarum,* apud Tertullian. *contra Valentin.* ſic erudiebantur Catechumeni, ut magna cum aviditate Communionem peterent, unde illis *Competentium* nomen, uti docent *Auguſtinus, Iſidorus.* Alii; & hinc mos, ut in publicis ſacræ Liturgiæ precibus Sacerdos pro Catechumenis Deum oraret, *ut eis deſiderium regenerationis inſpiraret,* ſicut loquitur Auguſtin. *Ep.* 107. Vide quoque Chryſoſtom. *Homil.* 2. *in poſter. ad Corinth.* De ſymbolis Sacramentorum, per quæ divinæ illæ ceremoniæ celebrantur, nihil attinet dicere: Illud verò, quod eſt & appellatur *Fidei ſymbolum,* diverſi eſt generis & fidelibus teſſeræ præſtat uſum, per quam ſe mutuò agnoſcunt, qui pietati ſacramentum dixêre; cujuſmodi teſſeras fuiſſe etiam in paganorum myſteriis oſtendimus. Formulæ illi, in *Myſteriis* frequenti.

——— *Procul eſte profani:*

reſpondet in Liturgia hæc, per Diaconos pronuntiari ſolita, Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, vel ἔξω περιπατεῖτε ὅσοι ἐνεργούμενοι, ὅσοι ἀμύητοι, *Omnes Catechumeni foràs diſcedite, omnes poſſeſſi, omnes non initiati;* aliis aliter hanc formulam concipientibus. Uti porrò noctu ritus in *Myſteriis* non pauci peragebantur, ſic noctu Chriſtianorum quoque initiatio inchoabatur, Auguſtin. *de Symbolo ad Catechum. l.* 2. Hinc, quæ in Catechetica Myſtagogica prima Cyrilli Hieroſol. dicitur ἑσπέρα τοῦ βαπτίσματος, Gaudentio *tract.* 1. nominatur, *ſplendidiſſima nox vigiliarum.* Quod autem diximus de ſilentio, in ſacris opertaneis ſervari à Gentibus ſolito, id inſtitutum veter. Chriſtiani ſic probârunt, ut religioſâ ejus obſervatione Myſtas omnes longè ſuperârint. Hinc ad eorum imitationem, univerſam doctrinam Chriſtianam Veter. diſtinguebant, in τὰ Ἔκφορα ſeu ea, quæ enuntiari apud omnes poterant, & τὰ Ἀπόρρητα, arcana temerè non vulganda: de quibus neque in familiaribus colloquiis, neque in catecheſibus, neque in concionibus verba temerè faciebant, coram Paganis, Catechumenis, aut quibuſvis aliis non initiatis. Baſilius *de Spir. S. c.* 27. eodem ſenſu doctrinæ Chriſtianæ duas facit partes, τὰ Κηρύγματα *Præconia* & τὰ Δόγματα. Nec quis ita hoſpes in Patrum lectione, cui ſit ignota formula, in mentione Sacramentorum potiſſimum in re uſu trita, Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Norunt initiati:* Hæc enim in rerum ſilendarum numero præcipuè fuiſſe, vel appellatio ipſa *Myſterii* declarat. Nam ut verè ait Nicetas Choniates *l.* 3. de Alexio Imperatore, tunc verè Euchariſtiæ *Myſterium* eſt *Myſterium,* quando ἐχεμυθοῦμεν & curioſas omnes quæſtiones repudiamus. Cùm verò in Sacramentis tria hæc occurrant, *Symbola* ſignificantia, *Res* Symbolis ſignificatæ & *Ritus* celebrandorum Sacramentorum: non tam Res in Sacramentis ſignificatas, & efficaciam illorum ſiluit vetus Eccleſia, ac Symbola ipſa & Ritus celebrandi Rituumque cauſas. Proin legimus apud Theodoretum *Dial.* 2. Symbola quidem ænigmaticè proponi; *Panem* enim ita circumloquitur, Τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφήν, *alimentum è talibus ſeminibus.* Καὶ τὸ Alterum Symbolum ſic deſcribit, aut potiùs occultat: Κοινὸν καὶ τοῦτο ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον, *Commune hoc quoque nomen, potionis ſpeciem ſignificans:* quæ quidem mera ænigmata ſunt. At Res ſymbolis iſtis ſignificatæ, ſine ulla diſſimulatione, palam exprimuntur. Quærit Eraniſtes, *Poſt conſecrationem quomodo hæc appellas?* Reſpondet Orthodoxus: *Corpus Chriſti & Sanguinem Chriſti.* Vide Auguſtin. *de catechizand. rudib. c.* 9. & *de Trin. l. 3. c.* 10. è quo poſteriore inprimis loco diſcimus, pios illos antiquos, apud non initiatos, rem quidem ſymbolis ſignificatam non ſolitos tacere, imo contrà auctoritate graviſſima conſueviſſe affirmare, Sacramentum, quod celebrabant, eſſe corporis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ris Chriſti communionem & præſentem Chriſtum ſacræ actioni intervenire: ritum vero peragendi Sacramenti, naturam ſymbolorum & modum præſentiæ, ſolis initiatis aperuiſſe. Confirmat idem Maximus Madaurenſis *Ep. ad Auguſtin.* è cujus verbis elicimus etiam non initiatos atque adeò etiam paganos, tantum de S. Euchariſtia notum habuiſſe: Chriſtianos, cùm ad frangendum panem conveniebant, Deum ſuum Chriſtum præſentem adorare & videre (in *Myſterio* nempe & ut Chryſoſt. ait, *fides oculis*) ſed rationem celebrandi Sacramenti ignoráſſe. Etiam illud, curioſitatem Paganorum, quoties inquirere auderent modum Sacramenti hujus, arte fuiſſe à Chriſtianis eluſam. Idcirco enim tantâ contentione petit ab Auguſtino, ut, miſſis ambagibus, rem ipſam ſibi velit explicare; quod tamen ne ſic quidem impetravit, ut docet Auguſtini reſponſio. Similis & circa Baptiſmum fuit obſervatio Dionyſii Areopagitæ, *tr. de Baptiſmo*, quem ipſe vocat Θεογενεσίαν: ubi quoque exempla enumerat eorum, qui propter temerata ſacra pœnas dederunt. Vide quoque Chryſoſt. *ad Galat. c. 4* Jam quod ad Ritus attinet, certum eſt, non ſolùm ipſos Paganis & non initiatis fuiſſe occultos, ſed etiam cauſas Rituum paucis Fidelium fuiſſe notas. Quare Baſilius inter arcana Eccleſiæ ponit varios Ritus, ut *trinam merſionem in Baptiſmo*, *converſionem ad Orientem inter orandum*, *morem ſtandi die Dominicâ, cùm preces funderentur*, & id genus alia. Et Chryſoſtomus *in Catech. Baptizand.* ait, *ceremonias Baptiſmi* habere μυστικόν τινα λόγον καὶ ἀπόῤῥητον. *myſticam aliquam rationem, verbis minimè vulgandam.* Etiam *Ordinationem* Epiſcoporum & Presbyterorum inter Sacramenta vetus Eccleſia poſuit, propter impoſitionem manuum & Spiritus S. invocationem atque acceptationem: quare hujus quoque formulas clam habuit & ſolis Fidelibus notas eſſe voluit. Vide Chryſoſtomum *in poſter. ad Corinth. Hom.* 18. Præter hæc, fuêre & alia, quorum cognitio niſi initiatis non patebat. Chryſoſt. 1. *ad Tim. Hom.* 7. Τί δέ ἐστι τὸ, πρῶτον πάντων; τουτέστιν ἐν τῇ λατρείᾳ τῇ καθημερινῇ· καὶ τοῦτο ἴσασιν οἱ μύσται, πῶς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν γίνεται, καὶ ἐν ἑσπέρᾳ καὶ ἐν πρωΐᾳ, *Quid eſt, quod ait, Apoſtolus* primum omnium? *h. e. in cultu quotidiano: & hoc ſciunt initiati, quomodò quotidie fiat & veſperi & mane.* Ubi videtur ſignificare, & in veſpertina Liturgia & in matutina fuiſſe *preces* quaſdam, ad quas ſoli fideles admitterentur, & de matutina quidem res clara eſt, de veſpertina non uſque adeò conſtat. Non recenſeo, inter ſilenda *Myſteria* doctrinam, de SS. Trinitate, de Incarnatione Jeſu Chriſti & ſimilia capita Evangelicæ prædicationis, ſine quorum notitia Chriſtianus eſſe nemo poteſt. Interim, in *Trinitatis* myſterio tradendo, ſummopere cavêre Veteres, ne apud paganos, aut Chriſtianos adhuc infirmos, de tanti arcani ratione temerè verba facerent. Unde etiam Greg. Nazianzenus *de Spir. S. Orat.* 44. loquens, ſic dignitatem ejus aſſerit, ut de appellatione Dei contendere non audeat. Quod jure quis miretur, quum tot expreſſis Scripturæ teſtimoniis doceamur Spiritum S. eſſe Deum. Sed Patres ſtudio veritatis parem ſemper charitatem jungentes, eam quam vocabant συγκατάβασιν, *condeſcenſionem* & diſpenſativam prudentiam, plurimum uſurpârunt. Minùs mirum, quòd iidem vocibus, *Trinitatis*, Ὁμοούσιος & ſimilibus, etiam poſt Concilium Nicenum; per aliquod tempus apud infirmos abſtinuerunt, Φειδόμενοι, inquit Baſilius *de Fide*, ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐκείνων, ἃ λέξεσιν αὐταῖς οὐκ ἐμφέρεται τῇ θείᾳ γραφῇ. *Parcentes uti nominibus illis, quæ non ipſis dictionibus in divina Scriptura extant.* Eſt & aliud genus rerum, *quas in* Myſterio *debemus ſemper intelligere, parcius autem ore proferre*, inquit Auguſtin. *Ep.* 101. *ad Aſellic.* ubi Lector ſtudioſus earum rerum exempla inveniet: Sed nos res ejuſmodi inter illa non referimus, quæ tantò ſtudio ab antiquis Patribus conſtat fuiſſe occultata, &c. Silentii vero cauſæ tres iſtæ præcipuæ fuêre. I. *Sublimitas* eorum, quæ occultabantur, & ut Cyrillus Hieroſolymit. loquitur, τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων. Nam quis à fide alienus, paganus aut Catechumenus, in fide nondum confirmatus, *Myſterium* noſtræ per aquam regenerationis aut manducationis carnis Chriſti, in Cœna Domini, ſine ſcandalo aut riſu, audiat? Hinc itaque non initiatorum aures reveriti, de talibus coram illis vel verba plane non fecerunt, vel figuratè & crypticè locuti ſunt. II. Ut *accenderetur* hôc pactô cupiditas Catechumenorum. Hinc Auguſtin. *tr. in Johann.* 96. *Etſi*, ait, *Catechumenis Sacramenta fidelium non produntur; non ideo fit, quòd ea ferre non poſſunt: ſed ut ab eis tanto ardentiùs concupiſcantur, quanto honorabilius occultantur.* III. Studium *vindicandi à contemtu* res ſacras, & contrà Majeſtatis opinionem illis conciliandi. Quem ſcopum, uti Gentium habuiſſe Myſtas, teſtatur Tertullian. *contra Valentin.* ita & veteres Chriſtianos ſibi propoſuiſſe, docet Baſilius Magnus *loc. cit.* Atque hæc omnino ratio eſt, cur nonnulli Patrum, eximiè verò præ cæteris Dionyſius, quem *Areopagitam* vocant, de Sacramentis novô quôdam & inuſitatô genere docendi ſcripſerint; quòd à cothurno Tragico vel Dithyrambicis ampullis non multum videatur diſtare. Sciebat videl. Dionyſius, tali ſtylo Gentium *Myſteria* tractari conſueviſſe, πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην ὥσπερ ἐν ἀδύτῳ καὶ νυκτί, *ad terrorem & horrorem, tamquam in adyto & nocte*, uti loquitur *Demetrius Phalereus*. Ad quam prorſus ideam totus Dionyſii *de Sacram.* liber, ut & reliqui ſunt compoſiti. Conſuetais namque & uſu Eccleſiæ recepta vocabula ſtudioſè refugiens, lavacrum Regenerationis non vocat *Baptiſmum*, ſed θεογενεσίαν: neque Communionem *Cœnam Domini*, ſed τελετῶν τελετὴν, & ἱεροτελεστικωτάτην εὐχαριστίαν & μυστήριον τὸ πάντων ἱεραρχικώτατον, ut alia prætercam. Vide Iſ. Caſaub. *Exercitat. XVI. ad Annales Ecclеſ. Baronii num.* 43. Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. pur. paſſim*, & infrà, *Norunt Fideles*, it. in voce *Silentium*.

MYSTIA, oppid. Magnæ Græciæ apud oram, inter Locros, & Cauloniam. *Gioioſa Barrio.* Quibuſd. *Monte Gioioſa*, caſtrum Calabriæ ulter. vix 5. miliar. ab ora maris Ionii, ad radices Apennini.

MYSTICHIDES, Archon Athenis, Olymp. 98. an. 3.

MYSTUS, inſula parva maris Ionii juxta Echinadas.

MYTHEPOLIS, locus Bithyniæ apud Aſcaniam paludem, à Cio 120. ſtad. diſtans, *Ariſtoteli.* ubi fontes, cum Nilo aliquid commune habentes. *Mythopolis Antigono.*

MYTHISTORIA & MYTHOLOGIA vide ſupra *Cyclus Epicus*. & infra *Orbis Mythologicus*.

MYTHRA, vide MITHRA.

MYTIL. *Mytilenenſium* in nummis Sappho olim exprimebatur, civis eorum, uti diſcimus ex *Julio Polluce* & *Ariſtotele*: hodieque loci incolæ id confirmant. Exprimebatur autem manu lyram tenens, quod Poëtarum Lyricorum inſigne fuiſſe, notum, in quorum cenſu illa eximiam laudem meruit. Nummum hujuſmodi *in Iconibus Virorum illuſtr.* exhibet Urſinus, in cujus una parte caput Sapphus, in altera polypus viſitur, cum literis MYTIΛ. Alium Sponius, in cujus antica caput Nauſicaæ, Alcinoo genitæ, cum *Inſcr.* HPΩIΔA NAYΣIKAAN, in poſtica Sappho ſedens cum lyra, & verbis EΠI CTRA IEPOKA MYTIΛ. quæ ultima verba docent, fuiſſe hunc nummum cuſum, cùm Hieroclem quendam Strategum, ſeu Ducem exercitus haberent. Vide eum *Itin. part.* 3. *p.* 106. & 109. & ſuprà *Mitylene*.

MYTISERATA, Caſtellum Siciliæ.

MYTISTRATUM, vide AMESTRATA.

MYTTILUS, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 60.

Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino:
Sugitur inciſò mytilus *ore mihi.*

Siculà dialectô μυττίλος, vel μυσίλος, communiter μύαξ Græcis, concha cluſilis eſt. Plin. *l.* 9. *c.* 37. *Ineſt iis eſca, mordaces, cluſilesque conchæ, ceu* mytilos *videmus.* Athenæus μύτλον vocat, & τελλίνην interpretatur, *l.* 3. *Mutulum* inde facit Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 27.

——— *ſi dura morabitur alvus,*
Mutilus & viles pellent obſtantia conchæ.

Ubi tamen *mitulus* nonnulli legunt &c. Sunt autem illi vel marini, vel fluviatiles; namque in omnibus etiam parvi *mittyli* reperiuntur; imò & in rivulis quibuſdam ſæpe videntur, in quibus piſcium capiuntur minutiæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1129. Senſus verò verſuum Martialis: *Tu oſtrea ſumis, quorum teſtas nihil opus ori admovere: ego* mytilos, *qui ſugi nequeunt, niſi teſtis ori admotis; itaque accidit interdum, ut os aliquantum ſcindatur.* Res enim illi in hoc Epigrammate cum Pontico eſt, qui Poëtam quidem ad cœnam rectam invitaverat, non autem niſi viliora ipſi apponebat, melioribus ſibi uni ſervatis &c.

MYUS, *untis*, urbs Ioniæ in Cariæ confinio; apud Mæandri oſtia *Herod. Strabo. Plin. Steph.* cujus populi à culicibus infeſtati Miletum proximam urb. migrârunt. Hanc Artaxerxes Perſarum rex Themiſtocli Athenienſi in obſonium dedit, cùm Magneſiam in panem, & Lampſacum in vinum dediſſet, teſte *Thucydide*.

MYXA, apud Martialem *l.* 14. *Epigramm.* 41. cujus lemma *Lucerna polymyxos:*

Illuſtrem cùm tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

idem, quod ἐλλύχνιον eſt, ſeu *fomes* lychni & lucernæ, Erant autem *Myxæ* lychnorum, formæ oblongæ, unde Μύξα vel Μυξάριον Ægypti, quibus *Muſa* hodiè nomen, quòd fructus hic *myxæ* ſimilis ſit. Inde *Lychnus bimyxus*, *trimyxus* &c. à totidem *myxis*. Qui autem ſtupas lini producit, προβύειν λύχνον dicitur, & προμύττειν, apud *Plutarchum*. Unde apud Heronem *in Pneumaticis* ratio traditur, quâ lychnus fieri queat ἑαυτὸν προβύσων, cujus ellychnium ſponte promoveatur ac producatur: προωθεῖσθαι ἐλλύχνιον, idem *ibidem* dicit. Ariſtophanes,

Κάρφος χαμᾶθεν σὺ νῦν λαβὼν, τὸν λύχνον πρόβυσον.

Moreti Auctor de lucerna,

Et producit acu ſtupas humore carentes, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1325.

MYXUS, quidam Cereris ſacerdos, qui cùm eſſet alazon & glorioſus, hinc Proverb. ortum; βαβαὶ μύξος, περὶ τῶν μεγαλαυχούντων. Ita nonnulli. Salmaſ. verò μύξος appellativum eſſe docet idemque ſignificare, quòd *jactabundus* & *glorioſus*: à μύξα, quod, idem cum κοπρία, βλέννα, κορύζα, quæ *jactantiam* denotant. Unde Καπρολόγοι, Κοπρίοι, κορύζης μεστοὶ, κορυζῶντες, *jactantes ac alazones*: κορύζα ſeu Μύξα Ἰταλική, *faſtus Italicus*. Et Rhetores Sycophantæ, Rabulæ, Scurræ ac hujuſcemodi tota hominum natio, qui multa ac magna promittunt & minantur; miraque de ſe prædicant, Κοπρολόγοι & Κοπρίαι vulgò appellati. Item Σκατοφάγοι, apud *Epicharmum*; Πύῤῥανδροι, apud Comicum; *Aretalogi* apud Juvenalem *Sat.* 15. *v.* 16. quod multa falſa de ſuis virtutibus prædicarent, ad riſum tollendum; Ὀμπνισταὶ quoque in *Veterib. Gloſſis*: *Neanicologi*, vide infrà, *Saccibucces* Arnobio, *l.* 3. quòd buccas inflarent οἱ καυχηταὶ & Thraſonidæ. Perſius. *Sat.* 4.

Hinc mendoſa cavi ſpirant mendacia folles.

Quô modô ſcurræ etiam *Bufones*, h. e. φυσίγναθοι dici poſſunt, inflati nimirum & jactanticuli & futiles &c. Dicti autem tales ſunt, Κοπρολόγοι, *Copriæ* Μύξοι, quia nihil odioſius aut putidius hominis glorioſi ac ſemetipſum laudantis oratione, nullum æque ἄκουσμα auribus ingratum accidit; unde meritò *putidi* ii ac *ſtercorei*, nihil enim ſtercore σικχαντότερον. Hincque Cloacinæ, quæ latrinarum & cloacarum erant præſides, hujuſmodi ſtercoreorum ac putidorum gloriæ animalium patronæ cenſebantur; uti legimus apud Tertullian. *de Pallio*. Vide Salmaſ. *Notis ad illud*, ut & ſuprà *Jactantes*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

N.

N Liquidis accenſetur hæc conſonans, à priſcis inter *E. & S.* plerunque poni ſolita, ad pronuntiationem ſuaviorem reddendam, *Auguſtin.* Unde *Quotiens*, *Vicenſimus*, pro *Quoties*, *Viceſimus*, dixêre. Veteres Jureconſulti duabus Conſonantibus N. *L.* i. e. *Non liquet*, ſignificare volerunt, Advocatorum rationes non ſufficere, vel ad abſolvendum vel ad condemnandum reum. Auſonius in *Technopægnio v.* 11. *N. Latinorum* à Z. Græcorum deſumtum notat:

Zeta jacens, ſi ſurgat, erit nota, quæ legitur N.

Vide Auguſtin. *l.* 2. *c.* 2. *emend.* Auſon. *de lit. monoſyll.* Voſſ. *in Ariſtarcho*, *l.* 1. *c.* 5. *&c.* Cœterùm, Literam hanc, locô nominis proprii poni cœpiſſe paulò ante annum Chriſti milleſimum, obſervat Hugo Menardus, *ad librum Sacramentorum* Gregorii: cùm nota hæc *ill.* i. e. *ille*, priùs poneretur, ut ex *Formulis* Marculfi & veterib. aliis Codicibus, patet. Joannes Mabillonius verò, tum ex variis MSS. tum ex Frotharii Epiſcopi Tull. editis *Epiſtolis*, ante annos 800. jam hanc literam eô ſenſu adhibitam contendit. Car. du Freſne *Gloſſar.* Eadem litera, ſi primum in dictione locum obtineat, aliquando G. ſumit ante ſe: Ut *Narus*, *Gnarus*, *Navus*, *Gnavus*, unde *Ignavus*. In compoſitione nonnunquam C. litera, quæ ſtâtim N. ſubſequitur, in G. vertitur: Ut *Quadringenti*, pro *Quadrincenti*: Sed in quibus N. non fuerit, ſervatur: ut *Ducenti* &c. In notis antiquis *num*, vel *nec*, vel *non*, vel *nomen*, vel *nepos*, vel *Nonius*, vel *noſter*, vel *numiſma*, vel *nummorum*, vel *naſcitur*, vel *niſi*, vel *numerator*, vel *noſtri*, vel *noſtrum*, &c. NBL. *nobilis* &c. denotat. Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

NAÆRA, una ex pediſſequis Cleopatræ reginæ, quæ, unà cum Charmione, ſpontaneam Cleopatræ mortem eſt imitata. Plut. *in Antonio.*

NAAGRAMMA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

NAAGRAMMUM, urbs primaria, & metropolis Taprobanæ inſulæ. *Ptol.* *Maagrammum*, in aliis exemplarib. forſan nunc *Candea* eſt, præcipua inſulæ & ſedes regia, in ejus meditullio, ad montium radices.

NAALOL, civitas Levitarum in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 19. *v.* 15.

NAAMA, filia Lamechi, Gen. *c.* 4. *v.* 22. primùm texturæ & lanificii artem invenit, ſi verum eſt, quod apud Genebrardum in *Chronicis* habetur, atque idcirco, præter S. Scripturæ morem, quæ in genealogiis nomina fœminarum, niſi ob virtutem eximiam aut myſterii cauſâ, non ſolet referre, memoratur, tribus præclararum rerum inventionibus, Jabeli, Jubali ac Tubalcaino, juncta: Atque ſic eadem fuerit cum Minerva Saitica, inter reliquas ſecundô locô memoratâ Tullio *de. Nat. Deor. l.* 3. Hanc enim textrinæ artis repertricem fecêre Veteres Νηΐθ appellavêre Ægypti teſte Platone *in Timæo*, nomine à Naama non multum abludente. Sunt tamen, qui נעמה *Naama*, quod *venuſtum* denotat, Venerem interpretentur. Unde formâ ejus duos Angelos Dei, Azam & Azaëlem, captos fuiſſe, Rabbini more ſuô nugantur. Vide Jac. Ouzelium *Animadverſionibus ad Minucium Fel. p.* 107. & 108. ubi de Minerva pluribus agit.

NAAMA, civitas præclara in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 41. Fuit in terra Hus. Mater item Roboam, 1. Reg. *c.* 14. *v.* 21.

NAAMAN, filius Benjamin, Gen. *c.* 46. *v.* 21. qui 1. Paral. *c.* 8. *v.* 2. dicitur *Naaha.*

NAAMAN, princeps militiæ regis Syriæ, qui cùm leproſus eſſet, à rege in Judæam miſſus, ab Eliſæo propheta ſanatus eſt; 2. Reg. *c.* 5. *v.* 1. Fil. item Belæ filii Benjamin, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 2.

NAARA, ſive NAARATHA, terminus tribus Ephraim, Joſ. *c.* 16. *v.* 7. Item altera uxor Ashur, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 5.

NAARAI, nomen viri, 1. Paral. *c.* 11. *v.* 37.

NAARDA, urbs Syriæ juxta Euphratem, *Steph.* Sed *Ptol.* eſt in Meſopotamia.

NAARIA, filius Semejæ, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 22.

NAARMALCHA, Perſis ſignificat *fluvium regium.* Amm. Marcellin. *l.* 24. *Naarmalcha nomine, quod flumen regium interpretatur, Cteſiphonta prætermeat.* Et rurſus eôdem. *l. Ventum eſt hinc ad foſſile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum.* Græci ποταμὸν βασίλειον vocant. Strabo *l.* 16. Μεταξὺ δὲ τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγριδος ῥεῖ ἄλλος ποταμὸς Βασίλειος καλούμενος. Plin. *l.* 6. *c.* 26. *Euphratem Gobaris Præfecti opere diductum, ubi eum diximus findi, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret, ab Aſſyriis verò univerſis appellatum Armalchar, quod ſignificat regium flumen.*

NAAS, Rex Ammonitarum, ab obſidione urbis Jabes, cujus incolas non recepturus in deditionem erat, niſi alterô oculô privatos, per Saulem recens electum Iſraëlis Regem, magnâ ſuorum clade depulſus eſt. An idem cum illo, apud quem, exilii tempore David perfugium habuit, cujuſque mortem hic per Legatos ad filium illius miſſos luxit? 1. Sam. *c.* 11. *v.* 12. 2. Sam. *c.* 10. *v.* 2. Joſeph. *Antiq. l.* 6. Torniel. *A. M.* 2959. *n.* 7. 2974. *n.* 5. 2993. *n.* 3. Salian. *A. M.* 2963. *& ſeqq.* Item, civitas, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 12.

NAASON, vel NAASSON, unus ex progenitoribus Chriſti, quoad carnem, fil. Aminadabi. Caput tribus Judæ in exitu ex Ægypto, Numer. *c.* 1. *v.* 7. Item, Matth. *c.* 1. *v.* 4. Item, oppid. Galilææ, inter Sephet ad Occaſum 12. & Nephthalim ad Ortum, 5. mill. paſſ.

NABABURUM, oppid. Mauritaniæ Cæſarienſis *Ptol.*

NABAIOTH, fil. Iſmaëlis, Gen. *c.* 25. *v.* 12. Ab hoc omnis regio ab Euphrate, uſque ad mare Rubrum *Nabathena* dicitur, quæ pars Arabiæ eſt, Eſaj. *c.* 60. *v.* 7.

NABAL, vir ditiſſimus, qui cùm Davidi eſurienti eſcas denegâſſet, eum ita iratum reddidit, ut in animo haberet, domum ejus evertere, feciſſetque, niſi Abigail ejus uxor obviam progreſſa, eum placâſſet. Obiit decimô pòſt die, quô auditô David Abigaëlem ſibi matrimonio junxit, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 3. S. Torniel. Salian. Spond. *A. M.* 2977. Latin. *ſtultus.*

NABALIA, fluv. Germaniæ inferioris ortus in Ducatu Juliacenſi, 12. mill. paſſ. à Juliaco in Boream, hinc per limites ditionis Colonienſis, perque Geldriam fluit, ubi Geldriam urbem rigat: tandem auctus aliquot amnibus, in Ducatu Clivenſi, influit in Moſam prope & infra Gennepiam oppidum, 3. leuc. à Noviomago in Meridiem, vulgò *Neers.*

NABAN, amnis parvus Portugalliæ, ad oppid. Nabantium, ab eo dictum. In Ozecarum, *Couros*, labitur, & cum ipſo paulò pòſt in Tagum. *Nabaon.*

NABANNEDUS, ſeu NABANNIDOCHUS Megaſtheni apud Euſebium *Præpar. l.* 9. *c.* 41. Ναβόννηδος Beroſo, *Ibid. c.* 40. *Nabonadius* in *Canone Regum Babyl. Labynitus* Herodoto *l.* 1. *c.* 181. fil. juxta hunc Nitocridis Reginæ & Labyneti Babylonii (qui cum Syenneſi Cilice pacem conciliavit inter Gyaxarem & Alyattem, illum Medum, hunc Lydum, temporibus Nabuchodonoſori II.) conjuratione contra Laboroſoarchum Babyloniæ Regem initâ, illôque occiſô, thronô potitus eſt. Babylonis mœnia, quæ ſunt ad fluvium, coctô latere ac bitumine conſtruxit, cum Crœſo ultimo Lydorum Rege fœdus percuſſit, ſicque in ſe Cyrum illius victorem irritavit, qui cum exercitu Babylonem movit, urbem cepit, & Borſippum caſtra movit, *Nabonnedum* obſeſſurus. Hic verò, quod obſidionem non ſuſtineret, dedidit ſe, acà Cyro humaniter acceptus, in Carmania ſibi ab illo inhabitanda conceſſâ, reliquum tempus exegit. Quô modô Balthaſari *Regnum datum eſt Medis* (ſub Nerigliſſare) *dein Perſis* (ſub Cyro,) Dan. *c.* 5. *v.* 28. annô regni Nabonnedi 17. Vide Joh. Marshamum *Canon. Chron. Sec.* XVIII.

NABANTIUM, vulgò TOMAR, oppid. amplum Portugalliæ, ad Nabanum, 3. leuc. à Tago in Boream, & 8. à Scalabi in Cæciam.

NABARZANES, Prætor Darii, ultimi Perſarum regis, equitatui in dextro cornu, cùm acies ad Iſſon in Ciliciâ ordinaretur, præfectus: conjuravit cum Beſſo eâ mente, ut, ſi Alexander ipſos inſecutus foret, traditô rege vivô, inirent gratiam victoris: ſin autem eum effugere potuiſſent, interfectô Dariô, regnum ſibi occuparent bellumque renovarent. Deprecatus tamen veniam ab Alexandro accepit. Diodoro vocatur *Nabarnes l.* 17. *parte poſteriore.*

NABAT, pater Jeroboam ſervi regis Salomonis, 1. Reg. *c.* 11. *v.* 26.

NABATHA, civitatis cujuſdam nomen, in tractu Gad, à Nabajoth condita.

NABATHÆA, regio orientalis, *Barraab* Sarracenis, teſte Meletiô. *Euſtath.* Ἡ Ναβαταίων πολύανδρος ἐστὶν ἡ χώρα, καὶ εὔβοτος. Videtur legendum πολύαγρος. Eſt enim regio frugum inops, plena pecorum, teſte *Hieronymô.* Populi *Nabathæi*, à *Nabajoth* Iſmaelis filio, teſte *Iſidorô*, dicti, à Gabino, ingenti præliô, ſuperati ſunt. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 14. *c.* 11. *& l.* 1. *de Bell. Jud. c.* 6. Plin. *l.* 6. *c.* 28. Alii illos in Arabia Petræa ponunt, quorum metropolis eſt Petra, quæ Nabathæa cognominatur à Strabone, *l.* 16. Alii in Arabia Felici. Τῶν Ἀράβων τοὺς καλουμένους Ναβαταίους, inquit Plut. *in Demetrio.* Diodor. Sic. *l.* 2. Τὰ μὲν οὖν πρὸς τὰ ἄλλα μέρη κατοικοῦσιν Ἄραβες οὓς ὀνομάζουσι Ναβαταίους, νεμόμενοι χώραν τὴν μὲν ἔρημον, γῆν τε ἄνυδρον, ὀλίγην δὲ καρποφόρον. Ἔχουσι δὲ βίον λῃστρικὸν, καὶ πολλὴν τὴν ὅμορον χώρας κατατρέχοντες λῃστεύουσιν ὄντες δύσμαχοι κατὰ τοὺς πολέμους. *Baudrando* fuit Arabiæ Petrææ ad Ortum, verſus Arabiam deſertam, interque Palæſtinam ad Boream, & Arabiam Felicem ad Meridiem. De ſitu eorum Dionyſ. *v.* 854.

Ἀλλ' ἤτοι πρῶτοι μὲν κλιτὺν Λιβάνοιο
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἐπωνυμίην Ναβαταῖοι.

Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 60.

Eurus ad Auroram Nabathæaque regna receſſit.

Lucan. *l.* 4. *v.* 63.

Torſit in occiduum Nabathæis flatibus orbem.

Elephantos olim aluit hæc regio, Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 126.

Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu.

Incolas *Dacharenos* vocant *Euſtath.* ac *Steph.* *Nic. Lloyd.* Populos hos non aliô calceamenti genere quàm ſandaliis, uſos eſſe annotavit Strabo Amaſenus *Geogr. l.* 16. quod mulieribus convenire & mollitiei argumentum eſſe indicat Ælian. *in Hiſt. var. l.* 1. *c.* 18. interim & Apollinis Sandaliarii in *antiquo lapide* mentio eſt, teſtantur & uſum ſandaliorum Romanis Græciſque etiam fuiſſe, referente Jul. Menander, Cratinus *in Legg.* & Eupolis *in aur. et.* referente Polluce *Onomaſt. l.* 7. *c.* 22. quibus addi poteſt Cephiſodorus in *Trophonio.*

Σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν,
Ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔνεστιν ἄνθεμα.
Sandalia verò tenuiter diviſorum,
Quibus aurei inſunt flores.

Plura de Sandaliis, vide infrà *ſuô locô.*

NABCA, Ægyptiis hodie, aliter *Oenoplia*, eadem cum Veterum connaro, ſive loto Cyrenaica, ſpinoſa inſtar acaciæ, latioribus foliis quàm zizyphi, fructu gaudet rotundô, juglandis nucis magni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

magnitudine, dulci, odoratô. Dicta autem hæc Lotos *Cyrenenſis* eſt, quòd per totam Africam diſperſa, & Ægypto quoque Cyrenenſis agri conterminæ, familiaris eſſet. Alexandrini κόνναρον vocabant, apud quos in ſecundis menſis plurimum celebrabatur. Curabatur hic fructus ſolicitè, & ad cibos condebatur doliis, contuſus priùs & in maſſas redactus. *Agathocles*, Τρώγεται ἔτι χλωρὸς ὁ καρπὸς, καὶ ἐπὴν αὐανθῇ ποιοῦσι ἐξ αὐτοῦ ἄλευρα, καὶ πατέοντι ταῦτα οὐ μάξαντες, οὐδ' ὕδατι δεύοντες, ἀλλὰ φαύλως ὁκοῖόνπερ πέφυκεν. Quæ verba perperam nonnulli accipiunt, quaſi ex hujuſmodi fructibus farina fieret apud Ægyptios. In maſſas pedibus calcantes hunc fructum potiùs redigebant, & doliis condebant, ut ſervaretur. Cujuſmodi maſſas ἄλευρα Auctor vocat, quales fiunt ex farina conſperſa. Qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1037. *& ſeqq.*

NABIS, Lacedæmoniorum poſt Machanidam tyrannus crudeliſſimus, cum Romanis bellum aliquandiu geſſit, poſtquam Philippum Demetrii fil. cum his bellantem Argis cedere coëgiſſet, mox pacem impetravit, an. Urb. Cond. 560. à L. Quintio Flaminio, captis Argis, victus & Lacedæmonem ſibi habere juſſus eſt. Sed paulo pòſt interfectus, Flor. *l.* 2. *c.* 7. Liv. *l.* 34. *c.* 26. Polyb. *l.* 13. &c. quô pactô Spartani libertatem recuperârunt, *Ibid.*

NABIS, nomen feræ apud Æthiopes, quæ *Camelopardalis* Romanis. Plin. *l.* 8. *c.* 18. poſtquam de Camelis diſſeruit, *Horum*, addit, *aliqua ſimilitudo in duo transfertur animalia:* Nabin *Æthiopes vocant collo ſimilem equo, pedibus & cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus, unde appellata Camelopardalis, Dictatoris Cæſaris Circenſibus ludis primùm viſa Romæ.* Et Solin. *c.* 30. *Quæ locorum Æthiopes tenent, feris plena ſunt, à quibus quam* nabim *vocant, nos camelopardalim dicimus.* Ubi ſcripti *Nabun* habet; ut & Pliniani. Sed & *Nabuna* in quibusdam legitur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 388. Vide ſuprà in voce *Camelopardalis.*

NABIUS, ſeu NAVIUS, Tarraconenſis Hiſpaniæ fluv. *Ptol. Navius*, Melæ *l.* 2. *c.* 3. *Baudrando* fluv. Callaicorum, *Rio Eu*, ſeu *Miranda.* Nunc Aſturiam à Gallæcia ſeparat, & poſtea in Oceanum Cantabricum ſe exonerat, prope Rivadaviam.

NABLA, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ *Ptol. Naana* ſubſtituêre Interpretes.

NABLIUM, vide NAULIUM.

NABO, vel NEBO, civitas in terra Moab. Jer. *c.* 48. *v.* 22. quam ædificaverunt filii Ruben, Num. *c.* 32. *v.* 38. Eſt & nomen montis. Eſai. *c.* 15. *v.* 2. Item nomen Idoli, Eſai. *c.* 46. *v.* 1.

NABO-COL-ASSARUS, vide *Nabuchodonoſor* II.

NABONASSAR, homo Aſſyrius, primus Rex Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, poſt diviſionem Aſſyriacæ Monarchiæ, Epochæ famoſæ auctor. Cujus imperii initium obſcurum admodum, interim probabile eſt, Babylonios inſurgentes contra Medos, qui Aſſyrium imperium deſtruxerant, fundâſſe ſub Nabonaſſare, Medorum Præfecto, ſeu Duce, novum hoc regnum, quod ſub Nabuchodonoſore poſteà immenſùm crevit. Videtur autem hic Nabonaſſar Baladan fuiſſe, cujus apud Eſaj. *c.* 39. *v.* 1. & 2. Reg. *c.* 20. *v.* 12. mentio fit. Plerique Epocham hanc figunt, in *A. M.* 3306. ante Chriſtum Natum 747. an. 1. Olymp. 8. Urb. Cond. ſextô. Ut *Torniel. Salian. Spond.* &c. Vide 1. Paral. *c.* 32. Ptol. *l.* 4. *Almag. c.* 8. Scaliger. *de Emend. Temp. p.* 391. *& ſeqq.* Chriſtmann. *de Connect. Ann.* Origan. *T. I. Ephemer.* Reinold. *in Pruten.* Petav. *de doctr. temp. l.* 9. *c.* 51. *& ſeqq. l.* 10. *c.* 7. *& ſeqq. & part. II. Ration. temp. l.* 1. *&* 3. Ubb. Emmium, *l.* 2. *rer. Chron. & l.* 5. Tirin. *in Chron.* 5. *c.* 35. Iſaac. Voſſium, *Chron. ſacr. c.* 9. Joh. Georg. Hervartum, *nova Chron. c.* 227. Lang. *de annis Chriſti, l.* 2. *c.* 12. Calviſ. *in Chron.* Paul. Guldin. *l.* 5. *contra Calviſ.* Ricciolum *Chron. Ref. part. I. l.* 5. *c.* 5. *&c. Nic. Lloydius.* Juxta Marshamum *Nabonaſſar* in Babylone regnare cœpit annô Period. Jul. 3967. ejuſque æræ pars prima continet *Regum Aſſyriorum & Medorum ſeriem*, qui titulus eſt Canonis, uſque ad initium Cyri, quorum numerantur anni 209. altera *Perſarum*, uſque ad mortem Alexandri, quorum ſunt anni 215. Ptolem. *l.* 3. *c.* 7. Atque hi anni *Nabonaſſari* propriè dicuntur: qui verò ab exceſſu Alexandri M. numerantur, *Philippi* vocantur, ſcil. Aridæi, Cenſorinus *c.* 21. Et quidem *Canon Nabonaſſari*, ab Aſtronomis primùm uſurpatus, maximam tandem auctoritatem apud Hiſtoricos obtinuit: ut cujus tanta eſt cum Sacris inprimis Literis congruentia, ut ſine illo vix eſſet ullus ab Hiſtoria Sacra ad exoticam tranſitus; neque ſatis notus eſſet *Primus* ille *Cyri annus*, quô ſoluta eſt ſeptuagenaria Judæorum captivitas. Floruit autem *Nabonaſſar*, circa tempora Ezechiæ Regis Judæorum adhucdum cum patre regnantis, & Salmanaſſaris Regis Aſſyriorum: duplices namque ab initio ejus Reges Aſſyrii erant, quorum hi Nini, illi Babylone regnabant, uſque ad annum Nabonaſſari 68. quo Aſar-adinus utrumque regnum conjunxit. Regnavit Nabonaſſar ann. 14. ſucceſſore Nadio. Joh. Marshamus *Can. Chronico Sec.* XVII. ubi & Babylonem ab ipſo conditam, & Samariam annô illius 12. captam ait.

NABONNIDES, vel LABINETUS, Rex Babylon. Sic apud prophanos auctores nominatus, occiſô Balthaſare, ultimô ex Nabuchodonoſoris ſtirpe, regnavit Babylone, ann. 17. An idem cum Dario Medo? Vide *Nabannedus.*

NABOPOLASSAR, vel NABOLASSAR, vide *Nabuchodonoſor primus.*

NABOTH, vir Judæus, per injuriam ac dolum ab Achabo rege, cui pœnam Elias prædixit, circumventus, & interfectus, quia ei vineam ſuam vendere noluerat, 1 Reg. *c.* 21. *v.* 3. Torniel. *A. M.* 3135. *n.* 2.

NABU, nomen unius ex Principibus regis Babylonis, Jer. *c.* 39. *v.* 3.

NABUCHODONOSOR I. Rex Babylonis, *Nabolaſſar Beroſo*, *Nabopolaſſar* Ptolomæo, *l.* 5. *Almag. c.* 14. *Nabocolaſſar*, Scalig. *de Emend. temp. l.* 5. ſucceſſit Patri Ben Merodach, *A. M.* 3407. uſque ad A. M. 3429. quô fil. Nabuchodonoſor, jam antè Patris Collega, ſucceſſit. Marshamo, Chyniladani Succeſſor, annô Æræ Nabonaſſ. 123. ann. 4. Jehojakimi, Rex bellicoſiſſimus, quæ Rex Ægypti in Syria obtinuerat, recuperaturus, ſub initiis regni Pharao-Nechonem ad Euphratem vicit, totam Syriam Peluſio tenus ſubegit, Jehojakimum tributarium ſibi fecit, rebellantem occidit, Jechoniam fil. ejus deportavit annô regni 8. per filium cognominem, *Regis* titulô, patre adhuc vivô, inſignem, Hieroſolymam expugnavit, Zedekiam ultimum Judæorum Regem cum populo Babylonem abduxit, annô regni 19. Tyrum veterem excidit, obſidionis annô 13. Ægyptum ſubjugavit. obiit annô Nabon. 144. regni 21. ſucceſſore filio Nabuchodonoſore II. Vide præfatum Marshamum *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi plurima de illo.

NABUCHODONOSOR II. Magnus, ab Hebræis *Nebucadnezer* dictus fil. prioris, imperare cœpit Babyloniis, patre vivente, an. 4. regni Eliacim, Regis Judæ: qui erat annus mundi 3423. ante Chriſtum natum 625. Hic bellum cum Aſſyriis primùm, dein cum Pharaone Necho ſive Nechaone, geſſit, cum vicit, & totam Syriam uſque Peluſium, Judæâ ademptâ, ſuæ ditioni adjecit: Joachim ſeu Eliacim, Regem, quòd cum Nechaone fœdus pepigerat, ſibi tributarium fecit. Dein, patre mortuô, domum redux, thronum ſolus conſcendit: poſteà Jojakimum tributum recuſantem cepit & ligavit, ut Babylonem duceret, attamen interim curavit interfici. Iterum Joachimum, ſeu Jechoniam, Jojachimo ſuffectum, cepit, Babylonemque cum uxore, liberis, & theſauro ſacro, deduxit. Idem Jeruſalem, tempore Sedechiæ, obſedit, habens principem militiæ *Nabuſardan.* Filios Sedechiæ, urbe captâ, *A. M.* 3446. occidit coram eo, ipſumque patrem exoculavit, vinctumque catenis abduxit Babylonem: templum ſuccendit, civitate captâ ac direptâ. Poſt hæc, Æthiopibus, Arabibus, Idumæis, Philiſtæis, Syris, Perſis, Medis, Aſſyriisque victis, & totâ ferme Aſiâ perdomitâ, elatus, aureum Coloſſum erigi eumque adorari juſſit, tribus Juvenibus, ſociis Danielis, qui id facerè conſtantiſſimè renuentes, in fornacem ardentem conjecti erant, miraculô illæſis. Poſteà ſomniô myſticô duplici territus, à Daniele interpretationem utriuſque accepit: Tandem regnô, ob inſaniam, pulſus, cum feris ſeptem annis in agro egit. Quibus exactis menti & potentiæ redditus, annum ſupervixit, quem adeo bene, in Danielis converſatione, collocâſſe videtur, *Auguſtino, Hieronymo, Epiphanio, Theodoreto*, &c. ut de ejus ſalute non dubitent. Obiit *A. M.* 3471. Imperii 43. Quintô ejus regni annô, 125. Nabonaſſaris, an. 3433. Mundi, Eclipſis illa Lunæ contigit, cujus Ptolemæus facit mentionem, quæque Chronologiæ Imperii illius optimum fundamentum eſt, Joſeph. *l.* 10. *Antiq. Jud.* Gernler. & Pererius, *in Danielem.* Gordonus, Mercator, Scaliger, Petavius, &c. Vide apud Danielem hujus ſomnia, de quatuor regnis mundi. Item de aurea ſtatua, quam adorari juſſit. Vide & Joſeph. *l.* 10. *c.* 7. *& ſeqq.* Hic (inquit Origenes) *gentibus innumeris propinavit mœroris potum, ſuperbè ac crudeliter, quod Domini fiebat virtute, ſibi arrogantiùs aſſcribens* &c. Juxta Marshamum, *Nabuchodonoſor* hic ſolus regnare cœpit, annô Nabonaſſ. 144. quo pater obiit, ut vidimus, cùm jam, poſt excidium Hieroſolymorum, ille in Phœnicia & Ægypto biennium victorioſè tranſegiſſet, auſpiciô paternô, anno regni 2. Cyaxari I. Medorum Regi in expugnanda Nino (quæ à Babyloniis ſub Saosduchino ſeu Chyniladano, ignavis Principibus, deſciviſſe videtur, propriô Rege electô) auxiliô fuit, utpote ob Nitocrim Medam, uxorem ſuam, ei affinitate junctus. Rebus dein Ægypti aliarumque gentium conſtitutis, ad pacis opera ſe contulit, in quibus impenſè magnificus erat: de quibus, præter Beroſum Joſepho *d. l.* & Megaſthenem, eidem *contra Apion.* laudatos, vide Abydeni *Fragm.* apud Euſebium *Præp. Euang. l.* 9. *c.* 41. & plura hanc in rem, apud Joh. Marshamum *d. l.* ubi *Nabocol-aſſarum* hunc Regem in *Canone Babylon. Regum* vocari addit. Ei ſucceſſit fil. Evilmerodachus, de quo ſuprà. Vide voce *Nebucadnezar.*

NABUCHODONOSOR, Rex Ninives, cujus in libro apocrypho Judithæ mentio, à Chronologis fruſtra quæritur.

NABUS, fluv. Nariſcorum, per mediam Nortgojam, in Danubium paulò ſupra Ratisbonam fluens. Hinc *Nabburgum* oppid. 3. leuc. à Vidonio urbe Ratisbonam verſus.

NABUSEZBAZ, nomen viri, Jer. *c.* 39. *v.* 13.

NABUZARADAN, princeps exercitûs regis Babyloniorum, 2. Reg. *c.* 25. *v.* 8. Is reliquias Judæorum in Meſopotamiam abduxit: Jeremiam verò è carcere extractum, benignè habuit. Jer. *c.* 39. *& ſeqq.*

NACURA, ſeu NACHARA, apud Sanutum *l.* 2. *part.* 4. *c.* 20. & 21. *Sint quatuor Tubatores, tibicines, tibiatores, & qui ſciant pulſare* Nacharas, *Tympana* ſeu *Tamburla:* crotalum eſt vel tympani ſpecies, quâ equitatum militarem per Alemanniam, Septentrionalem præſertim, uti ſolere, tradit Petrus de Valle *Ep.* 6. Gallis *Tymbale.* Turcis & Saracenis tribuitur, in *Geſtis* Ludovici VII. Regis Francorum *c.* 8. *Tympanis* & Nacariis *& aliis ſimilibus inſtrumentis reſonabant.* Vide quoque Joinvillam *in S. Ludovico p.* 28. Froiſſardum *Vol.* 1. *c.* 147. & Orronvillam *in Hiſt. Ludovici Ducis Bonon. c.* 76. apud quos hujuſmodi tympana *Nacaires* dicuntur, ſicut *Nacres* Raimundo Montanerio *in Chron. Aragon. c.* 19. 139. & 220. A Turcis ea Franci accepêre, quibus non ſemel tribuitur, à Scriptoribus laudatis Car. du Freſne *Not. ad Joinvillam:* ubi idem obſervat, ab iis *Anacaires* appellari, ut & apud Græcos Ἀνάκαρα, Codino *de Offic. c.* 6. *num.* 15. & Ἀνακάραδα, Nicetæ. Hinc certè Ἀνακαρισταὶ Tympaniſtæ dicti eidem Codino *l. cit.* & Nicetæ *in Manuele l.* 5. *num.* 7. qui videl. ejuſmodi tympana pulſabant, Id. *Gloſſ.* Vide quoque *Anacaria.*

NACCÆ, *Varroni, Feſto* & *Paulo* vulgò Fullones dicti, *quòd omnia ferè opera ex lana, nacæ dicantur à Græcis.* Νάκη enim &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

νάκος, pro capræ pelle, palam uſurpatur Homero *Odyſſ.* ξ. *v.* 530. & Theocrito *Idyll.* 5. pro *ovillo vellere*, *Simonidi.* Quô quidem nomine apud *Suidam* ita capitur, Νάκη, τὸ αἴγειον δέρμα· κῴδιον, τὸ προβάτειον· οὐκ ἄρα τὸ ἐν Κόλχοις νάκος φησίν· κακῶς ἄν Σιμωνίδης νάκος φησί. *Caprina pellis eſt νάκη, ut ovilla κῴδιον. Itaque Colchicum vellus non dicendum eſt νάκος. Male igitur Simonides νάκος appellat.* Simonidis tamen exemplô νάκος pro *vellere* ab iis uſurpari videmus, qui puriſſimè loquuti ſunt. Sic apud Herodotum *l.* 2. *c.* 42. Thebani Jovem fabulantur, ari te cæſô, & ἐνδύντα τὸ νάκος, *vellere illius aſſumtô*, Herculi apparuiſſe. Et, in Syria Luciani Dea, quiſquis illi ſacra facit, ove mactatâ, τὸ νάκος χαμαὶ θέμενος ἐπὶ τὰ ἐς γόνυ ἄγεται, *vellus humi ſternens, ſuper hoc in genua procumbit* &c. Et *Archippo*, νακοτιλτεῖν eſt, *vellera tondere*, aut *vellicare.* Et *Philemoni* νακοτίλτης, *vellerum evulſor.* Et *Cratino*, νακότιλτος ὥσπερ εἰ κωδάριον, *qui velleris inſtar vulſus eſt*: quæ omnia apud Pollucem *l.* 7. *c.* 9. Suidæ etiam & Cyrillo, apud Bochartum, manuſcripto, οἱ τῶν νακῶν κουρεῖς, *ovium tonſores*, Et νάκος huic κῴδιον, *vellus*; illi δορὰ προβάτου, *ovilla pellis*: & Gloſſatori veteri *Pellis lanata*, νάκη. Unde *Nacca*, ut vidimus. Imò, ut de capræ pelle, & de ovillo vellere, reperitur: ſic de *vellere* primò videtur dicta vox, inde ad caprinam pellem tranſlata Sam. Bocharto modò laudato, quem vide *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 42. Salmaſ. tamen *Nactas* dici *Varroni* Fullones mavult, ἀπὸ τοῦ νάσσειν, *à premendo & denſando*: unde *Nactina*, fullonis uxor, apud Apulejum, & τὰ νακτὰ, *coactilia.* Vide eum *ad Solin. p.* 193. Sic *Nactum* vel *Nactus*, legit Car. du Freſne, apud Jac. Stephaneſium Cardin. *de Coronatione Bonifacii VIII. c.* 9.

Poſt ipſum quadratus equus, detextus ad ante,
Velatuſque rubro ſcarleti tergora nacto,
Cygneus ad dextram vehitur.

Et infrà,

Cornipedemque ſedem niveum ſub tegmine nacti.

Et apud Innocentium III. *l.* 1. *Ep. p.* 34. *Denique ut Piſana civitas ampliùs honoretur, equô albô, cum nacto albo, in proceſſionibus utendi tibi licentiam damus*; ubi Voſſ. *nachus* retinet, & à νάκος i. c. *vellus* vel *lana*, deducit: Stragulumque intelligit, quo totus equus inſternitur. Vide eum *in Gloſſario* & Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

NACHABA, urbs Arabiæ deſertæ *Ptol. Banacha* Interpret.

Rabbi NACHMAN, præſes Academiæ Nahardeæ: quæ cum Sorana & Pombeditana, initium ſumpſit, ſub initium Millenarii V. juxta calculum Rabbi *Ganz.* Vide quoque Rabbi *Jehuda*, & Rabbi *Jone*, quorum ille Soronam, hic Pombeditanam, primi rexêre.

R. NACHMAN Fil. Iſaaci, præſes Pumbeditæ, poſt mortem Rabæ, floruit, ann. 4113. juxta *eund.*

NACHOR, fil. Sarug, Avi Abrahami, natus A. M. 1880. An. ætat. 30. genuit Tharam, obiit A. M. 2027. Gen. *c.* 11. *v.* 22. fil. item Thara, frater Abrahami & Arani, cujus fil. Milcham duxit, Gen. *c.* 11. *v.* 27.

NACHORAGAS, dux exercitus Perſarum ſub rege Coſroë.

NACO, frater minimus natu Miciſlai, Regis Herulorum, fil. Billungi ſeu Miſtævoji, quem à Viſtula ad Viſurgim imperitâſſe dicunt; Ottonis I. hoſtis, cum fratribus, paganam ſuperſtitionem tutatus eſt: poſtquam Avus, ductâ Vagonis Epiſcopi Oldenburgi Vagriæ ſorore Chriſtianam fidem amplexus, ſed iterum eam deſertam perſecutus eſſet. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Vandal.*

NACOLÆ, urbs Phrygiæ magnæ, à *Nacole* Nympha, vel è *Nacolo* Daſcyli filio. *Nacolia Steph. Einagiol* Turcis *Leunclavio.* Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Synnadienſi.

NACONE, urbs Siciliæ, *Steph.*

NACRASA, Lyciæ urbs; *Ptol.*

NACRI Campi, *Strab.* Liv. *l.* 41. *c.* 18. ſeu (ut alii legunt) *Macri*, locus Galliæ Togatæ inter Mutinam, & Ferrariam *Val di Montirone*, *Leandro*, à Mirandula 5. mill. paſſ. Ferrariâ diſtans.

NACRIA, Tuſciæ urbs. Vide *Nucria.*

NADAB, fil. Aaron, Exod. *c.* 6. *v.* 23. cum fratre Abihu; negligentiùs ſacra tractantes, occultô igne exuſti ſunt, corporis ſuperficie & veſtibus illæſis, Levit. *c.* 10. *v.* 1. Torniel. *A. M.* 2545. *num.* 4. Fil. item Semei, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 28. Fil. Jahiel, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 36.

NADAB, fil. Jeroboam, ſucceſſit patri in regno Iſraël, annô ſecundô regni Aſa, Regis Judæ: Hic impius, genuina patris proles, non diu imperavit: occiſus eſt à Baſa, annô tertiô Aſa, regis Judæ: & regnum ejus occupavit homicida ille Baſa. Vide 1. Regum, *c.* 14. & 15. Regnavit annô à condito mundo 3081. Torniel. *A. M.* 3081. 3082.

NADABIA, fil. Jechoniæ, filii Joacim, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 18.

NADDAVER, urbs Æthiopiæ ubi Matthæus Apoſtolus martyriô affectus. Ejus meminit Venant. Fortunatus, *l.* 8.

NADIES, Babylonis Rex II. Nabonaſſeri Aſſyrio, qui homines σκηνίτας eô deduxit, urbem munivit, arces excitavit, palatia condidit, Eſaj. *c.* 33. *v.* 13. ex interpretatione Marſhami, ſucceſſit, tempore Ezechiæ adhuc cùm patre in Juda regnantis; præfuit ann. 2. ſucceſſoribus Chinzirô & Porô. Joh. Marſhamus *Canone Chronico Sec.* XVIII.

NADRAVIA, provinc. Pruſſiæ Ducalis inter Demam & Inſtrum, ad Gorgenburgum, *Metel. Mercat.*

NÆBIS, *Strab. Neiva*, *Jac. Vaſconcello*, fluv. cum pago cognomine in finibus Bracarum, in Portugall. apud Vianam oppid. mari exceptus, 6. leuc. à Bracara urbe in Occaſum.

NÆFELIUS, NAVALIUS vicus, Helvetiæ, in agro Glaronenſi, dimidio infrà Glaronam milliari, in planicie vallis, undique montibus altiſſimis cinctæ, ſitus, aliter *ad Navalia* dictus eſt, eo quòd olim navigia Lindemagô euſque ſubveherentur, German. *Näfels.* Hîc vallem, quia prope hunc vicum liber in illam aditus patebat, ob belli Auſtriaci metum, murô foſſâque clauſêre Glaronenſes, ſtatim à quo Helvetiis ſacramentum dixere. Celebris eſt in hodiernum uſque diem inſigni Glaronenſium de Auſtriacis victoriâ, partâ tertiâ feriâ Aprilis A. C. 1387, Poſtquam enim Leopoldus ad Sempachium victus eſſet A. C. 1386. captô ab Helvetiis oppidô Veſenâ, induciæ uſque ad initium carniſprivii ſequentis anni factæ ſunt. Quibus finitis, Glaronenſes præſidium miſêre Veſeniis, qui ſacramenti fide violatâ hoſtibus noctu portis apertis, è præſidio pleroſque cæciderunt. Aprili dein menſe, die dictâ, Auſtrii exercitum 15000. *ad Navalia* duxere, vallumque perrupêre: quibus ſeſe 350. homines è Glaronenſibus, & 30. è Suitiis, opponentes, hoſtem memorabili præliô vicêre, captis 11. ſignis primariis, cæſis autem bis mille quingentis, præter eos qui in aquis perierunt. Memoria victoriæ quotannis celebratur à Glaronenſibus magnâ ſolennitate, feriâ quartâ primæ ſeptimanæ Menſis Aprilis, niſi illam Paſcha proximè antecedat, tum enim in ſeptimanæ, Paſcha ſequentis, feriam quartam differtur: quem ritum prolixè deſcribentem vide ſis Joſ. Simler. *deſc. Helvetiæ*, cui adde Stumpſium *Chr.*

NÆNIA, Dea funerum, cui veteres Romani ſacellum, auctore Feſtô, extra portam Viminalem, dedicârunt. Vide Voſſium in *Etymolog. voce Nenia*, ſic enim ſcribendum: ut & hîc infrà.

NÆNIA, an ex ſono vocis, quem flentes emittunt: an quod eam vocem flendô efferimus; an quòd chordarum ultimas Græci Νήτας dicunt, extrema cantionis vox ſic appellata eſt? Scaliger ex Hebr. נהי נהי, *plange, plange*, Ezech. *c.* 32. *v.* 18. ducit, ut Phryges & poſt eos Græci veteres νηνιατὸν vocârunt: Carmen erat, quod ad rogum dicebatur. Unde Nonius Marcellus, *Nænia*, inquit, *eſt carmen ineptum ac inconditum, quod à conducta muliere, quæ Præfica diceretur, in quibus propinqui non eſſent, mortuis exhiberetur.* Et Quintil. *l.* 8. *c.* 2. *Carmen funebre propriè* Nænia *dicitur.* Aliter Νήνιτον i. e. *extremum*: quemadmodum tibiam, quæ in funeribus adhibebatur, Νηνιδόνα vocavit *Pratinas Phliaſius.* Phrygum inventum eſſe, ſuggerit *Hipponax.* Et quia hoc ultimum erat quod defunctis canebatur, Plautus vocabulum pro fine uſurpavit *in Pſeud. Actu* 5. *ſc.* 1. *Id*, ajens, *fuit Næniæ ludo.* Impropriè dein & propter nugas, quæ in mortuorum laudem, præcipuè in funere infantium, canebantur, pro ineptiis cujuslibet cantus aut ſermonis ſumitur. Sic Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 1. *v.* 37.

Sed ne relictis Muſa procax jocis
Ceæ retractes munera Næniæ.

Similiter fabulas ſuas *Nænias* per modeſtiam appellat Phædrus *Fab. l.* 3. *Prologo ad Eutych. v.* 10. Hinc & Jovianus Pontanus vocem ad Nutricias cantilenas traduxit: propterea quòd vulgus alicubi in Italia *Nenas* dicunt, ut opinatur Scaliger, à cantiunculis, quæ ſint ſimiles cantibus Præficarum: Cujus carminis angustiis divinus ille vir ita clauſit laſciviam immenſi ſui ingenii, ut aliorum excluſerit audaciam. Imò jam Horat. ſic uſurpavit *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 62.

Roſcia, dic ſedes, melior lex, an puerorum
Nænia, *quæ rectè regnum facientibus affert.*

Et Arnob. *l.* 7. *Somnô occupari ut poſſint, leves audiendæ ſunt næniæ.* Nec καταβαυκαλήσεις ſolùm veteres Nutricum cantiones, ſed & Νύνια, Græcos appellâſſe, teſtis eſt Franc. Roſſæus *Archæol. Att. l.* 5. *c.* 7. Quale illud apud Theocritum. *Id.* 5.

Εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον,
Εὕδετ' ἐμὰ ψυχὰ, δύ' ἀδελφεὼ εὔσοα τέκνα,
Ὄλβιοι εὐνάζοισθε, καὶ ὄλβιοι ἀῶ ἵκοισθε.
Infantes placidô componite lumina ſomnô,
Dormite ô animæ dulces, dormite gemelli,
Craſtina dum vobis lætis affulſerit Eos &c.

Vide quoque infrà *Nenia*, it. *Præfica.*

NÆOMAGUS, oppid. Delphinatus, ad Ægam amnem, in confinio Provinciæ, cujus arx diruta; *Nions* 6. leuc. a Fano S. Pauli Tricaſtinenſis in Ortum, Seguſteronem verſus, 3. à Vaſione in Cæciam.

NÆVIA, nomen mulieris. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 72.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur.

NÆVIA, porta urbis Romæ, extra quam ad 4. mill. paſſ. Silva *Nevia* occurrit, teſte *Feſtô*: à *Nævio* cive cujus erat, dicta. Fuit inter Eſquilinam, & Tiburtinam ſita eſt à Baſilicâ S. Mariæ majoris propriore hodie nomen habens. *Baudrando* nunc *Porta Maggiore*, quia major aliis & quaſi arcus triumphalis. Longe à Baſilica S. Mariæ Maj. *Famianus Nardinus* tamen credit, fuiſſe inter Portas Cœlimontanam & Latinam.

Cn. NÆVIUS, poëta, qui bellô Punicô primô militavit, & ejus belli hiſtoriam reliquit: varias item fabulas docuit, ac primum quidem, an. Urb. Cond. 519. Stylus ejus Satyricus, familiam Metellorum, Romæ tum potentiſſimam, adeò irritavit, ut Româ pelleretur. Uticam ergo ſe recepit, ubi obiit, An. 551. Urb. Cond. Præter Gell. *l.* 7. *c.* 21. Hieronym. *in Chron.* Vide Voſſium de Poëtis Latinis, *c.* 1. & *Orat. Inſt. l.* 4. *c.* 10. §. 3. itemque de Hiſtoricis Latinis, *l.* 1. *c.* 2. Propter maledicentiam Scipioni Africano & Metello (ut dictum) inviſus, in carcerem compactus eſt à Triumviris Capitalibus, ubi duas fabulas, *Hariolum* & *Leontem* conſcripſit, in quibus *quum delicta ſua & petulantias dictorum*, ut ait A. Gellius *l.* 3. *c.* 3. diluiſſet, à Tribunis plebei vinculis exemptus eſt. Meminit ejus incarcerati Plautus *Milite Glorioſo Actu* 2. *ſc.* 2. cùm ait,

Nam os columnatum Poëtæ ineſſe audivi barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Nævium enim hîc innuit, quem Græcô more *barbarum*, i. e. Latinum Poëtam vocat. Huic *columnatum os* tribuit, an quia brachium velut columnam ſuffulſerit mento, dum fabulas ſcribebat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bat: An quia vincula columnæ ſimul & capiti ejus annexa fuêre: An potiùs ad Menium columnam reſpexit, ubi judicia à Triumviris exercebantur, teſte Cicerone *in Cluentiana*. Deſcripſit bellum Punicum, cujus ipſe pars fuit, verſibus Saturniis, ut Feſtus teſtatur: quod carmen poſtea Cajus Octavius Lampadio diviſit in libros ſeptem, ut Suetonius inquit *de Illuſtr. Gramm. c.* 2. Hoc cum vitio ipſi vertiſſet Ennius.

——— *Scripſêre alii rem*
Verſibus, quos olim Fauni vateſque canebant,
Cùm neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,
Nec dicti ſtudioſus erat.

Ipſe tamen eum imitatus eſt, teſte Cicerone *in Bruto*. Inter Comicos tertiô locô illum ponit Sedigitus, apud A. Gellium *l.* 15. *c.* 24. poſt Cæcilium Statium & Plautum, his verbis,

Dein Nævius, *qui fervet, pretium tertium eſt.*

Ipſe ſuperbo ſibi Epigrammate, *quod teſtimonium eſſe juſtum potuiſſet, niſi ab ipſo dictum eſſet*, ſententiâ A Gellii *l.* 1. *c.* 24. parentavit:

Mortalis immortalis flere ſi foret fas;
Flerent divæ Camœnæ Nævium *Poëtam.*
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro;
Oblitei ſunt Romæ loquier Latinâ linguâ.

Campanum eum fuiſſe, ibidem loci innuere Gellius videtur, cùm Epigramma hoc *plenum ſuperbiæ Campanæ* vocat. Vide Ant. Thyſium & Jac. Oiſelium *Notis in A. Gellii loca citata.*

NÆVIUS, Tribunus plebis unà cum Collegis Petilliis, P. Corn. Scipionem Africanum repetundarum poſtulavit.

NAFFUS, arca lignea ſeu ſarcophagus, in quo conduntur corpora Sanctorum, pallis exornata, Gregor. Turonenſ. *de Glor. Confeſſ.*

NAGADITA, urbs Taprobanæ. *Ptol.*

NAGARA, urbs Arabiæ Felicis mediterranea. *Negron* ex tabulis recentiorib. Item urbs parva, Hiſpaniæ Tarraconenſis vulgò *Naja*, in Rivogia provinc. cum titulo Ducatus inter Logronium in Cæciam, & Dominicopolim ſeu Calceatam in Africum, ubi aliàs acriter dimicatum, inter Petrum Crudelem & Henricum, Caſtellæ Reges.

NAGARURIS, civitas Indiæ, intra Gangem. *Ptol.*

NAGIA, oppid. Gebanitarum, in Arabia Felice. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

NAGIDOS, ſeu NATIDOS Melæ *l.* 1. *c.* 13. urbs Pamphyliæ in Ciliciæ confinio, *Nigde* incolis, & *Nigidia* Turcis, teſte *Leunclaviô*, contra quam *Nagiduſa* inſula. Sed *Stephano* Iconio finitima eſt. Aliis urbs eſt Ciliciæ aſperæ, ad oſtia fluv. Orymagdi, 40. milliar. ab Antiochia ad Tragum in Ortum, 50. à Corycio in Occaſum, in ora maris Cilicii; prope quam Inſul. parva *Nagiduſa. Steph.*

NAGNATA, urbs Hiberniæ, *Ptolom.* apud quem ſitus loci (inquit *Waræus*) locum aliquem deſignare videtur non procul à Sligoa urbe.

NAGOLDIA, oppid. Ducatus Wirtemberg. ad amnem cognominem, cum caſtro ſat munito, 8. milliar. Germanic. ab Argentina in Ortum, 3. à Tubinga in Occaſum.

NAHABI, filius Vapſi, Numer. *c.* 13. *v.* 15.

NAHALIEL, locus ubi caſtra fixerunt Iſraëlitæ, Numer. *c.* 21. *v.* 19.

NAHAM, frater Odaiæ mulieris, & fil. Caleb, filii Jephone, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 19.

NAHAMANI, nomen viri, Nehem: *c.* 7. *v.* 7.

NAHAR. vel NOHAR, animal eſt fabuloſum, apud Arabes Scriptores, de quo ſic Ibnoſaida: *Animal eſt* nohar *in quarto cœlo, quod quotidie introducit Angelus, ut nubes in eo colligantur, deinde educit. Et excutiuntur excuſſiones ejus: inde exeunt ſeptuaginta guttarum millia. Ex his totidem Angelos creat Deus, quibus imperat, ut circumſtent domum Mamur; quod illi faciunt, nec revertuntur ad Deum ampliùs. Sed inter cœlum & terram jugiter manent Deum laudaturi, uſque ad diem reſurrectionis.* Ubi *Domus Mamur* illi eſt domus cœli, cui ſubeſſe Mechanum templum & ad ejus exemplar factum eſſe, fabulantur Arabes. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 6. *c.* 14.

NAHARAI, armiger Joabi, 2. Sam. *c.* 23. *v.* 37.

NAHARVALI, Tacito *in Germ. c.* 43. Germaniæ populi: quem reliqui ſequuntur. *Maharuani* fortè legendum: qui poſtea appellati *Marauani*, in *Annalibus* Ludovici. *Marahabitæ*, in *Annalibus* Fuldenſibus. Apud nonnullos etiam recentiores *Marahenſes* & *Margenſes*. *Maharuali* tamen ſi apud Tacitum retinendi, erunt dicti ut *Weſtuali*, *Tajuvali*, qui vulgò *Weſtfali* & *Taifali*.

NAHASSON, filius Aminadab, Exod. *c.* 6. *v.* 23.

NAHATH, filius Rahuel filii Eſau, Gen. *c.* 36. *v.* 13.

NAHOR, vide NACHOR.

NAHUM, nomen Prophetæ, Nehem. *c.* 7. *v.* 7. unius ex 12. minorib. Sub Ezechia Rege prophetâſſe videtur: Tribus Capitib. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 9. *c.* 11. Hieronym. *Præf. in Nah.* Epiph. *in vit. Proph.* Salian. *A. M.* 3315. *n.* 19. Torniel. 3321. *n.* 3. *&* 4. *&c.* In Prophetiam ejus proſtant: Bibliandri *Verſio ſecundùm Hebr. Verit. cum Exegeſi. in* 8. Tiguri, 1543. Crocii *Commentar.* in 8. Bremæ, 1624. 12. Lugduni Batav. 1620. Chytræus. Danæi *Comment.* Dieterici 62. *Conc. Germ.* in 4. Ulmæ, 1658. Geſneri in 8. Hamb. 1618. & Hafenrefferi *Comment.* Juliani *Scripta*, Tom. 2. Vide Bibliothec. PP. Janſſonii *Comment.* 8. Heidelbergæ, 1599. Pintus, in 8. Coloniæ 1583. De Quiros. Tarnovius. Theophylacti *Commentar.* in fol. Græc. & Lat. Pariſiis 1631. Winckelmanni *in* 6. *ult. Min. Proph. Commentarius*, in 8. Francof. ad Mœnum. 1603. 1621. Vide *Prophetæ Minores.*

NAJA, memorata A Gellio *l.* 13. *c.* 22. cùm ait: *Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Curitum Quiritii*, Najam *Volcani Heriem Junonis* &c. Sic Stephanus primùm edidit. Cod. Tornæſ. & Veteres Editiones habent, *Majam*: MS. lectio ad marginem Voſſiani codicis notata, *Manum*. Quæ quid ſibi velint, in obſcuro eſt. Ad Majam quod attinet, illuſtratur locô Macrobii *Saturn. l.* 1. *c.* 12. *Cincius menſem* (Majum) *nominatum putat à Maja, quam Vulcani dixit uxorem; argumentoque utitur quòd Flamen Vulcanalis Kalendis Majis huic Deæ rem divinam facit: ſed Piſo uxorem Vulcani Majeſtam, non Màjam dicit vocari.* Interim Cincius cùm Majam Vulcani uxorem appellârit, ex Pontificalibus indigitamentis, è quibus verba ſua depromſit Gellius, id haud dubiè hauſit: unde firmari poteſt *Majam* pro *Najam* legendum. Vide Jac. Oiſelium *Notis in locum.*

NAJACUM, oppid. Provinc. Ruthenenſis, ad Veronium fluv. 6. leuc. ab Albiga in Boream, Cadurcum verſus, 9. à Ruthenis in Occaſum, verſus montem Albanum. In Aquitania.

NAJADES, vel NAIDES, Nymphæ fontium & fluv. ἀπὸ τῦ νάειν, quod eſt *fluere*. *Najada* Tibullus poſuit pro lymphâ, *l.* 3. *Eleg.* 7. *v.* 25.

Najada Bacchus amat, ceſſas, ô lente miniſter,
Temperet annoſum Martia lympha merum.

Inde *Naicus*. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 32. *v.* 40.

Suppoſita accipiens Naica dona manu.

Ubi tamen Scaliger *Nai caduca. Nic. Lloyd.* Cœterum illas Bacchi ſacerdotes fuiſſe, teſtatur ex Strabone, *l.* 5. *c.* 13. Natalis Mythologus; Sunt autem verba Strabonis *l.* 10. hæc: *Adminiſtri porrò Muſarum ſunt, cùm docti omnes, tum peculiariter Muſici: Apollinis, & hi & divinatores: Cereris, myſtæ fatigeri, ſacrorum enarratores: Bacchi, Sileni, Satyri, Lenæ, Thyiæ, Mimallones*, Najades, *Nymphæ, Tityri.* Unde *Najades*, Tritones & conchas marinas rectiſſimè poni ad ornamentum lucernæ Bacchi, qui multæ navigationis Deus ab Ethnicis colitur, marique præclara facinora geſſit, cenſet Fortun. Licetus *de reconditis Antiqq. Lucernis*, *l.* 6. *c.* 27. *ubi Lucernam, Bacchi Ægoboli hiſtoriam priſcam referentem, explicat.* Vide quoque Janum Parrhaſium, ad illud Claudiani, *de Raptu l.* 2. *v.* 77.

——— *Quales referunt Baccho ſolennia Nymphæ.*

NAJAGENSES, horda Tartarorum celebris, emerſêre circa A. C. 1440. Poſtquam enim Mogoles Tartariâ potiti ſunt, A. C. 1187. *Schinguis* Khani auſpiciis; hic, quatuor filiorum pater, primogenitum *Magnum Chanum* appellari voluit, cujus ſucceſſores hodieque titulô iſtô inſignes ſunt. Reliquis tribus Imperii aliquam partem conceſſit, ſed hâc lege, ut omnes primogenito ſubeſſent: Itaque Tukſi, omnes provincias Occidentales ad fluv. Volgam accepit: nimir. *Deſchts* ſive Tartariam Deſertam, Ruſſiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, aliaſque. *Schagadai*, filiorum tertius, Orientalem Tartariæ partem nactus, provincias *Mawaranachar*, Coraſmiam aliaſque, *Schagadai* nomine ab ipſo poſtea dictas, tenuit. Septentrionales Regiones ultimus accepit. Sed cùm horum poſteri variè inter ſe colliderentur, non manſit diu diviſio iſta, verùm procedente ævô alia atque alia Regna inde emerſêre. Et Occidentalis quidem Tartaria, circa A. C. 1400. diſcerpta eſt, in Regnum *Zavolhenſe* & *Crimenſe* ſive *Præcopenſe*, occaſione expeditionis à Tamerlane in Tartariam Deſthenſem ſeu Occidentalem ſuſceptæ. Cùm enim is Tuktamiſchum Imperatorem Tartariæ deſertæ evertiſſet, Crimenſes, peculiari ſibi Rege creatô, Zavolhenſibus ab illo tempore ſubeſſe noluerunt. Mox ex Zavolhenſi Imperio alia tria Regna orta ſunt, hordarum variarum defectione: nimirum *Caſanenſe*, *Aſtracanenſe* & *Najagenſe*, quod poſtremum, circa A. C. 1440. ut dictum, hâc occaſione originem nactum eſt. Cùm Imperator Zavelhenſium interfeciſſet Okkahum, virum quendam Magnatem & fortitudinis laude inclytum: hujus triginta, quos reliquerat, filii ſeceſſione factâ, juxta caſtrum *Sarai*, defecerunt & brevi tempore adeò creverunt, ut hodie pro numeroſiſſima & maxima Horda habeantur. Dividuntur autem in tres provincias, *Caſſunenſem*, *Schichmamajenſem* & *Schidajenſem*; hodieque ſubſunt Ruſſorum Imperatori, à tempore Johannis Baſilidis, ſed à tributo immunes Hornius *Orb. Imp. p.* 295.

NAID, ſeu NAIDA, terra, in qua Cain habitavit. In tractu Iſaſchar. Urbem contra vim exterorum munitam, quàm primus condiderit Cainus, quamque *Hanochiam* ſacer vocat Codex, ita appellat Joſeph. *Ant. Jud. l.* 1. *c.* 3. dubio procul ex LXX. verſione, qui illud בארץ נוד verterunt, ἐν γῇ Ναίδ, Georg. Hornius *Hiſt. Philoſ. l.* 1. *c.* 9.

NAJERA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, cùm titulo Ducatus, quæ Manriciæ (*Manriquez*) ſtirpis ramus eſt. Cùm enim hæc in duas præcipuè lineas, *Caſtannedenſem* & *Trebinnenſem* dividatur; in hac poſteriore, quæ cognomen *de Lara* aſſumpſit, celebris fuit Petrus Manricius Judex Legionis, Dn. *de Trevinno* & *Hamuſco*, qui ex Leonora Caſtellana plures filios ſuſcepit: è quibus primogenitus Didacus Gomeſius Manricius primus Comes Trebennenſis, Petrum genuit primum *de Najera* Ducem & reliquorum ſatorem; cujus abneptis Luiſa Ducatum Bernardino *de Cardenas* Duci Maquedenſi attulit. Frater minor Didaci, Rodericus, Comes *de Parades de Nava* nuncupatus eſt, beneficiô Johannis II. Regis: è cujus promogenitis orta Agnes, *Com. de Paredes*, ad maritum Henricum Manricium, ex *Najerenſi* linea agnatum, ſucceſſionem tranſtulit. E reliquis verò ejus filiis aliæ lineæ oriundæ ſunt: *Najerenſes* autem quod attinet, ſeries eorum hæc eſt. Didacus Gomeſius *de Lare* Comes *de Trebinno*, ex Maria (ſeu Johannâ filia Didaci Gomeſii *de Sandoval* Comit. *de Caſt.*) pater fuit Petri Manricii *de Lara* Ducis *de Najera*: quô & Gujomarâ *de Caſtro* (filia Alvari Perezii *de Caſtro* Comit. *de Monſanto*) genitus Antonius Manricius *de Lara* Dux *de Najera*, junxit ſibi Johannam *de Cardona* (filiam Joannis Raimundi Folch, Ducis *de Cardona*) atque ex ea ſuſcepit Johannem I. Manricium *de Lara* Ducem *de Najera*; maritum Luiſæ *de Acugna* & *Portugal* Comit. *de Valencia*, & ex ea patrem Johannis II. Manricii *de Lara* Ducis *de Najera*; cujus ex Maria Girona *de la Cueva* (filia Joh. Telleſii Gironi Comitis Urennæ, qui obiit A. C. 1558.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

filia unica Luiſa Manricia *de Lara Manuel*, nupta Bernardino *de Cardenas*: Duci *de Maqueda* Marchioni *d'Elche* paternam ſucceſſionem attulit, ex eo Mater Bernardini Marchionis *d'Elche*, Georgii Ducis *de Maqueda*, Jacobi Manuel, Johannis, Petri, Mariæ (quæ nupſit Joh. Andreæ *de Mendoza* Marchioni *de Cannete*) & Annæ Mariæ. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 41. cujus tit. *de Cardonas Duc. de Maqueda & Manrique Duc. de Najera*: ut & in *Indic.* ubi familiæ diſpoſitionem exhibet, in voce *Manrique*.

NAIM, civitas pulchra Galilææ 2. milliaribus diſtans à monte Thabor. Hîc Jeſus Chriſtus puerum viduæ unigenitum, ex mortuis ad vitam, excitavit, Luc. *c.* 7. *v.* 11. Hodie paucæ Æthiopum hîc familiæ. Item, vicus Idumææ, muro cinctus.

NAJOTH, nomen loci, 1. Sam. *c.* 19. *v.* 18. in Ramatha, tractu Benjamin, 6. milliar. à Jeruſalem ad Septentrionem verſus Bethel.

NAIPI, nomen officii, apud Turcas, de quo vide ſuprà voce *Muſlimi*.

NAIS & SINAIS, vicus Samariæ in via Jeruſalem, in campo magno ſitus, in tribu Manaſſe, in quo Samaritæ multos occiderunt Galilæos, accedentes Hieroſolymam ad feſtum, unde magna ſeditio orta eſt inter Judæos & Samaritanos, Joſeph. *l.* 20. *Jud. Ant. c.* 7.

NAIS, fluv. qui ex Tauro monte naſcens in Pontum mergitur. Item meretrix inſignis. Steph. in *Eucarpia*.

NAISSUS, urbs Thraciæ, *Steph.* Quibuſdam *Niſſava*, ex præcipuis Serviæ.

NALCUA, urbs Britanniæ, *Ptol.*

NALDIUS Matthias, vide *Matthias*.

NALGODUS, vel NAGOLDUS, Monachus Cluniacenſis, ſub Henricô Aucupe. Scripſit vitam S. Odonis, ſecundi Abbatis Cluniac. Poſſevin. *in Appar. ſacro.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5.

NAMADOS, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptol. Lamnaus* Arriano *in Indicis* teſte *Stuckiô*.

NAMBIPAYA, vocantur Braſilienſibus ligneæ ſeu oſſeæ potiùs inaures, de quibus ita Georgius Marcgravius *de veſtitu & ornatu Braſilienſium l.* 8. *c.* 6. *Auriculas*, inquit, *perforant in tantum, ut digitum immittere poſſint foramini. Huic immittunt vel os aliquod cercopithecorum & vocant* Nambipaya: *vel lignum aliquod digiti humani magnitudine, filis goſſypinis circumvolutum.* Iſtiuſmodi ornamenta viris Ineti ejuſdem regionis incolas etiam in labro inferiori ab adoleſcentia perforato uſitata, è magno Purchaſi Itinerario, refert Joh. Laëtius *Nov. Orb. deſcr. l.* 12. *c.* 16. & 20. Mulieribus neutiquam, quibus magis volupe foratis auribus ligneos globulos ſuſpendiſſe. Cœterùm & olim oſſeas atque ligneas inaures vel pauperioribus quibuſvis vel tantùm Orientalib. Gentibus uſitatas, credit Caſpar. Bartholin. *de Inauribus Veter. p.* 68.

NAMMANTIA, Valeriæ Ripenſis urbs, *Lib. Notit.*

NAMNES, fil. Galatæ 2. ex vetuſtiſſimis Galliæ Regibus, creditus. Dupleix, *l.* 2. *mem. Gall. c.* 22. An Nannetum conditor?

NAMNETES, memorati in Hiſtor. Miſcellæ MS. *l.* 6. *Ptolemæo* Ναμνῆται *Namnetæ; Straboni* Ναμνῖται, *Namnitæ*; Jul. Cæſari *Comm. bell. Gall. l.* 3. *c.* 9. *Nannetes*, ut & Plinio *l.* 4. *c.* 18. vulgò *Nantois*, populi ſunt Galliæ Celticæ, in ora maritima, quorum urbs à *Ptolemæo* appellatur Κονδιουίκνον, *Condivicum*, Gallicô nomine, compoſito ex *Condate*, quod confluentes deſignat, & *Vicnum* vel *Juicnum*. Eſt enim poſita ad confluentes Ardræ interfluentis & Ligeris alluentis: contra oſtium Separis *Namnetici* cognominati, hodieque *Namnetæ*, nomine Gentis, appellatur, incolis *Nantes*. In *Tab. Theodoſ. Portus Namnetum* nuncupatur, quod ex provinciis locisque maritimis eò merces adverſô Ligere important majora quæque navigia, æſtu Oceani ſublata: & in *veterib. Notitiis Provinc.* Civitatumque Galliæ plerisque, in provinc. Lugdunenſi tertia quintô locô ponitur. Caput eſt agri cognominis, vulgò *le Nantois*, qui totus ferè cis Ligerim eſt: Interim Scobritum ſeu S. Vitalis, Monaſterium Deæ vel S. Filiberti de Grandi lacu in pago Herbatilico & Machicollium, locus pagi Ratenſis trans Ligerim, in ejus ſunt diœceſi. A pago Comitatuque hoc *Namnetico* ſolo nomine videtur differre Media ſive Comitatus Mediæ, quem cum urbe Regi redditum eſſe, tradit Robertus de Monte *in Chronico ad A. C.* 1158. Sed jam antè, regnante Carolô Calvô, Redonæ ac *Namnetæ*, cum Ratenſi pago Britanniæ acceſſêre: quas urbes Nomen opus Britannorum Regulus armis occupavit & Carolus Heriſpojo ejus filio ſucceſſorique condonavit. Nihilominus tamen pagus Namneticus, poſtea à Britannia diſtingui non deſiit. Hinc in literis Alani Britannorum Comitis & Ermengardis ejus uxoris, *Britannicus* & *Nanneticus Conſulatus*: inque Fulconis Comitis Andegavenſis *opere de Conſulib. Andegav. Hoëllus Comes Nannetenſis, à Britannorum Comitibus*, circa A. C. 1080. apertè diſtinguuntur, hodieque ſuus eſt *Namnetis* totique ejus pago Rector, à Britanniæ Rectore diſtinctus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Namnitæ*.

NAMNITÆ, vide NAMNETES & NANNETES.

NAMSI, vel NIMPHSHI, pater Jehu regis Iſraël, 1. Reg. *c.* 19. *v.* 16.

NAMUCUM, locus eſt ad Moſam, inter Deonantum & Hojum, Comitatus ac novi Epiſcopatus titulô inſignis, vulgò *Namur*: cujus incolæ *Namurois*. Olim *Mamucum caſtrum* dictum eſt, prope quod Giſlemarum, Præfectum Palatii, Pipini Ducis copias fraude ac perjurio deceptas oppreſſiſſe, ac plurimos Auſtraſiorum nobiles viros interfeciſſe, legimus *in Geſtis Regum Francorum.* Poſtea tranſpoſitis literis *Namucum* dici cœpit: donec corruptô nomine & inſertô *r. Namurcum* & *Namurum* appellatum eſt: quod ante annos 500. jam in vulgari uſu fuiſſe, patet ex literis Comitis Sueſſionenſis, ad Ludovicum Francorum Regem ejus nominis ſeptimum, ubi *Comitem de Namur* commemorat. Caſtrum hoc muniiſſe quendam Rotbertum, ex hoſtibus Brunonis, refert Frodoardus *in Chron. ad A. C.* 960. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Namurcum*.

NAMUEL, fil. Simeonis patriarchæ, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 24. qui Gen. *c.* 46. *v.* 10. *Jamuel* dicitur.

NAMURCENSIS Comitatus ſatis parva Belgii provinc. ſub Hiſpanis inter Leodicenſem ditionem, Hannoniam & Brabantiam. Ibi Namurcum, caput; Carolomontium, arx munita ad Moſam, & Caroloregium (*Charleroy*) arx recens, ſub Gallis. Montuoſa, ſed utilis, & ferri fodinis ſcatens. Ibi aliàs Aduatici populi.

NAMURCUM, urbs munita, in Comitatu cognomine cum arce validiſſima, in colle. Aliàs *oppid. Aduaticorum.* Inter duos montes, ad lævam Moſæ ripam; à Sabi fluv. bifariam ſecatur, 8. milliar. Belgic. à Lovanio. Dicta vel à *Nano*, cujus oraculum, ſub adventum Chriſti, hic obmutuit, vel à *novo muro* illic Romanorum operâ extructo. Hodie *Namur*, *Merc. Baudrand.* Eccleſia Cathedral. S. Albino ſacra, ibi erecta fuit, A. C. 1569. primumque Præſulem accepit Anton. Havetum Atrebatenſem, Dominicanum. Urbs ſedes eſt Conſilii Regii Provincialis. Gazejus, *hiſt. Eccl. Belg. Miræus*, &c.

NANA Sangarii Regis filia, ex malo punico gravida, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 5.

NANÆUS, *Ptol. Navæus*, *Bœtho Glas*, fluv. Scotiæ. Camdeno in *deſcr. Brit.* eſt *Strath-navern.*

NANAGUNA, Indiæ intra Gangem fluv. *Ptol.*

NANCANGUM, urbs Chiamſiæ præcipua aliàs ampla & elegans, ſub qua 6. urbes ad lacum Pojangum; Sed incenſa à Tartaris, ultimis temporibus, *Mart. Martinius.*

NANCHINENSIS, vide NANQUINENSIS.

NANCIANUM, urbs provinc. *Chiamſii*, verſus partem Auſtralem regni Sinæ.

NANCIUM, oppid. caput Lotharingiæ, ad Murtam fluv. Eſtque vel antiqua urbs, *la haute Ville*, ubi ſedes Ducis; vel nova ſeu *la baſſe*; 5. fere leuc. à Tullo in Ortum paulo ampliùs à Marſalio in Occaſum, 10. à Divoduro in Meridiem, eſtque elegans & culta. Longè à Naſio antiquo in Ortum. Antea permunita erat, cum 15. majoribus propugnaculis ædificari cœptis, A. C. 1587. quô Gallia inteſtinis bellis flagrabat. Verùm capta à Gallis eſt A. C. 1633. ejuſque munitiones disjectæ, A. C. 1661. ſed haud pridem reparatæ ſunt. Anteà pluries obſeſſa & capta fuerat, præſertim A. C. 1476. quô Renatus Dux illam à Carolo Burgundo anno priore captam recepit, unde hic urbe denuo obſidione cinctâ, ibi occiſus, & à Duce Lotharingiæ prælîô commiſſô ſuperatus eſt. Gall. *Nancy.* Valeſio meliùs *Nancejum.* Caput eſt Lotharingiæ Moſellanæ ſeu ſuperioris, Ducumque ejus ſedes, Cameriaco, capite Ducatûs Sabaudiæ haud multò clarius ac vetuſtius. Facit mentionem ejus Johannes Pariſienſis, *Memorial. Hiſtor. Philippi IV. Reg.* ante annos 370. compoſito, & Lotharingiam Moſellanam *Ducatum Lotharingiæ* ſeu *Nanceji* ſemel atque iterum appellat; non quòd Mettis, Veroduno ac Tullo urbibus, quas eidem Lotharingiæ attribuit, *Nancejum* præferri deberet, ſed quòd Ducum eſſet ſedes. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Id malè cum Naſio confundi, vide infrà in voce *Naſium.*

NANDI Peritia, Heroicæ olim adoleſcentiæ à teneris unguiculis cordi fuit. Unde Literarum jungebatur ſcientiæ. Ariſtides *Platonicâ* 2. Καὶ τῦ Περικλέυς πειρᾶται κἀκείνω τὴν αὐτὴν αἰτίαν ὅτι ἅπτειν, ὐδὲν προκαλυπτόμενος· ἀλλ' ὡς τὸ λεγόμενον δὴ τῦτο, ὔτε γράμματα, ὔτε νεῖν εἰδότα ἐλέγχειν ἀξιῶν. Quibus verbis, Proverbium contentum Græcorum, ὔτε γράμματα, ὔτε νεῖν εἰδώς, *Nec literas neque natare didicit*, in hominem dicitur omnis eruditionis expertem ac rudem. Quæ cauſa, quòd *Neceſſarios ſuos ipſum natare docuiſſe* Auguſtum, legimus apud Suetonium *in eo c.* 64. Idem verò pro mira re, Caligulam, ad alia omnia docilem, *natare neſcivisse*, ſcribit, *in Vita* ejus *c.* 54. Inprimis enim exercitium hoc apud Romanos viguit; more à Græcis acceptô. Apud quos Spartana maximè Juventus eidem maturè aſſueſiebat. Unde *rigidi natator Europæ*, inter Oebali elogia, occurrit apud Papinium Stat. *l.* 10. *Theb. v.* 496.

—— caſique ruunt in limine primo
Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
Oebalus Eurotæ ——

De Taygeto autem monte, & Eurota flumine Laconum notiſſimum negotium. Uti verò inter natandi rudimenta ſuber erat ſeu cortex, quô nixi tyrones animoſiùs aquas ſulcabant: Sic cùm jam exercitati aquas ſubituri erant, ungi priùs conſuevêre, contra frigus aquæ & torporem membrorum; quò remigium crurum & brachiorum agilius eſſet. Imitatione luctatorum, qui ſimiliter adverſùs articulorum luxationes, fracturas membrorum & antipalorum apprehenſiones, oleô ſe muniebant. Ante ſecula aliquot inprimis celebris fuit natator, ſeu colymbeta, in Sicilia, *Nicolaus* nomine, qui contractè *Colas*, & additô piſcis nomine, quòd piſcem potiùs, quàm hominem, ſuâ in aquis frequenti morâ referebat, *Piſce-Colas* indigenis dictus, in ipſam charybdim ſe immergere ſolebat, ubi & tandem periit. Hic tantâ à puero natandi conſuetudine mari diu noctuque immoratus eſt, ut, ſi aliqua elaberetur dies, quâ natando non fuiſſet exercitatus, corde animôque angeretur quamplurimùm. Hôc itaque quotidianô exercitamentô tantam vim roburque fuerat aſſecutus, ut quingenta & ampliùs ſtadia perpetuô natatu præterlaberetur, dies noctesque integras, inter maritimos indeſinenter fluctus, nullo proſſus cellarum reſpectu, verſatus. Occurſabat non rarò navibus, ibique perbenignè ac comiter convivatus, in fluctus reſiliit: tandem ab Alfonſo Rege, aureô cratere invitatus, ut denuo in charybdim ſe demergeret, unde jam ſemel feliciter eluctatus fuerat, inde non iterum reverſus eſt: an voragine abſorptus, an à monſtris marinis diſcerptus. Auctor Anonymus *Sinæ & Europ. c.* 4. Similes Ich-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ichthyophagos, *natantes, ceu maris animalia*, Plinius memorat *l.* 6. *c.* 29. Vide quoque infrà in voce *Natandi*, item ubi de *Urinatoribus*, & voce *Uter*. In Honorio, Claudiani ore, *de* 4. *Conſulatu Honorii v.* 345. artem his verbis laudat Theodoſius Imperator

Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes; fluvios tu protere curru
Horrentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu.

NANEA, appellabatur Diana linguâ Perſicâ, 2. Machab. *c.* 1. *v.* 13.

NANGANUM, urbs Chiamſiæ, in ipſo limite Cantoniæ, juxta fluv. *Chang*, cum ſuburbio peramplo *Martinius.*

NANGATUM, oppid. in parte Occidentali Niphoniæ, caput regiunculæ cognominis, vix 60. milliar. à Ximoa Inſul. in Boream.

NANGAZACHIUM, urbs ampla & emporium celebre, in Japonia, cum portu ab Europæis frequentato, in Ximoa Inſula & ora Occidentali provinciæ *Figen*, in ſinu ampliſſimo, 120. mill. paſſ. ab ora proximiori Coreæ regni in Ortum. Plurimi ibi Chriſtiani, & ſedes ibi olim Epiſcopalis ſub Sixto quinto.

NANGIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

NANHIUNGA, urbs Sinenſis ex præcipuis Quantoniæ, ad radices montium, in limite Chiamſiæ, prope *Chin* fluv. Aliàs dicta *Hiungcheu. Martinius.*

NANIA, locus 60. mill. paſſ. à Tarento, *Antonin. Barium* ſubſtituit *Simlerus.*

NANIGERIS, Indici maris inſula. *Ptol. Zeilan* Germanis, teſte *Mercatore*, cujus incolæ *Chingale* appellantur. Sed Zeilan *Taprobana* veter.

NANKANGA, urbs Chiamſiæ, ad oram Occidentalem lacus Pojani; ſub qua 3. urbes. Ad radices montium, *Martin.*

NANNACUS, Rex ante Deucalionem fuiſſe narratur, qui diluvium futurum prævidit. Unde ob ejus antiquitatem natum eſt proverbium, à *Nannaco.*

NANNES, Rex Galliæ, ſub annum ante Romam conditam quingenteſimum, Maneth. *in Supp.* & Annius *in comm. Beroſ.*

NANNETES, populi Gall. Celticæ ad Ligeris fluminis oſtia; quorum civitas Condivicum, *Ptol. l.* 2. *c.* 8. Epiſcopalis cum titulo Comitatus magni nominis, jam Cæſaris tempore. *Oculus Aremoricæ* meritò, *Betrando Argentræo* dicta. Olim ſub Comitibus propriis, dein ſedes Ducum, nunc Epiſcopi, qui Senator natus eſt Parlementi Rhedonenſis, Univerſitate inſuper aliiſque ornamentis clara. Vulgò *Nantes en Bretaigne.* Emporium celebre & amplum ad Ligerim, 15. leuc. ab ejus oſtio in Ortum, 22. à Rhedonibus in Meridiem, totidem à Venetis in Ortum, 16. ab Andegavo in Occidentem cum Caſtro munito. Hinc *le Comté Nantois*, pars Auſtralis Britanniæ minoris. Hîc Concil. à Vitaliano Papa, celebratum, A.C. 658. Flodoard. *l.* 2. *c.* 8. Item A. C. 1127. ſub Honorio 2. &c. Vide Morer. *Diction. Hiſt.* Ducheſnium *Antiq. Urb.* Argentræum & Auguſtin. du Pas, *Hiſt. Britann.* nec non ſuprà *Namnetes.*

NANNINGA, urbs ampla & probè culta Quamſiæ, ad confluentes fluv. *Puon* & *Ly*, verſus confinia regni Tunchinenſis. Sub qua 5. urbes, *Martinius.*

NANNIUM, meretricula, *Proſcenium*, teſte *Athenæô*, dicta, quòd veſtium & auri cultu plurimô ſpecioſa videbatur, quum exuta foret vel turpiſſima; Hæc item, ſi *Suidæ* credimus, facetè dicta eſt capra, quòd Thalli cujuſdam cauponam facientis bona deglutiſſet. Capræ enim thallis, hoc eſt, germinibus delectantur, & iis veſcuntur.

NANNIUS Petrus, Alcmariâ-Batavus, primùm ſtudiis ſe dedit, inde his relictis Pingendi artem exercuit; pòſt ſtudiis repetitis, Latinam literaturam docuit Lovanii, Canonicatu in Eccleſ. Atrebatenſi auctus. Eruditus omnibuſque bonis gratiſſimus, Granvellano imprimis Cardinali. Obiit A.C. 1557. ætat. 57. à Sigiſm. Frid. Fuggero magnificô elogiô honoratus. Opera ejus, in quibus *Dialogiſmi Lucretiæ apud Livium*, *Gammæ apud Plutarchum*, *Suſannæ & Judithæ in Vet. Teſt. Agathæ & Luciæ*, eminent; ut & Verſiones variorum Auctorum, habes, apud Anton. Teiſſier *Elog. part.* 1. ex Val. Andrea *Biblioth. Belg.* Hadriano Junio *Batav.* &c. Vide quoque aliquid voce *Petrus*, & adde prædictis P. Freherum *Theatro Viror. eruditione claror.*

NANQUINENSIS Provinc. una ex 16. partibus regni Sinarum, verſus Ortum & Sinum cognominem, antea provinciarum prima. Aliter dicitur *Kianguang.* In ea 14. urbes præcipuæ, ſub quibus totidem provinciæ parvæ, & in his 110. urbes minores. Sunt autem hæ 14. urbes, *Kiangaing*, ſeu *Nanguing*, *Fungiang*, *Suchen*, *Sunkiang*, *Changceu*, *Chinkiang*, *Yangcheu*, *Hojagan*, *Lucheu*, *Gauking*, *Taiping*, *Ningque*, *Cucheu*, & *Hoeicheu.* Terminatur à Septentrione Xantoniâ, ab Occaſu Honaniâ, & Huquaniâ: à Meridie *Chechianâ*; ab Ortu alluitur Oceanô Eoô, ſeu Sinicô, mirè fertilis & rigua. Caput totius provinciæ eſt *Nanquinum.* Vide ibi.

NANQUINENSIS Sinus, ampliſſimus, per Sinas longè extenſus; à Nanquino, ei adjacente. Eſtque inter provinc. Nanquinenſem, Xantoniam & Pechinenſem ad Occaſum, & regnum Coreæ ad Ortum. Aliter *Gangus Sinus.* Vide ibi.

NANQUINUM, urbs ampla, juxta Sinum cognominem, aliàs totius Imperii ſedes, & nunc ſupra modum extenſa, emporiumque celeberrimum longè à Pechino in Meridiem in Inſula. Populoſiſſima eſt, aliter *Kianguing.* Aliàs vocata *Ingtien*; Sub Regibus tunc è domo Taiminga, per aliquot ſecula regia ſedes, à quibus poſtea Pechinum ſedes regia effecta eſt, contra irruptiones Tartarorum. A Guejo Rege condita: in planitie fertiliſſima, juxta fluv. *Kiang.* Antea habuit palatium regium, nuper deſtructum à Tartaris, cùm ipſam urbem devaſtarent. Nunc indies pulchrior evadit, & ſubſunt ei 7. minores urbes, *Mart. Martinius.*

NANSBERGA, mons comitatus Tirolenſis, 3. mill. paſſ. à Tridento diſtans. Extendit ſe in longitudinem 12. milliar. & 3. in latitudinem, 350. parochiales Eccleſias, 32. Caſtra habet. Præter ſal & aromata, in eo proveniunt affatim omnia ad victum neceſſaria, *Munſter.*

NANSIACUM, vicus Lotharingiæ duplex, *majus*, vulgò *Grand Nanci*, non longe à fluvio Orna, in Ducatu Barrenſi, à Commerciaco ac flumine Moſa 4. circiter leuc. diſtans & *minus*, vulgò *Petit Nanci*, ad ejuſdem fluminis ripas: quorum alterutrius, prioris inprimis ſitus, in Naſium antiquorum quadrat. Per Lingonas enim & Andelaum *Andelo*, Tullum petentibus occurrit, inque agro Barrenſi Leucis contributo, uti *Claudio Ptolemæo Æthico*que Naſium deſcribitur, poſitum eſt. Hadr. Valeſ. in voce *Tullum Leucorum.*

NANTOGILUM, vulgò NANTEUIL; nomen variorum Galliæ locorum, cui origo à *Nanto*, veteri vocabulo, quô Galli & Britanni rivum aquæ decurrentis & multitudinem aquarum confluentium deſignavêre. Sic locus ripæ Matronæ flum. inter Firmitatem ſub Jotro & Caſtellum Theodorici, ſed huic quàm illi propior, *Nantogilum* dicitur, *vicuſque famoſi nominis Nant*, nec non *prædium Nant* appellatur, *l. de Mirac.* S. Wildeberti Abbatis Luxovienſis. In pago Vadenſi, *Nantogilum* eſt *Hilduini*. vulgò *Nanteüil de Haudoin*: cujus mentio, apud Auctorem *vitæ Ludovici Pii*, qui illud inter Monaſterium S. Dionyſii atque Cariſiacum villam regiam, Noviomago proximam, ponit conveniente ſitu. Eſt & *Nantogilum*, in pago Porcenſi vel Reiteſtino, ad flum. Axonam, inter Reiteſte & caſtellum Portianum poſitum, *Nenteuil* vel *Nenteulle en Retelois* nuncupatum: quod *Nantoilum* quoque dicitur, & inter villas, ad Remenſe Monaſterium S. Remigii pertinentes, numeratur *in MS. codice* ejus Monaſterii. Nimirum *Nantogilum*, *Nantoilum* & *Nantolium* una res eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NANTONENSE Caſtrum, urbecula Inſulæ Franciæ, in Vaſtinio tractu, in limite Belſiæ, juxta amnem *Fuzin*; vulgò *Chaſteau Landon.*

NANTUADIS, Monaſterium Galliæ, memoratum in Statuto Imperatoris Ludovici Pii *de Monaſter. regni Franc. A. C.* 817. & *in Chron.* S. Benigni, ubi Carolus Calvus in Monaſterio Apoſtolorum Petri & Pauli, locô qui dicitur *Nantoide*, à multitudine aquarum ibi confluentium, ſepultus dicitur. Itaque locus hic Monaſteriô veteri inſignis ab aquis ibi confluentibus accepit nomen, qua de re vide paulo ſuprà. Et eſt poſitus inter duos lacus, ex quibus rivus paulo infrà *Nantuadim* in alium amniculum decurrit illumque auget. Sylveſter Giraldus Britto, qui circa A. C. 1200. floruit, natuſque erat in Cambria ſeu Wallia, in qua Britanni ſedes habebant, poſt adventum Saxonum & Anglorum in Britanniam Inſul. *Itinerari Cambriæ l.* 1. *c.* 3. nomen iſtud interpretatur his verbis: *Nant, rivus dicitur aquæ decurrentis. Unde usque hodie ab accolis locus iſte linguâ Cambricâ* Landewi Nant Hodeni *vocatur, i. e. Eccleſia Davidis ſuper rivum Hodeni.* Eadem autem lingua Veterum Gallorum & Britannorum fuit, ut *Cluverius* aliique docent: quæ hodieque in Britannia minor. & in Wallia ſeu Cambria, in uſu eſſe perſeverat. Poſtea *Nantuacum*, & truncatô nomine *Nantua* dici cœpit, locuſque eſt in Brexia diœceſique Lugdunenſi, veteri Monaſteriô ad Cluniacum pertinente, inſignis. Idem Valeſ. *ibid.*

NANTUATES, populi Galliæ Celticæ, *Nantuatæ Straboni.* Equeſtribus, & Sebuſianis proximi, quorum oppid. hodie *Nantua* nominatur, inter Genevam 9. & Lugdunum 17. leuc. Sic quidam putant. Sed perpendenti verba Cæſaris *initio l.* 3. *de bello Gallico*, ubi eos *Antuates* vocat, & *l.* 4. *c.* 10. ubi de ortu Rheni loquitur, & verba Plinii *l.* 3. *c.* 20. ubi populos Alpinos memorat inter quos *Nantuates* Sedunis finitimos, nullâ ratione videri poſſunt eſſe, qui ſupra deſcripti ſunt. Sed potiùs inter Valleſios ad Rhodanum; quorum oppidum *Naters.* Sunt qui horum regionem *Le pays de Vaud*, vel *Vault*, Gallicè dicunt. *Sanſoni* aliiſque fuêre, ubi nunc Ducatus Caballicus, *le Chablais*, provinc. Sabaudiæ Borealior, juxta lacum Lemanum extenſa, inter Valleſiam ad Ortum & Genevam tractumque Foſſiniacum ad Occidentem. Meminit eorum, ut dictum, Jul. Cæſar *loc. cit.* ubi *Nantuates*, Veragros Sedunoſque conjungens, *qui à finibus Allobrogum & lacu Lemano flumineque Rhodano ad ſummas Alpes*, i. e. ad fontes Rhodani, pertinent: Servium Sulpicium cohortes duas in *Nantuatibus* collocaviſſe ait, & incolumen in *Nantuates*, inde in Allobroges perduxiſſe. Idem *l.* 4. *c.* 10. Rhenum oriri ex Lepontiis, & longô ſpatiô per fines *Nantuatium* & Helvetiorum ferri, ſcribit. Strabo quoque *l.* 4. *Ad Rhenum*, inquit, *primi omnium habitant Nantuates:* & alibi, *Apud* Nantuates *Rheni ſunt fontes in Adula monte.* Unde colligit *Joh. Bapt. Plantinus*, *Nantuates* hos, Helvetiorum finitimos, quippe quibus à Septentrione interpoſitis tamen Alpibus, Uranios & Glaronenſes hodiernos opponit, fuiſſe populos Alpinos, ad Rhenum anteriorem *vorder Rhyn* habitantes, ubi nunc Cœnobium Diſſentinum & vicus *Tavetſch*, quem Latini Scriptores *Æthuatium* (ex vitioſa Strabonis lectione, ubi οἰκοῦσιν αἰτουάτοι, pro οἰκοῦσι ναντουάται, quædam exemplaria corruptè habent, ut *Xylander* vidit, annotante Caſaubonô *in locum*) vocant. Vide eum *Helv. Nov. Antiq.*

NANTUS, vulgò NANTEUIL, locus Galliæ *& fiſcus in pago Conſtantino*, uti dicitur *in Vita* S. Marculfi Abbatis, qui eum cum omnibus ſuis reditibus à Childeberto Francorum Rege petiit ac obtinuit, ibique Monaſterium condidit. A rivo decurrente nomen accepit, *Nant* enim Britannicè olim rivum vocatum eſſe, diximus ſuprà, in voce *Nantuadis.* Hermiricus alterius *Nanti*, in pago Meldenſi, meminit, ubi S. Waldebertus Abbas Luxovienſis natus eſt: Uterque & *Nantogilum* & *Nantoilum* haud du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

biè olim eſt appellatus, uti docet amborum locorum vulgaris appellatio. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NANUS, pro pumilione, Laberio in *Mimis* dictus, apud A. Gellium *l.* 16. *c.* 7. Græcæ originis vox eſt, eôdem docente *l.* 19. *c.* 13. Νάνȣς *enim Græci vocaverunt brevi atque humili corpore homines paulum ſupra terram extantes.* *Feſtus* quidem *Nanum*, inquit, *Græci vas aquarium dicunt humile & concavum, quod vulgò vocant ſitulam barbatam, unde* Nani *pumiliones appellantur.* Sed *Nanus* omnino eſt à Græco νάνος, quod idem notat. Scholiaſtes Ariſtophanis εἰς Εἰρήνην: Νάνοι γὰρ λέγονται οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων, ὄννοι λέγονται. Vide Jac. Oiſelium JCtum *in utrumque Gellii locum.* Iſtiuſmodi homunciones utriuſque ſexus, *Nani* & *Nanæ*, Sybaritarum delitiæ, Morionibus collati, neſcio quid Veneris Romanis olim habere viſi ſunt. Sueton. *Tiberio c.* 61. *Annalibus ſuis vir Conſularis inſeruit, frequenti quondam conviviô, cui & ipſe affuerit, interrogatum eum ſubitò & clarè à quodam* Nano *adſtante menſæ inter copreas, cur Paconius Majeſtatis reus tam diu viveret?* Lamprid. *Alex. Sever c.* 34. Nanos & Nanas & *Moriones & vocales exoletos & omnia acroamata, & Pantominos populo donavit.* Hæc autem fuerant Heliogabali miniſteria, quæ Imperat. Alexander averſabatur, ad Auguſti fortaſſe æmulationem, qui *pumilos atque diſtortos & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, malique ominis, abhorrebat*, teſte Suetoniô *c.* 8. Sed & hodie iſtiusmodi Salapuſiorum in Principum aulis exempla paſſim ſunt obvia: Fuitque iis adeò delectata Catharina, Joachimi Frid. Electoris Brandeburgici prima uxor, ut integrum fermè illorum contubernium aleret. Nuptias quoque inter illos conciliavit ſpe inde ſuſcipiendæ prolis, ſed ſterili eventu. Quod idem feciſſe Catharinam de Medicis Galliæ Reginam, refert P. Meſſias *Var. Lect. l.* 5. *t.* 3. *c.* 6. ubi illam ait ſuâ memoriâ tria paria homullorum talium ſtudioſè foviſſe conjugiiſque legitimis copulâſſe, ſed non feliciore eventu. Nihil enim ex iis genitum fuit, Deô proculdubio operis ſui arbitrium curioſitati hominum minimè permittente. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Voëtium *Volum* 1. *Diſput. de Creat. part.* 8. Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terr. c.* 9. *ſect.* 2. *de Charact. Exterarum Gentium*, §. 12. Auſonium Popmam *de Inſtrumento Fundi c.* 7. Phil. Beroaldum & Joannem Paſſeratium *ad Propertium l.* 4. *Eleg.* 14. Joann. Savaronium *ad Concionem Sidonii l.* 7. *Ep.* 9. Petrum Scriverium & Theodorum Marcilium *ad Spectacula Martialis*, & ante hos dicendum Lipſium *Saturnal. l.* 2. *c.* 4. ubi inprimis de *Nanis*, munere gladiatorio à Domitiano commiſſis. Cujuſmodi pugnam memorat quoque Papinius Statius *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 57.

Hic audax ſubit ordo pumilonum,
Quos natura brevi ſtatu peractô
Nodoſum ſemel in globum ligavit:
Edunt vulnera, conſeruntque dextras;
Et mortem ſibi (quâ manu?) minantur.
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus:
Caſuraque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.

Ad quem locum vide Caſp. Barthii *Animadverſiones p.* 155. adde quæ dicemus infrà voce *Pumilus.*

NANYANGA, urbs ſeptima Honaniæ, juxta fluv. *Jum*, ampla, in planitie, in regione fertiliſſima, *Mart. Martinius.*

NAPÆÆ, ſylvarum, ſaltuumque Deæ, *ſaltus* enim Græcè νάπος dicitur. Virg. *Geor. l.* 4. *v.* 535.

——— *Faciles venerare Napæas.*

NAPARIA, ſeu MAPPARIA, officium in Aula Regia, cui incubuit *mappas*, canabum, manutergia & ſimilia curare, in *Fleta l.* 2. *c.* 19. à *napa*, quâ voce Recentiores utuntur pro *mappa*, vide ſuprà.

NAPARIS, Scythiæ fluv. *Herodoto*, *Dnieper* incolis, teſte *Peucerô. Baudrandô* fortè Tyras, inter Sarmatiam Europæam & Daciam, qui nunc *Dnieſter*, influitque in Pontum Euxinum. *Nieper* enim eſt Boriſthenes omnibus.

NAPATA, urbs Æthiopiæ ſub Ægypto, Candacis reginæ regia; inter Syenen, & Meroën urbem inſulæ Meroës. *Napatæ Straboni* & *Stephano.* Populi *Napatai.*

NAPE, Ornatricis nomen, apud Ovidium *Amor. l.* 1. *Eleg.* 11. *v.* 1.

Colligere incertos & in ordine ponere crines
Docta, neque ancillas inter habenda Nape.

Quemadmodum Cypaſſidis, eôdem miniſteriô fungi ſolitæ, idem meminit, *Amor. l.* 2. *eleg.* 7. & 8. Vide infrà in voce, *Ornatrix.*

NAPE, urbs Lesbi, unde Apollo *Napæus.* Sunt etiam *Napæi* in Epiro.

NAPELLUS, herba venenata, à figura *napi* in radice apparentis nomen accepit. Ejus in necandis hominibus tanta vis, vt nullis ferè antidotis occurri poſſit, niſi præſentiſſimè: & quidem cùm tota planta perniciabilis admodum ſit, radix cœteris omnibus atrocior eſt; adeò, ut manu aliquandiu retenta, quouſque incaleſcat: perimat tenentem. Quin etiam paſtores necatos compertum, qui aſſandis aviculis, *napelli* caule, pro veru temerè uſi ſunt. Rei experimentum illuſtre Clemens VII. cepit Romæ A. C. 1524. Qui, cùm decreviſſet, olei præſtantis admodum, quod Georgius Caravita Chirurgus contra deleteria medicamenta & venenoſorum animalium quorumcunque morſus paraverat, vires experiri, juſſit venenum dari duobus latronibus, quos leges damnaverant, ut ſuſpendiô facinorum ſuorum pœnas luerent. Horum alterum, qui *napelli* plurimum ſumpſerat, dulciariis panibus commixtum, Pontificii Medici ſtatim oleô inungendum præbent, qui poſt tertium diem, non ſine formidabilium ſymptomatum acceſſione, tandem tamen incolumis evaſit. Alterum verò, cui longe minus venenati panis exhibuerant, oleo inungi vetant, ut aſſumti veneni ſævitiam meliùs cernerent. Hic paucis pòſt horis morte correptus, ejus vim atque effectum teſtatum reddidit, planè ſecundum Avicennæ (qui de hac planta accuratè agit) deſcriptionem, Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 31.

NAPHEG, fil. Iſaar filii Caath filii Levi, Exod. *c.* 6. *v.* 21. Fil. item David, 1. Paral. *c.* 14. *v.* 6.

NAPHILUS, fluv. Peloponneſi in Alpheum influens, *Pauſan. l.* 8.

NAPHIS, fil. Iſmaëlis, Gen. *c.* 25. *v.* 15.

NAPHTHA, circa Babyloniam & in Auſtragenis Parthiæ profluit; fluminis liquidi modô. Ei magna cognatio ignium, tranſiliuntque protinus in eam undecunque viſam. *Oleum vivum* hinc Gratio, *v.* 433. *Cyneget.*

Vulcano condicta domus, quam ſubter eunti
Stagna ſedent venis oleoque madentia vivo.

Nempe *naphtha* oleum eſt venæ naturalis, quod quidem bituminis liquidi generi adſcripſerunt; in Suſiana inprimis ſcaturiens, Strabo *l.* 15. ubi de liquido bitumine, Ὅτι ἡ μὲν ὑγρὰ, ἣν καλοῦσι Νάφθαν, γίνεται ἐν τῇ Σȣσίδι ἡ δὲ ξηρὰ δυναμένη πήττεσθαι, ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ. Hinc de Areccæis campis, in quibus *naphta* fontes Tibullus *l.* 4. *v.* 283.

Ardet Areccæis aut unda perhoſpita campis.

Ad Suſianem autem Areccam pertinuiſſe, ſuprà diximus. Idem Strabo nigri candidique bituminis hujus fontes in Babylonia fuiſſe, memorat &c. Et quidem notum experimentum *naphtha* ab Alexandro M. cùm Babylone eſſet, in puero nobili, non ſine pernicie hujus, captum. *Ita fertur, à Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, coronâ igne raptâ*, Plin. *l.* 2. *c.* 105. Unde ſunt, qui cum oleo Medeæ idem faciant. Sed *naphtham* addi conſueviſſe oleo communi herbâ quâdam (de qua vide aliquid ſuprà voce *Myſia*) infecto, è quo oleum Medicum componebatur, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 242. *& ſeqq.* Etiam Tigranocertanos *naphthâ* ſeſe inter cœtera defendiſſe, Lucullô urbem oppugnante, Xiphilinus ex *Dione* refert &c. Vide Dalechampium *Not. ad Plin.* & Andr. Baccium *de Thermis l.* 5. *c.* 13.

NAPI, titulus *Epigr.* 20. *l.* 13. Martialis,

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nurſinas poteris parciùs eſſe pilas.

Inter naſcentia in hortis memorantur Plinio *l.* 19. *c.* 5. ſimiles rapis; quorum ſemina in ſe mutuò permutantur nonnunquam, ſed iis minores. Eorum quinque genera, *Corinthium, Cleonæum, Liothaſium, Bœoticum, & quod per ſe viride dixerunt. Ex iis in amplitudinem adoleſcit Corinthium, nullâ ferè radice ---- Bœoticum dulce eſt, rotunditate etiam brevi notabile, neque ut Cleonæum, prælongum — Palma Romæ Amiterninis data eſt, inde Nurſinis* &c. Fuit autem hæc Amitorum urbs, Aquilejæ vicina: *In qua palude* (inquit Sidonius Apollinaris *Ep.* 8. *l.* 1.) *muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt* &c. De vino ex *napis*, vide eundem Plin. *l.* 14. *c.* 6.

NAPIS, vicus Scythiæ, *Steph.*

NAPITIA, oppid. Brutiorum ad ſinum Hipponiatem, qui & *Napitinus* ex eo nominatur, *Lo Pizzo*, teſte *Barriô.* Sunt qui Nepetiam à Napatia diſtinguentes, *Amantiam* indigitent.

NAPOGENSIS, vel NACONENSIS Colonia, *l.* 1. 8. 9. *ff. de cenſib.*

NAPUCA, oppid. Daciæ in Valachia, *Ptol.* Aliis in Tranſilvania, *Buſaten* teſte *Laziô*, 5. milliar. Germ. à Claudiopoli in Boream; 4. à Novomercatu in Occid. 8. à monte Carpatho in Meridiem.

NAPUS, fluv. Oritur in Peruvia, dein Abulam oppid. rigat, fluminibuſque aliquot auctus, in Amazonum fluv. cadit, in Canela provinc. *Texeirâ* teſte.

NAR, fluv. Umbriæ è montibus Amiterninis fluens, perque Velinum lacum tranſiens, à quo emiſſus, ingenti fragore (qui ad aliquot mill. paſſ. exauditur) præcepsque deſcendens ad Interamnam per campos, & ad Narniam per anguſta loca in Tiberim inter Ocriculum, & Hortam defertur. *La Nera, Baudr.* cui oritur ex Apennino, in ipſo confinio Piceni & Umbriæ, per quam deinde fluens, recipit Corvum, uti & Velinum fluv. hinc Interamnam rigans & Narniam, paulò infra, juxta Hortam, Tiberi miſcetur. Sed per Velinum lacum non labitur. Vide Tacit. *Ann. l.* 1. *ſub finem* de hoc fluv. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 529.

Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narque tulit præceps, & amœnæ Farfarus umbræ.

Lucan. *l.* 1. *v.* 475.

——— *Et quà Nar Tiberino illabitur amni.*

Q. Ennius, *l.* 6. *Annalium.*

Sulfureas poſuit ſpiramina Naris ad undas.

Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 517.

Sulphureâ Nar albus aquâ, fontesque Velini.

Ubi Servius, *Sabini linguâ ſua Nar dicunt, ſulphur.* Sil. *l.* 8. *v.* 452.

——— *Narque albeſcentibus undis.*
In Tybrim properans. ———

Claudian. Bell. *Get.*

Et Nar vitiatus odoro
Sulphure. ——— ———

Plin. *l.* 3. *c.* 12. *Nar ſulfureis aquis.*

Auſonius *Idyll.* 12.

Fluminibusque Italis præpollens ſulfureus Nar.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 10. *Nic. Lloydius.*

NARA, urbs Byzacenæ, in Africa, *Antonin.*

NARACOSTOMA, ſecundum Iſtri fluv. oſtium, *Arrian.*

NARAMA, locus in tractu Manaſſe, in regione Batanæa, *Hieronym.*

NARANGARA, urbs Africæ mediterranea, proxima Teleſtæ, & Aſſuro, inter Siccam, & Thaguram, nomen antiquum retinens. *Baudrando* eſt in Numidia, 70. mill. paſſ. ab ora maris Me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Mediterranei, & a Tabraca in Meridiem, totidem à Cirta in Ortum, intra montes, inter Bagradam & Ampſagam fluv. 190. m. p. à Carthagine in Africum.

NARBASI, & NARBASES *Iſidoro*, populi & montes Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Aſturum, inter Legionem, & Ovetum. Vide *Forum Narbaſorum*.

NARBATA, regio Palæſtinæ inter Cæſaream, & Samariam, *Joſephus*. In tribu Manaſſe, cum Civitate cognomine. Huc Judæi Cæſarienſes, Cæſarienſium violentiâ compulſi, libros legum ſecum rapientes, conceſſerunt. Stadiis 60. a Cæſarea diſtat.

NARBIS, urbs Illyriæ, *Steph.*

NARBO, fil. Galatæ, veterum Gallorum Rex, Narbonis conditor; ſit fides penes autores. Dupleix *l.* 2. *c.* 12. *mem. Gall.*

NARBO, urbs, & colonia Galliæ Narbonenſis, cui nomen dedit, in ora, apud Atacis fluv. oſtia (licet Plin. *l.* 3. *c.* 4. illam à mari 12. mill. paſſ. diſtare ſcribat) inter Montem Peſſulanum ad Ortum, ac Toloſam ad Occidentem. *Narbo Martius* Plinio, quòd eo Cæſar ex Martiâ legione colonos deduxerit. Aliis *Civitas Atacinorum, Colonia Decumanorum, &c.* A Romanis condita Olymp. 160. teſte *Polybiô*, quâ illi ante reliquam potiti Galliam, maximi eam fecerunt. Vellej. Paterc. *l.* 1. *c.* 15. *l.* 2. *c.* 8. A Craſſo, Julio Cæſare, ut dictum, Tiberio, &c. tertiâ vice civibus & privilegiis aucta: Sedes Proconſulum, Capitoliò, Amphitheatrô, Scholis municipalibus, thermis, aquæductibus, &c. inſignis; Vide infrà: cujus proin cives aram Auguſto dedicârunt. *Baudrando* nunc *Narbonne*, urbs Archiepiſcopalis ampla & mœnita Occitaniæ ex Galliæ antiquiſſimis, juxta ramum Atacis fluv. manu ductum aliis a Romanis, & *la Robine* dictum, mill. paſſ. ab ora maris Mediterranei, ut ipſe Plin. ſcribit, 12. leuc. ab Helena in Boream, 10. a Carcaſſona in Meridiem, 15. à Monte Peſſulano in Occaſum, Auſonius *de claris urbibus, Carm.* 13. *v.* 1.

> *Nec tu Martie Narbo, ſilebere: nomine cujus*
> *Fuſa per immenſum quondam provincia regnum*
> *Obtinuit.* ——— ———

Sidonius Apollin. *Carm.* 23.

> *Salve Narbo potens ſalubritate,*
> *Urbe & rure ſimul bonus videri,*
> *Muris, Civibus, ambitu, tabernis;*
> *Portis, porticibus, forô, theatrô,*
> *Delubris, Capitoliis, monetis,*
> *Thermis, Arcubus, horreis, macellis,*
> *Pratis, fontibus, inſulis, ſalinis,*
> *Stagnis, flumine, merce, ponte, pontô:*
> *Unus qui venerere jure divos*
> *Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,*
> *Spicis, palmite, paſcuis, trapetis, &c.*

Vide & *Martial. Prudent. Theodulph. Aimonium*, &c. Viſigothis obſidentibus, A. C. 435. a Comite Agrippino, qui Ægidii proſperam fortunam limis aſpexerat oculis, dedita, A. C. 462. His à Saracenis erepta, A. C. 730. recuperata à Carolo Martello, ſuos Vicecomites & Duces habuit, donec coronæ unita eſt. Cœterùm Eccleſia Narbonenſis ſplendida & vetuſta admodum, Metropolitæ ſedes, a Conſtantini M. tempore, A. C. 309. Proconſul Sergius, à Paulo Apoſtolo converſus primus ejus Præſul creditur. Templum habet organis & picturâ Lazari reſuſcitati celebre. Palatium Archiepiſcopale olim Viſigothorum Regum ſedes fuit. Strabo, *l.* 14. Martial. *l.* 8. *epigr.* 72. Aimoin. *l.* 4. *c.* 57. Ammian. Marcellinus, Gregor. Tur. Eutrop. Papyrius Maſſon. *deſcr. flum. Gall. & notit. Epiſc. Gall.* Merula *Geogr. l.* 3. Jul. Cæſ. Scaliger *de clar. Urb. Gall.* Hier. Ponteanus, *Itiner. Gall. Narb.* Elias Vinetus, *Narbon. votum.* Catel. *Hiſt. Lang. &c.* Hic Concilia A. C. 589. 788. 994. 1227. ad abſolvendum Comitem Foiſſæum, Albigenſium fidem amplexum, &c. Vide Morer. *Dict. Hiſtor.* Valeſio urbs pervetus & illuſtris Volcarum Tectoſagum fuit, quò Porciô Marciôque Conſulib. deducta eſt Colonia Romana à Licinio Craſſo Oratore anno Urb. Cond. 636. prima omnium in Gallia, poſt triennium quàm Carthago extra Italiam prima deducta fuerat. Tum *Colonia Narbo Martius* à Romanis cognominari cœpit, an à *Marte*, an à *Martia* decima legione, *Decumanorum* enim *Colonia* erat. Ciceroni *pro Fonteio* dicitur, *Narbo Martius Colonia noſtrorum civium, ſpecula populi Romani, ac propugnaculum iſtis ipſis nationibus* (Gallorum) *oppoſitum & objectum.* Eidem ibidem & *in Bruto*, vocatur *Narbonenſis Colonia.* C. Jul. Cæſar Dictator *l.* 3. *c.* 20. *& l.* 7. *de bello Gall. c.* 7. commemorat *Narbonem*, quò is iterum Coloniam miſit & à Tiberio Claudio Nerone, Tiberii Auguſti Patre, deducendam curavit, teſte Suetonio *in Tiberio c.* 4. Quare ab eo *Colonia Julia* dicta eſt. In veteri monum. C. I. P. N. M. Jac. Sirmondus, *Coloniam Juliam Paternam Narbonem Martium* interpretatur: Joſephus Scaliger in inſcriptione marmoris *Narbonenſis* vulgatâ, literis hiſce C. I. P. C. N. M. bis aſcriptis, *Coloniam Juliam Paternam Claudiam Narbonem Martium*, deſignari ait. Ibidem effoſſô marmore A. C. 1566. *Coloni coloneque* C. I. P. N. M. ſeu *Coloniæ Juliæ paternæ Narbonis Martii*, & *ara Narbone in foro poſita Imp. Cæſari Divi filio Auguſto*, ſeu *ara Numini Auguſti poſita à plebe* Narbonenſi fuſè memorantur. In nummo Tiberii *Col. Narbo Mart. Decumanor.* dicitur, &c. Strabo ad oſtium Atacis lacusque Narbonenſis *Narbonem* ponit, qui lacus Melæ & Plinio *Lacus Rubreſus* aut *Rubrenſis* dicitur, vulgò *l'eſtang de la Rubine.* Ab Atace verò Coloni incolæque *Atacini*, quoque appellati ſunt. *Clara urbs* Ptolemæo, *Emporium Narbonis* Straboni ac Stephano, quò ut & Maſſiliam e Britannia Inſul. ſtannum per Galliam equis convehi ſolitum fuiſſe, ſcribit Diodorus Siculus *Hiſtor. l.* 4. Auſonius quoque in *Narbone*, clararum Urbium 12. ex Oriente, ex Africa, ex Hiſpania, ex Sicilia & toto Orbe claſſem ſeu cataplum huc appuliſſe, narrat. Fuit ita *Narbo Martius*, primùm Volcarum Tectoſagum urbs, dein Atacinorum Decumanorumque Colonia, demum Septimaniæ ſeu provinc. Narbonenſis primæ clariſſima Metropolis ac caput: quam Arax è Pyrenæo monte demiſſus, navigabilis amnis, attingit, olim ſpatioſo admodum lacu Rubreſo vel Spinianenſi acceptus & in mare emiſſus: Sed is hodie lacum minime permeans foſſæ per Narbonem ductæ, vulgò *Robinæ*, immittitur & in mare ad 7. ab urbe milliare effunditur. Circa urbem Bebryces quondam, à quibus Bithynia *Bebrycia* dicta, ad mare habitâſſe, colligimus ex Marciano *in Galliæ periplo.* Hinc & Rufus Feſtus Avienus, in *Oræ marit. libro* poſt Pyrenæum jugum & amnis Ruſcinonis oſtium, regionem Sardonum deſcribit, ſubjicitque.

> ——— ——— *Genſque Bebricum prius*
> *Loca hæc tenebat, atque* Narbo *civitas,*
> *Erat ferocis maximum Regni caput.*

Silius l. 3, *v.* 440. etiam a Pyrene Bebrycis Regis filia, Pyrenæis montibus nomen impoſitum, contendit. Capitolium hic, præter alia Romanorum opera, quorum nulla amplius reliqua ſunt veſtigia, ex marmore fuit egregium, quod tamen ſimiliter ſuâ ætate non durâſſe, ſcribit *Auſonius.* Tamen in Actis concordiæ A. C. 1251. initæ inter Guilielmum loci Archiepiſcop. & Amalricum Vicecomitem ſeu Proconſulem urbis, *Dominus Vicecomes Capitolii civitatis Narbonenſis à Bertrando de Capitolio recognitionem recepiſſe & illud emiſſe ab eodem*, dicitur. Annô quoque 1056. queſtus legitur Guifredus Archiepiſcop. quòd Bernardus Berengarius Vicecomes Civitatis *auferret ei ipſum Capitolium.* Petrus Archiepiſcop. de Amalrico Vicecom. A. C. 1242. conqueſtus eſt, quòd per vim occupâſſet *medietatem tincturæ pannorum granæ, & medietatem monetæ:* quorum alterum ad *baphium Narbonenſe*, alterum ad monetam ibi olim percuti ſolitam pertinet. In *Notit.* enim *Imper. Procurator baphii Narbonenſis* memoratur, ob glaſtum infectorum cortinis utile. Nec Capitolium autem ſolum, ſed etiam portam Regiam, & portam Aquariam, cum ſuo quamque caſtro, portam Epiſcopalem & portam Bisbali, præter cœteras; item Palatium novum: Turrim Mauricam, à Mauris, qui eam aliquandiu tenuerunt aut quibus fuit oppoſita, dictam, & caſtrum Amalrici, *Narbone* fuiſſe, docent contentiones, inter Archiepiſcopos & Vice Comites *Narbonenſes*, A. C. 1056. 1242. 1250. 1251. & 1252. In *veterib. Notitiis provinciar. & civitatum.* Galliæ *Metropolis Civitat. Narbonenſium* vocatur, & ponitur in provinc. Narbonenſi prima, mater & caput Urbium: Poſtque ademtam ſibi Toloſam & in Metropolim evectam, 10. habet Epiſcopos Suffragantes, Carcaſſonenſem, Biterrenſem, Agathenſem, Leutevenſem, Magaionenſem, Nemauſenſem, Uceticenſem, Elenenſem, S. Pontii Tomeriarum & Electenſem. De Eccleſiæ hujus Archidiaconis, ac locis ad diœceſim illius pertinentibus, Vide infrà Populi *Narbonenſes*, quos ob Gothos fortiter repulſos à mœnibus, celebrat *Sidonius*, *Narbonem nuper Martium factum* propterea dictitans. *Narbonenſe mare Straboni*, vocatur Mare Gallicum, ante provinciam *Narbonenſem:* quemadmodum Fortunatus *Mare Rotomagenſe* vocat Oceanum Gallicum, in quem Sequana effluit a vicina & clara Urbe Rotomago. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hornio hæc ſedes Gothorum fuit poſtquam ex Italia primùm migrârunt, duce Araulpho, in Galliam *Narbonenſem* ſive Provinciam, A. C. 411. à quibus tum totus ille tractus *Land-Gothia*, i. e. *regio Gothorum* vel *Gothlandia*, appellatus eſt: quæ vocabula, progreſſu temporis, corrupta ſunt in *Languedociam* & *Cataloniam.* Sic *Narbona* ſedes Weſt-Gothorum Occidentalium aliquandiu fuit. Ex *Narbonenſi* poſtmodum Gallia, Walliæ Regis auſpiciis, in Aquitaniam ſeu Vaſconiam ſe effuderunt, ubi Toloſa Regni ſedes facta, circa A. C. 417. Inde in Hiſpaniam progreſſi ſunt, Theuderico Rege circa A. C. 429. & Toleti ſedes fixa. A quo tempore Weſt-Gothorum ſeu Gothorum Reges perpetuum *Flavii* cognomen aſſumpſerunt, tandem totâ Hiſpaniâ potiti, ſub Flavio Recaredo ſeu Richardo, A. C. 585. qui, quòd Gothorum Regum primus Orthodoxus fuiſſet, primus Hiſpaniæ Regum *Catholici* nomen obtinuit. Complectebatur itaque Regnum hoc Gothorum Aquitaniam & Galliam *Narbonenſem*, totam inſuper Hiſpaniam & magnam præterea Africæ Tingitanæ ſeu Mauritaniæ partem, & ſub generali *Gothiæ* ſeu *Weſt-Gothiæ* nomine, *Gothiam Gallicam*, *Gothiam Hiſpanicam* & *Gothiam Tranſmarinam* continebat: donec ſub ultimo Rege Roderico à Mauris deſtructum eſt, A. C. 713. Vide Georg. Hornium *Orb. Imp. p.* 158. *& ſeqq.*

ECCLESIÆ NARBONENSIS ARCHIDIACONI.

Archidiaconus major *Narbonenſis.*

Archidiaconus Corbarienſis, cui nomen dedit *Vallis Corbariæ palatium, in App. Chron.* Fredegarii memoratum, prope Birram fluvium; vulgò *Corbiere:* unde montes proximi *les montaignes de Corbiere* dicuntur.

Archidiaconus Redenſis, à Redis oppido Theodulfo celebrato, unde Comitatus & pagus Redenſis dicitur, *le Raſez*, Electam & caſtrum Limoſum continens.

Archidiaconus Fenolletenſis, cujus ſedes fuit Fenolletum, vulgò *Fenoullet. Ex actis apud Narbonam in Eccl. BB. Martyrum Juſti & Paſtoris A. C. 1260. ſub Ludov. VIII.*

LOCA AD DIOECESIM NARBONENSEM SPECTANTIA.

Caput ſtagni *Capeſtan.*
Caſtellum Maurum *Caſtel Maure.*
Juncariæ, *Jonquieres.*
Leucata *Leucate.*
Liciniacum *Leſignan.*
Mons Penſatus *Mont Peſat.*
Narbo, Metropolis.
Palma *la Palme.*
Petriacum, in pago Minervenſi *Peyriac de Minerbois.*
Podium Soricarum *Puy Serguier.*
Ripa Alta *Ribaute.*
Revi *Rieux.*
Ruſiacum *Roſiac.*
Villa Sicca *Villeſeque.*

NAR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NARBONENSIS Gallia, quæ & *Braccata* Plinio, *l.* 5. *c.* 4. una ex 4. Galliæ partibus, à Pyrenæis montibus, Galliam ab Hiſpania ſeparantibus, ad Alpes, quæ eandem ab Italia dividunt, extenditur, in 4. regiones diviſa, Occitaniam à Garumna ad Rhodanum, Provinciam à Rhodano ad Alpes maritimas, Delphinatum à Druentiâ fluv. & montibus ad Hiſaram fluv. & Sabaudiam ab Hiſara ad Rhodanum, & Lemanum lacum. Licèt *Ortelius* per errorem illam in tres duntaxat diſtribuat, omiſſa Sabaudiâ. *Baudrando* ſic dicitur pars illa Galliæ quæ interno Mari alluitur, à reliqua Gallia diſcreta Garumnâ flumine, Gebennâ monte & Rhodanô fluv. Ibi quondam fuêre populi clari Allobroges, Centrones, Caturiges, Cavares, Gabali, Helvii, Ruteni, Segalauni, Salii, Vocontii, Volcæ Tectoſages, & Volcæ Arecomici. Mentio provinciæ hujus eſt in *vet. Inſcriptione*, quæ ſic habet: *Imperio, D. M. Tauropolium. provincia. Narbonenſis. factum. per. C. Batonium. primum. flaminem. Augg. pro. ſalute. dominorum. Impp. L. Septimi. Severi. pii. pertinacis. Aug. Arabici. Hadiabeni. Parthici. Maximi. et. M. Aureliani, Aug.* Totos enim ordines, totasque provincias, non ſingulos ſolùm homines, pro aliorum ſuaque ſalute, per homines ad id deſignatos, ſacerrimô hôc ſacrô inter Gentiles olim defunctos, vidimus jam ſuprà ubi *de Lactoratenſibus*: quid autem id Sacri fuerit, videre eſt voce *Taurobolium*, ita enim rectiùs ſcribitur; quamvis *Inſcriptiones* ſæpe vocem per p. notent. Una verò provinc. hæc diutiſſimè fuit, ac poſtremô in provincias quinque diviſa eſt, *Narbonenſem I. Narbonenſem II.* Viennenſem, Alpes Grajas, Alpesque Maritimas. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque in vocibus *Gallia* & *Lugdunenſis Gallia.*

NARBONENSIS Lacus, idem *Rubrenſi*, vide ibi.

NARCÆA, Minerva dicta eſt, à *Narce* quodam Græcorum principe, qui ubi bellum cum finitimis geſſiſſet, magnamque potentiam fuiſſet adeptus, Minervæ *Narcææ* templum de ſuo nomine condidit.

NARCASUS, vicus, & urbs Cariæ, *Steph.*

NARCES, ubs Numidiæ, *Polyb. Appian.*

NARCISSI Fons, Pauſan. *l.* 9. Vide *Liriope*, & *Narciſſus.*

NARCISSUS, Hieroſolymorum Epiſcopus undecimus, A. C. 180. pro Paſchatis celebratione, Concilium habuit. De quo hunc in modum Euſeb *l.* 6. *c.* 7. *Hiſtor. Eccleſ.* Accidit aliquando, inquit, in die ſolenni vigiliarum Paſchæ, oleum deeſſe luminaribus, cumque per miniſtros innotuiſſet, mœror plebi maximus fuit. Sed Narciſſus fide fidens, miniſtris imperat aquam haurire, ſibique deferri. Cumque detuliſſent, oravit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit: tum repentè miro, & ſeculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem verſa, ſplendorem luminum etiam reddidit clariorem. Is præterea cùm inter cætera virtutum ſuarum bona eſſet valdè conſtantis animi ac juſti, rectique indeclinabiliter tenax, quidam homunculi nequam, & malè ſibi conſcii, metuentes ne criminum ſuorum, ſi arguerentur, non poſſent effugere vindictam, præveniunt, & factionibus circumvenire parant eum, cujus judicium verebantur. Concinnant igitur adverſus eum infame ſatis ac noxium crimen, conveniunt auditores: & ex ſemetipſis producunt, qui ſub ſacramento juramenti, quæ objiciebantur, confirmarent, alius, ne in ignem incideret, vera ſe dicere teſtabatur: alius ita, ne regio morbo corrumperetur; tertius ita, ne luminibus orbaretur. Et quamvis ne juramentis quidem iſtis, quiſquam fidelium, ac Deum timentium crederet, eò quòd vita Narciſſi, & inſtitutio, ac pudicitia ab omnibus noſceretur, ipſe tamen indignitatem iſtam ac moleſtiam non ferens, ſimul & ſecretam, ac philoſophicam vitam ſemper habere deſiderans, ſubterfugit Eccleſiæ multitudinem, & in deſertis locis, atque agellis ſecretioribus delituit annis quamplurimis. At non ille magnus divinæ Providentiæ oculus quieſcit in longum, ſed impios ultione per ea, quæ ſibi in perjuriis ſtatuerant, maledicta molitur. Primus namque ille teſtis parvâ ignis ſcintillâ, noctis tempore, domo ſuâ incenſâ, cum omni genere ſuo, totaque familiâ flammis ultricibus conflagravit. Alter repentè ab imis pedibus uſque ad ſummum capitis verticem, morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur, atque conſumitur. Tertius autem priorum exitum videns, & oculum divinum non ſe latuiſſe perſpiciens, prorumpit in medium, & audientibus cunctis ſerâ pœnitentiâ, univerſum ſceleris concinnati ordinem pandit. Tantis autem lachrymis commiſſum facinus deflet, uſque quo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti ſui hujuſcemodi pœnas dederunt, & Narciſſus epiſcopatui reſtitutus. Hæc Euſebius, vide illum quoque *l.* 6. *Hiſt. c.* 8. & 9. Baron. *A. C.* 198. 199.

NARCISSUS, puer formoſiſſimus, Cephiſſi amnis, & Liriopes Nymphæ fil. quô recens natô, Cephiſſus Tireſiam vatem de pueri fato conſuluit, reſponſumque accepit, tamdiu victurum, quamdiu à ſui conſpectu abſtineret. Quod reſponſi genus quamvis primùm ridiculum videretur; eventu tamen ipſo eſt approbatum. Nam cùm Narciſſus jam adultus, à Nymphis quampluribus, & præcipuè ab Echo adamaretur, mirâ omnes conſtantiâ eſt aſpernatus. Verùm cùm aliquando æſtu defatigatus ad limpidiſſimum fontem bibendi gratiâ ſe contuliſſet, imagine ſuâ in fonte conſpectâ, ſui amore captus eſt: cumque nulla potiundi amoris ſpes eſſet, nimiô deſideriô contabuit, & in florem ſui nominis eſt commutatus. Ovid. *Met. l.* 3. *Fab.* 6. Monumentum ejus fuit in ora Bœotiæ, per quod tranſeuntes ſilebant, unde Taciturnum vocabant. Sapienter ab Ovidio fingitur Nemeſis inſolentiæ, & arrogantiæ vindex, repetere pœnas à Narciſſo ſeipſum amante, ut ſuam ipſius umbram admiraretur. Divinitùs enim puniuntur ſui amantes hâc dementiâ, ut etiam inſcitiam ſuam eſſe ſapientiam arbitrentur. Mutatus in florem, oſtendit quàm levis & evanida ſit inanis gloria mundi, & ſerò flacceſcens monet, ne nimis maturè, & ante tempus ſapere incipiamus, néve nos, aut noſtra nimis amemus, atque admiremur. Stat. *Sylv.* 3.

Hic te conſpicuum melius Narciſſe videres.

Nic. Lloydius. Sed cùm nihil abſurdius fingi poſſit, quàm umbram, omnis coloris expertem, omnisque hilaritatis oculos tangentis, adamari, præcipuè in aqua conſpectam, meritò ſuſpecta Eruditis fabula eſt. Occurrit commodè locus notabilis apud Pauſaniam *l.* 9. qui ſic habet: *In Theſpienſium finibus vicus eſt, qui Hedonacon perhibetur. Inibi fons* Narciſſi *vocatus, quòd in ea aqua ſe Narciſſus contemplatus dicatur, donec ſuam eſſe umbram non intelligens, ſui ipſius amore imprudens incenderetur, atque indidem ad eum fontem extabeſceret. Mihi verò abſurdum videtur, eò ſtoliditatis prolabi quenquam poſſe, ut ſuæ formæ amore capiatur, neque poſſit prorſus diſcernere, quid hominem atque umbram interſit. Alium ergo, minùs vulgatum, de Narciſſo ſermonem referam, & ipſum ſuis nitentem adſertoribus. Sororem ajunt ei geminam fuiſſe, cùm oris ſpecie omni ex parte ſimilem, tum neque veſtitu, neque capillitio differentem: Solitos ſimul venari, eâ occaſione puellam à fratre adamari cœptam. Puellâ præmortuâ, fontem ſæpe accedere conſueviſſe puerum, ubi, cùm ſuam umbram conſpicaretur, neque tamen ſuam eſſe ignoraret, ob ſimilitudinem tamen, quæ inter amantes fuerat, velut non propriæ, ſed abſentis ſororis imaginem cerneret, frequens inde ſolatium deſiderii capiebat. Narciſſum verò florem, longè antè terrâ proditum, veriſimile faciunt Pamphili carmina. Namque homo Theſpius, multis ante puerum iſtum annis, Proſerpinam Cereris à Dite raptam ſcripſit, dum ludens flores legeret, deceptam, non tam violarum, quàm narciſſorum collectione.* Hæc Pauſanias.

NARCISSUS, nomen viri, cujus meminit D. Paulus Rom. *c.* 16. *v.* 11. Item Claudii Imperatoris libertus potentiſſimus ac ditiſſimus apud principem.

NARCISSUS Commodi ſtrangulator, leonibus objectus, ſub hoc præconis elogio: HIC EST QUI COMMODUM STRANGULAVIT, Caſaub. *ad Spartian. in Severo c.* 14.

NARCISSUS, flos autumnalis & coronarius, *nunc argenteô fulget, nunc colore ſplendeſcit aureô. In orbem, inſtar ocelli ſe diffundit, foliis tamen nonnihil craſſioribus, latioribusque. Quina nonnunquam, aut ſenaque, conficiunt floris ambitum, mediumque coronant calicem, qui lactea inter folia, aut delicatè lacteſcit, aut ſplendidè palleſcit decolor, aut circa ſummam oram croco illitam lepidè rubeſcit---longè formoſiſſimus--- qui multiplici ſerie foliorum in cincinnos ſeſe blandè modicèque criſpantium, albæ effigie roſæ ſuaviter effloreſcit. Odor ei non ingratus, rectus caulis, nonnihil planus, ac ſpongioſus, è cujus ſummo, nunc ſe flos unicus pandit, nunc florum faſciculus pendet, capitibus deorſum clementer inflexis.* Fr. Pomey *Deſcription. div.* Λείριον quibuſdam Græcis, Theophraſto auctore, h. e. *lilium*, quòd ei haud quaquam abſimilis eſt. Cereris & Proſerpinæ coronamentis olim adhibitus, legitur apud Scholiaſtem Sophoclis *in Oedipo*, ubi eum, μεγάλαιν Θεαῖν ἀρχαῖον ςεφάνωμα, *magnarum Dearum priſcum coronamentum*, hîc appellat. Et quidem Proſerpina, ante raptum, hôc flore apprimè delectata eſt: poſt eum verò & ea & mater illum averſatæ ſunt quàm maximè. Etiam Furiarum, ſeu Eumenidum, Erinnyumque ſerta ex *narciſſo* plecti conſueverunt: ut docet idem Scholiaſtes, è quibuſdam verſibus Euphorionis & Clemens Alexandr. *l.* 2. *c.* 8. An, quia ut plurimum circa monumenta naſcitur, an quòd hæ Deæ homines terrore afficiunt, aut torpore? A νάρκη certè, quod *ſtuporem* deſignat, nomen ei datum Plinius docet *l.* 21. *c.* 19. & Plutarchus *Sympoſiac.* 3. Unde Clemens iterum *d. l.* Νάρκισσος βαρύοδμόν ἐςιν ἄνθος, ἐλέγχει δὲ αὐτὸ ἡ προσηγορία, ναρκῆν ἐμποιοῦν τοῖς νεύροις. *Narciſſus eſt graveolens flos, quod Hoc probat appellatio, ſtuporem injiciens nervis.* Cœterùm, quod de viola, roſa & lilio legimus, etiam *Narciſſus*, propter pulchritudinem, *florere* dicitur, ac cœteris exemptus nominatur, Virg. Ecl. 8. *v.* 52.

——— ——— *aurea duræ*

Mala ferant quercus; narciſſo *floreat alnus.*

Hinc καλὰ νάρκισσος, Theocrito *Eid.* 9. *pulcher narciſſus*: Virgilio *purpureus*, *Ecl.* 5. *v.* 38. *ſuave rubens*, *in Cir.* Ovidio *croceus*, *Met.* *l.* 3. Oppiano *Cynegetic. l.* 2. ἐρατὸς χρόα φαιδρὸς ἰδέσθαι, *amabilis color, aſpectu ſpecioſus* &c. Sed & odorem ejus commendant Poetæ: è quibus Theocritus εὔπνοον eum vocat, *bene ac ſuaviter ſpirantem, Eid.* 18. & hujus frequens imitator Virgilius, illum caſiæ jungit *in Cir.*

At nutrix patula componens ſulphura teſtâ

Narciſſum *caſiamque, herbas incendit olentes.*

Quæ cum Clementis *loco cit.* ſic conciliat Paſchalius, ut Poetas magis elegantias dicat ſectari, *Coronar. l.* 3. *c.* 9. ubi de hoc flore pluribus agit. Nec omittendum; quòd ad Plinii verba, de Narciſſo, *hujus alterum genus flore candido, calice purpureo*, obſervat Salmaſ. *florem* propriè Plinio appellari, quæ in ambitu ſunt, folia candida: *calicem* verò, purpureum illud vel croceum, quod in ortus habet, quodque effigie calicis eſt & velut coronæ, quæ in orbem currit croceum. Quâ notione, *calix* non eſt Græcis κάλυξ, quod inter alia ſignificat florem roſæ adhuc conniventem & nondum apertum: Sed κύλιξ, *vas* nempe, quô bibitur; à cujus ſimilitudine dicti *calices* in floribus, quos *calathos* alii dixère &c. Vide eum *ad Solin. p.* 102.

NARDENUM, oppid. Hollandiæ, aliàs miſerè deformatum, ab Hiſpanis, nunc recens munitum, cum portu, in ora maris Auſtrini. Vix 3. leuc. ab Amſterodamo in Ortum, paulo plus ab Ultrajecto. A Gallis proditione captum, A. C. 1672. Sed fortiter receptum, A. C. 1674.

NARDINIUM, Selinorum urbs, in Hiſpania Tarraconenſi, *Ptol.*

NARDUM, Salentinorum urbs, Epiſcopalis frequens & lauta, cum titulo ducatus. Vulgò *Nardo.*

NARDUS, Νάρδος, ex Hebr. נרד genus herbæ odoratiſſimæ, Cantic. *c.* 4. *v.* 14. & alibi. *Nardus piſtica*, Joh. *c.* 12. *v.* 3. & Marci *c.* 14. *v.* 3. νάρδου πιςικῆς. Vulgata vertit, *Nardi ſpicati.* Beza,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Beza, *liquida*, παρὰ τὸ πιεῖν, quaſi *potabilem* dicas. *Nardum* enim pro ipſo *nardino unguento* paſſim uſurpat *Athenæus*. Et conviviis unguenta conveniunt, quibus perfundantur convivæ: non autem ſpiſſa, quibus liniantur. Quod tamen luxuria tandem invexit, ut ex his Plinii apparet *l.* 13. *c.* 3. *Quædam*, inquit, *craſſitudo maximè delectat, linirique jam; non ſolùm perfundi unguentis gaudent.* Unde illud Flacci *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 73. *Nec ſicut ſimplex Nævius, unctam convivis præbebit aquam.* Æſchylus autem ἐν Δεσμώτῃ, vocat φάρμακα πιςὰ, *liquida* & quæ *potanda* præbentur; ut dicuntur βρώσιμα, quæ eduntur & χριςὰ, quibus ungimur. At apud Artemidorum *l.* 2. *c.* 23. legimus, γυναῖκα πιςικὴν οἰκυρὸν καὶ πειθομένην τῷ ἀνδρὶ, ubi omnino videtur *fida* mulier ſignificari. Quam in partem tranſeunt omnes ferè Græci reliqui. Sic Euſebius *Demonſtr. Euang. l.* 8. vinum myſticum SS. Euchariſtiæ vocat κρᾶμα πιςικὸν τῆς καινῆς διαθήκης, & πιςικὸν βάλσαμον reperimus in *literis* Emanuelis Imperatoris ad Fridericum Imperat. Etiam de perſona ſæpe occurrit. apud Cedrenum pro πιςὸς, *p.* 545. 577. 596. & ſæpe alibi, ὁ πιςικώτατος τῶν θεραπόντων, *fideliſſimus Miniſtrorum*, quod *Ariſtophanes* & melior Helleniſmus πιςότατος. Hinc *Theophylactus* πιςικὴν interpretatur ἄδολον, i. e. *germanam*, & *minimè adulteratam*: quam *puram* Tibullus vocat hôc *v.* 7. *Eleg.* 2. *l.* 2.

> *Illius purô diſtillent tempora nardò.*

Et Ovid. *de Arte l.* 3. *v.* 443.

> *Nec coma vos fallat liquidâ nitidiſſima nardô*, &c.

Joh. verò Hartungus *in Criticis ſuis Decad.* 2. *c.* 6. ex Athenæi *l.* 15. prope Babylonem fuiſſe oppidum *Opis* dictum, ubi pretioſiſſima *nardi* unguenta confecta & in alia loca deportata fuerint, docet. Itaque non dubitat, germanam lectionem fuiſſe apud utrumque Euangeliſtam Ὀπιςικῆς: quæ vox quia Librariis minùs nota, omiſſâ literâ initiali, ſcripſiſſe πιςικῆς, ſicque inſcitiâ ſuâ Viris eruditis crucem fixiſſe, in qua cogitationes eorum vexarentur, contendit. Additque, ſubodoratos quidem aliquid hac de re jam Auguſtinum olim & Cyrillum *in Joh.* fuiſſe, à loco nempe quopiam *piſticam Nardum* dici, ſed locum illum, quis eſſet, ignoráſſe. Etiam Camerarius doctiſſimus, recitatô verſu Nonni,

> Πιςικῆς τρία μέτρα φατιζομένης ἀπὸ νάρδυ.

Videri, inquit, *poſſit, à loco nomen illud eſſe deductum: quia mediam ſyllabam produxit.* Sed locus ille qui eſſet, neque ipſe neque Nonnus aperuerunt. Sic tria etyma afferuntur (ut aliorum ſententias omittam) primum à πιεῖν, alterum à πίςις, tertium ab ὦπις. Et quidem, primum quod attinet, præter ſuperiùs dicta, videtur id confirmare Athenæus, cùm *aptam eſſe* πρὸς πότον, ſcribit *l.* 15. cumque idem νάρδον καταπίνειν dicit, *l.* 6. Favet Hirtius *de bello Hiſpan. c.* 33. *Ipſe de tempore cœnavit, vinum & nardum identidem ſibi infudit.* At moroſior analogia hæc: Etiam τὸ μύρον (cujus Johannes & Marcus commeminit) innuit *liquorem*; ſi inde aliqua fortè nobilitatis pars trahatur. Sed nec ab Ὦπις (ita enim ab *Herodoto* & *Strabone* ſcribitur) fieri poteſt Ὀπιςικὸν, ſalvâ analogiâ, verùm Ὠπικὸν. Neque etiam mentio *Opis* ullibi apud Athenæum, qui *l.* quidem 15. *c.* 15. ex profeſſo de variis locis agit, in quibus meliora quæque unguenta fierent, addens: Νάρδινον τὸ ἐν Τάρσῳ; nullum tamen ibi, ne tantillum, vel etiam alibi, veſtigium, unde *Nardus opiſtica* exprimatur, oſtendit. Imò nec apud Strabonem, Dioſcoridem, Plinium, qui *Nardi* Celticæ, Italicæ, Syriacæ, Indicæ meminerunt, at *Opiſticam* unanimi ſilentiô prætereunt. Ergò πιςικὴ revera à πίςις eſt, & νάρδος πιςικὴ ſic dicta, tanquam *probatæ fidei, integra, ſine admiſtione alterius*: quemadmodum contrà *pſeudonardus*, apud Plinium *l.* 12. *c.* 12. ita vocatur à ψεύδομαι, i. e. *fallo*. Hinc vetus Lexicon: *Nardum piſticum dicitur*, i. e. *fidele, purum, ſine omni impoſitura & commixtura compoſitum, non adulteratum aliis herbis.* Et hoc ipſum in cauſa, cur idem unguentum Johanni πολύτιμον, Marco πολυτελὲς dicatur. Bene enim Joach. Vadianus *Epitom. Terræ part. Dignum*, inquit, *cognitu, quod l.* 13. *Plinius tradit, videlicet novem herbarum ſpecies eſſe, quæ nardum imitentur & adulterent. Unde intelligimus, in tantæ fraudis materia, uſum loquendi obtinuiſſe, ut* piſtica nardus *diceretur, quæ ſincera & abſque vitio eſſet*, ἀπὸ τῆς πίςεως, *à fide, & planè* ἄδολος, *h. e. germana, ut ait Eraſmus & nullâ arte vitiata. Proinde & Hermolaus libro Coroll.* 1. πιςικὴν, *h. e. probam & fidelem exponit, & quæ adulterata non ſit, ſicuti Marci c.* 14. *v.* 3. *& Johann. c.* 12. *v.* 3. *accipitur. Hieronym. ſuper* 26. *c. Matthæi piſticam; planè veram & abſque dolo expoſuit.* Vide Becmannum *de Originibus L. L.* Hoc autem *nardinum* unguentum magni tum fuiſſe pretii, etiam eô fit probabilius, quòd illis temporibus unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujuſmodi cum laude conficeret: nec multo ante Galeni ætatem in aliis quoque urbibus fieri cœpit, quod commendaretur. Vide eum *l.* 6. Ὑγιεινῶν. Hôc itaque tam ſincerô, tam pretioſô unguentô, mulier illa pedes JESU delibutos reddidit, pro more variarum tum gentium, quibus pretioſiſſima unguenta in frequenti uſu fuêre, maximè cùm in tricliniaribus lectis accumberent. Niſi potiùs in iſta ſacrorum Domini pedum unctione, non tam moris communis habendam eſſe rationem arbitreris, quàm latentis myſterii: quod etſi ſatis capere nequimus, nedum ſatis explicare valemus, ineſſe tamen credimus & humili ſilentiô adoramus. Scimus antiquis in more fuiſſe poſitum, ut teſtandæ reverentiæ & cultui religioſo, vel qui proximè ad religioſum accederet, oleum vel unguentum effunderent. Sic Jacob lapidi, quô erat uſus pro cervicali, oleum ſuperfudit, Gen. *c.* 28. *v.* 18. Idemque ſtatuam eô locô erectam, ubi Deus cum ipſo erat locutus, ſimili veneratione proſequutus eſt. Sic *lapides unguine delibutos*, ut loquitur *Appulejus*, pagani in triviis coluerunt, quod multi Scriptores teſtantur, Clemensque Alex. λιπαρὺς propterea λίθυς illos vocat, *l.* 7. *Stromat.* Sic animalia; quæ Diis conſecrabant & libera ſinebant abire, vel quæ alioquin admodum admirabantur, unguentis linebant, uti multis exemplis *ad Suetonii l.* 1. *c.* 80. probat Caſaubon. An igitur hæ quoque mulieres ſanctiſſimæ, quum in Domino, quem eſſe Deum adhuc ignorabant, aliquid tamen ſupra hominem admirarentur, devotionem ſuam hôc factô ſunt teſtatæ? Hoc certè videtur voluiſſe Chryſoſtomus, cùm ſcribit de una illarum, *in Matth. Homil.* 18. Πολλὴ ἡ εὐλάβεια ἦν καὶ ἄφατος ἡ σπυδὴ, *Magna erat hujus mulieris reverentia & ſtudium erga Chriſtum verbis inenarrabile.* Ac mens quidem illarum hæc erat: divina verò Providentia, quæ illas regebat, altiora myſteria moliebatur; ſicut ipſius Chriſti verba inſinuant, Marci *c.* 14. *v.* 8. *Quod habuit, ipſa fecit: antevertit unguentô linere corpus meum ad pollincturam.* Hinc Eucherius Lugdunenſis *in Matth. c.* 26. *v.* 2. *Significatio*, inquit, *eſt non perditio: in proximo paſſurus ſum; ideoque mulier hoc unguentum mihi attulit ad ſepeliendum. Mos enim antiquitùs fuit, ut nobilium corpora ſepelienda ungerentur, & cum aromatibus ſepelirentur.* Idem Scriptor alibi: *Myſterium eſt quod agitur; in quo mors & ſepultura citò fieri ſignificatur.* Vide Iſ. Caſaubon. *Exercit. XIV. num.* 12. & 13. & Salmaſ. *ad Solin. paſſim.* E quo hoc ſolùm addo, cùm *nardus* Plinio alia ſit Celtica, quæ in Iſtria & Liguriæ Alpibus naſcitur, *Cambul Rumi* Arabibus, h. e. *Spica Romana* (quæ fortaſſe *Pſeudonardus*) dicta; alia Indica; alia Syriaca ſeu Ciliſſa: ſolam mediam & *Nardi* ob excellentiam (cùm reliquæ nardi, ſine adjuncto loci natalis, non ſoleant nominari) & *Spicæ* propriè nomen, quòd ςαχυόθριξ ſeu *ſpicata* ſit, habuiſſe. Cœtera vide infrà, in voce *Spica*. Nec omittendum, licet *nardus Ciliſſa* adeò brevi foliô eſſet, ut vix necti quiret, tamen & illam, & inſuper *Indicam* luxui in coronas placuiſſe. Idem Salmaſ. *d. l.* Condarias de *nardo* exhibuiſſe Heliogabalum, ſuprà vidimus.

NARE, & literas, à primis annis Lacedæmone olim, & Romæ docebantur Juvenes, vide ſuprà *Nandiperitia*.

NARES, in Hiſtoria naturæ animalium, per ſingula membra, memorantur Plinio his verbis *l.* 11. *c.* 37. *Infra eas* (genas) *hilaritatem riſumque indicantes buccæ. Et altior homini tantùm, quem novi mores, ſubdolæ irriſioni dicavêre, naſus. Non alii animalium nares eminent: Avibus, ſerpentibus, piſcibus foramina tantùm ad olfactus, ſine naribus. Et hinc cognomina ſimorum, ſilonum* &c. Ubi, quod *de irriſione* ait, confirmatur illo Horatii, *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 5.

> ——— *naſò ſuſpendit aduncò.*

Vide infrà in voce *Naſus*. Inprimis verò vultum hominis decent *nares*; unde in bello quoque cum cura tectæ galeis. Sidonius *Panegyric. Anthemii*, de Roma.

> *Obtundit teneras circundata faſcia* nares,
> *Ut galeis cedant* ———

Et earum abſciſſio inter præcipuas pœnas, apud Occidentales olim populos, Wiſigothos, Longobardos, alios, recepta, uti infrà dicemus. Vide Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l.* 4. *v.* 20. de *Narium* verò *annulis*; item *emunctione*, ſuprà: uti de more ſuaves *naribus* odores per reticulum inſpirandi, infrà voce *Reticulum*, it. *Roſa*: de alio Spartanorum, *nares* oculoſque infantum recens natorum vino abluendi, ubi de *Ungendi ritu*: de alio *naribus* vel malis ferarum uncos injiciendi, infrà ibid. lemmate *Uncæ manus*. Hinc *Nario*, de qua voce paulo pòſt.

NARES Canalis, apud Vitruvium, pro extrema canalis parte, quâ humor egeritur, *l.* 7. *c.* 4. *Sin autem aliquis paries perpetuos habuerit humores, paulùm ab ea recedatur & ſtruatur alter tenuis diſtans ab eo quantum res patietur, & inter duos parietes canalis ducatur inferior quàm libramentum conclavis fuerit, habens nares ad locum patentem:* Poſtea, *Item cùm in altitudinem perſtructus fuerit, relinquantur ſpiramenta: ſi enim non per nares humor & in imo & in ſummo habuerit exitus, non minùs in nova ſtructura ſe diſſipabit.* Mox, *Si autem locus non patietur ſtructuram, canales fiant, & nares exeant ad locum patentem.* Idem *ſpiramenta* alibi vocat: Græci ἀναπνοάς. Unde vetus Auctor *Gloſſarum elicem* ἀναπνοὴν interpretatur: *elices* autem dicebantur *nares* aquariorum illorum ſulcorum, quibus aqua è lyris educebatur. Iidem Græci ῥῖνας quoque dicebant, unde ῥινέχυς appellat *Strabo* cloacas, quæ *nares* in mare apertas habent, quibus aqua exoneratur. Cujuſmodi cloacarum naribus obturatis, Lyſimachus adjuvit diluvium ex magnis & continuis imbribus ſupervenientibus ortum, quo antiqua Urbs Epheſus ſubmerſa: de quo imbre Duris Elaita intellexit *in Epigramm.* quo Epheſi illum κατακλυσμὸν deplorat:

> Ἠερίαι νεφέλαι πόθεν ὕδατα πικρὰ πιοῦσαι,
> Νυκτὶ σὺν ἀστεμφεῖ πάντα κατεκλύσατε.
> Ου Λιβύης Ἐφέσυ δὲ τὰ κεῖνα ταλαίνης
> Αὔλια; καὶ μακρῶν ἐξ ἐτέων κτέανα.
> Πῦ δὲ σαωτῆρες τότε δαίμονες ἔτραπεν ὄμμα,
> Αἲ αἲ τὴν Ἰάδων πολλὸν ἀοιδότατον.
> Κεῖνα δὲ κύμασι πάντα κυλινδομένοισιν ὅμοια
> Εἰς ἅλα σὺν ποταμοῖς ἔδραμε πεπτάμενοι.

Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſcum in Probo Imp. c.* 21. *ad Solin. p.* 809.

NARGARA, Africæ propriæ urbs Livio, *l.* 30. *c.* 29. ubi Scipio & Hannibal colloquebantur. *Margarum* Polybio. *l.* 15. *c.* 5.

NARHUAL, vide ſuprà *Monoceros*.

NARIO, in *Gloſſis veterib. ſubſannator*, qui ſcil. *naribus* aduncis omnia ſuſpenderet, quod Græci ῥινᾷν vocârunt. *Ælianus* de Paraſito, Καὶ ὁ μὲν Μενάνδρυ Θήρων μέγα φρονεῖ, ὅτι ῥινῶν ἀνθρώπυς φάτνην αὐτὺς ἐκείνυς εἶχεν. Quod verbum perperam ἀπὸ τῆς ῥίνης factum vult Scaliger *Conjectan. in Varr.* & *limare* interpretatur, cùm ſit ἀπὸ τῦ ῥινῶν, à *naribus*. Verba autem illa Menandrici paraſiti, apud veter. Grammaticum repetit Salmaſ. ex Menandro,

> ----- Ἐγωγ' ἐπίςαμαι
> Ῥινᾷν.

Vide eum *Notis ad Ælium Spartian. in Antonino Geta c.* 4.

NARISCI, populi German. quorum regio *Nortgow*, teſte Aven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tinô. *Beyrn* Rherano. Bavaria Tranſdanubiana ſeu Palatin. Bavariæ, à Vindelicia (quæ nunc Ducum Bavariæ) Danubiô diviſus, cujus caput Amberga. *Fabricius*, & *Willichius Voitlander* faciunt. *Terram Advocatorum* poſteriores vocitârunt: horum caput fuiſſe *Egram* cenſent, & hæc quoque priſcorum Suevorum portio; imò & poſteriorum. Gothofredus Monachus: *Anno Domini* M. C. XX. *Henricus Rex natale Domini in Suevia apud Egram agit.* Æquè admiretur quiſpiam hodie apud eundem legi, *in Suevia apud Hagenoam.* Apud Hagenoam, inquam, in Suevia, ubi tamen, Gothofredi tempore, ultra mille annos jam coaluerant Suevi, eò translati conſtitutique ab Auguſto. Ex finibus Nariſcorum Mœnus oritur, *l.* 4. Itiner. Germ. Vide B. Rhananum *Rer Germ. Nov.-Antiq. l.* 1. cum *Notis* Ottonis JCti. *p.* 23. & *ſeqq.*

NARISTI, apud Capitolin. *in Marco*, *c.* 22. *Gentes omnes ab Illyrici limite uſque Galliam conſpiraverant, ut Marcomanni*, Nariſti, *Hermunduri* &c. Ναρίσαι ſunt *Dioni*, Οὐαρισοὶ *Ptolemæo*, unde rectè hîc *Variſtæ* legeretur. Salmaſ. ibi.

NARITI, vide NARYCII.

NARMALIS, urbs Piſidiæ. *Steph.*

NARNA, *Straboni*, vel *Narnia*, Umbriæ civitas, per quam Nar fluv. labitur, à quo & nomen accepit, Liv. *l.* 10. *c.* 9. Olim *Nequinum* dicebatur, teſte Pliniô, *l.* 3. *c.* 14. à nequitia incolarum, qui obſeſſi, ſe liberoſque occidere quàm dedere maluerunt. Patria Nervæ Imperatoris & Joh. XIV. Pontificis. Ad montis eſt radices, *Ferrar.* & in parte meridionali, rupes habet admodum præcipites, quarum imo in hiatu *Nar*, per ſcopulos, confragoſô alveô labitur. Municipes hujus loci *Nartes* quondam dictos fuiſſe, ex antiquis marmoribus docet *Hermolaus*. Plinio verò *Narnienſes*. Sic enim ille *l.* 31. *c.* 4. *In agro Narnienſi quædam terræ imbribus ſicciores fiunt, quod admirandis ſuis inſeruit M. Cicero, ſiccitate lutum fieri prodens, imbre autem pulverem.* *Nerni* hodie dicitur *Leandro.* Sil. *l.* 8. *v.* 458.

Hiſpellum ac duro monti per ſaxa recumbens
Narnia. ——— ———

Martial. *l.* 7. *Epigr.* 92.

Narnia ſulfureô quam gurgite candidus amnis.
Circuit, ancipiti vix adeunda jugô.

Claudian. *de* 6. *Conſul Honorii. v.* 515.

Celſa dehinc patulum proſpectans Narnia campum
Regali calcatur equo; rarique coloris
Non procul amnis abeſt urbi, qui nominis auctor
Ilice ſub denſâ ſilvis arctatus opacis
Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 637. *Nic. Lloydius.*

NARO, urbs Dalmatiæ; *Narenza.* In ora Sinus cognominis, qui pars eſt Adriatici. Aliàs ampla, nunc deficit ſenſim. Sub Turcis. Regio adjacens antea Chulmia, nunc Herzegovina dicitur; eſtque pars Serviæ. Eſt 35. mill. paſſ. ab Epidauro in Boream. Hinc *Narentini*, qui & *Arentani*, & *Pagani*, Porphyrogenitæ, teſte *Luciô.*

NARON, fluv. Dalmatiæ Naronam urbem alluens, ac pelago inter Peguntium & Epidaurum urbes exceptus, hodie *Narenta*, *Nicander.*

——— Δρίλων καὶ Νάρωνος ὄχθη.

NARONA, colonia illuſtris Illyrici, appoſita cognomini fluvio *Naroni* vel *Nari*, *Itiner.* Antonini.

NARONENSIS Sinus, pars eſt maris Adriatici longè per terras extenſa, in Dalmatia, juxta Naronem, inter ditionem Turcarum ad Boream, Raguſinam ad Auſtrum, & Inſul. Leſinam Venetorum ad Occidentem.

NAROVA, lacus novæ Franciæ. Vix 36. mill. paſſ. à Monte Regali in Meridiem.

NARRATORES, apud recentioris ævi Scriptores, Advocati ſeu Patroni cauſarum, Car. du Freſne *in Gloſſario*: Vide in his vocibus.

NARSES Perſarum Rex, poſt patrem Varanem III. A. C. 295. Imperatoribus, contra rebelles, occupatis, Meſopotamiam Armeniamque rapuit; Maximinianum etiam Galerium, à Diocletiano miſſum, vicit: qui tamen duobus aliis præliis ſuperior, Narſetem cum uxore, liberis, ſororibus, &c. in poteſtatem redegit, recuperatâ Meſopotamiâ & quinque aliis provinciis, trans Tigrim, imperio adjectis. Euſeb. *in Chron.* Eutrop. *l.* 9. Regnavit ann. 7. ſucceſſore Ormiſdate I. quem vide, nec non Eutropium *loc. cit.* Cæterùm Ναρσῆς Agathiæ, Aur. Victori & Ammiano *Narſeus*, *l.* 23. *Maximiano antehac Cæſari, cum* Narſeo *Perſarum Rege jam congreſſuro.* Ita enim MSS. ubi editur, *Narſe.* Idem nomen Ducis Perſici, *l.* 24. *Cum Tigrane, & Surrena &* Narſeo, *potiſſimis Ducibus.* Sic eadem, *Perſeus, Perſes, Perſa.* Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 3. *c.* 11. *Retulerunt tale prodigium & Antiochi & Perſidis bellô, in eodem apparuiſſe figmento.* Ubi pro *Perſidis* alii *Xerxes*: Lud. Vives *Perſæ*: ſed membranæ Noricæ *Perſis*, idque verum. Similiter *l.* 18. *c.* 18. *Et ſeptimi Regis Triopæ fil. Jaſus & Rex nonus Sthenelas ſive Stheneleus ſive Sthenelus: variè quippe in diverſis Auctoribus invenitur.* Et idem tamen eſt nomen, adjungendaque quarta terminatio, *Stenelaus*, quæ extat apud Polybium *l.* 4. &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 15. *ubi plura habes in eam rem egregia.*

NARSES, Perſa natione, Eunuchus Juſtiniani Imperatoris, cujus partes, primâ ejus contra Perſas victoriâ ſequutus eſt, bibliopola prius, deinde ob animi virtutem Quæſtor exercitus, Conſul & Patriciatus honore auctus, vir religione, ac pietate præditus. Is in locum Beliſarii Ducis in Italiam miſſus, Gothos binis præliis ſuperavit, A. C. 552. in poſteriore Totilâ ipſô occiſô, & ipſo in loco, quô Galli olim à Camillo victi. Contra Leutharim dein, & Bucellinum, Germanos, qui in Italiam irruperant, quoque victor. Hunc, cùm à Sophia Imperatrice ignominioſis verbis, ut nempe cum mulieribus fila traheret, quòd Eunuchus eſſet, revocaretur, reſpondiſſe, ſe telam orſurum, quam ipſa tam facile retexere non poſſet, ſicque, Longobardos in Italiam vocâſſe, *Paul. Diaconus* auctor eſt, ſed, ex Corippo illius ſeculi Hiſtorico, negat id *Baronius*: qui etiam illum eundem eſſe credit, cum eo, ad quem trinas literas S. Gregorius ſcripſit, quique, contra Phocam inſurgens, ut Mauritii necem ulciſceretur, ab ipſo captus & uſtulatus eſt. Procop. *l.* 3. *de bello Goth.* Evagr. *l.* 4. Niceph. Agathias, Cedrenus, Volaterr. Zonaras, &c. Baron. *A. C.* 552. 553. 567. 605. & 606. De eo Paulus Varnefridus *l. de geſtis Longob.* 2. *c.* 3. *Hic Narſes*, inquit, *priùs quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita Patriciatûs honorem meruit.* Eundem *Italiæ Exarchum* fuiſſe prætereà, ſcribit P. Diaconus, *in ſupplem. ad Eutrop. l.* 16. Vetus marmor apud Onuphrium Panvinium: *Imperante. Dn. Piiſſimo. ac. triumphali. Juſtiniano. PP. Aug. anno.* 38. *Narſes. Vir. glorioſiſſimus. ex. Præpoſito. ſacri. palatii. Exconſul. atque. Patricius. poſt. victoriam. Gothicam. ipſis. ex. eorum. Regibus. celeritate. mirabili. conflictu. publico. ſuperatis. libertate. urbis. Romæ. ac. totius. Italiæ. reſtitutâ. pontem. viæ. Salariæ. uſque. ad. Aquam. à nefandiſſimo. Totila. tyranno. deſtructum. purgato. fluminis. alveo. in. meliorem. ſtatum. quàm. quondam. fuerat. reformavit.* In altera parte pontis hi verſus leguntur:

Quàm benè curvati directa eſt ſemita ponti,
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas ſubjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites.
Et Narſio *reſonans plauſus ubique canat.*
Qui potuit rigidas Gothorum flectere mentes.
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

NARSINGA, urbs ampla Indiæ citerioris regni cognominis caput, verſus oram Sinus Bengalæ, à qua 40. mill. paſſ. diſtat, uti 150. à Maſulepatamo in Meridiem, & 20. circiter à Negapatamo in Boream, in ora Coromandelis. Sub Rege Biſnagariæ. Vide ibi. Hornio tractus ille, quem nautæ vulgò appellant *Coromandel*, complectitur Regna *Narſingæ*, quæ etiam *Biſnagar* appellentur, nempe *Negapatanum*, *Malipuriam*, *Biſnagariam* & *Orixam*. Idem refert, Regis *Narſingæ* tantam perhiberi potentiam, ut Regnum ejus intra ſex menſes circumiri vix poſſit. Cœterùm hiſtoria non hujus modò, verùm & aliorum per Indiam Regnorum; tota adhuc nobis ignota eſt, Mercatoribus Europæis, qui eò commeant, potiùs de pipere, quàm de hiſtoria ſolicitis. Nomen & titulus Regum eſt *Virapanai*, ſicut Regum Malipuriæ *Vengabatir.* Vide eum *Orb. imp. p.* 305.

NARSINGAPATANUM, oppid. regni Golcondæ, in ora ſinus Gangetici, 200. mill. paſſ. à Maſulepatano in Cæciam, & 160. ab Hidrabando in Ortum.

NARTA, *Guagnino* dicitur ſoleæ ligneæ genus, quibus Scricfinni his conterminæ gentes utuntur in tranſmittenda glacie, altiſſimiſque nivibus. Nil autem aliud ſunt, (ſiquidem ex iis, quæ Lugduni Batavorum, in Theatro Anatomico, aſſervantur, argumentari licet) quàm lignum tenue & longiuſculum, anteriori ſui parte incurvum, in cujus medietate anſa eſt ex corio, cui pes inſeritur, ſubjectâ ex contortô vimine aliâ, quâ poſteriora pedis firmantur. Simpliciſſimæ ſunt eæ, quas Lugduni oſtendiximus, longitudine ſeptenûm pedum, latitudine pollicum quatuor & quod excedit: fuêreque ſine dubio proceri ac adulti hominis illæ ſoleæ. Id enim providè homines illi agunt, ut in fabricandis ſuis *Nartis* eam rationem longitudinis ſervent, quæ hominis eſt, cui inſerviunt. Cultum tamen recipit hoc ſolearum genus, nec quidquam impedit, quô minus Rangiferorum pellibus, vel quâ ſimili materiâ obducantur, ad promovendam curſus celeritatem ſignique ſubſiſtentiam: Illud quidem, quod Lugduni viſitur, ſolearum par, ſine ulla notabili differentia quoad longitudinem, supernè reſinâ vel pice obductum erat. Aliam iſtiuſmodi *Nartarum* deſcriptionem Titianus nobis dedit, in ſuo *de Antiqq. habitu* libello, quæ ſi vera eſt, aliud *Nartarum* genus in uſu Scricfinnis fuerit, quô altiſſimas nives & cacumina montium: aliud, quô apertam planiciem, & lubrica glaciei pertranseunt. Atque ab hoc ultimo genere deducta fortè illa Calopodia, quibus Belgæ per conſtrictas frigore hybernô aquas quàm velociſſimô curſu ludibundi quaquaverſum oberrant: *Schaatſen* vulgò. Omnium iconem habes apud Bened. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 6. Vide quoque *Olaum Magnum Wormiumque.*

NARTES, Umbriæ populi, qui & *Interamnates.* Plin. *l.* 3. *c.* 4.

NARTHECIS, parva inſula prope Samum, *Strabo* & *Steph.* *Narthex Suidæ*, ſic enim ille, Νάρθηξ νησίδιον ἐγγὺς φασὶ Σάμου ἐν δεξιᾷ, τοῖς προσπλέουσι.

NARTHECUSA, inſula in mari Carpathio, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

NARTHEX, Græce Νάρθηξ, *ferula* propriè. Plin. *l.* 13. *c.* 22. *Ferula calidis naſcitur locis atque trans maria geniculatis nodata ſcapis. Duo ejus genera*, Nartheca *Græci vocant aſſurgentem in altitudinem. Nartheciam verò ſemper humilem.* E qua quia prima medicamentorum vaſcula efficiebantur, factum, ut dein quælibet vaſcula ex quacunque materia, in quibus medicamenta recondebantur, *Narthecia* dicta ſint, apud Cicer. *de Finib. l.* 2. Hinc Martial. *l.* 14. *Epigr.* 78.

Artis ebur medicæ narthecia *cernis habere*, &c.

Sub Imperatorib. poſtmodum recentioribus Νάρθηξ ſeu *Ferula*, ut cenſet Car. du Freſne *Diſſertat. de infer. ævi Numiſm. num.* 21. id dictum eſt, quod priùs *Labarum* vocabatur, Imperator. videlicet geſtamen, formâ tamen ac figurâ non parùm immutatum. Labarum quippe quadratum fuit, ex panno aut ſerico confectum, Chriſti inſignitum monogrammate: *Narthex* verò ferulæ ſolidæ ſpeciem prætulit, quæ paulò longior, quàm latior fuit. Unde Medicos quoſdam Νάρθηκας libros ſuos nuncupâſſe legimus, quòd libri illi ferulæ omnino ſpeciem referrent. Effingitur præterea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

clari: *Narthex* ejuſmodi, in bulla plumbea Balduini II. Imperatoris Conſtantinopolitani, diplomati A.C. 1241. appenſâ, in qua Balduinus, Imperatoriô habitu ſedens, dextrâ virgam tenet, in cujus parte ſuperiori, neſcio quid quadratum oblongius eminet, fimbriâ circumdatum & ad extremos angulos globulis vel margaritis exornatum: ab inferioribus verò angulis pendent vittæ, margaritis pariter diſtinctæ. Haſtæ extremum claudit globulus ſeu margarita grandior, cui minor inſiſtit. *Narthecem* ipſum exteriorem exornat circulus ovali figurâ unionibus contextus. At in *Narthecibus*, qui effinguntur in nummis, apparent ferè ſemper in quincuncem diſpoſitæ margaritæ: ita ut liquidò evincatur, diu ſervatas Labari figuræ ſeu Chriſti monogrammatis reliquias. Scribit Codinus *de Officiis c.* 17. *num.* 37. moris eſſe, ut quando Imperator geſtat ſemma, dextrâ Crucem, ſiniſtrâ *Νάρθηκα* tenere. Simeon verò Theſſalonicenſ. Ferulam geſtari ab Imperatorib. tradit, in potentatis iis indultæ populos caſtigandi ſymbolum: quaſi Pædagogi ferulam hæc vox notaret, quâ revera Labarum indigitabatur. Vide eundem Car. du Freſne *Not. ad Alexiadem.* Sed & *Narthex*, certus in Græcorum Templis locus erat, porticus videl. vel atrium ante Baſilicam, ad deambulandum factum, tam longum, quam ipſum templum latum, contineati ædificiô cum ipſo Templo & eôdem ambitu clauſum, ab Eccleſia tamen veluti ſeparatum: Aliæ enim *Narthecis* fores à Templi foribus, & qui intra *Narthecem* ſtabant, extra Templum conſiſtere cenſebantur. Hic audientes locum habebant & ſecundi gradus Pœnitentes. Græci, Ὁ ἀκροώμενος ἔσωθεν μὲν τοῦ Νάρθηκος ἵσταται, ἐ περαιτέρω δὲ τῆς χωρίτας εἰσελθεῖν, *Audiens intra quidem* Narthecem *ſtat, at ſemitus ingredi non audet.* Iidem ἀκρόασιν i. e. *auditionem*, definiunt, τὸ θείων ἀκροᾶσθαι γραφῶν ἐν τοῖς βασιλικοῖς τῆς Ἐκκλησίας ἑστῶτα πυλῶσι, *cùm divinæ literæ audiuntur ab iis qui ad Baſilicæ fores ſtant.* Unde diſcimus, poſt *Narthecem* ſequi portas Eccleſiæ, cujus introitus finis erat Narthecis. Paulus Silentiarius αὐλῶνα vocat, Heſych. στοὰν interpretatur: Νάρθηκος autem nomen accepit, quòd longa eſſet iſta porticus & anguſta: vel à culminis figura, quòd ferulæ dimidiatæ inſtar exhiberet. Latini *Paradiſum* dixerunt voce Græcâ, quæ locum etiam ſignificat ad deambulandum factum, &c. Hic itaque eſt Græcorum Νάρθηξ, in Baſilicis ac Templis Chriſti nomini dicatis: Antiqua Græcia in Templis Deorum ſuorum Πρόναον vocabat, πρόστοον atque etiam πρόστυλον. Sed alia forma fuit veterum Græciæ ædium ac Baſilicarum Chriſtianorum. Ædes ipſa namque ναὸς, item δόμος, Latinis, ut Vitruvio *l.* 4. *c.* 4. *cella ædis:* in fronte ædis, πρόναος vel etiam πρόδομος, qui Νάρθηξ, in Templis Chriſtianorum. Verùm ædes Græcorum plerunque etiam ὀπισθόδομον habuêre ad idem inſtar in poſtico ædis factum, ut in fronte. Sed nec unum genus προνάου fuit; aliquot ſpecies & modos refert Vitruvius. *loc. cit.* Primum dicebatur *in Antis*, ſunt autem antæ quadræ columnæ vel pilæ, quæ ad latera oſtiorum utrinque ponuntur, atque iſtiuſmodi ædes appellabatur ναὸς ἐν παραστάσιν. At πρόστυλος vocabatur ea, quæ contra Antas duas columnas angulares habuit, & ſupra Epiſtylia & dextra & ſiniſtra, ad verſuras ſingulas. Ἀμφιπρόστυλος autem, quum in poſtico ad eundem modum columnas & faſtigia habebat, ut in fronte. Porrò περίπτερον vocatum eſt id genus ædis, quæ non ſolum in antico & poſtico, ſed etiam ad latera habebat columnarum ordines ſive porticus; unde hodieque columnata templorum latera *Alæ* vocantur; ut alia omittam. Fiebat autem πρόναος, ſeu frons ædis, cum columnis & faſtigio, plerunque ipſo ναῷ, ſeu ædis cella, major amplior que. Strabo *l.* 17. Μετὰ δὲ τὰ προπύλαια ὁ νεὼς πρόναον ἔχων μέγαν, καὶ ἀξιόλογον· τὸν δὲ σηκὸν σύμμετρον, ξόανον δ' οὐδὲν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός. *Poſt veſtibula ædes ſequitur, pronaum habens amplum & magnificum, cellam autem ædis modicam,* &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. *& ſeqq.* Ad *Narthecem* Chriſtianorum ut redeam, hodie apud Græcos, *Narthex* in ædibus Monachorum ſacris, laicorum ſtationi inſervit; in reliquis, locus eſt mulieribus aſſignatus, cancelliſque, tranſennis & cratibus obſeptus, ut ſe per totum Orientem obſervâſſe, ait Dominic. Macer; qui a Salmaſio diverſum ſentiens, *Narthecem*, non in porticu, ſed intra ipſam ædem ſacram, prope portam, collocat, *in Hierolexico*, eumque Pœnitentium, Catechumenorum & Energumenorum ſedem facit, unde tempore Communionis ſacræ exire conſueverint, hanc in rem laudans Leonem Allatium in Tract. quem *de Narthece* compoſuit, quem ſi placet adeat harum rerum avidus Lector. De Homerica editione, ἐκ τοῦ Νάρθηκος dictâ, vide ſupra *Critice.*

NARVA, urbs Livoniæ, ad fluv. cognominem, qui Livoniam dirimit à ditione antiqua Moſchorum; ex adverſo Narvæ arx eſt *Ivanowgorod*, ſub Suecis ab A. C. 1617. in Ingria; imò utraque nunc illis ſubeſt. Urbs permunita, 30. leuc. Suec. à Revalia in Orientem, 15. à Torpato in Cæciam, vix 1. à ſinu Finnico. Scopulo in ſaxea arx tumulo inſidet, juxta Narvam fluv. & duplicis ſclopeti ictu Livonicâ Narvâ in oppoſita ripâ fluminis ſitâ diſtans, diſcriminis causâ, Ruſſica & *Dunzſche Nerva*, ut altera Germanica appellatur, 40. milliar. à Pleſcovia, uti à Novogardia. Narva autem fluv. amplus urbem rigat, & 2. ſub urbe milliar. à Sinu Finnico abſorbetur.

NARVATUS Matthias, vide *Matthias.*

NARYCIA, *Ferrario* urbs Magnæ Græciæ, aliis *Narycium* oppid. Locrorum vetuſtiſſimum, unde Ajax Oileus. *Stephanus* Νάρυξ πόλις Λοκρίδος. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 704.

> —— *Dextrâ prærupta Ceraunia parte*
> *Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque.*

Abundat autem *Narycia* pice optimâ. Virg. Georg. *l.* 2. *v.* 437.

> *Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,*
> *Naryciæque picis lucos.*

Vide de la Cerdam in illud Virgilii *Æn. l.* 3. *v.* 399.

> *Hic & Narycii poſuerunt mœnia Locri.*

Nic. Lloydius. It. hîc infrà.

NARYX, urbs Opuntiorum; imò ſecundùm Servium urbs ipſa Opus, ita enim is: *Alii Narycios Opuntios eoſdem & Epicnemidios dicunt: namque priùs Naryx, Opuns poſtea dicta eſt, eadem & Epicnemidia vocatur, ad Æn. l.* 3. *v.* 399. Sed falſum id, uti Salmaſ. docet *ad Solin. p.* 66. Vide in voce *Narycia.*

NASABATH, ut ſcribit *Ortelius*, ſed *Naſava* eſt in Græcis codicib. *Ptolomæi*, *Nahar* Plinio *l.* 3. *c.* 5. ac Melæ *l.* 2. *c.* 3. Mauritaniæ Cæſarienſis amnis. *Soſſagia Caſtaldo. Baudrando* fluv. Mauritaniæ Sitifenſis, illam à Cæſarienſi ſeparans. Nunc *Rio Major.* Oritur in Biledulgeridia; dein per regnum Algerii fluens, ibi juxta Saldas ſeu Bugiam in mare Mediterraneum ſe exonerat.

NASACHÆI, memorati Epiphanio *Panarii l.* 1. nomen Sectæ apud Judæos obſcurioris: quemadmodum & Doſithei, qui ambo errore Pythagoricorum de Μετενσωματώσει, & abſtinentia ab eſu carnium, quoque imbuti erant. Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 4. *c.* 2.

NASAMONES, populi Libyæ, prope Oceanum Atlanticum, navium Syrtibus involutarum ſpoliatores, & rapto viventes, Lucan. *l.* 9. *v.* 439.

> *Quas Naſamon gens dura legit, qui proxima Ponto*
> *Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis*
> *Syrtis alit; nam litoreis populator arenis*
> *Imminet, & nullâ portus tangente carinâ*
> *Novit opes, ſic cum toto commercia mundo*
> *Naufragiis Naſamones habent.*

Silius.

> *Quin etiam Libyco ſi quid de litore raptum*
> *Bellator, Naſamon, &c.*

Idem *l.* 3. *v.* 320.

> *Hinc coit æquoreus Naſomon invadere fluctu*
> *Audax naufragia, & prædas avellere ponto.*

Idem *l.* 1. *v.* 408.

> *Et vaſtæ Naſamon Syrtis ſpoliator Hyempſal.*
> *Audax in fluctu laceras raptare carinas.*

Quin & Qu. Curtius idem memorat *l.* 4. *c.* 7. his verbis, *A ſeptentrione Naſamones ſunt, gens Syrtica, navigiorum ſpoliis quæſtuoſa; quippe obſident litora, & æſtu deſtituta navigia notis ſibi vadis occupant.* Apud hos moris erat, ut cum quis primum uxorem duxiſſet, ſponſa nocte primâ cum ſingulis convivis coiret, ac mox perpetuò caſtitatem ſervaret. Polyd. Virg. *l.* 1. *c.* 4. *De Rer. Invent.* Porrò Naſamones coluiſſe ſolos manes, non item ſuperos, arguit locus ille Dionyſii *in Periegeſi.*

> Κεῖνον δ' αὖ περὶ χῶρον ἐρημωθέντα μέλαθρα
> Ἀνδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Νασαμώνων,
> Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας ἀπώλεσεν Αὐσονὶς αἰχμή.

Quæ ſic binis verſibus expreſſit Priſcianus,

> *Hos licet ad fines deſertas cernere terras,*
> *Extinctis populis Naſamonum Marte Latinô.*

Sed deeſt interpretatio eorum. quòd poëta eos Διὸς οὐκ ἀλέγοντας vocat. Id ita ſimpliſſimè expreſſeris.

> *Quòd Jovis aut divum nulla illos cura teneret.*

Mirum etiam; Feſtum Avienum ad verba hæc non attendiſſe: cùm vel maximè interſit, cauſam ſciri interitus. Eam hanc adfert Dionyſius, quòd, Manium cultu continenti, nullo Jovem ac ſuperos honore dignarentur, ſolô inferorum cultu contenti. Veriſimile tamen eſt, his verbis non rebellionem tantùm, ut *Salmaſio* videtur, verùm & neglectum Jovis cultum ab *Herodoto* notatum obiter poëtam innuere. Non tamen exciſionis cauſa iſtis verbis ſignificatur: Neque enim Romanis curæ fuit, quos Deos colerent gentes illis ſubditæ; ſed ideo deleti ſunt, quòd contra Romanos rebellantes arma ſumpſerint, quod ſub Domitiano contigiſſe probat *Salmaſ.* ex Zonara, cujus hæc ſunt verba: Δακοὶ καὶ Νασαμῶνες ἐπαναστάντες Ῥωμαίοις ἐφθάρησαν. Vide etiam *Herodotum*, *Strabon. Plinium*, &c. *Nic. Lloydius.*

NASCICA, Calaguris. Vide ibi.

NASCIO, ſive NATIO, Dea apud Romanos, quæ naſcentibus præeſſe credebatur. Ejus meminit Cicero *de Nat. Deorum l.* 3. *Naſcio quoque Dea putanda eſt, cui, cùm Fana circumimus in agro Ardeatino, rem divinam facere ſolemus.* Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 2. *c.* 19. uti de gratulatione *naſcentibus* fieri ſolitâ ſuprà *Hodie nate ſalve.*

NASCUS, Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Naſcum*, *Ammian.* urbs Arabiæ Felicis olim clara, in mediterraneis Carnæ urbi regiæ finitima; *Magiaraba* hodie Moletio.

NASI, Hebr. נשיא, propriè dictus eſt in hac gente *Princeps* ſeu *Præſes* Synedrii Magni ſeu Septuaginta unius viralis, aliàs ראש & מופלא *Caput conſeſſus*, à quo proxima dignitas erat אב בית דין *Patris Synedrii*, ſeu *Principis ſecundi*, quibus reliqui ordine ſuô adſidebant. Similiter in Synedriis Vigintitrium viralibus erant ſemper, qui ſimili fruerentur dignitate. De utriſque ſic Maimonides *in Jad. tit. Sanhedrin c.* 1. §. 3. *Qui ſapientiâ* (Theologiâ & Juriſprudentiâ) *præſtabat, conſtituebant eum ſuper ſe Caput, adeoque is erat Conſeſſus ſeu Synedrii caput* (ראש הישיבה) *atque idem quem Sapientes appellant ubique Principem* (נשיא) *Atque is conſtituebatur locô Moſis Magiſtri noſtri. Conſtituebant etiam Virum in LXX. reliquis eminentiorem, Capiti ſecundum, cujus ſedes erat à dextera illius. Is vocitabatur Pater Synedrii. Reliqui verò ex LXX. ſedebant coram binis hiſce juxta dignitatem ſuam. Et quiſque ut ſocium ſuum ſapientiâ excelluit, eô proximior erat Principi* ſeu Naſi *à ſiniſtra ejus. Sedebant autem in dimidiata area circulari, ita ut Princeps & Pater Synedrii cunctos poſſent contueri.* Unde colligere eſt, reliquos omnes, præter Patrem Synedrii, à ſiniſtra Principis ſeu *Naſi* conſediſſe, adeoque ipſum cum Patre, ad ſemicirculi ſiniſtram intuenti parti locum habuiſſe; cœteroſque ſemicirculi reſiduum, ſecundùm di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

gnitatem ſuam, occupâſſe. Atque ita ſanè conſeſſum Rabban Gamalielis Naſi ſe habuiſſe in Jabne (poſtquam illuc Synedrium Magnum tranſlatum eſt) reperitur in Tholdoth Aharon c. 8. tit. Sanhedrin & apud Joſ. Karo in Ceſeph Miſna ad tit. Sanhedrin c. 1. §. 3. Interim receptior ſententia eſt, de formula conſidendi uſitatiori ejuſmodi, ut Princeps & Pater in medio [illegible] conſiderent, reliquique à dextris & ſiniſtris, juxta dignitates ſuas, nec ſine Scribis binis aſtantibus: cujus conſeſſus ichnographiam ac figuram integram, habes apud S. Hentum de Synedriis Veter. Ebræor. l. 2. c. 6. Hunc autem Naſi cum Rege minimè eſſe confundendum, optimè notat Caſaubon. contra Baron. cum ordinariò Regem in Synedrium aſciſci moris minimè eſſet, ob ſummam dignitatis Regiæ eminentiam, a qua prius diſſentire aut cujus verbo contradicere non eſſet permiſſum, Maimonides tit. Sanhedrin c. 2. §. 4. Sed nec idem neceſſariò Pontifex Max. fuit, cùm hic quidem Synedrii pars eſſe poſſet, ſed & non raro inter Synedros planè locum non haberet. Exhibebatur verò huic Naſi ſumma à reliquis reverentia, unde Gemara Babylonia, ad tit. Horaijoth. c. 3. fol. 13, 2. *Traditio eſt Rabbinica, univerſum Populum aſſurgere ſolitos, quoties ingrediebatur Naſi, nec reſediſſe, uſque dum diceret ille eis, ſedete. Quando Pater Synedrii ingrediebatur, faciebant ei ſemitam alterutrinque* &c. Interim Principes hoſce Synedrii ſummotos interdum fuiſſe perinde ac Pontifices (qui nunquam qua tales, ſed qui cum Pontificatu, tum Principatu ac Regno, ut ſub templo ſecundo; maximè ſub Haſmoneis & tempore uſque ad excidium Urbis inſequente, diverſimodè gauderent, ita rebus præfuerant, ut ritè potuerint, juxtà etiam ac Reges, ſaltem Judæi, Naſi nomine Synedrio præſidere aut forte alium, eodem nomine, ut vicarium, ſibi ſurrogare) idque inprimis ſeculis illis recentioribus, quibus Reipublicæ, Imperii, juriſdictionis facies, pro dominantium victorumque arbitratu crebrò mutabat, certiſſimum eſt. Hôc tamen diſcrimine, quòd Pontifex depoſitus, licet ſacrô munere non amplius fungeretur, dignitatem tamen retineret: *At Naſi, poſtquam dignitate exutus eſſet, planè inter privatos cenſeretur.* Obad. Bartenorius *ad Miſnam tit. Horaijoth c.* 3. Unde, ſi poſtea ambo peccâſſent, Pontifex juvencum nihilominus offerre tenebatur, Princeps verò non aliud ſacrificium, quàm quod à privato quopiam debebatur. Vide Levitic. *c.* 4. *v.* 3. & 23. Fuiſſe autem Principis, ut & Pontificis, ſeculis inprimis illis ſequioribus, dignitatem nimis deſultoriam, ac diverſimodè collatam, ereptam, reſtitutam, multis probari poſſet. Etiam conſtitutos ſubindè à Romanis legimus, prout gubernandi ratio exigebat. Hinc diſertè R. Gedalia *Shalsheleth fol.* 27. 1. *Titus conſtituit Rabbi Jochanan Ben Zacai Principem:* Succeſſorem nempe Simeoni Gamalielis prioris filio, in ipſo urbis excidio interemto. Antea verò juris hæreditarii hanc dignitatem fuiſſe, idem contendit *fol.* 26. 2. atque in Hillelis poſteris jus ejuſmodi, in Catena Principum à Magiſtris exhibita, cernitur. Ita verò Synedrii Magni continuatio, unà cum Legis oralis catenata traditione ſecundùm illos, habuit. Moſes, *Naſi* ſeu Princeps Synedrii Magni primus, poſtquam Legem explicatam dedit, dicitur *Scriptæ* Codices ſuâ exaraſſe manu XIII. quorum XII. Tribuum ſingulis diſtribuerit, decimum tertium in arca repoſuerit: Oralem verò Joſuæ tradidiſſe, à quo ad cœteros Principes illa fuerit delata. Joſua Synedrii M. Princeps ſecundus, ex tribu Ephraimitide, fuit; in cujus locum qui ſucceſſêre Judices, ad illius Moſiſque exemplum, Principes fuêre Magni Synedrii, quatenus nimirum res tunc turbidiſſimæ tribunalibus ordinariis, adeoque Synedrio huic ampliſſimo, locum [illegible]. Unde R. *Abraham & David Ganz*, Judices uſque ad Samſonem pro Cabalæ Legis Succeſſoribus continuis enumerant. [illegible] Maimonides *in præf. ad Jad Chazaka*. Vide quoque Guil. Voſſium *ad Tzemach David p.* 13. &c. Atque hactenus ſaltem, quantum ſcimus, ſemper obtinuerat, ut idem eſſet Princeps Populi, ac *Naſi*, ſeu Princeps Synedrii M, quod & poſtmodum ſæpius, tametſi non ſemper, obtinuit. Pergunt inde ad Davidem: ſed jam ante Davidem etiam, apud Talmudicos, reperitur Saul Rex, Synedrii M. Princeps & Jonathan, ejuſdem Pater. Imò, quamdiu atque quatenus Regnum ſive Judaicum ſive Iſraëliticum, ante captivitatis infortunia, ſuos retinuere mores, *Naſi*, & Rex idem fuiſſe videtur, ad Moſis, qui Princeps primus, exemplum. Vide præter alios, Abr. Zacuthium *Sephêr Siphra fol.* 22. *col.* 43. Unde videmus, ampliſſimam & veluti nullâ inferiorem minoremve habitam Principis iſtiuſmodi dignitatem, non ſolùm, quando ea ſimul etiam Regia erat, verùm etiam, quoties pro variante rerum ſtatu; alii quicunque in eam ſunt ſubvecti. Captivitatis porrò Babylonicæ tempore, Synedrii M. adeoque Principum aliorum, præter Æchmalotarchas, qui huc neutiquam ſpectant, uſus fuit nullus. Quale verò fuerit Synedrium Ezræ, qualia item tempore reſtitutionis, ſeu ab initio Templi ſecundi, alia, elicere haud adeò difficile videtur, ex diplomate Artaxerxiano Eſræ *c.* 7. *v.* 9. Nempe cum perquam eſt veriſimile, utpote juris Patrii callentiſſimum, ſic Judices ac Præſides, ex indultu illo Regio, prout res ipſa in renaſcente Republ. [illegible] voluit, conſtituiſſe, [illegible] Synedria minora, tum etiam illud Magnum [illegible] mores patrios inde reviviſcerent. Sicque primum in Republ. reſtaurata *Naſi*, ni fallat conjectura, habemus Ezram: poſt quem Simeon Juſtus (poſtremus Virorum Synagogæ Magnæ) Alexandro M. coætaneus, Antigonus Sochæus, inter Principes quoque Synedrii Magni recenſentur. Reliquos quod attinet, uſque ad gentis Synedriorumque in Terra ſancta legitimorum excidium, in hujuſmodi exhibentur nominum, tum Principum, tum Patrum Synedrii Magni, facie.

PRINCIPES ET PATRES SYNEDRII, AB ANTIGONO PRÆFECTO, USQUE AD GENTIS EXCIDIUM.

I. Joſe Ben Joazar Tzeradites, & Joſeph Ben Jochanan, Hieroſolymitanus.

II. Jehoſua Ben Perachiah (quem Judæi fabulantur fuiſſe Magiſtrum D. N. J. Chriſti ejuſque in Ægyptum fugæ comitem: cum certum ſit, ſub Johanne cum Hyrcano Haſmonæo, adeoque ante Chriſtum natum 150. circiter annos floruiſſe) & Nithæus Arbelites.

III. Jehuda Ben Tabai & Simeon Ben Shatach.

IV. Shemajah & Abtalion, qui *Proſelytus Juſtitiæ* dicitur; inclinante enim, paulo ante excidium Imperiô & Diſciplinâ priſtinâ Judaicâ, Proſelyti etiam in Synedria, contra mores priſcos, admiſſi ſunt.

V. Hillel I. & Shammai. Atque in his quinque jugis, quilibet aut *Naſi* ſeu Princeps erat, aut Pater Synedrii. Quin exceptis, qui numero heic tertio conjungantur, de reliquis cunctis Magiſtri pronuntiant eum; qui priùs nominatur, fuiſſe *Naſi*, qui poſteriùs, Patrem. Quod ad tertium jugum attinet: receptior ſententia eſt, Simeonem Ben Sharach (qui ſub initia Haſmonæorum & diu pòſt floruit) Principem, Jehudam verò, Patrem fuiſſe.

VI. Rabban Jochanan Ben Zacai & Rabbi Simeon Ben Hillel. Quorum ille *Naſi* fuit, ſed non ante excidium Urbis Templique ſub Veſpaſiano. Succeſſor ſcil. (in Synedrio Jamniæ qualicunque) Simeoni Gamalielis I. ſeu Senioris filio, in ipſo excidio peremto, qui numerum heic tenet octavum. Is verò, qui jugatus eſt Jochanani huic, Simeon Ben Hillel, juxta nonnullos etiam Princeps fuit patrique Hilleli proximus ſucceſſor. Sed verò (ut ordinem perpetuum Principum, qui receptior eſt, pertexamus) Hilleli Principi plerumque ſucceſſor proximus ſit Rabban Gamaliel. Ergo ſequitur.

VII. Rabban Gamaliel I. ſeu Senior, Hillelis ex fil. Simeone nepos, D. Pauli, ut putatur, Præceptor: cui Patrem adjiciunt Joſeum Ben Chananiam, ex diſcipulis Jochananis Ben Zacai.

VIII. Rabban Simeon Rabbi Gamalielis fil. in ipſo excidio Urbis, peremptus: quem ſecutus eſt prædictus Rabbi Jochanan Ben Zacai, 6. locô in hac catena poſitus, quia potius primarios eorum, qui ad poſteros Legis ſcientiam tranſmiſerunt, quàm Principes Synedrii qua tales, reſpicit.

IX. Rabban Gamaliel II. Simeonis fil. aliàs quoque *Jabnenſis* dictus.

X. Rabban Simeon Gamalielis II. fil. quocum fuit Rabbi Nathan Babylonius Pater Synedrii.

XI. Rabban Jehuda Haccadoſ, Simeonis fil. quem etiam Patrem Synedrii Gamalieli fuiſſe quidam exiſtimant.

XII. Gamaliel Jehudæ fil.

XIII. Jehuda, Gamalielis fil.

XIV. Hillel II. Jehudæ fil.

XV. Gamaliel Hillelis fil. Adeò ut ab Hillele I. (exceptô tantùm Jochanan Ben Zacai & Rabbi Eliezerô Ben Azaria (quem quidam interſerunt) dignitas hæc velut jure hæreditario ad filios nepoteſque, juxta Magiſtros tranſmitteretur. Vide *Juchaſin f.* 38. 2. 51. & *Shalsheleth hacabala fol.* [illegible]

Summa igitur eſt, Moſen, Joſuam, Judices & Reges, Principes fuiſſe Synedrii M. niſi, ut interdum, alii ab eis mandatam forte juriſdictionem ac imperium, cum dignitatis item nomine, acceperint. Poſt reditum autem, è captivitate Babylonica uſque ad Joſe Ben Joazar, ſeu ætatem initia Haſmonæorum antevertentem, Ezram, Simeonem Juſtum, alios, quorum nomina ignoramus, eandem tenuiſſe dignitatem &c. Interim, uti diximus, palàm [illegible] nit, ut nunc Pontifices Summi, gratiâ dominantium pollentes, nunc Reges ipſi, Principum Synedrii M. locum occuparent, [illegible] eorum ipſorum, qui in Catena præfata memorantur. Ut enim illud in Euangeliis, de Anna & Caipha Pontificibus, in judicio DOMINI NOSTRI aliiſque alibi in N. T. velut Principis & Patris Synedrii partes agentibus, præteream; in judicio illo capitali Jacobi Juſti, *Fratris Domini* dicti ac Epiſcopi Hieroſolymitani [illegible] A. C. 60. ſeptimo in Synedrio habito, Principatum invaſiſſe videtur Ananus cognomine *Junior*, Pontifex Maximus, quô tempore, illum jure, aut Rabbi Jochanan Ben Zacar aut Rabbi Gamaliel, [illegible] obtinebant. Vide Joſephum *l.* 20. *c.* 8. Similiter Ananiam Pontificem *Naſi* locum tenuiſſe, videtur ſatis apertè colligi, ex Act. Apoſtol. *c.* 23. *v.* 2. quando cauſam ſuam ibi egit D. Paulus. Nam *Pontifex* ſimul ac *Princeps Populi* expreſſè nominatur. Vide [illegible] Hug. Grotium *ad comm.* 5. Et Lex ſacra, quam citat Paulus, ut ad Pontificem hunc tum ſpectantem, eſt Exodi *c.* 22. *v.* 28. ונשיא בעמך לא תאור *Principi in populo tuo non maledices.* Ubi idem [illegible] vocabulum uſurpatur, quô Principes Synedrii Magni denotari conſueviſſe, hactenus diximus. At verò tunc temporis aut Rabban Gamaliel I. aut Rabban Simeon ejus fil. juxta Magiſtrorum [illegible] atque jus Hillelianorum in Principatu hæreditarium Synedrii Magni legitimus Princeps erat, ut ex catena exhibita liquet. Habentur quidem in *Catena Traditionis Oralis* nomina alia, velut Synedrii M. alicubi in Terra S. Principum, qui & *Patriarchæ Judæorum* dicti, uſque in Hillelem Jehudæ poſtremi filium ejuſque filium Gamalielem, adeoque in A. C. quaſi 420. ſeu Valentiniani III. Imperium. Sed cum poſt Urbis illud Templique excidium, nullus judiciis capitalibus locus, in Rep. illa Judæorum qualicunque, [illegible] dum pro penitus exciſâ ſumta, maneret, eo quòd locus Synedrio Magno, ad Templum, proprius eſſe deſierat; cùm etiam, ut [illegible] in migrationibus liquet, poſt Urbis excidium, alibi in Palæſtina [illegible] Synedrii M. prout dominantium arbitrium permitteret, [illegible] ejuſmodi eſſet, ut exceptis cauſis capitalibus, cauſas omnimodas ſecundum Leges ſuas definirent; cum item annis ab excidio illo amplius 50. ſeu ſub Hadriano Aug. *reliquiæ illæ civitatis, quæ manſerant*, Hieron. *Ep.* 129. deletæ ſint, *Judæorumque gens* [illegible] *caſa, finibus Judææ eſſet expulſa*, ut idem ait *ad Daniel, c.* 9. adeò ut Synedriorum eorum illic intermiſſiones & ceſſationes, neceſſariò & tunc temporis & poſtea, pro Romanorum lubitu, conſequerentur; certè utcunque continuatio ejuſmodi Synedrii Magni

gni ejuſque Principum ſucceſſio ante tradatur, intelligenda nihilominus ita ex ſorum, ut tum diminutionis ejuſdem, etiam ex ipſa Hebræorum diſciplina, Imperii & Juriſdictionis eminentioris, circa capitalia verſantis, tum ceſſationum intermiſſionumque ſubinde intervenientium ratio omnino habeatur. Ut autem eruditis obſervatum, Synedrii Magni initia, Areopagi apud Athenienſes inſtitutioni ſeu judiciis illic primis quaſi æqualia fuiſſe, ſic dignum quod advertatur; Areopagi etiam finem, cum ſplendoris & priſtinæ amplitudinis illius Synedrii M. ſingulari occaſu illô, qui per excidium Urbis Templique adeoque capitalium judiciorum omnimodam illic ceſſationem evenit, non parum conveniſſe. Veſpaſianus enim, ſicut aliis Græciæ regionibus, ita Achajæ (in qua Athenæ cum Areopago ſuo, quem uſque in Apoſtolorum tempora duràſſe illic ex Actis *c.* 17. *v.* 11. ſcimus) *libertate ademtâ, in Provinciarum formam redegit*, Sueton. *Veſpaſ. c.* 8. Quæ verò poſt excidium ſubinde renovata Synedria legimus, non niſi umbræ priſtinorum fuêre, ut viſum, & Scholarum potiùs illuſtriorum (in Palæſtina, regionibuſque aliis, ut Suræ, Pombodithæ, Nebardææ alibique) faciem ac poteſtatem, quàm Curiarum, induerunt, &c. E quibus prædictis de Sceptro apud Judæos, de quo diſputationes obviæ ſunt, continuato, faciliùs dijudicare eſt. Scripſerat quidem H. Grotius *de Jure Belli l.* 2. *c.* 15. *Apud Judæos manſit ſceptrum, in Synedrio (Magno) uſque ad continuationem Archelai*, quæ Chriſti natales paulò antevertit. Vide Joſeph. *l.* 18. *c.* 3. Poſtea verò correxit verba illa *uſque ad* in *etiam poſt*, ut quidem res ipſa poſtular &c. Quod autem ſuperiùs dictum, de Regibus in Synedria non cooptari ſolitis, ita videtur intelligendum, ut nec in collegæ promiſcui ſive Magni ſive Minorum; nec in Minorum ſive Principis ſive Patris locum, omnino aſciſcendus eſſet Rex; idque ob dignitatem ejus ſummam: cùm interim Synedrio M. ut *Naſi* ſeu Principem quandoque eum legitimè præfuiſſe Magiſtri agnoſcant, ut videre eſt in iis quæ retro de ejuſdem Principum ſucceſſione tradita ſunt. Quod verò habent de Rege Iſraëlis, ut à Rege domus Davidicæ diſcriminato (nam domus Davidicæ Reges ritè judicare potuiſſe agnoſcunt) ſumendum eſt de Regibus illis Haſmoniacis, ſeu ex domo Levitica, non Davidica, qui circa an. 150. ante Chriſtum incepêre. Scilicet ſub eis, nec ante, obortum eſt effatum illud Talmudicum, *de Rege Iſraëlis nec judicante nec judicando*, quod non ad alios ſeu veteres ex ſtirpe Judæ Reges omnino ſpectare illi volunt. Ideoque, cùm neminem in poteſtatem judiciariam legitimè admitti vellent, qui ipſe judiciis ſe non profiteretur cum aliis pariter eſſe obnoxium; cumque viderent, etiam Regem Haſmonæum judicio Synedrii Magni ſe imperioſe ſubtrahentem, pronuntiatum illud, *de nec judicante* (legitimè) nec *judicando natum eſt*, adeoque ſimul illud, de nullo Regis ejuſmodi, juxta eorum ſcita, in Synedrio loco legitimo. Plura hanc in rem vide apud Joh. Seldenum *de Synedriis l.* 2. *c.* 6. *& ſeqq.*

Rabbi Abraham NASI, excellens Sapiens & Aſtrologus, compoſuit *Sepher Hibbur*, Librum intercalationis, circa A. M. 4865. juxta *Rabbi Dav. Gans.*

NASIA, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 54.

NASIBIS, vide NISIBIS.

NASICA, Scipio dictus eſt, nobilis Romanus, qui Gracchum ſeditioſum virum occidit, Cicer. *l.* 1. *Tuſcul.* Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 5. *v.* 54.

——— *Nubet procera Corano*
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum.

NASICA, vide *Corſus*.

NASICA, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

NASIDA, vel NASIS, oppid. Siciliæ ad Naſum fluv. *Naſo* hodie. Caſtrum Siciliæ, in colle aſpero, juxta fluv. cognominem in valle Demonæ, 5. mill. paſſ. ab ora Boreali & à mari Tyrrheno in Meridiem, ut à Catana in Septentrionem, 12. à Pactenſi urbe in Occaſum, Agathyrium verſus, *Baudrand.*

NASIDIUS, prænomine *Lucius*, obſeſſis Maſſilienſibus, cum claſſe navium ſedecim, ab Cn. Pompejo miſſus ſubſidio. Superſtes fuit Pompejo & Cæſari: poſt bellum Philippenſe contulit ſe ad Sextum Pompeji filium; cujus rebus tandem deſperatis, conceſſit ad Antonium. Vide Appian. *l.* 5. Hic, ut opinatur Fulvius Urſinus, pater eſt, qui in Sexti Pompeji denariis dicitur, *Q. Naſidius*, vel ut in aliis eſt, *Q. Naſidiu* antiquâ ſcripturâ.

NASIUM, urbs Galliæ Belgicæ Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ caput. *Nancy*, teſte *Divæo*. Sed *Ferrario* potiùs videtur *Nas*, vicus in ducatu Barrenſi a Moſâ fluv. in Occaſum à Nancejo 10. leuc. diſtans, 20. à Tullo, verſus Catalaunum, vix 1. leuc. ſupra Ligniacum in Meridiem ad Ornam fluv. oppid. olim Leucorum, *Baudrand.* Valeſio Caſtrum fuit Leucorum vetuſtiſſimum, poſitum ad Ornam flum. inter Andelaum & Tullum Leucorum, *Ptolemæo & Æthico*. Eô captô Tullum perrexiſſe Theodoricus Rex dicitur, apud Fredegarium *Chron. l.* 5. *c.* 38. Hodie quid ſit, in incerto eſt. *Buiſſonius Naſi*, locum hodieque ſic nuncupatum non procul Tullo, eſſe aſſerit, ſed hunc ignorare ſe fatetur *Valeſ.* Nec faventem ſitum habent, qui *Naſium* volunt haberi pro vico *Nas* Nancejo proximo: Nanſiacum potius eſſe, *Grand Nanci*, vicum ad ejuſdem fluminis ripas, nihil præter nomen antiquum ac ſitum ſerventem, ſtatuit Hadr. Valeſ. in vocibus, *Naſium & Tullum*. Vide quoque ſuprà in voce *Nanſiacum*.

NASO Antonius; vide *Antonius*.

NASONACUM, memoratum in L. *Impp. Valentiniani, Valentis & Gratiani Augg. l.* 6. *Cod. Theodoſ. tit.* 4. *Ad Epponem Præfectum Urbi data XI. Kal. Septemb. Naſonaci, Modeſto & Arinthæo Coſſ.* Item *tit.* 7. *ad Aurelianum P. V. data III. Nonas Jul. Naſonaci*, ſupradictis Coſſ. ſimiliter *in titulis* 9. 11. *&* 14. Item *in tit.* 21. nec non *in tit.* 7. *l.* 8. *Valeſio* videtur eſſe *Schoneck*, vel *Schonech*: quod eſt municipium, aut certe caſtellum, inter Prumiam & Bedam vicos inſignes poſitum, ad fluv. Nemeſam, *Nyms*, quem cum Pronea vel Prumia Sura in Moſellam defert. Alii malunt *Naſonacum* exponere *Naſſoin* vel *Naſſogne*, quem locum Latinè *Naſſoniam* appellant. Eſt autem *Naſſonia*, vel *Naſſonium*, vicus illuſtris Belgii, in Arduenna ac in diœceſi Leodicenſi, ſub ditione Abbatis Anchaini, ſive Monaſterii S. Huberti, à quo 2000. paſſib. abeſt; Mononis Scoti ibi à ſicariis confoſſi ſepulcrô ac patrociniô inter ſuos inſignis: cujus vici appellatio cùm Latina, tum vulgaris, ad *Naſonacum* proximè accedit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NASSOVIA, oppid. Weteraviæ, ad Lanum fluv. 2. milliar. German. à Rheno in Ortum, 5. à Bingio in Boream, 12. à Colonia in Meridiem, Francofurtum versùs. Sub proprio Principe, cum ditiuncula adjacente, ex celeberrima Naſſoviorum familia. In oppoſita ripa ejuſdem nominis arx eſt in edito monte, & jumentis vix acceſſo, quæ communi Comitum *Naſſoviorum* jure cenſetur: niſi quòd Auriaci Principes Erneſto Caſimiro jus ſuum ceſſerunt, & eidem ex hæreditatis diviſione fratres. Ubi tamen, præter vetuſtatis memoriam, parum quod admireris habes. Cernere adhuc ibi eſt Geldriæ Ducum, ex *Naſſovia* Comitum ſtirpe inſignia, ſed & ipſa temporis edacitate eroſa. Præter turrim verò acuminatam, nihil tectum eſt: cœtera temporis bellorumque ſpolia. Oppidum dextrâ deſcendentibus ripâ ſitum, crebrâ incendiorum injuriâ ad paucitatem redactum eſt civium: at privilegiis à Carolo IV. Imperatore & immunitatum jure gloriatur. Religioni Auguſtanæ addicti cives fuêre, donec præfati Erneſti Caſimiri auſpiciis, Helvetica quoque eò pedem intulit. Hinc toti Regioni nomen, quæ *Cattimelibocenſis* ſive *Dillenburgicæ* titulo, à Saræpontana (quam hìc non tangere animus eſt) diſtincta, inter 50. & 51. grad. latitud. ſita eſt, atque Haſſiâ & Solmenſi Comitatu ab Ortu, Weſtphaliâ & Comitatu Witgenſteniô à Septentrione, Trevirenſi diſtrictu ab Occaſu, ut & Comitatu Saynæ ac parte Ducatus Montium; à Meridie tandem Wisbadenſi & Idſteniô Comitatu clauditur. Tetrarchiâ hodie ac quatuor dominantium ſedibus diſtinguitur: *Dillenburgo*, *Sygenâ*, *Hadamariâ* & *Deciâ*: Beilſtenium enim Decienſi; Weſterwaldia & huic & Hadamarienſi acceſſit. Appellatio verò *Naſſoviæ* an arci & oppoſito oppido, à ditione, an ditioni ab arce oppidoque venerit, & hinc illuſtriſſimæ *Naſſoviorum* Principum Comitumque familiæ, incertum eſt. Circa ipſam nominis primam originem non minùs variant Auctores: Quidam enim à pratis humentibus, *Naſſe aw*, regionem dictam volunt; alii quòd hæc gens pars Cattorum, qui deinceps *Haſſi* dicti eſſent, ditionem primò *Catzaw* ſive *Haſſaw*, poſtmodum *Naſſau*, appellaſſe contendunt: A *Naſua*, Suevorum Duce, cujus apud Jul. Cæſarem mentio *de Bello Gall. l.* 1. *c.* 37. ubi cum Cimberio fratre C. pagos Suevorum ad Rheni ripam duxiſſe, & impreſſionem Treviris minatus fuiſſe, legitur, vocem non pauci derivant. Quæ ſententia duobus inprimis fulcris his nititur, tum quòd Treviris oppoſitus *Naſſoviæ* tractus; tum quoòd nomen *Naſua* à voce *Naſſau* parùm abludit. Familia hinc nomen trahens, Comitum Principumque titulis perilluſtris, eſt jamque olim dignitate Electorali, quâ nihil in Imperio poſt Imperatorem celſius, conſpicua. Dietherus enim Comes, Trevirorum Elector & Antiſtes fuit, A. C. 1293. Gerlacus, Moguntinenſium, A. C. 1354. Adolfus I. eorundem, A. C. 1380. quem 16. pòſt annis in eodem faſtigio frater Johannes excepit. Imò & A. C. 1462. eandem infulam Adolfus II. geſſit. Supra quos evectus alius Adolfus, ipſum axioma Imperiale meruit. Vide *ſuô locô*. Originem familiæ primam à Theodorico vel Dieterico Textor arceſſit, ſeculô ſeptimô florente, & ab uxore *Naſſoviæ* Comite: cujus ſucceſſores, ad Ottonem uſque Magnum, à quò certior ſeries, quique caput omnium eſt, quotquot hodie ſuperſunt, ſtrictim enumerabo. Adolfus, Haſſiæ Præfectus Comitatum *Naſſoviæ* tenuit, annos 21. ſub finem ſeculi VII. Pater ex Clodunda, Weibrechti Saxoniæ Ducis filiâ. Weibrechti Niedæ & Diederici *Naſſoviæ*, Comitum: quorum hic, itidem Haſſiæ Præfectus, è Gertrude, Engelberti Comitis Altorfi filiâ, Othonem inter alios ſuſcepit, patris in Comitatu hæredem, circa A. C. 703. Otho Haſſiæ quoque Præfectus, ex Irmentruda Goſſelini Ducis, Arduennæ filia Johannem genuit, circa A. C. 718. qui ex Oda, Hannoniæ Comitis filia circa A. C. 735. Georgium ſuſcepit, Haſſiæ Præfectum: quô ſine hærede defunctô, Comitatus ad Walravium Laurenburgi Toparcham devolutus eſt. Huic Walravio, ex Helena, Johannis Arduennæ Ducis filia ſucceſſorem aſſignant Dietericum, patrem ex Eliſabetha (filia Toparchæ Breuburgi) Henrici; avum Joannis, proavum Walravii, quô ex Barbara Muntzenbergica nati perhibentur, Walravius ſucceſſor, & Arnoldus, Hambergenſium Comitum ſator. Walravii, ex Agnete Comite Deckenbergenſi, fil. unicus Johannes, Magdalenam Comitem Schwartzenburgicam ſibi junxit, ex eaque complures ſuſcepit liberos, inter quos Waremundus & Walravius Patri ſucceſſerunt. Et quidem, illô ſine prole maſcula occiſô, hic ex Catharina (filia Ludovici Comitis Rodenforti) Fridericum genuit, patrem Johannis (miniſteriis aulicis & militaribus Ludovici Imperatoris inmortui) Friderici (qui Sainæ nomen dedit) & Everhardi ſucceſſoris: cujus ex Gerhardo filio nepos Philippus arcem Solmenſem extruxit, & primum ex Catharina Hannovica ſuſceptum filium Othonem, Solmæ Comitem primum pronuntiavit: quæ hodiernorum Comitum Solmenſium origo. Frater verò Philippi maximus natu Arnoldus, Patri ſucceſſit, quem excepêre Fridericus & Waremundus filii: Dietericus Waremundô genitus, Everardus Dieterici fil. Joannes Everardi frater, hôcque geniti Georgius & Otho; (quorum ſoror Metta, Marchionum Brandeburgenſium & Comitum Hohen-Zollerenſium atavia fuit. Vide ſuprà) E quibus Georgius Adolfi pater fuit, qui ex Iſabella (Henrici Comitis San-Paulini & Har-

lopii filiâ) ſuſcepit Othonem, ipſo die nuptiarum cum Adela
Caſtellæ Domina, a Comite Lochsmundæ, confoſſum. Quô
proin ſine liberis eâdem, Comitatus ad Othonem propatruum,
Johannis proavi filium, avi Georgii præfati minorem natu fra-
trem, pervenit. Hic OTHO, à quo, uti dictum, vulgatæ ge-
nealogiæ ſeries initium capit, *Comes Naſſoviæ, Toparcha Loppe-
ræ, Lauriburgi & Sonnenbergii*, patri ex Sibylla (Ludovici Saxo-
niæ Palatini filiâ) genitus, ab Henrico I. cognomine *Aucupe* Im-
peratore exercitui contra Hungaros præfectus eſt, qua in ex-
peditione re præclarè geſtâ famam meruit ſempiternam, defun-
ctus ſepultuſque Noribergæ. Ei ſucceſſit, ex Magdalena (Wal-
ravii Comitis Sponhemii filiâ) Walravius I. quô extinctô, pri-
ma ſtemmatis in ramos diviſio facta eſt: alterô filiorum Patri in
ditione *Naſſovica* ſuccedente; alterô Othone, *Geldriæ* Principa-
tum adeptô. Sic ex arbore hac, ſeculo XI. ramus exiit *Gelri-
cus*, cùm Otho hic, ab uxore Geldriam ac Zutphaniam Comita-
tus nactus, novam ſtirpem ordiretur: quæ defecit in Rainaldo
Geldriæ Duce A. C. 1423. tranſlatis inde ad Egmondanos fœmineô
jure ditionibus. Frater ejus major natu, Patri cognominis, qui
egregiam Othoni Imperatori contra Hungaros operam navavit,
obiitque A. C. 1020. ex Comite Arnſtenia, Robertum ſuſcepit,
defunctus A. C. 1068. Robertus, arcis *Naſſoviæ* inſtaurator, de-
ceſſit A. C. 1110. Ejus fil. Walravius III. ſtrenuus Conradi Im-
peratoris miles, obiit A. C. 1156. Quô genitus Henricus, *Princi
pis* nomine aliquoties in priſcis Annalibus inſignitus, reperitur:
fatô functus, A. C 1121. Eum excepit, ex Agnete Strombergen-
ſis Burggravii filia, filius Otho, qui præter *Naſſovicam* ditionem
& prædia Norbergæ ruſtica ac urbana, à Majoribus hæreditate tra-
dita, etiam Suabachiam & Cadelbergiam poſſedit; Obiit A. C. 1213.
pater è Comite Varnenburgenſi HENRICI cognomine DIVITIS,
defuncti A. C. 1254. in cujus filiis altera familiæ diviſio cœpit.
Cùm enim is, ex Mechthilda (Dieterici Gelriæ & Zutphaniæ Comi-
tis filiâ) duos genuiſſet filios, Walravius primogenitus, primus
Weisbadæ, Weilburgi & Idſtenii Comes fuit; alter verò Otho, *Dil-
lenburgicos* Comites orſus eſt, Rudolfo I. Imperatore rerum potien-
te. Walravii fil. Adolfus, ad ſupremum honoris culmen familiam
evexit, factus, poſt Rodolfum modò dictum, Romanorum Im-
perator, in cujus nepotibus nova cœpit diviſio. Ejus enim ex Ima-
gina (Gerlaci Comitis Limburgenſis filia) fil. Gerlacus, qui obiit
A. C. 1361. ex Agnete (filia Conradi Haſſiæ Landgravii) inter alios
genuit Adolfum & Johannem: quorum is hæreditate cum fratre
diviſâ id Weisbadenſi & Idſtenio Comitatu Patris ſucceſſor, *Weis-
badenſem* ramum, qui in Johanne Ludovico exaruit A. C. 1605. hic
verò, primus Weilburgi Comes, *Weilburgium* produxit: quorum
hic, cùm Saræpontanus Comitatus per uxorem acceſſiſſet, denuo
in duos palmites, *Sarapontanum* & *Weilburgium* abiit: Sed illi de-
ficienti hic ſucceſſit, A. C. 1559. Nunc totus hic *Naſſoviæ* arboris
truncus, in tribus ramis ſubſiſtit, qui in communi Patre Ludovi-
co A. C. 1627. mortuo, coëunt. Nam ex hujus filiis, Wilhelmo
Ludovico *Saræpontum* ſeu *Sarbrucken*, Johanni *Wisbada* cum *Idſte-
nio*, Erneſto tandem Caſimiro *Weilburgium* obtigit; unde toti-
dem lineæ. E quibus primogeniti ſoboles novam diviſionem or-
ſa eſt; cùm ex filiis ejus, Joh. Ludovicus habitet in *Otweiler*.
Guſtavus Adolfus in *Sarbrucken* & minimus natu Volradus *in U-
ſingen*, de quibus omnibus, vide *ſuis locis*. Alteram ſtirpis medieta-
tem quod concernit, orſus eſt eam Otho, minor fil. Henrici Di-
vitis, cui Comitatus *Dillenburgicus* cum *Beilſtenio* ceſſerat. In hujus
poſteris prima diviſio facta eſt, cum è trunco principali exiret ra-
mus *Beilſtenius*, qui Patrum memoriâ defecit. Ortus enim ab
Henrico minore filio Henrici (Comite Othone præfatô geniti) de-
fecit in Johanne III. gradu ſeptimô: unde ad ſtemma Dillenburgi-
cum revolutum. Beilſtenium ſortitò obtigit Guilielmo Ludovico
Friſiæ præfecto, Wilhelmi Principis Auriaci, ex Johanne Senio-
re fratre nepoti. Qui hodie ſuperſunt, omnes ſe referunt ad Wil-
helmum Seniorem, qui extinctus eſt A. C. 1559. Quod enim di-
viſionem attinet, inter Johannis A. C. 1475. demortui filios, En-
gelbertum & Johannem factam, quorum is (Rhenô dominia, quæ
hactenus multum increverant, dirimente) recentiora & in veteri
Gallia poſita; hic vetera & in Germania ſita, nactus eſt: minimè
ea diuturna fuit, Engelbertôque ſine hæredibus extinctô, ditiones
ad fratrem revolutæ ſunt. Similiter cùm hujus filii, Henricus in
bona Engelberti patrui ſucceſſiſſet, Guilielmus Dillenburgum &
cœtera in Germania loca creviſſet, diviſio ſolùm ad Renati Ca-
billonenſis, Henrico geniti, obitum duravit, à quo Wilhelmi
fil. natu maximus, patri cognominis, hæres inſtitutus eſt. Ergo
WILHELMUS SENIOR præfatus, ex Juliana (filia Bottonis Co-
mitis Stolbergii) genuit Guillelmum I. Arauſionenſem Princi-
pem, & auctorem Belgicæ libertatis, à quo ramus Principum *A-
rauſionenſium* ſeu *Auriacorum* ſeu *d'Oranges*, qui hodieque in Belgio
ſuperant, productus eſt, & præter alios complures Johannem patris
in Germania ſucceſſorem, ac reliquorum omnium auctorem. Hic
JOHANNES cognomine SENIOR *in Dillenburg*, cùm ex duplici
matrimonio numeroſam ſuſcepiſſet prolem, eô mortuô hæredi-
tas ſic diviſa eſt, ut primogenito Wilhelmo Ludovico Dillenbur-
gum, Herbornâ, Dringenſteniô, Ebersbachiô & Hegerâ adjectis;
Johanni, Sigena, Georgio, Weſterwaldia; Erneſto Caſimi-
ro Dietza & Naſſovia; Johanni tandem Ludovico, Hadamaria,
obvenirent, ſicque Dillenburgenſis Comitum linea, in quinque
Comitatuum flexus ſecta, quinque diverſas imperantium ſedes,
Principatus titulô futuras nobiles, extrueret: Obiit autem Johan-
nes hic Senior A. C. 1606. Verùm cùm ex filiis ejus, Wilhelmus
Ludovicus ſine prole deceſſiſſet, A. C. 1620. ad IV. ramos hodie-
que ſuperſtites, famila rediit: portione Wilh. Ludovici, ad ter-
tii fratris Georgii filios devolutâ, qui ut primogenitorum locum
integrâ hæreditate captâ obtinerent, Johannis ſecundô-geniti
liberis Beylſteniô, & Weſterwaldiâ, ceſſerunt. Itaque primus
ramus *Sigenenſis* Johannem, functum A. C. 1623. cujus fil. Jo-
hannes Latinos ritus amplexus eſt: Secundus *Dillenburgicus*,
Georgium, eôdem annô extinctum: Tertius *Decienſis* ſeu *in
Diez*, Erneſtum Caſimirum, qui obiit A. C. 1632. Quartus &
ultimus *Hadamarenſis*. Joh. Ludovicum, qui deceſſit A. C. 1653.
auctores habuêre. Vide quemque horum *ſuô locô*. E quibus,
ultimus hic, ad Latinam quoque Eccleſiam ſe applicuit, &
Princeps Imperii creatus eſt, à Ferdinando III. A. C. 1650. quæ di-
gnitas ad reliquos quoque ramos extenſa, ſicque *Naſſovii* omnes,
præter Saræpontanos, in principum ordinem relati ſunt, A. C.
1653. quanquàm teſtentur, ſe jam Adolfi Imperatoris tempo-
re, Principes fuiſſe, titulô ſaltem hactenus non uſos. Incre-
menta *Naſſovicæ* ditionis quod attinet, Otho Magnus, ut di-
ctum, Comes fuit *Naſſoviæ, Toparcha Lopperæ, Lauriburgi & Son-
nenbergæ*. Ejus fil. minor natu Otho, *Geldriam* adeptus eſt, quæ
ſtirpe ejus extinctâ è familia iterum exiit. Ex Walravii majo-
ris natu poſteris Otho, præter ditionem *Naſſovicam* & *prædia No-
ribergenſia*, à Majoribus accepta, etiam *Suabachiam* & *Cadelber-
giam* poſſedit. Henrici dein Divitis pronepos Otho, per uxo-
rem, *Comit. Vianæ, Baronatum S. Viti* & *partem dominii Grimber-
genſis*, avitæ ditioni adjecit. Nepos verò hujus, ex Johanne fi-
lio, Adolfus, *Dietzam*, hujus Comitatus hærede ductâ, inſuper
acquiſivit: quæ tamen, per filiam, mox ad Diepſtenios & Ko-
nigſtenios Comites tranſiit. Adolfi frater Engelbertus, uxoriô
jure, *Bredam, Polane & Leccam*, avito dominio adjunxit: Pa-
ter Johannis, qui *Comes Naſſoviæ, Vianæ, Baro Bredæ, Toparcha
Leccæ, Præfectus Brabantiæ*, cùm Mariam (Johannis Comitis Lo-
næ & Heinsbergæ filiam) ſibi junxiſſet, ditiones varias, inter-
que eas tertiam *Juliaci agri* partem, obtinuit. Hinc filii ejus En-
gelbertus & Johannes paternam hæreditatem ſic diviſerunt, ut
quæ cis Rhenum eſſent Johannes; quæ trans, Engelbertus, tene-
rent, quemadmodum diximus. Idem Johannes *Cattimelibocenſi
Comitat.* & reducto *Diezenſi*, fines auxit, ductâ Eliſabetha, Henrici
Landgravii Haſſiæ & Annæ Comitis Cattimelibocenſis hæredis, fi-
liâ. Verùm cùm Haſſiæ Landgravii Comitatum hunc vindicarent
acerriméque pro illo pugnarent, tandem Philippo Landgravio è
captivitate reduce, res ita compoſita, ut Haſſo & *Naſſovio* tituli
inſigniaque Cattimeliboci & Dietzæ communia permanerent;
Dietza ſoli Naſſovio cederet, pro Cattimelibocenſi verò Comita-
tu, Haſſus perſolveret certam ſummam pecuniæ. Sub Renato,
Johannis modo memorati, ex majore natu filio Henrico nepote,
acceſſit Principatus *Arauſionenſis*; qui dein teſtamento ad Guiliel-
mum, Renati patruelem, & Wilhelmi Senioris filium primogeni-
tum tranſiit, atque hucuſque in hujus poſteris, cum ampliſſimis
aliis in Belgio & Germania (ubi Meurſiæ Comitatus aliaque acceſ-
ſerunt) remanet. Et quidem, cùm Belgæ Hiſpanorum excuſſiſſent
jugum, familiam illi Arauſionenſem inprimis elegerunt, cui regi-
men provinciarum & militiæ terrâ marique committeretur A. C.
1588. Mauritius creatus fuit Marchio Veræ in Walachria Zeelan-
diæ, Thuan. *l.* 89. aliiſque ditionibus, Meurſiæ inprimis Comi-
tatu eſt auctus, Idem *l.* 124. & 126. Fridericus poſtmodum Hen-
ricus, Mauritii frater, titulô *Celſitudinis* ſive *Hoogheyd* donatus eſt
A. C. 1630. à Ludovico XIII. Gall. Rege &c. Vide præter Cyr.
Lentulum *Principum Gentis Naſſoviæ Geneal. MS.* Textorem, &
Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. paſſim.* Ad meliorem in-
telligentiam, ſubjicere in tabella hac placuit ramos illos VII. in
quos arbor hæc frondoſa, cum tempore, ſeſe explicuit, omnes
multis nominibus illuſtres.

FAMILIÆ NASSOVICÆ RAMI VETER. VII. QUORUM QUIDAM EXARUERE, RELIQUI HODIEQUE SPLENDIDE VIRENT.

Dillenburgenſis in 4. alios hodie
ſubdiviſus, auctorem habuit
Othonem Henrici, ut dictum,
filium, A. C. 1292. perpetuâ
ſuccedendi ſerie, & virtutum
encomiô ac Famæ per Euro-
pam aliaſque orbis partes præ-
coniô, maximè in ſocieta-
tem adſcitis Auriacis, incly-
tus.

Geldricus ac *Zutfanienſis*, ortus
ab Othone, Walravii filio O-
thonis M. nepote A. C. 1020.
(qui, ductâ Adelheidâ, Wi-
chardi Geldriæ Præfecti filiâ;
primus *Geldriæ Comes* ab Hen-
rico Aucupe pronuntiatus
eſt) potentiæ titulorumque
amplitudine conſpicuus, poſt
annos circiter 336. in Rinaldo
vel Eduardo III. Geldriæ Du-
ce exſpiravit.

Weisbadenſis & *Idſtenius*, eôdem
cum Dillenburgenſi tempo-
re, a Walravio Comite origi-
nem habuit: deſiit in Joh. Lu-
dovico, Johannis Comitis
Dillenburgenſis genero. A-
dolfo Imperatore & Electo-
rum numerô nobilis.

Saræpontanus, à Johanne, Adolphi
Imperatoris nepote inchoa-
tus: duravit, uſque ad Philip-
pum Johannis Ludovici fi-
lium, quô extinctô in Alber-
tum Weilburgii Comitem di-
tio tranſiit, A. C. 1605.

Weilburgius, ortus à Philippo
A. C. 1429. ceſſavit in Ludo-
vico A. C. 1529. Mariæ, Lu-
dovici Haſſiæ Landgravii filiæ
marito. Seu potiùs, ortus à
Johanne, minore filio Gerla-
ci, extincti A. C. 1361. durat
adhuc. Vide *ſuprà.*

Beilſtenius, ab Henrico, Hen-
rici Comitis filio ortus, defe-
cit in Johanne III. à quo ad
Dillenburgicos ſucceſſio de-
voluta eſt.

Arauſionenſis ſeu *Uranius*, ori-
ginem trahit à Guilielmo I.
Libertatis Belgicæ auctore,
quartô jam gradu floridus. Ei
enim ſucceſſêre Mauritius &
Henr. Fridericus filii, Wil-
helmus II. Wilh. Henricus.

NASSOVIA Arx, ſeu *Moura*, in ora Aurea Guineæ, quadran-
gularis eſt, in ſcopulo & probè munita, cum vico amplo, in
regno Acanii parvi. Vide *Arx Naſſoviæ.*

NASSOVIA, arx munita Aſiæ, recens excitata; in inſul. Mo-
tiris, una ex Moluccis, 5. circiciter leuc. ab ora Occidentali Gi-
loli. Sub *Hollandis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NASSOVIA Inſul. maris Indici, verſus oram Occidentalem Sumatræ ad Auſtrum Inſulæ Fortunæ divinæ. A Batavis haud pridem detecta.

NASSOVIUM Fretum, vide *Fretum Vaigatium.*

NASSUNIA, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ, *Ptol.*

NASTES, frater Amphimachi, unus ex his qui in auxilium Trojanorum venerunt.

NASTURTIUM, in antecœniis Veterum. Lamprid. *in Heliogabalo*, c. 20. *Barbas ſanè mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro* naſturtiis, *apiaſtris & facelaribus & fœno græco exhiberet plenis fabatariis ac diſcis.* Et certè inter herbas, quæ ſapore acres ſunt & acutæ, adeoque orexin excitantes, *Theophraſto* ac Plinio *l.* 20. *c.* 13. recenſetur, & in libris Medicorum fœno græco non rarò jungitur. Sed cùm lectioni huic libri non faveant, Palatinus etiam codex pro *naſturtiis* habeat *naſcentis*, conjicit Salmaſ. *abſentis*, pro *abſinthiis*, omnino legendum eſſe, *Not. ad l.* Imò veteres Perſas ad panes quidquam addere, præter *naſturtium*, negat ex Xenophonte Tullius *l.* 5. *Tuſcul. c.* 34. quod intelligendum, antequam Medi à Perſis eſſent ſubacti. Poſtquam verò in unum Imperium coaluêre hæc gentes, Medorum luxurioſam Perſæ æmulati ſunt. Unde de Pauſania C. Nepos *c.* 3. *epulabatur* ait, *more Perſarum luxurioſiùs.* Vide de apparatu Perſico copioſè diſſerentem Athen. *l.* 4.

NASUA, Dux Suevorum, qui primô belli Gallici annô centum Suevorum pagos, ad Rheni ripas, præſidio adduxerat, Cæſ. *l.* 1. *Comment. c.* 39.

NASUA, vide *Cimberius.*

NASUS, an à *nare*, an à Græco νασμὸς, propter *fluorem* muci: an utrumque à *nando*, quòd per ea innatet & enatet ſpiritus; pars animalis, in homine tantùm eminens, de qua vide aliquid ſuprà in voce *Nares.* Hinc pro judicio, ſeu εὐκρισίας. Sagacitatis enim hæc ſedes. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 42.

Non cuicunque datum eſt habere naſum.
Ludit qui ſtolidâ procacitate.

Uti enim dextra fidei, genua miſericordiæ, ſupercilia gravitati & faſtui &c. ita *naſus* dicatus eſt, non irriſioni ſolùm, uti diximus ſuprà; ſed & judicii ἀκριβείας, uti hîc Martialis ait; Imò & cenſuræ. Ut idem *Epigr.* 4. *l. ejuſd.*

Neſcis, heu neſcis, dominæ faſtidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia Roma ſapit.
Majores nuſquam rhonchi, juveneſque ſeneſque
Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Ubi indigitare vult, pueros ſibi etiam jus cenſendi, damnandique Romæ ſumere. Nec mirum.

Nam facilis rigidi cuivis cenſura cachinni:

Ut Juvenalis ait *Sat.* 10. Hinc illi digitum indicem inſerere quoties orabant, ut hac ceremonia omnium rerum judices ſe eſſe oſtenderent, ſolitos hæreticos quoſdam, dicemus infrà voce *Petalorunchitæ.* Sed & iram ſpiritus, & flatus, per eum, vehementior prodit. Unde Proverb. Arabum, *Pungit te in nare granum piperis.* Et de equo Hiobi locum, *c.* 39. *v.* 23. ubi alii habent; *terrori eſt vehementia fremitus ejus:* Chaldæus Interpres, Hieronymus, Pagninus, Arias, Munſterus, Mercerus, Caſtalio, Druſius, Tigurini, Genevenſes, Alii; reddunt, *Decor naris ejus terrori eſt.* Et certè Hebr. נחר *nahar*, quod in textu eſt, & alii *fremitum* reddunt; ad Latinam *Narium* vocem proximè accedit. Decora autem naris in equo, eſt naris patula, quæ utique habet aliquid terribile. *Xenophon*, Μυκτῆρές γε οἱ ἀναπεπταμένοι τῶν συμπεπτωκότων εὐπνοώτεροί τε ἅμα εἰσὶ καὶ γοργότερον τὸν ἵππον ἀποδεικνύουσι· καὶ γὰρ ὅταν ὀργίζηται ἵππος ἵππῳ, καὶ ἐν ἱππασίᾳ θυμωθῇ, εὐρύνει μᾶλλον τοὺς μυκτῆρας. *Et nares patulæ compreſſis ad ſpirandum ſunt faciliores, & equum terribiliorem exhibent: equus enim equo cùm iraſcitur, & in equitatione excandeſcit, nares diducit magis.* Unde Lucretius *l.* 5. *v.* 1075.

Et fremitum patulis ſub naribus edit ad arma.

Et Claudian. 4. *Conſ. Honorii, v.* 544.

Ignoſcunt patulæ nares ———

Similiter de urſo Martial. *l.* 6. *Epigr.* 64. *v.* 27.

——— *rabido nec perditus ore*
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi &c.

Vide quoque Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel. p.* 21. & 22. 41. it. & 42. Ejus abſciſſio, inter pœnas adulterorum olim apud Ægyptios, vide ſuprà: item aliorum, apud Occidentales receptas, Wiſigothos, Longobardos, Anglo-Saxones, alios. Hinc in *L.* Scaniæ *l.* 5. *c.* 23. apud Andr. Suenonis Archiepiſcopum Lundenſem, *In membrorum abſciſſione refert, quod membrum fuerit amputatum. Quorum enim amputatio majorem generat deformitatem, ampliorem etiam requirit emendationem, unde cùm amputatio* naſi *plurimùm hominem dedeceat & deformet, ſtatutum eſt ut homicidio in emendatione debeat adæquari.* Vide ſuprà in voce *Denaſatus*, item *Nares.*

S. NASUS, nomen Saxi, à Finlandis olim pro Numine habiti. Vide ſuprà *Dii.*

NATA, oppid. Terræ firmæ, cum portu, in ora maris Auſtrini & ſinus Paritæ. Vix 17. leuc. à Panama in Circium ſub Hiſpanis.

NATALE, acclamatio Gallis olim familiaris, in lætitia publica, vulgò *Noël, Noël.* In *Chronico* Beccenſi *A. C.* 1390. *Receptus cum gaudio magno, cunctis clamantibus, Noël, Noël.* Vide quoque Monſtrelletum *Volum.* 1. *p.* 32. 52. 125. 147. 208. &c. Berrium *in Hiſtoria Caroli VII. A. C.* 1427. & ibi Andr. Ducheſnium, Alios, laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* Hinc Frodoardus de Pontifice Rom. *in Leone III.*

——— *Proceres præconia Chriſto*
Læta ferunt, Regique Poli Natale *frequentant.*

De NATALIBUS Petrus, vide *Petrus.*

NATALIS, nomine *Antonius*, Eques Roman. C. Piſoni ad omne ſecretum, & proin conjurationis ſocius, in Neronem, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50. Sed ob feſtinatum indicium, impunitate donatus eſt à Cæſare *c.* 71. *ibid.*

NATALIS Beda, Doctor Pariſienſis, ſcripſit contra Lutherum, *de unica Magdalena*, contra Fabrum, &c.

NATALIS Comes, vel *de Comitibus*, Venetus, floruit ſeculô præteritô, eruditione inter primos, Athenæum latinè vertit, ſcripſit Hiſtoriam ſui temporis libb. 30. Mythologiam libb. 10. aliaque inſignia opera.

NATALIS Dies, ſive die natus quis ſit, ſive noctu, dicitur, ut fuſè explicat Varro, apud A. Gellium *l.* 3. *c.* 2. cùm inter alia ait: *Homines, qui ex media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quatuor nati ſunt, unô die nati dicuntur.* Proprieque iis tribuitur, qui naturali generatione in lucem prodierunt. Namque & adoptivi ſuam habebant nativitatem, quâ eligebantur: Unde Æl. Spartian. *in Adriano, c.* 4. *Quinto*, inquit, *Iduum Auguſti Legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando* Natalem adoptionis *celebrari juſſit.* Urbibus quoque ſuus *Natalis* cùm aſſignatus ſit, decretum eſt, ut dies, quô Romanum cœpiſſet Imperium; *Parilia* vocaretur, quæ feſta iis fuêre, unde anni urbis Romæ numerabantur: Quod expreſſit Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 805.

Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit Natali *nunc quoque Roma tuo.*

Habebant & navigationes ſuum *Natalem*, & Reges, quando ad regnum admittebantur. Sic Herodotô teſte *l.* 9. Xerxes diem, quâ Rex dictus fuit, tanquam Imperii *Natalem* ſingulis annis inſignem celebravit, quô cœnam etiam Proceribus ſuis dabat, quæ Perſicè *Tičta*, Græcè τέλειον appellata eſt. Quæ tamen Nativitatum feſta à Comneno ſublata, quanquam æra inde Imperii dependeret. Naſcebantur præterea ſacris initiati, pueri prætextam ſumentes, & Conſules; qui ubi officiô illô fungi incepêre, *naſci* dicebantur: Martial. *l.* 8. *Epigr.* 66.

Auguſto pia thura, victimaſque
Pro noſtro date Silio Camœnæ.
Bis ſenos jubet en redire Faſces
Nato *Conſule.*

Nec diſſimili uſu Martyrum paſſio vocatur *Nativitas*, quâ ad gloriam naſcuntur. Namque & Seneca; diem mortis æternæ diei *Natalem* vocat, & Prudentius *Periſteph. Hymn.* 4. *de paſſione Hippolyti Martyris v.* 195.

Jam cùm ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalemque *diem Paſſio feſta refert.*

Unde & Baptiſmus. Quin *Natalibus* redduntur plebeji, ad nobilitatem evecti, aut quôvis gaudiô elati. Ad Superos denique tranſlatâ voce, *Natales* feſta appellantur Deorum, & Chriſtianis in communione Romana *Natalis* Calicis vide infrà. Certè etiam Diis ſuum *Natalem* olim tributum, diſcimus ex *Octavio* Minucii Fel. clarius ex Arnobio *l.* 7. ubi is, *Telluris*, inquit, *natalis eſt, Dii enim ex uteris prodeunt, & habent Dies lætos; quibus eis aſcriptum eſt, auram uſurpare vitalem.* Et, *Dies nobis natalitii ſunt & potentias cœlites dies autumant habere natales.* Sic Acron *ad Horat. l.* 2. *od.* 12. *Natalis Dianæ à Virginibus celebratatur, ſicut Apollinis à pueris.* Martialis *l.* 12. *Epigr.* 68.

Majæ Mercurium creâſtis Idus.

Tertullian. *de Idolol. Idem fit idoli natali omni Diaboli pompâ frequentatur* &c. Redeo ad veram Nativitatem: poſtquam natus eſt infans, ſi primogenitus fuerit, Fortuna *Natalis* Primigenia, cujus memoriam marmora non pauca ſervant, ſacrum meruit. Die dein tertiô, apud Romanos: quintô apud Græcos, coronæ *Natalitiæ* foribus ſuſpenſæ ſunt, domeſtici gaudii indices. Ad quem morem reſpicit Juvenalis *Sat.* 9. *v.* 85.

——— *Foribus ſuſpende corônas.*
Jam Pater es.

Ideoque, notante Meurſiô *Attic. Lect. l.* 4. *c.* 10. Puerperæ domus *coronata* quoque, Στεφανηφόρος, dicta eſt. Erant autem eædem ferè, quibus Nuptialium feſtô frontem crineſque haſtâ compoſitos cinxerat nova Nupta, in honorem Laris familiaris, qui foribus præſidet; vel potiùs ad Veſtam, cui poſtes ſacri, quæque in puerperio viſa ſibi erat læſa, propitiandam: Athenis maſculis ex olea, è lana fœmellis; Romæ verò è lauru, hedera apioque, quam circa coronas *Natalitias* varietatem *Heſychius* ſuggerit. Quintô die emergente inſtituta λουτρὰ λεχώϊνα, ad manus eârum abluendas, quæ obſtetricatæ fuerant, ipſiuſque Puerperæ: quô more poſteà ſolemnibus *Natalitiis* ſervatô, lavabant manus, in pollubro & gutto, quum epulas inſtruerent. Sequebantur eâdem luce munera *Natalitia* puero oblata, (ut apud Capitolinum Commodi ad Albinum literæ teſtantur) polypi, ſepiæ, coronæ, gemmæ: extendebaturque liberalitas, ad Puerperam, cui umbellas, armillas &c. donabant Mariti; nec non ad Puerperii miniſtros, ſervos quoque ac libertos. Terentius *Phorm. Actu* 1. *Sc.* 1.

——— ——— *Porrò autem Geta*
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.
Porrò alio autem, ubi erit puero Natalis *dies.*

Ultimô poſtea hebdomadis primæ die natis infantibus tabellæ fata inſcripta, vel virgæ *Natalitiæ* ſunt compactæ, quæ cum nato adoleſcerent Donatus *in vita Virgilii, Virga populea more regionis in puerperiis eôdem ſtatim locô depacta ita brevi coaluit ut multo antè ſatas populos adæquârit: quæ arbor Virgilii ex eo dicta atque conſecrata eſt, ſummâ gravidarum religione, ſuſcipientium ibi & ſolventium vota.* Atque hunc morem Veteres ſignificâſſe videntur, cum *Fata ſcribunda advocare* dicerent, apud Tertullian. *de Anima c.* 39. Aliis hæ virgæ è quercu fuêre, &c. Adulto dein, qui natus erat, memoria *Natalis* diei quotannis rediit, feſtô Genethliacô ſolemni, Principum progeniei propriô, mox aliis, imò & Philoſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

loſophis, non viventibus ſolùm, ſed Fatô functis, idque religione maximâ. Plautus *Perſa*, *Actu* 5. *ſc.* 1.

—— Hoc age, accumbe,
Hunc diem ſuavem meum Natalem *inter nos agitemus amœnum.*

Cicer. *Philipp.* 2. *Hodie non deſcendit Antonius. Cur? dat* Natalitia *in Hortis.* Quô fine & luſtra nonnullis celebrata, diximus ſuprà voce *Luſtrum.* Convivia autem hôc die agitabant, ut inprimis ex A. Gellio *l.* 19. *c.* 9. & hiſtoria Herodis in Euangelio Marc. *c.* 6. *v.* 21. patet: neve id in demortuis quoque omitteretur, uſuræ ad ſolvenda convivia inſtitutæ ſunt, cujus rei teſtimonium illuſtre eſt Marmorea tabella Bergomi in æde Benedicti: Et mutuati hinc Chriſtiani *Natales* Sanctorum & Servatoris noſtri videntur, in quibus varia fuit Eccleſia vetus. Ipſi tamen *Natalitia Convivia* non celebrârunt, Origenes *in Levitic. c.* 12. & 13. *Homil.* 8. *fol.* 89. Ambroſius *Parte III. de Fide reſurr. c.* 11. Hieronym. *in Matth. l.* 2. *c.* 14. Beda *in Marcum l.* 2. *c.* 6. *fol.* 60. &c. Munera porrò ab amicis *Natalitia* miſſa, pro cujuſque arbitrio. Virgilius *Eclogâ* 3. *v.* 76.

Phyllida mitte mihi, meus eſt Natalis, *Iola.*

Plin. *l.* 4. *Ep.* 9. *Multis enim, aut etiam Principi dixerat, ſola ſe munuſcula, duntaxat* Natali *ſuô aut Saturnalibus accepiſſe ac plerisque miſiſſe.* Quare Martial. *l.* 8. *Epigr.* 64.

Ut poſcas Clyte munus, exigasque,
Uno naſceris octies in anno.

Imperatoribus nonnullis ſtatutum pretium placuit: Viri uxoribus, quod donatio cenſetur, Parentibus Cognatisque Tutores ex pupilli bonis donârunt, clientes Patronis, amicis amici. Idem *Natalibus* anni in ſtrenis obtinuit. Munera ea varia: Annulus, quem tum geſtabant, inauris, armilla, umbella, veſtes cubitoriæ cœnatoriæque, equi, coronæ, aves, libri, Poëmata, aliaque: Exhibiti ludi Theatrales, Circenſes & Venationes: Cruciarii ſepulti: Floralibus quoque honoratus *Natalis:* lecti ſtrati, & albatis veſtibus Genio indultum, quod in Chriſtianis veteribus quoque Canones reprehendunt. Vinô aſperſi, præter pueros & coronati convivæ &c. Vide de Ludis illis *Natalitiis*, Æl. Spartian. *in Adriano c.* 4. & Dionem *l.* 47. ubi Julii Cæſaris τὰ γενέσια Triumviros ab omnibus feſtivâ celebritate colenda inſtituiſſe, huncque honorem ad cœteros poſtea Imperatores propagatum eſſe, docet, nec non *l.* 54. *ubi de Auguſto.* A ſanguine tamen & cæde animalium Romani abſtinuêre, Solin. *c.* 2. ominis felicioris ergò, primis temporibus, & *pulte fitillâ*, an *fritillâ*, Plin. *l.* 18. *c.* 8. ſacra peregerunt: Sed ſequentibus hoſtias percuſſerunt, Genio immolaturi, cui floribus ſupplicatum, vinô, libô, thure, lacte, mulſô, à maribus ſcil. uti Junoni à fœminis. Neque verò in aram tantùm merum & thus fundebatur verùm etiam in ipſum idoli caput, quod & pariter cum ejus collo ſertis ornabatur, inque ejus honorem ludi inſtituebantur ac choreæ: inter quæ Diis commendabatur ille, cujus *Natalis* erat, quod *Natales infantis commendare*, Spartiano dicitur *in Geta c.* 3. Chriſtianis votô piô ſolennitatem peragentibus. Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Celebrabantur porrò *Natales* lætô ac nitidô cultu; atque tum cives Romani incedebant pexi, anulati & in alba veſte, ut jam innuimus. Perſius *Sat.* 1. *v.* 15.

—— pexusque togâque recenti
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.

Ubi vetus Scholiaſtes: *Quidam*, inquit, *habent annulos, quos die tantùm natali gerunt.* Totâque hâc die nihil præter hilaritatem cogitabant. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 9. *v.* 5.

Tranſeat hic ſine nube dies, ſtent aëre nubes,
Ponat & in ſino molliter unda minas.
Aſpiciam nullos hodierna luce dolores &c.

Plautus *Pſeudolo*, *Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 32.

Mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare,
Pernam, callum, glandium ſumen, facito in aqua jaciant,
ſatin' audis?

Et quæ *ſeqq.* Nec omittendum, quemadmodum antiqui diebus funebribus ardentes lucernas intra ſepulcra claudebant, ita vice verſâ diebus *Natalitiis* eas ad feneſtras & in januis ſuſpendiſſe, ut oſtenderent ortus interituſque contrarietatem. Quare Tertullianus, monſtrare volens, tempore naſcentis Chriſtianiſmi Idololatriam extinctam eſſe: *At nunc*, inquit, *lucent tabernæ & januæ noſtræ; plures jam Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum.* Sed & mos iſte die *Natali* in feneſtris lucernas accendendi, notatur à Perſio *Sat.* 5. *v.* 180.

Herodis venêre dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulâ vomuere lucernam, &c.

Vide Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 32. *in quo Lucernam Cominiam Ferrariæ repertam eruditô Commentariô illuſtrat.* & plura hanc in rem, apud Jac. Ouzelium *Animadverſion. ad Minucium Fel. d. l.* At nihil horum fecêre Thraces, ſed reliquis omnibus contraria figentes veſtigia, velut politioris Orbis Antipodes, hominum *Natales* flebant, exequias eorundem hilares proſequebantur, Cauſianorum ritu, à quibus uſus tibiarum fluxit in funeribus. Teſtis Herodot. *l.* 3. quô referente, Thraces infantem recens natum circumſedentes ploratu ac lachrymis proſequebantur, commemorantes, quot & quantæ illi, hanc vitam ingreſſuro, clades atque calamitates ſubeundæ eſſent. Contrà autem vitâ defunctum cantu & tripudiis efferebant, narrantes quantis malis, & ærumnis ille liberatus eſſet. Cui ſuffragatur Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. ut & Solinus *c.* 10. qui proin *luctuoſa* Thracum *puerperia* vocat. Nec id tamen ſine ſapientiæ elogio: namque & Salomonem *mortuos præ vivis laudantem*, deprehendimus Eccleſ. *c.* 3. *v.* 24. & recens nati infantis ploratus, *Natalitiis* cantibus ex adverſo reſpondentes, triſtia miſeræ vitæ exordia loquuntur. Verùm nil obſtat, quò minus utroſque miſceamus, & miſeriæ humanæ ſenſu ſic afficiamur, ut tamen lætantes gratias Deo agamus, *quòd homo ſit natus in mundum*, ſicque *triſtitia noſtra evadat in gaudium*, Johann. *c.* 16. *v.* 20. & 21. &c. Vide & mox dicenda, it. infrà voce *Roſa.* Vox hinc ad alia tranſlata. Sic *Natalis* Calicis, in Eccleſia Romana dicitur Feria V. in Cœna Domini, quòd eô die S. Euchariſtia à Domino fuerit inſtituta. Eligius Epiſcopus Noviomenſis *Homil.* 10. *Vocatur hæc dies Cœna Domini: vocatur & Natalis Calicis: & meritò talibus præfulget miraculis, quia hâc eâdem die myſticum Paſcha Dominus cum Diſcipulis celebrans Sacramenta corporis & ſanguinis ſui illis atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.* Meminit ejuſd. Feſti Auctor *Vitæ S.* Genovefæ num. 33. *A die Sancto Epiphaniæ, uſque ad* Natalem Calicis, *qui eſt Domini cœnæ* &c. Extant proin *in Natalem Calicis* Homiliæ ab Avito Viennenſi conſcriptæ fragmenta, inter opera illius, uti docet Car. du Freſne *in Gloſſar.* Dominicus Macer eundem diem, quoque appellari *Diem panis* & *Diem lucis*, à Chryſoſtomo; *Diem Indulgentiæ*, à Maurino Abb. *Diem Natalem Euchariſtiæ*, à Landulpho; *Diem Secretorum*, à Syris, addit *in Hierolexico.* Vide & ſuprà, *Feria V. in C. D.* Sic *Natalis* Cathedræ S. Petri, feſtivitas ejuſdem Communionis, de qua vide Bolandum *ad* 18. *Januarii.* Sed & *Natales*, ibidem dicuntur quatuor præcipuæ Anni feſtivitates, Gallis *Jours Nataux.* Aliàs *Natalis*, feſtus quilibet dies Sanctorum in eadem Eccleſia cultus, quam vocem à *Nativitate* ſic diſtinguit Beletus *de Div. Officiis c.* 4. ut *Natalem*, vel *Natale* vel *Natalitium* dicat appellari Sanctorum ex hoc ſeculo commigrationem (quam alii *diem paſſionis* vocant) *Nativitatem* verò feſtum illius nativitatis, quâ quis in mundum naſcitur: quo modo ſolùm dici *Nativitatem Chriſti*, *Beatæ Mariæ* & *Joannis Baptiſtæ*, quòd horum Nativitates duntaxat ab Eccleſia celebrentur. Antiqui certè *Natales* vocârunt omnes dies, propter aliquam lætitiam inſignem ſibi ſolennes. Hegio Plautinus, cùm audiviſſet adveniſſe filium ſuum captivum, *in Pœnul. Actu* 5. *ſc.* 2.

Dii immortales, iterum natus videor, ſi vera autumas.

Inde in hiſtoriis Principis ejuſdem tot *Natales.* Theodorus Balſamon *ad Photii Nomocanonem*, Νατάλια δὲ εἰσιν, inquit, τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια, καὶ ἡ τούτων ἀνάῤῥησις: ubi duos *Natales* agnoſcit, *Nativitatis* ſive *Genitalem*, unde *Genitalitii Ludi*, in *Pertinace*, apud Jul. Capitolin. *c.* 15. & *delati Imperii.* Et quidem *die Natali* ſeu *Nativitatis* vota faciebant pro ſua ſuorumque ſalute, eumque diem quotannis cognati ac propinqui communi religione concelebrabant. Hinc extat Hadriani Imperatoris *Schedium*, die ejus natali ad matrem miſſum, quô ipſam & ſorores ſuas invitat ad cœnam, ut communibus votis pro mutua ſalute Deos orent, apud Salmaſ. *Not. ad Spartian. in Vita ejus c.* 4. Munuſcula inſuper amicis mittebant, ut ibidem videre eſt. Sed & *dies delati Imperii* ſolennis erat & anniverſariâ magnificentiâ excolebatur: dictus *Natalis Imperii*, præfato Capitolino, *ubi ſuprà*, & *Natalis purpuræ*, in Laterculo Silvii. Præter hos tertius erat *Natalis*, nempe *Dies adoptionis*, de quo Spartian. ita *in Hadriano c.* 4. *Quintô Iduum Auguſti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando &* natalem adoptionis *celebrari juſſit.* Sic itaque & veteres Chriſtiani eam vocem uſurpârunt multifariam. Alii enim erant *Natales ordinationis*, ut *in Martyrologio* Romano ordinationis Ambroſii, & apud Ambroſium *Ep.* 5. *Natalis Felicis Comenſis, quô ille ſuſceperat gubernacula ſummi Sacerdotii:* alii τῆς τελειώσεως cujuſque Martyrum, qui & *Depoſitionis dies* dicebantur; cujus appellationis cauſam ipſe explicat Ambroſius *Sermone* 70. &c. Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit.* De *Natali navigationis*, dicemus infrà, *Navigatio prima.* Sed & *Natalis Templi* ſeu *Baſilicæ* occurrit non raro, pro dedicatione ejus, de qua, ut & plura hanc in rem vide ſuprà.

NATALIS du Fail, Brito nobilis, JCtus inſignis, ſeculô præteritô. Scripſit hiſtoriam Britanniæ Duc. & Senatus Coſſ. Parlamenti Rhedonenſis, libris 3. Eginardi Baronis & Franc. Dureni precibus permotus, Jus civile in Locos Communes redegit, &c.

NATALITIA Munera, vide *ſuprà.*

NATALITIÆ Coronæ, Lucernæ, Virgæ, *Ibid.*

NATALITII Ludi, dicti fuêre, apud Romanos, qui in Natalitiis magnorum Virorum edi ſolebant. Hinc de Adriano Æl. Spartian. *c.* 6. *Gladiatorium*, inquit, *munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras Natali ſuô edidit. Optimos quoſque in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis aſcivit. Ludos Circenſes præter* Natalitios *decretos ſibi ſprevit.* Similiter Auguſti Natalem & Circenſibus & Venatione celebratum quotannis fuiſſe, teſtis eſt Dio *l.* 54. Florales quoque ludos in Natalibus adhibitos fuiſſe, credimus Lactantio *l.* 1. *c.* 20. *Flora, cùm magnas opes ex arte meretricia quæſiiſſet, Populum Roman. ſcripſit hæredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus Natalis celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia.* Porro Ludi *Natalitii* Caji Jul. Cæſaris erant, ad 4. Idus Julias: Titi Cæſaris erant, ad 9. Kal. Januarii: Nervæ ad 4. Kal. Dec. Hadriani ad 4. Kal. Novembris: Antonini ipſis Kalendis Aprilibus: Ælii Veri ad diem 3. Idus Aprileis: Septimiani ad 18. Kal. Decembris: Gordiani, ad 13. Kal. Januarii: Conſtantini Magni ac Junioris, ad 4. Kal. Februarii &c. Vide præfatum Spartianum, Capitolinum, Lampridium, alios: Item ſuprà, in voce *Natalis.*

NATALITIUS, cognomen Neptuni, de quo vide infrà.

NATALITIUS Annulus, dicebatur olim, qui ſolô die natali geſtabatur. Ut enim annulorum alii æſtivi erant, alii hiberni, ſicut veſtes *l.* 1. *D. de aeq. quotid. & æſtiva*, quod delicatum diſcrimen à Criſpino inventum eſt, cui per æſtatem moleſta erant illa,

—— Majoris pondera gemmæ:

Sic quoſdam annulos ſolô natali die geſtari ſolitos, Kirchmannus docet. ita enim capit, unà cum aliis nonnullis, hunc locum Perſii *Sat.* 1. *v.* 15. ubi introducitur Recitator,

—— pexusque togâque recenti
Et natalitiâ *tandem cum ſardonyche albus.*

Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quanquam intelligi etiam poteſt annulus, *natali* die à cliente dono miſſus, quem in magno pretio habitum & cum cura conſervatum, patet ex Plauti *Curcul. Sc. ult.* ubi cùm Planeſium virgo dixiſſet,

Verùm hunc ſervavi ſemper mecum una annulum,
Cum hoc olim perii.

Miles paulo pòſt inſpecto annulo, ſubjungit:

——— ——— *Proh Jupiter*
Hic eſt, quem ego tibi miſi natali die,
Tàm facile novi, quàm me.

Vide Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 17.

NATALITIUS Panis, vide infra *Panis natalitius.*

NATALIUS, confeſſor egregius, qui propter Chriſtum innumera tormenta paſſus fuerat, tandem ab hæreticis Theodotianis, deceptus, eorum conſtitutus fuit epiſcopus: ſed in ſomniis frequenter admonitus à Domino, quia miſericors Deus, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus nolebat martyrem ſuum, qui ſibi in multis paſſionibus teſtis extiterat, de eccleſia perdere. Sed cùm negligentiùs ſuſciperet viſiones, turpis lucri devictus illecebris, ad ultimum à ſanctis angelis per totam noctem verberatus, manè conſurgens cilicio ſe induit, ac multis lachrymis errorem ſuum deflens ante pedes Zephyrini epiſcopi ſeipſum proſternit, & veſtigiis omnium non modò clericorum, ſed etiam laicorum, multâ cum lamentatione, provocatus in lacrymas & lamentationes omnem provocavit Eccleſiam, ut indulgentiam ſibi à Chriſto, continuis & jugibus pro ipſo precibus implorarent, tandemque aliquando in communionem corporis Eccleſiæ revocatus eſt. Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c. ult.*

NATANDI Artem, docuit neceſſitas, uſus excoluit: cujus quanta apud Veteres fuerit exiſtimatio, Proverb. indigitat, *Nec literas, nec natare ſcit,* in ſtupidos ac prorſus inertes uſurpari ſolitum. Cùm enim primis temporibus, apud Reſpublicas quaſcunque Viri fortes præ cæteris honorarentur, docente Ariſtotele *Sect.* 17. *Probl.* 5. & *l.* 2. *Rhet. c.* 4. ut in navalibus quoque pugnis, quæ tum frequentes admodum: in tranſeundis item vadis ac fluminibus homines nandi arte confiſi, pericula certiùs evaderent, exitiumque, quod exercitui Cyri mare ingredi coacto obtigiſſe refert Xenophon *Expedit. Cyri*, evitarent: ſicque fortiores inter aquarum fierent diſcrimina, *Natationis* peritiam extulerunt. Unde Romani veteres, ut Vegetius *de Re milit. l.* 1. *c.* 10. *quos tot bella & continua pericula militarem diſciplinam docuerant, campum Martium Tyberi vicinum delegerunt, in quorum altero armorum exercitationes inirent, in altero ſudorem pulveremque diluerent, ac ſimul* natarẽ *perdiſcerent.* Acceſſit poſteà & alia ratio, quæ *Natandi* artem commendaret, valetudo: cui conſervandæ à Medicis Gymnaſticis eam adhibitam fuiſſe, *Antyllus* teſtatum reliquit. Hinc tertiâ febre laborantibus, ut ungantur, balneum ingrediantur, ibique madefiant, & ſi velint, *natent*, concedit Galenus *l.* 1. *ad Glauconem:* qui alibi quoque, pueros ſui temporis in aquis γυμναστικὰς παιδιὰς facere conſueviſſe, ſcribit, *de locis aff. l.* 4. Fiebat autem *Natatio*, vel *in aquis ſponte naſcentibus*, quam, *Antyllo* improbatam, paralyticis auxiliari credidit *Cæl. Aurelian.* Vel *in aliis*, iiſque iterum vel *dulcibus*, quæ maritimâ minus efficax, adeoque ægris vitanda cenſetur, niſi quòd in fluvialibus aquis ſomnum inducat, Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 1. *v.* 7.

——— ——— ——— *Ter uncti,*
Transnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto.

Pernicioſa autem eſt, quæ in paludibus & ſtagnis obitur; Lacuſtris mediô quôdam pactô ſe habens, tantô minus inſalubris, quantô lacus vaſtiores parioreſque ſunt: Vel *maritimis*, quæ natatio ab *Aretæo* in capitis inveterato dolore uſurpata: ab *Ætio*, ex *Galeni* mente, in narium obturatione & odoratus læſione probata: à *Celſo* & *Antyllo* hydropicis, ſcabioſis & quos exanthemata infeſtant, quorum item crura aliave membra defluxione tentantur: à *Cœl. Aureliano* paralyticis, ſtomachicis, jecoroſis, lienoſis, cachecticis, adhibita legitur. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnaſtica l.* 6. *c.* 12. Quô pactô verò exercitatio hæc perageretur, docuit Antyllus apud Oribaſium *l.* 6. *c.* 27. oſtendens, naturos priùs moderatè unxiſſe, & frictione corpora calefeciſſe, dein è veſtigio in aquam ſe projeciſſe: Idque factum, vel in ipſis Gymnaſiis ſive privatis balneis, vel extra. In Gymnaſiis *natabant*, vel in piſcina, quæ in frigidario Thermarum fuit, vel in labris illis amplis, quæ adhuc paſſim Romæ viſuntur: è quibus Galenus *Methodi l.* 7. magis lotionem laudat, in balneo factam, ἐν ταῖς κολυμβήθραις, i. e. *in Piſcinis natando inſtitutis*, quàm ἐν τοῖς μικροῖς πυέλοις, *in parvis alveis:* In area quoque Gymnaſiorum Piſcinam fuiſſe, memorat Plin. *l.* 5. *Ep.* 6. & ante eum Martial. *l.* 3. *Epigr.* 44. ubi importunitatem Ligurini cujuſdam deſcribens, *v.* 12. ait:

In Thermas fugio, ſonas ad aurem;
Piſcinam peto, non licet natare.

Publicæ Piſcinæ ſub porticu Capitolina, *ad quam & natatum & exercitationis alioqui cauſâ venerit populus*, meminit *Feſtus Pompejus*; Sed de his plura vide infrà, in voce *Piſcina.* Quòd verò in labris illis ſimiliter natarent, vel ſaltem natantium inſtar moverentur, conjicitur cum ex magnitudine labrorum, tum ex Galeno *l.* 1. *ad Glauconem:* Fuit autem illa in labris natatio fervens ſolùm. Piſcinæ enim *calidæ, è qua natantes mare aſpiciant*, mentionem dum facit Plinius *loc. cit.* dè calefacta vi ſolis & maritimo ſitu potius, quàm de fervefacta ab igne, loqui videtur. Extra Gymnaſia ſive Balnea privata efficiebatur *Natatio*, modò in fontibus, modò in lacubus, modò in fluminibus, modò in ipſo mari, vide ſuprà: Sed & apud aliquas Nationes, extra Balnea, peculiares quoque loci nando conſtruebantur. ideo Κολυμβήθραι dicti: Sicuti legitur apud Joh. Euangeliſtam *c.* 5. *v.* 2. & *c.* 9. *v.* 11. ubi *Natatoriam Siloë* Interpres antiquus tranſtulit. Vide iterum Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 14. ut & ſuprà, *Nandi peritia:* de *Natatore* verò κατ' ἐξοχὴν Varroni dicto, infrà voce *Urinator.*

NATHAN, fil. David. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 14. adoptivus, ut vult Torniel. *A. M.* 2987. *n.* 5. & 6. & 2990. *n.* 5. & 7. Nomen item prophetæ, qui plurima Davidi prædixit, illum ob adulterium reprehendit, ejuſque regni hiſtoriam ſcripſit, 1. Paral. *c. ult. v.* 29. & 2. Sam. *c.* 7. 8. & 12. Filius item Ethæi filii Seſan ex ſervo, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 36.

NATHAN, Rabbinus, ſecul. 12. ſcripſit Romæ Dictionarium Chaldaicum. Alius, ex Hordana, Fil. Dudæi, ſcripſit *Commentarium in Raſi* & *in R. Iſaac Medura.* Pater Rabbi Iſaac, qui Wormatiæ floruit, & Rabbi Iſchaceris, qui Phinzaki. Rabbi David Ganz. *Milenar. VI. ad ann.* 337. Alius, Babylonius, auctor *Avot Rabbi Nathanis*, circa ann. 3881. apud *eund.*

NATHAN Chytræus, Rector Academiæ Bremenſis, Poëta Latinus ſeculô præteritô, Patriâ Mencingenſis fuit. Scripſit inter alia, *Collectanea in Paraphraſin Pſalterii, à Buchanano editam*, in 12. Herborn. Obiit A. C. 1598. ætat. 55.

NATHANEEL, frater Philippi Apoſtoli, Johan. *c.* 1. *v.* 48. *Verus Iſraëlita* à CHRISTO vocatus. Vide Auguſtin. *tractat.* 17. *in Joh.*

NATHANIA, pater Iſmaëlis, 2. Reg. *c.* 25. *v.* 23.

NATHANMELECH, nomen Eunuchi, 2. Reg. *c.* 23. *v.* 11.

NATHINÆI, vide *Nethinæi.*

NATHO, Inſula Ægypti intra Deltam, cum urbe quæ Atabechis nomine. Dicitur & *Proſopitis. Gezat Eddeheb*, quæ *inſula aurea*, teſte *Joh. Leone.*

NATHON, civitas in tribu Zabulon, Joſ. *c.* 19. *v.* 14.

NATI, à matribus, oſtenſi viris, ad pugnam acriùs hôc pactô excitandis, apud Salluſtium, *ut res magis, quàm verba gererentur, liberos parenteſque in muris locaverunt.* Unde Papinius Statius *Theb. l.* 10. *v.* 571.

Ipſæ tela viris, ipſæ iram animoſque miniſtrant,
Hortanturque unaque ruunt, nec avita gementes
Limina, nec parvos ceſſant oſtendere natos.

Et Silius Italicus *l.* 12. *v.* 587.

——— *contrà Oenotria pubes*
Non ullas voces Ducis aut præcepta requirit:
Sat matres ſtimulant, natique & cara ſupinas
Tendentum palmas, lachrymantiaque ora, parentum
Oſtentant parvos, vagituque incita pulſant
Corda virûm, armatis infigunt oſcula dextris.
Ire volunt, & pro muris opponere denſi
Pectora, reſpectantque ſuos, fletumque reſorbent.

De ritu verò *Natos* tollendi, quo eos, poſtquam geniti eſſent, pro ſuis agnovêre Patres, aliiſque huc pertinentibus, vide Joann. Bernartium *ad Papin. Statium l.* 1. *Theb.* Levinum Torrentium *Commentar. ad Sueton. Auguſt. c.* 6. Jo. Savaronem, *ad Sidonii Narbonem*, Dionyſ. Gothofredum *ad Codicem Juſtin. p.* 469. Conr. Rittershuſium *ad Oppiani Halieut. l.* 1. *v.* 738. A. Tiraquellum *Comm. ad L. ſi unq. C. de Revoc. Donat.* Jul. Cæſ. Bulengerum *de Imper. l.* 3. Jo. Brodæum *Miſcellan. l.* 4. *c.* 3. Dan. Vechnerum *Hellenolex. l.* 2. *c.* 12. & hic paſſim, inprimis in vocibus, *Filius, Infans, Liberi* &c. uti de tempore, quo poſt Patris obitum nati legitimi habebantur, infrà ubi de *Poſthumis.*

NATIO, Dea *à naſcentibus* dicta, quòd matronarum partus tueretur, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. Sribitur & *Naſcio.*

NATIONES, in Academiis quibuſdam, in quas Studiorum ſeu Academiarum Scholaſtici dividuntur, in ſingulis quaternô fere ſemper definiuntur numerô. Sic Pariſienſis IV. *Nationibus* conſtat, *Francia, Picardia, Normannia & Germania*, quæ olim *Anglia* dicebatur. Similiter in *Privilegiis* Academiæ Viennenſis, in Auſtria, ab Alberto III. Duce Auſtriæ, conceſſis A. C. 1384. eadem Univerſitas in IV. partes, quas ſolitum eſt *Nationes* vocari, ad inſtar Pariſienſis *Studii* dividitur, in Nationes ſcilicet *Auſtralium, Rhenenſium, Ungariæ & Saxonum* &c. Vide Lambecium *Comm. de Biblioth. Cæſar. l.* 2. *c.* 5. & *Hiſtoriam nuperam Academiæ Pariſienſis*, laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſario.* Habet autem *Nationum* harum quælibet ſuas Leges, ſuam arcam, ſuos Miniſtros, ſuum Syndicum &c. De *Nationibus*, in Ordine Equeſtri Melitenſi, vide ſuprà in voce *Lingua.* Sed & Romæ olim *Nationes* habitu diſcretas fuiſſe, diſcimus ex Statio *l.* 4. *Sylv.* 5. *ad Sept. Severum v.* 45.

Non ſermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens, Italus, Italus:
Sunt urbe, Romaniſque turmis,
Qui Libyam deceant alumni &c.

Qua de re multa obſervata Barthio, quem vide *ad h. l.*

NATISO, Venetiæ fluv. *Ptol.* Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *p.* 183. *Natiſone* vulgò, in Foro Julio. Oritur ex Alpibus, in confinio Carniolæ. Hinc Forum Julii rigat, & Palmam arcem; & 8. milliar. infra Sontio miſcetur. Ejus pars Aquilejam perducta, *Natiſa* dicitur. *Baudrand.*

NATIVA, priſcis dicta, quæ naturâ colorante eſſent tincta. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 97. *v.* 8.

Nativa *ſemper habeat, & licèt laudet*
Fuſcos colores, galbinos habet mores.

Hinc *nativus color*, pro fuſco vel nigro. *Nonius, Pullus color eſt, quem nunc Spanum vel* Nativum *dicimus:* Spanus, à lanis Hiſpanis, quæ nigræ erant. Præter nigrum tamen, multi alii colores *nativi.* Nam & leucophæus, & fulvus, & rutilus, inter nativos colores numerantur: horumque omnium colorum lanæ, non ab arte, ſed natura ſic coloratæ. Inter hyacinthorum ſpecies, unus quoque erat, qui *nativus* dicebatur: hic dilutior & minùs roſeus, quàm rhodinus, quem vulgò *rubinum* vocamus. Epiphanius Νάτιβον vocat, ubi de variis hyacinthorum generibus ſic ait: Καὶ ὁ μὲν πρῶτος λίθος καλεῖται θαλασσίτης, ὁ δὲ δεύτερος ῥόδινος, ὁ τρίτος νάτιβος, ὁ τέταρτος, ὑδαρέστερος τούτων λέγεται χαλκιαῖος, ὁ δὲ

πλυνθεῖς πεϱιλεύκιον. Bæticæ lanæ coloris erant rutili, Tarentinæ *pullig…* ut loquitur Plin. *l.* 8. *c.* 48. Sic *coloris ſui* dictæ, quæ ſuum & nativum colorem retinebant, nec alienum imbiberant: Nam lanarum nigræ ſui coloris retinentiſſimæ ſunt, nec ullum alium colorem bibunt; Ἰδιόχϱωμα Græcis. Gloſſ. *Nativa*, ἰδιόχϱωμα. Item, *ſui coloris*, ἰδιόχϱωμον.. Sic *hominem ſui moris* Latini dixêre, quem Græci ἰδιότϱοπον qui ad alienos mores ſeſe accommodare non poteſt, ſed ſui quodammodo moris tenax eſt. Ita & *ſui negotii hominem* appellârunt, qui alienis negotiis ſeſe minimè immiſceret, ſua tantùm curans, ἰδιοπϱάγμων Græcis, cui ὁ πολυπϱάγμων opponitur. Eôdem modô & *vellera ſui coloris*, quæ ſuum & *nativum* colorem aliènô non mutaverant; Tales Hiſpanæ lanæ, ut diximus, unde *Spanum* colorem & *nativum* de nigro cinxêre. Strabo vellera Hiſpana Κοϱαξὰ dicit, id eſt, coloris coracini ſeu corvini, quæ ex Hiſpania in Italiam apportabantur, cùm priùs veſtes importari ſolitæ eſſent, &c. Cl. Salmaſ. ad *Tertull. de Pallio*. Vide quoque ſupra voce *Lanæ*, infrà *Paſelus*.

NATIVITAS Domini, unum ex VII. majoribus Coptitarum ſeu Ægyptiorum feſtis, quod incidit in diem 29. *Chiak*, qui 25. eſt Decembris Juliani. Et quidem diem hunc, ut apud Ægyptios ſuos receptum, pro Domini Natalibus, jam Eutychius Alexandrinus memorat, qui circa A. C. 900. ſcripſit, *Tom. I. p.* 310. ut & Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, *l.* 5. *c.* 12. Etiam Chriſtiani Græci, per annos mille ducentos & ultra diem eundem obſervârunt, ut ex *Ritualibus* eorum conſtat. Ita Syri, velut pariter Apoſtolicam ipſam de eo doctrinam ſecuti, ut Joannes Widmanſtadius *Epiſt. ſubnexâ Teſtamento Syriaco*, monimentis illorum edoctus qui in Mahometis illud ſcribens, *Vigeſimô tertiô die Ramadan* (i. e. tempore vernô) *natus eſt Chriſtus filius Mariæ, Orationes Dei ſuper eum. Quòd XXIII.* inquit *diem Ramadan menſis, natalem ſcripſerit Mahometes à veritate prorſus eſt alienum. Et ipſe in codice Græco Bibliothecæ D. Marci Florentiæ Honorii I. ---- tempore* (qui circa A. C. 620. cum floruit Mahometes) *ſcriptolegi, Apoſtolos memoriæ prodidiſſe, Chriſtum ex Virgine natum Bethlehemæ XXV. Decembris, horâ diei ſextâ, baptizatum annô ætatis ſuæ XXX. die Januarii XI. horâ noctis decimâ* &c. Adjicit, *Heſychius ſcribit in anno XLII. Auguſti XXV. Decembris, hora, dies ſeptimâ, partu Virginis editum in hanc lucem fuiſſe.* Occidentalis autem Eccleſia, diu antequam agnoſceretur hic in Oriente dies, illum pro vero Natali accepit celebravitque. Æthiopes etiam in celebratione hac conſoni. Vide Joſ. Scaligerum *de Emend. Temp. l.* 7. Per Orientem verò ſeculis illis primitivis variæ, atque ab obſervatione hac diſſonæ opiniones obtinuêre, cum nondum dies ille *Nativitati* illic aſſignatus eſt. Apud Clementem Alexandr. memorantur, qui diem ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι, fidenter collocabant, *die vigeſima quinta menſis Ægyptiaci Pachon*; ſeu Maji Juliani 20. ubi quidem ille velut de re planè in Oriente ignorata loquitur. Epiphanius etiam, qui diu poſt ſcripſit, Epiphaniorum diem ſeu ſextum Januarii *Natalem* facit, *Hæreſ.* 51. *n.* 16. quemadmodum & alii. At ſub idem tempus Chryſoſtomus, apud Occidentaliores, vetuſtiſſimam fuiſſe agnitionem illius, hoc nomine, diei, etiam à Thracia uſque in Gadira ſeu extremum Orientis ait, unde Orientales eam didicerunt, *Orat.* 71. *Tom. V. p.* 512. *edit. Savil.* Nempe creditum eſt, Titi tempore Romam allatas fabulas aliquas publicas, è quibus in Occidente tantundem ediſceretur, licet Orientalibus nondum receptum; idque etiam ab ipſo Epiphanio traditum eſſe. Sed de vero die variè jam pridem inter Chronologos diſputatum eſt: quæ res utut ſe habeat, ſcimus tam ſub Eutychio Alexandrino, qui annis ampliùs 750. abhinc floruit, in Ægyptô obſervatum pro Natali 25. diem Decembris idque velut receptum diu Calcaſendii, apud Seldenum, tempus, quod recentius eſt. Vetuſtiores autem Ægyptii, iique Chryſoſtomo coævi, diem 6. Januarii, qui *Epiphania* dicitur, & Baptiſmum & Natalem faciebant; ut è Caſſiano *Collat.* 10. *c.* 2. aliiſque liquet: modò dictus Seldenus *de Synedriis veter. Ebræor. l.* 3. *c.* 15. *num.* 6. Hodie in Eccleſia Romana tres Miſſas hâc die dici ſolere; nocte verò prævià ſeu matutinô gladii Imperialis & pilei Ducalis benedictionem peragi, à Pontifice; in officio item hujus noctis coôperiri Altare tribus velis diverſorum colorum, aliaque huc pertinentia refert Dominic. Macer *in Hierolexico*; ubi etiam *Solem novum* id feſti vulgariter appellari, quòd ab eo creſcere incipiant dies, ex Ambroſio *Serm.* 16. & Auguſtino *Serm.* 41. *de Sanctis*, addit. Vide quoque hîc *infra*, ut & voce *Neuma*.

à NATIVITATE Chriſti, annos numerandi ratio, poſt Dionyſium Exiguum invaluit. Cùm enim is ſeculô VI. cyclum ſuum ad Chriſti Incarnationem accommodâſſet, primumque ejus annum nominâſſet illum, in quo Chriſtus conceptus & natus erat; qui eum ſequuti ſunt, videntes hominum vitam non ab eorum conceptione, ſed ab ortu vulgò putari, atque animadvertentes præterea *Nativitatem* Chriſti non longè abeſſe à fine anni Juliani & Circumciſionem ipſis Kal. Januariis celebrari, communi ferè conſenſu conſtituêre, ut primus Chriſti annus, *ab* ejus *Nativitate* duceret exordium. Unde factum, ut æra communis invaluerit unô annô interior æra Dionyſii, ſervatô tamen totô Cyclô Dionyſianô in cœteris i. e. Lunâ, Sole, Literâ Dominicali & Indictione, ſolô exceptô capite, quod obſervatum pridem Petavio *de Doctr. Temp. l.* 12. *c.* 2. 4. &c. Addit Ægid. Bucherius *in Chronol. Regum Franc. Sect.* 1. ſupputationem annorum *à nato Chriſto*, in antiquis hiſtoriis, ante annum 750. vix uſurpatam: deinceps verò ſub Pipino Rege ejuſque filio Carolo M. paulatim robur cepiſſe. Et quidem ſub altera hac Regum Francicorum ſtirpe, annos hôc modô ordiuntur Scriptores omnes, qui *Hiſtoriæ Franc. Volum. II. & III.* habentur: v. g. Carolum M. Romæ imperatorem dictum ajunt, die Chriſti Natalitiô, Annô 801. qui more jam receptô erat 800. Poëta Saxo *l.* 4.

Feſta dies cœlis, eadem celeberrima terris;
… Virginei partus, Chriſtique refulſerat ortus,
Poſt octingentos, ex quo proceſſerat, annos.

Idem Carolus, in *Vita* ejus, obiiſſe dicitur, 5. *Kl. Febr. anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* 814. ubi annus Incarnationis intelligitur, à Natali Domini inceptus, ut apud Nithardum anno 813. At ſub tertia ſtirpe, annorum exordium, à Domini Incarnatione, h. e. die 25. Martii, putari cœpit; neque tamen obſtitit, quin Kalendæ Januariæ primus anni dies ſemper habitus ſit, uti pluribus docet, Car. du Freſne voce *Annus*. Veteres Anglos, menſes ſuos juxta Lunæ curſum computâſſe, annumque incepiſſe ab 8. Kal. Januar. quo die Natale Domini celebratur, tradit Beda *de Ratione Temp. c.* 13. quod confirmant veteri Regum illius gentis Diplomata, apud Ingulfum & in *Monaſtico* Anglic. quæ annos Incarnationis præferunt; quos *à Natali Chriſti* auſpicatos eſſe, ſatis declarat *Charta* Eduardi Confeſſ. in eodem *Monaſtico Tom. I. p.* 61. quæ ſic clauditur: *Acta apud Weſtmonaſterium V. Kalendas Januarii, die ſanctorum Innocentium: annô Dominicæ Incarnationis MLXVI. Indictione III.* Namque hic annus 1066. 28. Decembris, ſecundum noſtram annos incundi rationem, eſſet tantùm 1065. qui, quòd annus *à Natali* initium apud Anglos duceret, fuit 1066. Qui mos annos computandi ſervatus eſt in Anglia etiam à Normannis, ſaltem Guilielmô Nothô regnante; ut ex ejuſdem *Monaſtici Chartis* aliquot colligitur: Deinceps enim vix ulla in Anglicis Diplomatibus annorum nota reperitur, cùm Regia regni annos, cœtera nullos ferè præferant. Apud Germanos perinde Nativitas Chriſti annum aperuit. Wippo *de Vita Chunradi Salici, Eôdem annô, ut ſuprà i. e. à Nativitate Salvatoris* 1027. *Indict.* 10. &c. Non tamen ſemper obtinuit: extat enim apud Chiffletium *in Beatrice Cabilon. p.* 113. *Charta* Henrici Imperatoris cum hac temporis nota: *Datum apud Bernum* 5. *Kal. Januarii, Indictione* 13. *annô Dominicæ Incarnationis* 1224. *annô regni noſtri* &c. Quippe annô 1224. ſumptô Kl. Januarii initiô, currebat Indictio 12. annô verò 1225. Indictio 13. In Italia, annos initium *à Nativitate Domini* ſumere obſervat Covarruvias *Reſolut. Variar. Tom.* 2. *l.* 1. *c.* 12. §. 1. Similiter extat *Charta* Petri Aragonenſium Regis A. C. 1350. quâ ſtatuit, in poſterum annorum initium computandum *à die Nativitatis* Chriſti, & ut, omiſſis Nonis, Idibus atque Kalendis, numerus dierum deſcribatur. Idem de Cypriis & Iſlandis, legas apud præfatum Car. du Freſne *d. l.* ex *Charta* veteri 1378. & Olao Wormio *Faſtorum Danic. l.* 1. *c.* 2. &c. Vide quoque ſuprà voce *Coma*.

NATIVITATIS Domini Miſſa, in Eccleſia Rom. triplex eſt, ex privilegio Leonis Papæ, quod habetur *in eam noctem ſanctam de conſecrat. diſt.* 1. ubi *Gloſſa*: *Celebretur una ante diem, quæ ſignificat tempus ante Legem, quando eramus in tenebris. Secunda, dum dieſcit & ſignificat tempus in Lege, quando nondum plena agnitio Dei habebatur. Tertia in die, & ſignificat tempus Gratiæ, quando jam plena cognitio habebatur.* Unde verſus in quodam *Miſſali* pervetuſto,

Quarum prima tibi tempus, quô Lege carebant;
Altera dat Moyſem, deſignat tertia Chriſtum.

Et quidem in primum harum miſſarum, recitatur Prophetia, *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris*; in ſecunda, *Lux fulgebit hodie*; in tertia, *Puer natus eſt* &c. Unde iterum verſus,

Tres in Natali debent miſſæ celebrari,
Quarum prima ſacram ſignat Chriſti genituram;
Altera venturi deſignat gaudia Chriſti:
Tertia jam factum, quod Lex fore ſacra figurat, &c.

Plura hanc in rem congeſſêre Dominic. & Car. Macri *in Hierolexico*.

NATOLIA ſeu *Aſia Minor*, pars eſt maximè Occidentalis Aſiæ. Terminatur à Septentrione Pontô Euxinô, ab Occaſu Propontide & mari Ægæô, à Meridie mari Mediterraneô, ſeu Ciliciô, ab Ortu Armeniâ. Ejus partes præcipuæ aliàs fuêre Æolis & Myſia, quæ nunc *Sarcum*, Armenia minor nunc *Aladuli*, Bithynia, *Becſangil*, Cappadocia, nunc *Amaſia*, Caria, *Aidinelli*, Cilicia, *Caramania* pro majore parte, Galatia, *Chiangare*, Ionia, *Sanchan*, Lycia, *Menteſeli*, Lydia, *Caraſia*, Pamphylia, hodie *Amaſia* ex parte. Nunc tota IV. habet partes. Quarum Major verſus Occidentem & mare Ægæum extenſa, propriè *Anatolia*, Altera, verſus Pontum Euxinum & Septentrionem *Amaſia* ſeu *Rum*. Tertia *Caramania*, ad Meridiem & juxta mare Mediterraneum. Quarta in Ortum porrecta verſus Euphratem, *Aladuli*. Tota nunc ſub Turcis. Vide *Aſia minor*.

NATTA, Gallis *Natte*, Veterib. *Matta* eſt, i. e. ſtorea, Salmaſ. *ad Solin. p.* 861. Vide ſupra *Mattia*.

NATTA Marcus Antonius, vide *Marcus Antonius*.

NATURA, Poëtis modò Jovis mater, modò ſubjecta, modò conſors, modò neſcio quid aliud. Sidonius,

Cùm Juvenem ſuper aſtra Jovem Natura *locaret,*
Susciperetque novus regna vetuſta Deus.

Priſcianus *Periegeſi*,

Naturæ *genitor, quæ mundum continet omnem.*

Claudian. *Prolog. in Mallii Theodori Conſulat. v.* 11.

Juppiter, ut perhibent, ſpatium cùm diſcere vellet
Naturæ; *Regni neſcius ipſe ſui.*

Idem *Gigantomachia*, *v.* 60.

——— ——— *jam ſigna ruendi*
Bis æther, bis terra dedit, confuſaque rurſus
Pro domino Natura *timet.*

i. e. Jove &c. Philoſophis pro Numine fuit priſcis, quibus antiquiſſima erat perſuaſio, nihil aliud eam, quàm Deum eſſe, quem alio nomine Mundum, ſive τὸ Πᾶν, dixêre. Unde *Princeps Natura*, prima hæc rerum omnium creatrix, Statio *l.* 11. *Theb. v.* 561.

---- *Heu Princeps Natura! ubi Numina? ubi ille*
Fulminis injuſti jaculator? ———

Quæ opinio poſterioribus ſeculis, apud Stoicos & Platonicos invaluit, qui ſtatuebant:

——— ——— *Deum ire per omnes*
Terr…

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.

Unde factum, ut, qui de rerum diſputarent Natura, θεολογεῖν: ipſa *Naturalis* ſcientia ſeu Phyſica θεολογία, ejuſque Doctores *Theologi* dicerentur, teſte Auguſtinô *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 1. Quantô ſanctiùs Galenus, cetera ſatis profanus, cum *Naturam* hominis mirabilem attentius conſideráſſet, Deo, Naturæ Auctori, eximium hymnum cecinit. Quô ſenſu *Baſilius* elegantur res naturales, [illegible] vocavit. *Pythagoras* finem Philoſophiæ *Naturalis*, cognitionem Unitatis: *Archytas* Principii omnium principiorum: *Naturæ* intelligentis ac ſempiternæ *Plutarchus*: divinæ Majeſtatis *Simplicius*, dixêre. Vide Aug. Eugubinum *de Philoſ. perenni l.* 10. *c.* 9. & 11. ut & priùs *l.* 8. *c.* 8. Cicer. *Tuſcul. l.* 1. Georgium Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 3. *c.* 7. & c. Priſcorum vere illam de *Natura* opinionem, Patrum ætate, ex orco revocavit Lucilius Vaninus Italus, qui, ſcriptô *de Arcanis Naturæ* librô, *Naturam* omnium Deum profeſſus, Tholoſæ propterea A. 1619. poſt laqueô ad rogum damnatus eſt, uti legimus apud Grammondum *Hiſtor. Gall. l.* 3. A. C. 1618. Vide Pfannerum *Syſtem. Theol. purior. c.* 2. §. 2.

NAVA, fluv. Germaniæ ſuperioris in Rhenum apud Bingium oppid. influens, *Naha*, teſte Rhenanô. *Die Naw* aliis. *Baudrand.* Nava, oritur ex vico *Nahweiler*, in confinio ditionis Trevirenſis; dein per Palatinatum inferiorem fluens, prope Birckenfeldam, aliaque oppida, auctus Lauterâ, & duobus aliis fluviis minoribus, rigatoque Creutznacô in Rhenum ſe exonerat, juxta Bingium, 4. leuc. infra Moguntiam in Occaſum. Auſonius *in Moſella v.* 1.

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam.

Nic. Lloyd. Ejus meminit quoque Tacit. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 70. ubi *de Bingio & Navæ fluminis ponte*, verba facit: quorum illud, *vetus Vicus*, ſed reparatus ac turribus cinctus, Auſonio *loco cit.* dictum, nunc caſtrum oppid. Germaniæ eſt, ad Rheni & Navæ confluentes: ubi quondam Galli maximam, & qualem ferè ad Cannas Romani, cladem acceperunt, cùm nempe Vindex & rebelles Galli à Virginio Rufo Romaniſque Legionibus acie eſſent cæſi. Ab eo, pago circumjacenti nomen fuit, qui olim *pagus Navenſis*, Germanicè *Nachgouve* & *Nachgouva*, ſi quà Brouvero fides habetur, nuncupatus eſt: unde colligere eſt: fluvium hunc olim à Germanis, potiſſimum *Nahe*, ſed & *Nach*, appellatum eſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Aliis *Navas*, Hiſpanis eſt area plana, arboribus purgata, quæ tamen in circuitu ſylvas habet dumetaque fruticoſa, uti habet Nebriſſenſis *Præfat. in libros de bello Navarienſi*, Vide quoque Garibajum *l.* 21. *c.* 2. & Vaſæum *in Chron. c.* 17. At Ludovicus *de la Cerda*, *Navas* apud Hiſpanos ſignificare ait, mapalia paſtorum & caſas ruſticas, ab Hebr. *Nebo* vocis originem arceſſens, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

NAVÆTHUS, Italiæ fluv. *à navium exuſtione* ſic nuncupatus, vide Cæl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 5.

NAVÆUS Matthias, Vide *Matthias.*

NAVALE Antiatum, oppidul. Latii, nunc Campaniæ Romanæ *Nettuno*; in ora maris Tyrrheni prope paludes Pomptinas, cum portu utcunque capaci, aliàs in ditione Columnarum, juxta Antium promontor. 25. milliar. a Roma in Eurum.

NAVALIA, urbs Germaniæ. *Ptol.* vulgò *Suoll.* Vide ibi.

Ad NAVALIA, vulgò *ad Næfels*, vicus amplus Helvetiæ, in pago Glaronenſi, victoria hujus Gentis de Auſtriacis obtentâ ſecul. 14. celeberrimus. Vide ſupra in voce *Næfelius vicus.*

NAVALIS Corona, dicebatur apud Romanos olim, *quâ donari ſolebat, maritimô prælio, qui primus in hoſtium navem armatus vi tranſilierat: quæ ſi navium roſtris inſignis*, ut ait A. Gellius *l.* 5. *c.* 6. Sed *Navalem* ſimplicem roſtris navium non diſtinctam fuiſſe arbitratur Lipſius *de Mil. Rom. l.* 5. *c.* 17. aut certè aliquâ notâ diverſim a *Roſtrata.* Hæc enim in ſummo pretio, & non iis data, qui in navim aliquam tranſcendiſſent, quod ſæpe factum, ſed qui navale aliquod magnum decus aut victoriam magnâ induſtriâ peperiſſent: Conceſſa itaque Ducibus, & ſimilis aliquatenus obſidionali, *Claſſicum* vero, quæ his dabatur, majoris fuiſſe pretii, vix dubitari poteſt, cùm raro vel vix unquam illam datam fuiſſe doceat Dio Caſſius *l.* 49. cum ait: *Agrippam coronâ Roſtratâ aureâ donavit, quod neque ante neque poſtea cuiquam contigit.* Vide Velleium *l.* 2. *c.* 81. Livium *Epitom.* 129. Senecam *de Benefic. c.* 32. Plin. *l.* 16. *c.* 4. ubi *idem honoris M. Varroni contigiſſe è piraticis bellis, dante M. Pompejo*, refert, Anton Thyſium *in A. Gellium loc. cit.* &c. Primus autem *Navalem* triumphum inter Romanos, egit C. Duilius anno Urb. Cond. 493. de quo ita Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. *Cajus Duilius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotieſcunque epulaturus erat, ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reverti ſolitus eſt, inſignem bellicæ rei ſucceſſum nocturnâ celebratione teſtando.* Vide quoque Livium *Epit.* 17. L. Florum *l.* 2. *c.* 2. Cic. *in Cat. Maj. c.* 13. *Eutropium, Oroſium*, Plinium *l.* 34. *c.* 5. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 28. &c. Ceterùm aurea hæc corona fuit, ideoque *fulgere* dicebatur. Virgilius *Æneid. l.* 8. *v.* 683.

——— *cui belli inſigne tropæum*
Tempora navali *fulgent roſtrata coronâ.*

Illamque M. Terentius Varro adeptus legitur bello piratico, donante Cn. Pompejo Magno, apud Plin. *l.* 16. *c.* 4. & Feſtum *Navali.* Sed & jam ante A. Attilium, bello contra Nabin, eâdem donatum eſſe, idem Feſtus refert, *ut*, inquit, *ſcriptum eſt in carmine Saturnio, quod quidem Duces ipſi conſueti ſunt in tabellis publicè ponere, in quo nominantur, qui navali coronâ donati erant.* Ovid. Pacem illâ redimit *Faſtor. l.* 1. *v.* 711.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades: & toto mitis in orbe mane.

Occaſione Actiacæ victoriæ, quâ pax Imperio obtigit. Claudius poſtmodum Imperator inter hoſtilia ſpolia, *Navalem* itidem *coronam faſtigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne*, Suet. *Claud. c.* 17. Neque enim tantùm in Rep. ſed & ſub multis, atque adeò ſub ipſis propeultimis Principibus, ingens coronæ decus duravit, ut ex Amm. Marcellino liquet, *de Juliano, l.* 24. *Qui appellans pleroſque nominatim, quos ſtabili mente aliquid clarum feciſſe ipſe arbiter perſpexit*, navalibus *donavit* coronis, *& civicis & caſtrenſibus* &c. Sed & Græcis coronam hanc uſurpatam, colligas ex Demoſthene *de Cor. præf. nav.* ubi, cùm Athenienſis Reſp. magnis rebus urgeretur, ſurgentiaque undique pericula poſtularent, ut quantocyus triremes milite complerentur, decretum factum eſſe tale memorat: *Qui primus adornaverit triremem, huic Quæſtor coronam dato.* Eodem faciunt tot coronæ, ad Lyſandrum mari latè victorem allatæ ex omnibus locis apud Xenoph. *Hellenic. l.* 2. Etiam eam in eadem gente meruiſſe, qui hoſtium inſulâ navibus promptè circumdatâ inibi aggerem occupâſſet, ac proinde ſuis inſulam aperuiſſet, illamque princeps perrupiſſet, Pollux *l.* 1. *c.* 9. refert &c. Vide Car. Paſchalium *Coronarum l.* 7. *c.* 4.

NAVARCHUS Thoracatus, inter Parrhaſii opera, memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 10. *Idem pinxit & Theſea, qui Romæ in Capitolio fuit: & Navarchum Thoracatum.* Eſt autem *Navarchus* claſſis præfectus, Græcè Ναύαρχος, de quo officio vide in vocibus *Admiralius*; item *Thalaſſiarchus.* Unde Ναυαρχὶς, navis prætoria, Vide infrà *Navis.* Alii verò legunt apud Plinium, *Nearchum*, quô nomine fuit Tyrannus is qui Zenonem Philoſophum & torqueri & necari juſſit, apud Val. Max. *l.* 3. *c.* 3. & Diog. Laërtium *in Zenone, l.* 9. *c.* 26. Item Dux Athenienſis, cujus apud *Thucydidem* mentio. *Nearchum* nonnulli malunt, de quo *Xenophon.* Vide Dalechampium *Not. ad Plinium d. l.*

NAVARESIUM, urbs Beneharniæ; *Navarreins*; cum arce permunita, ad Gabalum Oloronenſem fluv. 4. leuc. infra Oloronem in Boream, 6. à Palo in Occaſum, verſus Navarram inferiorem.

NAVARINUM, urbs ampla Peloponneſi, emporiumque celebre, cum portu. Aliàs *Pylus Meſſeniaca.* Vide ibi.

NAVARIS, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ ad Tanaim fluv. in finibus Jaxamatarum, *Nagariziachi* incolis, teſte *Moletio.*

NAVARRA, regnum Hiſpaniæ inter Galliam ad Boream, Aragoniam ad Ortum & Meridiem, & Caſtellam ad Occaſum. Pyrenæis montibus dividitur, in *Inferiorem*; Hiſpanis *Merindada de ultra Puertos*; ſub Rege Francorum, uti legitimô Rege: & in *Superiorem*, quæ ſub Hiſpano & occupata fuit, per Ferdinandum Aragoniæ Regem ejectô inde legitimô Rege, Johanne Albretiô. Dividiturque in V. Diſtrictus ſeu Merindadas; Pampilonenſem, Olitenſem, Sangoſſanum, Stellenſem, & Tudelenſem. Caput regni Pompejopolis, ad Argam fluv. *Pamplona.* Ejus partes erant etiam Ipuſcoa, Alava, & Rivogia ſeu *Rioja*, ſed jam diu à Caſtellanis erant occupatæ. Navarra Hiſpan. tota ſiccior eſt & indies ſterilior ac inculta, cùm Navarra Gallic. ſatis rigua ſit, valde populoſa & culta. A *navas*, quod Hiſpanis areas planas, arboribus purgatas, & ſylvis dumetiſque cinctas ſignificat, dicta quibuſdam. Hiſtoria paucis ſic habet: Initium hujus regni à ſeculo 9. arceſſitur, quô, Vaſconum rebellione, contra Ludovicum Pium & Carolum Calvum, Eneco quidam, cognomine Ariſta vel Harizetta, i. e. Quercetum, primum ſe Regem fecit: cujus poſterorum ultimus Sanctius VII. cognomine Incluſus, vel Fortis, A. C. 1234. improlis obiit. Hujus ſoror altera, Berengaria, Richardo Cordi Leonis, Angliæ Regi nupſit, ſine liberis mortua, altera Blanca, uxor Theobaldi V. Campaniæ Comitis peperit Theobaldum VI. Navarræ Regem. Hujus filii Theobaldus & Henricus III. Reges ambo: quorum hic Johannam genuit, Philippo Pulchro nuptam, matrem Ludovici X. Hutini, cujus filia, in familiam Ebroicenſem regnum intulit, à Philippo Comite ducta. Hujus filii, Carolus Malus, pater Caroli Nobilis, & Salemon fuêre, cujus filia Blanca Martino, Siciliæ Regi, nupſit, dein Johannis Aragonii uxor, Eleonoram ex hoc ſuſcepit, quæ Gaſtoni Comiti Foiſſæo, &c. Navarram dotis locô attulit, quorum filiam Johannes Albretanus duxit, à Ferdinando Arragonio, ut dictum, A. C. 1513. regnô exutus. Horum fil. Henricus Albretanus, ex Margareta Valeſia, Franciſci I. filia pater fuit Johannæ, matris ex Antonio Borbonio, Henrici M. Galliæ Regis Favin. *Hiſt. Navarr.* Arnoldus Oihenart. *in notit. utriuſque Vaſcon.* De Marca, *Hiſt. Benearn.* Aliis ortum hoc Regnum eſt, ex Regno Suprarbiæ & Ripagorzæ, quod condidit A. C. 724. Garſias Ximenius ſeu Junicus, poſt victos ingenti ſtrage Mauros; contra quos primus vexillum extulerat Pelagius, circa A. C. 716. erectô primò Hiſpaniæ Regnô, in montibus Aſturiæ, Gallæciæ & Cantabriæ, ſede primò in antris, inde Ovetum, ac tandem Legionem, tranſlatâ. Secundum itaque Regnum in montibus Pyrenæis à Garſia Ximenio, ut dictum, inſtitutum ſedeſque in oppido Inſa erecta eſt, titulô *Suprarbiæ & Ripagorzæ.* Poſtquam verò ſequenti tempore, ſub Garſia Inico II. Pompejopolis expugnata eſt; illuc ſedes Regni tranſlata, Regnumque *Regnum Pampelonæ* & peculiari nomine *Regnum Navarræ* eſt dictum, vel ab urbe *Navareto*, cis Pyrenæos in Bearnia ſitâ, vel à voce *Navas*, quòd planitiem à montibus Pyrenæis protenſam complectitur, Vide Hier. Blancam *Hiſtor. Regum Aragon.* Abolitum autem nomen *Suprarbiæ & Ripagorzæ*, ejuſque locô regnum Aragoniæ ac *Navarræ* introductum eſt, A. C. 895. quô tempore Sanctius Kæſa Abarca primus ſe *Aragoniæ Regem* appellavit, ſucceſſor Garſiæ Inici præfati Suprarbiæ & Ripagorzæ Regis, qui, ductâ Urracâ, Fortunii Ximenii Comitis Aragoniæ ſexti & ultimi filiâ, Aragoniam cum Suprarbiæ Regno paulo antè conjunxerat. Acceſſit utrique Regno Caſtellanum, conjugiô Sanctii Majoris, Regis *Navarræ*, cum Sanctii Ferdinandi Comitis Caſtellæ filiâ; quibus parentibus natus Ferdinandus M. primus ſe *Caſtellæ Regem* vocavit. Mortuô enim Sanctiô, qui circa A. C. 1000. primus omnia Regna Hiſpanica, quæ tum in poteſtate Chriſtianorum erant, conjunxerat, & 34. ann. retinuerat, quatuor ejus filii totidem Regna orſi ſunt, Aragoniæ, *Navarræ*, Caſtellæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Suprarbiæ & Ripagorzæ, quod ultimum mox Caſtellæ acceſſit, neque ab eo tempore ejus nomen auditum eſt. Locó quarti igitur Regni Portugallia poſteà adjuncta eſt. Inter quæ tamen Regna nunquam ſtabilis potuit iniri concordia, quanquam ſubinde vel armis vel matrimoniis conjungerentur, donec tandem advenien- te fatali periodô, Ferdinandus Aragoniæ Rex maritus Iſabellæ Caſtellanæ, Caſtellam primùm & Aragoniam, circa A. C. 1479. *Navarramque* poſtmodum, conjunxit: quibus ſub Philippo II. acceſſit Portugallia, circa A. C. 1579. è quibus tamen hæc proprium iterum Regem habet, *Navarra* verò, vix 20000. focorum, vix 100000. hominum continet & perpetuis bellis à Galliæ Rege, qui *Navarræ Regis* titulô, proavitô utitur jure, repoſcitur. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 164. *& ſeqq.* Diſtinctionem ejus in *Inferiorem* & *Superiorem* cognoſcere eſt, ex Mornæi libro, cui titul. *Memoires* ſeu *Lettres d'Eſtat, p.* 135. ubi Henrici IV. tunc temporis ſolùm *Navarræ* Regis ditiones recenſens, nomine *Inferioris*, vulgò *de la Navarre Baſſe*, complectitur, *le Pays de Basques, de Donnezan & de Bearn*, in quibus reliquiis erepti ab Hiſpanis Regni Henricum tunc morari, & Regium *Navarræ* titulum conſervare oportuit. Reliquum enim Ferdinandus Catholicus ſibi vindicaverat, A. C. 1512. prætextu innoxii tranſitus negati, quem Ludovicum XII. Galliæ Regem bellô aggreſſurus petierit; & proin amicitiæ, cum Ludovico, utpote Eccleſiæ hoſte, & propterea à Pontifice Romano excommunicato, conſtanter cultæ. Sed facinoris ipſos poſtea Hiſpanos piguiſſe, patuit ex conſiliis Caroli V. ad Philippum II. filium; quibus inter alia monuit Philippum, ut Johannam Labretanæ familiæ hæredem in uxorem duceret, verùm eâ lege, ut jus ſuum in *Navarram* Philippo conferret, Thuan. *Hiſt. l.* 1. *& l.* 71. *ad A. C.* 1558. Quod cùm non ſucceſſiſſet, eadem repetiit Philippus II. in monitis ad filium Philippum III. *Navarreni* Regni quæſtionem ſuæ fidei à Patre ſecretó codicillô commendatam teſtatus, ſed variis occupationibus diſtrictum non potuiſſe illam diligenter diſcutere; proin mandare filio, ut momenta cauſæ à peritis & probis hominibus examinanda curet: Non enim niſi juſtas Regni occupandi cauſas Ferdinandum habuiſſe, Patrem & ſe ſemper exiſtimâſſe, eaque poſtea tempora incidiſſe, quæ Providentiâ divinâ id factum arguerint, ne nimirum Regnum propter viciniam Aragoniæ & Caſtellæ ad omnes caſus opportunum, & alioqui Franciæ ſectariô venenô ab illa parte contaminatæ contiguum, in eorum poteſtate eſſet, qui eô malô infecti totam Galliam eôdem inficere non dubitent: Tamen velle & jubere, ut de jure, quod Majores ſui habuerint, amplius conſulitetur, & ſi quid in ea invaſione præter jus & æquum factum comperiatur, damnum ac jactura poſſeſſoribus antiquis modô ac ratione, quæ videri poſſit æquior. ſarciatur: ita ut ante omnia Religionis & Regnorum ſuorum tranquillitatis ratio habeatur, Thuan. *Hiſtor. l.* 120. Sed manſit interea *Navarra* penès Hiſpanos, & Albretanum neceſſe fuit ſparſas Regni ſui reliquias incolere, de quibus ſuprà: quibus acceſſère Comitatus Foiſſæus, Bigetricus & Armaniacus, quos à Galliæ Rege accepit. Hactenus Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geograph. & Civ. c.* 1. *de Regno Hiſp.* §. 2.

NAVARRÆ REGNI URBES, IN SUPERIORI:

Lumbaria, *Lumbier.*	Stella, *Eſtella.*
Olitum, *Olite.*	Tafalla, *Tafalla.*
Pompejopolis, *Pamplona*, regni caput.	Tudela, *Tudela.*
Sangoſſa, *Sangueſa.*	Viana, *Viana.*

NAVARRÆ INFERIORIS URBES SUNT:

Fanum S. Johannis Pedeportuenſis, *S. Jean Pied de port*, & Fanum S. Palatii, *S. Palais.*

NAVARRUS, vel *Doctor Navarreus*, cognominatus Martinus ab Azpilcueta, quòd parentes ejus ex Navarræ regno oriundi eſſent, Jus Canonicum, Toloſæ, Salmanticæ & Conimbricæ diu profeſſus, tanto fuit apud Pium III. Gregorium XIII. & Sixtum V. in pretio, ut, in omnibus Caſuum conſcientiæ deciſionibus, ejus conſiliô uterentur, imô is undiquaque velut commune Oraculum, conſuleretur. Præterea probitatis, in pauperes largitatis, in afflictorum innocentiâ defendendâ conſtantiæ laude inclytus. Obiit A. C. 1586. ætat. 95. Præceptor inter alios Didaci Covarruviæ. Opera ejus VI. tom. in fol. prodierunt Venetiis. Anton. Teiſſier, *Elog. part.* 1. Vide & *Martinus.*

Las NAVAS, nomen illuſtris in Hiſpania familiæ, quæ Davilææ ſtirpis ramus eſt. Hæc enim familia perantiqua, ex urbe Avila oriunda, cùm in duas præcipuas lineas diviſa eſſet, primogeniti Domini *de las Navas* & *Villafranca* fuère, in quibus, ſub Rege Johanne I. claruit Petrus Conſalvus Davila: & altera Dominorum *de Santroman* & *Villanova.* Ex priore Petrus Davila Comes *del Riſco* creatus eſt, A. C. 1475. Pater Stephani, qui per alterum filium Petrum March. *de las Navas*, reliquorum Comitum ac Marchionum *de las Navas* auctor fuit (in quibus etiam Henricus Davila & *de Guzman Marchionis de Povar* titulum geſſit) alter Stephani fil. Ludovicus, ab uxore Maria *de Zuniga*, *Manuel* & *Sotomayor* Mirabellum, ac illô nomine à Carolo V. titulum *Marchionis* obtinuit. Qui quamvis fœmellas tantùm genuerit, cùm Hieronyma hæres patrueli Alfonſo *de Zuniga* & *Corduba*, ac iterum hujus filia Franciſca, ſuo patrueli Antonio *de Toledo* & *Davila* nupſerint, in Davilenſi tamen ſtirpe dignitas illa permanſit. Vide de his ſuprà in voce *Davila.* Marchionum verò *del Riſco de las Navas* ſeries hæc eſt: Petrus Davila, Dominus *de las Navas* & *Villafranca*, ex Maria *de Bracamonte*, Pater fuit Petri Davilæ Comitis *del Riſco* creati, A. C. 1475. Huic ex Elvira Toletana genitus Stephanus Davila Comes *del Riſco*, Elviram *de Zuniga*, ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Petrum Davilam Marchionem *de las Navas* Comitem *del Riſco*, qui ex Maria *de Corduba* Marchion. *de Priego*, genuit Petrum II. Davilam *Marchionem de las Navas* Comitem *del Riſco*, maritum Hieronymæ Henriciæ *de Guzman* (filiæ Henrici Guzmanni Comitis Albæ *de Aliſte* vel *de Liſta*) & ex ea patrem Petri Stephani Davilæ Marchionis *de las Navas* Comitis *del Riſco*, quô & Johannâ Manriciâ (filiâ Garſiæ Fernandi Manricii Comitis *de Oſſorno*) geniti ſunt Antonius Davila Comes *del Riſco*, Petrus Stephanus Davila, Hieronymaque (Hieronymi Roderici *de Corella* Comitis *de Cocenteyna*, Marchionis *de Almenara* uxor) omnes nominis *Davila.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 63. Hôc tempore Sicilia Proregem ex hac familia habet.

NAVATLACÆ, populus Americæ Septentrionalis cultiſſimus, à quo hodierni Mexicani originem trahunt. Hi enim circa A. C. 820. ex Septentrione versùs Auſtrum cùm progredi ac migrare cœpiſſent, in ſeptem gentes totidemque Duces diviſi (quæ peregrinatio in multis circumſtantiis Iſraëlitarum ex Ægypto in Terram Sanctam migrationem, Diabolô ſic opera Dei quâ poteſt æmulante, adumbravit) poſt diuturnam in itinere moram pervenerunt tandem ad lacum amœniſſimum, in cujus ripa ordine conſederunt. Ultimi omnium advenêre Mexicani, ita à Duce ſuo Mexio appellati, qui in ipſo illo lacu urbem Tenoxtitlam ſeu Mexicum extruxerunt, uti diximus ſuprà. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 336. & *Orb. Politic. Part.* 3. *p.* 112.

NAVATZMACHEL Regis effigies, in *Muſæo* Kircheriano Romæ, Georg. de Sepibus *in Deſcr. ejus p.* 7.

NAUBARUM, urbs Sarmatiæ Europææ in ora Mæotiæ paludis inter Carcinitem & Tanaim, *Ptolem.* Plin. *l.* 4. *c.* 12.

NAUBOLUS, Laii Regis Thebarum auriga. Stat. *l.* 7. *Theb. v.* 355.

Naubolus Hippaſides, tuus, ô mitiſſime Lai
Hoſpes, adhuc currus, ſecuraque lora tenebat.

NAUCLERUS Johannes, nobilis Suevus, fil. Johannis Vergæ, i. e. nautæ, Præpoſitus Eccleſiæ Tubingenſis, dein Profeſſor ibidem Juris Canonici Academiâ ab Everardo Comite primum, exin Duce Wirtembergenſi ex Oriente reduce, inſtitutâ. A. C. 1477. Auctor Chronici, à condito Mundo, uſque ad A. C. 1500. quod Nic. Baſelius, uſque ad A. C. 1514. & Surius uſque ad A. C. 1574. continuavit, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Geſner. *in Biblioth.* & P. Freherus *Theatro Viror. clar.*

NAUCLES, peregrini militis, Lacedæmoniis, contra Thebanos ſociiſque eorum, conducti Dux, apud *Xenoph.*

NAUCRARI, Græcè Ναυκράροι, vel ut alii, *Nauclari*, Ναυκλάροι, Athenis à Solone, vel etiam antè inſtituti, ut Ariſtoteles teſtatur *de Rep. Athen.* eandem poteſtatem habuêre, quam poſtea Demarchi, quos Cliſthenes inſtituit, Harpocration *in Lexico*, Schol. Ariſtophanis *in Nub. ad hæc verba Act.* 1. *ſc.* 1. Δάκνει με Δήμαρχός τις, Herodot. *in Terpſichore* &c. *Heſych.* Ναύκλαροι δημαρχοι ὑπηρέται τινὲς δὲ ἀφ' ἑκάστης φυλῆς δώδεκα, οἵτινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον. Ναυκλαρία igitur, vel ut Petitus legit, Ναυκραρία teſte Polluce *l.* 8. erat duodecima pars Tribus, ſic ut uniuscujusque Tribus duodecim eſſent Ναυκραρίαι, quarum ſingulæ Navem unam inſtruebant, unde iis nomen. Erant autem in qualibet Ναυκραρία ſeu *Claſſe* ſedeni viri, tot enim Legiſlator juſſit τριηραρχεῖν. Auctus tandem numerus eſt: Tribus enim unaquæque præbebat 120. viros, ſicque cùm decem eſſent Tribus, univerſæ præbebant mille ducentos. Hi centum viginti viri cujusque Tribus in duas diſtribuebantur συμμορίας, quarum ſingulæ ſexaginta virorum erant: Fuêre autem ex ditiſſimis, nec alii huic muneri utpote admodum ſumtuoſo, obeundo adhibebantur, ut è Demoſthene patet. Cenſus harum Claſſium eſt à Nauſinico Archonte, cujus Prætura incidit in an. 3. Olymp. 100. atque inde, ut modò dictum, diſtribuebantur inter aſcitos cives, qui opibus poſſent plurimum. Poſteà auctore *Demoſthene*, quinque Claſſes eligebantur, quibus 300. ditiſſimorum numerus conſtaret, qui quotannis munere fungerentur. Sed Trierarchiarum rationem ſubinde mutavit: Aliquando enim duo fuère, qui navem inſtruerent, aliquando decem. Donec intra ſpatium, quod eſt ab an. 4. Olymp. 103. cùm bini erant Trierarchi, ad an. 3. Olymp. 106. ſepoſiti ſunt ad obeundum Trierarchiæ munus mille ducenti è ditioribus: quibus diſtributis in 20. Συμμορίας, quarum quælibet erat virorum 60. ex his 60. Trierarchi unam navem inſtruebant ſedeni ſuô annô. De quibus lex: Τοὺς τριηράρχους καλεῖσθαι ἐπὶ τὴν τριήρη συνεκκαίδεκα ἐκ τῶν ἐν τοῖς λόχοις συντελειῶν ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν εἰς τετταράκοντα ἐπὶ ἴσον τῇ χορηγίᾳ χρώμενον. *Trierarchi ſedent ad inſtruendam unam triremem ſeponuntor, è manipularium contributionibus, munusque obeunto ab anno* 25. *ætatis uſque ad quadrageſimum, ſumtusque ex æquo facinnto*, &c. Plura vide apud Samuelem Petitum *Commentar. in Leges Atticas l.* 3. *tit.* 4. ut & infrà, in voce *Trierarchi.*

NAUCRATES, dicitur Ægyptios docuiſſe animalium, arborumque figuris ſcribere: hunc Mercurium Triſmegiſtum, quem Thoyth dicunt fuiſſe, Ægyptii crediderunt, vel ſaltem Mercurium alium Jovis filium fugientem in Ægyptum, Argô interfectô.

NAUCRATES, Poëta Græcus, unus ex illis, quos Artemiſia adhibuit, ad Mauſolæum laudandum, unà cum Theopompo, Iſocrate, & Theodecte, qui præmium reportavit. Item Poëta Comicus, Athen. *l.* 9. quem Lil. Giraldus malè confundit cum Naucrate, de quo Athen. *l.* 7.

NAUCRATIS, oppid. & nomus Ægypti Mediterraneus intra Deltam à *Naucratico* Nili oſtio introrſum parum diſtans, cui nomen tribuit; incolæ *Naucratitæ* & *Naucratiotæ.* Hinc etiam Athenæus *Naucratites* dicitur. Cæterum urbem Amaſis Rex φιλέλλην ſola Naucratis Græcis in emporium conceſſit. Et quidem antiquitus ſola Naucratis erat emporium, neque aliud in Ægypto ullum. Quòd ſi quis in aliud Nili oſtium applicuiſſet, oportebat eum dejerare, ſe invitum veniſſe, datôque jurejurandô eâdem navi ad Canobicum navigare; ſin per ventos contrarios id non poſſet, onera circum Delta cymbis ferenda erant, donec Naucratim perventum eſſet. Adeô in honore hæc urbs fuit, Herodot. *l.* 2. *c.* 178. & 179. De hujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

hujus autem Emporii tempore non conſentiunt Auctores. *Euſebius*, à Mileſiis extructam vult, ad ann. 4. Olymp. 6. Athenæus, Heroſtratum Naucratitem Olymp. 23. Veneris Paphiæ iconculam Naucratim attuliſſe & conſecrâſſe, refert *l.* 15. *Strabo* urbem longè recentiorem facit, à Mileſiis Inari (ſub Artaxerxe Longimano) victoribus navali prælio, ſtructam tradens, circa finem Olymp. 80. *Stephanus*, eoſdem conditores habet, ſed tempus non addit. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. XVII.*

NAVES pingendi conſuetudo vetus. Plin. *l.* 35. *c.* 7. *Ceræ tinguntur iiſdem his coloribus, ad eas picturas, quæ inuruntur, alienò parietibus genere, ſed claſſibus familiari, jam verò & onerariis navibus: quoniam & pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi. Juvatque pugnaturos ad mortem, aut certè cædem, ſpecioſè vehi.* Nempe non tantùm effigies erant in proris, animantum variorum, *arietis, ceti, tauri* &c. quæ παράσημα dicebantur, & navibus nomen imponebant; puppibuſque, *Deorum, Nympharum Heroumque*, qui Tutelares erant navium; quò alludens ait Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 14. *v.* 14.

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit.

Vide infra ſuò locô. Sed & totæ naves picturas varias ad luxum oſtendebant, aut talem remedium in fluctuum mordacitatem & putredinem. Pingebantur autem eô encauſtices genere; quod reſolutis igne ceris penicillô fiebat, *quam picturam nec ſale nec ſole ventiſque corrumpi*, Plin. ait. Hinc Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 275.

— *& picta coloribus uſtis*
Puppis ut Ægæas concava ſcindit aquas &c.

Vide de hoc ἐγκαύσεως genere, ſupra ubi de *Encauſtice.* Sic in celebri illa Ptolemæi Philopatoris nave, quam prolixè Athenæus deſcribit *l.* 5. in prora, & puppi animantium effigies, cubitis non minores duodecim, & quemvis in ea locum cereæ picturæ verſicolori varietate diſtinctum fuiſſe, legimus. Quem luxum hodie Sinenſes inprimis æmulantur; quorum naves, quas *natantia Palatia* meritô dixeris, adeò coloribus variegatis aurôque undique collucente ſplendent, ut quorumcunque oculos ex facili præſtringant. Cujuſmodi naves præcipuè in amœniſſimo lacu *Si*, ſub urbe *Hangcheu*, in provinc. *Chekiang*, viſuntur. In Nankinga provinc. quoque ad *Sucheu* conſimiles conſpicias. Etiam illæ, quæ piſces *Sauel* & ſericos pannos ad Regem ferunt, undiquaque deauratæ rubrôque colore depictæ, omnium admirationem in ſe convertunt. Sed alia pingendi hodie ratio eſt, cùm omnia veteris Encauſtices genera jam dudum penitùs evanuerint. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 25. ac infra paſſim.

NAUFRAGIUM, quoties imminebat, vectores omnes, apprehenſâ malô; unde Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 14. *v.* 10.

Non Di, quos iterum preſſa voces malo;

convertebantur in puppim, ut inde in auxilium ſuum, Deos, qui in ea figurati erant, i. e. Tutelares navis, invocarent. Quemadmodum enim in prora effigies animantum, *Paraſema*, dictæ; ita in puppi Deorum, Nympharum, aut Heroum icones *Tutelæ* vocatæ, locabantur. Vide infrà. Hinc iterum Horat. *loc. cit. v.* 14.

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit.

Faciebant autem id eò impenſiore curâ, quòd inviſa magnoperè ea mors Veteribus, quæ in *naufragio* oppetebatur, quoniam inſepulta ſic manerent corpora. Fl. Vegetius *de Re mil. l.* 4. *c.* 44. *Alii ferrò interimuntur, alii ardere coguntur in fluctibus: inter tanta tamen mortium genera qui acerrimus caſus eſt, abſumenda piſcibus inſepulta ſunt corpora.* Unde Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 52. hoc unum mortis deprecatur genus:

Demite naufragium, *mors mihi munus erit.*

Itaque cùm preces fruſtra fuêre, ſorte furenti pelago deſtinabatur aliquis victima, κάθαρμα Græcis dictus, ut infra videbimus voce *Sortes.* Quod ſi & ipſum nihil effecit, & navis diſſolvi, vel ſidere cœpit; *naufragi*, ne poſt mortem ſepulturâ carerent, membro alicui alligabant pretium, quod ſepulturus acciperet. Τιμὴν ἐντάφιον, vocat Syneſius *Ep.* Interpres *Hiſtoriæ* Apollonii Tyrii, *Jubet conſecari & compaginari tabulas, rimas & foramina bitumine liniri & facere loculum, & chartâ plumbeâ intus poſitâ obturari juſſit. Perfectò loculò, regalibus ornamentis exornat puellam & in loculo poſuit & XX. ſeſtertia auri ad caput ejus poſuit.* Eô acceptô ſepeliebant, quibus cadaver primitus obvenerat, aut ſaltem plenâ manu terram injiciebant: ſin feciſſent, impii habebantur. Horat. *l.* 1. *Od.* 28. *v.* 21.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Quo de ritu vide ſupra in voce *Gleba.* Plerumque verò navium fragmentis ſepeliebantur. Joh. Meurſius *ad Lycophron. p.* 185. At quorum cadavera haberi non poterant apud Athenienſes, Cenotaphio ſeu *Tumulo inani*, ut Virgilius vocat *Æn. l.* 6. honorati ſunt: quemadmodum id Poëta teſtatur, de Helenæ marito loquens,

Ὡς δὲ θανόντα σ' ἐνάλιον κενῷ τάφῳ
Θάψαι.

Quibus verò emergere contigit, ſuſpendere ſoliti ſunt veſtimenta uvida, in tabula votiva, potenti Maris Deo, ut Lyricus rurſus ait *l.* 1. *Carm. Od.* 5. Unde Virgil. *Æn. l.* 12. *v.* 766.

Fortè ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo & notas ſuſpendere veſtes.

Nautæ quoque Penatibus ac Laribus *naufraga* navigia conſecrare conſuevêre. Præterea radebantur ſervati, juxta illud Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 82.

——— *Gaudent ibi vertice raſô*
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Unde idem ritus in ſervorum manumiſſione adhibitus, ſignum erat declinatæ tempeſtatis, quæ ſervitutem comitari ſolebat. Etiam ſtipem oſtiatim corrogabant, in tabula depictum exhibentes *Naufragii* ſui caſum, commiſerationi commovendæ: Uti Phædrus docet, ubi de Simonidis naufragio loquitur, *l.* 4. *fab.* 21.

——— *Ceteri tabulam ſuam*
Porrigunt, rogantes victum.

Vide quoque Petronium, Perſium *Sat.* 1. Juvenalem *Sat.* 12. Martialem &c. & ſuprà voce *Liberati.* Sed non miſericordiam ſolùm; verùm & timorem picta quandoque incuſſiſſe *Naufragia*, docet Rigaltius ex *Cur. Fortunat.* qui ait: *Pictor* Naufragia *pinxit & publice propoſuit, nemo navigat, reus eſt Reip. læſæ.* Joh. Laurentius JCtus *Notis in Phædrum.* De *Naufragorum* verò bonis, vide in voce *Wreccum*, item infrà *Navis fracta.*

NAUGRACUTUM, urbs Indiæ, caput provinciæ cognominis ad annem *Ravée*, verſus montes; ſub M. Mogole. 220. mill. paſſ. à Lahorio in Ortum. Provincia hæc extenditur, verſus Caucaſum & confinia Tartariæ.

NAVIA ficus, Feſto in *Fragmentis* memorata, à *Navio* Augure nomen accepit; cujus cos & novacula, quâ cotem præciderat, cùm in Comitio defoſſa eſſet, in conſecrato loco, ficus ibi enata, monitu illius ſacra habita & à Romanis coli cœpta eſt. Eam proin, ubi exaruerat, rurſus Sacerdotum curâ ſeri ſolitam, Plin. fatetur *l.* 15. *c.* 18. Aliud ex ea pangit miraculum Tacitus *Annal. l.* 13. *c.* 58. ubi prodit, ſuper octingentos & quadraginta annos viguiſſe Ruminalem ficum, Neronis demum Imperiô, Urbis annô, DCCCLXI. quum exaruiſſet; id prodigii locô habitum: *Eôdem annô. Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos & triginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & areſcente trunco deminutam prodigii locò habitum eſt, donec in novos fœtus reviviſceret.* Per Ruminalem intelligens *Naviam*; quæ in Comitio: atqui vera Ruminalis non texit in Comitio infantiam Romuli, quam proin à *Navia* apertè diſtinguit Feſtus, & utriuſque ſeorſim meminit. Livius quoque, Ruminalem ficum ſuâ ætate fuiſſe; ubi fuerat; cùm ſub ea inventa eſt lupa, præbens ubera Romulo & Remo, diſertè tradit *l.* 1. *c.* 4. *Dionyſius* ἱερὰν συκῆν, *ſacram ficum*, ſimpliciter vocat eam ficum Comitii, ſub qua *Navii* novacula fuit defoſſa. Non defuêre tamen, præter Plinium & Tacitum, Auctores, qui Ruminalem etiam illam indigetarent, quæ in Comitio colebatur: uti quoque Populus videtur crediſſe. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1139. & ſupra *Germalus.*

NAVICELLA, apud Anaſtaſium *in Gregorio IV. Signum Chriſti habet navicellas duas & muranas tres*, ornamentum in naviculæ ſpeciem: *Navicula* verò, apud Tertullian. *de adorat. Gentil. c.* 9. alibique paſſim, acerram notat, Italicè *navetta.*

NAVICULA Sugentis, graviſſimi ſupplicii genus, vide infrà *Pœna*, item *Scaphiſmus.*

De NAVIERES Carolus, vide *Carolus.*

NAVIGATIO, Phædro *l.* 4. *fab.* 6. *Mortis profeſſio* dicta, cùm ait:

Utinam ne unquam Pelei nemoris jugo
Pinus bipenni condidiſſet Theſſala,
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam
Fabricâſſet Argus opere Palladiò ratem.

Cui fert ſuffragium Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 58.

Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Contradicente Senecâ *Ep.* 49. cum ait: *Erras, ſi in* Navigatione *tantùm exiſtimas minimum eſſe, quo morte vita deducitur. In omni loco æquè tenue intervallum eſt; Nam ubique ſe mors tam prope oſtendit; ubique tam prope eſt.* Magnæ utilitatis & antiqui uſus eſt. Hanc inventum Neptuni, Bacchi, Herculis, Jani, qui primus navem fabricaverit, Iaſonis, Poëtæ faciunt: Æginetis, Phœnicibus, Tyriis, Britannis Hiſtorici aſcribunt: Milvo nonnulli aërem alarum ſecanti remigiô illam acceptam ferunt; Nautilo piſci Oppianus *de Piſcibus l.* 1. ubi de eo:

——— *Qui primùm marmora findens*
Piſcis opus cernens humanos traxit in uſus;
Conſtruxit naves, extendens carbaſa ventis;
Explicuit funes, faciles moderatus habenas.

Quidam in caſum ejus primordia referunt; in hominum audaciam Horat. *Carm. l.* 1. *Ode* 3. & Oppianus *lib. cit.* Sed caſus initium, ſucceſſus audaciam fecerit; & in variis regionibus varii aliquid Artis invenerint, brutis quoque doctoribus uſi: ut ita ſententiæ tot capitum concilientur: vera origo è Sacris arceſſenda eſt. Non enim, ante Arcam, à Noaho divinô monitu fabricatam, navigiorum mariſque uſum fuiſſe mortalibus vel hinc patet, quod ob illius fabricam is fuit irriſus. Sed primi, non niſi per litora *Navigationes* inſtituêre, quamvis ſatis remotas ac longinquas, ſeculorum tractu, unde prolixô iis admodum temporis ſpatiô opus: Quòd ſi in altum, ubi præter aërem undamque nihil pateret, aliquando ſive fortuitò, ſive tempeſtate abriperentur, navis dirigendæ gubernandæque diſciplinam nullam tenuêre aliam, quàm quæ aſtrorum Solis nimirum ac Lunæ ratione ipſis commonſtrabatur. Verùm & hoc auxilium cùm nubilum cœlum ſubduxit, ventorum naturam impetumque ſequebantur, aut itineris antea eô tranſitu confecti aut imaginarium loci, quò tendebatur, ſitum, ducem habebant; quò ingeniô hodieque Indi immenſa maris ſpatia percurrere nôrunt: vel denique volucrum ductu, ut Taprobanæ incolæ, ad ſcopum itineris perveniebant. Donec Magnetis verticitas, ad dirigendas naves, Europæis publicè innotuit, induſtriâ Johannis Gojæ, (alii *Flavium Giram* vocant) Amalphitani, circa

A. C. 1300. Ut itaque feliciter navigatio procederet, ſupplicabant ac ſacrificabant Neptuno Ἀσφαλείῳ, Portuno item, quem *per maria tutiſſimas præbere commeantibus navigationes* creditum fuiſſe Gentilibus, tradit Arnob. *l.* 3. ceteriſque maris Diis. Arrianus *Diſſertat. Epictet. l.* 3. *c.* 21. Ἀλλ᾽ ἀπὸ λιμένος μὲν ἐδεὶς ἀνάγεται μὴ θύσας τοῖς θεοῖς καὶ παρακαλέσας αὐτὰς βοηθὲς, *Nec à portu quiſquam provehitur, niſi Diis re divinâ factâ eorumque auxiliô invocatô.* Vide Deſider. Heraldum *Animadverſionibus Arnobianis p.* 141. & hîc paſſim. Cæterùm in *navigatione* Veterum, multa ad modum & harmoniam facta, imperata, cantata, [illegible] docent, quæ doctè notat ad Sidonium *l.* 2. *Ep.* 8. & *l.* 8. *Ep.* 13. Joann. Savaronius. Unde Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 805.

—— Sic Ambracii per litora ponti
Nauticus in remis juvenum, monſtrante Magiſtrô,
Fit ſonus, inque vicem contra percuſſa reclamat
Terra, ſalutatus cùm Leucada pandit Apollo.

Ubi Schol. *Vel portum*, inquit, *ſive promontorium demonſtrante gubernatore, vel docente, quomodo ſalutandus ſit Apollo Leucadius.* Vide ſupra in voce *Celeuſma*, & alibi paſſim, inprimis quoque in voce *Portiſculus.* Idem Poëta *Magiſtrum* notanter vocat, gubernatorem navis: ut & *Theb. l.* 6. *v.* 451.

—— laſſâ veluti ratione Magiſter
In fluctus, in ſaxa ruit, nec jam ampliùs aſtra
Reſpicit & victam projecit caſibus artem.

Hôc enim titulô ſpeciatim inſignitur. Auctor in *Baſilica Gloſſar.* Μάγιςρος ὁ ναυκλήρος τῆς νηός. Ita Juriſconſulti & Imperatores in utroque *Juris Juſtinianei* Tomo. Plura Barthius *ad Claudianum* & Statium *l. cit.* Reliqua dicam verbis Plinii *l.* 7. *c.* 56. *Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit: antè ratibus navigabatur, inventis in Mari Rubro inter inſulas à Rege Erythra. Reperiuntur, qui Myſos & Trojanos priores excogitâſſe in Helleſponto putent, cùm tranſirent adverſùs Thracas. Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumſutæ fiunt: in Nilo ex papyro & ſcirpo & arundine. Longâ nave Iaſonem primum navigâſſe, Philoſtephanus auctor eſt: Egeſias Paralum: Cteſias Samiram: Saphacus Semiramim: Archimachus Ægæonem. Biremem Damaſtes Erythræos feciſſe: triremem Thucydides Aminoclem Corinthium: quadriremem Ariſtoteles Carthaginienſes. Quinqueremem inſtituit Neſichthon Salaminius: Sex ordinum Xenagoras Syracuſius: ab ea ad decemremem Mneſigethon. Alexandrum M. ferunt inſtituiſſe ad 12. ordines. Philoſtephanus Ptolemæum Soterem ad quindecim: Demetrium Antigoni ad 30. Ptolemæum Philadelphum ad 40. Ptolemæum Philopatorem, qui Tryphon cognominatus eſt, ad 50. Onerariam Hippus Tyrius invenit: Lembum Cyrenenſes: Cymbam Phœnices: Celocem Rhodii: Cercuron Cyprii, Siderum obſervationem in navigando Phœnices: Remum Copæ: Latitudinem ejus Platææ: Vela Icarus, malum & antennam Dædalus: Hippagum Samii aut Pericles Athenienſis: Tectas longas Thaſii. Antea ex prora tantùm ac puppi pugnabatur: Roſtra addidit Piſeus Tyrrhenus: Anchoram Eupalamus: eandem bidentem Anacharſis: Harpagonas & manus Pericles Athenienſis: adminicula gubernandi Tiphys. Claſſe princeps depugnavit Minos.* Romanos verò, cùm in omni reliqua militia clari eſſent, mari tamen ſeſe non commiſiſſe, ante primum bellum Punicum, legimus. Tum enim primùm, cùm Carthaginenſes plurimum mari pollerent, coacti & ipſi ſunt, claſſem comparare & navalis belli periculum facere: ad quod quô pactô ſeſe paraverint, docet Polyb. *l.* 8. Vide plura apud Anton. de Guevara *Aur. Epiſtol. Part.* 2. *ſub finem*, Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 19. & 20. Thom. Dempſterum *Paralipom. in ejus l.* 7. *c.* 22. Voſſ. de *Scientiis Mathem. c.* 47. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 10. *ubi de Navigationis uſu Medico*, Licetum *de Gemmis Annular.* Preyelium *Sinæ & Europæ c.* 29. cui titul. *Naves*, & *c.* 43. cui, *Artes* &c. ut & infrà aliquid, voce *Priapus.* Neminem verò, inter tot Græcos Artigraphos, *Navigandi* aliquando artes & rationes in Commentarios redegiſſe: neque adeò ullum noſtrô ævô, miratur Barthius ubi ſupra. Adumbravit ſaltem illas ſtrictim Claudian. *Conſul. Honorii IV. v.* 418.

Hæc genitor præcepta dabat, velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem ſæpe procellis
Exploravit hyems, Ponto jam feſſus, & annis,
Æquoreas alni nato commendat habenas,
Et caſus, arteſque docet, quo dextra regatur
Sidere, quô fluctus poſſint moderamine falli:
Quæ nota nimborum: quæ fraus inſida ſerenis
Quid Sol occiduus prodat, quo ſaucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus &c.

NAVIGATIO Indica, vide ſuprà *Indica.*

NAVIGATIO Prima, dicebatur olim, cùm poſt ſævitiam hyemis, quâ mare clauſum erat, vere navigantibus id primùm aperiebatur, Cicer. *l.* 2. *Ep. ad Quintum Fratrem*, *Iidem ajebant nuntiare te primâ navigatione eſſe tranſmiſſurum.* Cùm paulò antè dixiſſet, *Atque adhuc clauſum mare fuiſſe ſcio.* Iterum, *Tu mi frater, ſimul ac illò veneris, primam navigationem (dummodo idonea tempeſtas erit) ne omiſeris.* Fiebat autem hæc apertura maris, quam *Natalem navigationis* vocat Vegetius *l.* 4. *c.* 39. non ſine Sacris & Ludis. Ita enim is, *Poſt natalem, ut ita dicam, navigationis, qui ſolenni certamine publicòque ſpectaculô multarum gentium celebratur.* Iterum, *Phœnitæ decurſu*, i. e. *poſt ortum Pleiadum, à die VI. Calend. Juniarum uſque in Arcturi ortum, id eſt, in diem octavum decimum Cal. Octobrium ſecunda navigatio creditur*, Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 24. *c.* 34. De eodem tempore, quô aperiebatur Mare primumque tentabatur, ſic in Græcis *Epigramm.*

Ὥριον ἐςτι θάλασσα, ἐποπλίζοιτε δὲ νῆας
Ὥριον ἀκλύςων ἐντὸς ἄγειν λιμένων.
Ἤδη καὶ πλώουσιν ἐπ᾽ εὐρέα κύματα ναῦται κλ.

NAVILUBIO, Plin. *l.* 4. *c.* 20. *Navilloion*, *Ptolem.* fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis, inter Aſtures & Callaicos, vulgò *Mulion*, apud oppidum St. Martini, in mare exiens.

NAVIS, cujus inventum fuerit, diximus ſuprà. *Longam* primus Iaſon exſtruxiſſe dicitur, circa Pelium montem, & magnitudine & reliquô apparatu conſpectum cùm [illegible] poremodum ev[illegible] tem, quòd illius ætatis homines ratibus fere & parvis [illegible] mos eſſet, Diodorus Sic. *Biblioth. l.* 5. Nomen navi *Argo* fuit, quam ab *Argo* quodam architecto idem, & Apollonius *Argonaut. l.* 1. Phryxi filio Pherecydes; à Græca voce ἀργὸς, i. e. *celer*, alii; Cicero inde, quòd Argivi in ea delecti viri vecti petebant pellem inauratam arietis, ſic dictam ait *Tuſculan. I.* Incitabantur [illegible] ves remis. Liv. *Dec.* 3. *l.* 7. *Inde Tarentum profectus* [illegible] *cibus portus poſuit caſtra, naves, quas Livius* [illegible] *habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque* [illegible] *pugnandorum, partim tormentis & ſaxis omnique miſſilium* [illegible] *genere inſtruit, onerarias quoque, non eas ſolùm, quæ remis* [illegible] *tur.* Et μακρὰ πλοῖα appellabantur Græcis, Polybio *l.* 6. App[illegible] no *de Bello Civ.* Aliis: μακραὶ νῆες Herodoto *in Clio*, ad differentiam ςρογγύλων ſeu onerariarum, cùm Phocenſes, Græcorum primos, longis navigationibus uſos, Adriaticum Tyrrhenumque mare, Hiberiam atque Tarteſſum occupâſſe, dicens, [illegible] το δὲ, inquit, ἐ ςρογγύλῃσι νηυσὶν, ἀλλὰ πεντηκοντέρῳσι, *navigabant autem non onerariis navibus, ſed actuariis, quæ quinquaginta remis agerentur.* Et quidem minores plerunque viginti, triginta aut quinquaginta remis agebantur, dictæ hinc Græcis [illegible] τριακόντοροι, & πεντηκόντοροι, cujuſmodi ſunt eæ, quas Veneti *barcas longas* vocant. Eædem communi appellatione μονήρεις vocabantur, quoniam, licet pluribus agerentur remis, unicô tamen per tranſtra & ſedilia remô, non binis aut ternis aut etiam pluribus ſimul incitabantur: quæ fortaſſe κέλητες etiam dictæ ſunt, ab equis celitibus tranſlatione ſumtâ; item μονόκροτοι, Strabo *l.* 7. Illæ verò, quæ binis remis agebantur, à Romanis dictæ ſunt, *Biremes*; Græcè δίκροτα πλοῖα, *dicrota* quoque Ciceroni *ad Attic. l.* 16. *Ep.* 4. *Nam & ipſe Domitius bona habet* [illegible] *crota, ſuntque navigia præterea luculenta Sex. Bucialis.* Vide etiam Hirtium, *c.* 16. *Bell. Alex.* Biremes autem leves, uti vocat Liv. Dec. 4. *Liburnicas* nuncupatas eſſe Romanis, Appianus docet in Il[illegible] Quæ trinis incitabantur; τριήρεις Græcis, *triremes* Latinis vocatæ ſunt, quales primùm apud Corinthum in Græcia ædificatas eſſe, ab Aminocle, legimus apud Plin. *l.* 7. *c.* 56. Quæ quaternis, τετρήρεις, i. e. *quadriremes*; cujuſmodi navem inſignem Tullius memorat, 7. *Verr.* *Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit: & ſimul* [illegible] *ſe ſequerentur, ſignum dari juſſit: hæc Centuripina navis erat* [illegible] *dibili celeritate velis: nam ſcire iſtô Prætore nemo poterat, quid* [illegible] *que navis remis facere poſſet.* Et paulo pòſt, *Erat enim ſola* [illegible] *conſtrata, & ita magna, ut propugnaculo cæteris eſſe poſſet.* Ubi cùm conſtratam eam dicit, videtur eadem fuiſſe cum illa, quam [illegible] appellat Cæſar *de Bello Civ. l.* 3. *c.* 15. cujuſmodi tectas longas invenere Thaſii. Nam antea ex prora tantùm & puppi pugnabatur, Plin. *ubi ſuprà.* Sed & minores nonnunquam tegi conſuevisse invenimus. Conſtratæ verò naves, Græcè κατάφρακτοι, dicebantur eo quòd habebant καταςρώματα, ad quod quadriremes maximè erant aptæ &c. De reliquis vide ſtrictim agentem Plin. *loco cit.* & prolixiùs Bayſium infrà laudandum. Addam ſaltem, Ptolemæum Philopatorem 40. ordinum navem ædificandam curâſſe, quæ in longitudinem quidem producta ad cubitos 280. [illegible] titudinem autem ad ſummitatem uſque navis, duodequinquaginta cubitorum: inſtructa erat quadringentis nautis, extra remiges, qui 4000. numerô erant. Capiebat præter hos in aditibus [illegible] & cataſtromate armatos milites paulo minùs ter millenis. Verùm ſpectaculo illa magis, quàm uſui fuit, Athen. *l.* 5. Vide infrà *Thalamegos.* Solebant autem navibus Veteres imponere turres ad [illegible] bram, quæ ob id *turritæ* dictæ Virgilio *l.* 8. *Æn. v.* 693. idque non ſolùm ad proram, ſed etiam ad puppim, uti legimus apud *Appianum.* Cujuſmodi turres habuiſſe Antonianas, in pugna Actiaca, [illegible] ex *Dione.* Addebant & roſtra, non ſolùm majoribus, ſed [illegible] noribus actuariis; quæ quia ex ære fiebant, hinc *roſtratæ*, [illegible] ſtro; *æratæ*, ab ære, dictæ ſunt. Appianus Χαλκεμβόλυς vocat [illegible] *thridatico.* Prætoriam verò navem, Græci ναυαρχίδα vocant, vulgò *Capitaneam.* Sed & prædatoriæ erant, quæ longis [illegible] annumerandæ: de quibus Liv. *Dec.* 3. *l.* 9. & *Dec.* 4. *l.* 4. [illegible] *raticas* illas vocat. Idem *Celoces* appellat & *Lembos*, *Dec.* 3. *l.* [illegible] tamen videtur celoces ponere, inter eas, quæ non erant longæ [illegible] *Myoparones* Tullius 5. *Verr.* *Phaſelos*, Appianus: ſed è quo conjicitur phaſelos habuiſſe formam mixtam ex oneraria & longa trireme, quales *galeones* recentior ætas dixit. Porrò ad belli uſum neceſſariæ fuere & eæ naves, quas *hippagines* dixerunt, Græcè [illegible] Polyb. *l.* 1. *hippagogas* Liv. *Dec.* 3. *l.* 4. à transportandis equis, quæ remulco trahebantur &c. Atque hæc de *Longis navibus.* [illegible] quæ oneri ferendo erant, *Onerariæ* Latinis, *graves Cæſari*, [illegible] Græcis dictæ, item γαυλοὶ, remis non agebantur. Quarum, quæ ad frumentum vehendum aptæ, *Frumentariæ* apud Latinos, [illegible] γοὶ apud Græcos, occurrunt vocatæ: Thucydides ὁλκάδας vocat *l.* 6. Ὁπλιταγωγοὶ verò eidem *ibid.* dicuntur, quæ ad vehendos milites paratæ erant; quas & ςρατιωτίδας vocat *l.* 8. Erant & [illegible] bita, & Cybea inter onerarias, quarum mentio apud Ciceronem 16. *ad Attic. Ep.* 6. & 7. *Verr.* Navis vinariæ, meminit Ulpianus *Vulgar. ff. de furt.* Palearum navis, Cicer. *de Fin. l.* 1. Præter has *Piſcatoriæ naves*, quæ piſcium capiendorum causâ paratæ ſunt, occurrunt, apud Liv. iterum *Dec.* 3. *l.* 3. inter quas Cymbæ [illegible] re, Cic. *de Offic. l.* 3. & Lenunculi, Cæſar *Bell. Civ. l.* 2. *c.* 43. item Scaphæ, Juſtin. *l.* 2. *c.* 13. Sed & *Actuarias voluptatis cauſâ* memorat JC. *l.* 2. *tr. de captiv.* &c. *lib.* 49. *ff.* & anteeum Cicero *pro* [illegible] Dicta autem *Actuaria* navigia ſunt, quòd remis agerentur, [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Dec. 3. *l.* 10. quæ tamen à Longis fuiſſe diverſa, diſcas ex Cæſare *Commentar. l.* 5. *c.* 2. *Vectoria* enim is *graviaque* ea vocat, etiamſi remis agerentur. Græci ἐπακτρίδας dixère, quaſi ad ἐπιβάτας ſolùm, i. e. *vectores*, trajiciendos: item κωπήρη, ut *Thucydides* maxime & *Plut.* De *Voluptariis* autem, latius infrà dicemus. Et hactenus quidem dictarum materia *pinus* antiquitus fuit. Ut de *Fluviatilibus* aliquid addam; ποτάμια πλοῖα illa vocat Diodor. *l.* 20. ubi Semiramidem hujuſmodi navigia διαιρετὰ καὶ πάλιν ἁρμοζόμενα, quæ *facile ſolverentur & iterum, ubi opus eſſet, compingerentur*, conſtrui curâſſe tradit. Strabo πάκτωνας vocare videtur *l.* 17. Pertinent huc *Lintres*, quæ remis agebantur, memoratæ Cæſari *l.* 1. *c.* 17. Quem in uſum fiebant naves viriles è corio, in Britannico Oceano, Plinio teſte: in Nilo, ex papyro & ſcirpo & arundine. Herodotus in *Clio*, ejuſmodi naves Babyloniorum, circulari formâ eaſque ex aluta, pulchrè deſcribit, quem vide. *Rates*, *Scaphæ*, aliæ. Quarum plerarumque iconem, ex antiquis monumentis, ut & pleraque hanc in rem, inprimis etiam de *Navium* partibus, exhibet Lazarus Bayfius *l. de Re Navali.* Vide quoque C. Fratrum Michaëlem Lætum *de Re Nautica*, Joann. Meurſium *ad Lycophronem*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1110. *& ſeqq.* & hic paſſim. De ornatu *Navium* diximus aliquid ſupra, in voce *Naufragium.* Adjiciam aliquid de coronatione earum. Et quidem, Athenienſes, inſtructâ claſſe, adverſùs Syracuſios, cùm adhuc eſſent in portu, inter cætera alacritatis argumenta, illas coronarunt, apud Diodorum Sic. *l.* 13. Hinc Virgilius *Æn. l.* 4. *v.* 417.

—— vocat jam carbaſus auras,
Puppibus & læti nautæ impoſuère coronas.

Magis, poſt navigationem feliciter peractam. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 23. *v.* 15.

Ecce coronatæ portum tetigère carinæ.

Inprimis, quæ victoriam eſſent adeptæ. Unde apud Silium Ital. *l.* 11. *v.* 586.

—— Lauro redimita ſubibat
Optatos puppis portus; pelagoque vocabant
Captiva arma procul celſâ fulgentia prorâ.

Sed &, quæ ſacra veherent, Θεωρίδες ſeu Ἱεραγωγοὶ dictæ Græcis: uti de nave, quæ matrem Deorum Romam vehebat, legimus apud Ovidium *Faſtor. l.* 3. de lintribus ſacras epulas ferentibus *l.* 6. de nave Athenienſium, quotannis Delum mitti ſolita, de qua diximus in voce *Theori.* Neque ſolum *Naves*, ſed & *Tutela* coronabantur, h. e. Numina illarum tutelaria. Val. Flaccus, *Argonaut. l.* 1. *v.* 301.

Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ.

Ipſi quoque navigantes, uti de Carthaginienſium illo Navarcho legimus apud Plut. in *Timoleonte*, qui, ut imponeret Syracuſanis, juſſit nautas coronari, ornavitque triremes ſcutis Græcanicis & Phœnicum, eoque ornatu Syracuſas navigavit. At qui longinquæ navigationi ſeſe permittebant, velut naufragii pericula adeuntes, à coronis abſtinebant, atque tum, cùm è portu egrederentur, plauſu excitatô, multas Diis Servatorib. preces fundebant, Εὐφημοῦντες αἴσιον τὸν πλοῦν γενέσθαι, *quo proſperâ navigatione uti liceret*, Achill. Tatius *l.* 2. e navi inſuper columbam emittebant, uti de Aſclepiade obſervavit Scholiaſtes Apollonii Rhodii. In quo ritu veſtigium forte veteris hiſtoriæ ſacræ, de columba Noahi &c. Vide Paſchalium *in Coronarum libris*, & hic paſſim, in vocibus *Acroſtolion*, *Naves*, *Naulum*, *Nauta*, *Nautica ars*, *Pegaſus*, *Paraſema*, item *Tutela*, *Velum*: uti *de more Veterum Clypeis naves muniendi*, voce *Clypeus* & intra *Pavilarii*, *cauſam de nave dicendi* tempore ἀπενιαυτισμοῦ, in *Homicidii cauſa.* Deſertores, Delatores, Chriſtianos ſub Imperatorib. idololatris *Navi vetuſtæ impoſitos* ventis permittendi, aliquid intra lemmate, *Vetus Conſul.* Nec omittenda, quæ *Navibus* infeſta eſſe omni ævô voluerunt hoſtes. Et quidem fictilia vaſa ſerpentibus plena in Pergamenorum naves conjici juſſit Hannibal, inſigni aſtu, apud Nepotem *in eo c.* 10. &c. Juſtin. *l.* 32. *c.* 4. Frontinum *Stratagem. l.* 4. *c.* 7. Galenum *de Theriaca ad Piſon.* Alios: quorum locô ſunt qui nepas, ſcorpiones, & id genus adhibuerunt. Jam ne incedere in *Navibus* poſſent, etiam murices in illas conjectabant, Leone teſte, Cæſar apud Actium, olliclas carbonum piciſque plenas eminus in naves adverſas tormentis ejaculatus eſt, apud Dionem *l.* 71. Leo præcepit, ut calce vivâ replerentur: cujus pulvere è vaſis contractis emiſſo ſuffocarentur hoſtes ſpiritûſque intercluderetur. Callinicus Syrus, qui principatu Conſtantini Pogonati floruit, igne Græcô à ſe excogitatô Cretenſium 20. naves ſine labore, exuſſit, apud Zonaram, Nicetam *tom.* 3. Cedrenum, alios. Simile quid de Piſiſtrato Rhodiorum Navarcho legas apud Suidam, in πυρφόρος κημός. Archimedes cauſtica ſpecula eô fine, non ſine ſucceſſu, adhibuit &c. De Atrenis, in obſidione Severianorum, Annibalis ſtratagema imitantibus, vide Herodianum *l.* 3.

NAVIUM SPECIES QUÆDAM, QUARUM NONNULLÆ JAM MEMORATÆ, ET CELEBRIORUM ALIARUM NOMINA,

Alexandrina, in ſpecie dicta eſt, quæ prius *Syracuſia* appellata, ab Hierone Siciliæ Rege dono miſſa eſt Ptolemæo Philopatori. Hujus auctor Archimedes, materia ex Ætna, quæ ad triremes 60. ſuffeciſſet: remiges ex Italia: rudentes ex Iberia: cannabis & juniperus e Rhodano, cœtera ex aliis orbis partibus petita, Reliquam ejus deſcriptionem Vide apud Preyelium *l. cit. p.* 626. *& ſeqq.*

Arca Noahi, navium omnium primigenia, cujus adhuc rudera quædam in Armenia aſſervari dicuntur, deſcribitur Gen. *c.* 6.

Argo, quam Lycophron λάληθρον κίσσαν, i. e. *loquacem picam* vocat, quòd loquacem malum è quercu Dodonæa habuerit; Græcorum opinione, *Inhoſpitalis prima Ponti ſinus patefecit*, Phædr. *l.* 4. *Fab.* 6. Ejus naupegus Argus, gubernator Tiphys, dux Jaſon fuit. Vide *ſuô locô.*

Barbota, vide ſupra.

Baris, Ægyptii navigii genus, quô cadavera demortuorum in locum ſepulturæ devehebantur. In cujuſmodi navis genere Orum ſeu Harpocratem jacentem, exhibet gemma Nic. Fabricii Peireſkii, apud Bartholinum *de puerp. Veter.*

Bernæ A. C. 1462. inventa navis eſt ſub terraneis metallorum cuniculis fodiendis, ſub ima terra ad brachia 100. lignea fuit, anchora ferrea, vela ex tela, ſed omnia vetuſtate conſumta: Viſebantur tamen adhuc quadraginta hominum oſſa, Bapt. Fulgoſus, apud præfatum Preyelium *p.* 634.

Bubulis utribus contabulatarum ratium, meminit Solin. *c.* 60.

Bucentaurus, ſacra Venetorum navis eſt, quâ in urbem advenientes exteri Principes vehi: & quotannis Dux, cum Senatu, die Aſcenſionis mare ſubire, illudque magnâ pompâ ſibi deſpondere, injectô annulô aureô, cum ſupplicationibus devotis, ſolent. Vide ſuprà ſuô locô.

Cacofoga, navis Hiſpanicæ nomen, quæ præter gemmas ac uniones inprimis, optimi auri 80. libras, argenti ſignati factique 13. arcas & argenti infecti vim tantam, quanta navi in ſaburram ſufficeret, vehens: cùm in Fr. Draki Archithalaſſi Anglici manus perveniſſet, mediaſtini Hiſpani jocus non illepidus ad Victorem fuit: *Noſtra navis nomen jam tuæ reſignamus: noſtra* Cacoplata, *i. e.* Argentica ea *deinceps vocabitur: tua autem* Cacofega, i. e. Ignicaca *ut vocaretur*, *captâ noſtrâ*, *meruit.* Lanſius *Orat. pro Britannia.*

Cæſar, victô in Pharſalia Pompejô, inter ſpolia, navem reperit dumetis conſitam in qua omnis generis pomiferæ arbores, pendente è ramis fructu. Preyelius *p.* 632.

Cajus Caligula de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magnâ thermarum & tricliniorum laxitate, vitium inſuper arborumque varietate, fabricavit, quibus diſcumbens de die inter choros ac ſymphonias, littora Campaniæ peragraret, Idem *p.* 631. Ejuſdem juſſu ab Ægypto navis Oſtiam advecta, 120. modios lentis pro ſaburra habuit: ſubmerſaque maximam partem Oſtienſis portus tenuit. Idem *ib.*

Camera, genus navigii Tacito memoratum *Hiſtor. l.* 3. Vide ſuprà.

Caudicariæ dictæ ſunt, ſcaphæ minores quæ ex tabulis craſſioribus factæ, annonam navibus majoribus ex variis Orbis partibus Tiberim uſque advectam, porro in Urbem devehebant. Joh. Roſin. *l.* 7. *c.* 38.

Celoces, naves breves, à celeritate dictæ. Idem *l.* 10. *c.* 20. At Monimutenſi *l.* 6. *c.* 10. naves longæ 3. quibus Britanniam primò Saxones ſunt ingreſſi, ducibus Horſô & Hengiſtô, *Celoces* & in MS. *Ciulæ* dicuntur, apud Spelmannum *Gloſſar.*

Cogo, vide ſuprà,

Colimpha, *ibid.*

Conchæ Indici maris, inter Inſulas Rubri præcipuè maris, cymbarum loco inſervire, teſtatur Plin. *l.* 9. *c.* 10. & *l.* 6. *c.* 22. *ac* 25.

Cupa, vide ſuprà.

Dionyſius Tyrannus cum Siciliam fugeret, navi 6000. hominum capaci exceptus eſt. Preyelius *p.* 63.

Dromo, δρόμων, quaſi *navis curſoria*, cujus meminit Caſſiodor. *Var. Ep. l.* 5. *Ep.* 16. & 17. idem cum lembo videtur, Dempſtero *in Roſin. l.* 7. *c.* 32. Vide ſuprà *Dromones.*

Fiſcella ſcirpea, in qua Moyſes expoſitus, navigii quoque formam habuiſſe videtur, ex papyro. Quod genus Nilo familiare fuiſſe, patet ex Eſaj. *c.* 18. *v.* 2. ubi Vulgatus, *Qui mittit in mare legatos & in vaſis papyri ſuper aquas.* Unde Lucan. *l.* 4. *v.* 135. *Sic cùm tenet omnia Nilus, Conſeritur bibulâ Memphitis cymba papyro*, Bartholin. *de puerp. Veter.*

Gata, vide ſuprà.

Gaulia, ibidem.

Gondola, ſimiliter.

Hemioliæ, ἡμιολίαι, apud Appianum *Mithrid.* quæ à puppi ad malum binis remis, à malo ad proram unicô tantùm per tranſtra remô agebantur.

Hiero, vide ſuprà *Alexandrina.*

Lembus, navis piratica, viminibus contexta, fortè idem cum Myoparone. Servius *ad Georgic. l.* 1. *v.* 201. interpretatur, *genus navigii admodum breve.* Idem cum Dromone, de quo *ſuprà.* Lenunculi, quoque meminit Marcellin. *l.* 14. *dum piſcatorios quærunt Lenunculos* &c.

Liburnicæ, vide ſuprà.

Longæ naves, vide ſuprà.

Lucullus, extruxit triremem tantæ vaſtitatis, ut in ea, velut in Circo, aut Arena, venationes fierent. A. Preyelius *p.* 632.

Luſoriæ, vide ſuprà.

Monoxylon, vide ibi.

Myoparones, *naviculæ piratarum.* Hieron. *in vita Hilarionis:* quaſi μυῶνες ab anguſtia, & Parones, ab Inſul. Paro, Scaliger *in Feſtum Pomp. l.* 11. Vide Cic. *de Rep. l.* 3.

Myrmecidis navis, apiculæ alis tegebatur tota, adeò ingenioſè exigua fuit. Preyelius *p.* 631.

Nero, conſpectâ in Amphitheatro nave, quæ ſponte ſolveretur & belluis quibuſdam ad certamen emiſſis, rediret integra, ſimilem ei, in qua mater periret, extruxit. Idem *p.* 620.

Parada, vide infrà ſuô locô.

Philopator, Ægypti Rex navem condidit longam 280. cubitos, latam 38. ad acroſtolion uſque 53. cubitorum, in qua 4000. remigum, totidem milites, mediaſtini 400. eâ parte, quâ remi collocantur: in media parte, ſub tranſtris, alia hominum turba, arma & commeatus ingens. Idem *p.* 621. Idem aliam, *Thalamegon* nomine, excogitavit. Vide *infrà.*

Plicatiles, apud Plin. *l.* 5. *c.* 9. ubi de Æthiopibus, apud Nilum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

lum, *naves ſuas plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum eſt.* Sic Alexander *naves ſtruxiſſe, quæ ſolutæ plauſtris vehi poſſent rurſuſque conjungi*, legitur apud Curtium *l.* 8. *c.* 10.

Publicanus; nomen prætoriæ fuit navis Franc. Draki, Iaſonis Anglici, quâ totum is terrarum Orbem circumnavigavit, inſigni ceremoniâ in perpetuam rei memoriam, ab Eliſabetha Regina conſecrata. Lanſius *pro Britann.*

Romani dudum navem, quâ Saturnus in Italiam venit, ſacram habuêre: ut & alias, quibus ſimulachra Matris Deûm è Peſſinunte, & Æſculapii ex Epidauro, Romam deportata ſunt. Preyelius *p.* 633.

Saturnus, vide paulo ante.

Seſoſtris, antiquiſſimus Ægyptiorum Rex navim è cedro 280. cubitorum, deauratam exterius, interius deargentatam obtulit dedicavitque Deo, qui Thebis colebatur, Idem *ibid.*

Sinenſium Præfectorum regiæ naves, nî oculis ſubjiciantur, ſuperant omnem fidem: Eas accuratè deſcribit Preyelius *p.* 614. Cedunt tamen iis, quæ piſces *Sauel* & ſericos pannos ad Regiam ferunt, undiquaque deauratæ, rubrôque colore depictæ. Sic in Nankinga, ad *Sucheu*, naves ſunt quamplurimæ, ſolis voluptatibus dicatæ, quæ magnificæ magis domus, quàm navigia dicenda. Fokiena tot naves habet, ut Imperatori, in Japones bellum meditanti, pontem hæc provincia obtulerit, colligaris inter ſe navibus, ex hac in Japoniam uſque Inſulam fabricandum, ſi mare eum pateretur, Inprimis parvarum navicularum, quibus flumen quantumvis violentum dextrè enavigant, rarum apud illos artificium eſt: Hæ clavum, ut aliæ, non habent, ſed duos funes longiſſimè porrectos, ad puppim unum, ad proram alterum; quibus per ſaxa & ſcopulos prominentes facillimè ac velociſſimè naves, ac ſi frænô equos continerent, dirigunt, cùm ſæpe inter ſaxa vix tantus ſit canalis, ut ad ſcapham ipſam capiendam ſufficere videatur, atque illa undique navem cingant. Unde natum apud illos diverbium: *Nautas eſſe ferreos, naves verò papyraceas*, eò quòd tenuibus & minimè reſiſtentibus conſtent aſſeribus, imò ne clavis quidem compaginatis, ſed vimine quôdam lentiſſimô; unde, tametſi in ſaxa impingat navis, raro tamen rumpitur, &c. Idem *p.* 614. *& ſeqq.*

Solutilis, vide paulo ſuprà, *Nero.*

Sutiles, erant veterum Britannorum, è vimine contextæ & corio circumſutæ, ut refert Plin. *l.* 4. *c.* 16. Iſidor. *in Gloſſis* vocat *Carabos:* qui *l.* 19. *c.* 1. Myoparones, hoc modo compactos, Germanorum piratis; in Oceani littoribus, tribuit. *Vimineos alveos, tergoribus bubulis circumdatos*, vocat Solinus *c.* 25. Vide quoque Beroaldum *Annotat. in Servium* §. 12. Feſtum Avienum *in ora marit.* Virg. *l.* 6. *Æn.* Sidonium Apoll. *carm.* 7. *v.* 374. Lucanum inprimis *Pharſal. l.* 1. *v.* 131.

Tactæ naves, vide ſuprà, it. voce *Barbota.*

Thalamegos, vide infrà.

Theoris, Græce Θεωρὶς, aliis Δηλιὰς, navis dicta eſt, quâ Theſeus Virgines Minotauro diſtinatas, hôc victô, Athenas olim reduxerat: Hâc quotannis Deliorum feſto Theori Delum vehebantur. Præter eam 4. aliæ naves Athenis ſacræ fuêre, Paralos videl. Antigonis, Ptolemais & Ammonis. Vide in voce, *Theori.*

è Trunco navis, vide infrà.

Turritæ naves, vide ſuprà.

Vitiles naves, apud Plin. *loc. cit.* Vide *Sutiles.*

NAVIS, pars Ædis ſacræ, in qua plebs conſiſtit. Ordericus Vitalis *l.* 11. *Navem quoque Baſilicæ auxit.* Oſtienſis *l.* 3. *c.* 27. *Feneſtras omnes & Navis & Tituli plumbo ac vitro compactis incluſit.* Sugerius *l. de Adminiſtr. ſua, c.* 29. *Media Eccleſiæ teſtudo, quam dicunt Navim. Chronicon* Moriniacenſe *l.* 2. *Exterius etiam tabernaculum, quod Eccleſiæ* Navis *à populo appellabatur, conſummationis perfectionem acceperat*, &c. Originem vocis ex Græco quidam arceſſunt; & Bernardinus Baldus *ad Vitruv.* ſcribit, quòd Itali dicunt *Naves* aut *Navatas Templorum*, à ναὸς, Græcâ voce *Templum* denotante, emanâſſe. Sed Salmaſ. *ad Solin.* hanc partem Templi ita dictam vult, quòd camera ejus velut *navium* carina ſit; ex *Saluſtio Bell. Jugurth. c.* 18. ubi de mapalium Africanorum cameris: *Oblonga incurvis lateribus, tecta quaſi navium carinæ ſunt.* Certè *Navim* in ædibus Sacris, pro camera, uſurpâſſe videtur Anaſtaſius *in Leone III. Pontif.* Ex quibus confici videtur, longiori ædium ſacrarum parti, *Navis* nomenclaturam poſteà inditam, tum, quòd in ea operoſior majorque ſit concameratio, tùm etiam quòd ex ſua longitudine navis carinam referat. Non deſunt tamen, qui ex Græco ναὸς vocis etymon hauriant, quô nomine apud recentiores Græcos ea pars Templi donatur, ſeu quod pars amplior ſit ναῶ. h. e. *ædis ſacræ:* ſeu vox ipſa ναὸς hâc notione à ναῦς, *navis*, ortum habeat &c. In Teſtamento Philippi Epiſc. Bellovacenſis, A. C. 1217. *Do lego Eccleſiæ D. Petri Belvacenſis --- calicem unum aureum &* Navem *argenteam, & Miſſale* &c. videtur *Navis* ſumi pro *navicula*, in qua thus aſſervatur: Italis *Navetta*, Tertulliano *de Adorat. Gentil. c.* 9. *Acerra.* Nam & *Navis* dicitur, in Concilio Mertonenſi A. C. 1300. *c.* 4. *Thuribulum cum* navi *& thure.* Poteſt præterea ſumi, pro eo, quod in aulis Principum *Nef* vocant, abaci ſcil. argentei ſpecie, in navis formam confecti, in quo vaſa ad potum reponuntur, in ipſa interdum menſa. *Navis auri*, apud Glabrum Rodulfum *l.* 3. *c.* 2. *At Henricus* (Imperator) *cernens amici* (Roberti Regis Franciæ) *liberalitatem, ſuſcepit ex illis tantùm librum Euangelii, --- uxor verò illius pares* auri *tantùm* naves *accepit; cætera autem egrediens in gratia dimiſit. Sequenti igitur die iterum Rex Robertus cum Epiſcopis ad Imperatoris tentoria tranſiens, qui eum ſatis ſublime ſuſcipiens, expletôque ſimul prandiô, centum libras ei ex auro puro obtulit; Rex quoque pares tantùm* auri naves *ex illo ſumſit; firmatôque uterque pactô amicitiæ redière ad propria.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. *& ſeqq.*

NAVIS Fracta ſeu naufragium paſſa, Fiſci olim hodieque apud varias gentes. Refert Sopater & Syrianus *in Hermogenem p.* 107. Curius Fortunatus *Art. Rhetor. l.* 1. *p.* 46. Alii, non res duntaxat naufragiô deperditas, ſed & quæ *naves* naufragium paſſæ continerent, Publicanorum fuiſſe, tanquam quæ ad Fiſcum pertinerent. Unde Juvenalis *Sat.* 4. *v.* 55.

Res fiſci eſt, ubicunque natat ———

Quod quidem adeò verum eſt, ut, omni licèt humanitati repugnaret, miſeroſque ac afflictos inſuper duriùs attereret, nullaque cauſâ præcedente probabili dominium ſuum auferre alicui, magna injuria ſit: unde bene Euripides *Helenâ*,

Ναυαγὸς ἥκω ξένος, ἀσύλητον γένος,

Sum naufragus, ſpoliare quod genus eſt nefas:

in omnibus tamen ferè regionibus jus iſtud receptum fuerit, quod nec Leges ipſæ ſubinde à Principibus latæ abolere potuerunt. Scribitque Paulus Venetus *l.* 3. *c.* 33. in Regno *Eli* vocato, ſi quando navis aliqua onerata, præter vectorum ejus intentionem ad illam provinciam appulerit, putà tempeſtate aut aliâ neceſſitate id cogente, habitatores ejus rapere, quidquid in navi inveniunt, gubernatoribuſque ejus dicere: *Inſtituebatis ad aliam divertere provinciam, cum mercibus veſtris, ſed Deus noſter & Fortuna vos ad nos direxit; & idcirco accipimus, quod Deus & Fortuna nobis miſerunt* &c. Cùm igitur inductus paſſim iſte in naufragiis mos aboleri non poſſet, utpote apud omnes fermè gentes receptus, factum inde ut pro Lege maris conſuetâ haberetur. Atque ita intelligendam putant plerique celeberrimam *l.* 9. *D. ad l. Rhod.* ex Voluſio Mœciano, ubi porrectis Antonino Auguſto libellis ſupplicibus, à quibuſdam, qui in Ægeo mari naufragium paſſi & in Cycladum Publicanis expilati fuerant, Imperator reſpondit, *Ego quidem Dominus, Lex autem maris*; ſubdens, velle ſe, ut controverſia Lege Rhodiâ dirimeretur, ubi legibus Imperii contraria non eſſet. Neque verò ſolùm naves ipſæ fractæ, reſque iis contentæ dominorum erant, ſed & homines ipſi, qui iis vehebantur; adeò ut & per vim caperentur & perſolutô pretiô libertatem redimere cogerentur. Cujus inhumanæ conſuetudini præ cæteris præbuit inſigne exemplum, in Heraldo, poſteà Angliæ Rege, Guido Pontivi Comes, qui eum in littore ſuo naufragium paſſum detinuit aliquandiu, rebus ejus omnibus direptis, *pro ritu loci, pro more gentis inſito*, ut eſt apud Eadmerum *Novor. l.* 1. Simeonem Dunelmenſem & Wilhelmum Malmesbur. *de Geſtis Anglorum l.* 2. cujus iſta ſunt, *Barbarum & effrænatum regionis morem eſſe, ut, qui evaſerant in mari naufragium, in terra invenirent periculum.* Hunc itaque morem adeò humanitati contrarium, non ſemel abrogare enixi ſunt varii Principes. Quippe Adrianus & Antoninus, leges edidêre, quibus cuique res naufragiô deperditas recolligere, excluſô fiſcô, liceret, *l.* 12. *D. de Incend.* & *l.* 1. *Cod. de Naufr.* ubi Antoninus legis ſuæ rationem hanc reddit: *Quod enim habet jus Fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Quò referri poſſunt. Euripidis citata. Exinde Jureconſulti paſſim decrevêre res, quas mare ad littus ejeciſſet, vel quas navis levandæ gratiâ in ipſum mare eſſent projectæ, non pro derelictis, ſed pro perditis, debere haberi, ita ut, ſi inveniantur, poſſeſſoribus earum reſtitui debeant, *l.* 21. *D. de Amitt. poſſeſſ. l.* 44. *de Acquir. rer. dom. l.* 1. 3. &c. *de Incend.* Cujuſmodi Jureconſultor. & Imperator. decreta ac ſtatuta intelligit Honorius II. apud Hildebertum Cenoman. *Ep.* 67. quem vide. Teſtatur tamen Paulinus *Ep.* 37. adhuc ſuâ & Theodoſii M. ætate obtinuiſſe pravum hunc morem, quod Publicanorum, Fiſcalium atque adeò ipſorum Præfectorum avaritiæ ac prædationibus plerique attribuant, qui jus à vicinis ſibi nationibus receptum & perceptum ægrè poterant dimittere. Communi inſuper Theologorum ſententiâ definitum, ejuſmodi prava Principum ſtatuta, à reſtitutione neutiquam excuſare. *Summula* Raimundi.

Qui bona naufragium patienti, ſive ruinam
Tollit vel repetit, ubicunque ſit, niſi reddat,
Eſt reus æternæ pœnæ: præcepta, ſtatuta,
Nec conſuetudo terræ, nec Principis illum
Excuſat: deponatur, ſi Clericus hic eſt.

Idem Pontifices fecêre, magnâ curâ adhibitâ, ac inprimis Gregorius VII. in Concilio Romano A. C. 1078. & Alexander III. in Lateranenſi III. *can.* 24. ipſique Imperatores Occidentis, maximè Fridericus II. paſſim. Quorum tamen *Statutis*, Publicanorum & Præfectorum deprædationes, in Regni Siculi ac Neapolitani littoribus, non ita extinctas eſſe, quin identidem exercerentur, liquet ex *Conſtitutione* Honorii IV. apud Rainaldum *in Annalibus Eccleſ. A. C.* 1285. *num.* 40. quà rapinæ hujuſmodi denuo prohibentur. Tandem tamen abolita ſenſim conſuetudo barbara, & in Gallia quidem, varii Proceres, ipſeque Philippus Auguſtus Rex Wilhelmi Campanienſis Remenſis Archiepiſcopi precibus, id quod in ſuis littoribus hactenus in naufragos jus habebant, remiſerunt, eique nuntium dixerunt, binis ſuper hac re exaratis Tabulis A. C. 1191. In Anglia, primus Ethelredus, in eo *Fœdere*, quod cum exercitu Anlavi pepigit, *capp.* 2. 3. & 4. *Edit. Saxon.* apud Lambardum, pacem ac ſecuritatem indixit navibus & naufragis in dominii ſui provinciis. Eum ſecutus eſt Henricus II. apud Wilhelmum Neubrig. *l.* 3. *c.* 26. primiſque regni ſui annis, *hominibus* ab æquoreo diſcrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcepit. Idem Ricardus I. fil. fecit, cùm iter Hieroſolymitanum agreſſus eſt, Meſſanæ in Sicilia, A. C. 1190. ut habent Rogerus Hovedenus & Bromptonus; quod firmatum eſt aliô Henrici III. *Statutô*, datô Merwelli annô Regni 28. non modò pro naufragiis, quæ ad Angliæ, ſed etiam Aquitaniæ & Pictavorum littora, acciderent. In Orientalis Imperii provinciis ſimiliter Andronicum Comnenum Tyrannum ejuſmodi deprædationes inhibere conatum fuiſſe, graviſſimis propoſitis pœnis in eos, qui naufragorum bona diriperent, ex Niceta do-

cemur

cemur *in Andronico l. 2. num. 5.* In Dania, Chriſtiernus II. idem jus, licèt plus centum aureorum nummorum eſſet, dimiſit, ut auctor eſt Iſaacius Pontanus. Vide *LL. Scanicas* Andreæ Suenonis *l. 8. c. 2.* Quod tamen haud pridem in Suecos, ad Bornholmiam naufragium paſſos, exercitum dicitur &c. Vide plura hanc in rem, apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis l. 2. c. 7.* Car. du Freſne in voce *Laganum*, ut & ſupra, nec non in *Wreccum:* aliquid etiam intra voce *Velum*, it. *Crinitor.*

NAVIUS Actius vir Romanus tantâ augurandi peritiâ, ut à Tarquinio Priſco Romanorum rege accerſitus, & interrogatus, an id quod cogitâſſet, fieri poſſet, captô auguriô, poſſe, reſponderit: cùmque illi cotem ſe novaculâ dividere velle dixiſſet, id quoque fieri poſſe confirmârit, tanta erat artis fiducia, ac denique cotem aſſatam novaculâ diviſerit.

NAULIUM, civitas in Liguria, portu, ac turribus inclyta. *Noli* hodie. Vide *Naulum.*

NAULIUM, ſeu NABLIUM, inſtrumenti Muſici genus, quod, ſicut Cithara, cœteraque inſtrumenta Muſica, Syris potiſſimum debere originem arbitranturEruditi. Hinc Strabo *l. 10.* inſtrumentis iſtiuſmodi plerique nomina dixit eſſe barbara, ſicut *Νάβλα, ϗ Σαμβύκη ϗ Βάρβιτος ϗ Μαγάδις* & quidem, ut reliqua omittam, ex Hebr. נבל *nebel*, ortum eſſe *Nablium*, cujus mentio Danielis *c. 3. v. 10.* nemo dubitat. Latinus interpres ibi *Pſalterium* reddit. Cymbalorum figurâ *Naulia* fuiſſe, Ovid. videtur indigitare, *l. 3. de Arte Am. v. 327.*

Diſce etiam duplici genialia Naulia *palmâ.*
Vertere conveniunt dulcibus illa jocis.

Cymbala enim collidi ſolita fuiſſe, docet Amalarius Fortunatus *l. 3. c. 3.* cùm ait: *Cymbala invicem tanguntur, ut ſonent: ideo à quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt:* Et è ſcalpturis Bacchanalium ſacrorum *Cymbaliſtrias* utrâque manu quatientes cymbala exhibet Laur. Pignorius *Comment. de Servis.* Sed an eadem *Naulis* figura fuerit, affirmare non audet: ac fatetur, verba Ovidii laudata valde implicita eſſe, egereque aliquô Alexandrô, qui non gladiô diſſecet, ſed explicet calamô atque diſſolvat. Hieron. Magius *l. de Tintinnabulis c. 17.* dicit, *Naulia* eſſe, quæ vulgò *Organa* dicantur & concentus Muſicos harmonicoſque edant. Vide Politian. *Miſcellan. l. 14.*

NAULOCHA, *Appian.* Sueton. *in Aug. c. 16.* *Nauloga* Silio, *l. 10.* oppid. Siciliæ maritimum, in ora, inter Pelorum & Mylas, extinctum. Legitur & *Naulochus*, apud Sueton. & *Diveto* indigitatur, caſtrum exiguum, inter Phalacrium promontor. 6. & Mylas 18. mill. paſſ.

NAULOCHUS, oppid. Thraciæ in ora maris Euxini, apud Meſembriam urbem & fines Myſiæ inferioris. Item Imbri inſulæ promontorium meridionale: ubi fons ex quo fœminæ bibentes maſculos pariunt Eunuchos, teſte Philoſtratô *in Heroicis.* *Naulochus* item Plinio *l. 4. c. 12.* *Naumachos* Melæ, *l. 2. c. 7.* inſula parva Cretæ ante Salmonium. *Naulochum* quoque oppid. Phocidis, apud Anticyram, & Criſſam, teſte Pliniô *l. 4. c. 3.* *Naulochus* verò in genere maſculino apud eundem Plin. *l. 5. c. 29.* oppid. Thraciæ apud Hæmum montem. Quin & *Naulochum*, Smyrna olim dicta, Ioniæ urbs, teſte Stephano in *Smyrna.*

NAULUM, urbecula in Ora Occidentali maris Liguſtici, in planitie, aliàs ſui juris, nunc ſub Genuenſib. Portu caret, & deficit in dies. Vulgò *Noli.*

NAULUM Charontis, dicebatur olim obolus, qui defunctorum ori indi ſolebat, ut animarum portitori Charonti merces ſolveretur. Non enim ſolùm in os injecta eſt gleba, ut patet ex M. Tullio *de LL. l. 2.* & Feſto *l. 14.* ſed & ſive in tumba, ſive in pyra recondito cadavere vultu cœlum verſus directô additum numiſma eſt, eô fine, quem diximus, Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l. 3.* Fuit id apud Græcos appellatum *Δανάκη*, quia *δανοῖς*, i. e. *mortuis*, à voce *δανὸς*, *aridus*, *ſiccus*, dabatur: Unde apud Scholiaſtem Ariſtophanis *Ranis*, Charon rogat hominem, ut expectet *παρὰ τ᾽ Αὐαίνε λίθον*: qui lapis *παρὰ τὸς αὔος τὸς νεκρὸς εἶναι* eô quòd *aridi ſint defuncti*, nomen accepit, Fr. Roſſæus *Archæol. Att. l. 3. c. 20.* Vide quoque Lucianum *tomo 2. dial. Charontis.* Et quidem de plebe hominibus obolus ſufficiebat, at cum cadaveribus Principum Virorum, ingens ſæpe pecuniarum gaza contumulabatur: ut patet ex Lucerna Feſchiana, A. C. 1632. prope Romam eruta, ex antiquo ſepuchro, in quo ſimul varii nummi inventi ſunt integerrimi, apud Fortun. Licetum *de Lucernis antiquis l. 6. c. 91.* Item ex Lucerna fictili Gladiatoris antiqui, Brixiæ inventa, in *Via* olim *Sana*, nunc *Via del Caſtello*, ſimul cum numiſmatibus aliquot antiquis, quam ab Andrea Moretto Brixienſi ſecum communicatam, idem eruditè illuſtrat *l. præfatô c. 127.* Alia ratio reconditorum in monumentis funebrib. theſaurorum apud Iſraëlitas fuit, de quibus Joſephus *in Antiqq. Jud.* varia. Ante annos circiter 20. cùm prope Tornacum terra foderetur, repertum ſepulchrum eſt Childerici Francorum Regis Patris Chlodovæi Magni: in quo præter cadaver Regis equi, quô uſus fuerat, oſſa, cum armaturæ quibuſdam reliquiis; enſe porrò, pugione, lorica, graphio, ingentique numero numiſmatum aureorum Leonis ac Zenonis Imperatorum iconem inſculptam habentium aſſervabantur: Et quod inprimis obſervatu dignum, non exigua ibidem deprehenſa eſt copia apicularum ex auro, pollicis magnitudine, & Regis annulus ſignatorius. Quæ omnia munificentiâ Imperatoris Galliæ Regi Ludovico XIV. muneri tranſmiſſa ac gazophylacio Regio illata ſunt. Carol. Patinus *Relat. Hiſtor. 1.* Vide quoque *Offa Cerberi*, quam præter *naulum* præfatum, addi ſolitam videbimus.

NAUMACHIA, Suetonio *in Claud. c. 2.* & *in Neron. c. 27.* & *P. Victor.* vox Græca, non ſolùm certamen navale ſignificat, ſed etiam locum in quo illud certamen fiebat, populô inſpectante. Qui locus inſtar lacus erat in medio theatri, vel in campo aliquo circumſepto: in quem ducebatur aliunde aqua, ut naves ex adverſo locatæ pugnam inirent, ſive ad exercitium, ſive ad populi oblectamentum. Et quidem una erat ex Circenſium ludorum formis, quæ à Romanis vel in Circo, vel aliquo Terræ ſinu prope Tiberim factô humanâ manu, & exercitationi tali deſtinato, repræſentabatur. Ad populum oblectandum præcipuè inſtituta, quales illæ inprimis, quas ab impuriſſimo Heliogabalo, *in Euripis vino plenis* interdum exhibitas tradidit Lamprid. *c. 23.* Inſerviebant etiam eum in finem, ut in ipſis ad navalium pugnarum diſciplinam acquirendam milites exercerentur. Quod ex Polybio *Hiſt. l. 1.* videtur colligi poſſe, ubi refert, Romanos, bellô Punicô Carthaginenſibus mari bellum indicturos, milites in navali diſciplina exercuiſſe. Quemadmodum & Auguſtum, dum contra Pompejum pugnaturus erat, *in portu Julio, apud Bajas à ſe effecto, milites in navali exercitatione totâ una hyeme detinuiſſe*, docet Sueton. *in Aug. c. 16.* Hujus itaque ſtudii gratiâ, *Naumachias* inſtituiſſe videntur, & non modò *pontem Naumachiarium* eâ ratione nuncupatum, quem *concrematum ex larice in Rhætia cæſa Tiberium refeciſſe*, ſcribit Plin. *l. 16. c. 39.* habuiſſe; verùm etiam locum peculiarem, cujus veſtigia adhuc durant, quemque tempore *Naumachiæ* tantâ aquâ replebant, ut mare intra urbem receptum videretur: Sicut Martialis, *Naumachiam* à Domitiano Imperatore editam deſcribens; venuſtè demonſtrat, *l. de Spectac. Epigr. 24.*

Si quis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris ipſa fuit:
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis: hic modò terra fuit.
Non credis? Spectes, dum laxent æquora Martem:
Parva mora eſt; dices, hic modò pontus erat.

Simulachrum aliquod *Naumachiæ*, jam ab Ænea Trojano, in Anchiſæ funere, exhibitæ, an ex vero, an ad veri imitationem, habes apud Virgilium *Æn. l. 5.* Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l. 3. c. 13.* *ubi quoque exercitationis hujus, ex antiquis lapidum ac nummorum Onuphrii Panvinii monumentis, graphicam delineationem erudito Lectori exhibet*, Jac. item Sponium *itiner. Part. 1. p. 179.* ubi de *Naumachia Deliaca*, & ſuprà aliquid voce *Munerarii.* In Bibliothecis multis Baſilii Patricii & *παρακοιμωμένου* ſeu Præfecti Cubiculo Imperatoris, *Naumachica* reperiri, docet Gerh. Joh. Voſſius *de Scientiis Mathemat. c. 48. §. 26.*

Ex multis autem, quæ in urbe Roma fuère, hæ memoratiores fuiſſe feruntur:

Auguſti, in campo Martio, juxta Tiberim, teſte Suetoniô, *loc. cit.* ubi hortuli aliquot erant, qui locus etiamnum *l'Hortalio* nominatur.

Neronis, in Vaticano, eò aqua maris ducta.

Domitiani, quæ in eodem loco fuiſſe putatur, ubi fuit Naumachia Auguſti Cæſaris, apud hortum ſuum in Tiberis ripa, auctore eôdem *Suetonió.*

Altera Auguſti, in campo Martio.

Fuit & in Circo maximo ab eodem Imperatore exſtructa.

Claudii Imperatoris apud Portum Romanum; quæ adhuc viſitur, aqua eô ex mari perducta.

NAUMACHIUS, Poëta Chriſtianus. *Girald. Eraſm.* De quo plurimos verſus citat, *in Collect.* Arſenius Epiſcopus Malvaſiæ, in Morea.

NAUMBURGUM, vide NEOBURGUM. Addo hic, quòd ſit hodie ſub proprio Principe, ex familia Electorali Saxonica. Cùm enim Johannes Georgius I. Elector, qui deceſſit A. C. 1656. ex Magdalena Sibylla Brandeburgica; quautor filios reliquiſſet: Primogenitus quidem Joh. Georgius II. Patri in Electoratu ſucceſſit, reliqui verò portionem aliquam paternæ hæreditatis ſic nacti ſunt ut Auguſtus, natus A. C. 1614. Coadjutor Magdeburgicus Barbienſem Comitatum nactus ſit: Chriſtianus Merſburgium Epiſcopatum & Luſatiam inferiorem poſſideat: minimus tandem natu Mauritius, *Naumburgium* Epiſcopatum ſit ſortitus. Natus hic A. C. 1619. prudentiæ & multæ virtutis laude inſignis Citizæ, ubi arcem *Moritzburg* dictam condidit, habitat; & nuper in militia tuendo Imperio conſcriptâ legionem Equeſtrem, Circuli Saxonici ſuperioris nomine, ducendam ſuſcepit. Primis nuptiis Hedvigem Sophiam Holſatam ſibi junxit A. C. 1650. quæ ſine prole deceſſit A. C. 1652. Alteris Dorotheam Mariam agnatam ex Vinarienſibus (filiam Wilhelmi Ducis Saxoniæ *in Weimar*, defuncti A. C. 166.. & Eleonoræ Dorotheæ Anhaltinæ) quæ A. C. 1656. ducta Eleonoram ei Magdalenam (natam 1658. denatam 1661.) Wilhelminam Eleonoram (natam & denatam 1659.) & tres filios genuit, defuncta A. C. 1675. In cujus locum ſucceſſit & deſiderium defunctæ, quam matrem omnes ſubditi colebant, leniit tertia uxor Sophia Eliſabetha Holſata. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 1. p. 162.* & *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Saxon.*

NAUNES, populi Alpini in Alpibus Rhæticis. *Nanſers*, teſte *Simlero*, quorum oppid. *Naunium* cum fluvio cognomine in finibus Tridentinorum, teſte *Janô Pyrrhô. Gaud. Merula Naunes vàl di Ganna* in finibus Inſubrum interpretatur.

NAVONIUS Portus, *Antonin.* fortè *Favonius*, nunc *porto Favone*, in ora Orientali Corſicæ, vix 8. milliar. à portu veteri in Boream, Aleriam verſus, à quâ 30. milliar. diſtat in Auſtrum.

NAUPACTUS, vel NAUPACTUM, urbs Ætoliæ, & regionis caput, cui nomen hodie tribuit, in ora ſinus Corinthiaci, apud fauces, & Antirrhium promontorium, à Nicopoli urbe Epiri, in Circium 95. & 145. mill. paſſ. à Methone in Boream; hîc ſedes eſt Præfecti Turcarum; *Baudrand.* haber. Gallis *Lepante*, in ora ſinus Corinthiaci, *Golfo de Lepante* dicti. Nunc caput eſt provinc. Libadiæ propriè dictæ. Sub Turcis ab A. C. 1499. quô à Bajazethe capta fuit, quibus verò à Venetis erepta eſt, hôc bellô. Turcis *Einebachri.* Non procul hinc commiſſum fuit A. C. 1571. prælium, *Naupacti-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pactinum dictum, ubi Turci maximâ clade à Chriſtianis affecti. Vide *Thuan. Leunclav.* &c. Hinc *Naupactæus*, Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 43.

Amphiaraides Naupactæo Acheloo.

Naupactum *excubare*. Apud *Zenod.* proverbio dicitur, in eos qui pereunt ignavia ſuâ, vel qui munus ſuſcipiunt plenum diſcriminis, uti Pauſanias Naupacti excubiis præfectus, ab Achivis captâ urbe interfectus. Aliter hoc adagium apud *Suidam* refertur. A compactis navibus ſic dictum volunt, quòd ibi Heraclidæ primùm navem conſtruxerint. *Nic. Lloyd.* Hodie incolis *Epactos*, de cujus ſtatu hodierno vide inprimis Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 28. *& ſeqq.*

NAUPLIA, urbs ampla Peloponneſi maritima, & navale Argiæ regionis ad ſinum Argolicum, ab Argo 7. mill. paſſ. in ortum diſtans. *Napoli di Romania Sophiano.* Seu *Napli*, ut quidam volunt, Emporium celebre, cum portu capaciſſimo, in loco peramœno. Totius Peloponneſi populoſiſſima, in Sacania provinc. cujus caput eſt, 60. mill. paſſ. à Lacedæmone in Boream. Incolæ *Nauplienſes*, quos ab aſino ἀμπελοτομίαν, i: e. *putationem vitium*, didiciſſe, cùm videlicet advertiſſent, vites ab eo arroſas lætiùs creviſſe, teſtis eſt Pauſan. *in Corinthiacis*, traditque ideo Silenum, Liberi Patris comitem ac cuſtodem, aſino imponi à Poëtis. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *l. de* 4. *Artibus Popul. c.* 4. *quod eſt de Muſica* §. 4.

NAUPLIADES, nomen patronymicum, i.e. Nauplii fil. & ponitur pro Palamede.

NAUPLIUS, fil. Neptuni, & Amymones filiæ Danai Argivorum regis. Item Rex Eubœæ, pater Palamedis, qui cùm filium Ulyſſis operâ, iniquô judiciô circumventum, & ab exercitu lapidibus obrutum audiſſet, necis ejus ulciſcendæ avidus, per totam Græciam vagari cœpit, uxoreſque principum, qui ad Trojam militabant, in juvenum adulteria pellexit, futurum ſperans, ut graviſſimis eâ de cauſâ inimicitiis inter ipſos exortis, mutuâ cæde Palamedis necem expiarent. Nec eô contentus, Græcis captâ jam Trojâ in patriam redeuntibus ac tempeſtate laborantibus ex Caphareo monte ignem extendit, bonamque claſſis partem ad ignem, tanquam ad vicinum portum adnavigantem in aſperrimos ſcopulos pellexit, miſerandôque perdidit naufragiô. Poſteà verò cùm intellexiſſet Ulyſſem ac Diomedem, quibus eas inſidias potiſſimùm ſtruxerat, incolumes evaſiſſe, doloris impatientiâ ſeipſum in mare præcipitem dedit. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v* 116.

Nauplius ultores ſub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia preſſa tuis.

NAUPONTIUS, amnis, qui & *Pamportus Straboni*, ex Illyrico navigabilis in Savum defertur. Meliùs *Nauportus*, *Ferrar.*

NAUPORTUS, urbs Japodum, cum fluv. cognomine, *Lubiana* Italis: Nunc urbecula Carniolæ ſuperioris *Klein Laubach* incolis, ad amnem cognominem, 7. mill. paſſ. in Meridiem à *Laubach*, quæ *Emona* veteribus, 12. à Savo fluvio in quem Naupactus fluv. ſe exonerat, *Baudrand.*

NAUPORTUS, fluv. Iſtriæ per Æmoniam urbem exciſam fluens, ac in mare Hadriaticum ad Urbem novam exiens. *Quieto*, teſte *Leandrô.*

NAURA, regio Scythiæ, in Aſia, videtur, apud Curt. *l.* 8. *c.* 2. Promontor. Indiæ intra Gangem, Arrian. *in Periplo.*

NAURUS, fluv. Theſſaliæ, vide *Anaurus.*

NAUSICAA, Alcinoi Phæacum Regis filia & Aretes, quæ cùm fortè cum pediſſequis ſuis extra civitatem ſe contuliſſet, veſtes in flumine ablutura, incidit in Ulyſſem naufragum in litore ſedentem, nudum, arborum ramis circumtectum, cui ſupplici, & veſtes dedit, & in regiam patris ſui eum perduxit. Homer. *Od.* ζ. *v.* 17. Ejus memoriam ſervat nummus rariſſimus, quem Bononiæ in Muſæo Viri illuſtris Nigri, aſſervari docet Sponius *Itiner. Græciæ Part. I. p.* 130. Ejuſdem caput exprimi ſolitum eſt, in moneta Mytilenenſium: cujuſmodi nummum idem exhibet *Part.* 3. *p.* 167. in cujus una parte, mulier ſedens cum Lyra, in altera vultus *Nauſicaa*, cum *Inſcr.* ΗΡΩΙΔΑ ΝΑΥΣΙΚΑΑΝ. Vide ſuprà, in voce *Mytilene.* Eidem inventum ſaltationis διασφαίρας tribuitur. J. C. Scaliger. *Poëtic. l.* 1. *c.* 18.

NAUSICLES, Athenienſis, cùm 5000. peditum & trecentis equitum à civibus ſuis auxilio Phocenſibus miſſus, Olymp. 107. an. 1.

NAUSIGENES, Archon Athenis, Olymp. 103. an. 4.

NAUSIMENES, vir Athenienſis, cujus uxor, cum liberos in inceſtu deprehendiſſet, indignitate facinoris perterrita, vocem amiſit.

NAUSINICUS, Archon Athenis, Olymp. 100. an. 3.

NAUSISTRATUS, Navarchus Rhodiorum, qui mirô artificiô à Rhodiis arma impetravit, Polyæn. *l.* 5. *c.* 27.

NAUSITHOUS, Rex Phæacum, Alcinoi pater, fil. Neptuni & Peribœæ Eurymedontis filiæ. Heſiodus tamen Ulyſſis & Calypſus filium facit θεογον. *v.* 1022.

NAUSTATHMUS, portus Siciliæ, qui & Phœnicus, *Ptol.* *Vindicari*, teſte *Fazellô*, in ora ad Ortum inter Elorum fluv. & Macaram, à Pachyno promontor. 10. mill. paſſ. Syracuſas verſus. Item portus Cyrenaicæ apud Apolloniam urbem *Porto di Bonandria*, teſte *Moletiô.*

NAUTACA, urbs Sogdianæ, *Arrian.*

NAUTÆ, durum hominum genus. Scalig. *l.* 3. *c.* 16. ubi Poëtam futurum inſtruit, quod in cujuſque officii deſcriptione decorum ſervandum: *Illud in nautis peculiare, duros ut facias, ſæpe etiam pertinaces. Memineris Menatem & appellatum & monitum à ſuo Principe, parere noluiſſe. haud iccirco facit juſſa: Sed*

——— cæca
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.

Deum ipſum pro ludo in tranquillo curſu, in adverſo pro hoſte aut pro pecude habent. Quas non audivimus contumelias, quæ non execrabilia verba? haud multum abeſt illud Palinuri.

——— non ſi mihi Jupiter auctor,
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.

Itaque imperioſam perſonam nauticam in Charonte quoque notabis,

Quiſquis es armatus, qui noſtra ad limina tendis,
Fare age, quid venias. *Satis erat. addidit,*
Jamque iſtinc: *& amplius,* Et comprime greſſum.

Nihil ſanè præterea potuit: niſi diceret, Abi. Eorum veſtitum pinxit Plautus in *Milite*, *Actu* 4. *ſc.* 4. *cauſiam* illis *ferrugineam* & *pallidum ferrugineum* tribuens: Nam his color thalaſſius. Romæ certè *Nauticus* populus, in Circenſibus, Veneto colori favebat, quòd is maris color eſſet: ſicut viridis & praſinus terræ, cui proin terreſtris & agricola plaudebat. *Caſſiodorus, Tranſit Praſinus, pars populi mœret:* vincente praſino partem populi *nauticam* & maris commerciis deditam in mœrore fuiſſe ſic indigitans. *Præcedit Venetus, & totius turba civitatis affligitur:* namque univerſa civitas vel ſaltem pars maxima Civitatis, praſino favebat. Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 196.

---- *Eventum viridis quo colligo panni:*
Nam ſi deficeret, mœſtam attonitamque videres
Hanc Urbem ———

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 903. & *hic paſſim*, ubi de *Circenſibus Factionibus* &c. Porrò in turba Nautica ordines fuêre, quorum tres Ariſtophanes *Ranis* indigitat, Θρανίτας, Ζυγίτας & Θαλαμίτας. Et quidem Θρανίτας vult Enarrator ejus fuiſſe remiges in ſuperiori parte navis, qui, quoniam remos longiores trahebant, gravioreque labore vexabantur, à Trierarchis, præter ſtipendium publicum, donativum conſequebantur. Stipendium autem publicum erat drachma in dies ſingulos. Ζυγίτας idem in media, & Θαλαμίτας, in infima parte navis conſtitutos ait. Sed cùm illa ad triremes ſolùm quadrarent: mavult *Bayſius* per Thranitem, qui ad puppim remigat; per Zygitem, qui in media navi; per Thalamitem, qui ad proram, intelligi. Quô pactô etiam in τῇ πεντηκοντήρει & infra vel ſuprà, triplex hic remigum ordo in longitudinem eſſe potuit. His omnibus præerat Magiſter Navis, ſeu *Magiſter* abſolutè &c. Vide Laz. Bayſium *de Re Navali ſub fin.* Nec omittendum, quod de incolis Taprobanes inſulæ refert Plinius, ad *avium, quas ſecum vehant, emittentes ſæpius*, non verò ſiderum curſum, navale ſuum iter dirigere, *l.* 6. *c.* 22. De clamore corum, diximus ſuprà in voce *Celeuſma*. Sed & in *Commentariis* Ariſtophaneorum Acharnenſium. Νίγλαρον legimus eſſe μέλος quoddam muſicum & nauticum παρακελευστικὸν, de quo vide Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 55. uti de ſaltationis *nauticæ* laborioſæ ſpecie ſuprà, voce *Motho.*

NAUTES, Æneæ comes; de quo Servius in *l.* 11. *Æn.* Cùm Diomedes, inquit, raptum Palladium, ſibi non eſſe aptum intelligeret, illud Æneæ tranſeunti obtulit: ſed cùm ille ſe, capite velatô ſacrificans, convertiſſet, *Nautes* quidam ſimulacrum accepit. Quare Minervæ ſacra non *Julia* gens habuit, ſed *Nautia*. Quæ videtur ex libris Varronis de familiis Trojanis excerpſiſſe.

NAUTES, vates Trojanus, qui dum incenſæ ab Iride in Sicilia comburebantur Æneæ naves, docuit hoc fieri Junonis odiô, ut non Latiô Trojanos averteret, monuitque Æneam ipſum, ut non ſuccumberet calamitatibus, ſed invictô animô perſeveraret. Vide De la Cerd. *in illud Æn. l.* 5. *v.* 704.

Tum ſenior Nautes, &c.

NAUTICA Ars, Statices beneficiô, navem compingit & in mare vel fluvium deducit, ac in velificando feliciùs æquora ventoſque ſecat. Namque & extrui navem oportet ex hypotheſi circuli, ſic ut malus ſit diameter ex navis centrô exſurgens: & navim Hieronis Regis, integri anni ſpatiô confectam, quam ingens hominum turba non poterat in mare deducere, ſolus Archimedes paucis demiſit inſtrumentis; Uſus nempe ad id cochleâ ſeu helice infinitâ, cujus vis τῇ δοθείσῃ δυνάμει τὸ δοθὲν βάρος κινῆσαι. *Datâ potentiâ datum quodlibet pondus movere:* (quô modô id ſanè faciliùs fieri poterat, quàm βαρουλκῷ Heronis: quod eſt apud Pappum *Collect. Mathem. l.* 8. *propoſ.* 10.) Et in velificatione tandem ſive recta ſive obliqua, non exiguus Staticæ uſus eſt. Siquidem eò validior velociorque eſt navis motus, quò altius à centro velum antennæ alligatur: unde cùm naves remulcô trahuntur, non alligatur funis imo vel medio, ſed ſummo malo; & cùm remotiſſimus à centro clavus ſit, eò validiùs cum fluctibus illidit navi, ejuſque ſaburram atque onus propellit: juxta Mathematicorum axioma, *Virtus quæ movet, eò fortior eſt, quò longius abeſt à centro.* Etiam Mechanices in re *Nautica* utilitatem indicat doctrina pyxidis *nauticæ*, Magnetis virtute ad polum ſeſe convertentis: quem uſum Johannes Goja Amalphenſis (Alex. Sardo *l. de Rerum Inventoribus*, dictus *Flavius Campanus*) reperit: Unde Anton. Panormitanus:

Prima dedit nautis uſum magnetis Amalphis.

Goropio Becano inventum id Cimbris Teutonibuſque vindicante, ut videre eſt, apud Ortelium *Geogr. tab.* 6. Sed & apud Arabes legas, annô Hegiræ 670. *nautas* Mechâ per mare Rubrum in Hindi, ita Indiam vocant, proficiſcentes, magneticô quôdam inſtrumentô, quod Canopum ſemper oſtenderet, navis curſum direxiſſe: ut de aliis taceam, de quibus vide ſuprà in voce *Navigatio.* Et hactenus quidem ſubalterna hæc ars Mechanicæ eſt ſive Staticæ: At quatenus tranquillum navigandi tempus ex ſideribus attendit, ſub Aſtrologiâ locatur. Vide Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 47. Quod de magnete modò dictum, confirmat idem *in Addendis operi præf.* docens, Europæos hunc ejus uſum non inveniſſe, ſed didiciſſe à Barbaris. Sanè Vaſcus Gama, qui primus detexit promontor. Bonæ Spei, in naves Barbarorum, quibus acui magneticæ uſus foret, incidiſſe legitur. Apud Sinenſes etiam jam *A. C.* 1260. obtinuiſſe, colligi videtur ex Marco Paulo Veneto; quæ de re

ſe vide pluribus differentem Athanaſium Kircherum *de Magnete, l.* 1. *c.* 3. Idem Voſſius ibidem addit, eximium nautis uſum eſſe tabularum Hydrographicarum; in quibus tamen non omnia, ut in Geographicis, illi exprimunt, ſed ſolùm in litore poſita, præcipuè ad portus inveniendos, unà cum rhombis ſive lineis *nauticis*: ventorum indicibus. Interim Aſtrologiæ illam plurima debere contendit: Præſertim ſi Veteres cogitemus, qui ante cognitam chalybodixin, noctibus tenebricoſis ingenti periculo navigarunt, de die autem, vel illuſtri nocte Sidonii navigabant ad Cynoſuram, quia certior; Græci ad Helicen, quia clarior. Et quia pro ædificio etiam ſunt naves, præſertim longum iter capeſſentibus, (imò integras iſtiuſmodi civitates in aquis fluctuantes, apud Sinenſes, reperiri deprehendimus) Geometricis ac Ædificatoriis principiis *Naupego* opus eſt. Inveniſſe autem artem *Nauticam* creduntur Phœnices: ab iis accepiſſe Ægyptii, ab illis Græci, ac primi ex his Cretenſes, teſte Pliniô *ubi ſuprà*. Vide Hadr. Metium Alcmarianum *Sphæricorum l.* 5. *quô partim agit de Terræ dimenſione ac diſtinctione per climata, partim de Arte navigandi*, & Voſſ. iterum *de Philoſophia c.* 15. uti de *Nautico fœnore*, in hac voce.

NAUTII, à Naute, Æneæ Comite, gens Romæ Patricia, majorum gentium; Conſulatu ſexies, tribunatu militum Conſulari poteſtate quater, aliiſque honoribus defuncta: *Rutali* cognomine uſa. Hos ſacrorum Minervæ adminiſtrationem ac Palladii cuſtodiam ſibi vindicâſſe, tradit Schol. Virgilii *in v.* 704. *Æn. l.* 5.

Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit.

Vide de eorum familia Turnebum *Adverſar. l.* 26. *c.* 17. ut & in voce *Nautes*.

NAUTILOS, aliis *Pompilos*, (quod vide) piſcis eſt inter præcipua miracula: *Supinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſâ omni per fiſtulam aquâ, velut exoneratus ſentinâ, facilè naviget. Poſtea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa mira tenuitate extendit. Quâ velificante in aura cæteris ſubremigans brachiis, mediâ caudâ, ut gubernaculô, ſe regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludens imagine, &, ſi quid pavoris interveniat, hauſtâ ſe mergens aquâ*, Plin. *l.* 9. *c.* 29. Ad quem loc. vide Dalechampii *Notas*. Idem verò Plinius de *Nauplio* piſce ſimilia tradit, *c. ſeq.*

NAUTIUS Augurinus, vide *Quintus*.

NAUTIUS Rutilius, vide *Cajus*. It. *Spurius*.

NAUTULPHUS, puer naturâ cæcus, qui precibus ſancti Henoch viſum recepit. Author *Gregor. Turonenſ.*

NAXIA, urbs Cariæ, *Stephan.*

NAXIUS, fluv. Myſiæ inferioris ad Tomos oppid. in mare Euxinum labens.

NAXOS, inſula ſatis ampla & populoſa, in mari Ægæo, una Cycladum, cæteras ſuperans, antea *Strongyle*; poſt verò *Dia* dicta. Schol. Apollonii *in l.* 4. Δία, ἐν τῇ Νάξῳ. Καλλίμαχος.

Ἐν Δίῃ, τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ.

Euſtath. *in Od.* 11. Δῖα, νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ ἥτις Νάξος καλεῖται, ἱερὰ δὲ αὕτη τοῦ Διονύσου. Verùm cùm Cares, duce Naxô, eam occupâſſent, à duce *Naxon* appellârunt. Hanc Dionyſiam à vinearum fertilitate dici ſcribit Plin. *l.* 4. *c.* 12. vel quia, ut alii volunt, Naxiæ mulieres octavô menſe pariant, quotô & Liber Pater natus creditur; ſive quia in ea fons vinô fluat. Diſtat à Delo 7. milliar. Hinc *Naxius ardor*, apud Columellam, *l.* 5 *c.* 9. pro Bacchi Coronæ ſidere. Nam, ut ferunt poëtæ, in inſula Naxo relicta Ariadne à Theſeo, nuptias cum Baccho fecit, donataque coronâ, inter ſidera relata fuit. Alii *Siciliam minorem*, alii *Callipolim* appellârunt. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 125.

Bacchatamque jugis Naxum, viridemque Donyſam.

Nunc *Naxia*; Ferniis. Cum urbe cognomine & Archiepiſcopo Latino, 30. circiter milliar. à Delo in Meridiem. Ferè quadratæ figuræ. Cotes inter alia producit, hinc *Naxia cos* proverb. idem quod *Lydius lapis*, alii de re firma uſurpant. In ea quoque reperitur marmoris genus, quod Græcis *Ophites*, & Latinis *Serpentinum* dicitur, viridis coloris & lividioribus maculis aſperſum. Veſpæ genus habet, cujus punctio mortem hominibus, ut ajunt, affert. Hic in rupe arx eſt, quondam *Strongoli*, nunc *Pergola* dicta, apud quam ampliſſimum templum eſt, Baccho erectum, cujus ſtatua marmorea adfabrè facta ibi adhuc ſpectatur. Ad montium pedes fructifera eſt vallis, vulgò *Darmille* nominata. Ad mare in occidentali Inſulæ parte ſpectatur locus, in quo Theſeus decepit Ariadnam, cujus nomen loco remanſit. Natal. Com. *l.* 5. *c.* 13. *Metell.* Naxi vocabulum veteres dum conantur ad Græcam linguam revocare, vel cæcis palam faciunt Syram habere originem. Naxus, inquiunt, παρὰ τὸ νάξαι ὅ ἐστι θῦσαι. Ita *Euphorion, Steph. Suidas, Phavorin.* At in Græcorum ſcriptis, νάξαι pro θῦσαι nuſquam occurrit. Syris quidem נכס *necas*, eſt *immolare*, & נכסא *Nickſa*, *ſacrificium*. Phœnices ſcripſêre *Nacſa*, ac inde *Naxus*. Eadem vox ſignificat *cenſum* & *opes*, quod Naxo non malè quadrat. Herodot. *l.* 5. Ἡ Νάξος εὐδαιμονίῃ τῶν νήσων προέφερε. Vide Bochart. *Geogr. p.* 446. & 447. & *Nic. Lloydium Dictionar. Geogr.*

NAXOS, Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Thucyd. Schiſſo Fazello*, urbs Siciliæ exciſa, in ora, apud Taurominium urbem à Dionyſio maiore everſa, à Chalcidenſibus A. M. 4450. condita, *Euſeb.* Ejus locô Taurominium à Timoleonte extructum, Plut. apud *Lloydium*, ubi ſuprà. Cæterùm, Græcorum primos Chalcidenſes, ex Eubœa navigantes, cum Theocle coloniæ deductore, condidiſſe *Naxum*, legimus apud Thucydidem *l.* 6. *ſub init.* annô Æræ Attic. 813. Ita hæc prima Græcorum colonia fuit, condita alterô ante Syracuſas annô, h. e. annô Æſchyli Archontis 20. anno 3. Olymp. 2. antehac Græci, Tyrrhenorum latrocinia & incolarum barbarorum feritatem metuentes, ne mercaturæ gratiâ, eò navigabant, Strabo *l.* 6. Tandem an. 2. Olymp. 94. Euclide Athenis Archonte; urbs proditione capta & exciſa eſt à Dionyſio, ut dictum, qui *Naxiorum* agrum finitimis Siculis donavit; maximè Zanclæis, qui erant Hyblæ. Neque ita multo pòſt, ann. 1. Olymp. 96. Phormione Archonte, Siculi, præcipuè Hyblenſes, Imilconis promiſſis adducti, Taurum collem magnô numerô, ſed ſine duce, occupârunt, quòd eſſet naturâ munitus; collemque murô circundatum incoluerunt atque Urbem Tauromenium appellârunt, à manſione in Tauro. Vide infrà *Tauromenium*.

NAXUANA, *Ptol. Naſſivan tabulæ recent.* urbs Armeniæ majoris, Artaxatis finitima, una ex præcipuis Perſiæ, inter Choriam ad Occaſum, 90. & Tabreſium, ad Ortum 180. mill. paſſ.

NAYM, melius NAIM. Vide ibi, oppidul. tractus Iſaſchar, vix 2. mill. paſſ. à torrente Ciſon. 11. à monte Tabor in Occaſum Cæſaream verſus.

NAZADA, urbs Mediæ, *Ptol.*

NAZAMA, oppid. Apamenæ, in Syria, *Ptol.*

NAZAMBA, urbecula Ciliciæ, terræ motu collapſa; *Rubeo.*

NAZARA, vicus Galilææ, contra Legionem, in 15. ejus milliar. ad Ortum juxta montem Tabor.

NAZARÆI, dicebantur qui votum habebant ſub lege, ab Ebræô נזר *nazar*, *ſeparare*. Separabant enim ſeipſos à tribus, vino ſcil. novaculâ, & pollutione à mortuis, idque vel ad tempus, vel ad vitæ terminum. Item Secta peculiaris Judæorum, qui quoad ſacrificia, & libros Canonicos, aliquid peculiare habuerunt, ab omnis animalis eſu abſtinentes. De prioribus prolixè agitur, *toto c.* 6. Numer. *v. inprimis* 4, 5, 6. *Omnibus diebus Naziræatûs ſui novacula ne tranſito ſuper caput ejus usque dum compleantur dies illi, quibus voverit ſe Jehovæ Naziræum fore, ſanctus eſto, ſinendo creſcere comam, capillos capitis ſui. Omnibus diebus, quibus ſe Jehovæ Naziræum fore voverit, ad cadaver mortui ne accedito:* Et in prioribus, *Omnibus diebus Naziræatus ſui, de nulla re, quæ ſit ex vite vinifera, vel* ipſis *nucleis acinorum & cute comedito.* Eorum autem, qui ad tempus ſe hôc modô ſeparabant, *Naziræatus* dicebatur *Naziræatus dierum*, qualis erat Pauli Apoſtoli, & quatuor cum illo Virorum, de quibus Actorum *c.* 21, *v.* 24. Qui in perpetuum, *Naziræatus ſeculi*, qualis Simſonis, Judicum *c.* 13. *v.* 4. 5. & Johannis Euangeliſtæ fuit. Numerus dierum, quouſque ſe prioris generis *Nazirai* ſeparaverint, in Sacris Literis expreſſus non eſt: Hebræi tamen Doctores ad triceſimum uſque diem extendunt, occaſione loci Numer. *c.* 6. *v.* 5. *Domino ſanctus* יהיה *erit:* quô vocabulô dicunt triginta dies contineri, Schindlerus *in Pentaglott.* Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 8. Vide etiam infrà.

NAZARÆI, quoque Chriſtiani poſtmodum dicti ſunt, ab urbe Nazareth, in qua Chriſtus conceptus eſt. Item alii, qui in JESUM CHRISTUM credentes, circumciſionem tamen retinebant, in Ebionis & Cerinthi deliria poſtmodum prolapſi, Actor. *c.* 24. *v.* 5. Epiph. *hær.* 29. Theodoret. *de hæret. fab. l.* 2. Baronius, *in Appar. Annal. & A. C.* 9. & 74. His nomen id hæſit, à voce נצר *Natſar*, unde *Nazareth*, oppidum Galilææ, CHRISTI ſanctiſſimâ conceptione myſteriorumque pleniſſimâ educatione inſigne: & ipſe *Nazarenus* dictus, Matthæi *c.* 2. *v. ult.* & qui ejus doctrinam ſequuti, *Nazaræi* vocati ſunt, Actorum *c.* 24. *v.* 5. ubi Paulus Apoſtolus *Princeps Nazaræorum ſectæ*, à Tertullo appellatur coram Felice Præſide. Poſteà vox degeneravit, iiſque dari cœpit, qui, ad imitationem Samaritanorum, Judaicas ceremonias cum Ethnicorum ritibus miſcentium, Chriſtum cum Moſe, Legem cum Euangelio, Baptiſmum cum Circumciſione confundere non dubitârunt. Horum jam Actor. *c.* 15. primordia videntur indigitari, *v.* 1. ubi legimus: *Porrò quidam, qui deſcenderant, è Judæa, docebant Fratres*, & dicebant, *Niſi circumcidamini ritu Moſis, non poteſtis ſervari.* Dicti autem hi *Nazaræi* ſunt, à Judæis, vel odiô diſcipulorum Chriſti, quos hâc ratione magis exoſos redditum iri ſperabant; vel à priori conditione, quòd priùs quidem veri *Nazaræi* ſeu Chriſtiani eſſent, poſteà verò à Petro Judaizante ſeducti fuerint, Gal. *c.* 2. *v.* 11. Quare factum, ut Eccleſia Antiochena, *Nazaræorum* his nomine relictô, *Chriſtianorum* adoptaret, ne quidquam cum iis commune habere videretur, Actor. *c.* 11. *v.* 26. Symmachus poſteà celebris ille Vet. Teſtamenti Interpres inſignis Sectæ hujus hyperaſpiſtes fuit, unde *Symmachiani* iidem ſequenti ævô dicti ſunt, Auguſtin. contra *Fauſtum Manich. l.* 19. Quos non minori, ac Samaritanos olim, odiô proſequuti Judæi, quotidie tribus precationis temporibus, manè, meridie ac veſperi, ſolenni hâc formulâ, *Maledico domine Nazaræis*, claudere ſoliti leguntur. Vide Epiphanium *Tom.* 2. *Hereſ. l.* 1. *Hær.* 29. Franc. Junium *Parallel. l.* 1. *c.* 8. Thom. Godwyn. *loc. præfatô.* Et de *Nazaræis*, qui, quòd à Canone Pentateuchum, velut minùs divinum, reſecarent, à voce נסר, *abolevit, reſecuit*, nomen accepêre, iterum Epiphan. *l.* 1. *Tom.* 1. *Hær.* 18.

NAZARATUS, Aſſyrius, memoratus Alexandrô, apud Clementem *l.* 1. *Strom.* Pythagoræ, inter alios, in Ægypto, Præceptor fuit: quem Ezechielem Prophetam fuiſſe quidam aſſerunt: de qua ſententia, ita Joh. Seldenus *Synt.* 2. *de Diis Syris c.* 1. *Certè*, inquit, *accuratiſſima Chronologia, Ezechielem & Pythagoram inter* 50. & 52. *Olympiadas ſimul floruiſſe docet. Ideo &* Nazaratus *ille quin Ezechiel fuerit, non adverſatur temporis ratio, & is eſt ipſe* Ζάβρατος, *qui à Malcho, in Pythagoræ vita, appellatur ejus Præceptor. Nec Conr. Rittershuſius alibi, quàm in* Nazarato, *Zabratum ibi quærere debuit. Corruptus igitur eſt, aut Malchi, i. e. Porphyrii (nec enim alius is Auctor eſt, quod ex Eunapii vita Porphyrii & l.* 3. *Cyrilli adverſ. Julianum, unde & Malchum Rittershuſianum, & emendes & augeas, facilè deprehendimus) aut Clementis codex. Reſcribe igitur aut in Malcho* Ναζάρατον, *aut in Clemente* Ζάβρατον. *Malim Clementem emendes. Nam* Ζαράτας *Pythagoræ Præceptor memoratur apud Plut. in* περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. *Anne Zaradum voluêre Scriptores illi? i. e. Zoroaſtrem Magum: qui Zarades etiam dictus eſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eſt. Teſtes ſunt luculentiſſimi, Theodoretus Serm. 9. & Agathias Hiſt. 2. Certè Pythagoram, Zoroaſtris ſectatorem plerique, ut docet Apulejus, ſunt arbitrati, atque illum, cujus doctrinam amplectebatur Philoſophus, Præceptorem ejus poſteritas forſan æſtimabat. Audire Zoroaſtrem non potuit, quippe eô aliquot ſeculis poſterior. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l. 3. c. 11.*

NAZARENUS, à נצר per *Tzade*, cognomen DOMINI NOSTRI, ob educationem in oppido *Nazaret* ei inditum, Matthæi *c. 2. v. ult.* Καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ· ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, *Et veniens* (Joſephus cum Maria & puero JESU) *habitavit in oppido, dicto Nazaret, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetas, &* Nazarenus *vocabitur.* Ubi, quô pactô intelligenda ſint verba illa, *quod dictum eſt per Prophetas*, hærent Interpretes. Chryſoſtomus *in h. l.* indubitanter ſcribit, Prophetam ſive Prophetas, quos Euangeliſta laudat, jam non exſtare: multorum enim veterum Prophetarum ſcripta, vel propter Judæorum incuriam, vel propter Barbarorum in Judæam impreſſiones, periiſſe. Verùm, ſi tempore illô, quô Matthæus ſcribebat, deſiderabantur Vates illi, qui hîc laudantur; quæri poteſt, cur teſtimoniô utatur Euangeliſta Auctorum amiſſorum? Sin tempore illô adhuc horum Prophetarum ſcripta ſupererant, difficile creditu eſt, libros ſacros Prophetarum primæ notæ ſervari ab interitu non potuiſſe; quum Eccleſia Dei, cui divina Oracula præcipuæ ſemper curæ fuêre, & vitâ ipſâ chariora (quod declarat inprimis hiſtoria rerum geſtarum adversùs eos, qui *Traditores* ſunt dicti) omnes perſecutiones & calamitates eluctata, fuerit tandem ſervata. Fortaſſe igitur melius fuerit, eruditam ejuſdem Patris obſervationem huic Matthæi loco accommodare. Obſervat is non uno in loco, verba illa, ὡς γέγραπται, *ut ſcriptum eſt*, & ſimilia in Novo Teſt. duobus modis accipi debere, quoniam eorum, quæ ſic laudentur, alia verbis iiſdem aut non diſſimilibus, ſcripta reperiantur, ſed rebus ipſis tantùm expreſſa; aut ipſô eventu confirmata deprehendi, quæ ſcripta nuſquam extent; licet de illis dicatur, *ut ſcriptum eſt.* Hinc idem *ad v. 19. 1. ad Corinth. c. 1.* Καὶ ποῦ γέγραπται ταῦτα; *quærit*, λέγεται γεγράφθαι καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν ἢ ὅταν τὸ αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ᾽ αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων, *At ubi hæc ſcripta ſunt? Dicitur* ſcriptum eſſe aliquid, *etiam tunc, quando non verbis, ſed rebus ipſis expreſſum fuerit in hiſtoriis: aut quando mens quidem eſt expreſſa, licèt verbis non iiſdem.* Et *Homil. 41. ad ejuſdem Epiſt. c. 15. v. 45.* Καίτοι τὸ μὲν γέγραπται, τὸ δ᾽ οὐ γέγραπται· πῶς οὖν εἶπεν, ὅτι γέγραπται; ἀπὸ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως αὐτὸ μετέφρασεν, ὅπερ ἔθος αὐτῷ συνεχῶς ποιεῖν, & quæ ibi plura in hanc ſententiam habet. Hâc obſervatione ſi uti volumus, in explicatione loci Matthæi, neque eô fuerit opus effugiô, ut dicantur periiſſe Prophetæ hic laudati: neque inani labore quærendum hoc vaticinium in veteri Scriptura. Nam verbis quidem ſcriptum nuſquam legitur, Chriſtum vocatum iri *Nazarenum*: at invenitur διὰ τῶν πραγμάτων κείμενον, ut loquitur Chryſoſtomus, i. e. *rebus ipſis expreſſum.* Ut ſi quis crumenam aurô plenam amici collo appenderet, aut in ſinum illi compleret, nec tamen verbis exprimeret, ſe hoc illi donum dare, quum reverà tamen daret; verè dici poſſet, donâſſe illi id munus, utut formulâ dantibus ſolenni abſtinuiſſet: ſic, verè dici poteſt, prædictum atque ſcriptum fuiſſe, Meſſiam hôc vel illô nomine fore appellandum, ſi ita nominatus reperiatur in ſcriptis Prophetarum. Quod igitur Matthæus ait, prædictum fuiſſe, ut Chriſtus appellaretur *Nazarenus*, ex Eſaiæ *c. 11. v. 1. 2.* & Zachar. *c. 6. v. 12.* commodiſſimè exponi poteſt. Auctor eſt Hieronym. non unô locô, oppido *Nazaret* fuiſſe id nomen inditum, ab Hebr. voce נצר, quam alii *ſurculum*, alii *florem*, interpretantur. In illo, quem indicavimus Iſaiæ loco, Meſſias diſertè vocatur *Netſer*, i. e. *flos*, ut vetus Interpres vertit, & Græci ἄνθος. Et conſentit Hieronym. ſcribens ad Marcellam: *Ibimus ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ.* In loco Zachariæ expreſſis verbis dicitur, nomen Meſſiæ fore *Germen*, צמח שמו. Etſi autem nomina ſint diverſa, *ſurculus* ſive *flos* & *germen*: ſunt tamen ſignificatione affinia, &, ut Græci dicunt, τῆς αὐτῆς ἐννοίας, cujuſmodi nomina ſæpe permutari ſolita, ut alterum pro altero ponatur, nemo eruditus dubitare poteſt. Græci Critici appellant Metalepſin duplicem, vel triplicem: ut cùm γλήνη, quæ vox *oculi pupillam* ſignificat, ponitur pro *puella*: quia pupilla oculi etiam κόρη, i. e. *puella*, dicitur. Sic in illo Poëtæ, ἔρρε κακὴ γλήνη, vox γλήνη locum obtinet vocis κόρη, per iſtiuſmodi figuram, quam accuratè explicat & Veter. exemplis illuſtrat Euſtathius *ad verſum Poëtæ Il. α. v. 189.*

Στήθεσσι λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν.

Quare nihil mirum, in Prophetia præſertim ænigmatica promiſcuè has voces fuiſſe uſurpatas. Iſ. Caſaubon. *Exercitat. contra Baron. VII. n. 2.* Spanhemius tamen locô hôc, ubi Ναζωραῖος ſignanter Chriſtus, non verò Ναζαρηνὸς vocatur, hîc ad votum *Naziræatus* reſpexiſſe vult Euangeliſtam: concedens interim eum alibi Ναζαρηνὸν vel ἀπὸ Ναζαρὲθ appellari, quando Spiritus S. non directè ad hoc myſterium reſpiciat, id quod probat pluribus, *Dub. Euangel. tom. II. Dub. 87. & ſeqq.* Vide & infrà *Naziræus.*

NAZARETH, quod eſt, ſi interpreteris, *flos*, pulchra ac potens Galilææ civitas eſt Capharnaum urbi ſubjacens, ædificata ſuper montem, quem coronæ inſtar ambit, duabus leucis à monte Tabor, trium autem dierum itinere ab Hieruſalem diſtans. Hîc S. Maria, candens flos virginum, nata eſt. Hîc Chriſtus Dominus noſter & Salvator, ut flos campi (inquit *Hieronym.*) naſceretur in flore virtutum, conceptus & educatus eſt, ac viginti quatuor annis habitavit, unde & civitas hæc, *civitas* & *patria ejus*, ipſe verò *Nazarenus* vel *Nazaræus* & *Galilæus* appellatus eſt. *Baudrando Nazareth* urbs fuit tractus Zabulon, verſus Ciſon torrentem, 7. mill. paſſ. à monte Tabor in Occaſum, paulo minùs à Naim, & ferè 26. à Ptolemaide in Eurum, uti 70. ab Hieroſolymis in Boream. Hîc Franciſcanis Monaſterium eſt cum templo, ubi Peregrinos excipiunt. Sedes olim Epiſcopalis, dein Archiepiſcopalis qui nunc Barulum, in regno Neapolitano tranſlatus eſt. Morerius *Dict. Hiſt.* Sic itaque. *Nazarenus Archiepiſcopus* nunc titularis, in Diœceſi Tranenſi regni Neapolitani habet in oppido Barulo, vulgò *Barletta*, Eccleſiam, in agro Bariano, in ora maris Adriatici.

S. NAZARII, vulgò *S. Nazere*, vicus eſt Galliæ, reliquiis *Nazarii* Martyris, uti vulgò creditur, & veteri Monaſteriô ſeu Abbatiâ inſignis, ad Ligerim, in pago Namnetico, non procul ab oſtio fluvii, ſive à vico Cruciaco, *le Croiſic*, & à caſtro Grannona *Garande* vel *Guerande*, in Britannia minori. Ejus meminit Gregor. Turonenſis *l. de gloria Martyrum, ante A. C. 1080. In territorio urbis Namneticæ, in vico quodam ſupra alveum Ligeris B. Nazarii reliquiæ continentur* &c. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

NAZARIUS, Orator, qui Conſtantino M. Panegyricum dedicavit. Pater Eunoniæ, admodum eruditæ, Euſeb. & Hieron. *in Chron.* Panegyricus incipit: *Dicturus Conſtantini auguſtiſſimas laudes, &c.*

NAZIANZUM, urbs Cappadociæ, Cæſareæ finitima, (ab ea in Occaſum recedens) & Saſimis, patria D. Gregorii, hinc *Nazianzeni* dicti. Prius Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi, dein metropolis, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano.

NAZIRÆUS, Hebr. נזיר *ſeparatum* notat; peculiari videl. ſanctitate à reliquis diſcretum & certo vitæ generi ac ordini adſtrictum. Unde, קרבן tales dicti, *munus* ac *donum*, quaſi Deo conſecrati. Erant hi vel *Nativi*, qui ſeu Dei juſſu, ſeu Parentum oblatione, ante nativitatem eorum factâ, tales erant: Ut Simſon, Judicum *c. 13. v. 5.* alii: vel *Votivi*, qui propriô votô ſepiſos ſacrabant idque ferè ad certum tempus; quod ſi expreſſum non eſſet, menſtruum erat, ut Judæi colligunt, ex Numer. *c. 6. v. 5.* Erant autem hæ *Naziræatûs* Leges, ad humiliationem & abnegationem ſui facientes. I. *Ut abſtinerent vinô*: quod ad ipſas uvarum pelliculas & acinos Hebræi extendunt, omnique potu inebriante, שכר, qualiſcunque ille liquor, ac undecunque expreſſus fuerit. II. *Ut comam alerent*, tantâ quidem religione, ut ne pilum quidem unicum abradere vel evellere fas foret, niſi tempore voti peractô. Quô factô attondebantur, ablatôque ſacrificiô votivam cæſariem (unde ad Gentiles mos tranſiit) tanquam rem ſacram, in peculiari Templi conclavi concremabant. III. *Ut ad cadaver mortui non accederent*, Numer. *c. 6. v. 3--10.* Quod & Pontifici interdictum legitur, Levit. *c. 21. v. 11.* Quòd ſi proin ex improviſo mortui vel morticinii attactu pollerentur, votum redintegrandum & de novo *Naziræatus* tempus implendum erat. Veſtem quod attinet, an & illa *Naziræis* peculiaris fuerit? id quidem nullibi legitur. Nam quod de Johanne Baptiſta dicitur, eum habuiſſe *veſtimentum ſuum ex pilis camelinis & zonam coriaceam circum lumbos ſuos*, Matth. *c. 3. v. 4.* id non Naziræorum, ſed Prophetarum, ac præſertim Eliæ, exemplô factum eſt. Unde Elias deſcribitur, *Homo piloſus, cingulô pelliceô accinctus lumbos ſuos*, 2 Reg. *c. 1. v. 8.* conf. Zachar. *c. 13. v. 4.* & Matth. *c. 7. v. 15.* Aliquam tamen eorum cum Prophetis in veſtimento convenientiam fuiſſe fortè à vero non planè abludit. Quæritur hîc inprimis de Joſepho Patriarcha, de Samuele Propheta, & de DOMINO NOSTRO, an & illi *Naziræi* fuerint? Reſp. Primum, cùm Lex illa tum nondum fuerit lata, non quidem *Naziræum*, ſed eximium inter fratres eorumque coronam fuiſſe ac decus: quod innuitur, cùm appellatur נזיר אחיו Geneſeos *c. 49. v. 26.* & Deuteronom. *c. 33. v. 15.* Secundum autem verè *Naziræum* fuiſſe, ex matris voto, 1 Sam. *c. 1. v. 11. Si dabis ancillæ tuæ ſemen maſculum, dabo ipſum Jehovæ omnibus diebus vitæ ejus; & novacula non admovebitur capiti ejus*, conf. *v. 22. & 28.* Licèt appelletur vir נכבד honoratus, 1 Sam. *c. 9. v. 6.* & in cœtibus ac conviviis hominum verſatus ſit, *c. 9. v. 13, 23, 24.* ac Iſraëlem judicâſſe legatur, 1 Sam. *c. 7. v. 15, 16, 17.* CHRISTUM verò SERVATOREM noſtrum quod attinet, ſi externum votum ſpectes, *Naziræus* non fuit, cùm vinum biberit & mortuos tetigiſſe legatur: nec *Naziræus* à נזיר, per *Zain*, ſed *Nazarænus*, à נצר per *Tſade* appellatus eſt, quæ vocabula totâ radice differunt. Fuit autem *Naziræus* ſpirituali ac longè ſanctiore modô, cùm à peccatoribus *ſeparatus* ac ſanctiſſimus fuerit, *Pontifex pius, ſine vitio, non coinquinatus, ſeparatus à peccatoribus & altior cœlis factus*, Hebr. *c. 7. v. 26.* Quæ ejus incomparabilis ſanctitas, per typicam *Naziræorum*, veteris Teſtementi ſanctitatem fuit adumbrata: cum quo nos omnes quoque *Naziræos* & Deo peculiari religione ſacros, ac à Mundo diverſos eſſe decet. *Naziræatus* autem veri diſciplina eſt, curare per omnem vitam ſobrietatem & humilitatem ac incumbere iis rebus, quæ ad regnum Dei & juſtitiam ejus adipiſcendam faciunt. Ut fruſtra ſint illi, qui partem Eccleſiæ tantùm ſanctam nuncupant & Monachorum ſuorum vota ac inſtituta cum ſanctimonia Veterum *Naziræorum* eunt comparatum. Vota enim utrobique nimiùm quàm diſparia ſunt: & quæ ab hiſce voventur, pleraque ſupervacanea ſunt, neque ullô divinô præceptô, quale de *Naziræis* Vet. Teſt. legimus, nituntur. Franc Burmannus *Synopſ. Theol. l. 4. c. 10. §. 1. & ſeqq.* Vide quoque Frid. Spanhemium, *Dub. Euangel. part. 2. Dub. 93, 94.* Cæterùm Ναζηραίους genus quoddam Monachorum, vel Ἱερέων, *Sacerdotum*, etiam apud Turcas eſſe, docet Laonicus Chalcondylas *l. 7.* ex cacozelia *Naziræorum* veterum ſine dubio ortum. *Naziræis* verò Vet. Teſt. affines erant Rechabitæ, qui à parente ſuo Jonadabo, filio *Rechab*, peculiaria quoque vitæ inſtituta varia acceperunt, uti legimus Jeremiæ *c. 35.* Sed de his vide *infrà.*

N. C. C. in notis antiquis, *non calumniæ cauſâ*: N. E. G. *Negotiator* N. F. C. *noſtræ fidei commiſſum*: N. F. N. *nobili familiâ natus*: N. H. *notus homo* &c. denotat, Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Anglic.*

NE valeam, apud Martialem *l. 2. Epigr. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ne valeam, ſi non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus eſſe velim.

Et *l.* 4. *Epigr.* 31.

Ne valeam, ſi non res eſt gratiſſima nobis,
Et volo te chartis inſeruiſſe meis.

Formula jurandi, execrandique, Romanis in uſu, cui ſimilis, *Diſpeream*, apud eundem *l.* 1. *Epigr.* 40.

Diſpeream, ſi non hic Decianus erit.

NEA, inſul. maris Ægæi inter Lemnum & Helleſpontum. *Nea Steph.* & *Suidæ*. *Nio* hodie *Nigro*.

NEA, urbs Siciliæ, patria Decetii, Siculi Regis, qui contra Syracuſanos & Agrigentinos bellum geſſit, Menaſque, Palicam & Collatinam condidit. Vide *Netum*.

NEA, vicus & caſtellum Myſiæ. Vide *Steph.*

NEÆRA, Nympha, quæ duas Soli filias peperit, Phaetuſam & Lampetiam, quæ armenta Solis tranſeunti Ulyſſi juxta Siciliam oſtendebant, Homer. *Od.* 12. Item mulieris cujuſdam nomen apud Virg. *Eclog.* 3. *v.* 3. *Ipſe Neæram Dum fovet*: Item apud Horat. *Epod.* 15. *v.* 11.

O dolitura meâ multum virtute Neæra.

NEÆTHINA Vallis, una ex tribus provinc. Siciliæ, in ejus parte Auſtrali *Valle di Noto*. Terminatur à Septentrione Valle Nemorenſi, ab Occidente valle Mazaræ, ab ortu mari Ioniô, à Meridie Mari Africô, Ejus urbes præcipuæ, Syracuſæ (*Saragoſſa*) Auguſta, Neætum, Terra nova, & Camarina. Ibi Pachynum promontor. 60. mill. paſſ. à Melite Inſul. in Boream.

NEÆTHUS, fluv. Magnæ Græciæ, *Neto*, teſte *Barriô*, per agrum Crotoniatem fluens, Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 51.

Præterit & Sybarin Salentinumque Neæthum.

Siciliæ fluv. eſt *Theocriti Scholiaſtæ*; ſed ſciendum, mediæ ætatis ſcriptores hanc Italiæ partem Siciliæ vocabulô indigitare ſolitos eſſe, quod hactenus receptum manet, cùm dicunt *utramque Siciliam*, inſulam nempe, ac eam continentis partem, quæ ab altera parte freti Mamertini eſt.

NEALCES, Cyzicenus, cum ſecuri, Argonautis per errorem nocturnum reflectentibus, occurrens, à Polluce occiſus eſt, Val. Flac. *l.* 3. *v.* 191.

NEALCES, pictor qui Venerem pinxit, Naumachiam Ægyptiorum & Perſarum, item aſellum bibentem in littore, & Crocodilum ei inſidiantem.

NEANDER Michael, Sorâ Sileſius, Hebraicè, Græcè & Latinè doctiſſimus, 40. annos docuit in Isfeldio Gymnaſio, Pfortzhemium poſteà tranſlato, ubi obiit A. C. 1595. ætat. 70. Auctor plurium Scriptorum, quæ Teiſſier enumerat *Elog. part.* 2. Alius cognominis, in Joachimica Valle natus, ſcripſit *Synopſin Menſurar. & Ponderum ſecundùm Romanos, Athenienſes, Georgos & Hippojatros* &c. *Ibid.*

NEANDRIA, urbs Troadis in Helleſponto, quæ & *Neandrium*, *Steph.*

NEANICOLOGI, alii legunt *Neaniſcologi*, illud ex Νεανικὸς, hoc ex Νεανίσκος, apud vet. Interpretem Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 191. *Planipedes audit Fabios Nobiles Neanicologos* vel *Neaniſcologos*. Iidem cum *Aretalogis*, quô nomine ſcurræ olim ſeu copriæ, i. e. homines putidè glorioſi ac jactabundi dicti ſunt. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 16.

——— *Ut mendax Aretàlogus.*

Quòd enim multa falſa de ſuis virtutibus prædicarent, ad riſum tollendum, ſic ſcurrarum quoddam genus appellatum eſſe, docet Sueton. *Aug. c.* 74. Iidem *Paradoxologi* appellati ſunt, de qua voce vide *infrà*, & plura in hanc rem ſuprà, in vocibus *Clozcina*, *Copreæ*, *Jactantes, Mendaces, Myxus* &c. Salmaſ. *Not. ad Tertullianum de Pallio c.* 4.

NEANTHES, Cyzicenus, Orator, diſcipulus Philiſci Mileſii, ſub Ptolemæo Philadelpho, plurima egregia ſcripſit: Inter alia, de Viris Illuſtr. Horis, rebus geſtis Græcorum aliorumque. Porphyr. *l.* 4. *de abſtin.* Athen. *l.* 4. 9. & 13. Clem. *l.* 5. *Strom. Ammon. Steph. Byz. Suidas*, &c. *Geſnerus* Voſſ. *l.* 1. *de Hiſtor. Græc. c.* 16. Poſſevin. *in Appar.*

NEANTHUS, vir quidam, qui propter Chelyn Apollinis temerè affectatam, Deô vindice, à canibus diſcerptus eſt, Politian. *in Nutricia.*

Improbus hanc ſtultè Chelyn affectare Neanthus
Auſus, Apollineâ pendentem ſuſtulit æde:
Quem tamen indoctô ferientem pollice chordas
Vindice diſcerpſit rictu nocturna canum vis.

Nic. Lloydius.

NEAPOLIS, colonia, & urbs Archiepiſcopalis Campaniæ maritima, regni Neapolitani caput, ac totius Italiæ clariſſima, civium multitudine ac nobilitate, facilè omnes ſuperans: ab urbe Româ 125. mill. paſſ. in Eurum diſtans, ſic ab Auguſto dicta, cùm prius *Parthenope* diceretur. *Baudrando* urbs Italiæ ampliſſima, emporium celeberrimum, & provinc. Terræ laboris primaria. Cum portu capaci & ſatis tuto. In agro mirè riguo & fertili, planitieque amœniſſima. Ejus templa ſuperbiſſima. Munita eſt 4. arcibus, nempe Caſtellô novô, Caſtrô Ovi, Caſtrô S. Elmi, & Turri Carmelitarum; quibus in præſens collis *Pizzofalcone* adjungitur, cum valido præſidio Hiſpanico. Hinc *ſinus Neopolitanus*, Sinus adjacens. Populi *Neapolitani*. Vulgò *Naples*. Horat. *Epod.* 5. *v.* 43.

Et otioſa credidit Neapolis.

Stat. *l.* 4. *Sylv.* 8. *v.* 6.

Nec ſolum feſtas ſecreta Neapolis aras
Ambiat. ——— ———

Neapoli ludicrum quinquennale celebratum olim ex *Strabone* omnibus notum eſt. Νυνὶ δὲ, inquit, Πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται. Rectè autem νυνὶ, nam id Strabonis ætate fuiſſe inſtitutum, docet Suetonius *in Octav. c.* 98. Papinius *ad uxorem*, *l.* 3. *Sylv.* 5. *v.* 89.

Quid nunc magnificas ſpecies, cultuſque locorum,
Templaque & innumero ſpacia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi tectique theatri
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris.

NEAPOLIS, Africæ urbs gemina, una in ora apud Mercurii promontor. inter Curubim 12. & Clypeam 20. mill. paſſ. à Carthagine 65. in ortum, *Nabel* incolis, teſte *Marmolio*. Altera in ora apud Syrtim parvam, & oſtia Cinyphii fluv. nunc *Napoli di Barbaria*, inter Carthaginem ad Occaſum 639. mill. paſſ. ex *Antonino*. Aliter *Lepte magna*, *Baudrand.* nunc *Lepe*, ſeu *Lebeda*. In regno Tripolitano, in ora maris Mediterranei, media inter Syrtim majorem ad Ortum, & minorem ad Occaſum. Cum portu capaci, 100. mill. paſſ. à Tripoli in Ortum, uti 500. à Carthagine. Hujus meminit Dionyſius *v.* 204.

Τάων δ' ἀμφοτέρων μεσάτη πόλις ἐστὶ τετυκται
Ἥν ῥά τε κικλήσκουσι Νέην πόλιν.

NEAPOLIS, Macedoniæ urbs, apud ſinum Strymonicum, *Chriſtopoli Sophiano*.

NEAPOLIS, Palæſtinæ in Samaria urbs, quæ & *Sichem*. In tractu Ephraim, Joſeph. *l.* 5. *bell. Jud. c.* 4. Hìc concilium A. C. 1120. *Guil. Tyr.* anteà *Mamortha*, teſte Pliniô *l.* 5. *c.* 13. Sunt & aliæ urbes hujus nominis, una Ioniæ in Cariæ confinio inter Epheſum, & Samum, *Strab.* & *Ptol.* Altera Sardiniæ in ora Auſtrali exciſa, adhuc *Napoli* dicta. Item oppid. olim, nunc pagus Cypri apud Amathuntem: *Lemiſſo Lanenze*, teſte *Luſignanô*. Item Syracuſarum pars una, Cicer. *l.* 5. *in Verrem. Quarta urbs, quia poſtremò ædificata eſt Neapolis, nominatur.* Thucydides *Temeniten* vocat. Item urbs Argiæ, olim *Nauplia*.

NEAPOLITANUM Regnum, pars eſt perampla Italiæ, ad Meridiem extenſa. Terminatur ad Occaſum ditione Pontificiâ, in partibus aliis Mari; nempe à Septentrione ſinu Venetô, ab Ortu Tarentinô & mari Ioniô, à Meridie mari Tyrrhenô. Ibi aliàs Samnium, Campania, Apulia, & magna Græcia; Iterumque ſub primis Regibus diſtributum erat in IV. provincias, ſcil. Campaniam Felicem, Aprutium, Apuliam & Calabriam. Nunc in eo XII. provinciæ nempe Campania Felix (*Terra di Lavoro*) Principatus Citerior, & Ulterior, Capitanata, Ager Barianus, & Hydruntinus; (*Terra di Otranto*) Aprutium Citerius & Ulterius, Comitatus Moliſſinus, Baſilicata, Calabria Citerior & Ulterior. Ejus longitudo maxima eſt, ab oſtio Truenti fluv. ad Leucopetram promontor. 330. mill. paſſ. Latitudo autem à Cajeta urbe ad oſtia Aterni 90. circiter milliar. Dictum fuit aliàs etiam regnum Siciliæ, cis Farum. Caput ejus eſt Neapolis, urbs ampliſſima. Vide *ibi*. Provinciæ hujus regni omnes, tantâ hominum vi reſtagnant, ut ſuprà 2700. urbes, caſtra & parœciæ in eo numerentur. Mille hìc Baronatus, ſeptuaginta Comitatus, centum Ducatus, totidem Marchionatus, ſexaginta Principatus, Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuumque ingens copia. Aëris ibi mira temperies, ingens ſoli fœcunditas, & omnium rerum inexhauſta vis: Unde Italis, Paradiſus hoc regnum dicitur, quem Dæmones inhabitent. Iidem proverbio circumferunt: *Napoli odorifera & gentile, ma la gente cattiva.* Hiſtoria gentis hæc eſt: Neapolitani Romanis fidi; poſtmodum fuerunt ſub Gothis; quibus Beliſarius Neapolim eripuit, A. C. 537. per aquæductus militibus in urbem introductis; Totila recepit A. C. 543. Longobardi dein hìc rerum ſunt potiti, uſque ad tempora Caroli M. cujus filii cum Græcis regnum hoc partiti ſunt; quò deinceps à Græcis penitus ſubactô, ſecul. 9. & 10. hi à Saracens pulſi ſunt, qui ſæpius quoque victi, tandem ſecul. 11. à Normannis penitùs illô cedere ſunt coacti: Ita Normanni regnum tenuêre, uſque ad Henricum VI. fil. Friderici 1. Imperatoris, qui Conſtantiam, filiam Rogerii IV. ſibi junxit. Manfredus poſtea, fil. nothus Friderici II. à Carolo Andegavenſi Neapolitanô regnô exutus eſt, quod ſub Principibus ex familia Andegavenſium fuit, uſque ad Johannam II. Quæ Martino V. infenſa, quòd Ludovico III. Duci Andegavenſi regnum donâſſet, Alphonſum Arragoniæ Regem adoptavit, ſed hujus inſolentiam non ferens, eundem Ludovicum primò, dein illô mortuô, Renatum fratrem ejus, hæredem inſtituit. Renatus ab Arragoniis pulſus eſt, quos iterum Carolus VIII. primò, dein Ludovicus XII. expulerunt. Tandem verò Gallis à Conſalvo M. iterum ejectis, ab eo tempore Hiſpaniæ Regibus ſubfuit: niſi quòd hi quotannis Pontifici; equum album, cum aliqua pecuniæ ſumma, per Legatos offerre ſolent: de quo tributo, lepidam hiſtoriam habes apud P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. *ſub finem.* Vide *Strabonem*, Plinium, *l.* 3. *c.* 7. Livium, *l.* 8. *c.* 22. *Procopium*, &c. Leand. Albertum, *deſcr. Ital.* Fancium, Falcum; Herempertum, Acciajolum, Pandulphum; Collenutium; Capacium & Sumonetam, *Hiſt. Neap.* Blondum, Nauclerum, Volaterranum, Sabellicum, P. Jovium, Guicciard. &c. Turbæ à Mas Aniello, piſcatore A. C. 1646. 1647. &c. item à Duce Guiſio poſtea hìc excitatæ, ignotæ nemini. Vide Gualdi ut & Bruſonii *Hiſt. Ital. ſcriptas*. Nempe, Gens eſt in rebellionem maximè proclivis, ut quæ intra annos 460. vicies octies contra Principes ſuos inſurrexit. Et quidem famoſa eſt inprimis duplex rebellio, quarum prima incidit, in A. C. 1570. de qua Thuanus *Hiſtor.* altera A. C. 1647. cùm piſcator quidam, Thomas Anglus, ſive, ut Itali loquuntur, *Mas Angello*, totam civitatem Regni metropolim horribili tempeſtate ac tumultu commovit ac pluſquam 200000. civium ſolô nutu gubernans, pro arbitrio dominatus fuit, cùm Dux *d' Arcos* Proregem agebat. Duravit hæc rebellio non ampliùs 10. diebus, intra quos *Mas Angello* breve ſuum; ſed ita abſolutum, ut vix par invenias, imperium, à ſicariis occiſus, terminavit. Cujus rei hiſtoria extat à variis deſcripta; totque mirandis referta caſibus, ut niſi noſtris temporibus accidiſſet, fabulis potuiſſet adnumerari. Quapropter Reges Hiſpaniæ; cùm *Nepolitanos* viderent, tanquam ferocem aliquem & effrænem equum, leviſſimô impulſu in furorem & curſum abripi (nam

etiam *equô effrani* pro inſigni & ſymbolo utebantur) tribus caſtellis firmiſſimis, tanquam frenis quibuſdam ac ephippiis, ferocientem hunc equum caſtigârunt, & ſeſſorem h. e. Regem ſuum, pati docuerunt. Quemadmodum ea de re Trajanus Boccalinus pluribus videri poteſt. Vide Georg. Hornium *Orbe Politic. Part. I. p. 59. & 60.* Nec omittenda *Neapolitana*, nempe *Neapoli* olim inſtituta Quinquennalia & ſacra & Muſica: quem agonem Strabo dicit eſſe ἐνάμιλλον τοῖς ἐπιφανεςάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα, *l. 5.* An eadem cum iis, quæ poſtea apud Surrentum celebrata fuêre, *Parthenopæorum* nomine? de quibus Stat. *l. 3. Sylv. 1. v. 151.*

> ——— ——— *rideteque benigna*
> *Parthenope gentile ſacrum, nudoſque virorum*
> *Certatus, & parva ſua ſimulachra corona.*

Ad quem *l.* vide Barthium; adde Pet. Fabrum *Agoniſt. p. 646.*

Neapolitani regni provinciæ:

Ager Barianus, *Terra di Bari.*	Calabria ulterior, *Calabria oltra.*
Ager Hydruntinus, *Terra di Otranto.*	Campania fœlix, *Terra di Lavoro.*
	Capitanata, *Capitanata.*
Aprutium citerius, *Abruzzo citra.*	Comitatus Moliſinus, *Contado di Moliſe.*
Aprutium ulterius, *Abruzzo oltra.*	Principatus citerior, *Principato citra.*
Baſilicata, *Baſilicata.*	Principatus ulterior, *Principato oltra.*
Calabria citerior, *Calabria citra.*	

Neapolitani regni urbes præcipuæ:

Acheruntia, *Acerenza.*	Gallipolis, *Gallipoli.*
Aletium, *Lecce.*	Gravina, *Gravina.*
Amalphis, *Amalfi.*	Hydruntum, *Otranto.*
Anaxanum, *Lanciano.*	Manfredonia, *Manfredonia.*
Aquila, *l'Aquila.*	Mateola, *Matera.*
Barium, *Bari.*	Neapolis, *Napoli*, regni caput.
Barulum, *Barletta.*	Nola, *Nola.*
Beneventum, *Benevento*, ditionis eſt Pontificiæ.	Nuceria Paganica, *Nocera.*
Beſidianum, *Biſignano.*	Pinna, *Civita di Penna.*
Brunduſium, *Brindiſi.*	Rhegium, *Reggio.*
Cajeta, *Gaeta.*	Roſſanum, *Roſſano.*
Cantazara, *Cantazaro.*	Salernum, *Salerno.*
Capua, *Capoa.*	Surrentum, *Sorrento.*
Compſa, *Conza.*	Tarentum, *Taranto.*
Coſentia, *Coſenza.*	Theate, *Civit. di Chieti.*
	Tranum, *Trani.*
Tropea, *Tropea.*	

NEARCHUS, Claſſis Alexandri M. præfectus, in expeditione Indica, Curt. *l. 9. c. 10.* Videtur is ipſe eſſe, qui ab Antipatrida Telmiſſum, Cæſariæ urbem, ingenioſè recepit. Apud Polyæn. *l. 5. c. 35.* Scripſit Alexandri hiſtoriam, poſt hujus mortem Lyciæ Pamphyliæque præfectus, Strab. *l.* 2. 11. 15. & 16. Arian. *l. 5. & 6. &c.*

NEARCHUS, juvenis eximiæ pulchritudinis, Horat. *l. 3, Od. 20. v. 6.*

> *Ibit inſignem repetens Nearchum.*

NEAUGHUS, lacus Ultoniæ, in Hibernia valdè extenſus, inter Comitatus Antrimenſem, Dunenſem, Armachanum, & Tyronenſem; *Loug Neaugh.* Ibi aliquot Inſulæ, ex illo autem Bannus fluv. profluit. Circuitus 45. mill. paſſ. *Speedus.*

NEBAHAZ, Idolum Hevæorum. 2. Reg. *c. 17. v. 31.*

NEBAI, nomen viri, Nehem. *c. 10. v. 19.*

NEBALLAT, civitas, Nehem. *c. 11. v. 34.*

NEBILAS, apud Benjaminem *Itinerar.* Sichem eſt. Sic enim is נבילש והיא שכם *Nebilas & Sichem*, oppid. Samariæ olim celebre, aliàs *Sichar* quoque, quod à Samaria diſtabat, duo milliaria, ſeu duas leucas, ut *Arias Montanus*, apud Benjaminem Tudelenſem vertit. Atque ita quidem ſenſit olim Hieronym. qui proin Joh. *c. 4. v. 5.* pro *Sichar* legi voluit *Sichem.* Vide eum *in Epitaph. Paulæ Matris.* Idem tamen Vir ſummus alibi utramque appellationem agnoſcit adeoque ceu nomina diverſorum locorum, *Sichem & Sichar*, recenſet, *de Locis Hebr. l.* 10. ſecutus in eo, ut ferè in toto illo libello, Euſebium, cujus verba, ex verſione Hieronymi, iſta ſunt: *Sichem* (liber vetus MS. Biblioth. Reg. Gall. Συχὲμ habet) *& Salem quæ Latinè & Græcè Sicima vocata eſt, civitas Jacob nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in ſuburbano Neapoleos, juxta ſepulchrum Joſeph, quam ſubvertit Abimelech, & ſeminavit in ea ſalem; ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt. Poſtea verò inſtaurata eſt à Hieroboam, ut Regnorum narrat hiſtoria: & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. Sed & fil. Emmor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem, in monte Ephraim, civitas fugitivorum.* Hæc de Sichem: ſequitur de Sichar, *Euſeb.* Σύχαρ (ita quoque in accuratiſſ. Chryſoſtomi editione & apud Arabem Paraphraſtem) πρὸ τῆς Νέας πόλεως, πλησίον τοῦ χωρίου κτλ. ex verſione *Hieronymi, Sichar, ante Neapolim, juxta agrum quem dedit Jacob filio ſuo Joſeph in quo Dominus noſter atque Salvator ſecundùm Euangelium Johannis, Samaritanæ mulieri ad puteum loquitur: ubi nunc Eccleſia fabricata eſt.* Unde videmus tam Euſeb. quàm Hieronymum & Sichem & Sichar collocare ad Neapolim: at qui poſteriùs ſcripſerunt, ipſam Neapolim dixerunt eſſe Sichem, inter quos Benjamin laudatus, cujus *Nebilas* eſt ipſiſſimum nomen Neapolis, ſed depravatum, ut ſexcenta apud Syros & Arabes quibus ſolemne eſt literam *p.* in *b.* vertere, Caſaubon. *Exerc. XIII. Num.* 78.

NEBIS, fluv. Hiſpan. Tarraconenſis, *Ptol. Nabis Strab. Neiva*, teſte *Jacobô Vaſconcellô.* In finibus Bracarum, cum pago cognomine Limio proximus.

NEBIUM, urbs Corſicæ exciſa, in parte Boreali ejus, *Nebbio*, ubi nunc *Roſoli* pagus 6. milliar. ab ora littorali in meridiem, uti 7. ab arce S. Florentii Marianam verſus, 9. à Baſtia in Africum. Epiſcopalis olim ſub Metropoli Genuenſi.

NEBO, ſeu NABO, idolum olim Aſſyriorum, cujus oraculum conſuli conſueviſſe, docet Hieronym. *in Eſai. c. 46. v. 1. Nabo & ipſum idolum, quod interpretatur Prophetia & Divinatio*: ubi nominis ſimul etymon aperit. Proximum id dignitate Belo erat, unde ſicut *Belus* Sol, ſic *Nebo* Luna fuiſſe videtur Voſſio *de Idol. l. 2. c.* 8. ubi plura hanc in rem. Uti verò aliæ Numinum appellationes, ita *Nabo* quoque in virorum Principum nominibus invenitur, ut *Nabonaſſarus, Nabuchodonoſor, Nabuzaradan* &c. *ibid. c. 22.*

NEBO, urbs, & mons terræ Moabitarum ſupra Jordanum, contra Jerichuntem civitatem, in ſorte tribûs Ruben, Numer. *c. 32. v. 3.* Vide *Nabo.* Item civitas in tribu Benjamin, Eſr. *c. 2. v. 29.* & Eſr. *c. 10. v. 43.* Item Grammatici cujuſdam nomen, Lamprid. *in Severo c. 3. Grammaticum in patriâ Græcum Nebonem*: hoc eſt, profeſſione Græcum, ſed ortu Syrum: quod nomen arguit. *Nebo* enim proprium apud Syros viri nomen. Erat & Deus Babyloniorum, de quo Eſai. *c. 46. v. 1.* etſi eam vocem aliter ibi quidam ſunt interpretati.

NEBRIDÆ, nomen familiæ, quam in Attica collocat Arnobius *l. 5.* de Cerere errabunda & filiam quærente, *Oras ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges, Nebridarum familiam pellicula condonavit hinnulei, & illud ſpectaculum maximum Baubonis in inguinibus riſit.* Sed falsò, in Coo Inſ. enim floruit hæc familia, è qua Hippocrates oriundus, uti diſcimus ex Stephano in Κῶς. Itaque Arnobius vel Auctor ille, unde ſumpſit, quum legiſſet Νεβριδῶν familiam in Coa Inſul. eam in Atticam tranſtulit, quia Cereris ſacris qui initiabantur, imò & qui ſacrabat eos, qui ad myſteria ſe parabant, hinnulei pelliculâ, quam Græci νεβρίδα vocant, cingerentur. Bacchus enim vel Iacchus, in illis initiis Cereris Atticis, ſimul colebatur, cujus miniſtri & Bacchæ νεβρίδας geſtabant, ut ex infinitis Auctorum teſtimoniis conſtat: unde νεβρίζειν & νεβρισμὸς, in qua voce vide Harpocrationem. At nulla prorſus fuit *Nebridarum* in Attica, uti Eumolpidarum, familia: ſed omnes, qui myſteria iſta ſuſcipiebant, νεβρίδας induebantur. At Νεβρίδαι in Coo, non ab ulla *nebride* aut pelle hinnuli appellati, ſed à Nebro, familiæ primo auctore. Sic enim & in aliis urbibus notiſſimæ familiæ à ſuis auctoribus nomina perpetuarunt: Athenis, *Eumolpidæ*, in Theſſalia *Aleuadæ* & *Scopadæ*; Corinthi, *Bacchiadæ* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 116. & hîc infrà.

NEBRIS, hinnuli pellis, Baccho ſacra, quâ ipſe amiciebatur. Unde Νεβρώδης dictus, Claudian. *de 4. Conſ. Honorii. v. 605.*

> *Talis Erythræis intextus nebrida gemmis*
> *Liber agit currus, & Caſpia flectit eburnis*
> *Colla jugis.* ———

Eôdem habitu Bacchæ ornabantur, Seneca *in Oedipo, Actu 2. v.* 436.

> *Inter matres impia Mænas*
> *Comes Ogygio venit Iaccho,*
> *Nebride ſacrâ præcincta latus.*

Nonnus *l. 14. Dionyſ.* deſcribens expeditionem Bacchi in Indos & varia genera armorum, quibus Bacchæ armabantur, ſic canit:

> Ἄλλη ποικιλόνωτον ἐπὶ ςέρνοιο καλύπτρην
> Παρδαλίων, ἑτέρη δὲ κατὰ χροὸς οἷα χιτῶνα
> Στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεδύσατο δέρματα νεβρῶν
> Δαιδαλέης ἐλάφοιο περισφίγξασα χιτῶνα.

Lloyd. Apud Statium *l. 1. Sylv. 2. v.* 226.

> *Hic chelyn, hic flavam maculoſo* nebrida *tergo*;

Barthius pellem tigris interpretatur *Heſych.* verò cervinas pelles exponit. Sic Ovid. *Met. l. 6. v. 587.*

> *Tempus erat, quô ſacra ſolent Trieterica Bacchi*
> *Sithoniæ celebrare nurus. Regina, Deique*
> *Ritibus inſtruitur, furialiaque accipit arma.*
> *Vite caput tegitur, lateri cervina ſiniſtro*
> *Vellera dependent* ———

At Bacchas geſtâſſe pelles damarum, ſic dictas, tradit Lutatius *ad Theb. l. 2. v. 664.* Erant autem illæ variegatæ multis maculis, quales tigrium, ſi non hæ ipſæ. Eas inſuper *auro aſperſas* ait idem Stat. *Achilleidos l. 2. v. 42.*

> ——— *aſperſas* nebridas *auro.*

H. e. hinc inde aurô variegatas. Unde Claudian. *l. 1. de Rapt. Proſerp. v. 16.*

> ——— *lætusque ſimul procedit Iacchus.*

Et *v. 17.*

> ——— *quem Parthica velat*
> *Tigris & auratos in nodum colligit ungues.*

Cujuſmodi maculis, uvarum varios colores indigitatos fuiſſe in Bacchicis hiſce ſacris, docet Euſtath. *in Dionyſium Periegetem v.* 702. Ζώματα καὶ νεβρίδας ἐπὶ ςήθεσσι βαλόντες. Ἰσέον δὲ, ὅτι αἱ τροφοὶ γὰρ Βάκχαι αἱ τοῦ Διονύσου ὀπαδοὶ, εἰς ἀμπέλους ἀλληγοροῦνται. τροφοὶ γὰρ αὗται τοῦ εἰς οἶνον ἐκλαμβανομένου Διονύσου. Αἱ δὲ Διονυσιακαὶ νεβρίδες, τὴν τῶν ςαφυλῶν ἐν χρόᾳ αἰνίττονται πολυειδειαν πολύχροοι γὰρ, καὶ αἱ Νεβρίδες, καὶ ποικίλαι τοῖς ςίγμασιν. Vide præfatum Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim* & ſuprà in voce Nebridæ. Neque verò Bacchæ ſolùm, ſed & qui Eleuſiniæ Cereris ſacris, in Attica, initiabantur, *nebride* cingi conſuevêre, uti dictum ſuprà in voce *Nebridæ*, cùm myſteria hæc Cereris & Iacchi communia eſſent. Unde *Epigramma* Phalæci ἀναθηματικὸν, quô continentur omnia inſtrumenta Bacchica, ab Evanthe dedicata, ſic habet:

> Στρεπτὸν βασσαρικοῦ ῥόμβον θιάσοιο μύωπα,
> Καὶ σκύτος ἀμφιδόρου ςικτὸν ἀχαιίνεω.

apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 864. Vide quoque eum *p.* 221. & 224. ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A I vol. 3

ubi νεϐροὺς Græcis propriè fuiſſe anniculos cervos docet. Cæterùm de antiquiſſimo veſtiendi modo, qui pellibus fiebat, dicemus infrà in hac voce.

NEBRISSENSIS Helius Antonius, Reſtaurator humaniorum in Hiſpania literarum; Scripſit varia opera Hiſtorica, & Dictionarium eruditis notiſſimum. Obiit A. C. 1544. Nomen ab urbe *Nebriſſo* vel *Lebrixo* adeptus. Ejus elogium videre eſt, apud Paul. Jov. *c.* 64. Alph. Garciam, *de erud. Hiſpan. Viris.* Vaſæum, *in Chron. c.* 4. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11. P. Freherum *Theatro Viror. erudit. claror. &c.* Vide etiam *Antonius Nebriſſenſis,* Item *Guilielmus.*

NEBRODES, mons in Sicilia. *Νευρώδη ὄρη Straboni*, vitioſè proculdubio pro Νεϐρώδη, Solinus *c.* 11. *Sunt & alii montes duo Nebrodes, & Neptunius.*
Sil. *l.* 14. *v.* 237.

Nebrodes gemini nutrit divortia fontis,
Quo mons Sicanià non ſurgit ditior umbra.

Nempe denſi umbram efficiebant ſaltus, quos pervagabantur hinnuli, atque damulæ: unde nomen jugo quæſitum. Solinus *dictô locô*: *Nebrodem damulæ, & hinnuli pervagantur.* Inde Nebrodes. Gratius *in Cynegeticis v.* 527.

——— ——— *Victæque fragoſum*
Nebroden liquêre feræ.
——— ——— *Madonia Fazello.*

NEBROPHONUS, nomen canis venatici, Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 211.

Nebrophonusque valens, & trux cum Lælape Theron.

Latinè *hinnuli interfector. Nic. Lloydius.*

NEBROS, clariſſimus ex Aſclepiadis fuit, in Co inſula, vel Pythiæ teſtimonio, unde *Nebridæ* dicti, ex quibus Hipprocrates, Stephanus in Co.

NEBSAN, civitas in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 62.

NEBUCADNEZAR I. annô 7. regni ſui Tyrum obſidere cœvit novenniô poſt auditâ defectione Zedekiæ ultimi in Juda Regis cui ſe junxerat Satrapa Syriæ, cui Tyri obſidendæ cura fuerat demandata, copiarum parte Nebucadnezari ſeu Nabuchodonoſori filio datâ, contra eum miſit. Sic fil. cum poteſtate regia bellum gerens, licèt patre adhuc ſuperſtite, *Rex* in Scripturis dictus, annô regni patris 19. Hieroſolymam expugnavit: mox Tyrum ſubegit, ſub Ithobalo II. Rege, annô 22. à quo tempore regnatum eſt in Inſula, ubi jam pridem Regia erat Tyri Regum & quô cum theſauris ſuis magna civium Palæſtyri pars ſe receperat, uſque ad Alexandri M. tempora. Ægyptum inde, victô occiſoque Rege Aprie, ſubjugavit, populumque abduxit, quæ deſolatio duravit annos 40. Ezech. *c.* 29. *v.* 13. Reliqua vide ſuprà ubi de *Nabuchodonoſore I.*

NEBUCADNEZAR II. cùm jam, poſt excidium Hieroſolymorum, Phœniciam & Ægyptum per 2. annos victor peragrâſſet, ut dictum, patre mortuô annô Nabonaſſaris 144. jure propriô regnare cœpit. Omnibus ex voto conſtitutis, urbem exornavit ac munivit, poſt Beli templum & alia ex manubiis magnificè exornata; ad coërcendum Euphratis impetum duo divertigia ſupra Babylonem effodi curavit &c. Porrò, non tantùm Syriam, Ægyptum & magnam Libyæ partem ſubegit verſus Auſtrum, ſed etiam verſus Septentrionem exercitum in Iberiam duxit & tranſmiſſô Caucaſô per Sarmatiæ ſolitudines pervagatus eſt: Hercule hinc major habitus. Cujus expeditionis cauſa, an ut Cyaxari Medo in expellendis Scythis, qui Aſiam & Mediam 28. annos ſuperbè tenuerunt: an ut in Nino expugnanda eidem opem ferret? Secuta eſt phreneſis ejus ſeptennalis, quò referas vaticinium Nabucodroſori *de Perſe Mulo*, cujus meminit Megaſthenes apud Euſebium *Præpar. l.* 9. *c.* 41. quô tempore Evilmerodachus fil. regnum adminiſtravit. Reſtitutus ſanitati ac regno, tredecim adhuc annos ipſemet præfuit, extinctus annô regni 43. Reliqua diximus, ubi de *Nabuchodonoſore II.* Addam unum hoc, anno 18. regni ejus Suſa à Dario Medo expugnata, ſtatuere Marshamum *Canone Chron. ad Sec. XVIII.* Cum hoc recentiores Judæi Hadrianum Imperatorem comparârunt, qui ad diem 9. menſis *Ab* (qui circa Julium noſtrum) edictô vetuit, ne *Judæi ingrederentur Judæam*: unde in Kalendario Judaico, ad diem hunc fatalem, Adrianea hæc Terræ interdictio inprimis annotata eſt, quamvis & de multo vetuſtioribus ejuſmodi interdictionibus aliquot, cunctis velut ad eundem diem attinentibus, decretum illud ſumi poſſit. Hinc in diei hujus Ritualibus, hymnus eſt, in quo quidem *Nebucadnezar* & Adrianus (quem illi אנדריינוס ſcribunt) veluti miſeriarum ſimilium auctores multoties memorantur; ſemel tantùm in eodem Veſpaſiani & Titi nominibus adhibitis, ſed Adriani ut *Nebucadnezaris* quaſi vicies, alternatim ad hunc modum, *Machzor part.* 1. *fol.* 189. *col.* 1. *Recordare Domine, qualis fuerit nobis Nebucadnezar, qui punivit nos ut veneficos, ipſe auguriis uſus, præſtigiatorum inſtar, diſciplinâ extraneâ infatuatus & conſulens Teraphim. Recordare Domine, qualis nobis fuerit Andrianus* (pro Adrianus) *crudelitatis conſilia amplexus conſuluit idola ſe pervertentia & combuſſit quadringentas & octoginta ſynagogas.* Cujuſmodi alia ordine inſunt continuô! uti & memoria Principum illorum, à quorum utroque calamitates eodem die Judaicæ evenerant, in quibus etiam è patria ſeu Palæſtina integra, exilium. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebr. in Addendis l.* 2. *p.* 727. & 728. De hoc autem interdictô plura ſuprà ubi de *Judæis.*

NEBULA, inter meteora infimæ regionis notiſſima, memoratur Plinio *l.* 2. *c.* 60. quam denſam in bello maximi momenti eſſe, diſcimus ex Livio *l.* 22. *c.* 4. ubi de Flaminio Conſule ab Annibale circumvento, *Eò magis*, ait, *Romanis ſubita atque improviſa res fuit, quod orta ex lacu nebula, campô quàm montibus denſior ſederat, agminaque hoſtium ex pluribus vallibus ipſa inter ſe ſatis conſpecta, eoque magis pariter decucurrerunt. Romanus, clamore prius undique ortô, quàm ſatis cerneret, ſe circumventum eſſe, ſenſit &c.* De *nebula* Diis Homericis circumfuſa, vide infrà in *Orci galea.* In *Fragmentis* Petronii, *Palàm proſtare nudam in nebula linea*; Ita enim legendum, pro *lana*: Veſtis tenuis ac ſubtilis eſt, ſic dicta, quòd tranſpareat ſub illa corpus, ut cœlum ſub nebula. *Heſych.* φάρη, ἱμάτια, νεφέλαι. Fulgentius *Mythol. l.* 1. *poſt princip. Aſtiterant itaque ſyrmate nebuloſo lucidæ terræ viragines*, &c. *Suidas* διαφανῆ χιτώνια vocat τὰ ἰσχνὰ, δι' ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν. *Heſych.* & alii, Λακωνικὸς χιτὼν, *Laconica tunica.* Ita *Coæ veſtes* apud Horatium *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 100. aranearum modo textæ. Plin. *l.* 6. *c.* 17. bombycinas factas ait, *ut in publico matrona tranſluceat.* Ammian. *l.* 14. *Sudant ſub ponderibus lacernarum, quas collis inſertas ſingulis ipſis adnectunt, nimiâ ſubteminum tenuitate perflabiles*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quæ de his prolixiùs dicemus; ubi de *Pellucidis* veſtibus, ut & aliquid voce *Niblatus.* Nec omittendum, quòd iſtiuſmodi nebulis circumſeptas uxores ſuas Magnum Mogolem choreaſque ducentes, ſpectare, aliiſque, quos interiori amicitiâ dignatur, quandoque ſpectandas exhibere conſueviſſe, annotat Joh. Baptiſta *Tavernier Itiner. Ind.* Sed & *Nebulæ* apud recentioris ævi Scriptores panes tenues. *Gloſſæ Bibl. MSS. Tipſanas; panes, qui dicuntur nebulæ. Gloſſ. Lat. Gall. Nebula: Oublée; mente. Gloſſæ MSS.* ad Alexandrum Jatroſoph. *Fabriciæ buccellæ, quæ fiunt ſuper ferrum, ut nebulæ.* Eraſmus *in Græciſmo,*

Aëris eſt nubes, nebulæ de flumine ſurgunt;
Ac panis nebulâ *tibi ſubtiliſſimus extat.*

Bernardus Mon. *in Conſult. Cluniac. MSS. c.* 77. & ex eo Udalricus *l.* 1. *c.* 49. *Vel ea, quæ in ferramento caracterato de conſperſione farinæ tenuiſſimè fiunt & ab hominibus Romanæ linguæ* Nebulæ, *à noſtratibus appellantur Oblatæ.* Vetera *Statuta* Canonicorum S. Quintini: *Ad poſtmeridiem debet* nebulas *& oblatas & moretum & vinum Præp. debet ligna & ſal.* Infrà, *Debet habere unuſquiſque privatus* 10. nebulas *&* 5. *oblatas.* Et Ordinarius MS. Eccleſiæ Rotomagenſis, ubi de feſto Pentecoſtes: *Et dum incipitur, Veni creator, projicientur per familiares Theſaurarii exiſtentes in deambulatoriis inferioribus turris, ante Crucifixum ſcilicet inferiùs, & quàm poterunt infra chorum, folia quercuum,* nebulas *& ſtuppas ardentes in magna quantitate. Et à Gloria in excelſis, emittent volare verſus chorum aves parvas & mediocres cum* nebulis *ligatas ad tibiam, in competenti numero & continuabunt præmiſſa, uſque ad Officium Miſſæ, nec ceſſabunt, niſi dum dicetur Evangelium. Et hæc omnia fient expenſis Theſaurarii & Capituli, æquis partibus.* Qui quidem ritus in aliquot Galliæ Eccleſiis etiamnum obtinet. Vide Joh. Bruyerium *de Re Cibar. l.* 6. *c.* 9. *p.* 420. Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, in voce *Oblata.*

NECATE, promontorium Piceni prope Piſaurum, quod quidam *Focariam* vocant, inquit *Niger.*

NECEB, civitas tribus Nephthali, quæ & *Adami*, Joſ. *c.* 19. *v.* 33.

NECEPSO, nomen Medici, de quo Firmicus *l.* 8.

NECEPSO & Petoſiris, Aſtronomi antiquiſſimi: Firmicus *l.* 4. *c.* 16. ex Salmaſii lectione; *Sic &* Necepſo, *Ægypti juſtiſſimus Imperator & Aſtrologus valde bonus, per ipſos Decanos, omnia vitia valetudineſque collegit, oſtendens quam valetudinem quis Decanus efficeret, & quia natura, alia à natura vincitur, & quia Deum frequenter alius Deus vincit, ex contrariis ideò naturis, contrariiſque poteſtatibus omnium ægritudinum medelas divinæ rationis magiſteriis invenit*, &c. Ubi Deum, h. e. *Decanum* eſſe appellatum ὡροσκόπον, qui naſcentiæ præeſt, innuit, & vetuſtiſſimam eorum obſervationem, ac cum ipſis γενεθλιαλογικῆς incunabulis apud Græcos & Chaldæos natam eſſe, indigitat. Vide ſuprà ubi *de Decanis Diis*, & hîc *Necepſos.*

NECEPSOS, vel *Necepſus*; Rex II. Saitarum in Ægypto; in aſtrorum cognitione peritiſſimus, Auſon. *Epiſt.* 19. *v.* 18.

Quique magos docuit myſteria vana Necepſus.

Dicitur & *Nechac. Nic. Lloydius.* Marshamo, partiarius erat Ægypti Regulus, in illa πολυκοιρανίῃ de qua voce *Dodecarchia* aliquid diximus. Stephanatis ſucceſſor, ſed maximus Sideralis ſcientiæ inſtaurator habitus: quæ enim Mercurius I. olim excogitaverat; quæ ſecundus in Templorum adytis repoſuerat, ille in praxin uſumque hominum traduxit. Unde *Magorum* dictus *Magiſter*, quòd hi poſt ſubactam à Perſis Ægyptum, ex hujus Regis ſcriptis doctrinam Genethliacam hauſerint; utpote *Auctoris Aſtrologiæ Judiciariæ omnium vetuſtiſſimi.* Illi plerumque jungitur Petoſiris, cujus liber ad *Necepſo* Regem memoratur Rein. Reineccio *Hiſtor. Jul. part.* 1. In regno poſt 6. annos ipſum excepit, Nechus. Vide de *Necepſo*, multa præclara, ut & de *Aſtrologica divinandi ratione*, ab Ægyptiis ad Chaldæos, inde ad Græcos derivata, apud præfatum Marshamum *Canone Chron. Sec. XVI.*

NECESSITAS apud Veteres Ἀνάγκη Græcis dicta eſt, quidquid animum ſuæ ſpontis eſſe non patitur. Ita, dolor, voluptas, metus, aliaque animi πάθη, totidem illis fuêre ἀνάγκαι. Hi enim affectus rapiunt nos ac trahunt, quò ire nolumus. Sed & cùm aliquid facere cogimur aut pati, præter animi voluntatem, id etiam ἀνάγκη. Unde ἀναγκοσιτεῖν & ἀναγκοφαγεῖν dicti, qui non ad libitum ſuum, ſed alienô arbitriô, comederent: quemadmodum Pugiles, de quorum ἀναγκοφαγίᾳ diximus aliquid ſuprà, ubi de *Arida ſaginatione.* Indidem *Fati neceſſitas, Horatio*; μοιρῶν ἀνάγκαι, *Herodoto.* Item egeſtas, quâ notione vox capienda apud *Diodorum.* Sic μέχρις ἂν κατασχεθέντες τελευτήσωσιν ἐν ταῖς ἀνάγκαις. Et *Cyprianum. Neceſſitas pauperum ſublevanda.* Porrò vincula & carceres. Unde ἀναγκαῖον, *neceſſarium*, locus carceris. Morbus, in Concil. Gangrenſi; εἴ τις χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο. Contumelia, apud Epiphanium de Audio, quem ſchiſma facere coactum dicit propter τὴν ἀνάγκην τῶν ὕβρεων. Inprimis verò in amatoriis vox uſurpata de his, qui philtrô in amorem per vim abducuntur: etiam de ipſis philtris & amatoriis, ἀνάγκαι

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& καταναγκαι, item κατάδεσμοι *Syneſio* aliiſque. Unde herbæ, quâ ad amatoria Theſſalæ mulieres olim uſæ, *Catanances* nomen, apud Plinium *l.* 27. *c.* 8. in limphationibus tandem & variis metibus, vide ſuprà paſſim & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1085. Hinc *Neceſſarium*, quod, præter ſignificata, quæ jam innuimus, caro quoque ac pretioſo olim oppoſitum: mediô ævô contrariam notionem induere cœpit, uti diximus ſuprà in voce *Ambitio*. Apud Recentiores, Monaſticæ Rei Scriptores inprimis, *Neceſſaria*, item *Neceſſarium*, latrina, ſeceſſus eſt. Lanfrancus *Decr. pro Ord. S. Benedicti c.* 4. *Unus eorum in dormitorio debet lectos circumire omnium & omnia ſedilia in* neceſſariis *ſolicitè conſiderans, ne fortè aliquis Frater dormiens ibi remanſerit*. Quæ non niſi coopertô capite intrari, jubet Liber *Ordinis* S. Victoris Paris. *MS. c.* 22. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi etiam corio involvi & pannô obduci hæc ſedilia, addit ex veteri *Computo*. Eôdem modô χρείας Græci uſurpant, ut inter alios, apud Artemidorum *Oneirocritico* videre eſt *l.* 1. *c.* 2. De munditie laudabili horum locorum in Aula Turcica, vide Joh. Bapt. Tavernier *in Deſcr. Serralii*. Aliquid etiam infrà, voce *Soteria*. Nec omittendum, quòd αἰδοῖον etiam ἀναγκαῖον appellari quandoque obſervat Artemidorus *Oneirocritic. l.* 1. *c.* 47. uti *partes neceſſarias* Latini, it. *neceſſaria*; abſtinentes quidem ab harum partium appellatione propria, ſed eas nihilominus neceſſarias ſignificantes, atque ſic verecundiam mitigantes. Vide Jul. Firmicum *Matheſ. l.* 4. *c.* 12. 28. & *l.* 5. *c.* 3. adde locum Pauli 1. Corinth. *c.* 12. *v.* 22. plura verò hanc in rem, apud Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnob. l.* 5. verba, *ſine honoribus appellare præfatis*.

NECESSITAS, & Violentia, Corinthiis pro Numine: Sed à fano arcebantur omnes, nec ulli aditus dabatur in Templum. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 1. *c.* 14.

NECHAO, nomen Pharaonis Regis Ægypti, illius videlicet, cui contra Aſſyrios tendenti Joſias Rex Judæ ivit in occurſum, quô in prælio occiſô, Joachimum in thronum evexit, cum eo fœdus pactus. Victus dein à Nebucadnezare, A. M. 3429. 2 Reg. *c.* 23. *v.* 29. 2 Paral. *c.* 35. *v.* 20. Jer. *c.* 46. *v.* 2. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 10. Herodot. *l.* 2. & 4. Torniel. *A. M.* 3425. & *ſeqq.* Vide infrà *Nechos*.

NECHEROPHES, ultimus Thinitarum in Ægypto Rex, ſucceſſit Cheneri Regi XVII. circa initium Joſephi Patriarchæ. Sub eo Libyes ab Ægyptiis defecerunt, quò illud Plinii referre licet, *prælium Afri contra Ægyptios primùm fecêre fuſtibus, quos vocant phalangas*, *l.* 7. *c.* 56. Verùm *lunâ ſupra modum augeſcere viſâ, religionis metu ſeſe dediderunt*, Syncellus *p.* 56. Quod prodigium alii ad ſtellam Veneris retulerunt, uti diſcimus ex Auguſtino *de Civ. Dei l.* 21. *c.* 8. uti ex Caſtore refert, *in ſtella Veneris tantum extitiſſe prodigium, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram & curſum*. Regnavit ann. 28. finemque huic regno impoſuit, quod Thebano accreviſſe veriſimile eſt, poſtquam duraviſſet ab initio Menis annos 593. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Secul.* VI. ut & infrà voce *This*.

NECHIA, Pharao Ægypti Rex, is qui Abrahamo uxorem ſuam abſtulit. Joſeph. *l.* 6. *c.* 18. *Ant. Jud.*

NECHO, Rex Ægypti à Nabuchodonoſore victus ad Euphratem. Vide *Nechao* & *Nechos*.

NECHOS, Pſammitichi fil. patri in regno Ægypti ſucceſſit, elati & magna ſpirantis animi, qui proin, priſtinæ Ægyptiorum gloriæ æmulus, Imperium Aſiæ, quod pater lentè tentaverat, recuperare ſuſcepit. *Comparavit itaque copias bellicas, & conſtruxit triremes, tam in mari Septentrionali, quàm in Sinu Arabico ad mare rubrum; quarum navalia adhuc cernuntur*, Herodot. *l.* 2. *c.* 159. In quo conatu cùm ei Joſias Rex Judæ ſe opponeret, victus ab illo, & occiſus eſt, vide ſuprà. Is verò omni Syriâ ſub poteſtatem redactâ, poſt 3. menſes regreſſus, Joahazum Judæ Regem vinxit, ejuſque locô Jehojakimum inſtituit, reduxque in Ægyptum pacis operibus vacavit, tamdiu quietus, quamdiu ignavus Babylonis Rex Chyniladanus Babylone regnabat. Conſtruxit triremes in ſinu Arabico, etiam foſſam à Nilo ad ſinum illum ducere aggreſſus eſt, in quo cœpto perierunt Ægyptiorum 12000. Herodot. *l.* 2. *c.* 18. Primuſque fuit eorum, qui Africam περίρρυτον eſſe monſtrârunt, Idem *l.* 4. *c.* 41. poſtquam enim à Foſſa deſtitit, Phœnices quoſdam ad Africam circumnavigandam miſit, qui Mari Rubrô ſolventes in Mare Auſtrale abierunt, ac tandem annô tertiô per Columnas Herculis tranſvecti in Ægyptum redierunt. Sequutæ fortunæ vices: Nabo-pol-aſſar enim Babylonis Rex poſt Chyniladanum, ſtatim ſub initio Regni, copias *Nechonis*, ipſumque dein, vicit, totamque Syriam uſque ad Peluſium, exceptâ Judæâ, ſub poteſtatem redegit: poſt Hieroſolymas dein, Tyrumque devictam, Ægyptum quoque devaſtavit, quod tamen ſub *Nechonis* ſucceſſore demum factum; poſtquam enim regnâſſet *Nechos* annos 16. excepit eum Pſammis fil. circa ann. Nabonaſſaris 137. Vide infrà *Pſammis*, & plura hanc in rem apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. XVIII.* Addo ſaltem, hunc Regem, ad diſcrimen ejus, de quo mox, vocari *Africano*, *Euſebio* & *Syncello Nechaonem II.*

NECHUS, quem *Nechaonem I.* cum auctoribus modô dictis voces, in Saitarum Ægypti Regulorum ſerie Necepſum ſequutus, regnavit octo ann. habuitque, à Sabacone Æthiope occiſus, ſucceſſorem filium Pſammitichum, inter præcipuos Ægypti Reges numerandum, ut qui patriam à tyrannide liberavit & Regulorum multitudine abolitâ Monarchiam reſtituit. Vide infrà, *Pſammitichus*.

NECICA, oppid. Dalaſſidis, in Cilicia. *Nimica Interpretib.*

NECLAS, urbs Arabiæ Petrææ, Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi, inter Petram & Medavam, *Ptol.*

NECODA, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 48.

NECOS, fill Pſammitichi, Ægypti rex, cui fil. Pſammis in regno ſucceſſit, Herodot. *l.* 2.

NECRETICE, Colchidis regio, *Ptol. Nitice Arriano*, ut ſcribit *Pintianus*.

NECROLOGIUM, Græcè Νεκρολόγιον, dicitur defunctorum catalogus, Bedæ *Hiſtor. Anglic. l.* 4. *c.* 14. Aliter *Obitorium* ſeu *Obituarium*, item *Calendarium*. Anſelmus *l.* 1. *Ep.* 71. *Vir ille, qui à nobis nuper moriens monachum ſumſit habitum. Sicut ambitio-ctionem aſſumſit; mandate nobis nomen & diem obitus ejus, ut in noſtro calendario ſcribatur*, &c. Vide quoque ſuprà in *Martyrologium*.

NECROMANTICI, poſterioribus ſeculis dicti ſunt, ex ſententia *Hornii*, quos Moyſes Geneſ. *c.* 6. *v.* 4. נפלים vocat, quique vulgò *Gigantes* redduntur: Unde Poëtarum inde fabulas de Gigantum Titanumque audacia ſunt qui deducant. Ita enim vocem hanc explicant Rabbini. Sed ratio, quam *Kimchius* affert, minime ſolida eſt: quaſi quia alii eorum pavore conciderint, inde ipſi *Cadentes* fuerint appellati: Neque ea, quæ *Gerundenſis* affert, ſatis ſunt firma. Namque Bileamus Numer. *c.* 24. *v.* 4. 16. bis נפל i. e. *Cadens* appellatur, quem Magum famoſiſſimum fuiſſe conſtat, Gigantem nemo dicit. Probabile itaque, נפלים dictos eſſe non tam ob vaſtitatem corporis, quàm ob Magiæ atque incantationum peritiam, quam hi Kaini ſectatores palàm exercebant. Talis enim & Bileamus prædictus fuit, tales & Νεκρομάντεις ac Νεκυομάντεις ſequentibus annis appellati, quia mortuorum cadavera, à Dæmone animata, iis reſponſa dare cogebantur, de quibus 1 Sam. *c.* 28. *v.* 7. & apud Lucanum *l.* 6. agitur. נפל autem & מפלה, ut & נבלה, cadaver denotare, norunt Hebræorum filii. Geörg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 9. *ſub fin.* Utebantur hi, more Theſſalorum, oſſe aliquando aut venâ defuncti hominis: nonnunquam fervefactum cruorem cadaveri, ut reſponſa inde elicerent, affundebant. Quemadmodum Erichtho apud Lucanum, *l.* 6. *v.* 750.

——— ——— *Dum vocem defuncto in corpore quærit,*
Protinus aſtrictis caluit cruor, atraque fovit
Vulnera &c.

Et quia Spiritus vel anima hominis fatô functi hâc arte videbatur in corpus revocari (unde Horat. *l.* 1. *Sermon. Sat.* 8. *v.* 29. *Animas reſponſa daturas*) Ψυχομαντεία quoque atque etiam Σκιομαντεία hinc dicta eſt. Is verò qui reſponſum expectabat, tenebatur certus eſſe de cadavere, cujus oraculum, ſi Diis placet, hôc modô ſolicitabat, ritè ſepultô. Quare Meliſſa Periandri uxor, marito, qui ad Theſprotos, Acherontis fluvii accolas, nuntios miſerat, ſciſcitatum *Necyomanteon*, de hoſpitis depoſito, apparens, negavit ſe reſponſuram de quæſito, quoniam ipſa algeret ac nuda eſſet: nihil enim ſibi prodeſſe veſtes, cum quibus ſepulta fuiſſet, utpote non concrematas, apud Herodot. *Muſâ quintâ*. Etiam luſtrari prius ſciſcitaturum neceſſe erat, unde Tireſias Thebanorum Regem apud Statium *l.* 4. ut luſtratione ritè defungatur, monet, ne hic ipſi damnum afferat. Franc. Roſſæus *Archæol. Attica l.* 7. *c.* 1. Vide quoque ſuprà in voce *Divinatio*, & infrà *Necyomantia*, ut & alibi paſſim.

NECROPHORIUM, vide hîc *Arcâ*, item *Sandapila*.

NECROPOLIS, urbs Ægypti, diſtans ab Alexandriâ 30. ſtadiis, ubi Cleopatra, anguibus admotis uberibus, ſe extinxit, ne in triumpho duceretur ab Auguſto.

NECTANEBUS, Ægypti Rex ultimus, Platonis temporibus, fil. Tachi, aliis conſobrinus, pulſus à Mendeſio, & reſtitutus. Dein ab Ocho Perſiæ Rege, per Mentorem & Græcos, denuò exturbatus, in Æthiopiam confugit, A. 404. Urb. Cond. Dynaſtias horum Regum *Manetho* ſcripſit, *Euſeb.*

NECTAR, vinum pigmentatum. Ugutioni, potionis delicatioris ſpecies, interdicta in *Statutis* Ordinis Cartuſienſis A. C. 1368. 2. *part. c.* 5. §. 30. Nectar *quoque quaslibet alias vini & ſpecierum confectiones nullo unquam tempore in refectorio miniſtramus*. Vide infrà in voce *Pigmentum*, & ſuprà in *Murina*.

S. NECTARII caſtrum, in Gallia vulgò *Senneterre*, corruptè pro *Senectere*, locus eſt in Chartario Brivatenſi memoratus, ubi *Caſtro de S. Nectario* vocatur. Arverni, apud quos eſt, idiomate ſuo *S. Nectoire* appellant, pro *S. Nectaire*. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

NECTARIUS, Epiſcopus Conſtantinopol. patriâ Tarſenſis, familiâ illuſtri, ad civilia magis negotia natus, nec eruditione, nec probitate, nec ſecundâ nominis famâ, ut quidam ſcribunt, ornatus, à Theodoſio Imperatore Gregorio Nazianz. ſurrogatus eſt, antequam baptizatus eſſet, A. C. 381. Piè quidem præfuit, ſed hæreticis, pacem Eccleſiæ turbandi ruditate ſuâ & inconſtantiâ anſam dedit. Interim *Confeſſionis* ritum & Presbyterum, Pœnitentiæ præfectum, ſuſtulit, cum hac occaſione matrona quædam nobilis, in templo, à Diacono conſtuprata eſſet: quod ad Epiſcopi hujus imitationem, in toto mox Oriente ſimiliter factum, in Occidente ſolo, ritu manente, qui dein *in Confeſſionem Auricularem* degeneravit. Socr. *l.* 5. *c.* 8. Sozom. *l.* 1. *c.* 16.

NECTENDI Coronas artificium, à Sicyoniis manavit, Plinio auctore. *l.* 21. *c.* 1. Primò namque flores, ut diſcriminatim legebantur, ita ex indiſtinctis corollam ſibi ſeu coronam quiſque plectebat, nullo aut exiguo colorum, odorum, nitorum judiciô: cujuſmodi coronas χυδαίας vocârunt ſolertiora ſecula. Poſtmodùm aliquis delectus haberi cœpit, & ſenſim *nectendi* pulchriores & operoſiores coronas artificium, exortum eſt, ex Pauſiæ Pictoris & Glyceræ coronariæ, illi admodum dilectæ, certamine. De quo ſic præfatus Auctor. *loc. cit. Arborum ramis coronari, in ſacris Certaminibus mos erat primùm. Poſtea variari cœptum miſturâ verſicolori: Florum que invicem odores coloreſque accendêre Sicyonii, ex ingenio Pauſiæ atque Glyceræ---cùm opera ejus picturâ imitaretur & illa provocans variaret, eſſetque certamen artis ac naturæ*, Vide quoque *l.* 35. *c.* 11. ubi *inventricem coronarum* propterea hanc Glyceram vocat, ut & infrà in voce *Stephanoplocos*. Ejus poſtmodum imitatione prodierunt aliæ ςεφανοπώλιδες, *ſertorum* ſeu *corollarum venditrices*, eademque ςεφανοπλόκοι, *opifices earum*, qualem Horatius vocat Europæ Cim...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Carmin. l. 3. *od.* 27. Muliebre enim munus id fuit propriè: in urbe quidem harum στεφανοπλόκων ſeu στεφανοπωλίδων; ruri verò puellarum & virginum; præſertim cùm illa ſerta imponebantur agreſti alicui Numini. Unde apud Longum, Daphnis effuſus in queſtus, ob raptam Chloën, ad Nymphas, hæc, inquit, illa erat, ἡ τοὺς στεφάνους ὑμῖν πλέκουσα, *quæ vobis plectebat coronas, l.* 2. Dicebantur autem non ſolum πλέκειν, ſed & ἀνείρειν, & ἀναπείρειν τοὺς στεφάνους, *nectere & trajicere coronas.* Unde ἀνερσεις χρυσῶν στεφάνων, *nexus aurearum coronarum*, apud *Etymolog.* ἀνείρειν. Quod opificium tantâ aſſiduitate exercebatur, ut eò pauperculæ mulieres ſeſe ſuſtentarent, ut ſuprà *Plin.* tradidit. Ideoque illud *Plut.* vocat ἡδὺ μὲν, ἐφήμερον δὲ καὶ ἄκαρπον ἔργον, *dulce quidem, ſed diurnum & infructuoſum opus*; h. e. tenuis admodùm lucri. Ita enim mulier illa Ariſtophanea *Theſmophoriazus.* de quinque liberis, ſibi maritô mortuô relictis, loquens.

—— —— ἃς ἐγὼ μόλις
Στεφανηπλοκοῦσ' ἔβοσκον ἐν ταῖς μυρρίναις.
—— —— *quos ego vix*
Coronariô quæſtu pavi in myrtetis.

Porrò hoc artificium conſiſtebat in floribus, foliis, herbis ramuliſque in orbem nectendis; quò ſic nexi redimiendo capiti eſſent idonei. *Nectebantur* autem in filo & in ſcirpo, uti habet Tertullian. *de Cor. mil.* ubi *ſcirpum* prò *philyra* uſurpatum cenſet *Paſchalius*: philyrâ enim & filô omnis illa coronaria materia nectebatur, Tertullian. *de Pallio*; quemadmodum elephantorum ſetæ, apud Indos, & membranæ tenuiſſimæ tiliæ, apud nos in ſimiles uſus adhibentur. Philyris poſtmodum acceſſêre lemniſci, quibus illæ involvebantur, quò & corona firmior ac tota res aſpectui gratior eſſet, uti diximus ſuprà, ubi de *Lemniſcis.* Sed & Viri coronas *nexuiſſe* & vendidiſſe ſubinde memorantur; qui στεφανοπλοκοῦντες & στεφανοπῶλαι hinc dicuntur Plutarcho πολιτικ. παραγγελμ. Verùm mulierum id propriè munus, ut dictum. Ad quarum exemplum *Compoſitores gemmarum* exorti ſunt, uti Plinius docet *l.* 37. *c.* 6. &c. Vide hanc in rem plura, apud Car. Paſchalium *Coronar. l.* 2. *c.* 12. Vim verbi quod attinet, *nectere* continuare eſt. Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 567.

Sidoniiſque ſimul nectebat *vulnera Mavors.*

Unde *nexa*, quæ non interrupta. Ut *catenati labores*, apud Auſonium.

—— *Iraſque inſidiaſque catenatoſque labores,*
Mutandos ſemper gravioribus ——

Et *cauſas nectere*, i. e. aliam ex alia deducere, Virgilianum eſt. *Oracula* verò *nectere*, apud eundem Statium, *comminiſci* eſt & *per dolum compingere.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad loc. cit.*

NECTIBERES, popul. Mauritaniæ Tingitanæ apud *Ptol.*

NECYIA, urbs Umbrorum, *Steph.*

NECYOMANTIA, ſeu NECROMANTIA; aliter *Anagogitis*, Plinio *l.* 35. *c.* 11. ab *evocando* Deûm Manium imagines. Cicero 1. *Tuſc. Inde ea, quæ meus amicus Appius* Necyomantia *faciebat: Inde in vicinia noſtra Averni lacus:*

Unde animæ excitantur, obſcura umbra, aperto oſtio
Alii Acheruntis, ſalſô ſanguine, imagines mortuûm.

Non verò omnes omnino, ſed ſolas ἀώρων, *qui funere acerbô abrepti* & Βιοθανάτων, *qui violentô mortis genere prærepti eſſent*, animas in *Necyomantia* Magicis artibus evocari, creditum nonnullis, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ eſſent ex intimis ſedibus Inferorum, ubi quieſcere ſolùm Animas maturâ ætate ſolutas, placidâ morte ſeparatas atque etiam ſupremitatis honore donatas opinabantur. Plerique enim dubitârunt etiam Paganorum, an ex imperio & arbitrio Magi, animæ ab Inferis ipſis evocari poſſent, ad oracula reſponſitanda? Non autem receptos eſſe Inferis, qui funere acerbô, vel violentô mortis genere eſſent abrepti, aut qui ſepulturæ honore caruiſſent, multorum fuit ſententia. Aliam rationem ſuggerit Tertullian. *de Anima. Itaque invocantur quidem Abori & Biothanati, ſub illo fidei argumento, quòd credibile videtur, eas potiſſimùm animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam ſævus & immaturus finis extorſit, quaſi ad invicem offenſæ*, &c. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1091. & 1119. & hic paſſim, vocibus *Manes, Muſſare, Necromantici, Nigromantia.*

NECYSIA, idem quod Geneſia Ammonio, h. e. *Parentationes*, de quibus vide infrà, plura verò apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 17. *c.* 21.

NEDA, qui NEDAS *Strabon.* fluv. Arcadiæ flexuoſiſſimè juxta Leprium fluens, Elæoſque à Meſſeniis dividens, ex Lycæo monte oriens cum oppido cognomine, teſte *Stephan.* Nunc *Longarola*, *Brietio* ad quem vicus *Nedina*; veteris nominis. Nomen habet fluv. à nympha Jovis nutrice, ut Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 9. *l.* 24. *c.* 17. tradit.

NEDFRI, in *Capitular.* Caroli M. prohibiti an ſacrilegi iſti ignes ſunt, quos in myſteriis ſuis, arte Magicâ & neſcio quibus præſtigiis excitabant pagani Sacerdotes, ut auctoritatem ac reverentiam ſacris ſuis conciliarent, de quibus vide Henric. Valeſ. *ad Euſebium de Vita Conſtantini l.* 4. *c.* 10. & infrà in voce *Nodfyrs.*

NEDINUM, Illyrici oppid. *Ptol. Suſied*, teſte *Nigrô. Nadin* incolis, oppidul. nunc Dalmatiæ, in colle, juxta Lacum cognominem in ditione Turcica. Sed à Venetis haud pridem captum, ejuſque munitiones disjectæ, 18. milliar. à Jadera in Ortum, & 24. à Sebenico in Circium, uti 9. ab ora maris Adriatici ſeu Sinus Veneti.

NEDON, urbs & locus Laconiæ, unde Minerva *Neduſia. Steph.*

NEELA, civitas, è qua Zabulon alienigenas expellere noluit, Hieronym. *in loc. Heb.*

NEELLE, nomen illuſtris in Gallia familiæ, quæ Lavallææ ſtirpis ramus eſt. In hac enim præter ramum principalem (cujus hæres Emma Guidonis VI. an VIII. filia Matthæo II. Domino Montmorencio marito bona avita nomenque attulit; quibus genitus Guido *de Laval*, Dominos ac Comites poſtea *de Laval*, omnes promiſcuò *Guidonis* nomine uſos, continuavit, uſque ad Guidonem XII. cujus filia Anna, Johanni Montfortio nupta, in hanc domum nomen familiæ intulit, in qua hodieque floret) alii ſurculi juxta enati ſunt, quorum unus Dominorum *de Loue* denuo plures palmites dedit, Dominorum *de S. Aubin, Botsdauphin, la Faigne, Tartigny, Brée.* Quos omnes primogeniti Dn. *de Loue*, qui etiam Vicecomites *de Broce*, Comites *de Joigny* ac *Meille*, & Marchiones *de Neelle* facti ſunt, dum ſuperfuêre, antecedebant. Vide ſuprà, in vocibus *Joigny* & *Loue.*

NEETUM, Vide NETUM.

NEFANDUS, apud Statium *Theb. l.* 4. *v.* 516.

Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefandum,
Illum ſed taceo.

Eſt cujus notitia non eſt effabilis. Loquitur enim hîc de Cœli, Terræ & Oceani, ac Inferorum *Domino, Imperatore, Rege*, ut habet Gloſſa *MS.* apud Caſp. Barthium *Animadverſ. ad l.* Sic ineffabile dicunt Judæi nomen Dei proprium יהוה qui proin cùm jam olim per religionem primùm, poſtmodùm per ſuperſtitionem à pronuntiatione ejus abſtinuerint, perdita & incognita, aut ſaltem incerta multis, vera & genuina ejus lectio videtur. Verùm tempore Moſis nominis hujus pronuntiationem, non ſolùm in ſacris uſurpatam, ſed & publicè fuiſſe notam & pervulgatam, imò apud vicinas quoque gentes famam ejus dimanâſſe, diſcimus ex Numeror. *c.* 6. *v.* 24. Levit. *c.* 24. *v.* 11, 16. 1 Regum *c.* 17. *v.* 12. &c. Adde quòd ad idola ſua ſacrum iſtud nomen Gentile nefariè traduxiſſe, patet ex nominibus *Jao, Javo, Jovis*, Ἴακχος & Ἰώβακχος, quæ Bacchi nomina; ut & Jani ac Dianæ appellationibus: Interim quòd Græcis literis exprimi non poſſet, ἄρρητον rectè dictum fuit. Franc. Burmannus *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 1. *c.* 16. §. 5. *& ſeqq.* Vide quæ infrà de *Silentio*, in Sacris, dicemus, alibique paſſim. Alia vocis notio, apud eundem Statium *Theb. l.* 1. *v.* 273. ubi de Jovis Lycæi in Arcadia Templo,

Arcades hic tua (nec pudor eſt?) delubra nefandis
Impoſuere locis.

Hîc enim *nefanda loca* vocat poëta, in quibus homines guſtatô ſacrificiô, quod immolatô puerô Arcades Deo ſuo Lycæo facere ſolebant, in lupos mutari credebantur, ut ex Plinio *l.* 8. *c.* 22. notant duo Auguſtini *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 17. Scholiaſtæ, Lud. Vives & Leonardus Coquæus. Sed & idem Templum qui intrâſſent, necari conſueviſſe, docet Hyginus *Poët. Aſtronom. in Arctophylace.* Ergo *nefanda*, h. e. *infelicia, horrenda* &c. Cœteras vocis ſignificationes, vide apud Caſpar. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim*; ubi & multa de voce *Nefas*, ei affini, & in Sacris Gentilium multùm uſitatâ.

NEFAS, inter Martis comites, recenſetur Statio *Theb. l.* 7. *v.* 43. ubi de Aula Martis ſub Hæmo,

Ferrea compago laterum, ferrô arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur adverſum Phœbi jubar, ipſaque ſedem
Lux timet, & dirus contriſtat ſidera fulgor.
Digna locô ſtatio, primis ſalit Impetus amens
E foribus, cœcumque Nefas, Iræque rubentes:
Exſangueſque Metus.

Ubi Scholiaſtes, *Cæcum Nefas*, inquit, *id eſt, nullo reſpectu prò lubitu omnia faciens.* Vide Barthium *ad l.*

NEFASTI Dies, dicebantur Romanis, quibus non licebat Prætori verba illa ſolemnia fari, quæ Faſtis obtinebant: *Do, dico, Addico.* Faſtis enim diebus, dabat actionem, *dicebat* jus, *addicebat* tam res, quàm homines, Joach. Camerarius *in Orat. Cicer. pro Flacco*: qui quum trium eſſent generum, conſtituerunt in anno dies 287. præter quos reliqui omnes erant nefaſti, ubi ſolemnia illa tria obticuerunt, interim cauſas agere, concionem habere & legem promulgare licuit. Erant & alii, *Nefaſti primò* dicti, quibus quidem horis matutinis jus dicere non licebat, poſtmeridianis autem erat permiſſum, notati in Kal. literis *N. P.* quibus contrarii erant Faſti primò, *F. P.* cùm poſt meridiem juſtitium erat, manè autem fari licebat. De *Nefaſtis* Ovid. *Faſtor. l.* 1. *v.* 47.

Ille Nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Sunt qui *Nefaſtos* cum atris confundant, & *Sueton. Tacituſque Nefaſtos* pro atris nonnunquam ponunt: Sed, accuratè loquendo, ita diſtinguuntur, ut omnis quidem ater *Nefaſtus* etiam ſit, ſed non contrà omnis *Nefaſtus* ater. Namque & dies feſti, *Nefaſti* erant, atri autem non erant. Græcis *Nefaſti* dies etiam ἀποφράδες dicuntur, qui cum ταῖς μελαίναις ſive atris quoque Dioni Caſſio confunduntur, ut & Luciano, aliiſque. Plato *de LL. l.* 6. Ὁπόταν ἡμέραι μὴ καθαραί τινες, ἀλλ' ἀποφράδες ὦσι. Ἀποφράδες tamen dies propriè *Nefaſti* apud Græcos Scriptores, qui de rebus Romanis ſcribunt. Hinc Dionyſ. Halicarnaſ. *Antiquit. Rom. l.* 1. atram diem μέλαιναν καὶ ἀποφράδα vocat. Vide A. Gell. *l.* 4. *c.* 9. *cum Notis* Antonii Thyſii JC. Item *l.* 5. *c.* 17. ubi rationem reddit, cur dies primi poſt Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperitè *Nefaſtos* dicebat, atri fuerint habiti. Vide quoque Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 4. *c.* 3.

NEGAPATANUM, urbs Coromandeliæ, in ora Sinus Bengalæ. Sub Hollandis, à paucis annis, cùm antea pareret Luſitanis. In tractu Principis Tanjorii.

NEGATIVI Hæretici, in Theologia Inquiſitorum Eccleſiæ Romanæ dicuntur, qui coram Judice fidei per teſtes legitimos, quos nolunt, vel non poſſunt, repellere, de aliqua hæreſi ritè, ſecundùm leges Inquiſitionis, convicti ſunt; ſed non confeſſi, imò in *negativa* conſtanter perſeverant, Catholicam fidem profitentur, & hæreticam pravitatem deteſtantur. Excipi ſolent facta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ante plures annos commiſſa, in quibus oblivio eſt præſumenda. Verùm cam non facilè præſumendam in factis, gravibus & inſignibus, monet *Inſtructio Hiſpal. anni* 1484. *c.* 13. Ut ſunt, *ſi quis ex propoſito hæreticas propoſitiones prædicâſſet, aut Sanctorum imagines fregiſſet:* nec etiam in hominibus tenacis memoriæ &c. *Negativus* etiam à multis cenſetur, & velut deminutus confitens & pertinax, qui vel omnes hæreſes, de quibus convincitur, vel omne delicti tempus, vel omnes complices non revelat, ſi nempe adeò recentia ſint, ut non facilè præſumatur oblivio. Sed & inter *Negativos diminutos*, ab aliquibus numerantur, qui coram Inquiſitore conſtituti fatentur quidem facta vel verba hæreticalia, ſed pravam intentionem *negant:* quos tamen alii vocant *Impœnitentes.* Vide ibi. Atque hic caſus quia in Hiſpania frequens admodum eſt, propter regni illius neophytos ex Judæis & Mauris, prolixius eum ventilat Joh. Royas *de Hæret. part.* 1. è quo diſcere eſt; quales ſint Chriſtiani, quos ex Judæis & Mauris ad ſuam Eccleſiam metu pœnarum Inquiſitionis, converterunt Reges Hiſpani. Pœnam quod attinet, cùm *Negativus* peccatum non confiteatur, impœnitens putatur, ac Curiæ ſeculari propterea relinquitur: ubi tamen certa quædam prærequiruntur. Et tum hujuſmodi hæreticus primùm durô carcere detinetur, compedibus ac catenis conſtrictus; dein majori cum cura examinatur; tandem ſi teſtes perſtent, ipſeque anni ſpatiô in carcere aſſervatus etiam in *negativa* perſiſtat, tandem ſententiâ Epiſcopi & Inquiſitoris, ut hæreticus pertinax & impœnitens à foro Eccleſiaſtico projicitur & traditur brachio ſeculari. Itaque ſi contingat ipſum per falſos teſtes eſſe delatum ac revera innocentem, miſer falſô condemnatus Magiſtratui traditur vivus igne comburendus; nec licet ipſi falſâ criminis non commiſſi confeſſione vitam ſuam redimere. Praxis tamen Inquiſitionis Luſitanicæ docet, Inquiſitores non rarò per reorum confeſſiones, etiam falſorum criminum, honori ſuo conſultum velle, *ex Hiſtor. Inquiſit. Goanæ c. ult.* Poſtquam autem hæretici convicti & *Negativi* Judici ſeculari traditi ſunt, ſi coram illo non confiteantur fidem Catholicam, vivi comburuntur: ſi verò ſe Catholicos eſſe & ſemper, fuiſſe profiteantur, priùs ſtrangulantur, inde demum comburuntur, Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 2. *c.* 4. & *l.* 4. *c.* 37.

NEGATORES, in Eccleſia olim non unius generis. Ex iis enim, qui premente Gentilium perſequutione, in Chriſti confeſſione, non ſteterant, nomenque ejus *abnegaverant;* alii dicti ſunt *Thurificati* & *Sacrificati,* qui ſcil. idolis immolaverunt; alii *Libellatici,* qui libellis conſcientiam ſuam maculaverunt, uti loquitur Cyprian. *l.* 4. *Ep.* 2. Atque horum iterum duo fuêre genera; quidam enim cùm libelli hujuſmodi conficerentur, ipſi præſentes fuêre; alii eos ſaltem fieri mandârunt, ipſi interea abſentes. Contra quos Presbyteri & Diaconi *Ep. ad Cyprianum. Cùm totum,* ajunt, *fidei Sacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negavit: Et qui vult videri propoſitis adversùs Euangelium vel edictis vel legibus ſatisfeciſſe, hôc ipſô jam paruit, quòd videri paruiſſe ſe voluit.* Imò & inter *Negantes* habiti, qui *involutâ reſponſione* Chriſtum profitebantur, ut ait Ambroſius *Comm. in Lucam c.* 22. aut *ſub ſilentio ſe abſcondentes tacebant, cùm reſiſtere deberent;* ut Gregorius *Homil.* 14. *in Euangel.* μετ' παῤῥησίας enim πάσης, *cum omni libertate,* id faciendum, Actor. *c.* 4. *v.* 29. Unde notat Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 1. Vetium Martyrem confeſſum, λαμπροτάτῃ φωνῇ, *clariſſimâ voce,* eſſe ſe Chriſtianum: & hoc Martyribus in ore fuiſſe, *Chriſtianus ſum, Chriſtiana ſum.* In quam ſententiam Baſilius M. *Moral. reg.* 6. Ὅτι δεῖ ἀφόϐως καὶ ἀνεπαισχύντως παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ &c. Vide Jo. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 12. *c.* 1. *num.* 9. & *ſeqq.* & hîc paſſim.

NEGOTIANTES, Ciceroni fœnerantes, *l.* 5. *ad Attic. Ep.* 21. *Præfecturam petivit, negavi me cuiquam* negotianti *dare.* Ubi loquitur de M. Scaptio, familiari Bruti, qui Salaminiis pecuniam fœnori dederat & exigebat quaternas centeſimas acerbiſſimus fœnerator. Et ſic accipit, quando *Negotiatores* à Mercatoribus ſeparat: ut *pro Plancio,* Negotiatoribus *comis, Mercatoribus juſtus.* Ulpianus *ad Edictum Prætoris: Argentariæ menſæ exercitores rationem, quæ ad ſe pertinet, edant adjectô die & Conſule.* Ad quod caput Edicti Ulpianus ita commentatur *l.* 6. *π.* 3. *de Edend. Rationem autem eſſe Labeo ait ultrò citrò dandi, accipiendi, obligandi, ſolvendi ſui cauſâ negotiationem.* Ita ergo Trapezitarum ſeu argentariæ menſæ exercitorum *Negotiatio* eſt. Sic *l.* 19. *π.* 1. de *Inſtitor. Dominus, qui ſervum inſtitorem apud menſam pecuniis accipiendis habuit, poſt libertatem quoque datam, idem per libertum* negotium *exercuit.* Et certè pecunia fœnori locata inſtar mercis ipſaque fœneratio ſpecies eſt μεταϐλητικῆς ſive Negotiationis. Unde apud Julium Firmicum *l.* 4. *c.* 7. *Si verò à Mercurio defluens minuta lumine Luna ad Jovem feratur, aut rationibus aut fœnorum* negotiationibus *facit eſſe præpoſitos.* Et apud Val. Max. *l.* 4. *c.* 8. pro *negatione,* uti Lipſius legit, vel *nummatione* aut *nundinatione,* prout alii, reponit Gronov. *Negotiatione: Opportunè mirificéque teſtatus, nummorum ſuorum, non civilis ſanguinis ſe eſſe fæneratorem. Jam qui hâc præcipuè* negotiatione *delectantur, cùm pecuniam cruentam domum retulerint, quàm improbandô gaudiô exultent,* &c. Notum autem, majorem ferè numeratæ pecuniæ partem habuiſſe Veteres Romanos in menſa, vel depoſitam, pro occaſione uſuros & per partes erogaturos, vel ita traditam, ut aliis fœnori collocaretur aut ipſi Menſarii fœneratam haberent, quâ ſuô arbitriô uterentur, ſpem lucri ſectantes. Quam in rem vide quæ ſuprà ex præfato Gronovio ſatis prolixè diximus, in voce *Menſa.* Aliàs *Negotiatores,* dicti ſunt *Octavio Ferrario* Mercatores locupletiores, qualem *Negotiatorem magnarium,* Apulejus appellat *l.* 1. Hi mercaturam amplam, ſive *Negotiationem* exercebant, qualis *Negotiatio Sagariæ, Leg.* 52. §. *quidem D. pro ſoc.* Item *Negotiatio lignaria,* apud Capitol. *initiô Pertinacis.* &c. Et ab iis Inſtitores mercium partem emebant, quas minutim & cariùs diſtraherent. Propriè enim Inſtitor παλιγκάπηλος. *Labeo: Etiam eos Inſtitores dicendos placuit, quibus Veſtiarii & Lintearii dant veſtem circumferendam & diſtrahendam.* Hos itaque, ex occaſu Vergiliarum, qualis futura eſſet hyems, conjecturam facientes, *Negotiatorum* avaritiæ inſidiari fuiſſe ſolitos, docet Plin. *l.* 18. *c.* 25. Nam ſi nubilus occaſus fuiſſet, quòd pluvioſa hyems immineret, plus Lacernarum, quàm reliquæ veſtis, emebant, earumque pretium augebant: Sin verò occaſus fuiſſet ſerenus, augurantes futuram rigore infeſtam, alias veſtes, ut Chlænas, Endromidas, Gauſapinas emebant, pretiô earum intentô; ſicque lucrum, quod facturus aliàs *Negotiator* erat, avertebant. Ita autem habent verba Plinii: *Hôc ipſo Vergiliarum Occaſu fieri putant. Aliquid ad 3. Idus Nov. ut diximus, ſervant, quoniam id ſidus etiam veſtis Inſtitoris eſt, & eſt in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occaſu ejus de hieme augurantur, quibus eſt cura inſidiandi* Negotiatoris *avaritiæ,* &c. Vide præfatum Ferrarium *de Re Veſtiar. Parte* 2. *l.* 1. *c.* 5. *Hottomanno Negotiatores* dicebantur cives Romani, qui in provinciis ſedem ac domicilium fortunarum ſuarum habebant; neque Romam ferè, niſi cenſus tempore, h. e. quintô quoque annô veniebant. At *Mercatores,* Romæ domicilium familiamque ſuam habebant, inde nonnunquam ad menſes aliquot in provincias excurrentes, mercium exportandarum vel importandarum cauſâ. Ex *Negotiatoribus* autem in provinciis Conventus conſtabant, h. e. Proprætores ac Proconſules, cùm Forum haberent ac jus dicebant, in privatis quidem cauſis, atque ex eorum numero Recuperatores dari ſolebant. Imò & in capitalium rerum quæſtionibus, in conſilium iidem adhibebantur, &, ſi cui Patronus dandus eſſet, ex eodem numero rogatus aliquis dabatur. Ab his *Publicanos* diſtinguit Cicer. *Ep.* 1. *ad Q. Fratrem. Conſtat Aſia ex eo genere civium, qui, aut quod Publicani ſunt, nos ſummâ neceſſitudine attingunt: aut, quòd ita negotiantur, ut locupletes ſint* &c. Et in *Manil. Nam Publicani ſuas rationes & copias in illam provinciam contulerunt: deinde cœteris ex ordinibus homines gnavi & induſtrii partim in Aſia* negotiantur *partim ſuas & ſuorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent.* Sed & tum ex hac, tum ex *orat. pro Fontejo* conſtat, *Negotiatores* dici Aratores; præſertim & Pecuarios. Publicanos verò eos fuiſſe, qui ab Aratoribus decimas, à Pecuariis ſcripturam, à Mercatoribus autem portorium exigebant. Sub iis verò *Fœneratores* & *Argentarios* comprehenſos fuiſſe, ex eadem *pro Fontejo c.* 1. patet: *Referta Gallia Negotiatorum eſt, plena civium Romanorum, nemo Gallorum ſine cive Romano quicquam negotii gerit: nummus in Gallia nullus, ſine civium Romanorum tabulis commovetur; una tabula proferantur, in quibus veſtigium ſit aliquod, quod ſignificet, pecuniam Fontejo datam; unum ex toto* Negotiatorum, *Colonorum, Publicanorum, Aratorum, Pecuariorum numero teſtem producant.* Vide eum apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* ut & ſuprà. Theod. Marcilio *Negotiatio Mercaturâ* honeſtior. Quâ utrâque cùm interdictum Romæ eſſet Senatoribus lege Claudiâ primùm, dein & Juliâ: Equitibus tamen *negotiatio publicorum* ſeu *vectigalium* honeſta erat, in rebus privatis verò mercaturam exercere non ſolebant, niſi in re ſua, ut prædiorum ſuorum fructibus, quales Αὐτοπώλας *Interpreti Ariſtophanis in Plutum.* Plebeji autem *Mercatores* erant: quibus tamen & ipſis *coëmere quod pluris poſtea diſtrahas,* turpe habitum. Vide eum *ad Veſpaſ. Suetonii c.* 16. *de Negotiatoribus Servis,* & ancillis *negotiationi* a dominabus præpoſitis, vide paulo infrà. Cœterùm Mercurium inprimis *Negotiatores* coluiſſe, diximus in voce *Mercator.* De Servis, *Negotiatores* fuiſſe, indicat Marcianus, *leg.* 65. *ff. de Leg.* cùm inquit, *Legatis Servis, exceptis* Negotiatoribus, *Labeo ſcripſit* &c. qui, quoniam *negotiationes* multæ erant, ſinguli quiſque nomenclaturâ leguntur inſigniti. Hinc Boarios, Pullarios, Ferrarios, Ærarios, Frumentarios, Vinarios, Veſtiarios, Sagarios *Negotiatores* legimus non ſemel, alioſque non paucos. Pulchrè Caſſiodor. *Variar. l.* 6. *c.* 7. *Negotiatores, quos humanæ vitæ conſtat neceſſarios, huic poteſtati manifeſtum eſt eſſe ſubjectos: Nam quidquid in veſtibus, quidquid in ære, quidquid in argento, quidquid in gemmis ambitio humana poteſt habere pretioſum, tuis ordinationibus obſecundat* &c. Erant autem ſervi hi præpoſiti negotii exercendi cauſâ, veluti ad emendum, locandum, conducendum. Sed & ancillas *Negotiationi* à dominabus fuiſſe præpoſitas, Juriſconſulti teſtantur, *l.* 7. & 8. *ff. de inſtit. act. l.* 5. §. 2. *ff. de tribut. act.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis,* & Tit. Popmam *de operis Servorum:* uti de Judæis ac Samaritanis, *Negotiatoribus* plerumque operas ſuas locantibus, infrà voce *Samaria.*

NEGOTIANTES Vini Supernatis, in *Inſcr. veter.* Romæ memorantur, quam *Sponius* ſic exhibet:

Q. ERENNIO ETRUSCO MESSIO DECIO
NOBILISSIMO CES. PRINCIPI JUVENTUTIS
COS. FILIO IMP. CÆS. C. MESSI Q.
TRAIANI DECI PII FELICIS INVICTI
AUG. ARGENTARII ET EXCEPTORES
ITEMQ. NEGOTIANTES VINI SUPERNAT. ET
ARIMIN.
DEVOTI NOMINI MAIESTATIQ. EIVS.

Itiner. Part. 3. *p.* 38. Dictum autem eſt *Vinum Supernas,* quod ex ora maris Adriatici (hoc enim *mare Superum* appellabant) advehebatur. Vide in voce *Mare.*

NEGOTIATORIUM Aurum, apud Lamprid. *in Alexandro Severo, c.* 32. Vide ſuprà *Aurum Negotiatorium,* item *Aurarium Canon* ſeu *Auraria penſitatio* ſive *præſtatio,* uti in *Conſtitutionibus* Imperator. dicitur. Erant nempe tria *Negotiatorum* onera, *Præſtatio Monopolii,* cùm videl. certæ alicui perſonæ vel certo corpori Princeps conceſſit, ut ei ſoli jus vendendæ mercis certæ eſſet (quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

(quæ conceſſio Principis non erat improbata, ante *Conſtitutionem Zenonis de Monopolis*) ſub onere conferendæ in fiſcum penſionis certæ. Alterum fuit, *Aurariæ functionis* onus, ſive luſtralis auri & argenti collationis, de quo eſt *primus titulus lib.* 11. *Cod.* Tertium, *Siliquatici*, de quo ita Caſſiodor. *Variar. l.* 4. *Siliquatici præſtationem rebus omnibus nundinandis provida definivit antiquitas.* Cujacius *Obſervation. l.* 16. *c.* 23. Vide quoque Caſaubon. *Not. ad Lamprid. loc. cit.*

NEGRA, oppidum Arabiæ Felicis *Steph.*

NEGUMBUM, urbecula Ceylani Inſul. ſub Hollandis; *Negombo*: in ejus ora Occidentali inter Chilaum ad Boream & Columbum ad Auſtrum ferè media.

NEGUZ, unum ex 4. nominibus, quibus, Æthiopes Imperatorem ſuum inſigniunt, vide ſuprà *Maſib*,

NEHALANA Dea, cujus ſimulachrum cum Herculis Magusant, haud ita pridem in littore Zelandiæ erutum eſt. Vide Servat. Gallæum *l. de Sibyllis edit. anno* 1688.

NEHEMIAS, Judæus, pincerna Artaxerxis Longimani, ab hoc veniâ impetratâ reædificandi muros Hieroſolymæ, venit in Judæam A. M. 3609. opuſque hoc ingens, fruſtra inimicis obnitentibus, abſolvit. Dein fœdere cum Deo renovatô, populares ſuos piè & prudenter per ann. 2. rexit, inſigni quoque Bibliothecâ collectâ. In aulam Artaxerxis redux, A. M. 3621. Judæos à priſtina pietate degeneráſſe, & Legem multos violâſſe audiit, quare illuc revertendi veniam denuò nactus, quidquid interea abuſuum irrepſerat, ſuſtulit, A. M. 3629. Ejus nomine Liber Canonicus extat. Vide etiam Eſr. *c.* 1. & 2. Euſeb. *in Chron.* & *l.* 8. *Demonſtr. Euang.* Salian. Spond. Torniel. *in Annal. V. T. A. M.* 3609. 3621. 3629. *&c.* Extant in ſacrum hunc Scriptorem: Bedæ *Expoſitio Allegorica.* Brentii *Commentarii.* Crommii *Comment.* Lovanii 1632. Feri *Comment.* German. in quart. Moguntiæ. A Lapide, fol. Antverpiæ, 1645. Lavateri *Homiliæ*, fol. Tiguri, 1586. Lombardi *Comm. literales*, *Alleg.* & *Mor.* fol. Pariſiis, 1642. Paulutii *Commentaria*, fol. Romæ, 1625. Pembelii *Explicatio.* Anglic. fol. Londini, 1658. Pilkintoni *Comment.* Angl. Sanctii item, fol. 1623. & Strigelii, Lipſiæ octav. an. 1571. Wolfii, *in c.* 1. & 2. *Comm.* fol. Tiguri, 1570.

NEHIEL, civitas quæ eſt terminus Aſer, Joſ. *c.* 19. *v.* 27.

NEHUSTA, mater Joachin filii Joacim, 2. Reg. *c.* 24. *v.* 8.

NEHUSTAN, 2. Regum *c.* 18. *v.* 4. ubi de Ezechia Rege *Ipſe amovit excelſa fregitque ſtatuas & excidit lucum: contudit etiam ſerpentem æneum, quem fecerat Moſe, eò quòd uſque ad dies illos adolerent ei Iſraëlitæ, quem vocavit Nechuſchthanem*: denotat, *æneum opus*, quod nomen ſerpenti huic per contemtum inditum à pio Rege, ut hôc pactô Iſraëlitis idolatriam, quam hactenus circa eum exercuerant, exprobraret, atque pectoribus eorum penitus eliminaret. Vide infra *Phunon.* Hiſtoria ejus à Moſe erecti habetur Numer. *c.* 21. *v.* 4---10. Murmure enim populi coortô, ex longinqui itineris tædio, cùm nec panis, nec aqua, ampliùs ſupereſſet, ac cœleſtis mannæ faſtidium eos caperet, immiſſis ſerpentibus, quorum in deſerto illo magna copia erat, puniti ſunt: qui שרפים & *preſteres*, aut potiùs hydri vel cherſydri fuiſſe videntur. Mirabilius autem pœnæ remedium fuit. Dum erectâ æneâ ſerpentis imagine; ſive, ut illa longè in caſtris refulgeret, ſive ut ſerpentum rutilantem in Sole pellem imitaretur: quicunque ſerpentum morſu virus traxerant, eâ aſpectâ ſunt ſanati. Qua in re inſignis imago crucifixionis Chriſti fuit, ut ipſe SERVATOR explicat, Joh. *c.* 3. *v.* 14. & *c.* 12. *v.* 32. Vide quoque Eſajæ *c.* 11. *v.* 10. In quo tamen diſquirendum, an Serpens ipſe figuram Chriſti geſſerit (quod plurimis placet;) an verò ille Serpentem antiquum potiùs ſignificaverit; qui, venenô omni exutô, in cruce Chriſti palàm exponendus & oſtentui habendus foret, Coloſſ. *c.* 2. *v.* 15. ut præcipua figuratio in erectione ſerpentis fuerit; qui, à Moſe in oblongo ligno ſuſpenſus, Chriſti in Cruce exaltationem vi itidem legis ac maledictionis Moſaicæ factam, adumbrabat; quâ pariter ſanarentur illi, qui lethaliter à veteri ſerpente icti fidei oculos ad Chriſtum intenderent, illoque in viſu inconnivô aſpectu hærerent &c. Hic itaque ſerpens, quem non externô aſpectu, ſed fide potiùs & animi viſu, contingere neceſſe erat; quique non ipſe ſaucios ſanabat, ſed Dei verbum, fide acceptum: lapſu ſeculorum morumque Populi ad Idololatriam nimium quàm proni, tandem divinis ab eo honoribus affectus eſt: quam abominandam ſuperſtitionem ſuſtulit Ezechias, verôque ei nomine impoſitô, miſerum popellum, non Numen eum eſſe, ſed id quod erat, *æneum opus*, docuit. Vide Burmannum *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 32.

NEILA, ætate Hieronymi viculus erat, in regione Batanæa, in tribu Manaſſe, *in Loc. Hebr.*

NEIPUS Melchior, vide *Melchior.*

NEITH, Minerva apud Ægyptios, teſte Platone *in Timæo*, ubi cùm dixit præfecturam Saiticam ſic vocari à regionis urbe maxima, cui nomen Sais, inde ſubdit, τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Unde *Heſych.* corrigendus, Νηΐθα, παρ' Αἰγυπτίοις, lege Νηΐθ. *Nic. Lloydius.* Inde verò *Nitocris*, Ægypti Regina, nomen habuit, quaſi *Minerva victrix*, interprete *Eratoſthene*, apud *Syncellum*, vide infrà.

NEJUM, mons Ithacæ, unde *Najades*, ut quidem falſò opinantur. *Hypernejon* habet *Steph.*

NEJUS Franciſcus, *Grotio Naja*, natus Antverpiæ, ſed ortu Zelandus, inter Franciſcani inſtituti monachos ſuæ gentis princeps, Bruxellæ magnis negotiis immixtus; nec ignarus aulæ, nam & Hiſpaniam viderat; à Philippo 3. paci cum Batavis conciliandæ adhibitus eſt, A. C. 1607. Vide de ejus artibus, H. Grotium *Hiſtor. l.* 16.

NELAXA, Batanææ, in Syria, oppid. *Ptol.*

NELCYDA ſeu NELCYNDA, apud Auctorem *Peripli*, Plinio *l.* 6. *c.* 23. gentis nomen eſt, quorum portus Becare: aliis potiùs ipſe portus, à Becare diverſus, ubi Pandionem regnâſſe idem Plin. tradit: quod & *Peripli* Auctori proditum ἡ δὲ Νελκύνδα βασιλείας ἐστὶν ἑτέρας, τοῦ Πανδίονος, *Nelcynda verò alterius Regni eſt, Pandionis ſcilicet*; qui tum, cùm Auctor hic Periplum ſcriberet, regnabat. Nec enim putandum, omnes inde loci Reges *Pandionas* fuiſſe nuncupatos, ut Ægypti *Ptolemæos* & gentis Praſiæ, *Palibothros.* Studioſè namque Auctor ille Regum nomina commemoravit, qui tum in præcipuis Arabiæ & Indiæ locis regnarent, quum illa literis mandaret, ut Eleazum, Charibaëlem vel Tharibaëlem, alios: quin & mutationes Regum in illis regionibus interdum accuratè notat. Erat autem *Nelcynda*, emporium Indiæ flumini Baris appoſitum, ſed longius à mari ſitum, quàm Barace, ſeu Becare, quò, è Cottonara regione, piper optimum lintribus monoxylis per fluvium convehi ſolitum, *Plin.* ſcribit. Hinc ex *Nelcyndis* lintres deſcendebant, in Baracen, in ipſo oſtio fluminis ad mare ſitam, quæ piper ex Cottonare vehebant: Statio autem navium ad Baracen hærebat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1185. & 1187. nec non hîc infrà.

NELCYNDA, regio Carmaniæ, in Aſia, in ora maris Indici; *Arrian. Dulcinda Ramuſio.*

NELESINUM, Caſtrum Chriſtianorum, Tripoli ad primum lapidem adjacens.

NELEUS, Neptuni fil. ex Tyro nympha, Salmonei filia, qui à Pelia fratre Theſſaliâ pulſus, in Laconiam venit, ubi Pylon urbem condidit, Homer. *Od.* 2. Huic uxor fuit Chloris, Amphionis Orchomeni regis filia, ex qua 12. filios ſuſcepit, quos poſtea omnes, præter unicum Neſtorem tum ſorte ablegatum, interfecit, Ovid. *Met. l.* 12.

NELEUS, auctor Ionicæ migrationis, vide infrà *Nileus.*

NELEUS, Eubœæ fluv. Antigonus *in mirabil.*

NELFA, vulgò NEAUFE, vel NEAUFLE, locus Galliæ in Veliocaſſibus ſeu in parœcia Rotomagenſi, Giſortium inter & Dangutum ſita, ad Ittam flumen, à Frodoardo *Hiſtor. Rom. l.* 3. *c.* 16. memoratus: *Villa Rotomagenſis Epiſcopi, quæ Nelfa dicitur. Nidalfam* villam vocat, & S. Germano ad luminaria Baſilicæ datam eſſe, dicit Irmino Abbas Pratenſis Monaſterii S. Germani, *in libello, quô ſub Carolo M. villas, ad Cœnobium ſuum pertinentes, literis mandavit.* Dicitur etiam *Neaufle en Veuxin*: ad differentiam alterius *Nelfæ* duplicis in Carnutibus, quarum altera alteri proxima, non longè à caſtro Monteforti Amalarici: major *Nelfa caſtellum*, vulgò *Neaufle le Chaſteau*; minor *Nelfa villa*, vulgò *Neaufle*, vel *Neôfle la ville*, cognominatur. Alluit hanc poſteriorem Maldra fluvius, unde & quibuſdam *Nelfa Aquoſa* appellatur, *Neaufle l'Aiveux.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NELIA, urbs Theſſaliæ, ad Pelaſgicum Sinum. *Strabo.*

NELO, fluv. Grllæciæ, nunc *Rio Uka*, verſus Compoſtellam labitur, dein in Oceanum Occidentalem ſe exonerat, inter Artabrum promontor. ad Boream & oſtia Minii ad Meridiem.

NEMA, vox è Græco Latinis uſurpata, unde *Nema ſericum* apud Juriſconſultos, in vetuſtis libris, *Nima ſericum*; & hinc verbum *nemare*, quô utitur Tertullian. *de Pallio c.* 15. ubi de Bombyce: *Proinde ſi necaveris*, nematam *jam*, *ſtamen evolves*: ubi alii, ſed perversè, *animatam* legunt. Sic à ſagma, *ſagmare.* *Gloſſæ*, *ſagmat*, σάσσει ὄνον; *ſagma*, σάγμα & *ſagmatus*; ut heic *nematus.* Ita & *plaſmare* & *plaſmatus*, ἀπὸ τοῦ πλάσσειν, *ſtigmare* & *ſtigmatus*, à στίγμα, & *chriſmare*, pro ungere, à *chriſma*, *ephalmare*, ab ἔφαλμα: unde *ephalmatores*, apud *Firmicum* &c. Eôdem prorſus modô *nemare* verbum factum, ἀπὸ τοῦ νήματος. Vocat autem Tertullianus *nematum* vel *nimatum* bombycem, *nemate* coopertam, monetque necandam eſſe bombycem, cùm jam *nema* ſuum reddidit: nam niſi tunc necetur, nidum ſuum textilem poſtea pertundit & evolat, ſumtis pennis jam factus papilio. Quod ſi expectetur, longe deterioris notæ bombycinum carpitur & ad delicatiores texturas minùs idoneum. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. l. c.* & *Not. ad Vopiſc. in Aureliano. c.* 45.

NEMANTURISTA, *Ptol. Ayerbe* quibuſdam oppid. Vaſconum amplum, in Aragonia. Aliis *Olite*, in Navarra, ad Cidacum fluv. 20. milliar. à Pompejopoli in Meridiem verſus Turiaſonem.

NEMAUSUS, item *Volcarum Aremoricorum Nemauſus*, Colonia, & urbs Epiſcopalis Galliæ Narbonenſis in Occitana regione ad Vardonis fluv. caput, inter Avenionem ad ortum & Montem Peſſulum in occidentem. Urbs antiquiſſima, ubi amphitheatrum, vulgò *les Arenes*, & plura antiquæ nobilitatis & magnitudinis veſtigia. Vulgò *Niſmes* & *Nimes.* Non longè *Nemauſus* fons inſtar amnis fluens. Auſonius *in catalogo Urbium*, *v.* 32.

Non Aponus potu, vitreâ non luce Nemauſus
Purior ———————

Urbem hanc quidam ab Herculis filiorum aliquo conditam volunt, quod tamen incertum. Ex nummis antiquis patet, hûc ab Auguſto, poſt Ægyptum devictam, coloniam deductam eſſe: palmam enim, cui crocodilus alligatus, præ ſe ferunt, cum inſcriptione, COL. NEM. i. e. *Colonia Nemauſus*, vel *Nemauſenſium*: & hæc Nemauſi hodierna inſignia. Cœterùm ſita eſt commodiſſimè, ſedes Præſidialis Curiæ, &c. Fuit ſub Gothis, uſque ad Carolum Martellum, præteritô ſeculô Reformatis in Gallia refugium præbuit, quorum hodieque ingens ibi numerus. Ptol. *l.* 2. *c.* 10. Mela, *l.* 2. *c.* 5. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Sueton. *in Tiber. c.* 13. Antonin. *in Itin.* Strabo. *l.* 14. Joh. Poldo, *de antiq. Nemaus.* Craſſerus, *antiq. Nemaus.* Catel. *l.* 5. *Hiſt. de Lang.* Ducheſnius, Sammart. *Gall. Chriſt.* Hîc Concilia A. C. 389. 886. 897. 1096. Morerius *Dict.* COL. AUG. NEMAUSUS, in nummo Auguſti; non tam à *Nemauſo* Heraclida, ut *Steph.* memoriæ pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

prodicit, Parthenium ſcripſiſſe, quàm à fonte, de quo *infrà*, dicta. *Civitas Nemauſenſium*, in *veterib. Notitiis* provinciarum, ac civitatum Galliæ, appellatur. Amphitheatri ejus, quod vulgò *Arenas* vocant, meminit Julianus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus, *de expedit. Wamba Regis Gothorum in Gallias*, ubi *Arenas validiori muro cinctas:* Item *caſtrum Arenarum*, & *clauſtra Arenarum* vocat; *Gradus marmoreos* loci memorat, & *cavernas* vel *abdita Arenarum*, quò ſe Paulus rebellis cum ſuis receperat, atque extra civitatem *Arenas* fuiſſe, indicat. Solebant enim, qui bellum gerebant, Amphitheatra Urbium & cœtera opera Romanâ arte & naturâ munita, Eccleſias etiam majores Chriſtiani pro caſtellis habere, & inſignibus operibus communire: quemadmodum de Templo Hieroſolymitano legimus. Unde Aimoinus ſcribit, *Treviricos in Arenis civitatis locatô præſidiô, conatibus Chroci Regis reſtitiſſe*. In literis Bernardi Atonis, Vicecomitis *Nemauſenſis*, datis A. C. 1179: *civitatem de Nemauſo* & *caſtrum de Arenis prope civitatem*, reperimus. Item *omnes habitantes in Nemauſo & in Arenis*, tanquam in locis diſtinctis. Namque Amphitheatra plerumque extra urbes erant, ab arena ſeu cavea, parte ſui, *Arena* Gallis plerumque vocata: Cavea autem ſeu Arena, Amphitheatri area erat, à cavitate prius, à ſabulo, quô ſpargebatur, poſterius nomen adepta. Inſigne urbis elogium extat *in Paſſione MS. S. Baudelii*; *Eâ tempeſtate urbs eadem murorum & celſarum turrium præmaximô ambitu & firmitate, ſicuti compagine quadrorum, erat conſpicua, civium frequentiâ & inhabitatione nimium populoſa, & mercimoniis divitiarum undique advectis ſupra modum opulenta.* Theodulfus *Paraneſi ad Judices*,

Inde Nemauſiacas ſenſim properamus ad arces,
Quò ſpatioſa urbs eſt, reſque operoſa ſatis.

Caput eſt agri *Nemauſenſis*, de quo Plin. loquitur *l. 9. c. 8.* ubi *provinc. Narbonenſis, in* Nemauſenſi *agro ſtagnum*, Laternam *appellatum*, anguſtis faucibus, capturâ mugilum nobile, celebrat. Hic longè lateque patuit olim ad Rhodanum & ad Vardonem ac mare: ſi verum eſt, quod idem ait Auctor, *Arecomicorum oppida ignobilia* 24. Nemauſenſibus *attributa fuiſſe*. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*. Vide quoque in voce *Volcæ Arecomici*: de *Nemauſo* autem Deo tutelari, Voſſ. *de Idolol. l. 1. c. 35.*

NEMAUSUS, Auſonio in *Burdigala* Veteribusque memoratus, fons Galliæ eſt, in Volcis Arecomicis, urbis *Nemauſi*, quæ inde nomen hauſit; hodie *le Viſtre*, i. e. *Vitreus*, quòd more vitri purus, ſplendidus atque perſpicuus ſit, dictus. Hic, ſi quà Catello & tabulis fides, rivum ſeu fluviolum facit, qui per foſſam Nemauſenſis Urbis decurrens, alluit vicos Burgum *le Bourg*, Viridaria *Vergeres*, Veſtricum *Veſtric*, Vallem Viridem *Vauvert*, Salmoſam *Salmoze*, & non procul ab Aquis Mortuis, in maritimum ſtagnum Laternam ſive Taurum paludem *l'eſtang du Tau*, ſe effundit. Hadr. Valeſ. in voce *Volcæ Arecomici*.

NEMBROTH, de quo Sulp. Severus, *l. 1. c. 5. Chami fil. Chus nomine Nembrod gigantem genuit.* Ebræis *Nimrod*, à מרד *marad, rebellavit.* Νεβρὼδ 70. Interpretibus. Unde in *Joſepho* Ναβρὼδ. Gigantem dixit *Sulpitius*, ex antiquâ opinione orta ex 70. *Interpretibus*. Quod enim Gen. *c. 10. v. 9.* ſcribitur, *Ipſe cœpit eſſe potens in terra*, reddiderunt illi, ὅτος ἤρξατο εἶναι Γίγας. Ita quoque ab *Ambroſio* & *Auguſtino* dicitur. Sed γίγας illic non ſignificat *gigantem*, verò vertendum, *cœpit eſſe potens*, *Heſych.* Γίγας, δυνάςης, ἰσχυρός. Aliter paulò *Chryſoſtomus*, γίγας, τ8τέςι τύραννος. Τολμηρὸς, κὴ κατὰ χεῖρα γενναῖος *Joſepho*, unde forſan *venator* dictus. *Nic. Lloyd.* Vide *Nimrod*.

NEMEA, filia Jovis & Lunæ; à qua nomen Argivorum regioni. Alii tamen à paſcuis armentorum agri, quæ Junoni ſacra eſſent; vel à Danai liberis, iſtam ſic nominatam volunt. Hinc Ludis appellatio, de quibus mox dicemus. Vide Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtic. l. 1. c. 25.*

NEMEA, oppid. *Triſtena Nigro*, ubi ſylva Achajæ, ſeu regio ſylvoſa, inter Cleonas Phliuntem, in quâ Hercules miræ magnitudinis leonem interfecit, qui à loco cognominatus *Nemeæus*. Unde ibi, in honorem ejus, inſtituta ſunt ſolemnia quædam certamina, quæ & ipſa à loco *Nemeæa* dicta, Olymp. 51. Quanquam non deſunt, qui ea potiùs, longè antè in honorem Archemori, inſtituta velint, Lycurgi Nemeæ regis filioli, quem cùm Hypſipyle nutrix Argivis fontem oſtenſura in gramine depoſuiſſet, ſerpens à proximis virgultis interfecit. De tempore, quo hæc ludicra peragebantur, diſputat *Petitus*, oſtenditque ex Diod. Sic. *l. 19.* ad annum 2. Olympiadis 116. Praxibulô Archonte, *Nemea* à Caſſandro celebrata fuiſſe, contra Virum Eruditum, qui tempus peractorum ludorum in annum primum Olympiadis confert, nixus auctoritate Livii *l. 27.* Adeoque ſecundô quoque annô vertente Olympiadis inſtaurari fuiſſe ſolita, docet: quemadmodum & Pythia, quibus tamen *Nemea* priora erant. De eodem ita Scholia Pindari *ad Nemeonicas*: Προέςησαν δὲ τ8 ἀγῶνος, πρῶτοι μὲν Δεκελεωνεῖς, εἶτα Κορίνθιοι. Καὶ ἐςὶ τριετὴς τελ8μενος μηνὶ πανέμω, δωδεκάτη, *Præfuerunt autem agoni primùm Deceleates, dein Corinthii. Tertiô quoque annô inſtaurabatur, menſe Panemô* (qui Hecatombæoni reſpondebat) *die duodecimô.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l. 1. tit. 1.* De Auctore ludorum, res ita habet: Duces illi ſeptem, qui cum Polynice Thebas oppugnatum ibant, in *Nemea* ſylva ſitientes, inciderunt in Hypſipylen, quæ, cùm eſſet nutrix Opheltis, eum inter herbas ludentem relinquens, Achivis aquam oſtendit. Interea ſerpentis ictu interiit alumnus, quare Duces reverſi ad eum locum, ſepelierunt puerum & in ſolatium Nutricis, ludos hos circa rogum inſtituerunt. Vide Boccatium *l. 5. c. 29.* Opheltem autem *Archemorum*, in exequiis ejus, vocavit Amphiaraus vates, unus ſeptem illorum Ducum, quòd eſſet hic luctus ἀρχὴ μόρ8, quandoquidem infeliciſſimè pugnaturi eſſent. Hoc ſpectaculum, quum poſtea Hercules Leonem Nemeæum in eadem ſylva occidiſſet, mutavit, dignitate & amplitudine honorum augens. Itaque à Græcis Ducibus *Nemei* ludi inſtituti & Archemoro conſecrati: ab Hercule verò illuſtriores redditi & *Nemæo* Jovi dedicati ſunt. Ælian. tamen *Var. Hiſt. l. 4. c. 5.* Septem Duces ad Thebas Profecti ludos hos inſtituiſſe, gratiam referentes, ſcribit: quam ſententiam priori præfert Auctor *Commentar. in Pindar.* Celebrati ſunt in Argia, in qua *Nemea* ſylva eſt, quam prolixè deſcribit Strabo *l. 8.* ut & Pauſan. *in Argolicis*, ubi inter alia, Leonis ſpecum adhuc ſuô ſeculô oſtenſam fuiſſe, & *Nemeam* regiunculam inde ferme 15. ſtadiis abeſſe, refert. Victores primitus olei coronati fuerunt, uſque ad bella *Medica*: Poſtea apii uſus invaluit, & ex χλωρῶν σελίνων ſerta iis confieri ſueverunt. Et quoniam à Græcis militibus Thebas proficiſcentibus primùm fuére inſtituti, primis temporibus milites ſolùm ac eorum filii, ad ſpectaculum admiſſi ſunt: poſtea demum populari quoque turbæ ſpectandi venia data eſt. Præerant illis Judices Argivi, vide *ſuprà*, & quidem pullati, φαιὰς ςολὰς ἐςολισμένοι, quô originem ſacrorum declarabant à luctu promanâſſe: Agonque cùm primùm fuiſſet Equeſtris & Gymnicus ac Ἐπιτάφιος, admiſſa poſtmodum ſunt omnium certaminum genera, Pentathlon, ſtadium, diſcus, ſaltus, lucta, pugilatus. *Nemeonicas* carminibus extulit Pindarus, quem vide, *cum Scholiis & Commentariis ejus.* At hanc in rem plura, apud Scaligerum *Poëtices l. 1. c. 25.* Car. Paſchalium *Coronar. l. 6. c. 26. & 27.* Caſpar. Barthium *Animadverſion. ad Papin. Statium* paſſim, Alios.

NEMEA, fluv. Peloponneſi, in ſinum Corinthiacum fluens, *Strab.* Nunc *Langra*. Medius inter Sicyonem, ad Occaſum & Corinthum ad Ortum. Item oppid. Argiæ, medium inter Sicyonem in Circium & ſinum Argolicum in Eurum. Etiam rupes apud Thebas in Bœotia ſeu potius apud Nemeam oppid. Argiæ, Virg. *Æn. l. 8. v. 295.*

Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rupe leonem.

Fons etiam Hiſpaniæ in Celtiberis, Martial. 1. *Epigr. 50. v. 13.*

Et Nemea, quæ vincit nives.

NEMERUM, locus Locrorum Ozolorum, in Achaja, ubi Heſiodus occiſus eſt, à Ctimeno & Antipho, Ganyctoris filiis, quòd ipſum, ſuper imminuto ſororis pudore, immeritò licèt, ſuſpectum haberent. Cujus cadaver, in mare dejectum, cùm à delphinorum grege ad Rhium & Molycriam deportatum, à Locris, hinc fortè apud Rhium conventum ſolennem agentibus, verò agnitum eſſet, interfectis ſceleris auctoribus, ibidem, ubi cædes facta fuerat, ſepultum eſt. Solon *in VII. Sapientum Convivio* apud Plut.

NEMESA, Auſonius *in Moſellanica*. *Nyms Ortel.* fluv. Galliæ Belgicæ per agrum Trevirenſem juxta Scheinecam & Bidburgum fluens, inque Moſellam labens cum Sura, in qua priùs excipitur. *Valeſio* Schoneckium, Villarim, *Villers*, & Bidburgum caſtellum attingens, Proneâ ſeu Prumiâ *Pruym*, unde illuſtri Monaſterio ad caput ejus ſito nomen, excipitur, & cum illa Suram augens, tandem in Moſellam labitur. Auſonius *in Moſella, v. 354.*

Namque & Pronea Nemeſaque adjuta meatu
Sura tuas properat non degener ire ſub undas.

Vide Hadr. Valeſ. in voce *Sura*.

NEMESIANUS Aurelius Olympius, Poëta Latinus Carthaginenſis. Scripſit *Cynageticon* & Eclogas: è quibus fragmenta quædam, à Sannazario accepta, refert *Lilius Giraldus*. Vide Hincmarum Remenſ. *ep. ad Hincmarum Laudun.* nepotem ſuum, ubi libri hujus, tanquam in Scholis prælegi ſoliti, meminit. Cùm ait: *Aliter reſpondere non potui, niſi ut venatores feræ luſtra ſequentes agere, auditu & lectione puer Scholarius in libro, qui inſcribitur, Cynegeticon Carthaginenſis Aurelii, didici, &c.* Quære inſuper, is Aurelius Olympius Nemeſianus.

NEMESIANUS, conſcius cædis Antonini Caracalli, à Macrino interempti, apud Spartian. *in Antonino Caracallo. c. 6.*

NEMESIS, Dea ſcelerum ultrix, Jovis, & Neceſſitatis, vel Oceani & Noctis filia, puniens immoderatos, & impudentes, unde ejus iram deprecabantur, qui loquebantur de ſe. Vide Callimachum *Hymno in Cererem, v. 56.* Euripidem *in Phœniſſis, v. 189.* Itemque Auſonium *Idylliis, 5. v. 66. & 8. v. 40.* Pauſan. *in Arcad.* Cartar. *de imag. Deor.* Boccatium, *in Geneal. Deor.* Dicitur vel à νεμεσάω, [illegible] *cenſeo*, ſeu à νέμω, quòd bona & mala diſtribuat. Dicta fuit & *Adraſtia*, ab *Adraſto* Rege, qui primus ei templum poſuit, & *Rhamnuſia*, à *Rhamnunte* oppido Aſiæ, in quo templum habuit. Plato *de Legg.* Nemeſin δίκης ἄγγελον, h. e. *judicii angelum* vocat. Catullus *Epigr. 51. v. ult. de Nemeſi*,

Eſt vehemens Dea, lædere hanc caveto.

Habuit ex Antimacho. Unde Statius etiam, *Theb. l. 8. v. 520.*

Eſt Dea quam Nemeſin dicunt, Dea magna, potensque,
Quæ bona cœleſtum conceſſu cuncta Deorum
Poſſidet. —— ——

Nic. Lloyd. Promiſcuo cum Diis genere, ut aliæ quoque Deæ, efferri videmus, apud Senecam *in Hercule Fur. Act. 2. v. 384.*

Dominare tumidus, Spiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Alb. Tibullus, *l. 1. Eleg. 8. v. 71.*

Hic Juvenis quondam miſeros ludebat amantes,
Neſcius Ultorem *poſt caput eſſe Deum.*

Inter Deos militiæ præſides fuit Romanis, qui quô pactô illam coluerint, tum alii, tum *Pomponius* inprimis *Lætus*, ac *Ammianus* docent. Et hic quidem, *Nemeſis*, inquit, *Dea eſt, ultrix facinorum impiorum bonorumque præmiatrix, arbitra rerum, Regina cauſarum, quam Theologi veteres fingentes Juſtitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant, omnia deſpectare terrena.* Ille verò, *Romani*, ait, *profecturi ad bellum*, Nemeſi *ſacrificabant & munus gladiatorium edebant: quod non ſine ratione factum arbitramur. Romani enim ſemper juſta movére arma, cœteræ nationes odiô & [illegible]*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

volentiâ, livoreque, quod imperium tantæ urbis juſtitiâ augeretur, tela in Pop. Romanum capiebant &c. Effingebant eam nonnunquam, cum fræno & menſura cubiti, ut indignarent, nihil ſine menſura & fræno agi oportere. Culta fuit, Romæ in Capitolio teſte Plinio *l.* 28. *c.* 2. ubi etiam templum habuit, ti *P. Victori* credimus. Meminit coronæ ejus multiformis, in qua cervi & ſigilla victoriæ; quorum illi, fugientes Perſas, hæc, robur & felicitatem univerſæ Græciæ, deſignaverint, Car. Paſchalius *Coronar. l.* 9. *c.* 10. ex Pauſania qui & dextrâ fraxineum geſtare ramum, ſiniſtrâ phialam, Æthiopibus inſculptis, addit. Dalechampius *Not. ad Plinium d. l.* Aurem dextram eidem dicatam eſſe, vel potiùs locum ſecus aurem, hinc *locum Nemeſeos* dictum, quem proin proximo à minimo digito tangimus, quoties veniam poſcimus ſermonis, alibi diximus. Addam hoc unum, eam Deam, ut comitem perpetuam rerum lætarum *καὶ ὑπερόγκων*, habitam, cujus proin ut tela effugerent, variis modis priſci propriæ felicitatis quaſi cumulum ſibi diruebant. Sic Auguſtus, *quotannis die certô emendicabat à populo, cavam manum aſſes porrigentibus præbens* (geſtu planè ac more mendicorum) ejus indignationi avertendæ, uti legimus apud Suetonium *c.* 90. nimiæ enim felicitati invidere credebatur, ut ſuprà diximus non unô locô. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 2. *c.* 10. & *in l.* 4. *c.* 8. *Paralipomena* Thomæ Dempſteri, nec non ſuprà ubi de *Jactatoribus*, & *Multiformi corona*.

NEMESIS, Tibulli amica. De quâ ipſe *l.* 2. *Eleg.* 3. *v.* 55.

> *Ut mea luxuriâ Nemeſis fluat, utque per urbem*
> *Incedat donis conſpicienda meis.*

Martial. *l.* 8. *Epigr.* 73. *v.* 7.

> *Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli.*

NEMESIS, opus Agoracriti e marmore, de qua ſic Plin. *l.* 36. *c.* 5. *Ejuſdem* (Phidiæ) *diſcipulus fuit Agoracritus Parius. Certavere autem inter ſe ambo diſcipuli in Venere facienda. Vicitque Alcamenus non opere, ſed civitatis ſuffragiis, contra peregrinum civi ſuo faventis. Quare Agoracritus eâ lege ſignum ſuum vendidiſſe traditur, ne Athenis eſſet, & appellaſſe* Nemeſin. *Id poſitum eſt Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus ſignis prætulit.*

NEMESIUM, urbs Marmaricæ. *Ptol.*

NEMESTRINUS Deus, *nemorum* præſes, de quo vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 62. Ejus ex veterib. Arnobius meminit *adv. Gentes l.* 3.

NEMETACUM, *Antonin.* eadem quæ Nemetocerna, ſeu Atrebatum, *Arras.* Vide ibi.

NEMETATI, populi Hiſpaniæ Tarraconenſis *Ptol.*

NEMETES, quaſi raptores hoſtium, à *nemen* German. populus & urbs Germaniæ ſuperioris ad Rhenum libera in Palatinatu, *Speyr* teſte *Rhenanô*, inter Argentinam, 12. leuc. in Boream, & Moguntiam. Dicitur & *Noviomagus Nemetum*, urbs ampla, ſed malè culta, intra fines Palatinatus Rheni, ſub proprio Epiſcopo. Sedes Cameræ Imperialis; 7. leuc. à Vormatia in Meridiem, 4. ab Heidelberga in Africum, & 1. cum dimidio infra Philippoburgum in Boream. Pluries capta & recepta, ultimô bello Germanicô, nunc penitus à Gallis everſa. Vide B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 1. Cum *Notis* Ortonis JCti, nec non, voce, *Spira*.

NEMETOBRIGA, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs, *Ptol.* Vulgò *Val de Neóro*, teſte *Tarapha*.

NEMETOCERNA, oppid. Galliæ Belgicæ, dictum fortè à *Nemetibus*, nunc Spirenſibus. *Cluverio* aliiſque eſt *Atrebatum*, vide ibi, & *Nemetacum*.

NEMEUS mons, vide *Nemea*. Unde & fluv. *Nemea*.

NEMIA, urbs Theſſaliæ, *Etymol.*

NEMINIA, fons agri Reatini, qui ortum mutans, annonæ quoque mutationem portendit, Plin. *l.* 2. *c.* 103.

NEMORALIA, ſacra erant in honorem Dianæ celebrari ſolita. Gratius *Cynegetic. v.* 484.

> *Spicataſque faces Sacrum ad Nemorale Dianæ*
> *Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore.*

Hinc & ipſa *Nemoralis*, Statio *Theb. l.* 9. *v.* 627.

> ——— *quid in noſtris nemoralis Delia ſylvis,*
> *Mænades hoſtiles, Thebanaque Numina regnant?*

Quæ & *Nemorenſis*, in tribus lapidibus antiquis, annotante Stewechiô *Electis ad Arnobium l.* 4. Vide quoque G. Elmenhorſtium *ad eund. Ibid.* ubi *veteris Inſcr.* meminit,

DIANÆ. NEMORENSI.

Alterius item,

DIAN. REGINA. UNDARUM. DECUS. NEMORUM.

Nempe illa,

> *Montium cuſtos nemorumque* ———

apud Horatium *Carm. l.* 3. *ode* 22. hincque *Nemus κατ' ἐξοχὴν* dicta ædes ei ſacra, in Aricino nemore, de quo vide infrà in voce *Nemus*.

NEMORENSIS Vallis, ſeu *Vallis Demonæ*, una ex 3. provinc. Siciliæ, magis ad Boream extenſa, ex adverſo Calabriæ ulterioris, à qua dividitur fretô Mamertinô. Terminatur à Septentrione mari Tyrrhenô, ab ortu mari Ioniô, ab Occidente valle Mazaræ, à Meridie valle Neætinâ. Ejus urbes præcipuæ Meſſana, Catana, Pactum, & Cephalœdum (*Ciſalu*) Ibi & Ætna, mons ignivomus, *Mongibello* dictus.

NEMORENSIS Lacus, ſeu *Nemus Dianæ*, & *Lacus Triviæ*, nunc *Lago di Nemi*, à Caſtro Nemo ei adjacente. Circuitus 7. milliar. 18. milliar. à Roma in Eurum, 4. à Velitris. In Campania Romana *Baudrandus αὐτόπτης*.

NEMOROSIUM, urbs tractus Vaſtinienſis, ad fluv. *Loing*, in Gallia. Vide *Nemoſinum*, it. *Nemus*, ubi de Familia hac illuſtri.

NEMOSINUM, oppid. lepidum & amplum Vaſtinii agri, ad Lupian. fluv. 18. leuc. à Lutetia in Auſtrum, 7. à Montargio in Boream, cum titulo Ducatus à Carolo 6. A. C. 1405. erecti, cùm antea ſub propriis Dominis, dein ſub Comitibus eſſet. Vide Ducheſnium *Antiquit. Gall.* Gallis *Nemours*.

NEMOSUS, *Strab. Nemoſſus* Lucano *l.* 1. *v.* 419. forſan *Auguſta Nemetum*. *Baudr.*

NEMRA, civitas, Numer. *c.* 32. *v.* 3.

NEMRIM, locus terræ Moab. Eſaj. *c.* 15. *v.* 6. dicitur & *Nimrim*.

NEMUS, vulgò NEMOURS, oppid. Galliæ, à re nomen habens. Eſt enim in Senonibus, proximum nemori vel ſilvæ Bieriæ, veteri Ducatûs titulô inſigne, ad fluvium Lupam. *Nemoſium* & *Nemoſum Rigordo* aliiſque, corruptè. Meminit loci Hugo Pictavinus, *in Hiſtor. Monaſterii Viceliacenſis*, *ante annos* 500. cùm inquit: *Egreſſi ſunt omnes cum Rege & Optimatibus ſuis, in* Nemore *condito ſuprà Meretum, ubi cùm Abbas* (Guilielmus) *referret* &c. Monacho Cœnobii S. Dionyſii, qui Chronicon Sodalis ſui Guilielmi Nangiacenſis, ad A. C. 1368. deduxit, *Nemoſum in Vaſtineto* appellatur, non ineptè: Eſt enim ſitum in pago Waſtinenſi, inter ſylvas Bieriam & Montis Argiſi, Bieriæ tamen propius: Olim verò antequam pars nemoris excideretur, in ipſa ſylva: neque enim Nemus dictum eſſet, niſi fuiſſet in nemore. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.* Vide quoque in voce *Nemoſum*. Hinc itaque *Nemoroſia* Familia, Gall. *Nemours*, quæ per illuſtris Stirpis Sabaudicæ ramus eſt. Patrum enim memoriâ duo Stirpis hujus præcipuè rami; *Nemoroſius* ſeu *de Nemours*, à Philippo, qui in Gallia ſedem quæſivit, ſed, niſi quod fœminas attinet, A. C. 1659. in Henrico primi auctoris pronepote, exciſus; & principalis Ducum Sabaudiæ à Carolo, dicti Philippi *Nemoroſii* fratre (qui ambo Philippi Ducis A. C. 1517. extincti, filii fuêre) propagatus, floruêre; quorum hic rurſus in duos palmites abiit, ut infrà videbimus. Reliquit autem Henricus præfatus, filias duas, quarum progenitores, ab aliquot ſeculis, hi fuêre: Ludovicus Dux Sabaudiæ, qui deceſſit A. C. 1465. maritus fuit Annæ Luſinianæ (Janô Cypri Rege genitæ) & ex ea ſuſcepit Philippum Ducem, defunctum A. C. 1517. quô & Claudiâ Pentheuriâ (filiâ Johannis *de Breſſe*, Dn. *de S. Severe* & Nicolaæ Britannicæ Comitis Pentheuriæ) genitus Philippus Dux *Nemoroſius*, obiit A. C. 1533. Pater ex Carola Aurelianenſi (filiâ Ludovici Aurelianenſis Ducis Longavillani & Johannæ Rœtelanæ) Jacobi *de Sabaudia* Ducis *Nemoroſii*, defuncti A. C. 1585. Hujus ex Anna Ateſtina (filia Herculis Eſtenſis Ducis Ferrariæ & Renatæ Francicæ) fil. Henricus *de Sabaudia*, Dux *de Nemours* & *d'Aumale*, deceſſit, A. C. 1632. relictô, ex Anna Lotharingica (filia Caroli Ducis Aumalæ, ex familia Lotharingica) filiô Carolô Amedeô *de Sabaudia* Duce *Nemoroſiô* & Aumaliô, qui ultimus maſculus ſui rami denatus eſt A. C. 1652. Pater ex Iſabella Vindocina ſeu *de Vendoſme* (filia Cæſaris Borbonii, Henrico IV. Galliæ Rege geniti) Mariæ Johannæ Baptiſtæ, quæ nata A. C. 1644. Carolo nupſit Emanueli Sabaudiæ Duci haud pridem extincto; Mariæ Franciſcæ Eliſabethæ, quæ genita A. C. 1646. primis nuptiis juncta eſt Alfonſo Portugalliæ Regi, nunc Petrum fratrem ejus, Portugalliæ Regentem, maritum habet; Franciſci (qui natus eſt & denatus A. C. 1650.) & Caroli Amedei (qui ſimiliter annum ſequentem & natalem & emortualem habuit) omnes *de Sabaudia lin. Nemorenſis*. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 3. *p.* 4. ut & *in Indice*.

NEMUS, caſtrum Campaniæ Romanæ juxta Lacum Nemorenſem, in colle, cum palatio ſuperbiſſimo Marchionum Frangepanorum, in ditione Pontificia, 18. milliar. à Roma in Eurum, uti 6. ab arce Gandulphi, 4. à Velitris, *Nemi*.

NEMUS, ſylva amœna: cujuſmodi locis adeò capiebantur olim elegantiores Romani & *φιλόκαλοι*; ut etiam in urbanis ædibus, ſi aliô locô nequirent, ſaltem in tectis haberent. Et quidem, uti in Xyſtis per hybernum Solem de rebus gravibus, vel inter ambulandum, vel ſedentes tractabant: Sic in *Nemoribus* per æſtatem umbram ac opacitatem captabant. Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 72. Sed & Idololatris olim in frequenti uſu, unde apud Romanos *Nemus Aricinum* adeò celebre, ubi Dianæ ſimulachrum ex Taurica advectum magna in veneratione fuit, quod & ſimpliciter *Nemus*, apud *Strabonem*, Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσι· τῆς δ' Ἀρικίνης τὸ ἱερὸν λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρυμά τι τῆς Ταυροπόλου. *Templum Dianæ, quod vocant* Nemus, *in ſiniſtro latere viæ Ariciâ aſcendentis* &c. Nempe Latini Dianæ Aricinæ templum ita propriè vocabant, *Nemus*. Unde & ipſa Diana *Nemorenſis* indigitabatur, & Sacerdos ejus dicebatur *Rex Nemorenſis*, ut eſt apud Sueton. *in Calig. c.* 35. Plin. *l.* 35. *c.* 7. *Pingi autem gladiatoria atque in publico exponi cœpta à C. Terentio Lucano --- is mortuô avô ſuô, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in Foro per triduum dedit, tabulamque pictam in* Nemore *Dianæ poſuit*, i. e. ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ, quod *Nemus* vocabatur. Vitruvius *l.* 4. *c.* 7. *Item generibus aliis conſtituuntur ædes, ex iiſdem ſymmetriis ordinatæ, & aliô genere diſpoſitiones habentes, uti eſt Caſtoris in Circo Flaminio, & inter duos lucos Vejovis: item argutius in* Nemore *Dianæ, columnis adjectis dextrâ ac ſiniſtrâ, ad humeros pronai*, &c. E quibus locis conſtat, *Nemus* propriè vocatum fuiſſe, Templum illud Dianæ Aricinæ, quòd in *nemoribus* poſitum eſſet, Ovid. *l.* 1. *de Arte am. v.* 259.

> *Ecce ſuburbanæ templum nemorenſe Dianæ.*

De eodem loquitur Silius *l.* 8. *v.* 363.

> *Quique immite* Nemus *Triviæ*, &c.

Hîc Scythicæ Dianæ ſeu τῆς Ταυροπόλου imago. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 67. Ibidem Hippolytus quoque colebatur, & Egeria cum Numa nocturnos obivit congreſſus. Equis illud ingredi non licebat, ob Hippolytum ab iis diſcerptum: Meminit ejus Ovid. *Faſtor. l.* 3. *v.* 261.

> *Nympha mone, nemori ſtagnoque operata Dianæ,*
> *Nympha, Numæ conjux, ad tua feſta veni.*
> *Vallis Aricinæ ſylvâ præcinctus opacâ*

Eſt locus, antiquâ relligione ſacer.
Hic jacet Hippolytus furiis direptus equorum:
Unde Nemus *nullis illud initur equis.*
Licia dependent longas velantia ſepes,.
Et poſita eſt meritæ multa tabella Deæ &c.

Vide in voce *Aricia*, & ſuprà in voce *Luci*. Sed & Muſarum hæc olim domicilia fuêre, unde poſtea in ſuperſtitionem verſa. Magna enim ingenia & naturæ capacia *Nemorum* umbris fontibusque gaviſos, *primâ* ſtatim *Ode ſui operis v.* 30. docet Horatius:

—— —— Me *gelidum* Nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt populo.

Et *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 77.

Scriptorum chorus omnis amat Nemus, *ac fugit urbe.*

Hinc de Abrahamo Patriarcha jam legimus, Gen. *c.* 13. *v. ult.* habitâſſe eum *in convallibus Mamre*, quæ fuerunt multis arboribus conſitæ. Idem juxta Beerſabæ fontes, locos ſibi ac amœna vireta plantâſſe legitur. Georg. Hornius *Hiſtoria Philoſophica l.* 7. *c.* 3. Pertinent huc Indorum Philoſophi *Hylobii* cognominati: de quibus Strabo *l.* 15. & ferè ſic Clemens *l.* 1. *Strom.* Διττῶν δὲ τούτων (Γυμνοσοφιστῶν) τὸ γένος, οἱ μὲν, Σαρμάναι αὐτῶν· οἱ δὲ Βραχμᾶναι καλούμενοι, καὶ τῶν Σαρμάνων οἱ Ὑλόβιοι προσαγορευόμενοι, οὔτε πόλεις οἰκοῦσιν οὔτε στέγας ἔχουσιν, δένδρων δὲ ἀμφιέννυνται φλοιοῖς, *Duplex erat illorum genus, alii Sarmanæ*, (Straboni *Germanæ*) *alii Brachmanæ dicuntur. Et inter Sarmanas ſunt Hylobii, qui nec urbes colunt. nec ſub tectis habitant, ſed arborum tantùm corticibus veſtiuntur.* E quibus poſtremis verbis liquet, cur Ὑλόβιοι vocentur, quaſi *Nemoricolas* vel *Sylvicolas* dicas. Nec dubitat Voſſius, quin his præcipuè convenerit Gymnoſophiſtarum nomen, *de Philoſ. Sectis c.* 1. §. 19.

NENDI Artificium, inter Palladis inventa, ut & ars texendi, vide infrà.

NENIA, carmen lugubre, cujus primum auctorem Linum ferunt: Græcè νηνία, item νήνιτον, i.e. *extremum*. Unde non rectè per diphthongum ſcribi, monet *Scaliger*. Ad læta id tranſtulit primus & poſtremus *Euripides*. *Jovianus Pontanus*, ad nutricias cantilenas: propterea quòd vulgus in Italia, quas uno in loco *Bellas*, alio *Nenas* nutrices vocat; à cantiunculis, ut videtur, quæ ſint ſimiles cantibus Præficarum. Cujus carminis anguſtiis divinus ille Vir ita clauſit laſciviam immenſi ſui ingenii, ut aliorum excluſerit audaciam. At Veterum nutricum cantiones καταβαυκαλήσεις nominârunt, Baucis enim nomen in re futili. *Neniam* verò (unde & νηνιδὼν tibia funebris) inventum ajunt Phrygum, cujus rei meminerit Hipponax. Vide præfatum Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 50. Certè inter vocabula Phrygum, quæ è Palæſtina illi habuerint, Νινίατον ſeu *Naniam*, quoque recenſet Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 36. Vide quoque ſuprà *Nænia*.

NENNIUS, Abbas Anglus, diſcipulus Elvodugi Probi & Beulani Eccleſiaſtici, floruit A. C. 620. Auctor libri, de origine Britonum, &c. Pitſeus, Balæus *de Script. Angl.*

NENSIA, urbs Africæ propriæ, *Ptol.*

NENTIDAVA, *Ptol.* *Noſenſtadt*, urbs Tranſylvaniæ, quæ nunc Biſtritia, apud Ruthenorum, ſeu Roxolanorum fines, intra montes, 5. leuc. à Claudiopoli in Boream, *Beſtercze* Hungaris.

NEO, Græcè Νέων, nomen viri. Lamprid. *in Alexandro Severo, c.* 3. *Grammaticum in patria Græcum* Neonem *habuit*: Sic enim legi vult Salmaſ. cùm vulgati Codices habeant *Nebonem*, quod nomen Syriacum eſt, Palatinus liber legat *Nehonem*. *Vetus Inſcr.*

C. CLODI. C. L. HILARI
AMINÆ. CLODIÆ L.
NEONIS. CLOD. PHILARC.
POSIDIS HELENI. Θ.

In alia *Neonianus* quidam, Cæſaris verna, nominatur. Vide Salmaſ. *ad loc.*

NEOBULE, Lycambis Thebani filia, quam cùm pater Archilocho poëtæ deſpondiſſet, poſteaque facti pœnitens tradere eam recuſaret, tam acri Jambô ab Archilocho fuit perſtrictus, ut doloris impatientiâ mortem ſibi laqueô credatur conſciviſſe. Vide *Archilochus* & *Lycambes*. Item Horatii amica, cujus meminit *Carm.* 3. *Ode* 12. *v.* 5.

Tibi qualum Cythereæ puer ales,
Tibi telas, operoſæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri.

NEOBURGUM, quod & *Neopyrgum*, & *Nova caſtra*, multiplex eſt urbs Germaniæ: ſed quæ præcipuæ, una ad Salam fluv. in confinio Miſniæ, Thuringiæ, & Saxoniæ, vulgò *Naumburg*, inter Erfordiam, ad Occidentem, & Lipſiam ad Ortum. *Baudrando* urbs eſt Saxoniæ ſuperioris in Miſnia, aliàs ſub proprio Epiſcopo, nunc ſub Adminiſtratore, è domo Saxonica, cum regiuncula adjacente, *Stifft Naumburg*, in ipſo limite Thuringiæ. Altera in Bavaria ad Danubium, hodie *Neuburg*, ſedes Ducis Neoburgenſis: cui Principatui ortum bellum dedit Bavaricum, inter Rupertum Palatinum cognomine *Virtuoſum*, filium Philippi cognomine *Ingenui*, Electoris, & Albertum Bavariæ Ducem geſtum, ſub initium ſeculi XVI. occaſione teſtamenti, quô Georgius cognomine *Dives*, Dux Bavariæ, Landshutenſis lineæ ultimus, unicam filiam Eliſabetham, & per eam generum Rupertum, hæredes omnium bonorum & ditionum ſcripſerat. Quô durante bellô Rupertus à Maximiliano I. Imperatore & mox Pater Philippus A. C. 1504. proſcripti, Rupertus ad Ratisbonam victus, Palatinatus miſerè laceratus, ægréque tandem Philippus in gratiam receptus & Ruperti filiis pars aliqua avitæ hæreditatis, inter Nabum & Danubium, quæ *Neoburgenſis Principatus*, (aliis *Palatinatus Junior* appellatur) conceſſa eſt. Ita Principatum hunc primò tenuerunt filii Ruperti Otto Henricus, poſtea Elector, & Philippus cognomine *Bellicoſus*, quorum is Alberti filiam Suſannam duxit, A. C. 1529. hic Viennam contra Solimannum, fortitudinis memorabili ſpecimine editô, defendit eodem annô: ambo autem ſine prole deceſſerunt. E quibus prior, ditionem ſuam bellô Smalcaldenſi amiſſam, A. C. 1552. transactione Paſſavienſi recepit, poſteaque Elector factus, cùm improlem ſe moriturum videret, teſtamentô transmiſit ad Wolffgangum Bipontinum, Electoratûs hærede Friderico Simmerenſi, A. C. 1559. Hujus dein Wolffgangi fil. primogenitus Philippus Ludovicus, poſtquam *Neoburgici* Principatus adminiſtrationem, vivô patre, ſuſcepiſſet A. C. 1560. *Neoburgicam* lineam, hodieque ſuperſtitem, orſus eſt, extinctus A. C. 1614. acceptô de conſilio filii nuntiô, & Laugingæ ſepultus. Pater ex Anna Juliacenſi (unde prætenſio ei nata in Ducatus Juliacenſem, Clivenſem & Montanum, è quibus primum & ultimum obtinuêre Neoburgici) Wolffgangi Wilhelmi, qui *Neoburgicam* lineam continuavit; Auguſti qui Sulzbacenſis rami auctor eſt, & Johannis Friderici, qui *Hiltpolſtein*, *Haydek*, *Allenſperg*, & *Gizzin* accepit, ſine hærede extinctus A. C. 1644. Wolffgangus Wilhelmus, cùm A. C. 1613. uxorem duxiſſet Magdalenam Bavaricam, ſequente annô Latinos ritus amplexus eſt, & Patre extinctô, ditiones ſubjectas in partem eandem pertraxit, Fratribus & Matri ob religionem gravis. Obiit A. C. 1653. unicô relictô, ex præfata conjuge, filiô Philippô Wilhelmô, qui natus A. C. 1615. patri mortuo ſucceſſit, Princeps magni animi & prudentiæ, ac ſuæ Religionis acerrimus aſſertor, tum Equeſtrium exercitationum peritiſſimus. Prima ejus uxor Anna Catharina Conſtantia Polonica fuit (Poloniæ hinc regno, poſtquam Joh. Caſimirus Rex Regnô ſe abdicâſſet, plurimorum votis deſtinati: imò & ſequente interregnô, expetiti à non paucis) altera Eliſabetha Amalia Haſſiaca, ducta A. C. 1653. & confeſtim ad mariti ſacra transgreſſa: quarum iſta ſterilis, hæc numeroſâ prole domum auxit. His enim Parentibus nati, Maria Anna Joſepha (genita A. C. 1655. & Leopoldo I. Imperatori tertiùm marito A. C. 1677. juncta) Johannes Wilhelmus Joſephus Ignatius, magnæ ſpei Princeps (qui natus A. C. 1658. nuper, minorem natu ſororem modò memorati Auguſti, uxorem meruit) Wolfgangus Georgius Fridericus Franciſcus (natus 1659.) Ludovicus Antonius (natus 1660.) Carolus Philippus Alexander Sigiſmundus, Franciſcus Ludovicus, Fridericus Wilhelmus & Philippus Wilhelmus, vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Hiſtor. in Familia Palatina.*

NEOBURGUM, oppid. Briſigaviæ, ad Rhenum, medium inter Briſacum ad Boream, & Baſileam ad Auſtream, ſub Auſtriacis; *Newenburg*. Ibi obiit 1639. Bernardus, Dux Veimarienſis, vir fortitudine & victoriis commendatiſſimus. A Gallis in cineres redactum, A. C. 1675.

NEOBURGUM, oppid. munitum Fioniæ Inſulæ in parte Orientali cum portu capaci, juxta fretum *Beltſund*, 18. mill. paſſ. à Selandia, & à Corſoa portu in Occaſum, Ottoniam verſus, à qua pari ſpatiô diſtat; *Nyburg*.

NEOCÆSAREA, urbs Cappadociæ ad Lycum fluv. Archiepiſcopalis & metropol. regionis caput, quæ *Tocato* dicitur, ac ſedes Satrapæ Turcarum, quæ etiam *Hadrianopolis* dicitur, teſte Stephanô, inter Amaſiam ad Occidentem & Trapezuntem in Ortum. *Nixar Leunclavio*, *Thocato Nigro*. Hîc Synodus, à Gregorio Epiſcopo hujus loci, A. C. 261. celebrata: quô epiſtola contra Idolothytorum comeſtores ſcripta, quæ in Jure Græco extat. Dein A. C. 313. ab iiſdem Epiſcopis, qui Ancyranum Concil. coëgerant, hîc aliud celebratum eſt: ubi in favorem Cœlibatus quædam ſtatuta. Sub Conſtantino & Miltiade Epiſcop. Roman. quidam A. C. 318. Synodum hanc, quæ Ancyranam ſupplevit, itidem provincialis, habitam eſſe, ajunt; Baronius in *A. C.* 314. rejicit. *Canones* habet XIV. qui quoque in Codicem Canonum ſunt relati. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl num.* 22.

NEOCÆSAREA, urbs Syriæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hierapolitano in Euphrateſia. Cujus Epiſcopum Paulum Diocletianus manibus truncari eique verenda exuri juſſit, quòd feminas quaſdam ſacras literas doceret.

NEOCASTRUM, cujus populi *Neocaſtrenſes* dicuntur, urbs Brutiorum in magnæ Græciæ confinio Epiſcopalis, hodie *Nicaſtro*, in Calabria ulteriori ad radices Apennini, in limite Calabriæ citerioris, 6. milliar. ab ora maris Tyrrheni.

NEOCHABIS, Athenæo *Dipnos. l.* 10. Rex Ægypti, Bocchoridis Sapientis pater, vide *Tnephachthos*.

NEOCLAUDIOPOLIS, anteà *Andrapa*, urbs Paphlagoniæ, Claudiopoli veteri, & Tavio finitima, *Conique* vulgò, aliis *Caſtamena*, ab Ancyra ſupra 130. mill. paſſ. in Occaſum à Cratia 24.

NEOCLES, Philoſophus Athenienſis, frater Epicuri; ſcripſit de ſecta ſua, Diogen. Laërt. *l.* 10. *c.* 1. Fuit etiam *Neocles* Themiſtoclis pater, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 12.

NEOCLIDES, Rhetor Athenienſis, ærarii expilator, pituitæ & lippitudini obnoxius. Traducitur Ariſtoph. *Pluto Act.* 3. *Sc.* 2.

NEOCOMUM, oppid. Helvetiorum, ad lacum cognominem, ſub Duce Longavillano, cum regiuncula adjacente, 8. leuc. Germ. à Lauſanna in Septentr. ferè 7. à Berna in Occidentem. Veſuntionem verſùs, 8. à Soloduro in Africum *Neufchaſtel*, Gall. *Newenburg*, German. Sub protectione pagi Bernenſis. Vide Novum *Caſtrum*.

NEOCORES, apud Firmicum *l.* 4. *Seu certè Neocores vel Sacerdotum Principes*: iidem qui *Neocori* aliàs, h.e. Templorum Cuſtodes, de quibus vide ſuprà ubi de *Æditius*. Idem nomen datum eſt Civitatibus, in quibus celebre quoddam Templum, quemadmodum fuit illud Dianæ Epheſinæ, in Actis Apoſtol. *c.* 19. *v.* 24. Ipſis item Imperatoribus &c. Macer *in Hierolexico*. Vide hic infrà.

NEOCORUS, Ædis ſacræ æditiuus, Νεωκόρος. Jul. Firmicus *l.* 4. *Math. c.* 7. *Aut ſimulachrorum conſecratores, ſeu certè Neocores* (ſecundum quoſdam) *vel Sacerdotum Principes*. Vox Græcis Scriptoribus notiſſima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

notiſſima, ſed quæ negotium jure faceſſit rei Antiquariæ & Nummariæ ſtudioſis, in veterib. numiſmatibus, ubi hæ voces A. vel B. vel. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ epitheton populis integris adſcribitur, tanquam publici Æditui fuerint alicujus, atque adeò publici etiam Templi; quemadmodum Phlegon Trallianus *l.* περὶ θαυμασ. Ναύπακτον τῆς Αἰτωλίας ait fuiſſe ἱερὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, niſi legendum ſit, ὃ ἐστιν ἱερὸν κ.λ. pro ὅ ἐστιν, ita ut Græciæ populi ejuſce communis Templi viciſſim Νεωκόροι fuerint. Sed & Actor. *c.* 19. *v.* 35. Epheſus dicitur Νεωκόρος τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς, quod *Beza* vertit, *Æditium magnæ Deæ Dianæ, & ſimulachri à Jove delapſi. Vulgatus, Cultricem magnæ Dianæ Jovisque prolis.* Δὶς Νεωκόρος, *bis Neocorus*, dicitur Perinthus urbs in *vet. Inſcr.* factâ in honorem Decii Trajani Imperatoris apud Sponium Itiner. *Part.* 3. *p.* 98.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙ
ΣΑΡΑ ΓΑΙΟΝ ΜΕΣΙΟΝ
ΚΥΙΝΤΟΝ ΔΕΚΙΟΝ
ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΕΥΣΕΒΗ
ΕΥΤΥΧΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
Η ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΔΙΣ
ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ
ΠΟΛΙΣ.

Ubi, pro numero Templorum celebrium, bis aut ter *Neocorum*, civitatem aliquam appellari conſueviſſe, nonnulli volunt; alii, pro numero feſtivitatum, id fieri ſolitum contendunt. Sic in nummo Caracallæ β. Νεωκόροι, *ſecundò Neocori*, Sardiani dicuntur, apud eund. *p.* 188. Νεωκόρος Σμυρναίων Δῆμος, in veteri *Inſcr.* Smyrnæ, *p.* 130. *ejuſd. libri.* Vide Antonium Auguſtinum *Dial.* S. Sebaſt. Erizzum *de Numiſmat. veter. part.* 2. Adolph. Mekercum *de Pronunt. Ling. Græcæ p.* 53. *Nonium*, *Goltzium*, Caſaubonum *ad Monum. Ancyranum*, Seldenum *ad Marmora Arundelliana p.* 104. & Albertum Rubenium *Diſſertat peculiari*, citatum Cl. Sponio ubi ſuprà, qui Nicolaum Bon Cretenſem Venetiis agentem, integrum de munere hoc tractatum meditari, numiſmatis & *Inſcriptionibus* antiquis illuſtrandum, addit.

NEODUNUM, urbs Galliæ Celticæ in Britannia minori, vulgò *Dol*, teſte *Canali*, 10. leuc. a Rhedonibus in Boream.

NEOFORUM, oppid. Sileſiæ, in Ducatu Uratiſlavienſi, in loco amœno, medium inter Uratiſlaviam ad Ortum & Lignitium ad Occidentem, 4. leuc. *Newmarckt*.

NEOFORUM, oppid. aliàs, nunc vicus Normanniæ, ad Eptam fluv. in limite provinc. Bellovacenſis. Aliter *Novus Mercatus.* Vide ibi.

NEOGARTUM, German. NEUGARTEN, nomen in Pomerania caſtri, & ditionis adjacentis, cùm titulo Dominii, ſub proprio Comite ex Familia Eberſtenia; quæ Eberſteniæ, inter illuſtriſſimas Suevici tractus jam olim numeratæ, ſtirpis ſurculus eſſe videtur. Tabulam familiæ Spenerus hanc exhibet: Otto Comes Eberſtenius Dn. *de Neugarten* ex Anna Sophia *de Gleichen*, genuit Ludovicum, Annæ Eliſabethæ Comitis Manderſcheidiæ maritum, & ex ea patrem Ludovici: quô & Walpurgi Honſteniâ, natus Georgius Comes Eberſtenius Dn. *in Neugarten*, deceſſit A. C. 1553. Pater ex Walpurgi Schlickia (filia Caſpari Comitis Schlickii *in Paſſaun in Schlackenwerth*) Ludovici Comitis extincti A. C. 1590. Hujus ex Anna Mansfeldia (filia Caſpari Comitis) fil. Georgius Caſparus, multorum liberorum fuit pater. Vide præfatum Spenerum *Theat. Part.* 2. *p.* 16.

NEOGENES, conductô cum Iaſone Pheræo milite, arcem Actiacorum occupans, tyrannidem invaſit ſuperbéque atque avarè imperitans, à Therippide Lacedæmonio, ejectus eſt, Diodor. Sic. *l.* 15. in Olymp. C. anno quarto.

NEOMAGUS, Regnorum civitas in Britannia, *Ptol.* hodie *Guildford Lhuydo*; *Talbortus* idem cum Noviomago *Antonini* eſſe putat, & hodiè *Croyden* dici. Vide omninò Guil. Burtonum *in Antonin. Itin. p.* 175. longitud. 19. 38. latitud. 52. 15. Nunc *Voodcote*, 9. milliar. Anglic. à Londino in Meridiem. *Camden. Sanſo.*

NEOMAGUS, oppid. Galliæ Celticæ *Ptol. San Salveur Villanovano* in ora Normanniæ Boreali, & maritima, à Juliobona, 4. leuc. in Occaſum, ſicut ab oſtio Sequanæ. Sed eſt potiùs urbs Lexoviorum, vulgò *Liſieux*; nam apud *Ptol.* mediterranea eſt, non maritima, cui etiam *Nœomagus* dicitur. Vide *Noviomagus Lexoviorum*, ſeu *Lexovium*.

NEOMAGUS, etiam eidem *Ptol.* urbs Nemetum in Germania ſuperiore in Palatinatu apud Rhenum, teſte *Joh. Heroldò*, vulgò *Odenheim*, vel *Udenheim*. Sed *Ferrario* ipſa Spira potius, vide *Nemetes*, videtur, ita ut eadem ſit *Neomagus Antonini*, & *Ptolemæi*, 1. cum dimid. leuc. à pago Udenheim, qui nunc Philippoburgus, arx munitiſſima.

NEOMAGUS, oppid. Galliæ Narbonenſis in finibus Tricaſtinorum, *Ptol. Nyon.* teſte *Joh. Poldò*. Et in Gallia Belgicâ, in finibus Trevirenſium, vulgò *Numagen*, pagus ad Moſellam, à Treviris 3. leuc. in ortum. Et in Campania, *Nogent ſur Seine* hodiè, inter Agendicum 7. & Trecas 12. leuc. in fin. Senonum.

NEOMAGUS, vide NOVIOMAGUM.

NEOMENIA, Græcè Νεομηνία, ſeu *Novilunium*, dies erat apud Hebræos, non quidem propriè feſtus ac ſacer, aut tam rigidâ quiete, ac Sabbatum, celebrandus, interim peculari ſacrificiô inſignis, Numer. *c.* 28. *v.* 11. ac porrò conviviis & epulis tranſigi ſolitus, 1. Sam. *c.* 20. *v.* 5. Adde, quòd & ad Prophetas conſulendos pii tum convenire conſueverint, 2. Regum *c.* 4. *v.* 23. Vide quoque Numer. *c.* 10. *v.* 10. *c.* 28. *v.* 11. Ezech. *c.* 26. *v.* 13. 2. Chron. *c.* 2. *v.* 4. &c. Inſtitutæ autem ſunt *Neomeniæ*, tum in creatæ lucis memoriam, utque populus à Gentilium ſuperſtitione, & Planetarum cultu avocaretur; tum expiandis noxis præteritis, quò ſacrificium illius diei ſpectabat; tum denique adumbrandæ innovationi omnium rerum & novæ luci, quæ Mundo ac Eccleſiæ per Meſſiam olim oritura erat, Eſaj. *c.* 66. *v.* 23. 2. Corinth. *c.* 5. *v.* 17. & Coloſſ. *c.* 2. *v.* 16. 17. Computabant illas veteres Judæi à Lunæ phaſi ac prima ejus apparitione, cui obſervandæ certi quidam Sacerdotes præfecti erant; hodierni verò, ab ejus conjunctione cum Sole. Unde olim cùm incerti eſſent, unde novæ Lunæ exordium eſſet ſumendum, biduô illas celebrare ſolebant, *ob dubium de luminaribus*; uti Judæi loquuntur. Quod & 1. Sam. *c.* 20. *v.* 24, 27. factum videtur &c. Fr. Burmannus *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 17. §. 19. & *ſeqq.* Vide quoque infrà in voce *Novilunium*.

NEOMENICÆ, ſeu potiùs *Nemeonicæ*, Victores dicebantur in *Nemeis*, uno ex quatuor celebrioribus Græcorum Ludis genere: quorum præmium σέλινον, i. e. *corona ex apio*; unde Νέμειον ἄνθος apium, Sibyllinorum *Orac. l.* 5. ubi de Trajano Imperatore, qui Selinunte obiit, Ciliciæ urbe,

Ὃν κόνις ἀλλοτρία κρύψει νέκυν· ἀλλὰ Νεμείου
Ἄνθεος οὔνομ᾽ ἔχουσα.
Quem pulvis peregrinus teget mortuum, Nemei
Floris (Græcè σελίνου) *nomen habens* &c.

Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano c.* 4. ut & in voce *Nemea*.

NEON, Hiſtoricus, ſub M. Aurelio: ſcripſit Græcè *acta Martyrii Speuſippi & Meleuſippi fratrum*. Baronius *in Annal.*

NEON, urbs Phocidis, Herodot. *l.* 8. ad Parnaſſum, Delphis vicinum. Gentile *Neonius* & *Neonæus*. *Steph.* Herodot. *loc. cit.* Pauſan. *l.* 10.

NEONTICHOS, oppid. fuit Æolidis, juxta Hermum fluv. *Novus murus*, Latin. *Herodot.* Plin. *l.* 5. *c.* 30.

NEOPHON, vel NEOPHRON, Poëta Græcus, varias edidit tragœdias. Familiaris Calliſthenis, quem propterea cum hoc Alexander M. necari juſſit. *Suid.*

NEOPHYTUS, Græcè Νεόφυτος. Iſidor. *l.* 8. *Neophytus Græcè, Latinè Novellus, & rudis fidelis. Papias: Neophytus, nuper renatus, nuper ad fidem veniens vel noviter.* Quô nomine etiamnum in Gallia, in Comitatu Provinciæ, vocantur novelli Chriſtiani è Judæis facti, quos Luſitani *Chriſtianos nuevos* vocant, à quibus Ludovicus XII. Rex 5000. libras ad bellorum impenſas exegit, die 21. Dec. A. C. 1511. Sed & *Neophyti* in Communione Romana dicuntur Novitii Clerici & nuper è Monachorum vel Laicorum numero in Clerum adſcripti, in Concilio Sardicenſi *can.* 13. & apud Zozimum Pontif. *Ep. ad Patroclum.* Eorum namque duplicem ſtatuit ordinem Synodus VIII. *can.* 5. κατὰ τὴν πίστιν ſcil. & κατὰ τὸν ἱερατικὸν κλῆρον. Gregorius I. Pontif. *l.* 7. *Ind.* 2. *Ep.* 112. *Sicut autem tunc* Neophytus *dicebatur, qui initiò in ſancta fidei erat converſatione plantatus: Sic modò* Neophytus *habendus eſt, qui repentè in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores ſacros irrepſerit.* Etiam Novitii in Monaſteriis, *Neophyti* dicuntur Orderico Vitali *l.* 3. & *l.* 6. *Novitiorum copiam Monachali normæ mancipavit, Neophitiſque optimos ritus rigidæ converſationis tradidit.* Idem *Neophytos* dicit novos inductos Monachos *l.* 8. *Ritus Cluniacenſium ---- imitatus non eſt, ſed modernas inſtitutiones* Neophytorum, *prout ſibi placuit, amplexatus eſt.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* Quorum hi Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum ab Ivone Carnotenſi *Ep.* 285. & Landulphum Epiſcopum Capuanum ab Auctore *Chronici* Caſin. *l.* 2. *c.* 41. *Neophytos* appellari, quòd, nullô Eccleſiaſticô ordine prævìô, ad eas dignitates aſcendiſſent, addunt.

NEOPTOLEMUS, cognomen Pyrrhi Achillis filii, inde impoſitum, quòd admodum adoleſcentulus, primum tirocinium, in bello Trojano, poſuit. Νεοπτόλεμος enim Græcis *tironem* ſonat, ſeu *militem novitium*. Virg. *Æn.* 2. *paſſim.* Hinc Νεοπτολέμειος τίσις, *Neoptolemica vindicta*, ubi quis idem patitur, quod in alios fecit. Siquidem *Neoptolemus*, qui Priamum in ipſis palatii focis occiderat; ipſe viciſſim apud Delphos, ad Apollinis Aram, interfectus eſt. Manſit vox apud Recentiores, pro tirone. Cunradus Fabarienſis *de Caſibus S. Galli c.* 14. *Junior frater* Neoptolemus; *in Curia, frater Imperatoris magni, Cremonæ factus, auxiliò venerabilis Curienſis Epiſcopi & Abbatis noſtri, cingulum militare morum decoravit honeſtate.* Ubi legit Car. du Freſne, *à fratre Imperatoris* &c. Quod de *Cingulo* hìc *Cunradus* ait, reſpicit ritum veteris ævi, quô novi iſtiuſmodi Milites initiabantur. Ut enim apud Romanos, qui militiæ dignitatem aliquam conſequebantur, cingulô dicebantur donari: quô etiam perſæpe ab ipſomet Principe, ſi altioris; à majoribus verò Magiſtratibus, ſi inferioris eſſent ordinis, accingebantur: ita poſteriore ævô, qui militiam aut ex dignitate, aut ex beneficio ſeu feudo Domino debebat, armis omnibus ab eo inſtruebatur, quò Militis ſui in poſterum partes ageret, atque ita *adoptabatur in Militem*, unde Gallorum phraſis, *Adduber un Chevalier*. Acceſſit apud Chriſtianos armorum ipſorum benedictio in Eccleſia, à ſacrorum Miniſtro facta; & vigiliæ ac jejunia, quibus novus Miles, in ipſa ſacra Liturgia, enſe accingebatur: quod maximè apud Anglos obtinuiſſe, memorat *Ingulfus*. Idem verò, ut alia quoque addam, priuſquam militiam conſequeretur, balneum ingrediebatur, indeque lotus prodibat, uti ſuprà diximus. Ita loti Tirones, in Eccleſia pernoctabant, orationibus vacabant, & craſtinô ſubſequente, ſacræ intererant liturgiæ, uti jam attigimus. In quibus ſacris ceremoniis cingulum militare conferebatur novo militi, ab aliquo Principe aut Magnate, datâ, ut ſolenne erat; alapâ militari, ſacra faciente Epiſcopô enſique benedicente. Vide Magnum *Chron. Belgicum* A. C. 1247. ubi de militia Wilhelmi Comitis Hollandiæ Imperatoris electi, & apud Vinchantium, *Annal. Hannoniæ c.* 27. ubi de militia Wilhelmi Hannonienſis Comitis Oſtrevanti, & ſuprà, ubi de *Alapa militari*. Enſis porrò, quô accingebatur miles,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

les, ab ipſomet altari imponebatur, uti diſcimus ex Joh. Sariſberienſi *Policrat. l. 6. c.* 10. unde ipſemet interdum miles, ſiquidem majoris dignitatis Princeps eſſet, acceptum lateri ſuo aptabat, uti de Rege Fernando ſcribit Roder. Toletanus *de Reb. Hiſpan. l. 9. c.* 10. Sed etiam in occaſionibus bellicis milites creabantur, cujus rei exempla ſuggerunt Fulcherius Carnot. *l.* 2. *c.* 10. Froiſſardus 2. *vol. c.* 125, 159. 3. *volum. c.* 14, 75. 4. *Volum. c.* 18. Tillius & Savaro *tr. de Enſe Francico p.* 27. Ad militiam autem capeſſendam nulla ferè ætas definita erat. Interdum enim *præmaturè* dabatur, ut de Æthelſtano Anglorum Rege narrat Wilhel. Malmesburienſis *l.* 2. *c.* 6 Interdum, ubi *per ætatem licebat*, ut de Wilhelmo Notho idem tradit *l.* 3. *p.* 95. Sæpe *intra ætatem*, h. e. ante annos *majoritatis* ſeu annum 21. ut de Principe Antiocheno, anno ætat. 16. Milite factô à Ludovico IX. Galliæ Rege refert Joinvilla *p.* 98. At gentis & natalium nobilitas, ut quis militiam conſequeretur, inprimis apud Francos, neceſſaria erat. Unde Guntherus Ligurinus *l.* 2. de Longobardorum gente, ubi iſta minùs exactè obſervabantur:

Uſque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſet, & armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Judicat, accingi gladio concedit equeſtri, &c.

Plura vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Miles*, & infrà in *Tiro*.

NEOPTOLEMUS, Tragœdus, de quo Sueton. *in Calig. c.* 57. ubi Torrentius videri poteſt.

NEOPTOLEMUS, Tragœdus, qui in nuptiis Alexandri Epirotæ & Cleopatræ juſſus à Philippo Macedon. rege canticum ordiri, ominoſos de regis exitu verſus forte fortunâ protulit Diodor. Sic. *l.* 16. f. 557.

NEOPTOLEMUS, Scriptor Naupacticorum.

NEOPTOLOMUS, Macedo, vir inſignis cecidit, in oppugnatione Halicarnaſſi, ad ipſas portas, Diodor. Sic. *l.* 17.

NEOPYRGUM, urbs Thuringiæ, vide *Neoburgum*.

NEOPYRGUM, urbs Bavariæ, ad Danubium, cum titulo Ducatus proxima Ingolſtadio, inter Ratiſponam ad Ortum & Ulmam ad Occaſum. *Neuburg.*

NEOPYRGUM, caſtrum Patrimonii S. Petri, cum turri, & portu tantiſper capaci, in ora maris Tyrrheni in Dominio Barberinorum. Ibi fuit aliàs Pyrgus, oppid Hetruriæ, 6. milliar. à Centumcellis in Ortum Romam verſus 33. circiter. Guil. Leſleus. *S. Marinella.* Vide *Pyrgus*.

NEORIS, regio Aſiæ vaſta & aquarum inops, circa Gedroſiam. Populi *Neoritæ*, qui mortuorum corpora arboribus ſuſpendunt Diodor. Sic. *l.* 17.

NEORIS, Iberiæ oppid. inſigne, juxta Harmaſtim fluvium, Plin. *l.* 6. *c.* 10.

NEOSELIUM, oppidulum munitum Hungariæ, ad Nitriam amnem, A. C. 1663. captum à Turcis, ſed receptum à Chriſtianis bellô præſente. *Neuhäuſel*, German. *Owar*, Hungaris. Vix 2. leuc. à Danubio, ubi recipit Wagam, in Ortum, 2. à Comora in Cæciam; 10. à Poſonio in Eurum; 7. à Strigonia in Circium. Juriſdictionem habet ſatis amplam.

NEOSTADIUM, German. *Neuſtatt*, caſtrum Germaniæ, in Ducatu Wirtenbergenſi, ſub proprio Principe, ex illuſtriſſima hac Familia. Fridericus enim Dux, qui obiit A. C. 1608. communis omnium eorum, qui nunc in ea ſuperſtites ſunt, pater, cùm tres habuiſſet filios, primogenitus Joh. Fridericus *Stutgardienſem* lineam incepit, atque præter Eberhardum, maximum natu, aliosque, Fridericum genuit, ex Barbara Sophia Brandeburgica (filia Joachimi Friderici Electoris) Hic natus A. C. 1615. à fratre *Neoſtadium* (ubi ſedes ſumta) Weinsbergam & Mekmuhlam accepit: Et hactenus poſt labores, otium exercitiis, curis & ſtudiis Principe dignis quorum aliquorum fidem Hoplotheca, impreſſorum ſcriptorumque voluminum Bibliotheca (in qua ultra 20000. librorum numerantur) & Cimeliarchium, inſtructiſſima, quotidianisque augmentis creſcentia, facere Neoſtadii poſſunt, condivit. Pater è Clara Auguſta (filia Auguſti Ducis Brunſuicenſis) ductâ A. C. 1653. numeroſæ prolis. His enim parentibus, præter eos infantes, qui ad meliora properârunt, proſati ſunt, Fridericus Auguſtus (natus 1654.) Albertus (natus 1657.) Sophia Dorothea (nata 1658.) Ferdinandus Wilhelmus (natus 1659.) Antonius Ulricus (natus 1661.) Chriſtophorus (natus 1666.) Carolus Rudolfus (natus 1667.) &c. Fratres & ſorores germani, *Duces Wirtenbergiæ* &c. *in Neuenſtatt*. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. I. p.* 163.

NEOSTENIUM, German. *Neuenſtein*, caſtrum Germaniæ, in Franconia, ſub proprio Comite, ex Familia Hohenloica, rami *Langenburgici*. Cùm enim præcipua hujus ſtirpis diviſio hodiè ſit in Langenburgicum & Waldenburgicum ramum, in illo Wolffgangus tres filios ſucceſſores habuit; Georgium Fridericum *in Weickersheim*, Cratonem *in Neuenſtein* & Philippum Erneſtum *in Langenburg*. Quorum medius, qui obiit A. C. 1641. ex Sophia Palatina, (filia Caroli Comitis Palatini Rheni *in Birckenfeld*) numeroſam prolem ſuſcepit. Sunt illi, Sophia Magdalena (natus A. C. 1616. denata 1627.) Johann. Fridericus (natus 1617.) Crato Magnus (natus 1618.) Sigfrid (natus 1619.) Anna Dorothea (nata 1621. uxor Joachimi Erneſti Comitis Oetingenſis, denata 1646.) Wolfgangus Julius (natus 1622.) Carola Diana (nata 1623. denata 1632.) Johann. Ludovicus (natus 1624.) Margaretha Hedwig (nata 1625. nupta Carolo Othoni Comiti Palatino Rheni, ducta 1658.) Carola Suſanna Maria (nata 1626. uxor Ludovici Comitis Lævenhauptii) Sophia Magdalena (nata 1628.) Eva Cratolina (nata 1629. den....) Philippus Maximilianus Johannes (natus 1630. denatus 1658.) & Eleonora Clara (nata 1632. uxor Guſtavi Adolfi Comitis Naſſovii, ducta 1662.) omnes *Comites de Hohenloë* & *Langenburg* &c. *lin. Neuenſteniæ*. Idem, *Ibid. p.* 120. E quibus Johanni Friderico, ex Dorothea Hedwige Duce Holſatiæ *in Harsburg*, genitus eſt Fridericus Crato Comes *de Hohenloë*. Vide eundem *Part.* 3. *p.* 89. ut & *Indic. Part. I.*

NEOTERICI Auctores, apud priſcos Grammaticos, opponuntur *Idoneis*, h. e. claſſicis & locupletibus, quibus vetuſtas hoc meritum arrogavit. Hinc quòd Priſcianus teſtimoniô Solini utitur, hunc non recentem tum fuiſſe, colligit Salmaſ. *Prolegom. ad illum.*

NEOTERIUS, Conſul cum Valentiniano Auguſto, an. Urb. Cond. 1183.

NEOTICHITÆ, populi Æolidis, quorum urbs νέον τεῖχος, i. e. *novæ mœnia*, commemoratur à *Steph.* Item Phocidis, Thraciæ, Cariæ, & Sarmatiæ Europææ.

NEPA, pro cœleſti Scorpione paſſim, apud Ciceronem *in Arateis*. Exemplo hæc ſint,

Ipſaque conſequitur lucens vis magna Nepai.

Et,

Quare cum magnis ſeſe Nepa lucibus effert.

Manilius *l.* 2.

——— *Pietate ad ſidera ductam*
Erigonem, ictuque Nepam, ſpolioque Leonem.

Et *l.* 4.

Hærentesque decem partes Nepa vindicat ipſi.

Et *l.* 5.

Sed regione Nepæ vix partes octo trahentes.

Nepam Afrorum eſſe vocabulum, ſcribit *Feſtus*, i. e. Pœnorum, ut interpretatur *Bochartus*, quorum linguâ נב *neb*, vel נבר *nebira* dici potuit à *caudæ internodiis. Nic. Lloydius.*

NEPAL Regis effigies, in Muſæo Kircheriano Romæ, Georg. de Sepibus in *Deſcr.* ejus *p.* 7.

NEPE, Tuſciæ urbs mediterranea, hodie nomen retinet, Procopio *Gothicar. rerum l.* 4. eſt Νέπα, *Ptol.* Νέπετα, Straboni *l.* 5. Νέπιτα. Genuina autem formatio eſt, apud Livium *l.* 6. *c.* 9. 10. & in antiquo lapide *Nepete*, ut *Tergeſte*, *Ateſte*, *Præneſte*, *Reate*, *Soracte*. Græci ultimam ſyllabam formârunt plerumque in τος, unde apud Dionyſ. Halicarn. *l.* 13. qui interiit, ſcriptum fuit Νέπετος. Apud *Stephani* enim *epitomatorem* ſic legitur: Νέσπετος, πόλις Ἰταλίας, Διονύσιος τρισκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, τὸ ἐθνικὸν Νεσπεσῖνος; per ſummam imperitiam procul dubio ſic ſcripſit, pro Νέπετος. Vulgò *Nepi*, urbec. Patrimonii, juxta amnem *Pozzolo*, 6. milliar. à Sutrio in Ortum, 5. à Monte Roſulo verſus Civitatem Caſtellanam. Oppidani *Nepeſini*, eâdem ſcil. etymologiâ, ut à *Mileto*, *Mileſii*, *Cluverius*, Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 490.

Hos juxta Nepeſina cohors, æquique Faliſci.

Hodie *Nepe*, vel *Nepi*, longitud. 35. 57. latitud. 41. 59. *Nic. Lloydius.*

NEPERUS Johannes, vide *Johannes*.

NEPHALIA, feſta Græcorum, quæ ſine vino celebrabantur, teſtibus *Polluce*, & *Suidâ*.

NEPHATHDOR, civitas in tribu Manaſſe, eadem quæ Dor dicitur, 1. Reg. *c.* 4. Ex Hebræo vertendum erat *in omni termino Dor.*

NEPHEGUS, fil. David, 2. Sam. *c.* 5. *v.* 15. Latin. *imbecillis, aut remiſſus*, ſive *laxatus*.

NEPHELE, uxor Athamantis, mater Phryxi & Helles, à quo Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 195. Hellen *Nepheleïda* cognominat. Hinc *Nepheleus*, ut *pecus Nephelæum* pro Ariete, qui Phryxum & Hellem vexit. Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 56.

I decus: & pecoris Nephelæi vellera Grajo
Redde tholo.

Vide Natal. Comit. *l.* 6. *c.* 9.

NEPHELIS, Ciliciæ urbs, *Ptol.* mediterranea ſupra 10. mill. paſſ. ab Antiochia.

NEPHELOCOCCYGIA, confictum urbis nomen, apud Ariſtophanem Comicum. *Steph.*

NEPHEONITÆ, Sarmatiæ Aſiaticæ populi Plin. *l.* 6. *c.* 7.

NEPHER-CHERES, nonus Paſtorum in Ægypto Rex, Piuſſenem excepit, regnante adhuc apud Thebanos Ægyptios Amuthantæô, Præfuit ann. 4. ſucceſſorem habuit Amenophthim. Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex Manethone.

NEPHER-CHERES, Ægypti Rex, an. ante Urb. Cond. 150. Manethoni, Thinitarum Rex XV. poſt Chærem, ante Seſochrem Seniorem Saophe in Thebaide, Menchere apud Memphitas, Ue in inferiore Ægypto rerum potitis. Sub eo Nilus melle commixtus II. diebus fluxit, teſte *Syncellô*, de quo prodigio, vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* 5. *p.* 80.

NEPHERIS, oppid. Africæ propriæ, *Antonin. Strab.*

NEPHERITES, Rex Ægypti, Olymp. 93.

NEPHIM, aliàs NEUPHURUS, caſtrum principis Antiocheni, triginta fortibus turribus munitum, & contra Auſtrum à Tripoli duobus miliaribus diſtans, penè totum mari ambitur.

NEPHREUS, vocatur Diodor. Sic. *l.* 14. Ægyptiorum Rex, à Lacedæmoniis in auxilium vocatus, cùm Ageſilaum in Aſiam, contra Artaxerxem, bellatum miſiſſent. Suppeditavit verò ipſis apparatum navalem centum triremium & infinitam frumenti copiam. Quæ cùm Rhodi appelleret, jam Perſarum partes amplexæ, à Conone intercepta.

NEPHRITICUM Poculum, ex ligno cognomine, exhibetur in *Muſæo* Kircheriano Romæ: cui qualemcunque liquorem infuderis, ſi paululum conſiſtere permittas, mox in cœruleum colorem abiiſſe deprehendes. Adversùs calculum renum inde bibentibus maximè efficax. Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societ. Jeſu Muſæo p.* 34.

NEPHTHALIM, ſive NEPHTHALI, ſextus fil. Jacob, ex Bilha, ancilla Rachel uxoris ſuæ, Gen. *c.* 30. *v.* 8. prognatus. A. M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

A. M. 2287. in tantum Abrahæ ſemen in Ægypto propagavit, ut de tribu ejus juxta montem Sinai numerati & inventi ſint viri, ad pugnam apti, quinquaginta tria millia quadringenti, quorum filii, illis ad unum omnibus in deſerto mortuis, & ipſi viri bellatores quadraginta quinque millia quadringenti promiſſam terram ingreſſi, ſorte omnem eam poſſederunt regionem, quæ ad Orientem tribus Aſer ſita totam penè complectitur Galilæam ſuperiorem, fontes Jordanis, & partem montis Libani uſque Damaſcum. *Baudrando* fuit verſus fontes Jordanis, inter Aſer ad Occaſum & dimidiam tribum Manaſſe trans Jordanem ad Ortum, ad ſuperiorem & Occidentalem Jordanis ripam. Latinè *comparatio*, vel *æquiparatio*, aut *retorſio*, vel *tortuoſitas*, *Heſych.* Νεφθαλείμ, πλατυσμός. Torniel. *A. M.* 2287. *n.* 1. 2591. *n.* 5.

NEPHTHALIM, ſive NEPHTHALI, inſignis in Galilæa ſuperiori tribus Nephthalim urbs, ſupra Naaſon, à qua tribus verſus Orientem milliaribus abeſt. Situ locique naturâ firma ac munita ſane urbs fuit, ab Occidente enim prealtô ei adjacente monte munita, qui non niſi ab Orientali ſui parte per anguſtiſſimam viam, aſcendi poteſt, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 15.

NEPHTHALITÆ, populi in Oriente, *Joſeph. Steph.* Sic ſcribendum apud *Agathiam*, pro *Nephthalitæ*; A *Procopio Euthalitæ* vocantur, ſic *Lewenclavius* monuit. Hunnica natio eſt, ſed Perſis vicina, quorum civitas Gorga; vide Procop. *l.* 1. *bell. Perſ.* ubi eos eleganter deſcribit.

NEPHTHOA, Latin. *apertus*, vel *apertio*, ſive *ſculptura*, nomen fontis, Joſ. *c.* 15. *v.* 9.

NEPHTUIM, idem plurali numerô fil. Meſraim. Gen. 10. *v.* 13.

NEPHUSIM, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 50. Latinè *diminuti*, vel *dilacerati*.

NEPIA, Jaſi filia, quam Olympus Myſiæ rex uxorem duxit habitavitque in eo loco, qui ab Uxoris nomine *Nepiæ campus* eſt appellatus, juxta Cyzicum urbem, de quo meminit Callimachus, *in Halcale. Apollodorus* verò *Nepiæ campum* in Phrygia ponit.

NEPISTA, Carmaniæ urbs, *Ptol.*

NEPOS, an quia *natus poſt*, priùs enim filius naſcitur, dein *nepos*, *Iſidor.* & *Feſtus*; an potius ex Græco νέπως de quo vide aliquid infrà, voce *Phoca*: propriè ex filio genitus, filiave: hinc ex fratre vel ſorore natus. Olim de poſteris omnibus, vox uſurpata. Unde Claudii Imperatoris ſucceſſores uſque ad Domitianum eâ inſignit Statius *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 78.

Nondum ſtelligerum ſenior demiſſus in axem,
Claudius & longo tranſmiſit habere nepoti.

Ubi Neronem, qui Claudii privignus erat, indè Galbam, Othonem, Vitellium, Veſpaſianum, Titum, Domitianumque, qui continuâ ſerie Claudio ſucceſſêre, *Nepotes* vocat. Sed & in ultimum adulatio ſubeſt; qui *longi Nepotis* appellatione generoſiſſimis Cæſaris & Antonii familiis ſic inſeritur. Porrò agnatos cognatoſque generatim *Nepotes* dictos, ex eodem Poëta colligitur *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 200.

——— *neque enim magis ille trahentem*
Spernit & ignota credit de ſtirpe nepotum.

Vide Barthium *ad loc.* Qui vocis uſus obvius, obſcuriora hactenus quædam Jureconſultor. loca adjuvare poſſet. Subditos quoque, utpote quorum Reges parentum illis locô ſunt, unde toties *Pater & Rex* Poëtis junguntur: ex Catullo, *ad Ciceronem*, *Epigr.* 50. *v.* 1.

Diſertiſſime Romuli nepotum.

Et eodem de ſua Lesbia, *Epigr.* 59. *v.* 4.

——— *in triviis & angiportis*
Glubis magnanimos Remi nepotes &c.

Ad propriam vocis notionem ut redeam, Avis gratiſſimi *Nepotes* ſunt; quibus quomodo abblandiantur, multis locis exemplô eſt *Auſonius*, nullibi dulcior, quàm cùm garrit cum dulciſſimis ſuis nepotibus. Unde illi,

Succedunt patribus ſeri, nova cura, nepotes.

Verùm, quòd eorum indulgentiâ plerumque corrumpuntur; hinc *Nepotes* dicti, luxurioſi, Græcè ἄσωτοι, & *nepotari*, iiſdem ἀσωτεύεσθαι eſt, ἀκολασταίνειν. Indidem divinæ vindictæ ratio conſtat, quæ avorum non raro ſcelera in *nepotibus* ulciſcitur. Horat. Convitio *Belli Civ. Epod.* 7. *v.* 17.

Sic eſt, acerba Fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi,
Sacer nepotibus, *cruor* &c.

Quam in rem vide iterum Barthium *Animadverſ. ad Statium Theb.* *l.* 3. *v.* 244. Hodie in Aula Pontificia, *Nepos* vocatur ex Cardinalibus is, qui apud Pontificem, *primi*, ut vocant, *Miniſtri* vice fungitur, ut notum.

Corn. NEPOS, & ante Cæſaris dictaturam, & eô dictatore, & poſteà vixit. Hieronym. *in Chronico Euſebiano*, refert illum ad annum Auguſti quartum. Padi fuit accola, teſte Plinio *l.* 3. *c.* 18. Unde Catullo, *epigr.* 1. *Italus*: Auſonio autem *Ep.* 24. *Gallus* vocatur; nempe quia Italia Tranſpadana diceretur Gallia Togata. Hiſtoricus hic Ciceronis amicus familiaris, à Gellio vocatur *l.* 15. *c.* 28. Chronica ſcripſiſſe, teſtis eſt idem Gellius *l.* 17. *c.* 21. In his, pro triplici tempore, ἀδήλῳ, μυθικῷ καὶ ἱστορικῷ tres videtur ſcripſiſſe libros, quod liquidò teſtatur Catullus, *initio Hendecaſyllaborum.* Nec hiſtoricum tempus ab eo ſolum eſſe tractatum, indicio eſt illud Auſonii *Ep. ad Probum Præfat. Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quaſi alios Apologos (nam & ipſa inſtar fabularum ſunt) ad nobilitatem tuam miſi.* Item ex eo, quòd Tertullianus *in Apologetico*, *adverſus Gentes* (ubi eum inter antiquitatum commentatores diſertim reponit) dicit, haud alium Saturnum, quàm hominem, promulgâſſe. Quod etiam Lactantius tradit *l.* 1. *c.* 13. Reliquit præterea libros illuſtrium virorum quorum Gellius meminit, *l.* 11. *c.* 8. & Servius *in Æn. l.* 1. Eorum librum 1. 15. & 16. citat Chariſius. Ex his habemus 22. exterarum gentium Imperatores. Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 14. Jonſium *Hiſt. Phil. Script. l.* 2. *c.* 18. & ſuprà, *Cornelius Nepos. Nic. Lloydius.*

NEPOS, vide *Flavius.* It. *Marius.*

NEPOS Julius, fil. Nepotiani, ex ſorore Marcellini Patritii, Glycerium imperiô exuit, A. C. 474. ſeque Auguſtum Ravennæ declarari curavit. Sed ab Oreſte Italiâ pulſus, in Dalmatiam, ubi poſſeſſiones habebat, ſe recepit, à ſuis ibi, quos ad id ſubornaverat Glycerius, occiſus. Jornand. *in Chron.* Caſſiodor. Evagrius, &c.

NEPOS, Epiſcopus Ægypti, A. C. 264. Millenariorum errores ſectatus, in eo tamen ab illis receſſit, quòd regnum illud in terris, ante diem ultimum, merè ſpirituale eſſe crederet. Eruditione aliàs inclytus & hymnis in uſum Eccleſiæ compoſitis. Hunc Dionyſius Alexandrinus, ejus ingens amicus, voce & ſcriptô refutavit, tanto cum ſucceſſu, ut Coracio, unus ex præcipuis illius ſectæ anteſignanis, cum plurimis aliis, ſententiam mutaverit, Euſeb. *Hiſtor. l.* 7. *c.* 19. Hieronym. *præf. in Eſaj.*

NEPOTIANUS Fl. Popilius, fil. Eutropiæ, ſororis Conſtantini M. poſt mortem Conſtantis, A. C. 350. Imperator ſalutatus, 28. pòſt die interfectus eſt, an. Urb. Cond. 1104. A. C. 350. ab Aniceto, Urbis Præfecto, quem Magnentius, qui eôdem tempore in Galliis eandem dignitatem rapuerat, pecuniâ ad id corrupit, Zoſim. *l.* 1. Victor. *in Epiſt. Hiſtor.* Socr. *l.* 2. *&c.*

NEPTUNALES Ludi, menſe Juliô apud Romanos celebrari ſoliti, memorantur Tertulliano *l. de Spectac. c.* 6. *Cui ſuperſtitioni utriuſque generis ludi notarentur, Megalenſes & Apollinares, item Cereales &* Neptunales *& Latiares & Florales, in commune celebrantur.* Extat mentio in vetuſto marmore, cujus fragmentum hoc: *Flaviæ. Q. F. Saluti. Conjugi. chariſſimæ. L. Publicius. Italicus. dec. orn. ſibi. poſuit. quam. ipſe. extruxit. die. Neptunaliorum. Parentibus. Spor ---bini. dividerentur. & decur. XXVIII. ſive.---- centeni. quinquageni. V. ſoliti. arcam. Publiciorum. Flaviani. & Italici. filiorum. &. arcam. in. qua. poſita. eſt. Flavia. Salutaris. uxor. ejus. roſis.--- die XV. ſacrificent*, apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 11. Incidebant autem *Neptunalia*, ſeu feriæ Neptuni, ut illas vocat Varro *de Ling. Lat. l.* 5. in 10. Kal. Sextileis. Roſin. *c. cit.* Vide quoque Voſſium *de Idolol. l.* 1. *c.* 15.

NEPTUNI Aræ, urbs Africæ propriæ maritima. *Ptol.*

NEPTUNI Fanum, *Straboni* & Melæ *l.* 1. *c.* 19. circa Cenchreas, *Ptolemæo* verò juxta Patras. Item in Calauria inſula, Plut. *in Demoſth.* Item circa Mantineam & in Caria, *Polyb.* Plinio. *l.* 4. *c.* 5.

NEPTUNI Promontorium, in Campania, item in Arabia Felici, Euſtath. *in Dionyſ.* apud quem Ποσειδονιὰς ἄκρα dicitur.

NEPTUNIA, oppid. & colonia magnæ Græciæ, Paterc. *l.* 1. *c.* 15. apud Scyllacium urbem ad montis Moſcii radices.

NEPTUNIUM, aliàs *Navale Antiatum*, oppid. ditionis Pontificiæ cum portu tantiſper capaci, in Latio, in ora maris Tyrrheni aliàs ſub dominio utili Columnarum, medium inter Terracinam ad Ortum & oſtia Tiberina ad Occaſum, 25. milliar. utrinque, verſus Pomptinas paludes.

NEPTUNIUM Promontor. Arabiæ Felicis ad fretum & fauces Sinus Arabici *Capo Ara Moletio. Ptol. Diodor. Sic.* Vide ſuprà.

NEPTUNIUS mons & fons Siciliæ & Tarracinæ, Solinus, *c.* 11. *Spreverio* nunc *Fazello.*

NEPTUNIUS Dux, Sextus Pompejus ſic dictus, Horat. *Epod.* 9. *v.* 7.

Ut puer, actus cùm freto Neptunius.
Dux fugit, uſtis navibus.

Hic enim, teſte Appianô Ἐμφυλ. 5. Θαλάσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱὸς ὑφίστατο καλεῖσθαι. Ac Dione, *l.* 48. non ſemel, qui & illud exprimit, Neptuni filium dici voluiſſe; quia pater ejus Pompejus M. maris olim potitus imperiô. Neque minus inſolens Agrippa Auguſti nepos ex Juliâ, qui & ipſe Neptunum ſe vocavit, Dio *l.* 55. *Nic. Lloyd.*

NEPTUNUS, Saturni & Opis fil. cui, in orbis totius diviſione, maris regnum obtigit, unde & tridentem geſtat, peculiare ejus regni ſceptrum. Ipſe apud Virgil. *Æn. l.* 1. *v.* 142. ventos alloquens,

Non illi imperium pelagi ſævumque tridentem,
Sed mihi ſorte datum ———

Uxorem habuit Amphitriten, multarum nympharum matrem, quarum nomina exequitur Heſiod. *in Theog.* Hinc deducitur *Neptunine*, patronymicum fœmininum, Catull. *in Argon. Epigr.* 65. *v.* 28.

Te ne Thetis genuit pulcherrima Neptunine?

Hinc etiam *Neptunius*, ut apud Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 3.

——— *Et ex imò fumat Neptunia Troja.*

Equos primus omnium domuiſſe, artemque equitandi tradidiſſe fertur, Diod. Sic *l.* 6. proin Equus ipſi offerri ſolitus. Vide *Scyphius.* Alii volunt, ipſum hominibus equum, anteà ignotum, primùm edidiſſe, quod aſſerit Lucanus *l.* 6. *v.* 396. *in his*:

Primus, ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis,
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exiluit. ——— ———

Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 12.

——— *Tuque ô, cui prima frementem*
Fudit equum magnô tellus percuſſa tridenti
Neptune. ——— ———

E Cœlo pulſus, cum Apolline, quòd contra Jovem conſpiraverant, Trojanos muros condidiſſe: Cum Minerva quoque, utri nomen Athenarum urbi imponere fas ſit, certâſſe dicitur. In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

hujus honorem Circenſes ludi à Romanis inſtituti. Quid autem Neptuni nomine intellexerint veteres, prolixè docet Natalis Comes *l. 2. c. 8.* Nomen ejus quod attinet, ita Cicer. *l. 2. de Nat. Deor. Ut à portu Portunus, ſic Neptunus à nando, prioribus literis paulum immutatis.* Legendum autem à *nubendo*, vel *à nuptu*, non *à nando*. Sic enim Varro *l. 4. de LL. Neptunus* (inquit) *quod mare terras obnubit. Nam olim Neptunus* dicebatur, ut à portu *Portunnus*, à ſatu *Saturnus*: ſic hodie in antiquis libris *Pilunnus, Picunnus, Vertunnus*, Lipſius *Saturn. l. 1. c. 2.* At Scalig. *de Plantis*, Neptuno ait nomen à *lotione* attributum, ſcil. ἀπὸ τῶ νίπτειν. Bochartus *Phaleg. l. 1. c. 1.* verò, *Neptunum* ab Ebræo פתה deducit, quod ſignificat *dilatare*, illud autem in conjugatione niphal נפתה *Niphtha*. Sed meliùs deduci poteſt ab Ægyptio Νέφθυν, de quo Plut. *in Iſide*. Νέφθυν δὲ καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα, καὶ παρόρια, καὶ ψαύοντα τῆς θαλάσσης. *Nephthyn autem appellant terræ extrema, & promontoria, & quæ mare attingunt.* Certè Græci Belum ex Ægypto petierant, illumque Neptuni & Lib yes filium fecerunt. Unde *Heſych.* Βῆλος, Οὐρανὸς καὶ Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱὸς, *Belus, Cœlum & Jupiter, Neptuni filius*: qui forſan idem cum Jove Thalaſſio Sidoniorum. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. 1.* ubi *de Mene, Hammone, Belo.* De variis autem *Neptunis* vide Hygin. *in fab.* Cartar. *de Imag. Deorum.* Alex. Roſſæum., *in myſtagogo Poëtico.* Inprimis autem Voſſ. *de Theol. Gent. l. 1. c. 15.* De ſimulachro ejus ac ſacrificiis, idem agit *l. 9. c. 18.* Cæterùm hunc, quòd navigandi artem inveniſſet, claſſem inſtituiſſet, ejuſque præfectus à Saturno factus eſſet, poſteris traditum eſſe, mari imperâſſe ſacraque ei à navigantibus facta, quidam volunt. Sed meliùs Cl. Voſſ. occaſione diviſi orbis inter tres Noahi filios, Semum, cui Oriens: Chamum, cui Occidens: & Japhetum, cui Inſulæ obtigêre, hanc de diviſione orbis inter Saturnidas tres, Jovem, Plutonem ac *Neptunum*, fabulam ortam eſſe, eruditè oſtendit, *de Orig. & Progreſſu Idolol.* Eum *Ennoſigæon* & *Siſichthona* Poëtas veteres & Theologos nuncupâſſe, teſtis eſt Amm. Marcellin. Quò alludens Virg. *Æn. l. 2. v. 610.* inquit,

> Neptunus *Muros, magnoque emota tridenti*
> *Fundamenta quatit.*

Quare non immeritò commune cum Terra templum habuit, ut ex Muſæo apud Pauſaniam notavit Marc. Donatus *in Dilucidat.* Hinc etiam, quoties tremuiſſet, ſupplicationes decerni, ferias indici, juſtitium fieri, dum ſacra peragerentur, incerto neque nominato ulli Numini, ſolitum fuiſſe olim legimus. Ideo autem Numen nominari noluerunt, ne, cùm certum ſit Terræ aliam, aliam Maris poteſtatem eſſe, & tamen in Terræ motibus aqua plurimum valeat, unum pro alio fortè nominantes, falſâ religione populum devincirent, Ælian: *Hiſtor. var. l. 6. c. 76.* Lycophron eundem cum Tritone *Neptunum* facit, unde verſus Actii; apud M. Tullium *de Nat. Deor. l. 2.*

> *Aut fortè Triton fuſcinâ evertens ſpecus*
> *Subter radices, penitus undanti in freto,*
> *Molem ex profundo ſaxeam ad cœlum vomit;*

ad *Neptunum* trahit Dempſter. *locô jam cit.* Falſam autem fabulam de equo ab eo producto in contentione cum Minerva inita, cum nomen Athenis imponendum eſſet, contra Servium *ad init. l. 1. Georg.* oſtendit Bapt. Egnatius *Racemationum c. 8.* ubi Palladem quidem oleam, *Neptunum* verò non equum, ſed fontem, prolicuiſſe docet, idque confirmat verbis Ovidii *Met. l. 6. fab. 1. v. 75.*

> *Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente*
> *Aſpera ſaxa facit, medioque è vulnere ſaxi*
> *Elicuiſſe fretum, quô pignore vindicet urbem.*

Ubi alii legerunt, *Ferum.* Salaciam ei uxorem Varro tribuit. Vide quoque A. Gellium *l. 13. c. 22.* Eundem à primis urbis initiis Romani coluêre, *Conſi* nomine; teſtibus *Dionyſiô, Livio, Plutarchô,* aliis: quamvis aliqui Conſum à *Neptuno* diſtinguant. Hinc ſimulachrum ejus in pompa per Circenſes Ludos, cum aliis Deorum ſimulachris circumferebatur; unde non de Veneti panni agitatore: ſed ſimulachro iſto, intelligit Salmaſius verſum Ovidii, *l. 3. Amor. Eleg. 2. v. 47.*

> *Plaudite Neptuno, nimium qui fiditis undis;*

i. e. nautica turba, de qua aliquid ſuperius. Sic miles Marti plaudebat, Cereri agricola, Phœbo vates & augures, Veneri amatores &c. nec quidquam eorum, quæ recentiores Græci philoſophati ſunt, ſuper Circi partibus & coloribus, aqud Veteres, neque tunc hæ rationes cognitæ fuerunt ſuper ſtudiis & favoribus, quos ſinguli colores factionum Circi provocabant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 903.* Græci quoque inter Genethlios Deos venerati ſunt, quòd humore ſuô nativitatem promovere crederetur: unde Natalitiæ ejus ædes, Lacedæmone, Thom. Bartholinus *de Puerp. Veter.* Nec Cananæis populis ignotum hoc Numen, namque Dagonem Philiſtæorum, de quo vide 1. Sam. *c. 5. v. 4.* ab Hebr. *Dag*, quod piſcem ſignificat, appellatum, quemque ſuperiore ſui parte hominem, inferiore piſcem retuliſſe, contendit R. Dav. *in loc. cit.* Neptunum vel Tritonem fuiſſe, haud vanè dixeris: nec abſimilem Triton habuiſſe figuram fingitur,

> *Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.*

Pierius *Hierogl. l. 1. p. 28.* Pectus ei ſacrum fecêre Gentiles. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l. 4. c. 4.* & plura de *Neptuno*, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 13. & l. 4. c. 11. cum Paralipom.* Thom. Dempſteri. De coronamento ejus, quod ex pinu erat, vide Car. Paſchalium *Coronar. l. 6. c. 27.* Hodieque ſimulachrum ejus aſſervari *in Muſæo Kircheriano*, Romæ, refert Georgius de Sepibus in *Deſcr.* illius *p. 8.*

EPITHETA QUÆDAM NEPTUNI.

Ἀσφάλειος, Athenis colebatur, ut navigantibus ἀσφάλειαν, i. e. *ſecuritatem*, conciliaret: vetus urbis illius clariſſimæ Patronus, *Ariſtophan.* Idem Tænari templum habebat, ubi ſubducere hippocampos ſuos eum fabulabantur Poëtæ, vide Statium *Theb. l. 2.* In hujus ara conſediſſe indicem Pauſaniæ, habes apud C. Nepotem *in eo c. 4.* ubi Eruditorum *Notas* vide.

Conſus, à conſilio dando, Romæ in veneratione eximia fuit: Inprimis à quo Romulo de rapiendis Sabinis conſilium ſuggeſſit. Habebat autem aram ſubterraneam, juxta Circum Max. in qua ipſi ſacra fiebant Conſualibus, vide *ſuô locô*, uti & Diodor. Sic. *l. 6. c. 15.* Plut. Dionyſ. *l. 2.* &c.

Dagon, Philiſtæis dictus eſt, ab Hebræo *Dag*, quod *piſcem* notat, vide *ſuprà*.

Ennoſigæus, Græcè Ἐννοσίγαιος, a concuſſione terræ, appellatus eſt: quâ voce Juvenal. *Sat. 10. v. 182.* uſus eſt, *Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.*

Equeſter, Græcè Ἵππιος, primus equos domandi artem quòd tradiderit, dictus, ut Diodor. teſtatur *loc. cit.* apud Romanos quoque cultus eſt. Unde in ludis Circenſibus, *Neptuno* ſacris, tam celebris equorum pompa & equeſtrium decurſionum certamina tam frequentia fuêre. Godwyn. *Anthol. R.*

Hippius, idem cum Equeſtri. Vide ibi.

Natalitius, Lacedæmone templum ſeu ædem habuit, cognominatus à nativitate hominum, quam humore ſuô juvare ac promovere credebatur. ut *ſuprà* dictum.

Redux, in nummis quibuſdam antiquis vocatur, quorum unum, qui T. Veſpaſiani Imperatoris eſt, exhibet Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l. 2. c. 13.* in quo icon Neptuni, dextrâ delphinum, ſiniſtrâ tridentem tenentis, cum inſcriptione, IMP. T. VESP. AUG. REST. Habuit autem *Neptunus* Romæ templum, in regione urbis nona: item ædem, cujus meminit *Publius Victor.*

Sativus, apud Græcos colebatur. Plut. *Sympoſiac. l. 5. Problem. 3.*

Secundus Jupiter, à Nymphis vocatur, apud Claudian. *Nupt. Honorii v. 176.* Vide quoque Statium *Achilleid. l. 1. v. 48.* & de *Neptuno Jove*, notata J. Bernartio *h. l.* ut & *ad initium Thebaidos l. 4.*

Siſichton, Græcè Σεισίχθων, à σείω, *quatio, concutio*, & χθὼν *terra*, quaſi *Terræ conquaſſator*, dictus eſt Græcis, quòd in terræ motibus magna aquæ vis ſit. Unde & Ennoſignæum, quæ vox idem cum Siſichthone notat, appellatum fuiſſe, paulò *ſuprà* vidimus.

Thamimaſades, apud Scythas, vide infrà.

Triton, à Lycophrone quoque appellatur, ut & Actio, vetere Poëta, apud Tullium *de Nat. Deor. l. 2.* Aliàs Triton à Neptuno diſtinguitur, ut dictum eſt, *ſuô locô.*

Vectiarius, vide infrà *Vectis.*

NEPTUNUS, Dæmonis quoddam genus, apud Gervaſium Tilleberienſem MS. *de Otiis Imperial. l. 3. c. 63. Anglia Dæmones quoſdam habet, Dæmones, inquam, neſcio dixerim, an ſecretas & ignotæ generationis effigies, quos Galli,* Neptunos, *Angli Portunos nominant: Illis inſitum eſt, quòd ſimplicitatem fortunatorum colonorum amplectuntur & cùm nocturnas propter domeſticas operas agunt vigilias, ſubitò clauſis januis ad ignem calefiunt & ranunculas è ſinu projectas prunis impoſitas comedunt, ſervili vultu, facie corrugatâ, ſtaturâ puſilli dimidium pollicis non habentes, panniculis conſertis induuntur, & ſi quid geſtandum in domo fuerit, aut onerosi operis agendum, ſe ingerunt citiùs, humanâ facilitate expediunt. Id illis inditum eſt, ut obſequi poſſint & obeſſe non poſſint. Veruntamen unum nocendi modulum habent: cùm enim inter ambiguas noctis tenebras Angli ſolitarii quandoque equitant, Portunus nonnunquam inviſus equitanti ſe copulat & cùm diutiùs comitatur, eundem tandem loris arreptis equum in lutum ad manum ducit, in quo dum infixus volutatur, protinus exiens cachinnum facit, & ſic hujuſcemodi ludibrio humanam ſimplicitatem deridet.* Adde, quæ de ejuſmodi *Neptunis* refert Thomas Cantipratanus *l. de Apibus, c. 57. num. 10. 11.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Simile quid Sirenes ſunt, Nereides, Tritones, Centauri, Silvani, Satyri, Fauni, Striges, Harpyiæ, Cobali, de quibus multi multa: Voëtius *Vol. 1. Diſp. de Creat. part. IIX.* aut fuiſſe monſtra humana individua alicubi conſpecta, ſive ex nefario hominum cum beſtiis concubitu, ſive ex alio Naturæ errore genita: aut ſpectra Diabolica, quæ hominibus ſubinde eâ formâ apparuerint; aut ſpecies brutorum, ſimias ſimileſve, quæ aliqua ex parte ad figuram humani corporis accedant: Nec pauca eorum, quæ de illis ſcribuntur, ad fabulas & otioſorum hominum figmenta referenda, ait. Paracelſus tamen in hiſce talibus alia quatuor hominum genera quærit, quæ Deus præter homines Adami poſteros carne, oſſibus & ratione inſtruxerit, ac in ſingulis elementis collocarit, in *Terræ* viſceribus *Pygmæos* & *Gnomes*; in *Aquis Nymphas* & *Undenos*; in *Aëre*, *Silvanos* & *Meluſinas*, *in Igne*, *Vulcanos* & *Salamandras*: Incertumque eſſe cui horum generi vera fides in Deum ſit data & via ad ſalutem patefacta, *Ep. ad Athenienſ. ſeu de Occulta Philoſ.* Sed luxuriantis ingenii ſuavia ſomnia ſunt. Vide Godelmannum *de Lamiis* & Del Rio *Diſquiſ. Mag. l. 2. quæſt. 27.*

NEQUAM Color, idem cum *malo*, de pallido luteoque, cui *improbus* & *ſuperbus* & *arrogans* oppoſitus, Salmaſ. *Not. ad Spartianum in Peſcennio Nigro c. 6.* ubi de verbis illis, *Oris verecundi & ſemper rubidi:* Vide quoque infrà in voce *Niching.*

NEQUINUM, oppid. quod nunc *Narnia* dicitur ob incolarum libidinoſam inertiam ſic dictum Plin. *l. 3. c. 14. Narnienſes; quod oppidum Nequinum ante vocatum eſt. Stephani epitomator*, Νεκουΐνον ἀρχαία, πόλις Ὀμβρικῶν. Διονύσιος ἑπτακαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας· τὸ ἐθνικὸν Νηκυϊάτης Omninò credendum ſcripſiſſe, ſi non *Stephanum*, ſaltem ipſum *Dionyſium* Νεκουινάτας, h. e. *Nequinates*: quorum oppid. erat Νεκουΐνα *Nequina*, Liv. *l. 10. c. 9. Alter Conſul. Apulejus in Umbria Nequinum oppidum circumſedit* Lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Locus erat arduus; in parte una preceps, ubi nunc Narnia ſita eſt; nec vi, nec munimento capi poterat. Nic. Lloyd. Vide *Narnia.*

NER, Latinè *lucerna*, ſive *novale*, pater Abner, 1. Sam. *c.* 14. *v.* 51. Pater Cis patris Saul, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 35. Fil. Jahiel, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 36.

NERABUS, urbs Syriæ, *Steph.*

NERACUM, urbs tractus Vazatenſis, in Aquitania, ad amnem Baiſam, Ducatus tamen Lebretenſis pars. Vix 2. leuc. a Garumna, ferè 3. à Condomo in Septentrionem, 4. ab Agenno in Occaſum, ſatis eſt culta. Hîc collatio *Neraciana* dicta, inſtituta eſt à Catharina Medicæa, Galliæ Regina, A. C. 1579. quæ eò venerat, ut audiendis Proteſtantium, per illas regiones, querelis & pacandæ Aquitaniæ idonea remedia adhiberet; quô fine cum delegatis Eccleſiarum prolixè egit, nactaque Collatio finem Kal. Mart. 17. capp. abſoluta, ac à Rege confirmata eſt. Urbis poſtea, A. C. 1580. à Birono regiarum copiarum duce interceptæ, hiſtoriam vide apud Thuan. *Hiſt. l.* 82.

NERATIANUS Peſcennius, una cum Feſto & Aureliano fratribus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, juſſu Severi Imperatoris occiſos, memoratur Æl. Spartiano *in Vita hujus Imp. c.* 13.

NERATIUS Priſcus, JCtus clariſſimus, cujus ſcriptorum inter quæ 15. libb. *Regul.* fragmenta extant in Pandectis. Vide & Gell. *l.* 4. *c.* 4. Geſner. *in Bibliothec.* Admodum familiaris Imperatori Trajano fuit; & *Membranarum*, *Reſponſorum* ac *Regularum* libros conſcripſit, ut ex Jure Civili liquet. Meminit quoque ejus *de Nuptiis* libri, A. Gellius *loc. cit.* qui quidem in Jure Civ. non laudatur; ſed huc referri poſſe videtur, quando *Neratius* citatur *leg.* 5. & *leg.* 20. *D. de jure dotium.* Vide Anton. Thyſium *Notis in A. Gellium.*

NEREGAL, vel NERGAL, Latinè *explorans*, vel *pedeſter*, ſive *lucerna diſcooperta*, vel *coacervata*, aut *novale diſcoopertum*, vel *revolutum*, unus ex principibus regis Babylonis, Jerem. *c.* 39. *v.* 3.

NEREIS, apud Statium *Achilleid. l.* 1. *v.* 24.

——— *quà condita Ponto*
Fluctibus inviſis jam Nereis *imperat Helle.*

Græcè Νηρηΐς, *una eſt ex Nymphis marinis, quæ dicuntur Nereides, vet. Schol.* à *Nereo* cujus filiæ finguntur ex Doride ſorore ejus. Earum regina & caput Thetis fuit, cui malè habenti infinitæ *Nereides* comites dantur, apud Homer. *Il.* σ. *v.* 37.

——— ——— θεαὶ δέ μιν ἀμφαγέροντο
Πᾶσαι, ὅσαι κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν.

Qui mox recenſet nobiliorum chorum, & *ſorores* ipſas vocat: *v.* 52.

Κλῦτε κασίγνηται Νηρηΐδες.

Erant autem Numina maris, & adorabantur pro talibus. Imò *Nereides* docuiſſe ſacra Bacchi, Proſerpinæ, Apollinis, Calliopes, memorat *Orpheus.* Vide Orphei *Indigitamenta Hymnô* 23. qui paulo antè matrem iis aſſignat Tethyn, *Hymnô* 21. Pectus nudum iis tribuit idem Statius ubi ſuprà *v.* 77. de Thetide.

Orabat laniata comas & pectore nudô
Cæruleis obſtabat equis ———

Cujuſmodi formâ illas viſas olim, Catullus arbitratur; *in Argonaut. Epigr.* 65. *v.* 16.

——— *alia viderunt luce marinas*
Mortales oculi, nudatô corpore, nimfas.
Nutricum tenus extantes de marmore cano.

I. e. uſque ad papillas, vel cum ipſis &c. Vide *ad h. l.* Caſp. Barthii *Animadverſ.* ut & in voce *Nereus.*

NERESSUS, oppid. in Cea inſula, cujus meminit Æſchines, *ep.* 1. *ad Polyc.* Ita veteres editiones; lege *ad Philocratem.* Locus ſic ſe habet: Λύσαντες ἐκ Μουνυχίας ἑσπέρας λαμπρῷ σφόδρα Σκίρωνι περὶ μέσην ἡμέραν, κατήχθημεν εἰς Νηρησσὸν τὴν Κίων. *Nic. Lloydius.*

NEREUS, Ponti, ſive Oceani & Tethyos fil. Heſiod. *in Theog. v.* 233.

Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος,
Πρεσβύτατον παίδων, αὐτὰρ καλέουσι Γέροντα,
Οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια, καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.

Illum igitur & veridicum & vatem eſſe crediderunt, cùm Trojanas etiam calamitates Paridi nunciaret, ut ait Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 15. *v.* 1. *in his:*

Paſtor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam,
Ingratô celeres obruit otiô
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata, &c.

Fertur hic, in mari Ægæo, præcipuè domum habuiſſe, Apollonius, l. 4.

Ὣς ἔφατ' αὐτίκα δ' Ἶρις ἀπ' Οὐλύμποιο θοροῦσα
Τάμνε τανυσσαμένη κοῦφα πτερά, δῦδ' ἐνὶ πόντῳ
Αἰγαίῳ τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασι.

Hunc antiquiſſimum Deum vocavit, Orpheus *in Argon.*

Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρέσβιστον ἁπάντων.

Unde Virgilio *Grandævus Nereus*, *Georg. l.* 4. *v.* 392. & *Æſchylo* παλαιγενής. Homero autem γέρων ſimpliciter vocatur. Hunc mari præeſſe, & in mari habitare ſolitum, delectari choris puellarum, principiumque eſſe & finem aquarum, teſtatur Orpheus *in Hymnis:*

Ὦ κατέχων πόντου ῥίζας κυανανγέτιν ἕδρην,
Πεντήκοντα κόραισιν, ἀγαλλόμενος κατὰ κῦμα
Καλλιτέκνοισι χοροῖς Νηρεῦ μεγαλώνυμε δαῖμον,
Πυθμὴν μὲν πόντου, γαίης πέρας, ἀρχὴ ἁπάντων.

Genuit, ex ſorore Doride, Nereidas, numero quinquaginta, quarum nomina habes apud Homer. *Il.* σ. *v.* 37. Vide Natal. Comit. *l.* 8. *c.* 6. Inde *Nerine* Virgil. *Eclog.* 7. *v.* 37.

Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ.

Figuratè accipitur pro mari, Perſius *Sat.* 1. *v.* 94.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Nic. Lloydius. Item nomen viri ſancti, Rom. *c.* 16. *v.* 15.

NERGEL, idolum Cutheorum, 2. Reg. *c.* 17. *v.* 30. idem ſignificat quod *Neregel.*

NERI, & NERIAS; pater Baruch, fil. Maaſiæ, Jer. *c.* 32. *v.* 12. & *c.* 36. *v.* 4. & *c.* 51. *v.* 59. Latinè *lucerna*, vel *novale.*

NERICASSOLASSAR vel NERIGLISSOROOR, vide hîc infrà *Neriglíſſar.*

NERICIA; provinc. Suevoniæ; *Noricia* quibuſdam, inter Weſtmanniam & Sudermanniam ad Ortum, & Weſtrogothiam ad Occaſum. Ibi urbs Orebroa, regionis caput, juxta Hielmerum lacum.

NERICON, Græcè Νήρικον, urbs Leucadiæ, quam cum *Nerito*, monte Ithacæ, malè auctores quidam confundunt. Hæc cùm à mari longiùs priùs eſſet remota, poſteà perfoſſô ab incolis Iſthmô & portu ejus locô effectô, qui ponte junctus erat, ad illud fretum manu factum tranſlata & *Leucas* appellata eſt. Vide ſuprà in voce *Leucas.*

NERICUS, urbs Acarnaniæ, quam Homer. ἐϋκτίμενον πτολίεθρον vocat. *Il. ult. v.* 213.

NERIENE, vide NERIO.

NERIENSES, cognomine Celticorum, à promontor. *Neriô*, ſeu *Celtico*, quò ab aliis Celticis, qui *Paſamarci* dicebantur, diſtingui ſolebant: erant autem illi in Hiſpania Tarraconenſi. Salmaſ. *ad Solin. p.* 276. & 278.

NERIGLISSAR, vel NERIGLISSOROOR, Beroſo apud Joſeph. *contra Apion. l.* 1. *Canoni* Aſtronomico *Nericaſſolaſſar*, Rex Babylonis, idem cum Balthaſaro, fil. Evilmerodachi. Vide *Balthaſar.* Sic communiter Marſhamo *Balthaſar* cum *Evilmerodacho* idem eſt, *Neriglíſſoroor* verò ſororis ejus maritus, qui ipſum annô regni ejus 2. interfecit, quò proin refert hiſtoriam Balthaſari noctu interfecti, Dan. *c.* 5. Videtur autem illi *Neriglíſſar* primus Medorum, qui Babylone regnârunt: quam Babyloniorum Regum diſtinctionem præ ſe fert quoque *Canonis* epigraphe: Κανὼν βασιλέων Ἀσσυρίων καὶ Μήδων, quibus numeratis ſequitur Περσῶν ſeries, quorum primus Cyrus. Cùm enim Nebucadnezari M. uxor eſſet Meda, ejus filiam viro Medo nupſiſſe abſonum non eſt. Non autem diuturna fuit hæc Medorum dynaſtia: Pater regnabat ann. 4. fil. ejus Laboroſardachus menſibus tantùm 9. de quo vide ſuprà; plura verò hanc in rem apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi de *Nabuchodonoſori* II. *ſeu Magni ſucceſſoribus*, ex *Canone* Ptolem. Beroſo apud Joſeph *contra Apion. l.* 1. & Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 9. *c.* 40. nec non Megaſthene, apud eund. *Ibid. c.* 41.

NERIGON, regio ſeu peninſula Scandinaviæ ſub rege Danorum, non inſula Oceani Britannici, ut putavit Plin. *l.* 4. *c.* 16. vulgò *Norwey.* Vide *Norvegia.*

NERII, populi Hiſpaniæ Tarraconenſis in ora Occidentali Gallæciæ, ad Nerium promontor. Mela *l.* 3. *c.* 1.

NERIO, *rionis*, vel *Neriene*, & apud antiquiſſimos *Neria*, Martis uxor. Gell. *l.* 13. *c.* 22. docet Sabinum eſſe vocabulum, quô ſignificatur virtus & fortitudo, unde & pro vi, poteſtate & majeſtate Martis accipitur. Plautus *in Truculento*, Actu 2. *ſc.* 6. *v.* 34.

Mars peregrè adveniens ſalutat Nerienem
Uxorem ſuam ——— ———

Qu. Ennius *Annal.* 1. *Neriene Mavortis*, ſubaudi uxor. Licinius Imbrex ſive Tegula, *vetus Comicus:*

Nolo ego Neæram te vocent, ſed Nerienem,
Cùm quidem Marti es in connubium datum.

NERION, vide NERIUM.

NERIPHUS, Inſul. deſerta, circa Cherſonneſ. Thraciæ, Plin. *l.* 4. *c.* 11.

NERIPI, Aſiæ Sarmaticæ gens, Plin. *l.* 6. *c.* 7.

NERIS, urbs Peloponneſi in agro Meſſeniaco, *Steph.* & Papin. *l.* 4. *Theb.*

NERITOS, mons Ithacæ inſulæ, Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 271.

Dulichiumque; Sameque & Neritos ardua ſaxis.

Habuit ex Homero *Il.* 2. *v.* 632. Νήριτον εἰνοσίφυλλον. Inſula etiam fuit ejuſdem nominis; utriuſque expreſſe meminit Strabo *l.* 10. adductis locis Homericis. Originem nominis hanc adducit Didymus *ad Od.* 18. Perilai liberi Ithacus & Neritus, qui à Jove genus ducebant, incoluerunt Cephalleniam. Placitum his, relictâ gente ſuâ, trajicere in Ithacam. Loci hujus ſitum diligenter contemplati ad inhabitandum idoneum, quòd proximè adjacentibus regionibus altior eſſet, huc commigrârunt, condideruntque Ithacam. Inſulæ itaque ab Ithaco, Nerito monti adjuncto, à *Nerito* nomen inditum. Hinc *Neritius* nomen gentile, Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 712.

Neritiaſque domos, regnum fallacis Ulyſſis.

Nic. Lloydius.

NERITUM, urbs Salentinorum in Meſſapia, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Brundufino, apud oram ſinus Tarentini, inter Aletium, & Callipolim, vulgò *Nardo* dicitur. Νήρητον MSS. Ptolemæi. Nunc urbs eſt provinc. Hydruntinæ, in planitie, ſatis populoſa, ſub dominio utili Comitis Converſani. Vix 2. aut 3. milliar. ab ora ſinus Tarentini, 7. à Callipoli in Boream 13. ab Aletio in Africum 25. à Brunduſio in Meridiem, 70. à Tarento in Eurum. Item *Neritum*, urbs Epiſcopalis Leucadis inſul. ſub Archiepiſcopo Naupactenſi, vulgò *S. Maura*, ubi ſedes Præfecti Turcarum. *Neritos* Melæ *l.* 2. *c.* 7. & *Straboni.*

NERIUM, promuntor. & oppid. Hiſpan. Tarraconenſ. in ora occidua Callaicorum, quæ & *Artabrum*, & *Celticum* Plinio ac Melæ dicitur. *Capo di S. Maria finis terræ*, à Compoſtella 16. leuc. in Occaſum & Corum.

NERIUS, Dux Athenarum, poſt Antonium Acciajolum fil. nothum Rainerii Acciajoli Genuenſis, quem pater Chalcocondylas pepulit. Et ſucceſſit frater Antonius *Nerius*; quem cùm alius, *Nerius* quoque dictus, excepiſſet, hic filiô in tutela Matris relictô deceſſit. Mater, amore correpta Veneti cujuſdam Nobilis, Petrô Palmeriô geniti, cui Præfectura Nauplii credita erat, cum ſpe nuptiarum ac Principatu Athenienſis, ut factô ab uxore ſua divortiô ſe duceret, pellexit. Unde cùm graviſſimæ primò lites, inde cædes orirentur, Francô Acciajolô, pupilli conſobrinô, ejus tutelam ac Ducatûs adminiſtrationem ſibi vindicante: hic tandem ſuperior, Ducis titulum ab Imperatore Turcico Mahomete, Amurathis II. filio nactus eſt. Sed cùm Imperator illum cum Principe Bœotiæ conſilia communicare paulo pòſt intellexiſſet, Omarem, Theſſaliæ Præfectum, Athenas occupare & præſidium arci imponere juſſit, à quo tempore Urbs Turcarum jugo ſubdita gemit, vide Chalcocondylam *l. 9. p.* 299. 300. Fr. Roſſæum *Archæol. Attic.* &c.

NERIUS Philippus, Florentinus, auctor Congregationis Patrum Orator. Baronio, ut *Annales* ſuos conderet, ſuaſor fuit. Natus d. 21. Jul. 1515. poſt inſignes in Humanioribus, Philoſophia & Theologia progreſſus factos, totum ſe orationi & vitæ ſanctitati dedit. Obiit ſenex, Anton. Gallonius *Vitâ* ejus. Vide & Anton. Teiſſier *in Elogiis Part.* 2.

NERO, Syris & poſterioribus Græcis, locus ille delitiis famoſus prope Antiochiam, *Daphne* dictus olim, abolitâ appellatione iſtâ, vocari cœpit, propter aquarum ſcaturigines: נר enim Syris & Arabibus idem, ac Hebræis נהר *fluvius*; unde Νερὸ hodieque Græcis eſt aqua. Hoc autem nomen antiquiſſimæ ejus appellationi conſentit planè: Nam Numer. *c.* 34. *v.* 11. qui locus dicitur cùm à Moſe, tum ab ejus paraphraſte Onkelo עין *fons*, aliis Interpretibus Hebræorum eſt דפני *Daphne*. Vide ſuprà in hac voce, & Caſaubon. *ad Capitolin. in Marco Philoſopho. c.* 8. Imo Græci non infimæ solùm ætatis, ſed etiam antiquioris νηρὸν & νερὸν aquam vocaverunt: Et νερὼν, locus eſt aquis irriguus, unde νερώνιος λίθος, ſeu νερωνιανὸς, de quo mox, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1105.

NERO Domitius, Roman. Imperator, omnium quos terra ſuſtulit, crudeliſſimus; Hinc proprium nomen in appellativum commutatum eſt, ut *Nerones* crudeles, & *Neroniores* crudeliores dicamus. Eſt autem *Nero* (teſte Gelliô *l.* 13. *c.* 22.) verbum Sabinum, quô ſignificatur virtus & fortitudo, Sueton. *in Tiberio c.* 1. *Inter cognomina autem & Neronis aſſumpſit, quô ſignificatur linguâ Sabinâ fortis ac ſtrenuus.* Unde *Gloſſæ, Nero*, Ἀνδρεῖος. Notat Caſaubon. Sabinorum veterem linguam non aliam fuiſſe à Græca. Græci verò hominem bonis lacertis vocant νευρώδη. Dicæarchus, *in Clementis Protrep.* Herculem deſcribit σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα. Et νευρῦν accipiebatur, pro robuſtum reddere & validum. Verbum eſt artis Gymnaſticæ, quô uſus eleganter Chryſoſtomus *in poſter. ad Corinthios*, εἰς τὸ ἑτέρως ἀλείφειν προσῖσι καὶ νευρῦν, ubi vox utraque propriè de Gymnaſtis uſurpatur. Inde Νεύρων, ut Γάσρων, Κεφάλων Χείλων. Nero autem à Νεύρων diſſolutâ diphthongô & imminutâ ε ut *periri*, unde *experiri*, à πειρᾶν. *Nerio* autem & *Nero* Hebraicè *terribilis* eſt: nam נורא *nora*; à ירא *Jare* timuit. Unde Deus ſæpè in ſacra pagina terribilis vocatur. Vide Illyrici *Clavem, in Terribilis*. Fuit filius Caji Domitii Ænobarbi, ex Agrippina, Germanici filiâ, quæ Claudio Imperatori nupta tantum effecit, ut Neronem hic in ſuam familiam adoptaret: quod ipſi ad Imperium viam, in præjudicium Britannici, primogeniti Imperatoris, ſtravit. Succeſſit Claudio A.C. 54. pollicitus, ſe Auguſti imitatorem fore. Unde liberalis initiô, clemens, blandus: populum à tributorum onere liberavit; ſententiæ mortis ſubſcribere rogatus, exclamavit, *Utinam literas neſcirem!* totôque quinquenniô, talem ſe præbuit, ut videretur meruiſſe elogia, quæ Seneca, *de Clementia*, ipſi tribuit. Poſteà in contrarium verſus, ea commiſit, quæ æternô ſilentiô potiùs premenda, quàm in caſtas lectorum aures cum horrore egerenda ſunt: Quare & hujus temporibus amnes retro fluere viſos refert; Plin. *l.* 2. *c.* 103. Intantum ſceleris tandem progreſſus eſt, ut matrem & amitam, imò & uxorem, affines, & neceſſarios, viroſque illuſtres alios quamplurimos interficeret. Senecam Præceptorem ad necem compulit, Romam incendit. De quo Boëtius *l.* 2. *de Conſ. Phil.*

Novimus, quantas dederat ruinas,
Urbe flammatâ, patribuſque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interemptô,
Matris effuſô maduit cruore,
Corpus & viſu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe
Cenſor extincti potuit decoris.
Hinc tamen ſceptrô populos regebat, &c.

Idne autem fecerit, dubium relinquere *Tacitus* maluit, cùm tam propudioſum facinus hominem, nedum Romanum Principem, admiſiſſe ſibi quidem perſuadere non poſſet, ut crederet. Sed cur Sueton. *in Neron. c.* 34. vulgavit? *Adduntur*, inquit, *his atrociora, nec incertis authoribus, ad viſendum interfectæ matris cadaver accurriſſe, contrectâſſe membra, alia vituperâſſe, alia laudâſſe, ſitique interim obortâ bibiſſe.* Sed ô pudet verborum *Dionis*: Μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκεν, οὐκ ἐπίστευσεν. Ὑπὸ γὰρ τοῦ μεγέθους τοῦ τολμήματος ἀπιστία αὐτῷ ὑπεχύθη, καὶ τοῦτο αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι, καὶ αὐτήν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας, καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο, καὶ τέλος, πολὺ καὶ τοῦ φόνου ἀνοσιώτερον ἔπος ἐφθέγξατο. Εἶπε γὰρ, Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον. Ita certè eſt; occidiſſe minus fuit. Quam improbitatem ejus Domitius pater tum ex ſuis, tum uxoris Agrippinæ moribus olim prædixerat, teſte *Xiphilinô*, Ἀδύνατόν ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμοῦ καὶ ταύτης γεννηθῆναι. Tandem Romam, vide ſupra, incendit, ut citharâ canens in excelſa turri, ipſe Comicô indutus habitu, vivam ardentis Trojæ imaginem videret, & è cineribus ejus *Neronianam* excitaret: Invidiâ incendii, quod per dies 6. maximam urbis partem delevit, in Chriſtianos devolutâ, qui proin crudeliſſimè exagitati, *Prima* ſic perſecutionis auctor. In Achajam profectus, Iſthmum perfodere cogitavit; luxu inſanô exhauſtis tandem theſauris, omnibus exoſus eſſe cœpit. Ab exercitu proin, qui in Galliis erat; dein à Galba, qui Hiſpaniæ præerat, imo ab omnibus derelictus, ex urbe fugit. Sed quæſitus, ut ad ſupplicium vivus attraheretur, ferrum jugulo adegit, ac ſic defecit, extantibus, rigentibuſque oculis ad horrorem uſque formidinemque viſentium, eôdem die, quô Octaviam quondam è medio ſuſtulerat, A.C. 54. poſtquam exclamâſſet: *Quantus artifex pereo?* Hunc Antichriſtum quidam à Paulo 2. Theſſ. *c.* 2. prædictum crediderunt olim, ſed à Pontificiæ quoque Commun. doctoribus eruditè refutantur. *Sueton. Tacit.* Regnavit, ann. 13. menſ. 8. Pſeudo-Neronis etiam Tacitus meminit. Vide eum *l.* 13. 14. 15. & 16. *Annal. l.* 2. *Hiſt.* Sulpic. Sev. *Hiſt. l.* 2. *Euſeb.* &c. *Nic. Lloydius.*

NERO Calvus, maledictis populi appellatus eſt Domitianus, quòd ſævitiâ Neronem vel exæquaret, vel ſuperaret, ac Nero alter eſſet, Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 37.

Cùm jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & Calvo ſerviret Roma Neroni.

NERO Claudius, vide *Claudius.*

NEROBERGA, vide *Noricorum mons.*

NEROLINGA, urbs Imperialis Sueviæ, ad amnem *Eger*, nota clade Suevorum, A. C. 1634. & Auſtriacorum, A. C. 1644. 4. milliar. German. à Lauinga in Boream, totidem à Werda in Circium, 10. ab Ingolſtadio in Occidentem.

NERON, inſula maris Rubri ante Arabiam Felicem, in ora ad Ortum, ubi cryſtallus, teſte Pliniô *l.* 37. *c.* 2. provenit.

NERONIANA, apud Auctorem *diſtichi*, quod in ſeculum Conſtantini factum eſt,

Saturni aurea ſecla quis requirat?
Hæc ſunt gemmea, ſed Neroniana:

excellentiſſimus eſt ſmaragdus, Græcè Νερώνιος ſeu Νερωνιανὸς. Hæc enim ſunt gemmea ſecula longè utique aureis anteferenda, ſed ex qua gemma facta? ex *Neroniana*: hic ſenſus diſtichi. Nomen ei, non à *Nerone* Imperatore, nec Domitiano, ut quidam volunt: nam Plinius, ut eorum ætati proximus, mentionem illius feciſſet ſine dubio. Ita autem is de optimo Smaragdo *l.* 37. *c.* 5. *ad craſſitudinem ſui facilitate tranſlucida, quod etiam in aqua nos juvat*; quod ad Neronianam Epiphanius refert, Καὶ μὲν Νερωνιανὸς πρασώδης τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Sed à *Nerone*, artifice ac lapidum politore: aut potiùs à νερὼν, de quo paulò ſuperiùs. Interim præfatus Auctor figuratè dicere vult, Conſtantini tempora *Neronianis* eſſe ſimilia, quòd uxorem & natum occidiſſet. Salmaſ. *d. l.* Oleô, quô ſmaragdi meliores fiunt, etiam hanc ſmaragdi ſpeciem optimam procuratam fuiſſe, idem Epiphanius tradit, &c.

NERONIANÆ Thermæ, à Nerone Imperatore ædificatæ, Martial. *l.* 7. *Epigr.* 33. *v.* 4.

——— *Quid Nerone pejus?*
Quid Thermis melius Neronianis?

Vide eundem *l.* 2. *epigr.* 48. *v. ult.* & *l.* 3. *epigr.* 25. *v. ult.* & *l.* 12. *Epigr.* 85. *v.* 5.

NERONIAS, quæ & *Irenopolis Ptolom.* urbs Ciliciæ mediterranea Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Anazarbeno. Item *Cæſarea* Philippi in Cœleſyria, ſic dicta eſt, *Joſeph.*

NERSA, *Cluverio Neriſcus*, vulgò *Neers*, fluv. eſt Geldriæ, in Belgio, memoratus *Chronico* Monaſterii Laureshamenſis ſeu S. Nazarii, ubi de Lothario Auguſto Ludovici Pii filio iſta extant: *Lothario Ansfrido tunc Palatino Comiti, illuſtri & ſpectabili viro ob egregia merita, prædium ſuum in Geizefurt, in pago Hatuarienſi, ſuper fluvium* Nerſe, *& in pago Laumenſi, in villa Sodeja, ſuper fluvium Geldione, jure proprietatis contradidit: quod poſtea idem Ansfridus Laureshamenſi Monaſterio ſub Abbate Dietricho contulit.* Qua eadem de re ita Lotharii ipſius *literæ*: *In pago Hattuarienſi & in villa quæ dicitur Geizefurt, ſuper fluvium Nerſe*: Et Ansfridi *literæ*, *in pago Hattuaria, in villa quæ dicitur Geizefurt, quæ ſita eſt ſuper fluvium* Nerſa &c. Defluit is inter Rhenum ac Moſam medius, & Wachtenduncam, Gelram caput & Ducatûs, Goch, aliaque Clivenſium oppida præterlapſus, decurrit in Moſam, apud Gennapiam: Proximus Bataviæ & pago olim Moſano fuit. Itaque cùm in *Geſtorum* Francorum *c.* 9. *Dani per altum mare Gallias appetiſſe & Theuderici pagum Attoarios, vel alios devaſtâſſe*: Cùm quoque in veterib. *Annalibus* Gallicis, A. C. 715. Saxones *devaſtaviſſe terram Hattuariorum*, dicuntur: utri Attuarii utrobique deſignentur, Cisrhenani ad *Nerſam*, prope Bataviam, an Transrhenani, incertum eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Attuarii.*

NERTOBRICA, vel NERTOBRIGA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ *Appian.* hodie *Valera* nominatur, in qua Arias Montanus natus eſt, qui teſtatur ibidem hodiè etiamnum antiquam inſcriptionem extare, in qua *Nertodrica* per d. nominatur. Item oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. *in Celtiberis*, *Almunha Varrerio*, *Rota Hieronymo Surita*, & aliis *Val de Nebro*; *Joh. Mariana Ricla.*

NERVA Coccejus, Roman. Imperator decimus tertius, Flavio Domitiano, cui A. C. 96. ſucceſſit; diſſimillimus, animôque verè paternô erga populum affectus, exules, ob religionem, revocavit, in Judæos quoque beneficus, antiquum Imperio ſplendorem reddere anniſus eſt. Cùm nullos ſibi liberos genuiſſet, Ælium Trajanum ſibi adoptavit, qui illi etiam in imperio ſucceſſit. Obiit A. C. 98. ætat. 66. vel 72. ſecundùm Eutrop. *l.* 8. Vide Dionem *in Nerva.* Aurel. Vict. *de Cæſar Herodian.* &c. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 70. laudat eum ab ingenio Poëtico, qui etiam puer, à carminis dulcedine *Tibullus* appellabatur. Idem *l.* 11. *Epigr.* 6.

Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat; ſed Numa pauper erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores;
Et cùm tot Crœſos viceris, eſſe Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elyſium liceat ſi vacuare nemus:
Te volet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm poſiturus erit.
Et te privato cum Cæſare Magnus amabit.
Donabit totas & tibi Craſſus opes.
Ipſe quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæſarianus erit.

Vide *Coccejus.*

NERVA Silius, vide *Silius.*

NERVA, fluv. Hiſpan. in Cantabris. *Ptol. Neſua* Pomponio *l.* 3. *c.* 1. teſte *Pintianô.* In Biſcaja, *Baudrand.* nunc *Nervio*, antea *Ibaycaval.* Bilbaum rigat, & 5. mill. paſſ. infra in Oceanum Cantabricum ſe exonerat. Dicitur & *Nanſa.*

NERVESIÆ, vicus Latii, in Æquicolis, ubi conſiligo herba naſcitur, Plin. *l.* 25. *c.* 8. apud quem & *Nermegiæ* legitur.

NERVI, in fidibus (citharæ id genus) chordæ, Varroni etiam *nerviæ*, apud *Nonium* & A. Gellio *l.* 9. *c.* 7. Item id, quô arcus tenditur. Ovid. *de Ponto l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 21.

—— *Intentus* nervo *levis arcus equinô.*

Veretrô camelinô optimè hôc fine uti populos Orientis, Ariſtoteles docet *de Animal. l.* 5. *c.* 2. Præterea funes è *nervo* torquebantur, qualium Vitruvius meminit *l.* 1. *c.* 1. & *l.* 10. *c.* 15. ubi docet, iis brachia catapultarum contineri. Plautus ſimiliter *Curcul. act.* 5. *ſc.* 3. Antiquitus porrò & inde vincula fiebant cervicum ac pedum; manſitque poſtmodum etiam ligneis, & tandem ferreis, nomen, ut infrà videbimus. Sed & è *bubulis nervis* flagella ferè erant, quibus cæſos ſæpe Martyres legimus &c. Gerhard. Jo. Voſſius *de Idolol. l.* 3. *c.* 71. De *Nervis Arcuum*, ut aliquid addam, neceſſitate urgente, ex capillis muliebribus, facti memorantur Capitolino *in Maximino Jun. c.* 7. *Prætereundum ne illud quidem eſt, quòd tantâ fide Aquilejenſes contra Maximinum pro Senatu fuerant, ut funes de capillis mulierum facerent, quum deeſſent* nervi *ad ſagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Unde in honorem Matronarum templum Veneri calvæ Senatus dicavit.* Ubi hiſtoriam, in quam digitum intendit, habes apud Vegetium *l.* 4. Lactantium *l.* 1. & Servium *ad l.* 1. *Æneid.* Hodiè *nervo* arcus fauces Magnatum, imò & Imperatorum nonnunquam, elidere, apud Turcas in uſu eſt. Quid verò ſit *nervis incedere*, dicemus infrà in voce *Neurobates*, uti de machinamentis νευροσπαστικοῖς, in *Neuroſpaſta.* De verbo Artis Gymnaſticæ νευρῶν, i. e. *robuſtum validumque reddere*, hincque orto Νεύρων, *Nero*, vide Caſaubon. *ad Sueton. Tib. c.* 1.

NERVII, Belgarum populi in finibus Ambianorum, qui ſemper reliquos Belgas increpitabant, quòd ſe populo Romano dediſſent; ſe autem neque legatos ad Cæſarem miſſuros, neque ullam pacis conditionem accepturos affirmabant. Tandem verò difficillimô & periculoſiſſimô præliô à Cæſare victi ſunt. Claudian. *de Bello Gildon.* Lucan. *l.* 1. *v.* 428.

—— *Nimiumque rebellis*
Nervius, & cæſi pollutus ſanguine Cottæ.

Hodiè *Tornacenſes* dicuntur in Flandria, eorumque urbs *Tornacum*, Gallicè *Tournay*, & Germanis *Dornick* dicitur, media inter Duacum, & Aldenardum. *Baudrando* fuêre, ubi nunc Hannonia. Eorum primaria erat Bagacum, *Bavay*; ex *Sanſone, Brietio.* Terminabantur ab Ortu Aduaticis, ab Occaſu Atrebatibus, & Pleumoſiis. Tornacum autem in Pleumoſiis erat. Vide B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 1. Cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 108. Vide *Hannonia.*

NERULINUS, P. Suilii fil. qui, per invidiam Patris, intentatis repetundarum criminibus, à Nerone protectus eſt. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 43.

NERULUM, oppid. Lucaniæ mediterraneum, *Lagoncro*, teſte *Celſô Cittadinô*, vi captum repentinô adventu Æmilii, Liv. *l.* 9. *c.* 20. Inde *Nerulonenſes* Suetonio *in Aug. c.* 4. Alterum in Sabinis, vulgò *Neruli*, inter Nomentanum, & Cutilias 10. mill. paſſ. ab urbe Roma ſupra 20. *Baudrando Nerula*, oppid. Sabinæ, ad amnem *Correſe*; ſub Pontifice, 20. mill. paſſ. à Roma in Cæciam cum titulo Ducatus Principis Præneſtes, gentis Barberinæ. Populi *Nerulani* Plin. *l.* 3.

NERUM, vide *Neron.*

NERUSI, populi Alpini apud montem Veſulum, Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Nerùſii Ptolemæo*, quorum urbs eſt Vintium, *Venza* & *Vence*, urbs Epiſcopalis in Provincia.

NERVUS, *Feſto* ferreum fuit vinculum, quô pedes impediebantur; aliis ex ligno fuit, unde Ξυλοπέδη *Plauto*: qui eô etiam cervices vinciri ſolitas eſſe, docet. Mentio ejus *in Legg. XII. Tabb.* ubi de eo, qui ſolvendo non erat, *Vincito aut* Nervô, *aut compedibus quindecim pondo, ne majore: aut ſi volet, minore vincito.* Et apud Plautum *Aſinaria Actu* 3. *ſc.* 2. *Qui adverſus ſtimulos, laminas, crucesque, compedesque,* Nervos, *catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas* &c. In priorem locum, notat Oiſelius JCtus *ad A. Gellium l.* 20. *c.* 1. ad Compedes pondus referendum, non *ad Nervum.* Cùm enim Compedes, Græcis πέδαι, vincula pedum eſſent ferrea, inde in iis pondus ſpectabatur: Demodoruis *in Medea*, apud *Pollucem*,

Τριακονταλίτρους τινὶ νεανίσκῳ πέδας,
Trigintalibres Juveni indantur compedes.

Et apud Plautum *Capt. Actu* 3. *ſc.* 5. *Craſſæ & ponderoſæ compedes. Nervus* autem pergit, vinculum quidem etiam erat pedum, ſed ligneum, non ferreum. Auctor ei ſententiæ hujus fuit Salmaſ. *de Modo Uſurar. c.* 18. ubi *Nervo* pedes immiſſos & nervis in eo aſtrictos eſſe, docet. Unde *Gloſſæ Philoxeni Nervum* interpretantur Ξυλοπέδην: ſed & Græcis abſolutè Ξύλον dicitur, & ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, qui nervis vinciebatur. In lege Solonis ποδοκάκκη vocabatur; explicante Lyſiâ *in priore contra Theomneſtum*, ubi ex lege quadam Solonis hæc verba referens, Δεδέσθαι δὲ ἐν τῇ ποδοκάκκῃ ἡμέρας δέκα τὸν πόδα, εἰ μὴ προτιμήσῃ ἡ Ἡλιαία; Subjicit, ἡ ποδοκάκκη αὕτη ἐστὶν, ὦ Θεόμνηστε, ὃ νῦν καλεῖται ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι, i. e. *ποδοκάκκη idem eſt, ô Theomneſte, quod nunc vocatur, in* Nervo *vinciri.* Eôdem locô ſimiliter obſervat modò laudatus Heros, Comicos Latinos, qui palliatas docuerunt, quas verterant ex Græco, pro ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, poſuiſſe *in nervo vinciri.* Unde contendit errare eos, qui *Feſtum* ſecuti, *Nervum*, ferreum eſſe efferunt. Quòd verò *Nervo* colla etiam vinciri è *Plauto* notavit *Feſtus*, id inde factum, quia eôdem vinculô tam cervices, quàm pedes & manus aliquando necti ſolebant. Habebat enim idem lignum quinque locis, foramina, quibus collum, manus ac pedes inſerebantur. Unde & πεντεσύριγγον ξύλον vocatur, ab Ariſtophane *in Equitibus.*

—— —— Τουτονὶ
Δῆσαι ἐκέλευσε πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ.
—— —— *Iſtum*
Vincire juſſit quinque fiſtulari ligno.

Ubi *vetus Scholiaſtes* πεντεσύριγγον interpretatur, πέντε ὀπὰς ἔχον, δι' ὧν οἵ τε πόδες, καὶ αἱ χεῖρες καὶ ὁ τράχηλος ἐνεβάλλετο, i. e. *quinque foramina habens, per quæ pedes, manus ac cervix immittebantur.* Vide quoque *Heſychium*, & plura apud Salmaſ. *loc. cit.* ut & infrà aliquid voce *Pedica.* Hinc *in Nervum dare*, apud Livium *l.* 6. *c.* 36. ubi de debitoribus obæratis, *An placeret fœnore circumventam plebem, ni potiùs quàm ſortem creditum ſolvat, corpus in nervum ac ſupplicia dare:* i. e. obligationis jure & conditione capi, atque in ergaſtulum abduci. De quo veterum rigore, diximus aliquid ſuprà, ubi de *Debitoribus.* De *Nervorum* verò corporis humani curatione à Galeno inventa, vide Geſnerum in *Vita* ejus; firmitate mira, infrà voce *Tritanus:* uti de *Subnervatione equorum boumque* infrà, voce *Suffragines.*

NESA, regio montana juxta Ætnam.

NESACTIUM, Iſtriæ oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 19. *Neſactum* Ptol. & *Neſattium Livio. Caſtello novo* ad Arſium fluv. hodie eſſe ſcribit *D. Niger.*

NESÆA, locus in Megarico ambitu, ubi ſal concreſcit, ſub ditione Athenienſium. Vide *Scholia* in Ariſtoph. *Acharn. Actu* 3. *ſc.* 3. Item pars Hyrcaniæ, per quam Ochus fluit, *Strabo.*

NESÆUS, campus eſt à quo apud Medos equi *Neſei, Steph.* Vide *Niſæum.*

NESCANIA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ excisum, apud Anticariam urbem 6. mill. paſſ. inde diſtans, *Moralis.*

NESEA, nympha marina, à *natando* ſic dicta, νέω enim *nato* ſignificat.

NESI, Scythiæ Europææ populi optimis quondam equis abundantes, Plin. *l.* 6. *c.* 20.

NESIADES, inſulæ parvæ Gall. contra Ligeris oſtia, quæ & Veneticæ, *Iſles de Vannes*, teſte *Camdenô.*

NESIB, Latin. *ſtans*, ſeu *ſtatio*, vel *erectio*, ſcil. alicujus tituli: aut Syriacè, *plantatio.* Civitas in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 43. in mill. Eleutheropoleos, pergentibus Ebron. Hieronym. in *Loc. Hebr. Naſib.*

NESIBIS, vel *Niſibis.*

NESIS, Campaniæ inſula aſparagô optimô nobilis. Plin. *l.* 19. *c.* 8. Nunc *Neſita* dici ſcribit *Georg.* Fabricius, *in Itinerario Romano.* Inter Pauſilypum promont. & Puteolos eam deſcribit *Hermolaus.* Meminit ejus Lucanus *l.* 6. *v.* 89.

Traxit iners cœlum fluidæ contagia peſtis
Obſcuram in nubem; tali ſpiramine Neſis
Emittit Stygium nebuloſis aëra ſaxis.

Stat. *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 77.

—— *Inde malignum*
Aëra reſpirat pelago circumflua Neſis.

Et *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 148.

Sylvaque quæ fixam pelago Neſida coronat.

Utrôque locô ad etymon alluſum; dicitur enim à νῆσος, *inſula. Niſita* nunc *Ferrar.* In *Neſide* inſul. in Neapolitano cratere ſita, ſepulchrô marmoreô Romani cujuſdam, circa A. C. 1550. repertô recluſôque, Lucerna adhuc ardens, in illo inventa eſt, quæ rupta, & aëri expoſita, mox eſt extincta, teſte Joh. Bapt. Portâ *l.* 12. *c. ult.* qui eam ante Redemtoris noſtri tempora monumento illi incluſam fuiſſe, addit. Fuit autem intra phialam vitream undique clauſam, in qua quomodo accenſa fuerit flamma, hoc opus hic labor eſt, Fortun. Licetus *de Lucernis antiqq. l.* 2. *c.* 27. qui *c.* 29. *mox ſeq.* docet, id uni huic *Neſideæ* lucernæ contigiſſe, cùm aliæ omnes intra urnas fictiles, easque vitro nec intrinſecus, nec extrinſecus illitas; aut intra terræ caveas aut intra ſepulcra, cùm per occultos poros, tum etiam per cœcas rimulas aëri externo pervia, fuerint olim reconditæ. Idem *c.* 3. poſt tot annorum ſeriem, Lucernæ hujus flammam igne rutilô ac mirè ſplendenti arſiſſe, teſtatur: & phialam, in qua ſupra 1500. annos Lucerna ardebat, limpidam fuiſſe ac omni ex parte perſpicuam, nullibi maculâ ullâ infectam, ait *l.* 3. *c.* 23. adeoque fumum non excitâſſe exardentem hunc ignem colligit. Cumque nulla ejus icona Porta retulerit, ſuſpicatur Licetus eam fuiſſe, cujus imaginem è Gazophylaco Cioffi, ſub imagine rotundi vaſis, cui Siren inſidet, Lectori ſiſtit *l.* 6. *c.* 35. Namque & facile fuit eam vitreô vaſe concludi, & Siren ſymbolum Neapolis eſt, à Parthenope, Sirene eo loci ſepulta dudum, nomen trahens. Unde cùm Parthenope fortaſſis incola *Neſideæ* inſulæ vel potiùs Sirenuſæ in freto Siculo fuerit, concludit referre hanc Lucernam ſepulcrum ejus, quæ monumentum habuit Neapoli Urbe Metropolitana, ſub cujus ditione *Neſis* eſt cum Sirenu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſis & aliis, ubi dudum Sirenes habitavêre. Vide cum *toto illo cap.*

NESONIS, palus Theſſaliæ, apud Lariſſam urbem *Strabo, Neſonium ſtagnum Suidæ* dicitur.

NESPITUS, vide *Nepe.*

NESROCH, vide *Niſroch.*

NESSIS, Inſul. minuta Campaniæ, quam olim pelago fluctuâſſe, pòſt fixam eſſe, fabulantur. Papin. Statius *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 148.

Spectat & Icario nemoroſus palmite Gaurus,
Sylvaque, quæ fixam pelago Neſſida *coronat.*

Circa eam aërem gravem eſſe, imò graviſſimum & peſtilentem, tradit Lucanus *l.* 6. *v.* 89.

Traxit iners cœlum fluidæ contagia peſtis
Obſcuram in nubem. Tali ſpiramine Neſis
Emittit Stygium nebuloſis aëra ſaxis,
Antraque lethiferi rabiem Typhonis anhelant.

Vide Hermolaum Barbarum *ad Plinium l.* 4. *c.* 12. & *l.* 19. *c.* 8. Iſaac. Caſaubonum *Commentar. ad Strabonem l.* 13. Auſonium Popmam *Not. ad Ciceronis Ep. ad Attic.* Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium,* &c. nec non ſuprà in voce *Neſis.*

NESSON, urbs Theſſaliæ. Gentile *Neſſonites Steph.*

NESSUS, unus ex Centauris, Ixionis & Nubis fil. qui, cùm Herculi ad Evenum fluv. operam ſuam obtuliſſet, ad Dejaniram in ripam ulteriorem trajiciendam, jamque trajectæ vim inferre pararet, ab Hercule ſagittis confoſſus eſt; cujus quidem corpus ſuô ipſius fœtore totam fœdavit, & infeſtavit regionem, quæ ob id *Ozolis,* i. e. *putida* dicta. Hic, cùm jam mortem imminentem videret, Dejaniræ veſtem tradidit, ſanguine ſuô infectam, vim amatoriam illi ineſſe ſimulans, virumque alterius fœminæ amore captum ad ipſius amorem poſſe revocari. Cujus verbis illa temerè fidem adhibens, Herculi, in Oetâ monte ſacrificanti, per Licham puerum veſtem eam miſit, quam cùm ille induiſſet, venenô ſtatim per viſcera ſerpente, doloris impatientiâ, in ardentem ſeſe rogum conjecit. Stat. *Theb. l.* 11. *v.* 234.

Qualis ubi implicitum Tirynthius oſſibus ignem
Senſit, & Oetæas membris accedere veſtes.
Vota incepta tamen, libataque thura ferebat
Durus adhuc, patienſque mali, mox grande coactus
Ingemuit, victorque furit per viſcera Neſſus.

Hinc *Neſſeus.* Ovid. *Ep.* 9. *Heroid. v.* 163.

Illita Neſſeo miſi tibi texta venenô.

Seneca *in Hercule Oetæo:*

Tabe Neſſeâ illita palla.

Nic. Lloydius.

NESSUS, vide *Neſus.*

NESTIS, regio Illyrici, cujus incolæ *Neſti,* Græcè Νεστοὶ, à fluvio cognomine ſic dicti, vide *ibi.*

NESTOCLES, ſtatuarius fuit, Phidiæ æmulus, cujus tempore floruit, Olympiade nimirum 83. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

NESTOR, fil. Nelei & Chloridis, Homer. *Od.* 2. qui adhuc adoleſcens bellum geſſit, etiam tum vivô patre, adverſum Epeos, Peloponneſi populos, qui poſtea Elii dicti ſunt: ac deinde cùm Pirithoi nuptiis intereſſet, adversùs Centauros, qui Hippodamiam jam rapere conabantur, ſtrenuè pugnavit. Unde Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 145.

Fert gravis invito victorem Neſtora tergo
Monychus. —— ——

Poſtremô belli Trojani tempore, jam ſenior effectus, ut idem Homer. *Il.* 2. ſcribit, 50. navibus cum reliquis Græcis Principibus ad Trojam venit; ubi conſiliô ſuô tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, brevi ſe Ilium fuiſſe expugnaturum, ſi 10. ſibi contigiſſent Neſtores. Nam, præter ſummam prudentiam, ætatis diuturnitate collectam, (quâ

—— *Componere lites*
Inter Peliden tentavit & inter Atridem,

uti loquitur Horat. *l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 12.) tantâ præterea eloquentiâ excelluit, ut ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Unde Ἡδυεπὴς Πυλίων ῥήτωρ λιγὺς ab Homero *Il. α. v.* 248. dicitur. Uxorem habuit Eurydicem, Clymeni filiam, ex qua 7. filios & 1. filiam ſuſcepit. Cicer. *ad Att. l.* 14. *Non alienum eſt dignitate tuâ, quod ipſi Agamemnoni regi fuit honeſtum, aliquem in conſiliis capiendis Neſtorem habere.* Exegiſſe autem Neſtorem 3. ſecula vivendo, Homerus prodidit, ad quod alludit Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 246.

Rex Pylius, magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.

Homeri verſus de Neſtoris vitâ is eſt, *Od. γ. v.* 245.

Τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε᾽ ἀνδρῶν,
Illum jam exegiſſe hominum tria ſecula fama eſt.

Unde Nævius illum *Triſeclisenem,* quanquam durius, apud Gellium *l.* 19. *c.* 7. appellavit. Quam ob cauſam, de eodem Horat. *l.* 2. *Od.* 9. *v.* 13.

At non ter ævô functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum ſenex
Annos. —— ——

Ipſe apud Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 187.

—— —— —— *Vixi*
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Multi ajunt, eum vixiſſe annos ſolummodo 90. Inter quos *Acron & Euſtath.* attribuentes ſeculo 30. annos. Vide & Juvenal. *Sat.* 10. Ovid. *l.* 12. *Metam.* Tibull. *l.* 4. Propert. *l.* 2. *&c. Nic. Lloydius.* Heraclidis in Peloponneſum reverſis, poſteri ejus, Alcmæon, & Pæonis filii: ac Melanthus cum iis, Meſſene pulſi, Creſphonti Ariſtomachi filio locum fecêre, Pauſan. *l.* 4. Et quidem Melanthus Athenarum poſteà Rex evaſit: ab Alcmæone & Pæonis filiis, qui itidem Athenas migrârunt, *Alcmæonidarum* & *Pæonidarum* ibi familiæ celebres ortum duxêre. Vide ſuprà voce *Alcmæon:* it. *Meſſene* &c.

NESTOR, poëta è Lycia regione, pater Lyſandri poëtæ, qui tempore Severi Principis panxit Ἰλιάδα λειπογράμματον· ita, ut libro primo deeſſet litera α; in ſecundo nuſquam inveniretur litera β; in tertio deeſſet γ, atque ita in cæteris. *Heſych. Suid.* Similiter *Odyſſeam* ſcripſit Tryphiodorus. Item Alexandrinus Grammaticus, qui Marcellum, Auguſti ſororis filium erudiit, auctor *Commentar. theatri.* De quo vide Strab. *l.* 14. Athen. *l.* 10. Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 4. *&c.* Alius Epiſcopus Pergæ in Pamphylia, & Martyr ſub Decio. Item Confeſſor quidam, qui ſe Theſſalonicæ ad monomachiam cum Gigante obtulit; ſub Imperatore Maximiano.

NESTOR, corporis Alexandri cuſtos, ab Epirotis, ad tollendam Deidamiam, Pyrrhi filiam miſſus, majeſtate vultus illius deterritus, cœptum omiſit, Polyæn. *l.* 8. *c.* 52.

NESTOREUS Crater, memoratus Martiali *l.* 8. *Epigr.* 6. ubi invectus in vanam Eucti vaſorum oſtentationem, hinc pocula priſcis celebrata laudandi occaſionem ſumit,

Hôc cratere ferox commiſit prœlia Rhœtus
Cum Lapithis; pugna debile cernis opus.
Hi duo longævô cenſentur Neſtore fundi.
Pollice de Pylio trita columba nitet &c.

Fuit nempe is geminus, Græc. ἀμφικύπελλον, *habens duos fundos,* anſas quatuor & earum ſingulis inſidentes binas columbas, de quo pluribus agit Athen. *l.* 11. *c.* 12. & 13. Vide quoque Homer. *Il. λ.*

NESTORIANI, diſcipuli Neſtorii: quorum ſeges, poſt mortem hujus hæreſiarchæ, Conciliorum anathemata, uniones Præſulum, edicta Imperatorum, &c. tanta tamen fuit, ut totô Oriente infectô, in ipſam Indiam venenum ſuum diffunderent. Imò & hodie non exiguæ eorum in Aſia reliquiæ: Patriarcham habent Seleuciæ, quæ olim Babylon quoque, nunc *Muſal* dicitur. Quamvis hodierni Neſtoriani non parum à priſcis hæreticis receſſerint, ut confeſſiones illorum teſtantur: ſubmiſiſſe ſe Eccleſiæ Latinæ ſub Eugenio III. Eugenio IV. Julio, Pio IV. Pauloque V. ex parte dicuntur. Vide Petrum Strozzam, *de Dogmatibus Chaldæorum.* P. de Valle *Itiner. tom.* 2. 3. 4. Morerium *Diction. Hiſt.* Quinque hi obſervant Jejunia annua ſeu Quadrageſimas; Quarum primam & maximam ante Paſcha incipiunt Dominicâ Quinquageſimæ. Secundam, quæ eſt SS. Apoſtolorum, auſpicantur à feria 2. poſt primam Dominicam Pentecoſtes: Tertiam Aſſumtionis; à Kal. Auguſti: Quartam Nativitatis Chriſti à 25. die ante Feſtum: Quintam exigunt in hebdomade ante Septuageſimam, feriâ ſecundâ, tertiâ & quartâ, quemadmodum Jacobitæ, eamque *Ninives* vocant; vel *Jonæ,* in memoriam pœnitentiæ Prophetæ hujus. Et quidem in prima nec piſces comedunt, nec vinum bibunt. In ſecunda, Sabbatho ac Dominicis non jejunant. In tertia, à lacticiniis non minùs, quàm carne, abſtinent, exceptô Feſto Transfigurationis: Quartam & quintam eôdem modô obſervant. Vide Car. du Freſne in voce *Quadrageſima.*

NESTORIUS, Germanicienſis, ad gubernationem Eccleſiæ Conſtantinop. A.C. 428. Antiochiâ accerſitus eſt, poſt Syneſium: homo naturâ eloquens, inſigni Oratione ad Imperatorem habitâ, *da mihi terram,* inquit, *ab hæreticis purgatam, viciſſim tibi cœlum dabo: Juva me, in extirpandis illis, & ego tibi contra Perſas præſto ero.* Magnum proin zelum contra hæreticos præ ſe tulit initiô, ſed mox fucus patuit. Αὐτοδίδακτος enim & arrogans, defendit Anaſtaſium Presbyterum; qui docuerat, B. Virginem Mariam non eſſe appellandam Θεοτόκον, i. e. *Deiparam,* vel *Dei genetricem:* ſtatuitque non ſolùm duas naturas, ſed & duas perſonas in Chriſto eſſe, proin Mariam non poſſe appellari, niſi Χριστοτόκον, matrem Chriſti; qui Verbo uniri meruerit per inhabitationem Verbi in humanitate, tanquam in templo, cui moraliter unitum ſit, myſteriô ſic Incarnationis negatô, operibus theandricis abolitis & meritô infiniti pretii ſublatô. Hinc & addidit, Judæos non crucifixiſſe Deum. Ad errores hos diſſeminandos, Diodorô Exepiſcopô Martianopolitanô uſus, libris quoque in Ægyptum ultro citroque miſſis illos propagatum ivit: quibus Cyrillus varia opera ad Theodoſium Juniorem & Pulcheriam Eudoxiamque ſorores illius miſſa, oppoſuit, XII. in eum Anathematiſmis conditis. Quod cùm nondum juvaret, contra eum convocata eſt Synodus à Theodoſio Juniore in urbem Epheſum, A.C. 431. In ea Synodo præſedit Cyrillus Alexandrinus, damnatusque fuit Neſtorius, qui aliquot annis poſt in exilio, in urbe Ægypti Oaſi vixit, quâ à Blemmyis deſtructâ, hinc inde vagus tandem tabe conſumptus eſt, Hiſtor. Trip. *l.* 12. *c.* 4. & 5. Caſſian. *de Incarn.* & Cyrill. *contr. Neſtor.* Socr. *l.* 7. Evagr. *l.* 1. Baron. *A. C.* 428. & 29. 30. 31.

NESTUS, fluv. Illyrici, *Steph. Tilurus Antonin.* & *Peuting.* nunc *Cezina,* ſeu *Zetina, J. Lucio.*

NESUA, vide *Nerva.*

NESVISIUM, oppid. Palatinatus Novogrodenſis, in Lithuania, ad amnem *Uzſam,* inter Novogrodam ad Occaſum, & Slucum ad Ortum, 10. leuc. utrinque, uti 13. à Minſco in Africum; ſatis cultum, cum titulo Ducatus Radziviliorum.

NESUS, fluv. Thraciæ, illam à Macedonia diſterminans, ab oſtio Strymonis 60. mill. paſſ. in Ortum diſtans, ac Pangæi montis radices lambens, teſte Solinô, *c.* 16. *Neſtus* dicitur *Herodoto* & Plinio *l.* 4. *c.* 11. *Naſtos Steph.* aliis *Neſſus.* Hodie *Neſto Sophiano,* & *Charaſou* Turcis, teſte *Belloniô. Neſus* alter, *Ptol. Neſtus Steph.* Vulgò *Niſſava,* oppid. & fluv. Myſiæ ſuperioris, longitud. 47. 45. latitud. 43. 38. Item *Neſus,* urbs Iberica, *Stephan.*

NETHINÆI, dicebantur apud Iſraëlitas, *ſervi portantes ligna ac haurientes aquam pro domo Domini;* Non ex Levitarum, aut Iſraëlitarum numero: ſed ad id officii damnati erant Gibeonitæ, qui Joſuam, dicendo longinquos ſe eſſe, cùm tamen in medio Iſraëlitarum habitarent, fraudulenter deceperunt. Vide Joſuæ *c.* 9. *v.* 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

22. His poſtea id nominis hæſit, ab Hebr. נתן *Nathan*, i. e. *dedit*, ut, quaſi *deditití* ſeu *aſcriptitii*, ſic dicerentur. Dati enim erant ad ſervitium Templi, qui Levitis, Sacerdotum Miniſtris, inſervientes, viliora obirent miniſteria. Illis Davidis ac Salomonis tempore, alii ex devictis Cananæis acceſſêre. Franc. Burmannus, *Synopſ. Theol. Part. I. l. 4. c. 9.* Quod miniſterium, quàm vile fuerit, patet ex locutione proverbiali, cujus mentio Deuteron. c. 29. v. 11. *Parvuli veſtri, fœminæ veſtræ & peregrinus, qui eſt in medio caſtrorum tuorum: tum is qui putat ligna tua: tum qui haurit aquam tuam.* Dici autem cœperunt *Nethinim*, circa Davidis tempora, & ab Eſra ac Nehemia hôc nomine perpetuò inſigniuntur. De iiſdem ab Iſraëliticis conjugiis arcendis, duo Majorum ſuorum decreta, tradunt Magiſtri; alterum Joſuæ, quod temporarium fuiſſe ajunt: alterum Davidis Regis quô arcebantur in perpetuum, quod & inde natum eſſe ajunt, quia adeò crudeles ſeſe exhibuerant Gibeonitæ, ut ſine ſuſpendio ſeptem filiorum Saulis Regis nollent placari, vide Johan. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Hebræor. l. 5. c. 14.* Eôdem modô, Brutii quòd Annibali, quamdiu in Italia verſabatur, adhæſiſſent, lictores Magiſtratuum: & Piceni, curſores, à Romanis, effecti ſunt. Imprimis verò cum Lacedæmoniorum ſervis, qui Helotæ dicti, magna *Nethinim* iſtis affinitas fuit. Illi enim, ex Meſſeniis captivi, cum ſæpius à Lacedæmoniis victi ſuperatique eſſent, ſimiliter ad publica miniſteria populo exhibenda, aquam etiam hauriendam ac ſecanda ligna, damnati leguntur, apud Scriptores Græcos. Vide Thom. Godwin. *de Ritibus Hebr. l. 1. c. 5.* Franc. Burmannum *Expoſit. loci Joſuæ cit.* &c.

NETINENSES, populi Siciliæ, quorum urbs Netum.

NETIUM, Peucetiæ oppid. in Italia, *Strabo. Andri Nigro. Nerítum* ſcribi vult *Surita*, ad *Antonin. Itinerar.*

NETON, ſimulachrum Martis, radiis ornatum, Accitanis in Tarraconenſi Hiſpania maximâ religione cultum, memoratur Macrobio *Saturnal. l. 1. c. 19.*

NETOPHATI, nomen loci, 1. Paral. *c. 2. v. 54.* Latin. *gutta*, ſive *diſtillatio*, aut *gummi*, vel *declinatio oris*. Inde *Netophathites*, 2. Sam. *c. 23. v. 28.*

NETUM, urbs Siciliæ, inter Motycam & Acras. Græcè Νῆτον, vulgò nunc vocatur *Noto*; unde tertia univerſæ inſulæ pars vulgò incolis *Val di Noto* dicitur. Vocabulum urbis antiquum apud *Ptol.* vitiatum legitur Νέκτον, facili librarii lapſu κ pro η ſcribentis. Sed idem urbis vocabulum etiam unicô vocali η dictum fuiſſe Νῆτον, apparet ex Silii verſu quodam, *l. 14. v. 269.*

Et Netum, & Micite, pubeſque liquentis Acheti.

Unde etiam apud Cicer. *Verr. 5.* oppidani quater *Netini* dicuntur, ut & apud Plin. *l. 3. c. 8.* Apud eundem Cicer. *Verr. 2.* aliâ formatione ſunt *Netinenſes*; ſed voluiſſe ipſum Ciceronem variare, minimè veri eſt ſimile, librarii errorem eſſe puto; qui ſic ſcripſit, quia præcedebant *Agyrinenſes*. Vide Cluver. *Sicil. Ant. p.* 358. ut & *Nea*, & *Neetum*. *Nic. Lloydius.*

NETUPHA, nomen loci, Eſdr. *c. 2. v. 22.*

NETUPHATI, nomen loci, Nehem. *c. 12. v. 28.*

NEVA, Cœlæ Syriæ urbs, inter Capitoliam & Damaſcum, *Antonin.*

NEUBERGERUS Theophilus, fil. Martini, nepos Chriſtophori, Miniſtri Verbi Dei Auguſtani, Concionatoris poſtea Aulici, & in Palatinatu Inſpectoris; Concionator Aulicus Palatinus, in locum Doct. Sculteti, ſurrogatus, A. C. 1620. exin Duci Mecklenburgico à Sacris Concionibus fuit Guſtroviæ, A. C. 1623. à Wilhelmo dein Haſſiæ Landgravio Caſſellas vocatus, A. C. 1628. varia cum Principe obiit itinera, donec Paulo Steinio Superintendenti defuncto, ſucceſſit A. C. 1634. Obiit A. C. 1656. Scripſit linguâ vernaculâ, *Glaubens Spiegel*, *Gebettbuch*, *Poſtill*, *Soliloquia*, *Troſtbuch*, *Zungen-Zaum* &c. Paul. Freherus *Theatro Viror. eruditione clarorum.*

NEUBURGA, arx & oppid. Comitatus Waldeccenſis, *Mettl.*

NEUCERIA, corruptè pro *Nuceria*.

NEVERITA, Dea, quam in decima cœli regione ponit *Martianus Capella*, ubi tamen alii libri habent *Nerita*, fortè pro *Neritina*, ut opportunè jungatur, quem Capella *ibidem* recenſet. *Gloſſæ* tamen *Neverita, reverentiæ Dea. Grotius.*

NEVEU Magdalena, vide *Magdalena*.

NEUFVILLE, nomen illuſtris in Gallia Familiæ, quæ præcipuum decus debet Nicolao Villaregio ſeu Domino *de Villeroy*, qui 56. annis ſub quinque Regibus Franciæ regni negotia geſſit, Miniſter & Secretarius Status. Series familiæ hæc: Nicolaus *de Neufville* Dn. *de Villeroy*, ex Johanna *Preudhomme* (filia Dn. *de Fontenay*) pater fuit Nicolai *de Neufville* Dn. *de Villeroy*, cui ex Magdalena Albaſpinæa genitus Carolus *de Neufville* Marchio *de Halincourt*, Jacobam ſibi junxit Harlæam, atque ex ea ſuſcepit Nicolaum *de Neufville* Ducem *de Villeroy*: quô & Magdalenâ *de Crequy de Lesdiguieres* (filia Caroli Ducis *de Crequy* & *Lesdiguieres*, defuncti A. C. 1638.) genitus Franciſcus *de Neufville*, Marchio *de Villeroy*, Mariam Margaritam Coſſæam (filiam Ludovici *de Coſſé* Ducis *de Briſſac* extincti A. C. 1661.) uxorem habet, liberorum aliquot ex illa pater. Spenerus *Theatr. Part. 3. p. 78.*

NEVIASCA, fluviolus Liguriæ, qui in Porciferam labitur; apud Genuam. *Tabul. æerea antiq.*

NEVIDUNUM, oppid. Galliæ Celticæ in ducatu Nivernenſi, quod & *Noviodunum* dicitur; vulgò *Neufvy*. *Baudrando* oppidulum Puſeenſis tractus, ad Ligerim, prope Nivernenſem Ducatum & Provinc. Bituricenſem, 4. leuc. ſupra Bridoburum in Meridiem. Vide *Noviodunum*.

NEVIDUNUM, oppid. pagi Bernenſis in ditione Romana, ad lacum Lemanum, cum caſtro 4. leuc. à Geneva in Cæciam Lauſannam verſus. *Baudrand.* Tribus circiter miliaribus à Geneva, locat *Plantinus*. Gall. *Nyon*, German. *Newis*. Cujus mentionem licèt Cæſar non faciat, antiquum tamen id eſſe variè probare conatur *Guillimannus*, qui illud inter XII. oppida ab Helvetiis combuſta fuiſſe cenſet; auctoritate nixus Chronicorum Vaudenſium, hoc oppidum ante Jul. Cæſarem *Benevis* vocatum, & à quodam Beneno Helvetiorum Rege ſumptuosè extructum variiſque privilegiis exornatum fuiſſe, aſſerentium. Sed ſi jam ante Cæſaris tempora Helvetiorum hoc oppidum fuit, quâ ratione ejus non meminerit Cæſar, qui Genevæ per aliquot tempus manſit, non video. Ex iiſdem Chronicis, de *Neviduno* ante Cæſaris adventum deſtructo, & ſub Veſpaſiano, à quodam Centurione *Nyon* reparato, fabulandi anſam ſumſit *Mercator*. Cluver. *l. 2. c. 4.* ſupponens, Cæſaris murum hac in parte fuiſſe, credit, ex pluribus caſtellis à Cæſare extructis primum lacuique proximum haud dubiè fuiſſe, quod poſtea in oppidi modum excreverit, & Colonia, cognomine *Equeſtris*, factum ſit. Quin hinc militum præſidium à Cæſare contra Helvetios lacui impoſitum, vult idem. Unde Lucanus, *l. 1. v. 392.*

Cæſar ut acceptum tam pronô milite bellum,
Fataque ferre videt: ne quô languore moretur
Fortunam, ſparſas per Gallica rura cohortes
Evocat: & Romam motis petit undique ſignis:
Deſeruêre cavo tentoria fixa Lemanno:

quæ tentoria fuiſſe creduntur, inter *Nevidunum* & Rotulum, annotante *Gaudardô* &c. Burgundicô bellô, oppidum ab Helvetiis occupatum eſt: bellô dein Sabaudiæ Ducis contra Genevenſes, prope illud, memorabili præliô, à 415. Helvetiis, qui Genevenſes adjutum venerant, exercitus Ducis victus eſt cæſusque, A. C. 1535. die 10. Nov. Stumphius *Chron. Helvet. l. 8. c. 34. & 36.* à quo tempore, cum tota regione circumjacente, tranſiit in Bernenſis Reip. ditionem. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov.* ac reliqua in voce *Equeſtris*.

NEVISANUS Johannes, vide *Johannes*.

NEVITA, Conſul cum Mamertino. an. Urb. Cond. 1115.

NEVIUS, corruptè pro *Nævius*.

NEUMA, Græcè Νεῦμα, apud Scriptores Eccleſiaſticos medii ævi, cantum notat ſuavem admodum & ſpiritualem, quô vix verba exprimebantur, dum longâ pausâ quæque ſyllaba protrahebatur, ita ut ex oris tantùm apertura ac canentis *nutu* motuque, intelligerentur verba. Quæ cantus ſpecies præcipuè adhibebatur, in Natali Domini, unde recentiores Muſici, in ea nocte, pro *Noel*, quod Natalem Gallicè notat, contractè *Noe*, pronuntiant. Antiquitùs tamen in Choro *neuma* canebatur ad *Kyrieleiſon*, vel ad dictionem *Hieruſalem*, quia ad cœleſtem patriam ab omnibus ſuſpiratur. Rupertus *de divin. Offic. l. 1. c. 25. Jubilamus magis, quàm canimus, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plurimas neumas vel neumarum diſtinctiones protrahimus, ut jucundô auditu mens attonita repleatur & rapiatur in gloria.* Eadem interjectio ſæpe in cantu *Alleluja* apud Græcos poſt Epiſtolam frequentatur, Dominic. à Macer *in Hierolexico*. Vide infrà in voce *Pneuma*.

NEURI, populi Sarmatiæ Europææ quos, Mela *l. 2. c. 1.* ad ortum Tyræ fluv. locat, Solinus *c. 20.* verò circa Boryſthenem. Horum urbs *Nerva*, in ora Livoniæ extrema, à Revalia urbe, 3. leuc. in Boream diſtans, nonnullis eſſe ex alluſione nominis videtur. *Baudrando* ubi fuerint, non conſtat. Sed ad Tyram aut Boriſthenem, longè diſtabant in Meridiem à Narva Livoniæ, juxta Sinum Finnicum, 30. fere leuc. à Revalia in Ortum, ubi aliàs *Hirſi* fuêre, *Sanſon*. Hos narrant in lupos ſe transformare, & ad priorem, cùm volunt, formam redire. Mela *loc. cit. Neuris ſtatum ſingulis tempus eſt, quô ſi velint, in lupos, iterumque in eos qui fuêre, mutentur.* Ubi notat *Voſſ.* non omnibus Neuris idem eſſe tempus, quô ſeſe in lupos transforment, ſed unicuique ſtatum tempus μεταμορφώσεως ſuæ. Verùm, ſi *Herodotum* ſequamur, legendum erit, *ſingulis annis*. Porro de *Neuris* omnes conveniunt, præter Val. Flaccum, qui Neuris tribuit, id quod alii aliis Scytharum populis, cùm & illos & Jazyges ſcribit parentes ſuos devorare, *l. 6. v. 121.*

——— *Et raptor avorum*
Neurus, & expertes canentes Jazyges ævi.

Non rectè vulgò legitur, *& raptor amorum*. Nec meliora ſunt illa, quæ viri eruditi ſubſtituunt. Horum meminit Dionyſ. *v.* 310.

Ἔνθα Μελάγχλαινοί τε καὶ ἀνέρες Ἱππημολγοί,
Νευροί θ' Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τ', ἠδ' Ἀγάθυρσοι;
Ἧχι Βορυσθένεος ποταμοῦ τετανυσμένον ὕδωρ
Μίσγεται Εὐξείνῳ, κριοῦ προπάροιθε μετώπου.

Nic. Lloydius.

NEURIS, inſula Propontidis. Vide *Proconneſus*.

NEUROBATES, apud Vopiſc. *in Carino c. 19. Nam & neurobatem, qui velut in ventis cothurnatus ferretur exhibuit*: Græcè Νευροβάτης, qui *nervis* incedebat, dictus eſt. Nempe inter Veteres θαυματοποιοὺς, non ſolùm fuêre ſchœnobatæ ſeu funambuli, ſed etiam νευροβάται, quales hodie fortean nullibi viſuntur. Et quidem σχοινοβάται erant, qui ſuper funes craſſiores inambulabant & ſaltabant, ut fieri etiamnum videmus. *Neurobatæ* vero longè majorem artem & audaciam profeſſi, nervis ac fidibus incedebant ac filis tenuiſſimis, ita ut vix apparentibus præ ſubtilitate filis, ſuper quæ ambulabant; quaſi in ventis ferri viderentur. Certè Funambulos à *Neurobatis* diſtinguit Firmicus *l. 7. Erunt funambuli, oribatæ*, neurobatæ, *& qui talia pertractent*: quorum hos Tertullian. expreſſit eleganter *l. de Pudicitia, Age tu funambule pudicitiæ ac caſtitatis, & omnis circa ſexum ſanctitatis, qui tenuiſſimum filum diſciplina ejusmodi veri avia pendente veſtigiô ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans, oculorum metu temperans.* Ubi generaliore *funambulum* dixit vocabulô, qui veriùs erat dicendus *neurobates*. Vide Salmaſ. *Not. ad loc. cit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NEUROSPASTA, vide ſuprà *Mechanice*, infrà *Orpheum theatrum*, it. *Sigilla*.

NEUSTRIA, quæ & *Normannia*, regio Galliæ Celticæ inter Sequanam ad Ortum, & Argenem ad Occidentem. Quamvis Neuſtria magis patet, quàm Normannia, ad Ligerim uſque pertingens. *Baudrando* fuit pars Galliæ ubi nunc Normannia major, ex parte & Belſia. Hotomanno ſic deſcribitur, *in Chronico maj. monaſt. Neuſtria eſt, quidquid à Pariſiis & Aurelianis interjacet, inter Ligerim & Sequanam inferius ad Oceanum; eſtque vocabulum enatum circa Caroli Magni tempora.* Hîc *Ortelius*, non ſine manifeſto errore, Neuſtriam cum Auſtraſia, quæ Lotharingia eſt, confundit. Neuſtria autem à nonnullis ea pars Galliæ Belgicæ quæ vulgò *Weſtreich* dicitur, appellatur. Aliis eſt Francia occidentalis, ſed malè, ut Joh. Goropius Becanus *in Gallicis* ſcribit. Non enim Neuſtria totam Franciam occidentalem, quæ Germanis *Weſtrych* nominatur, ſed partem duntaxat complectitur, *Ferrarius*. Secundùm Valeſium, poſt Chlodovei mortem, nova nomina à Francis excogitata & Galliarum provinciis Belgicæ ac Lugdunenſi impoſita ſunt: *Auſtriam* vel *Auſtraſiam*, appellavêre partem Galliæ ad Ortum quæ Rhenô ac Moſâ continetur; *Neuſtriam* vel *Neuſtraſiam*, nonnunquam *Neptricum* vel *Neptriam*, quæ ad Occidentem vergens inter Moſam ac Ligerim interjacet: Burgundiæ verò & Aquitaniæ ſua nomina reliquêre. Et quia Auſtria ac *Neuſtria*, primæ in Gallia Francorum ſedes fuêre, hinc ſeu junctim; ſeu ſeparatim, communi nomine ſæpiſſimè *Francia* appellatæ, ſicque Aquitaniæ ac Burgundiæ contradiſtinctæ ſunt, ut ex *Gregorio Turonenſi* ac *Fortunato* patet. Ambas quoque idem Fortunatus *l. 6. Carm.* 1. & 7. à Francis, Germanicæ originis gente, *Germaniam* nominat ac *Regna Germanica*. Poſtea Langobardi, natio & ipſi Germaniæ, cùm partem Italiæ armis obtinuiſſent, Francos imitati, quaſdam ibi ditionis ſuæ regiones, à ſitu, *Auſtriam* & *Neuſtriam* ſimiliter dixêre, ſuô Tuſciæ nomine relictô: Unde Liguriæ ac Æmiliæ Auſtriam & *Heſperiam*, i. e. *Neuſtriam*, interponit Auctor *l. Epiſcoporum Italiæ contra Elipandum.* Meminit *Neuſtraſiorum Fredegarius* aliique, unde errant, qui *Neuſtriam* corruptum eſſe nomen; & pro *Neuſtria* vel Neptrico *Weſtriam* ſcribendum eſſe, contendunt. Fuit autem *Neuſtria* à Franciæ Monarchis Auſtraſiæ prælata, utpote Regni ſedes, & jam inde à Chlotario poſteriore, Dagoberti Patre, ſub uno codemque Rege Merovingo, Burgundiam habuit adjunctam, quæ proin ambæ communi nomine *Regnum Occidentale Hermanno*: *Francia* quoque Hiſtoricis Gallicis, & *Neuſtriæ* Burgundiæque una incolæ, plerumque *Franci* dici cœperunt, cùm antea ſolis *Neuſtriæ* & *Auſtriæ* nomen *Franciæ* tribueretur: *Franciam Sequanorum* vocat *Neuſtriam*, Auctor. *l. de converſione S. Huberti*, i. e. *Franciam ad Sequanam* fluv. Poſteà, circa Principatum Caroli M. *Neuſtria* imminui, & quæ priùs à Moſa ad Ligerim pertinebat, Sequanâ ac Ligeri claudi cœpit, qui olim Armoricæ fines fuerant: & hic *Ducatus inter Ligerim ac Sequanam* appellatur, in veterib. Gallorum *Annalibus*: Quem Lambertus, Rotbertus, Hugo, *Abbas* vel *Clericus* cognominatus, Odo Rotberti fil. qui poſtea regnavit, Rotbertus, Hugo Magnus ejus fil. ac Hugo Hugonis fil. antequam regnaret, obtinuêre. Ex quibus aliqui, inprimis Hugo Magnus, *Duces Francorum* vocitati ſunt, ipſaque *Neuſtria* ſæpe *Francorum Ducatus* audiit, cujus incolæ Hiſtoricis, qui Principatu Caroli Calvi, ejuſque poſterorum, ſcripſêre, *Transſequani* & *Transſequanenſes* appellantur. Eum in modum arctatis *Neuſtriæ* limitibus, pars quondam ejus, inter Sequanam, Scaldim ac Moſam jacens, *Francia* appellata eſt: & quoties Franciam à *Neuſtria* & Auſtraſia Gallici Scriptores diſtinguunt, haud dubiè hanc Franciam, portionem veteris *Neuſtriæ*, deſignant, quæ hodieque ex parte appellationem *Franciæ*, circa Lutetiam & trans-Sequanam, retinet. *Mediam Franciam* videtur eam vocâſſe Ludovicus Pius Auguſtus ejuſque *Francia* Carolus M. in diviſione Regni inter filios, Annales Bertiniani in rebus anni 880. Abbo *l. 2. de obſid. Lutetiæ*, meminerunt. Tandem, uti Armorica, quæ Sequanâ & Ligeri olim terminabatur, pro ſola poſtea Britannia minore accepta eſt: Sic *Neuſtria*, quæ Moſâ primùm ac Ligeri; deinde Sequanâ ac Ligeri, claudebatur: iterum minor facta & pro regione, quæ hodie *Normannia* dicitur, ſumi cœpta eſt; nomine quoque veteri ſenſim abolitô, poſtquam Carolus Simplex eam Rolloni, Normannorum Duci, habitandam conceſſit, A. C. 895. Quemadmodum Auſtraſia *Lotharingia* vocari cœpit. Cœterùm quòd Aimoinus & Hugo Floriacenſis Monachi ac Bernardus Guidonis aliique Rhenô & Moſâ veterem Auſtriam claudunt, Moſâ ac Ligeri priſcam terminant *Neuſtriam*, haud uſquequaque exactè dictum eſt. Quippe cis Moſam eſt Campania Gallica, Auſtriæ olim portio non contemnenda, & Moſomagum, Duciacum ac Macerias ad Moſam; ad Axonam Sindunum, Attiniacum, Reiteſte, Caſtrum Portianum ac Pontem Varenſem habet; ad Vidulam Durocortorum Remorum & Fines: ad Matronam Catalaunos & Sparnacum; ad Albam flumen Barrum & Arciacam: quæ omnia oppida, & caſtella ac loca uſque ad Albam, ad Auſtraſiorum Reges pertinuêre. Sed & Pontico, in Campania, villa erat Regia Regum Auſtraſiæ, & celeberrimum palatium, quod vulgò *Pontion* hodieque appellant, parùm diſtans à Victoriaco Incenſo. Eidem Campaniæ contribuebatur Lugdunum Clavatum, Ducum Campaniæ Auſtriacæ olim ſedes, non longè à Ponte Varenſi & fluvio Axona. Jam Cameracum oppid. ad Scaldim nobile, Theodorico, ejuſque filio ac nepoti, atque etiam Childeberto Auſtraſiorum Regibus paruiſſe conſtat: quod cis Moſam eſt, & ab eo flumine multis millibus diſtat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* De illa ſic Guil. Brito *Philipp. l. 8.*

Quæ priùs antiquum cùm Neuſtria *nomen haberet,*
Poſt à Normannis habuit Normannia nomen,
Quo gaudent patrii memores idiomatis eſſe &c.

NEUT, Ægypti Nomus, *Ptol.*

NEUVILLE, nomen caſtri & Familiæ Principum Salmenſium, qui ex illuſtri, in tractu Rheni, Rheingraviorum ſeu Comitum Rheni ſtirpe oriundi ſunt. Johannes enim Johannæ Sarwerdenſis maritus, qui exeunte ſeculô XV. vivis exceſſit, cùm duos ſuſcepiſſet filios, Johannes quidem *Merchingenſem* ſeu *Kirburgium* ramum orſus eſt: Philippus verò *Daunium* emiſit, qui iterum tres præcipuè palmites habet, *Salmenſem* ſeu *de Neuville*, *Grumbachium*, & *Daunenſem*. E quibus primi probatio hæc eſt: Johannes Comes Sylvarum (nam hic titulus poſteà acceſſit) & Rheni, defunctus A. C. 1476. ex Eliſabetha Hanovica, pater fuit Johannis, qui obiit A. C. 1491. Hôc & Joannâ Comite Salmenſi genitus Johannes junxit ſibi Johannam Comitem Sarwerdenſem, obiitque A. C. 1499. Pater Philippi Comitis Sylvarum & Rheni *in Daun*, qui deceſſit A. C. 1521. relictô ex Antonia *de Neufchaſtel*, Philippô Franciſcô, defunctô A. C. 1561. Hinc ex 4. conjuge Maria Ægyptiaca Oetingenſi genitus Fridericus Comes Sylvarum & Rheni, *in Neuville*, extinctus eſt A. C. 1608. ex Anna Amalia Erpachia, pater Friderici Magni (qui Gubernator Trajecti ad Moſam, ante annos aliquot, obiit, relictis ex Margaretha filia Triſſardi Baronis *de Tournebeuf* liberis) Annæ Mariæ (uxoris Henrici V. Senioris Rutheni Dn. *de Plauen*) & Franciſcæ, qui omnes *Comites Sylvarum & Rheni &c. Lineæ Neuvillanæ* ſeu *Salmenſis*. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 1. *p.* 38. & *in Ind.*

NEXI, dicebantur apud Romanos, homines aliàs liberi, ſed qui, ob æs alienum, in vincula dabantur, apud Creditorem, ut ei ſervirent, donec debitum diſſolviſſent: Ita quidam. Sed negat id Salmaſ. *Nexum*, ex Varrone *de L. L. l.* 4. non vinctum, ſed ſimpliciter corpore obligatum vel oppignoratum, dictum eſſe oſtendens, docenſque, eodem modo *Nexum* ipſum debitorem vocatum fuiſſe, cujus corpus pro pecunia credita obnoxium eſt, quemadmodum bona *nexa*, quæ ſunt obnoxia & oppignerata. Unde in *Legg. XX. Tabb.* de eo, qui poſt 30. dies juſtos, nondum ſatisfecerat, dicitur: *Vincito aut nervo, aut compedibus quindecim pondo* &c. non verò, *Nectito*, quod alàs dixiſſet Legiſlator, ſi eidem *nectere* idem fuiſſet, quod vincire. Vide Jac. Oiſelium *Notis in A. Gellium l. 20. c. 1.* ut & ſuprà, in voce *Debitor*. Adde inſignem Livii locum *l. 2. c. 23.* Duravit autem mos ille uſque ad Conſulatum C. Pœtilii, L. Papirii Mugillani, ſub quibus is deſiit, hac occaſione. Idem *l. 8. c. 28. Eô annô plebi Romanæ, velut aliud initium libertatis factum eſt, quòd ligari nexi deſierunt: mutatum autem jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem. L. Papyrius is fuit, cui quum ſe C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dediſſet; quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt --- poſtquam aſpernabantur flagitium aures --- nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis cùm ſe in publicum proripuiſſet --- ruptum eô die ob impotentem injuriam unius ingens fidei vinculum: juſſique Conſules ferre ad populum, ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, in compedibus, aut in nervo teneretur. Pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Ita nexi ſoluti: cautumque in poſterum, ne necterentur.* Nec omittendum, quòd, quum in *Nexos* flagris animadverteretur, tibiæ ſonum adjungi conſueviſſe, notat Scaliger *Poëtices l. 1. c. 20.* Similiter apud Ægyptios, *nectebantur* obærati, uſque ad Bocchoridis Regis tempora, qui *de obæratorum facultatibus duntaxat uſuras exigere*, τὸ δὲ σῶμα κατ' ὐδένα τρόπον εἴασεν ὑπάρχειν ἀγώγιμον, *corpus verò nullô modô in nexum ducere conceſſit.* Quem imitatus Solon legem τῆς Σεισαχθείας, i. e. *Oneris excuſſi*, Athenis invexiſſe videtur, *quâ cives univerſos ab ære alieno*, in corporis nexum *credito*, *liberavit. Et quidam non immeritò culpârunt Legiſlatores Græcos, quod vetuerint, ob fœnus pignori capere arma, aratrum, aliaque operi faciendo neceſſaria; ſed eos, qui illis uti debebant*, nectendos *permiſerint*, Diodorus Sic. *l.* 1. Vide quoque infrà *Oneris excuſſio*. Cœterùm, olim *Nexum* dictum eſt, quodcunque per æs & libram gerebatur; unde *Nexum*, quaſi *Nec ſuum*, Varroni *l. 6. de L. L.* Hinc *in LL. XII. Tabb. Ut cùm Pater familiâs ſuper familâ ſua legaret*, Nexum *faceret, per æs & libram familiam manciparet, ac præter libripendem cives Romanos puberes ne minus quinque adhibeat.* In quæ verba Roſinus notat, tria fuiſſe apud Romanos Teſtamentorum genera, unum quod calatis Comitiis: alterum quod in procinctu: tertium, quod per æs & libram appellatum ſit, cùm nempe Paterfamiliâs ei, quem vellet ſucceſſorem relinquere, familiam ſuam & univerſum jus Patrisfamiliâs mancipio venderet & ſimul hæredes nuncuparet. Fiebat verò mancipatio familiæ, quæ imaginaria venditio erat; hôc modô: Quinque aderant teſtes, & libripens, cives Romani ac puberes; quibus præſentibus, is qui ſucceſſor defuncti erat futurus, patrimonium morituri emebat, verba quædam dicens ſolemnia, nempe: *Hujus ego familiam, quæ mihi empta eſt hôc ære æneaque librâ, Jure Quiritium meam eſſe ajo:* dein ære percutiens libram, dabat, imaginarii pretii nomine, nummum æneum ei, à quo hæreditatem expectabat, ſicque dicebatur familiæ emtor. Et hoc Leges dixêre, *Nexum facere*. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. part. 1. c. ult.* Idem in reliquis etiam contractibus obtinuit, in quibus Libripens, i. e. qui libram æneam tenebat, ſimiliter adhibebatur, eamque emptor raudusculô ſive ære gravi feriebat; Tumque res in contractum deducta, mancipiô *Nexuque* ejus fieri dicebatur. Unde *in Legg. XII. Tabb. Raudusculô libram ferito.* Nempe ſeculô Decemvirali libra in contractibus dominabatur, quâ opus erat, ut ſtipem ſive æs grave adpenderent: Sed & poſtmodùm receptô jam pecuniæ ſignatæ ſive numeratæ uſu, libræ tamen conſuetudo permanſit, ut conſtat è Plinio *l. 33. c. 3.* cùm ait: *Quin & militum ſtipendiorum, h. e. ſtipis ponderandæ penſatores, Libripendes dicuntur; quâ conſuetudine in his emtionibus, quæ mancipi ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Jac. Oiſelius *ad A. Gel-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Gellium l. 15. *c.* 13. F. Sylvius *in Orat. Cic. pro Murena*, ubi legis incertæ *de Nexu* mentio fit, eandem rem exemplô ſervi, qui venderetur, explicat: Præſentibus enim quinqueteſtibus, & Libripende, emtor manu tenens æneum nummum, dicere ſolebat, *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo, iſque mihi emtus eſt hôc ære:* tum nummô libram feriens, dabat eum venditori. Quod emtionis genus ideo *Nexum* dictum fuiſſe ait, quia necteret Venditorem, ut periculum judicii præſtaret: Ita enim lex illa ſancit, *In his rebus quæ mancipi ſunt, is judicii periculum præſtare debet, qui ſe* Nexu *obligavit.* Item ritus *Venditio per æs & libram:* Item *Mancipatio*, vocabatur. *Cal. Var. Nexum* dicit, abalienationem fuiſſe civilem, quæ fiebat per æs & libram, i. e. ære nummôve aliquo percuſſâ librâ, quô pactô ſolutio repræſentabatur, apud Fr. Gouldmannum *Diction.* &c.

NEXILIS Corona. Vide ſuprà *Combretum*, *Corona*, & ubi de *Nectendi artificio.*

NEXILIS Veſtis, ante textilem in uſu, Lucretio *l.* 5. *v.* 1349.

Nexilis ante fuit veſtis quàm textile tegmen.

NEXUS, συμπλοκαὶ in lucta in genere; inprimis in pancratio; ſoli enim pancratiaſtæ *nexus* humi implicabant & explicabant, quod optimè calluiſſe Antæum, cui cum Hercule aliquando res erat, refert Solinus *c.* 27. τρόπους χαμαὶ hujuſmodi luctandi modos vocabant Palæſtritæ. Græca *Euſebii*, τὸν λεγόμενον Γηγενῆ, διὰ τὸ ἐπισημεῖα εἶναι τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς παλαισταῖς τρόπων χαμαὶ, ὡς ἀπὸ τῆς μητρὸς γῆς βοηθεῖσθαι δοκεῖν. Mox. ὧν Ἡρακλῆς ἰσχύων μὴ προσδεηθεὶς, ζώσας τοῖς ἅμμασι καὶ μετεωρίσας διεχρήσατο. Dicit, Herculem nativis pollentem viribus, arte illâ palæſtricâ & modis illis luctandi, qui humi exercebantur, non indiguiſſe & comprehenſum Antæum, qui *nexuum* humi complicandorum apprime peritus erat, ſublimem, ita ut terram ampliùs non tangeret, elatum interfeciſſe. Et in hoc à Lucta differebat pancratium, quòd luctæ omnis ad victoriam ratio conſiſteret, in ſubvertendo adverſario ejuſque finis eſſet τὸ καταβάλλειν, quod propriè ῥῆξαι dicebant, i. e. *ſtantem dejicere ac ſolo illidere:* Pancratium verò humi inter jacentees perageretur. Unde Theocritus in Ἡρακλίσκῳ, ἐς γαῖαν προσπεσόντας πυγμάχους vocat Pancratiaſtas, qui hanc artem habebant, ut vincerent velut in terram cadentes & reſupinantes ſe: Cujuſmodi ὑπτιασμοὺς non tutos eſſe luctantibus, ait Plato *in Euthydemo;* quia præcipuum in lucta primumque, ſtare firmiter inconcuſſum atque non cadere: at, qui ſeſe reſupinat, ut in pendenti eſt, facilè impelli poteſt, & lapſui obnoxium ſe magis facit. Scilicet, quod in lucta intutum eſt, in pancratio artis pars non parva. Ab his autem *nexibus* in terra complicandis; Κυλιστικοὶ dicebantur, qui hâc arte valebant. Hinc τὸ παγκράτιον Plutarchus, περὶ τὰς κυλίσεις plurimùm verſari dicit, *Sympoſiac. l.* 2. *c.* 4. Οὔτε γὰρ δρόμον, οὔτε πυγμὴν ἐν παλαίστραις διατονοῦσιν, ἀλλὰ πάλην καὶ παγκράτιον τὸ περὶ τὰς κυλίσεις· ὅτι γὰρ μέμικται τὸ παγκράτιον ἔκ τε πυγμῆς καὶ πάλης δῆλον, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 290. *& ſeqq.* ut & hic paſſim, in *Lucta*, *Nodus brachiorum*, *Pancratium*, *Volutatoria pugna.* Addo ſaltem, *Nexus* iſtiuſmodi, qui & *nodi*, proprias fuiſſe luctaminis & pancratii voces, in pugilatu enim iis uti non licebat: Græcéque ἅμματα dici. *Gloſſæ*, *Nexum*, ἅμμα ἐπὶ πάλης δεσμός. Tralatitiè vocem adhibuit Amm. Marcellin. *l.* 15. *Et Paulo quidem, ut relatum eſt ſuprà, Catenæ inditum eſt cognomentum, eo quòd in complicandis calumniarum* nexibus *erat indiſſolubilis, miram in nodorum varietatem ſeſe diſpendens, ut in colluctationibus callere nimis quidam artifices ſolent palæſtritæ.*

NIA, veterum Sarmatiæ Europææ incolarum idolum, de quo vide infrà aliquid voce *Sarmatia.*

NIA, fluv. Libyæ interioris, *Ptol.*

NIACURRA, urbs Commagenæ, *Antonin.*

NIÆTHOS, corruptè pro *Neæthus.*

NIANCHEUM, urbs provinc. Chequiamenſis, in Sina ad fluv. *Ché*, undique tamen collibus vallata. Sub qua 5. Urbes, *Martinius.*

NIBIS, urbs Ægypti, Gentile *Nibites*, *Steph.*

NIBLATUS, apud Joann. Diaconum, in *Vita* S. Gregorii *c.* 83. & 84. ubi de indumentis Sylviæ, matris ejus, *Ferens in capite matronalem mitram candentis brandei raritate niblatam:* mendoſè poſitum eſt, pro *nebulatus.* Erat enim velum tenuiſſimum, capiti ejus matronæ involutum, inſtar Turcici turbantis, uti apparet ex imagine ejus, quam ſuo *Hierolexico* inſeruerunt Dominicus & Carolus Macri.

NIC in nummo Anaſtaſii, *Nicomediæ* nota eſt. Vide *Nicomedia.*

NICÆA, altera Antipatri filia, quam Perdiccas duxit, ut hâc affinitate Antipatro ſibi conjuncto res ſuas ſtabiliret. Huic tamen ſuperinduxit Cleopatram, Alexandri Magni ſororem germanam, Diod. Sic. *l.* 18. *fol.* 640. Videtur poſteà, defunctô Perdiccâ, elocata fuiſſe Alexandro Acrocorintho præſidenti, quam dum eò deducit Antigonus, ut crediderit ſe nuptum ire Demetrio, populumque ad nuptialem feſtivitatem avocat, occupat iſte arcem, Polyænus *l.* 4. *in Antigono*, *Com.* 1.

NICÆA, urbs gemina: una urbs Archiepiſcopalis Bithyniæ, à Lyſimachi uxore Nicæa, vide *Nicia:* ad Aſcaniam paludem, à Lyſimacho, in honorem uxoris, filiæ Antipatri, ſic dicta, prius *Antigonia*, ab Antigono conditore, teſte *Strabone: Olbia* Plinio *l.* 5. *c.* 32. & *Ancore*, teſte *Stephanô* dicta. Vulgò *Iſnich*, de nomine lacus Aſcanii, & *Nichor*, teſte *Leunclaviô*, ſed *Sophiano Nichea*, inter Nicomediam ad Boream 44. & Pruſam in Eurum 25. mill. paſſ. diſſita. Hic Philiſtion Comicus, Socratis contemporaneus, nimiô riſu repentè expirâſſe traditur; quod & Sophroni contigit, teſte Politianô in *Nutricia:* Capta eſt à Godofredo Bullionæo, A. C. 1097. Chronicon Hieroſol. *edit. Helmſt. l.* 1. 2. 3. Guil. Tyr. *l.* 1. 2. 3. 4. Andronicus verò Imperator. dum ejus obſidionem ſolvere vellet, ab Urchane vulneratus, victus caſtriſque exutus eſt, A. C. 1329. Niceph. Greg. *l.* 7. 8. 9. 10. In hac urbe Concilium Oecumenicum adverſùs Arii ſectam, A. C. 325. celebratum, à Conſtantino M. cùm omnia alia prius media fruſtrà tentâſſet; 318. Epiſcoporum, inter quos & multi, qui ſtigmata Domini JESU in corpore ſuo ferebant. Hîc Imperator, Præſes, ad concordiam hortatus Patres, libellos, quibus lites illorum continebantur, palam combuſſit, ſic Arianis, qui talibus libris ſparſis illos inter ſe commiſſuri erant, occaſione Concilium turbandi præciſâ. Dein Euſtathius Epiſcopus Antiochenus verba fecit, Arius poſtmodùm auditus, convictus, ab Athanaſio imprimis; poſtmodùm condemnatus, cum ſuis operibus, librô præſertim, quem Thaliam vocavit. Symbolum porrò Orthodoxum conſcriptum, Paſchatis controverſia compoſita, Novatianorum ſchiſma ſublatum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ tandem, per Canones 20. conſultum eſt. Euſeb. *vita Conſtantini.* Rufin. *Hiſt. l.* 1. Theodor. & Sozom. *l.* 1. Niceph. *in Chron.* Gelaſius Cyzicenus, *in Collect. &c.* Aliud dein ibidem Concilium Generale 8. quod ab Irene, Leone IV. mortuô, convocatum, & à 350. Epiſcopis, Legatis Papæ Adriani I. & Taraſio Patriarcha præſidentibus, A. C. 787. habitum eſt: quô, rebus ita inſtructis, ut nemo diſputare auderet, ſubſtratis fundamenti locô fabulis, celeriter concluſus *Imaginum cultus*, *Reliquiarumque veneratio*, & aliter ſentientibus, anathema dictum. Poſt quæ, omnia rurſùs templa ſtatuis oppleta, Conſtantini ſoceri corpus effoſſum, filio oculi eruti, &c. Huic Concilio Carolus M. Francofurti, A. C. 794. aliud oppoſuit 300. Epiſcop. præter Abbates, &c. in quo *Imaginum uſus hiſtoricus approbatus, adoratio damnata, Græcorum Synodus deſtructa, acta reſciſſa, &c.* & refutatio ejus Imperatoris nomine contexta eſt. Vide Chemnit. *in exam. de imag.* Sigon. *l.* 4. Similiter jam à Conſtantio Imperatore Concilium, in Arianorum gratiam, habendum ibidem fuerat, A. C. 359. ſed diviſis in partes Arianis, inconſtantiâ Imperatoris, & terræmotu concuſſâ urbe, quod etiam priùs Nicomediæ contigerat, conatus irriti fuerunt. Sozom. *l.* 4. Theodoret. *l.* 2. Athanaſ. *de Synodis.* Vide quoque *Nicomedia*, it. *Parthenius.* Canones Synodi Oecumenicæ præfatæ ſub Conſtantino I. habitæ, quorum XX. ſaltem genuini, ut patet ex *Codice Canonum Eccleſiæ Univerſæ*, primô locô in hoc comparent, licèt Concilii Ancyrani Canones vetuſtiores ſint, διὰ τὴν τῆς οἰκουμενικῆς Συνόδου αὐθεντίαν, *propter auctoritatem Synodi Oecumenicæ*, ut habetur in *d. Codice.* Et tum quidem cœptam eſſe Collectionem Canonum probabile eſt, ita ut Canones Nicæni primô locô ponerentur, iiſque ſubnecterentur Canones Nicænis anteriores, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes & Laodiceni; hôc enim ordine in laudato *Codice* occurrunt. Verùm non diu Eccleſia Romana ſolis *Nicænis*, & qui cum iis ambulabant, uſa fuit; ſed eôdem cum Orientalibus ſtudiô, colligere perrexit, quibus cum communibus hoſtibus depugnaret. Eos autem conquiſivit ex Oriente & in Latinam linguam vertit, jam ante Dionyſium Exiguum de quo *ſuprà.* Nam *Codicem Canonum* in Eccleſia Romana jam tum fuiſſe; apparet inter alia ex fraudulenta illa *Collectione* Zoſimi Pontificis qui A. C. 417. ad Synodum VI. Carthaginenſem 227. Epiſcoporum, Fauſtum, Philippum & Aſellum miſit, eô fine potiſſimùm, ut Epiſcopi Afri ad Romanum appellarent. Quod ut fieri debere probaret, laudavit Canones Synodi *Nicænæ*, ſed ex ſua Collectione, quæ continebat Nicænos Canones viginti, Ancyranos viginti quinque, Neocæſarienſes quatuordecim, Sardicenſes viginti & unum: qui ſimul computati faciunt Canones octuaginta. Atque hanc collectionem Zoſimus, nomine *Canonum Nicænorum*, obtruſit Patribus; quibus ſcil. à potiori parte probatis, adjunxerat Canones Sardicenſes, ab Orientalibus & Afris repudiatos, iiſque, veluti Nicænis, adſtruere jus appellationis ad Romanam Sedem voluit. Quæ res tantum negotii Patribus fecit, ut, pro detegenda fraude, ad Conſtantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopos mitterent, Canones Nicænos authenticos petitum, vide Mornæum *Myſter. Iniquit p.* 51. *edit. Daventr.* Inde natus error de LXXX. Canonibus hujus Concilii: è quibus XX. tantùm, uti dictum, genuini, quos, præter Codicem Canonum Eccleſ. Catholic. probant ejus verſiones variæ & Hiſtoria Eccleſiaſtica, vide *Theodoret. Socr.* Stephanum Papam *c.* 13. *diſt.* 16. Sed nec iſti Canones LXXX. quos Alphonſus Piſanus & Franciſcus Turrianus Jeſuitæ ediderunt, ex Arabico tranſlatos, non ſpurii ac ſuppoſititii ſunt; accepêre autem illos, ut fertur, à Patriarcha Aexandrino duô Legati, quos ad eum miſerat Pius IV. ut eum ad Concilium Tridentinum invitarent &c. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſiaſtici num.* 26. 35. 58. 68. & 69. Vide quoque de Canonum horum auctoritate *num.* 104.

NICÆA, Liguriæ oppid. maritimum. *Nicia Antonino* dicitur, vide ibi, vulgò *Nizza.* Meminit ejus *Steph.* Νίκαια, πόλις Κελτική, Μασσαλιωτῶν ἄποικος. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Nicæa oppidum à Maſſilienſibus conditum*, *Ptol.* Μασσαλιωτῶν Νίκαια, *Belianda* quoque olim. *Baudrando* fuit urbs Vediantiorum in Gallia Narbonenſi & Viennenſi quarta. Ampla, dives, in ora maris Mediterranei, cum portu capaci & arce munitiſſima. Crevit ex ruinis Cemenelei, & dicitur *di Provenza*, quia olim ſuberat Comitibus Provinciæ, cujus pars erat, uſque ad A. C. 1365. quô data eſt à Johanna, Ludovico II. Duci Sabaudiæ cum Comitatu Nicæenſi. In ipſo eſt limite Italiæ, cis Alpes maritimas, 2. milliar. ab oſtiis Vari fluv. 7. ab Herculis Monœci portu in Occidentem. Ei ferè contiguûs eſt Villa Franca portus. Hiſtoria ex *Morerio* paulò fuſior hæc: Nomen à Maſſilienſibus accepit, ob inſignem contra Ligures victoriam. dein aucta ex ruderibus Cemenelei, ut dictum, fuit ſub Romanis, Regibus Burgundiæ, Comitibus Provinciæ, tandem tranſiit ſub dominium Sabaudiæ Ducis. Incolæ Comitum ſuorum jugum non ſemel excutere annisi, bellum moverunt Raimundo Berengario III. A. C. 1166. & Raimundo Berengario V. A. C. 1229.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Johannâ poſt hæc, Neapolitanis turbis occupatâ, Amadeus VII. ditionem hanc invaſit, quam ceſſionis jure, à Jolanda, matre Ludovici III. Comitis Provinciæ & Regis Neapolitani, pro 60000. libris, quas Amadeus ſibi deberi ajebat, poſſidere ſe hodierni Duces dicunt, A. C. 1419. Urbs capta à Franciſco I. & Barbaroſſa Turcico Duce, ſeculô præteritô: iterum hôc bello à Ludovico XIV. in planitie fertiliſſima ſita eſt, Amphitheatrô, Inſcriptionibus, aliiſque Antiquitatis monumentis, inclyta. Vide Ptol. *tab.* 3. *Eur.* Strab. *l.* 4. Melam, *l.* 2. *c.* 4. *&c.* Petr. Jofredum, *in Nicea Civ.* Ferdinand. Ughel. *T. IV. Ital. ſacræ.* Franciſc. Auguſtin. de la Chieſa, *in Chron. Epiſc. Sabaud. & Corona Regia.* Guichenon. *Hiſt. Sabaud.* Vincent. Barralim, *in Chron. Lirinenſi.* Ruffium, *Hiſt. Com. Prov.* Noſtradamum & Bouchæum, *Hiſt. Prov.* Mourgæum, *de ſtatutis Prov. &c.* Vide & *Cemele.* Sunt & aliæ 6. teſte *Stephanô.* 1. Locrorum Epicnemidiorum in Achaja, Thermopylis proxima, ad ſinum Maliacum. 2. Illyriæ. 3. Indiæ. 4. Cyrni, ſeu Corſicæ inſulæ. 5. Leuctrorum Bœotiæ. 6. Thraciæ. Vide *Steph.* & *Nicia.* De *Nicæa* Ligurina addo, quòd hanc Lucan. *l.* 1. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Ptolemæus* quoque in Italia ponunt: contra *Strabo* Narbonenſi Galliæ adſcribit, licèt Varum, Galliæ terminum, inter Antipolim & *Nicæam* fluere fateatur. Idem Mela facit *l.* 2. *c.* 5. Trans Varum ergo urbs eſt, ita dicta à Maſſilienſibus, quòd eam ceu victoriæ de Liguribus Alpinis recèns deportatæ monumentum condidiſſent. Sic & Cemeneleum, ultra Varum quoque poſitum, *Æthicus* Galliæ adſcribit: verùm ita Varus pro Italiæ Galliæque termino habendus non erit. Sanè *Nicæam* fuiſſe Provinciæ urbem, à Vitige Oſtrogothorum Rege Francorum Regibus conceſſæ, docet Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 37. ubi Langobardos, partim per *Nicæam* urbem, partim per Ebredunum, Galliam ingreſſos eſſe ait. Et *l.* 6. *c.* 6. ubi *Hoſpitium Recluſum, apud urbem Nicenſem,* adventum Langobardorum in Gallias prædixiſſe ſcribit, *Auſtadiumque* tum *Epiſcopum civitatis Nicenſis* appellat. Synodo quoque Arelati habitæ juſſu Conſtantini M. inter Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos Gallicanos, ſubſcripſêre *Innocentius Diaconus, Agapius Exorciſta ex portu Nicenſi*: Concilio Aquilejenſi, ſub Gratiano, *Amantius Nicenſis Epiſcopus,* inter Antiſtites Galliarum; Concilio Aurelianenſi V. A. C. 549. habito, juſſu Childeberti Franciæ Regis, Aëtius Presbyter, miſſus *à Magno Epiſc. Eccleſiæ Cemenelenſis & Nicenſis*: Concilio Matiſconenſi II. Guntchramni Regis juſſu coacto, quidam vices agens *Catullini Epiſcopi à Nicia.* Itaque jam tum Galliæ urbs habebatur, parebatque Francorum Regibus, qui in Italia nihil obtinebant. Hinc apud Eginhardum *ad A. C.* 813. *à Mauris Nicæam, provinc. Narbonenſis civitatem,* vaſtatam eſſe legimus: Cùm enim civitas eſſet provinciæ Alpium Maritimarum, quæ Galliæ Narbonenſi olim fuerat attributa, rectè huic ab Eginhardo tribuitur. Quin & Robertus *in Chron. circa A. C.* 1210. *compoſito, civitatem Nicæam,* in Alpibus Marit. quartò locô ponit, & Gervaſ. Tiſleberienſis *ſub Ebredunenſi Metropolitano Nicenſem Epiſcopum* ſecundô locô collocat: hodieque is Ebroduni capitis Alpium Marit. Archiepiſcopum pro Metropolitano ſuo agnoſcit. In veterib. autem *Notitiis provinc. ac civitatium* Galliæ ponitur *civitas Cemenelenſium,* omiſſô *caſtellô Nicenſi,* quoniam uterque locus non niſi unum Epiſcopum componebat, prævalente tum *Nicæa* Cemeneleô. Conſtat certè *Nicæam* poſteà ad Comites Provinciæ pertinuiſſe, partemque Comitatus Provinciæ & Forcalquerii fuiſſe: donec A. C. 1388. *Nicenſes* ab exercitu Ludovici II. Regis Siciliæ ac Provinciæ Comitis obſeſſi, quoniam à Ladiſlao Rege nullis auxiliis juvabantur, Amedæo VII. Comiti Sabaudiæ ſeſe dediderunt: quô factum, ut hodieque Duces Sabaudiæ ſe *Nicææ Comites* vocent, & regioni Subalpinæ ſeu Pedemontanæ urbs pridem adſcripta ſit; quam nihilominus Hiſtorici conſtanter *Nicæam Provinciæ* cognominant. Poſita eſt autem illa ad oſtium Paulonis, amniculi trans Varum fluentis, qui accolis *Palion,* Gallis *Paillon* nuncupatur, Melæ *l.* 2. *c.* 4. & Plinio *l.* 3. *c.* 5. memoratus. Caput Comitatus cognominis, qui, diviſus in quatuor Vicariatus, loca plus 30. muris clauſa continere dicitur, ac in longitudinem millia 22. in latitudinem 11. patet. Ibi eminet *Nicæa* hæc, Gallis *Nice en Provence,* Italis *Niza* aut *Nizza di Provenza,* urbs muris validis & propugnaculis atque arce munita, amœna ac frequens, domibus quinûm aut ſenûm tabulatorum conſpicua, viciſque velut ad perpendiculum directis ſpectabilis. Inter reliqua pagi Comitatusve ejus oppida, non ultimum tenet locum Villa Franca, caſtrum portus ſui commoditate notabile. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide & *Nicæenſis Comitatus.*

NICÆA, ſeu NICIA, oppid. Ducatus Montisferrati inter Aquas Statiellas 6. & Aſtam Pompejam 10. mill. paſſ. *Nizza della Paglia.* Patria Hipparchi, Aſtronomi inſignis, qui contra Platonem, de ſtellis inerrantibus ſcripſit, & de motu Lunæ, inſtrumentaque mathematica reperit, Plin. *l.* 2. *c.* 108.

NICÆARCHUS, pictor ſuâ ætate eximius. Hic inter alia Venerem inter Gratias, & Cupidinem pinxit, & Herculem triſtem inſaniæ pœnitentiâ, Plin. *l.* 35. *c.* 11.

NICÆENSIS Comitatus povinc. parva circa urbem Nicæam, ubi aliàs Vediantii; antea pars Galliæ Narbonenſis uti poſtea Provinciæ, nunc Pedemontio annexa. Dividitur in IV. Vicariatus, Nicææ, Barcinonis, Soſpellanum & Puerinum. Alii dividunt in Comitatum Nicæenſem proprium ſub quo Vicariatus Nicææ, Soſpellanus & Puerinus, in Vicariatum Barcinonis, in Comitatum Bolei, & in Comitatum Tendæ. Caput eſt Nicæa, *Nizza di Provenzà.* Vide ibi.

NICÆNETUS, Abderites, vel Samius fuit, ut ait Athen. *l.* 13. ubi citat ejus τῶν γυναικῶν κατάλογον. Lilius Gyraldus *Poët. Hiſt. l.* 3. ait etiam *hiſtoriam indigenam,* putà Abderiticam, vel Samiam, condidiſſe. Sed non hoc dicit Athen. *l.* 15. Tantùm ait, hiſtoriam ſecutum ſuæ gentis. Verba ejus hæc ſunt, Νικαίνετος ὁ ἐποποιὸς ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι, ποιητὴς ἐπιχώριος, καὶ τὴν ἐπιχώριον ἱστορίαν ἠγαπηκὼς ἐν πλείοσι.

NICAGORAS, Athenienſis ſophiſta, Mneſæi Rhetoris fil. Minuciani Sophiſtæ pater, floruit ſecul. 3. ſub Philippo Romano Imperatore eo qui Alexandrum excepit: Scripſit βίους ἐλλογίμων, teſte *Suidâ.* Magnam huic eruditionis laudem tribuit Himerius Areopageticâ, apud Photium *Eclog.* 243. Κῆρυξ Eleuſine fuit, & Philoſtrato familiaris, teſte ipſô Philoſtratô *l.* 2. *de Sophiſtis, in Aſpaſio.* Alius ab hoc fuit *Nicagoras* Zelita, ætate Alexandri Mercurius dictus, apud Clementem, *in Protrept. Nicagoram* Leucadium ac Rhodium memorant Nummi Golziani. De *Nicagora* Cyprio, Vide Arnob. *l.* 4. Fulgent. *l.* 2. *Mythol.* Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 519.

NICAMA, Indiæ intra Gangem metropolis, *Ptol.*

NICANDER, fil. Chavilli, Rex Spartæ ex Proclidarum familia VIII. quô regnante Teledus Rex (ex altera familia) à Meſſeniis occiſus eſt. Argolidem hoſtiliter ingreſſus magnô eam damno affecit. Aſinæi autem, facinoris iſtius participes, deletâ paulò pòſt patriâ, graves Argivis pœnas dederunt profugi, Pauſan. *Laconicis.* Regnavit ann. 39. quorum 34. *prima Olympias vulgaris* cœpit. Vide quoque *Alcamenem,* qui poſt Teledum cum illo regnavit. *Clemens Alex.* Pauſan. *Laconicis* Alii. Eum excepit fil. Theopompus, quem vide.

NICANDER Alexandrinus, librô innotuit de Ariſtotelis diſcipulis, teſte Suidâ *in* Αἰσχρίων.

NICANDER Chalcedonius, ſcriptô prodidit Πρυσίου συμπτώματα, teſte Athenæô *l.* 11.

NICANDER, Colophonius an Clarius Grammaticus, poëta & medicus, tempore Attali Galatonicis, juvenis illius, qui Gallogræcos vicit, ſed à Romanis ſuperatus eſt. Scripſit *Theriaca,* ſeu de venenatis beſtiis, in quæ, præter alios, commentarium ſcripſit Demetrius Phalereus, ut indicat Stephanus *in* Κορόπη. Item *Alexipharmaca,* ſive de Remediis contra venenum, necnon Ἑτεροιούμενα, opus Ovidianæ Metamorphoſi non abſimile. Meminêre *Athenæus* & *Tzetzes.* His adde Ἰάσεων συναγωγήν, Remediorum collectionem, & Προγνωστικὰ δι' ἐπῶν, quæ ex Prognoſticis Hippocrateis deſumpta erant. Præterea Georgica reliquit, quorum meminit. Cicer. *l.* 1. *de Orat.* & alia multa, de quibus Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 14. *de Poët. Græc. c.* 8. *p.* 66. *& de Philoſoph. c.* 11. §. 36. Vixit adhuc Olymp. 161. Fil. Damnæi. Vide etiam, Macrob. *Saturn. l.* 5. *c.* 21. Lil. Girald. *Dial.* 3. *de Poët. Hiſt.* Juſt. *Chron. Medic.* Vander Linden. *de Script. Med. &c.* quibus adde Scholiaſt. Nicandri. *Nic. Lloydius.*

NICANDER, Thyatirenus, περὶ δήμων, citatur ab Harpocratione, *in* Τιτακίδαι.

NICANDRA, Sacerdos Dodonæa, una ex tribus, à quibus fabulam de *Columbis duabus nigris,* quæ Thebis Ægyptiis advolantes, auctores fuerint Oracula condendi, unum in Libya, Dodonæ alterum, ſe accepiſſe memorat Herodot. *l.* 2. *c.* 55. reliquæ duæ fuerunt Promenæa & Timareta, vide ibi.

NICANOR, conjurationis contra Alexandr. M. in Ariis irritæ, particeps, Curt. *l.* 6. *c.* 7.

NICANOR, in Macedonum exercitu, nobilitate, ſed & temeritate atque audaciâ inſignis. De cujus interitu, vide Curt. *l.* 8. *c.* 13.

NICANOR, Stagirites, per quem Alexander. M. epiſtolam miſit, ad Græcos exules, de illorum reductione, Diodor. Sic. *l.* 18.

NICANOR, Parmenionis fil. in Hyrcania defunctus rapido Fato, cui frater Philotas, cum duobus millibus & ſexcentis relictis juſta fecit, Curt. *l.* 3. *c.* 9. & *l.* 6. *c.* 6.

NICANOR, Navarchus Antigoni, ignavus & imperitus, judiciô Polyæn. *l.* 4. *c.* 6. *in Antigono Com.* 8. Dolô Caſſandri comprehenſus & ſuppliciô affectus, *in Caſſandro Com.* 1.

NICANOR, Dux exercitûs Demetrii Soteris, regis Syriæ, A. M. 3893. à Juda Macchabæo præliô victus, poſtquam Alcimo primò auxilio miſſus eſſet, infelici ſucceſſu, & ſecundò adveniens templum ſe deſtructurum fuiſſet minatus, 1. Machab. *c.* 7. & *l.* 2. *c.* 14. 15. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 12. *c.* 17.

NICANOR, T. Pomp. Attici ſervus, de quo Cicero *l.* 5. *Ep.* 3. & 20.

NICANOR, natione Cyprius, unus ex 7. Diaconis ab Apoſtolis in divinum miniſterium ſelectus, Actor. *c.* 6. *v.* 5. Apud Cyprum martyriô coronatus.

NICANOR, Samius. Scripſit de Fluviis, Plut. *de flum.* Item, Alexandrinus, auctor Hiſtoriæ Alexandri M. in qua Sibyllæ Perſicæ mentionem facit. Lactant. Firmian. *l.* 1. *de falſa Relig. c.* 6. An idem cum Leandro Nicanore? Vide ibi.

NICANOR, Medicus Græcus, qui de Medicina multa ſcripſit.

NICANOR, Alexandrinus Grammaticus, ſub Hadriano Imperatore *Suidas.* Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 12. Τρεῖς γεγόνασι Νικάνορες, inquit *Suidas.* Ὁ μὲν υἱὸς Βαλάκρου, ἕτερος δὲ Παρμενίωνος, ἄλλος δὲ Σταγειρίτης τὸ γένος, οὗ καὶ Ὑπερίδης μνημονεύει ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους. *Nic. Lloydius.*

NICARAGUA, provinc. Novæ Hiſpaniæ ſatis ampla, inter mare Boreale ad Ortum & Auſtrinum ad Occaſum. Inter Honduram provinc. ad Boream, & Coſtam ricam ad Occidentem. Sub qua 8. provinc. In ea quatuor urbes, nempe Legio Nicaraguæ, quæ primaria eſt, Granata, Segobia nova & Giennum (*Jean;*) Tota ſub Hiſpanis. Aliter dicitur novum regnum Legionenſe; eſtque pars Præfecturæ generalis Guatimalæ. Hic Lacus cognominis ab ortu in Occidentem extenſus, per 200. milliar. & in mare Boreale ſe exonerat.

NICARCHUS, Philoſophus Corinthius, ſub Periandro, Plutarch. *in Sympoſ.* 7. *Sapient.*

NICARCHUS, Sycophanta Athenis, de quo Ariſtoph. *Acharn.*

NI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NICARTHIDES, cui Alexander M. arcem Perſepolis, tribus millibus Macedonum præſidio relictis, tuendam commiſit, Curt. *l.* 5. *c.* 6.

NICASIA, parva inſula juxta Naxum, inde *Nicaſius*, quod & proprium nomen viri eſt, *Steph.*

NICASIPOLIS, vide *Theſſalonica.*

NICASIUS de Voerda, Mechlinienſis, cœcus à 3. ætat. anno, eruditione tantâ effloruit, ut miraculum ſui ſeculi haberetur. Doctor fuit Lovanienſis, & ſcripſit complura. Obiit A. C. 1491. Trithem. & Valer. Andr. *in Bibl. Belg.* qui etiam *Nicaſii* Baxi, & Ellebodii meminit, qui ambo ſcriptis inclaruerunt.

NICASTRUM, vide NEOCASTRUM.

NICATES, à Livio vocatur mons ille Italiæ, qui hodie *Majella*, & *Marbeſio* dicitur, teſte *M. Negró.*

NICATOR, Seleuci cognomen, quia in Syriacis bellis ſemper invictus extitit, teſte *Appianô.* Fuit autem Syriæ Rex. Vide *Seleucus*, it. *Syro Macedones.*

NICATORIS, urbs Syriæ, *Steph.* Inde *Nicatorites.*

NICATORIUM, Aſſyriæ mons juxta Arbelam, *Strabo.* Vide & infra, *Syromacedones.*

NICAULE, vide NICOLAA.

NICAULE, Ægypti & Æthiopiæ Regina, quam Joſeph. *l.* 8. *Ant. Jud. c.* 2. Reginam Sabæ eſſe credidit, quæ ſapientiæ Salomonis famá pellecta, Hieroſolymam venit, 1. Reg. *c.* 10. *v.* 1. 2. Paral. *c.* 9. *v.* 1. Ex hujus poſteris ſe eſſe Abyſſinorum hodierni Reges gloriantur. Aliis tamen regina illa Sabæ, ex Abrahami Cethuræque poſteritate fuiſſe videtur. Vide Origen. *hom.* 11. *in Gen.* Baron. *A. C.* 1. Torniel. *A. M.* 3043. *n.* 13. *&* 14. Morer. *Diction. Hiſt.*

NICEA, Macedoniæ urbs, apud Heracleam inter Edeſſam, & Lychnidum, *Antonin.* Hinc 34. mill. paſſ. in Ortum.

NICEDORUS, vide NICODORUS.

NICEPHORIUM, urbs circa Edeſſam, aliàs *Conſtantina*, *Steph.* *Naſivancaſi* hodiè nominari ſcribit *Caſtaldus*; *Nephrum Pinetus* vocat.

NICEPHORIUS, Græcè Νικηφόριος, cognomen Jovis, ab urbe *Nicephorio*, circa Edeſſam; ubi fanum habuit, è quo reſponſum accepit Hadrianus, apud Spartian. in *Vita* illius *c.* 2. *Habuit autem præſumtionem Imperii mox futuri ex fano quoque* Nicephorii *Jovis manante reſponſô, quod Apollonius Syrus Platonicus libris ſuis indidit.* Aliud eſt Νικηφόρος, ejuſdem Dei cognomen, quem multis locis cultum eſſe conſtat. Vide Salmaſ. *ad Solin. d. l.* & de voce hac infrà quoque aliquid, ubi de *Olympionicis.*

NICEPHORIUS amnis, partem murorum Tigranocertæ ambiens, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 4.

NICEPHORIUS Jupiter, ab urbe Nicephorio, in Meſopotamia, ſic dictus, ex cujus reſponſo Adrianus Imperator imperium ſibi futurum intellexit. Vide paulò ſuprà.

NICEPHORUS I. Conſtantinopolitanus Imperator ex Logotheta, Theſaurario & Cancellario, A. C. 802. Irene in Inſulam Lesbum relegatâ, thronum conſcendit, oſor imaginum, & libertatis Eccleſiæ Græcæ, contra Romanam ſedem, tenax. Bardane æmulô in cœnobium detruſô, cum Carolo M. de limitibus ſic convenit, ut Veneti inter utrumque imperium poſiti, ſed liberi eſſent; Stauratium dein filium Auguſtum pronuntiavit, Bulgarosque tam feliciter ſuperavit, ut Rex horum Crunnus pacem ſupplex petere cogeretur: Quam cùm negaret rerum ſucceſſu ebrius Imperator, ab illo, ad deſperationem adacto, nocturnâ invaſione, cum omni Nobilitate, trucidatus eſt, craniumque ejus, obductum argento, cyathi locô Crunno fuit, addito: *ut auri cupidus, mero poſt fata expletus, alienam ſitim elueret.* A. C. 811. Stauratius, periculosè vulneratus, ægrè è prælio evaſit. Succeſſit Michaël Curopalates gener, Theophan *in Chron.* Cedren. *in hiſt.* Zonar. *in Annal. Gr. tomo* 3. Sigebert. *in Chron.* P. Æmilius *l.* 3.

NICEPHORUS II. Phocas, Dux copiarum Romani Junioris Cretam Saracenis eripuit, eoſdemque in Syria graviter afflixit; illi mortuo ſurrogatus ab Exercitu, A. C. 963. coronam à Patriarcha Polyeucte accepit. Ductâ dein Romani viduâ Theophaniâ, eoſdem Saracenos Syriâ, Ciliciâ, Cyprô, cum Antiochia & Tripoli exuit. Sed nimiùm avarus, cùm ſubditorum plurimis oppreſſis, Urbem fame laborantem non ſolaretur, militibusque ſtipendii locô templa diripienda concederet, ſuorum odium incurrit: à Johanne Zimiſce, quem Theophania fune in cubiculum attraxerat, occiſus, A. C. 969. Curopalat. & Cedren. *in Annal.*

NICEPHORUS III. Cognomine Botoniates, Turcarum opibus nixus, Conſtantinopoli imperiôque potitus eſt, A. C. 1078. relegatô in monaſterium Michaële Ducâ, cum Conſtantino fil. & uxore. Sed A. C. 1081. purpura cum cilicio commutatâ, imperium Iſaco Comneno cedere coactus eſt. *Curopalat. Anna Comnena, Zonaras, Cedrenus*, &c.

NICEPHORUS I. Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſucceſſit Taraſio, A. C. 806. Ingeniô hic & genere inclytus, cùm priùs Imperatori à ſecretis fuiſſet, aulâ relictâ monaſticam vitam ſectatus erat, ſed inde extractus, & dignitati Patriarchali admotus eſt. Quòd acer imaginum eſſet defenſor, à Leone Armenio Imperatore in Inſulam Præconneſum relegatus, ibi obiit A. C. 828. poſtquam exilium ann. 14. toleràſſet. Scripſit ἱστορίαν σύντομον, *Hiſtoriæ breviarium*, à morte Mauritii Imperatoris uſque ad Leonem IV. *Porphyrogenn.* Irenes maritum, ann. Conſtantini Copron. 29. Chriſti 769. quod Petavius edidit, A. C. 1616. ac tralationem ſuam addidit. Item *Chronologiam tripartitam*, quam Anaſtaſius Bibliothecarius latinè vertit, à Joſepho Scaligero editam. De aliis illi tribui ſolitis, vide Theodor. Studitam *in ep. Theophanem*, Photium *Cod.* 66. Cedren. Zonar. & Glycam, *in Annal.* Voſſ. *l.* 2. *c.* 25. *de Hiſt. Græc. & in adden.* Labbeum, *in appar. Hiſt. Byz. &c.*

NICEPHORUS II. priùs Archiepiſcopus Epheſinus, ſucceſſit Arſenio, A. C. 1260. Obiit anno pòſt, Gregoras, *l.* 4.

NICEPHORUS, ὁ Βασιλάκης, ſive Βασιλάκιος, Rhetorices Conſtantinopoli profeſſor, floruit ſub Alexio Comneno, qui patri Michaëli ſucceſſit A. C. 1131. De quo Nicetas Choniates, *l.* 7. *geſtorum Manuëlis Comneni*, & Joh. Cinnamus *l.* 4. *Hiſt. Rom.* & ex hiſce Leo Allatius, *in præfatione, quam præmiſit excerptis Heracliti, Libani, hujuſce Nicephori, & aliorum, quos primus Græcè edidit Romæ* A. C. 1641. *Latinéque vertit.* Ac Baſilacæ quidem ſunt iſta: μῦθοι, διηγήματα, & ἠθοποιΐαι. Voſſius, *de Hiſt. Græc. l.* 4. Meminit etiam hujus Nicetas Choniates *Hiſt. Manuel. Comneni l.* 7. Johann. Cinnamus, *Hiſt. Rom. l.* 4.

NICEPHORUS Blemmidas, Monachus Græcus, ſecul. 13. Patriarchalem dignitatem recuſavit; ſcripſit varia, Geſner. *in Biblioth.* Poſſevin. *in appar. &c.*

NICEPHORUS Calliſtus, Calliſti fil. Xanthopulus; qui inclaruit Hiſt. Eccleſiaſticæ, ad Andronicum Palæologum exaratæ, libris 23. quorum 18. ſuperſtites ſunt à nato CHRISTO, uſque ad mortem Imperatoris Phocæ, A. C. 610. poſtremi 5. qui pertigerant, uſque ad finem Imperatoris Leonis Philoſophi, A. C. 911. perierunt. Condidit hoc opus, quod Joh. Langius latinè vertit, Baſileæ A. C. 1533. Pariſiis 1562. & Frontonis Ducæi curâ 1630. editum, annum necdum 36. egreſſus; ut ait ipſe in procemio. Ineptum, & ridiculum ſcriptorem vocat Beza, videl. propter fabellas complures, & errores non exiguos: quos in eo etiam *Baronius, Poſſevinus*, atque alii obſervârunt. Sed ætatem cogitemus quá vixit, pro qua dictione uſus eſt non invenuſtâ. Alia quædam ei tribui ſolita, vide apud Guil. Eiſengrin, *in Catal. Eccl. Scr.* Poſſevin. *in appar.* Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 29. *Bellarmin. Sixtum Sen.*

NICEPHORUS Conſtantinopolitanus junior, Chronographus: de quo vide Voſſium *Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 25.

NICEPHORUS, Diaconus Phryx inter eos, qui de ſui ævi rebus aliquid prodiderunt, memoratur à Joanne Curopalate, & Georgio Cedreno, utroque in *hiſtoriæ procemio.*

NICEPHORUS Gregoras, præterquam quòd interpretatus eſt Syneſii librum de Inſomniis; à Turnebo editum, A. C. 1553. præter item alia multa, quæ in Italiæ Bibliothecis aſſervantur, etiam hiſtoriæ Byzantinæ 11. libros condidit, quibus complexus eſt res annorum 145. à Theodoro Laſcare priore uſque ad ſuam ætatem, ſive obitum Andronici Palæologi poſterioris, qui incidit in A. C. 1361. Hunc primus cum tralatione ſua publicavit Hieronymus Wolfius, editum Baſileæ; A. C. 1562. & Genevæ, A. C. 1625. Vide Johannem Cantacuzenum, *Hiſt. l.* 4. *c.* 24. *& l.* 7. 8. 9. ubi acriter in hunc auctorem invehitur, & Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 29. Lipſ. *in not. l.* 1. *Pol. &c.*

NICEPHORUS, Philoſophus atque orator; cujus oratio funebris extat de vita Antonii Patriarchæ Conſtantinopolit. qui deceſſit, A. C. 901. Habes apud Surium *Tom.* 1. *die* 12. *Febr.*

NICEPSOS, Rex Ægypti, Scaliger *Exer.* 266. Circuli decuſſati atque in quadrantes redacti numeros conſtituit Petoſiris: vel Nicepſo. Vide *Necepſo.*

NICER, fluv. Sueviæ. *Necker* German. Oritur ex ſylva nigra & monte Abnoba, vix 7. mill. paſſ. à fontibus Danubii, & paulo poſt Rotvilam rigat; dein in Arctos tendens, per Ducatum Wirtemberg. labitur, prope Tubingam, Eſlingam, Hailbrunnam, & Wimpinam; tandem per Palatinatum inferiorem fluens, inibi Heidelbergam rigat, & Ladenburgum, & paulo infra Rheno miſcetur, juxta Manhemium. Vide B. Rhenanum *Rer. German. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 416.

NICERATUS, Archon Athenis, Olymp. 12. an. 1.

NICERATUS, pater Niciæ Ducis, qui in Sicilia periit. *Schol.* in Ariſtophan.

NICEROS, Aromatopola celebris, à quo *Nicerotiana* unguenta, memorata Martiali *l.* 6. *Epigr.* 55. *v.* 1.

Quòd ſemper caſiaque cinnamoque,
Et nido niger alitis ſuperbæ
Fragras plumbea Nicerotiana &c.

Ubi *plumbea* vocat, quòd in vaſis plumbeis in umbra coquerentur, uti docet Plin. *l.* 13. *c.* 2. Et *l.* 10. *Epigr.* 38. *v.* 7.

——— —— *Lucerna vidit*
Nimbis ebria Nicerotianis.

Quippe & lucernis unguenta, quò ſuaviùs olerent & arderent ſumtuoſiùs, adhibita fuiſſe, notum. Item Pictor nobilis, apud Plin. *l.* 35. *c.* 10.

NICERTÆ, pagus erat Apameæ maximus, probeque habitatus, *Strabo.*

NICETAS I. Patriarcha Conſtantinopolitanus, Dalmata, A. C. 766. Obiit A. C. 780. Curopalates & Cedrenus, *in Compend.*

NICETAS II. dictus Mundanus, ſucceſſit A. C. 1186. Baſilio Camatero, juſſu Iſacii Angeli Imperatoris depoſito. Nactus, ob ſenium, Leontium ſucceſſorem. Nicetas Choniates, *in Iſac. Ang. l.* 2. Baron. *in Annal.*

NICETAS, Heracliæ Epiſcopus, edidit in Hiobum *Catenam Patrum*, ex ſcriptis ſcilicet

Apollinarii,	Ephrem Syri,	Nili.
Athanaſii,	Euſebii,	Olympiodori.
Baſilii,	Gregorii Nazianz.	Origenis.
Chryſoſtomi,	Greg. Nyſſeni.	Polychronii.
Cyrilli Alexandr.	Iſidori,	Severi.
Didymi Alexandr.	Julii Halicarnaſſ.	Theophili Alexandr.
Dionyſii Alexandr.	Methodii.	

Quæ extat Græc. Latin. operâ Patricii Junii Scoti in fol. Londini A. C. 1637. Ejuſdem extant: *In Pſalmos: in Canticum Cantic. Baſileæ* 1552. *in Euangelia Catenæ: in Acta* ſimiliter, ex diverſis Patribus. Vide Guil. Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.*

NICETAS, vir inter Græcos inſignis, honeſtas eſſe Sacerdotum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nuptias, ſcriptô eruditô propugnavit, A.C. 1054.

NICETAS Acominatus, Choniates, vir Conſtantinopolitanô imperiô illuſtris, floruit initiô ſeculi tertiidecimi. Magnis muneribus ſub Imperatoribus defunctus, captâ à Latinis Conſtantinopoli, A. C. 1204. Nicæam Bithyniæ conceſſit, ductâ ibi puellâ, quam hoſtibus eripuerat. Libris 21. complexus eſt hiſtoriam annorum 85. nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi deſierat Zonaras, uſque ad annum 1205. quo Balduinus obiit. Diligens fuit Homeri lector ac imitator, adeò ut ob poëticam, atque inſolentem dictionem, quandoque durior fiat: cumprimis in præfatione, quæ ſalebroſa eſt. In cæteris mollius fluit, & videtur ibi oſtentare voluiſſe, quantus logodædalus foret; quod ſimiliter in hiſtoria ſi feciſſet, næ ille multò minùs laudis, quàm nunc habet, mereretur. Opus hoc vertit Hieron. Wolphius, ediditque Baſileæ, A. C. 1557. dein Genevæ prodiit, A.C. 1593. & A.C. 1647. inſertum eſt Bibliothecæ Byzantinæ, edit. Lupar. Petrus Morellus Turonenſis, vertit præteritô ſeculô 5. priores libros Theſauri fidei Orthodoxæ, qui Nicetæ attribuuntur: quod opus editum Lutetiæ A.C. 1580. Fragmentum quoque ejus ſupereſt, de eo qui ex Mahometano Chriſtianus fit, &c. Mortuo Nicetæ frater Michaël Choniates Monodiam ſcripſit, quam idem Morellus tranſtulit. Hieron. Wolph. *in præf.* Voſſ. *de Hiſtor. Gr. l.* 2. *c.* 28. Leo Allatius, *de Nicetis, &c. Nic. Lloydius.*

NICETAS David, ſive Paphlago, Photii adverſarius. Compoſuit ſeculô 9. vitam Ignatii Monachi, Michaëlis Trauli Imperatoris Fil. Patriarchæ Conſtantinop. quô exactô Photius ex ſenatore factus eſt Patriarcha. Hanc Fridericus Metius Epiſcopus vertit: ut & Matthæus Raderus, Ingolſtadii editam, A. C. 1604. Vide Nicephorum Calliſtum, *l.* 14. *c.* 28. *Johan. Curopalatem; Cedrenum, Leonem Allatium*, Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 25. *&c.*

NICETERIUM, Græcè Νικητήριον, propriè corona dicta eſt, in ſignum victoriæ olim conferri ſolita; quod tantæ æſtimationis fuit, ut factum quandoque ſit præmium illorum, quibus ob præclariſſima merita remuneratio dabatur. Hinc Iaſon *edixit*, apud Xenophontem *Hiſtor. Græc. l.* 6. *Niceterium, auream coronam fore, ſi quis è civitatibus bovem ductorem pulcherrimum Deo aleret.* Nempe huic, ut victori aliorum omnium, qui id ipſum ſuſcepiſſent, hæc veluti merces ampliſſima promittebatur, ſicuti eam vocat Lactantius, ubi de certamine, quod anima adversùs carnem inſtituit, loquitur *de vera Sap. l.* 4. *c.* 26. Fuit autem hæc corona aurea; unde Sullæ Tarenti ſacrificanti, cùm in capite vitulini jecoris ſimilitudinem coronæ aureæ vidiſſet, Poſthumium Aruſpicem reſpondiſſe, *præclaram ei victoriam ſignificari*, refert Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 2. *c.* 24. Et quidem, priſcô Græcorum more, qui in bello ſtrenuè quidpiam feciſſet, primùm à commilitonibus ſuis in exercitu, mox à Magiſtratibus coronâ donabatur, uti docet Plato *de Rep. l.* 5. eâque inſignis per urbem incedebat, uti indigitat Hieronym. *l.* 2. *Ep.* 6. Interdum tamen & laurea erat corona hæc νικηφόρος, ut vocat Euripides *Troad. Actu* 2.

Μᾶτερ πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον:

Seu καλλίνικος, ut idem appellat *Iphigen. in Taur.*

Τὸν καλλίνικον ςέφανον Ἰλίȣ θέλων
Λαβεῖν Ἀχαιὸς κτλ.

Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 7. *c.* 5. Sed & *Niceteria* è collo ſuſpenſa, dicemus ubi de *Olympionicis*, it. voce *Trechediora*, & *Victor.*

NICETES, Smyrnæus Sophiſta, Adriano Imperatori gratioſus, ab eoque Muſæo Ægyptio adſcriptus. Quum cauſas tentaret, foro etiam aptiſſimus videbatur. Adeò ingenium ad utramque dicendi rationem accommodavit, ut judiciale ſophiſticâ quâdam facultate exornaverit. Sophiſticum verò & umbratile forenſibus aculeis roboravit, genusque dicendi antiquum & politum retinuit: laſcivus nihilominus, & Dithyrambicus viſus, *Philoſtr.*

NICHILIANISTÆ, Hæretici, qui negabant CHRISTUM eſſe aliquid, quorum auctorem Petrum Abaëlardum ſtatuit *Gualterus de S. Victore*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierolex.*

NICIA, & NICÆA, vide ibi, nomen 2. urbium, quarum una eſt Galliæ, alia Aſiæ & Bithyniæ metropolis, Strabo *l.* 4. Nicæam primus Antigonus Philippi fil. condidit, & Antigonam nominavit: poſteà Lyſimachus à nomine uxoris Antipatri filiæ Nicæam appellavit. Sub Saracenorum poſteà ſeu Calipharum imperio fuit: quibus à Turcis pulſis, uti Aleppum, Damaſcus, Iconium & Ninive proprios habuit Sultanos, quorum primus & ultimus *Soliman Sa* victus à Bullionæis in Bello Sacro. Urbis ambitus ſtadiorum 16. Fuit figurâ quadratâ in campo ſita; habuit 4. portas ad rectos angulos; ex lapide, qui circa medium Gymnaſium poſitus erat, omnes quatuor portæ cernebantur. Hîc, jubente Conſtantino M. celebris illa Synodus celebrata eſt 318. Epiſcoporum, & impium Arii dogma reciſum. De ea vetus ſcriptor à Jacob. Gothofredo editus; Καὶ Νικαίας μὲν πόλεως θέσιν δυσχερές ἐστιν ἑτέρωθι εὑρίσκειν, κανόνα δὲ νομίζει τις ἐπιτηδεύοντα πάσῃ πόλει, διὰ τὴν ἰσότητα, καὶ κάλλος, καὶ ἔστιν ἐν πᾶσι κεκοσμημένη, καὶ σύστατος. Libanius *Orat. Fun. Jul.* κάλλει μεγίστην vocat, & multis locis καλὴν Νικαίαν. *Nic. Lloydius.*

NICIA, fluv. Æmiliæ in Padum influens. *Lenza Nigro*, & *Leandro*; non *Nura*, ut ſcribit *Gaudentius Merula.* Oritur ex Apennino, verſus Apuam; dein in Boream tendens ditionem Mutinenſem à Parmenſi ſeparat.

NICIÆ Vicus, in Ægypto eſt, *Steph.* & *Strab.* inter Alexandriam 95. & Memphim 48. mill. paſſ. ex *Antonin. Fuoa*, teſte *Leone Africanô.*

NICIAS, Athenienſis, fil. Nicerati, opibus, virtute, gente clarus, ad quem, poſt mortem Periclis, primæ partes delatæ ſunt. Claſſis præfectus, res egregias geſſit, Athenienſibus, ut 50. ann. inducias cum Spartanis paciſcerentur, perſuaſit: dein miſſus Imperator unà cum Demoſthene altero Duce, contra Syracuſanos, qui Gilippum Lacedæmonium auxiliô accerſiverant, infeliciter pugnantes, ambo à Syracuſanis in bello capti ſunt; in carceremque conjecti ſibi manus attulêre. Olymp. 91. Urb. Cond. 441. Thucyd. *Hiſt. l.* 4. 5. 6. 7. Diodor. Sic. *l.* 12. Plut. *in vita ejus.* eum M. Craſſo comparat, quod & divitiis abundaverit, & eundem ferè exitum hic apud Siculos, ille apud Parthos invenerit.

NICIAS, Athenienſis pictor, qui diligentiſſimè mulieres pinxit, Plin. *l.* 35. *c.* 11. Hic in artem tantâ contentione animi incubuiſſe dicitur, ut cibum ſumere ſæpe oblitus ſit. Ælian. *ποικιλ. l.* 3. *c.* 31. Vide Pauſan. *in Attic.* & Stobæum *Serm.* 27. Quibus adde Plut. *inl. An ſeni ſit gerenda reſpublica?* Qui ſic de hoc pictore: Νικίας ὁ ζωγράφος οὕτως ἔχαιρε τοῖς τῆς τέχνης ἔργοις, ὥστε τοὺς οἰκέτας ἐρωτᾷν πολλάκις, εἰ λέλουται, ἢ ἠρίστηκεν. Fuit etiam *Nicias* alter Pergaſeus, helluo, qui ſeipſum interfecit, teſte Ælianô *Var. Hiſtor. l.* 4. *c.* 23. *Nic. Lloydius.*

NICIAS, Grammaticus Romæ, familiaris Pompejo & Ciceroni, qui ejus in *ep.* 3. *l.* 7. *ad Atticum* meminit, item in *ep. ad Dolabellam*, Tranquillus *de Illuſtrib. Grammat. c.* 14.

NICIAS, Maleotes, hiſtorias vel fabulas reliquiſſe videtur, Plut. *in Paral. minor.*

NICIAS, Nicenus, conſignavit philoſophorum hiſtoriam, ac ſucceſſiones, teſte Athenæô *l.* 4. 6. 10. *&* 13. Vide Jonſium *de Hiſt. Philoſ. ſcript. p.* 340. Fortaſſe nec alius eſt *Nicias*, quem Ἀρκαδικὰ literis prodidiſſe Athenæus auctor eſt, *l.* 14. Etiam *Niciam* ἐν τοῖς περὶ λίθων teſtem adhibent Plut. *de Flum.* & *Stobæus.* An hic Pyrrhi Medicus? *Nic. Lloyd.* Vide ſuprà.

NICIAS, Pyrrhi Medicus, qui olim ad Fabricium veniens ei promiſit, Pyrrhum venenô necaturum. At ille averſatus facinus, Pyrrho reſcripſit, ut à Nicia ſibi caveret, *Plut.* Laudatur *in carminibus* Theocriti. *Stobæus* ejus librum, *de lapidibus* citat. Vixit Olymp. 125. *Idem Lloydius.*

NICII Villa, Ægypti inferioris metropolis, ad Nilum ſita, *Ptol. Niciæ vicum Strabonis* eſſe vult *Villanovanus.* Hîc tamen ad mediterraneum mare à *Strabone* ponitur, illa verò à *Ptolemæo* in mediterraneis. *Fuoa, Leoni Afric.* urbecula Ægypti inferioris ad Nilum, & ſatis obſcura, 35. milliar. à Cairo in Circium, in præfectura *Oubjecti. Baudrand.* Vide & *Nicii Vicus.*

NICIPPUS, tyrannus quidam, de quo Ælian. *Var. l.* 1. *c.* 29.

NICLOTUS, Dux Sclavorum, piraticâ Danos infeſtantium, A.C. 1161. ab horum Rege Valdemaro, in ſummas anguſtias redactus, atque Chriſtianiſmum ſuſcipere coactus eſt, Helm. *l.* 1. *c.* 85. 88.

NICO, unus ex tredecim principibus Tarentinorum, qui conjurârunt contra Hannibalem, tandem comprehenſus cum Philemone ad Hannibalem deductus eſt, Liv. *Decad.* 3. *l.* 26. *c.* 39.

NICOCHARES, poëta Comicus Græcus, Olymp. 97. Athenienſis, Philonidis filius, coævus Ariſtophanis, qui multas fabulas ſcripſit, *Athen. Suid.*

NICOCLES, Phocioni amicorum fideliſſimus, qui cùm Phocionem oraret, ut ſineret ſe priore locô pharmacum bibere, rem ſanè, inquit Phocion, ô Nicocles petis à me gravem & moleſtam: Verùm tamen, quoniam in nulla unquam alia tibi, dum vixi, non morem geſſi; hanc quoque tibi concedo.

NICOCLES, Salaminiorum Rex, cui cum Stratone Phœnicum rege certamen fuit, uter eſſet mollior ac effœminatior? uterque autem violentâ morte periit. Item *Nicocles* Cyprius quidam luxurioſus, de quo Ælian. *Var. Hiſt. l.* 7. *c.* 2. De *Nicocle* Euagoræ filio, ita Diodor. Sic. *l.* 15. Νικοκλῆς, ὁ Εὐνȣ̃χος ἐδολοφόνησεν Εὐαγόραν τὸν βασιλέα, Olymp. 101. ann. 3. Ejus cædis non meminit omnino Iſocrates; ſed ex ejus ſilentio, non eſt damnandus, ut falſus, hôc locô Diodorus. Nam is Rhetor Nicocli adulatur, & ideo potuit prætermittere tam dirum facinus, Theopompus certè *l.* 12. *hiſtor. apud Phot.* Eunuchum quendam ait cædem patrâſſe, ſed eum Thraſydæum nomine, patriâ Eleum fuiſſe ait. Occidit autem non ſolùm Euagoram, ſed & ejus filium Pythagoram, majorem, ut puto, natu, & forte, ut regnaret Nicocles, ut conjicere licet ex illo Theopompi loco, cum hoc Diodori collato, & ex Iſocratis ſilentio, qui de morte Euagoræ, nec in Euagora, nec in duabus ad Nicoclem exhortationibus ne verbum quidem fecit. Ideo Νικοκλῆς καὶ ὁ Εὐνȣ̃χος legit *Palmerius. Nic. Lloydius.*

NICOCLIS, Euagoræ filii, meminit *Xenoph.* Item Poëtæ Comici Græci, qui Ariſtophanis tempore vixit, Caſaubon. *animadverſ. in Athen. l.* 8. *c.* 5.

NICOCRATES, Cyrenæorum tyrannus, ab Aretaphila ſubverſus, Polyæn. *l.* 8. *c.* 38.

NICOCRATES, Archon Athenis, Olymp. 111. ann. 4.

NICOCREON, Cypriorum tyrannus, qui Anaxarchum philoſophum malleis ferreis cædi juſſit. Vide *Anaxarchus.*

NICODEMUS, Athenienſis, unà cum Hieronymo claſſi, à Conone, qui ad Artaxerxem compellandum proficiſci parabat, præpoſitus, Diodor. Sic. *l.* 14.

NICODEMUS, Centurapenſium, in Italia, tyrannus, à Timoleonte, ejectus, Olymp 110. ann. 2. Diodor. Sic. *l.* 16.

NICODEMUS, nomen viri Phariſæi, Judæorum primarii, noctu ad Chriſtum venit, Johann. *c.* 3. *v.* 1. eumque ſepeliit, Johann. *c.* 19. *v.* 39. Quidam hæretici Euangelium quoddam ipſi aſcribunt. Sixtus Sen. *Bibl. Sacr. l.* 2.

NICODORUS, Mantineus Pyctes, qui ab adoleſcentia totum ſe palæſtræ dedidit; factus autem ſenior cœpit philoſophari, legibusque ac inſtitutis incumbere. Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 2. *c.* 23.

NICODORUS, Archon Athenienſis, Olymp. 117. ann. 4. ut ex Dionyſii Halicarn. *Dinarcho*, atque aliis conſtat.

NICOLAA, quæ & *Nicaule*, regina Saba. Salmanticenſis à Jucha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Juchaſin, fol. 156. 1. *Regina Saba, quæ Nicolaa vocabatur, venit ex regno Jeman ad audiendam Sapientiam Solomonis.* Vide Bochart. *Phaleg. l.* 2. *c.* 26.

NICOLAA Stephana, filia Caroli, uxor Johannis Liebaldi Medici; Eruditione & ſcriptis præclarum nomen adepta, Morerius *in Dict. Hiſtor. &c.*

NICOLAI Nicolaus, vide *Nicolaus.*

NICOLAI Panes, dicebantur, panes ingentis magnitudinis, ſeu placentæ melle ſubactæ, à *Nicolao* quodam Damaſceno, Julio Cæſari, cui familiaris quam maximè fuiſſe dicitur, oblati; unde nomen dein omnibus panibus, qui magnitudine reliquos excederent, *Suidas*. Meminit quoque eorum Palladius *in Hiſtor. Lauſiaca c.* 52. *Uvas & mala Punica & ficus & nuces, omnia intempeſtiva: quin etiam quosdam inventos mellis favos & urnam recentis lactis &* Nicolaos panes *maximos & mundos & calidos, è regione externa.* Athenæo *Palmulæ Nicoleæ* dicuntur *l.* 14. *c.* 23. Vide Macros Fratres *in Hierolex.*

NICOLAITÆ, quinam fuerint, ex Euſebio diſcimus *Eccleſ. Hiſt. l.* 3. *c.* 29. qui ex Clement. Alex. *l.* 3. *Strom.* hæc refert. Nicolaus Diaconus, cujus mentionem facit B. Lucas *Hiſtor. SS. Ap. c.* 6. *v.* 5. uxorem habens formoſiſſimam, ab Apoſtolis, quaſi zelotypiæ morbò laboràſſet, reprehenſus fuit. Ille autem, uxore in medium productâ, cuilibet eam ducendi poteſtatem fecit, dicens hoc dicto illi conſentaneum eſſe, Ὅτι παραχρᾶσθαι τῇ σαρκὶ δεῖ, h. e. *carne abuti (ſive injuriam ei facere) homines debere.* Idem affirmat B. Irenæus *l.* 2. *c.* 27. Reliqui autem ejus ſectatores, ſermonem ejus ἁπλῶς καὶ ἀβασανίστως accipientes, ἀναίδην ἐκπορνεύουσι, inquit Clemens *ubi ſuprà.* Sermo autem ille, quô uſus eſt Nicolaus, & quem non ſanô ſenſu ſectatores ejus acceperunt, Sanctò Matthiæ ab Euſebio attribuitur, videl. Σαρκὶ μὲν μάχεσθαι, καὶ παραχρᾶσθαι, καὶ μηδὲν αὐτῇ πρὸς ἡδονὴν ἐνδιδόναι, ψυχὴν δὲ αὔξειν διὰ πίστεως καὶ γνώσεως. Et hæc, inquit, Nicolai verborum fuit ſententia. Quòd autem uxorem in medium protulerit, ἀποβολὴ πάθους, καὶ ἡ ἐγκράτεια τῶν περισπουδάστων ἡδονῶν fuiſſe dicitur. Cujus veritatis argumentò eſſe poteſt, quòd fœminam nullam, præter uxorem propriam unquam attigerit, ex qua cùm liberos ſuſcepiſſet, illi omnes virginitatem perpetuam conſervârunt. Hæc de Nicolao hiſtoria ſive vera ſit, ſive falſa, illud ſaltem certiſſimum eſt, Sectatores ejus, qui ab Euſebio τὴν αἵρεσιν αὐτοῦ μετιόντες dicuntur, atque Apocalyp. *c.* 2. *v.* 6. Νικολαΐται vocantur, ἀκαθαρσίας abominandæ reos fuiſſe. Docuerunt inſuper, Jesum Christum Deum non eſſe, ſed Divinitatem tantum in carne ejus habitâſſe, Idolothyta licitè poſſe comedi, &c. Nomine poſtea mutatô *Gnoſtici* dicti: etiam in Phibionitas, Stratioticos, Leviticos & Borboritas diviſi. Ignat. *Epiſt. ad Trall. & ad Philadel.* Iren. *l.* 1. *c.* 27. & *l.* 3. *c.* 11. Euſeb. *l.* 3. *Hiſt.* Epiph. *hær.* 5. Theodoret. *hær. fab. l.* 3. Baron. *A.C.* 68. *&c.*

NICOLAUS, Daniæ Rex, ob cædem patruelis Canuti, à filio ſuo Magno patratam, ab Erico, occiſi fratre, & Lothario Imperatore fruſtra oppugnatus: tandem tamen, dum Sleſvicenſes ſibi reconciliare ſatagit, in regia cum prætorianis cæſus eſt. Succeſſit Ericus, Saxo Grammat. *l.* 3.

NICOLAUS I. cognomine Magnus, Romanus gente, ſucceſſit Benedicto III. Papæ, coronatus, præſente Ludovicô II. Imperatore A.C. 858. Michaeli III. Imperatori Orientis, acriter ſe oppoſuit, à Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui Ignatio Patriarchæ pulſo ſurrogatus erat, depoſitus, quem anathemate feriit. Cum Lothario dein, Lotharingiæ Rege ob Valdradam, ei negotium fuit: Johannem Archiepiſcopum Ravennatem coërcuit; Cœlibatum, in primis in Gallia & Germania, ſtrenuè promovit; Reſtitit tamen illi Huldericus, Epiſcopus Auguſtanus, epiſtolâ doctiſſimâ, obtinuitque, ut libertas conjugii Sacerdotum intemerata maneret, per annos ferme 200. Obiit, auctoritatis Pontificiæ acer aſſertor, plurimis epiſtolis, quæ in Volumen coiêre, editis, A. C. 867. Succeſſit Hadrianus II. Vide *Laonic. Chalcond.* Martin. Chemnitium, *in examine de cœlibatu*, *Platinam*, *Anaſtaſium Biblioth. Onuphrium*, *Ciacconium*, *Papyrium Maſſonium*, *Ducheſnium*, *Hincmarum Rem. Poſſevinum*, *Geſner. &c.*

NICOLAUS II. dictus, Gerhardus Burgundus, Gallus an Sabaudus, ſucceſſit Stephano X. Senis electus, Johannem Mincium, ſub nomine Benedicti X. à Comite Fraſcati, ſibi oppoſitum, condemnavit, ſupplicemque vivere, ſed ſine ſacra functione, permiſit. Dein rebus Romæ & foris, pacatis, Robertum Giſchardum, in poſſeſſione Apuliæ & Calabriæ, Richardum verò in Principatu Capuano confirmavit; Conciliô etiam celebratô Berengarium, metu mortis, ad palinodiam adegit. Obiit A. C. 1061. ſedis an 2. menſ. 6. Leo Oſtiens. *l.* 3. *c.* 12. *& ſeqq.* Eum excepit Benedictus X.

NICOLAUS III. ex familia Urſinorum, dictus Johannes Cajetanus, ſucceſſit Johanni XXII. Viterbii electus, A. C. 1277. Literatus & literatorum fautor, conjurationis Siculanæ faber. Carolo Andegavenſi, Siciliæ Regi Senatoriam dignitatem, Vicariatumque Hetruriæ ademit; offenſus fortè, quòd ille regiæ ſtirpis puellam; nollet Fratri ejus elocare, dictitans: *Etſi Nicolaus calceô rubrô uteretur, ejus tamen agnatos regii ſanguinis puellâ indignos eſſe.* Fœdere dein cum Aragoniæ Rege priori ultione non contentus, initô, in cauſa fuit, ut veſperis Siculis, omnes Galli occiderentur. Obiit A. C. 1280. Villanius *l.* 7. Platina & Ducheſnius *in ejus vita*, *&c.* Papyrius Maſſonius, *Hiſt. l.* 3. Ei ſucceſſit Martinus IV.

NICOLAUS IV. Franciſcanus, dictus Frater Hieronymus, Aſcalô oriundus, excepit Honorium IV. A. C. 1288. poſtquam ſedes vacâſſet, 11. menſ. Diſſenſiones hic Romæ ſuſtuliſſe, Siciliæ Arragoniæque Reges inter ſe conciliâſſe, Tartarorum Dalmatarumque converſioni operam dediſſe, & de recuperanda terra ſancta ſollicitus fuiſſe dicitur. Obiit A. C. 1292. Ei commentarii in S. Scripturam, Magiſtrumque Sententiar. & Sermones; &c. attribuuntur. Ducheſnius *in ejus vita*, Morer. *in Dict. Hiſt.* Ejus ſucceſſor fuit Cœleſtinus V.

NICOLAUS V. priùs Thomas dictus, ſucceſſit Eugenio IV. A.C. 1447. cui Felix V. in Concilio Baſilienſi electus, ſponte ceſſit. Fautor literarum, 3000. librorum, in Vaticanam Bibliothecam intulit. Jubilæum, ob turbam in Tiberino ponte periclitantem, magnâ clade celebravit. Fridericum III. Imperatorem cum Eleonora Luſitanica, coronavit: Stephani Porcarii ſeditione, & expugnatione Conſtantinopoleos, A. C. 1453. non parùm turbatus. Obiit A. C. 1455. Magnificus, in Græcos, nobiles, virgines egenas, literatos inprimis, quos undique in aulam ſuam accivit. Manuſcripti, Græcis Latiniſque magnô ſumptu collectis, &c. *Æneas Sylv. Philelphus*, *Poggius*, *Joh. Manetius*, *Ægidius Card. Viterb. Blondus*, *Platina*, *Victorellus*, *Spond. Poſſevinus*, *Ducheſnius.* Ei ſucceſſit Calixtus III.

NICOLAUS Antipapa, vide *Johannes* XXIV. & *Petrus de Corberia.*

NICOLAUS I. ex Myſtico, Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt Antonium, A. C. 890. à Leone IV. Imperatore quòd quartum ejus cum Zoë conjugium approbare nollet, pulſus, A. C. 901. ab Alexandro Imperatore reſtitutus eſt, A.C. 911. tutor Conſtantini Porphyrogennitæ. Obiit A. C. 930. Curopalat. *in Comm. Hiſtor.*

NICOLAUS II. dictus Chryſoberges, ſucceſſit Antonio Studitæ, A.C. 981. uſque ad an. 995. *Idem.*

NICOLAUS III. Grammaticus, magni inter Græcos nominis, Euſtathium excepit, A. C. 1089. Obiit A. C. 1117. Zonar. *in Annal.* Theod. Balzamo, *in Syn. Tul. c.* 63. *& in Carth. c.* 11. Photius, *in Nomoc. tit.* 13. *c.* 2. *in Concil. Antioch. c.* 3. Codex Juris Oriental. *l.* 3. Baronius, *in Annal. &c.*

S. NICOLAUS, Epiſcopus Myræ, in Lycia, durante Licinii perſecutione, in exilium pulſus, mortuô Tyrannô, rediit; in Diœceſi ſua Idoleja deſtruxit, ſeculi ſui Thaumaturgus: in Niceno Concil. Ario reſtitit, &c. ſecul. 4. Vide *Balſamon. Metaphraſten*, Surium, *die* 6. *Dec.* Baron. *in Annal. &c.* Hodieque præcipua apud Ruſſos in veneratione eſt, cui omnes victorias placato, clades irato, adſcribunt. G. Hornius *Orb. Polit. Part. I. p.* 37.

NICOLAUS, fil. minimus natu Boleſlai V. Ducis Oppolienſis, Huſſitarum fautoris; extinctus A.C. 1463. ex duabus uxoribus Magdalena Lignicia & Eliſabetha Brandeburgica, ultimos familiæ reliquit: *Nicolaum*, Johannem & Henricum. E quibus primus, non ſatis compos mentis, cùm Caſimirum Teſchinenſem Capitaneum Sileſiæ, & Epiſcopum Uratiſlavienſem, in diæta Principum Neiſſæ habitâ, literas ab illis, in quibus ſe rebatur accuſari, legi conſpicatus, ex ſuſpicione cum pugione adortus eſſet, A.C. 1497. à Scabinis urbicis condemnatus & capite truncatus eſt. Ita qui ſolus ſuperſtes fuerat, Henricô etiam præmortuô, Johannes, moderati animi Princeps familiam, ſucceſſore Ducatus Ferdinandô I. Imperatore clauſit, A.C. 1532. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Piaſtea.*

NICOLAUS Ægidius, Ludovico XII. à ſecretis, A, C. 1500. ſcripſit Annales & Chronica Galliæ à Troja deſtructa, uſque ad A. C. 1496. Continuârunt Dionyſius Sylveſter, Fr. Belleforeſtus, Gabr. Chaputius, &c. Ducheſnius, *Bibl. hiſt. Gall.*

NICOLAUS de S. Albano, Benedictinus Anglus, A. C. 1140. ſcripſit libros 2. de Conceptione Beat. Virginis, & Epiſtolas, Pitſeus, *de Scr. Angl.*

NICOLAUS Albergatius, Cardinalis Epiſcopus Bononienſis, egregiam Bibliothecam collegit, ab Eugenio 4. miſſus, ut Concilio Baſileenſi præſideret, à Patribus non admiſſus eſt; in Concilio Ferrarienſi, contra Græcos diſputavit, &c. Obiit A. C. 1443. Vide Sigon. & Ciacc. *in ejus vita.* Dorland. *l.* 7. *Chron. Cath. &c.*

NICOLAUS de Alcenſia, Carmelita Germanus, A. C. 1495. Scripſit in Apocalypſin Sermones, &c. Trithem. & Alegrius *in Parad. Carmel.*

NICOLAUS Alemannius, Græcus, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, eruditione inclytus, Janus Nicius Erythr. *in Pinac. P. I. c.* 70.

NICOLAUS Alexandrinus, Medicus priſcus, Vander Linden, *de Script. Med.* Juſtus, *Chron. Med.*

NICOLAUS Anglicus & Aſto, Angli, laudati Pitſeo, *in append. de Scr. Angl.*

NICOLAUS Audetus, Cyprius, Generalis Carmelitarum, electus Venetiis, A.C. 1524.

NICOLAUS Aurifex, Carmelita, ſcripſit varia. Vide Alegrium, *in Parad. Carmel.* Poſſevin. *in appar.* Luc. *in Bibl. Carmel.*

NICOLAUS Bajardus, vel Biartus. Dominicanus Anglus, varia in Theologia edidit. Pitſeus, Fernandez, Anton. Senenſis, &c. *A.C.* 1410.

NICOLAUS Bernardus, Medicus Delphinas, ſcriptis inclytus. *Vander Linden.*

NICOLAUS Bertrutius, Medicus Bononienſis, Auctor *Collectorii artis medicæ*, *&c.* Idem, *A. C.* 1250. Juſtus, *in Chron. Med.*

NICOLAUS Bies, Gandavenſis, Poëta, Philoſophus & Medicus, plurima ſcripſit, Valer. Andreas *in Biblioth. Belg.*

NICOLAUS Borbonius, Poëta & Grammaticus Gallus nobilis, fil. Medici, & nepos alterius Nicolai, qui cùm fil. fabri eſſet ferrarii, inter alia ingenii monumenta, deſcriptionem Uſtrinæ edidit, ſub tit. *Nugæ*, Unde Bellajus:

Paule, tuum inſcribis Nugarum nomine librum,
In toto libro nil melius titulô,

Vide Paul. Jovium, & Scævolam Sammart. *in elog.* Obiit A.C. 1644. ætat. 70. poſtquam Pariſiis Græcè Regius Profeſſor docuiſſet. Scripſit volumen operum Latin. Hic Thuani hiſtoriam & Jovii elogia dicitur memoriter tenuiſſe.

NICOLAUS Boſtarus, Philoſophus, & *Boſtehamus*, ambo Carmelitæ Angli, ſcriptis clari, Pitſeus, *de Scr. Angl.*

NICOLAUS Brilhendalius; Grammaticus, *Brigamus*, Poëta, *Brunfeldius*, Hiſtoricus, & *Bungejus*, qui ſcripſit *Adunationes Chronicorum*, Angli. Pitſeus, *de Scr. Angl.*

NICOLAUS Cabaſilas, Archiepiſcop. Theſſalonicenſis, A. C. 1350. Latinis acriter obſtitit, contra Thomam ſcripſit, expoſitionem Lithurgiæ Græcæ edidit, à Gentiano Herveto verſam. Scripſit quoque *de vita in Chriſto:* Orationem, *contra fœneratores, &c.* Joh. Cantacuz. *l.* 3. *c.* 73. & 9. *l.* 4. *c.* 16. *& ſeqq. &c.*

NICOLAUS Calaber, inquiſitioni in Arragonia ſubjectus, & exuſtus, A. C. 1359.

NICOLAUS Chantelupius, Carmelita Anglus, genere, pietate, ſcriptis illuſtris, A. C. 1441. Pitſeus, *de Scr. Angl.*

NICOLAUS Claræuallenſis, diſcipulus Bernardi, auctor voluminis epiſtolarum. Vide Mauriquez, *in Annal. Ciſter. A. C.* 1145. 48. 51. 71. Viſchiam, *in Bibl. Ciſter.*

NICOLAUS de Clemangis, à ſecretis Benedicto XIII. Antipapæ. Scripſit *de corrupto Eccleſiæ ſtatu, &c.*

NICOLAUS Clenardus, Dieſtâ Brabantinus, Grammaticus, ſecul. præteritô celebris. In Galliam, Hiſpaniam, Africamque profectus, ut Arabicam perdiſceret linguam, in quam Sacram Scripturam transferre, convertendis populis illis, ſibi propoſuerat: Obiit in reditu Granatæ, A.C. 1542, ætat 47. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

NICOLAUS Coëffeteau, Cœnomanenſis, Vicarius Generalis Ordinis Dominicani. Scripſit contra Jacobum Regem; Mornæo, *de Euchariſtia*, reſpondere conatus eſt, contra M. Ant. de Dominis edidit lib. *de S. Monarchia Eccleſiæ, &c.* Porro traduxit Florum, ſcripſit hiſtoriam Romanam, eruditus & eloquens. Obiit A. C. 1622. ætat. 49.

NICOLAUS Copernicus, Mathematicus, Philoſophus, Medicus celeberrimus, Thorunii natus, A. C. 1473. Græcè inſuper doctiſſimus. Bononiæ diu moratus, Romæ dein Mathemata docuit; in patriam reverſus ſcripſit *de motu Octavæ Sphæræ*, Philolai & Heraclidis Pontici hypotheſibus renovatis. Etiam *de Revolutionibus* opus edidit, &c. Obiit, A.C. 1543. Martinus Cromerus, Epiſcopus Warm. ei Epitaphium ſcripſit, A.C. 1581. Gaſſend. *in vita Copernici.* Tycho Brahe, *Orat. de Math.* Iſmael Bulliald, *in Proleg. Aſtronom. Philol.* Voſſ. *de Scient. Math. c.* 16. §. 21. 65. Paul. Jov. *in elog. doct. cap. ult.* Laur. Craſſus *elog. Literatorum, &c.* Vide & Plut. *de placitis Philoſ. l.* 3. *c.* 13.

NICOLAUS Craſſotus, Gallus, Philoſophus.

NICOLAUS Cuſanus, Cardinalis magni nominis, ex humili loco in id faſtigii evectus, JCtus & Theologus inſignis. In Germaniam miſſus A. C. 1451. tuba belli ſacri, Religionis futuram mutationem inſignem prædixit. Obiit in Umbria A. C. 1464. ætat. 63. Auctor operum, quæ 3. volum. Baſileæ edita, A. C. 1565. ingentem Bibliothecam collegit. Vide Onuphr. Platinam, Ciaccon. Victorel. *in vitis Pontif. Jacob. Fabrum, Joh. Aventinum*, &c. A vico *Cuſa*, ubi in lucem editus eſt, in diœceſi Trevirenſi, ad ripam Moſellæ, è regione Urſicaſtri, nomen habuit, Epiſcopus Brixienſis, & demum Cardinalis factus. Obiit Tuderti in Umbria, Romæ ſepultus, *Labbe.*

NICOLAUS Damaſcenus, Hiſtoricus & Philoſophus, cujus ætas nulli ignota eſſe poteſt, qui ſciat familiarem fuiſſe Herodi regi; amiciſſimum item Auguſto Cæſari, uſque adeò, ut *Nicolaorum* nomen ab hoc imponeret, ſive dactylis, quod eſt apud Athenæum, *l.* 14. Plutarchum Συμποσ. *l.* 8. *c.* 4. Iſidor. *in Gloſſis*, & Adhelmum *l. de Virginitate*, ſive placentæ generi, juxta *Serenum Samonicum, Heſychium Mileſium, Photium & Suidam*, quomodo & Palladius uſurpat *l. de monachis Ægyptiis Hiſtor. l.* 8. Meminit Damaſceni quoque Euſeb. *Præp. Euang. l.* 9. Fuit autem Philoſophus Peripateticus, vir planè ſummus, & undecunque doctiſſimus. Scripſit de vita propria, teſte *Suidâ*, qui & alia multa nominat, quæ apud eum legi malo. Ipſe ea ſolùm adferam, quæ hiſtorica ſunt. Qualis eſt hiſtoria Aſſyria, quam ab eo ſcriptam fuiſſe, auctor eſt *Photius:* Qui etiam putat, fuiſſe ejus Collectanea morum incredibilium. Planè autem cenſeo, hiſtoriam Aſſyriam fuiſſe partem univerſalis hiſtoriæ. Ea librorum erat 80. juxta *Suidam*: 124. juxta *Joſephum*: ſed fuiſſe librorum 144. indicat Athen. *l.* 6. Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς, εἷς δ' ἦν τῶν ἐκ τοῦ περιπάτου, ἐν τῇ πολυβίβλῳ ἱστορίᾳ (ἑκατὸν γὰρ καὶ τεσσαράκοντά εἰσι πρὸς ταῖς τέσσαρσι) τῇ ἑκκαιδεκάτῃ, καὶ ἑκατοστῇ φησιν, &c. Ex *l.* 96. locum quendam de diluvio, & arca citat Flav. Joſephus *Antiq. Jud. l.* 1. *c.* 5. Item alium de Patriarcha Abrahamo, & illius habitatione apud Damaſcenos, *c.* 7. *ejuſce libri.* Operæ pretium quoque fuerat adire *librum* 16. *hujuſce operis, c.* 11. ubi oſtendit, quantopere ejus fides fuerit ſuſpecta in rebus Herodis Magni, quô vivô ſcribebat. Quædam etiam, quæ ad Indiam pertineant, refert ex eo Strabo, *l.* 15. Etiam geminum ejus fragmentum eruditis notis illuſtravit Joſ. Scal. *append. operis de Emend. Temp.* Nicolai Damaſceni συναγωγὴν, h. e. *Collectanea* citat Abba Maximus *Eclog. c.* 4. indeque alia adducit. Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Græc. c.* 4. *Nic. Lloyd.*

NICOLAUS Dunelmenſis, Monachus Cluniacenſis Anglus, opus quoddam hiſtoricum edidit; A.C. 1169. Matth. Pariſienſ. *in Henr.* 2. *Pitſeus*, Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 52. &c.

NICOLAUS Duramus, vel Dorhinus, Carmelita Anglus, A. C. 1429. Scripſit in *Magiſtr. Sententiar. Originalia Doctorum, &c.* Luc. *in Bibl. Carm. Trithem. Pitſeus, Alegrius*, &c. Item alius, A. C. 1370. *Idem.*

NICOLAUS Durandus Villagagno, Eques Melitenſis, Caroli 5. in expeditione Algeriana comes, illam deſcripſit. Dein, in novam Franciam profecturus, ut in illis locis puriorem religionem propagaret, Genevâ Miniſtros quoſdam, è Gallia verò plurimos fideles abduxit. Verùm ibi apoſtata factus, eoſdem crudeliſſimè perſecutus eſt, Vermiliumque, Burdum & Bordælum, è rupe in Oceanum præcipitavit. Reliqui navibus conſcenſis, in Europam ſe receperunt, inter quos Leerius Miniſter, navigationis hujus infauſtæ Scriptor. Seculô præteritô.

NICOLAUS Eremita, dictus *von der Flue*, vulgò *Brader Clauſſ*, ex conSubſylvanô Helvetius. Poſtquam 5. filios totidemque filias ex conjuge ſuſtuliſſet, in Eremum conceſſit, A. C. 1481. in valle *Melchtal*, ſupra locum *Saxlen* dictum, ibique per annos 21. ſolitarius vixit, meditationibus precibusque intentus: ab omni cibo potuque abſtinuit, (radicibus eum victitâſſe quidam ſcribunt) de quo ut certiùs conſtaret, populares omnes ad eum aditus ſolicitè obſervare ſoliti ſunt, viſuri, an quidquam cibi illi afferretur. Precari inter alia frequenter ſolebat: *Domine rape me mihi, & redde me totum tibi.* Simplici veſte contentus, caput ſemper pedesque intectos habuit. Ad ſe certatim confluentes ad pœnitentiam hortatus eſt, animô ſemper lætô, & ſupra hujus mundi viciſſitudines erectô, futura prædixit plurima; Patriam communem Helvetiam, *concors maneret*, invictam fore, *ſique incolæ à mercenaria militia, peregrinis fœderibus, penſionibusque annuis, patriæ libertatisque peſte certiſſima, ſibi temperantes, terram ſuam ſtrenuè colerent*, monuit. Ab Epiſcopo Conſtantienſi tentatus, cibi quiddam ægrè admiſit, ſed ſanitatis ſuæ damnô. Cœtera ſtaturâ excelſâ, voce maſculâ, ſed paulò tardiore, plus aëris quàm ſanguinis in venis habens, cellam incoluit ſibi congruentem, nullâque ſupellectile inſtructam, præter humilia duo ſcabella, quibus ad quietem fortè uſus eſt. Obiit A. C. 1502. ſepultus eſt in templo Saxelenſi, quod ſacrorum cauſâ aſſiduè frequentare, dum in eremo viveret, conſueverat. Stumpfius *l.* 7. *de Argovia, c.* 4.

Quid peregrina tibi vexilla, & fœdera proſunt,
Patria? plura feret, Numine dante, labor.

NICOLAUS Euboicus, Græcè Latinéque doctiſſimus, Concilio Florentino interfuit. Scripſit genealogiam Turcarum.

NICOLAUS Everardus, Zeelandus, JCtus celebris, librorum liberorumque eruditorum parens. Alius Amſtelodami. Vide Valer. Andr. *in Bibl. Belg.*

NICOLAUS l'Eveſque, ſeu Epiſcopus, Typographus eruditus, Sebuſianus, plurima opera inſignia edidit, Baſileæ; ubi, ductâ Frobenii filiâ, ſedem fortunarum fixerat. Ab Eraſmo, qui in ejus ædibus degit, Bonifacio Amerbachio, Cœlio Secundo Curione, aliiſque præclariſſimis ſeculi præteriti viris impensè commendatus. Guicheno *Hiſt. Sebuſ.* Vide *Epiſcopius.*

NICOLAUS Fachinhamus, Anglus Franciſcanus, gratus Principibus, auctor diverſorum operum, A. C. 1407. Pitſeus, *de Scr. Angl.*

NICOLAUS Faretus, Sebuſianus, ſcriptis inclytus, Peliſſon. *Hiſtor. Academ. Gall.*

NICOLAUS Fervehanus, Medicus Anglus, ſecul. 13. Pitſeus, *de Scriptor. Angl.*

NICOLAUS le Fevre, ſeu Faber, cum Guidone Fabro fratre, Normanni, ſcriptis inclaruêre.

NICOLAUS Fontanus, Medicus Amſtelodamenſis, varia edidit. Vander Linden, *de Script. Med.*

NICOLAUS Francus, Beneventanus, magni nominis, ſed Satyricus nimis acer. Claudianum memoriter calluit, verùm in Juvenalem propenſior: Petro Aretino Venetiis innotuit, ſed eo prudentior, Principes inceſſere abſtinuit; plurimis ingenioſis ſcriptis famam & munera meritus. Nihilominùs tandem cum Satyra Romæ publicata aliquos Magnates offendiſſet, ſuſpendiô necatus eſt. Scripſit Epiſtolas, Dialogos, Poëmata, Nova, Vitas Poëtarum ſui temporis, &c. Laurent. Craſſus, *elog. homin. literat.*

NICOLAUS Gabrinus, Romanus, cauponis fil. vel molitoris, tyrannidem Romæ arripuit, A. C. 1346. cùm ſedes Avenionem eſſet tranſlata. Audax & facundus, oratione ad populum habitâ, hôc ſibi conciliatô, Capitoliô potitus, Tribunus populi appellari voluit, Principes ad cauſam coram ſe dicendam adeſſe juſſit, uſus hiſce titulis: *Candidatus Spiritus ſancti miles, Nicolaus Severus & Clemens, Liberator Urbis, Zelator Italiæ, Amor orbis, Tribunus Auguſtus.* Poſtea pulſus Avenionem profugit, ubi à Clemente 6. captus Romamque remiſſus eſt, populi mirô applauſu ibi exceptus. Verùm annô poſt ob ſævitiam occiſus eſt, Petr. *de rebus fam. in epiſt. &c.* Villanius *l.* 12. *hiſt.* Naucler. *Generat.* 45.

NICOLAUS Gorhamus, Dominicanus Anglus, Philippo Galliæ Regi à confeſſionibus, ſeculô 14. ſcripſit in varios Scripturæ libros. E quibus comment. in Euangelia, Coloniæ, A. C. 1537. & in epiſt. Paulinas, Lutetiæ impreſſi, Pitſeus *de Scriptor. Angl. &c.*

NICOLAUS Gruchius, Rothomagenus, Philoſophus & Philologus, Pariſiis, Burdigalæ & in Luſitania invitatu Johannis Regis docuit: *Criticâ in Sigonium, Hiſtoriæ Indic. Ferdinand.* Lopezii *verſione* &c. inclytus. Obiit Rupellæ, A. C. 1572. S. Marth. in *Elog. l.* 2. plura *in Elogiis* Anton Teiſſier. *part.* 1. ubi Scripta ejus recenſet, & primum Græcè Ariſtotelem interpretatum, ex *Thuano* refert.

NICOLAUS Harpesfeldius, Anglus eruditus, Pitſeus *de Scriptor. Angl.*

NICOLAUS Hemmingius, Danus; patriâ Lalandenſis, pagô *Embolds* natus, Canonicus Roſchildenſis, Theologiæ Doctor inter ſuos celebris. Ejus extant: *In Pſalmos* 21. *priores Enarratio in* 8. *Genevæ* 1617. *In Pſalmum* 81. *Hafniæ* A. C. 1576. *In Pſ.* 25. 84. *In Prophetas minores, Lipſiæ* A. C. 1568. *Ex Euangel. Demonſtratio indubitatæ veritatis de Jeſu Chriſto, in* 8. *Hafniæ* A. C. 1571. *In Johannem Com. fol. Baſileæ*, 1590. *In omnes tàm Pauli, quàm Canonicas Epiſt. Comment. fol. Lipſiæ* 1572. &c. Natus A. C. 1513.

NICOLAUS Herberæus, nobilis Picardus, eloquentiâ inter primos ſeculô præteritô.

NI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NICOLAUS Hoſtrechamus, Medicus Anglus celeberrimus, A.C. 1440. ſcriptis inclytus, Pitſeus loc. cit.

NICOLAUS Langius, Lugdunenſis, Papirio Maſſonio, p. 2. elogior. laudatus.

NICOLAUS Langlierus, Epiſcopus Brioecenſis, poſt Joh. Tilletum, A. C. 1567. Pariſinus, eruditione clarus. Obiit A. C. 1595.

NICOLAUS Leonicenus, Vincentinus, Medicus inter ſui ſeculi celeberrimos, Philoſophus & Orator, ſcripſit in Dioſcoridem. Obiit A. C. 1524. Ferraræ, ubi floruit, annò ætat. fermè centeſimô, Profeſſionis ſuæ 60. Juſtus in Chron. Med.

NICOLAUS Lonic. Thomæus, Profeſſor Philoſophiæ Patavinus, ſcripſit plurima.

NICOLAUS Lotharingus, Comes Vaudemontius, ſecundogenitus Antonii Ducis ex Clara Gonzaga, Mercurii Dux, à Carolo IX. A. C. 1569. creatus. Pater Ludovicæ, quæ Henrico III. nupſit, Philippi Emanuelis rebus contra Turcas in Hungaria egregiè geſtis, inclyti. Obiit A. C. 1577. Godofred. *Geneal. Lothar.* Sammarthan. &c.

NICOLAUS Lyranus, ex Judæo, Franciſcanus; à Lyra, pago diœceſeos Ebroicenſis: ob eruditionem, Principibus gratus, adeò ut à Johanna Regina, uxore Philippi V. Longi, inter executores ſui teſtamenti nominatus fuerit, A. C. 1325. Obiit A. C. 1340. Commentariis ſuccinctis in totam SS. Scripturam editis, ut & tractatu de corpore Chriſti, contra Judæos, de viſione Beatifica, Sermonibus, &c. in quibus futuræ Reformationis adminiſtris viam egregiè ſtravit, inclytus. Unde Proverb. *Si Lyra non liråſſet, tum totus mundus deliraſſet.* Item, *Lyra Luthero equum admovit, & ſtapedes tenuit, quò illum commodius conſcenderet.* Henr. Villotus, *in Athen. Gall.* L. Waddingus, *in Bibl. & Annal. Minorum.* Poſſevin. *in appar.* Valer. Andr. *in Bibl. Belg.* A *Lyra*, Brabantiæ oppido, illum quidam dictum volunt: Thomas Fullerus, eum Anglum faciens, *in the Old Jury* Londini natum eſſe contendit, quos Labbæus refutat. Ejus *Gloſſa ordinaria* ſive *Commentaria in S. Biblia*, extant. in fol. 6. Vol. Baſileæ A. C. 1501. 4. tom. in fol. Venetiis, A. C. 1588. 6. tom. in fol. Pariſiis & totidem Lugduni, A. C. 1590. & 1590. 6. tom. in fol. Duaci A. C. 1617. totidem Antverpiæ A. C. 1634. Item, *de differentia tranſlationis noſtræ ab Hebræa litera.* Rothomagi, Guil. Crowæus *in Elencho Scriptorum in S. Scripturam.* De eo Raynoldus, *Vir tantâ, tamque purâ, verâ, germanâ S. Scripturæ ſcientiâ præditus, ut in illa exponenda nullum habeat ſui temporis parem*, apud *Eund.*

NICOLAUS Machiavellus, Florentinus, ſcripſit Hiſtoriam Patriæ, item tractatus aliquot politicos, in quibus periculoſæ admodum maximæ, niſi fortè is ſaltem, quid in Principum aulis fieret, non quid deberet, repræſentare voluit.

NICOLAUS Mameranus, Lucemburgicus, Poëta & Hiſtoricus, Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

NICOLAUS Manius, Præſes Lucemburg. Hiſtoricus.

NICOLAUS Maria Madaſſarus, Calaber, Epiſcopus Jano Nicio Erythr. *Part. 3. Pinacoth. c. 25.* laudatus.

NICOLAUS Malinus, Medicus, Idem *Part. 1. Pinac. c. 150.*

NICOLAUS Maſſa, Medicus Venetus, ſcriptis inclytus, A. C. 1522. Juſtus *Chron. Med.*

NICOLAUS Monardus, Hiſpalenſis. Medicus inſignis.

NICOLAUS Montacutius, Anglus, ſub Henrico VI. plurima ſcripſit.

NICOLAUS Monthelonius, Auguſtodunenſis, pater Johannis, qui *Breviarium utriuſque Juris* edidit, Franciſci &c. Sammarth. *in elog. l. 4.* Molitor *Comment. ar. Auguſtodun.*

NICOLAUS, ex Myris urbe Lyciæ, igneus, i. e. vehemens Chriſtianorum & æmulator & ſacerdos, qui magnam cum Deo familiaritatem habebat. Hic nihil quidem ſcripſit: ſed in ſomnis Imperatori Conſtantino adſtans, tres duces, ob quendam calumniatorem capitis condemnatos, liberavit, ab ipſis per preces invocatus. Alios etiam quoſdam milites ex morte pariter eripuit, *Suidas.* Alius *Nicolaus* itidem è Myris urbe Lyciæ, frater Dioſcoridis Grammatici, & Hipparchi, & Hypati patricii. Docuit Conſtantinopoli, ſuitque diſcipulus Laſkaris. Scripſit artem Rhetoricam & declamationes, *Suidas.* Alius Orator, diſcipulus Plutarchi & [illegible] illius inquam Plutarchi, cui cognomen erat Neſtorii. Scripſit Progymnaſmata & declamationes Rhetoricas, & alia quædam. Floruit autem ſub Leone Imperatore ſeniore, & Zenone, & Anaſtaſio. *Suidas.*

NICOLAUS Nicolai, Medicus Florentinus, ſcripſit libros Medicos, Philoſophicos & Geographicos. Duas ad illum epiſtolas apud Philelphum habemus: plurimos doctos patriâ ſuâ pepuliſſe dicitur. Obiit A. C. 1430. ætat. 73. Alius, Nobilis Delphinas, de Navigatione quædam edidit.

NICOLAUS de Orbellis, Franciſcanus, Andius, ſcripſit in Magiſtrum Sententiarum, &c. Waddingus, *in Bibl. & Annal. Franc.*

NICOLAUS Occamus, Anglus Franciſcanus; Lelando, Pitſeo, Henr. Willoto, *in Athen. Belg.* laudatus.

NICOLAUS de Oddis, Patavinus, hôc ſeculô inclytus. Vide Thomaſinum, *in elog. illuſtr. Patavin.*

NICOLAUS Oremius, Epiſcopus Lexovienſis, præceptor Caroli V. Galliæ Regis, hujus hortatu Biblia ſacra Gallicè vertit; Libros inſuper de Cœlo, de Mundo, cum Ethica & Politica Ariſtotelis, traduxit: porro *de Communicatione Idiomatum*, ſcripſit. Vir eruditione clarus. Obiit A. C. 1382. Papyr. Maſſon. *in Annal. Franc.*

NICOLAUS Morerius, *in Dict. Hiſtor.* Vide *Oremius.*

NICOLAUS Pavillonus, Advocatus Parlamenti Pariſienſis, Græcè Latinèque doctiſſimus, Poëta excellens.

NICOLAUS Perrotus, Archiepiſcopus in regno Neapolitano, Saxoferratô oriundus, Bartoli popularis. Polybium, alioſque auctores latinè vertit. Obiit admodum ſenex. Seculô 15. Jac. Bergom. *l. 15. ad A. C. 1454.* Volaterran. *l. 21.* *Urban. Commentar.* P. Jov. *in elog. doct. c. 18.* Ughel. *Italiâ ſacr.* Idem nomen Ablancurtii fuit, egregii metaphraſtæ.

NICOLAUS Pontius, Anglus, ſcripſit contra *Wiclefi* diſcipulos, A. C. 1410. item, *Determinationes ſcholaſticas.*

NICOLAUS Pſaulmius, Epiſcopus Verdunenſis, interfuit Concilio Tridentino. Auctor *Imaginis veræ Eccleſiæ.* Obiit A. C. 1572.

NICOLAUS Reinſius, Pariſienſis, Cardinali Bellajo à ſecretis, Hiſtoriam Cominæi vertit, à Carolo V. nullis muneribus corrumpi ſe paſſus eſt, ut heri ſui arcana proderet.

NICOLAUS Rhegius, Medicus Calaber, A. C. 1336. ſcriptis inclytus, Juſtus *Chron. Med.*

NICOLAUS Rigaltius, Pariſienſis, Regi à Conſiliis & Bibliothecæ regiæ præfectus, obiit A. C. 1632. Auctor Notarum in Tertullianum, Cyprianum, &c.

NICOLAUS Rotarius, Veſuntinus & *Rintſonus* Siculus, Carmelitæ, ſcriptis clari. Lucius *in Bibl. Carmel.* Alegr. *in Parad. Carmel.*

NICOLAUS Salcoinus, Picto, Hiſtoricus.

NICOLAUS Serrarius, Jeſuita, Baronio laudatus. Obiit A. C. 1609. Moguntiæ.

NICOLAUS Simonis, Hollandus, Carmelitarum Provincialis, ſcripſit ſermones, quorum tit. *Vade mecum, &c.* Seculô 15. Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l. 3. c. 10. &c.*

NICOLAUS Stanfordius, Ciſtertienſis Anglus, A. C. 1310. ſcripſit in Geneſin, & Sermones. Lelandus & Pitſeus, *de Scriptor. Angl.*

NICOLAUS Storckius, ſeu Pelargus, Sileſius, cum Thoma Muntzero, novorum Prophetarum anteſignanus, prima Anabaptiſmi ſemina ſparſit: cum quo Lutherus conflixit, A. C. 1522.

NICOLAUS Stupanus, vide *Stupanus.*

NICOLAUS Suathamius, Carmelita Anglus, ſcripſit *Determinationum l. 1. Lectiones ordinarias, &c.* A. C. 1449.

NICOLAUS *Sudorius*, Scævolæ Sammartan. *elog. l. 4.* laudatus.

NICOLAUS Tartalea, Brixienſis, Mathematicus, ſeculô ultimô. Voſſ. *de Scient. Mathem. c. 49. §. 16. c. 52. §. 5.* Quenſtedt. *de patr. doct. p. 301.*

NICOLAUS Tegrimus, Lucenſis, auctor vitæ Caſtruccii Caſtracani. Paul. Jov. *in elog. c. 141.*

NICOLAUS Thuanus, patruus Jacobi Auguſti, frater Chriſtophori, fil. Auguſtini, qui omnes eruditionis famâ inclaruerunt. Epiſcopus Carnutenſis. Scripſit de adminiſtr. Sacramentorum, obiit A. C. 1598.

NICOLAUS Myrepſus, qui *Præpoſitus* dici ſolet, unus ex Græcorum recentiſſimis medicis fuit. Nam citat Meſuem Arabem medicum, qui claruit. A. C. 1155. ſub Frederico Barbaroſſa. Et vel barbaries multorum vocabulorum indicat ætatem. Accuratè tamen, quô ſeculô vixerit, dicere non poſſumus. Supereſt ejus liber, de Compoſitione medicamentorum particularium, ſecundùm genera κατὰ ϛοιχεῖα, ſive ordine literarum.

NICOLAUS Tollentinus, omnium ſui temporis abſtinentiſſimus, qui pane & aquâ ſemel tantùm die veſcebatur, procul ab omni otio & verborum vanitate.

NICOLAUS Trigaltius, Duacenſis: Itineribus ſuis & Chinæ Itinerario inclytus.

NICOLAUS Thrivetus, Dominicanus Anglus, ſeculô 14. celebris. Voſſ. *de Hiſt. Lat. c. 65.*

NICOLAUS Tudeſchi, dictus Nic. Siculus, vel Panormitanus, Catanâ Siciliæ oriundus, ſeculô 15. JCtus excellens, hinc *Lucerna Juris* appellatus. Archiepiſcopus Panormitanus; diſcipulus Zabarellæ Cardinalis. Interfuit Concilio Baſileenſi, à Felice Papa ibi creato Legati à Latere dignitate ornatus. Obiit Panormi A. C. 1445. Opera ejus Venetiis edita, A. C. 1617. tomos 9. continent. Forſterus ei inſuper tractatum *de Poteſtate Concilii, Pontificis & Imperatoris* attribuit. Scripſit quoque *defenſionem Concilii Baſil.* ſed hæc non amplius ſuperſunt. Vide *Simler. Draudium; Poſſevinum*, &c.

NICOLAUS Turingus, Carthuſienſis ſcripſit varia, *Petrejus.*

NICOLAUS Turlotus, Archidiaconus Namurcenſis, aſcetica edidit. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

NICOLAUS Valla, Romanus, partem Iliadis Homer. verſu Latinô expreſſit.

NICOLAUS Veunultzius, Lucemburg. ſcripſit tractatus Poëticos, Oratorios, & Politicos, Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

NICOLAUS Viguerius, auctor Bibliothecæ Hiſtoricæ, &c. Medicus & Hiſtoriographus Henrici III. Scævola Sammart. *in elog. l. 4.*

NICOLAUS Villanius. Piſtorienſis, membrum Academiæ Humoriſtarum. Scripſit duas Satyras; *Dii veſtram fidem.* Et, *Nos canimus ſurdis, &c.* Janus Nicius Erythr. *Part. 1. Pinac. c. 111.* Laurent. Craſſus, *elogior. parte 2.*

NICOLAUS de Ultricuria, Doctor, cujus 60. propoſitiones ab Academia Pariſ. condemnatæ, ſeculô 14.

NICOLAUS Uptonus, Canonicus, A. C. 1411. *Walkingtonus*, Ciſtertienſis, 1190. & *Weſtus*, 1533. Angli, eruditione inclyti. Pitſeus, *de Script. Angl.*

S. NICOLAUS, urbs Moſcoviæ, cum portu, ad ſinum Maris, qui *S. Nicolai* quoque nomen habet.

NICOLOCHUS, vide NICOMACHUS.

NICOLOTUS, fil. minor natu Buthues, Herulorum Regis, frater Pribiſlai fuit: qui ambo Idololatræ & Chriſtianorum perſecutores, Canutô, qui Vandalici regni jus ac titulum ſibi beneficiô Lotharii Imperatoris vindicaverat, à ſuis occiſô, avitum

regnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

regnum recuperârunt. Verùm iſte à Rugiis captus & in cuſtodia mortuus eſt: ille, nempe *Nicolotus*, ab Henrico Leone, Saxoniæ Duce & Alberto Urſo Marchione Brandeburgicô, totô penè regnô exutus ac in prælio occiſus eſt. Pater Uratiſlai, quem captum, quòd fratrem incitâſſet ab bellum, Henricus præfatus ſuſpendiô necavit, & Pribiſlai, qui ultimus gentis Rex, à Pomeranis reſtitutus, acre cum iſto bellum geſſit: Avus ex Henrico cognomine *Burvino*, & ex Henrico cognomine *Juniore*, nepotum, quibus ſimiliter *Nicoloti* nomen: Horum ille, domô corruente oppreſſus, de iſto vide *infrà*.

NICOLOTUS, fil. Henrici Junioris præfati, Vandaliæ dominus, rami Vandalici; ſicuti frater ejus major natu Johannes cognomine *Theologus*, Megapolitani conditor fuit. Obtinuit in ſua Vandalia Guſtroviam, Plaviam, Ribenitiam, alia: ſublatus à filiis Henrico, ob id exule, & *Nicoloto*, parricidii pœnitentiâ confecto. Præter quos genuit quoque Johannem, quô inter alios genitus eſt *Nicolotus* Rugiorum ac Brandeburgiorum victor: qui moriens A. C. 1316. Johannem cognomine *Seniorem*, reliquit, è cujus poſteris *Nicolotus*, novæ lineæ auctor fuit, quæ A. C. 1414. extincta eſt: alius ejuſdem nominis, à pietate, prudentia ac parſimonia laudatus, frater fuit Johannis ac Chriſtophori, in quibus familia defecit Vandalica, hæredibus Megapolitanis, A. C. 1430.

NICOLOTUS, cognomine *Puer*, fil. Waldemari, Burvinô Wandaliæ Duce geniti, à Brandeburgicis, quòd Marchionis filiâ repudiatâ duxiſſet Pomeranam; bellô afflictus, ultimus fuit ſuæ lineæ: cujus Burvinus, filius tertiò genitus Henrici Junioris in diviſione paternæ hæreditatis, Roſtochium nactus, auctor fuerat; Sicque eô defunctô Roſtochium Danis ſe ſubmiſit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt. in Fam. Vandalica.*

NICOMACHUS, pater Ariſtotelis Philoſophi. Nicomachos verò 5. tradit *Suidas*; Primum ex Alexandriâ Troadis, poëtam Tragicum, qui ſcripſit tragœdias undecim. Secundum Athenienſem item Tragicum, qui vicit Euripidem & Theognin. Olymp. 90. Tertium Medicum Machaonis filium, Æſculapii nepotem, qui ſcripſit de Medicinâ libros ſex, ac de philoſophiâ unum. Reliquos patrem & filium Ariſtotelis ponit. Sextum addit Plinius pictorem Ariſtodemi filium ac diſcipulum, qui pinxit raptum Proſerpinæ, Scyllamque. Plin. *l.* 35. *c.* 6. 7.

NICOMACHUS, nomen cujuſdam Athenis improbi, & ideo ab Ariſtophane *in Ranis* traducti, quem *Scholia* vel Tragicum actorem vel civem exſtitiſſe notant. *p.* 282. D.

NICOMACHUS, exoletus, Dymni inſidias in caput Alexandri Magni in Ariis comparatas detexit. Curt. *l.* 6. *c.* 7.

NICOMACHUS, Navarchus Lacedæmoniorum, à Timotheo ad Leucadem victus, Polyæn. *l.* 3. *c.* 10 Ibidem tamen, *commate* 12. vocatur *Nicolochus.*

NICOMACHUS, quidam Pythagoricus, ut videtur, ſcripſit vitam Apollonii Pythagorici, teſte Sidoniô Apoll. *l.* 8. *ep.* 3. Vixit poſt Philoſtratum, vel ejus ætate. Erat & Geraſenus quidam Nicomachus, itidem Pythagoricus, de quo videatur Meurſius, *notis ad Nicomachi hujus ἁρμονικῆς ἐγχειρίδιον.* Vixit hic ante Apuleji Madaurenſis ætatem, quandoquidem Apulejus Arithmeticam ejus Latinè tranſtulit, teſte Caſſiodorô, ſcripſit autem libros 2. *Arithmeticorum Theologorum*, Phot. *cod.* 187. Alter quoque hîc legi meretur *Nicomachus*, ſub Aureliano Imperatore clarus, qui epiſtolam Zenobiæ Palmyrorum reginæ, præter ſexum tumidam, in Græcam ex linguâ Syrorum tranſtuliſſe ſe dixit, apud Vopiſcum *Aurelian. c.* 27. An idem cum auctore vitæ Apollonii Thyanæi? Sidon. Apollin. *l.* 8. *ep.* 3. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 16. Hunc cum priore eundem eſſe opinantur Savaro & Meurſius, ſed abſque ratione. Alius Virius *Nicomachus* Flavianus, ſub Arcadio & Honorio, Hiſtoricus diſertiſſimus, teſte Inſcriptione apud Voſſium *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 2. *p.* 744. cujus crebra apud Symmachum fit mentio *l.* 6. *ep.* Sed præter hos, & eos, quos inſuper Meurſius recenſet, fuêre quidem Nicomachi plurimi. Memoratur *Nicomachus* Phocenſis Thucydidi *l.* 4. *Nicomachus* πορισὴς Ariſtophani *in Ranis.* *Nicomachus* Tejus, Xenophonti, *l.* 4. περὶ ἀναβάσ. *Nicomachus* Daiphanti fil. Demoſtheni *pro Cteſiph.* Lyſiæ oratio, *contra Nicomachum γραμματέα* extat. *Nicomachus* exoletus, apud Diod. Sic. *l.* 17. *c.* 79. & Curt. *l.* 6. *c.* 7. *Nicomachus* Tyrius, Ciceronis hoſpes, Ciceroni *in Fragmentis de Philoſophiâ*, apud Nonium. *Nicomachi* librum, περὶ ζωγράφων ſignat Hephæſtion, *in Enchiridio.* *Nicomachus* Acarnan, Ætolorum legatus Polybio *l.* 17. *Nicomachus* Rhodius, eidem Polybio *l.* 8. Quidam ignotus apud Simplicium *l.* 2. *de cælo. text.* 56. niſi fortè hic eſt Peripateticus ille. At minimè hîc à Meurſio preteriri debuit Nicomachus Muſicus, Iſmeniæ Chorauli & Dionyſiodoro Muſicis æqualis, apud Plin. *l.* 37. *c.* 1. Uti nec *Nicomachus* alius omittendus erat Joh. Jonſio, qui de Feſtis Ægyptiis libros conſignavit, teſte Athenæô *l.* 10. *Nic. Lloydius.*

NICOMACHUS, Archon Athenis, Olymp. 109. ann. 4.

NICOMEDES I. Bithyniæ Rex Pruſiæ patri, eô parricidiali ſcelere peremptô, ſucceſſit. Attalô enim Pergamenô adjuvante bellô aggreſſus patrem, illum præliô vicit ac regnô vitâque exuit. Succeſſit ei fil. *Nicomedes II.* Vide Juſtinum *l.* 34. *c.* 4. & *l.* 37. *c.* 4.

NICOMEDES II. Rex Bithyniæ, *Nicomedis* prioris fil. cognomine *Philopator* Romanis amicus, qui olim, raſô capite, ſumpſit pileum, & ſe Romanorum libertum vocavit. A Mithridate pulſus, Romanorumque ope reſtitutus, hos regni hæredes reliquit, Vellejus Paterc. *l.* 2. *c.* 4. *Liv. Flor. Polyb.* &c. Item Hiſtoricus, qui περὶ Ὀρφέως tractavit, cujus operis librum primum citat Athen. *l.* 14.

NICOMEDES Apollonius, inter Præceptores Marci Imperatoris apud *Dionem*: Item educator Veri Imperatoris apud Capitolin. *in Vero c.* 2.

NICOMEDIA, civitas Bithyniæ, ad Propontidem, inter Byzantium 61. & Nicæam 44. mill. paſſ. à Nicomede condita, Strabo *l.* 12. poſtea ſub Romanis fuit, ſedes aliquot Imperatorum. Hîc, ſub Diocletiano, Anthimô Epiſcopô capite plexô, templôque incenſô, ad XX Millia combuſta, circa A. C. 298. Poſteà urbs A. C. 358. terræmotu ſubverſa eſt, cùm Conſtantius ibi, in gratiam Arianorum, Concilium celebraturus eſſet. Vide Amm. Marcellin. *l.* 17. Hîc quoque obiit Conſtantin. M. Imperator, qui cùm vellet in Jordane fluv. baptizari, atque idcirco Hieroſolymam peteret, morte præventus, ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo, Arianæ perfidiæ ſectatore, baptizatus eſt; quæ res Chriſtiani Principis fidem apud pleroſque in dubium vertit. Sed non eſt veriſimile, eum principem, qui per omnem vitam ſuam Ariani dogmatis hoſtis fuerat, in extremo ſpiritu, eò dementiæ conſenſiſſe, quam ſummô ſtudiô de ſuo imperio priùs eliminaverat. *Aſtacus* olim dicta fuit, *Pauſaniâ*, *Ammianô*, *Cedrenô*, ac *Trebellio Pollione*, auctoribus. Turcis à quibus capta eſt, A. C. 1338. Urchanis ductu, filii Ottomanni, hodiè *Nichor*, vulgò autem *Comidia* dicitur. Laudes ejus decantat vetus Geographus à Jac. Gothofredo editus: Νικομηδία δὲ καὶ αὐτη, ἐξέχουσα, καὶ θαυμαστὴ, καὶ πᾶσι περιουσῦσα. Zoſimus itidem *l.* 1. Νικομήδειαν μεγίστην οὖσαν, καὶ ὀνομαστοτάτην, εὐδαίμονα διά τε πλοῦτον, καὶ τὴν εἰς ἅπαντα εὐπορίαν, *Lloydius.* Ibidem, ut & *Nicææ*, labente Imperiô, officina Monetaria celebris fuit, ut patet ex *Conſtitut. ad Bithynos l.* 1. *Cod. Theod. de Murilea*, & notis NIC. & NKCO. in numis occurrentibus, quas vide. Longitud. 56. 40. latitud. 43. 00. Nunc penè deſerta eſt.

NICOMEDIENSIS Georgius, vide *Georgius.*

NICOMEDIENSIS Lacus, *Plin. Puſguſa Nigro*; apud Nicomediam, qui fluvium emittit in Sangarium influentem.

NICOMEDIUM, emporium Bithyniæ, *Steph.*

NICON, Archon Athenis, Olymp. 100. an. 2.

NICON, Pirata Pheris, in Peloponneſo ſitis, oriundus, poſt multa Meſſeniis damna data ab iis tandem captus & jam ſupplicii cruciatibus ſubjiciendus, ut vitam redimeret, Pheras ſe proditurum Meſſeniis promiſit ac pollicitis ſtetit. Polyæn. *l.* 2. *c.* 35.

NICON, alius Samius gubernator, qui, quâ aſtutiâ evaſerit hoſtiles triremes, narrat idem *l.* 5. *c.* 34.

NICON, Galeni pater, qui Geometriæ & Architecturæ erat peritiſſimus. Item pugil quidam, de quo *Suidam* ſis adi.

NICON, cognomine *Μετανοεῖτε*, quia hoc verbum perpetuò in ore habebat, Monachus Armenus, ſecul. 10. popularium converſioni incubuit, dein in Cretam trajiciens, ibi Euangelium magno cum zelo docuit. Obiit A. C. 987.

NICONIA, urbs Ponti, Strabo *l.* 7. Gentile *Niconiates Stephano. Suidas*: Νικωνία, πόλις τοῦ Πόντου, πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου. *Niconium Ptolemæo. Nomanoſter Nigro* dicitur. Aliis urbs eſt Tyrangitarum, in limite Sarmatiæ verſus Tyram fluv. ſupra Daciam. Quid nunc ſit, non conſtat.

NICOPHANES, pictor elegans & concinnus, Plin. *l.* 35. *c.* 10.

NICOPHEMUS, Archon Athenis, Olymp. 104. an. 3.

NICOPHON, ſcripſit ἀφροδίτης γονάς, & laudatur à *Schol. p.* 545. *in Aves Ariſtoph.* Ejus χειρογαστόρων γένναν, *ibid.* citat. *p.* 612. *c.* 2. *Nic. Lloydius.*

NICOPHRON, Theronis fil. Athenienſis Comicus, Ariſtophani coætaneus, cujus fabulas recenſet *Suidas.* Aliis *Nicophon* dicitur.

NICOPIA, caput Sudermanniæ: *Nikoping*, prope litus maris Baltici cum arce antiqua Ducali & portu, 13. milliar. German. ab Holmia in Africum, 7. à Norcopia in Cæciam. Ibi commoratus eſt Carolus, Dux Sudermanniæ, poſtmodum Sueciæ Rex.

NICOPIA, urbs Falſtriæ Inſul. è regione Lalandiæ Inſul. 4. leuc. Danic. à Naſcoa in Ortum, 11. ab Hafnia in Meridiem, lepida & culta; *Nykoping.*

NICOPOLIS, urbs Myſiæ Epiſcopalis olim, nunc Archiepiſcopalis ſeu metropolis apud Jatri fluv. cum Danubio confluentiam, à Trajano Imperatore poſt Decebalum regem victum; teſte *Ammianô*, condita. *Nigeboli* vulgò, Turcis autem *Scilturo*, teſte *Leunclaviô*, dicitur. *Baudrando Nicopoli*, urbs etiamnum ampla Bulgariæ, ad Danubium, in confinio Walachiæ, capta in plena pace à Bajazete, A. C. 1399. ubi Chriſtiani grandi clade à Turcis affecti, ſub Sigiſmundo Imperatore, A. C. 1390. Eſt & *Nicopolis* Thraciæ ad Hæmum montem urbs à *Ptolomæo* memorata, adhuc *Nicopoli Sophiano* dicta. Item urbs ad Neſum fluvium.

NICOPOLIS, civitas Epiri, à victoriâ Auguſti ſic appellata; quia Cleopatram & M. Antonium apud Actium præliô ſuperavit. Vulgò *Gallipoli*, *la Preveſa* verò *Sophiano*, longitud. 46. 20. latitud. 39. 25. Item Alexander Iſſum urbem, inter Ciliciam & Syriam *Nicopolin* appellavit, quoniam ibi Darium viciſſet.

NICOPOLIS, urbs Armeniæ minoris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Sebaſtenſi, à Pompejo, teſte *Dione*, condita, in confinio Cappadociæ, ad Ceraunum fluv. media inter Satalum, ad Boream & Sebaſtiam ad Auſtrum, vix. 50. utrinque. *Gianich Caſtaldo*, *Chiorme* aliis, longitud. 69. 00. latitud. 42. 25. Hanc, A. C. 370. poſt Theodori Epiſcopi mortem, Ariani turbârunt, Phorane intruſô, ſed Nicopolitani hæreticum averſati, evicerunt, ut ſibi Orthodoxus Præſul daretur: à S. Baſilio dein moniti, ut amicitiam cum illo fidelem colerent.

NICOPOLIS, quæ & *Emmaus*, *Ptolemæo* urbs Palæſtinæ in Judæa Epiſcopalis ſub Patriarcha Hieroſolymitano, inde ferè S. mill. paſſ. in Occaſum, Joppen verſus 38. à Rhamâ 20. Eſt & *Nicopolis* oppid. Bithyniæ, ad Propontidem ſita, teſte Pliniô, *l.* 5. *c.* 32. *Montanea* hodie, unde ſinus *Nicopolitanus*; à Pruſa 20. mill. paſſ. diſtans, Nicææ propiùs, longitudo 56. 10. latitud. 43. 28.

NICOPSIS, urbs in Boſphoro Cimmerio, Stephan. Diacon. *in vita Stephani junior.*

NICOSIA, urbs Cypri Archiepiſcopalis permunita, in meditul-

ditullio Inſul. Capta fuit à Turcis A. C. 1570. *Tremithus* aliàs quibuſdam.

NICOSTRATA, mater Evandri Arcadis, futurorum vaticinatrix, quæ à carminibus, quibus Phœbi oracula ſignificare volebat, *Carmenta*, ſeu *Carmentis* Latinè dicta eſt. Vide *Carmenta*.

NICOSTRATUS, Argivus, robore corporis inſignis, Herculem habitu militiæ imitabatur, ſpoliô leonis circumtectus & clavam manibus geſtans, Diodor. Sic. *l* 16. *f.* 533. m. Eum Andiotion apud *Scholiaſtem Ariſtoph.* vult ad Orneas occubuiſſe.

NICOSTRATUS, è cohorte nobilium Puerorum Alexandri Magni qui cum Hermolao contra regem ſuum conjuravit, Curt. *l.* 8. *c.* 6.

NICOSTRATUS, actor dramaticus inſignis ex Ionia. Vide Polyæn. *l.* 6. *c.* 10.

NICOSTRATUS, Athenienſis, dictus *Scambonides*, à populo, tribus Leontidos. Vide Schol. *in Ariſtoph. Veſp.* 436. G. 1.

NICOSTRATUS, Macedo, orator inter decem ſecundus, tempore Marci Antonini, ac Dionis Chryſoſtomi, Ariſtidis oratoris æqualis, ſcripſit nonnulla, quæ citat *Suidas*. Item poëta Comicus, de quo vide eundem *Suidam*, *Athenæum*, itemque Ælian. ποικιλ. *l.* 4. *c.* 2.

NICOSTRATUS Trapezuntius, Sophiſta; ſub Claudio & Valeriano. Scripſit hiſtoriam Philippi, Gordiani, Decii, &c. Evagr. *Hiſt. l.* 5. *c. ult.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 20.

NICOTELEA, mater Ariſtomenis Meſſeniorum Imperatoris; cum qua Genius quidam, draconis ſpecie, concubuiſſe fertur. Pauſan. *Meſſeniacis.*

NICOTELES, Archon Athenis, Olymp. 97. an. 2.

NICOTELES, Corinthius potator ſtrenuus. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 41.

NICOTERA, olim Medama, urbs Epiſcopalis Brutiorum litoralis, teſte *Gabriele Barriô*, *Nicedro* dicitur, longitud. 40. 00. latitud. 38. 25. *Baudrando* urbs eſt Calabriæ ulterioris in ora maris Tyrrheni parvi circuitus, 10. milliar. ab oſtio Metauri. Crevit ex ruinis Medamæ.

NICOYA, urbs novæ Hiſpaniæ in provinc. *Coſta ricca*, cum portu, in ora maris Auſtralis & ſinus Salinarum, ſub Hiſpanis.

NICSIA, vide *Naxus*.

NIDDA, Comitatus Germaniæ, ſub propriis olim Comitibus, quorum ultimus, Engelhartus, vitâ defunctus A. C. 1329. cognato Joanni Zigenhainenſi locum dedit. Sed hujus etiam progenie deficiente A. C. 1453. Ludov. Mitis Haſſiæ Landgravius emtionis, ut perhibetur, cum Joanne multis debitis beneficiiſque Landgravio ob..risto, contractæ titulô, utrumque Comitatum ſibi aſſeruit. Vide Cyriac. Spangenbergium *Holſtein. Chron. l.* 1. *c.* 4. apud Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus*, *c.* 8. *ubi de Gente Haſſiaca.*

NIDDIA, vide NITHIA.

NIDDUI excommunicationis in Eccleſia Judaica primus gradus, de quo vide ſuprà *Excommunicatio*, it. infrà *Shammata*.

NIDERUS Johannes, Iſnenſis, Dominicanorum cœnobii, quod Baſileæ tum erat, præfectus; Vir eruditus & eloquens, ſcriptiſque ac lucubrationibus ſuis, ubique celebris: Theologica enim plurima in lucem edidit. Hujus, inter Baſilienſis Concilii Patres, tanta exiſtimatio fuit, ut ad evocandos Bohemos, cum Abbate Mulbrunenſi, A. C. 1431. miſſus fuerit. Igitur cum eorum Oratoribus Egræ tantum effecit, ut nomine Regni, ac Marchionatus Moraviæ, quindecim Oratores, magno cum Comitatu Baſileam appulerint; deque Religionis articulis illic propoſitis, ſeriò diſputaverint. Obiit A. C. 1438. legationis ſuæ negotiis, pro reducendis in Eccleſiæ unionem Bohemis, implicatus, Norimbergæ. Vide Urſtiſium *Hiſtor. Baſil.*

NIDERUS, fluv. Norwegiæ, *Nidroſia*. Oritur ex monte Sevone, dein in Circium tendens per Nidroſianam præfectur. Nidroſiam rigat, & ibi in Oceanum abit.

NIDOVIUM, German. *Nidow*, oppid. Helvetiæ, in agro Bernenſi, ad effluxum lacus Biennenſis, inſulæ inſtar ſitum, cum arce: Olim ſub propriis Comitibus, è quibus Ludovicus in comitatu fuit Friderici I. Imperatoris circa A. C. 1160. Cujus ſucceſſores, cum Epiſcopo Baſilienſi, contra Bernenſes, fœdere initô circa A. C. 1367. ab eo oppidulum *Olten* muneri acceperunt. Extincta familia eſt A. C. 1374. ultimô Comite ab Anglis, qui tum in Argoviam irruperant, occiſô. Cujus agnati proximi cum hæreditatem adiiſſent, Comes Kyburgius & Comes Tierſtenius, Epiſcopus *Nidovium* rapuit: ſed ab iis victus, reddidit. Oppigneratum dein, ad ultimi Comitis hæredumque debita ſolvenda Auſtriacis, in horum ditione manſit, uſque ad A. C. 1388. quo à Bernenſibus ac Soloduriis, poſt proſtratas iis in locis Sempacenſi ſtrage Auſtriacorum vices, occupatum eſt, à quo tempore Reipublicæ Bernenſis imperium agnoſcit. Vide Joh. Stumpfium *Chron. Helv. l.* 8. *c.* 20. Per Præfectos adminiſtratur, illuc à Magiſtratu Bernenſi mitti ſolitos, Joſ. Simlerus *de Rep. Helv.*

NIDROSIA, urbs Archiepiſcopalis Scandinaviæ, in ora Norvegiæ occidua, ab Eugenio III. Pontifice Romano metropolis effecta, à Bergis urbe regia 70. leuc. in Boream. Hìc templum auguſtiſſimum. Capta eſt, A. C. 1564. ab Erico Sueciæ Rege qui milites ibi captos Monachorum more raſos ad Daniæ Regem miſit, ad Bornholmiam mox prælio ſuperatus: poſtea recuperata. Vulgò *Trontheim*, & *Druntheim*, longitud. 26. 10. latitud. 46. 35. *Baudrando* caput Norvegiæ, aliàs regiâ ſede clara. A Nidero fluv. cujus oſtium obſidet. Emporium ſatis celebre, cum portu capaci, quamvis nec vallô, nec foſſis ſepta, ſed ubique aperta, pagum potiùs referat. Aliàs amplior, ſed pluries conflagravit, ejuſque templum S. Olai, totius Septentrionis facilè pulcherrimum, in cineres redactum fuit. Arcem habet parum tutam. A. C. 1658. Suecis conceſſa, pace ad Roſchildam, cum tota Præfectura, paulò tamen poſt à Daniſ, Suecis ejectis, recepta, Daniæ Regi etiamnum remanſit, pace ad Olivam. Hinc

NIDROSIANA Præfectura, incolis *Dronthemhus*, pars ampla Norvegiæ, à Septentrione in Meridiem extenſa, nempe inter Vardhuſianam præfecturam ad Boream & Bergenſem ad Meridiem per 500. mill. paſſ. atque inter Oceanum Septentrionalem ad Occaſum & Sueciam ad Ortum, ubi ejus major latitudo eſt 120. mill. paſſ. Dividitur in *Nidroſianam Præfect. propriam*, ad Meridiem, ſub qua Nidroſia urbs, & ſeptem Præfecturæ minores, & in *Saltenſem Præfecturam* quæ ad Boream, ſub qua ſunt aliæ 7. regiunculæ. Ei adjacent plurimæ Inſul. in ora littorali. Vide *Nidroſia*.

NIDUM, oppid. Albionis in Wallia & Glamorgania regione, inter Leucarum & Bomium 15. mill. paſſ. à Mariduno urbe 45. in meridiem, Briſtolium verſus. Vulgò *Neath*, aut *Nyth*. longitud. 15. 26. latitud. 52. 00.

NIDUS, avium domicilium propriè, *Nonio*: Quas inter halcyonum inprimis *nidi admirationem habent*, *pilæ figurâ*, *paulùm eminentiore perquam anguſtâ* (ut, etiam ſi invertantur, mare non influat) *grandium ſpongiarum ſimilitudine*, *ferrô intercidi non queunt* ----- *nec unde confingantur*, *invenitur*, Plin. *l.* 10. *c.* 32. Addè, quæ de picarum nidis Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 37. de ſtruthionis, Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 17. de paſſeris ſtulti nos, infrà voce *Paſſer*: de aliarum avium ſolertia in nidificando, *neque* enim *alia parte ingenia avium magis admiranda*, idem Plinius habet *l.* 10. *c.* 33. Quibus tamen omnibus magis memorandi *nidi edules*, avium quarundam, hirundinum magnitudine, quæ in Aſiæ quatuor inſulis, verſùs oram Cochinchinæ, nec alibi uſquam, reperiuntur. Sunt illi nec opaci omnino; nec planè pellucidi, quippe, cæparum inſtar; multiplici pelliculâ conſtipati, & ex certo quodam gummi genere conſtantes, quod in aqua tepente diſſolutum & condiendis cibis adhibitum, omni aromatum genere efficacius deprehenditur. Unde *Nidorum* horum commercium per totam Indiam, Tunquinenſe inprimis Regnum, Cochinchinæ conterminum, celebre eſt: Joh. Bapt. Tavernier *Relation nouv. du Royaume de Tunquin c.* 3. Gallinarum ex torto ſtramine vel fœno, apud Juvenalem habes *Sat.* 11. *v.* 70.

——— *tortoque calentia fœno*
Ova adſunt ipſis cum matribus &c. ———

Tralatitiè vox ipſam pullitiem notat, Deuteron. *c.* 32. *v.* 11. *Ut aquila excitat nidum ſuum*, i. e. pullos ſuos. Quod loquendi genus Romanis frequens. Virgil. de merope & hirundine, *Georgic. l.* 4. *v.* 17,

Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.

H. e. *crudelibus pullis*, ut ibi *Servius*. Et Columella in *Horto* id ſequutus,

Veris & adventum nidis cantarit arundo.

Etiam apud Hebræos inter Templi præfectos, הממונה שעל הקינים, unus dicebatur *Præfectus ſuper nidos*, i. e. ſuper aves, qui videl. præerat iis qui columbas vendebant ſacrificaturis: in cujuſmodi lucriones jure merito irritatus Chriſtus, cathedras eorum ſubvertit Matth. *c.* 21. *v.* 12. &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 2. *c.* 3. Idem portò nomen fuit cœnæ Caji Principis, quam ille in platano ampla ſtruxit, Plin. *l.* 12. *c.* 1. *Nunc eſt clara* (platanus) *in Lycia* ----- *domicilii modo cava* ---- *tam digna miraculo*, *ut Licinius Mucianus ter Conſul* --- *prodendum etiam poſteris putarit*, *epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite* ----- *aliud exemplum Caji Principis*, *in Veliterno rure*, *mirati unius tabulata*, *laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula & in ea epulati*, *cùm ipſe pars eſſet umbræ*, XV. *convivarum ac miniſterii capace triclinio*, *quam cœnam appellavit ille Nidum.* Sed & *Nidi*, foruli appellati ſunt librorum, in quibus, velut capſis, certô ordine graduque reponuntur. Martialis *l.* 1. *Epigr.* 118. *v.* 15.

De primo dabit, *alterove* nido
Raſum pumice purpurave cultum,
Denariis tibi quinque Martialem.

Ubi *de primo nido*; eſt de ſumma capſa ſeu armario: in quo optimi libri recondi ſolebant. Sicut *in imis* ſeu ultimis *nidis* libri parvæ æſtimationis collocabantur. Idem *l.* 7. *Epigr.* 16. *v.* 5.

Hos nido licèt inferas vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos &c.

NIEBLA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ Guzmanniæ ſtirpis ramus eſt. In hac enim Alfonſi Perezii *de Guzman Bono*. Dn. *de S. Lucar de Barrameda*, à Mauris cæſi A. C. 1371. nepos Johannes Alfonſus primus *Comitis de Niebla* titulum nactus eſt; cujus major natu fil. (nam à minori Johanne poſthumo etiam Domini *del Cadoſo* orti ſunt) Henricus, Johannem Alfonſum primum Ducem *de Medina Sidonia* genuit. Hôc genitus Henricus *de Guzman* Dux Medinisidonius, ex Leonora *de Mendoza* (filia Peraſatti *de Ribera* Comitis *de los Molares*) ſuſcepit Johannem Ducem, Leonoræ *de Zuniga* maritum & ex ea patrem Joh. Alfonſi II. Ducis; quô & Annâ Aragoniâ (Alfonſi Aragonii Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, Ferdinando Catholico Rege geniti, filia) natus Johannes Clarus *de Guzman* Comes *Nieblæ*, junxit ſibi Leonoram *de Zuniga* & *Sotomayor*, & ex ea genuit, Alfonſum Perezium *de Guzman* Ducem *Medinæ Sidoniæ*, qui obiit A. C. 1615. Pater ex Anna *de Silva* & *Mendoza* (filia Roderici Gomeſii *de Sylva* Ducis Paſtranæ Principis *Eboli* & Annæ *de Mendoza* & *de la Cerda*) Johannis Emanuelis Dominici Perezii *de Guzman* Ducis *Medinisidonii*: quô & Johannâ *de Sandoval* (filia Franciſci *de Sandoval* & *Roxas* Ducis Lermæ) geniti ſunt, Antonius Perezius Comes *Nieblæ*, Caſparus Alfonſus Perezius, poſt fratris obitum, eundem titulum nactus, Balthaſar Melchior, Luiſa (uxor Johannis IV. Luſitaniæ Regis, defuncta A. C. 1666.) Franci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſca & Catharina. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 2. p. 47.*

De NIEM Theodoricus, vide *Theodoricus.*

NIENHUSIUM, oppidul. Weſtphaliæ, prope Paderbornam, cum arce, ſedes Epiſcopalis Paderbornenſis, ad Luppiam fluv.

NIEVA, fluv. Sueciæ. Exit è Ludoga lacu, ad Notteburgum, & in Sinum Finnicum labitur, poſt leuc. aliquot.

NIGDENI, populi in Africa Propria *Ptol.*

NIGELLA, oppid. Picardiæ, ad Ingonum amnem, 2. leuc. ab Hamo in Occidentem *Neſle.* Medium fere inter Noviodunum in Meridiem & Peronam ad Septentrionem. Meminit *Nigellæ* caſtri Hermannus Monachus *l. 2. de mirac. S. Mariæ Laudunenſis,* & *dominum Radulphum, patrem domini Ivonis, ejuſdem caſtri Principem* vocat. Inter Philippi Aug. vexillarios Milites Flandriæ, poſt Comitem Hollandiæ, ſecundum locum obtinet *Johannes de Nigella,* & cùm aliis magnis Proceribus, *Caſtellanis, Advocatis, Hæredibus* ac *Præpoſitis,* tum inprimis Comiti Guinarum ſeu Giſnarum præponitur: ac inter milites Veromanduæ ultimus numeratur *Caſtellanus de Nigella.* Pro Hugone de Gaſtina, apud Pontem Brovinum A. C. 1214. capto, Philippus Rex Franciæ Johannem *de Nigella,* de centum marcis prædem accepit; quem Rigordus *Militem procerum & formæ venuſtiſſimæ* appellat. Matthæo quoque Abbati S. Dionyſii & *domino Simoni de Nigella,* Ludovicus IX. Francorum Rex iterum mare tranſiturus, curam ac tutelam Regni ſui delegâſſe legitur, A. C. 1269. & quum Philippus, ejus fil. ac ſucceſſor bellum Aragonenſium Regi intulit, ſecum duxit Radulphum *de Nigella,* Franciæ, ut ajunt, Conſtabularium; à quo, aut certè à Simone ejus patre, *domus Nigellenſis,* apud Lutetiam, *L'Hoſtel de Nelle,* nomen accepit: quæ portæ urbis, cui proxima erat, ſuum nomen dedit, *la Porte de Nelle.* Oppidum itaque *Nelle* dicitur vulgò, quaſi *Nielle,* i. e. *Nigella,* quô modo Galli rubiginem vocant, cui frumenta hujus loci maximè erant obnoxia: vel, quòd ejus ager melanthiô, ſemen nigrum ferente fructu, abundaret, *Nigellæ* accepit nomen. Alluitur fluviô vel potius amniculô Lingone, qui nunc *Ingo,* vulgò *Ingon* appellatur, & in Suminam defluit. Nec omittendum collegium Canonicorum *Nigellæ,* cujus domini veteri Marchionum titulô fruuntur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Item fluv. Galliæ, vide infrà, in voce *Nigra aqua.*

NIGELLUM, encauſtum nigrum vel ſubnigrum, ex argento & plumbo confectum, quô cavitas ſculpturæ repletur, ut deſcribitur à Vaſario *in Vitis Pictorum c. 33.* Italis *Niello. Gloſſæ veteres: Nigellum,* μελανόν. Leo Oſtienſis *l. 2. c. ult. Laternam argenteam magnam librarum quinque cum nigello.* Et *l. 3. c. 5. Scrinium argenteum ſuper altare cum* nigello *librarum novem* ----- *ſcutellam argenteam cum nigello* &c. Et *c. ult. Fumigatorium cum nigello.* Anaſtaſius *in Sylveſtro Pontif. Scriptum ex literis puris nigellis.* Hinc in *Hiſtor. Epiſcop. Autiſiod. c. 20. Nigellatus,* i. e. nigellô diſtinctus: *Bacchonicam anacteam circulatam & nigellatam.* Item, *Scutella nigellata, Rotella nigellata* &c. Etiam *Niellatus,* in Teſtam. Leodebodi Abbatis, apud Helgaudum *in Roberto R. Scutellas 2. minores Maſſilienſes deauratas, quæ habent in medio cruces niellatas.* Quod idem fortè cum Gallorum *Noellé.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & *Nigelli,* in *Charta* Communiæ Creſpiacenſis, A. C. 1223. monetæ genus notant. *Solidos* nempe *nigros,* Gall. *ſols nerets,* h. e. æreos: *Moneta* enim *nigra,* ærea eſt vel ære mixta, cui *alba* ſeu argentea opponitur. Martial. *l. 1. Epigr. 100. v. 11.*

Ut convivia ſumtuoſiora,
Toto quæ ſemel apparas in anno,
Nigræ *ſordibus explices monetæ.*

Ubi æream monetam intelligi cenſet Salmaſ. &c. apud *Eundem.*

NIGELLUS Wirekerus. Benedictinus Anglus, A. C. 1200. Theologus ſolidus, Philoſophus ſubtilis, Orator eloquens, Poëta ingenioſus. Scripſit *ſpeculum ſtultorum, De abuſu rerum Eccleſiæ, &c.* Arnolph. Wion, *de ligno vitæ, Pitſeus,* &c.

NIGER, vide *Aquilius,* it. *Quintus.*

NIGER, Præfectus Prætorio, per 6. tantùm horas, ſub Commodo. Lamprid. in *Vita* hujus *c. 6. Et in potentia quidem Cleander Perenni ſucceſſerat: in præfectura verò* Niger; *qui ſex tantùm horis Præfectus Prætorii fuiſſe perhibetur: Mutabantur enim Præfecti Prætorii per horas ac dies, Commodo pejora omnia, quàm fecerat antè, faciente.*

NIGER C. Peſcennius, Juſtus Proconſul Syriæ, Didiô Julianô interfectô, cum Septimio Severo de Imperio certavit, & victus eſt; Antiochiæ, quô confugerat, prope Euphratem, primô Imperii annô occiſus, A. C. 194. Aurel. Vict. *in epit. Cæſ.* Herodian. *l. 3.* Vide Eutropium *ſub finem l. 8.* & Xiphilinum Dionis Epitomatorem, *in Didio Juliano.* Item cognomen prophetæ cujuſdam, Actor. *c. 13. v. 1.*

NIGER Dominicus Marius, Venetus, floruit A. C. 1490. Ejus ſuperſunt 26. Geographiæ Commentariorum libri: Nempe 11. Europæ, totidem Aſiæ, & Africæ 4. quibus ſitum terræ inhabitatæ, prout ſuô ſe habere tempore cognoſcere potuit, non exiguâ induſtriâ literis commiſit. Claruit, ante Americam à Columbo repertam: ejus opera publici juris fecit Wolfgangus Weiſſenburgius, Baſileæ, A. C. 1557.

NIGER Franciſcus, vide *Franciſcus.*

NIGER Palladius, vide *Palladius.*

NIGER Radulphus, vide *Radulphus.*

NIGER Stephanus, vide *Stephanus.*

NIGER, Africæ fluv. maximus. Oritur in Æthiopia ex lacu *Nigro,* qui verſus Æthiopiam inferiorem prope regnum Faſcolæ eſt: dein paulo pòſt in Occidentem tendens, Nigritiam ſecat bifariam; tandem pluribus fluviis auctus, per 6. latiſſima oſtia in Oceanum Atlanticum ſe exonerat, verſùs Arſinarium promontor. ejuſdem cum Nilo naturæ. Vide *Nigris.*

NIGER, ſeu Ater, pro inauſpicato infauſtoque, ſicut albus color fauſtus, bonus fortunatuſque habitus eſt. Unde Porphyrion *ad Q. Horatium l. 1. Sat. 4. niger,* inquit, *i. e. malus.* Servius *ad Æn. l. 4. v. 514. nigrum,* exponit *noxium:* & *l. 9. Æn. v. 719. atrumque timorem.,* exponit *inauſpicatum.* Hinc à rerum naturalium Scriptoribus cornices, corvi, bubones, fuſci coloris aves, inter inauſpicatas numerantur.

Nigraque funeſtum condidit omen avis.

Et Apulejus *Metam l. 2. Fuſcis avibus Lariſſam acceſſi, paragratâ Theſſaliâ.* Ac quemadmodum Deorum filios, ipſos Deos aut inter Deos relatos, albos candidoſque efficiebant; Unde de relato in Deorum numerum, nomine *Daphnidis,* Cæſare, Virg. *Ecl. 5. v. 56.*

Candidus, inſuetum miratur lumen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes

Ipſæ quoque ſtatuæ candidè veſtiebantur: Sic contra, mortem *nigram,* Inferos atros veteres fecêre. Ita legimus apud Æl. Lamprid. *in Commodo c. 16.* certiſſimum mortis ipſius omen inde deductum, quòd *in veſtimentis nigris* ſeu *pullis in ludis præſediſſet.* Ipſos mortuos *nigros* vocat Juvenalis *Sat. 1. v. 72.*

Per famam & populos nigros offerre maritos.

Paludem *nigram,* Tibullus *l. 3. eleg. 3. v. 37.* Lethen *atram,* Statius *Theb. l. 6. v. 498.* &c. quo perſuaſa Antiquitas, in capitalibus ſententiis ferendis, *nigris* calculis lethale ſupplicium indigitavit. Ovid *Met. l. 15. fab. 1.*

Mos erat antiquis niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis &c.

Quod à Thracibus ortum eſſe, videtur innuere Plin. *l. 7. c. 40. Calculos pro experimento cujuſque diei in urnam conjicit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat.* Unde Horatius *l. 1. ode 36. v. 10.*

Threſſâ ne careat pulchra dies notâ.

Idem color cladis luctuſque indicium erat. Sicut enim currus triumphantis, & veſtis & equi & pueri ad habenas, & victimæ, & ſacrificantium pro victoria habitus candidus fuit, ut dictum: Sic contrà clade afflicti, *nigra* veſtimenta ſumſêre. Hinc Lentulus Prætor à Cicerone accuſatus, *veſte purpureâ Magiſtratûs ſui indice depoſitâ, funeſtam* inducit, quod omnibus reis adeò neceſſarium credebatur, ut Milo, quòd id non feciſſet, propterea in exilium fuerit relegatus, ut narrat Plut. *in Cicerone.* Vide quoque infrà ubi de *Pulla veſte.* Idem obſervatum in Deorum ſacrificiis: uti enim Diis Superis albæ, ſic Inferis *nigræ* offerebantur victimæ, Plut. *de Inferorum ſacris,* Val. Max. *l. 2. c. 1. de Valerio Publicola* &c. Quare Donatus Grammaticus, ad illud Virgilii *Æn. l. 6. v. 249.*

——— *Ipſe atri velleris agnam*
Æneas matri Eumenidum:

Inquit, *Omnia nigra inferis mactat* &c. Quod in ſacrificio funebri obtinuit, in quo quippe Diis Manibus (quos ſimiliter nigros finxêre) parentabant. Statius in exequiis Archemori *Theb. l. 6. v. 264.*

Centum ibi nigrantes armenti robora tauros
Lentâ mole trahunt, idem numeruſque colorque
Matribus.

Et in Magicis ritibus idem mos invaluit, ut patet ex Virgilio *Æn. l. 6.* &c. Pauperes etiam & plebeji pullati, i. e. *nigrâ veſte* induti erant, cùm contra divites, ſed præſertim Senatores, Equites, Magiſtratus, candidis togis uterentur, qua de re vide infrà in voce *Pullati.* De veterib. Philoſophis, vide infrà itidem ubi de *Purpura:* de muliere ſuſpecta, apud Hebræos, voce *Zelotypia.* Quæ omnia à ſepulchrorum, in quibus mortui reconditi, umbris originem traxiſſe videntur. Eundem tamen colorem Pileo Doctorali Theologorum, apud Germanos tribuit Middendorpius *de Academiis l. 1. c. 13.* ut & Maximil. Sandæus *in Theologia Jurid. Commentar. 50.* ſed, ad innuendum, eos mundo mortuos eſſe: Cùm contrà Pileus Juriſconſultorum ruber ſit, eò quòd adſunt Regibus ac Principibus terræ: Medicorum verò & Philoſophorum violaceus, aut cœruleus, ut moneantur oculos ſuos non declinare in terram, apud Anſelm. Solerium, *de Pileo ſect. 10.* Calceos tandem Virorum vulgò *nigros* olim fuiſſe, innuit Horat. *Sat. 6. l. 1. v. 27.*

——— Nigris *medium impediit crus*
Pellibus.

Imò Nobilium ac Senatorum, teſte Juvenali *Sat. 7. v. 191.*

——— ——— *Nobilis & generoſus*
Appoſitam nigræ *Lunam ſubtexit alutæ:*

Quod inde factum autumant Eruditi, ut nitoris ſtudiô ſequiori ſexui relictô horridam ſe Virtutem amplecti teſtarentur. Quam ob cauſam, *Epigr. 32. l. 7.* Cinnam reprehendit Martialis, quòd præter morem calceos haberet albos, qui mulierum tum proprii erant, ſicque præpoſterè nitorem in calceis affectaret. Vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c. 8.* & plura de colore hoc, apud Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 4. c. 9.* & Caſparum Barthium *ad Statium* paſſim. In oculis etiam id coloris expetitum, vide ſuprà *Glaucopis,* & infrà ubi de *Oculos liniendi more.*

NIGER, cognomen Clyti, inclyti illius Ducis, quem paulò liberius loquentem, alias chariſſimum ſibi, in convivio interfecit Alexander M. apud Curtium *l. 8. c. 1.* Ad differentiam alterius Clyti, hominis ſuprà modum arrogantis, quem *Λευκὸν, Candidum* fuiſſe dictum refert Athenæus *l. 12. c. 9.* Priorem autem *μέλανα,* h. e. *Nigrum,* vocat Diodorus *l. 17. c. 20.* & Plut. *Alex. c. 20.*

NIGER Deus, apud Slavos olim, Satanas dictus eſt. Helmoldus *l. 1. c. 53. Eſt autem Slavorum miſerabilis error; nam in con-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

conviviis & compotationibus ſuis pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam conſecrationis, ſed exſecrationis, verba, ſub nomine Deorum, boni ſcilicet & mali, omnem proſperam fortunam a bono Deo, adverſam à malo dirigi profitentes. Ideo etiam malum Deum ſuâ lingua Diabel, ſive Zeerneboch, i. e. nigrum Deum, *appellabant*. Vide quoque ſuprà *Dæmon*. Nempe *nigro* colore omnia inferi alia cenſeri conſuevisse, notum. Ita *atra atria* Proſerpinæ ſunt, apud *Appulejum*. *Niger Pluto*, apud Silium Italicum *l.* 8. *v.* 116.

Nigro fortè Jovi, cui tertia regna laborant,
Atque atri ſociæ thalami

Et *Niger*, hoſtis infenſiſſimus humani generis, apud Chriſtianos Auctores. Sedulius *l.* 3.

Quin etiam rabidas nigrorum *depulit iras*
Spirituum.

Vide quoque Juvencum *l.* 2. & Aratorem *l.* 1. Certè tali colore in viſionibus Dæmones apparuiſſe Viris Sanctis, refert Zacharias Pontifex in *Vita* S. Benedicti, ex Gregorio M. *c.* 4. Εἶδεν ὁ ἅγιος, καὶ ἰδοὺ νεανίσκος τις Αἰθίοψ τῷ εἴδει, κρατήσας τὸ πτερύγιον τοῦ ἱματίου, τοῦ ἀδελφοῦ ἐκείνου ἐν τῇ προσευχῇ καρτερῆσαι μὴ δυναμένου, ἦλθεν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας. *Vidit ſanctus & ecce, juvenis quidam Æthiops aſpectu, alâ correptâ veſtis fratris illius, qui in oratione perſeverare non poterat, venit extra Eccleſiam.* Cujuſmodi Æthiopem Bruto lucubranti in campis Philippicis ſequuturam mox cladem ac mortem denuntiâſſe, in Romana legimus Hiſtoria. Hinc *Nigri* dicebantur & mortui; quod apud Inferos degerent. Servius *ad Ecl.* 5. *Candidus, i. e. Deus; ut contra mortuos nigros dicimus.* Ad quem vide non inamœna, apud Martinum Roam, *Singularium l.* 6. *c.* 15. Plura verò hanc in rem ſuprà.

NIGER Pullus, locus Belgii, memoratus in *tabula Peutingeriana*, *Fluvius Rhenus, Lugduno XI. Prætorium Agrippinæ* II. *Matilone* V. *Albamanis* XII. Nigropullo V. &c. exponitur *Voerden*, oppidum Hollandiæ. Vide *Voerda*.

NIGIDIA, urbs Lycaoniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Iconienſi; à quo parum recedit. *Heu Nigde*, teſte *Leunclaviô*.

P. NIGIDIUS Figulus, Vir Prætorius, non humanarum modò literarum, ſed & Philoſophiæ, & Aſtrologiæ, & rei Medicæ conſultiſſimus extitit; Ciceroni ſummâ gratiâ junctus, & honorificentiſſimè ſemper ab illo habitus, quem & *in libello de Univerſitate*, ab ingenio & eruditione vehementer laudat, & exulantem ſub Cæſare, quòd omnes Pythagorici Magiæ ſuſpecti eſſent, diligenter conſolatus eſt, ut videre licet *in Fam. Epiſt. l.* 4. Laudat eum quoque Lucanus *l.* 1. *v.* 639.

At Figulus, cui cura Deos, ſecretaque cœli
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra,
Aut hic errat, ait, nulla cùm lege per ævum
Mundus, & incerto diſcurrunt ſidera motu:
Aut ſi fata movent, orbi, generique paratur
Humano matura lues ——

A. Gellius, qui paſſim ejus meminit, *Romæ civitatis doctiſſimum* vocat. Idem ætatem illam Ciceronis & Cæſaris multiformium doctrinarum, variarumque artium, quibus humanitas erudita eſt, culmina habuiſſe duo ſcribit, M. ſcil. Varronem, & hunc P. Nigidium, cujus tamen lucubrationes, non ita, ut Varronis, in omnium manibus frequentes fuiſſe oſtendit, quòd propter obſcuritatem, ſublimitatemque in vulgus non exirent. Citantur ejus Commentar. Grammaticorum libri 24. prætereà de Animalibus, de extis & ventis. Ejus eſt illud, apud eundem Gellium relatum: *Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Neutiquam verò prætereundum, Figuli cognomen inde adeptum, quòd interroganti, ut Aſtrologiæ peritiſſimum, cur gemini diſpari conditione naſcerentur? commentum illud de rota figulari propoſuerit, quæ brevi temporis momentô maxima ſpatia revoluta percurrat. Cujus reſponſi meminit D. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 5. *c.* 3. Illud, ſingularem ejus, in divinando, felicitatem arguit: quòd, cùm ageretur in Curia de conjuratione Catilinæ, & Octavius pater, ob uxoris puerperium, ſeriùs acceſſiſſet, P. Nigidius, compertâ moræ cauſâ, Dominum terrarum Octavio natum affirmavit, ut eſt apud Sueton. *in Aug. c.* 94. Deceſſit in exilio, an. 709. Urb. Cond. potiente rerum Cæſare, quomodo teſtatur Euſebius, & id ipſum indicat M. Tullius *Philipp.* 2. Janus Rutgerſius fragmenta ejus magnâ curâ collegit, ex priſcis auctoribus.

NIGILPIA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

NIGIRA, urbs Libyæ interioris, Nigritarum metropolis, ad Nigrum fluvium, *Ptol. Cuber* hodie ex *tabul. recentiorib.* urbs regia. Aliis *Cano*, regni cognominis caput.

NIGIR, ſeu NIGER, NICRIS, & NIGRES, Africæ fluv. à quo *Nigrites*, ſeu *Nigretes*, populi Libyæ dicti, *Steph. Ptolomæo* Νίγειρ dicitur; quem, cùm Latinorum aliqui, more linguæ ſuæ inflectentes, *Nigrum* dixerint, hinc Solini error ortus eſt, qui ab aquæ colore ita dictum cenſuit, *c.* 27. *Inde Niger eſt amnis, qui atrô colore exit per intimas & exuſtas ſolitudines.* Barbarum potiùs vocabulum cenſendum; neque enim aut ipſi Libyes, aut Græci à vocabulo Latino urbem *Nigra* vocarent, ſed ea ſic Nigira à Νίγειρ fluv. ut alia urbs *Gira* à *Gir* denominatur. Vide *Niger*.

NIGIUTIMI, Africæ Propriæ populi *Ptol.* Hos *Villanovanus Cinitios* Taciti *l.* 2. *Annal. c.* 52. & *Ethinos* Plinii *l.* 5. *c.* 4. eſſe teſtatur.

NIGRA, ab armorum colore, dicta parva quidem, ſed lectiſſima, & ſub ſignis aſſidua fortiſſimorum militum manus, quâ Matthias Corvinus inclytus Hungariæ Rex, ſæpe ingentes Turcarum exercitus fudit: monente Rudolphô II. Imperatore in Comitiis Ratisbonenſibus, quibus, ad imitationem Corvini, veteranum expertumque militem Turcis oppoſiturus, in continuum quinquennium ab Imperii Ordinibus militem petiit, A. C. 1594. apud Forſtnerum, *Omiſſorum libro ad Tacitum Annal.* 1. *verb. Pompejum imagine pacis.*

NIGRA Aqua, unus è quatuor amnibus, qui apud Abrincatuos, in Gallia, colle Brimbaliô *la Bute de Brinbal*, orti, ſuô quiſque alveô in diverſa decurrunt, quorum reliqui Egrannia, Seva & Viria. Dicitur vulgò *Noireau*, à colore aquarum, vel *Nereau*, ac alluit Tenerchebrajum *Tinchebray*, & Condate Bajocaſſium *Condé ſur Noireau*; atque ſupra Pontem Dolliacum *Pont Douilly*, Olinâ accipitur. Eſt & *Nigella*, vulgò *la Neſle*, fluv. unus è primis in Garumnam defluentibus; & *Nigra*, vulgò *la Neire*, in Biturigibus Cubis; cui Albiniacum adſidet, & quem Salera major *Grande Saudre*, in Carum defert: quibus ambobus fluviis aquæ ſuæ color & nigredo nomen impoſuit, ſicuti contra albedo Albæ amni cauſa nominis fuit. Quanquam *Nigella* iſte Garumnicus, à quibuſdam Latinè *Neſtus* dicitur, ita ut *Neſte* potius videatur nuncupandus, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Abrincatui*.

NIGRA Moneta, vide infrà *Plumbea ſelibra*.

NIGRA Proceſſio, in Eccleſia Romana Litania dicitur, quia *nigrô* tegmine in ea homines cooperiri conſuevêre. In Conventuali certè Eccleſia Equitum Militenſium, ubi in Feriis ſextis per annum ſolet fieri proceſſio, cum ligno crucis, poſt ſolennem de eadem Cruce miſſam, faciem totius Cleri nigrô velô fuiſſe contectam, ſe puerô adhuc, notat Car. Macer *in Hierolexico*. Vide quoque ſuprà *Cruces*.

NIGRAGUARDA, Caſtellum in monte exſtructum, ex quô Paneadenſis civitas videri poteſt. In tractu Nephthalim, Guil. Tyrius *l.* 18. *bell. ſacr. c.* 15.

NIGRAMMA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

NIGRAPELISSA, oppid. provinc. Cadurcenſis, 2. leuc. à monte Albano in Cæciam, 7. à Cadurco in Meridiem. Malè habitum à Ludov. XIII. *Negrepeliſſe*.

NIGRI, pro lugentibus, apud Statium *Theb. l.* 12. *v.* 111. pro infelicibus *l.* 5. *v.* 175. pro obſcuris & infamibus, *l.* 10. *v.* 26. pro mortuis, apud Servium *ad Virgil. Ecl.* 5. &c. Vide ſuprà. Apud Recentiores *Nigri*, iidem cum *Nigellis*, de quibus ſuprà, genus ſcil. monetæ; cui unde id nominis hæſerit, exponit Nicol. Oreſmius Epiſc. Lexov. *de Mutat. Monetar. c.* 2. *& quoniam aliquoties in aliqua regione non ſatis competenter habetur de argento* ----- *imò portiuncula argenti; quæ juſtè dari deberet, pro libra panis vel aliquo tali, eſſet minùs benè palpabilis, propter nimiam parvitatem, ideo facta fuit mixtio de minùs bona materia cum argento: & inde ortum habuit* Nigra *moneta, quæ eſt congrua pro minutis mercaturis.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in hac voce, ut & in voce *Moneta*.

NIGRI Monachi, in Communione Romana qui *Nigromonachi* in *Geſtis* Innocentii Pontificis dicuntur Monachi Benedictini, à *nigro* habitu, quô utuntur. Vide infrà *Nigrorum Ordo*.

NIGRIGERULI, Græcis Μελανηφόροι, quæ vox in veteri monumento,

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΕ-
ΝΟΜΕΝΟΣ
ΕΝ ΤΩ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ Ε-
ΝΙΑΥΤΩ
ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ ΚΑΙ ΟΙ ΘΕΡΑ-
ΠΕΥΤΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙΟΣ.. ΥΝΙ
ΙΔΡΥΣΑΝΤΟ.
GAJUS GAJI F. ACHARNENSIS SA-
CERDOS FACTUS
IN NAUSII ARCHONTIS ANNO
ET MELANEPHORI ET MINISTRI
PRO
POPULO ATHENIENSIUM ET PO-
PULO
ROMANORUM ISIDI JUSTITIÆ DE-
DICARUNT.

Munus aliquod denotat, ad ſacra Iſidis, Serapidis, aliorumque aliquot ex Ægypto maximè Deorum ſpectans: quodnam autem illud fuerit, non adeò liquet. Legitur *Inſcr. Græca* in Petri Bembi *Ep. Ital.* ubi Theophilus Theophili fil. Antiochenus dicitur Μελανηφόρος Serapidis, Iſidis, Anubidis, Harpocratis, Seleucô Andronici Rhamnuſii filiô Sacerdote. Neque extra Inſcriptiones vox hactenus obſervata. Interim ex his facilè colligitur, Melanophoros hos ſeu *Nigrigerulos*, in pompis ſacris Numinum ornamentis geſtandis fuiſſe præſtitutos, indeque nominatos. Sic Hierophori, Thyrſophori, id genus alii. In Iſidis autem ornamentis erat, *quæ longè longeque*, ut Appulejus *Mileſiar.* 11. *etiam meum confutabat obtutum, Palla nigerrima, ſplendeſcens atrô nitore, quæ circumcirca remeans* &c. Unde Laur. Pignorius *in Iſiacis p.* 10. *Et quidem in tabula univerſa nigror hic maximè conſpicitur, argentô ferè ſemper diſcretus, quâ mente Appulejus eidem* (Iſidi) *prætextam diſcolorem & Pallam nigerrimam adſignavit.* Ita ergo Theophilus hic fuerit ex Melanophororum ſodalitio, cujus munus erat *pallam* illam *nigerrimam* geſtandi. Quò proculdubio ſpectat illud Plut. de Iſide, eam pro Luna ſumi & cornua imaginis ejus pro illuminationibus falcatis: cùm Τὰς δὲ, inquit, *l. de Iſide & Oſir.* μελανοστόλοις ἐμφαίνουσι τὰς κρύψεις καὶ τοὺς περισκιασμοὺς ἐν οἷς διώκει ποθοῦσα τὸν Ἥλιον, *Nigris autem veſtibus occultationes ejus & obumbrationes deſignant, quibus Solem deſiderans ſpectatur,* &c. Vide Joh. Seldenum *de Synedr. Veter. Hebr. l.* 2. *in Addend.*

NIGRINUS, nomen variarum in Republica Romana gen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tium, circa tempora Hadriani Imperatoris Avidiæ nempe, Pontiæ, & Domitiæ, è qua poſtrema is fuit, qui Hadriano inſidias ſtruxit, apud Spartian. *in Vita Hadriani c.* 7. *Nigrini inſidias, quas ille ſacrificanti Adriano, conſcio ſibi Luſio & multis aliis paraverat, quum eum etiam ſucceſſorem ſibimet Adrianus deſtinâſſet, evaſit. Quare Palma Terracinæ, Celſus Bajis, Nigrinus Faventiæ, Luſius in itinere, Senatu jubente, invitô Adrianô (ut ipſe in vita ſua dicit) occiſi ſunt.* A quo tempore Hadrianus, in Græcanicis ſacris, veterem ſuſtulit morem, per quem ſoliti multi cultros in ſacris habere. Idem tamen Imperator Lucium Verum, *Nigrini* hujus, ductâ dominâ Lucillâ, filiâ ejus, generum, adoptavit. Meminit & Galenus Domitii cujuſdam *Nigrini*, *de Compoſitione Medicam.* κατὰ γένη, *l.* 7. Vide Caſaubon. *Not. ad Spartian. loc. cit.*

NIGRINUS, Πλάτωνικὸς φιλόσοφος, uti eum vocat Lucian. *in Nigrino*, quem ſis vide.

NIGRIS, fons Æthiopiæ, quem nonnulli caput Nili eſſe autumaverunt, quòd ſit ejuſdem cum Nilo naturæ, calamum enim & papyrum, eaſdemque gignit animantes, & iiſdem temporibus augeſcit, Plin. *l.* 5. *c.* 8. Ptol. *l.* 4. *c.* 5. *Nic. Lloyd.* Nempe fluvius eſt Africæ, Nilô non minor, ſimiliſque cum eo naturæ; eôdem enim, quô Nilus, tempore adjacentes eum regiones inundare. *Itineraria* docent. Quod *Jeniſcea* quoque, fluvio Aſiæ Borealis, cujus inundatione durante incolas in montanis morari oportet: Item *Caypumo*, fluvio Regni Pegu: & *Menamo* fluvio Regni Siamenſis, Auctor *Navig. Belg.* Blancus *part.* 1. *c.* 19. & Schoutenius *deſcr. Regis Siam* aſcribunt. Alluit regiones Guangaram, Zanfaram, Caſſenam, Tombutum, Mellum &c. &, poſtquam, more Anæ Hiſpaniæ fluvii, per ſubterraneos meandros altiſſimorum Montium aliquandiu lapſus eſt, ad promontor. Viride egreditur. Vide Athanaſ. Kircherum *Mundo Subterran. l.* 2. *c.* 15. Blancum *part.* 2. *c.* 1. Aloyſium Cadamuſtum *Navig. c.* 14. Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 3. §. 15. &c. ut & in voce *Niger.*

NIGRITÆ, popul. Africæ, *Ptol. Nigretes* Dionyſio *v.* 215.

Γαιτυλοί τ' ἐφύπερθε καὶ ἀγχίγνοι Νίγρητες.

De his vide Geographum *l. ult.* Plin. *l.* 5. *c.* 8. Melam. *l.* 3. *c.* 10. *Papius Negretes* legit; ſic enim vertit,

Gætulique ultra, & finitimi Negretes.

Pro ἀγχίγνοι, autem *Ceporinus* ἀγχίγειοι, alii ἀγχέμαχοι legunt. Sunt in Libya ulteriore, quorum regio perampla Nigritia, ab Ortu in Occidentem extenſa, juxta Nigrum fluv. Terminatur à Septentrione Saarâ regione ſeu deſertô, à Meridie Guineâ, ab Occaſu Oceanô Atlanticô. Dividitur in XIV. regna, vix nomine nobis nota, *Gangara*, nempe, *Zanfara*, *Caſſena*, *Zegzeg*, *Cano*, *Guber*, *Gago*, *Agades*, *Mandinga*, *Tombuto*, *Gualata*, *Geneboa*, *Jalofes*, & *Melli.* Sed raræ ibi urbes. *Nic. Lloyd.* XV. eorum Regna habet Hornius, atque ex iis notiſſima præcipuaque *Gualata*, *Tombuto*, *Senega*, *Melli*, & præ his *Guineam.* Eandem regionem fluv. Senegam, Nigro ſimilem, inundare addit, *Orbis Polit. part.* 4. *p.* 72. Ad eoſdem *Nigritas* referuntur Inſulæ Fortunatæ, ſed harum res antiquæ, non minùs ac reliquorum Regnorum, ignotæ ſunt: Id ſolum conſtat, circa A. C. 1430. in Magna Canaria duos fuiſſe Reges, quorum uni nomen *Doramas*, alteri *Guavartema*, qui dum civili bello collidebantur, occaſionem Hiſpanis Canariæ expugnandæ præbuerunt: reliquas Inſulas paulò antè Franci occupaverant, qui tandem jus ſuum in Hiſpanos venditione tranſtulerunt, Idem *part.* 3. *p.* 110.

NIGRITIÆ URBES:

Cantorum, *Cantory.*	Guberum, *Guber.*
Canum, *Cano.*	Mandinga, *Mandinga.*
Caſſena, *Caſſena.*	Maraſa, *Maraſa.*
Gagum, *Gago.*	Tombutum, *Tombut.*
Gangara, *Gangara.*	Zanfara, *Zanfara.*
Genehoa, *Genehoa.*	Zegzegum, *Zegzeg.*

NIGRITIS Palus, aliis eſt *Lac Guarda*, prope urbem *Guber*, in Nigritia, per quam Niger labitur.

NIGROÆ, populi ſunt, qui regem habent monoculum, *Herodot.*

NIGROMANTIA, pro NECROMANTIA. Ebrardus *in Græciſmo c.* 8.

——— *Mors nigron eſt*, Nigromantia *dicitur inde.*

Et *c.* 10.

De nigris propriè Nigromantia *dicitur eſſe.*

Hinc *Libri nigri* i. e. *Necromantici*, apud Ekkehardum *de Caſibus S. Gall. c.* 2. Vide ſupra *Necyomantia*, item *Niger Deus.*

NIGRORUM Ordo, in Eccleſia Romana dicunter Caſinenſes Monachi & aliæ Congregationes Ordinis S. Benedicti, à *nigro* habitu, quô uti conſueverunt Seculares Clerici, qui tamen ante regimen illius Eccleſiæ, à Benedictinis diu retentum, violaceum colorem adhibebant. Olim enim Benedictinorum religio in tantum invaluit, ut haberet ex Caſinenſi Congregatione octo Pontifices, & ex aliis, quatuor: item bis mille Cardinales, ſepties mille Archiepiſcopos, quindecim verò Epiſcoporum millia; porrò Sanctos canonizatos 55700. ut *Tamburinus* habet, vel 5555. ut Johannes XXII. Papa. Monaſteria ejuſdem ordinis hæc inventa ſunt: Abbatiarum triginta tria millia, Præpoſiturarum quatuordecim millia, Mulierum Cænobia innumera. Ab hoc Ordine per 500. annos Romana Eccleſia gubernata eſt, tantaque ejus fuit auctoritas & ſanctitatis opinio, ut Imperatores ac Reges non pauci, depoſitô diademate, in hoc inſtituto vitæ reliquum exegerint. Eadem cauſa eſt, quòd Seculares Clerici, uti dictum, *nigrum* habitum, violaceô ſepoſitô, aſſumſerint, &c. Vide Dominicum & Carolum Macros *in Hierolexico*, ut & ſuprà, ubi de *Caſinenſi Abbatia.* Sed & apud Græcos Monachi etiam *Nigri* μελανειμονοῦντες dicuntur, in Synodo Trullana, *can.* 42. Car. du Freſne in voce *Nigromonachi.* Vide quoque ſupra ubi nos de *Monachis*, eorumque veſte &c.

NIGRORUM Regio, vide *Papuorum terra*, in mari Indico recens detecta, inter novam Guineam ad Ortum & Moluccas ad Occidentem. Sed tantùm verſùs oram littoralem luſtrata ab Europæis.

NIHIL fecit, in acclamatione Claudio II. factâ apud Trebellium Pollionem *c.* 4. *Claudi Auguſte --- tu nos à Palmyrenis vindica (dictum quinquies) Claudi Auguſte, tu nos à Zenobia & à Victoria libera: (dictum ſepties) Claudi Auguſte, Tetricus* nihil fecit: *(dictum ſepties)* ubi alias, ſed ſine ſenſu, legebatur, *Nihil fuit.* Nempe Senatores, quorum iſtæ ſunt acclamationes, videntur æquiores fuiſſe Tetricô, qui (licèt inter XXX. Tyrannos) & ex ipſorum erat corpore & Vir Conſularis, quique multa feliciter egerat & olim imperârat. Ideoque cùm acclamationibus ſuis poſtulent, ab Aureolo vindicari & à Palmyrenis, à Zenobia & Victoria liberari; contra Tetricum tale nihil poſtulant, ſed illum *nihil feciſſe* acclamant, h. e. nihil commiſiſſe, quare ab eo liberari vindicarique meritò deſiderare poſſint. Idiotiſmus autem planè eſt, *Nihil fecit*, eô ſenſu: Sed notum, acclamationes hujuſmodi magnam partem vulgari idioticoque ſermone conceptas fuiſſe. Sic planè accipitur, apud Juvenalem *Sat.* 6. *v.* 222.

O demens, ita ſervus homo eſt! nil fecerit *eſto.*

i. e. nil commiſerit, dignum pœnâ, nihil deliquerit. Vide Salmaſ. *Not. ad Pollionem*, & *hîc infrà.* Apud recentioris verò ævi Hiſtoricos, *Nihilfecit*, cognomen eſt aliquot Franciæ Regum primæ & ſecundæ ſtirpis, quòd deliciis Palatinis dediti, rerum civilium & militarium ſummam Majoribus-Domus demandarent: quanquam non deſunt, qui illos ab hujuſmodi Scriptorum calumniis vindicare conentur. Hinc vox nata Gallis *Faitneant*, pro ignavo. Harigerus Lobigenſis *de Vita S. Urſmari*, apud Mabillonium, *Seculo* 3. *Tom.* 2. *p.* 610.

Tunc fratres gemini Dagoberto Rege creati,
Francorum gentem ſimili nec ſorte duellem
Secernunt ſceptris, Chlodoveus Belgica ſegnis
Regni ſceptra tenens, ſed nil laudabile linquens,
Tres itidem ſegnes proprio de ſemine fratres,
Liquit Hlotarium, Hildricum & Theodoricum, &c.

Maximè verò Ludovicus Balbus Caroli Calvi fil. ita indigitatur. Aimoinus *de Miraculis S. Benedicti c.* 1. *Verùm Auguſto Karolo rebus humanis exempto, filius ejus Ludovicus ſucceſſit, qui* Nihil feciſſe *nomen ſortitus eſt, ſive quòd vix duobus annis regnô potitus, nil ſtrenuè geſſit, ſive quòd Sanctimonialem quandam, ſicuti à Majoribus accepimus, Kala Monaſteriô puellarum abſtractam conjugio copulans ſuo, peccatum; quod* Nihil *eſſe dicitur, perpetrârit.* Geſta Conſulum Andegav. *c.* 2. *n.* 5. *Ætate Ludovici Balbi, cognomentô Nihil fecit.* Et *c.* 3. *n.* 1. *Tempore Ludovici Regis Nihil facientis*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Jean *de Serres* in ſuo *Invent. Gener.* Reges *Nihil facientes* ſeu *Roys Faineans*, ex familia Merovingorum, vocat hujus ſtirpis ultimos, *Theodoricum* I. (ſub quo Ebroinus Magiſter Palatii ſeu Major-Domus rerum potitus eſt, ab Ermenfrido Nobili poſtea occiſus, & Pepinus potentiæ ſuæ fundamenta jecit, in Ebroini locum ſuffectus:) *Clodoveum III. Childebertum III. Dagobertum II.* (ſub quibus omnibus, integrô 40. annorum ſpatio idem Pepinus potentiam firmandi tempus habuit, defunctus, Dagoberti adhuc regnô. Itaque in ejus locum fil. illius nothus Carolus Martellus, verè *Regum Rex*, ut Hiſtoricis vocatur, poſt obitum Dagoberti, filio ejus primogenito ſchema Regium impoſuit, eumque inter Reges *Nihil fecit* collocavit *Childebertum III.* ſcil. cui ſucceſſit *Theodoricus* & *Dietricus II.* (ſub quo Martellus, rebus contra varios hoſtes præclarè geſtis, è Majore-Domus creatus Dux Francorum, Carolovingorum Monarchiæ propiorem viam ſtravit) Theodoricum excepit ultimus Merovingorum, *Childericus IV.* qui ſub Carolo Martello 5. an. & 4. ſub hujus filio Pepino, cùm præfuiſſet, Pepinô annitente, à Zacharia Pontifice Romano exauctoratus & in Cœnobium detruſus, Pepino autem Regnum, quod filius ejus Carolus M. in ſummam poſteà amplitudinem evexit, adjudicatum eſt. Quod exemplum Pontifices ſequutis temporibus in conſequentiam trahentes, penès ſe eſſe Reges creare, ac deponere, facti hujus argumentô, contenderunt: præcipuè in cauſa Henrici III. quô Regum Galliæ vix alius propiùs Chilperico acceſſit. Et certè hæc Regni ad Carolingos tranſlatio, tanquam fundamentum Pontificiæ potentiæ, meritò à Politicis habetur. Vide Georg. Hornium, *Orbe Imperante p.* 117. & Regum horum quemque ſuo locô.

NIHIL vos moramur, Patres Conſcripti, formula apud Romanos dimittendi Senatus: quemadmodum Concio diſſolvebatur verbo, *Diſcedite.* Jul. Capitolin. *in Marco Philoſopho c.* 10. *Comitiis præterea etiam uſque ad noctem frequenter interfuit: neque unquam receſſit de Curia, niſi Conſul dixiſſet, Nihil vos moramur, Patres Conſcripti.* Vide Caſaubon *ad loc.*

NILEUS, Codri ultimi Athenienſium Regis fil. poſtquam Medonti fratri regnô cedere oraculô monitus eſſet, quia domi manere ulteriùs inglorium ſibi duxit, auctor Ionibus migrationis fuit. Cujus migrationis meminit Marmor Arundel. Ἀφ' οὗ Νηλεὺς ᾤκισε ... Ἔφεσον κλ. *Ex quo Neleus inhabitavit-Epheſum* &c. Vide Pauſaniam *l.* 7. & ſuprà voce *Ionia.*

NILEUS, Philoſophus, quem Athenæus *l.* 1. ait habuiſſe in ſua poteſtate omnes libros Ariſtotelis: ejus tamen non meminit Laërtius.

NILIDES, lacus Cæſareæ in Iſco, ab Juba dedicatus, ob hoc argumentum, quòd Nili origo credatur eſſe, Plin. *l.* 5. *c.* 9. Ubi intelligit, ſimulachrum vel picturam illius lacus ab Juba fuiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fuiſſe dicatam, in templo Iſidis, apud Cæſaream Mauritaniæ urbem. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 415. & in voce *Nilus*.

NILIS, lacus inferioris Mauritaniæ, quem Nili aquæ ſtagnantes efficere creduntur, Plin. *l.* 5. *c.* 9.

NILOA, Græcè Νειλῷα, feſtum Ægyptiorum, ſub ortum inundationis *Nili*, in hujus honorem, celebrari ſolitum, unde & nomen. Heliodor. *Æthiopicor. l.* 9. Καὶ γάρ πως συνέπεσε Νειλῷα τότε τὴν μεγίστην παρ' Αἰγυπτίοις ἑορτὴν ἐνεστηκέναι, κατὰ τροπὰς μὲν τὰς θερινὰς μάλιστα, καὶ ὅτι ἀρχὴν τῆς αὐξήσεως ὁ ποταμὸς ἐπιλαμβάνει τελουμένην, ὑπὲρ πάσας δὲ τὰς ἄλλας πρὸς Αἰγυπτίων σπουδαζομένην. *Etenim accidit, ut Niloa tunc, maximum apud Ægyptios feſtum immineret, circa Solſtitium quidem maximè æſtivum, & cùm inundatio fluvii initium ſumit, celebrari ſolitum, cujus ſupra reliqua omnia Ægyptiis cura eſt.* Ab ea gente enim Nilus *Horomasdes* (ſi Laërtio fides habenda, qui tamen fallitur, cùm hoc nomen Perſicum ſit, quò Kalendæ deſignantur) h.e. Jupiter vocatus eſt, diviniqu̧e ei honores habiti ſunt, uti diximus in voce *Nilus*. Hinc idolum ejus ſuper aggere recubantis, in nummis viſitur. Idem verò fluvius *Triton* dictus eſt aliquando. Lycophron *Caſſandra*, de Proteo,

——— ὁ Θρήκης ἔκ ποτ' ἐπακτίαν
Τρίτωνος ἐκβολαῖσιν ἠλοκισμένην
Χέρσον περάσας ———
——— *qui olim littoralem ex Thracia*
Fœcundi opimatam Melonis fluctibus
Humum penetrans ———

Item *Aëtos*, *Ægyptius* & *Oceanus*; donec *Nili* accepit nomen. Inundationis cauſas habes, apud Solinum inprimis *c.* 35. ad quem omnino vide *Salmaſ.*

NILOPOLIS, Ægypti oppid. *Ptol.* & *Steph.* & nomus. In Occidentali Nili ripa, inter Memphim ad Boream & Herculis urbem in Meridiem. Hujus Epiſcopus Chæremon, ſub Decio Imperatore in fuga, legitur in cœlum raptus, Euſeb. *l.* 2. *ep.* 8. Lætus *Hiſt. Univ. comp.*

NILOSCOPIA, vel NILOMETRIA, vide *Nilus*.

NILUS, ſeu *Phruron*, Thebanorum in Ægypto Rex XXXVI. poſt Siphoam ſeu Mercurium II. fluvio *Nilo* nomen dedit, Diodorus infrà laudandus, cùm antea Ægyptus vocaretur, ut ex Homero patet *Odyſſ. l.* 14. & Pauſan. *Bœotic.* Regnavit ann. 5. exciſæ Trojæ juxta Dicæarchum æqualis. Eum excepit Amuthantæus. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* X.

NILUS, Patriarcha Conſtantinopolitan. poſt Macarium, A.C. 1378. per ann. 20. Onuphr. *in Chron.* Item Archiepiſcopus Theſſalonicenſis A.C. 1355. Scripſit contra primatum Paparum.

NILUS, Ægypti Epiſcopus exuſtus, ſub Diocletiano. Vide Lactantium, *l.* 5. *c.* 11.

NILUS, hiſtoricus, Græcè extare dicitur à Rob. Conſtantino in ſuo Nomenclatore. Alius autem ſine dubio eſt *Nilus* B. Chryſoſtomi diſcipulus, ſub Theodoſio juniore monachus Conſtantinopolitan. ac Theodoreti æqualis; ſcripſit de cæde SS. Martyrum, monachorum à Saracenis occiſorum, in monte Sina: quem librum Lipomannus, & Poſſevinus verſum, A.C. 1639. ediderunt. Prodierunt quoque ejus 355. epiſtolæ ex Bibliotheca Magni Florentiæ Ducis cum verſione & notis. Alia etiam reliquit, ſed parænetica. Vide Photium *in Bibl. cod.* 153. 201. 276. Nicephor. *Eccleſ. Hiſt. l.* 14. *c.* 14. 53. 54. *Sixt. Sen.* &c. *Lloydius.*

NILUS, Africæ fluv. celeberrimus, ut Aſiæ Ganges, & Indus, atque Europæ Danubius. Plurima ejus ab antiquis perhibentur, & celebrantur nomina. Nam & *Ægyptus* & *Triton* dictus, &c. Nos, omiſſis reliquis, quæ hodieque apud varios populos obtinent: Abyſſinis enim *Tacui & Abanhi* dicitur, &c. de notiſſimo eorum tantùm impræſentiarum agemus, ac primum de Nomine, cujus originem quod attinet, variæ ſunt authorum de illa ſententiæ, potiſſimæ verò ſunt hæ ſequentes. *Primò* Diodor. Sic. eum à *Nileo* quodam, Ægypti Rege, ſic dictum arbitratur, *l.* 1. ubi de Regibus Ægyptiorum antiquis loquens, ait: Οὐδὲν αὐτῶν ἔργον παντελὲς, οὐδὲ πράξεις ἱστορίας ἀξία παραδίδοται, πλὴν ἑνὸς Νειλέως, ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸν ποταμὸν ὀνομασθῆναι Νεῖλον. *Secundò Euſtathius*, à *Nilo* quodam Atlantis nepote, ſic appellatum putat. Νεῖλον φασὶν ὀνομασθῆναι ἀπὸ Νείλου τινὸς ἀπογόνου Ἄτλαντος βασιλεύσαντος τοῦ ἐκεῖ. Ibidemque addit aliis ſic dictum videri, ἀπό τινος Νείλου βασιλικοῦ παιδὸς ἐκρίψαντος ἑαυτόν. *Tertiò*, doctior eſt, quæ etiam pleriſque veterum placuit etymologia, quâ Νεῖλος dicitur, quaſi Νέιλυς, quòd νέαν ἰλὺν, h.e. *novum limum*, ſingulis annis mittat. Eam diſertè innuit Heliodor. Æthiopicor. *l.* 9. *his verbis*: Ὡς δὲ τὴν ἑορτὴν ἐξετέλουν ἐπὶ μέγα Νεῖλον αἴροντες, ὥσπερ τε καὶ τὸν ὅρον Αἰγύπτου τε ἁπάσης ἀποκαλοῦντες, Αἰγύπτου τε ὅλης, τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ πατέρα, καὶ δημιουργὸν νέαν ἰλὺν δι' ἔτους ἐπάγοντα, καὶ Νεῖλον ἐντεῦθεν ὀνομαζόμενον. Quod ipſum *Nonnus Panopolitanus* optimè expreſſit, uti videre eſt *in his*:

Νεῖλον ἐφημίξαντο φερώνυμον, οὕνεκα γαίης
Εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος πεφορημένος ὑγρὸς ἀκοίτης
Χεύματι πλήθοντι νέην περιβάλλεται ἰλύν.

Quid quod & Dionyſius Periegetes eò quoque alluſiſſe videatur *v.* 229. ubi ait:

Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὸς ὄλβον ἀέξειν.

Ubi *Scholiaſtes*, Νεῖλος ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ἐνιαύσιον ἄγειν ἰλύν. *Quartò*, doctiſſima proculdubio eſt Nicolai Fulleri ſententia, qui nihil alienius eſſe ait, quàm originem nominis Ægyptiaci à lingua peregrina, qualis eſt Græca, derivare. Ipſe ergo *Miſcellan. l.* 2. *c.* 8. ſtatuit *Nilum* dici, ab Hebræorum נחל *nahal*, quod *flumen*, ſeu *torrentem* ſignificat, quia omnium fluminum princeps eſt. Nec à Scriptura alienum hoc eſt, quæ Nilum vocat נחל מצרים, h.e. *fluvium Ægypti*, unde etiam Juvenalis *flumen* ſimpliciter poſuit pro *Nilo*, *Sat.* 15. *v.* 7. Hanc etymologiam probabilem quoque reddit Æthicus, qui Nilum ab accolis *Nuchal* vocari ſcribit, quod dubio procul idem cum Hebræorum *Nachal*. Mela quoque fontem Nili ita nominatum tradit *l.* 3. *c.* 10. Qui autem plures hujuſce fluvii derivationes ſcire velit, Martinium videat in *Nilo*. II. Ortum ejus quod attinet, cum inveſtigare fruſtranei laboris conatus olim habitus eſt: unde in proverb. abiit *Nili caput quærere*, quod uſurpatur de re ſupra humanas vires arduâ. Quam ſententiam primus videtur prodidiſſe *Herodot.* qui ſcribit, neque Ægyptiorum, neque Afrorum quenquam à ſe repertum, qui fateretur, ſe ſcire Nili ortum. Hunc alii ſecuti ſunt: Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 23.

Nile pater, quànam poſſum te dicere cauſâ,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?

Horatius *Carm. l.* 4. *Od.* 14. *v.* 45.

Te fontium qui celat origines
Nilus. ———

Lucan. *l.* 10. *v.* 295.

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre.
Amovitque ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm noſſe, tuos. ———

Claudian. *de Nilo*, *v.* 8.

Qui rapidô tractu mediis elapſus ab Auſtris
Flammiferæ patiens zonæ, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hunc vidiſſe caput. ———

Ovidius cum auctario figmenti poëtici idem exprimit, *Met. l.* 2. *v.* 254.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput quod adhuc latet: oſtia ſeptem
Pulverulenta vacant, ſeptem ſine flumine valles.

Inde Amm. Marcellin. *l.* 22. *Origines fontium Nili, ut mihi quidem videri ſolet, ſicut adhuc factum eſt, poſteræ quoque ignorabunt ætates.* Sidon. Apollinaris *in Panegyr. Aviti*:

——— *Ignotum plus notus, Nile per ortum.*

Inter falſas autem de Nili ortu ſententias, celeberrima, multorumque veterum Theologorum ſuffragiis munitiſſima eſt, quæ Nilum ex ipſo Paradiſo terreſtri ortum ducere, & inter Paradiſi flumina eſſe ſtatuit. Aſſentiuntur veteribus recentiores quoque, imprimis Pontificii doctores, inter quos Patres Conimbricenſes, *c.* 9. *de meteoris* & *c.* 10. ubi aſſerunt, Nilum è terreſtri Paradiſo ortum ſubterraneis cuniculis abſcondi, tum quaſi primùm naſci in quodam Africæ lacu, in regno Congenſi; quod obſervatum ſcribit Zanardus ab iis, qui noſtrô ſeculò loca illa peragrârunt. Sed hæc opinio, ſive ſomnium potius, jam diu exploſa eſt. Virg. videtur Nili fontes in Indiâ collocare, uti videre eſt *in his*, *Georg.* 4. *v.* 287.

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circumpictis vehitur ſua rura phaſelis:
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ, &c.

Quærunt hîc viri docti, quid Perſis commune cum Nilo, qui quàm longiſſimè à Perſide abeſt. Indos autem hôc locô Scaliger Æthiopas interpretatur. Neutrum benè, inquit V. C. Iſ. Voſſ. *in not. ad Melam*, *p.* 42. Omninò hic Virgilius ſecutus eorum opinionem, qui putârunt. Nilum iiſdem, quibus Indus & Aceſines concipi fontibus, ac deinceps per multas, vaſtaſque fluere ſolitudines, donec Æthiopiam contingeret, atque illic demum *Nilum* vocari. Arrian. *l.* 6. Καὶ ἀκούσας ὅτι ὁ Ἀκεσίνης ἐμβάλλει ἐς τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν, ἔδοξε ἐξευρηκέναι τοῦ Νείλου τὰς ἀρχὰς, ὡς τὸν Νεῖλον ἐνθένδε ποθὲν ἐξ Ἰνδῶν ἀνίσχοντα, καὶ δι' ἐρήμου πολλῆς γῆς ῥέοντα, καὶ ταύτῃ ἀπολλύοντα τὸ Ἰνδὸν τὸ ὄνομα. Pauſan. ipſum Euphratem Nilum poſteà fieri contendit; Scribit enim *in Corinthiacis*, Εὐφράτην ὄντα εἰς ἕλος ἀφανίζεσθαι, καὶ αὖθις ἀνιόντα ὑπὲρ Αἰθιοπίας, Νεῖλον γίγνεσθαι. Nempe totum Erythræum & Indicum mare lacum eſſe crediderunt veterum nonnulli, quæ mira fuit imperitia. Sive autem Euphratem, ſive Indum accipias, unde profluit Nilus, jam rectè Virgilius dixerit eum viciniâ Perſidis urgeri. Et hæc quidem eſt veriſſima interpretatio loci iſtius Maroniani. In hâc opinione etiam fuiſſe videntur plurimi Chriſtianorum, inter quos Philoſtorgius *l.* 3. *c.* 10. cùm ait, Nilum in Arctois regionibus oriri, & iiſdem ex partibus fluere, unde Hyphaſis, Euphrates ac Tigris. Ita quoque ſenſit Lucanus, *l.* 10. *v.* 292. cùm de Nilo canit:

Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque Seres.

Ex horum quoque ſententiâ loquitur Solinus *c.* 3. cùm ait, Euphratis ac Nili fontes ſub iiſdem parallelis eſſe, & ad modulum ejuſdem perpendiculi conſtitutos. Atque hactenus Nili originem quæſivimus, nec tamen adhuc invenimus. Paulus Jovius *Hiſt. ſui temporis l.* 18. eam ex relatione Petri Abyſſini viri doctiſſimi ſic deſcribit: *Ab immenſis* (inquit) *aſperrimiſque rupibus, quæ* Lunæ montes *vocantur, frequenti, & copioſâ ſcaturigine, Nili fontes erumpunt, in loco vehementer abſtruſo, qui* Beth, i.e. *deſertum Abyſſinâ linguâ dicitur.* Cum Jovio conſentit Oroſius, *de rebus geſtis Immanuelis*, *l.* 9. Scripſit quoque idem ante hos Philoſtratus, *l.* 1. *Icon.* Νείλου μὲν Αἰγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολὰς, Αἰθίοπες δὲ τὰς πηγάς. Ab hâc relatione non diſſentiunt recentiores Geographi, qui duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni, & Æquatorem deſcribunt, unum ad ortum, qui minor, & *Zaflan*, aliis *Zahan* appellatur: alterum ad occaſum & *Zembre* nominatur. Ex hiſce lacubus duo validi effluunt fluvii, qui Æquatorem tranſcurrunt, & in Abyſſinæ regione *Bagamidri* coëunt, Niloque nomen ex multorum ſententia accipiunt. Etſi ex aliorum Geographorum opinione, ex ſola palude *Zembre* Nilus effluit, & nomen ipſô ſta in confluxu, cis Æquatorem ſortitur, quam & Wendelinus veriorem ſententiam judicat, & Nili majeſtati accommodatiorem. Qui verò ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ipſis Lunæ montibus magis ad Auſtrum vergentibus Nili caput cum Ptolemæo arceſſunt, non videntur contemnendi; ſed dicendum tum fuerit, vel ab ipſo Nilo paludem *Zembre* effici, loci forſan concavitate flumen excipiente, & in ingentem paludem diducente, vel paludem iſtam ex aliis fontibus ortam à Nilo pertranſiri. Qui autem ex Mauritaniæ Cæſarienſis monte Atlante Nilum oriri olim tradiderunt, ſecuti Jubam regem, uti teſtantur Plin. *l.* 5. *c.* 9. Solin. *c.* 35. Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 15. Vitruvius *l.* 8. *c.* 2. Xiphilinus *in Severo*, ubi ait, ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς ἀναδίδοσθαι, non video, qui ſuam cum veritate ſententiam poſſint conciliare. Mauritania enim Cæſarienſis ad occidentem à Lunæ montibus quàm remotiſſima eſt; nec ullus inde fluvius Æthiopiam attingit, niſi forte *Gir*, qui *Niger Mercatori* dicitur, & varia in progreſſu nomina ſortitur, tandemque cum Nubiæ nomine in Nilum influit, & inde nonnullis viſus Nilum parere, quos inter Solin. *c.* 30. *Omnis hæc plaga*, inquit, *ab Æthiopia, & terminis Aſiæ, Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hiſpaniâ freto ſcinditur.* Vide Voſſ. *l. de origine Nili*, & Athanaſium Kircherum *in Oedip. Ægyptiac. tom.* 1. *c.* 7. *p.* 57. III. Omnium unanimi conſenſu Nilus omnium fluviorum maximus eſt; idque inde licet æſtimare, quòd perpetuam ſimul hyemem, & æſtatem patiatur. In ortu enim cùm hyemem habeat, in exitu habet æſtatem, unde quoque diem ſimul & noctem habet, quod nulli fluviorum contingit. Facilè hoc admittent ii, qui eam Nili longitudinem eſſe norint, ut à Lunæ montibus per Æquatorem, & Circulum Cancri in mare mediterraneum decurrat, quod intervallum eſt graduum circiter 35. Nonnulli tamen curſum ejus, ſi rectus eſſet, nullisque ambagibus inflexus, ad milliar. Germanica 700. extendunt. Cùm verò plurimis quæſitis ambagibus, cogentibus ita montium obſtaculis, multiplici flexu Æthiopiam pererret 500. vel 1000. milliar. German. longitudinem ejus æſtimant. Latitudo ejus non uſque adeò magna eſt, quia maximam partem montium faucibus arctatur. Ariſtides. *in Orat. Ægyptiaca*, ὡς ἔτι προσπλέων τῷ καθ' Ἐλεφαντίνην ὅρμῳ, εἰκάσεις κεκλεῖσθαι τὸ ῥεῦμα τοῦ Νείλου, στενὸν ἤδη φαίης ἂν ὑπορρεῖν ὑπὸ τὰς πέτρας αὐτόν. Ἴδοις δ' ἂν καὶ πρὶν εἰς Ἐλεφαντίνην τελέσαι, πρὸ οὐκ ὀλίγου ὁπόσον τινῶν σχοίνων συνιόντα οὕτω τὰ ὄρη, ὡς μέσον εἶναι μηδὲν, πλὴν τοῦ ῥεύματος αὐτοῦ, καὶ τοῦτο ἐνταῦθα εὖρος Αἰγύπτου, ὅπερ καὶ ποταμοῦ. In aliquibus tamen Abaſſinorum provinciis, ex multorum amnium concurſu dimid. milliar. Germanic. æquare dicitur. Diodor. verò Sic. minimam latitudinem ſtadiorum 10. aſſignat, *l.* 1. ubi verò infra Meroën pervenit, latitudinem 22. ſtadiorum habet. Ad ſummam, *Omnium fluminum*, inquit Gellius *l.* 10. *c.* 7. *quæ in maria, quà imperium Romanum eſt, fluunt, quam Græci* τὴν εἴσω θάλασσαν, (h. e. internum mare) *appellant, maximum eſſe Nilum conſentitur.* Unde κατ' ἐξοχὴν *magnus* Virgilio dicitur *Georg. l.* 3. *v.* 28.

Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum. ——

Strabo *l.* 15. quatuor flumina nominat ingentis magnitudinis. Gangem, Indum, Iſtrum, Nilum, Ariſtotel. *l.* 2. *Meteor. c.* 2. Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν. Senec. *Nat. Quæſt. l.* 4. *c.* 2. *Nilus cæteris major.* IV. Illud autem quod in hoc fluvio maximè admirandum eſt, Incrementum ejus; quod ſuperſtitio veterum Serapidi adſcriptum ibat, in cujus proin templo gradus incrementi notati, quod poſtmodum ſub Chriſtianis in illorum templa tranſlatum, meritò putatur. *Incrementum Nili* (inquit Diodor. Sic.) *adſpicientibus videtur admirabile, incredibile audientibus. Nilus*, inquit Plin. *loc. cit. certis diebus, auctu magnô per totam ſpatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Idem tempus inundationis ex Herodoto ita deſcribit: *Incipit creſcere Lunâ novâ, quæcunque poſt ſolſtitium eſt, ſenſim, modicéque, Cancrum Sole tranſeunte, abundantiſſimè autem Leonem, & reſidit in Virgine, iiſdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur inter ripas in Libra, ut tradit Herodotus centeſimo die.* Similia habet Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 15. Cùm *Sol*, inquit, *per Cancri ſidus cœperit vehi augeſcens, aduſque tranſitum ejus in Libram, diebusque centum ſublatius fluens, minuitur poſtea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervius equitabiles campos oſtendit.* Strabo tamen *l.* 17. tempus hoc nonnihil contrahit, Πλείους δ' ἢ τετταράκοντα ἡμέρας τοῦ θέρους διαμεῖναν τὸ ὕδωρ, ἔπειθ' ὑπόβασιν λαμβάνει κατ' ὀλίγον, καθάπερ καὶ τὴν αὔξησιν ἔσχεν, ἐν ἑξήκοντα δὲ ἡμέραις τελέως γυμνοῦται, καὶ ἀναψύχεται τὸ πεδίον. Hinc contra Chriſtianos perſecutionis occaſio; *Si Tiberis aſcendit in mœnia*, ſi Nilus non aſcendit in arva, *ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtiani ad Leones acclamatur.* Tertullian. *in apolog.* Sed & poëtas de tempore Incrementi Nili canentes audiamus. Tibullus *l.* 1. *eleg.* 7. *v.* 21.

Qualis & arentes cùm findit Sirius agros
Fertilis, æſtivâ Nilus abundat aquâ.

Lucanus *l.* 10. *v.* 298.

—— *Conſurgere in ipſis*
Jus tibi ſolſtitiis, alienâ creſcere brumâ
Atque hyemes adferre tuas.

Idem, *v.* 225.

—— *Nilus neque ſuſcitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem,
Ante parem nocti Librâ ſub judice Phœbum;
Inde etiam leges aliarum neſcit aquarum:
Nec tumet hybernus, cùm longè ſole remoto
Officiis caret unda ſuis: dare juſſus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æſtatibus exit.
Sub torrente plagâ, ne terras diſſipet ignis,
Nilus adeſt mundo, contraque accenſa Leonis
Ora tumet. Cancroque ſuam torrente Syenen
Imploratus adeſt, nec campos liberat undis,
Donec in autumnum Phœbus declinet, & umbras
Extendat Meroë. ——

Claudian. *Epigr. de Nilo v.* 33.

Cumque die Titana Canis flagrantior armat
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compeſcit, radiisque potentibus æſtuat axis,
Nilo bruma venit, contraria tempora mundo
Defectis ſolitum referens cultoribus æquor,
Effluit Ægæo ſtagnantior, acrior altô
Ioniô ſeſeque patentibus explicat arvis.

Cæterùm de vera ſtati hujus incrementi cauſa, variè inter doctos diſputatur, ut videre eſt apud Herodotum *in Euterpe.* Diod. Sic. *l.* 1. *c.* 4. Ariſtidem *Orat. Ægypt.* Heliodorum *l.* 9. & 10. Plin. *l.* 5. *c.* 9. 10. Senec. *Nat. Quæſt. l.* 4. Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 15. Lucret. *l.* 6. Lucan. *l.* 10. *&c.* E quibus Plinii locum (ut etiam de menſuris & gradibus incrementi conſtet) attuliſſe non abs re erit. Ita autem is, *Auctus ejus per puteos menſuræ notis deprehenduntur. Juſtum incrementum eſt cubitorum XVI. minores aquæ non omnia rigant; ampliores detinent tardiùs recedendo; hæ ſerendi tempora abſumunt, ſolo madente; illæ non dant, ſitiente: utrumque reputat provincia. In XII. cubitis famem ſentit; in XIII. etiamnum eſurit. XIV. cubita hilaritatem afferunt; XV. ſecuritatem; XVI. delitias.* Quæ tamen undarum menſuræ *Nilometrio Memphitico* competunt, non *Elephantino*, Strab. *l.* 17. *Nilus* enim in omnes Ægypti partes non æquali incrementô aſſurgit: *Maximum apud Elephantinam fit, cubitorum XXVIII. minimum apud Mendetem & Xoin, cubitorum VI. Medium, apud Memphim, ſi juſtum ſit, cubitorum XIV.* Plut. *de Iſide.* Varias de hac re veterum opiniones collegit doctiſſimus Wendelinus *in Admir. Nili*, quas hìc in Lectoris ſtudioſi gratiam recenſere non gravabor.

Primò, Thales Incrementi cauſam retulit ad Eteſias, multosque applauſores invenit. Statuit autem, ſpirantibus Eteſiis, Nili influentis curſum per ventos contrarios ſiſti, flumenque retroagi, & aquis ob hanc cauſam excreſcentibus, & velut aggeratis, Ægypti, quæ plana, & humilis regio eſt, inundationem ſequi. *Acto*, inquit Plin. *loc. cit. per Eteſias contra Nili oſtia mari, undas fluminis repelli, & reverberatas in ſe recurrere.* Pulchrè quoque eandem ſententiam exprimit Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 15. *Opinio celebratior eſt alia, quòd ſpirantibus Prodromis, perque dies* 45. *Eteſiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibitâ, ſuperfuſis fluctibus intumeſcit: & reluctante ſpiritu controverſô adoleſcens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente curſu venarum perennium, progrediens in ſublime tegit omnia.* Idem quâ felicitate reddiderit Lucretius *l.* 6. *v.* 712. ſequentes docent verſiculi:

Nilus in æſtate creſcit, campisque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum, medium perſæpe calorem:
Aut quia ſunt æſtate Aquilones oſtia contra,
Anni tempore eô quô Eteſia flabra feruntur.
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes rurſus replent, coguntque manere.

Sed hanc ſententiam *Scaliger* puerilem vocat.

Secundò, Anaxagoras quoque applauſores invenit, qui ex Æthiopiæ jugis nives ſolutas, ad Nilum uſque decurrere, indeque fluvium augeri ſtatuit. Qua in opinione, ut Seneca refert, omnis vetuſtas fuit, & poëtæ imprimis, *Æſchylus, Sophocles,* Euripides, qui *in Helena ſua* ita canit,

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
Ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
Λευκῆς τακείσης χιόνος, ὑγραίνει γύας.

Inter recentiores quoque *Cardanus* hujus ſententiæ patrocinium ſuſcepit. Eam verò ſic refutat Lucanus *l.* 10. *v.* 219.

Vana fides veterum, Nilo, quòd creſcat in arva,
Æthiopum prodeſſe nives. Non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. Teſtis tibi Sole peruſti
Ipſe color populi, calidique vaporibus Auſtri.
Adde, quòd omne caput fluvii, quodcunque ſoluta
Præcipitat glacies, ingreſſô vere tumeſcit
Primâ tabe nivis: Nilus neque ſuſcitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem.

Tertiò, Democritus Incrementum Nili non ad Auſtralem, ſed ad Septentrionalem nivem retulit. Sententiam verò, quæ conſideratis locorum intervallis planè abſurda videtur, ita explicat. In mundi parte Boreali maxima nivium copia brumæ tempore congelata, æſtate liquefit, inde elevatis ſurſum vaporibus, multæque denſæque nebulæ circa cacumina montana attolluntur; quæ ab Eteſiis ad altiſſimos Æthiopum montes delatæ, in pluvias vertuntur: inde maximi in Æthiopia imbres, quibus augetur Nilus. Amm. Marcellin. *loc. cit.* ita ſententiam hanc eloquitur: *Affirmant aliqui Phyſicorum, in ſubjectis Septentrioni ſpatiis, cùm hyemes frigida cuncta conſtringunt, magnitudines nivium congelaſcere, easque poſtea vi flagrantis ſideris reſolutas fluxis humoribus nubes efficere gravidas, quæ in Meridianam plagam, Eteſiis flantibus, pulſæ, expreſſæque tepore nimiô, incrementa ubertim ſuggerere Nilo creduntur.* Hæc autem ſententia ſtare non poteſt, quia Nilus incipit creſcere ſolſtitiô æſtivô, teſte *Diodorô*, Eteſiis nondum flantibus; ceſſat verò æquinoctiô autumnali, longè antè ſedatis hiſce ventis.

Quartò, *Herodotus*, ut à *Diodoro Siculo* refertur, putat, Nilum naturâ ſuâ tantum eſſe, quantus incrementi tempore viſitur; minui verò hyeme, quia ad Libyam tum Sol defertur, Niliique aquam ad ſe trahit, & quaſi haurit: Contrà verò in æſtate, cùm ad Arctum aſcendat, & Libyam quodammodo deſerat, aquas ſuas totas & illibatas Nilus retinet, & ob naturalem aquæ copiam exundat. Nec hæc conſiſtere poteſt ſententia; Quò enim declivior fit Sol, eò minùs efficax, minoremque trahendi vim habet: Contrà cùm ad Arctum adſcendit, & Ægypto verticalior fit, longè efficaciùs aquas haurit, ſecumque trahit. Ex hac igitur ſententia Nilus in hyeme potiùs, quàm æſtate creſcere deberet.

Quintò, *Ephorus* ajebat, omnem Ægypti terram, Nili inundatione

c

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tione aggeratam, raram aridamque naturâ eſſe, in qua maximi hiatus exiſtant pluribus in locis: hyeme igitur omnem humiditatem illos attrahere, & in ſe continere, quam æſtate, veluti ſudorem quendam, emittunt; unde fluminis incrementum. Paulò aliter ſententiam hanc refert Lucanus, *l.* 10. *v.* 247.

——— Sunt qui ſpiramenta terris
Eſſe putent, magnoſque cavæ compagis hiatus.
Commeat huc penitus tacitis diſcurſibus unda
Frigore ab Arctoo medium revocata ſub axem,
Cùm Phœbus preſſit Meroën, tellusque peruſta
Illuc duxit aquas: trahitur Gangesque Paduſque
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Unô fonte vomens, non unô gurgite perfert.

Sententia hæc Ephori à vero quàm longiſſimè abeſt, quia idem Nili Incrementum deprehenditur, priuſquam Ægyptum attingit, amplius 6000. ſtad. ab Ægypto in Æthiopia.

Sextò, quorundam in Memphi Philoſophorum opinio fuit, Nilum oriri in Zona Ægypto oppoſita, ita quidem, ut cùm in Ægypto æſtas eſt, in Zona illa ſit hyems; unde ingentem aquarum copiam Nilus hauriat, & in Ægyptum ſecum devehat: Non potuiſſe verò oppoſitam illam Zonam hactenus explorari, propterea quòd inter illam & noſtram interjaceat inhabitabilis, & inacceſſa Zona Solis ardore aduſta. Idem Galenus refert *in libello de Hiſtor. Philoſophica*: *Eudoxus*, inquit, *ab Ægyptiis ſacerdotibus ſe accepiſſe memorat, permutationem æſtatis in hyemem cauſam eſſe, ut Nilus quotannis exundet. Nam quando nobis, qui ſub Cancro degimus, æſtas ingruit, habitantibus ſub Capricorno hyems adeſt, quô fit, ut inde advectus Nilus continuis pluviis auctus increſcat, & ruptis alveis latiſſimè ſpatietur.* Eandem in ſententiam interpretari poſſis Theodoret. *Serm.* 4. Θεραπευτικῆς τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων, ubi Niloticæ exundationis cauſam aſſignat Solis ad circulum Borealem acceſſum, & à locis Auſtralibus diſceſſum, qui cæteris quidem ad Septentrionem fluviis incubat radiis ardentioribus, à Nilo verò magnis abſcedit ſpatiis. Horum in Philoſophorum ſententia nihil abſurdi deprehendit Wendelinus.

Septimò, Oenopides Chius, cùm videret aquas nonnullas fontanas æſtate frigidas, hyeme vero calidas eſſe, Nilum hyeme parvum, compreſſumque ajebat eſſe, quòd calor internus humorem conſumeret, & pluviæ nullæ eſſent, quæ abſumptum humorem reſtituerent, æſtate verò effuſum ob caloris interni abſentiam. Hoc ſi verum eſſet, omnibus fluminibus idem eveniret quod Nilo; ſimiles enim ubique ferè ſunt cauſæ; at contrarium teſtatur experientia.

Octavò, *Timæus* Mathematicus apud Plinium; *loc. cit.* exiſtimat Nilum ardoris vi extrahi, & ſuſpenſum abundare, à Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, ſtante ſidere contra perpendiculum fontis Nili, quem *Phialam* appellant. Similem ferè ſententiam refert Lucanus ubi ſupra *v.* 255.

Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum;
Æquoreosque ſales longô miteſcere tractu:
Nec non Oceanô paſci Phœbumque Polumque
Credimus. Hunc, calidi tetigit cùm brachia Cancri,
Sol rapit, atque undæ plus quàm quod digerat aër
Tollitur: hæc noctes referunt, Niloque refundunt.

Parum probabilitatis hæc habet opinio; nam præterquam, quod Sol verticalis aquas non augeat, ſed minuat potiùs, partibus aliquibus exhauſtis, & in vapores reſolutis; idem in aliis omnibus fluminibus contingeret, quæ eôdem modô Sol aſpicit, cujus contrarium verum eſt.

Nonò, alii ad Oceanum retulerunt Nili incrementum: putârunt enim Nilum ex Oceano fluere, & inde tantam aquarum copiam Ægypto inducere. Hanc rudem opinionem appellat *Herodotus*, quam refutatione indignam judicat. Negari quidem non potest, Nili ortum, ut fluminum aliorum omnium, Oceano deberi, quod & Heſiodus quoque innuit *in Theg. v.* 337.

Τηθὺς δ᾽ Ὠκεανῷ ποταμοὺς τέκε δινήεντας
Νεῖλον τ᾽, Ἀλφειόν τε. ———

Ubi *Thetys*, h. e. Terra, fluminum mater; *Oceanus* pater ſtatuitur: quia è terra quaſi utero flumina & fontes ſcaturiunt; terra autem ex Oceano aquas concipit. Quî verò ſtati iſtius incrementi Nilotici cauſa ad Oceanum referri poſſit, nemo facilè demonſtraverit. Et cur idem in aliis quoque fluminibus, quæ ex Oceano derivantur, non contingeret? Interim tamen *Herodoti* reſponſio non placet: negat enim Oceanum dari, qui terram circumfluat, contra temporum noſtrorum certiſſima experimenta.

Decimò, Achoreus apud Lucanum *l.* 10. *v.* 262. ſententiam ſuam his verbis exprimit:

Aſt ego, ſi tantam fas eſt mihi ſolvere litem,
Quaſdam, Cæſar, aquas poſt mundi ſera peracti
Secula, concuſſis terrarum erumpere venis,
Non id agente Deô, quaſdam compage ſub ipſâ
Cum mundo cœpiſſe reor, quas ille Creator
Atque Opifex rerum certo ſub jure coërcet.

Nullam hîc video Nilotici incrementi cauſam, niſi univerſalem, quæ Deus eſt, qui eam Nili naturam eſſe voluit, ut ſingulis annis exundaret. In quam ſententiam etiam *Ariſtides* concedit; qui ſe non videre profitetur, cuinam cauſæ Nili incrementum attribuat πλὴν ἐν τῇ μεγάλῃ σοφίᾳ καὶ προνοίᾳ τοῦ Θεοῦ. Atqui cùm Deus plerumque cauſarum ſecundarum utatur miniſteriô, illibata de cauſis ſecundis adhuc incrementi Nilotici manet quæſtio.

Ultimò, itaque Agatharchides Cnidius aſſerit, ſingulis annis, per Æthiopiæ montes, continuos à ſolſtitio æſtivo, uſque ad æquinoctium autumnale, imbres cadere: mirum igitur non eſſe, Nilum hyeme compreſſum, ſecundùm naturam, iis aquis fluere, quas fontes & alia flumina influentia ſubminiſtrant, æſtate verò propter imbres incrementum capere. Laudat hanc ſententiam *Diodor. Sic.* eamque ſequitur Arrianus *in Indic. ſive hiſtoriâ de Alex. l. ultimô.* Aſſentitur quoque Strabo *l.* 17. itemque Theophylactus Simocattus Ægyptius *l.* 7. *Hiſtoriar.* cui & nos etiam impræſentiarum ſubſcribimus., & V. locô ad aquæ Niloticæ affectiones, ſive qualitates feſtinamus. Quarum Prima eſt Dulcedo, eaque apud ſcriptores celebris eſt. Hinc Sen. *l.* 4. *Nat. Qu. c.* 2. *Nulli fluminum dulcior guſtus eſt. Et vino ob ſuavitatem dicitur æquiparata à Peſcennio Nigro Imper. qui (auctore Spartianô c.* 7.*) militibus Ægyptiacarum ſtationum petentibus vinum reſpondit, Nilum habetis, & vinum petitis? Quærit Ariſtides, aquæ Niloticæ dulcedinem quantam eſſe credis? Reſpondet, Quantum nunquam dixeris.* Bibenti (inquit *Achilles Tatius*) ὕδωρ γλυκὺ ἦν καὶ ψυχρὸν, *Heliodorus*, Πιεῖν ἐςὶ γλυκύτατος. Imò & ſub Nepherchere Thinitarum Rege, μυθεύεται τὸν Νεῖλον μέλιτι κεκραμένον ἡμέρας ἕνδεκα ῥυῆναι, *Fertur Nilum melle commixtum fluxiſſe diebus undecim.* Syncellus *p.* 55. Ad quæ verba Marshamus, *Inſolita*, inquit, *aquæ dulcedo, lætum prodigium, ut amaritudo, funeſtum*: quod confirmat ex Plinio *l.* 31. *c.* 4. Vide cum *Canone Chron. Sec.* V. ubi *de Nilo fluvio.* Cœterùm de cauſâ dulcedinis quæritur. Scaliger *Exerc.* 48. cauſam ſuavitatis refert vel ad fluminis naturam, vel ad Solis operam, vel ad curſûs longinquitatem. Duas poſteriores cauſas attingit quoque Scholiaſtes Apollonii *in l.* 4. ex ſententia Democriti, qui ajebat, Ἀπογλυκαίνεσθαι τὸ ὕδωρ, διὰ τὸ διάςημα καὶ τὸ μῆκος τοῦ πόρου, καὶ ὑπὸ τοῦ καύματος ἀφεψόμενον. Contradicit tamen Diodor. Sic. *Dulcedinis fluvii*, inquit, *cauſa, quam afferunt, ratione penitus caret. Si enim caloris æſtu decoctus fluvius dulcedinem ſortiretur, nequaquam gigneret animantia; neque varias piſcium, aut ferarum ſpecies contineret. Aqua enim omnis à natura immutata nequaquam generat.* Reſpondetur, Aquam ab ignis natura elaboratam, & à craſſitie terreſtri liberatam, nullam habere vim generandi, nos falſum eſſe arbitramur. Teſtatur enim experientia, pluvias calidiores longè fœcundiores eſſe, quàm frigidas; quæ etiam noxiæ multis humi naſcentibus ſunt. Longè quoque ſalubriores eſſe aquas Soli expoſitas, quàm ab eo abſconditas, apud omnes in confeſſo eſt. Secunda Nili qualitas eſt, à quâ ἄναυρος, h. e. *auræ expers* dicitur. Quâ de re Plin. *l.* 5. *c.* 9. *Idem amnis* (de Nilo loquitur) *unus omnium nullas expirat auras.* Quod ex *Euterpe* Herodoti deſcripſit, cujus verba, Αὔρας ἀποπνεούσας μοῦνος πάντων ποταμῶν οὐ παρέχεται. Cujus affectionis cauſam hanc adfert idem Herodotus; Quòd Nilus ex calido loco in calidum fluat, adeoque & ipſe totus ſit calidus; auras verò è frigidis exhalare. Cui contradicit Ariſtoteles *Problem. Sect.* 23. *probl.* 16. ubi auram è calidis & frigidis aquis exhalare docet: quod cùm rationi, tum experientiæ conſentaneum eſt: Rationi quidem; quia nulla aqua aurum exhalat, niſi priùs aliquô modô calore ſit alterata: quò diutiùs verò aquæ calor incumbit, eò plures extrahit vapores, niſi alia obſtet cauſa: Experientiæ verò, quia calidas aquas & fontes maximè fumare experimur. Scaliger cauſam refert in aquæ Niloticæ tenuitatem: quam ingenioſiſſimè hôc modô explicat, *Longô curſu exercitus attenuatur humor, ita ut ne ſublatus quidem in aërem poſſit corpus capere. Ita aër auram acceptam ſibi ſimilem diffundi in ſeipſum patitur; neque cogit, ut conſiſtat: ut non tam reſolvat, quàm nullius indigam reſolutionis ſecum habeat.* Hæc ille. Itaque ſi rem accuratè ponderemus, Nilus non tam revera erit ἄναυρος, quàm eſſe videbitur; exhalat enim auram, ſed adeò ſubtilem, ut ejus in aëre veſtigia nulla appareant, quia aëri ſimillima eſt: unde nec in pluviam illô locô denſatur. Lælius Biſciola *tom.* 2. *Horar. ſubſec. l.* 1. *c.* 19. cum Brodæo *l.* 3. *Miſc. c.* 30. exiſtimat, ἄναυρον dici Nilum, & alia flumina, non, quòd nullam prorſus exhalent auram, ſed quòd perexiguam & tenuem reddant; quam in ſententiam trahit particulam privativam, quæ ſæpe non univerſam rem tollit, ſed imminuit tantùm. Tertia Niloticæ aquæ affectio Salubritas eſt, quam inſigniter commendant veteres Medici & Philoſophi. Platoni, *in Timæo*, videtur hoc nomine Σωτὴρ appellari. *Galeni* judicium hujuſmodi eſt, *Nilum ita laudo, ut bonitatis excellentiâ paucis admodum fluminibus comparari poſſit, nam & mulierum partionem inſigniter adjuvat.* *Ætius* omnes fluviatiles & paluſtres aquas damnat, exceptâ ſolâ Niloticâ, quæ, judiciô ipſius, πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκόσμηται, *omnibus virtutibus inſignis eſt.* Videntur autem aquæ Niloticæ ſalubritatem à pluviis habere, quibus incrementa ſua debet Nilus. Sunt enim aquæ pluviæ ſalubriores reliquis, ut nôrunt naturalium rerum periti. Videatur Vitruvius *l.* 8. *c.* 2. & Columella *l.* 1. *c.* 5. Omnibus verò hiſce contradicere videtur Hirtius *in Bello Alexandr. c.* 5. ubi ait, *Nili aquam limoſam & turbidam, multos varioſque morbos efficere.* At verò Nili ſalubritas non à limoſâ & impura, ſed à limo omni probè purgatâ aquâ commendatur. Ultima & præcipua Nili aquæ qualitas eſt fœcunditas. Eam fusè proſequitur Wendelinus in *Admirandis Nili*; nos paucula ex variis authoribus olim decerpta hîc ſubjungemus. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 291. de Nilo,

Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.

Idem *Æn. l.* 9. *v.* 31.

——— Aut pingui flumine Nilus.

Inde à Plinio *Paneg. Trajani c.* 30. dicitur, *fœcunditatis parens.* Ibidem *de Ægypto*: *alendis, augendiſque ſeminibus ita eſt gloriata, ut nihil imbribus, cœloque deberet: ſiquidem propriô ſemper amne perfuſa, nec aliô genere aquarum ſolita pingueſcere, quàm quas ipſa devexerat, tantis ſegetibus induebatur, ut cum feraciſſimis terris, quaſi nunquam ceſſura, certaret.* Mitto multa, quæ peti ab eodem Plinio poſſunt. Hujus verò avunculus *l.* 5. *c.* 9. *Per totam ſpatiatus Ægyptum fœcundus innatat terræ.* Dionyſius,

Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλου.

Idem *de eodem*:

Ὕδασι πιαίνων λιπαρὸν πέδον Αἰγύπτοιο.

Theo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Theophilus Simocatt. *l.* 7. *Hiſt.c.* 17. Πολυγονώτατον αὐτὸν ὑπὲρ ἅπαντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς πεφυκέναι φασίν. Ammian. *l.* 22. dat illi *pinguem ceſpitem*; vocatque *benevolum omnium flumen.* Hinc *fœcunda clementia Nili* apud Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 527. & *divitis Nili*, apud Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 27. Maximo Tyrio Νεῖλος γόνιμος dicitur; & ῥεῦμα γόνιμον, Plut. *Orat.* 1. *de eſu carnium.* Nazianzenus *Orat.* 21. vocat εὔσταχυν, ut Nonn. *l.* 31. σταχυώδεϊ Νείλῳ & Oppian. 2. *Cyneget.* ὄχθαις ἀγλαοκάρποις Νείλου πυροφόροιο. Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 108.

Unde paludoſi fœcunda licentia Nili.

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 22.

Fertilis æſtivâ Nilus abundat aquâ.

Hactenus de Nili qualitatibus. VI. de exitu ejus & oſtiis agendum eſt. Exit autem in mare Mediterraneum; Oſtia autem, per quæ exoneratur, apud authores claſſicos & veteres decantatiſſima ſeptem ſunt. Moſchus,

——— Ἑπταπόρῳ παρὰ Νείλῳ.

Unde ἑπτάστομος Nonno in *Dionyſiacis* dicitur. Dionyſius *Perieg.*

Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἰλιγμένος εἰς ἅλα πίπτει.

Catullus *ad Furium & Aurelium: Epigr.* 11. *v.* 7.

Sive qua ſeptem geminus colorat
——— *Æquora Nilus.*

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 800.

Et Septemgemini turbant trepida oſtia Nili.

Ab Ovid. *l.* 1. *v.* 422. & *l.* 5. *Met. v.* 187. *ſeptemfluus*, & *ſeptemplex* dicitur. A Silio *l.* 1. *v.* 197. Claudiano *l.* 1. *in Rufin. v.* 185. & Lucano *l.* 8. *v.* 445. *ſepteno gurgite.* A Val. Flacco *l.* 8. *v.* 90.

——— *Septem projectus in amnes.*

Septem cornua dat ei Claudian. *in Nupt. Honorii & Mariæ. v.* 51. *Septem portus* Ovid. *Ep.* 14. *Heroid. v.* 107. *Septem fauces* Manilius *Aſtronom. l.* 3. Belliſſimè & ſatis novè Papinius *l.* 8. *Theb. v.* 360. *hyemes* nominat, cùm ait:

——— *Septemque patentibus arvis*
In mare fert hyemes. ———

Hactenus Poëtæ. Sed audiamus Veritatem ipſam Eſai. *c.* 11. *v.* 15. והכהו לשבעה נחלים *Et percutiet eum in ſeptem rivis.* Idem habet Chaldæus Paraphraſtes. Et LXX. Interpp. Καὶ πατάξει ἕπτα φάραγγας, *Et percutiet ſeptem valles.* Quanquam minus Hebræo נחל Græca reſpondet φάραγξ. Nomina oſtiorum ab urbibus indita ſunt 1. *Canopicum* (quod nonnullis *Heracleoticum* quoque dicitur, teſtibus *Ptol.* & *Strabone*) 2. *Bolbiticum.* 3. *Sebennyticum* (cujus vina laudat Plin. *l.* 14. *c.* 7.) 4. *Pharmiticum* (Herodoto *Bucolicum*, autore Sabellicô *Ennead.* 1. *l.* 3.) 5. *Mendeſium.* 6. *Taniticum* (Herodoto *Saiticum*,) 7. *Peluſiacum.* Diſcrepant autem autores nonnihil in nominibus & ordine, ut videre eſt apud Ptol. Herodot. Plin. Melam, Amm. Marcellin. *loc. cit. Ortelium.* Numerum quod attinet, fatentur aliqui plura eſſe. Et Plin. quidem *l.* 5. *c.* 10. undecim reperiri, ſuperque quatuor. Septem tamen, quæ recitavimus, celeberrima eſſe, omnes veteres affirmant. Unde Euſtath. *in Dionyſium*, Ὁ γεωγράφος λέγει, δίχα τῶν ἑπτὰ τούτων στομάτων καὶ ἄλλα εἶναι ἄσημα, ψευδοστόματα. Fauces hæ Nili ingentes, ut & littus omne circa Alexandriam civium cruore rubuit, an. 217. quòd A. Baſſianum Caracallam Imperat. Oedipum, matrem verò ejus Juliam Jocaſtam, aculeatô locô dixiſſent. Tum enim Imperator, quaſi Legionem lecturus, juventutem extra mœnia evocavit, mox militi ſignô cædis datô, facta ſtrages tanta, ut rivi cruoris per planitiem decurrentibus omnia feralem hunc colorem induerent. Spartian. *in vita ejus.* Coluerunt VII. hunc principem fluviorum Ægyptii divinis honoribus, uſque ad Conſtantinum M. qui idololatriâ ubique inhibitâ, ſtatuiſque Deorum everſis, etiam Ægyptios Nilo, veluti Deo, ſacrificia offerre vetuit: qui cùm copioſiùs tum ſe effunderet, quàm antea, ſuperſtitioſi infauſta ſibi ominati ſunt. Imperator verò docuit, ſoli omnis boni datori Deo cauſam omnium bonorum adſcribendam eſſe, A. C. 342. Euſeb. *l.* 4. *c.* 25. Cujus exemplum Theodoſius M. ſequutus, ſacrificia Ethnicorum dæmonumque cultum cùm alibi, tum in Ægypto, ſub pœna capitis ac publicationis bonorum inhibuit, *præſtat*, inquiens *erga Deum manere fidelem, quàm fluenta Nili.* Qui iterum, cùm poſt interdictum, ſolito quidem tardius in arva aſcendiſſet, attamen largiſſimè effuſus, ipſi Pagani Deos ſuos riſerunt, dicentes, Nilum ſuum præ ſenio ac delirio mingendo emiſiſſe omne id, quod in ſe humoris habuiſſet. Quâ occaſione Theophilus Epiſcopus Alexandrin. Timothei ſucceſſor, veniâ ab Imperatore impetratâ, ſimulacra Deorum confregit, & in templo Serapidis noctu *Hallelujah* auditum eſt. Vide Sozom. *l.* 7. *c.* 20. Theodoret. *l.* 5. *c.* 22. Rufin. *l.* 2. *c.* 25. & plura apud Wendelinum *ubi ſupra*, La Chambre, *de incremento Nili*, Thevenotum, Vinc. Blancum, P. de Valle, *Itiner.* ut & hîc paſſim, vocibus *Agatharchides*, *Alvarez Franc. Thraſyalces* &c. *Baudrando* Nilus oritur ex duobus fontibus in terra Sacahala, ubi populus *Agaus*, inter montes excelſos. Dein auctus amne *Gema*, & fluviô *Kelti* & *Branti*, labitur per Auſtralem partem lacus Dambeæ: quô relictô, devolvitur per cataractam majorem atque ſic illa, quam efficit, antequam lacum ingreditur, recipit fluv. Gamalam, & Abeam, in regno Gojami, fluv. Baxilam, in regno Bagamidri, & fluv. Ruecam in regnis Amabaræ & Oleca; poſtea rigatis Xaoâ ſuperiori & inferiori, Gafate, Bizanô, & Gongâ provinc. infra *Faſculon* provinciam recipit *Maleg* fluv. & per Nubiam, aſſumptis in itinere aliis quoque amnibus, vergit in Septentrionem verſus Bugihos & Baloos populos, uti recipit *Tacaze* fluv. amplum, juxta oppidul. *Jalac.* dein verſus Ægyptum tendit, teſte Iſac. Voſſiô, de Nili origine. Nullas auras expirat, gignitque harundines, quarum membranulæ papyro ſimiles. Hîc juncus naſcitur, unde papyrus fit, Plin. *l.* 13. *c.* 11. *Nilea fluenta*, apud *Tzetzem*, & *Nili cataractæ*, Proverb. apud *Suidam.* Verùm de *Nilo* ſatis. *Nic. Lloydius.* Addo, quod *Melo* quoque *Feſto* dicitur, ut & Auſonio *Ep.* 4. *v.* 73. ubi *Melonis albam paginam* vocat chartam ex papyrô frutice, in paluſtribus *Nili* ripis, ubi etiam calami ad ſcribendum apti naſcebantur, proveniente confieri ſolitam. De fontibus ejus ita Kircherus: *Provincia, ubi oritur, vocatur Agaos, vicina Regno Gojam: Terra, in qua oritur, Sagela dicitur: fons ejus geminus, vel unus duobus oculis donatus, jactu lapidis ferè diſtantibus. Hi in apice montis ſunt, in plano arboribus undique circumdato, fundumque habent inexplorabilem, nec iis exitus in ſumma montis planitie, verùm in radice, terraque quæ inter eos comparet, tremula eſt.* Cujus rationem ingenioſè explicans pergit: *Veriſimile eſſe, magnam olim hujus campi partem apertum fontem, velut in cratere montis contentum fuiſſe, & ſucceſſu temporum, ſuccreſcentibus herbis & virgultis luto miſtis, cutem veluti quandam contraxiſſe, quæ remotâ ſine dubio totam planitiem tremulam primævi fontis faciem mox manifeſtaturam. Porrò rivum fontis, qui infra montem erumpit, in Orientem ſpatiô jactûs bombardæ vergere, dein ſubitò declinando Boream petere & poſt quartam circiter leucæ partem novum ſeſe offerre rivum è ſaxis ſcopuliſque ebullientem, cui paulo pòſt ſe jungant duo alii rivi ex Orientis plaga erumpentes & ſic deinde aliis atque aliis identidem collectis notabiliter* Nilum *creſcere. Lacum deinde intrare, pòſt ingentibus duabus rupibus veluti abſorberi, demum fluxu ſuô Regnum Gojam repetere; adeo ut non niſi unius diei itinere à fonte ſuo diſtare comperiatur; Tunc verſus Fazolò & Omberea Regnum Gentilium tendere, inde ex Oriente in Boream declinare, uſque dum in Mare Mediterraneum perveniat.* Quæ debentur oculari inſpectioni P. Petri Pays A. C. 1618. manu ducente eum ipſô Abyſſinorum Imperatore, qui proin gloriabundus de ſe ſcribit, *Se ſumma cum animi voluptate id vidiſſe, quod Cyrus, Cambyſes, Alexander M. & Julius Cæſar nullis votis conſequi potuerint.* Aliis tamen idem jam ſuboluiſſe, colligere eſt ex Itinerario le Blanc *part.* 2. *c.* 6. ubi *Nilum*, in Regno Goyam oriri, bis disertè ſcribit. *Nilus* verò pòſt demum in progreſſu ſuo à lacu *Zambre* & *Zaire* excipitur, inde poſt 700. milliaria, Inſulam Meroën efficit ac in Ægypto, antequam in alveos diſcedat, Urbem *Cairo* ſeu Memphim alluit, Arabibus *Abboai* dictus. Incrementi ejus cauſam in pluviæ abundantiam, Æthiopiæ totis quinque menſibus, Aprili, Majô, Juniô, Juliô & Auguſtô incumbentis, plerique hodie Eruditi: de la Chambre, in aquæ ejus nitroſitatem refert: quod negotium integrô librô, cui titul. *Diſcours ſur les cauſes du debordement de Nil*, proſequitur. Et quoniam incrementis hiſce Ægyptii fœcunditatem terræ ſuæ deberi viderunt, ideo inſolitis fluvium encomiis affecêre, ac modò Deorum ſemen, modò Jovis donum vocantes, cœlitus eum delabi, dixerunt. In ipſo ejus Græco nomine aliquid myſterii quæſitum, quòd totidem id numeris conſtare, quot dies in anno, obſervârunt. Nempe,

Ν.	50.
Ε.	5.
Ι.	10.
Λ.	30.
Ο.	70.
Σ.	200.

Summa 365.

Quodque tam certi eſſent beneficii hujus, inſtrumenta etiam condi placuit, quibus gradus promiſſæ fertilitatis prævidérent; Quorum auctor Joſephus Patriarcha fuiſſe creditur; Ea poſteri *Niloſcopia* & *Nilometria* vocavêre: Quale fuit in Elphio Inſul. in cujus medio poſita columna marmorea numeros cubitorum gerebat, quorum decimum octavum ſi excederet, aut infra duodecimum maneret, creditum fuit, iſtic exceſſu, hîc defectu, famem ac calamitatem importari. Iconiſmum & pleniorem ejus deſcriptionem vide in Kircheri *Oedip. Ægypt. Syntagm.* 1. *c.* 4. *in Præfectura Heracleopolitana*, & *Syntagm.* 15. *c.* 1. Idem Sphingibus factum fuit, h. e. biformibus ſtatuis, anteriùs hominem, poſteriùs Leonem referentibus, quarum aliquas ingentis molis in celebrioribus Ægypti locis ſtatuêre, de quibus videndus iterum Kircherus *præcit Syntagm.* 15. *c.* 1. Oſtia ejus quoque ſeptem enumerat, præfatus Auctor Anonymus, quibus poſt Æthiopiam & Ægyptum, ut & inſulas 700. circuitus, ut ait *Diodor. Sic.* in Mare Mediterraneum abit: Nempe Canopicum, ſeu Heracleoticum & Agathodæmon fluv. Bolbiticum & *Taly* fluv. Sebeniticum & Pharmutiacus fluv. Mendeſium, Pathmiticum & Buſiriticus fluv. Taniticum & Peluſiacum. Quibus accuratiores tabulas oſtium Pineptimum, tanquam pſeudoſtoma & Diolcos pſeudoſtoma addere ait, *loc. cit.* Hodie tamen duos tantùm alveos navigabiles habere, tradit P. Bellonius *l.* 2. *c.* 32. De VII. verò illis præfatis notandum, diverticula illa & ectropas, quæ ex alveo ipſo Nili derivabantur, perpetuorum & magnorum amnium inſtar obtinuiſſe, atque alia nomina in decurſu habuiſſe, alia in exitu & oſtiis ipſis. Oſtia enim nomen ſortita ſunt à locis mari vicinis, ubi ipſæ ἐκροαὶ fieri ſolitæ. aliud porrò iis nomen, ubi ἐκτροπαὶ fiunt & in decurſu. Nempe Nilus, cœteram Ægyptum permeans, unicô alveô, ubi ad Delta venit, in duas partes ſcinditur, ac duo flumina, quorum alterum Occidentem petit, alterum ad Orientem pergit. Pars illa, quæ ad Occaſum vergit, major eſt, ac veluti fluminis corpus, Μέγας ποταμὸς & μεγάλος ποταμὸς hinc, item Ἀγαθὸς δαίμων, Græcis dictus, at in oſtio ipſo, quô in mare exit, Κανωβικὸν & Ἡρακλεωτικὸν, à locis ibi mari vicinis. Pars altera minor eſt, & ἐκτροπὴ cenſebatur, ac velut brachium ſive ramus è corpore fluminis majoris erumpens & Βυβαστιακὸς ποταμὸς dicebatur: cujus exitus in mare Πηλουσιακὸν στόμα vocitatum eſt, ab urbe Peluſio. Eadem porrò ἐκτροπὴ alias atque alias ſubinde ectropas generat, quæ per diviſos exitus in mare evolvuntur. Nam minus Delta vocabatur, ubi Bubaſtiacus amnis dividuus fit in Buſiriticum, qui per Pathmiticum oſtium in mare exit. Eſt & tertium Delta, ubi Bubaſtiacus ſe findit, in alia duo diverticula, quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quorum alterum per Athribin urbem effunditur in mare, alterum per oſtium Pineptimi: quæ duo oſtia ψευδόςομα ſunt. Cæterùm ad ipſum Deltæ verticem aliæ duæ ſeſe ſindunt ἐκτροπαὶ à majori flumine, quæ Septentrionem rectà petunt. Harum altera dicitur ποταμὸς Θερμουθιακὸς & per Sebennyticum oſtium exoneratur: alteri nomen eſt Τάλυ, quæ per Bolbitinum exit. Et quidem Sebennyticum, quô medium ſcinditur Delta, (unde & tripartitam alii primam Nili diviſionem faciunt) rurſus in Mendeſium ac Saiticum abit. Sic reliqui omnes Nili decurſus ἐκτροπῶν vice cenſebantur, ſolus Canopicus principalis alvei inſtar obtinebat: quô exceptô reliqua oſtia Nili χειροποίητα καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα, manufacta & non naturalia eſſe videri, ait Ariſtoteles Meterologic. l. 1. c. 14. Quam in rem vide Salmaſ. ad Solin. p. 477. & ſeqq. Cæterùm proprium fluvii nomen Siris, & eundem cum Api, adeoque pro Deo, nomine Serapidis, ex Siri & Api compoſito, cultum eſſe olim; eidem Buſiridis quoque fuiſſe nomen, docet Fortun. Licetus, & de nobili hoc fluvio prolixè ac eruditè diſſerit, l. de Lucernis antiqq. 6. c. 87. totô, in quo Lucernam penſilem, in effigiem capitis Ægyptii Sacerdotis raſi efformatam, explicat. Et ſapit divinos honores, quòd Σωτῆρα τῆς Αἰγύπτου, Servatorem Ægypti, appellatum eſſe legimus, apud Heliodor. Æthiopicis l. 9. quæ appellatio Diis propria, vide Thom. Dempſter. Paralipom. in Johann. Roſini Antiqq. l. 5. c. 30. ut & ſuprà voce Niloa: ſicut de aliis quoque fluviis, Nili inundationem æmulantibus, vocat Nigris.

NILUS, etiam urbs Ægypti, Steph. An eadem cum Nicopoli, de qua ſuprà? Cujus Epiſcopus Chæremon, in cœlum raptus ſub Decio, dicitur. Lætus.

NILUS, appellatus ab Euripo qui differat, vide ſuprà Euripus.

NILUS, nomen poëmatis, memorati Capitolino, in Gordianis Trib. c. 3. Adoleſcens quum eſſet Gordianus, ---poëmata ſcripſit, quæ omnia extant & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcyonas & Uxorium & Nilum: quæ quidem ad hoc ſcripſit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur. Sed pro Nilus, Caſaubon. Limon ſcribendum eſſe conjicit, quod nomen cuidam Ciceronis poëmati, cùm apud Donatum in Vita Terentii, tum apud alios. Vide eum Not. ad loc.

NIMA ſericum, apud Tertullian. de Pallio, in vetuſtis codicib. pro Nema, quod vide.

NIMROD, Νεβρώδης Joſepho, qui ſic de eo Jud. Ant. l. 1. c. 5. Ἐξῆγε δὲ αὐτοὺς πρός τε ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν ὁ Νεβρώδης, ὡς υἱωνὸς μὲν ὢν Χάμου τοῦ Νώχου, τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος, ἔπειθε δὲ αὐτοὺς μὴ τῷ Θεῷ διδόναι τὸ δι' ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. Et poſtea, Ἀμυνεῖσθαί τε τὸν Θεὸν πάλιν ἠπείλει τὴν γῆν ἐπικλύσαι θελήσαντα. Πύργον γὰρ οἰκοδομήσειν ὑψηλότερον ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβῆναι δυνηθείη, μετελεύσεσθαι δὲ καὶ τῆς τῶν προγόνων ἀπωλείας. Idem cum Belo, quæ vox Dominum notat, videtur. Regnavit ann. 65. Euſeb. Vide Gen. c. 10. v. 9. Chryſoſt. hom. 29. in Gen. Hieron. in Trad. Hebr. in Gen. Epiphan. in Panario. Auguſtin. de Civ. Dei l. 16. & 18. Chron Alex. Morerius in Dict. Hiſt. &c. Vide Nembroth. & Bochart. inſuper Geograph. Sacr. l. 4. c. 12. Nic. Lloydius, Ex poſteris Chami fuit, potens venator coram Jehova, Gen. c. 10. v. 8. 9. Sicut venatus veterum Heroum peculiare ſtudium erat. Quæ tamen verba alii de Regnorum venatu & inſana hominis ambitione accipiunt, quam, religionis ſtudiô & nomine Jehovæ velaverit: tanquam paternæ traditionis de vero Dei cultu ſtabiliendæ cauſâ, Regna & Imperia agitaret, ut iſtô munimentô ſanctam Patrum fidem præſervaret à corruptione. Primus enim hic fuit, qui exutâ æqualitate Monarchiam erexit: Et extitit principium Regni ejus Babel &c. v. 10. Vide Franciſcum Burmannum Synopſ. Theolog. l. 3. c. 8. §. 22. De eodem ſic Hornius Orbis Politic. Part. 3. p. 120. Primus æqualitate exutâ, Nimrod, Græcorum Bacchus, venationis obtentu, ex Arabum deſertis, in amœniſſimos Babyloniæ campos progreſſus. cùm vires ſuas circumſpiceret, ejus urbis imperium rapuit, ac brevi magnum Regnum conflavit. Hôc auctore adductius regnari cœptum, & ut in prærupta atque urgente ſervitute, captivitates Urbium ac provinciarum ſequebantur. Neque tamen diu firma Nimrodo potentia: quem, vel ejus filium aut ſucceſſorem, mox illô faſtigiô demovit Aſſur, qui & Thurras, Belus ac Ninus, Ninives conditor, atque etiam in prælio obtruncavit. Sic alius fuerit Nimrod à Belo, quod & temporum ſeries evincere videtur: adeoque Nimrodi poteſtas citò in Aſſurem, & ad Semi (cujus fil. Aſſur) familiam tranſlata jugumque Chamo impoſitum eſt. Facit huc, quod Julius Africanus & Diodor. Sic. ajunt: Ille quidem, diſtincta initiò Imperia fuiſſe Aſſyrium & Babylonium, ac Belum, Aſſyriorum Regem, Babyloniis debellatis, ſuam illos ſub poteſtatem redegiſſe: Hic verò, Ninum, Aſſyriæ Regem Babylonios invaſiſſe, ſibique Rege eorum interemtô tributa pendere coëgiſſe, &c. Ejuſdem tempore ſapientes ex Noachi ſchola viri in campis Babyloniæ Senaar, Philoſophiæ dediti, inprimis Aſtrologiam excolebant. Quod, præter Moſen, etiam Gentilium eruditiores, ex Chaldæorum traditione non ignorârunt. Ita etiam Favorinus apud A. Gellium l. 14. c. 1. Si Principes Chaldæi, qui in patentibus campis colebant, ſtellarum motus & vias & diſceſſiones & cœtus, intuentes, quid ex iis efficeretur, obſervaverunt &c. Illorum autem Princeps Nimrod fuit; qui propter Aſtrologiæ inſignem peritiam, primus imperio feroces regere populos aggreſſus eſt. Unde & גבר בארץ & גבר ציד לפני יהוה fuiſſe dicitur, גבר ציד autem virum rerum inquiſitione celebrem notat, quem Paulus 1. Corinth. c. 1. v. 20. συζητητὴν τοῦ αἰῶνος τούτου eleganter appellat: Hebræi איש מחקר. Unde poſt obitum tantam ſibi admirationem reliquit, ut, inter Deos relatus, Beli nomen primus meruerit. Hinc & Plin l. 6. c. 26. Aſtrologiæ inventionem Belo attribuit. Hic proin ut eò exactius aſtra contemplaretur, eoque facilius tyrannidem tutari poſſet, auctor humano generi fuit extruendæ turris, quæ caput inter nubila conderet: qui ambo fines ſine dubio præcipui ſtupendæ hujus molis fuêre. Sed alio vulgus ſtimulandum erat, dulcedine nimirum perennantis famæ, unde verba illa: Agedum, extruamus nobis turrim, cujus faſtigium aſſurgat in cœlum, ut nobis faciamus nomen. Aſſyriacæ Nimrod Monarchiæ auctor, regnavit ſecundùm Helvicum ann. 55. ab A. Mundi 1723. circiter uſque ad A. M. 1778. Ei ſucceſſit fil. Ninus: ab Eccleſiaſticis Scriptoribus Orionis mythici nomine intelligi, dicemus infrà, voce Orion. Ab eo Nimrodiani dici poſſunt, qui ejus Philoſophiam ſecuti ſunt, Chamitæ nempe & Japhetidæ: à quibus Semi poſteri, meliùs à Semo ac Noacho edocti, ſeceſſionem fecêre, nomine proinde diſcretivo Ebræorum inſigniti: Unde Sem Pater omnium filiorum Eber vocatur, Gen. c. 10. v. 21. in cujus proin familia purior aliquandiu Philoſophia hæſit, donec ingruenti barbariei & ipſa cederet. Georg. Hornius Hiſtor. Philoſ. l. 2. c. 2.

NIMBUS, apud Iſidor. faſciola eſt tranſverſa ex auro aſſuta in linteo, quod eſt in fronte fœminarum. Plautus, quò magis eam aſpicio, tanto magis nimbata eſt. Frontem enim minutiorem laudi olim fuiſſe, ſuprà diximus: unde frontes nimbis imminuere ſolitas mulieres, præ cœteris decoris ſtudioſas, ait Arnob. l. 2. At apud Virg. Æn. l. 2. v. 616. ubi de Pallade,

——— nimbô effulgens & Gorgone ſæva:

Servio, divina eſt nubes: eſt enim fulgidum lumen, quod capita Deorum cingit. Sic apud eund. Æn. l. 3. v. 587.

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Propriè, addit, Nimbus eſt, qui Deorum vel Imperatorum capita, quaſi clara nebula, ambire fingitur. Cujuſmodi circulis ſanctitatis indicibus, capita Imperator. Conſtantii ac Conſtantis & Theodoſii Junioris ut & Placidii Valentiniani, ambiri conſpicimus, in nummis eorum Conſularibus: qui quidem videntur Conſularibus inſignibus accenſeri à Mamertino, in Panegyrico Maximiano dicto; Trabeæ veſtræ triumphales & ſellæ curules & hæc obſequiorum ſtipatio & fulgor & illa lux divinum verticem clarò orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum. Ubi quod Virg. Nimbum, ille Lucem appellat. Lucem Honorius Auguſtodun. l. 1. c. 133. Lumina, quæ circa capita Sanctorum in modum circuli depinguntur, deſignant, quòd lumine æterni ſplendoris coronati fruuntur. Idcirco verò ſecundùm formam rotundi ſcuti pinguntur, quia divinâ protectione, ut ſcutò, nunc muniuntur. Et Iſiodor. l. 19. c. 31. Lumen, quod circa Angelorum capita pingitur, Nimbus vocatur: licèt & nimbus ſit denſitas nubis. Sic quod in Anaſtaſii quoque Conſulis utroque diptycho, Leodienſi ſcil. & Bituricenſi, affingitur, in conchæ figuram radiatum, Nimbus videtur. Ejuſmodi autem luminoſis circulis capita ſua ambiri voluêre Auguſti, iis etiam poſtea cum Conſulibus communicatis, ut divinitatis ſpeciem quandam ſibi aſſererent, cùm nimbis ſeu claris nubibus Deos ſuos ita in picturis ac tabellis Veteres cingerent. Hinc tam frequens Divinitatis, Numinis ac Æternitatis, ab iis uſurpata vocabula & epitheta, quibus Imperatorum LL. plenæ ſunt, vide Fileſacum de Idol. Polit. l. 1. c. 1. Verùm hæc veniam merentur in Auguſtis, quorum adeò ampla fuit poteſtas; ſi recentium Imperator. expendatur ambitio, qui hominum omnium vaniſſimi ac omni facinorum genere contaminatiſſimi, provinciis etiam ſuis exuti & intra Urbis mœnia, paucorumque circumjacentium oppidorum limites coërciti, Sanctos ſeſe à ſubditis, atque adeò ab ipſis Conſtantinopolitanis Patriarchis cœteriſque Pontificibus compellari voluerunt, uti ex Pachymere docemur l. 6. c. 31. l. 9. c. 5. & l. 10. c. 11. 29. 32. Unde formula compellationis vulgata, Δέσποτα μου ἅγιε, Domine mi Sancte, de qua nos ſuprà. Vide hanc in rem plura, apud Car. du Freſne Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmatibus num. 15. Hodie in Eccleſia Romana Nimbus, diadema eſt, quod Sanctorum canonizatorum imaginibus circumfundunt: Sed hujuſmodi diadema in antiquis nonnullis picturis quadratâ formâ conſpicitur, cujus rei rationem hanc exhibet Durandus l. 1. c. 3. Cùm aliquis Prælatus aut Sanctus vivus pingitur, non in forma ſcuti rotundi; ſed quadrati, corona ipſa depingitur, ut quatuor virtutibus Cardinalibus vigere monſtretur. Sic Romæ, in Æde S. Praxedis effigies Paſcalis & in via Numentana, Honorii I. imago, conſpicitur. Etiam in tribuna Ædis S. Cæciliæ Tranſtiber. idem Paſchalis, muſivô opere ſe vivum depingi curavit, cum quadrata iſtiuſmodi corona in capite, & hac Inſcr.

Hæc domus ampla micat, variis fabricata metallis,
Olim quæ fuerat confracta ſub tempore priſco.
Condidit in melius Paſchalis Præſul opimus,
Hanc aulam Domini firmans fundamine clarô.
Aurea gemmatis reſonant hæc Dindyma templis.
Lætus amore Dei, hîc conjunxit corpora ſancta,
Cæciliæ & ſociis, rutilat hîc flore juventus,
Quæ pridem in Cryptis pauſabant membra beata.
Roma reſultat ovans ſemper ornata per ævum &c.

apud Macros Fratres in Hierolex. ubi Græcos in Nimbo, quô Chriſti imagines circumdant, ſolere inſcribere, Exod. c. 3. v. 14. verba, Ὁ ὪΝ, QUI EST, addunt.

NIMBUS, apud Martial. de Spectac. Epigr. 3. v. 7. ubi ex omni Orbis parte, confluxiſſe gentes Ludos, à Domitiano editos, ſpectandi ſtudio, indigitat:

Feſtinavit Arabs, feſtinavêre Sabæi;
Et Cilices nimbis hîc maduêre ſuis.

eſt τοῦ κρόκου ῥαινομένου, aſperſio croci aquâ diluti, quæ in Theatro vel Amphitheatro fiebat, è tubis ad id paratis, atque ſpectatores, nimbi inſtar, irrorabat. Cilicia verò croco nobilis, unde Cilicios nimbis ſuis maduiſſe ait Poëta. Idem nimbum rubrum vocat l. 5. Epigr. 26. v. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hoc rogo, non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuſô permaduiſſe crocô?

Appulejus *imbrem odoratum*: Alii *undam croco dilutam*: *Gloſſa Sparſionem*, κρόκον τὸν ῥαινόμενον &c. Vide ſuprà, ubi de *Croco* & hanc in rem plura, apud Juſtum Lipſium *in Amphitheatro*.

NIMEREZET, maledictio apud Hebræos graviſſima, de qua 2. Sam. *c.* 16. Quinque enim verba contumelioſa continebat, quibus David fugiens à Simei fuerat impetitus: Prima litera Nun, *Noëf* deſignat, i. e. *adulterum*; ſecunda Mem, *Moabitam* ſonat; tertia Reich, *Raſa* ſignificat, h. e. *impium*; quarta Zain, *Zara*, i. e. *leproſum*; quinta Tau, *Teoba* i. e. *abominabilem*. Ita Dominicus Macer *in Hierolex.* voce *Maledictio*.

NINÆA, urbs Oenotrorum mediterranea, *Steph.* Hodie *S. Donato*, teſte *Barriô*, in Calabria citeriore.

NINEVE, urbs Aſſyriorum, quæ & *Ninos* dicitur, quam ædificavit Aſſur, egrediens de terra Sennaar; à *Nino* Rege ſic dicta, teſte B. Auguſtinô. Eſt autem juxta Tigridis amnis partem, *Ptol.* Jonæ Prophetæ prædicationem audivit, & pœnitentiam egit, Magnifica, populoſa, ampliſſima, Diodor. Sic. *l.* 3. Poſtmodum excidium ipſi à Nahumo Propheta prædictum, deſtructa ab Arbace Beleſoque, ſub Sardanapalo, dein à Merodacho & Nabuchodonoſore. Vide *Ninos*. Sub Calipharum Saracenorum imperio diu fuit, quibus expulſis, non minus ac Aleppum, Damaſcus, Iconium & Nicæa, proprio Sultano ſubeſſe cœpit, donec hæc omnia ſub unum caput redacta ſunt. *Suidas* à Semiramide mœnibus cinctam, & mutatô nomine, *Babyloniam* vocatam fuiſſe ait. Euſeb. *in Chronico*, *Niſibin* ſuô tempore dictam ſcribit. Hodie quibuſdam *Moſol*, vel *Moſul* videtur. Sed qui haud pridem illis è locis redierunt, affirmant; Moſol non in Aſſyria, ſed in Meſopotamia, ad latus Occidentale fluv. Tigris eſſe. Hinc & Sulaka, à Neſtorianis Romam miſſus A. C. 1553. *Moſol*, dixit, *ſita eſt, ad ripam fluv. Tigris, à qua altera parte ripæ obeſt Nineve, bis mille paſſibus*, Gen. *c.* 10. *v.* 11. Nahum. *c.* 1. *v.* 1. Joſeph. *l.* 1. *c.* 10. *Jud. Antiq. Juſtin. Strab. Salian.* &c. Eſt & alia civitas Judæorum, in angulo Arabiæ. Populi Ninivitæ.

NINGIUM, vel MINGIUM, utroque enim modo legitur apud *Auſonium*, inquit *Simlerus*, qui *Mugium* interpretatur Iſtriæ urbem.

NINGQUA, urbs regni Sinarum, in Nanchinenſi provinc. intra colles, prope Vonum fluv. *Martinio*.

NINIVA, urbecula Comitatus Aloſtani in Flandria, vix 2. leuc. ab Aloſtano in Meridiem, media inter Bruxellas ad Ortum & Aldenardam ad Occidentem, *Ninove*. In litteris A. C. 1138. *Ninive* dicitur, locus eſt Abbatiâ inſignis, à quo Johannes Deſpauterius Grammaticus, ibi natus; *Ninivita* cognominatus eſt, cùm *Ninivenſis* potiùs appellandus eſſet. Vulgò *Ninoven*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NINIVES, ſeu *Jonæ Jejunium*, vide ſuprà *Neſtoriani*.

NINNII, gens Campana. Unde apud Liv. *l.* 2. 3. *c.* 8. *Diverſatus eſt apud Minios Celeres, Stenium, Pacullumque inclitos nobilitate ac divitiis. Eò Pacuvius Calavius, de quo ante dictum eſt, princeps factionis ejus, quæ traxerat rem ad Pœnos, filium juvenem adduxit, abſtractumque* &c. ex omnibus bonis libris, reponitur *Ninnios*, item *Pacuviumque*. Et quidem *Ninnius* nomen non modò in inſcriptionibus antiquis habetur, ſed & apud Cicer. *l.* 10. *ad Attic. Ep.* 16. *Hæc mecum* Ninnius *noſter*. Similiter *l.* 39. Livii *c.* 17. pro *Minium Cerrinium*, Gronovius *Ninnium* legit. Etſi enim & *Minios* offerant veteres lapides, tamen cùm utrobique gentis unius & quidem Campanæ homines nuncupati videantur; cùm membranæ Punici belli fidei ſint longè certioris ac probatioris, harum auctoritas & hic valet. Etiam *l.* 39. ejuſdem Auctoris *c.* 13. ubi variant MSS. Barberiniuſque habet, *Pacullam animam eam ſopanam ſacerdotem*. Petav. *Pacullam aniniam ea ſopanam*. Naud. *Pacullam aniniam aſaponam*: Gronov. & *Pacuviam* legit & *Ninniam* reſtituendam putat additque: Videntur & dubitâſſe Librarii, *Campanam*, an *Soranam*, vellent. Vide eum *Obſervat.* *l.* 4. *c.* 4.

NINOE, Cariæ urbs, aliàs Aphrodiſias, quam Leleges Pelaſgi condiderunt, unde *Lelegum* urbs dicta eſt, deinde *Megalopolis*, poſtea à *Nino Ninoë*, *Stephan.*

NINOS, urbs Aſſyriorum, quam condidit Ninus, Semiramidis maritus, in Aſſyria, *Steph.* Lucan. *l.* 3. *v.* 215.

Et felix, ſic fama Ninos. ——

Πάλαι ποτὲ μεγάλη, καὶ εὐδαίμων teſte *Arrianô*. Lucian. *in Charonte*: Ἡ Νῖνος μὲν, ὦ πορθμεῦ, ἀπόλωλεν ἤδη καὶ οὐδὲ ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς. Qui cum fuerit Samoſatenus, Euphratis accola, fidem in rebus Aſſyriæ mereri videtur, & mirum foret, eum ignorâſſe locum, ubi ſita olim Ninos, vel Nineve, ſi aliquod ejus veſtigium remanſiſſet. At, quid faciemus Tacito, qui *l.* 12. *Annal. c.* 13. de expedit. *Meherdatis* ſic ait: *ſed capta in tranſitu urbs Ninos vetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ*. Sed & *Straboni*, qui ante Tacitum vivebat, qui *l.* 16. ait: Ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. Ergo contra Strabonem Amaſenum, & Lucianum Samoſatenum Orientales viros & doctos non videtur Tacitus audiendus. Deceptus certè fuit is Romanus quâdam nominis ſimilitudine & eam Ninum oppidulum fortè vel caſtellum, captum ſine obſidione in tranſitu, malè accepit pro antiquiſſima & populoſiſſima illa urbe, quæ fuit ſuô tempore totius orbis maxima, & uſque ad miraculum celebrata: aliter non poſſemus abſolvere Strabonem nec Lucianum mendacii. At fidem merentur. Sed milites, qui in expeditione cum Meherdate fuerunt, captâ, ut dixi, aliqua urbeculâ, cujus nomen accedebat ad ſonum nominis antiquæ illius Ninives, putaverunt, vel gloriabundi finxerunt, ſe antiquam Ninon, ſedem Aſſyriæ regum, cepiſſe. Sic Alexandri milites jactabant, ſe Tanaim uſque perveniſſe, cùm ab eo fluv. abeſſent plus quàm mille milliaria. Sic & hôc tempore multi Hieroſolymitani equites & alii nautæ ac negotiatores, qui in partibus Helleſponti vel bellum geſſerunt, vel negotiati ſunt, aſſerunt, ſe vidiſſe antiquæ Trojæ ruinas, nec aliquis unquam eis aliter perſuadere potuit. At Troadis (de qua B. Paulus *ep.* 2. *ad Timoth. c.* 4. *v.* 13.) ruinas viderant, non Trojæ, cujus jam tempore Strabonis nulla extabant veſtigia, ut ipſe teſtatur, *l.* 13. Plura ad id argumentum adducere poſſem, & illuſtrem in literis virum castigare, qui eo quòd Amm. Marcellin. *Ninos* nominavit, non dubitavit in eximio opere, *Notis ſcil. ad Euſebium* ſcribere: *Ninive autem adhuc integra ſtabat ævô Ammiani Marcellini*. *Palmerius.* Sed & *Baudrando* nunc *Moſul*, in regione *Diarbeth*, ſupra Bagdatum in Boream 100. mill. paſſ. Urbs etiamnum ſatis ampla creditur, ſub Turcis. Vide *Nineve*.

NINUS, ſeu *Aſſur*, fil. Beli, primus Aſſyriorum Rex; A. M. 1944. nam Belus ſolam habuit Babylonem Ninus verò totam Aſſyriam. Primus omnium Regum fuit τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ φήμην παραδεδομένων, i. e. *qui ſcriptores rerum ſuarum nacti ſunt*, inquit, Diodor. Sic. Regnavit ann. 52. Idololatriam in orbem invexit, ad ſtatuam enim patris qui confugiebant, omni crimine abſolvebantur: Hujus exemplô adducti, multi ſtatuas in memoriam patrum crexêre. Inde idololatria initium cepit: inde nomina hæc *Bel*, *Baal*, *Belphegor*, & *Belzebub*. Videto *Hieronym. fol.* 6. ſuper Hoſeam *c.* 2. Chaldæis *Hercules*; Aſſyriis *Jupiter* dictus. Non alius forſan à Babylone, Beli filio. *Nini* enim vox *filium* ſignificat, id autem Hebræis נין *nin*, uti Ægyptiis *Non*; unde *Nonni*, & *Nonna* vocabula, quibus qui præerat *Abbas*, h. e. *pater* dicebatur. Condidit, vel ſecundum alios, auxit Nineven, Zoroaſtre Bactrianorum Rege victô, Semiramidem matrimonio ſibi junxit; totaque fermè Aſiâ ſub jugum redactâ ſuum, obiit A. M. 1996. Imperii 52. Gen. *c.* 10. Herodot. *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 3. Euſeb. *in Chron.* Genebr. *l.* 1. *Chron.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Scalig. Petavius, Langius, Calviſius, &c. De eo ſic Marshamus *Canone Chron. Sec.* V. ubi *de Aſiæ Regulis*: *Ad hiſtoriam ſacram hîc non ſatis quadrat Euſebiana Chronologia, quæ Abramo ſeniorem facit Nireum ---- Longa iſta Aſſyriorum Regum ſeries, quâ Imperium illud in tantam ab Euſebio, in majorem à Syncello, antiquitatem extenditur, unius Cteſiæ auctoritati innititur; cujus jam dudum non eſt inſuſpecta fides. Quidquid Diodorus aliique de Nino & Semiramide hyperbolicè prædicârunt, ex illius penu depromtum eſt.* Qui proin *Ibid. Sec.* XVII. *neque in Hiſtoria Sacra neque in Ægyptiorum monumentis. reperiri ullam Aſſyriorum mentionem, antequam deſiiſſet in Aſia Ægyptiorum Imperium; poſteaque anno Templi* 232. *primum in Ciſeuphratenſibus regionibus inclaruiſſe Phulem Aſſyriorum Regem* ex 2. Reg. *c.* 15. *v.* 19. adnotat. Colophonius Phœnix, vetus poëta vitam Nini ſic deſcripſit,

Νῖνος τις ἐγένεθ᾽ ὡς ἐγὼ κλύω,
Ἀσσύριος, &c.

Ninus vir quidam fuit, ut audio,
Aſſyrius, qui auri mare poſſidebat,
Et alia copioſius, quàm arena eſt Caſpia.
Aſtra nunquam vidit, nec forſitan id optavit;
Ignem apud Magos ſacrum non excitavit.
Ut lege ſtatutum eſt, Deum nec virgis attigit.
Sacrificiis Deos non eſt veneratus, jura non reddidit.
Subjectos ſibi populos affari non didicit, ac ne numerare quidem,
Verùm ad edendum & bibendum ſtrenuiſſimus,
Vinumque miſcens, cætera in ſaxa amandabat.
Vir ille, ut mortuus eſt, hoc de ſe teſtimonium reliquit omnibus.
Sepulcrum hoc conſpicatus, nunc ubi Ninus ſit,
Audi, ſive Aſſyrius, ſive Medus,
Sive Coraxus, ſive à ſupernis paludibus
Indus capillatus: frivola non denuntio.
Quondam ego Ninus fui, ſpiritumque vitalem hauſi,
Nunc verò aliud nihil, quàm terra factus ſum:
Quicquid comedi, habeo, quicquid volupe mihi fuit:
Et quicquid pulchrarum fœminarum in amore laſcivii:
Opes, quibus eram beatus, inimici coëuntes
Auferent, hœdum ut crudum quæ bacchantur Thyades:
Ad inferos cùm deſcendi, nec aurum, nec equum,
Nec argenteum currum egi.
Cinus jam multus, qui olim mitram geſtavi.

Nic. Lloydius.

NINYAS, Aſiæ Rex, ex Nino & Semiramide genitus, domi præ voluptate ſemper latitabat, nulli præterquam ſuis uxoribus ſe conſpiciendum exhibens, Athen. *l.* 2. Vide *Zameis*.

NIOBE, filia Phoronei, mater Argi & Pelaſgi. Item filia Tantali, ſoror Pelopis, uxor autem Amphionis, Regis Thebanorum, quæ cùm viro ſuo ſex filios, totidemque filias peperiſſet, animô elata, Latonæ ſeſe præferre non dubitavit. Quamobrem indignata Dea, Apollinis & Dianæ ſagittis liberos ejus ad unum omnes interficiendos curavit, Niobenque ipſam ſibi convitiantem turbine vertì in Aſiam rapuit, & juxta Sipylum urbem (quæ illi patria erat) in ſaxum transformavit: Cui fabulæ occaſionem dediſſe, traditionem priſcam de Lothi uxore, quæ in ſaxum induruit, ut in Sacris legitur, probabile cenſet, Alex. Roſſæus, *in Myſtagogo Poëtico*. Alia fuit quoque Phoronei filia, ex qua Jupiter Apim, qui poſt. ea Oſiris & Serapis dictus eſt, genuit. Cœterùm Mythologis per ſaxum, in quod Niobe mutata eſt, intelligitur immodicus dolor, qui tandem in ſtuporem ac dedolentiam convertitur, fecitque, ut Niobe diriguerit, & veluti lapis immota ſteterit, Cicer. *l.* 3. *Tuſc.* *c.* 26. *Niobe fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu ſilentium.* Vel per ſaxum intelligere poſſis lapideam ſtatuam, quam orba liberis ſibi erexit in monumentum, ut refert Palæphatus *l.* 9. in his, Νιόβη, ἀποθανόντων τῶν ἑαυτῆς παίδων, ποιήσασα ἑαυτῇ εἰκόνα λιθίνην, ἔστησεν ἐπὶ τῷ τύμβῳ τῶν παίδων. Subdit, Καὶ ἡμεῖς ἐθεασάμεθα αὐτὴν, οἷα καὶ λέγεται. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 33.

—— *Citius genitrix Sipyleia fertur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Exhauſiſſe genas. ———

De numero liberorum Niobes non conſentiunt auctores. Homerus *Il. ult. v.* 606. prodidit, ut videre eſt in his:

Καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου.
Τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο,
Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες,
Τοὺς μὲν Ἀπόλλων πέφνεν ἀπ' ἀργυρέοιο βιοῖο,
Χωόμενος Νιόβῃ, τὰς δ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.
Οὕνεκ' ἄρα Λητοῖ ἰσάσκετο καλλιπαρῄῳ.

Quem ſequitur Propert. *l.* 2. *eleg.* 28. *v.* 7.

Nec tantùm Niobe bis ſex ad buſta ſuperba
Sollicito lacrymans defluit à Sipylo.

Itemque Statius *Theb. l.* 6. *v.* 124.

——— *Geminis Niobe conſumpta pharetris,*
Squalida biſſenas Sipylon deduxerat urnas.

Hyginus *Fab.* 2. & Apollodorus *l.* 3. 7. mares & 7. filias nominant, quibus concinunt Ovidius, Seneca, & Auſonius. Hic *l.* 6. *Met. v.* 182.

——— *Huic natas adjice ſeptem*
Et totidem juvenes. ——— ———

Ille *in Medea v.* 954.

Utinam ſuperbæ turba Tantalidos meô
Exiſſet utero, biſque ſeptenos parens
Natos tuliſſem. ——— ———

Tertius *Epitaph. Heroum, n.* 27.

Bis ſeptem natis genetrix læta; atque ſuperba
Tot duxi mater funera, quot genui.

Heſiodus 10. mares & 10. fœminas facit, ut ait idem *Apollodorus. Herodot.* 2. mares, & 3. fœminas. Addit Apollodorus, Amphiona è maribus & è fœminis Chlorin ſervatos; & Teleſillam Poëtriam duas filias incolumes ſcripſiſſe, Amyclam & Melibœam. Vide Ælian. *l.* 12. Ποικίλης ἱστορίας, *c.* 36. & Gell. *l.* 20. *c.* 7. Hinc *Niobæus* adject. Horat. *Car. l.* 4. *Od.* 6. *v.* 1.

Dive, quem proles Niobæa magna
Vindicem linguæ, Tityoſque raptor
Senſit ultorem ———

Nic. Lloydius. Cœterum, eam primam omnium mulierum à Jove amatam, ſicut ultimam Alcmenam, quæ ſedecim ætatibus à ſe invicem diſtiterunt, fabulati ſunt Veteres, uti refert Diodor. *l.* 4. Sed illud de *Niobe*, omnino falſum judicat Barthius; longè enim antiquior, inquit, Jovis in Calliſto amor: quippe cujus fil. Arcas fuit, non ſolum Niobes ævô, ſed ipſius Cadmi, qui Thebas condidit, multô profundior. Qua de re vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Thebaid. l.* 10. *v.* 897. Voſſ. verò diſtinctione rem expedit, infrà laudandus. Ejuſdem cum liberis ſimulachrum è marmore inter opera Scopæ, an Praxitelis, celebre olim memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 5. *Ignoratur artifex ejus Veneris, quam Veſpaſianus Imperator in operibus Pacis ſuæ dedicavit --- Par hæſitatio eſt in templo Apollinis Soſiani, Niobem cum liberis morientem Scopas an Praxiteles fecerit* &c. Plura de *Niobe* gemina, *Argiva* videl. *Phrygiaque*, apud Gerhard. Johann. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 14. ubi priorem ex Api fratre, Phoronei filio ac ſucceſſore, adeoque *Jove Argivo*, Argum ſuſcepiſſe, contendit.

NIOBE, Laconicæ fons, Plin. *l.* 4. *c.* 5.

NIOMAGUS, ſeu NEOMAGUS, quod vide, quibuſdam eſt *Buckingam*, oppid. Angliæ, ab Oxonio 20. milliar. in Ortum Bedfordiam verſus: aliis eſt *Voodeote*, prope Londinum.

NIORTIUM, urbs Pictavienſis provinc. ad Separam fluv. media inter Fanum S. Maxentii ad Ortum & Malleacum ad Occaſum, 4. leuc. diſtans, uti 14. à Pictavio in Occaſum Rupellam verſus. Nundinis totô regnô famoſa eſt. Capta fuit à Franciſco Andelotio, Gaſparis Colinii fratre, junctis huic copiis, A.C. 1568. Obſeſſa poſtmodum à regiis ſed à Lanovio tum liberata; tandem, Mojô præfectô per ſicarium lethaliter ſauciatô, deſerta, venienti Andino patuit, A.C. 1569. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 42. 44. Valeſio *Niortum*, clarum in Pictonibus caſtrum eſt; ad ripam fluvii Separis, quem ut à Separe Nannetico diſtinguant, *Separim Niortenſem* cognominant, *la Serre Niortoiſe*. Caput eſt agri cognominis, *le Niortois*. Vocatur *nobile Caſtrum*, in *Geſtis* Ludovici VIII. Francorum Regis. Meminit quoque ejus Guilielmus Armoricus *Philippidos l.* 8.

Laudunumque ferax Cereris Bacchique Niortum.

Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Noverogus.*

NIOSSUM, Sarmatiæ Europææ urbs, *Ptol.*

NIPHÆUS, nomen viri proprium ab equis interfecti, Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 570.

——— *Quin ecce Niphæi*
Quadrijuges in equos, adverſaque pectora tendit:
Atque illi longè gradientem, & dira frementem
Ut vidêre, metu verſi, retròque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.

NIPHAGRES, nomen urbis, Herodot. *l.* 7. Φάγρης Thucydidi *l.* 3. & ſic legendum apud *Herodotum*, *Palmerius* poſt *Leopardum* optimè obſervavit. *Nic. Lloydius.*

NIPHANDA, Paropaniſi urbs, *Ptol.*

NIPHATES, nunc *Curdo*, mons dividens Armeniam minorem ab Aſſyria, ex quo Tigris fluv. oritur. *Ferrario* eſt pars Tauri, inter Armeniam majorem & Meſopotamiam intercedens. Quidam verò majoris Armeniæ fluv. faciunt, qui ex eodem monte defluens, in Tigrim defertur, Lucan. *l.* 3. *v.* 245.

Armeniuſque tenens volentem ſaxa Niphatem.

Et Sidon. Apollin. *in Panegyr. Anthemij.*

Aut ut tigriferi pharetrata per arva Niphates.

Alii Scythiæ fluvium faciunt. Sic dictus ἀπὸ τῆς νιφάδος, à *nivibus*, teſte *Stephano*, Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 30.

Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphatem.

Horat. *l.* 2. *Od.* 9. *v.* 18.

——— *Potius nova*
Cantemus Auguſti tropæa
Cæſaris, & rigidum Niphatem,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices.

Nic. Lloydius.

NIPHAVANDRA, Mediæ urbs, *Ptol.*

NIPHE, una ex comitibus Dianæ; à *niveo candore* appellata. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 171.

Excipiunt laticem Nipheque, Hyaleque, Rhaniſque.

NIPTE legit Berſmannus, ἀπὸ τοῦ νίπτειν. Sed rectè vetuſtiores codices. *Nepheleque*, & ſic legit *Nicol. Heinſius.*

NIPHON I. Epiſcopus Cyzicenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus factus, A.C. 1311. Rudis, avarus, impius: Hinc pulſus A.C. 1315. Niceph. Gregoras *l.* 7.

NIPHON II. Peloponneſius, ex Metropolitano Theſſalonicenſi, Patriarcha, doctus & pius, paulò poſt electionem, pulſus à Bajazete, A.C. 1482. quòd certam pecuniæ ſummam hujus theſaurario ſolvere tardâſſet, Spond. *in Annal.*

NIPHONIA, pars maxima Japoniæ, eſt Inſul. ampliſſima; ubi urbes ipſius præcipuæ Jendum, Imperii caput, & Meacum, antea ſedes regia. Habet quinque partes, Jamaiſotiam, Jetſengam, Jetſegenam, Quantbam, & Ochiam, ſub quibus fuêre 55. regna. Multis *Japonia propria*; ab Ortu in Occaſum extenſa, Brietius & Sanſo *Geogr.* Vide *Japonia.*

NIPSA, urbs Thraciæ, *Stephan.*

NIREUS, Rex Naxi, Charopi & Aglajæ fil. quem omnium formoſiſſimum ad Trojam veniſſe, tradit Homer. *Il.* β. *v.* 671. *his verſ.*

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγεν τρεῖς νῆας ἐΐσας,
Νιρεὺς, Ἀγλαΐης θ' υἱὸς Χαρόποιό τ' ἄνακτος,
Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.

Ovid. *Ponticorum quarto, Ep.* 13. *v.* 15.

Tam mala Therſiten prohibebat forma latere,
Quàm pulchrâ Nireus conſpiciendus erat.

Propertius *l.* 3. *Eleg.* 17. *v.* 27.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem.

Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 20. *v.* 15. eum cum Ganymede conjungit;

Qualis aut Nireus fuit, aut aquoſâ
——— *Raptus ab Idâ.*

Idem *Epod.* 15. *v.* 22.

——— *Formaque vincas Nirea.*

Nic. Lloydius.

NIRTINGUM, oppid. Ducatus Wurtembergenſis, *Metel.*

NISA, urbs Cappadociæ. Vide *Nyſa.*

NISA, urbs Hellados, Homer. *Il.* 2. *v.* 508. Item fœminæ nomen, de qua Virg. *in Damone Ecl.* 8. *v.* 26.

Mopſo Niſa datur ———

NISA, ſeu *Nyſa*, locus Arabiæ, ubi Bacchus à Nymphis educatus, unde is *Niſæus* dictus. Apud oram Megaridis, naufragiis infamis.

NISÆA, *Strab. Niſſa, Caſtaldo Talcatan*, urbs Margianæ præcipua. Hinc *Niſæus* adjectivum, *Ferrar.*

NISÆA, navale Megaridis, & ipſa Megaris, à *Niſo*, Pandionis filio, *Steph.* Strabo *l.* 9. Ἡ δὲ Νισαία ἐστὶν ἐπίνειον τῶν Μεγαρέων, δέκα καὶ ὀκτὼ σταδίους τῆς πόλεως διέχον, σκέλεσιν ἑκατέρωθεν συναπτόμενον πρὸς αὐτήν. Sic Pauſan. *l.* 1. qui diſertè teſtatur, navale Megarorum ſua etiam ætate Niſæam fuiſſe appellatum, *Ptol.* confundit, μετὰ τὸν ἰσθμὸν, inquit, Νισαία, ἡ καὶ Μέγαρα καλουμένη: Fuêre autem μακρὰ τείχη quæ Niſſæum Megaris conjungerent, ſimillimè, ut Piræus jungebatur Athenis, teſte Thucydide *l.* 1. *Salina Sophiano.*

NISÆE, nymphæ nomen, Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 338.

Niſae, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 26. *v.* 16.

Candida Niſae, cærula Cymothoë.

Sed leg. *Neſae*, ex Homer. *Il.* 18. *v.* 40.

Νησαίη, Σπειώ τε, Θάλειά τε, Κυμοδόκη τε.

NISÆI Equi, olim illuſtres, in Mediæ campo, *Niſæo*, qui proceri admodum erant corporis. Herodot. *in Polyhymn.* Ἔστι πεδίον μέγα τῆς Μηδικῆς, τῷ οὔνομά ἐστι Νίσαιον· τοὺς ὦν δὴ ἵππους τοὺς μεγάλους φέρει τὸ πεδίον τοῦτο. *Mediæ campus eſt magnus*, Niſæus *nomine: magnos porrò equos fert campus ille.* Proin idem *in Thalia*, aſſerit Indica animalia cœteris eſſe majora, πάρεξ τῶν ἵππων, *exceptis equis*, qui in Media majores. Unde Reges iis uſos fuiſſe, Strabo ait *l.* 11. Τοὺς δὲ Νισαίους ἵππους, οἷς ἐχρῶντο οἱ βασιλεῖς, ἀρίστοις οὖσι καὶ μεγίστοις. Præter magnitudinem namque ſumma iis vis. Ammianus, ubi de Media *l.* 23. *Sunt apud eos prata virentia, fœtus equorum nobilium, quibus --- ineuntes prælia viri ſummâ vi vehi exultantes ſolent, quos* Niſæos *appellant.* Etiam celeritas inſignis; *Suidas*: Νίσαιον, τόπος Περσίδος, ἔνθα ἵπποι ὤκιστοι γίνονται, Νισαῖοι λεγόμενοι, *Niſæum, locus Perſidis, ubi equi ſunt velociſſimi*, Niſæi *dicti.* Unde eſt, quòd camelos, dromadas videlicet, eſſe perniciſſimos, eô argumentô probat Philoſophus *Hiſtor. Animal. l.* 9. *c.* 50. quòd θέουσι θᾶττον τῶν Νισαίων ἵππων πολὺ, *Niſæis etiam equis multo citiùs currunt*: Sed & decorem fuiſſe eximium, colligas ex Syneſio *Ep.* 40. *ad Uranium*, ubi, poſtquam multis laudavit equum apprimè à natura factum, ad omnem dotem equo congruam, unum excipit, quòd, Νισαίων ἵππων ἰδεῖν ἐστιν ἀειδέστερος, *Niſæis equis ſpecie ſit deformior.* Deſcribit autem formam eorum hiſce, Oppianus *Cynegeticῶn l.* 1.

Κάλλει δ' ἐν πάντεσσι πέλει πανυπείροχος ἵππος
Νισαῖος, τὸν ἄγουσιν ἐφιζάνοντες βασιλῆες,
Καλὸς ἰδεῖν, ἀταλός τε φέρειν εὐπειθέι δεσμῷ,
Βαιὸς μὲν κεφαλὴν, πολλὸς δὲ βαθύτριχα δειρὴν,
Κυδιόων ἑκάτερθε μελιχρύσοισιν ἐθείραις.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quem tumidi Reges equitant, longè omnibus anteit,
Niſææ telluris equus, ſua gratia formæ eſt,
Et greſſus faciles, cedentiaque ora lupatis,
Argutum caput, atque jubæ per colla profuſæ
Luxuriant utrinque, auri fulgore micantes.

Nempe flavi plerumque erant hi equi: quin apud Suidam, in Ἵππος Νισαῖος, Grammatici Niſæas equas aſſerunt, εἶναι ξανθὰς πάσας, *omnes eſſe flavas.* Proinde *Polemon* ibidem arguitur, quòd Niſæum equum album vocaverit. Præter Polemonem tamen, Philoſtratus etiam, *Apollonii ſui l.* 1. memorat λευκὸν ἵππον τῶν σφόδρα Νισαίων, *Niſæum equum maximè candidum.* Et *in Rhodogynæ Icone*, apud *eundem appicta eſt ei*, inquit, *Niſæa equa nigra, cui, ad candida crura, nivea ſunt pectora* &c. Habet autem *Niſæus campus* nomen, a *Niſa* vel *Neſa* (nam Νήσαιον ſcribunt *Phlegon. Arrian. Steph.* & *Heſych.*) quod Chaldæum eſt נצא *netſa*, vel נציא *netſia*, & *locum depreſſum ac in declive vergentem* denotat. Cùm enim Media celſa pleraque eſſet & frigida, beata admodum pars, quæ ſub Caſpiis portis, ut quæ eſſet in loco depreſſo & concavo, uti habet *Strabo.* Idem ſitus prati ſuit Hippoboti, in quo equi Niſæi paſcebantur. At aliis is ipſe locus vocari traditur *Cataſtegona* vel *Cataſtigona. Heſych.* Μεταξὺ τῆς Συσιανῆς, καὶ τῆς Βακτριανῆς, τόπος ἐςὶ Κατασήγωνα, ὅπερ Ἑλλάδι γλώσσῃ Νῆσος. Ἐνταῦθα ἵπποι διάφοροι γίνονται, *Inter Suſianam & Bactrianam locus eſt Cataſtegona, qui Græcè Neſos dicitur. Ibi ſunt præſtantes equi.* Ita etiam *Phlegontis Scholiaſtes* & *Phavorinus.* Cataſtigona autem hodie diceretur *Kotiſthan*, i. e. *herbæ Medicæ regio*, quâ locum hunc abundâſſe, quâque locorum incolas equos ſuos ſaginâſſe, diſertè teſtatur jam laudatus *Strabo*, Τὴν βοτάνην δὲ, τὴν μάλιςα τρέφουσαν τοὺς ἵππους, ἀπὸ τοῦ πλεονάζειν ἐνταῦθα, ἰδίως Μηδικὴν καλοῦμεν *Herbam, quæ maximè equos alit, ex eo quòd ibi abundat, propriè Medicam appellamus.* Quàm latè porro patuerit *Niſæus campus*, nemo tradit: At latiſſimè patuiſſe oportet, ſi de illo vera ſunt hæc *Diodori*, Ἐν ᾗ (χώρᾳ) τὸ παλαιὸν ἔφασαν ἑκκαίδεκα μυριάδας ἵππων γεγονέναι φορβάδων· κατὰ δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου παρουσίαν ἓξ μόναι μυριάδες ἠριθμήθησαν, *In quo loco fuiſſe olim ajunt equorum armentalium centum & ſexaginta millia; ſed, cùm Alexander eò ſe contulit, non niſi ſexaginta millia numerata ſunt.* Strabonis tamen ævô non paſcebantur ibi Perſarum Regibus, ſupra equarum quinque myriades. De verò ſitu tam celebris Hippoboti, Geographi hodieque certant. In Perſide collocatur à pleriſque, *Strabo* prope Caſpias portas ponit in via, quâ venitur è Perſide & Babylonia: unde *in Phaleg* ſuo colligit Bochartus *l.* 2. *c.* 14. hunc eſſe campum magnum, quem deſcribit liber Judithæ *c.* 1. *v.* 6. ἐν τοῖς ὁρίοις, *in finibus* Ragau; è qua Mediæ urbe Alexandrum unâ die ad Caſpias portas veniſſe, cum Darium magnis itineribus inſequeretur, ſcribit Arrian. *l.* 3. Et ſpatium interjectum eſt ſtadiorum 500. vel ut alii legunt 800. i. e. LXII. vel C. paſſuum mill. eidem *Strab.* In quo interſtitio potuit eſſe campus Niſæus &c Idem tamen Bochartus re perpenſâ accuratiùs, inter Suſa & Ecbatana, in ea parte Mediæ, quæ Suſianæ eſt confinis, eum collocat, ex Diodoro & Arriano; quam in rem nihil illuſtrius afferri poſſe ait, quàm iter Alexandri, quem, euntem Suſis Ecbatana, *Diodor.* narrat ibi triviſſe menſem integrum & equarum reperiſſe ſexaginta millia, atque inde profectum ſeptimâ die veniſſe Ecbatana: neque his diſſimilia ab Arriano traduntur. Sed nec diſſentit Strabo, qui hoc pratum Hippobotum apertè diſtinguit à parte Mediæ ἱπποβότῳ, quæ eſt ſub Caſpiis portis. *Heſychium* alioſque quod attinet, à quibus campus ille deſcribitur, μεταξὺ τῆς Συσιανῆς καὶ τῆς Βακτριανῆς, omnino id ſumtum eſt ex Alexandri hiſtoria, & pro τῆς Βακτριανῆς, reponendum τῶν Ἐκβατάνων. Neque mirum, eundem campum alios Mediæ, alios Perſidi aſſignare, cùm ſit in utriuſque confiniis, nempe in ea Mediæ, quæ Suſianam attingit, parte: Suſiana autem in Strabone pars eſt Perſidis. At *Ptolomæi Niſæa* urbs in Margiana, & in Aria *Niſæi* populi, cum *Niſæo* hoc *campo* Hippoboto commune nihil habent: quem ſi alii Armeniæ & Parthiæ adſcripſêre, Plin. *l.* 6. *c.* 25. & *Iſidor. Characenus*, factum id, quia & in Armenia & Parthia nobiles equi fuêre & *Niſæis* ſimiles &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 9.

NISÆUS, Syracuſanorum tyrannus, totus luxui deditus: hic enim, ubi ab aruſpicibus didiciſſet, ſe brevi moriturum, quicquid ſuperfuit vitæ, commeſſationibus & ebrietati id totum impendit, *Volaterran.*

NISAN, menſis Hebræorum, reſpondens partim noſtro Martio, partim Aprili. Sacrificiô primi diei & Paſchalis feſtô memorabilis, Sigon. *in Calend. Hebr.* Torniel. *A. M.* 2545. Nehem. *c.* 2. *v.* 1. Latinè, *vexillum*, ſeu *probatio*, aut *tentatio*, vel *fuga*, aut Syriacè, *miraculum.*

NISARUS, vir fuit apud Rhodiginos, mollitie pluſquam muliebri infamis, de quo Cæl. Rhodig. *Nitari* ſanè cujuſdam meminit, Cæl. *l.* 5. *c.* 13. *Nam & Nitarus quidam morſu Comico habetur mollitie infamis. Niſari* verò, quod ſciam, nullibi mentionem facit.

NISAVA, olim *Niſus*, flumen cum oppido cognomine Nyſiæ ſuperioris probè culto, in finibus Triballorum, à Belgrado, 120. mill. paſſ. in Ortum Hybernum.

NISBARA, & NISCHANABE, Perſarum Urbes, quas Tigris dividit. *Zoſimus.*

NISERGE, Urbs Perſidis, *Ptol.*

NISEUS, Cyzicenus, in conflictu nocturno, à Telamone interfectus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 198.

NISIA, montana regio Siciliæ juxta Ætnam.

De NISIBE Jacobus, vide *Jacobus.*

NISIBIS, nunc *Niſibin*, urbs Meſopotamiæ apud Tigrim fluvium, Amidæ urbi propinqua, quæ & Antiochia Mygdoniæ, teſte Pliniô *l.* 6. *c.* 13. dicitur, inter Carras ad Occaſum & Seleuciam ad Ortum; Perſarum olim Barbarorumque incurſionibus in Imperii terras, fortiter obnoxia: Colonia Romana ut ex nummis, in honorem Trajani & Severi hîc cuſis, colligere eſt, *Goltz.* Obſeſſa à Sapore, A. C. 351. Jacobi Præſulis precibus liberata tum, hoſtiſque copiæ per inſecta & virum quendam divinæ ſpeciei victæ, exclamante Sapore: *Deus propugnat Romanos*; poſtmodum à Perſis non ſemel capta eſt, Theodoret. *l.* 2. *c.* 30. *Strab.* &c. *Niſibena Conſtantina* vocatur in *Lib. Notit.* longitud. 75. 10. latitud. 37. 30 Urbs etiamnum ampla, in regione Diarbechia, ſub Turcis, 35. mill. paſſ. à Tigri in Occaſum, 50. ab Amida in Meridiem, uti 450. ab Artaxata, 80. à Carrhis in Ortum, 200. à Seleucia in Circium. *Baudrand.* Eſt etiam Ariæ urbs, *Ptol.* longitud. 111. 00. latitud. 35. 30.

NISICATES, & NISITÆ, populi Æthiopiæ ſub Ægypto, fabuloſi, ternis, aut quaternis oculis, teſte Pliniô *l.* 6. *c.* 30. qui tamen addit, non quia ſic ſint, ſed quia ſagittis præcipuâ contemplatione utantur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 385.

NISITÆ, vide NISICATES.

NISOPE, inſula Lesbi parva, quæ Sigrum portum efficit, *Steph.*

NISSA, urbs ſupra Tralles, ad Orientem; maximâ ex parte monti accumbit, torrente quôdam diviſa, qui convallem efficit. Ex hâc fuerunt Apollonius Stoicus, Panætii familiaris, & Meneçrates, Ariſtarchi diſcipulus, & Ariſtodemus ejus fil. item Soſtratus, Ariſtodemi frater, & alius Ariſtodemus, ejus conſobrinus, qui M. Pompejum erudivit. Etiam *Nyſſa* dicitur. Vide ibi.

NISSA, civitas Sileſiæ Epiſcopalis quam fluv. cognominis alluit, *Metel.*

NISSÆA, vide NISÆA.

NISSAN, apud Joſeph. *Jud. Ant. l.* 3. *c.* 10. Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, *Menſe Xanthiô, qui Niſan apud nos vocatur.* Menſis eſt Hebræorum, qui aliàs *Abib*, ſeu *Niſan*, ubi vocalis longa ſupplet defectum τοῦ *dageſch*; ut ſæpe in ניסן, *niſin*, pro נסין, *niſſin*, i. e. *vexilla*: à bellicis ſignis ſeu vexillis, quæ illô menſe primùm educuntur, nomen accepit. Quippe hoc ipſum tempus Hebræi intelligunt in his 2. Sam. *c.* 11. *v.* 1. *Et factum eſt, vertente annô, quô tempore Reges ſolent ad bella procedere.* Menſe *Adar* ſcil. annô revolutô & abſolutô, alius annus primô vere ſuccedebat menſe *Niſan*, quod belli gerendi tempus eſt commodiſſimum & uſu maximè receptum. Unde eſt, quòd Julianus Imperator ut Perſas imparatos aggrederetur, hoc tempus antecepit, apud Socr. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 21. Pari de cauſa verni menſes priores duo Bithynis dicti ſunt Στρατεῖος & Ἄρειος, ut Romanis *Martius*, à *Marte*: qui proin apud veterem Poëtam ſic loquitur,

Ἄρχετ' Ἄρης ἀπ' ἐμεῖο, καὶ ἄνθεα καὶ γλάγος ἤδη.
Marti principium, lactique & floribus à me eſt.

Similiter de Ægyptio menſe *Phamenoth*, qui ferè Martio reſpondet, verſus alius vetus habet:

Ἄρεος ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς.
Militibus Phamenoth Mavortia tela miniſtrat.

Cur idem verò *Abib* dictus ſit, vide in hac voce. Hic porrò menſis *Abib* ſeu *Niſan*, cùm anteà ſeptimus eſſet, poſt exitum ex Ægypto, cœpit pro primo haberi, Deô ſic ſanciente, Exod. *c.* 12. *v.* 2. quod tamen non obtinuit, niſi in rebus ſacris. Judæos enim omnes ſciunt, annum habuiſſe duplicem, civilem unum, alterum ſacrum: illius initium fuit menſe *Tiſri*, circa Autumnum; hujus menſe *Niſan*, circa ver. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. ut & in voce *Niſan.*

Rabbi NISSIM, commentator Alpheſi, floruit circa ann. 5120. juxta *Chronologiam* Rabbi Ganz.

NISSOS, Macedoniæ oppid. circa Pallenen peninſul. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

NISUA, Africæ Propriæ maritima civitas, *Ptol. Nubia Fazello.*

NISUS, Hyrtaci fil. Euryalo indiſſolubili amicitiæ vinculô conjunctus; quorum hiſtoriam copioſè ſatis deſcribit Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 184.

NISUS, Megarenſium Rex, purpureo capillô inſignis, à quo cùm regni ſui fatum pendere nôſſet, diligentiſſimè eum aſſervabat. Verùm cùm poſtea Megarenſes unà cum Athenienſibus invidiâ correpti, Androgeon, Minois filium, palæſtritam inſignem interfeciſſent, Minoſque eam ob cauſam Megarenſibus bellum inferret: Scylla, Niſi filia, hoſtis amore correpta, patrem purpureô capillô ſpoliavit, unaque (ut erat in fatis) patriam hoſti tradidit. Quam rem tam iniquô animô tulit Niſus, ut doloris impatientiâ extabuerit, deorumque miſeratione mutatus ſit, in Haliæetum avem ex genere accipitrum. Scylla autem, cùm ſeſe præter ſpem à Minoë (quem patriæ proditione ſatis ſe demeruiſſe putabat) deſertam videret, in Cirin avem criſtatam converſa eſt, cum quâ Haliæetus etiam hodiè internecinum odium exercet, Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 404.

Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magnô ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: quà ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.

Tota fabula eſt *l.* 8. *Met. v.* 8. Sic enim ille:

——— *Cui ſplendidus oſtro,*
Inter honoratos medio de vertice canos,
Crinis inhærebat magni fiducia regni.

Apollodor. *l.* 3. πορφυρέαν ἐν μέσῳ τῆς κεφαλῆς vocat, Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 63.

Carmine purpurea eſt Niſi coma, carmina ni ſint
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Propertius *l.* 3. *Eleg.* 18. *v.* 21.

Tuque ô Minoâ venundata Scylla figurâ,
Tondens purpureâ regna paterna comâ.

Ovidius, *Artis Amatoriæ l.* 1. *v.* 331.

Filia purpureos Niſi furata capillos,

Et *l. de Rem. Am. v.* 67.

Impia ſi noſtros legiſſet Scylla libellos,
Haſiſſet capiti purpura, Niſe, tuo.

Nic. Lloydius. Nempe arcana Regni, & Patris Regis conſilia, Scylla hoſti prodidit, quæ *purpureæ comæ* ſchemate Poëtis indigitantur. Sed & latet in fabula hac veſtigium ſacræ veritatis, de coma Samſonis Judicis. Iſraëlitarum fortiſſimi, quâ Delilæ aſtu reſectâ, defecerunt vires ejus, & ille hoſtibus Philiſtæis præda fuit. Vide ſuprà in voce *Cæſaries*, nec non ubi de *Samſone*. Cœterùm ejuſdem nominis mons, in eadem regione, memoratur Statio *Theb. l.* 2. *v.* 382.

Hinc prætervectus Niſum, *& te mitis Eleuſin*
Lævus habet ——— ———

Ad quem locum, vide *Lutatium*. De *Niſa* verò urbe ibidem in voce *Niſæa*.

NISUS, Comagenæ Urbs, *Antonin.*

NISYROS, hodie *Niſaro Sophiano*, inſula parva maris Carpathii, Cariæ adjacens, Coo propinqua, à qua avulſa vi fluctuum traditur, quæ & Porphyris olim dicta, teſte Pliniô *l.* 5. *c.* 31. 90. mill. paſſ. à Rhodo in Occaſum, vix. 70. à Samnio promontor. in Boream. In ea Neptuni aliquando templum, & ſubtus jacens Polybotes Gigas à Neptuno victus, ut veteres tradidêre. Hîc Thermæ ſcaturientes ſunt. Urbs in ea eſt ejuſdem nominis, teſte *Strabone.* Hanc ajunt (inquit Vir Magnus, *de Phœn. Colon. p.* 402.) ἀπόθραυσμα εἶναι τῆς Κῶ, *Co inſulæ fragmentum eſſe*, à quâ diſtat ſtadiis circiter ſexaginta. Fabulâ etiam additâ, Ὅτι Ποσειδῶν διώκων ἕνα τῶν Γιγάντων Πολυβώτην, ἀποθραύσας τῇ τριαίνῃ τῆς Κῶ ἐπ' αὐτὸν βάλοι, καὶ γένοιτο νῆσος τὸ βληθὲν ἡ Νίσυρος. Geographi verba ſunt *l.* 10. quibus conſona hæc Apollodori *l.* 1. Πολυβώτης δὲ διὰ τῆς θαλάσσης διωχθεὶς ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος, ἧκεν εἰς Κῶ. Ποσειδῶν δὲ τῆς νήσου μέρος διαῤῥήξας, ἐπέῤῥιψεν αὐτῷ τὸ λεγόμενον Νίσυρον. Neque multò aliter *Steph.* de eodem Polybote: Ποσειδῶν δὲ ἐπ' αὐτὸν ἀφεὶς τὴν τρίαιναν τοῦ μὲν ἥμαρτε. Γέγονε γὰρ (malim γέγονε δὲ) νῆσος τὸ βληθὲν Νίσυρος. Et proinde Niſyri nomen deducit *Euſtath.* ἀπὸ τοῦ νέω καὶ τοῦ σύρω, διότι ἀποκοπεῖσα τῆς νήσου τῆς Κῶ τῇ τοῦ Ποσειδῶνος τριαίνῃ ἐπεσύρη τῷ γίγαντι Πολυβώτῃ νέοντι, *à natando ac trahendo, quia Neptuni tridente ab inſula Co abſciſſa Niſyrus in Polybotem Gigantem enatantem* (vel *abeuntem*) *attracta eſt.* Quæ ſunt nugæ nugaciſſimæ. Omnino enim *Niſyrus* Phœnicium nomen. Phœnicibus ſcilicet, apud quos nata hæc fabula, נכוררת *niſſoreth* eſt *fragmentum*, & נכירו *neſiru*, vel נכירות *neſiruth*, *ſectio.* Inde dicta *Niſyrus*, quaſi *fragmentum*, vel *pars deciſa* ex inſulâ Co. Radix Hebræis נשר *neſar*, & Arabibus נשר *neſara*, propriè eſt πρίειν *ſerrare*, unde משור eſt πρίων *ſerra*, Eſa. *c.* 10. *v.* 15. Quod non obſervo de nihilo. Nam inde *Prion*, i. e. *ſerra* dicebatur pars Coæ inſulæ, ex qua *Niſyrus* credebatur abrupta. Plin. *l.* 5. *c.* 31. in Coæ deſcriptione: *Mons ibi Prion, & Niſyron abruptam illi putant.* Fortè legendum *abruptam illic*, vel *abruptam illi*, i.e. *ab illo*, Bochart. *Nic. Lloydius.*

NITA, fluv. cognomine *Germanicus*, vulgò *die Teutſche Nide* vel *Nied*, Gallis *le Nied Alleman*, aliàs *la Nied Alemande*, propterea quòd ejus accolæ linguâ Germanicâ utuntur, oritur in ſylvis Lotharingiæ, multosque vicos ignobiles præterlapſus, accipit *Nitam* cognomine *Gallicum*, propter accolas Gallicè loquentes, *le Nied François*, German. *die Welſche Nide*, h. e. Nitam Romanum, qui præ cœteris vicis Aldonisvillam *Haudonville*, Stagna *les Eſtangs*, locum ſtagnis adjacentem, ac Nitæ-Burgum *Nid-Burg*, à fluvio prælabente ita dictum alluit, ac demum *Nitam* Germanicum ſeu majorem auget: quibus incrementis validus hic Bodonis vel Beſonis Monaſterium titulô Abbatiæ locum inſignem, *Boſonville*, attingit atque in Saravum devolvitur. Ab eo, nomen habuit pagus *Nitenſis*, cujus primus omnium meminit, ante annos 870. Eginhardus *de tranſlat. Martyrum Marcellini & Petri l.* 3. *c.* 15. & *Nitagouve* Germanicè appellavit. In diviſione Regni Lotharii inter Ludovicum & Karolum factâ A.C. 870. *Nitachouva* vocatur, atque inter *Bedagouvam & Sarachouvam inferiorem* collocatur: Wormacenſi, velut ſitu proximus conjungitur, in *Annalibus* Fuldenſibus; namque à fluminibus Nava, Saravo ac *Nita* non procul Wormatia ſita eſt. Sunt & duo alii ejuſdem nominis fluvii, nimirum *Nita* vel *Neta*, alter *major*, alter *minor*, cognominati: qui nomen hodieque ſervant in Campania Brabantina, *Kempeland* vulgò dicta, & ad oppidum Brabantiæ *Ledi* olim, *Liram* nunc, vulgò *Lier*, appellatum, coëunt. Inter utrumque flumen ſilvæ Baldrici Comitis & Baldrici Epiſcopi Leodicenſis memorantur, *in literis* Henrici Regis, A. C. 1008. Eſt quoque *Nita* fluv. *Neite*, qui paulò infrà confluentes Moſellæ & Rheni recipitur Rheno, Autunnaco non procul. *Nitæ*, Eifflenſis rivi, meminit etiam *Brouwerus.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NITARUS, Luxuriæ & mollitiei nomine infamis. Scholia in *Plutum. Act.* 4. *ſc.* 4.

NITAZUM, Galatiæ urbs, *Antonin.* In Aſia minore.

NITEDULA, inter animalia minima, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 2. *Non enim, ſi negemus muſcas, ſcarabæos & cimices, nitedulas, curculiones & tineas, omnipotentis eſſe Regis opus, ſequaciter poſtulandum à nobis eſt, ut quis ea fecerit inſtitueritque, dicamus.* Aliter *Nitela* Servio, qui interpretatur *murem agreſtem*, *ad Georgic. l.* 1. ſicut Papias, *animal fulgens inſtar ignis, quod Græcè lampyris dicitur.* Ejus mentio apud Ciceronem quoque *pro Sextio*, *ut ille ex vepretulis extracta* nitedula *Remp. conaretur armare* &c. Vide & infrà *Nitor*, it. *Sciurus.*

NITERIS, natio Africæ interioris, à Cornel. Balbo devicta, Plin. *l.* 5. *c.* 5. Horum urbs primaria *Nitibrum*, ab eodem vocatur.

NITETIS, filia Apriæ, Regis Ægypti, ab Amaſide ſubverſi, quam, tanquam propriam filiam, Amaſis Cyro elocavit. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 29.

NITHARDUS, Abbas S. Richardi, fil. Angilberti, ex Bertha, Caroli M. filia. Hæreditate ſuâ Ludovico Pio ſponte ceſſit, ut receſſu frueretur. Occiſus à Danis, A. C. 853. Scripſit hiſtoriam belli inter filios tres Ludovici Pii: ſub *tit. Libri IV. de diſcordia filiorum Lud. Pii:* quam edidit Pithœus Pariſiis, A. C. 1588. Orditur autem à morte Caroli M. A. C. 814. uſque ad A. C. 843. ubi *l.* 4. Harnidi fratris ſui meminit. Barthius, *Adverſ. l.* 46. *c.* 9. Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 2. *c.* 34.

NITHESDALIA, provinc. Scotiæ, in parte Auſtrali in collimitio Angliæ. Vallis eſt diviſa per fluv. *Nithes.* Ejus urbs præcipua *Dunfreis.* Camden. *deſcript. magnæ Britan.*

NITHIA, provinc. Scotiæ Meridionalis verſus Angliam, bifariam ſecta à Nitha fluvio *Nitheſdale*; ejus caput eſt Dunfreja, verſus Nithæ oſtia. Ab Ortu Annainam habet, ab Occaſu Gallovidiam provinc.

NITHING, apud Matthæum Pariſ. A. C. 1089. idem quod *Nequam* Latinis: in *Annalibus.* Waverli *MSS.* eôdem annô, apud Spelmannum: *Rex. Wilhelmus junior miſit per totam Angliam & mandavit, ut quicunque foret Unnithing, ſive Francus ſive Anglicus, ſive in burgo, ſive extra, veniret ad eum: & adunatô magnô populô, ivit ad Roveceſtre, & obſedit caſtellum.* Ubi vox ſcribitur charactere Saxonicô. *Leges Convivii*, in memoriam & honorem Eriri Regis Ringsſtadienſis olim celebrati: *Si confratrem ſuum, propter nimiam ſtultitiam ſuam & negligentiam & longævô rancore exiſtente confratrem occiderit, exeat à conſortio omnium confratrum, cum malo nomine* Nithing *& recedat.* Wilhel. Malmesburienſis *in Wilhelmo II. p.* 121. habet *Nidering* vel *Nidernig*, ſimiliter pro *nequam* & *ignavo* Gall. *Faineant*, docetque, *Anglos nihil miſerius putare, quàm hujuſce vocabuli dedecore aduri.* Runicam dicunt vocem eſſe, Runicè enim *Nidingur* contemptus eſt, inhumani alicujus parator, vide *Lexicon Runicum* Wormii *p.* 22-92. Ejuſdem notionis eſt vox *Nithing ſorth*, apud Suenonem *in LL. Caſtr. c.* 10. & 11. de qua Steph. Stephanius *Suennus editor p.* 174. Janus Polmerus *ad Jus Aulic. Norvegieſ. vetus c.* 37. & Pet. Reſenius *ad Jus Aulicum Canuti II. Regis Daniæ c.* 4. Car. du Freſne *Gloſſar.*

NITI haſtis, ſolebant olim milites, cùm Imperatorem dicentem audirent. Claudian. *de Bello Gildon. v.* 435.

——— ——— *ſtat circumfuſa juventus*
Nixa *haſtis, pronasque ferox accommodat aures.*

Iidem ſecuri velut, & facilè hoſtem confecturi, eum *adnixi jaculis* exſpectabant. Statius *Theb. l.* 2. *v.* 525.

——— ——— *hoſtemque ſuperbum*
Adnixi jaculis, & humi poſita arma tenentes
Expectant &c.

Vide quoque ſuprà, ubi de *Innitendi more.*

NITIBRUM, oppid. Africæ interioris, Plin. *l.* 5. *c.* 5.

NITIOBRIGES, populi Aquitaniæ, teſte *Ptol.* non Celticæ, ut ſcribit *Ortelius.* Petrocoriis & Cadurcis finitimi: quorum urbs mons Albanus, *Montauban* vulgò dicta. Sed *Poldo* & *Marliano* eſt mons Peſſulus, ſeu Peſſulanus, *Montpellier*, urbs Epiſcopalis Galliæ Narbonenſis in Occitania regione ex verbis Cæſaris *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 7. inter Ruthenos Gabalos eſſe videntur. *Baudrando* fuêre inter Petrocorios ad Boream, Cadurcos ad Ortum, Auſcios ad Meridiem, Vaſâtesque ad Occaſum, ubi nunc *l'Agenois*, provinc. Agennenſis; Eorumque caput Aginnum, ad Garumnam fluvium. Cœterùm, iis quinque hominum millia, ad Aleſiam obſidione Romanâ liberandam, imperata fuiſſe, ſcribit Cæſar, *l.* 7. *c.* 31. ubi *Teutomatum Olloviconis filium, Regem* Nitiobrigum, *cujus Pater ab Senatu Romano amicus erat appellatus, cum magno equitum ſuorum numero & quos ex Aquitania conduxerat, ad Vercingetorigem perveniſſe*, refert & inter Celtas illos ponit. *Tarnis amnis à Toloſanis* illos diſcernit Plin. *l.* 4. *c.* 19. quod in Aginnenſem omnino pagum cadit, quem Tarnis fluv. à Toloſano agro diſcriminat: unde *Nitiobriges* non alios, quàm Aginnenſes & Aginnenſis pagi incolas eſſe certum eſt: quorum caput *Claudius Ptolemæus* etiam Ἀγιννὸν ſeu *Aginnum* vocat; inter provinciæ Aquitanicæ ſecundæ ſeu Burdigalenſis 6. civitates ſecundum à Burdigala Metropoli locum tenens, præpoſitumque, quod miteris, civitatibus Santonum atque Pictavorum, multò nobiliorum ac validiorum populorum, *in veterib. Notitiis* provinciarum atque civitatum Galliæ. Quem errorem *recentiores Notitiæ* correxerunt, & ſub Metropolitano Burdigalenſi Pictavenſem Epiſcopum primô locô, Santonenſem ſecundô poſuerunt, Aginnenſi poſt Ecolismenſem etiam atque Petrocoricenſem in ultimum locum rejectô. Meminit Phœbadii, Agenni Galliarum Epiſcopi, Hieronym. *de Script. Eccl.* Dicitur Aginnum, vulgò *Agen:* caputque eſt pagi cognominis, quem inter pagum Cadurcinum & Petrocoricum locat Fredegarius, ac Aimoinus *l.* 3. *c.* 15. hodie *L'Agenois* vel *le pays d'Agenois*: Cujus pars trans Garumnam poſita, erat in finibus provinciæ Novempopulanæ vel Vaſconiæ, circa Condomium. Unde, in vetuſtiſſimis *Annalibus*, legimus, regnante Pipinô, pluiſſe frumentô, *in pago Aginnenſi ultra Garumnam*, i. e. in Vaſconiæ pago Condomienſi: Et Seneſcalcia Aginnenſis duos Epiſcopatus continet, cis Garumnam Aginnenſem, trans flumen in Vaſconia Condomienſem. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NITOCRIS, quaſi Ἀθηνᾶ Νικηφόρος, *Minerva Victrix*, Ægypti regina, circa ultima Jacobi Patriarchæ, in Thebanorum Regum ut & Memphitarum ſerie, apud Eratoſthenem & Manethonem, XXII. Acheſco Ocaræ ſeu Mente-Suphidifratri ſucceſſit, generoſiſſima & formoſiſſima mulierum ſui temporis, ξανθὴ τὴν χροιὰν, *flava colore*, Syncellus *p.* 58. nempe inter fuſcas Ægypti fœminas flava Nitocris pulcherrima; non tam quia color iſte in Ægypto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rariſſimus, quàm quia Iſis Dea eadem cum *flava* Cerere, Herodot. *l.* 2. *c.* 56. Hæc prima mulierum in Ægypto regnum exercuit, lege IV. Seculô ſancitâ, de qua diximus voce *Binothris*; nec Thinitis tantùm & Thebanis, ſed etiam Memphitis imperavit; & quidem poſt illam nullius ſupereſt Memphitarum Regis nomen, ſede hujus regni Thebas ſine dubio tranſlata. Tertiam eadem pyramidem erexit, eôdem Syncellô teſte. Uti verò ulta ſit fratris ſui interfectores, docet Herodot. *l.* 2. *c.* 100. *Extruxit cœnaculum ſubterraneum valde longum, prætextu novitatis, ſed aliud mente machinata; & convocatis ad convivium multis Ægyptiorum, quos cædis maximè conſcios fuiſſe noverat, diſcumbentibus magnum flumen per occultum canalem immiſit. Ipſa autem ſeſe conjiciens in domum cinere plenam illæſa evaſit.* Regnavit autem ann. 22. eique ſucceſſit Myrtæus. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* VII. ut & aliquid hîc infrà, ubi de *Nitocride Babylonica*, quam cum *Memphitica* hac, malè nonnulli confundunt. Ut de pyramide ejus aliquid addam, Herodot. illam *ex lapide Æthiopico uſque ad medium*, *l.* 2. *c.* 134. Strabo, *ex lapide nigro, ex quo mortaria faciunt; qui ex longinquo veniens ex Æthiopiæ montibus, durus eſt & operatu difficilis*, *Geogr. l.* 17. Diodorus, *ex nigro lapide, uſque ad XV. contignationem*, conſtitiſſe refert, *l.* 1. Plin. de eadem, *Tertia minor prædictis* (de quibus vide in *Cerphere*, & *Suphide*) *ſed multo ſpectatior, Æthiopicis lapidibus aſſurgit*, *l.* 36. *c.* 12. Joh. tamen Gravius αὐτόπτης (ſalvâ veterum reverentiâ) totam illam, ex lapidibus candentibus conſtructam, teſtatur, apud Marshamum præf. *ad Sec.* III.

NITOCRIS, Babyloniorum regina, Nabuchodonoſoris, ut quidam volunt, uxor; mater Labineti, à Cyro pulſi, *Morer.* Euphratem fluv. qui mediam Babylonem rectus præterfluebat, tortuoſum reddidit, ſupraque pontem erexit trium ſtadiorum, difficillimum factu propter paludes, quæ urbem ambiunt; fecit etiam ingentes cavernas ad excipiendum fluminis impetum, egeſſitque quicquid erat limi, ad facienda fundamenta. Sepulchrum ſuum in porta urbis præcipua extrui curavit, magnas opes illud aperturo pollicita. Sed Darius illô recluſô, ſaltem hæc reperit verba: *Niſi tu inſatiabilis eſſes, ſepulchra mortuorum non violâſſes.* Autores Herodot. *l.* 1. & *Qu. Curtius.* Non ab Herodoto Nicaule (inquit Bochart. *l.* 2. *Phaleg. c.* 26.) ſed Nitocris illa mulier dicitur, quæ ſola in Ægypto regnavit. Nec eſt quòd quiſquam ſuſpicetur, vocem eſſe corruptam, & Joſephum aliter legiſſe. Aſſerit enim *Herodot.* eam reginam Babylonicæ Nitocri fuiſſe cognominem: τῇ δὲ γυναικὶ ὄνομα ἦν, ἥτις ἐβασίλευσε τὸ περ τῇ Βαβυλωνίῃ Νίτωκρις. Nihil potuit ſcribi diſertius. Et in *Dynaſtia Memphitarum*, apud Africanum, ex *Manethone*: Νίτωκρις γεννικωτάτη, καὶ εὐμορφωτάτη τῶν κατ' αὐτὴν γενομένη, ξανθὴ τὴν χροιάν, ἡ τὴν τρίτην ἤγειρε πυραμίδα· ἐβασίλευσεν ἔτη ιβ. Et apud Euſeb. *l.* 1. *Chron. p.* 21. Θηβαίων Αἰγυπτίων ἐβασίλευσεν ἔτη κβ Νίτωκρις γυνὴ ἀντὶ τοῦ ἀνδρός, ὅ ἐστιν Ἀθηνᾶ νικηφόρος. Nempe Ægyptiis *Nit*, vel *Neith* erat Minerva. Plato *in Timæo*, ubi de Nomo Saitico: τούτου δὲ τοῦ νομοῦ μεγίστη πόλις Σαΐς, ὅθεν δὲ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεύς, οὗ τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηῒθ, Ἑλληνιστὶ δὲ ὡς ὁ ἐκείνων λόγος Ἀθηνᾶ. Rurſus Arabicâ linguâ, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media eſſe creditur, קהר *cahara* eſt *vincere*, & קהר *cahr*, *victoria.* Itaque ex *Neith* & *Cahr* conflatam vocem *Nitocris*, Minervam victricem veteres rectè interpretantur. Hæc itaque *Nitocris*, de qua memorat *Herodot.* illam Regis fratris mortem, merſis Regicidis, ultam eſſe, à ſuperiore diſtinguenda, *Nic. Lloydius.* Vide & Marshamum ubi ſuprà, *Sec.* XVIII. ubi de ſolertia & potentia Babylonicæ hujus Reginæ, Cyro contemporaneæ, varia.

NITOR, in vultu & corpore, τὸ εὔχρουν: in palæſtra, bonus color. *Cicero*, *Sine nitore & palæſtra*, quod inde ad orationem tranſlatum. Græcis εὐπίνεια, ab eadem palæſtræ metaphora. *Petronius nitorem* abſolutè de minio dixit, quia inter colores pretioſos & floridos eſt, quos Græci ἀνθηροὺς vocant. Ita autem is,

> *Heſperium coccum miles laudabat, eadem*
> *Quæſitus tellure* nitor *certaverat oſtro.*

Sic Solinus de Hiſpanis *c.* 26. *Depurgant in minium nitelas pulveris*, ἄμμον λαμπυρίζουσαν. Infrà, *Inſertis aureis umbilicis incedunt, in nitelam pinguiorem.* Ubi *Nitela*, Græcè στιλβηδών. Similiter, *Manilio lapidum nitor*, de margaritis: & *Virgilio*, *nitor auri.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1041. & ſuprà *Minium.* In vita *Nitor*, ſplendorem notat, luxuriæ non cedentem, neque avaritiâ victum, apud Statium *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 73.

> *Tunc hilaris probitas & frons tranquilla nitorque*
> *Luxuriæ confine tenens, pietaſque per omnes*
> *Diſpenſata modos* ——— ———

Ubi Barthius legit, *confine timens*; ne illô videl. tam vicinô vitiô mergeretur: exemplo illius Maroniani, *l.* 1. *Georg. v.* 246.

> *Arctos Oceani metuentes æquore tingi* &c.

Vide eum *Animadverſion. ad d. l.* & de *Centurione rerum nitentium* ſuprà.

NITRIA, Ægypti regio, & nomen 2. urbium ſupra Memphim. Strabo *l.* 17. *Stephano* locus eſt Ægypti. Hinc *Nitriotis* præfectura, & *Nitrites* Nomus. *Ferrario* mons Ægypti, in quo plurima cœnobia, inter quem & Alexandriam Mareotis lacus. Eſt & *Nitria* urbs parva, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Strigonienſi in Jazygibus Metanaſtis, vel in Hungaria trans Danubium, à Strigonio 6. leuc. in Boream cum caſtro in colle, vulgò *Nitracht*; ad fluv. Nitriam 10. leuc. à Strigonio in Boream, uti à Poſonio in Ortum, 5. à Nehoſelio in Arctos, verſus montes; ex præfectura Nehoſelia pendet, *Baudrand.*

NITRIÆ, Indiæ emporium intra Gangem, *Ptol. Nitra* Interpretes. Non admodum longè à Muziri emporio; cujus incolas πειρατὰς vocat *Ptol.* nomen populi fuiſſe indicans; cùm urbes eorum tàm maritimas, quàm mediterraneas, recenſeat. An indè, quòd *piraticam* exercuerit? Ita certè *Plin.* exiſtimâſſe videtur & *Ptol.* ipſe. Meminit etiam eorum *Peripli* Auctor: καθ' οὓς τόπους εἰσὶ πειραταί &c.

NITRUM, multi uſus in lotionibus Veterum. Unde *Nitrum* & lumentum, in re balneari, ſæpe junctim legere eſt, ut apud Cicer. *l.* 8. *Ep.* 14. *ad Famil.* Cyprian. *Ep.* 76. *Neque enim ſic in Sacramento ſalutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali, & ſeculari ſordes cutis & corporis abluuntur, ut afronitris & cæteris quoque lumentis & ſoliô & piſcinâ opus ſit.* Ubi perperam hodierni Codices, *& cæteris quoque adjumentis.* Veteres libri ibi habent, *jumentis*, unde *lumentis* fecit Salmaſ. Vetus Juvenalis Interpres, ad illud, *Sat.* 5. *v.* 511.

> ——— *Et gravis eſt rationibus* ———

In *lumentis*, inquit, *& balnearia pecuniam erogando*, quod pravè mutant etiam eruditi Viri. *Lumentum* enim lomentum eſt, τὸ σμῆγμα, τὸ νίτρωμα. Sic νίτρωμα κεφαλῆς idem quod ἀπόπλυμα, quô nomine *in Gloſſis* porrigo indigitatur: Cùm enim pectitur caput ac deſtringitur, ſquamulæ illæ à cute reſolvuntur ac occidunt. Serenus Sammonicus,

> *Cùm caput immenſâ pexum porrigine ningit*, &c.

Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. Eſt autem *Nitri* natura, non multùm à ſale diſtans: optimumque ac copioſiſſimum *in Chalaſtricum*, candidum, purumque, proximum ſali. *Lacus eſt nitroſus, exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fit* nitrum *circa Canis ortum novenis diebus, totidemque ceſſat, ac rurſus innatat & deinde ceſſat --- In Ægypto autem conficitur multò abundantius, ſed deterius. Nam fuſcum lapidoſumque eſt. Fit penè eôdem modô, quô ſal, niſi quòd ſalinis mare infundunt, Nilum autem nitrariis. --- Ipſum autem conditum in acervis durat --- In nitro optimum, quod tenuiſſimum, & ideo ſpuma melior. Ad aliqua tamen ſordidum, tanquam ad inficiendas purpuras tincturaſque omnes --- Nitrariæ egregiæ Ægyptiis --- circa Naucratim & Memphim, ſed circa hanc deteriores. Nam & lapideſcit ibi in acervis, multique ſunt tumuli eâ de cauſa ſaxei. Faciunt ex his vaſa --- Aphronitrum --- optimum putant Lydium, probatio, ut ſit minimè ponderoſum & maximè friabile, colore verò purpureô. Hoc in paſtillis affertur. Ægyptium in vaſis picatis, ne liqueſcat* &c. Plinius *l.* 31. *c.* 10. Alia vocis notio eſt, apud Martialem *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 13.

> *Et turbata brevi queſtus cryſtallina* nitro:

Uti legit *Gruterus* ex Palat. Hîc enim cryſtalli vitium denotat, quod *ſalem* vocat *Plin.* vitium nempe ſali ſimile. Quod vitium & in aliis gemmis hôc eôdem nomine appellabatur. Salem porro etiam *nitrum*, Græcos ἁλόνιτρον vocâſſe, notum. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 204. Nili inundationem *nitroſitati* aquarum ejus attribui à nonnullis, diximus retrò, in voce *Nilus*: de *Nitri* verò, in vitro conficiendo uſu, vide infrà voce *Vitrum.*

NIVARIA, una ex Fortunatis inſulis à Canariâ 30. leuc. Hiſpanic. *Gomera* teſte *Alexandrô* Epiſcopô Gerundenſi cum Andrea Dacio. Aliis eſt *Teneriffa.* Inter Canariam Inſul. ad Ortum, à qua 16. leuc. diſtat, & Gomeram ad Occaſum 9. leuc. Longa 25. leuc. Gallic. lata 12. Urbs præcipua ejus *Laguna*, ſic dicta, quia prope lacum, in medio Inſul. ſub Hiſpanis. *Baudrand.* A perpetua nive cognominata, Plin. *l.* 6. *c.* 32. Eſt item Hiſpaniæ urbs inter Salmanticam & Complutum.

NIVATA, provinc. Niphoniæ Inſul. in Japonia, cum urbe cognomine in Quantoa regione.

NIUCANUM, vulgò NIUCHE, regnum Tartariæ, in limite Imperii Sinarum, *M. Martinio.* Unde profecti Tartari, qui haud pridem Sinas occupârunt. Aliis *Tendut* ſeu *Charchir*; inter Tangutum regnum ad Occaſum, & Yupiam ad Ortum. De urbibus ejus altum ſilentium, Martinii *Atlas Sinicus.*

NIVEI Tauri, præ cœteris olim Diis accepti putabantur. Unde ſcripſit Poëta ſalſiſſimus eorum temporum, in Marcum Antoninum, ſacrificatorem magnum, nomine talium,

> Αἱ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν,
> Ἂν δὲ σὺ νικήσῃς, ἄμμες ἀπολλύμεθα.
> *En! nivei tauri Cæſar te Marce ſalutant,*
> *Quòd ſi victor eris, perdita turba ſumus.*

Quô fine Clitumno amne crebrò perfundebantur; alba enim eum armenta facere, multis notatum, uti vidimus in hac voce. Hinc & Statius *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 127.

> ——— *Quâ nunc tibi pauper acerra*
> *Digna litem? nec ſi vacuet Mevania valles,*
> *Aut præſtent* niveos *Clitumna novalia tauros,*
> *Sufficiam* ——— ———

Vide quoque B. Briſſonium *Formular. l.* 1. Gregor. Bersmannum *Commentar. ad Georg. Virg. l.* 2. J. Paſſeratium *ad Propert. l.* 2. *Eleg.* 19. Caſp. Barthium *ad Claudian. VI. Conſul. Honorii*, Alios, nec non hîc paſſim, ubi de colore *Albo, Candido, Niveo* &c.

NIVELLA, vide NIVIGELLA.

NIVERNENSIS Provinc. Galliæ ſatis ampla, verſus Ligerim, inter Burgundiam ad Ortum, Bituriges ad Occaſum, & Boios ad Meridiem; ejus primar. urbs eſt, aliàs Vadicaſſium caput, Nivernum.

NIVERNUM, urbs Galliæ Celticæ ampla & elegans, ad Ligerim fluv. ubi rivulus *Nieuve* nomen perdit, in finibus Æduorum, ſeu Burgundiæ, quaſi media inter Lutetiam & Lugdunum. Olim *Nivernium* Turoneſi. *Niverna Lib. Concil.* vulgò *Nevers.* Olim *Noviodunum* dicebatur, 20. leuc. ab Auguſtoduno in Occaſum, uti ab Altiſſiodoro in Meridiem. *Baudrand.* Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Senonenſi. In Comitatum evecta eſt, ſub primis Regibus, Ducatus verò titulus ei accrevit ſub Carolo VII. cum titul. Paris. A. C. 1459. quod confirmatum, à Ludovico XI. in gratiam Johannis Burgundi, Comitis Nivernii, A. C. 1404. & Ludovico XII. A. C. 1505. in gratiam Engelberti Clivenſis, & à Franciſco I. in gratiam Mariæ Albretanæ, Comitis Nivernii, A. C. 1521. Ibi Caſtrum veterum Comitum adhuc viſitur, præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ter munimenta, pontem, opera vitriaria, & fictilia, viſu digna. Concilium Niverni celebratum dicitur, A. C. 763. Cæſar *l.* 7. *Comm. c.* 10. Guido Cocquille, *Hiſtoire de Nivern.* Mich. Cotignonus, *Catalog. Hiſtor. Epiſcop. Nivern.* Ducheſnius, Sincerus, *Itiner. Gall. &c.* Hinc illuſtri Familiæ nomen, quæ, Gonzageæ ſtirpis ramus, Mantuanô Ducatu hodie potitur. Ludovicus enim Gonzaga, fil. minor natu Ducis Mantuæ, defuncti A. C. 1540. ductâ Henricâ Cliviâ, *Nivernii* Ducatum obtinuit, atque ex ea ſuſcepit Carolum I. Gonzagam, qui, mortuô principalis rami ultimo Vincentio, in Ducatu Mantuæ ac Montisferrati, non ſine gravi bello, ſucceſſit: Pater ex Catharina Lotharingica Caroli II. Ducis *Nivernii*, ante Patrem mortui A. C. 1631. Aloyſiæ Mariæ (quæ Vladiſlao & Caſimiro fratribus, Regibus Poloniæ) & Annæ (quæ Edoardo Comiti Palatino Rheni nupſit) è quibus Carolo II. genitus eſt ex Maria Gonzaga Mantuana (filia Franciſci Gonzagæ Ducis Mantuæ, qui deceſſit A. C. 1612.) Carolus Gonzaga III. hodierni Ducis (cui valetudo imbecilla, nullique liberi) Parens. Vide ſuprà, in voce *Mantua.* Edoardus verò ex Anna ſuſcepit Ludovicam Mariam, Annam (quæ nata A. C. 1647. maritum habet Henricum Julium Ducem Anghianum) & Benedictam Henricam (quæ nata A. C. 1648. uxor eſt Johannis Friderici Ducis Brunſuici & Lunæburgi, qui Hanoveræ ſedem habet) omnes *Comit. Palatinos Rheni in Nevers*, ſeu *lineæ Nivernicæ.* Reſtant enarrandi Mariæ Cliviæ, à qua Gonzagarum familiæ titulus illatus eſt, progenitores. In Clivia familia, cui poſtmodum Juliacenſis ac Montanus Principatus acceſſêre, ramus directus & præcipuus defecit in Johanne Wilhelmo A. C. 1609. mortuo. Ex minoribus filiis deſcendêre lineæ *Ravenſtein* & *Nivernia*, quarum iſta ſic habet: Adolfus I. Dux Cliviæ, nepos Adolfi Marcani (qui à conjuge Margaretha ſeu Maria Clivia jus ſucceſſionis Cliviæ in domum ſuam tranſtulit) defunctus A. C. 1448. ex Maria (filiâ Johannis cognomine *Intrepidi* Ducis Burgundiæ) genuit Johannem I. Ducem Cliviæ, extinctum A. C. 1481. Hôc & Eliſabetha Nivernia ſeu *de Nevers, Eu, Reth*, &c. (filiâ Johannis *de Burgundia* Ducis Brabantiæ Comitis *de Nevers*, qui obiit A. C. 1491.) natus inter alios Engelbertus *de Clivia* Comes *Nivernii* maternô jure fuit obiitque A. C. 1498. ſecundùm alios 1506. Huic ex Carola Borbonia (filia Johannis II. Borbonii Comitis Vindocini) natus Carolus *de Clivia* Comes *de Nevers*, Mariam ſibi junxit Albretanam (filiam Johannis Albretani Comit. de Ret. Dn. Orv.) atque ex ea ſuſcepit Franciſcum I. *de Clivia*, Ducem *de Nevers*, defunctum A. C. 1561. Quô & Margarethâ Borboniâ (filiâ Caroli Borbonii Ducis Vindonici & Franciſcæ Alenzoniæ) geniti ſunt, Franciſcus II. Dux *Nivernii* ſeu *de Nevers*, (maritus Annæ, Ludovicô Borboniô Mompenſeriô Duce fatæ, qui obiit A. C. 1563.) Jacobus Dux *Nivernii* (qui uxorem habuit Dianam filiam Roberti *de la Marca* Ducis Bullionii, atque deceſſit A. C. 1586.) Henrica *de Nevers* (uxor Ludovici Gonzagæ, ad cujus poſteros, ut dictum, Ducatus delapſus eſt) Catharina Comes *d' Eu* (uxor Antonii primùm Croii Principis Porceani: exin, Henrici Lotharingi Ducis Guiſii) & Maria March. *d' Iſlé* (quæ Henrico Borbonio Principi Condæo nupta, obiit A. C. 1574.) omnes *Domus Clivia* ſeu *de Cleves*, lineæ ſuæ ultimi. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 39. & *in Ind.* voce *Gonzaga Part.* 2. *Ind.* voce *Juliacum*, & *Part.* 2. *p.* 5. & 38. De urbe verò plura, infrà in voce *Noviodunum Æduorum.*

NIVES, ſeu NIVIUM; Inſul. Anglis *Mewis*, una ex Antillis, freto tantùm diſſita ab Inſul. S. Chriſtophori ad Meridiem, probè culta & abundans; 6. leuc. in circuitu, ſub Anglis, ab A. C. 1628. cum arce & coloniis Anglic.

NIVES, titulus *Epigr.* 117. *l.* 14. Martial. quod ſic habet:

Non potare nivem, *ſed aquam potare rigentem*
De nive, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Nempe aquâ nivatâ ſeu gelidâ è nivibus expreſſâ, vina generoſiora diluebant Romani. Idem *l.* 5. *Epigr.* 66. *v.* 1.

Sextantes, Caliſte, duos infunde Falerni:
Tu ſuper æſtivas, Alcime, ſolve nives.

Vel decoctam, vitris demittebant in nives, ut refrigeraretur. Neronis inventum. De quibus deliciis Senec. *Ep.* 78. *O infelicem ægrum! Quare. Quia non vinô nivem diluit: quia non rigorem potionis ſuæ, quam capaci ſcyphô miſcuit, renovat, fractâ inſuper glacie.* Sed & meram *nivem* bibebant, ut ex *Epigr.* ſuprà laudato colligere eſt. De qua utraque conſuetudine Plin. *l.* 19. *c.* 4. *Et ipſa*, inquit, *Naturæ elementa, ut pecuniæ, diſcreta ſunt. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat.* Erat autem Nix ad hos uſus venalis: quæ quomodo ſervari conſueverit, vide apud Plut. *Sympoſ. problem. l.* 6. *probl.* 6. Certè *Nivium* Mons, in viridario Heliogabali. Lamprid. in *Vita* ejus *c.* 23. *Montem nivium in viridario domus fecit æſtate, advectis nivibus* &c. Vide plura hanc in rem infrà, in voce *Nix.*

NIVESDUM, oppid. Belgii in Brabantia, medium inter Brabantiam & Machliniam, vulgò *Liere.*

NIVEUS Color, olim relatus inter Regales. Ita Joh. Laurentius JCtus *Notis in Phædrum l.* 5. *fab.* 7. *v.* 36.

Princeps ligato crure, niveâ *faſciâ*,
Niveisque *tunicis*, niveis *etiam calceis.*

Hinc Pompejo iſtiusmodi faſciâ crus alligatum habenti, Favonius, *non refert*, inquit, *quâ in parte corporis ſit diadema: Res ejus Regias exprobrans, cavillatione panni exigui*, apud Val. Max. *l.* 6. *c.* 2. *Ex.* 7. Diadema enim, agens de Syphace Silius *l.* 17. Africanis Regibus album fuiſſe oſtendit: quale etiam Julio tribuit Sueton. *c.* 79. Unde *albam faſciam* id Lucian. vocat *in Navigio.* Ex cœruleo & albo interſtinctis Perſarum diadema conſtitiſſe, Curtius habet *l.* 6. *c.* 6. &c. Tranſlatus color ad ſummam in ſacris dignitatem, apicem nimirum Pontificalem, quem *Galerum*, & *Albogalerum* dixêre; quorum is cuivis Sacerdoti, hic Flamini Jovis peculiaris erat, nomen habens à lana hoſtiæ albæ Jovi immolari ſolitæ, e qua is conficiebatur. *Quod autem Diogeni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, id Pontificibus galerum* fuit, Apulejus *in Apol.* Apud Iraelitas quoque pileum Sacerdotalem byſſinum fuiſſe, docet Hieronym. qui illum prolixè deſcribit, *in Ep. ad Fabiolam.* Et ratio in promtu eſt, namque album pro fauſto, bono fortunatoque ſemper ſumtum, cùm nigrum atrumque infauſtum haberetur: utpote diei illud, hoc noctis: illud vitæ ac ſerenitatis, hoc mortis calamitatisque ſymbolum. Alb. Tibullus *l.* 3. *Eleg.* 6. *v.* 30.

——— *Et ſint candida Fata tua.*

Hinc Deorum filios, ipſos Deos, Diisque annumeratos, albos finxêre Veteres. Horat. *l.* 1. *od.* 2. *v.* 30:

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo

Et *candidum* cùm Virg. Cæſarem vocat *Ecl.* 5. *v.* 56. Servius *Deum* interpretatur. Deorum quoque ſtatuas *niveis* indui ſolitas fuiſſe veſtimentis, indigitat Severus Sulpitius *de Vita D. Martini l.* 1. *c.* 9. *Quia eſſet hæc Gallorum ruſticis conſuetudo, ſimulachra Dæmonum, candidô tecta velamine, miſerâ per agros ſuos circumferre dementiâ.* Ipſa Cœleſtium Curia ſeu cœlum lumine multô circumfuſum ornatumque, ob Deorum fingebatur præſentiam, ut de circulo lacteo fabuloſæ præferunt ambages. Hinc & victoriam lætitiamque *Niveus* color indicavit, unde triumphantium currus, veſtes, equi, pueri ad habenas & victima ipſa *nivei* coloris fuêre. Servius, *ad illud Æn. l.* 3. *v.* 538.

Tondentes campum latè candore nivali.

Quod non tantùm moris Romani, ſed & Athenienſium fuiſſe, apud quos, pro victoria faciens, candidâ veſte induebatur, docet Plut. *in vita Demoſthenis.* Imò in genere, Deorum cœleſtium ſacris albas ſolùm hoſtias fuiſſe adhibitas, diſcimus ex Servio, *ad Æn. l.* 9. *v.* 120.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam:

Ubi ait: *Victima pro qualitate Numinis dari ſolebat.* Unde Juvenalis *Sat.* 10. *v.* 65.

——— ——— *Duc in Capitolia magnum*
Cretatumque bovem.

Porrò, uti pauperes ac rei pullati erant, ita divites, præſertim Senatores, Equites, Magiſtratus apud Romanos, *niveis* ſeu candidis utebantur togis. Calphurnius *Ecl.* 7.

Aut eques, aut nivei *loca denſavere Tribuni.*

Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 45.

——— ——— Niveos *ad frena Quirites.*

Etiam tota civitas hôc colore ſplendebat, cùm ſolemnitatem aliquam, ſeu publicam, ſeu privatam peragerent: quod idem in Ludis Amphitheatralibus Scenicisque factum, oſtendit Martial. *l.* 4. *Epigr.* 2. *v.* 1.

Spectabat modò ſolus inter omnes,
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum Duce candidus ſederet.

Nec aliter, niſi albati, etiam in luctu, cibum capiebant: *Quis enim unquam in luctu domeſtico, aut in funere familiari, cœnavit cum toga pulla?* Cicer. *Orat. in Vatin.* In calceis tamen mollitiei videbatur hic color. Unde Cinna, quod *calceus ei primâ nive candidior* eſſet, à Martiali reprehenditur *l.* 7. *Epigr.* 32. *v.* 2. Et Aurelianus apud Vopiſcum *c.* 49. *Calceos mulleos, & cereos, & albos & hederaceos viris abſtulit, mulieribus reliquit.* Tertullian. quoque, de ſcortillis, quibus exornandis Lenones occupabantur, loquens: *Impuro*, inquit, *cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Ubi *purum*, idem eſſe quod *album*, ex Servio patet, *ad Virgil. Æn. l.* 12. *v.* 169.

——— *Puraque in veſte Sacerdos.*

Unde Aſcenſius *ad Perſium Sat.* 2. *v.* 39.

Hæc ego nutrici non mando vota: negato
Juppiter hæc illi, quamvis albata rogavit:

Albata, ait, *id eſt, albis veſtimentis in ſignum puritatis & honeſti voti induta, juxta ritum ſacrificantium.* Albâ enim togâ in ſacrificiis & Romanos uſos, monet Cicer. *de LL. l.* 2. *Color albus præcipuè decorus Deo eſt, cùm in cæteris, tum maximè in textili* &c. Poſſent varia addi, de diebus candidis, *niveis* lapillis, quibus in urnam conjectis reus olim abſolvebatur: *Albata* factione, quæ una è quatuor Circi factionibus erat, aliisque, de quibus, cùm breves eſſe velimus, vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 9. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 9. Anſelm. Solerium *de Pileo Sect.* 9. Phil. Rubenium *Electorum l.* 2. *c.* 25. Ben. Balduinum *de Calceo antiq. c.* 8. & 17. *ubi lineum candorem in Pontificum quoque pedibus commendat*, Hier. Boſſium *de Toga Rom.* &c. ut & infra, in voce *Nix.*

NIVIALA, Recentioribus *Nivigella* & *Nivella*, oppid. Brabantiæ eſt, ubi Itta, amiſſô virô ſuô Pippinô Majore domûs per Auſtriam, cùm ſe Deo devoviſſet, de domo ſua templum unà cum Monaſterio nobiliſſimo fecit, donavitque magnificè, filiâ Gertrude Virgine Monaſterio præpoſitâ: in quo ipſa annô ætat. 60. deceſſit, in B. Petri Apoſtoli Baſilica ſepulta. Eodem tranſlatus eſt poſtea ex villa ſua Landino Pippinus, atque juxta filiæ ſuæ feretrum collocatus, uti docet Hadr. Valeſ. *Rerum Franc. l.* 18. Landinum autem *Landa* quibuſdam dictum, vulgò *Landen*, villa Pippini fuit in Hasbaniæ Brachantique confinio, prope oppidum Monaſteriumque S. Trudonis, ubi Prætoriô extructô, plerumque habitavit obiitque, unde & *Landinenſis* appellatus eſt: Sed locus hic continuis Brabantos inter ac Leodicenſes bellis ſæpe dirutus ac incenſus, vix hodiè oppiduli nomen meretur. Meminit *Nivialæ*, Willibrordi Comitis & Egmundæ Patroni S. Adalberti Diaconi *Vitam* deſcribens, verbis his: *Tunc par. devotionis ſtudiô Nivialenſe*

vialenſe properant ad cœnobium, ubi mirâ ſignorum gratiâ ſacra effulget Virgo Gertrudis, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque in voce *Nivigella*.

NIVICOLLINI Britones, appellati ſunt Walli Anglici, quòd *colles* ſeu montes altiſſimos, *nivibus* oppletos, inhabitent, à Joh. Sarisberienſi *Policrat. l.* 6. *c.* 27. *Cùm adverſus* nivicollinos *Britones Regia eſſet expeditio producenda* &c. Eorum meminit etiam *l.* 6. *c.* 6. ubi & Wallorum regionem *Nivium Collem* vocat, & *c.* 16. ubi *Wallenſes* eos nominat: quibus verbis expreſſit Wallica iſta, *Craig Eriry*, i. e. *niviſeros montes*, qui potiſſimùm in ea ſunt Walliæ regione, quam *Caernarvonshire* Angli dicunt. Vide Camdenum in *Britann. p.* 539. 3. *Edit.*

NIVIGELLA, vulgò NIVELLE, oppid. Belgii cum cœnobio Virginum præclaro, in Brabantia, apud fines Hannoniæ, à Bruxellis 5. leuc. à Namurco 8. cujus cœnobii Abbatiſſa oppidi Domina eſt.

NIVISIUM, vide NOVESIUM.

NIVOMAGUM, vel, ut alii legunt, *Noviomagum*, apud Auſon. *v.* 11. ad Moſellam urbs eſt, hodiè *Numagen*.

NIX, frigore concreta, ardentiſſimis æſtatis caloribus, ut & glacies in fruſta diſſecta, vino diluendo Romanis adhibita eſt, teſte Pliniô *l.* 19. *c.* 4. *Hi* Nives, *illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt: Servatur algor æſtibus excogitaturque, ut alienis menſibus* Nix *algeat.* Ubi in MS. codice, *ſervatur Ligur æſtibus*, magis apposite, quòd *Nivem* hanc aut glaciem ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transferrent. Eum ſecutus Plin. Junior *l.* 1. *Ep.* 15. *Promittis ad cœnam*, inquit, *nec venis, dicitur jus, ad aſſem impendium reddes, nec id modicum: Paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulſo &* Nive, *nam hanc quoque computabis, imò hanc inprimis, quæ perit in ferculo.* Imò meminit jam conſuetudinis hujus Lucilius, apud Cicer. *l.* 2. *de fin. bon. & mal.*

Cùm nil demſit Nix, *& ſacculus abſtulerit nil.*

Accius quoque Plautus *Curculione, Actu* 2. *ſc. date viam*,

PH. *Viden? ut expalluit? datin' iſti ſellam ut aſſidat citò,*
Et aqualem cum aqua? Properatin' ocyus? CU. Animo malè eſt.
PH. *Vin' aquam? CU. Si fruſtulenta eſt, da obſecro hercle, obſorbeam.*

Ævo inprimis Martialis maximè viguiſſe, *ex Epigramm.* ejus patet, inprimis *l.* 6. *Epigr.* 86. *l.* 9. *Epigr.* 23. *l.* 12. *Epigr.* 17. *l.* 14. *Epigr.* 117. &c. Sed id non ſine inſigni ſanitatis jactura, ut docet Macrob. *Saturnal. l.* 7. *c.* 12. *Jam dudum noſſe aveo, cur aqua, quæ obſita globis nubium, perducitur ad nivalem rigorem, non minùs in potu noxia eſt, quàm ex ipſa nive aqua reſoluta. Scimus enim, quot quantæque noxæ epoto* Nivis *humore naſcantur.* Ubi tamen *globis nivium* legit Dempſterus, & particulam *non* extingui debere, contendit Muretus *Var. Lect. l.* 9. *c.* 9. At A. Gellius *Nivis aquam potui peſſimam eſſe*, ex Ariſtotele probat *totô c.* 5. *l.* 19. Vide quoque Senec. *Ep.* 78. 95. *l.* 4. *de Nat. quæſtion. c.* 13. *l. de Provid. c.* 3. &c. Quare novum inventum Neronis Imperatoris refert Plin. *l.* 31. *c.* 3. *Neronis Principis*, inquiens, *inventum eſt, decoquere aquam, vitroque demiſſam in* Nives *refrigerare: Ita voluptas frigoris contingit, ſine vitio* Nivis. *Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit: Item calefactam magis refrigerari, ſubtiliſſimo invento.* Unde & Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 50.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis, &c.

Qui illam convivantibus miniſtrabat ſervus, *Gelidæ miniſter* dictus eſt, cujus meminit Senec. *de Ira l.* 2. *c.* 25. *Perpetietur hic famem & æſtivæ expeditionis ſitim, qui puero malè diluenti* Nivem *iraſcitur?* Sed in potu non ſolùm, verùm etiam ad abluendas manus *Nivis* uſum fuiſſe, diſcimus ex Petronio, cùm ait: *Diſcubuimus Alexandrinis pueris aquam, nivatam in manus affundentibus.* Quæ, ut defæcatior eſſet, ſolebat percolari ac ſacco transmitti. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 103. cujus lemma, *Colum nivarium*,

Setinos moneo noſtrâ Nive frange trientes,
Pauperiore merô tingere lina potes.

In quæ verba *Scholiaſt. Calorem*, inquit, *optimorum vinorum temperari jubet, transmittendo per colum* Nivibus *diſtentum: vilius verò vinum ſaccô lineô attenuari:* de quo ſacco *Nivario* ſequens Epigramma ſonat. Modum verò ſervandæ per æſtivos dies *Nivis* ipſe ſuggerit Seneca, dum in has delitias facundè invehitur, *Natur. quæſt. l.* 4. *c. ult. Nos verò quæramus potius, quomodo fiant Nives, quàm quomodo ſerventur: quoniam non contenti vina fundere veterana, & per ſapores ætatesque diſponere, invenimus quomodo ſtiparemus* Nivem, *ut ea æſtatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore*, &c. Sinenſes *Nivem* glaciemque etiam ſervare ad delitias, non tamen ad potum refrigerandum, quem ſemper calidiſſimum adhibeant, docet A. Preyelius *Sinæ & Europa c.* 45. *ab initio.* Plura de *Nive*, vide inprimis apud Thom. Bartholin. *in peculiari opuſculo*, & Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. Sed & in *Nive* Veteres corpus verſabant, illud exercendi cauſâ, ut videre eſt ſuprà, ubi de variis modis Veter. exercendi *Corpus*: imò & recèns natos infantes *nive* lavabant Cimbri, vide ſuprà *Infans*.

NIXII Dii erant nixuum in puerperio adjutores, *Feſtus*. Nixus enim pro partu uſurpari ſolet. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 199.

——— *Haud fœtus nixibus edunt.*

A. Gell. *l.* 12. *c.* 1. *Quàm diutinum puerperium, & quàm laborioſi nixus fuiſſent.* Romæ *Nixii* Dii tria ſigna appellabantur in Capitolio, ante cellam Minervæ, genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Quæ ſigna Antiocho Rege Syriæ ſuperato, Marcum Attilium Romam deportâſſe, ibique poſuiſſe, nonnulli memoriæ tradiderunt. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. Hi, ſi partus difficilior, nec non ſi gemellorum eſſet ſuſpicio, invocari ſolebant, opertô capite & manibus lotis. Bartholin. *de Puerper. Veter.* Meminit eorum Auſonius *in Eclogario, de ratione Puerperii v.* 39.

Sed nono incumbens ſigno, cunctantia Matrum
Vota levat, trigono vires ſociante ſequenti,
At ſi difficilis trahit Ilithyia labores,
Tetragono abſolvet: dubiarum vincla morarum.

Ovidius quoque, Alcumenæ Herculem parientis hiſtoriam deſcribens, *Metam. l.* 9. *fab.* 5. *v.* 291.

Dum loquor, horror habet, parsque eſt meminiſſe doloris,
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Feſſa malis, tendensque ad cœlum brachia, magnô
Lucinam, Nixosque *pares, clamore vocabam.*

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini locum præfatum*, ut & Hadr. Tunebum *Adverſarior. l.* 7. *c.* 8.

NIXUS, ſidus cœleſte, quod *Jul. Firmicus Ingeniculum* vocat: Cicer. *in Arateis.* Hunc *Hyginus* Herculem eſſe ait, qui dextrô genu nixus, ſiniſtrô pede capitis Draconis dextram partem opprimere conatur. *Nixus* autem, non eſt proprium nomen ſideris cœleſtis, ſed participium à verbo *nitor*; quanquam cum *genu* junctus pro *Engonaſi* uſurpatur. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 182.

Qui medius Nixique genu eſt, Anguemque tenentis.

Manilius *l.* 5.

Nixa genu ſpecies, & Grajô nomine dicta
Engonaſi.

NIZÆUS, campus Mediæ, nunc *Caldaramius*. Ibi inter Turcas & Perſas acriter certatum, ſeculô proximè elapſô.

NIZOLIUS Marius, vide *ibi*.

NIZYNUM, oppid. Ucraniæ, in Palatinatu Kiovienſi, amplum & probè munitum, in ipſo limite Ducatus Czernichovienſis, trans Boriſthenem fluv. A. C. 1652. ſub Caſimiro Rege Coſaccis ereptum.

NKN. KCO. in nummis Juſtini & Mauricii, *Nicomediæ* nota. Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſm.*

NO. in notis Antiquis *noſtrum*: NOB. G. *nobilis generatus*, ſeu *nobilis genere*: NOB. F. N. *nobili familiâ natus*: NOBB. *nobilibus*: NON. *Nonarum*: NON. APR. *Nonis April.* NOR. *noſtrorum*: N. P. *nihil poteſt*, vel *non poteſt*: NQ. *nusquam*, vel *neque*, vel *namque*, vel *nunquam*: NR. *noſter*: N. S. E. *non ſic eſt*: N. T. *nominatus*, vel *Novum Teſtamentum*, vel *noſtri temporis* &c. ſignificat. Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

NO, urbs Ægypti, quæ & *Alexandria*. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 6. *Hamon No*, Thebæ Ægyptiæ, Græcè Διόσπολις, Marshamo *Canone Chron.*

NOA, filia Zelophead. Numer. *c.* 26. *v.* 33. Item civitas, terminus tribûs Zabulon, Joſ. *c.* 19. *v.* 13. Latinè *movens*, vel *commota*.

NOA, vide NOE.

NOACHICA Præcepta ſeptem, quorum obſervatione Eccleſiæ ante Legem religio conſtiterit, crebra ac celebri in mentione ſunt apud Judæos. Videlicet,

I. *Cavendum eſſe ab Idololatria.*
II. *Numen verum benedicendum.*
III. *Sanguinem non effundendum.*
IV. *Turpitudinem non revelandam.*
V. *Rapinâ abſtinendum.*
VI. *Judicia rectè adminiſtranda eſſe.*
VII. *Membrum vivi animalis non eſſe edendum.*

Quorum priora ſex ab Adamo eſſe, ſeptimum à *Noacho* additum volunt: & quidem ſine his in Republ. Judaica nemini olim vitam relictam, illa autem obſervantes, quanquam præputiatos, omnes futuri ſeculi participes fore contendunt. Verùm præcepta illa vel Adamo vel *Noacho* lata eſſe, nullibi ex Scriptura conſtat, & de ſeptimo contrarium verum eſt. Unde id omne pro Talmudicorum commento habendum, qui, ſuetâ Magiſtris iſtis mentiendi libidine, illuſtriora quæque ad Patriarchas vel Prophetas auctores referre ſolent. Sunt enim pleraque juris naturalis dictamina, ex Decalogo repetita, eôdemque ordine diſpoſita, inque Iſraëlitarum, ut videtur, Republica olim uſurpata; quæ Patribus, ante Legem vel etiam Gentilibus in Judæa degentibus, non magis ſalutem dare poterant, quàm Philoſophorum de Virtutibus præceptiones plerisque Ethnicis. Ultimum autem planè ceremoniale erat, & nec Gentilibus imponi, nec ad ſalutem facere quidquam poterat. Unde Eccleſiæ ante Moſen fides ac religio iis abſolvi non potuit: cùm juxta ipſosmet Judæos, qui ea obſervabant, *Proſelyti portæ* tantùm, non autem *Proſelyti juſtitiæ*, appellarentur. Interim ſub *Noacho*, altero Mundi parente, Eccleſiæ inſtauratæ Theologiam magnô luminis acceſſu auctam eſſe, certum eſt. Cùm enim antè tres ejus jam vigerent partes, *Promiſſio gratiæ, Lex naturæ*, & *Cultus inſtituti præſcriptio*; novâ Noacho revelatione factâ (à quo χαριστήρια Deus accipere & fœdus ſuum cum eo renovare dignatus eſt) prima multùm aucta, ſecunda pleniùs expoſita, & tertia ulteriùs ſtabilita eſt. Promiſſioni namque acceſſit *Fœderis* nomen, Legi præcepta varia, *de abſtinentia nempe à ſanguine*, Gen. *c.* 9. *v.* 4. & *ſanguinis effuſione, v.* 5. 6. (quibus malè ſuperaddunt alii πολυθρύλλητα illa ſeptem præcepta, de quibus viſum) cultui denique inſtituto novum Fœderis ſignum, *Iris*. Poſt quæ tempora, Eccleſiâ *Noachicâ* per Babylonicam ſive Nimrodicam apoſtaſiam ſenſim corruptâ, cùm Idololatria (cujus primam mentionem invenimus, in cognatione Abrahami, Gen. *c.* 31. *v.* 19. quanquam jam ante illius tempora invaluiſſe videatur) in dies creſceret & nequitia ac impietas hominum vires ſumeret, omni aliâ reformationis ſpe decollante, novam Eccleſiam, novâ revelatione inſtructam, erigere Deus conſtituit: quod factum eſt in vocatione Abrahami, annis circiter à Diluvio 426. quò intermediô tempore Theologia *Noachica* obtinuit. Franc. Burmannus *Synopſ. Theol. Tom. I. l.* 3. *c.* 5. §. 3. 4. & c. 8. *ejuſd. libri* §. 19. *ac* 29. Vide quoque infrà in voce *Noë*, item in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in *Proſelytus*, & plura hanc in rem apud Seldenum *de jure Nat. & Gent.*

NOADIA, nomen viri, Eſdr. *c.* 8. *v.* 33. Latinè *teſtificatio*, vel *cœtus*, aut *congregatio Domini*, ſive *ornatus Domini*, aut *tranſiens Dominus*: vel ex Syro & Hebræo, *ablatio Domini.*

NOÆ, urbs Siciliæ. Gentile *Noæus*, *Steph.*

NOAS, Thraciæ fluv. ex Hæmo monte naſcens & in Iſtrum influens, Herodot. *l.* 2. Alii in Scythia eſſe volunt, quem *Peucerus* hodie *Sithnizum* nominat. *Noës* eſt in Græco, Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 719.

Quas Tanis, flavuſque Lycus, Hypaniſque Noaſque.

Idem *l.* 6. *v.* 100.

Hyberni qui terga Noa, gelidumque ſecuri
Eruit & totâ non audit Amazona ripâ.

NOB, civitas ſacerdotum, Nehem. *c.* 11. *v.* 32. Latinè *loquela*, ſive *prophetia*, ſive *fructificans*, ſive *germinans.*

NOBÆ, *Heſych.* Νῶβαι, Πυγμαῖοι.

NOBE, civitas in tribu Benjamin, Eſaj. *c.* 10. *v.* 32. in via, quæ ducit Dioſpolim & Ramatham. Item civitas, quæ & *Canath* dicitur in tribu Manaſſe. 1. Sam. *c.* 21. *v.* 1. Latine *latrans*, vel *latratus*. Nunc *Bethnopoli.*

NOBILE, genus monetæ Anglicæ, vulgò *Noble à la roſe.* Lexicon Cambro-Britannicum, *Nool. aureus.* Henricus Knyghton ſub A. C. 1344. *Eodem tempore*, Nobile *& Obolus & Ferthing de auro florere cœperunt in regno.* Chronic. Windeſem. *l.* 1. *c.* 31. *Centum* Nobilia *dedit Monaſterio* &c. Vide Lindwodum *ad Provincial. Eccleſ. Cantuar. l.* 13. *tit.* 13. Eâ notione *Noblus* reperitur, apud Ericum Upſalienſem *Hiſtor. Suec. l.* 4. *p.* 144. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Nobilis.*

NOBILES, apud Romanos dicti ſunt, qui Majorum ſuorum habuêre imagines. Eſt autem imago docente Polybiô *l.* 6. inſignis alicujus Viri ſimulachrum, oris ſimilitudinem artificioſè effictam, coloribus pigmentiſque adumbratam, referens, quod in inſigniori ac celebriori domûs parte ligneo armario includebant. In atrio nempe: quò reſpiciens Val. Max. *l.* 8. *c.* 15. *ex.* 1. *Imaginem*, inquit, *in cella Jovis O. M. poſitam habet, quæ quotieſcunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt, inde petitur: unique illi inſtar atrii Capitolium eſt.* Unde quia Atrium dictum eſt, *quòd atrum eſſet ex fumo*, Servius *ad Æn. l.* 1. *v.* 730. hinc Cicer. *fumoſas Majorum imagines*, vocat *in Piſon.* In quarum locum poſtea irrepſiſſe ſigna exterorum artificum, æra & marmora, conqueritur Plin. *l.* 35. *c.* 2. idemque notavit in atrio Trimalcionis Petronius. Non verò omnibus imaginem ſui ponere licebat: ſed iis tantùm, qui Magiſtratus Curules geſſiſſent; quales fuêre primùm Ædiles Curules, Prætores, Cenſores & Conſules. Cumque hi Magiſtratus olim ſolis Patriciis patuerint, ſequitur etiam Patricios primùm ſolos jus imaginis habuiſſe: Et certè Corn. Fronto ac Servius *ad Æn. l.* 5. *v.* 117. *Nobiles familias*, ajunt, *conſtat antiquiſſimas habitas, quæque ex Trojanis originem deduxerunt.* Has Romani feſtis diebus, apertis armariis, exornârunt, cumque ex domeſticis quiſpiam eſſet mortuus, eas in funere prætulerunt; additô, ut magnitudine quàm ſimillimæ apparerent, reliquô corporis truncô. Exornârunt autem veſtibus, ſi Conſulares aut cum Imperio fuiſſent, prætextis: ſi Cenſorii, purpureis: ſi Triumphales, aurô intertextis: atque curru, faſcibus, ſecuribus aliiſque Magiſtratuum inſignibus antelatis, ſicque in Roſtra pertulerunt, qua de re vide quoque inſignem locum Plinii *l.* 35. *c.* 2. ubi inter alia docet, *Expreſſos cerâ vultus fuiſſe, cum affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emtori refigere liceret, & dominis mutatis domus tamen ornamenta manſerint.* Ideo autem illas cum titulis ſuis, in prima ædium parte, collocatas, *ut eorum virtutes poſteri non ſolùm legerent, ſed & imitarentur*, ait Val. Max. *l.* 5. *c.* 8. *ex.* 3. Sicque *tecta quotidie exprobrarent, imbellem dominum intrare in triumphum alienum*, ut iterum Plin. *loc. cit.* Horum *Nobilium* maxima laus erat, plures habere Clientes, tam hæreditariarum clientelarum, quàm virtute propriâ partarum, inter quos ingens, ne mutuâ gratiâ ac benevolentiâ vincerentur, certamen erat. Nec in urbe modò, ſed & in agris villiſque, urbibus ac provinciis, celebres hæ clientelæ erant, quæ ultro in poteſtatem *Nobilis* alicujus potentis cedebant, cujus præſidiô protegerentur. Vide Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 19. & *l. eod. c.* 16. *cum Paralipom.* Thom. Dempſteri, ut & ſuprà in voce *Clientes.* Apud Athenienſes *Nobiles* dicti Εὐπατρίδαι, contradiſtinguebantur Geomoris & Demiurgis, in quæ tria hominum genera ante Solonem populus erat diviſus: Vocabantur autem Eupatridæ, qui ex priſcis illis Heroibus, quorum in Hiſtoriis encomia extant, deſcenderunt, ut *Praxiergidæ*, *Eteobutadæ*, *Alcmæonidæ*, *Cynidæ*, *Ceryces* &c. quorum omnium multiplex prærogativa fuit. Franc. Roſſæus *Archæol. Att. l.* 1. *c.* 4. ex Polluce *l.* 8. *c.* 9. Gerebant illi *Nobilitatis* indicia in crinibus, *cicadam.* Corn. Gallus in *Ceiri de Niſo*, *v.* 129.

Ergo omnis caro reſidebat cura capillo,
Aurea ſolemni comtum quem fibula ritu
Mopſopio, tereti nectebat dente cicadæ.

Quemadmodum Alcumena introducitur à Statio *Theb. l.* 6. *v.* 289.

——— *tergeminâ crinem circundata Lunâ.*

Romani verò in calceis *lunulas* eâdem fini habuêre &c. Germanorum *Nobilitas* militiæ originem debet, Quò enim perpetuô milite quaſi præſidiariô inſtructum eſſet Imperium, iis qui bellicâ virtute præſtabant, certa bona ſolemni ceremoniâ aſſignata ſunt à priſcis Imperatoribus, hâc lege, ut ipſi eorumque maſculi iis fruerentur quidem, ſed iis viciſſim ad militiam ſubeundam cùm uſus exigeret, parati eſſent Hinc hodie *Ritter und Roſs Dienſte* vocantur: quod inſtitutum ſub Regno Francorum cœpiſſe videtur. Addita inſignia: quorum antiquiſſimum apud Germanos uſum ex Tacito diſcimus, cùm ait *de mor. Germ. c.* 6. *Scuta lectiſſimis coloribus diſtinguunt:* More, à veteribus Hebræis, per ſingulas tribus vexilla propria diſtinctaque habentibus, quibus imaginibus Jacobus Patriarcha liberorum ſortem fortunamque per domos ſingulas diſtinxiſſe legitur, Gen. *c.* 49. *v.* 1. ad alias deinde gentes derivato. Unde potiùs inſignium originem acceſſas, quàm à Carica gente, cui inventi hujus gloriam tribuit. Herodot. *l.* 1. *c.* 171. Omnium itaque antiquiſſima ac maximè genuina *Nobilitatis* apud Germanos inſignia ea ſunt, quæ ſimpliciſſima certiſque duntaxat ſpatiis ac coloribus diſtincta ſunt: id quod ferè duplici fit modô. Nam vel πλινθία laterculi ſunt ſive rhombi, vulgò *rauten* vel *wecken*: vel ῥάβδοι virgæ, lineæ, trabes, German *ſtrich oder balcken.* Civitatibus tamen, ſive nationibus, Principibuſque auguſtiora ea fuêre, appictis animalium, quæ Germania fert, imaginibus, putâ equis, tauris, urſis, lupis, cervis &c. quod notavit jam olim Diodor. Sic. *l.* 1. Hinc imaginem galli in ſcuto Marii Cimbri pictam, refert Quintilianus *l.* 6. *c.* 2. & de Witikindo Saxonum Rege narrat Crantzius *l.* 2. *c.* 4. cùm ejus inſignia, quæ militaribus ſignis præferebat, pullum priùs equinum haberent atrum, placuiſſe poſtea Carolo M. poſtquam de tenebris Gentiliſmi in lucem pervenit veritatis, ut candidum acciperet. Poſterioribus ſeculis animalia privorum quoque *Nobilium* ſcutis adrepſerunt: ita tamen, ut haud integrum aliquod, ſed dimidiata duntaxat ejus pars anterior, vel etiam caput, aut pes ſolummodò effigiaretur, quò ſua Principibus maneret dignitas. Donec tandem integrorum quoque animalium imaginibus uti *Nobiles* inciperent: de quo, ut & aliis Inſignium abuſibus, vide querentem Phil. Cluverium *Germ. antiq. l.* 1. *c.* 44. & plura de *Nobilibus* Imperii, tum Immediatis, tum Mediatis, apud Auctorem *Limnæi Enucleati l.* 3. *c.* 27. 28. 29. & 30. de *Nobilibus* Franciæ, in voce *Seniores*: uti de Hiſpaniæ *Nobilibus* aliquid ſuprà, voce *Infançiones*: Poloniæ. infrà voce *Polonia*, it. *Ro Koſs*, & de *Nobilibus* in genere, apud Matth. Berneggerum in *Tac. Germ. quæſt.* 23. 31. 33. & 72. &c. Addam hic ſaltem, de Veter. conſuetudine, qui *Nobiles* & potentiores in montibus aut ad eorum radices ſepeliebant. Lycophron *Caſſandrâ.*

Τρισσὰς δὲ ταρχύσουσι κερκάφου νάπας
Κυόννας.

Lucanus *l.* 8. *v.* 695.

Et Regum cineres extructo monte quieſcant.
Cùm Ptolemæorum patres, ſeriemque pudendam
Pyramides claudant ———

Vide quoque Iſidor. *Origin. l.* 15. *c.* 11. & Aurelium *de orig. gentis Rom.* laudatos Joanni Meurſiô *Commentar. in Lycophronem p.* 234. nec non ſuprà *Mutus ſanguis*, qui *Nobili* opponitur, & infrà voce *Novi.*

NOBILIA, & *Cuſibi*, Oretanorum oppida in Hiſpan. ad Tagum, Liv. *l.* 35. *c.* 22. *Noliba* legit *Moralis.*

NOBILIACUM, oppid. Marchiæ Lemovicenſ. ad Vigennam fluv. 5. leuc. à Lemovicis in Ortum. *Lubinus.* Nunc *oppidum S. Leonardi*, vulgò *S. Leonard* dicitur, à veteri Monaſterio S. Leonardi, quod in Collegium Canonicorum mutatum eſt, & ad flumen Vingennam ſuprà Lemovicas urbem eſt poſitum: Alterum *Nobiliacum*, in quo Monaſterium S. Vedaſti exſtructum eſt, ad ripam Crientii vel Crientionis fluvioli vulgò *Crinchon*, civitati Atrebatis ita demum acceſſit, ut muris tamen & portis ab eâ divideretur, & alterius urbis inſtar efficeretur: quarum hæc *la Ville*, illa *la Cité* dicitur. Eſt & *Nobiliacum* in Pictonibus, Abbatiali Monaſteriô inſigne, vulgò *Novaillé*: 2. mill. paſſ. ab urbe Pictavis, ad Clenni & Medioximi confluentes poſitum, *le Clin* vulgò ac *Mioſſan.* Plures *Monaſterium Novaliacenſe*, vel *Novaliacum*, appellant: *Monaſterium Noviliacum*, Ludovici Pii Aug. *Vita*, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NOBILIACUM, cœnobium, & pars præcipua urbis Atrebatum; aliàs in ſuburbiô; *S. Waaſt.*

NOBILIS, aurei nummi apud Anglos genus, ante noſtram memoriam exoletum. Ejus valor A. C. 1360. & 34. Eduardi III. ſic apparet, in literis Johannis Regis Franciæ, tractatum pacis Carnoti habitum inter dictos Reges confirmantibus, *Articulo* 13. Item, *Accorde eſt, que le Roy de France pajera au Roy d'Engleterre, trois millions d'eſcus d'or, dont les deux valent un* Noble *de la monnie d'Angleterre*, apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Sed & in Gallia monetæ aureæ, vulgò *Noble à la roſe* dictæ, quòd *roſam* in medio præferret, pond. 6. deni val. 10. fol. Item alterius, *Noble Henri*, appellatæ, in cujus una parte Rex throno inſidens cum enſe in manu, in altera crux expreſſa cum *lit. H.* in medio, pond. 5. den. 10. gr. val. 4. lib. 14. ſol. quæ utraque ſub Franciſco I. in uſu fuerit; meminit P. Richelietus *Diction.*

NOBILIS Flaminius, Lucenſis, in verſione LXX. Interpretum cum laude verſatus, etiam Ariſtotelis *de Generat librum* 1. Latiô donavit & *Notis* illuſtravit: à Sixto V. qui Bibliorum editionem procuraverat, magni habitus. Obiit A. C. 1590. ætat. 58. Ejus ſcripta, inter quæ *de Amore* tractatus eminet, enarrat Teiſſier *Elog. P.* 2. Vide quoque Poſſevinum *Biblioth. l.* 2. *c.* 21. Annib. Carum *Ep. l.* 2. Alios.

NOBILISSIMUS, titulus *Illuſtri* ſublimior, dari olim ſolitus præcipuis Proceribus. Propriè autem & peculiariter ſic appellabatur Imperatoris Collega, aliàs *Cæſar* dictus, & indubitatus Imperii hæres, teſte Pancirollô in *Notis.* Temporibus Conſtantini M. tribui cœpit filiis junioribus Imperatorum, ut obſervavit Martinius *ex Meurſio.* Hinc *Nobiliſſimæ* dictæ ſunt, Imperatoriæ

torió ſanguine prognatæ fœminæ, quibus purpuræ ferendæ jus erat, &c. Imò epitheton hoc honorarium tributum Imperatorum filiis, qui interdum *Nobiliſſimi pueri*, nudè appellantur, in *Conſtitut.* Imperator. hiſce literis *N. P.* ut obſervatum à Cujacio *ad l. 4. C. de Privil. eorum qui in ſacro pal. mil. l.* 12. interdum hiſce, *Nob. P.* ut eſt in *Notis* Magnonis. Similiter *Nobiliſſimæ*, dictæ Auguſtorum filiæ, ut ex C. Theodoſ. colligitur *l. un de privil. domus Aug.* &c. à quibus *domus* ipſæ *Nobiliſſimæ* dicuntur, in *Collectione Civitatis.* Sed Cæſaribus potiſſimùm id nominis adſcriptum deinceps. In *Paſſione* Perpetuæ & Felicitatis, Geta *Nobiliſſimus Cæſar* dicitur: in nummis, quos Car. du Freſne deſcripſit, *Nobiliſſimi Cæſares* paſſim appellantur, qui poſtea nudè *Nobiliſſimi.* Vide Gualterum *in Tabb. Siculis n.* 159. Sed & interdum *Nobiliſſimi* dicti ipſi Auguſti. In *Collat. Legis Moſaicæ c.* 15. Diocletianus & Maximianus *Nobiliſſimi A. A.* inſcribuntur. Divulſa poſtmodum *Nobiliſſimi* dignitas à Cæſarea. Nam, ut auctor eſt Zoſimus *l.* 2. Conſtantinus M. Conſtantium fratrem & Anaballianum ex fratre nepotem *Nobiliſſimos* creavit: *Vetus Inſcr.* Belluni in Templo S. Petri, *Imp. Cæſ. Fla. Valer. Conſtantio Nobiliſſimo anno XX. DD.* Apud Philoſtorgium *l.* 8. *c.* 8. Jovianus alterum è filiis Varronianum ἐπιφανέςατον, ὃ κατὰ Ῥωμαίοις τὸν Νωβελίσιμον δύναται renuntiat. Apud eundem *l.* 12. *c.* 10. Honorius Valentiniano, Conſtantii filio, ex ſorore nepoti, τὴν τῦ ἐπιφανεςάτε ἀξίαν, ſeu, ut habet *Olympiodorus*, Νωβελισίμε, contulit: qui quidem Valentinianus poſtea *Cæſar* à Theodoſio dictus eſt. Exhinc fluxit *Nobiliſſimi* dignitas à Cæſarea diverſa. Marcellinus Comes: *Juſtinus Imp. Juſtinianum ex ſorore ſua nepotem, jamdudum à ſe* Nobiliſſimum *deſignatum*, *Regni quoque ſui ſucceſſorem creavit.* Quâ poſtea dignitate donati ſubinde Imperatorum liberi, vel Fratres, ut ex *Stemmatibus Byzantinis*, quæ Car. du Freſne edidit, colligere eſt. Imò & alii interdum ex Proceribus, ut videre eſt apud Annam Comnenam *in Alexiade p.* 274. Ab hac alia formata Πρωτονωβελισίμε, de qua modò laudatus Car. du Freſne aliquid attigit *Notis ad eandem Alexiadem*, *alibi*, A Græcis verò ad Imperatorum Regumque Franciæ filios id honorificum epitheton tranſiiſſe videtur. Unde in *veteribus Litaniis* ſub Carolo M. apud Joh. Mabillonium *Analector. Tom.* 2. legimus: *Pipino & Carolo Nobiliſſimis filiis ejus vita*, Car. du Freſne *Gloſſar*, Simile quid in Zeelandia, unâ ex provinciis Fœderati Belgii, ubi dignitas, *Primi Nobilis*, Gall. *du Premier Noble*, collata Principi Arauſicano, vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* & infrà *Princeps*, it. *Puer.*

NOBILITAS, in Imperio Romano-Germanico, liberum denotat & ab omni Principum Civitatumque dominio exemtum, ſolique Imperio ſubjectum Ordinem Equeſtrem, qui in ſibi ſubjectos merum imperium habet. German. *die freye Reichs von Adel, die freye Ritterſchafft* (in literis, quæ ad quemvis eorum exarantur, inſcriptio habet, *dem Reichs Freyhoch Edelgebornen*) Originem habent à Principum interitu (unde in utraque Bavaria, Saxonia, aliiſque in locis, ubi ex familiis Principum priſcorum poſteri & ſucceſſores ſuperſunt, non niſi *Nobiles mediati* reperiuntur) ac dividuntur in tres Claſſes, *Franconicam*, *Suevicam* & *Rhenenſem*; quibus olim *Bavarica* quoque fuerat addita, ſed *Nobilitas* illa Principibus hodie ac Civitatibus ſubjecta eſt. G. Hornius *Orb. Polit. Part.* 2. *p.* 102. Et quidem Franconicam quod attinet, licèt olim Franconia ſuos quoque habuerit Duces, eorum tamen jus poſtea accrevit Imperio, ut ex mediatis hinc immediati Nobiles facti fuerint: de quorum privilegiis à Ferdinando I. Imperatore collatis, & à Maximiliano II. ac Rudolfo II. confirmatis, vide Limnæum, infrà laudandum. Suevicam quod ſpectat, fuêre illi Ducibus ſubjecti, quamdiu Suevicus Ducatus unius corporis nomen merebatur; poſteà verò hôc, Penthei inſtar, in plura diſcerptô membra, Ducatus ipſe unà cum Ordine Equeſtri Imperio acceſſit, nec ulli alteri poſthac ex integro datus eſt (quamvis ejus titulum ad filium ſuum tranſtulerit Rudolfus I. Imperator) à quo tempore Suevica *Nobilitas* libertatem & immediatam ſubjectionem acquiſiviſſe videtur. Inprimis circa A. C. 1269. quô unà cum Conradino illuſtriſſimum Sueviæ Ducum genus, & potentiſſimus Ducatus, ſiniſtrô ſimul corruerent Fatô. De hujus Claſſis privilegiis, vide *ibid.* Rhenana tandem (ſub qua Alſatica quoque Nobilitas, licèt ejus in Receſſibus Imperii nulla fiat mentio, comprehenditur) eôdem modô orta videtur. Tractus enim Rhenanus, præter Sueviæ Duces, nullos alios certos Dominos, quàm qui concluſum (ut vocant) habuerunt territorium, agnoviſſe videtur: donec ibi Sereniſs. Electoris Palatini dominatus ſuccrevit, uti *Freherus* docet. Hi omnes, cùm animadverterent, ſingulos ſibi non ſufficere, ſocietatem inter ſe inſtar Reipublicæ, fœdere & pactô ſolenni, inſtituerunt: habentque etiamnum Senatum Equeſtrem (*Ritterath*) Concilia (*Rittertage*) Magiſtratus, (*Oberhaubtmann und Underhaubleute*) aliaque Reip. inſtituta, de quibus vide Ludolph. Hugonem *de Statu Region. German. c.* 5. §. 6. Præferuntur autem Civitatibus municipalibus, in Conventibus Provincialibus (*auf den Landtagen*) at in Principum Conventibus (*auf den Furſtentagen*) ubi Civitates Imperiales & *Nobiles* immediati ſimul comparent, Civitatibus jus πρωτοκαθεδρίας competit, teſte Noldenió. Bellum iis cum Principibus & Civitatibus duplex memoratur; quorum prius excitavit Franciſcus *à Sickingen*, A. C. 1521. de quo *Sleidanus*: alterum Wilhelmus Grumbachius movit A. C. 1567. Vide Thuanum *Hiſtor.* Locá, in quæ Claſſis quælibet dividitur, dabimus infrà. Plura verò hanc in rem vide apud Limnæum Enucleat. *l.* 3. *c.* 29.

Loca (Viertheil) in quæ Franconiæ Nobilitas dividitur.

I. *Odenwald.*
II. *Steierwald.*
III. *Gebürg.*
IV. *Altmuhl.*
V. *Baunach oder die Büchen.*
VI. *Rob und Wehr oder Wijden.*

Loca Suevicæ Classis.

I. *Hegau, Bodenſée und Algeu.*
II. *an der Donau.*
III. *am Kocher oder Gochen.*
IV. *Am Schwartzwald, Neckar und Ortenau.*
V. *Im Craichgau.*

Nobilitatis Rhenensis Loca.

I. *in Gau & Waſgau.*
II. *in Wetterau, Weſterwaldt, Rheingau.*
III. *Nider-Rheinſtrom, Huns-Ruck, Eberſwald.*

Kreydemannus *Tract. de Nobilitate Suevica p.* 88. *num.* 8. docet, Nobiles Rhenanos dividi, in *Rhenanos* in ſpecie ita dictos & *Wetteravicos.* De horum Privilegiis, vide Limnæum ubi *ſupra.*

NOBILITAS, titulus honorarius, quô Bovo Sithinenſis Abbas Widonem Archiepiſcopum Remenſem compellat, in *Ep.* præfixa *Relationi de Inventione & elevatione S. Bertini.* Eôdem tituló Reges quoque Francorum compellantur *in Ep.* 34. & 52. ex iis, quæ habentur *Hiſtor. Franc. tom.* 4. Adde Johannem IX. Pontific. *Ep.* 173. Gregorium VII. *l.* 1. *Ep.* 18. 19. 38. 45. & alibi paſſim. Car. du Freſne *Gloſſar.*

NOBISCUM, clamor militaris, à Chriſtianis in præliis olim inclamari ſolitus, apud Vegetium *l.* 3. *c.* 5. & alios, quos laudavit Car. du Freſne *Diſſertat.* 11. *ad Joinvillam*, *p.* 206. I. e. *Deus nobiſcum*, θεὸς μεθ' ἡμῶν, apud Annam Comnenam *in Alexiade.* Χριςὸς μεθ' ἡμῶν, *Chriſtus nobiſcum*, apud Theophanem *anno* 2. *Juſtiniani.* Origo celeuſmatis hujus ex Roman. *c.* 8. *v.* 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos.*

NOBOPYRUS, urbs Mæſiæ, apud *Laonicum.*

NOCETUM, pagus Campaniæ Gallicæ, ad Matronam.

Per NOCTES putandi, in ratione temporum, conſuetudo, apud varias gentes uſitata, vide infrà in voce *Nox*, & ſuprà verbo *Collocare.*

NOCTILUCA, Lunæ cognomen, quòd noctu luceat. Horat. *Carm. l.* 4. *Od.* 6. *v.* 38.

Ritè creſcentem face Noctilucam.

Ubi fortaſſe expreſſit epitheton Νυκτιλαμπῆ, quod ante cum uſurpârat Simonides, ut intelligere licet ex quibuſdam ejus verſibus, qui reperiuntur, apud Dionyſ. Halicarn. περὶ συνθέσ. ὀνομ. ſub finem. Nic. Lloydius. Habuit Romæ, in monte Palatino, templum, in quo noctu lumina ſolebant accendi. Varro apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 8. De veſte & ligno *noctiluco*, quod Zonetus Scotorum Rex ad proceres ſuos incitandos contra hoſtes ſuos, adhibuit, vide infrà voce *Picti.*

NOCTUA, Hebr. תנשמת *Thinſemeth*, tanquam *ſtupenda & mirabilis* iis ſcil. aviculis, quas ſtupore perculſas ad ſe convertit. Inſolitâ enim ejus formâ reliquæ aves obſtupeſcunt: quam ſic deſcribit non illepidâ fabellâ Gregor. Nazianzenus, *Carm.* 22.

Τὴν γλαῦκ' ἐπέσκωπτέ τις· ἥδ' ἐφύγγανε
Τῶν σκωμμάτων ἕκαςον εὐςόχῳ λόγῳ.
Ὅσον κάρηνον! Τῦ Διὸς δὲ πηλίκον.
Ἡ γλαυκότης δὲ! Τῦτο τῆς Γλαυκώπιδος·
Φθέγγη δύσηχον. ἡ δὲ κίττα καὶ πλέον.
Τὸ λεπτόπεν πῶς; ψὴρ δέ σοι τί φαίνεται;
Ἐπεὶ δὲ πάντα διέδραμε ῥᾳδίως,
Ἑνὶ κρατεῖται, καὶ σοφή περ ἔσ' ὅμως.
Ἀλλ' ὡς σοφή, σκόπησον· ὡς τέτων μὲν ἓν
Ἑνὶ πρόσεςι, σοὶ δ' ἅπαντα καὶ λίαν,
Γλαυκή, δύσηχος, λεπτόπες, βαρύκρανος.
Τέτοις ἀπῆλθεν ἐντραπεῖσ' ἡ φιλτάτη.

Noctuam *irridebat aliquis. Illa autem eludebat*
Scommatum unumquodque ſolerti ſermone.
Quale caput! Jovis autem (caput) *quale eſt?*
Glaucedo autem! Hoc proprium cæſiis oculis Deæ (Minervæ)
Cantas inſuaviter! Pica etiam inſuavis.
Pedis tenuitas quanta! de Sturno quid tibi videtur?
Poſtquam autem omnia eluſiſſet facilè.
In uno victa eſt, quantumvis ſapiens.
Sed, ut ſapiens, animadverte horum quidem ſingula
Singulis ineſſe, in te verò omnia & ſupra modum,
Cùm & glauca ſis, & cantu rudis, pede tenuis & capite gravis.

Ad quæ verba pudore ſuffuſa abiit bona noctua.

Hinc Aucupibus, ad alias aves capiendas uſui eſt, ut quæ ejus ſtupore detentæ in eorum poteſtatem veniunt. Ariſtoteles, *Hiſtoriæ l.* 6. *c.* 1. Τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν· καὶ προσπετόμενα τίλλεσι· διὸ οἱ ὀρνιθοθῆραι θηρεύεσιν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια. *Cæteræ aviculæ noctuam circumvolant, quod mirari vocatur, advolanteſque vellicant. Quapropter aucupes ea venantur aviculas omne genus.* Inde Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 1. *c.* 29. Αἱμύλον ζῶον καὶ ἐοικὸς ταῖς φαρμακίσιν ἡ γλαύξ, *Pellax animal & veneficis ſimile eſt noctua.* Et poſtquam ab Aucupibus circumferri docuit, ut illis ſit pro illice, *Noctu quidem*, addit, *ipſa vigilat & voce, ut cantu quôdam Magicô blandô & pellaci oculis ſparſô, aves allicit & ſibi aſſidere facit. Interdiu verò alias avibus offert illecebras & in aliam atque aliam ſpeciem vultum convertens, quibus capiuntur & detinentur omnes aviculæ juniores, ſpectaculô & illecebris retentæ, per ea, in quæ ſe transformat.* Similiter Petrus Creſcentienſis de *Plantis & Animalibus l.* 10. *c.* 16. quod eſt *de gimo & gimetta*, i. e. noctua mare & fœmina, *Admirantur illas reliquæ aves & videre cupiunt ceu rem novam ac inſolitam. Quamobrem*

Quamobrem homines videntes alias volucres circumvolare gimo & gemitta, & eas cum aviditate plurima intueri, excogitaverunt novum aucupii modum: nempe, ut his avibus ad ſpectaculum propoſitis, allectas cæteras viſcò, aut retibus, ſibi quærant. Cujus aucupii meminit quoque Palladius *l.* 10. *c.* 12. *Nunc* (Septembri menſe) *inamitibus apparetur aucupium* noctuæ *cœteraque inſtrumenta capturæ, ut circa Calendas exerceantur Octobres*, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 23. Galli hoc Aucupii genus *pipatam* vocant, à *pipatu* avium, noctuam circumvolitantium. Inde *piper*, pro *decipere*, quòd Aucupum proprium eſt. Cato *Diſtich. n.* 27.

——— *Volucrem dum decipit auceps.*

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 441. Cæterùm *Noctua* Minervæ, τῇ Ἀθηνᾶ, ſacra, & proinde Athenienſibus militare ſignum, Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2. volatusque ejus victoriæ omen habitum eſt, Plut. *Pericle*: quam ob cauſam eâ pecuniam iidem ſignârunt, Sabellic. *l.* 9. *Enn.* 3. Contrà Samii captivis Athenienſibus, ignominiæ ergò, *noctua* figuram inuſſerunt, uti apud eundem Alexandr. videre eſt, ubi ſuprà *l.* 5. *c.* 18. &c. Plura de hac ave nocturna, cum reliquis ſui generis in veteri Lege inter immundas recenſita, ejus inprimis viſu interdiu hebete, noctu perſpicaci, ſolertia item, generoſitate & cum aquilis certamine, vide apud Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 81. 82. 87. & 97.

NOCTURLABIUM, inſtrumentum Mathematicum, cujus ope ſingulis horis nocturnis ſtellæ Polaris locus exactè ſciri poteſt, pluribus deſcriptum *Fornerio.*

NOCTURNA, item *Nocturnale Officium*, in Eccleſ. Roman. aliis etiam *Nocturni*, quòd *noctu* peragitur, occurrit, *Capit.* Caroli M. *l.* 1 *c.* 80. De quibus tamen vocibus, Beletus *c.* 20. & ex eo Durandus *Ration. l.* 5. *c.* 3. *num.* 7. *Nota quòd* Nocturna, *næ, ponitur pro hora: ſed* Nocturni, *orum, pro officio. Vel* Nocturna, *æ. eſt collectio Pſalmorum, qui dicuntur ante Lectiones in Dominica, vel in profeſtis diebus.* Nocturnæ, *in plurali dicuntur tempora, in quibus Pſalmi, cantantur.* Nocturni, *orum, dicuntur novem Pſalmi & novem Lectiones, cum ſuis Reſponſoriis in ſolennitatibus.* Rupertus *de divin. Offic. l.* 1. *c.* 10. *Vigilias in tribus diſpertimur Nocturnis.* In tres autem *Nocturnos* ejusmodi officium diſtinguitur, quòd ter in *nocte* ſurgerent priſci Chriſtiani, àc diluculo Deo Laudes perſolverent, ut obſervat Durandus *l. c. num.* 17. ad imitationem Excubitorum militium, qui etiam in 4. vigilias noctem diviſam habebant: qua de re vide quæ ſuprà diximus, ubi de *Horis.* Donec tepeſcente hominum zelô, tres unâ vice Nocturni cum Laudibus ſimul recitari cœperunt. Quæ quatuor Matutini partes, incluſis Laudibus, *Canticinium, Intempeſtum, Gallicinium* & *Antelucanum*, juxta noctis diviſionem, appellantur ab *Hugone de S. Victore.* In diebus auten Ferialibus unicum *Nocturnum* XII. Pſalmorum recitant, cujus rei rationem exponit Caſſianus *Inſtitut. Cœnobit. l.* 2. *c.* 4. Monachale tamen officium quatuor Nocturnos habet &c. Vide hanc in rem quædam etiam ſuprà, ubi de *Canonicis Horis* it. voce *Matutinalis* &c. Hinc *Nocturnales*, in quibus *Nocturni* matutini continentur. Acta Murenſis Monaſterii *p.* 32. *Sunt & hic quinque* Nocturnales *libri, quorum primus habet tantùm Lectiones ab Adventu Domini uſque ad Paſcha: ſecundus autem à Paſcha uſque ad Adventum Domini; tertius vero habet tantùm Lectiones de Sanctis per circuitum anni: alii duo pleniter ſcripti ſunt.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros *in Hierolex.*

NOCTURNA Veſtis, ſive *Cubitoria*, ut vocat *Petronius, olim* quoque è lino fuit. Dionyſius namque Epiſcopus Alexandriæ apud Euſebium *Hiſtor. l.* 6. *c.* 40. de curioſis ad ſe capiendum miſſis: Κἀγὼ μὲν, inquit, οἶδεν ὁ Θεὸς, ὡς λῃστὰς εἶναι, πρότερον ἡγούμενος ἐπὶ σύλησιν καὶ ἁρπαγὴν ἀφικομένους· μένων ἐπὶ τῆς εὐνῆς ᾗς ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι, τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα παρακειμένην αὐτοῖς ὤρεγον. *Et quidem novit Deus, quum prius putarem latrones eſſe, qui ad prœdam & rapinam veniſſent, manens in lecto, ubi eram nudus in veſte linea: reliquam veſtem prope me poſitam, ipſis porrigebam.* Uti obſervavit Caſaubon. qui proinadmodum probabiliter cenſet, Juvenem illum, memoratum Marc. *c.* 14. *v.* 51. in hiſtoria paſſionis DOMINI noſtri, quemque Theophylactus & Euthymius ex illa ipſa domo, ubi Paſcha comederat Chriſtus cum Diſcipulis, fuiſſe ſtatuunt, ſindonem, cùm è lecto ſe proriperet, abſtuliſſe ſecum, Chriſtumque, de cujus periculo aliquid inaudierat, ſequi cœpiſſe. Quòd enim è lecto ſurrexit, nuditas arguit, cujus cauſa probabilis alia excogitari vix poteſt; neque hoc à temporis circumſtantia alienum. Ut enim è Theophylacto diſcimus, nox erat provecta & altera jam vigilia præterierat. Sindonem autem lineam fuiſſe veſtem, certum eſt, vel è byſſo: nam σινδόνα βυσσίνην apud *Herodotum* alioſque legas, &c. Vide Iſ. Caſaubon. *Exercit. XVI. ad Annal. Baron.* §. 66. Antiquiſſimorum verò hominum eadem *Nocturna* diurnaque veſtis fuit, ut de Romanis diximus in voce *Toga*: quem rigorem Stoici etiam delicatiore jam ævô retinuerunt. Vide in *Tribonium.* Calceatus porrò nocturnus, crepidæ fuêre: *Nocturnales* hinc dictæ, Gall. *Mules, ſeu Pantoufles*, quibus hodieque nocte utimur. Lanfrancus *in Decretis pro Ord. S. Benedicti c.* 2. *Craſtinâ die* Nocturnales *ſuos calcient.* Et *c.* 23. *Calcietur caligis ſupradicto panno factis, uſque ad genua attingentibus.* Capitulare Aquisgranenſe A. C. 817. *c.* 22. *Calciamenta diurna paria duo, ſubtalares per noctem in æſtate duas, in hyeme verò ſoccos* &c. *Sotulares diurni & nocturnales*, apud Guigonem II. *in Statut. Cartuſienſ. c.* 57. & *alibi.* Vulgò *Beta* dici conſuevêre, ut colligere eſt ex *Tabulario* Martini de Campis. Vide Car. du Ferſne *Gloſſar. Capitis tegmen, mitra, & pileum*, quæ vide &c.

NOCTURNI Cœtus, ad ſacra convenientium, Virorum Mulierumque, ordinarii in Eccleſia, non occurrunt, apud Scriptorès. Nàmque & Chriſtus *erat diurnis temporibus* (τὰς ἡμέρας) *in Templo docens: noctibus verò exiens diverſabatur in monte. Et totus populus manè veniebat ad eum, ad audiendum eum in Templo*, Lucæ *c.* 21. *v.* 37. 38. Et ſub Apoſtolis, ordinariæ congregationes non niſi diurnæ erant; Καθ' ἡμέραν τε, *& quotidie perdurantes concorditer in Templo: & frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis.* Actor. *c.* 2. *v.* 46. Nempe ſolutô publicô conventu diſcedebant ad ſuas ædes & cum gaudio cibum ſumebant: ſicut feciſſe populum Iſraëlitarum, commemoratur Nehem. *c.* 8. *v.* 11. 12. 13. Quem morem etiam ſuccedens Eccleſia ſervavit. Licet enim, attroci perſecutione ardente, Chriſtianos ſolitos eſſe ſtatô die ante lucem convenire, càrmenque Chriſto dicere, ſe ex quibuſdam tranfugis didiciſſe, ſcribat Plin. Secundus *l.* 10. *Ep.* 97. idque ipſum ex eo repetat Tertullian. *Apologet. c.* 2. illud ipſum tamen non aliò ſenſu multi accipiunt, niſi quod diurnos ſuos Conventus, die Dominicô, maturè inchoaverint; ſicut *totus populus veniſſe multo manè, ad audiendum Chriſtum in Templo*, dicitur apud Lucam *c.* 21. *v.* 38. Vide eundem Tertullian. *Apolog. c.* 39. & Juſtinum *Apolog. ſub fin.* Plura verò apud Deſid. Heraldum *ad Apologet. cit.* Minucium it. Felicem, ubi & Joh. à Wower & Ger. Elmenhorſt. videndi. Poſtmodum quoque cùm invaluiſſet conſuetudo, ut venirent in Eccleſia viri ſimul & mulieres nocte illâ, quæ diem Paſchatis antecedebat, ibique precibus invigilarent, velut expectantes adventum Domini ſummô manè reſurgentis, de qua vigilia Paſchatis agit Tertullian. *ad uxorem l.* 2. *c.* 4. moſque is in aliis etiam Feſtis & Martyrum Natalitiis inoleſceret ſenſim: viſa res digna quæ argueretur. Vigilantio primùm, mox ipſi Hieronymo. Quare abrogatis nocturnis vigiliis jejunari cœpit pridie cujuſque Feſti, retentô *Vigiliarum* vocabulô, quamvis diurnô tempore obſerventur, uti monet Polydor. Virg. *de Rerum Invent. l.* 6. *c.* 4. Vide quoque Concilium Sabinenſe, in Hiſpania celebratum, A. C. 1322. *Parte* 2. *Tom.* 7. *Concilior. edit. Pariſ. c. de Judæis & Sarac.* Concilium Aquilejenſe celebratum A. C. 1596. *Tom.* 9. *Concilior. c. de Eccleſiis & pio in iis verſandi modo, pag.* 709. & 710. Bellarminum *de Eccleſ. Triumph. l.* 3. *c.* 17. Alios. Sed & Ethnicorum non paucis conventus iſtiuſmodi noctu habiti diſplicuêre. Hinc Cicer. *de LL. l.* 2. *c.* 14. poſtquam commemoráſſet Legem hanc Roman. *Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla, quæ pro populo ritè fient.* Addit. *Quid autem mihi diſpliciat in nocturnis, poëtæ indicant Comici. Quâ licentiâ Romæ datâ quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit: quò ne imprudentiam quidem oculorum abjici fas ſit? Profectò diligentiſſimè ſanciendum eſt, ut mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat. Quo in genere ſe veritatem majorem Senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus & Conſulum exercitu adhibito quæſtio animadverſioque declarat. Atque omnia nocturna* (*ne nos duriores fortè videamur*) *in media Græcia Dyagondas Thebanus lege perpetuâ ſuſtulit* &c. Extra ordinem tamen, in domo Mariæ multi congregati & orantes, nocte illâ, quâ poſt recentem Jacobi Apoſtoli necem, Petrus etiam in arcta cuſtodia detinebatur, poſtridie ad ſupplicium ducendus, memorantur in Actis *c.* 12. *v.* 12. & *ſeqq.* Et cœtum ſacrum Troade coactum Paulus (qui poſtridie abiturus erat) in noctem, uſque ad ſequentis diei auroram, detinuiſſe legitur, Actor. *c.* 20. *v.* 7. & 11. Interim quemque noſtrum *recordari Domini ſuper ſtratis ſuis & de illo meditari*, cum Davide Pſalmo 63. *v.* 7. convenit. Adde Pſalm. 4. *v.* 5. & 6. *v.* 7. & 119. *v.* 62. &c. Plura verò hanc in rem vide apud G. Stewechium *Electis Arnobianis l.* 4. ubi Hæreticis omnibus ab Arcadio & Honorio AA. interdictum inter alia notat, *ad litaniam faciendam noctu-coire*, Johann. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 37. ubi de coitionibus nocturnis Carpocratianorum, Adamitarum, Priſcilliani & ejus ſectatorum; calumniaque hinc Paganorum, Hæreticorum ſpurcitiem Chriſtianæ Religioni iniquè impingentium, pluribus agit, ut & ſupra aliquid in vocibus *Crypta* ac *Myſterium*, & infrà in voce *Nychia Nyctages* & *Nyctelia*; it. *Pervigilia*, & *Vigiliæ.*

NOCTURNI Triumviri, vide infrà.

NOCTURNUM, Magica Gentilium illuſio, quæ *noctu* fiebat, memorata Auguſtino *Serm. de temp. Barbar. c.* 4. *Annon ſacrificavit qui imagines Idolorum per noctem ludentes, quod* Nocturnum *vocant, libentiſſimè ſpectavit.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

NOCTURNUS, apud Statium *Theb. l.* 6. *v.* 238.

Roſcida jam novies, cœlô demiſerat aſtra
Lucifer, & totidem Luna prævenerat ignes,
Mutatô Nocturnus *equô* ———

Heſperus eſt, cui equum furvum tribuit Ovid. *Faſtor. l.* 2. *v.* 314. ſicut Lucifero album, *Amor l.* 2. *El.* 11. *v. ult.* unde Lutatius *ad loc. cit. Statii Lucifer & manè oritur & veſperi, ſed mutato equo.* Aliàs communi nomine *Veſperi*, & matutinum & veſpertinum ſidus complexus eſt Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 9. *v.* 10. ſicut *Eoi*, Auſonius *Idyll.* 14. *v.* 45. Sed & Boëtius diſtinxit *l.* 1. *Met.* 5. Statium, ſequutus, qua de re vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 31. nec non ſuprà: uti *de Nocturno Deorum in terras deſcenſu*, eundem *ibid. c.* 1. *de Nocturnis* verò Magiſtratibus, infrà voce *Nyctoſtrategi.*

NODAB, nomen viri 1. Paral. *c.* 5. *v.* 19. Latinè *vovens*, ſive *ſpontaneus*, aut *principalis.*

NODFYRS, aliàs NEDFRI, ſacrilegi ignes, prohibiti ſunt Synodô ſub Karlomanno Duce & Francorum Epiſcopis habitâ A. C. 742. *Capitular. l.* 5. *c.* 2. quem in locum Lindenbrogius, *Ruſticani*, inquit, *homines in multis Germaniæ locis feſtô S. Johannis, palo ex ſepe extracto, funem circumligant, illumque huc illuc ducunt, donec ignem concipiat: quem ſtipulâ aliiſque aridioribus lignis aggeſtis curatâ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſovent, ac cineres collectos ſupra olera ſpargunt, hôc mediô erucas abigi poſſe inani ſuperſtitione credentes. Eum ergo ignem Nodfyr, *quaſi neceſſarium ignem, vocant.* Spelmannus verò à priſco Saxonico *Nod-Neod*, quod obſequium ſonat, vocis originem arceſſit; ut *Nod-fyrs* ſint ignes, in obſequium Numinum Ethnicorum editi. De his Concilium Conſtant. in Trullo *c.* 69. *Qui in Noviluniis à quibuſdam ante ſuas officinas accenduntur rogi, ſuper quos etiam antiqua conſuetudine quadam ſalire ineptè ac delirare ſolent, jubemus deinceps ceſſare. Quiſquis igitur tale quid fecerit, ſi ſit Clericus, deponatur: ſin autem Laicus, ſegregetur.* Ibi Ehingerus, *Hanc impiam conſuetudinem hodie in Germania, in feſto S. Johannis Baptiſtæ obſervant quidam, ut in plateis excitatô igne ſuper ipſum ſaliant. Sed pii Evangelici Magiſtratus Urbis tales ignes diſſipant & delirantes de plateis abigunt.* Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Horum ignium veſtigium aliquod ſupereſſe videtur, in Gallia, in luſu puerorum, quem vocare ſolent, *des Petits Feux* &c.

NODI Crinium, globique invicem implexi & calamiſtrô intorti, Græcis Grammaticis πλόκαμοι dicti ſunt, & βόστρυχοι. *Heſychius*, Πλόκαμοι κόνδυλοι τριχῶν πεπλεγμένοι, quidquid enim in nodum extuberat, κόνδυλον Græci vocabant; unde in digitis κόνδυλοι partes, quæ in juncturis eminent velut nodi. An eôdem ſenſu *Nodos* dixit Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 39. *v.* 8.

Rhenique nodos, *aureamque nitelam:*

per *Rheni nodos* intelligens, Germanorum cirros, in nodum ſubſtrictos? Idem, *l. de Spectacul. Epigr.* 3. *v.* 9.

Crinibus in nodum *tortis venêre Sicambri,*
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

An *crines in nodum tortos* dicit, ad ſpeciem nodi vibratos & intortos? ut *nodus* ipſa ſit ὀλότης. Sic certè vulgò locum illum exponunt. Sed hic mos nunquam fuit Germanis calamiſtrô inurere, aut aliô modô ornare, *Clemens Alex.* Τῶν ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ᾽ οὐ κοσμοῦνται, *comas alunt, non ornant.* quod Phrygum fuerit proprium & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum paſſim objectum, quòd haberent comas,

Vibratas calidô ferrô, murraque madentes.

Longè hoc à Germanis; qui, ſimpliciſſimus fuit modus, in *nodum* crines cogebant, ex ipſa nimirum coma, quam ſatis longam nutriebant, nodum facientes. Quia verò non datur in capite nodum ex crine facere, niſi torqueatur, ideo *tortos in nodum crines* dixit Martialis, in nodum coactos & ſubſtrictos nodô. Tacit. *de Mor. Germ. c.* 38. *Inſigne gentis obliquare crinem* (h. e. torquere) *& nodô ſubſtringere.* Quem locum perperam capiunt, de crine calamiſtris vibrato. Nec altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum paſſi ſint deſcendere, ſed reduxerint in poſteriorem verticem & obliquârint. Obliquant enim crinem & nodô ſubſtringunt, quia nodô aliter ſubſtringere non poſſunt, niſi obliquatum ac tortum. Ideò *obliquandi crinis* meminit, ut oſtenderet, ex ipſo crine nodum eos facere conſueviſſe, non aliô vinculô nodare. Nam vinculô aut tæniâ poteſt nodari ac religari crinis etiam rectus & in rectum deſcendens: at ex ipſo crine nodus fieri non poteſt, niſi obliquetur ac torqueatur. Et certè, *nodô ſubſtringendi crinis morem*, non etiam flectendi, ac ferrô calidô rotandi, Germanis auctores paſſim tribuunt. Senec. *l.* 3. *de Ira c.* 26. *Non eſt Æthiopis inſignitus inter ſuos color, nec crinis rufus & in nodum coactus, apud Germanos.* Idem *Ep. ult.* *Quid capillum ingenti diligentiâ comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel nodô Germanorum vinxeris, vel, ut Scythæ ſolent, ſparſeris.* Nec alia mens Juvenali, cùm ait, *Sat.* 13. *v.* 164.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madidô torquentis cornua cirrô?

Torquent namque *cornua madidô cirrô*, qui comam obliquant, ut in cirrum eam ac nodum cogant. *Cornua* autem vocat longas crinium ſertas, quæ torquentur, ut poſſint in nodum mitti: κέρατα Græci quoque appellant; inde & *cornua* & *crines* in fluminibus τὸ πολυσχιδὲς & *rami. Madidus* verò *cirrus* Germanorum, quia crebrò comas ſaponibus lavabant. Nec aliud quid hîc *cirrus*, quàm *nodus* eſt. Tertullian. *de Virginib. veland. Debebunt & ipſi aliqua inſignia ſibi defendere, aut pennas Garamantum, aut ſtropulos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum. Iſidor. ut cirros videmus Germanorum, granos ac cinnabar Gothorum* &c. Ubi qui adnotant, *cirros* propriè dici criſpos capillos & rectæ comæ opponi, notationis ſuæ falſi ſunt. *Cirro criſpulos* vocat *Seneca*, ut inde colligas, non eſſe criſpos, niſi hoc addas. Nec *cirrati* pueri vel puellæ, à comis criſpulis, ſed quòd *nodô* in vertice religatam comam haberent. Horat. *Epod. Od.* 11. *v.* 28. *Puellæ, vel puerì longam renodantes comam* i. e. *cirrati*, virgines & innuptæ *cirratæ. Amm. Marcellin. Et licèt, quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas ſpectare cirratas, quibus, ſi nupſiſſent, per ætatem ter jam nixus poterat ſuppetere liberorum.* Eæ nempe renodatum in vertice crinem gerebant & in unum collectum ſubſtrictumque, ut conſtat ex Tertulliani *d. l.* In pueris Græcorum ſimilis cirrus, *nodô* ſcil. collectus crinis in vertice, ut & in mulieribus viriſque, qui Græcis μαλλὸς & σκολλὺς dicitur in genere; ſed in mulieribus propriè κόρυμβος, in viris κρώβυλος, in pueris σκόρπιος &c. Hinc itaque *cirri Germanorum*, crines in nodum coacti ac intorti. Crines verò aliter torti Æthiopum, qui naturâ criſpi, implexi, flexique ac veluti nodati: unde & de hujuſmodi crinibus *cirros* uſurpârunt. Nec omittendum, cùm varii eſſent comendæ comæ modi, ejus quô crinis colligebatur, & in unum ſive *nodum*, ſive corymbium conſtringebatur, σπατάλιον Græcis appellatum eſſe, fortè quòd aureâ ſpatale ſeu ſpataliô (h. e. armillâ ſeu brachiali) vinciretur. Poëta,

——— *Crines nodantur in aurum.*

Item βότρυν unde Latini *Botronatum* fecêre. Tertullian. *de cultu fœmin. Nullam de conchylio veſtem Eſaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum retundat.* Ubi *botronatus*, capitis ornatus eſt, quô in morem uvæ & βοτρυδὸν, congeſtus eſt & accumulatus crinis, &c. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 761. & *ſeqq.* & hìc paſſim.

NODINUS, Deus, quem D. Auguſtin. *l.* 4. *de Civ. Dei c.* 8. ex Varrone, ſcribit, cultum fuiſſe à veteribus Romanis, putantibus Proſerpinam præpoſitam germinantibus, & proſerpentibus; geniculis verò nodiſque culmorum Deum Nodinum: involucris autem illis folliculorum Deam Volutinam: cùm folliculi pateſcant, quò exeat ſpica, Patelenam: cùm ſegetes novis ariſtis exæquantur, Hoſtilinam Deam, quia hoſtire & hoſtimentum veteribus exæquationem ſignific. Floram quoque adjicit & Lactucinam & Maturam, quæ florentibus, lactantibuſque ac matureſcentibus præſint frumentis, Arnobio *l.* 4.

Per NODUM inveſtitura, vide in hac voce.

NODUS ſeu NODI *Societas*, Ordo Militaris 300. militum, inſtitutus à Ludovico Tarentino Rege Siciliæ, A. C. 1352. ita dictus, quòd ſinguli iſtius Ordinis milites *Nodum* ſeu *Nodellum* aureum, (ornamenti ſpecies fuit) gemmis interſtinctum, ad pectus deferrent, in mutuæ amicitiæ ſymbolum, ut ex Matth. Villaneo *l.* 3. *c.* 79. & ex Tract. MS. *de Inſtitut. ejuſd. Ordin.* docet Car. du Freſne *in Hiſtor. Franco-Byzantina l.* 8. *num.* 13. Iſtiuſmodi Militis epitaphium apud Carolum de Lelis *in Familiis Neapolit.* tale extat.: *Hic jacet ſtrenuus Miles Colutius Bozzutus, qui fuit de ſocietate* Nodi *illuſtris Ludovici Regis Siciliæ, quem nodum in campali bello victorioſè diſſolvit, & dictum nodum relegavit in Hieruſalem, qui obiit anno Domini* 1370. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà *Cuneus*; uti de *lemniſco nodato*, qui poſt balnei ceremoniam Militi, longiori tunicâ induto, ad ſiniſtrum humerum, mediô ævô ſolebat alligari, infrà voce *Stigmatia*; aliquid etiam ſuprà, ubi de *Laqueatis veſtibus*: de *nodis* verò fibuliſque veſtium, infrà ubi de *Tunica inconſutili.*

NODUS, Brachiorum, apud *Aur. Victorem* Schotti, *Et Commodum quidem primò occultatiùs venenô petiere, annô Regni tertiô ferè atque decimô: cujus vis fruſtrata per cibum, quô ſe caſu repleverat; cùm tamen alvi dolorem cauſaretur, auctore Medicô, principe factionis in palaſtram perrexit. Ibi per miniſtrum ungendi, nam forte is quoque è conſilio erat, faucibus, quaſi arte exercitii, brachiorum* nodô *validiùs preſſis, exſpiravit:* non eſt ἀγκύρισμα, ſchematis palæſtrici genus, ut nonnulli volunt; ſed id, quod Græci in palæſtra ἅμμα vocant, Latini *nexum* quoque; brachiorum videlicet circa collùm implicatio & ſtrangulatio. *Gloſſa, nexum*, ἅμμα ἐπὶ τῇ πάλῃ δεσμός. Alibi, ἐν δεσμῷ, ἐν παλαίστρᾳ. Plut. *in Alcibiade*, Ἐν μὲν γὰρ τῷ παλαίειν πιεζόμενος, ὑπὲρ τοῦ μὴ πεσεῖν ἀναγαγὼν πρὸς τὸ στόμα τὰ ἅμματα τοῦ πιέζοντος, οἷος ἦν διαφαγεῖν τὰς χεῖρας. Utrumque autem ſimul faciebant expertes palæſtritæ & unò tempore pedibus pedes ſubvinciebant, quod *ſupplantare* dicebatur & ἀγκυρίσαι, ac manibus vel brachiorum nodis collum ſtringebant, *Epigramma* Græcum adhuc ineditum,

Ὃς δὲ τάχος τοῖς ποσὶν ὑποζώσας ἀνέκλινεν
Ὕπτιον, ἀμπλέξας τῇ χερὶ τὴν φάρυγγα.
Ἀλλ᾽ οὐκ ὢν ἀπάλαιστος ὁ δεσπόσυνος προσέειπεν,
Παῦσαι, πνιγίζειν φησὶ τὸ παιδάριον, &c.

Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Commodo c.* 17. & *ad Solin p.* 291. ut & ſuprà, in voce *Nexus.*

NODUS Circes, vide ſuprà *Clavis*, it. infrà *Signandi ritus, Solvere.*

NODUS Hyænæ, apud Lucanum *l.* 6. *v.* 672. ubi res omnes Magiæ inſervientes enumerat,

Viſcera non lyncis, non diræ nodus Hyænæ,

Ariſtoteli ἡ πῆξις τῆς ὑαίνης, Magicus nodus eſt ſeu Defixio, quâ, inquit, dicitur laqueare eam omne animal, quodcunque ter luſtraverit, ut Plin. *Figere* ac *defigere* namque ad res Magicas tranſlatum, ut *devincire* ac *ligare.* Hinc quicunque in aliquo actu quocunque genere Magicæ artis prohibetur facere quod vult, aut à naturali functione aliqua impeditur, *defixus* & *devinctus* dicitur, quamvis id fiat nullô adhibitô nodô vel ligaturâ. Vide ſuprà in voce *Figere.* Locus autem Philoſophi de *Nodo Hyænæ*, in *Mirabilibus*, hic eſt, Hyænæ genus quoddam eſt, Ὃ ἐπειδὰν προΐδῃ τι θηρίον ἢ ἀνθρώπου ἐπιβῇ ἐπὶ τὴν σκιάν, ἀφωνίαν ἐργάζεται, καὶ πῆξιν τοιαύτην, ὥστε μὴ δύνασθαι κινεῖν τὸ σῶμα, *Quod, cùm aliquod animal viderit, aut hominis umbram calcaverit, vocem illis aufert & talem operatur defixionem, ut corpus movere non poſſit:* ubi, uti dictum, *nodum Hyænæ*, Magicum eſſe impedimentum & defixionem, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1089. Aliud Bocharto videtur: qui: cum *Hyænæ nodum* Lucanus cenſeat in ſagæ ſupellectile interque eas res, quæ Magiæ inſerviunt, non potuiſſe in iis Hyænæ defixionem, i. e. vim, quâ animalia detinet, locum habere, inde colligit. *Agitur*, inquit, de Erichtho Magâ Theſſalâ, quæ, ut Romani militis animam arte Necromanticâ ex Inferis excitet, Magica pharmaca omnia adhibet. Proinde, ut ait Poëta,

Huc quidquid fœtu genuit Natura ſiniſtrô.
Miſcetur, non ſpuma canum, quibus unda timori eſt,
Viſcera non lyncis, non dira nodus hyænæ
Defuit, & cervi paſti ſerpente medullâ.
Non puppim retinens, Eurô tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quæque ſonant fœtâ tepefacta ſub alite ſaxa.
Non Arabum volucer ſerpens innataque rubris
Æquoribus cuſtos pretioſa vipera concha,
Aut viventis adhuc Libycæ membrana ceraſtæ;
Aut cinis Eoâ poſiti phœnicis in ara.

E quorum lectione omnino videtur, *Nodum Hyænæ*, non eſſe actionem, ſed ſubſtantiam, ut reliqua omnia, quæ à Lucano ibi recenſentur, nempe *ſpuma canis rabioſi, lyncis viſcera, medulla cervi, remora piſcis, draconum oculi, lapis aëtites, ſerpens alatus, vipera è mari Rubro, exuvium ceraſtæ, phœnicis cinis.* Sed ipſiſſimam *Hyænæ*

Hyænæ Nodi definitionem Plin. exhibet: qui *l.* 28. *c.* 8. dum in eo eſt, ut prodat, Magos hyænam ex omnibus animantibus in maxima poſuiſſe admiratione & ad Magicas Artes ſingulis prope membris vim aliquam peculiarem tribuiſſe, inter cætera ait, *Totius domus concordiam eodem* (hyænæ) *genitali & articulo ſpinæ cum adhærente corio adſervatis conſtare* (dicunt) *quem ſpinæ articulum ſive* NODUM *atlantion vocant. Eſt autem primus. In Comitialium quoque remediis habent eum.* Ubi *ſpina* eſt vertebrarum ſeu articulorum dorſi compages, quorum *primus* ille dicitur, qui proximè collo jungitur & meritò vocatur *nodus:* eſt enim commune hoc omnibus articulis nomen. Unde idem Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Quibus cervix è multis vertebratisque orbiculatim oſſibus, flexilis ad circumſpectum, articulorum* nodis *jungitur.* Et infrà, *Nervi* nodos *corporum, qui vocantur articuli, alibi interventu, alibi ambitu, alibi tranſitu ligantes.* Et Ovid. *de Ponto, l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 23.

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

I. e. morbum in corporis *nodis* & articulis &c. Præterea *Nodus*, in dorſo hyænæ *primus* dicitur articulus ſpeciali ratione: quia cùm in reliquis feris colli & dorſi vertebræ rectâ lineâ continuentur, hyænæ ῥάχις ibi κυρτοῦται, i. e. *curvatur* & in *nodum* ſeu gibbum attollitur. Hinc Oppianus *Venaticorum* ſeu *Cynegeticῶn l.* 3.

Ἡ δέ τε κυρτοῦται μεσάτην ῥάχιν ———

Hæc autem curvatur circa mediam ῥάχιν.

Quamvis enim in ſummo dorſo & inter humeros ſit hyænæ gibbus, illam tamen poëta non malè *curvari & in gibbum attolli circa mediam* ῥάχιν dicit, quia ῥάχις, præter *dorſi ſpinam*, etiam *colli vertebras* complectitur, aut *os colli*, qualecunque ſit. Hyænæ namque collum pro vertebris os continuum habere creditur, unde flecti, niſi totius corporis circumactu, non poſſe, Plinius & Solinus *c.* 30. ajunt. Quod ſi verum, ob id ipſum primam hyænæ vertebram ampliorem eſſe oportuit, ut continuum illud os exciperet, & tanquam *nodô* fortiùs devinciret. Nodus porrò ille rectè *Atlantius* dictus eſt, quia prope humeros ſitus, quibus onera tanquam *Atlante*, ferri notum eſt: Unde eſt, quòd in homine vocatur ἀτλὰς, ſeptima colli vertebra, dorſo proxima, Pollux *l.* 2. *c.* 4. §. 28. Vide omnino Bochart. præfatum *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 11. *ubi de* צבוע, ſeu *Hyæna*.

NODUS Magicus, ſeu *Defixio* dicitur, quum quis aliquo in actu, vi Magicæ artis, prohibetur facere quod vult, aut impeditur à functione aliqua naturali, ſive id fiat *nodô* aliquô adhibitô aut ligaturâ, ſive ſimplicium herbarum aut verborum poteſtate, ſive aliô aliquô modô. Græcis πῆξις, item ἀνάγκη: quippe, qui ἀναγκάζεται, haud magis ſuæ ſpontis eſt, aut arbitriô ſuô utitur, quàm ſi *defixus* aut vinculis conſtrictus eſſet. Πηκτὸν ἀνάγκην dixit Orpheus hanc πῆξιν, ſeu Magicum hunc καταδεσμόν. Paulus *Sententiar. l.* 5. *c.* 23. *Qui ſacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint*, &c. Inprimis autem *Nodus Magicus*, ſortilegium id eſt, quô in Nuptiis ſuis aliqui prohibentur officium facere virile, qua de re vide hic infrà, ubi *de Nodo Veneris*. Quibus verò modis *Nodi Magici* fiebant, iiſdem iterum ſolvebantur, cantibus ſcil. herbisque; quæ duo præcipuè nominant Poëtæ. Unde Sortilegium Gallis *Charme*, i. e. *carmen*; & carminibus devovere aliquem ac defigere *charmer*, quaſi *carminare* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1088. & ſuprà in voce *Defixio*, adde Plin. *l.* 28. *c.* 4.

NODUS Veneris, hodie quibuſdam dicitur, quum quis in nuptiis ſuis virum mulieri ſuæ fungi maleficâ arte prohibetur. Ad quam rem Latini generali vocabulô, quô omnia maleficia Magica deſignare conſueverunt, uſi ſunt, *defigere* hoc & *obligare* appellantes; quod huic veneficio apprime convenit. Cui enim arte Magicâ membra illa ſic præpediuntur, ut vim ſuam exercere non poſſint, *ligatus* & *defixus* intelligitur. Quod proin verbum hac ipſa in re uſurpavit vetus Auctor Appulejus ψευδώνυμος *in Herbario ſuo*, de herba Leontopodio: *Si quis devotus defixusque fuerit, in ſuis nuptiis, ſic eum reſolves.* Exemplum habes, apud Tibullum, Ovidium & Petronium. *Devoti* etiam tales dicti, ut ex Appulejo modò laudato attulimus. Sed & Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 40.

Admonuit noſtræ, deſeruitque Venus.
Tum me diſcedens devotum fœmina dixit.

Idem *l.* 1. *El.* 8. *v.* 17.

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacitô tempore noctis anus.

Virgilius in Ciri,

——— *Jolchiacis animum defigere votis*, &c.

Bene autem hæc omnia *Nodi* nomine veniunt, quod pro qualibet *remora* & *impedimento* poni Latinis notum, ex Floro *l.* 4. *c.* 9. Prudentio *Hamartig. v.* 211. Aliis, vide Salmaſ. *ubi ſuprà*, & de *Veneris Nodo* plura ſuprà *in Ligula*.

NODUTERENSIS, inter ruſtica Romanorum numina, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 4. *Nodutis dicitur Deus, qui ad nos perducit res ſatas; & quæ præeſt frugibus terendis, Noduterenſis.* Ubi *Nodotus* & *Nodoterenſis* legi jubet, in *Electis ſuis* God. Stewechius. Vide *Nodotus*. Uti verò Gentiles minimis quoque rebus ſua aſſignavêre Numina, ita certum eſt ex minimis illis verum Numen poſſe agnoſci. Hinc Lucilius Vaninus, atheiſmi crimen ſibi impactum amoliturus, coram Senatu Theoſano, lectâ fortuitò è terra paleâ Judicibusque oſtenſâ, *Hæc jubet*, dixit, *ut credam Deum eſſe*. Inde ad Providentiam ſermone prolapſus, ut jactum in terram ſemen, ut elanguiſſe viſum & mori, ut ex putrefacta albeſcit, ut viret & naſcitur, ut ſenſim creſcit, ut adoleſcit rore matutinô, ut luxuriat infuſâ largiùs deſuper aquâ, ut in ariſtas armatur, prohibendis per ſpicula avibus, ut in ſtipulam erigitur & frondeſcit, ut flaveſcit provectius, demiſſoque ut ſupercilio languet, donec demetatur: ut poſtmodum trituratur, & ſeparatô à palea fructu, granô homines, paleâ vivunt animantes reliqua facundâ oratione proſequutus, inde Deum auctorem eſſe naturæ concluſit, apud Grammondum *Hiſtor. Gall. l.* 3. *ad ann.* 1618.

NODUTIS dicitur Deus, qui ad nodos perducit res ſatas, Arnob. *l.* 4. Ibi Meurſius legit *Nodutus*; aitque, ſic legi debere apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 8. ubi *Nodotus* legitur.

NOE, Latinè *ceſſatio*, vel *requies*. Unde *Heſychius*: Νῶε, ἀνάπαυσις, (ideoque ridiculè *Suidas*: Νῶε, ὄνομα κύριον, παρὰ τὸ νῶ, τὸ κολυμβῶ, ſcil. quòd in arca incluſus, in mediis aquis natârit) fil. Lamech, natus A. M. 1057. vir Deo gratus, quem, cùm homines ejus temporis perdere vellet, juſſit, ut navem, ſive arcam fabricaret, cujus beneficiô ab aquis cum familia tutus, cæteris ſubmerſis, hominum genus reſtituit: diviſô inter filios orbe. Obiit A. M. 2006. ætat. 950. poſt diluvium. 350. Gen. *c.* 6. 7. 9. Sulp. Severus *l.* 1. *c.* 3. *Ex quo Noë natus, juſtitiâ egregius, & præ cæteris mortalibus, Domino carus acceptusque. Quâ tempeſtate cùm jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus ſedes cælum erat, ſpecioſarum formâ Virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ, originisque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt; ex quorum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur. Quibus rebus offenſus Deus, maximeque malitiâ hominum, quæ ultra modum proceſſerat, delere penitus humanum genus decreverat. c.* 4. *Sed Noë virum juſtum, vita innocens deſtinatæ eximit ſententiæ.* Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 1. *c.* 4. Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας, καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. Ὅμοια τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων καὶ οὗτοι δράσαι παραδίδονται. Ὁ Νῶχος δὲ τοῖς ὑπ' αὐτῶν πραττομένοις δυσχεραίνων, καὶ ἀλγηδῶς ἔχων, ἔπειθεν ἐπὶ τὸ κρεῖττον τὴν διάνοιαν, καὶ τὰς πράξεις μεταφέρειν. Ὁρῶν δὲ οὐκ ἐνδιδόντας, ἀλλ' ἰσχυρῶς ὑπὸ τῆς ἡδονῆς τῶν κακῶν κεκρατημένους, δείσας καὶ μὴ φονεύσωσιν αὐτὸν μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ τῶν τούτοις συνοίκων, ἐξεχώρησε τῆς γῆς. Ὁ δὲ Θεὸς τοῦτον μὲν τῆς δικαιοσύνης ἠγάπησεν. Noam Saturnum veterum fuiſſe fuſè probat Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 1. Arcam in Armeniæ montibus quieviſſe, plurimi tradunt. Hieronym. credit Taurum illum fuiſſe, cujus pedem Araxes lambit. Alii id in montibus Gordiis contigiſſe referunt, & Epiphanius ſuô tempore arcæ reliquias ibidem oſtenſas fuiſſe teſtatur. Vide eundem, cum Pererio *in Gen.* Riveto, *Exercit. in eandem*, Torniellum, Salianum, &c. Cæterùm alter hic Mundi parens, antequam filii nepotesque deſtinatas quisque ſedes peterent, Numine plenus, fata ſingulorum omniumque Imperiorum origines & ſucceſſiones his verbis aperuit: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Benedictus Jehova Deus Semi, eritque Chanaan ſervus illius. Dilatabit Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi, eritque Chanaan ſervus illorum*, Gen. *c.* 9. *v.* 25. 26. 27. Quô vaticiniô ſanctiſſimus Vir Imperium Orbis & ſupremam dominationem primò quidem Semi, inde Japheti poſteris tribuit, Chamæis perpetuâ, vel ſuâ, vel alienâ ſervitute preſſis: quod etiam ad noſtra uſque tempora conſtanter duravit. Nam principio penès Aſſyrios & Perſas, i. e. Semi progeniem, ſumma poteſtas fuit. His Japhetæi, Græci, Romani, & qui hodie rerum totô Orbe potiuntur, Scytharum nationes, ſucceſſerunt. Quòd ſi interdum ſive Ægyptii, ſub Rhamſe & Seſoſtri; ſive Æthiopes, ſub Tirhaka vel Tearcone; ſive Karthaginenſes & Pœni, potentatum in Semi & Japheti prolem exercuiſſe videantur, id breve ac tumultuarium, fulgetri inſtar mox evanuit, & nec populorum multitudine, nec terrarum ſpatiô, nec diuturnitate temporis, cum illorum Majeſtate, comparandum fuit. Et magnum hodieque ſervitutis argumentum eſt, Æthiopas mancipia ſemper eſſe, quos inſuper natura noctis colore tinxit, ſive id ex divina maledictione, ſive peculiari corporis habitu ac nobis penitùs incognitâ ratione, neque enim, ſuper hoc à Naturæ conſultis conſentitur, originem traxerit. Etiam, licèt Nimrodus, Chami progenies, in amœniſſimos Babyloniæ campos progreſſus, paulò pòſt turrim *Babel* deſtructam, ejus urbis imperiô raptô, brevi magnum imperium conflaverit, haud tamen diuturna illa potentia fuit, brevique pòſt, vel ipſe, vel ſucceſſor ejus, ab Aſſure victus, Semi poſteritati, cui id debebatur, loco ceſſit, jugumque Chamo impoſitum eſt. Georg. Hornius *Orbis Polit. Part.* 3. *p.* 434. &c. Vide quoque ſuprà, in voce *Nimrod*. Idem Philoſophiæ veræ inſtaurator, eam non modò, in familia ſua, vivâ voce docuit, ſed & illius præcepta, ſi *Beroſo* credimus, literis conſignavit, æmulatus ex progenitoribus ſuis Sethum, de cujus columnis notus eſt Joſephi locus. Conſedit autem in Armenia, ubi montes, qui à Moſe *Ararat*, ab Onkelos *Kardu* appellantur: etiam Curtio *l.* 5. *c.* 10. memorati, qui illos *Cordiæos*, ut alii *Gordiæos*, *Gordienos* vel *Gordenos* vocant, ubi hodieque reliquias arcæ conſpici volunt, de quo vide Joh. Mandev. *Itinerarii c.* 54. Nicol. Damaſcenus montem illum *Barin* vocat, apud Euſebium *Præpar. l.* 8. *c.* 4. Hinc idem *Beroſus*, ſolis apud Armenios & Scythas Sacerdotibus, *Noachi* Philoſophiam & docere & legere fas fuiſſe tradit: docuiſſe autem curſus aſtrorum & annum diſtinxiſſe ad Solis motum. Quò faciunt, quæ Gentiles de Jano, quem aliô nomine Saturnum vocavêre, literis prodiderunt: quibus nominibus *Noachum* fuiſſe inſignitum quidam aſſerunt, aliis Janum à Saturno diverſum facientibus. Prometheus enim, quem nonnulli eundem quoque cum *Noacho* faciunt, eò quòd apud Æſchylum inter alia gloriatur, repertum ſuum eſſe currus illos nauticos, qui lineis alis vagentur per mare. Vide Muretum *Var. Lect. l.* 1. *c.* 9. *Noachi* potiùs nepos, Japheti nempe filius fuit. Filios *Noachi*, Sem, Cham & Japhet ipſos Orbem inter ſe diviſiſſe, & Patrem cum iis in Pontum appulſum, colluſtratis littoribus maris Mediterranei, Semo monſtrâſſe Aſiaticum littus, Chamo Africam à Nilo ad Oceanum uſque Gaditanum, Japheto Europam omnem cum minore Aſia, adſignâſſe, Pſeudo *Beroſus* refert. Vide quoque *Poſtellum*, *Beroaldum*, & ante illos Epiphan. *in Anchorato:* Sed veriſimilius Hornio videtur, non ipſos *Noachi* filios in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

diverſas has orbis partes transgreſſos, verùm poſteros demum, cùm jam in Oriente homines multiplicarentur, eò colonias duxiſſe: quarum cauſæ eſſe ſolent, abundantia hominum, & natalis glebæ anguſtia. Idem nurus ejuſdem Patriarchæ cum Antiquitate *Sibyllas* non malè vocari cenſet: aliô nomine à Chaldæis *Sambethas* vocatas. Hinc & Sibylla Erythræa, quam inter omnes præcipuam fuiſſe conſentiunt, *l.* 3. *Noachi* ſe nurum profitetur,

Τῦ μὲν ἐγὼ Νύμφη.

Et *l.* 1. cum eo, in diluvio ac arca fuiſſe ſcribit &c. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 2. *c.* 1. de *Noachicis* verò *præceptis* ſuprà.

NOEGA, ſeu NOEGAUCESIA, *Ptolem.* oppid. præclarum Hiſpaniæ Tarraconenſ. in ora Aſturum, teſte Melâ *l.* 3. *c.* 1. ab oſtio Meari 6. leuc. in ortum, ab Oveto urbe 14. in occaſum. *Navia Cluſio*, licet illud mediterraneum, quàm litoreum ſit, juxta fines Gallæciæ, longitud. 12. 30. latitud. 44. 00. *Baudrando* oppid. Aſturum, in ora Oceani Cantabrici. Aliis *Riba de Sella*, oppid. Aſturiæ Santillanæ, 12. leuc. à Legione in Boream, longè à Navia in Ortum.

NOELA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis Plin. *l.* 4. *c.* 20. *Noya Cluſio* & *Floriano. Novium Ptolemæo*, inquit *Ferrar.*

NOEMA, filia Lamech, ex Sella uxore, Gen. *c.* 4. *v.* 22. Latinè *pulchra*, ſive *decora*, vel *movens valde.* Hæc texturæ variæ artem invenit, teſte *Comeſtore.*

NOEMAGUS, urbs Galliæ Narbonenſis prope Gebennam, *Ptol.*

NOEMAN, fil. Balæ, filii Benjamin, Numer. *c.* 26. *v.* 40. Latinè *pulcher*, ſive *decorus*, aut *mortem præparans.*

NOEMI, vel NAOMI, uxor Elimelech, mater Mahalonis & Chelionis, quorum ille Orphæ, hic Ruthæ maritus erat, Ruth. *c.* 1. *v.* 2. Latinè *pulchra*, ſive *decora.*

NOEODUNUM, quibuſdam eſt *Leona*, ſeu *Leondoul* incolis, urbs Oſiſmiorum, in Armorica. Aliis eſt *Dol*, urbs Rhedonum, in Britannia minore. *Sanſoni Brietioque* eſt Novidunum Diablintrum, *Nogent le Rotrou*, caput Perticenſis provinc. ubi aliàs Diablintres.

NOEOMAGUS, vide NEOMAGUS.

NOES, fluv. Thraciæ; vide *Nous.*

NOESIA, Inſul. prope Rhodum, Sporadum una, *Euſtath.*

NOETIANI, Hæretici, à quodam *Noëto* dicti, Chriſtum eundem cum Patre ac Spiritu S. nec Trinitatem perſonis, ſed officiis tantùm, diſtinctam delirârunt: unde & *Patripaſſiani* vocati, quòd Patrem paſſum eſſe dictitarent. Quemadmodum & Sabelliani docuerunt, qui ab eodem Noëto originem traxiſſe dicuntur. Iidem *Unionitæ* inſuper appellati ob eandem rationem, de quibus Prudentius *tit. contra Unionitas* ita,

Cede profanator Chriſti, jam cede Sabelli
Depoſitorque Patris, Natique inſane negator,
Nonne Patrem violas, dum Natum ſcire recuſas.

apud Car. Macrum *in Hierolexico.* Vide in voce *Noëtus*; & plura hanc in rem, apud Jo. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtor. Theologic. l.* 1. *c.* 2. §. 5.

NOETUS, vir doctiſſimus, cujus hortatu Alfredus Angliæ Rex, Academiam Oxonienſem fundavit, A. C. 895.

NOETUS, Hæreſiarcha, Magiſter Sabellii Naturam divinam cum Perſonis confudit. Vide *Sabellius.*

NOFFUS ſeu NAUFUS. *Gloſſ.* Pithœi: *Nauſo, ſarcofago ligneo*; quibusdam, quòd *navis* formam referret, quæ Gallis olim *Nau* dicta: Car. du Freſne *Gloſſar.* Et hæc navis erat ſeu cymba Charontis, quâ demortuorum Animæ, trajectô fluviô Infernali, ad campos Elyſios deferebantur. Vide *ſuô locô.*

NOGA, fil. David, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 7. Latinè *ſplendor.*

NOGARETUS Wilhelmus, Gallus, miſſus cum Sciarra Columna, à Philippo Pulchro Galliæ Rege in Italiam venit, & Gibellinis in ſuam partem pertractis, cepit Ananiæ A. C. 1303. Bonifacium VIII. illum in Galliam pertracturus, ut Lugduni in Synodo Patrum judicaretur. *Patarini* convitiô à Pontifice offenſus, illum collo tractum, ferreâ chirothecâ renitentis ori impactâ, Romam deduxit, ubi Bonifacius mœrore animi deceſſit, Maſſon. *l.* 3. Pater Nogareti hujus, propter religionem, martyrium ſubiit. Mornæus *in Myſter. p.* 954. Poſteri, non infimô inter nobiles Galliæ locô, adhuc ſuperſunt.

NOGARIOLUM, vel NUGARIOLUM, ad fluvium *Midoux* urbs præcipua inferioris Comitatus Armaniaci. Ubi Concil. provinciale, A. C. 1290.

NOGAROLA Antonia, Veronenſis, ſcientiâ, formâ & virtute inclyta. Nupſit viro illuſtri, ex familia Bonalcotorum, nepoti Paſſarini, principis & Domini Mantuæ. Ex eadem familia, Angelica, Antoniæ filia linguarum, S. Scripturæ, & Poëſeos perita fuit. Iſota, filia Leonardi coram Nicolao V. & Pio II. peroravit, à Card. Beſſarione magni æſtimata. Explicuit eruditè admodum Nov. Teſt. operaque Auguſtini & Hieronymi. Obiit A. C. 1466. ætat. 38. Sorores ejus Genovefa, & Laura, ſimiliter eruditionis laude floruerunt: quarum illa Brunoni Gambaræ Brixienſi, iſta Nicolao Teonio Veneto nupſit. Betuſſius, *de fœm. illuſtr.* Cæſar Capacius, *de mul. illuſtr.* Auguſtin. della Chieſa *Theatr. fœm. illuſtr.* Ludovic. Jacobus *Bibl. Fœmin.* Hilario Coſtus, *elog. fœm. illuſtr.*

NOGAROLA Ludovicus, vide *Ludovicus.*

NOGENTIUS Petrus, vide *Petrus.*

NOHA, fil. Benjamin, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 2. Latinè *requieſcens*, aut *ducens.*

NOIA, oppid. Apuliæ Peucetiæ. Item Lucaniæ.

NOIDENOLEX, in *libro Provinc.* inter quinque Sequanorum civitates, ponitur. Aliàs quoque *Noidonolex*, videtur Guillimanno, *p.* 30. Neocomum, Comitatus cognominis caput, cujus vetuſtatem petit à Cæſaris tempore, quò ex XII. Helvetiorum oppidis unum, & cum aliis combuſtum, credit.

NOLA, urbs Campaniæ, ubi multa vetuſtatis adhuc monumenta. Νῶλα *Ptol.* & *Stephano*, Νώλη verò Polybio *l.* 2. Abeſt Neapoli 14. mill. paſſ. propior Acerris & Sarno. Virgilio, *l.* 2. *Georg. v.* 224.

——— ——— *Vicina Veſevo*

Ora jugo dicitur; ubi prius *Nola* legebatur. Ferunt autem poſteà Virgilium petiiſſe à Nolanis aquam, uti duceretur in propinquum rus, Nolanos autem beneficium petitum non feciſſe; Poëta itaque offenſus nomen urbis eorum quaſi ex hominum memoriâ, ſic ex carmine ſuo deraſiſſet, *Oram* pro *Nola* mutavit, A. Gellius *l.* 7. *c.* 20. De ſitu oppidi ita canit Silius *l.* 12. *v.* 162.

Campo Nola ſedet, crebris circumdata in orbem
Turribus, & celſo facilem tutatur adiri
Planitiem vallo. ——— ———

Liv. *l.* 23. *Et ſunt omnia campi circa Nolam.* Exiguo pòſt, *Expugnate Nolam, campeſtrem urbem, non flumine, non mari ſeptam.* De origine ejus variant auctores. Silius *loc. dictô, v.* 161.

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

Vellejus *l.* 1. *c.* 7. *Quidam ajunt à Tuſcis Capuam, Nolamque conditam.* Solinus *c.* 8. *Conſtituta Nola à Tyriis.* Id fortaſſe ridiculum, inquit *Cluverius.* Fortè itaque *Tyrrhenis* ſcripſit Solinus. Hic Fruſtra obſeſſa ab Annibale fuit: S. Paulinô Epiſcopô clara. Hic & Auguſtus Cæſar obiit. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Neapolitano. Vide Ambroſ. Lionium, *l.* 1. *de Nola.* Leandr. Alb. *deſcr. Ital. Nic. Lloyd.* Quia verò Tyrios in Italia colonias condidiſſe, nusquam legitur; proin ſcribi jubet apud Solin. Salmaſ. *Nola à Thuriis.* Thurii autem Græcè οἱ Θέριοι, ab oppido Thurio, quod inter Crathin & Sybarim amnes ſitum erat, olim & ipſum *Sybaris* dictum, nomen accepêre. *Steph.* Θέριοι πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, *Thurii urbs Italiæ, quæ priùs Sybaris. Thyrios* verò apud Solinum ſcripſêre librarii, pro *Thurii*, ut *Thylen*, pro *Thule* & ſimilia. Chalcidenſium colonos, Nolanos fuiſſe, refert Juſtinus *l.* 20. *c.* 1. cui alii ſuffragantur, uti dictum. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 72.

NOLA, tintinnabuli parvi genus, quod Polydor. Virg. *de Inventor. rerum l.* 3. *c.* 18. dici vult, à *Nola* Campaniæ urbe, cujus Epiſcopus Paulinus illius fuerit inventor. De quo etiam Franc. Sweertius *Notis in Hier. Magium de Tintinnab.* ſic ait: *Paulinus Epiſcopus Nolanus, (quæ urbs* Sidicinum *olim, teſte Plinio l.* 3. *c.* 5.) *Divi Hieronymi æqualis; vir vitæ ſanctimoniâ ſpectabilis, primus in ſuam Eccleſiam campanæ uſum invexit: correxit vir ſanctiſſimus abuſum Gentilium ſacrorum & ad pia omnia tranſtulit, ut nimirum ejus ſtrepitu exciri poſſent ad conciones preceſque ſemotiùs habitantes. Atque hinc fortaſſe tenuit conſuetudo, ut* Nolæ *vocabulô cenſerentur tintinnabula ab hac Campaniæ Nola, cujus apud Polybium Liviumque fit mentio.* E quibus tamen colligitur, non inventas à Paulino hoc, ſed tantùm in Eccleſiam ſuam invectas *Nolas* fuiſſe. Nam & ante eum; de quo Gennadius *in Additam. ad D. Hieron. de Viris Illuſtr.* nihil tale profert, *Nolæ* mentionem fecit Quintilianus *l.* 8. *Inſtit. Orator. c.* 6. qui Domitiani Imperatoris ætate floruit: & ſatis tritum ſermone proverbium eſt, *In cubiculo Nola*, Hier. Magius loc. cit. Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 11. &c. Græcè ἠχεῖον, κώδων, Angl. *a little bell, a Saints, ſance or Sacring bell.* Earum enim uſus jam in ſacris Cybeles Matriſque Deûm receptus fuit, ut ex variis Auctoribus probat Hadr. Junius *Animadverſ. l.* 3. *c.* 11. Erant & in oſtiis, ad pulſum ciendum, quo Janitores evocarentur, ut annotârunt Viri docti ad Sueton. *Aug. c.* 91. Excubitores quoque nocturnis vigiliis *Nolam* antiquitus pulſâſſe, ad cujus pulſum illicò reſpondendum fuerit, diſcimus à Suida in voce Κωδωνοφορῶν, ex Ariſtoph. Interprete, ἐν ὄρνισι: Ἐρχόμενοι ἐπὶ τοὺς φύλακας κώδωνας εἶχον, καὶ τούτους ἐψόφουν πειράζοντες τοὺς καθεύδοντα, καὶ ἵνα οἱ φυλάσσοντες ἀντιφθέγξωσι, *Venientes ad cuſtodes* Nolas *habebant, quibus ut ſonarent impulſis dormientes tentârunt & reſponſum petierunt.* Quod mos etiamnum apud Iccium portum (Caletum hodie) aliiſque locis præſidiariis obſervatur. Similiter, ſi quà vis ingrueret, Campani æris tinnitu indicium ejus rei dabatur olim, quemadmodum & hodie plurimis in locis. Unde eleganter Statius *Theb. l.* 6. *v.* 686.

——— ——— *Procul auxiliantia gentes*
Æra crepant.

Præter hos Codonophoros, qui Excubitores circumirent, (quos hodiè *Rondam* fortè dicimus) erant & alii, qui atrati funus præcedebant, *Suid.* & *Guil. Budæus.* Etiam *Nolæ* ſignô homines eleemoſynam petentes, habet *Chronic.* Montis Ser. A. C. 1128. Sed & apud Græcos è ſontium collo *Nolas* ſuſpendi moris erat, ne ex eorum improviſo contactu quisquam pollueretur. Unde Zonaras factum credit, ut Imperatoris triumphantis currui tintinnabulum cum ſcutica ſive flagro adalligaretur: Ita enim is *Annal. tom.* 2. *Ne Triumphator ſuperbiret ſupra quàm par eſſet, ſed ut ſciret, ſe legibus ſubditum, & poſſe vel extremô affici ſuppliciô, aut* Nolam *ſontibus appenſam geſtare* &c. De ſontibus autem ſonat locus Plauti *Pſeudolo Actu* 1. *Sc.* 3.

——— *Lanios inde arceſſam duos cum tintinnabulis,*
Eidem duos greges virgarum ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic ſuppetat ſatias Jovi.
In malam crucem iſtic ibit Jupiter lenonius.

Et quidem Iconem hominis, cum *Nola* ad ſupplicium ducti, exhibet Hier. Magius *loc. præfatô c.* 21. *Avienus* de cane, quoque vocem uſurpat:

Hunc Dominus, ne quem probitas ſimulata lateret,
Juſſerat in rabido gutture ferre nolam.

Fridericus II. Imperator *de Arte Venand. l.* 2. *c.* 41. de campanula, falconum pedibus alligari ſolitâ: *Sequitur de campanella, quæ etiam* Nola *dicitur* &c. Ita porrò appellant Scriptores rerum Mona-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Monaſticarum campanulam, quæ in refectorio ad menſam Abbatis appenditur, quâ is, vel lectionis, vel convivii, finem ſignificat. Unde *Nola refectorii* dicitur, in Stat. Ord. *de Sempringham p.* 770. &c. & *ſonare ad Nolam in refectorio*, eſt Abbatis ibidem munus exercere. Unde in *Vita* Wilhelmi Abbatis Roſchildenſis *num.* 20. *Wilhelmus animatus zelo Ordinis & amore juſtitiæ, poſt ingreſſum refectorii præſumtorem illum* (Priorem) *à nolæ ſubmovit, & Subpriorem adhibuit.* Extant in *Nolam* Capituli antiqui, apud Caniſium, hi verſus:

Præceptor fratres hôc ſignô convocat omnes,
Exemplô Domini cum lavat unda pedes.
Nec non conſilium conſtat ſi forte gerendum,
Hôc menti ſignô conveniunt ſubito.
Laudibus & noctis interdum rite peractis,
Captamus ſomnum, ſi dederit ſonitum.
Cœperit & radiis Phœbus conſpergere lucem,
Hôc reſonante ſopor ocyus omnis abit &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Nolarium*, de qua voce vide Macros Fratres in *Hierolex.* ubi multa de convocandi ad Meſquitas populi ritu apud Turcas.

NOLASCIUS Petrus, vide *Petrus.*

NOLI me tangere, arrogans Novatianorum vox, apud Ambroſ. *de Pœnitentia l.* 1. *c.* 7. *Sed hæc inſolentis arrogantiæ, non ſancti timoris eſt, ut faſtidiò vobis ſint, qui volunt agere pœnitentiam. Perpeti videlicet flentium lachrymas non poteſtis. Non ferunt oculi veſtri vilia veſtimentorum, illuviem ſordidatorum, ſuperbò oculò & tumidò corde delicati mei, arroganti voce dicentes ſinguli,* Noli me tangere, quia mundus ſum. *Dixit quidem Dominus ad Mariam Magdalenam*, Noli me tangere: *ſed non dixit*, quia mundus ſum, *qui mundus erat. Tu audes Novatiane, mundum te dicere, qui, etſi operibus mundus eſſes, hôc ſolô verbô fieres immundus.* Nempe Novatiani ſeipſos καθαροὺς, i. e. *mundos* ſeu *puros* vocantes, reliquorum occurſum velut immundum averſabantur, & lapſos, etiam poſt ſeriæ pœnitentiæ ſigna luculenter edita, recipere nolebant. Vide ubi de *Novato*, & ejus aſſeclis, ut & ſuprà ubi de *Munditie Ceremoniali V. T.* Eadem ſuperſtitio & arrogantia apud Indos inprimis hodiernos, qui non ſolùm à Chriſtianis tangi, vel res eorum, niſi probè lotas priùs, tangere abominantur: ſed ipſi inter ſe, pro puritatis munditiæque, quos ſibi in ſectarum gentis ſuæ multiplici varietate fingunt, gradibus, à mutuo contactu magnâ anxietate abſtinent, uti videre eſt apud P. de Valle & Joh. Baptiſtam Tavernier *Itinerar. Indiæ.*

NOMADES, popul. in Scythia Europæa, quorum vita omnis in habendis gregibus verſatur. Nunc *Tartari* dicuntur, juxta quos Sauromatas locat Plin. *l.* 6. *c.* 25. Meminit eorum Strabo *l.* 11.

NOMADES, Aſiæ popul. juxta Caſpium mare. A noſtris hodie appellantur *Daæ* & cognomen *Parni*, inquit *Strabo.*

NOMADES, Africæ populi inter Zeugitanam regionem & Mauritaniam ſiti, qui poſtea literis aliquot mutatis *Numidæ* appellati ſunt. Hos ſcribit Salluſtius *Bell. Jugurth. c.* 18. ex Perſis ortum traxiſſe, qui Herculem in Hiſpaniam comitati ſunt, eôque mortuô in Africam trajeciſſe, locaque occupâſſe Oceano proxima, alveosque navium inverſos pro tuguriis habuiſſe: deinde paulatim per connubia ſibi Gætulos miſcuiſſe, poſteaque Numidiæ nomo propter multitudinem à parentibus digreſſos, poſſediſſe ea loca, quæ proximè Carthaginem ſunt, & *Numidia* appellantur. Dicti *Nomades* ἀπὸ τῆς νομῆς, h. e. *à paſcendo*, quòd paſtionibus præcipuè vacarent, herbisque in uno loco depaſtis papiliones ſuas curribus aliò transveherent. Dionyſ. *v.* 186.

Τοῖς δ' ἐπὶ δὴ Νομάδων παρατέπταται ἄσπετα φῦλα,
Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρονόμοι Μασυλῆες
Βόσκοντες σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην
Μαίονται βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα θήρην.
Οὐ γὰρ γειομόροιο τομὴν ἐδάησαν ἀρότρου,
Κείνοις δ' οὔποτε τερπνὸς ἀκούεται ὁλκὸς ἁμάξης,
Οὐδὲ βοῶν μυκηθμὸς ἐς αὔλιον ἐρχομενάων,
Ἀλλ' αὔτως, ἅτε θῆρες ἀνὰ δρύα βουκολέονται
Νήϊδες ἀσταχύων, καὶ ἀπευθέες ἀμητοῖο.

Horum Virg. meminit, *Æn. l.* 4. *v.* 320. & *l.* 8. *v.* 724.

Hoc Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros.

Nic Lloydius.

NOMÆ, oppid. Siciliæ. Νομαὶ Diodoro *l.* 11. Silius, *l.* 14. *v.* 26.

——— *Comitata Nomæis*
Venit Amaſtra viris. ———

Mil. vulgò *Nemais.*

NOMÆI, Thraciæ populi qui poſtea *Scythæ* dicti ſunt, *Steph.*

NOMARCHA, Græcè Νομάρχης, Nomi (de qua voce vide ſuô locô) in Ægypto olim Præfectus erat, apud quem Ægyptiorum quilibet Nomô comprehenſorum quotannis demonſtrare, unde viveret, ſub mortis pœna tenebatur, lege Amaſis Regis quam Solon poſtea Athenas tranſtulit, Herodot. *l.* 2. *c.* 175. Vide quoque infrà voce *Otium.* Iidem reditus Regis curabant, & ſuô quisque Nomô omnia adminiſtrabant; Diodor. ubi de Seſoſtre Rege: Τὴν χώραν ἅπασαν εἰς ἓξ καὶ τριάκοντα μέρη διελὼν, *totam Ægyptum in* XXXVI. *partes diſtribuens, quas Ægyptii* Νομοὺς *vocant, ſingulis* præpoſuit Νομάρχας, *Præfectos*, τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν τε προσόδων τῶν βασιλικῶν, καὶ διοικήσοντας ἅπαντα, κατὰ τὰς ἰδίας μερίδας, *l.* 1. Eorumque pro numero Nomorum, X. in Thebaide, totidem in Delta & XVI. ἐν τῇ μεταξὺ, *in regione intermedia*, erant, Straboni *l.* 17. *init.*

NOMARE, oppid. Auſtriæ inferioris ad Danubium, 6. mill. paſſ. infrà. Arelape, 10. milliar. German. à Vienna, in Occaſum. Vulgò *Melk.*

NOMAS, & NOAS, idem apud *Flacc.*

NOMASTÆ, Scythiæ intra Imaum populi *Ptol.*

NOMBA, urbs Judææ. *Steph.* ex *Joſepho.*

NOMEN, infantibus impoſitum, peractâ Circumciſione Judæis, aliis poſt luſtrationem: Omnibus enim gentibus *Nomina* ſua erant ſeu vocabula, aliis ſigna, præter Atlantes, de quibus Pomp. Mela *l.* 1. *c.* 8. *Ex his, qui ultra deſerta eſſe memorantur, Atlantes Solem execrantur, & dum oritur & dum occidit, ut ipſis agrisque peſtiferum.* Nomina *ſinguli non habent.* Indebantur autem apud Ebræos die octavo maſculis, fœminis initiô menſis: Apud Romanos ſimiliter octavô maſculis, fœmellis nonô, Græci variabant, ut in Luſtratione: Aliàs quidem quintus, aliàs decimus huic ritui deſtinabatur. Vide *Suidam* & Ariſtoph. *in Avibus.* Sunt qui ſeptimi meminerint, ut Ariſtoteles *Hiſt. Animal. l.* 8. *c. ult.* tum ob mutationis eô die certitudinem, tum ob ſacrum numerum. Unde Græcis omnis ſeptimus à nativitate feſtus. Chriſtianis nulla nec olim nec nunc certa *Nominis* dies. *Turcæ, cùm octavô ferè annô demum præputium amittant, & Anabaptiſtæ, multo adhuc ſeriùs Baptiſmatis aquâ ſubmergendi, nativitatis tempore, aut, quando parentibus placet, nomina ſortiuntur; Bramidæ duodecim dies natis, aures eorum perforantes, tribuunt nomina. Tapugarum pueri etiam octavô circiter annô, quoad auriculas & labium, inferius perforati, hâc ratione demum in hominum numerum dicuntur aſciſci. Abyſſini ſuos quadrageſimô die ætatis, ſacrificiô adhibitô, nominant. Alii aliud obſervant tempus*, Jo. Chriſt. Sagittarius *Corpuſc. Hiſtorico--Heraldico* &c. Fiebant autem Romanis *Nominalia* magna cum ceremonia, qua de re vide illuſtrem locum Tertulliani, ubi *Nominalium ſolemnitatis* meminit *l. de Idol. c.* 16. Ritus hi fuerunt: Convocabant amicos, eligebant qui præeſſet *Nominis* impoſitioni, ut nunc apud Chriſtianos fit, *Nomen* dabant infanti, crines tondebant, Diis ſacrificabant & agitabant convivia. Ex luminum accenſorum Fato *Nomen* auſpicatum elegêre quidam. Hinc P. Lobbetius *l.* 3. *de Pecc. Propoſ.* tradit, Veteres *Nomina* infantibus impoſituros, quaſi vitam longam proli quærerent, cereis accenſis appendiſſe varia *Nomina*, eâ lege, ut *Nomen* ejus, qui diutius arſiſſet, vitæ producendæ ſpe votoque infanti cederet: quem ritum antiquum deſignat Chryſoſtom. *in Ep.* 1. *ad Cor. c.* 2. Vide Caſaubon. *ad Perſium Sat.* 2. Judæi ſanguine cuncta ſignabant. Numerus varius: Hebræis plerunque unum, rarò duo. Græci ſimplici *Nomini* addidêre patriam, quod ferè & Ægyptii. Romanis tria *Nomina* ipſis Nominalibus fiebant, de quibus legi meretur Iſidor. *Origin. l.* 1. *c.* 6. *Prænomina* & *Cognomina* erant propria, *Nomina* familiæ. Eligebantur autem Prænomina honeſtæ nomenclaturæ, quia de eo primùm ſceleris quæſtio habebatur, qui turpius *Nomen* poſſideret. Et quidem patres Romani ſuum majori natu impoſuerunt, Avi nomen reliquis. Xanthii à matribus mutuabantur: Fœminæ & ſervi ſolis ferè gaudebant *Nominibus*; interim & illarum prænomina agnoſcit *Feſtus*, cùm ait: *Prænominibus fœminas eſſe appellatas teſtimonió ſunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Caiæ ſolitæ ſunt appellari: pari modô Lucia & Titia.* Vide de his diſputantem *Pet. Servium.* Quartum deinde *Nomen* adulto puero ſuperadditum, *Agnomen*, à fortuna vel virtute. Profitebantur dein Patres puerorum *Nomina* publicâ conteſtatione: (quo alludens *Appulejus*, *Pater*, inquit, *natum ſibi filium cæterorum more profeſſus eſt*; vocatque hanc natalem profeſſionem παιδοποιΐαν *Modeſtinus*) ſimulque in Ærarium Lithyiæ nummum inferebant. Mox intra tertium ab eo impoſito diem, relata à Præfecto Ærarii non *Nomina* tantùm, ſed ad confuſionem vitandam, etiam Cognomina, nec non dies Nativitatis & Conſul, in Actis publicis. Unde Jul. Capitolin. *in Gordiano c.* 4. *Cùm, apud Præfectum Ærarii, more Romano, profeſſus filium, publicis Actis ejus* Nomen *inferret.* Vide quoque Briſſonium *Antiq. l.* 1. *c.* 5. Quod & Indis olim & Europæis hodie quoque non infrequens: Aſſervabanturque illa Acta, aliàs *Faſti*, *Tabularia*, & *Chartæ* dicta, in templo Saturni, teſte Servio *in Georgicor. l.* 2. Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Apud Athenienſes, poſtquam quintô à Nativitate die circa focum ſolenni ritu Infans geſtatus & ſic Amphidromia peracta eſſent, die ſeptimô, vel ut plurimùm decimô, *Nominalia* celebrabant: quod feſtum illis proin Δεκάτη dictum eſt, Ariſtoph. *Avibus*,

Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ,
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

Sacrificiô enim peractô, præſentibus Cognatis, quod & apud Romanos Hebræosque fiebat, *Nomen* imponere ſolebant. Quod quidem in arbitrio Parentis ſitum erat, ut Euſtath. docet *in Iliad.* ε. Plerumque tamen maximo natu Avi dabatur *Nomen.* An autem unô, an pluribus illi uſu fuerint, non admodum liquet. Mutabant enim ſubinde *Nomina*, prout ſtatus illorum variabat. Hinc Protei filiam, cùm ætate ac ſapientiâ creviſſet, *Theonoës* nomen aſſumſiſſe: Leucippen, poſtquam vendita eſt, *Lacænam* fuiſſe appellatam: Iſmeniam in Atracen tranſiiſſe, apud Eurip. *Helenâ v.* 13. Achillem Tatium *l.* 5. Euſtath. *l.* 9. legimus. Servis inprimis novum ab heris imponi ſolebat *Nomen*, idque vel à gente, ut ὁ Σύρος, vel à complexione ac colore, ut ὁ Ξανθίας ſeu ὁ Πυῤῥος: vel à dotibus eorum, ut ὁ Πιστὸς, ὁ Δρόμων: vel à tempore, quô emebantur, ut ὁ Νεομηνίας, Photius *Biblioth. cod.* 279. quod dein cùm manumiſſi erant, iterum mutabant. Apud Perſas, cùm Reges: apud Romanos, cùm Dii fierent homines, ſimiliter alia ſumebant *Nomina*: Quod *Palæmonis*, *Quirini*, *Iſidis*, *Portumni*, *Leucothea* &c. exemplis patet. Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 5. *c.* 5. Intrà ſeptimum dein annum, *Nomine* paternô, in τῶν Φρατέρων album, inſcribebantur. Vide Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas l.* 2. *tit.* 4. &c. ut & paulò infrà. Sed & *Nomina* mutabant Hebræi, cùm è gravi morbo convaluiſſent, velut novam exorſi vitam, *Buxtorf.* Apud Chriſtianos, Romæ Epiſcopi *Nomina* mutabant, a tempore Sergii Papæ, quem primum id feciſſe, quòd *Os porci* vocaretur, tradit Mich. Scotus *Menſæ Philoſoph. l.* 4.

l. 4. *c.* 25. Etiam Monachi olim hodieque, aliquot in Ordinibus Eccleſiaſt. mutant *Nomina*. Chronicon Malliacenſe A. C. 1080. *Hoc anno perfectus eſt introitus Monaſterii* (S. Maxentii) *ſicut ſcribitur in verſibus:*

Arca circarum colatur tempus earum,
Anni tunc mille Chriſti ſunt 80.
Iſtam confratres aulam domino faciente,
Ad Chriſtum precibus ducat Maxentius almas,
Qui priùs Adjutor, Baptiſmi lege, vocatus,
Poſt me noſcatur, Maxentius ultro vocatur &c.

Vide Procopium *Perſic. l.* 1. *c.* 25. Interdum *Nomina* perſonarum mutabantur, cum ea commodè efferri non poterant, ab ea natione, ad quam vel nuptiarum, vel alterius occaſionis gratiâ ſecedebant. Liber de fundat. Monaſt. Gozecenſis A. C. 1088. *Hæc propriô nomine dicta fuit Hilaria, ſed quia lingua Teutonica non facilè promit Latina vocabula, nomen mutavit Ula.* Inprimis ſolemne fuit Græcis Byzantinis, & præſertim ipſis Auguſtis, cùm ſibi ex Latinorum gente uxores aſciſcerent, earum *Nomina* mutare. Ita Johannis Comneni uxor Ladiſlai Hungariæ Regis filia, quam *Pyriſcam* vocant *Thwrcozius*, *Bonfinius*, *Piſtorius:* & Bertha Conradi Imperatoris filia, Manueli, Johannis filio, nupta, *Irenes:* & Agnes Ludovici VII. Franciæ Regis filia Alexii Comneni conjux, *Anna* nomine donatæ ſunt. Cujus moris alia exempla complura ſuggerit Car. du Freſne in *Familiis Byzant.* Quod quidem ii, non tam ob nominum exoticorum & quæ ægrè efferri poſſent, κακοφωνίαν, factitabant, quàm quod in iis Latinæ originis atque adeò cultus Romani notam omnem abolere ſtuderent: adeò ut priusquam in manum convenirent, iterati Baptiſmi, in quo nomina dari vel mutari conſueverant, ſpeciem quodammodo, in Latinis uxoribus, adumbrarent; quod Græcis certè objectum ab Anſhelmo Epiſcopo Havelbergenſi *Dial. l.* 3. *c.* 21. *Sicut audio, conſuetudo apud vos eſt, ut ſi quando Græcus Latinam uxorem ducere voluerit, ſicut plerumque fit & ſicut etiam inter perſonas Auguſtales ſæpe factum dignoſcitur, quòd prius oleô ſanctificatô in vaſe aliquo infuſo eam perfunditis & per totum corpus lavatis & ſic demum quaſi in ritum & legem veſtram tranſiens matrimoniô copulatur: quod quare fiat, ſi tamen fit, oppidò ſcire vellem; videtur enim quædam forma eſſe rebaptizandi*, &c. Vide quoque infrà *Novum nomen.* Addam verbum de Ethnicis ad Chriſtianiſmum olim converſis. Hi *Nomen dare* dicebantur baptizandi, cùm novô aſſumtô in Eccleſiam tranſitum moliebantur. Quod non uno tempore fiebat: Tribus menſibus ante Baptiſmum, factum id eſſe, diſcimus ex *Ep.* 3. Clementis Pontif. *Accedat autem qui vult, ad Sacerdotem ſuum, & ipſi det nomen ſuum ---- ut tribus menſibus jam conſumtis in die feſto poſſit baptizari.* Quadraginta antè dies vel ampliùs, habet Siricius *Ep. ad Himerium c.* 2. Poſterioribus ſeculis nomina demum imponebantur inter ipſa Baptiſmi ſolennia, ut notum &c. Vide quoque ſuprà *Binomius.* Nec omittendum, *Nomina* eorum, qui ſacris olim certaminibus viciſſent, in Commentarium referri conſueviſſe, adeò ſolicitè ac ſcrupuloſè in iis peragebantur omnia: quem morem Philo aperit περὶ εὐγεν. Οἱ τοῦ γένους ἀρχηγέται δι᾽ ἀθλητικὴν ῥώμην ἐν ὀλυμπιονίκαις ἢ περιοδονίκαις γράφονται, *Qui generis auctores, propter athleticam fortitudinem ſcribuntur inter Olympionicas, aut Periodinicas.* Certè Athleta victor inſcribebatur Νικηφόρος, Idem alibi. Sed & στηλιτεύεσθαι γραφαῖς, *incidi ſicut in columna*, publicis monumentis, ſolebant, uti videre eſt apud Car. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 12. De *Nominis* dandi in delectibus neceſſitate, pœnaque eorum, qui ad nomina non reſpondiſſent, vide Liv. *l.* 3. *c.* 69. & *l.* 7. *c.* 4. &c. uti de πολυωνυμίᾳ ſeu *multitudine Nominum* Diis Gentilium gratâ, ſuprà *Iô Pæan:* de more poſſeſſorum aliorumque benè meritorum, *nomina* ædificiis inſcribendi infrà voce *Paries.*

Nomina Virorum apud Romanos varia, eorumque vices.

Prænomen dicebatur, nomen, quod *Nomini* totius alicujus Gentis præmitti ſolebat: *Nomini* apud nos proprio reſpondens. Hoc diu poſt *Nomen* in uſu eſſe cœpit, nec niſi circa ann. ætat. 17. cùm virilem Togam ſumerent, imponi ſolitum eſt: Erant autem talia 18. Vide infrà in voce *Prænomen.* Interim aliquando Prænomen factum eſſe *Nomen*, docet *Priſcianus*, exemplo *Tullii Servilii*, *M. Tullii* &c. Nonnunquam ſecundô locô ponebatur, ut *Attius Tullus*, *Manlius Cnæus*, *Octavius Metius* apud *Liv.* Imò in ultimum locum rejectô ſub Imperator. *Nomine* proprio, Prænomen pluribus commune eſſe cœpit.

Nomen, dicebatur nomen Gentis Stirpisque omnibus inde deſcendentibus ramis commune, reſpondens Patronymicis Græcorum, ut teſtatur Priſcianus *l.* 2. Sicut igitur, Æaci poſteri omnes *Æacidæ*, apud Græcos, ſic qui ab Julo, Æneæ filio deſcendebant, *Julii*; qui ab Antonio, *Antonii* dicti ſunt. Unde etiam notandum, *Nomina* hæc Gentilitia omnia propriè Adjectiva fuiſſe & & in *ius* deſiiſſe, exceptis, *Peducæus*, *Poppæus* & *Norbanus.* Et hoc ſecundô locô communiter poni ſolebat: aliquando tamen Prænomini præpoſitum, aliquando quoque Cognomini poſtpoſitum deprehenditur.

Cognomen, propriè *Nomen* erat certæ alicujus familiæ, vel rami, in aliqua Gente: ut ait *Liv.* quam Gentem Potitiorum in 12. familias diviſam fuiſſe refert. Sic *Julius*, nomen Gentis; *Cæſar*, cognomen familiæ; *Cajus*, nomen proprium ſeu prænomen erat. Plerumque tertiô locô poni ſolebat; aliquando tamen *Nomini* præponebatur, ut apud Cic. *Gallo Fabio*, *Balbi Cornelii*, *Papum Æmilium* &c. Nonnunquam etiam in *Nomen* mutatum eſt, teſte Valerio Max. cùm ait: *Quinetiam cognomina*, in Nomen *verſa ſunt.* Imò Prænominum & Cognominum *perplexum uſum in Conſulum Faſtis.* Idem Autor animadvertit *l.* 10.

Agnomen quidem addunt, à Fortuna vel Virtute inditum: Ut cùm Scipionum unus, ab Africa devicta, *Africanus*; alter ab Aſia *Aſiaticus* dictus eſt. Meminit quoque Agnominis *Auctor ad Herennium:* Nihilominus ſub Cognominibus Agnomina iſtiuſmodi comprehenſa fuiſſe teſtatur Salluſtius, cùm de Scipione ait *l. de Bello Jugurth. c.* 5. *cui poſteà Africano Cognomen fuit à Virtute.* Nec [illegible] undè Cognomina, imò quoque antiquitus Prænomina, quæ [illegible] ab hujuſmodi caſu, fortuna, aut peculiari aliqua circumſtantia originem habuêre. Aliquando quoque Cognomina mutabant Romani, vel novum addebant; è Tribu Domove nonnunquam petitum, quod Ablativô caſu efferebant, ſic: *C. Verres Romuleâ*, *Servius Sulpitius Lemoniâ*, ſubintellige *ex Romuleâ*, *ex Lemoniâ Tribu.* *Sigonius*, *Lipſius* &c. Recentiori Ævô *Supranomen* acceſſit de quo infrà.

Quibus porrò qualia Nomina imposita?

Fœminæ olim habebant *Nomen* proprium ac peculiare, teſte *Varrone:* ut *Caja*, *Cæcilia*, *Lucia*, *Marca*, *Volumnia* &c. Quæ nomina, notante Quintilianô *l.* 1. *Inſtit. Orator. c.* 7. inverſis litteris ſcribebantur, Ɔ. Ꞁ. W. &c. Poſteà illis dari deſierunt: atque, cùm unica in domo erat filia, illa Gentilitiô nomine contenta erat, ut *Tullia* & per diminutionem *Tulliola.* Cùm plures eſſent, una *Major*, altera *Minor:* vel *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta* &c. dictæ ſunt. Reperiuntur tamen, quæ & Prænomen, vide *ſuprà:* & Cognomen habuêre. Namque filia Sullæ, Miloni nupta, *Cornelia:* & Paula quædam, apud Cicer. *in Ep. Valeria* cognomen habuit.

Liberi Adoptivi, *nomina* & Cognomina eorum, à quibus adoptati erant, accepêre: additô in fine nomine ſuæ Gentis, vel Cognomine aliquô familiæ ſuæ peculiari. Ex. gratiâ *M. Junius Brutus*, cùm adoptatus eſſet à Q. Servilio Cæpione Agalone, vocavit ſe *Q. Servilium Cæpionem Agalonem Brutum*, Octavius contrà, adoptatus à Jul. Cæſare, *Nomine* ſuô Gentilitiô retentô, illud in Adjectivum mutavit, nominarique voluit *C. Julius Cæſar Octavianus.* Imò & Agnomen retinere poterant; Sic Atticus, adoptatus à Q. Cæcilio, *Q. Cæcilius Pomponianus Atticus* dictus eſt: Vel novum Agnomen virtute mereri, quemadmodum Octavius *Auguſtus* poſteà agnominatus eſt. Huc pertinet, quòd Tiberius, adoptatus à M. Gallio Senatore, bona quidem ejus, non verò *Nomen* aſſumere voluiſſe, legitur apud Sueton. *c.* 6. Quòdque apud Tacitum *l.* 3. *Annal. c.* 30. Criſpus Salluſtius, ſuo è ſorore nepoti adoptato, *Nomen* ſuum impoſuiſſe dicitur.

Liberti, uſurpabant Prænomen ac *Nomen* Domini, non autem Cognomen ejus, cujus locô Nomen ſuum proprium retinebant. Hinc eruditus ille Libertus Ciceronis *M. Tullius Tyro* dictus eſt. Idem obſervabant [illegible] derati, ac extranei, qui Nomen ejus, per quem in Civitatem recepti erant, ſuum facere erant ſoliti.

Servi olim non aliud, quàm Domini ſui, habebant Nomen: ut *Lucipor*, *Marcipor*, i. e. *Lucii puer*, *Marci puer.* Poſteà tamen iis Nomina obtigêre propria, & *in Servis intercidit illud genus*, *quod ducebatur à Domino*, ut ait Quintilian. *l.* 1. *c.* 4. Nacti autem plerumque ſunt Nomina, à Natione, Regioneque, è qua oriundi erant: Sic *Dacos* & *Getas:* *Myſos*, *Syros*, *Phrygas*, *Lydos*, [illegible] *gas*, &c. appellari ſolitos [illegible] ſe, docet Strabo *l.* 5. Et Varro *l.* 7. *de L. L. Tres cùm emerunt Epheſi ſingulos ſervos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit Artemidorus atque Arteman appellat: Alius aut ab regione, quòd ibi emit, Ionem: aut ab urbe Epheſo, Epheſium: Sic alius ab alia aliqua re, ut viſum eſt.* Qui mos hodieque in Gallia aliquô modô obtinet, cùm Pediſſequorum unum *Champagne*, alium *Baſque*, aut *Picquard*, quòd ex Campania, Biſcaja, Picardia oriundus ſit, vocant. Cùm autem libertatem adepti ſunt Servi, ut novum nomen accepêre, ut *ſuprà* viſum: quò fortè alluditur Apocalypſ. *c.* 3. *v.* 12. &c. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & præter Auctores ſuperiùs laudatos, Auctorem Grammaticæ Lat. Gallicô Idiom. ſcriptæ, cui tit. *nouvelle Methode, p.* 656.

NOMEN Commune Regum, ſeu *ſequens Imperium*, *in quemcunque tranſeat*, ut Curtius ait *l.* 8. *c.* 12. olim apud Populos varios in uſu. Noti enim Ægyptiorum *Pharaones*, & Palæſtinorum *Abimeleci*, ex Sacris: Armeniorum *Artaxiæ*, ex Tacito, *Annal. l.* 8. *c.* 56. Indorum *Taxiles* ex Curtio, *loc. cit.* Targanorum *Achſidi*, & Perſarum *Choſroës*, ex Elmacino *l.* 3. *c.* 4. Bavarorum *Cacanus*, ex Jo. Bohemo *de Mor. Gent.* Sic à Turcis Serviæ Deſpotas omnes vocatos fuiſſe *Lazaros*; Conſtantinopoleos Imperatores *Conſtantinos*, notat Leunclavius *Pandect. Hiſt. Turc. c.* 46. 51. 54. 68. 73. & 90. *Tzetzes* Ionum Principibus *Palmis*; P. Diaconus *Hiſt. Longobard. l.* 3. *c.* 16. & Regino *Chron.* Longobardorum *Flavius*; Servius ad *Æn. l.* 6. *v.* 529. Albanorum *Murranus*; Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 24. Hunnorum *Cahanus* ſeu *Caganus*, commune nomen facit [illegible] &c. Qui autem ex eo, quòd apud Capitolin. *c.* 5. Gordiano acclamatum fuit, *novo Scipioni*, Procoſſ. Africæ *Scipiones* vocatos fuiſſe aſſerunt, meritò refelluntur Freinshemio *Not. ad Curtium d. l.*

NOMEN Dei, urbs Americæ, in ora maris Borealis in provin[illegible] Terræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Terræ Firmæ, 17. leuc. à Panama in Septentrionem. Nunc deſtructa. Vide *Onomatheopolis.*

NOMEN Proprium, apud Romanos, liberâ Republicâ, non aliud quàm Prænomen erat, ut *ſuprà* vidimus: Hoc fratres cognatique à ſe invicem diſcernebantur, ita; *M. Tullius Cicero* & *Q. Tullius Cicero.* Sub Imperatoribus verò, *Nomen proprium*, perſonas varias à ſe invicem communiter diſtinguens, ultimum in locum rejici cœpit, ut *Flavius Veſpaſianus* & *Flavius Sabinus*, fratres apud *Suetonium.* Quod ſequenti inprimis exemplô clariſſimè oſtenditur: Seneca enim Pater, Rhetor inſignis, cùm nominaretur *M. Annæus Seneca*, filiorum ejus trium unus *M. Annæus Novatus*, *alter L. Annæus Seneca*, Philoſophus, tertius pater Lucani Poëtæ, *L. Annæus Mela*, dictus eſt: Quæ ultima eorum nomina ita illis peculiaria erant, ut non ſaltem reliqua communia haberent, ſed etiam Seneca Pater ſæpius tum ſibi, tum filiis, non niſi ultimum horum Nominum tribueret, ut ex inſcriptione libri Controv. eluceſcit: *Seneca Novato, Senecæ, Melæ filiis ſalutem.* Maximus quoque natu horum Novatus, cùm à Junio Gallione adoptatus eſſet, *Junius Annæus Gallio frater Senecæ*, apud *Euſeb.* vocatus reperitur; Seneca tamen frater ejus *in Ep.* & *alibi*, ipſum non niſi ultimô trium horum nomine, quod ipſi proprium erat, compellat; quemadmodum & à Luca Euang. in Actis Apoſt. *c.* 18. *v*, 12. ſimpliciter *Gallion* appellatur. Hinc porrò factum, ut non niſi ultimum Nomen Viris dignitate eminentiſſimis, primis Eccleſiæ temporibus, utpote illos ſatis ab aliis quibuſcunque diſcriminans, dari ſoleret. Proin S. Hieronym. *Præf. Commentar. in ad Galatas*, de Victorino, celebri illo Romano, differens, *C. Marium Victorinum*, quidem appellatum eſſe notat, ipſe tamen *tract. de Scriptorib. Eccl. c.* 101. ut & Auguſtin. *Confeſſ. l.* 8. *c.* 2. non aliter eum quàm *Victorinum* appellat. Sic, quamvis S. Paulinus, Epiſcopus Nolanus, vocaretur *Pontius Meropius Paulinus*, hôc ultimô tamen ſolô ab Auguſtino aliiſque, utpote ei propriô, inſignitur. Ruffinus quoque perpetuò à S. Hieronymo, S. Auguſtino & S. Paulino vocatur, qui aliàs *Tyrannius Ruffinus* dictus eſt. Similiter *Tyro Proſper*, *Cajus Cæjonius Rufinus Voluſianus*, Romæ Præfectus, *Anicius Boëtius*, non niſi *Proſperi*, *Voluſiani*, *Boëtii* nomine, apud Auctores veniunt. Excipiuntur tamen, annotante Sirmondô *ad Sidonium Apoll.* tres ſequentes: *Palladius Rutilius Taurus Æmilianus*, *Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius*, *Caſſiodorus Senator*, qui *Palladii*, *Macrobii* ac *Caſſiodori* nominibus ſolùm celebres ſunt: Niſi dicas, ordinem hunc præpoſterum negligentiæ illorum tribuendum eſſe, qui, non obſervatô diſcrimine liberæ Reip. & Monarchici Regiminis, unum ſolùm Auctorem horum nominum in titulis operum adponere volentes, primi, locô ultimi ac proprii Nominis, mentionem fecerunt. Idem *Sirmondus* obſervat, cùm apud Veteres *Nomini proprio* perpetuò Cognomen, ſeu Nomen familiæ jungi mos eſſet, ſequenti ævô non *Nomen* tantùm *proprium*, ſed etiam reliqua, quibus aliquis inſignis erat, in ſingulis variâſſe, exceptô fortè Nomine, quod uni ex Majoribus celebrioribus proprium erat. Ita Symmachi Oratoris fil. nomine *Flavii*, patrui ſui, & nomine *Memmii*, ſui avunculi, aſſumtô, vocari voluit *Q. Flavius Memmius Symmachus*: S. quoque Fulgentius, Patris nomine *Claudius*, & avi *Gordianus* appellari amans, nominatus eſt *Fabius Claudius Gordianus Fulgentius*: quô factum, ut non rarò antiquarum familiarum veſtigia perierint &c. Vide Autorem retrò laudatum, uti de *nominibus propriis*, animalibus variis indi ſolitis, hîc paſſim, inprimis, ubi de *Canibus*, *Equis*, *Piſcibus.*

NOMENCLATOR, aliàs *Monitor*, item *Fartor*, nomen ſervi apud Romanos; quorum plures, ob frequentes ſalutationes ac prenſationes aderant Domino, qui nomina tranſeuntium ſalutantiumque illi ſuggererent. Horum laus erat, plurimos noſſe. Unde elegans extat Scipionis minoris apophthegma, qui, cùm Appius Claudius, ejus in ambienda Cenſura competitor, jactaret ſe, quòd ipſe citra *Nomenculatorem* (namque & ſic *Nomenclator* dicebatur) cives omnes nominatim citaret, ipſe autem propemodum noſſet neminem, *Vera narras*, reſpondit, *nam, mihi ſtudiô fuit, ut non multos noſſem, ſed ne cuiquam eſſem ignotus. Nomenculatoris laus eſt, quamplurimos noſſe; at egregii Ducis eſt, ob egregia in Remp. merita nulli civium eſſe ignotum.* Horum enim operâ apud Romanos Candidati in conſequendis ſuffragiis uti ſolebant, qui nomina civium, qui omnes prenſandi ac rogandi erant, ipſis ſuggereret, atque clam in aures infarciret. Quem morem Cato, quòd per ſeipſum nominatim ſalutaret cives, laudatus, exemplô ſuô ſuſtulit, jam lege, quæ *Candidato Nomenculatores adeſſe* vetabat, prohibitum. Meminêre *Nomenclatorum* Ulpianus *leg.* 7. §. *dabitur ff. de oper. lib.* ut & antiqua *Inſcr.* Romæ: C. *Egnatius.* C. L. *Euripus Nomenculator*: & alia Tibure apud S. Georgium, D. M. *Aureliæ. Primitivæ. Conjugi. Chariſſimæ, fecit. Zoſimianus. Aug. Libert. Nomenculator. à. cenſibus. ſibi. ſuiſque. libertis. libertabuſque. eorum. H. M. H. N. S.* Ὀνοματολόγον talem Plut. appellat *in Catone.* Eorum audaciam ſuggillat Senec. *de Benefic. l.* 1. *c.* 3. *Quemadmodum* Nomenclatori *memoriæ locô audacia eſt, &, cuicunque nomen non poteſt reddere, imponit.* Quare Hadriani Cæſaris invicta laudatur memoria, quòd nomina ſingulis ſuæ nomenclaturæ redderet, & *Nomenclatores* ſæpe errantes emendaret. E Campo poſtea in Triclinium evocati, & *Athenæo* Ὀνοματοκλήτορες ac δείπνων ταξιάρχοι, *Artemidoro* Δειπνοκλήτορες, alias *Invitatores* dicti ſunt, de quibus vide *ſuô locô.* Sed & recenſitore officioſorum hominum, quorum catervæ in atrio diſponebantur, adeoque *Nomenclatore*, qui Domino ſalutantium nomen inſuſurraret, opus erat: quem ab *Atrio curando*, vel *Atrii curandi* appellari, in antiquo elogio ſuſpicatur *Pignorius.* Imò & ſervorum mancipiorumque, quorum integræ legiones à divitibus domi alebantur, *Nomenculatorem* fuiſſe adhibendum, docet Plin. *l.* 33. *c.* 1. Nec omittendi *Nomenclatores*, quibus ipſos Cenſores fuiſſe uſos, docet *Inſcr. ſuprà* memorata, & alia, quæ ſic habet: *L. Voluſio. Urbano. Nomenclatori. Cenſorio.* Neque hoc ab re factum eſt, cùm, apud Cenſores, cives nomina ſua, Uxorum, Liberorum, Libertorum Servorumque profiterentur. Videtur autem hic Cenſoribus nomina in memoriam revocâſſe, non cives citâſſe nominatim, quæ partes Præconis fuerunt, (quem ille comitari ſolebat, quique *Buccinator Nominum* appellabatur, ut diſcimus ex *l. ult. de jure immun.*) Poſtmodum verò tranſlata in Cæſares poteſtate Cenſoriâ, *Nomenclator à cenſibus*, talis vocatus eſt *Inſcr. Diis. Manibus. Aug. Lib. Thaletis. Vinciani. Nomenclatoris. à. cenſibus.* Vide quoque *ſuprà*: & is Libertus fuit, juxta præſcriptum domus Palatinæ. Porrò etiam Proconſulibus *Nomenclatores* apparuiſſe, docet Appulejus *Apol.* 1. *Quære à Nomenclatoribus tuis Maxime (quanquam eſt ille Cauponibus, quàm Nomenclatoribus, notior) tamen inquam interroga, an hic Junium Craſſum Oenſem viderint? non negabunt* &c. Plura de hoc hominum genere vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 8. Caſaubon. *ad Sueton.* Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam *de operis ſervorum*, Valeſ. *ad Ammian. l.* 14. inprimis autem apud Senecam *de Brev. vitæ c.* 14. Plinium Jun. *Panegyrico*, Horatium *l.* 1. *Ep.* 6. Plin. quoque Seniorem *Hiſt. Nat. l.* 29. *c.* 1. &c. Manſit vox in Eccleſia, ſed aliô longè ſignificatu: Vide Onuphr. *l. de vocibus Eccl.* & Briſſonium *l. de vocibus*, quibus *Nomenclator*, ſeu *Nomenculator*, idem cum Saccellario, is eſt, cui Saccus ſeu Saccellus, cujus meminit S. Auguſtin, *Conc.* 3. *Pſal.* commiſſus eſt: Hodie Theſaurarius, in Caroli M. Conſtitutionibus, *Caſtularius*, German. *Kaſtmeiſter*, à ciſta. In quibuſdam Monaſteriis *Burſarii* dicuntur, qui fortè ſunt illi, quos *Berſarios* vocat Hincmarus *Ep.* 3. Flodoardus *Hiſtor. l.* 3. *c.* 21. ---- *Gregorio quoque ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Nomenculatori & Apocriſiario, ſcripſit Hincmarus Epiſcop. Roman. petens, ut inter fideles amicos ſuos eum tenere dignetur*, apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Sed & *Nomenclatorem* habuêre Pontifices Romani, cujus perinde munus erat eos, qui ad menſam Pontificis invitandi erant, vocare. Equitabat is in Proceſſibus Pontificis poſt equum ejus, cum Vicedomino, Veſtiario & Sacellario, ut eſt in *Ordine Roman.* Idem, Pontifice Miſſam celebrante, poſtquam dixerat, *Agnus Dei* &c. atque unà cum eo Sacellarius & Notarius Vicedomini, *aſcendebant ad altare, ante faciem Pontificis, ut annueret eis ſcribere nomina eorum, qui invitandi erant, ſive ad menſam Pontificis, per Nomenclatorem, ſive ad Vicedomini, per Notarium ipſius, quorum nomina ut impleverant, deſcendebant ad invitandum & redibant ad ſedem*; Is enim invaluerat mos, qui etiamnum in Galliæ Eccleſiis Cathedralibus perdurat, ut, quoties Pontifex aut Epiſcopus publicam Miſſam celebraret, Primates ex Clero, qui ei inſerviebant ad altare, conviviô exciperet. Idem *Ordo Roman. Deinde deſcendunt Primates Eccleſiæ ad accubita, invitante Notariô Vice Domini & ſcribunt ter, de Græco primo, de Pactiſi ſecundò, de Procovia tertiò. Poſtquam biberint omnes Presbyteri & Acolythi per ſingulos titulos, redeunt ad faciendos veſperos.* Eodem ſpectabat diſcuſſio cauſarum eorum, qui ad ipſius Pontificis juſtitiam recurrebant. Idem *Ordo Roman. Si quis autem adire voluerit Pontificem, ſi equitat, ſtatim ut eum viderit, deſcendit de equo & ex latere viæ expectat uſque dum ab eo poſſit audiri, & petitâ benedictione, diſcutitur à* Nomenclatore *vel Sacellario cauſa ejus & ipſi indicant Pontifici & finiunt*, Vide plura de hiſce apud Anaſtaſium in *Agathone* & *Conſtantino p.* 53. 65. Flodoardum *Hiſtor. Rem. l.* 3. *c.* 21. Leonem Oſtienſem *Chron. Caſin. l.* 1. Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà voce *Saccularius.*

NOMENTUM, oppid. Lotharingiæ, ad Sellam fluv. medium ferè inter Divodurum ad Boream & Nancejum ad Auſtrum. 5. leucis utrinque, 7. infra Marſalium, in Circium, in tractu Metenſi.

NOMENTUM, pagus Sabinorum apud Eretum, ab urbe Roma 12. mill. paſſ. *Lamentana Blondo* dicitur, Suidas. Νωμεντὸς, πόλις οὐ πόῤῥω τῆς Ῥώμης. Idem habet *Steph.* cujus Gentile facit Νωμεντῖνος cùm ſcribere debuiſſet Νωμεντανὸς, ut omnes pariter habent Latini authores, tum Dionyſ. *l.* 5. & item Strabo *l.* 5. Vide Cluverium, *de Ital. Ant. p.* 666. Habuit autem hæc urbs, olim Epiſcopalis, colles vitiferos vinô non omninô peſſimô nobilitatos. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 119.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum.

Nunc caſtrum Sabinæ, in ditione Pontificis in Ducatu Ereti gentis Barberinæ, ad Alliam amnem, longè à Vico Varronis in Occidentem. *Sanſo*, *Brietius.* Auctorem oppidi quod attinet, ſcribit Dionyſ. *l.* 2. unô tempore tres urbes à tribus Albanis fratribus conſtructas fuiſſe, *Nomentum*, Cruſtumerium & Fidenas, quorum fratrum maximus natu Fidenas condiderit; Sed fratrum nomina non addit. Factum autem id eſſe Latinô Silviô regnante, colligit ex veter. Auctore, *de origine gentis Romanæ*, Salmaſ. *ubi ſuprà, p.* 71

NOMI, Græcè Νόμοι, in Poëſi, carmina dicuntur; verſibus enim conſtabant Νόμοι κιθαρῳδικοὶ & Νόμοι αὐλητικοί. Hinc, qui eorum auctores fuêre, Poëtas extitiſſe certum eſt. Plut. *de Muſic.* Ὅτι δὲ οἱ Κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι, ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε· τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων, διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς παραφανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν Μουσικήν. *Terpander* enim antiquiſſimus *Nomorum Citharœdicorum* auctor, *nomos* ſuos verſibus Homericis compoſuit, quibus modulos addebat: idem quoque faciebat de Homeri verſibus, ut idem *Plut.* refert, Καὶ γὰρ Τέρπανδρον ἔφη κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων, κατὰ τὸν νόμον ἕκαστον τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν, ἀποφῆναι δὲ τοῦτον λέγει ὀνόματα πρῶτον τοῖς κιθαρῳδικοῖς νόμοις. Poſt Terpandrum Phrynis Mitylenæus, aliquid circa rationem horum *Nomorum* immutavit, non tamen omnia. Nam τὸ ἑξάμετρον τὸ λελυμένῳ conjunxit, &

numerum chordarum auxit. Timotheus autem eam totam ferè invertit & ad numeros lege ſolutos Dithyramborum deflexit. Steph. in voce Μίλητος, Καὶ Τιμόθεος κιθαρῳδὸς, ὃς ἐποίησε νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τ̓ ἀριθμὸν καὶ προνόμια ἄλλων χίλια κτλ. Qui omnes cùm Poetæ ſimul & Citharœdi fuerint, patet, Νόμον in Poëſi, quam Μελικὴν vocant, nihil eſſe aliud, quàm carmen vel canticum, in honorem Deorum alicujus compoſitum, muſicis modulis inſtructum, quod ad citharam vel tibiam cantabatur. Unde inter cantica, in Deorum laudem compoſita, ὕμνον προσῴδιον, παιᾶνα, Νόμον, aliaque refert Proclus *in excerptis χρηστομαθείας*, apud *Photium*. Sic apud Philoſtratum *in Hippodromo*, Λυρικοὶ νόμοι, ſunt cantiones vel carmina, ad lyram cani ſolita. Et Sueton. *in Nerone c.* 20. *Ac ne concuſſô quidem*, inquit, *repentè motu terræ theatrô, ante cantare deſtitit, quàm inchoatum abſolveret nomon*, i. e. canticum. Græci Grammatici, Νόμους, τὰ κιθαρῳδούμενα exponunt. Ut enim μέλος & *melicum carmen* ſignificat & *modulos melici carminis*, ſic & Νόμος; nam & τὸ κιθαρῳδούμενον denotat & modum τῆς κιθαρῳδίας. Quemadmodum μελοποιεῖν, non tantùm carmen eſt vel μέλος componere, ſed etiam carmen compoſitum modis temperare & muſicis notis expedire &c. Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Pio. c.* 7. Uti autem Comœdi ac Tragœdi actores fabulas, quales à Poëtis acceperant, agebant, nihil iis de ſuo addentes: ita Lyrœdi quoque ac Citharœdi *Nomos* & Cantica, quæ Poëta Lyricus aut Dithyrambicus ipſis compoſuerat, ſicut erant ab Auctore facta, ad citharam vel lyram decantabant. Comœdia quippe & Tragœdia integrum carmen, quod initium habebat & finem: *Nomi* quoque *Citharœdici* & omnia cantica Lyrica, cujuſcunque tituli & argumenti eſſent, perfecta habebantur initiô & fine. At qui Epica poëmata rhapſodiabant, quia per partes ea ſumebant cantillanda, quibus nec finis eſſet, & initium aliunde ſæpe penderet, ut perfecti operis haberent imaginem, iis plerunque de ſuo finem aliquem aut principium accommodabant & adſuebant. Unde Ῥαψῳδοὺς exordia ſæpe à Jove ſumſiſſe, dicit Pindarus, qua de re vide infrà, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 866. adde quæ ſuprà dicta, voce *Modi.*

NOMICUS, Græcè, Νομικὸς, item Νομοφύλαξ, in *Vitis* Patrum, diſpenſatorem ſignificat, fortè quia in diſtributione Leges Monaſticas præſcriptas, quæ Græcis Νόμοι, obſervabat. Alii Cantorum Præfectum fuiſſe volunt, Macer. *in Hierol.*

NOMII, montes Arcadiæ, Pauſan. *l.* 8.

NOMINA Urbium, in nummis recentioris ævi, vide infrà in voce *Urbium Nomina.*

NOMINALES, quarta Scholaſticorum in Communione Romana Secta, poſt Albertiſtas, Thomiſtas & Scotiſtas, exorti auctore Guil. Occamô Anglô, à quo etiam *Occamiſtæ* iidem ſunt vocati. *Nominales* autem dicti ſunt, quod Occamus & Rucelinus quidam, Univerſalia mera eſſe *nomina*, non res contra Scotiſtas, defenderent. Seu: ut ait Aventinus *Annal. Bojorum l.* 6. *quòd avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum viderentur eſſe aſſertores*. Seu, quòd juxta Heremannum *de Reſtaurat. S. Martini Tornac. c.* 2. *in voce, non verò more Boëtii antiquorumque Doctorum, in re Philoſophiam profitebantur ac docebant, qui inde Reales dicti.* At *Nominalium* quidem Dialectica *ad exercitium diſputandi vel eloquentiæ, imò loquacitatis ac facundiæ* potiſſimùm utilis habebatur, ut ait idem Scriptor. Eos porro *Dialecticæ Hæreticos* appellat Anſelmus Cantuarienſ. *l. de Verbi Incarn. qui non niſi flatum*, inquiens, *univerſales putant eſſe ſubſtantias.* Joh. Sariſberienſis *Ep.* 226. *Noſti pridie* Nominalium *tuorum eo minùs mihi placere ſententiam, quòd in ſermonibus tota conſiſtens, utilitatem rerum non aſſumſerit, cùm rectum Sapientibus indubium ſit, quòd res quærit Philoſophia, non verba. Ut ergo compendioſiùs agam tecum meorum more Realium* &c. Idem *in Metalogico l.* 2. 2. *c.* 10. *Adhæſi Magiſtro Alberico, qui inter cœteros opinatiſſimus Dialecticus eminebat, & erat revera* Nominalis *ſectæ acerrimus inpugnator.* Adde *c.* 17. Dicuntur *Vocales*, *in* Fragm. *Hiſt. Franc.* ſub Roberto Rege: *Dialecticâ quoque hi potentes extiterunt Sophiſtæ, Johannes, qui eandem artem Sophiſticam vocalem eſſe diſſentit, Robertus Pariſiacenſis* &c. Ebrardus Bethunenſis contra *Vald. c.* 1. *Nominales Porretanis* opponit. Vide quæ de utraque ſecta copioſè egit Cæſar Egaſſius Bulæus *de Univerſitate Pariſ. tom.* 1. *A. C.* 1007. laudatus Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc itaque duæ novæ ſectæ, *Reales* & *Nominales*, originem traxerunt, inter quas tantæ contentiones ac odia ferbuerunt, ut non raró à verbis ad verbera, à ſyllogiſmis ad ſaxa deveniretur. Id quod Heidelbergæ, factum fuiſſe, ubi contigua habebant Collegia, ſive ut tum loquebantur Burſas, Aventinus teſtatur *Annal. l.* 6. Adeò tum miſerabilis Philoſophiæ facies fuit, cùm homines, otiô abundantes nec ingeniô deſtituti, portentoſis rixis & tenebris pluſquam Cimmeriis eam involverent; quod vel volumina ævi ejus, non mole minùs, quàm barbarie, formidanda oſtendunt. Nec abs re omnino erit, Philoſophicum illud bellum, quod A. C. 1364. geſtum eſt, huc referre. Cùm enim Gerhardus Baro à Berg, qui inſignis habebatur Rhetor, Magno Brunſuicenſ. Duce præliô ſuperatô, inter alios, Albertum Halberſtadienſ. Epiſcopum captivum feciſſet, qui ſubtilis Logicus habebatur, *Logicam à Rhetorica victam eſſe*, vulgari dicteriô increbuit, Georg. Hornius *Hiſt. Phil. l.* 6. *c.* 5.

NOMINALIA, vide ſuprà in voce *Nomen.*

NOMINARI Indignus, inter ſumma convitia. *Teſtamentum* vetus Grunii Porcelli, *Nec-nominando coco, do, lego ac dimitto popam ac piſtilium, liget ſibi collum de reſte.* Sulpitius Sev. *fine Dialogorum c.* 22. *Quòd ſi vel te quondam, vel me ſemper audire voluiſſet, & Martinum magis, quàm illum. quem* nominare *nolo, fuiſſet imitatus, nunquam à me tam crudeliter diſparatus fuiſſet.* Gallienus Imperator apud Vopiſcum *Probo c.* 6. *Habeo tamen parentem Aurelium Probum, quô laborante poſſim eſſe ſecurus. Qui ſi affuiſſet, nunquam ille*, ne nominandus *quidem Tyrannus ſibi uſurpâſſet Imperium.* Homer. *Od.* τ. *v.* 260.

Ὤχετ᾽ ἐποψόμενος κακοΐλιον οὐκ ὀνομαστήν:

Papin. Statius *Theb. l.* 3. *v.* 215.

——— *multumque nefas Eteoclis acerbat*

Crudelem infandumque vocans ———

Alii. Quò facit, quòd diem ſuum natalem non numerandum, non memorandum, vocet Beatus Hiob *c.* 3. *v.* 6. & extremô ævô Ordericus Vitalis *Hiſtoriæ Eccl. l.* 3. *Infandi homines*, inquit, *dum Uticenſis Eccleſia conſurgeret, cœperunt varias ſimultatum cauſas colligere.* Hodieque apud Waldenſes infenſiſſimum humani generis hoſtem *nominari* nefas habetur &c. Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium d. l.* inprimis verò *Comment. de Superſtit. Vett.*

NOMINATORES ad pennam, dicti in Academia Pariſienſi Philoſophiæ Profeſſores, qui ſcripta ſua Diſcipulis dictabant. *Hiſtor.* Academiæ Pariſienſis *Tom.* 4. *p.* 948.

NOMINIS Profanatio, vide infrà *Profanatio.*

NOMISMA, Demoſtheni cœteriſque Scriptoribus Græcis *conſuetudinem, morem & legem non ſcriptam* notat: inde nomen hæſit *nummo*, quia ex privatorum more & conſenſu ſit inſtitutus. Maximè verò uſurpatur vox, de nummi figura ac imagine. *Gloſſarium Lat. MS. Regium: Numiſma, figura quæ in nummo fit, vel nummi percuſſura, i. e. denarius.* Ita pro monogrammate, quod in monetis deſcribitur, in *Chron.* Colmar. 1. *part. A. C.* 1274. *Rex Rudolfus fecit novam monetam, imprimens numiſma Regis coronati.* Sed ſæpius pro ipſo nummo adhibetur. Vide quæ notavit Car. du Freſne *Diſſertat. de Nummis Byzantinis* & Paſchaſius Robertus *in Epitaph. Walæ Abbat. Corbejenſis p.* 513. plura verò ubi de *Moneta* &c.

NOMISTERIUM, Germaniæ urbs, *Ptol.* Sed quid ſit hodie, non conſtat.

NOMIUS, dictus eſt Apollo ἀπὸ τοῦ νέμειν, *à paſcuis*, quaſi *paſtor*, quia Sol paſcit omnia, quæ in terris gignuntur: ſive, ut alii volunt, quòd olim juxta Amphryſum, Theſſaliæ fluv. divinitate, ob interfectos Cyclopas, ſpoliatus Admeti Regis armenta pavit, *Callimachus*,

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν. ———

Lic. Lloydius.

NOMOCANON, collectionis Canonum genus. Cùm enim hos colligendi ac dirigendi varii modi ſint, ille artificioſior reliquis eſt, cùm ſub certos titulos & rubrica referuntur & digeruntur diverſorum Conciliorum Canones, qui de iiſdem agunt rebus. Verùm hic iterum duplex; Aliquando enim Canones diverſorum Conciliorum unius tenoris & ſententiæ, ſeu de iiſdem rebus agentes, ſub uno titulo aut rubrica digeruntur & citantur tantùm, ut quis ſciat concordantes eſſe, verba autem non recitantur, quod vocant Veteres *Breviationem Canonum*, & iſtiuſmodi Collectiones, *Breviaria*, Creſconius edidit. Aliquando inſuper recitantur verba, quod appellant *Concordantiam Canonum.* Cui recitationi Canonum diverſorum Conciliorum ſub certis titulis, cùm ſubjunguntur concordes Imperator. leges, Collectio hujuſmodi *Nomocanon* appellatur, quia *Leges* Νόμοι & *Canones* ſociantur: Cujuſmodi *Nomocanones* compoſuêre, Joan. Antiochenus Scholaſticus & Photius, ambo Patriarchæ Conſtantinopolitani. Et quidem ille, poſtquam elaborâſſet Συναγωγὴν Κανόνων, *Collectionem Canonum*, in quo opere omnium Conciliorum Canones, in *Codice Eccleſiæ Univerſal.* ſecundùm temporis rationem ſe conſequentes, in titulos digeſſit: poſtea *Nomocanonem* quoque edidit, h. e. Epitomen Collectionis LL. iſtorum capitum ſeu titulorum, omiſſis integris Canonibus, adnotatis ſolùm ſententiâ & numerô; quibus τὰ συνᾴδοντα νόμιμα, *concordes Leges*, potiſſimùm Juſtiniani Imperatoris Novellas Conſtitutiones adjecit: cujus operis meminit Balſamo *ad Canonem I. Concil. Conſtantinopolit. in Trullo habiti.* Iſte inter alia complura, ſimiliter *Nomocanonem* publici fecit juris, qui continet elementa totius Juris Canonici Græci, tantique à Græcis fit, ut omnibus collectionibus eum præmittere ſoleant, etiam ipſi Codici Canonum. Diviſus eſt, in XIV. Titulos, hique iterum in certa capita. Congeſſit in eum, ut *Prolegomena* docent, nunc demum in *Bibliotheca Juris Canon. vet.* vulgata, Canones Conciliorum, Patriarcharum, Epiſcoporum & Patrum, quorum elenchum habes apud Gerh. von Maſtricht *Hiſt. Jur. Eccl. n.* 241. His ſubjiciuntur Leges Imperator. Eccleſiaſticæ ad eoſdem titulos & capita pertinentes: & quidem Canones ſub titulis citantur tantùm, leges non recitantur. Compilationis rationem ipſe Photius reddit *in Prologo*, qui diu deſideratus, tandem ex MS. Bibliothecæ Oxon. in lucem protractus eſt, à Juſtello filio *d. l.* ex cujus fine colligere eſt, Nomocanonem hunc collectum eſſe, A. M. ſecundùm Græcos 6391. æræ Chriſtianæ 883. Eum commentariis illuſtravit Balſamo: Latinæ verſiones extant duæ, una quam Gentianus Hervetus, altera quam Henr. Agylæus elaboravit, quæque priore plenior & ad Juriſconſultorum ſtylum propiùs accedit. Primus Græcè è Codice Bibliothecæ Palatinæ edidit Chriſtoph. Juſtellus A. C. 1615. poſtea Græcè & Latinè prodiit Pariſiis, cum *Commentar.* Balſamonis ex Typographia Regia & interpretatione Herveti. Patris dein labores repetens filius Henric. Juſtellus in *Bibl. J. C. V. cit.* accuratiſſimè Græcè & Latinè ex verſione Agylæi, cum iiſdem Commentariis, evulgavit; additis diu deſideratis ipſius Photii *Prolegomenis*, ab Uſſerio & aliis è MSS. citatis, Vide *Præfationem Bibl. cit.* Atque ita quidem *Nomocanones* qui apud Græcos in uſu fuêre, hactenus Occidentalibus ignoti, qui Canonibus Eccleſiaſticis contenti, *LL.* Imperator. Eccleſiaſticas quidem ſequebantur, ſed Codici Canonum aut Collectionibus eas nondum inſeruerant, aut ſufficere arbitrabantur Caroli & aliorum Capitularia, in quibus eæ ſimul habebantur: uſque ad Ivonem Carnutenſem, qui opere Burchardi Wormatienſis accenſus, quòd ejus Collectioni LL. Civiles & Jura Romana deeſſe cerneret, *Decretum* edidit, de quo vide *ſuô locô.* Plura autem hanc in rem, apud præfatum *Hiſtor. Eccl.* Auctorem, *num.* 149. & *ſeqq.* item *num.* 266.

NO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NOMOPHYLACES, quinam olim dicti ſint, docet Columella, l. 12. c. 3. in fin. cùm ait: *In bene moratis Civitatibus ſemper eſt obſervatum, quarum Primoribus atque Optimatibus non ſatis viſum eſt bonas leges habere, niſi* Cuſtodes *earum diligentiſſimos cives creaſſent, quos Græci* Νομοφύλακας *appellant.* Et Cicero *de LL. l.* 3. c. 20. *Legum cuſtodiam nullam habemus. Itaque hæ leges ſunt, quas Apparitores noſtri volunt, à Librariis petimus, publicis literis conſignatam memoriam publicam nullam habemus, Græci hoc diligentius, apud quos* Nomophylaces *creantur.* Tales proin cùm Romani non habuerint, malè à quibuſdam confunduntur cum Ἱεροφύλαξι, ſeu ut Latine hanc vocem reddidit Scævola, *l.* 20. *ff. de annu. leg. Hierophylacis*, quos *Ædium ſacrarum cuſtodes*, *Æditu os* vel *Æditimos* Hadr. Turnebus *Adverſ. l.* 14. *c.* 12. Ἱεροφάντας, i. e. *Sacrarum ceremoniarum Doctores*, Jul. Pollux & Plut. *in vita Numæ.* vocant. Sueton. *Aug. c.* 5. *Se eſſe poſſe orem ac velut Ædituum* (i. e. cuſtodem) *ſoli, quod Divus Auguſtus naſcens attigiſſet.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 3. *c.* 30. Nempe apud Athenienſes, proprie, *Nomophylax*, Græcè Νομοφύλαξ, i. e. *Legum cuſtos*, officium à Nomotheta diverſum, magnique olim nominis fuit. Fruſtrà enim à Nomothetis Leges credebantur exploratæ, probatæque, niſi præſcripti illarum eſſent uſus & ſecundum eas judicaretur: quod *Nomophylaces* ut fieret, curabant. Illorum officium diligenter exequitur Cicer. *de LL. l.* 3. ubi porro, *Græci*, inquit, *hoc diligentiùs, apud quos* Νομοφύλακες *creantur, nec ii ſolùm literas (nam id quidem etiam apud Majores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſervabant ad Legeſque revocabant.* Et quidem ſecundô dignitatis gradu erant, ut qui Proëdris aſſiderent, ſtrophiô quodam linteô capita redimiti, Joann. Calvin. *Lexic. Jurid.* In Imperio Conſtantinopolitano idem nomen in uſu fuit, unde Conſtantinus Harmenopulus, *in tit. Epitomes divin. Canonum*, appellatur Πανσέβαστος Σεβαστὸς, Νομοφύλαξ καὶ Κριτὴς Θεσσαλονίκης, *Protoſebaſtus*, *Nomophylax & Judex Theſſalonicæ*; & Theodorus Balſamon inter titulos ſuos, ſimiliter *Nomophylax* & *Chartophylax* vocitatur: ſed quale propriè *Nomophylacis* Conſtantinopoli officium fuerit, hodie non liquet. Vide Jul. Cæſar. Bulengerum *de Imperio Rom. l.* 8. *c.* 109. ut & ſuprà, in *Nomicus.*

NOMOTHETA, Græcè Νομοθέτης, h. e. *Legiſlator*, quis dictus, vide ſuprà ubi de *Legibus*, & plura, apud Alciatum *Diſputat. l.* 2. *c.* 8. Budæum *in l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* Poſtellum *de Magiſtratibus* Athenienſium *l.* 1. *c.* 5. *Meurſium*, *Petitum*, *Alios.*

NOMUS, Præfectura, ſive conventus juridicus apud Ægyptios. Ægyptum enim diviſit Seſooſis, ſive Seſoſtris in *Nomos* triginta ſex, quorum 10. Thebaidi, 10. τῷ Delta, & reliqui 16. regionibus intermediis attributi. Singulis *Nomis* præfecti ſinguli *Nomarchæ*, qui quaſi totidem reguli provinciæ præerant & regiis vectigalibus. Inde eſt, quòd nomos Plin. *l.* 5. *c.* 9. *præfecturas*, & Eſaias ממלכות *mamlacoth*, h. e. *regna* interpretatur, *c.* 19. *v.* 2. ubi LXX. Seniores νομὸς ἐπὶ νομόν. Ubi *Cyrillus*, Νομὸς δὲ λέγεται παρὰ τοῖς τὴν Αἰγυπτίων χώραν οἰκοῦσι ἑκάστη πόλις, καὶ αἱ περιοικίδες αὐτῶν, καὶ αἱ ὑπ' αὐτῇ κῶμαι. Καὶ τέθριπται παρ' αὐτοῖς ἡ τοιάδε φωνή. Sed & ante Cyrillum Epiphanius, *in hæreſi Baſilidianorum*: Ὅπου γὰρ ἐν τῷ ἁγίῳ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ εὕροις γεγραμμένον περὶ νομῶν πόλεως Αἰγυπτιακῶν, οἷον Τάνεως, ἢ Μέμφεως, ἢ Νομοῦ τοῦ Βουβάστου, Αἰγυπτιακῶς τὴν περίχωρον (al. περίμετρον) τυχούσης πόλεως σημαίνει. Hoc imitatus author *l.* 1. Macchab. *c.* 10. *v.* 30. meminit νομῶν etiam in Samaritide & Galilæa, quod à Joſepho redditur τοπαρχιῶν. Pari καταχρήσει Herodot. *in Thalia*, *nomos* appellat Perſarum Satrapias. Nomos Euſtath. *in Dionyſ.* vult idem eſſe quod ὁμορίας, h. e. regiones iiſdem finibus comprehenſas. Et eôdem teſte, τοὺς Λιβυκοὺς ἡ συνήθης φράσις εἶναι βούλεται. Senſus eſt, ut quidem puto, *nomos* propriè dici eas Ægypti partes, quæ verſùs Libyam vergunt. Itaque ibidem obſervat, omnes urbes *Heptanomi*, exceptâ Babylone, eſſe à ſiniſtra Nili, i. e. à parte Libyæ. Res eſt tamen omnino certa, non minùs *nomos* dici Ægypti partes, quæ ad Arabiam, quàm quæ ad Libyam inclinant. Perperam igitur hinc colligunt, *Nomi* vocem eſſe Libycam. Quin iis aſſentior potiùs, qui vel Græcam eſſe volunt, vel Ægyptiam. Quæ ipſa lis eſt adhuc ſub judice. Caſaub. *in Strab. Quidam putant hanc vocem eſſe Ægyptiacam, quos falli & omnes ſciunt, qui aliquid Græcè ſciunt, & Diodorus diſertè admonet.* Nempe *l.* 1. p. 46. ubi Ægypti partes *nomos* appellari aſſerit, κατὰ τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον. Tamen Caſauboni ſocer Henr. Stephanus Græcis literis æque imbutus, *in notis ad Diodorum*, *p.* 830. *Ego* (νομὸν) *Græcam eſſe vocem vix mihi perſuaſero.* Et Caſaubonus ipſe agnoſcit, νομὸν apud Græcos propriè dici locum, ubi ſunt αἱ νομαὶ, *paſcua.* Quô ſenſu ii non ſumunt, qui Ægyptum diſtingui ſcribunt in *nomos* 36. Neque enim Ægypti ager eſt ubique compaſcuus. Denique quam vocem Diodorus Græcæ linguæ ſupra aſſeruit, eandem idem adſcribit Ægyptiis, cùm dicit de Seſooſi, *l.* 1. *p.* 35. τὴν δὲ χώραν ἅπασαν εἰς ἓξ καὶ τριάκοντα μέρη διελὼν, ἃ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι νομοὺς. Neque aliter *Cyrillus* ſupra: νομὸς δὲ λέγεται παρὰ τοῖς τὴν Αἰγυπτίων οἰκοῦσι χώραν. Et *Epiphanius* diſertiſſimè: Αἰγυπτιακῶς τὴν περίχωρον τῆς τυχούσης πόλεως σημαίνει. Fallor, an ex Hebræo מנה *mana*, vel מנא *mono*, ut Syri efferunt, factum eſt νομὸς, vel ab Ægyptiis, vel à Græcis hâc metatheſi peregrinum vocabulum emollire conatis? certè huc facit, quòd *nomum* Diodorus exponit μέρος, i. e. *partem*, ſeu *portionem*: Cùm Syra voce מנא *mono*, quam diximus, id ipſum deſignari ſit notiſſimum. Euſeb. itidem *l.* 3. *Præp. p.* 5. μέρος τι τῆς Αἰγύπτου ὃ καλοῦσι νομόν. *Bochart. l.* 4. *Phaleg. c.* 24. *Nic. Lloydius.* Plura hanc in rem apud Joh. Marſhamum in *Canone Chron. Sec.* XV. tit. Νομοὶ *Ægypti*, *Nili Oſtia*, *Ægyptus Inferior*, *Heptanomis*, & *Thebais*: ubi, inter alia, docet, Macedonas non tantùm *Nomis* impoſuiſſe nova nomina, ſed etiam ad libitum ea reformâſſe; dominantibus vero Romanis Ægyptum fuiſſe *ſub diſpoſitione Viri Spect. Præfecti Auguſtalis*, nec tamen protinus ſublatam fuiſſe *Nomorum* diſtinctionem, cùm & Strabo Νομαρχῶν meminerit *l.* 17. in rebus Petronii; & Trajano quærenti de quo *Nomo* eſſet Plinii Medicus, reſponderit ille, Νομοῦ Μεμφίτου, *l.* 10. *Ep.* 8. 11. & Hadrianus *Antinoitem Nomum inſtituerit* in *Provincias.* ſerò tandem Ægyptum diviſam &c *p.* 402.

NOMI ÆGYPTI, FERE OMNES CIRCA NILUM:

* Abydus, *Abutich.*	Lepidotum.
Alabaſtra.	Lycopolis, *Munia.*
* Alexandria, *Alexandrie.*	Memnon.
Andropolis.	* Memphis, *Menchis.*
Angyropolis, *Anſene.*	Mendeſium.
Antæopolis.	Metacompſo, *Aſuan.*
Aphroditopolis.	Metelis, *Roſetto.*
Apollinis magna, *Munſia.*	* Naucratis.
Apollinis parva.	Neut.
Arſinoe, *Azirut.*	Nicii urbs, *Fuoa.*
Athribis.	Nilopolis.
* Babylon nova, *le Caire.*	Ombri.
* Bubaſtus, *Azioth.*	Onuphis.
* Buſiris, *Boſire.*	Oxyrinchus.
Butos, *Turbet.*	Pachramunis.
Cabaſa.	Panopolis.
Cæne.	Phacuſa, *Phacus.*
Chenoboſcia.	Pharbæthus.
Chnumis.	Phthembuthi.
* Coptos, *Cana.*	Phtenotes.
Cynopolis.	Proſopitis.
* Dioſpolis magna, *Dia.*	* Ptolemais gemina.
Dioſpolis parva.	Sais, *Sahid.*
Elethyæ.	* Sebennytus, *Sebenit.*
* Heliopolis gemina, *Bethſemes.*	Sethraites.
Herculis parva.	* Syene, *Aſna.*
Hermonthis.	* Tanis, *Tanes.*
* Hermopolis gemin. *Beneſuaif.*	Tava.
Heroum urbs, ſive Heroopolis, *Herou.*	* Tentyra, *Barbande.*
Hypſile.	* Thebæ, *Minio.*
Latopolis gemina, *Derote.*	Thumis.
Leontopolis.	Toum.
	Xois.

NOMUS, lacus Atticæ parvus, Soph. *in Oedip.* Pauſan. *l.* 1. *Strabo.*

NONA, una ex Parcis, Gellius *l.* 3. *c.* 16. Latini *Nonam*, *Decimam*, & *Mortam*, Parcas dixêre.

NONA, civitas Dalmatiæ maritima: an *Ninia* antiqua ſeu *Ænona?* Vide *Ænona.*

NONA, *æ*, Meridies, tempus prandii, ſæpe in *antiquis Maneriorum membranis*: Unde Meridies Anglis *None*, & *Nonetide*, quod Saxonicè tamen expreſſè ſonat horam nonam, i. e. pomeridianam tertiam; non Meridiem: ratione à Romanorum Cœna ductâ, quæ horâ diei nonâ fuit, ante quam ſolemniter non comedebant. Quod enim Prandium vocatur, levius parciuſque ſumebatur circa Meridiem; unde & nomen. Nam ἔνδιον apud Plut. *in Sympoſ.* tempus Meridianum ſignificat: & quod poſtea *Jentaculum* nuncupatum eſt, olim *Prandium* fuit appellatum. Sed & Clericis ante horam tertiam, non licuiſſe convivia inire, apparet ex S. Martini Bracarenſis *Collect. Orient. Canonum c.* 65. Hardecnutus quatuor Prandia Curialibus ſuis in die apponebat: Reges verò Anglo-Normanni, ævô H. Huntingtoni, ſemel tantùm in die ſuis eſcam anteponebant, Huntingtonus *in Hardeenuto p.* 365. *l.* 6. apud Henr. Spelmann. Eadem jejunio finem imponebat. Prudentius *Cathem. Hymn.* 8. *v.* 9. 13.

> Nona *ſubmiſſum notat hora Solem,*
> *Nos brevis voti dape vindicata,*
> *Solvimus feſtum fruimurque menſis,*

Idem *Steph. Hymn.* 10. *v.* 54.

> *Jejunamus, ait, recuſo potum,*
> *Nondum* nona *diem reſignat hora.*

In Eccleſiâ Romana præter Officium Eccleſiaſticum diurnum, quod horâ diei *nonâ* peragi & decantari mos, teſte Durando *l.* 5. *c.* 8. ſignificat vox quoque partem fructuum *nonam*, quam ex agrorum cultu perſolutam eſſe, docemur ex Capitulis Caroli M. *l.* 5. *c.* 147. *De his, qui agros dominicos propterea neglexerunt excolere, ut* Nonas *exinde non perſolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus, ut de tribus annis ipſam* Nonam *cum ſua lege perſolvant.* Ubi *Nona*, eſt *nona*, ut loquimur, *gerba*, quæ præſtatur ab eo, qui agrum dominicatum & in beneficium datum colit: unde fluxit apud Gallos ejuſmodi *gerbarum* præſtatio. Ex quibus intelligendus Harigerus *in Vita S. Landolini num.* 13. *Delegavit ad ipſam quietis eorum Baſilicam nonam fructuum ſuorum portionem, quia decimam alterius conſtaret eſſe Eccleſia.* Decima nempe fructus agri eſt Eccleſiæ, cujus eſt diſtrictus: *nona* verò Eccleſiæ alteri delegatur, intuitu pietatis ac ſi jure precariò ejus olim fuiſſet. Interdum verè unà ſimul ex prædiis *Nonæ* & decimæ perſolvebantur, Eccleſiis ſcil. quarum ea fuerant quæque ab iis in beneficium vel precariò data fuerant, ac *Nonæ* quidem jure colonariò, *Decimæ* verò jure Eccleſiaſticô, qua de re vide prolixè agentem Car. du Freſne *Gloſſar.* A *nona* dictum *Nonagium*, pars nona mobilium defuncti, quam ad ſe ſpectare contendebant Parochi, ſub ſpecie de ea diſponendi ad pios uſus. Extatque Bulla Clementis VI. data Avenione annô 4. Pontific. quâ *Mortuarium* ſeu tertiam partem bonorum mobilium, quæ & *Tertiagium* dicebatur ac Epiſcopis & Clero penſitabatur ex bonis defunctorum parochianorum ſuorum, ad nonam tantùm corun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol 3

dem mobilium partem reducit, quam *Nonagium* ibidem vocat, apud eundem. Vide & hic infrà.

NONA Horologiorum, apud Romanos *Suprema* (quod vide) dicebatur. Quamvis enim antiquiſſimis temporibus *Suprema* dicebatur de Sole jam occidente, poſteri tamen ante Solis occaſum, eam ponebant. Prætorius Tribunus Pleb. ſcitum fecit, ut *Prætor Urbanus uſque ad Supremam jus inter cives diceret.* Ubi *Supremam*, accêpere de Sole jam inclinato ad veſperam, quum Sol à columna Mænia ad carcerem radios mitteret. quod ubi videbat Accenſus, *Supremam* prenuntiabat. Poſt hanc cùm Cenſorinus ſequi faciat veſperam, dein crepuſculum, inde λυχναψίαν, patet hinc, ſupremam horam nonæ horologiorum reſpondiſſe. Nam poſt *nonam* Sol inclinabat, & veſperaſcebat dies: quæ hora, inter legitimas horas orationis jam à primis Eccleſiæ temporibus locum habuit. *Canon.* 18. Concilii Laodic. Περὶ τȣ͂ τὴν αὐτὴν λειτȣργίαν τ͂ εὐχῶν πάντοτε, κ̀ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις. *Eaſdem ſupplicationes ad horam nonam & veſperam oportere celebrari* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 649. Eadem ſtationes, & jejunia, quæ maximam illarum partem efficiebant, ſolvebantur. Epiphanius, τετράδι καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ, ἕως ὥρας ἐννάτης. Tertullianus *adv. Pſychicos, c.* 10. *Namque ſtationes noſtras ---- novitatis nomine incuſant, hoc quoque munus & ex arbitrio eſſe dicentes & non ultra nonam detinendum, de ſuo ſcil. more.* Prudentius *in agone Fructuoſi, v.* 52.

> *Quædam de populo vidit Sacerdos*
> *Libandum ſibi poculum offerentes.*
> *Jejunamus, ait, recuſo potum,*
> *Nondum* nona *diem reſignat hora.*

Vide Deſid. Heraldum *Caſtigat. & Not. ad Minucium Fel. p.* 13. aliquid etiam ſuprà, in *Hora Canonica* & *Nona.* Contra *ad Nonam* ut plurimum patebant balnea, & ante Solis occaſum claudebantur. Lamprid. *in Alexandro Severo c.* 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum, cùm ante & ad nonam paterent & ad Solis occaſum clauderentur.* Eadem horâ & tabernæ vinariæ & lupanaria aperiebantur: unde *Nonariæ* meretrices dictæ, quòd *ad nonam* proſtarent. Vetus Interpres Perſii, *Nonaria dicta meretrix, quia apud Veteres à nona hora proſtabant, ne manè omiſſâ exercitatione illò irent adoleſcentes.* Tertullian. *Apud quaſdam verò colonias prætereà annuô ritu ſaccis velati, & cinere conſperſi idolis ſuis invidiam ſupplicem objiciunt, balnea & tabernacula in nonam horam clauduntur, unus in publico ignis apud aras, aqua nec in lancibus.* Sed hoc in Coloniis: Romæ verò nunquam ante *nonam*, tabernæ, balnea, lupanaria patebant, uſque ad Hadrianum Imperatorem qui octavam thermis aperiendis videtur conſtituiſſe. Sic Martial. *l.* 10. *Epigr.* 48. *v.* 1.

> *Nunciat octavam Pharia ſua turba juvencæ,*
> *Atque pilata redit, jamque ſubitque cohors,*
> *Temperat hæc thermas* ———

Ab octava igitur ad nonam hora lavandi: ut à nona ad *decimam cœnandi* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Spartianum in Hadriano c.* 22. De *hora nona*, ſacrificii veſpertini & publicæ orationis, à Deo inſtitutæ, tempore apud Hebræos, quæ & ipſa tertiæ noſtræ pomeridianæ reſpondet, quaque Petrum & Joannem Templum frequentâſſe legimus, Actor. *c.* 16. *v.* 15. Vide A. Rivetum *Sum. Controv. tract.* 2. *Quæſt.* 35. & infrà voce *Tertia.*

NONACRIS, mons Arcadiæ in Peloponneſo, cum oppid. olim cognomine, ex quo Styx, aqua frigidiſſima emanat, quam inferorum paludem fabulantur. Ibi etiam *Nonacrinum nemus.* Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 275.

> *Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini.*

Et *l.* 5. *v.* 97. *Nonacrius heros* pro Evandro. Hinc *Nonacrinus.* Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 409.

> *Dum redit itque frequens, in Virgine Nonacrinâ*
> *Hæſit.* ——————

Eidem *l.* 1. *Metam. v.* 690. *Hamadryades Nonacrinæ*, pro Arcadicis.

NONÆ & Decimæ. Juxta quorundam opinionem, Decimas omnes Eccleſiæ dabant, *Nonas* pii quidam, ex propenſiore in Deum animô, Concil. Valent. A.C. 855. *can.* 10. Concil. Mogunt. A.C. 813. *can.* 42. Concil. Meldenſe A. C. 845. *can.* 26. &c. Quam ſententiam explodens Joh. Seldenus, qui *Nonas* cenſum, ſeu reditum illum agrarium fuiſſe contendit, quem Elocator à Conductore percipiebat, refellitur prolixè, ab Henr. Spelmanno *Gloſſar. Archaol.* Vide quoque ſuprà.

NONÆ, *arum*, tertia Menſis pars inter Kalendas atque Idus interjecta. Dictæ vel à *nova* Luna, quòd in eas Lunæ incurreret principium: Vel; quòd initium eſſent *novæ* obſervationis, ſicut *Rutilius* ſcribit, Romanos inſtituiſſe, ut octo quidem diebus Ruſtici in agris opus facerent, *Nonô* autem die, intermiſſô rure, ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent. Alii ſic appellatas volunt, quod ab eo die ſemper ad Idus, *novem* dies putentur: Alii, quòd ut novus annus Kalendæ Januar. à novo Sole appellatæ: novus menſis, à nova Luna *Nonæ Varr.* Ita ergo vocabantur dies, qui proximè Kalendas inſequebantur. Horum in Martio, Majo, Junio atque Octobri ſex, in reliquis quatuor, jam inde à Romuli temporibus fuêre. Is enim, quum ita menſes diſtribuiſſet, ut alii eſſent dierum triginta unius, alii undetriginta: tum, ut ex die *Nonarum*, Idus nonô die eſſent, & inter Idus ac ſequentes Kalendas ſedecim dies intercederent, in menſibus illis, qui 31, dies habebant, inter Kalendas & *Nonas* interjecit duos illos, quibus menſis augebatur, dies; unde fiebat, ut tales menſes ſex, reliqui quatuor *Nonas* haberent: quod etiam Cæſar, cùm annum aliter ordinaret, obſervavit, ne ſtata ſacra, quæ à priſcis inſtituta fuerunt, transferrentur. His diebus populus ex agris in urbem, uti dictum, conveniebat. in arcem, ibique Rex ſacrorum prædicebat primas (vel *privas*, ut *Joſepho Scaligero* placet, i. e. *ſingulas*) ferias menſtruas, ut ſcirent quid eô menſe illis eſſet faciendum, Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 15. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4. Nuptiis non convenire olim viſæ ſunt *Nonæ*, ſicut nec Kalendæ, nec Idus; Ratio, quia primus Nuptiarum dies verecundiæ dabatur: Poſtridiè autem nova Nupta in domo Mariti dominium incipiebat adipiſci & rem divinam facere tenebatur, quod poſtridie *Nonarum* fieri non poterat: Omnes enim poſtriduani dies poſt Kalendas, *Nonas* Idusque atri habebantur. Vide Macrob. *loc. cit.* &c. In nullius Dei tutela *Nonas* fuiſſe, indicat Ovidius, canens *l.* 1. *Faſtor. v.* 57.

> *Nonarum tutela Deo caret;*

cùm Kalendæ in Junonis, Idus, in Jovis patrocinio eſſent. Vide Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. loc. cit.*

NONÆ TOTIUS ANNI APUD ROM. CELEBRIORES.

Nonis Februarii, Cn. Octavius Auguſtus Pater Patriæ cognominatus eſt. Vide Sueton. Dionem, alios. Ovid. *l.* 2. *Faſt. v.* 121. *Dum canimus ſacras alterno pectine Nonas, Maximus his factis accumulatur honos.*

Nonis Martii, Væjovis templum conſecratum eſt, ad duos lucos aſyli: de quo idem Poëta *l.* 3. *Faſt. v.* 429. *Una nota eſt Martis*, Nonis *ſacrata quòd illis Templa putare lucos Vejovis ante duos.*

Nonis Junii, ſacrum fiebat Deo Fidio, de quo idem *in Faſt.*

Nonis Quintilibus, quæ & Nonæ *Caprotinæ* dictæ, in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificabant ſub caprifico, virgam ex hac arbore adhibentes: ob quod toga illis prætexta data eſt, Varro *de L. L. l.* 5. Vocat feſtum illud *Ancillarum* Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11. ob memorabile ancillarum Romanar. facinus; de quo vide in voce *Caprotina Juno.*

Nonis Decembribus, Fauni feſtum erat, quod Faunalia appellabatur. Vide Horatium *l.* 3. *Carm. Od.* 18.

NONANTULA, urbs Italiæ, ob quam Mutinenſes cum Bononienſibus bellum geſſerunt, circa A.C. 1140.

NON-CONFORMISTÆ, Puritanorum, uti dicebantur, veterum in Anglia genus, à *Conformiſtis* & *Separatiſtis* in eo diverſi, quòd illi ceremonias omnes tolerandas judicarent, hi omnes ſeceſſione factâ rejicerent, iſti *à quibuſdam tantum* ſe ſepararent; nec omnes ab iiſdem: erant enim qui admitterent, quas alii rejiciebant, vide G. Hornium *Hiſtor. Eccl. N. T. Period.* III. *artic.* 3. necnon hîc infrà voce *Puritani* & alibi *paſſim.*

NONGENTI, aliàs *Cuſtodes* quoque vocati, dicebantur teſte Pliniô *l.* 33. *c.* 2. apud Romanos, qui cùm rogarentur Leges, ciſtis ſuffragiorum cuſtodiendis erant præpoſiti. Poſtquam enim diribitæ vel diſtributæ cuique duæ eſſent tabulæ, quarum una his duabus literis *U. R.* i. eſt. *uti rogas:* altera literis *A.* i. e. *antiquo*, ſignatæ erant: Appoſiti fuêre in qualibet Tribu aut Centuria pontes, i. e. menſæ quædam anguſtæ, ſimilitudinem pontium habentes, ut per ſuum ſingulæ pontem ſuffragium ferrent. Pontibus autem his impoſitæ erant duæ ciſtæ oblongæ, una in capite pontis, altera in fine, quas *Nongenti* cuſtodiebant: ſicque per pontes tranſibant ad lationem ſuffragii, tabellis acceptis in prima pontis parte, quas in extrema redderent, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 2. Erant Cuſtodes hi ex omnibus ſelecti, unde alius ſe *Nongentum*, alius *Selectum* appellavit, Plin. ubi *ſuprà.* Hi, poſtquam omnes tabulæ, in ultimam ciſtam erant conjectæ, illas inde eximentes, numerabant ſuffragia, & quot ejuſdem ſententiæ deprehendebant, tot punctis in tabella quadam vacua annotatis, tandem Tribus ſeu Centuriæ voluntatem cognoſcebant, quæ à Præcone poſtmodum clarâ voce renuntiabatur: quâ ratione in reliquis Tribubus aut Centuriis ſervatâ, ex majore tandem Tribuum aut Centuriarum numero, antiquabatur vel ſciſcebatur lex. Neque ſolùm in perferendis Legibus, ſed etiam aliis magni momenti negotiis, id moris obtinuit. Unde phraſes, *Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.* Item, *Omne tulit punctum.* Vide quoque Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 2.

NONI, pro *Monis* ſeu *Monachis*, & *Novis*, pro *Monis*, Virgo Monialis, vide ſuprà in voce *Moni.*

NONIA Celſa, adulteriis infamis, tandem Macrino nupſit, ex eo mater Antonini Diadumeni: Unde verſus in illam, apud Jul. Capitolin. *in Opilio Macrino, c.* 14.

> *Vidimus in ſomnis cives (niſi fallor) & iſtud:*
> *Antoninorum nomen puer ille gerebat,*
> *Qui patre venali genitus, ſed matre pudicâ:*
> *Centum nam mœchos paſſa eſt, centumque rogavit.*
> *Ipſe etiam calvus mœchus fuit, inde Maritus* &c.

NONIGENTUM, melius *Novigentum*, ad Matronam *Nogent l'Arthaud*, oppidul. 8. leuc. ſuprà Meldas, in Ortum, 2. à Caſtro Theodorici in Meridiem.

NONIGENTUM Regium, oppid. Belſiæ ad Eburam fluv. ubi primum lintrium capax eſt, 5. leuc. infrà Carnutum in Boream, 4. à Drocis in Meridiem.

NONIGENTUM Rotrudum, *Nogent le Retrou*, aliàs *Novidunum*, ſeu *Nœodunum*, caput Aulercarum Diablintrum, nunc Perticenſis provinc. caput, ad Huinam fluv. medium ferè inter Carnutum ad Ortum & Cenomanos ad Occidentem, 14. leuc. à Carnuto. Caſtrum hîc totius Galliæ præcipuum.

NONIGENTUM ad Sequanam, oppid. Campaniæ, paulò infra confluentes Albæ in Sequanam fluv. 9. leuc. ſupra monaſteriolum ad Icaunam, 10. à Trecis in Circium, Lutetiam verſus. Ad radices collis, in limite Briæ provinc.

NONIGENTUM, pagus ad Sequanam, in Inſul. Franciæ, poſtea *Fanum S. Clodoaldi*, à Clodoaldo Clodomiri Regis filio ibi ſepulto. *S. Clou*, 2. leuc. à Lutetia in Occaſum ad radices collis burgus probè cultus & amœnus. Hîc A. C. 1589. Henricus III. à Jac.

a Jac. Clemente Monacho Dominicano cultro lethaliter vulneratus eſt.

NONIUS, Senator Romanus, de quo ita Plin. *l.* 37. *c.* 6. *ubi de Opalo gemma: Magnitudo nucem avellanam æquat, inſigni apud nos hiſtoria. Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus* Nonius *Senator eſt, filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus Poeta in ſella Curuli viſum indignè tulit, avuſque Servilii Noniani, quem Conſulem vidimus. Ille fugiens proſcriptus amicus fortunis ſuis hunc e fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum: Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proſcribentis, nec minor* Nonii *contumacia, proſcriptionem ſuam amantis, cum etiam feræ abroſis partes corporis relinquant, propter quas periclitari ſe ſciant.* Vide de valore gemmæ hujus diſputantem, contra Virum doctum, qui *viginti mille ſeſtertia*, contendit eſſe decies centena millia florenorum, Joh. Frid. Gronov. *l.* 2. *de Pecunia vet. c.* 2. & plura hujus generis apud Meurſium *de luxu Rom. c.* 5.

NONIUS, quidam a pugna Pharſalica, quum fugiſſet Pompejus, hortabatur ad bene ſperandum, ſeptem adhuc aquilas ſupereſſe dictitans. Cui Cicer. *Rectè*, inquit, *ſi nobis cum graculis bellum eſſet.*

NONIUS Actianus, crebris delationibus apud Neronem famoſus; ſub initium Principatus Veſpaſiani, in Senatu eô crimine poſtulatus, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 41.

NONIUS Aſprenas, Conſul cùm Laterano, An. Urb. Cond. 846. Alius Conſul cum Valentiniano Cæſare, An. Urb. Cond. 1158.

NONIUS Gracchus, Nobilis Romanus ſine cauſæ dictione, juſſu Severi Imperatoris interemptus, apud Æl. Spartian. *in Severo c.* 13.

NONIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

NONIUS Marcellus, Grammaticus, cujus libros habemus de Latinorum nominum origine.

NONIUS Marcus, memoratur Jul. Capitolino *in Clodio, Albino*, inter eos, qui malè de Commodo apud milites loquebantur. Ita enim ibi Commodus *Ep. ad Albinum, c.* 2. *Audio enim & Septimium Severum &* Nonium Marcum *malè de me apud milites loqui, ut ſibi parent ſtationis auguſtæ procurationem.*

NONIUS Mutianus, vide *Marcus.*

NONIUS de Pinço, vide *Ferdinandus.*

NONIUS Quintilianus, vide *Sextus.*

NONIUS Receptus, centurio, duodeviceſimæ legionis in inferiore Germania, cùm protegeret Galbæ imaginem, impetu militum abreptus vinctuſque eſt. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 56. & electô Vitelliô Imperatore occiſus. Id. *l.* 1. *Hiſtor. c.* 59.

NONNA, Monialis, Soror velata, ſicut *Nonnus* Monachus. Hieronym. *in Ep. ad Euſtochium: Et quia*, inquit, *maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, caſtæ vocantur &* Nonnæ. In quem locum *Eraſmus, Apparet*, ait, *hoc verbi ab Ægyptiis in vulgi ſermonem veniſſe; quorum linguâ puto Monachos & Sanctos* Nonnos *fuiſſe vocatos; Monachas & Virgines* Nonnas. *Nam meminit Suidas* Nonni *cujuſdam Ægyptii, qui Parthenejum Theologum verſibus ſit interpretatus. Et Parthenos Græcè Virginem ſonat, quaſi Virgo ſcripſerit in Virginem.* Apud Henr. Spelmann. Amerbachius *Not. ad Capitul. in Conſtitut. Caroli M. quod inſcribitur Clericis & Nunnabibus*; vel edit. Lindebrogiana *Capitular. l.* 1. *c.* 17. *Clericis & Nonnabus*, vocem docet à Germanis acceptam, per tranſlationem, proprieque ſignificare contendit *Suem caſtratum; Sicut contrà Græcâ voce equos caſtratos nominamus eos, qui ſe caſtrant propter regnum Dei*, verba præfati Spelmanni *Gloſſ. Archæol.* voce *Nonna.* Voſſio verò Hebr. נן *nun* & Ægypt. *Non*, filium notat: unde *Nonni* & *Nonnæ*, quibus præerat Abbas, h. e. *pater*, dicti. Vide eum *de Idolol. l.* 1. *c.* 24. Hinc *Nonnatus*, cognomen Arnoldi Comitis Aſtariacenſis, cujus meminit Charta Condomenſis his verbis: *Arnoldus Comes Aſtariacenſis cognomentô* Nonnatus, *quòd cæſô Matris ventre extractus fuerit*, apud Car. du Freſne: Item Raymundi Cardinal. ob eandem rationem, apud Macrum *Hierolex.* Idem ſic erit cum voce *Cæſar*, de qua alibi: & *Nonnones*, fortè *Nonnanes*, Matricularii Eccleſiarum, i. e. pauperes ſenes, in *Præcepto* pro Abbatia S. Germani Autiſſiodor. A. C. 864. apud eundem. Vide ubi de *Matriculariis*, & plura infrà.

NONNOSUS, Auctor Græcus, ſub Juſtiniano Imperatore Legatus in Æthiopiam, ad Saracenos, varioſque alios orientis populos quid geſſerit, in literas retulit. Fragmentum hujus operis Photius *cod.* 3. exhibet.

NONNUS, *Papiæ, major, ob reverentiam.* Regula S. Bened. *c.* 63. *Juniores autem Priores ſuos* Nonnos *vocent, quòd intelligitur paterna reverentia.* Synodus Aquiſgr. A. C. 817. *c.* 54. & ex ea Additio 1. Ludovici Pii *c.* 54. *Ut qui præponuntur*, Nonni *vocentur.* Quâ notione Cæſarius *l.* 1. *c.* 7. & 17. *Nonni* vocabulum quandoque præmittit Monachorum ſeniorum appellationibus: *Sicut mihi dicere ſolitus erat Nonnus Conradus ſenex Monachus noſter.* Alibi, *Hæc mihi dicta ſunt à Nonno Friderico Monacho.* Ubi *Nonnus* idem, quod *Domnus*, valere vult Car. du Freſne. Sic *Vita* Caroli Abbatis Villarienſis *num.* 13. *Unà cum Nonno Waltero, tunc ſimplici Monacho, poſtea Abbate Villarienſi.* Salomon Epiſcop. *ad Dudonem Epiſcop.*

Ut ſicut Nonnus *ſcripſit felixque Sacerdos*
Hieronymus noſter, ſanctus ſapienſque Magiſter, &c.

Hodieque Italis *Nonno*, avus dicitur, pater patris vel pater matris: ut avia *la Nonna.* Hinc *Nonnæ*, Sanctimoniales, præſertim ſenes virgines aut ſacræ viduæ: ſicut enim *Nonnus* reverentiam paternam, ita *Nonna* maternam denotat. Hieronym. *Ep.* 22. *ad Euſtochium: Illæ interim, quæ Sacerdotes ſuô viderint indigere præſidiô, eriguntur in ſuperbiam, & quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem*, Caſtæ *vocantur &* Nonnæ, *& poſt cœnam dubiam Apoſtolos ſomniant.* Adde eund. *in Præf. ad vitam S. Hilarionis*, &c. Pro *Nonna*, legimus *Nunna*, in LL. Alvredi Regis Weſt Saxiæ *c.* 20. apud Brompton. & Henr. I. Regis Angl. *c.* 73. & *in Gloſſ.* Ælfrici. Vide Roſweidum *Onomaſt. ad vitas Patrum.* Iidem *Nonnanes* & *Nunnanes*: quô nomine quidem Monachi veniunt, in Concil. Cloveshomenſi A. C. 747. *c.* 19. Capitul. Caroli M. *l.* 5. *c.* 78. & Tradit. Fuldenſ. *l.* 2. *c.* 38. Monachæ verò in iiſdem Capitul. Caroli M. A. C. 789. *c.* 3. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Origo horum *Nonnorum* ſeu Monachorum ad ſeculi a Nato Chriſto tertii medium pertinet, quò Paulus Thebæus, Eremita primùm, dein Monachus in Ægypto factus eſt, occaſione decimæ perſecutionis. Cujus veſtigia cùm in eadem Ægypto Antonius premeret, ex hujus ſectatoribus Hilarion fuit, quem multis porrò inſequutis, duo prodierunt mox Monachorum genera, *Eremiticorum* & *Cœnobitarum.* Ex Ægypto verò brevi tempore propagatum inſtitutum eſt, in Palæſtinam per Hilarionem: in Armeniam, Paphlagoniam, Pontum, per alios: in Græciam, per Athanaſium, qui inter Ægyptiorum *Nonnos* vixerat: Hunc ſequutus eſt Gregor. Nazianz. cui Baſilius M. ſe adjunxit, Monaſteriorum in Oriente ſtrenuiſſimus propagator. In Occidentem ſerius paulò Monachatus introductus eſt annitente maximè Hieronymô, in Syriam prope Bethlehemum ideo ſe conferente. Auguſtinus etiam vitam hanc alicubi commendat; quamvis nec ipſe Monachus fuerit, nec regulas iis tradiderit. Nec ſequior ſexus, qui hiſce in rebus ſæpe primas tenere ſolet, huic inſtituto defuit. *Nonnarum* enim ſeu Virginum in eo ſtatu ad finem vitæ perſeverantium & illibatam virginitatem ſervantium, jam Tertullian. & Cyprian. meminêre, quæ tum *Aſcetriæ* dictæ, vide ſuô locô. Monaſteria verò earum & collegia primitus deprehenduntur ſub Athanaſio in Ægypto; unde ingruentibus mox Arianorum perſequutionibus, ab exulibus Ægyptiis Romam inſtitutum delatum eſt; impellente præcipuè Hieronymô Romam reverſô, qui Marcellam aliaſque potentes ac illuſtres fœminas, animô forſan non malô, ſed inſtitutô parùm convenienti, in Orientem, ad Monachatum ſecum abduxit, & ſcriptis inſuper ſuis id in Occidente longè lateque propagavit. Quærebatur autem eô tempore ab utroque ſexu ſolitudo, ut ſanctitati unicè operam darent; neque Monaſteria aliud quid tum erant, quàm Scholæ, in quibus omnimoda eruditio ingenti ſtudiô tradebatur, nec inerti otiô Monachi diffluebant, ſed manuum labore tolerabant vitam idque citra omne votorum, aut ciborum veſtiumque diſcrimen, aut humanarum regularum cancellos. Quare etiam eximii Viri ex Monaſteriis illis prodierunt, Virgineſque votis legibuſque non magis erant adſtrictæ, ſed Pſalmis Deum laudabant & verbum ejus vernaculô ſermone legebant. In Occidente Monachorum collegia primus erexiſſe legitur Benedictus Nurſinus, qui eorum vitam tribus votis illis adſtrinxit: ad cujus exemplum, fæminis & Virginibus ejuſdem facti dux fuit fœmina, ſoror ejus, *Scholaſtica* nomine: quæ inſtituti ratio brevi per totum Occidentem dimanavit; ut ab hiſce mox temporibus, non interruptâ ſerie, ad nonum uſque ſeculum Ordo *Benedictinorum* floruerit. Seculô verò X. ordo hic in varias familias dividi cœpit: quibus ſeculô XII. acceſſerunt varii Ordines Equeſtres, ut *S. Crucis* &c. Per quæ incrementa ſenſim prioris Monachatus integritas collapſa eſt. Exorti porro mediô ſeculô XII. *Ordines Mendicantium*, quorum quatuor præcipuè ſunt familiæ: *Auguſtinianorum, Carmelitarum, Dominicanorum* ſeu *Prædicatorum* & *Franciſcanorum* ſeu *Minoritarum.* Qui licèt ordine poſtremi, fœcunditate mox primi evaſerunt & immenſum in numerum excreverunt, per Franciſci, quæ ipſi attribuunt, miracula & audacem inter CHRISTUM & illum ſimilitudinem ac utriuſque comparationem. Poſtea natô inter Dominicanos & Franciſcanos ſchismate poſteriores hi in varias iterum ſectas ſciſſi ſunt, quarum principes tres hæ: *Conventualium, Fratrum de Obſervantia* & *Capucinorum.* E quibus ſectis, licèt aliquæ magnam inter ſe ſæpe ſimultatem exercerent, in id unum tamen omnes conjurârunt, ut ſtrenuam Pontifici navarent operam, præcipuaque Latinæ Eccleſiæ dogmata & Theologiam Scholaſticam ubique inveherent. Ultimus ſuperadditus eſt prioribus ordo *Jeſuitarum*, circa A. C. 1535. poſtquam jam longè lateque à luſtris aliquot Euangelica doctrina eſſet annuntiata, auctore Ignatiô Lojolâ, nobili Hiſpanô; qui infeliciter aliquandiu militem profeſſus, ad auſterius vitæ genus ſe contulit & tribus ordinariis votis quartum, *de cœca & ſpeciali erga Papam obedientia*, adjecit, &c. His Ordinibus ſacris ſacrum regimen & Hierachia conveniebat, de qua proin anxiè diſputatum eſt in Concilio Tridentino, *An in Ordinibus ſolis; an etiam in Juriſdictione conſiſtat; an in utriuſque commixtione?* quæ vulgaris ſententia eſt. De forma ejus quoque laboratum: dictumque anathema eſt negantibus, Hierarchiam in Eccleſia firmatam inſtitutione divinâ, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis &c. Franc. Burmannus *Synopſ. Theol. Tom.* 2. *l.* 8. *c.* 12. Vide etiam ſuprà in *Monachi*, it. *Noni.*

NONNUS, Edeſſenus Epiſcopus, Niceph. *l.* 24. *c.* 30. Martyrologium Romanum 2. Decembris: *Edeſſæ S. Nonni epiſcopi, cujus precibus Pelagia pœnitens ad Chriſtum converſa eſt.*

NONNUS, Hiſtoricus Græcus, hiſtoriam edidit, quâ legationem ſuam complexus eſt, ad Æthiopas & Homeritas, ac Saracenos, aliaſque Orientis gentes. Eo ex opere excerpta quædam habemus apud Photium, *tmem.* 3. ubi & Juſtiniani tempore vixiſſe, aliaque quædam de Nonnoſo, ac parente ejus Abrahamo & avo item refert.

NONNUS, Abbas de Narrationibus Græcorum extat Scodriaci, in bibliotheca Regis Hiſpaniarum; ut apud Poſſevin. legas, *in Append. Apparatûs S. p.* 2.

NONNUS Panopolita, poëta egregius, Theodoſii temporibus

floruit, cujus Paraphraſin, & Dionyſiaca habemus. Agathiâ eſſe antiquiorem, certum eſt, cùm hic ejus meminerit, vixit verò Agathias ſub Juſtiniano. Chryſoſtomô eſſe juniorem, inde colligit Voſſ. *de Poët. Græc. p.* 79. quòd uſque adeò veſtigiis ejus in Joanne interpretando inſiſtere amet. Præterea id dictio indicat Sophiſtica, qualis ſeculô quintô fuit ac deinceps: uti ex Heliodoro, Syneſio, & aliis liquet. Ac ſimiles ex poëtis Quinctus, Tryphiodorus, alii. *Suidas*, Νόννος Πανοπολίτης ἐξ Αἰγύπτου λογιώτατος, ὁ καὶ τὸν παρθένον Θεολόγον παραφράσας δι' ἐπῶν.

——— Εἰς Νόννον ἄδηλον,
Νόννος ἐγώ. Πανὸς μὲν ἐμὴ πόλις, ἐν Φαρίῃ δὲ
Ἔγχει φωνήεντι γονὰς ἤμησα Γιγάντων.

Nic. Lloydius. Natione Ægyptius, patriâ Panopolitanus fuit, vixitque in Græcia circa A. C. 500. *Petræo.* De nomine ejus conjecturam Eraſmi, vide ſuprà in voce *Nonna.* Ejus *in Johannem Euangel. Paraphraſis* prodiit Græcè & Latinè, cum *Notis* Petri Nanſii, in 8t. Lugduni Batavorum A. C. 1589. Græcè & Latinè cum *Notis* Sylburgii, in 8t. ex Typogr. Comeliniana, A. C. 1596. in octav. Græcè & Latinè cum *Notis*, Pariſiis A. C. 1623. in octav. Græcè & Latinè, cum Heinſii *Exercitationibus*, Lugduni Bat. A. C. 1627. *Paraphraſis erudita*, Neandro: *Genii mirabilis Poëta*, Dempſtero: *Ægyptius eloquentiſſimus*, Poſſevino.

NONNUS ſeu NUNEZ Petrus, Luſitanus, Medicus & Mathematicus eximius præ omnibus ſui ævi, in Mathematica, Optica, Algebra & Aſtronomia, varia edidit. Præceptor Cardin. Henrici, qui Sebaſtianum in regno ſequutus eſt: poſtmodum Conimbricæ docuit, extinctus A. C. 1577. ætat. 80. *Notæ in Purbachium* ejus præcipuè æſtimantur, ut & Tract. *de Arte Navig.* Vide Thuanum *Hiſtor.* Quenſtedium *de Patria Illuſtr. Viror.* Voſſium *de Scient. Mathemat. c.* 36. §. 17. *p.* 191. Auctorem *Biblioth. Hiſp.* & Anton. Teiſſier *Elog. Part. I. p.* 512.

NONTRONUM, oppid. Petrocorii, cum titulo Baronatus, *Metel. Merula.*

NONYMNA, urbs Siciliæ, *Stephan.*

NOPHE, nomen loci, Numer. *c.* 21. *v.* 30. Latinè, *inſufflatus, tumidus*, vel *illaqueans.*

NOPHETH, urbs in tribu Manaſſe, Joſ. *c.* 17. *v.* 11. Latinè, *favus*, aut *cribrum*, ſive *diſtillatio.*

NOPIA, ſeu CNOPIA, oppid. Bœotiæ fuit, ad Tanagram urb. ubi Amphiarai templum, *Strab.*

NORA, urbs Sardiniæ exciſa, in ora Auſtrali, *Ptol.* Populi *Norenſes* Plinio *l.* 3. *c.* 7. *Nura Antonino*; *Calviri* dicitur *Leandro.* De nominis origine ſic Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 31. Tertia, inquit, in Sardiniam migratio apud Pauſaniam Hiſpanorum eſt. Sic enim ille, *l.* 10. Μετὰ δὲ Ἀρισταῖον Ἴβηρες ἐς τὴν Σαρδὼ διαβαίνουσιν ὑπὸ ἡγεμόνι τοῦ στόλου Νώρακι, καὶ ᾠκίσθη Νώρα πόλις ὑπὸ αὐτῶν. Ταύτην πρώτην γενέσθαι πόλιν μνημονεύουσιν ἐν τῇ νήσῳ. Παῖδα δὲ Ἐρυθείας τε καὶ Γηρυόνου καὶ Ἑρμοῦ λέγουσιν εἶναι τὸν Νώρακα. At in Solino Ariſtæum præceſſit Norax. Verba ſunt: *c.* 10. *Nihil attinet dicere*, ut *Sardus Hercule, & Norax Mercuriô procreati, quum alter ab Libya, alter ab uſque Tarteſſo Hiſpaniæ, in hoſce fines permeâſſent, à Sardo terra, à Norace oppido nomen datum. Nora* ſaltem nomen Punicum eſt, nempe נערה *Naara*, undè emphaticum נערתה *Naaratha*; cujus nominis cenſetur oppid. in tribu Ephraim, Joſ. *c.* 16. *v.* 7. *Naara* verò Pœnis ſonabat *Nora*, ut מעכה *Maacha* Μωχὰ quomodo LXX. efferunt, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 48. Unde *Mochus* nomen Punicum. Sic נערן *Naaran* alterius oppidi nomen in eadem tribu, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 28. Hieronym. *Noran* ſcribit & LXX. Interpp. mediô quôdam ſonô Νοαράν. Sed inter N. & R. eſt *Ajin*, quod in O. mutatum eſt in Alphabeto Cadmi. Hodie locus *Nori* vocatur. N. pertinet ad formam nominis: & ערה eſt *gramine:um*; nempe in paſcuo ſita fuit *Nora*, non procul à ripa *Sæpri* amnis, hodiè *Servi*, ut conſtat ex Itinerariis. Itaque perperam à *Ptolemæo Nora* ponitur, in Auſtrali Sardiniæ litore, inter Caralin & Sulchos; quod *Cluverius* verè obſervat. Gentile *Noranus*, *Steph. Nic. Lloydius.*

NORA, Straboni Cappadociæ urbs ad Taurum montem, quam ſuô tempore *Noroaſſum* vocatum ſcribit.

NORA, caſtellum ſitum in finibus Lycaoniæ, & Cappadociæ. Vide quoque *Ora.*

NORACUS, urbs Pæoniæ, *Steph.*

NORAN, ſeu NOARAN, locus in tribu Ephraim 1. Paral. *c.* 7. *v.* 28.

NORAX, Sardiniæ Rex, apud Solinum, *c.* 10. Vide *Nora.*

NORBA Cæſarea, urbs parva Luſitaniæ, ad Tagum fluv. *Ptol. Alcantara Taraphæ*, & *Cluſio*, longitud. 14. 30. latitud. 39. 50. Unde *Equites Alcantaræ*, 3. leuc. à confinio Portugall. 7. à Valentia in Ortum, 14. à Cauro in Africum, uti à Pace Auguſta & ab Emerita in Boream. Haud pridem munita, contra Luſitanorum incurſiones, *Baudrand.*

NORBANA, & NORBANUS, inter eos, qui, poſt detectam contra Commodum conjurationem, hujus juſſu, ſunt interfecti, apud Æl. Lamprid. *in Commodo. c.* 4.

NORBANUS Balbus, vide *Cajus*, it. *Lucius.*

NORBANUS Flaccus, *Ibid.*

NORBERTUS, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Fundator Ordin. Præmonſtrantium, ſeculô 12. cujus caput in Diœceſi Laudunenſi Tanchelino acriter ſe oppoſuit, obiit A. C. 1134. Ei tres libri Viſionum attribuuntur, ut & diverſæ homiliæ. Hugo ei ſucceſſit. Vide Guil. Eiſengrin. *in Catal. teſt. Ver.* & in voce *Præmonſtrantes.*

NORCOPIA, urbs Oſtrogothiæ in Suecia inter geminum ſtagnum, 5. leuc. ab ora maris Baltici in Occaſum, juxta Molam fluv. 10. ab ora lacus *Vetter*, in Ortum *Norköping.*

NORDBURGUM, caſtrum Ducatus Sleſuicenſis ſub proprio Principe ex familia Oldenburgo-Danica. Johannes enim minimus natu fil. Chriſtiani III. Daniæ Regis, frater Friderici II. Regis, cùm numeroſam ſuſcepiſſet prolem, è duabus conjugibus, Eliſabetha Brunſuico-Grubenhagia & Agnete Hedvige Anhaltina, ex filiis Johannes Adolphus natus A. C. 1576. *Nordburgum* inhabitavit, vir[illegible] defunctus A. C. 1624. Ei poſtea ſucceſſit frater Fridericus, qui natus A. C. 1581. *Nordburgiam* lineam hodieque ſuperſtitem orſus eſt, extinctus A. C. 1658. Eô nati, ex priori conjugio Julianâ Saxo Angrivariâ ductâ A. C. 1627. Johannes Bogiſlaus, qui privatus *Nordburgi* vivit: è poſteriori matrimonio A. C. 1632. inito Eleonoræ Anhaltinæ. Chriſtianus Auguſtus, qui Anglis militavit & Hieroſolyma inviſit, ac Rudolfus Fridericus, qui in Belgio legioni præfuit: tum ex altero ſexu Eliſabetha Juliana (nata A. C. 1634. Antonii Ulrici Ducis Brunſuicenſis) Dorothea Hedwig (nata A. C. 1636. Joh. Friderici Comitis Hohenloici) & Luiſa Amœna (nata A. C. 1642. Joh. Adolfi patruelis uxores,) omnes *lineæ Sonderburgicæ in Nordburg.* Vide Phil. J. Spen. *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Danica.*

NORDENUM, ſeu NORDA, urbs Friſiæ Orientalis cum portu, in ora Oceani Germanici; Creſcit indies, ſub Comite Friſiæ Oriental. 16. mill. paſſ. ab Embda in Septentrionem, 13. ab Aurica in Occaſum. Hîc Edſardus Comes, Euangelii doctrinâ ex libris hauſtâ, eam proponi; ut & Auricæ, Leeræ & Emdæ curavit, circa A. C. 1540. Abr. Scult. *in Annal. Eccleſ.* Ubbo Emmius *Hiſt. Friſ. l.* 50. 53.

NORDLINGA, urbs Imperialis Germanica à Norico propinquo ſic dicta. Paruit olim Epiſcopo Ratisbonenſi, ſeb ob ejus delictum ad Imperatorem rediit; Cruſius *Annal. Suev. part.* 3. *l.* 2. *c.* 9. ſcribit, à Conrado Rege, filio Friderici II. Imperatoris ad Imperium immediatè revocatum eſſe, A. C. 1251. Nobilis eſt clade, & victoriâ Suecorum. Aliàs *Ara Flaviæ*, vide ibi.

NORDOVICUM, & NORVICUM, urbs ampla & clariſſima in ora Angliæ Orientali, à Londino 90. milliar. in Cæciam. Vulgò *Norwich.* Comitatûs Norfolciæ caput, ad Garienem fluv. *Jer*, 30. mill. Angl. à Lino in Ortum, & à Crippevico, in Occaſum. *Baudrand.*

NOREJA, hodiè *Goritia*, teſte *Amaſaô*, urbs Carnorum ad Iſontium vel Natiſonem fluv. ubi, ut ſcribit *Strabo*, auri lavacra, & ferri ſecturæ ſunt. Hîc Cn. Carbo inani conatu cum Cimbris conflixit, longitud. 36. 00. latitud. 45. 47. *Baudrando* quid ſit, non conſtat. Quibuſdam fuit oppid. Norici, in Ambiliciis, ubi *Solfeld* nunc, in Carinthia inferiori, ſeu caſtrum *Neumark*, in Carniola ſuperiore. Aliis eſt oppid. Carnorum, ubi nunc Goritia, ſeu Venzonium oppidul. ejuſdem provinc. ad Tilavemptum fluv.

NORENSES, populi Sardiniæ, Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Mara* interpretatur *Pinetus.*

NORFOLCIA, Comitatus Angliæ peramplus, in ora maris Germanici quod habet ad Ortum & Boream, uti Comitatum Cantabrigienſem ad Occaſum; Suffolciam ad Meridiem. In ea Nordovicum eſt primaria, Hiarmuthum & Linum Regium, urbes.

NORIBERGA, à Noricis dicta, quibus cùm Hunni maxima ſæpius inferrent damna, huc confluere cœperunt, de ſecuritatis loco ſibi proſpicientes. Henricus Bavarus ei formam civitatis tribuit, templô S. Ægidii ornavit, jura dedit, & ampliore muro caſtrum cinxit: quæ Ludovico III. Imperatori alii aſcribunt. Imperio dein adjuncta, & libertatis charactere inſignita fuit, ſub Conrado II. circa A. C. 1027. Sita eſt ad collem, naturâ firmum, in quo arces duæ ſunt: una aliquot Imperatorum domicilium, vulgò *die Veſten*: altera Burggraviorum olim ſedes, quam Fridericus Burggravius, A. C. 1427. Senatui vendidit, hodie domus frumentaria. Hîc Pegneſus & Regneſus confluunt, urbs in medio non Germaniæ ſolùm, ſed totius Europæ, *Conrado Celti* credita: *Communis Orbis officina*, domeſticâ inprimis diſciplinâ clariſſima. Popularis olim Reipubl. gubernatio fuit, cui, poſt diſcordias ſeditioneſque civiles, Ariſtocratia, ſub Carolo IV. ſucceſſit. Leges partim à Venetis, A. C. 1506. partim ab aliis urbibus, ut Valentiis in Hannonia, Bruxellaque in Brabantia petiit. Privilegiis ornata eſt ampliſſimis; Sedes eſt Comitiorum poſt Electionem primorum, inſignium Imperialium cuſtos eſt; Habet [illegible] jus Auſtregarum, &c. Inſigne ejus olim dimidia aquila nigra in campo fulvo; Sed Henricus IV. Imperator quòd urbe licet capta, arx tamen invicta ſibi adhæſiſſet, virgineum caput, cum corona & integra aquila, illi conceſſit. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 39. Hîc Synodus fuit A. C. 1438. celebrata, ob litem quæ Concilio Baſileenſi cum Eugenio IV. intercedebat. A Friderico III. dein A. C. 1443. & 1487. ſimiliter Eccleſiaſticorum ibi cœtus coactus eſt, &c. Vide quoque *Noricorum mons.* Addo ſaltem, quòd poſtquam Electoratus Brandenburgicus ad Burggravios *Noribergenſes* tranſlatus eſt A. C. 1417. Fridericus Burggravius, à Sigiſmundo Imperatore Marchiam emit 400000. florenis, quam ſummam ut conficeret, Burggraviatum vendidit 180000. vel, ut alii, 240000. floren. reſervatis ſibi ſuiſque aliquot Regalibus, quæ cum tempore *Hornius* exſpirâſſe dicit. Hinc crebra & atrocia bella inter Marchiones Brandenburgicos ac *Noribergenſes*, cùm hi nudum titulum concederent, regalia ſibi reſervarent: Primumque bellum exortum eſt, A. C. 1448. in quo admirabilis eluxit fortitudo Alberti Achillis, de quo Æn. Sylvius *in Europa c.* 39. Alterum exarſit A. C. 1552. Duce Albertô Marchione Culmbacenſi & Onoldinô, in quo *Noribergenſes* & Socii Blaſſenburgum, munitiſſimam Alberti arcem oppido *Culmbach* imminentem expugnârunt A. C. 1554. & funditus everterunt: ſed, Albertô extinctô, judicio Ferdinandi I. Imperatoris ſuis ſumptibus reſtaurare coacti, vide Sleidan. *l.* 24. & 25. Thuanum *Hiſtor. l.* 21. &c. Georg. Hornium *Orb. Polit. Part.* 2. *p.* 75.

NORICA, vide NORIBERGA, & NORICORUM MONS.

NORICI, aliàs Tauriſci, Plin. *l.* 3. *c.* 20. qui montes inter Carinthiam & tractum Salisburg. incolunt, adhuc *Krumler Taur*, *Felber*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Felber Taurn, *Karn Taurn* incolis dictos, *Ortel. Ferrar.* Florum Apoſtolus B. Severinus fuit, prædictionibus celebris. Circa A. C. 490. Pantal. *in Chron.*

NORICORUM Mons, ſeu *Norimberga*, urbs ampla & libera Franconiæ, ad Regnitium fluv. cui ſubeſt ditiuncula adjacens, 15. milliar. Germ. ab Herbipoli in Eurum, inter Epiſcopatum Bambergenſem in Circium, & Palatinatum ſuperiorem in Eurum. Ditiſſima, innumeris artificibus abundans, pace Imperii A. C. 1649. concluſâ, celebris. Hîc Euangelium Oſiander annuntiavit, ſub Reformationis initia: cùm Bucerus Argentinæ, Oecolampadius Baſileæ, Tiguri Zvinglius, Wittebergæ Lutherus, &c. eôdem officiô fungerentur: Cujus poſtremi doctrinæ adhærent. Reformatorum nihilominus non exiguus in urbe eſt cœtus, qui, in ditione Marchionis Anſpacenſis, ſacris locum habent. Altorfina Academia non incelebris Norimbergenſis Reipublicæ eſt. Inter urbem hanc, & agnatos Alberti Brandeburgici ac Epiſcopos Franconiæ, Ferdinandus I. Imperator judicium plenum æquitatis tulit, circa A.C. 1558. Thuan. *l.* 21. Vide *Noriberga.*

NORICUM, regio Germaniæ (quam nunc bona ex parte Bavariam appellant) habens ab occaſu Ænum fluvium, qui medius eſt inter Vindelicos & Noricos; à Septentrione Danubium, ab ortu montem Cecium, qui Pannoniam ſuperiorem diſterminat à Norico: A Meridie montem Curvancum, qui eſt ſupra Iſtriam, Dionyſ. *v.* 321.

Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι καὶ Νωρίκι' αἰπεὶ ἐρυμνά.

Ubi multa nugatur Euſtathius, dum quærit, an *Noricum*, & *Oricum*, de quo *v.* 399. locus unus ſit an diverſi? quaſi vero regio Germaniæ confinis ab Epiri finibus non ſatis diſtet, ut ea dignoſci poſſint. Ferri ferax regio fuit, Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 712.

Sævior & ferrô quod Noricus excoquit ignis.

Et Horatius, *l.* 1. *Od.* 16. *v.* 9.

——— *Quas neque Noricus*
Deterret enſis. ———

Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 474.

Tum ſciat aërias Alpes & Norica ſi quis
Caſtel'a è tumulis. ———

Hanc regionem Solinus, *c.* 23. *frigidam* vocat *& parciùs fructuoſam. Nic. Lloydius.* Vide quoque B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti. *Baudrando*, alias pars Illyrici Occidentis extra Germaniam fuit, à qua Danubiô dividebatur: nunc intra Germaniam. In eo ſunt Auſtria majori ex parte, verſus Occidentem Stiriæ pars Occidentalis ſeu ſuperior Carinthia, Carniola ſuperior, ditio Saliſburgenſis: & minuta pars Bavariæ ſuperioris, & ad Ortum, ut & aliquot loca Comitatus Tirolenſis ad Boream.

NORICUM Mediterraneum pars Norici longius à Danubio in Auſtrum recedens, ubi Stiria & Carinthia.

NORICUM Ripenſe, pars erat Borealis Norici, inter Danubium ad Boream & Noricum mediterraneum ad Auſtrum: in quo erant Alauni, Ambidrani ex parte, Focunates & Sevaces. Nunc autem Auſtria ſuperior cum parte inferioris & ditio Saliſburgenſis.

NORICUS Bernardus, vide *Bernardus.*

NORIMBERGA, vide NORICORUM MONS.

NORMA, inventum Theodori Samii, Plin. *l.* 7. *c.* 56. Græcis γνώμων, eſt quâ anguli exiguntur, an recti ſint, ut perpendiculum, quô altitudines: linea vel regula, quâ longitudines explorantur. Lucianus *in Harmonide*, Ὁ γνώμων φασὶ καὶ ὁ κανὼν τῶν τοιούτων, *norma & regula talium.* Gloſſæ, *norma*, ἀκολουθία, τύπος, καλάπους, γνώμων. Cicero *Academ.* 2. *Atqui ſi id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis*: καθέτοις, γνώμοσι, κανόσι. Componitur ex angulis rectis & Latinæ literæ *L.* formâ repræſentatur: unde angulus rectus *Normalis* propriè Latinis dictus, qui ex rectis lineis comprehenditur; acutus, quia compreſſior rectô, *minus Normali* & obtuſus, quia recti excedit normam, *plus Normali* appellatur. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 669. & ſuprà in voce è γνώμη detortâ, *Groma.* Monaſticæ Rei Scriptoribus, *Norma*, regula Monaſtica eſt, Tartarius Floriacenſis *de S. Mauri Translat.*

O decus Abbatum, lampas clariſſima Patrum,
Audio te tantum, quantum decet eſſe Magiſtrum,
Teque tuosque ſacram directô tramite Normam
Obſervare, pius quam conſtituit Benedictus, &c.

Hinc in *Charta* Donationis ſeu fundationis Abbatiæ Agaunenſis apud Car. du Freſne, *Normæ* dicuntur turmæ Monachicæ, ex variis Monaſteriis erutæ, quas in recèns a ſe extructum Agaunenſe Monaſterium induxerat Sigismundus, eô numerô, ut indeficiens eſſet Hymnodia, eæque in obeundis Eccleſiaſticis & Canonicis Officiis viciſſim ſibi ſuccederent. Appellantur verò ipſi ſingulæ novem turmæ, *Normæ*, quòd ſingula Monaſteria (*Granenſe, Iſianum, Jurenſe, Molvenſe* &c.) unde accertitæ erant, ſuis regerentur Normis ac regulis. Locus ſic habet: *Sanctus Victorius, Gratianopolitanæ Urbis Epiſcopus ait ---- Rectè mihi videtur, ut ſecundùm pleniſſimam devotionem Domini Regis & pſallendi inſtitutionibus, fiant novem* Normæ, *i.e. Granenſis, Iſiana &c. ut ſuccedentes ſibi in Officiis Canonicis, i.e. Nocturnis, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpertina, in hac die noctuque indeſinenter Domino famulentur.* Item, *Quidquid à Prioribus ordinatum fuerit, juniores ſine murmuratione expleant & per ſingulas* Normas *Decani conſtituantur digni, ut Abbas, diviſô pondere, de providentia eorum ſit ſecurus.* Unde in *Formulis veterib.* Lindenbrogii, 21.22. *Ubi illuſtris Cuſtrix præeſſe videtur, unà cum* Norma *plurium ancillarum ibidem conſiſtentium.* Charta Chilperici Regis apud Meuriſſium *in Epiſc. Metens. p.* 146. *Ubi venerabilis vir Leutberius Abba, unà cum* Norma *plurium Clericorum deſervire videntur*, &c.

NORMANNI, meliùs NORTMANNI, quaſi NORTMANNER, populi Septentrionales. Hi, poſtquam Deo viſum, res Oſtrogothorum, Wandalorum, Longobardorum evertere, Carolô M. rerum potiente, ſub finem ſeculi octavi, primum innoteſcere cœperunt, &c. ſub Regnero trium Septentrionis regnorum Domino, ſedibus ſuis, Scandinaviâ nempe, ſeu Daniâ, Norvegiâ, Suediâque exciti, circa A. C. 836. provincias Chriſtianas crudeliter devaſtârunt. In Galliam ſub Carolo Calvo effuſi, circa A. C. 845. vix pecuniâ pacem conceſſere: reverſi mox, Normanniam incolendam acceperunt. Vide *Normannia*: aliâ parte Britanniæ Armoricæ conceſſione placatâ. Intra quod temporis ſpatium urbes, oppida, caſtella innumera ab iis, capta, incenſa, vaſtata ſunt. Edelvoldum Angliæ Regem A. C. 847. in eas redegerunt anguſtias, ut Leoni IV. Papæ regnum tributarium reddere cogeretur: ab Edelredo IX. præliis victi, A. C. 866. nec contra hujus ſucceſſorem Alfridum fœliciores. Ab horum ſævitia ut tutæ eſſent Scotiæ Moniales, labra naresque ſibi præſciderunt, additâ in publicis ſupplicationibus formulâ, *A furore Normannorum, &c.* Poſteà in Gallia, cum Rollone duce, baptizati, in Anglia quoque ab Alfrido ad religionem adacti ſunt, A. C. 876. Cum illorum duce Godofredo, traditâ illi Friſiâ, & Giſelâ, filiâ Lotharii elocatâ, tranſegit Carolus Craſſus, A.C. 881. poſtquam à Ludovico Germaniæ Rege primò ad Scaldim victi, eum ad Luneburgum gravi clade affeciſſent, A. C. 878. Arnulphi Imperatoris victores, A. C. 892. Carolo Simplici, contra Robertum Pariſiorum Comitem fortiter aſtiterunt, A. C. 922. Nec Gallia ſolùm omnis Scotiaque illis vectigales factæ: etiam Hiſpaniæ & Italiæ oras arbitratu ſuo adiêre, ad annum 1000. Ex illis in Neuſtria Normannis fuêre, qui à bello Syriaco reduces, poſt illuſtres editas operas redeuntes, magnis rebus contra Saracenos pariter Græcosque geſtis, à Nicolao II. Pontifice Apuliam, Calabriam & Siciliam in feudum acceperunt, Saracenosque inde expulêre A. C. 1058. Vide *Rheginonem*, *Aventinum*, *Crantzium*, Grotium in primis, *in Hiſt. Goth.* Compendiô hæc de illis Rogerius Hovedenus, Anglus: *Audax Francia Nortmannorum militiam experta delituit. Ferox Anglia captiva ſuccubuit, dives Apulia ſortita refloruit. Hieroſolyma famoſa & inſignis Antiochia ſe ei ſuppoſuit.* Vide plura in *Normannia.*

NORMANNIA, provincia ampla & valde fertilis Galliæ, vulgò *Normandie*, cum Ducatus titulo, in qua pars Neuſtriæ. Habet à Septentrione & Occaſu mare Britannicum ab Ortu, Picardiam & Inſulam Franciæ, à Meridie, Belſiam, Perticenſem & Cenomanenſem provinc. uti & tantiſper Britanniam minorem. Ab Ortu in Occaſum ad 70. leuc. extenſa, nempe à limite Picardiæ ad oram Oceani, verſus Cæſaream Inſul. lata eſt 30. circiter leuc. Tota ſub Galliæ Rege exceptis Inſul. Cæſareâ, *Jarſey*, & Sarniâ *Garneſey*, quæ ab aliquot ſeculis Anglis parent, *Baudr.* Hanc olim coluerunt Venellocaſſes, Bajocaſſes, Abrincanti, Aulertii, Eburovices, Sai, Seſuni, Conſtantienſes, Leponii, Caletes & Nervii; *Merula*, *Mercat.* In ea 7. urbes Epiſcopales, quarum metropolis eſt Rothomagus, vulgò *Rouen*; In hac provinc. Reformatorum Eccleſiæ L. circa A. C. 1628. numeratæ ſunt, hodieque magnus illorum ibidem numerus. A Normannis autem populis Septentrionalibus ex Scandinaviâ, ſeu Norvegia, & Suecia profectis, qui in Galliam irrumpentes, in eâ regione conſedêre, nomen habet. Populi *Normanni*, quaſi viri ſeptentrionales, à Carolo M. devicti, & ad Chriſti fidem perducti, *Lloydius.* Horum hiſtoria paucis hæc eſt. Ingenioſi, ſed ad iram & lites paulo proniores, ſolum colunt frigidum, at fertile, niſi quòd Bacchum parum habet propitium: fortes & generoſi. Clodoveus regionem hanc in provinciam redegit, fuitque tum pars regni Sueſſionenſis. Poſteà Normanni, ſub Carolo Calvo, in Galliam effuſi, omnia longè lateque vaſtârunt, per Ann. 80. ad turpia tributa pactionesque Gallis adactis, & Lutetiâ tertiâ vice obſeſſâ: Unde *à furore Normannorum libera nos Domine*, ſolenniter in templis cantatum diu: donec Carolus Simplex, pace cum illis initâ, Giſlam filiam Rolloni Principi illorum elocavit, Normanniâ titulô Ducatus ei conceſſâ, ſub fide Galliæ Regum. Hîc A. C. 912. baptizatus, Roberti nomen accepit: Ei ſucceſſit fil. Guilielmus I. Longus Enſis: pater Richardi I. Senioris, cui fil. Richardus II. Intrepidus ſucceſſit. Hunc excepit Robertus II. qui ex Herleva, nobilis cujuſdam viri uxore, Gulielmum Nothum genuit, poſteà occupatô Angliæ regnô, Conqueſtorem dictum. Cui mortuo A. C. 1087. ſucceſſit Robertus Guilielmus Rufus, & Henricus I. qui, Angliæ uſurpator, filiam Mathildem reliquit, Godofredo V. Comiti Andegavenſi nuptam. Ex hoc conjugio natus eſt Henricus II. Angliæ Rex, Normanniæ Dux & Pater Henrici Junioris Richardi ſuperbi, Godofredi & Johannis; qui Sine-Terris dictus, Arturô filiô Godofredi necatô, Ducatu Normanniæ privatus eſt, judicis ſententiâ, A. C. 1202. qui ſic coronæ eſt reunitus, ſub Philippo Auguſto. Sub Carolo VI. Angli Normanniam denuo occupârunt, illâ iterum ſub Carolo VII. exuti. Ludovicus XI. illam fratri conceſſit, ſed mox reddita, ab illo tempore nunquam iterum à regno divulſa eſt. Cœterùm Normanni Apuliâ quoque, Calabriâ & Siciliâ potiti, &c. Vide Dudonem, Guiliel. de Jemieges, Ordricum Vitalem *de geſtis Normannorum.* Ab A. C. 838. uſque ad A. C. 1220. Edidit Ducheſnius, Pariſiis, A. C. 1619. Carol. Burgavillanum, *antiq. Normann.* Joh. Nagerelum, *deſcr. Normann.* Claud. Molinæum, *Hiſt. Gener. Normann. &c.* Addo, quòd provinc. *Lugdunenſis* II. quoque dicitur ſub ingreſſum Nortmannorum *Neuſtria* appellata, quæ à Moſa ad Ligerim primùm, deinde à Sequana ad Ligerim pertinuerat, tum verò nomine ſoli Lugdunenſi II. attributô. Data eſt hæc provincia, quæ 7. Civitates continet à fluvio Itta ad fines Britanniæ, Rolloni A. C. 896. qui jam Metropolim ejus occupaverat. A quo tempore *Nortmanni*, Baptiſmate cum Duce ſuo initiati, ibi conſedêre, ſuô regioni nomine impoſitô, ita ut nunc veteri nomine *Neuſtria*, nunc novô

Nort-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Nortmannia, promiſcuè appellaretur. *Nortmannia nova* dici poteſt, ut diſtinguatur à *Nortmannia* veteri ſeu Norwagia, patria Nortmannorum. Sigebertus *in Chron.* eam *Nortmanniam Francorum*, i.e. in Regno Francorum poſitam, vocat, cùm ait: A. C. 1032. *Rotbertum & Richardum à Nortmannia Francorum digreſſos, Apuliam petiiſſe, & A. C.* 1038. *copiis ſuis ex Nortmannia paulatim adauctis, caſtella & urbes Apuliæ aut doló aut virtute cepiſſe.* Cœterùm Rollonem, de quo ſuprà, Frodoardus *in Chron.* appellat *Principem*; ut & Wilhelmum ac Richardum: Glaber Rodolfus *l. 2. c. 7. Ducem Rotomagorum Ricardum*: & alibi, *Comitem Rotomagorum*: Sigebertus *ad A. C.* 1006. *Richardum Comitem Northmannorum* &c. vocat: Sæpius tamen *Duces Nortmannorum* ab Hiſtoricis Galliæ, aliquando tamen etiam *Marchiones*, nuncupati deprehenduntur: è quibus Guilielmus A.C. 1066. Haraldô Rege Anglorum fuſô acie & cum multis ſuorum millibus cæſô, Angliæ Regnum occupavit. Dux Nortmannorum autem inter laicos Duces, Pares Franciæ, ultimum ſemper locum tenuit, Ducibus Aquitaniæ atque Burgundiæ vetuſtatis ac ſplendoris cauſâ præcedentibus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ubi hoc de *Nortmannia* elogium ſubjungit: *Hæc eſt Nortmannia Apuliâ & Calabriâ potita quondam; Hæc in Sicilia dominata, terrori etiam fuit Imperatoribus Orientis; hac Antiochia etiam Principatum obtinuit.* Idem, in voce *Rotomagus*, provinciam maximam & opulentiſſimam vocat, præter 6. ſedes Epiſcopales Rotomago Metropoli ſubjectas, magnum oppidorum, caſtellorum & portuum numerum continentem. Ibidem, longitudinem ejus 6. dierum iter, latitudinem 4. expedito patere, quanta Britanniæ & Armoricæ longitudo atque latitudo eſſe dicatur, addit ex Alano Carterio *in Carolo VIII.* & Nicolao Ægidio. Vide quoque ſuprà *Normanni* & infrà in voce *Nortmanni*.

URBES NORMANNIÆ PRÆCIPUÆ:

Abrincæ, *Avranches.*	Ebroicæ, *Evreux.*
Alenconium, *Alençon.*	Faleſia, *Falaiſe.*
Argenianum, *Argentan.*	Fanum S. Laudi, *St. Lo.*
Bajocæ, *Bayeux.*	Giſorium, ſeu Cæſortium, *Giſors.*
Cadomus, *Caën.*	Lexovii, *Liſieux.*
Calidobecum, *Caudebec.*	Pons Arcuenſis, *Pont de l'Arche.*
Caroburgus, *Cherbourg.*	Portus Gratiæ, *le Havre de Grace.*
Carentanium, *Carentan.*	Rotomagus, *Roüen*, provinc. caput.
Conſtantia caſtra, *Coutances.*	Sagium, & Sajum, *Seez.*
Diepa, *Diepe.*	
Vira, *Vire.*	

NORONDABATES, nobilis Perſa, ſecundùm Cteſiam, è 7. illis qui Smerdin Magum, Cyri filium ſe ferentem, & regnum occupantem conjurati ſuſtulerunt.

NOROSSI, Scythiæ, intra Imaum gens, & *Noroſſus* ibidem mons, *Ptol.*

NORTGOJA, regio Germaniæ, an ubi Nariſci olim? continens Landgraviatum Liechtebergenſem, Palatinatum ſuperiorem, Marchionatum Onſpacenſem, & Burggraviatum Norimbergenſem. Nortgovia, juxta Germanicam interpretationem, ſignificat ſeptentrionalem plagam aut terram. *Nort* enim Germanis Aquilonem, *Geu* terram, & agrum ſignificat. Eſt quoque Bojoariæ portio Trans-Danubianæ. A Septentrione Voitlandiam vicinam habet, ab ortu Boiemiam, à meridie Danubiô fluviô à reliqua Bavariâ ſeparatur, ab occaſu Sueviæ parte ac Franconiâ terminatur. Ejus metropolis eſt Nuremberga.

NORTHANTONIA, provinc. Angliæ, inter Huntingdoniam ad Ortum, Leiceſtriam & Rutlandiam ad Boream, Warwicenſem ad Occidentem, à Cæcia in Africum extenſa, Hujus caput eſt, urbs.

NORTHANTONIA, ad Anſonam amnem, 24. milliar. Angl. ab Oxonio in Boream, 18. à Varvico in Ortum, ut & à Leiceſtria in Meridiem. Hîc Concil. A.C. 1138. & 1164. contra Thomam Cantuarienſ.

NORTHUMBRIA, Regio, ſeu Comitatus Angliæ Borealis, Scotiæ finitimus, *Northumberland.* Ubi olim Ottadini. Habet ad Ortum Oceanum Germanic. ad Boream Scotiam, ad Occaſum Cumbriam, à Meridie Diœceſin Dunelmenſem. Ejus oppid. præcipuum eſt Novum Caſtrum. Fuit aliàs Northumbria Regnum, in quo erant Northumbria propria, Cumbria, Weſtmaria, Lancaſtria & Eboracenſis, cum Diœceſi Dunelmenſi, *Joh. Speedus.* Fundamenta regni hujus poſuit Idas, frater Hengiſti, circa A.C. 547. è cujus ſucceſſoribus Edelredus Britones, Gregorio M. ſubjectionem denegantes, graviter afflixit, A.C. 597. unâ die 1200. Monachis trucidatis, Gilfrid. *l.* 8. *de geſtis Brit.* A Danis occupata ſequentibus temporibus, ſed recepta Northumbria eſt ab Adelſtano, A.C. 929. cujus ſucceſſor Edmundus, Northumbris devictis, totius Inſulæ dominus evaſit, A. C. 940. Polydor. *l.* 6. *&c.* Northumbriæ Ducis Johannis Dudlæi, qui Johannæ Grajæ ſocer, illam ad regnum evehere conatus eſt, excluſâ Mariâ, circa A. C. 1553. Hiſtoriam, vide apud Thuan. *l.* 8. *hiſt.*

NORTHUSIA, urbs Imperialis Germanica Cheruſcorum olim ad Sylvam Hercyniam in Thuringia, ad amnem *Zorge*, media ferè inter Erfordiam ad Meridiem & Halberſtadium ad Boream: ſic dicta ab Aquilone, quem reſpicit. Ejus conditor traditur Merovæus Francorum Rex, A. C. 447. Torneamentis nobilitata, inprimis Henrici I. Landgrav. Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, qui arbore, aurea argenteaque habente folia, in medio locatâ, ſumptibus etiam Cæſare dignis, curſus equeſtres hîc celebravit, Georg. Fabric. *in Marchion. Miſn.* Ibi quoque conventus quidam Eccleſ. A.C. 1105.

NORTHUSIUS Johannes, Euangelii præco, apud Gebhardum Archiepiſcopum Colonienſem, hôc è editione exturbatô, Bonnâque captâ, cùm palinodiam canere recuſaret, manibus pedibusque vinctis, in Rhenum projectus, ſed admirabili Dei providentiâ ſervatus eſt, A.C. 1584. die 27. Januar.

NORTIA, i.e. *Fortuna* Tuſcis: Meminit Livius *l.* 7. *c.* 3. Juvenal. *Satyr.* 10. *v.* 74.

—— *Idem populus ſi Nortia Tuſco*
Faviſſet ——

Ubi vulgò *Nurſcia.* Capella, *l.* 1. *Quam alii Sortem aſſerunt. Nemeſinque nonnulli, Tychenque quamplures, aut Nortiam.* Alii *Nyrtiam* legunt.

NORTMANNI, *Sigeberto* ejusque ſeculi ſcriptoribus omnes ferè gentes Septentrionales dicuntur, ubi ſunt Norvegiani, Sueci, cœterique qui Scandiam peninſulam incolunt. Valeſio inter Septentrionales Europæ nationes maximè olim eminuêre Dani, Suethidi atque *Nortmanni*, qui ſubactis finitimis populis, tria Regna non obſcura condiderunt, & Germaniam, Britanniam Inſul. ac Galliam multis ac ſævis incurſionibus vexaverunt, ex Jornande *de orig. & geſtis Gothorum*, qui Danorum Suethidorumque meminit & inter Scanziæ ſuæ 28. nationes numerat: Scriptoribus item *rerum Anglic.* qui Danorum, Suethidorum *Nortmannorumque* mentionem faciunt; quorum ultimos notiore ac recentiore nomine *Norwagenſes, Norwegenſesque* appellant, ut ex Henr. Huntintonienſi *prol. l.* 5. *Hiſtor.* & Rogero Hovedeno *Annal. part. priore*, patet. Et Dani quidem, ab ipſiſmet *de Danske*, à Germanis *die Daenen*, à Gallis *Danois*; Suethidi autem patriâ linguâ *the Suenske*, Germanis *die Sueden*, Gallis *Suedois* & *Suedes*, hodieque appellantur. *Nortmannorum* verò vel Norwagenſium regionem Magiſter Adamus, qui circa A. C. 1080. ſcripſit, modò *Nordmanniam*, modò *Nordwegiam* vocat: Ut alios taceam. Eoſdem *Sueones* olim dictos eſſe, docet Eginhardus *de Vita Caroli M.* & Rembertus *de Vita S. Anſcharii*, ut ſic *Suethidi* veteres, qui hodierni *Sueci*, cum *Sueonibus* priſcis malè à quibuſdam confundantur. Et certè Sueones cùm Galliam incurſionibus ſuis vexare cœperunt, quod factum Caroli M. Principatu, jam tum *Nortmanni*, i.e. *Aquilonares* à ſitu vocabantur: quod nomen licèt omnibus Septentrionalibus Aquilonaribusque ex æquo convenire poſſe nationibus videretur, tamen Sueonibus præcipuè, atque nonnunquam Danis, nec non Ruſſis, à Germanis attribuebatur, teſtibus *Eginhardô* & *Aimoinô*: Qui ambo cum Albone aliiſque promiſcuè nunc *Nortmannos*. nunc *Danos* vocant, quòd, ut finitimi alteri alteris erant, ita alteri alteris juncti ſæpe piraticam exercebant: adde, quòd Dani Gallis propiores erant, adeoque notiores. *Cynocephali* porrò per jocum dicti leguntur à Gallis, quòd more canum capita plana haberent: ut hodieque in eorum poſteris apparet, cùm capite ſunt raſô. Certè Monachus Sanctigallenſis *l.* 2. *de geſtis Caroli M. c.* 21. eum Principem, de Godefridi Regis Nordmannorum cæde ac copiis hâc illacque dilapſis, ita loquentem introducit: *Videre non merui, quomodo Chriſtiana manus mea cum Cynocephalis illis luſerit.* Iidem & *Bigothi* à Francis dicti ſunt, propterea quòd Rollo, illorum Dux, *bi Goth*, i. e. *per Deum* juraverit, ſe pedem Caroli Francorum Regis pro accepta Neuſtria minimè oſculaturum, ut legitur *in Chron. ad A. C.* 1137. vel quia is, acceptâ provinciâ à Carolo Simplice, jam baptizatus cum ſuis, patriâ linguâ fidem Regi per Deum juraverit pollicitusque ſit, ut refert Guil. Nangiacenſis *ad A. C.* 896. A quo tempore per jocum, & ex ignorantia linguæ *Bigot* ſeu *Bigoti* vocati ſunt: Gallicâ linguâ *Norois* quandoque dicti. Fulcherius Carnotenſis *Hiſtor. Hieroſ. l.* 2. *Noroënſes* vocat: Matth. Weſtmonaſterienſis, nunc *Norwegenſes*, nunc *Norenſes*: Radulfus *de Diceto* aliique *Norreganos*; quidam *Noricos* quoque: Abbo *l.* 2. *de obſid. Lut.* nunc *Allophylos*, nunc *Gentiles*: alii ſimiliter *Paganos*, ab idolorum cultu appellant &c. Hæc varia *Normannorum*, quos Norvegia olim Regnum, nunc Regni Danici provincia, frigore ac nivibus ſqualida & maximis ſylvis ac montibus à Suecia diviſa, per annos ampliùs centum Galliæ immiſit, nomina ſunt. Et quidem, ut dictum, Carolô M. imperante primùm piraticam exercuêre: deinde majore claſſe contractâ, Friſiam & Saxoniam, Germanicæ Regiones maritimas, ac litora Galliæ vaſtavêre. Regnante Ludovicô Piô, idem ab iis factum, & ora Galliæ, quâ Oceano alluitur, cum Inſulis Friſiaque vexata, ac tributum ab incolis exactum. Mortuô dein Imperatore ortôque inter tres ejus filios bellô graviſſimô, eâ occaſione uſi multò quàm antè atrocius crebriúſque ſævierunt, & nunc junctis in unum viribus, nunc diviſis claſſibus, unô tempore diverſis ex partibus Galliam aggreſſi ſunt, ac majora flumina adverſa ſubeundo, loca omnia ripis fluviorum adpoſita igni ferrôque vaſtaverunt. Tum pauciſſimis urbibus caſtellisque intactis remanentibus, ſacra profanaque direpta, innumeri homines cæſi, capti, decimati: Spoliatisque miſeris incolis tributum impoſitum eſt, quô acceptô prædones domum reverterentur. Eadem ſub Carolo Calvo, ejusque filio ac nepotibus, à variis *Nortmannorum* Archipiratis ac Regulis, Gallia paſſa eſt: è quibus Rollo cùm ferociſſimè Gallorum jugulis immineret, Carolus Francorum Rex, quem vulgò *Simplicem* cognominant, Caroli Calvi nepos, eum cum ſuis, dummodo Chriſtiani fierent, in Galliæ finibus collocare conſtituit, conſentientibus Optimatibus univerſis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, B. Rhenanum cum *Notis* Ottonis JCti & ſuprà, in voce *Normannia*.

NORVEGIA, regnum Europæ ſeptentrionalis verſùs Oceanum Germanicum ſitum, vulgò *Norweg*, quæ eſt, ſi interpreteris *Septentrionalis Via*. *Nort* enim Germanicâ linguâ, *Septentrionem* ſignificat, *Weg*, *viam*. Fuit regnum Norvegiæ aliquandiu florens, imperiumque tenuit per Daniam, Friſiam, inſulasque adjacentes, donec domeſticum imperium per hæreditariam ſucceſſionem adminiſtratum fuit. Poſteà ſub interregno, conſenſu procerum inſtitutum eſt, ut reges per electionem ſuſciperentur; *Baudrandus* ſic habet: Norvegia, regnum amplum Europæ, ad Arctos extenſum, quod vulgò *Nordwege* dicitur; eſtque à faucibus ſinus Codani & Scania provincia Daniæ, uſque ad promontorium Boreale & Lap-

& Lapponiam, ſed non æque latum, habens ad ortum Sueciam & ad occaſum mare Germanicum. In eo ſunt quinque provinciæ ſeu præfecturæ, nempe Aggerhuſia, *Aggerhuſ*, Bergenſis, *Bergenhuſ*, Nidroſiana, *Dronthemhuſ*, ſub qua ſubpræfectura Sancti s, *Salten*. Wardhuſiana, *Wardhuſ*, & Bahuſiana, *Bahuſ*. Sed hæc ultima ſubeſt nunc Regi Sueciæ pace Roſchildi initi. Separatur à Sueciæ regno Sevô monte; & illi ſuêre Sitones populi, *Saxone*, *Ionetiô*, & aliis teſtibus. Urbs Norvegiæ caput eſt Nidroſia, *Dronthem*. Pendent etiam ex Norvegia Iſlandia inſula, in quam Norvegi, tyrannidem Haraldi fugientes, Duce Ingolfô, migrârunt, A.C. 860. Gronlandia, Spitzberga, & Schetlandicæ inſulæ ſupra Orcades. Extenditur autem Norvegia à ſeptentrione in meridiem per 300. milliaria Germanica, & longa montium nive perpetua contectorum interceſſione à Sueciæ regno diſterminatur, cùm Jemptia & Harria provinciæ Norvegiæ trans Sevum montem nunc ſubſint Regi Sueciæ ab A. C. 164 . pace ad Bromsbroam. Norvegia, de cujus converſione, vide Hug. Grotium *in Hiſtor. Longob.* aliàs Reges habuit proprios, inter quos magni inprimis nominis Canutus fuit, cujus operâ Lotharius Imperator in Dania, Suecia, Norvegia, Gronlandia & Iſlandia Epiſcopos inſtituit, circa A. C. 1133. Is moriens filiis Sueino Norvegiam, Canuto Daniam, & Haraldo Angliam reliquit. Saxo Grammat. *l.* 10. Spangenb. *in Chron.* Acho autem, A. C. 1263. Scoticâ expeditione infelix, mœrore animi obiit. Buchan. *hiſt. Scot. l.* 7. poſtquam Iſlandi Haquino Regi ſe ſubmiſiſſent, A. C. 1261. Poſtmodum Magnus Sueciæ Rex per matrem, Norvegiæ quoque hæres, illam Haquino filio reliquit, A. C. 1343. Crantz. *Hiſt. Dan. l.* 6. Cujus fil. Olaus, patre mortuô, illam Daniæ adjunxit, A.C. 1375. Poſt quem Ericus VIII. Daniæ, Sueciæ, Norvegiæque Rex declaratus eſt, A.C. 1396. qui diuturnis bellis attritus, relictis regnis, privatus conſenuit. Ab A.C. 1387. (quô Aquinus Daniæ Rex, ex Margareta Waldemari 3. filiâ, nullâ prole ſuſceptâ, decedens utrumque regnum, Erico Duci Pomeraniæ reliquit, cujus ſucceſſorem Chriſtophorum excepit Chriſtiernus, fil. Dieterici, Comitis Oldenburgici, A. C. 1448.) uſque ad noſtram hanc ætatem regni Daniæ dominatui hæreditario obnoxium manſit, juribus tamen & privilegiis ſuis ſartis & tectis conſervatis. Vide Gonitzium, Cluv. Sanſon. Brietium, *in Geograph. &c.* Cœterùm habet ab Ortu Sueciam, ab Auſtro Daniam, ab Occaſu & Septentrione Oceanum. Ex ejus Præfecturis Wardhuſienſis, in extremo Borea, poſt Sueciam & Lappiam ad 73. grad. Elev. Poli ſita eſt, à qua haud procul abeſt Caput *Noortkyn*, olim promontor. *Rutubas*, quod maximæ Europæ latitudinis unum terminum ponunt Geographi. Junxit hoc Regnum Daniæ Regno Olaus V. Rex Daniæ in locum Waldemari III. electus, & Haquini Regis *Norvegiæ* ex Margarita, celebri illa Arctoa Semiramide, filius, quod factum circa A. C. 1377. Vide Pontanum *Hiſtor. Danicæ l.* 8. Unde hodierni Daniæ Reges Daniæ, *Norwegiæ*, Vandalorum & Gothorum Reges dicuntur; & licèt Duces Holſatiæ à *Norvegia* quoque denominentur, *Hæredum* ſingulari id fit nomine: Inſignia Regni Leo cum bipenni, ejuſdem Regis inſignibus, quæ numeroſis abundant imaginibus, inſerta conſpiciuntur. Imprimis autem *Hæredes ſe Norvegiæ* dixêre Dani, à quo maximâ libertatis parte *Norvegi* à Chriſtierno II. multati ſunt, ob ſeditionem concitatam ab Hermolao ſeu *Herlof Hudfad*, quem captum cum filiô & ope Matthæi Epiſcopi Opſolienſis rotæ Rex impoſuit, fruſtrà Suecis contrà nitentibus, & Loſâ, Elsburgô ac Doreſtenâ captis ac deletis. Ipſe tamen poſteà, cùm regnô aliquandiu extorris, tandem militibus in Friſiâ conductis & Hollandis, juſſu Caroli V. Imperatoris auxiliantibus, illud repetiturus, in Seelandiam appellere conaretur, in *Norvegiam* rejectus, & poſt Aggershuſiam fruſtra obſeſſam, a Canuto *Guldenſtern* victus captusque eſt, Phil. Jac. Spenerus *Syll ge Geneal. Hiſtor.* Nec omittendum, inter Daniæ Regum Dynaſtias, de quibus compendioſè agit Swaningius *in Chronol.* prolixiùs Pontanus *lib. cit.* poſt Dynaſtiam Danorum, ſeu Selandorum, Dano-Suecorum, Gothlandorum, Scanorum, duas *Norvegorum* Regum ſequutas eſſe, quarum prior ab Olao Vegeto, ad Siwardum *Ring*, Regem ſexageſimum tertium, annorum fuit 485. Regesque habuit 22. Poſterior, à Siwardo II. ad Suconem Eſthritium, Regem octogeſimum, per annos 237. extenſa, 17. Reges dedit: Cui ſucceſſit Dynaſtia Anglo Danorum ſeu Suconidarum, & Oldenburgica, hodieque durans, &c. Vide Alb. Crantzium *in Daniæ, Suediæ & Norvegiæ Chron.* Stephanum Joh. Stephanium, *in Tractat. variis de regno Daniæ & Norvegiæ Inſulis adjacentibus*, Joh. Martinum Schlangerupenſem *in Chronico Norvegiæ*, Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 5. *de Regno Daniæ*, Phil. Jac. Spenerum *libro locoque ſuprà cit.* &c. ut & ſuprà, in voce *Nortmanni.* Hornio antiquitus *Norvegia* ſub variis fuerat Regulis, tempore Carolovingorum *Nordmannia* dicta (unde circa A. C. inprimis 800. immenſa illa Nordmannorum agmina per Gallias, Britannias, Germanias diffuſa) Primus univerſam regionem Imperiô complexus eſt Haraldus præfatus, circa A. C. 878. conditor regiæ *Harfagerorum*, i. e. Comatorum, familiæ, quæ per 6. ſecula continua regno præfuit, uſque ad Olaum, de quo *ſuprà.* Ex *Norvegia*, Iſlandia colonos accepit, circa A. C. 900. cùm pulſi ab Haraldo Reguli aliquot cum familiis ſuis eò ſe receperunt, confluentibus aliis paulatim aucti. Et quidem Iſlandi hi initiò liberi fuerunt, ſuamque habuerunt Rempubl. donec *Norvegiæ* Reges jus in eos, tanquam originis ſuæ, prætenderent, in quorum etiam poteſtatem poſtmodum illi ceſſerunt. Mexicanos verò, dum *Norvagorum* ſeu *Norvegorum* per Gronlandiam propaginem eſſe contendit *Hugo Grotius*, *Abrahamum Mylium* ſequutus, aſſenſum non impetrat, extantque contrà doctiſſimæ *Johannis de Laet* obſervationes, ubi oſtendit nec rationem temporum, nec morum, nec linguæ, nec antiquorum traditionem pati, ut origo Mexicanorum à Gronlandis deducatur. At Orcades & Hebrides Inſulæ ad Scotiam ſitæ incolas ex *Norvegia* acceperunt, ac illius proin Regibus diu ſubjectæ fuêre: donec, bellis aliquoties inter Scotos ac Norvegos de poſſeſſione illarum recrudeſcentibus, tandem Aquinus Norvegiæ Rex eas Alexandro III. Scotiæ Regi conceſſit. Quô factô cum nihilominus controverſiæ minimè ceſſarent, Chriſtianus I. Daniæ Rex Jocobo III. Regi Scotiæ, eas cum filia ſua in dotem dedit, de qua tranſactione authenticas ſe vidiſſe tabulas, refert *Buchananus*. Hiberniam quoque *Norvegos* ſub poteſtatem redegiſſe, docet idem Hornius *Orb. Pol. Part.* 3. *p.* 52. Primus fidem Chriſtianam genti tradidit Olaus I. Haraldi aliquoties dicti nepos. Nec omittenda Helſingiæ mentio, quæ potens olim per Norvegiam & Sueciam Regnum, & à Scania uſque in Potniam, Lappiam ac Scrito-Finniam extenſum, tandem à Regibus Sueciæ deſtructum atque in provinciam redactum eſt, unde hodie nulla ejus memoria ſupereſt, niſi in Helſenburgo & Helſinora, ad Sundam, caſtris. Idem *Orb. Imper. p.* 238. & 239.

NORVEGIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Anſloga, *Opſlo.*	Nidroſia, *Drontheim*, regni caput.
Bahuſia, *Babus*, nunc ſub Suecis.	Saltzberga, *Saltzberg.*
Bergæ, *Bergen.*	Stavangria, *Stavanger.*
Chriſtiana. Vide Anſloga.	Tonsberga, *Tonsberg.*
Fridericoſtadia, *Fridrickſtadt.*	Wardhuſia, *Wardhus.*

NORVICUM, urbs Angliæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, ad amnem *Jarr.* Vide *Nordovicum.*

NORUNT Fideles, ſeu *Quod norunt fideles* ſeu *Norunt initiati quod dicitur*, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, formula frequens in Patrum ſcriptis, in mentione potiſſimùm Sacramentorum uſu trita. In unius Chryſoſtomi *Homiliis* aliiſque ſcriptis minimùm quinquaginta in locis obſervavit Caſaubon. neque multò rariùs, apud Auguſtin. *in Ep. Enarrationibus in Pſalm. Tractatibus in Johan. Homiliis* &c. Inter alia Chryſoſtomus *in Geneſ. ad illa verba è c.* 49. *v.* 2. *Lavabit in vino ſtolam ſuam*: Ὅρα, inquit, πῶς ἅπαν ἡμῖν ἐνταῦθα τὸ μυστήριον ᾐνίξατο· ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον, *Ecce quàm totum myſterium nobis hic indigitaverit: Norunt initiati, quod dicitur.* Habes alterum teſtimonium *in Homil. ejuſd. Op.* 27. *p.* 214. 34. *Comm. in Pſalmum* 143. ubi de lingua loquens, Ἐννόησον, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ μέλος, δι' οὗ τὴν θυσίαν ὑποδεχόμεθα· ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον, *Cogita hoc illud eſſe membrum, quo tremendum ſacrificium excipimus: Sciunt fideles, quid dicam.* Idem *Homil. in Matth.* 72. Αὐτὸ τὸ μυστήριον πόσου ἐλέους, πόσης φιλανθρωπίας; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Ipſum hoc myſterium quantæ miſericordiæ, quanti amoris? norunt initiati.* Et *Homil.* 40. *in* 1. *Corinth.* locum Pauli exponens *c.* 15. *v.* 29. de iis, qui baptizantur pro mortuis: Βούλομαι μὲν σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν· οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους· οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες ἢ μὴ λέγειν σαφῶς ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα, *Cupio quidem perſpicuè rem dicere, ſed propter non initiatos non audeo, hi interpretationem nobis reddunt difficiliorem, dum nos cogunt aut perſpicuè non dicere, aut arcana, quæ taceri debent, apud ipſos efferre:* Deinde addit, ſe quô poterit modô dicturum συνεσκιασμένως, *obſcurè*, vel ut Lucretius loquitur, *adumbratim*, planè, ut apud Theodoretum *Dial.* 2. negat Orthodoxus, de Euchariſtia fas eſſe apertè loqui, quoties periculum eſt, ne adſint non initiati: Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν· εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. Deinde reſpondet Eraniſta: Αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω, *Ænigmaticè reſponſio fiat.* Et *Dial.* 1. dixerat jam Orthodoxus, quum mentio de Myſteriis incidiſſet, Ἀξιῶ σε μυστικώτερον ἀποκρίνασθαι, τινὲς γὰρ ἴσως ἀμύητοι παρεστήκασιν, *Rogo te paulo tectius reſpondere, quidam enim fortè non initiati præſtò ſunt.* Iterum Chryſoſtom. *Catech.* 1. *ad Baptiz.* de calice S. Euchariſtiæ, Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τοῦ ποτηρίου τούτου τὴν ἰσχύν· εἴσεσθε γὰρ καὶ ὑμεῖς μικρὸν ὕστερον, *Sciunt initiati vim hujus poculi. Scietis & vos paulo pòſt*, &c. Similiter Auguſtin. non ſolùm Epiſcopis, Presbyteris, aliiſque Eccleſiarum Miniſtris, curæ fuiſſe innuit, *ut paſſim caverent nudare myſteria:* Sed & ipſe adeò de arcano iſto ſolicitus fuit, ut quoties de Euchariſtia loqueretur, non facilè propriô eam vocabulô, ſed his omnino verbis, *Quod nôrunt fideles*, plerumque deſignaret. Ut innumera alia omittam. Nempe *ſanctiora ſacrorum ſolis initiatis voluerunt eſſe nota* ut Seneca *ep.* 95. ait, diſtinguebantque univerſam doctrinam Chriſtianam, in τὰ ἔκφορα, i. e. *ea quæ enuntiari apud omnes poterant*, & τὰ ἀπόρρητα, i. e. *arcana temerè non vulganda:* de quibus neque in familiaribus colloquiis, neque in catecheſibus, neque in concionibus verba temerè faciebant, coram paganis, catechumenis, aut quibuſvis aliis non initiatis. Unde Cyrillus Hieroſolymitanus *in Procatecheſi* eleganter ait, Catechumenos, quibus fas non eſt cognoſcere ſacra myſteria, περιηχεῖσθαι, *vocem circumſonantem audire:* poſtea verò, quàm facti ſunt fideles, ἐνηχεῖσθαι, *intus audire.* Deinde verbis diſertis præcipit ſuis Auditoribus, ne, quæ didicerint, poſtquam fidelibus fuerint aggregati, Catechumenis, quos ponit inter τοὺς ἔξω, *qui foris ſunt*, enuncient. Atque hinc *Catechiſtarum* & *Catechumenorum* nomen profluxit, à κατηχέω dictorum, quod olim nefas eſſet, myſteria literis committere, voce tantùm tradenda, ut id Eraſmus docet *in Hieron. Apol. ad Domnion. verb.* Κατηχῆσαι, addens, ſe in antiquiſſimo quodam Codice legiſſe, Pontificem quendam Romanum in literis ſuis, cùm multa docuiſſet eum, à quo fuerat interrogatus, de Sacramentis, ſubtraxiſſe verba, quibus ſacrum oleum conſecraretur, ne Myſterium, literis commiſſum, aliquô modô ad profanos promanaret. Quin & vivâ voce informantes Catechumenos, eâ fuiſſe uſos cautione, ne omnem myſteriorum doctrinam illis præmaturè propalarent, etiam ex Ambroſio appa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

apparet ; qui Baptiſmatis lavacrô jam ablutos alloquens, *de his*
qui Myſter. init. c. 1. *Nunc*, ait, *de myſteriis dicere tempus admo-*
net atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante Bapti-
ſmum, ſi putâſſemus, inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe
potiùs, quam edidiſſe, æſtimaremur. Imò Cyrillus præfatus *in*
Prolego, fideles adjurat ſolicitè, ne librum Homiliarum ſuarum
Catecheticarum vel Catechumenis, vel aliis non initiatis, velint
tradere ; alioqui facti rationem Deo reddituros. Idem *Catecheſ.* 6.
Περὶ μυστηρίων, inquit, ἐπὶ κατηχουμένων, λευκῶς οὐ λαλοῦμεν· ἀλλὰ
πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοή-
σωσι, *De Myſteriis, præſentes ſi ſint Catechumeni, clarè non loqui-*
mur : ſed ſæpe multa dicimus tectè, ut qui norunt fideles intelli-
gant, &c. Quod ſi verò quis feciſſet, dicebatur ἐξορχεῖσθαι,
item τραγῳδεῖν τὰ μυστήρια. Uti enim ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια dixe-
runt pagani, de iis qui arcana myſteriorum evulgabant : ita dixit
Dionyſius Areop. *Hierarch. cœl. ſub init.* Ἀλλ' ὅρα, ὅπως οὐκ ἐξορ-
χήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, *Vide, ne enunties, aut parùm reverenter*
habeas ſancta ſanctorum. Et B. Athanaſius, cùm inimici ei obji-
cerent, quòd calicem myſticum per irreverentiam fregiſſet, at-
que in eo crimine exagitando tragœdias ingentes cierent : contrà
illos *Apolog.* 2. graviſſimè accuſat, quòd de myſterio cœnæ Do-
mini, coram Catechumenis atque etiam Græcis & Ethnicis ver-
ba facere non erubuerint. Καὶ οὐκ αἰσχύνονται ταῦτα ἐπὶ κατη-
χουμένων, καὶ τόγε χείριστον ἐπὶ Ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια. Pal-
ladius quoque *in vita Chryſoſtomi*, pro magno ſcelere narrat,
quòd tumultu excitatô contra Virum ſanctum, ab ejus inimicis
irruptio facta ſit in Eccleſiam, & quidem non initiati oculis u-
ſurpârint, quæ erat illis nefas videre, &c. Quæ cauſa verò fue-
rit tam religioſi ſilentii, ut & plura hanc in rem, diximus ſuprà,
in voce *Myſterium* : Conſulantur inſuper Iſ. Caſaubon. *Exerci-*
tat. XVI. ad Annales Eccleſ. Baronii §. 43. & Tob. Pfannerus *Theol.*
Gentil. Purior. c. 1. §. 9. *& ſeqq.*

NOSCOPION, Lyciæ urbs, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

NOSIDES, inter fœminei calceatus genera, cum Aphractis,
Opiſthocrepidis, Canabiis, Nudipediis, Nyctipedibus, Meſoper-
ſicis aliiſque, recenſentur, apud Jul. Pollucem *Onomaſt. l.* 7. *c.*
22. Vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 20.

NOSOCOMIUM, locus, in quo ægrotantium publicè cura habe-
tur. Hieronym. *Ep.* 39. *Et primò omnium*, Noſocomium, *i. e.*
languentium villam inſtituit ; in quo ægrotantes colligeret de plateis,
& conſumpta languoribus atque inediâ miſerorum membra refoveret.
Vulgò *Hoſpitale*, vide *ibi*, ut & in *Epitaphio* Fabiolæ, cujus id
inventum : ſuprà quoque voce *Infirmarium*, item *Invalidi*, nec
non ubi de *Ægris* ; infrà voce *Valetudinarium*, it. ubi de *Valetu-*
dinis Triumviris.

NOSORA, inſula Rubri maris. *Steph.*

NOSTANA, Drangianæ oppid. *Ptol.*

NOSTER Dominus, Δεσπότης ἡμῶν, appellatio honoris, cir-
ca ſeculum VI. inter Græcos orta, quâ Mennam inſigniunt Pa-
tres Synodi Conſtantinopolit. ſub ejus, præſidio habitæ, in æde
Dominæ noſtræ Δεσποίνης ἡμῶν quô titulô ſimiliter B. Virgo *ibid.* or-
natur, uti vidimus ſuprà in *Domina noſtra.* Adde quæ dicemus infrà
voce *Suus*, it. *Tuus.*

NOSTIA, vicus Arcadiæ : aliàs *Eſtania*, *Steph. Ephoro* autem
Neſtania dicitur.

NOSTOS, Græcè Νόστος, *Reditus*, nomen operis antiqui. Le-
gitur enim apud Pindari Scholiaſten *in Olympionicis*, *Eumolpum*
Corinthium ſcripſiſſe Νόστοι τῶν Ἑλλήνων, *Reditum Græcorum* ; ubi
omnino *Eumelum* reponendum eſſe, cenſet Salmaſ. Sed nec unum
id opus, nec unius Auctoris titulus hic. Alii hôc nomine redi-
tum Græcorum ex Ilio, alii Argonautarum ex Colchide, proſe-
quuti ſunt. Lyſimachum quidam in Νόστοις, nonnulli Anticlidem
laudant : Τῶν Νόστων *fragmentum*, quod extat in *argumento Medeæ*
Euripideæ, de Argonautis & Minyarum rebus agit & fortean pars
fuerit τῶν Κορινθιακῶν *Eumeli.* Fortaſſis etiam peculiari carmine
deſcripſerit reditum Argonautarum : quæ tamen omnia incerta. Et
certè, quaſi dubii Auctoris citat illos Νόστους Apollodorus &c. Sal-
maſ. *ad Solin. p.* 859.

NOSTRADAMUS Michaël, Medicus, Aſtrologus & Magus ce-
lebris, Fanô S. Remigii in Provincia oriundus. A. C. 1555. Centu-
rias ſuas edidit, tanti habitas ab Henrico II. ut earum auctorem in
aulam vocatum, magnificè donaverit. Catharinæ Mediceæ inpri-
mis gratus fuit, quæ de futuris ſæpe ab eo edocta eſt. Obiit A. C.
1566. ætat. 62. Vide Verderium. *Bibl. Gall.* Naudæum, *apol. viror.*
inſignium Magiæ ſuſpectorum, *c.* 16. Buchæum, *Hiſt. Prov. l.* 10.
De illo argutum eſt hoc *Stephani Jodelli* diſtichon :

Noſtra damus, cùm falſa damus, quia fallere noſtrum eſt,
Et cùm falſa damus, nil niſi Noſtra damus.

Ejus fil. Cæſar patris opera edidit : Frater Johannes, Aſtrologus
quoque fuit : Procurator inſuper Parlamenti Aquenſis, auctorque
Hiſtoriæ Provincialis, & vitæ Poëtarum Provincialium, More-
rius *Diction. Hiſtor.*

NOTA, cantus, quomodo Galli vocem *Note* uſurpant. Tide-
ricus Langenius *in Saxonia*,

Reſtant alaudæ, quæ ſubſiſtunt ſine fraude,
Perque ſuas Notas *rudes ſiſtunt idiotas.*

Qualis autem fuerit olim cantus, quem *Gregorianum* dicunt, &
an *Notis*, quæ vulgò in uſu, Muſicis conſtiterit, non omnino li-
quet : quanquam id minùs vero conſentaneum videtur, cùm
ejuſmodi notas multo pòſt adinventas tradant plerique. Incer-
tum etiam, an earum vice aſperſa fuerint literis alphabeticis,
quæ vocis tonos denotarent, Antiphonaria & Gradalia, uti poſt-
cà factitatum palàm eſt : etſi videatur id diſertè indicare Ekke-
hardus Junior *de Caſibus S. Galli c.* 4. ubi de Petro, uno, uti
vult, è Cantoribus, quos Româ ad Carolum in Galliam miſerit
Hadrianus Pontifex, verba facit : *In ipſo quoque* (Antiphonario)
primus ille literas Alphabeti ſignificativas notulis, quibus viſum
eſt aut ſuſum aut juſum, aut antè aut retro, aſſignari excogitavit :
quas poſteà cuidam amico quærenti Notker Barbulus elucidavit.
Quod Notkeri opuſculum extat Caniſii *Antiquarum Lect. tom.* 5.
part. 2. *p.* 739. cum hocce titulo : *Notker Lanthberto fratri ſalu-*
tem. Quid ſingulæ literæ in ſuperſcriptione ſignificent cantilenæ,
prout potui, juxta tuam petitionem explanare ſtudui. Singularum
verò literarum in Muſica quæ vis fuerit, infrà, ex eodem Not-
kero, exhibebimus. Cantum certè Gregorianum quod attinet,
Notis is conſtitit, quæ Muſicæ & cantandi tonos indicarent : has
Romanas vocabant. Monachus Egoliſmenſis A. C. 787. *Triduo-*
que Antiphonarios S. Gregorii, quos ipſe notaverat notâ Romanâ.
Infrà, *Omnes Franciæ Cantores didicerunt notam Romanam, quam*
nunc vocant Franciſcam. Hæ porrò *Notæ* ſingulis ſyllabis adſcri-
ptæ erant. *Chronicon* Trudonenſe *l.* 8. *Graduale unum --- ſcripſit,*
illuminavit ; Muſiceque notavit, ſyllabatim, ut ita dicam, totum
uſum priùs à ſenioribus, ſecundùm antiqua eorum Gradualia, diſ-
cutiens. Cujuſmodi vetus Graduale hiſce notarum characteri-
bus ſeu *Notis* inſignitum, extat in Bibliotheca Monaſterii Cor-
bejenſis. Ejuſmodi etiam deſcripſit Menardus *ad lib. Sacram.*
Greg. p. 76. an verò eædem ſint, quæ Petri Cantoris vel Not-
keri, id verò certum non eſt. Nam extremis ſeculis, ut ait Hu-
gonis Reutlingenſis Interpres, ei, ut putatur, coævus, *in*
Proœm. proceſſu temporis quidam Alemanni, & præcipuè Monachi
Ord. Ben. qui cantum Muſicalem non ſolùm ex arte, verùm etiam
ex uſu & conſuetudine perfectè & cordetenus didicerant, ipſum,
omiſſis clavibus & lineis, quæ in neuma ſeu nota & Muſicali requi-
runtur, ſimpliciter in libris eorum notare cœperunt, & ſic decan-
taverunt deinde, juniores & ſuos diſcipulos ſine arte, ex frequenti
uſu & ex magna conſuetudine cantum informare, qui cantus ſic per
conſuetudinem doctus ad diverſa pervenerit loca. Unde jam non Mu-
ſicæ, ſed uſus eſt denominatus, &c. Utut ſit, pro certo habetur,
regulas, claves & *notas* Muſicas hodiernas, Guidonem Aretinum
Monachum A. C. 1022. adinveniſſe, ut poſt Vincentium Belvac.
l. 25. *c.* 14. & alios, obſervat Baronius *ad h. an. num.* 20. Is
enim ſyllabas, *ut, re, mi, fa, ſol, la*, reperit, quibus ſeptem di-
ſcrimina vocum vulgò deſignantur : quod longè anteà ſimiliter
factitâſſe Ægyptios & ſeptem voculis ſonos hos expreſſiſſe, teſta-
tur Dionyſius Halicarnaſſæus *l.* περὶ Ἑρμηνείας, qui vulgò De-
metrio Phaleræo aſcribitur *p.* 35. *Edit. Morell.* Sed & Auctor *Vitæ*
S. Bennonis Epiſcopi Miſnenſis, *c.* 16. apud Sylvium *Tom.* 7.
(vix autem Benno A. C. 1566.) tradit, *docuiſſe Notas Muſicales*
regulare & ſic cantare in Eccleſia Miſnenſi. Chron. Trudonenſe
l. 8. *Inſtruxit etiam eos arte Muſicâ, ſecundùm Guidonem* &c.
Porro *Notæ Muſicæ*, ut dictum, in libris Eccleſiaſticis, ſingulis
vocum ſyllabis ſuperaddebantur. Capitulare Aquiſgran. A. C.
876. *c.* 70. & Capitulare Caroli M. l. 1. *c.* 68. *l.* 6. *c.* 277. Unde
Ademarus *in Carolo M.* A. C. 787. *Et omnes Franciæ Cantores di-*
dicerunt Notam Romanam, quam nunc vocant Notam Franciſcam :
exceptô quòd tremulas vel vinnulas ſive colligibiles, vel ſecabiles vo-
ces in cantu non poterant perfectè exprimere Franci : & Ingulfus
p. 886. *Miſſæ, quæ cum nota canuntur*, i. e. *cum modulatione Mu-*
ſica, librô notis Muſicis notatô coràm propoſitô. Hinc *notare*, pro
Notas Muſicas Libris Eccleſiaſticis adſcribere, apud S. Anſel-
mum *l.* 1. *Ep.* 21. Ademarum *in Vita Caroli M.* alioſque, quos
laudat Car. du Freſne *Gloſſario* in voce *Nota*, vide & ſuprà *in Can-*
tus Rom. it. *Muſica.*

Singularum Literarum in Musica vis, ex Notkero.

A. in ſuperſcriptione cantilenæ, *ut altiùs elevetur, admonet*, Notkerus *ubi ſuprà.*

B. in eadem, *ſecundùm literas, quibus adjungitur, ut* bene, *i. e. multùm extollatur, vel gravetur, ſive teneatur, belgicat, Ibid.*

C. *ut citò vel celeriter dicatur, certificat. Ib.*

D. *ut deprimatur, demonſtrat.*

E. *ut æqualiter ſonetur, eloquitur.*

F. *ut cum fragore ſeu frendore feriatur, efflagitat.*

G. *ut in guture gradatim garruletur, geminè gratulatur.*

H. *ut tantùm in ſcriptura aſpirat, ita & in nota id ipſum habitat.*

I. *juſum vel inferius ſignificat, gratitudinemque pro g. interdum indicat.*

K. *licèt apud Latinos nihil valeat., apud Alemannos pro* X. *Græca poſitum, Clenche*, i. e. *Clange, clamitat.*

L. *levare lætatur.*

M. *mediocriter melodiam moderari mendicando memorat.*

N. *notare, h. e. noſcitare ſignificat.*

O. *figuram ſui in ore cantantis ordinat.*

P. *preſſionem vel præciſionem prædicat.*

Q. in ſignificationibus notarum cur quæratur ? cùm etiam in verbis ad nihil aliud ſcribatur, niſi ut ſequens V. vim ſuam amittere queratur.

R. *rectitudinem vel raſuram non abolitionis, ſed criſpationis rogitat.*

S. *Surſum vel ſuſum ſcandere ſibilat.*

T. *trahere vel tenere debere teſtatur.*

V. *licèt amiſſa in ſua veluti valde Vau Græca vel Hebræa vilificat.*

W. omiſit Notkerus.

X. *quamvis Latina verba per ſe inchoët, tamen expectare expetit.*

Y. ſimiliter omiſit.

Z. ſimiliter.

NOTÆ, & NOTULÆ, dictæ olim ſunt brachygraphiæ, h.
e. compendioſæ ſcriptionis characteres, quibus Scribæ & Can-
cellarii Principum dictata ilicò conſignabant, alias *Sigla*, quod vi-
de. His Juriſconſultos in exſcribendis legibus uſos fuiſſe pa-
tet, ex Manilio *l.* 4. quod obtinuit, uſque ad tempora Juſtinia-
ni Imperatoris, qui, ne error ullus ſubreperet, ut vocabulis inte-
gris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

gris ſcriberetur, juſſit, *l.* 1. *Cod. Tit.* 17. *de vet. Jure enucleando leg.* 1. Et *Tit. eod. leg.* 11. quod idem in Græcis Codicib. fecit Baſilius Imperator. Quàm antiqua autem hæc ratio ſcribendi literis ſingulis ſeu Sigiis fuerit, oſtendit Cicero *pro Muræna*, cùm ait: *Irati Juriſconſulti, ne dierum ratione pervulgatâ & cognitâ, ſine ſua ope poſſet lege agi*; Notas *quaſdam compoſuerunt, ut ipſi omnibus in rebus intereſſent.* Preſſius Romanis *Notæ* dicuntur ſigna incognita, quarum 1100. inveniſſe creditur *Ennius*: quibus poſtea plures adjecit *Tyro*, Ciceronis Libertus, Iſidor. *Orig. l.* 1. *c.* 21. Poſt eos multas repperit Annæus Seneca, ita ut numerus *Notarum* excreſceret ad quinquies millenas. Vide Paulum Diaconum *proloquio Notarum ad Conradum I. Imper.* Iſtiuſmodi *Notis* Davidicum Pſalterium exaratum aſſervatur in *Bibliotheca Argentoratenſi*: cui à ſciolo quodam inſcriptum, *Pſalterium in Armenia lingua*, ut refert, qui vidit, *Trithemius*. Volumen *Notarum* Tyronis ac Senecæ vulgavit *Janus Gruterus*. Peritiſſimus *Notularum Ekkehardus*, tempore Ottonis Imperatoris fuiſſe legitur, apud Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* Vide Joh. Gerardum Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 41. & 42. Iſidor. *Orig. l.* 1. *c.* 20. *ubi Notas ſententiarum num. viginti ſex, aſſert ac explicat*: Fortun. item Licetum *de Lucernis l.* 6. *c.* 48. *ubi Lucernas Iſidori ac Caſalii Notam* ☧ *habentes inſculptam eruditò Commentariò illuſtrat* &c. ut & ſupra *Monogramma*. Solebant porrò Veteres, inter legendum, ad libri oram *Notas* quaſdam appingere, quibus indicarent, quæ ipſis loca notatu & obſervatione digna, vel etiam corrupta aut vitioſa aut etiam improbanda viderentur. Laudis, ut vocat *Gellius*, ſeu Laudabilium *Nota* duplex L. apud Latinos reperitur: Unde apud Paulum Diaconum *in Notis Liter. LL. Laudabiles loci.* Alibi etiam eſt L. S. *Laudabilis ſententia.* Græci *Notam* literæ X. apponebant, quæ χρηςὸν ſeu χρήσιμον ſignificaret. Hinc Diogenes Laertius *in Platone*: X περιςιγμένον πρὸς τὰς ἐκλογὰς τῆς καλλιγραφίας, inquit, συμβάλλεται. Et Caſſiodor. *Divin. Lect. l.* 1. *Ticonius Donatiſta in eodem volumine quædam non reſpuenda ſubjunxit, quædam verò venenoſa dogmata juri permiſcuit. Cui tantum in bonis dictis Chreſimon, in malis Achreſton, quantum tranſiens valui aperire, ut arbitror competenter adfixi.* Ἄχρηςον enim Græci adſcribebant ad ea quæ improbabant: Gellius *Culpæ adnotamenta* vocat. Ut enim *Laudis* nomine Laudabilia, ſic *Culpæ* contraria appellat. Similiter Auſonius *Ludo Sep. Sap. v.* 14.

Palmas, non culpas eſſe putabo meas.

Horatius *de Arte Poët. v.* 445.

Vir bonus & prudens verſus reprendet inertes,
Culpabit duros: incomtis allinet atrum
Transverſô calamô ſignum ———
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit,
Fiet Ariſtarchus.

Ubi *Acro*: *Notam culpæ ſignificat*: *Nam notare verſum malè formatum dicimus.* Hinc & alibi *Gellius*, *deculpatum verbum* dicit, pro rejectitio & culpæ *Notis* compunctio atque damnato. Erat autem culpæ *Nota* ut plurimum obelus. Iſidorus *Origin. l.* 1. *c.* 20. *Obelus*, i. e. *virgula jacens, apponitur in verbis aut ſententiis ſuperfluè iteratis, ſive ubi lectio aliqua falſitate notata eſt, ut quaſi ſagitta jugulet ſupervacua & falſa*, *Quintilianus* proin *Cenſoriam virgulam* vocat. Sed ad eandem rem etiam litera Græcorum Θ. adhibita eſt. *Sidonius Appollin.*

Iſti qui valet exarationi
Diſtinctum bonus applicare Theta.

Perſius *Satyra* 4. *v.* 12.

Et potis eſt vitio nigrum præfigere Theta.

Quod ad exemplum Judicum factum videtur, qui, ut notat ibidem vetus Perſii Scholiaſtes, *literam* Θῆτα *apponunt, ad eorum nomina, quos ſuppliciô afficiunt.* Vide de hujuſmodi ſimilibuſque Veterum *Notis*, præter Auctores ſuprà memoratos, apud Wouwerum *de Polymathia c.* 17. Thom. Reineſium *Variar. Lect. l.* 3. *c.* 7. Jac. Oiſelium JC. *Notis in A. Gellium l.* 17. *c.* 2. &c. A *Notis*, dicti *Notarii* & *Notariæ*, apud Romanos, de quibus paulò *infrà*.

NOTÆ Genitales, Amm. Marcellin. ubi de bove Ægyptiorum ſacro, *l.* 22. *Eſt enim Apis bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſis, maximaque omnium corniculantis Lunæ ſpecie dextrò latere inſignis*: ubi alii legunt, *maximè omnium*: ſunt τὰ ἔμφυτα σημεῖα, Suetonio *Aug. c.* 80. *genitivæ*, Solino *c.* 35. *ingenitæ & ingenuæ notæ*, quibus Apin bovem inſignem eſſe oportebat. Cantharum ſub lingua, inter eaſdem recenſet Plin. *l.* 8. *c.* 46. *de eod. bove*, *Inſigne ei in dextero latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum vocant*, *h. e. ſcarabæum.* Hîc enim apud Ægyptios Soli ſacer, ut & bos Apis, ut unanimi conſenſu ſcribunt Auctores, unicô refragante Ammianô, qui Apim Lunæ, Mnevim Soli conſecratum ſciſcit; forte propter notam corniculatæ Lunæ, quam præferebat: Atqui & ſcarabæum, h. e. nodum ſub lingua, ſcarabæum referentem, qui Solis erat ſignum, habebat. Lunaribus autem radiis divinitus conceptum credebant, unde corniculatæ lunæ ſpeciem dextrô latere geſtabat. Nempe Lunam maſculum Deum, ut plerique omnes in Oriente populi, Ægyptii ducebant, ex quo & bove fœmina concipi Apim bovem ſibi perſuadebant, ex maſculo mortali & immortali fœmina nihil gigni poſſe affirmantes &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 438. Inter homines, non pauci *Notis* iſtiuſmodi *Genitalibus* inſigniti occurrunt. Quò pertinet, quod de Seleuco habet Juſtinus *l.* 15. *c.* 4. *Admirabilem fecit hunc viſum & annulus, qui poſterâ die --- in lecto inventus eſt, & figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipſo parvulo fuit ---- Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit: Siquidem filii nepoteſque ejus, anchoram in femore, velut notam generis* naturalem, *habuére.* Unde Auſonius de Antiochia, *v.* 10.

——— ——— *illa Seleucum*
Nuncupat. Ingenuum, cujus fuit anchora ſignum.

(Qualis inuſta ſolet) generis notâ *certa, per omnem*
Nam ſobolis ſeriem nativa cucurrit imago &c.

NOTÆ Veſtium, apud Ovidium, eædem cum *Signis. l.* 6. *Met. v.* 577.

Purpureaſque notas *filis intexuit albis:*

Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 652.

——— ——— *pallam ſignis auroque rigentem.*

Græcè σημεῖα; aliter *clavi* Latinis, item *plumæ*, *teſſeræ* &c. Variis enim figuris, quà rotundis, quà quadratis, luſit Veter. in veſtibus auro purpurave illudendis luxuria; quarum quæ rotundæ & in circulum flexæ, *plumas* Latini vocitârunt, & fortaſſe etiam *clavos*, clavorum enim capita rotunda; *oculos* item. Quæ verò quadratæ erant, *teſſeræ* dicebantur, & recentioribus *tabulæ* &c. Cujuſmodi *notas* qui veſtibus inſuebant & intexebant, *Plumarii* dicebantur, vide *hîc paſſim*.

NOTACULUM, apud *Minucium*, *Felic. Sic nos denique non* notaculô *corporis, ut putatis, ſed innocentiæ & modeſtiæ ſignô facilè dignoſcimus.* Nota eſt. Ita enim in præced. Cæcilius, *Occultis ſe notis inſignibus noſcunt.* Et in *Gloſſ. Notaculum, nota, ſignum.* Nempe negat Octavius apud Minucium, Chriſtianos ſe dignoſcere aliquô corporis ſignô, quod illis exprobraverat Cæcilius: ſed fortè non ſine omni ratione. Imprimere enim manibus & brachiis Chriſtianos nomen Chriſti aut crucis ſignum ſolitos, diſcimus ex Procopio in *illa Eſaiæ c.* 44. *v.* 5. *Et alius deſcribet manu ſuâ.* Ubi, τὸ δὲ, inquit, τῇ χειρὶ διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σαυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριςοῦ προσηγορίαν. Reſpiciens, juxta Wowerium, ad illa Pauli Gal. *c. ult. v.* 1. Ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω, Paulus autem ad morem videtur alluſiſſe Militum Romanorum, quos *manu ſignari* conſueviſſe olim, legimus apud Gregorium M. Vide infrà *Signatus manu*: in brachiis item ſtigmata accipere, in *L.* Arcadii & Honor. de qua itidem infrà, voce *Stigmatiæ*. In fronte verò ſignatos milites, Mithræ initiari ſolitos, docet Tertullian. *de Corona Mil. Erubeſcite Romani commilitones ejus, tam non ab ipſo judicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite. Qui cùm initiatur in ſpelæo-- coronam interpoſitô gladiô ſibi oblatam, quaſi mimum martyrii, monetur obviâ manu capite depellere.* Et *de Præſcript. adv. Hær. Signat illic in fronte milites ſuos, & ſub gladio redimit coronam* &c. Idem & Carpocratiani imitati, σφραγῖδα ἐν καυτῆρι, ἢ διὰ ἐπιτηδεύσεως ξυρίου ἢ ῥαφίδος ἐπὶ τὸν δεξιὸν λοβὸν τοῦ ὠτὸς, Epiphan. i. e. *vel cauteriô, vel novaculâ, vel acu, in extantia dextræ auris*, vel ut habet Irenæus *l.* 1. *c.* 24. *in poſterioribus partibus extantiæ dextræ auris*, ſuos ſignabant. Quæ omnia cùm ex Myſteriis Gentilium occaſionem ſumpſerint, vide aliquid de iis ſuprà voce *Conſignatus*. Sed & ἀτίμοις *notas* olim apponi ſolitas fuiſſe, quibus illorum ignominia inſignior eſſet, ex Livio diſcimus, qui *l.* 39. *c.* 42. *Patrum*, inquit, *memoriâ inſtitutum fertur, ut Cenſores motis Senatu adſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut Senatorio loco movit, aut quibus equos ademit.* Nempe quia in albo ordinum aut tribuum notabantur: Quod *notam adfligere*, dixit Macrob. *Saturnal. l.* 7. *c.* 2. *Vel cui nota quondam adflicta Cenſoria eſt.* Contrà demebantur iis *notæ*, qui liberabantur infamiâ. Sueton. *Claudio c.* 16 *Et cùm ---- dempſiſſet cuidam appoſitam* notam: *Litura tamen, inquit, exſtet.* Atque hi *allevari* quoque dicebantur. Tacitus *Hiſtor. l.* 1. *c.* 52. *Redditi pleriſque ordines; remiſſa ignominia: allevatæ notæ.* Sic *ignominiâ levare*, apud *Ciceronem*. Κηλῖδας hujuſmodi notas interpretatur Herodian. *l.* 6. *Maculas* etiam Latini vocant. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſionibus Arnobianis l.* 3. & 4. *p.* 173. infrà quoque aliquid voce *Symbolum*.

NOTARII, dicebantur apud Romanos ſervi, qui acta & dictata in judicio, vel extra judicium *Notis* vel literis excipiebant. *Notas* enim, de quibus ſuprà, à literis non ſine ratione ſeparat Manilius, cùm ait *l.* 4. *v.* 197.

——— *Cui litera verbum eſt,*
Quique Notis linguam ſuperet.

Eorum meminit Scævola *leg.* 41. §. *Sejo*, *ff. de fidei comm. Libert. Sejo auri libras tres & Stichum* Notarium, *quem peto manumittas.* Paulus *l.* 2. *Reſponſ. Lucius Titius miles* Notario *ſuo teſtamentum ſcribendum Notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur, vitâ functus eſt* &c. Commendabantur à velocitate excipiendi: Manilius *loc. cit.*

Hic & Scriptor erit velox cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, verſumque loquentis
Excipiens, longas nova per compendia voces.

Senec. *Ep.* 90. *Quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur? Viliſſimorum mancipiorum iſta commenta ſunt.* Quæ verba impetere videntur dictum *Iſidori*, qui aſſerit Senecam contractô omnium digeſtôque, & auctô numero opus effeciſſe in quinque millia Notarum, ut ſuprà vidimus, *Origin. l.* 1. *c.* 21. Baſilius quoque *in Ep.* οἱ λόγοι, ait, τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι, διὰ τοῦτο σημείων χρήζουσιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων: Ubi per σημεῖα, non literas, ſed *Notas* intelligit, quarum inventionem nonnulli Tullio Tyroni, alii Mæcenati, alii aliis tribuunt, ut viſum. Martialis quoque velocitatem *Notario* peculiarem facit *l.* 10. *Epigr.* 62. *v.* 4.

Nec calculator, aut Notarius *velox.*

Quandoque tamen pro Amanuenſi *Notarius* ſumitur, ut ex Plinio, *l.* 9. *Ep.* 36. & Gregorio, *Dialog.* diſcimus. Alii ab his *Notarii* Principis fuêre, quorum meminit Caſſiodorus, *l.* 6. *c.* 16. erant enim hi Principi à ſecretis, ut olim Scribæ apud Græcos, teſte Corn. Nepote *in Eumene c.* 1. Erant autem *Notariorum* thecæ, quibus includebantur ſtyli & pugillaria. Ammian. *l.* 28. *Maximè cùm hæc eadem numerantes*, Notarii *prope* 30. *adſiſtant cum thecis & pugillaribus tabulis.* Vide infrà in voce *Pugillaria*, & plura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

hanc in rem, apud Laur. Pignorium *Comment. de Servis*, ubi etiam *Notariorum* meminit, & Tit. Popman. tr. de *Operis Servorum*, nec non ſuprà voce *Logographi* ac infra in voce *Tachygraphia.*

NOTARII Inquiſitionis, vide *Tabelliones.*

NOTARIUS, apud Ingulfum pro *Cancellario*, cujuſmodi hominum generis, ſub priſcis Imperatoribus, nulla omnino erat dignitas, neque enim publici muneris fuerat nomen, ſed tantùm miniſterii in aulis Principum aliorumque Procerum. Erat quippe moris, ut Magiſtratus de negotiis tractaturi, convenirent in aliquo loco, qui quòd à vulgo ſecretus eſſet, *Secretum* vel *Secretarium* dicebatur. Hæc ſecreta in primo aditu vela, & dein cancellos habebant, quorum illa qui ſervabant, dicebantur *Velarii*; iſti *Cancellarii:* voce non admodum antiquâ, ut cujus nullam in Digeſtis mentionem factam, notant Viri docti, in Codice verò *tit. de Aſſeſſoribus*, & alibi ſæpiùs legas. Præcipuum tum eorum munus, docente Agathiâ *l.* 1. ut ad cancellos hærerent, admiſſiones curarent, &, ne quid tumultus, ut fieri amat in turba, oriretur, proſpicerent. Acceſſit poſteà aliquid dignitatis, ſed multo poſt Carini Imperatoris tempora, quem miratur Vopiſcus *c.* 16. quòd Præfecturam Urbis uni ex ſuis Cancellariis dediſſet. Caſſiodori enim ætate, Cancellarium, non ut olim, Oſtiarii munus ſuſtinuiſſe, verùm ex parte etiam eorum, qui *à Secretis* hodie in aulis Principum vel *à libellis ſupplicibus* nominantur, fuiſſe, diſcimus ex ejus *l.* 11. Adhuc tamen, ut ibi dicitur, *lucidas fores tenebat & clauſtra patentia.* Sic paſſim, apud Scriptores citimæ vetuſtatis, legimus fuiſſe in obſequiis Imperatorum, Regum & majorum utriuſque Imperii Magiſtratuum, Cancellarios, quorum miniſteriô variè utebantur. Nam Præfectum Prætorio, cui inter cœtera annonæ totius ſumma procuratio imcumbebat, habuiſſe in officio Cancellarios, quos per provincias dimittebat, intelligimus, ex eodem Caſſiodoro *l.* 12. Præfectum quoque Urbi Cancellarium cum ſcribis in officio habuiſſe, indicat antiquum Edictum, ex auctoritate Turcii Aproniani Præf. Urb. propoſitum, quod extat apud Briſſon. *de Formul. l.* 3. & *Inſcr. p.* 647. In Imperio Orientis etiam Quæſtori ſuos fuiſſe Cancellarios, apparet ex Novella X. Conſtantini *Tom.* 2. *Juris Rom. p.* 154. etiam *in Conſtit.* Karoli M. Cancellarius ſimpliciter pro Scriba & Actuario uſurpatur: cui ordini qui præpoſitus fuerat, ſummus & primus Cancellarius, in quanta fuerit dignitate, ex Adalhardo Abbate Corbejenſi, Karoli propinquo, docet Hincmarus *Ep.* 3. *c.* 16. *Apocriſiario ---- ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur, erantque illi prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia ſcriberent & ſecreta illa fideliter cuſtodirent.* Tandem verò ſub Imperatoribus citerioribus, ut & ſub Regibus Francorum, eò aſcendit Cancellarii dignitas, ut, quô munere olim apud Romanos Quæſtor Sacri Palatii, vel Logotheta apud Conſtantinopolitanos, eôdem hodie in Aulis Principum & Regum utatur Cancellarius: quâ voce etiam Λογοθέτην interpretatur Nicetas Choniates *de rebus geſtis Manuelis Comneni l.* 7. Imò illi ipſi tres ad Rhenum Archiepiſcopi Electorales, pro tribus Imperii Germanico Romani Regnis, quæ olim corpori Imperii Occidentalis inſerta erant, hôc titulô inſigniuntur; ita ut Antiſtes Moguntinus per Germaniam, Trevirenſis per Galliam, Colonienſis per Italiam, *Cancellarii & Archicancellarii* nomen & dignitatem uſurpent. Vide Joh. Kirchmann. *de Annulis c.* 9. & in voce *Cancellarius.* Præterea, *Notarii* dignitas varia ac diverſa in Palatiis Imperatorum fuit. Alii enim & in iis præcipui erant, qui *Notarii* & *Tribuni* ſeu *Tribuni Notariorum*, dicebantur, de quibus in voce *Tribunus.* Alii erant *Tribuni* & *Notarii Prætoriani*, qui ex Cornicularis & Primiſcriniis officii Præfecturæ Præt. ad eum locum pervenerunt ut docet Senator *l.* 6. *Ep.* 3. & *l.* 11. *Ep.* 20. Tertii denique erant, *Notarii* & *Domeſtici*, ut eſt *in l.* 2. & 3. *Cod. Th. de Primicerio & Notariis*; de quibus ſingulis multa congeſſêre Pancirollus *Notit. Imper.* Gutherius *de Officiis domus Aug.* Sirmondus *ad Sidonium*, Henric. Valeſ. *ad Marcellin. l.* 17. Cujacius, Jac. Gotofredus *ad Cod. Theodoſ.* &c. In *Notit. Imp. p.* 61. 146. & apud Senatorem *l.* 6. *Ep.* 16. occurrit *Primicerius Notariorum.* In ead. *Notit. p.* 3. 114. *Primicerius Notariorum Caſtrenſis ſacri Palatii*, Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi & alia quædam *Notariorum* genera exhibet, ut & Macri Fratres *in Hierolex.* Vide quoque ſuprà *Grammaticus.*

Varia apud Autores Notariorum Genera.

Notarii Apoſtolici & Imperiales, paſſim occurrunt, etiam in veter. Actis, alibi quàm in Pontificum aut Imperatorum territoriis deſcriptis. Id enim juris tum invaluerat, ut *Notarius vel Tabellio ab Imperatore, vel Papa, vel ab eo, cui hoc ſpeciali privilegiô indultum erat, ordinatus, poſſet ubique, etiam in Francia vel Anglia, ſeu Hiſpania, non ſolùm in terris eis ſpecialiter ſubjectis, ſuô officiô uti & inſtrumenta conficere* &c. ut habet Speculator *tit. de Fide Inſtrum. §. Reſtat, n.* 121. Atque id quidem neceſſariò obſervandum fuit, quòd vulgò quæritur, cur Acta publica paſſim regionum exarata, confecta dicantur à *Notariis* Apoſtolicis & Imperialibus, vide Petrum *de Vineis l.* 6. *c.* 32. &c.

Notarius Caſtrenſis, vide ſuprà *Grammaticus* ubi & de *Notario S. Conſiſtorii.*

Notarii Eccleſiæ Romanæ apud Gregorium M. *l.* 2. *Jud.* 11. *Ep.* 54. Epiſtolis Pontificum ſubſcribebant. Id. *l.* 4. *Ep.* 25. Horum Primicerius, dictus eſt poſtmodum *Protonotarius.* Vide infrà in hac voce.

Notarii Epiſcoporum, eorum Scribæ, qui ut plurimum aſſumebantur ex Clericorum ordine, & in Eccleſiis munia alia obibant Eccleſiaſtica: qualia erant, *cereos portare*, Gregor. *l. Sacram.* Item *baculum Epiſcopi*, Meſſianus Presbyt. in *vita* Cæſarii *Arelat.*

Notarii Regionarii, dicti ſunt VII. *Notarii* Romæ, à Clemente Pontifice primùm inſtituti: quorum erat *geſta Martyrum ſolicitè*, quemque per regionem ſuam, *perquirere.* Iidem etiam inter cœtera Populo per Urbem (quod hodie *Curſores* faciunt) denuntiabant, quando Papa Litanias facere, aut ubi Miſſam celebrare, vel ſtationem indicere conſtituiſſet. Præterea nomina & numerum baptizatorum Pontifici referebant. Vide Gregorium M. *l.* 7. *Ind.* 1. *Ep.* 17. Poſtea aucto eorum numerô, qui ex VII. illis primis fuerunt, *Notarii Regionarii*, vel *Protonotarii* vocati ſunt, reliquis ſimplici *Notariorum* nomine relicto. Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.*

Notarii Regis, apud Gallos, alii olim fuêre ab iis, quos *Secretarios Regis* vocabant, quod potiſſimùm colligitur ex *Statuto* dato Lorriaci pro Hoſpitio Regis Philippi M. A. C. 1317. quod extat apud Car. du Freſne *loc. cit.* Præterea ex Edicto Caroli V. tunc Regentis Franciæ A.C. 1359. 27. Febr. quô magnô Officiariorum numerô reſciſſô, ex *Notariis* quinquaginta tantùm reſervavit, atque in iis octodecim in Aula ſua munus exequuturos. Sed poſtmodum unita ſunt hæc munia.

Notarius Secretorum, apud Vopiſc. *in Divo Aureliano c.* 35. *Accidit autem --- ut Mneſtheum quendam, quem pro Notario Secretorum habuerat, libertum, ut quidam dicunt, ſuum, infenſiorem ſibi minando redderet* &c. i. e. quem Zoſimus vocat τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτὴν: quod erat propriè munus Secretariorum. Vulgò *à Secretis* vocabant; Græcis citerioribus Ἀποκρισιάριοι, Ἀσηκρῆται, item Ἀποκρισιάριοι & Ῥαιφενδάριοι appellantur. Vide Salmaſ. *Notis ad Vopiſc. loc. cit.* & hîc paſſim, in vocibus *Apocriſiarii*, *Referendarii* & *Reſponſales.*

NOTARIUS Petrus, vide *Petrus.*

NOTGERUS, vel NOTKERUS, Epiſcopus Leodienſis, poſt Ewrardum, A.C. 972. urbi exornandæ intentus, ſecundi fundatoris elogium meruit. Scripſit vitam S. Landoaldi, Presbyteri, &c. Alberic. *in Chron.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 41. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Miræus, *in Faſt. Belg.* Item, tres Monachi Sancto Gallenſes: quorum primus, *Balbulus* dictus, ſeculô 10. ſcripſit Martyrologium, & vitas SS. quorundam. Alter, cognomine *Piperis granum*, pietate & doctrinâ illuſtris fuit. Tertius, dictus *Phyſicus*, poſtea Abbas factus eſt. Eckerard. *in vita Notkeri Balbuli* Jeſſe. Metzleſer. *l. de illuſtr. Vir. S. Gall.* Caniſ. *in Nov. antiq. Lect.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5. Claruit *Notgerus* Abbas Monaſterii S. Galli, A.C. 845. Principatu Lotharii, Ludovici Pii filii; Inventor, ut creditur, Sequentiarum, quas Papa Nicolaus I. ad Miſſas decantari juſſit. Ejus inter alia celebratur *liber de Muſica ac Symphonia.* Ger. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 60. §. 4. Vide quoque Stumpſium *in Chron Helv.*

NOTHELMUS, vel NOTHBERTUS, Londinenſis, Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum Beda, Anglicæ hiſtoriæ elaborandæ incubuit, variaque ſcripſit. Ei Beda inſcripſit Quæſt. triginta in libros Regum. Obiit A. C. 739. Pitſeus *de Ill. Angl. Script.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2.

NOTHUS apud Athenienſes dicebatur, qui matre cive natus non erat, juxta legem: Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονότα, cujus meminit ἱστορικῶν ὑπομνημάτων *l.* 3. Caryſtius. Unde qui ex peregrina, vel pellice generabantur, *Nothi* erant, ſoli verò illi legitimi habebantur filii, qui ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ γαμετῆς, τουτέστιν ἐκ νομίμων γάμων, *ex cive uxore legitimè ducta*, fuere ſuſcepti, Euſtathius *ad Il.* δ. Erat autem *Notho Nothave* cognationis jus nullum, nec in iis quidem ipſis, quæ ſive ſacra ſive publica ſpectabant, ex lege Iſæo laudata: Μηδὲ νόθῳ μηδὲ νόθῃ ἀγχιστείαν εἶναι μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων ἀπ' Εὐκλείδου Ἄρχοντος. Ipſi tamen ſua habebant ſacra, & faciebant Cynoſargis, ut ex Alcibiadis pſephiſmate conſtat. Et quidem id primùm à Solone cautum erat, ut docet Ariſtophanes *Avibus.*

Ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον,
Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι ——
στείαν:

Inſtauratumque denuo à Pericle, ut quidem videtur cùm ſenſim abrogata eſſet lex vetus, *Ariſtophon.*, ſive quis alius eſt, qui ſcripſit hanc, cujus ex Iſæo meminimus, legem, tulit, eamque voluit obſervari, & judicia ex illa reddi, ab eo quo Prætor fuit Euclides, annô poſt exactos Athenis XXX. Tyrannos. Nihil igitur ſacri, nihil publici commune habuerunt *Nothi*, cum Patre, qui eos non tollebat, aut cum ejus adgnatis cognatiſque, ut qui inter cives non cenſerentur, ac ne quidem, ejus nomine, qui genuerat, niſi illis ſubveniretur *Adoptione.* Hinc nec Φρατόρων albo inſcribebantur, ut iterum Ariſtophanes docet de Hercule loquens, *Com. cit.* Habebatur tamen illorum ἀνάκρισις καὶ δοκιμασία Cynoſargis, & inquirebatur, an verè eſſent Patris illius, cujus dicebantur liberi *Nothi*, teſte Nonnô *in Nazianz.* apud Sam. Petitum *Comm. in Leges Attic. l.* 2. *tit.* 4. Porrò, nec hæreditatem herciſcere *Nothi* poterant, extante vel unicâ filiâ legitimâ, ex lege Scholiaſti Comici *ad Aves* laudata: Γνησίας μὲν οὔσης θυγατρὸς, νόθου δὲ υἱοῦ μὴ κληρονομεῖν τὸν νόθον τὰ πατρῷα. Ac ne ullô quidem modô ac jure in bona parentis veniebant. Nam Cognati ἀγχιστείας jure ab inteſtato hæreditatem cernebant illius, qui deceſſiſſet, nullô ſuperſtite legitimô liberô, quanquam *Nothos* ſuſtuliſſet. Unde apud Comicum negat Piſthetherus Herculem Jovis hæreditatem poſſe adire, quia *Nothus* ſit, & minatur, Neptunum eam ſibi ἀγχιστείας jure vindicaturum & aſſerturum, ut qui ſit Jovis frater:

Οὗτος ὁ Ποσειδῶν πρῶτος, ὃς ἐπαίρει σε νῦν,
Ἀνθέξεταί σου τῶν πατρῴων χρημάτων,
φάσκων ἀδελφὸς αὐτὸς εἶναι γνήσιος.

Non

Non tamen omnino expertes partis de paternis bonis: Nam poterant iis dari ad quinque minas τ Νοθείων nomine, ex lege, quam habemus apud Ariſtophanem *Avibus*, Τοῖς Νόθοις μέχρι πέντε; minas ſive mille drachmas in *Nothia* dari placuit, ut de Pentacoſiomedimnorum dote, quam ταῖς θυγατράσι dabant, adnotat *Ariſtophanis Grammaticus*: Tot enim in *Nothia* drachmæ datæ videntur, quot impendebantur in elocandis & dotandis orbis puellis. Sed ſolis *Nothis*, qui illius vere liberi Nothi erant, τὰ Νοθεῖα dabantur, unde illorum δοκιμασίαν Cynoſargis inſtitui ſuiſſe ſolitam ſupra diximus: & quidem in manum dabantur iis à Patre, dum adhuc in vivis eſſet, quo mortuo ſibi quicquam ex ejus bonis poſtulare non audebant, vide iterum Petitum *Opere cit. l. 6. c. 6.* Habebant hæc *Nothia* affinitatem aliquam cum *donis*, מתנת, quæ Abrahamum filiis concubinarum ſuarum dediſſe legimus Gen. *c. 25. v. 6.* Meminit tamen Demoſthenes πρὸς Μακάρτατον cujuſdam Legis à Solone latæ, quâ *Nothis* fuerit conceſſum, μετέχειν τῶν χρημάτων, *partem capere de bonis paternis*, ſed eô caſu, ſi legitimi liberi non adeſſent. Et hæc inter privatos obtinebant; Principum verò *Nothi* meliori conditione erant, ut Euſtath. docet *ad Il. θ.* loquens de Teucro. Hinc *Servius*, *Conſuetudinis Regis fuit, ut legitimam uxorem non habentes aliquam licet captivam pro legitima haberent, ut liberi ex illa nati ſuccederent*: Et Guilielmum Conqueſtorem Angliæ Regem *Nothi* nomen ſibi non indecorum duxiſſe, diximus in voce *Baſtardus*. Romæ verò omnis generis *Nothi* expoſiti fuêre, quemadmodum ſpurii ſolùm Athenis Cynoſargi, ut Joh. Tzetzes *Hiſtor. Chil.* 13. *c.* 489. oſtendit, apud Thom. Bartholinum *de Puerp. Veterum.* Apud Gothos quoque Sueoneſque adeò probroſum fuit ex pellice natum eſſe, ut Regum etiam filii viles haberentur, uti dicemus infrà voce *Vilis* &c. Vide quoque Jo. Meurſium *Not. ad Lycophr.* & ſuprà *Donati*.

NOTIS corpora ſignabant Gentiles, easque religionis causâ membris ferrô inurebant. Cujuſmodi ſtigmatis notata membra poſt mortem non unà ſepeliebant cum reliquo cadavere, ſed amputata habebant pro ſacris: eaque aut ornabant bracteis aureis, aut tota includebant vitris aut metallis. Unde fortaſſis invaſit ille mos in Eccleſiam, ut digiti, brachia, articuli Sanctorum includerentur vaſis & oſculanda porrigerentur, aut proponerentur ſpectanda, Georg. Fabricius *Commentar. in Prudentium Steph. Hymno X.* Vide & ſuprà *Notarium*.

NOTITIA, Inſtrumentum, quod de re inter præſentes in re quapiam geſta, nec ſcripto mandata, aut in chartas relata, ad hoc vocatis teſtibus, conficiebatur, ut præſentibus poſteriſque *nota* fieret & in poſterum nullus de ea dubitandi locus oriretur. Nam cùm primis iſtis ſeculis ea eſſet fidei inter homines integritas, ut ſolô verbô certiſque traditionum ſeu inveſtiturarum adhibitis formulis & ritibus, prædia Eccleſiis aliiſque conferrentur, ac traderentur, interdum & ut plurimùm coram teſtibus, ad majorem firmitatem, donatariis ita poſtulantibus, Charta conficiebatur ad poſterorum *Notitiam*, quæ rem donatam ac collatam, Donatoris nomen, traditionis ritum ac formulam, teſtes qui adfuerant, annumque menſem ac diem continerent. Unde *Breve memoratorium* ſeu *recordationis* crebriùs appellatur, in *Tabulariis* veterib. &c. Porrò *Notitiarum* nonnullæ ab ipſis partibus, i. e. donatoribus & donatariis, atque adeò ab ipſis teſtibus, qui in rei geſtæ fidem advocati erant, ſubſcribebantur, cujuſmodi unam ex *Tabulario* Bellilocenſi *Chart.* 154. his verbis affert Car. du Freſne: *Notitia traditionis vel conſignationis, qui hanc notitiam ſubtus firmaverunt, qualiter veniens aliquis homo, nomine Aicardus ---- manibus tradidit ipſam villam ---- Garulfo Abbati ---- per cordam ſigni & per hoſtium domo ---- ſicut in Carta teſtamenti loquitur & tunc neceſſe fuit ipſo Abbati vel ad ipſos Monachos, ut exinde notitiam colligere deberent, quod ita & fecerunt his præſentibus, actum fuit factam hanc notitiam traditionis in menſe Octobro an. 3, Caroli Imperatoris, S. Aicardi, qui traditionem ita firmavit S. Adelgario S. Adraldi,* &c. Aliæ verò ab ipſis donatariis interdum deſcribebantur, ut eorum poſteris notum fieret, qualiter prædia ipſis & à quibus, quibuſque præſentibus teſtibus, eſſent collata: quæ quidem nudam rei geſtæ narrationem continebant, nullis adhibitis ſignaculis ac ſubſcriptionibus, cùm eas in polyptycha ſua referri ſatis eſſe ducerent, ut eſt apud Gregor. M. *l. 7. Ind. 2. Ep.* 20. cujuſmodi paſſim exhibet *Chron.* Beſuenſe. Atque hæ quidem *Notitiæ* vim diplomatis habebant. Charta Henrici Imperatoris apud Ughellum *Tom.* 4. *p.* 808. *Et cætera, quæ in præceptis & notitiis Anteceſſorum noſtrorum continentur.* Alia Lucii Pontificis *ibid. p.* 817. *ſicut continetur in præcepto & in ſuis notitiis.* Poſt annum verò 1100. rariùs occurrunt. Plura de voce *Notitia* vide apud Pancirollum *ad tit. Notitiæ Imperii*, Joh. Mabillonium *Tom. 5. Vitarum Ord. S. Benedicti*, *p.* 761. & Car. du Freſne *Gloſſar.*

NOTIUM, Ioniæ urbs *Heſychio* & *Stephano*, Æolidis, *Herodoto*: à vetere Colophone diſtat 12. millia paſſuum teſte Liv. *l.* 37. *c.* 26. Verùm *Colophon* & *Notium*, urbs una ſolùm Haleſô interlabente diviſa, tamen propter hoc unicum fluminis divortium maximis diſſidiis laboravit. Ariſtoteli *l. 5. Polit. c.* 3. ſunt *Notienſes*, *Notiei*. Apud *Strabonem* videtur Chii inſulæ, illi oppoſitæ. Plin. *l. 5. c.* 29. habet *Notivum*, oppid. in Calydna inſula, apud *Ptolemæum* Sinarum promontorium eſt.

NOTIUM, Hyberniæ promontorium Auſtrale, *Ptol. Niſſenhead Camdeno.*

NOTORIA, apud Trebell. Pollion. Epiſtola, quâ aliquid Principi aut Magiſtratui fiebat notum. Ita enim is in *Claudio, c.* 17. ex Epiſtola ejuſdem Claudii: *Nihil me gravius accepit, quàm quòd Notoriâ tuâ intimáſti, Claudium parentem amicumque noſtrum inſinuatis ſibi falſis pleriſque graviter iraſci.* In *Gloſſis* Iſidori: *Notoria, elogium, textum malorum dictorum, quod* Notoriam *dicunt*, appellatur: ſcil. libellus accuſationis, ſic dictus, quòd in eo reus *notaretur*. Ita uſurpat Auguſtin. *Ep.* 159. *Qui non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria, ad quos tenendæ pacis vigilantia pertinebat, præſentari videntur examini* Idem *Ep.* 160. *Præmiſſâ Notoriâ, ad judicia legeſque perduxit.* Adde *l. 7. Cod. de Accus.* Appulejum *l.* 7. Paulum JCtum &c. Et quæ obſervant Marcilius *ad Sueton. in Tito*, Juretus *ad Symmachum l.* 10. *Ep.*4. Jac. Gotofredus *ad l.* 31. *Cod. Theodoſ. de Epiſcopis* &c.

NOTRA, vulgò NOERE, fluv. Galliæ, præter cœteros, cum Tolvera *Touvre* magni amne nominis, ſed breviſſimi curſus, Carantonô fluviô recipitur. Vita Caroli Magni à Monacho Encoliſmenſi ſcripta, *ſuper fluvium Tolveram Magnadum & Juvenacum Roliacum ſuper fluvium Notram*, inter res ad Monaſterium S. Eparchii pertinentes, quas Carolus literis ſuis confirmaverit, commemorat Hadr. Valeſ. in voce *Carantonus*.

NOTTENBURGUM, oppid. Ingriæ in Suecia, in Inſula parva lacus Ladogæ, ubi ex eo Nieva fluv. effluit, verſus confinia Moſcoviæ. Permunitum, ereptum Ruſſis A. C. 1614. à Guſtavo Adolpho, Sueciæ Rege. Ruthenis *Oreska*, i. e. *Nux*.

NOTTINGHAMIA, provinc. ſeu Comitatus Angliæ, inter Lincolnenſem provinc. ad Ortum, Darbienſem ad Occidentem, & Liceſtriam ad Meridiem; cum urbec. cognomine ad fluv. Trentam, quæ 10. milliar. Angl. à Darbia in Ortum, 12. à Leiceſtria in Boream abeſt. In hac urbe & Comitatu obtinet lex *Burghenglish* dicta ſeu Conſuetudo vetus, in Burgo veteri, in quo ſi pater relictis pluribus filiis decedat, ſecundogenitus ei ſolùm ſuccedit in terris & tenementis, quibus ſaiſitus erat in burgo, cùm deceſſit, uti habet Chriſtoph. de S. Germano *in Dialogo de LL. Angliæ c.* 9. Quod in illuſtri Belgii Familia Hochſtratana quoque obtinuiſſe, auctor eſt Lud. Guicciardinus *Deſcr. Belgii*.

per NOTULAS inveſtitura, vide ſuprà.

NOTUS, ventus meridionalis eſt, pluvius & turbulentus, Græcis hodiernis etiamnum *Notia*, Italis *Oſtro*, Provincialibus *le Marin*, Gallis *vent de Midy*, Germanis *Sud*. In turre Octogona Andronici Cyrrheſti, quæ, Athenis extructa, memoratur Vitruvio *l. 1. c.* 6. etiam conſpicuus, de qua vide Cl. Sponium *Itin. Græciæ Part. 2. p.* 176. & *ſeqq.* Vide *Auſter*.

NOVA inquirere, lege Locrenſium vetitum, Plut. de *Curioſitate*. At Athenienſes εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον, Actor. *c. 17. v.* 21. qua de re alibi. Idem in Romanis ſuis, ſequiore etiam ſexu, carpit Juvenalis *Sat. 6. v.* 401.

Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant ——

v. 407.

Inſtantem Regi Armenio, Parthoque cometem
Prima videt; famam rumoreſque illa recentes
Excipit ad portas —— ——

i. e. nuntios aliunde advenientes ſciſcitatur ſolenne illud, *Μή τι καινόν; Nunquid novi?*

NOVA Albion, vulgò *New Albion* Anglis, regio perampla Americæ ſeptentrionalis, à Franciſco Draco Anglo detecta & denominata. Sed ubi ſit, neſciunt ipſi Angli. Forſan eſt pars Californiæ ſeptentrionalis, ſeu illius terræ incognitæ, quæ creditur pars orientalis terræ Eſonis. Factum id A. C. 1580. regioque eſt ſupra Californiam Hornio, cujus Rex Eliſabethæ Anglorum Reginæ ſe ac ſuos ſubmiſit, ac Draconi coronam impoſuit. Sed propter nimiam diſtantiam atque etiam ſoli ſterilitatem, ejus curam Angli hactenus abjecerunt. *Orb Imp.*

NOVA Andaluſia, vulgò *nueva Andaluzia* Hiſpanis, provinc. eſt Americæ meridionalis; in Terra firma dicta, inter fluv. Orenocum ad ortum & Venezuelam provinc. ad occaſum, in ora maris Borealis, ubi tantùm urbecula Cumana ſeu nova Segovia, à qua etiam perſæpe regio Comana provincia dicitur, & arx S. Jacobi in ora Boreali.

NOVA Anglia, vulgò *new England* Anglis, *nouvelle Angleterre*, Gallis, provincia Americæ ſeptentrionalis, in parte auſtrali Canadæ, ſeu novæ Franciæ, in ora maris Borealis, ubi aliàs aliquot coloniæ Gallorum. Sed ab A. C. 1606. ſubeſt Dominio Anglorum, qui in ea habent Briſtolium novum, & Londinum novum, urbes recentes in ora littorali. Cultiſſima totius Americæ, magnum incrementum ſumſit, circa A. C. 1636. quô & ſequentib. plusquam ducenta millia hominum, ex Anglia in illas partes migrârunt, ibique & paſſim per Inſulas Americæ, ab Hiſpanis deſertas, ſuæ gentis colonias duxerunt, quarum præcipua ſedes, in inſul. Bermuda, *Nova Anglia* & Inſul. Trinitatis. Præter Briſtolum *Novum*, *Novumque* Londinum, regionis metropolim, inſuper ibi urbes ſunt Boſtonium, *Novum* Plymmouthum & *Nova* Cantabrigia, quæ urbs Academiâ inſignis eſt & ab Anglis ſtudiorum causâ frequentari ſolet. In eandem regionem, bellô inteſtinô Angliam turbante, Independentes magnô numerô ſeceſſerunt. G. Hornius *Orb. Pol. Part. 4. p.* 77. Terminatur verò hæc provincia à ſeptentrione & occaſu novâ Franciâ, à meridie novô Belgiô, & ab oriente mari Boreali. Huc, uti & in Belgium, novi Puritani, ſeu Independentes, uti vocantur, qui videl. *nullas Ceremonias bona conſcientiâ in Eccleſia tolerari poſſe* ſtatuebant, ex Anglia veteri, magnô numerô conceſſerunt, A. C. 1634. perſecutionem Epiſcoporum veriti: & quidem primùm ſucceſſu non pœnitendô, Doctoribus enim Joh. Cottonô & Thomâ Godwinô, magna in hac provincia fuit Euangelii propagatio: ut quidem ipſi Americani ibi facti Paſtores, multa hominum millia converſa, & in Academia, quæ in Nova Cantabrigia hodie floret, in variis Facultatibus plurimi ſint creati Doctores. Quin & Biblia in linguam Americanam verſa & in Nova Cantabrigia impreſſa exſtant: extat & Hiſtoria admirandorum Dei operum, quæ in *Nova Anglia* ad Euangelii propagationem facta ſunt. Poſtmodum verò Hutchinſoniæ adventu Eccleſiæ hæ mirè turbatæ, & graviſſimi Antinomorum aliorumque Hæreticorum errores in illas invecti. Vide ſuprà ubi de Joh. *Cottono*, & veſana hac furia, item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ubi de *Independentibus.* Inde, jam à ſeipſis longè diverſi *Independentes* in Hollandiam transvolârunt: Londinum inprimis gregatim ſe contulerunt, ibi metropoli ſuâ conſtitutâ, è qua communibus conſiliis Independentiſmum propagarent, convocationem Synodi (à qua *independentem* eſſe, illorum πρῶτον ψεῦδος eſt) omni ratione remorati, & Presbyteriano Regimini maximè obnixi, unde quæ mala prodierint, pluribus exequitur G. Hornius *Hiſtoriâ, Eccl. Novi Teſtam. Periodo III. Artic.* 3. ubi & *dogmata* illorum *erroresque* porrentoſos innumeros facundè enarrat.

NOVA Aula, *Lib. Concil.* quæ & Theodoſiopolis, urbs Epiſcopalis Meſopotamiæ, ex *libro Notitiæ.*

NOVA Biſcaja, vulgò *nueva Bizcaia* Hiſpanis, regio novæ Hiſpaniæ, in America ſeptentrionali, & verſùs novum regnum Mexicanum, à quo terminatur ad Boream, uti à Panuco provincia ad ortum, Culiacana ad occaſum, & Zacatecarum provincia ad meridiem; eſtque in mediterraneis ab ortu in occaſum extenſa, ubi tantùm urbecula S. Joannis, cum aliquot caſtris & duabus argenti fodinis, ſub dominio Hiſpanorum.

NOVA Britannia, vulgò *nouvelle Bretagne*, pars Americæ ſeptentrionalis, quæ aliter Eſtotilandia dicitur, ſeu Terra Laboratoris, inter fretum Hudſonium ad Boream, & novam Franciam ad Auſtrum, tantùm luſtrata verſùs oram littoralem. Sed nullæ ſunt in ea coloniæ Europæorum.

NOVA Cantabrigia, urbs Novæ Angliæ, Academiâ inſignis. Vide ſuprà.

NOVA Civitas, olim vocabatur Carthago tum illa Africæ, tum altera Hiſpaniæ. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 302.

——— *Atque Nova pateant Carthaginis arces.*

Ubi alluſum ad etymon. Hebraicè enim קרתא חרתא *novam urbem* ſignificat & ex *Karthada* Græcorum Καρχηδὼν, χ. & θ. permutatis; quod Siculorum proprium eſt, qui pro ὄρνιθες ὄρνιχες dicunt. *Steph.* etiam Καινὴν πόλιν interpretatur. Item *Nova civitas* tergemina. Una urbs Epiſcopalis in Auſtria inferiore ſub Archiepiſcopo Saliſburgenſi à Vienna 8. leuc. in Auſtrum, vulgò *Neuſtadt*: Permunita, ad amnem *Biſchaw*, prope Lethum fluv. 6. leuc. à Vienna, 2. milliar. German. à limite Hungariæ in Occaſum. Altera in Hiſtria in ora, Epiſcopalis, quæ Æmoniæ urbi proximæ exciſæ ſucceſſit, inter Juſtinopolim, & Parentium: Tertia in Venetis in ora Marchiæ Tarviſinæ, apud Heracliam urbem exciſam, & ipſa everſa, epiſcopalis tamen.

NOVA Corduba, vulgò *nueva Cordoua*, urbs recens Americæ meridionalis, in Tucumania provincia, in mediterraneis ſub Hiſpanis, in tractu Traralanda dicto.

NOVA Dania, vulgò *niew Danemark* Danis, *nouveau Danemark* Gallis, regio eſt Americæ ſeptentrionalis, & terræ Arcticæ pars verſùs occaſum, ante paucos annos à Monacho Dano detecta, auſpiciis Chriſtiani IV. Regis Daniæ; ſed tantùm oram littoralem potuit luſtrare.

NOVA Fleſſinga, vulgò *niew Vliſſinghen* Belgis, *nouvelle Fleſſingue* Gallis, oppid. inſulæ Tabaci, ſeu novæ Walachriæ, in mari Boreali, & verſùs inſulam Trinitatis ac oram littoralem Americæ meridionalis & novæ Andaluziæ, recens à Batavis extructum.

NOVA Francia, ſeu *Canada*, vulgò *la nouvelle France, ou le Canada*, pars ampliſſima Americæ ſeptentrionalis, juxta fluv. Canadam, ſeu S. Laurentii longè latéque extenſa, inter terras Arcticas ad Boream & mare Boreale ad meridiem: cujus partes etiam ſunt Terra nova, inſula ampliſſima, ad ortum; inſula Capitis Britonum, inſula Aſſumptionis, Saguenæa, & Accadia, ut & quamplurimi populi. Subeſt Dominio Francorum à centum quinquaginta annis, & in ea habent plurimas colonias, quarum præcipuæ ſunt Quebecum, *Quebec*, regionis caput, Taduſſacum, *Tadouſſac*, Mons Regalis, *Montreal*, Richelæum, *Richelieu*, Plaſentia, *Plaiſance*, & Portus Regius, *Port Royal.* Terminatur etiam ad auſtrum Virginiâ, novô Belgiô, & novâ Angliâ, quæ alias ipſius etiam pars erat. Longiſſimè protenditur ad occaſum, ubi aliquot lacus ampliſſimi: ſed ab illa parte nondum ejus limites bene noti ſunt. Eodem refert Hornius terram Corterealis, terram *de Bacaleos* & *Norumbega*; ſed nomina hæc jam in deſuetudinem abiiſſe, regionesque illas, quæ ante circiter 30. annos *Nova Francia* appellabantur, ab aliis *Novam Britanniam* dici ſub eaque Novam Angliam & Novam Scotiam contineri, tradit. Idem *Orb. Polit. part.* 4. *p.* 76.

NOVA Friſia, vulgò *niew Frieſland*, pars orientalis Spitzbergæ regionis, verſùs terras Arcticas, ſic dicta à Batavis, ſed nondum bene luſtrata.

NOVA Gallæcia, vulgò *nueva Galizia*, regio ampla novæ Hiſpaniæ, in America ſeptentrionali, inter Mechoanam provinciam ad ortum, Zacatecas ad Boream, & mare Pacificum ad occaſum & meridiem: ſub qua ſunt provinciæ Xaliſca, Guadalaxara, & Chametlana. Totius regionis caput eſt Guadalaxara, propè Baraniam fluvium.

NOVA Granada, pars Americæ Meridionalis, complectitur provincias, *Bogota*, *Thuniam* & *Panches.* Metropolis eſt. Civitas S. Fidei *S. Fé de Bogota.* Reliquæ urbes, Thunaja, Merida, Pamplona, Idem Horn. *ibid. p.* 79.

NOVA Guinea, vulgò *nouvelle Guinée*, regio perampla Aſiæ, in mari Anchidolio, ſeu in parte occidentali maris Pacifici, aut potiùs pars terræ Auſtralis ad ortum Moluccarum inſularum. Sed tantùm detecta eſt ab Europæis verſùs oram littoralem. Ejus pars creditur à multis Terra Papuorum ſeu Nigrorum.

NOVA Hiſpania, vulgò *nueva Eſpana* Hiſpanis, *nouvelle Eſpagne* Gallis, regio ampla Americæ ſeptentrionalis, quæ aliter regnum Mexicanum dicitur à multis, *el Mexico* Hiſpanis, ab ejus primaria urbe. Sed nova Hiſpania magis patet. Continet enim totum terræ ſpatium, inter mare Boreale & mare Auſtrinum comprehenſum, à Terra firma, ſeu Iſthmo Panamæ, ad ortum, uſque ad novum regnum Mexicanum, & Floridam ad occaſum. Dividitur ab Hiſpanis in tres partes, quas vocant Juriſdictiones ſeu Præfecturas, *las Audienças.* Quæ media eſt, dicitur *la Audiença de Mexico*, ſub qua Hiſpania nova ſtrictè ſumpta, in qua ſunt provinciæ Mexicana, Mechoacana, Panuca, Tlaſcala ſeu Angelorum, Guaxaca, Tabaſci, & Jucatania; ejuſque primaria urbs eſt Mexicum, *Mexico*, totius Americæ facilè caput. Præfectura novæ Hiſpaniæ in occaſum extenſa dicitur *la Audiença de Guadalajara*, cui ſubſunt hæ provinciæ, nova Biſcaja, Cinaloa, Culiacana, Zacatecæ, Chametlana, Xaliſca, & Guadalaxara, ſeu nova Galitia; ejusque præcipua urbs eſt Guadalaxara, *Guadalajara.* Præfectura autem novæ Hiſpaniæ, ſeu Juriſdictio verſùs ortum dicitur *Audiença de Guatimala*; & ei ſubſunt provinciæ Soconuſca, Vera pax, Guatimala, Hondura, Nicaragua, Ora dives, & Veragua; totius verò Juriſdictionis primaria urbs eſt Fanum S. Jacobi de Guatimala, *Guatimala.* Tota autem nova Hiſpania cum tribus ejus Præfecturis ſeu Juriſdictionibus ſubeſt Regi Hiſpaniæ à 15.. annis circiter. Hornio cultiſſima Septentrionalis Americæ regio cenſetur, è qua Hiſpani tantum auri argentique ad nos deferunt. Tota coloniis Hiſpanorum occupatur, qui indigenis vel extinctis, vel iiſdem permixti, eam pro altera ſua patria habent. Præter urbes memoratas, ibidem ſunt, Granada, Guatimala, Karthago, Nomen Dei *Nombre de Dios*, Panama, & Segovia. Idem *ibid. p.* 78.

NOVÆ HISPANIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Acapulcum, *Acapulco.*	Fanum S. Jacobi de Vallibus, *Sant Jago de los Valles.*
Angelopolis, *los Angeles.*	Guadalaxara, *Guadalajara.*
Antiquaria, *Antequera.*	Legio Nicaraguæ, *Leon de Nicaragua.*
Civitas Regia, *Ciudad Real.*	Mechoacanum, *Mechoacan.*
Compoſtella, *Compoſtella.*	Mexicum, *Mexico*, reg. caput.
Conceptio, *la Conception.*	Panacum, *Panuco.*
Durangum, *Durango.*	Pincia, *Valladolid.*
Emerita, *Merida.*	Tlaſcala, *Tlaſcala.*
Fanum S. Jacobi de Guatimala, *Sant Jago de Guatimala.*	Vera Crux, *la Vera Crux.*
Fanum S. Franciſci de Campeco, *Sant Franciſco de Campeche.*	Vera Pax, *la Vera Paz.*

NOVA Hollandia, vulgò *niew Hollandt*, regio parva Moſcoviæ Borealis, prope fretum Weigatium, ſic dicta à Batavis, in ora Oceani Septentrionalis.

NOVA Hollandia, vulgò *la nouvelle Holande*, pars ampla terræ Auſtralis recens detecta à Batavis, nempe à quadraginta annis, & ab eis tántùm verſùs oram littoralem luſtrata, jacet ad auſtrum maris Indici & Moluccarum. Sed an ſit inſula aut continens, non conſtat. Dividitur in plures partes, terram Leenæ, terram Concordiæ, terram Petri Nuitii, terram Diemeni, & alias.

NOVA Julia, vide *Julia Nova.*

NOVA Luna, vide ſuprà *Cavum Sidus* & infrà *Novilunium.*

NOVA Mœnia, Sarmatiæ Europeæ urbs, *Ptol.* Hodie *Album caſtrum*, *Wiſemburg.* Græcè Νέον τεῖχος.

NOVA Nupta, vide infrà *Nupta*, item in voce *Sponſa.*

NOVA Religio, Romuli Lege prohibita: è quo fonte hauſit Cicero *de LL. l.* 2. *Suosque Deos aut novos aut alienigenas coli, confuſionem habet religionum, & ignotas cærimonias. Non à Sacerdotibus, non à patribus acceptos Deos? Ita placet coli, ſi huic Legi paruerint ipſi.* Suadet nempe iſtis verbis Legem, quam rogabat, hanc: *Separatim nemo habeſſit Deos, neve novos: ſed ne advenas, niſi publicè aſcitos privatim colunto.* Et certè ne quis *novos* haberet *Deos*, ſed pareret νόμῳ πόλεως, intererat Reip. ut eſt ad Auguſtum Mæcenatis monitum apud Dionem *l.* 52. Τοὺς δὲ ξενίζοντας περὶ τὸ θεῖον, ... μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ... τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν· κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι καὶ συστάσεις ἑταιρίαι τε γίγνονται, *Qui verò in religione quid innovant, ... & puni, non ſolùm, Deorum cauſâ, quos qui contemſerit nihil ... magni æſtimabit; ſed &, quia nova introducunt Numina, ... tramite Legum abducunt, unde conjurationes, ſeditiones & coitiones clandeſtinæ.* Hinc in Chriſtianos, velut *Deorum*, *Imperatorum*, *Legum, naturæ totius inimicos, humani generis hoſtes*, ut loquitur Tertullian. *Apologet.* ungulis, crucibus, ignibus, gladiis, beſtiis, ut idem *ibid.* aliiſque tormentorum pœnarumque generibus, prout ditis Martyrum *Actis*, Euſebiô, Prudentiô, aliis, ſæviendi ... porta. Augebant odium nocturni cœtus promiſcui, non ſine ſuſpicione factionis. Adde lucifugas & ſubtrahentes ſe Imperii negotiis, dum immortalia cogitant, mortalium negligentes, à quibus omnino diverſa Romanorum ſtudia, quorum in defendendis Imperii limitibus propagandisve omnis labor &c. Vide hanc in rem plura apud Joann. à Wower *Not. ad Minucium Fel.* ubi & nummi meminit à Diocletiano cuſi, cum *Inſcr. Nomine Chriſtianorum deleto, qui Rempubl. evertebant.* Sed & apud Græcos hoc unicè ... ſervatum volebant. Veteres ne quid temerè immutaretur, in Deorum ceremoniis, Iſocr. *in Areopag.* unde lex Draconis, θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους, *venerandos eſſe Deos & Heroas indigenas*; idque κοινῇ ... νόμοις πατρίοις, *ſecundùm patrias ſanctiones.* Imò communi gentium jure receptum fuiſſe, ut *novas religiones opprimerent*, Euſebius notat *l.* 4. Hinc Cicero 5. *Verr. Omnes*, ait, *religione moventur, & Deos patrios ſibi retinendos arbitrantur.* Quod & Apollinis oraculô monitum, uti docet Ariſtoteles *Rhet. ad Alex:* & Cicero *Legg. l.* 2. &c. Verùm & Romani & Athenienſes, ut de aliis ... dicam, ad alienas religiones ſucceſſu temporis facilè exorbitârunt, uti vidimus ſuprà in voce *Majorum Religio.* Plura verò hanc in rem habes apud Sam. Petitum, *Commentar. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1.

NOVA Scotia, Gallis *la Nouvelle Eſcoſſe*, pars Novæ Franciæ quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quæ jam, ſecundùm Horn. dicitur *Nova Britannia*, Scotos colonos habet. Vide eum *Orb. Polit. Part.* 4. *p.* 77.

NOVA Segovia, vulgò *nueva Segovia*, urbs Aſiæ, in Philippinis & in Manilla inſula, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Manillano, ſub Dominio Hiſpanorum.

NOVA Suetia, vulgò *nouvelle Suede*, regio parva Americæ ſeptentrionalis, in ora maris Borealis, inter novum Belgium ad Boream & Virginiam ad auſtrum, antea à Suecis habitata, & poſtea ab Hollandis occupata. Ibi oppida præcipua Gottemburgum & Chriſtiana, prope oſtia fluvii Auſtrini.

NOVA Valachria, vulgò *niew Valcheren*, provincia Moſcoviæ Borealis ſatis parva, inter tractum novæ Hollandiæ & Petzoram fluvium, ſic ab Hollandis dicta, in ora maris Tartarici.

NOVA Valachria, vulgò *niew Valcheren*, inſula eſt Americæ, in mari Boreali, & una ex Antillis, verſùs oram Americæ meridionalis; & 10. tantùm leucis Germanicis ab inſula Trinitatis in Boream. Antea Tabaci inſula dicta fuit, *Tabago* Hiſpanis; ſubeſtque Dominio Hollandorum. Ibi oppidum primarium nova Fleſſinga.

NOVA Wallia meridionalis, vulgò *new ſouth Walies*, pars terræ Arcticæ, in America ſeptentrionali, prope mare Hudſonium, ab Anglis detecta & denominata.

NOVA Wallia ſeptentrionalis, vulgò *new north Walles*, pars terræ Auſtralis in America Boreali, verſùs mare Hudſonium, ab Anglis dicta & detecta.

NOVA Weſt-Friſia, ſeu *Nova Friſia occidentalis*, vulgò *niew Weſt-Frieſlandt*, provinc. parva Moſcoviæ Borealis, inter-oſtia Obri fluv. & Obdoram regionem, in ora Oceani ſeptentrionalis.

NOVA Zeelandia, vulgò *niew Zeelandt* Batavis, *nouvelle Zelande* Gallis, regio ampla, ſeu pars terræ Auſtralis & Antarcticæ, recens detecta â Batavis. Sita eſt ad auſtrum maris Pacifici, & longè à nova Guinea in ortum, uti à terra Diemenis & ab inſulis Salomonis. Sed non conſtat, utrum ſit inſula aut continens.

NOVA Zemla, vulgò *nouvelle Zemle*, regio ampla Europæ, Moſcoviæ Boreali ferè adjacens, & ab ea tantùm Fretô Naſſoviô, ſeu Vaigatiô ſeparata. Eſt in Oceano Glaciali, & creditur pars terræ Arcticæ. Sed non certò conſtat an ſit inſula, quanquam ſic vulgò credatur, & luſtrata tantùm fuit verſùs oram littoralem occidentalem. Ibi nullum oppid. neque vicus quod ſciam.

NOVACULA, quâ cotem Atius Navius Augur diſcidiſſe legitur in hiſtoria Romana, præſente & inſpectante Tarquiniô in ipſo Comitio, ibidem unà cum cote in rei memoriam defoſſa eſt. Livius, *l.* 1. *c.* 36. *Statua Navii poſita capite velatô, quo in loco res acta eſt, in Comitio, in gradibus ipſis ad lævam Curiæ fuit. Cotem quoque eôdem locô ſitam fuiſſe memorant, ut eſſet ad poſteros miraculi ejus monumentum.* Cicero *de Div. l.* 1. *Ex eo evenit, ut & Tarquinius Atio Navio augure uteretur & populus ad eum de ſuis rebus referret. Cotem autem illam &* novaculam *defoſſam in Comitio putealque impoſitum accepimus.* Nempe defoſſæ in Comitio coti & *novaculæ* puteal impoſitum ſeu ara quædam, ut Dionyſius vocat, qui ὑπὸ βωμῷ τινὶ novaculam defoſſam refert. Atque hæc eſt ara Comitii, ad quam Plinius enatam dicit ſacram ficum, de qua diximus ſuprà, ubi de *Navia Ficu*. Nec non longè ab hac ficu fuiſſe aram illam, Dionyſius indicat. Sed nec ſine religione aut ceremonia aliqua defoſſa eſt *novacula*, quæ tantum ediderat miraculum, ad confirmandam Augurii majeſtatem, quam Rex deludebat: verùm & ſacrum factum eſt in ea defodienda & ara deſuper impoſita. Qua de re vide plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1137. & *ſeqq.* Dicta autem *Novacula* eſt à *novando* i. e. radendo vel lævigando barbam. Arnob. *quid novatio & relevatio pudendorum:* Sic *membra novare lymphâ*, pro extergere, nitidare & quaſi *nova* facere. Val. Flacc. *l.* 3. *Argon. v.* 422.

Hic ſale purpureo, vivaque nitentia lymphâ
Membra novat, &c.

Vide eundem *ad Lamprid. in Heliogabalo, c.* 31. & infrà ubi de *Tonſoribus* & *Tonſura*.

NOVÆ, *Anton. Ptolem. Novomont*, teſte *Laziô*, oppid. Myſiæ inferioris, ubi Legio 1. Italica, ab Oeſco 55. mill. paſſ. ex *Antonino* in ortum, Novenſis urbs *Marcellino*. Eſt & *Novomont*, urbs Myſiæ ſuperioris, in Servia, clariſſima hâc tempeſtate, inter Drivaſtum urbem Dalmatiæ 45. & *Novibazar* in Cæciam 50. mill. paſſ.

NOVÆ Puellæ, apud Capitolin. *in Marco, c.* 26. *Novas puellas Fauſtinianas inſtituit, in honorem uxoris mortuæ:* quænam dictæ ſint, ambigunt eruditi. *Pueri & puellæ novorum nominum*, occurrunt apud Jul. Capitolin. *c.* 7. ſuprà, *Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum nominum frumentariæ perceptioni aſcribi præceperunt:* qui iidem cum *novis*. Nempe, ut Salmaſ. judicat, primus pueros & puellas alimentarias conſtituit Trajanus: quibus liberalitatis incrementum adjecit Hadrianus. Pius etiam, in honorem Fauſtinæ novas puellas adſcribi fecit, quas *Fauſtinianas* appellavit. Poſtmodum Marcus & Verus, novorum nominum pueros & puellas addiderunt: cùm namque darent nomina ſua, qui aſcribendi erant huic frumentariæ perceptioni, pueri puellæque ideò *novorum nominum* Auctori huic dicuntur, quòd præter illos & illas, quarum nomina jam habebantur adſcripta, *novi* iſti adſcribebantur. Salmaſ. *ad loc.* Vide quoque ſuprà, in voce *Alimentariæ*.

NOVALICIA, vulgò *la Novaleſe*, caſtrum Italiæ, in Pedemontio, ad radices Alpium & montis Ceniſii, 2. leucis à Seguſio in Boream verſùs limites Sabaudiæ, à qua tantùm 2. leuc. etiam diſtat. Seu *Novalicium*, aut *Novalicienſe oppidum*, veterrimô Monaſteriô, quod S. Petrum Patronum habuit, illuſtre admodum fuit ac opulentum, villis & cellis cùm in Gallia, tum in Italia dives, ſitum in valle Seguſina, inter Montem Ciniſium *le Mont Cenis* & oppid. Seguſium, ab utroque paribus diſtans intervallis. De quo ut & Cœnobii ejus Abbatibus fusè agit Chronicon Monaſterii in 6. libros diviſum, & ad A. C. circiter 1050. ſeu ad Henricum II. Imperatorem deductum; è quo diſcimus, multa olim templa, domosque multas eo in Oppidulo ac Monaſterio fuiſſe, quod in nomine ludens Auctor *Monaſterium Novæ lucis* ibidem appellat, & à Saracenis direptum atque incenſum eſſe ſcribit, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Novalicium*.

NOVALIS, vide infrà *Reſtibilis ager*.

NOVANA, Plin. *l.* 3. *c.* 13. ſeu *Civitas nova*, vulgò *Citta nova*, *Pamphilo*, Piceni oppidulum eſt, ditionis Pontificiæ, & gaudet titulô Ducatus Gentis Ceſarinæ. Sedet in ora maris Adriatici, 8. milliaribus à Recineto in ortum, 6. à Laureto in Eurum, & 8. à Firmo in Circium.

NOVANTÆ, *Ptol. Gallower*, populi Albionis, in Scotia ad occaſum, quorum regio Gallovidia, *Galloway*, in peninſula, contra Hiberniam, inde 20. milliar. diſtantem, teſte *Lhuydô*. Ibi Novantum promontor. *Kanter*, teſte *Boethô*, *Akermonchead Camdeno*. Sed Boëtho fides. Novantum aliis eſt Cherſoneſus Gallovidiæ, regionis Scotiæ in ora occidua, vulgò *the Mull of Galloway*. Proximi ſunt Selgovæ ad auſtrum, vulgò *Solway*, ubi Solveus flumen & Trimontium urbs, vulgò *Uzeli*, ſeu Cela: & Damnii ad Boream, ubi Glota ſeu Cluda fluvius, quorum regio *Sterlingshire*; in qua urbes Glaſcoa, & Caſtrum Britonum, vulgò *Donbriton*, apud *Bedam Alcluid*. Tametſi alii aliter de Damniis ſentiunt. Horum ratio minùs confuſa & incerta. Novantæ, (Novantes *Camdeno*) populi Albionis, in Scotia & occidentem, quorum regio ubi hodie Gallovidia, *Galoway*, cujus pars occidentalis eſt peninſula contra Hiberniam, (inde 20. milliar. diſtantem, teſte *Lhuydô*) nonnullis Novantum Cherſoneſus, & Novantum promontorium dicta (quod tamen *Mercator* & *Boëthus* ſtatuunt, ubi hodie *Cantyre*; perperam, nam ibi olim Epidium.) His proximi ſunt Selgovæ ad auſtrum, ubi Solveus fluv. ſive fretum, (vulgò *Solway Frith*, prope *Solway* oppidum) ubi & Trimonium urbs, ut & Uxelum: Damnii verò ad Boream, ubi Glota ſeu Cluda fluvius, quorum regionis pars eſt hodie *Sterlingshire*; in qua urbes Glaſcoa, & Caſtrum Britonum, vulgò *Dunbriton*, apud Bedam Alcluid. Tametſi alii aliter de Damniis ſentiunt, *Ferrar.*

NOVANTÆ, populi *Baudrando* fuêre Scotiæ occidentalis, ubi incipit auſtralis, in ora maris Verginii, & contra Hiberniam. Ibi nunc provinciæ Gallovidia, *Galloway*, & Carricta, *Carrick*, eorumque caput dicitur Leucopibia, nunc *Withern*. Novantum autem promontorium *The mul of Galloway* dicitur.

NOVANTUS Hugo, vide *Hugo*.

NOVANUS, fluv. Umbriæ, in agro Pitinate, trans Apenninum, qui in ſolſtitio æſtivo torrens eſt, in bruma ſiccari ſolet, teſte Pliniô *l.* 2. *c.* 103.

NOVARIA, Plin. *l.* 3. *c.* 17. *Ptolem.* & aliis *Novara*, urbs Inſubriæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi, inter Mediolanum 25. & Vercellas 10. mill. paſſ. à Ticino 30. à Vertocomacoris populis condita, Petri Lombardi clariſſimi Theologi, qui Magiſter ſententiarum cognominatus eſt, patria. Hic factus Epiſcopus Pariſienſis, ubi anno ſalutis 1060. deceſſit. Urbis hujus antiquitatem & nobilitatem teſtantur plurimæ marmoreæ inſcriptiones. Aria Libya & Leonina, Cato, *in Origin.* Hîc Helvetii, Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolanenſis contra Gallum Venetosque defenſores, à Gallis obſeſſi, Duce Motinio, ſtupendâ animi magnitudine, numeroſiſſimum & inſtructiſſimum Gallorum exercitum adorti ſunt, eumque, licèt omni equitatu deſtituti, fœdiſſimè profligârunt, die 6. Junii, A. C. 1513. verba ſunt Bucholceri, *Ind. Chronol. Ex Guicciardino.* Longitud. 30. 27. latitud. 44. 35.

NOVARIENSIS Pacificus, vide *Pacificus*.

NOVARINI Ludovicus, vide *Ludovicus*.

NOVARUM Tabularum Lex, Græcè Χρεωκοπία, it. Σεισάχθεια, vide infrà *Oneris excuſſio*.

NOVATUS, Epiſcopus in Africa; perfidus, adulator, arrogans, ſordidus, Cyprian. *ep.* 46. 47. *&c.* Patrem fame perire paſſus, orphanos, viduasque impune ſpoliavit. Hinc Schiſmatis, quod tandem in Donatiſmum abiit, auctor, Feliciſſimo contra Cyprianum præſtò fuit. Cum Novatiano dein, viro eloquente & Philoſopho, ſed Cornelium in Papatu ſibi prælatum indignante, Romæ amicitiam contraxit, qui duo tantum egerunt, ut Novatianus à quibuſdam Præſulibus contra Cornelium ordinaretur. Sed cùm ludibriô haberetur à reliquis, novam hæreſin orſus docuit, poſt Baptiſmum in aliquod delictum prolapſos, ad pœnitentiam non eſſe recipiendos. Ejus diſcipuli *Novatiani*, ſe Catharos quoque appellabant: inſuper damnantes nuptias ſecundas, & peccatores rebaptizantes. Ne quidem Concilio Niceno coërciti, in ſectas dein abierunt, & à Sabatio quodam Judaiſmus in illorum communionem introductus eſt, Euſeb. *Hiſt. l.* 6. Epiph. *hæreſ.* 59. Auguſtin. *hæreſ.* 38. Hieronym. *de Script. Eccleſ.* Baron. *in Annal.* Georg. Hornius *Hiſtor. Eccl. cum Notis & Obſervat.* Leydeckeri. Alii. Hiſtoriam utriuſque breviter hiſce complexus eſt Hieronymus, *Catal. Scriptorum Eccleſ. c.* 80. *Novatianus, Romanæ Urbis Presbyter, adversùs Cornelium cathedram Sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Græcè dicitur* Καθαρὸν, *dogma inſtituit, nolens apoſtatas ſuſcipere pœnitentes: hujus auctor Novatus Cypriani Presbyter fuit.* Plura de utroque, vide apud Jo. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theol. l. XII. c.* 10. & *l. XIV. c.* 3. ut & ſuprà ubi de illorum ſuperba voce *Noli me tangere*: nec non voce *Martianus*.

NOVAUGUSTA, *Ptolem. Nova Auguſta*, Plinio, *l.* 3. *c.* 3. *Atienza*, *Moletio*, oppid. Hiſpaniæ, in finibus Arevocarum, ac in Caſtella veteri, in novæ confinio, inter Secontiam 4. & Uxamam 9. milliar. Hiſpanicis, à Burgis 22. Medinæcœli propius.

la NOUE Franciſcus, vide *ibi*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NOVELLA, nomen Junonis, apud Romanos, quô calabatur, i. e. vocabatur in menſium Kalendis a Pontificibus. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 6. ex Varrone *de L. L. l.* 5. ubi tamen Scaliger *Covella* legi vult, ut diximus ſuprà voce *Kalendæ*. Idem nomen fœminæ cuidam in Italia eruditæ fuit, de qua ſic Leander Albertus Bononienſis, *in deſcr. Romandiolæ p.* 515. *edit. Colon. A. C.* 1567. *Mulieres, inquit, etiam literis eruditas, ornataſque Bononia tulit: inter quas Joanna, Matthæi Blanchetti filia, Bonſignorii uxor: quæ & eleganter Latine loquebatur, & Germanicæ Bohemicæque linguæ habebat uſum. Novella, Johannis Andreæ filia, Johanniſque Lignani conjux, Patre occupató, munus ejus ex ſuggeſtu docendi ſuſtinebat.* Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Philol. c.* 2.

NOVELLÆ, ſic dictæ Cedreno *in Juſtiniano*, quod *nova* eis atque à Veterib. diſſidentia jura conſtituta ſint. Sed id e. g. 91. & 92. non competit. Meliùs itaque Cujacio ſic appellatæ ſunt, quòd *noviſſimè* ſint promulgatæ ab Imperatoribus, poſt Codicem Juſtinianæum repetitæ prælectionis, unde Græcis Νεαραὶ μετὰ τ̃ Κοδικῶν. Ita olim nuncupabantur Conſtitutiones quædam Theodoſii, Valentiniani, Leonis, Marciani, Majoriani, Severi, *l. quoniam Nov. Cod. de inoff. Teſtam.* Quia ſcil. promulgatæ erant, poſt Codicem Theodoſianum. Etiam ſic dicebantur Juſtiniani Conſtitutiones quædam, quæ ſcil. promulgatæ erant; poſt primam editionem Codicis, *l.* 1. §. *ſed cum Novell. de emend. C. Juſt.* Ex his verò, quæ nunc ſunt in Codicem relatæ, *Novellæ* eſſe deſierunt. Ita enim propriè appellantur, quæ in ipſo volumine Conſtitutionum Principalium non continentur, ex emergentibus poſtea cauſis factæ, quæ extra Corpus Conſtitutionum vagantur. Atque ita quoque, poſt libros Βασιλικῶν, Conſtitutiones Leonis Nicephori, Michaëlis Alexii, & aliorum quorundam Imperator. dictæ ſunt. Et hæ quidem *Novellæ*, vulgò pleriſque libris unô volumine continentur, additis etiam quibuſdam formis Præfectorum Prætorio, quæ dicuntur Ἐπαρχικὰ. Formas enim Præfectorum hujuſmodi vim habuiſſe legis, patet ex *l.* 2. *C. de Offic. Præf.* apertiſſ. *C. de Judic.* 1. *penult. C. de fidejuſſ.* Editas illas eſſe confuſaneas, omnes conſentiunt: eas igitur Methodicè & in artem hac viâ redigi poſſe putat *Pardulfus Pratejus*. Primùm omne Jus in *publicum* & *privatum* diſtribui debet: ad *Publicum* pertinent Sacra, Sacerdotes, Magiſtratus. In primo genere collocanda erit Conſtitut. 140. περὶ Ἑβραίων, i. e. *de Hebræis*, de interpretatione librorum Sacrorum, cui ſubjicietur, *Nov.* 131. *c.* 1. de Canonibus Eccleſiaſticis. Subſequentur Epiſcopi, & Clericorum Ordines reliqui, *Nov.* 131. & 56. & 6. 133. & 2. 175. Subnectendæ ſunt Orationis domus & Templa, *Nov.* 58. quibus adjicias res Eccleſiaſticas, *Nov.* 7. 120. & 46. Earum privilegia, *Nov.* 135. §. πρὸς τούτοις & *Nov.* 131. Sacra Sacerdoteſque ſequuntur Magiſtratus, Ordines, eorum Officia, *Nov.* 195. 80. 35. 11. & 13. poſt hos Judices, *Nov.* 82. Præſides *Nov.* 8. Mandata 17. & Civitatum Defenſores, *Nov.* 15. Magiſtratus exequuntur crimina: ideoque ponatur hîc *Nov.* 79. puniunt Hæreticos, *Nov.* 42. Ad milites & eorum tranſitum perveniendum, ideoque ad *Nov.* 116. Hi arma tractant, & proin *Nov.* 85. ſubjicienda eſt. Subſequantur Decuriones, *Nov.* 101. & 70. Tabelliones quoque ſunt perſonæ publicæ, proinde hîc ponatur *Nov.* 44. Hi ſcribunt Teſtamenta, idcirco huc referatur *Nov.* 1. *ſub princ.* Quantum liberis teſtamento relinqui debeat, conſtituit *Nov.* 8. Teſtamenta inter liberos, *Nov.* 107. Hi inſtituendi, non prætereundi, ſed, nec Parentes, *Nov.* 115. Tutores Teſtamentarii *Nov.* 117. Fidei commiſſa, *Nov.* 108. & 159. Jus deliberandi, 158. poſt teſtatos collocavit Prætor inteſtatos, ſic Imp. *Nov.* 118. 84. 127. & 68. Hactenus de Jure publico, ſequitur *Privatum*. Porro omne Jus, quo utimur, vel ad *perſonas*, vel ad *res*, vel ad *actiones* pertinet. *Perſonas* quod attinet, à Nuptiis incipiemus, *Nov.* 21. Nefariæ, inceſtæ, damnatæque nuptiæ, *Nov.* 12. & 154. de ea, quæ raptori nubit, *Nov.* 150. Nuptiarum comes, dos: de hac *Nov.* 90. cui adjicias 2. §. *fin.* & 100. 91. 119. & 39. Ex nuptiis Liberi, de quibus *Nov.* 89. & 74. Nati ex libero & adſcriptitio, *Nov.* 54. explicatur *Nov.* 156. Infantes abjecti *Nov.* 153. Liberis dantur Tutores, & ſic Tutelæ, *Nov.* 94. 72. & 155. Clarigatio *Nov.* 52. Perveniamus ad *Res*, ideoque ad Contractus, Obligationes & Actiones, *Nov.* 52. 98. 88. 136. & 119. Solutiones *Nov.* 4. *Actiones* in judicio proponendæ, §. 1. *Inſtit. de Act.* de hoc *Nov.* 96. Qui priùs conveniatur, Reus an Fidejuſſor, *Nov.* 4. Per Procuratores agi poſſe, *Nov.* 71. Initio litis jurandum, *Nov.* 124. Quid ſi Actor abſit, *Nov.* 53. atque ibi quî explicentur Judicia? Monachi apud quos conveniendi? *Nov.* 79. Judex competens Præſes, *Nov.* 69. de Præſide ſuperbo & negligente *Nov.* 89. Litigioſa res, *Nov.* 112. Teſtes, *Nov.* 90. Sententia *Nov.* 82. Appellatio, *Nov.* 82. 22. & 115. Executio *Nov.* 134. Hæc *Pardulfus Pratejus* apud Calvinum *Lexic. Jurid.* Cœterùm *Novellarum* nomen novum non eſt, cùm ipſe etiam Imperator *in* 3. *Conſtitut.* quæ Præfationis locô repetitæ Codicis prælectioni præmittitur, hôc nomine in futurum id operis confirmet. Et Azo teſtatur, ex *Novellis* in collationes collectas conſtitutiones, quæ hodiè in Scholis ac Foro circumferuntur: Etiam ante quadringentos annos *Novellæ* in uſu ſunt habitæ, ſi non omnes, attamen pleræque, quæ hodie non extant, &c. Hinc *Anton. Auguſtin. Nomen*, inquit, *hoc, vetuſtiſſimum eſt & à pluribus Imperatoribus poſt Theodoſianum Codicem editum & uſurpatum, & quô Juſtinianus ipſe utitur frequentiùs in his eisdem Legibus appellandis.* Accurſius autem cùm appellat *Novellas*, Juliani editionem intelligit, cùm barbaram tranſlationem, Bulgari tempore factam, *Authenticam* vocârit, Car. du Freſne *Gloſſar.*

NOVELLARA, oppid. cultum Lombardiæ inferioris inter ditiones Mutinenſem & Mantuanam, ſub proprio Comite, è familia Gonzaga, cum aliquot caſtris, 10. milliar. à Rhegio Lepidi, in Boream Mantuam verſus.

NOVELLI, apud Pollionem *in Claudio c.* 10. ubi de ſorte, quæ emerſit, cùm conſuleret factus Imperator, quamdiu imperaturus eſſet,

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis arbiter Deorum,
Tu vinces veteres tuis novellis:

uti legit Salmaſ. pro nepotibus huic ſunt aut minoribus. Qui dixiſſet ſors, Claudium veteres omnes Imperatores, non quidem vitæ & Imperii ſui longitudine, ſed *novellis ſuis* ſuperaturum, h. e. nepotum ſucceſſione. Sequitur enim

Regnabunt etenim tui minores,
Et Reges facient ſuos minores.

Novelli certe ... *Querolo* Plauti, ſunt tirones & pueri ... huc in prima diſciplina conſtituti: *Quid ad hæc vos dicitis ... atque incipientes nunc mei?* Græci Νεαροὺς vocant, &c. Salmaſ. ad *dict. loc.*

NOVELLIUS, Mediolanenſis quidam, temporibus Tiberii Cæſaris, qui geſtis honoribus à Prætura ad Conſulatum uſque pervenit, *Tricongius* dictus, quòd *tres congios* vini unô impetu epotaverit, Plin. *l.* 14. *c.* 22.

NOVELLUS, aliô nomine *Antonius*, inter Duces Othonianos cui quoque cum aliis ſumma expeditionis, contra Galliam Narbonenſem, concredita, Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 87.

NOVELLUS Guido, vide *Guido*.

NOVEM, numerus Manium venerationi à Papinio Statio accuſus, *Theb. l.* 4. *v.* 451. ubi de ſacro Inferis facto,

Ipſe manu tractans, notæque in limine ſilvæ,
Principio largos novies *tellure cavata*
Inclinat Bacchi latices &c.

Quibus reſpectum videtur ad *Novemplicem* Maronis *Stygem*, *Æn. l.* 6. Cupiditatibus & Virtutibus ſic indicatis, ſiquidem fides iis, quæ tradit *ad eum locum* Servius: *Quia qui altiùs de Mundi Ratione quæſiverunt, dicunt; intra novem hos Mundi circulos incluſas eſſe virtutes, in quibus & iracundiæ ſunt & cupiditates, de quibus triſtitia naſcitur, i. e. Styx. Et dicunt alias eſſe purgatiores extra hos ... culos poteſtates. Alioquin etiam finis omnium rerum, qui ad ... ſpectat, hoc* Novenario *numero indicatur, quoniam primi verſus ... minum tenet, & Mors ſic appellabatur. Primus autem verſus numerorum eſt uſque ad decimum.* Sic Martianus Capella *l.* 7. *Enneas quoque perfecta eſt, & perfectior dicitur, quoniam ex triade ter facta forma ejus multiplicata perficitur. Deinde quòd primi verſus finem ... net, & ideo Mors appellata, à qua finis omnium rerum. Non minùs* novem *Muſas dixêre. In mundo etiam* novem *ſunt Zonæ, i. e. Sphæræ & Deorum ſeptem, & terræ.* Eodem ex parte ſpectant, quæ tradit Favonius Eulogius, priſcus *Somnii Scipionis* interpres, apud Ciceronem, præcipuè cùm ad Mortis jus alludens, in fine ait: *Inter cœlum & terram* novem *intervalla ipſe conſideres licet, ſic: Quoniam primi verſus abſolutio* novenariô *numerô continetur. Neque ipſum decimum circulum Natura requirebat.* Sed & in Sacris Romanorum magnus numeri hujus uſus, ut ex *ter novem Virginum proceſſione*, in creperis Reip. rebus apud *Liv. l.* 27. *c.* 37. conſtat. Vide quoque Plin. *l.* 28. *c.* 4. ubi de numeri hujus in Magia Veter. efficacia: & *Commentatores* Virgilii *ad illud Ecl.* 8. *v.* 77. *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:* ut & ſuprà voce *Abacus*, ubi de numeri hujus in Menſa Veter. numeraria auctoritate ac pretio. Nec omittendum, Diſciplinas Liberales Veterum nonneminem eôdem numerô, totidemque libris Commentariis abſolviſſe: in quibus ... Varrone unum habuiſſe, Architecturæ illuſtrationem, indicat Vitruvius *Proœm. l.* 7. Vide Barthium *ad Statium.* Etiam apud Burgundiones, Alemannos, Bojarios, Friſoneſque olim, pro re quâlibet furto ablata, reus *novies* ejus pretium reddere tenebatur ... mulcta hinc *Novigildum* ſeu *Niungeldum* dicta eſt, uti legitur ... *L.* Burgund. *tit.* 8. §. 2. *L.* Alemann. *tit.* 7. §. 1. *L.* Friſonum ... 20. & apud Guillimannum *Rerum Helvetic. l.* 1. *c.* 9. &c. de opinione verò veter. Platonicorum, *ſeptimô quôlibet annô variare corpus; at nonô quôvis immutari animos noſtros, hocque in novenariis ... uſque dum & hôc numerô duplicatô, i. e. novies novenis exactis ... à ſe abeat*, docentium, vide Gerh. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3. ... 20. uti de more Athenienſum, per *novem dies* detinentium hoſpitem, antequam interrogarent quo fine veniſſet, infrà voce *Peregrinus:* apud eoſdem, totidem dies duraviſſe Myſteria, dicemus voce *September.*

NOVEMBER, Menſis, quòd nonus eſſet à Martio, olim anni principe, dictus, additis poſtea duobus, nomen nihilominus retinuit, uſque ad Principatum Commodi, cujus adulatores, ut reliquorum quoque Menſium nomina immutârunt, *Novembrem* vocaverunt *Exuperatorium*; Unde apud Lamprid. *togam virilem accepiſſe, & cum Patre ſalutatum eſſe Imperatorem, 5. Kal. Exuperatorias*, legimus: *c.* 11. *in Commodo.* Sed id diu non obtinuit. Fuit autem in tutela Dianæ, & habuit ex ordinatione Romuli ... Cæſaris triginta dies, cùm ex Numæ conſtitutione 29. dierum eſſet ... Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 15. Ei apud Athenienſes, ſecundum ... Petitum, reſpondit Μαιμακτηριὼν, à Jove Mæmacte ſic appellatus ... apud Hebræos, èx parte *Marcheſvan*, ex parte *Chiſleu*, vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 2. *c.* 10. & Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 1.

DIES MENSE NOVEMBRI FESTI APUD ROMANOS.

Kal. *Novembribus*, Jovis epulum celebrabatur: quod meliùs in Idus referas.

VII. Idus, Mundus patere dicebatur: quod etiam poſtridie Volcanalium, & ante diem 3. Non. Octobr. fiebat, vide Catonem *in Comm. de Jure Civili*, & Macrob. *Saturn.* l. 1. *c.* 19. ubi ſacrum Diti Patri & Proſerpinæ dicatum ... proin tribus his in anno diebus, neque cum hoſte ... nus conſerere, neque ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quam in Rep. niſi extrema neceſſitate urgente, gerere Romanos ſolitos fuiſſe, docet.

IX. Idus & ſequentibus diebus ſex Ludi erant.

III. Idùs, Maria claudi, habet Vegetius *l.* 4. *Rei Militar. c.* 39. aliique.

Idibus *Novembris* Epulum indictum, quod Jovi aliiſque Diis apparabatur, aliô nomine *Lectiſternium* appellatum.

Poſtridie Idus, dies erat equorum probandorum.

XVII. Kal. Decembres, & duobus ſequentib. Ludi Plebeji erant in Circo.

XIV. Kal. & ſequentib. duobus Mercurialia celebrata ſunt. Eodem Menſe Brumalia quoque, in honorem Bacchi, qui etiam *Bromius* ſive *Brumus* dictus eſt, fuiſſe habita Lil. Greg. Gyraldus *in ſuo Kal. ex Conſtantino de R. R.* annotavit. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 28. *c.* 25. & *l.* 27. *c.* 24. ſed ea in Octobrem rejicit Kal. Ruſticum. Eôdem Menſe Græcis & Gallis in Foro Boario defoſſis, ſacra arcana fieri conſueviſſe auctor eſt Plut. *in Marcello.*

NOVEMCUBITALIS, Græcè Ἐννεάπηχυς, apud Lycophronem *Caſſandrâ.*

> Γυναιξὶ δ' ἔσται [illegible] ἐγχώριος ἀεὶ,
> Πενθεῖν τὸν ἐννεάπηχυν Αἰακοῦ τρίτον.
> *Et fœminis lex ſemper indigenis erit,*
> *Cubitum novenum flere tertium Æaci* &c.

Achillis epitheton; non quòd tot præciſè cubitorum proceritate eſſet, uti contendit Parrhaſius *Comm. ad Claudianum:* ſed ſimpliciter quòd procerus. Unde Philoſtratus Ἡρωικοῖς, [illegible] δὲ, inquit, τὸ σῶμα ἐφαίνετο, [illegible], *Procerâ admodum ſtaturâ erat, facilisque* [illegible], *quàm ad fontes conſitæ arbores.* Hinc Ἀχιλλεῖδαι, & ab Achille genus ducere dicti ſunt, proverbiali loquutione, qui reliquos corporis mole anteirent, uti diſcimus ex Heliodoro *Æthiopic. l.* 2. [illegible] ἐν τῇ προτεραίᾳ τῷ νεανίσκῳ: καί μοι ἀληθῶς ἔδοξε τοὺς Ἀχιλλείδας ἐμπρέπειν, τοιοῦτός ἐστι τὴν μορφὴν καὶ τοιοῦτος [illegible] τὸ μέγεθος. *Incidi pridie in adoleſcentem, qui vere Achilleidas referre videbatur, cùm ſpecie corporis, tum proceritate.* Eodem ſenſu ἐννεαπήχεις Homero vocitantur Otus & Ephialtes *Od.* λ. *v.* 310.

> Ἐννέωροι γὰρ τοί γε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
> Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι.

Ubi ſervatâ proportione longitudinis triplâ ad latitudinem, ἐννεαπήχεες ſeu *novemcubitales* in latitudine: ἐννεόργυιοι in longitud. illos fuiſſe ait, ingenti & procerâ valde ſtaturâ inſignes indigitans, *Heſych.* Vide Joh. Meurſium *Commentar. ad Lycophr. d. l.*

NOVEMONTUM, oppid. Myſiæ, quæ nunc *Servia* dicitur.

NOVEMPAGI, poſtea Balneoregium, urbs Hetruriæ epiſcopalis media inter montem Phyſconem & Oropitum 6. mill. paſſ. à Viterbio, 14. in Boream, *Bagnarea*, longitud. 35. 35. latitud. 42. 20.

NOVEMPOPULONIA, regio Aquitaniæ, inter Garumnam fluv. & montes Pyrenæos, Oceanumque comprehenſa, vulgò *la Guaſcogna*, ſic à *novem populis* dicta, qui ſunt *Vaſates*, *Medulli*, *Lojates*, *Auſci*, *Convenæ*, *Conſoranni*, *Bigerrones*, *Tarbelli*, & *Eluſates*, teſte *Canali.* Aliis *Novempopulana provincia.* Sic hodie Aquitania vetus ac propriè vocata, quam Cæſar *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. Garumnâ & Pyrenæô, Oceanôque terminari ſcripſit, dicitur. Illa enim, quam Auguſtus poſtea uſque ad Ligerim 14. gentium adjunctione promovit, poſtquam diu una manſit provincia, tandem à Conſtantino Magno ut videtur, in duas, Aquitaniam nempe & *Novempopulanam*, diviſa eſt: Sequentique tempore, cùm iterum Aquitania divideretur: tres ex ea factæ ſunt, Aquitania I. Aquitania II. & *Novempopulana.* Quæ cauſa, ut iſta à quibuſdam *Aquitania* III. inprimis ab *Iſidoro*, qui circa A.C. 800. *Notitiam quandam Galliarum* edidit, non ineptè dicatur. Hanc Rufus Feſtus *in Breviar.* appellat *Novempopulanam*: *Notitia Imperii Romani* nunc *Novempopulaniam*, nunc *Novempopulos*: Concilium Aquilejenſe & Edictum Honorii Aug. ad Agricolam Præfectum Prætorio *Novempopulaniam*; &c. à novem populis, de quibus ſuô locô: qui hodieque provinciæ hujus populorum clariſſimi ſunt, exceptis unis Eluſatibus. Nam Benarnenſes, Aturenſes & Eloronenſes, qui ejuſdem provinciæ finibus continentur, nomina Urbium ſunt, non populorum, quos Geographi nôrunt. *Ortelius* novem populis Viviſcos accenſet, gentem Aquitaniæ II. clariſſimam & Medulos ac Boios, popellos obſcuros & ignobiles ac ab *Auſonio* & *Paulino* primùm ſuis nominibus appellatos, ſed Burdigala, caput Biturigum Viviſcorum, & Meduli ac Boji ei ſubjecti, licèt trans Garumnam ſint in *Novempopulanæ* finibus, tamen Aquitaniæ II. attribuuntur. Vocatur regio *Novempopulana* à quibuſdam Provinciis *Auſcenſis* vel *Auſcitana*, à capite & Metropoli provinciæ. Livius *l.* 21. *c.* 23. partem *Novempopulanæ*, appellaviſſe videtur *Aquitaniam ſubjectam montibus Pyrenæis*: Sulpitius Severus, *Hiſt. Sacr. l.* 2. *interiorem Aquitaniam.* Tandem à Vaſconibus, qui eam occupaverunt, dicta *Vaſconia* eſt, quod factum circa ætatem Gregorii Turonenſ. ante annos circiter 1100. ac etiamnum *la Gaſcogne* appellitatur. Vaſcones enim, gens Hiſpaniæ Terraconenſis, provinciam hanc regnantibus apud Francos Chlotarii M. filiis ac nepotibus vaſtavêre ac ſenſim fines ſuos proferendo ferè omnem tandem, Francis ſub Majoribus Domûs bello civili laborantibus, occupavêre, nomineque ſuô illi impoſitô, Ducem ſuæ gentis juriſque habuerunt: donec miſſô à Theodeberto ac Theodorico exercitu victi, domiti, tributariique facti ſunt, Duce illis Geniali præpoſitô. A Chariberto quoque poſtea, Dagoberti fratre, ſtipendiarii facti, deinde à Dagoberto ipſo prælio ſuperati & ad deditionem fidemque promittendam Aighinâ Duce compulſi ſunt: quemadmodum & Lupus Dux Vaſconum A.C. 769. ſeipſum totamque terram ſuam, cui præerat, Karoli Regis ditioni poteſtatique ſubmiſit, ut *Eginhardus* aliique literis prodiderê. Sed notandum, Hiſtoricos Karoli M. æquales Vaſconiæ nomine ſæpe abutentes, eô vocabulô non provinciam *Novempopulanam* modò, à Vaſconibus ferè omnem, occupatam, ſed etiam totam reliquam Aquitaniam uſque ad Ligerim impropriè vocitare, ut in rebus Caroli Ducis Francorum adverſus Eudonem, & Pippini Francorum Regis adverſus Waifarium Aquitaniæ Principem, obſervavit *Valeſius.* Indigenis *Guaſcoigne* dicitur, & Eluſam olim, nunc Auguſtam Auſcorum Metropolim habet. *Gervaſius* tamen *Tiſleberienſis* duas Vaſconiæ Metropoles faciens, non modò provinc. *Novempopulanam*, ſed etiam provinc. Narbonenſem primam, ſeu Gothiam Septimaniamve Vaſconiæ attribuit, more Eccleſiæ Romanæ quod etiam quædam Notitiæ & Vitæ Sanctorum faciunt. At aliæ Notitiæ Vaſconiæ Archiepiſcopatum ſolùm Auſcitanum aſcribunt, unà cum decem ſedibus ei ſuffraganeis. Porro Arnaldus Oihenartus *Novempopulanam* dividit in Superiorem ac Inferiorem, atque in varios utrobique Comitatus, ac Vicecomitatus. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ac paulo *infrà*, & in voce *Vaſconia.*

NOVEMPOPULANÆ SUPERIORIS SEU VASCONIÆ PROPRIE DICTÆ, ALIAS MAJORIS VEL ULTERIORIS, DIOECESES AC VICECOMITATUS.

Aquenſis Diœceſis.
Aquenſis Vicecomitatus.
Aturenſis Diœceſis.
Gavarritanus Vicecomitatus vulgò *le Gabardan*, à Gavarrito *Gabarret* capite ſuo.
Juliacenſis Vicecomitatus.
Lactorenſis Diœceſis.
Leomanenſis Vicecomitatus, *Lomagne.*
Leporetanus vel Lebretenſis Vicecomitatus, nunc Ducatus.
Lupanerienſis Vicecomitatus.
Martianenſis, Tartaſienſis, Taurianenſis: ſimiliter Vicecomitatus.
Vaſatenſis Diœceſis, Vide Oihenartum ſuprà memoratum.

NOVEMPOPULANÆ INFERIORIS SEU VASCONIÆ CITERIORIS DIOECESES AC COMITATUS.

Aſtariacenſis Comitatus *Eſtarac.*
Benearnenſis pagus.
Bigerricus Comitatus.
Convenenſis Comitatus.
Fidentiacum.
Garia.
Inſulanus Comitatus ab Inſula Jordanis cognominatus.
Lapurdenſis Præfectura.
Manhoacenſis vel Majennacenſis Comitatus *Magnoac.*
Vaſcorum regio ſeu Vaſcitania: E quorum Fidentiacenſi Comitatu Armaniacenſem *Armagnac.*; ex Aſtariacenſi verò Pardiniacenſem *Pardiac*, Comitatus eſſe decerptos atque detractos, annotavit idem Oihenartus, apud Valeſ. *loc. cit.*

NOVEMSIDES, apud *Marium Victorinum*, qui *Novemſiles Servio*, dicti ſunt apud veteres Romanos Deorum πάρεδροι, qui de hominibus in Deorum concilium & collegium allegebantur: quod eâdem *ſede* cum iis prædit i eſſent, quaſi adſeſſores & σύνεδροι. Ita autem is, *Novenſiles ſive per l. ſive per d. ſcribendum. Communionem enim habuerunt hæ literæ apud antiquos, ut linguam & dinguam: dacrumis & lacrimis: capitolium & capitodium: & ſella à ſede*, &c. Pòſt *Novemſides autem, quos Græci* [illegible], *à novem ac ſidendo, i. e. eâdem ſede præditi*: quòd *novem* in eadem *ſede*, h. e. in eodem templo collati eſſent. Vide Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadrian. c.* 14. & hic paſſim, inprimis in vocibus *Paredri* item *Synedrus.*

NOVEMVIÆ, civitas Thraciæ, quæ & *Amphipolis.*

NOVEMVIRI, apud Athenienſes fuêre inter præcipuos eorum Magiſtratus, qui annuô Imperiô defungebantur ſic: ut unus illorum *Archon* diceretur Faſtoſque ſignaret, alter Rex, tertius Polemarchus, reliqui ſex Theſmothetæ, teſte Polluce *l.* 8. *c.* 9. Quos Magiſtratus cum ſortiti eſſent illi, quos Populus deſignaverat, oportebat in eorum vitam inquiri, antequam Magiſtratum capeſſerent, idque fiebat priùs apud Quingentorum Senatum, deinde apud Judices: cujus utriuſque ἀνακρίσεως eadem erant Capita, quorum nonnulla etiam hodie leguntur. Ex Polluce iſta habe: Εἰ Ἀθηναῖοί εἰσιν, ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας καὶ τῶν δήμων πόθεν, καὶ εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς πατρῷος καὶ Ζεὺς Ἑρκεῖος, *An ab avis utrinque cives eſſent Athenienſes & ex quo populo: an illis Apollo Patrius & Jupiter Herceus, nec ne?* Ὦ Ἄνθρωπε τίς ἦν σοι πατήρ; ἐμοὶ ὁ δεῖνα. Οἰκεῖοι τίνες εἶναι μαρτυροῦσιν αὐτῷ; πάνυ γε, πρῶτον μέν γε οἱ δεῖνα ἀνεψιοί· εἶτα οἱ δεῖνα ἀνεψιαδοῖ· εἶτα οἱ δεῖνα [illegible] ταυτά. εἶτα Ἀπόλλωνος πατρῴου καὶ Διὸς Ἑρκείου γεννῆται. εἶτα Φράτορες· εἶτα οἱ δημόται πολλάκις αὐτὸν δεδοκιμάσθαι καὶ ἀρχὰς ἄρξαι, καὶ αὐτοὶ διεψηφισμένοι φαίνονται, *Heus tu, quis tibi Pater eſt? Mihine? Ille. Quinam de cognatione teſtimonium illi dicunt? Multi, primùm quidem, hi Patrueles: deinde hi Patruelum filii: deinde hi, quibus ſepulchri jus cum illo commune eſt: deinde Apollinis Patrii & Jovis Hercæi Genetæ: deinde Phratores: deinde populares: qui illi ſæpius ſuis ſuffragiis Magiſtratus commiſerunt atque approbârunt.* Ὦ Ἄνθρωπε τίς ἦν σοι μήτηρ; ἡ δεῖνα. *Heus tu quæ tibi Mater eſt? Mihi ne? Hæc.* Οἰκεῖοι τίνες εἶναι μαρτυροῦσιν αὐτῇ; πάνυ γε, πρῶτον μέν γε οἱ δεῖνα ἀνεψιοί· εἶτα οἱ δεῖνα ἀνεψιαδοῖ· εἶτα οἱ φράτερες τῶν οἰκείων αὐτῆς καὶ δημόται, *Quinam de cognatione teſtimonium illi dicunt? Multi: primùm quidem hi, Patrueles: deinde hi, Patruelum filii: deinde Phratores & populares cognatorum ejus.* Εἰ τοὺς γονέας ποιοῦσιν εὖ; *An parentes honorârint?* Εἰ ἐστρατεύοντο ὑπὲρ τῆς πατρίδος; *An pro Patria militârint?* Εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς; *An cenſus ſit illis?* Εἰ ἀφελεῖς; *An integri corporis eſſent, nec ne?* Vide quoque Demoſthenem πρὸς Εὐβουλίδην. Approbati poſtea à Senatu, item que à Judicibus, jurare tenebantur in Leges, ſe eas eſſe obſervaturos: quod ſi ſecus feciſſent, auream ſtatuam ſuam eſſe penſuros, [illegible] τοὺς νόμους, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσειν [illegible], ut [illegible] Pollux *l.* 8. *c.* 9. ubi id à Solone inſtitutum, & ſtatuam Delphis fuiſſe poſi-

tam ait. Tantum porrò honeſtatis curam huic Magiſtratui voluit eſſe Solon, ut ſi quis Archon vinô ſe ingurgitâſſet, capitale ei fuerit ex lege: Τῷ Ἄρχοντι ἂν μεθύων ληφθῇ, θάνατος ἔσω ἡ ζημία, cujus meminit Diog. Laërtius *in Solone*. Sed ne quis viciſſim *Novemviris* his injurius eſſet, Lex alia vetuit, Ἐὰν Θεσμοθέτην ἢ Ἄρχοντα ἐστεφανωμένον ἤ τινα ἄδειαν, ἤ τινα, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ στεφανηφορίαν, ἢ τινὰ τούτων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ τιμὴν δῷ ὑβρίσῃ τις, ἢ πατάξῃ ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος ἔσω καθάπαξ, *Si quis Theſmothetam aut Archontem coronatum, aut aliquem eorum, quibus Civitas aut immunitatem aliquam aut coronam ferre aut honorem aliquem conceſſit, contumeliâ affecerit, aut pulſaverit, aut maledixerit, ignominioſus eſto*; Rationem ſeveritatis reddit Demoſthenes κατὰ Μειδίου, quia civitati propriè, non privato alicui, fiebat injuria: Rex præcipuè, quia cum uxore ſacra curabat, non niſi virginem civem in uxorem ducere poterat, juxta Legem perſcriptam in columna lapidea juxta aram Bacchi ἐν Λίμναις. Tandem, quemadmodum hi *Novemviri*, antequam aſſumerentur ad Magiſtratum illum, de omni retrorſus vita acta cauſam dicere ſolebant; quòd ſi nullam dedecoris labem perpetuâ innocentiâ contraxiſſent, ad τὴν Ἀρχὴν adſumebantur: Sic Magiſtratus geſſi cauſam dicentes, rationeſque ferentes, ſi tum quoque Innocentes uſquequaque apparuiſſent, ad Areopagiticum Senatum conſcribebantur, Solonis Lege: Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων, quam habes apud Plutarchum in *Solone* & *Pericle*. Vide Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas l.* 3. *tit.* 2.

NOVENA, munus rerum novarum diverſarumque, ut ſunt panni ex ſeta confecti, ſcarlati reſque aliæ, quæ à Legatis Principibus offeruntur, apud Joh. Barbarum *Itiner. ad Tanaim.*

NOVENARIUS, novem Pſalmi, qui cantantur in Matutinis in Communione Romana apud Udalricum *Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 12. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà in voce *Novem.*

NOVENDIALE Sacrum, dupliciter à Romanis actum fuit: unò modô, cùm defunctis parentabant ſeque luſtrabant; alterô, cùm prodigium quoddam accidiſſet, quod *Novendiali* ſacrò eſſet expiandum. Fiebat hoc per *novem* continuos *dies*, unde ei nomen; vel à Pontifice Maximo vel à Prætore urbano ex Senatûs decreto indici ſolitum. De quo Livii locum adſcribere, ex *l.* 1. ejus *c.* 31. non abs re erit: *Devictis Sabinis cùm in magna gloria magniſque opibus Regnum Tulli, ac tota res Romana eſſet, nuntiatum Regi Patribuſque eſt, in monte Albano lapidibus pluiſſe: quod cùm credi vix poſſet, miſſis ad viſendum prodigium, in conſpectu haud aliter, quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidére cœlò lapides. Viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut patrio ritu ſacra Albani facerent, quæ velut Diis quoque ſimul cum Patria relictis oblivioni dederant: & aut Romana ſacra ſuſceperant, aut Fortunæ obirati cultum reliquerant Deûm. Romanis quoque ab eodem prodigio* Novendiale ſacrum *publicè ſuſceptum eſt ſeu voce cœleſti ex Albano monte miſſâ: (nam id quoque traditur) ſeu Haruſpicum monitu. Manſit certè ſolenne, ut quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur.* Scaliger *in Feſtum*, arbitratur *Novendiale ſacrum* illis factum, quos Tarquinius ſub crate necaviſſet, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 17. & *l.* 5. *c. ult.* ubi *Novendialium*, Decennalium, Vicennalium, Tricennalium &c. Parentationum item ac aliorum Feralium, originem inde arceſſit, quòd nonnulli eſſent, qui, cùm ſuorum vel propinquorum vel amicorum deſiderium minùs ferre poſſent, tertium, ſeptimum, *nonum*, & quidam viceſimum, trigeſimum & quadrageſimum diem non ſine quadam numerorum religione, defunctorum Manibus ac memoriæ ſtatuebant. Celebrari ſolebant autem hæc omnia tum lacte & vinô, tum fertis ac floribus, tum aliis rebus. *Ibid.* Apud cujuſmodi *Novendiales epulas*, laudationes defunctorum plerumque factas eſſe, diſcimus ex Cicer. *de LL. l.* 2. *Sequebantur epulæ, quas inibant parentes coronati, apud quas de mortui laude, cùm ni quid veri erat prædicatum.* Quam in rem vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 7. ut & in voce *Novendium.*

NOVERCA, Vide ſuprà *Matertera.*

NOVENDIUM, ſeu NOVENDIALE, ſacrificium funebre, quod fiebat 9. die poſt mortem alicujus. Horat. *Od.* 17. *Epod. v.* 37.

Nec in ſepulcris pauperum prudens anus
Novendiales diſſipare pulveres.

Inde *Novendialis cœna* Tacito *Annal. l.* 6. *c.* 5. Plinius *Novendiale convivium* vocat. *In Novendiali convivio magnos gemitus edebant, & atroces contra Deos.* Apulejus *Met. l.* 9. *Jamque nonô die completis ſolennibus, familiam ſupellectilemque & omnia jumenta ad hæreditariam deduxit auctionem.* Græci τὰ ἔνατα vocant. Vide ſuprà.

NOVENSILES, Dii à Sabinis Romam deducti exiſtimantur, atque iis à Tatio Rege ex voto ædes dicatæ fuerunt, Varro *de L. L.* Sunt qui Novenſiles Deos appellatos putent, *Herculem*, *Veſtam*, *Salutem*, *Fortunam*, *&c.* quod noviſſimè in Deorum numerum recepti ſint, quaſi *nuper*, aut *noviſſimè ſalientes*, h. e. in numerum Deorum aſcendentes. Liv. *l.* 8. in Decii pro legionibus devotione. Alii, quod veriſimilius videtur, numina peregrina ſic appellata fuiſſe exiſtimant. Solebant enim Romani Deos omnes urbium ſuperatarum, partim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare; ac ne aliquis Deorum multitudine, aut ignorantiâ præteriretur, brevitatis & compendii cauſâ unò pariter nomine cunctos *Novenſiles* invocabant, Arnob. *l.* 3. *contr. Gent. Nic. Lloyd.* Vide Voſſ. *Etymologic.* in *Novem*, & ſuprà *Novemſides.*

NOVEROGUS, oppid. Galliæ clarum in Pictonum finibus, à Rupella 9. leuc. Pictavos verſus, teſte *Scaligerô.* Vulgò *Niort*, longitud. 20. 00. latitud. 46. 15. Vide *Niortium.*

NOVERUS, ſive NOVARUS, *les Nouliers*, teſte *Eliâ Vinetô*, pagus Aquitaniæ in finibus Santonum, apud Engeriacum. *Novioregum Antonino*, ut videtur *Scaligero*. Ejus meminit Auſon. *Ep.* 24. *v.* 95.

Totque mea in Novero ſibi proxima prædia pago.

NOVESIUM, vulgò *Nuys*, oppid. celebre & probè munitum Germaniæ inferioris ad confluentes fluv. Erfti in Rhenum, contra Duſſeldorpium urbem à Colonia 5. leuc. in Boream *Nuæſium Ptolemæo*, longitud. 28. 12. latitud. 58. 10. ſub Electore Colonienſi. Memoratur cum Gelduba & Gugernorum pagis à Tacito *l.* 4. *Hiſtor. c.* 26. maléque *Ptolemæo* collocatur in magna Germania, cùm ſit caſtrum Ciſrhenanum Agrippinæ proximum, in provinc. Germania inferiore vel ſecunda, parte veteris Belgicæ. In Ripuariorum finibus illud ponit Auctor *Annalium Metterſium.* Hic Druſus pontem Rheno impoſuit, teſte Florô *c. ult. l.* 4. cùm ait: *Bonnam & Geneſiam* (Valeſ. legi vult, *Nogeſiam*, vel *Noveſium*) *pontibus junxiſſe, claſſibuſque firmaviſſe.* Nempe duos pontes fecit, alterum apud Bonnam, alterum apud *Noveſium* Bonnæ vicinum, qui utrumque caſtellum Germaniæ Trans-Rhenanæ & citeriorem ſeu ſiniſtram Rheni ripam ulteriori vel dextræ ripæ jungerent: Sicut Coloniæ Agrippinæ Rhenum ponte ſtraviſſe dicitur Conſtantinus Magnus, ut facilius & magnificentius cum exercitu, quoties veller, tranſiret in Franciam, tum ei objacentem. Poſſet quis & apud Florum emendare, *Bonnam* & *Noveſium portubus auxit, claſſibuſque firmavit*, ut portus claſſibus ibi ſtantibus convenirent ac reſponderent. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Oppidum hoc fruſtra obſedit Principatu Friderici III. Carolus ultimus Burgundionum Dux. Vulgò *Neus*, aliis *Nuſſe*, frequentiùs *Nuys* dicitur.

NOVI, apud Romanos, dicti ſunt, qui ſuas tantùm Imagines haberent, h. e. quorum Majores nullos Magiſtratus Curules, ipſi autem geſſiſſent: Adeoque Nobilibus, quibus *veteres undique ceræ atria exornârunt*, ut loquitur Juvenalis *Sat.* 8. *v.* 19. inferiores, ſupra tamen tertium civium ordinem, *Ignobilium* nempe, quorum neque Majores, neque ipſi Magiſtratus Curules geſſerant, fuêre. Itaque Jus Imaginum, ſeu quod idem eſt, Jus Nobilitatis nemini concedebatur, niſi qui Magiſtratus Curules, Ædilitatem, Præturam, Cenſuram, vel Conſulatum, obiiſſet. Expreſſi autem cerâ vultus diſponebantur armariis, in atriis domorum, vel etiam publico conſpectui expoſiti ſtabant, cum armis, quæ, dum viverent, ferebant, ſpoliiſque, quæ hoſtibus abſtulerant. Inde depromti, feſtis diebus, pulchrè exornabantur ſertis floribuſque, atque in pompa deferebantur: contrà omnis generis ornatu ſpoliati in funere ſtabant, vel etiam Gentilitia funera, quibus totus familiæ ejus populus intereſſe tenebatur, comitabantur. Iſtiuſmodi *Novus* homo Cicero fuit, ut ex Saluſtio, qui ipſum, *Novum & reptitium civem*, ex invidia alicubi vocat, colligitur: Sed Marius pro Cicerone reſpondeat, cui quum idem exprobratum eſſet ab æmulo Nobili, *in me familia incipit*, regeſſit, *in te deſinit.* Namque, ut Juvenalis verba, quæ ſuprà tetigimus, habent,

Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Ex ſe natos, homines *Novos* appoſitè Tacitus vocat. *l.* 3. *Annal. c.* 55. Vide Sigonium *de Jure Rom. l.* 2. *c.* 22. Alexandr. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 24. Bart. Lat. *in Verrinam* 7. Plin. *l.* 35. *c.* 1. & *l.* 35. *c.* 2. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 19. ut & ſuprà, in voce *Nobiles.*

NOVI Cives, Vide infrà *Novi Homines.*

NOVI Conſtantini titulus, Tiberio II. & Heraclio Heraclii Imperatoris filio, in nummis aſcriptus occurrit, voce tamen *Novi*, ob nummorum exiguitatem, expunctâ. Nempe Juſtinus Junior morbô correptus, adoptatum Tiberium Cæſarem creavit & Νέον Κωνσταντῖνον, *Novum Conſtantinum* appellavit, ut eſt in *Chronico* Alexandrino; ubi itidem ſuppreſſâ interdum priori voce nude *Tiberius Conſtantinus*, quomodo etiam in numis ejuſdem Auguſti, dicitur. Eâdem dein nomenclaturâ donatus eſt, à patre Heraclio, fil. ejus cognominis primogenitus, dictus *Heraclius Novus Conſtantinus*, ut ex ſubſcriptione *Novellæ* Heraclii liquet, quæ data legitur *VIII. Calend. Majas CP. Dominorum noſtrorum piiſſimorum Perpet. Augg. Heraclii annô IX. & Heraclii Conſtantini Novi filii ipſius annô VII.* ut & ex ſubſcriptione *diplomatis* Honorii Papæ Rom. apud Ughellum *in Epiſcopis Bobienſibus.* Neque tamen Tiberio & Heraclio peculiaris fuit hæc appellatio, niſi quòd cognominis vice propriè videatur iis indita, Tiberio quidem à Juſtino proſocero; Heraclio verò Juniori à parente, cùm hanc ferè ceteri ambierint Auguſti. Marciano enim Auguſto *Novo Conſtantino* non ſemel acclamatum legitur, in Concilio Chalcedon. *act.* 4, & 6. Juſtino item, Juſtiniano, Conſtantino Pogonato & Conſtantino filio Irenes, in variis Synodis. Quin etiam poſtremi Imperatores idem nomen ambitioſè quæſiverunt, quod de Michaële Palæologo teſtatur inſcriptio, in æde Deiparæ Peribleptæ Conſtantinopoli, quam profert *Leunclavius*, firmatque *Georgius Pachymeres.* Imò è Franciæ gente Imperatores Conſtantinopolitani eandem appellationem uſurpâſſe videntur, uti de Balduino Flandrenſi docet Car. du Freſne *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſmatibus num.* 39.

NOVI Dii, vide ſuprà *Nova Religio.*

NOVI Homines, apud Jul. Capitolin. *in Marco c.* 7. *Antonini mox ipſe nomen recepit ---- & Verum eum appellavit ---- ob hanc conjunctionem pueros & puellas* novorum hominum *frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt.* Viro Erudito ſunt Chriſtiani, quos ad frumentationem ab Imperatore admiſſos fuiſſe, contendit, ſed ſine ratione; cùm Marcum non ſolùm alienum fuiſſe, ab iis, qui Chriſto dixiſſent ſacramento; ſed & exquiſitiſſimis ſæpe ſuppliciis in eos ſæviiſſe, conſtet. *Caſaubono* ſunt, qui recens ex lege Pia civitatem nacti, cives quidem erant, ſed conditionis deterioris, quàm alii ab antiquo cives Romani. Ita enim de illis Plinius *Paneg. c.* 37. *Hæc manſuetudo legis veteribus civibus ſervabatur: Novi, ſeu per Latium in civitatem, ſeu beneficiô Principis veniſſent, niſi ſimul cognationis jura impetrâſſent, alieniſſimi habebantur, quibus conjun-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

conjunctiſſimi fuerant. Verùm aliud *Novi Cives*, aliud *Novi Homines*; quò nomine non alios, quam qui ex humili loco ad ſumma evecti, meritô ſuô vel Principum favore, natalibus ſuis nihil debent, appellari à Latinis Scriptoribus, moris eſt, ut diximus ſuprà. Adde, quòd ſub Trajano, qui primus alimenta conſtituit ejuſmodi puellis & pueris, illud novorum civium genus nondum fuerit. Itaque *novorum nominum* legi vult apud Capitolin. Salmaſ. Cùm enim darent nomina ſua, qui adſcribendi erant huic frumentariæ perceptioni, pueri hi puellæque ſi quos Marcus & Verus aſcribi præceperunt, ideo *novorum nominum* dicuntur, quòd præter illos, quorum nomina jam habebantur adſcripta, quoſque jam inſtituerant priores Imperatores Trajanus, & Pius, novi iis fuerint poſtmodum aſcripti. Vide eum *Not. ad loc.*

NOVIANUS, vide *Quintus*; it. *Servilius.*

NOVIDUNUM, *Ammiano*, *Noviodunum*, *Ptol.* oppid. Myſiæ inferioris ad Iſtrum fluv. medium inter Deſtorium ad primum Iſtri alveum, & Kiliam novam in ortum, ad 6. milliar. Germanica. *Baudrando*, urbs Illyrici Orientalis in Scythia. Nunc *Nivorz* quibuſdam in Beſſarabia, Bulgariæ provinc. 15. mill. paſſ. à Deſtoro in Occaſum.

NOVIENTUM, pagus Germaniæ ſuperioris in Alſatia cum cœnobio, vulgò *Ebersheym.*

NOVIGENTULUM, vulgò NOGENTEL, locus Galliæ, in pago Briegio, proximus Novigento Artaldi, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NOVIGENTUM, in priſcis codicibus ſæpe *Novientum*, Manaſſi Sueſſionenſi Epiſcopo *in litt. ann.* 1107. *Noviandum*, nomen eſt multorum in Gallia locorum: quæ cognominibus à ſe invicem diſcriminantur, ut infrà videre eſt. Simpliciter ita dicitur, locus ad Matronam in Pariſiis, non longè à Confluentibus, *Nogent* villa olim Regia, *Idem.*

NOVIGENTUM, vulgò *Nogent en Anjou*, locus Galliæ, in pago Andicavenſi, *Idem.*

NOVIGENTUM, vide NONIGENTUM.

NOVIGENTUM Artaldi *Nogent l'Artaud*, vicus ejuſdem Regni in Briegio, ad Matronam fluvium, proximus Novigentulo, de quo *ſuprà. Idem.*

NOVIGENTUM ad Auturam, vicus ejuſdem Regni, à fluvio, cui aſſitus, nomen habens. Vulgò *Nogent ſur Eure. Idem.*

NOVIGENTUM Bernardi, *Nogent le Beſnard*, vicus Galliæ, paucis millibus diſtans, à *Novigento* Perticenſi vel Rotroci, de quo *infrà. Idem.*

NOVIGENTUM, Codiciaco caſtro ſubjectum, vulgò *Nogent ſous Couci*, villa fuit publica pagi Laudunenſis, à finibus Sueſſionum Aquilâ amne diviſa, ut docet Guibertus ipſe *Novigenti* Abbas. Ejus meminit Auctor *rerum geſtarum Ebroini*, Theodoricum Regem Francorum ac Leudeſium Majorem domûs Regiæ incautos perſequentis. *Noviandum* dicitur Manaſſi Sueſſionenſi Epiſcopo, de quo *ſuprà.*

NOVIGENTUM in Pertica, Orderico *l.* 13. *Nongentum in Perticenſi pago*, Guilielmo Brittoni, *ad A. C.* 1189. idem cum *Novigento Rotroci.* Vide mox *infrà.*

NOVIGENTUM Regis, *Nogent le Roy*, 10. aut 12. leuc. à *Novigento* Rotroci, ad flumen Auturam, cognomine ſuô Novigento Rotroci Comitis velut oppoſitum, ab eoque diſtinctum. Dictum exinde, quòd ibi Philippus VI. Francorum Rex obiit A. C. 1350. Quidam tamen, *Novigentum* Iſemberti vel Eremberti, ab Iſabella Bleſenſi Philippo datum, atque inde mutatô cognomine *Novigentum Regis* dici cœpiſſe, affirmant. Idem *ibid.*

NOVIGENTUM Rotroci, *Nogent le Retrou*, à Rotroco Comite Pertici, poſſeſſore ſuo ac forſan conditore, nomen accepit: quem quidam *Rotroldum* appellant, inprimis Britto *Philipp. l.* 3.

Pertica Rotroldô gaudet nemoroſa receptô.

Orderico *Novigentum in Pertica*, ut ſuprà, vocatum. Heic optimi ſiunt cultri, qui non à loco, ſed à pago ipſo ſive Regione *Perticenſes* vocantur, vulgò *couteaux Pergois.* Ab eo paucis milliaribus diſtat *Novigentum.* Bernardi, de quo ſuprà.

NOVIGENTUM ad Sequanam, *Nogent ſur Seine*, oppid. eſt non ignobile in Tricaſſibus. Dicitur aliis *villa Novigentum*, in pago Mauripenſi, & ad Monaſterium S. Dionyſii pertinebat: de quo Annales Bertiniani, *A. C.* 859. *Oſſa B. Martyris Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, metu Danorum in pagum Mauripenſem, in villam ſui juris Novientum devecta ſunt.* Erat & alterum ad eundem fluvium *Novigentum*, quoque in Pariſiis, nunc S. Chlodoaldi *S. Clou* nomen ferens. Idem Valeſ. *Notit. Gall.*

NOVIGENTUM Virginum, *Nogent les Vierges*, locus eſt Galliæ, in Bellovacis, ad Iſaram flum. oppoſitus Credilio. *Idem.*

NOVIGRADUM, oppidul. Dalmatiæ cum arce, ſub Venetis, juxta Sinum cognominem 20. mill. paſſ. à Jadera in Ortum, 25. à Sibenico in Boream. Quibuſdam eſt *Argyruntum* antiquitus dictum. Item Hungariæ, à Rodolfo II. Turcis ereptum, A. C. 1594.

NOVILUNIUM, ab Athenienſibus religioſe obſervatum; ante quod copias contra hoſtem educere non licebat, eâ lege: Στρατιὰν μὴ ἐξάγειν πρὸ τῆς τοῦ Μηνὸς ἑβδόμης, *Copias ne educunto ante ſeptimum menſis diem*; cujus meminit *Heſychius*, Zenobius item *Cent.* 3. *Prov.* 79. cùm contra Lacedæmonii τὸ τῆς πανσελήνου ſeu *Plenilunii* νόμον obſervarent, Sam. Petitus *Comm. in LL. Attic. l. ult. tit.* 1. Iiſdem αἱ Νουμηνίαι ſeu *Neomeniæ* ſacratiſſimæ erant, teſte Plut. *de vitando ære alieno*, quamvis inter feſta non cenſerentur. Suidas, ἔξω τῶν ἑορτῶν ἡμέραι τινὲς ἐνομίζοντο Ἀθήνησι θεοῖς τισὶν, οἷον Νουμηνία, ἑβδόμη, Ἀπόλλωνος, *Extra feſta, dies quidam ſacri habebantur apud Athenienſes Diis quibuſdam, ut Neomenia & ſeptima dies Apollini.* Corrige, non tam Apollini, quàm omnibus Diis. Schol. Homeri *ad Odyſſ.* υ. Τὴν Νεομηνίαν πάντων τῶν Θεῶν νομίζουσιν εἶναι· ταύτην γὰρ οἱ πρόγονοι τοῖς Θεοῖς ἀνέθεσαν, διὰ τὸ πρώτην αὐτὴν εἶναι τοῦ μηνὸς, *Novilunium omnium Deorum exiſtimant eſſe: Hoc enim Majores Diis conſecrârunt, quòd prima eſſet dies menſis.* Idem Plut. confirmat *in Quaſt. Rom.* Ἕλληνες ἐν τῇ Νουμηνίᾳ τοὺς Θεοὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν Ἥρωσι, καὶ Δαίμοσιν ἀποδεδώκασι. Vide ſuprà in voce *Kalendæ*, ubi quoque Romanorum circa Novam Lunam ritus ſtrictim attigimus. Apud Hebræos, quælibet Neomenia ſolemnitate aliquâ ſimiliter inſignis erat, & ſine dubio, ab hac gente ad reliquas *Noviluniorum* celebritates, ut & plurimi alii ritus, fluxêre. His enim diebus ad Prophetas audiendos, non aliter ac Sabbathi die, confluxiſſe populum, diſcimus ex 2. Regum *c.* 4. *v.* 23. *Qui dixit, quare itura es ad eum* (Eliſæum) *hodie, cùm non ſit* Novilunium, *neque Sabbatum.* Eôdem neque vendere, neque emere licuiſſe, docet Amos *c.* 8. *v.* 5. *Quando tranſiverit hoc* Novilunium, *ut vendamus commeatum? & Sabbathum, ut aperiamus frumenti horrea.* Sacrificia quoque peculiaria illô oblata fuiſſe, habetur Numer. *c.* 28. *v.* 11. *Item in initiis Menſium veſtrorum offerte Jehovæ holocauſtum: juvencos ſubrumos binos & arietem unum, agnos anniculos ſeptenos integros:* cum *ternis decimis ſimilæ, in juvencum unumquemque; biniſque decimis in arietem unumquemque*, & *libaminibus, hircoque in peccatum Jehovæ offerendo*, de quibus agitur *verſibus ſeqq.* Tria autem cùm in *Novilunio* quolibet conſideranda veniant, Σύνοδος, ſeu *Conjunctio Lunæ cum Sole*, Ἐξαυγασμοὺς ſeu *Incrementum Lunæ*, & Σχῆμα μηνοειδὲς, ſeu *Figura ejus corniculata*, annotante Joſ. Scaligerô *de Emend. Temp. p.* 26. Item *p.* 105. omnibuſque in his tribus gradibus mutationis Lunæ, Veteris Novæque, aliquod commercium ſit, Hebræi duos ſemper dies, ultimum menſis cujuſque, & primum proximè ſequentis, obſervare ſoliti ſunt: Et quia trigeſima dies, ultima erat in longiſſimis eorum Menſibus, hinc Horatius hoſce dies, *Triceſima Sabbata*, vocat *l.* 1. *Serm. Sat.* 9. *v.* 69. primi autem *Neomeniæ* dicebantur. Hoſpinianus *de Orig. Feſtorum c.* 4. Inprimis autem *Neomenia* menſis Tiſri, qui anni Sacri ſeptimus; anni verò Civilis primus erat, celebris apud Iſraëlitas fuit: Illo enim *Feſtum Tubarum*, de quo *ſuô locô*, peculiaribus ceremoniis, divinô juſſu, celebrari ſolitum eſt. Sed hæc, velut umbra rerum futurarum in Novo Teſtam. Meſſiâ jam exhibitô, abolita eſſe, docet Apoſtolus Coloſſ. *c.* 2. *v.* 16. 17. *Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti aut* Novilunii, *aut Sabbathorum. Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 7. *ubi de triplici tranſlatione dierum apud Judæos, Lunari, Civili ac Mixta, pluribus diſſerit, ad ritus eorum circa* Novilunii *celebrationem plenius intelligendos*; ut & ſuprà voce *Neomenia.* Sed & Trojam *Noviluniô* captam eſſe, Virg. indigitat *Æn. l.* 2. *v.* 254.

Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia Lunæ,
Littora nota petens.

h. e. *novâ Lunâ*, quæ in ipſa συνόδῳ *Luna ſilens* vocabatur: aut certè quum exiguus ejus eſſet fulgor, quod ſeptimam Lunam appellat Servius *in loc. Sciendum ſeptimâ Lunâ captam eſſe Trojam, cujus ſimulachrum apud Argos eſt, quod relatâ victoriâ eſt conſtitutum, ab imagine ejus, quæ tunc erat, dividuô orbis modô.* Petronius tamen *in Satyr. p.* 45. plenâ Lunâ Trojæ haloſin contigiſſe ait. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 9. & hîc paſſim, vocibus *Cavum ſidus*, *Luna*, *Nox*, *Plenilunium* &c. nec non ubi de *Numero aureo*, uti de more quorundam Chriſtianorum, ante ſuas officinas, in *Noviluniis*, rogos accendendi ac ſuper illos ſaliendi, in Synodo Trullana, abolita ſuprà voce *Nodfyrs.*

NOVIODUNUM, oppid. Norici ad Saum fluv. in Carniola, à Labaco 4. leuc. Villacum verſus. *Neumarck*, teſte *Laziô*, ſive *Krainburg.*

NOVIODUNUM quod NOVIONUM, ſeu NOVIOMAGUS, poſterioribus dicitur, vulgò *Noyon*, urbs Galliæ Belgicæ Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Rhemenſi in Picardia, inter Sueſſiones 10. & Ambianos 15. leuc. quot à Rhemis in Boream, à Lutetia 22. in Cæciam, longitud. 24. 6. latitud. 49. 25. Nunc in Inſula Franciæ, juxta limites Picardiæ, ad amnem *Vorſe*, qui 2. milliar. infra cadit in Oeſium fluv. 8. leuc. ab Auguſta Sueſſionum in Circium, 14. ab Ambiano in Eurum, 16. à Remis in Occaſum. *Baudrand.* Cœterùm *Dunum* talis eſt adjectio, qualis apud Germanos *Berga*, vel *Burgum.* Ac volunt quidam veteri Gallorum linguâ *montem* ſignificari. Urbs eſt Epiſcopalis, ut dictum, cum Comitatu una ex 12. antiquiſſimis regni Urbibus, quæ Parium prærogativâ gaudent. *Cæſari Noviodunum Belgarum*, *Ptolem. Noviomagus Vadicaſſium.* Cœterùm *Noviodunum*, à Cæſare obſeſſum *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 12. vult Sueſſiones eſſe, *Sanſo*, non hoc Noviomum. Epiſcopatus Veromanduorum hûc, Auguſtâ Viromanduorum, A. C. 520. à Barbaris deſtructâ, tranſlatus eſt. A Normannis A. C. 859. Noviodunum vaſtatum, Immone Epiſcopô captô: incendiô deletum, A. C. 1131. & aliis: ab Henrico quarto Ligæ ereptum, A. C. 1591. Urbs elegans, ædificiis culta, fontibus & templis magnificis inclyta. Epiſcopus, Comes & Par Franciæ eſt. Ducheſn. *Antiquit. Urb. Gall.* Jac. le Vaſſeur, *Annal. Noviodun. &c.* Hîc Concilium A. C. 814. Flodoard. *l.* 2. *Hiſt. Rhem. c.* 1. Item A. C. 1271. pro libertate Eccleſiæ. Item A. C. 1344.

NOVIODUNUM alterum, Hotomannus apud Cæſ. *l.* 7. *c.* 12. legit *Nevidunum*, oppid. Gall. Celt. in finibus Biturigum, inter Bridoborum & Condate ad Ligerim fluv. inde 2. hinc 4. leuc. à Nivernis 17. in Boream. *Neuvy*, vel *Neufuy.* Vide infrà.

NOVIODUNUM, item Heduorum ſeu Æduorum, memoratur Cæſari *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 55. *Erat, inquit, oppidum Æduorum ad ripas Ligeris opportunô locô ſitum. Huc Cæſar omnes obſides civitatum Galliæ, frumentum, pecuniam publicam, ſuorum atque exercitûs impedimentorum magnam partem contulerat: hîc magnum numerum equorum, hujus belli cauſa in Italia atque Hiſpania coëmptorum, miſerat. Eporedorix Viridomaruſque Ædui, interfectis* Novioduni *cuſtodibus,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quique eò negotiandi aut itineris cauſâ convenerant, pecuniam atque equos inter ſe partiti ſunt: oppidum, quod ab ſe teneri non poſſe judicabant, ne cui eſſet uſui Romanis, incenderunt. Νοουίόδουνον Αἰδούων, vocatur Dioni *l.* 40. Poſitum eſt ad confluentes Niveris & Ligeris, ac à Nivere vel Nevere *Nieure*, poſtea *Nivernum*, depoſitâ veteri appellatione, eſt nominatum: Unde Joſ. Scaliger *Noviodunum* quoque *Nivernenſium*, in quadam *Notit. provinciarum Galliæ*, quæ Cujacii JCti fuit, appellatum fuiſſe, refert. Guido Coquillius *Antiqq. Nivern.* prodit, *Nivernum* veterem fuiſſe urbem, ad Ligeris & Niveris confluentes in Æduis, diſtantem ab Elaveris & Ligeris confluente 3. mill. paſſ. quæ *Noviodunum oppid. Æduorum* à Cæſare vocitetur; à Nivere dein amniculô, qui 10. leuc. aut circiter 30. mill. paſſ. percurrat, novum nomen acceperit: ipſum Nivernum in *Notit. Provinc. Civitatumque Galliæ* Civitatibus provinc. Lugdunenſis nequaquam adnumerari, quòd civitati Æduorum ſive Auguſtodunenſium tum parebat, ſtante adhuc Imperiô Romanô, quidquid porro veteribus ejus muris altis & latis validiſque includitur, *Civitatem* vocari, ibi eſſe majorem Ecclesiam matrem cœterarum; ibi Epiſcopum & Canonicos habitare; ibi domicilium Ducis, *Caſtellum* vulgô nominatum, ibi Dominicanorum & Franciſcanorum Monaſteria, ibi complures cerni privatorum domos, parœciis ſive Eccleſiis Baptiſmalibus S. Servatoris & B. Johannis attributas: quodque *Civitatis* nomen & major Eccleſia cum Epiſcopi domo indicant, vetus ibi Nivernum fuiſſe, & hanc urbis partem, ut vetuſtiſſima erat, ſemper Epiſcopatus ſedem extitiſſe &c. Ab Aimoino Floriacenſi Monacho inter præcipuas Galliæ Lugdunenſis Celticæque urbes, ac ipſius ætate notiſſimas, ultima ponitur: Similiter inter opulentas hujus Galliæ urbes ultimam, recenſet Hugo Floriac. in Senonenſi provinc. octava ac ultima ponitur, à Roberto Monacho Autiſſiodorenſi *in Chron.* In *Not. MS.* in provinc. Lugdunenſium IV. civitates octo, ultima ac recentiſſima memoratur, in alia itidem MS. quartô locô conſtituitur, ante Tricaſſium, Aurelianorum, Pariſiorum Meldorumque civitates. Gervaſius Tiſleberienſis *l. de Otiis Imperialibus ad Ottonem IV* inter Epiſcopatus Metropoli Senonenſi ſubjectos, poſt Pariſienſem, Carnutenſem & Aurelianenſem, quartum *Nivernenſem* collocat, & Autiſſiodorenſi, Tricaſſino Meldenſique, licèt vetuſtioribus, anteponit. Jonas quoque *in Vita Columbani & Euſtaſii*, ante annos mille, *Nivernenſe oppidum* nuncupat, & juxta illud Chriſti Virginum Monaſterium ſub B. Columbani regula à Theodulfo Babeleno extructum eſſe tradit &c. Urbs ex Comitatu & Pariatu in Ducatum & Pariatum à Franciſco I. Rege A. C. 1538. evecta, caput eſt pagi Nivernenſis, *le pays & Duché de Nivernois*, cujus mentio fit in diviſione Regis Caroli M. inter filios, item *in Capitul.* Caroli Calvi apud Silvacum A. C. 853. editis: Continet is Urbes, oppida ac caſtella varia, ſed latior Diœceſi eſt Nivernenſi, 270. parœcias continente, ut infrà videbitur: in qua cùm inter Ligerim & Elaver flumina ſint quoque S. Petri Monaſterium, Caſtellum Novum ad Elaver, aliaque loca Æduis attribuenda, colligitur obiter, Æduorum fines latiores fuiſſe, quàm ut unius provinciæ terminis poſſent contineri; adeoque quaſdam ejus civitates in provinc. Lugdunenſi I. quaſdam in IV. comprehendi: neque ad Ligerim modò, ſed etiam ad flumen Elaver pertinuiſſe. Habet, ut & hoc addam, quatuor tantùm portas Nivernum, quarum una à fluvio præfato *Nivernenſis*, vulgò *la porte de Nieure*, dicitur: Præterea hìc pons impoſitus eſt Ligeri, 20. arcubus & pilis è lapide conſtans, omnium ad fluvium hunc pontium latiſſimus, celſiſſimus atque pulcherrimus: cujus proin pars extrema validâ turre munita eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* it. voce *Nivernum.*

URBES, OPPIDA AC CASTELLA PAGI NIVERNENSIS SEU NOVIODUNENSIS.

Caſtellio, in agro Baſſenſi, *Chaſtillon en Baſois.*
Caſtrum Cenſorium.
Climiciacum *Clamecy*, in diœceſi Autiſſiodorenſi.
Condate *Coſne*, ſimiliter.
Corbiniacum ad S. Leonardum *Corbigny.*
Cuſiacum.
Dececia.
Donziacum vel Domzejum, caput pagi cognominis, *Donzi.*
Dreva.
Interamnis, aliàs mendosè *Interannis*, tota fere ſtagnis cincta, *Entrain:* Sed hic locus ad diœceſin Autiſſiodorenſem pertinet, licèt ſit in agro *Noviodunenſi.*
Luciacum *Luzy.*
Molæ vel Molinæ Engilbertorum, *Moulins les Engilbers.*
Noviodunum Æduorum, ſeu Nivernum, caput regionis.
S. Petri Monaſterium *S. Pierre le Mouſtier.*
Primariacum *Premery.*
S. Salvius *S. Sauve.*
S. Servatoris, *S. Sauveur en Puiſaye* &c. è quibus etiam alia quædam loca, præter tria ſuperiùs memorata, Diœceſeos ſunt Autiſſiodorenſ.

NOVIODUNUM Biturigum, memoratum Cæſari *l.* 7. *c.* 13. *Bell. Gall.* quod, Genabo Carnutum Avaricum Biturigum petentibus occurrens, armis prolatis, equis productis, obſidibus datis in deditionem accepit: Nunc ſervare partem veteris ſui nominis dicitur, & appellari vulgò *Neuvy ſur Baranion:* ad fluvium enim hunc ſitum eſt (qui in Avaram *Eure*, influit, inter Magdunum & Virſionem, Avara in Carum, Carus in Ligerim) inter Albiniacum & Virſionem. Alter eſt locus, ad Ligerim flum. inter Condate *Coſne*, & Brivodurum *Briare*, dictus *Neufvi* vel *Neuvi*, quem & *Noviodunum* olim vocatum eſſe, putat *Valeſius: Noviodunum* nempe *Senonum*. Nam Diœceſi Autiſſiodorenſi attribuitur *Neuvi*, Autiſſiodorum autem pars Senonum eſt. Sed hunc poſteriorem locum Aimoinus *Novum vicum* appellat, his verbis: *Teutgaudus quidam in Novo Vico, qui eſt ſuper Ligerim fluv. admodum infirmus.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Noviodunum*, ubi inter alia & hoc notat, *Noviodunum* & *Noviomagum* ſemper eſſe nomina diverſa, neque unquam alterum pro altero poni conſuevisse.

NOVIOMAGUM, oppid. Germaniæ ſuperioris in Palatinatu, vulgò *Odenheim.* Vel eſt ipſa Spira urbs, ad Rhenum, 1. cum dimid. leuc. infrà *Udenheim* pagum, ubi nunc Philippoburgum. Aliter *Noviomagus Nemetum*, & *Nœomagum. Noviomagum* item Newenburg, ut videtur Ortelio oppid. Germaniæ ſuperioris in Alſatia ad Rhenum, inter Hagenoiam 5. & Spiram 6. leuc. Vide *Neopyrgum.*

NOVIOMAGUM, urbs inſignis Germaniæ inferioris, Gelriæ inferioris, primaria. *Numagen*, ad Vahalim fluv. 2. leuc. ab Arenaco in meridiem, 9. à Ruremonda in Boream, 6. ab Ultrajecto in Ortum; 20. infra Coloniam Agrippinam in Boream, permunita. A. C. 1585. turbarum tempore, Hiſpanis, à Romanæ religionis ſectatoribus, quorum magna in urbe vis, dedita eſt, quam Scenkius, infelici conatu, recuperare anniſus, Vahali eſt merſus, A. C. 1589. ſed felicior Mauritius Princeps, illam A. C. 1591. fortiter expugnatam, Confœderatorum Belgii Ordinum Dominio adjecit. Quibus illa A. C. 1672. bellô Belgicô-Anglicô-Gallicô, &c. à Gallis, poſtquam cives fortiſſimè aliquamdiu reſtitiſſent, erepta quidem, ſed annô & Fortunâ vertente, reddita eſt. Quam hiſtoriam dignam ſcitu, exhibet libro peculiari Gallicè ſcripto, Joh. le Brun, Miniſter Noviomagenſis. Cœterùm apparere primùm hæc urbs incepit, in *Itiner.* Antonini: cui Palatium à Carolo M. additum annales Francici docent; inſuperque id ipſum in cineres dediſſe, urentibus Normannis. Poſtquam dein Germani præpotuêre, libera civitas, multumque Imperatoribus dilecta ſedes. [illegible] ſciſſô Pontificum artibus Germaniæ imperiô, à Wilhelmo Hollandiæ Comite, qui ejus partem obtinuit, Ottoni Geldriæ tum Comiti, pignori data, ex eo jure annexa Geldris, contermino agro & oppidis imperat, dives pace, nec ingeniis infœcunda. Arx, in regione, veteris militiæ inclyta monumentis, cujus operis gloriam ad Julium per Gallias militantem oppidani trahunt. Quidam conditores urbis Cattos fuiſſe memorant, qui, profugi quondam [illegible] Rheni Inſulam & proxima Belgicæ oræ cultoribus vacua tenuerint, de quo vide Hug. Grotium, *Hiſt. l.* 2. *ad A. C.* 1591. In hac urbe Synodô celebratâ, conſtituit Henricus II. Imperator, ut panis ad dextram, calix ad ſiniſtram, in adminiſtratione S. Cœnæ, collocaretur. Circa A. C. 1005. Lætus, *Comp. Hiſt. Univ. p* 244. Ibidem pax concluſa A. C. 1679. quæ malè ſervata hodierno bello, quô tota Europa concutitur, occaſionem funeſtam præbuit. Vide & infra.

NOVIOMAGUS multiplex: unus in finibus Biturigum Vibiſcorum, *Ptol. Solac*, teſte *Vinetô. Baudrando*, oppid. Biturigum Vibiſcorum, in Aquitania. Aliis eſt *Bourg*, Burgus, oppid. ad confluentes Dordoniæ in Garumnam. Dicitur & *Bourg ſur mer*, [illegible] æſtu maris huc accedente, 4. leuc. infra Burdegalam in Boream, vix 2. à Blabia in Eurum. Alter in Gallia Belgica inter Sueſſiones & Ambianos, *Antonin.* Tertius Galliæ Celticæ in Normannia poſt Juliobonam. *Idem.* Quartus Angliæ pagus apud Londinium, inde 10. mill. paſſ. *Woodcote*, teſte *Camdenô.*

NOVIOMAGUS Batavorum, ad Vahalim fluv. in Inſul. Batavorum, memoratus in *Tab. Theodoſ.* inter Corvonem [illegible] Arenatium *Arnheim:* villa fuit Regia, jam inde à Carolo M. in qua hic Palatium operis egregii inchoavit, Paſcha celebravit A. C. [illegible] Imperator Ludovicus venatu ſe exercuit, A. C. 817. idem Conventum celebravit A. C. 821. teſte Eginhardô: quæ omnia Imperatores ac Reges Francorum in Villis publicis factitare conſueverant. [illegible] *ganus Noviomagum*, penultimâ productâ & *Poëta Saxo* in [illegible] 776. ſimiliter extulit, quorum hic ex eo nomine dactylum [illegible] ſpondæum effecit. Incolis dicitur *Niumegen*, & nonnunquam contracto nomine *Nimmeghen*, aut *Nimegen*; Gallis *Nimegue*, [illegible] dum *Nimaye:* Gelriæ Batavicæ caput. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ut & in voce *Noviomagum, urbs inſignis Germaniæ inferioris.*

NOVIOMAGUS Nemetum, quos nomen Germanis [illegible] qui à Slavis *Niemcy*, ab Ungaris *Nemetek* appellari ſolent, [illegible] *verò*, ſuſpicatur Valeſ. inter Borbetomagum & Tabernas [illegible] locò ponitur, apud *Ptolemæum*, illinc 12. mill. hinc 11. mill. [illegible] ſtans. Commemorantur autem Nemetes à Cæſare *l.* 1. *Bell. Gall.* *c.* 51. Plinio *l.* 4. *c.* 17. Tacito *l.* 12. *Annal. c.* 27. & Ptolemæo [illegible] junctim cum Vangionibus & Triboccis Treboccisve: è quibus *Plinius* ac *Tacitus* hoſce tres populos *Germaniæ gentes* appellant, & Rheni ripam accolere in provinc. Belgica ſcribunt; *Ptolemæo* ponuntur in ſuperiori Germania, quæ veteris Belgicæ pars eſt. Nimirum ea triga populorum, ut de aliis nil dicam, ante *Cæſaris* adventum in parte Belgicæ Rheno flumini proxima conſederat, ex Germania in Galliam vel tranſlata, ut de Tribocis ait *Strabo*, vel ſponte profecta. Horum itaque caput *Noviomagus*, quod plurimis aliis Galliæ urbibus accidit, veteri ac propriô nomine depoſitô, Gentis appellationem recepit, atque à Nemetibus *Nemeta*, tractu temporis, dici cœpit: uti ab Atrebatibus Atrebatæ, à Tricaſſibus, Sylvanectibus, Redonibus, Namnetibus, Lingonibus, Eburovicibus, Bajocaſſibus, Senonibus, Lemovicibus, Sueſſionibus, Biturigibus, Caturigibus, Tricaſſæ, Sylvanectæ, Senonæ, Redonæ, Namnetæ, Lingonæ, Eburovicæ, Bajocaſſæ, [illegible] næ, Lemovicæ, Sueſſionæ, Biturigæ, Caturigæ. Certè *Noviomagus Nemetum* ab Amm. Marcellino *l.* 15. & 16. & ab Hieronymo *Ep. ad Ageruchiam*, non aliter appellatur, quàm *Nemeta.* In *Notit. Imperii Romani. Nemetes* dicitur: *Præfectus militum Vindicum Nemetes.* In *Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ Civitas Nemetum*, inter provinc. Germaniæ I. civitates tertium obtinens locum, nuncupatur. Imò & tertium ac recentius nomen *Notitiæ* hæ adjiciunt: *Civitas Nemetum Spira*; Item, *Civitas Nemetum, i. e. Spira.* Zacharias Epiſcopus Urbis Romæ nunc David *Spironenſem Epiſcopum*, nunc *Civitates Wormaciam Spiraciamque* commemorat. *Spiram* vocat & Nithardus, *l.* [illegible] Unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Unde colligitur, *Spiram* aut *Spiraciam*, atque etiam, niſi mendum ſubeſt, *Spironam*, ante annos 900. appellari hanc civitatem occœpiſſe, quô nomine hodie quoque cenſetur, & Germanicè *Speir*, Gallis *Spire* dicitur: nomine, à fluvio *Spira*, Germanicè *die Speyr* vel *Spier*, qui 5. mill. emenſus urbem interluit ac Rheno ibi confunditur, acceptô. Ipſe autem annis *Spiræ* nomenclationem fortè à flexuoſis recurſibus & gyris, ſpiras ſerpentium referentibus, nactus eſt. Pagus Nemetenſis vel Nemeticus, *in Annal.* Bertinianis, compoſitô nomine vocatur *Sperohgouvi*, i.e. *Spirenſis pagus*, & in Ducatu Ripuariorum poni videtur, his verbis: A.C. 839. *Ducatum Ribuariorum*, *Wormazfelda*, *Speroh-gouvi* &c. apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NOVIOMAGUS Paulus, Concionator regius Chriſtiani 3. Daniæ Regis, in Reformatos, Mariâ apud Anglos dominante, inde in exilium ejectos, ſedesque quærentes, duce Johanne à Laſco, gravis, quòd deliteſcentiam corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna non agnoſcerent, tantum effecit apud Regem, ut in ipſa bruma ejecti, litus ſub periculo capitis repetere, prohiberentur, A. C. 1554. Quâ inhumanitate improbatâ, Guſtavus Sueciæ Rex, tutum illis hoſpitium obtulit. Utenhovius *in Narr.* Ubbo Emmius, *l.* 59. Lætus, *in Comp. Hiſt. Univ.*

NOVIOMAGUS Trevirorum, locus eſt, in provinc. Belgicæ primo intuitu, celebratus ab Auſonio in *Moſella*, *v.* 10. qui *per* flumen Navam & *veterem Vicum* novis mœnibus reparatum, i.e. Bingium, perque *arentem Dumniſſum* & *Tabernas perenni fonte irriguas*, iter ſe feciſſe ſcribit, deinde *Noviomagum* vidiſſe, Auguſtam Trevirorum, quæ ſedes Imperatorum Valentiniani ac Gratiani erat, petentem. Verſus ita habet,

Et tandem primis Belgarum conſpicor oris
Novomagum, *Divi caſtra incluta Conſtantini.*

Ubi *Novomagum*, vel, ut alii legunt, *Nivomagum*, vocat *caſtra Divi Conſtantini*, vel quòd ibi Conſtantinus M. caſtra olim poſuerat cum Francis pugnaturus; vel quòd eô locô caſtrum condiderat, ad Germanorum incurſiones reprimendas. Urbem eſſe propinquam Treviris quidam dicunt: veriùs *Cluverius vicum nunc eſſe* ad Moſellam ait, vulgò *Nümagen* nuncupatum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NOVIOMAGUS Veromanduorum, *Martiano*, *Maſſo*, aliisque eſt *Oppidum. Sueſſionum Noviodunum* Cæſari *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 12. memoratum: ſed male, ut *Sanſon* oſtendit, cùm non in Sueſſionibus, ſed in Veromanduis *Noviomagus* hic, utpote in Auguſtæ Veromanduorum dirutæ locum ſuffectus, ſit. *Nojomus* potiùs proin eſt, cujus diœceſis totum Veromanduorum agrum complectitur, Veterum nulli *Noviodunum* unquam, ſed *Noviomagum* dictum. Roberto Mon. *in Chron. civitas Veromanduorum*, *quæ & Noviomum*, i.e. cujus ſedes Epiſcopalis tranſlata eſt *Noviomagum*, à Medardo, ſi *Sigeberto* credimus, aut potiùs ab aliquo recentiori Antiſtite. Audoëno *in vita Eligii*, dicitur Eligius *conſtitutus cuſtos urbium ſeu municipiorum*, *Vermanduenſis*, *quæ eſt Metropolis urbs*, *Tornacenſis*, Noviomagenſis, *Flandrenſis*, *Gandenſis etiam & Corturiacenſis*. In vetuſtiſſima B. Medardi *vita*, *caſtellum Noviomacum* vocatur: *Nojonem* appellavit Henricus II. Anglorum Rex. Recentiores truncatô nomine ex more *Noviomum* nuncupavêre, uti ex Rotomago fecerunt *Rotomum* ac *Rodomum*. Vulgò *Noyon*: quod *Noviomagum Vadicaſſium* gratis eſſe vult *Joſ. Scaliger*. Situm *Noviomagi* diligenter deſcripſit ante annos 506. Radbodus Epiſcopus *de vita S. Medardi*: *Ipſe inter duos rivulos conſtitutus eſt* Noviomus, *ab Ortu Galliolâ*, *ab Occidente Margaretâ circumluitur*, *quos ambos tertius ſuſcipit*, *qui Verſa nominatur*: *& ſic pariter confluentes*, *non longè à mœnibus illius in Iſaram*, *qui magni eſt nominis*, *delabuntur*. E quibus Galliolam, *la Golle*, Margaretam *la Marguerite*, Verſam *la Verſette* hodieque vulgò nominant; uti *Car. Cointus* obſervavit. Fuit in hac, ut in claris Galliæ Urbibus, ſuum olim Regibus Galliæ Palatium, quale antea Imperatoribus Romanis fuerat. Certè Chlotharius Chlodovei Junioris fil. Dagoberti nepos, Gadebertæ, nobili Virgini, ſuum *Noviomagenſe* Palatium, cum ſuburbano Oratorio Georgii Mart. duasque Villas fiſcales, ac aliquot puellas regendas, dediſſe legitur. Cœterùm *Noviomagenſis* Epiſcopus pictos in ſcuto ſuo præfert duos baculos ſeu virgas Epiſcopales, cum 8. liliis, propterea quòd ab Aichario, per annos fere 500. Turnacenſem quoque Eccleſiam olim Epiſcopi hi rexerunt, & *Noviomagenſes* ac Tornacenſes conjunctim ſunt vocati. Caput eſt pagi *Noviomagenſis*, qui & *Noviomenſis* recentioribus, vulgò *le Noyonnis* dicitur: Memoratus Frodoardo *Hiſt. Rem. l.* 2. qui *Varinæ*, *Trapiaci & Jeruſalem locorum trans flum. Iſaram*, in hoc pago ſitorum, meminit. Eſt & ad Indeliam fluv. vicus non procul à Ponte Arcus & Sequana, *Noyon ſur Andelle*, aliis *Negent* vulgò, appellatus: quem olim *Noviomagum*, dein truncatô nomine *Noviomum* dictum, exiſtimat Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NOVIOMUS, ſeu *um*, vulgò *Noron*. Vide *Noviodunum*.

NOVIOREGUM, oppid. Aquitaniæ memoratum *Æthico* in itinere à Burdigala Auguſtodunum, ubi occurrere ait *Blavutum mill. paſſ.* 19. *Tamnum* 16. *Novioregum* 12. *Mediolanum Santonum* 15. e quibus *Novioregum*, eſſe *Royan*, quod hodie *Regianum*, caſtrum Galliæ in agro Santonico, ſuſpicatur Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Noverus*.

NOVISSIMUS, inter Athletas quis dictus, vide ſuprà *Homogicammi*.

NOVITII, ſervi propriè dicti ſunt recentes: *Veteratores* verò ſive *Veterani*, reliqui. Ulpianus *l.* 37. *ff. de Ædil. Ed. Præcipiunt Ædiles ne veterator pro novitio veneat.* Item, *Quia Venalitiarii ſciunt*, *facile decurri ad* Novitiorum *emptionem*, *idcirco interpolant veteratores*, *& pro Novitiis vendunt.* Quod quibus artibus factum ſit, diximus alibi. Sed Venulejus *in l. ult.* rem ſubtiliùs explicans, veteratorem ait, ſervum eſſe turpi alicui ac ſordido miniſterio, quamvis recèns addictum; *Novitium* verò, qui vel nulli adhuc, vel nobili alicui & liberali homine dignæ arti, quamvis multo antè, deditus fuit: veluti Picturæ, Medicinæ, Muſicæ, &c. Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* In Communione Romana *Novitii* dicuntur, qui in Monaſterio religioſæ vitæ experimenta ſubeunt, & probationis elapſô tempore, ſi idonei fuerint inventi, ad profeſſionem admittuntur. Conventus Aquisgranenſis A. C. 817. *c.* 34. *Ut* Novitio *non facilis in Monaſterium tribuatur ingreſſus.* Guigo I. Prior Portarum *Ep.* 3. *Incipientes*, *quos* Novitios *vocant* &c. Horum diverſitatem Udalricus exponit *Conſuet. Cluniac. l.* 2. *c.* 1. *Aliqua diverſitas eſt eorundem Novitiorum: Nam non ſolùm abſque habitu veniunt, ut Laici & Clerici, ſed etiam cum habitu, & Monachi jam facti: & tales trifariàm ſunt differentes. Quidam ſunt de longinquis & alienis Monaſteriis, & ad hoc veniunt, ut rurſum profiteantur & de cætero maneant nobiſcum. Quidam de cellis noſtris, & vel pro infirmitate, vel loci longinquitate, benedictionem jam à Domno Abbate acceperunt, profeſſione interim dilatâ, & ad noſtrum locum uſque reſervatâ. Quidam ſunt de tali Monaſterio noſtro, quòd abſque D. Abbate proprium habent Abbatem, ubi etſi benedictionem accipiant & profeſſionem faciant, tamen habentur à nobis per omnia in vita & poſt vitam, ac ſi apud nos fuiſſent: Et iſti, cùm primùm venerint, fiducialiter & abſque mora intrant & ſecundùm tempus, quo in præfato Monaſterio ſunt recepti, hîc etiam ordine ſuô non carebunt. Reliqui omnes non permittuntur intrare, niſi priùs juxta verbum S. Benedicti vel unam noctem in hoſpitio morentur; priùs quoque quàm intraverint, inſtruendi ſunt, quemadmodum faciant petitionem ſuam* &c. In eodem porrò Conventu Aquisgranenſi *ut* Novitius *nec tondeatur*, *nec veſtimenta priſtina immutet*, *priusquam obedientiam promittat*, præcipitur. Vide *Formulam* 32. ex Baluzianis & Haëftenum *Disquiſit. Monaſtic. l.* 4. *Disquiſitione primâ.* Sed & *Novitius* fieri apud Monachos dicebatur, qui, in pœnam, in *Novitiorum* ordinem redigebatur. *Statuta* antiqua Ordinis Cartuſienſis *part.* 2. *c.* 14. §. 9. *Aliàs verò ſi Prior fregerit* (jejunium) *vel fecerit frangi*, *ſit extra ſedem ſuam in Eccleſia*, *per* 40. *dies. Et ſi Vicarius idem fecerit*, *ſit* Novitius *per* 40. *dies.* Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* ut & infrà aliquid, voce *Patientia*. Pauca de Jeſuitarum *Novitiis* in ſpecie adſpergam. Aluntur illi in eorum Collegiis ne Societas tandem deficiat, (quod & de aliis Ordinibus dicendum) membrisque quibuſdam fatiſcentibus ut recentiora ſurrogentur. Eorum autem eſt, cujuſcunque ordinis, ſtatûs vel conditionis, ante ingreſſum, fuerint, *Mundum* (ut ajunt) *deſerere*, ſeipſos abnegare, bona ſua relinquere, à Parentibus aufugere, Amicis valedicere & ab omnibus, quæ Mundus amat, abhorrere; naturalem Parentum affectum, in ſpiritualem, h.e. in Sociorum amorem convertere; omnium ſuorum atque adeò ſui ipſorum quoque oblivisci: præterea à corporis obſequio & indulgentia quàm longiſſimè recedere; ſenſibus repugnantia appetere; carnis ſocietatem diſciplinis ſeveris, putà flagellis, ferulis, flagris & aliis ſpontaneis corporis ſuppliciis, ejicere. In quibus omnibus *Novitiorum Magiſter* eos exercet & acriter admodum habet, donec ſibi ipſis toti emoriantur, atque non ampliùs ſibi, ſed Pontifici, ac Jeſuitarum Patribus vivant, quod illi dicunt *Deo vivere. Chriſto inſeri & in mortem ejus baptizari ac ſepeliri.* Inprimis verò Patres hi *Novitiis* ſuis intellectum ipſumque ſenſum ut ligent, omnem navant operam. Ordinis hinc fundator Ignatius Lojola, *Epiſtolâ* illa, quæ in Jeſuitarum Collegiis, ſingulis menſibus, ad menſam legitur, monet mandatque ſeriò, ut ea, quæ Superior jubet, cœcâ obedientiâ ſimpliciter perficiant; quæque ipſe facit, cœcô judiciô prætereant: non conſiderantes, an bonum vel utile ſit, nec ne, quod præcipitur: *Quæque Superior jubet*, *quæque ipſe facit*, *non ſolùm non judicando*, *multoque minùs reprehendendo*, *ſed etiam tanquam bona & ſancta præſupponendo.* Ut autem *Novitii* Jeſuitæ rectiùs, quænam ab illis obedientia requiratur, intelligere poſſint, iis, in Muſæis & cubilibus, ob oculos hujuſmodi imagines proponuntur. Eſt in medio picturæ puer, qui dorſum incurvat, quô humeris impoſitam fert trabem, cui inſcriptum eſt, *Fortiter*. Portat deinde citharam, quâ volunt, obedire debere eum *Hilariter*. A dextra illius aſſurgit catulus, ut obediat *Velociter*. Pectus gerit apertum, ut obediat *Totô corde*. Os tenet clauſum, ut obſequatur *Sine murmure*. Bajulat res viles & abjectas, ut obediat etiam in *Rebus ſenſibus repugnantibus*. Pedibus fert ocreas, ut obediat *Conſtanter*. Ambabus manibus vaſa tenet, ut obediat *Sincerè* ſeu *Integrè*. Aures habet obſeratas, ut obediat etiam, in *auditu non jucundis*. Caput tandem inclinat, ut obediat *Humiliter*. Contra quas obedientiæ formulas & conditiones ſi fortè *Novitius* peccet, huic, pro qualitate delicti, pœna injungitur, quam ipſi *Pœnitentiam* vocant. Verbi gratiâ, Magiſter *Novitio* mandat, quem ſuperbum eſſe retur, ut abeat & locum ſecretum, aut caligas decrepitorum aut matulas aliaque vaſa immunda expurget. Qui, ſentiens iſtas res ſenſui ſuo repugnare, ſi ſe excuſet, murmuret aut etiam operam ſuam deneget, coram reliquis, prandii vel cœnæ tempore, ſuam profiteri culpam cogitur & in genua projectus dicere: *Reverendi Patres*, *dilecti Fratres*, *dico vobis meam culpam. Hodie inobediens fui*, *neque cloacas*, *vel quid aliud*, *expurgavi. Quare mihi data eſt pœnitentia iſta: Primùm*, *ut in Refectorio circumeam*, *vobisque monſtrem*, *quomodo me excuſaverim & rebellem declaraverim. Horrendum videns*, *vocemque utens ſtentoreâ*, *pedibus quatiens*, *ajebam: Nolo hoc facere. Quid hoc ad me? quid aliorum caligæ? expurgent illi*, *qui cœnô eas replêrunt.* Quibus dictis, in Refectorii medio conſidet & ſecum habet caligas aut vaſa immunda, uſque dum cœteri cibum ſumpſerint: & tunc nihilominus tenetur abire ac juſſa exequi, &c. Plura in hanc rem, inprimis *de Regulis* Magiſtri Novitiorum, de *Libris* ad uſum ejus accommodatis, de *Inſtitutione* & *Regimine* Novitiorum, de *Examine* ſemeſtri, de *Ordine* domus Probationis, de *Examine* eorum, qui biennium Novitiatus, peractis experimen-

mentis, expleverint, in Scholaſticos approbatos admittendi, aliiſque huc ſpectantibus, vide apud Lud. Lucium *Hiſtor. Jeſuit. l. 1. c. 3.*

NOVIUM, vide NOELA.

NOVIUS, prænomine *Gneus*, inſignis eques Romanus, ferro accinctus repertus eſt in cœtu ſalutantium Claudium Cæſarem. Ob hanc cauſam, poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe Novius, conſcios non edidit, incertum an occultans. Hâc fortè occaſione Claudius primus ſcrutatores inſtituit, qui promiſcuè omnes ad principem ſalutandi vel quâ aliâ cauſâ venientes excuterent.

NOVIUS Aſprenas, vide *Lucius.*

NOVIUS Priſcus, in Conjuratione Piſoniana, ob amicitiam Senecæ infamatus magis, quàm convictus, in exilium à Nerone mittitur, Tacit. *l. 15. Annal. c. 71.*

NOVIUS Rufus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, juſſu Severi Imperatoris occiſos, apud Spartian. *in Severo c. 13.*

NOVIUS, fluv. Albionis geminus: unus Walliæ, *Conwey*, teſte *Lhuydô*; alter *Nid*, ſeu *Nyrth*, in Scotia, teſte *Camdenô*, apud Solvacum oppid. in mare occiduum labens.

de NOVO Caſtro Henricus, vide *Henricus.*

NOVOBURGUM, urbs Bavariæ ad Danubium, ſub proprio Duce, è familia Palatina. Vide *Neopyrgum.* Item, urbs Comitatus Hoyenſis, ad Viſurgim, ſub Duce Brunſvic. 4. leuc. ſupra Verdam in Meridiem, 8. à Cella in Occaſum, Diepholtiam verſus.

NOVOCASTRUM, quibuſdam *Orrhea* Veterib. vulgò *Neucaſtle*, oppid. Magnæ Britanniæ, in Comitatu Northumbriæ, quò Carolus I. M. Britanniæ Rex A. C. 1646. perfugium habuit. Cùm enim perpetuis Parlamenti victoriis, quidquid Regi militum reſtabat, in extremum Cornubiæ angulum compulſum, ibique quinque equitum millia in deditionem accepta, & paulo pòſt Oxonium deditum eſſet, Rex paulò ante obſidionem mutatô habitu in caſtra Scotorum evaſit, atque ab illis *Novocaſtrum* perductus eſt. A quibus non hoſtili animô, neque ut captivus, ſed ut Rex exceptus, mox motis caſtris cum toto exercitu eodem venit, atque denuò vires reſumſiſſe viſus eſt. Verùm cùm Rex varias pacis conditiones poſcentibus hoſtibus, non magis exorabilem ſe, quàm hactenus fecerat, præberet, hæc ipſius lentitudo Scotos ſtudiô ejus ſub initia flagrantes, multum alienavit, cumque Angli Regem, tanquam in ſuo ſolo & à ſuis ſtipendiariis captum, repoſcerent, Scoti primò reluctati, paulatim manus dare, tandem acceptâ ingenti pecuniâ Regem in Anglorum manus tradere, &c. G. Hornius *Orbis Imper. p. 221.* Vide *Novum Caſtrum.*

NOVOCOMUM, ſeu NOVUM COMUM, urbs Inſubriæ ad lacum Larium, populi *Novocomenſes.* Vide *Comum.*

NOVOGARDIA, vulgò NOVOGROD, ſeu NOVOGOROD, urbs gemina Sarmatiæ in regno Moſchorum: una magna cognomine, Archiepiſcopalis & metropolis Ruſſiæ albæ, urbs ampliſſima, à Moſcha Moſchorum regia 100. leuc. in Occidentem, quot à Pleſcovia in Boream, longitud. 57. 00. latitud. 70. 10. Altera inferior cognominata ad Volgam fluv. inter Moſcham 100. & Caſſanum in Eurum 70. leuc. Germanic. teſte Sigiſmundô Herberſteiniô, longitud. 72. 00. latiud. 60. 10. Prioris quanta olim fuerit potentia, ex Proverbio patet antiquo, *Quis poteſt contra Deum, & magnam Novogardiam?* Verùm non ſolùm à Johanne Baſilide, A. C. 1477. Sed & à Suecis, A. C. 1611. expugnata, vanitatis humanæ memorabile ſpecimen eſſe cœpit. Hi enim duce Jacobô *de la Guardia*, Baſilio Ibanovitz Zuſcio, contra Pſeudodemetrios à Polonis defenſos, auxiliatum venientes, inſolens hoc ac ſuperbum verbum irritum reddiderunt, cùm à ſex eorum millibus ingens Urbs, in qua amplius 100000. Ruſſorum, apertâ oppugnatione, caperetur. Mox verò, cùm Pſeudo-Demetrio IV. etiam occiſo, Moſci ſibi conſulerent, ac Michaël Federovitzius Imperator Ruſſorum electus, rerum potiretur, Sueci, Magnô Ducatu *Novogardiæ* ei reſtitutô, Livoniâ verò, Ingriâ, Careliâ aliiſque ad Mare Album provinciis retentis, pacem cum eo fecerunt. Idem *ibid. p. 250. & 257.*

NOVOGARDIA, duo ſunt Ducatus Moſcoviæ, quorum alter dicitur *Novogrodia inferior*, in quo eſt urbs ampla, lignea ejuſdem nominis cum ducatu, ſita ad Volgæ & Occæ confluentes, Arcem habet in ſcopulo, & diſtat à civitate Moſqua 100. milliar. Germanic. 40. à Vlodimiria in Boream. Alter verò dicitur, *Novogrodia magna*, incolis *Nivogrod Wielki*, & in eo etiam eſt urbs ejuſdem nominis ampliſſima, cæteras partium ſeptentrionalium præcellens: magnitudine namque ſua Romam ſuperat, licèt ædificia majori ex parte lignea habeat: à Johanne Baſilio duce Moſcoviæ capta eſt A. C. 1577. diſtatque hæc urbs in Circium, à civitate Moſqua 105. milliar. Germanic. 46. à Pleſcovia in Ortum; uti ferè à confinio Lithuaniæ in Boream, & à Narva in Eurum. Fuit in ea Idolum nomine *Perum*, quod accolæ ſummô cultu adorabant: erat illi forma viri lapidem ignitum manu tenentis, ex quo fulmen emicabat, *Metel. Bert.* Ad Volkovam amnem, qui ex lacu Ilmeno exit. Capta fuit à Suecis A. C. 1611. ſed reddita Moſcoviæ Magnæ Duci cui ſubeſt, ut dictum ab A. C. 1577. Suntque in ea 70. monaſteria. *Baudrandus.*

NOVOGARDIA Lituanica, vulgò *Novogrodek*, cognomentô *Litawiski*, urbs Poloniæ, in Lithuania, Palatinatus cognominis caput, inter Poleſiam ad auſtrum, & Polachiam ad occaſum. Vix 4. leucis Polonicis à fluvio *Niemen* diſtat, & 20. à Vilna urbe in auſtrum.

NOVOGARDIA Severiæ, vulgò *Novogrodek Seviersky*, urbs munita, Lithuaniæ attributa, aliàs ſub Polonis, nunc ſub Dominio magni Ducis Moſchoviæ ab aliquot annis. Sita eſt ad Deznam fluv. 27. leucis Polonicis à Czernihovia in ortum, 40. à Chiovia in Cæciam; & 45. à Smolenſco in meridiem. Ab ea provincia adjacens dicitur Ducatus Novogardiæ Severiæ ſeu Severienſis Ducatus.

NOVOMARCHIA, ſeu NOVUS MERCATUS, vulgò NEUMARCK, Saxonicè, *Waſerhely*, Hungaricè, oppidum Tranſylvaniæ, ubi Ciculorum conventus, juxta Mariſum fluvium, & ad radices Carpathi montis, 35. mill. paſſ. à Claudiopoli in Cæciam.

NOVOPYRGUM, poſtea Novus mons, *Novomont*, urbs Myſiæ ſuperioris, in Servia, ad Moravam flumen, *Laonic. Chalc.*

NOVOSTADIUM, vulgò NEUSTADT, urbs Germaniæ, in Auſtraſia inferiori, prope amnem Leytam, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Saliſburgenſi. Urbs eſt probè munita. Vide *Nova civitas.*

NOVOSTADIUM, vulgò NEUSTAT, urbs Germaniæ, in Ducatu Brunſvicenſi, ad Leinam amnem, media inter Novoburgum in Cæciam & Hannoveram in Africum, 6. leuc. à Cella in occaſum.

NOUS, apud Capellam Hymno ad Palladem, *de Nupt. Merc. & Philol. l. 6.*

Virgo, armata, decens, Rerum Sapientia, Pallas,
Æthereus Fomes, Mens & Solertia Fati,
Ingenium Mundi, Prudentia ſancta Tonantis,
Ardor doctiſicus, noſtraque induſtria Sortis,
Ac Rationis Apex, divumque hominumque ſacer Nῦς,
Ultra terga means rapidi ac ſplendentis Olympi;
Celſior una Jove &c.

Conditricem & conſervatricem rerum Animam Univerſi notat Barthio, de qua pulchrè Avienus *initio Arati.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l. 2. v. 242.* & ſuprà in voce *Mens.* Idem nomen rivo eſt, apud oppid. Ceſcum, in Cilicia, ex quo *bibentium ſubtiles ſenſus fieri*, M. Varro tradit, apud Plin. *l. 31. c. 2.* quem cùm Ἄνυν vocet *Suidas*, vide conjecturam Voſſii *de Idolol. l. 2. c. 72.* Sed & Nilum ab Ægyptiis Νῦν dictum, atque hoc [illegible] ſignificare, eſt apud Philippum, Ori Apollinis interpretem, *l. 1.* ubi de Nili aſcenſu & exundatione. Quò reſpexit fortè *Heſychius*, cùm ait, Νῦς, ψυχὴ, ποταμὸς καὶ ἡ μονάς, *Mens, anima, flumen & unitas:* niſi malis his verbis Ciliciæ rivum denotari, quem Νῦν dictum, ex deperdito *Aſiaticorum* opere Pauſaniæ, etiam Euſtathius docet *in Od. α.* Vide & *Mens.*

NOVUM, oppidum erat Carnorum, in agro Aquilejenſi, Liv.

NOVUM, item ex *Itinerario antiquo* locus erat Inſubriæ, medius inter Mediolanum & Laudem Pompejam, ubi nunc Melignanum, *Merignano*, oppid. ad Lambrum fluvium, 10. mill. paſſ. utrinque diſtans.

NOVUM Amſterodamum, vulgò *nieuw Amſterdam*, ſeu *Manhattan*, urbs recens novi Belgii, in America ſeptentrionali. Vide *Amſterodamum novum.*

NOVUM Belgium, vulgò *nieuw Nederlandt*, Belgis, *nouveau Pais Bas*, Gallis, pars eſt Americæ ſeptentrionalis, Batavis ſubdita, juxta oram littoralem maris Borealis, inter novam Angliam ad Boream, mare Boreale ad ortum & meridiem, & novam Franciam Virginiamque ad occaſum; eſtque ejus pars auſtralis nova Suecia, quæ ante paucos annos ab Hollandis occupata fuit, ejectis inde Suecis. Ibi oppida primaria novum Amſterodamum & Naſſovia.

NOVUM Caſtellum, nomen variorum in Gallia locorum, quæ ſingula *Chateau neuf* aut *Caſtelnau* dicta: Sicut & multæ Novæ Villæ, & *Villa Nova*, additis variis cognominibus diſtinctæ, & *Neuville* ac *Villeneufve* quæque nuncupatæ. Inter illa, *Novum Caſtellum* Arduennæ proximum, quod jam non *Novum*, ſed Vetus dici deberet. Quippe A. C. 741. Carolomannus Dux & Princeps Francorum, conſentiente Pippinô fratre, Gripponem fratrem ſuum, in eo cuſtodiri juſſit, ut veteres Gallicar. rerum *Annales* docent. Vocatur hodieque *Neuf-Chaſtelle*, nec multum abeſt à ſylva Arduenna, & à Monaſterio S. Hucberti. Aliud *Novum Caſtellum* in pago Cameracenſi, memoratur Auctori *vitæ Lietberti Cameracenſis Epiſcopi* à re nomen habens, quòd eſſet omnium circa *Caſtellorum* recentiſſimum atque noviſſimum. Nunc, ſublato *Novi* cognomine, appellatur Gallis *Caſtellum in pago Cameracenſi*, vulgò *Chaſteau en Cambreſis*, vel *Caſteau Cambreſi.* Hermannus *de Mirac. S. Mariæ Laud. c. 20.* meminit *Cœnobii S. Andreæ de Novo Caſtello.* Unde de Lietberto, qui *Domnus* & *Dominus* & *Princeps Patriæ*, & *Patronus*, & *Princeps*, apud priùs laudatum Auctorem paſſim vocitatur, ita hîc porro, agens de eo intonſo adhuc, [illegible] ex peregrinatione Hieroſolymitana redierat: *Erat in animo ejus fixum, non priùs intrare Cameracum, quàm reviſerit Novum* Caſtellum, *ſui Principatus fidele municipium, quod ad S. Andreæ* (Apoſtoli) *memoriam diligentiùs excolebat.* Is Novum Caſtrum *ſemper* [illegible] *& Abbatiam S. Andreæ A. & Cœnobium S. Humberti* [illegible]. Ubi *Novum Caſtrum*, locum vocat, quod *Novum Caſtrum S. Mariæ* [illegible], ac abſolutè etiam *Novum Caſtrum* vocant Literæ Gerardi Cameracenſium & Atrebatenſium Epiſcopi, datæ A. C. 1046. Literæ Imperatoris Conradi, non minùs prioribus ſuſpectæ. *Caſtrum S. Mariæ*, quod ab Herluino Epiſcopo, favente Ottone III. Imperatore extructum eſſe ajunt, adverſus finitimorum incurſiones, eoque caſtro villas ſuburbanas, Peronam Cœnobiô ſeu Abbatiâ S. Andreæ nobilem & Vendelgejas *Vendegies*, majori ex parte incluſas fuiſſe. Ab eodem loco Archiepiſcopus Cameracenſis, qui *Cameraci Dux, Comes Cameraceſii*, (i. e. *Cameracenſis pagi*) appellatur, *Marchionem* inſuper *Caſtelli* (h. e. *Novi Caſtelli Cameracenſium*) ſe hodieque inſignire ſolet. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* &c.

NOVUM Caſtrum, aliàs *Neocomum*, vide ibi. Oppid. Helvetiæ in littore lacus *Neocomenſis*, qui quinque leucas German. longus, initiô prope Ebrodunum ſumptô, influit, per fluvium Telam, in lacum Biellenſem. Jacet in Aventicis, cum titulo Comitatus, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

qui à Novocaſtrenſibus, ſeu Neocomenſibus Comitibus, (è quibus Bertholdus, A. C. 1130. Lutoldus, A. C. 1240. Henricus, A. C. 1274. Humbertus, A. C. 1295. Epiſcopi Baſileenſes fuêre,) ad Comites Hochbergios, Rœteliæ dominos: ab his ad Longovillanos in Gallia duces pervenit. Occupatum cum toto Comitatu à Bernenſibus, communi Helvetiorum nomine, bellô inter Ludovicum XII. & Helvetios flagrante, præfectum accepit. Poſtmodum certis pactionibus Johannæ Hochbergiæ, Longovillani ducis viduæ, reſtitutus Comitatus eſt, A. C. 1529. Cœterùm cùm ante hoc tempus, jam certis conditionibus & pactis conjunctus eſſet Bernatibus, Lucernenſibus, Friburgenſibus & Solodoriis; illa, in hac reſtitutione confirmata, Dominique Comitatus hôc tempore peculiari fœdere Bernatibus ſunt obſtricti. Variorum Auctorum *Reſp. Helvet.* Vide quoque *Neidenolex.* Addo hoc unum, quod nuperrimè Principe mortuô, regimen Sorori ejus, Ducis Nemoroſii viduæ, delatum, illique, fruſtra contranitente Principe Contiô, qui velut ſibi à Principe morituro legatam ditionem aſſertum ivit, ſolenniter homagium eſt præſtitum, annô hôc 1694.

NOVUM Caſtrum, vulgò *Neufchaſtel*, urbs Angliæ ſeptentrionalis, in Northumbriæ Comitatu, ad Tinam fluv. ſatis munita, 4. milliarib. Anglicis diſtans ab ora Oceani Germanici, & 10. à Dunelmo in Boream Scotiam versùs. Vide *Novocaſtrum.*

NOVUM Caſtrum, vulgò *Neufchaſtel*, oppid. Galliæ, in Normanniæ Ducatu, ad Arcam fluvium, in Caletenſi tractu, 8. leuc. à Diepa in Eurum Bellovacum versùs, & 4. ab Albamala in occaſum.

NOVUM Londinum, vulgò *new London*, Anglis, urbs recens Americæ ſeptentrionalis, in nova Anglia, quæ aliter *Boſton* dicitur. Vide *Londinum Novum*, it. *Nova Anglia.*

NOVUM Mexicum, vulgò *S. Fè ò nueva Mexico*, Hiſpanis, urbs parva Americæ ſeptentrionalis, juxta fluv. Borealem, & novi regni Mexicani caput, recens exſtructa ab Hiſpanis, 100. circiter leucis ab ora maris Purpurei diſtans in ortum.

NOVUM Nomen, Apocalypſ. *c.* 2. *v.* 17. Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω εἰ μὴ ὁ λαμβάνων, *Victori dabo edere ex Manna illo abſcondito: & dabo illi calculum album, & in calculo* novum nomen *ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit.* Ubi alluditur ad calculum, quem Athletis in Theatro decertantibus dari conſueviſſe, notat *Arethas.* Sed & milites, qui ſtrenuè ſe in bello geſſiſſent, novô *Cecropidarum* nomine honorari conſueviſſe, diximus ſuprà, ubi de *Militum præmiis.* Etiam apud eoſdem Athenienſes, ut & Romanos, ſervi, poſtquam libertatem adepti; quemadmodum apud Hebræos, qui è periculoſo morbo convaluiſſent: *novum* accepêre *nomen*, uti videre eſt retrò in hac voce.

NOVUM Plimuthum, vulgò *new Plimouth*, urbs recens extructa ab Anglis, in nova Anglia. Vide *Plimuthum novum*, it. *Nova Anglia.*

NOVUM regnum Granatæ, vulgò *nuevo Reyno de Granada*, pars ampla Americæ meridionalis, in regione Terræ firmæ, ut dicunt, & inter Pariam provinciam ad ortum, Præfecturam Popajanam ad occaſum, & Præfecturam Sanctæ Marthæ ad Boream; ſubeſtque dominio Hiſpanorum, qui in eo habent aliquot colonias. Ejus primaria urbs eſt Fanum Sanctæ Fidei de Bogota, *S. Fé de Bogota*, Archiepiſcopalis.

NOVUM regnum Mexicanum, vulgò *nuevo Mexico*, quod à quibuſdam dicitur etiam novum regnum Granatæ, *nueva Granada*, pars eſt ampla Americæ ſeptentrionalis, inter mare Purpureum ad occaſum, Floridam ad ortum, & novam Hiſpaniam ad meridiem. Ante quinquaginta annos detecta fuit ab Hiſpanis, qui in ea habent aliquot colonias. Ibi novum Mexicum, *nueva Mexico*, urbecula præcipuà.

NOVUS, pro inſolito, & inaudito, apud Proſperum Aquit. *in B. Auguſtini Sententiis*,

Inſolitum ſi quid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit habetque novum.

Vide Caſp. Barthium *ad Claudian.* Adeoque monſtroſo, apud Statium *Theb. l.* 2. *v.* 268. ubi de monili Hypſipyles,

— *longa eſt ſeries, ſed nota malorum*
Proſequar, unde novis *tam ſæva potentia donis.*

Et magno. Idem *Theb. l.* 8. *v.* 10.

Diſſiliiſſe novo *penitus telluris hiatu*
Tartara.

Sed & rudem vox notat facileque credulum, ob juventutem & ſimplicitatem, apud eundem *l.* 5. *v.* 457.

— — *blandus Iäſon*
Virginibus dare vincla novis —

Et juniorem cœteris, apud Quintilian. *l.* 2. *c.* 6. ubi *Novi Scriptores* ſunt juniores, Statiumque iterum *Theb. l.* 11. *v.* 657.

— *Nunquamne priorum*
Hærebunt documenta novis? &c.

Plura de hac voce vide ſuprà.

NOVUS Burgus, locus Galliæ, in Normannia, *Neuf-Bourg*, inter flumina Riſelam & Sequanam, mediô ferè intervallô, ſitus: Haricuriæ vel Harecorti proximus, ab Orderico Vitale memoratus *Hiſtor. l.* 12.

NOVUS Conſtantinus, vide ſuprà.

NOVUS Mercatus, vulgò *Novibazar*, urbs Serviæ regionis primaria, ad Oraſcam amnem, in ditione Turcarum. Dicitur aliter Novoforum, 50. milliaribus diſtat à Niſſa in occaſum.

NOVUS Mercatus, vulgò *Neufmarché*, pagus Galliæ, in provincia Normanniæ, ad Eptam fluv. aliàs amplus, nunc defecit. Diſtat tantùm unâ leucâ à Gornaco in auſtrum, 4. à Cæſortio in Boream, & 19. à Pariſiis in Circium. Ibi habitum Concilium Anglicum A. C. 1161. ſub Alexandro III. Pontifice Maximo. Caſtrum habuit ſuperbum, nunc deſtructum, & 6. leucis diſtat à Bellovaco in occaſum, Rothomagum versùs decem.

NOVUS Orbis, vulgò *le nouveau Monde*, pars eſt ampliſſima orbis, recèns detecta à Chriſtophoro Columbo, nempe die Jovis undecimâ Octobris, A. C. 1492. Dicitur aliter Indiæ occidentales, *les Indes occidentales*, ſeu meliùs & communiùs America, *l'Amerique*; eſtque una ex quatuor orbis partibus, ſed aliis major, & à ſeptentrione in meridiem extenditur, ſub duarum magnarum peninſularum forma, quæ tenui Iſthmo ſeptendecim leucarum connectuntur. Vide *America.*

NOVUS Portus, vulgò *Newhaven*, teſte *Orteliô*, aliis *Rhie*, oppid. cum portu Albionis in ora Angliæ Auſtrali, à Cantuaria 20. milliar. Ciceſtriam versùs, à Londinio 48. in Eurum & auſtrum. Vide *Lemannus.* Eſt & Portus novus oppidum Vectis inſulæ primarium, *Newport*, contra Hamptonam oppid. Angliæ. *Medena* quibuſdam.

NOVUS Portus, vulgò *Nieuport*, urbs Belgii probè munita, in Comitatu Flandriæ, aliàs *Santhoſt* dicta. Gaudet portu utcunque capaci in ora maris Germanici, ad oſtia fluvii *Yperlée*, 4. leucis à Dunquerca in ortum, 2. ab Oſtenda in occaſum, & 5. ab Ipris in Boream, in territorio Furnenſi.

NOX, ab antiquis ut Dea culta fuit: eam mulieris formâ effinxêre, nigris expanſis alis, quæ volare videretur. Pulchra eſt apud Pauſaniam in *Eliacis* deſcriptio Noctis Mortis & Somni, his verbis: Fœmina expreſſa eſt, puerum conſopitum lævâ album ſuſtinens, nigrum dexterâ: & hunc dormientis effigie, diſtortis utrinque pedibus indicant inſcriptiones, quod facile tamen, ut nihil ſcriptum ſit, conjicere poſſis, eorum puerum unum *Mortem* eſſe, alterum *Somnum*, mulierem, illam *Noctem*, utriuſque nutricem. Cœterùm, hanc inter Genitales Deas olim recenſitam fuiſſe, docet Thom. Bartholin. *de Puerp. Veter.* cùm ait: *Græcis Diana Lucina & Lucifera eadem cum Luna, Levana* לונה, *ex Hebræorum origine, cuncta ad partum, tanquam noctis præſes & fœmineum ſidus conſerens. Nam* Nox *Genitalis Dea juvat liberorum ſtudium. Formula invocationis ter magnâ voce fuit repetita. & extenſis brachiis. Huic aliàs in ara ſacrificatur, pulte fabariâ & laridô, nec non gemellis agnis altrinſecus religatis, nummusque perdi ſolitus.* Alarum ejus meminit Euripides *Oreſte v.* 178.

Πότνια Νὺξ μόλε κατάπτερος.

Sed & curru nonnunquam invecta fingitur, Somnô aurigante. Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 59.

— *Sopor obvius illi*
Noctis *agebat equos* —

Et *l.* 12. *v.* 305. ubi Juno Lunam alloquitur,

— — *exere quæſo*
Cornua, & aſſueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles dimitte Soporem.

Claudian. *Bellô Gildon. v.* 223.

Humentes jam Noctis *equos Lethæaque Somnus*
Fræna regens, tacitô volvebat ſidera curſu &c.

Etiam coronamenti ejus meminêre Poëtæ, quod ex papavere fuiſſe, ait Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 661.

Interea placidam redimita papavera frontem
Nox *venit & ſecum ſomnia nigra trahit.*

Nempe papaver conciliandi ſomnum vim habere notum, Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 16. Porrò Hymnum illi canit Orpheus, it. Statius *cit. l.* 2. *Theb. Siderum alumna* Euripidi appellatur, apud Farnabium *ad Troades Senecæ Actu* 3. *v.* 430. &c. Vide quoque infrà.

NOX, ſeu *Tenebræ*, pars diei civilis, qui viginti quatuor conſtans horis, apud Romanos à media *Nocte*, ad mediam *Noctem* ſeſe extendebat, teſte *Terent. Varrone*: quum Athenienſes ab occidente Sole, Babylonii ab eodem oriente, Umbri à Meridie diem inchoarent. Hanc primò in quatuor partes diviſêre, id quod teſtatur ſimilitudo illa militaris, cùm *Vigilia prima, ſecunda, tertia,* & *quarta* dicitur. Poſtea verò, uti Diem, ita *Noctem* in plura tempora diſpeſcuerunt, propriis diſcreta nominibus, de quibus ita Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 13. *ſub fin. Ita* Noctem *dividebant, ut diei noviſſimum tempus ſuprema tempeſtas vocaretur: Inde Veſpera, ab hoc tempore Fax, deinde connubia Nox & inde intempeſta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Poſt mediam Noctem media Noctis inclinatio, deinde Gallicinium, inde Conticinium, cùm & galli conticeſcunt, & homines etiam tum quieſcunt, deinde Diluculum, i. e. cùm incipit dies dignoſci, inde Manè, cùm dies clarus eſt.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Jac. Oiſelium JCtum *Notis in A. Gellium l.* 3. *c.* 2. &c. Vigiliarum præfatarum cùm quælibet ternarum horarum eſſet, prima *Noctis* vigilia, incipiebat ab hora ſexta veſpertina, ultima verò ſextâ matutinâ terminabatur: Cornuumque vel tubarum ſonitu quælibet indicabatur, ut ſciri facilè poſſet, quota eſſet vigilia, Alex. ab Alexandro *Genialium dier. l.* 1. *c.* 12. Apud Hebræos *Nox*, oppoſita diei artificiali, quem à Solis ortu inchoantes in Solis occaſu terminabant, ſimiliter in 4. quaterniones, ſeu majores horas, *Vigilias* dictas dividebatur. Quarum prima, *Caput vigiliarum* vocitata, ſeu *Principium vigiliarum*, Threnor. *c.* 2. *v.* 19. *Surge, vociferare de nocte, in principio vigiliarum*: Secunda, *Vigilia media*, Judic. *c.* 7. *v.* 19. *Adveniens itaque Gidhon & centum viri, qui cum ipſo, ad extremitatem caſtrorum illorum, principio vigiliæ mediæ*: Non quòd tantùm tres *Noctis* vigiliæ eſſent, ut Druſius *in loc.* contendit, ſed quia ſecunda hæc vigilia ad mediam noctem pertingebat, dicta. Tertia, à media nocte initium ducens, ad tertiam matutinam, ſe extendebat, memorata Lucæ *c.* 12. *v.* 38. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit.* Quarta dicta *Vigilia matutina*, Exodi *c.* 14. *v.* 24. ſextâ matutinâ finiebatur. Hujus mentio Matthæi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

c. 14. v. 25. Græcè eædem, in Novo Teſt. vocantur, Ὀψὲ, Μεσονύκτιον, Ἀλεκτοροφωνία & Πρωΐ, i. e. *Veſper*, *Media nox*, *Gallicinium* & *Manè*, Marci c. 13. v. 35. Apud varias Gentes autem *Nox* magna in veneratione fuit, unde Athenienſes, & Libyes, præter Judæos, à Sole occaſo initium diei duxêre, ut Stobæus ex Nic. Damaſceno refert *Serm.* 165. Quos Germanos imitatos eſſe, docet Tacitus *de Mor. Germ.* c. 11. *Nec dierum numerum, ut nos, ſed* Noctium *computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, ut Nox ducere diem videatur.* Vide Lindebrogium *in Vocabul. ad LL. Germanicas.* De Gallis idem teſtatur Cæſar *l.* 6. *c.* 17. ubi ſimul cauſam reddit, *quòd à Dite Patre prognatos ſe prædicarint.* Atque hæc ex Mundi prima origine Gentilibus tradita videntur, cùm tenebræ primò incumberent terræ, antequam lux fieret. Quò reſpexit Hymnographus antiquus *Hymno Noctis*,

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,

Noctem concelebro genetricem hominumque Deûmque.

Sed & vetuſtiſſimum eſſe Arabum inſtitutum, in ratione temporum non dies, ſed *Noctes* putare, Abraham Ecchellenſis tradit in *Hiſtor. Arabum* c. 11. rationemque reddit, quòd a Neomenia ſuas ſupputationes exordiantur & Lunam, noctis Dominam, ſequantur. Iidem creationis opus etiam a veſpere incepiſſe, ex his S. Scripturæ verbis colligunt: *Factumque eſt veſpere & manè dies unus*, qua de re vide infra in voce *Veſper*. Similiter, præter Callosolim ac Germanos, jam memoratos, Francos quoque aliosque populos Septentrionales, ſpatia temporis, non dierum ſed noctium numerô diſtinxiſſe, ac finiiſſe, teſtantur Leges, Salica, Bajovar. Ripuar. Capitulare Pipini Regis Italiæ, Lex Longob. pluribus in locis. Vide quoque Capitulare 3. Ludovici Pii *a.* C. 819. *c.* 1. Capitulare Caroli M. *l.* 3. *c.* 45. Edictum Piſtenſe Caroli Calvi, c. 33. Formulas veter. Bignonii *c.* 28. Formulas veter. ſecundùm LL. Rom. *c.* 40. &c. Hinc & Charta Caroli M. pro Monaſterio S. Dionyſii apud Dubletum *p.* 709. *Si quis verò contra præcepta anteriorum Regum, vel noſtra aliquid facere, vel contraire voluerit, hunc Miſſus noſter vel Comitis ſuper* Noctes *viginti una ante nos per bannum noſtrum venire faciat in rationes contra Miſſos S. Dionyſii & Foleradi Abbatis.* Notitia vetus ex *Tabul.* Pertenſi: *Proinde taliter Fredeloно judicatum fuit, ut talem teſtimonium aeremiſſet in proximo mallo, poſt* 40. Noctes, *quem ipſe Comes in Auguſto menſe tenet, ut ſecundùm Legem ſuam Salicam adprobet, ſicut ſuperiùs poſtulavit, aut faciat, quod lex eſt.* Anonymus *in Vita Sancti Goaris* c. 11. *Quot* Noctes *habet menſis iſte?* Apud Saxones item obtinuiſſe, colligitur ex Speculo Saxon. *l.* 1. *art.* 2. 67. Idem dos, per *Noctes*, natalitiorum ætates computare, auctor eſt Olaus Wormius *in Faſtis Dan.* Trina inducias, per *Noctes*, dinumeratas ſuô ævô teſtatur Gaufredus Vindocinenſis *l.* 1. *Ep.* 27. *In hoc tamen non* Noctes, *ſecundùm conſuetudines Laicorum, ſed ſecundùm inſtituta Canonum, inducias poſtulamus.* &c. Car. du Freſne *Gloſſ.* Habuerunt porrò hôc tempore quoque ſi a ſacra Romani, qualia Baccho ſacra, quæ teſte Serviô ideo quoque *Nyctelia* appellata ſunt. Hinc A. Gellius *l.* 3. *c.* 2. *ſuprà cit. Sacra ſunt Romana*, inquit, *partim diurna, partim nocturna: Sed ea, quæ inter* Noctem *fiunt, diebus addicuntur, non noctibus* &c. Apud Græcos quoque teſte Ariſtophane, eidem Baccho, litatum eſt, ut & Erinnyſi, quæ Σεμναὶ θεαὶ dictæ ſunt. Athenis, tempore nocturno. Æſchylus tamen ſolas Erinnyes, nocturnô ſacrificiô, *Noctè* mediâ offerri ſolitô, placari ſolitas fuiſſe docet, *in Eumen. p.* 275.

Καὶ νυκτίσεμνα δεῖπν' ἐπ' ἐσχάρᾳ πυρὸς

Ἔθυον ὥραν οὐδενὸς κοινὴν θεῶν.

In quæ verba *Scholiaſtes*: Ἐν γὰρ τῷ μεσονυκτίῳ, inquit, μόναις Ἐρινύσιν ἀπάρχονται, *In media nocte ſolis Erinnyſi primitiæ offeruntur.* Vide eundem *in Oedipo Col.* & infra voce *Veneficium.* Nec omittendum, Tribunos plebis *Nocte* non minùs, quàm interdiu, januas, tanquam aſyla miſerorum, Romæ debuiſſe habere apertas; unde abnoctare illis non licebat: quum illorum officium eſſet, ſuâ præſentiâ atque interceſſione, injuriam Populi prohibere; *Livius* tamen ſcribit, Tribunos in Siciliam miſſos ad P. Scipionem ex illa Inſul. retrahendum; niſi tum nondum Lex hæc lata fuerit, vel quod veriſimilius, lege fuerint ſoluti. Vide Gellii *Notas in loc. cit.* infrà quoque aliquid, voce *Puella*, it. *Puertera.* &c. Quæ verò de *Noctis*, apud gentes varias, prærogativa retrò diximus, confirmat pluribus Matth. Berneggerus *in Taciti Germ. quæſt.* 53. ubi hodieque apud Germanos veteris conſuetudinis veſtigia ſupereſſe monſtrat, cùm feriarum quarundam nomina à *Nocte*, non die, ſumantur, diesque illi 12. qui Natalem Chriſti ſequuntur, appellentur *die Weyhenachte*, quaſi *ſacratæ noctes*: & Lupercales illi dies, qui tempus Quadrageſimæ præcedunt, *Faſtnacht*, tanquam, *noctes jejunio vicinæ.* Idem ex antiquiſſimo illo Gentium more, Bohemos, Polonos, Sileſios, Marcomannos, alios, à Solis occaſu ad proximum Solis occaſum diem ducere, eorumque priori horologia, cùm Sol occubuit, 24. ictus edere, qui vigeſimæ quartæ horæ, i. e. totius diei, finem indicent, narrat. Vide quoque Cujacium *Obſervation. l.* 15. *c.* 32. & Bodinum *de Republ. l.* 4. *c.* 2. Nec omittenda ſemilucentium temporum conſuetudo, quâ Dominus, cùm vaſallo Feudi poſſeſſionem renuntiat, *trium noctium* illi ſolùm ſpatium poſſeſſionis indulget. Docet id Dudo Sanquintinius *Hiſtor. Norm. l.* 3. *Rex deceptricibus querimoniis inſtigatus, precatus eſt Bernardum, ut daret ſibi conſilium his rebus. Tunc Bernardus; Mitte legatum ad Hugonem Ducem Magnum, qui Bajocenſia rura illi contradicat & non poſſidere plusquàm* tribus noctibus, *& dicat non tenere ea ſe amplius, quia malô uſus eſt conſiliô* &c. Quomodo verò *Noctium* & Dierum magnitudinem indagaverint Romani, legas apud Plin. *l.* 36. *c.* 10. quem vide, ut & Dalechampium *Notis ad eum.* De more Areopagitarum, *noctu judicandi*, cœterorum Athenienſium *noctu conſultandi*; Romanorum, *noctu convivandi & ſpectacula edendi*; Spartanorum *noctu ſine tædis ambulandi, reis item capitale ſupplicium irrogandi*, aliisque, vide apud

Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 5. Caſaubon. *ad Sueton. Domitian.* c. 4. Alios, & infrà *Veſper*.

NOX Dies in luſu Græcorum, quem ὀστράκου περιστροφὴν, *teſtæ converſionem*, dixêre, vide infrà *Teſta*.

NOX Prima, primô die poſterior fuit, uti videbimus infrà, in voce *Veſper*. Mediô ævô Jus *primæ Noctis* in aſcriptitios ſeu ſervos glebæ, vulgò *Bathinodium*, quaſi *Bednood*, i. e. *Lecti neceſſitas*, à Dominis urgebatur, quod erat præſtatio pro redemtione primæ noctis nuptiarum, à ſervis exigi ſolita: cujus veſtigia etiamnum ſupereſſe, in Belgii, Friſiæ & Germaniæ aliquot tractibus, docet Dan. Papebrochius ad *Vitam* S. Foranni Abbatis Walciodor. Similiter in Anglia villanos, pro filiabus ſuis, ne illarum pudicitia à Dominis libaretur, Nuptiali nocte, 32. denarios iis ſolvere conſueviſſe olim, diſcimus ex Bractono *l.* 2. *c.* 8. §. 2. *Veteri Scheda* apud Spelmann. Aliis. Apud Scotos verò infamâ Evenilege, cum prima novæ Nuptæ, etiam liberorum hominum, nox Proceribus per gradus deberetur, Malcolmus III. uxoris ſuæ precibus conceſſit, ut contumeliam illam Sponſus dimidiatâ argenti marcâ redimere poſſet, quæ penſio inde *Marcheta* appellata eſt. Vide ſuprà in hac voce, ut & voce *Judith*, ubi ſimile quid a Græcis olim in Judæorum virgines ſtatutum diximus.

NOX Sacrata, quæ diem Paſchatis præcedit, in qua Baptiſmus conferebatur, apud Auguſtin. *Serm. ad Catechum.* Senator *l.* 8. *Ep.* 33: *Cùm die ſacratæ Noctis precem Baptiſmatis cœperit Sacerdos effundere.* In ea viros & mulieres convenire olim in Templis ſolitos, ut precibus ibi invigilarent, velut exſpectantes adventum Domini ſummô manè reſurgentis, legimus apud Tertullian. *ad Uxorem l.* 2. *c.* 4. ubi eam hortans, ne poſt obitum ſuum viro nubat infideli, hoc inter alia adhibet argumentum: quòd talis maritus non patienter laturus foret uxoris ſuæ abſentiam, in anniverſario Paſchatis pervigilio. Qui mos cùm in aliis quoque & Martyrum Natalitiis ſucceſſu temporis inoleviſſet, ſenſimque in varios abuſus degeneraviſſet; tandem ſublatus eſt, uti diximus ſuprà, ubi de *Nocturnis Cœtibus*. Cœterùm præconia *Noctis Paſchalis* habes apud Rupertum Tuitienſem *de Div. Offic. l.* 6. *c.* 26. Sed & *Sancta Nox*, quæ Nativitatem Domini, quæque Pentecoſtem antecedit, dicta eſt, Helgaudus in *Roberto* Rege Francor. *Sanctas Noctes h. e. Nativitatis Domini, ſancti Paſchæ & Pentecoſtes,* [...] *augebat infirmus, ut nec ſedens vel ſtans ſomnum caperet,* &c. Vide Rabanum *de Inſtitut. Clericor. l.* 11. 38.

NOX Semeſtris, ſub utroque polo, vide infrà *Polaris Stella*.

NOXA, inter Gentilium idola, apud Juſtinum Mart. *Orat. ad Gent. p.* 71. Græcè Ἄτη. Vide quoque *Ate*.

NOXIALIS Stipes, Prudentio *in Romano v.* 114. *Eculeus* dicitur. Vide ſuprà *Eculeus*.

NOXII trecenti, cum auratis chlamydibus in arenam miſſi, apud Æl. Spartian. *in Hadriano, c* 17. *Quum à Pharasmane ipſe quoque ingentia dona accepiſſet, atque inter hæc auratas quoque chlamydes, trecentos* noxios *cum auratis chlamydibus in harenam miſit, ad munera ejus deridenda.* Solebant enim *Noxii* per amphitheatrum in auratis tunicis & purpureis togis traduci: *Donec confixi & flagellati & ignem emittentes ex florida illa ac pretioſa veſte conſpicerentur*, Plut. *de Sera Numin. Vind.*

NOYM, Nilus ab Ægyptiis ſic dictus. Orus Apollo *Hierog.* 21. Νεῖλον ἀνάβασιν σημαίνοντες, ὃν καλοῦσι Νοῦν, ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέον. Ubi *Cauſinus*, *Quod autem ait, Nilum ab Ægyptiis* [...] *appellari, congruentia dicit Heſychio; qui in dictione* νοῦς, ait eam ſignificare ψυχὴν, ποταμόν. At verò ſi fluv. hicce *Noym* appellatur, quid ſi pro Νοῦν Νεῖν reponamus. Certè non invenuſta eſt illa [...] conjectura, qui ab Hebræo נעים *naim*, quod eſt *jucundum*, deducit. Quid enim Ægypto jucundius vel ſuavius Nilô accidere poteſt? *Illa facies*, ait Seneca *l.* 4. *Nat. Quæſt. c.* 2. *pulcherrima eſt, cùm jam ſe in agros Nilus ingeſſit, &c.* Nic. Lloydius.

NOYS, Græcè Νοῦς, Ciliciæ fluv. Vide *Ceſtus*.

NOZERETUM, oppid. Comitatus Burgundiæ, olim *Nucilletum*, à nucibus dictum: ſed Ludovicus Princeps Cabillonius, ab expeditione Hieroſolymitana reverſus, *Nazareth* id dici voluit, quum id muris cinxit, *Metel. Merula.*

N. U. in notis antiquorum, *Non vis:* vel *non valet*, vel *non* [...]

NU. *Nuptias* denotat &c.

NUAGERTA, inquit Nebriſſenſis *in ſuo Dictionario*, [...] Galliæ Belgicæ urbs eſt. *Aquiſgranum Jovio, Vegerra, Sabellico,* [...] *terra, Volaterrano.*

NUBA, Rex Daniæ, ab Henrico I. Cæſare ad Chriſtianiſmum [...] vi adductus.

NUBÆ, populi Libyæ juxta Nilum. Dicuntur & *Nubæi*, & *Dabai*, & *Numides*, *Steph.* fortè verò pro Δαβαῖοι, Νουβαῖοι reponendum.

NUBÆI, populi Arabiæ deſertæ, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

NUBES, in Sacris, à Deo ſæpius adhibita reperitur, cùm populo ſuo placuit ſe manifeſtare. Inprimis memorabilis fuit *Columna Nubis*, quâ Ægyptô egreſſos Iſraëlitas Deus per deſertum duxit. Exod. *c.* 13. *v.* 21, 22. *Dominus autem præcedebat eos, ad oſtendendam viam; per diem, in columna* Nubis; *per noctem, in columna Ignis: ut dux eſſet itineris utrôque tempore. Nunquam defuit columna* Nubis *per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.* Ubi itaque columna illa ſtabat, ibi caſtrametandum erat; illa progrediente, ipſi quoque faciebant iter; & proin, cùm Iſraëlitis apparuiſſet, ſtatim poſt exitum, illâ ſtationes eorum [...] quarum ſecunda fuit in *Sucoth*, tertia in *Etham*, quod ſitum eſt in fine deſerti, i. e. in ultima ſolitudine, adjacente Mari Rubro. Licèt autem duplex videatur fuiſſe columna *Nubis & Ignis*, una tamen fuiſſe apparet, ex Exod. *c.* 14. *v.* 19. *Erat Nubes tenebroſa & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem totô noctis tempore accedere non valerent.* Ubi unam & eandem *Nubem* ab una parte, nempe Ægyptiorum, tenebroſam; ab altera autem lucidam, in gratiam [...]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Iſraëlitarum, habemus. Vide quoque Numer. *c.* 9. *v.* 21. Conſentit Philo, *Fertur*, inquit, illô *tempore ingens accidiſſe miraculum, quale nunquam auditum fuerat poſt hominum memoriam. Præcedebat populum* Nubes *magna, in columnæ ſpeciem, ſolari ſplendore lucens interdiu, noctu vero flammeô, ut ejus ductu, abſque periculo erroris, incederent.* Ubi tamen, ſine Scripturæ auctoritate, nubi illi ſolarem ſplendorem tribuit. De forma *Nubis* hujus deductricis, dubitare non ſinit nos *columnæ* nomen: oportuit ergo columnæ fuiſſe ſimilem, quantum ad rectitudinem & figuram, ut & quod ad craſſitudinem anguſtam. Nam baſis illius tantùm tegebat & obumbrabat Tabernaculum DOMINI. Quod ad altitudinem autem, oportuit valde porrectam eſſe cœlum verſùs; Si enim in latum ſe admodum extendiſſet, liberum prohibuiſſet cœli & aëris aſpectum: Niſi verò admodum excelſa fuiſſet, non potuiſſet longè lateque, quà ſe cumque caſtra porrigebant, conſpici. Sed difficile explicatu, quomodo columna potuerit ardorem Solis de die ab Hebræis repellere; cùm enim maxima eſſet multitudo & latè extenderetur, oportuit figuram *Nubis* de die protegentis & caſtra eorum obumbrantis, fuiſſe expanſam: quod etiam Pſaltes teſtatur Pſalm. 105. *v.* 39. Ideò ſunt, qui aliam fuiſſe *Nubem* protegentem, aliam dirigentem, velint; Alii Nubem illam ita a Deo directam dicunt, ut noctu exſurgeret in figuram pyramidalem igneam; die verò eâdem Dei virtute expanderetur in modum nubis. Materiam illius quod ſpectat, ſine dubio & illa planè fuit extraordinaria ac miraculoſa. Motorem habuit Dei Angelum, ut conſtat ex verbis Moſis *c.* 14. *v.* 19. *Tollens ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſraël*; nempe in ipſa nube. Unde Philo, *Credi*, inquit, *poteſt, aliquem è ſummi Regis præfectis, Angelum nube involutum, eos duxiſſe, quem nefas ſit aſpicere mortalibus oculis.* Ignis verò non verus fuit, ſed rutilans fulgor (qualis apparet in nubibus denſioribus, in quas ſe opportunè radii Solares inſinuant) quem ſub noctem columnæ iſti Deus indidit, & quidem tantum, ut omnibus Ebræorum caſtris illuminandis ſufficeret. Ratio autem ductûs iſta videtur fuiſſe: Poſt extructum Tabernaculum, columna *Nubis*, quieſcentibus caſtris, ſuper Tabernaculo manebat; cùm movebatur autem, antecedebat caſtra. Et quia tribus Juda cum vexillo ſuo primum tenebat locum, idcirco vel ſuper vexillum tribus Judæ, vel paulò ante ipſum collocabat ſe & verſùs eum locum, in quem tendebat, univerſa caſtra iter ſuum dirigebant. Sed cùm quieſcendum eſſet, recedebat à vexillo tribus Juda, & ab anteriore caſtrorum parte referebat ſe in medium caſtrorum locum, ut ſupra Tabernaculum reſideret: quod, tam cùm quieſceret, quàm cùm moveretur, ſemper medium tenebat locum. Cùm autem columna ſignum proficiſcendi dediſſet, tum juſſu Moſis Sacerdotes filii Aaron clangebant tubis, ut Populus colligeret & convaſaret ſua, migrandi cauſâ, omnibuſque ad iter expeditis, levabant Sacerdotes arcam Domini: quâ elevatâ, dicebat Moſes, *Surge Domine & diſſipentur inimici tui* &c. depoſitâ verò, *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael*, Numer. *c.* 10. *v.* 35. Quando cœperit, aut deſierit apparere hæc columna, etiam non extra controverſiam eſt. Quia mentio *l. c.* ubi agitur de tertia manſione, ejus primùm fit, Hieronymus hinc conjicit, tum primùm apparuiſſe, *Ep. ad Fabiolam de XL. manſion.* Defeciſſe autem alii volunt poſt mortem Aaronis, utpote Scripturâ de illa in poſterum ſilente. Sed neutrorum ratio ſolida, namque & deportationis oſſium Joſephi mentio fit in tertia demum ſtatione, cùm tamen neceſſarium ſit, ea ex Ægypto fuiſſe ablata: Nec verùm eſt, quod dicunt de ſilentio Scripturæ, poſt mortem Aaronis; cùm Deuteron. *c.* 33. *v.* 2. columnæ iterum mentio fiat, Moſe morti jam proximo. Probabilius proin, uti Deus ab initio peregrinationum hanc directionis ſuæ teſſeram Iſraëlitis dare voluit, ita ad finem uſque perduràſſe. Alia fuit *Nubes*, ſed & illa a Deo miraculoſè excitata, *in* cujus *denſitate* ſe ad Moſem venturum, dicit Deus Exod. *c.* 19. *v.* 9. atque quæ *cooperiebat montem*, *v.* 16. in quo Legem Populo promulgavit. *Nubes* enim, quæ interdiu Iſraëlitas comitabatur non dicitur *Nubes denſa* vel *caliginoſa*, ut hæc; neque in monte ſubſiſtebat, ſed incumbebat caſtris Iſraëlitarum &c. Vide Andr. Rivet. *Exercitat. in Exod. ad loca cit.* Nec eadem fortè cum *Nube*, & *Igni* ſive *Nube*, mediô ſinu igneam ſpeciem complexâ, quæ ex nube illa diſplebat. Inter Cherubinos enim ſedes ac thronus Dei erat, qui vinum in modum coruſcabat,, atque Arcæ Propitiatorium oplebat. Inter Cherubinos enim ſedes ac thronus Dei erat, qui locum iſtum gloriâ implebat ſuâ; cujus externum ſymbolum erat *Nubes* & *Ignis*, quæ inde *Gloria* Dei appellantur, Exod. *c.* 40. *v.* 34. 35. coll. Numer. *c.* 9. *v.* 15. eò quòd hic ſive ignis ſive lux glorioſum præſentiæ ejus ſymbolum. Vide Exod. *c.* 24. *v.* 16. Numer. *c.* 16. *v.* 42. & conf. Lucæ *c.* 2. *v.* 9. Matth. *c.* 17. *v.* 5. Actor. *c.* 7. *v.* 55. & *c.* 22. *v.* 6. 11. Apocalypſ. *c.* 14. *v.* 14. Atque hic locus ſupra arcam, quem Cherubinorum alæ amplexu ſuo incingebant, & *nubes* illa auguſtum in modum mediam adimplebat, propria Numinis ſedes erat, *Quia in* Nube *appareo ſuper operculum illud* &c. Levit. *c.* 16. *v.* . . *Dominus Rex factus eſt ſedens in Cherubinis*, Pſalm. 99. *v.* 1. In quo viſibili ſigno erat præſens ac petentibus dabat reſponſa. Exod. *c.* 25. *v.* 22. & Numer. *c.* 7. *v.* 89. Hebræis שכינה ſeu *glorioſa Dei in terris habitatio*, quam Judæi tantopere celebrant. Cùm verò in Tabernaculo omnia Myſtica eſſent, *Nubes*, inque ea Ignis ſpecies, quid niſi Divinæ Naturæ in vili Carne inhabitationem teſtabantur? quam tamen igne ſuô & divinô fulgore impleturus, atque ex humano corpore, tanquam ex adyto, certiſſima reſponſa daturus foret. *Sermo caro factus eſt*, ϗ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *& habitavit in nobis; Et vidimus gloriam ejus Joh. c.* 1. *v.* 14. &c. Vide Franc. Burmannum *Synopſi Theolog. Part. I. l.* 4. *c.* 14. §. 21. 22. 23. & 25. De Baptiſmo verò in *Nube* & Mari, cujus mentio 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 1. Jo. Seldenum *de Synedr. l.* 1. *c.* 3. Atque hinc fortè ortum, quòd *nubes* coluiſſe Judæi crediti: de quibus Juvenalis *Sat.* 14. *v.* 96.

> *Quidam ſortiti metuentem Sabbatha patrem,*
> *Nil præter* Nubes, *& cœli lumen adorant.*

Quod idem de Chriſtianis exiſtimatum. Unde de utriſque Tertullian. *Apologet. c.* 24. *Alius, ſi hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria.* Niſi hoc malis inde arceſſere, quòd oculis in cœlum ſublatis orare ſoliti utrique, unde Gentilibus occaſio iſta fingendi nata. At Socrates apud Ariſtophanem diſertè *Nubes* vocat σεμνὰς θεὰς, *venerandas Deas*; illaſque cum Aëre & Æthere ſic affatur,

> Ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀὴρ· ὃς ἔχεις τὴν
> γῆν μετέωρον,
> Λαμπρός τ' Αἰθὴρ, σεμνή τε Νεφέλη
> βροντησικέραυνοι,

in *Nub.* Qua de re vide Ger. Jo. Voſſ. *de Orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 13. ubi de *Nubibus*, illarumque multiplici utilitate, triplici inprimis effectu, *Pluvia*, *Nive* & *Grandine* complura: uti de *divinatione ex Nubibus* ſuprà; de Magis verò νεφοδιώκταις infrà voce *Tempeſtas*.

NUBES ſuper ſupercilia, apud Philoſ. *Hiſtor. Animal.* ubi de leone, πρὸς τὰς ὀφρῦς ϗ τὴν ῥῖνα ὑπὸ τȣ̃ μετώπȣ, οἷον νέφος ἐπανεστηκὸς, *ſuperciliis & naſo ſub fronte, tanquam nubes incumbit*: eleganti metaphorâ vocatur epiſcynii in ira demiſſio, quô & oculi pars obtegitur, & vultus, tanquam nube obductus, fit triſtior & moroſior. Hinc de Iſmene Sophocles, in *Antigone v.* 533.

> Νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν
> Ῥέθος αἰσχύνει ————
> Nubes *autem ſuper ſupercilia cruentam*
> *Faciem deformat* ————

Et Euripides *in Hippolyto*, de nutrice Phædræ,

> Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὔξεται,
> *Triſtis ſuperciliorum* nubes *augetur.*

Et in ejuſdem *Electra* Clytemneſtræ imputatur, quòd, cùm res Trojanorum malè cederent, illam viderent συννεφȣ̃σαν ὄμματα, *oculos obnubilantem.* Et in *Phœniſſis*, Regem Creontem συννεφῆ, *nubiloſum*, i. e. triſtem & moroſum appellat Chorus. Quale illud Ciceronis *Orat.* 37. *in Piſonem*, *Frontis tuæ nubeculam pertimeſcerem.* Et Horatii *ad Lollium l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 94.

> *Deme ſupercilio nubem* &c.

Vide Bochart. *Hieroz, Part. prior. l.* 3, *c.* 2. & ſuprà in voce *Epiſcynium.*

NUBIA, incolis NEUBA, regio ampla Ægypto adjacens, verſus Nilum & Nubiam fluv. undique montibus vallata, Preſbyteri Joannis, Æthiopiæ Imperat. regnô in multas provincias diſtinctô undique cincta; olim Chriſtianam religionem profeſſa, nunc ab ea deficit. Regio eſt ditiſſima aurô, atque ebore, ſaccari & frumenti feraciſſima. Præcipua urbs eſt Dangala, cujus incolæ ſunt admodum divites & cum Ægypti mercatoribus negotiantur. Quòd Preſbyteri Joannis mentionem faciat author, mihi in mentem revocat, quod de eo tradit D. Brianuus Waltonus, Epiſcopus haud ita pridem Ceſtrienſis, *in Præfat. Introductionis ſuæ ad lectionem Linguarum Orientalium.* Sic enim ille: *Rex Æthiopiæ, qui longè lateque multis populis per Africam imperat, à multis vocatur* Preſbyter Joannes (*Angli vocamus* Preſter John) *ſeu* Pretegianus, *quem poſt Scaligerum Regem Abyſſinorum eſſe volunt, errore manifeſtô; cùm certum ſit; in ultimis Aſiæ finibus, non in Africa ante* 400, *Ann. regnâſſe regem Chriſtianum, qui ſermone Perſicô* Padeſtia Priſtigiani, i. e. *Apoſtolicus vocabatur, unde* Preſbyteri Joannis *nomen ortum.* Terminatur à Septentrione Ægyptô & deſertô Barcæ, ab Occaſu Zaarâ regione, ab Ortu, & Meridie, Æthiopiâ ſuperiori ſeu Abyſſinia, ad 400. leuc. Gall. extenſa. Urbes præter Dancalam, ſunt Cuſa, Gualva, Jalacum & Sula, *Baudr.* Vide *Abyſſinia.*

NUBIANI, errones qui ſe Ægyptios vocant. Vide *Cyngari.*

NUBUNANGA, Rex Japoniæ celebris. Cùm enim Japonia in 53. Regna diviſa, uni paruiſſet olim Monarchæ, quem *Dairum* appellabant: horum auctoritas jam inde ab A. C. 1500. propter inteſtina diſſidia, multum diminui cœpit, Regeſque Provinciarum paſſim rebelles, propria ſibi conſtituêre Regna. E quibus præcipuus fuit *Nubunanga*, Rex Voaris, qui captâ urbe Meacô, A. C. 1570. potentiſſimus totius Japoniæ Rex evaſit; ita tamen, ut adhuc Dairi auctoritatem agnoſceret. Ei ſucceſſit eôdem titulô Taxiba Quaba Condonus A. C. 1586. Quem cùm excepiſſet Taikoſamma, Imperator hic Japoniæ à Dairo, ſponte ſe abdicante, declaratus, A. C. 1600. novam Monarchiam condidit, Georg. Hornius *Orb Imper. p.* 311.

NUCA Johannes, ultimus Juſtitia Aragoniæ, ſecuri percuſſus annitente Philippô II. Hiſpaniæ Rege. Fuit autem *Juſtitia Aragonum*, Magiſtratus in eo Regno ſupremus, coram quo Reges in genua procumbere, & capite apertô jurare tenebantur, ſe omnia privilegia & leges Aragonum ſanctè obſervaturos; quô factô formula hæc pronuntiabatur à Prætore nomine Populi: *Nos qui tanti ſumus, quanti vos & plus quàm vos poſſumus, Regem vos eligimus his atque his conditionibus; Inter vos & nos unus eſt majore Imperio, quàm vos.* Apud eundem Rex à quolibet ſubditorum ſuorum poterat accuſari, eratque penès eum abſoluta poteſtas explicandi leges, cui explicationi ſine ulteriore provocatione erat ſtandum. Quod frænum potentiæ ſuæ impoſitum ægrè ferentes jam antiqui Aragoniæ Reges variis artibus Magiſtratûs hujus vim enervare ac tandem evertere conati ſunt. Igitur A. C. 1469. ſpecioſô libertatis titulô impetrârunt, ut quotannis inſtituerentur Cenſores, qui examinarent Juſtitiam; inter multos Cenſores facilè aliquos ſibi conciliare poſſe rati, quorum auxiliô tam formidabilem ſibi potentiam infringerent. Conſtitutum ergo fuit Collegium XVII. Virorum titulô *Inquiſitionis*, cui Juſtitia Aragonum quotannis rationem factorum reddere teneretur. Tandem Philippus II. Anton. Perezio, qui intimus ei Secretarius fuerat, in Aragoniam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

niam patriam, ob iram Regis, Profugo, & à Philippo ad Juſtitiam provocante, cùm à Juſtitia, tanquam ſuſpecto, ad Collegium Inquiſitionis provocâſſet, hôcque etiam modô nihil efficeret, exercitu comparatô, Cæſarauguſtam expugnavit, antiquiſque Aragonum privilegiis ſubverſis, Nucam ſecuri percuſſit, poſt ſublatum Libertatis vindicem, reliquis in ſervitutem redactis, A. C. 1592. Idem *p.* 171. & 187. Vide quoque in voce *Juſtitia.*

NUCARETUM, vulgò *Narroy*, locus eſt Galliæ, in pago Vabrenſi, in Comitatu Scarponnenſi, *veterib. Tabulis* memoratus, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Vabrenſis pagus.*

NUCATÆ, in *veter. Inſcr.* NUCATÆ DE SELECTIS EX X. L. PROFUNDANTUR. ubi vulgò malè ſcriptum, MICATAS: Græcis καρυωτοὶ ſunt, *caryota* quoque Solino, *c. ult.* h. e. *caryota palmæ*, quod integrum eſt, ut Græcis καρυωτοὶ φοίνικες. *Caryota* abſolutè Ovidio,

Hoc linitur ſputo Jani caryota Calendis.

Sparſionis certè nucum, in dedicationibus ſtatuarum & tumulorum ſolemnibus frequens mentio. Hic *Nucatas*, i. e. caryotas palmas ex denariis quinquaginta profundi ſpargique jubetur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1319.

NUCERIA, Italiæ urbs, infra Brixellum, haud procul à Padi ripa, vulgari nunc vocabulô *Lucera*; ſive, ut alii dicunt, *Luzzara.* Hoc omnium ferè judiciô eſt id oppid. quod *Ptolemæo* vocatur Νεκηρία. Ἡ δὲ Γαλλία, inquit, ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάσδε. Πλακεντία, Βρίξελλον, Πάρμα, Ῥήγιον Λέπιδον, Νεκερία, Τάνητον, Μύτινα, Βονωνία. Nec mirum ſit, quæ olim fuerit *Nuceria*, eam nec dici *Luceriam*, quando clariſſima quondam Romanorum colonia *Luceria* in Apulia, vulgò nunc vocatur *Nucera*; raro *Lucera.* Quam hæc apud antiquos etiam auctores *Ptolemæum*, & *tabulam itinerariam*, legitur Νεκερία Ἀπελῶν. Apud Appian. verò, *Civil. bellor. l.* 2. ſimpliciter Νεκερία. Unde mihi haud levis, nec vana conjectura, iſthanc etiam in Gallia Togata dictam fuiſſe jam olim, ut nunc *Luceriam*; qua de cauſâ poſtea ad diſcrimen hujus *Ptolemæus*, atque auctor *Tabulæ* ſcripſerunt Λυκερία Ἀπελῶν, *Cluverius.* longitud. 36. 15. latitud. 43. 03. *Nic. Lloyd.*

NUCERIA, *Baudrando*, *Nocera*, urbs eſt Umbriæ, ad radices Apennini, in limite Marchiæ Anconitanæ, 16. milliar. à Spoleto in Septentrionem Fabrianum verſus, 15. à Camerino in Occaſum, Aſſiſium verſus, uti à Fulginio in Cæciam in colle, ad fontes Tiniæ, ſub Pontifice Plin. *l.* 3. *c.* 14. *Strab.* Leander Alberti, *deſcr. Ital.*

NUCERIA. Campaniæ Felicis urbs trans Veſuvium montem in valle, quam Sarnus amnis inter Veſuvium & Lactarium montem efficit, ſita; vulgò *Nocera*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Herculanium Pompeji; haud procul ſpectante monte Veſuvio, adfluente verò Sarno amne: ager Nucerinus: & 9. mill. paſſ. à mari ipſa Nuceria.* Lucan. *l.* 2. *v.* 472.

Tu quoque commiſſæ nudatam deſeris arcem
Scipio Nuceriæ. ——— ———

Silius Ital. *l.* 8. *v.* 533.

Illic Nuceria, & Gaurus navalibus aptus
Prole Dicarchæâ; multo cum milite Grajo
Illic Parthenope, & Pœno non pervia Nola.

Oppidani *Nucerini*, Polyb. *l.* 2. Liv. *l.* 27. *c.* 3. Origo oppidi licèt non adnotata ſit, tamen antiquitas ejus inde apparet, quòd jam inde in 1. Decade hiſtoriarum ſuarum ejus meminit Livius, qui *l.* 9. *c.* 41. ſic ſcribit: *Conſules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evenit; Is profectus ad Nuceriam, Alifates, jam tum pacem petentes; quòd uti eâ, quum daretur, noluiſſent, aſpernatus, oppugnando ſubegit.* Mira ſanè admodum res: Fabium, uti Aliſas, Samnii oppidum, oppugnaret, longè hinc ad Nuceriam, extremam Campaniæ in mediterraneis urbem, protectum. Sed mendum hîc indicat Diodorus, l. 19. Οἱ δὲ τὴν Νεκερίαν τὴν Ἀλφατέρναν καλουμένην οἰκοῦντες, πεισθέντες ὑπό τινων τῆς μὲν Ῥωμαίων φιλίας ἀπέστησαν, πρὸς δὲ τοὺς Σαμνίτας συμμαχίαν ἐποιήσαντο. Et Sigonius, ad locum Livii prædictum, teſtatur, in veteri exemplari ſe reperiſſe ita, *ad Nuceriam Alfaternam.* Et Franciſcus Modius adfirmat, in membranis Fuldenſibus ſic eſſe; *ad Nuceriam, Alfaternamque.* Unam intelligi debere urbem, diſertè teſtantur verba. Tum *Alfaternos* ſcribendum eſt, ſi orationi ſuus ſenſus conſtare debet. *Nuceria* igitur hæc *Alfaterna* dicta; & oppidani ejus *Nucerini Alfaterni*, ad diſcrimen *Nuceriæ Camellariæ*, quæ eſt in Umbria. Appian. ἐμφυλ. 4. ubi narrat, præcipuas Italiæ urbes ab triumviris militibus fuiſſe deſtinatas, ad colonias deducendas, hanc etiam *Nuceriam* inter eas connumerat. Coloniam deductam fuiſſe, ex Tacito apparet. Is quippe Annal. *l.* 13. *c.* 31. in principatu Neronis ita ſcribit: *Colonia Capita atque Nuceria additis Veteranis confirmatæ ſunt.* Et *l.* 14. *c.* 17. *Sub idem tempus, levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos, Pompejanoſque, gladiatoriô ſpectaculô.* Ab Auguſto Imperatore primùm deducta eſt, cognominataque *Nuceria Conſtantia.* Frontinus *l. de Coloniis: Nuceria Conſtantia, murô ducta colonia, deducta juſſu Imperatoris Auguſti, Cluver.* Nunc urbs eſt Principatus citerioris in regno Neapolitano cum titulo Ducatus Barberinorum, 8. milliar. à Salerno in Ortum, 10. ab Amalphio in Boream. *Baudrand.* Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Nucera di Pagani* vulgò dicta, eò quòd à Saracenis capta fuit. *Strabo, Appianus, Florus, Volaterr.* Leand. Alberti, *deſcr. Italiæ, &c.* longitud. 38. 42. latitud. 40. 14. *Nic. Lloyd.*

NUCES, inter pueriles luſus, numerantur Martiali *l.* 13. *Epigr.* 1. *v.* 7.

Hæc mihi charta nuces, *hæc eſt mihi charta fritillus.*

Et *l.* 14. *Epigr.* 18.

Alea parva nuces *& non damnoſa videtur:*
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.

Qui Saturnalibus inprimis iis indultus. Unde *Saturnalitiæ nuces*, eidem *l.* 5. *Epigr.* 31. *v.* 7.

Commodius niſi fortè tibi, potiusque videtur;
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

Variè autem id fiebat, ut infrà videbimus. Addo hîc ſaltem *caſtellatis nucibus ludendi* modum, Suetonio memoratum *Aug. c.* 83. *Animi laxandi causâ modò piſcabatur hamô; modò talis, aut caſtellatis nucibus ludebat*: quod genus luſionis ex veteri conſuetudine pueri noſtri hodieque uſurpant; cùm videl. ut Ovid. *in Nuce v.* 76. ait, *ſuppoſitis additur una tribus* &c. Atque hinc *Nuces ſpargendi* ritus, in Nuptiis. Sponſâ enim in thalamum apud Romanos deductâ, foribusque occluſis, Juventus aderat cum nucibus, quas cum ſtrepitu, fremitu, cantu ſpargerent, uti legere eſt apud *Virgilium* & in *Epithalamio* Catulli. Non tam, quia quaſi tripudium faciunt jactæ nuces; vel quia putamine, cute, teſtâ; coriô medullam tegentes, pari munimentô à conjugibus fœtus protegi indigitant: quàm ut omittendas eſſe animi laxationes novaque œconomiæ ſtudia auſpicanda, hôc modô Veteres teſtarentur. Certè Perſius per illa verba, *Sat.* 1. *v.* 20.

——— *Nucibus facimus quæcunque relictis*,

è primori ætate egreſſionem denotat. J. C. Scaliger *Poëtic. l.* 3. *c.* 101. Sed & *ſparſio nucum* inter ſtrategemata; hôc enim modò non paucas urbes, atque inter illas Ambianum, Picardiæ metropolim, ante finem præteriti ſeculi, ab Hiſpanis, captam eſſe, legimus. Contra *nucibus* Caſilini, tempore obſidionis, vixêre: *quas fuſas ab Romanis caſtris, quum medio amni ad Caſilinum defluerent, cratibus excipiebant*, apud Livium *l.* 23. *c.* 9. &c. De *Nucum ſparſione* in Dedicationibus, alibi. Vide plura infrà, in voce *Nux.*

NUCETULUM, vel NUCETELLUM, vel NUCETUM MINUS, vulgò *Noiſiel*, item *Noiſel* & *Noiſeau*, ut & *Noiſi le petit*, locus eſt Galliæ, in agro Pariſiaco, quem Urbanus II. Pontifex *in literis A. C.* 1097. *Nucejum minus*: Eugenius III. *in lit. A. C.* 1147. & Lucius Papa A. C. 1184. *Nuſiellum villam* corruptè nuncupant. Haud procul à *Nuceto*; de quo *infrà.* Sic Carentonio ſuum eſt Carentoniolum, villa *Charenteau* vulgò dicta: Campiniaco magno *Champigni*, proximum eſt Campiniacum parvum ſeu Campinigellum, villula *Champignel* vocata &c. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NUCETUM, vulgò *Noiſi*, vel *Noiſi le Grand*, ad differentiam *Nucetuli*, de quo modò, Villa Galliæ Regia quondam, regnante apud Francos Childericô, nepote Clodovei Magni, ante annos 1100. in agro Pariſiaco, à nuceto ſuo appellationem trahens. *Nuſiacum villam* Eugenius III. *in literis anni* 1147. numerat, inter Eccleſias Pariſienſis Monaſterii S. Martini. Henricus Francorum Rex *in diplom. A. C.* 1060. *Noiſiacum ſuper Maternam*, (i. e. *Matronam*) *ſitum* vocat. *Noiſiacum Magnum* vetus ac recentius polyptychon appellat atque in Decanatu Latiniacenſi ponit. *Nucetum* genuinâ voce effert Gregorius Turonenſ. *Hiſt. Franc. l.* 5. *c.* 40. cùm ait: *Ipſe Rex* (Chilpericus) *Calam Pariſiacæ civitatis villam advenit. Regina* (Fregedondis) *vinctum juſſit eum* (Chlodoveum) *cuſtodiri: tranſire Matronam fluv. & in villa, cui* Nuceto *nomen eſt,* *in qua cuſtodia cultrô percuſſus, interiit, ipſoque in loco ſepultus eſt.* Nempe hîc Chlodoveus, juſſu Fregedundis novercæ, ab uno è cuſtodibus ſuis cultro percuſſus ac ſub ſtillicidio Oratorii ſepultus eſt: In vico autem Cala, tranſeundus eſt Matrona, ut ad *Nucetum*, ſeu ripæ ulteriori fluminis adjacens perveniatur. Aliud *Nucetum*, ſeu *Nuciacum*, vulgò *Nuciacum Siccum*, Gall. *Noiſi le Sec*, quòd nullis aquis irrigetur, in eodem agro eſt, in Decanatu Monaſterioli. Aliud fluvio Ederæ adjacens, in Briegio, inque Pariſiorum finibus, non procul à Caſtro Brája Comit. Roberti ſitum eſt, & *Nucitum* h. e. *Noiſi* quoque appellatur. Vocatur hoc *Nucitum*, h. e. *ſuperius*, in Actis Synodi Sueſſionicæ A. C. 862. habitæ, atque inter villas numeratur ad Regale Monaſterium S. Dionyſii pertinentes, ut hodieque pertinet. Ita autem dicitur à ſitu, poſitus enim vicus eſt trans montes Pariſiorum ſuburbanos non longè à ſylva Bungejenſi vel Liberiacenſi: Sicut Clippiacum in Alneto *Geſta* Dagoberti Francorum Regis, eandem ob cauſam, *Clipiacum ſuperius* nuncupant, ut diſtinguant à Clipiaco Sequanæ appoſito. Aliud ejuſdem nominis, in eodem Pariſiorum agro eſt inter Carolivennam & Villam Petroſam, trans Sequanam fluv. vulgò quoque *Noiſi.* Item villa ad ripam fluminis Iſaræ, in Bellovacis, inter Morantiacum *Morancy* & Bellum Montem, nec longè à Luſarcha *Luſarche* & à Camiliaco vel Camliaco *Chambli*, unde pago Camliacenſi *in Geſtis* Dagoberti Regis attribuitur. Item vicus, qui *Noſiacus Siccus* dicitur, circa Melodunum caſtrum, *in l. de vita Burchardi Comitis*, &c. Ut alia omittam: quæ omnia à *nucum* copia appellationem traxêre. Inprimis ad Briegenſem Matronæ ripam, cui rei indiciô ſunt vici, *Nucetum majus*, & *Nucetum minus*; Item vicus dictus *ad S. Germanum de Nucibus*, vulgò *S. Germain de Noyers*, & alius, appellatus *ad Nucem*, vulgò *le Noyer*, nec non Malanoda, *Malenove*, h. e. *Malum Nucetum*, vicus Monaſteriô inſignis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

NUCHUL accolis, *Dara* barbaris vocatur lacus quidam Æthiopiæ, ut ſcribit *Oroſius.*

NUCINA Ligna, arte colorem nitoremque accipiunt. Unde hodieque menſæ & alia inteſtina opera ex *nuce* facta, oleô unguntur, & linteis fricantur, ut ſplendeant. Et certè menſæ ex hoc ligno etiam olim in pretio, præcipueque ex nuce montana, Strabo *l.* 12. Ἡ δὲ Σινωπῖτις καὶ σφένδαμνον φύει, καὶ ὀροκάρυον ἐξ ὧν τὰς τραπέζας τέμνουσι, *Sinopæa autem regio--etiam nucem fert montanam, ex qua menſæ conficiuntur.* Itaque apud Romanos quoque, fuit priusquam citreæ, h. e. θύϊναι, in notitiam luxuriæ veniſſent. Vide Satyricum in illis, *Sat.* 11. *v.* 119.

——— *Si fortè* nucem *dejecerat Eurus.*

Ubi *nucinas menſas* vetus Scholiaſtes vocat, quæ ex *nuce* fiebant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1040. & 1041.

NUCLEUS Scriptori erudito *l.* 2. *Contra Jovinianum*, memoratus, his verbis: *Rarò jejunate, crebriùs nubite. Non enim poteſtis* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

implere operæ nuptiarum; niſi mulſum & carnes & Nucleum *ſumſeritis, viribus opus eſt ad libidinem:* quid ſibi velit, non ſatis ſe videre ait Eraſmus, niſi quòd quidam *nuclei* putentur ad venerem facere. Gronovius accipit per ſynecdochen, pro quibuſvis fructuum deliciis. Martial. *l.* 11. *Epigr.* 87. *v.* 3.

> *Mella dari, nucleoſque jubet, dulceſque placentas,*
> *Et quidquid pueros non ſinit eſſe truces.*

Volueri equo Praſino *paſſas uvas & nucleos*, in præſepe poſuiſſe Verum, refert Jul. Capitolin. *c.* 6. Gilda *in Querolo, Quas illis ſannas, quos rhonchos videas, niſi nummos aſperſeris? Nam ſi inſuper nuces & ſorba dederis, totum pupillum ceperis.* Quem locum abſurdum & penè ἀπροσδιόνυσον queruntur Eruditi. Propriè convenit in eos, qui pupillos venabantur, ſive bonorum cauſâ ſive ob florem ætatis. Semper enim expoſitum fraudibus ſimplex & incautum hoc genus: unde Verris dictum quoque emanavit, *Pupillos & pupillas certiſſimam eſſe prædam Prætoribus*, Plautus *Aſinar. Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 61. *Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum. Aves aſſueſcunt. Neceſſe eſt facere ſumtum, qui quærit lucrum.* Sic, inquit, ſi munuſculis hujuſmodi captaveris pupillum, totum eum capies & in poteſtatem rediges. *Serenus Sammoniacus* eadem etiam Medicinæ cauſâ pueris data indicat:

> *Proderit & pueris, quos dentis origo fatigat,*
> *Caſtaneas coxiſſe nuces & ſorba vetuſta.*

Quam purpuram ex aliquo antiquiore quoque ſumſiſſe videtur. Nam, ut apparet, id proverbium inde tranſlatum in quoſvis jactare eſt, qui monentur eſcam imponere hamis illam quam appetant piſciculi. Acerbos, inquit, habebis, niſi nummos dederis, quòd ſi præter hoc etiam convivia & ciborum delicias præbueris facies dulciſſimos & planè tuos, eôdem eventu, quô *nucibus* & ſortis pupillos demerentur. Vide Gronov. *Obſerv. in Eccleſ. c.* 19. De *nucleo* uvarum, quem Græci τὸ γίγαρτον, & olearum, quem πύρηνον, vocant. Vide Caſaubon. *ad Octavium Suetonii c.* 76.

NUCRIA, invenitur pro *Nucria*, urbs Tuſciæ, *Steph.*

NUDANDI Pectus, in humilitatis ſignum, mos occurrit apud Suet. *Octavio c.* 52. *Dictaturam genu nixus dejectâ ab humeris togâ, nudô pectore deprecatus eſt:* i. e. τῇ γυμνότητι ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, ut ait *Plut.* Apud Hebræos quoque & Græcos in frequenti uſu, quos in omni graviore incommodo veſtes laceràſſe, ex omnibus Scriptoribus notum. Vide Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 19. In luctu, inprimis matres, *nudabant*, ut illud inter gemitus ac lamenta eo faciliùs contunderent. Quod quantâ violentiâ fieri conſueverit, dicemus infrà ubi de *Planctu*. Sed & *Nudi*, ad Gymnica certamina deſcendebant olim Athletæ, ex Herculis inſtituto, ut docet Apollonius, cum Gymnoſophiſtis Ægyptiis diſputans, apud Philoſtratum *Vitâ Apollonii l.* 6. & ipſum certaminum nomen indicat. Et quidem antiquiſſimis temporibus, cœtera *nudi*, ζῶμα tamen habebant circa corporis velanda: at, poſtquam illo in agone ſoluto Orſippus impeditus victuſque eſt, in poſterum penitùs nudi eſſe cœperunt: factum autem id paulo poſt 14. circiter Olympiadem, uti habet Euſtathius *Commentar. ad Homer. Il.* ψ. qui ab eo tempore Γυμνασίυ nomen increbuiſſe addit. Paſchal. tamen rem aliter refert ex Etymol. γυμνάκα. Clem. Alexandrino *Pædagog. l.* 3. *c.* 5. & Q. Calabro *l.* 4. quem vide *Coronar. l.* 6. *c.* 14. Vide quoque ſuprà *Gymnaſium* & infrà ubi de *Palæſtra*, Herculis filiâ. Utut autem id de reliquis Athletis habuerit, in Muſicis Certaminibus, *nudi* non prodibant, ſed coronati, quâ quiſque coronâ, aureâ laureâque poterat, Idem *l.* 6. *c.* 12. Neque verò viros ſolùm, ſed & virgines in palæſtra nudari, Lacedæmone inprimis, moris fuit, quem Platoni *in l. de Rep.* approbatum, meritò reprehendunt, quotquot *nuditatem* homini in pœnam, ignominiam & ſcandali occaſionem ſervire, habent perſpectum. Unde apud ipſos olim Perſas *nudum* conſpexiſſe hominem capitale erat, qua de re vide Alexandrum ſuprà laudatum *l. eod. c.* 25. & proin inter contumeliæ graviſſimæ genera Beſſo parricidæ irrogata, *omni velamento corporis ſpoliatus* legitur, apud Curtium *l.* 7. *c.* 5. ubi Raderum vide. Quanto ſceleratius in Eccleſia Dei, oborti quidam, olim hodieque, Hæretici impudentiſſimi, Floriniani, Gnoſtici, Carpocratiani, Adamitæ, Anabaptiſtarum nonnulli, Alii, qui in cœtibus ſuis nudi eſſe conſuevêre. Inter quos Priſcillianus inprimis memorandus, quem *Evodius vir acer ac ſeverus* (à Maximo Tyranno Treviris tum agente ad id delegatus) *geminô judiciô auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronuntiâſſe----Imperator* dein *cum ſociis capitis damnâſſe* legitur, apud Sulpicium Sev. *Hiſtor. Sacr. l.* 2. *c.* 65. Quam in rem vide plura, apud Jo. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 37. & infrà voce *Verenda*. Addam ſaltem inſignem hunc de *Nuditate* hominis lapſi locum Franc. Burmanni, *Synopſi Relig. Chriſt. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 7. §. 4. *Apparuit mox à lapſu nuditatis ſenſus, & pudor, qui quidquid pudendum in homine extare arguebat, quale in primævo Dei opere non ſine conditoris contumelia cogitari poteſt. Unde naturalia velare, velut libidinis ſtimulis impar, inſtituit: quæ nihil, niſi peccati in membris jam dominantis, erubeſcenda confeſſio erat, quibus videl. abeunte ſpiritu ducatus jam ceſſerat.* De ritu *Nudandi pelle holocauſta*, Vide infra voce Pelle.

NUDI Pedes, viriles magis, quàm in calceis, verba Tertull. *de Pallio*. Ubi, ſi quid calceatûs inducitur à palliatis, ſandalia eſſe, non calceos, quæ res mundiſſima eſt: frequentiùs tamen nihil calceatûs inducere, ſed *nudipedes* agere, hocque virile magis eſſe, ait. Clemens Alex. *Pædag. l.* 2. *c.* 11. Ἀνδρὶ δὲ αὖ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο, καὶ γὰρ πῶς ἐγγὺς τῷ ὑποδεδέσθαι τὸ δεδέσθαι. Ἀσκητικώτατόν γέ τοι γυμνοῖς χρῆσθαι τοῖς ποσὶν καὶ πρὸς ὑγείαν καὶ εὐκολίαν εὔθετον, ἔνθα μὴ ἀνάγκη τις διακωλύοι. De Cynicis autem loquitur Tertullian. qui, ſi quid calceatûs inducebant, ſociis aut blautiis calceabantur, pluribus tamen ex his *Nudipedalia* magis celebrantibus. Ideò dixit, palliô Cynicô amictos, ſi quid calceatûs gererent, mundiſſimum opus eſſe, *nudos* tamen magis pedes habere, h. e. ἀνυποδητεῖν. Nam Cynici plerumque tales, ut Aſcetæ: nihil autem ἀσκητικώτερον, quam ἀνυποδησία, quæ propria erat Cynicorum & omnium Philoſophorum, qui paulò auſteriorem aſceſin profiterentur. Ariſtophanes *in Nubibus*.

> Αἰβοῖ πονηροί γ' οἶδα τοὺς ἀλαζόνας.
> Τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις.
> Ὧν κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν.
> *Vah mali, novi arrogantes illos,*
> *Illos pallentes, illos nudipedes ais,*
> *Inter quos infelix Socrates & Chærephon.*

Eandem quoque ἀνυποδησίαν Pythagoriſtæ exercebant, ſed omnium maximè Cynici Philoſophi. Lucianus de Cynico, αὐχμεῖς, ἀχίτων εἶ, ἀνυποδητεῖς, *nudipes es.* Vide & Dionem Chryſoſtomum in ea περὶ σχήματος. Quare errat vir eruditus, qui *pedes nudos magis* hîc de ſoleatis accipiendos cenſet, quorum pedes intecti & nudi. Nam ſolea pedem non tegebat, ſed plantam pedis tantùm. Tacitus *Annal. l.* 2. *c.* 59. de Germanico: *Pedibus intectis pari cum Græcis amictu.* Græci quoque, cùm res Romanas tractant, ἀνυποδήτους interdum vocant non qui prorſus carent calceatu, ſed qui calceos Romanos non habent, licèt Græcanicas ſoleas induti ſint. Nam ὑποδήματα propriè calceos vocabant, ad diſtinctionem σανδαλίων. Sed hôc locô ita accipi neutiquam poteſt, cùm hôc ſenſu Græci omnes ἀνυπόδητοι eſſent, utpote cum ſoleis & crepidis incedentes &c. Philoſophos hos ſecuti Aſcetæ Chriſtiani non ſolùm more illorum, humillimâ & viliſſimâ veſte, qualis erat τρίβων Philoſophorum, contecti contentique agebant, ſed & *Nudipedalia* ſibi omni tempore indicebant, ut de Heracla Presbytero narrat *Euſebius*: Quod tamen totum tum arbitrarium erat, utpote nondum ullâ Aſcetarum πολιτείᾳ, qui *Monachi* poſtea dicti ſunt, certis legibus ac regulis, priſcô illô ævô conſtitutâ, licèt inde originem accepiſſe ſit exploratum, ut pluribus exponit Salmaſ. *Commentar. de orig. vitæ Monaſticæ.* De *Nudipede* Leviro apud Hebræos, qui Fratriam ducere ſemenque Fratri defuncto excitare renuebat, ſuô locô. Vide quoque Bochart. *Hieroz. l.* 2. *c.* 50. & hîc infrà: uti de Gothorum gentilitio more *nudis cruribus ac ſuris, nudôque poplite* incedendi, aliquid infrà voce *Pero*.

NUDIPEDALIA, ludi quidam ſeu ſpectacula Lacedæmone inſtituta, An. ab Urb. Cond. 82. quæ nudis pedibus à ſacerdotibus celebrabantur. Græcis Γυμνοποδίαι. Idem feſtum, apud reliquos quoque Græcos, Romanos, Barbaros, fuit in uſu. Tertullian. *Apologet. c.* 40. *Denique cùm ab imbribus æſtiva hiberna ſuſpendunt, & annus in cura eſt, quidam quotidie paſti, ſtatimque pranſuri, balneis & cauponis & Lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis,* Nudipedalia *populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, averſi ab ipſo Deo & cælo.* Ubi cauſam inſtitutorum *Nudipedalium* indicat, ut nempe cœleſtium aquarum defluxum, terrâ areſcente, poſſent impetrare: ductâ, ut credere par eſt, imitatione à ſacris *Nudipedalibus* Judæorum, quæ nudis peragebant pedibus, ſaccô induti ac in pulvere volutati. Unde Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 2. *Beronicen Reginam, ut Deo vota ſolveret pro ſalute, Hieroſolymos veniſſe & pro more patrio, hoſtiis cæſis, capilliſque deraſis* nudipedem *ante tribunal ſtetiſſe.* Et certè præceptum Domini ad Moſem Exod. *c.* 3. *v.* 5. & Angeli ad Joſuam, *c.* 5. *v.* 15. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, docet puritatem ac ſimplicitatem animi, terrenis affectibus exuti, ſacris quàm maximè convenire. Hunc itaque ritum ab Hebræis mutuati Gentiles non in prædictis ſolùm ſacris, ſed aliis quoque, excalceati inceſſêre. Namque obſervavit Juſtinus *Apol.* 2. in quibuſdam ſacris, ſi quando Deorum ſtatuæ per plateas & vicos circumferrentur, diſcalceatis nudiſque pedibus eas turbam comitari ſolitam fuiſſe. Hinc Prudentius *L. Periſteph. hymn.* 14. *v.* 154.

> Nudare *plantas ante carpentum ſcio*
> *Proceres togatos, matris Idææ ſacris.*
> *Lapis nigellus evehendus eſſedo*
> *Muliebris oris, clauſus argentô ſedet,*
> *Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,*
> *Pedes remotis atterentes calceis* &c.

Similiter Matronæ Romanæ ubi vota Deæ Veſtæ concipienda erant, ejus ædem nudis adiêre pedibus, teſte Ovidio *Faſtor. l.* 6. *v.* 397.

> *Huc pede Matronam nudô deſcendere vidi.*

Bello quoque Gallico, *Virgines ex Sacerdotio Veſtæ, nudô pede fugientia ſacra comitatas fuiſſe*, Florus refert, *Hiſt. l.* 1. *c.* 13. Quô ſenſû & Juvenalis accipiendus *Sat.* 6. *v.* 525.

> ——— ——— *Inde ſuperbi*
> *Totum Regis agrum nuda & tremebunda cruentis*
> *Erepet genibus, &c.*

Tranſiit mos ad Chriſtianos etiam, quos in ſupplicationibus ſolemnibus *nudis pedibus* olim proceſſiſſe legimus. Ita Theodoſium Jun. Glicas *parte* 4. ut & Proclum Patriarcham Conſtantinopolit. *diſcalceatos* proceſſiſſe tradit, cùm civitas gravi & diurnô terræ motu quateretur. Simili modô Juſtinianô imperante, concuſſâ terræ motu Antiochiâ, cives, qui remanſerant, *diſcalceatos* omnes Litanias feciſſe, clamantes Κύριε ἐλέησον, narrat *Paulus Diaconus* &c. Vide quoque Concilium Moguntiacum, celebratum ſub Carolo M. A. C. 813. Imò primi Chriſtiani quaſi perpetuò ſacris operarentur, publicéve ſupplicaturi procederent, calceis ut plurimum non utebantur, *nudis pedibus* incedentes, teſte Tertullianô *l. de Pallio c.* 5. Unde Lucianus *in Philopat. paulo ante fin.* habitum hominis Chriſtiani deſcribens, ut irrideat: *Pallium*, inquit, *putre, ſine calceis & tegmine, capite detonſô incedens.* In ſuperſtitionem *nudorum pedum* uſum porrò verſum eſſe, ex Plinio diſcimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

l. 17. *c.* 28. ubi *Privatim contra erucas ambiri arbores ſingulas, à muliere incitati menſis nudis pedibus*, ſolitas fuiſſe ait. Quod in funeribus quoque obſervatum, docet Sueton. *Aug. c.* 100. *Reliquias legerunt primores Equeſtris ordinis tunicati & diſcincti, pedibuſque nudis ac in Mauſolæo condiderunt.* Ad imitationem Hebræorum, quos idem factitâſſe, apud Ezech. *c.* 24. *v.* 17. legimus. In ſacris verò Magicis veneficæ unum tantùm pedem exuerunt. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 518.

Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta.

At Horatius, præter ſacrorum horum ſacerrimorum morem Canidiam, *pedibus nudis*, ea peregiſſe refert *l.* 1. *Sat.* 8. *v.* 24. Sed Virgilio aſſentitur Ovidius, ubi de Medea *Metam. l.* 7. & Seneca, ubi de eadem *Actu* 4. *Sc.* 2. &c. Occaſioni iſtiuſmodi *Nudipedalium* variorum liceat, præter jam dicta, pauca attexere, de *pedum nuditate*, aliis quoque in occaſionibus. In bello populos quoſdam uno tantùm pede calceatos fuiſſe legimus, unde bellaces Ætoli μονοκρήπιδες dicti ſunt: quod ad Hernicos Italiæ populos tranſtulit Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 689.

——— ——— *Veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituêre pedis; crudus tegit altera pero.

Et certè, ſi militiæ conditionem excipias, non ita incommoda *pedum nuditas*. Hinc *Philoſtratus* adoleſcenti delicatulo, cujus pedes ſandalia læſerant, urbanè ſuadet, ut deinceps ἀνυπόδητος ambulet. Sed magis ſeriò Clem. Alexand. *optimum exercitationis genus eſſe, nudis uti pedibus*, docet, *Ep.* 22. Vide quoque Stobæum *Pædag. l.* 2. *c.* 11. ubi Tabellariorum Curſorumque exemplô id illuſtrat. Non mirum ergo, ſi de Phocione apud *Plutarch.* de Catone apud *eundem*, ut & Horatium, *l.* 1. *Ep.* 9. de Socrate apud Laërtium, de Lacedæmoniorum pueris, apud Alex. ab Alexando *Genial. dier. l.* 5. *c.* 18. de P. Scipone & Germanico, apud Tacitum *Annal. l.* 2. &c. idem legamus. Imò naſcentis Reip. apud Romanos initio Senatores ipſos nudis inceſſiſſe pedibus, teſtatur vetus Scholiaſtes Juven. *ad Sat.* 1. *v.* 111. nec hoc ſolùm, ſed & crura femoraque nuda, quæque non niſi togâ demiſſâ tegerentur, habuiſſe, patet ex ſtatuis, columnæ Trajani, & Suetonio *in Aug. c.* 82. quod de Platone Hieronym. *in Matth. c.* 10. de Athenienſibus *Plut.* de Cratete, Achille, Ajace, aliiſque antiquioribus, Philoſtratus *in Ep.* de Hebræis, & apud eos inprimis Sacerdotibus, Apoſtolis, SERVATORE ipſo, quoque docet Cornelius à Lapide *in Exod. c.* 28. *n.* 42. Sed & captivi, ac ſervi venales pro more *nudi*. Juvenalis, de Cappadocibus ac Bithynis Romam venum adductis, *Sat.* 7. *v.* 16.

Altera quos nudô *traducit Gallia talô.*

Hæc ſiquidem nota fuit venalitiorum, ut excalceatis pedibus eſſent, iiſque cretatis ſeu gypſatis, ut colligere eſt ex Juven. eodem *Sat.* 1. *v.* 111. Ovid. *El.* 8. *l.* 1. Tibullo *Eleg.* 3. *l.* 2. Propertio *Eleg.* 5. *l.* 4. Plin. *l.* 35. *c.* 17. &c. Sic itaque captivitatis ſerviliſque conditionis argumentum etiam fuit hæc *pedum nuditas*. Adde & ignominiæ, unde apud Romanos militibus, cum exauctorarentur, ut militiæ privilegiis ac honore indigni, inter cœtera calcei ſolebant detrahi, auctore Tertullianô *de Cor. mil. c* 1. quod apud Anglos quoque olim obtinuiſſe, teſtatur Valſingamus *in Eduardo II.* Apud Hebræos, is qui noluit uxorem fratris ſine liberis mortui accipere, à muliere, coram Senioribus, alterô calceorum ſpoliatus eſt, ſicque judiciali notatus infamiâ, ex lege Moſis Deuter. *c.* 25. *v.* 9. confer Ruth. *c.* 4. *v.* 7. ubi idem ritus ceſſionis ſui juris, & tranſlationis in alium dominii, ſymbolum quoque fuiſſe docetur. Contrà tamen apud Arabes hæc calcei detracti in alium conjectio ſervatæ ſervandæque fidei ſignum ac pignus certiſſimum fuit, quod eleganti hiſtoriâ Rahi cujuſdam Benxamutii Arabum Ducis clariſſimi, demonſtrat Lipſius *Mon. & Exempl. Polit. c.* 17. Cùm enim hic, Luſitanis hoſtibus impar, uxorem chariſſimam captivam abduci paſſus eſſet, illa autem recedens perfidiam marito exprobrâſſet, acrioribus incitatus ſtimulis, ſtatim, ut in more Gentis erat, calceum ſibi detractum in illam jecit: ſimulque equites ſuos, quos ad ſeptuaginta raptim collegerat, animosè cohortatus, tanto impetu in Luſitanos irruit, ut iis diſſipatis cæſiſque, uxorem receperit, eô factô voces omnium & laudes in ſe vertens. Et certè non inepta uxoris recipiendæ propoſiti, per calceum in eam conjectum, ſignificatio eſt. Cùm, ut obſervavit Rabbi Immanuel *in Pſalmos*, ubi Reges olim urbem obſidebant, in eam projicere chirothecam ſolerent, ſignum, ſe ab obſidione, priuſquàm urbe potirentur, non receſſuros. Quod enim hîc per chirothecam factum ait, alii per calceamentum malunt, eoque Pſalmo 60. *v.* 10. Davidem ſpectâſſe volunt, ubi cecinit: *In Idumæam extendam calceamentum meum*; quaſi dicat, in Idumæam belli ſignum conjiciam, cui finem dare non eſt propoſitum, niſi eam in poteſtatem meam redegero, &c. Nec omittenda hîc Ægyptiorum conſuetudo, apud quos puellis nondum nuptis calceos geſtare antiquis temporibus neutiquam licebat, ut ſic evagandi cohiberetur licentia, cùm illis *nudô pedo* extra ſepta prodire eſſet nefas &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 36. Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 23. 24. Jul. Nigronium *de Caliga veterum c.* 2. §. 9. *& ſeqq.* &c.

NUDIPEDES, Spirituales, vel Separati, Anabaptiſtæ, in Moravia exorti, ſeculô præteritô. Imitari ſe Apoſtolorum vitam jactantes, ruri vivunt, nudis pedibus iter faciunt, arma, literas, populique plauſum averſati, Florimundus Raimundus, *l.* 2. *c.* 16. *n.* 9.

NUDIPEDIA, inter fœmineorum calceorum genera, recenſentur Polluci *Chron. l.* 7. *c.* 23. Vide quoque ſuprà *Gymnopodia*.

NUDITANUM, oppid. Baſtitaniæ in Hiſpania Plin. *l.* 3. *c.* 1.

NUGIVENDI, Latinis dicti, qui *nugas* vendebant, quô nomine res omnes mundi muliebris indigitare ſolebant. Vide ſuprà *Jocula*. Sic unguenta, *nugas peregrinas* vocat Martial. *l.* 3. *Epigr.* 55. *v.* 3.

Nolo peregrinis placeat tibi, Gellia, nugis.
Scis, puto, poſſe meum, ſic bene olere canem.

Nempe, quibus ſine incommodo carere poſſumus, omnia *Nugas* dixêre Veteres. Rameſius *ad l.* Propriè verò *Nugæ* erant carmina Præficarum, quæ in mortuorum laudem canebantur. Plautus *Aſinariâ, Actû* 4. *c.* 1. *v.* 63.

Hæc non ſunt nugæ, *non enim mortualia.*

Quod & origo vocis declarat. Nam *nugæ* Hebraicum & Syriacum vocabulum, quod *mœrorem* ſonat, ſicut *nænia* planctum eâdem lingua, Scaliger *ad Varronem.* Hebr. enim נוגה *nuga*, eſt *dolore affectus*, ex יגה. Vide *Ibid.*

NUITHONES, Germaniæ populi Tacit. *Germ. c.* 40. quorum regionem *Rhenanus Nuithland* vocat in Helvetia, vel *Nüchtland*. Hi juncti ſocietate Burgundionibus fuerunt, qui ſub Theodoſio Juniore expulſis latè Sequanis Heduiſque, non ſolùm magnam veteris Galliæ partem, ſed & dimidiam Helvetiam occupârunt, Joh. Bapt. Plantinus, *Helvet. antiq. & nova.* Hodie ergo, abolitô veteri Aventicenſis pagi nomine, tractus ille terræ, novô aſſumptô dicitur majori ex parte, *das Nüchtland*, vel *Uchtland*, poſtquam Nuithones ibi ſedem fixerunt: pars altera, quæ minor eſt, Vaudum, *die Waat*, vocatur. Vide Stumpf. *de Pago Aventicenſi*, *c.* 1. Alias apud Tac. videtur legendum, *Gythones.* Vide ibi: & plura hanc in rem apud B. Rhenanum *Rer. Germanic. Nov. Antiqq. l.* 1. & 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *pag.* 193. & 490.

NUITII Regio, pars terræ Auſtralis detecta A. C. 1625. à Petro Nuitio Hollando. Pars eſt novæ Hollandiæ perampla & valde extenſa à Septentrione in Meridiem, ſed tantùm luſtrata eſt verſus oram littoralem.

NUMA Marcius, à Tullo Hoſtilio urbis cuſtodiæ impoſitus, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 11. Vide *Marcius.* Sed Joſias *Mercerus* legendum cenſet *Numæ. N. Marcium*, i. e. *Numæ* nepotem. Is eſt *Ancus Marcius*, qui mox ſucceſſor Tullo Hoſtilio. Laudat ad rei confirmationem Senecæ Ep. 109. *Nic. Lloydius.*

NUMA Pompilius, ex Curibus Sabinorum urbe ortus, fil. Pomponii, ſecundus Rex Romanorum juſtitiâ & pietate inſignis, qui pacatis finitimorum odiis, quò truces efferatoſque longâ militiâ animos ad pacis artes traduceret, ad Deorum cultum, animum adjecit, primumque ad intimum Argiletum Jani bifrontis templum condidit, quod apertum, bellum; clauſum, pacem indicaret. Dein Dialem, Martialem & Quirinalem Flamines creavit. Salios item 12. Marti aſſignavit; Virgines Veſtales, templô Veſtæ dedicatô, ſacravit. Pontificem Maximum primus declaravit, dies faſtos, nefaſtoſque condidit; annum in 12. menſes diviſit, Leges optimas ſanxit. Quæ omnia, quô majore apud imperitam plebem in veneratione eſſent, ſimulavit ſibi cum Egeria Nympha nocturnos congreſſus eſſe, ejuſque ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, ſacra inſtituere. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 17.

In vallem Egeriæ deſcendimus. ———
v. 12. *Hîc ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.*

Pythagoricus fuiſſe dicitur. Poſtremò ubi maxima cum reverentia & ſuorum, & finitimorum 40. vel 42. ut alii volunt, annos regnâſſet, diem obiit. An. Urb. Cond. 82. Liv. *l.* 1. *c.* 34. 35. Plut. *in ejus vita.* Flor. *l.* 1. *c.* 2. Aur. Victor. *de vir. illuſtr. c.* 3. Dion. Halicarn. *l.* 2. *Hiſt. &c.* *Numa* autem, à נום *num*, dormitavit, quia non tam bellicoſus fuit hic Rex, quàm Romulus, ſed potiùs ſacrificulus, ac tranquillitatis amans: ideo fortaſſe populus bellicoſus à dormitatione nomen impoſuit, inquit Flacius Illyricus. *At ego potiùs* (inquit *Simpſonius*) *Dormitatorem dictum fuiſſe putârim, quia ſe dormire dixit; quia ſermonem Dei ſic citare ſolebat, dixit Deus, &c.* Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 809.

——— *Noſco crines, incanaque menta*
Regis Romani, primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terrâ
Miſſus in imperium magnum.

Regis hujus elogium, ut Romanos omittam ſcriptores, hoc exſtat apud Dionem Chryſoſtomum *Oratione* 25. Νυμᾶς δὲ τὴν Ῥώμην παραλαβὼν μικρὰν, καὶ ἄδοξον, ἔτη δὲ ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ διῳκισμένην, καὶ πονηρὰς ἔχουσαν τὰς ἐνοικοῦντας, ἔτι δὲ τοῖς προχώροις πᾶσιν ἐχθρὰς, καὶ πένητας, καὶ ἀγρίους, καὶ ἐπικινδύνως ζῶντας, τὴν Ῥωμύλου χαλεπωτάτην [illegible] γῆν, αὐτοὺς βεβαίως ἔχειν ἐποίησε, καὶ φίλους εἶναι τοῖς περιοίκοις, [illegible] μους, καὶ θεοὺς καὶ πολιτείαν κατεστήσατο, καὶ πάσης αἴτιος ὑπῆρξε [illegible] γομένης ὕστερον εὐδαιμονίας. Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 12. *v.* 33.

Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompilî regnum memorem?

Martial. *l.* 12. *Epigr.* 63. *v.* 8.

Pacifici Latiâ reddis ab urbe Numæ.

Ovidio *l.* 3. *Faſtor. v.* 385. & *l.* 6. *v.* 264. *munificus, intonſus & juſtus* dicitur. Lucano *l.* 9. *v.* 478. autem *ſacrificus.* Ei comparatur, ob pacis ſtudium, Antoninus Pius Imperator à Julio Capitolino, *in ejus vita c.* 2. *Nic. Lloydius.* Idem Celerum cuſtodiam depoſuit, primus templum Jani clauſit, collem Quirinalem urbi includens pomœrium ejus protulit, ſacra ipſemet obivit, &c. Ejus leges, *de opimis ſpoliis, de parricidiis, de pellice, de pollin.* &c. Vide apud Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. paſſim.*

NUMANA, oppidulum Piceni in Italia, Mela *l.* 2. *c.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 13. *Numana à Siculis condita.* Sil. *l.* 8. *v.* 432.

——— *Scopuloſæ rura Numanæ.*

NUMANTIA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. circa 20. Annos bellum cum populo Romano, à quo injuſtè læſi erant, Flor. *l.* 2. *c.* 17. 18. geſſit, & à Romanis obſeſſa per Annos 14. cùm haberet tantùm quatuor hominum millia, non ſolùm ſuſtinuit, ſed etiam vicit 40. millia Romanorum, Pompejô & Mancinô, ad turpia adactis pacta. Tandem tamen à Scipione poſt longam & arctiſſimam obſidionem deleta eſt. Populi *Numantini*, qui cùm fame laborarent, nec eis daretur juſti certaminis copia, omnia ſua, & ſeipſos igni immiſerunt, A. 620. Urb. Cond. Horat. *l.* 2. *Od.* 12. *v.* 1.

Nolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Nolis longa feræ bella Numantiæ.

Cicer. *l.* 1. *Offic. Majores noſtri Carthaginem, Numantiamque funditus ſuſtulerunt.* Et *Philipp.* 4. *Everterunt Numantiam Romani.* Vide Liv. *l.* 56. 57. Florum *l.* 2. *c.* 18. Vellej. Paterc. *l.* 2. *Appian. Strab. Plin.* &c. Hinc *Numantinus* adjectivum, Propert. *l.* 4. *el. ult. v.* 30.

Afra Numantinos regna loquuntur avos.

Nic. Lloyd. longitud. 18. 58. latitud. 42. 30. Numantiæ rudera, nunc *Puente Garay*, ſunt in Caſtella veteri ad radices montium, vix 3. leuc. in confinio Aragoniæ in Ortum, 6. à Turiazone in Africum, Uxamam versùs 10. circiter. *Baudrand.*

NUMANTINA, prior Ti. Plautii Sylvani uxor, ſub Tiberio accuſata, injeciſſe Carminibus & veneficiis vecordiam marito, inſons judicatur, Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 22.

NUMANUS Remulus, Rutulus quidam, multum ſibi tribuens & immodicè placens, Trojanos in Italia mollitici, & ignaviæ arguit, apud Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 595. in his,

Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novô præcordia regnô
Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat.

NUMEJUS Helvetius, nobiliſſimus ſuæ civitatis, princeps ejus legationis, quam primam Helvetii ad Cæſarem miſerunt, Cæſ. *l.* I. *Comment. c.* 7.

NUMELLA, genus vinculi fuit, nominatum à forma *numorum*, quos articuli ſive ligamenta mutuò juncta repræſentarent, Becmannus in *Orig.* ubi proin carpit Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 23. *c.* 21. qui ita de illa: *Vinculi*, inquit, *genus eſt ligneum, quô collum inſertum comprehendebatur. Nomen habere videtur inde, quòd qui eó vinculô conſtricti erant*, nuere, *demiſſôque capite eſſe cogebantur.* Numellam *igitur, quaſi* Nuellam, *cum M. inſerto, intelligo, à* nuo: *ut* Luellam *à* luo. Hæc ille. Ejus meminit Plautus *Aſinar. Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 5. Vide quoque infra *Pilloria.*

NUMEN, idem propriè quod *nutus*: hinc *Numen divinum*, & *Numen* κατ᾽ ἀντονομασίαν, vis, potentia cujusque Dei, apud Scriptores Ethnicos, qua de re vide Caſp. Barthium *Adverſariorum Comm. l.* 24. *c.* 10. Item veneratio, quæ pro Numinibus dabatur arboribus eminentioribus & longô cultu conſecratis. Stat. *Theb. l.* 9. *v.* 587.

Nota per Arcadias felici robore ſylvas
Quercus erat, Trivia quam deſacraverat ipſa
Electum turba nemorum, Numenque *colendo*
Fecerat.

Nec non ſtatuis; in quibus *Numina* habitare credebantur. Lucan. *l.* 1. *v.* 556.

Indigetes fleviſſe Deos, Urbisque laborem
Teſtatos ſudare Lares ——

ubi de flentibus illorum ſtatuis; cujus rei exempla obvia in Antiquitatis lectione. Propriè verò conſilium & voluntas Dei. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 777.

—— *non hæc ſine* Numine *divûm.*

Hac enim velut *nuit*, i.e. annuit, dum vult; & abnuit, cùm non vult. Atque hinc providentia divina &c. Vide de Numinibus Gentilium ſuprà, in voce *Dii*, aliquid etiam infrà voce *Numina*. Addam ſolùm de pondere eorum. Fingebant ea admodum ponderoſa Poëtæ. Unde immane pondus Herculis in cauſa fuit, cur ab Argonautis exponeretur, uti Theodorus Atheus de ſe Athenis profugo habet, apud *Philonem*; Et Atlas, eo pondere preſſus, nonnunquam reſpirare dicitur; Statio *Theb. l.* 5. Nempe ea fuit horum hominum ſtultitia, ut *Numina* ſua ſecundùm *gravitatem corporis* ſcil. æſtimarent. Sic cùm divinitatem Neroni pollicetur, Lucan. ei accinit, *l.* 1. *v.* 50.

—— —— *tibi Numine ab omni*
Cedetur.

Et, *v.* 56.

Ætheris immenſi partem ſi preſſeris unam,
Sentiet axis onus —— ——

Claudian. *Conſul. Honorii III. v.* 106. Theodoſio cœlum ſcanſuro,

Quamvis emeritum peteret Natura reverti
Numen, & auratas aſtrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conſcius Atlas.

Calpurniusque *Ecl.* 6. inde *pondus Olympi* vocat Principem Romanum, olim conſecrandum, vide quoque Ovid. *de Hercule l.* 9. *Met.* Quos proin ipſe Juvenalis falsè ridet *Sat.* 13. *v.* 48.

—— *contentaque ſidera paucis*
Numinibus, miſerum urgebat Atlanta minori
Pondere &c.

Vide plura apud Adrianum Behotium *Apophoret. l.* 1. *c.* 9. Caſp. Barthium *ad Claudian.* & *Animadverſion. ad Stat. paſſim*, inprimis *Thebaid. l.* 4. *v.* 756.

NUMEN Auguſti, & *Majeſtas Auguſti*, ſemper junctim poſita leguntur, in *antiquis Inſcr.* N. M. Q. E. D. *Numini Majeſtatique ejus devotus*, vide ſuprà in voce *Majeſtas*. Hinc debitam devotionem qui non præſtarent Principibus, in tantam divinitatem majeſtatemque peccare exiſtimabantur & *indevoti* ac læſæ Majeſtatis rei dicebantur. Quales ſunt, qui in vitam Principis conſpirant, qui rebellant adversùs Principem, tyranni, perduelliones, rebelles, antartæ & ejusmodi, quos Græci ἀκαθοσιώτας appellabant. Uti autem *Numen* de Imperatoribus uſurpari cœpit, ſic *Oracula* Principis, ejus reſcripta vocitata: Quæ ſemel ubi invaluêre uſu, ne tum quidem deſita ſunt, cùm Religionem Chriſtianam Imperatores ſunt amplexati; ut ſciunt, qui eorum Conſtitutionibus legendis operæ aliquid impenderunt. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Notis ad Trebell. Pollion. in Gallienis duobus*, Gerh. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 17. ut & ſuprà in voce *Nimbus*, ac infrà ubi de *Oraculis*.

NUMENIUS, Apameenſis Syrus, Pythagoricus, & Platonicus, ἀνὴρ ἐπιφανὴς, juxta Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 11. Cronii, celebris illius Platonici familiaris, juxta Porphyrium, *l. de antro Nymph. in Odyſſ.* Libros ejus περὶ τῆς τῶν Ἀκαδημαϊκῶν πρὸς Πλάτωνα διαςάσεως laudat Euſeb. *Præpar. l.* 14. Edidit præterea τὰ παρὰ Πλάτωνα ἀπόῤῥητα, unde fragmentum adfert in idem Euſeb. *Præpar. l.* 13. Scripſit etiam περὶ τἀγαθοῦ aliquot libros, quorum primô Judæorum mentionem facit, teſte Euſebiô, eumque citat Origenes, *l.* 1. *contra Celſum.* Ex ejus περὶ ψυχῆς libro quædam adducit Theodoretus *Serm.* 4. Vide Heſychium Mil. in Νεμ. Ejus Plotinus inventa & dogmata ſibi tribuere à maledicis quibuſdam dictus eſt, quô plagii crimine ut liberaretur, Amelius librum ſcripſit de differentia doctrinæ Plotini & Numenii. Vixit poſt Chriſtum natum, teſte Theodoretô θεραπευτ. β. ubi Plotinum, Plutarchum, & Numenium, cùm poſt Chriſtum natum vixerint, multa Chriſtianæ Theologiæ myſteria ſuis libris inſeruiſſe dicit. Platonem, *Moſen Atticiſſantem*, vocavit. *Suid.* qui & Numenii Rhetoris meminit. Diverſus ab hoc eſt *Numenius* ille Pyrrhonius, Pyrrhonis auditor apud Laërt. *l.* 9. Alius quoque eſt *Numenius* Heracleota, cujus ἁλιευτικὸν laudat Athen. *l.* 7. *c.* 9. *Numenium* quendam rhetora ſub Adriano floruiſſe, docet *Suidas*. Apollonii ad *Numenium* ſententiam laudat Stobæus *Serm.* 123. *conſolat.* *Numenii* cujuſdam filium memorat Hippocrates 1. *Prorrh.* apud Galen. *Comm.* 11. *Sect.* 50. *Nic. Lloydius.*

NUMENIUS Nigrinus, Præco ſacer Cereris & Proſerpinæ, memoratur Jac. Sponio, qui in baſi columnæ, quam Cereris ſtatuæ olim inſerviiſſe conjicit, in agro Eleuſinio repertæ, hæc verba legit, Νȣ ΝΙΓΡΕΙΝΟΣ ΙΕΡΟΚΗΡΥΞ: infra pompa Daduchorum ſculpta eſt. Haud procul idem incidit in fragmen ſtatuæ Cereris, è pulcherrimo marmore, ingenioſè admodum elaboratæ, quam Praxitelis opus fuiſſe judicat &c. Vide eum *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 282. & *ſeqq.*

NUMENTANA Via, extra portam Viminalem, etiam *Figulnenſis* dicta fuit, teſte Liviô *l.* 3. *c.* 52.

NUMENTANUS Pons, ſuper Anienem fluv. *Ponte Lamontano*, & ipſe à Nomento dictus, ſicut *via Numentana*.

NUMERANDI Ratio, apud Hebræos planè ſingularis fuit, cùm ſive in ſortitionibus munerum Eccleſiaſticorum, ſive aliâ occaſione, hominum numerus ineundus eſſet. Miniſteria enim univerſa in Templo quotidiana, ex ſortitione peragi fuiſſe ſolita, docet *Maimonides*, apud *Seldenum*. Scilicet juxta Ephemeriarum vices, quôlibet ſummô manè conveniebant in *Liſkat hagazith* (loco ad Templum Synedrii Magni, ante ejus ſeſſionis horam) & induebant ibi veſtes ſacras Sacerdotes illi omnes, qui ad præſentem Ephemeriam ſpectabant. Jam verò, ne Miniſteria ſacra turbarentur, ſi ſuum cujusque officium quisque non ſatis dignoſceret, collocabantur illic in gyro univerſi illi, quos facilè ſic intuens Præfectus Sortium (munus in Templo celeberrimum & hanc in rem conſtitutum) pro arbitratu ſuo, unum eorum aliquem ſeligebat, cujus pileum exuens ſtatim induebat: quod in ſignum dabatur, ut is in ſortiendo velut terminus à quo reliquis fieret. Dein conſentiebant in numerum aliquem, tum miniſteriis diurnis integris, tum ſortitioni idoneum, velut ſexaginta, octaginta &c. Sic ſortes inibantur quatuor, I. de Altari cineribus aliterque purgando eoque apparando & igne ſtruendo. II. de Immolationibus aliisque Sacrificiorum ſolennibus plerisque. III. de Suffimentis. IV. de levandis membris Sacrificii in Altare. Tunc dicebat eis Præfectus, *Digitos extendite.* Quô dictô, extendebat quisque digitum ſive unum, ſive duos, ſive etiam tres; dum autem δακτυλολογία ejusmodi fiebat, Præfectus *numerare* incipiebat ab eo, cujus pileum priùs exuerat, numeratisque ſic digitis extenſis, uſque dum compleretur numerus, in quem conſenſerant, is qui numerum illum compleverat, primus erat ex ſorte in miniſterium futurum, &c. Joh. Seldenus *de Synedriis Vet. Hebr. l.* 3. *c.* 11. §. 4. Non autem perſonæ, ſed digiti, numerabantur, ex eo, quòd receptum erat, Iſraëlitas, veluti capite cenſos, aut per ſe, *numerari* fas non fuiſſe: unde hîc ex digitis extenſis conflabatur numerus, quô perſonarum etiam dignoſcebatur quidem, ſed ut ex re alia, quàm ipſorum perſonis. Maimonides *tit. Thamidin Wenoſphin c.* 6. §. 1. *Et undenam fit, ut numerarent numerum, in quem conſenſerant, per digitos ſic extenſos, & non per homines ipſos. Quoniam illicitum erat numerare Iſraëlitas aliter, quàm per rem* (à perſonis) *aliam, juxta quod dicitur* (1. Sam. *c.* 15. *v.* 4.) *& numeravit eos per agnos, ducentos pedibus* &c. Ubi Salomo Jarchi, *Præcepit* (Rex Saul, de quo ibi ſermo) *ut quilibet agnum caperet ex gregibus regiis & poſtmodum, ut agnos numerarent* (ad numerum ſuum inde dignoſcendum) *Quoniam illicitum eſt, numerare Iſraëlitas ipſos, ex eo quod legitur, nec numerabitur* (Populus Iſraëlis) *multitudine* &c. Paraphraſtes Chaldæus *l. c.* habet, *& numeravit eos per agnos Paſchatis*; quaſi tempore Paſchatis res facta fuiſſet, vide ibi David Kimchium. Parile juxta Talmudicos aliquos, habetur antè in Samuele, *l.* 1. *c.* 11. *v.* 8. ubi de Saule dicitur, *& numeravit eos* בבזק: quod *Bezek* pro fragmine teſtaceo ibi ſumunt, quaſi fragminibus ejusmodi tunc numeratum fuiſſet, ut poſtea agnis. Cujuſmodi alia apud Magiſtros reperies: Quò quoque ſpectare videtur id, quod habet Joſephus *Haloſ. l.* 7. *c.* 45. de populo Iſraëlitico numerato, rogatu Ceſtii, ſub Nerone. Is ut numero illo Neroni gratificaretur, παρεκάλεσε τοὺς Ἀρχιερεῖς, εἴπως δυνατὸν εἴη τὴν πληθὺν ἐξαριθμήσασθαι, *à Pontificibus petiit, ut, ſi quô modô poſſent, multitudinem numerarent.* Quod præſtitêre hi quidem, ſed eâdem ipſâ ratione, quæ apud vetuſtiores erat in uſu. Non enim perſonas ipſas aut capita, ſed agnos Paſchales (nam Paſcha tum agebatur) & comedentium contubernia numerabant, unde conflatus eſt numerus quaſi 2070000. præter immundos nec Paſchati idoneos. Hactenus Magiſtri, apud præfatum Seldenum §. 5. qui proin Davidem Populum numerantem, 2. Sam. *c.* 24. *ſub init.* in hoc peccaſſe contendunt, quòd Populum numeraverit per capita, non per res alias,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

agnos putà, aut teſtas. Sed commentum hoc Talmudicum quod attinet, certum eſt, morem numerandi per agnos Paſchales (ſingulis agnis denos homines annumerando) poſtea inoleviſſe, verùm nec divinæ inſtitutionis, nec ad Saulis Davidisque ætatem referri poſſe. Sæpius enim divinô juſſu, Populum ipſum numeratum legimus, cùm res aliqua gravior, ſive ſacra, ſive politica urgeret. Vide Exod. *c.* 30. *v.* 12. & *c.* 38. *v.* 25, 26. Numer. *c.* 1. *v.* 2. & *c.* 26. *v.* 2. Quòd autem addunt quidam, Populum nunquam numerari licuiſſe, niſi quivis dimidium ſiclum ſolviſſet, de quo Exod. *c.* 30. *v.* 12, 13. atque adeò hujus circumſtantiæ neglectu, Davidem peccâſſe volunt, non minùs incertum eſt, ex Sacris certè minimè liquet. Quotannis enim in Ærarium ſacrum, eorum qui ſupra 20. annos erant, inferebatur dimidius ille ſiclus, non verò, cùm extra ordinem numerabatur Populus, &c. Vide Franc. Burmannum *Uitlegginge ende Betragtinge van het 2de boek Samuel:* & de Chriſtianorum veter. in *numerando* more, aliquid ſuprà voce *Kyriéles*, plura vide infrà.

NUMERARII, qui in *Notitia Imperii*, *p.* 13. 53. 119. inter Officiales Judicum ſeu Magiſtratuum recenſentur, erant ii, *Qui publicum nummum ærario inferebant*, *h. e. qui pecuniam regiam ex tributis & portoriis & vectigalibus partam in æraria inferebant*, ut eſt in *Gloſſis* MSS. ad Cod. Theodoſ. & apud Iſidorum, *Origin. l.* 9. *c.* 4. Ita ex Novella Valentiniani *de Officio & Numerariis* P. P. Sidonio *l.* 1. *Ep.* 11. *l.* 2. *Ep.* 1. Senatore *l.* 12. *Ep.* 13. 23. & aliis, *Tributariæ functioni* operam dediſſe, & Præfectorum Prætorio vel Rectorum Provinciarum Officiales fuiſſe, obſervare eſt, ut & Ψηφιςὰς & Διαψηφιςὰς appellatos, à Baſilio *Ep.* 250. *Eunapio*, *Suida* &c. *Numerariorum* præterea mentio eſt, hâc notione, in Cod. Theodoſ. *tit. de Numerariis, actuar.* &c. *l.* 8. ubi multa Jac. Gotofredus *in Paratitl.* & *ad leg.* 4. *eod. tit.* in Nov. Theodoſ. *de Poſtulando*, apud Evodium *de Miraculis S. Stephani c.* 3. Gregorium Magnum *l.* 10. *Ep.* 18. in Concilio Toletano XII. & XVI. in Concilio Cæſarauguſtano II. in *LL.* Wiſigoth. *l.* 2. *tit.* 26. *l.* 12. *tit.* 1. §. 2. &c. At *Numerarius*, in Gloſſ. Lat. MS. *Arithmeticus.* Auguſtin. *Pſalm.* 146. *Excedit omnes* Numerarios, *intelligentia ejus numerari à vobis non poteſt.* A quo *primus Numerorum arenarius*, Tertulliano *de Pall.* memoratus, fuit diverſus. Ita enim dicebatur apud Romanos, qui primô calculô pueros imbueret, ab Arithmetico diſtinctus, ut Logiſtica ab Arithmetica. Nihil aliud itaque is docebat, quàm æra ſive calculos (unde & *Calculo* dictus) in tabula ducere & reducere, ad ſummam aliquam computandam & rationem purgandam. Idem digitorum quoque computum docebat, qui veteribus in uſu fuit, de quo librum Græcè ſcriptum, quem Beda Latinè verterit, ſe habere, refert *Salmaſ.* *Arenarius* autem talis Afro Scriptori appellatur Ψηφιςὴς ſive Λογιςὴς: Nam arenæ ψῆφοι ſunt ſive calculi, quibus olim ad computandum utebantur. Quod qui de ſcholaſtico vel erudito pulvere accipiunt, multum falluntur. Nam Calculo ſive Logiſtes, de quo heic, nihil negotii habebat cum illo erudito pulvere (in quo lineæ Geometricæ ducebantur) ſed tabulam tantùm & æra verſabat. Sed & Arithmetici in abaco, vel menſula pulvere conſperſâ, numerorum notas delineabant. Perſius *Sat.* 1. *v.* 131.

Nec qui abacô numeros & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer.

Ubi de contemptore Philoſophiæ loquitur, qui Arithmeticam & Geometriam ridet: figura autem ἓν διὰ δυοῖν, *in abaco & ſecto pulvere*, h. e. in abaco pulvere conſperſo & multis lineis Geometricis ac numerorum notis ſecto. Etiam Ariſtophanes abacum pulvere conſperſum utrisque ſerviiſſe, innuit in *Nubibus*,

Κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
Κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν:

Ubi de Socrate agit. At Logiſticis & Calculonibus abacus & æra præſtò ſine pulvere. Fuit verò *primus* hic *Numerorum Arenarius*, inter primos puerorum Præceptores & Ludimagiſtros, quorum tres memorat Tertullian. *l. c.* verbis hiſce: *Et primus informator literarum & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius.* E quibus primus, Latinis *Literator*, Græcis Γραμματιςὴς, primis literis pueros imbuebat. Alter iiſdem legendi & rectè pronuntiandi, i. e. articulatè & expreſſè ſingulas voces enuntiandi, artem tradebat. Tertius, calculare monſtrabat. Atque hæc tria munera unius ejuſdemque Doctoris fermè fuerunt, qui tria iſta, *ſcribere*, *legere*, *calculare*, ſimul unus docebat. Unde Suidæ in Κοππατίας, Grammatiſtæ ſunt Calculones, & apud Jul. Capitolin. *in Pertinace c.* 1. legimus, *Puer literis elementariis & calculô imbutus.* A diverſis tamen Præceptoribus aliquando hæc tradita, Tertullian. *loc. dictô* teſtari poſſit: niſi verba ejus ita accipias, ut primus Informator literarum idem ſit quoque & primus Enodator (pro quo alii *Edomator*) vocis, & primus Numerorum Arenarius; quô pactô unius ejuſdemque hominis officium in hæc tria deduxerit. Vide Salmaſ. *ad locum.* *Numeratores* verò recentiori ævô, dicti ſunt illi, qui à dominis feudalibus ſtatuebantur, ad numerandas in agris mergites ſeu *garbas*, pro *decimis* vel *campi parte.* Charta A. C. 1179. in *Tabul.* Eccl. Carnotenſis apud C. du Freſne, *Additum eſt etiam, quòd tempore meſſionis homines noſtri à Domino de Bellovillari ſibi poſtulare debeant aſſignari, quorum unus apud Lu & Martis villam, alius apud Bellovillare fungatur officiô numerandi, quos vel eorum aliquem ſi noſtris hominibus uſque ad quartam diem diſtulerit, aſſignare licebit, hominibus noſtris* Numeratore *carentibus, in quarta die & deinceps adhibitô duorum teſtimoniô & eorum teſtium juramentis, Domino de Bellovillari ſolvere campi partem. Qui verò ad Numerationis officium vocabuntur, accitis hominibus noſtris, in præſentia domini de Bellovillari tactis ſacroſanctis jurare videbuntur, quòd nec ſpe lucri, nec amoris aut odii causâ ſua differrent Numerationis officium adimplere*, &c.

NUMERATORES, vide infrà *Sopherim*, it. *Tabellio.*

NUMERI, à Minerva inventi, ut olim creditum: Unde Romanis lex ſcripta, ut qui Maximus Prætor eſſet, clavum juxta hujus Deæ ſimulachrum, in Capitolio, pangeret, quò *numerus* annorum inde cognoſceretur, Liv. *l.* 7. *c.* 3. *Numeria* verò Dea, quæ *numeros* docere credebatur, meminit Auguſtin. *l.* 4. *de Civ. Dei c.* 11. At eorum rationem ab Abrahamo Patriarcha Ægyptios hauſiſſe, hincque ad alias tranſiiſſe gentes, docet Voſſ. Dicitur autem *Numerus*, non à *numo*, ut putavit Iſidor. *Orig. l.* 3. *c.* 3. ante *numum* enim *Numerus* fuit, ſed à Græco νομὴ, *diſtributio*, quia quod multum eſt, in unitates dividitur. Græcis Ἀριθμὸς, quaſi ἄρθμιος, ab ἄρω, *apto*, *coagmento*, fit enim ἐκ μονάδων ἁρμογῆς, *unitatum conjunctione.* Aliter Latinis *Siphra*; (pro qua perperam alii *Cifram* ſcribunt) voce non ab Indis, ut Georg. Valla retur, ſed ab Arabibus ſive Saracenis, qui in Hiſpania vixêre, acceptâ. Namque & Hebræis ספר *ſephar*, idem quod nobis *Numerus* eſt. Hos ſcire, Pythagoreorum judiciô, primum Sapientiæ opus eſt, ut ait *Proclus:* Τούτων γὰρ λόγος, σοφώτατον μὲν εἶναι τὸν εὑρόντα τὸν ἀριθμὸν, δεύτερον δὲ τὸν τὰ ὀνόματα θέμενον, *Eorum quippe is ſermo eſt, ſapientiſſimum eſſe, qui repererit* Numeros: *proximum, qui nomina impoſuerit.* Unde *Hominis proprium eſſe numerare*, docet Ariſtoteles *in Problem. ſect.* 30. *quæſt.* 5. meritoque ſtoliditatis damnatus eſt Amphiſtides, quem magnô labore uſque ad quinarium numerare didiciſſe, nec progredi potuiſſe ulterius, narrat Suidas in Γελοῖος. Vide Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 7. *ubi de Arithmetica in Grammaticis, Poëſi, Muſicâ*, §. 5. *in re Oeconomica* §. 6. *in Architectura* §. 7. *in ipſa Theologia* §. 9. *utilitate*, *egregiè differit.* Hanc, ut ex ejuſdem *c.* 9. pluſcula quædam adjiciam, Pythagoram ab Ægyptiis, hosque à Patriarcha Abrahamo, ut dictum, accepiſſe vult Joſephus: cui Plato *in Phædro*, Ægyptiis tribuens πεττείαν καὶ κυβείαν, *artem calculô cubisque numerandi*, adſtipulatur. Sed cùm Phœnices tanti fuerint in hac Arte, eo quòd negotiarentur penè cum omnibus nationibus, quæ mare Mediterraneum accolunt, malunt quidam ejus inventionem huic genti adſcribere. Idcirco, ut ab Ægyptiis Geometriam, à Chaldæis Aſtrologiam, ſic à Phœnicibus Arithmeticam ſeu *numerandi Artem*, didiciſſe Pythagoram; teſtatur *in ejus vita* Malchus. Qui verò primum *Numerorum* notas in Græciam intulerit, Cadmus Phœnix eſt, literarum iiſdem auctor, quibus pro numerorum notis uti Græcos ſolere, notum eſt. Proin & in legibus Solonis, pecuniarias mulctas literis Alphabeticis ſe vidiſſe indicatas, refert Herodianus, atque addit idem (vixit autem ſub Commodo; quippe filius Apollonii Dyſcoli, qui ſub M. Antonino Romam venerat) Καὶ ςήλας τὰς παλαιὰς καὶ ψηφίσματα, καὶ νόμους πολλοὺς, ὅτῳ ἔξεστιν εὑρέσθαι, *Columnas veteres, & decreta, & leges multas, cum ejusmodi eſt notis invenire.* Romani quoque, pro *Numeri* figuris, uſi literis ſunt, in quorum characteribus antiquiſſimos eſſe cenſet Voſſ. illos Μονάδος, Δυάδος, Ἑκατοντάδος *Unitatis*, *denarii*, *centenarii.* E quibus Μονάδος nota *I.* Δεκάδος *X.* Ἑκατοντάδος *C.* fuit. Sed quia moleſtum videbatur, ab unitate uſque ad denarium ſemper uti lineolis ſimplicibus, & à denario ad centenarium decuſſatis: præterea grave erat, toties uti literâ *C.* uſque ad quingentos, imò millenos atque ultra; primùm placuit notam comminiſci inter Μονάδα & Δεκάδα: deinde inter Δεκάδα & Ἑκατοντάδα: denique inter Ἑκατοντάδα & Χιλιάδα nota invenienda erat, unde quinque, quinquagenarii, quingentenarii ac millenarii notæ, *V. L. D. M.* emerſerunt, de quibus vide *infrà.* Barbaras autem quod attinet *Numeri* notas, vulgò *Siphras* dictas, quidam ex figuris Græcanicarum literarum corruptis arceſſunt: Alii veriſimilius cenſent, Europæos cœteros ab Hiſpanis, eos à Mauris, illos ab Arabibus, hos à Perſis vel Indis accepiſſe, idque circa ſeculum demum decimum tertium. Quô fundamentô, grandem illum argenteum nummum Marquardi Freheri, qui effigiem habuit Conſtantini Imperatoris quòd in eo comparerent notæ Arithmeticæ, 234. antiquum eſſe; jure negavit Joſ. Scaliger: cùm hujuſmodi characteres, in libris Græcis Aſtrologicis & Logiſticis vel computis Eccleſiaſticis, multò ante captam Conſtantinopolim exaratis, non ſit reperire. Sed & immutationem in hiſce etiam notis aliquam contigiſſe, patet ex lapidibus librisque, in quibus ante annos 200. exaratum videtur Λ. pro 7. $\overline{X}$. pro 4. Idem Voſſ. *c.* 10. *ejuſdem Operis*, inter claros Arithmeticæ Scriptores, è Veteribus recenſet, Euclidem, Diophantum Alexandrinum, Theonem Smyrnæum, Mich. Pſellum, Græcos omnes: Varronem, Appulejum, Sever. Boëthium, è recentiorib. Alexandrum de Villa Dei Dolenſem, Cuthbertum Tonſtallum, Hier. Cardanum, Henr. Glareanum, Franc. Maurolycum, Gemmam Friſium, Petrum Ramum, Chriſtoph. Clavium, alios, Latinos: Mahometem Moſis fil. Arabem, R. Abraham Cai Hebræum, vide quoque Hug. Sempelium *Indice*, quem *ſubjunxit* 12. *ſuis de Mathem. libris*, Camerarium *in Explic. l.* 1. *Nicomachi*, *ubi nomina* Numerorum *Pythagorica optimè exponit.* Joh. Meurſium *in Denario* &c. uti de *Numero* inter Deos relato ſuprà voce *Dii.*

Notæ Numerorum apud Romanos.

I. nota fuit Μονάδος, ſeu unitatis, non quia princeps eſt litera in ἴα pro μία, ut voluit *Priſcianus*, ſed quia ſimplex ductus ſimplici *Numero* conveniret.

V. nota Quinarii: cui, ut & Quinquagenario, cùm danda eſſet nota duarum linearum, quia centenarius, utpote major, erat trium: placuit, ut quinarius, ſicut dimidium eſt denarii *X.* ſic dimidium exprimeret, partem videl. ſuperiorem. Nam quòd *V.* quinque ſignificet, quia quinta ſit vocalis, ut idem argutatus eſt *Priſcianus*, meritò rejicitur.

L. figura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

L. figura Quinquagenarii eſt: non quia Græcis *N.* valeat 50. & Latini quandoque *L.* dicant pro N. ut *Lympha*, pro Νύμφη, quæ conjectura *Priſciani* iterum fuit: ſed quia quinquagenarius *Numerus* dimidium eſt centenarii, tribus lineolis ⊏ exarati, viſum eſt lineam auferre ſuperiorem, ut remaneat *L*.

C. Centenarii character eſt! ad facilitatem manus, factus ex ternis lineis ⊏. quibus centenarium numerum olim expreſſère. Ut decipiantur, qui cum *Priſciano* putant C. valere *centum*, quia ſit princeps hujus vocis litera.

D. quingenta notat: factum ex lineis 4. hoc modo Iɔ. ſive Iↄ. unde poſtea *D.* coaluit. Non enim ſemper *D.* fuit, neque proin hôc charactere ideo ſignatur dimidium millenarii, quòd initialis litera ſit vocis *dimidium*. Sicut autem centenarius erat ex lineis tribus, ſic quingentis nota data eſt ex lineis quatuor.

M. Millenarii figura eſt, cui literæ datæ primitus ſunt quinque, hôc modô [ı] vel ob facilitatem manus ∞. item CIↄ. quia dimidiô exſuperaret is numerus quingentos, cujus nota erat Iↄ. Poſtmodum quinque hæ lineæ degenerârunt in hodiernam notam *M*.

Apud Chriſtianos quoque olim, per Alphabeti literas *numerandi ratio* in uſu fuit, ſic ut unaquæque litera certum quendam numerum denotaret; de qua vide Valerium Probum, Paulum Diaconum, & alios, qui de Numeris ſcripſerunt, inter Grammaticos antiquos *p.* 1638. Sed & exarati proſtant verſus, qui totius Alphabeti characteribus eoſdem numeros aſſignant, quos deſcripſit *Baronius*, &, ante eum, Joannes Noviomagus *de Numeris l.* 1. *c.* 10. paulo diverſos ab iis, qui habentur in Ugutione MS. apud Car. du Freſne, *Nota, quòd quælibet figura literarum reperitur, aliquem numerum repræſentans, quamvis non ſit in frequenti uſu, qui illis verſiculis diſtinguitur.* Primus autem ſic concipitur,

Poſſidet A. numeros quingentos ordine rectô &c.

Vide hic *infra*, & de *Numerandi Preces ratione*, ſuprà in voce *Capellina* alibique paſſim.

Literarum Alphabeti in numerando olim vis ac valor.

A. litera numeralis, deſignat 500. Quòd ſi rectam ei lineam ſuperaddas, 5000.

B. 300. & cum recta linea ſuperaddita 3000. Unde verſus:

Scit B. *tercentum ſibi cognatum retinere.*

C. 100. unde verſus,

Non plus quàm centum C. *litera fertur habere.*

cum linea verò 100000.

D. 500. Unde verſus,

Alpha D. *compar duo ſic tria nomina portat;*

& cum linea 500000.

E. 250. Unde verſus,

E. *quoque ducentos & quinquaginta tenebit.*

F. 40. Unde verſus,

Sexta quater denos gerit F. *quæ diſtat ab alpha.*

Eidem literæ ſi linea ſuperaddatur, 40. millia ſignificat.

G. 400. Unde verſus,

G. *quadringentos demonſtrativa tenebit:*

& cum linea ſuperaddita, quadringenta millia.

H. 200. Unde verſus,

H. *quoque ducentos per ſe deſignat habendos:*

cui ſi lineam ſuperaddas, 200. millia notat.

I. denotat 100. Unde verſus,

I. C. *compar erit, & centum ſignificabit:*

in Notis vero antiquis *unum* valet. Eidem ſi rectam ſuperaddas lineam, *mille* ſignificat.

K. 150. Unde verſus,

K. *quoque centenos & quinquaginta tenebit.*

Cui aſſentiuntur Notæ numerorum ex antiquo Codice deſcriptæ, ubi *K.* 151. efficere dicitur. Quòd ſi lineam ſuperaddas, habes centum quinquaginta unum millia.

L. 50. ſignificat; unde verſus,

Quinquies L. *denos numero deſignat habendos.*

cum linea ſuperaddita, 50. millia denotat.

M. denotat in hac numerandi ratione 1000.

M. *caput eſt numeri, quem ſcimus mille tenere.*

cum linea, millena millia.

N. ſignificat 90. Unde verſus,

N. *nonaginta capit, quæ ſic caput eſſe videtur.*

Si lineam ei ſuperponas, 90. m. efficies.

O. 11. facit; juxta verſum,

Undenos facit O. *cognoſcas ſic numerando.*

Eidem ſi lineam ſuperaddas, habes 11000.

P. denotat 400. Ita Notæ antiquæ numerorum *P. CCCC. quadringenta* & vetus verſus,

P. *ſimilem cum* G. *numerum monſtratur habere.*

At Baronius, apud præfatum Car. du Freſne pro *G.* habet *S.* ita ut *P.* ſeptenarium numerum tantùm confecerit, vide hunc in *Gloſſario in lit. P.* Cum linea vero 400. m. ſignificat

Q. 500. juxta verſum,

Q. *velut* A. *cum* D. *quingentos vult retinere,*

cum linea ſuperadditâ 500. millia.

R. denotat 80. unde verſus:

Octoginta dabit tibi R. *ſi quis eam numerabit.*

Eidem ſi ſuperaddas lineam, 80. millia.

S. ſignificat 7.

S. *verò ſeptenos numeratos ſignificabit:*

cum linea ſuperaddita, 70. m.

T. 160. juxta verſum,

T. *quoque centenos & ſexaginta tenebit.*

& cum lineâ 160. millia.

V. 5. ſignificat: unde verſus,

V. *verò quinque dabit tibi; ſi rectè numerabis:*

cum lineâ ſupraſcripta, 5000.

X. decem ſignificat, hinc verſus,

X. *duplex denos numero tibi dat retinendos.*

Eidem ſi ſuperaddatur linea, decem millia.

Y. 150. juxta verſum,

Argolicus centum quinquaginta facitque character.

Et cum linea, 150. m.

Z. 2000. efficit:

Ultima Z. *canens finem bis mille tenebit.*

& cum linea ſuperiùs adſcripta, bis millies mille.

NUMERI, liber Canonicus Vet. Teſt. inter libros Moyſis quartus. Hebræis *Vajedabber*, i. e. Locutuſque, ab hoc enim verbo, incipit. Continetur 36. Capitib. in quibus exponitur, ab initio ſtatim, diviſio Populi in 12. Tribus, à Moyſe & Aarone facta. Dein tribus Levi ſeparationem ad cultum divinum, ejuſque officia & miniſteria enarrat. Tandem de inobedientia & tranſgreſſione populi, periculis & ſuppliciis improborum, de beneficiis Dei in Iſraëlitas cumulatim effuſis, verba facit. In librum hunc Sacrum prodierunt: Atterſoll. *Comm. Angl.* in fol. 1618. *Auguſtinus.* Balæus *in cap.* 30. *Ferus.* Junii *Explicatio.* Lorini *Commentar.* in fol. Lugdun. Ann. 1619. Marbachius, in quarto Argentinæ, Ann. 1597. *Origenes.* Pelargi *Comment.* in quart. Lipſiæ, Ann. 1606. Ruſhbrochius. Roverii *Harmonia cum Comm.* Siphra *Comm. Hebr.* Vide Crowæi *Elenchum.*

NUMERI, cohortes: vox *Ulpiano*, *Vopiſco*, *Ammiano*; aliis nota. Optatus *l.* 3. *reverſi ſunt vexati milites ad* Numeros *ſuos.* Apud Wilh. Tyrium *l.* 2. *c.* 20. *Numeri militares.* Ita Νούμερον recentiores uſurpant Græci. *Martyrium* S. Niconis: Στρατευόμενον ἐν Νουμέρῳ τινὶ καὶ διατρίβων ἐν αὐτῷ. Palladius *in vita Chryſoſt. p.* 32. Ἦλθέ τις ἀφηγούμενος ἑνὸς ἀριθμοῦ, & *p.* 84. Adde *Chronicon* Alexandrinum *p.* 690. Metaphraſtem *in Martyr. S. Georgii num.* 2. Conſtantinum *de Adm. Imp. p.* 192. Alios, Meurſio & Fabrotto *ad Cedrenum* laudatos. Eâdem notione ἀριθμὸν adhibuerunt Sozom. *l.* 2. *c.* 7. Nicephorus Call. *l.* 6. *c.* 9. Leo in *Tactic. c.* 6. §. 28. *Zonaras*, & alii. Vide quoque, quæ Car. du Freſne annotavit *ad Alexiadem p.* 423. Vopiſcus *in Probo c.* 14. à limitaneis militibus *Numeros* diſtinguit, *Accepit præterea ſedecim millia tironum quos omnes per diverſas provincias ſparſit, ita ut* Numeris, *vel limitaneis militibus quinquagenos & ſexagenos interſereret, dicens* &c. Ubi *vel* pro *&* poſitum eſſe, docet ex multis *Hiſtoriæ Aug.* locis Salmaſ. Ei itaque *Numeri* ſunt legiones, ſeu legionarii milites, qui per provincias diſpoſiti in caſtris & *ſedibus*, ut tunc vocabantur, degebant: Sicut Limitanei, per cuneos auxiliaque conſtituti, limitem tuebantur. Sic in *Cod. Theod.* multis itidem locis *Comitatenſes Numeri* & *Ripenſes*; item *Militia Comitatenſis* & *Ripenſis*: nec non *Comitatenſes* & *Limitanei*, diſtinguuntur. Ubi *Ripenſes* iidem cum *Limitaneis* ſunt & *Comitatenſium* nomine Legiones intelliguntur, ac *Comitatenſes Numeri*, quos hic ſimpliciter *Numeros* vocat Vopiſcus. Unicum adduxiſſe, ſufficiat. *Cod. d. de Tironibus l.* 8. *Completis quinque annorum ſtipendiis, qui Comitatenſibus* Numeris *fuerit ſociatus, patris quoque & matris nec non & uxoris ſuæ capitationem meritis ſuffragantibus excuſabit. Ii verò, qui in ripa per cuneos auxiliaque fuerint conſtituti, cum proprio capite uxorem ſuam tantùm poſt quinque annos, ut dictum eſt, præſtent immunem.* Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſ.* & ſuprà, ubi de *Comitatenſibus* &c. Addam, hîc ſaltem, ad ripenſem militiam non eandem in milite ſtaturam nec idem corporis robur, exigi conſeviſſe, quod in Comitatenſi vel legionaria. *Cod. eod. leg.* 8. *de filiis militar. appar. Etenim hi, quibus vel corporis robur, vel ſtatura defuerit, qua Comitatenſi digni poſſint eſſe militia, ripenſi poterunt copulari.* Sed & milites ſinguli *Numeri* dicuntur, apud Amm. Marcellin. *l.* 23. 25. 27. 29. & 31. Porrò ipſi militarium officiorum gradus, apud Capitolin. *in Maximo* & *Balbino*, Treb. Pollionem *in Mario Tyr.* Tandem matricula quoque, in quam inſcripti milites, apud Plin. *l.* 3. *Ep.* 8. uti docet Marcilius *ad Sueton. Veſpaſiano c.* 5.

NUMERI lege ſoluti, apud Horatium, *l.* 4. *Carm. Od.* 2. *v.* 11. 12. Lyricis tribuuntur. Cùm enim omnis ſtructura & copulatio vocum aut *rhythmus* ſit, aut *metrum*; ille ſpatiô temporum conſtat, iſtud ordine etiam: in illo quantitas tantùm, in iſto qualitas inſuper obſervatur. Parvi pendit Rhythmicus, dum ſibi conſtét temporum ratio, quô pedes ordine collocet: At Metricus non ſatis ſecurus eſt, niſi & rationem ordinis ſervet. Rhythmico indifferens eſt dactylus & anapæſtus, jambus & trochæus; ſunt enim ταυτόσημοι hi pedes: Metricus verò non auderet anapæſtum locare, ubi dactylus exigitur, nec in ſede trochæi jambum ponere, quamvis uterque pes ſit ἰσόχρονος eandemque habeat quantitatem. Rhythmus ſolùm tempus metitur, atque alium pro alio pedem facilè admittit, modò ejuſdem temporis ſit, ut viſum: quæ metrorum ratio reſpuit, quæ nec ſpondæum quidem aut dactylum alterum pro altero uſurpat, licèt temporum ſpatiô æquales ſint. Unde longè major licentia fuit in lyricis cantionibus, & Muſicorum canticis, quàm in metris. Et hoc eſt, quòd Lyricos veteres *numeris lege ſolutis ferri*, dixit Horat. Solutiori tamen pede ambulârunt medii ævi Poëtæ illi plebeji, qui in componendis canticis & ſaltatiunculis hymniſque, de quibus diximus ſuprà, in voce *Baliſtea*; quorumque meminêre aliquoties *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores, operam poſuerunt. Hi enim legis metricæ nullô reſpectu habitô, modulationis & numeroſæ verborum compoſitionis, quæ ita ad aures accidit, ut formam videatur habere veri legitimique metri, rationem habuêre. Imò nullâ prorſus lege teneri ſe paſſi ſunt. Nec enim ulla ſyllabis tempora aſſignârunt, nec brevium longarumque differentiam agnoverunt, ſed omnes indiſcretim fecerunt longas & breves. Genus igitur eſt medium quoddam

inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

inter Metricos & Rhythmicos, ita ab utriſque diſtans, ut magis videatur accedere ad Rhythmicos, ſolô licentiæ nomine, quam imperitiâ non ratione affectârunt, ſi ulla in imperitia affectatio eſt. Numerum ſanè ſyllabarum & pedum ſatis anxiè cuſtodiebant. Nec enim plus pedum aut ſyllabarum reperies in vulgarium hujuſmodi verſificatorum trochaico, quàm in venuſto & ad legem facto: quod veteres Rhythmici magnoperè negligebant, quibus in uſu & more fuit duas plerumque ſyllabas breves locô unius longæ ponere; quia idem eſſet temporis ſpatium in duabus brevibus & in una longa. Obtinuit tamen, ut *rhythmus* talium Poëtarum compoſitio diceretur & ipſi *Rhythmici* vocarentur: eo quòd rhythmi proprium ſit, breve tempus, plerumque longum efficere & longum contrahere; id quod metro non licet. Quam in rem vide infrà plura, ubi de *Rhythmo*, & apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. c.* 6. ubi de puerili cantilena in Aurelianum compoſita & ſaltata, verſuque inprimis illo,

Tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis.

Iſtô enim metrô ut plurimum jocos militum, qui à tripudiantibus exultantibusque in triumphantes Duces jactabantur, concipi moris fuit, ut ex Suetonio quoque liquet, *in Julio Cæſare:* Item vulgaria dicteria, quæ ipſe populus in aliquem joculariter jactata canebat &c. Vide quoque hîc, ubi de *Balliſteis* & *Politicis verſibus.*

NUMERIA Dea, quæ *numerandi* artem docere credebatur, vel ad *numeros* pertinere, memoratur Auguſtino *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 11.

NUMERIANUS, Roman. Imperator cum Caro & Carino, patre & fratre. Patrem in Orientem ſecutus, jam Cæſar, illô defunctô, Imperator eſt ſalutatus: ſed ob paternam mortem ex luctu æger, ab Ario Apro, ſocero ſuo, occiſus eſt, A. C. 284. Eloquens, & Poëta inſignis, ipſius Olympii Nemeſiani & Aurelii Apollinaris victor: quorum ille vitam Cari Jambo expreſſit, alter halieutica ſcripſit. Vopiſc. *in Numeriano*, *Aur. Victor*, *Eutropius*, &c.

NUMERIANUS Ludimagiſter, quâ ratione ductus incertum, relictâ Româ in Galliam profectus, Severi nomine ad colligendum exercitum ſe miſſum ſimulavit, ſicque parvas primùm copias comparavit, quibus profligavit aliquos partium Albini equites. Quod cùm Severo nuntiatum eſſet, & revera Senatorem eſſe crederet, miſſis ad illum literis, quibus gratias ageret, laudaretque inſtitutum, mandavit porrò, ut majores copias congregaret, quibus facilè collectis multa præclara & fortia facinora fecit, redegitque χιλίας καὶ ἑπτακοσίας καὶ πεντήκοντα μυριάδας δραχμῶν, ut habet *Dio*, *mille ſeptingentas quinquaginta drachmarum myriades*, quas Severo miſit. Cumque ab his ingentibus factis ad ſummos poſſet honores divitiasque pervenire, modicô contentus, in agello quodam, quem ipſi in Galliis donavit Severus, ut reditu illius vitam toleraret, conſenuit. Vide Æl. Spartian. *in vita Severi*, *c.* 12. & *ad eum* Salmaſii *Notas.*

NUMERIUS, prænomen pro nomine Gentilitio uſurpatum. Aſconius *in Piſonianam* Q. Numerii meminit.

per NUMEROS myſteria denotandi Veterum mos. *Animam* eſſe ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, *Numerum qui ſeipſum moveat*, dixit *Pythagoras.* Idem *Principia* vocavit *Numeros*, & eorum Symmetrias *harmonias*, & Elementa ex utriſque compoſita, Geometrica. Rurſus in principiis poſuit *Unitatem* & *indefinitam Qualitatem*, quorum alterum *Mentem* ſeu Deum, alterum *Materiam* ſeu *Mundum Viſibilem* vocavit. Naturam autem Numeri dixit eſſe *Decadem*, quia tam Græci quàm Barbari ad decem uſque numerant; inde ad unitatem regrediuntur. Porrò Decadis vis eſt ἐν τοῖς τέσσαρσι καὶ τῇ τετράδι, *in quaternione.* Nam ſi quis ab unitate numeret ad quatuor, conjunctim conficiet decem &c. Ὥστε ὁ ἀριθμὸς κατὰ μὲν μονάδα, ἐν τοῖς Δέκα· κατὰ δὲ δύναμιν, ἐν τοῖς Τέσσαρσι, *Adeò ut natura Numeri, ſecundùm unitatem, conſiſtat in Denario; ſecundùm facultatem, in Quaternario:* quem alibi *Juſjurandum* & *Trigonum perfectum*, imò ipſum *Deum*, nominat. Idem Philoſophus, Sacerdotes Ægyptios imitatus, τὴν Μονάδα appellavit *Apollinem*; τὴν Δυάδα, *Dianam*; τὴν Ἑβδομάδα *Minervam*, & πρῶτον Κύβον ſive *Octo*, *Neptunum:* quæ cum iis conveniunt, quæ in eorum templis fixa & picta ſunt. Mercurio autem omnium Numerorum maximè *Quaternio* apud Ægyptios dicatus fuit. Plura apud Plutarchum *de Placitis Philoſ. l.* 1. & *l. de Iſide*, nec non *Sympoſ. l.* 9. *qu.* 3. Lucianum Βίων πράσει, & infrà voce *Quaternio.*

NUMERUS Aureus, Computiſtis dicitur Cyclus Lunaris ſeu Decemnovennalis, in eum finem inſtitutus, ut, quatenus per totam ſeriem Calendarii deducitur, omnia demonſtret Novilunia, ac illud ſpeciatim, à quo ſupputata Luna 14. indigitat Paſcha. Quippe annô 1. Cycli, v. g. ubicunque in Calendario, ac per menſes ſingulos inſcriptum vides *aureum Numerum* I. ipſe indicat, Novilunium eô die contingere, vel contigiſſe; ac pari modô annô 2. ubicunque vides *aureum Numerum* 2. annô 3. atque ita porrò, quouſque annis Cycli expletis tum ad unitatem redeatur, tum Novilunia iiſdem diebus eôdemque ordine recurrant. *Aureum* autem appellari ajunt *Numerum*, ſeu quòd olim aureis literis inſcriberetur, ſeu propter inventionis & uſus ejus excellentiam. Græcis Ἐννεακαιδεκαετηρὶς dicitur primumque auctorem Metonem habet. Vide in voce *Meton*, & plura hanc in rem apud Durandum *Ration. l.* 8. *c.* 11. Voſſ. *de Mathemat.* & Car. du Freſne *Gloſſario*, qui de uſu ejus verſus ſatis antiquos hos ex Codice MS. Victorino exhibet:

Aureus *hâc arte* Numerus *monſtratur apertè,*
Principium jam qui totius eſt caput anni.
Ternarium retinet, ne poſterus ordo vacillet.
Majori numero debetur tertius ordo.
Si minor aſſequitur numerus, tunc continuatur.
Excipe ſex menſes, Julium priùs, atque ſequentes.
Hîs quamvis creſcat undenis ſumma propinquat.
Octavus numerus ſequitur, nec continuatur.
Tres Februi quarto Nonarum continuato.
Quarto apponas ſub Aprilis pridie Nonas,
Tot Junius laterat, ubi Nonas quatuor aptat.
Auguſti capite tres debet continuare.
Quatuor Octobris lateratum pone Kalendis.
In quarto Nonis duodeni denique menſis,
Linea tredecimum tenet una, ſimulque ſecundum.

NUMERUS Par, mali ominis habitus, apud Romanos; impar, plenus & fauſtior. Solinus *c.* 1. *Græci ſingulis annis XI. dies & quadrantem detrahebant, eosque octies multiplicatos in annum nonum reſervabant, ut contractus nonagenarius numerus in tres menſes, per tricenos dies, ſcinderetur: qui annô nonô reſtituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos embolimos vel Hyperballontas nominabant. Quod cùm in initio Romani probâſſent, contemplatione* parilis numeri *neglectum brevi perdiderunt, tranſlata in Sacerdotes intercalandi poteſtate* &c. Sic Joannes Laurentius Lydus, Παρ' Ἰταλοῖς ὁ δυϊκὸς ἀριθμὸς ἀποφράζεται. Σεκοῦνδον δὲ αὐτὸν, οἱονεὶ εὐτυχῆ ... Ἀδράστειαν καὶ Πάτριας πατρίως καλοῦσι κατ' εὐφημισμὸν, ὡς Εὐμενίδας καὶ ... κας κατ' αὐτὰς τὰς μηδενὸς φειδομένας μοίρας, *Apud Italos numerus dualis infauſtus habetur. Secundum autem illum, quaſi felicem, vernaculô ſermone appellant; boni ominis ergo, ut Eumenides, & Adraſtiam & Parcas, quæ nemini parcunt.* Hinc vitabant dicere, *ante diem, diem ſecundum Kalendas* aut *Idus*, ſed pro eo dicebant, *ante diem ... pridie.* Græci, ἔσω δὲ παράδειγμα, ὥσπερ ὅταν πεμπταίαν ... διὰ τὸ ἀποτὴν τρίτην πρὸ τριῶν νόννων, τὴν δὲ τετάρτην πρὸ μιᾶς νόννων, φράζεσθαι τὴν δυάδα. Interim falſum cenſet Salmaſ. contemplatione hâc factum eſſe, ut Romani morem illum intercalandi deſererent, quum utique ſemper parilem numerum in anni ſui computatione vitaverint: Statim enim à Numa, qui annum Romuli correxit, unus dies abundavit, aut per imprudentiam, aut eâ ſuperſtitione, inquit *Cenſorinus*, quâ *impar numerus* plenus & fauſtior habebatur; ut ipſe Salmaſ. pluribus docet *ad Solin. p.* 19. Vide quoque ſuprà *Duas.*

NUMICIUS, nunc *Rivo di Nemi*, Latii fluviolus, ex lacu Nemo effluens, Lavinio proximus labitur, in quo repertum fuit cadaver Æneæ, & in quo Anna ſoror Didûs ſe ſubmerſit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 150.

—— *Fontis ſtagna Numici.*

Pari modulô Sil. *l.* 8. *v.* 179.

—— *Parvo deſcendens fonte Numicus.*

Horatius impari. Sic enim ille, *l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 20.

Brunduſium Numici melior via ducat, an Appî.

Ejus meminit Tibullus *l.* 2. *El.* 5. *v.* 43.

Illic ſanctus eris, cùm te veneranda Numici
Unda Deum cælo miſerit indigetem.

Virg. ubi ſuprà, *v.* 797.

—— *Sacrumque Numici*
Litus amant. ——

Hinc *via Numicia*, Brunduſium ducens. *Lloyd.*

NUMICIUS Priſcus, vide *Titus.*

NUMICIUS Thermus, Præturâ functus, Tigellini ſimultatibus deditus, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminoſe detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipſe, patronus ejus nece immeritâ lueret, Tac. *l.* 16. *Annal. c.* 20.

NUMIDIA, regio Africæ mediterran. *Metagonitis*, Plinio *l.* 5. *c.* 3. in Libyæ interioris & Mauritaniæ confinio. Olim ſub Regibus fuit, inter quos celebris Maſiniſſa, Populi Romani ſocius, qui, violatus à Carthaginenſibus, bello Punico tertio occaſionem præbuit, Florus, *l.* 2. *c.* 15. Hujus fil. Manaſtabiles, ex pellice Jugurtham ſuſcepit: qui à Micipſa Rege adoptatus, fratrem Hiempſalem è medio ſuſtulit, alterum Adherbalem Romam fugere coëgit: unde bellum Jugurthinum. Quô tandem finitô, Numidia Regibus Pop. Romani ſociis quatuor, inter quos Hiempſal, donata eſt: cui Juba fil. ſucceſſit, quem Cæſar, quòd Pompejo faveret, profligavit, vicit, Numidiamque provinciam fecit, Criſpô Salluſtiô ei præfectô datô. Stadius in Flor. *c.* 1. *l.* 3. Hodie variis ſubeſt Principibus Mahometanis, qui perpetuis inter ſe bellis colliſi, nomina urbium indies mutant. Populi *Numidæ*, apud quos urſi ferociſſimi gignuntur, teſte Solino *c.* 29. *Biledulgerid*, à dactylis, quorum ibi ingens copia, Marmolio, *deſcr. Afr.* Videatur *Strabo*, *Plin. Salluſtius*, *Ptol.* &c. *Cluver. Sanſo. du Val. Geogr.* Addo, quòd *Numidas* non ſolùm naturalem Cæſariem alere, ſed etiam alienâ Cæſarie, equinis nimirum jubis, caput ornare conſueviſſe, diſcimus ex Tertulliano *de Pallio c.* 4. cùm ad ſuos Carthaginenſes, *Unde apud aliquos Numidas*, ait, *etiam equis Cæſariatos juxta cutem tonſor & cultri vertex ſolus immunis?* Ubi Salmaſ. legit, *aliqua Numidas*, i. e. *aliquatenus Numidas*, ſicque Carthaginenſes Tertulliano dici vult, propter vicinitatem Numidarum. Imò & *Numidiam* partem eſſe Africæ minoris, in qua Carthago ſita, ſcribit *Ptol.* Senſus ergo verborum horum eſſet: Unde apud meos, qui vicini Numidis & pæne Numidæ eſtis, juxta cutem tondendi mos inolevit, cùm Numidæ, vicini veſtri, non tantùm naturalem cæſariem alant, ſed etiam equinis jubis caput ornare ſoleant? Non igitur ex vicinis & conterraneis veſtris Numidis hic mos apud vos inductus, ſed ex Græcis. Accepêre quidem hæc verba, *etiam equis cæſariatos*, omnes ita, quaſi Numidæ non ſuam tantummodò, ſed etiam equorum ſuorum cæſariem aluiſſe dicantur: Sed hoc multis modis ineptum eſt & ferri non poteſt: nam cæſaries de equis non dicitur: & ſi maximè diceretur, non ſoli Numidæ in equis ſuis cæſariem nutriebant, ſed ipſi Græci quoque, etiamſi ipſi ſtrictim tonderentur, equos tamen ſuos jubatos & cæſariatos, ut ita loquar, eſſe ſinebant. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 86.

Denſa juba & dextro jactata recumbit in armo.

Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Nihil notius. Quare hac in parte nihil peculiare Numidis fuit, quod Græci non habuerint & pleræque omnes nationes, apud quas equi jubati. Nam equorum ornatus juba; aliter in homine eſt: nec enim apud omnes gentes eadem ſuper hac re conſuetudo, aut opinio. Græci elegantiores ſtrictim tondebantur: *Numidæ* contraria omnia ſequuti, non ſolùm capita ſua non tondebant, nec ſtrictim, nec per pectinem, ſed etiam præter naturalem cæſariem, equinas caudas, quaſi alteram cæſariem, in capite geſtabant. Hoc eſt, quod ait Tertullianus, *Numidas equis cæſariatos eſſe*, equinis ſcil. jubis aut caudis criſtatos. Poëta,

——— *criſtaque hirſutus equina.*

Ἵππουρι, Græci vocant iſtiuſmodi galeæ criſtam. *Gloſſographi*, Ἵππουρις· ἱππείαις θριξὶ κεκοσμημένη ἢ ἡ τὸν λόφον ἔχουσα περικεφαλαία τοιαύτη κατεσκευασμένον. Itaque Numidæ, utpote militares, & cæſariati ipſi, & galeas equis cæſariatas gerebant, h. e. equinis pilis ornabant: Quos cùm propter vicinitatem imitari debere viderentur Carthaginenſes, Græcorum potiùs delitias & munditias affectabant, quibus ſtrictim & in orbem tonderi moris erat Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit.*

NUMIDIA Altera, quæ *nova* nominatur, incolis *Guzuntina* teſte *Marmol.* pars Africæ propriæ litoralis ad ſinum Numidicum, in Mauritaniæ Cæſarienſis confinio inter Ampſagam & Bagradam fluv. in qua Cirta, Saldæ & Cullu urbes. *Regno di Conſtantina* vulgò dicitur. Sinus verò Numidicus *Golfo di Stora*, vel *di Eſtora*, teſte *Marmoliô.* Populi quoque *Numidæ.* Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 41.

Et Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita Syrtis.

Homines feroces, ſtupidi, viſus plerunque obtuſi & edentuli, ſunt. Numidæ equites in comitatu divi'um Romanorum fuêre, de quo legendus Lipſius, *ad l.* 2. *Hiſt. Tac.* itemque Torrentius, *ad Suetonii Neronem, c.* 24. Hæc regio cameloſtru'hionem avem prægrandem fert, quæ proverbiô *Avis Numidica* dicitur, apud Ariſtophan. *in Avibus*, de homine prægrandi ac timido. Vide *Nomades.*

NUMIDIA Propria, pars erat Africæ, inter Africam propriam ad Ortum, Sitifenſem ad Occaſum, Gætulos ad Meridiem & mare Mediterraneum ad Boream. Ubi nunc regna Bugiæ & Conſtantinæ, in regno Algerii, in ea populi erant Circeſii & Natabutæ. Numidicus verò ſinus nunc *Golfe de Store* dicitur.

URBES NUMIDIÆ NOVÆ, QUIBUS ASTERISMUS PRÆNOTATUR, CELEBRIORES SUNT, AUT FUERUNT.

* Ammædara, *Amedar.*	Muſſa.
* Aphrodiſium colonia, *Africa.*	Narangara.
* Aquæ calidæ.	Nenſa.
Aſpuca.	Ruſicada, *Stora.*
Aſſurus.	* Sicca Veneria, *Antrangues.*
Avitta.	Simiſthuth.
Azama.	* Tabraca colonia, *Tabarca.*
Bendena.	Tacatua, *Suchaida.*
* Bullaria.	Thaſia.
Cannopiſſæ.	Themiſſua.
Cipipa.	Theudale.
* Cirta, *Conſtantina.*	* Theveſte, *Tebeſſa.*
* Collops magnus, & Cullu, *Collo.*	Thigiba colonia.
Collops parvus, *Larobo.*	Thiſica.
Culcua colonia, *Cucutina.*	Thoronuba.
Dabia.	* Thuburnica colonia.
Elica.	Thuburſica.
Gauſaphna.	Thunudromon colonia.
Gedne.	Tobrus, *Obros.*
Hippon diarrytus, *Biſerta vecchia.*	* Tucca gemina.
* Hippon regius, *Bone.*	Tucubis.
Lambæſa, ſeu Lampæſa, *Lambeſca.*	* Vaga.
* Lares, *Migana.*	Vazua.
Madurus.	* Utica, *Biſerta.*
Melc̄ita.	Uzan.
	Zagacupoda.
	Zigera.

NUMIDICA ſeu *Africana Gallina*, apud *Petronium*,

Tuo palato pavo clauſus paſcitur,
Gallina tibi Numidica &c.

Statium *Sylv.* 6. *l.* 1. *in Domitiani Saturnal. v.* 75.

Inter quæ ſubito cadunt volatu,
Immenſæ volucrum per aſtra nubes,
Quas Nilus ſacer horriduſque Phaſis,
Quas udo Numidæ legunt ſub Auſtro &c.

in Veterib. fuit cupediis, vide quoque Horat. *Epodô* 2. Juvenal. *Sat.* 11. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 58. & 77. &c. Quas Romanis magis cognitas, utpote ex propinquo allatas, Græci parùm videntur noviſſe: quorum ſi qui famâ ad ſe perlatas memoraverunt, Μελεαγρίδας illas appellaverunt, à ſimilitudine, quam cum *Meleagridibus* habent. Interim & apud Romanos non niſi ſerò in cibis receptæ ſunt. Varro, *l.* 3. *RR. c.* 9. *Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt è culina, propter faſtidium hominum.* Et Plin. *l.* 10. *c.* 26. *Noviſſimæ ſunt peregrinarum avium receptæ, propter ingratum virus.* Unde patet, ſolam raritatem pretium auxiſſe: ut idem *ibid.* docet Varro, *Veneunt propter pecuniam magnô. Petronius* item,

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 19. Galli hodie vocant *gallinas Guineæ*: in capite tuber habent ſive gibbam rutilam; unde *gibberas* eas eſſe, Auctores tradunt. *Guttatæ* porrò dicuntur Martiali *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 15.

Et picta perdix Numidicæque guttatæ,

h. e. albæ nigris intervenientibus punctis, vide ſuprà in hac voce, it. ubi de *Africanis Gallinis*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin.* paſſim, inprimis verò *p.* 872.

NUMIDICI Urſi, apud Solin. *c.* 26. *Numidici urſi cœteris formâ præſtant*, Lipſio leones ſunt; eo quòd Plin. *l.* 8. *c.* 58. negat, Africam urſos habuiſſe, miraturque adſcriptum Annalibus M. Piſone & M. Meſſallâ Conſulib. Domitium Ænobarbum Curulem, *urſos Numidicos centum dediſſe*, cùm in Africa urſum non gigni conſtet. Sed contra Plinium ſtant multi teſtes è veterib. Græcis Latiniſque, *Herodotus*, *Strabo*, *Virgilius*, *Juvenalis*, *Martialis*, Alii, qui omnes urſos Africæ dant & *Libycos Numidicoſque* vocant. Ariſtoteles ipſe inter animalia Africæ negata, urſorum non meminit, vide eum *Hiſt. Animal. l.* 8. *c.* 28. Quòd verò in Domitii nummo, in memoriam Ædilitatis ejus cuſo, venator cum leone expreſſus eſt; ideo id factum ſine dubio, & cùm in muneribus iſtiuſmodi beſtiarum omnia genera edi ſolebant, leo potiùs in eo formatus eſt, quàm urſus, quia nobilior fera & rarior quæque magnificentiam muneris magis teſtaretur. Nam urſi paſſivi tum & communes. Ex pluribus enim Europæ locis advehebantur; Alpes urſis refertæ: in propinquo etiam habebant Lucanos urſos. Ænobarbus verò *Numidicos* exhibuit, quia rariores: utpote qui è longinquiore regione petiti, rabie inſuper & villo profundiore cœteris præſtabant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 311.

NUMIDIUS Quadratus, prænomine *Titus*, ſub Claudio, Syriæ Præſes, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 45.

NUMINA, in ſylvis ſeu lucis culta ab antiquis; vide ſuprà in voce *Luci*: præcipua in omnibus ſacris fuêre, Janus & Veſta; unde in precibus, quas Sacerdos, victimâ ad aram adductâ arâque prehenſâ, ſtans fundere ſolebat, principium precationis ab iis fieri oportuit, utpote quòd in omnibus ſacris præcipua *Numina* eſſent, perque eos ad cœteros aditus patere crederetur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 39. Plurima fuêre Gentilibus, qua de re vide ſuprà in voce *Dii*, ut & *Numen.*

NUMISIUS Lupus, legionis octavæ in Mœſia legatus, ab Othone conſularibus ornamentis donatus, Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 79. tranſit in partes Veſpaſiani, *Hiſt. l.* 3. *c.* 10. à militibus transfugium ad Civilem meditantibus vinctus, *Ibid. l.* 4. *c.* 59. Dein à Tullio Valentino, ac Tutore unà cum Herennio occiſus, quô minore ſpe veniæ creſceret vinculum ſceleris, *c.* 70.

NUMISIUS Rufus, ſub Hordeonio Flacco conſulari, legatus legionis, in Exercitu Germanico inferiore, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 22.

NUMISMA, à Græco Νόμισμα, quâ voce utitur Epicharmus, ut & Ariſtoteles aliique, Latinum non eſt, annotante Becmannô *in Origin.* Aliter *Numus*, nempe à Græco νόμος, νῦμος, *lex.* Γίνεται γὰρ πῶς μέτρον· Πάντα γὰρ μετρεῖ. *Fit enim norma omniaque menſurat*, Ariſtotel. *Ethic. l.* 5. *c.* 8. Vel, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶν, *quoniam non naturâ, ſed ex inſtituto ac lege valet.* Duo enim requiſita, ut valeret *Numiſma* ſeu potiùs *Nummus*, proba materia, & vultus Imperatoris (qui viva Lex eſt, auctoritatem ac valorem nummis concilians) ei impreſſus, Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 10. *c.* 2. Unde Claudian. *l.* 2. *in Ruffinum, v.* 341.

——— ——— *Et quod poſt vota daretur,*
Inſcribi propriis aurum fatale figuris.

Meritò proin Joſ. Scaliger *in Collectaneis*, Suetonium Tranquillum à *Numa numos* appellatos, ineptè ſcribere affirmat. Aliter Græcis Χρῆμα, *ab utendo*, quòd monetâ ad omnia comparanda utamur: Item Κέρμα, quod vocabulum minutis attribuitur monetis X. Latinis *Moneta*, à *monendo*, quòd ſignis in eam impreſſis de ſeculi, in quo cuſa, moribus admoneamur. Item *Pecunia*, à nota *pecudum*, quâ Servius Tullus æs ſignavit: Plinio, *l.* 33. *c.* 3. Varroni, *l.* 4. *de LL.* & Feſto, à *Pecu*, quòd *pecoribus* apud Antiquos opes & patrimonia conſtarent. Æs quoque, quod ex *ære* Romani primùm cuderent X unde *Ærarium* &c. Et quidem æs argentumque olim appendebatur, ut ſcribit Plinius *loc. cit.* neque ſignato *Nummo* antiquitus utebantur Romani. Locus ſic habet: *Populus Rom. ne argenteo quidem* Nummo *ante Pyrrhum Regem devictum, uſus eſt. Libralis, unde etiam nunc* libella *dicitur, & dipondius appendebatur aſſis, quare æris gravis pœna dicta eſt. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia impendere. Quin & militum ſtipendium, h. e. ſtipis ponderandæ penſatores Libripendes dicuntur, quâ conſuetudine in his emptionibus, quæ mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur.* Sed de his vide plura, ſuprà in voce *Moneta*: Adjiciam hìc ſaltem quædam, ibi omiſſa. Ex plumbo *Nummos* olim nullos conſtitiſſe hactenus creditum, & *Plumbeos centum*, Martialis *Epigr.* 74. *l.* 10. *v.* 4. quos idem *l.* 3. *Epigr.* 7. *v.* 1. *Centum quadrantes* appellat: *Plumbeam ſelibram* ejuſdem Auctoris *l.* 1. *Epigr.* 100. *v.* 15. *Nummum plumbeum* Plauti *Caſinâ Actu* 2. *Sc.* 3. & *Trinummo Actu* 4. *Sc.* 2. Item *Moſtellariâ Actu* 4. *Sc.* 2. de vili & minuta pecunia Eruditi interpretati ſunt: Ut apud eundem Martialem ſæpius cit. legimus, *Plumbea vina* & *plumbea mala.* Sed monetam plumbeam candidè agnovit Juſtus Lipſius *in Schedis*, & iſtiuſmodi *Nummos* aliquot veteres, Romæ alibique erutos, plumbeos omnes, ſibi à Fortuna favente oblatos fuiſſe, quos averſos & adverſos in tabellâ exhibet, narrat Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, vide inprimis *p.* 248. E ſtanno & cupro, Præfectum Chriſtianoſtadii, urbis Scaniæ Inſulæ, à Suecis obſeſſæ A. C. 1676. *Nummos* cudiſſe, ut ſtipendium militibus ſolveret, ſolutâ obſidione melioribus permutandos, *Relatio Francofurt.* nuper attulit. E lupino ſibi feciſſe veteres Comicos, diximus ſuprà, ubi de eo. Nec omittam, vocem *Nummi* apud Romanos pro ſeſtertio, vulgatiſſimi uſus, abſolutè ſæpe uſurpari. Unde Ch. Hegendorphius in Ciceron. *Verr. V. Mille hujuſmodi Seſtertii Nummi, faciunt unum Seſtertium in neutro genere, & conficiunt plus minus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

viginti quinque coronas. Ideo Plut. qui Ciceronem narrantem, Roſcii bona, quæ erant ſexagies, *duobus millibus nummum* emiſſe Chryſogonum Sullæ libertum, διχιλίων δραχμῶν interpretatur, notat Scaliger, quando *Nummus* & Seſtertius apud omnes utriuſque linguæ Auctores paſſim ἀδιαφόρως: docetque, quoties dicunt Latini, *mille nummum*, *duo millia* & deinceps *nummum*, tum eos non alios, quàm Seſtertios, ut erat in formulis, *Nummi unius*, *aſſium quatuor*, intelligere, apud Gronovium *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 11. A *Nummo*, adjectivum *Nummarius*: Hinc *Nummariæ leges*, apud Romanos, quarum quatuor fuêre, ad quas meliùs intelligendas hæc præmitto. Servius Rex, ut dictum, primus ſignavit æs, cùm antea rudi ſolùm uterentur: fuitque eô Rege maximus cenſus CX. M. aſſium, quæ proin prima claſſis. Argentum ſignatum eſt Ann. Cond. Urb. 490. Q. Ogulniô, C. Fabiô Conſulib. quinque annis ante primum bellum Punicum: & placuit denarius pro 10. libris æris, quinarius pro quinque, ſeſtertius pro dupondio ac ſemiſſe. Libræ dein pondus imminutum bellô Punicô I. cùm impenſis Reſp. non ſufficeret: conſtitutumque, ut aſſes ſextantariô pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum: Fuit autem nota æris ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis; in triente verò & quadrante, rates. Quadrans antè à tribus unciis *Triuncius* dictus. Poſteà Annibale urgente, Q. Fabio Max. Dictatore, aſſes unciales facti ſunt placuitque denarium 16. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Ita bellô Reſp. dimidium lucrata eſt: in militari tamen ſtipendio ſemper denariô pro decem aſſibus valente. Nota argenti fuêre bigæ atque quadrigæ & deinde *Bigati Quadrigatique appellati.* Mox lege Papirianâ ſemunciales aſſes ſunt facti. Livius Druſus in Tribunatu Pleb. octavam partem æris argento miſcuit: Qui nunc *Victoriatus* appellatur, Lege Clodiâ percuſſus eſt, cùm antea hic *Nummus* ex Illyrico advectus, mercis locô haberetur, à *Victoria*, quâ ſignatus, nomen trahens. Aureus *Nummus* poſt annum 62. percuſſus eſt, quàm argenteus, ita ut ſcrupulus valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras, ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant, ſeſtertios 790. Poſt hæc placuit 40. m. ſed ſignati ex auri libris, paulatimque Principes imminuêre pondus, minutiſſimus verò ad 45. m. ex Plinio *l.* 33. *c.* 3. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 20. ut & infrà aliqua in voce *Obolus.*

LEGES NUMMARIÆ APUD ROMANOS.

Papiriâ lege cautum fuit: *Ut aſſes, qui unciales erant, ſemunciales fierent.* Lata fuit autem à C. Papirio Carbone Tribuno D. L. Com. Scipione. C. Lælio Nepote Conſulib. an. 563. Urb. Cond. ut *Hotomannus* recenſet.

Livia à M. Livio Druſo Tribuno Pleb. an. Urb. Cond. 632. Cn. Dom. Ahenobarbo, C. Fannio Strabone Conſulib. lata, *Ut octava æris pars argento miſceretur*, voluit.

Clodia vel Claudia fuit, *Ut Victoriatus* Nummus, *qui ex Illyrico advectus mercis locô habebatur, Romæ percuteretur, & eadem Victoriæ notâ obſignaretur.*

Maria Lex, à M. Mario Gratidiano Prætore ſancita, L. Sullâ Dictatore, anno Urb. Cond. 672. *Ut nummi certâ tum excogitatâ ratione probarentur.* Jactabatur enim tum *Nummus*, ut quid haberet, nemo ſcire poſſet, Cicer. *Offic. l.* 3. &c. Plura de *re Nummaria*, vide apud Oriſmium Lexovienſem Epiſcop. Budæum *de Aſſe*, Alexandrum Sardum, Bilibaldum Pirckheymerum, Henr. Bantingum, Henr. Mameranum *de priſca Moneta*, Joach. Camerarium *de Numiſmatibus Græcis & Lat.* Staniſlaum Grſepſium, Matth. Hoſtum *Hiſt. rei Nummariæ veteris*, Johann. Fridericum Gronovium *de Pecunia vet.* alioſque: Quibus adde *Nummariæ rei veteris* peritiâ hôc tempore maximè florentem Carolum Patinum Doctorem Medicum Pariſ. egregiis hac in materiâ libris editis clariſſimum.

NUMISMA Cenſus, cujus mentio Matth. *c.* 22. *v.* 19. non certum fuit *numiſmatis* genus, quô ſolô tributa ſolverentur, ſed pecunia Romana, quæ ſola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. In Græco eſt, τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου; quæ vox κῆνσος, etſi Latina eſt dictio, non tamen ex uſu Latinè ſcribentium uſurpatur. Romanis Scriptoribus *cenſus* eſt deſcriptio agrorum & reliquarum fortunarum, in cenſum deferri ſolitarum, ut videre eſt apud Cicer. *in Verrem* & auctorem *Gloſſar.* Et olim quidem muneris Cenſorii pars erat, habere & ordinare cenſus: ſed poſtea, Cenſoribus ſublatis miſſi ſunt per provincias, quos vocabant *Cenſitores*; qui modum agrorum, quem quiſque poſſidebat, metiebantur & in tabulas cenſuales referebant: ex quibus tributi pro ſua virili cuique præſtandi ratio conſtabat. *Gloſſar. Cenſitor*, Ἀπογραφεὺς, Τιμητής. *Gregorio Nazianz.* Ἐξισωτὴς, in *Cod.* Theodoſ. *Peræquator* talis. Quum autem penſitationis præſtandæ modus penderet à cenſu, obtinuit in provinciis, ut ipſum tributum appellaretur Κῆνσος, *cenſus.* Unde in Euangelio κῆνσος idem quod φόρος eſt, ut Lucas hanc vocem interpretatur, *c.* 20. *v.* 22. *c.* 23. *v.* 2. Cujus vocis Romanæ proprietatem cùm Græci non intelligerent, genus pecuniæ, quô ſolveretur annuum tributum, ſic dictum putârunt voce Græcâ. Unde *Suidæ*, Κῆνσος τὸ νόμισμα, ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω τὸ κόπτω. At Dominus, cùm dicit, ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου, *Oſtendite mihi* numiſma *cenſûs*, manifeſtè diſcrimen ponit inter cenſum, h. e. tributum, & pecuniam, quæ tributi nomine penſitabatur. Similiter *Moſchopulus*: Κῆνσος νόμισμα δραχμῆς ἰσοστάσιον, *Cenſus eſt nummus, qui pendit drachmam*; ubi per drachmam denarium intelligere videtur, quem *Plutarchus* aliique Scriptores Græci voce δραχμὴ exprimere ſolent. Exiſtimavit nempe hic Grammaticus cenſum fuiſſe dictum pecuniæ genus, quô tributum ſolveretur; & quia mox petenti Domino numiſma cenſûs, denarius oſtendebatur; putavit, nummum, qui appellatur *cenſus*, fuiſſe denarium Romanum, ſive drachmam Græcam. Sed quòd Domino de tributi numiſmate quærenti denarius oſtendebatur, non hinc colligitur, quod is contendit. Denarius enim Chriſto oſtenditur, velut in exemplum pecuniæ Romanæ (in qua tributum Cæſari pendendum exigebatur) non ut peculiare aliquod monetæ genus, ad tributi ſolutionem cuſæ. Nec hinc bene concludunt *Baronius* & cum ſecutus *Luc. Burgenſis*, legitimum tributi modum, quod à ſubditis ſuis exigebant Romani, fuiſſe denarium: Confundunt enim tributum, quod pendebatur pro modo agri quem quiſque poſſidebat & aliorum bonorum, cum capitatione, quæ capitibus ſingulorum ſubditorum aliquando imponebatur, & genus fuit exactionis graviſſimæ, ut ex *Amm. Marcellino* conſtat. Poſtea verò Alexandri Imperatoris peculiare inſtitutum fuit, de quo vide Lamprid. *in eo c.* 39. A Nicephoro quoque. Phoca juſſum fuiſſe cudi pro militibus levioris monetæ gens, tributa verò in graviore pecunia exacta *Curopalates*, *Cedrenus*, alii ſcribunt. Vide Iſaac. Caſaubon. *Exercit. XVI.* §. 6. Seldenum *de Jure Naturæ & Gent. l.* 6. *c.* 17. *& Salmaſium ad Lamprid.*

NUMISMA Sacrum, iu Communione Romana dicitur, quod in coronis homines appendere ſolent, qui ritus originem accepit circa A. C. 1566. occaſione memoratâ à Famiano Strada *de Bell. Belg. l.* 5. *decad.* 1. Quamvis jam priùs iſtiuſmodi numiſmata ex plumbo ſtannove peregrinantium religionis ergò pileis legantur affixa, quæ iis Romæ vendebantur, circa A. C. 1200. ut *Ep.* 533. Innocentii III. in quibus ex una parte erat effigies Sancti alicujus, *Vendentes Veronicas* &c. Vide quoque Pontificis hujus Bullam, & plura hanc in rem, apud Dominic. Macr. *in Hierolex.*

NUMISTRO, oppid. Lucaniæ mediterran. Brutiorum, *Ptol.*

NUMITOR, fil. Procæ Albanorum Regis, quem per annuas vices, ſic ordinante Patre, regnaturum, Amulius frater minor natu regnô pepulit, Lauſumque fil. ejus interfecit, filiamque ejus Rheam Sylviam Virginem Veſtalem legit, ut ſub ſpecie honoris perpetuâ virginitate ſpem partûs ei adimeret. Verùm cùm illa ex Marte (ut Romani credi voluerunt) gravida facta eſſet, ipſam quidem in Tiberis ripâ vivam defodit, pueros autem in fluvio mergi juſſit, quos cùm in ſicco deſtitutos Fauſtulus inveniſſet, Accæ Laurentiæ uxori ſuæ educandos tradidit. Hi poſtea adulti Amulium interfecerunt, regnumque avo ſuo Numitori reſtituêre, *Plut.* Liv. *l.* 1. *c.* 3. Aur. Victor, *de viris illuſtr. c.* 1. Dionyſ. *Hiſt.*

NUMIUS Albinus, Conſul cum Max. Dextro, An. Urb. Cond. 1015.

NUMIUS Tuſcus, Conſul cum Amulino, An. Urb. Cond. 1045.

NUMMARIÆ Leges, vide ſuprà *Numiſma*; *à nummo dictæ.* Indidem *Nummata*, apud recentioris ævi Scriptores pretium res per nummos, ut *Denariata*, per denarios; *Librata*, per libras &c. Item nummus ipſe vel valor nummi ac pretium. Porrò merces ipſæ, *Denariatæ.* Gall. *Denrées.* Nam nummi & denarii, idem ſunt: ut patet ex *Cod.* Theodoſiano non ſemel. Etiam Fulbertus Carnutenſis *Ep.* 9. *Unum caballum à famulo noſtro Deodato debui comparare* 32. *ſolidis, pro arrabone datis* 12. *nummis.* Et *Ep.* 1[illegible]. *Dabit vobis pro hoc negotio mille libras denar. & centum palleas & nummos domina Reginæ quingentas libras nummorum.* Ubi *denarii* & *nummi* omnino idem. Matth. Weſtmonaſter. A. C. 1095. *Cùm verò eſſent plus quàm* 300. *armatorum millia* (in Terra Sancta) *tanta eis ſuppetebat copia, ut aries unô nummô, bos vix* 12. *venderentur.* Vetus Charta Anglic. *Dedi*---12. *nummos reditus in Weſtfrel---quicunque hanc tenuram tenet, poſt obitum illius ſuper altare, in die feſti S. Mariæ Magdalenæ annuatim reddat* 12. *denarios.* Vide Car. du Freſne *Diſſert. de Nummis Imperat. Conſt.*

NUMMIUS Albinus, ex fratribus Didii Juliani, apud Spartian. in *vita* hujus, *c.* 1. ubi alii *Numius*, vide ibi; alii *Numinius* habent. Sed rectum eſt *Nummius.* Ita enim vetus lapis,

JOVI
SERENO
NUMMIUS
ALBINUS
EX VOTO

apud Salmaſ. *ad Spartianum dict. loc.*

NUMMO locare, locutio rara & elegans, apud Plin. *l.* 9. *Ep.* 37. *Medendi una ratio eſt, ſi non* nummô, *ſed partibus locem; ac deinde ex meis aliquos operis exactores, cuſtodes fructibus ponam.* Eſt autem *nummô locare*, eam legem fundorum locationi dare, ut conductores annuam penſionem nummorum præſtent poſſeſſori: id quia ante hac factum, malè ſolventibus colonis reliqua creverunt. *Partibus locare* verò eſt ita locare, ut proventûs percipias partes, veluti ſeptimas, octavas, nonas, decumas, prout convenerit. *Partes* nempe non ſunt agrorum, nam ne priùs quidem unum conductorem omnia prædia coluiſſe apparet, ſed frugum; quam vocem ſemper intelligere oportet, quum apud Cicer. 3. *Verr.* legimus, *Decumas deberi, emere, venire, ſingulas decumas, alteras decumas, ternas decumas:* Item, *Ut quæ dimidiæ eſſent, decumæ vocarentur.* Quod indicat ipſe cùm ait: *His legibus, his conditionibus, erit quiſquam tam ſtultus, qui decumas veniſſe arbitretur? qui aratori novem partes reliquas factas eſſe exiſtimet?* Similiter capiendum, cùm Crotonienſes in bello apud Sagram Apollini *decimas prædæ*, Locrenſes *nonas* voviſſe, legitur, apud Juſtinum *l.* 20. *c.* 3. Sic *tertias prædæ* Plin. *l.* 34. *c.* 5. habet &c. Hoc unicum itaque remedium contra reliqua eſt, ut ipſe poſſeſſor quotannis ſuas partes aut per ſe aut exactores illos redigat neque ei quiſquam niſi ipſe ſibi in mora eſſe poſſit. At ubi *Nummo* locatum eſt, ut maximè diligens ac fidus ſit man-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

manceps, poteſt injuria anni & perfidia terrarum aut hujuſmodi caſus in illum affligere, ut remiſſiones petere & reliqua facere neceſſe habeat. Ideo addit Plin. *cuſtodes fructibus ponendos*, ſi partiarius, non nummo locâſſet; quia videl. intererat ejus tum, ne fructus diminuerentur. Ideo continenter: *Et alioqui nullum juſtius genus eſt reditus, quàm quod terra, cœlum, annus refert*: denotans, poſſeſſores ſanctiùs ipſius terræ reditu in parte frui, quàm locato fruendo aliis toto agro pecuniam paciſci. Et hi *Partiarii coloni* dicuntur, qui ſic conducunt. Cajus *l.* 25. *ff.* 6. *de Loc. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioqui partiarius colonus, quaſi ſocietatis jure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur.* Ubi habet utrumque genus conductionis, ut apud Plin. utrimque genus *locandi*. Cato *de R. R. c.* 16. *Calcem partiario coquendam qui dant ita dant.* Sic *paſcenda pecora partiaria, i. e. ut fœtus eorum portionibus quibus placuit, inter dominum & paſtorem dividantur*, inquit Imperator Antoninus *l.* 8. *Cod. de Pactis.* Vide Jo. Frid. Gronovium *Obſerv. l.* 4. *c.* 16. *in fin.*

NUMMULARII, Græcè Κολλυβισαὶ, Matth. *c.* 21. *v.* 12. Καὶ εἰσῆλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε, κτλ. *Et introivit Jeſus in Templum Dei & ejecit omnes, qui vendebant & qui emebant in Templo: menſaſque* Numulariorum *ſubvertit* &c. Aliter Ἀργυραμοιβοὶ, *Campſores*, dicuntur qui nummulos & minutos nummos pro majoribus dabant iis, qui neceſſe habebant majores minoribus ad uſum ſacrum permutare. *Gloſſ. Gr. Latin.* Χαλκολόγος, *Nummularius Æſculator. Gloſſ. Lat. MS. Reg. Nummularius, Collectarius, Menſarius.* Vide *l.* 19. *ff. de Edendo.* Sed & eadem voce Monetarii deſignantur in *Tab.* Eccleſiæ Gratianopolit. *Brevis, vel computatio de conſuetudine, quam Epiſc. Gratianopolitanæ Urbis----habuerunt in Eccleſia S. Donati Confeſſoris----Fit & inſuper alia conſuetudo in prædicta Eccleſia, vel in ſupra dicto loco, ut in ſuo cymiterio Nobiles & potentes, divites & pauperes, ſine ulla contradictione, ſepeliant*, Nummularios, *h. e. Monetarios habeant*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà in voce, *Trapezita*, it. ſuprà *Argentarii*; uti de quatuor ſenſibus, quorum judicium in explorandis nummis adhibent, infrà *Olfactus*.

NUMMULUS nuptialis apud Hebræos arrha. Et quidem Sponſalia ex pecunia ſeu *Numulo* dato, quæ קירושן בכסף, *Sponſalia argentó facta* appellant, ita fiebant. *Nummulô*, aliôve bonorum genere, quæ nummulum ſaltem valerent, velut arrhâ, legitimè datô, puellæ conſentienti dixerat is, qui adſtantibus teſtibus ſpoponderat, *Ecce tu mihi ex hoc ſponſa ſis*, aut *Sis mihi in uxorem*, aut horum verborum quid ſimile. At ſi puella dixerat, *Ecce ego tibi ſponſa ſum*, nummulum ei donans, aliiſve quibuſcunque conventionis matrimonialis verbis fuerat uſa, res irrita erat. Quod itidem dicendum, ubi nummulum donante illâ ille verba protulerat &c. Ritus originem arceſſunt è fundo, quem pretio appenſo emit ab Ephrone Abraham Gen. *c.* 23. *v.* 9. perinde ac ſi, ut ille fundum, ita heic Sponſus ſponſam emeret. Dictus eſt autem *Nummulus* hic *Prota*, & erat *octava pars Aiſaræ Italicæ*, uti legitur in *Miſna tit. Kidoſchim c.* 1. ubi *Aiſara* idem forte nummuli minuti genus eſt, quod in paſſerculorum pretio memoratur, apud Euangeliſtas, ἀσσαρίου nomine, Matthæi *c.* 10. *v.* 9. & Lucæ *c.* 12. *v.* 6. de quo apud Magiſtros legitur, è Veter. eſſe traditione receptum, *Numulum hunc Prota dictum ponderare dimidium grani argenti puri.* Scilicet nummorum genus erat minutiſſimum; & tanti valoris minimùm eſſe oportuit, quod Sponſalium nomine heic donabatur: cujus in locum ſeculis recentioribus Annulus ſucceſſit, ex aliarum gentium imitatione. Sed verò non omnimoda bona, in Sponſalibus contrahendis, *Nummuli* locum legitimè obtinebant. Nam aut ſi res eô nomine data, aut eſſet id quod uſibus apud eos humanis interdiceretur, veluti fermentum tempore Paſchatis, caro in lacte, idque genus cetera, ex Lege vetita, irrita planè Sponſalia habebantur. Parile jus obtinuit, ubi Sacerdos ex eduliis, quæ *Sanctorum* nomine generi Sacerdotali debebantur, parte ſuâ deſumtâ quampiam ſibi deſponſaret, &c. Non diſſonus huic Hebraico mori conjugium contrahendi apud Romanos modus erat, qui *per Coëmtionem* fieri dicebatur: ubi etiam pretium interveniſſe, uti Sponſalibus apud Hebræos *Nummulo* ejuſque valore initis, ipſa vox indicat. Et appoſitè heic Briſſonius *de Ritu Nupt. Coëmtionem*, inquit, *imaginariis venditionibus peractam, ut & Adoptionem, credibile eſt, in eaque facienda* Nummos *aliquot dicis causâ intervenisse. Id enim in aliis legitimis actibus obſervabatur, in quibus ſpecietenus mancipationum ſolennia repræſentanda erant.* Atque emptas pariter uxores, in ipſis Sponſalibus, Nuptiiſque, notat ex LL. veter. Burgundionum & Saxonum; qui mos & in Chriſtianiſmo retentus, apud aliquas gentes, hodieque obtinet. Certè & Varro, ubi Coëmtionis ritus diligentiſſimè percurrebat, de *Vita P. R. l.* 2. *Nubentes*, ait, *veteri lege Romanâ aſſes tres ad maritum venientes ferre ſolitas; atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi cauſâ marito dare, alium quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere; tertium in ſacciperio cùm condidiſſent, compito vicinali ſolere reſonare.* Sic emebat, aut quaſi, Sponſa Sponſum; quam ad rem etiam affert, Varronis hæc citans, Nonius Marcellus illud Virgilii, quô Tethys, nomine filiæ, *generum emere ſibi* dicitur *omnibus undis*. De Germanis quoque Tacit. *Germ. c.* 18. *Dotem non uxor marito ſed uxori Maritus offert. Interſunt Parentes & propinqui ac munera probant, Munera non ad delitias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum & ſcutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales Deos arbitrantur.* Ubi planè Coëmtio nuptialis. Et de phiala Sponſo Sponſæque, ex Græcorum aliorumque in Oriente populorum more, dari ſolitâ, videſis quæ notavit Iſaac. Caſaubonus *ad Athen. l.* 13. *c.* 5. &c. Plura hanc in rem vide apud Joann. Seldenum *Uxor. Ebraic. l.* 2. *c.* 2. & 20. adde ejuſdem *l.* 3. *c.* 25. ut & quæ infrà dicemus, ubi de *Nuptiis*.

NUMMUM inferendi ærario publico, triplex apud Romanos ratio olim. Refert enim Dionyſ. Halicarn. *l.* 4. ex inſtituto Servii Tulli, naſcente aliquô *nummum* inferri conſueviſſe, in ærarium Junonis Lucinæ: dein quôpiam virilem togam aſſumente, *nummum* fuiſſe delatum, in Juventutis: moriente tandem aliquô, *nummum* à propinquis illatum, εἰς τὸν Ἀφροδίτης θησαυρὸν ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, *in ærarium Veneris in luco ſitum, quam Libitinam appellant.* Quæ tamen inferendi *nummi* conſuetudo poſtmodum deſiiſſe videtur, ut cujus nullus amplius Scriptor meminit: ſed mortuorum numerus ex Libitinariis cognoſcebatur: Sueton. *Nerone c.* 93. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 27. qui etiam de *Nummis ſcorteis* Antiquorum, *l.* 3. *c.* 70. plura verò de *Nummo* ejuſque generibus variis, hîc paſſim, inprimis ſuprà voce *Moneta*, item *Numiſma*: uti de *Servis de quatuor nummis* infrà, voce *Oblati Monaſter.* de *nummo* Veneri Cypriæ offerri ſolito infrà, voce *Venus*.

NUN, pater Joſuæ, Joſ. *c.* 1. *v.* 1. Et fil. Eliſama, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 27. Latinè *poſteritas*, *ſtirps*, vel *filius*, aut *æternus*, ſive *permanens*: aut Syriacè *piſcis*.

NUNC dimittis, in Eccleſia Romana, tertium eſt Euangelicum canticum, quod in Completorio recitant; *quia ad modum commendationis animæ eſt, quæ Deo porrigitur, ante ſacrum, æternitatis ſymbolum*, Amalarius apud Macros in voce *Canticum*.

NUNCOREUS, Seſoſtris fil. qui obeliſcum illum 100. cubitorum, qui poſteà Romæ ſitus fuit in Vaticano, curavit excidendum, Plin. *l.* 36. *c.* 11. Diodorus *Seſoſtrim* vocat, patris nomine; ait enim, Seſoſtris filium in regno ſuccedentem, καὶ τὴν τοῦ πατρὸς προσηγορίαν ἑαυτῷ περιθέμενον, *& patris nomen ſibi aſſumentem*, nihil bellô memorabile peregiſſe, *l.* 1. Herodot. *Pherezonem* appellat, eumque, præter alia in reliquis templis donaria ſuſpenſa, in templo Solis duos obeliſcos ſpectaculô dignos, longitud. 100. cubit. latitud. 8. poſuiſſe, ob viſum ſibi reſtitutum, refert, *l.* 2. *c.* 111. Vide infrà *Pheron*, it. *Rubra Gleba*.

NUNDINA, Romanorum Dea, à *nono die* naſcentium dicta, qui & *luſtricus* dicitur, quô infantes luſtrabantur, Macrob. *l.* 1. *Sat. c.* 16. *Luſtricus dies olim appellabatur, quó pueri luſtrabantur, & nomen accipiebant.* Sueton. *in Neron. c.* 6. *Ejuſdem futuræ infelicitatis ſignum evidens die luſtricô extitit.* Feſtum, cui hæc Dea præerat, Suovetaurilibus peragebatur, & circumitione. Circumferebantur autem pueri per Obſtetrices, vel Miniſtros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια & Δρομιάμφια, per metatheſin. Vide ſuprà in voce *Luſtricus dies*.

NUNDINÆ, Feriæ erant apud Romanos publicæ, paganorum, i. e. ruſticorum, quibus conveniebant, negotiis propriis vel mercibus proviſuri, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 16. Unde *Sextus Pom. Nundinas*, inquit, *feriarum diem eſſe voluerunt antiqui, ut ruſtici convenirent mercandi vendendique cauſâ, eumque nefaſtam, ne, ſi liceret cum populo agi, interpellarentur Nundinatores.* Interim negâſſe veterum quoſdam, *Nundinas* ferias eſſe, idem *Macrob.* docet, Titum, nempe, Julium, Modeſtum & Trebatium, affirmantibus contrà Juliô Cæſare & Corn. Labeone, additque hujus varietatis cauſam, apud Granium Licinianum *l.* 2. inveniri, his verbis: *Is ait*, Nundinas *Jovi ferias eſſe, ſiquidem Flaminica* Nundinis *in regia Jovi arietem ſoleat immolare. Sed lege Hortenſiâ effectum, ut faſtæ eſſent, uti ruſtici, qui nundinandi cauſâ in Urbem veniebant, lites componerent. Nefaſtô enim die Prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur, patrociniô vetuſtatis: qui contrà ſentiunt, æſtimatu ætatis, quæ legem ſecuta eſt, vera depromunt* &c. De origine *Nundinarum* ita rurſus *Macrob. Nundinarum*, inquit, *originem quidam Populo aſſignant, quem communicatô regnô cum T. Tatio, ſacrificiis & ſodalitatibus inſtitutis*, Nundinas *quoque adjeciſſe commemorant, ſicut Tuditanus affirmat. Sed Caſſius Sev. Tullium feciſſe* Nundinas *dicit, ut in Urbem ex agris convenirent, urbanas ruſticaſque res ordinaturi. Geminius ait, diem* Nundinarum *exactis jam Regibus cœpiſſe celebrari: quia plerique de plebe, repetitâ Servii Tulli memoriâ, parentarent ei* Nundinis. *Rutilius ſcribit, Romanos inſtituiſſe* Nundinas, *ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nonô autem die* (& hinc *Nundinarum* nomen) *intermiſſo rure, ad mercatum, legeſque accipiendas Romam venirent, & ut ſcita, utque conſulta frequentiore populô referrentur: quæ trinundinô die propoſita, à ſingulis atque univerſis facilè noſcebantur: unde etiam mos tractus, ut leges trinundinô die promulgarentur. Eâ re etiam Candidatis uſus fuit in Comitium* Nundinis *venire & in colle conſiſtere, unde coràm poſſent ab univerſis videri. Sed hæc omnia negligentiùs haberi cœpta & pòſt abolita, poſtquam in trinundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adeſſe cœperunt.* Verùm quæ *de octo diebus* apud Macrobium Rutilius habet, ex Dionyſio Halicarnaſſæo corrigenda *l.* 7. qui ſic de *Nundinis*: Αἱ δὲ ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων, δι᾽ ἡμέρας ἐνάτης· Ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ᾽ ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινὰ ὅσων ἦσαν κύριοι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν. Τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν ἑπτὰ ἡμέρας, αὐτουργοί τε ὄντες οἱ πολλοὶ καὶ πένητες, ἐν τοῖς ἀγροῖς διέτριβον, I. e. *Nundinæ autem Romæ nonô quoque die celebrabantur, ut nunc etiam. Iis* Nundinis, *plebs agreſtis in urbem confluebat, venaliaque permutabat & jure inter ſe agebat, & ſuffragia ferebat de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel Senatus ad eam referret. Septem autem intermediis diebus ruri degebat, quòd magna pars ob paupertatem operarentur ſuis manibus.* Cui adſtipulatur Varro *de R. R. l.* 2. *in princip. Viri magni, noſtri Majores, annum ita diviſerunt, ut* nonis *modò diebus urbanas res uſurparent; reliquis ſeptem, ut rura colerent.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Nempe ab unis *Nundinis* ad alteras dies tantùm ſeptem intermedii erant, primusque dies & nonus *Nundinas* habebant, quô factum ut *Nundinæ* nonô quoque die celebrari dicerentur. Hinc trinas *Nundinas* continuas, ſeu *Trinundinum*, ut alii dicunt, quibus ad Prætorem in Comitium producebantur obærati, quantæque pecuniæ judicati eſſent, prædicabatur, non bene Hotomannus *ad Leges XII. Tabb.* aliique poſt eum, ſpatium 27. dierum fuiſſe dicunt, ex eo, quòd *Nundinæ* nonô quoque die Romæ celebrarentur: Intra 17. enim dies tres *Nundinæ* fieri ſolebant; A primis enim ad ſecundas ſeptem interjiciebantur dies, ab his ad tertias totidem, quibus ſi adjicias ipſos *Nundinarum* dies, qui ſunt tres, prodibit numerus dierum ſeptendecim. Vide Jac. Oiſelium JC. *Notis in A. Gellium l.* 20. *c.* 1. ut & infra. Idem intelligendum de trinundino ſeu tribus *Nundinis*, quibus Lex à Legiſlatore promulgabatur, advocatâque concione recitabatur, ut de ſingulis doceretur, rogareturque ut eam accipere vellet, utque proditâ die, quâ Comitia haberentur legis ferendæ, ad illam diem frequens adeſſet, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 13. Ipſô autem *Nundinarum* die ferre legem non licebat, auctore Macrobiô *ubi ſuprà*: ſed poſt tertias dein *Nundinas* id fiebat, ut videre eſt, apud modò laudatum Roſin. *l.* 8. *c.* 2. &c. Sed & apud Eugippium in *Vita* S. Severini *c.* 9. voce hâc *vicus* denotabatur: *Cuidam cum conjuge liberisque redemto, præcepit transvadere Danubium, ut hominem ignotum in* Nundinis *quæreret barbarorum*, ut obſervavit *Velſerus*: quòd ſcilicet Germanis *Marct* appellentur tum *Nundinæ*, tum vici ejusmodi, ut Emporium Græcorum. *Epulas* ſignificat, apud Ulpianum *l.* 69. *ff. pro Socio*, ubi vide Dionyſ. Gotofred. Decurſiones militares ſeu Haſtiludia, quæ vulgò *Torneamenta* vocantur, notat in *Decret.* Eugenii II. Pontif. Rom. *c.* 7. *Temerariam multorum audaciam, qui ad deteſtabiles* Nundinas *ex condicto venire ſolent, ad oſtentationem virium ſuarum, omnino & ſub anathemate fieri prohibemus. Quòd ſi quis ibidem mortuus fuerit, pœnitentia & viaticum ibi non negetur, Eccleſiaſticâ tamen careat ſepulturâ.* Ex quo loco patet, octavô ineunte ſeculô atque adeò Ludovicô Piô imperante, obtinuiſſe ejuſmodi Haſtiludia, quod etiam ex Nithardo firmat Car. du Freſne *Diſſertat.* 6. *ad Joinvillam*, atque ulterius, *Nundinarum* appellatione donatas deinceps fuiſſe militares ejuſmodi & equeſtres decurſiones, ut & in Concilio Remenſi A. C. 1131. *can.* 12. apud Lambertum Ardenſem *p.* 13. 29. Theodericum Abbatem in *Vita* S. Bernardi *l.* 1. *c.* 11. Cæſarium *l.* 7. *c.* 39. *l.* 12. *c.* 17. Alios. Sed & prælia & bella civilia ita appellat Bernardus Clarevallenſis Abbas *in Epiſtolis ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii Tom.* 4. *Hiſtor. Franc. p.* 516. *Homines namque illi, qui reverſi ſunt, maledictas illas* Nundinas *poſt feſta Paſchalia præfixerunt & ſtatuerunt laxatis habenis Dominus Henricus fil. Comitis & Dominus Robertus frater Regis, ut irruant & interficiant ſemetipſos*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Quæ omnia ex *Nundinis* originem accepêre. De quibus plura, earum inprimis inter Chriſtianos ortu & progreſſu, vide in voce *Feria*; earundem à mercatibus differentiâ, ſuprà voce *Mercatus*; nomine apud Germanos, quibus *Meſſ*, it. *Meſſlag* dicuntur, voce *Miſſa*: ut & infrà quædam in voce *Stapula*: it. *Siliquaticum*, *Sponſalia*, *Stallanus*: De die autem poſtridie *Nundinas*, tanquam infauſto, vitato ab Auguſto, Caſaub. *ad Sueton. in eo c.* 92.

NUNDINÆ IN EUROPA CELEBRIORES.

Aſtracanenſes, in Ruſſia extrema.

Bellicadrenſes, in Gallia.

Campanienſes, in eodem Regno olim clariſſimæ fuêre, vulgò *les Foires de Champagne*. Fuêre autem illæ, *la Foire de May de Provins, de S. Jean de Troyes, de S. Ayoul ou S. Ernoul de Provins, de S. Remy*, aliàs *la Foire froide de Trezet de Trojes*; *de Lagny ſur Marne*, & *la Foire de Bar ſur Aube*, uti illas ex *MS. Codice* exhibet Car. du Freſne in *Gloſſar.*

Eperienſes, in Hungaria.

Francofurtenſes, in *Germania*, quæ Francofurti ad Mœnum binis quotannis vicibus habentur.

S. Germani, *à S. Germain*, in Gallia.

Jaroslavienſes, in Polonia.

Lipſienſes, in Miſnia, ter quotannis haberi ſolitæ.

Lugdunenſes in Gallia.

de Medina del Campo & *Medina de Rio ſecco*, in Hiſpania.

Naumburgenſes, in Germania.

Placentinæ, Vercellenſes } in Italia.

Zurzacenſes, Zurzaci ſeu in Foro Tiberii haberi ſolitæ, bis quotannis in Helvetia &c.

NUNDINALIS Dierum orbis, ogdoade apud Romanos finiebatur, non hebdomade; unde ogdoas in dierum tributione ſervabatur, in Romanorum Calendario (ut maximè videre eſt in eo, quod ſub initio Cæſarum ſaxo inciſum, quantum ad hanc rem, tam antè, quàm poſtea diu fuit in uſu) propter *Nundinas* ſeu noni diei reditum, ut Hebdomas apud Judæos, propter Sabbatum & apud Chriſtianos, propter diem Dominicum. Hinc uti literæ, quas *Dominicales* vocitant Chriſtiani, ideò τῷ G. ſeu numero ſeptenario, in Calendariis noſtris, terminantur; ita ad obſervandum Nundinarum reditum, in Calendario Romanorum veteri τῷ H. finiebantur ſeu ogdoade: cujus Calendarii, quod etiam *Colotianum* dicere ſolitus eſt *Joſeph. Scaliger* atque etiamnum Romæ, in ædibus Maffejanis, ad Agrippinam viſitur, exemplar operi ſuo *de Jure Nat. & Gentium juxta diſcipl. Ebræor.* inſeruit Joannes Seldenus. A Scriptoribus dici ſolent hi *Faſti Kalendares*; quales Cn. Flavius publicâſſe & Populo Rom. tradidiſſe creditur, quosque Ovidius 12. *libris* deſcripſit. Habentur apud Aldum Manutium *Subjunct. l. de Orthogr.* à Paulo Patre explicati, Janum Gruterum *Inſcript. p.* 133. Hub. Goltzium *Theſaur. Rei antiq. p.* 122. Joſ. Scaligerum *de Emend. Temp. l.* 4. Sibrandum *Faſt. Kal. l.* 1. Car. Neapolim *ad Ovid. Faſtorum l.* 1. Alios. Sed & fragmenta etiam Kalendariorum ſeculi illius veteris reperiuntur alia, quibus dierum ogdoades literariæ pariter annotantur. Atque verò quolibet die ſic *Nundinæ* ſeu urbani ruſticorum conventus habiti ſunt: ita tamen, ut per intercalationem ſeu per tranſlationem caveri ſoleret, ne mali ominis causâ, Nundinæ in Kalendas Januarii aut Nonas alicujus menſis inciderent. Sententiarum autem, etiam apud Veteres de *Nundinali Orbe* diſcrimen eſt; aliis ogdoade in ipſa contineri Nundinas volentibus (quod facilè concipitur, ſi terminus poſterior ſemper iteraretur & fieret ſequentis ogdoadis initium) aliis interea diem nonum, ogdoadis orbem proximè ſequentem, pro Nundinis habentibus, adeoque Nundinas enneade dierum integra claudentibus: qua de re vide pluribus agentem præfatum Seldenum *d. l. l.* 3. *c.* 15. Fuêre verò *Nundinæ* illæ Feriæ olim, ſive Jovi ſive Saturno ſacræ, adeoque nefaſtæ. Sed poſtmodum *L.* Hortenſiâ factum, ut faſtæ eſſent; niſi feſtus aliquis dies redeuntem ſic diem nonum nefaſtum redderet &c. Vide ibid. & ſuprà in voce *Nundinæ*.

NUNDINIA ſeu NUNDINA Conſulum, occurrunt apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores aliquot locis. Lamprid. *Alexandro Sev. c.* 8. *Conſulatum ter iniit tantùm ordinarium: ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffecit.* Vopiſc. *in Tacito*, *c.* 9. *In eadem oratione fratri ſuo Floriano Conſulatum petiit, & non impetravit idcirco quòd jam Senatus omnia* nundinia *ſuffectorum Conſulum clauſerat* &c. Ubi Caſaubon. notat, creationem Conſulum veter. Latinis dictam eſſe Comitia *Conſularia*; poſtea ſublatis Comitiis appellari cœpiſſe *Ordinationem Coſſ.* ut apud *Suetonium* & alios; deinde etiam *Nundinum Conſulum*: cujus tamen appellationis rationem ignorare ſe fatetur. Sed nec ei magis liquet, quænam illa *Nundina* & quot numero fuerint: quod dubium ſic expedit *Salmaſ.* Certum eſt ſub Imperatorib. jam inde à Claudio bimeſtres Conſules fuiſſe, ita ut XII. in annum ordinarentur. Quòd ſi variatum aliquando pro libidine Principum quorundam & plures ordinati, tunc tamen numerum & ordinandi modum tenuerunt Principes plures & meliores: Itaque ſex *Nundinia* vel Collegia Conſulum ſuffectorum erant; primum Nundinium ordinariorum Conſulum à Kalendis Januariis uſque ad Martias; ſecundum Nundinium ſuffectorum à Kalendis Martiis ad Majas; tertium à Majis ad Julias; quartum à Juliis ad Septembres; quintum à Septembribus Kal. ad Novembres; ſextum & ultimum in reliquos duos anni menſes: Atque hæc ſunt omnia ſuffectorum Conſulum Nundinia, quæ ſic vocat Vopiſc. quæque jam Senatus clauſerat, ſic ut omnibus Conſulib. totius anni jam deſignatis ordinatisque vacuus locus nullus eſſet, pro Taciti fratre. Hinc legimus de Alexandro Sev. *d. l.* eum Principem *Conſulatum iniiſſe ter tantùm ordinarium, ac primo nundinio ſibi alios ſemper ſuffeciſſe.* Nempe primum Nundinum, ut diximus, fuit Conſulum Ordinariorum, qui Kal. Jan. Conſulatum inibant & nomen Faſtis dabant: quo primo nundino ſemper alios ſibi ſufficiebat Alexander, nec Conſulatum gerebat totos illos duos integros primi nundinii menſes. De eodem Severo refert *Spartianus*, Conſules eum & ordinarios & ſuffectos, ex ſententia Senatus nominaviſſe & *vetera Nundinia ex ordine inſtituiſſe*, h. e. eum ordinem & modum Conſulum ordinandorum revocâſſe, qui ſuprà deſcriptus eſt. Eum enim multi ante Alexandrum Imperatores, jam inde à Commodo, ſub quo XXV. Conſules uno annô facti ſunt, adeò parùm obſervabant, ut alium ejus rei morem agnoſcerent nullum, niſi quem ſua libido ſtatuiſſet, id quod ab Alexandro mutatum, & Nundina ex veteri more reſtituta ſunt. Quare autem *Nundina* appellata vices iſtæ & ordines ſuffectorum Conſulum, ratio fortè arceſſi poteſt, ex veteri more Comitiorum & creandorum Conſulum, cùm penès populum Comitiorum & Campi jus erat. Tribus namque *Nundinis*, vel in trinundinum indicebantur Comitia, creandis Conſulibus. Sed & Candidati ipſi Nundinis in comitium veniebant & populo ſeſe oſtendebant ſingulosque prenſabant: quod ipſum etiam internundinô faciebant. Ad eam rem igitur trinundini tempus dabatur petituris Conſulatum: Cic. de Cæſare, *Neque jam velle abſentis rationem haberi ſui: ſe præſentem trinundinum petiturum.* Mutatô dein more, & jure deſignandorum Conſulum à populo in Principem tranſlatô, mos tamen idem videtur remanſiſſe, ut Candidati nundinis in Comitium venirent & ab omnibus viderentur. Hinc *Nundinium* vel *Nundinum*, pro Conſulum ordinatione uſurpatum, Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. d. l.*

NUNNA, idem cum *Nonna*, vide ſuprà.

NUNTIATIO novi operis, per jactum lapilli. *Charta Occitanica* A. C. 1407. de Carmelitis, qui Monaſterium in loco de Monteſquivo Rivenſis Diœceſis ædificare cœperant: *Propter quod idem nuntiabat prædictis Carmelitis novum opus & in ſignum hujuſcemodi denuntiationis & prohibitionis, prædictus D. Rector ſeu Vicarius ibidem & in continenti per jactum unius lapilli dixit & verbô propoſuit, dirigendo verba ſua Carmelitis prædictis, in dicto novo opere exiſtentibus: Denuntio vobis opus novum. Item per jactum ſecundi lapilli dixit: Ego denuntio vobis opus novum & inhibeo vos antedictos Carmelitas & quemlibet veſtrûm---- quantum de jure poſſum & debeo & mihi eſt permiſſum, ne ulterius in dicto hoſpitio conſtruatis ſive ædificetis & etiam ulterius procedatis*, &c. Vide in voce *Denuntiatores*.

NUNTII Deorum, apud Poëtas, tres, Jovis Mercurius, Junonis Iris, Lunæ ſeu Dianæ Ops, de quibus vide Jul. Cæſ. Scaliger. *Poëtic. l.* 3. *c.* 26. Inter perſonas Tragicas, tres Servorum eidem recenſentur, quorum duæ *Nuncios* exprimebant. Et quidem horum unus, ut in Comicis, σφηνοπώγων dictus, vegetus, fronte, frontis ſummitate latâ & tumidâ, ambitu depreſſo, flavus; cui è aſper, ruber erat. Alter reſimus, fronte tumidâ, flavus; cui è medio vertice paſſi crines: imberbis porro & ſubruber, *Ibid. l.* 1. *c.* 1. Veſtis penula fuit *l.* 1. *c.* 13. &c. Vide hic paſſim, inprimis in voce *Curſor*, *Mazyes*, *Pterophori* &c. ut & de variis modis illos ſecreto mittendi, ſuprà ubi de ratione mittendarum *Literarum*.

NUN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NUNTIUS Cameræ, vide ſuprà *Camerarius.*

NUNTIUS Congregationis, officium Eccleſiaſtic. apud Hebræos, de quo vide infrà voce *Sabbatum.*

NUNTIUS Regis, in *Decretis S.* Ladiſlai Regis Hungar. *l.* 3. *c.* 1. & c. Vide ſuprà *Miſſus Dominicus.* Idem nomen uni ex Pontificiis hodie Miniſtris eſt. Miniſtros enim trium generum ad Principes mittit Pontifex, *Legatos*, qui velut Ambaſciatores Extraordinarii mittuntur cum Bullis: *Nuntios*, qui à Conſiſtorio ordinati, Brevibuſque inſtructi, in Aulis Principum idem obeunt munus, quod Ambaſciatores Principum ſecularium, atque, ut illi, in *ordinarios* & *extraordinarios* dividuntur: & *Internuntios*, qui ſunt velut *Miſſi Extraordinarii* Principum. Habet autem is *Nuntios* in Gallia, Hiſpania, Luſitania, porrò Viennæ, Venetiis, Neapoli, Taurini, & aliquando vel *Nuntios* vel *Internuntios* in Polonia, Bruxellis & Coloniæ. In quibus omnibus locis, Galliâ exceptâ, ii juriſdictionem functionemque Eccleſiaſtic. exercent &c. Primus autem hôc nomine in Germaniam miſſus eſt Card. Commendonus A. C. 1555. quam in rem vide plura apud Vicquefortium *Tract. Gall. des Ambaſſadeurs*: ubi etiam *Nuntios Terreſtres*, in Polonia, Deputatos provinciarum appellari, addit.

NUPSIA, oppid. Ægypti ad Nilum fluvium, in tractu Syenitarum, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

NUPSIS, oppid. Arabiæ Nomadibus proximum, Plin. *l.* 6. *c.* 2.

NUPTA, i. e. Sponſa ritè deducta, Hebræis נשואה, neque ante dicebatur, tametſi ex ſponſalibus planè matrimonium eſſet ſatis contractum initumque: Sponſum appellabant ארס & מקדש, Sponſam. מאורסה & מקודשה: poſt deductionem, per ſeptem Epuli nuptialis dies (de quo infrà) hæc כלה. ille חתן ab omnibus, etiam poſt illos expletos, ſemper à Parentibus appellabatur. Inde etiam ipſum conjugium חתון dicebant, ac interdum quoque שדוך & nuptias, חתונה: Patres item conjugum inde ſe mutuò מחותן & propinqui מחותנין nominabant. De *Nupta* verò nova, præceptæ virginitatis accuſatâ, Lex ſacra ſic habet, Deuter. *c.* 22. *v.* 13. *& ſeqq. Si quis duxerit uxorem & ingreſſus fuerit ad eam, & odio exercerit eam habere, & impoſuerit ei opprobrium verborum, protuleritque contra eam nomen malum* ſeu *infamiam, ac dixerit, cùm duxiſſem mulierem illam & ingreſſus eſſem ad eam, non inveni virginem, ſumant pater puellæ & mater ejus & proferant ſigna virginitatis* (הנערה) *puellæ ad Presbyteros Civitatis, qui ſunt in porta diceique pater puellæ ad Presbyteros, hanc filiam meam dedi viro illi in uxorem cœpitque eam odiò habere; & ecce ipſe imponit ei opprobrium verborum, dicens, non inveni in filia tua virginitates ſeu virginitatis ſigna; hæc verò ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ; & expandent veſtimentum coram Presbyteris Civitatis, accipientque Presbyteri Civitatis virum illum & caſtigabunt eum, condemnabuntque eum centum argenteis* (ſiclis) *quos dabunt patri puellæ eo quòd produxit nomen malum contra virginem Iſraël, habebitque eam in uxorem, nec poterit dimittere eam cunctis diebus ſuis. Quòd ſi verum eſt verbum illud & non inventa ſint ſigna virginitatis in puella, ducent puellam ad oſtium domus patris ſui: obruentque eam viri Civitatis illius lapidibus, ut moriatur, quia fecit nefas in Iſraël, fornicando in domo patris ſui, removebiſque malum de medio tui.* Quam Legem nec ad minorem annis duodecim ac die unicô, quam קטנה nuncupant, nec ad majorem annis, præter ſex menſes duodecim, quam בוגרת appellitant, i. e. *plenæ pubertatis puellam*, attinere volunt Magiſtri: imò nec ad puellam, quæ ex ipſa origine non eſſet Iſraëlitis, aut cui dos 50. ſiclorum ſeu Zuzorum 200. non erat ex more ante nuptias præſtituenda; nec demum ad virginem, quæ ante ſponſalia erat violata. Adeò, ut niſi inter Sponſalia & primos amplexus conjugales pollueretur, querelæ huic nullus eſſet locus. Intendabatur autem hæc actio *coram Presbyteris civitatis*, ſeu Γερουσίᾳ ac Senatu, ut Philo interpretatur, Synedrio videl. XXIII. virali, penès quod erat judiciorum capitalium pœnaliumque in qualibet urbe cognitio. Formula hujuſmodi: *Cum juvencula hac ſeu puella nondum plenæ pubertatis, ut maritus concubui, & minimè in ea reperi virginitates* (παρθένια) *& inquiſitione ea de re facta innotuit mihi eam ſtupri ream fuiſſe in me, poſtquam deſponſata eſt mihi & hi ſunt teſtes oculares, quòd ſtupri hujuſmodi rea ſit.* Sic puellâ pro tribunali auditâ, examinabantur teſtes qui ſi eam conviciſſent, lapidatione illa puniebatur, ſi non ex genere eſſet Sacerdotali. Tunc enim vivicomburii pœna erat, Levit. *c.* 21. *v.* 9. Sin perjurii teſtes convincerentur, abſolutâ uxore, pœna marito utraque ex Lege infligebatur, & teſtes perjuri lapidabantur. Idem jus obtinuit, ſi denuo perjurii à teſtibus aliis à marito adductis convincerentur adducti à Patre ſeu pro uxore: etenim tunc & hi uxore reâ peractâ, morte itidem plexi. Cœterùm, uti inter vulgi errores à Medicis, Juriſconſultis, ac Theologis ſummis rejectum, in cunctis aut ita haberi, ut indubitatum Virginitatis ſignum (ut de perpetua nymphæ ſeu hymenis virginei admiſſione verba præfata quidam explicant) aut haberi omnino; Proin receptiore ſententiâ, *Virginitatis ſigna*, explicantur, de teſtibus virginitatis (Paranymphis nempe vide *infrà*) qui ex ſindone aliterque rem in Foro expeditam probatamque dare conſueverint. Certè Joſephus heic de Marito tantùm ait, Δίκην λαχὼν αὐτὸς κατηγορείτω χρώμενος εἰς ἀπόδειξιν οἷς ἂν ἔχοι τεκμηρίοις, *Actionem intendat ipſe & accuſet, eis quæ habet ſignis uſus.* Neque ſanè ille aut Philo, *l. de Spec. Leg. de Adult.* ubi hac de re loquitur, quidquam de ſindone in teſtimonium afferenda habet. Quod virginitatem ex Matronarum inſpectione probandam concernit, vide præter alios complures Zachar. Paſqualigum *Deciſ. Moral.* 221. & 222. Si Parentes verò deeſſent, qui de filia diffamata quererentur, Curatorem dabant Judices: quô caſu quoque, non Patris hæredibus, ſed puellæ ipſi, innocenti repertæ, centum ſicli cedebant. Pœna autem Mariti, verbera erant: Joſephus *Antiqq. l.* 4. *c.* 8. Τῷ δὲ τολμηρῶς καὶ προπετῶς ἐπενεγκεῖς αἰτίαν καὶ διαβολὴν πρόσιμον ἐκτινέτω πληγὰς τεσσαράκοντα μιᾶς λειπούσας λαμβάνων καὶ πεντήκοντα σίκλους ἀποτινέτω τῷ πατρί, *Vir temeritatis & petulantiæ, quâ inſontem uxorem detulerit, pœnas luat quadraginta una minùs plagis acceptis & quinquaginta ſiclos puellæ patri nomine mulctæ perſolvat.* De quo numero verberum Magiſtri conſentiunt. Ubi verò reperta ſunt manifeſta virginitatis ſigna, non ſine benedictione ſolemni ea ſumma cum lætitia ſolebant agnoſci, ſi fides Ritualibus, in quibus benedictio hæc occurrit: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter Rex Mundi, qui ſtatuiſti nucem in horto Eden* ſeu *in paradiſo, liliumque convallium. Non dominabitur alienus in fonte ſignato. Propterea cerva amorum ſervavit ſanctum ſemen in munditia & ſtatutum non violavit. Benedictus ſis Domine, qui elegiſti Abraham & poſt eum ſemen ipſius*, vide *Sepher Thephiloth* Judæorum Hiſpanienſ. *p.* 351. Ubi ex lege capitali, in novam *Nuptam* prærreptæ virginitatis nomine agere aut nolebat, aut nequibat Maritus, integrum ei erat ex receptis moribus, ſuâ duntaxat aſſertione, poſtulare eam ſive ejus prærreptæ, ſive primô amplexu ſibi non compertæ; non verò criminaliter, ſed ideò duntaxat, ut, veluti condictione indebiti, dotem ei, *Virginis* nomine conſtitutam, quæ dupla erat ei, quæ vitiatæ debebatur, aut reſcinderet, aut pro varia cauſæ qualitate minueret. Nam non ad aliam omnino Virginem, præter eam, cui dos virginalis ſeu L. ſiclorum aut CC. Zuzorum ſub Sponſalia debebantur, attinuit hic mos, &c. Plura apud Seldenum *Uxor. Ebr. l.* 2. *c.* 1. *l.* 3. *c.* 1. & 2. nec non hîc infrà, item voce *Nympha*, & hinc ortis.

NUPTIÆ, à *nubendo*, quòd nova Nupta ſeu Sponſa flammeô obnupta ſeu obvelata ad Sponſum olim deducebatur, Aliàs *Matrimonium*, *Conjugium* &c. erat viri & mulieris conjunctio legitima, vitæ ſocietatem continens, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 3. Quod Cornicum, fortunatiſſimum in his, omen ſignificat: *Ea enim*, inquit Alexand. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 2. *Cornicum ſocietas eſt, ut ex duobus ſociis alterâ extinctâ altera perpetuò vidua maneat.* Magnâ olim pompâ ac ſolemnitate peragebantur, unde *Nuptias celebres* vocat Phædrus *l.* 1. *fab.* 6. & Tacit. *Annal. l.* 12. *c.* 5. *Solemnia Nuptiarum*, Imperator *in l.* 22. *C. de nupt. Nuptiarum celebritatem* vocat, de quibus pauca hæc. Romæ, priſcis temporibus in more fuit, ut uxorem ducturus, ab eo, unde ducenda erat, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur, idque, qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus *Sponſalia* vocabatur, de quibus vide infrà *ſuò locô.* In argumentum eorum contractorum, Sponſæ à Sponſo arrhæ dabantur: Quin & annulus ei pignori mittebatur, quem *pronubum* Tertullianus *l. de cultu Fœminarum* vocat. Vide infra, in voce *Sponſa.* Non autem Romanus, niſi Romanam, ducere poterat, i. e. jure civitatis donatam. Nec Patriciis cum Plebejis antiquitùs connubium erat, donec id evicerunt Tribuni Plebis an. Urb. Cond. 309. Nec Ingenuus Libertinam ducere poterat uxorem, ante legem Papiam Poppæam, quæ id primùm conceſſit, ut hæc omnia luculentiſſimè explicavit Barn. Briſſonius *l. ſing. de Jure Connubiorum.* Sponſalibus factis *Nuptiis* dies dicebatur, qua in re admodum accurati, vel potius ſuperſtitioſi fuêre. Kalendarum certè & Nonarum Iduumque poſteros dies omnes à *Nuptiis* habitos fuiſſe alienos, auctor eſt *Feſtus*: Ipſas imò Kalendas, Nonas ac Idus, Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 15. Menſem verò totum Majum infauſtum iiſdem ac inauſpicatum fuiſſe judicatum, teſtatur Plut. *in Quæſt. Rom. q.* 86. Unde tritum illud: *Menſe Majô nubunt malæ.* Parentialibus quoque, quæ menſe Februariô celebrabantur, *Nuptias* vitandas eſſe, ſuadet Ovid. *Faſtor. l.* 2. quamvis Pomponii celebratas fuiſſe pridie Idûs Februarii indicet Cicer. Ep. *ad Q. Fratr. l.* 2. *Epiſt.* 11. Saliorum quinetiam dies feſtos ſolicitè vitârunt, ut iterum Ovid. ubi *ſuprà* docet. Contrà aptiſſimum *Nuptiis* tempus, quod Idus Junias ſequebatur, exiſtimârunt. Ovid. *Faſtor. l.* 6. *v.* 223.

Tunc mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus,
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.

Ad quem dierum delectum refer verba Ciceronis *l.* 2. *Ep.* 4. *ad Q. Fratr. de noſtra*, inquiens, *Tullia tui mehercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi. Cœterùm confectum eſt* &c. Duo autem fuiſſe Uxorum genera Cicer. *in Topicis c.* 3. docet, unum quod propriè dicebatur, *Uxor*, alterum quod *Materfamilias*: quem ad locum Boëtius *tribus*, inquit, *modis Uxor habebatur, uſu, farre, coëmptione, ſed confarreatio ſolis Pontificibus conveniebat. Quæ autem in manus per Coëmptionem venerant, hæ Matresfamilias vocabantur: quæ uſu vel farre, minimè.* Sed uſu etiam, nedum coëmptione, Uxores in manum conveniſſe, docet ipſe Cicer. *Orat. pro Flacco.* Proin Jac. Rævardus *Varior. l.* 4. *c.* 16. ita Ciceronis locum interpretatur, ut dicat, eum, per duas Uxorum formas, intelligere, Uxorem juſtam & injuſtam, ut Juriſconſulti loquuntur: Juſtamque eſſe ait, quæ in manum viri convenit uſu, farre aut coëmptione, quam Cicero *Matremfamilias* appellat; Injuſtam, quam ſola conſuetudo uxorem fecerit & cum qua jus eſſe connubii leges non patiantur. Et quidem Uxorum uſucapionem (cùm nempe Uxor capta apud Virum fuiſſe per annum integrum nullô interrupto uſu, quod fiebat, ſi per trinoctium à viro abfuiſſet) legitimi Matrimonii rationem antiquiſſimam fuiſſe, & à raptu Sabinarum initium ſumſiſſe, Rævardus ſuprà memoratus arbitratur, putatque, quia feliciter hic raptus Romulo ceſſerat, inſtituiſſe eum, ut non verô, ſed ſimulatô quôdam raptu omnis legitimi connubii ritus in poſterum perageretur. Verba ejus ſunt *in Comm. XII. Tabb. c.* 21. *Quô quidem tempore ea fuiſſe videtur Matrimonii contrahendi ratio, ut uſu quiſque Virginem ex gremio matris, aut ex proxima neceſſitudine vi ſimulatâ raptam, non aliter*

ſuam faceret, quàm Romana plebis Sabinas olim virgines. Et hunc rapiundæ Virginis ritum, eleganter exponit Apulejus *Metam. l.* 4. Vide quoque Tertullian. *de Spectac.* In Confarreatione verò Dionyſio, ſacras *Nuptias* ſcribenti *Farracia* eſſe dictas, eôdem farre Conjuges veſcebantur, quô etiam victimas reſpergebant: Et Ulpian. *l.* 10. *Inſtitut. Farre,* inquit, *convenitur in manum certis verbis & teſtibus* 10. *præſentibus, ſolemnique ſacrificiô factô, in quo panis quoque farreus adhibetur:* Quô vinculô nihil religioſius, novæque Nuptæ farreum præferri ſolitum fuiſſe, docet Plin. *l.* 18. *c.* 2. Sed hanc confarreandi conſuetudinem (per ſolos Pontifices peragi ſolitam, quô ſenſu *Boëtius*, eam ſolis his vindicatis, capiendus) aut omiſſam aut inter paucos retentam fuiſſe, refert Tacit. *Annal. l.* 4. *c.* 16. In Coëmptionis ritu, præter mutuam interrogationem & reſponſionem, Mulier *nubens* aſſes tres ad Virum ferre ſolebat: atque unum quidem quem manu tenebat, tanquam emendi causâ, dabat marito; alium, quem in pede habebat, in foco ponebat Larium familiarium: tertium in ſacciperio conditum, compito vicinali donabat, ut Juſtus Lipſius *Antiqq. Lect. l.* 5. *c.* 22. apud Nonium Marcellum legi vult, aut quod Palmerio *in Spicilegiis* placet, rezonabat; h. e. ſolutâ zonâ promebat. Meminit ritus hujusmodi Cicero *pro Murana*, ubi ait: *Putârunt Juriſconſulti, omnes Mulieres, quæ coëmptionem facerent*, Cajas *vocari.* Quemadmodum Mariti *Caji*, in memoriam felicis conjugii Cajæ Cæciliæ, cum Tarquinio Priſco. Unde Proverb. *Ubi tu Cajus, ibi ego Caja*, quod exponit *Eraſmus*, *Ubi tu dominus, ibi ego domina.* Quô modô quæ in Mariti manus veniebat, propriè *Matremfamiliâs* appellatam eſſe, annotavit Cæl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 17. Quibus adde quartum Conjugii contrahendi modum, *per Sortitionem*, cujus meminit Sueton. *in Tib. c.* 25. Vide Sigonium *de Jure Rom. c.* 6. *l.* 1. Cùm nullus horum modorum obſervaretur, *Nuptiæ innuptæ* dictæ ſunt &c. Fiebant verò non niſi captatis priùs auguriis *Nuptiæ*, quibus faciendis Auſpices olim interpoſitos fuiſſe, docet Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. Unde illud Tullii *pro Cluentio: Nubit genero ſocrus nullis Auſpicibus, nullis Auctoribus.* Senis dein crinibus ornabatur *Nupta*, ſive quòd is ornatus vetuſtiſſimus eſſet, ſive quòd eô Virgines Veſtales ornabantur, quarum caſtitatem Viris ſuis *nubentes* ſpondebant, ut *Sextus Pomp.* tradit. Cœlibari præterea haſtâ quæ in corpore Gladiatoris abjecti occiſique ſtetiſſet, *nubentis* caput, à Marito comebatur: an quia Matronæ in Junonis Curitis tutelâ erant: an ut viros fortes Sponſam genituram ominarentur; an ut vinculum Conjugii inſolubile & non niſi ſummâ violentiâ, per haſtam indigitatâ, rumpendum ſignificarent, an ut notaretur, primas *Nuptias* bellô & pugnâ fuiſſe contractas? Vide Plut. *in Romulo*, item *in Quæſt. Rom. quæſt.* 87. Ovid. *Faſtor. l.* 2. *v.* 559.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere Matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Coronâ inde nova *Nupta* redimiebatur, Tertullian. *de Coron. milit.* Catullus *in Carm.* 62. *de* Nuptiis *Juliæ & Manlii, v.* 6.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.

Rectâ item tunicâ induebatur, qualem prima Caja Cæcilia texuit, Plin. *l.* 8. *c.* 48. cingulôque, ex lana ovis factô, cingebatur, quod Vir in lecto ſolveret, *Feſtus.* Eadem coronam ex verbenis à ſe lectis compoſitam ſub amiculo ferebat, teſte eôdem: luteosque ſoccos geſtabat, ut Catullus *ubi ſuprà*, ſuſpicandum reliquit. Solebat autem velô obnubi, quum ad Virum duceretur, ut ſuprà innuimus, quod *Flameum* vocabatur, de quo vide *ſuô locô.* Unde Lucan. *de bello Pharſal. l.* 2. *v.* 360.

Non timidum Nuptæ *leviter tectura pudorem,*
Lutea demiſſos velârunt flammea vultus.

Hôc modô ornata in Viri domum deducebatur veſpere, à prætextatis pueris patrimis tribus, quorum unus facem præferebat ex ſpina albâ, reliqui duo *nubentem* tenebant. Quinque faces, ſeu tædas jugales *in Nuptiis* accenſas fuiſſe, Plut. docet *Quæſt. Rom. quæſt.* 2. an, ut alia omittam, quòd matrimonium contrahentes quinque Deorum ope, Jovis adulti, Junonis adultæ, Veneris, Suadelæ ac Dianæ ſive Lucinæ indigerent? Nec ex ſpina ſolùm, ſed ex pinu quoque confectas, Virgilius docet in *Ciri*,

Pronuba nec caſtos incendet pinus odores.

Imò ex corylo, ſuô tempore, Plin. apud Delrium, *Not. ad* Medeam Senecæ *Actu* 1. *v.* 37. qui de eodem ritu quædam habet, *ibid. Octav. Actu* 1. *v.* 142. Deductam præfatô modô Sponſam colus compta cum fuſo & ſtamine comitabatur, cujus ritus Tanaquil, quæ eadem *Cæcilia* vocata eſt, auctor apud Plinium *l.* 8. *c.* 48. Utenſilia mulieris, puer impubes *Camillus* ſive *Caſmillus* dictus, in vaſe operto, *Cumero* appellato, gerebat. Quô comitatu cùm ad Mariti ædes floribus frondibusque ornatas acceſſit, præ foribus interrogata, quænam eſſet, *Cajam* ſe eſſe, reſpondebat: poſtes dein januæ lanâ tangens, adipe lupinô inungebat, unde Uxor, quaſi *Unxor.* Tranſiliebat poſtea januæ limen, quod ipſi contingere religioni erat vel potiùs, ſublata trans limen intro ferebatur à Pronubis, ut vi illata videretur. Ingreſſæ claves dabantur, vel ad partûs facilitatem deſignandam, vel magis, ut ſignificaretur ei rerum omnium domeſticarum curam ac cuſtodiam reique ſic familiaris adminiſtrationem, ac diſpenſationem permitti. Statuebatur quoque in pelle lanata, ignisque & aquæ ſacramento *Nuptiæ* firmabantur in limine, unde & *hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum feliciſſimum vel puellam, quæ intereſt nuptiis, de qua ſolebant nubentibus pedes lavare*, verba ſunt Varronis apud Servium *in Æn. l.* 4. Quæ dum peragerentur, inprimis, dum à Marito, ut quidam volunt, Sponſa trans limen portaretur, acclamatum ab aſtante cœtu, *Thalaſſio, Thalaſſio*, de quo vide Plut. *in Pompejo:* quemadmodum apud Græcos, *Hymen, Hymenæe.* Adhibebantur autem his ceremoniis ſingulis Dii peculiares, teſte Auguſtinô *de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 11. ut cùm Mas & Fœmina conjungerentur, Deus Jugatinus: cùm Nupta domum duceretur, Domiducus: ut in domo eſſet, Domitius: ut cum viro maneret, Manturna: cùm poſtes ungeret, Juno Unxia &c. Acceptæ porrò ſic Sponſæ & comitibus ejus in cœna dabatur epulum à novo Marito, quòd *Cœnam Nuptialem* veteres vocare ſunt ſoliti, in quam aliquanto majores ſumptus, quàm in alia convivia, facere, legibus Liciniâ & Juniâ fuit permiſſum. Tibiam interveniſſe, *Plauti, Terentii*, aliorum non pauca demonſtrant loca. Nuces à novis maritis jaci & pueris ſpargi conſueviſſe, indicat Catullus *in Carm. ſuprà laudato*, & Virg. *Ecl.* 8. *v.* 30.

Sparge Marite nuces: ——

de quo ritu vide infrà, in voce *Nux.* Poſt hæc *nubenti* prætexta depoſita, & à multitudine puerorum obſcœna acclamata ſunt, verſusque Feſcennini occenti: quæ dum fiebant, lectus Nuptialis componebatur, quem propriô nomine *Genialem* vel *Adverſum*, appellatum eſſe, Servius oſtendit *in Æn. l.* 6. Hunc togâ ſterni & Maritorum Genios advocari conſueviſſe, Arnob. *adv. Gentes l.* 2. docet: unde fortaſſe *ſacri Genium lecti* Juvenal. dixit *Sat.* 6. Novâ *Nuptâ* in cubiculum deductâ, prætextati ejus, qui *Prælux* dicebatur, teſte *Feſtô*, fax rapi ſolebat ab utriuſque amicis, ne aut Uxor eam ſub lecto Viri eâ nocte poneret, aut Vir in ſepulchro comburendam curaret, quô utrôque mors propinqua alterutrius captari putabatur. *Servius* corneas has faces, quòd diutiſſimè luceant tanquam vitæ præſidia, raptas fuiſſe, eosque qui his potiti ſunt, diutiùs vixiſſe, ait, apud Joſ. Scaligerum *Caſtigat. in Feſtum.* In cubiculum ſimul inferebantur ſimulacra Deorum, Virginenſis Deæ, Subjugi Dei, Premæ, Pertundæ, Veneris & Priapi, Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 6. *c.* 9. Sponſaque per gradus eburneos ad hujus ſimulachrum aſcendere eique inſidere tenebatur. Quô factô lectum Viri adibat, in quo Pronubæ eam collocabant, i. e. Matronæ ſpectatæ pudicitiæ & quæ, uni duntaxat Viro nupſiſſent, quò Matrimonii perpetuitatem auſpicarentur. Inde Cingulum virgineum Maritus Sponſæ ſolvebat: Erat autem id Herculanô nodô vinctum, quod Vir ſolvebat ominis gratiâ, ut ſic ille felix eſſet in ſuſcipiendis liberis: Herculis ad inſtar, qui 70. liberos reliquiſſe dicitur. Hinc Cinxiæ Junonis venerabile in *Nuptiis* nomen. Quô pactô, quæ Sponſa fuerat, fiebat Uxor. Poſtridie *Nuptiarum* apud novum Maritum rurſus cœnabatur, unde *Repotia* is dies dictus: Quô eôdem, novæ Nuptæ munera à Cognatis & Propinquis mittebantur, quæ *Nuptialia dona* JCti vocant: Apud Cicer. tamen *pro Cluentio* & Apulejum *de Aſino Aur. l.* 6. hôc nomine ea veniunt, quæ ante contractas *Nuptias* Mulieri à Viro offerebantur. Eôdem die, nova *Nupta* libertatem auſpicata Uxoriam in domo Viri rem faciebat divinam, teſte Macrobiô *Saturnal. l.* 1. *c.* 15. Quòd ſi procedente Matrimoniô aliquid litis inter Neogamos accidiſſet, ad Deæ Viriplacæ ſacellum itum eſt, Sigon. *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 6. Vide Andr. Tiraquellum *de Legg. Connubial.* Pet. Gregorium *Syntagm. Juris Univ. l.* 9. Th. Trevifanum Venetum, Thadeum Piſonem Soaccium *tr. de Sponſal. Matrimonio, & eorum privilegiis*, Car. Sigon. *de Jure Rom.* Salmuthum *in Pancirol. l. rerum deperdit.* & *de Nuptiis* Cœl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 17. aliosque laudatos Joh. Roſino *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. *in quod editis Paralipomenis* Thom. Dempſter: addit, celebritati *Nuptiali* plenilunium aptiſſimum fuiſſe habitum, quô tempore & Græci nundinas ſuas celebrabant: publicosque conſeſſus frequentabant, vide *infrà:* Signatis pactis dotalibus, dictum *Feliciter:* in Repotiis non amicos ſolùm, familiares, ſed Principes quoque exemplô Auguſti & Caligulæ, adhibitos; honeſtioribus porrò cœnam, vilioribus ſportulas datas: imò aliquando pecuniam quoque vultibus Mariti aut Uxoris ſignatam, inter convivas diſtributam fuiſſe. Unde Symmachus *l.* 4. *Ep.* 4. & *l.* 9. *Ep.* 96. *Non eâdem tamen facilitate purgabis, quòd filii noſtri Minervii* Nuptias *aliorum potiùs relatu, quàm literis tuis comperi? An veritus eſt, ne à te numiſma cuſum divulgarem? potui jacturam ſportulæ facere.* Præterea, annotavit in primo limine aquam exhibitam fuiſſe, cui titio immergeretur, ex *Varrone* apud Turnebum *l.* 29. *c.* 27. Faces item à 5. pueris prælatas, quæ ex pinu vel ſpina alba: Jugum quoque utrumque Conjugum ſubiiſſe, dextrasque junxiſſe &c. Plerosque Nuptiales ritus Lucan. exhibet *l.* 2. *de bello Pharſal. in nuptiis Marciæ & Catonis:* Quorundam meminit Seneca *Octaviâ Actu* 4. *v.* 1. *v.* 699.

—— *Vidit attonitus tuam*
Formam Senatus, thura cùm Superis dares,
Sacrasque gratô ſpargeres aras merô,
Velata ſummum flammeô tenui caput.
Et ipſe lateri junctus, atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Inceſſit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbô.

Aurelii nummus exhibet Imperatorem, auſpice Concordiâ, Fauſtinam ſibi matrimoniô jungentem: quorum is ſiniſtrâ nuptiales tabulas, dextra dextram ſponſæ prehendit: hæc junctam manu fidem, flammeô pudicitiam, digitô ori admotô obſequium ac taciturnitatem pollicetur, apud Solerium *de Pileo ſect.* 6. Apud Athenienſes, poſtquam licenter admodum, ſolutéque diu vixerant, primus volgivagam Venerem Cecrops, hinc *Διφυὴς* dictus, lege compeſcuit, & ſanxit, ne quis binas *Nuptias* eôdem tempore conſtitutas haberet: Ἕνα ἄνδρα μιᾶς γυναικὸς τυχεῖν, *Unam tantùm quisque Uxorem ducito*, Athen. *l.* 13. Poſteà circa Socratis tempora, ob Virorum inopiam, Plebiſcito, præter Uxorem è peregrina & pellice quoque licebat liberos tollere, *ibid.* Uxor autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

autem legitima non erat, niſi civis, inter quos tamen peculiari Lege Pallenæi excipiebant Agnuſios, qui inter ſe connubia non contrahebant, Plut. *in Theſeo.* Collapſum jus vetus, de civibus ducendis, reſtituit Pericles, quod tamen peſſimô ejus exemplô paulo pòſt obſolevit; donec tandem Ariſtophon Euclide Prætore Athenis, ſcriptâ lege ſolos cives Athenienſes eſſe ſanxit, qui utrôque parente cive nati eſſent: Nam ad ea tempora civis cenſebatur, qui Parentum alterutrô cive natus eſſet. Habebant verò legitimum celebrandarum *Nuptiarum* tempus Brumam, Ariſtoteles *Polit. l.* 7. *c.* 16. ex inſtituto Cecropis, ut videtur: nempe menſe Gamelione, (unde nomen invenit) i. e. diebus Brumalibus. Unde apud Terent. *in Phorm. Actu* 4. *ſc.* 4. *v.* 29.

Aruſpex vetuit ante Brumam autem quid novi
Negocii incipere, quæ cauſa 'ſt juſtiſſima.

Ætas hominis, *Nuptiis* alligandi, è Solonis ſententia, annus fuit tricelimus quintus: ex *Ariſtotelis*, bienniô maturior. Nec quævis Uxor legitima habebatur, ſed illa tantùm, quæ legitimè deſponſata eſſet, vel à Patre, ſi viveret, vel à germano fratre, ſi Pater obiiſſet: vel; neutro horum ſuperſtite, ab Avo paterno. Interim Sororem germanam in matrimonio habendi veniam dabant. Præcipuè autem inter Gentiles conſtitutæ erant *Nuptiæ*, quinimo Ἐπίκληρος Virgo ſolis Gentilibus & Cognatis *nuptum* erat danda, vide ſuprà in voce *Epiclera*. Inter Servos autem; ſicut & apud Romanos, propriè non erant *Nuptiæ*, ſed συνουσίαι, neque illæ, quibuſcum conſueverunt, *Uxores*, ſed potiùs *conjunctæ conſervæ, è quibus habeant filios*, ut eleganter Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 17. dicebantur &c. Celebrabant *Nuptias* Græci, tempore plenilunii, quô & Nundinas ſuas celebrabant, publicoſque frequentabant conſeſſus, ut Thucydides docet *l.* 1. *ſub fin.* An quòd inde boni ominis non nihil ex plena Lunæ facie auſpicarentur: an ut frequenti jam & advenis refertâ civitate, *Nuptiarum* pompa celebrior eſſet? Menander, Anaxandrideſque Comici, Pindarus, Hephæſtion, Demetrius Phalereus, laudati à Bern. Martino *var. Lect. l.* 1. *c.* 14. conſuetudinem hanc abunde probant: quibus addendi Pindarus *in Iſthmiis* & Euripides *in Iphigenia*, ubi Agamemnon, rogatus ab Uxore Clytemneſtra, quando filiæ ſuæ vellet celebrari nuptias, reſpondit,

Ὅταν Σελήνης εὐτυχὴς ἔλθοι κύκλος,
Quando Lunæ fortunatæ venerit circulus.

Ritus autem fuêre iſti, quos Erato inveniſſe dicitur, apud Cœl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 4. Poſtquam Sponſus Sponſæ, præſentibus aliquot teſtibus, promiſiſſet, juxta Latinorum formulam, *ſe ſponſam poſt concubitum in vita non deſerturum*: Ipſaque viciſſim ei à Parente vel Tutore, deſponſata eſſet, juramentum quoque aliquando, in Templo, interveniſſet; ut de Clitophonte ac Leucippe legimus, in Templo Iſidis: quorum ille juravit, ἀγαπήσειν ἀδόλως, hæc ἄνδρα ποιήσασθαι καὶ πάντων ἀποφῆναι δεσπότην (ut de poculo conjugii, apud Galatas uſitato, quô à Camma Synorix propinatô venenô interemtus eſt, apud Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 2. *c.* 5. Item de pane in duas partes enſe diſſecto, quod apud Macedones obtinuit, Curt. *l.* 8. *c.* 4. nil dicam) ad *Nuptias* uterque ſe accinxit. Et quidem Sponſa à Parentibus in Templum Minervæ παρθένου ſeu *Virginis* deducta, conjugii ab illa veniam petebat; ſimulque juvencam, jugi expertem, ei ſacrificabat: Unde apud Euripidem *Iphigeniâ Aul. v.* 11, 12.

Μόσχοι τε πρὸ γάμων, ὡς θεᾷ πεσεῖν χρεὼν
Ἀρτέμιδι.

Offerebat inſuper caniſtrum variis elegantiis refertum, quem ritum, κανηφόρια dictum, *Suidas* prolixè explicat: additis precibus, Ἄρτεμι μὴ νεμέσα, *Ne iraſcere Diana*, Theocr. *Idyll.* 27. ſicque è grege ἀζύγων κορῶν diſcedendi, bonâ Deæ Virginitatis pace, facultatem ſibi conciliabat. Præterea Veneri & Gratiis, ob præteritum: Junoni inprimis Γαμηλίᾳ ſeu *Pronubæ*, ob præſens; eidemque tanquam Lucinæ vel Matrifamiliâs, ut Plauto vocatur *in Amphitruone*, *Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 201. ob futurum tempus, ſimiliter ſacra faciebat: Parcis quoque aliquando à nova Nupta litabatur, ut vitæ ſuæ filum eo longiùs producerent. Sed nullum *nubenti* ſanctius Junone Numen, cujus ſacra variis nominibus: Προγάμεια, προτέλεια, προτέλειοι εὐχαὶ, Ἡρατέλεια, γαμήλιον, item εὐχαὶ dicebantur. Ipſum ejus nomen frequens in ore, &, ſicut *Jovis* quoque, ab amantibus uſurpatum. Unde Senex ille apud Plautum *in Caſina Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 14.

Eja mea Juno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Jovi,

Dixêre hanc Ἥραν τελείαν Romani *Junonem adultam*, quæ cum Διὶ τελείῳ, i. e. *Jove adulto*, utpote πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων, verbis *Suidæ*, in *Nuptiis* præcipuè honorabantur, in utraque gente. Sed & Γαμήλια vocantur à *Demoſthene* munera, quæ Sponſa in Mariti Tribum recipienda τοῖς Φράτορσιν mittebat, ad epulum celebrandum præter quæ die *Nuptiarum*, ἔδνοις à Sponſo donata, ipſi viciſſim ἔδνιον χιτῶνα ac Φέρνας dabat; ipſa iterum ἐπιφέρνια recipiens. Quemadmodum Cognati poſt *Nuptias* eidem μείλια ἐπιμείλια largiebantur. Primâ autem vice, quâ ad conjugem Sponſa veniebat, ab eo ejuſque Cognatis τὰ Ἀνακαλυπτήρια, aliàs Θεώρητρα, Ὀπτήρια, & Ἀθρήματα, accipiebat, ut *pateretur ſe videri*, Victorius *Var. Lect. l.* 25. *c.* 3. quam ob cauſam Jupiter Proſerpinæ urbem Thebas donaſſe legitur, apud Schol. Euripidis *in Phœniſſis*. Sed & ipſa dies, quo id fiebat, Ἀνακαλυπτήρια dictus eſt, vide in voce, *Anacalypteria*: Priùs enim flammeô obnupta erat, ut diximus *ſuprà*, (cujus ritus veſtigia antiquiſſimis temporibus jam conſpicua ſunt, vide quæ de Rebecca Gen. *c.* 24. *v.* 65. contrarium tamen Lacedæmone obtinente. Cauſam ritus fortè *Nonnus* dixerit,

Καὶ πλέον ἱμείρεσι καλυπτομένοιο προσώπε,
Et bene velati major reverentia vultus.)

At Hermocrates Sophiſta, cui Imperator Severus uxorem conciliaverat, non optimæ formæ, poſtulatus Ἀνακαλυπτήρια, illam Ἐγκαλυπτηρίοις potiùs opus habere, lepidè reſpondit. Solebat porrò Sponſa è Parthenone (cubiculô Virginibus deſtinatô) ad Maritum curru vehi, Juvene, qui aurigæ officiô fungebatur, tædam manu præferente. Eurip. *in Helena v.* 728.

Λαμπάδων μεμνήμεθ᾽ ὡς δὲ τετραόροις
Ἵπποις τροχάζων παρέφερον· σὺ δ᾽ ἐν δίφροις
Σὺν τῷδε Νύμφη δώμ᾽ ἔλιπες ὄλβιον.

Interea canebatur ἁρμάτειον μέλος: axis dein currus, poſtquam nova Nupta ad Mariti pervenit ædes, igni dabatur, *ut ſignarent illam ibi perpetuò manſuram, neque inde ullâ tempeſtate receſſuram*, Alex. ab Alexandro *loc. cit.* Veniebat autem comitata Paranymphô (ſecundis *Nuptiis* ipſe Maritus Sponſam domum deducebat) ut & Cognatorum aliquibus, ac inprimis Νυμφευτρίᾳ ſeu Pronubâ fœminâ. Ipſa, gemmis ornata, purpurâque induta, *domum* Sponſi *totam laureis obſitam*, ut Apulejus ait *Metam. l.* 3. inveniebat, neque abs re, namque & ipſa ſertô ornata erat. Unde Clytemneſtra ad Achillem apud Eurip. *Iphig. in Aul. v.* 705.

Σοὶ καταστέψασ᾽ ἐγὼ νῦν ἦγον γαμουμένην.
Tibi ſertô exornans ego illam adduxi, ut nupturam.

Imò & Sponſum ſimili ornatu inſignem fuiſſe, à Patre nempe ſertô ornatum, ſicut Sponſa à Matre ſolebat, Libanius docere videtur *Declam.* 39. quæ coronamenta ex verbena, in Italia: ex aſparago in Bœotia: ex ſiſymbrio, papavere, ſeſamo Athenis conficiebant, vide Scholiaſten *Ariſtoph. Pace.* More ad Chriſtianos quoque tranſlatô, quos dehortaturus Tertullian. *de Coron. Milit. c.* 13. *Chriſtianus*, inquit, *nec laureis januam infamabit.* Præter hoc ſertum, Σησαμὶς vocatum, ſtrues quoque ſeu placenta *Nuptiarum* die, Σησαμοῦς dicta, parabatur. Ariſtoph. *Pace*,

Ὁ πλακοῦς πέπεπται, Σησαμοῦς ξυμπλάττεται·

Fiebat autem ex ſeſamo, διὰ τὸ πολύγονον, boni ominis cauſâ. In domum Mariti, ut apud Romanos, trans limen Sponſa portabatur, ne ſponte videretur irrupiſſe: quod dum fiebat, pueri puellæque adſtantes caput illius ficubus placentiſque perpluebant, Εὐετηρίας, ut Cœl. Rhodig. *l.* 26. *c.* 6. ait ex *Theopompo*, σημεῖον; quem ritum Καταχύσματα dixêre, in ſervo quoque novo, cùm primum Heri domum ingrederetur, uſurpari ſolitum. Interea Diis ſacrificatum, ſed, ut oſtenderetur, omnem amaritudinem à Neogamis exulare debere, fel è victimis exemtum cumque nauſea abjectum eſt: Peragebantur verò ſacra à Patribus, ut ex Euripid. de Agamemnone loquente, *Iphig. in Aul.* colligere eſt, Jove Ὁμογνίῳ & Junone Συζυγίᾳ peculiari ratione in vota vocatâ, docente Libaniô *Declam.* 35. τὰ πατρὸς ἐτήρησε καὶ Ὁμόγνιον Δία καὶ Ἥραν Συζυγίαν ἐτίμησε πρότερον. Quæ ſacra tanta in veneratione erant, ut illa ne Judices quidem diſturbare auderent. Vide Photium *Cod.* 608. Poſt Deos, Genii propitiabantur, epuloque *Nuptiali* vacabatur: in quod panis introferri ſolebat à puero quodam in cophino floribus, ſpinis querniſque ramis obſito, qui canebat: Ἔφυγον κακὸν, Εὗρον ἄμεινον, *Effugi malum, inveni melius.* Durante conviviô, Muſicus perſonabat concentus ἀμοιβαίως, *alternis*, Ὑμὴν, ὦ Ὑμεναῖ᾽ ὦ Ὑμὴν, Latin. *Hymenæus* dictus: Quod etiam fiebat, cùm ex Patris ſui ædibus ad Maritum ducebatur. Unde Comicus, Plaut. *Caſin. Actu* 4. *ſc.* 3. *v.* 1. 2.

Age tibicen, dum illam educunt hanc novam Nuptam foràs,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam, Hymenæe!

In thalamum, τὸν θάλαμον & τὴν παστάδα, cùm Sponſa duceretur, oſtendebatur ipſi locus, in quo in poſterum ipſi commorandum, ſimulque introferebatur cribrum, & januæ piſtillum appendebantur, σημεῖα αὐτουργίας, ut *Pollux* ait, vel ut ipſa moneretur, manum labori admovendam eſſe. Huc Solonis Lex referenda: Τὰς Νύμφας ἰούσας ἐπὶ τὸν γάμον, φρύγετρον φέρειν σημεῖον, *Sponſæ cùm domum Mariti deducuntur*, phrygetrum *in ſignum ferunto*: i. e. ut *Heſychius* interpretatur, ξυλήφιον ᾧ ἐκίνουν τὰς πεφρυγμένας κριθὰς, *piſtillum quô motitabant toſta hordea.* Cùm dein Sponſus quoque thalamum ingrederetur (prior enim Sponſa intrabat) ambo malum cydonium guſtabant, quod iterum lege cavit Solon, ut ſic indigitaretur dulcedo & gratia linguæ, quæ maximè Conjuges decet. Neque ſic tamen Conjugium conſummabatur, ſed manebat γάμος ἀτελὴς, ſi fortè cornix grave cornicaretur: quod Val. Flacc. teſtatur, cùm ait, *l.* 6. *v.* 688.

——— ——— *Conjux miſeranda Caico.*
Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.

Quod proin infauſtum omen ut averteretur, pueri clamabant: Κόρη ἐκκόρει κορώνην, idque in ſingulari, ſic enim Cornix habebatur infauſta. Cùm verò par cornicum apparebat, fauſtiſſimum habebatur, διὰ τὸ πολύζωον. In Cubiculo duo ſtabant lecti, Κλίνη γαμικὴ, & Κλίνη παράβυστος, dicti: neque priùs Marito ſe jungebat Sponſa, quàm νυμφικῷ λούτρῳ, *nuptiali balneô*, corpus laviſſet; Cui inſerviebat aqua è fonte Callirrhoe olim, poſteà ex eo, qui Ἐννεάκρουνος, quaſi *novem fiſtulas* ſeu *ſalientes habens*, vocabatur, petita, niſi utrumque ejuſdem fontis nomen dicas, vide Pollucem *l.* 3. *c.* 3. Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 629.

Et quos Callirhoë novies errantibus undis
Implicat.

Hôc modô cùm abluta eſſet Sponſa, Mater ejus crinali ſeu vittâ arreptâ, unique tædarum, (ipſa enim ſolebat δᾳδουχεῖν, i. e. *faces* Nuptiales ex corylo, larice an ſpina alba confectas *ferre*) circumvolutâ illam comburebat, atque de novo filiæ ornabat crines. Hinc Jocaſta apud Senecam *Theb. Actu* 4. *v.* 505.

——— *Non te duxit in thalamos parens*
Comitata primos, nec ſuâ feſtas manu
Ornavit ædes, nec ſuâ lætas faces
Vittâ revinxit.

In thoro tandem collocatæ, zona à Marito ſolvebatur; de quâ re vide in voce *Zona*, ut & ſuprà, ubi de Romanorum egimus ritibus:

bus: præque thalami foribus pueri puellæque, quos *filios Nuptiarum* Evangeliſta Matth. *c.* 9. *v.* 15. vocat, Ἐπιθαλάμια ſeu Γαμήλια decantabant; aliquis quoque ex Sponſi amicis, θυρωρὸς dictus, foris expectabat, qui Mulieres in thalamum irrumpere volentes moraretur. Poſtridie *Nuptiarum* inſtaurabantur epulæ, donaque ſolemni pompâ, præeunte puerô candidâ veſte amictô & tædam ferente, geſtabantur: veſtes nempe, & omnifaria ſuppellex; tanto quidem olim cum luxu, ut Solon Legem ferre fuerit coactus: Ἱμάτια τρία καὶ σκεύη μικροῦ νομίσματος ἄξια, ἕτερον δὲ μηδὲν ἐπιφέρεσθαι τὴν γαμουμένην τὰς φερνάς, *Tres tantùm veſtes & vaſa aliquot non magnô conſtantia Sponſa ad Maritum deferto in dotem.* Dicebantur autem Ἐπαύλια, item Διαπαρθένια, & diſtinguebantur à Προαυλίοις ac Ἀπαυλίοις (cùm veſtis ἀπαυλητηρία dicta, Sponſo à Sponſa daretur) Unde quidam tres *Nuptiarum* dies ſolemnes fuiſſe colligunt &c. Vide Sam. Petitum *Comm. in Attic. LL. l.* 6. *tit.* 1. & 2. Franc. Roſſæum *Archæologiæ Attic. l.* 4. *c.* 9. *& ſeqq.* Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtic. l.* 3. *c.* 101. cui tit. *Epithalamion*, Alios. Apud Ebræos, quibus duplicis generis Uxores olim erant, primariæ נשים *Naſchim* & ſecundariæ, vulgò פילגשים *Pilagshim* dictæ, *Nuptiæ*, ut à Sponſalibus diſtinguuntur, ſolennibus illis ritibus conſtantes, quibus Matrimonium perficitur celebraturque; dictæ ſunt, כניסה לחופה ſeu *Deductio in Domum aut Thalamum*, qua de vide ſuprà in voce *Deductio Nuptialis.* Adeoque de *Nuptiarum* ſubſtantia hæc deductio erat: Ritus verò, præter benedictiones deductioni proprias, mora Sponſæ apud Parentes & præſtituta deducendi tempora ac ritus minorum gentium alii, de quibus infrà in *Nuptiales Ritus*, &c. Quemadmodum autem Romanorum olim *Nuptiæ* tribus modis fiebant, *Uſu*, *Confarreatione* & *Coëmptione*, ſimiliter apud Hebræos, aliquando ſolô congreſſu & ſtipulatione ſine tabulis ſponſalitiâ, ſecuta deductione, *Nuptiæ* etiam illis perficiebantur. Sed annuus hîc *Uſus* apud Romanos neceſſarius; nec ſimplex ſufficiebat in uſum matrimonialem nubendi animo conſenſus, ut juſtæ fierent Nuptiæ, verùm Sponſalia ac ſolennia Nuptiarum adhibenda fuêre. De *Confarreatione* pòſt dicetur. Uti verò *Coëmtioni* pretium interveniſſe, indicat ipſa vox, ita & Sponſalibus apud Hebræos nummo ejuſque valore initis, atque, in Nuptiis, iteratis. Atque emtas pariter uxores in ipſis Sponſalibus *Nuptiiſque* notat ex *LL.* veterib. Burgundionum & Saxonum Briſſonius *de Ritu Nupt.* qui mos & in Chriſtianiſmo retentus, ut infrà dicetur. Sic equum armis inſtructum, peractis Nuptialibus ſacris, dabat Sponſæ Sponſus, apud Theſſalos, teſte Æliano *de Animal. l.* 14. *c.* 34. Vide quæ de phiala Sponſo Sponſæque ex Græcorum aliorumque in Oriente populorum more, dari ſolita, notavit Caſaubon. *ad Athenæum l.* 13. *c.* 5. Imò, dotem aut contradotem, ſeu donationem propter nuptias aut utramque, ut Coëmtionis pretium, *Nuptiis*, apud paganos, aut intervenire ſolitam, aut præiviſſe, notum. Græcus item mos obvius eſt, in Solonis LL. Demoſthene *Or.* 1. *in Onetor.* Euripide *Aulid.* Aliis, ubi de Dote mentio. *Confarreatio*, quæ tota in ſacris Nuptialibus conſtabat, quæque *Sacrorum* ſimpliciter nomine apud Tullium venit *Orat. pro Murena* (quod Nuptiarum genus Tiberii ævô in deſuetudinem abiit) inprimis ſimile quid apud Ebræos habuit, ut infrà videbitur, ubi de *Nuptialibus Sacris* & *Nuptiali Benedictione.* Sed tam Confarreationis, quàm Coëmtionis, i.e. priſcorum in Hebraiſmo & Paganiſmo rituum ſeu formularum, reliquiæ veſtigiaque in Chriſtianiſmo non obſcura. Quanquam enim ſacra, quæ fuêre in Confarreatione Paganica, utpote Chriſtianiſmo planè adverſantia, ſub ejuſdem initia, etiam apud Paganos, evanuêre, vide Paganin. Gaudentium *de Juſtinian. ſeculi moribus c.* 15. nihilominus *farris* ipſius uſus aliquis ſolennis, in libis conficiendis, diffringendis, communicandis, locis ſaltem in nonnullis, ſemper obtinuit. Certè frequentiſſimus apud Anglos eſt & antiquitus fuit liborum grandium in *Nuptiis* uſus, quæ *Bride-cakes*, i.e. *Liba Sponſalitia* ſeu *Nuptialia*, appellitant. Eaque tum à Sponſis ipſis confecta, tum à propinquis amiciſque ſolenniter muneri nuptiali data. Atque *in agro noſtro Alexandrino*, inquit Lancillottus Gallia, apud Seldenum, *perſeverant adhuc quædam antiquarùm obſervationum veſtigia, veluti in vico Villæ fori nuptiæ per* Confarreationem, *dum libô, inter nubentes & affines atque cognatos partitô, fiunt.* Certè & in Græcorum ritibus compotatio eſt in Eccleſia nuptialis, quæ Confarreationis vicem præſtare videtur. *Nec non*, adjicit Lancillotus, *circumſpicitur interrogatio, quæ per Sacerdotem fit Viro & Uxori, una cum reſponſione hinc inde ſubſequente, exindeque amplexus & manibus apprehenſio, quæ omnia ſolennitati, quæ olim per* Coëmtionem *fiebat, ſatis arrident.* Et ſanè Coëmtionis veteris reliquiæ manifeſtiſſimæ ſunt, in arris Sponſalitiis ac pecunia pro more, in ipſo nubendi actu, numerata. Qualis item in actu ſpondendi ſubarrationis uſus. Cujuſmodi *moris*, ait Briſſonius *l. c. veſtigia à nobis in noſtris Nuptiis* (in Gallia) *uſurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione.* Ipſe verò potiùs illud manaſſe ex Barbararum Coloniarum, quæ in Gallias ex Germania migrârunt, more, exiſtimat; quoniam in *LL. Burgundionum* & *Saxonum* veter. uxores maritis à Parentibus vel Tutoribus emi conſueviſſe liquet, pretiô, quod *Nuptiale* ſignanter dictum eſt. Inde & aliqui omnia matrimonia apud Gallos per Coëmtionem hodieque fieri tradidêre, ut Connanus; quem tamen eô nomine falli ait Anton. Gubertus, *l. de Sponſ. c. de Ritu Nupt.* §. 81. ubi ſic habet: *Non coëmitur uxor nummis illis imparibus, quos vir tradit Antiſtiti. Sed poſtquam ultro citroque fidem conjugalem ſe piè & ſanctè ſervaturos vir & mulier ſunt polliciti, Sacerdos recipit à viro vel tres vel quinque nummos, impari tamen numerô, pro more patriæ, quos idem tradit mulieri, tanquam arrabonem promiſſæ fidei caſtimoniæque corporis.* Et de taxatis Sponſi donationibus ſeu arris, apud Suecos Gothoſque veteres ſed Chriſtianos, vide Ragualdum Ingemundi in eorum *LL. l.* 3. *c.* 7. ubi & plura de ſingulari apud eos connubii jure. Neque ullam ſine dote, i.e. ſine dono aliquo, ſaltem dotem ſupplente, voluêre Veteres conjugium fieri: *juxta pudicitatem fiat dos*, dicente Synodô Arelatenſi *C.* 30. *quæſt.* 4. *c.* 5. Sed evanuit tandem ſententia illa, atque lex, quâ nitebatur. Primùm temperata, deinde reſciſſa eſt. Vide *Novell.* Juſtinian. 74. *c.* 4. &c. Quod autem Boëtius *Nuptam* novam ſeu *Uxorem in manum convenire* non vult dici, extra *Coëmtionem*, non parùm hallucinatur. Planè enim tam quæ *Uſu* erat uxor, quàm quæ *Farre*, in manum conveniebat. De Farre, liquet expreſſè, apud Ulpianum *in Fragm.* de Uſu, apud Ciceronem *Orat. pro Flacco.* Non verò in manum convenit, ſed uxor tantùm habebatur illa, quæ velut Concubina, nullô *Nuptiarum* genere hactenus conjuncta, locô tamen uxoris cenſebatur, uti diſcimus ex Jac. Ravardo *Variorum l.* 4. *c.* 16. Vide Seldenum *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 20. & 25. Addam id ſolùm de *Nuptiis* Hebræorum. Peragebantur in cœtu decem ad minimum teſtium, cum benedictione & gratiarum actione; unde domus ipſa Hebr. בית הלולא *Beth hillula*, i.e. *domus laudis*, ut & *Nuptiale* illorum carmen הלולים *Hillulim*, i.e. *laudes*, nuncupatum eſt. Intimi Sponſi amici, qui Epithalamium canebant, υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος dicti ſunt, Matthæi *c.* 9. *v.* 15. quales 30. *ſodales Samſonis* fortè fuêre, Judicum *c.* 14. *v.* 11. Formulam benedictionis *Nuptialis* prolixè deſcribit Genebrardus, cujus ſumma hæc: Caput cœtus præſentis, ſumtô poculô, benedicebat, ajens: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex Univerſi, qui creas fructum vitis.* Mox pergebat, *Benedictus ſit Dominus Deus noſter, Rector Univerſi, qui virum condidit ad imaginem ſui, ad imaginem ſimilitudinis ſuæ domiciliumque ipſi præparavit perpetuum. Benedictus ſis ô Deus, qui creaſti ipſum.* Dein ſubjungebat, *Benedictus & tu, ô Domine Deus noſter, qui creâſti gaudium & lætitiam, Sponſum & Sponſam, charitatem & amorem fraternum, recreationem & delectationem, pacem & ſocietatem: Precor te, Domine, fac ut indeſinenter reſonet in Urbibus Juda & in plateis Hieroſolymæ, vox gaudii & lætitiæ, vox Sponſi & Sponſæ: Vox exultationis in thalamo nuptiali ſuavior eſt quôvis feſtô: & liberi dulciores ſunt dulcedine cantûs.* Quâ effatus, Neogamis poculum propinabat: Ideo autem benedictionem hanc judicabant, ut meritò erat, neceſſariam, quia fructum ventris, tanquam ſpeciale benedictionis genus, à Deo expectabant: dicentes quatuor eum claves manu ſuâ tenere, nulli Angeli, ne quidem ex ordine *Seraphim*, communicatas, nempe *Clavem pluviæ*, *Clavem cibationis*, *Clavem ſepulchrorum*, & *Clavem ſterilitatis*: de quarum prima vide Deuter. *c.* 28. *v.* 12. ſecundâ Pſalm. 145. *v.* 16. tertiâ Ezech. *c.* 37. *v.* 12. ultimâ Gen. *c.* 30. *v.* 22. Durabant *Nuptiæ* apud illos, pro more, ſeptiduum integrum, ut diſcimus ex Judic. *c.* 14. *v.* 10. 11. collatô cum Gen. *c.* 29. *v.* 27. quemadmodum totidem dies luctus durabat, Gen. *c.* 50. *v.* 10. Unde Proverb. illorum, *Septem ad convivium, ſeptem ad luctum.* Princeps epuli vocabatur בעל משתה *Baal miſchte*, Johann. *c.* 2. *v.* 9. ἀρχιτρίκλινος dictus. In Italia cùm hodierni Judæi ad *Nuptias* aliquem invitant, ſolet hic reſpondere מזל טוב *Mazal tob.* quod quidam interpretantur in genere, *feliciter*: alii ſpecialem hîc intelligi benedictionem, liberorum procreationis, autumant. Namque & connubialis annulus hæc verba inſculpta habet, Munſterus in *Gen. c.* 30. & Hebræi Saturnum, cujus influentiam generationi aptiſſimam credunt, *Mazal* appellant. Sed vocem hanc alium etiam quemcunque Planetam Stellamque denotare, patet ex Hebræorum veriverbio: *Non eſt ulla herba inferiùs, cui non ſit Mazal in Firmamento, & facit illam Mazal, & dicit, Creſce &c.* Ideò illud *Mazal tob* idem videtur eſſe, ac *Fiat felici ſidere.* Tempore porrò *Nuptiarum*, Sponſus Sponſæ porrigebat dotalitias tabulas, à Scriba exaratas, quas ipſe ſolvebat, ſimulque dotabat illam, ſi virgo eſſet, 200. denariis ſeu 50. ſiclis, ſin vidua, 100. denariis ſeu 25. ſiclis: quod dicebatur *Caput dotis*, quæ minor eſſe non poterat, poterat tamen eſſe major ad auri talentum uſque. Vide ſuprà in voce *Dos.* Tabulis ſignatis Sponſalibuſque conſummatis Sponſa à Marito futuro tria ſibi vindicabat, *alimentum*, *operimentum* & *cohabitationem*, ex Exod. *c.* 21. *v.* 10. quò alludere videtur Apoſtolus 1. Cor. *c.* 7. *v.* 3. Primâ autem vice cùm Sponſa ſe ſiſteret Sponſo, caput obvelata erat peplô, in ſignum ſubjectionis, Gen. *c.* 24. *v.* 65. unde Apoſtolus, hujus rei cauſâ, *mulierem poteſtatem habere, in capite* vult, *propter Angelos*, 1. Cor. *c.* 11. *v.* 10. Ubi velum hoc, quod ſignum ſubjectionis erat, *poteſtatem* vocat, reſpiciendo ad vocem Hebr. רדיד *Radid*, i.e. *velamen mulieris*, quæ à radice deſcendit רדד *Radad*, i.e. *Imperium & auctoritatem habere*: Subjectio enim illa ſpecies erat poteſtatis ac protectionis à Marito in Sponſam derivandæ, cùm priùs nullius dominii eſſet particeps. Unde in examine Zelotypiæ, Uxor tenebatur ſtare בלא רדיד *ſine Radid*, i.e. ἄνευ ἐξουσίας, quod Latini reddunt, *retectô capite*, Numer. *c.* 5. *v.* 18. ut indigitaretur, ſiquidem rea deprehenſa eſſet, illam in poſterum fore privatam omni dominiô ac poteſtate, quam beneficiô Mariti anteà habuerat, &c. Vide Stuckium *de Conviv. l.* 2. *c.* 3. *Talmud Bab.* Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 4. &c. De conſuetudinibus apud alias Gentes uſitatis, vide infrà, ubi & de quibuſdam ritibus prolixiùs: necnon apud Autores *ſuprà paſſim laudatos*, ut & Barthium *Animadverſ. ad Stat.*

NUPTIALE, ſignanter in LL. Burgundionum *tit.* 14. & 3. & Saxonum veter. *tit.* 6. 9. 17. dicebatur pretium, quô Uxores Maritis à Parentibus vel Tutoribus ſolebant emi. A quibus morem, *tredecim nummorum numeratione*, Uxorem in Gallia emendi, fluxiſſe, vult Briſſon. *de Ritu Nuptial.* qua de re diximus paulò ſuprà, in voce *Nuptiæ.* Vide quoque infrà ubi de *Nuptiali nummo.*

NUPTIALE Epulum ſeu *Lætitia epularis*, apud Hebræos, Deductionem ſequebatur. Epulum enim à Sponſo ſive cælibe ſive ſive viduo, ſive uxori etiamnum ſuperſtiti conjuncto, lætè lauteque celebrandum erat, per dies à Deductione minimùm ſeptem, ubi Virgo erat Sponſa (exemplô vetuſtiſſimô ſumtô,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Jacobi & Rahelis nuptiis, tum ex Samſonis) per triduum minimùm, ubi Vidua ſeu Vitiata ducebatur. Atque hoc Epulum ejuſque celebratio, שמחה חנשואין ſeu *Lætitia Nuptialis* dicebatur, qua de pluribus ſuprà egimus, in voce *Lætitia*. Apud Tobiam c. 7. & 8. dies quatuordecim *Nuptialis* convivii habentur, qui quidem ex moribus receptis intra triduum coërceri ſolebant. Nam Sara ibi vidua eſt. Sed ampliare hoc epulum nemini non licuit, non minuere, abſque moris Majorum violatione. Primò autem convivii deductio fiebat in thalamum, unde abſolutæ undiquaque Nuptiæ. Sed triduum totum, ubi Sponſa erat viduâ, atque ſeptiduum, ubi virgo erat, lætitiâ ſummâ lautitiaque, pro Sponſorum fortuna, etiam & ſingulari eorum dignitatis obſervantia, à convivis erat celebrandum; retentô interea in officioſis compellationibus, etiam Sponſi & Sponſæ nomine, uſque dum finiretur ejuſmodi ſolennitas. Unde Rabi Eliæzer *in Pirke c.* 16. *Sponſus*, inquit, *eſt Regi comparandus: quemadmodum Rex foràs non egreditur incomitatus, ita nec Sponſus. Quemadmodum Rex veſtibus utitur ſplendidis, ita & Sponſus etiam per ſeptem Convivii nuptialis dies, Quemadmodum Rex ab univerſis celebratur, ita etiam per id tempus Sponſus. Quemadmodum vultus Regius lucidus eſt, ut Sol, ita Sponſi vultus, juxtà id quod ſcriptum eſt* (Pſalmo 19. v. 5.) *Et ipſe tanquam Sponſus egrediens è thalamo ſuo* &c. Quod de Sole dictum, cui Sponſi è thalamo ſuo tum ſplendidis veſtibus, tum nuptialibus comitum officiis, iiſque lætiſſimis, durante nuptialis celebritatis tempore ornati, progreſſus comparatur. Et ad hanc Deductionem ac ſolenne convivium ſpectat illud in Euangelio Matth. *c.* 25. *v.* 10. de decem Virginibus: *Dum irent emere, venit Sponſus: & quæ parata erant, intraverunt cum eo ad Nuptias & clauſa eſt janua.* Omnibus ſcil. convivis futuris Sponſus & Sponſa, quæ jam deducebatur in Nuptias, ſolicitè expectandi erant, obſervandique. Id enim quod ibi *ad Nuptias* eſt, ſeu, ut in Græco, εἰς τοὺς γάμους, à Syro redditur לבית הלולא *in domum Chori, lætitiæ* ſeu *Nuptiarum*, cui etiam alibi ſæpius, ut Johan. *c.* 2. *v.* 1. & 3. Luc. *c.* 12. *v.* 36. & *c.* 14. *v.* 8. οἱ γάμοι ſeu *Nuptiæ*, משתותא quod ipſum eſt Ebræorum משתה ſeu *Sympoſium nuptiale*, nuncupatur. Atque eam eſſe vocabuli ſignificationem, in Hiſtoria ſacra (de Nuptiis in Cana Galileæ) palàm liquet. Sed & tum convivarum, tum miniſtrorum erat, officia nuptialia Sponſis, durante illô ſive tridui, ſive ſeptidui tempore, præſtare, unde *loc. cit.* εἰς ἀπάντησιν τοῦ Νυμφίου, Syrus habet *in occurſum* ſeu *obviam Sponſo & Sponſæ*, prodire dicuntur. Eôdem pertinet illud, Matth. *c.* 9. *v.* 15. *Nunquid* poſſunt *οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν* ſeu *νηστεύειν*, *filii thalami nuptialis lugere* ſeu *jejunare* (ubi *filii Nuptiarum* habet Vulgatus) *quandiu cum illis eſt Sponſus?* Atque adjicitur, *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponſus & tunc jejunabunt.* Nec prætermittendum eſt, morem hunc lætitiæ ac deductionis alibi item, quam apud Ebræos, pariterque in Oriente vicino, obtinuiſſe, ex Veterib. liquere. Legitur enim 1. Maccab. *c.* 9. *v.* 37. *Filios Jamri facturos magnas nuptias duxiſſe Sponſam in Madaba, filiam unius de magnis Principibus Chanaan* (oppid. ſeu urbem *Gabatha* vocat Joſephus ac Sponſæ patrem *illuſtrem inter Arabas*) *cum pompa magna*----*Et ecce tumultus & apparatus multus & Sponſus proceſſit, & amici ejus & Fratres ejus obviàm illis cum tympanis & Muſicis multis*, &c. Convivii porro apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſabat Architriclinus, ſeu Triclinii Præpoſitus, Joh. *c.* 2. *v.* 9. qui an neceſſariò fuerit ex ordine Sacerdotali, ut Gaudentius Epiſc. Brixianus *Tract.* 9. ſcribit, compertum non eſt, ut alia omittam. Tranſiiſſe hunc morem ad Mahumedanos Africanos Leo prænom. Johannes refert *Deſcript. Afric. l.* 3. *c.* 4. *qui in Matrimon.* ubi, *Poſitis in thoro Sponſis*, ait, *apparatur convivium & fœmina quædam pro foribus expectat, donec devirginata Sponſa linteolum ſanguine tinctum illi porrigat, quod manu geſtans hoſpitibus oſtendit, altâ voce clamans, virginem hactenus incorruptam fuiſſe* &c. Vide Joh. Seldenum *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 11. & 13. infrà quoque voce *Repotia*, & alibi paſſim.

NUPTIALE Poculum, inter Græcorum nuptiales ritus. Cùm enim apud hos duæ potiſſimum formulæ ſacræ habeantur, altera Sponſalium ſacrorum, ſine celebritate Nuptiali, altera Nuptialium ſacrorum, poſterior hæc Ἀκολουθεία τοῦ στεφανώματος vocatur, *Ordo ſacer coronamenti.* Atque tum, cùm, qui deſponſati ſolenniter fuerant, etiam coronari volunt, intrant in ſacrarium cum cereis accenſis, præeunte Sacerdote cum thymiamate & Pſal. 128. recitante adduntur que Pſalmi alii, plebis doxologia, preces Συναπτὴ vocatæ á Diacono dictæ aliæque à Sacerdote, quibus à Numine petuntur, quæ felicitatem & vitam proſperam conjugum ſpectant. Et dein, inquit Sacerdos, Σύζευξον αὐτοὺς ἐν ὁμοφροσύνῃ· στεφάνωσον αὐτοὺς εἰς σάρκα μίαν, χάρισαι αὐτοῖς καρπὸν κοιλίας, εὐτεκνίας ἀπόλαυσιν, *Conjuge eos in unanimitate, corona eos in carnem unam. Da eis fructum ventris & ut prole fruantur fœcundi.* Doxologiâ ſubjectâ, Μετὰ τὸ Ἀμὴν λαβὼν ὁ Ἱερεὺς τὰ στέφανα, στέφει πρῶτον τὸν Νυμφίον, λέγων· Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ τὴν δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, *Simulac Amen dicitur, Sacerdos coronam ſumens, coronat primò Sponſum, dicens; Coronatur hic Servus Dei N. ancillâ Dei hâc, in nomen Patris ac Filii ac Spiritus Sancti.* Iiſdem verbis poſteà Sponſam alloquitur atque his peractis ter utitur hujuſmodi benedictione, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν δόξῃ καὶ τιμῇ στεφάνωσον αὐτοὺς, *Domine Deus gloriâ ac honore corona eos.* Legitur tunc, quæ de officio conjugali habentur, in Ep. ad Epheſ. *c.* 5. *v.* 22. item illud Euangelii de nuptiis in Cana Galileæ. Et poſt preces aliquot alias προσφέρεται τὸ κοινὸν ποτήριον καὶ εὐλογεῖ αὐτὸ ὁ ἱερεὺς, *affertur* Commune Poculum, *quod benedicit Sacerdos*, ad hunc modum, Καὶ τὸ ποτήριον, τὸ κοινὸν τοῦτο παρεχόμενον τοῖς συναφθεῖσι πρὸς γάμου κοινωνίαν εὐλόγει εὐλογίᾳ πνευματικῇ, *Etiam & Poculum hoc Commune exhibendum eis, qui in communionem matrimonii conjunguntur, ſpirituali benedicas benedictione.* Ter dein illud eis porrigit; primò Marito dein Uxori: & prehendens eos quaſi in circulum circumagit pſallens, dum coronas tenent à tergo Paranymphi, quæ capitibus Sponſorum iterum non ſine benedictione ſolenni aptantur, uſque dum poſt orationem unam atque alteram vitæ conjugali propriam conjuges dimittuntur. Apud Moſcos tamen, licèt in re Eccleſiaſtica ferme Græcis congeneres, *Poculum* hoc non adhibetur. Nimirum quærebat Hypatius Pocieji Moſcorum Archiepiſcopus à Petro Arcudio Corcyræo, quid hâc ceremoniâ Græci velint. Arcudius autem *de Concord. Eccleſ. Occid. & Orient. l.* 7. *c.* 32. *Faſſus tum me ignorare, niſi quòd ſuſpicabar iſtud ſacratiſſimæ communionis locô fieri. Cùm enim à prandiis atque domi etiam permulti matrimonia contrahant, locô videl. ac tempore minùs aptô ad Euchariſtiam adminiſtrandam & percipiendam, ajebam inſtar communionis hanc ceremoniam fortaſſe introductam eſſe.* Quam conjecturam ut firmet, conſuluiſſe ſe ait Euchologium vetuſtiſſimum Patriarchale, quod aſſervetur in Monaſterio Cryptæ Ferratæ, ubi legatur de Sponſis, qui ſcilicet coronandi introducuntur, Καὶ ἐλθόντες πρὸ τὴν τοῦ θυσιαστηρίου ἀπολύουσιν ἀλλήλων τὰς χεῖρας καὶ ἵστανται πρὸ τῶν ἁγίων θυρῶν. Ἀπόκειται δὲ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ ποτήριον ἔχον προηγιασμένα καὶ στεφανώματα δύο καὶ ποτήριον ὑέλου πλῆρες οἴνου, *Et poſtquam venerint ante Sanctuarium, manus non ampliùs tenent conſertas, ſed ſtant pro ſacris foribus. Repoſitum eſt autem ſuper divinam menſam poculum habens Præſanctificata & coronæ duæ, item* Poculum *vitreum vini plenum.* Et paulò pòſt, Καὶ κρατῶν τὸ ποτήριον λέγει τὰ προηγιασμένα ἅγια τοῖς ἁγίοις· καὶ κοινωνεῖ αὐτοὺς, *Ac tenens poculum* (h. e. inquit Arcudius, Calicem) *Sacerdos dicit præſanctificata Sancta Sanctis. Et eos participes facit communionis.* Finitâ dein oratione & ter exhibitâ ablutione (ſic in Euchologio illo) ἀποδίδωσι τὸ ποτήριον τινὶ ἢ ὡς ἔνιοι κλᾷ, *Reſtituit poculum alicui, ſeu, ut volunt nonnulli, frangit.* Ubi, inquit, per *Poculum*, intelligit vitreum, non autem calicem, in quo erat communio præſanctificata. Adeò, ut trina ablutio etiam, idque ex vino, in poculo hoc vitreo, inter ritus nuptiales ſit Chriſtianorum, &c. Vide Seldenum ubi ſuprà *l.* 3. *c.* 24.

NUPTIALE Tempus, accuratè ſemper obſervatum. Et quidem apud Hebræos, dote conſtitutâ, deducere Sponſam Sponſo licuit, ita tamen, ut tum temporis moræ ratio haberetur, tum dierum Deductioni ex more præſtitutorum. Nempe minor in poteſtate patria deſponſata, niſi tam ipſa, quàm pater, aſſentiretur, deduci nequibat à Sponſo ante duodecimum annum, ſeu antequam נערה ſeu *Juvencula* facta fuiſſet. Quam ſi poſtea rogaret Sponſus, ut libenter deduceretur, potuit ea per menſes duodecim à die, quô rogavit is, putando, pro arbitratu ſuo, deductioni ac nuptiis ritè ſatis obſtare, idque ut interim ſe futuræ vitæ communi perornaret aptaretque. Si idem rogâſſet Sponſus, poſtquam è minore ætate Sponſa in pubertatem plenam ſeu annorum duodecim & ſex menſium ætatem exceſſiſſet, integrum ei erat non deduci per XII. itidem menſes, ab ipſo plenæ pubertatis die. Ubi ipſô plenæ pubertatis die, aut poſteà intra annum ab eodem die Sponſalia inita erant XII. menſes etiam à pubertatis die putandi. At verò, ſi annus à pubertatis plenæ die præteriiſſet, ante Sponſalia, & demum deductionem poſtularet Sponſus, triginta duntaxat dies ab ipſo, quô poſtulatum eſt, tempus erat moræ legitimæ, quâ Sponſa pro ſuo uti potuit arbitrio. Quod itidem de Sponſis univerſis, quæ Virgines non erant, dicendum. Eadem ipſa ratio, juxta ſententiam receptiorem, obtinuit de Sponſo, ubi rogaret Sponſa deductionem. Quòd ſi ultra tempora præſtituta deductione ipſe abſtineret, alimenta inde ab eo Sponſæ erant præſtanda, niſi aut eorum alteruter morbô interea corriperetur, aut deductionis dies in eorum aliquem, in quibus deducere fas non erat, incideret. Temporis autem XII. menſium ſeu Moræ exemplum obſervant nonnulli ad illud de Samſonis Sponſalibus ac Nuptiis, Judic. *c.* 14. *v.* 7. *Deſcendens autem loquutus eſt ad fœminam, quæ placuit oculis ejus. Et reverſus poſt aliquot dies, ut illam acciperet, declinavit ut videret cadaver leonis* &c. Ubi videtur, inquit *Levi Gerſonides*, *Permiſiſſe eos puellæ XII. menſes quibus ſe ornaret.* Deductionem verò quod concernit, neque Virginem, neque Viduam, neque Vitiatam, ritè deduci; ajunt Magiſtri pridie Sabbathi aut poſtridie, nedum ipſô Sabbatô aut die aliô feſtô. Quin nec intermediis ſive Paſchatis ſive Scenopegiæ diebus, quos *profanam partem Feſti* nuncupant: ſcil. diebus quinque, qui inter Paſcha & ſequentem ſeptimum, & ſex, qui inter Scenopegiam & octavum habentur. Non Sabbatô, ob diei reverentiam & ne ex apparatu epulari, qui Deductionem ex more præcederet, ſive initiô Sabbati ſive fine proximante, fortè violaretur feſtum. Non intermediis Paſchatis ac Scenopegiæ diebus, tametſi velut profeſti, non ſacri haberentur, ne lætitia lætitiæ commiſceretur. Virginis autem deductioni feria quarta ſeu Mercurii, ante alias, ſub Templo ſecundo præſtituta eſt, ratione ab aſſuetis Foro Seſſionum diebus ſumtâ. Viduæ verò ac Vitiatæ deductioni quinta ſeu Jovis maximè idonea habita eſt: Quæ omnia in conſilio potiùs, quam inſtituto erant. Interim nec Vidua, nec Repudiata ritè ducenda erat ante XC. dies ſeu tempus trimeſtre, ſive à Mariti morte, ſive à libelli divortii ſcriptione elapſum, ut interea certum fieret, an gravida fuerit nec ne, atque an è priore an è poſteriore marito. Nova item Libertina ac Proſelyta nova tot etiam menſibus ab Iſraëlitarum nuptiis arcebantur, ut ſcilicet diſtingueretur, inter prolem conceptam *in ſanctitate*, & eam, quæ conciperetur *extra ſanctitatem*, ſeu antequam facta eſſet Libertina ſeu Proſelyta. Quin & ob eandem rationem, ubi Proſelyti uxor fieret Proſelyta, à marito per tantum tempus ſeparanda erat, &c. Deductionem autem primò Epuli Nuptialis die factam eſſe, diximus ſuprà. Ab Hebræis ad Paganos ut tranſeam, reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

gio illis fuit nubere tam menſibus aliquot integris, quàm feſtis diebus & quibuſdam cujuſlibet menſis, aliiſque aliquot ſolùm menſium, ut pro inauſpicatis habitis: De Martio & Majo menſibus, Porphyrio in Horatium *l.* 2. *Ep.* 2. Romulum ait Lemuria, i. e. Remo parentalia, inſtituiſſe, *quæ menſe Majô per triduum celebrari ſolent, ante additum anno menſem Februarium; ob quam rem Majô menſe religio eſt nubere, & item Martiô, in quo de nuptiis habito certamine à Minerva Mars victus eſt, & obtentâ virginitate Minerva Nerine appellata.* Ovidius tamen non per totum menſem Majum, ſed per Lemuralium tantùm triduum, (i. e. IX. X. & XI. diem) nuptias inauſpicatas eſſe, velle videtur, *Faſtor. l.* 5. *v.* 487.

Nec viduæ tædis, eadem nec Virginis apta
Tempora: quæ nupſit, non diuturna fuit.

At Plut. *Probl. Rom.* 86. *diſertè: Uxores non ducunt Majô, uſque in Junium rem differentes.* Quod ad Martium, Ancilium in illo feſto, interdictæ itidem apud Romanos Nuptiæ fuêre: nec enim per Martium integrum nuptias non contrahi licuiſſe, ſed diebus tantùm, *quibus Ancilia in Templo Martis nondum condita* ſeu repoſita erant, ait Alex. Neapolitanus *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 5. ſed, ut Majum totum Lemuria, ſic Martium Ancilium hoc feſtum, nuptiis neutiquam idoneum reddidiſſe, credebant alii, ut idem *Porphyrio.* Scilicet nec adeò ſolennis armorum celebritatis, nec Lemurum ſacrificiorum tempora, molliores conjugii ritus bene admittere, nec quidem ita vicinos ut eôdem haberentur menſe. Feriatis autem ſeu feſtis diebus nubere etiam nefas habitum, Virginibus ſcilicet, non Viduis: nam *feriis vim cuipiam fieri piaculare*, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 15. Hinc etiam cujuſlibet menſis Kalendis & Idibus, Nuptiæ vetitæ, ex veter. Jure Pontificio, quia dies hi feriati. Parile etiam Nonarum jus, ſed alia ex ratione, quoniam pôſtriduanus dies ater habitus, quô itidem Nuptias contrahere non licebat: imò nec ſolemnem immolationem pro more facere, ſi pridie contractæ fuiſſent. Porrò Macrobio ac Feſto quartus quoque Kalend. Non. & Iduum ſingularum ater adeoque actibus ſolennibus, ex Pontificum decreto, interdictus habitus, voce *Nonarum.* Adde dies, quibus patere Mundus dicebatur, nempe poſtridie Volcanalium, Volcanalia ipſa (i. e. XI. Kal. Maj.) & diem ſextum menſis Novembris; quoniam ſcilicet tunc Deorum triſtium atque inferorum quaſi januam patere credebatur, nec aliquid omnino tunc adminiſtrabatur, niſi quod ultima admoneret neceſſitas, vide Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 16. Apud Perſas, moris fuiſſe Nuptias celebrare, κατὰ τὰς ἀρχὰς τ͂ ἐαρινῆς ἰσημερίας, *ſub initium æquinoctii verni*, Strabo refert *l.* 15. Interim non ait, reliquô anni tempore non licuiſſe, ut recentiorum aliqui. Vide Alexandr. Neapolitanum *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 5. & Joſ. Scaligerum *Emend. Temp. l.* 3. *p.* 196. *D.* Erat autem illis veris initiô, uti hodieque eſt, Feſtum celeberrimum, *Nearuz*, i. e. *Novus dies*, quem ut Anni initium, temporumque civilium Epocham ſtatuunt, epuliſque & pompâ proſequuntur. Chriſtianos quod attinet, in Synodo Laodicena, ſub A. C. 320. ſeu ut alii quadraginta pòſt habita, vetatur in Quadrageſima γάμους ἢ γενέθλια ἐπιτελεῖν, *Nuptias aut Natalitia celebrare.* Tantundem occurrit in Nicolai Papæ reſponſis ad Bulgaros. Tribuitur autem Concilio Ilerdenſi, ſub A. C. 524. celebrato Canon, quo prohibentur Nuptiæ *à Septuageſima, uſque in octavas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem S. Johannis Baptiſtæ & ab adventu Domini uſque poſt Epiphaniam.* Et adjicitur, *quod ſi factum fuerit, ſeparentur.* Dominicis item diebus, prohibentur Nuptiæ, in Synodo Aquiſgranenſi ſub Ludovico I. Imperatore habitâ A. C. 836. Jejuniis porrò celebrioribus feſtiſque non ita paucis, eorumque vigiliis eædem interdictæ ſunt, Synodô Salegunſtadii convocatâ, ſub Henric. II. Aug. Conſuetudo Romanæ Eccleſiæ olim fuit, ut à Septuageſima uſque in ſeptimum quidem poſt Pentecôſten diem celebritas nuptialis non permitteretur, trium quas diximus hebdomadum ante Feſtum S. Johannis ratione habitâ, aliâ nullâ, qua de re vide *Ep.* Clementis III. circa A. C. 1180. *Extravag. tit. de Feriis c.* 4. *Capellanus.* Thomas Aquinas *in Lombard. Sent. l.* 4. *Diſt.* 32. *quæſt. unic. artic.* 4. tribus temporibus Nuptias non celebrari tradit. *Quorum primum eſt, ab Adventu uſque ad Epiphaniam, propter Communionem in Nativitate; Secundum, à Septuageſima uſque ad octavam Paſcha, propter communionem Paſchalem. Tertium, à tribus diebus ante Aſcenſionem* (ſeu à Dominica Rogationum) *uſque ad octavam Pentecoſtes. His enim temporibus tribus, ſecundùm antiquos Canones, tenebantur communicare fideles.* Sed idem ipſum fermè, quod Patres Ilerdenſes, ſtatuit Synodus Lingonenſis, ſub A. C. 1404. uti & Senonenſis, Carnotenſis, Pariſienſis, præter Lingonenſem aliam. Donec Synodus Tridentina, *antiquarum ſolennium Nuptiarum prohibitionum* nomine, bina tantùm temporis ſpatia retineri heic voluit ab Adventu uſque ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum, uſque ad octavam Paſchæ incluſivè, *in aliis temporibus Nuptias ſolenniter celebrari permittens*, Seſſ. XXIV. *de Reform. Matrim. c.* 10. Quòd itidem à Synodo Meldunenſi, A. C. 1580. in Gallorum mores poſtea eſt receptum & in Ritualibus Pontificiis obiter adnotari ſolitum. Matrimonium autem ipſum, ſine ſolennibus ſacris, deductione, conviviis nuptialibus, omni tempore ritè contrahi poſſe interim permittitur, idque coram Parocho & teſtibus. Quod ipſum à Conciliis Gallicanis, velut Aquenſi, Rothomagenſi, Bituricenſi, Turonenſi, Burdigalenſi, pariter ſtatutum eſt, circa eundem annum. In *Excerptionibus* autem Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, nocte Dominicâ, quartâ ac ſextâ feriâ, atque Quadrageſimâ, Nuptiæ non ſine pœna celebratæ: Sed in vetuſtiſſimo Concilio Anglo-Saxonico, ſub A. C. 1010. Ænhamiæ habito tempora hæc ſunt ab Adventu uſque in octavam Epiphaniæ & à Septuageſima ad diem poſt Pentecoſten decimum quintum. Rituales verò libri Angl. veter. *Sciendum eſt, quòd licèt omni tempore poſſunt contrahi Sponſalia & etiam Matrimonium, quod fit privatim ſolô conſenſu, tamen Traditio uxorum & Nuptialis ſolennitas certis temporibus fieri prohibentur, videl. ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, & à Dominica ante Aſcenſionem Domini, uſque ad octavas Pentecoſtes. In octava tamen die Epiphaniæ licitè poſſunt Nuptiæ celebrari, non tamen in octavis Paſchæ. Similiter in Dominica proximè poſt feſtum Pentecoſtes licitè celebrantur Nuptiæ, quia dies Pentecoſtes octavum diem non habet.* Sic item diſertè *Guil. Linwodus*, aliique, tametſi non deſit inter eos controverſia, de ipſa Dominica Trinitatis, ſeu ea, quæ Pentecoſten proximè ſequitur. Verùm aliter atque aliter tempora heic obſervata, idque pro ſeculorum, locorum, opinionum diſcrimine, ex dictis liquet. Et ſanè in Manuali veteri, apud Anglos, ſecundùm uſum Eboracenſem, negatur libertas matrimonii celebrandi, in Dominicâ Trinitatis. Sed mos ille ex Rituali Anglicano modò oſtenſus, etiam poſt exutam Romani Pontificis hîc poteſtatem, in hæc uſque tempora ita duravit, ut dierum ſpatiis præfatis nemo impunè Nuptias celebrare poſſit, citra indultum Epiſcopalem. Etiam in Reformatis aliis quibuſdam Eccleſiis, ubi planè Canonum illorum vis evanuit, ſtatuitur, ut diebus, quibus celebratur cœna Dominica, ſolennitate Nuptiali abſtineatur. Temporibus autem jam dictis Nuptias interdictas eſſe palàm liquet, eaſdem ferme ob cauſas, ob quas olim apud Hebræos &c. Vide Seldenum *Uxor. Ebr. l.* 2. *c.* 8. 11. 22. & 30.

NUPTIALE Velum, Vide *Velum Nuptiale* infrà.

NUPTIALES Mores rituſque præcipui apud Ebræos, Paganos & Chriſtianos, ſolennes ſunt contrahendi nubendique *Formulæ, Arrarum* item ac *pretii* Nuptialis, *Annulique* ac *Coronarum* uſus, *Benedictiones* & *Sacra* Nuptialia, *Tempora* demum, quibus celebritas Nuptialis vetita. Et quidem de Temporibus modò actum, de Annulo, Arra, Benedictionibus, Coronis ac Sacris Nuptialibus, infra prolixè, reſtat ut de Formulis hîc agamus, de reliquis tamen etiam quædam, ubi res poſcit, ſparſim interſeruri. Formulam nubendi apud Hebræos uſitatam in infrà dicendis paſſim reperies. Apud eoſdem, in ritibus Nuptialibus Coronæ, Myrtus ac Palmarum rami præferebantur, & Frumentum ſive ferebatur ſive ſpargebatur; Velaminibus item Sponſi obtegebantur, ſed & de his ſuô locô. Naſcente Chriſtianiſmô, qui velut Judaiſmus erat Reformatus, non eſt dubitandum, quin mores rituſque Ebraici, circa Sponſalia quoque & Nuptias, retenti fuerint ac planè obtinuerint, idque per annos 30. ampliùs, poſt Aſcenſionem Domini Noſtri, qua de re Seldenus *de Anno Civili Judæorum c.* 21. Poſtquam autem tam à Gentibus aliquot, quàm à Judæis Chriſtianiſmus receptus eſt, & utrorumque mores, ut ipſi, invicem ſunt commiſti, partim mores rituſque Judaici, partim Paganici, quotquot ſcil. cultui Chriſtiano non omnino refragarentur, ut in aliis, ſic in re Matrimoniali, variè ſunt admiſſi. Jure Romano ferè paſſim tum utebantur Gentes, in quibus Chriſtiani repertis, ſaltem non alio, quàm quod Romanis victoribus placuit. Et quidem Confarreationis, quod ſanctius fuerat Romanis nuptiarum genus, ſolennia priſca in deſuetudinem abierant etiam inter Paganos, ut dictum ſuprà & tandem evanuêre, Coemptionis item ritus non ita obſervati, quin aliter atque aliter ſe habuerint. E quibus Chriſtiani veteres omnino Confarreationem, quâ ſaltem ex ipſis Paganorum ſacris conſtabat, rejecêre: Coemptionem eouſque admiſêre, quò dotis donationiſque propter Nuptias interventu ſimpliciori peragi poſſet. Quin & palàm [illegible] Chriſtianos Sponſalia ac Nuptias Paganorum, qui poſtea CHRISTO nomen dederunt, pro ratis firmiſque habuiſſe, nec omnino iteràſſe. Uſu autem habuiſſe uxorem ſimplici (quod tertium erat apud Romanos nuptiarum genus) nec tabulis dotalibus nec Nuptiarum aliquâ ſolennitate adhibitâ, nihil aliud cenſebatur, quam Concubinam, i. e. hîc juſtam ſatis, licèt non ritè conjunctam, thori conſortem habere, qua de re Seldenus *de Jur. Nat. & Gent. l.* 5. *c.* [illegible] & 17. Solenniores verò Sponſalium ac Nuptiarum contrahendarum formulæ in celebritate ſacra maximè cernuntur, habenturque apud *Orientis* Chriſtianos aliæ, aliæ apud *Occidentis.* Orientis [illegible] maximè Græcos, quibus *Orientalis Eccleſiæ* nomen tribui ſolet, quorum *Euchologio fol.* 66. binæ habentur potiſſimùm hùc ſpectantes: altera *Sponſalium ſacrorum*, ſine celebritate Nuptiali, altera hujus Celebritatis: quarum prior dicitur. Ἀκολουθία γινομένη ἐπὶ μνηστροις ἤγουν τοῦ ἀρραβῶνος, *Ordo Sacer, qui adhibendus in Sponſalibus, [illegible] arrarum Sponſalitiarum*, Vide infrà ubi de *Sponſalibus.* Poſterior, Ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, *Ordo ſacer Coronamenti*, de qua pleraque ſuprà prælibavimus, in voce *Nuptiale Poculum*, vide quoque infra in *Nuptiales coronæ.* Sed & Ordo de Digamis Trigamiſque in Euchologio adjicitur, qui haud admodum alius eſt, ſi rem ſpectes: [illegible] ante triennium tamen elapſum ſacrorum myſteriorum participes illis non ſunt: Tetragamorum autem nuptiæ pro nullis apud eos habitæ. Apud eoſdem itaque Coronarum uſus, ſed & Annulorum Nuptialium, uti apud Ebræos. In Moſcorum gente, Græcorum plerumque rituum in plurimis tenace, Sponſalibus per amicos [illegible] perfectis, in Nuptialibus ritibus habetur, ut ſimul ac à Sacerdote traditur juxta Altare Sponſa in Sponſi manum, nec ſine [illegible] nuli uſu, hæc ad illius pedes ſe proſternat, allidens caput ſuum ad ejus calceum, ſcil. in ſignum ſubjectionis uxoriæ & obedientiæ, cum viciſſim Sponſus veſtimenti ſui laxioris, velut togæ ſeu talaris, laciniam in eam conjicit, ut protegendi [illegible] uxorem officium ſuum denotet. Propinquis dein Sponſi, qui [illegible] ſtant, Sponſæ, ut & Sponſæ Sponſo ſe incurvantibus, Sponſæ pater Sacerdoti panem offert, quem ſtatim ei reddit Sacerdos, [illegible] propinquis illis, patrem coram Deo & Sanctis atteſtando, ut [illegible] ta pacta conventa dotem præſtet, reliquos verò ſimul, ut [illegible] um inde colant omnes invicem amorem; Qui panem tum [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſe frangentes id ſe præſtituros hôc ritu innuurt. Alii ſequuntur minoris notæ ritus, non ita diſſimiles eis, qui vulgò apud Anglos in uſu. Coronas autem adhiberi apud eos non ait G. Flesherus c. 24. è quo hæc deſumta, addit tamen, tempore totô Nuptiali Sponſum vocitari *Moloday Knez*, i. e. *Ducem novitium*, Sponſamque *Moloday Kneza* ſeu *Ducem novitiam*. Vide Sigiſmundum Eberſt. *Rerum Moſcovit. c. de Matrim.* Sed & Poculi communis uſus, apud Moſcos, deeſſe videtur, uti ſuprà dictum. Æthiopes ſeu Abaſſeni ſimiliter, ſymbolis ſibi peculiaribus, ſed quæ, ut contractûs mutui ſigna, vicem eorum, quæ Hebræis aliiſque in uſu, ſatis ſupplent, in Nuptiali celebratione utuntur. Lectulô ſcil. ante Eccleſiæ oſtium collocatô ſedent Sponſus Sponſaque, cùm prodit Sacerdos Clericis binis comitatus. Is ſiniſtrâ crucem, dextrâ thuribulum tenens, lectum ter ſuffumigat, dum Clerici pſallunt. Dein capilli partem aliquantam Sponſi abſcindit, uti & Sponſæ, ac utramque in vino mellito tingit, unde Sponſi capillum ſumtum in caput ponit Sponſæ, ut & hujus in illius caput, locô ſcil. unde abſciſſus eſt. Tunc aquâ adhibitâ benedictâ manus imponit utriuſque capiti, monens, ut id ſervent, quod præcepit Deus in Euangelio, nec poſt hâc invicem diſcedant, ſed, ut una caro, cohabitent. Euchariſtiâ tandem habitâ domum deducitur Sponſa. In *Occidentem* ut tranſeam, ritus Matrimoniales Eccleſiæ hujus, priſci recentioriſque ævi ſummatim quidem deſignantur aliqui, in illo Nicolai I. Pontific. ſub A.C.860. ad Bulgaros reſponſo: *Apud Noſtrates, poſt Sponſalia, fœdera quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur. Et poſtquam arris* &c. *ambo ad Nuptialia fœdera perducuntur & primùm in Eccleſiam Domini, cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum, ſtatuuntur, ſicque demum* BENEDICTIONEM & VELAMEN *cœleſte ſuſcipiunt, ad exemplum videl. quô Dominus primos homines in paradiſo collocans benedixit----veruntamen velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas Nuptias migrat. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi* CORONAS *in capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſolitæ ſunt reſervari. Et ita, feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam, Dominô diſponente, de cætero diriguntur.* Ubi vides, & Annulum uſurpatum & Coronas, ſed & in eadem Eccleſia Confarreationis aliquam ac Coëmtionis veſtigia ſuperfuiſſe uſque ad noſtra tempora, diximus ſuprà in voce *Nuptiæ*. Formulas quod attinet Nuptias celebrandi ac benedicendi, in Occidente Chriſtiano: habetur in *Ordine* Romano veteri titulus, *Ordo ad benedicendam Sponſam*, cui ſtatim ſubditur: *Poſtquam fuerit mulier Viro deſponſata & legaliter dotata, introëat cum Marito Eccleſiam & proſtratis eis dicat; Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut, quod te Auctore conjungitur, te auxiliante ſervetur. Per* &c. Sequuntur aliæ Benedictiones ſacræ, Epiſtolæ etiam Paulinæ pars illa, 2. *Corinth. c.6. v.19. Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti* &c. Et Euangelii pars illa, de parabola quâ aſſimulatur Regnum cœlorum Regi, quit fecit nuptias filio ſuo, Matth. *c.22. v.* 2. Dein,

Secreta,

Suſcipe Domine pro ſacra connubii Lege munus oblatum, & cujus largitor es operis, eſto diſpoſitor. Per &c.

In Fractione.

Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt pro famula tua illa, quam perducere dignatus es ad ſtatum menſuræ & ad diem Nuptiarum, pro qua Majeſtati tuæ fundimus ſupplices preces, ut eam propitius cum viro ſuo copulare digneris, quæſumus Domine, ut pla. &c.

Poſt Communionem.

Gratia tua, quæſumus Domine, famulo tuo & famulæ tuæ legaliter copulatis tribue largitatem, ut mandata tua te miſerante ſectantes, conſolationem præſentis vitæ percipiant, & futuræ, Per &c.

Quin & poſt Benedictionem, per *vittæ* candidæ permiſtim & purpureæ *unum invicem vinculum* (nodum amatorium, Anglis *a true-loves Knot*) copulantur, inquit Iſidor. *de Eccleſ. Hiſt. l.2. c.* 19. videlicet, *ne compagem conjugalis unitatis diſrumpant.* Et qualia præcedentibus diximus (ſed pro locorum diſcrimine aliter aliterque) adhibita ſunt in Nuptiis Occidentis, tametſi in Ordine illo veteri neutiquam memorentur. In *Rituali* autem Romano, trinâ antè diebus ſingulis, qui præcedunt, feſtis denuntiatione, ut de impedimento ſi quod ab aliquo dignoſcatur liqueat. Parochus veſte ſacrâ in Eccleſia indutus, *Librum & vas aquæ Benedictæ, cum aſperſorio deferens, coram tribus aut duobus teſtibus, virum & mulierem, quos Parentum vel propinquorum præſentiâ cohoneſtari decet, de conſenſu in matrimonium interroget utrumque ſigillatim in hunc modum, vulgari ſermone N. vis accipere N. hic præſentem----Mutuô igitur contrahentium conſenſu intellectô, jubebat eos invicem jungere dexteras, dicens, Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.------Poſtea eos adſpergat aquâ benedictâ. Mox benedicat Annulum----dein* hunc *aſpergat aquâ benedictâ, in modum crucis & Sponſus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari ſiniſtræ manus Sponſæ, Sacerdote dicente, In nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Amen. Mox ſubjungat*, Pſalm. 68. v. 29. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Reſp. *A Templo ſancto tuo* &c. —— *His expletis*, Si BENEDICENDÆ SINT NUPTIÆ, *Parochus Miſſam pro Sponſo & Sponſa, ut in Miſſali Romano celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur*, &c. Ita *Rituale Romanum*, quod hodie olimque in uſu. In Miſſali autem habetur Miſſa jam dicta, cujus initium: *Deus Iſrael conjungat vos & ipſe ſit vobiſcum, qui miſertus eſt duobus unicis, & nunc Domine fac eos plenius benedicere te.* &c. Sequitur Pſalmus 128. aliaque ex Epheſ. *c.5. v.23.* ſeq. & Matth. *c.19. v.5.6.* Nuptiis propria, præter Communionem, atque de invicem fide ſervanda commonitionem: *Poſtea eos aſpergat aquâ Benedictâ, & dictô, Placeat tibi ſancta Trinitas, det* BENEDICTIONEM, *& legat, ut ſolitum eſt, Euangelium Sanct: Johannis, In principio erat Verbum* &c. Quod autem occurrit hîc, *ſi Benedicendæ ſint Nuptiæ*, explicatur alibi. Atque hæc obtinent paſſim nunc, ubi Tridentina Synodus & juſſa Pontificia recipiuntur. Etiam, ubi non ita illa apud Pontificios recepta, nec tamen omnino rejecta, non adeò diſſimiles habentur ritus. De Galliis vide Laur. Bochellum *Decret. Eccl. Gallic. l.* 3. *tit.* 8. &c. de Septentrionalibus gentibus, Olaum Magnum *l.* 14. *c.*8.9.10. Cæterùm in Archiepiſcopali Bononienſi, à Gabr. Palæotto Cardinal. atque Archiepiſcopo Bononienſe edito, poſt Annulum benedictum, *cingit Parochus Sponſorum colla candidô aliquô velô, ad inſtar ſtolæ accommodatô & eos matrimonio jungit dicens, N. placetne* &c. Et conſenſu impetratô. *Ego*, pergit, *N. Parochus hujus Eccleſiæ, vos N. & N. in matrimonio jungo, in nomine* &c. Atque mox Annulum aquâ benedictâ aſperſum, *Sponſo conſignat, qui eum accipiens ſtatim* in dextræ manus Annulari, h. e. quarto digito Sponſæ illum ponit, dicens, *In nomine* &c. Alibi verò plerunque obtinet, ut ſiniſtræ imponatur. In Diœceſi Leodienſi, Paſtor in Eccleſia (in quam aquâ benedictâ conſperſi Sponſi admittuntur.) *Sponſum ad ſiniſtrum ſuum latus, Sponſam ad dextrum conſtituit; dein annulum ſibi dari à Sponſo petit, ſimul rubeas chirothecas, quibus inſint tres nummuli argentei, locô arrhæ Sponſo dandæ. Annulum digito ſuo imponit. Sacerdos & chirothecas manu ſervat tantiſper, donec eas manui Sponſæ imponit.* Deinde inſtantibus Nuptiis verba primò faciens, Sponſum Sponſamque de mutuo eorum conſenſu interrogat (adde & Parentum ac propinquorum) quô ſatis exploratô, de Matrimonii dignitate, uſu, fine, multiplici benedictione, eos alloquitur. *Annulum* hinc *benedicit------pòſt converſus ad Sponſum & Sponſam accipit dexteram Sponſi & illi Chirothecas rubeas (cum nummulis prædictis) imponit. Deinde manum dextram Sponſæ dextræ Sponſi implicat & ſic implicatas utriuſque dextras ſtolâ collô dependente circumligat*, verba de mutua Sponſorum promiſſione interim faciendo. Tunc Sponſus altâ voce Sacerdotem de verbo in verbum inſequendo, ſanctè jurat fidem Sponſæ, hæcque illi viciſſim, quô factô *utriuſque dextram diſſolvit Sacerdos, relictis chirothecis in dextera Sponſæ & annulum ex ſuo digito extrahens Sponſo tradit, tribus primis digitis manus dextræ accipiendum, & Sponſi dexteram annulum ferentem ſic dirigit, ut annulum in tres Sponſæ digitos imponat*, iterum certâ verborum formulâ uſus. —— *Dein Sponſum cum Sponſa ad gradum altaris procumbere jubet illiſque benedicit.* Tunc Orationes binæ; quibus Angeli Tobiæ, Chriſti & Eccleſiæ nuptiarum fœderis, Rachelis, Rebeccæ mentio. *Dein ſtolæ è collo dependentis extremitates duas ſuper caput Sponſi & Sponſæ ponit & dicit------Aſpergit* poſtea *Sponſum & Sponſam aquâ benedictâ & illum primò, deinde hanc altare reverenter oſculari facit, & ſic domum in pace remittit:* Ex *Parochiali* Erneſti Archiepiſcopi & Electoris Colonienſ. & Epiſcopi Leodienſis, apud Seldenum. Alia autem atque alia ſunt verba Sponſalitia Rituſque, pro Regionum Chriſtianarum varietate. Etiam in *Sacerdotali* Venetiis impreſſo A.C. 1576. diverſa ſunt non pauca ab eis, quæ in *Rituali* Romano habentur. Ibi tam arræ, quàm annulus, & non ſolum hic, ſed & illæ benedictæ. Velum unicum induitur Sponſorum ſpatulis, ad altare procumbentium. Et poſt Miſſam celebratam, *Sacerdos, ubi conſuevit, benedicit panem & vinum, dicens Verſ. Adjutorium noſtrum* &c. *Deinde in Altari frangat panem & det unam partem Sponſæ & alteram Sponſæ. Et ſic etiam de Vino. Et poſtea aſpergantur aquâ benedictâ.* Impoſitis dein in eorum capita manibus, preces fundit ac benedictiones, ac principium Euangelii dicit S. Johannis, *quô dictô aufert velum ab eis & dicit, Ambulate in pace.* In Anglia, cujus formulas rituſque veteres ac recentiores fusè exequitur Seldenus *Uxor. Ebraic. l.2. c.27.* etiam benedictiones ſingulares cubiculi Sponſalitii ac lecti, ipſorumque in lecto Sponſorum, nocte ſequente, peragebantur. Ibidem ut in arris doteque manifeſta ſunt Coëmtionis veteris veſtigia, ita in libis domi Nuptialibus, frumenti in Sponſos ſparſione, poculo Sponſalitio (quæ paſſim fermè apud Anglos fuêre in uſu) non obſcuræ ſunt priſcæ Confarreationis aliorumque, apud Judæos Paganoſque receptorum rituum, reliquiæ. Etiam & corona Sponſæ olim crebrò ac Paranymphi, ut hodieque, apud eos adhibiti. De ſuo ævo Polyd. Virgilius *de Invent. Rer. l.1. c.4. In Anglia ſervatur, ut duo Pueri, velut Paranymphi, i. e. auſpices, qui olim pro nuptiis celebrandis auſpicia capiebant, nubentem ad Templum, ubi & marito Sacerdos benedicat, & inde domum duo viri deducant & tertius, locô facis, vaſculum aureum vel argenteum præferat. Spiceâ item coronâ (interdum floreâ) Sponſa redimita caput, præſertim ruri, ducitur, vel manu gerit ipſam coronam, ſeu dum ingreditur domum, boni ominis cauſâ ſuper ejus caput jacitur triticum, quaſi inde conſecutura ſit fœcunditas.* Floruit autem is ſub Henrico VIII. In Eccleſiis autem, Genevenſi, Hollandica, Scotica, aliiſque aliquot Reformatis, Dos, Annulus, Poculum, Panis, Symbola alia non raro, velut non neceſſaria, prætermittuntur: Præter Parentum conſenſum, breviuſcula de origine ac ſtatu Matrimonii commonitio, preces aliquot, contractus ipſe, verbis conceptis utrinque in Eccleſia Preſbyterô præeunte, Sponſalitius adhibetur ac Novi Teſtamenti pars aliqua Nuptiis accommoda Pſalmuſque 128. idve genus alius, pronuntiatioque Presbyteri inſuper publica, Virum & Mulierem ex hujuſmodi contractu fieri, juxta ordinationem divinam Maritum & Uxorem. Sed & apud Mahumedanos (quorum ritus ex Ebræorum, Paganorum, Chriſtianorum ſumti) Coëmtionis Sponſalitiæ uſum vigere, diſcimus ex Anton. Geufræo *Aul. Turcic. l.* 2. ubi ſic de Turcis: *Mulieres ipſis dotem non adferunt, ſed Patri ac Matri pecunias donant, ut filias ipſis elocent, magnaque feſtivitate Nuptias celebrant.* Quod & Alcorano conſonum. Mahumedanorum verò Africanorum Nuptiæ ſic à Joh. Leone

Africano deſcribuntur, *Deſcr. Afr. l. 3. c. qui in Matrim. Ubi Pater filiam cuidam deſpondit proco, mox in Templum itur; Sponſum & Sponſam comitantur Parentes & Conſanguinei, duo item accerſuntur Notarii, qui præſentibus omnibus pacta dotemque præſcribunt. Qui mediocris fortunæ ſunt, filiæ triginta aureos in dotem enumerant, cui ancillam quindecim aureis emtam adjungunt, prætereà & telam verſicolorem Serico intertextam, cum aliis quibuſdam panniculis ex ſerico confectis, quos in capite pepli locô geſtare ſolent. Deinde & par calceorum artificioſè atque eleganter conſutorum, duo item ſoccorum paria elegantiſſima, multas quoque clenodias argenteas, aut ex alia quavis materia fabrefactas, ut ſunt pectines, ventilabra, ſuffimenta aliaque iſtiuſmodi, quæ mulieres maximè habent in pretio.* Deductio dein ſequitur domum, nec ſine facibus & Sponſa matri Sponſi traditur. *Quàm primùm verò Sponſa cubiculum ingreditur, maritus pede ſuô uxoris pedem tangit, ſtatimque ambo recluduntur.* Epulæ hinc Nuptiales, aliaque pro Sponſorum conditione ſolennia varia. De Moriſcis Jac. Bleda *in Defenſ. fidei c.* 14. *Ind.* 87. *Quamvis in facie Eccleſiæ matrimonium contrahant, non reputant verum eſſe matrimonium, donec expletis cunctis ſectæ ceremoniis, domum propriam aut conductam, aut aliàs ambo ſimul habitent*, &c. Vide Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic. l. 2. c. inprimis*, 24. 25. 26.

NUPTIALES Tabulæ, vide infrà *Sponſalitiæ Tabulæ.*

NUPTIALIA Sacra, i. e. Sacra Nuptiali celebritati propria, tum apud Græcos, tum apud Latinos paganos alioſque in ſolemni fuêre ſemper uſu, ut Benedictio ſacra, de qua infrà, apud Hebræos olim & Chriſtianos hodieque. Imò tertium illud Nuptiarum, apud Romanos, genus, *Confarreatio* dictum, ex ipſis ſacris conſtabat. Peragebatur enim per ſolos Pontifices, & farre conveniebatur in manum, certis verbis & teſtibus decem præſentibus, ac ſolenni ſacrificiô factô, in quo panis quoque farreus adhibebatur. Accedebat aqua & ignis, atque ſacrificio huic Nuptiali ſeu ipſis per ſe Nuptiis ſacris, præerant Pontifex Maximus & Flamen Dialis, cujus, & Flaminicæ, nuptiæ hôc ritu ut fierent, erant neceſſe: nec niſi Parentibus confarreatis nati Flamines ritè fiebant. Unde Plin. *l.* 18. *c.* 3. *In Sacris nihil religioſius Confarreationis vinculô erat.* Imò *Sacrorum* ſimpliciter nomine hinc Nuptiæ hæ veniunt, apud Ciceron. *pro Murana:* & Tacitus, *ob ceremoniæ difficultates*, in deſuetudinem abiiſſe, ait *Annal. l.* 4. *c.* 16. A quo tempore Coëmtione & Uſu annuô apud Paganos Romani Imperii plerunque acquiſitæ Uxores ſunt: ita tamen ut Coëmtioni ſolenniùs adhiberentur etiam ſacra, quæ ex auſpiciis, auguriis, immolationibus, oblationibus, conſtabant. Hinc *Sacra Nuptialia*, *Sanctimoniæ Nuptiarum* & *Sacramenta Nuptialia*, dicta, quæ ſic firmabantur. Inſigne hanc in rem Euclionis, apud Plautum *Aulul. Actu* 2. *Sc.* 8. *v.* 16. exemplum eſt, qui poſtquam Megadoro filiam deſpondiſſet, Nuptiaſque inſtituiſſet, cum Sacris Nuptialibus celebrandas, omniaque in macello cara nimis comperiſſet, Sacra omnia, quæ ampliora lautioraque in Nuptiis fieri ſolebant, *in Tuſculum* & *Coronas floreas* contraxit addens,

Hæc imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas filiæ faciat Nuptias.

Atque huc pariter ſpectat illud *Varronis*, apud *Nonium*, *Viris Nuptiis*, alii legunt, *Viri Nuptiis ſacrificabantur in cubiculo Viduæ.* Sed & hinc ſacrum Thoro Nuptiali priſci voluêre præeſſe Genium, Juvenal. *Sat.* 6. cui lectum ſterni conſueviſſe, ex Catullo *de Nupt. Pelei & Thetid.* ac *Feſto*, ſcimus. Et Dii Γαμήλιοι ſeu Conjugales, qui *Sacris Nuptialibus* invocati, obiter memorantur, præter Hymenæum: Pronubæ Junoni mentio tralatitia. Et Græcis Jupiter erat Γαμήλιος, tametſi *Nuptialem* Jovem Romanis negaverit fuiſſe Hieronym. *adv. Jovinian. l.* 1. Ut alia Romanæ ſuperſtitionis omittam, utpote ſuprà jam plus ſatis dicta. Certè & proximo à Nuptiis die, hoſtiam eo nomine immolari fuiſſe ſolitam, ex Macrobio liquet *Saturnal. l.* 1. *c.* 15. *ad fin.* Ajunt item, in Sacris Junonis Nuptialibus diligentiſſimè obſervari ſolitum, ut bilis à viſceribus hoſtiæ dimoveretur & juxta aram defoderetur locô abditô & opertô, ut ſignarent, ſine bile matrimonia eſſe oportere. Et apud Theſſalos, ut rem notiſſimam, memorat Ælian. *de Animal. l.* 12. *c.* 34. Sacra Nuptiis prævia, quæ Γαμοδαισία ei dicta. Nec ſine thymiamate ſacro Nuptias apud Mexicanos celebrari ſolita, in hiſtoria eorum legimus. *Sacra* item *Nuptialia*, apud Græcos, Προτέλεια dicta, indeque conjuges, προτελεῖσθαι dictos, & προτελείους ipſos, atque ipſum conjugium Ἡρατέλεια, quà à Junone Pronuba factum, docet Pollux. *l.* 3. *Onomaſt. c.* 3. Nuptias enim, etiam τέλος ac τελεία nomine Græcis appellitatas, atque hinc Jovi ac Junoni Τελείοις, i. e. *Nuptialibus* (quô modô meliùs vox redditur, quàm *adultis* aut *perfectis*) ſacrificâſſe Veter. quoniam hos primos Nuptiarum Inventores Auctoreſque exiſtimabant, ex eodem diſcimus, ut & ex *Diod. Siculo.* Apud eoſdem Græcos, Junoni, Veneri, Gratiis, ſacra à nupturis fieri ſolita, Γαμηλίων nomine, produnt Scriptores. Invidus item, apud Libanium *Declamat.* 8. *Quid de Nuptialibus ritibus omiſi? nonne tædas accendi* &c. οὐκ ἔθυσα κατὰ δύναμιν, *nonne pro viribus ſacra feci?* Ut autem de ſacris apud Romanos, tum in Confarreatione, quæ planè ipſiſſima ſacra Nuptialia, tum in Coëmtione, ſatis liquet, ita nec quæ Uſu annuô fiebant Nuptiæ, ſine ſacris ſibi propriis fuiſſe, credendum eſt. Nam ut haberentur (tametſi expreſſiora hac de re non occurrant teſtimonia) ſatis exigit, quidquid occurrit de *Nuptiarum* genere, *Sacramento Sanctimoniave*, apud paganos Scriptores. Unde Arnob. de Nuptiis Deorum, juxta Paganiſmi ritus, verba faciens, *adv. Gent. l.* 4. *Uxores*, inquit, *Dii habent atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus antè quæſitis. Uſu, Farre, & Coëmtione genialis lectuli Sacramenta conducunt.* Sed & Benedictio planè Conjugalis habetur, in illo Juvenalis, *Sat.* 2. *v.* 119.

Signatæ Tabulæ, dictum Feliciter; ingens
Cœna ſedet; gremiô jacuit nova Nupta mariti.

Nec verò actus aliquis ſolennis Græcis ferè ſine præfatione illa Ἀγαθῇ Τύχῃ, aut Latinis ſine illa, *Quod fauſtum felixque ſit*, aut *Dii bene vortant.* Et ſanè apud Romanos, aliis quoque actibus civilibus non paucis peculiaria fuêre Sacra, ut in Scriptoribus *de Re Ruſtica*, *Feſtô*, aliis, apparet, ut eò minus, ullas apud eos Nuptias ſacris ſuis caruiſſe, veroſimile ſit &c. Seldenus *loc. cit. c.* 21.

NUPTIALIS Annulus, apud Hebræos, nullus primò, poſtea rarus fuit, ut diſertè ſcribit Leo Mutinenſis Archiſynagogus Venetus, *de gli Riti Hebraici part.* 4. *c.* 3. Nimirum non in Nuptiis, ſed in ipſis Sponſalibus, primus Annuli uſus. Unde, quod aliqui habent fidei ſatis prodigi, ſive de Annulo argenteo in D. Annæ Cænobio Sanctimonialium Romæ ſervato, velut eo, quô Joachim & Anna copulati ſint, ſive de onychino illo, qui ex fide neſcio cujus gemmarii, ex Hieroſolymis Romam ante ſeculum unum & alterum profecti, velut D. Mariæ Virginis Deiparæ, Peruſii reconditur, Auctoribus ſuis libenter relinquimus. Occupavit autem *Annulus Hebræorum pronubus* nummuli ſeu pretii Sponſalitii locum, quod antiquitus Sponſæ arræ vice dari ſolebat. Unde poſt præviam Nuptiis Sponſalium benedictionem, quam publicè iterare ſolent, Magiſter, qui Nuptiarum ſolennibus præeſt, accerſitis binis teſtibus, ab illis inquirit, utrum Annulus Sponſalitius, quem eis ipſe oſtendit, ſit æqualis cum nummulo valoris; iiſque affirmantibus, rogat utrum Sponſalia ritè fuerint peracta; quæque alia ſunt, de quibus vide infrà, ubi de *Sponſalibus.* Idem apud Romanos, Græcoſque tum veteres, tum recentiores obtinuit. Apud Moſcos tamen, Sponſalibus per amicos plerumque perfectis in Nuptialibus ritibus haberi, ut ſimul ac à Sacerdote traditur juxta altare Sponſa in Sponſi manum, nec ſine Annuli uſu, hæc ad illius pedes ſe proſternat, ſuprà vidimus. In Occidentali Eccleſia, *Annulum inprimis Nuptiis à Sponſo Sponſæ datum, quartoque digito inſertum eſſe*, ſcribit Iſidor. *de Officiis l.* 2. *c.* 19. Et Laurentius Pignorius *Ep.* 1. & 19. ex veteribus Liturgiis, formulam benedicendi in Nuptiis tum Annulum, tum Coronam hujuſmodi affert, *Benedic Domine Annulum iſtum & Coronam iſtam, ut ſicut Annulus circumdat digitum hominis & Corona caput, ita gratia Spiritus S. circumdet Sponſum & Sponſam, ut videant filios & filias uſque ad tertiam & quartam generationem* &c. Similiter in *Ordine* Romano, cui titul. *Ordo ad benedicendam Sponſam*, poſt mutuò à Sacerdote interrogatos Sponſum Sponſamque, illoſque copulatos in nomine S. Trinitatis ac eoſdem aſperſos aquâ benedictâ ſequitur: *Mox benedicat Annulum.*

Benedictio Annuli.

Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* &c.

Oremus.

Benedic Domine Annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus, ut quæ eam geſtaverit, fidelitatem integram ſuo Sponſo tenens, in pace & voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate ſemper vivat. Per Chriſtum Dominum noſtrum R. Amen. Deinde Sacerdos aſpergat Annulum aquâ benedictâ in modum crucis & Sponſus accipiens Annulum de manu Sacerdotis imponat in digito Annulari ſiniſtræ manus Sponſæ, Sacerdote dicente; In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Mox ſubjungat, Verſ. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Reſp. *A Templo S. tuo* &c.

Oremus.

Reſpice quæſumus Domine ſuper hos famulos tuos, & inſtitutis tuis, quibus propagationem Humani generis ordinâſti, benignus aſſiſte, ut qui te auctore junguntur, te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum &c. *Amen.*

His expletis, ſi BENEDICENDÆ SINT NUPTIÆ, *Parochus Miſſam----celebret* &c. In *Archiepiſcopali* Bononienſi legimus, poſt Sponſos cinctos à Parocho candidô quôdam velô, quoad colla, Sponſorum conſenſumque illorum mutuum indicatum, Parochum eos copulare *in nomine Patris* &c. dein Annulum aquâ benedictâ aſperſum Sponſo conſignare, qui eum ſtatim accipiens in dextræ manus Annulari, h. e. quarto digito Sponſæ illum ponat, dicens, *In nomine* &c. At alibi plerunque obtinuit, ut ſiniſtræ imponeretur. In Diœceſi Leodienſi, ut ex *Parochiali* Erneſti Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis ſuprà laudato diſcimus, poſt celebrata ſolenni ritu Sponſalia, in Nuptiis celebrandis, Paſtor in Eccleſia conſtituit Sponſum ad ſiniſtrum ſuum latus, Sponſam ad dextram conſtituit, dein Annulum ſibi dari à Sponſo petit, ſimul rubeas chirothecas, quibus inſunt tres nummuli locô arræ Sponſo dandi. Quô factô, annulum ſuo digito imponit, & chirothecas manu ſervat; Dehinc de Nuptiis verba faciens, Sponſi Sponſæque Parentum item & propinquorum conſenſum explorat, tum de Matrimonii dignitate, uſu, fine, eos alloquitur, Annulum benedicit hunc in modum: *Adjutorium noſtrum* &c. —— *tu Domine dignare emittere benedictionem tuam ſuper hunc annulum, ut quæ illum geſtaverit, ſit armata virtute cæleſtis defenſionis, ut proficiat illi ad vitam æternam. Per Chriſtum* &c. Porrò acceptâ dextrâ Sponſi, & dextrâ Sponſæ, chirothecas rubeas imponit, dein manum dextram Sponſæ ſiniſtræ Sponſi implicans, utriuſque dexteras ſic complicatas ſtola collô dependente circumligat, verba de mutua Sponſorum promiſſione interim faciendo. Quem poſtquam ſequuti precantes ambo mutuam fidem publicè ſunt profeſſi, tum utriuſque dextram diſſolvit, relictis chirothecis in dextera Sponſæ, & Annulum ex ſuo digito extrahens tradit Sponſo, tribus primis digitis manus ſiniſtræ accipiendum, Sponſique dextram annulum tenentem ſic dirigit, ut annulum in tres Sponſæ digitos imponat, dicendo poſt Sacerdotem, *M. Johanna* ſeu *Maria hôc Annulô te deſponſo, in uxorem meam te accipio, & tibi conſenſum meum præſto, in nomine Patris, qui nos creavit* (dirigendo annulum per dexteram Sponſi, in digitum Sponſæ pollici vicinum & ſtatim extrahendo) *in nomine Filii, qui nos redemit* (imponendo digitum ſecundo pollici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pollice, moxque iterum eximendo) *in nomine Spiritus S. qui nos illuminavit* (imponendo tertio à pollice digito & ibi Annulum relinquendo) ſicque dextram Sponſi Sponſæ dextræ complicans conjungenſque, pergit Sacerdos, *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob vobiſcum ſit* &c. In *Formula* Eccleſiæ Argentinenſis, à Johanne Epiſcopo edita, poſt adductos ad fores Templi Sponſos & habitam de re Matrimoniali oratiunculam, Annulum (aut Arram aliam) benedici, atque mutuô conſenſu impetratô, accipere Sponſum annulum (vel arrham) de manu Sacerdotis, & imponere in quartum digitum manus Sponſæ, legimus ſolitum, cum his verbis: N. *cum hoc annulo* (ſeu arrha) *te mihi deſponſo & in matrimonium conjungo. In nomine Dei* &c. In *Sacerdotali* ſupra citato, tam arrhas, quàm Annulum, reperimus benedictas. In *Rituali* Anglicano vetuſto, poſtquam Sacerdos ante oſtium Eccleſiæ interrogavit dotem mulieris, videl. arrhas Sponſales, i. e. Annulum vel pecuniam vel alias res dandas à Sponſo Sponſæ (quod *Subarratio* dicitur, ſicut quando fit per Annuli dationem, *Deſponſatio*) cunctis audientibus explorat utriuſque conſenſum, dein vir dextrâ ſuâ tenens Mulieris dextram, fidem ei dat per verba de præſenti viciſſimque mulier viro. Quô factô vir aurum, argentum & annulum ponit ſuper ſcutum vel librum: & quærit Sacerdos, num Annulus antea fuerit benedictus nec ne; quòd ſi benedictus non fuerit, benedicit cum ſolenni formulâ, hincque aquâ benedictâ eum aſpergit. Poſtea accipiens eum tradit Viro, quem hic excipiens primis dextræ ſuæ manus digitis, manu ſuâ ſiniſtrâ tenens dexteram Sponſæ, docente Sacerdote dicit: *Annulô hócce te ſubarro, atque aurum & argentum hoc tibi dono ac corpore meô te dignor* &c. tuncque profert annulum pollici Sponſæ, dicens, *in nomine Patris*; deinde ſecundo digito, dicens, *& Filii*, porro tertio digito, dicens, *& Spiritus Sancti*; tandem quarto digito, dicens, *Amen*, ibique dimittit annulum, &c. Vide iterum Seldenum *Uxor. Ebraic. l. 2. c. 24. & ſeqq.*

NUPTIALIS Arrha, vide infrà *Sponſalitia Arrha.*

NUPTIALIS Contractus, quoad ſubſtantiam, conſiſtit in mutuo aut Sponſorum ipſorum, aut, pro caſûs diſcrimine, eorum, qui ut Parentes aut Tutores aut Proxenetæ, perſonas illorum hac in re ſuſtinuêre, conſenſu ſponſuque factô, unde *Sponſalia*; & in dote atque deductione, unde *Nuptiæ.* Neque verò, quantum ad ſubſtantiam, à Sponſalibus Nuptiæ diverſæ aliter fermè, atque contractus ſeu pactum aliquod inſtrumentô ſeu ſyngraphâ ſolennius ſignatum ſeu ritè inſinuatum, ab eodem contractu antè ſimpliciùs ac nudis contrahentium verbis inito: de quibus ritibus atque circumſtantiis aliquid jam dictum, dicendumque infrà. Atque ex fœdere conjugali ſic legitimè icto, ortam voluit Karæorum apud Hebræos ſecta unionem adeò planè perſonalem & veluti naturalem, ut quiſquis conjugum alteri, pariter & alteri quoque, ſanguine conjunctus haberetur. Aliud autem erat jus Matrimoniale ad Proſelytos, Juſtitiæ ac Libertinos, i. e. qui ex Gentiliſmo in Judaiſmum ritè tranſierant, attinens, quod quatenus Ebræis ſimul & Proſelytis ac Libertinis hiſce ſive imperativum fuerit ſive interveniens, luculenter oſtendit Seldenus *de Jure Nat. & Gent. l. 5. c. 18.* &c. E quo illa hic ſaltem excerpimus: Ex jure Noachidarum ſeu Naturali, i.e. Ebræis ante Legem Moſaicam aliiſque pariter Gentibus ſeu Humano generi imperativo, quô fides ſervari jubetur, Matrimonium ex mutuo Viri ac Fœminæ in vitæ communionem conſenſu, concubitu, velut traditione ſequente, legitimum fieri ſtatuunt Magiſtri, vide *loc. cit. c.* 4. Interdictas autem volunt Matrem, Novercam, Sororem uterinam, Uxorem alienam; neque à rerum origine alias. Sic de Gentilibus. Jam vero Proſelytum Juſtitiæ ac Libertinum, ſimul ac à Gentiliſmo in Judaiſmum tranſiit, baptiſmô ſcil. ſolenni, circumciſione ac oblatione, planè ajunt fuiſſe regeneratum, & *velut infantem recens natum*, Judæum factum, adeoque omnimodam, quæ priſtina erat, conſanguinitatem, nedum affinitatem, exuiſſe; juxta id quod de talibus Tacit. *Hiſtor. l. 5. c. 5. Nec quicquam priùs imbuuntur, quàm contemnere Deos, exuere Patriam, Parentes, liberos, fratres vilia habere.* Secundùm quæ Proſelyto nec mater jam erat, nec noverca ſororve, adeoque nec fœmina quædam hiſce nominibus ei vetita: quod ſanè nec legi ipſi ſacræ (quod meritò mirêris) adverſari omnino voluêre. At verò, ſi Gentilis matrem, novercam ſororemque uterinam connubiô ſibi antè ſociaſſet, & poſtmodum in Judaiſmum cum ea tranſiiſſet, ex jure à Majoribus Legi ſacræ ſuperinducto obtinuit, ut uxorem ejuſmodi, contra jus ipſis naturale ſumtam, ſemoveret, aut à Synedrio aliquo ad id faciendum adigeretur. Cœterùm, ſi quampiam aliam duxerat Gentilis, matrimonium pro legitimo, etiam poſtquam conjuges ad Judaiſmum tranſierunt, ab Hebræis habitum eſt; utpote quantum ad fidem connubialem antè datam atque obligationem inde qualemcunque ortam, regeneratione ejuſmodi non obſiſtente. Similiter Chriſtiani veter. Sponſalia ac Nuptias paganorum, qui poſtea CHRISTO nomen dederant, pro ratis firmiſque habuêre, nec omnino iteravêre. Unde Aſterius Epiſcopus Amaſeæ (qui ſub A.C. 400. floruit) *Pacta*, inquit, *Homil. poſtr. in Biblioth. Patrum tomô IV. p. 707.* in Divortii libertatem ſcribens, *Nuptialia, ac Sponſiones quomodo reſcindes? Et quibus de pactis loqui me cenſes? An de his, quibus ſcriptâ jam dote & manu propriâ ſubſcripſiſti & ſigillum appoſuiſti tuum? Valida quidem illa ſunt ac firma ſatis. Verùm ad vocem Adam revertor. Hæc caro ex carnibus* &c. Niſi quòd Uſu habuiſſe uxorem ſimplici, nec tabulis dotalibus, nec Nuptiarum aliquâ ſolennitate adhibitâ, nihil aliud cenſebatur, quàm Concubinam, i.e. heic juſtam ſatis, licet non ritè conjunctam, thori conſortem habere, qua de re Seldenus *de Jure Nat. & Gent. l. cit. c. 7.* & 17. plura in hanc rem vide apud Eundem *Uxor. Ebraic. l. 2. c. 18.* & 24.

NUPTIALIS Corona, apud Græcos Romanoſque frequens olim. Et quidem uterque coronari ſolebat, Sponſus & Sponſa. Hæc enim coronam floream, quam geſtaverat, ponebat tum, cùm in manus Viri conveniebat, ſumebatque *nuptialem.* Martianus Capella in *Carmine Hymenæi l. 9.*

Conſcia jam Veneris nova ſerta parate Napææ,
Crocumque lecto ſpargite.

Nectebantur autem illæ è floribus aureis, additô pretioſô gemmarum decore, ſic tamen ut flores & aurei & gemmei imitarentur naturales: de quo genere coronarum illa eſt, quâ Claudian. Serenam redimiri ſolitam ait, *de laudib. Serenæ. v.* 189. Videntur namque hæ proprium geſtamen fuiſſe Matronarum, præcipuè illarum, quæ eſſent primores, principes, reginæ, ut ex Homero colligere eſt, ubi omnem ornatum capitis Andromachæ recenſet *Il. χ.* Nec verò Sponſa ſolùm erat coronata, ſed & Sponſus. Unde Achillem non mortuum fuiſſe cum armis, ſed coronatum, ut ſolent Sponſi, tradit Philoſtratus *in Heroic.* Et de *Pompejo*, nuptiis intento, Plutarchus, ὁ δὲ ϛεφανῦται, inquit, ϗ θύει γάμους, *Ille autem coronatur & ſacrificat nuptias.* Imò omnes utriuſque affines & domeſtici floreis coronis ornabantur, uti de Argonautis, in nuptiis Iaſonis & Medeæ, docet Apollonius Rhodius *l.* 4. Thalamus porro ſeu lectus nuptialis. Martianus Capella *lib. dict.*

Nam thalamum redimire juvat, tu ſerta probato
Tuis placere ritibus.

Januæ item oleâ & laurô cingebantur, ut de nuptiis Banconis & Iſmenodoræ, refert Plut. ἐρωτ. Domus denique tota, laureis plerunque corollis ſplendebat. Appulejus *Met. l. 4. Domus tota lauris obſita, tædis lucida, conſtrepebat hymenæum* &c. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l. 2. c.* 16. & 17. in quo poſteriori de Sponſorum coronamentis, ex aſparago, ſiſymbrio, verbenis, abiete & picea arbore, quædam addit. Apud Hebræos corona hæc in ipſa deductione ſeu Nuptiis adhibebatur. In Græcorum Chriſtianorum Formulis Sacris, binæ habentur potiſſimùm ad Rem Matrimonialem ſpectantes, quarum altera Sponſalium eſt Sacrorum ſine celebritate Nuptiali, de quibus infrà, altera Nuptialis celebritatis, quam poſteriorem Ἀκολουθίαν τοῦ ϛεφανώματος *Ordinem ſacrum Coronamenti*, vocant. Qui igitur non ſolùm Sponſalia celebrare, ſed & ϛεφανωθῆναι, i. e. *coronari*, volunt, intrant in Sacrarium (cùm Sponſalia ante fores peragantur) cum cereis accenſis, præeunte Sacerdote cum thymiamate, & Pſalmum 128. recitante, ſequiturque alter ille Ordo Coronamenti, in quo Pſalmi, plebis Doxologia, Preces, & dein inquit Sacerdos, Σύζευξον αὐτοὺς ἐν ὁμοφροσύνῃ· Στεφάνωσον αὐτοὺς εἰς σάρκα μίαν, χάρισαι αὐτοῖς καρπὸν κοιλίας, εὐτεκνίας ἀπόλαυσιν. *Conjunge eos in unanimitate. Corona eos in carnem unam. Da eis fructum ventris & fac ut prole fruantur fœcundi.* Doxologiâ mox ſubjectâ, Μετὰ τὸ Ἀμὴν λαβὼν ὁ Ἱερεὺς τὰ ϛέφανα ϛέφει πρῶτον τὸν Νυμφίον, λέγων, Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ τὴν δε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς ϗ τοῦ υἱοῦ, ϗ τοῦ ἁγίου πνεύματος, *Simul ac Amen dicitur, Sacerdos coronas ſumens, coronat primò Sponſum, dicens; Coronatur ſervus hic Dei N. ancillâ Dei hâc in nomine Patris, ac Filii, ac Spiritus Sancti.* Poſtea eôdem modô Sponſam coronat; quibus peractis ter hujuſmodi benedictione utitur, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν δόξῃ ϗ τιμῇ ϛεφάνωσον αὐτοὺς, *Domine Deus, gloriâ & honore corona eos.* Legitur tunc, quæ de officio Conjugali habentur, in ad Epheſ. *c. 5. v.* 22. item illud Euangelii, Joh. *c. 2. v.* 1. de Nuptiis in Cana Galilææ: Et poſt preces aliquot alias affertur commune Poculum, de quo ſuprà, in voce *Nuptiale Poculum.* Hoc dum ter porrigitur Sponſo Sponſæque ac hos dein Sacerdos quaſi in circulum circumagit pſallens, interea Coronas tenent à tergo Paranymphi, quæ capitibus Sponſorum iterum à Sacerdote, non ſine benedictione ſolenni, aptantur. Poſt Orationem dein unam alteramque Conjuges dimittuntur. Die autem octavô habetur Λύσις ϛεφάνων, *Solutio coronarum* ſolennis, cui & propria oratio ac benedictio. Vide *Euchologium fol. 66.* An digami quoque coronati, diſceptatur. Admittit eos opus modò laudatum; arcet canon Nicephori Patriarchæ Conſtantinop. *Juris Græco. Rom. tom. I. l. 3. p.* 196. utroſque ſic conciliat Nicetas Metropolita Heracleenſis, ut *juxta diſciplinam exactam* non coronari Digamos, ſed *ex conſuetudine ſolùm*, dicat. Hoc certum, Digamos Trigamoſque, ante triennium elapſum, ſacrorum myſteriorum participes illis non fuiſſe; & quantum ad Coronationem, habetur Synodica Sanctio Michaëlis Patriarchæ Conſtantinop. Μὴ ϛεφανοῦσθαι πλὴν τὸν ἕνα σεμνὸν ϗ καθαρὸν ϗ ἀμίαντον γάμον, *Neutiquam coronandas alias nuptias, præter unas, honorabiles, ſolas & puras & non inquinatas:* quibus verbis non alias, quàm Virginum, Nuptias, indigitare videtur. Atque ad hanc Sponſos coronandi in aliis Orientis regionibus conſuetudinem ſpectare videtur illud Achmetis *Oneirocrit. c.* 127. Ἐὰν ἴδῃ γυνὴ ϛέφανον αὐτῆς, χηρεύσει ταχέως, *Si uxor ſibi viſa fuerit* (in ſomno) *amiſiſſe* (vel fregiſſe) *coronam ſuam, brevi vidua fiet.* Ita ſcil. ex Perſarum & Ægyptiorum diſciplina Oneirocritica, etiam inter Chriſtianos illis in plagis, admiſſa. Quòd autem Georgius Phranzes *l. 2. c.* 17. Græcorum more, Paranymphos imponere conſueviſſe coronas, non Sacerdotem, ut in *Euchol.* vidimus, refert, παρόραμα Epitomatoris ejus eſſe videtur. Namque Johannem Patriarcham Conſtantinop. Mauritiæ & Conſtantinæ Augg. Coronas impoſuiſſe, eoſque ſacrorum Myſteriorum participes feciſſe, legimus apud Theophylactum Simocartam *Hiſt. l. 1. c.* 10. Vide quoque de Theophilo Imperatore & Theodora Aug. apud Zonaram *Tom. 3. p.* 115. &c. Apud Moſcos, Græcis in Re Eccleſiaſtica ferè congeneres, licèt nihil de Coronis habeat, G. Fleſherius *c.* 24. hoc interim ait, tempore totô nuptiali Sponſum appellari *Ducem novum* & Sponſam *novitiam Ducem*, uti ſuprà vidimus. Occidentalem Eccleſiam quod concernit, in Nicolai I. Pontificis Romani ad Bulgaros reſponſo, *Apud noſtrates*, legitur, *poſt Sponſalia .... ambo ad Nuptialia fœdera perducuntur, & primùm in Eccleſiam Domini cum oblationibus .... ſtatuuntur, ſicque demum Benedictio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dictionem & Velamen cœleſte ſuſcipiunt —— *Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi CORONAS in capite geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſervari. Et ita, feſtis Nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam, Dominô diſponente, de cœtero diriguntur* —— *Hæc ſunt jura Nuptiarum, hæc ſunt præter alia, quæ ad memoriam non occurrunt, pacta Conjugiorum ſolemnia.* Acerrimam Tertulliani, in uſum Coronarum militarium, apud Chriſtianos, adeoque & ipſarum Nuptialium, diſputationem, eamque librô integrô, nemo neſcit. Vide ſæpius jam laudatum Auctorem, Joh. Seldenum *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 24. & 25. & ſuprà ubi de *Corona Nuptiali.*

NUPTIALIS Currus, Pauſaniæ *l.* 3. memoratur, apud quem in Græcia ſervatum morem legimus, ut in *Nuptiali Curru* tres modò ſederent, Media Sponſa, à lateribus Sponſus & quem vocabant Parochum, qui amicitiæ vel ſanguinis nexu colligatus eſſet, cuique deferrent plurimùm, vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 28. *c.* 15. Alciatum *Prætermiſſ. l.* 1. & ſuprà voce *Nuptiæ.* De *Nuptiali verò Deductione, Hierologia* ſeu *Benedictione, Nummo, Thalamo, Velamine* &c. in his vocibus.

NUREMBERGA, emporium Germaniæ ampliſſimum, elegantiſſimumque vulgò *Nüremberg*, quaſi Noricorum mons. Vide *Munſter.* Arcem habet regiam, in colle urbi imminente, ſitam, vetuſtiſſimam, ex quâ in urbem & extra patet proſpectus, à qua civitati nomen inditum putatur; *Caſtrum Noricum* appellant, quod urbs huc uſque pro cuſtodia habet. Lutheri doctrinam ſeculô præteritô amplexa, illi hodieque conſtanter inhæret; civibus Reformatis extra urbem, in ditione Marchiæ Anſpacenſis, liberô exercitiô conceſſô. Hîc conventus inſtitutus ad Patres Concilii Baſileenſ. cum Eugenio 4. conciliandos, A. C. 1438. & 1443. à Frederico III. ſed fruſtra. A. C. 1649. verò Pax generalis majori ſucceſſu concluſa. Academiam Altorfii habent Norimbergenſes celebrem. Vide *Noribergа.*

NURSÆ, oppid. in Æquiculis. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 744.

Et te montoſæ miſere in prælia Nurſæ.

Jamdudum interiit, unde & *Servio* ſitus ejus ignotus.

NURSCIA, Volſinienſium peculiaris Dea. Meminit ejus Liv. *l.* 7. *c.* 3. *Volſiniis quoque clavos indicis numeri annorum fixos, in templo Nurſciæ Etruſcæ Deæ, diligens talium monimentorum Cincius adfirmat.* Vide quoque Tertullianum. *Apologet. c.* 24.

NURSIA, vide *Nurſcia.*

NURSIA, Piceni civitas Epiſcopalis *Ptol.* Σαβίνων πόλις Νυρσία. Dio *l.* 48. Ὁ Καῖσαρ ἐπὶ Νυρσίαν ἐς τοὺς Σαβίνους ἐστράτευσε. Populi *Nurſini.* Virgil. *Æn. l.* 7. *v.* 716.

Qui Tiberim, Fabarimque bibunt, quos frigida miſit
Nurſia. —— ——

Ubi *Servius: Nurſia, Piceni civitas, frigida autem vel reverâ, aut certè, venenoſa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus ſuis Nurſinos ſceleratos appellavêre; & ſcimus amare Virgilium hiſtoriarum rem per tranſitum tangere.* Atqui nullam hîc intellexit hiſtoriam Virgilii imitator Silius, qui *l.* 8. *v.* 418. ita canit:

—— *Nec non habitata pruinis*
Nurſia. —— ——

Frigidam igitur dixit *Virgilius*, quia inter Apennini pruinas ſita. Nunc *Norcia*, urbec. Umbriæ, ad amnem Freddaram. Intra montes, ad radices Apennini, 6. milliar. à confin. Marchiæ Anconitanæ, 13. à Reate, ferè media inter Aquilam ad Ortum & Spoletum ad Occidentem; Patria S. Benedicti, *Baudrand.* Hinc *Nurſinus* adjectivum. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 20.

Nurſinas poteris parciùs eſſe pilas.

I. e. rapa, quæ in orbem optima naſcuntur in Nurſia Sabinorum civitate. *Nic. Lloydius.*

NURTA, Inſul. maris Tuſci. Vide *Majorica* & *Minorica.*

NURUM, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

NURUS, uxor, ex Græco νυός. Statius *Achilleid. l.* 1. *v.* 655.

—— *Nurus addita ponto.*

Capella *l.* 2.

Beata Virgo tantis, Quæ ſiderum choreis
Thalamum capis jugalem, Ac ſic favente mundô
Nurus *aderis Tonanti.*

Aliàs virgines matribus oppoſitas ſive innuptas omnino puellas, vox notat. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 215.

Hîc matres miſeræque nurus, *hîc cara ſororum*
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi.

Unde apud Val. Flacc. *l.* 2. *v.* 247.

Irruerant actæ pariter natæque nuruſque:

legi vult Barthius, *nuptæque nuruſque: Nurus* enim & natæ, inquit, eandem rem notant. Sic Statius *Theb. l.* 5. *v.* 200.

—— *Vigilant nuptæque nuruſque*
In ſcelus ——

Lucanus *l.* 5. *v.* 307.

—— —— *matreſque Senatus*
Paſſuraſque infanda nurus ——

Alii. Imò omnes fœminas Maroni *Nurus* dici, notat Servius *ad Æn. l.* 2. *v.* 501. Vide Barthium *Animadverſion. ad Statium loc. cit.* Cœterùm moribus ſocruum patienter ferendis *Nurus* maturè aſſuefactas olim, dicemus infrà, voce *Olla.*

NUS, Ciliciæ fluv. ad Ceſcum oppid. *Ptol.*

NUSARIPA, Indiæ citerioris urbs. *Idem.*

NUSCA, in *Legibus* Angliorum & Verinorum *tit.* 6. §. 6. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittet; filiæ verò ſpolia colli, i. e. murænas,* nuſcas, *monilia, inaures, veſtes, armillas* &c. Monilis genus eſt, uti docet Auctor Mamotrecti *ad* 8. *Judic.* Et *Monaſticum* Anglicanum *Tom. I. p.* 240. *Dedit unum aureum calicem & unam auream Muſcam pulcrè gemmis ornatam*, apud Car. du Freſne *Gloſſ.*

NUSCUM, urbecula Epiſcopalis regni Neapolitani in Principatu ulteriori ad radices Apennini, 17. milliar. à Benevento in Eurum Compſam verſus; *Nuſco.*

NUSIPI, *Strab. Uſipetes, Ptol.* Vide ibi.

NUTRIA, Illyridis urbs, Polyb. *l.* 2. *c.* 11.

NUTRICARII, Matricularii, dicti ſunt quibus *enutriendi ac* educandi infantes projectos cura olim incumbebat. *Vita S. Goaris c.* 10. *Hæc conſuetudo erat, ut quando aliquis homo de ipſis infantibus projectis miſericordiâ motus vellet curam habere, ab illis, quos* Nutricarios *vocant, Matriculariis S. Petri compararet, & illi Epiſcopo ipſum infantem præſentare deberent, & poſtea Epiſcopi autoritas, eundem hominem de illo* Nutricario *confirmabat.* Quinam autem *Matricularii* in Eccleſia olim dicti ſint, vidimus. Nempe cùm duplex apud Scriptores Eccleſiaſticos Matricula occurrat, altera Clericorum, altera pauperum, hæc *Matricula egenorum* vocabatur, cui nomina eorum pauperum, qui Eccleſiaſticis ſtipendiis alerentur, ſolebant inſcribi. Sed & domus, in qua tales alebantur, hinc *Matricula* dicta eſt, ad oſtia Eccleſiarum ut plurimum extructa. Hi itaque habebant Primicerium ſuum, qui eorum rationi vivendi invigilaret, & ſolicitè ad pietatem ab Epiſcopo inſtituebantur. Ex iiſdem quidam ſeligebantur ad viliora Eccleſiarum adjacentium munia, v. g. qui campanas pulſarent, Templorum cuſtodiæ vacarent, ea ſcopis mundarent, infantes expoſitos alerent & hujuſmodi, in alimoniæ mercedem hôc modô Eccleſiarum obſequiis ſe totos dantes. Atque inde Matriculariorum in Eccleſiis parochialibus origo, quorum ſedes ideo ad Templi fores adſignantur, quòd eas olim obſervarent, vel quod Matricularum, quæ ad oſtia Templi erant, cuſtodes eſſent, pauperumque invigilarent alimoniis: quod quidem munus ſeu onus ipſis Parochianis poſtea attributum eſt.

NUTRITI, apud Gregorium Turonenſ. *l.* 9. *c.* 36. *Comitibus, Domeſticis, Majoribus atque* Nutritis, *& omnibus, qui ad exercitium Regale erant neceſſarii, delegatis.* Familiares ſunt, qui in domo Domini aluntur. In Monaſteriis ſic dicuntur pueri, qui Monaſterio oblati ſunt. Lanfrancus *in Decretis pro Ordine S. Benedicti c.* 21. *Juvenes tam* nutriti, *quàm de ſeculo venientes, qui Magiſtris cuſtodiendi commendantur, in multis, ſicut infantes de quibus ſuperiùs dictum eſt, cuſtodiantur. Remoti, ut ſuprà à ſe invicem ſedeant: extra locum cuſtodiæ ſuæ ſine cuſtode nuſquam procedant.* Cujuſmodi *Monachi nutriti* longè potioris conditionis habebantur, quàm *Converſi*, ob perpetuam vitæ innocentiam: quam ob cauſam præcipua illis munera committi conſueviſſe, diſcimus ex Folcardo in *Vita* S. Bertini *c.* 11. *Erlefredum ſuum à puero nutritum Abbatem ſucceſſorem ordinavit*, & *Chartâ* Eriberti Archiepiſcopi Mediolanenſis A. C. 1040. apud Ughellum *Append. ad Tom.* 4. *Noſter fideliſſimus Albizo, à cunabulis, Monachus, ſub Patre & Regula rectè nutritus, à nobis nuper nominati Cœnobii Abbas effectus.* Sed & in eadem Communione, *Nutriti* Clerici dicuntur, qui Epiſcopis ratione diœceſeos ſubduntur, quaſi ex eorum familia. *Capitul.* 5. *incerti anni c.* 5. *Ut ipſi Presbyteri tales Scholas habeant, i. e. ita* nutritos *& inſinuatos* &c. Porrò, ſicut *Nutriti* in Monaſteriis Virorum, ita *Nutritæ* ſunt, in Monaſteriis fœminarum; quarum mentio in *Regula* Monialium Fontevraldenſium *c.* 17. *Ut Abbatiſſa aut Prioriſſa non ducat ſecum in equitando quamlibet de Nutritiis* (fortè legendum *Nutritis*, à *Nutrita* fœmin.) *de juvenibus clauſtralibus.* Apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

NUTRITOR, apud Petrum Chryſologum *Serm.* 62. *Nutritor pius, niſi totus redactus fuerit in parvulum, nunquam parvulum perducit in virum.* Et Statium *Achilleid. l.* 1. *v.* 276. ubi de Chirone, à quo Achilles educatus,

Neſciet hoc Chiron. ſic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens, obſtat genitorque roganti,
Nutritorque ingens ——

Τροφεὺς Græcis eſt. Cujuſmodi *Nutritores* liberis ſuis convenientes quod habuerit, felicitatis ſuæ partem in eo agnoſcit Marcus Antoninus Imperat. *l.* 1. Τὸ ἐπιτηδείων τροφέων εἰς τὰ παιδία ἐπιτυχεῖν. Vide hîc infrà.

NUTRIX, à *nutriendo*, infantem quintô die, quouſque Obſtetricis durabat neceſſitas, ab hac, lotis manibus, ſuæ curæ committendum, olim accipere ſolebat; quod Athenis aſſô factum pane. Officium ejus erat inter alia, de quibus *infrà*, lac præbere, unde Τιτθὴ Græcis, & cibum, unde Τροφὸς dicta: Interdum, ut infans indureſceret liberioris auræ uſu, Cœl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 11. *ex Platone* ulnis quoque gerere; quamvis aliquando non eadem Gerula, quæ *Nutrix* fuerit. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 375.

Hunc totum infantem maternis demite ramis,
Et date Nutrici: *noſtraque ſub arbore ſæpe*
Lac facitote bibat.

Ariſtophanes *in Equitibus Actu* 2. *Sc.* 2.

Καθάπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις λαὸν κακῶς·
Μασώμενος γὰρ, τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς,
Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.
Nutricum more tu Populum paſcis malè:
Quia ubi præmanderis, in os paulum ipſi ingeris,
Tu verò triplo plus quàm alumnus devoras.

Dicebatur hic puerorum cibus *Papa*, ſicut *Bua* potus, auctore Nonio Marcello *de Propriet. Serm. c.* 2. Fletum eorum, cùm in ulnis gerebantur, melle compeſcebant cum lacte, ex vaſculo χυτρίδιον dicto, per ſpongiam, ut annotavit Scholiaſtes Ariſtophanis, in verba,

Δός μοι χυτρίδιον σπογγίῳ βεβυσμένον.

Magna autem in electione diſquiſitio fuit. Ancillæ enim vulgò barbaræ adhibebantur, vel Meretrices inquilinæ, natos in cunis educantes. Tacit. in *Dial. de cauſis corr. Eloq. c.* 29. *At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervus plerumque viliſſimus.* Favorinus apud A. Gellium *l.* 12. *c.* 1. *Præſertim ſi iſta, quam ad præbendum lactem adhibeatis,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

lebitis, aut ſerva aut ſervilis eſt, ut plerumque ſolet, externæ atque barbaræ nationis. Sueton. Octavio c. 6. Nutrimentorum ejus oſtenditur adhuc locus, in avito ſuburbano, juxta Velitras, permodicus & cellæ penuariæ inſtar. Athenis Lacedæmone petebantur, unde & Alcibiades à Lacæna Nutrice educatus eſt. Sed frugaliorum Matrum proprium hoc officium, (qua de re illuſtrem habes diſſertationem Philoſophi Favorini, Gellii loc. cit.) Omnium cum Rumina curam gerere, faſciis involvere, niſi apud Lacedæmonios, cunas movere (quod tamen Cunariæ peculiaris ſervæ quandoque munus erat) nænias lalloſque Græcè καταβαυκαλήσεις κὴ νόμια cantare, ut vel à pueris redderentur, vel ad ſomnum componerentur, cui cantilenæ Lallus præerat. Cornutus ad Perſium Sat. 3. Aut cur à Nutrice juſſus dormire ploras? quæ infantibus ut dormiant, ſolent dicere ſæpe, lalla, lalla, aut dormi, aut lacte. Cujuſmodi lallos næniaſque eleganter deſcribit Auſonius Ep. 16. ad Prob. v. SS.

Sic iſte qui natus tuus
Flos floſculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata,
Lalique ſomniferos modos
Sueſcat peritis fabulis,
Simul jocari & dicere.

Et Theocritus Eid. 5.

Εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν κὴ ἐγέρσιμον ὕπνον,
Εὕδετ' ἐμὰ ψυχὰ δύ' ἀδελφεὼ, εὔσοα τέκνα,
Ὄλβιοι εὐνάζοισθε κὴ ὄλβιοι ἀῶ ἵκοισθε.

Ipſos per ὑποκορισμὸν, modò ποθῶν ſeu ποθονεὺς, modò σμερδονεὺς vocando, Fr. Roſſæus Archæol. Att. l. 5. c. 7. alioſque jocos addendo: Porrò ſubinde ulnis gerere, ut dictum; quanquam id onus quoque ſervi geruli ſeu bajuli (unde Magnus Bajulus in Aula Conſtantinopolitana) ſub Nutrice ſubierint: Pallium gerere maculoſum, mammamque præbere, ſi Lacedæmonios & Germanos excipias, quorum diverſum inſtitutum; hinc collactei, qui eandem Nutricem ſimul bibebant, verbis Appuleii Met. l. 2. &c. Vinô abſtinebant nigrô, ſed album largiùs potare permiſſum; Papparè porrò docuerunt & ad pubertatis uſque tempus natis aderant: quô eas manumittere licebat, & in Mammarum memoriam mortuas inſcriptione proſequi, vide infrà: Sic enim, quòd mammas porrigerent, Mater Nutrixque dictæ ſunt, Thom. Bartholin. de Puerperio Veter. Et hæ Nutrices fuerunt, re ac nomine: Illæ honorariæ, & ut ita dicam nominales, quæ diligentiam infantibus & munditiem adhibebant, ut loquitur antiquus Gloſſator ad illud Juven. Sat. 14. v. 208.

Hoc monſtrant vetulæ pueris repentibus aſſæ.

Qualibus dotibus autem Nutrix inſtructa eſſe debeat; aliquatenus indicat Hieronym. ad Lætam: Nutrix ipſa non ſit temulenta, non laſciva, non garrula. Quanti habita, idem adverſ. Jovinian. l. 1. docet: Vocanda Domina, celebrandus natalis ejus, jurandum per ſalutem illius, ut ſit ſuperſtes optandum, honoranda Nutrix ejus &c. Nutricis marmora meminerunt; Romæ in hortis Carpenſibus: D. M. S. Emilii. Niſi. vixit. menſibus. 11. fecit. Valeria. Hygia. Nutrix, apud Janum Gruterum. Cunariæ mentio ſervatur, in veter. lapide, D. M. Teiæ. Threpte. Soror. piiſſimæ. Cunariæ. Rufinæ. v. v. &c. Mammæ, in veter. Monum. Romæ, in hortis ad aquam Virginis: DIS. M. Zetho. Corinthius. Tata ejus. &. Nice. Mamma. f. v. a. 1. d. 16. iterum apud Gruterum Inſcript. Vide ſuprà Mammæ. Nec Nutrices ſolùm, ſed & Nutritores ſeu Nutricii Romanis fuere. Hieronym. loc. ſuprà cit. Nutrix ipſa non ſit temulenta &c. habeat modeſtam Gerulam, Nutricium gravem. Iidem Bajuli dicti ſunt, quòd bajulent geſtentque ulnis alumnos. Educatores item, qui Cæſares, vel Patriciorum Equitumque pueros à juventute educarent, Juſtinian. l. 1. Inſtitut. tit. 6. Appulejus Met. l. 2. &c. Pædagogi quoque, quos tamen ab Educatoribus diſtinguit Juſtinianus leg. 41. §. 6. ff. de fideicomm. libert. Tatæ tandem, ſicut Nutrices Mammas appellatas eſſe ex veter. Inſcr. in qua utrorumque mentio, modò oſtendimus. Egregiè Petrus Chryſologus Serm. 62. Nutritor pius, inquit, niſi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, ſenſus ſeponit, infirmat viſcera, abjicit vires, membra diſſolvit, greſſum tardat, geſtit non ambulare, ſed repere, ridere ſimulat, timere fingit, flere mentitur; quia & in illo mendacium pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, eſt infirmitas Virtus. Hieronym. ad Heliodor. Nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem Pater &c. Ac tales non erant Educatores Britannici, à quibus primum venenum is accepiſſe legitur, apud Tacitum l. 13 c. 16. Servi autem erant, & ſæpe Eunuchi, unde per Ganymedem Eunuchum, Nutricium ſuum, Arſinoë, Ptolemæi Regis minor filia, Achillam interfeciſſe dicitur, apud Hirt. l. 1. Bell. Alexandr. c. 4. Cæſar. l. 3. Bell. Civ. c. 108. Nutricius, inquit, ejus pueri Eunuchus. Sævitiæ in Nutricios exemplum Herodianus præbet l. 3. Hiſt. Aug. ſub finem: Pietatis contrà & impenſi amoris, Capitolin. in Pio &c. Vide Laurentium Pignorium Comm. de Servis & Tit. Popmam de operis Servorum, nec non ſuprà, Collactanei, ac infrà Tata.

NUTU, Oracula olim non pauca à Paganorum Diis data, ut ex Diodoro Sic. l. 17. c. 50. Herodoto, Homero, aliis, obſervârunt Eruditi. Inter quæ & Hammonis fuiſſe, ex Curtio videtur colligi l. 4. c. 7. Boiſſardus tamen nonnulla ejus oracula refert, tanquam voce reddita, quem adi de Divinatione. Sed & Nutu, oculis, & manibus derideri homines conſuevére: quæ proin tria jungit Tertullian. de Pallio c. 4. Tales igitur habitus, qui de natura & modeſtia transferunt, & acie figere & digitô deſtinare & Nutu tradere merito ſit. Appulejus item l. 3. Nec qui laverim, qui terſerim, qui domum rurſum reverterim, præ rubore memini. Sic omnium oculis, Nutibus, ac denique manibus denotatus impos animi ſtupebam. E. l. 2. Ac tum directis digitis & detortis nutibus præſentium denotor, dum riſus ebullit, inter pedes circumſtantium frigidô ſudore perfluens evado. Cujuſmodi deriſiones, quæ oculorum & Nutuum & vultus aliquâ conformatione aut omnino digitorum manuumque geſtu fiebant, aut labiorum ductu, ſine ullo verbo aut dicto; Sannæ appellabantur. Græcè μῶκοι, de quo dixit Salmaſ. ad Hiſtor. Auguſtæ Scriptores. Vide eundem Notis ad Tertull. l. c. ſuprà Moccoſa actio. & infrà, in voce Sanna. Cæterùm Vitoldum Ducem Lituaniæ tam fuiſſe terribilem ſuis, ut ad levem ipſius nutum juſſi ſemetipſos interficerent, habet ex Æn. Sylvio Theod. Zuingerus Theatro Vitæ Humanæ p. 215.

NUTUM; Africæ propriæ oppid. Ptol.

NUX, à nuceris, quod à Græco μύκηρος, converſo M. in N. ſecundùm Voſſ. de Scient. Mathem. c. 6. §. 1. Varroni & Iſidoro à nocendo dicta eſt: Aliis Syriacam vocem eſſe, & ex luz, L. in N. mutatô, vel ex Hebr. לוז i. e. Corylus, deducentibus, inter quos Scaliger. In genere ſignificat omnia coriô duriore tecta, ut ſunt Avellanæ, Amygdalæ, Juglandes, Caſtaneæ. Sicut è contra io omnia molliora, Poma dicuntur: E quibus Nucem juglandem peculiari carmine dignatus eſt Ovidius. In Jovis erant apud Romanos tutela, & ludi non unius materiam pueris præbuére. Unde Phædrus l. 3. fab. 14.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æſopum nucibus cùm vidiſſet, reſtitit.

In quæ verba Ritterſhuſius, Nota res eſt, ait, pueros luſitâſſe Nucibus. Vide Eraſmum in explicat. proverbii Perſiani: Nuces relinquere. Deinde quàm multi clariſſimi Viri ad luſus cum pueris, quos charos habebant, ſeſe demiſerint, vide apud Petr. Fabrum in præf. Agoniſtici. Valde ſuaviter Symmachus l. 4. Ep. 20. Repueraſcere, inquit, nos pietas jubet, ut literarum dulcedinem liberis noſtris labor participatus inſinuet, vide & Auſonium Protrept. ad Nepotem. Ex Ovid: Eleg. de Nuce v. 73. quædam hujuſmodi ludorum genera, placet adjicere. Unum horum dilaminare vocat, cùm videl. ſolutis commiſſuris, in duas partes dextrè Nuces findebantur & ſic in duas quaſi laminas diducebantur: ubi artis erat certô ictu commiſſuram tangere. Aliud fuit, cùm imponebatur index ſiniſtræ mali pedunculo, & in hunc pugnus dexter ſubitò impingebatur: ubi impetus ac celeritas vincebat. Item, cùm unam tribus aliis impoſitam ſecare conabantur. Porrò, diſpoſitis in ſeriem Nucibus, per tabulam declivem alia volvebatur, quæ ſi tangeret, quam oportebat, vincebat qui miſerat. Alia ludi ſpecies erat, quam Horat. l. 2. Serm. Sat. 3. v. 248. par impar, Græci ζυγὰ ἢ ἄζυγα, Angli Even or Odd appellitare ſolent, cùm Nuces, quotquot vellent, manibus prementes, problematis inſtar ſodales interrogarent, par numerus an impar? Qui ſi numerum divinarent, auferebant omnes: ſin minùs, totidem perdebant. E creta quoque pingentes amplam figuram triangulam, in lineis pictis, certa per intervalla, diſponebant nuces: quarum tot, quot Puer in medio ſtans jactu virgæ tetigiſſet, auferebat. In pelvim etiam ſingulas jaciebant procul ſtantes, amiſſuri quæ extra cecidiſſent &c. Eraſmus in locum Ovid. cit. Ipſa autem Poetæ ſic habent verba,

Has puer, aut certô rectas dilaminat ictu,
Aut pronas digitô biſve ſemelve petit.
Quatuor in nucibus non ampliùs alea tota eſt,
Cùm ſibi ſuppoſitis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet alter: & optat,
Tangat ut è multis quamlibet una ſuam.
Eſt etiam, par ſit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes.
Fit quoque de creta, qualem cœleſte figuram
Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.
Hæc ubi diſtincta eſt gradibus, qui conſtitit intus,
Quot tetigit virgâ, tot capit inde nuces.
Vas quoque ſæpe cavum ſpatiô diſtante locatur,
In quod miſſa levi Nux cadat una manu.

Sed has relinquamus, monente Proverbiô. Injiciunt tamen moram novi Romanorum Mariti, à quibus Nuces jaci & pueris ſpargi conſueviſſe, indicat Catullus Carm. de Nuptiis Julii & Manliæ, ac Virg. Eclog. 8. v. 30.

Sparge Marite nuces. ———

Cujus moris rationem Varro apud Servium hanc eſſe putat, ut Jovis omine Matrimonium celebraretur, novaque Nupta Matrona eſſet, ſicut Juno: in tutela enim Jovis fuiſſe Nuces, ſuprà dictum, & juglandes, quaſi Jovis glandes, vocatæ ſunt. Illud vulgare fuiſſe, idem Varro tradit, idcirco ſparſas Nuces, ut à rapientibus pueris ſtrepitus fieret, & Neogamorum quieti conſuleretur. Aliis placuit, eâ id gratiâ factum, ut ſe puerilibus ludis renuntiare eô indiciô Maritus teſtaretur. Plin. verò l. 15. c. 22. id factum ait, vel quòd cadendo tripudium ſonumve facerent, vel quia geminô protectæ eſſent operimentô, ſicque ſignificarent fœtum multis modis munitum, vide Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c. 37. Nec omittendum, inter luxuriantis gulæ irritamenta, quorum longam recenſet ſeriem Varro, apud A. Gellium l. 7. c. 16. fuiſſe olim Thaſias nuces, quas Amygdalas interpretatur Macrob. Saturnal. l. 2. c. 14. Anton. verò Thyſius Notis in Gell. Avellanas vult intelligi, à Thaſo Inſul. maris Ægæi Thraciæ proxima, Thaſias nuncupatas &c. Cœterùm Nucis juglandis ſpecies præſtantiſſima & maxima fuit, quæ ex Perſide in Græciam allata eſt, unde Græcis Περσικὸν & Βασιλικὸν appellatum: cujus ſpeciei nomine totum poſtea genus inſignitum eſt. Inde Dioſcoridi, Περσικὰ & Βασιλικὰ ſunt nuces juglandes. At Suevius, apud Macrobium, hanc ſpeciem Græciæ primùm cognitam ſcribit, Alexandri M. temporibus, à comitibus ejus, qui eam Græciæ intulerunt. Cùm tamen certum ſit, multò ante Alexandri ætatem ejuſmodi nuces in Europa notas fuiſſe. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 964. alibique paſſim, ubi de Nucis variis ſpeciebus accuratè agit, ut & ſuprà Carya, Caſtanea.

NYCTA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

NYCTAGES & NYCTAZONTES, Græcè Νυκταγοὶ & Νυκτάζοντες, Hæretici, ita appellati, quòd nocturnas vigilias preceſſque damnarent, *can. Quidam autem* 24. *quæſt.* 3. & Iſidor. *l.* 8. *c.* 1. Aliàs *Lethargici* quoque. Vide Dominicum Macrum *Hierolex.*

NYCBENITÆ, ſeu NYGBENITÆ, populi Æthiopiæ ſub Ægypto, *Ptol.*

NYCDOSA ſeu NYGDOSA, Indiæ intra Gangem urbs, *Idem.*

NYCEA, urbs Corſicæ, à *Nycio* Feſulano Etruriæ rege condita, qui floruit 300. An. ante Romam conditam.

NYCPII, Africæ propriæ gens, *Ptol.*

NYCTELIA, dicebantùr ſacra Bacchi, hinc *Nyctelii* appellati, quòd ejus myſteria nocturna eſſent: quô tempore, facibus accenſis per Urbem, diſcurrentes, crateras vini plenos ſtatuebant, neque quidquam turpitudinis ſcelerumque, vinô nocteque ſuadentibus, omittebant, Auguſtin. *de Civit. Dei*, *l.* 18. *c.* 13. Clemens Alex. *in Protreptico* &c. Aur. hinc Prudentius *l.* 1. *in Symmachum*, *v.* 131.

—— Quod & ebria jam tunc
Ante oculos Regis Satyrorum inſania fecit,
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus actas
Mænadas, inflammante merô, in ſcelus omne rotatas.

Erant autem in ciſtis ſacra hæc condita, & ſingulis tribus annis exhibebantur in Græcia, magnô populi concurſu. Seneca *in Herc. Oetæo Actu* 2. *in Choro*, *v.* 594.

Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis,
Cùm jam pulſô ſidere Brumæ
Tertia Soles evocat æſtas.

Ineunte nempe Vere &c. De iis Servius *ad Æn. l.* 4. *v.* 302. *Liberi*, inquit, *ſacra tertiô quoque annô innovabantur: Sanè ſciendum, Orgia apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos Ceremoniæ dicuntur; ſed jam abuſivè ſacra Liberi Orgia vocantur, vel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς *à furore, vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν *à montibus: Nocturnus, quòd nocte celebrarentur, unde ipſa ſacra* Nyctelia *dicebantur, quæ Populus Romanus excluſit cauſâ turpitudinis.* Plura vide apud Anton. Delrio *Notis in locum Senecæ cit.* Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 11. &c. aliquid etiam ſuprà, voce *Nox.*

NYCTELIUS, vocatus fuit Bacchus, quòd ſacra ejus noctu fiebant, νὺξ enim *nox* eſt, & τελέω *perficio*, & *ſacra peragere* etiam ſignificat, unde τελεταὶ pro myſteriis, Anthol. *l.* 3.

Νυκτέλιον, Νόμιον, Νεβρώδεα, Νεβριδόπεπλον.

Hinc *latex Nyctelius*, pro vino, apud Senec. *in Oedipo. v.* 492. Bacchi ſacra noctu fieri ſolita paſſim perhibent Poëtæ. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 521.

Inter ſacra Deum, nocturnaque orgia Bacchi.

Et alibi *Æn. l.* 4. *v.* 303.

—— Qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.

Ovid. *l.* 1. *Art. Amatoriæ: v.* 567.

Nyctel iumque patrem, nocturnaque ſacra precare.

Dionyſ. Periegetes,

—— —— Ἔνθα γυναῖκες
Ὀρνύμεναι τελέουσι κατὰ νόμον ἱερὰ, Βάκχῳ
Στεψάμεναι κισσοῖο μελαμφύλλοιο κορύμβοις
Ἐννύχιαι. —— ——

Oppianus *l.* 1. *Cynegeticωn*, νυκτερὰ θύσθλα vocat, i. e. *nocturna ſacra. Nic. Lloydius.*

NYCTEUS, Neptuni fil. ex Celene Atlantis filia, quem ex Amaltheâ Cretenſi nymphâ Antiopam & Nyctimenen ſuſcepiſſe ferunt. Ex his Nyctimene, fœdô patris amore capta, operâ nutricis cum eo concubuiſſe dicitur. Tandem verò, re cognitâ, cùm pater eam occidere vellet, Minervæ miſeratione in noctuam converſa eſt. Item *Nycteus* Antiopæ pater, Propert. *l.* 3. *Eleg.* 14. *v.* 11.

Teſtis erit Dirce tam verô crimine ſæva
Nycteos Antiopen accubuiſſe Lyco.

Et *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 5.

Tu licet Antiopæ formam Nycteidos. ——

Nic. Lloydius.

NYCTIMENE, de quâ ſuprà in *Nycteus.* Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 591.

An, quæ per totam res eſt notiſſima Lesbon,
Non audita tibi eſt, patrium temeràſſe cubile.
Nyctimenen? avis illa quidem: ſed conſcia culpæ
Conſpectum lucemque fugit, tenebriſque pudorem
Celat; & à cunctis expellitur æthere totô.

NYCTIPEDES, in fœminei calceatûs cenſu, vide Jul. Pollucem *Onomaſt. l.* 7. *c.* 22. De *Nyctegreto* ſeu *Nyctilopa* herba, in votis à Parthorum Regibus adhibita, vide infrà.

NYCTOSTRATEGI, apud Romanos, nocturni erant Magiſtratus in provinciis, qui armati noctu urbem perluſtrabant, publicæ quietis gratiâ. Arcadius *l. ult.* §. 1. *ff. de mun. & honore*, vocis meminit, *Nyctoſtrategi & piſtrinorum Curatores perſonale munus obeunt.* Ita enim legendum, cùm in aliis exemplaribus corruptè ſit, *Nycoſtrategi.* Idem enim *Nyctoſtrategus*, qui aliàs *Præfectus Vigilum* in urbe dicebatur: ut in Ægypto *Straboni* Νυκτερινὸς Στρατηγὸς & Conſtantinopoli Νυκτέπαρχος; quem poſtea *Prætorem Plebis* appellatum eſſe, habemus ex *Novella* 13. *Prat.*

NYLANDIA, provinc. Finniæ, juxta Sinum Finnicum, inter Careliam ad Ortum, Tavaſthiam ad Boream & Finlandiam ad Occaſum, è regione Livoniæ, à qua ſeparatur tantum ſinu Finnicô. In ea oppida tria, *Borgo*, *Helſingfoos* & *Raſebourg*, in ora littorali.

NYMBÆUM, ſtagnum Peloponneſi, in Laconica, apud Maleam promontor. Pauſan. *l.* 3.

NYMPHA, pro Virgine, communiter apud Veteres. At Græcæ linguæ penetralia exactiùs rimanti Barthio, *indefloratis* eâ voce mulieres opponi deprehenſum. Sic certè capitur, in veteribus illis verſibus Praxillæ Poëtriæ, apud Hephæſtionem, *p.* 24. *Edit. Turnebianæ*,

Ὦ διὰ τῶν θυρίδων καλὸν ἐμβλέποισα
Παρθένε τὰν κεφαλὰν, τὰ δ᾽ ἔνερθε, Νύμφα.

Quô pactô Sponſam Latinorum, *Nympham* Græcis dictam notat *Servius.* Hinc Socrates apud Xenophontem *in Sympoſio*, *Sed enim non exiſtimas argumentum illud eſſe ſatis magnum, me pulchritudine te potiorem eſſe, quòd & Naides, quæ Diis adſcribuntur, Silenos pariunt, mihi quàm tibi ſimiliores.* Neque de Nympharum pudicitia, *quam erga Satyros ſimulant, certi erant fictores.* Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Part.* 2. *p.* 1208. plura verò hic infrà.

NYMPHA, locus Romæ, in Via Cornelia, 13. mill. paſſ. ab Urbe diſtans, Baron. *Not. ad Martyrolog.* 19. *Jan.*

NYMPHÆ, aquarum Deæ, quaſi *Lympharum* numina, ut quidam volunt. Oceani filias fuiſſe teſtatur Orpheus, *Hymnô in honorem earundem conſecratô*:

Νύμφαι θυγατέρες μεγαλήτορος Ὠκεανοῖο
Ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί᾽ ἔχουσαι.

Virg. eas fluviorum matres eſſe putavit; *Æn. l.* 8. *v.* 71.

Nymphæ Laurentes, Nymphæ, genus amnibus unde eſt.

Has autem non ſolùm communi nomine appellavit Orpheus, in illo Hymno, ſed etiam *Hamadryadas*, cùm inquiat:

Κοῦραι Ἁμαδρυάδες, φιλοπαίγμονες.

Id ſanè effectum eſt, quia Nympharum aliæ ſunt creditæ cœleſtes, aliæ terreſtres, aliæ fluviales, aliæ marinæ, aliæ ſtagnorum præſides, quam diviſionem fecit Mneſimachus Phaſelites. Et Homer. de quadam varietate harum ita meminit *Hymnô in Venerem*:

Ἤ τις Νυμφάων, αἵ τ᾽ ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Ἢ Νυμφῶν, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι,
Καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ βήσσεα ποιήεντα.

Terreſtres Nymphæ putatæ ſunt à nonnullis Cererem & Bacchum educâſſe. Cœleſtes Nymphæ credebantur eſſe animæ ſphærarum, quas etiam *Muſas* vocârunt, ac vires, quæ inde ad nos venirent. Terreſtrium aliæ ſylvis præerant, ut *Dryades*, aliæ montibus, ut *Oreades*; aliæ ſingulis arboribus, ut *Hamadryades*, aliæ paſcuis & floribus, ut *Napeæ.* Fluviorum præſides *Najades* dicebantur; ſtagnorum & lacuum *Limniades.* Quas verò fontibus præeſſe putârunt antiqui, *Ephydriades* appellârunt. *Hermocreon*,

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, ταῖς Ἑρμοκρέων τάδε δῶρα
Εἴσατο καλλινάου πίδακος ἀντιάσας.
Χαίρετε, καὶ στείβοιτ᾽ ἐρατοῖς ποσὶ ὑδατόεντα
Τόνδε δόμον, καθαροῦ πιμπλάμεναι πόματος.

Aliæ marinæ putabantur, ut *Nereides.* Quòd verò loca nonnulla Diis variis forent conſecrata, & qua de cauſa id fieret, teſtatur Dion. Halicarn. *l.* 1. hôc pactô: Ὄρη μὲν καὶ νάπας Πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία Νύμφαις, ἀκτὰς δὲ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι. Τῶν δὲ ἄλλων, ὡς ἑκάστῳ τι θεῷ καὶ δαίμονι οἰκεῖον. Unde & in monte S. Bernardi, vulgò *der Vogelberg*, è quo poſterior Rhenus oritur: in loco ſcaturiginis, quondam ſacellum fuiſſe Nymphis dicatum, cujus adhuc veſtigia ſuperſunt, refert Sprecherus *Pallad. Rhæt. l.* 7. Pauſan. *in Phocicis*, quandam ex Nymphis *Lilæam* nominat, Cephiſi filiam, atque alibi, de Nomia indigena Arcadum mentionem facit, atque Nymphas non eſſe quidem omnino ſempiternas, ſed innumerabilem penè annorum numerum vivere, idque ex antiquorum poëtarum ſententiâ. Afflabantur vates non minùs Nympharum, quàm cæterorum Deorum numine; quare Pauſan. *in Meſſeniacis* refert, nonnullos earum numine afflatos civitatum ruinas prædixiſſe. Lac autem & oleum eis offerebatur, cùm ſacra fierent. Theocritus in *Viatoribus*:

Στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς Νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.

Conſueverunt quoque capras illis immolare. Idem *ibidem.*

Τὸ Κρόκυλός μοι ἔδωκε τὸ ποικίλον, ἁνίκ᾽ ἔθυσε
Ταῖς Νύμφαις τὰν αἶγα. ——

His etiam mel offerri ſolitum quidam putârunt, quia floribus delectarentur, è quibus mel conficitur: è quorum opinione Virg. illas flores colligentes inducit, *Ecl.* 2. *v.* 45.

—— Tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens.

Alii id contigiſſe maluerunt, quòd ille Ariſtæum, quem putantur educâſſe, mellis & olei conficiendi viam docuerint. Offerebatur & vinum; ut Apollinis reſponſum declaravit apud Eusebium. Nat. Comes. *l.* 5. *c.* 12. *Mytholog. Nic. Lloydius.* Cæterùm in *Nympharum* æde Romæ tabulas publicas aſſervari ſolitas, docet Cicer. *pro Milone*, ubi de Clodio; *Qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam incenſis tabulis impreſſam aboleret.* Acta nempe, quæ finitô ſuô quinquenniô Cenſores in tabulas referre ſolebant. Vide Pancirollum *Rerum deperdit. l. c. de Cic.* piendi modo. In earundem antra deponi conſueviſſe inventos infantes, incertis nempe Parentibus natos, exemplô eſt Chloe Longi, Scriptoris elegantiſſimi, *libellis Pœmenicon.* Quod verò forte factum, quia puellæ, quæ parere geſtirent, à Nymphis ſolitæ ſunt votis prolem poſcere, ſcil. ei rei conſenſu ſuperſtitioſorum præpoſitis. Euripides *Electrâ v.* 627.

A. Νύμφαις ἐπόρσυν ἑορτὴν, ὡς ἔλεξέ μοι.
B. Τροφεῖα παίδων, ἢ πρὸ μέλλοντος τόκου;
A. Οὐκ οἶδα, πλὴν ἓν, βουσφαγεῖν ὡπλίζετο.

Cœterùm præter dicta *Nympharum* genera occurrunt, Alſeides, Græcè Ἀλσηΐτιδες, quæ ſylvis, apud Apollonium Rhod. *l.* 4. 1146. Κρηνίδες, quæ fontibus; Ἐπιμηλίδες, quæ ovibus, ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſeu *Meliades* dictæ Latinis; Ποταμίδες, etiam Latinè *Potamides*, quæ fluviis &c. præpoſitæ, apud priſcum Homeri Scholiaſtem *in Il. v. ipſo initio*, uti de *Concilio Deorum* Homerus. Habebantur autem *Nymfæ*, pro dæmonibus humanitati faventibus, quod pleræque omnes fabulæ docent: Aliquando tamen & pro noxiis, nempe afflatu homines perdentibus & ratione excutientibus, ut arbitrarentur nempe, quod genus Νυμφόληπτοι dicebatur. *Heſychius*, Νυμφόληπτοι, οἱ κατεχόμενοι Νύμφαις, Μάντεις δέ εἰσι καὶ ἐπιθειαστικοί. Fani earum Templumque *Nympheones* dicebantur. Idem, Νυμφεῖον, νυμφῶν ἱερόν. Item *Nymphea* & *Nymphia*: quâ tamen voce & fontes cenſebantur in viis, ſive ad vias, nempe Nymphis indigenis ſacri. Jul. Frontinus *l. de Coloniis*, *Corfinius ager finitur terminis Tiburtinis & rivis, arboribus peregrinis, vel antemiſſis, monumentis, viis, Nymphiis* &c. Quam in rem vide mox dicenda, at plura apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l. 5. v. 519.* & *Adverſarior. l. 6. c. 12.* nec non Gerh. Jo. Voſſium *de Idolol. l. [illegible] c. 78. & 80.* uti de longævitate earum ſuprà, ubi *de Faunis ficariis*.

NYMPHÆ Catabaſſi, locus Hetruriæ, circa Rom. via Cornelia, 1[illegible]. mill. paſſ. ab urbe. *S. Ninfa*, *Baron.*

NYMPHÆA, Inſul. juxta Adriam, ubi Calypſo habitavit, *Stephan.* Alia circa Samum Ionicam, Plin. *l. 5. c. 31.*

NYMPHÆÆ folia, cavitatem exhibent poculis idoneam: ea enim plerumque oris per ambitum replicatis inveniuntur, ſic ut non male catinorum & ſcyphorum ideam referant. An & κιβώρια *Nicander* de foliis ipſis, ad hunc modum concavis & catinorum ſive poculorum vicem præbentibus uſurpavit?

——— τὰ δὲ [illegible],
Ἀγυιαῖς [illegible] δινευμένοισι.

Addit *Strabo* de foliis: καὶ ἡ Ἀλεξάνδρεια μεστὴ τούτων ἐστὶ κατὰ τὰ ἐργαστήρια ὡς σκεύεσι χρωμένων, *Plena his foliis Alexandria per tabernas & officinas, quæ his utuntur pro vaſculis.* Sic Plin. *l. 26. c. 8.* Ægyptios implexis colocaſiæ foliis in variam ſpeciem vaſorum, libentiſſimè potare, ſcribit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p. 968.*

NYMPHÆI Crater, locus in agro Apolloniatum, in Illyrico, Plin. *l. 3. c. 106. & 107.*

NYMPHÆUM, oppid. Tauricæ Cherſoneſi apud Theodoſiam urb. *Ciprico*, teſte *Nigrô*. Item promontor. geminum Macedoniæ: unum ad radices montis Athi in latere Auſtrali, *Capo Ninfeo ex tabul. recent.* Nunc *Capo de monte Santo*, *Baudrand.* Alterum in ora maris Ionii, apud Apolloniam & Aoum fluvium, *Capo Pali Luccaro*. Lucan. *l. 5. v. 720.*

Nymphæumque tenent, nudas Aquilonibus undas.

NYMPHÆUM, Balneum apud Romanos præclarum, qualia 12. fuêre in urbe, inter quæ Nymphæum Alexandri Severi & Marci Imperator. apud Septizonium, illuſtria fuêre. A thermis, i. e. à balneis calidis diſcrepare oſtendit *l. Si quis per C. de aquæduct. l. 2.* ubi Præfectus Vigilum jubetur, diligenter providere, quantum aquæ thermis, quantum *Nymphæis* pro abundantia civium deputari conveniat. *Alciatus* locum fuiſſe exiſtimat, in quo Mulieres lavarentur, *in l. ſi qui divin. C. de aquæduct. l. 11.* Et ſic diſtinguere videtur Jul. Capitolin. *c. 32.* *Opera Gordiani Romæ nulla extant præter quædam Nymphæa & Balneas.* Forcatulus verò non aſſentitur, non quòd neget, mulieribus in *Nymphæis* lavari vetitum, ſed quòd putet, viris etiam permiſſum extitiſſe, ſeparatim habere ſua Nymphæa. Ideoque ipſi *Nymphæum* eſt, lavacrum ſeu balneum, aquam tepidam habens, non valetudinis, ſed voluptatis cauſâ paratum; hinc priùs conſulitur Thermis, mox Nymphæis, poſtremò aliis uſibus, *in l. dicta Si quis per.* Strabo *l. 7.* tradit, in Apolloniatum finibus locum extare, *Nymphæum* dictum, ubi ſaxum ſit ignem vomens, ſub quo fontes aquis tepidis & bitumine ſcatentes. Pindarus *Olymp. 12.* θερμὰ Νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις, *Calida Nympharum balnea frequentas*, de viro loquens. Quod nomen inde ſumtum, quia per æſtatem pomeridianâ horâ *Nymphæ* ſeſe fontibus abluerent, Dianæ puta comites, in ſecretis nemorum, ut ibi ſe oblectarent, fontibus. Quod & Romani ſervârunt, in octavam diei horam lotionem differentes. Martial. *l. 11. Epigr. 53. v. 3.*

Octavam poteris ſervare, lavabimur unà,
Scis quàm ſint Stephani balnea juncta mihi.

Forcatulus *in ſuo Cupid. Juriſperit. c. 10. n. 12.* *Briſſon.* &c. In genere aquarum receptaculum notat, apud Ambroſium *in Actis S. Sebaſtiani c. 18. n. 65.* *Circa inſulas, circa vicos, circa* Nymphea *quoque erant poſiti compulſores, qui neque emendi copiam darent, aut hauriendi aquam ipſam facultatem tribuerent, niſi qui Idolis delibâſſent.* Vide quæ de *Nymphæis* congeſſit Car. du Freſne in *ſua Conſtantinopoli.* Zonaras Monachus, qui de Græcorum Imperatorib. ſcripſit in Leone I. *Nymphæa* eſſe vult Palatia publica, in quibus nuptias celebrarent illi qui habitarent anguſtiùs, eaque ædificiis maximis, in quibus Senatus cogeretur, plerunque fuiſſe adjuncta ſcribit: qualia ædificia Romæ erant, Curiæ, Senacula, Baſilicæ. Alii loca fuiſſe publica contendunt, delectationis gratiâ facta, in quæ, non ut in Balneas ac Thermas, propter uſum aqua duceretur, ſed gratiæ potiùs ac voluptatis cauſâ, & à *Nympharum* ſtatuis, quibus ornata fuerint, nomen traxiſſe. Græc. Ὑδρεῖα, Latinis aliter *Aquaria* & *Aquagia*, vide ſuprà. Verùm, ut de forma aut uſu illorum exactè non conſtet, certum interim maximè inſignia fuiſſe; unde aut ab ipſis Imperatoribus conſtruebantur, ut de *Nymphæo* Marci, ambitioſi operis, ſcribit Ammian. *l. 15.* de Alexandri *Victor*; de Gordiani, *Capitolin. loc. cit.* Aut ab Urbis Præfectis, quale Clearchus Valentinianô & Valente Imperatorib. extruxit Conſtantinopoli, & Flavius Philippus reparavit Romæ. Sed nullum horum ad noſtra aut Patrum uſque tempora duravit. Recens nunc eſt intra Neapolim & montem Veſuvium, in villa Leucopetræa, cujus forma talis eſt: *Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod unâ ſolùm portâ eſt aditus & aliquot gradibus deſcenſus. Ad dextram introeunti ad caput fons eſt aquæ limpidiſſimæ, ad cujus quidem cuſtodiam accubat Arethuſa nuda, ex candidiſſimo marmore: ſolum varium & marmoratum & canali circumdatum, in quod ex fonte aqua effluit. Parietes ex conchis lapilliſque, albi, nigri, flavi, purpurei coloris quaſi malthâ illiti, in quibus ex concharum compoſitione, tanquam ductibus in pictura, anni menſes duodecim, & quatuor Virtutes Politicæ expreſſæ. Item raptus Proſerpinæ, Pan canens fiſtulâ & mulcens gregem, præterea imagines Nympharum nantium, navigantium, in piſcibus ludentium: inter quas Helle inſidens arieti, Siren delphini, Europa tauro. In eodem ad ſingula latera quatuor ſtatuæ marmoreæ: Herculis leoninam geſtantis, Panos agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Najades nudæ* &c. Hæc ex Fabricio Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 14.* Sed & *Nymphæum*, apud Dionyſ. in *Hiſtor. Rom.* locus, in quo ex ſuffito thure præſcita de omnibus rebus futuris, præterquam de conjugio & morte, peti ſolebant, ut infrà dicemus voce *Thus*. Item fons ad Templi fores, ubi ad orandum ingreſſuri olim Chriſtiani manus lavabant, Anaſtaſio Biblioth. *in Hilaro* &c. Vide quoque infrà, in voce *Nympheta*.

NYMPHÆUM, portus Macedoniæ, Cæſ. *l. 3. Bell. Civ. c. 26.* 3. mill. paſſ. ab urbe Liſſa. Item Sardiniæ, *Ptol.*

NYMPHÆUS fluv. Latii, Plin. *l. 3. c. 1.* apud Circæos, poſt Aſturam, *Storace* incolis. Item, fluv. Meſopotamiæ, *Ammian.* in Tigrim fluens.

NYMPHÆUS, mons Phthiotidis, quodam topiario naturæ opere ſpectabilis, Plin. *l. 4. c. 8.*

NYMPHÆUS, Meliorum, qui coloni in Cariam deducti erant, Dux: ejus amore ducta Carına puella Carum inſidias popularium aperuit: cujus indiciô eas in auctores vertit. Vide Polyæn. *l. 8. c. 6[illegible].*

NYMPHAGOGUS, Græcè Νυμφαγωγὸς, inter nuptiales Veterum perſonas. Uti enim, qui in Soceri ædes, ubi nuptiæ fiebant, tranſeuntem Sponſum deducebat, *Paranymphus*, Græcè παράνυμφος item Νυμφευτὴς & Πάροχος: Sic qui Sponſam, ſi vidua eſſet, ad Sponſum deducebat, *Nymphagogus* dicebatur. Apud Rhodios verò moris erat, per præconem Sponſas acceſſiri, Sponſus verò domi ſedens, advenientem excipiebat &c. Porrò & Νυμφεύτρια ſeu Θαλαμεύτρια, dicta eſt fœmina quæ lectum nuptialem, παράβυστον appellatum, quòd velô eſſet obtectus, duabus culcitris adornabat. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l. 3. c. 101.* Vide ſuprà ubi *de Nuptiis*.

NYMPHAIS, Pamphylii maris Inſul. Plin. *l. 5. c. 31.*

NYMPHARENA, apud Plin. *l. 37. c. 10.* *Nympharena* (lapis) *urbis & gentis Perſicæ nomen habet, ſimilis hippopotami dentibus*: vox eſt compoſita, juxta Bochartum & deflexa ex *Niph-Arienes.* Arienæ autem ſeu Ariana, Perſica illi gens eſt, unde affertur lapis exerto hippopotami denti candore vel formâ ſimilis: ac proinde נב *niph* vocatur. Alioquin enim Perſica gens *Nympharena* nulla legitur. Lapis idem videtur cum chernite, ebori ſimillimo, in quo Darium conditum fuiſſe, referunt Theophraſtus *l. de Lapid.* & Plin. *l. 36. c. 17.* aut idem cum Arabica gemma, ebori itidem perſimili, in eodem Plin. *l. 37. c. 10.* aut cum lapide *alagi*, ſeu eburneo, *l. 2.* Avicennæ. Vide præfatum Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l. 5. c. 15. ubi de Hippopotamo.*

NYMPHARUM Antrum, vide *Phorcynis portus.*

NYMPHARUM Cubile, vide *Solis Inſula.*

NYMPHARUM Fanum, vide *Jatumana.*

NYMPHARUM Inſulæ, memorantur Martiano Capellæ *l. 9.* *Nam ipſius vetuſtatis perſuaſione compertum, in Lydia* Nympharum *Inſulas dici, quas etiam recentior aſſerentium Varro ſe vidiſſe teſtatur, quæ in medium ſtagnum à continenti procedentes, cantu tibiarum primò in circulum motæ, dehinc ad littora revertuntur.* Et Plinio *l. 2. c. 95.* qui eas *Saltuares* ſeu *Saliares* vocat, h. e. ὀρχηστρίδες, χορευτίδες, à Saliis, qui ſunt ὀρχησταὶ, *ſaltatores*. Virg. *l. 8. Æn. v. 285.*

Hinc Salii ad cantus incenſa altaria circum.

Non tamen Plinius, ad cantum tibiarum, ſed ad ictum pedum, qui in Symphoniæ cantu fieri ſolet, Inſulas illas *loc. cit.* moveri tradit: *In Symphoniæ cantu ad ictum modulantium pedum moventur*: quod κτύποι συμφωνίας vocat *Sotion*. Qui enim in Choro modum canentibus dabant, pede percutere terram conſueviſſe conſtat, qui ποδοψόφοι hinc Græcis & ποδοκτύποι. Fuêre autem Inſulæ hæ in Lydia, unde Varro *de R. R. l. 3.* *Cùm eodem tempore inſulas Ludianô ritu ibi ὀρχοῦσας vidiſſes*: in lacu ſeu ſtagno, *Nymphæo* dicto, quòd Nymphis is lacus conſecratus eſſet; unde eidem Plinio *ibid.* *Inſulæ in Nymphæo* appellantur. Eædem eum Inſul. Calaminis, ut *Sotion* modò dictus refert: Ἐν Λυδίᾳ ἐστὶ λίμνη Καλαμίνη καλουμένη, ἱερὰ δ' οὖσα Νυμφῶν, φέρει καλάμων πλῆθος. *In Lydia eſt ſtagnum, Calamina nomine, Nymphis ſacrum, calamorum magnam copiam ferens.* Has, *in medium ſtagnum à continenti procedere ad cantum tibiarum---- dein ad littora reverti*, dicit *Martianus* ut vidimus. Mirum certè, ſi Inſulæ in continenti ſint, aut littoribus teneantur: ſed inſulæ illæ calami ſunt, in littoribus Nymphæi lacus naſcentes: qui ab littore in medium ſtagnum procedunt & ad littus redeunt, vel ventis, vel contis impulſi & fluitantium Inſularum ſpeciem præbent. Græci πλάδας νήσους vocant, quales in multis ſtagnis circa Ægyptum & alibi reperiri, auctor eſt *Theophraſtus*. Ex *Sotione* colligere eſt, in medio ſtagno enaſci illas arundines & ad littus venire, incinente ſymphoniâ, mox ad medium reverti, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 125.* & infrà in voce *Saliares*.

NYMPHARUM Oculi, ſeu *Lumina*, Græcis littorales calculi dicuntur, qui Latinis *ocelli* vel *ocellati*, utpote oculi ſpecie nitentes. Victor *c. 3. de Caligula*: *Neque ſecus contractis ad unum legionibus, ſpecie in Germaniam tranſgrediendi, conchas umbilicoſque in ora maris Oceani legi juſſit, cùm ipſe nunc fluxo cultu Venerioque in-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tereſſet, nunc armatus ſpolia à ſe non ex hominibus, ſed cœleſtium capi dictitaret: ſcilicet quòd hujuſmodi piſces Græcorum dicto, quis augendi omnia ſtudium eſt, Nympharum lumina accepiſſet. Ubi umbilici ſunt teretes lapilli, ad inſtar umbilici; qui aliàs ocelli: nec enim in his lapidibus figura multùm diverſa eſt oculi & umbilici. Cujuſmodi conchis & lapillis luſitabant puellæ. *Tzetzes*,

Δεῦῃ λίθοι στιλπνόταται καὶ μέλαιναι εἰς ἄκρον,
Ὁμοῖαι καλολάιγξιν, αἷς παίζουσι αἱ κόραι.

Quod de Auguſto etiam, Sueton. refert, ubi eum *ludere ocellatis nucibuſque* ſolitum ait *c.* 83. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 704. ubi in *dict. loc.* Victoris, pro *conchas*, legi vult *calces*, i. e. calculos; & imperitum aliquem *piſces* correxiſſe, addit.

NYMPHAS, in Arcadia eſt, Pauſan. *l.* 8. Inde fons *Nymphaſius, Stephano.*

NYMPHETA, in veter. libro *Gloſſarum* P. Puteani, *Urbs omnis dividitur in ſex partes, i. e. templa, domos, vicos, inſulas, plateas & angiportus templa ſunt loca Diis ſacrata. Domus publica ædificia, i. e. theatra, amphitheatra, circi, balnea,* ſive *thermæ*, Nymphea, *culinæ, piſtrina, hippodromi & reliqua:* perperam, uti judicat Salmaſ. pro Νυμφεῖα, *nympheta.* Dicitur enim *nympheum*, item *nymphejum*, ex Græco νυμφεῖον; & quidem *Nympheum* ſemper ſcribitur, in antiquis lapidibus. Hæc lavacra & balneas qui interpretantur, impingunt, inquit idem: & vehementer hallucinatus eſt magnus JCtus, qui ad *l.* 5. *Cod. de aqued.* notat *Nymphea* ædes eſſe publicas, in quibus nuptias celebrant, qui ædibus carent ad choreas capacibus, ex Zonara *in Leone M.* qui ita explicat. Hoc quidem verum, Νυμφεῖα recentioribus Græcis *æcos* dici vel triclinia, in quibus ſaltarent & choreis vacarent, qui nuptias celebrabant: Νυμφεῖον οἶκον *Suidas* interpretatur, ἐν ᾧ αἱ Νύμφαι, *thalamum* ſcil. intelligens; unde & Νυμφεῖα ædes illæ publicæ choreis nuptialibus dedicatæ. Sed illa Νυμφεῖα, nihil cum iſtis *Nympheis*, quorum meminit præter alios Scriptores antiquos Capitolin. *in Gordiano III. c.* 32. *Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam Nymphæa & balneas*, & *loc. dict.* habent commune. Hæc enim *Nymphea*, non ἀπὸ τῶν Νυμφῶν, h. e. *novis Nuptis*, denominata ſunt, ſed à *nymphis*, h. e. *lymphis*, & ferè ſemper cum balneis thermiſque junguntur, Græcis Ὑδρεῖα, Latinis *Aquaria* & *Aquagia* etiam, item Lacus. *Vetus Inſcr.*

QUOD AQUAM NOVAM
CONQUIRENDAM. ET
IN MUNICIP. PERDUCEND.
ET NYMPHEUM FACIEND.
PEC. PUB. C.

Vide quoque Socr. *l.* 4. *c.* 9. A lacubus tamen propriè loquendo *Nymphea* diſtinguenda. Hinc P. Victor *de Region. Urb. Nymphea* XII. Romæ fuiſſe tradit, *lacus* verò mill. CCCLII. Etiam à *puteis* diverſa. *Vetus, Inſcr.* EJUS. RECEPTUI. PUTEUM. AD. PROX. TRICLIN. USUM. IN. HOC. SPHÆRISTERIO. UBI. ET. IMPERAT. NYMPHEUM. FACIENDUM. CURAVIT. Nempe *Nymphea* fuêre ſalientes vel fontes manu ſtructi, aquam in publico ejaculantes: quos à Lacubus etiam Vitruvius diſtinguit *l.* 8. *c.* 7. Quòd verò JCtus præfatus adfert, *Nymphea* vel Ὑδρεῖα, apud Socratem in oraculo quodam, *chorearum* nomine fuiſſe deſignata: non ſimpliciter hoc nomine *Nymphea* illa ibi indigitantur, ſed *Nympharum ſaltantium & choreas per urbem agentium.* Ita enim Oraculum ſonat,

Ἀλλ᾽ ὅτι δὴ νύμφαι δισσῆν κατὰ ἄστυ χορείην
Τερπόμεναι στήσωνται ἐϋστεφέας κατ᾽ ἀγυιάς.

Quod intelligendum de *lymphis* vel *nymphis* choreas agitantibus, in canali, per quam ducebantur, & *Nympheum* vel Ὑδρεῖον in Foro conſtituentibus, nec ad *Nymphæa* quidquam pertinet, ſi quæ fuerunt, in quibus nuptiales ballationes publicè agitarentur. Salmaſ. *Not. ad Capitolin. loc. cit.*

NYMPHIDES, Sponſarum apud Græcos calceamenta, memorata Polluci *Onomaſt. l.* 7. *c.* 22. Vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 21.

NYMPHIDIUS, matre libertinâ ortus, (quæ corpus decorum inter ſervos libertoſque principum vulgaverat) ex C. Cæſare ſe genitum ferebat, quoniam ſorte quâdam habitu procerus & torvô vultu erat: cui Nero conſularia inſignia tribuit, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 72. & 73. Poſtea Præfectus Prætorio, corruptis militibus, imperium molitus eſt ſibi; verùm in conatu ipſo oppreſſus, Idem *Hiſt. l.* 1. *c.* 5.

NYMPHIS, utriuſque ſexus nomen, ſicut *Opis*, *Iphis*, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 32.

NYMPHIS, fil. Xenagoræ, Heracleotes, Hiſtoricus, qui res geſtas ab Alexandro libris 24. compoſuit; item de Heracleâ libros 13. uſque ad everſionem tyrannorum, & ad 3. Ptolemæum. *Suidas.* Ælian. *l.* 7. *de anim. c.* 3. Athen. *l.* 12. & 13. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 16. Geſner. *in Bibl.*

NYMPHIUM, nomen fontis ſeu loci, intra Monaſterii ſepta, apud Joann. Diaconum in *Vita* Gregorii *l.* 4. *c.* 83. *In cujus venerabilis Monaſterii atrio, juſſu Gregorii, juxta* Nymphium, *duæ tinæ veterrimæ artificialiter diſpoſitæ uſque hactenus videntur.* Vide Car. Macrum *in Hierolex.* ubi Mabillonium, vocem hanc de loco mulieribus deſtinato capientem, refellit.

NYMPHODORUS, Amphipolites, de Aſiaticorum legibus & ritibus libros compoſuit, Clem. Alex. *l.* 1. *Stromat.* Item *Nymphodorus* Syracuſius, de Sicilia ſcripſit, *in Aſiæ Periplo*, citatur ab Athenæo *l.* 6. 7. & 13. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 393. & 394.

NYMPHON, vir quidam Colophonius, Cic. *ad Qu. fratrem l.* 1.

NYPHATES, mons Armeniæ minoris *Ptol.*

NYPSIUS, Neapolitanus, fortitudine & prudentiâ excellens, Dionyſii Junioris contra Syracuſanos, occiſo Philiſto, Dux, Diodor. Sic. *l.* 16.

NYRAX, urbs Celticæ, *Stephan.*

NYSA, Bacchi nutrix, quam Plin. *l.* 5. *c.* 18. ait ſepultam fuiſſe prope Scythopolim.

NYSA, ſeu NISSA, urbs Armeniæ minoris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi, 60. mill. paſſ. à Cæſarea in Ortum Melitenen verſus. Gregoriô Nyſſenô Præſule inclyta.

NYSA, urbs Arabiæ, ſive, ut alii putant, Ægypti, Arabiæ propinqua, apud quam Bacchus, ut *Diodoro* placet, à Nymphis eſt educatus; unde *Dionyſius* ex Διὸς, i. e. Jove, & *Nyſa* conflatô vocabulô. Plin. *l.* 8. *c.* 39. *Nyſam* Indiæ montem eſſe tradit, incertas immenſæ magnitudinis alentem. Ex *Sina* literarum metatheſi vocem factam, diſcimus ex *Chron.* Alex. *p.* 80. ubi de XII. claris montibus agit: Νύσσος Σῖνα ἐν Ἀραβίᾳ. Nempe Liberi patritiam ſtatuerunt in Arabia, quia Moſes (quem in Bacchum transformârunt Gentiles) quadraginta annis in Arabiæ deſerto egit, in quo inprimis celebris mons *Nyſa*, propter celebritatem Sinai montis, ubi Deus inter tonitrua & fulmina legem promulgavit, Gerh. Jo. Voſſius *de Idolol. l.* 1. *c.* 30.

NYSA, vel NYSSA, Indiæ civitas, à Libero Patre condita, teſte Strabon. *l.* 13. ſita ſub radicibus montis, quem Meron vocant, Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 805.

Nec qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber agens celſo Nyſæ de vertice tigres.

Hinc *Via Nyſſæa.* Dionyſ. *v.* 1159.

Τοὔνεκα Νυσαίην μιν ἐφημίξαντο κέλευθον.

Vide ſis illic *Euſtathium.* Item *Nyſa* unus ex Parnaſſi verticibus Baccho conſecratus. Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 63.

Quis locus ingenio; niſi cùm ſe carmine ſolo
Vexant, & dominis Cyrrha Nyſæque feruntur
Pectora noſtra, duas non admittentia curas?

Lucanus *l.* 8. *v.* 801.

Et juga tota vacant Bromio Nyſëia. ——

Idem *l.* 1. *v.* 65.

—— *Cyrhæa velim ſecreta moventem*
Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nyſâ.

Alia eſt *Nyſa* in Thracia, *Steph.* Homer. *Il.* ζ. *v.* 132. ubi de Lycurgo:

Ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας
Σεῦε κατ᾽ ἠγάθεον Νυσήϊον. ——

Vide ſis illic Didymum. Nicander *in Alexipharmacis v.* 30.

Ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ ἀγριόεσσαν ὑποθλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοί, κεραοῖο Διωνύσοιο τιθηνοί,
Πρῶτον ἐπ᾽ ἀφρίζοντι ποτῷ φρένα θωρηχθέντες
Ὄμμασι δινήθησαν, ἐπὶ σφαλεροῖσι δὲ κώλοις
Νυσαίην ἀνὰ κλιτὺν ὑπέδραμον ἀφραίνοντες.

Decem *Nyſas* enumerat *Stephanus* & *Homeri Scholiaſtes*, ubi ſupra. Vide Heſychium, in Νύσα, & Caſaubon. *ad Nyſſeni epiſtolam.* Item hominis proprium, Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. Dionyſios multos habemus, primum Jove & Proſerpinâ natum; ſecundum Nilo, qui Nyſam interemit.* Nic. Lloydius.

NYSEA, Megarenſium emporium 18. ſtad. ab urbe diſtans, quod & *Minoa* vocatur.

NYSES, Africæ fluv. ex Æthiopiæ montibus oriens, Aristot.

NYSIÆ Portæ, Africæ propriæ inſula, flumine Tritone circumdata. *Herodoto Phila* dici videtur. Elegantem ejus deſcriptionem habes apud Diod. Sic. *l.* 3. *c.* 3.

NYSII, populi Indiæ ulterioris inter Gangem & Jolida, Mela *l.* 2. *c.* 7.

NYSIRUS, vide NISYROS.

NYSSA, Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Nyſa*, antè *Pythopolis*, & *Athymbra*, in Lydia, juxta Tralles urbem & Tmolum; & nunc *Niſa.* Nyſa etiam *Dionyſiopolis*, vide ibi.

NYSSEA Via, circa Gangem, à Baccho calcata, unde & Dionyſia. *Dionyſius Afer.*

O.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

O.

O Litera hæc non indifferens ſolùm priſcis fuit; ſed & locô E poſita: Hinc Vorſus, Voſter, &c. Item vicè U ut: *Servos, Volgos*: Etiam pro *Au*; inde *Plodo*, *Cloſtra*, *Coan.* Admiranti inſuper, appellanti, & deſideranti inſervit: joco quoque & indignationi ſuffragatur. Symbolum præterea eſt æternitatis. De hac Auſonius, *de lit. monoſyll.*

Hoc tereti, argutoque ſono legit Attica gens O,
Ω *quod & O. Græcum compenſat Romula vox* O.

Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l. 5. c.* 44. memorat Chilpericum Regem novam literam O. Alphabeto Gallico, cum tribus illis Φ. X. Θ. inſertum iviſſe, ſeveris hac de re legibus ſancitis: ſed rem ſucceſſu caruiſſe. Vide Voſſ. *Ariſtarchum*, *l.* 1. *c.* 12. it. infra voce *Oneal.*

OA, vicus Atticæ in Pandionide tribu. Vide Steph. in Ὄα.

OÆNEUM, *Ptol. Onaum*, *Nardo Ciderifo*, oppid. Dalmatiæ maritim. apud promontor. cognomine *Capo Sabioncello*, inter Peguntiam & Rhiſinum, ad Artatum fluv. Labeatibus finitimum.

OANES, Græcè Ὠάννης, animal biceps, cætera piſcis, è cujus caudâ adnaſcebantur pedes humanis ſimiles. Vox ei humana; ex mari autem Erythræo emerſum Babyloniam perveniſſe ajunt, occidente verò Sole in mare rediiſſe; ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium ſacrationes, architecturam, & leges politicas didiciſſe, nec non quicquid ad vitam civilem pertinere poſſit, hiſtoriamque portentoſiſſimam de Belo & Omarca; quam ex Polyhiſtore, Beroſi exſcriptore, diſcas licet apud *Euſebium*. Simulacrum autem ejus, uſque ad Beroſi tempora, i. e. ad initia Græcæ monarchiæ ſervatum. Fuſiùs autem ex eodem Beroſo narrat *Apollodorus*, Ooannes quatuor, Annedotos dictos, ſeculorum viciſſitudine è Rubro item mari comparuiſſe, quorum quiſque ſemihomo, & ſemipiſcis. Horum ſecundi meminit *Abydenus*, & ἡμιδαίμονος figuram ei tribuit. Vix alibi de his mentio fit: verùm ab Helladio Beſantinoo, in Chreſtomathiâ, Oannem deſignatum eſſe meritò ſuſpiceris. Tradit is, hominem quendam nomine Ὤην, è Rubro mari aſcendiſſe, capite, manibus, pedibuſque humanis; cætera membra piſcem præ ſe tuliſſe: literas autem & aſtrorum ſcientiam oſtendiſſe: quæ omnia ſunt ipſiſſima penè Beroſi de Oanne hiſtoria. Unde depravatum *Oannis*, in Ὤην nomen, ſentit magnus Scaliger à compendioſâ librariorum ſcriptione. Vide Seldenum, *de Diis Syris l.* 2. *c.* 3. *Nic. Lloyd.* Hunc verò Diabolum, in forma piſcis hominibus apparentem, fuiſſe, qui, ut divinitatis famam ſibi conciliaret, magnam eruditionem ac ſapientiam præ ſe tulerit, tandemque ſub nomine *Dagonis* cultus & *Adardag*. i. e. *magnificus Dag*, nuncupatus fuerit, exiſtimat Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 2. *c.* 4. *ubi de Auctoribus Magiæ differit.*

OANI, Taprobanæ inſulæ gens. *Ptol.*

OANUS, urbs Lydiæ, *Steph.* & Siciliæ fluv. *Pindarus*, hodiè *Fraſcolari*. Vide Fazell. Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 605.

OARACTA, quæ & *Oroacta* & Οὐράχθα, Inſul. ſinus Perſici Marciano Heracleotæ in *Periplo* Carmaniæ, haud longè ab oſtiis flumin. Addanis, memoratur: in qua ſepulchrum Erythræ Regis, qui nomen fecit mari, notat Arrianus *in Indic. circa fin.* Dionyſius verò Ὤγυριν vocat eam Inſulam, in qua tumulatus is Rex creditur,

Ἔστι δέ τοι προτέρω Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης
Ὤγυρις. ἔνθα τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Quæ ἄκρα Καρμανὶς, eſt Harmozon Carmaniæ promontor. Plin. *l.* 6. *c.* 23. tres in eo ſinu fuiſſe inſulas docet, quarum duas eſſe deſertas, tertiam habitari, cui nomen *Oaracta*: atque hæc eſt, in qua Erythram conditum ait *Arrianus*; ex reliquis duabus alteri nomen *Organa*, tertia forſan fuerit *Ogyris*, quam alii ſepulchro Erythræ claram voluêre. Sed Ogyrin potiùs locum ſepulchri fuiſſe, colligere liceat ex Strabone *l.* 16. qui poſtquam ex Nearcho, Ogyrim Inſulam cineres Erythræ recepiſſe, dixit, Oaractæ dein Inſul. meminit ex eodem Nearcho, nec tamen Erythræi monumenti ullam in ea Inſula mentionem fecit, quum alia particularia memoret ad eam pertinentia: Φησὶ δ᾽ ὁ Νέαρχος τὸν Μιθροπαύστην ἐντυχεῖν αὐτοῖς μετ᾽ Ἀμαζήνου, τὸν δὲ Ἀμαζήνην ἐπάρχειν νήσου τινὸς τῆς ἐν τῷ Περσικῷ κόλπῳ, καλεῖσθαι δὲ τὴν νῆσον Ὀαράκτα. *Ait autem Nearchus, Mithropaſtem incidiſſe in eos cum Amazene; Amazenem autem regulum fuiſſe inſulæ cujuſdam, in ſinu Perſico, cui nomen Oaracta.* Quem Amazenem Arrianus *Mazenen* vocat, & cum Nearcho Suſa navigâſſe, addit. Nempe Mithropaſtes ex Ogyride Inſul. deſerta in *Oaracta* vicinam ac cultam confugit, ibique à Mazene Regulo humaniter exceptus eſt. Eum Mazenem poſtea ducem navigationis uſque ad Suſa ſe præbuiſſe Macedonibus, referunt Strabo & Arrianus: *loc. cit.* huc enim appulerant Alexandri naves &c. Vide de hac Inſul. plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1180. & 1181.

OARISTUS, Græcè Ὀαριστύς, Poëma continens confabulationem inter virum & uxorem fieri ſolitam, cujuſmodi habes apud Homerum Hectoris & Andromaches. Verùm id unum exemplum, idque in opere juſto: non autem in Poëmatio ſeparato. Cui ſimile quid, ſuſurratio inter procum & puellam, quale genus Poëmatis habes apud Theocritum, & Scaligerum *in Nymphis indignis*. Utriuſque præcepta adeò varia ſunt, ut penè ex omni vita duci poſſint: argumentum ac materia penè eadem: vita aut civilis, aut militaris, aut ruſtica &c. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 162. Idem de hoc carminis genere ſic *l.* 1. *c.* 4. *Primum omnium* (Paſtoralium carminum) μονοπρόσωπον *Amatorium. Huic proximum Oariſtia, in quibus procus & puella de amore vel diſputant mutuò, vel contendunt inæquali. Cujuſmodi eſt idyllium molliſſimum atque candidiſſimum Theocriti. Poſt hæc famæ ambitione, aut præmiorum cupiditate aut obtrectatione exorta contentio impulit eorum cantilenas in colloquia* &c.

OARUS, Scythiæ Europææ fluv. *Ptol.*

OASIS, Vide *Avaſis*. Erat autem urbs gemina in medio Libyæ, teſte *Strabone*. Minor *Alzagar*, teſte *Bariô*, longitud. 60. 15. latitud. 26. 45. Major *Gademez*, *Zeiglero*, longitud. 59. 30. latitud. 23. 30. Hæc abeſt à Thebis Ægypti itinere ſeptem dierum in occaſum teſte *Herodotô*, qui ait Samios eam urbem tenuiſſe. *Oaſſis* dicitur *libr. Concil. Baudrando* magna, magis ad Meridiem nunc *Alguechet* quibuſdam, parva, *Eleocath*, ſeu *Eleochet*, magis ad Septentrionem 90. mill. paſſ. à magna diſtans: utraque in Barca: Sed hæc tantùm ex conjectura, ſuntque loca in mediis Libyæ arenis, aquâ & vinô abundantia, illicque habitantibus apta. Vide Zozimum *l.* 5. & Olympiodori *excerpta*. Hûc Eugenius & Macarius, ab Apoſtata Juliano relegati: Hilarius quoque eôdem ſe recepit, & in eodem deſerto Neſtorius exul obiit. Vide etiam Hieronym. *in vita Hilarion.* Nicol. Sanſonis *Geogr. &c.* Patria Apionis. Vide ibi.

OATASSENI, nomen familiæ, quæ in Regno Africæ Fezzano, poſt Merinos extinctos, rerum potita eſt. Cùm enim hoc Regnum condidiſſent, circa A. C. 800. Omniadæ, præfuerunt, ipſi uſque ad A. C. 950. quô Zeneti Africæ populi, familiam Idris, ex Omniadis oriundi, penitùs extirpârunt. Zenetos, circa A. C. 1052. Lautunii Almoravidæ, itidem Africæ populi, pepulerunt: quos deturbârunt Almohadæ, duce Abdallâ *Elmohadi*, qui ex Ludimagiſtro Regem ſe fecit, A. C. 1139. Almohadas deſtruxerunt Merini, circa A. C. 1216. atque ex naufragio eorum varia per Africam Hiſpaniamque Regna orta ſunt; nimir. Regnum Granatæ, Fezzæ & Marocci, Tremeſinum, Tunetanum, Tripolitanum, alia, Merinis Fezzanô potitis. Sed his ſucceſſerunt *Oattaſſeni* A. C. 1420. Extinctâ enim Merinorum familiâ, Haſcenes Sceriphius regnum occupavit, verùm hunc intra annum dejecit Said Abra, ex familia *Oattas*, quæ variâ fortunâ regnavit, uſque ad A. C. 1548. Interim jam circa A. C. 1500. regnum Fezzæ defectione provinciarum debilitari vehementer cœpit: quâ occaſione Hamed Scerifius Maroccanum occupavit Regnum, A. C. 1512. de quo Thuanus prolixè *l.* 7. Hujus frater Muhammedes Scerifius junior, Suſiæ Regnum invaſit A. C. 1527. fratreque ad dividendum ſecum Regnum & filium ſuum Succeſſorem declarandum compulſô, familiam Sceriphiam ita in Imperio confirmavit, ut tandem extinctô Hamede, Rege Feſſæ; familiæ *Oattaſſenonum* ultimô, totius Mauritaniæ Regnum ſolus conſequeretur, annô præfatô 1548. in cujus familia hodieque durat. Quamvis enim *Oattaſſeni*, creatô Rege Buacone, auxiliis Caroli V. & Philippi II. Hiſpan. Regum, non ſemel Regnum conarentur recuperare, fruſtra tamen fuêre, Sceriphiorum fortunâ ſemper ſuperiore. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 529. 530.

OAXAS vel OAXES, urbs Cretæ, unde Ὀαξὶς γῆ, & Poëticè Οἰαξὶς *Apollonio.*

——— Οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
Δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησε.

In loco prærupto, unde nomen. *Steph.* Τινὲς δὲ διὰ τὸ κατάκρημνον εἶναι τόπον, καλοῦσι γὰρ τοιούτους τόπους ἄξους, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ἀγμούς. *Quidam autem à ſitu prærupto, vocant enim hujuſmodi loca* ἄξους, *ſicut nos* ἀγμούς. Quæ utraque vox ab eadem eſt origine, ἀπὸ τοῦ ἄγνυσθαι: unde ἄξαι, *rumpere*, & ἄξος Cretenſibus, *præruptus locus*. Sic & Latini *rupem* à *rumpo*: unde & *prærupta*, ἀπόκρημνα; ſeu ἀπορρῶγες. Salmaſ. *ad Solin. p.* 984. Vide quoque in voce *Oaxus.*

OAXES, fluv. Cretæ, frigidiſſimus, ab *Oaxe* Apollinis filio dictus. Rara hujus mentio apud veteres; nobis interim ſatis eſſe debet auctoritas Virgilii *Ecl.* 1. *v.* 66.

Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Quin & *Vibius* Cretæ fluv. facit, ut non audiendus ſit *Servius*, qui in Meſopotamia ponit. Accedit argumentum ab Apollonio *l.* 1. *Argon.* qui ait, Cretam dictam eſſe *Oaxida*. Vide Herodot. *l.* 3. *Varron. &c. Nic. Lloydius.* Nullum hôc nomine in Creta fluvium agnoſcit Salmaſ. hanc Inſul. *Oaxida* dici cenſens, ab *Oaxo* Urbe. Proin *Oaxem* hunc Virgilianum in Scythia Orientali ponit, & *Oaxum* aliis, item *Oxum* appellari docet, nam & ὤξης & ὦξος appellatus eſt. Hunc *rapidum cretæ* addit dici, quia *cretâ*, i. e. albô limô turbidus fluat. *Ibid.*

OAXUS, civitas Cretæ, ab *Oaxo* Minois, ex Acacallide filiâ, nepote; vel è ſitu loci, quòd *crepidines* Græci *Axos* vocant, Herodot. quoque *l.* 4 & *Varro*, *Oaxum* urbem Cretæ faciunt, in quâ Etearchus pater Phronymæ matris Bacchi regnavit, qui Cyrenen condidit. Civis *Oaxius*, *Stephan.*

OB. in notis antiquorum, *obriziacum*, vel *obriacum*; vel *orbem*, vel *obiter*: OB. M. E. *ob merita ejus*: OB. ME. P. E. C. *ob merita Pietatis & Concordiæ*, ſignificat, Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

OB, Spiritus ſeu Dæmon. Vide Selden. *de Diis Syris. Syntagm.* 1. *c.* 2.

OBADA, regio parva Nabatæorum, ubi *Obodes* rex, quem inter Deos numerant, ſepultus eſt, *Steph.*

OBADIA, Latin. *ſervus Domini*, fil. Arnan, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 21. Item fil. Izrahia, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OBADIAS, aliis ABDIAS, quartus ex Prophetis minoribus: quem quidam eundem fuiſſe volunt, cum eo, cujus mentio, 1.Reg.c.18.v.3. qui Prophetas Dei tempore perſecutionis Achabicæ, in ſolitudine ſuſtentavit. Epiphanio videtur is fuiſſe, qui ab Ochozia Rege ad manum Eliæ injiciendam miſſus legitur, 1. Reg. c. 1. v. 9. Nonnulli illum pauperis illius viduæ, de qua 2.Reg.c.4.v.1. maritum fuiſſe aſſerunt. Hieronym. c. 1. *in hunc Proph.* illum tempore Hoſeæ fuiſſe ſtatuit, ſub Ozia, Joathamo, Achazo, & Ezechiâ Regibus Judæ: & Jeroboamo II. Rege Iſraëlis. Edomæorum ruinam prædixit, cap. unicô. Torniel. A. M. 3238. In *Prophetiam* ejus proſtant, Draconitis *Comment.* Roſtochii. Geſneri item in octav. Hamburgi 1618. Grynæi *Prælectiones.* Livelcii *Annotationes*, in Octav. Londini, 1587. Marburius, Angl. in quart. 1639. Merceri *Commentar.* in fol. Genevæ 1565. Oecolampadius, Baſileæ, 1535. Pilkintonus Angl. in octav. 1562. Raynoldi *Commentarius*, Angl. in quart. Londini 1613. Regius, Cellæ Saxonum, 1537. Reuteri *Comment.* in quart. Francof. ad Oderam, 1617. Selnecceri *Explicatio*, Lipſiæ, 1567. Victoris *Elucidat*, inter opera. Willichii *Commentar.* Baſileæ, 1546. Vide Crowæi *Elenchum*, & in *Abdias.*

OBADIAS, Rabbinus, auctor Commentarii, *in Kidduſch chodeſch* Rambam, anno 85. Millenarii VI. juxta *Rabbi Ganz.*

OBADIAS Barthenora, Rabbinus inſignis, ſcripſit *Commentarium in Miſnajoth*, defunctus in Italia, ubi natus erat, annô 290. Millenarii VI. ut habet Rabbi Ganz. Vide *Schalſchelet Kabala*, p. 63.

Rabbi OBADIAS Ziphronæus, auctor Commentarii Legis & libri Or *Adonai*, obiit anno 310. Millenarii VI. juxta ſupputationem Rabbi Ganz. *Chronologiâ Rabbinorum.*

OBÆRATI, vide *Debitores*, it. *Nexi.*

OBAL, fil. Jectan, qui & *Hebal*, Gen. c. 10. v. 28. Latinè *perverſitas vetuſtatis*, vel *fluxus.*

OBALAS, Vide infrà *Valas.*

OBANA, oppid. Aſſyriæ, *Ptol.*

OBARENI, pars Armeniæ, Stephanus ex *Quadrato.* Vide eum in Ὠτηνή.

OBBA, vox recentioris ævi, ſeu *oba*, genus calicis, *Ugutioni & Johanni de Janua*, *Nappo* Italis, Gallis *Cuppe.* *Gloſſæ MSS. cratera*, vel *obba*, *calix anſas habens.* Petrus Damianus *Ep.* 26. *l.* 6. *Parili converſione pepigerat, ut appoſitâ cuique vini, ſicut mos eſt, perſonaliter* obbâ, *uterque quotidie utriuſlibet menſurâ contentus eſſet.* Domnizo *de Vita Mathildis l.* 1. *c.* 10.

Obbas & lances ad menſam fert equus.

Monaſticum Anglic. *Tom. I. p.* 104. *Hâc verò menſurâ in die* obbæ *Monachorum implebantur*, ſcilicet ad prandium & ad cœnam. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, *Olba.*

OBDIA, fil. Aſel. 1. Paral. c. 8. v. 38. Latinè *ſervus Domini.*

OBDORA, regio Moſcoviæ Septentrionalis juxta Oceanum Glacialem inter Obium fluv. ad Ortum & Petzoram ad Occidentem. Hîc tantùm quædam arces recens à Moſcis, in mediterraneis conditæ. Ubi etiam Hugritſchi & Vogulici: ejus pars Borealis verſus oram Oceani. *Friſia nova Occid.* Batavis.

OBDUCI, apud *Plautum*, *Ubi intrò hanc novam deduxi, viâ rectâ clavem obduxi*: dicitur de clauſtro & ſera, clavis enim hîc pro ſera, uti apud Græcos ὀχεὺς idem, quod κλεὶς. Vide infrà in voce *Sera.*

OBED, pater Gaal, Judic. c. 9. v. 26. Item fil. Booz, pater Iſai, avus Davidis: unus ex illuſtribus Chriſti progenitoribus; natus ex Rutha A. M. 2759. Ruth. c. 4. v. 17. Matth. c. 1. v. 5. Torniel. Salian. & fil. Ophal, 1. Paral. c. 2. v. 37. Latinè *ſervus*, vel *operarius.*

OBEDEDOM, nomen viri, è tribu Levi, apud quem Arca 3. menſes, ſummo ejus bono, quievit, 2. Samuel c. 6. v. 10.

OBEDIA, nomen viri, Eſdr. c. 8. v. 6.

OBEDIENTES, Hæretici, apud Ferdinandum Cordubenſem *in Tractatu de exigendis annatis c. de Obed.* ſic dicti, quòd prætextu *obedientiæ* turpia quæque committant, uti de ſocietate Barelotti cujuſdam Bononienſis *ibidem* refert.

OBEDIENTIÆ, in Eccleſia Romanâ dicuntur munia ac officia omnia Monaſtica, quæ per *obedientiam* injunguntur vel conferuntur, adeò ut ipſum munus Abbatis *Obedientia* ſit & appelletur, à Gregorio VII. Pontifice *l.* 1. *Ep.* 32. Sed & quidquid Monachis ab Abbate injungitur, *Obedientia* dicitur, vide Hugonem Monachum in *Vita S.* Hugonis Abbatis Cluniacenſis *p.* 442. Præſertim verò *Obedientiæ* vocabantur Cellæ, Præpoſituræ & grangiæ, à Monaſteriis dependentes, quòd Monachi ab Abbate illuc mitterentur, *vi ejuſdem Obedientiæ*, ut illarum curam gererent, aut iis deſervirent, Gregorius VII. *l.* 6. *Ep.* 36. *Quicunque* obedientias *vel Eccleſiæ diſpenſationes pretii pactione adepti ſunt* &c. A quibus cellis *obedientiariis* originem duxêre Prioratus rurales. Cùm enim interdum plures ad eandem *Obedientiam* procurandam mitti neceſſe eſſet, Monachi Obedientiarii ſubinde Cappellas & Eccleſiolas ibi conſtruxêre, quò in iis ſacrum peragerent officium, & Monaſtica munia obirent, quibus præerat, qui ab Abbate *Prior* dicebatur. Cùm porrò labente ſenſim diſciplinâ Eccleſiaſticâ & Monachicâ Monachi vel Canonici Regulares, per ejuſmodi *Obedientias inobedienter* viverent, ut ait Stephanus Tornacenſis *Ep.* 114. *neque Abbati revocanti reſponderent nec corrigenti vellent acquieſcere, nec credere corripienti*, nec niſi eorum morte ad Monaſteria eæ redirent, tandem habitæ ſunt pro *Beneficiis*, quomodo etiam hodie vocantur, i. e. feudis Eccleſiaſticis. Et Monachi, vel Clerici, qui ejuſmodi Eccleſiaſtica poſſidebant feuda, dicebantur ea *tenere in obedientiam*, teſte Jac. Petitô, *poſt Pœnitentiale Theodori p.* 610. &c. Qui verò in has Cellas mittebantur, eaſque procurabant, dicebantur *Obedientiarii*, quorum mentio frequens apud Matth. Paris. *p.* 432. 441. Item *Obedientiales*, apud Petr. Diaconum *l.* 4. *Chron. Caſin. c.* 182. Alias tamen *Obedientiarius* quoque dicebatur Advocatus ſeu Defenſor Monaſterii, uti docet Car. du Freſne *Gloſſario*, ubi plura hanc in rem. De *Obedientia* verò uno ex tribus Monaſticis votis, rigidè admodum à Jeſuitis inprimis obſervari ſolitâ, vide Lud. Lucium *Hiſtor. Jeſuit. l.* 1. *c.* 3. 4. & 5. quô poſtremò *Miſſionis votum* hanc apud illos appellari addit, & formulam ejus ab Ignatio Lojola Paulo Pontifici oblatam, exhibet.

OBELISCOLYCHNION, à militibus Græcis, pro lychnucho ferri ſolitum, occurrit, apud Ariſtotelem *Polit. l.* 4. *c.* 15. fuitque inſtrumentum ex *veru* & *lychno*, unde nomen, compoſitum, ſeu *lucerna obeliſco præfixa*, qualis eſt quâ prælucere ſolent viatoribus nocturnis. Athenæus ξυλολυχνούχῳ ſimilem ὀβελισκολυχνίῳ ait *l.* 15. ubi Caſaubonum vide.

OBELISCUS, ſtructura eſt minor Pyramide, ex marmore, deorſum ſpecie quadratâ, ſurſum in anguſtum deſinens, Plin. *l.* 36. *c.* 8. 9. 10. 11. Horum 4. Ægypti Reges 480. cubitorum excitârunt. Ramiſes Rex, qui tempore Trojæ captæ vixit, obeliſcum 40. cubitor. fecit, adhibiti in opere 20000. hominum: cui Cambyſes pepercit, *Herod.* Phius Rex alterum 45. cubitorum, Ptolomæus autem 88. erexit. Ex pluribus Romam advectis duo integri ſuperſunt, unus in Vaticano, alter apud Lateranum. Ceterùm, his, ut & Pyramidibus, Ægyptus olim inprimis claruit, tanquam monumentis & tabulis priſcæ ſuorum Sapientiæ; quod deſcriptio Amm. Marcellini *l.* 17. *c.* 7. indigitat, cùm ait: *Obeliſcus eſt aſperrimus lapis, in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, utque radium imitetur gracileſcens paulisper, ſpecie quadratâ in verticem productus anguſtum, manu levigatus Artificis, formarum autem innumeras notas, Hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus inciſas, initialis Sapientiæ vetuſtæ inſignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque etiam alieni Mundi genera multa ſculpentes, ad ævi quoque ſequentis ætates Imperatorum vulgatiùs perveniente memoriâ, promiſſa vel ſoluta Regum vota monſtrabant.* Quô factum, ut priſci Cæſares illos maximi fecerint, immaneſque fecerint ſumtus, ut Romam ſuam iis ornarent. Et Auguſtus quidem duos Heliopoli Romam tranſtulit, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo Martio locatus eſt: ille à Rege Semneſerteo, quô regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti pedum & dodrantis, præter baſim; iſte à Seſoſtride, novem pedibus minor. Alium difficultate magnitudinis territus, an quia Soli ſpeciali munere dedicatus fixuſque intra ambitioſi Templi delubra, quæ contingi non poterant, tanquam apex omnium emineret, nec contrectare auſus eſt, nec movere. Tertius Romæ in Vaticano Caji & Neronis Principum Circo locatus eſt. Conſtantinus M. poſtea *Obeliſcum* Auguſto intactum ſedibus ſuis avulſit, nihil committere in Religionem rectè exiſtimans, ſi ablatum uni templo miraculum Romæ, i. e. totius Mundi Templo, ſacraret. Verùm, quia non dignô ſatis locô ſtabat, Sixtus V. Pontifex ſeculô præteritô magnô ſumtu, majoreque Dominici Architecti induſtriâ, tranſtulit temporis intervallô annuô in ampliſſimum Forum, quod patet ante Baſilicam D. Petri, ut omnibus fieret ipſe *Obeliſcus* magis conſpicuus. Idem Circi Maximi *Obeliſcum*, totum humô obrutum, è latebris eruit, ſed fractum, collocavitque ante D. Johannis Lateranenſis Baſilicæ fores, magnificentiâ atque induſtriâ incredibili. Imo & alius, qui apud Mauſoleum Auguſti fractus jacebat, ejuſdem Artificis ſtudiô, ita jubente Sixtô excitatus eſt inter Hortos Sixtinos, ante Viminalem eorum portam, & ædem B. Virginis ad Præſepe. Vide Plin. *l.* 36. *c.* 9. Adam. Preyelium *Sina & Europæ c.* 18. & infrà. Nomen quod attinet. *Obeliſcus*, à Græco ὀβελὸς, quod veru ſignificat, appellatus eſt, ob formæ ſimilitudinem: Arabibus Meſalet Pharaum, i. e. *Pharaönis acus*, à *Pharaone*, ſic enim Reges priſci Ægypti dicti ſunt. Cùm verò hi priſcorum Ægyptiorum ſapientiam maxima ex parte continuerint, ea tamen per bis mille annos neglecta manſit, donec Kircherus eam ex oblivionis hac abyſſo eruit, qui deperditam Ægyptiorum veterum linguam reſtituit, nunquam intellecta hieroglyphica explicuit, ſuperſtitioſamque ſcientiam in apricum produxit: earum omnium auctorem Triſmegiſtum Hermetem fuiſſe aſſerens, in *Oedipo l.* 1. Hujuſmodi *Obeliſcorum* cùm multa & magna in Ægypto hodieque ſit copia, duo præ cœteris prægrandes ad ripam Nili ſpectantur, quos ante diluvium *Schur*, filium *Schaluck* filii *Schariak* erexiſſe, Architectonicæ artis Arabes fingunt. Ne verò unica Ægyptus his Architectonicæ prodigiis ſuperbiret, illorum non pauci temporum decurſu, uti diÆgypto Romam maximis impenſis ab Imperatoribus, ære confectum, tranſlati fuerunt, qui tamen majori ex parte ruinis ſepulti, prostrati & truncati, aut etiam integri ædificiorum ruinis ſepulti, profunda ſub terra gemunt. Hodie Romæ XIII. ſunt, de quorum unoquoque vide *ſuô locô.*

OBELISCI CELEBRIORES, EX KIRCHERO.

Alexandrinus, ex minoribus. Hujus inter rudera Templi Minervæ nuper effoſſi interpretatio Hieroglyphica, novâ methodô tradita, ab Athan. Kirchero, prodiit Romæ 1666. in *fol.* Vide ſuprà *Alexandrinus Obeliſcus*, ut & *Minervæ Obeliſcus.*

Barberinus, olim *Veranus.*

Conſtantinopolitanus.

Exquilinus, raſus.

Flaminius, olim *Senneſertaus* à Pſammirtao, circa Olympiadum initium erectus, ab Auguſto Romam translatus, & à Sixto V. terrâ erutus, & in campo Flaminio erectus.

Florentinus, ex minoribus.

Heliopolitanus, juxta Matareum vicum Cairo Ægypti vicinum, hodieque conſpicuus.

Lateranenſis, olim *Rameſſæus*, Thebis à Rameſſe Sothis Ægypti Regis filio, annis ante Chriſtum Natum 1297. excitatus, à Conſtantino Romam tranſlatus, tandem à Sixto V. erutus & in Campo Lateranenſi erectus.

Lud-

Ludoviſius, qui olim *Saluſtius.*
Mahutæus, ex minoribus.
Medicæus, ſimiliter.
Moncorius ſeu Vaticanus, raſus.
Monticœlius, ex minoribus.
Pamphilius, in Foro Agonali (vulgò *Piazza Navona*) erectus: in quo Veterum Theologia, hieroglyphicis involuta ſymbolis, detecta è tenebris in lucem aſſeritur; nomen libri, auctore Athanaſiô Kircherô, Romæ editi A. C. 1650. *in Fol.*
Rameſſæus, vide *Lateranenſis.*
Saluſtius, idem cum Ludoviſio.
Senneſertæus, idem cum Flaminio.
Vaticanus, vide ſuprà Exquilinus.
Veranus, idem cum Barberino.

OBELISCUS, in medio Circi centro inter utraſque metas fuit poſitus: de quo vetus *Epigrammatis* Auctor *de Circenſibus,*

Et medius centri ſummus obliſcus abit.

Tres *obeliſci* verò ab una baſi ſurgentes in qualibet meta, ut ex nummis patet. Græci, οἱ δὲ τρεῖς ὀβελοὶ τὴν τρίστοιχον φύσιν δηλοῦσι, *Tres verò obeliſci triplicem naturam denotant.* *Caſſiodorus* ad tres Decanos refert, quos in ſingulis Zodiaci ſignis fingunt Mathematici &c. Harum metarum Græci, qui ſub Imperio Conſtantinopolitano vixêre, in Circo ſuo deſcribendo non meminêre, quamvis pluſquam certum ſit & metas in illo fuiſſe; Sed nec metas circumiri in decurſione Circi, uſpiam memorant: circum Obeliſcum currere agitatores paſſim prodentes, qui obeliſcus in medio Circi meditullio erectus erat. Unde aliam rationem Circi Romani, aliam Conſtantinopolitani & Græcorum fuiſſe, patet, uti videre eſt ſuprà. Fuit autem *Obeliſcus* hic ſeu media Pyramis Soli dicata: ſicut in ſuperiore Circi parte ſupra obeliſcum, ad Euripum, tres aræ erant collocatæ, Saturni, Jovis & Martis; infrà verò ad eundem Euripum verſùs carceres, aræ itidem tres, Veneris, Mercurii & Lunæ. Unde ſeptem aræ in Circo circa quàs ſeptem ſpatia conficiebant quadrigæ, διὰ τὸ τοσούτους εἶναι τοὺς τῶν πλανητῶν πόλους, quòd totidem eſſent planetarum curricula. Imò aræ illæ trinæ, cum triplici apice vel ſummitate, illæ ipſæ metæ erant, quas modò ὀβελοὺς *obeliſcos*, modò βωμοὺς, *aras*, Græci vocârunt. Sic medium etiam *Obeliſcum*, qui maximus & ſingularis erat, interpretati ſunt *aram Soli dicatam.* Lydus, Ἡ δὲ πυραμὶς ἡλίου, ἐπεὶ τοσοῦτος βωμὸς ἄσκιός ἐστι. Et paulo pòſt eam pyramidem ὀβελὸν tunc vocari tradit: Οὐ πλέον δὲ τῶν ἑπτὰ κύκλων ἤτοι σταδίων περὶ τὴν πυραμίδα, ἣν νῦν καλοῦσι, διεπληκτίζοντο οἱ ἀγωνισταί. Porrò obeliſcis impoſitæ erant ſphæræ ſeu pilæ, non ova, ut quidam volunt: & ſcribit Plin. *loc. cit.* Manlium Mathematicum pilam apici Obeliſci addidiſſe, in Campo Martio, cujus vertice umbra colligeretur in ipſa pila: quam pilam πόλον liceat interpretari, ad ſimilitudinem πόλου γνωμονικοῦ, in quo gnomon erectus æquinoctia & ſolſtitia ſignificat ex umbrarum ratione &c. Qua de re vide plura apud Salmaſ. *Not. ad Solin. paſſim, inprimis p.* 907. *& ſeqq.* de *Obeliſcorum* verò ſupplicio infrà.

OBELUS, an quod ſit ut βέλος, i. e. *telum:* an ab ὀφέλλω, i. e. *augeo*, dictus quòd ſit *auctus in longum*, proprie inſtrumentum coquinarium eſt: à cujus ſimilitudine virgula etiam quædam, quâ adulterina aut etiam perperam ſcripta jugulamus & confodimus, *obelus* dicitur: vel quòd *obelo* ſit ſimilis, vel quòd alia tanquam veru ſuperflua jugulat & confodit, Hieron. Iſidoro *in Origin. l.* 1. *c.* 20. Obelus *virgula eſt jacens, quæ apponitur in verbis & ſententiis ſuperfluè iteratis, ſive in iis locis ubi lectio aliqua falſitate notata eſt: ut quaſi ſagitta jugulet ſupervacua atque falſa confodiat. Sagitta enim Græcè* ὀβελὸς *dicitur*, ubi & figuram addit. Idem pergit, *Obelus supernè appunctatus ponitur in iis, de quibus dubitatur, utrum tolli debeant, nec ne ---- Aſteriſcus cum obelo: hâc propriè notâ Ariſtarchus utebatur in iis verſibus, qui non ſuô locô poſiti erant ---- Diple* ὠβελισμένη *interponitur, ad ſeparandas in Tragœdiis vel Comœdiis periodos ---- Verſa obeliſmena, quoties ſtrophe & antiſtrophe infertur. Adverſa cum obelo ad ea ponitur, quæ ad aliquid reſpiciunt ---- Diple supernè obelata ponitur ad conditiones locorum, ac temporum perſonarumque mutatas ---- Rectâ & adverſa supernè obelata ponitur finitâ ſuô locô monade, ſignificante fundum ſequentem quoque eſſe ---- Ceraunium ponitur, quoties multi verſus improbantur, nec per ſingulos obelantur,* &c. Itaque culpæ nota ut plurimum *obelus* erat, unde Quintiliano *l.* 1. *c.* 4. *Cenſoria virgula* dicitur: cujus locô Græcorum *Theta* nonnunquam adhibitum eſt, *nigrum* proin Perſio dictum *Sat.* 4. *v.* 12. Hinc phraſes *Obelô configere*, i. e. *ſectionem tanquam adulterinam rejicere*, Græcè ὀβελίσαι. Sic Homeri verſus, quos νόθους, i. e. *ſpurios* putaret, ὠβέλισε, *confixit*, Ariſtarchus: cui Zenodotum jungit Auſonius *Præf. in Ludum VII. Sap.* & *de Profeſſ. Burdigal. Carm.* 13. Eoſdem intelligit, cùm *Ep. ad Urſulum* ait,

Quique ſacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas ſpuriis verſibus appoſuit &c.

Vide plura hanc in rem apud Fortunium Licetum *de Lucernis l.* 6. *c.* 48. ubi multa de *Chriſimo* Veterum, & ſuprà ubi de *Critice*, ac *Notis.* Sed & *obeli* vel *obeliſci*, inter Martyrum tormenta, memorantur, *in Paſſione Tharaci & Socior. Interrog.* 3. *Præſes dixit, Obeliſcos incendite, & ad ejus ponite axillas.* Ferrei enim erant, vel ex alio metallo, & candefacti axillis infigebantur, ut hîc: vel dorſo, vel ſuris, vel inter digitos etiam, ut *ibidem* videre eſt. Quô genere tormentorum excruciatæ olim quoque filiæ Dionyſii Tyran. & Benjaminus apud Perſas, uti Epiphanius docet *Tripartitæ l.* 10. *c.* 33. hodieque Turcæ utuntur. At apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l.* 4. *c.* 14. *obeliſci* Martyribus locô pulvinorum ſubjici ſolii teſtæ ſunt & acuti lapides, de quibus infrà: plura verò de hoc barbaræ crudelitatis genere, vide apud Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Papin. Statium Theb. l.* 5. *v.* 597. Hinc *Obelus*, quod vide.

OBERRAPTAVIA, oppid. Curlandiæ, inter Duolinum & Heligonam oppid ejuſdem Ducatus.

OBERBRUNNA, Germanicè *Oberbrunn*, caſtrum Germaniæ, in Palatinatu, ſub proprio olim Comite, ex familia Leiningenſi ſeu *de Linage*, dictâ Weſterburgicâ. Huic enim cùm *Leiningenſis* titulum attuliſſet Margaretha Landgravii Leiningenſis filia, Reinhardo Weſterburgico nupta: horum filii Reinhardus & Cuno A. C. 1471. à Palatino Comite ob Matrem dicuntur inveſtiti. Hæc in duos nunc ramos diſpeſcitur, *Weſterburgium* & *Leiningenſem*, quorum poſterior iterum in duos abiit ſurculos, *Oberbrunnenſem* & *Grunſtadenſem*, è quibus prior exaruit. Auctor ejus fuit Ludovicus Comes *de Leiningen* & *Weſterburg*, qui obiit A. C. 1598. Pater ex Bernardina Lippia (filia Bernardi Comitis) Ludovici Emiconis Comitis Leiningenſis & Weſterburgii in *Oberbrunn*, extincti A. C. 1634. Quô & Eſtherâ Eberſteniâ (filiâ Joh. Jacobi Comitis) genitus Johannes Ludovicus, defunctus A. C. 1665. ex Sibylla Chriſtina Wiedenſi, ſuſcepit Eſtheram, Luiſam Chriſtinam (natam 1656.) & Joh. Fridericum (denatum 1659.) Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Part.* 2. *p.* 75.

OBERSTENIUM, Germanicè *Oberſtein*, caſtrum Germaniæ, olim ſub Comite proprio, ex Familia Falckenſtenia, aliàs etiam *à Dhun* cognominatâ. In hac enim cùm primus Wirichius feudum Falckenſtenium, à Lotharingiæ Duce, per ſubinfeudationem obtinuiſſet, A. C. 1458. ejus nepos, avo cognominis, è tribus filiis tres lineas ſevit, *Falckenſteniam*, è Johanne primogenito; *Oberſteniam* è Sebaſtiano; & lineam *in Bruch* ſeu *Broich*, è Philippo natu minimo, cujus pronepos Wirichius ultimus nunc marium ſupereſt. Et quidem mediam quod attinet, Philippus *de Daun* Comes *Falckenſtein* & *Oberſtein*, ex Anna Comite Sylvarum *in Kirburg*, genuit Wirichium *de Daun* Comitem *de Falckenſtein* & *Oberſtein*, maritum Margaretæ Leiningenſis, & ex ea patrem Melchioris *de Daun* Comit. *de Falckenſtein* & *Oberſtein* quô & Margarethâ Virnenburgiâ (filiâ Johannis Comitis) genitus Wirichius II. *de Daun* Comes *de Falckenſtein* & *Oberſtein* ex Irmgardi Saynenſi (filia Sebaſtiani Comitis *in Sayn*, extincti A. C. 1498.) ſuſcepit Sebaſtianum *de Daun* Comitem *de F.* & *O.* fratrem medium Johannis & Philippi prædictorum: quô & Eliſabethâ Comite Sylvarum ac Rheni (filia Philippi Franciſci Comitis & Mariæ Ægyptiacæ Oetingenſis) natus Philippus Franciſcus, junxit ſibi Eliſabetham Salmenſem (filiam Werneri Comitis Salmæ & Reiferſcheidii, qui deceſſit A. C. 1619.) atque ex ea progenuit Franc. Chriſtophorum (qui obiit A. C. 1636.) Lotharium (extinctum ...) & Mariam Sidoniam (uxorem primò Adami Philippi Comitis *Cronbergici*; exin Hermanni Fortunati Marchionis Badenſis, atque ex hoc matrem Phil. Balthaſaris & Mariæ Eleonoræ Sophiæ Joh. Franc. Deſiderato Principi Naſſoviæ nuptæ, Matrem, defunctam A. C. 1664.) omnes *de Daun Comit. de Falckenſtein & Oberſtein* &c. *lin. Oberſteinianæ.* Idem *Part.* 3. *p.* 22. Sed & idem Equeſtris familiæ nomen fuit, è qua memoratur Andreas *de Oberſtein* Eques A. C. 1322. Eam clauſit Wolfgangus Erneſtus Canonicus Moguntinus, Wormatienſis & Spirenſis, extinctus A. C. 1663. cujus ſoror fuit Roſina, Georgii Philippi Greiffenclau *de Vollraths* Baronis uxor, ducta A. C. 1650. extincta A. C. 1658. quorum Majores ab aliquot ſeculis idem exhibet Spenerus *Part. ead. p.* 44.

OBERTUS, vel *Hobertus Giphanius*, Gueldrus, Philoſophiam Argentinæ docuit: dein Juris Profeſſor Ingolſtadii, alibique, gratus fuit Rodolpho 2. Imperatori, ejus Conſiliarius factus. Scriptis editis inclytus: obiit Pragæ, A. C. 1609. ætat. 70. Vide Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* & in voce *Olbertus*, it. *Hubertus.*

OBERTUS de Orto, Conſul Mediolanenſis, compoſuit librum ſecundum & tertium Feudorum, ut tradit Cujacius *l.* 1. *Feudor. in princ.*

OBESI, apud Spartanos olim infames habiti, propter jactatum ſenarium,

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

Vide Chabotium ad Horat. *l.* 2. *Sat.* 2. ut & ſimile quid de Gallis & Iberis, infrà ubi de Veter. *Zonis.* Hinc *obeſitati* minuendæ remedia adhibita paſſim occurrunt, inter quæ aceti uſum eximium oſtendit, exemplô Vitellii Ducis Itali, Jac. Balde *Præfat. in Satyr.* quâ *Macros* extollit. Prudenter etiam excuſat Leo Byzantius, apud Philoſtratum *in Sophiſtis*; laudatque inſuper idem Balde aliâ *Satyrâ.* Imò non alium ſibi Regem Gordii olim voluêre, quàm *obeſum* & præpinguem, quòd ex corporis mole animi indolem dijudicarent, teſte Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 23. &c.

OBICES ferrati portarum, apud Amm. Marcellin. *l.* 21. qui Græcis σεσιδηρωμένοι μοχλοὶ, iidem ſunt cum *clauſtris*, quæ *foribus præducta* dicit *Germanicus*, *in paraphraſi* Arati, ubi de ſidere Caſſiopeæ,

Qualis ferratos objicit clavicula dentes,
Succutit & foribus præducti vincula clauſtri.

Aliter Græcis recentioribus ὀχεῖς σιδηροῖ, ὀβελίσκοι, κανόνια, vide infrà *Veruculum*; & unâ voce βάλανοι: ſed ex ratione Veter. aperiendi claudendique diverſos fuiſſe conſtat. Βάλανος enim, ut nomen indicio eſt, ferrum fuit glandis facie & cavum, quod in foramen ſeræ, h. e. lignei vectis, τοῦ μοχλοῦ immittebatur, & ſic ſeram committebat januæ, ut niſi extractô eô removeri & revelli non poſſet ſera, nec janua aperiri. Ita autem in ſeræ foramen incidebat βάλανος, ut totus lateret, nec erui inde poſſet vel extrahi, niſi immiſſô aliô ferrô oblongô, quod in cavitatem βαλάνου ita inibat, ut eam evelleret ac ſurſum traheret; βαλανάγρα hinc dictum. Atque hæc fuit clavis. Sed nec βάλανος, nec βαλανάγρα, locum habebat, niſi in his foribus, quæ ſerâ vel vecte ligneô tranſverſô firmabantur, quem μοχλὸν Græci dicebant, Latini *Seram:* unde *obſerare* & *reſerare.* Ita verò ſolebant muniri primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, ut & urbium portæ. Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 6. *v.* 24.

Excute poſte ſeram.

Interiorum autem conclavium & œcorum fores, aliô munimine firmatas fuiſſe, veriſimile eſt. Terentius certè *in Eun. Actu* 4. *ſc.* 5. *v.* 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

v. 25. de prima janua, *Oſtium obſera intus*, i.e. obditâ ſerâ oſtium intus occlude, μόχλωσον τὴν θύραν ἔνδοθεν; oſtium enim veniebat oppugnatum miles. At de conclavi vel thalamo dicit *in Eun. Actu 3. ſc. 5. v. 55. peſſulum oſtio obdo*; ferreô *obice*, occluſiſſe intus ſignificans. Cujuſmodi obices ferreos, quibus interiorum membrorum domus fores occluduntur, duos ferme ſingulis foribus addebant, ut hodieque moris eſt, in ſuperiore parte unum, in inferiore alterum. Inde apud Plautum *Aulular. Actu 1. ſc. 2. v. 26. Oſtium intus ambobus claude peſſulis*: quod de ſera vel vecte ſive repagulo ligneo non poteſt accipi; nec enim duabus ſeris januas muniri moris erat. Sed & alios, præter peſſulos tales, *obices* ferreos affixos habuêre conclavium fores, qui immiſſâ forinſecus clave removerentur ac ſuccuterentur. Quod ſatis oſtendit Homerus, de Penelope thalamum ædium intimum ultimumque aperiente, in quo pretioſa quæque cimelia recondita erant, *Od.* 21. v. 47.

Ἐν δὲ κληῖδ' ἧκε θυρέων δ' ἀνέκοπτε ὀχῆας
Ἄντα τιτυσκομένη.

Immiſſâ, inquit, *clave forium* obices *ſuccuſſit ac repulit*. Nullus enim hic μοχλὸς ſive vectis ligneus, ſed ὀχῆες, h. e. *ferrei obices* ſive peſſuli, ac verucula; quos clavis ἀνακόπτει, h. e. *ſurſum quatit ac repellit*, longè aliter quàm βαλανάγρα aperiens, quæ in βάλανον immiſſa ſurſum trahendo eam eximebat, quod ἀνασπᾷν dixit Æneas &c. Diverſi itaque generis clauſtra ſeu *obices* forium fuêre, prout & diverſæ aperiendarum forium rationes excogitatæ ſunt. Lignea clauſtra quædam extitêre, quibus in tranſverſum obductis fores firmabantur: Latini *ſeram*, uti dictum, item *vectes* & *clauſtra*, Græci μοχλὸν & κλεῖθρα appellavêre; in quibus βάλανοι & βαλανάγραι, quarum multus apud Veteres uſus, habuêre locum. Et hæc communis forma olim clavium obicumque fuit: Alia ſolertior fuit methodus per claves Laconicas, quæ totæ intra clauſtrum immerſæ latebant, quæque inſertæ clauſtro & ſurſum cum impetu levatæ ſuccutiebant repagula ac dejiciebant. De quibus *Avienus*,

——— *Sic qualem Caria quondam*
Noverat intrantem per clauſtra tenacia clavem.

Vide pluribus hac de re differentem Salmaſ. *ad Solin. p. 925. & ſeqq.* ut & *hic paſſim.*

OBITUS, in Eccleſ. Romana, Anniverſarium, dies *obitûs* quotannis recurrens, officium Eccleſiaſticum: Gallis vulgò *Obit*. *Charta* Wilhelmi Betunienſis Domini A. C. 1197. in Tabulario Monaſterii S. Bertini: *De cujus eleemoſynæ largitione, ſeptem ſpeciales obitus, videlicet* Obitus *meus & uxoris meæ ----- ſingulis annis fieri debent*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Obitorium* vel *Obituarium*. Vide ſuprà *Necrologium.*

OBIUS, aliàs *Carambucis*, fluv. Moſcoviæ ampliſſimus, qui è *Kitaysko* lacu exiens, & à Meridie in Septentrionem tendens, Europam ab Aſia ſeparat; & per Tartariam Moſcoviticam fluens, receptis Portacâ, Salâ, & Toboliâ, aliiſque fluv. 6. oſtiis in Oceanum Glacialem ſe exonerat, inter Obdoram & Samojedam provinc. Alius Æthiopiæ fluv. Latinis *Raptum*.

OBLATA, apud eoſdem, panis eſt ad ſacrificium, ut ajunt, *oblatus*, *hoſtia nondum conſecrata*, Car. du Freſne *Gloſſ.* Solebat nempe, apud Veteres panis ac vini copia à fidelibus ſpontaneâ liberalitate conferri, atque ex collatitia dape S. Cœnæ inſtrui. Unde *oblationis*, & *oblatarum* & *ſacrificii* poſtmodum nomina. Hinc Leo IV. Pontifex Romanus de *Cura Paſtorali* & Ratherius Veronenſis *in Synodica p.* 261. *Calicem &* Oblatam *rectâ cruce ſignate, i. e. non in circulo & varicatione digitorum, ut plurimi faciunt, ſed ſtrictis duobus digitis & pollice intus incluſô, per quod Trinitas innuitur* &c. Confectas illas proceſſu temporis ferrô calidô modicâ figurâ, & ut ait Ernulphus Roffenſis, *in forma nummi*, probat idem Car. du Freſne ex nummis aliquot Regum Francorum primæ ſtirpis, quos deſcripſit Bouteroûs. Liber *Ord.* S. Victorienſis MS. *c.* 20. *Similiter hoſtias de frumento electo & puriſſimo in alba faciat* (Sacriſta) *in loco mundiſſimo linteis cooperto, cui duo fratres ſubminiſtrent, ne aliud quàm ipſas hoſtias tractare cogatur: quorum unus ignem ſollicitè faciat, alter verò inſtrumentum ferreum ad coquendas hoſtias teneat.* Ut porrò *Oblatæ* iſtiuſmodi ex grano puriſſimo, ab ipſis Monachis, cum ſtatis ceremoniis & precationibus in *ferramento characterato* fieri ſolitæ ſint, pluribus proſequuntur Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l. 3. c.* 13. & Anſelmus Epiſcop. Hávelberg. *Dialogor. l. 3. c.* 18. Super pectus defunctorum poni conſueviſſe, docet Anonymus in *vita* S. Cuthberti Epiſcopi Indiſfarn. *l. 4. c.* 13. *Poſtquam ergo Cuthbertus Epiſcopus ---- abiit in viam patrum, à navigantibus ad Inſulam noſtram delatus, totô corpore lavatô, capite ſudariô circumdatô,* oblatis *ſuper ſanctum pectus poſitis, veſtimenta ſacerdotalia indutus, in ſepulchro lapideo depoſitus eſt* &c. Atque hinc *Oblatæ* nomen inditum pani tenuiſſimo, ex farina & aqua confecto, adque ignem ferreis prælis toſto, Gallis *Oblée* & *Oblie*: quam vocem Caſaubon. *ad Athen. l. 3. c.* 25. ex Græco Ὀβελίας, i. e. *panis veru* vel *ferrô toſtus* deducit. Cujuſmodi *Oblatarum*, vel *Obliarum* meminit, Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l. 1. c.* 49. *In Quinquageſima, quia de cætero nec caſeum nec ova comedimus, poſt veſperos ad cœnam de ipſis ovis coctis in pipere habemus generale, quod totô annô amplius non contingit, ut aliquid eâ vice habeamus, præter ſolum panem, & ſi fortè ſunt in promtu cruda poma vel ea quæ in ferramento characterato de conſperſione farinæ tenuiſſimæ fiunt & ab hominibus Romanæ linguæ,* Nebulæ, *à noſtratibus appellantur Oblatæ.* Monaſtic. Anglicanum *Tom. I. p.* 149. *Item ſingulis diebus Dominicis, in Quadrageſima, dimidium præbendarium frumenti de granario ad* Oblatas *ad cœnam: & dimidium ſimiliter in Cœna Domini ad idem.* Et *p.* 219. *In craſtino omnium ſolennitatum, in quibus* Oblatæ *ad cœnam deferuntur, mittit Eleemoſynarius ſingulis eorum, ſicut ſingulis Monachis apponi ſolet, i. e. quatuor oblatas.* In hebdomade porrò Paſchali, etiam in Meridie, vinum & *Oblatas* dari conſtituiſſe S. Gallum, memorat Burchardus *de Caſibus ejus c.* 6. In vigilia Aſcenſionis Clericis Pariſienſibus, præter panes, qui *Eſchaudati* dicti & vinum, tradit Odo de Sulliaco Epiſcop. Pariſin. apud *Car. du Freſne.* Etiam in XII. præcipuis ſolennitatibus, omni horâ prandii, præter placentas, *Oblatas* iſtiuſmodi cum aliis bellariis ad cœnam miniſtrari conſueviſſe, diſcimus ex *Chron.* Abbat. Gemblac. *p.* 534. &c. Sed & *Ollie* (corruptè) ſeu *oblatæ* etiamnum appellantur, quæ in quibuſdam Eccleſiis, in Feſto Pentecoſtes, inter Miſſæ majoris ſolennia, cum ſtupis ardentibus, de ſupremis volutionibus ſparguntur in Populum. Etiam *obliæ* dictæ, *oblatarum* ſeu panum tenuiſſimorum præſtationes, quæ certis diebus fiebant Dominis à vaſallis ſubditiſque ſuis, quæ poſtea in tenuem & puſillam pecuniæ quantitatem evaſerunt. Gallis *Droit d'oublie*. *Idem.* Vide quoque ſuprà in voce *Nebulæ*. Spelmanno *Oblatæ*, ſunt panes azymi, quos olim in Eccleſia offerebant Chriſtiani ἐν ταῖς ἀγάπαις; quos ſi conſecrabant, *Hoſtiæ* vocabantur. Earum frequens apud Alamannos, ſed in uſum profanum, confectio Naogeorgius *l. 4. agens de ritu celebrandi feſtum Aſcenſionis*: *Poſt hæc*, inquit, *dejicitur panis, quem barbara turba nuncupat* Oblatas; *cui ſæpe papyrus admixta imponit pueris: finiunt magnô omnia riſu.* Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

OBLATI, in Eccleſia eadem, dicti infantes ac puerul, quià Parentibus Monaſteriis in Monachos attondendi offerebantur, divinoque cultui conſecrabantur, ita ut ætatem adultiorem conſecutis inde diſcedere non licuerit, quod ſi feciſſent, pro Apoſtatis haberentur. Id ex Regula Benedicti *c.* 59. arceſſitur, ubi ita legitur: *Si quis fortè de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant oblationem, quam ſuprà diximus. Et cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri involvant in palla Altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis aut in præſenti petitione promittant, ſub jurejurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuffectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi: vel certe ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre volunt in eleemoſynam Monaſterio, pro mercede ſua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monaſterio, donationem, reſervato ſibi, ſi ita voluerint, uſu fructuario. Atque ita omnia obſtruantur, ut nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit, quod abſit, quod didicimus. Similiter autem & pauperes faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.* Addit Lanfrancus, *puerum factâ prius ſibi coronâ, manibus portare hoſtiam & calicem cum vino poſt Euangelium Sacerdoti, qui Miſſam celebrat*; tum verò à Parentibus offeri, eâque oblatione à Sacerdote ſuſceptâ, parentes manus pueri involvere in palla, quâ Altare coopertum eſt, & cujus pars anterius pendet, deinde ab Abbate ſuſcipi. Quam rem explicatiùs enarrat Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l. 3. c.* 8. Sed etiam in cunis *oblati* fuêre infantes; Cujuſmodi *oblationis* Formulam habemus apud Yepezium *Tom. 7. Chron. Ord. S. Benedicti* & Martinezium *in Hiſtor. Primat. l. 3. c.* 22. ubi de Sanctio Ramirezio Rege Aragonum, *Vos igitur, Confratres mei, de Sancto Pontio, miſeremini amantiſſimo filio meo R[illegible], quem dono & offero Deo & prædicto cœnobio. eâ videl. devotione & fide, quâ obtulit Abraham filium ſuum & Anna Samuel filium ſuum Sacerdoti Eli, in conſpectu Dei, quatenus in Templo Dei ſemper [illegible] ſerviat, atque ejus exemplô & vitâ ac doctrinâ provocatus, nec non precibus prædicti filii mei ac veſtri, adjutus valeam pervenire ad [illegible] tis Paradiſi gaudia.* Iſtiuſmodi autem puer *oblatus*, ut ex [illegible] Benedicti regula patet, omni Parentum ſucceſſionis ſpe privabatur, ne ad ſeculum rediret, & reverà exhæredari jubebatur: quod diſertè docent verba oblationis, apud Richardum Monachum Eremi S. Mariæ in Helvetia; ubi Parens, *Promitto*, inquit, *perpe[illegible] ventem in ſecula, quia nunquam do illi hæreditatem ſuam, aut aliud quidquam: ſed exhæredo illum* &c. Licebat tamen Parentibus Monaſterio aliquid in eleemoſynam, *pro mercede ſua*, i. e. exponente Car. du Freſne, in ſpem divinæ remunerationis offerre, quod fermè ſemper factum iſtiuſmodi Oblationum formulæ docent. Sed & pueros, iſtius Parentum oblationis vi, ita Monaſterio [illegible] alligatos, ut ab eo recedere, & ad ſeculum reverti neutiquam iis licuerit, ex laudato *cap.* colligitur. Quod etiam de Sanctimonialibus *oblatis*, ſtatuit Lanfrancus *Ep.* 32. Unde Concilio Matiſconenſi 1. *c.* 12. talis, ſi poſt aliquod tempus inde egreſſa conjugium contraxiſſet, *uſque ad exitum cum ipſo, qui ſe hujuſmodi conſortio miſcuerit, communione privata*, legitur. Aliud de Oblato Monaſterium relinquente, habes apud Petr. Damianum *l. 1. Ep. 9. p.* 29. Vim tamen hanc à Parentibus liberis illatam improbabant plerique, atque in iis (ut omittam *Novellam* Majoriani Imperator. de Sanctimonialibus) Gaudentius Epiſc. Brixienſis *tract.* 8. *Imperare quidem perpetuam continentiam non poſſunt* (Parentes) *quia res eſſe noſcitur voluntatis* &c. Quod fortè cauſæ fuit, cur in Concilio Aquiſgranenſi fuerit cautum *can.* 36. ut pueri oblationem à Parentibus factam, *tempore intelligibili*, i. e. cùm ad diſcretionis ætatem perveniſſent, confirmarent. Imò non defuêre, qui [illegible] moniæ damnarent eam exactionem, quam Monachi faciebant pro ſuſceptione puerorum in Monaſteriis, quam vetant præterea Capitulare II. A. C. 789. c. 15. & Capitul. Francofordienſe A. C. 794. c. 14. uti habet Car. du Freſne apud quem plura hanc in rem vide in *Gloſſar.* De infantibus verò à Parentibus Deo oblatis in V. Teſtam. Iſaaco, Simſone, Samuele ſuprà, in voce *Naziræus.*

OBLATI Curiæ dicebantur, ut cui naturales eſſent nati, per oblationem Curiæ legitimarentur §. *ſi igitur in Auctor. quibus mod. nat. effic. ſui*, cùm prius hoc idem Theodoſius ſtatuiſſet. Cum enim Curialium Ordo ampliſſimus, olim tam in municipiis quàm Coloniis, ad peſſimam conditionem eſſet redactus, temporibus Leonis & Majoriani, idque propterea, quòd cùm inter alia

alia onera hoc quoque ſuſtinerent, ut tributa omnia exigerent, ita ut quæ à tenuioribus præſtari non poſſent, ipſi de ſuo penderent: multique proin patrias deſererent, Natalium ſplendore neglectô, ac occultas latebras & habitationes eligerent juris alieni; Imperatores conati huic morbo providere, ſtatuerunt, ut naturales filii per *oblationem Curiæ* legitimarentur. Aldobrand. *ad tit. Inſt. de Nupt.* §. *aliquando autem.*

OBLATI Monaſteriorum, *qui ſe ac ſua, vel majorem partem bonorum ſuorum, ſine fraude ac dolo, Monaſteriis ipſis ſpontè ac liberè contulerunt*, ut eſt in *Ep.* Bonifacii VIII. A. C. 1296. apud Waddingum. Concil. Lateranenſe IV. *c.* 57. *Hoc autem de illis Confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in ſeculo, eorum ordini ſunt oblati, mutatô habitu ſeculari; vel, cui inter vivos ſua bona dederunt, retento ſibi, quandiu in ſeculo vixerint, uſufructu.* Atque hi quidem ii ſunt, qui *Donati*, ſic nuncupati, quòd ſe totos & bona ſua Monaſteriis *donarent* ac *offerrent*. Ait autem Petrus de Boateriis, diſcrimen eſſe, inter *Profeſſionem* & *Offerſionem*: illam eſſe abnegationem propriæ voluntatis, vitam activam abnegantis & contemplativam eligentis; iſtam, eſſe perſonæ, rei vel rerum alicui domino vel loco religioſo factam oblationem. Atque ita *Profeſſionem* intelligit propriam eſſe Monachorum, cùm *Oblati* ex ipſa oblatione admiſſa, nullâ prævia probatione factâ, tantummodò obedientiæ profeſſione; in *Oblatorum* & *Donatorum* ordinem reciperentur. Quidam tamen Monaſteriis, cum bonis ſuis univerſis, vel eorum parte aliqua, ita ſe offerebant, ut Monachicam vitam amplecterentur & ad profeſſionem admitterentur, reveraque in poſterum Monachi eſſent: cujuſmodi oblationis formulam exhibet Rollandinus, *Obtulit perſonam ſuam Deo & D. Antonio clauſis manibus ſe intra manus venerabilis Patris D. Abbatis, recipientis vice & nomine ipſius Eccleſiæ; & pro ſe & ſuis ſucceſſoribus dans & ponens, nec non & promittens & profitens ſtabilitatem, conventionem & obedientiam debitam, ſecundùm Regulam Ordinis* &c. Sacramentum eorum, quô Monaſteriis ſeſe obſtringebant, exhibet Jac. Petitus poſt *Pœnitentiale Theodori p.* 500. Interdum verò eâ conditione ſeſe Monaſteriis offerebant, ut in ordinem Monachorum admitterentur, ſi luberet, ac interim *Donatorum* & *Oblatorum* vice haberentur: Sed id potiſſimùm ſpectabat Viros Nobiles, quod præ cœteris docet *Charta* ex Tabulariis Regiis Provinciæ deſcripta à Car. du Freſne, cujus initium: *Notum ſit omnibus præſentib. & futur. quòd annò Dom. Incar.* 1209. *menſe Decembri, ego Guilielmus D. G. Comes Forcalcar, filius quondam Geraldi Amici ---- dono animam meam & corpus meum ----- Domui Militiæ Templi, hunc in modum, quod ſi ad religionem venire voluero, ad religionem Templi veniam & non ad aliam ---- Si verò in ſeculo me vitam finire contigerit, in Cimiterio Domus Templi ſepeliar. Promitto equidem dare prædictæ Domui Templi & Fratribus ad obitum meum ---- equum meum & duas alias equitaturas & omnia arma mea completa, lignea & ferrea, quæ uni Militi ſunt neceſſaria, & 100. marcas argenti. Præterea, dum in ſeculo vixero, ſingulis annis ad Feſtum Nativitatis Domini præfatæ Domui Templi & Fratribus 100. ſol. Guil. pro recognitione hujus donationis dare promitto ---- Et nos Frater P. de Monteacuto Magiſter, cum conſilio & voluntate Fratris W. Catelli & aliorum Fratrum, recipimus vos ---- in DONATUM & confratrem noſtræ Domus & in univerſis beneficiis, quæ in Domo Templi ſunt vel fient uſque ad finem citra mare, vel ultra, bonam vobis concedimus portionem* &c. Ea autem *Oblatorum* & *Donatorum* erat conditio, ut ex familia Monachorum cenſerentur, Abbati obedientiam profiterentur & victum veſtitumque ab iis conſequerentur; cùm videl. in Monaſteriis degebant ac deſerviebant. Quo in ſtatu etiam habitum formâ & colore diverſum à Monachorum cœterorum veſte deferebant. Nonnunquam verò Monaſteriis ac Eccleſiis ita ſeſe offerebant, donabant ac mancipabant, ut ipſi ac eorum progenies prò ſervis Eccleſiæ deinceps haberentur, dimiſſâ ingenuitate ac libertate. Cujuſmodi *Oblationis* in Tabular. Vindocinenſi *Chartam* his verbis conceptam idem Car. du Freſne exhibet: *Cùm ſit omni carnali ingenuitate generoſius extremum quodcunque Dei ſervitium ---- ego Raynaldus --- cùm me ab avis & atavis naturaliter liberum conditio humana protulerit ---- ſpontanea meâ voluntate meipſum, meoſque liberos, in ſervitium trado S. Trinitatis & Fratrum hujus loci, reputans me ab hac die inante, ſicut unum quempiam de ſervis eorum, ad faciendum de me & rebus meis, quidquid eis ſalvâ juſtitiæ lege placuerit ---- pro ſalute animæ meæ* &c. Atque tum, in ſervitutis ultro ſuſceptæ ſignum, *quatuor denarii* offerebantur. Et hinc *Oblati* tales *Servi de quatuor nummis* appellati videntur. Spectabant autem fortean hi quatuor numini ſeu denarii cenſum totidem denariorum, qui quotannis penſitari ſolebat, ab ejuſmodi ſervis & *Oblatis* Eccleſiaſticis, uti colligere eſt ex Joh. Roberto *in Hiſtor. S. Huberti* &c. Præterea ſervitutem hanc Eccleſiaſticam ſubeundi alius quoque ritus erat, *collo ſcil. campanæ fune innexo*: Ita enim *Raynaldus ---- obtulit Deo & S. Trinitati omnia ſua atque ſemetipſum ad ſervum ---- Quod priuſquam fecit, in Capitulo, ac deinceps ſtatim in Monaſterio* (Vindocinenſi) *involvens juxta morem collum ſuum chordâ ſigni ----* A. C. 1079. in *Charta* alia ejuſdem Tabularii. Imò *Charta* 440. Ingelbaldus quidam, loco eidem S. Trinitatis ſe in ſervum traditurus, in facti memoriam, utrôque ritu defunctus legitur, & *quatuor* denarios de *capitagio* ſuo, *ſicut mos erat ſecularis talia facere, ſuper Altare Dominicum prædicti loci imponens, funem quoque ſigni collo ſuo devotè circumplicans, chartam ſcribi iſtam poſtulavit* &c. Sed & ita quandoque Eccleſiis & Monaſteriis ſeſe offerebant & donabant ſub annuo cenſu, ut libertatem & ingenuitatem non dimitterent, imò eam diſertis & expreſſis verbis retinerent. Quam in rem vide complura apud Car. du Freſne laudatum *in Gloſſar.* De jure verò Regum Franciæ ponendi *Oblatos* in Monaſteriis, vide Chopinum *de Sacra Polit. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 12. 13. 14. 15. & *tit.* 5. *num.* 14. 15. Cauſas iſtiuſmodi *Oblationis* ſuggerit *Capitul.* Caroli M. *l.* 1. *c.* 120. *Liberorum hominum, qui ad ſervitium Dei ſe tradunt, non tam cauſâ devotionis, quam exercitûs, ſeu aliarum functionum vitandarum cauſâ* &c.

OBLATIO, Hebraicè מנחה, una ex tribus primariis Sacrificiorum Vet. Teſtam. ſpeciebus, è frugibus erat, conſtabatque è ſimila; cui affundebatur oleum, addebanturque thuris odores. Unde acceptum pugillum, cum univerſo thure, adolebat Sacerdos Jehovæ; reliqua ipſi cedebant, Levit. *c.* 2. *v.* 1. 2. 3. propter quæ dona thurea, *Mincha* iſtiuſmodi ſeu *Oblatio*, gratiſſimum Deo erat *ſuffimentum memoriale.* Nefas autem erat iſtiuſmodi donis *mel*, aut *fermentum* admiſcere, Levit. *c.* 2. *v.* 11. quod Judæi, propter Idololatras, factum hariolantur; cumque illi rebus iſtis ad ſacrificia uterentur, Deum contrariis ritibus placari voluiſſe: Apoſtolus verò ad mores refert 1. Corinth. *c.* 5. *v.* 7. 8. E contrario omne munus ſale ſaliendum erat, Levit. *c.* 2. *v.* 13. quod ſimilem fidei ac ſinceritatis imaginem habebat; & ſacrificia noſtra ritè condienda & à corruptione cuſtodienda eſſe docebat: quò Deo placere ac ipſi immortalitatis (cujus Sal emblema erat, Numer. *c.* 18. *v.* 19. & 2. Chron. *c.* 13. *v.* 5.) evadere participes poſſimus. Vide Coloſſ. *c.* 4. *v.* 6. Epheſ. *c.* 4. *v.* 29. & Matth. *c.* 5. *v.* 13. &c. Aliquando verò vox in genere pro *Sacrificio*, apud Latinos ſumitur. In Novo Teſtam. ubi ſacrificiorum propriè dictorum, poſt ſemel *oblatum* DOMINUM noſtrum, uſum nullum ſupereſſe, ex ad Hebræos *c.* 9. *v.* 12. diſcimus, in Liturgiis antiquis & apud Patres, τὰ δῶρα vel τὰ ἅγια δῶρα, appellantur *Oblationes* panis & vini, ad ſacram communionem, in Eccleſia veteri ſolitæ offerri: è quibus ad conſecrationem, in uſum Euchariſtiæ, quantum ſatis eſſet, ſumere, moris primitus fuiſſe, Juſtinus aliique teſtantur. Quam ob cauſam, in Græcorum monumentis, τὰ ἅγια δῶρα vel τὰ προκείμενα δῶρα aut ſimpliciter τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια, pro ipſo corpore Chriſti myſtico accipiuntur: vel propter jam factam conſecrationem, vel propter futuram. Nam in Liturgia Chryſoſtomi nondum facta erat conſecratio, cùm ait Sacerdos in prece myſtica: Ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου τὰ δῶρα ταῦτα, *Da, ut à me peccatore & indigno ſervo tuo, hæc dona tibi offerantur.* Ubi per *dona* quid intelligat, declarant ſequentia, Σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων, καὶ ὁ προσφερόμενος, *Tu Chriſte idem es qui offers & qui offerris.* Commemorationem enim unici Chriſti ſacrificii, in cruce *oblati*, vocabant *Sacrificium*, & aliquando *Sacrificium commemorationis*, aliquando *Sacrificium corporis Chriſti*, ut infrà videbitur. Igitur τὰ δῶρα etiam, ſive ante conſecrationem, ſive poſt, pro ipſo corpore Chriſti myſtico, quod dicebatur *offerri* per commemorationem veræ illius *Oblationis* ſemel factæ, uſurpantur Patribus. Inde factum, ut *Dona* acciperent, pro ipſa cœna Domini. Idem namque eſt locis ſexcentis apud Patres, μεταλαμβάνειν τῶν ἁγίων δώρων, *& participare S. Cœnæ.* Atque hæc locutio ita fuit in Eccleſia Græca uſu trita, ut Balſamon ad *Can.* 19. Concilii Carthagin. vocem & pueris fidelium notam, *Euchariſtia*, per iſtam interpretetur: Δίδοται, inquiens, ἡ εὐχαριστία ἤγουν τὰ ἅγια δῶρα, in qua appellatione quantum lateat ſignificationis occultæ, declarat Nicol. Cabaſilas *Expoſ. Liturg. c.* 2. Sed & alias ob cauſas Sacramentum hoc *Donum* dixêre Patres, quas congerere hic inſtituti non eſt noſtri. Dicam ſaltem, & Regenerationem, & Baptiſmum quoque, imò ipſum Spiritum S. unicum tanti myſterii effectorem, non raro hâc appellatione apud Patres venire. Hinc Paſchaſius *l. de Corp. & Sang. Dom.* negat, malos corpus Chriſti verè accipere; quia non accipiant Donum, i. e. Spiritum S. Nec hoc omittatur, Euchariſtiam appellari τὸ Δῶρον, eandem ob cauſam, propter quam dicitur & Sacrificium: quia videl. eſt commemoratio ſacrificii ſemel à Chriſto oblati. Sic recipe in Liturgiis, ut in ea, quæ habetur in Clementis *Conſtitution. l.* 8. *c.* 13. Ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προσκομισθέντος Κυρίῳ, τῷ Θεῷ δεηθῶμεν, ὅπως ὁ ἀγαθὸς Θεὸς προσδέξηται αὐτό, διὰ μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. *Oremus pro dono quod Domino Deo offertur; ut Deus pro ſua bonitate illud ſuſcipiat, per interceſſionem Chriſti ipſius.* Ubi Donum ſive Sacrificium, eſt ſymbolum corporis Chriſti, quod ſumitur in ſacra illa actione, ad celebrandam memoriam mortis Chriſti. Quô ſenſu Patres ſimpliciter uſurpant τὸ Δῶρον, aliquando τὸ σωτήριον Δῶρον, aut τὸ νοερὸν καὶ μυστικὸν Δῶρον, ut in Chryſoſtomi *Tom. I. p.* 916. Atque ita accipiendum in Niceni Concil. *Canon.* 5. quô locô jubetur, Synodum haberi ante Quadrageſimam; Ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ καθαρὸν δῶρον προσφέρηται, *Ut omni ſimultate ſublatâ Donum purum offeratur Deo.* Ubi verum eſt, quod quidam ſcribunt, alludi ad præceptum Domini, apud Matth. *c.* 5. *v.* 23. ſed & illud veriſſimum, appellatione *Doni* hîc Paſcha & S. Euchariſtiam intelligi, ac ut Patres loquebantur phraſi Metonymicâ, *Sacrificium Chriſtianorum.* Quem vocis uſum non attendit Conſalus *Ponce de Leon*, Interpres *Phyſiologi* Epiphanii, iſtô locô *c.* 5. Πίε ὕδωρ ζῶν, τουτέστι, τὸ ἅγιον Δῶρον· κοινωνῶν γὰρ ἐν μετανοίᾳ ἀνακαινώσῃ σεαυτὸν λοιπὸν διὰ τῆς αὐτῆς, καὶ θανατωθήσεται ἡ ἁμαρτία, *Bibe aquam viventem, i. e. ſanctum donum: Nam communicans cum pœnitentia, per ipſam te in poſterum renovabis & morti dabitur peccatum.* Et per ſe clarum eſt in Græcis Patribus verſato, τὸ Δῶρον hîc eſſe Cœnam Domini: quod proxima vox *communicans* manifeſtò oſtendit, &c. Plura hanc in rem vide apud Iſaac. Caſaubon. *Exercitat. XVI. num.* 52. Eandem ob rationem προσφορὰν vocari hoc Sacramentum, deprehendimus Concil. Laodicen. *can.* 58. unde ad Latinos *Oblationis* vox tranſiit, pro eo quod Græcos *Sacrificium Chriſtianorum* appellâſſe, diximus. Aliàs in genere *Oblationes* appellantur, quæcunque à piis fidelibus que Chriſtianis offeruntur Eccleſiæ, ſive res ſoli ſive mobiles ſint; nec refert, an legentur Teſtamento, an aliter donentur; atque hôc ſenſu voce uſus eſt Ulpianus *c.* 5. *tit. de Donat. int. Vir. & Uxor.* Eleemoſynæ præſertim egenis erogatæ: ſic Tertullian. *de Corona Mil. l.* 3. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annuâ die facit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſacimus. Ubi *natalitia* martyria eſſe notant Eruditi. Pro martyriis ergo *ſtatâ die Sacrificia offerebant*, uti habet Cyprian. *Ep.* 5. *l.* 4. h. e. ob commemorationem eorum *oblationes* erogabant, & ſacrificia euchariſtica pro fortiſſimorum Chriſti militum adoreis Deo reddebant, uti phraſin idem ipſe explicat *l.* 3. *Ep.* 6. Unde facilè intelligas, quô ſenſu apud eundem *l.* 1. *Ep.* 9. verba, *Pro defunctis offerre & ſacrificium pro dormitione defunctorum celebrare*, ſint accipienda. Vide quoque Tertullian. *Exhortat. ad caſtitatem c.* 11. Cyprianum iterum de *Eleemoſyna*, Sozom. *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 15. Alios. Plura verò apud Deſid. Heraldum *Animadverſ. Arnobianis l.* 4. *ſub finem.* Veteres *Offerumenta* vocârunt, auctore Feſtô. Plures vocis hujuſce acceptiones, vide apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* &c.

OBLATIONARIUS, in Eccleſia Romana, Subdiaconus, interdum & Diaconus dicitur, ad cujus miniſterium pertinebat, *Oblatas*, panem ſcil. & vinum, Pontifici miſſam celebranti è Patriarchio deferre, eaſque offerre Archidiacono. *Ordo* Roman. *Et ſuſcipit* (Pontifex) *oblatas de manu Presbyterorum ac Diaconorum, quibus licitum eſt accedere ad Altare: deinde Archidiaconus ſuſcipit oblatas datas de* Oblationario *& dat Pontifici.* Et *alibi*, *Ornato verò Altari tunc Archidiaconus ſumit amulam Pontificis de Subdiacono* Oblationario *regionario & refundit ſuper colum & in calicem.* Anaſtaſius *in Gregorio III. Diſpoſuit, ut in Cœmiteriis ----- Romæ, in diebus Natalitiorum, eorum luminaria ad vigilias faciendas & Oblationes de Patriarchio per* Oblationarium *deportentur ad celebrandas miſſas* &c. In *Hiſtor. Tranſlationis* S. Sebaſtiani *n.* 27. *Oblationariô itaque vocatô, cujus erat ſortis, ex Rom. conſuetudine, aperire ſepulchrum* &c. Anaſtaſ. Bibl. *ad VIII. Synod. art.* 2. ubi Δομέστικος τῆς ὑποδιακόνων apud Græcos occurrit, ſubdit, *Quem Romani* Oblationarium *vocant.* Aliàs Græcos Προσφοραρίους hujuſmodi homines vocâſſe, docet Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliud quid *Oblatores* ſunt, Amm. Marcellino *l.* 19. memorati, Græcè Συλλεκταὶ, qui *offerre* dicebantur, cùm tributa inferebant &c.

OBLATIVA Auguria, dicta Romanis ſunt, quæ non poſcebantur: Adeoque nihil adferre, & temerè emiſſa eſſe, aut ſine ratione ſuâ quadam concitatione putabantur prorupiſſe, niſi commotos & velut perculſos animos ita afficerent, ut ad ſe pertinere aſſentirentur: Si hoc negarent, nihil ſe percipere aut experiri eorum, quæ illa prænuntiarent, ex Augurum diſciplina perſuaſum habebant & in poteſtate noſtra poſitum affirmabant, auſpicia non petita amplecti aut recuſare. Opponebantur illis *Imperativa*, quæ ſuſcitari divinitus & raro fallere, ac ſeſe ipſa aſſerere atque explicare obſervatione, conſtantiâ & æqualitate ſuâ putabant, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 9.

OBLIGARE, terminus Magiæ peritorum. Unde *Obligatores*, qui ligamentis Magicis ad morborum ſanationes utuntur, *in Capit.* Caroli M. *l.* 1. *c.* 64. Adde *Capitul.* 1. ejuſdem Imperat. incerti anni *c.* 40. Apud Apulejum *de Herbarum virtut. c.* 15. *num.* 3. *Si quis ad mulierem non poterit affectari obligatus.* I. e. maleficio & veneficio incantamentoque alligatus; detentus, devinctus & impeditus, quò minùs *affectetur*, i. e. afficiatur, ſtimuletur, commoveatur & accendatur ad cupiditates & libidinem. Germani vocant *Neſtel knüpfen.* Cujuſmodi *Obligationis* exemplum inſigne, præ cœteris, habes, apud Guibertum *de Vita ſuâ l.* 1. *c.* 11. & 17. Vide ſuprà in vocibus *Defigere*, *Ligula*, *Nodus Veneris* &c.

OBLINERE os, apud Plautum, *Argum. Epid. v.* 5. quod propriè iis convenit, qui non faciei partem de conſueto more liniebant, ſed os totum. *Lini* enim moris erat delicatos olim, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel ne citò barbati eſſent. Sic Sueton. de Ottone *c.* 12. narrat, *faciem quotidie pane madidô linere conſuetum; idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Et Martial. de Muliere, *l.* 10. *Epigr.* 68. *v.* 3.

Deque coloratis nunquam lita mater Etruſcis.

Ubi *coloratos Etruſcos* vocat τοὺς ἡλιοκαύστους, *Sole peruſtos*, & *mulierem nunquam litam*, quæ faciem medicamentis nunquam induxerit, ad candorem ſervandum & Solem cuti defendendum, ne coloraretur. Cujuſmodi medicamenta, quæ præſtabant, ne Sole læderetur facies, vocabantur Coſmetis θερμὰ προφυλακτικὰ προσώπων, eaque omnia erant ἐπίχριστα: ſicut illa, quibus nitor aut candor parabatur in facie, προσώπου ἐπίχριστα λαμπρυντικὰ, & σμήγματα προσώπου στιλβωτικά. Sed & faciem linebant, ut cutis tenderetur, cujuſmodi medicamenta Græcis τετάνωθρα & τετανώματα, Latinis *Tentipellia*, appellabantur. Et quidem, cùm dicit Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 11.

Quid ſucco ſplendente genas ornare? ———

per *ſuccum ſplendentem*, τὸ ἐπίχριστον λαμπρυντικὸν intelligit. Sicut κατάπλασμα προσώπου λαμπρυντικὸν Juvenalis, cùm ait, *Sat.* 6. *v.* 471.

Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur,
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit & madidæ, facies dicetur, an ulcus?

Ut & *Sat.* 2. *v.* 107.

Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Item *Sat.* 6. *v.* 461.

Intereà fœdô aſpectu ridendaque multô
Pane tumet facies.

Ubi vetus Interpres, *medicamen ad tendendam faciem, vel cutem magis* &c. Alia autem erant καταπλάσματα, alia σμήγματα, quibus utebantur ad faciem poliendam. Sublatis enim cataplaſmatis ſmegmata adhibebant; id quod obſervavit idem Poëta, in illa divina Satyra adverſùs ſequiorem ſexum, ubi eleganter καταπλάσματα vocat *tectoria*: *v.* 467.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnoſci.

Panem intelligens, quô madidô faciem linebant, ac veluti tectoriô quôdam inducebant, τετανωτικῷ καὶ στιλβωτικῷ τοῦ χρωτὸς: quod tectorium ſeu cataplaſma abſtergebant ſmegmate ex lacte aſinino, cùm ad mœchos irent. Idem, *v.* 461.

——— *ridendaque multô*
Pane tumet facies, aut pinguia poppæana
Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti.
Ad mœchum lotâ veniunt cute.

i. e. lomentô expolitâ vel ſmegmate, ἐπιχρίστῳ ſublatô: ad quam rem idem poſtea lac aſininum memorat. Vide quoque Athen. *l.* 7. ubi omnia hæc σκευασιῶν genera enumerat & nominat σμήγματα προσώπου, νίμματα, στιλβώματα, τετανώματα & alias ſimiles ſaponum & lomentorum ſpecies, quibus qui utebantur, tam ad faciem, quàm ad reliquum corpus, extergenda polienda & nitidanda, *lini* propriè dicebantur. Æl. Spartian. *in Adriano c.* 4. *Corrupiſſe eum Trajani libertos, curâſſe delicatos, eoſdemque leviſſe, ut ea tempora, quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmavit.* Ad quem locum, quòd addit Caſaubon. etiam linere faciem conſueviſſe Veteres ad oculorum ὑπογραφὰς, vel ad glabritiem ac lævigationem, reprehenditur à Salmaſio, aliter faciem, aliter oculos inungi ſolitos, & utrumque diverſô fine, aſſerente. Sed & quidam, ut nævos occultarent, faciem linebant: ut ille apud Martialem libertinus frontem literatus, *l.* 2. *Epigr.* 29. *v. ult.*

Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem:
Ignoras, quid ſit? Splenia tolle: leges.

Hinc itaque orta, *linere aliquem*, pro κολακεύειν, apud Hieronym. *in Ezech. l.* 7. *Os ſublinere:* quod de eo propriè dicebant, qui ſimulans ſe os alicujus linere ad decorem, uti mos fuit, contrà ac ſecus quàm conſuetudo erat, os illi ridiculis picturis deturpabat, ut qui olim gryllum pingebant: Et *os oblinere*, apud Plautum *loc. cit.* de quo dictum &c.

OBLIQUARE viſus, apud Statium *Achill. l.* 1. *v.* 323. de Achille,

Mulcetur, lætumque rubet, viſuſque ſuperbos
Obliquat ———

amoris indicium. Unde vetus Schol. *Cùm heroicum*, inquit, *& virile antè contueretur; nunc obliquatô viſu, remittit auſteritatem & aſſenſum fatetur.* Sic de amore correpto ſuo Leandro, Muſæus:

Λοξὰ δ' ὀπιπτεύων δολερὰς ἐλέλιζεν ὀπωπάς.

Apollonius de Medea *l.* 3.

——— ἐπ' αὐτῷ δ' ὄμματα κούρη
Λοξὰ παρὰ λιπαρὴν σχομένη θηεῖτο καλύπτρην.

Ipſum Amorem σιμὰ γελῶν dicit Meleager *Antholog. l.* 7.

Ἔστι δ' ὁ παῖς γλυκύδακρυς, ἀείλαλος, ὠκὺς, ἀθαμβής,
Σιμὰ γελῶν, πτερόεις, νῶτα φαρετροφόρος.

Et verſatiles amore perculſo oculos adſcribit Nonnus *l.* 35. de Morrheo, quem vide. Addit autem *ſuperbos viſus* Statius, propter non penitùs abjectum faſtum, qui naturâ inſigniorem nobilitatem comitatur. Sic puella Bucolum *obliquis* intuebatur, contemnens eum & ob raptum oſculum deſpuens, apud Theocritum *Idyllio* 20. &c. Idem verò & verecundiæ ſignum. Statius iterum *Theb. l.* 1. *v.* 675.

Dejecit mœſtos ex templò Iſmenius heros
In terram vultus, taciteque ad Tydea læſum
Obliquare oculos ———

Invidiæ porrò & tacitæ obtrectationis. Idem *Theb. l.* 12. *v.* 536.

Atthides obliquæ ſecum mirantur opertô
Murmure ———

Et Horatius *l.* 1. *Ep.* 14. *v.* 37.

Non iſtic obliquô oculô mea commoda quiſquam
Limat ———

Cujuſmodi oculum πονηρὸν, *malum*, vocat Dominus noſter, Matth. *c.* 20. *v.* 15. Vide plura de voce hac, apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium* paſſim, inprimis *ad l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 27.

——— *Obliqui carminis aſtus.*

OBLIVIONIS Fluvius, vide *Limæus.*

OBLIVIONIS Lex, apud Corn. Nepotem *Thraſybulo c.* 3. Vide de ſuprà *Amneſtia*; uti de *Oblivione* inter Numina relatâ, voce D... etiam aliquid infrà, ubi de *Pauperibus.*

OBLIVITIUS Malleolus, vide *Marcus.*

OBLIVIUM, Græcè Λήθη, nomen caſtri in Perſide, ſic dicti, ut ait Procopius *de bello Perſic. l.* 1. *c.* 5. quòd de illo, qui eò eſſet conjectus, mentionem unquam fieri ex Lege vetitum, pœna capitalis illis poſita eſſet, qui ejus nomen protuliſſent. Vide quoque Theophylactum Simocattam *l.* 3. *c.* 5. Leontium in *Vita S. Johannis Eleemoſynarii*, Agathiam *p.* 138. Theophanem *p.* 220. & Miſcellam *l.* 17. Simili nomenclaturâ poſtremos Imperatores Byzantinos carcerem habuiſſe, docemur ex Nicephoro Gregora *l.* 6. & Pachymere *l.* 2. *c.* 38. qui illud Nicææ fuiſſe aſſerit, in quem amandari ſoliti Proceres, alicujus delicti rei. Cujuſmodi horum imitatione carcer Epiſcopi Pariſienſis, vulgari idiomate, *Oubliette* dictus videtur, quòd, qui in eum conjicerentur Clerici, quaſi *obliti*, in eo diutiùs detinerentur, apud Froiſſardum *Volum.* 3. *c.* 11. *c.* 84. Guiliel. Epiſc. Tornacenſem *Hiſtor. Velleris Aur.* ... *Chron.* Flandr. *c.* 86. ubi de Henrico *de Maleſtroit*, laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.*

OBLOGENES, populi Cypri, quorum legatus Exagonus, ... lens in dolium ſerpentibus plenum miſſus eſt, quem illi lingua demulcebant, Plin. *l.* 8. *c.* 3. Alii legunt *Ophiogenes.*

OBLONGI Pilei, vide *Pileus.*

OBNOXIATIO & *Charta obnoxiationis*, in Formulis mediorum, interdum ſpectat bona ipſa, interdum perſonas. Prioris generis extat formula, apud Marculfum *l.* 2. *form.* 9. quâ Pater, quibus ... norum, quæ uxori ſuæ præmortuæ dederat, uſumfructum à ... liis accipit, eâ conditione, ut villas alias ex ſuis bonis illis obnoxiet *pro ipſo uſu*, ita ut ea vendere aut alienare ei non liceat, ſed ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in filiorum arbitrio & poteſtate remaneant. Cui adde formul. 9. ex Baluzianis. Alia Obnoxiationis ſpecies fuit, cùm quis præ inopia, neceſſitate ac infirmitate, pecuniam aut bona alia in victum accipit, eôque nomine libertatem ſuam commodanti *obnoxiat*, ita ut, velut de quolibet mancipio proprio, ipſi commodanti facere liceat, poteſtatemque habeat debitorem *vendendi, commutandi & diſciplinam imponendi*, ut eſt in Formulis ſecundùm Legem Roman. Et quidem in *Capitul.* Theodori Cantuarienſ. *c.* 12. *Homo tredecim annorum ſeipſum poteſt ſervum facere.* Exemplum rei hujus antiquiſſimum in Ægyptiis habemus, qui durantibus annis inopiæ & fame ingraveſcente, Pharaoni, poſt jumenta & agros, ſeipſos mancipâſſe leguntur, in Hiſtoria ſacra Joſephi Patriarchæ, Gen. *c.* 47. *v.* 19. Licuiſſe verò etiam Patri, urgente neceſſitate, filium in ſervitutem dare, docent Novella 2. Valentin. & *l. un. de Patr. qui fil. diſtrax. l. un. de his qui ſanguinol.* & *l.* 2. *de Alim. quæ inop. Parent.* quæ obſervavit Jac. Gotofredus *ad d. l. un. de Patrib. qui fil.* &c. His autem ſervis nati, in tali ſervitio, liberi erant, uti diſcimus ex *Edicto* Piſtenſi *c.* 34. Sed nec ſemper ſeipſos vendebant, verùm per alios vendi patiebantur, tanquam originarii eſſent ſervi; de quibus hæc ſancit Lex Wiſigoth. *l.* 5. *tit.* 4. §. 10. *Ingenuum qui ſe vendi permiſerit & pretium cum venditore partitus ſit, ut circumveniret emptorem, in ſervitute permanere debere, poſſe tamen pretiô datô redimi & in priſtinam libertatem aſſeri, vel à ſe vel à Parentibus.* Quo ſpectant illa Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 15. *Veni mecum & venunda me in domo barbari illius, ſitque tibi lucrum pretium meum*, &c. Ne proin hujuſmodi fraus contingeret, Lege Longebardorum ſancitum eſt *l.* 3. *tit.* 9. §. 5. ut *in publico, per antiquam conſuetudinem*, id perageretur, ſcilicet in Curia, coram Magiſtratibus. At Saxonum Lege, nullus ſe in ſervum dare poterat, reclamante hærede: ita *Speculum* Saxonicum *l.* 3. *Art.* 32. §. 4. *art.* 42. §. 9. Diverſis porrò modis quis ſeſe in ſervum *obnoxiabat*. Interdum enim, ut pretium ſui acciperet, ut in *Formul. cit.* Interdum à mortis periculo liberatus, ob crimen aliquod perpetratum, ei à quo *compoſitio* exoluta fuerat, cùm ipſe ſolvendo non eſſet, ſeſe in ſervum addicebat. Præterea aliquis in ſervum ad vitam ſuam ſeſe dabat, cùm pecuniam, in quam condemnatus fuerat, pro reſtitutione aliqua, non haberet quam tranſſolveret. Denique, ſi quis rem furatus fuerat, donec compoſitionem exſolviſſet, in dominium illius, cujus res erat, tranſibat, *brachiô in collum poſitô & per comam capitis ſui*, ut eſt in Formulis parentalibus *c.* 26. Sic Lege Ladiſlai Hungariæ Regis *l.* 2. *c.* 11. & *l.* 3. *c.* 5. Nobilis, qui domum alterius invaſit aut illius uxorem flagellavit, ſi mulctam decretam ſolvere non poſſit, raſô capite vendi jubetur. Adde, quæ in hanc ſententiam habent Lex Bajuvar. *tit.* 1. *c.* 11. *tit.* 2. *c.* 1. §. 5. & varia Capitularia laudata Car. du Freſne *Gloſſar.* Nec non quæ hic ipſe notavit *ad Cinnamum p.* 485.

OBNUNTIARE, apud Sueton. *Julio c.* 20. *Lege autem Agrariâ promulgatâ* obnuntiantem *collegam armis foró expulit. Ac----in eam coëgit deſperationem, ut-----domô abditus nihil aliud quàm per edicta obnuntiaret:* Dioni eſt ἱερομηνίαν προαγορεύειν, *ferias indicere*; quod cautè accipiendum. *Obnuntiatione* enim fiebat quidem dies nefaſtus & comitialis eſſe deſiit, non fiebat tamen feſtus, neque Ἑορτάσιμος. Melius itaque idem alibi *obnuntiare* vertit προεπαγγέλλειν ὡς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενον, *præmonere ſe illâ die de cœlo ſervaturum, ad capiendum auſpicium.* Vide Caſaubon. *ad loc. Suetonii.* Neque verò Romani ſolùm Jove fulgurante, tonante, agi cum populo nefas habebant, ſed & apud Græcos imbres ac tonitrua dirimebant Comitia, Feſtus in *Spectio*, & inibi Scaliger, Hadr. Turnebus *Adverſarior. l.* 5. *c.* 19. Barn. Briſſonius *Formul. l.* 1. G. Elmenhorſtius *ad illa Arnob. l.* 2. *Servatis de cœlo, aut otioſas facitis* obnuntiationibus *actiones*; Alii. Quô proin nomine ſibi devinctos ajunt Athenienſes Ariſtophanis *Nebulæ*, quòd, ſi quando inconſultè & temerè aliquid ſuſcipere viderentur, aërem ipſæ perturbarent, aut tonitrua aut imbres excitarent, & ita temerariis inceptis obſtreperent:

——— ——— Ἢν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος
Μηδενὶ ξὺν νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψεκάζομεν κτλ.

Imò & ipſos Barbaros, quum fulgura corruſcarent, tonitrua mugirent, imbres ruerent, tempeſtatibus aër concuteretur, nihil publicè inchoâſſe, diſcimus ex Livio *l.* 26. *c.* 17. ubi quidquam luce triſti & nebuloſô aëre aggredi poſſe Pœnos, negat Aſdrubal; quemadmodum de terræ motu coorto idem ſæpius occurrit, uti videre eſt apud Deſid. Heraldum *ad eundem Arnobii loc. p.* 116.

OBOCA, fluv. Hiberniæ, *Ptol. Liphie*, teſte *P. Joviô.* Nunc *Doro*, in Lagenia. Oritur in Comitatu Dublinienſi, dein per Caterloghenſem labitur, ubi juxta Arcloam portum & oppid. in mare Hibernicum, ſe exonerat, 35. mill. paſſ. infra Dublinum in Meridiem.

OBODES, Rex & Deus Nabatheus, vide ſuprà *Dyſares.*

OBOLCOLA, ſeu OBULCULA, oppid. Hiſpaniæ, nunc *Lora* quibuſdam ad Bætim, in Vandalitia. Aliis *Marchena*, oppidul. ibidem, 5. leuc. ab Aſtigi in Occaſum, 9. ad Hiſpali in Ortum Urſonam verſus.

OBOLCON, nomen urbis, *Steph.*

OBOLUS, Græcè ὀβολὸς, nummi genus minutum. Nomen tulit, quòd Athenienſium nummus Ὀβολὸς *obelum* incuſum oſtentaverit: an potiùs à figura *obeli*, quam primitus habuit. Ita enim Euſtathius *in Il.* α. Ὀβολοὶ σιδήρου ἔλασμά τι ἔλεγον· σχῆμα μὲν πᾶς ἔχων ὀβελοῦ οὐ μὴν καὶ εἰς πάντη ὀξὺ λῆγον· Οὕτω δὲ ἁδρὸν ἦν τῇ παχύτητι ἐκεῖνο τὸ ἔλασμα τοῦ ὀβολοῦ, ὥς τε ὀβολοὶ ἓξ τὴν δράκα ἐπλήρουν, καὶ τοῦτο ἐλέγετο δραχμή, ὀβολῶν τοιούτων ἑξάς, ὅσων ἐπιδράξασθαι δύναιτο χείρ. Οἱ δὲ τοιοῦτοι ὡς εἰκὸς ὀβολοὶ, χρόνῳ τοῦ ὕψους ὑποσπώμενοι καὶ κατὰ μικρὸν ὑποκολαζόμενοι τοὺς ὕστερον ταπεινοὺς καὶ πεταλώδεις καὶ ὡς ἄν τις ἐρεῖ ἐπιπέδους ἐποίησαν ὀβολοὺς τοὺς λεγομένους φόλλεις, I. e. *Obolum ferri quandam lamellam dixêre, figuram quidem obeli habentem, non uſque quaque tamen deſinentem in acutum. Ita autem craſſa hæc* Oboli *lamina erat, ut ſex illorum manum implerent, unde Drachma dicta* Obolorum *iſtiuſmodi hexas, quòd manus tot eorum comprehendere poſſet. Poſtea, ut par erat,* Oboli *hi humiliores & tenuiores ſenſim facti ſunt, ut illi, qui Folles vocantur, inde prodierint.* Apud Athenienſes itaque ſexta pars drachmæ erat: quemadmodum ipſe ſex æreolorum, æreolum autem ſex minutiarum, vel, ut alii, ſeptem fuit. In ponderibus *Obolus* ſunt tres ſiliquæ, quæ faciunt grana 12. *Vocabular. Vetus. Obolus dimidius ſcrupulus, qui penſat ſiliquas tres.* Nam τὸ γράμμα (*ſcrupulum* ſeu *ſcriptulum*) continet *Obolos* tres, Plin. *l.* 21. *c. ult. Drachma Attica Denarii argentei habet pondus, eadem ſex obolos pondere efficit, obolus* 10. *chalcos.* Franc. Gouldmannus *Diction.* Ejus quartam partem ἡμιασσάριον, ſumtum fuiſſe ſufficientem, quo in hoſpitio quis ſe procurare poſſet, narrat Polybius *l.* 2. Fuit autem ἡμιασσάριον ſemiſſis: In quem locum Gronov. Polybium vulgatô more rotundandi numerum uſum, & pro ſemiſſe ſextante vel duobus trientibus, qui faciunt 8. uncias, ipſam quartam *Oboli* partem, ſemiſſem nempe ſive ἡμιασσάριον dixiſſe; contendit. *Drachmam enim*, inquit, *concepit pro denario* 16. *aſſium* (qualis tum erat.) *Quum Drachma* 16. *æſtimatur aſſibus*, Obolus *æſtimetur oportet duobus aſſibus cum ſemiſſe & ſextante, ſive octo unciis vel beſſe.* Sic ἡμιωβόλιον aſſem & trientem, ſive 4. uncias: *quadrans* Oboli *ſemiſſem ſextantem implebat. Vel ſic: Drachma ſex habet* obolos, Obolus *octo chalcos; ergo Drachma* 48. *chalcos. Denarius habet duos victoriatos* 4. *ſeſtertios,* 8. *dupondios, aſſes* 16. *Ergo victoriatus* 3. Obolos, 24. *chalcos; ſeſtertius* Obolum *& hemiobolion, chalcos* 12; *dupondius chalcos* 6. *dodrantem* Oboli; *as tres chalcos*, Oboli *quadrantem & ſeſcunciam. Ergo ſemis chalcum & dimidiatum. At quarta pas* Oboli 2. *chalci; dimidium ergo chalci amplius, quàm debet, rotundandæ ſummæ gratiâ ſemiſſi tribuit Polybius.* Idem *l.* 6. duos *Obolos*, i. e. *quinque aſſes*, in ſingulos dies, peditum ſtipendium facit: Ubi iterum Gronov. *Exactè quidem ſunt quinque aſſes cum triente, ſed propius quinque aſſibus Græcè nihil potuit rotundè dicere.* Duravitque hoc ſtipendium uſque ad Jul. Cæſarem. Apud Athenienſes τὸ Ἐκκλησιαστικὸν, primitus *Obolus* fuit, i. e. pecunia, quæ viritim dabatur populo, ut concioni intereſſet. Et quidem primus dediſſe τὸ Ἐκκλησιαστικὸν commemoratur Agyrrhius, cujus meminit Græcus Ariſtophanis Interpres. *Petitus* tamen, è Vaticana *Proverbiorum Appendice Centur. III. Prov.* 35. tutius judicat dicere, Calliſtratum Parnytem primum inſtituiſſe, ut τοῖς ἐκκλησιάζουσιν *Obolus* daretur. Ariſtophanes *Nub.*

Ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικόν.

Ubi obſervat *Scholiaſtes*, ἡλιαστικὸν, pro ἐκκλησιαστικὸν, à Comico poſitum eſſe. De Agyrrhio quid ſenſerit, hîc infrà videbimus. *Duo oboli*, in eadem Rep. erant pecunia illa quæ civibus ſimiliter viritim diſtribuebatur, ad dies feſtos, ludos & ſpectacula, ac τὰ Θεωρικὰ dicebatur. Quam pecuniam qui adminiſtrabat, inter Quæſtores erat, & circa Dionyſia τὰ κατ' ἄστυ, Elaphebolione menſe eligi conſueviſſe videtur; Nam tunc maximè ſolennia ſpectacula erant. Vide Æſchinem contra *Cteſiph.* Magiſtratu hôc functus inter alios, Demoſthenes eſt, ad ann. 3. Olymp. 112. Archonte Ariſtophonte; Vide infrà, ubi de *Quæſtoribus* & *Theorica pecunia.* Porrò, *tres Oboli*, apud eoſdem Athenienſes, τὸ Ἐκκλησιαστικὸν eſſe cœpêre, auctore Agyrrhiô præfatô, qui Calliſtratum excepit, circa Olymp. 97. Atque hujus trioboli gratiâ in concionem maximè conveniebant Thetæ, infima Populi claſſis, Athenienſium proletarii ac capite cenſi. Unde jocus Comici *Pluto.*

Ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται;
Concio nonne hujus gratiâ inſtituitur?

Serò autem venientes triobolum non accipiebant, ut apud eundem habes Ἐκκλησιαζ.

Τριώβολον δῆτ' ἔλαβες; εἰ γὰρ ὤφελον.
Ἀλλ' ὕστερος νῦν ἦλθον, ὥς αἰσχύνομαι.
Triobolum num accepiſti? ô utinam.
Sed ſerò nunc acceſſi, quare pudet.

Vide quæ ibi adnotant veteres Magiſtri. Præconis verò voce kalabatur Populus, idque trinâ, ut *Petitus* docet, voce & Kalatione: Hinc eôdem *dramate* meminit Poëta ſecundæ, quâ auditâ, tempus erat eundi in concionem, ne ſerò nimium venirent & jam tertium kalâſſet Præco, qua de re plura infrà, in *Triobolus.* Apud eoſdem *quatuor Oboli*, diurnum erant militum ſtipendium, cum initio duos tantùm obolos acciperent, qui efficiebant in menſem drachmas decem, Demoſt. *Philippic. c.* 1. Hoc poſteà mutatum & quatuor dein *Obolis* meruiſſe, diſcimus ex Euſtathio *Odyſſ.* α. Τετρωβόλου βίος παρὰ Παυσανίᾳ, ἀντὶ τοῦ, στρατιώτου μισθὸς, *Quatuor obolorum vita, apud Pauſaniam, pro, militis ſtipendium.* Etiam factum, ut illis *Oboli ſex*, i. e. *drachma*, in diurnum ſtipendium procederet, *Thucyd.* δραχμὴν γὰρ τῆς ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν. Atque menſtruum ſtipendium erat triginta drachmarum ſeu trium drachmarum auri, qui ſunt *tres illi nummi* Plautini *Moſtellar. Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 10. Extra ordinem verò, bellô Peloponeſiacô militibus Potidææ præſidiariis *duodecim Obolos* ſeu duas drachmas, pendi ſolitas fuiſſe, idem Thucyd. narrat *l.* 2. Atque hæc de pedeſtri militia. Equites verò ſex *obolos* ſeu drachmam unam accipiebant in dies ſingulos, Demoſth. *loc. cit.* Militibus navalibus ſtipendium erat, *Oboli* diurni *tres*, Thucyd. *l.* 8. vectoribus triremis Parali exceptis, qui quaternos accipiebant. Apud eoſdem, merces quam de publico accipiebant Judices, *Obolus* fuit, Ariſtophane in *Nebulis* docente Olymp. 89. Ita enim ille, ut dictum,

Ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον Ἡλιαστικόν.

Lucianus τριώβολον ait fuiſſe: Unde Scholiaſtes *in Ariſtoph. loc. cit.* negat quidquam certi conſtitutum εἰς τὸ Δικαστικὸν, quando iſta ſcribebat Comicus. Nam omnino certum eſt, è verſu allato, Ju-

dices de publico non accepiſſe plus obolô: quanquàm annô proximè elapſô triobolum acceperant. Idem tamen Pöëta, cùm annô ſequente *Veſpas* committeret, volebat triobolum dari, quot obolorum erat τὸ Ἐκκλησιαςικὸν (pecunia populo data, ut Concioni intereſſent) ſed tamen non niſi unus dabatur *Obolus*. Qua de re vide Sam. Petitum *Comm. in LL. in Atticas l. 4. c. 3.* uti de *Mutilatis bello*, qui itidem *obolum* indies accipiebant, ſuprà; & de *Naulo Charontis*, ſimiliter. Fuerunt & Æginæis *Oboli*, & Corinthiis, ſed horum quiſque ſex Atticos faciebat. Siculis *Obolus* λίτρα fuit, cujus quartam partem Νῦμμον vocabant: valebatque 12. χαλκῦς, quos Romani uncias dixêre, unde his *Libra* & *Aſſis partes*. Apud eos enim, ſicut Denarius decem librarum erat, ita ſeſtertius Nummus, ſeu quarta pars *Oboli*, duarum ſelibræ, Gronov. *de Pecunia vet. l. 3. c. 2. & 3.* qui alibi, λεπλὰ, δραχμὰς, ὀλκὰς, ὀβολὺς, δηνάρια, interdum idem ſignificâſſe, monet: & *l. 3. c. 7.* unum omnium veteris pecuniæ *Obolum* ſtufero ſimillimum fuiſſe ait. Apud Francos, *Oboli aurei* mentio frequens eſt, cujuſmodi *Obolos* quinque, Judæos præſtitiſſe olim, pro cenſu annuo Archiepiſcopo Turonenſi, quorum unuſquiſque 4. ſolidos valuerit, habes in vetere *Charta*, apud Car. du Freſne. Sed & in Anglia *Obolos aureos* cuſos eſſe, circa A. C. 1344. auctor eſt *Henr. Knyghtonus*; *Obolorum argenti* meminit Anglicanum *Monaſticon Tom. 2. p. 414.* apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide eundem *Diſſert. de Numiſm. infer. ævi*, necnon in voce *Moneta*, ubi *Obolos Tertios* Gall. *Oboles Tierces*, ſub Philippo IV. *Obolos Albos*, Gall. *Oboles blanches*, ſub Carolo Pulchro, & ſub Philip. VI. *Parvos obolos Pariſienſes* Gall. *Petits oboles Pariſiis*, cuſos, memorat & interpretatur. Crux in primis nuda, cum duplici Inſcr. †. SIT. NOMEN. DNI. BENEDICTUM. &, PHILIPPUS. REX. in averſa parte, Templum Turonenſe cum Inſcr. in ambitu, TURONUS civis, & limbo liliato. Vide iconem *ibid.* Inde *Obolata terra*, apud recentioris ævi Scriptores, pro terra ſeu agro, cujus reditus annuus unius *oboli* eſt: continere in longitudine pedes 10. latitud. 5. afferunt nonnulli, qua de re vide Henr. Spelmann. *Gloſſar.*

Oboli, velut Aſſis, diviſio in partes, ex præfato Gronovio.

Semuncia ejus, fuit chalci triens.	Septunx, 4. chalci bes.
Uncia, chalci bes.	Septunx ſemuncia, quinque chalci.
Sextans, chalcus & chalci triens.	Bes, quinque chalci triens.
Quadrans, duo chalci.	Dodrans ſex chalci.
Triens, duo chalci & bes unius.	Dextans, ſex chalci bes.
Quincunx, tres chalci triens.	Deunx, 7. chalci triens; additâ unciâ fiunt 8. chalci, qui nunc As, i. e. *Obolus*.
Semis quatuor chalci.	

OBOTH, nomen loci, Numer. *c. 21. v. 10.* Iſraëlitarum manſio, cùm ex Ægypto proficiſcerentur in terram Chanaan. Latin. *utres*.

OBOTRITÆ, vel OBOTRII; Germaniæ populi inter Holſatios ad Occidentem & Pomeranos ad Ortum: *Mekelburgen*, Crantzio. Aliis Scriptoribus celebrantur *Abotriti*, de quibus Tacit. Germ. *c. 43. atras ad prælia noctes legunt.* Argumentum præbet ipſa nominis ratio. Germanicè enim *Abotritter* eſt, eques veſpertinus ſive nocturnus. Similis pugnandi moris fuêre ſtudioſi *Baſylienſes*, Africæ populi. *Nic. Lloydius.* Cœterum, ex Vandalis erant, qui latiſſimè olim imperavêre; habitabant autem terras, quas à Megapoli ſeu Mecklinburgo, inclytâ *Obotritorum* Urbe, mutatô vocabulô, *Megapolitanas* ſeu *Mecklenburgicas*, ſecuta ætas nominavit. Vetuſtiſſimis à ſeculis, uſque ad noſtra tempora Principes habuere è gente ſua, nobile Godeſcalci & Buthuis genus; ſui aliquando juris, regiâque dignitate inſignes, uti ſuprà diximus. Inter poſteros, auctô interea & per varias gentes extenſô imperiô, Pribiſlaus & Nicolottus Buthuis filii, ditiones ſic partiti ſunt, ut Pribiſlaus Wagiros atque Polabos (h. e. Oldenburgenſes & Raceburgenſes) Nicolottus *Obotrittos* ſive Meckleburgicos acciperet: qui ambo cùm Henricum Leonem, Saxoniæ Ducem, infeſtum haberent, Pribiſlaus à Rugianis captus, in captivitate vitam finivit. Nicolottus ad antiqua relapſus, quietis impatientiam primùm jacturâ terræ, mox vitæ, luit: Sed filiis ejus Prisbiſlaô ac Wartiſlaô in gratiam receptis, ademptâ *Obotritorum* regione, Circipanorum & Kycinorum ditio (h. e. Gryphiswaldia, Wolgaſtum atque Guzkovia cum agro) reddita eſt. Quibus cùm eadem, quæ pleriſque Majorum, Saxonici obſequii intolerantia eſſet, rebellionem nunquam impunè auſi, continuis cladibus rem Slavicam adflixêre. Donec, poſt captivitatem fratris, tentatamque toties improſperam fortunam, Pribiſlaus, animadverſô, non aliud ruentis Domus remedium, quàm Saxonum in clementia eſſe, ad obſequii conſtantiam compoſitus, receptâ *Obotritorum* terrâ (abſque Polabis Wagriſque) ſincerâ fide Leonem coluit, poſitâ Regii honoris memoriâ, *Ducis* dignatione contentus. Atque hæc circa tempora, exoleſcente *Obotritorum* vocabulô, Meckelburgicum invaluiſſe, ſuſpicari licet. Pfannerus *de præcipuis Germ. Princ. gentibus c. 6.* Vide quoque ſuprà *Mechlenburgum*.

OBPOPA, in *Gloſſis veter.* ὄρυξ, inſtrumentum eruendis lapidibus excogitatum. Vide infrà in voce *Pica it. Upupa*.

OBRACUM, oppid. amplum Serviæ, ad Drinum fluv. ubi Saniaci ſedes, ſub Turcis, *P. à Via.*

OBRAPA, urbs Arabiæ Felicis *Ptol.*

OBRECHTUS Georgius, Argentinenſis, fil. Thomæ illius Reip. Syndici, Juris Doctor Baſileæ renuntiatus, A. C. 1574. annô ſequente Profeſſor Juris Argentorati electus eſt. Obiit A. C. 1612. ætat. 66. Pater *Joh. Thomæ*, qui unà cum patre S. Palatii Comes creatus eſt à Rudolpho II. Imperatore, & frater *Henrici* JCti ac Conſulis Argentinenſis *Didymi* & *Danielis* Medicorum. Quòd in evulgandis ingenii ſui monumentis parcior eſſet, ægrè ab illo Herm. Vultejus impetravit editionem *Oeconomiæ Juris univerſi Legalis*, *topicæ*: *Juris feudalis enucleati*: *Diſputationum de rebus Var. Juris antithematum Notis illuſtratorum* &c. Melch. Adami *Vitis JCtorum*. Vide & *Georgius Obrechtus*.

OBRIMA, unum ex 3. fluv. Apamiam urbem, in Aſia celeberrimam, ambientibus, Plin. *l. 5. c. 29.*

OBRIMO, Proſerpinæ cognomen, quòd, cùm vim ei videretur illaturus Mercurius, mugiit altius, unde factum, ut is manus abſtineret, Cæl. Rhodig. *l. 26. c. 20.*

OBRINCUS, vel OBRINCA, ὁ Ὀβρίγκας, *Ptolomæo*, ſed uni dictus, Gall. Belg. fluv. *Moſella*, Tacito *l. 4. Hiſtor. c. 71.* & Auſonio *in Moſella*, teſte *B. Rhenanô*, qui per Lotharingiam & Trevirenſes in Rhenum ad Confluentes urbem fluit. *Cluverio Abrincas* videtur, fluv. vel potius amniculus *die Are*, vel *Aar*, qui infrà Confluentes Moſellæ & Rheni, apud Sentiacum, in Rhenum effunditur. Vide Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Heroldus non fluvium ſignificare docet, apud *Ptol.* ſed eum Germaniæ tractum, quem hodie *Ober Rhingaw* vocant. Aliqui credunt, eô vocabulô ſignificari ſuperiorem partem Rheni fluminis, quaſi diceret *Oberrhyn*. Plura apud Præfatum Rhenanum *l. 3.* cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p. 617.*

OBRIS, *Straboni* & Pomp. Melæ. *l. 2. c. 5.* *Orobus*, *Ruſo*, *Feſto Avieno*, nomen fluvii nobiliſſimi Galliæ Narbonenſis in Occitania, ex agro Gavillitano, per Biterenſem urbem, inter Narbonem & Agatham in mare delabens. *Orobis*, *Ptol. l'Orobe*, *Cluſio*. Oritur ex ultimis Cemeniis montibus, vix 3. leuc. à Luteva in Occidentem, 10. ferè ab agro Gabalitano in Auſtrum, dein auctus minoribus aliquot, per Occitaniam inferiorem & ibi 2. leuc. infrà Bliterras, in mare Mediteraneum labitur, *Baudrand.* Secundùm Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall*, fontem ſuum habet in finibus Ruthenorum. Alluit Villam Magnam, veteri Abbatiâ illuſtrem, Redas, Ponticulos, Columbarium, Volutam, Rupem Fuſcam, ad S. Nazarium, Ceſſenonem, Caſulas, Beterras, & inter Villam Novam ac Caſtellum Novum, in mare effluit.

OBROATIS, Perſidis urbs, *Ptol. Obroatis Ammiano*, hodie *Omara*, teſte *Moletiô*.

OBRYZUM Aurum, Græcis ὄβρυζον, quod ſæpius deſpumavit & excoctum eſt; ab ὀβρύζειν, quod idem cum βρύζειν ſeu ... & de iis rebus dicitur, quæ effervefcendo ſpumam ejiciunt & quaſi florem emittunt. Latini *Obruſſam* dixêre auri experimentum quod igne ſumitur, ex Græco ὀβρύζη. Apud Sueton. *Neron. c. 44.* *Aurum ad obruſſam.* Cicer. *in Bruto c. 74.* *Hoic adhibenda* ... *quam obruſſa*, *ratio eſt.* Senec. *Ep. 13.* *Hæc ejus obruſſa*, i. e. probatio. Plin. *l. 33. c. 3.* *Aurique experimentum ignis eſt*, *ut ſimili colore rubeat igneſcatque*, *atque ipſum* (nempe experimentum) *obruſſam vocant* &c. *Obryzi* enim auri apud veteres Latinos nulla mentio, ſed *auri ad obruſſam exacti.* Uti autem metalla reliqua, ſic & aurum, dum excoquitur, ſpumam in ſummo effervefcentem mittit, quæ floris inſtar eſt & *flos* vocatur. Manilius ... modi auri ramenta, quæ excoquuntur, *in aurum ſpumantia* vocat his verbis: *l. 5.*

Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo ſtellantia littora ponto,
Parvaque ramentis faciet momenta minutis,
Pro tali ut regerat cenſu ſpumantia in aurum.
Et perlucentes cupiens prenſare lapillos
Verticibus mediis oculos immittet avaros

Quaſi diceret: Non ſolùm aurilegulus erit, ſed etiam auri coctor, quorum illud duobus primis, iſtud duobus ſequentibus verſibus expreſſit. Et quidem Auri coctores ramenta auri purgata, lota & in farinam tuſa vel molita ad pondus accipiebant & ... reddebant pari fermè pondere aut modicô ſaltem intertrimento. *Agatharchides* de metallis aurariis Æthiopiæ, Οὕτως ... λογεὺς περιχαθάρας τὸ ψῆγμα τῦ χρυσῦ παραδίδωσι τοῖς ... λαβόντες μέτρῳ τε καὶ σταθμῷ τὸ συνηγμένον εἰς ἀγγεῖς κεραμεῖς ... *Sic igitur Aurilegulus hic*, *purgata auri ramenta tradit coctoribus*, *qui illa appenſa accipientes*, *in catinos fictiles injiciebant*, ea excocturi. Hoc eſt, quod ait Manilius, *parva momenta*, i. e. parvas lances faciet ponderandis minutis ramentis, ut pro tali cenſu reddat, ac *regerat ſpumantia in aurum*, i. e. excocta in aurum putum. Salmaſ. *ad Solin. p. 1080.*

OBSCARIONES, vide infrà *Scariones*.

OBSCOENUM, inquinatum, impurum eſt & pollutum ſcœno, aut *cœnô*, quaſi communi protritôque omnium uſu inquinatum, κοινὸν enim id notat Græcis, ex phraſi Hebræorum. Vide inprimis Marc. *c. 7. v. 2.* & Actor. *c. 10. v. 14.* Cujuſmodi res homineſque non ſolùm à Sacris ſuis longè arcuit Deus, ut ex Scriptura S. paſſim liquet. Sed & apud Gentiles pars honoris, qui more Majorum Diis exhibebatur, erat, ut in eorum conſpectu neque diceretur, neque fieret quidquam, in quo *obſcœnitatis* aliquid eſſet, uti diſputat Athen. *l. 8.* Arrian. *Diſſertat. Epictet. l. 2. c. 8.* & Plut. in *Quæſtion. Rom.* Vide quoque ſuprà *Feſta*. Quod poſtmodum ad honorem hominum tranſlatum. Vide Val. Max. *l. 2. c. 1.* Principum inprimis, ad quorum etiam ſtatuas *veſtimenta nudâſſe*, ... pietati tributum ſub Tiberio, apud Sueton. *c. 58.* quô nomine crimen Majeſtatis illis temporibus appellari conſueviſſe, notum. Imò & pingi *obſcœna* & fingi, lege prohibitum apud Thebanos, ut infrà videbimus de *Pictura*. At, procedente luxu, ediſſe quoque ac bibiſſe obſcœnitates, ex *Plinio*, *Martiali*, Aliis, patet. Imò & inter Numina relata. Vide ſuprà *Flatus*. Vide etiam infrà, voce *Turpia*.

OBSECRARE, alium eſt devovere, h. e. diris ac imprecationibus defigere & devincire, cujus contrarium *reſecrare*, ut ex Corn. Nepote in *Alcibiade c. 6.* patet. Græci ἀναθεματίζειν vocant, de qua voce ſuprà. Hinc *Obſecratio*, in *Gloſſ. MSS. Matricis* ...

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ueratio. Sed apud *Papiam*, *preces, gratiarum actiones*. Græcè προσευχή. Maxime precatio, quam Pontifex ipſe præibat Populo, Turneb. *l.* 22. *c.* 31. Alcuino *de Divin. Offic.* propriè pars Canonis miſſæ, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* De *Obſecratione* populo à Senatu Romano indicta, habes Livium *l.* 3. *c.* 63. & *l.* 26. *c.* 23. qui poſterior locus ſic habet: *Eodem annô prodigia aliquot viſa nunciataque ſunt----quæ hoſtiis majoribus ſunt procurata &* Obſecratio *in unum diem populo indicta, & Novendiale ſacrum.*

OBSECUNDATORES ſacrorum ſcriniorum, in *leg.* 3. *Cod. Th. de Proximis* &c. qui in ſcriniis operam navant, *obſecundant*, Scriniarii omnes. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide infra in *Proximus*.

OBSEPIRE, apud Cicer. *in L. Manil. Neve eos arato, neve eas foſſas obturato, neve quid ſepito* &c. & in SC. apud Frontinum *de Aquæduct. Ne quis eô locô poſt hanc legem rogatam quid opponit, molit,* obſepit, *figit, ſtatuit, ponit*: inædificare eſt. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 12. & infrà in voce *Sepes*.

OBSEQUENS, vide *Julius Obſequens*.

OBSEQUENTES, à Marco Imperatore dicti ſunt Gladiatores, quos ad militiam armaverat. Capitolin. in *Marco*, *c.* 21. *Inſtante ſane adhuc peſtilentiâ & Deorum cultum diligentiſſime reſtituit & ſervos, quemadmodum bellô Punicô factum fuerat, ad militiam paravit, quos* Voluntarios *exemplô Volonum appellavit. Armavit etiam gladiatores, quos* Obſequentes *appellavit*. Tanquam videl. non in legionibus militantes, ſed in obſequiis Principis. *Obſequium* autem Principis, ſatellitium ejus dictum eſt, apud eundem *in Pertinace c.* 10. quam vocem Græci quoque ſuam fecerunt. Sic enim accipe τὰ ὀψίκια, apud Arrianum *Diſſertationum Epicteti l.* 3. Conſtantinus *in* περὶ θεμάτων *libello*, ὀψίκιον Ῥωμαϊςὶ λέγεται· ὅπερ σημαίνει τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τοὺς προπορευομένους ἔμπροσθεν τοῦ βασιλέως ἐπὶ συνηθείᾳ καὶ τιμῇ, *Obſequium Romana vox, Græcè ſignificat anteambulones Imperatoris, ordinis ac honoris ergò*. Corippus *l.* 1.

—— —— *Itur in arcem*
Obſequiô *comitante Patrum.*

Et *l.* 3.

Adſuit Obſequio *caſtorum turba virorum.*

A cujuſmodi Auguſtali *Obſequio* dictus eſt *Comes Obſicii*, *primus Stratorum Obſicii* &c. in *Hiſtor. Miſc.* Item *Thema* ſeu *Legio* τοῦ ὀψικίου, apud Conſtantinopolitanos, quòd ex eo potiſſimum confecta eſſet: à qua poſtmodum nomenclatura indita Aſiaticæ cuidam provinciæ, cujus metropolis fuit Nicæa, quam deſcribit Conſtantinus Porphyrogennitus *de Them. l.* 1. *c.* 4. Nicephorus Conſtantinopol. in *Breviar. p.* 150. 155. 172. &c. Adde Cantacuzenum *l.* 4. *c.* 18. & vide Meurſium, ac Car. du Freſne *Gloſſar.*

OBSERARE, apud Terentium, *Eun. Act.* 4. *ſc.* 6. *v.* 25. *Oſtium obſera intus*, eſt obditâ ſerâ oſtium intus occludere, Vide infrà in voce *Sera*.

OBSERVANTES Clerici, qui in Eccleſiis deſerviunt, in Concilio Aurelian. III. *can.* 5. & IV. *can.* 26. Eſt enim *Obſervare*, apud recentioris ævi Scriptores, munia conſueta exequi: unde Clerici ac Presbyteri *obſervare* dicuntur, Concilio Andegav. Can. 10. Epaonenſi *can.* 5. & Aurelianenſi IV. *can.* 7. quoties in Eccleſiis officiô ſuô defunguntur, apud Car. du Freſne *Gloſſar. Laur. Valla l.* .. *Elegant. c.* 3. *Obſervare* idem eſt, quod cuſtodire aliquid oculô animôque, in modum ſpeculatoris, ne nos ſilentiô tacitéque prætereat. *l. Obſervare ff. de Offic. Præſ.* eſt advertere diligenter &c. *Spiegel.* Apud veteres Romanos rituale fuit verbum, ſignificans cautam illam circumſpectionem, quam in Sacris adhibere conveniens eſt. Arnob. *adv. Gentes l.* 1. *Sine ulla aliqua* obſervatione *ſolicita ſacrorum.* Infrà, *ſine ullius ritus obſervatione.* Et *l.* 9. *Sequitur ut de ſignis aliquid ſimulachriſque dicamus: quæ multâ arte compoſitis & religioſâ* obſervatione *curatis.* Jul. Firmicus *Matheſ. l.* 8. *c.* 6. *ad aram metuendæ religionis* obſervationibus *immolari*. Alii. Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobium p.* 42. Vide quoque Macros *in Hierolexico*.

OBSES, qui traditur imperio alicujus, eâ conditione, ut ſi dator ejus à fide recedat, recipienti ſit poteſtas in vitam & corpus ejus, qui *Obſes* datus eſt, ſæviendi. Vide Bartolum *in l. divus, ff. de jure fiſc.* Adeoque *Sponſor*, *præs*; in Epiſtolis Franc. *Tom. IV. Hiſtor. Franc. Ep.* 61. *Oſtagius per Sacramentum*. Maximè is, qui ſi ille, pro quo ſpoponderat, defeciſſet à pacto, in ejus poteſtatem tranſire tenebatur: unde ejus *Hoſpes* eſſe dicebatur, quòd in ejus teneretur domo manere, quamdiu is, qui in pacto defeciſſet, feciſſet ſatis. Soliti autem ſunt *Obſides* dari etiam pueri, ut à Parthis; quod & à Simone Maccabæorum uno factum legimus, & fœminæ, ut à Romanis, Porſenæ temporibus, & á Germanis, narrante Tacitô, *Hiſtor. l.* 4. Quod verò dictum, in *Obſidum* vitam ſæviendi jus fuiſſe, tum in eos qui ſe obligaverant quaſi ex conventione, tum in eos, qui ab aliis traditi, probatur factô Theſſalorum, à quibus olim ducenti quinquaginta, & Romanorum, à quibus Volſci Aurunci ad trecentos occiſi ſunt, apud Plut. *de Claris Mulier.* Dionyſ. Halicarn. *l.* 16. Tacit. *Annal. l.* 12. Et quidem, cùm olim vulgò crederetur quiſque in vitam ſuam id juris habere, quod in res alias, quæ in proprietatem veniunt atque id jus conſenſu aut tacitô aut expreſſô à ſingulis pervenerit ad Civitatem, minùs mirandum eſt, ſi *Obſides* privatim innoxios, ob peccatum civitatis, morte affectos legamus, ſive tanquam ex ſuo peculiari conſenſu, ſive tanquam ex publico, cui & ſuus includeretur. At poſtquam verior ſapientia nos docuit dominium in vitam Deo exceptum, ſequitur ut ſolô conſenſu nemo jus cuiquam dare poſſit in vitam aut ſuam, aut civis ſui. Atque ideo Narſeti bono Duci atrox viſum de innoxiis *Obſidibus* ſupplicium ſumere, narrat *Agathias*: etiam Scipionis exemplô, qui aiebat, ſe non in *Obſides* innoxios, ſed in ipſos, qui defeciſſent, ſæviturum: nec ab inermi, ſed ab armato hoſte, pœnas expoſciturum, Liv. *l.* 28. Quòd autem ex recentioribus JCtis non ignobiles, conventiones tales valere dicunt, ſi moribus firmentur, accipi poteſt, ſi *jus* vocant ſolam *impunitatem*, quæ in hoc argumento ſæpe venit ſub tali nomine: Sin à peccato immunes putant, qui ex conventione ſola vitam adimunt alicui, verendum ne & fallantur ipſi & periculoſâ auctoritate alios fallant. Planè ſi, qui *Obſes* venit, eſt aut antè fuit in numero graviter delinquentium, aut poſtea fidem à ſe datam in re magna fefellit, fieri poteſt, ut ſupplicium injuriâ vacet. At Cloeliæ, quæ non ſuâ ſponte, ſed Civitatis juſſu *Obſes* venerat, cùm tranato Tiberi effugiſſet, apud Regem Etruſcum, non tuta ſolùm, ſed & honorata virtus fuit, apud Liv. *l.* 2. *c.* 13. Hinc nec ſervi fiunt *Obſides*: imò & jure Gentium bona habere & hæredibus relinquere poſſunt, quanquam jure Romanô cautum eſt, ut bona eorum in fiſcum cogantur. An fugere liceat, quæritur? Et conſtat non licere, ſi ab initio aut poſtea, quò laxiùs haberetur, fidem dederit. Alioqui videtur non is animus fuiſſe Civitatis, obligandi civem ne aufugeret, ſed hoſti dandi facultatem, qualis vellet, cuſtodiæ. Et ſic defendi poteſt Cloeliæ modò dictæ factum. Sed, etſi ipſa nihil peccaverat, civitas tamen recipere & retinere obſidem non poterat. Sic Porſenna apud Liv. *l.* 2. *c.* 13. *Si non dedatur* Obſes, *pro rupto ſe fœdus habiturum*. Deinde, *Romani pignus pacis eô fœdere reſtituerunt*. Odioſa autem eſt *Obſidum* obligatio, tum quia libertati inimica, tùm quia ex facto alieno venit; ideoque ſtricta interpretatio hic locum habet: quare in unam cauſam dati in aliam retineri non poſſunt, quod intellige, ſi aliud quid ſine eorum acceſſione ſit promiſſum. At ſi in alia causâ fides jam violata ſit, aut contractum debitum, jam poterit *Obſes* retineri, non ut obſes, ſed eô Gentium jure, quô ſubditi, ex facto imperantium, detineri poſſunt, κατ᾽ ἀνδροληψίαν. quod ipſum tamen ne fiat, caveri poterit, adjectô pactô, de reddendis Obſidibus, ubi id, cujus nomine dati erant, impletum fuerit. Porrò qui *Obſes* datus eſt tantùm, ut alterum captivum aut obſidem redimat, eô mortuô liberatur. Nam in illo, dum moritur, jus pignoris extinctum eſt. Sic Demetrius, à Senatu Romano non iniquè poſtulabat dimitti ὡς Ἀντιόχου μὲν ἀντιδοθεὶς, Ἀντιόχου δὲ ἀποθανόντος, inquit Appianus *Syriacis l.* 34. Juſtinus *l.* 34. *c.* 3. ex Trogo, *Demetrius*, *qui* obſes *Romæ erat*, *cognitâ morte Antiochi fratris Senatum adiit*, *obſidemque ſe* (Grotius legit, *Obſidem inquiens ſe*) *vivô fratre veniſſe*, *quô mortuô*, *cujus* Obſes *ſit*, *ignorare*. Rege autem, qui fœdus fecit, mortuô, an teneatur adhuc *Obſes*, pendet ab eo, an fœdus habendum ſit perſonale, an reale? nam acceſſoria non poſſunt efficere, ut in principalium interpretatione à regula recedatur; ejus autem naturam & ipſa ſequi debent. Sed & hoc addendum obitur, *Obſides* interdum non acceſſionem eſſe obligationis, ſed reverà partem principalem, quum quis ex contractu factum promittit non ſuum & quia eô non præſtitô tenetur ad id quod intereſt, ejus vice obſides obligantur, quæ fuiſſe videtur ſententia Caudinæ ſponſionis. Non dura verò tantùm ſed & iniqua ſententia eſt exiſtimantium, *Obſides* etiam ſine conſenſu alterum ex facto alterius poſſe obligari. Vide Hug. Grotium *de Jure B. & Pac. l.* 3. *c.* 4. §. 14. *eod. lib. c.* 2. §. 18. ut & *c.* 20. §. 52. *& ſeqq.* Hinc *Obſidum præſtatio*, jus quod Dominus habet in ſubditos, cujus vi, Vaſſalli ac Tenentes, pro ejus liberatione, ſi in prælio captus fuerit, ut conventi lytri obſides, in hoſtium poteſtatem tranſire tenebantur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* At in Vaſſallum, niſi idem ſubditus ſit, jus hoc feudi Dominum non habere, idem docet Grotius, *c.* 20. *cit.* §. 52. *neque enim reverentia & obſequium quæ debet, eò pertingunt*, &c.

OBSIDIANUS, vel OPSIANUS Lapis, lapis eſt Æthiopicus nigri coloris & tranſlucidi, ac ſpeculi inſtar imagines reddens, unde cum *Obſidianum* vocet Plin. *l.* 36. *c.* 26. tanquam ab *Obſidio* inventore, ὀψιανὸν ἀπὸ τῆς ὄψεως, appellari vult *Salmaſ.* Et verò ab *Arriano* & ab alio Scriptore ἀνεκδότῳ, quos ille citat, ὀψιανὸς λίθος vocatur, uti ab Ulpiano poſt Servium, *Obſianus lib. cùm aurum* 9. *ſect. gemm.* & ab Iſidoro *Obſius*. Ejus in mortuorum loculis plurimum fuiſſe uſum, colligunt quidam ex Herod. *l.* 3. *Cadaver enim cùm Ægyptiô more condiverunt, illud cavô cippô circumdant, qui* ἐξ ὑέλου, *è vitro conſtat, in cujus medio interlucet mortuus, nihil neque ingrati odoris, neque fœditatis ullius exhibens.* Et Diodoro *l.* 3. περιχέαντες ὕελον, *vitrum mortuis circumponentes & in domibus eos aſſervantes, id nefas eſſe putant, ut aut illorum facies cognatos lateant aut propinquorum obliviſcantur, qui eos genere attingunt.* Ubi *Vitri* nomine *Obſidianum* lapidem intelligi volunt. Verùm ad mortuorum loculos illum potuiſſe ſufficere veroſimile non eſt, cùm in uno Æthiopiæ loto, nempe in Sinu profundo ſtadiis octingentis, infrà Aduli emporium, reperiri ſcribat *Arrianus*. Unde in gemmarum cenſu refert Plin. *Gemmas*, inquiens, *multi ex eo faciunt*. Item, *Uſus verò ad potandum argenti metalla & auri pepulit*: ut ſciamus, magni pretii fuiſſe lapidem nec in promiſcuo uſu. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 16. Sed *ad h. l.* Plinii Salmaſ. notat, non ipſum *Obſidianum* lapidem ei *gemmam* dici, verùm illum id ſolùm aſſerere, *gemmas*, h. e. lapides annulorum ex illo fieri: hoc enim propriè Latinis *gemmas* eſſe, quidquid ſcilicet lapidum ad ornatum induceretur. Et certè Æolicè τὸ γέμμα, Græci σφραγῖδας appellant, qui pretioſis lapidibus hoc nomen dederunt; quia ad hunc præcipuè uſum converterentur. Ad ſimilitudinem verò *Obſidiani lapidis*, Obſidiana factitia fiebant, & in genere vitri reponebantur, Plin. *loc. cit.* Quemadmodum & murrhina fiebant arte in urbe Dioſpoli, ad imitationem verorum murrinorum. Fiebat & *Obſidianum rubens*, ad eſcaria vaſa. Idem, *Fit & tincturæ genere* Obſidianum, *ad eſcaria vaſa totum rubens vitrum atque non tranſlucens, hæmaticum appellatum, fit & album & murrinum.* Quod verò Cardanus notat, lapide & fragmentis *Obſidianæ* gemmas cælari ſolitas antiquô tempore, nuſpiam reperitur, præterea *cælari* perperam poſuit, pro *ſculpi*. De oſtracia vel oſtracite lapide id Plinius habet &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 91. *&* 1101.

OBSIDIONALIS Corona, dicta eſt Romanis, quam ii, qui
obſidione fuêre liberati, Duci illi, qui *obſidionem* ſolverat, dare
ſolebant. Fuit graminea, obſervatumque ut fieret è gramine,
quod generatum eſſet in eo loco, intra quem, qui obſeſſi fuerant,
erant concluſi. Hanc Plin. *l.* 22. *c.* 3. & 4. omnibus aliis, gemma-
tis, & aureis, vallaribus, muralibus, roſtratis, civicis & trium-
phalibus præfert; quippe cùm reliquas aut Imperatores militibus,
aut ipſi milites militibus darent: hanc verò miles daret Imperato-
ri. Erat autem è gramine, quòd certiſſimum apud Antiquos vi-
ctoriæ ſignum eſſet herbam porrigere victos, h. e. terrâ & altrice
ipſa humô ac humatione etiam cedere. Talem accepit L. Sicinius
Dentatus, ille Romanorum Achilles. Vide A. Gellium *l.* 2. *c.* 11.
Decius item, & Q. Fabius Max. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.*
l. 10. *c.* 27. Vegetium *cum Annotat. Stewechii*, *l.* 2. *c.* 7. Tertullian.
de Coron. mil. Anton. Thyſium *Notis in Gelli loc. cit.* &c. Scipio
porro Æmilianus, apud Plinium *de viris illuſtr. c.* 58. & Augu-
ſtus cum M. Cicerone filio Conſul, apud Plin. *l.* 22. *c.* 6. Inter
cam & civicam id intererat, quòd altera ſingularis ſalutis ſignum
eſſet, altera diverſorum civium, vel etiam univerſi exercitus ſer-
vati. Hinc uſus illius ſub Principibus quàm diutiſſimè retentus
eſt, teſte Amm. Marcellinô *l.* 24. *Ita nunc enituerunt hi, qui fe-
cére fortiſſimè; obſidionalibus coronis donati & pro concione laudati
veterum more.* Quippe in qua tantum claritatis erat, ut eâ nihil
in rebus humanis haberetur ſublimius. Unde P. Decius eâ do-
natus, *bovem album Marti immolaviſſe & centum fulvos, qui ei
virtutis causâ dati fuerant ſimul ab obſeſſis*, religione ſic pretium
coronæ hujus abunde teſtatus legitur, apud Plin. eundem *l.* 22.
c. 3. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 7. *c.* 16. Cæterùm, urbs
omnium, quas novimus, diutiſſimam *Obſidionem* ſuſtinuit Azo-
tus, Syriæ urbs, quam, ab Aſar-haddone Babylonio Rege Judæis
ereptam, Eſaj. *c.* 20. *v.* 1. Pſammitichus Ægypti Rex, quod urbs
iſta Ægypto immineret, *obſedit annos* XXIX. *oppugnavitque do-
nec expugnavit*, Herodot. *c.* 157. *l.* 1.

OBSIGNATORES, iidem qui *Signatores*, apud Cicer. *ad At-
tic. l.* 12. *Ep.* 18. *Quòd ſcribis, Terentiam de* Obſignatoribus *mei
Teſtamenti loqui.* Et *in Orat. pro Cluent. Oppianicus* Obſignatores
ad eum, qui neque Aſinium, neque Ajulum nôſſent, adducit: Te-
ſtes dicti ſunt, qui ſignandis Teſtamentis adhibebantur. Hæc
enim jam olim *obſignari* fuiſſe ſolita, de militibus ſuis, jamjam
adversùs Germanos pugnaturis loquens, refert Cæſar *de bell.
Gall. l.* 1. *c.* 39. Vide de Sulla, Appian. Alexandr. *l.* 1. de Felice
Cicer. *l.* 3. *ad Quint. Fratr. Epiſt. ult.* Neque ſolùm ab ipſis, qui
teſtabantur, ſed etiam ab amicis, qui rei geſtæ teſtimonium per-
hiberent, eaſque ſuô annulô confirmarent, docet Plin. *l.* 1. *Ep.*
9. & *l.* 2. *Ep. ult.* Sueton. *in Claudio c.* 4¼. & Senec. *Ep.* 8. idque
inter recepta Romæ officia numerabatur, & dicebantur hi *Teſtes
claſſici.* Quos, ſi quidem ad Tabulas Teſtamenti *obſignandas* vo-
cati erant, oportebat in conſpectu Teſtatoris, unô & eôdem
tempore convenire, nomen ſuum ſubſcribere & annulô obſigna-
re. Nam ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, ve-
runtamen ſignârit, vel ſi adſcripſerit ſe, non tamen ſignârit, pro
eo eſt, ac ſi non adhibitus eſſet, ut ait Ulpianus *in L. ad teſtium.
§. ſiquis. D. Qui teſtamentum fac.* Si etiam coram Teſtatore non
omnes eôdem locô teſtes ſuô vel alienô annulô ſignaverint, ju-
re deficit Teſtamentum, ut eſt in *L.* 12. *de Teſtament.* cui adſti-
pulatur Michael Attaliata *in Synopſi*, *Tit.* 32. è quo etiam hoc di-
ſcimus, teſtes non ſuô tantùm, ſed & alienô annulô ſignare po-
tuiſſe. Imò ſi teſtis ab ipſo Teſtatore annulum accepiſſet & ſi-
gnâſſet, valebit Teſtamentum, ut eſt *in L. ad teſtium. D. Qui
teſtam. fac.* Addit vero Juſtinianus Imperator *in §. Poſſunt. Inſtit.
de Teſtam. ordinand.* potuiſſe omnes teſtes unô annulô ſignare
Teſtamentum, potuiſſe item ſeptem annulos unâ eademque ſcri-
pturâ eſſe, i. e. eundem χαρακτῆρα, idem ἀποσφράγισμα habere.
Vide iterum Michaëlem Attaliatam *Synopſ. Tit.* 31. An verò quæ-
libet alia, quàm annuli impreſſio, in Teſtamentis locum habere
poſſit, JCti diſputant, *ac magis eſt, ut annulô tantùm quis poſſit
ſignare, dum tamen habeat charactera*, *l.* 22. §. 5. *ff. Qui Teſtam.
fac.* Vide Cujacium *Obſervat. l.* 14. *c.* 11. Quòd ſi ſigna Teſta-
menti vetuſtate vel aliô caſu interierint, ſubſcriptiones Teſtium
verò ſint adhuc ſalvæ, Teſtamenti fidem nullô modô labefactam
vult Leo Imp. *Conſtitut.* 82. Vide eundem Cujacium *l.* 17. *c.* 32.
Non verò ſolùm *Teſtamenta*, ſed & *omnes Tabulas*, quæ pacta
conventaque continebant, *obſignari* priſcus mos eſt, imò Vete-
res *non ornatûs, ſed ſignandi causâ, annulum ſecum circumtuliſſe*,
indicat Attejus Capito apud Macrob. *l.* 7. *c.* 13. Quam in rem in-
ſignis eſt locus, apud Senecam *de Benefic. l.* 3. *c.* 15. De *Tabulis
Nuptialibus*, diſertè Sueton. in *Claudio c.* 29. Appulejus *in Apolog.*
& Juvenal. *Sat.* 2. De *Sponſionibus* Plut. *in Pompejo*, ubi de obitu
Cinnæ &c. Nec verò Tabulæ ſolùm, quæ publici privatique
contractus ſcripturam continebant, ſed & *Epiſtolæ* ac *Diplomata*,
jam olim *obſignabantur*, apud pleraſque gentes; Principales in-
primis *literæ*, quæ obſignatio bullarum appenſione fiebat. Vide
ſuprà in *Bulla*. Magiſtratuum inſuper *Decreta*, Cicer. *ad Attic.
l.* 16. *Ep.* 16. *Buthrotios cùm Cæſar decretô ſuô, quod ego* obſigna-
vi, *cum multis ampliſſimis Viris, liberaviſſet* &c. *Templa* item,
Daniel, *c.* 14. *v.* 10. *Domus*, Ariſtotel. *de miraculoſ. audit.* unde
obſignare bona & obſignare domum, in l. ult. ff. de requ. abſen. l. 1.
§. penult. ff. de ventre in poſſ. mitt. &c. *Fores Gynecæorum*, Ariſto-
phan. *Theſmophor. Suppellex* atque adeò *Penus* univerſa, Plin. *l.* 33.
c. 1. *Pecunia*, in *l. Tutor pro pupillo, ff. de admin. Tut.* Sic *obſigna-
ri pecunia* dicebatur, quæ creditori oblata, eô recuſante accipe-
re, in ſacculum condebatur, qui Signatorum ſigillis impreſſis
ſignabatur, quô factô ſolebat publicè ſeu in publicum deponi,
l. 19. *C. de Uſur. l.* 11. *Cod. de Compenſat.* &c. Fiebat autem ſic
Obſignatio, ut ſacculus linô trajiceretur, ſigniſque ceræ impreſ-
ſis obſignaretur: atque hinc ipſa vox *Obſignatio* pecuniæ conſigna-
tionem ſignificat, *l.* 9. *C. de Solut.* Etiam *Interrogationes*, literis
incluſas ac *obſignatas*, ad cognitionem Magiſtratus mitti conſue-
viſſe, diſcimus ex Martiano *in l. divus ff. de cuſt. & exhib. reo.*
Ipſum verbum *Obſignare* antiqui juris eſt, ad injurias propulſan-
das, dum alicujus bona publicè poſſidentur, pertinens, Cicer.
l. 12. *ad Attic. C. Vennonius domum Ventuli emit, cùm omnia ob-*
ſignaret, *in Vedianas incidit*, &c. Quam in rem plura vide apud
Calvinum *Lex. Jurid.* Addam ſaltem, *pecuniæ obſignatæ* in ſaccu-
lo vel ciſta condi & vel apud Nummularios vel in Æde ſacra,
deponi olim frequenter ſolitæ, ex Appulejo exemplum *Metam.
l.* 10. *Sed ne fortè aliqui iſtorum, quos affers, aureorum nequam
vel adulter reperiatur, in hoc ipſo ſacculo conditos eos annulô tuô præ-
nota, donec alterô die Nummulariô præſente comprobentur. Sic in-
ductus, ſignavit pecuniam; quam exinde, ut iſte repræſentatus eſt
judicio, juſſi de meis aliquem curriculò tabernâ promtam afferre:
& ecce prolatam coràm exhibeo, videat, & ſuum ſigillum reco-
gnoſcat.* Et aliquantò poſt: *Qui præter judicii religionem cùm fidem
ſuam coràm lacerari videret, multiplicatô ſtudiô verberonem illum
contendit redarguere, donec juſſu Magiſtratuum miniſteria publica,
contrectatis nequiſſimi ſervi manibus, annulum ferreum deprehenſum
cum ſigno ſacculi conferunt* &c. Cur autem in *Obſignandis* rebus
omnibus tantam Veteres diligentiam adhibuerint, rationem red-
dit Clem. Alexandr. *l.* 3. *Pædag.* 11. ubi, cùm dixiſſet, fœmi-
nis datum eſſe annulum aureum, non ad ornatum, ſed ad ſignan-
dum ea, quæ domi cuſtodienda ſunt, propter curam domeſti-
cam incumbentem; ſtatim ſubjungit: *Si omnes à Pædagogo rectè
inſtituti eſſemus, ſupervacua eſſent ſignacula, omnibus ex æquo bo-
nis, ſervis dominiſque. Sed quoniam aut nulla aut mala inſtitutio-
cauſam magnam præbet injuriæ, opus habuimus ſigillis.* Quo per-
tinet ridiculum illud Neronis de furace ſervo, apud Cicer. *de Orat.
l.* 2. *Solum eſſe, cui nihil ſit nec* obſignatum, *nec occluſum*, quod
idem in bono ſervo dici ſolet. Quemadmodum enim ſervo bonæ
fidei herus omnia committit, nihil annulô obſignat, nihil clau-
dit ſerâ: Ita ſervus furax omnia reſignat ac recludit. Id quod te-
ſtatur lepida, apud Diog. Laërtium *l.* 4. narratiuncula de Lacy-
de, qui cùm, quoties ex penu quicquam promere voluiſſet,
obſignatô aditu, rurſus annulum per foramen intro jacularetur,
ut nihil ex reconditis ibi rebus tolleretur: Famuli, hôc animad-
verſô, reſignabant, quæ ſignata erant, & ſublatis quæ placuêre,
annulum dein in porticum per rimam immittebant: quâ ratio-
ne, ſæpe licèt id repeterent, deprehendi nunquam potuêre. Sed
& aliâ ratione, annulô hujuſmodi non diligenter aſſervatô, ma-
gnam ſæpe fraudem commiſſam eſſe, teſtatur in Sacris annulus
Achabi, quô Jeſabel literas, quibus cædes Nabothi jubebatur,
inſciô maritô, *obſignavit*, 1 Regum *c.* 21. *v.* 8. In profanis, an-
nulus Marcelli Conſulis, quô Hannibal potitus, Salapiam ce-
piſſet, niſi T. Quintus Criſpinus, alter Conſul, circa proximas
civitates miſiſſet nuntios, occiſum eſſe Collegam, annulôque
ejus hoſtem potitum, ne quibus proin literis crederent annulô
Marcelli *obſignatis*, apud Liv. *l.* 27. Annulus item Antonii, quô
Plancus Syriæ Præſes Sex. Pompeji necem mandavit, apud Ap-
pianum *Belli Civ. l.* 5. Petronii Maximi Senatoris & Patricii Ro-
mani quem nactus Valentinianus, uxorem ejus in Aulam pelle-
xit, apud Procopium *de Bello Vandal. l.* 1. &c. Imò & fictis
ſignatoriis iſtiuſmodi annulis fraus facta frequens. Hôc enim pa-
ctô Gabios in ſuam poteſtatem redegit Sextus Tarquinius, apud
Dionyſ. Halicarn. *l.* 4. Vitalianus verò Præfectus Prætorio occi-
ſus, apud Jul. Capitolin. in *Gordianis tribus c.* 10. & S. Bernardus
deceptus eſt, ut ipſe conqueritur *Ep.* 284. *ad Eugenium Papam.*
De cujuſmodi crimine falſi à Legatis commiſſo, Guntherus *l.* 5.
v. 368. *& ſeqq.* ſic ſcribit,

Nam qui prædicti mandata priora Tyranni,
Auſonias urbes Hetruſcaque regna tenenti
Attulerant, Friderice, tibi, gentilibus uſi
Fraudibus, impreſſas falſo ſub nomine Regis,
Mendaces chartas ſibi confecêre ſigillô, &c.

Hinc, ut tale quid caveretur, Solonis lege Annulario ſigillum
annuli venditi retinere non licebat, teſte Laërtio *l.* 1. *c.* 57. &
ſcribit Cicero Quinto fratri Aſiæ minoris Rectori *l.* 1. *Ep.* 1. *c.* 5. ut
ſolus annulô ſuô utatur ac ſignet, neque alteri temerè commit-
tat, *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu: non
miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* Monet inſuper Theodoſii
II. exemplum apud Suidam in Πυλχερία, tabulis non lectis annu-
lum non imprimendum. Quæ una ex cauſis fuit, cur Wence-
ſlao Imperium adimeretur &c. Plura hanc in rem vide apud Jo-
hannem Kirchmannum *de Annulis c.* 5. *alibique paſſim.*

OBSONATOR, qui *obſoniis* comparandis præerat, dicebatur.
Martianus *in l. legatis ſerv. de legat.* 3. *Cubicularios autem*, inquit,
*vel Obſonatores, vel eos, qui piſcatoribus præpoſiti eſſent, non videri
negotiationis appellatione contineri: Bayſio* Græcum vocabulum eſt,
quaſi ὀψοωνητὴς, qui & ὀψώνης. Vide Caſaubon. *ad Spartian. in
Adriano c.* 17. Meurſium in voce ὀψώνιον, & *Gloſſ.* Fabrotti *ad
Cedrenum.* Eum Miniſtrorum primô locô ponit Pignorius, do-
neo Ἀγοραςὴν quoque dictum, quòd ea coëmeret quæ uſus do-
meſticus poſtularet. Eſt autem *Obſonium*, *quidquid præter panem
& vinum menſæ infertur*: Quæ cùm multa & varia eſſent, piſcis
tamen, teſte Plut. *l.* 4. *Sympoſ. Problem.* 4. obtinuit, ut vel ſolus,
vel præcipuè *Obſonium* appellaretur. Terentius *Adelph. Act.* 5.
ſc. 4. *v.* 22. *Convertam me domum cum obſonio.* Polybio *Obſonium*
vocabulum etiam pro ſtipendio militari ponitur *l.* 2. Unde ve-
teres Gloſſ. Stipendium, ὀψώνιον ςρατιωτικὸν, *Obſonium militare*:
quia olim aliquando panis, aliquando *Obſonium* militibus daba-
tur ſtipendii locô. Apud Prudent. *Periſteph. Hymn.* 14. *v.* 297.
ubi ait,

Te tanta ſemper perdidiſſe obſonia,
Quæ dIs ineptus obtuliſti talibus.

Georg.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Georg. Fabricius interpretatur dapes & fercula Deorum, quæ erant ſumptuoſiora, h. e. majoris apparatus & pretii, *Commentar. in Poëtas Chriſt.* Apud Recentiores interdum vox capitur pro *procuratione & convivio*, quod Domino debet vaſſallus. In *Charta* ſub Roberto Rege Francor. A. C. 1023. exarata: *Ab Eccleſiæ autem Epiſcopali juri nullam conſuetudinem perſolvendam ſtatuimus, vel ſtatui permittimus, niſi ut in Synodo denarii octo pro* Obſonio *in anno ſolvantur*, apud Car. du Freſne in voce *Obſonium*. Meminit *Obſonatoris* peculiari diſticho Martialis *l.* 14. *Epigr.* 217. cujus titul. vox *Obſonator* eſt,

> *Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum*
> *Addideris verbum, cœna parata tibi eſt.*

Senec. *Ep.* 47. *Adjice* obſonatores, *quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt, cujus rei ſapor illum excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit, quid jam ipſâ ſatietate faſtidiat, quid illô die eſuriat.* Plautus *in Milite, Actu* 3. *ſc.* 1. *v.* 72.

> *Vel primarium Paraſitum atque* Obſonatorem *maximum:*

De iiſdem refert *Athenæus*, *quòd Domino Convivii, ſimul ac decubuiſſet, ſchedula offerri ſolita ſit, quæ obſonia omnia ordine deſcripta haberet, ut ſciri poſſet, quid primò & quid poſtremò miſſurus eſſet coquus.* Eoſdem præceptis inſtruxit Lynceus Samius, privilegiis Sybaritæ apud *Athenæum*: Heliogabalus verò Aurifices eorum loco adhibuit, ut ex pretioſo metallo *obſonia* magis placerent, apud Lamprid. *in eo.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam, *de Operis ſervorum* &c. ut & infrà *Opſonatores*. Alius fuiſſe videtur, quem *Magiſtrum obſonii*, Seneca appellat *de Vita beata c.* 17. *Quare ars eſt apud te miniſtrare, nec temerè & ut libet collocatur argentum, ſed peritè ſervitur, & eſt aliquis ſcindendi obſonii Magiſter.* His enim verbis Structorem indigitare videtur vel Carptorem de quibus *ſuô locô*, vide quoque *Opſonomi*: uti *de Obſoniorum erogatore* ſuprà, verbo *Erogare*.

OBSTETRIX, an ab *obſtando*, quòd obſiſtat dolori, vel fœtui, ne in humum effundatur, an ab *opem ferendo*: quam notationem ſecutus *Donatus Opſtetricem* ſcribit; quô modô & in *veteri Inſcr.* legimus, *Sex. Pompejus. Sex. L. Daphnis. Gram. Chloe. Pompejæ. Appi. Opſt.* Item, *Aſtia. Dunamis. Opſt.* integrâ voce, *Salluſtia. Q. L. Imeria. Opſtetrix*, apud Gruterum *Inſcr. Antiqq. p.* 636. ante cunas infantis gerebat curam, eôdem honore cum Medicis, ſi probata eſſet. Hæc principiò, an prægnans eſſet Matrona, æſtimabat, aliarum quoque mulierum concurrente judiciô. In puerperii articulo Matris vice exitum procurans rectè ſuſceptum infantem faſciis involvit: *Educit enim obſtetrix, educat Nutrix*, Nonius Marcellus *de Propr. Serm. c.* 5. Ejuſdem ope detractus pileus naturalis, brutis communis, qui Cauſidicis vendebatur, antiquâ ſuperſtitione, teſte Æl. Lampridiô *Diadumeno, c.* 4. *Solent deinde pueri pileô inſigniri naturali, quod* Obſtetrices *rapiunt & Advocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hôc juvari dicuntur.* Medicinam porrò nato Matrique faciebat, & ad loturam manus conferebat: nec ignotum hoc maribus munus. Si falſum ſuppoſuiſſet partum, lege tenebatur: Natum verò infantem in humum deponebat nudum, Varro, *de Vita Pop. Rom. l.* 2. *apud Marcellum c.* 2. *Natus, ſi erat vitalis ac ſublatus ab* Obſtetrice, *ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe Conjugalibus Diis, Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur*: Quem poſtea Pater à terra levans, hôc ritu fœtum pro ſuo agnoſcebat. Duravit *Obſtetricis* neceſſitas ad quintum diem, quum muneribus donata & lotis manibus Nutrici infantem committebat: Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Juſtinianus Imperator Miniſterium hoc taxavit ſolidis 60. *leg.* 3. *Cod. comm. de Legat.* apud Pignorium *Comm. de Servis*. In Republ. Athenienſi, cùm veteri lege cautum eſſet, *Ne quis ſervus, nevè qua fœmina, artem Medicam diſceret*, ſicque *Obſtetricibus* deſtitutæ Mulieres verecundiâ interirent non rarò, ut refert Hyginus *Fabul.* 274. Agnodice quædam Virgo, Medicinæ diſcendæ cupida, demptis capillis habituque virili, ſe Hierophilo cuidam tradidit in diſciplinam, arteque perceptâ, laborantibus opem tulit. A quo tempore videntes Medici, ſe ad fœminas non admitti, Agnodicem coram Areopagitis accuſârunt, à quibus cùm, ſexu patefactô, damnanda eſſet, Principes fœminæ ad Judicium convenientes, non modò interceſſione ſuâ Agnodicen liberârunt, verùm etiam effecerunt, ut Legi ſufficeretur altera, quâ *ingenuis fœminis Artem Medicam diſcendi* facultas dabatur. Secundùm quam apud Terentium in palliata è Menandro *Andria, Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 1. Lesbia *Obſtetrix*, quid factô opus ſit, imperat:

> *Adhuc Archillis quæ adſolent, quæque oportet*
> *Signa eſſe ad ſalutem, omnia huic ineſſe video.*
> *Nunc primùm fac iſtæc ut lavet: pòſt deinde*
> *Quod juſſit ei dare bibere, & quantum imperavi,*
> *Date.*

Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 3. *c.* 8.

OBSTITA, dicta Romanis ſunt loca, fulmine tacta, quæ aliàs *Bidentalia*, item *Fulgurita*: ſacra iiſdem habita. Feſtus *Fulguritum id, quod eſt fulmine tactum. Qui locus ſtatim fieri putabatur religioſus, quòd eum Deus ſibi dicâſſe videretur.* Unde Lucan. *l.* 8. *v.* 864. & ſuprà paſſim.

> *Incluſum fuſco venerantur ceſpite fulmen.*

Vide Joſ. Scaligerum *Conjectan. ad Varronem*, Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 587. Voſſ. de *Idolol. l.* 2. *c.* 20. & ſuprà paſſim.

OBSTRAGULA, vincula erant calceorum utrique ſexui convenientia: Quorum meminit Ovid. *l.* 3. *Artis*, *v.* 271.

> *Pes malus in nivea ſemper celetur aluta,*
> *Arida nec vinclis crura reſolve tuis.*

Ubi indigitat, *Obſtragula*, cùm à pede per tibiam protendantur, atque crus medium obligent, hujus deformitatem operire: pro- in *arida* puellæ *crura* non eſſe ſuis vinculis reſolvenda jubet, ne crurum turpitudo in apricum proferatur. Inprimis autem ſoleæ, cùm proprium nullum tegmen haberent, pedibus habenarum corrigiarumve beneficiô aptè ſolebant adſtringi: unde & *Obſtrigillorum* nomen iis tributum. Sic enim Iſidor. *l.* 19. *c.* 34. *Obſtrigillos* definit: *Sunt*, inquit, *qui per plantas conſuti ſunt, & ex ſuperiori parte corrigiâ trahuntur, ut conſtringantur. Unde & nominantur.* Cujuſmodi ſolearum, ob *obſtragulorum* inprimis elegantiam & ſcitè irretitos nexus, inſignium imaginem, Dircis ſimul & Apollinis Pythii, in ſtatuis exhibent Romæ, Horti Vaticani & Farneſiorum ædes: in ære, Ben. Balduinus *de Calceo c.* 11. Vide & hìc infrà.

OBSTRIGILLA, Latinis dicta eſt annuli pala, Græcè σφενδόνη, πυελὶς & σφραγιδοφύλαξ: quòd gemmam inſertam & incluſam conſtringeret & obſtrigillaret. Unde in optimis *Gloſſis*, *Obſtrigillum*, σφραγιδοφύλαξ. Sed & *obſtrigilla ſoccorum*, occurrunt apud Plin. *l.* 9. *c.* 35. de margaritis: *Nec crepidarum tantùm* obſtrigillis, *ſed totis ſocculis addunt.* Ubi hâc voce indigitantur anſulæ, vel corrigiæ, quibus adſtringuntur crepidæ: Græci ὀσκλοὺς vocant, unde ὀσκλωτὰ ὑποδήματα, apud *Dicæarchum*. Vide quoque ſuprà *Obſtragula*. Vocis origo à *ſtriga* & *ſtrigare*, de quibus ſuô locô. Hinc *Obſtrigillare*, i. e. obſtare, contrarium eſſe: apud Solinum *c.* 53. ubi de margaritis: *Huic tamen providentiæ ætas obſtrigillatur; nam candor ſenectâ diſperit, & grandeſcentibus conchis flaveſcunt margaritæ.* Nempe in profundum ſubſidunt quidem altoque ſe mergunt conchæ margaritariæ, ut à Sole defendant ac vindicent partus ſuos, qui candorem perdunt & fucantur radiis penetrati ac percuſſi: ſed huic earum providentiæ *obſtrigillatur*, h. e. adverſatur ætas; cùm æquè ætate ac ſenectâ candor earum diſpereat. Sic *Varro* apud Nonium, *Lex neque innocenti propter ſimultatem* obſtrigillat, *neque nocenti propter amicitiam ignoſcit.* Idem *de R. R. Tu invides tanto Scriptori & obſtrigillandi cauſâ figlinas reprehendis.* Et *de Vita Pop. R.* apud eund. *obſtrigillare*, pro *impedire*, poſitum eſt: *Quòd Curio, quum id feciſſet, dicebat amicis, ut illi renunciaretur, ſe obſtrigillaturum, ne triumphus decerneretur aut ne iterum fieret Conſul.* Inde *Obſtrigillator*, qui præ invidia aliorum progreſſus ac proceſſus impedit. *Varro*; *Æmulum illius artis atque obſtrigillatorem* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Hiſtoriam Aug. in Carin. c.* 20. & *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1165.

OBTRICUM, ſive OBTRICENSE, Amm. Marcellin. *l.* 20. oppid. olim Eburonum, ad Moſam, idem quod aliis Trajectum ſuperius, vulgò *Obtryck*. Nunc *Maeſtricht*. Vide *Trajectum ad Moſam*.

OBVERSIO, Græcè τρόπα, luſus puerilis genus, apud Pollucem *l.* 9. de quo infrà aliquid in *Tropei*.

in OBVIAM itionibus, coronæ olim datæ, ut videre eſt apud Etymol. Ἄβρ ἰδα, ubi de corona, quam Venus nexuiſſe dicitur, cùm *obviàm* ivit Baccho ex Media revertenti. Sic populus Edeſſenus, Juliano obviàm cùm proceſſiſſet, eumque in Urbem invitâſſet, obtulit ei coronam auream, quâ acceptâ Imperator Urbem ingreſſus eſt, apud Zoſimum *Hiſtor. l.* 3. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 11. ubi de *Coronis gratulatoriis*, ut & ſuprà, lemmate *Ingredi Regnum* & infrà, in voce *Occurſus*: plura autem de variis ritibus Veterum, in exceptionibus hujuſmodi, adhibitis, hìc paſſim. In ſpecie verò, de populi Hieroſolymitani feſta gratulatione, quâ advenienti Meſſiæ in occurſum, cum variis lætitiæ ſignis, proceſſit, infrà in voce *Oſanna*. Sed & *Obviatores*, inter Romanorum ſervos, ſuggerit Popma, qui *Adverſitores* quoque, quòd hero foris cœnanti *adverſùm irent*. & eum domum reducerent ac comitarentur. Terent. *Adelphis*, *Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 2.

> *Neque ſervulorum quiſquam adverſùm ierat.*

Per vias etiam de lapidibus, ne offenderet, monerent, uti patet ex *Mileſia* 2. Apuleii. Vide Tit. Popmam *de operis Servorum*, & ſuprà, ubi de more *Foris cœnandi* veter. Romanorum.

OBULCO, Hiſpaniæ Bæticæ urbs, *Ptol. Pontificenſe* vocat Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Sicura* dicitur *Nigro*. *Villanovanus Ullam* Hirtii *de Bell. Hiſp. c.* 3. 4. 5. putat. *Porcuna* ex *veteri Inſcriptione*, teſte *Morali*, urbs Vandalitiæ, inter Cordubam ad Occaſum & Giennium ad Ortum. Aliis fuit ad radices montium Marianorum. *Porcena* autem caſtrum regni Granat. 7. leuc. ab Almeria in Boream, Ilorcam verſus, 30. ferè ab Obulcone in Boream. *Baudrand.*

OBULTRONIUS Sabinus, ærarii, tempore Neronis, Quæſtor, qui jus haſtæ adverſus inopes inclementer exercuit, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 28. A Galba poſtea interfectus, *Hiſt. l.* 1. *c.* 37.

O. C. in notis antiquis *Ope conſilio* notat. Vide infrà.

OCÆLIA, Arabiæ portus, apud Solin. *c.* 53. ubi alii *Oceli*, nonnulli *Ocelis* legunt. Straboni ex *Artemidoro* Ὤκιλας dicitur, Plinio *l.* 6. *c.* 23. *Ocelis*, ut *Peripli* Auctori & *Ptolemæo* Ὤκιλις. Vide in voce *Ocelis*.

OCALEA, vel OCALE, Bœotiæ oppid. Homer. in Catal. navium. Eſt autem prope Haliam, ſic dicta à brevitate viæ à Theſpiis in Thebas, oppid. Ocaleæ proximum. Gentile *Ocaleus*.

OCCA, fluv. Moſcoviæ, haud longè à finibus Tartarorum Precopenſium exoriens, & Vorotiniam, Collugam, Cerpachum, Corſivam, Columam, Rhezaniam, Cazigorodiam & Murinam, præterlapſus, curſu in Arctum reflexô, auctuſque à Moſcua, Cleſma aliiſque fluviis in Volgam ſupra Novogradum inferius abit.

OCCA, Græcè βωλοκόπημα, inſtrumentum ruſticum, de cujus uſu mox. Ab *occædendo*, vel *occidendo*, quòd grandes terræ cædat glebas, *Feſto*: ab *occæcando* fruges ſatas, i. e. ſub terra occultando, *Ciceroni*. Aurea in minio, famil. Apelvoiſin, in Gallia, teſſera eſt, uti docet Phil. Jac. Spenerus *Artis Herald. parte ſpec. l.* 2. *c.* 77. §. 7. ubi de Ducis Montauſierii, rebus in bello geſtis & Seren. Delfini educatione inclyti, inſignibus. Agriculturæ enim inſtrumenta non rarò in Illuſtrium clypeis conſpici notum: ut quod vitæ genus nobiliſſimi olim non dedignati ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Vide etiam infrà *Raſtrum.* Hinc in carmine olim Flaminis Cerealis, poſt alios, de quibus infrà voce *Redarator*, invocatus *Occator*, de quo paulo infrà.

OCCAM Vilhelmus, Anglus, Theologus inſignis. Floruit A. C. 1330. fuit Ordinis Minorum, & Johannis Scoti diſcipulus. Excommunicatus à Papa, quòd quædam adverſus eum ſcripſiſſet, eôdem tempore, quô Marſilius Patavinus idem fecit, ad Ludovicum Bavarum Imperatorem æque excommunicatum, conſugit, ad quem, ô Imperator, dixiſſe fertur: Tu me gladiô defende à Papæ injuriis, ego te verbis ac ſcriptis defendam. Scoti dicta & ſcripti acerrime impugnavit. Vide Trithem. *de ſcript. Eccleſ.* & Lelandum, *in Collectan. de viris Illuſtr.* Addo, quòd dictus primò *Venerabilis inceptor*, dein *Doctor ſingularis*, tandem *Doctor invincibilis*, Scaligero *Lima veritatis*, quartæ Scholaſticorum ſectæ, poſt Albertiſtas nempe, Thomiſtas, & Scotiſtas, auctor fuit. Dicti autem ſunt, qui ejus inhærebant placitis, *Occamiſtæ*, item *Nominales*, quòd *Occam* cum Rucelino quodam Univerſalia mera eſſe nomina, nihil verò rei habere, contra Scotiſtas, defenderent. Vide ſuprà in voce *Nominales*, it. *Guilielmus*, & *Nicolaus*.

OCCARA *Antonini* videtur *Simlero Coara*, *Ptolemai*. Chalcidiæ regionis in Syria.

OCCARUS, fluv. Brunſvicum urbem alluens, quô obſtructô, Henricus Dux, urbi aquam immiſit, A. C. 1606. aggere tandem à tempeſtate ruptô, Thuan. *l.* 133.

OCCASIO, à Poëtis Latinis Dea fingitur, à Græcis Deus, Καιρὸς, rerum gerendarum opportunitati præſidens. Hujus ſimulacrum ita pingebatur, ut pennatis pedibus volubili rotæ inſiſteret, vertigine quâdam velociſſimâ ſe in orbem circumagens, priore capitis parte capilloſâ, poſteriore glabrâ. Quô commentô, Occaſionis brevitatem & inconſtantiam denotare voluerunt, quæ, niſi cùm primùm ſe offerat, arripiatur, ſtatim è manibus elabitur, nihilque nobis remanet præter pœnitentiam, quæ perpetua Occaſionis fingitur eſſe comes. De effigie ejus Auſonius *Epigr.* 12. Poſidippus, *in Epigramm.* Elias Vinetus, *in Auſon.* Balduini *Iconol. Nic. Lloyd.*

OCCATOR, unus ex divis agricolis Veter. ab *occatione*. Propriè autem dicebatur ager *poliri*, cùm *occabatur* raſtris vel crate; & hæc velut ſumma manus erat, quæ agro exercendo imponebatur. Unde *politiones agrorum*, & *politor*, qui agrum colendum conducebat, pro certa parte, *Dig. pro ſocio*, *ſi agrum politori damus*, ab hac ultima agri politura nomen accepit, quam his verſibus expreſſit Columella, *l.* 10.

Verùm ubi jam purô diſcrimine pectita tellus,
Depoſitô ſquallore nitens ſua ſemina poſcit.

Tum nempe *pecti*, *radi*, *poliri* tellus dicebatur, cùm *occabatur.* Uti enim in veſtimentis apud fullonem curandis, *poliri* tum ea dicebant, cùm pectine vel ſpinâ fulloniâ radebantur, quod ultimum erat fullonum ſive polientium experimentum: Ita in agricultura manus ultima poſitio, quæ *occatione* vel raſtris fiebat, quando Flamen ſacrum Cereale Cereri & Telluri faciebat, divos agricolas hôc ordine invocans, quô ſcil. & terra colebatur, *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor*, *Inſitor*, *Obarator*, *Occator.* Qui namque deinde ſequebantur, *Sarritor*, *Subruncinator*, *Meſſor*, *Conjector*, *Conditor*, *Promitor*, enatis jam frugibus locum habebant. *Occator* itaque ultimus erat agri colendi, ut Sarritor primus frugum jam naſcentium, quæ ſarribantur: *Nam*, ut ait ille, *priùs occant, quàm ſarriunt ruſtici.* Unde videntur veteres errâſſe Grammatici, qui *raſtrum* vertunt σκάφιον & σκαπάνην; hoc enim *rutrum* potiùs, quàm *raſtrum*, quod eradendæ potiùs & poliendæ terræ, quàm fodiendæ atque eruendæ, factum eſt. Græci λίστρον, ξυστῆρα, σφῦραν βωλοκόπον, inſtrumenta ruſtica vocant ad occationem apta: at *rutrum* propriè σκαπάνη ſeu σκάφιον, &c. Dicta autem eſt *Occatio*, quaſi *occæcatio*, ſecundùm Veteres, quòd eâ *occæcarentur* frumenta, h. e. ſub terra operirentur & occultarentur: uti Plinius triticum, hordeum, milium, panicum & reliqua ſemina, paſſim occari dicit, poſtquam ſcil. jacta ſunt. At apud Romanos non *occæcandis* ſatis, ſed comminuendis ac cædendis glebis propriè adhibebatur. Eam ſic circumloquitur Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 94.

Multum adeò raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſque trahit crates, juvat arva &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 728. & *ſeqq.* ubi multa egregia hanc in rem; è quibus hoc unum addo, nullam *occationem* Veteribus fuiſſe ante tertiam arationem. Frequentibus enim iterationibus adeò ſubigebant glebas, ut etiam *occationi* locus non eſſet poſt ſatas fruges. Hinc Columella *l.* 11. *c.* 2. *Veteres*, inquit, *Romani dixerunt ----- male ſubactum agrum, qui ſatis frugibus occandus eſſet.* Et Plin. *l.* 18. *c.* 19. *Malè aratur arvum, quod ſatis frugibus occandum eſt.*

OCCIA, ſeptem & quinquaginta per annos ſummâ ſanctimoniâ Veſtalibus ſacris præſedit; cùm lex miniſterio virginum tantùm annos triginta definiat. Obiit Tiberii principatu, qui in ejus locum Domitii Pollionis filiam, quòd mater ejus in eodem conjugio manebat, cepit, Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 86.

OCCIACUM, locus Galliæ, in Comitatu Forenſi, trans Ligerim, Monaſteriô S. Andreæ illuſtris; in quem cùm ex loco Bredone SS. Domitianus & Ragnebertus eſſent tranſlati, oppidum hoc veteri *Occiaci* appellatione depoſitâ, à S. Ragneberti tumulo novum accepit nomen, diciturque hodie *ad S. Ragnebertum*, vulgò *S. Rambert.* Quod diſtinguendum à Bredone olim, nunc ab Abbatiali Monaſterio *S. Ragneberti*, vulgò *S. Rambert de Beugey*, item *l'Abbaye de S. Rambert en Beugey* dicto, in pago Belicenſi, parte Brexiæ, in quo Sanctorum præfatorum cadavera, priuſquam *Occiacum* deferrentur, recondita fuêre. C. Laborator Præpoſitus Monaſterii Barbarcnſis, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OCCIDENS, apud Hiſtoricos, ſæpe ponitur pro Imperio Occidentis vel Occidentali, cujus origo hæc. Monarchia Romana ante Conſtantinum M. unica, ab hoc gemina quaſi facta eſt, & Imperium in Occidentale & Orientale diſtinctum. Moriturus enim Conſtantio minimo natu filio Orientis imperium aſſignavit, ſede ejus Conſtantinopoli fixâ: Conſtanti verò & Conſtantino, fratribus Conſtantii Occidentis imperium ceſſit, cui ſedes Roma, ſic ut huic ſors trans Alpes, Gallia, Hiſpania & Britannia, illi verò Italia, Africa, Illyricum & Græcia attribueretur. Ab eo tempore Oriens Græcos, Occidens Latinos Imperatores habuit, nempe ab A. C. 339. Similiter Valentinianus fratri Valenti Orientem commiſit, ipſe Occidentis rebus componendis intentus, A. C. 367. Gratianus quoque Theodoſium collegam lectum Orienti præfecit, ſibi & fratri Valentiniano Occidente vindicatô, A. C. 376. &c. Duravit id Imperium Occidentale uſque ad Auguſtulum, quô circa A. C. 476. ab Odoacro Herulorum Rege pulſô, Heruli, Gothi Longobardique rerum potiti ſunt, per ann. 300. His Exarchatus in Italia ab Imperatore Orientis oppoſitus eſt, per ann. 156. qui tandem Papis ceſſit, A. C. 743. Diviſionem hanc Imperii, Eccleſiæ quoque diviſio, in Occidentalem, & Orientalem ſecuta eſt. Vide *Sigon. Platinam, Baronium*, &c. Ab *Occidente*, *Occidentanæ* vel *Occidentaris*, dicti ſunt moduli Muſici, quibus *Occidentales* Eccleſiæ ſunt uſæ, cùm Græcorum Muſica, ſeu moduli, quibus Eccleſiæ Orientales utebantur, *Frigdoræ* dicerentur, quaſi *Phrygiodoria*, quia ex Phrygiis Doriiſque conſtarent, teſte Ekkehardô Decanô S. Galli *in Notkeri vita c.* 9. & Goldaſti *in eum Notis.* Sunt autem *Occidentanæ* cantus is, qui in Eccleſia hodieque obtinet Romana, & aliis qui Romanos ritus receperunt. Hunc primus in Eccleſiam Mediolanenſem introduxit B. Ambroſius: Poſteà illum, in Romana Eccleſia inſtituit Gregorius M. à qua Alamannicæ & Francicæ Eccleſiæ acceperunt. Sed cùm hic cantus longô temporis tractu apud Alamannos, ſive Germanos, magnoperè corruptus eſſet, veram poſtea Muſicam reſtitui neceſſe fuit, quod quô pactô effectui ſit datum, vide apud veterem Hugonis Reutlingenſis Interpretem, atque exinde Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* ut & in voce *Fridgoræ.* Interim veteres Chriſtiani ſic cantabant, quemadmodum Ambroſius ait *in Pſalmos*, *ut viciniores eſſent pronuntiantibus, quàm cantantibus*, neque minuritionum delitias ſectabantur. Proin qualem conveniat Eccleſiæ cantum eſſe, non incommodè nuper exponere eſt aggreſſus Gallus anonymus *Conſult. de Horis Canonicis p.* 69. & 70. apud Gerh. Joh. Voſſium *de Scientiis Mathem. c.* 21. §. 11.

ad OCCIDENTEM precandi ritus, Iſraëlitis olim in uſu fuit. Namque & Templi poſitio ejuſmodi erat, ut introitus ejus haberetur in parte Orientali, nullâ, in Occidentali, portâ admiſſâ: ejuſmodi ſitum quoque antea Tabernaculi fuiſſe, teſtatur Joſephus *Archæologiæ l.* 8. *c.* 2. Quô pactô alterutrum ingredientes, in Occidentem ſic verſi preces & ſacra peragebant. Eandem porrò poſitionem, Synagogæ quoque & Proſeuchæ Judæorum, tàm antè quàm poſt excidium, imitatæ ſunt, uti legimus apud Majemonidem *de Oratione c.* 11. §. 1. & 2. Sed verò nec poſitionis Templi ac Synagogarum in Orientem, aut precandi regulariter in Occidentem originem, Tabernaculi ſitui ita tribuunt Magiſtri, ut non multô eam faciant vetuſtiorem. Certè eandem ipſam deſignatam ajunt à Domino, cùm Abrahamum in terram Moriah, ut Iſaacum filium illic in Monte offerret, ablegabat, Gen. *c.* 22. *v.* 2. Abrahamumque ipſum tunc, ex diſciplina recepta, verſus Occidentem in monte precatum eſſe, i. e. verſùs locum, qui poſtea in Templo Sanctum Sanctorum futurus erat, vide 2. *Paral. c.* 3. *v.* 1. Rationem ritus affert idem Maimonides, quòd Gentiles *ad orientem* precari eſſent ſoliti; ut itaque populus Dei illis contraria poneret veſtigia, huic Occidentem verſùs precibus defungi tum fuiſſe injunctum. Quò facit illud Ezechielis *c.* 8. *v.* 16. *Ecce juxta oſtium Templi Domini inter veſtibulum & inter altare erant quaſi* 25. *Viri, quorum terga erant ad Templum Domini & facies eorum ad Orientem.* Hinc Vitruvius, velut pro norma ſui temporis & vetuſta, de ædibus Sacris conſtituendis ſecundùm regiones & mundi plagas, diſciplina tradit, eas ita conſtituendas eſſe, ut ſi nulla ratio impediret, Ædis ſignum ſeu Numinis ſimulachrum, quod erat in cella collocatum, ſpectaret ad veſpertinam cœli regionem; ut, qui adirent ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectarent ad partem cœli orientis & ipſaque ſimulachra viderentur exorientia contueri ſupplicantes & ſacrificantes, quòd aras omnes Deorum neceſſe eſſe videatur ad orientem ſpectare, *l.* 4. *c.* 5. adeoque regulariter ait, introitum cultumque eſſe debere ab Occidente in Orientem. Hyginus tamen, Auguſti libertus, *antiquos Architectos in Occidentem Templa ſpectare ſcripſiſſe: poſtea placuiſſe, omnem religionem eò converti, ex qua parte cœli terra inluminatur*, ait *l. de Limit. conſtit.* Quaſi mos adorandi verſùs Occidentem, adeoque templorum introitus ad Orientem ponendi haud minori fuiſſet apud tunc antiquiſſimos in uſu, quàm poſtmodum ſitus ille inverſus. Sed & Porphyrius de Templis Gentilium paulo ante Conſtantinum, plerorumque introitus ad Orientem fuiſſe, cultumque *ad Occidentem* præſtitum docet *l. de Antro.* Hermes verò apud Appulejum, pro diverſitate temporis diei, precantium ſitum diverſum fuiſſe, notat: *adyto egreſſi, cùm Deum orare cœpiſſent, in Auſtrum reſpicientes*: *Sole enim occidente, cùm quis Deum rogare voluerit, illuc dirigere tendere, ſicut & Sole oriente in eum, qui ſubſolanus dicitur.* At Scholiaſtes Pindari *Iſthmiac. od.* 4. *verſùs Orientem Diis, verſùs Occidentem Heroibus* ſacra facta obſervat: ex hiſce Poëtæ, de ſacrificio Herculis filiis præſtito:

Τοῖσιν ἐν δυσμαῖς αὐγᾶν
φλὸξ ἀνατελλομένα συνεχὲς
Παννυχίζει ——

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quibus in occaſu radiorum
Flamma exoriens aſſiduè
Pernoctat ———

Quæ utut ſe habeant, Clemens certè Alexandrinus, rituum Gentilium ſcientiſſimus, de Chriſtianis precationibus in Orientem fieri ſolitis, velut more hominum antiquiſſimô fundatis, Ὅθεν, inquit, καὶ τὰ παλαιότατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱςάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται, *Unde etiam Templorum antiquiſſima reſpiciebant ad Occidentem, ut, qui vultu ſtant ad ſimulachra converſò, doceantur verti ad Orientem.* Quam in rem vide plura apud Joh. Seldenum *de Synedriis veter. Ebræorum l.* 3. *c.* 16. De gentium verò Septentrionalium in Sacris ſitu, in vocibus *Luna*, item *Nox*.

OCCIMIANUM, caſtrum in Marchionatu Montisferrati, ubi vetuſta Marchionum Montisferratenſium habitatio ſedeſque fuit.

OCCISUM, à necato ſic diſtinguit *Feſtus*, quòd alterum à *cadendo*, ſive ictu fiat, alterum ſine ictu, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5. Horum jus perſequendi modus, Athenis alibique quis fuerit, vide ſuprà in voce *Homicidii cauſa*.

OCCITANIA, vulgò *le Languedoc*, provinc. Galliæ, inter mare Mediterraneum ad meridiem, & montes Arvernos ad Septentrionem Rhodanô in Provincia & Delphinatu in Ortum ſeparatur, Guiennam ad Occidentem habet. *Catello* prima Narbonenſis eſt, in diviſione Galliæ in 17. provincias ab Auguſto facta. *Cluverius* verò, *Marca*, alii, volunt Galliam Narbon. priùs Braccatam dictam comprehendiſſe Occitaniam, Sabaudiam, Delphinatum & Provinciam. Sirmondus, *notis in Sidon.* urbem & territorium Bliterarum Septimaniam dictum fuiſſe, à ſeptima Legione, & hinc toti provinciæ nomen hæſiſſe, ait. Alii cum Scaligero, *in Auſon.* hujus nominis originem arceſſunt à 7. provinciis: utraque Narbonenſi videl. utraque Aquitania, Novempopulania, Vienenſi & Alpeſtri maritima. Una eſt ex præcipuis Galliæ, fertilitate nulli ſecunda: Glaſti proventu ſibi peculiari inprimis nobilis. Olim ſub Romanis, ex fœderis occaſione, quod cum Provinc. Occitaniæ interceſſerat. Seculô 5. à Gothis occupata, Languedocia hinc dicta eſt, quaſi *Landt-Got*, terra Gothorum: ſede regni Tholoſæ conſtitutâ, unde dein ejus fines Ligeri-tenus propagârunt, ſub Erico ſeu Eurico, patre Alarici, quem Clodovæus magnus, prope Pictavium cæcidit. A Carolo M. poſtea præfecti huic provinciæ dati, Comites Tholoſani dicti ſunt, quorum primus Corſon, ſeu Torſinus fuit: Dux ab Aimonio & Bern. Guidone dictus, qui titulus etiam Launobodi conceſſus, de quo Fortunatus *l.* 2.

Launobodes enim poſt ſecula longa Ducatum
Dum gerit, inſtruxit culmina ſacra loci.

Item Deſiderio, in pugna contra Wiſigothos, occiſo; Auſtroaldo, &c. Secundus Comes fuit S. Wilhelmus *au Court-nez*, vel ſecundùm alios *aux Cornets*, unde cornu inter inſignia Principum Arauſionenſium, ab illo deſcendentium. Sub Ludovico Pio poſtmodum, Carolo Simplice, Hugone Capeto, &c. non exiguæ hic mutationum vices. Inter ultimos Comites eminuerunt, Hildefonſus, ſub cujus patrocinio Petrus Bruis, & Henricus Monachus, puriorem religionem docuerunt, circa A. C. 1150. ac Raimondus, Valdenſium ſeu Albigenſium, uti vocati tum ſunt veræ in Gallia doctrinæ confeſſores, defenſor ſtrenuus, circa A. C. 1210. Tandem Alphonſus, Comes Pictav. frater Ludovici IX. ductâ Johannâ, hærede Raimundi VII. cognomine Junioris, cum improlis, cum uxore, deceſſiſſet, Philippus Audax Comitatum ſibi vindicavit, A. C. 1271. Johannes Rex verò Coronæ uniit, unà cum Normannia, Burgundia, &c. Comites inter 6. Pares Laicos fuêre olim: Conventus Ordinum provinciæ quotannis habetur, & magnus eſt in illa hodieque Reformatorum numerus. Caput provinciæ Toloſa eſt: reliquæ urbes, Monſpelium, Narbona, Nemauſus, Carcaſſona, Bliteræ, Agatha, Uzetia, Albiga, (unde *Albigenſes*,) Mimata, Anicium, Vivario, Belliicarium, &c. Catellus *Hiſt. Com. Toloſ.* Marca *Hiſt. Bearn.* Bern. Guido, *de Com. Toloſ.* Sirmond. *ep.* 1. *l.* 3. *Sidon.* Iſac. Pont. *Itin. Gall. Narbon.* Nic. Bertrandus, *de geſtis Toloſ. Davity*, *Cluverius*, *Papyrius Maſſonius*, *Ducheſnius*, *Merula*, *Paſquierus*, *Bouchetus*, &c. Valeſio nomen habet à lingua *oc*, unde & *Languedoc* dictam vult, non ut quidam exiſtimant à Gothis, quaſi *LandGot*, ſeu *regionem Gothorum*; aut, ut *Nicoto* placuit, à *Lingua Gothica*, quaſi *Languegoth*, quemadmodum *Rabelæſius* vocat. Totum enim Franciæ Regnum olim in provincias Linguæ *ouy*, & Linguæ *oc* dividebatur (*de Langue d' ouy*, & *de Langue d' oc*) hincque provinciæ Narbonenſi primæ, ſive Septimaniæ aut Gothiæ, quæ una ex Linguæ *oc* provinciis erat, nomen *Linguadokii* remanſit, vulgò *Languedoc*. Unde nonnullis *Occitania*, aliis *provincia Linguæ Occitanæ* vocitata eſt. Hæc autem diviſio Franciæ in duas linguas illas facta eſt, cùm Vaſcones, Gothi ſive Septimani, Provinciales, Delphinates, aliique linguæ tortæ populi, ſed præcipuè Gothi, pro *ita* vel *utique*, dicere conſueſcerent *oc*, i. e. *hoc*: cœteri verò Galliæ populi *ouy* efferrent. In Guillermi Nangiacenſis *Chronici Append.* lingua hæc & regio *Linga Orcitana* corruptè pro *Lingua Occitana* legitur: *Quidam nobilis homo de Linga Orcitana, qui Renaldus de Normania vocabatur, Pariſius in platea Porcorum ſecuri judiciô Regis perimitur*: & ibidem *Barones de Linga Orcitana ac Toloſani* memorantur. In *Geſtis* quorundam Epiſcoporum Urbis Romæ, *Eô tempore*, (Clemente V. ſedente) *fuit in Regno Franciæ, & præſertim in Lingua Occitania cariſtia validiſſima*. In Innocentio VI. Pontif. *Johannes Armaniaci, Locum tenens Regius in Lingua Occitana dicitur*: & ibidem Johannes *Comes Pictavenſis, deputatus pro regimine patriæ Linguæ Occitanæ*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, ubi quoque obiter notat errare Andr. Chenium & Jac. Sirmondum, quum ſcribunt, provinciam hanc olim *Gothiam*, nunc *Linguadociam*, quaſi *Landgothiam*; i. e. *Terram Gothorum* vocari, propterea quòd primæ Gothorum ſedes in ea fuerint: cùm Valiam, Gothorum Regem pace factâ revocaverint ex Hiſpania Honorius Aug. Conſtantiuſque Patricius, eique ob egregias victorias de Alanis & Vandalis atque ob redditam Placidiam, Honorii ſororem, provinciam Aquitanicam II. Novem populos, & unam tantùm *Occitaniæ* ſeu Septimaniæ urbem Toloſam donaverint. Unde *Proſper* ſcribit, Monaxio & Plintâ Conſulib. *datam eſſe Gothis ſecundam Aquitaniam, cum quibuſdam civitatibus confinium provinciarum*: & Idatius auctor eſt, *in Chron. Gothos ſedes in Aquitania à Toloſa*, ſeu *à Garumna uſque ad Oceanum accepiſſe*. Ataulfus quidem Gothorum Rex qui Valiam ſucceſſorem habuit, Gallias ingreſſus, Narbonem *Septimaniæ* urbem circa vindemiam occupaverat, & ibi Placidiam uxorem duxerat. Sed poſt triennium Narbonem relinquere, & cum exercitu Hiſpanias petere à Conſtantio Patricio coactus eſt, ubi non multo pòſt à ſuis jugulatus interiit. Plura de hac provincia vide in voce *Septimania*, it. *Aquitania*.

OCCO Adolphus, ex Equeſtri familia, Oſterhuſæ Friſiæ Orientalis vicô natus, A. C. 1447. Poëta & Medicus inſignis, Rud. Agricolæ Groning. intimè familiaris, Sigiſmundo Archiepiſcopo Auſtriæ à cura ſalutis fuit. Obiit A. C. 1503. ætat. 56. Pater *Adolphi* Medici Auguſtani. Nepos ejus *Pompejus Alardo* Amſtelod. *Friſiæ decus* dicitur; cujus filio *Sibrando Pompejo* Aphthonius ſua Progymnaſmata dedicavit. *Freherus*.

OCCO Adolphus, Auguſtanus, nepos prioris ex filio cognomine, Medicus & Inſpector Pharmacopoliorum, edidit *Pharmacopœam Auguſtanam*, *Numiſmata Imperator. à Pompejo M. ad Heraclium uſque* &c. Obiit A. C. 1605. ætat. 81. Epitaphiô metricô ſibi ipſi ſcriptô, Freherus *Theatr. Viror. E.* Q.

OCCO, dictus *Scarlenſis*, à Pago in Friſia natali. Scripſit *Origines Friſiæ*, ſed fabulis non parum refertas. Ubbo Emmius, *hiſt. Friſ.* Suffridus Petri, *de Orig. Friſ.* Valer. Andreas *in Bibl. Belg.* Voſſ. *de Hiſtor. Lat. c.* 20. *&c.*

OCCULTATUS, nomen Jovis apud Ægyptios. Apud hos enim cùm peculiare huic Deo nomen eſſet *Amûn* ſive *Ammonis*, ut Græci & Latini extulère, eo *Occultatum* & *Occultationem* ſignificari Manethos Sebennita voluit, apud Plutarchum *de Iſid. & Oſir.* cui & iſta Templi Saitici Minervæ dedicati inſcriptio, cujus partem ſuprà attulimus, concordat *Ibid.* Καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Et meum peplum nemo adhuc mortalium detexit*. Quibus ſine dubio Veteres illi indigitare voluerunt, magis quid non ſit, quàm quid ſit Deus, ſciri poſſe, ut ſcitè Athanaſius *ad Solit. vit. ag. p.* 627. Εἰ μὴ δυνατὸν καταλαβέσθαι, τί ἐςι Θεὸς, ἀλλὰ δυνατὸν εἰπεῖν, τί οὐκ ἐςι, *Tametſi impoſſibile ſit, deprehendere, quid ſit Deus, tamen dicere poſſumus, quid non ſit Deus.* Qui videlicet, quod Auguſtin. dicit *Tom.* 1. *de Ord. l.* 2. *c.* 16. *ſcitur meliùs neſciendo.* Imo, *cujus*, ut idem denuo *dict. l. c.* 18. *nulla ſcientia eſt in anima, niſi ſcire quomodo eum neſciat.* In quem ſenſum Prudentius contra Symmachum diſputans, *l.* 2. *v.* 94.

Nam cùm divinis agimus de rebus & illum,
Qui vel principiô caruit, vel fine carebit, &c.

Et mox *v.* 97.

Conjectare animô contendimus, exigua eſt vis
Humani ingenii, tantoque anguſta labori.
Quippe minor Natura aciem ſi intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei ſecreta Supremi:
Quis dubitet victo fragilem laſſeſcere viſu,
Vimque fatigatæ mentis ſub pectore parvo
Turbari, invalidiſque hebetem ſuccumbere curis?

Quare meritò impudentiam proterviamque Aëtianorum increpat & irridet Epiphan. *Hær.* 76. *ſub fin.* jactantium, *Non ſimpliciter ſe nôſſe Deum, ſed velut cognoſcit quis omne viſibile, & quod manibus ſuis contrectat, velut ſi quis in manu accipiat lapillum aut lignum aut alterius cujuſdam materiæ inſtrumentum* &c. Vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Theolog. Gentil. purior. C.* 2. §. *ult.* atque ſuprà, in voce *Ammon*, *Hom* &c. uti *de occulentis maleficium pœna*, ubi de *Collo*.

OCCULTE ſcribendi modus, Cæſari uſitatus, cùm ſecretius quiddam Amicis per Epiſtolas ſignificatum iret, memoratur A. Gelliô *l.* 17. *c.* 9. ubi ait: *Libri ſunt Epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant. In his Epiſtolis quibuſdam in locis inveniuntur literæ ſingulariæ ſine coagmentis ſyllabarum; quas tu putes poſitas inconditè, nam ex his literis verba nulla confici poſſunt. Erat autem conventum inter eos clandeſtinum de commutando ſitu literarum.* Et paulò infrà, *de occulta hac literarum ſignificatione Epiſtolarum Caji Cæſaris*, Probum Grammaticum Commentarium ſatis curioſè feciſſe addit. Suetonius ejuſdem in *Cæſare c.* 56. meminit: *Extant Epiſtolæ ejus ad familiares domeſticis de rebus. In quibus ſi qua occultiùs quædam perferenda erant, per notas ſcripſit, i. e. ſic ſtructô literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet. Quæ ſi quis inveſtigare vellet, quartam elementorum literam D. pro A. & deinde reliquas commutet.* Idem Dio *l.* 40. refert, Εἰώθει δὲ καὶ ἄλλως, ὁπότε τι δι' ἀπορρήτων τινὶ ἐπέςελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ ςοιχεῖον ἀντὶ τοῦ καθήκοντος ἀντεγγράφειν, ὅπως ἀνανάγνωςα τοῖς πολλοῖς ᾖ τὰ γραφόμενα, I. e. *Conſueverat alioquin, ſi quid ſecreti cuipiam per literas ſignificaret, quartum ſemper elementum in ſcribendo pro eo, quod ſcribi debebat, ſumere, ne obvia literarum lectio cuivis eſſet.* Imitatum hunc morem Auguſtum fuiſſe, idem teſtatur Suetonius *in ejus vita, c.* 88. *Quotiès per notam ſcribit B. pro A. C. pro B. ac deinde eâdem ratione ſequentes literas ponit.* Item Dio *l.* 51. Ἐπέςελλε δὲ καὶ ἐκείνοις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς φίλοις, ὁπότε τι δέοιτο ἀπορρήτων τινὶ δηλῶσαι, τὸ δεύτερον ἀεὶ ςοιχεῖον τοῦ τῷ ῥήματι προσήκοντος ἀντ' ἐκείνου ἀντεγγράφων, I. e. *Si quid vel iis, vel aliis ſuis neceſſariis ſcriberet, quæ res eis erant ſignificandæ modô quôdam ſecretô, proximè ſequentem ſemper literam ponebat pro ea, quæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

exarari deberet. Sed totum hoc artificium *occultè* per literarum transpoſitionem ſcribendi, facillimè à quovis ſagaciore deprehendi poteſt, ut vix pro arcano quodam id haberi debeat: quod etiam de Laconum ſcytale, de qua *eod. c.* Gellius, judicant Eruditi. Imò Jul. Cæſar *Scaliger Exercit.* 317. *contra Cardan.* non dubitat, *merum id vocare delirium ac impoſturam.* Tutiores ſunt *occultè* ſcribendi modi, quos Recentiores excogitârunt, quorumque aliqui, à nemine, niſi arcani conſcio, ad quem Epiſtola perſcripta eſt, ullâ ratione detegi poſſunt. Imò, tales quoque, ut quis arcanum animi ſui conceptum per Epiſtolam abſenti artificii conſcio manifeſtare poſſit, ſine ulla ſecreti latentis ſuſpicione, ſi fortè epiſtolam intercipi contingat: de quibus videndus Illuſtriſſimus Guſtavus Selenus (i. e. Auguſtus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis) in *Cryptographia*, & Caſpar. Schottus *in Schola Steganographica:* quibus adde Trithemium *in Steganographia, quam Commentariô Sereniſſ. Selenus dignatus eſt*, Abr. Colornum *in Scotographia Italica*, Suenterum *in Steganographia aucta*, & qui reliquos antecellere videtur, Joh. Baptiſtam Portam *de Furtivis literarum Notis.* Vide quoque ſuprà in voce *Cifra* & infrà ubi de *Scribendi ratione.*

OCCULTI Hæretici, in Theologia Inquiſitorum Eccleſiæ Romanæ dicuntur, qui eorum, quæ ſunt fidei, habent errorem in mente, & proponunt habere pertinaciam in voluntate; ſed tamen verbô vel factis externè non oſtendunt. Vocantur etiam *Secreti*, it. *purè Intellectuales.* Cujuſmodi hæreticos non incidere in ſententiam excommunicationis, communis Doctorum eſt ſententia, à qua tamen Canoniſtas recedere, Joh. Royas docet. At qui hæreſin, quam corde concepit, verbô aut ſcriptô peperit, ſed clanculum & *occultè*, in ſententiam excommunicationis incurrit hôc ipſô, & pœnis hæreticorum obnoxius: adeoque ſi coram Inquiſitore fateatur hæreſin & pœniteat, occultè abſolvendus eſt. Cùm verò alios inficit, judicibus ſtatim judicandus eſt, ipſe autem ſe prodere non tenetur. Simancas *de Cathol. Inſtitut. tit.* 52. §. 3. 9. 11. 12.

OCCUPARE, in Circenſibus, de primi oſtii vel loci Agitatore, dicebatur. Sed plerumque eveniebat, ut is præ ſtudio obtinendi ac ſervandi primatus, prælaſſatis viribus equorum à ſequentibus vinceretur. Quod ut fieret, cauti agitatores in primis ſpatiis ſuſtinebant equos ſpiritumque ac vires eorum diſpenſabant, priuſquam ad finem venirent, ut integri & indefecti prægreſſos jam defeſſos opprimerent, & in flexu metæ ſeptimæ præverterent. Sin omnino is metam obtinuiſſet, & inoffenſô curſu ad ultimum ſeptimæ metæ flexum perveniſſet, dicebatur, *Occupavit & vicit*, uti legitur, in *veter. Inſcr.* quòd ſi, qui proximô ſeu ſecundô oſtiô mittebatur, eum prævertiſſet, dicebatur, *Succeſſit & vicit.* Silius, *l.* 5.

Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci, tantum ſed proximus ibat
Aſtur Panchates.

Sicut rurſus, ſi tertiô oſtiô miſſus victoriam conſequeretur, *Eripuit & vicit.* Quartô enim oſtiô miſſus rarò ad palmam perveniebat. Unde pro magno ponitur in *veter. Inſcr.* Circi, *quartô oſtiô miſſum viciſſe.* AGITAVIT XXIIII. MISSUS OSTIO IIII. CCLVII. Sic itaque ex merito loci *occupabat*, i. e. cœteros antecedebat agitator ille, qui oſtium illud primum ſortitus erat. Quod etiam ex inſigni loco Senecæ *in Troadibus v.* 1004. conſtare poteſt, ubi Hecuba Argivorum claſſi mala imprecatur,

——— *quid precor vobis? precor*
His digna ſatis æquora. Hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Mea precabor, cùm vehar, quidquid rati.

Et *v.* 994.

Me mea ſequantur Fata. Non pelago quies
Tranquilla veniat, ſæviat ventis mare,
Et bella & ignis, & mea & Priami mala.
Dumque iſta venient, interim hæc pœna in loco eſt,
Sorte occupavi, *præmium eripiant mihi.*

Quaſi diceret, in hoc ſtadio miſeriarum ac ſuppliciorum decurrendo, ſors mihi tribuit, ut prima eſſem & primo loco exirem, ac proinde cœteros anteverterem: ſed ipſis opto, ut præmium mihi eripiant, & licet tardiùs egreſſi, me tamen queant ſuperare & longè miſeriores, quàm ipſa ſum, evadere, palmamque in hujus ſtadii decurſu obtinere. Non ſemper verò qui *occupabat* beneficiô ſortis, primatum obtinebat, uti dictum; ſed tùm demum, cùm primatum ſorte acceptum ad extremum obtineret, neque ab ullo inſequentium præverteretur: unde *occupare* & *primatum obtinere*, diſtingui legimus apud Plinium &c. Vide hanc in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 904. 905. & 906.

OCCUPATIONE Simplici, dominium juxta Magiſtros plurifariam adquirebatur. Ejus autem jura maximè viſuntur, *in Bonis nondum occupatis, in rebus Deperditis ſeu Derelictis, in Proſelytorum ſine hæredibus defunctorum Bonis, in agro à Gentili Iſraëlitæ ſine ſyngrapha vendito* & *in Reliquiis eorum, quæ, ex lege ſacra in agrorum proventu & frugibus, Egenis relicta ſunt.* Et quidem quod *Bona nondum omnino occupata* attinet, ea occupantis fieri volunt. Nec ita diſſimile jus obtinuiſſe ajunt, ubi *Derelictæ* ſeu *Deperditæ res* in cuſtodiæ locum aliquem ſtabilem & occluſum, velut ædes, horrea, alia, antequam quis eas denuo occupaverat, devenerant: Ubi tamen diſtinguunt inter res ab Iſraëlita, Proſelyto & Gentili derelictas ſeu deperditas; Item inter res ita ſignatas, ut per ſigna ſibi ſingularia eas ſuas eſſe dominus probare poſſet (poſt præconium tertium & ſubinde quartum) atque eas, quibus nulla ejuſmodi ſigna. De prioribus dicunt, eum qui repererat, præconium facere obſtrictum fuiſſe. Erat autem præconi ſuggeſtus ſaxum quoddam, in ſuburbio Hieroſolymit. excelſum, è quo clamans hâc utebatur formulâ, מי שאבד לו בהמה, *Quiſnam eſt, qui jumentum aut pecus perdidit?* de cujuſmodi præcone vide Joſephum *Archæolog. l.* 4. *c.* 8. Quòd verò *Proſelyti Juſtitiæ, ſine hæredibus obeuntis, Bona* occupanti eſſe conceſſa tam ſignanter tradunt, inde eſt, quòd cognationem ejus priſtinam abolitam eſſe judicârunt: Hinc enim ſequebatur, ei nullos fuiſſe ex priſtina illa cognatione hæredes. Porrò, *Agrum* quod concernit à *Gentili emtum*, idque *ſine ſyngrapha*, quam שטר vocant, in ditione ſcil. Iſraëlitica; pro jure habent receptiſſimo, nec Iſraëlitam ad Gentilem, neque hunc ſive ad Iſraëlitam, ſive ad Gentilem, fundum, utcunque ex contractu pretium ſolveretur, ritè tranſtuliſſe, niſi etiam ſyngrapha interveniret. Et quidem Iſraëlitæ ſic vendenti manere volebant dominium, uſque dum fieret ſyngrapha. Gentilis autem vendentis dominium, poſt acceptum pretium, planè deſiiſſe, ſed ementis, quia ſyngrapha deerat, non incepiſſe; adeoque ſic fundum patuiſſe Iſraëlitæ *occupanti*, à quo tamen pretium ei, qui Gentili ſolverat, refundendum erat. De *jure* tandem *Egenorum*, res notiſſima. *Occupationis* verò titulus, quô ſecluduntur cœteri univerſi ab eo, quod pariter univerſis ante occupationem competebat (jus ſcil. occupationis ejuſmodi in univerſis æquale) ortum ſub initiis aut inſtauratione rerum, ſub Noachidis primis, ut videtur, habuit: nec ſine conſenſu & interpoſita fide, quæ ad poſteros propagata eſt, de eo admittendo, quoties res aut nondum fuerint poſſeſſæ, aut nullius in bonis eſſe cœperint, uti patet ex Gentium diviſione, in Geneſi & Teſtamento, quod Noacho tribuitur, apud *Euſebium.* Et de Noachidis illis primævis, Euſtathius Alexandrinus *in Hexaëm. p.* 51. Ἕκαστος, inquit, τὴν προσυγχάνουσαν γῆν κατελάμβανεν, *unuſquiſque terram ſibi primò obviam occupavit.* Quemadmodum & Joſephus ubi de Japetidis loquitur & de Europa, *Archæolog. l.* 1. *c.* 7. Ἣν ἔτυχον, ait, καταλαμβάνοντες καὶ μηδενὸς προκατῳκηκότος, *Quam* occupârunt, *etiam nemine antè ibi ſedes habente* &c. Vide hanc in rem plura, apud Joh. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Ebræor. l.* 6. *c.* 4.

OCCURSUS, apud Claudian. *l.* 1. *v.* 123. ubi de decrepito Eunucho Eutropio,

——— *cùm pallida nudis*
Oſſibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor & macies occurſu *læderet omnes:*

omen eſt; Ita enim mox,

Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.

Et quidem inviſum. Hinc de tali Stat. *Theb. l.* 11. *v.* 669.

——— *abi victoribus omen*
Inviſum ——— ———

Ita in *eodem l. v.* 751. Oedipum *occurſu* pia templa domoſque læſurum dicit. Ad quæ loca *Scholiaſt. Malum occurſum dicit, Cæcum & abſurdum hominem.* Atque ſic Philemon Comicus apud Theodoretum *Serm.* 6. Οὗτος, inquit Theodoretus, ὁ ποιητὴς καὶ τοὺς οἰωνοῖς ἢ κληδόσι χρωμένους κωμῳδῶν, ἔφη·

Ὅταν ἴδω παρατηροῦντα, τίς ἔπταρεν,
Ἢ τίς ἐλάλησεν, ἢ τίς ἐστιν ὁ προσιών
Σκοποῦντα, ἀπολῶ τοῦτον εὐθὺς ἐν ἀγορᾷ.

Eodem ſenſu *occurrere* legitur, apud Senec. *Apocolocynth. Puſillum, quem non ſubperturbatur, ut illum vidit canem nigrum, villoſum, quem non velis tibi in tenebris occurrere.* Vide quoque Auctorem Declamationum, fortè Poſthumium Cæſarem *Declam.* 1. At prudentis bonique hominis *occurſus*, contrà felicitatem præferre dicebatur. uti de Philippidis occurſu obſervat Plut. *in Demetrio:* Vide de variis *occurſibus*, Zebelem, quem inſcribunt *Onirocritica*, Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. d. l.* ut & hîc paſſim, inprimis infrà voce *Omen.* Atque hic fortuitus, alius honoris vel officii causâ debitus *Occurſus* eſt, qui, ſi negligatur, contemtus, ſuperbi vel inimici animi, ſignum haberi ſolet, ut notum. Hinc Abiſari, occurſum deprecanti, Alexander juſſit nuntiari, *ſi ad ſe gravaretur venire, ipſum ad eum eſſe venturum*, apud Curtium *l.* 9. *c.* 1. Vide Cicer. *l.* 3. *Fam. Ep.* 7. Caſaubonum *ad Caligulam Suetonii, p.* 434. 435. Alios: nec non ſuprà ubi de *Obviam itionibus.*

OCEANI Oſtium, vide *Fretum Herculeum.*

OCEANI Solium, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro: c.* 25. *Opera veterum Principum inſtauravit, ipſe nova multa conſtituit: in his thermas nominis ſui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus thermis ſuis --- fecit. Oceani ſolium primus inter Principes appellavit, quum Trajanus id non feciſſet, ſed diebus ſolia deputaſſet.*

OCEANUS, Cœli & Veſtæ filius, maris Deus, maritus Tethyos, fluviorum, fontiumque omnium pater; ſic dictus ab ὠκύς, quod eſt *velox*, quod præter Servium teſtatur Solinus *c.* 36. his verbis: *Nam* Ὠκεανὸς, inquit, *quem Græci ſic nominant à celeritate, &c.* Aliter *Suidas*, Ὠκεανὸς, παρὰ τὸ κέω, χέω. Phœnices autem in navigationibus ſuis, per mare illud vaſtiſſimum, quo terram circumquaque cingi deprehenderunt, חוג Og ſuâ linguâ vocavêre, i. e. *mare ambitus.* Unde Græcis vox Ὠγὴν, quod Oceani fuit priſcum nomen. *Heſych.* Ὠγὴν, Ὠκεανός. Sic *in Alexandra* Lycophronis:

Γραῖαν ξύνευνον Ὠγήνου Τιτανίδα.

Et Pherecydes Syrus, apud Clem. Alex. *Strom. l.* 6. Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλὸν καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει Γῆν καὶ Ὠγῆνον, καὶ τὰ Ὠγήνου δώματα, i. e. Oceani. Sanè חוג in Scriptura verbum Geographicum eſt, Eſai. *c.* 40. *v.* 22. *Qui ſedet ſuper* חוג Og *circulum terræ.* Proverb. *c.* 8. *v.* 27. *Cùm conſtitueret* חוג Og *circulum ſuper faciem abyſſi.* Vide Job *c.* 26. *v.* 10. Porrò *Oceanum* veteres rerum omnium patrem vocârunt, quia cuncta ex humiditate conſtare ſuſpicabantur. Id quod etiam *Metaphyſ. l.* 1. annotatum ab Ariſtotele, & Thaletis reſpicit ſententiam, qui principium rerum ponit aquam. Hinc fortè & *Orphei* illud:

Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρέσβυστον ἁπάντων.

Home-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Homerus quidem diſertè canit, *Il.* ξ. *v.* 201. 302.

> Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Et *Il.* φ. *v.* 126. ad nominis etymon veluti alludens:

> Ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
> Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι.

Eâdemque de cauſâ Ποσειδῶνα γενέθλιον, vocat *Apollonius.* Obſervatu dignum hôc locô, Maris Atlantici nomen olim multò latiùs acceptum, quàm nunc accipi ſolet. Legimus enim apud Macrob. *l.* 2. *in Somn. Scipionis*, *c.* 3. *omnem terram, quæ colitur à nobis, Atlanticô mari circumfundi.* Et *Strabo* ſcribit, Indiam cetinere in mare Orientale, & in Auſtrinum, Atlantici partem. Sanè *Suidas* omnia maria navigabilia *Atlantica* vocari ſcribit. Et Ariſtoteles *l. de Mundo*, modò ejus ſit, Τὸ δὲ πέλαγος τὸ ἔξω τῆς οἰκουμένης Ἀτλαντικὸν καλεῖται, καὶ ὁ Ὠκεανὸς περιῤῥέων ἡμᾶς. *Herodot.* quoque tantùm duo univerſi maris nomina novit, cùm *Atlanticum* mare & *Rubrum*, tum quod Græci navigant, dictum poſtea *Mediterraneum*, unum eſſe, & idem ſcribit, *Caſpium* verò eſſe alterum. Quô ſenſu fortè Zoſimus Rhenum ſe in Atlanticum mare exonerare tradit, quod hodie *Germanicum* vocatur. Sic enim ille *l.* 3. *p. m.* 706. Τοῦ Ῥήνου πρὸς ταῖς τῆς Γερμανίας εἰς τὸ Ἀτλαντικὸν πέλαγος ἐκδιδόντος. *Oceanus* autem, interdum ponitur pro *Aëre*, unde Veteres Critici Heſiodi illud in Ἐργ. *v.* 169.--- παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην, hic pretari primò omnium videntur ἐν τῷ ἀέρι; poſtea verò vocem Ὠκεανοῦ ita ſumpſerunt, tanquam per ſe τὸν ἀέρα deſignaret. Unde *Heſychius*, Ὠκεανὸς, ἀὴρ, θάλασσα. Idem Ὠκεανοῖο πόρον, τὸν ἀέρα εἰς ὃν αἱ ψυχαὶ τῶν τελευτάντων ἀποχωροῦσι. Atque hinc Heroas ſuos, qui παρ' Ὠκεανὸν conſtituuntur, *Aëris in lætis campis* conſtituit Maro *l.* 6. *Æn. v.* 887. At Græci interpretes, magno ſe ἀτοπήματι traduxerunt, cùm παρ' Ὠκεανὸν vertunt κατὰ τὸν Ὠκεανὸν, quod & reliqui ſecuti ſunt. Meliùs multò & prudentiùs Silius Italicus *ultra Oceanum* reddidit. Sic enim ille *l.* 13. *v.* 554.

> *Verùm ultra Oceanum ſacro contermina fonti*
> *Lethæos latices, & ſacra oblivia potat.*

Vide Heinſium *ad Heſiod. p.* 36. *Nic. Lloyd.*

OCEANUS, qui *l' Ocean*, ſeu etiam *la mer Oceane* Gallis, *el mar Oceano* Hiſpanis, *il mare Oceano* Italis, non ſolùm Europam, Aſiam, & Africam alluit, ſed etiam Americam utramque, ſeptentrionalem & meridionalem, uti terras Arcticas & Antarcticas. Duplex eſt in America, nempe Borealis, vulgò *mer de Nort*, qui totius Americæ orientalem partem lavat; & Auſtralis, ſeu mare Auſtrinum, *mer de Sud*, quod aliter Pacificum, *mer Pacifique*, & Americæ occidentalem partem lavat; & ſic dictum, quia primum ad auſtrum detectum fuit reſpectu maris Borealis. His duabus partibus Oceani novi Orbis addita fuit tertia, nempe mare Magellanicum, *mer Magellanique*, verſùs fretum Magellanicum & regionem cognominem. In Europa autem, Aſia, & Africa multiplex eſt; ſed præcipue reducitur ad quatuor partes ampliſſimas, nempe ad Oceanum Septentrionalem ſeu Glacialem & Scythicum verſùs Boream, ad Oceanum Eoum, ſeu Indicum ad ortum, ad Oceanum Atlanticum in occaſum, & tandem ad Oceanum Æthiopicum verſùs meridiem. Sed de ejus partibus vide infrà.

OCEANUS Æthiopicus, vulgò *Ocean Ethiopien* dictus, eſt verſus oram meridionalem Africæ.

Aquitanicus, inter oſtia Ligeris & pirenen, *mare di Guaſcogna*; extenditurque verſùs oram Aquitaniæ.

Arabicus, (Vide *mare Rubrum*) *mare di Arabia.*

Atlanticus, (Vide *mare Atlanticum*) *mare d' Africa occidentale.*

OCEANUS Auſtrinus, ſeu *mare Auſtrinum*, vulgò *mer du Sud*, dicitur aliter mare Pacificum, verſus partem occidentalem Americæ. Vide *mare Auſtrinum*, & *mare Pacificum.*

Azanius, Vide *mare Azanium.*

OCEANUS Barbaricus, vulgò *mer de Zanguebar*, pars eſt Æthiopici, verſùs oram orientalem Africæ.

OCEANUS Borealis, ſeu *mare Boreale*, vulgò *mer de Nort*, verſùs orientalem partem Americæ. Vide *mare Boreale.*

OCEANUS Braſilicus, vulgò *mer du Breſil*, juxta Braſiliam regionem Americæ meridionalis. Vide *mare Braſilicum.*

OCEANUS Britannicus, vulgò *le Manche*, Gallis, *The British ſea*, Anglis, *het Canael*, Belgis, eſt inter fretum Gallicum & Goborum promontorium, ſeu inter Galliam & Angliam.

OCEANUS Caledonius, vulgò *The deucalidon ſea* Anglis, *mer d' Eſcoſſe* Gallis, ſeu *Ocean Caledonien*, inter Scotiam & Iſlandiam.

OCEANUS Canadenſis, vulgò *mer de Canada*, ſeu *de la nouvelle France*, juxta Canadam ſeu novam Franciam regionem Americæ ſeptentrionalis. Pars eſt maris Borealis.

Cantabricus, à Pyrene ad Nerium promontorium, *mare di Biſcaya*, Italis, *mer de Biſcaye*, Gallis, partem Borealem Hiſpaniæ rigat.

Cronius, pars maris Septentrionalis, nunc *mer de Petzora* dicitur, ſeu *mer Glaciale*, Gallis *Mourmanſkoy more*, Ruſſis.

Deucaledonius, Vide *Caledonius*; nam idem eſt.

OCEANUS Eous, vulgò *Ocean Oriental*, ſeu *mer da la Chine* dicitur, & Sinas alluit.

Gaditanus, inter fretum Herculeum & mare Atlanticum, *mare di Cadiz*, verius eſt ſinus; diciturque ſinus Equarum, *Golfo de las Yeguas*, Hiſpanis.

Gallicus, vide *Aquitanicus*, quo paulò plus patet, Aremoricos alluens, Galliam alluit ad occaſum, & *mer de France* dicitur.

Germanicus, inter oſtia Rheni & promontorium Cimbrorum. *Ocean Germanique* Gallis, *die Noort zée* Belgis, extenditur inter fretum Gallicum & Rubeam promontorum.

Glacialis, pars maris Septentrionalis, Scandinaviam alluens, *mer Glaciale*, vulgò.

Heſperius, poſt Atlanticum, uſque ad frontem Africæ. Gallis, *mer de Guinée*, eſt inter Atlanticum & partem occidentalem Oceani Æthiopici, cujus pars eſt.

Hybernicus, inter Hiberniam & Britaniam, *mare d' Irlanda*, Italis, *mer d' Irlande*, Gallis, *The Irish ſea*, Anglis dicitur, ſub quo Verginius Oceanus.

Hyperboreus, pars ſeptentrionalis inter Cronium & Scythicum. Gallis, *mer de Petzora* & *de Moſcovie* dicitur, qui Sarmaticus aliis.

Indicus, (Vide *mare Indicum*,) inter Rubrum & Eoum, *Ocean Indien*, ſeu *mer des Indes*, Gallis, *Oceano de las Indias*, Luſitanis. Indiam alluit, eſtque pars Oceani Orientalis.

Libycus, idem Atlantico & Heſperio, *mer du Cap. Verd*, Gallis.

OCEANUS Magellanicus, ſeu *mare Magellanicum*, vulgò *mer Magellanique*, verſus regionem cognominem & partem auſtralem Americæ meridionalis. Vide *mare Magellanicum.*

OCEANUS Mexicanus, ſeu *mare Mexicanum*, vulgò *mer de Mexique*, verſùs novam Hiſpaniam, regionem Americæ ſeptentrionalis. Vide *Mexicanum mare.*

Occiduus, vulgò *mare di Portugallo*, Hiſpaniam ad occaſum alluens. Aliàs Atlanticus, *Ocean Occidental* dicitur, ſeu *Ocean Atlantique*, verſùs oram occiduam Africæ & Europæ. Ejus pars etiam *mer de Portugal* vocatur.

OCEANUS Pacificus, ſeu *marè Pacificum*, vulgò *la mer Pacifique*, ſeu *la mer de Sud*, in America. Vide *Oceanus Auſtrinus*, & *mare Pacificum.*

OCEANUS Perſicus, vulgò *mer de Perſe*, Perſiam alluit inter ſinum Perſicum & oſtia Indi fluvii.

OCEANUS Peruvianus, vulgò *mer du Perou*, juxta Peruviam regionem Americæ meridionalis.. Pars eſt maris Auſtrini ſeu Pacifici.

Rubrum mare, Vide *Oceanus Arabicus*, vulgò *mer d' Arabie.*

Scythicus, pars Septentrionalis inter Hyperboreum & Sericum, *mer de Tartarie*, ſeu *des Kaimachites* nunc dicitur.

Septentrionalis, Scandinaviam, Sarmatiam, & Scythiam alluens, in Boream extenditur ſupra Norvegiam, Moſcoviam, Tartariam, & novam Zemlam.

Sericus, inter Scythicum & Eoum, *mare del Catay*, ſeu *de Jedzo.*

Virginius, ſeu Verginius, (Vide *mare Virginium*,) vulgò *mare d' Irlande.* Pars eſt maris Hibernici.

OCEANI NOMINA ALIO ORDINE PER CIRCUITUM:

Gaditanus, *Golfo de las Yeguas.*	Septentrionalis, *Ocean Septentrional.*
Atlanticus, *mer Atlantique.*	Glacialis, *mer Glaciale.*
Heſperius, *mer de Guinée.*	Cronius, *idem Glaciali.*
Æthiopicus, *mer d' Ethiopie.*	Germanicus, *mer d' Allemagne.*
Barbaricus, *mer de Zanguebar.*	Caledonius *mer d' Eſcoſſe.*
Arabicus, *mer d' Arabie.*	Virginius, Vide *Hibernicus.*
Perſicus, *mer de Perſe.*	Hibernicus, *mer d' Irlande.*
Indicus, *mer des Indes.*	Britannicus, *le Manche.*
Eous, *Ocean Oriental.*	Gallicus, *mer de France.*
Sericus, *mer de Jedzo.*	Aquitanicus, *mer de Gaſcogne.*
Scythicus, *mer de Tartarie.*	Cantabricus, *mer de Biſcaye.*
Sarmaticus, *mer de Moſcovie*	Occiduus, *Ocean Occidental,*
Hyperboreus, *mer de Petzora.*	

inde Gaditanus. Unde inchoatum eſt.

OCEANUS, apud Martial. *l.* 3. *Epigr.* 95. *v.* 9.

> *Eſt & in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,*
> *Et ſedeo quà te ſuſcitat Oceanus.*

Nomen eſt Deſignatoris Theatralis, cujus erat diſponendis ordinibus in Theatro præeſſe, & amovere è XIV. gradibus, qui Equites non eſſent. Ejus meminit idem *l.* 5. *Epigr.* 24. *v.* 4.

> --.--- *Oceanum certior audit Eques.*

Et *l.* 6. *Epigr.* 9.

> *In Pompejano dormis, Lævine, theatro;*
> *Et quereris, ſi te ſuſcitat Oceanus.*

OCEANUS, inter antiqua Nili fluvii nomina, Vide ſuprà *Niloa.*

OCELENSES, Luſitaniæ populi *Lancienſes*, Plinio *l.* 4. *c.* 22. Vide *Lancia.*

OCELIS, *Ptol. Ocila*, Plinio, *l.* 2. *c.* 19. *Acila*, *Straboni*, urbs & emporium Arabiæ Felicis ad Fauces ſinus Arabici à Mochurâ, ſive, ut nunc vocatur Mecchâ 40. mill. paſſ. *Zidem Nigro. Capo de Celi Rhamuſio.* Quibuſdam *Zibit*, oppid. amplum. Aliis eſt Caſtellum Alherda, 170. mill. paſſ. à *Zibit* in meridiem, 180. ab Adeno in Occidentem; longe à Meccha & Ziden in Occidentem.

OCELLA, inter cognomina Romanorum, quod Galba Imperator à noverca adoptatus aſſumſiſſe legitur, apud Sueton. *in Eo c.* 4. Ei origo an ab *ocellis*, propter oculorum parvitatem, an ab ὀκέλλω, *navem appello?* Certè vetuſtiſſimum & apud Græcos *Ocelli* nomen, uti docet Caſaubon. *ad loc.* qui & *Ocellatas Sorores*, in *Domitiano* ejuſdem Autoris *c.* 8. obſervavit.

OCELLATI ſeu OCELLI, littorales lapilli *oculi* ſpecie nitentes, Veterib. dicti ſunt, cujuſmodi *ocellatis nucibuſque ludere* conſueviſſe Auguſtum, Suetonius memorat *c.* 83. ubi Caſaubon. conſuetas olim pueris puelliſque has luſiones notat, & Græcis καλλαΐγας appellari hos globulos (quos tamen eburneos quoque & ex alia materia fieri ſolitos addit) docet. Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 260.

> ---- ----- *modò grata puellis.*
> *Munera fert illi conchas, tereteſque lapillos* &c.

Meminit hujuſmodi lapillorum quoque Plin. *l.* 37. *c.* 8. ubi de Callaide, *Utrobique autem in rupibus inviis, ac gelatis oculi figura extuberans leviterque adhærens.* Eſt & gemma, quæ vocabatur *Beli oculus.* Idem Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Beli oculus albicans pupillam cingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur*, &c. Iidem *Nympharum oculi* Græcis dicti ſunt, & *lumina*, cujuſmodi lapillorum Caligula cùm magnam vim in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Oceani littore à militibus armatis legi juſſiſſet, armatus & ipſe, finxit, *non ex hominibus, ſed ex cœleſtibus ſpolia cepiſſe*, ut Victor. *c.* 3. habet. Qua de re ſic Sueton. *in Calig. c.* 46. *Poſtremò quaſi perpetuaturus bellum, directâ acie in littore Oceani ac balliſtis machiniſque diſpoſitis nemine gnaro & opinante quidnam cœpturus eſſet, repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit. Spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita.* Ubi *conchas* tantùm memorat, Victor verò addidit *umbilicos*, h. e. teretes lapillos, ad inſtar umbilici, quos pariter cum conchis Cicero *l.* 2. *de Orat.* & Val. Max. *l.* 8. *c.* 8. junxêre. Vide ſuprà, ubi de *Nympharum Ocellis*, infrà voce *Umbilicus*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 704. & 705.

OCELLI, promontor. Angliæ, *Holderneſſe Camdeno*, cujus extremitatem *Spurnhead* vocat.

OCELLI Veſtium, Hebræis dicuntur maculæ rotundæ, acu plumarii intextæ: unde verbum שבץ, *veſtem oculare, & opere plumariô oculos veſtibus intexere*, & תשבץ, *quod oculatum eſt & oculis intextum.* Sed & Latini *oculos*, iſtiuſmodi veſtium notas vocavêre. Unde *veſtes purpurâ oculare*, apud Tertullian. *de Pudic. Sed enim pleroſque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in veſtibus purpura oculandis ſæpiſſime evenire eſt:* pro *purpurâ clavare.* Sunt enim idem *ocelli* ſeu *oculi* hi, quod *clavi*; qui aliter *ſigna, notæ, plumæ* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino. c.* 20. Vide quoque hic paſſim.

OCELLUS Lucanus, antiquus Philoſophus, ſcripſit librum de univerſi natura, cujus textum è Græco in Latinum tranſtulit, collatiſque (ut ait ipſe) multis exemplaribus etiam MSS. emendavit, paraphraſi, & commentariô illuſtravit Car. Emmanuel Vizzanius. A. C. 1546. Fuit is ex ſectatoribus Pythagoræ, qui ante Platonem floruerunt, quales etiam Architas, Philolaus, Parmenides, diciturque librum ejus περὶ Παντὸς priſcæ & reconditæ eruditionis Ariſtoteles compilâſſe. *Decus Italiæ* vocat Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 3. *c.* 11.

OCELLUS, nomen floris eximii, *Oeillet*, de quo ſic Franc. Pomey, *Ocellus, anne ſic dictus, quòd in ejus aſpectu blandiſſimè acquieſcat oculus, an quòd ipſemet ſit hortorum oculus & ornamentum? Nihil certè ſpectare oculus poſſit, vel ejus formoſius formâ; vel colorum, quibus effulget, varietate, pulchrius; vel foliorum, quibus contexitur, nitore & compoſitione concinnius. Compacta hæc folia ſunt, adjunctaque aliis alia, tam ſcitè, atque ordinatè, ut ab extremo inter ſe connexa, ſuumque inſerta in calyculum, erumpant ſenſim, diffundantque ſe molliter in orbem, limbis denticulatim inciſis* —— Porrò, *nihil illo picturatius, nihil ejus colorum varietate diſtinctius. Micat videlicet in* Ocellis *unis nunc niveus Lilii candor, nunc Roſæ rubor igneus, nunc Amaranthi livens purpura, aut Renunculi coccinum, aut Anemones oſtrum, aut conchylium Iridis, aut Coluteæ amethyſtus, aut horum omnium miſtura colorum; qui modò compuncti in apices, modò virgati in tæniolas, modò in vittas intertexti, florem ſic comunt ---- Quid dicam de odoris, quem ſpirat, ſeu ſuavitate, ſeu vi, tam prope accedentis ad Caryophyllum, ut nomen inde Caryophyllei floris factum illi fuerit apud vulgus. Foliane memorabo, in longum promiſſâ, peneque carentia latitudine? Caulemne loquar, variis geniculis nixum, humôque aſſurgentem ad binos ternoſve pedes: Is, tenuis licèt, hæret tamen ----- firmus adeò, ut non unum modò, ſed* Ocellos *ferat ſæpius plurimos, ſuſtineatque cum dignitate.* Hactenus ille *Deſcript div.*

OCELLUS Indicus, Gall. *Oeillet d' Inde*, nomen itidem floris, quem, *niſi terrâ enaſcentem cerneremus ----- & cæterorum more ſurgentem ſolô, quis Florem crederet, ac non potiùs circùm inciſam eleganti opere, ex auro criſpo, ſphærulam? Sanè, non æquè ſpecioſè flaveſcit aurum, nec globus fingi flammeus poteſt, vel ſplendore micantior, vel formâ rotundior, formoſiſſimô iſtô flore. Scapus lignoſus, in ramuſculos circumquaque fruticans, è cujuſque apice, aureos elicit calyculos, qui brevi ſe diffundunt, coguntque in luteum globum. Foliis mirè attenuatis luxuriat lacinioſus. Cæterùm deſciſcit quandoque ---- grati aliunde odoris expers, degeneratque ab nativa indole, ſtaturam deprimit, ſpeciem deperdit, folia decurtat, eorumque numerum diminuit, ſic, ut ſena, ſeptenave duntaxat, triſtiùs flaveſcentia, medium ex eodem colore glomum ambiant.* Idem *ibid.*

OCELUM, à Jul. Cæſare, *Comm. l.* 1. *c.* 10. dictum oppid. citerioris provinc. extremum, vulgò *Eſilles*, teſte *Vigenereô*, oppid. Alpinum Galliæ Narbonenſis in confinio Taurinorum. Aliis eſt *Oulx*, Italis *Ours*, pagus paulo remotior; *Ocey Ferrario* in finibus Sabaudiæ. Aliter *Baudrand. Ocelum*, oppid. Brigantiorum, *Exilles* eſt inquit, caſtrum probè munitum Delphinatus, ad Alpes Cortias, ad Doriam fluv. in ipſo limite Pedemontii, in valle Duriæ Seguſini, vix 6. mill. paſſ. à Segaſio in Occaſum, uti 5. á Brigantio in Ortum. Hadrian. Valeſ. *in Notit. Gall.* locat inter montem Matronam ſeu Genebram, & Seguſium, ſed huic propius facit.

OCELUM, quod *Ocellum Durii Antonino*, *Ocelis Appiano*, oppid. ſeu pagus Hiſpaniæ Tarraconenſ. in finibus Arevacorum, nunc caſtrum munitum, ad Durium fluv. ubi recipit *Tormes* fluv. in regno Legionis, in ipſo limite Portugall. 6. leuc. infrà Mirandam in Africum *Fermoſello*, teſte *Baudrand*. Item oppid. Hiſpaniæ in Callaicis mediterraneum *Otero de Oey*, *Moletio*. Aliis *Mondonedo*, urbs Epiſcopalis Gallæciæ, aliter *Mindonia*, 4. leuc. ſupra caſtrum *Otero del Rey*, in Boream.

OCETIS, inſula maris Deucaledonii Scotiæ adjacens apud Orcada promontor. *Hethy Camdeno*, *Sandes* aliis. *Ranaldſda Ortelio* ex *Lhuydo*. *Baudrando* eſt ad Boream Scotiæ, inter hanc & Orcades, quarum pars eſt, nunc *Hoy* & *Hethy* quibuſdam, aliis *South Ranats*, prope Picticum Fretum.

OCHA, mons Eubœæ. Item inſula ipſa ſic dicta. Strabo, καὶ Ὄχη ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος καὶ ἔστιν ὁμώνυμον αὐτῇ τὸ μέγιστον τῶν ἐνταῦθα ὀρῶν. Eſt & apud Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ocha* una è vetuſtis Eubœæ urbibus. עוקה *Oca*, Pœnis *anguſtum* ſonat; quô nomine illos hanc inſulam appelâſſe veriſimile eſt, διὰ τὴν στενότητα, ut Græcos *Macrin* à longitudine. Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Eubœa, &c. nuſquam lata, duûm millium ſpatium habet ubi arctiſſima eſt.* Scylax, Τὸ δὲ πλάτος στενή ἐστιν Εὔβοια. *Alexius Comitus* in cenſu 7. inſularum, Εὔβοια πέριπλη στενοφυής, Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 13. Vide Caſaub. *in Strab. l.* 10. *Nic. Lloyd.*

OCHAMUM, oppidul. primar. Ruthlandiæ Comitat. in Anglia, ad amnem *Guvash*, 12. milliar. Angl. à Liceſtria in Ortum, Petroburgum verſus; *Oukham.*

OCHE, mons Eubœæ maximus, cum oppid. cognomine apud Caryſtum urb.

OCHESIUS, Ætolorum dux, vir longè præſtantiſſimus, qui in bello Trojano interemptus eſt. Ejus meminit Homer. *Il.* ε. *v.* 843.

OCHIA, una ex 5. partibus Niphoniæ, maxime ad Septentrionem extenſa, in qua 11. provinc. Primaria urbs eſt Jendum, *Jendo*, ſedes regia Japoniæ.

OCHIM, Hebr. אחים Eſajæ *c.* 13. *v.* 22. *Et recubabunt ibi ſeles & replebuntur domus eorum Ochim:* pleriſque animal eſt. Bocharto clamores, rugitus, ferarum ululatus, quibus deſerta perſonant. Certè Hebræis אח, & האח, vox eſt gementis vel exultantis, à qua fieri videntur Græca vocabula ἦχος, *ſonus*, & ἠχέω, *reſono*, pro quo Dores ἀχέω. Quod ipſum in cauſa fuit, cur alluſione vocis ſervatâ, Seniores אחים ἦχον, i. e. *ſonum*, reddiderint. Vide eum *Hieroz. part. prior. l.* 3. *c.* 16.

OCHINES Bernardinus, Vide *Bernardinus.*

OCHLOCRATIA, vitium Regiminis eſt, in quod Democratia degenerat: cùm videlicet non amplius *Populi ſalus ſuprema lex* eſt: ſed vulgus auctoritatem ſuam confert ad augendam potentiam tenuiorum civium contra Optimates. Quod apud Romanos contigit, quum Tribuni Pleb. intra metas ampliùs contineri nolentes, contra Patricios & Magiſtratus majores tumultuati ſunt ac ſeditiones excitârunt pernicioſiſſimas, quales tum ſæpe aliàs, tum inprimis paulo ante Decemvirorum creationem & Gracchorum Tribunatum, deſævierunt. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 1. Aliud quid Anarchia eſt, quæ ab an. Urb. cond. 376. impeditis per totum quinquennium, ut *Livius*, vel quadriennium, ut alii malunt, Magiſtratum Curulium Comitiis & Rep. à Tribunis Pl. adminiſtratâ, Romæ viguit: quô nomine illius temporis ſtatum diſertè inſignit *Diod. Siculus* &c.

OCHON, Calipha Saracenorum XIV. excepit Jezid II. opulentus & populo acceptus, regnavit ann. 19. & ultra. Obiit A. C. 743. ſucceſſore Evelidô, quem vide, an Oelido II.

OCHOSIAS, Fil. Achab, regnare cœpit ſuper Iſraëlem, in Samaria, A. M. 3136. ante Chriſtum natum 813. Hic impius, proavus & utrique parenti perſimilis extitit: atque æger ex lapſu, miſit conſultum Deum Accaron, annon convaleſceret? revertuntur nuntii, dicentes, occurriſſe ſibi hominem piloſum, renibus accinctum zonâ pelliceâ, qui dixerit, ut reverterentur, renuntiarentque minimè convaliturum. Ochoſias Eliam eſſe, qui nuntios impediviſſet, ratus, miſit ad eum Tribunum cum quinquaginta militibus, ut eum adducerent, quos omnes ignis cœlitùs demiſſus conſumſit: cùm totidem iterum miſiſſet Ochoſias, eôdem fatô correpti ſunt. Tribunus autem, qui tertius miſſus eſt, ſupplex Eliam deprecatus eſt: qui Elias, ab angelo præmonitus. cum hoc Tribuno ad Ochaſiam perrexit, tandem ab Elia increpatus eſt Ochoſias, apud quem id ipſum locutus eſt quod per nuntios primùm prædixerat. Itaque ex hac infirmitate obiit, nullis relictis liberis, quare ſucceſſit ei frater Joram. Vide 1 Reg. *c.* 22. 2 Reg. *c.* 1. itemque Joſeph. *Jud. Ant. l.* 9. *c.* 2. regnavit annos duos.

OCHOSIAS, Latinè *poſſeſſio*, aut *viſio Domini*, aliàs Joachaz quoque dictus, fil. Joram, ex Athalia, non autem ejus Joram, qui fuit Rex Iſraël, ſucceſſit patri in regno Judæ, An. 12. Joram, filii Achab, Regis Iſraël, annos natus erat 20. cùm regnare cœpiſſet. Imperavit Hieroſolymis annô tantum unô, qui erat A. M. 3151. ante Chriſtum natum 797. impiè egit ſecutuſque eſt domum Achab, de quo ſuprà mentionem feci, &c. cum eo geſſit bellum adverſus Hazaël regem Syrorum. Iſte Ochoſias juſſu Jehu, qui in regem unctus fuerat, interfectus eſt. Vide 1 Reg. *c.* 8. & 9. item 2 Paral. *c.* 22. Inierat ſocietatem cum Joram, filio Achab.

OCHOZATH, amicus Abimelech Regis Gerar. Gen. *c.* 26. *v.* 26. Latinè *poſſeſſio, apprehenſio*, vel *collectio*, aut *viſio*, ſeu *fratris olivæ*.

OCHRA Attica, cum Sili Attico, eadem Vitruvio *l.* 7. *c.* [illegible] *Primùm autem exponemus, quæ per ſe naſcentia fodiuntur, uti quod Græcè Ὤχρα dicitur. Hæc verò multis locis (ut etiam in Italia) invenitur, ſed quæ fuerat optima, Attica, ideo nunc non habetur, quòd Athenis argenti fodinæ cùm habuerunt familias, tunc ſpecus ſub terra fodiebantur ad argentum inveniendum. Cùm ibi vena fortè inveniretur, nihilominus uti argentum perſequebantur. Itaque antiqui egregiâ operâ ſilis ad politionem operum ſunt uſi.* Sed *Ochra Attica*, quæ *Vitruvii* ævô, ut *Dioſcoridi* credimus, non ampliùs inveniebatur [illegible], quod perperam *ſile* cum *ochra* confundit. Cœterùm quod de argentifodinis Atticis ſcribit, hoc *Theophraſtus* de cinnabari refert, quod illorum temporum minium erat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1157. Nomen verò *Ochræ*, à Græco ὠχρὸς, i. e. *luteus*: ut enim ochra bona ſit, μηλίνην δι' ὅλου, *totam luteam*, eſſe debere, ait *Dioſcorides*, apud Eund. *p.* 1154.

OCHRAN, pater Phegiel, principis tribus Aſer, Numer. *c.* 1. *v.* 13. Latinè *turbidus*, vel *conturbans.*

OCHSENFURTUM, oppid. Franconiæ, ad Mœnum, ſub Epiſcopo Herbipolitano, 3. leuc. ab Herbipoli in Meridiem, Rotenburgum verſus. Vide B. Rhenanum *Rerum Germanic. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 430.

OCHUS, Rex Perſarum, qui avaritiæ notâ adeo laboravit, ut urbem nunquam iniret, ne mulieribus congiarium impartiretur. Nam Cyrus lege ſanxerat, ut, quò primùm Rex Perſarum ingrederetur, mulieres quotquot adeſſent, ſingulos auri nummos ab ipſo Rege acciperent. De *Ocho* Perſarum rege Juſtin. *l.* 10. *c.* 3. *Harm.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hæreditas regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, regiam, cognatorum cæde, & ſtrage principum replet, nullà non ſanguinis, non ſexus, non ætatis miſericordiâ permotus. Ab Eunucho Bagoâ venenô necatus eſt, teſte Diodoro Sic. *l.* 17. Cujus cadaver ab interfectore felibus objectum eſt, & oſſa quædam ipſius, exprobantiæ crudelitatis causâ, in manubria gladiorum ſunt converſa. Ælian. ποι. ἱσ. *l.* 6. *c.* 8. Eum excepit fil. Arſes.

OCHUS, unus è Cyzicenis civibus, à Phliante, Bacchi fil. Argonauticæ expeditionis ſocio, in nocturno conflictu interemptus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 148.

OCHUS, fluv. Indiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 16. ſeu potiùs Bactrianæ: ſic enim idem Plin. *l.* 31. *v.* 7. *Praterea apud Bactros amnis Ochus, & Oxus ex oppoſitis montibus deferunt ramenta.* Oritur autem ex Parapamiſo monte, Oxóque fluv. congrediens, cum eodem in Margianá regione Caſpium mare petit. *Obengir*, *Caſtaldo*. *Baudrando* oritur in confinio Imperii magni Mogolis; dein per *Balch*, & *Tocharestan*, Perſiæ provincias fluens, rigatis Balchiâ & Badhaſcianó urbibus, aliiſque in confinibus Zagatajæ, & auctus Balçanô fluv. in Oxum ſe exonerat.

OCILA, portus Gebanitarum in Arabia Felice Plin. *l.* 12. *c.* 19.

OCINARUS, *Lycoph.* fluv. Brutiorum in Calabria citeriore in Sinum Terinæum influens; *Savuto*, vide *Sabbatus*. Aliis eſt *Calibaco*, & *Calmico*.

OCITE, Inſula parva Hiberniæ ad Occaſum; *Baz* incolis.

OCKA, vide OCCA.

OCNOS, ſpartum torquens, quod aſelius arrodit, inter præcipua opera Socratis, Pictoris celeberrimi, memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 11. De quo *Ocno* agit, Plut. *l.* περὶ εὐθυμίας, elegantiſſimâ cum ſtupidis fatuiſque comparatione; hiſtoriamque & picturam accuratè exponit Pauſan. *in Phocicis*. Eundem pinxit & Polygnotus in Templo Delphico, Dalechampius *Not. ad Plin.* Vide in voce *Ocnus*. Addo ſaltem, ὄκνος Græci *deſidem*, *ignavum cunctatorem*, vel etiam, *deſidiam*, *ignaviamque* notare: prout vel propriè, vel appellativè ſumitur &c. Vide & *Ocnus*.

OCNUS, Tiberis & Mantus filiæ Tireſiæ vatis filius. Hunc Mantuam condidiſſe tradunt, & Æneæ in auxilium veniſſe; adversùs Turnum Virg. teſtatur, *Æn. l.* 10. *v.* 197.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Tuſci filius amnis,
Qui muros matriſque dedit tibi Mantua nomen.

Idem hunc *Bianora* vocat *Eclog.* 9. *v.* 60. teſte *Servio*. Vide *Bianor*.

OCNUS, nomen cujuſdam apud Inferos, quem effinxerunt perpetuò torquentem funem, aſtante aſellâ; quæ quantum ille torſiſſet, ſtatim præroderet. Inde proverbium, *Ocnus funiculum torquet*: quod cum in eos omnes competat, qui non profuturam in re aliqua operam collocant, tum in eos præcipuè quadrat, qui cùm nihil neque laboris, neque induſtriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores; quòd domi habeant aſellam, hoc eſt, uxorem prodigam, quæ, quicquid miſellus multis ſudoribus corraſit, ſtrenuè profundit. Propert. *l.* 4. *El.* 3. *v.* 21.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Æternuſquè tuam paſcat, aſella, famem.

Vide Plin. *c.* 11. *l.* 35. Quia autem ſummæ erat pigritiæ, non abigere aſelium, ideo Ariſtoteles hunc Ocnum ait mutatum in Erodii genus omnium pigerrimum, ut poſt Politianum, qui jam hunc verſum illuſtrârat, notat Turnebus *l.* 8. *c.* 1. Fabulam illam refert Pauſan. *in Phocicis*, & interpretatur. Meminit Schol. Ariſtoph. *in Ranis*, & Diodor. Sic. *l.* 2. Quærit autem Eraſmus, *in Chiliadibus*, quare ὁ σχοινοπλόκος Ὄκνος dicendus ſit potius, quàm aſinus, qui fune paſcitur. Nam, inquit, aſinus ipſe potiùs piger eſt, quam ὁ σχοινοπλόκος. Atqui verba ipſa, quæ adducit ex Plutarcho (ſunt autem ea *l.* περὶ εὐθυμίας) ſolvunt dubium, cùm dicat: ὅτι ὁ σχοινοπλόκος παρίησι τ̄ σχοῖνον καταφάγεσθαι, & ſenex ille ſinat abaſino funem depaſci, neque abigat. *Nic. Lloydius*. Vide & *Ocnos*.

OCOLUM, parva regio Eretrienſium; *Steph.*

OCONONISTÆ apud Hizonem Abbat. in *Vita* S. Baſini Archiepiſcopi Trevirenſis *num.* 2. *Brabantiam*, *Auſtraſiam---nuncupatam tradunt Geographi: & Ocononiſtæ Auſtraſiæ vocabulum derivatum adſtruunt ab Auſtraſiæ Principe magnificentiſſimo, nepote Caroli Pulchri ex Landone filio.* Quid ſibi velit, fatentur ſe ignorare Viri doctiſſimi, & an reponendum *Chroniſtæ*, ſubdubitant. Quid ſi *Othoniſtæ*? Nam ὀθόνη & ὀθόνιον, eſt ſindon ex lino ſeu mappa; in mappis autem fiebant Provinciarum deſcriptiones, unde *Mappæ mundi*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

OCRA, Alpium pars humillima, quà ad Carnos accedunt, *Ptol. Strabo*. Eſt etiam Venetorum urbs, apud Plin. *l.* 3. *c.* 19.

OCRAZAPES, qui & *Aſcrazapes*, rex Aſſyriorum 28. Succeſſit Ophratani, A. M. 3174. uſque ad A. C. 3214. Euſeb. *in Chron.*

OCREA, Umbriæ oppid. exciſum, cujus magna adhuc manent rudera apud Tiberim ex adverſo Galeſii, Ocriculo vicinum, minus 2. milli. paſſ. diſtans in Auſtrum vulgò *Ocre*.

OCREA, Carum inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. genus calcei militaris, admodum antiquum & jam Heroibus, qui ante Homeri tempora vixerunt, uſitatum. Unde toties Græcos ἐϋκνήμιδων, i. e. *benè ocreatorum*, elogiô inſignit; per Synecdochen partis, *bene armatos* illos indigitans. Erant autem *Ocreæ* hæ ex candido ſtanno, ἑανῦ κασσιτέροιο, & circa talos aut malleolos pedum ornamenta quædam habuêre ex argento vel auro, eidem Poëtæ, quod pedum tegerent malleolos, ἐπισφύρια dicta. Ita enim is *Il.* γ. *v.* 330. & *Il.* π. *v.* 132.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε,
Καλὰς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Quos tamen verſus ita reddit Eobanus Heſſus, Germaniæ ſuæ decus,

—— —— *Tum cruribus aptas*
Ære renidentes Ocreas, quas fibula loris
Arctabat niveis.

Quô pactò omnes etiam Lexicographi recentiores τὸ ἐπισφύριον, *fibulam Ocrearum* exponunt. Sed ut dictum, ἐπισφύρια, τ̄ σφυρῶν καλύμματα, i. e. *Malleolorum tegumenta*, veteres Grammatici interpretantur. Vide Didymum, Heſychium, Euſtathium *in Hom.* alios: qui proin ita etiam Patricios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum, ad formam mediæ Lunæ, habuiſſe, quod à *Philoſtrato* ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς appelletur, contendunt. Unde & in *veter. Inſcr.* quæ dedicationem ſtatuæ Regillæ continet, hi calcei dicuntur πέδιλα ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ, i. e. *lunata pedum circa talos vincula*, Alb. Rubenius *de Re veſtiaria l.* 2. *c.* 4. Voſſio verò è corio primò *Ocreæ* fuerunt, poſtea è ſtanno ſeu ferro; ſi non utraque, ſaltem alterutra; ac dextera quidem, ſi cominus eſſet pugnandum, quia in ſtatu tum prior eſt pes dexter, ſiniſtra autem; ſi dimicaretur miſſilibus, quod cùm fit, inante eſt pes lævus, ex Vegetio *l.* 1, *c.* 15. Vide eum de *Idolol. l.* 3. *c.* 70. Erant autem in Rep. Romana *Ocreæ* geſtamen civium primæ & ſecundæ claſſis, reliquarum claſſium civibus uſu earum interdictô. Quorum enim maximus cenſus erat, nec minor centum minis, in 80. centurias à Servio Tullo Rege digeſti, illiſque arma imperata ſunt, Clypeus, Arginus, Lorica ex ære, Galea, *Ocreæ*, tela, haſta & gladius. In ſecunda claſſe, cujus cenſus intra decem millia drachmarum, uſque ad minas 70. arma eadem geſtare juſſi ſunt, niſi quòd loricæ illis ademptæ & ſcuta pro clypeis data: Et hi ſecundum in acie locum tenebant, quemadmodum priores primum tuebantur. Tertiæ autem, cujus cenſus ad 7500. drachmas non pertingebat, non loricæ ſolùm, ſed & *Ocreæ* ablatæ ſunt, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 8. Siniſtrô tantum crure *ocreati* erant & Hoplomachi, Gladiatorum quoddam genus; cum quibus pugnantes Provocatores, ſeu aliàs *Probactores*, utroque crure *Ocreas* geſtabant. Erant autem & hæ *Ocreæ* ex ferro, ut videre eſt apud Vegetium & Lipſium *de Militia Rom. l.* 3. *dial.* 7. &c. Picturam veter. *Ocrearum* habes, in libello Anonymi Auctoris *de Re Militari ad Theodoſium M. ejuſque filios*. C. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 10. Vide quoque infrà *Tubruces Tubus*; ac ſuprà *Hoſa*.

OCRICULUM, ultima Umbricarum urbium verſus meridiem, Romæque proxima, urbs antiqua, cujus nomen alii plurali numerô *Ocriculi* protulerunt, Oppidani inde ſunt Ciceroni *in Orat. pro Milon. c.* 24. Livio *l.* 1. ac Plinio, *l.* 3. *c.* 5. *Ocricunali*; *Inſcriptioni veteri* & *Stephani epitomatori Ocricolani*, vulgò nunc oppid. incolis *Otricoli* vocatur. Οἱ Ὄκρικλοι *Straboni*, τὸ Ὀκρίκολον *Ptolemæo*. *Stephanus*, Ὀκρίκολα, πόλις Τυῤῥηνῶν. Διονύσιος Ὀκτωκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, τὸ ἐθνικὸν Ὀκρικολανὸς, ὡς αὐτός φησιν. Neſcio autem, an ipſi Dionyſio oppidi vocabulum formatum fuerit Ὀκρίκολα, neſcio item, an Tyrrhenorum id ille fecerit oppidum, vereorque de ſuo id gentis nomen adjeciſſe Stephanum, cujus ætate Umbria etiam ſub Etruriæ, ſive, ut tum appellabant, Tuſciæ titulo comprehendebatur. *Baudrando* oppid. ditionis Pontificiæ eſt, inter Narniam ad Boream & civitatem Caſtellanam ad Meridiem 28. milliar. à Roma in Boream 3. milliar. infrà confluentes Naris in Tiberim. Sed Ocriculum antiquum erat in planitie, juxta Tiberis ripam, ubi etiamnum teſtudines & columnæ, multaque alia antiquitatis veſtigia. *Nic. Lloydius*.

OCRINUM, quod & *Damnonium*, *Ptol.* promontor. Albionis in Cornubia regione occidentaliſſimum, Antiveſtæ proximum, ubi oppid. S. Michaëlis, de quo *Capo di S. Michaëlis* etiam nominatur; ab Exonia urbe 79. milli. paſſ. in occaſum recedens. *The lands end*, *Camdeno*. Aliis eſt *Lezard point*, promontor Cornubiæ magis ad Auſtrum porrectum, 8. milliar. Angl. ab Antiveſtæo ſeu Boerio in Eurum 12. ab oppid. ſeu monte S. Michaëlis in Meridiem Ex Camdeno Speedo aliiſque, *Baudrand*.

OCRISIA, uxor Publii Corniculæ, Servii Tulli mater fuit, & Tanaquilis Reginæ ancilla captiva: Cæterùm Plin. *l.* 36. *c.* 27. mira narrat de Ocriſia; quâ viâ conceperit Servium Tullium. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 627.

Namque pater Tulli Valcanus, Ocriſia mater.

Ubi tamen *Ocreſia* legendum ait N. Heinſius, quia *Plutarcho*, Ὀκρησία dicitur, Ὀκρισίαν autem ſemper vocat *Halic. Dionyſius*. Apud Feſtum, in voce *Nothum*, *Ocliſia* perperam dicitur. *Lloyd.*

OCTACILIUS Craſſus, Vide *Lucius*. It. *Marcus*.

L. OCTACILIUS Pilitus, ſub Sulla & Mario, ſervus primò, dein libertus docuit Rhetoricam, præceptor Pompeji M. Hiſtorica quædam ſcripſit, Sueton. *de Rhetor. Clar. c.* 3. Hieron. *in Chron.* *Martial. l.* 10. *epigr.* 79. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 9.

OCTACHORUM, ex Græco ὀκτάχωρον, apud Ambroſium *Inſcr. ad Fontem S. Teclæ Mediolani*:

Octachorum ſanctos templum ſurrexit in uſus,
Octagonus fons eſt munere dignus eô.
Hôc numerô decuit ſacri Baptiſmatis aulam
Surgere, quô populis vera ſalus rediit &c.

Salmaſio ſic dicitur Templum, quod abſidem habet *octo* ſinuatam *receſſibus*. Vocata autem eſt *Apſis* ſeu *Concha*, intimum Templorum ſacrarium, quod ad Orientem, poſt Templum ipſum (quam *Templi navem* vulgò vocant) poſitum erat & *Chorus* hodie appellatur. Hæc templi pars propriè camera fuit, multis receſſibus ſinuata, & *Concha* dicebatur, quæ tres ſinus haberet, τρίχωρος ἀψὶς *Paulino*; ſicut *octachorum Templum*, cujus apſis octo: & fortaſſis totum erat apſidatum ejus tectum, cujuſmodi Templa Εἰλημαλικά Græcis dicta ſunt, ad diſcrimen Δρομικῶν, quæ vel fornicem habebant oblongam & rectâ ſerie currentem, abſque ullis ſinibus, vel erant ſimiliter tecta; ut ſunt porticus illæ, quas Græci δρόμους ὑποστέγους vocitant. Vide Salmaſ. *ad Solin. pag.* 1219.

OCTAETERIS, ſeu *octo annorum tempus*, apud Græcos duplex fuit. Hi enim cùm primò Tetraëteride uterentur, quæ Elidenſis Olympias dicta, ut Pythia Delphis, cujus primus menſis erat Lunaris, ſequentes non item: hunc errorem Olympiadis 61. annô ſecundô corrigere ſtatuit Cleoſtratus is, quem Zodiaci partes, initiaque Arietis ac Sagittarii primum obſervâſſe, Plin. *l.* 2. *c.* 12. & Hyginus *Aſtronom.* produnt. Hic itaque, cùm videret Solem & Lunam non intra id ſpatium redire ad idem punctum, pro Tetraëteride introduxit *Octaëteridem*, teſte Diodorô Sic. *l.* 12. quæ erat annorum ciɔ ciɔ CXXXII. alterniſque habebat menſes cavos ac plenos; anni verò communes fuere dierum 354. embolimæi autem 384. Sed in hac *Octaëteride*, cùm deprehenſum eſſet vitium ab Harpalo commiſſum, (quod quando factum ſit, exactè dici nequit) pro *Octaëteride* Cleoſtrati recepta eſt *Octaëteris* Harpali, cum parapegmate, ſtellarumque ſignificationibus. Unde quædam à Plinio citata, ut videre eſt ex Indice *l.* 18. & meminit ejus Harpali *Feſtus Avienus* quoque, *his verbis*,

Nam quæ Solem hiberna novem putat æthere volvi,
Ut ſpatium Luna redeat, vetus Harpalus ipſam
Ocyus in ſedem momentaque priſca reducit.

Sententia eſt, ex Harpali mente, nonô quôque annô exſpirante, Neomeniam redire in eandem horam, in idemque punctum, in quo novenniô antè fuit. Verùm Harpali opinionem eſſe erroneam, vidit Meton Pauſaniæ filius: qui excogitavit ἐννεακαιδεκαετηρίδα ſive Circulum decemnovenalem, quem *Aureum numerum* appellamus. Meminit ejus Diodor. Sic. *l.* 12. *ad Olymp.* 86. *an.* 3. eſtque ἐννεακαιδεκαετηρὶς dierum ſolidorum 6940. *Feſtus Avienus*,

Illius ad numeros prolixa decennia rurſum
Adjeciſſe Meton Cecropeâ dicitur arte,
Inſeditque animis. Tenuit rem Græcia ſolers
Protinus, & longos inventam miſit in annos.

Exordium hujus periodi à Solſtitio ductum, quam Euctemon quoque & Philippus ſunt amplexi. Poſtea verò conſuetudo obtinuit per Græciæ Urbes, ut in publico affigerentur parapegmata, ſive tabulæ, in quibus annotarentur ſiderum ortus & occaſus; ut inde cognoſceretur craſis, ſive conſtitutio aëris, & quid operis pro eo tempore facere oporteret, teſte Theone Alexandrino *ad Arati Διοσημεῖα*: vide infrà *Parapegma.* Cujuſmodi hemerologiorum ac tabularum, in Græciæ Urbibus affigi ſolitarum, quoque meminit Geminus *εἰς τὰ Φαινόμενα ſect. περὶ ἐπισημασιῶν*, apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 11. Vide quoque infrà *Oenopides*, qui periodum 59. annorum, inſcripſiſſe tabulæ in Olympiis dedicatæ legitur.

OCTAPHORUS, apud Martial. *l.* 6. *Epigr.* 84.

Octaphoro ſanus portatur, Avite, Philippus,
Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis:

Lectica eſt, ab *octo* ſervis geſtata; qui fuit potentium tunc temporis faſtus, eleganter notatus à Cynico *Luciani.* Ita enim Idem alibi *l.* 9. *Epigr.* 3. *v.* 11.

Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ.

Quod lecticæ genus *latius hexaphoris* vocat, *l.* 6. *Epigr.* 77. Modò enim hexaphorô, modò octaphorô utebantur delicati, ad modulum opum & luxus: Cùm modeſti & frugi homines quatuor ſervos adhiberent. Unde Marcianus Capella Philologiæ in cœlum eunti tot ſolùm adſcripſit, *laborem, amorem, epimeliam & agrypniam, l.* 2. Catullus, *beatiores octo ſibi parâſſe homines,* ait *Epigr.* 10. Vide Pignor. *de Servis*, ut & infrà in voce *Octophorum.*

OCTAPITURUM, promontor. Albionis, *Ptol. S. Davids head, Camdeno.* Eſt autem in Wallia regione maximè occiduum, ubi Menevia urbs epiſcopalis quæ *S. David*, dicitur, à Londino 192. mill. paſſ. in occidentem à Mariduno regione primaria 36.

OCTAPODES, populi Scythiæ pauperrimi, dicti, quòd nihil poſſiderent, præterquam duos boves & carpentum ſeu currum, Eraſmus *Adag.*

OCTAPOLIS, Lyciæ oppid. *Ptol.*

OCTAVA, apud Martial. *l.* 10. *Epigr.* 48. *v.* 1.

Nuntiat octavam *Phariæ ſua turba juvencæ,*
Et pilata redit, jamque ſubitque cohors:

quibuſdam hora diei eſt, quâ mutabantur ſtationes; cùm vel occupatiſſimis nona eſſet hora cœnæ: qui proin à *pilis* cohortem militum ſic dictam hîc intelligunt. At alii *pilatam* ſumunt, pro depilata & calva Iſiacorum cohorte, qui circa hanc horam, poſtquam totum diem ſtipem emendicâſſent, ad Iſeum redeuntes, Deam ſuam componebant & templum claudebant. Eadem thermis deſtinata erat. Ita enim Poëta porro,

Temperat hæc thermas ———

Vide ſuprà, voce *Nona Horologiorum.* Sed & *Octava, æ,* æterna requies; dies requiei cœleſtis, quæ ideo ſic dicitur, quòd ſeptem hi noſtri mundani dies ad laborem pertinent, Dominuſque noſter in *Octava* die ad æternam reſurrexit requiem. Hepidanus *in Annal.* A. C. 978.

Queis dederis partem (voluiſti quum dare ſeptem)
Nec non Octavam, *ô Dee Sancte, tuam.*

Et A. C. 1017.

Hartker in melius mutatur (ut opto) recluſus,
Dexter in Octava *ſit bone Chriſte tua.*

Octavæ dein dicuntur, quorundam feſtorum ſequentiæ, quibus dies *Octava*, inſtitutione Eccleſiæ Romanæ non tantùm honoranda eſt, ſed & iteratis nonnullis ſolennitatibus, quæ in ipſo Feſto adhibentur, ornanda. Feſtum enim ipſum ſignificare ajunt animæ ejus transmigrationem in cœlos, cujus ſit Feſtum: *Octavam* autem ſequuturi corporis reſurrectionem; quod tamen non omnibus Sanctis indultum eſt, ne ullus ſic eſſet feriandi terminus in univerſo ſeculo. Vide plures circa hoc ſubtilitates, apud Durandum *Rational. Divin. offic. l.* 7. *c.* 1. Feſta, quæ ſuis gaudent *Octavis*, in Eccleſia Anglicana juxta LL. Eduardi Confeſſoris *c.* 12. ſunt *Coronationis Regiæ, Natalis Domini, Paſchatis* & *Pentecoſtes*, ut habet Spelmannus *Gloſſar. Archæologico.* Ἀπόλυσις Græcis, ut ex Baſilio Seleucienſi *l.* 2. *de S. Thecla c.* 18. obſervatum à Viris doctis: qui quidem voce etiam utuntur, pro fine cujuſcunque officii Eccleſiaſtici, ut pluribus it probatum Leo Allatius *de Dominicis & Hebdomad. Græcorum c.* 7. Apud Auguſtin. *Serm. de Tempore* 160. c. 1. Dominica in Octavis Paſchæ, *Octava infantium* dicitur: *Hodie Octavæ dicuntur infantium, revelanda ſunt capita eorum, quod eſt indicium libertatis.* Idem *Serm.* 11. de Diverſis, qui inſcribitur *De monitis baptizatorum: Vos qui baptizati eſtis & hodie completis ſacramentum* Octavarum *veſtrarum, infantes appellamini; quoniam regenerati eſtis & ad vitam æternam renati eſtis ---- reddendi eſtis populis, miſcendi eſtis plebi fidelium* &c. Vide Car. du Freſne in Gloſſar. & plura hanc in rem apud Macros Fratres *in Hierolex.* In jure Romano, quid ſit *Octava*, vide *L. ex præſtatione. Cod. de vectigal.* pars nempe *octava*, quæ ex rebus venalibus, nomine vectigalis, Fiſco præſtabatur tempore Gratiani, Valentiniani & Theodoſii Imperator. Hinc *Octavarii*, exactores dicti ab octava parte. Etiam *Octavarium*, *l.* 7. & 8. *Cod. de Vectigal.* & *l.* 7. *Cod. de Locato.* Meminit ejus quoque Anonymus *de Miracul. SS. Cyri & Johannis*, Ὁ δὲ τὴν τῆς ὀκτάδος ἀρχήν, τέλος τοῦτο, καὶ ὀργ... δοάδα καθέστηκεν, ἀδίκως μὲν συναγόμενον, ἀσεβῶς δὲ διοικούμενον, ὁ ὁ υἱὸς Πρατέλας διήνυσεν. Vide Sueton. *Caligul. c.* 40. ubi, ex Gerulorum diurnis quæſtibus partem eum *octavam* ſibi vindicâſſe, inter alia refert. In jure Hungarico, *Octava* eſt Conventus juriſdicundi 40. dierum, extra ferias, ante SS. Georgii & Michaëlis feſtum *octo* diebus, *Sambucus* & *Molnarus* apud eundem Car. du Freſne ubi ſuprà.

OCTAVIA, gens à Velitris originem accepit, quam L. Tarquinius Superbus inter Romanas allegerat. Quæ cùm ad plebem ſe contuliſſet, rurſus à Cæſare Dictatore inter Patricias relata eſt. Ex hac fuit C. *Octavius Rufus*; is quæſtorius duos filios procreavit Cajum & Cneum. Cnei poſteri ſummos in urbe honores adepti ſunt: Caji præturæ gradum non exceſſerunt: ex his Auguſtus Cæſar deſcendit. Hanc aſſentationis gratiâ propter Auguſtum excellere dixerunt. Ipſe autem Auguſtus nihil amplius, quàm equeſtri familiâ ortum ſe ſcribit, vetere, ac locuplete, & in qua primus ſenator ejus pater fuerit. M. Antonius Libertinum ei proavum exprobrat Reſtionem è pago Turino, & avum argentarium. Cicer. *in ep. quadam*, eum nepotem argentarii & filium adſtipulatoris vocat. Utcunque tamen conſtat, Auguſti patrem honeſtiſſimum virum fuiſſe, magnâque laude Macedoniam provinciam adminiſtrâſſe, idque ex ipſius Marc. Tullii teſtimonio, ubi ad *Quint. fratrem* ſcribens, hortatur eum, ut promerendis ſociis vicinum ſuum Octavium imitetur.

OCTAVIA, Octavii Cæſaris ſoror, Marcelli primò, dein Antonii Triumviri uxor, ex illo mater fuit filii cognominis qui filiam Auguſti duxit, & Marcellæ, &c. ex iſto, Antoniæ majoris, quæ Domitio Oenobarbo nupſit, & minoris, quæ uxor fuit Druſi, fratris Tiberii. Malè habita à marito, à fratre vindicata eſt: ob virtutem magni à Romanis æſtimata, à Fratre quoque delubrum aramque accepit, ut ex *Dione* diſcimus. Obiit An. 743. Urb. Cond. Sueton. *in Aug. c.* 29. Plut. *in Anton.* Dion. *l.* 48. 50. 54. *Hiſt.*

OCTAVIA, Cl. Cæſaris & Meſſalinæ filia, Neronis uxor, priùs Silano deſponſata, cujus conſuetudinem Nero citò aſpernatus eſt, occiditque eam ſub crimine adulterii: cùm antea ſæpe fruſtra ſtrangulare meditatus, dimiſiſſet ipſam ut ſterilem, reſpondiſſetque corripientibus amicis, ſufficere ei debere uxoria ornamenta, & tandem in Pandatariam inſulam relegâſſet: venenô quoque fratre ejus Britannicô ſublatô, Sueton. *in Claud. c.* 27. & *Nerone c.* 7. 35. Tacit. *Annal. l.* 12. *c.* 9. 58. & *l.* 14. *c.* 60. 63. 64. Dion. *Hiſt. l.* 60. Levinus Hulſius, *in vita Cæſ.* Tragicus tamen ille, qui *Octaviam* ſcripſit, in Ægyptum relegare videtur. Sic enim ille, *v.* 969.

——— *Date vela fretis*
Ventiſque, petat puppis rector
Tandem Phariæ litora terræ.

Niſi ſi hoc vult, Alexandrinâ duntaxat navi avectam Octaviam. Aliàs repoſuerim ego,

Pandatariæ litora terræ.

Lipſ. *ad Tacit. An. l.* 14.

OCTAVIÆ Porticus, memorantur Plinio *l.* 35. *c.* 11. ubi de pretiis mirabilium picturarum, *Androbius pinxit Scyllin, anchoras Perſicæ claſſis præſcindentem. Artemon Danaën --- Nobiliſſimas autem quæ ſunt in Porticibus Octaviæ, ---- Herculem, ab Oeta monte Doridos --- in cœlum euntem, Laömeodontis circa Herculem & Neptunum hiſtoriam.* Scholarum in eis, meminit idem *l.* 35. *c.* 10. ubi de Antiphilo, *Et Heſionam nobilem pinxit, & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui ſunt in ſchola in Octaviæ porticibus.* Fuêre autem Scholæ in his porticibus, loca & ſtationes quædam, inſtar Ludi literarii, in quo Philoſophi cœteriſque doctrinis exculti homines publicis diſputationibus ac colloquiis exercebantur. Ibidem Phidiæ Venerem, ex marmore fuiſſe, habes apud eundem *l.* 36. *c.* 5. ubi etiam Templorum porticibus his incluſorum mentione injectâ, à Saurone atque Batracho Laconibus, facta eſſe, addit. Vide in voce *Porticus.*

OCTAVIANUM, villa fuit Octavii Imperatoris ſub Veſuvio monte, 5. mill. paſſ. à Neapoli, 7. ab urbe Nola, ubi & mortuus eſt. *P. Legorius.*

OCTAVIANUS, Antipapa, Romanus, nomine Victoris IV. Alexandro III. oppoſitus, à Friderico Imperatore A. C. 1161. Conciliô Ticini habitô, Alexandrum depoſuit, in Galliam profugum. Obiit A. C. 1164. Roderic. *l.* 2. Otto Friſing. *de rebus Frid.*

OCTAVIANUS, Romanus, Cardinal. Legatus in Siciliam & Galliam, in negotio Philippi Auguſti, qui Ingeburge Danicâ repudiatâ, Agnetem Meraniam ducturus erat, Ciaccon. Onuphr. Baron. *in Annalib.* Item, ex familia Ubaldinorum, Archiepiſcopus

pus Bononiæ & Cardinalis Legatus in Romandiolam & Siciliam, contra Manfredum, dein Venetias, in Lombardiam & Galliam. Obiit A. C. 1274. Onuphr. *hiſt. Pap.* Auberius *hiſt. Cardin. Ciacconius*, *&c.*

OCTAVIANUS de S. Gelaſio, Epiſcopus Engoliſmenſis: Æneida, epiſtolas Ovidii, & aliquot Odyſſeæ libros Gallicô carmine juvenis expreſſit, &c. Obiit A. C. 1502. Pater Melini de S. Gelaſio & frater Jacobi, Epiſcopi Uzetenſis, Morerius *Diction. Hiſt.*

OCTAVIANUS de Martinis, doctrinâ & eloquentiâ illuſtris, ſeculô 15. Peroravit coram Sixto IV. de vita S. Bonaventuræ. *Oct. Veſtrio*, JCtus celebris, Imolâ oriundus, Scripſit *mores judiciorum*, *Practicam*, *&c.* Floruit, A. C. 1573.

OCTAVIOLCA, meliùs *Ottaviolca*, *Hordunia Moletio*, urbs Cantabrorum, versùs oram littoralem maris Cantabrici. Aliis *Eſpinnoſa*, oppidul. Biſcajæ, in ipſo limite Aſturiæ, vix 2. leuc. ab ora, & ferè 3. à Fano S. Andreæ in Africum, 9. à Laredo in Occidentem, 12. ab Ordunia, 9. circiter à fontibus Iberi in Boream.

OCTAVIUS, vel OCTAVIANUS CÆSAR, Vide *Auguſtus*, it. *Cajus*, & *Cneus*.

M. OCTAVIUS, Hiſtoricus priſcus, auctori de *Origine gentis Roman.* laudatus. An idem cum Octavio Herſenno, Macrob. *Saturn. l. 3. c. ult.* Cn. *Octavius*, Conſul, pepulit Cinnam collegam, An. 667. Urb. Cond. ſurrogatô L. Corn. Merulâ huic, qui manu armatâ, Mario Sertorioque junctus, advenit injuriam ulturus. Item, Poëta & Hiſtoricus, Horatii σύγχρονος, nimiô potu exanimatus, Petr. Victor. *l. 14. c. 7. var. Lect.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. p. 714. & Poët. Lat. c. 2. p. 34. Nic. Lloydius.*

OCTAVIUS, Fanenſis, dictus *Cleophilus*: Docuit in aliquot Italiæ Academiis, Principibus Medicæis & Curiæ Romanæ gratus. Proſâ verſuque varia edidit: à Socero venenô peremptus, A. C. 1490. ætat. 43. Franc. Polyardus, *in ejus vita.* Pierius Valerianus, *l. 2. de infel. Lit.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. p. 811.*

OCTAVIUS Avitus, & Petilius Fauſtinus furta Virgilii adnotârunt, notantes unde quæque carmina ſurriperentur, ut ait *Servius.*

Qu. OCTAVIUS, à L. Cinna collega ſuo interfectus, *Padianus.*

OCTAVIUS, tribunus legionis cum Craſſo in Parthis cæſus, Polyæn: *l. 7.* Vide & *Lucius.*

OCTAVIUS Sagitta, Tribunus plebis, Pontiæ mulieris nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium & mox ut omitteret maritum, emercatus eſt; ſuum matrimonium promittens ac nuptias ejus pactus. Sed mulier vacua, prætexens alia, promiſſis non ſtetit. Quam ille, nocte unâ ad ſolatium impetratâ, nihil metuentem, poſt expletam libidinem, ferrô tranſverberavit, reque cognitâ (nam initiô ſuum facinus illud libertus profitebatur, ſe patroni injurias ultum eſſe) poſtquam tribunatu abierat, ſententiâ patrum & lege Corneliâ de Sicariis damnatus eſt, Nerone tertium & Valerio Meſſallâ Conſulib. Tacit. *l. 13. Annal. c. 44.*

OCTAVUM, urbs Africæ propriæ, *Auguſtin.*

OCTAVUS, à Nativitate, dies, tempus olim Circumciſionis erat. Geneſ. *c. 17. v. 12.* *Et natus octo dies circumcidetur vobis, omnis mas ſecundùm ætates veſtras.* Cujus rei ratio non liquet: niſi eam ex Lege longè poſt lata repetere libeat. Juxta illam enim mater, à partu recens, octo diebus impura erat, & per conſequens ex illius contactu etiam infans, Levit. *c. 12. v. 2. 3.* Sicut & nullum animal, ante *octavum diem* Deo offerre fas erat, cùm ante id tempus imperfectum, ut vix dum lucis patiens & ex materno utero impurum cenſeretur, Exod. *c. 22. v. 30.* coll. Levitic. *c. 22. v. 27.* Accedit, quod Sacramentum hoc non ſine dolore perageretur, ad quos infans, mox poſt partus dolores, exponi non ſine periculo poterat; unde dierum aliquot intervallô & quiete opus erat. Sed & ſubfuiſſe videtur ratio myſtica; jam tum nempe reſurrectionis Chriſti diem, qui ſequentis hebdomadæ primus, atque in ordine dierum *octavus* erat, quique multiplicibus umbris in Vet. Teſt. ſignatus erat, utpote Religionis noſtræ ſummus & ſacratiſſimus, & quô vera circumciſio ac ſalus noſtra prorſus expleta ac conſummata fuit, etiam hôc myſteriô figuratum fuiſſe, non ab re judicant Eruditi. Vide Franc. Burmannum *Synopſi Relig. Chriſt. Part. I. l. 3. c. 6. §. 14.*

OCTO, ad cœnam rogati, ab Heliogabalo, riſus movendi gratia. Lamprid. in *Vita* ejus, *c. 29.* *Habuit & hanc conſuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luſcos, & item octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo longos & octo pingues, cùm capi non poſſent unô ſigmate, ut de his omnibus riſus citaret.* Quæ ultima verba non de ſingulis ogdoadibus accipienda, ſed de ogdoade pinguium ſolùm. Facilè enim & octo calvos & octo ſurdos & octo longos, ſigma capiebat: utpote *octonis* hominibus ſufficiens. Sed octo pingues qui unô ſigmate teneri potuêre? Plus enim loci tot pingues occupant, quàm decem alii. Unde non mirum, ſi, cùm octo pingues adhiberet, capi non potuêre unô ſigmate: quòd is ridiculi gratiâ faciebat. At in reliquis ogdoadibus alia ridendi cauſa fuit. Salmaſ. *ad loc.*

OCTOBER, dictus à numero, quòd Menſium anni à Martio, quem principem Romulus conſtituit, octavus eſſet: à Domitiano *Domitianus*, ſuô nomine, appellatus eſt, quòd eum natalem habêret. Sic enim Sueton. *in vita ejus c. 13.* *Septembrem Menſem & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumve tranſnominavit, quòd alterô ſuſcepiſſet Imperium, alterô natus eſſet.* Sed non ævum hæc appellatio tulit, *Ubi enim infauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo placuit eradi, menſes quoque uſurpatione tyrannicæ appellationis exuti ſunt*, verba ſunt Macrobii *Saturnal. l. 1. c. 12.* Vide quoque Plut. *in Numa.* Nec diutior fuit *Fauſtini*, quâ ex decreto Senatus, in honorem Fauſtinæ, uxoris M. Antonini Imperatoris; Item *Invicti*, quâ à Commodo Imperatore hic Menſis inſignitus fuit, cognominatio, de qua vide Jul. Capitolin. *in Antonino Pio c. 10.* & Æl. Lamprid. *in Commodo c. 11.* In Martis tutela olim, ſemperque triginta unius dierum fuit. Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l. 4. c. 14.* Ei apud Athenienſes reſpondit Pyanepſion, erantque ſeptimô ejus die Πυανέψια, ſacrum à Theſeo inſtitutum, poſtquam à Minotauri cæde ſalvus redierat: die 14. Theſmophoria: die 25. Apaturia, Franc. Roſſæus *Archæologiâ Att. l. 2. c. 10.* voluitque Alexander M. cùm in poteſtatem ejus Athenæ veniſſent, uti initium Anni, à Julio ſeu Hecatombæone transferretur in diem 7. *Octobris* ſeu Pyanepſionis. Idem *ibidem.* Apud Hebræos eidem ex parte Menſis *Tiſri* ſeu *Ethanim*, ex parte *Marcheſuan* ſeu *Bull* reſpondit, Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebræorum l. 3. c. 1.*

Festa Mense Octobri apud Romanos celebrari solita.

3. Non. *Octobris*, Mundus patere dicebatur: quod & poſtridie Volcanalia, & ante diem 6. Idus Novemb. adeoque ter in anno fiebat, teſte *Feſtô.* De quo ritu ita Catô in *Comm. Juris Civil.* *Mundo*, inquit, *nomen impoſitum eſt, ab eo Mundo, qui ſupra nos eſt. Ejus inferiorem partem, veluti conſecratam Diis Manibus, clauſam omni tempore, niſi iis diebus, qui ſupraſcripti ſunt, Majores cenſuêre: quos dies etiam religioſos judicaverunt, ea de cauſâ, quòd, quô tempore ea, quæ occulta & abdita Religionis eſſent Deorum Manium, velut in lucem educerentur & patefierent: nihil eô tempore in Rep. geri voluerunt. Itaque per eos dies nec cum hoſte manus conſerebant, non exercitus ſcribebatur, non Comitia habebantur, non aliud quidquam in Republ. niſi quod ultima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur.* Vide quoque Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 16.* ubi inter alia ait, *patente Mundô, quod ſacrum Diti Patri & Proſerpinæ dicatum eſt*, bellum non inchoâſſe Romanos, quòd *meliùs occluſâ Plutonis fauce* id geri putaverint. Adde *Varronem.*

5. Idus Meditrinalia erant, ſeu feſtum Meditrinæ Deæ, à *medendo* dictum: quòd, ut Flaccus Flamen Martialis dicebat, hôc die ſolitum eſſet vinum novum & vetus libari ac deguſtari, medicamenti causâ. Latinis enim populis, quô die quis primùm guſtaret muſtum, ominis gratiâ, dicere mos erat, *Vetus novum vinum bibo: veteri novo morbo medeor.* Vide Varronem *de L. L. l. 5.* *Feſtum &c.*

4. Idus Auguſtalia celebrabantur. Sic autem dicebatur dies reditus Auguſti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Aſia, Syria & Parthia compoſitis: qui Ludis Auguſtalibus quoque dictis erat inſignis. Vide Dionem *l. 54.* & 56. Corn. Tacit. *Annal. l. 1. c. 15.* Plin. *l. 7. c. 25.*

3. Idus Fontinalia erant, à *fonte* quòd is dies feriæ ejus: *ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant*, *Feſtus.* Vide quoque Joſ. Scaligerum *Collectan. in Varronem de L. L. l. 5.*

Idibus, *October* equus Martiali immolabatur: Ita autem dicebatur, qui in campo Martio menſe hôc quotannis belli Deo immolabatur, trigarum victricium dexterior, de cujus capite non levis contentio ſolebat eſſe inter Suburanenſes vel Suburanos & Sacrovienſes; ut hi in Regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent: ejuſque cauda magnâ celeritate perferebatur in Regiam. ut ex eo ſanguis diſtillaret in focum participandæ rei divinæ gratiâ. Vide *Feſtum* & Plut. *in Quæſtion. Rom. quæſt. 97.* ubi tamen Idibus Decembribus hoc factum fuiſſe ait.

14. Kal. Novembr. Armiluſtrium erat, in quo armati ſacra faciebant. Varro *de L. L. l. 5.* & durantibus ſacris tubâ canebant, teſte *Paulo* Feſti Abbreviatore: vel potiùs claſſicô, ut contendit Joſ. Scaliger *in loc. cit.*

5. Kal. Novembris & ſeqq. diebus quinque Ludi Victoriæ fiebant, quorum auctor P. Corn. Sulla fuit, bellô civili, cùm Samnitium Teleſinique exercitus pulſus cæſuſque eſt.

Eôdem Menſe, Libero etiam ſacrum fieri conſueviſſe, ex Kalendario Ruſtico, patet. Initiô quoque ejus Vortumnalia fuiſſe, *Varro* docet: qui ea ante Meditrinalia & alia hujus Menſis feſta collocat, diem autem certum non notat. De Feſtis Athenienſium, hôc Menſe celebrari ſolitis, diximus aliquid ſuprà.

OCTOBER Equus, vide infrà *Sacrovienſes.*

OCTODIUM, nomen caſtri propter *octo* dierum inducias, ſic dicti apud Wilh. Hedam *in Epiſcop. Trajectenſibus p. 274. 1. edit.* *Nota autem, quòd iſta tria caſtra, quæ data ſunt Comitiſſæ ab Imperatore, pro morte Comitis, mariti ejus, & tribus induciis, quas fecerat Imperatori, ſita ſunt in Lucenſi Epiſcopatu, quorum unum vocatur Decendium, propter decem dierum inducias, alterum autem dicitur* Octodium, *propter octo dierum inducias, quas Regi tribuit Comitiſſa &c.* Item Græcè Ὀσδόδιον, nomen feſti apud Athenienſes de quo vide infrà voce *Theſea.*

OCTODURUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs ad Durium fluv. in Vaccæis, *Ptolem.* vulgò *Toro*, longitud. 14. 52. latitud. 42. 00. Aliis *Sarabris* rectiùs, *Ferrarius.*

OCTODURUM, vel OCTODURUS, vulgò *Martenach*, teſte *Simlerô*, oppid. olim, nunc pagus Veragrorum in Gallia Narbonenſ. apud Rhodanum fluv. inter Allobroges & Sedunos, longitud. 28. 38. latitud. 45. 28. Cæſar *Octoduri* meminit *l. 3. Bell. Gall. c. 1. & 6.* *Antoninus* à ſummo Pennino diſtare 25. mill. paſſ. & à Tarnada 12. mill. paſſ. ſcribit. In *libro Provinc.* dicitur *Civitas Vallenſium*, apud *Viterbienſem*, *Ottodurum.* Quondam Vallenſium caput, & ſedes Epiſcopi, quæ poſtmodum, ob nimbi ruinam oppidô tantùm non everſô, Sedunum tranſlata eſt. Hîc plurimæ inſcriptiones Romanæ, loci antiquitatem teſtantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Simler. *de Vall. l.* 1. Guillim. *l.* 4. *p.* 445. Munſterus *Coſmogr. l.* 3. *Plantin.* &c. *Baudrando* oppid eſt Valleſiæ, cum arce, 12. mill. paſſ. à Seduno in Occaſum, 8. ab Agauno in Eurum, 32. ab Auguſta Prætoria in Boream, Bernam verſus. Vide quoque B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 484.

OCTOGESA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. apud Iberum fluv. in regno Arragonio; *Etoviſa*, Plinio *l.* 3. *c.* 3. *Etoviſſa*, *Livio. Mequinenza* hodie, teſte *Morali. Hitona* autem *Epiſcopo Gerundenſi.*

OCTOGONA Turris, vide infrà *Turris Octogona.*

OCTOLOPHIUM, loci nomen, memoratum Livio *l.* 31. *c.* 36. & *c.* 40. ubi de Philippi: nec non *l.* 44. *c.* 3. ubi de Perſei Macedoniæ Regis cum Romanis bello.

OCTOPHORUM, lectica, Veteri Interpreti Juvenalis *Sat.* 1. *Lecticarum uſum primi dicuntur inveniſſe Bithyni. Cicero: Nam una haud mos eſt Bithyniæ Regibus vehi lecticâ, i. e. Octophoro.* Propriè, vehiculum octo rotarum Calvino *Lex Jurid.* quô maximè Caligulam uſum Tranquillus refert. *c.* 43. Vide Corraſium *Miſcellan. l.* 3. *c.* 20. Martial. *l.* 6. *Epigr.* 84.

Octophoro ſanus portatur, Avite, Philippus.

Alii *Octaphoro* quod ſuprà vide; ut Salmaſ. qui Lecticam ab octo ſervis geſtatam eſſe, docet: qui, potentiorum tunc temporis faſtus, eleganter notatus eſt à Cynico *Luciani.* Nam & in illis lecticis cubabant reſupini. Vide quæ de Lecticis ſcripſit Lipſius *Elector. l.* 1. *c.* 19. & ſuprà *Lectica.*

OCTOPLA, vide in voce *Hexapla*, item in *Biblia.*

OCULA, oppid. Siciliæ, apud Magellam.

OCULARII, Medicorum genus, vide ſuprà *Medici.*

OCULATA Capa, in *Necrologio* Eccleſiæ Pariſienſis apud Car. du Freſne, *Præterea dedit idem Epiſcopus capam rubeam brodatam, & capam viridem & capam albam* oculatam, *& unam albam ſericam & aliam ad imagines, cum ſtola & manipulo ad imagines & infulam & dalmaticam & tunicam, albas & ſuccinctorium ſericum*, i. e. in qua delineatæ ſunt figuræ, inſtar oculorum. Sic *veſtes purpurâ oculare*, dixit Tertullian. *de Pudic.* quod idem eſt, ac purpurâ clavare. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. p.* 512. & ſuprà *Inoculandi*: de *Oculata* verò piſcis genere, Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 12.

OCULI, pars corporis pretioſiſſima, *& qui lucis uſu vitam diſtinguant à morte. Non omnibus hi, oſtreis nulli: quibuſdam concharum dubii ---- Quadrupedum talpis viſus non eſt: oculorum effigies ineſt --- Nigidius nec locuſtis, nec cicadis eſſe, dicit. Cochleis oculorum aciem cornicula bina prætentatu implent. Nec lumbricis ulli ſunt, vermiumque generi, homini tantùm diverſo colore ---- & numeroſiſſimæ varietatis ac differentiæ, grandiores, modici, parvi, prominentes, quos hebetiores putant: conditi, quos clariſſimè cernere ---- Præterea alii longinqua contuentur, alii niſi propè admota non cernunt. Multorum viſus fulgore Solis conſtat, nubilô die non cernentium, nec poſt occaſus. Alii interdiu hebetiores, noctu præter cæteros cernunt ---- Neque ulla ex parte majora animi indicia --- homini maximè, i. e. moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odii, amoris, triſtitiæ, lætitiæ* &c. Plin. *l.* 11. *c.* 37. Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu ſpecula quadam, tribuit eos Philoſtratus. Certè *Oculi*, ut ait Poëta,

——— *Sunt in amore duces:*

Cùm inviſi ignotique nulla cupido. Nec abludit ſacer ſtylus, ita enim Sponſus ad Sponſam Cant. Cantic. *c.* 4. *v.* 9. *Rapis animum meum ſoror mea Sponſa: rapis animum meum unô* Oculorum *tuorum.* Minervæ tamen Sapientiæ Præſidi; illos dicatos fuiſſe, ait *Fulgentius.* Sed & in *Oculis* terror. Florus *l.* 2. *c.* 18. *Mancinum aſſiduis cædibus ita ſubegerunt, ut ne* oculos *quidem, aut vocem Numantini viri quiſpiam ſuſtineret.* Cæſar *de B. G. l.* 1. *c.* 39. *Sæpenumero cum iis congreſſos, ne vultum quidem atque aciem* oculorum *ferre potuiſſe.* Tacit. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 24. *Fruſtra minis & verbis provocatos Vitellianos, ſi manus eorum oculoſque non tolerent.* Unde idem *Annal. l.* 3. *c.* 45. *Viderent modô adverſos & adſpicerentur, id ſatis ad victoriam:* & apud Napotem Epaminondas, *ante ſe Imperatorem neminem, Bæotorum auſum fuiſſe* (Lacedæmonios) *aſpicere in acie*, ait *c.* 8. Quò facit, quod *oculos Romanorum ſibi ardere viſos*, Samnites fugæ cauſam rogati reſpondent apud Liv. *l.* 7. *c.* 33. Vide Gebhardum *ad Nepot. loc. cit.* Eos proin tanquam fulgentiſſimas Microcoſmi ſtellulas, (vide infrà voce *Vegetus*) priſci, in congreſſu aliquem ſalutaturi, oſculati leguntur: poſteà verò ad os & labra, manus, genua, pedes denique oſculô ſe demittente, qua de re vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attica l.* 6. *c.* 3. & infrà in voce *Oſculum.* Apud Græcos, nec non Hebræos, Romanos, aliaſque Gentes, cùm quis moriebatur, ſeu, ut loqui amabant, cùm cui Sol occiderat, *ἅλιος ἄμμι δεδύκει*, *Theocrit.* à Parentibus, vel proximâ cognatione junctis claudi ſolebant, quem ritum *σύγκλεισιν τῦ ὄμματος* vocavêre. Tanti autem id habebatur, ut ſi quis peregrè obiiſſet, hôc ipſô non parùm infelix crederetur, quòd à nemine amicorum *Oculi* ejus fuiſſent clauſi. Hinc Ulyſſes *Il.* λ. *v.* 452.

——— *Οὐ μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ*
Ὄσσε καθαιρήσυσι θανόντι.
——— *Neque tibi Pater, vel veneranda Mater*
Oculos claudent defuncto.

Sed in rogo poſtmodum eoſdem rurſus aperiri in more fuit: Quod & Quiritium magnô ritu ſacrum fuiſſe, Plin. ſcribit *l.* 11. *c.* 37. ita more conditô, ut neque ab homine ſupremùm illos ſpectari fas eſſet, & cœlo non oſtendi nefas. Lege tamen Mæniâ cautum fuit, ut auctor eſt *Varro* apud Nonium Marcellum, *ne filii Parentibus luci claro* Oculos *ſugillarent:* ubi *ſugillare* pro *occludere* poni *Nonius* ait. Vide paulò infrà, ubi fuſiùs de hoc ritu. At effoſſio *Oculorum* hominibus adhuc vivis, ſicut & membrorum truncatio, ab Aquilonaribus Principibus excogitata eſt, ne in vitam ullatenus ſæviretur. Quod ſupplicii genus primus in Angliam traduxit Canutus Rex: exaſperavit dein Guilielmus I. Conqueſtor, *in ſuis Emendationibus* ἀρχ. 126. *Interdico etiam, ne quis occidatur, vel ſuſpendatur pro aliqua culpa, ſed* Oculi *eruantur, & abſcindantur teſticuli, vel pedes, vel manus, itaque truncus vivus remaneat; in ſignum proditionis & nequitiæ ſuæ* &c. Sed primus ſupplicii acerbitatem ſenſit, Guilielmi fil. primogenitus Robertus, Normanniæ Dux, quem frater ejus Henricus I. Rex, non regnô ſolùm, ſed & luminibus ſpoliavit, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Hodie in Oriente nil frequentius, in Principum aulis, quàm excæcatio *Oculorumque* vel læſio, vel effoſſio, de quo vide Petrum de Valle *Itinerar. tom.* 2. ſuprà paſſim, ut & infrà, ubi de more *Oculos* digitô eruendi. Contrà peculiare nobili huic membro Medicorum genus invigilare voluêre Romani, quos proin *Ocularios*, ſeu *ab Oculis*, vocavêre. Talis *P. Attius. Atimetus. Aug. Medicus. ab. Ocul.* & Celadi Antinoi alumnus Lyrius, cujus elogium deſcripſit Pignorius Romæ, prope collem Hortulorum: *Ti. Lyrius. Ti. Cæſaris. Aug. ſer. Celadianus. Medicus. Ocularius. pius. parenTium ſuorum* &c. Nec ſemel recenſuit *Ocularios* & Scribonius Largus *c.* 38. qui & Atimetum nominat *c.* 1[illegible]0. Vide quoque infrà *Ophthalmicus.* Et de his demum Medicis illud utique ejuſdem Autoris ſine mendacio prædicari poterat, *ex eod. cap. Multos itaque animadvertimus, unius partis ſanandi ſcientiâ, Medici plenum nomen conſecutos.* Vide Laurent. Pignorium *Comm. de Servis*, ut & ſuprà aliquid hanc in rem, ubi de phraſi, *Obliquare viſus.*

OCULI, manus, nutus, ad deridendum adhiberi ſoliti: quæ proin tria junxit Appulejus *Metamor. l.* 3. *Nec qui laverim, qui terſerim, qui domum rurſum reverterim, præ rubore memini. Sic omnium* Oculis, *nutibus, ac denique manibus denotatus, impos animi ſtupebam.* Et *l.* 2. *Ac dum directis digitis & detortis nutibus præſentium denotor* &c. Similiter Tertullian. *de Pallio c.* 4. *Tales*, inquit, *habitus, qui de natura & modeſtia transferunt, & acie figere & digitô deſtinare, & nutu tradere, merito ſit.* Cujuſmodi deriſiones, quæ *Oculorum* & nutuum & vultûs aliquâ conformatione, aut omnino digitorum manuumque geſtu fiebant, aut labiorum ductu, ſine ullo verbo aut dicto, *ſanna* vocabantur, Græcè *μῶκοι*, de quo Salmaſ. *ad Trebell. Pollion. in Gallien. c.* 8. Vide infrà, in hac voce.

OCULI moribundo, ante ipſum animæ exitum, nec tactu, nedum preſſurâ digitorum, utcunque leviuſculâ quidem, apud Hebræos regulariter claudebantur; ne inde qui ſic clauderet, adeò infirmo mortem fortè acceleraret. Mortuo verò claudi ab adſtantibus, maximè propinquis, oculos, tum apud eos, tum apud Græcos Romanoſque in uſu fuiſſe, teſtimonia habentur ſatis obvia. Et forſan ex humanitate paſſim ac ſemper id in more fuit poſitum. Moribundis autem, ſeu adeò ægris, ut animam eſſent jamjam exhalaturi, adeoque ante mortem *Oculos* claudi, nec apud iſtos crebrò expreſſè occurrit. Viſum quidem nonnullis, de uſu illo capiendum eſſe, quod ex *Varronis reliquiis* habetur de Lege ſive Mænia ſive Mævia, apud Nonium Marcellum, *Sugillare*, inquit, *obcludere.* Varro *Geminis* (dramate ejus ſic dicto) *Contrà lex Mænia eſt, in pietate, ne filii Parentibus luci claro ſugillent oculos;* ubi Antonius Auguſtinus, *Hoc eſt, ne* Oculos *clauderent, quod per tranſlationem fortè dictum eſt, videlicet ne mortem eorum maturarent.* Quod ſi ita, certè teſtimonium hoc eſt, antè etiam à filiis *Oculos* parentum moribundorum claudi eſſe ſolitos, ut etiam & poſtmodum & antè ab aliis. Sed aliter multò intelligitur Lex illa, Jac. Gutherio *de Jure Manium l.* 1. *c.* 13. Joh. Kirchmanno interim cum Auguſtino præfato conſentiente, *de Funer. Rom. l.* 1. *c.* 6. Sanè & quod Cynthiæ umbra, in Propertii ſomnio, illi dixit, juxta editiones vetuſtiores *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 23.

At mihi non Oculos *quiſquam inclinavit euntes,*
Unum impetrâſſem, te revocante, diem:

morem illum ſapere videtur. *Oculi* enim *euntes*, ſunt animam exſpirantis, necdum mortui. Sed in recentioribus, ex Joſ. Scaligeri MS. legitur, *inclamavit euntes*, ubi *tangit morem*, inquit ille, *claudendi* oculos *morientis, cum inclamatione nominis illius.* At verò inclamationis hujuſmodi meminit Servius Honoratus *ad Æn. l.* 3. ut opinionis tantùm quorundam, *eorum mortuorum nomina tervocari, qui in aliena terra dimittuntur*, juxta illud de Polydoro ibi, atque illud alibi, *Æn. l.* 6. *v.* 505.

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui & magnâ ter Manes voce vocavi.

Atque ſic de jam mortuis, nec interim omnibus, nec de Oculis, ut videtur, *euntibus*, fuerit intelligendum. Sed ſi *inclinavit* apud Propertium retineatur, & advertatur pentameter, quô innui videtur, etiam *Oculos* illo, euntes licèt, ad occluſionem, inclinante eamque revocante, unum ſaltem vitæ nihilominus diem potuiſſe inſuper impetrari, haud ita diſſonum eſt, ut de moribunda ſe (juxta morem) nondum mortua, Cynthiam locutam eſſe, arbitremur. Quô & illud ſpectat à Polynice, ex vulneribus moribundo, Jocaſtæ matri ſuæ dictum, ut nuntius refert, apud Eurip. *Phœniſſ. Act. V.*

Συνάρμοσον δὲ βλέφαρά μου τῇ σῇ χερὶ,
Μῆτερ (τίθησι δ' αὐτὸς ὀμμάτων ἔπι)
Καὶ χαίρετ'· ἤδη γάρ με προβάλλει σκότος.
Conde ſeu *compone palpebras meas tuâ manu,*
Mater (oculis autem ipſe impoſuit manum)
Et valete; jam enim circumſtant me tenebræ.

Uti & illud Lucani, de Argo, animam efflaturo, *l.* 3. *v.* 738.

——— *Vox fauces nulla ſolutas*
Proſequitur: tacitô tantùm petit Oſcula vultu,
Invitatque patris, claudenda ad lumina, dextram.

Quin & forſan Penelopes illud ad Ulyſſem, apud Ovid. *Ep.* 1. *v.* 113.

Reſpice Laërten; ut jam ſua lumina condas,
Extremum Fati ſuſtinet ille diem.

Acce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Accedat, quod Val. Max. *l.* 2. *c.* 6. §. 8. narrat, de ſummæ apud Cejenſes (Græciæ Inſulanos) dignitatis fœmina, quæ, poſtquam venenum cicutâ temperatum mori expetens hauſerat, *cùm jam viſceribus rigorem & cordi imminere eſſet locuta; filiarum manus ad ſupremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Cœterùm Hebræi, de claudendis moribundi *Oculis*, ad hunc modum, in *Gemara* & *Miſna*, *Non claudunt*, inquiunt, *morientem* (i. e. neutiquam claudendi ſunt moribundorum oculi) *nec Sabbathô, nec die aliquó profeſtô* (i. e. non omnino) *tempore* ſeu *momentô, quó exhalaturus eſt animam. Et qui claudit in exitu animæ, effundit is ſanguinem.* In morientibus namque ſeu ægris uſque ad mortem, molliſſimè habendis perquam eſſe ſoliciti ſolebant, tactuque ac motu etiam leviſſimô accelerari mortem eorum credebant. Sed verò in *Talmude* Babylonico, ad Miſnam jam allatam, ſtatim ſequitur hoc, de claudendis per *Oleum Oculis*, in nonnullis editis, *Legitur etiam, Rabbi Rashbam docuiſſe, ſi quis vellet* Oculos *morientis claudere, inſufflandum illi vinum in nares ejus & imponendum oleum, inter palpebras oculorum ejus, atque digitos ejus prehendendos pollice ſuô utrôque, indeque ſponte clauſos illos fore.* Dum verò loquitur hìc tum *Miſna*, tum *Gemara*, de non claudendis *Oculis morienti, in ipſo animæ exitu*, proximè adjicitur illud τοῦ Rashbam, de *moriente*, adeoque nec fortè de alio morientium genere capiendum, quàm quod *moribundorum* nomine, i. e. hactenus vivorum, palàm venit: Quo modo ſi res capiatur, ex diſciplina veteri circa Moribundos, quæ pro locorum ſeculorumque diſcrimine, uti alia non pauca, aliter atque aliter ſe procul dubio habuit, ſequetur ita, oleum & digitorum appoſitionem, in ipſo ſpiritus exitu, adhibere, fas etiam ex more fuiſſe &c. Vide Joh. Selden. *de Synedr. veter. Hebr. l.* 2. *c.* 7. §. 12. & Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Part.* 2. *p.* 586. alibique paſſim, quibus adde Gerh. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 23. 68. & *l.* 4. *c.* 12. 39. & 82. ubi de *Oculis* multa egregia.

OCULIPETA, nomen ſerpentis Americani, de quo vide infrà *Texminani.*

OCULIS profanis, rem ſanctam lædi, Veteribus creditum, Claudian. *de Bello Get. v.* 101.

——— procul arceat altus
Jupiter, ut delubra Numæ, ſedemque Quirini,
Barbaries oculis *ſaltim temerare* profanis
Poſſit ——— ———

Sed & caſtos oculos viciſſim lædi arbitrabantur, rebus improbis, uti Domitianus ait apud Sueton. *c.* 11. Unde ab atrocibus hominibus illos avertebant, uti diſcimus ex verbis Oreſtis, poſt matrem peremtam, apud Euripidem *Electrâ v.* 1195.

Τίς εὐσεβὴς ἐμὸν κάρα προσόψεται;
Quis pius meum caput aſpiciet?

Et, viſô ſcelere Tydei, *oculos* purgavit Minerva, apud Papin. Statium *fine l.* 8. Etiam mortem & mortualia liberorum, turbatô nimirum mortalitatis ordine, nefas propterea putabant à Parentibus videri, uti de Priamo apud Virgilium *Æn. l.* 2. & de Mauritio Imperatore apud Theophilum Simocattam *l.* 8. *c.* 11. legimus. Sed & buſta ac cadavera, ne externis quidem hominibus, religione aliqua devinctis, conſpicere licebat. Quam ob rem Pacatus *hominem funebrem* non dignum fuiſſe conſpectu Principis dicit Maximum Theodoſii *in Panegyr.* Nempe cadaverum viſus omnem aſpectum lædere credebatur. Salvian. *l.* 6. *Ipſe vidi atque ſuſtinui, utriuſque ſexus cadavera, nuda, lacerata, Urbis oculos inceſſantia, avibus canibuſque laniata.* Horrendæque res vix oculis attingendæ videbantur, cùm nimirum præ cœteris ſanctum eorum ſenſum haberent. Eucherius *Homil. I. ad Monachos: Cùm rebus humanis vale ultimum dicens ---- in illud horrendum & vix oculis attingendum pertraheretur profundum* &c. Quin & Hebræi ſordibus alvi *Oculos* temerare vetiti ſunt divinâ Lege; quod & Romanis uſurpatum, docet Iſidor. *l.* 11. *c.* 1. & Turcis etiamnum ſervari, notum. Delicati verò id in mollitiem trahebant, ut dicerent, re aliquâ minùs politâ oblatâ, *lædere eam oculos.* Senec. *Ep.* 119. *Si pertinere ad te judicas, quam crinitus puer, & quàm pellucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Inter reliqua hoc nobis natura præſtitit præcipuum, quòd neceſſitati faſtidium excuſſit. Recipiunt ſupervacua delectum. Hoc parùm decens, hoc parùm lautum, oculos hoc meos lædit.* Vide Barthium ubi ſuprà *Theb. l.* 6. *v.* 205.

OCULOS eruendi digitô, in ira rixaque, conſuetudo, Romanis olim familiaris, memoratur Martiali *l.* 1. *Epigr.* 93. *v.* 12. ubi acerbè invehitur in Mamurianum puero Ceſto infeſtum,

——— *fodiam digitô, qui ſupereſt, oculum.*

Et *l.* 3. *Epigr.* 92.

Ut patiar mœcham, rogat uxor, Galle, ſed unum,
Huic ego non oculos *eruo, Galle, duos?*

Unde minandi formula, *Oculos ego tibi effodiam*, Plauto ſolennis, vide *Aulul. Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 12. Sed & pravis Judicibus *oculorum* alterum digitô eruiſſe ſolitum Alexandrum Severum narrat in eo Lamprid. *c.* 17. Quod per laſciviam paraſitis ſuis feciſſe quoque Heliogabalum, illoſque *Luſcinios* tum appellâſſe, idem refert. Conf. *Æl. Lamprid. in Commodo c.* 20. More antiquiſſimô, uti de Nahas Ammonitarum Rege Iſraëlitis dextrum oculum ſe eruturum interminante, legimus 1. Sam. *c.* 11. *v.* 2. Sed & *Oculi* Martyribus effoſſi, atque avibus objecti. Prudentius *Steph.* 2.

Viventiſque oculos *offerat alitibus.*

Vide quoque ſuprà in verbo *Fodere*, item in vocibus *Bulgari, Servi, Zaleucus, alibi.*

OCULOS linendi mos apud Veteres indigitatus Plinio *Ep.* 2. *l.* 6. ubi de Macro Regulo Oratore, *Oculum*, inquit, *modò dextrum, modò ſiniſtrum circumlinebat: dextrum, ſi à petitore, alterum, ſi à poſſeſſore eſſet acturus* &c. Vide Caſaubon. *Not. ad Æl. Spartian. in Hadriano c.* 4. & ſuprà in voce *Fucus*, item *Oblinere.* Sed & hoc laboratum eſſe Veteribus, ut cæſios puerorum oculos arte & curâ nigros redderent, quòd color hic in oculis pulchrior habitus, diſcimus ex *Dioſcoride.* Unde Poëta,

——— *nigris oculis, nigrôque crine decorum.*

Et Græcum *Epigramma*,

Οὐδὲ κόρας ξανθὰς παραπέμπομαι, ἀλλὰ περισσῶς
Τὰς μελανοφθάλμους, αἰγλοφανεῖς τε φιλῶ.

Ubi nomine κόρης non propriè pupulam intelligit, quæ nullâ arte nigrior fieri poteſt, ſed iridem, quæ maximam τῆς κόρης partem conſtituit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 190. ſuprà *Glaucopis*, & infrà in vocibus *Palpebra, Supercilium* &c. Spartanos verò infantum recèns natorum aliquando totum corpus, nonnunquam nares ſolùm, *oculoſque* vinô abluiſſe, dicemus ubi de *Ungendi ritu.*

OCULOS obligandi damnatis mos, occurrit apud Curt. *l.* 6. *c.* 11. ubi de Philota torturæ deſtinato, *Dum corripitur, dum* obligantur oculi, *dum veſtis exuitur* &c. ut videl. feralibus iſtis tenebris magis etiam angeretur, & admota ſævitiæ inſtrumenta, quanto inopinata, vehementiùs paveſceret. Hodie iis, qui gladiô percutiuntur, idem fit, ſed mitiori longè fine; ne ſcil. carnificis aſpectu perterriti preces ultimas turbatiore mente profundant; neque ſpiculatorem fortè ſubductô capite & projectis manibus fruſtrentur aut impediant: de qua re notabilis Bironii, apud Gallicarum rerum Scriptores, Hiſtoria. Sed & antiquitus idem obſervatum, vel ex Joſepho diſcas *de Bello Jud. l.* 7. *c.* 14. & Hegeſippo *l.* 5. *c.* 47. *Dum percuſſor moratur, clauſis jam faſciolâ oculis, ſeſe proripuit ad Romanos.* Freinshemius *ad Curtium d. l.*

OCULOS atque aures, ex pretioſa materia effictos, eoſque certis ritibus conſecratos ac Diis dedicatos & ſic in horum Templis aſſervatos ab Ægyptiis, narrat Clemens Alexandrinus *l.* 5. *Strom.* quibus tacitè ait ſignificatum, *Deum omnia videre atque audire.* Certè omniſcientiam Dei Gentilibus non fuiſſe ignotam, prolixè oſtendit Pfannerus *Syſtem. Theol. purior. Gentil. C.* 2. §. 29. E quo hæc pauca ſubjicio: Cambyſes ſermone ad filium Cyrum, apud Xenophontem *de Inſtit. Cyri Hiſt. l.* 1. *p.* 17. Θεοὶ ἀεὶ ὄντες πάντα ἴσασι, τά τε γεγενημένα καὶ τὰ ὄντα, καὶ ὅτι ἐξ ἑκάστου αὐτῶν ἀποβήσεται, *Dii immortales omnia nôrunt & præterita & præſentia & quis ſingulorum futurus ſit exitus.* Propiùs ad Ægyptiorum hieroglyphicum Heſiodus *Operum & Dier. l.* 1. *v.* 265.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας,
Omnia videns Jovis Oculus *omniaque intelligens.*

Socrates etiam, referente Xenophonte *Memorabil. l.* 1. *p.* 711. Θεοὺς πάντα εἰδέναι, τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα, *Deos omnia ſcire, vel quæ dicerentur, vel agerentur, vel cùm tacitè deliberarentur*, poſtquam dixiſſet; de Providentia Dei omnia ſuâ curâ complectente, ibidem diſſerens, ſtatuit Numen tantum ac tale eſſe, Ὥσθ' ἅμα πάντα καὶ ὁρᾶν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι, *Ut omnia pariter videat, & audiat omnia & ubique adſit & pariter omnium curam gerat.* Atque ne id incredibile ei, cui colloquebatur, videretur, elegantiſſimô animi *Oculique* humani exemplô id comprobat atque declarat, his verbis: Ὦ ἀγαθὲ, κατάμαθε, ὅτι καὶ ὁ σὸς νοῦς ἐνὼν τὸ σὸν σῶμα, ὅπως βούλεται, μεταχειρίζεται, Οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα, ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ, οὕτω τίθεσθαι. Καὶ μὴ τὸ σὸν μὲν ὄμμα δύνασθαι ἐπὶ πολλὰ στάδια ἐξικνεῖσθαι, τὸν δὲ τοῦ Θεοῦ ὀφθαλμὸν ἀδύνατον εἶναι ἅμα πάντα ὁρᾶν· μηδὲ τὴν σὴν μὲν ψυχὴν καὶ περὶ τῶν ἐνθάδε, καὶ περὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Σικελίᾳ, δύνασθαι φροντίζειν, τὴν δὲ τοῦ Θεοῦ φρόνησιν μὴ ἱκανὴν εἶναι ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι, *Diſce, ô bone Vir, & mentem tuam, dum ineſt corpori, ex arbitratu ſuo corpus gubernare. Quamobrem exiſtimandum eſt, illam quoque Sapientiam, quæ eſt in hoc Univerſo, ſic omnia regere, quemadmodum ipſi gratum eſt: non oculum tuum ad multa uſque ſtadia pertingere poſſe, & non poſſe Dei* Oculum *ſimul omnia intueri: neque animum tuum tam de rebus, quæ hic accidunt, quàm de illis, quæ in Ægypto & Cicilia, cogitare poſſe: Et non poſſe Dei ſapientiam ſimul omnia curâ ſuâ complecti* &c.

OCULUS Convivii, vide infrà *Oenoptes.*

OCULUS Solis, apud Avicennam *l.* 2. *c.* 81. Ægypti locus; in quo balſamum naſcitur; quemque Dioſcorides *l.* 1. *c.* 18. ſolùm τινὰ αὐλῶνα, *quandam convallem*, nuncupat. *Oppidum Solis* vocatur Plinio *l.* 6. *c.* 29. Sed *Fontem*, non *Oculum Solis*, reddi debere, firmat Simeon Sethi *l.* περὶ τροφῶν, in Βαλσαμέλαιον, ubi de balſamo illic (ut Avicenna, atque ex eo; nam Avicennâ recentior erat) naſcente, verba faciens, Γίνεται, inquit, πλησίον Αἰγύπτου ἐν χώρᾳ παρ' Αἰγυπτίοις μὲν Ἡλίου Πηγὴ ὀνομαζομένῃ, παρὰ δὲ τῶν παλαιοτέρων Ἡλίου πόλις, *Naſcitur prope Ægyptum, in regione Ægyptiis Solis Fonte dictâ, ſed ab vetuſtioribus, Solis urbe.* Pro quo eodem ſumitur אן *On*, in Sacris, Gen. *c.* 41. *v.* 45. & 50. Ezech. *c.* 30. *v.* 16. & apud Joſephum *Antiqq. l.* 2. *c.* 3. urbs, tempore Ægyptiacæ ſervitutis, Regia, cujus Præfecti ſeu Sacerdotis (Hebr. כהן) nempe Potipheræ, filiam, *Aſenath* dictam, Pharao collocavit in uxorem Joſepho Patriarchæ. Sed ſubſtituit ibi Paraphraſtes Jonathan, *Et dedit Aſenath, quam peperit Dina ipſi Sichem, quæ, ubi crevit, facta eſt uxor Potipheræ Principis Taneos in uxorem.* Reddendum autem, *quam educavit uxor Potipheræ* &c. Quaſi inde filia ejus *Aſenath* nuncupata fuiſſet. *Urbem Pharaonis* vocat Abulfeda *MS. num.* 67. R. Nathan *MS.* in Bibl. Bodlei. *Fontem* quoque *Solis* &c. apud Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræor. l.* 3. *c.* 15.

OCYALUS, unus ex Phæacibus tempore Alcinoi Regis, Homerus, *Od.* 7.

OCYMUM, inter hortenſia, memoratum Plinio *l.* 19. *c.* 6. *particulatim & ab imo incipit: quà de cauſa diutiſſimè floret.* Et *l. eod. c. ſeq. Nihil ocimô fœcundius: cum maledictis & probris ſerendum præcipiunt, ut lætiùs proveniat.* Ubi *de maledictis* & *probris* quod habet, ſcribit quoque de ruta Palladius *c.* 9. *Martii.* Cùm contrà rapum, raphanum & napum ſerentes, antiquâ conſuetudine precarentur &c. Ejus frondibus, locô aſpergilli, in aſperſione aquæ, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ut vocant, benedictæ, utuntur Græci, dicentes; *ſuper telluris*
ſpatium, ubi crux Chriſti erat ſepulta, ocymum oleviſſe, ideoque Ba-
σιλικὸν, i.e. Regiam, vocari hanc herbam, quia evulſa fuerit juſſu
D. Helenæ Crucis inventricis, ut habet Macer in *Aqua Benedicta*:
cùm Latini hyſſopô in eum finem utantur. De eodem *Ocymo*,
ſcribit Ariſtoteles *Probl. L. Electrum omnia attrahere*, ocymô ex-
cepto: Sed falſum id eſſe, neque electro ſeu ſuccino ipſum ocy-
mum reſiſtere, docet Athanaſ. Kircherus, multiplici experimen-
tô id oſtendens, ut videre eſt apud Georg. de Sepibus *in Deſcript.*
Muſæi ejus p. 43. & 44.

OCYPETE, una Harpyiarum, *à celeri volatu* nomen habens.
Sorores habuit Aëllo & Celæno, cum quibus Strophadas inſulas
fertur incoluiſſe.

OCYPODES, inter gentes Indiæ, quæ monſtruoſæ ſunt figu-
ræ, recenſentur Straboni, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1006.

OCYROE, Nympha, Chironis Centauri & Chariclûs Nym-
phæ filia, ita dicta *à celeriter fluendo*, quòd in rapidi fluv. ripis nata
eſſet. Hanc poëtæ fabulantur fuiſſe fatidicam, eandemque in equam
tandem converſam, Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 635.

Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri, quam quondam Nympha Cairi
Fluminis in rapidi ripis enixa vocavit
Ocyroën. ——— ———

O.D.M. denotat, *operæ, donum, munus*: quæ tria Patroni ſuis
Libertis, quum eos libertate donabant, imponere olim conſue-
vêre. Vide Paulum *L. ſæpe* 53. *ff. de verbor. ſignif.*

ODA, in Aula Turcica, nomen eſt, quô Aulicæ Scholæ claſſes,
in quibus juventus, Principis miniſteriis olim adhibenda, ſedulò
tum in Mahometicæ Superſtitionis capitibus, tum in exercitiis
corporis variis aliiſque olim profuturis inſtituitur. Earum qua-
tuor ſunt, in quibus ſexcenti circiter juvenes, *Ichoglani* dicti,
degunt, curæ quatuor præcipuorum Eunuchorum, & qui caput
eorum, *Capi Agæ* commiſſi. Hi de capacitate eorum judicium
ferentes, ex una *Oda* ſeu Claſſe in aliam, pro ratione profectuum,
illos promovent; quos ineptos judicaverint, Serralio ſeu Aulâ eji-
ciunt, in quam omnis illis in poſterum reditus excluſus eſt, ſpeſ-
que in æternum adempta, ad dignitatem aliquam ex amplioribus
perveniendi; *Spahi* tamen fieri poſſunt. Reliqui, ſpe dignita-
tum munerumque maximorum in Aula Imperioque Turcico con-
ſequendorum deliniti, plurimos annos ſub rigida & ſevera ad-
modum Eunuchorum diſciplina perdurant, ut ſuô tempore *Baſſa*,
Begi, *Capigi Baſſa*, *Haznadarbaſſa*, aliique, qui non aliunde,
quàm ex hoc ſeminario depromuntur, evadere queant. Et qui-
dem prima, quæ infima eſt, harum Claſſium, reliquis eſt nume-
roſior, utpote in qua tenerior ætas ſub ferula gemit; appellatur-
que *Couchouk Oda*, h. e. *parvà claſſis*, non quòd non amplior re-
liquis omnibus, ſed quòd dignitate poſtrema ſit. Hîc legere &
ſcribere pueri præfati, ut & prima Legis Mahometicæ rudimenta
addiſcunt, per ſexennium integrum: quô finitô, tranſeunt in ſe-
cundam *Quilar-Oda* dictam, ubi jam robur adepti exercitiis cor-
poris variis, tendendo arcui, vibrandæ lanceæ aliiſque aſſuefiunt.
Præterea Turcicam linguam perfectiùs docentur, cui Arabicæ
Perſicæque ſtudium jungunt, quòd his linguis in Præfecturis, in
quas olim mittendi, opus omnino habeant. Poſtquam in hac
quatuor annos deſudârunt, promoventur in tertiam, *Chaſnadar-*
Oda ſeu *Theſauri Claſſem* appellatam: in qua jam Imperatori ap-
parere incipiunt, veſtium cuſtodiæ balneiſque adhibiti. In eadem
equitandi peritiam adipiſcuntur, & in exercitiis ipſis convenien-
tibus redduntur conſummati. Atque hæ tres Claſſes Præfectos
habent, quælibet ſibi proprium, prima *Serai-aglaſi*, altera *Quilar-*
gibachi, tertia *Chaſnadar-bachi*, Joh. Baptiſtæ Tavernier vocatos;
juveneſque qui in iis erudiuntur, cum *Oda* ſupremæ ephebis nihil
commercii habent, ſed neque cum ullo extraneorum, niſi ſpe-
ciali Capi-Agæ permiſſu, & in præſentia alicujus ex Eunuchis:
Imò nec inter ſeſe mutuò colloquendi veniam habent, niſi ſtatis
horis, idque magna cum modeſtia, ad quam inprimis, ut &
promtum cœcumque obſequium, ſolicitè formantur. Iidem ſim-
plici pannô veſtiti ſunt, ne quidem Veziriorum & Baſſarum fi-
liis, qui *Beigs-Zadés* vocantur, exceptis, cùm ſupremæ Claſſis
juvenes, ut qui ſæpiùs in conſpectum Imperatoris veniunt, ar-
gentô aurôque radient. Ultima igitur ac ſuprema *Oda*, Turcis
Haz-Oda dicitur, in qua quadraginta verſantur Ephebi, qui per-
petuò Imperatori præſtò ſunt, & miniſteria ipſi quotidiana exhi-
bent, de quibus modò dictus Tavernier *Relat. du Serail c.* 13.
adeoque in hac Claſſe, poſt tantas tamque diuturnas reliquarum
trium moleſtias, reſpirantes, cum omnibus totius Aulæ liberè
converſandi facultatem habent, & uti quotidie Imperatori mini-
ſtrant, ita gratiam, liberalitatemque ejus ſubinde experti, inde
tandem ad ampliſſimas præfecturas ac munera amandantur. Qui-
nam autem ſint illi Ichoglani, vide ſuprà. Addam hîc ſolùm,
nonniſi ex mancipiis illos deſumi, & quidem utrôque parente
Chriſtianô genitis; qui, poſtquam in aliis extra Conſtantinopo-
lim Serraliis aliquandiu detenti fuêre, inde ſelectiſſimi quique, Con-
ſtantinopolim in Aulam Imperatoris mittuntur, atque ibi in 4.
præfatis *Odis* ſeveræ ſub diſciplinæ legibus tamdiu educantur, do-
nec apti deprehenſi ſint, qui Principi ſerviant. Raró illis Turci-
cô ſanguine geniti, nec niſi præviô ipſius Imperatoris conſenſu,
intermiſcentur. Atque hæc Magnatum Turcicorum origo eſt.
Quod enim Veziriorum & Baſſarum filios attinet, qui ſimiliter in-
ter hoſce Ichoglanos educantur, aliiis, quàm ad Begi dignitatem,
aſpirare, lege prohibentur &c. Vide omnino prædictum Tavernier
l. cit. paſſim.

ODACON, Græcè Ὠδάκων, figurâ partim hominis, partim
piſcis, Ædorachi Regis Chald. tempore, floruiſſe dicitur Beroſo,
qui fortaſſe ὁ Δαγών, Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 77. Vide quoque Jo. Sel-
denum *Syntagmate de Diis Syris c.* 3. ut & in voce *Dagon.*

ODAGANA, oppid. Arabiæ deſertæ *Ptolem.*

ODAJA, ſive ODEJAS, ſoror Naham, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 19. La-
tinè *laus*, ſeu *confeſſio Domini.*

ODAREN, nomen viri, 1. Macchab. *c.* 9. *v.* 66.

de ODDIS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ODE, Græcè Ὠδὴ, titulus librorum Horatii, cui à *canendo* no-
men. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 44. *Proxima heroicæ majeſtati Lyrica*
nobilitas; ut illa à cantu Rhapſodia & Epos: ita hæc Ode, & ...
& μολπὰ. Neque enim ea ſine cantu atque lyra pronuntiabant ——
Odas quoque à canendo titulum ſuorum librorum fecit Horatius. Gram-
matici Pindaricas inſcripſêre cantiones, μέλη. alii verò maluerunt ...
&c. Sed & in Choro veter. Comicorum, poſt Commatium &
Parabaſin, tertiô locô ſequebatur Ὠδὴ, quæ interdum canebatur
cum converſione, i.e. cum ſtrophe, interdum ſine motu; idque
quôcunque genere verſiculorum ſolutorum, quales apud Melicos
Poëtas metimur aliquando tetrametris Anapæſticis. Finitâ ſtro-
phe conſiſtebant ad Spectatores converſi denuo, ibique aliquid
profitebantur novi, Trochaicis aut Anapæſticis longis, aut etiam
dactylicis: quod dicebatur *Epirrhema*. Poſt epirrhema relegebant
veſtigia Strophes motu contrariô, quod *Antiſtrophe* à motu, Ἀν-
τῳδὴ, à *cantu*, cantui reſpondente, ea appellabatur, Idem *l.* 3.
c. 97. Sine diſcrimine verò & Ὠδὴν & Ὠδὸν aliquando ſcriptum
invenias. Ὠδὸν verò pro eo quod eſt Ἀοιδὸν: neque ſolùm pro
Poëta, ſed etiam pro Vate, ſicut uſus fuit Dino *in Perſarum Hi-*
ſtor. ubi eos Perſis peculiares facit meminitque Angari, τῶ Ὠδῶν
τῶ ἐνδοξοτάτω, *Vatum præclariſſimi*, qui in Aſtyagis convivio fue-
rit vaticinatus, vide quoque ſuprà in voce *Cantor*. In conviviis
porrò Græcorum, ubi Scolia cani ſolenne, poculum circumla-
tum Ὠδὸς vocabatur, quòd non liceret abſque cantu vel propi-
nare vel excipere, uti habet Tryphon Grammaticus ἐν Ὀνομαστι-
κοῖς, apud eundem ubi ſuprà &c. Nec omittendum *Oda* voca-
bulum aliquando latiùs ſumi. Apud Statium enim *l.* 5. *Sylv.* 3.
v. 94.

Oda labor nomenque fuit ———

Oda ſignificat metrum omne, longis ſive hexametris verſibus diſ-
ſonum, quo modo omne Canticum *Ode. Heſychius*, Ἀείδειν, φωνῇ
ᾠδῆς λέγειν. Et, Ἀοιδὴ, ᾠδὴ, φωνή. Vide Barthium *Animadverſion.*
ad loc.

ODED, propheta, 2. Paral. *c.* 15. *v.* 1. Latinè *ſuſtentans, tenens*
aut *erigens.*

ODENATUS, Princeps vel Decurio Palmyrenorum, multa
adverſus Saporem Perſarum Regem præclarè geſſit, ſeculô 3. con-
tra quem limites Romani Imperii fortiter defendit: Quietum &
Baliſtam rebellantes coërcuit, Auguſti tandem titulum meritus.
Zenobiæ uxoris, conſiliis & fortitudine omni ævô memorabili,
adjutus, totum ferme Orientem ſub jugum miſit: à nepote Mœ-
nio, in medio felicitatis & victoriarum curſu, imperantibus Ga-
lienis, ſublatus, Trebell. Pollio, *de* 30. *Tyr. in vita Valer. & Ga-*
lien. c. 15.

ODERA, oppid. Ducatus Oppavienſis in Sileſia parva, in limi-
te Moraviæ, ad fontes Oderæ fluv. 4. milliarib. Germanicis ab O-
lomucio in Ortum.

ODERA, fluv. German. *Oder* vulgò dicitur. Sunt qui illum
à *Ptolemæo Viadrum* vocari autumant. *Oderam* vocant, ab aucu-
pibus vocabulô mutuatô, qui ſpeculas avibus ſpeculandis captan-
diſque conſtitutas, *Odri* appellant, hodieque hujuſmodi ſpeculæ
in Moravia, ad fontem Oderæ, ab aucupibus conſtituuntur, *Metel.*
Quibuſdam *Guttalus* etiam dictus. *Baudrando* oritur in Sileſia,
juxta oppidul. Oderam, in ipſo confinio Moraviæ; dein recipit
Oppam fluv. rigatiſque Ratisboriâ, Vratiſlaviâ, Glogaviâ majore
& Croſſâ: hinc per Marchiam Brandeburgenſem Francofurtum
ad Oderam rigat, uti Lebuſium & Cuſtrinum, ubi Wartam re-
cipit; tandem in Pomeraniam tendens, infra Stetinum lacum
efficit *das Groſſe Haff*, & duas inſulas Uſedomii & Vollini: ſeque
in mare Balticum exonerat tribus oſtiis, *Pfin*, *Swine*, & *Diw-*
now.

ODERA, amnis Britanniæ minoris Coriſopitum rigat, & in O-
ceanum Aquitanicum labitur.

ODERICUS, Franciſcanus Forojulienſis, A. C. 1320. ſcripſit
Itinerarium, quod Waddingus vocat, *de Mirabilibus mundi, &c.*
Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 64. Bollandus, *in vita ejus.*

ODESSUS, urbs Myſiæ inferioris cum monte cognomine ad
Euxinum mare, inter Meſembriam & Dionyſiopolim. *Stephanus*
illam Almydeſſo proximam facit. Ejus meminit Ovid. *l.* 1. *Triſt.*
eleg. 9. *v.* 37.

Inde Meſembriacos portus & Odeſſon, & arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo.

Eſt & *Odeſſus*, amnis ibidem. Vide Stuckium, *ad Arrianum, p.* 159.
Nic. Lloydius.

ODETUS Colinius, Cardinalis Caſtellionæus, Archiepiſcopus
Toloſanus, &c. fil. Caſparis Colinii, Galliæ Mareſchalli, ex Ludo-
vica Montmorantia, frater Caſparis, famoſi illius Galliæ Admira-
lis, & Franciſci Andelotii, qui primus ex Gallica nobilitate purio-
rem religionem publicè profeſſus eſt. Ingeniô, eruditione, zelô
veritatis, rebus pro Religione orthodoxa geſtis, exiliô, inclytus.
Ductâ Elizabethâ Hautevillanâ, obiit in Anglia, ubi apud Reginam
Elizabetam, cui gratiſſimus erat, res Religionis in Gallia, magnâ
curâ promoverat, A.C. 1571. Thuan. *in Hiſtor.* Albinæus *hiſt. l.* 4.
c. 14. *Bouchetus*, *San Martanus*, &c.

ODEVIA, nomen viri. Vide *Odaja.*

ODEUM, Græcè Ὠδεῖον, vox apud *Ciceronem* & in Hiſtoriis fre-
quens. In *Odeo* Attici theatri Ægyptiorum Regum ſtatuas fuiſſe,
Pauſanias ſcripſit *l.* 1. Extra theatrum quoque loca dicata Muſis,
eôdem dicta nomine: quale Athenis à Pericle, deſtinatum Muſi-
cis certaminibus. Sed & *Alexis*, & *Plut.* & *Demoſthenes* & *Ariſto-*
teles Ὠδεῖς faciunt mentionem. Proditque idem Pauſanias me-
moriæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

morum, Herodæ Attici juſſu atque impenſis, conſtructum pulcherrimum Ὠδεῖον, defunctæ uxoris monumentum. Et Ὠδεῖων columnarum mentio fit, *l. de formis dic.* qui Theophraſto tribuitur. Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 21. Vide quoque ſuprà *Dos.* Roſino propriè, ſic dictum eſt publicum ædificium, in quo Citharœdi & Tibicines à Muſico, & reliqui Actores Scenici ab Hiſtrione exercebantur, antequam in Theatrum prodirent. Cujuſmodi Romæ fuiſſe ait quinque. Vide eum *Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 4. & infrà *Vociferatio*, uti de *Odeo*, h. e. Templo Minervæ, à Domitiano extructo, ſicque, quòd in eo Muſicorum & Poëtarum Chori frequentarentur & canerent Imperatoris laudes, appellato, pluribus apud Theod. Marcilium *ad Suetonium Domit. c.* 5.

O DEUS, Exclamatio Gentilibus quoque in frequenti uſu. Arnob. *adv. Gent. l.* 2. *Hæc omnia circumſpiciens, quæ videmus, magis an ſint cæteri Dii dubitabit, quàm in Deo cunctabitur, quem eſſe omnes naturaliter ſcimus, ſive cùm exclamamus,* ô Deus, *ſive cùm illum teſtem Deum conſtituimus improborum, & quaſi nos cernat, faciem ſublevamus ad cælum.* Quo faciunt hæcce Minucii, *Audio vulgus, cùm ad cælum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt: & Deus magnus eſt & Deus verus eſt, & ſi Deus dederit; vulgi iſte naturalis ſermo eſt.* Tertulliani item *Apologet. c.* 17. iſta: *Quod Deus dederit, omnium vox eſt: Judicem quoque conteſtamur illum, Deus videt & Deo commendo, & Deus mihi reddet. Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, ſed ad cælum, reſpicit. Novit enim ſedem Dei vivi: ab illo & inde deſcendit* &c.

ODEWINI, memorati Arnoldo Lubecenſi *l.* 7. *c.* 10. *Tranſitus terræ ejus difficilimus & incognitus eſt; quia ſtantibus ventis ſtrata ſabulo ita infundit, ut vix à quoquam ſciatur, niſi ab* Odewinis*, qui ſæpius illic tranſeunt.* Ubi Editor vocem corruptam putat ex *Gothis*. Sed legendum *Bedewinis*, populis ſcil. ſic appellatis, monet Car. du Freſne *Gloſſar.* & multa de iſtis habet, *ad Joinvillam.* Vide quoque ubi de *Arabibus*, & ſuprà voce *Beduini*.

ODIA, nomen viri, Nehem. *c.* 8. *v.* 7. Idem ſignificat quod *Odejas*. Item, Ægæi maris Inſula, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ODIAA, ſeu *Siam*, urbs ampla Indiæ ulterioris, emporium celebre, regni Siami caput, & ſedes regia, nonnullis etiam *Judia*. Juxta Menanum fluv. 30. leuc. Gall. circiter ab ora littorali maris Indici in Boream. Vide *Judia*.

ODILO, 5. Abbas Cluniacenſis, fil. Beraldi M. Mercurii Domini ex Gerberga; ſucceſſit Majolo, A. C. 994. præfuitque Ann. 54. benignus & mitis. Scripſit vitam Majoli, Adelheidæ Imperatricis, hymnos aliquot; homilias quatuordecim; &c. Obiit A. C. 1048. ætat 87. Voſſ. *de Hiſtoric. Latin. c.* 44. Morerius, *Diction. hiſt.* Hic, cùm ad Vulcani ollam, in Sicilia gemitus audiiſſet, Purgatorium inde exſtruxiſſe dicitur. Sigebertus *in Chron.* Lætus *Comp. hiſt. univ.* Cui alterum acceſſit fulcrum, à Benedicto VIII. qui poſt mortem nigro caballo inſidens apparuit, rogavitque, Odilo pro ſe oraret. Platina, Johan. Stella. Venetus.

ODINGTONUS, Benedictinus Anglus, Philoſophus & Mathematicus inſignis, A. C. 1280. Scripſit *de motibus Planetarum*, & *de mutatione aëris*. Pitſeus, *de Ill. Angl. Scr. p.* 362.

ODITES, unus ex Centauris, Ixionis, ex Nube fil. à Mopſo interfectus in nuptiis Pirithoi. Ovid. *Met.* 12. *v.* 456.

——— *Mopſo jaculante biformis*
Occubuit fruſtraque loqui tentavit Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.

ODIVA, vir quidam in Dalmatia ab Odoacro Tyranno vinctus, A.C.4[illegible].

ODIUPOLIS, regio Heracleæ juxta Pontum, *Stephan.*

ODMANA, Palmyrenæ urbs, *Ptolem.*

ODO, Archiepiſcopus Cantuarienſis, cœlibatum Sacerdotum in Anglia; cum Dunſtano Archiepiſcopo Glaſconenſi, vehementer urſit, circa A. C. 950. Polyd. Virg. *l.* 6. Vide *Dunſtanus*.

ODO, Regens Galliæ, vide *Eudes*. Item, Monachus S. Mauri, ſcripſit vitam Comitis Burcadi. Item, Anglus, *in Euclidem*, *Chronica*, &c. ſcripſit A. C. 1180. Item cognom. *Aleranus*, Cardinalis, ſcripſit *Aſtronomicum* quoddam opus, A. C. 1251. Villanius, *l.* 6. *c.* 82.

ODO, 2. Abbas Cluniacenſis Gallus, diſcipulus S. Remigii Antiſſiodorenſis: Principum Pontificumque arbiter. Obiit A. C. 944. ſcripſit plurima. Vide Morer. *Diction. Hiſt.* Item, dictus *Cantianus*, Benedictinus, ſeculô 12. Thomæ Cantuarienſi familiaris, à Joh. Saliſburienſi impensè laudatus, Scripſit *in Pentateuchum*, *in 4. libros Regum*, *Pſalmos* & *Euangelia*. Præterea, *De onere Philiſtim*, *de Moribus Eccleſiaſticis*, *de Vitiis & Virtutibus animæ*, &c. Obiit A. C. 1160. Pitſeus, *de Illuſtr. Angl. Script.* Item dictus *Ceritonenſis*, Ciſtercienſis Anglus, eloquentiâ inter primos ſui ævi: Principibus gratus. Scripſit *Homilias*, *Proverbia*, &c. A. C. 1181. ſub Henrico II. Angliæ Rege; Carolus Viſch. *in Bibl. Ciſtert.* Pitſeus, &c.

ODO, laneus calceus, ex Græco ὀθόνη. Martiali *l.* 14. *Epigr.* 140. *Udo*. Aliis *candidum linteamen*. Donatio, quæ dicitur Conſtantini, *in Photii Nomocanone tit.* 8. *c.* 1, Græcè reddita à Theodoro Balſamone, ut creditur, habet, Καὶ ὡς ἡ ἡμετέρα σύγκλητος φέρει ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια δι' ὀθονίων &c. quod Agylæus vertit, *Et, quemadmodum Senatus noſter calceamenta ſive ſandalia ex linteis candida geſtat*, ita etiam illi ſeu Clerici Romani. Vetus autem formula ejuſdem Latina, apud Gratianum *diſt.* 96. *c.* 14. & Alber. Roſat. *ad c. tit. de Præf. urbis* & *Tom. I. d. Concil. edit. Surian. & Binian. Et ſicut noſter Senatus calceamentis utitur cum Udonibus*, i. e. *candido lineamine illuſtratis*, ſic utantur & Clerici &c. Blaſtares verò in *Commentar.* Anonymi *ad Conſtantini Donat.* Ὡς δὲ καὶ τὰ ὑποδήματα τούτων ὀθονίων εἶναι πεποιημένα λευκῶν, *Atque eorum* (Senatorum) *calceamenta, ſic & Clericorum fiant ex linteaminibus candidis.* Adeò Græcus uterque pro linteaminibus candidis, è quibus fierent ipſi calcei, ὀθόνια λευκὰ & Udones accepit. Sed verò linteamen hoc ornamento fuiſſe calceamentis Senatoriis & uſum item, eorum extrema colligando, præſtitiſſe volunt Docti aliqui, nec calceum fuiſſe ipſum. Vide *Pancirollum*: aliis aliter ſentientibus. Ex *Actis* verò, quæ vocantur *Sylveſtri Papæ*, Vaticanis, explicatio affertur, τῶν Οὐδόνων, Udonum ſive *Odonum*, in donatione illa fictitia Conſtantini; Ὀδόνοις τὸ τοῦτ' ἔςι λευκοτάτῃ ὀθόνῃ περὶ τὰ ὑποδήματα χρῆσθαι, quod citat. Joſ. Stephanus *de Oſculat. pedum Pontific. Rom.* & vertit, *Id eſt, Udonibus ex candidiſſimo lineo ad pedes uti.* Et Bened. Balduinus *in Calceo Antiq. c.* 4. infelici ſatis memoriæ lapſu verba illa Herodiani eſſe aſſerens, pro linteis calceamentis ſumit ibi τὸ ἠδόνοις, vocabulum etiam Julio Polluci *l.* 10. *c.* 11. à Salmaſio *in Lamprid. in Sever. c.* 40. pridem pro ἡδονῶν reſtitutum. Sed in Donatione illa Latina, *Udones* pro lunata Senatoriæ dignitatis in calceis nota corrigiarum inflexione formatâ (de qua Plut. *Problem. Rom.* 76. *Martialis*, *Zonaras*, alii obiter) ſumendi omnino videntur Seldeno nec pro calceamentis ipſis. Quod probatum it ex ipſo ordine verborum: Nec ſanè aliter videtur, quod ex Actis Sylveſtri adfertur. Id planè ſonat, *Candido linteamine circa calceos* aut *in calceis* uti. Neque aliter, ait, res intellecta ad Senatoriam, unde petitur, dignitatem poterit attinere. Hactenus Johannes Seldenus *Uxor. Ebraic. l.* 1. *c.* 14. Vide infra in voce *Udo. Pedale* it. *Pedoculli.*

ODO de ODIS, Patavinus, Medicus celebris, A. C. 1538. Vide Tomaſium *in Elog. Patavin.* Juſtum *in Chron. Med. Vander Linden.*

ODO Rigaltius, Lugdunô oriundus, Archiepiſcopus Rotomagenſis: expeditionis ſacræ comes, A. C. 1267, poſt Ludovici IX. in Africa mortem, à Philippo Audaci, cum Petro Duce Alenconio & aliquot aliis Præſulibus, Galliæ Regens dictus, obiit A. C. 1275. Scripſit in *Magiſtr. Sententiarum*, *Homilias*, *tractatum de viſitandis Parœciis*, &c. Morerius, *Diction. Hiſt.*

ODO Severus, Danus, ex idololatris parentibus in Anglia natus. Latinè & Græcè doctus, verſu proſaque promptus, ab Eduardo Rege Archiepiſcopus Cantuarienſis factus eſt. Scripſit *Poëmata*, *Epiſtolas*, *ſtatuta Synodalia*, *tractatum de præſentia Corporis* Jesu Christi, *in Euchariſtia*, & *hiſtorica* quædam, obiit A. C. 959. Pitſeus *de Ill. Angl. Script.*

ODO Sullius, Epiſcopus Pariſienſis, nepos Theobaldi, Campaniæ Comitis, maximis negotiis adhibitus. Scripſit *Statuta Synodalia*. Obiit A. C. 1208. Morerius *Diction. Hiſt.*

ODOACER, fil. Ediconis ſeu Edicæ Herulorum, Scirrhorum & Turcilingiorum Rex, A. C. 476. ab iis, qui Nepoti favebant, vocatus, Danubium tranſgreſſus eſt & Italiam Veronam pervenit, perſecutusque Oreſten Gothum, victum, qui Momyllum fil. ſuum Auguſtum creaverat, Ticino incluſit, urbemque tandem captam militibus diripiendam præbuit, die 23. Auguſti proclamatus Rex Italiæ. Novâ hac dignitate modeſtè uſus, multa Orthodoxis, Arianus quamvis, conceſſit: Ravennam in poteſtatem accepit; tandem Romam profectus, Momyllum Auguſtulum, qui præ metu imperiô ſe abdicaverat, in Lucullanum Campaniæ caſtrum in exilium ejecit, atque ita finis factus eſt Imperio Occidentali, quod ſteterat poſt victum Pompejum, incipiendo à Julio Cæſare Ann. 522. Rugienſes poſt hæc, Germaniæ ad mare Balthicum populos præliô vicit, captivô illorum Rege Ferethô ſeu Pheba, cum uxore Giſa, in Italiam miſſô. Cujus fil. Fridericus, fugâ elapſus in Mœſiam, à Theodorico Gothorum Rege Amali fil. copias impetravit, quibus in regnum ſuum reſtitueretur: ſed denuo pulſus eſt ab Odoacro, qui poſtea à Theodorico ipſo bellô petitus, poſt varias fortunæ vices: Ravennæ incluſis, & poſt longam obſidionem & obſeſſis, & obſidentibus defatigatis, pace factâ, à Theodorico ad convivium vocatus trucidatusque eſt, A. C. 493. Vide Procop. *de bello Goth. l.* 1. Jornand. *de rebus Goth.* Caſſiodor. *in Chron.* *Nicephorum*, *Paul. Diaconum*, &c.

ODOJA, nomen viri, 1. Paral. *c.* 5. *v.* 24. Latinè *laus*, vel *confeſſio Domini*.

ODOLLAM, civitas Judææ à Roboam conſtructa, 2. Paral. *c.* 11. *v.* 7. Videtur eſſe eadem quæ *Adullam* dicitur. Hodieque vicus parvus ad Ortum Eleutheropoleos, *Hieronym.* Nomen item ſpeluncæ, 1. Sam. *c.* 22. *v.* 1. Latinè *teſtimonium*, ſeu *ornamentum illis*, aut *teſtimonium*, ſive *ornamentum ſuæ miſeriæ*, vel *tranſitus*, ſeu *præda ſuæ miſeriæ*.

ODOMANTI, populi Thracii, quorum meminit Thucyd. *l.* 2. Vide *Hodomanti*.

ODOMASTES, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyrannis*, *in Vita Cyriadis*, *c.* 2. *Hic patrem Cyriadem fugiens---Perſas petiit: atque inde Sapori Regi conjunctus atque ſociatus, quum hortator belli Romanis inferendi fuiſſet*, Odomaſten *primum*, *deinde Saporem ad Romanum ſolum traxit*: Dux fuit aut Satrapes quidam Perſarum Regis Saporis. *Salmaſ.*

ODONES, populi Thraciæ. Dionyſius, *Baſſaricôn l.* 14.

Μαίδων τ' ἄγρια φῦλα καὶ Ὤδονες ἐγχεσίπεπλοι.

Stephanus.

ODOVIA ſeu ODVIA, i. e. *laus*, ſeu *confeſſio Domini*: Fil. Aſana, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 7. Fil. Eljoenai, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 24.

ODONIS Manſio, *Auton* fortè corruptè pro *Oton*, locus eſt Galliæ, memoratus Orderico Vitali *Hiſtor. l.* 13. ubi Vilerias, Manſionem *Odonis* & Baſolcas junctim memorat, apud Hadr. Valeſ. in voce *Baſolca*.

ODOR Aſſyrius, apud Catullum, *Epigr.* 69. *v.* 144.

Fragrantem Aſſyrio *venit* odore *domum*.

Et Tibullum *l.* 1. *El.* 3. *v.* 7.

——— *Soror Aſſyrios cinerique dedit* odores.

De omni genere aromatum. Sic *Aſſyrium Amomum*, apud Virg. *Ecl.* 4. *v.* 25. & Martialem *l.* 8. *Epigr.* 77. *v.* 3. *Aſſyrii ſucci*, apud Sta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tium *Theb. l. 6. v. 209.* *Aſſyrii nidi Phœnicis*, i. e. omni aromatum genere farcti, apud Martialem iterum *l. 5. Epigr. 7. v. 1.* &c. Vide ſuprà. Hujuſmodi *odores*, opulenti olim homines magnifici funerationibus ſuis, inter alia, impendebant, largâ manu: quæ tamen omnia præ Poeticis defunctorum laudibus, in omne ævum duraturis, contemnenda meritò dicit Statius *l. 5. Sylvâ 3. v. 41.*

Hic ego te (Nam Sicanii non mitiùs halat
Aura croci, dites nec ſic ubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas *vel Arabs decerpſit* ariſtas)
Inferii cum laude loci ———

Ubi quid per *odoratas ariſtas* intelligatur, doctè explicat Jo. Ant. Saracenus *ad Dioſcoridem l. 1. c. 6.* De *Arabum Odoribus* verò pulchra congeſſit, præcipuè Poëticæ lectionis, locuples promus, Jo. Paſſeratius *ad Propert. l. 2. El. 29. p. 370.* Vide quoque ſuprà in voce *Aroma.* Cœterùm *Odores*, non tam alimento, ut quidam de Aſtomis, Indiæ populis juxta Gangem, prodiderunt, quàm multis aliis humanis uſibus, idonei ſunt. Namque & de ſapore priùs ex *odore* judicium facimus; & cùm *odores* ſint ἀναθυμιάσεις καπνώδεις, *halitus fumei*, iique ex rebus benè temperatis educti, vim habent tum aëra purgandi, tum ubi cerebrò recepti ſunt (uti Democriti exemplô patet, qui, Theſmophoriorum triduô, mellis vel panis odore ſolô vitam ſuſtentavit) recreandi ſpiritus & ad tempus conſervandi. Nec dubitandum, quin ob iſta præcipuè *odorum* & ſuffituum in Sacris uſus fuerit, tum apud Iſraëlitas tum apud Gentiles: quorum hos eò ſpectâſſe Scaliger vult, quòd putarent aëre per ſuffitus purgatô, *locorum naturam aptam reddi ad Numina ſuſcipienda*, *Exercit. 104. ſect. 4.* Sed hoc cujuſmodi ſit, non facilè dictu eſt. Sanè locis quamplurimis eôdem tempore, eidem Numini, thure & ſuffimentis aliis ſacris ſacra faciebant: at non fuit ea Gentium opinio, Numen unum unô tempore eſſe plurimis in locis. Fortè ergo eò attenderunt magis, quòd Dii cœlos incolant, & *odores* cœlos petant: quòd item Dii ſpiritus ſint, & *odores* reficiant ſpiritus. An dicemus magis, nationes id traditione à piis accepiſſe Majoribus? Nam magna ceremoniarum Gentilium pars ex Patriarchalibus ac Moſaicis originem traxit, ut notum &c. Vide plura hanc in rem, apud Voſſ. *de Idolol. l. 3. c. 30.* ut & infrà, ubi de *Olfactu*, ac *Suffimentis.* De luxu verò Veter. *odoribus* condiendi vina, unguenta, alia, vide hìc paſſim; pavimenta quoque *odoriferis* hujuſmodi reſpergendi, voce *Vinum* &c.

ODORANUS, Monachus, A. C. 1045. ſcripſit *Chronica rerum in Orbe geſtarum.* Poſſevin. *in appar.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. c. 44.* Pithæo *in Annalibus Gall.* & Baronio *A. C.* 875. laudatus.

ODORNA, aliàs ORNA, vulgò *l'Orne*, fluv. Auſtraſiæ, Fortunato notus *l. 10. carm. 12.* qui in Moſellam effluit, mediô inter Metas & Theodonis villam ſpatiô, & fronti ſuæ appoſitum habet vicum cognominem, inter Moſam & Moſellam ſitum, ſed Moſæ propiorem, Verodunô & Caſtellô Domini Villari non multum diſtantem, caput olim pagi cognominis. Hoc alluit fluv. dein Stagnum caſtellum, Boſciacum, Confluentem, ubi fluviolum recipit, & ad Ricomontem in Moſellam devolvitur, minimè navium capax. Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.*

ODORNENSIS Pagus, in Auſtraſia. Dividebatur in duos Comitatus, ſub filiis Ludovici Pii. Quorum prior, Sarachouvæ ſuperiori proximus, quem Bernardus Comes habuerat, obtigit Ludovico German. Regi, A. C. 870. Poſterior, qui Tetmagi Comitis erat, inter Tullenſe & Barrenſe territorium obvenit Carolo Galliæ Regi in diviſione regni Lotharii. Promittitur hic pagus à vico *Orna*, ad Moſellam uſque. Dictus ab Odorna, aliàs Orna, vulgò *l'Orne* fluvio. Vide *Odorna.*

ODREJA Villa, in capitulis Caroli Calvi memoratur, inter villas regias, aliis *Audriaca.* *Miræo* videtur inter Ambianos & Atrebatas urbes ſita fuiſſe.

ODRUSSA, unus ex Ducibus auxiliaribus Æetæ Colchorum, contra Perſen, quem potatorem & prolixâ barbâ horridum deſcribit, vide Val. Flacc. Argon. *l. 5. v. 594.*

ODRYSÆ, populi Thraciæ circa Hebrum fluv. Solin. *c. 16.* Hos *Thucydides* inter Abderam & Iſtrum collocat. *Laonicus* eos *Moldavienſes* eſſe putat. Horum civitas *Odryſa Straboni* dicitur. Hinc *Odryſius*, Claudian. *in Gigantomachia: v. 74.*

Primus terrificum Mavors non ſegnis in hoſtem
Odriſios impellit equos, quibus ille Gelonos
Sive Getas turbare ſolet. ———

Stat. *Achilleidos l. 1. v. 484.*

Sic cùm palantes Phlegrææ in caſtra coirent
Cælicolæ, jamque Odryſiam Gradivus in haſtam
Surgeret, & Libycos Tritonia tolleret angues, &c.

Silius Ital. *l. 7. v. 569.*

Non graviore movent venti certamina mole,
Odryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus. ——— ———

Val. Flacc. *l. 5. v. 439.*

——— *Odryſio gaudebant carmine Phocæ.*

I. e. Orpheo. Ubi alii *Othryſio. Nic. Lloydius.*

ODRYSUS, Thracibus olim cultus: ut cujus gentis conditor erat, ſi non univerſæ, quod Thera potiùs ſibi vindicat, ſaltem partis ejus, quæ *Odryſæ* inde nomen accepit, Epiphanius *l. 1.* Vide Voſſ. *de Idolol. l. 1. c. 39.* ut & in voce *Odryſæ.*

ODUCIA, oppid. Vandalitiæ, *Lora Morali*, vel juxta.

ODYSSEIA, quæ *Ediſſa* Cicer. *Verrin. 5. c. 34.* *Ulyſſis portus*, Plinio *l. 3. c. 8.* *Capo Marzo*, teſte *Fazellò*, portus & promontor. Siciliæ in Auſtrali ora ad Pachynum, ultra Motyam urbem delatum. Nunc *Porto di Palo*, cum promontorio cognomine in valle Neætina, 8. milliar. à Pachyno in Occidentem Camarinam verſus. *Baudrand.*

ODYSSUS, corruptè pro *Odeſſos.*

OEA, Tripoleos in Africa urbs, Οἴη apud *Stephan.* eſt in Ἀσβύστα, Plinio *l. 5. c. 4.* *civitas* Oeënſis. Ἑῶα *Ptolemæo, Silio, Æa, Apuleio Æaa*, mendoſè *Ocea*, in *Antonino*, & *Occa* in *Iſidoro.* In ſitu ejus graviter errat *Callimachus*, cùm eam è loco ejus, qui fuit juxta mare, ad Tritonem amnem admovit his verbis.

Οἴη τε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύστοιο.

Quod in Africano poëta minus ferendum. Vide Bochart. *Geogr. p. 526. Nic. Lloyd.* Nunc *Baudrando Tripolis*, quod vide.

OEAGRUS, Orphei pater, teſte ipſô, *in fine Argonauticorum*, modò ſint ipſius:

——— ——— Ἔνθαδε μήτηρ
Γείνατό μ' ἐν λέκτροις μεγαλήτορος Οἰάγροιο.

Apollonius *Argon. l. 1.*

Πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα,
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.

Vide ſis illic *Scholiaſten.* Plato *in Convivio:* Ὀρφέα τὸν Οἰάγρου. Hinc *Oeagrius*, Virg. *Georg. l. 4. v. 524.*

Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus.

Ubi *Servius* ait, Oeagrum Orphei patrem fuiſſe fluvium, à quo Hebrus naſcitur, & ideo Hebrum dictum Oeagrium. *Nic. Lloydius.*

OEAGRUS, Hiſtrio tragicus inſignis, in magno apud Athenienſes pretio. Ariſtoph. *Veſp.* & *Schol.*

OEANTHE, quæ OEANTHIA, Pauſan. *l. 10.* & Melæ, *l. 2. c. 3.* oppidum Achajæ in finibus Locrorum Ozolorum in ora ſinus Corinthiaci, ex adverſo Ægiræ oppid. Peloponneſi.

OEASO, promontor. Vaſconum, in Hiſpania Tarraconenſi in ora Oceani Cantabrici, in Guypuſcua regione cum oppid. exciſo, *Aiſo Garibao* & *Cluſio.* *Eaſon* Melæ, *l. 1. c. 6.* *Olarſo* Plinio, *l. 4. c. 20.* *Jarſo Marciano, Orſona Appiano, Idanuſa Straboni*, teſte *Pincianô.* *Baudrando* in ipſo limite Aquitaniæ. Nunc *le Figuier*, juxta oſtia Bidaſſoæ fluvii, prope Fontem-Rapidum. Oeaſo autem ſeu Oeaſopolis urbs, nunc diruta, *Oiarçon* dicitur, eſtque tantùm pagus, ad amnem *Leço*, in valle, 2. leuc. à Fonte-Rapido in Africum, 2. à Fano S. Sebaſtiani in Ortum ad radicem Pyrenæorum. Aliis Oeaſo eſt Fons Rapidus, & Olarſo nunc *Ojarçon.*

OEASOPOLIS, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. apud Eaſonem promontor. *Fuenterabia Ortelio.* Urbs parva ſed permunita, cum arce, in ora maris Cantabrici juxta Oeaſonem promontor. & oſtia Bidaſſoæ fluv. in ipſo Galliæ confinio. Crevit ex ruinis Oeaſonis antiquæ. A Bajonâ urbe Aquitanicâ 6. leuc. in occaſum recedens. Aliis eſt *S. Sebaſtian*, oppid. ejuſdem oræ à Fonte-Rapido 5. leuc. in occidentem. *Baudrando* eſt *Fons Rapidus*, vide *ibi.*

OEBALIA duplex fuit. *Una* quæ & Laconia dicta fuit, ab Oebalo Argulii filio cognominata. Hinc *Oebalius*, Stat. *Achill. 1. v. 20.*

Solverat Oebalio claſſem de litore paſtor
Dardanus. ———

Hinc *Oebalides.* Ovid. *in Ibin, v. 588.*

Quo puer Oebalides ictus ab orbe cadas.

I. e. Hyacinthus, qui Lacon fuit, ab Apolline diſco interfectus; Ovid. *Faſt. l. 5. v. 705.* ubi de Caſtore & Polluce:

Effugere Oebalida curſu potuêre ſequentes.

Hinc *Oebalis.* Stat. *l. 1. Sylv. 2. v. 151.*

——— *Queis purpura ſæpe*
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.

Altera verò in Italia juxta Tarentum urbem. Virg. *Georg. l. 4. v. 125.*

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Quâ niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium videre ſenem. ———

Eſt enim Galeſus Calabriæ fluv. Tarento proximus, teſte *Livio*, *l. 25. c. 11.* Hinc *Oebaliæ matres*, quæ *Latinæ nurus.* Ovid. *Faſt. l. 3. v. 230.*

——— *Meas celebrare Calendas*
Oebaliæ matres non leve pondus habent.

Nic. Lloydius.

OEBALUS, Argali ſeu Argulii Laconum Regis, ex fratre Cynorta, nepos, patri ſucceſſit. Maritus Gorgophones Perſei filiæ, & ex illa pater Hippocoontis, Tyndarei & Ledæ. Ei ſucceſſit Hippocoon. Gorgophone verò, mortuô maritô, inter Græcas fœminas prima ad ſecundas nuptias, ductô Periere, tranſiit. Pauſan. *l. 2.* Hinc *Oebalides*, apud Ovidium *Metamorph. l. 10. fab. 5.* qui aliàs *Amyclides*, dictus eſt tumulus Hyacinthi (quô nomine filium quoque Oebalus habuit) de quo ſuô locô. Joh. Marshamus Canone Chron. Sec. IX. ubi veter. Spartæ Reges κατὰ γενεὰς exequitur.

OEBALUS, Telonis filius, Regis Caprearum inſulæ prope Neapolim. Virg. *Æn. l. 7. v. 734.*

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generâſſe Telon Sebethide nymphâ
Fertur. ——— ———

OEBARES, Satrapes Cyri, qui in prælio contra Medos primus fugit, omneſque, quibus præerat, ſecum traxit. Vide Polyæn. *l. 7. c. 45.*

OEBARES, Darii Hyſtaſpis, qui poſt Magos ſublatos regnavit, Equiſo, cujus aſtutiâ in electione cæteris prælatus fuit, Polyæn. *l. 7. c. 10.*

OEBASUS, ex ducibus auxiliaribus Aeëtæ, in prælio per ſiniſtrum oculum trajectus eſt, Val. Flacc. *l. 6. v. 245.*

OECHALIA, oppid. multiplex, Strabo *l. 8.* οὐ μιᾶς οὔσης. Cùm non ſit unica tantùm Oechalia. Ubi Apollodorum reprehendit, ὅτι μίαν φησί. Ille autem fatebatur, Oechaliam eſſe multiplicem; ſed ex omnibus unam, quæ Euriti urbs appellaretur. *Oechalias* autem 5. eſſe è *Strabone* ſic annotat *Euſtathius*: Ἐν ἑτέροις δέ φησιν, ὅτι Οἰχαλία κώμη τῆς Ἐρετρικῆς ὁμώνυμος τῇ Τραχινίᾳ καὶ τῇ περὶ τὸν Τρίκκαν.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

καὶ τῇ Ἀρκαδίᾳ, καὶ τῇ ἐν Αἰτωλίᾳ. Locus autem Strabonis eſt in l. 10. ubi de Oechaliâ Euboica, quæ eadem eſt cum Chalcide, teſte Pliniô l. 4. c. 12. Cœterum *Oechalia*, Euryti regia erat tractu Meſſeniaco, quam Hercules diruit, quia pactam filiam Jolen Eurytus ei non daret. Virg. *Æn.* l. 8. v. 291. ubi de Hercule:

—— Ut prima noverca
Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit angues,
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque Oechaliamque. ——

Ovid. *Ep.* 9. v. 1.

Gratulor Oechaliam titulis accedere noſtris.

Idem, *Pontic.* l. 4. Ep. 8. v. 62.

Alcides captâ traxit ab Oechaliâ.

Et *Met.* l. 9. v. 536.

Victor ab Oechalia Cenæo ſacra parabat
Vota Jovi. —— ——

Vide *Stephan. Nic. Lloydius.*

OECHORDAS, vel OECHARDUS, Sericæ regionis fluv. *Ptol.* Tartar Nigro, *Oecharda* enim gens ibidem *Ptol.* qui *Ammiano Chardi.*

OECHUS, Cariæ urbs, *Stephan.*

OECI, Græcè Οἶκοι & οἰκήματα, *cellæ* dictæ ſunt Balneorum, apud Veteres, quarum cùm tres eſſent, *Frigidaria*, *Tepidaria & Caldaria*; illam ψυχρὸν οἶκον, & ψυχροδόχον οἶκον, appellat Lucian. *in Dial.* iſtam ἠρέμα χλιαινόμενον οἶκον, *Idem*: hanc, θερμὸν οἶκον Galenus θεραπευτ. μεθόδε *l.* 1. ubi τρεῖς οἴκες βαλανείε, *tres œcos balnei*, nominat & aliud eſſe οἶκον, aliud δεξαμενὴν, docet. Ex piſcina nempe, quam δεξαμενὴν propriè vocabant, & κολυμβήθραν; aqua per omnes *œcos* ſeu cellas defluebat, & de frigidaria primùm in tepidariam influebat, deinde ex tepidaria in caldariam. Media namque ſemper erat tepidaria, inter frigidariam & caldariam poſita & frigidariæ ſuppoſita. Sed & inter tepidariam & caldariam cellam, alii duò *œci* erant; nempe ſtatim poſt tepidariam, ad dextram, *unctuarius œcus*, & poſt illum altera cella omnium pulcherrima, ad ſtandum & inſidendum jucundiſſima, ad immorandum innocentiſſima & ad volutandum commodiſſima; poſt quam caldaria ſequebatur. Quorum duorum *œcorum* meminit idem *Lucian.* ubi de caldaria, Τρεῖς καὶ ὗτος θερμὰς πύλας παρέχεται, λουσαμένῳ δὲ ἔνεστί σοι μὴ τὴν διὰ τῶν αὐτῶν οἴκων αὖθις ἐπανιέναι, ἀλλὰ ταχεῖαν τὴν ἐπὶ τὸ ψυχρὸν δι' ἠρέμα θερμοῦ οἰκήματος, *Liceat*, inquit, *tibi jam caldaria loto, non per eoſdem œcos reverti, ſed rectà & compendiariâ ad frigidarium redire per tepidariam cellam.* Scilicet, qui à caldaria ad frigidariam reverti volebat, ei non neceſſariò tranſeundum erat per illos duos *œcos*, qui inter caldariam & tepidariam intercedebant, ſed poterat breviore viâ in hanc tranſire, & inde in frigidariam redire. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 17. Propriè verò Οἶκος, & Δόμος, apud Heſiodum, in Ε. γ. v. 96. pars illa domus intima, ſeu locus, in quo, ante Nuptiarum tempus, puellæ ſolebant παρθενεύεσθαι, indeque poſt longi temporis actam cuſtodiam, de qua infrà, voce *Oecuſia*, nuptiarum tempore ad Sponſum curru deduci, ut vidimus ſuprà, ubi de *Nuptiis*; μυχὸν δόμε & μυχὸν θαλάμε, pro eodem dixit Homerus: idem enim illi δόμος & θάλαμος, uti Euſtathius docet *ad Odyſſ.* γ. Vide Dan. Henſium *Notis ad Heſiod.* p. 270. Ibidem & filii educabantur, uſque ad annos pubertatis, uti diximus ſuprà voce *Gynæconitis*. Hinc ad alia domus reconditoria vox tranſiit. Cujuſmodi *Oeci* quô pactô oppeſſulati fuerint & firmari ſoliti, diſcimus hîc paſſim, inprimis ſuprà ubi de *Clave Laconica*. Inde & *œcus* dicebatur ſacrarium templi, quod Græcis σηκὸς, in quo idolum erectum ſtabat &c. Nec omittendum, cœnationem quoque οἶκον Græcis dictam, unde οἶκος τρίκλινος, τετράκλινος, πεντάκλινος &c. *cœnatio tres, quatuor, quinque lectos continens*, Salmaſ. ad Lamprid. *Heliogabalo c.* 29. Vide quoque infrà *Decus*. Ab οἶκος componitur πρόοικος, *proœcus*, ubi, ut & in *œco*, uxores, matres, ſorores, filias, neptes, tunicas patrifamilias ac domeſticis, confeciſſe, apud Græcos, uti in atrio domus, apud Romanos, notat Alex. ab Alexandro *l.* 4. *c.* 8.

OECOLAMPADIUS Johannes, Germanicè *Hauſſchein*: pro more virorum inſignium ejus ſeculi, nomine Græcè redditô. Winſpergâ oriundus, inter primos ſeculi præteriti Reformatores. Baſileam vocatus, A. C. 1515. ut majoris templi Eccleſiaſtem ageret, ibi A. C. 1516. Theologiæ Doctor creatus eſt. Hinc ab Auguſtanis evocatus, locum mutavit. Monachus factus eſt, A. C. 1520. de quo inſtituto ſic Eraſmus: *Quod ſcribis ab Oecolampadio factum, id ſive judiciô fecit, ſive animi morbô, quando mutari non poteſt, precandum eſt, ut illi ac nobis quàm optimè vertat.* Et paulo pòſt, *Tuæ vitæ inſtituto. Ep. l.* 12. *remedium ab animo potius petere, quàm à loco aut* Inde cùm ſe explicuit, felici omine denuò Baſileam delatus, A. C. 1522. privatim primò in ædibus A. Cratandri Typographi eximii, egit, Chryſoſtomi nonnulla in Latium vertens: dein Martino Zancherô, parocho Martiniano, ſurrogatus, Pontificiam doctrinam palam impugnare cœpit, Eccleſiæ quæ ſic Baſilienſis primus à Reformatione Paſtor extitit. Hîc A. C. 1525 ſcriptum de Euchariſtia primum edidit, hôc titulô: *De genuina expoſitione verborum Domini*: Cui Suevici Doctores Syngramma ſuum oppoſuerunt, Antiſyngrammate ab Oecolampadio exceptum. Dein A. C. 1528. unà cum Zvinglio reſpondit Lutheri majori Confeſſioni de Cœna Domini: Tandem eôdem, cum ipſo, quoque annô, 1531. piè mortuus, Baſileæ, ætat. 40. Cal. Decemb. De cujus obitu vide præfationem Grynæi *in Ezechielem Oecolamp.* Ultima morientis vox fuit, *Salva me* CHRISTE JESU! Ejus uxor, matrona laudatiſſima, ut ante eum M. Ludov. Cellario, ſic poſt eum Wolphgango Capitoni & Martino Bucero, omnibus viris doctiſſimis & clariſſ. rarô ſingularis fortunæ exemplô nupſit. Vide Urſtiſ. *Epit. Hiſtor. Baſil. c.* . . Scripſit, præter ea, quæ jam memorata ſunt, in omnes fermè Sacræ Scripturæ libros Annotationes, ἐξηγήματα, Commentarios, Enarrationes, Conciones. Ejus inprimis lucubrationes in Prophetas aliquot minores mirum in modum à viris doctis probantur, Jac. Verheiden, *in Effig. Eruditione, ſtudiis, auctoritate, locô ætate par Zvinglio*: Idem. *Quem utinam poſſem jure dolere, verba ſunt ipſius Cardinalis Sadoleti, ſic enim literæ & doctrina hominis poſtulabant.* Illi in ſacra ſtatione ſucceſſit Oſwaldus Myconius.

Qui Domini verbum primus per Raurica ſparſi
Templa, domus meritò nonne lucerna vocor?

OECONOMUS, nomen officii Eccleſiaſtici, cujus apud Veteres frequens mentio. Olim enim & in primis Chriſtianiſmi incunabulis, Eccleſia quidem nullos reditus habebat; præter oblationes fidelium: at creſcente poſtmodum eorundem religione, locupletari etiam latifundiis & agris, quod quartô potiſſimùm invaluit ſeculô, cœpit, uti quidem contendunt Nicolaus *le Maiſtre de Eccl. Poſſeſſ.* & Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. l.* 8. *c.* 18. Cùm itaque eorum cura Epiſcopos Clericoſque, à divinorum officiorum executione, non parùm avocaret (unde & S. Auguſtin. ut auctor Poſſidius in ejus *Vita*, *c.* 22. plebem eorum curam in ſe recipere enixiùs rogaverat) ea propter ſtatutum eſt à Concilio Chalcedonenſi *can.* 26. & Niceno II. *can.* II. ut in unaquaque Eccleſia Cathedrali *Oeconomus* conſtitueretur, è Clero illius Eccleſiæ eligendus: quod deinde Legibus Imperatorum variis definitum legitur, ut Epiſcopi nempe miniſtros hujuſmodi inſtituerent. Vide quoque Concilium *Hiſpal. II. c.* 9. Toletanum IV. *c.* 47. Theophilum Alexandrinum Patriarch. in *Commonitorio c.* 7. Gregorium Magnum *l.* 2. *Ep.* 22. *l.* 9. *Ep.* 66. &c. Hi porrò *Oeconomi* dicuntur, *qui Eccleſiaſticas conſueverunt tractare rationes*, de quibus copioſè egit Jac. Gotofredus *ad tit. Cod. Theod. de Bonis Clericor.* Neque verò tantùm Eccleſiarum bona ſuperſtite Epiſcopô adminiſtrabat *Oeconomus*, ſed etiam, illô excedente è vivis, eorum gerebat curam, de iis Epiſcopo ſucceſſuro rationem rediturus. Id namque præcipitur in Concil. Chalcedonenſi *can.* 25. & Valentino *can.* 2. Synodus Spalenſis II. *can.* 9. & Toletan. IV. *can.* 47. *Eos quos* Oeconomos *Græci vocant, h. e. qui vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tractant.* Hincmarus Remenſis ad Clerum Laudun. *Oeconomus, i. e. Eccleſiæ facultatum diſpenſator.* Id verò muneris olim fuit Archidiaconorum; Poſtmodum, qui *Oeconomi* Græcis, Latinis *Vicedomini* dicti ſunt, quam vocem vide &c. Etiam *Oeconomos* Monaſteriis fuiſſe, colligit ex Dorotheo *Doctr.* 11. Columbano *in Pœnitent.* & ex *Concord. Regul.* p. 1097. Car. du Freſne in *Gloſſar.* Sed & *Oeconomus* quandoque idem, quod Defenſor, Advocatus. Matth. Pariſ. A. C. 1245. de Imperatore: *Summus ſecularium* Oeconomus *& protector Eccleſiæ, hoſtis factus familiaris, Eccleſiæ Chriſti efficax & validus factus eſt inimicus.* Alibi eôdem annô, *Rex Francorum Eccleſiæ S. Dionyſii ſpecialis* Oeconomus *& Patronus.* Idem, *Archiepiſcopus --- in Regno Angliæ vices ſummi agebat Oeconomi.* Vide ſuprà in voce *Advocatus*.

OECUMENICA Concilia, ſub Imperatorib. indicta, ad hæreſes eliminandas, & εὐταξίαν Eccleſiæ reſtaurandam. Et primæ quidem *Synodi* exemplum adfertur, ex Eccleſia Apoſtolica Actorum *c.* 15. ubi Conventum fuiſſe Rectorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, tum Apoſtolorum, ibi tunc temporis præſentium, tum Preſbyterorum, & reliquæ deinceps plebis; ac conſilium ab ipſis Antiochenæ Eccleſiæ datum eſſe, certum eſt, non autem variarum Eccleſiarum, per Legatos coëuntium, Synodum, ſingulorumque ſuffragia & judicia, aliaque in Synodis obſervari ſolita, cernimus. Ut *Colloquium* potiùs quàm *Concilium* fortè vocandum ſit. Rectè enim judicabat Eccleſia Antiochena, cujus Doctores ibi comparebant, non meliùs litem illam, quæ naſcentem infeſtabat fidem, componi poſſe, quàm auditis Apoſtolis ac conſultâ Eccleſiâ illâ, unde fidei tradux ad reliquos promanâſſet. Sequentibus dein ætatibus, poſt Apoſtolorum exceſſum, ſolitæ ſunt Eccleſiæ, ad obortas difficultates componendas, per legationes coire & in medium conſulere: Mittebanturque eam in rem Epiſcopi & Viri inſigniores. Quæ Eccleſiarum unio, ob crebras perſecutiones, exiguis tum finibus concluſa, poſt pacem à Conſtantino M. datam, immenſum aucta fuit. Nec *Provincialia* tantùm, uti hactenus, ſed *Univerſalia* & *Oecumenica*, in quantum videlicet Romanus patebat Orbis, Concilia haberi cœpta ſunt: quod, diviſô dein Imperiô, aliquandiu duravit; pòſt autem, divulſô eô ac collapſô, aliter ea à Græcis, aliter à Latinis inſtituta & nomine illô habita ſunt. Conveniebant autem primis temporibus Epiſcopi, non aliâ, quàm charitatis ac εὐταξίας lege jubente, ad ſuborientes Eccleſiarum neceſſitates. Deinde ad unum res delata; qui primæ ſedis dignitate in provincia illa, Synodi convocandæ ac ei moderandæ auctoritatem habebat: quem *Metropolitanum* appellabant. Auctis poſtea Chriſtianorum rebus, cùm Imperatores Eccleſiarum curam ſumerent, eorum auctoritate cœtus hi convocati ac habiti ſunt: præſertim, ubi ex toto Imperio illi convenire deberent; ſolebantque aut ipſi, aut per Præfectos ac Comites, univerſæ actioni præeſſe; relictis Epiſcopis conſulendi partibus. Donec tandem omnis hæc poteſtas in Pontifices Romanos conceſſit. Intererant iſtiuſmodi Conciliis Imperatores, vel Legati eorum, multa cum auctoritate: Epiſcopi porrò, Presbyteri, Diaconi; quin & Laici nonnunquam. Adeſſe verò tenebantur omnes provinciæ Epiſcopi, ſub ſegregationis pœna; imò & abſentium nonnunquam audiebantur ſententiæ: Invitabantur quoque ac multo cum honore admittebantur, aliarum provinciarum ac nationum Legati. Ac præter hos aderant Notarii, Synodorum Actis componendis, qualium tum frequens in Eccleſia uſus. Coibant ordinariò, in Templi celebrioris conclave, ſeu Secretarium: quanquam & in Imperiali Palatio, quod *Trullum* vocabatur, Synodum Quiniſextam habitam legimus. Ac diſtinctum erat illud ſedilibus ac ſubſelliis, primuſque locum capiebat Imperator, cum ſuis; tum Epiſcopi; quos, coronâ velut factâ, incingebant Presbyteri: Laicis tandem ſequentibus.

In medio autem poſitus erat *Codex Euangelicus*; tum religionis cauſâ; tum ut iſtam fidei regulam omnes ſequerentur: ac juxta eum *Canonum Eccleſiaſticorum* liber. Præſidem uti, in Synodo provinciali, agebat provinciæ Metropolitanus aut loci Epiſcopus: ita in *Oecumenicis* Conciliis duplex erat præſidentiæ ratio. Politicus *Præſes* erat Imperator, aut Præfecti ejus: Eccleſiaſticus verò, vel peculiari Imperatoris auctoritate conſtituebatur; vel communi conſenſu, ad Fratrum regendum conſeſſum, eligebatur. *Modum* & *Suffragandi rationem* quod attinet, in primo quidem illo Concilio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, non ſolùm Apoſtoli, ſed & Presbyteri, ac univerſus fratrum cœtus conveniſſe legitur; ac de communi omnium ſententia conſilium, Antiochenſibus mittendum, formatum fuit, ut videre eſt ex Actorum *loco cit.* In ſequentibus Conciliis ordo hic erat: Initium capiebatur à precibus, præmiſſô plerunque jejuniô. Conſidentibus dein Patribus, prima de Fide tractatio erat; ſive ea exponenda, ſive vindicanda foret. Tum veteres Synodorum Canones relegebantur & diſciplinam ac regimen ſpectantia: ultimô denique locô particulares cauſæ, quæ ſingulas Eccleſias concernebant, tractabantur: Ac, ſi quis ſingulare quid exponendum habebat, prodibat in medium. Per varias autem ſeſſiones Concilium trahebatur; ac ſequenti conſeſſu acta præterita relegebantur, ferebanturque ſententiæ vel apertis ſuffragiis vel manuum porrectione. Uſitatæ etiam erant acclamationes, ſi quæ ſententia impenſè placuiſſet. Si verò quis in contrarium differebat, Præſidis erat rem componere, atque iſtô conflictu latentem eruere veritatem. Ac concluſio denique formabatur, ex plurium, vel omnium ſuffragatione. Quæ omnia, ad quæſtionem propoſitam pertinentia, omneque illud examen atque judicium, *Concilii Acta* dicebantur. Denique finitô Conciliô, aliæ audiebantur acclamationes & gratulationes, de aſſerta fide, triumfato errore; additis & votis pro Imperio & Eccleſia. Subſcribebant porrò omnes conditis à Concilio articulis & anathematiſmis, ſervatô eô, quem in Synodo obtinuerant, ordine. Quæ cuncta tandem conſequebatur Imperialis confirmatio, per quam fides in Concilio Synodoque ſtabilita, in Legem ibat; quam ubi adepti erant, literis *Encyclicis* ſeu Circularibus, quæ in Synodo acta erant, per Eccleſias vulgabantur, atque cuivis obſervanda tradebantur, &c. Hæc veterum Conciliorum fuit ratio. Hodie, in Communione Romana, Epiſcopis ſolis de jure; Cardinalibus autem & Abbatibus ac Generalibus Ordinum, ex privilegio & conſuetudine, jus ſententiæ in Concilio dicendæ tribuitur: reliquis omnibus à ſuffragio & ſententia dicenda excluſis. Cumque ſola natio Italica Epiſcoporum numerô, reliquas totius Orbis nationes facilè vincat, inde fit, *ut id demum in Conciliis fiat, quod nationi placeat Italicæ*, quemadmodum in Concilio Baſilienſi Ludovicum Arelatenſem Cardinalem dixiſſe, refert Claudius Eſpenſæus *Comm. ad Tit.* &c. Vide Burmannum *Synopſ.* & ſuprà, ubi de *Canonibus Conciliorum.*

OECUMENICUS, i. e. Univerſalis, an & quinam Epiſcopus vocandus ſit? diu multumque olim litigatum. Et primitùs quidem, in Eccleſia Chriſtiana, inter Epiſcopum Romanum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, nullum juris aut auctoritatis diſcrimen, ſed hic ſolùm ordo erat, ut is primus, hic ſecundus eſſet. Poſtmodum autem præcipuè duo hi primarii Patriarchæ allaborârunt, ut *Oecumenici* fierent Epiſcopi; quem titulum cùm primus uſurpâſſet Johannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, eam ipſam ob cauſam à Gregorio Magno *Antichriſti præcurſor* dictus eſt; hôc è contrario ſe *Servum Servorum* dicente. Sequenti tempore, conflictu inter utrumque ſatis diuturnô circa hunc titulum exortô, Romanus tandem Papa prævaluit. Bonifacius III. enim, Gregorii ſucceſſor, annô admodum 606. eum tandem nactus adeoque Eccleſiarum omnium Orientis & Occidentis caput conſtitutus eſt, à Phoca Imperatore. Quæ prærogativa inde Conciliô Lateranenſi eſt confirmata: contradicentibus atque opponentibus ſeſe magno cum conatu Orientalibus, unde perpetuum utrorumque ſchiſma; imò & in Occidente variis Epiſcopis, ſed fruſtra renitentibus. Burmannus *Synopſi.* Addit Car. du Freſne, non Gregorium ſolùm præfatum *l.* 4. *Ep.* 38. ſed etiam anteceſſorem ejus Pelagium, Johannem, hujuſmodi titulum primùm ſibi arrogantem, hôc nomine pluribus redarguiſſe: laudatque hanc in rem Glabr. Rodolfum *Hiſtor. l.* 4. *c.* 1. Hugon. Flaviniacenſem *p.* 174. & Franciſcum Turrianum pro *Epiſt. Pontif. l.* 3. *c.* 1. quos ſi collibitum eſt, vide. Quâ verò notione vocem ſumpſerint Græci ſui temporis, exponit Anaſtaſius Bibl. *præfat. in VII. Synodum ad Joannem VIII. In eo ſanè, quô frequenter Univerſalem* (Oecumenicum) *in hac Synodo Græci Patriarcham ſuum --- appellant, Apoſtolatus veſter adulationi veniam det, ſæpe Prælatis ſuis non ſine reprehenſione placere ſtudentium. Verùm, cùm apud Conſtantinopolim poſitus frequenter Græcos ſuper hoc vocabulo reprehenderem --- afferebant, quod non ideo* Oecumenicum *---- dicerent Patriarcham, quòd univerſi Orbis teneat Præſulatum, ſed quòd cuidam parti orbis præſit, quæ à Chriſtianis inhabitatur. Nam quod Græci* œcumenen *vocant, à Latinis non ſolùm Orbis, à cujus univerſitate Univerſalis appellatur; verùm etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.* Vide quoque Jo. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l. XVI. c. ult.* §. inprimis 18. *& ſeqq.*

OECUMENIUS, epitomator Chryſoſtomi ſeculô 10. Opera ejus Græcè & Latinè, edita Pariſiis, duobus Volum. A. C. 1631. Quibus adjuncta, quæ Aretæ Epiſcopo Cæſareenſi in Cappadocia attribuuntur. Cuncta hæc vertit Joh. Hentenus, nempe *Catenas in Acta Apoſt. Comment. in Epiſt. Jacobi, & alias Canonicas, &c.* Sixto Senenſi *Bibl. l.* 4. *Valde doctus, in explicandis Scripturis divinis brevis, apertus & elegans, atque in Veterum commentariis evolvendis aſſiduè verſatus.*

OECURIA Athenienſium memorabilis. Habebant uxores eorum, præter τὴν γυναικωνίτιδα, de qua ſuprà aliquid voce *Gynæconitis*, etiam ſuum θάλαμον ἱστῶν, Polluci memoratum *l.* 1. *c.* 8. in quo labori teliſque texendis vacabant. Loca verò, in quibus filiæ degebant, παρθενῶνες dicebantur, in quibus tam arctè detinebantur, ne ullam evagandi facultatem haberent, ut quaſi ſatellitibus munitas fores habuiſſe viderentur. Euripides *Iphigen. in Aul. v.* 737.

Ὀχυροῖσι παρθενῶσι φρουροῦνται καλῶς,

idque donec nubendi appropinquaret tempus: in cujus rigoris ac quaſi captivitatis ſolatium οἰκούρια ipſis dabantur à Parentibus, munuſcula ſcil. varia, quibus tempus fallerent. Quantò verò adductiùs cuſtoditæ uxores ſint, docet querela mulierum, apud Comicum *in Theſmoph.*

—— ταῖς γυναικωνίτισιν
Σφραγῖδας ἐπιβάλλουσιν ἤδη ϗ μοχλοὺς
Τηροῦντες ἡμᾶς, ϗ προσέτι Μολοττικοὺς
Τρέφουσι μορμολύκεια τοῖς μοιχοῖς κύνας.

Ubi non ſignaculis ſolùm peſſuliſque gynæceorum fores firmari, ſed & Moloſſos canes domi, ad terrorem adulterorum, ali conſueviſſe à maritis, indigitant. Adeò verum ejuſdem Poëtæ in *Lyſiſtrata*, χαλεπή τοι γυναικῶν ἔξοδος, *difficilis mulierum in publicum exitus.* Quòd ſi omnino exeundum eſſet, ancillarum copiâ ſtipatas, omnique mundô muliebrem ſexum decente inſtructas eſſe oportebat, qua in re ſi defeciſſent, οἱ Γυναικόκοσμοι mulctam illis irrogabant, quæ inſcripta tabellæ affigebatur platano arbori in Ceramico, ut ab omnibus legi poſſet, Jul. Pollux *l.* 8. *c.* 10. Sed quid de egreſſu è domo multis: ne quidem per januam proſpiciendi uxoribus filiabuſque veniam Athenienſes dabant: quod eouſque inolitum eſt, ut probro id vulgò objiceretur ſequiori ſexui, ſi contrà feciſſet. Hinc acriter à pediſſequa increpita Hermione, apud Euripidem *Andromache v.* 876.

Ἀλλ᾽ εἴσιθ᾽ εἴσω, μήτε φαντάζου δόμων
Πάροιθε τῶνδε, μή τιν᾽ αἰσχύνην λάβῃς,
Πρόσθεν μελάθρων τῶνδ᾽ ὁρωμένη, τέκνον.

Imò nec per feneſtram licebat. Unde κἂν ἐκ θυρίδος παρακύπτωμεν, in præfata mulierum, apud Ariſtophanem, querela. Sed nec ex uno domus œco ſive cubiculo in aliud tranſibant filiæ, ſine Matrum permiſſu: quod liquet ex verbis Pædagogi, ad Antigonem in ſuperiorem domus partem aſcenſuram, ut exercitum hoſtilem inde proſpiceret, apud eund. Euripidem *Phœniſſis v.* 88.

Ἐπεί σε μήτηρ παρθενῶνας ἐκλιπεῖν
Μεθῆκε ——

An eôdem rigore uxores coërcitæ, non adeò obvium eſt. Saltem non ſine aſſectantibus ancillis, comitibuſve aliis id permiſſum illis, conjicimus ex Homero, qui de Penelope in cubiculum ſuum ſe conferente ait, *Il. γ. v.* 143.

Οὐκ οἴη ἅμα τῇ γε ϗ ἀμφίπολοι δύ᾽ ἕποντο.
Non ſola, ancillis verùm comitata duabus.

Erat autem ἡ γυναικωνῖτις, ſeu *cubiculum muliebre*, ut & ὁ παρθενὼν, *cubiculum virginale*, in ſuperiore domus parte, δίστεγον, ut ait *Didymus*; nido ſimile, ut eò difficilior aſcenſus eſſet. Ovalis iis figura, unde ὑπερῷα dicta: hincque ex *ovo* Helena prognata credita Veteribus, quòd in conclavi hujuſmodi figuram habente in lucem eſſet edita. Num porrò ſcalâ portatili, an fixâ, eò fuerit aſcenſum, nec ipſum dicere in promtu eſt. Prius tamen veriſimilius: κλίμακα enim vocat Homerus, de Penelope iterum, *Od. α. v.* 330.

Κλίμακα δ᾽ ὑψηλὴν κατεβήσατο οἷο δόμοιο.

Et Euripides *l. c.* de Antigone, quæ proin à Pædagogo, ut ſibi aſcendenti manum porrigat, petit,

Ὄρεγε νῦν, ὄρεγε γεραιὰν
Νέᾳ χεῖρ᾽ ἀπὸ κλιμάκων
Ποδὸς ἴχνος ἀντέλλων.

Non autem otioſæ deſidebant in ſuis œcis mulieres, ſed telas texebant, uti jam innuimus, veſteſque domeſticis conficiebant. Ad cujuſmodi opus cùm accingerent ſeſe, ſolebant εἰς γόνυ ζώννυσθαι, ut Theocritus *Idyll.* 4. i. e. *nudæ genu* eſſe, ut Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 324. ſeu *ad nates ſuccinctæ*, ut Heſiodus innuit, qui iſtiuſmodi mulierem proin πυγοστόλον appellat in Ἔργ. *v.* 371. &c. Quam in rem plura apud Franc. Roſſæum *Archæologiâ Attic. l.* 4. *c.* 15. Vide quoque hîc paſſim, inprimis ſuprà, ubi *de Liberorum educatione*, & infrà ubi de *Pædagogis* ac *Præceptoribus.* De habitu verò, ornamentiſque hujus ſexus, apud Græcos, vide Jul. Pollucem *l.* 5. *c.* 2.

OECUS, apud Vitruvium, *l.* 6. *c.* 6. Græca vox, Οἶκος, vulgò *domus:* Joſepho *l.* 15. Regnum ſeu Tetrarchia eſt, ibi enim legimus, ὁ οἶκος τοῦ Λυσανίου, quod idem eſt, ac *Lyſaniæ Tetrarchia* vel *Abilenæ*, ut appellat Euangeliſta Lucas *c.* 3. *v.* 1. Vide ſuprà *Lyſanias.* Quemadmodum idem eandem Tetrarchiam, quamdiu in poteſtate Zenodori erat, τὸν Ζηνοδώρου οἶκον nominat. Quin enim memorat, mortuô Herode, cùm inter poſſeſſias ab illo terras eſſet hæc Tetrarchia reperta, Auguſtum illius partem Philippo attribuiſſe, ait: *Attributa eſt Philippo Auranitis*, σὺν τινι μέρει οἴκου τοῦ Ζηνοδώρου, *cum parte quadam ejus, quæ appellata eſt Zenodori domus.* Eôdem modô apud veter. Græcos ſumtam hanc vocem reperimus, pro Dominatione, Regno, Regia. Ut in Ep. Themiſtoclis ad Artaxerxem: Ἥκω παρά σε, ὃς κακὰ πλεῖστα Ἑλλήνων εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον, *Venio ad te, qui Regiæ veſtræ plus mali intuli, quàm ullus Græcorum*, Thucyd. *l.* 1. Sic Herodot. *l.* 6. Ἄνδρες Ἴωνες νῦν τίς ὑμέων εὖ ποιήσας φανήτω τὸν Βασιλέως οἶκον. Apud Polybium, ἡ Μακεδόνων οἰκία, de Regibus & Regno Macedoniæ. Hodieque Germani Regum Principumque familias *Oecum*, vernaculè *Haus*, appellare in more habent. Caſaubon. *Exercit.* XVI. *num.* 4. Aliàs vocis ſignificationes vide ſuprà *Oeci.* Addo hic ſaltem, conventicula Chriſtianorum ſub Imperatorib. Ethnicis, h. e. loca, in quibus publicô cultu defungebantur, ubi aliqua illis quies er[illegible] Græcis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Græcis illorum temporum Scriptoribus plerumque & Οἴκως, & ἐκκλησιῶν Οἴκως, generali appellatione, quod ab ædibus privatis non multum different, inſigniri conſueviſſe. Vide Euſebium Hiſtor. Eccl. l. 8. c. 13. & l. 9. c. 9. Uti Latinis *Domos Dei*, ut videmus apud Tertullian. *de Idolol. c. 7.* & Zenonem Veron. *Serm. de Pſalmo* 126. Certè Conſtantinus & Licinius in Edicto ſuo pro Chriſtianis, de conventiculis illorum ita loquuntur, ut facilè appareat, nihil in iis notabile fuiſſe: vocantes ſolùm τόπως ἐν οἷς συνέρχεσθαι οἱ Χριστιανοὶ ἔθος εἶχον. Unde occaſio Gentilibus, qui exteriorem rerum faciem, quàm interiores cordis ſeceſſus, pluris æſtimabant, Chriſtianis nulla eſſe templa, nulla delubra, adeoque ſectam illam verè irreligioſam ac ἄθεον eſſe, calumniandi, apud *Minucium Fel.* Vide Deſid. Heraldum *ad Arnob. l. 6.* & ſuprà, ubi de veter. Chriſtianorum *Conventiculis.* Sed & Deorum ædes, Θεῶν οἶκοι apud *Herodotum* paſſim. Vide Heraldum *ibid.*

OECUS Aſarotos, apud Plin. *l. 36. c. 25. Celeberrimus fuit in eo genere Solus, qui Pergami ſtravit, quem vocant Aſaroton Oecon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri ſolent, veluti relicta fecerat parvis e teſſerulis, tinctiſque in varios colores.* Quod opus *teſſellatum* dixêre, à *teſſellis* hujuſmodi ſeu *teſſerulis*, in varios colores tinctis, de quo vide hîc paſſim, inprimis ubi de vocibus, *Muſivum*, *Oeci*, *Pavimentum.*

OEDANTIUM, urbs Illyriæ, *Stephan.*

OEDIMUS, ſinus maris Ægæi, circa Doridem, inter Gnydum & Lorymam, *Porphyrogen.*

OEDIPODIA, fons Thebarum, in Bœotia, mirabilis. Plut. *in opuſcul.*

OEDIPUS, Laji Thebanorum Regis & Jocaſtæ filius ἀπὸ οἰδήματος τῶν ποδῶν, hoc eſt, *ô tumore pedum*, ut *Euripidi* placet, Seneca Tragœdus, *in Oedipo, Actu 4. v.* 812.

Forata ferrô geſſeras veſtigia
Tumore nactus nomen, ac vitiô pedum.

Hunc pater, cùm ex Apollinis oraculo futurum intellexiſſet, ut à filio occideretur, paſtori necandum tradidit; qui miſericordiâ commotus, cùm invitus regiæ ſtirpi manus inferret, neque tamen regis imperium detrectare auderet, perforatis gladio plantis, vimineque trajectô, ex arbore ſuſpendit, futurum putans, ut ita inediâ moreretur. Cæterum, cùm Phorbas Polybi Corinthiorum vel Sicyoniorum regis paſtor, illâc iter faceret, auditô vagitu, eò accurrens, puerum ſervavit, reginæque, quæ liberis carebat, magni muneris locô obtulit, à quâ, veluti puer cælitus miſſus, filii locô educatus eſt, & à pedibus ex vulnere tumentibus Οἰδίπως appellatus. Grandior deinde natu factus, cùm ſe non Polybi filium audiſſet, patrem perquirere ſtatuit, & conſultô oraculô accepit, ſe in Phocide patrem inventurum. Quò cum veniſſet, ortâ inter Phocenſes ſeditione, Lajum conantem reprimere tumultum incognitum interemit. Poſtremò, tanquam oraculô luſus, Thebas petens, in itinere in Sphingem incidit, quam, problematibus ſolutis (unde Terentii illud, *in Andria Actu 1. ſc. 2. v. 23. Davus ſum non Oedipus*, cujus Plautus quoque meminit, *in Pœnulo Actu 1. ſc. 3. v. 34.*) cùm occidiſſet, Thebas intravit, & quoniam Polybi filius credebatur, Jocaſtam matrem inſciens uxorem duxit, & ex eâ 4. filios genuit. Poſteà verò, cùm ſe matrem ſibi conjugiô copulâſſe patremque occidiſſe cognoviſſet, dolore percitus, ſibi ipſi in pœnam oculos eruit, quem poſteà cæcum Antigona filia circumduxit, & ſe occidere volentem prohibuit. Alii dicunt, quòd repudiatâ matre, Aſtymeduſam duxit uxorem; Athenas autem in voluntarium conceſſit exilium. Fabulam hujus habes apud Sophoclem, & Senecam *in Oedipo*, & Euripidem *in Phœniſſis*, Diodor. *l.* 1. Stat. *l. 1. Theb. Senec. Hygin. Apollodor* &c. Hinc *Oedipodionius.* Ovid. *Met. l. 15. v.* 429.

Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ?

Nic. Lloydius. De excæcationis modò, Vide ſuprà. Diodor. verò Siculus indicare videtur, fabulam meram eſſe, & *cæcitate* illâ circumſcribi concluſionem intra certam domum ejus, cùm cæcitatis nullam faciat mentionem *l.* 4. Τῶν δ᾽ υἱῶν ἀνδρωθέντων, τὸ μὲν Οἰδίπῳ ὑπὸ τῶν υἱῶν ἔνδον μένειν ἀναγκασθῆναι, διὰ τὴν αἰσχύνην· τὰς δ᾽ ἐνεχυρίσκας παραλαβόντας τὴν ἀρχὴν ὁμολογίας θέσθαι παρ᾽ ἐνιαυτὸν ἄρχειν. *Cùm autem filii adoleviſſent, Oedipodem quidem ab illis coactum intus manere, pudoris ergò; ipſos autem ſusceptô imperiô, alternis annis illud adminiſtrare conſtituiſſe.* Vide Barthium *Animadverſion. ad Stat.* paſſim, inprimis *Theb. l. 11. v.* 345.

OEDIPUS Ægyptiacus, in quatuor Tomos diviſus; quorum primus dicitur *Templum Iſiacum*, quô ad originis, progreſſus, durationis Ægyptiacæ Sapientiæ, ac Hieroglyphicæ inſtitutionis notitiam portæ referantur. Secundi pars prior; dicitur *Gymnaſium Ægyptiacum*, quô veterum Hebræorum, cœterorumque Orientalium, recondita Sapientia, temporum injuriâ perdita, per contextum ſacrarum ſculpturarum demonſtrata inſtauratur: Pars poſterior, variarum artium veteribus Ægyptiis uſitatarum Claſſes continet, & ſunt Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtrologia, Mechanica, Alchimia, Magia, Theologia Ægyptiaca, unà cum Hieroglyphicis exhibita. Tertius dicitur *Theatrum Hieroglyphicum*, & continet Obeliſcorum, cœterorumque Hieroglyphicorum, quæ tum Romæ, tum in Ægypto, ac celebrioribus Europæ Muſæis adhuc ſuperſunt, interpretationem. Quod opus, Auctore Athanaſiô Kircherô prodiit Romæ A. C. 1652. 1653. & 1654. *in fol.*

OELANDIA, Inſula Sueciæ, in mari Balthico Smalandiæ adjacens, è regione Calmariæ. Ibi oppid. præcipuum Borkholmia & Oſtenbua, in ora Occidentali. Ad 70. milliar. extenditur, à Septentrione in Meridiem & à Smalandia ſeparatur, freto Calmariæ, *Calmar ſund.*

OELIDUS ſeu *Ulid* I. Calipha X. ſucceſſit Abdelmaleko, dives, ſubditis gratus, planè egregius; regnavit ann. 9. menſ. 8. quô tempore Saraceni Hiſpaniam tentârunt, Paul. Diaconus *l. 6. c.* 40. Obiit A. C. 715. ſucceſſore Solimannô.

OELIDUS II. Calipha XV. poſt Iſam, præfuit ann. 2. menſ. I. extinctus A. C. 744. Eum excepit Jezid III. *Cedrenus.*

OELSA vel OLSNA, Germanic. *Oels*, urbs Sileſiæ, cum titulo Ducatus, 2. leucis Vratiſlaviâ in ortum diſtans, verſus Poloniam. Hanc olim Conradus, rami Glogovienſis auctor, nepoti Henrico Duci Lignicio, quem ab aulico ſibi captivum adductum crudeli carcere excarnificavit, aliaque, quorum partem liberis ejus reſtituit poſtea, extorſit, circa A. C. 1260. Pater Henrici *Fidelis*, Avus ex hoc alterius Henrici atque Conradi, quorum ille lineam *Sagano-Glogoviam*, iſte *Olſnenſem* inchoavit: Conradus enim filius minor natu, *Olſnam*, Wolaviam ac Javeram, in diviſione paternæ hæreditatis, obtinuit, ſed cùm à Boleſlao Lignició belló vexaretur, ac ditionibus exueretur, *Olſnam* quoque inter alia amiſit; mox à prodigo Principe pro pecunia mutuo data illam, pignoris locô, denuò nactus. Ejus filius ex Eliſabetha Vratiſlavienſi, Conradus II. *Olſnam* ſuam à prædonibus, qui ob ignaviam Wenceſlai impunè graſſabantur, captam rurſus perdidit, obiitque A. C. 1395. relictis ex Beata, filia Bernardi Ducis Suidnicenſis, quatuor filiis, quibus omnibus *Conradi* nomen. E quibus ſecundus Steinaviam & Wolaviam tenuit, primus verò, dictus *Conradus* III. cognomine *Albus* vel *Senior*, quòd prædonum partes ſequutus eſſet, ad ejurandum Principatum adactus, deceſſit Vratiſlaviæ A. C. 1451. Quô genitus Conradus IV. cognomine *Albus Junior* quòd viduæ Georgii Regis Bohemiæ adversùs Matthiam Hungariæ Regem faviſſet, ſibi timens Principatum Saxonibus emendum obtulit A. C. 1475. Matthias verò ne Sileſia ad exteros perveniret, pretiô repræſentatô, in fidem ſubditos, relictâ ad dies vitæ Principi adminiſtratione, ſuſcepit. Qui tamen à Ducibus ejus poſtea expulſus, ultimò receptam à Rege Vladiſlao *Olſnam* rexit, ad A. C. 1492. quô morte ſuâ lineam clauſit, nullis ex Margareta filia Zemoviti Mazovii, liberis relictis. Eô defunctô Principatus ab Uladiſlao, permutationis pro Podiebradio jure, Henrico Duci Monſterbergenſi conceſſus & ab hujus atnepte, hôc ſeculô, Domui Wirtenbergicæ illatus eſt. Sylvius enim Nimrodus, ex filiis Julii Friderici, Appennagiatæ ſeu Julianæ ſeu Brentianæ lineæ conditoris, natus A. C. 1622. Eliſabethâ Mariâ Monſterbergenſi hærede ductâ, impetratâ Cæſareâ inveſtiturâ (quâ ipſa conjux ſimul inveſtita & beneficium ad ſecundum, ſi iniret, conjugium protenſum) in Ducatu *Oelſenſi* ſeu *Olſnenſi*, ſucceſſit, eumque ad mortem uſque, quâ raptus eſt A. C. 1664. tenuit. Pater Ferdinandi Caroli (qui natus A. C. 1650. obiit A. C. 1668.) Sylvii Friderici (nati 1651. & ab anno 1672. Eleonoræ Carolæ Georgii Ducis Montbelgardenſis filiæ agnatæ ſuæ, mariti) Chriſtiani Ulrici (nati 1652. mariti Annæ Eliſabethæ filiæ Chriſtiani Principis Anhaltini, è qua Chriſtianum Ulricum ac Leopoldum Victorem genuit) & Julii Sigiſmundi (nati 1653.) Henricus autem is, cui diximus à Rege *Olſnam* conceſſam, deceſſit A. C. 1498. relictô, ex Urſula Brandenburgica, Carolô I. Duce Monſterbergæ & *Oelſæ*; qui defunctus A. C. 1536. Annam Saganenſem in matrimonio habuit, ex eaque genuit Henricum II. Ducem Monſterbergæ & *Oelſæ*: quô, & Margarethâ Megapolitanâ, genitus Carolus II. obiit A. C. 1617. ac complures ex Eliſabethâ Magdalenâ Lignicia ſuſcepit utriuſque ſexûs liberos, è quibus Carolus Fridericus (natus A. C. 1593.) junxit ſibi Annam primò Sophiam Saxonicam; exin Sophiam Magdalenam Ligniciam, ultimuſque ex Podiebradiis maſculus, deceſſit A. C. 1647. ſolâ præfatâ Eliſabethâ Mariâ (quæ nata eſt 1625.) hærede relictâ. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Hiſtor. in Fam. Piaſtea & Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. p.* 17. 122. & 123. & infrà in voce *Olſna.*

OEMPHYLE, mons Dyrrachio imminens. *Vibius Sequeſter.*

OENA, urbs Hetruriæ, in cujus medio altiſſimus fuit collis, ubi aqua in ſuprema parte, & ſylva: de quâ Ariſtotel. *in l. de admirand. auſcultat.* Incolæ *Oenatæ*, *Oene* verò oppid. erat Argiæ, de quâ Hecatæus *l. 1. hiſtor.* *Oenoe* urbs Orum.

OENA, fluv. Aſſyriæ, inter quem & Tigrim Adjabena, *Ammianus.*

OENÆUM, oppid. Aſiæ minoris circa Paphlagoniam, *Nicetæ* & *Glycæ.*

OENANTHIA, oppid. Sarmatiæ Aſianæ in ora maris Euxini. *S. Sophia*, *Mercatori* & *Moletio.* Ætoliæ item urbs maritima, *Polybius*, Inter Acarnaniorum & Ætolorum fines.

De OENANTHINO Pallia, apud Lamprid. *in Heliogabalo, c. 23. Fertur in Euripis vino plenis navales Circenſes exhibuiſſe, pallia de* Oenanthino *fudiſſe & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitâſſe* &c. pallia ſunt unguentô *œnanthinô* perfuſa. Luxuriæ enim Proceres olim, cùm è balneis exirent, œnanthinô ſeſe perfundere ſolebant: ſed & veſtes ſuas eô perfundebant & menſas tergebant, & domum etiam totam conſpergebant. Paulus Ægineta *l.* 7. Ἡ δὲ χρῆσις τῶν οἰνανθαρίων παρά τισι μὲν εὐωδίας μόνης καὶ τρυφῆς ἕνεκα παραλαμβάνεται, μετὰ τὰ λουτρὰ καταχεομένων αὐτὰ τῶν χρωμένων καὶ τὰς τραπέζας αὐτοῖς περιρραινόντων. Et alibi, Καὶ χρῶ ἀπὸ λουτρῶν [illegible] τὴν ἐκ νόσου ἀνακομιδὴν καὶ [illegible] καὶ τὰ σκεύη καὶ βάπτων σπόγγους καὶ τιθεὶς πρόσωπον. Et fortaſſe *Pallia d. l.* accipienda veſtes, quibus homines è balneo exeuntes ſe involvebant, ad ſudorem eliciendum vel ſabana, uti colligere eſt ex Galeno περὶ διαίτης ὀξ. νοσημ. Cùm itaque luxurioſorum hominum mos eſſet, *œnanthino* à balneis perfundi, Heliogabalus poſt balneum *palliis œnanthino fuſis* involvebatur. Alias [illegible] *tinctiones odoriferas veſtium*, apud Veteres in uſu fuiſſe notum & καταπάσματα [illegible] ἐν ἱματίοις, [illegible] *matum in veſtibus*, uti idem Galenus docet *l.* 1. περὶ συνθέσ. φαρμ. κατὰ τόπους. Sed ex *œnanthino* ut plurimum ſparſiones illæ thalamorum & καταπάσματα veſtium, fieri conſueverunt, teſtè Pau-

Paulo Æginetâ &c. Meliùs autem *Oenanthium* dici vult Salmaſ. ex veterib. libris. *Oenanthen* quoque ipſum hoc unguentum vocavit Hieronym. *adv. Jovinian. l.* 2. *Odoris autem ſuavitas & diverſa thymiamata, amomum & cyphi &* œnanthe *& muſcus & peregrini muris pellicula.* Unde diminutivum eſt οἰνάνθιον & οἰνανθάριον. Aliàs *Oenanthe* vitis labruſca uva Plinio, *l.* 12. *c.* 28. quam inter herbas coronarias duobus in locis refert, ex *Theophraſto* & *Dioſcoride*. Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. loc. cit.* & *ad Solin. paſſim, inprimis p.* 180. 335. & 1063.

OENARIA, urbs Tuſcorum. Vide *Oena.*

OENE, Argiæ urbs, in Peloponneſo *Steph.*

OENEIS, Græcè Οἰνηὶς, una ex XII. veter. Athenienſium tribubus, ab *Oeneo* heroë indigena nomen nacta, memoratur Pauſaniæ *in Atticis*, ubi quintô eam locô recenſet. In marmore XIII. Tribuum nuper Athenis in Angliam tranſlato à Georg. Whelero nobili Anglo, octavum locum occupat, uti videre eſt apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. Demos ad hanc tribum pertinentes, vide ſuprà ubi de Athenienſium *Demarchis*. In marmore modò dicto, ſaltem memorantur, Ἀχάρναι & Φιλαΐδαι, è quibus Φιλαΐδαι ad Ægeidem tribum refert *Stephanus*. Ita autem de hac tribu marmor:

ΟΙΝΕΙΔΟΣ
ΧΑΡΙΤΩΝ ΦΙΛΗΤΟΥ ΑΧΑΡ
ΓΑΡΓΗΤΤΙΟΣ ΦΙΛΗΤΟΥ ΑΧΑΡ
ΑΙΑ. ΦΙΛΩΝΙΔΗΣ ΑΧΑΡ
ΣΤΡΑΤΩΝ ΟΡΘΑΓΟΡΟΥ ΦΙΛΑ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤ ΑΧΑΡ.

Ubi ΑΧΑΡ eſt Ἀχαρνεὺς, & ΦΙΛΑ. Φιλαΐδης, Sponius ubi ſuprà *p.* 62.

OENEUS, Calydoniæ Rex, fil. Parthaonis, qui ex Althæa, Pheſtii filiâ, Meleagrum, Tydeum, & Dejaniram genuit. Herculis poſtea uxorem. Hic, cùm Dianam in ſacrificiis ſuis per contemptum præteriiſſet, Dea.

——— *Oeneos ultorem ſpreta per agros*
Miſit aprum, ———

Ut loquitur Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 281. qui regionem univerſam latiſſimè vaſtavit; donec Meleager, collectô juventutis flore, eum interfecit. Poſt obitum filii Tydei, ab Agrii filiis ſpoliatus eſt regnô, ſed à nepote Diomede, extinctô Agriô reſtitutus, Schol. in Ariſtoph. *Acharn.* Hinc *Oenides*, & *Oenejus*.

OENEUS, ſeu OENUS, fluv. Liburniæ parvus, in mare Adriaticum labens, *Ptolem. Tarſia, Nigro & Moletio.* Nunc *Fiume di Carnero.* Oritur ex montibus *della Vena*, in Carniola; dein Croatiam ab Iſtria ſeparans, in ſinum Carnarium ſe exonerat, juxta Viropolim. *Baudrandus.*

OENIADÆ, urbs Acarnaniæ juxta Acheloum. Regio *Oenias* dicitur. Altera Theſſaliæ, apud Oetam mont. *Steph.*

OENIANDUS, Epiſcopus liberè corripuit Anaſtaſium Imperator. arreptâ ejus veſte, dicens, *Hæc te veſtis, ô Imperator, in cœlum non ſequetur.* Zonaras *in Anaſtaſ.*

OENIOCHI, Vide *Heniochi.*

OENIPONS, ſeu ÆNIPONS, Comitatûs Tirolenſis metropolis, vulgò *Inſpruk*, ſedes principum, ubi Camera & Parlamentum regionum Auſtriacarum. *Baudrando* urbs eſt ad Oenum ſatis culta, cum arce ſplendida, olim Principis ſedes, nunc Imperatori ſubeſt, 20. milliar. German. à Salisburga, 18. à Tridento. Ad radices Alpium Tridentinarum. *Veldidena*, antiquitus quibuſdam. Hîc Carolus Quintus à Mauritio Saxone, ob ſocerum Philippum Haſſum, præter fas detentum, bellô petitus, in fœdam ac miſerabilem fugam conjectus, impedimentis exutus & ad pacem Proteſtantibus dandam, adactus eſt, A. C. 1552. Thuan. *l.* 4. *&* 7. Alter *Oenipons* eſt *Oetingen, Simlero*; ſed ille *Æni* legit. *Sanſoni* & *Cluv.* eſt vicus *Alten Hohenaw*, in Bavaria ſuperiore vix 1. leuc. à Waſſerburgo, 5. ſuprà Oetingam. 6. à Monachio in Ortum. Hinc nomen lineæ *Oenipontanæ* ſeu Tirolenſi, quam orſus Ferdinandus Archidux, fil. ſecundò genitus Ferdinandi I. Imperatoris cùm pater ei Eliſabetham Anglicam deſtinâſſet, de Maria etiam Scotica Guiſii laborarent; ipſe Philippinam Welſeriam, patriciam Auguſtanam, ſibi junxit, pater ex ea Caroli Marchionis Burgoviæ & Andreæ Cardinal. in quibus linea extincta, A. C. 1618. Eandem iterum incepit Leopoldus (fil poſterior Caroli Archiducis Styriæ ſeu Græcienſis lineæ conditoris) qui Argentinenſis primò & Paſſavienſis Epiſcopus; dein ejeratô A. C. 1626. Eccleſiaſticô ſtatu, Claudiam Mediceam uxorem duxit, defunctus A. C. 1632. His geniti, Clara Iſabella Caroli Ducis Mantuæ uxor, Maria Leopoldina, Ferdinandus Carolus & Sigiſmundus Franciſcus. Quorum is pater Claudiæ Felicitatis, in thalamum Leopoldi Imperatoris accitæ; iſte Mariæ Hedvigis Auguſtæ Palatinæ ſponſus fuit: uterque ſine prole maſcula defunctus eſt. A. C. 1662. & 1665. hærede ditionum agnatô Imperatore relictô. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Genealogico-Hiſtor. in Familia Auſtriaca.* Vide quoque infrà *Tirolis.*

OENISTERIA, Athenienſium ſacra, quæ peragebantur ab ephebis pubeſcentibus, antequam lanuginem, comamque tonderent; Herculi verò uni certam menſuram offerebant. Horum meminit *Heſychius*, & *Jul. Pollux.*

OENO, una fuit ex filiabus Anii & Dorippes, quibus id impertiverat Dionyſius, ut, quicquid attigiſſent, in triticum ſtatim, aut vinum, aut oleum verteretur. Unde dictæ *Cenotropæ*, quaſi in novas formas omnia vertentes, Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 15. Vide *Anius.*

OENOANDA, urbs Carbaliæ, in Lycia, *Stephan.* ad radices Tauri, 70. mill. paſſ. à Myra in Boream, uti 15. à Balbura, 30. à Bubone in Ortum, paulo amplius à Cobyra.

OENOCHALICORUM, oppid. circa Perſidem videtur, apud Procopium, *l.* 2. *Perſicorum.*

OENOCHEMA, mons in finibus Africæ.

OENOCHENUS, fluvius Theſſaliæ, Herodot. *l.* 7.

OENOE, quæ & *Ephyra*, teſte *Strab.* oppid. Elidis in Peloponneſo ad Selleentem fluv. Eſt & oppid. Icariæ inſulæ, *Stephan.* Item aliud Atticæ: *Thucyd.* Apud torrentem, qui pluviis intumeſcens, magnâ vi aquarum campos ita vaſtat fiſſuris, ut terræmotibus agricolationem omnem perdat. Unde *Oenoe Charadram* Proverb. in eos, qui ſibi malum creant, in confinio Bœotiæ, inter Thebas ad Boream & Athenas ad meridiem ferè medium. Nunc fere in ruinis. It. Bœotiæ *Ptol. Oenoa* adhuc vulgò dictum. Eſt & *Oenoe Ptol.* oppid. Laconicæ inter Bitulam & Gereniam, vulgò *Cidariſo*

OENOEUS, fluv. Ætoliæ, contra Echinadas. Fortè idem cum Eveno.

OENOMAUS, Martis fil. Elidis & Piſæ Rex, Hippodamiæ pater; qui, cùm ex oraculo ſe à genero interfectum iri didiciſſet, & filia tamen à multis procis ab formæ præſtantiam ambiretur; curule certamen procis propoſuit, eâ lege, ut filia victori in matrimonium cederet, victus mortem ſubiret. (*Inde Piſæique tori legem*, dixit *Nemeſianus*:) Tredecim igitur victis & occiſis, Pelops, Tantali fil. amore puellæ captus, Myrtillum aurigam pretiô corrupit, ut axes infirmos & fragiles currui ſubjungeret. Quô factô Oenomaus unà cum curru corruit, membriſque omnibus è ruinâ colliſis, jamque morti vicinus, Pelopem precatus eſt, ut vicem ſuam ulciſceretur. Quare, cùm Myrtilus pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope contumelioſiùs exigeret, ab eo in mare præcipitatus eſt; eôque modô & puellâ & regnô potitus Pelops, totam Cherſoneſum de ſuo nomine Peloponneſum appellavit. Vide Hyginum, *Fab.* 84. 159. 250. *Strab.* &c.

OENOMAUS, Cynicus Gadarenſis, Porphyriô paulò ſuperior. Scripſit περὶ τ̃ καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας, teſte Suida, in Oinomaos. Item περὶ Κυνισμοῦ, περὶ Κράτητος, καὶ Διογένους, καὶ τ̃ λοιπῶν, teſte eôdem Suidâ, ubi ſuprà. Meminit ejus Theodoretus *θεραπευτ. Serm.* 6. *&* 10. ubi ipſe & Diogenianus de oraculorum mendaciis ſcripſiſſe dicuntur, ſeculô 2. A. C. 119. Euſeb. *in Chron. Nic. Loydius.*

OENON, portus Locridis, ad ſinum Corinthiacum, Thucyd. *l.* 3.

OENONA, appellata eſt priùs *Ægina* inſula, inquit *Strabo*, & *Stephanus*, & Plin. *l.* 4. *c.* 12. quod etiam Pindarus pluribus locis confirmat in *Nemeis* & *Iſthmiis*, aliiſque plurimis. Fuit autem inſula ſic forſan dicta, ab *Oenone* nymphâ, quæ, ut teſtatur Pythænetus primo τ̃ Αἰγινητικῶν libro, filia fuit *Baudionis*, de cujus nomine gentem fuiſſe in eâdem inſulâ, ſcribit *Didymus. Nic. Lloydius.*

OENONÆ, duo Atticæ pagi, Strabo *l.* 8. Hic Eleutheris; ille Marathoni vicinus.

OENONE, nympha Idæa, mutuô amore Paridis capta, cùm ille adhuc incognitus circa Idam Phrygiæ pecus ſervaret. Hæc fatidica fuiſſe fertur, Paridique in Græciam naviganti prædixiſſe futurum, ut inde patriæ incendium ſecum referret. Extat epiſtola ejus ad Paridem, inter Ovidianas, quâ illum ad ſui amorem revocare conatur. Author eſt *Dictys Cretenſis* ὑποθολιμαῖος, Paridis interempti cadaver ad Oenonem fuiſſe relatum, ut ab illa ſepulturæ mandaretur: illam verò priſtini amoris recordatione ad primum ſtatim cadaveris conſpectum mortuam concidiſſe, eôdemque cum illo funere ſepultam fuiſſe. Ovid. *de Rem. Am. v.* 457.

Et paris Oenonem ſummos tenuiſſet in annos.
Si non Oebaliâ pellice læſa foret.

Vide Parthenium, *Eroticôn c.* 4.

OENONE, inſula una Æacidarum. *Stephan.*

OENOPARAS, agri Antiochiæ Syriacæ fluv. *Strabo.*

OENOPHORUM, vas vinarium amplum. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 426.

——— ——— *tandem illa venit rubicundula, totum*
Oenophorum *ſitiens, plenâ quod tenditur unâ.*
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum. ———

Vide quoque Appulejum *Metam. l.* 2. & 8. Martialem item *l.* 6. *Epigr.* 89. Ex Græco οἰνοφόρον, i. e. *viniferum.* At *Oenophorus*, apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. ubi de operibus ex ære Praxitelis. *Fecit ------ Stephanuſam, Spilumenem, Oenophorum: puer eſt vinum ferens*, quem *à cyathis Horat.* vocat. Turnebus tamen conjunctum hîc legit *Spilumenen oporam*, i. e. ſordidum auctumnum. Ovid. *l.* 2. *Met. v.* 29.

Stabat & auctumnis calcatis ſordidus uvis &c.

Vide Dalechampium *Not. ad Plinium* & de miniſtris hujuſmodi veterum, ſuprà paſſim, inprimis voce *Pincerna.*

OENOPHYTA, Bœotiæ urbs, *Thucyd.* myronidem Bœotos hîc ſuperaſſe ſcribit *Plut.*

OENOPIA, inſula, quæ & Ægina, Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 473.

Oenopiam veteres appellavêre: ſed ipſe
Æacus Æginam genetricis nomine dixit.

OENOPIDES, vir Mathematicus ex Chio inſula, Anaxagorâ aliquanto minor. Diodor. Sic. *l.* 1. Cùm dedicaret in Olympiis tabulam, inſcripſit in ea Aſtrologiam 59. ann. affirmans, hunc magnum eſſe annum, Ælian. *Hiſtor. var. l.* 10. *c.* 7. Fuit autem tabula hæc ænea, unde auctor, τὸ χαλκοῦν γραμματεῖον ἐγγράψαι ἐν αὐτῷ τὴν Ἀστρολογίαν τ̃ ἑνὸς δέοντων ἑξήκοντα ἐτῶν, φήσας τ̃ μέγαν ἐνιαυτὸν εἶναι τοῦτον, *Inſcribens æneæ tabulæ Aſtrologiam novem & quinquaginta annorum, quem magnum annum appellabant.* Ubi *Aſtrologiam* 59. annorum vocat ſtellarum ortus & occaſus cum tempeſtatum ſignificationibus, per totum illius periodi ambitum deſcriptos atque notatos. Quemadmodum in Metonis Heliotropico anathemate Aſtrologia 19. annorum inſcripta eſt &c. Cujuſmo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

juſmodi anathemata παραπήγματα, h. e. *tabulas adfixas* vocabant, quod columnis affigerentur, de qua voce vide infrà.

OENOPTÆ, Græce Οἰνόπται, i. e. *Vini inſpectores* dicebantur olim Athenis, qui in conviviis modum imperabant, ne quis aut plus ſatis, aut parum ab aliis, adeoque quantum & quoties unuſquiſque biberet. Quòd ſi itaque aliquem intemperantiùs potantem deprehendiſſent, ad Areopagitas illum deferebant. Præterea & alia, quæ in conviviis fieri ſolent, obſervabant. Hinc ὀφθαλμοὶ quoque h. e. *oculi* appellati, quòd non raro, quos oculos mentis convivæ vinô victi perderent, hi reſtituerent monitionibus ſuis. Μνάμονες etiam Platoni *de Rep.* quod *legis admonerent.* Cæterùm Magiſtratum vulgarem ac tenuem fuiſſe, & trium virorum numerô, ait Philinus Rhetor: quos quòd à Sympoſiarchis nomine tantùm fuiſſe diverſos, contendit Poſtelius *de Magiſtrat. Athenienſ. c.* 38. aſſenſum non impetrat. Vide Calvinum *Lexic. Jurid.* Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l. 6. c.* 1. & hic paſſim, inprimis ubi *de Conviviis Veter. de Magiſtro Convivii* nec non voce *Sympoſiarcha.*

OENOSTADIUM, urbs Germaniæ ſeu potiùs pars urbis Paſſaviæ, juxta & infrà confluentes Oeni fluv. in Danubium, ex adverſo Paſſaviæ; *Innſtat.*

OENOTRI, populi Italiæ, tractum illius inter Pæſtum, ac Tarentum incolentes, quorum regio *Oenotria*, partem Lucaniæ, Brutiorum, & Magnæ Græciæ complectens. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 531.

Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt;
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotri coluêre viri: nunc fama minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.

Ubi vulgo malè *Oenotrii*, Græci enim Οἰνωτρὺς vocant. Hinc dicta Italia *Oenotria*, ſed diſcrimen interim, quare ſic dicta. Aliqui dicunt ab *Oenotro* Arcade, Lycaonis filio, qui Italiam incoluit; in his Myrſilus Lesbius, Pauſan. *in Arcadicis*, Antiochus Syracuſanus, & Halicarn. Dionyſius, cujus hæc ſunt verba, *l.* 1. *ubi de Arcadibus:* Πρῶτοι γὰρ Ἑλλήνων οὗτοι, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἄγοντος αὐτοὺς Οἰνώτρου τοῦ Λυκάονος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων, i. e. annis 459. Ætatem quippe ipſe Dionyſius 27. annorum facit. Refellit hoc Cato *in Originibus*, & nomen hoc ducit ab *Oenotro*, rege Sabinorum, & Hetruſcorum. *Varro* autem, illud refert ad *Oenotrum*, Regem Latinorum. *Servius* tamen à *Vino* hoc nomen deducit, quod optimum in Italia; nam Græci οἶνον, *vinum* vocant. Conſentit hæc opinio cum Virgilio ubi ſupra, cum Ariſtot. *l.* 7. *Polit.* cum Strabone *l.* 6. qui nullius factâ Oenotri mentione, tantùm ajunt, eam, quæ prius dicta eſt Oenotria, vocatam deinde Italiam. Sed ſeveriſſimè ſententiam iſtam Goropius tuetur *l.* 4. contra Dionyſium, & Græcos alios, quos levitatis, proditionis, & ſacrilegii arguit. Nam revera à vino dicta *Oenotria*, non à Rege aliquo Græcorum. Græci enim, ambitione quâdam, multorum Latinorum voces ad Reges ſuos transferunt, multaſque terrarum orbis partes ſuas eſſe colonias volunt. Inclinant autem multi in Janum Italiæ regem, qui ἀπὸ τοῦ οἴνου Οἰνωτρὸς dici videtur, ut ab Ebræo יין *Jain*, *Janus.* *Nic. Lloydius.*

OENOTRIDES, quæ & *Oenotriæ* Plinio, *l.* 3. *c.* 7. inſulæ maris Tyrrheni ante Veliam urbem Lucaniæ in ora exciſam, quarum una Pontia, *Ponza*, altera Legia, & Iſcia, *Iſchia* vulgò. *Pontias* numerô multitudinis legit Dio *l.* 59.

OENOTROPÆ, Anii filiæ, finguntur

——— *in niveas abiiſſe columbas*

quòd Sacerdotes fuerint, quas in Græcis Fabulis *Columbas* nuncupari, diximus ſuprà, voce *Promenæa.* Inde apud Homerum, *Od.* μ. Columbæ

Ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέρουσι.

OENOTRUS, Rex Sabinorum, *Varroni*, vel Arcadum, Pauſaniæ, *l.* 8. oram Tarentini ſinus incolis replevit, unde Oenotriæ nomen: quæ poſtea coloniis Græcorum aucta, magna Græcia dicta eſt, Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 88.

Hinc Italæ gentes, omniſque Oenotria tellus.

OENUS, oppidulum Laconiæ, *Stephan.*

OENUS, fluv. Laconiæ juxta Spartam urbem fluens, *Polyb.*

OENUS, fluv. *Ænus Ptol. Inn*, ortus ex monte *Bernina*, uno ex Alpibus, ex duplici fonte, in Rhætia propria & in confinio vallis Telinæ: dein in Septentrionem tendens, per Comitatum Tirolenſem labitur ad Oenipontem, Hallam, & oppid. *Schwatz* & *Kufſtain:* hinc per Bavariam fluens, Roſenhæmum, Hagam & Braunam rigat, tandemque auctus Achſâ, Saltzâ & Rotâ, aliiſque fluviis minorib. Danubio miſcetur.

OENUSSA, olim vocabatur Carthago, *Steph.* Item inſula duplex maris Ægæi, una inter Tenedum & Samum; alia minor apud Chium, *Oenuſa Stephano.*

OENUSSÆ, ſeu OENUSÆ, Pauſaniæ inſulæ parvæ tres Peloponneſi, ante Acritam promuntor. teſte Pauſaniâ *l.* 4. *c.* 12. verò ante Meſſenen. *Oenuſa* Melæ, *l.* 2. *c.* 7. & *Theagnuſa*, *Sapienza Sophiano.* Sed hæc *Sphagia* aliis dicitur.

OEOLYCUS, quaſi *Ovi-lupus*, dictus eſt fil. Theræ, quòd, in Calliſtam inſulam hic navigaturus, dixerat, ſe Spartæ filium καταλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι, *relinquere ut ovem inter lupos*, apud Herodot. *l.* 4. Cui non diſſimile illud Chriſti, Matthæi *c.* 10. *v.* 16. *Ecce ego mitto vos, ut oves in medio luporum.* Sed & alii quàm plures à pecore omnigeno nomen traxerunt. Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 1. *Multa nomina habemus ab utroque pecore ---- à minore, Porcius, Ovinus, Caprilinus; ſic à majore Equitius, Taurus, cognomina adſignificari; quòd dicuntur, ut Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli* &c. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 42.

OEON, vicus in Leontide tribu, *Stephan.*

OEONICHUS, infamis nefandis libidinibus, Scholiaſt. *in Ariſtophan. Equit.*

OEOS, oppid. Tegeæ, *Stephan.*

OERYA, inſ. Bœotiæ in agro Plateenſi, quam Aſopus fluv. efficit unà cum Gargaphia fonte, Pauſan. *l.* 9.

OES, Græcè Ὤης, inter Numina Syrorum, hominis ſic figuram habens, ut, quia pelle indueretur cetaceâ, etiam piſcem referret, memoratur Helladio *in Chreſtomathia*, apud Photium *Bibl. cod.* 279. Fortè contractum ex Ὠάννης, Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 76. Vide quoque Seldenum *de Diis Syris c.* 3.

OESCUS, oppid. Myſiæ inferioris in Triballis, cum fluv. cognomine ex Rhodope monte, ſeu verius ex Hæmo, qui Cius videtur *Herodoto*, *Budini*, ſeu *Bydini Lazio.* Sed *Nigro* eſt *Blida*, oppid ultra Rhætiariam 7. mill. paſſ.

OESIA, fluv. Galliæ, *l'Oiſe.* Oritur in Picardia, in ipſo confinio Hannoniæ & Campaniæ; dein Guiſiam, Feram & Calniacum rigat; hinc prope Noviodunum fluens, Axonam recipit ſupra Compendium, urbem Inſul. Franciæ. Tandem rigatis Ponte S. Maxentiæ, Bellomontiô & Ponte ad Oeſiam, paulo infra in Sequanam ſe exonerat, 6. leuc. infra Lutetiam, Rothomagum verſus. Vide Papyr Maſſon *deſcr. Gall. flum.*

OESPORIS, oppid. Africæ mediterraneum, *Ptol. Sibaca* hodie, teſte *Marmoliô.*

OESTROS, Pamphyliæ fluv. Melæ, *l.* 1. *c.* 14. *Oeſtrus*, dicitur *Ptol.*

OESTRYMNIS, promontor. *Oeſtrimnis* Sinus, & in eo *Oeſtrymnides* inſulæ, circa Hiſpaniam in mari Atlantico forſan nunc Artabrum promont. Gallæciæ, *Ortel.*

OESYMA, vel OESYME, urbs Macedoniæ, inter Arethuſam ad Occidentem, & Neapolim ad Ortum proximas urbes, non longè ab oſtio Strymonis fluv. *Calla* ex *tabul. recent.*

OETA, mons in finibus Theſſaliæ. Doridi à tergo incumbens, optimi hellebori ferax, Plin. *l.* 4. *c.* 7. Pauſan. *l.* 10. Ovid. *Metam. l.* 9. *v.* 165.

Implevitque ſuis nemoroſam vocibus Oetam.

Morte & ſepulchrô Herculis nobilitatus, Plin. *loc. cit.* Sil. Italicus *l.* 3. *v.* 42.

Inter quæ fulget ſacratis ignibus Oete,
Ingentemque animam rapiunt ad ſidera flammæ.

Quod Virg. dixit *Ecl.* 8. *v.* 30.

——— *Tibi deſerit Heſperus Oetam.*

Ita accipiendum, quòd in eo monte ſtellæ videantur occidere, ſicut in Ida naſci. Hæc *Servius.* Imò potius Virg. dixit, quòd ab Oeta oriantur. Vide Turneb. *Adverſ. l.* 29. *c.* 4. & Gevart. *ad Statium l.* 5. *c.* 8. Verba Livii *l.* 36. *c.* 15. pro ratione erunt: *Extremos ad orientem montes Oetam vocant.* Hinc factum, ut dies, nox, Sol, ſidera dicantur oriri ab Oetâ. De ortu diei Seneca, *in Hercule Oetæo Actu* 3. *v.* 861.

Hæc, hæc renatum prima quæ videt diem
Oeta eligatur. ———

Idem *in Hercule Furente*, *Act.* 1. *v.* 132. deſcribens diei ortum:

Jam cæruleis evectus equis
Titan ſummum proſpicit Oetan.

Papinius *l.* 5. *Sylv.* 4. *v.* 7.

Septima jam rediens Phœbe mihi reſpicit ægros
Stare genas, totidem Oetææ, Paphiæque reviſunt
Lampades. ———

Silius *l.* 6. *v.* 452.

Vix dum clara dies ſummâ luſtrabat in Oetâ
Herculei monumenta rogi. ———

De ortu noctis infinita ſunt teſtimonia; duo tantùm adducam; Catull. *Carm.* 63. *v.* 7.

Jamdudum Oetæos oſtendit Noctifer ortus.

De cujus verſus lectione adi *Achillem Stat.* Virg. *in Culice:*

Et piger aurato procedit veſper ab Oetâ.

Et hæc altitudinem montis hujus indicant. Longitudine autem maximè patet; incipit enim à Leucade in Epiro, & definit in ſinum Maliacum ad Thermopylas, inter Parnaſſum & Pindum extenſus. Hîc oppid. *Oetæa*, teſte *Stephanô*, *Oetis* verò *Diodoro*, *Trachis Straboni.* Populi *Oetæi*, *Thucydidi* vocantur. Mons hodie *Banina*, *Sophiano. Baudrando Banina*, mons Theſſaliæ aſperrimus, in limite Phocidis, cujus extrema ad Ortum *Thermopylæ.* Ibi locus *Pyra*, ubi ſe Hercules combuſſit. Ei connectuntur ab auctoribus Corax, Othris & Calidromus. Inter Pindum ad Boream & Parnaſſum ad Meridiem. Sed longè incipit à Leucade in Ortum. Nomen quoque Sinus maris, *Ptol. Nic. Lloydius.*

OETENSII, Myſiæ inferioris populi *Ptolem.*

OETES, Melienſium urbs, *Diodor.* Vide *Oeta.*

OETEUS, ſinus parvus Theſſaliæ, *Ptol.* ab Oeta monte, qui in eum procurrit. Vide *Maliacus.*

OETHYNI, populi juxta Pontum, *Perottus.*

OETINGA, Germanicè *Oetingen*, nomen Comitatus, ſub proprio Comite, (cui Principale axioma ante tempus aliquod ab Imperatore collatum) in Sueviæ parte Rhetia. A Gedeone Romano, cui anno ante Chriſtum natum 48. Julius Cæſar certa inſignia dederit, familiæ originem arceſſunt, qui traditionibus fabuloſis delectantur. Sed commentitiis non eget familia, veris decoribus illuſtriſſima. Memoria ejus & ſeries ad Ottonis uſque Magni tempora commodè deduci poteſt, ſub quo vixit Brajo (ex Guelfico, an alio ſanguine, liceat ignorare) ſeu Grajus, cui uxor obtigit Hedvigis Auguſti ſoror. vel, ſecundùm alios, Sueviæ Dux: cui affinitati præluſtri, aliæ ſequenti tempore acceſſere. Inprimis autem Landgraviatus Alſatiæ aliquandiu in hac ſtirpe hærens, eam inſigniter exornavit. Diviſa eſt illa aliquoties in diverſos ramos, è quibus, qui nunc ſuperant, auctorem agnoſcunt Ludovicum, mortuum A. C. 1557. Hujus minor fil. Fri-

dericus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dericus *Wallerſtenium* (ad quem *Spielbergius* & *Balderenſis* ſurculi referendi) ramum ex ſe produxit: a majori autem Ludovico, deſcendit Joachimus Erneſtus, qui *Oetingæ*, unde toti ditioni nomen, habitavit. Ludovicus enim ille, qui deceſſit A. C. 1569. Pater ex Margaretha Lucelſtenia Palatin. Comit. fuit Gothofridi Comit. *Oetingenſis*, qui defunctus A. C. 1622. ex Johanna Hohenloica (filia Eberhardi Comit.) reliquit Ludovicum Eberhardum, maritum Margarethæ Erpachiæ (filiæ Georgii Comit.) & ex ea patrem præfati Joachimi Erneſti, qui obiit A. C. 1659. Pater ex prima conjuge, Anna Sibylla Solmenſi (filia Henrici Wilhelmi Comit.) Sophiæ Margarethæ (quæ nata 1624. nupſit Alberto Marchioni Brandeburgico in *Anſpach*, defuncta 1664.) ex ſecunda, Anna Dorothea Hohenloica (filia Cratonis Comitis de *Hohenloë*, *in Neuenſtein*) Mariæ Dorotheæ Sophiæ (natæ 1639. uxoris Eberhardi Ducis Wirtenbergici) Cratonis Ludovici (nati 1641. denati 1660.) Alberti (qui natus A. C. 1642. uxorem duxit Chriſtianam Fridericam Wirtenbergicam) Suſannæque Johannæ (natæ 1643.) ex tertia tandem, Anna Sophia Palatina (filia Auguſti Comit. Palatin. *in Sultzbach*) Joachimi Erneſti (nati 1648.) Mariæ Eleonoræ (natæ 1649. uxoris Gottliebi Comit. *de Windiſchgræz*) Chriſtiani Auguſti (nati 1650.) Hedvigis Sophiæ (natæ & denatæ 1651.) Hedvigis Auguſtæ (natæ 1652.) Magdalenæ Sophiæ (natæ 1654.) Philippi Godfridi (nati 1655. den...) & Eberhardinæ Sophiæ Julianæ (natæ 1656.) qui omnes *Comites Oetingæ* &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 18. & 165. De *Wallerſtenio* verò ramo, *ſuo loco*.

OETOSCYROS, linguâ Scythicâ Apollo dicebatur.

OETUS, frater Ephialtis gigantis, filius Aloëi, Virg. *Æn. l.* 6. Lege *Otus*. Ὦτος enim eſt *Homero*. Vide *Aloeus*.

OETYLUS, vel OETYLUM, urbs fuit Laconiæ, ab *Oetylo*, *Heroë*, *Steph.* in ora ſinus Meſſeniaci, ad radic. Taygeti, 30. mill. paſſ. à Corone in Ortum, paulo minus à Tænario promontor. in Occaſum.

OEZENIS, urbs Ponti, quæ deinde *Trapezus* dicta eſt, *Steph.*

OFELLA Lucretius, vide *Lucretius*.

OFFA, Rex Merciorum, cæſô Bernedô. Foſſam ingentem ad regni ſui partem eò meliùs defendendam duci curavit: bellô illatô Regibus Cantii, Saxoniæ Occident. &c. Ethelbertum Anglorum Orient. Regem, ſub prætextu filiam ſuam ei deſpondendi, è medio ſuſtulit. Poſt varias victorias, jam ſenex illuſtres affinitates quæſivit, & ſcelerum pœnitentiam acturus Romam iter fecit, parte aliquâ bonorum Eccleſiæ, & pauperibus diſtributâ, regnôque Egfordo filio commiſſô: ſub finem ſeculi 8. Polydor. Virgil. *Hiſtor. l.* 4. Ducheſn. *Hiſtor. Angl.* Cœterùm, Foſſam hanc & vallum, ſtante antiquô Regnô Cambriæ, inter Sabrinam & Deam flumina, ſtruxit, ſicque Cambriam à reliqua Britannia ſeparavit, lege latâ, quâ capitale erat, ſi quis Cambrorum trans illam foſſam cum telo comprehenderetur. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 208.

OFFA, ex Ὄμπη, Æolic. ὄππα, propriè genus panificii, globus farinæ conſperſæ; inde ad alia tranſlata vox. *Plinius* τὰς παλάθας ſic reddit, ficuum globos ſeu maſſas. In cujuſmodi maſſam ſimiliter conditæ afferebantur caryotæ. *Heſychius*, παλάθη, ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις. Παλάθαι σύκων μάζαι. Cottana etiam & pruna in maſſas ſic componebantur. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 28.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent cottana, ficus erant.

Statius, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 27.

Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atque cottanorum.

Ubi *globus prunorum* παλάθη eſt. Plin. aliquando *maſſas* reddit, ut *l.* 13. *c.* 17. *Reliquum in maſſas condunt.* Aliquando *offas*, uti dictum: *Purgatum enim tradunt ſervantque ejus offas.* Nempe μάζα, propriè φυράμα, *offa*, farinæ conſperſæ globus: Inde, quidquid in unum globum aut acervum coactum eſſet, μάζαν dixêre Græci recentiores. Etiam de hominum multitudine, uſurpat Leo, δρουγγιστὶ, ὡς μάζα, quod de hominum conferta multitudine & globo dictum: Nam *drungi* ſunt hominum globi &c. Vide Salmaſ. *ad Solinum paſſim*, *inprimis p.* 764. & ſuprà voce *Maſſa*. De *offa* verò, quam præter alia in muſtum vult dejici Plinius, ad aromatitem conficiendum, eundem *p.* 710. ubi *de murrino Vino*.

OFFA Cerberi, apud Veteres dicta eſt, quam præter naulum Charontis, nummum videl. qui δανάκη dicebatur Græcis, defunctorum ori imponebant: ad Cerberi in prædam hiantis rictum obturandum. Erat id fruſtum farti ſeu cruſtulæ, ſeu caſei nonnunquam: communiter fiebat ex farina & melle, hincque μελιττοῦττα dicebatur, teſte *Suidâ*, Μελιττοῦττα ἐδίδοτο τοῖς νεκροῖς ὡς εἰς τὸν Κέρβερον. Unde *Heſych.* ὄμπαι, θύματα πυρῷ καὶ μέλιτι δεδευμένα. Ex qua voce ὄμπη, Æolic. ὄππα, Latin. *offa*, ortum. Cujuſmodi

Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam
Objicit ———

eidem Cerbero Æneas (Inferos aditurus) *Æn. l.* 6. *v.* 420. Indigitatque illam, Comicus *in Pace*,

Οὔτ' ἄλφιτ' οὔτε τυρὸς ὡς ἀπολλύμενος.

Et quidem unius ſolùm mentionem facit *in Lyſiſtrata* idem,

——— στερὸν ὠνήσει
Μελιτοῦτταν ἐγὼ καὶ δὴ μάξω.

Appulejus in plurativo numero rem effert, *Metam. l.* 6. *offas polentæ mulſô concretas* memorans, quarum ſingulas ſingulis manibus defunctos tenuiſſe, ait &c. Vide Franc. Roſſæum *Arch. Attic. l.* 5. *c.* 20.

OFFA Penita, in ſacris Veter. memoratur Arnobio *adv. Gent. l. ult.* *Sed ſi magnificum videtur --- jugulare Diis tauros --- Quid ſibi volunt apexabones, hirciæ --- Quid tædæ, quid teniæ, quid offæ, non vulgi, ſed quibus eſt nomen appellatioque penitæ?* Quid autem hôc nomine intelligatur, explicat idem paulo pòſt, *Offa penita*, inquiens, *eſt, cum particula viſceris cauda pecoris amputata.* Nempe *penem antiqui cedam vocabant, à qua antiquitate etiamnunc offa penita cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur*, ut ait Feſtus. Sed, ut idem, *penitam offam Nævius appellat obſegmen carnis cum cauda. Antiqui autem cedam vocabant abſciſſum globi formâ, ut numero numeratam pultem.* Sed & extra ſacrificia hæc offa locum habuit numerata à Plauto inter convivii ſcitamenta numeratur, in *Milite*. Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobii locum*.

OFFARII, inter culinarios Veter. ſervos, ut & Coqui fuêre, magni lurconibus illis æſtimati, uti videre eſt apud Plin. *l.* 9. *c.* 17. Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. Alios, nec non ſuprà, voce *Coqui*. Neque verò luxui ſolùm, ſed & valetudini, non parùm hi inſerviunt. Uti enim Pædotriba Gymnaſtæ eſt miniſter, ſic Medici Coquus, Galen. *de Valet. tuenda.* Ac apud Athenæum, *bonum Coquum debere eſſe bonum Medicum* dicitur *l.* 7. Quare nec imperitus adſciſcendus Coquus eſt & ubi is hæret, Medici oraculum conſulendum. Qua cauſa, quòd videmus de Coquinaria arte & olim Cælium Apitium & Proavorum ætate Baptiſtam ſeu Bartholomæum Platinam, ſcripſiſſe: in quibus Auctoribus, quæ ſolùm irritamenta gulæ ſunt, ab iis, quæ utilia valetudini tuendæ vel recipiendæ, probè diſcernenda; vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophia*, *c.* 10. ubi de quatuor Medicinæ famulis, & infrà *Particularius*. Addam ſaltem, non Medicinæ ſolùm, ſed & Aſtronomiæ ac Geometriæ Coquos ſuos peritos eſſe voluiſſe Athenienſes, apud quos σεμνὴ ἡ μαγειρική, *venerabilis ars Coquinaria* fuit, uti diſcimus ex Athenæo *l.* 14. Nec mirum, cùm inter præcipuos Sacrorum miniſtros etiam Coquum habuerint, uti docet Franc. Roſſæus *Archæologiæ Attic. l.* 6. *c.* 2.

OFFEMBURGUM, ſeu OFFENBURGUM, urbs munita Sueviæ, Ortnaviæ tractus caput, 1. leuc. à Rheno, vix 2. Argentoratô in Ortum, ſub Auſtriacis. *Ferrar.* Limnæo oppid. eſt imperiale Briſgavorum, ad Cynthium amnem, quaſi Offonis Caſtellum: ab eo enim, ex Anglia in Germaniam profecto, extructum dicitur, A. C. 605. A parvis initiis eo proceſſit, ut municipium Imperii factum ſit. Fruſtra tentatum à Gallis, A. C. 1675.

OFFENBACUM, German. *Offenbach*, caſtrum Germaniæ, in Wetteravia, ſub proprio Comite ex Familia Iſenburgica. In hac enim cùm præcipua gentis diviſio cœpiſſet tum, cùm Henricus, Arnoldi Trevirenſis frater, duos genuiſſet filios, Gerlacum & Ludovicum; illi Iſenburgum inferius; iſti, ab Helvige conjuge, Budingenſe dominium, obtigêre. Et quidem Iſenburgicus ramus duravit, uſque ad Erneſtum Salentinum Comit. *de Iſenburg & Grenſaw*, qui natus A. C. 1584. Salentinô Comite *de Iſenburg & Grenſau*, priùs Archiepiſcopo ac Electore Colonienſi & Annâ Wilhelmâ Arembergicâ, obiit A. C. 1664. ultimus ſuæ familiæ, nullâ ex uxore Carolina (filia Caroli Principis Arembergæ) prole ſuſceptâ. In Budingenſibus, præter ramum Grenſavium, cujus bona ad alterum dein tranſlata, duos ramos ex ſe emiſit Ludovicus Diethери Moguntini frater; Nam ex ejus liberis, Philippus *Keltespacenſes* dedit, qui nunc deſierunt; Johannes in *Birſtein* reliquos: & quidem nepos hujus Wolffgangus Erneſtus, omnium nunc ſuperſtitum communis Pater; ex primo matrimonio Mariæ Magdalenæ Naſſovicæ *Offenbacenſes*, ex tertio verò Julianæ Witgenſteniæ Budingenſes proſevit. Primorum ſeries ab aliquot ſeculis repetita hæc eſt. Ludovicus Comes Iſenburgi & Budingæ, defunctus A. C. 1511. ex Maria (filia Johannis Comit. Naſſoviæ in Wisbaden) pater fuit Johannis, qui deceſſit A. C. 1533. relictô ex Anna Schwartzenburgica (filia Guntheri Comit.) Philippô denatô A. C. 1596. Hôc & Irmgarde Solmenſi (filiâ Philippi) genitus Wolffgangus Erneſtus junxit ſibi Annam Gleichenſem (filiam Johannis Comit.) & ex illa, defunctus A. C. 1633. reliquit Wolffgangum Henricum, qui obiit A. C. 1635. Pater ex Maria Magdalena Naſſovia, Johannæ Eliſabethæ (natæ & denatæ 1610.) Annæ Mariæ (natæ & denatæ 1611.) Erneſtinæ (1614. uxoris Hermanni Adolfi Comit. Lippiæ) Wolfgangi Erneſti (nati 1617. denati 1642.) Philippinæ (natæ 1618. nuptæ Chriſtiano Comiti Witgeſtenio) Friderici Ludovici (nati 1619. denati 1620.) Joh. Ludovici (nati 1622. mariti primò Mariæ Julianæ Hanoicæ; inde Luiſæ Naſſovicæ) Chriſtiani Mauritii (nati 1626. mariti Magdalenæ Naſſovicæ, denati 1664.) Wolfgangi Henrici (nati 1628.) Frider. Adolfi (nati & denati 1631.) Mariæ Eleonoræ (natæ 1632.) & Car. Ludovici (nati 1633. denati 1662.) E quibus Johanni Ludovico, ex Luiſa præfata, nati ſunt, Maria Catharina (nata 1647.) Henricus Ludovicus (natus & denatus 1648.) Carola & Philippina Luiſa (nata 1649.) Sophia Eliſabetha (1650.) Carola Amalia (1651.) Carolus Ludovicus (52.) Erneſtina (nata & denata 1654.) Johannes Philippus (1655.) Wilhelmus Mauritius (1657.) Wilhelma Juliana (1658.) & Chriſtiana (1660.) qui omnes *Comites Iſenburgi & Budingæ* &c. *in Offenbach*. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. p.* 61. 121. & in *Indic.* in voce *Iſenburg*.

OFFENBURGIUS Amandus, ex proſapia nobiliſſima, Reipubl. Baſileenſis, per Ann. 40. ſingulare ornamentum. Hic inter Patricios aſcriptus, cùm urbis nomine, unà cum aliis equeſtris ordinis viris, Sigiſmundum Imper. Romam uſque affectatus fuiſſet, baltheô militari in ponte Tiberino decoratus, rediit A. C. 14..; Imperatoris poſtea, Concilii cauſâ, Baſileæ commorantis, ſingulari gratiâ uſus. Ob prudentiam ac fortitudinem rebus maximis adhibitus, legationes plurimas cum laude obivit. Obiit A. C. 1458. Urſtiſ. *Epitom. Hiſtor. Baſil. c.* 12.

OFFENBURGUM, vide OFFEMBURGUM.

OFFENDICES, in pileo Flaminis, vide ſuprà in hac voce.

OFFERENDA, Balbo Ugutioni & Joh. de Janua, *Antiphona* eſt, *quæ canitur, quum Oblatio debet celebrari.* Ruperto *de Divinis Offic. l.* 2. *c.* 2. eſt *Cantus Eccleſiæ*, *nomen hoc habens ab offerentis tractum, eo quod tunc canitur, quando omnipotenti Creatori noſtro* ...

corruptum laudis offerimus ----- *ſacrificium.* Hugoni à S. Victore *Theolog. Erudit. l. 2. c. 22.* inde nomen accepit, *quòd tunc populus ſua munera offerat. Dicto Symboló cantatur* Offertorium *ſeu* Offerenda, *ut aliqui dicunt.* Sic Ekkeardus Junior *de Caſibus S. Galli c. 3. Quos quidem tropos Karolo ad* Offerendam, *quam ipſe Rex fecerat, obtulit canendos.* Inſtituiſſe autem Gregorium M. & ad miſſam cantari præcepiſſe *Offerendam* ſeu Offertorium, tradunt Hugo prælatus *de Offic. Eccleſ. l. 2. c. 11.* Honorius Auguſtod. *l. 1. c. 8.* Alii. At quis hoc inſtituerit, ignorari, ait Durandus *Ration. l. 4. c. 27.* Gallis *Offertoire.* Sed & quævis oblatio iiſdem *Offerenda* eſt, Gallic. *Offrande*, apud Car. du Freſne & Spelmannum *Gloſſar.*

OFFERRE, indicare Juriſconſultis eſt, *l. 1. Cod. Theodoſ. de Theſaur.* & apud Senator. *l. 6. Var. c. 8.* In Eccleſia antiqua, quid *Offerre*, apud Latinos; προσφέρειν, apud Græcos, deſignaverit, diximus ſuprà, in voce *Oblatio*: Hodie, in Communione Romana *Offerre* eſt, ſacrificium, ut vocant, Miſſæ celebrare, qui actus Sacerdotis eſt. Sed & *Offerre* dicebantur Laici, qui panem & vinum in Eccleſiam deferebant & ibidem offerebant. Quô pactô verò Oblationes hæ reciperentur à Sacerdote Liturgiam ſacram celebrante, & in qua Liturgiæ parte, his verbis deſcribit *Ordo* Rom. *Expletó ſymboló, ſalutat Epiſcopus populum, dicens, Dominus vobiſcum. Poſteà dicit, Oremus, hinc canitur Offertorium cum Verſibus. Tunc venit Subdiaconus, ferens in brachio dextro pateram, & in ſiniſtro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum & ſuper corporale, i. e. ſindonem, quod accipiens Diaconus ponit ſuper altare à dextris, projectó capite alteró ad Diaconum, ut expandant. Deinde tranſit Sacerdos, ad ſuſcipiendas oblationes. Interim cantant Cantores* Offertorium *cum Verſibus & populus dat oblationes ſuas, i. e. Panem & Vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primò maſculi, deinde fœminæ: noviſſimè verò Sacerdotes & Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, & hoc ante altare. Subdiaconus verò cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum: & Pontifice, oblationes populorum ſuſcipiente, Archidiaconus ſuſcipit poſt eum amulas & refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiaconô, quem ſequitur cum ſcypho, ſuper planetam Acolytus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem à Pontifice ſuſcipit Subdiaconus & ponit in ſindonem, quæ eum ſequitur, quam tenent duo Acolyti.* Vide quoque Honor. Auguſtodunenſem *l. 1. c. 43.* De Oblationibus Principum, ſic idem Ordo *alibi*: *Oblationes verò Principum Subdiaconus Regionarius à Pontifice ſuſcipit, ac ſequenti Subdiacono porrigit & ipſe in ſindonem, quam tenent duo Acolyti, eas ponit.* Galliæ Reges *Offerre aurum, thus & myrrham* conſueviſſe ad Altare, die Epiphaniæ ſacrô, docet Car. du Freſne ex Guil. Nangii Continuatore Vernaculo A. C. 1378. *Offerebant* & Monachi, Columban. *in Pœnitentiali* & Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l. 1. c. 7.* Cantores quoque, ſed aquam tantùm. Amalarius *de Eccleſ. Offic. l. 1. c. 19. Cantores, qui ſunt de genere Levitarum, propter inſtantem neceſſitatem cantandi, non habent licentiam huc illucque diſcurrendi, ut ſinguli offerant cum cæteris. Statutum eſt eis, ut penitùs non ſint extorres à Sacrificio, cuſtodire aquam & hanc unam offerre pro cæteris* &c. Fœminæ tandem, ſed non ad altare; In locis enim ſuis manebant, & ibi Sacerdos earum oblationes accipiebat, ut habet Theodulfus *in Capitul. c. 6.* Apud Cyprianum denique *Ep. 10. 11.* & 63. alioſque Veter. *Offerri nomina fidelium* dicuntur, cùm eorum memoria & nomen è ſacris Diptychis, in S. Cœna, recitabantur &c. Vide ſuprà *Diptychum.* Hinc *Offertorium* in eadem Eccleſia interdum idem cum *Offerenda*, ut vidimus. Papiæ, *Oblatio* eſt *quæ altari offertur & ſacrificatur à Pontificibus.* Johanni de Janua *locus, ubi reponuntur, vel ubi fiunt oblationes.* Aliis inter miniſteria ſacra reponitur, ſed quid revera ſit, non omnino inter Scriptores convenit. Ludov. de la Cerda ex *Onufrio* ait eſſe ſindonem ſericeam, linteamen in quo fidelium oblationes reponebantur: & certè oblationes fidelium in ſindone repoſitas, teſtatur *Ordo* Romanus. In *Inſtitutis* Monaſterii Ciſtercienſis, apud G. Caſſandrum, *in Liturgicis, Offertorium ſericum occurrit, ſed ad alios uſus: Aqua etiam cum argenteo colatorio ab uno Diaconorum nihilominus cappa induto, cum* Offertorio *ſerico, offertur.* Sic fuerit illud pannus oblongus, quo involvitur calix, cùm à Diacono offertur Sacerdoti: & ſanè in Communione Romana, in compluribus Eccleſiis, ſindoni iſtiuſmodi involutus calix offertur Sacerdoti, qui ad dextrum cornu Altaris reponi ſolet, Gregor. Turonenſ. *l. 7. c. 22. Cumque jam Altarium cum oblationibus palliô ſericô opertum eſſet, ſubitò ingredientem Guntchramnum Regem conſpicio* &c. Et paulò poſt, *At ego, cùm hæc audirem, ad te converſus dixi: Adprehende pallium altaris: infelix, quô ſacra munera conteguntur, ne hinc abjiciaris,* &c. Ex aliis verò Scriptoribus, ſolidum quidpiam & calicis, perinde ac patenam, appendicem fuiſſe, colligit Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & oblatio, quæ Eccleſiis à fidelibus fit, hôc nomine interdum venit, &c. apud *Eundem.* Dominico Macro *Offertorium* Miſſæ pars eſt, in brevi quadam antiphona conſiſtens, quæ tempore oblationis cani conſuevit, ad imitationem Iſraëlitarum, ut Innocentius III. ait, de quibus legitur 2. Paral. *c. 29. v. 27. Et juſſit Ezechias, ut offerrent holocauſta ſuper Altare cumque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino* &c. Cujuſmodi Antiphonas nonnulli à Gregorio M. alii à Cœleſtino, aut Eutychiano Pontificibus compoſitas volunt. Vide omnino eum in *Hierolexico.*

OFFICIALIS, Miniſter ſeu Apparitor Magiſtratuum; Paulus *l. 5. ſent. C. de Fiſc. Advoc. Gloſſ. Græc. Lat.* Ταξιώτης, *Apparitor, Officialis.* Spartian. *in Caracalla, c. 6. Non ignorantibus Martió Agrippâ, qui claſſi præerat & præterea pleriſque* Officialium *impulſu Martialis.* &c. Apulejus *Metam. Jubet* Officialem *ſuum piſces pedibus obterere,* &c. Sicque ſumitur vox hæc tit. C. *de filiis Officialium*: quô ſenſu *Officium* quoque reperitur apud Ulpianum *l. 1. §. ſi quis ultro 19. ff. de quæſt.* Vide infrà *Officium.* In poſteriori *Edicto* Maximi *de Chriſtianis*, apud *Euſebium*, *Officiales* dicuntur, qui eidem in priori *Beneficiarii* ſunt appellati: Ἐκ αὐτῆς τῆς προφάσεως ἐξ ἧς κεκελευσμένον ἦν ὑπὸ τῶν θειοτάτων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων τὰς συνόδους τῶν Χριστιανῶν ἐξηφανίσθαι, πολλὰς συσεισμοὺς καὶ ἀποστερήσεις ὑπὸ τῶν ὀφφικιαλίων γεγενῆσθαι. Fuêre autem *Beneficiarii* in officio Rationalis, quibus exhibitio curſus publici & primipili neceſſitas injungebatur, uti patet ex *Cod. Theodoſ. de cohort. princip. cornic. & primip. Beneficiarii vel Officiales Rationalis* &c. Sed & in aliorum Præſidum Præfectorumque officiis apparebant. Ex diverſis autem Officiis mittebantur, qui curſum publicum exhiberent, vectigalia exigerent & paſtum primipili curarent, ut Stationarii, Curioſi, Beneficiarii, Primipilarii, Principes, Cornicularii, alii. Eorundem porro operâ & miniſteriô Magiſtratus uſos fuiſſe in reis conquirendis & exhibendis, ex prælatis edictis liquet. Vide ſuprà in voce *Beneficiarii.* In *gloſſ. in Clement. 2. de reſcript. Officialis*, foraneus eſt, qui in certa diœceſeos parte vices Epiſcopi gerit. Sed *Officialem* à Vicario ſeparat Albericus *c. cùm nullus de tempor. ord. in 6.* Zaſius *Officialium* genera hæc notat, in *l. principaliter, ſi cert. pet.* cùm ait: *Sunt enim Rectores provinciarum, ſunt Præſides, ſunt Gubernatores, Prodomini, ſive, ut vulgò vocantur, Vicedomini, Adminiſtratores ſine juriſdictione & cum juriſdictione; Sunt & Aulici, quos Palatinos nominant. Sunt & multa alia genera &c.* Apud Gallos propriè *Officiales* appellantur Judices Epiſcopales ſeu Epiſcoporum, in quos acriùs invehitur Petrus Bleſenſis *Ep. 25.* Etiam *Officiales*, Clericos dici ac Sacerdotes, qui Eccleſiæ deſerviunt: Unde *Officiare*, Eccleſiæ deſervire, in ea officium Eccleſiaſticum peragere, & *officiari* feſtos dies dici, cùm in iis proprium diei & feſti officium Eccleſiaſticum peragitur, ait Car. du Freſne ubi *ſuprà.*

OFFICII Princeps, vide paulo infrà, ut & voce *Princeps.*

OFFICINA, ab *officio*, in qua Artifices operas exercent, dicta eſt, juxta *Old.* Itaque à taberna differt, quæ apud Romanos erat ædificium in loco publico, ubi merces & quæcunque alia opera omnis generis venum proponebantur; cùm in *Officina* ipſa opera fierent, teſte Vallâ *l. 4. c. 44.* In Monaſteriis *Officinæ* appellantur ædiculæ, in quibus, quæ ad victum aut alios uſus Monachorum, adſervantur. Joh. de Janua, *Officina, locus ubi ſunt officia*, apud eundem. Hinc *Officinator*, præcipuus inter Opifices, Opifex, Faber, qui cœteris fabris præeſt. *Gloſſæ veter. Officinatores*, Ἐργαστηριάρχαι. Vide *Diſſert. ad Joinvillam 23. p. 286.* Caroli du Freſne: Et *Officinator* à ſtatuis. Cujuſmodi legitur fuiſſe Eutyches quidam Auguſtorum libertus, & Hermeros Tiber. Claudii Cæſaris ſervus Theamidianus, *ab Marmoribus Magiſter*, anſam Eruditis præbentes conjectandi, non Pinacothecas tantùm, ſed & agalmatothecas, (ita liceat appellare) in deliciis fuiſſe, privati enim his Atria referſerunt ſua. Interpretantur autem *Officinatorem à ſtatuis* Fabrum ſtatuarium, ad vim vocis, quam & Vitruvius aliis intactam uſurpavit, *l. 6. c. ult.* explicat verò Bernardinus Baldus *in perpetuo ad Vitruvium Comm.* Laur. Pignorius *Comment. de Servis*, vide quoque infrà. *Officium.*

OFFICIORUM Principes, apud Jul. Capitolin. *in Marco, c. 8. Et Verum quidem Marcus Capuam uſque proſequutus, amicis comitantibus à Senatu ornavit, additis officiorum omnium Principibus*; iidem ſunt, qui *officiorum Magiſtri* Spartiano *Peſcennio Nigro*, item *officiorum Principes* aut *Magiſtri* Lampridio *in Alexandro Severo.* Singula nempe officia Palatina habebant Principes ſuos, qui & *Primates Officii* dicebantur & *Priores*; unus tamen erat, qui propriè *Princeps Officii* dicebatur, tam in Palatinis officiis, quàm in officiis Præſidum & Rectorum Provinciarum. Præter quos Principes ſingulorum Officiorum, *Magiſter officiorum* erat, qui omnibus præerat officiis & omnium officiorum Palatinorum & Principum officiorum, Princeps fuit & Magiſter. Is in *vetuſta Inſcr. Magiſter omnium Officiorum* appellatur: FL. EUGENIO. V. C. EXPRÆFECTO. PRÆTORIO. CONSULI. ORDINARIO. DESIGNATO. MAGISTRO. OFFICIORUM. Ejuſdem meminit Corippus *l. 4.*

——— mandante Magiſtro
Omnis ſacrorum vis adfuit officiorum.

Princeps Officiorum idem dicitur, in antiquo ſaxo: NERITO. DIVI. CLAUDI. PRINCIPIS. OFFICI. IMPER. I. e. *Principis officiorum*, non *Principis officii*, ut nonnulli cenſent, non exiguum enim inter hos diſcrimen fuit. Ille namque *Magiſter* vocabatur & omnia officia ſub ſe habebat: iſte unius officii princeps & primus erat, nec Magiſter audiebat: Habebat autem hic Magiſter Officiorum & *Officium* ſuum, quod *Principatus* dicebatur, & omnes, qui ejus officio apparerent, Principes: de eodem *Magiſteriana poteſtas*, item *Magiſteria dignitas*, dicebatur, ut ex *Paſſione* Proceſſi & Mattiniani diſcimus &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Capitolin. loc. cit.* Ejus verò Officiales, *Principes* & *Magiſteriani* & *Magiſtriani*, Idem *Not. ad Trebellium Pollionem in Gallienis c. 17.* Vide quoque *ſuprà.*

OFFICIOSI, Romæ olim iidem qui *Salutatores.* Ita vocabatur Clientum turba, qui Patronis ac magnis Amicis *Ave matutinum* portantes, eos in forum deducebant ac reducebant, quod *officium* diutiſſimè duravit, etiam poſtquam Imperium Byzantium tranſlatum eſt. Nam circa Urbis Præfectos togati, i. e. *Clientes*, ut infrà videbitur, officium præſtabant. Marcellin. *l. 15.* de Leontio Urbis Præfecto qui ad concitatam multitudinem invitis amicis pergebat, *Illuc de induſtria*, inquit, *pergens Præfectus ab omni toga, apparitioneque* (i. e. *officioſorum* turba) *rogabatur enixiùs, ne in multitudinem ſe arrogantem immitteret & minacem.* Obſervabant itaque hi limina potentiorum, & Populi Romani magna pars in his *Officiis* occupata fuit, adeoque liberi homines hoc comitum, anteambulonum & aſſeclarum corpus conſtituebant, ingenti copiâ. Juvenal. *Sat. 3. v. 239.* & 243.

Si vocat officium, *turbâ cedente vehetur,*
Dives & ingenti curret ſuper ora Liburno,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

——— Nobis properantibus obſtat
Unda prior: magnô populus premit agmine lumbos,
Qui ſequitur: ferit hic cubitô, ferit aſſere durô
Alter.

Eleganter Seneca *l.* 6. *de Benefic. c.* 34. *Ad quemcunque itaque iſtorum veneris, quorum ſalutatio urbem concutit, ſcito, etiamſi animadverteris obſeſſos ingenti frequentia vicos & commeantium in utramque partem catervis itinera compreſſa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum.* Salutatoria vox fuit *Ave.* Martial. *l.* 4. *Epigr.* 78.

Condita cùm tibi ſit jam ſexageſima meſſis,
Et facies multô ſplendeat alba pilô.
Diſcurris totâ vagus urbe, nec ulla cathedra eſt,
Cui non manè feras irrequietus Ave.
Et ſine te nulli fas eſt prodire Tribuno,
Nec caret officiô *Conſul uterque ſuô.*

Hora *officioſa* hujus ſalutationis, potentiorum antelucana, tenuiorum matutina fuit. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 126.

Quod porro officium, *(ne nobis blandiar) aut quod*
Pauperis hoc meritum? Si curet nocte togatus
Currere? Cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam & Modiam collega ſalutet.

Idem *Sat.* 5. *v.* 19.

--- Habet Trebius, propter quod rumpere ſomnum
Debeat & ligulas dimittere, ſollicitus, ne
Tota ſalutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illô tempore, quô ſe
Frigida circumagunt pigri Serraca Bootæ.

Salluſtius *in Catil. C. c.* 28. *Cornelius eques Romanus operam ſuam pollicitus, & cum eo L. Varguntejus Senator, conſtituêre eâ nocte paulo pòſt cum armatis hominibus, ſicuti ſalutatum, introire ad Ciceronem,* &c. Ad tenuiores *Ave matutinum,* de quo ſuprà, refer. Veſtis toga fuit, etiam poſt deſuetum ejus, à tempore amiſſæ libertatis, uſum. *Officium* enim illud togatos peregiſſe, notum: Unde Vetus Interpres Juvenalis, in illud *Sat.* 10. *v.* 45. *Niveos ad fræna Quirites, In candidis,* inquit, *Togis officium facientes.* Et quidem manè togati Salutatores, deductio ac reductio togata, tota imò ferè dies uſque ad balnearum cœnæque horam togata transacta eſt. Atque hinc tam frequens, apud Martialem & reliquos ejus ævi Scriptores Togæ mentio: imo & *Togæ* pro *Clientibus togatis* non raró uſurpatæ. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 18.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec ſpondet, nec vult credere: ſed nec habet.
Turba tamen non deeſt, ſterilem quæ curet amicum,
Eheu quam fatuæ ſunt tibi Roma togæ?

Statio, veſtibulum fuit. A. Gellius, ex doctrina Sulpicii Apollinaris *l.* 16. *c.* 5. *Qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domûs & viam medius eſſet; in eo loco, qui dominum ejus domus ſalutatum venerant, priusquam admitterentur, conſiſtebant.* Donatus etiam *ad illa Virg. l.* 6. *Æn. v.* 273.

Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci
Luctus, & ultrices poſuêre cubilia curæ:

Feralem, ſcribit, *Ditis domum, ecce quale obſervabat* officium, *in primo veſtibulo.* Seneca *loc. cit.* ſtylum acuens, in has ineptas *Officioſorum* concurſationes, *in pectore amicus, non in Atrio quæritur:* Hîc enim locus ſtatus & ſolemnis erat, ubi peragebatur hæc fabula. Præerat autem turbæ huic, ſaltem in Aula Cæſarum, quidam, ut videntur indicare rudera marmoreæ inſcriptionis, in quibus *Nerito* cuidam *Divi Claudii* neſcio an liberto, *Officii Imperat.* fortè curatori, locus monumenti deſignatur: quam conjecturam confirmant verba Martyrologii Romani: *Piſis in Tuſcia S. Torpetis Martyris qui magnus in officio Neronis primùm fuit* &c. Vide ſuprà. Et Admiſſionalium fortè id muneri incumbebat: Sed nec ſanè gratis Salutatores admiſſi ſunt,

——— *Omnia Romæ*
Cum pretio: quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?
Ut te reſpiciat clauſô Vejentô libellô.

Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 183. Quod & Seneca docet *Ep.* 4. *Ut famem ſitimque pellas, non eſt neceſſe ſuperbis adſidere liminibus, nec ſupercilium grave & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non eſt neceſſe, maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt quod natura deſiderat, & expoſitum: ad ſupervacua ſudatur. Illa ſunt quæ togam conterunt* &c. Imò idem Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 95. tenuiores atque obſcuriores illud *officium* obiiſſe, ut ſportulam lucrarentur, clarè oſtendit, verbis:

——— *Nunc ſportula primô*
Limine parva ſedet turbæ rapienda togatæ,

Vide Kercœtium *in Maſtigophoro tertio,* Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria l.* 1. *c.* 33. Laur. Pignorium *Comm. de Servis,* &c. Et hæc quidem penè publica fuit ſalutatio, illa privata, quam Galba Sulpicius, *exoletam alibi, in domo ſua obſtinatiſſimè retinuit; ut liberti ſervique bis die frequentes adeſſent, ac manè ſalvere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent,* apud Sueton. *in eo c.* 4.

OFFICIUM, Grammaticis quaſi *Efficium,* ab *efficiendo,* quod unicuique perſonæ congruit, ut ait Donatus *Adelph. Terent. Actu* 1. *Scen.* 1. Aliis ab *officiendo,* id quod unuſquiſque efficere tenetur, ut nulli officiat: ſervatâ ſcil. honeſtate, quid loco, quid tempori, quid perſonis conveniat. Sic quomodo omnes debeamus eſſe in officio, tractat eleganter Cicero in *libris Officiorum,* è quibus patet, *Officii* nomen cum Græca voce καθῆκον planè conſentire; niſi quòd Latina, quàm Græca, plenior eſt, ſicut Cicero *Ep.* 16. *l.* 11. *ad Attic.* his verbis docet: *Quod de inſcriptione quæris non dubito, quin τὸ Καθῆκον Officium ſit: niſi quid tu aliter; ſed inſcriptio plenior de officiis.* Utuntur præterea Latini hoc nomine, pro *Beneficio, vel honeſto quodam Obſequio, pro Magiſtratu aut pro eo, quod in Publico fit.* Ubi, circa eam acceptionem, quâ Magiſtratum notat, obſervant Eruditi, *Officia* continuare primum Tiberium Cæſarem cœpiſſe, nonnullis ad finem vitæ relictis in adminiſtrationibus & Præfecturis, ex Tacit. *l.* 1. Deferebant autem Principes *officia,* miſſis traditione codicillis, quibus poſtea etiam inſignia adjecta, de quibus paſſim Juſtinianus in *Novellis* & affatim *in Notit.* utriuſque *Imperii,* illorumque temporum Hiſtoricis. Græci interdum Latinâ voce utuntur, & κωδικέλλους vocant, ut Arrianus *Diſſertat. Epicteti l.* 3. *c.* 9. interdum πινακίδας, ut Syneſius *Ep. ad Fratr.* nonnunquam δέλτους, ut Sozom. *l.* 7. *c.* 24. Caſſiodor. non ſemel *chartas,* Suetonius *in Veſpaſ. c.* 8. *literas,* uti γράμματα Herodianus *l.* 1. *c.* 6. Symmachus *ſacras literas Ep. l.* 2. &c. Ad cujuſmodi codicillos alludens Baſilius *Homil. de Hominis fabrica,* Σὺ μέν τοι, ait, παρὰ Θεοῦ ἔλαβες οὐκ ἐν ξύλοις γεγραμμένην, οὐδ' ἐν πλυκτοῖς φθαρταῖς σητῶν παρανηλώμασι (ἀρχῆς ἐξουσίαν) ἀλλ' ἀνάγραπτον ἡ φύσις ἔχει τὴν θείαν φωνήν· Ἀρχέτωσαν. Uti autem miſſis Codicillis *officia* deferebantur, ſic etiam revocabantur ac adimebantur. Unde *immutatos datorum officiorum codicillos* à Claudio, habes apud Sueton. *in eo c.* 29. & de Valentiniano Arbogaſten exautorante, Zoſim. *l.* 4. *quod epiſtolam* δέδωκεν, ait, αὐτῷ γράμματα τῆς ἀρχῆς παραλύοντα, vel *codicillos ab aliquo auferre* vocat *l.* 20. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* & in *Hiſt.* vet. Eccl. διαπέμπειν καθαιρετικὸν dicitur, Caſaubon. *ad Sueton. d. l.* Sed & *Codicilli* aliquando concedebantur, *titulos officiorum* ſolùm ac *reditus,* non *functiones* ac *labores* deferentes, de quibus alibi. De *officiis* verò mutuis (ad quam notionem à graviore ſignificatu vox tranſlata eſt poſt Ciceronem) ut aliquid addam, meminit eorum enumeratque aliqua Tertull. *de Idol. Circa officia privatarum & communium ſolennitatum, ut togæ puræ, ut ſponſalium, ut nominalium, nullum putem periculum.* Quibus adde, *deductionem Magiſtratuum, Candidatorum & funeris, ſalutationes, recitationes & alias,* quarum idem *ibid.* mentionem facit c. 10. Quorum *officiorum* pleraque noctu vel primâ luce ſolita celebrari, obſervant Eruditi, ex Plin. *l.* 3. *Ep.* 12. qui iſta propterea *antelucana* vocat, Tacito, *l.* 16. *Annal. c.* 18. qui Petronio *diem per ſomnum, noctem officiis & oblectamentis vitæ transactam,* ait; & Martiale, quem hanc cauſam habuiſſe Romæ deſerendæ ſuprà diximus. Vide Caſaubon. iterum *ad Sueton.* in *Octavio c.* 53. Porrò *Officium* aliquando idem quod *Officialis* Miniſter Judicis, Magiſtratus apparitor. *Gloſſario Græco-Latino,* Τάξις Ἄρχοντος, *officium, apparitio.* Quô ſenſu Τάξιν uſurpant *Acta Philemonis & Apollonii,* ubi de Ariano Judice *num.* 2. Ἀρειανὸς εἶπε τῇ τάξει, *Arianus dixit Officio,* i. e. *Militiæ Palatinæ.* Sic in *Vita Aviti* Viennenſis Epiſcopi *n.* 2. *Accidit, ut quidam ex* officio *Regis Sigiſmundi,* &c. Corippus *l.* 3.

Poſtquam diſpoſitis ornata palatia turmis,
Officia explerunt, &c.

Interdum idem quod *Obſequium,* h. e. comitatus domeſticorum ac famulorum, ut apud Bundemum in *Vita* S. Amandi *num.* 5. &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Calvinum *Lexic. Jurid.* In Eccleſia *Officium* idem, quod *Liturgia,* vide ibi. *Officium Eccleſiaſticum,* quod in Romana Eccleſia obtinet, ab Hieronymo, Damaſo Papâ rogante, primitùs ordinatum fuiſſe, ajunt. *Ordinavit ille,* inquit Durandus *Ration. l.* 5. *c.* 2. *num.* 2. *quantum de Pſalmis in Dominica, quantum in ſecunda feria, & quantum in tertia feria & ſic deinceps legeretur. Euangelia quoque & Epiſtolas &c. quæ de novo & veter. Teſtamento leguntur in Eccleſia, præter cantum, magna ex parte ordinavit, cujus operis exemplum idem Hieronymus Romam miſit & à Damaſo Pontifice canonizatum eſt, & præceptum à cunctis Eccleſiis obſervari. Poſtmodum Gregorius & Gelaſius orationes & cantus addiderunt & lectionibus ac Euangeliis Reſponſoria coaptaverunt. Gradualia verò, Tractus & Alleluja Ambroſius, Gregorius & Gelaſius ad Miſſam cantari inſtituerunt. Exhinc duplex Officium, Gregorianum & Ambroſianum: ſed Gregorianum tandem prælatum Ambroſiano, Carolô M. imperante, quòd Ambroſius multa inſtituiſſe diceretur juxta ritum Græcorum, illudque in ſola Mediolanenſi Eccleſia deinceps receptum eſt.* Hæc ferè Durandus, apud Car. du Freſne *loc. cit.* cui hîc, præter alios, qui de Officiis Eccleſiaſticis ex profeſſo in Communione Romana ſcripſerunt, adjungi inprimis vult Cardinal. Bonam *Rerum Liturgic. l.* 2. Idem Durandus, apud Eundem, *Officium B. Mariæ* inſtitutum refert ab Urbano II. ſtatutumque, ut quotidie diceretur, & in die Sabbathi ſolennitas fieret, *l.* 6. *c.* 2. *num.* 6. &c. quæ ſuo loco relinquimus. In plurali *Officia,* in *Vita* S. Domitiani loca ſunt, ubi conſiſtunt Officia ſeu Miniſtri Auguſtales in palatiis: *Quæſitus per omnia* Officia *Palatii & minimè repertus, putatus eſt mortuus eſſe grandine* &c. Vel inter Miniſtros Imperatorios. Apud Radulfum verò de Diceto A. C. 1071. *Officia* ſeu *Offices,* ſunt ædificia Monachorum uſibus & officiis addicta, quæ *Officinas* aliàs dici conſueviſſe ſuprà monuimus, ex eodem *Gloſſarii* Auctore. Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* Apud quos occurrit inſuper *Officium Ambroſianum,* quô Eccleſia Mediolanenſis utitur, in quibuſdam ab *Officio* communi recedens: *Officium Capellare,* quod in Capella Lateranenſis Palatii compendioſiùs, quàm in cœteris Urbis Templis, recitabatur, *Breviarium* hinc dictum; quod collectum volunt ab Innocentio III. Iidem, in voce *Breviarium. Officium Euſebianum,* quod ab Euſebio Vercellenſi Epiſcopo in ea Eccleſia inſtitutum; Sed poſtea Franciſci Bonhominis, ejuſdem Civitatis Epiſcopi operâ abrogatum eſt A. C. 1577. Officiô Romanô ejus in locum ſubſtitutô. In Aſtenſi tamen Pedemontana Eccleſia, quidam ritus peculiaris in Officio hodieque obſervatur. Et *Officium Mozarabicum,* vide ſuprà in hac voce.

OFFIDIUS Mons Veſtinorum, in agro Aquilano.

OFFO Angelus, in Germania prædicat. Pantal. *in Chron.*

OFFORA, ſeu OPHORA, civitas in tribu Benjamin, *Joſ. c.* 18. *v.* 23. OF-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OFFRINGERE, terminus Agriculturæ, de quo vide infrà voce *Renovator*.

OHICA, oppid. Japoniæ, in inſula parva cognomine inter Firandum ad Ortum & Gotum ad Auſtrum verſus oram Ximoæ inſul. *Brietius*.

OFONIUS Tigellinus, prænomine *Cajus*: Patre Agrigentinô, homine obſcurô natus, Scylaceum à Cajo relegatus, quòd forma & egens in Agrippina L. Domitii & Livia Vinicii conjugibus, Germanici filiabus ſuſpectus haberetur. A Nerone poſt mortem Burrhi P. Mariô, L. Anniô Conſulib. prætoriis cohortibus impoſitus & ex intimis libidinibus aſſumptus, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 51. Othone imperante, pertinaciſſime ad pœnam flagitatus & acceptô apud Sinueſſanas aquas ſupremæ neceſſitatis nuntiô, inter ſtupra concubinarum & oſcula & deformes moras, ſectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu ſerô & inhoneſtô, *Hiſt. l.* 1. *c.* 72.

OFPATINUS, nomen aulici miniſterii, apud Joh. Lucium *de Regno Dalmat. l.* 5. *c.* 2.

OG, Rex Baſan, Numer. *c.* 21. *v.* 33. Deuter. *c.* 3. *v.* 1. &c. Gigas immenſæ magnitudinis, à Joſue, occupatô regnô ejus, Argob ſeu Trachonitide, dictô, devictus & interfectus. Latinè *ſubcinericius panis*, aut *ſubſannatio*, vel Syriacè *detentus*, aut *impeditus*. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 26. & Dickinſonum *Delph. Phœnic. c.* 2.

OGÆ, plurali numerô olim portus pagi Conſtantini, ut & Barfleot, Anglorum ex Britannia in Normanniam appulſu celebris, nunc obſcurus & infrequens. Hodie *La Hogue Saint Vaſt*, i.e. Oga S. Vedaſti, vel Portus Oga, *Port de la Hogue*: poſituſque eſt locus ad amniculi Conſtantiam alluentis oſtium. Ordericus Vitalis *Hiſt. l.* 13. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OGDOAS Nundinalis, vide *Nundinalis*, it. *Octo*.

OGDOLAPIS, fluv. navigabilis ex Alpibus fluens, Strab. *l.* 6.

OGDOMI, Marmaricæ Nomi gens, *Ptol.*

OGDOUS, Ægypti Rex, *Nogaus* cognominatus, qui Memphim condidit à nomine filiæ. Hic prius *Venereus* cognominatus fuit, Diodor. Sic. *l.* 2.

OGENUS, antiquus quidam Deus, unde *Ogenidæ*, & *Ogenii* pro antiquis dicuntur, *Steph.* Vide *Oceanus*.

OGERIUS de Rofleto, Maurienſis Epiſcopus ex Allobrogibus: obiit Baſileæ A. C. 1441. durante Conciliô.

OGETHARIUS, in *Regiam Majeſtatem*, *l.* 4. *c.* 31. §. 3. Hybernicum nomen dignitatis, vulgò *Ochiern*, quô locô æquiparatur Thano.

OGINA, uxor Caroli III. Simplicis, filia Eduardi I. ex ſorore Edelſtani Angliæ Regis Mater Ludovici IV. Ultramarini, quem auditâ mariti captivitate, in Angliam miſit. Nupſit dein Herberto Veromanduo, Comiti Trecenſi, filio Herberti II. qui Carolum in vinculis detinuerat: Mater ex illo Stephani, qui improlis obiit, A. C. 1019. & Agnetis, quæ Carolo Lotharingiæ Duci Nupta, cum marito in carcere, obiit Aureliani.

OGIS, vox memorata Nicolao de Braja in *Ludovico VIII. Rege Franc. p.* 290.

Rex Regum Mundi, venerabilis ille Philippus,
Catholicæ fidei callidus defenſor & Ogis.

Apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

OGLA, Inſula Oceani Aquitanici, à littore Aquitanico 40. mill. paſſ. in Occidentem diſtans.

OGLAMUS, Marmaricæ mons, *Ptol.*

OGLASA, vide *Dianium*. Aliis *Mons Chriſti* eſt, Inſula parva, à Planaſia 30. mill. paſſ. in Euronotum, inter Corſicam & Ægilium 60. *Monte Chriſto* vulgò. Melius mons excelſus. Pendet ex agro Senenſi, ſub magno Hetruriæ Duce 15. mill. paſſ. ab Ilva inſula in Ortum, inter Planaſiam ad Occidentem, & Igilium ad Ortum *Baudrand.*

OGLONIUM, & UGLONIUM, quaſi OCULONIUM, pagus agri Mediolanenſis frequens, apud Adduam fluv.

OGMIUS, Hercules à Gallis ſic dictus. *Lucian. in Herc.* Τὸν Ἡρακλέα οἱ Κελτοὶ Ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ, *Ogmion*, i. e. עגמי *agemion.* Barbaros & peregrinos ita nominant, inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 42. Nempe, vel ex Phœnice Hercules, vel ex Africa, aut Gadibus, ad Gallos ſe contulerat. Atque id ipſum ejus pictura referebat. Quippe pingebatur auctore *ibid.* Lucianô. Γέρων ἐς τὸ ἔσχατον, ἀναφαλαντίας, πολιὸς ἀκριβῶς, ὅσαι λοιπαὶ τῶν τριχῶν, ῥυσὸς τὸ δέρμα, καὶ διακεκαυμένος ἐς τὸ μελάντατον, οἷοί εἰσιν οἱ θαλάττιοι γέροντες. Vide Cæl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 7. *Nic. Lloydius.*

OGOAS, nomen Dei apud Caras, qui Milaſan incolebant, in cujus Dei templo maris fluctus & procella apparebat & proinde terrorem incutiebat.

OGULNIUS Gallus, prænomine *Quintus*, decem Legatorum Princeps, ad Æſculapium Epidaurô arceſſendum, ab Romanis miſſorum.

OGYGES, Thebanorum, ſecundùm alios, Ogygiæ & Actes, quæ poſtea Bœotia & Attica dicta, Rex, qui Thebas Bœotias condidit circiter mille & quingentis annis ante Romam conditam. Idem & Eleuſinem exſtruxiſſe fertur. Sub hoc Rege fuit diluvium magnum, teſte Auguſtin. *in l.* 10. *de Civit. Dei c.* 8. non illud quidem maximum, quod Noæ temporibus contigiſſe ſacræ literæ teſtantur; ſed tamen majus eô, quod Deucalionis ſeculô bonam terræ partem inundavit; in quo magna pars ſubditorum ejus, an cum ipſo Rege periit. Vide infrà. A. M. 2292. poſt diluvium Noahi An. 636. ante Olympiades, 986. ante mortem Alexandri M. 1438, Cedren *in Compend. Hiſt.* Jul. African. *in Euſeb. l.* 10. *de Præparat. Euangel.* Ricciol. *Chron. Reform. l.* 3. *c.* 1. *num.* 4. *&c.* Morer. *Diction. Hiſt.* Dicebatur autem & *Ogygus*, & ex Athenienſium regibus primus omnium fuiſſe fertur, Euſeb. *Chron. l.* 1. Πρῶτος παρὰ Ἀθηναίοις (βασιλεὺς) μνημονεύεται Ὤγυγος. Etymologici Auctor, Ὤγυγος ἀρχαῖος βασιλεὺς Ἀθηναίων. Erat verò Nuptuni fil. & Aliſtræ. Iſacius Tzetzes, *ad Lycophronem*: Ὁ δὲ Ὤγυγος υἱὸς ἦν Ποσειδῶνος, καὶ Ἀλίστρας. *Stephanus* filium Termeræ dicit, Ὠγυγία λέγεται καὶ ἡ Βοιωτία, καὶ ἡ Θήβη, ἀπὸ Ὠγύγου υἱοῦ Τερμέρας. Scholiaſtes Apollonii ex Corinnâ filium Bœoti tradit, *l.* 2. Ὠγυγίας δὲ τὰς Θήβας ἀπὸ Ὠγύγου τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν. Κόριννα δὲ τὸν Ὤγυγον Βοιωτοῦ υἱὸν εἶπεν. Thebæ ab hoc Rege & conditore, uti ſuprà diximus, *Ogygiæ* cognominabantur, Pauſan. *in Bœotic.* Γῆν δὲ τὴν Θηβαΐδα οἰκῆσαι πρῶτον λέγουσι τοὺς Ἐκτῆνας, βασιλέα δὲ εἶναι τῶν Ἐκτήνων ἄνδρα αὐτόχθονα Ὤγυγον, καὶ ἀπὸ τούτου τοῖς πολλοῖς τῶν ποιητῶν ἐπίκλησις ἐς τὰς Θήβας ἐστὶν, Ὠγυγίαι. Imò Bœotia univerſa *Ogygia* dicta, teſte Strabone *l.* 9. Ἥ γε τῆς Βοιωτίας ὑπῆρξε, καλουμένης τότε Ὠγυγίας. Quin & Thebarum urbis porta quædam *Ogygia* appellabatur. Pauſan. *ubi ſuprà*, Thebarum portas recenſens: Τὰς δὲ ἐπὶ ταύταις πύλαις, ὀνομάζουσι Ὠγυγίας. *Præter eas portas, eſt quæ Ogygia nominatur.* Lutatius, *ad Statii Theb.* 7. *Una Thebarum porta ex ſeptem Ogygia nuncupatur.* Tum antiqua quoque cuncta etiam Ogygia dicta. *Heſychius*, Ὠγύγια, ἀρχαῖα. Item, Ὠγυγίου, παλαιοῦ, ἀρχαίου. Ità *Etymologus*, *Suidas*, *Euſtathius*: Ita Nicander *in Theriacis*, Ὠγύγιος δ᾽ ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται. Ubi *Scholiaſtes*, Ὠγύγιος ἀπὸ Ὠγύγου τινὸς, ὅς ἐστιν ἀρχαῖος, καὶ παλαιός. Philo Judæus de ſacrificiis Abelis & Caini, Παλαιαῖς, καὶ Ὠγυγίαις ἐντρέφεσθαι δόξαις, *Antiquis & vetuſtis opinionibus innutriri.* Atque uti ab antiquitate ejus vetera quæcunque *Ogygia* appellabant; ita quoque à potentiæ illo tempore magnitudine, magna omnia. *Suidas*, Ὠγύγιον, ἀρχαῖον, παλαιὸν, ἢ ὑπερμέγεθες. Atque ſic interpretatur apud Heſiodum, *in Theogon. v.* 805. Jo. Meurſius, cui hanc notam debeo;

Τοῖον ἄρ᾽ ὅρκον ἔθεντο Θεοὶ Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ
Ὠγύγιον. ——

Ac pro magno utitur quoque eâ voce Philo *l.* 16. *Quòd Deus ſit immutabilis*: Ἀστείους μὲν λόγους, ἐπαινετάς τε πράξεις ὠγύγιος εὐήθεια παρέρχεσθαι, i. e. *Sermones quidem civiles, ac laudabiles actiones præterire, ingens vecordia eſt.* Et Ὠγύγιον ἄνθρωπον *Heliodorus hominem ſtaturæ ingentis* appellavit. Porrò ab Ogyge etiam Attica dicta *Ogygia.* Stephanus, in Ὠγυγία, ὡς Χάραξ φησὶν ἐν τοῖς Χρονικοῖς. Etiam Ægyptus, Bœotia, & Lycia. Videatur idem Stephanus, in Αἴγυπτος, Βοιωτία, Ὠγυγία. Hujus tempore Minerva conſpecta fuit ad lacum Tritonidem. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 8. *Minerva verò longè his antiquior. Nam temporibus Ogygi ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuiſſe ætate.* Euſeb. *in Chron. Can.* Ὤγυγος ἐν Ἀκτῇ, τῇ νῦν Ἀττικῇ ἐβασίλευσεν, ὅτε παρθένος φανεῖσα παρὰ τῇ Τριτωνίδι λίμνῃ, Ἀθηνᾶ παρ᾽ Ἕλλησιν ὠνομάσθη. Hic condidit Eleuſinem, aliaſque urbes quaſdam. Africanus apud Euſeb. *Præparat. Euang. l.* 10. Ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Ὤγυγον, ὃς ἔκτισεν Ἐλευσῖνα. Pauſan. de conditore urbis verbum nullum faciens, nominatam eſſe dicit ab Eleuſine: quem Mercurii & Dairæ, cùm nonnulli filium dicerent, alii rurſum Ogygi commemorabant. Locus iſte eſt *in Atticis*, ubi in Eleuſinis agit: Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ᾽ οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι, καὶ Δαείρας, Ὠκεανοῦ θυγατρός. Τοῖς δή ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον πατέρα. Hujus temporibus Moſen extitiſſe tradunt. Juſtinus Martyr *Orat. ad Gentiles*: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Ὠγύγου τε καὶ Ἰνάχου, οὓς καὶ γηγενεῖς τινὲς τῶν παρ᾽ ὑμῖν εἰλήφασι γεγενῆσθαι, Μωϋσέως μέμνηται, ὡς ἡγεμόνος τε καὶ ἄρχοντος τοῦ τῶν Ἰουδαίων γένους. Idem tradit Africanus, apud Euſeb. *Chron. l.* 1. *& de Præp. Euangel. l.* 10. aliique auctores. Verùm tamen alii poſteriorem eum volunt. Sub hoc, uti ſupra innuimus, accidit diluvium apud auctores πολυθρύλλητον. Tatianus *contra Gentes*: Μνημονεύεται παρ᾽ Ἀθηναίοις Ὤγυγος, ἐφ᾽ οὗ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος. Meminit item ejus Nonnus *Dionyſ. l.* 3.

Πρώτου γὰρ κελάδοντος ἐπειρήθη νιφετοῖο
Ὤγυγος, ἠλιβάτοιο δι᾽ ὕδατος αἰθέρα τέμνων,
Χθὼν ὅτε κεύθετο πᾶσα καταῤῥύτος.

Ex hoc diluvio ſoſpitem eum evaſiſſe, diſcimus ex Africano apud Euſeb. *de Præp. Euang. l.* 10. Φαμὲν τοίνυν ἐκ τοῦ δὲ τοῦ συγγράμματος, Ὤγυγον, ὃς τοῦ πρώτου κατακλυσμοῦ γέγονεν ἐπώνυμος, πολλῶν διαφθαρέντων διασωθεὶς, κατὰ τὴν ἀπ᾽ Αἰγύπτου τοῦ λαοῦ μετὰ Μωϋσέως ἔξοδον γεγενῆσθαι. Quanquam periiſſe ipſum hôc diluviô, à *Cedreno* memoretur, his verbis: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Μωϋσέως γέγονέ τις ἀνὴρ μέγας, ἐκ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ, ὃς, αὐτόχθων ὢν, ἐβασίλευσε τῆς Ἀττικῆς ἔτη τριάκοντα δύο. Ὄνομα τῷ ἀνδρὶ Ὤγυγος ἐπ᾽ αὐτοῦ γέγονε κατακλυσμὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ μόνῃ, αὐτός τε ἀπώλετο, καὶ ἡ χώρα πᾶσα. Uxor Ogygi Thebe fuit, Jovis filia, ex Jodama Tithoni. Lycus in opere *de Thebis*, apud Iſacium Tzetzem *Comm. in Lycophronem*: Ζεὺς μιγεὶς Ἰοδάμᾳ τῇ Τιθωνοῦ, τοῦ Ἀμφιτρύωνος, γεννᾷ Θήβην, ἣν δίδωσιν Ὠγύγῳ, ἀφ᾽ οὗ Ὠγυγίη ἡ Θήβη. Filios ejus duos invenio; unum Cadmum, alterumque Eleuſinem, Cadmus memoratur *Suidæ*, Ὠγύγια κακὰ, ἐπὶ τῶν σκληρῶν, ἐπεὶ συνέβη Κάδμον, τὸν Ὠγύγου, διὰ τὰς θυγατέρας, κακοῖς περιπεσεῖν. De Eleuſine Pauſanias *ubi ſuprà*: Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ᾽ οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι τῆς Δαείρης, Ὠκεανοῦ θυγατρὸς λέγουσι, τοῖς δέ ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον εἶναι πατέρα. Filias plures habuiſſe, & in his Alalcomeniam, animadverto apud Pauſan. *in Bœoticis*: Οἱ δὲ, εἶναι καὶ τὴν Ἀλαλκομενίαν τῶν Ὠγύγου θυγατέρων, φασίν. Etiam Aulidem ille indicat, à qua Aulis, urbs Bœotiæ, nuncupata, *in Bœoticis iiſdem*. Καὶ ὀλίγον ἀπ᾽ αὐτοῦ προελθόντι ἐστὶν Αὐλίς. Ὀνομασθῆναι δὲ ἀπὸ τῆς Ὠγύγου θυγατρός φασιν αὐτήν. Quin tres erant; hæ quas dixi, Aulis, & Alalcomenia, tertiaque Thelxinia, atque omnes Πραξιδίκαι nuncupatæ. Vide *Praxidice. Nic. Lloydius.* Adde Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* VI. ubi *Ogygem* Phoroneo æqualem & Ectenarum, de quibus ſuprà, Regem fuiſſe docet.

OGYGIA, quæ & *Calypſus Homero*, inſula parva maris Auſonii Magnæ Græciæ ante promontorium Lacinium adjacens, à litore 10. aut 12. mill. paſſ. recedens; ubi Ulyſſes à Calypſo nymphâ hoſpitiô acceptus eſt, Homer. *Od.* η. *v.* 244.

Ὠγυγίη τις νῆσος ἀπόπροθεν εἰν ἁλὶ κεῖται,
Ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ δολόεσσα Καλυψὼ
Ναίει ἐϋπλόκαμος δεινὴ Θεός. ——

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ubi *Schol.* Ὠγυγίη, ἡ Καλυψοῦς νῆσος. *Heſychius*, Ὠγυγίη, ὄνομα τῆς νήσου Καλυψοῦς. Item urbs maxima Myſiæ inferioris in confinio Thraciæ ad Hæmum montem, quæ & *Priſthlaba*, & *Preſtlaba*, & *Paraſtlaba*, *Cedreno* dicitur. *Nic. Lloydius.*

OGYGIANUM, Tuſciæ colonia, *Fragm. Catonis.*

OGYLUS, inſula inter Peloponneſum, & Cretam, *Steph.*

OGYRIS, inſula maris Indici ex adverſo oræ Arabiæ Fel. ad Ortum, Erythræi regis monumentô nobilitata. Ejus meminit Dionyſius ὁ Περιηγητής, *v.* 607.

> Ἔστι δὲ τοι προτέρω Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης
> Ὤγυρις, ἔνθα τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Mela *l.* 3. *c.* 8. *Ogyris, quod in ea Erythræ regis monumentum eſt, magis clara quàm cæteræ.* Sic quoque alii inſulam hanc nominant. *Strabo Ogyrinam* videtur appellare: Ἀπὸ δὲ τῆς Καρμανίας εἰρήκασι καὶ Νέαρχος, καὶ Ὀρθαγόρας, νῆσον Τυῤῥίνην κεῖσθαι πρὸς νότον πελαγίαν ἐν δισχιλίοις σταδίοις, ἐν ᾗ τάφος Ἐρύθρα δείκνυται, χῶμα μέγα ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον. Salmaſius nullum in toto Strabone locum iſtô corruptiorem extare putat, quique feliciùs emendari potuerit, quàm hôc modô; Ἀπὸ δὲ Καρμανίας ἄκρας φησὶ Νέαρχος Ὠγυρίδα νῆσον ἐρήμην κεῖσθαι. Addit etiam, nullum fuiſſe auctorem, qui Orthagoras dictus ſit. Verùm fallitur. Indicorum Orthagoræ meminit ſemel, iterumque Ælianus. Meminit etiam Philoſtratus, *de vita Apollonii l.* 3. *c.* 15. Facilè verò ſanari poteſt hic Strabonis locus. Scribe νῆσον Ὠγυρίνην, vel mutatione minimâ Γυρίνην. Sanè omnia Melæ exemplaria habent *Gyris*, non *Ogyris*. In *Ptolemæo* appellatur Ὄργανα, nonnulli tamen libri manu exarati legunt illic Ὤγυρις. Attamen Ὀργάνα etiam dicitur Arriano, *in Indicis*. Nimis autem longè à littore Carmaniæ removent hanc inſulam Nearchus & Orthagoras, cum bis mille ſtadiorum intervallum faciunt. Satis tamen benè cum hac menſura convenit Plin. *l.* 3. *c.* 28. *Inſula in alto objacet Ogenis, clara Erythrâ rege ibi ſepulto. Diſtat à continente* 225. *mill. paſſ.* Non dubito, quin ita ſcripſerit Plinius, cùm ſic habeant codices ſcripti, ac Ὠγενὶς idem ſit, quod Ὠκεανῖτις. Eandem menſuram exhibet quoque Ptolemæus, ut facilè appareat, pleroſque unum eſſe ſecutos; Certum tamen eſt erràſſe. Quôcunque enim nomine inſula hæc appelletur, ſive *Ogyris*, ſive *Gyris*, & *Gyrene*, ſive etiam aliter, omninò hæc illa eſt, quæ vulgò *Gerun* vocatur. Non amplius 36. mill. paſſ. abeſt hæc à continente, ac ſita in ipſo ſinus Perſici oſtio. Olim clara Erythræ regis ſepulchrô, ſed nunc nobiliſſimô totius Orientis emporiô longè clarior. Hebes eſt, aut ſaltem indoctus, qui non intelligit de Harmuzia me loqui Iſ. Voſ. *in Melam. p.* 286. *Idem Lloyd.*

O. H. S. S. in notis antiquis, *Oſſa hîc ſita ſunt*, denotat Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

OHAM, Rex Hebron, Joſ. *c.* 10. *v.* 3. Latinè, *væ eis*, ſive *tumultuans*, vel *conturbans*.

OHEL, fil. Zorobabel, filii Phadajah, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 20. Latinè, *tabernaculum, tentorium*, vel *ſplendor*.

OHOLAI fil. Seſan. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 31. Latinè, *deprecans*, vel *exſpectans*, aut *incipiens*, vel *dolens*, ſive *frater mihi*.

OJA, inſula Aquitaniæ, 40. mill. paſſ. à littore, ubi monaſterium, ante annos mille. Aliis *Ogia*, recentioribus quibuſdam *Oye*, ob ſimilitudinem nominis. Sed *Oye*, inſula eſt in finibus Pictonum, contra Rupellam, poſita, inſulæ Radi adeo vicina, ut, recedente Oceanô, ex altera in alteram ſiccô pede tranſeatur, 4. milliar. à littore. Vulgò *l'Iſle de l'Oye*, cum vico cognomine, ab anſere vel aucâ dicta. *Ojam* verò credit Valeſ. *in Notit. Gall.* eſſe inſulam, monaſteriô illuſtrem, nunc *l'Iſle Dieu*, vel *Iſle d'Ieu*, cum caſtello inſigni; à maritimo Pictonum pago Herbatilico, 40. milliar. plus minùs diſtantem, inter inſulam Herium, ſeu Nigri Monaſterii, & Divam, Separis oſtio proximam. Alia eſt inſula *Aja*, cum cella ad Cluniacum montem pertinens, *Agia* Innocentio III. vulgò *l'Iſle d'Ais*, quibuſdam *l'Iſle d'Aix*, in Oceano Santonico.

OIBOTES, memoratur Pauſaniæ *l.* 7. ubi ſuâ ætate Achæis Athletis, priusquam in Olympicum certamen deſcenderent, ſolenne fuiſſe, ut illi parentarent, ejuſque ſtatuæ victor coronam imponeret, narrat. Vide Carol. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 10.

OICLES, fil. Antiphatis, filii Melampodis, pater Amphiarai, vatis Argivi, Homer. *Od.* 15. *v.* 243.

OILEUS, Locrorum Rex, pater Ajacis, quem Ὀϊλῆος ταχὺν υἱὸν, vocat *Homer.* Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 45.

> *Unius ob noxam. & furias Ajacis Oilei.*

O-ISTI, formula compellandi, quâ ſæpius paganos ſive Ethnicos, in quos acri ſuô ab Africa acetô invehitur, inclamat Arnobius, i. e. *Fatui & ſceleſti homines.* Vide Barthium *Adverſar. l.* 9. *c.* 10. & *l.* 53. *c.* 10. *l.* 55. *c.* 13. Ita Græcis, ὦ οὗτος, ὦ αὕτη. Clemens Alexandr. apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.* 3. *c.* 24. Μέμνησο, ὦ αὕτη, τοῦ Κυρίου: Ubi inclamatio tamen nuda eſt, intra convitium, cùm dicantur eſſe verba Petri Apoſtoli ad uxorem, ſupplicio deſtinatam. Fabula vetuſtiſſima Æſopi, Κύων εἰσπηδήσας εἰς μαγειρεῖον, καὶ τοῦ μαγείρου ἀσχολουμένου καρδίαν ἁρπάσας ἔφευγεν. ὁ δὲ μάγειρος ἐπιστραφεὶς, ὡς εἶδεν αὐτὸν φεύγοντα, ἔφη ὦ οὗτος, ἴσθι, ὅπου περ ἂν ᾖς, φυλάξομαί σε. οὐ γὰρ ἀπ' ἐμοῦ καρδίαν εἴληφας, ἀλλ' ἐμοὶ καρδίαν δέδωκας &c. Vide ſuprà in voce *Iſte*.

OJUM, caſtellum Bœotiæ, apud Opuntem erat, *Strab.*

OKFORTIUS Johannes, vide *Johannes.*

OKKAH, vir ingens, in Imperio Tartarorum Zavolhenſi, interfectus ab Imperatore, regno Nagajenſi ſeu Najagenſi originem dedit, circa A. C. 1440. Ardentes enim paternæ necis ultione triginta, quos reliquerat, filii, ſeceſſione factâ juxta caſtrum *Sarai* defecerunt, & brevi tempore adeò creverunt, ut hodie pro numeroſiſſima & maxima Tartarorum Horda habeantur. Dividuntur autem in tres Principatus, Caſſunenſem, Schichmamajenſem & Schidajenſem. Tandem ſubmiſerunt ſe quidem Johanni Baſilidi Duci Ruſſorum, verùm abſque tributo: Uti verô *Nagajenſe* regnum, ſic & Caſanenſe & Aſtracanenſe, ſimili ratione ex Zavolhenſi Imperio originem traxerunt; quod tot defectionibus ita hodie diminutum eſt, ut ne nomen quidem ampliùs ſuperſit. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 295.

O. L. in Notis antiquis, *Operas locavit*, Fr. Gouldmannus ubi ſuprà. O. L. O. CON. *opere locatô, opere conductô* &c.

OLABI, Æthiopiæ ſub Ægypto populi, Plin. *l.* 6. *c.* 30.

OLACHAS, fluv. Bithyniæ, cujus aquis perjuri arguuntur, nam illâ aſperſi, uti flammâ urente patiuntur, teſte Pliniô, *l.* 31. *c.* 2.

OLANE, unum ex Padi oſtiis, *Olone Polybio*, *Volana* hodie *Leandro.* Item Armeniæ majoris urbs, *Strabo.*

OLAPIA, urbs Arabiæ Felicis *Ptol.*

OLARSO, oppid. olim, nunc pagus Hiſpaniæ Tarraconenſis *Oiarzo* hodie. Idem quod *Oeaſo* à nonnullis putatur, ſed illud *Aiſo* dicitur.

OLAVA Udina & Saturiova, Floridæ in America Regis Magni nomen. Cùm namque per ſingulos prope pagos, maximè in Nova Francia, Virginia, Florida aliisque Novi Orbis regionibus Reguli ſint plurimi: illos, qui Continentem habitant, appellant *Sagamos*, qui Inſulas, *Caſiquas.* In Virginia ſuperioribus annis celebres fuerunt Rex *Wingina*, *Opiſco*, *Diamaco*, *Poneno*, *Specanginouch.* In Quivira repertus fuit ab Hiſpanis Rex *Tatarax*, i. e. *Albus Tartarus.* Sic itaque Floridæ Rex *Olavæ* nomine inſigniri conſuevit. *p.* 335.

OLAUS I. ſeu OLACUS, Norvegiæ Rex, fidem Chriſtianam magnô zelo, in ditionibus ſuis propagavit. Magis totô regnô pulſis: A Canuto Daniæ Angliæque Rege primò deturbatus thronô, dein ejus inſtigatu, à quibuſdam ſuorum, occiſus A. C. 1028. Adam de Bremen, *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 4. *& ſeqq. Olaus Magnus*, &c.

OLAUS II. Magnus, ſucceſſit in Norvegiæ regno Achoni, qui, cùm Scotiam invaſiſſet, ab Alexandro Rege ad internecionem cæſus, mœrore animi obierat, A. C. 1263. 1264. Buchan. *Hiſtor. Scot. l.* 7.

OLAUS III. nepos Valdemari IV. Daniæ Regis ex filiâ Margareta, ſucceſſit Avo, in Daniæ regno. Mortuô dein Haquinô patre Norvegiam Daniæ adjunxit: Scaniâque Hanſeaticis civitatibus ereptâ, obiit immaturâ morte. Ei mater Ericum neptis ſuæ è ſorore filium, Regem Norvegiæ, ſurrogavit, A. C. 1384. Vide Crantz. *l.* 7. *Dan. & Suec. l.* 6. *c.* 39.

OLAUS Magnus. Vide *Magnus*, item *Johannes.*

OLAUS Petrus, inter cæteros pietatis labores, Biblia ſacra primus in Suecicum ſermonem tranſtulit, quæ Guſtavus Rex typis ſtanneis Holmiæ exprimi, ac in omnia templa regni diſtribui curavit. Circa A. C. 1527. Chytræus *in Saxon. part.* 2.

OLBA, Græcè Ὄλβα vel Ὄλβη, Ciliciæ urbs, quam cum Pamphyliæ urbe *Olbia* malè nonnulli confundunt. *Strabo*, ὑπερθε τούτων τε καὶ τῶν Σόλων ὀρεινή ἐστιν ἐν ᾗ Ὄλβη πόλις, Διὸς ἱερὸν ἔχουσα, Αἴαντος ἵδρυμα τοῦ Τεύκρου καὶ ὁ ἱερεὺς δυνάστης ἐγένετο τῆς Τραχειώτιδος: *Supra autem hæc & Solos montana regio eſt, in qua Olba urbs, Jovis Templum habens, opus Ajacis Teucri: Cujus Sacerdos dominus fuit Trachiotidis.* Ptol. *Olbaſam* vocat, non benè, Salmaſ. *ad Solin.* Sed & *Olba* vox recentioris ævi. Verſus *MSS.* citati in *Gloſſa ad Diſticha Mag.* Cornuti.

> *Urceus, Urceolus, eſt olla vel amphora, teſta.*
> *Olla, vel idria, ſit vas, vini dico lagenam,*
> *Oba vel Onophorus, ſed & orca fidelia, vas eſt,*
> Olbaque *junguntur Monachis appropriatum.*

OLBASA quæ OLBUS, *Straboni*, urbs Ciliciæ, *Albiſtavenni Moletio* & aliis. Altera in Cappadocia apud Durandum urbs, ad radices Tauri montis.

OLBELUS, urbs Macedoniæ, *Steph.* Gentile *Olbelius.*

OLBERTUS, ſeu ORBERTUS, vel *Albertus*, Abbas S. Jacobi, pius & eruditus. Scripſit hiſtoriam Veter. & Novi Teſtam. ut & aliquot vitas Sanctorum. Obiit A. C. 1148. Sigebert. *de Scriptorib. Eccleſ. c.* 143. *& in Chron. Gembl.* Alterius Olberti Abbatis meminit Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 44. *p.* 369. Andr. *Biblioth. Belgic.*

OLBERTUS Abbas, Burchardum diſcipulum ſuum, in Compilatione Librorum Decretorum, juvit. Sigebertus *in Chron. ad* A. C. 1008. Vide quoque cum in *Vita ejuſdem Olberti de Scriptorib. Eccleſ. c.* 142.

OLBERTUS Folieta, Genuenſis. Vide *Hubertus*, & Raphaëlem Sopranium *Script. Ligur.* Abbatem Mich. Juſtinianum, *de iiſdem.* Laur. Craſſum. *elog. literat.*

OLBI, urbs Ægypti, juxta Libyam, *Steph.* Gentile *Olbites.*

OLBIA, urbs Sarmatiæ Europææ ad oſtium Boryſthenis fluv. teſte Strabone. *l.* 7. à Mileſiis condita, & *Boryſthenes* quoque à Boryſthene fluvio cognominata. Herodotus tamen Ὀλβιοπολίτας à Boryſthenitis Græcis diverſos facere videtur, *l.* 4. *c.* 18. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Græcorum Coloniis. Stapenor*, vel *Strapenor*, teſte *Nigrô*, longitud. 57. 00. latitud. 49. 00.

OLBIA, oppid. Bithyniæ ad Propontidem, Nicææ, & Apamiæ proximum, *Velia Sophiano*, ubi *ſinus Olbianus*, Melâ teſte *l.* 1. *c.* 19.

OLBIA, urbs Pamphyliæ maritimæ in Lyciæ confinio inter Phaſelidem ad Occaſum & Attaliam ad Ortum *Acopende*, *Moletio.*

OLBIA, Galliæ Narbonenſ. urbs *Camatulicorum*, in ora Provinciæ, inter forum Julii 5. & Telonem 8. leuc. cujus meminêre Cicero *l.* 2. *ad Quint. Fratr. Ep.* 8. & Mela. *l.* 2. *c.* 1. *Areæ* quibuſdam. *Eres*, *Poldo*, vel, ut alii ſcribunt *Hyeres*, longitud. 27. 40. latitud. 42. 00. Nunc oppidul. in ora littorali maris Mediterranei vix 3. leuc. à Telone in Ortu, 11. à Foro Julii in Occidentem, circa hinc inſulæ Stœchades vicinæ, quarum 5. *les Isles d'Hyeres*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ea quas optimum corallium, *Baudrand.* Huc appulit Ludovicus Rex, ex Syria reverſus. *Strabo* tradit, Maſſilienſes Rhodam quidem & Agatham barbaris Rhodani accolis; Taurentum autem & *Olbiam*, & Antipolim, ac Nicæam Salyis ac Liguribus Alpinis oppoſuiſſe: & oram à Maſſilia ad Varum usque promiſſam, loca Maſſilienſium habere, Taurentum, *Olbiam*, Antipolim, & Navale Cæſaris Auguſti, Forum Julii, inter *Olbiam* ac Antipolim ſitum. Hinc & *Marciano Heracleotæ Maſſilienſium colonia* dicitur, inter Cithariſten promuntor. & Argentei fluminis oſtium. *Stephano Urbs Liguſtica* dicitur, quia in agro Ligurum Gallorum à Maſſilienſibus condita. Proximus ei *mons Olbianus.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OLBIA, urbs Sardiniæ. Hodie nomen in ruinis retinet, inquit *Cluverius.* Ab Jalo condebatur, teſte Solinô, *c.* 4. in ora Orientali, ex adverſo Corſicæ ſita. *Ulgienſis urbs Oroſio*, Claudian. *de bello Gildon. v.* 519.

Partem litoreo complectitur Olbia muro.

Vide *Steph.* qui nomen *Olbias* recenſet. *Baudrando* etiam *Ulbia*, urbs fuit ampla Sardiniæ, in parte Boreali & in ora Orientali Inſulæ. Ejus ruinæ nunc dicuntur *Olbia rouinata*, ejuſque portus *Golfo di Siniſcola*, 85. mill. paſſ. à Calari in Ortum, & 52. à Tibula in Ortum.

OLBIOPOLITÆ, apud Jul. Capitolin. *in Antonino Pio, c.* 9. *Olbiopolitis contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit; & Tauroſcythas usque ad dandos* Olbiopolitis *obſides vicit:* Græci ſunt aut è Græcis mixti: Sicut Tauroſcythæ barbari, vel Scythæ, vel Gothi ſive Getæ: a quibus etiam Boryſthenem civitatem fuiſſe habitatam, auctor eſt *Dio Chryſoſtomus*, qui omnia illa loca luſtraverat. *Ptolemæo* certè, *Olbia* & Boryſthenes, ſunt duo ejusdem civitatis nomina, aliter quàm tradit Plin. *l.* 5. *c.* 32. Vide Dionis *Sermonem τὸ Βορυσθενιτικὸν*, Iſaac. Caſaubon. *Not. ad Capitolin.* & in voce *Olbia.*

OLBISINII, vel OLBISII, gens circa Herculis Columnas, *Steph.*

OLBIUS, Arcadiæ amnis, quem Pauſan. *l.* 8. dicit Arcadibus nonnullis *Arcanium* appellari.

OLBIUS & *Pullus*, duo montis Eſquilini vertices. Supra *Olbium* clivum habitavit Servius Tullius auctore Solinô, *c.* 2. Quidam pro *Olbius*, legunt *Urbicus.*

OLBUS, è ducibus auxiliaribus Æëtæ, ab Colaxe in prælio cæſus, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 638. Vulgati codices *Nolbum habent.*

OLCACHITES, ſinus Zeugitanæ regionis, *Ptolem.* ubi hodie *Alcon* civitas.

OLCADES, Hiſpaniæ populi intra Iberum fluv. quorum urbem *Steph. Althæam* vocat. In regno Toleti eſſe prope urbem *Oleanna* dictam, putat *Nebriſſenſis.*

OLCHINIUM, ſeu OLCINIUM, Livio, *l.* 45. *c.* 26. *Colchinium* olim teſte Plin. *l.* 3. *c.* 22. *Ulcinium Ptolemæo*, urbs Dalmatiæ maritimæ ad ripam Drilonis. *Dulcigno, Volaterrano. Polæ* olim, teſte Canterô *in Lycophronem. Baudrando* urbs Illyrici, nunc Albaniæ, cum portu capaci & arce, in ora maris Adriatici ſub Turcis, 24. mill. paſſ. circiter a Scodra in Cæciam, 45. à Liſſa in Occaſum, & 70. ab Epidauro in Eurum prope Sinum Illyricum, *Golfo de Drin.* Hinc *Olciniatæ* Livio, *loc. cit.*

OLCIMUS, Dioſcorid. mons & fluv. Macedoniæ, ubi ruta multa naſcitur.

OLCINIUM, Liv. *loc. cit.* Vide *Olchinium.* Populi *Olciniatæ.*

OLCION urbs Tyrrhenorum, *Stephan.*

OLDA, ſeu OLDUS, vulgò *le Lot*, fluv. Galliæ, in Aquitania. Oritur in Gabalis: deinde vix uno milliari à Mimate fluens, paulo poſt auctus aliis fluviis per Ruthenos fluit, ut & per Cadurcos & Agennenſes, ubi in Garumnam labitur, juxta Aguillonium oppidum, & 4. leucis infra Aginnum, *Auſon. Scal.* Hadr. Valeſio *in Notit. Gall.* vulgò *Oudon* eſt, qui per Cenomanos & Andegavos currens, in Meduanam defluit. Fluv. autem *le Lot*, eſt *Olitis.* Vide ibi.

OLDCASTELLUS, Wiclefi diſcipulus, A. C. 1413. in vincula conjectus, A. C. 1417.

OLDEMBURGENSIS Comitatus, vulgò *le Comté d'Oldembourg*, provincia eſt Germaniæ, in Weſtphalia, inter Friſiam orientalem ad occaſum, Ducatum Bremenſem ad ortum, Diœceſim Monaſterienſem ad auſtrum, & mare Germanicum ad Boream. Antèa Comites habuit proprios; ſed à paucis annis deficiente ſtirpe, ſubeſt dominio Regis Daniæ. Ei etiam conjungitur Comitatus Delmenhorſtenſis: & ejus præcipua urbs eſt Oldemburgum. Familiæ originem ex Witikindi Saxonis poſteris traditio deducit. Nepotem enim ei ex Wigperto filio Walpertum Ducem Angriæ & Comitem Ringelhemii aſſignant: Hujus fil. Theodoricus, Ringelhemii iterum Comes, ex filiis Immodo Sabaudorum: Witikindo Ferrarienſium (an Montferratenſium?) Theodorico, patre Mathildis, quæ Henrico Aucupi nupſit, Marchionum Brandeburgicorum veter. Reginberto, *Oldenburgicorum* ſator fuiſſe perhibetur. Hôc natus Otto I. cui à ſpectro mirabile cornu, quod adhuc aſſervatur, oblatum narrant. Ejus filii Johannes Comes *Oldenburgenſis*, & Conradus à Matre Comes Alveslebenſis: Nepos ex Johanne, Huno glorioſus erat, qui cùm ad pugnam cum Leone damnatus eſſet, fil. Fridericus pro Patre certamen, hoſte stratô, ſubiit. Huic Friderico hæres amitinus Elimarus I. Rixæ Hunonis ſororis & Hajonis dynaſtæ Friſii, qui ipſe etiam ex Regenberti *Oldenburgici* poſteris fuiſſe dicitur, filius fuit; cui tamen controverſiam de hæreditate movit Milo Comes Alvenslebius, Theodorici fil. Conradi ſuperioris nepos. Ab hoc Elimaro I. continua ſeries, ut tamen à filiis Elimaro II. & Johanne, duæ orirentur lineæ, *Oldenburgica* & Wildeshuſana, quarum hæc in Conrado, A. C. 1358. à Bujadis cæſo, deſiit: Illa ad hæc usque tempora durat. Chriſtiani enim cognomine *Bellicoſi* filiô Mauritiô nati Otto II. cognomentô *Berne*, condidit Delmehorſtum arcem A. C. 1247. Chriſtianus verò Ottonem III. genuit, Delmehorſti urbis conditorem, & Johannem I. cujus fil. Johannes II. *Oldenburgicam* lineam continuavit, Chriſtianus verò Delmehorſtanam orſus eſt, extinctam A. C. 1435. Johanne genitus Chriſtianus Theodoricum cognomine *Fortunatum* ſuſcepit, qui linearum reliquarum bona collegit: ex pacto etiam A. C. 1360. Comitatum Delmenhorſtanum ſibi adverſùs Bremenſes adſeruit; & ob uxorem Hedwigen filiam Gerhardi Holſati, Ducis Sleſvici familiæ Schauenburgicæ, jus ſucceſſionis in Sleſvicenſem Principatum, & Holſatiam liberis reliquit. Fuerunt filii ejus Chriſtianus, Mauritius & Gerhardus, quorum primus Daniæ Rex, hujus nominis I. factus A. C. 1448. hodiernam familiam *Oldenburgo-Danicam* condidit; poſtremus, *Oldenburgicos* continuavit, quorum ultimus Antonius Guntherus, haud pridem obiit, relictô ex impari conjugio filiô Antoniô Comite Imperii, Dominô in *Oldenburg* &c. ſed hærede, Chriſtianô V. Daniæ Rege agnatô. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Oldenburgo-Danica:* ut & in voce *Delmenhorſtum*, quemque inſuper Illuſtrium in hac familia Virorum, ſuô locô. Ut & alia quædam addam; Otto III. præfatus cum Conrado I. Comite *Oldenburgenſi* fœdus iniit; de Comitatibus *Oldenburgenſi* & Delmenhorſtano non abalienandis, ſed in familia conſervandis, teſte Hamelmannô *Chron. Oldenburg. Part.* 2. *c.* 11. Sed Otto V. Comitatum Delmenhorſtanum Eccleſiæ Bremenſi feudarium fecit, certiſque conditionibus adjecit; uti diſcimus ex eod. *Ibid. c.* 16. Donec tandem Feudum hoc pace Dano-Suecicâ abolitum eſt. Idem Hamelmannus, Nicolaum Comitem Delmenhorſtanum, electum Archiepiſcopum Bremenſem, Comitatum ſuum, ex pacto, Eccleſiæ Bremenſi adjunxiſſe, A. C. 1421. qui tamen mox Diderico Comiti Oldenburgico reſtitutus ſit, refert, *Part. ead. c.* 18. Qui etiam Henricum Epiſcopum Monaſterienſem & Adminiſtratorem Bremenſem, Delmenhorſtum ſibi ſubjeciſſe, A. C. 1482. quem dein Comitatum recuperaverit Antonius, A. C. 1547. docet, *Part.* 3. *c.* 7. Acceſſerunt autem Comitatui *Oldenburgico* Statlandia, Butjada, Jevera; Oſtria, Ruſtria, ac Wangria: & Statlandiam quidem ac Butjadam, parte ejus emtâ ab Henrico I. Brunſuicenſi A. C. 1523. Johannes IV. Comitatui adjecit; Jevera verò, cœteræque ditiones, acceſſerant teſtamentô Mariæ Principis Jeveræ, quæ Johannem VI. hæredem ſcripſit, fruſtra ſeſe opponente Edſardô Friſiæ Orientalis Comite. Cùm porro antiqua inter *Oldenburgicos*, & Bremenſes de telonio Viſurgis contentio fuiſſet, tandem Cæſar Ferdinandus III. cum conſenſu Electorum, pro Antonio Gunthero Comite contra Bremenſes, pronuntiavit, eique jus telonii in celebri hoc fluvio adjudicavit. Leopoldus I. inſuper hodiernus Imperator, eidem Comiti, telonii hujus in quemcunque donatione vel teſtamentô transferendi jus conceſſit, A. C. 1662. Quæ Comitatus *Oldenburgici* incrementa fuêre. Nec omittendum, famoſum *Oldenburgenſium* cornu quod attinet, videri illud eſſe ex ære Corinthio, cùm potus per noctem infuſus inde nauſeam contrahat. Quomodo autem ſub Ottone primo pervenerit ad familiam Comitum Oldenburgenſium, vide ſive hiſtoriam, ſive fabulam, apud ſæpiùs laudatum Hamelmannum *Chron. cit. Part.* 1. *c.* 10. G. Horn. *Orbis Polit. Part.* 2. *p.* 92. & 93. Vide quoque Pfannerum *de præcipuis Germ. Princ. gent.*

OLDEMBURGUM, vulgò OLDEMBURG, urbs Germaniæ, ad Hontam fluvium, in Weſtphalia; ſub dominio Regis Daniæ à paucis annis, ex quo defecit ſtirps Comitum, quibus ſuberat, 25. mill. paſſ. diſtat à Brema in occaſum, & 40. ab Emda in ortum. Horribili incendiô tantùm non penitùs deleta eſt, ipſô die, quô juramentô Daniæ Regi adſtringendi cives erant, ſub fin. A. C. 1676. ut docuêre *Relationes publicæ.*

OLDENDORPIUS Johannes, vide *Johannes.*

OLDERICUS, vel *Ordericus Vitalis*, Monachus Lexovienſis, Anglus. Auctor hiſtoriæ Eccleſiaſt. cujus fragmenta in Biblioth. Cluniacen. ſeculô 12.

OLDERMANNI, apud Ubbonem Emmium in *Groninga*, *p.* 165. olim dicti ſunt in hac Urbe illi, qui negotiantium diſciplinæ & juri nautico tuendo, ac dirimendis inde natis controverſiis, fuêre præfecti.

OLDESALIA, ſeu *vetus Salia*, vulgò *Oldenzeel*, à Saliis, populo Germaniæ haud ignobili, dicta, oppidum Belgii uniti, in Tranſiſalania provincia, aliàs munitum: ſed captum fuit primò à Mauritio, A. C. 1597. dein iterum per hujus fratrem Henricum Fridericum, A. C. 1626. ab Hollandis, quibus etiamnum ſubeſt, & tunc ejus munitiones disjectæ fuêre. Bellô hôc fervente, à Gallis, quibus Epiſcopus Monaſterienſis tum militabat, iterum captum receptumque.

OLDESLOVIA, vulgò OLDESLO, oppid. Daniæ, in Holſatiæ Ducatu, & in Wagria regiuncula, ad Travam fluvium, in confinio Germaniæ; 3. milliar. Germanicis à Lubeca in occaſum, Glucſtadium verſùs, & ferè 5. ab Hamburgo in Cæciam diſtans.

OLDO, Ciſtercienſis Hiſpanus. Scripſit *Rationale divinorum officiorum, &c.* A. C. 1227.

OLDO, Orderico Vitali *l.* 13. memoratus, corruptè *Ondo*, unde vulgò *Oudon*, *Uldunus* ac *Udo*, in literis Wilhelmi Nothi Angl. Regis fluv. Galliæ eſt, apud Cadomum in Olinam influens; duplex olim fuit, vetus alter, alter novus, ſeu foſſâ ex veteris alveo deductâ manufactus. Hinc *culturæ inter duos Uldunos*, item *quatuor virgatarum intra duos Uldones ſitarum*, in iiſdem literis, mentio. Ad eum orientem eſt Alnetum *Aunay*; Abbatia Ciſtercienſium Monachorum, in Bajocaſſium finibus, à Cadomo 5. leucis diſtans ſeu 15. mill. paſſ. quô ſpatiô totus hujus fluvii amnis continetur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Olina.* Alius

fluv. ejuſdem regni *Olda* eſt, etiam vulgò *Oudon*, de quo vide in voce *Olda*.

OLDUS, vulgò *le Lot*, fluv. Galliæ, in Aquitania. Dicitur aliter Olindus & Lotius. Vide *Olda*, item *Olitis*.

OLEA, Minervæ inventrici, apud Poëtas, ſacra: juxta illud Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 18.

> ——— *Oleæque Minervæ*
> *Inventrix:*

Olympionicarum frontes cinxit, ſecundùm quoſdam, vide ſuprà *Cotinus*: paciſque, nec non duritiei emollitæ, agriculturæ, felicitatis, condonationis, eleemoſynæ, ſupplicationis, manſuetudinis, æternitatis, Gymnaſii, nitoris, victoriæ, libertatis, pinguedinis, hilaritatis, ſpei, frugalitatiſque veteribus hieroglyphicum fuit, vide Joh. Pierium *Hieroglyph.* & Nic. Cauſſin. *Symbolorum Hieroglyph. & Emblematum Appendice.* In Italiam tardè pervenit: Namque *Theophraſtus*, teſte Pliniô *l.* 15. *c.* 1. an. U. C. circiter 440. negavit niſi intra quadraginta millia paſſuum à mari naſci. *Feneſtella* verò, omnino hanc arborem in Italia, Hiſpania atque Africa, non fuiſſe ait, Tarquiniô Priſcô regnante, ab anno Pop. Rom. 173. Apud Athenienſes quomodo, plantanda, cautum Lege Solonis, Ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας, Oleam *& ficum novem pedes longè ab alieno fundo ſerito: cœteras verò arbores, pedes quinque.* Meminit in *Solone* ejus Plut. & cauſam addit, quòd ficus & *Olea* radices agant longiùs neque ſit omnibus earum ſine damno vicinia; ſed & alimentum eripiant & halitum efflent aliquibus infeſtum. Alia apud Pollucem eôdem auctore lata de *Olea* lex eſt, *l.* 5. *c.* 4. Στοιχάδες, *Oleæ privatæ ordine conſitæ*; ubi docet, ita appellatas ab ipſo eſſe *Oleas*, quæ privatorum erant, & in illorum agris conſitæ; quaſque opponit publicis & ſacris, Μορίαις dictis. Lege porrò non licebat cuiquam ad privatos uſus *oleas* evellere, præter quàm duas quotannis, qui ſecus feciſſet, in ſingulas centum drachmis multabatur: Quam legem his verbis repræſentat Demoſthenes πρὸς Μακάρτ. *Si quis* Oleam *Athenis evellat, niſi in uſum templorum Athenienſium, aut in privatum ſuum duas evellat quotannis; aut in funus, in ſingulas oleas centum drachmas pendito: decima multæ Minervæ ſacra eſto: centum quoque drachmæ addicuntor actori. Dicæ ſcribuntor apud Magiſtratum, cujus eſt Judices dare. Actor ſacramentum deponito: Reo damnato, Magiſtratus exigendam tradito multam, quæ in ærarium publicum infertor, exactoribus, decimam verò; quæ Minervæ cedit, Quæſtoribus Deæ. Si ſecus fecerint Magiſtratus, ipſi de ſuo pendunto.* Nemini igitur licebat Athenis *Oleam* evellere; ſive in alieno agro, ſive in ſuo: unde poſt Legem dictam addit Demoſthenes, Ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου τοῦ πατρῴου ἐλαίαν ἐξορύττειν, *Lex verò, neque in patrio agro Oleam evelli permittit.* Quare ſuſpicatur Petitus, è Lege nonnulla excidiſſe verba, ſtatim ab initio, inter cœtera hæc, Μηδ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου τοῦ πατρῴου. Sacramentum verò, quod Actor, ut in Lege habetur, deponebat, variè definiunt Veteres; Nam alii exiſtimant eſſe decimam multæ, alii autem putant definiri drachmis tribus, ubi controvertitur, & agitur de centum drachmis, aut pluribus ad mille uſque & triginta drachmis, ſi de mille drachmis aut pluribus, ad decem millia uſque agatur, Poll. *l.* 8. *c.* 6. Et quidem initio litis ſacramentum deponebatur cùm ab Actore, tum à Reo: is verò qui judiciô vicerat, ſuum ſacramentum auferebat, victi Sacramentum & illud quoque, quod victor abſtulerat; ſed victus reponebat, ad ærarium redibant, ut conſtat ex Ariſtoph. *Veſpis*: è quo merces Judicibus dabatur, vide infrà in voce *Sacramentum.* Cùm autem hâc lege excipiuntur, qui *Oleas* evellerent *ad uſum Templorum*; intelliguntur Templa, vel quæ erant univerſi Athenienſium Populi, vel privatim alicujus τῶν Δήμων. Loca enim hæc ſacra *Oleis* fuiſſe conſita, docet nos Sophocles *Oedipo Coloneo*,

> Χῶρος δ' ὅδ' ἱερός, ὡς ἀπεικάσαι, βρύων
> Δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου, κτλ.

Pervenerat autem ad Eumenidum ſacellum, de quibus vide ſuprà. Itaque cùm ſumtum & ſplendorem, qui in Templis Deorum viſebatur, vellent tollere *cives*, in cognomine Ariſtophanis dramate, ſolas arbores & inter eas *Oleas* relinquunt, quæ in Templis erant ſatæ,

> ——— Πρῶτον μὲν οὐ-
> χὶ νεὼς ἡμᾶς οἰκοδομεῖν δεῖ
> λιθίνους αὐτοῖς· οὐδὲ θυρῶσαι
> χρυσαῖσι θύραις, ἀλλ' ὑπὸ θάμνοις
> καὶ πρινιδίοις οἰκήσουσιν.
> Τοῖς δ' αὖ σεμνοῖς τῶν ὀρνίθων
> δένδρον Ἐλαίας ὁ νεὼς ἔσται.
> ——— *Primò quidem ne-*
> *quaquam templa nos extruere oportet*
> *lapidea ipſis: neque ornare*
> *aureis valvis, ſed ſub ramis*
> *& parvis ilicibus habitabunt.*
> *Inſignioribus autem avium*
> *arbor* Olea *templum eſto.*

Stat. *l.* 12. *Theb. v.* 491. ubi Miſericordiæ templum Athenis deſcribit,

> *Mite nemus circa, cultuque inſigne verendô,*
> *Vittatæ laurus & ſupplicis arbor* Olivæ, &c.

Ibi igitur ne deficerent, licebat evellere ex agris Oleas, ut in Templis ſererentur. Ut earum uſum in ſacris in præſens prætercam. Quod verò illarum in funeribus, Lege quoque indigitatum, uſum ſpectat, cum mortuis *Oleas* efferri conſueviſſe, legimus apud Artemidorum *Oneirocritici l.* 4. *c.* 59. Τούτων δὲ ἐπὶ τῶν νοσούντων, ἡ μὲν ἐλαία θανατηφόρος ὅσα τέθνηται, αὐτή τε καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς καὶ τὰ φύλλα· καὶ γὰρ εἰκός, τοῖς μὲν γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσιν.---- *cum mortuis enim* Oleas *efferunt unà.* Præterea, cùm par propemodum Parentibus aut Amicis ſuô Fatô functis honos, qui Diis immortalibus, haberetur, religioneque conſecrarentur eorum tumuli & monumenta (quin etiam Templa iis ſuperſtruebant, quod Eruditis obſervatum eſt) ad illa quoque ſerebantur & ſuperimponebantur *Oleæ*; quas huic uſui ex agro evellere licebat, itemque fruges obſerebant, vide Tullium *de LL. l.* 2. *extremo.* Ad quas *Oleas* cœteraſque arbores ſemper virentes & quæ nunquam folia amittunt, ſepulchris ſuperimpoſitas & ſatas, reſpexit Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 207.

> *Dii Majorum umbris tenuem, & ſine pondere, terram,*
> *Spirantiſque crocos & in urna perpetuum Ver* &c.

Sacras multò minus oleas, Μορίαι dicebantur, cædere aut evellere licebat; quod proin ne fieret, curæ erat Senatui Areopagitico. Apud quem propterea poſtulabatur reus, quia res hæc ad religionem ſpectabat: multa videtur fuiſſe fortunarum publicatio & exilium; ſervis, qui indicâſſent, præmium libertas. Vide Lyſiam ἐν τῷ Ἀρεοπαγιτικῷ, & Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 5. *tit.* 2. Porrò arbor hæc quantoperè caſtitatem amet, Græci docent, & inter eos Rutilius Taurus, qui arborem, cùm à pueris mundis puriſque tractatur, ampliùs luxuriare ſcribit: tantâ vivacitate, ut, ſi multis configatur clavis, nihil lædatur, lignumque habeat à carie immune. Quæ cauſa fortè, ut non ſolùm in variarum rerum hieroglyphicum, ut dictum, aſſumta ſit *Olea*, ſed & apud Hebræos, cùm cera ad lumina & tædas non adhiberetur, *Oleum* tamen in uſu fuerit, Ad. Preyelius *Sinæ & Europæ c.* 25. Poculorum *Oleaginorum*, mentio apud JC. *l.* 50. *ff. de Leg.* 3. *Qui pocula quatuor Oleagina habebat, ita legavit pocula Oleaginea paria duo:* Nempe poſtquam è luto; quæ antiquiſſima materia fuit, pocula in uſu eſſe deſiêre, & è ligno fieri ſunt cœpta, Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 5. *c.* 30. Cellam *Oleariam* exactè delineavit Vitruvius *l.* 6. *c.* 9. ut & Columella *l.* 12. *c.* 50. & Palladius *l.* 1. *tit.* 20. Inſtruunt eandem Cato *tit.* 13. Columella *l.* & *c. cit.* & Neratius apud Ulpianum *leg.* 19. *ff. locati & conducti.* Olivitoris, Capulatoris, qui conchâ ferreâ in labrum fictile *oleum* expreſſum tranſfundebat: Legulorum, Strictorum, Factorum, qui mercede conducebantur, ut indicant leges *Oleæ* legendæ, faciundæ & pendentis, apud Catonem *tit.* 144. *& ſeqq.* aliorumque huc pertinentium, meminit Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Servum merci *Oleariæ* præpoſitum, memorat vetus marmor. Vas *oleo* recipiendo orca, quod vide; uti de prælo oleario, voce *Trapetum.* Plura vero de hac arbore, apud Plinium *l.* 12. *c.* 1. *l.* 15. *c.* 2. & alibi paſſim; ut & Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 21. *c.* 24. Carolum Paſchalium *Coronarum l.* 6. *c.* 16. ubi de *Oleaginea corona*, victoribus & hinc mortuis impoſitâ; de *Olea* Jovi non minùs, ac Minervæ, dicatâ, quæ poſterior μωρία propriè; de caduceis circumvolutis ramis *oleaginis*: & *c.* 17. ubi de *Olea*, Apollini quoque ſacrâ & Herculi; de ramo *Olivæ*, à ſupplicibus protenſo: Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 7. *v.* 476. ubi de lana *Oleæ* juncta, pluribus agitur: nec non infrà, ubi de *Oleo* & *Oliva.*

OLEA, apud *Papiam, gemma, barbarum eſt: ex fulvo & nigro, viridique & candido conſtat.* De qua *Olea* an intelligendus ſit Anaſtaſius in *Leone* IV. *p.* 188. *Et ſuper illud Ciborium fecit oleas, quæ pendent in circuitu Altaris, habentes tabulas quatuor exauratas, nec non & gammadias numerô quatuor.* Et poſtea, *p.* 196. *Obtulit tres oleas maſoricas, admirabilis pulchritudinis, ſerico textas coloreque depictas, quæ videlicet feſtis diebus in circuitu Altaris majoris dependerent*; ambigit Car. du Freſne. Certè cùm ſolidum quid fuerint *Oleæ*, addens, quæ in circuitu ciborii dependerent, haud abſonum videtur exiſtimare, fuiſſe grandiores gemmas, aut quid ſimile in gemmæ grandioris orbiculatæ figuram, adeoque ex murrhina materia: quod non modò ſuadet vox *maſorica*, quæ idem valet ac *murrhina*, ſed & colores Oleæ, quibus murrham conſtitiſſe, ſcribit Plin. *l.* 37. *c.* 2. nam quòd *ſerico textæ oleæ* dicuntur Anaſtaſio, fortè error Librarii eſt, legendumque *ſericô tectæ*, vide cum *Gloſſar.*

OLEA & *Palma*, duo fontes in Bœotia, ad Delum montem, ubi Apollinem natum fabulantur.

OLEARIUS Adamus, Germanus, Holſatiæ Ducis Bibliothecarius, eruditione ac multô rerum uſu inclytus, Legationis, à Friderico Holſatiæ Duce lineæ Gottorpinæ, ad Perſarum Regem, magnificis impenſis ſuſceptæ, ſuaſore Ott. Bruckmannô, qui eidem cum Ph. Cruſio præfuit, circa A.C. 1636. comes, longinquum illud iter luculentô ſcriptô deſignavit: quod in alias quoque linguas Eruditorum curioſitas tranſtulit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor. in Fam. Oldenburgo-Danica.* Idem Poëtæ Perſici vetuſti Schich-Saadi opus *Sertum Roſaceum* dictum, è Perſica lingua in vernaculum ſermonem, ſimili facundiâ, tranſfudit.

OLEARUS, vide OLIARUS.

OLEASTER, Papinio Statio *fera oliva*, *Theb. l.* 6. *v.* 7.

> ——— *primus Piſæa per arva*
> *Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,*
> *Pulvereumque fera crinem deterſit olivâ,*

corona Herculis primùm, inde Olympionicarum fuit. Plinius *l.* 16. *c.* 44. *Palma Deli ab Apollinis ætate conſpicitur. Olympiæ Oleaſter, ex quo primus Hercules coronatus eſt, & nunc cuſtoditur religioſè.* Quam coronationem tamen aliquandiu intermiſſam docet, quòd ab Oraculo inſtituta poſtmodum ſub Rege Iphito denuo fuit, uti pluribus docet Petrus Faber *Agoniſt. l.* 2. *c.* 22. & 23. Vide ſuprà in voce *Cotinus.* Inde eidem Herculi *clava* fuit, ubi vide.

OLEASTER Hieronymus, vide ibi.

OLEASTRUM, Hiſpaniæ oppid. circa ſinum Gaditanum, *Ptol.* Item Turdetanorum in Bætica: *Antonino* etiam eſt inter Tarraconem, & Dertoſſam. Item promuntor. Mauritaniæ Tingitanæ *Capo di Gebba*, teſte *Marmoliô.*

OLEA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OLEATRUM, Hiſpaniæ urbs circa Saguntum, *Strabo.*

OLEGIUM, ſeu OLEZO, oppid. ſeu pagus amplus agri Novarienſis.

OLEI Largitio, populo facta à Severo Imperat. memoratur Spartiano *in Vita ejus*, c. 18. *Tripolim, unde oriundus erat, contuſis bellicoſiſſimis gentibus ſecuriſſimam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum & fœcundiſſimum agrum donavit.* Ad uſum videl. gymnaſiorum civitatibus olim & gratuitum concedi à Principibus, & legari etiam à privatis conſuevit. Sed de hac largitate in Tripolitanos nihil Aur. Victor, quô locô, de Severi in illos beneficii meminit. Imò verò contrarium planè ſcribit idem alibi, in *Vita Conſtantini*: c. 41. *Remotæ olei frumentique adventitiæ præbitiones, quibus Tripolis ac Nicæa acerbiùs angebantur: quas res* (aut ſi mavis *quorum*) *ſuperiores Severi imperiô, gratantes* (vel *gratanter*, i. e. *gratuitò*) *civi obtulerant: verteratque gratiam muneris hujus in perniciem poſterorum diſſimulatio.* Ubi non Severum Tripolitanis, verùm contrà Severo Tripolitanos *oleum* frumentumque annuum, ultra legitimum canonem præbuiſſe, refert. Et quare Tripolitanis oleum largiretur Severus, ceu rem, cujus inopiâ laborarent, cùm certum ſit, adeò eâ merce illos abundâſſe, ut aliis etiam populis ſuppeditarent? Nam *olei Tripolitani* meminerunt veteres Scriptores, ut etiam Romæ cogniti atque uſitati, quod & vetus Juvenalis Interpres docet. Severo autem qui tantô ſtudiô Populi Romani annonam curabat, nullum munus hâc præbitione poterat gratius accidere. Ita ergo textum Capitolini, ex Regio & Puteanis codicibus, reſtituit Caſaubon. *ac populo Rom. oleum gratuitum ac fœcundiſſimum in æternum donavit*: quæ veriſſima & optima ſententia. Nam *oleum* fuiſſe Populo Rom. à Severo delatum, etiam Spartianus alicubi confirmat, & Lamprid. quoque docet *in Alexandro Sev. loc. mox citando* ut videbimus. Tantam autem hujus rei curam habuit Imperator, ut de eo ſub finem addat præfatus Auctor: *Moriens ſeptem annorum canonem, ita ut quotidiana ſeptuaginta quinque millia modiorum expendi poſſent, reliquit: olei verò tantum, ut per quinquennium, non ſolùm Urbis uſibus, ſed & totius Italiæ, quæ oleô egeret, ſufficeret.* Quam liberalitatem poſtmodum cùm Heliogabalus minuiſſet, inſtauravit Alexander Severus, teſte Lampridiô, *in Vita illius*, c. 22. *Oleum, quod Severus Populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpiſſimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum reſtituit.* Imò nec hoc ſolùm, verùm etiam inſtitutæ à Severo liberalitati cumulum adjecit. Paulo pòſt, c. 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum: cùm anteà non ante auroram* (potiùs *& ante nonam*) *paterent & ante Solis occaſum clauderentur*, &c. Ubi ſimul homines negotioſos reddidit uſque ad horam diei nonam, permiſſis eis etiam poſt Solis occaſum hærere in balneis. Vide Caſaubon. præfatum *Not. ad Spartian. & Lamprid.* & plura hìc infrà.

OLEN Lycius, Hymnorum Deliorum auctor, Herodot. *l.* 4. c. 35. Ὁ Ὠλὴν τὺς παλαιὺς ὕμνυς ἐποίησεν ἐκ Λυκίης ἐλθὼν, τὺς ἀειδομένυς ἐν Δήλῳ, *Olen, è Lycia profectus, vetuſtos hymnos compoſuit, qui in Delo cantari ſolebant.* Floruit is Acriſii Argivorum Regis temporibus. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. XI.*

OLENATUM, oppid. Albionis in Anglia, in ora Cumbriæ ad Occaſum ubi Caſtrum *Linſtock*, ad Vallum, *Camdenus.*

OLENIUS, viri Lemnii, ab uxore occiſi, nomen. Val. Flac. *l.* 2. *v.* 165.

OLENNIUS, è primipilaribus regendis Friſiis impoſitus, qui exigendo impoſita tributi nomine coria boum, ad prolixam formam Urorum, Friſios ad rebellionem concitavit, Tacit. *l.* 4. *Annal.* c. 72.

OLENUS, vir quidam, qui Lethæam duxit uxorem eximiâ pulchritudine, adeoque ſuperbam, ut ſe Deabus præferret. Illæ autem, cùm de ea ſupplicium ſumere vellent, Olenus in ſe culpam uxoris transferre volens, unà cum illa in lapidem converſus eſt, Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 68.

Quique in ſe crimen traxit, voluitque videri
Olenus eſſe nocens: tuque, ô confiſa figurâ
Infelix Lethæa tuâ, junctiſſima quondam
Corpora, nunc lapides, quos humida ſuſtinet Ida.

Ab *Olenus* eſt adjectiv. *Olenius*, ut *Olenia Capra*, quam ſic dictam volunt, quòd apud urbem Bœotiæ *Olenum* nutrita fuerit, ut eſt apud Strab. *l.* 8. vel quòd in *ulnas Aurigæ* ſive *Oleni* Vulcano prognati filiæ excepta fuerit. Aratus, *in Phænomenis*:

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέυσ' ὑποφῆται.

Ubi Scholiaſtes, Ὠλενίην λέγεται, διὰ τὸ ἐπὶ τ̃ ὠλένης τῦ ἡνιόχυ, ἢ ὡς ἄλλοι, Ὠλένυ θυγάτηρ. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 113.

Naſcitur Oleniæ ſidus pluviale Capellæ,
Illa dati cœlum præmia lactis habet.

Nic. Lloydius. Oleniam hanc capellam, Jovis nutricem, ex Veteribus docet, totamque hanc fabulam eruditô Commentariô illuſtrat Fortun. Licetus *de Gemmis annularibus Schem.* 17.

OLENUS, Galatiæ urbs, *Ptolem.*

OLENUS, ſeu OLENUM Plinio, *l.* 4. *c.* 5. urbs gemina, una Achajæ, in Peloponneſo, inter Patras ad Ortum & Cyllenen ad Occidentem, ab *Oleno* Vulcani filio condita, & nominata, *Canigriza* hodie, ut quidam putant. *Chaminiza Nigro. Baudr.* in ora maris Ionii, media inter Patras in Cæciam, & Araxum promontor. in Africum. Altera Ætoliæ, inter Calydonem, & Chalcidem, ad Evenum fluv. *Oleno* adhuc dicta, tantùm pagus.

OLERA, à frigidis diſtinguit Capitolin. *in Maximinis*, c. 4. *Quod ſatis conſtat, oleribus ſemper abſtinuit, à frigidis prope ſemper, niſi quum illi potandi neceſſitas eſſet.* Ubi *frigida* vocat, ſeu *frigidas*, ſubintellige *menſas*, omnia id genus edulia, quæ cruda eduntur, ut poma, olerum quædam, oſtrea & ſimilia. Non enim omnia olera cruda edebantur, ſed quædam etiam cocta, quæ propriè ſic dicebantur, & à frigidis ſic diſtinguebantur. Vide ſuprà ubi de *Frigidis*, & infrà voce *Olus.*

OLERO, vulgò OLERON, oppid. Epiſcopale Bearniæ, ſub Novempopulaniæ Archiepiſcopo prope Gabarum fluv. in faſtigio montis, ipſaque montium aſperitate ſitum: *Ilurum* vocatur, apud *Antoninum. Merula, Metel.* Aliàs quoque *Iluro, Ilurona, Loronenſium*, & *Elloronenſium civitas.* A Normannis ſeculô 9. vaſtatum; à Vicecomitibus illius regionis reparatum eſt. A ſuburbio per Gabarum ſeparatur. De Marca, *Hiſt. Bearn.* Arnoldus Oihenartus, *l.* 3. *Notit. utriuſque Vaſconiæ*, c. 13. Sammart. *Gall. Chriſt.*

OLERUS, urbs Cretæ in alto loca ſita, ultra Hierapytnam: hinc Minerva *Oleria*, & feſtum *Olerium*, in ejus honorem, *Steph.*

OLESNICIUS Nicolaus, primus puriorem religionem, in Polonia minore promovit, A. C. 1550. Pinczoviâ oppidô ſuô Monachis ejectis. Ob quam rem, ab Epiſcopis, apud Regem accuſatus, Nicolaum Rejum vindicem nactus eſt, Lætus *Compend. Univ. Hiſt.*

OLEUM, flumen Hiſpaniæ Tarraconenſ. *Sexto Avieno.*

OLEUM, hominibus à Deo *laborum lenimen* datum, ut ait Plut. *in Alexandro*; Iſide monſtrante illius uſum primâ, ut fertur, teſte Zuingerô *Theatr. Hum. Vit. p.* 975. multiplici utilitate ſeſe commendat, ſive neceſſitatem, ſive delitias, ſive ſublimiorem uſum conſideres. Hinc in Panathenæis, *olei ceramum*, ampliſſimi præmii locô, victorem accepiſſe olim, diſcimus ex Alexandro Neapolit. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 8. Et quidem, ut de aliis ejus uſibus hoc unum addam, quod Varro ait *Virgul. divin. Oleum in lucubrationem ſervavimus, quod in aſparagos totum legitimè vertamus*: ubi geminum illum indigitat, in lucernis & cibis eximium; *Oleum*, in ſacris frequens, apud Hebræos. Cùm enim conſecratio Pontificis tribus rebus conſtaret, Veſtitu, Unctione & Sacrificiô; veſtibus is ſacris, quibus in Templo miniſtrare mos erat, per dies ſeptem continuos manè induebatur & veſperi rurſus exuebatur, Vide Levit. *c.* 8. *v.* 7. *& ſeqq.* Unctio quoque per totidem dies fieri ſolita erat, antequam ſacrum *Oleum* amiſſum eſſet: quod ſemel à Moſe, divinô juſſu, confectum, durâſſe volunt ferè nongentos annos. Vide de illius conficiendi ratione Exod. *c.* 30. *v.* 22. Eôdem, in inauguratione ſua, Sacerdotes quoque vulgares inungebantur. Vide Exod. *c.* 29. *v.* 7. & Levit. *c.* 8. *v.* 10. ſed hoc diſcrimine duplici: I. Quòd omnes & ſinguli Pontifices, in novi honoris exordio, ungebantur: Sacerdotes autem reliqui, in prima conſecratione filiorum Aaronis inuncti & conſecrati cenſebantur. II. Quòd Pontifices *Oleô* in capite perfundebantur, Exod. *c.* 29. *v.* 7. Confer Levit. *c.* 8. *v.* 12. & *c.* 21. *v.* 10. Sacerdotes autem eô, admixtô victimarum ſanguine, in ſacra veſte leviter tantùm aſpergebantur, Exod. *c.* 29. *v.* 7. &c. Idem videtur fuiſſe *Oleum*, quô & Reges nonnunquam inaugurati leguntur; quanquam alii diverſum fuiſſe velint. Alios enim eô perfundi nefas erat. *Carnem hominis ne eô ungito, aut ſecundùm confecturam ejus ne facitote ſimile ei: res ſancta eſt*, &c. Exod. *c.* 30. *v.* 32. 33. Sed & inter Reges Pontificeſque id quoque diſcriminis fuit, inter alia, quòd Pontifices ſinguli in initiatione ſacrô *Oleô* linerentur, unde *Sacerdotes uncti* appellantur Levit. *c.* 4. *v.* 5. & *c.* 6. *v.* 22. Reges autem non omnes, ſed ii ſolùm, qui rebus turbidis & ſucceſſione, ob tumultus ac ſeditiones, incertâ, in Davidis ſolium evehebantur: ut in Salomone & Joâ patet, 1. Regum *c.* 1. *v.* 39. 2. Regum *c.* 11. *v.* 12. &c. Hôc autem *Oleô*, Spiritus S. dona deſignâſſe Deum, & præfigurari voluiſſe, divinitatis inhabitationem & ditiſſima chariſmata Naturæ humanæ CHRISTI, in incarnatione ejus, conferenda, diſcimus ex Pſalmo 45. *v.* 8. & Johan. *c.* 3. *v.* 34. &c. Vide quoque infrà ubi *de Saxa Lapideſque Oleô perfundendi ritu.* In Eccleſia Apoſtolica *Olei* quoque uſum inſignem deprehendimus, Jacobi *c.* 5. *v.* 13. *Æger eſt animô aliquis inter vos? oret: bonô animó eſt aliquis? pſallat. v.* 14. *Infirmatur aliquis inter vos? accerſat Presbyteros Eccleſiæ & orent pro eo, ungentes eum* Oleô *in nomine Domini.* Ubi per *Infirmatum* cùm intelligant nonnulli, *eum cui prorſus vires deficiunt* ſeu *moribundum*, confirmant id ex Eccleſiæ Occidentalis ritu, quô maximè talibus Extrema, ut vocant, Unctio, adhiberi ſolet, à Presbytero. In Oriente verò, ubi idem ritus adhibetur, plerumque id non fit ſine Presbyteris ſeptem, ac ſubinde etiam leviter ægris, imò & convaleſcentibus: *Oleum* ipſum Εὐχέλαιον, vocant, *Precatiolium*, ob preces unctioni jungendas. Apud utroſque *Oleo* huic vis curandi ægrotos tribuitur, occaſione tum loci præfati, tum Marci *c.* 6. *v.* 13. (ubi de Apoſtolorum cum *Oleo* curandi facultate) ſententiam ſuam firmantes: Unde plurima hanc in rem de Græcis in *Euchologio* & apud Simeonem Theſſalonicenſem, alioſque Græcos laudatos Petro Arcudio *de Concord. Eccleſ. Orient. & Occid. l.* 5. ac Jacob. Goaro in *Euchlog. p.* 408. de Latinis vide Auctores inprimis laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* Et perquam obvia eſt ad S. Marcum & in tractat. de Sacramentis; *Olei* hujus ſancti, utpote ab Epiſcopo, in Occidente, ſed tam à Presbyteris, quam Epiſcopo, in Oriente, conſecrandi, ut neceſſarii, apud Communionis Romanæ Scriptores, aſſertio, uti & apud Reformatos improbatio non infrequens. Certè apud Hebræos veteres nihil comperimus, de *Oleô* inungendis, ex ritu recepto, ægris ſive moribundis ſive aliis, niſi id quod de claudendis per *Oleum* oculis ſuprà diximus, in hâc voce. Jam verò mortuos, in ſepulturam inungi, familiare fuiſſe tam Judæis, quàm Romanis Græciſque, certum eſt: Interim, uti multis aliis, ſic diſciplinâ veteri circa moribundos variante, pro locorum ſeculorumque diſcrimine. Marci verò *l. c.* Diſcipulis XII. ſingulare hoc donum, inter alia, à Domino conceſſum fuiſſe legimus, ut *ungerent* Oleô *multos ægros & ſanarent.* Ubi ἄῤῥωςοι, eôdem ſenſu, quô apud Jacobum ἀσθενεῖς, pro *ægris* uſurpantur, i. e. perquam imbecillibus & viribus quaſi omnino carentibus: Et Diſcipulorum unctionem, uti apud Jacobum Presbyterorum, ſequitur unctorum ſanitas corporis; quaſi illud omnino non mortem, niſi ut præveniendam, ſpectaret. Id quod perquam eſt diverſum, ab unctionis hujuſmodi uſu, maximè in Occidente, ſic inde derivato. In

eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eo enim vix, ſine mortis, nec pævenienda, expectatione, ſolet adhiberi. Quomodo verò & quando donum illud ſingulare ſive ſanandi ſive inungendi ægros iſtiuſmodi nacti fuerint Presbyteri ciſperſorum, tempore Jacobi, credentium & non credentium, indagatu non adeò obvium eſt. Quomodo autem extremæ unctionis in Chriſtianiſmo, ab eis ſolùm, qui & Presbyteri ordinati ſunt & Sacerdotes etiam vocantur, adhiberi ſolitæ uſus fundetur, Scriptores Communionis Romanæ paſſim eunt oſtenſum. Certè cùm ait Jacobus, *προσκαλεσάτω*, *accerſat* Presbyteros, Presbyteros videtur qualeſcunque ſive ordinatos ſive vulgares intelligere, inquit Seldenus, adeò ut juniores ſeu vulgi viliores, necdum in ulla Presbyterorum claſſe cenſendos, ob ſingularem rei gravitatem ac diſceſsûs animæ celerem expectationem, accerſendos noluerit. Idem advertendum, ait, ſtatim verba illa de Presbyteris, oratione ac inunctione factâ, ſequi *l. c.* ἐξομολογεῖσθε· Quæ ratio de mutuo invicem orationis apud univerſos uſu, poſt orationem & inunctionem memorata, præſcribere videtur, quaſi rem totam in peccatorum confeſſione, eaque inter ſe ad invicem & in oratione efficaci, revera conſiſtere voluiſſet. Adeoque aliter locum intelligit, vertitque, quàm vulgò intelligi ac verti ſolet. Nimirum, inquit, forſan illud de Presbyteris accerſendis, ſpectavit ad moribundo ſeu pro moriente habito uſitatum officium pollincturæ adhibendum, illud quod in inungendo cum orationibus ſub vitæ finem, ſive verum, ſive creditum, habebatur. Nec imperativè ſumendum fortè illud, *Accerſat*, ſed permiſſivè: Etiamſi adeò imbecillis fuerit, ut Presbyteros, i. e. proximorum ac vicinorum qualeſcunque amicos graviores & primores aliquot, ad ſe accerſendos voluerit, ut ſecum nimirum orarent & mortuum ex more pollincerent adeoque etiam pro jam mortuo ſive oculos claudendo, ſive aliter illum inungerent, nihilominus ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, *Precatio fidei ſalvum faciet infirmum:* Seu *pro mortuo habitum.* Namque τὸ κάμνειν utrumque denotare, patet. Et notum, mortuos aliquot ſeu κάμνοντας, tum inter Prophetas veteres, tum inter Chriſtianos primitivos alioſque (ſaltem eos, qui viderentur mortui) in vitam & ſanitatem oratione efficaci fuiſſe reſtitutos; quemadmodum & à S. Petro Tabitham, & à S. Paulo Eutychum, id eſt, à DOMINO per eos reſuſcitatos, Actor. *c.* 9. *v.* 40. & *c.* 20. *v.* 10. Cui ſenſui omnino favet illud Jacobi, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος, *Et reſuſcitabit eum Dominus.* Eadem enim vox ἐγείρω, non rarò in N. Fœdere habetur, pro *Mortuum reſuſcitare, excitare;* unde ἔγερσις in Gloſſar. *Reſurrectio.* Simulque etiam cum infirmorum ſanationis dono illo ſingulari, quô Diſcipulos ſuos Chriſtus dignatus eſt, conjungitur ab eo, νεκροὺς ἐγείρετε, *Mortuos excitate*, Matth. *c.* 10. *v.* 8. & poſtmodum de reſurrectione mortuorum ſeu pro mortuis habitorum, uſurpatur in ſenſu quidem Scripturæ velut proprio, *c.* 11. *v.* 5. *c.* 14. *v.* 2. &c. Et *Heſych.* ἐγερεῖ, ἀναστήσει, quod reſurrectionem à mortuis, aut quaſi, denotat. Ita *Oratione* hîc *Fidei* etiam mortuus, aut per virium defectum pro mortuo habitus reſuſcitandus. Sanè qui in Presbyteros illos Tribuum XII. aut ſingulares inter eos Chriſtianiſmi Presbyteros, ſanationis tunc ejuſmodi donum, adeoque in ſe, ex eo quòd Chriſti Diſcipulis ita competiit, derivare fidentiùs ſolent, pari jure etiam & mortuorum reſuſcitationis facultatem, tum Presbyteris illis, tum ſibi velut ex præſtituto, tribuere poſſent. Et locutionis ejuſmodi commutatio; ut, quem ἀσθενοῦντα adeò paucis verbis vocâſſet Jacobus, eundem jam τὸν κάμνοντα nuncupet, innuere videtur hoc aliud & gravius quid ſignificare, maximè cùm articulus adjiciatur; *ipſum etiam mortuum* aut pro mortuo & pollincendi planè habitum &c. Hactenus Seldenus, quem vide, *de Synedriis Veter. Hebr. l.* 2. *c.* 7. §. *XI.* & *ſeqq.* uti de *Oleo puro*, à publico ſupplendo, quô lucernæ VII. candelabri Sacri, in V. T. ramis ac haſtili impoſitæ, perpetim alebantur, aliquid ſuprà, ubi de *Luminum feſto*, item voce *Lychnuchus;* de *Olei* in ſacris Veter. inferis uſu, voce *Melicratum;* de Græcorum hodiernorum in inſul. Zacyntho *ab Oleo* abſtinentia, tempore jejunii Paſchalis, voce *Megali teſſaracoſti.* In Eccleſia hodierna Romana *Oleum pro infirmis*, *Oleum ad chriſma*, & *Oleum ad catechumenos ungendos*, Vide hîc infrà: & plura de *Olei* uſu hîc paſſim, inprimis ubi de *Unctionibus* Veterum. *Facere* autem de Oleo propriè dictum, vidimus ſuprà.

Olei sacri, in Ecclesia Romana varia genera, ex Car. du Fresne Glossar.

Oleum Benedictum, quod à Pontificibus aut Viris ſanctitate claris benedicebatur, & quô fideles ad depellendos morbos aut Dæmonas fugandos ab energumenis, utebantur. Vide ſuprà & Hieronym. *Vit. Hilarion.* Tertullian. *ad Scapul.* Sulpicium Severum *Dial.* 3. *c.* 3. Paulinum *Vit. S. Martini* &c.

Oleum Catechumenorum, quô inungebantur, benedicitur feriâ 5. Majoris Hebdomadæ: quæ benedicto & exorciſmus habetur in *Ordine Romano.* Vide quoque Durandum *l.* 6. *c.* 74. *num.* 21. *& ſeqq.*

Oleum S. Catharinæ. Vide Boëthium *in deſcr. Scotiæ p.* 6.

Oleum S. Crucis, quod à Leontio Exconſule Gregorio M. miſſum, teſtatur hic ipſe, *l.* 7. *ind.* 1. *ep.* 35. Vide quoque Bedam *de Locis SS. c.* 20.

Oleum Exorciſatum vel *Chriſma* ſeu *Chriſmale oleum;* cujus exorciſmus extat in *Ordine Romano.*

Oleum Inextinguibile, veter. lucernarum inexhauſtum per complura ſecula pabulum, Vide Fortun. Licetum *de Lucernis Veter.* & ſuprà uti de iiſdem, alibique paſſim.

Oleum Infirmorum, ſeu *pro infirmis* & *energumenis*, quando conſecrari ſueverit, diximus. Ejus exorciſmus & benedictio ſimiliter habetur in *Ordine Romano.* Vide quoque Durandum *l.* 7. *c.* 74. *num.* 3. & *ſeqq.*

OLFACTUS, ad judicium de metallis faciendis adhibitus, memoratur Ariſtoteli *de Miraculis audit.* ubi de poculis Darii, quæ ſolô narium judiciô cognoſcebantur, ænea eſſent, an aurea. Vide ſuprà, ubi de variis *Æris* ſpeciebus, item voce B[illegible]. Hinc Trapezitas ac Nummularios, in æſtimanda pecunia, eâdem ratione, inter alias complures, uſos eſſe, diſcimus ex Arriano *Diſſertation. Epicteti l.* 1. *c.* 20. Ὁ ἀργυρογνώμων προσχρῆται καὶ δοκιμασίαν τοῦ νομίσματος τῇ ὄψει, τῇ ἀφῇ, τῇ ὀσφρασίᾳ· τὰ τελευταῖα τῇ ἀκοῇ. Ad quem morem videtur reſpexiſſe Veſpaſian. Imperat. cùm *reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur*, apud Sueton. *in eo c.* 23. Caſaubon. ad loc. Vide quoque ſuprà ubi de *Odoribus.*

OLGANUS, Beretis fil. Vide Steph. in Μιέζα.

OLGARIA, regio Tartariæ magnæ, verſus mare Caſpium; *Olgar*, ſeu *Euchar*, & *Kalmuki.*

OLGASYS, mons Galatiæ, *Olyſſa*, *Ptolemao*, ex quo fluv. Halys & Parthenius fluunt, *Strabo.*

OLGERDUS, Princeps Lithuaniæ, ſeu potiùs Magnus Dux, ſucceſſit A. C. 1325. Gedimino, qui, quòd fines Lithuaniæ longiſſimè per Ruſſiam protulit, & à finibus Ruſſiæ uſque ad Pontum Euxinum protendit, primus *Dux Magnus Lithuaniæ* appellari meruit. Erat autem Lithuaniæ nomen ante A. C. 1200. fere incognitum & ipſa gens vicinorum jugo preſſa; donec circa A. C. 1252. Mendogus vir militiâ clarus, Principatu ſumtô, gentem à vicinorum contumeliis vindicavit. Quem cùm excepiſſent complures brevi omnes imperiô, tandem Vitenen miles, obtruncatô ſuô Dominô, Lithuaniam occupavit. Ex Vitenis hujus vidua, Gediminus præfatus genuit *Olgerdum*, ſeu *Olgirdum*, qui deceſſit A. C. 1381. Pater ex Maria Twerenſi (filiâ . . . Ducis Tweræ) Jagellonis & Skirgellonis. Quorum ille, regnô Poloniæ per matrimonium potitus, ſumtô *Vladiſlai* nomine, Chriſtianam fidem amplexus eſt, primuſque omnium Lithuaniam, exterminatô Idolorum cultu, fide Chriſti imbuit: iſte, cum Vitoldo patruele, fratrem conjungere cum Polonia Lithuaniam volentem impedit, fruſtraque reluctanti hanc tandem extorſit; quæ proin ſuos retinuit magnos Duces uſque ad A. C. 1501. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 262. & Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilitat. Europ. Part.* 3. *p.* 21.

OLHA ſeu Helena, Ruſſorum Semiramis, uxor Rurici, qui primus Ruſſiæ Monarcha & conditor familiæ fuit, quam Bealam vocant: ex eo *Ihor*, ſive *Jehor*, quem *Cedrenus* & alii Græcorum Hiſtorici *Inger* vocant, Regem Ruſſorum, ſuſcepit, hôcque intra juventam defunctô, Principatum ipſa rexit. Ei ſucceſſit Suatoſlaus, ſed Stoſlaus, Græcis *Sphendoſtablus*, qui dominatâ Bulgariâ Imperium Ruſſiæ, uſque ad Pontum Euxinum & Thraciam, extendit. Poſt quem filius Vladimirus, ſolus fratribus ſuis ſuperſtes, Ruſſiæ iterum Monarcha factus eſt A. C. 970. ductâque Annâ Baſilii Imperatoris Conſtantinopolit. filiâ, religionem Chriſtianam, ſecundùm fidem & ceremonias Græciæ, in Ruſſiam introduxit, A. C. 989. à quo tempore, univerſa Ruſſia Græcam Religionem ad noſtra uſque tempora conſtanter retinuit. Hornius *l. cit. p.* 247.

OLIA, Meſopotamiæ urbs, *Ptol. Elita* legunt Interpretes.

OLIAROS, inſula in mari Ægæo, una Cycladum. *Steph.* Sidoniorum coloniam eſſe ſcribit, ac diſtare à Paro ſtad. 55. Ejus meminit. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 469.

At non Oliaros, Didymæque & Tenos, & Andros.

Hodie *Quiniminio* incolis vocatur, teſte *Nigrô.*

OLIBA, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs, *Ptolem.* *Olit* vulgò dicitur. Eſt autem inter Pompelonem ad Boream 7. & Tutelam ad Meridiem 9. leuc. Aliis potiùs *Oliva* eſt oppid. in regno Navarræo, à Pompelone 12. leuc. à Titulâ 10. verſus Ortum, quod magis probatur, inquit *Ferrar.*

OLIBANUS, Vide CLIBANUS. Item mons Campaniæ, inter Neapolim & Puteolos, contra Neſitim inſul. Pauſilypo vicinus, *Monte di Pezuoli*, *Mazello.* *Olibanum* verò, oppid Lucaniæ, *Ferrar.*

OLICA, urbs Volhiniæ ſuperioris juxta paludem, cum titulo Ducatus Radzivilliorum, in qua Dux Staniſlaus, arcem munitiſſ. Templum & Academiam extruxit. Prope oppid. Klevan. 5. milliar. Germanic. à Lucceoria in Cæciam, A. C. 1651. à Coſacis fruſtra tentata.

OLICANA, urbs Britanniæ, *Ptol. Lhuydo Halifax* dicitur in Eboracenſi comitatu, *Ilkely* verò *Camdeno.*

OLIGARCHIA, vitium eſt Reipublicæ, quô Imperium ad utilitatem paucorum, divitum ſcilicet, omnia confert: In hoc degenerat quandoque Ariſtocratia, in qua Reſpublica à viris ſecundùm electionem juſtiſſimis atque prudentiſſimis æqualiter adminiſtratur. Sic apud Romanos olim, Ariſtocratia Conſulum, Tribunorum militarium Conſulari poteſtate & Decemvirorum legibus ſcribendis: ſub Triumvirorum Reip. conſtituendæ imperio, in *Oligarchiam* degeneravit. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 1. Athenis quoque, cùm cives in tria genera diviſi eſſent, Diacrios, ſeu τοὺς ἐξ ἄστεως, qui in ſuperiore Urbis parte; Pediæos, qui in planitie & Paralios, qui propiùs mari habitabant: ortâ de Regimine lite, Diacriis ad Democratiam inclinantibus, Pediæi *Oligarchiæ* ſtuduerunt; inter quos mediam tenuêre viam Paralii, quô factum, ut Solone arbitrô electô, univerſi cives poſtea diſtinguerentur in Pentacoſiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas ſeu capite cenſos: è quibus trium priorum claſſium ordines, ad regimen, ſine diſcrimine, admiſſi ſunt, ultimis excluſis & ad manuaria opera abjectis, Plut. *in Solone.* Vide quoque Franc. Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 1. *c.* 4.

OLIGYRTIS, urbs Peloponneſi, *Polyb.* Aliis *Ologuntum.*

OLIMACUM, vulgò *Lymbach*, teſte *Lazio*, oppid. Pannoniæ ſupe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſuperioris in Hungariæ Stiriæque confiniis, geminum: unum ad Muram fluv. alterum ad Arrabonem, 3. leuc. inter ſe diſtantiâ; utrumque a Bolentio 5. in Ortum. *Baudrando* prius *Nider Lymbach*, in Hungar. in colle, & confin. Stiriæ, vix 1. leuc. à Mura, 6. a Voleea palude in Occaſum, 4. à Caniſa in Circium, totidem in Meridiem ab altero *Ober Lymbach*, & 7. ab Arrabone fluv. Ex *Petro du Valle*.

OLINA, Callaicorum Lucenſium urbs in Hiſpania Tarraconenſi. *Orna* fluv. apud *Canalem* nominatur.

OLINA, caſtrum Galliæ, in diœceſi Cadurcenſi, memoratum Petro Monacho *Hiſtor. Albigenſis c.* 75. vulgò nunc *l'Olmie*, articulô cum nomine loci conjunctô. Ibi Balduinus, frater Comitis Tolofani Raimundi, fraude ſuorum captus & fratris juſſu de arbore ſuſpenſus eſt. Guilielmus de Podio Laurentii *l. de bello Albig. c.* 23. nuncupat caſtrum *Olivam*, & in *partibus Aginnenſibus*, i. e. in pago Aginnenſi, illud ponit. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

OLINA, Galliæ Lugdunenſ. fluv. *Ptolem.* inter Bojocaſſes & Lexovios, in Viducaſſibus tamen ſeu Bajoc. fluvii oſtia, contracte *Olna*. Aliis *Olena*, vulgò *Orne*. Fontem habet, apud Olinonem: interluit Sajos, attingit Almaniſcas Fontenacum, Argentomum Caſtrum, Caſtellum Guntherii, Scotcejum, Tauriacum, Pratella, Stratævillam, Lupiniacum, Cadomum, ad Oldonis & Olinæ confluentes, Portum, demum ad Stratæhammum, in Oceanum, effluit. Memoratus ſæpe Guilielmo Notho, & Henrico II. Anglorum Regibus, Ducibus Normannorum & Aquitanorum ac Comitib. Andegav. in ſuis literis. *Oldo* autem, vulgò *Oudon*: ad quem orientem eſt Alnetum, *Aunay*, Abbatia Ciſtertienſium, in Bajocaſſium finibus, 5. leuc. à Cadomo, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Villæ *Cathom*, i. e. Cadomi, mentionem facit Richardus Normannorum Dux III. in donatione propter nuptias Adelæ facta, A. C. MXXVI. Indictione IX. Vide eundem.

OLINDA, urbs Braſiliæ, caput Præfecturæ Pernambuci. Ab Hollandis capta A. C. 1629. ſed deſerta, nunc ſub Portugall. cum toto tractu. In colle, cum portu capaci, prope oſtia fluv. *Bibiribe*, cum arce S. Georgii.

OLINO, cujus meminit *Liber Notit. Holé*, nunc à Baſileenſibus nominari ſcribit *Rhenanus*, qui vicum eſſe vult cum nemuſculo non procul a Baſilea, ubi multa antiquitatis monumenta effodiuntur. Vide B. Rhenanum *Rerum Nov-Antiq. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JC.

OLINTHUS, urbs fuit Macedoniæ, in colle, in Paraxia provinc. inter Sinus Toronaicum & Thermaicum.

OLISSIPPO, vide OLYSSIPPO.

OLITINGI, Luſitaniæ oppid. inter oſtia & Bætis & Anæ fluv. Mela *l.* 3. *c.* 1.

OLITIS, fluv. Theodulfo *in Paræn.* Quibuſdam *Oltis*, aliis *Oltus*, & *Oldus*. Avernis & Cadurcis montanis, per quos decurrit, *l'Old*, & *l'Ould*: in tabulis Gall. *Lot*, nunc *le Lot*: unus è tribus maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri aſſerit *Strabo*, qui ſunt: Tarnis, Olitis, Durandus. Recipit autem fluv. Triobrem, *Trievre*, Salam, *Sale*, & Viridem *Vert*, amnem ab aquæ colore ſic dictum. Alluit Oratorium, Interamnam, Vivarium, Catenacum, Lupiacum, Salvianjacum, Galliacum, Calviniacum, Sinaparias, Caſtrum S. Cirici, vicum S. Deſiderii, Divonam Cadurcorum, Caſtellum Francum, Podium Epiſcopi, Candate, Villam Novam Aginnenſium, vicum S. Liberatæ, Clariacum ac Aquilonem, & ſic Garumnâ accipitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OLIVA Petrus Johannes, Seriniano in Diœceſi Biliterenſi oriundus, quædam de B. Virgine ſcripſit Glero minus grata; proin liber combuſtus, & poſt obitum, A. C. 1297. cadaver refoſſum eſt. Fuit ex fratribus Minoribus, & ab Angelo Clareno, Hubertino Caſal. aliiſque impenſè à ſanctitate laudatur. Wadingus, *in Annal. Min.* Sixtus Sen. Antonin. *tit.* 24. *c.* 9. §. 11. & 13.

OLIVA, German. *Olven Kloſter*, monaſterium 1. tantum milliar. Pruſſico à Gedano, in Polonia, ubi pax coiit A. C. 1660. inter Imperatorem, Regeſque Poloniæ, Sueciæ & Daniæ. Conditum A. C. 1180. à Subiſlao, Caſſubiæ & Pomerelliæ Principe, aliquot Pomeraniæ Ducum ſepulchris clarum. A. C. 1577. Gedanenſes, cum Polonis bellum gerentes illud direptum ſolo æquârunt, quô nomine 200000. floren. ad ejus reſtaurationem ſolvere coacti ſunt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OLIVA, fructus oleæ, qui an naturalis ſit? Bartolus diſputat in *l. ſi ejus fundi ff. de rei vendit.* Laudatiſſima in agro Piceno, indigitatur Martiali *l.* 1. *Epigr.* 44. *v.* 7.

Ruſtica lactantes nec miſit fiſcina metas,
Nec de Picenis venit oliva *cadis.*

Inchoabat, apud Romanos, finiebatque dapes. Idem *l.* 1. *Epigr.* 36.

Hæc quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva *dapes.*

Illud ad irritandum ſtomachum, iſtud ad tollendum faſtidium &c. Aliquando idem cum *Olea*. Inter feſta Coptitarum ſeu Ægyptiorum Chriſtianorum majora ſeptem, enumerata à Scriptore perinſigni Mahumedano Aulaibſan *Achmed Calcaſendio*, quem penès ſe MS. habere ait *Seldenus*, primum Feſtum *Annunciationis*, ſecundum *Olivæ* ſeu *Olivarum* fuit, ubi addit Calcaſendius, *Atque hoc eſt feſtum Alshaianin*; *Raphelengius* habet *Feſtum*, neque aliter explicat. *Golius* ex *Camuſo*, *Feſtum Palmarum*. Addit Calcaſendius, *Et interpretatio ejus Arabicè eſt laudatio.* Et tunc celebrant illud, *in die Solis poſtremo jejunii eorum* ſeu Quadrageſimæ. Nempe omnino *Dominica in Ramis Palmarum* ſeu *in Palmis* innuitur, quæ celebratur in Eccleſia utraque, Dominicâ Paſcha proximè præcedente, in memoriam Adventûs Domini noſtri Hieroſolymam; quô auditô *acceperunt ramos palmarum & prodierunt ei obviàm*, *atque clamabant*, *Hoſanna*, *benedictus qui venit in nomine Domini*, *Rex ille Iſraëlis*, Joh. *c.* 12. *v.* 13. Et certè ſuſpicio non levis eſt, vocem illam *Alshajanin* corruptam eſſe ab Hebræo הושענא *Hoshannah*, ὡσαννά, quod clamabant ramos geſtantes, unde etiam feſtum eô nomine appellatum: Syro quoque titulus lectionis, ex Euangelio, diei propriæ, *Dominica* eſt τῶ *Hoſanna*. Accedit, quòd *Laudationem*, quô nomine vocem Feſti Arabicè interpretatur Calcaſendius, in Ægypto pro *Hoshanna* uſurpatam videmus, apud *Nonnum* Panopolitam ſeu Ægyptium, qui in loco illo Johannis vocem εὐλογήσων ſubſtituit. Arabes etiam feſtum illud ἀπὸ τῶ βαίων nuncupant, & à Chaldaico שבישן, ut putat Golius *Lexic. col.* 1131. quod *ramos & frondes* notat, deducunt. Quemadmodum in Græcanica Eccleſia vocatur ἡ Κυριακὴ τῶν βαίων, *Dominica Ramorum*, in *Euchol. fol.* 241, 1. & Βαιοφόρος, *dies in quo Rami geſtantur*, Edit. Jac. Goar. *p.* 744. Ac, ubi Johannes Euangeliſta *loc. cit.* habet τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, *ramos arborum* ſive *palmarum*, Matthæus generatim meminit κλάδων τῶν δένδρων, *ramorum arborum*, ſive palmarum, *Olivarum* aliarumve, *c.* 21. *v.* 8. Sed de *Hoshanna* & τοῖς Βαΐοις, ſi plura velis, vide Angelum Caninium *in loca Nov. Teſtam. c.* 4. & Iſ. Caſaubonum *Exercit.* 16. §. 2. Et in Liturgiis Romanis, nunc *Palmæ* ſolùm hôc feſtô inde memorantur, nunc *Palmæ* ſimul & *Olivarum rami*, nunc tantùm *Olivæ*, nunc *Rami palmæ & olivarum*, nunc *Olivæ cæterarumque arborum rami*, nunc *Palmæ* ſeu *Olivæ*, nunc *Rami arborum*. Atque inde Durandus *Rational. l.* 6. *c.* 67. §. 16. *Dicitur etiam alibi*, ait, *Dominica Olivarum* (ut hîc apud Calcaſendium) *quia rami* Olivæ *portantur*, *quod fit ad repræſentandum filios Iſraël*, *qui cum ramis palmarum & Olivarum venienti Domino obviam exierunt.* Hieroſolymam videl. paulò ante Paſſionem accedenti. Ubi verò nec palmæ, nec *Olivæ* fuerint, ramuli ſalicum efflorentes, ut apud Anglos alibique, feſto in illo adhibiti, vel myrtei, ut apud Græcos, Georg. Phranzes *l.* 2. *c.* 4. vel buxei, ut apud Gallos, teſte Ang. Caninio *in loca Nov. Teſtam. c.* 4. Scilicet, ut Hoshanna è Feſto Scenopegiarum autumnali in vernum hoc tranſlatum eſt, ita & rami ſeu ſurculi in eo geſtandi alii, præter palmarum, juxta Legem ſacram de Feſtô illo, Levitici *c.* 23. *v.* 40. & uſum Judæorum, Nehem. *c.* 8. *v.* 15. &c. Joh. Seldenus *de Synedriis veter. Hebræor. l.* 3. *c.* 15. §. 9. Vide quoque infra, in voce *Oſanna*, item in *Palma* & *Thalia*, ubi tramitem Olivæ θαλλὸν propriè Græcis dici videbimus. Cœterùm *oliva* aliiſque ramis vincti olim apud Lacedæmonios, qui pro patria occubuêre, Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 6. *c.* 6. contrà *olivæ* foliis Syracuſii inſcribebant petaliſmo damnandos, de quo infrà. Sed & Veteres in hydriam folium *olivæ* conjicientes, id *Mercurium* vocabant, illudque in Dei hujus honorem primùm eximebant, Κλῆρον Ἑρμῶ nuncupantes: alterâ forte ejus exiſtente, qui Mercurium ſequebatur, de quo luſu vide *Suidam*. Ab *Oliva*, mola *Olivaria*, cujus ut & præli, mentio fit in *l.* 21. *de inſtrum. vel inſtrum. legat*, apud Joh. Calvinum *Lex Jurid.*

OLIVARES, Comites Caſtellæ veteris prope Pontiam. Henricus Guimannus Comes, Legatus Romæ Philippi II. & Gaſpar fil. ejus gratiâ Philippi IV. & infelici exitu celeberrimi. Eſt autem Comitum *de Olivares* Familia ramus Guzmanniæ in Bætica florentiſſimæ ſtirpis, in qua excellunt Duces *de Medina Sidonia*, derivati ab Alfonſo Perezio *de Guzman* Bono, à Mauris cæſo A. C. 1347. Hujus nepos Joh. Alfonſus, primus *Com. de Niebla* titulum nactus, per majorem filium Henricum Joh. Alfonſum, primum Ducem Methymnæ Sidoniæ genuit, à cujus fratre Alfonſo Domini de *Torralva* & de *Ugena* oriuntur; Sicut ab Henrico filio Ducalis dignitas hodieque ſuperſtes, eſt propagata. Eidem ſtirpi accenſendus eſt ramus Comitum *de Olivares*, à Petro Henrici, Alfonſi ac Joh. Alfonſi Ducum fratre protruſus, cujus ratio hæc eſt. Johannes Alfonſus *de Guzman*, Comes *de Niebla Dux de Medina Sidonia*, ex Iſabella *de Meneſes*, genuit Henricum Guzmannum Ducem Methymnæ Sidoniæ: quô & Eleonorâ Riberâ Mendoziâ (filiâ Perafani *de Ribera* Comitis *de los Molares*) genitus Johannes Clarus Guzmannus Dux Methymn. Sidon. ſuſcepit ex Leonora *de Zuniga* Petrum *de Guzman* Comit. *de Olivares*, maritum Franciſcæ *de Ribera Ninno* (Lupô *de Conchillos* Carolo V. Imperatori à ſecretis genitæ) & ex ea patrem Henrici Comitis: cui Maria Pimentella *de Fonſeca* (filia Hieronymi *de Azebedo & Zuniga* Comit. *de Monterrey*) peperit Caſparum *de Guzman* Comit. *de Olivares* & Ducem, maritum Agnetis (filiæ Caſpari *de Azebedo & Zuniga* Comit. *de Monterrey*) Franciſcam, uxorem Didaci Lopezii *de Haro & Sotomayor* Marchionis *del Carpio*, Agnetem Alvaro Henricio *de Almanſa* Marchioni *de Alcannices* & Leonoram Mariam, Emanueli *de Azebedo & Zuniga* Comiti *de Monterrey*, nuptas &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 51.

OLIVARIUS, cognomine Hercules, vide ſuprà.

OLIVARUM Mons, ſive *Olivetum*, & *Mons Oliveti*, mons ad Orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, Sabbathi habens iter ab Hieroſolymâ. Act. *c.* 1. *v.* 12. Luc. *c.* 19. *v.* 37. Hic mons, poſtquam eſt idolis inquinatus הר המשחית *har hamaſchitis*, i. e. *Mons corruptionis*, dicitur, & non ſolùm הר המשחה *har hamiſcha*, i. e. *Mons Olivarum*, ſeu *Unctionis*, mutatô elementô, & *Jod* additô, ut nimirum ad nomen alludatur, nec opprobrium deſit. Locus eſt, 2. Reg. *c.* 23. *Com.* 13. Retinent ibi LXX. Μάσθαθ, pro *Maſchith*, at Chaldæus Paraphraſtes טור זתאי *Tourzithaja*, i. e. *Mons Olivarum*, ibi habet. *Lloyd.* Hic David. Abſolomum fugiens adoravit, & JESUS CHRISTUS in cœlum glorioſè aſcendit. Vide Petrum de Valle, *in Itin. Tom.* 1.

OLIVEJUS, fluv. inter Carcaſſonem ac Narbonem, memoratus *Chronico Moiſſiacenſi*: in quo dicitur, inter Saracenos ſuccenſô Narbonæ ſuburbiô, cùm Carcaſſonam pergerent, & Wilhel-

Wilhelmum alioſque Comites Francorum, prælium hîc commiſſem. Supra Narbonem in Atacem decurrit. Valeſ. *Notit. Gall.*

OLIVENTIA, urbs munita Portugalliæ, ad Anam fluv. à Caſtellanis capta, A.C. 1658. ſed reddita, pace Oliſipponenſi, A. C. 1668. 3. leuc. ab Helvis in Meridiem, 12. leuc. Portugall. ab Ebora in Ortum.

OLIVERIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.* Item *Olivier* de *Oliveto* Lupus, vide *Lupus.*

OLIVIER, Caraffa, Archiepiſcopus Neapolitanus, à Paulo 2. purpuram accepit, A. C. 1467. Dux expeditionis contra Turcas navalis, obiit A.C. 1511.

OLIVIER Cliſſonius, Coneſtabilis Galliæ, ſub Carolo V. & VI. Nobilis Brito. Cum Johanne Montfortio educatus, primum fortitudinis ſpecimen edidit in prælio Auraicenſi. Dein, in Gallia, Bertrando Gueſclino Conneſtabili præſto fuit, in variis contra Anglos pugnis re egregiè geſta: hinc illi mortuo ſucceſſit. Caroli VI. coronationi interfuit, militiâque egregiis legibus ordinatâ, in prælio *ad Roſebecum*, A. C. 1382. quô 40000. hoſtium periêre, dextro cornui præfuit. In Britanniam dein miſſus, à Duce in vincula conjectus eſt, neque liberari, niſi ingenti lytrô, potuit. Ab exule Petro Craonio, A. C. 1392. graviter vulneratus Lutetiæ eſt. Obiit paulo pôſt, decus Galliæ eximium, Juven. de Urſinis, *Hiſt. Caroli VI. Froiſſard. Mezeray.*

OLIVIER Cromvel, Angliæ Protector, ſeculo noſtro notiſſimus. Vide *Cromvellus.*

OLIVIER *Dama*, Tonſor Ludovici XI. gratia apud Regem pollens, & maximis muneribus adhibitus. Suſpenſus ſub Carolo VIII.

OLIVIER Franciſcus, primarius Præſes Parlamenti Pariſini Cancellarius Galliæ, ſub Franciſco I. Henr. II. & Franciſco II.

OLIVIER Longus, Prior S. Bavonis, prope Gandavum, A. C. 1450. ſcripſit quædam, Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

OLIVIER Maillardus, Brito, Franciſcanus. Scripſit varia, Homilias inprimis, ſed latinitate incultâ. Obiit Narbonæ, A. C. 1502.

OLIVIER Malmesburius, aliis Elmerus, vel Egelmerus, Benedictinus Anglus, A. C. 1060. Aſtrologica varia ſcripſit. Pitſeus, *de Scriptor. Angl.* Meliùs *Oliverius.* Compoſuit librum *de Signis Planetarum*: uti & alterum, *de Aſtrologorum dogmatibus.* Nimis vanæ Aſtrologorum curioſitati deditum fuiſſe, colligas ex iis, quæ refert *Jo. Pitſeus.*

OLIVIER de la Marche, Burgundus, nobilis Philippi Boni & Caroli Audacis: dein M. Aulæ Magiſt. apud Philippum Caſtellæ Regem. Scripſit Commentarios, Chronica, &c. Obiit Bruxellis, A.C. 1501. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

OLIVIER Seraphinus, Cardinal. Epiſcop. Rhedonenſis; Lugdunô oriundus. Oſſato ſucceſſit, obiit A. C. 1609. Juſtus Lipſ. *Epiſt.* 33. *&* 65. *Cent.* 5. Oſſat. *l.* 2. *ep.* 4. *& l.* 8. *ep.* 143. Frizo, *Gall. Purp.*

OLIVIER Starcajus, Anglus, A.C. 1550. Varia curioſa edidit, Pitſeus, *de Scriptor. Angl.*

OLIVULA, pars Venetiarum, in inſula parva; *Caſtello*: In qua Eccleſia Patriarchalis *S. Pietro in Caſtello.* Vide *Venetiæ.*

OLIZON, urbs Magneſiæ in Theſſalia. Homer. *Il. β. v.* 717.

Καὶ Πιτύειναν ἔχον, καὶ Ὀλιζῶνα τρηχεῖαν.

Steph. Ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοῦ μικρὰ εἶναι. Θεσσαλοὶ γὰρ, ὡς ἱστορεῖ Δημοσθένης ἐν κτίσεσι, τὸ μικρὸν, ὀλίζον καλοῦσι. Ad radices Peſii montis; ob parvitatem ſic dicta. *Nic. Lloyd.* Inter Magneſiam ad Ortum & Melibœam ad Occaſum, 40. mill. paſſ. ab oſtio Penei in Ortum, *Baudr.*

OLIZONES, Thraciæ gens, *Suid.*

OLKA, lacus Lithuaniæ in limite Palatinatus Minſcenſis.

OLLA, pater Haniel, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 39. Latinè *elevatio*, vel *holocauſtum*, aut *infans*, vel *folium.*

OLLA, apud Ægyptios, pro Numine, quod illi Canopum vocabant. Notum certamen Sacerdotis Ægyptii, & Aſſyrii Prudentius *Steph. Hymn.* 10. *v.* 265. *Si numen* Ollis, *numen & porris ineſt.* Item, inter ritus olim nuptiales. Poſtridie namque nuptiarum, in oppido Leptæ, moris fuiſſe legimus, ut ad ſocrum Sponſa mitteret *ollam* petitum, roganti reſponderent familiares, neque habere ſeſe, & ſi haberent, non eſſe daturos. Quò jam inde ferendis ſocrus (difficiles enim magna ex parte ſunt) moribus aſſuefieret. J. C. Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 101. Sed & in Dedicationibus ararum, ſtatuarum Deorum &c. qui manu tenaciore, nec victimas hoſtiaſque ſumtuoſiores, offerebant, χύτρας i. e. *ollas*, adhibebant, more ſolenni à mulieribus ſuper capita circumferendas, in quibus πανόσπρια ſeu leguminum omnigenûm elixorum mixtio, unde libatio fieret ἀφιδρυμένοις, *Diis dedicatis*, euchariſtica & propitiatoria: χαριστήρια τῆς πρώτης διαίτης, *euchariſtica, primi victus nomine*, ut loquitur Scholiaſtes *Ariſtoph. Pluto Act.* 5. *Sc.* 3. Unde ex Ariſtophanis *Danaidibus*, quæ perierunt, idem hoc diſtichon affert,

Μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς Ἑρκείου χύτρας,
Παρ' αἷς ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ,
Teſtor autem Jovis Hercii ollas,
Quibus ara hæc dedicata eſt olim.

Mulieres autem, quæ ſolæ hôc modô dedicabant, veſtes habebant verſicolores. Idem Comicus *Pluto d. l.* ubi de hoc ritu,

——— ἔχουσα δ' ἦλθες αὐτὴ ποικίλα.
Habens verò adveniſti ipſa verſicolores veſtes, &c.

Atque hoc velut originem, ſpectat id quod receptum erat de ejuſmodi ſacrificio in χύτροις, quod feſtum erat, χύτρα itidem dictum, die 13. Antheſterionis menſis quotannis celebratum, i.e. die tertiò Anthiſteriorum, poſt Pithœgia & Choas. Refert enim Theopompius Scholiaſtes ille *ibidem*, ſervatos è diluvio Deucalionæo elixâſſe *ollas* πανσπερμίας, unde feſti nomen & ſacrificâſſe Mercurio Terreſtri, Athenienſes. Scilicet, ut ob legumina atque fructus omnimodos, primæ poſt cataclyſmum rationi victus inſervientes, euchariſtica quotannis, in feſto illo ἐν χύτραις Ollarum, Baccho Diiſque aliis peragebantur: ita etiam in libationibus ex *ollis* leguminum plenis & dedicationibus ſic adhibitis, gratiæ ob primum illum victum agi conſuêvere &c. Vide Joh. Seldenum de *Synedriis Veter. Ebræorum l.* 3. *c.* 13. & ſuprà, ubi de *Dedicandi ritu.* Porrò ex *Ollis*, in quas tabellæ, quibus verſus fatidici inſcripti, conjectæ, divinatum, ut infra dicemus voce *Sortes*: etiam in iis uvas, vinaceis circumſudantibus ſtipatas, habes voce *Uva.* Imò & in *Ollis*, cineres olim reconditi, ſicut in urnis, cacabis, urceis, ampullis, amphoris, cupis, orcis & aliis hujuſcemodi vaſculis; apud Romanos videl. qui cadavera cremabant. Juxta quæ lucernas collocari ſolitas, diximus voce *Lucerna.* At more Græcorum, qui ea ſervabant integra, ea vaſa paranda fuêre mortuis condendis, quæ ad modulum corporis facta eſſent, ac totum cadaver, quàm longum erat, recipere poſſent: Cujuſmodi erant alvei, lintres, arcæ, ſolia, lecti & ſimilia. Unde κοῖλον, quô defuncti condebantur apud Græcos, Latini reddidêre *ſolium*, à ſimilitudine ſolii ſeu alvei, in quo lavabantur, quemadmodum de alveo, in quo Cyri ſepulchrum jacebat, vocem hanc interpretatur Curtius, *l.* 10. *c.* 1. Vide quoque Plin. *l.* 35. *c.* 12. & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1201. ut & ſuprà *paſſim.* Sed & in expoſitione infantum, *ollarum* uſus fuit, uti vidimus *ſuprà* &c. Alia vocis notio ſuprà, *Auris.*

OLLÆ Extares, apud Liv. *l.* 25. *c.* 16. *Graccho —— ſacrificanti, triſte prodigium factum eſt, ad exta, ſacrificiò perpetratò, angues duo ex occulto allapſi, edêre jecur — id quum aruſpicum monitu ſacrificium inſtauraretur, atque intentiùs* extares ollæ *ſervarentur, iterùm atque tertiùm veniſſe tradunt, libatóque jecinere intactos angues abiiſſe*: Sunt *Ollæ*, in quibus *exta* coquebantur. Idem *l.* 41. *c.* 15. *Ipſam aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, juſſiſſe.* Cujuſmodi *ollarum Arnob.* quoque meminit; & Varro de *L. L. l.* 4. *Hæ ſunt, quarum in ſacrificiis exta in* olla, *non in veru, coquuntur.* Plautus item *Rudente, Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 47. Sed & extar iſtiuſmodi *olla*, in *Gloſſario* &c. Vide Joh. Frider. Gronov. *ad Livium d. l.* ut & ſuprà, ubi de *Extis.*

OLLARIS Uva, vide infrà *Uva.*

OLLICULANI, Italiæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 5.

OLLINA, urbs juxta Caſpium mare, *Stephan.*

OLLIUS, prænom. Titus, Poppææ Sabinæ pater, quem honoribus nondum functum amicitia Sejani pervertit, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 45. Ubi è codic. Farneſ. legit Lipſius *Ellius.* Muretus ſuo in libro notavit *T. Ælius. Nic. Lloyd.*

OLLIUS, Lombardiæ Tranſpadanæ fluv. *l'Oglio Leandro.* Ortus ex montibus, ſuprà Edulum, in ipſo limite Rhætorum & vallis Telinæ: per agrum Brixianum fluit in lacum Sebinum, inde ad Calepium, pauloque infra territorium Brixianum à Cremonenſi ſeparat: tandem Ducatu Mantuanô aliquâ ex parte rigatô, in Padum ibi labitur.

OLLOVICO, Rex Nitiobrigum, à Senatu Romano Amicus appellatus, Cæſar *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 31.

OLMEJUS, inter fluvios Muſis dicatos, memoratur Statio *Theb. l.* 7. *v.* 284.

——— *tuque ô Permeſſe canoris,*
Et, felix Olmie, *vadis* ———

Uti vulgò habetur, ſed *Olmeje*, legi vult Barthius, ex Strabone *l.* 9. Καὶ ὁ Περμησσός τε καὶ ὁ Ὀλμειὸς ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος συμβάλλοντες ἀλλήλοις εἰς τὴν αὐτὴν ἐμπίπτουσι λίμνην, τὴν Κωπαΐδα. *Et Permeſſus Holmeiuſque ex Helicone deſcendentes confluunt, atque in lacum Copaidem exonerantur.* Cujus nec Pauſaniam meminiſſe, nec Plinium, nec Vibium Sequeſtrem, alioſque id genus talium Recentiores, miratur idem, & vocem reſtituit, apud Boccatium *de Fluminib.* *Olmejus* (vulgò *Ormigus* legitur) *Poëtis ſacer, cygnis abundans, Boëotiæ proximus.* Vide eum *Animadverſ. ad Stat. d. l.* ut & in voce *Olmius.*

OLMI, & OLMIUM, vide HOLMIUM.

OLMIA, meliùs HOLMIA, urbs Ciliciæ Trachiæ, poſtea Seleucia dicta. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Seleucia ſupra amnem Calycadmum Trachiotis cognomine, à mari relata, ubi vocabatur Holmia.* Ὄλμους ἔνιοι & Ὄλμων alii vocârunt. *Steph.* Ὄλμοι πόλις τραχείας Κιλικίας, ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς. *Holmi, urbs Ciliciæ aſperæ, ubi priùs habitabant Seleucidæ dicti jam.* Conditâ nempe Seleuciâ, qui *Olmos* habitabant, in eam migrare juſſi ſunt. *Strabo*, unde *Stephanus* accepit, Εἶθ' Ὄλμος ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς, κτισθείσης δὲ ἐπὶ τῷ Καλυκάδνῳ τῆς Σελευκίας ἐκεῖ μετῳκίσθησαν. Hoc eſt, quod ait Plin. *à mari relatam eſſe Seleuciam, ubi vocabatur Holmia.* Eandem cum *Olbia* imperitè confundit *Stephanus*, ubi ſcribit, Seleuciam Trachiam priùs nominatam eſſe *Olbiam.* Iterumque errat, quando Ὀλβίαν Pamphyliæ eandem videri vult cum Olba Solymorum Ciliciæ. Non rectè etiam Plinius, qui *Holmos* ab *Holmia* videtur facere diverſos, his verbis: *Mox flumen Calycadmus, promuntorium Sarpedon: Oppida Olme, Myle, promuntorium & oppidum Veneris.* Sed & *Hyriam* vocatam eſſe hanc Seleuciam Trachiam Ciliciæ, idem Stephanus refert, in voce Ὑρία. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 619. & 620. ut & in voce *Olmoë.*

OLMIÆ, promontor. Megaridis, apud ſinum Saronicum, in quo Pagæ oppid. apud Iſthmum, *Strab.*

OLMIUS, Orpheo *Holmius*, fluv. Bœotiæ, juxta Heliconem, Stat. *l.* 7. *Theb.* ejus meminit.

OLMOE, vide *Seleucia aſpera.*

OLMONES, urbs Bœotiæ, *Stephan.*

OLNEJUS Johannes, vide *ibi.*

OLOARITUS, centurio Claſſiarius, apud Miſenum, cui in mortem ferrum diſtringenti, protendens uterum, *Ventrem ferì*, Agrippina exclamavit, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OLOBAGRA, Urbs Macedoniæ, *Stephan.*

OLOBERÆ Veſtes, in *rubr. de veſtib. olob. l.* 11. *Cod.* legit Briſſonius. ubi nonnulli malè *Holoſericas* ſubſtituunt. Vel etiam *Olobaræ*, à Græco Ὀλοβαφεῖς, quòd omni ex parte texturæ, conchylii rubore, infectæ & conchyliô ſolidatæ eſſent: quod *l.* 4. ejus Tit. perſpicue comprobat. Etiam *Oloforus* legimus in *Gloſſis MSS.* apud Car. du Freine, *Oloſora*, *veſtis purpurea*: & apud *Papiam*: *Oloſora*, *veſtis tota ex purpura*. Ex Iſidoro *l.* 19. *c.* 22. quippe, ut auctor eſt Salmaſ. *in Obſervat. ad Jus Atticum*, pro *Holoporphyra*, tota ex *purpura*, in *MSS.* legitur *Oloſora*: unde alia nominis ratio. Anaſtaſius in *vitis Pontificum p.* 34. *Pallia olobera blattea.* Ubi editor monet, in aliquot Codicib. legi, *Oloſora*, *blatea*. Vide ſupra voce *Holoverus* & præfatum Salmaſ. *Notis ad Pollionem in Claudio*, *c.* 17.

OLOCHARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolem.*

OLOESSA, inſula circa Rhodum, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

OLOMUTIUM, urbs Epiſcopalis ampla & munita, Moraviæ caput, ad Moravam fluv. in Bohemia, capta à Suecis, diuque fortiter defenſa, ſed reddita pace Monaſterienſi. 26. milliar. German. à Cracovia in Occidentem. Multis eſt *Eburum* antiquum quod *Lazio* tamen eſt *Borowa* vicus, in eodem tractu. Hîc Jacobus Chulava, purioris religionis vindex, qui paulo antè fores carceris miraculosè apertas habuit, exire tamen dubitavit, combuſtus eſt, A. C. 1468. juſſu Epiſcopi, quem fruſtra Jodocus Epiſcop. Vratiſlavienſis monuerat, *rem non confici aſſâ carne.* Camerarius *in Hiſt. Fratrum Boh.*

OLONA, cella Vindocinenſi Monaſterio S. Trinitatis ſubjecta, in ora maris Pictonici, vulgò *Olone*, in ſolo arenoſo poſita, cum titulo Comitatus ac portu: hinc arenæ *Olonenſes*, nomen habent: Ager *Olonenſis* ſalinis & vineis abundat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

OLONDÆ, Sarmatiæ Aſiaticæ gens, *Ptolem.*

OLONIUM, oppidul. Pictav. provinc. in ora Oceani Aquitanici, cui adjacet burgus amplus, *Arenæ Olonenſes*, Gall. *les Sables d'Olone*, cum portu capaci, ubi periti nautæ, 9. leuc. à Rupella in Circium, 7. à Lucione in Occidentem.

OLOOSSON, urbs Magneſiæ. Homer. apud *Steph.*

——— Πόλιν τ' Ὀλοόσσονα λευκήν.

Cives, *Olooſſonii*, *Heſych.* Ὀλοοσσὸν, πόλις Θεσσαλίας. Fortè Ὀλοοσσὼν legendum.

OLOPHYRMUS, ex Græco ὀλοφυρμὸς, inter Poëmata eſt, quæ à lugentibus aut alia quâ fortunâ mœſtis canebantur: quemadmodum quæ ad rogum dicebantur, *Næniæ*; quæ ad tumulum, *Epitaphia*; quæ in exſequiis, cùm juſta perſolverentur, *Epicedia*, ſunt appellata. J. C. Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 50. ubi de *Threnis* &c.

OLOPHYXUS, urbs Macedoniæ in monte Atho, *Herodot.*

OLOR, ab ᾠδὸς Græco, *cantor*, an ab Hebr. הלל *cecinit*, *laudavit?* avis canora eſt, inprimis cùm funeri proxima,

Cantator cygnus funeris ipſe ſui,

ut Martialis habet, *l.* 13. *Epigr.* 77. & plurimi Veter. teſtantur, qua de re alibi. Anſere major, carniſque hinc durioris, præſertim cùm grandior natu eſt. Lautioribus nihilominus conviviis infertur, ſed pompæ potiùs gratiâ. Nec olim epulis abfuit, teſte Athenæô *l.* 9. quô fine ſaginari conſuevisſe, oculis priùs conſutis, legas apud Plut. *l.* 2. *de eſu carn.* Candore inſignis, ſicut nigredine corvus, quem utrumque colorem *Apollinem* his *ſuis alitibus*, utpote *præſtabiles ambos*, *condonâſſe*, Appulejus ait *de Deo Socr.* Robore pollens, unde & cum aquilis nonnunquam ipſis res eſt. Cœterùm, licèt aliàs minimè carnivora, tantopere tamen adversùs congeneres aves iracundiæ impatiens, ut olor olorem devoret & abſumat: quam ob cauſam inter immundas hæc avis videtur Voſſio relata, Levit. *c.* 11. *v.* 18. &c. Vide eum de *orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 80. 84. & 93. ubi inter alia & de amore ejus erga puerum Amphilochium, patriâ Olenium: plura verò hanc in rem diximus jam ſuprà, voce *Cygnus.*

OLORONENSIS, ſeu *Iluro in Benearnis*, urbs Benearniæ ad radices Pyrenæorum. Vide *Elorona*, & *Iluro.*

OLOROS, urbs Macedoniæ. Vide *Olorus.*

OLPÆ, oppid. Epiri in finibus Acarnanum. *Sopoto Nigro.*

OLSNA, urbs, Germaniæ, in Sileſia, cum titulo Ducatus, quem Lignicii atque Vratiſlavienſes Plaſteæ proſapiæ Principes, ad Henricùm uſque Probum, poſſedêre. Ejus hæreditate Henricum Craſſum, eâdem familiâ ortum, adeoque agnationis jure potiorem, Conradus III. è Glogovienſi domo depulit, ſupremis, ut jactitabat, Probi mandatis innixus. In Bohemorum dehinc clientelam conceſſit A. C. 1329. quam tum velut agmine factô cuncti ferè Sileſiæ Duces, ſpretô Polonô, ſubierant, ſed Conradi è poſteris Conradus Albus, Matthiam Bohemiæ Regem ſibi minùs æquum expertus, avitas terras Saxoni obtulit emendas: cui contractui intercedens Matthias, ſolutô pretiô, à Saxone pactô, eas ſibi comparavit, A. C. 1475. Conradô tamen, ut vice Regis præeſſet, conceſſô. Qui à regiis pulſus A. C. 1489. partes Joannis Saganenſis, bellô Glogovienſi, cum ſectatum criminantibus, mortuô Rege A. C. 1492. Ducatum recepit. At, poſtquam is mortalitati conceſſit, Vladiſlaus 199. poſt annos, à quo ad Glogovienſes is primùm pervenerat, Regno vindicavit; non multo pòſt Henrico, Georgii Podiebradii Regis Anteceſſoris ſui filio, in vicem Podiebradiæ Dynaſtiæ, permiſſum, qui etiam cum fratre Victorino, Munſterbergenſem Ducatum jam A. C. 1462. Friderici III. Imperator. donum acceperat, operâ iſtius à civium obſidione Viennæ liberati. Cujus progenie, in abnepote Carolo Friderico, non adeô dudum ſublatâ, terra hæc Sylvio Nimrodi Duci Wirtenbergico, Julii Friderici filio, obtigit, jure uxoris Mariæ Eliſabethæ, Caroli Friderici filiæ, cui ſucceſſionis beneficium Imperator contulerat. Tob. Pfannerus *de præcip. Germaniæ Principum gentibus c.* 7. Vide etiam ſuprà, ubi hanc in rem plura attulimus, in voce *Oelſa.*

OLSPERGIUM, nobilium puellarum cœnobium, in valle, Auſtriacæ ditionis, prope Rinfeldiam. An à Cadelocho, Arragoviæ Comitis, qui ſub Arnulpho Imperatore vixit, filio, quaſi *Cadolſperg*, & corruptè *Olſperg*, dictum? Urſtiſio *hiſt. Baſil.* ortum videtur eâ ætate, quâ religio Ciſtertienſium apud Burgundiæ Ciſtertium pullulavit, A. C. 1098.

OLSSA, oppid. Sileſiæ, cum titulo Ducatus 2. leuc. ab Vratiſlavia in Ortum, verſus Poloniam. Hinc *Olſenſis Ducatus.*

OLULIS, Cretæ urbs, *Ptol. Olo*, & *Olelo Pineto.* Altera Siciliæ in orâ Occidentali exciſa, inter Soluntem, & Thermas, Himeriæ. *Idem. Olulo* adhuc dicitur.

OLURUS, oppid. Achajæ, non procul à Pallene, *Steph.*

OLUS, urbs Cretæ; civis *Oluntius*, *Steph.*

OLUS, inter hortenſes Ægyptiorum Deos: Pythagoræorum eſca fuit, Plauto *in Captivis*, *Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 80. *Cæna terreſtris*, Horatio *Epod. od.* 2. *v.* 18. *Dapes inemptæ.* Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 228.

Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis certum dare Pythagoreis.

Et *Sat.* 15. *v.* 173.

Pythagoras cunctis animantibus abſtinuit, qui
Tanquam homine & ventri indulſit non omne legumen.

Vide Laërtium *l.* 8. Multi enim Antiquorum, ut Quintilianus *Declam.* 13. ait, tradiderunt, id Philoſophorum genus omnibus epulis per mortem paratis abſtinuiſſe. Quos imitatos, carnibus non veſci in communione Romana Carmelitas, ſanctioris ac rigidioris vitæ causâ, docet Polydor. Virg. *de Inv. Rer. l.* 7. *c.* 3. Sed *opinionem hanc veterem falſam* vocat A. Gellius *l.* 4. *c.* 11. Callimachô & Cicerone in partes vocatis. Plutarchus quoque *l.* 1. *de Homero*, Ariſtotelem ſcripſit eadem de Pythagoræis memoriæ mandâſſe, quòd videl. non edendis animalibus in genere, ſed paucâ tantùm carne quâdam abſtinuerint. Quæ utut ſe habeant, certum tamen eſt Ægyptios, à quibus omnia ferè Pythagoras hauſit, certis quibuſdam cibis, præcipuè carne, ſed & *Oleribus*, abſtinuiſſe. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 12.

——— *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa, nefas illis fœtum jugulare capellæ.

Sacerdotes inprimis & ſacris initiati, qui, inanimis cibis acquieſcere, partem religionis duxêre. Quos Brachmanes, apud Indos: Eſſeni, inter Hebræos, aliique ſunt imitati. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 7. *c.* 12. Magos verò *oleribus* ſolis & farinâ veſci ſolitos, Cœl. habet Rhodig. *l.* 13. *c.* 25. &c. De *Olerum* ſpeciebus paſſim: Vide & ſuprà, voce *Olera.*

OLYBIUS, prænom. Maximus, vir inſignis, ſed lucernâ, in ejus monumento repertâ, celebrior. Ita enim de illo Bernardinus Scardeonius, *de Antiquit. Urbis Patavinæ*; *Quis*, inquit, *ſanæ mentis Maximum* Olybium *connumerandum hîc eſſe neget, atque à nobis inter Patavinos cenſendum? Quem conſtat, fuiſſe Virum maximæ præſtantiæ, & ſummô ingeniô præditum, quandoquidem tam admirablii arte lucernam concinnaverit: ut perpetuô fulgore lucens, mille & quingentos annos plus minus, Plutoni dicata, ſub terram accenſa remanſerit: Nam annum circiter* 1500. *noſtræ ſalutis, juxta Ateſtem, municipium Patavinum, dum foderetur à ruſticis terra ſolitô altiùs, reperta eſt urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat Lucerna adhuc ardens, inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera argentea, puriſſimô quôdam liquore plenas*, &c. Paulo pòſt utriuſque urnæ Inſcriptiones recenſet: & quidem in majori hi verſus legebantur,

Plutoni. Sacrum. Munus. Ne. Attingite. Fures.
Ignotum. eſt. Vobis. Hoc. Quod. In. Orbe. Latet.
Namque. Elementa. Gravi. Clauſit. Digeſta. Labore.
Vaſe. Sub. Hoc. Modico. Maximus. Olybius.
Adſit. Fœcundo. Cuſtos. Sibi. Copia. Cornu.
Ne. Tanti. Precium. Depereat. Laticis.

In altera minori:

Abite. Hinc. Peſſimi. Fures.
Vos. Quid. Vultis. Veſtris. Cum. Oculis. Emiſſitiis.
Abite. Hinc. Veſtro. Cum. Mercurio.
Petaſato. Caduceatoque.
Donum. Hoc. Maximum. Maximus Olybius.
Plutoni. Sacrum. Facit.

De quorum verborum ſenſu, magna animorum contentione decertârunt hactenus Eruditi. Franc. Maturantius Peruſinus *Ep. ad Alphenum*, Chymiæ Artis elementa & materiam omnium, his ampullis clauſam fuiſſe, ſtatuit; cui Hermolaus Barbarus aſſenſum præbet, aliique quamplurimi. Alii verò, *Olybium* hunc, Virum inter Ethnicos ſapientiſſimum, novum hoc monumenti genus, à nemine antea conditum, & poſteris vix imitabile, ſibi condidiſſe; in quo pulcherrimâ quâdam Metaphorâ æterni luminis, & aurei argenteique liquoris, quidnam in ſepulchris manere opinarentur Veteres, inſinuare voluerit, contendunt. Nimirum Animam rationalem, cujus duæ poſt hominis obitum ſuperſunt illæſæ facultates, Intellectus atque Voluntas, quantum illa pulchrè argenteô latice repræſentatur, hæc aureô liquore; ipſarumque poſt mortem hominis æterna operatio lumine perpetuô lychni incombuſtibilis &c. Vide hac de re pluribus differentem Fortun. Licetum *de Lucernis Antiquorum paſſim*, *inprimis verò l.* 1. *c.* 9. & *l.* 2. *c.* 12.

OLYBRIUS Flavius Anicius, Conſul Roman. cum Probino, An. Urb. Cond. 1148. tanto apud Leonem Imperator. in pretio, ut ei Placidiam, Valentiniani filiam, à Genſerico remiſſam, uxorem dederit. Succeſſit dein Anthemio, ope Ricimeri, ſeptimô pòſt menſe cæſus à Gothis, Glyceriô ei ſurrogatô, A. C. 472. Pater Julianæ, quæ Areobindo, quem populus Anaſtaſio ſubſtituere volebat, nupſit. Caſſiodor. *in Chron.* Marcellin. Claudian. *in Prob. & Olyb. Conſulatu*, *v.* 29.

——— *Veteris quis facta Probini*
Neſciat, aut nimias laudes ignoret Olybri?

Nic. Lloydius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OLYCA, urbs Macedoniæ, Steph. in *Theopompo.*

OLYCRÆ, urbs circa Naupactum. Hodie non extat.

OLYMPE, urbs Illyriæ.

OLYMPENA, urbs Myſiæ circa Olympum, Plin. *l.* 5. *c.* 32.

OLYMPEUM, Locus in Delo inſula, *Athenæ novæ Hadrianæ* vocatæ, ab Athenienſibus. *Steph.* Harum meminit quoque vetus Lapis Mediolani. *Olympeum* etiam locus circa Syracuſas videtur, apud Thucydid. *l.* 6. & 7. Diodor. *Sic. l.* 16. *f.* 546.

OLYMPIA Fulvia Morata, Ferrarienſis, Græcam & Latinam literaturam publicè docuit in Germania, ſicut in Italia Caſſandra Fidelis. Ejus Epitaphium tale: *Olympiæ Fulviæ Moratæ, formâ quondam mulieri, ingeniô homine majori, animô quô ſôlô Chriſtum caperet, ſperneret mundum totum.* Opera ejus Cœlius Sec. Curio edidit, in quibus carmina occurrunt Græca & Latina magni pretii. Vide Jac. Phil. Thomam *Elog.* Melch. Adami *Vit. Philos.* Bezam *Iconibus* & ſuprà *Morata.*

OLYMPIA, urbs inter Oſſam, & Olympiam montem non procul ab Elide & Piſa, civitatibus Græciæ, ubi erat templum Jovis Olympii, vel Olympici, mercatu, & celebritate illâ quinquennali ludorum Olympicorum nobilis, Strabo *l.* 8. *Arpina* olim dicebatur, ut *Nicanor* ſcribit, à matre Oenomai. *Stephanus* etiam *Piſam* prius vocatam tradit. Hodie *Langanico* dici ſcribit *Caſtaldus, Stauri Nigro. Baudrando* urbs Elidis, nunc *Langanico,* in provinc. *Belvedere*, inter Elidem in Circium & Spartam in Eurum.

OLYMPIA, *orum*, ludi ab Hercule inſtituti, in honorem Jovis, A. M. 2836. ante reſtaurationem ab Iphiro factam, An. 442. circa Olympiam Eleæ regionis urbem, à quâ & nomen habent. Hercules enim, Augeâ Elidis rege ſuperatô, ejuſque ſtabulô repurgatô, in campis Olympiæ vicinis, juxta Alpheum fluv. ſacrum certamen inſtituit, quod quintô quôque annô, vel, ut Lycophronis interpres aſſerit, quinquageſimô menſe, celebraretur: idque eô conſiliô, ut, in illo certamine, Græciæ juventus ſeſe pentathlo, ſeu quinquertiô exerceret: *caſtibus* ſcil. *curſu, ſaltu, diſcô,* & *palæſtrâ:* iiſque velut meditationibus vero certamini præluderet. Fuerunt autem & Quinquennalia, & per quinque dies celebrabantur, quòd quinque fratres eſſent, Hercules, Peonæus, Epimedes, Iaſius & Ida. Victor, qui *Olympionices* vocabatur, & qualem eſſe, uti Cicer. *pro L. Flacco* refert, apud Græcos judicabatur, prope eſſe majus & glorioſius, quàm Romæ triumphâſſe, oleaſtrô, vel, ut Ariſtoteli placet, oleâ, quæ Calliſtephanos dicta fuit, coronabatur; tantumque honoris ei habebatur, ut non per portas urbis, ſed per ruinas murorum, ſublimis in curru in patriam reveheretur. Hinc *Olympiacus.* Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 49.

Si quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos —— ——

Item *Olympicus.* Fuit apud Megarenſes *Jovis Olympii*, ſeu *Olympici* celebris & Lucus & templum, in quo proditum eſt, ipſius Jovis Olympii ſimulachrum fuiſſe non affabrè elaboratum, cujus πρόσωπον, i. e. os ſeu facies ebore aurôque conſtabat, reliquum verò corpus lutô & gypſô, opus Theocoſmi Megarenſis, adjutore Phidiâ. Supra Jovis caput Horæ erant, & Parcæ, uni enim Jovi fata parère notiſſimum eſt, eundemque tempus, ubi opus ſit, diſtribuere. Sanè & in conviviis primum poculum, ſeu primus crater, Jovi Olympio & Diis Olympiis ſacer erat. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 1. *v.* 3.

Sunt quos curriculô pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat. —— ——

Lucian. *in Harmonide*, τῶν μεγάλων Ὀλυμπίων meminit, ubi τὰ μεγάλα non παρέλκει, ſed eò quòd in pluribus locis Græciæ certamina ſacra celebrabantur ſub Olympiorum nomine, ideo dixit *Olympia magna*, ad differentiam eorum, quæ minus celebria erant. Intelligit igitur Olympia magna, quæ Piſæ ad Alpheum celebrabantur, quæ & antiquiſſima à Pelope & Hercule erant, & celeberrima non ſolùm in totâ Hellade, ſed etiam, Italiâ, Siciliâ, Aſiâ, Ægyptô, Syriâ, Cyrenaicâ, concurrentibus ad ſpectaculum & athletas & quadrigas eò mittentibus: In his Choræbum primum victorem refert Athenæus. Minora verò Olympia erant, quæ celebrabantur Dio Macedoniæ, ab Archelao rege inſtituta; quod nos docet Demoſthenis Scholiaſtes, *ad Orat.* περὶ παραπρεσβείας, *his verbis:* Τὰ Ὀλύμπια δὲ πρῶτος Ἀρχέλαος ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας, κατέδειξεν, ἤγετο δὲ ἐπ᾽ ἐννέα, ὡς φησὶν, ἡμέρας ἰσαρίθμους ταῖς Μούσαις. Eôdem nomine erant etiam Athenis, ut docet Pindari Scholiaſtes *ad Olymp.* 7. *ad hæc verba:* Κρανααῖς ἐν Ἀθάναις. Sic enim commentatur: Εἴη δ᾽ ἂν ἤτοι Παναθηναῖα ἢ τὰ Ἡράκλεια, ἢ τὰ Ὀλύμπια, &c. Vetus inſcriptio Romana, de qua Joſ. Scaliger, *l. de Emend. Temp.* 5. *p.* 476. Olympia etiam poſt Panathenæa recenſet, & *Heſych.* Ὀλύμπια ὁ Ἀθήνησιν ἀγών. Item alia Olympia, quæ Smyrnæ, & alia, quæ Pergami, & alia Alexandriæ, quorum mentionem fieri in Pandectis aſſerit idem Scaliger. Reſpectu igitur horum omnium certaminum, quæ ſub nomine Olympiorum diverſis locis celebrabantur, dicta ſunt *Olympea magna* ea, quæ Piſæ committebantur. Originem Olympiorum lege apud Pauſan. *l.* 5. Honorem ejus quod attinet Pind. *Od.* 1. *Olymp.* ait, hoc certamen excellere inter reliqua, non aliter atque inter Elementa aqua excellit, inter opes aurum, Sol inter ſidera: additque nihil ſe excellentius cantaturum, Μηδ᾽ Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν. Olympionicarum verò quatuor præmia fuêre, quæ Ludovicus de La Cerda recenſet, *ad prædictum Virgilii locum.* Primò Corona ex Oleaſtro, Archias, qui unicô verſu præmia certaminum quatuor ita incluſit:

Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Ubi κότινος Olympicos ludos reſpicit, & *Oleaſter* ſignificatur. Ariſtophanes *in Pluto*, præcedente mentione Olympici certaminis, ita ait:

Τῶν Ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας στεφανώσας κοτίνου στεφάνῳ.

Philo *in l.* ὅτι πᾶς σπουδ᾽ Ἐλευθ. Ὑπὲρ κοτίνων, καὶ σελίνων, ἐυκλεὴς ἀγωνισταῖς ἡ τελευτή. Nazianzenus loquens cum S. Cypriano *Oration.* 18. Τοῦτό σοι καὶ τῶν λόγων γέρας, καὶ τῆς ἀθλήσεως, ὁ κότινος Ὀλύμπιος. Ubi malè Latinus Interpres vertit *Olivam Olympicam.* Oppianus Κυνηγετικῶν *quartô:*

—— Πολλοῖσιν ἐρεψάμενος κοτίνοισι.

Dio quoque Chryſoſtomus *Orat.* 27. nominans 4. illa præmia, unum eorum ponit κότινον. Stat. *l.* 6. *Theb. v.* 6.

Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque ferâ crinem detorſit olivâ.

Circumfertur & Græcus verſiculus,

Ζηνὸς Ὀλύμπια νικῶντες φέρον ἀγριέλαιαν.

Plin. in promptu eſt *l.* 15. *c.* 4. & *l.* 16. *c.* 44. Quædam etiam ad hanc rem obſervat ex Themiſtio Junius *l.* 5. *c.* 21. Secundò Corona ex oleâ. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 21.

Ipſa caput tonſæ foliis ornatus olivæ.
Dona feram. —— ——

Eurip. apud Plutarch. *in Alcib.* Olympionicen infert δὶς στεφθέντα ἐλαίᾳ. Pindar. *Ode* 4. *Olymp.* Pſaumidem Olympici certaminis victorem ἐλαίᾳ στεφανωθέντα Πισάτιδι. Vide Cæl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 19. Cui adjunge Artemidorum *l.* 4. *c.* 54. qui de Olympiis loquens utrumque nominat ἐλαίαν, & κότινον. Tertiò, Corona ex auro. Ideoque *Pindarus* Olympiam vocat, ματέρα χρυσοστεφάνων ἀέθλων. Quartò ferebant non ſolùm coronas in capite, ſed palmam in manu. Vitruvius *in præfat. l.* 9. *Athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modò in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cùm revertuntur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur, è reque publicâ perpetuâ vitâ conſtitutis vectigalibus fruantur.* Seneca *in Agamemnone, Actu* 5. *v.* 935.

Cape hoc decorum ludicri certaminis.
Inſigne frontis, lævâ victricem tenens
Frondem, virenti protegat ramô caput.
Et iſta donum palma Piſæi Jovis
Velamen eadem præſtet, atque omen tibi.

Hæc tantùm inveni, ſi quis alia, his adjungat. Nam verba illa in *Prologo Agathiæ*, οὐ γὰρ οἶμαι κοτίνου γε ἕνεκα, καὶ σελίνου οἱ Ὀλυμπιονῖκαι ἐν ταῖς κονίστραις ἐναπεδύοντο. Hæc verba, inquam, novum præmium non faciunt; etiamſi apium nominetur; Nam apium præmium fuit tantùm Nemeorum, ſed ex dignitate Olympicorum natum, ut trium etiam reliquorum ludorum certatores *Olympionicæ* dicerentur, & ſenſu iſtô capiendus Agathias. Ulpianus *in Demoſthen. Orat. contra Leptin.* inſinuat præmium aliud: Οἱ μὲν γὰρ τῶν ἀγώνων εἰσὶ στεφανῖται, οἱ δὲ ἀργυρῖται. Sed non liquidum, an Olympicorum eſſet pecunia, & credibile non fuiſſe. Nam apud Herodot. *l.* 8. Tigranes laudat Græcos, quòd in Olympicis darent præmium, στέφανον, ἀλλ᾽ οὐ χρήματα, De La Cerda. Vide *Iphitus.* Item Paul. Cruſium *l. de Epoch.* Origan. *T.* I. *Ephemer.* Scaliger. *de Em. Temp. l.* 1. & 5. Petav. *l.* 9. *de doctr.* & *in Ration. temp.* Torniel. Salian. Spond. *in Annal. V. T.* Langium, *de Annis Chriſti.* Ricciol. *Chron. Ref. T.* 1. *l.* 3. *c.* 2. &c. *Nic. Lloyd.*

OLYMPIAS, Alexandri M. mater, ex Philippo Macedonum Rege Filia Alexandri Epirotæ. Ob hujus ſuperbiam maritus offenſus, an ob adulterii ſuſpicionem potius? aliam ſuperinduxit: necis mariti cauſa credita; pugio enim, quô ille à Pauſania confoſſus fuit, *Myrtales* nomen, quô illa in puellari ætate uſa fuerat, habuit inſcriptum. Alexandrum divinitatem affectantem riſit: poſt hujus obitum, occiſis Aridæô, Eurydice, Nicanore pluriniſque aliis Macedonum nobiliſſimis, ſæva: tandem in Caſſandri poteſtatem Pydni redacta, & occiſa eſt. Curt. Juſtin. Plutarchus, *in Alexandro.* Item venti nomen, Plin. *l.* 2. *c.* 47.

OLYMPIAS, vidua ſancta & Diaconiſſa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, tempore Chryſoſtomi. Filia Comit. Aniſii, neptis Præfecti Ablavii, qui celebris admodum fuit ſub Conſtantino M. Nebridio nupta, celeberrimos Orientis Epiſcopos invitavit, à Greg. Nazianzeno abſente inſigni epithalamiô exornata. Maritô mortuô, cùm maximas poſſideret opes, Elpidii, Theodoſii cognati nuptias ambita recuſavit, illas in pauperes & Eccleſiæ uſum liberaliter erogans. Obiit in exilio, cùm & Chryſoſtomus pulſus eſſet. Pallad. *Laus. Hiſt. c.* 42. & *de vit. Chriſt.* Sozom. *l.* 8. Baron. *in Annal.*

OLYMPIAS, ſpatium quinque ſeu quatuor potius annorum. Vide Scaliger. *l.* 2. *Auſon. Lection. c.* 23. & *l. de Emend. Temp.* Seneca *in Hercule Inſano, v.* 839.

Quantus Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cùm Sacrum revocavit æſtas.

Ubi *Farnabius*, *Quartô quidem expletô annô, quintô ineunte: nova que enim Olympias, aut luſtrum quinque abſolutos annos complectitur.* Ibi etiam pro *coit* alii *ruit* malunt. Sane Ovid. *l.* 1. *de Art. Am. v.* 97.

Sic ruit ad celebres cultiſſima fœmina ludos.

Cenſorinus *de die Nat. c.* 18. *Sed horum omnium* Πενταετηρίδα *maximè notandis temporibus Græci obſervant, i. e. quaternum annorum circuitus, quas vocant Olympiadas.* Hoc eſſe verum ſpatium Olympiadis, videre eſt apud Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *Rom. Antiq. p.* 61. Nam centum viginti annos, triginta Olympiadas facere, diſertè memorat. Vide Africanum citatum ab Euſebio, *l.* 10. *Præp. Evang. p.* 286. D. Cyrillum *Catech.* 12. quique illum locum in ſua collectanea retulit, Suidam in Ὀλυμπιάς. Iſidor. *l.* 5. *c.* 37. Solin. *c.* 1. Quia verò hoc temporis ſpatium etiam πενταετηρὶς dicitur, ideo Poëtæ pro ſolido quinquennio accepère; Ovid. *Pont. l.* 4. *Eleg.* 6. *v.* 5.

In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta eſt,
Jam tempus luſtri tranſit in alterius.

Nic. Lloydius. Idem Clar. docet Gronovius, qui *Olympiadem* & *Græcis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Græcis & Latinis dictam eſſe pro tempore quinquenii, quum revera tantummodò quatuor annos complecteretur, ait. Sic contrà, quinque anni pro *Olympiade*; Senec. *loc. cit.*

Quinta cùm ſacrum revocavit æſtas.

Nimirum idem annus quintus prioris, & primus incipientis *Olympiadis* fuit. Sic notum ex inſtituto Cæſaris, quartum quemque annum biſſextilem eſſe. Id *luſtrum* dicit Ovidius, *l.* 3. *Faſt. v.* 165. quæ vox Romanis propriè quinque annos ſolidos ſignificat, ſine reſpectu præcedentis luſtri,

Hic anni modus eſt, in luſtrum accedere debet,
Quò conſummetur partibus una dies.

Ubi *in luſtrum*, eſt in quinque annos, in quintum quemque annum, revera autem quartus eſt. Vide Anton. Thyſium, *Notis in A. Gellium l.* 3. *c.* 10. Nonnulli annorum quatuor & dimidii, menſium autem Lunarium 50. fuiſſe dicunt. Voſſius Græcos, ut annum Lunarem ad curſum Solis componerent, alternis bienniis nunc 22. nunc 23. dies intercalâſſe, quoque annô dierum 23. fieret intercalatio, ſacra ludicra Olympiaca celebrata fuiſſe, quintô videl. quôlibet annô, non quidem abſolutô, ſed inchoante, cùm *Olympias* omnis fuerit interjecta inter Lunares duas Συζυγίας ſive Conjunctiones, aſſerit. Et quidem primum quadriennii menſem à Novilunio initium cepiſſe, ludos autem incepiſſe Lunâ 15. peractô Noviluniô, addit, *de Scientiis Mathem. c.* 32. *num.* 2. Inchoat autem Varro Hiſtoricum tempus ab initio *Olympiadum*, ſive ab anno Periodi Julianæ 3938. quô eas, ab Hercule quondam inſtitutas ac multis intermiſſas ſeculis, Iphitus, Praxionidæ fil. inſtauravit annis ab excidio Trojæ 406. Erantque ſic hi ludi verè temporum cuſtos, cumque Atticis Archontibus conſpirabant: unde à Græcis duo iſta, quis *Olympionices*, & quis *Archon* extiterit, annotari fuiſſe ſolita, legimus. Per eaſdem Ethelredum quoque Anglo-Saxonum Regem Regni ſui annos computâſſe, refert Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* ex Charta quadam, in qua hæc extant: *Conſentiens ſigno S. Crucis, ſubſcripſi in Olympiade quarta Regni mei*: i. e. ut ex Synchronis Scriptoribus colligitur, anno regni ejus 16. Dom. noſtri Jeſu Chriſti 994. vel hunc circiter. Vide quoque ſuprà, voce *Chronologia*.

OLYMPIAS, in quibuſdam regionibus dictus eſt ventus, qui aliis *Argeſtes*. Auctor *libri de Mundo*, Ἀργέστης ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως, ὅν τινες καλοῦσιν Ὀλυμπίαν, οἱ δὲ Ἰάπυγα, *Argeſtes ab occaſu æſtivo, quem quidam vocant* Olympiam, *alii Japyga*. Ariſtoteles, οἱ καλοῦσιν οἱ μὲν Ἀργέστην, οἱ δὲ Ὀλυμπίαν, οἱ δὲ Σκίρωνα, *quem appellant alii Argeſtem, alii* Olympiam, *alii Scironem* &c. Nempe à loco elatiori, *Olympias* dicebatur, ut habet Plin. *l.* 2. *c.* 47. quòd ex eo monte flatus ejus perciperetur: quemadmodum idem, *Japyx*, dictus eſt, à regione Japygia, è cujus ſinu rectà in Calabriam ferebatur. Vide Salmaſ. *in Solin. p.* 1257.

OLYMPICI Ludi, vide in voce *Olympia*, & infrà ubi de *Olympionicis*.

OLYMPIEIUM, locus in Delo, quem cum Athenienſes Adriani ſumptu condidiſſent, Novas Athenas Adrianas vocârunt, *Steph.* Vide *Olympeum*.

OLYMPII, duo tibicines nobiliſſimi fuerunt, quorum prior diſcipulus fuit Marſyæ, Satyri ejus, qui Hyagnidis fuit filius; de quo Ovid. *l.* 6. *Metam. Fab.* 6. *v.* 392.

Illum ruricolæ ſilvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres & tunc quoque clarus Olympus,
Et nymphæ flerunt. ——— ———

Fuit autem is, ut Suidas ſcribit, è Myſiâ regione tibicen & poëta melicus atque elegiacus princepſque illius Muſicæ, quæ κρουματική dicitur, quæque per tibias fit. Hunc ante Trojanum excidium floruiſſe atque ab eo nomen ſumpſiſſe montem Myſiæ, idem *Suidas* tradit. Odas multiplices hunc eundem inveniſſe, teſtatur Pindari Scholiaſtes, *in Pythiorum calce.* Vide auctorem Scholiorum *in Equites Ariſtophan. p.* 288. G. Fuit item alius junior è Phrygia tibicen, tempore Midæ regis, *Suidas*.

OLYMPII Dii, propriè dicti ſunt XII. Dii, quorum ara Athenis extabat, de qua legimus apud Plut. *in Vita* Demoſthenis, Κεῖται δὲ εἰκὼν πλησίον τοῦ περιχοινίσματος τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα Θεῶν, ὑπὸ Πολυεύκτου πεποιημένη. Vide ſuprà in voce *Duodecim*. His decimum tertium ſe addi voluit Alexander M. ſcriptis ad Græcos literis, poſt victum Darium & totam ditionem Perſicam in ſuam poteſtatem redactam, elatior. Unde Ælian. *Variar. l.* 5. *c.* 12. τὸν δὲ Ἀλέξανδρον ἐνέγραψε τοῖς Ὀλυμπίοις, *Alexandrum autem inter Olympios retulit.* Id enim moris habuerunt Græci, ut, quos in Deorum numerum referrent, τῶν Ὀλυμπίων παρέδρους, *Olympiorum aſſeſſores*, vocarent, & quaſi Patres conſcriptos Deorum concilii facerent. Uti alicubi Lucian. Hephæſtionem, ab Alexandro ἀποθεωθέντα πάρεδρον τῶν Ὀλυμπίων Θεῶν nuncupat, *Deificatum aſſeſſorem Olympiorum* &c. Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alexandro Severo c.* 63. At Keuchenius per τοὺς Ὀλυμπίους, quorum πάρεδρον dicebatur recèns in Deos relati, Olympionicas intelligit quos ἰσοθέους habitos mox dicemur.

OLYMPIODORUS, vir quidam, qui docuit Epaminondam tibiis canere. Item hiſtoricus Ethnicus, Thebis Ægypti oriundus, qui hiſtoriarum condidit libros 22. atque incepit ab Honorii Conſulatu ſeptimo, & Theodoſii ſecundo, h. e. A. C. 407. deſiit verò ubi Valentinianus, Placidæ & Conſtantii fil. factus eſt Imperator Roman. h. e. A. C. 425. Dicavit hiſtoriam ſuam Theodoſio minori, Arcadii filio. Stylô uſus eſt commentariis non hiſtoriæ convenienti; quod nec ipſe neſcivit, ut qui libros ſuos Ὕλην, ſive ſylvam, hiſtoriæque materiam inſcribat: uti Latini ſolent Commentarios. Auctor Photius, *Cod.* 80. apud quem etiam Excerpta admodum luculenta ex commentariis iſtis habemus, Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Græc. c.* 20. *p.* 261. *Olympiodorus* ſcripſit in *Threnos*, & *Eccleſiaſten*, itemque in *Meteora Ariſtotelis*, & Hypotheſes in librum *Job*. Sixt. Sen. *Bibl. Sac. l.* 4. Diverſus eſt *Olympiodorus* ille ὁ Ἀθηναίων προστατήσας, qui de Diogene Cynico nonnihil tradidit, teſte Laërtiô *l.* 6. *Nic. Lloydius.*

OLYMPIODORUS, Alexandrinus; Peripateticus; Præceptor Procli, commentatus eſt in quædam Ariſtotelis, & Platonis ſcripta, A. C. 480. Fuit & *Olympiodorus* Alexidis apud eundem Laërt. *in Platone*. Item *Olympiodorus* tibicen, magiſter Epaminondæ fuit; teſte Ariſtoxeno apud Athen. l. 4. Denique medicus quidam apud Plin. *l* 1. *c.* 12.

OLYMPIONICÆ, qui ludis *Olympicis* victoriam retulêre, cùm Patriæ ſuæ ingens hôc pactô decus conciliarent, tantô olim honore habiti ſunt, apud Athenienſes inprimis vel magnô Reip. ſuæ impendiô ac ſumtu, ut lege cum coërcendum cenſuerit Solon, teſte Diogene *in ejus vita.* Lex fuit: Τῷ Ὀλύμπια νικήσαντι δραχμὰς πεντακοσίας δίδοσθαι, Olympionicæ *quingentæ de publico drachmæ dantor.* Vide Plut. *in Solone.* Verùm non diu obtinuit, cùm non longè pôſt *Olympionicæ* publicè ſint excepti in Prytaneo: Unde Calliſthenes apud Plut. *in Ariſtide*, de Polycrita Lyſimachi filia; Καὶ ταύτῃ, inquit, σίτησιν ὅσην καὶ τοῖς Ὀλυμπιονίκαις ὁ δῆμος ἐψηφίσατο. Et Antiphanes Poëta Comicus,

Γέρα γὰρ αὐτοῖς ταῦτα τ' Ὀλύμπια
Νικῶσι δίδοται, χρηστότητος ἕνεκα,
Σίτησις. Οὗ γὰρ μὴ τίθενται συμβολαί,
Πρυτανεῖα ταῦτα πάντα προσαγορεύεται.

Itaque; ut ad epulum admitterentur, ſymbola fidem faciebant; & niceteria de collo geſtabant, Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 67.

Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Fuiſſe autem has σιτήσεις quotidianas, innuere videtur Ælian. περὶ ζώων ἰδιότητος *l.* 6. *c.* 49. in hiſtoria muli illius vetuli, qui juniores ac robuſtiores ad vecturam comitabatur, atque adeò, quà poterat, cohortabatur, cùm ædem Minervæ Athenienſes conderent; Ab eodem Solone reliquis quoque Hieronicis honorarium; ſed minus, conſtitutum fuiſſe, patet ex lege, quâ Iſthmionicis (qui tamen infra dignitatem Pythionicarum quoque ac Nemeonicarum, nedum *Olympionicarum* fuêre) centum de publico drachmas dari voluit. Græcos imitati Imperatores Romani, præmia ſive opſonia pro Iſelaſticis certaminibus ſimiliter conſtituerunt, ut ex amœbæis Plinii Trajanique epiſtolis diſcimus, ubi, inter alia, Iſelaſticum Imperator incipere voluit, quum quis in patriam ſuam εἰσήλασεν, *invectus eſt.* Quin etiam, qui tribus coronis erant ornati, civilium munerum vacationem obtinebant, excuſabantur à tutelis neque ullâ notabantur infamiâ. Vide Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas l.* 1. *tit.* 1. *p.* 59. & *ſeqq.* Porrò, iidem *Olympionicæ* nonnunquam monetam ſignandi jus accepêre; quod de Anaxila Rhegino tradit Pollux *l.* 5. *c.* 12. Lacedæmone locus iis ſepoſitus eſt in ordinibus; & ordine diſpoſiti circa ipſum Regem pugnabant, Plut. *Sympoſ.* 2. *Problem.* 5. Iiſdem jus aſyli conceſſum; & veſtis ἀνθινή, *florida* ſeu palmata, quâ à cœteris diſtinguerentur, Lucianus *Demon.* Statuæ quoque erectæ; ex eorundem numero Duces exercituum lecti; aliaque privilegia indulta; quæ illos tantùm non ἰσοθέους, *Diis æquales*, redderent. Imò quod nunquam ab quæſita adulatione ipſis Principibus Romanis tributum, quibus *honor Deûm non antè habebatur, quàm agere inter homines deſiiſſent*, Tacit. *Annal. l.* 15. *extr.* Euthymius pycta, ſemper Olympiæ victor, & ſemel victus, *ſicut mortale faſtigium egreſſus, conſecratus eſt vivus ſentienſque*, Plin. *l.* 7. *c.* 47. Unde *Olympionicarum vitam* beatiſſimam judicans Socrates apud Platonem, de civitatis ſuæ, in his terris, quam animô formabat, incolis ait, *Omnibus igitur his difficultatibus liberati vitam agent felici illa* Olympionicarum *vita beatiorem, de Republ. l.* 5. Vide Keuchenium *ad Nepotis Præfati* verba; *Victorem Olympiæ citari*, & de iis, ut & de *Ludis Olympicis* plura, eruditô labore congeſta, à Car. Paſchalio *Coronar. l.* 6. *c.* 1. *uſque ad c.* 25. Addam ſaltem prædictis, quòd nomina eorum, qui hoc victoriæ genus adepti eſſent, in commentarium referri conſueverint; Philo περὶ Εὐγεν. Inſcribebatur autem Athleta victor νικηφόρος. Unde *Olympionicarum* Laterculus, Ὀλυμπιονικῶν Ἀναγραφή, Salmaſio memoratus, *ad Pallium Tertulliani*, qui tamen octo celebrium tantùm *Olympionicarum* meminit, qui pugiles ab Hercule proximi habiti pancratiô ſimul & luctâ vicerunt. Et quidem Herculem quod attinet, auctor is Gymnicorum certaminum fuit, ſed ille vi, non arte, pugillabat ac luctabatur. Hinc vires corporis & genitivum robur, non artem ejus, in certaminibus Veter. commendârunt. Theocritus de Pugile quodam;

Φαντί μιν Ἡρακλῆϊ βίην καὶ κάρτος ἐρίσδειν.
Dicunt eum cum Hercule quoad vim ac robur contendere.

Octo autem illi in laterculo prædicto memorati, fuêre Carus Eleus, Rhodius, Protophanes &c. Ita enim illa ἀναγραφή· Κάρος Ἠλεῖος καὶ πάλην καὶ παγκράτιον ἐνίκα μετ' Ἡρακλέα· καὶ ἀναγράφεται δεύτερος ἀφ' Ἡρακλέους. *Carus Elienſis & lucta & pancratiô vicit poſt Herculem, ac inſcribitur ſecundus ab Hercule.* Ibidem paulo pôſt de Leònida: Ὁ αὐτὸς τὸ τρίτον Ῥόδιος: τρίτος ἀφ' Ἡρακλέους, πάλην ὁμοῦ καὶ παγκράτιον. Πρωτοφάνης Μάγνης, πάλην καὶ παγκράτιον, τέταρτος ἀφ' Ἡρακλέους &c. *Idem tertiùm Rhodius, tertius ab Hercule luctâ ſimul & pancratiô. Protophanes Magneſius luctâ ſimul & pancratiô, quartus ab Hercule* &c. Sed & moris erat nomina eorum publicè στηλιτεύεσθαι γραφαῖς, *incidi ſicut in columna publicis monumentis.* Nec verò horum tantùm, ſed & illorum, qui primò quidem viciſſent, poſtmodum verò victi eſſent, uti teſtatur Plut. *Ageſilao*, apud laudatum ſuprà Paſchal. *l.* 6. *c.* 12. &c. De more coronas *Olympionicarum*, coram Judicibus, primum ſuper tripode æneo, poſtmodum in menſâ, collocandi, vide aliquid infrà voce *Tripus*. Qui verò ter Olympia viciſſet, *Triſolympionicen* appellari conſueviſſe, dicemus ſuô locô. Plura de *Olympiadum Epochâ duplici, vera & vulgari, ac utriuſque initio; deque* Olympionicarum *in Chronologia uſu, Scriptoribus & hiſtoria*, vide apud Joh.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Marshamum Equ. *Canone Chron. Sec.* XV. & XVII.

OLYMPIUS, Nemeſianus, qui, teſte Vopiſcô in vita *Numeriani, c.* 11. ſcripſit *Halieutica, Cynegetica,* &c.

OLYMPIUS præſul, natione Hiſpanus, inter Chriſtianos ſcriptores commemoratur à *Gennadio.* Edidit librum adverſus eos, qui naturæ non arbitrio vitam referunt. Item unus ex Italiæ Exarchis.

OLYMPUS, Myſiæ Rex, qui Iaſi filiam, *Nepiam,* uxorem duxit, ut ſcribit Dionyſius Mileſius, habitavitque in loco, ubi ab uxoris nomine *Nepiæ Campus* eſt appellatus, juxta Cyzicum urbem, de quo meminit Callimachus, *in Hecale.*

OLYMPUS, Hiſtoricus, cujus ætatem ſatis indicat, quòd fuit medicus Cleopatræ, Julii priùs, pòſt Antonii, amaſiæ, de quo Plut. *in Anton.*

OLYMPUS, in tibiis primùm leges inſtituit, in Apollinis honorem, quam legem, à numerorum frequentia, nominavit πολυκέφαλον, quod tamen alii Crateti ejus diſcipulo aſcribunt; *Olympi* autem eam extitiſſe legem, quam dixit Ἁρμάτιον. Unde & alia κωλωδάκτυλος nominata, frequens Steſichoro Himeræo. Vide Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 20. Idem *Olympum* primum ceciniſſe Lydiis modis Epicedia, quod alii Melanippidæ aſcribunt, refert *c. præc.* &c. Voſſio *Olympus,* tertium Muſicæ genus, Ἐναρμόνιον dictum, quod progreditur per δίεσιν ſive quartam toni partem, hinc aliam quartam & ditonum incompoſitum, excogitavit; ut ex Ariſtoxeno refert Plut. *de Muſica.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 22. §. 2.

OLYMPUS, inter ſex maximas olim Lyciæ urbes memoratur *Straboni,* poſtmodum extincta, ut Plin. *l.* 5. *c.* 27. habet, *Oppidum Olympus ibi fuit, nunc ſunt montana Gagæ, Corydalla.* Solinus verò *c.* 39. quod oppidum nobile priùs fuerat, ſuô tempore, nil niſi caſtellum fuiſſe, ſcribit: *Olympos quoque inter alia ibi oppidum fuit nobile, ſed intercidit: nunc caſtellum eſt, infra quod aquæ regiæ, ob inſigne fluoris, ſpectaculo ſunt viſentibus.* Sic *Strabo* alibi φρούριον vocat, & Zenicetæ latronis arcem fuiſſe ſcribit, ab Iſaurico everſam &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 802.

OLYMPUS, urbs Lyciæ mediterr. nunc *Leville,* quibuſdam aliis *Aratia, Baudrand.* Item Pamphyliæ, & Ciliciæ in ora, inter Phaſelidem & Coricum, ſed periêre. Vide ſuprà.

OLYMPUS, *Sophiano* adhuc *Olympo, Nigro Lacha,* inter Theſſaliam, & Macedoniam mons, in quo nulli lupi, laurus plurima, omnium toto orbe terrarum altiſſimus, adeò ut ſupra ejus verticem nulla avium ſublimetur, ut Apulejus de eo loquitur, *l. de Deo Socratis.* Vide ipſum, & quæ ad lucem ejus Thuanus affert, ac aſſerit *l.* 2. *de vita ſua, p.* 1322. Hanc ob cauſam & ipſi cœlo hoc nomen tribuitur, quò nihil altius eſt. Apulejus *de mundo: Hujus* (DEI ſcil.) *locum quærimus, qui neque finitimus eſt terræ contagionibus, neque tamen medius in aëre turbido, verùm in mundano faſtigio, quem Græci* οὐρανὸν *rectè vocant, ut qui ſit altitudinis finis; Et iidem eâ ratione* Ὄλυμπον *nominant, quem ab omni ſuſcitatione, & perturbatione vident liberum. Neque enim caliginem nubium recipit, vel pruinas, & nives ſuſtinet, nec imbribus cæditur. Hæc enim nec Olympo, qui eſt celſitudinis ſummæ, contingere Poëta his verbis cecinit:*

Οὔλυμπον δ' ὅθι φασὶ Θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Ex quibus verbis intelligere licet, non omne cœlum, ſed ejus altiſſimam tantùm, & remotiſſimam partem, in qua Deorum ſedes, *Olympum* antiquis appellatum. In *Apocolocyntboſi: Placet in eum ſeverè animadverti; eumque quàm primum exturbari, & cœlo intra dies* 30. *excedere, Olympo intra diem tertium.* De ſumma ſerenitate ac tranquillitate quæ in Olympi montis vertice eſt, Lucan. *l.* 2. *v.* 266.

—— Melius tranquilla ſine armis
Otia ſolus ages, ſicut cæleſtia ſemper
Inconcuſſa ſuô volvuntur ſidera lapſu.
Fulminibus propior terræ ſuccenditur aër,
Imaque telluris ventos, tractuſque coruſcos
Flammarum accipiunt: Nubes excedit Olympus
Lege Deûm: minimas rerum diſcordia turbat:
Pacem ſumma tenent. ———— ————

Claudian. *de Mall. Theodori Conſul. v.* 206.

—— Nec te tot limina rerum
Aut tantum turbavit onus. Sed ut altus Olympi
Vertex, qui ſpatiô ventos, hyemeſque relinquit,
Perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum,
Celſior exſurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat.

Sumitur etiam, pro ipſo Jove. Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 1.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Et Nevius, à quo deſumpſit Virgilius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Apollonii Scholiaſtes ſex montes hujus nominis enumerat, alii quatuor. *Nic. Lloydius.* Item Cyri Ἀκρώρεια quædam *Olympus* vocabatur. Vide ſis *Ferrarium.* Cœterùm, celebrem hunc montem decem ſtadiorum & ſextantis altitudinem habere, exactè & inſtrumentis emenſus, tradidit *Xenagoras;* quamvis plerique doctorum negent, montium celſitudinem & maris profunditatem ullibi tot ſtadia excedere, ut auctor eſt Plut. in *Paulo Æmylio:* qui cùm ipſius dimenſoris Epigramma ponat, negligentiæ convincit Appulejum *Diatr. de Deo Socr.* audacter pronuntiantem, *Olympi* altitudinem 10. ſtadia non excedere. Tu vide exactiora, apud Dion. Petavium *Auctario Operis de Doctr. Tempor. cum Uranologo edito l.* 7. *c.* 10. &c. Æquârunt verò *Olympum* cœlo Poëtæ non tam hac de cauſa, quàm quòd certum ſit, in eo habitâſſe Jovem, qui jus eô locô dixit, & inventores bonarum rerum mactavit præmiis, ut, præter alios, teſtantur Theophilus *initio l.* 2. *ad Autolyc.* & ex *Euhemero* Ennii Lactantius *l.* 1. *c.* 11. Vide plura de hoc monte, apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. paſſim, inprimis p.* 269. & *ſeqq.*

OLYNTHUS, urbs Macedoniæ, ſeu Thraciæ, cui à *Xenophonte* attribuitur, quondam maxima, inter Athon montem & Pallenen urbem à Mecybernâ oppid. 20. ſtad. teſte *Suidâ,* in Sithonia regione. *Rebus omnibus aucta & ornata,* quemadmodum de ea; *in tertia Verrina,* ſcripſit Cicero; quam cùm Philippus Macedonum Rex obſideret, nec tamen vi capere poſſet, ejus cuſtodes aurô corrupit, atque hôc modô ſuæ ditioni adjecit. Poſtea verò ab Athenienſibus deleta fertur: quamvis non deſint, qui à Philippo everſam tradant, cùm ad ipſum quidam dixiſſet, Ἀλλ' οὐκ ἂν οἰκίσαί γε πόλιν ἐκεῖνος δύναιτο τηλικαύτην. Idemque de ira dicendum eſſe, *Plut.* addit, quæ ſubvertere quidem, perdere, ac diruere poſſet, erigere verò ac ſtruere minimè, *l. de cohib. ira.*

OLYRAS, fluv. prope Thermopylas, quem fabulantur conatum eſſe Herculis rogum extinguere, Strab. *l.* 9.

OLYSSE, Cretæ urbs ſub Phæſtiis, *Strab.*

OLYSSIPPO, quæ *Ulyſſippo* Melæ, *l.* 3. *c.* 1. *Olios Hippon Ptolemæo,* urbs maxima Luſitaniæ, ex pulcherrimis, ditiſſimis, & populoſiſſimis Europæ: unde Hiſpanis, *Qui no ha viſto Lisboa, no ha viſto coſa boa.* Sedes regni, emporium, & Archiepiſcopalis 7. collibus, ut Roma conſtans, ad Tagum fluv. oſtiis ipſius vicina, vulgò *Liſbon.* Ab eâ *Olyſſipponenſe promunt.* vulgò *Capo di Spichel.* Erat autem municipium Romanorum. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 22. Fruſtra ab *Ulyſſe* deducitur, cùm ſit Phœnicium [illegible] *aliſ ubbo,* i. e. *amœnus ſinus.* In ſinu ſitam eſſe Mela *loc. cit.* obſervat: *Sinus,* inquit, *interſunt, & eſt in proximo Salacia, in altero Ulyſſippo, & Tagi oſtium.* Et ſinum illum eſſe amœniſſimum ſcribunt recentiores. *Bochart.* Vide *Mercatorem,* Merulam *Part.* 1. *Geogr.* Dam. Goës *deſcr. Olyſipp.* Linſchot. *Itiner.* & alios, longitud. 11. 00. latitud. 35. 50. *Nic. Lloyd. Baudrando* meliùs *Oliſippo* dicitur, Gallis *Lisbone.* 1. leuc. ab oſtio Tagi eſt, 6. in Ortum ab Oliſipponenſi promuntor. ſeu Magno, nunc *Cabo de Roca Sintra,* & totidem à Barbario promontor. *Cabo de Spichel,* in Septentrionem, 20. ab Ebora in Occaſum, 55. ab Hiſpali in Circium, 45. à Portu Cale in Meridiem, cum palatio ſuperbiſſimo & duabus arcibus permunitis. Regum Mauſolea Belemi, quod Caſtrum eſt dimid. leucâ ab urbe, viſuntur. Capta fuit Olyſſipona, ab Alphonſo II. Hiſpaniæ Rege poſt cæſa Saracenorum LXXM. A. C. 793. Iterumque ab Alphonſo I. Luſitaniæ Rege per ſocios ſacræ militiæ, Mauris ingenti præliô ſuperatis erepta eſt, A. C. 1147. Ejus ſuburbia jam in poteſtatem redacta, ob militis Angli avaritiam, deſerere rurſus coactus eſt Antonius Rex, A. C. 1589. In portu hujus urbis claſſem Hiſpan. 36. navium diripuerunt Angli, A. C. 1585. auſpiciis Elizabetæ Reginæ. Vide *Thuani Hiſtor.*

OLYZON, oppid. Theſſaliæ, *Homero* fuit.

O. M. in notis antiquis, *Optimus Maximus.* OM. *omnium.* O. M. V. F. *omnibus viris fecit.* OMA. *omnia.* OMIS. *omnibus* &c. denotat.

OMADIUS, Græcè Ὠμάδιος, quaſi *crudis gaudens,* in Chio colebatur olim, cui ſacrificabant hominem *membratim* diſcerpentes: quod idem in Tenedo obtinuit, teſte Porphyrio *de Abſtin. l.* 3. §. 55. Fuit autem id cognomen Bacchi. Vide & ſuprà *Manoles:* de crudivoris porrò hujuſmodi feſtis Arnobium *contra Gentes l.* 5. & Marshamum *Canone Chron. Sec.* IX. ubi *de Membro animalis vivi non abſcindendo,* & infrà voce *Omophagia.*

OMALIS, Indiæ fluv. in Gangem ſe exonerans. Arrian. *in Ind.*

OMANA, urbs Felicis Arabiæ, *Stephan. Omanum, Ptolemæo,* cujus populi *Omanitæ* dicuntur. Plinio verò *l.* 6. *c.* 28. *Omani* ſunt. *Omanagda* hodie *Moletio.*

OMANUS, Græcè Ὀμανὸς, apud Strabonem *l.* 15. ubi in MS. eſt Ὠμανὸς, idem cum *Amano,* apud eundem *l.* 11. inter Perſarum Deos, Amandrato σύμβωμος fuit, h. e. *eôdem altari gaudens,* in cujus, ut & Deæ Anaitidis, delubra Magi Πύραιθοι dicti quotidie ingredi, ibique per horam quaſi, ante ignem in πυραιθείῳ ardentem, carmen ſive ἐπῳδὰς ſuas concinere, verbenas manu tenentes & tiaris velatim utrinque ſic dependentibus, ut vittæ maxillas & labia contegerent, ex lege neceſſe habuêre. Quibuſdam Sol hôc nomine ſignatus, ſed cùm Anaitidi Deæ in utroque Strabonis loco eum videamus ſubjungi, Anaitis autem Venus fuerit ſeu Diana, *Omanus* propriè non Solem repræſentaviſſe videtur, qui *Mithras* Perſis dictus & pro ſummo habitus Numine fuit: ſed fuiſſe ſymbolum ejus duntaxat, Ignem perennem, in quo Solem, tanquam divino ſymbolo colebant. חום *chom* enim calor, unde חמה *chama,* Sol vel Ignis. A quo חמנים *chamanim,* Græcè πυραιθεῖα, ſepta, in quibus ad ignem perennem carmina concinebant, Levit. *c.* 26. *v.* 30. Et appoſito א, *Achaman,* unde *Achameni,* à quo Perſæ *Achamenidæ,* nomen &c. Vide Gerh. Jo. Voſſium *de Idolol. l.* 2. *c.* 9.

OMAR, fil. Eliphaz, filii Eſau ex Ada uxore, Gen. *c.* 36. *v.* 11. Latinè *dicens, amarus,* vel *exaltans.* Item Aſtrologus Arabs, aliàs *Aomar,* vel *Homar.* Scripſit *de Nativitatibus:* Hervagius edidit, cum Julio Firmico, A. C. 1532. Voſſ. *de Mathem. Scient. c.* 64. §. 10.

OMAR I. aliàs *Homar,* item *Hamar,* Arabum ſeu Saracenorum Calipha II. ſucceſſor Abubecheris, qui, Mahomete generô mortuô, ſummam rerum ad ſe traxerat: Bozrâ captâ, Heraclii Imperatoris copias vicit, A. C. 635. Damaſcum (Caliphatûs ſedem mox factam) & Phœniciam ſubegit, Hieroſolymam & Antiochiam expugnavit: Ægyptum ſub tributum redegit, A. C. 636. Ejus Ducum alter Muhavia, Hormiſdâ Rege Perſarum victô, regnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

regnum Perſarum occupavit, A.C.639. Guil. Tyr. *l.* 1. *c.* 2. *&c.* Huic Omaro, ut filiam Eudoxiam deſponderet Heraclius, ſuaſit Cyrus Patriarcha ſed ſuô malô. *Niceph.* Interemptus tandem à ſervo, in templo Hieroſolymæ ſtructo, ſucceſſorem habuit Oſmanem ſeu Ottomannum, A. C. 644. Zonar. *tom.* 3. *Cedrenus &c.*

OMAR II. Solimanno ſucceſſit, perſecutor Chriſtianorum acer, Conſtantinopolim claſſe terruit, regnavit menſ. 2. obiit A. C. 720. ſucceſſore Iezido vel Yhezido II. quem vide, *Cedren.*

OMARIUM, urbs Theſſaliæ in qua Jupiter & Pallas coluntur, *Steph.*

OMARIUS, tertius è legatis, à Lacedæmoniis ad Darium, poſthabitâ Alexandri amicitiâ miſſus; & à Parmenione, cum tribus collegis, ad Damaſcum captus, Curt. *l.* 3. *c.* 13. Meliùs *Monimus.*

OMBI & Tentyra, urbes finitimæ, Juvenali *Sat.* 15. *v.* 35.

Inter finitimas vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos *& Tentyra.*

Ubi finitimas has urbes perpetuis diſſidiis collidi innuit, quorum cauſa, quòd *Ombitæ* colerent crocodilos, Tentyritæ verò his adeò adverſarentur, ut Romæ crocodili nunquam exhiberentur, quin ſimul Tentyritæ adeſſent, qui ex piſcina in pegma quoddam eos extraherent viſendos & poſt ſpectaculum rurſus è pegmate in piſcinam retraherent. Sed univerſa Geographorum natio contra Juvenalem ſtat, quæ longè à Tentyris Ombos ſubmovet. Non enim in eodem Nili latere iſtæ urbes, cùm Ombi prope Syenen eſſent, in Arabica & Orientali parte; Tentyra in Libyco latere, ad occidentem fluminis. Imò nec ſolus Nili alveus has urbes interluit, uti patet ex Plinio, qui in recenſendis Thebaicis Nomis, eos hôc ordine enumerat, *l.* 5. *c.* 9. *Ombiten, Phatniten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, Coptiten, Tentyriten, Dioſpoliten, Antæopoliten, Aphroditopoliten, Lycopoliten.* Ubi à ſummo incipiens, i.e. *Ombite,* qui prope Syenen; ad infimum, Lycopoliten ſcil. ordine deſcendit. Sic inter Ombiten Nomon & Tentyriten quinque Nomi ſeu Præfecturæ intercedebant: atque hic cataplus eſt. *Strabo* contrariâ vice τὸν ἀνάπλουν deſcribens, h. e. ab inferioribus aſcendens ad ſuperiora fluminis, hâc ſerie recenſet Urbes, *l.* 17. *Lycopolim, Aphroditopolim, Panopolim, Ptolemaida, Abydon, Dioſpolim parvam, Tentyra, Copton in altero latere, Apollopolim, Thebas, Hermuthim, Crocodilopolim, Aphroditopolim, Latopolim, Ilithyopolim, Apollopolim, deinde Syenen* & *Elephantinen,* quæ ex adverſo ſitæ in utraque ripa. *Omborum* non meminit, ſed hi prope Syenem. Similiter *Ptol.* eaſdem fermè urbes & præfecturas inter Ombos & Tentyra locat. Auctor quoque *Itinerarii,* quod ſub nomine *Antonini Auguſti* excuſum eſt, iter deſcribens per urbes Libyci & occidui lateris, à *Tenthyris* ad manſionem *contra Ombos* (quæ ſic dicebatur, quòd è regione *Omborum* ſita eſſet) centum quinquaginta & quatuor milliaria numerat. Idem partis Arabicæ milliaria computans, ab Ombis ad Copton 164. mill. paſſ. ſcribit eſſe: atqui Tentyra infra Copton, & longiùs ab Ombis remota. Nam & in altera parte trans Nilum poſita & 12. mill. paſſ. diſtantia, à manſione *contra Copton.* Hæc autem inter Ombos & Tentyritas geſta, Satyricus narrat accidiſſe ſupra Copton *v.* 28. *loc. cit.*

Nos miranda quidem, ſed nuper Conſule Junio
Geſta ſuper calidæ referemus nomina Copti, &c.

Quæ ut aliquô modô conciliet, conjicit Salmaſius, Satyricum contentionem & prælium inter Oxyrynchitas & Cynopolitas, eaſdem planè ob cauſas excitatum, teſte Plutarchô *de Iſide & Oſir.* ſub nominibus *Ombitarum* & *Tentyritarum* traducere voluiſſe. Sanè & tempus convenit, nec res diſconvenit. Præterea à more Poëtarum nihil alienum fecit, ſi id fecit. Denique *Ombi* & *Tentyra* verſum meliùs & molliùs incunt, quàm *Cynopolis* & *Oxyrynchus,* quæ prorſus heroicum metrum negant intrare. Vide omnino eum *ad Solin. p.* 417. & *ſeqq.*

OMBREA, Meſopotamiæ urbs, *Ptolem.*

OMBRI, urbs Ægypti, proxima Copto. *Chana,* teſte *Ortelio:* melius *Ombi,* Jubæ, quod vide.

OMBRIA Inſul. una ex Fortunatis, eadem cum *Pluvialia Seboſo,* quam tamen hic à Fortunatis ſeparat, apud Plin. *l.* 6. *c.* 32. qua de re vide Salmaſ. *dictô Opere p.* 1297. ut & in voce *Ombrios.*

OMBRICI, populi Illyrici, quos *Peucerus Crabaten* indigitat, qui potiùs ſunt in eâ regione, quæ *Crabaten* appellatur, & multos alios populos complectitur: ex qua regione Capris & Alpis fluv. in Iſtrum fluunt, teſte *Herodot. Ombrici,* teſte *Stephanô,* populi Italiæ fuêre ad ſinum Adriaticum incolentes, ubi Padus ſubit mare, qui & *Ombri* Italis, apud quos etiam fluv. quidam *Ombrus* nominatur, diverſus ab *Ombrone, Ferrarius.*

OMBRIMA, flumen eſt ex illis unum, quæ in Mæandrum cadunt, Novas Celænas ſeu Apameam alluens. Salmaſ. *loc. cit.* 8.7.

OMBRIOS, una ex inſulis Fortunatis, Plin. *l.* 6. *c.* 32. *Iſola di ferro* quibuſdam: *Porto Santo,* vocatur *Nigro,* cui *Aproſitos Ptolemæi* eſſe videtur. *Sanſoni* nunc *Inſula de S. Borondon,* 100. milliar. à cæteris Fortunatis, in Occidentem.

OMBRONES, populi Sarmatiæ Europææ Plin. *l.* 4. *c.* 12.

OMBRUS, Italiæ fluvius, *Stephan.*

OMEN, pro quolibet auſpicio augurioque: Tibullus *l.* 3. *El.* 3.

—— —— *Aves dant* Omina *dira.*

C. Petronius *Satyr.*

Fortior Ominibus *movit Mavortia ſigna*
Cæſar.

I. e. *auguriis.* Sueton. *Nerone c.* 46. *Terrebatur evidentibus portentis ſomniorum & auſpiciorum & Ominum.* Jul. Obſequens *c.* 86. *Proditum eſt Gracchum, die quô periit, triſtia neglexiſſ. Omina.* Luctatius tandem *ad Theb. l.* 6. Omina *ſunt rerum futurarum ſigna, ſive bonarum, ſive malarum.* Tamen ſtrictiùs ſumendum nomen. Cùm enim Auſonius *in Gripho* dixit, *v.* 20.

—— —— Omina *trina:*

Non quamlibet divinandi intellexit formam, ſed eam, quæ παλμὸς, πταρμὸς, *ſaliſſatio, ſternutatio* & *tinnitus auris* dicitur, teſte Joſephô Scaligerô *Auſonianar. lect. c.* 16. de quibus vide *ſuô locô.* Pertinent huc *Offenſiones,* quæ inde naſcebantur, *ſi exituro limen inſonuiſſet, pes hæſiſſet,* Plin. *l.* 2. *c.* 7. Plut. in *Demetrio* & *Gracchis.* Unde apud Poëtarum Principem, certiſſimum Trojæ evertendæ *Omen* ducitur, quòd equus *Æn. l.* 2. *v.* 242.

—— —— *Quater ipſo in limine portæ*
Subſtitit.

Et Proſerpinâ egrediente, præſagium raptus fuit, quòd, ut habet Claudian. *l.* 2. *v.* 6.

—— —— *Ter cardine verſô*
Præſagæ ſonuêre fores.

Item voces puerorum ludentium, vide infrà *Sortes*; vel etiam incertô Auctore prolatæ, ſub tempus nocturnum, quæ perpetuò ſiniſtri fuêre augurii; Cicer. *de Divinat. l.* 2. Dionyſ. Halicarn. *l.* 7. & *l.* 8. *in fin.* Euſeb. *de Præpar. Evang. l.* 3. *c.* 6. &c. An hæc lætum portendit, de qua ſic Plut. *in Themiſtocle: Anno Urb. cond.* 617. *M. Æmiliô C. Mancinô Hoſtiliô Conſulib. in portu Herculis, cùm Mancinus Conſul conſcenderet navem, petens Numantiam, vox improviſa audita, Mane.* Κληδονισμὸν hoc divinandi genus dictum eſſe, vidimus ſuprà, ubi de variis *Divinationis* apud Veteres ſpeciebus. Tandem *occurſus;* cùm negotium aggreſſuris, iterque incepturis, inauſpicata offerebatur perſona. Cujus ritus antiquitatem, ex *Luciano* demonſtravit, & apud Græcos invaluiſſe Brodæus *de Rom.* ait. Suetonius *in Aug. c.* 83. *pumilos atque diſtortos & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, malique ominis, abhorrebat.* Cui ſimile quid de bellorum civilium narrat ſucceſſu Florus *Hiſtor. Rom. l.* 4. *c.* 7. Cicer. *in Vatin. Cùm viderint, tanquam auſpicium malum deteſtantur.* Vide quoque Plut. *in Bruto.* In hoc genere, naturali aliquô defectu inſignes continebantur. L. Seneca, *l.* 4. *Controv.* 2. *Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt.* Æthiopes item ac Mauri, qualis imago Brutum in Campis Philippicis, nocte, quæ fatale præceſſerat prælium, terruit &c. Hadrianum quoque Auguſtum occurſante ſibi Mauro, infauſtitatis argumenta duxiſſe, legimus. Sed & Eunuchos occurſibus fuiſſe infames, docemur auctoritate Claudiani *l. in Eutrop. v.* 120.

—— —— *Hoc dedecus addidit oris*
Luxuriæ Fortuna ſuæ, cùm pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago
Diſcolor, & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia menſis,
Aut crimen famulis aut procedentibus Omen, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiquit. Rom. l.* 3. *c.* 8. Atque horum occurſus declinabatur flexô in dextrum corpore, uti de Celtis ſive Gallis veterib. teſtatur Poſſidonius apud Athenæum *l.* 4. Περιφέρει δὲ ὁ παῖς ἐπὶ τὰ δεξιὰ, καὶ τὰ λαιὰ &c. Vide quoque Lucian. laudatum Caſparo Barthio *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 791. In Nuptiis inprimis ſolemnia adhibita *Omina* notum: Quam primum enim dies dotalibus pactis dicta fuerat, Auſpices noctu & ſub auroram auguriis operam dabant, *Omina* captaturi. Claudian. *in Ruffinum l.* 2. *v.* 96.

—— *Dilecta hîc pignora certè,*
Hîc domus, hîc proprium tædis genialibus Omen.

Et *l.* 2. *de Raptu v.* 9. *à fine;*

—— —— *Tangenſque cubile*
Omina *perpetuo genialia fœdere ſanxit.*

Quod optimum ab accipitre circo fuiſſe ſumtum, docet Joſ. Mercerus *ad Ariſtænetum l.* 1. *Epiſt.* 3. Sic in aliis magni momenti rebus, *Omina* multum habuêre momenti. Captabantur autem illa variis modis, & quidem *captare omen* propriè fuit Μαντικῆς διὰ κληδόνων, de qua notat Pauſan. eum, qui ad conſulendum Deum venit, Deum ad aurem interrogâſſe, de re quam ſcire volebat; dein aures manibus obturantem exiiſſe extra fanum, & ubi foràs ventum eſſet, manibus ab utraque aure remotis, quam primam audiviſſet vocem, eam oraculi locô habuiſſe, vide eum *in Achaicis* & Appulejum *de Deo Socr.* Καταχρηστικώτερον de quovis genere Μαντικῆς uſurpatur, uti de prægnante Livia, *an marem editura eſſet, variis captante ominibus,* videre eſt apud Sueton. *in Tiberio c.* 14. Vide quoque de Candidatorum apud Romanos augurium capiendi more, infrà voce *Sella,* item *Templum.* Quòd ſi itaque fauſta offerebantur, venerabantur Deos, ea ſibi firmarent, &, quidquid ad firmanda illa conferre poterant ipſi, id omne religioſè conferebant. Silius Ital. *l.* 4. *v.* 127.

—— *Noſco te, ſumme Deorum*
Adſis ô, firmeſque tuæ pater alitis omen.

Adeoque & ſacrificiis ea firmare conabantur. Ammian. Marcellin. *l.* 23. *Quô oſtentô lætior clamavit, plaudentibus omnibus, Babylona humi procidiſſe, ornamentis omnibus ſpoliatam; & pauliſper detentus ut omen per hoſtias litandô firmaret, Davanam venit.* Vide Deſ. Heraldum *ad Arnob. l.* 6. uti de abactione contrà *Ominum* & averſatione malorum verborum, prolixè agentem Barthium præfatum *Commentar. de Superſtitionibus.* Sed quàm egregiè ridet hanc vanitatem Hector, apud Homerum *optimi Ominis hôc verſu, Il.* μ. *v.* 243.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
Hoc ſolum eſt Omen, *Patriam defendere, fauſtum* &c.

OMENOGARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolem.* Nunc *Hamedanager,* urbs regni Decani, in mediterraneis verſus fontes fluv. Mandove, 17. leuc. Hiſpanic. ſupra Viſaporam in Boream, 60. à Goa in Cæciam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OMENTUM, Hebr. מכסה, i. e. *operiens*, Levitici *c.* 9. *v.* 19. *Ex ariete* (obtulerunt) *caudam operientem*, *&* *renes*, ubi ſubintelligenda *inteſtina*: Ventriculum enim atque inteſtina pingui ac tenui omento integi, dicit Plin. *l.* 11. *c.* 37. Unde eſt, quòd à Græcis dicitur ἐπίπλοον, quaſi viſceribus *innatans*; & definitur, πιμελώδης ὑμὴν ἐπὶ τῆς κοιλίας καὶ τῶν ἐντέρων, *Adipoſa membrana ſuper ventrem & inteſtina.* Ejus in ſacris plurimus olim uſus non apud Hebræos ſolùm quibus id divinitus injunctum, ſed apud Romanos quoque & Græcos, qui Judæos æmulati ſunt: Hinc Perſius *Sat.* 2. *v.* 47.

Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liqueſcant.

Et Homer. *Il.* β. *v.* 423.

——— κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν
Δίπτυχα ποιήσαντες.

Ad quæ *Etymologus*, Δίπτυχα ποιήσαντες, διπλώσαντες τὴν κνίσαν, νῦν καὶ λέγει τὸ ἐπίπλουν. *Duplicia facientes, i. e. adipem duplicantes, nunc autem omentum ſignificat.* Et *Heſychius*, eodem haud dubiè reſpiciens, Δίπτυχα, inquit, δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ἢ διπλοῦν ἐπίπλουν, ὥστε τῷ μὲν ὑπεστρῶσθαι τὸ ἐπίπλουν, τῷ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι. *Duplicia, i. e. duos injectus habentia, aut duplum* omentum, *ita ut ab una patre ſubſternatur omentum, ab altera ſuperponatur*: de quo ritu Hadr. Turnebum vide *Adverſar. l.* 7. *c.* 13. Sed & apud Perſas, ex toto ſacrificio, ſolùm *omentum*, aut omenti pars Diis ſervabatur. Strabo *l.* 15. *Cùm Magus, qui ſacrificium enarrat, carnes diſtribuit, parte ſuâ acceptâ quiſque abit. Deum enim dicunt nihil petere quidquam præter animum.* Ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὥς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. *Omenti tamen non nihil, ut quidam ajunt, in ignem injiciunt.* Sic apud Catullum *in Gellium*, Perſarum Magus, *Epigr.* 91. *v. ult.*

——— *Acceptô veneratur carmine Divos,*
Omentum *in flamma pingue liquefaciens.*

Et ex *omenti* ſtatu ſituque, Haruſpices conjecturas cepiſſe, notum. Unde Lucan. ubi de inauſpicato Aruntis ſacrificio, *l.* 1. *v.* 624.

Cor jacet & ſaniem per hiantes viſcera rimas
Emittunt, produntque ſuas omenta *latebras.*

Et *in Oedipo* Senecæ, *Actu* 2. *v.* 370. Manto, extis inſpectis, Tireſiæ Patri tum cœco inter cœtera dicit,

——— *non molli ambitu*
Omenta *pingues viſcerum obtendunt ſinus.*

Itaque *omentum* ab *omine* quidam deducunt; quod licèt extra controverſiam non ſit, veriſimilius tamen eſt, quàm quod plèrique ſtatuunt, ab *omaſo* illud dici: cùm in *omaſo* brevis ſit prima, ut videre eſt apud Horatium *l.* 2. *Sat.* 5. *v.* 40. Nævium *in Aulularia* &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 2. *c.* 45. & ſuprà in voce *Adeps.* De ratione verò Veter. in elephantorum O*mentis* ſcribendi, retro diximus, ubi de *Membranis.*

OMERITÆ, populi, cùm quorum Rege prœliô ancipiti decertaturus Adadus, Æthiopum rex, circa A. C. 541. votum fecit, ſe Chriſtianam fidem Baptiſmumque amplexurum, quod victor ritè exſolvit, Lætus *in Compend. Hiſt. Univ.*

OMIZA, Gedroſiæ oppid. *Ptolem.*

OMMELANDIA, regio Friſiæ, circa Groningam: populoſa & paſcuis inclyta, Guicciardin. *deſcr. Belg.*

OMMIADÆ, nomen familiæ, quæ Regnum Fezzanum condidit, eique præfuit, donec à Zenetis pulſi ſunt. Cùm enim familia *Omnia* per Abbazidas Caliphatu Syriæ dejecta fuiſſet, circa A. C. 800. pars in Africam, pars in Hiſpaniam ſe receperunt, ibique novos condiderunt Caliphatus. E quibus oriundus Idris ad montem Atlantem in Mauritania, urbem Fezzam condidit; & in ea Regni ſedem fixit, adſumptô *Caliphæ* titulô. Paulò pòſt Saraceni hi Afri, circa A. nempe C. 820. omnes penè Inſulas maris Mediterranei ſuâ piraticâ infeſtantes, eas partim graviter adflixerunt, partim penitùs occupârunt, Cretam præcipuè Siciliamque: in quarum illa urbem ſtruxêre Candiam, à qua toti Inſulæ nomen impoſitum eſt; iſta in eorum poteſtatem pervenit A. C. 828. in eaque manſit annis ducentis quinquaginta. Donec videl. Zeneti, Africæ populi, duce Mec-nazâ & Magraoâ, familiam Idris penitùs extirpârunt, circa A. C. 950. quô ad aliam familiam Regnum ſic tranſlatum eſt. Zenetos poſtea Lautunii, Africæ itidem gens, *Almoravidæ* cognominati, exturbârunt, A. C. 1052. quos Almohadæ extinxerunt, A. C. 1139. à Merinis expulſi, A. C. 1210. donec iſtis Oattaſſeni, A. C. 1420. hiſque Scerifii ſucceſſerunt, A. C. 1548. quorum ſtirps hodieque regnat. Georg. Hornius *Orbis Imper. p.* 322. *& ſeqq.*

OMMIRABIHUS, fluv. Barbariæ, regna Fezzæ & Marochi ſeparans, qui in Oceanum Atlanticum ſe dein exonerat, infra Azamurum; Antiquis *Aſana*, ſeu *Aſama.*

OMNÆ, oppid. Amanorum in Arabia Felici, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

OMNES, Omnes, acclamationis formula in Senatu, apud Scriptores *Hiſtoriæ Aug.* Vide infrà *Senatuſconſultum.* Simili in Conciliis Patrum communis conſenſus omnium oſtendebatur: ut in Epheſino III. Πάντες οἱ Ἐπίσκοποι ἅμα ἀνεβόησαν· αὗται πάντων αἱ φωναί· ταῦτα πάντα λέγομεν· αὕτη πάντων ἡ αὐτή. *Omnes Epiſcopi ſimul acclamârunt: hæ omnium ſunt voces. Hæc* Omnes *dicimus. Hoc omnium votum eſt*, Caſaubonus *ad Treb. Pollionem in Valeriano. c.* 2.

OMNIBONUS, Magiſter, Compilator *Concordantiæ diſcordantium Canonum*; de quo ſic Albericus *in Chron.* nondum edito, referente Chliffletiô *de Architect. Jur. c.* 5. §. 4. *ad A. C.* 1146. *In eodem anno, i. e. Imperatoris Friderici quintô, quidam Magiſter egregius* Omnibonus *nomine librum de concordantia diſcordantium canonum diligentiſſimè ordinavit in duas partes, primam partem in XVI. diſtinctiones; ſecundam in cauſas XXXVII. per quæſtiones diverſas ſatis artificioſè poſitas. Et hic liber à nomine Auctoris* Omne bonum *appellatur. Et hunc ſequutus eſt, tempore Alexandri Papæ, Gratianus, qui multa addidit, ita quòd de XVI. diſtinctionibus centum diſtinctiones fecit* &c. Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 331.

OMOENUS, Arabiæ Felicis inſul. in ſinu Perſico, Plin. *l.* 6. *c.* 28.

OMOLE, vel HOMOLE, Theſſaliæ mons, *Stephan.* Et Thraciæ urbs; *Apollonii Scholiaſtes.* Ejus meminit Theocritus, in *Thalyſia*,

Τόν μοι, Πὰν, Ὁμόλας ἐρατὸν πέδον ὅστε λέλογχας.

Vide ſis *ibi* Scholiaſten. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 674.

Ceu duo Nubigenæ, cùm vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, Omolen, Othrynque nivalem
Linquentes curſu rapidô, dat euntibus ingens
Sylva locum, & magnô cedunt virgulta fragore.

OMOLINUM, Græcè ὠμόλινον, linum eſt crudum & nondum maceratum, è quo funes olim fiebant; cui opponitur λευκόλινον, linum aquâ maceratum & lavacrô candidum factum. Pollux *l.* 10. *c.* 17. Καὶ δίσκος καὶ ἀποτομάδες καὶ ὠμόλινον· ἀλλὰ καὶ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ Πυρκαεῖ, λινάδες πίσσα καὶ ὠμολίνου μακροὶ τόνοι. Aliud tamen ὠμόλινον, in verſu Æſchyli, aliud in verbis Pollucis. Ὠμόλινοι τόνοι apud Æſchylum, ſunt funes è crudo lino facti; ut contra ὅπλα λευκολίνου *Herodoto*, rudentes ex lino macerato. Ita ὠμόλινον Æſchylo, linum eſt, ex quo & funes & lintea fieri poſſunt: at Polluci linteum eſt ipſum, ex crudo lino textum; namque inter res balneis & gymnaſiis convenientes ὠμόλινον recenſet. Eò autem ſudorem extergebant in balneis: Quô ſenſu vox hæc apud *Galenum, Aëtium, Paulum* ſemper accipienda, quam malè *filum* aut *linum* aut *linamentum* docti interpretantur. *Athenæus* χειρόμακτρον ὠμόλινον vocat mantile ex crudo lino factum, quô manus extergebantur: quod & ſimpliciter ὠμόλινον vocabatur, uti docet Aëtius *l.* 10. ubi ἐν καχεξίᾳ probat ξηροτριβίας δι' ὠμολίνων, *frictiones ſiccas ex crudariis linteis.* Latini *Crudarium* ſimiliter dixêre, *Gloſſ.* ὠμόλινον, *crudarium.* Vide Salmaſ. *ad Solin. in voce* Ὠμόλινον *p.* 765. nec non ſuprà voce *Cruda.*

OMOLIUM, Magneſiæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 9.

OMOLLUS, vide infrà *Omullus.*

OMONOEA, Græcè Ὁμόνοια, h. e. *Concordia*, dictum eſt Templum S. Pantaleonis & Marini Martyrum Conſtantinopoli, quòd Conciliô ibi habitô ab CL. Epiſcopis Hæreſis Macedonii unanimiter fuit damnata, Car. Macer. *in Hierolex.*

OMOPHAGIA, Græcorum feſta, Bacchanalibus haud abſimilia, de quibus Arnob. *l.* 5. Sed & uſitata aliàs *Omophagia*, in Sacris Gentilium, vide ſuprà *Crudarum carnium eſus*, it. voce *Omadius.*

OMOPHORION, Epiſcopale pallium, apud Dominic. Macrum in voce *Euangelium.* Spelmanno cucullus eſt ſeu capitium, & *humerale*, ab ὦμος, i. e. *humerus*, vide eum *Gloſſar.*

OMPHACE, urbs Siciliæ, *Stephan.*

OMPHALE, Regina Lydiæ, poſt Tmolum maritum Regem filia Jardani, de cujus cum Camblita Reg. inimicitiis diximus ſuprà. Ei Hercules (ob cædem Iphiti, ex oraculo, venditus) in biennium ſerviebat; quô tempore ex Jardani ancilla Cleolaum, cujus poſteri Dynaſtiam II. Lydorum Regum, poſt Alyadas orti ſunt, ut videre eſt voce *Argon.* genuit. Ita *Apollodorus, Diodorus. Sic.* Alii. Juxta alios *Omphalæ* Hercules propter amorem ſervivit, multiſque ab ea muneribus eſt donatus, quòd ad Sangarim fluv. ſerpentem multos homines interficientem interemiſſet. Hæc, ut tradit Donatus *in Terentium*, ipſum Herculem ſibi ſervientem etiam ad lanificium compulit, cùm ipſa calathum & colum, cultuſque fœmineos, ſagittis & clavâ, leoniſque tegmine mutâſſet. Terentius *in Eunucho: Actu* 5. *ſc.* 7. *v.* 3.

Qui minus quàm Hercules ſervivit Omphalæ.

Propertius, *l.* 3. *eleg.* 11. *v.* 17.

Omphale in tantum formæ proceſſit honorem,
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut qui pacato ſtatuiſſet in orbe columnas,
Tam durâ traheret mollia penſa manu.

Seneca *in Hippolyto, Actu* 1. *v.* 317.

Natus Alcmenâ poſuit pharetram,
Et minax vaſti ſpolium leonis;
Paſſus aptari digitis ſmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura diſtincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente ſocco.
Et manu, clavam modò quâ gerebat,
Fila deduxit properante fuſo.
Vidit Perſis, ditiſque ferax
Lydia regni, dejecta feri
Terga leonis; humeriſque quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio ſtamine pallam.

Vide Athen. *l.* 6. Plut. *in Theſeo.* Ovid. *l.* 2. *de Art. Am. & in ep. Dejaniræ.* Apollodor. *l.* 2. Meminit & Pauſan. *in Atticis.* Non omittendus eſt Palæphatus, *c.* 45. de *Omphale*: Λέγεται ὡς λατρεύσειεν Ἡρακλῆς ταύτῃ, ὁ δὲ λόγος μάταιος. Ἐξὸν γὰρ κἀκείνης καὶ τῆς ὑπαρχούσης αὐτῇ, δεσπόζειν. Ἐγένετο τοιόνδε τι. Ὀμφάλη ἦν Ἰαρδάνου θυγάτηρ, Λυδῶν βασιλέως, αὕτη ἀκούσασα τὴν ἰσχὺν Ἡρακλέους, προσεστείλατο ἐπ' αὐτοῦ. Ἡρακλῆς πλησιάσας ἔρωτι ἑάλω αὐτῆς, γεννᾷ δὲ ἐξ αὐτῆς υἱὸν Λαομέδοντα, ἡδόμενος δὲ αὐτῇ ἐποίει ὅτι προσέταττεν ἡ Ὀμφάλη, οἱ δὲ ἰδόντες ὑπέλαβον λατρεύειν αὐτῇ. Vide & Nat. Com. *Myth. l.* 7. *c.* 1. & Leonicer. *l.* 3. *c.* 96. *Nic. Lloydius.* Diodoro Sic. *l.* 4. *Omphale, Herculis virtutem admirata, illum in libertatem vindicatum, thori conſortem fecit, & Lamon* (quem *Laomedem* vocat *Palæphatus*) *ex ea natus eſt.* Apollodorus illum *Agelaum* vocat; addens, ἔθεν καὶ τὸ Κροίσου γένος, *unde & Crœſi genus, l.* 2. quô pactô, uti ex Jardani ancilla Heraclidæ Lydorum Reges, qui Dynaſtiam II. ſic ex filia ejus, Reges Mermnadæ (& ipſi ex Hercule) qui Dynaſtiam III. conſtituerunt, originem habuêre. Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec.* XVII.

OMPHALIUM, locus Cretæ prope Thennas, & Onoſſum, alius Theſſaliæ, *Stephan.*

OMPHIS, ad flumen Indum regioni imperitans, occurrit Alexandro M. ſeſe dediturus: quô & permittente etiam regium inſigne ſumpſit & more gentis ſuæ nomen, quod Patris fuerat, *Taxilem* appellavêre populares ſequente nomine imperium, in quemcunque tranſiret. Curt. *l.* 8. *c.* 12. Diod. Siculo *l.* 17. parte poſteriore nuncupatur *Mophis*: quod in Curtio reponendum cenſet *Jan. Gebh.*

OMRAI, pater *Amri*, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 4. Idem ſignificat quod *Omar*, & Syriacè, *agnus.*

OMULLUS, apud Jul. Capitolin. *in Antonino Pio*, *c.* 11. uti ſe legiſſe in Palatino codice ait Salmaſ. aliquando etiam *Omullius*: in *Saxorum Inſcriptionibus*, ſemper *Omullus* appellatur, vulgò *Omulus.* Vide in hac voce. In Plinii *Epiſtolis* ſæpe nominatur *Titius Homulus* Orator, inter primos ſui temporis. At hic eſt *C. Valerius Omullus Verianus*, homo Conſularis & prudens, ut colligitur ex dictis ejus, apud Capitolin. *d. l.* & Lamprid. *Severo*; an ſatis probus & ſimplex, jure dubites, ex Marci *Vita.* Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.*

OMULUS, Antoninum Pium Imperatorem reprehendens, dicenſque, *cùm in domum alienam veneris, mutus & ſurdus eſto*; impune tulit. Vide Jul. Capitolin. *in Antonino c.* 11. & ſuprà *Omullus.*

ON. in notis antiquis, *omnino.* ONA. *omnia.* ONT. IMP. *ornamentum Imperiale* &c. denotat.

ON, civitas Ægypti, quæ & *Heliopolis.*

ONA, vox recentioris ævi, dolii vinarii ſpeciem denotans: cujus meminit Magnum *Chron.* Belgicum, A. C. 1015. ex *Chron.* Trevirenſi: *Captatô deinde conſiliô opportunô* 30. Onas *comparat, in quibus ſingulis ſingulos milites electos, loricatos & galeatos, enſibuſque præcinctos collocat, & inſuper linteis opertos funes, quibus vectes ad portandum eos inſeruntur, componit: deinde* 60. *viros nihilominus electos & plebejâ veſte amictos, enſibuſque eorum in* onis *reconditis geſtatores conſtituit* &c. Mox, *Dic*, ait, *Domino tuo me vinum magnæ dilectionis gratiâ olim promiſſum deferre ---- Adelbertus juſſit viros intromitti: quibus ingreſſis &* onas *coram Adelberto in terram ſimul ponentibus ----- portitores verò, ſicut erant edocti, unô momentô pariter omnia* Onarum *velamina dejiciunt, gladios diripiunt, inſidia de* Onis *exiliunt, gladios ſtringunt* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ONABA, Hiſpaniæ urbs, *Ptolem.*

ONÆUM, ſeu OÆNEUM, Livio, *l.* 43. *c.* 19. promuntor. & oppid. Dalmatiæ, inter Epetium ad Occaſum & Epidaurum ad Ortum, apud oſtium Naronis fluv. *Cabo Cumano Sophiano*, aliis *Cabo Loviſcha* dicitur.

ONAGER, Hebr. ערוד *arod*, à voce dicitur, quæ Latinè *ruditus*, & פרא *pere*, à *curſu*: quem, cùm vulgaris aſinus ſit tarditatis indomitæ, deſcribit Oppian. *l.* 3. *Cyneget. v.* 182.

Κραιπνὸν, ἀελλοπόδην, κρατερώνυχον, ὀξύτατον θεῖν.

Velocem rapidum, validis ungulis, curſu expeditiſſimum.

Philoſophus certè *Hiſtor. l.* 6. *c.* 36. Οἱ ὄνοι ἄγριοι τὴν ταχύτητα διαφέροντες, *Aſini feri* (aliis) *celeritate præſtant.* Xenophon *in Cyro min. l.* 1. Οἱ μὲν ὄνοι, ἐπεί τις διώκοι, προδραμόντες ἀνειστήκεισαν. Πολὺ γὰρ τοῦ ἵππου θᾶττον ἔτρεχον καὶ πάλιν, ἐπεὶ πλησιάζοι ὁ ἵππος, ταὐτὰ ἐποίουν. ὥστε οὐκ ἦν λαβεῖν, εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἱππεῖς θηρῷεν διαδεχόμενοι τοῖς ἵπποις, *Aſini quidem* (ferè in Meſopotamia) *cùm quis eos inſequebatur, poſtquam præcucurriſſent, reſtitabant. Equum enim curſu facile ſuperabant. Et equô rurſus accedente, idem præſtabant: Ita ut capi non potuiſſent, niſi diverſi equites venati eſſent equis* (i. e. equitibus aliis) *ſuccedentes.* Sic apud Ælian. *l.* 14. *c.* 10. Aſini feri Mauruſii dicuntur primô impetu velociſſimi, ὡς αὔρας τινὸς ἐμβολὴν εἶναι, ἢ πτερὸν αὐτόχρημα ὄρνιθος, *ut venti cujuſdam impetu aut avis alis ferri omnino videantur.* Et Leo Africanus *l.* 9. Barbaricis tantùm equis velocitate eos cedere tradit: qui ipſi currentes *onagros* non aſſequuntur, niſi poſtquam exhauſtô ſpiritu in curſu anheli defecerunt. Nam, ut addit Ælian. poſt primum illum impetum καὶ αὐτοῖς οἱ πόδες ἀπαγορεύουσι, καὶ τὸ πνεῦμα ἐπιλείπει, *citò laſſantur & pedes ipſis fatiſcunt & ſpiritus deficit.* Tum verò illos invitos ſubſiſtentes & præ deſperatione flentes, Mauritani collo alligatos captivos ducunt, &c. Uti autem celeritate, ſic pulchritudine & proceritate *Onagri* plerunque vulgaribus aſinis præſtantiores ſunt. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 100.

Pulcher adeſt onager &c.

Oppian. *loc. cit.*

—— —— αἰπὺν ὄναγρον

Ὅστε πέλει φαιδρὸς δέμας, ἄρκιος, εὐρὺς ἰδέσθαι,

Ἀργύρεος χροιὴν ——

—— —— *procerum aſinum,*

Item, *Quique eſt pulcher corpore, amplus, latus aſpectu.*

Ταινίη δὲ μέλαινα μέσην ῥάχιν ἀμφιδέδηκε,

Χιονέης ἑκάτερθε περιγραμμένη στεφάνῃσι.

Linea autem nigra mediam dorſi ſpinam cingit,

Niveis utrinque diſtincta coronis.

Vide quoque Philoſtorgium *l.* 3. *c.* 11. Colores eorum varii, ſed nigris vita longior & forma præſtantior, ut habet Damir: ſæpe tamen, ut aſini vulgares, leucophæi ſunt, teſte *Leone Africanô.* Ruditus nihil peculiare habet. Cœterùm gregarium *Onager* animal eſt. Plin. *l.* 8. *c.* 30. *Mares in eo genere ſinguli fœminarum gregibus imperitant.* Amm. Marcellin. *l.* 24. *ferè in fin. Fumus vel vis quædam turbinata pulveris apparebat, ut opinari daretur aſinorum eſſe greges agreſtium, quorum multitudo in tractibus illis eſt innumera.* Et Oppianus iterum,

Παλλαῖσιν τ' ἀλόχοισιν ἀγαλλόμενοι κομόωσι,

Θηλύτεραι τ' ἕσπονθ' ὅτι τοι πόσις ἡγεμονεύει.

Multiſque uxoribus exultantes ſuperbiunt:

Sequuntur verò fœminæ, quocunque vir duxerit,

Unde minimè probandi, quibus Pſalmo 80. *v.* 14. μονιὸς ἄγριος eſt *onager.* Interim בודד *boded*, i. e. ſolitarius, onager ab Oſea rectè vocatur *c.* 8. *v.* 9. quia eſt eremicola: quod argumentum nemo uberiùs perſequitur Jobô, vel ipſô Deô potiùs apud Jobum *c.* 39. *v.* 5. Manſueſit tamen hominum induſtriâ, & iiſdem, quibus vulgares, miniſteriis tum addicitur. Anatolius *in Hippiatricis c.* 14. Ἔνιοι δὲ καλῶς ποιοῦντες καὶ τοὺς ἀγρίους (ὄνους) ἡμεροῦσι, καὶ ἔστι αὐτῶν παιδοποιΐα καλλίστη. *Quidam pulchrè facientes onagros manſuefaciunt & optima eſt ex illis ſeminatio.* Plin. *l.* 8. *c.* 44. *Generantur ex equa & onagris manſuefactis mulæ* &c. Etiam molas verſare docentur, teſtibus Talmudicis *in Avoda Zara c.* 1. *fol.* 16. ut alia omittam. Quòd verò patres libidinis æmulos metuentes, gravidas fœminas cuſtodire, & mares quamprimùm editi ſunt, ſi qua facultas fuerit, morſu caſtrare, atque id caventes fœminas in ſeceſſibus partum occulere, Plin. *loc. cit.* & Solin. *c.* 30. ſcribunt, fabuloſum eſſe videtur. Tamen id perſequitur Oppian. verſibus quinquaginta elegantiſſimis, *Cyneget. l.* 3. *v.* 197. è quibus hos ſolùm ſubjungo, *v.* 207.

Ἐκ δ' ἔθορεν μαιμαὼς παιδὸς γενύεσσι ταμέσθαι

Μήδεα, μὴ μετόπισθε νέον γε μὲν ἡβήσειεν.

Proſiiit & ſævô conatur dente pudenda

Perdere, ne virides ſic mas adoleſcat in annos.

Vide plura hanc in rem, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 16. Veſci onagris Veteres conſueviſſe; addit Salmaſ. Et quidem ante Mæcenatem apud Romanos onagri tantùm edebantur, non etiam eorum pulli. Primus Mæcenas epulas inſtruxit pullis aſinarum, qui tum præferebantur onagris. Poſt eum, non in tam magna commendatione eſſe cœperunt, quàm fuerant priùs, edebantur tamen adhuc. Laliſionum verò oriente uſu (qui ſunt *onagrorum* pulli adhuc lactentes) celerrimè id genus defecit & in totum à menſis receſſit, uti loquitur Plin. ubi de onagris, apud præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 338. &c. Addam ſaltem, in ungulis pedumque ictu vim *Onagri* ſitam, ex Amm. Marcellin. *l.* 23. *Aſini feri, cùm venatibus agitantur, ita lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora ſequentium aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodant.* Unde de *onagro*, Phile quoque *in Jambis.*

Φονεὺς γάρ ἐστι κἂν παρέλθῃ λακτίσας.

Namque is necat, ſi calcitrans acceſſerit.

Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 56. & ſuprà aliquid, voce *Monoceros*, it. *Mulæ.*

ONAGER, priùs *Scorpio* dictus, inter machinas militares, Vegetio memoratur *l.* 4. *v.* 22. ubi, inter alia tormentorum genera Baliſtam, Arietem Scorpiumque ſive *Onagrum*, in oppugnationibus Urbium adhiberi ſolitos, recenſet è quibus *Onager*, lapides dirigebat. Forma hæc: Dolabantur duo axes querni vel ilicei, curvabanturque mediocriter, ut prominere viderentur in gibas; dein in modum ſerratoriæ machinæ connectebantur ex utroque latere patentiùs perforati, quos inter per cavernas funes colligabantur robuſti, compagem, ne diſſiliret, continentes. Ab hac medietate reſtium ligneus ſtylus exurgens obliquus & in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum modulis implicabatur, ut altiùs tolli poſſet & inclinari, ſummitatique ejus unci ferrei copulabantur, è quibus pendebat ſtupea vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum proſternebatur ingens cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum & locatum ſuper congeſtos ceſpites vel lateritios aggeres. Nam muro ſaxeo hujuſmodi moles impoſita disjectabat, quidquid inveniſſet, ſubter concuſſione violentâ, non pondere. Quum igitur ad concertationem ventum fuiſſet, lapide rotundô fundæ impoſitô, quaterni altrinſecus Juvenes repagula, quibus incorporati erant funes, explicantes, retrorſum ſtylum penès uncinum inclinabant: Itaque demum ſublimis adſtans Magiſter, clauſtrum totius operis vincula continens reſerabat, malleô forti percuſſum: Unde abſolutus ictu volucri ſtylus & mollitudine offenſus cilicii, ſaxum contorquebat, quidquid incurriſſet, collidens, verba ſunt Amm. Marcellini *l.* 23. *c.* 4. ubi quoque addit, *Tormentum*, quòd ex eo omnis explicatio torqueretur: *Scorpionem*, quoniam aculeum deſuper haberet erectum: *Onagrum* verò à recentioribus hanc machinam vocitatam eſſe, propterea quòd aſini feri, quum venatibus agitantur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittant, ut inſequentium perforent pectora, aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodant. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 17. Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 4. *c.* 3. &c.

ONAM, fil. Soba, filii Seir Horræi, Gen. *c.* 36. *v.* 33. Fil. item Jeremeel ex Atarâ uxore, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 26. Latinè, *dolor*, aut *fortitudo*, ſive *iniquitas eorum.*

ONAN, fil. Judæ ex Sue uxore ſua, Gen. *c.* 38. *v.* 4. Latinè, *dolor, iniquitas*, ſive *fortitudo.*

ONASIMUS, Conſtant. Imperat. temporibus vixiſſe, fuiſſeque Cyprius, aut Spartanus Hiſtoricus, dicitur à *Suida*, qui & compluria ejus ſcripta refert, ſed ad oratoriam artem pertinentia, ut qui & Sophiſta fuerit; quemadmodum idem ille auctor eſt. Item, ſcriptor vitæ Probi & aliorum quorundam. Vopiſc. *in Caro, c.* 7. *&c.* Vide & *Oneſimus.*

ONCÆ, portæ Thebarum, Nam *Onca* ſecundùm Phœnices, Minerva eſt, *Steph.* Nonnus *Dionyſ. l.* 44.

Λαίνος Ὀγκαίης ἐλελίζετο βωμὸν Ἀθήνης

Ὅν ποτε Κάδμος ἔδειμεν.

Qui de *Onca* plura volet, legat aureum Seldeni libellum, *de diis Syris. Syntag.* 2. *c.* 4. Mihi monuiſſe ſufficiet, Deam bellorum Præſidem Ὄγκαν vocâſſe Phœnices, à verbo אגח *aggah*, quod Syris eſt *movere bellum*; proinde pro *Onca* nonnulli Ὄγγαν *Ongan*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vel *Oggan* ſcribunt. *Heſychius:* Ὄγγα Ἀθηνᾶ ἐν Θήβαις. Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 16. *Nic. Lloydius.*

ONCÆ, civitas Arcadiæ. Iſacius *in Lycophronem:* oppid. Thebarum eidem. Et pagus Bœotiæ *Phavorino.*

ONCÆUM, parva regio Arcadiæ ab *Onco* illic dominante, *Steph.*

ONCHÆ, vide UNCHÆ.

ONCHESMUS, Epiri portus, *Ptolem. Santi Quaranta, Sophiano. Onchimus* vocatur *Straboni. Echinuſſam* Plinii eſſe vult *Villanovanus.* Nunc *Orchino Laurembergio,* 12. mill. paſſ. à Corcyra urbe in Boream.

ONCHESTUS, Bœotiæ urbs, non procul à lacu Copaide, *Strab.* & Pauſan. *l.* 1. & 9. Condita putatur ab *Oncheſto* heroë Bœoto, Neptuni filio, & ab eo nomen accepiſſe. Ejus meminit Homer. *in Catalogo, v.* 186.

Ὀγχηστόν θ' ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος.

Ubi *Schol.* Τόπος Βοιωτίας ἱερὸς Ποσειδῶνος. Εἴρηται δ' ἀπὸ Ὀγχηστοῦ τοῦ Βοιωτοῦ. Idem Homer. *Hymn.* 3. *v.* 88. λεχεποίην, h. e. *herboſum* vocat. Eſt & palus juxta Thebas, teſte Ælianô, *l.* 12. *c.* 57. & fluv. apud Mycaleſſum, teſte Polybiô *l.* 17. *c.* 16. Stat. *l.* 7. *Theb. v.* 272.

—— *Neptunia proles*
Oncheſti, quos pinigeris Mycaleſſus in agris, &c.

Nic. Lloyd.

ONCHEUS, nomen viri, quem prælatus in prœlio Colchico equus haſtâ induit, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 256.

ONCHOBRICE, inſula Arabiæ Felicis, *Plin.*

ONCHOE, urbs Phocidis, *Stephan.*

ONCIUM, Arcadiæ regiuncula, Pauſan. *l.* 8.

ONDICÆONÆ, vel ONDICÆOVÆ, populi Galliæ Celticæ. Vide *Andes.*

ONEABATES, urbs Ægypti, *Stephan.*

ONEAL, nomen illuſtris in Hibernia olim Familiæ, ex præfixa lit. O. & nomine *Neal,* conflatum, de qua vide in voce *Tironi,* ſeu *Tironenſis Comitat.* Eandem literam O. alios quoque Hiberniæ Optimates pro more gentis nominibus ſuis præfigere, notat Camdenus *Deſcript. Hiberniæ:* an quia perfectionis ſymbolum, ut in Scriptura ſumi notatum Macro *in Hierolex.* De qua ut & hoc addam, prætoriæ navis Bruti παράσημον fuiſſe, colligit ex verbis Horatii *l.* 1. *Od.* 14. *v.* 1.

O navis referent in mare te novi
Fluctus, ô quid agis? ——

Alex. Neapolitanus *Genial. Dier. l.* 4. Eadem admirationis nota: unde O. dictæ antiphonæ 7. quæ in Eccleſia Romana totô Adventûs Domini tempore canuntur, quòd ab illa initium capiant. *Statuta* antiqua Canonicorum S. Quintini in *Veromanduis, Vinum de paſtibus, de poſtmeridiis, caritatibus, & de omnibus O. ante Natale debet eſſe vinum decens,* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide plura de illa, apud Voſſ. *de Arte Grammat. l.* 1. *c.* 30. ubi in veterib. monumentis quadratâ ſæpe figurâ comparere addit; ut & aliquid infrà, voce *Ovatio.*

ONEGA, lacus Moſcoviæ peramplus, *Onega Ozero,* cujus pars Borealis eſt regni Sueciæ, pars Meridionalis Ruſſorum. Medius inter mare Album ad Septentrionem & Ladogum lacum ad Occaſum verſus Novagradienſem & Wologdam provincias in Ladogam lacum ſe exonerat, mediante Suerió fluvió.

ONEJATES, ex ducibus Baſilii Imperator. Claſſem Saracenorum in Euripo vicit, circa A. C. 879. Calviſ. *in Chron.* Zonar. *tom.* 3.

ONEIROCRITICE, ars ex ſomniis divinandi, multo apud Veteres in uſu fuit: *quæ proba,* inquit Voſſ. *ſi judicium feratur de eo, quod cum ſomnio nexum habet naturalem; ut de hominis temperie: Improba verò, ſi nexus ſit nullus.* Fundamentum ejus in mutua affectione & relatione ſomnii ac rei ſignificatæ poſitum eſt: quæ cùm duplex ſit, namque aliquid vel disjunctum ac nullo cohærens nexu naturali, vel contrà; variè ea interpretabantur, aliquando ex ſimilitudine, aliquando ex contrario aliquid colligendo, nonnunquam ex effectu cauſam, nonnunquam ex cauſa effectum: item ex toto partem vel viciſſim &c. concludendo. Sic Pompejus ante pugnam Pharſalicam ſomnium habens, ſe Veneris Victricis templum multis ſpoliis exornare, hærebat anxius: quia bifariam poterat intelligi; ut ex effectu ac conſequente ſignificaretur cauſa ſive antecedens quid, vel ut ex cauſa colligeretur effectus. Prius erat, cùm ex eo, quòd Veneris Victricis templum exornaret, judicabat, victoriam fore penès ſe, quum poſt victoriam templa Deorum à Victoribus exornari ſpoliis ſolerent. Poſterius, cùm per Venerem intellexit, Veneris propaginem, familiam Juliam, è qua Cæſar erat, Plut. *in Pompejo.* Dubitabat enim eſſetne ſomnium ſpeculativum, rem oſtendens, uti futuram: an allegoricum, ænigmaticè futurum prænuntians, quomodo ſomnia diſtinguit Artemidorus *l.* 4. *c.* 2. Scripſerunt de vaniſſima hac Arte multi, *Apollodorus Telmiſſenſis, Panyaſis Halicarnaſſæus, Alexander Myndius, Dionyſius Rhodius, Hermippus, Philochorus, Geminus Tyrius* pluresque alii. Sed extat ex tam multis *Artemidorus* Epheſius ſeu Daldianus, qui Antonini Pii vixit temporibus, cujus opere, rem ſi ſpectes, nihil vanius: Verùm utilis tamen ejus lectio, ob tam multa quæ admiſcet, de ritibus antiquis & ſtudio Humanitatis. Etiam extat Græcè Achmetis Arabis opus *de Divinatione & ſomniis,* juxta diſciplinam Indicam, Perſicam & Æthiopicam: qui liber falſo Apomaſaris nomine Latinè primùm à Leunclavio fuit editus; ſed ipſe poſtea errorem ſuum *in Annal. Turcicis* obſervavit. Præterea ſupereſt *Aſtrampſychus,* cujus & *Suidas* meminit. Item *Nicephorus Conſtantinopolitanus:* quorum uterque de hoc argumento Jambicis ſenariis quædam reliquit. Gerh. Joh. Voſſius *de Philoſophia c.* 5. §. 50. & 51. De eadem Arte, jam ante Artemidorum, quoque ſcripſit Apollonius ὁ Ἀτταλεύς, ut Artemidorus, ejus Ὀνειροκριτικὰ citans, ait *l.* 1. *c.* 34. & *l.* 3. *c.* 28. Tertullian. etiam *l. de Anima c.* 46. Artemonem, Antiphonta, Stratonem, Philochorum, Epicharmum, Serapionem, Cratippum, Dionyſium Rhodium, Hermippum, alios, memorans, præcipuos Epicharmum & Philochorum fuiſſe docet: *Ceterùm,* inquiens, *Epicharmus etiam ſummum apicem inter divinationes ſomniis extulit, Philochoro Athenienſi.* Adde Fulgentium qui *de Somniorum Interpret.* ſcripſit, de quo idem Voſſ. de *Hiſtor. Græc. l.* 3. *p.* 413. *in Serapio.* Vide quoque infrà in voce *Somnium.*

ONELIA, oppid. Italiæ, in ora Liguriæ, cum titulo Principatus, Sabaudiæ Duci à Genuenſibus A. C. 1672. ereptum, 10. mill. paſſ. ab Albingauno in Occidentem, Album Intemelium verſus, à quo 20. mill. paſſ. diſtat, 28. à Monte Regali in Meridiem. Regio olei, vini, &c. feraciſſima.

ONENSES, Hiſpaniæ citerioris populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ONERIS Excuſſio, Græcè Σεισάχθεια, blandè dicta eſt lex Solonis, quâ, plebi Atticæ ære alienô à divitibus oppreſſæ conſulturus, juſſit τὰ ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀνεῖσθαι, *æs alienum quod erat remitti,* & novas tabulas fieri. Quod verò factum οὐκ ἀποκοπῇ χρεῶν, ἀλλὰ τόκων μετριότητι, *non æris alieni remiſſione; ſed uſurarum moderatione,* volunt. Eâdem lege & *Menſurarum modum auxit,* & *Monetæ pretium.* Quippe Minam fecit C. drachmarum, quæ antea erat LXXV. *Quô modô cum obærati redderent ſummam numerô quidem æqualem, ſed valore minorem, ipſi multùm lucri faciebant, at Creditores nihil lædebantur,* Plut. *Solone.* Eâdem porrò τῆς ὑποκειμένης γῆς ὅρους ἀνεῖλε, *terræ antea oppignoratæ indices ſuſtulit.* Agri nempe & domicilia, quæ ære alienô obſtricta & Daniſtis oppignorata eſſent, à Creditoribus ὅροις, *tabellis* ſcil. *ædibus & prædiis affigi ſolitis,* ut oppignorata eſſe liqueret omnibus, ſignabantur, Harpocrat. Ὅρος. At γῆν κινεῖν, *terram movere,* noluit Solon, contra pauperum expectationem, qui Legem Agrariam ſpe jam devorârant, & exemplô Lycurgi æquales undiquaque fortunas. Mox tamen deliniti Athenienſes ſacrificium, quod Σεισάχθειαν itidem nuncupârunt, fecerunt publicè, Plut. *Solone.* Vide quoque hic paſſim.

ONESIÆ Aquæ, quibuſdam ſunt *Bagneres,* oppidul. Aquitaniæ in Bigerrenſi tractu, ad Aturum fluv. 4. leuc. ſupra Tarbam in Boream, 7. à Palo in Eurum.

ONESICRATES, literator Græcus, inter Præceptores Commodi Imperatoris apud Æl. Lamprid. *c.* 1.

ONESICRITUS, quibuſdam Ægineta, Diogenis Cynici ſectator, in Alexandri comitatu fuit, qui ab eo ad Indiæ ſophiſtas miſſus erat: atque ex iis etiam collocutus eſt cum Calano, nobili philoſopho; qui poſtea in Perſiam uſque Alexandrum eſt ſecutus, ac ſpectantibus Macedonibus & Perſis ſpontaneô ultimum diem vivicomburiô clauſit. Auctor Strabo *l.* 15. quô res Indicas qui multa perſequitur. Meminêre *Oneſicriti* præter Strabonem, qui multa imprimis ex eo refert, etiam Plut. *in Alex.* (ubi & legas, fuiſſe philoſophum ex Diogenis Cynici contubernio) Agellius *l.* 9. *c.* 4. & Qu. Curtius *l.* 9. *c.* 10. Ad hæc ita Lucian. *de Longævis;* Ὀνησίκριτος ὁ τὰ περὶ Ἀλεξάνδρου συγγράψας. Item Ælian. *l.* 16. *de Anim. c.* 30. ubi vocatur Ὀνησίκριτος ὁ Ἀστυπαλαιεύς. Mentionem quoque ejus idem Ælian. facit *l.* 17. *ejuſdem operis, c.* 6. Item Jo. Tzetzes *Chil.* 3. *Hiſt.* 113. Et qui antiquâ magis fide eſt, Arrian. *l.* 6. ubi hæc legas: Τῆς δὲ αὐτοῦ νεὼς κυβερνήτης Ὀνησίκριτος, ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ ἣν τινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραφε, καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα. Sed non in eo ſolùm fefellit, nam in multis ejus fides ſuſpecta fuit. Neque tamen vulgaris navis gubernator fuit, ſed regiæ, quod ipſe agnoſcit Arrian. *l.* 7. ubi vocatur κυβερνήτης τῆς νεὼς τῆς βασιλικῆς. De ſtylo ejus ita cenſet Suidas, Xenophontem ſibi imitandum propoſuiſſe, ſed elegantiam ejus aſſequi minimè potuiſſe. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 10. *de Sectis Philoſ. c. &c.* cui ſeu Æginenſis ſeu Aſtypalæenſis fuit, ut docet A. Gellius *l.* 9. *c.* 4. 17. §. 5. Alexandri M. res fabuloſe ſcripſit, ut docet A. Gellius *l.* 9. *c.* 4. de faſcibus librorum venalium, Brundiſii ſibi oblatis, loquens: *Erant autem iſti omnes libri Græci miraculorum fabularumque pleni: res inauditæ, incredulæ; Scriptores veteres non parvæ auctoritatis, Ariſteas Proconneſius, & Iſigorus Nicæenſis, & Cteſias & Oneſicritus & Polyſtephanus & Hegeſias,* &c.

ONESILAUS, ab Amathuſiis, in Inſul. Cypro cultus, memoratur Athenagoræ *in Legat.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 21.

ONESIMUS, Cyprius, ſeu Spartiata, tempore Conſtantini M. ſcripſit *de Rhetorica, de ſtatuum differentiâ, Præexercitationes, Declamationes,* & alia, *Suidas.* Item Philemonis ſervus, vide Epiſt. Pauli ad Philemon. Epiſcopus dein Epheſi, & Martyr, ſub Trajano, lapidibus Romæ obrutus, quò à Proconſule invitatus venerat. Ignat. *Epiſt. ad Epheſ.* Baron. *in Annal.*

ONESIMUS, Hiſtoricus. *Scriptor vitæ Probi,* laudatur Vopiſco *in Bonoſo, c.* 14. item *in Proculo c.* 13. & *Carino c.* 17. *Idem diligentiſſimè eum Probi vitam ſcripſiſſe,* ait *in Caro. c.* 7.

ONESIPHORUS, vir quidam fidelis, 2. Timoth. *c.* 1. *v.* 16.

ONETORIDES, Athenienſis ex illis ducibus, qui cùm noctu in urbem quadringentos & viginti armatos, ad liberandas Demetrii præſidiô Athenas, & interficiendum præfectum Heraclidem, introduxiſſent, conſiliô per Hieroclem Carem proditô interfecti ſunt ipſi, Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

ONEVATHA, Phœniciæ urbs, *Liber. Notit.*

ONIABATHES, urbs Ægypti, *Stephan.*

ONIAS I. ſummus ſacerdos apud Judæos, poſt Jaddum, ſub Ptolomæo Lagi fil. Præfuit ann. 14. ſucceſſit Simeon Juſtus.

ONIAS II. fil. hujus, quòd tributum Ptolemæo Euergeti negâſſet, penè exitii cauſa populo ſuo fuit. Pater Simeonis 2. cui ſucceſſit filius,

ONIAS III. ſub quo Heliodori hiſtoria contigit. In Ægyptum fugere coactus, templum ibi Hieroſolymitano ſimile condidiſſe dici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dicitur, quod ad Veſpaſiani uſque tempora duravit. Ab Antiocho Epiphane Sacerdotiô motus, Iaſonem fratrem ſucceſſorem habuit; qui dignitatem pecuniâ emerat; occiſus A. C. 3882. Vide 1. Machab. *c.* 12. *v.* 7. Torniel. Salian. Spond. *in Annal. V. T.*

ONII, montes Achajæ, haud longè ab Iſthmo Corinthiaco: extenſi uſque ad Bœotiam. Urbs Heliopolitis Nomi in Ægypto, apud *Ptolemæum.* Ὀνίου populi & *Onii* Regio, *ibidem.* Joſepho *l.* 14. *Jud. Ant. c.* 14. & *l.* 1. *Bell. Jud. c.* 7. *Onion*, civitas eſt, in hoc eodem tractu Heliopolitano, apud eundem Joſephum *l.* 7. *Halos. ad finem ferè*, quam 80. ſtadiis à Memphi abeſſe ſcribit. Ab *Onia* pontifice Judæorum exſtructam, ſcribit Euſeb. *in Chron.* Idem cum *Oniæ* regione *Egeſippi.*

ONINGIS, urbs Vandalitiæ, inter Cordubam ad Occaſum & Acci ad Ortum, à Scipione Africano exciſa, *Liv.* nunc urbs præclara *Jaen, Morali.*

ONISA, Cretica inſula parva, contra Ithacum promontor. & oppid.

ONIUM, locus in Peloponneſo, Polyæn. *l.* 2. *c.* 3. *com.* 3. & 9. Sic quoque Thucydidi *l.* 2. *c.* 52. & Xenophonti, *l.* 6. *Græc.* & 7. ubi circa Corinth. videtur, ubi *Onii*, nempe montes. Circa *Onium*, vel *Oneum*, oppid. Cenchreis proximum, pugnatum eſſe inter Thebanos & Lacedæmonios *Xenoph.* teſtatur.

ONKELOS, Rabbinus, auctor paraphraſeos Chaldaicæ Pentateuchi: floruit ante Chriſtum natum. Proin malè confunditur, cum Aquila Pontico, qui Græcus erat, & poſt Chriſtum viguit. Petrus Galat. *l.* 1. *c.* 3. *Torniel. &c.* Vorſtio verò, recentioris ævi hunc commentatorem fuiſſe, inde videtur, quia nec Origenes, nec Hieronymus, ambo verſatiſſimi in Lingua Hebræa & Chaldaica, neque ullus Veterum hujus *Onkeloſi* meminit, cujus tamen non exiguus poterat eſſe uſus, in redarguendo quandoque Judæos, *ad Chronol. Rabbi Ganz.*

ONKELOS, proſelytus, necromantiæ ope patruum ſuum Titum Imperator. evocâſſe traditur Magiſtris, vide Rabbi Ganz. *Chronol. ad Ann.* 840.

ONNA, emporium Arabiæ Felicis *Stephan.*

ONO, Latinè, *dolor, fortitudo*, ſeu *iniquitas ejus*, civitas in tribu Benjamin, quam ædificavit Samad, fil. Elphaal, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 12. Item vallis, Eſdr. *c.* 2. *v.* 36. Nehem. *c.* 6. *v.* 12.

ONOBA, civitas inter ſacrum promontor. & Herculeas columnas; Plin. *l.* 3. *c.* 1. Mela *l.* 3. *c.* 1. Strab. *l.* 3. vide ſis ibi Caſaubon. & Bochart. *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 34 & Voſſ. *ad Melam*, *p.* 226.

ONOBALA, amnis Siciliæ, de quo ſic Vir magnus, *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 28. Prope Tauromenium, inquit, eſt amnis Tauromenius, quem *Appianus* appellat *Onobalem*: Παρέπλει, inquit, τὸν ποταμὸν τὸν Ὀνοβάλαν, καὶ τὸ ἱερὸν τὸ Ἀφροδίσιον, καὶ ὡρμίσατο εἰς τὴν Ἀρχηγέτην, ἀξιῶν τὸν Θεὸν, ὡς χάρακα θησόμενος ἐνταῦθα, καὶ ἀποπειράσων τοῦ Ταυρομενίου. Veneris fanum intelligit, de quo in Vaticanâ Proverbiorum appendice, ex emendatione Cluverii: Γέῤῥα Ναξιακά, Γέῤῥα Σικελοὶ λέγουσι τὰ ἀνδρῶα καὶ γυναικεῖα αἰδοῖα. Ἦν δὲ ἐν Σικελικῇ Νάξῳ τέμενος ἐπιθαλάσσιον Ἀφροδίτης, ἐν ᾧ μεγάλα αἰδοῖα ἀνέκειτο. Naxus hîc idem eſt, quod Tauromenium, quam condiderunt, qui è Naxiis erant reliqui. Unde Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Colonia Tauromnium quæ antea Naxos.* Et Solin. *c.* 11. *Colonia Tauromenia, quam priſci Naxum vocabant.* Itaque in his Nonii: *Et ſunt gerra faſcini, qui ſic in Naxo inſula Veneris ab incolis appellantur:* errore manifeſtô Naxo inſulæ, uni Cycladum, id tribuitur, quod Naxi Siculæ proprium erat. Nam, præter Proverbiorum authorem, quem citavimus, *Heſychius* etiam, & *Phavorinus*, & author *Etymologi*, Γέῤῥα παρὰ Σικελοῖς dici ſcribunt, τὰ γυναικεῖα, καὶ ἀνδρεῖα αἰδοῖα. Niſi quòd Etymologus ſolùm habet, τὰ γυναικεῖα, atque hinc colligere eſt, cur Tauromenius amnis alio nomine vocetur *Onobalas*, nempe propter αἰδοῖα, & faſcina, quæ pendebant à templo Veneris ad illius oſtium extructo. Arabicè enim hodieque עֻנבלה *Onbala*, muliebre pudendum eſt, vel, ut preſſius loquar, id ipſum quod Samiis νύμφη, aliis κλειτορὶς & μύρτον. *Bochart. Nic. Lloyd.*

ONOBALISTURIA, Hiſpaniæ urbs. Vide *Oſſobona.*

ONOBRISATES, popul. Galliæ Aquitanicæ, Plin. *l.* 4. *c.* 19.

ONOCENTAURUS, animal ex aſino & homine mixtum, memoratur Nonno *Dionyſiac. l.* 14. *v.* 193. & Æliano *de Animal. l.* 17. *c.* 9. Crateti Pergameno, ex Pythagora, deſcribitur, ut verum animal; cui humanum os, collum item & pectus, humeri, brachia, manus; muliebres mammæ & comæ: dorſum, latera, venter & poſteriores pedes aſini. Eidem tribuit colorem cinericium, circa ilia ſubalbidum, currentique pedum vicem manus præſtare, animum autem habere indocilem, adeò ut captum præ inediâ perire malit, adjungit. Phile quoque *in Jambis* ad Michaëlem Imperatorem ita deſcribere animal hoc videtur, quaſi viderit αὐτόπτης, *c.* 40. Sed & in convivio VII. Sapientum, apud Periandrum, exhibitum eſſe Centaurum recens editum, narrat Diocles, apud Plut. *in Sympoſ.* Imò ex ipſa Scriptura, id genus animalium dari, probare conatur Hieronym. *contra Vigilantium ſub initium ſtatim.* Eſajæ enim *c.* 13. *v.* 22. Græci habent, Ὀνοκένταυροι ἐκεῖ κατοικήσουσι. Et rurſus *c.* 34. *v.* 11. Ὀνοκένταυροι οἰκήσουσιν ἐν αὐτῇ; & *v.* 14. συναντήσουσιν δαιμόνια ὀνοκενταύροις: ubi Vulgatus habet, *Occurrent dæmonia onocentauris* &c. Philes verſus ſic habent, *c.* 40. *cit.*

> Ἀνθρωπόμορφον εἶδον, Ἰνδὲ, θηρίον,
> *Vidi, Inde, forma præditam humanâ feram* &c.

Et paulò pòſt,

> Πρόσωπον ἀνδρὸς εἶδον, Ἰνδὲ, καὶ κόμην,
> Καὶ στέρνα, καὶ τράχηλον ἄχρις ἰξύος,
> Καὶ χεῖρας αὐτοῦ ἀνδρικὰς, καὶ δακτύλους,
> Ἐπεῖτα μαζοὺς, ὡς γυναικὸς ἡμένες.
> Ῥάχις δὲ καὶ πλευρὰ, λαπάραι, γαστὴρ, πόδες,
> Καθαρὸν ὄνον τιν' ὀργανοῦσι τὴν θέαν.
> *Mihi virilis, Inde, vultus & coma,*
> *Pectusque viſum eſt, atque collum ad illa:*
> *Vidi, & viriles huic manus, digitos quoque*
> *Mammaſque ad inſtar fœminarum pendulas.*
> *Merum ſed Aſinum reliqua ſpectandum exhibent,*
> *Dorſum, latuſque, venter, abdomen, pedes.*

Verùm, quod de Centauris & Hippocentauris ſuprà, idem de *Onocentauris* ſentiendum. Nec Indica hæc onocentaurus quam Phile ex Æliano & Ælianus ex Cratete Myſio & Crates ex Pythagora deſcribunt, quidquam ex vero trahit, cùm tale animal in India nemo alius obſervârit & unius Pythagoræ fide nitatur: non magni illius, ut cujus ævô India Græcis prorſus ignota erat; ſed alterius recentioris, quem *de Mari Rubro* ſcripſiſſe, Athenæus memorat *l.* 5. *c. ult.* & *l.* 14. *c.* 3. Neque verò ex ſe loquitur Phile, ſed per proſopopœiam alium inducit, hanc feram Indo homini deſcribentem, ut ab ipſo, quodnam ſit feræ genus, doceatur. In Verſionibus etiam Græca & Vulgata, *Onocentauri* nomen non pro animali ſumitur; ſed pro dæmonum ſpectris & larvis. Eſaiæ *c.* 13. & 34. Unde rectè *Theodoretus*, Καλεῖ, inquit, ὀνοκενταύρους, ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν ὀνοσκελίδας προσαγορεύουσι. *Vocat* Onocentauros, *quas veteres Empuſas, & qui nunc vivunt, onoſcelidas appellant.* Bis occurrunt pro איים, ſemel pro לילית nocturno dæmone illo, de quo vide ſuprà in voce *Liluh.* Ideò perſuaſum Veterib. *Onocentauros* eſſe dæmonis genus κάθυλον καὶ σκοτεινὸν, *ſylveſtre & tenebroſum*: quam in rem plura ſuggerit Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 10.

ONOCHOMUS, fluv. Theſſaliæ in Peneum influens, ab exercitu Xerxis bibendo exſiccatus, Herodot. & Plin. *l.* 4. *c.* 8.

ONOCHRINUM, Lazio *Kew.* oppid. ſeu pagus nunc Pannoniæ inferior. ad Danubium, è regione Bononiæ. *Liber præfect.*

ONOCROTALUS, Hebraicè כוס *chos*, Græcis ὀνοκρόταλος, Romanis *truo* dictus eſt, à *trua*, quod vaſis genus. Pomponius *Pannuceatis*,

> *Mulier ubi aſpexit tam mirificè tutulatam truam.*

Et Titinnius Setina,

> *Cocus magnum ahenum quando fervit, paulâ confutat truâ.*

Unde diminut. *trulla.* Nempe *truam* in roſtro hæc avis habet; cujus formam videre eſt apud Bochart. *Part. poſter. Hieroz. l.* 2. *c.* 20. Hinc Sabaudi vocant *gutturoſam*, i. e. *ſtrumoſam*, ab ingluvie; quæ in gutture, ſtrumæ inſtar, prominet. Et Arabes plerique *albauſal*, i. e. *ingluviem*, ac ſi avis tota ſit ingluvies. Sic Æliani *l.* 16. *c.* 4. Indica avis κήλας, otide triplô major, vaſtô ore, magnis cruribus, habens πρηγορεῶνα καὶ ἐκεῖνον μέγιστον, προσεμφερῆ κωρύκῳ, *ingluviem, eamque ampliſſimam, ſacco ſimilem*: omnino eſt *onocrotalus*, qui à Græcis κήλας dictus eſt, propter κήλην, ſeu βρογχοκήλην, i. e. *tumorem in gutture.* Neque immeritò illa ingluvies aſſeritur eſſe ampliſſima, cùm penè amphoram aut urnam capere, nonnulli ſcribant. Alii Æthiopem infantulum in ea eſſe repertum; alii pugnum cum brachio, alii pedem cum crure uſque ad genu immiſiſſe in eam prodant, ipſô animali illæſô; alii tandem ſe pro cucullo capiti impoſuiſſe, reliquô corpore à tergo dependente. Sunt &, qui nautas Ægyptios onocrotali roſtrô ſentinam exhaurire ſcribant: Et Plin. *l.* 10. *c.* 47. *faucibus ipſis ineſſe alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerere; mira ut ſit capacitas. Mox perfectâ rapinâ, ſenſim inde in os reddita in veram* (alii *in inferam*) *alvum ruminantis modô referre.* Unde eſt, quòd Arabs Poëta de hac ave αἰνιγματιζόμενος, *Quænam avis eſt*, quærit, *quæ ingeniô ſuô apparet hominibus mirabilis. Roſtrum illi pro ventre eſt & oculus in cauda*: i. e. poſt ventrem illum, quem in roſtro habet. Ab hoc igitur ſive ventre, ſive ſacco aut trua, quæ ab inferiore roſtri parte dependet, ab Hebræis dicta avis τοῦ כוס *chos*, i. e. *vaſis* ſeu *poculi*: cui conjecturæ non parùm favet in Pſalmo 102. *v.* 7. locus, ubi dicitur, *Similis factus ſum pelicano deſerti & fui, ut chos* (onocrotalus) *ſolitudinum.* Ita enim hæ duæ aves affines ſunt, ut etiam doctiſſimi eas ſæpiſſimè ſumant promiſcuè; in quibus Oppianus *in Ixeuticis*: ubi πελεκᾶνι, i. e. *pelicano*, tribuitur, κόλπος i. e. *ſinus* quidam, ante pectus dependens, in quem cibum omnem aliquantiſper recondit. Porrò, *Onocrotalus*, in deſertis locis habitare amat, Hieronym. *in Eſaj. c.* 34. *v.* 11. & duo ejus genera ſunt, aliud aquatile, aliud ſolitudinis, Idem *in Sophoniam c.* 2. *v.* 14. Proinde Damir *c. albugla*, ſeu *de Onocrotalo, ſect. de ejus eſu*, licitum quidem eſſe concludit, non tamen vi regulæ generalis, quæ Mahumetanis concedit omnium avium aquaticarum eſum, *Quia currit hæc ratio in iis avibus, quia in aquis ſemper manent: at hæc avis modò in aqua degit, modò ab ea divellitur*, ut ſecedat videl. in intimam ſolitudinem. Vocem quod attinet avis hujus, mœſtum illa aliquid ac horribile habet. Ælian. *d. l.* Φθέγμα δὲ ἔχει καὶ μάλα ἀπηχές: *Vocem habet valdè abſonam.* Græcis dictus eſt ὀνοκρόταλος, quaſi *rudat inſtar aſini*: & nonnullis Arabum, *camelus aquæ*, quaſi blateret in cameli modum. Hinc *Albertus*; *Quaſi cornu ſonans horribilem vocem emittit*; & *Olaus*, *Magnum clamorem edit inſtar botauri avis*, i. e. ardeæ ſtellaris, quæ voce ſuâ tauri mugitum imitatur. Reperitur ea circa Syriæ Antiochiam & Palæſtinæ Gazam, ac in Ægypto frequens eſt. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 2. *c.* 20.

ONOGORIS, Colchidis urbs, ſic dicta, ut refert Agathias, ab Hunnis, qui & *Onogori* vocabantur, ibidem præliô victis.

ONOGUNDURI; vide *Bulgari.*

ONOLDIUM, ſeu ON- & ANSPACHIUM, oppid. Franconiæ cum Caſtro, ſub proprio Marchione, è familia Brandeburg. ad amnem cognominem, 6. milliar. German. à Norimberga in Ortum, 10. à Bamberga in Meridiem. Hinc Marchionatus Onoldinus, cujus familiæ origo arceſſenda eſt, à Johanne Georgio Electore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Brandeburg. filio Joachimi 2. communi patre omnium hodiè ex gente hac Sereniſſ. ſuperſtitum. Hujus fil. tertius Joachimus Erneſtus, A. C. 1603. nactus eſt ditionem Anſpacenſem, ſeu Onoldsbacenſem, in Franconia: in Belgico, & Alſatico bello A. C. 1610. fortitudinis variis ſpeciminibus editis inclytus. Bellô verò Palatinô, quô A. C. 1620. caſtra duci Bavariæ oppoſita habuit, à Spinola mox tantâ dexteritate & fortunâ eluſus eſt, ut apud ſuos fidem amitteret, quaſi cauſam *Unionis*, cujus dux erat, parum fideliter adminiſtraret. Obiit A. C. 1625. pater Friderici, qui prælio Norlingenſi periit: Chriſtiani, qui Blæſis mortuus eſt & Alberti, qui natus A. C. 1620. Joh. Fridericum genuit, Spener. *Sylloge Geneal. Hiſtorica.* Vide & hîc infrà.

ONOLDSBACUM, vulgò ANSPACH ſeu ONOLDSBACH, caſtrum Germaniæ, in Franconia, cum ditione adjacente, ſub proprio Marchione, ex Familia Brandeburgica. Vide in voce O*noldium*. Lineæ auctor Joachimus fuit Erneſtus, Joh. Georgii Electoris Brandeburg. ex Eliſabetha Anhaltina, fil. qui deceſſit A. C. 1625. Pater ex Sophia Solmenſi (filia Joh. Georgii Comitis Solmenſis in *Laubach*) Sophiæ (quæ nata A. C. 1614. Erdmanno Auguſto Marchioni Brandeburgico nupſit, defuncta A. C. 1646.) Friderici (qui natus 1616. obiit A. C. 1634.) Alberti (nati & denati 1617.) Alberti (qui natus A. C. 1620. primis nuptiis ſibi junxit Luiſam Henricam Wirtenbergicam; ſecundis Margaretam Sophiam Oetingenſem; tertiis Chriſtianam Badenſem: mortuus A. C. 1667. & Chriſtiani (nati 1623. denati 1633.) qui omnes *Marchiones Brandeburgici* &c. *lineæ Anſpacenſis* ſeu *Onolsbacenſis*, German. in *Anſpach* ſeu *Onoldsbach*. E quibus Albertus ex primo matrimonio habuit filias tres, Sophiam Eliſabetham (natam ac denatam 1643.) Albertinam Luiſam (natam 1646.) & Sophiam Amaliam (natam ac denatam 1649.) Ex ſecundo, filios duos Johannem Fridericum, & Albertum Erneſtum, quorum hic fatis conceſſit A. C. 1674. ut & filiam, Luiſam Sophiam (natam A. C. 1652.) Ex tertio, quod ultra ſeſquiannum vix duravit, nullâ prole ſuſceptâ. Succeſſit itaque Patri Johannes Fridericus, & ex Johanna Eliſabetha (Friderici March. Badenſis filia) quam in thorum feliciter adſcivit A. C. 1672. Albertum Fridericum genuit A. C. 1674. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Hiſtor. in Famil. Zollerio Brandeburg.* & *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 126. & *Part.* 2. *p.* 105.

ONOMACRITUS, ſortilegus Athenienſis, Muſæi ſocius, ab Hipparcho Athenis expulſus, Herod. *in Polyhymn. Onomacritum*, Athenienſium vatem, Clem. Alexandr. *l.* 1. *Stromat.* ait vixiſſe circa Olympiadem 50. Sed veriſimilius eſt, eum ſcripſiſſe 60. Nam addit, claruiſſe tempore principatûs Piſiſtratidarum. Atqui Piſiſtratus, qui ter tyrannidem invaſit, primò eam obtinuit Olymp. 55. An. 1. obiit autem Olymp. 63. An. ult. Hujus Onomacriti poëmata ſunt ea, quæ Orphei dicebantur; Item χρησμοὶ, ſive reſponſa, quæ Muſæo adſcribebantur. Vide *Suid.* & Voſſ. *Poët. Græc. p.* 23. & 29. *Nic. Lloydius.*

ONOMACRITUS Locrus, legum Scriptor, in Cretam, juſſu divinô, peregrinationem ſuſcipit. Vide Ariſtot. *l.* 2. *Polit. fin.*

ONOMARCHUS, Philomeli frater, (apud Diodor. Sic. *l.* 16. *f.* 540.) fil. Euthycratis, Ariſtot. *l.* 5. *Pol. c.* 4. Phocenſium dux in locum Philomeli ſubrogatus, cæſus in Theſſaliâ à Philippo Macedone, ſuſpenſô cadavere, pœnas dedit ſacrilegii in Delphos commiſſi Olympiadis centeſimæ ſextæ An. 4.

ONOMASTORIDES, ſecundus è Legatis à Lacedæmoniis, ad Darium, ſpretâ Alexandri amicitiâ miſſus, proditâ Damaſcô, in Parmenionis venit poteſtatem, Curt. *l.* 3. *c.* 13.

ONOMASTUS, libertus Othonis, ſceleri corrumpendorum Prætorianorum militum à Patrono præfectus, Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 25.

ONOMATHEOPOLIS, Hiſpan. *Nombre de Dios*, oppid. recens Americæ, in Iſthmo, 25. leuc. à Panama urbe in Boream, nunc ſemidirutum, incolis Portum Belum ad Occaſum tranſlatis.

ONONYCHITES, Græcè ὀνονυχίτης, quaſi *aſininis unguibus*, à Gentilibus blaſphemè vocatus eſt Chriſtianorum Deus, uti docet Tertullian. *in Apolog. c.* 16. occaſione impietatis ex Tacito deſumptâ, *Hiſt. l.* 5, *c.* 4. qua de re vide quæ ſuprà diximus de *Aſini aureo capite*, ut & in voce *Anchialus*.

ONOPHAS, ſecundùm Cteſiam, unus è ſeptem Perſis, qui contra Magum Smerdin, Cyri filium ſe ſimulantem & regnum occupantem, conjuravit.

ONOPHAS, quoque fuit mille navium claſſi, in expeditione Xerxis, præfectus.

ONOPHRIUS, uſque adeò ſolitudinis erat amator, ut Ann. 60. hominem non videret, unde agreſtis adeò factus eſt, ut ſuperiore corporis parte totus & barbâ & capillis tegeretur, pudendis arborum cortice, & foliis coopertis. Vixit Ann. 70. herbis, & baccis ſilveſtribus contentus. Vide quoque *Onuphrius*.

ONOR, urbs Indiæ intra Gangem, regni cognominis caput, in Canara, & ora Oceani Malabarici. *Ponaran* Malabaris. Cum portu capaci & arce ſatis valida, ſub Luſitanis, 18. leuc. Hiſpanic. à Goa in Meridiem. Regnum autem Onorum ſubeſt Regi Baticalæ, eſtque parvum, verſus oram littoralem extenſum.

ONOS, Commodo Imperatori chariſſimus, ab eo ditatus & Herculis Ruſtici ſacerdotio præfectus, apud Lamprid. *c.* 10.

ONOSARTA, Syriæ Primæ urbs, ex *Concilio Chalced.*

ONOSTATICA, ſeu *Ergatoſtatica*, pars Statices, vide infrà *Statice*.

ONTARIUS, vulgò ONTARIO, ſeu *Lacus S. Ludovici*, lacus Novæ Franciæ, verſus Occidentem.

ONTHYRION, urbs Theſſaliæ juxta Arnen. *Steph.*

ONUGNATHOS, i. e. *Aſini maxilla*, promuntor. Laconicæ in Peloponneſo, inter oſtia Eurotæ fluv. & Maleam promuntor. *Capo Xili, Nigro* dicitur.

ONUPHIS, urbs celebris Ægypti, *Stephan.*

ONUPHRIUS Panvinius, Veronenſis, Monachus Ordin. S. Auguſtini, Paulo Manutio *Helluo antiquarum hiſtoriarum* dictus; continuavit Platinæ *vitas Paparum*, aliaque ſcripſit plurima, multâ eruditione, antiquitatis inprimis peritiâ, refertiſſima. Dedicavit *Vitas* Pio V. A. C. 1566. quas Jacobus Strada Mantuanus, amicus, illi furtim ſubductas, Venetiis ediderat A. C. 1557. In qua editione varia menda deprehendit & ſuſtulit. Idem Hiſtoriam geneal. Paparum & Cardinalium ſcribere paravit; obiit Panormi A. C. 1568. ætat. 39. Petramellar. *in præf.* Poſſevin. *in appar. &c.* Tam aſſiduus in ſtudiis fuit, ut παννύχιος non rarò, imò & nunquam non inter epulas, iis incubuerit. Unde Ferdinando I. Maximiliano II. Imperatorib. Philippo II. Hiſpan. Regi & Pio IV. Pontifici Romano magni fuit habitus. Symboli locô aram habuit, inter bovem & currum conſtitutam, cum lemmate, *in utrumque paratus*, ſe & ſacris & humanis ſcientiis, laboribuſque earum ſuſtinendis, paratum, indigitaturus. Vide præter jam citatos Scriptores *Theatr. dell. Huom. letter.* P. Manutium *Ep. l.* 2. *ep.* 9. Ruſcelli *Impreſe*, & Anton. Teiſſier, *in Elogiis Part. I.* ubi ſeriem ſcriptorum ejus tum editorum, tum ἀνεκδότων adhuc, enarrat: adde Paul. Freherum *Theatro Viror. erudit. claror.*

ONYCHINA Vaſa, vide *Onychites Lapis*.

ONYCHION, locus Cretæ, ab ungue anchoræ in eum infixo, cùm Amyclæi coloniam miſiſſent, *Stephan.*

ONYCHITES Lapis ſeu marmor, cum *alabaſtrite* idem, *onyx* quoque dicitur, quod nomen marmori & gemmæ commune eſt. Plin. *l.* 36. *c.* 8. *Hunc aliqui Lapidem alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ſervare incorrupta dicitur.* Unde quoque, quòd ad vaſa unguentaria & alabaſtros (uti Attici vocabant, cùm cœteri Græci ἀλάβαςρον dicerent, quaſi φορεῖον, h. e. vas vel inſtrumentum alicui rei ferendæ aptum) cavabatur, ἀλαβαςρίτου nomen. Sic certè paſſim apud Poëtas *onyx* alabaſter eſt, i. e. vas unguenti è marmore onyche, non è gemma. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 13. *v.* 30.

Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

Martial. *l.* 11. *Epigr.* 50. *v.* 6.

Profertur Coſmi nunc mihi ſiccus onyx.

Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 12. *v.* 17.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Variis in locis naſcebatur. Plin. *l.* 36. *c.* 7. ſcribit putâſſe Veteres in Arabiæ tantùm montibus, nec uſquam alibi naſci: *Sudines & in Carmania, potoriis primùm vaſis inde factis, deinde pedibus lectorum ſelliſque.* Græcè ὀνύχινοι σκύφοι, apud *Athenæum*, & *onychina vaſa* apud Lamprid. *in Heliogab. c.* 32. ab hoc *onyche* lapide. Inde & *onychinæ cruſtæ*, in *Ep.* Sidonii Papæ. *Naſcitur*, inquit Plin. *l.* 36. *c.* 8. *circa Thebas Ægyptias, Damaſcum Syriæ, probatiſſimus verò in Carmania, mox in India. Ptolemæus* oram Ægypti Arabicam recenſens, ubi variorum marmorum cautes & lapidicinæ, etiam *alabaſtritis* meminit; à quo & oppidum videtur dictum *Alabaſtrum*, in Arabica & Orientali Ægypti parte, quòd in ea urbe alabaſtri tornarentur ex lapide, qui in vicinis montibus cædebatur. Pergit idem Plin. *l.* 36. *c.* 8. *Probantur quàm maximè mellei coloris, in vortices maculoſi. Strabo*, Synnadicum marmor, quantum ad varietatem colorum, ſimile dicit eſſe alabaſtritæ lapidi: nam columnas ex eo monolithas tradit, πλησιάζειν τῷ ἀλαβαςρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. Synnadicus autem lapis erat candidus, ſanguineis vel rubris interſtinctionibus variatus, ut Salmaſ. notat ad *Auguſteos Scriptores*: quem proin à ſimilitudine cum alabaſtrite & quòd in eundem uſum converteretur, etiam Ονυχίτην nonnulli dixerunt. Itaque *Onychites* etiam candidus erat, inprimis qui circa Damaſcum Syriæ naſcebatur, quem cœteris fuiſſe candidiorem, idem Plin. ſcribit. Sed viliores hi, eôdem teſte; contrà probabant, qui, ut dictum, quam maximè mellei coloris, in vortices maculoſi atque non tranſlucidi erant. Neque verò ſolùm potoria & unguentaria vaſa, ſed etiam mortariola & globuli, imò columnæ & pavimenta, ex hoc onyche ſive alabaſtrite lapide fiebant. De columnis, vide Plin. qui plures & ampliores ſe vidiſſe fatetur. De pavimentis, Lucan. *l.* 10. *v.* 115.

——— *ſtabatque ſibi non ſegnis Achates,*
Purpureuſque lapis, totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Nempe ex Achate & Porphyrite lapide columnæ; ex onyche pavimenta. Martial. *l.* 12. *Epigr.* 50. *v.* 4.

Calcatuſque tuo ſub pede lucet onyx.

Non tamen inter præſtantiſſima marmoris genera *onyx* ſemper habitus; nam & in hoc lapide variatum eſſe, ſcribit Plin. Unde Statius Papinius, qui inter marmora onychem recenſet, *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 87. Synnadicum lapidem ei præfert, *in Balneo Hetruſci.* Paulus quoque Silentiarius, *in Ecphraſi S. Sophiæ templi* & inter marmora onychem, ſed non primô locô adſcribit:

Ὅσα δ' ὄνυξ προέηκεν ἀπαυγάζοντι μετάλλῳ
Ὠχριόων ἐρίτιμα.

Ubi *candidum* ſive *pallidum onychem*, ſignificat, qui viliſſimus, & tamen ὠχριόων ἐρίτιμα dicit: quod verbum & de melleo colore pallidiore poteſt accipi. Ut nempe non una lapidis patria, ita non unus color, nec una indicatura. Plin. in Cappadocia viliſſimum alabaſtritem naſci tradit: uti optimum in Carmania, & poſt hunc in India &c. E quibus patet, errare illos, qui ex onyche gemma murrina Veter. pocula vulgò factitata fuiſſe dicunt: Nam & Lamprid. *in Heliogab. c.* 32. diſtinxit *murrhina* & *onychina*; & *onyx* gemma lapis admodum parvus & verè gemma, ad quam non ſolùm τὸ διαφανὲς καὶ τὸ σπάνιον, *ut pelluceat & rara ſit*, ſed etiam τὸ μικρὸν, *ut parva*, facit. Cujuſmodi pretioſos lapillos Græci σφραγῖδας propriè & ψήφους & σημεῖα vocavêre, quòd non major

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

major eorum eſſet amplitudo, quàm ut σφραγῖδες; inde & annulorum ſignacula fieri queant, ad quem uſum inprimis *Onychem* Iconeam, ſuprà vidimus in *Gemma*. Conſtat quidem, & ex gemmis cavatis pocula olim facta: nam & ampliſſimæ multæ reperiuntur, ut achates, lychnitæ, carbunculi, charcedonii & ſimiles; ſed ex onyche gemma pocula cavata fuiſſe nuſquam legimus. *Onychina* proin *pocula* & *Onychinas cruſtas* cùm legimus in Veter. ſcriptis, de marmore, non de gemma onyche, facta intelligi convenit. Interim beneficiò Artis τῆς λιθοκολλητικῆς, *onychen* gemmam poculis inſeri conſuevisse, diſcimus ex Epiphanio *l. de XII. gemmis*, uti Regum & divitum uxores τὰ ἴδια ἐκπώματα τῆς ὄνυχα λίθον ἀναστρέψαι, *ad ſua pocula onychen gemmam transferre ſolitas*, adnotat. Notum enim præfatæ artis operâ, gemmas poculis aureis includi conſueviſſe. Juvenal. *Sat. 5. v. 43.*

Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert,
A digitis.

Hinc Plin. iterum, *Turbâ gemmarum potamus & ſmaragdis teximus calices*: quod perperam de poculis ex una gemma factis accipiunt &c. Cœterùm, ut de nominis etymo aliquid addatur, utrumque tum lapis ſeu marmor, tum gemma, à corneo *unguis* candore nomen accepiſſe videtur, vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p. 558.* & ſeqq. ut & ſuprà voce *Chalcedon.*

ONYTES, nomen viri proprium, quod *Donatus* dicit, aut Gentile eſſe, aut Patronymicum: Sed hoc non procedit, quia neque Patronymicum in *tes* exit; neque *Onytes*, à quâ gente veniat, uſquam lectum eſt. Servius, *in Æn. l. 12. v. 514.*

ONYX, gemma, vide ſuprà *Onychites Lapis.*

ONYX Aromaticus, Hebraic. שחלת *ſecheleth*, Græcis ὄνυξ, Arabibus *adphar*, Latinis *unguis*, unum fuit ex quatuor aromatum generibus, è quibus factum ſacrum thymiama, Exod. *c. 30. v. 34.* Quid verò propriè hic *onyx* fuerit, dubitari videmus. Et recentiores quidem Interpretes conchylii teſtam intelligunt, de qua Plin. *l. 32. c. 10. Invenio apud quoſdam oſtracium vocari, quod aliqui onychen vocant, hoc ſuffitum vulvæ pœnis mirè reſiſtere: Odorem eſſe caſtorei, meliuſque cum eo uſtum proficere.* Quam in rem plura habet Dioſcorides *l. 2.* & *Paulus Ægineta.* Cœterùm de hoc *onyche* Græci & Romani altum ſilent. Neque enim ad rem eſt, quod profertur ex Propertii *l. 3. Eleg. 9. v. 22.*

Et crocino nares murreus ungat onyx.

Cùm *murreus onyx* non ſit unguentum, ſed vas ex murra, ſeu porcellana, ut vocant, *onyx* ideo dictus, quòd ex onyche lapide hujuſmodi vaſcula ſæpe fierent. At in Arabum ſcriptis, *onychis teſtæ* multa mentio eſt; inter quos *Avicenna ungues odoratos* vocat. Verùm Hebræi, qui *ſecheleth* unguem explicant, non teſtem intelligunt aut conchæ operculum, ſed aliquid in planta, quod lævore & ſplendore ſuò unguem referat. Rabbi Selomo *in Exodum, Secheleth, radix aromatica levis & lucida, ut unguis, unde eſt quòd linguâ Miſnæ unguis vocatur.* Cui etiam *Pomarius* aſſentitur, & *Kimchius*, & *Elias.* Aliique: *Gloſſa* inprimis Talmudis *in Cerithuth*, niſi quòd pro radice *aroma* appellant, i. e. plantam aromaticam. Hos igitur putat Bochart. *bdellium* intellexiſſe, quod à *Damocrate* & *Galeno* vocatur βδέλλα ὄνυξ, ut ſic ſcil. diſtinguatur à ſanguiſuga, quæ eſt βδέλλα λιμναία. Vide Galenum *de Compoſ. Medic. ſec. loc.* & Domacratem *Malagm. l. 8. & de Antidotis l. 2.* Nempe bdellium *ungui* ſimile eſt, lævore & ſplendore: quod de Saracenico ſeu Arabico bdellio cùm dixiſſet Dioſcorides, huic alterum oppoſuit *ſordidum & nigrum & craſſioris glebæ*, quod ex India defertur. Sed & *Bactriano nidor ſiccus, multique candidi ungues*, Plin. *l. 12. c. 9.* Bdellium autem aroma onyche longè odoratius & myrrhæ naturâ proximum δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ, *lachryma Saracenicæ arboris*, *Dioſcoridi*, quòd in Arabiæ Saracenis ſeu Scenitis, non procul à Judæa, fuerit ejus proventus. Quòd verò quidam *Secheleth* interpretantur, *odoratum ſudorem*, quem animal שחל, quod *Oleaſtro* eſt Zibethi felis, multum hallucinantur. Namque שחל inter leonum ſpecies, recenſetur Jobi *c. 4. v. 10.* Neque Zibethi, ſive animalis, ſive odoramenti, quiſquam meminit ante Arabes, qui, cùm in Africæ intima primi penetraverint, nobis ignotum hoc animal demum aperuerunt, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l. 5. c. ult.*

ONYXUS, vide *Callichoron.*

OO. in notis Antiquorum, *oportebit*, *oportuit*, vel *omnino*: & aliquando *omnes*. OO. TS. *ornamentis omnibus textus* &c. denotat Franc. Gouldmann. *Diction. Lat. Angl.*

OOLI, Hebraicè *Oholi*, Latinè *deprecans*, ſive *expectans*, aut *incipiens*, vel *dolens*, ſive *frater mihi*. Civitas in tribu Aſer, Hieronym *in Locis* Hebr.

OOLIAB, fil. Achiſamecli, Exod. *c. 31. v. 6.* Latinè, *tabernaculum*, vel *ſplendor patris.* Cum Bethſeleele à Deo Architectus tabernaculi deſignatus eſt. Vide quoque Flav. Joſephum *Antiqq. Jud. l. 3. c. 4.* & 9. Unde bene colligit Voſſius, Cælaturam etiam ante Dædalum, quem πρῶτον ἀγαλμάτων εὑρετὴν, i. e. *primum repertorem imaginum ac ſimulachrorum*, vocat Apollodorus *Biblioth. l. 3.* jam in uſu fuiſſe. Sculpturâ enim & Cælaturâ *Ooliabo* opus fuit, in Cherubim effigurandis aliiſque. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de quatuor Artibus popular. c. 5. §. 4.*

OOLIBAMA, uxor Eſau, filia Anæ, Gen. *c. 36. v. 2.* Item nomen principis ibidem. Latinè *tentorium meum excelſum*, ſive *ſplendor excelſorum.*

OONÆ, inſulæ Boreales, *Alandt Mercatori*, in fronte Finlandiæ ſitæ, in mari Baltico. Quarum populus ovis avium & avenâ vitam tranſigunt, teſte Plin. *l. 4. c. 13.*

OOPÆGNION, Vide *Ovum.*

OOXELLUM, Vide *Uxellum.*

OOZAM, fil. Aſſur ex Naarâ uxore, 1 Paral. *c. 4. v. 6.* Latinè, *apprehenſio eorum*, ſive *poſſeſſio*, aut *viſio eorum.*

OP. in notis antiquis, *optimo*, vel *opiter*, vel *oportere*: OP. PRIN. *optimo Princip.* OPP. *oppidum* notat, Franc. Gouldmann. *Diction. Lat. Angl.*

OPALIA, dies feſtus, Opi Deæ dicatus. Erant autem Opalia poſt Saturnalia, vel eôdem die, quia Opem Saturni conjugem eſſe crediderunt. De iis Varro *de L. L. l. 5. Die*, inquit, *tertiò poſt Saturnalia, feriæ Opis.* Sext. Pompejus, *Opalia dies feſti, quibus ſupplicatur Opi, appellantur.* Macrob. *Saturn. l. 1. c. 10.* cùm pluribus de Saturnalibus diſputâſſet, ita tandem concludit: *Ex his ergo omnibus colligi poteſt, & unâ die Saturnalia fuiſſe, & non niſi 14. Kal. Januarias celebrata, quô ſolô die apud ædem Saturni conviviô ſolutô, Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc* Opalibus *inter Saturnalia deputatur, cùm primùm Saturno pariter & Opi fuerit deſcriptus. Hanc autem Deam Opem Saturni conjugem crediderunt, & ideo hôc Menſe Saturnalia itemque* Opalia *celebrari, quòd Saturnus ejuſque uxor, tam frugum, quàm fructuum repertores eſſe credantur. Itaque omni jam fœtu agrorum coactô ab hominibus hos Deos coli, quaſi vitæ cultioris auctores, quos etiam nonnullis Cœlum & Terram eſſe perſuaſum eſt. Saturnumque à ſatu dictum, cujus cauſa de cœlo eſt: & Terram Opem, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur: vel ab opere, per quod fructus frugeſque naſcuntur. Huic Deæ ſedentes vota concipiunt terramque de induſtria tangunt demonſtrantes ipſam matrem Terram eſſe mortalibus appetendum. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem dicit, eoſque Deos pro Jove Terraque coluiſſe, inſtituiſſeque ut Patresfamiliarum, & frugibus & fructibus jam coactis, paſſim cum ſervis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverunt, delectari enim Deum honore ſervorum contemplatu laboris.* Hactenus ille.

OPALUS, Græcè Ὀπάλλιος, uti ex Orpheo diſcimus, quartum olim locum in gemmis obtinebat, poſt margaritas nempe, adamantes & ſmaragdos, teſte Salmaſiô *ad Solin. p. 239.* Παιδέρως eidem *Orpheo*, ob eximiam gratiam; quòd nempe ſimilis eſſet τερενόχροϊ παιδὶ, *puello tenello*, amabilitate ac venuſtate: Ita autem is,

Φημὶ δέ τοι τέρπειν καὶ ὀπάλλιον ἔρατεινα,
Ἀγλαὸν ἱμερτοῦ τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα.

Certè in gloria pretioſiſſimarum gemmarum, *Opalum* ponit Plin. *l. 37. c. 6.* ubi ſic de eo, *Minimùm iidemque plurimum ab iis* (beryllis) *differunt opali, ſmaragdis tantùm cedentes. India ſola & horum eſt mater. Atque in pretioſiſſimarum gemmarum gloria, compoſiti maximè inenarrabilem difficultatem dederunt: eſt enim in his carbunculi tenuior ignis, eſt amethyſti fulgens purpura, eſt ſmaragdi virens mare & cuncta pariter incredibili miſturâ lucentia. Alii ſummô fulgoris argumentô colores pigmentorum æquavêre: alii ſulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleô accenſi.* Ubi *compoſiti opali* dicuntur, qui non ſimplicis, nec unius ſunt coloris, ſed velut ex pluribus gemmis conſtant. Magnitudo gemmæ nucem avellanam æquat, de qua inſignem hiſtoriam idem *ibid.* Plinius addit: *Extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius Senator eſt, filius Strumæ Nonii——ille fugiens hunc è fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum. Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proſcribentis: nec minor Nonii contumacia proſcriptionem ſuam amantis, cùm etiam feræ abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſciunt.* Vitia ejus, *ſi color in florem herbæ, quæ vocatur heliotropium, exeat, aut cryſtallum, aut grandinem: ſi ſal interveniat, aut ſcabritia aut puncta oculis occurſantia: nullaſque magis India ſimilitudine indiſcretâ vitro adulterat*, Ibid. Neque aliud experimentum quam in Sole eſt. *Falſis enim contra radios libratis digito ac pollice unus atque idem tranſlucet color in ſe conſumtus. Veri fulgor ſubinde variat & plus huc illucque ſpargit, & fulgor lucis in digitos funditur* &c. Ibid. Sed & *Jaſpopallii* meminit Epiphanius *de XII. gemmis*; h. e. Jaſpidis opallio, an opallii Jaſpidi ſimilis? Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 132. 239.* inprimis verò *p. 566. & ſeqq.*

OPANE, vel potius *Opone*, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs, *Ptolem. Opii Mercatori.*

OPE Conſiliô, formula Veter. cujus verba conjunctim an disjunctim accipienda, jam olim acriter diſceptatum. Sed *Labeo*. cujus ſententia recepta eſt, ſeparatim iſta intelligenda docuit; cujus ſententiam ſic proponit *Paulus: Dubitatum inter Veteres, illa verba (Edicti ſive Formulæ agentium ac judicantium)* ope conſiliô, *quemadmodum accipienda ſint. Sed verius eſt, quod Labeo ait, ſeparatim, non conjunctim, accipienda, ut alterutrum probatum eſſe ſatis ſit, nempe Ope, aut Conſilio rei factum furtum.* Rationem ſubjicit, *Quia aliud factum eſt ejus, qui* Ope, *aliud qui* Conſiliô *furtum facit* (h. e. furtum fieri juvat *l. qui ſervo 36. ff. de furt.*) *Opem* autem fert, qui miniſterium & auxilium ad ſurripiendas res præbet, veluti qui ſcalas feneſtris ſupponit, vel oſtium effringit, vel ferramenta ad effringendum concedit: Item qui comitem ſe adjungit ac latebras præbet, ut alius furtum faceret, *§. interdum quoque, Inſt. de obligat, quæ ex delictis naſc.* Conſilium verò dat, qui verbis perſuadet & impellit atque conſilium inſtituit ad furtum faciendum, nihil autem ipſe auxilii præſtat aut facit: ut ſi Titio ſuaſeris, illi vel illi furtum facere; item noctu potiùs, quàm interdiu; vel dum ille in conviviis eſt &c. Item ſi mihi perſuadeas, pannos meos ſiccandos noctu in hortis meis relinquere, ut eos Titius furtô ſurripiat *d. l. in furti 50. §. ope d. l. 1. §. perſuadere, ff. de ſervo corrupt. l. fin. C. de noxal. act.* Addit alteram rationem poſt hæc Paulus: *Nam is*, pergit, *qui conſiliô Opeve adjutus vel adjuvans contrectavit, & furti tenetur & condictione; qui verò ope ſaltem juvit aut conſilium dedit, non autem contrectavit quidquam, furti quidem actione pœnali, non etiam condictione tenebitur*, *l. 6. ff. de condict. furt.* At quia obſtare videbat Paulus *l. ſæpe, 53. de verb. ſignif.* quòd furtum non ſit, cui non competat definitio furti, & accidere poſſit, ut cui conſilium da-

batur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

batur, id repudiet, vel ut, qui ferramenta alicui commodatò dederat, vel ſcalas feneſtris ſupponi juverat, ignoràſſet, quam ob cauſam admoverentur; ideo ſubjicit *d. l.* *Et ſanè poſt Veter. autoritatem eò deventum eſt, ut nemo* Ope *videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit* (h. e. dolo opem tulerit) *nec conſilium* (fraudulentum illud) *habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum ſit* (h. e. juxta conſilii formam furtum perpetratum per eum, quocum conſilium ea de re habitum eſt) &c. Vide Gœddeum apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* in voce *Ope conſilio.*

OPERA, diurnum officium, Paul. *l.* 1. *de oper. Libert.* vel quia per diem laborandum eſt, ut in *l.* 2. *ff. de ann. leg.* vel quia certò diei tempore abſolvatur. Tametſi ſint etiam officia nocturna, ſed JCtus ad frequentiam reſpexit, Spiegelius apud Joh. Calvin. *Lex. Jurid.* Hinc *Opera juſta & legitima*, quæ totum diem exequitur, Connan. 2. *comm. c.* 8. *num.* 2. Columellæ *juſtæ operæ* ſunt, quæ diei ſunt æquales, teſte eôdem *l.* 1. *c.* 2. *num.* 5. apud Eundem. In plurali *Operæ* Libertorum officia ſunt, quæ Liberti Patronis gratiæ & remunerationis locô præſtant. *Nam*, ut ait Cajus, *Operarum editio nihil aliud eſt, quàm officii præſtatio.* Genera earum ſumma duo, *Officialium* & *Artificialium*; quarum illæ, in Patrono quibuſcunque officiis adjuvando verſantur, & perſonam ejus, ejuſque victum, curationem, otium, quietem, voluptatemque potiſſimùm attingunt: Iſtæ artis alicujus propriæ ſunt, nec ſine illa præſtari poſſunt. E. g. Tiro erga Ciceronem officioſus fuit, dum ſemper ei præſtò erat, ab eo ſeu ægrô eſſet corpore, ſeu animô, non recedebat, doctiſſimis eum ſermonibus & colloquiis oblectabat; quô officiô apud Atticum quoque Dionyſius functus eſt: At Liberti, qui Pictores, Medici, Fabri, Architecti, Patroni ſui juſſu quiſque pingebant, medebantur, fabricabant & architectabantur, artificiales illis *Operas* præſtare dicebantur. Et quidem hæ debentur à Liberto Patrono ſuo, tanquam creditum & à Patrono & in quemlibet transferri poſſunt: iſtæ, in reverentia erga Patronos maximè conſiſtentes, tranſeunt ex Lege Ælia Sentia in hæredem inſtitutum. Vultejus apud Calvin. *l. cit.* Recentioribus *Operæ* aliàs quoque *Manuoperæ*, *Corvatæ*: in *Gloſſis*. Græco-Latin. τῶν ὑπηρεσιῶν ὧν παρέχουσιν οἱ ἀπελεύθεροι τοῖς πατρῶσιν. Unde Leo Oſtienſis *l.* 1. *c.* 11. *Servos* —— *libertate donavit* —— *eâ ſcil. lege ut ſinguli eorum* 4. *per menſem* Operas, *ubi neceſſe fuerit, Monaſterio impendant.* Hodie apud Italos *Opera* vocatur Comœdia Muſicis modulis tota conſtans, quam ab illis accepêre Galli, auctore Perrinô, qui primus iſtiuſmodi Comœdiam exhibuit A. C. 1659. &c. At *Operari* apud probatos Auctores aliud quid ſonat, plerunque enim ad ſacra refertur: quamvis *Operarii* propriè, qui non judicium, ſed tantùm operam adhibent, ad Architecti ex arte rationem operis præſcriptam, Eraſmus *Chil.* Verè autem *Operari* ſignificat, ritè ſacrificare. Unde *Plautus*, *Ut iſthac* Operatio *crimen expiet.* Et *Vitus Sarta*,

—— *Cereri lætis* operatus *in herbis*,

Atque alibi,

—— *Operatæ juventus* &c.

OPERARIUS, apud Eraſmum *in Chil.* quis propriè dictus ſit, modò diximus. Eorum meminit Alphenus in §. *quid autem eſſet*, *in l. Cenſor. de verb. ſign.* Alciatus interpretatur, *qui ruri operabantur:* unde & ab antiquis ſimpliciter *Operæ* dicti ſunt. Spiegelius apud Calvin. *Lexic. Jurid.* In Communione Romana, *Operarius*, nomen eſt dignitatis in Collegiis Canonicorum & Monaſteriis, cui operibus publicis vacare contingit: Gallis vulgò, *Maiſtre de l'Oveure.* Bonifacius Archiepiſcopus Moguntin. *Ep.* 17. *Stirme in coquina ſit. Bernhardus* operarius *ſit, & ædificet domunculas veſtras ubi opus ſit.* Idem dicitur *Operarum Magiſter*, Browero *Antiqq. Fuld. l.* 2. *c.* 10. Gallis *l'Euvre.* Etiam *Decanus operis*, &c. plura hanc in rem, vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* è quo adjicimus, etiam Galliæ olim Reges ſuos habuiſſe *Operarios.* Ita enim Einhardus *de Tranſlat. S. Mart. Marcellini & Petri c.* 8. *Gerwardus Palatii Bibliothecarius, cui tum temporis etiam Palatinorum operum ac ſtructurarum à Rege cura commiſſa erat* &c.

OPERIENDI Caput ritus, lugentibus, vide ſuprà ubi de *Lugendi ritibus*, item Supplicibus olim in uſu. Stat. *l.* 11. *Thebaid. v.* 495.

—— *dejectam in lumina pallam*
Diva trahit, magnoque venit queſtura Tonanti.

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 28. *v.* 44. de ſupplice ſua puella, ad Jovem,

Ante tuoſques pedes illa ipſa adoperta ſedebit.

Vide Euripidem, *Argivis ſupplicibus v.* 111. ubi Adraſtum, & *v.* 286. ubi Æthram ſupplicem Theſeus alloquitur; nec non hic in voce *Caput*, & ubi de *Supplicibus.*

OPERTANEI, Dii quidam ſic dicti, Mar. Capella *l.* 1. *In prima cœli regione, ſedes habere memorantur poſt Jovem, Dii Conſentes, Penates, Salus, ac Lares, Janus, Favores, Opertanei, Nocturnuſque.* Meminit Plin. *l.* 10. *c.* 56. ſacrorum Opertaneorum.: de quibus vide aliquid vocibus *Crypta*, *Myſterium*, *Sacra cryphia &c.*

OPES, nomen loci, apud Veter. Scholiaſtem Juvenalis, *ad illud Sat.* 10. *v.* 23.

Prima ferè vota & cunctis notiſſima templis
Divitiæ, creſcant ut opes, ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro. ——

Ita enim is: *Uſque ad Cerealem præfectum, in foro Trajani arcas habuerunt Senatores in quibus argentum aut pecunias tutiùs deponebant. Propterea & locus ipſe, in quo erant arcæ poſitæ*, Opes *dictæ ſunt.* Vide quoque ſuprà *Caſtor.* Erant autem hæ arcæ ferrô undique munitæ, ut à furibus & incendio tutæ eſſent. Idem Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 26.

—— *quantum ferrata diſtet ab arca.*
Sacculus. —— ——

OPHARITÆ, populi Sarmatiæ Aſiaticæ juxta Opharium fluv. (qui in Lagoum influit) incolentes, teſte Pliniô, *l.* 6. *c.* 7. ubi *Opharus* lacus.

OPHAS, nomen Inſulæ, apud Danielem, quæ aliis *Pazus*, item *Topazus*, Vide *ibi.*

OPHEL, nomen muri vel turris Jeruſalem, non procul à templo. Latinè *turris*, *obſcuritas*, vel *nebula.*

OPHELAS Cyrenenſis, cum ingentibus copiis advenit: quem Agathocles audiit amantem eſſe puerorum: quare ei proprium filium miſit obſidem Heraclidem, egregiâ formâ; præceptumque dedit puero, ut paucos dies reſiſteret. Ut venit puer, Cyrenenſis, ejus ſpecie captus, amplexabatur obſidem & in eodem demulcendo occupabatur. Agathocles repente, Syracuſanis inductis, *Ophelam* occidit, exercitum omnem ſuperavit filiumque inviolatum recuperavit, Polyæn. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 4.

OPHELIAS, Ptolemæi Primi dux, adverſus Thimbronem Cyrenenſes affligentem cum copiis miſſus; re feliciter geſtâ ac Thimbrone vivô captô, Cyrenenſes ditioni Ptolemæi adjecit, Diodor. *l.* 18. *c.* 639.

OPHELTES, fil. Lycurgi Regis Thracum, vide *Archemorus.*

OPHELTES, Cyzicenus, in conflictu nocturno, à Telamone, occiſus, Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 198.

OPHENSIS civitatis populi in Africa ſunt, apud Tacitum, *Hiſt. l.* 4. *c.* 50. Circa Leptin & Garamantas. Sed *Openſis* legendum contendunt, *Cujacius* & *Lipſius.*

OPHERA, civitas in tribu Benjamin, Joſ. *c.* 18. *v.* 23. *pulvis*, *plumbum*, vel *hinnulus.*

OPHIETIS Petra, loci nomen *Avieno*, qui Ὀφιητίδα πέτρην, uti *Dionyſ.* vocat, *arcem Ophietida* vertit.

Hic tamen internis Ophietides *arcis in arvis*
Inter gemmiferas excreſcit creber arenas.

Et Priſciano,

Berylli lapidem liquidum, glaucique coloris
Per loca, quæ tendunt Ophianæ *ad mœnia petræ.*

Sed male: ὀφιήτης enim poëticè pro ὀφίτης dicitur, & *Ophitem* lapidem notat, intra quem Beryllum circa Babyloniam inveniri tradit *Dionyſ.* cùm ait,

Ὑγρῆς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον ἢ περὶ χῶρον
Φύεται ἐν προβολῇς ὀφιητίδος ἔνδοθι πέτρης.

Nempe ἐν ταῖς προβολαῖς, h. e. *eminentiis* vel *prominentiis* cautium. Sic edebatur *Ophites* marmor, intra quod beryllus repeniebatur. Sic & beryllum apud Indos idem Poëta inveniri ſcripſit, ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων. Similiter & Sardam, circa Babyloniam, cùm lapicidinæ quædam aperirentur, hærentem in ſaxo, cordis modò repertam fuiſſe, tradit Plin. *l.* 37. *c.* 7. quæ omnium erat laudatiſſima. Dictus autem non locus, ſed lapis, *Ophites*, quòd hoc marmoris genus ſerpentium maculas apprimè referret. Vide Salmaſ. *in Solin. p.* 340.

OPHIM, fil. Benjamin, Gen. *c.* 46. *v.* 31. Latinè *thalamus*, ſive *coopertus*, aut *litus maris.*

OPHIODES, inſula ſinus Arabici, oræ Ægypti ante Berenicem urb. adjacens, in quâ Topazius lapis eſt, teſte *Strabone. Agathonis inſula Ptol.* dici videtur. *Angotina* vulgò ex *tabul. recentior.*

OPHIOGENES, populi Aſiæ ad Helleſpontum, ictus ſerpentum ſolô tactu levantes, & impoſitâ manu venenum à corporibus extrahentes, teſte Pliniô ex Crate Pergameno. *l.* 28. *c.* 3.

OPHIOLATRIA, Vide *Serpens.*

OPHIOMAGI, populi Indiæ Orientalis, ſerpentibus veſcentes; licet tanti ſint, ut tauros vivos hauriant, Plin. *l.* 6. *c.* 29. Forſan *Ophiophagi.* Vide ibi.

OPHIOMANTIA, Græcè ὀφιομαντεία, divinatio ex ſerpentibus eſt, cujus exempla paſſim obvia. Apud Homer. *Il.* β. Calchas, viſô dracone qui octo paſſeres cum matre devoravit, belli Trojani annos auguratus eſt. *Æn.* etiam *l.* 5. *v.* 85. anguis, qui ad Anchiſæ tumulum,

Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,

ſeptem illis gyris, auctore *Serviô*, Æneæ ſui erroris omen oſtendit: erroris enim finis fuit illi ſeptimus annus. Et ex *Hiſtoriis* notum eſt, quid liberio Gracchô in Lucanis ſacrificanti portenderint angues duo ex occulto prolapſi, qui repentè hoſtiæ, quam immolaverat, jecinore adeſô, in eaſdem latebras ſe retulerunt: & alii duo angues domi comprehenſi, quorum fœminam ille emiſit, occiſô mare, vide Cicer. *de Div. l.* 1. & Val. Max. *l.* 1. *c.* 6. Sic Syllæ, agrô Nolanô, ante Prætorium immolanti quid ſignificaverit ab infima ara ſubitò emerſus anguis: Et quid Roſcio puero reſponderint conſulti Aruſpices; cùm dormientem illum reperiſſet, nutrix ſerpentis amplexu circumplicatum? Imò in genere ominoſum fuit, anguem in tecto conſpici, aut per impluvium decidere de tegulis: quam artem augurandi primum inveniſſe Telegonum, ait *Suidas.* Meminit hujus augurii Terentius *in Phormione. Actu* 4. *ſc.* 4. *v.* 24.

—— *monſtra evenerunt mihi.*
Introit in ædes ater alienus canis,
Anguis per impluvium decidit tegulis.

Aut viam, quâ quis iter facturus eſſet occurſu ſuô quaſi diſſecare aut interrumpere, de quo vide Horatium, laudatum ſuprà in voce *Anguis*, ubi plura hanc in rem: adde quæ dicemus infrà, voce *Serpens.*

OPHION, antiquiſſimus Vatum, apud Apollonium *Argonaut. l.* 1. *v.* 303. cujus ſeptem tabularum, ſeptem planetis cognominum, meminit Poëta Nonnus *Dionyſiac. l.* 4.

Τοῖς ἔπι ποικίλα πάντα μεμορμένα θέσφατα κόσμου
Γράμμασι φοινικόεντι γέρων ἐχάραξεν Ὀφίων.
Qui mundi eventus, & ineluctabile Fatum
Purpureis ſculpſiſſe notis memoratur Ophion.

An à Græco ὄφις, *ſerpens*, quem ad auguria olim frequenter adhibitum eſſe, ſupra diximus. Certè auguriorum præſidem Deum creditum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

creduntur veteres Græci ſerpentis coluiſſe formâ, ac proinde *Pythium* & *Pythonem* dictum; quia פתן, *pethen*, Hebræis eſt ſerpentis ſpecies. Quid? quòd Python Moſi eſt אב *Ob*, voce ab Ægyptiis deſumtâ, quibus *Obion* hodieque ſerpentem notat. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 3. & ſuprà in voce *Anguis.*

OPHION, vir, qui cum Eurynome uxore, quam genuit Oceanus, ante Saturnum rerum potitus eſt, quem Saturnus fugavit. Apollon. *Argon. l.* 1. *de Orpheo canente:*

> Ἤειδεν δ' ὡς πρῶτον Ὀφίων Εὐρυνόμη τε
> Ὠκεανὶς νιφόεντος ἔχον κράτος Οὐλύμποιο,
> Ὥς τε βίῃ καὶ χερσὶν ὁ μὲν Κρόνῳ εἴκαθε τιμῆς,
> Ἡ δὲ Ῥέῃ, ἔπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ὠκεανοῖο.

Item Gigantis nomen apud Claudian. *l.* 3. *de raptu Proſerp.* Denique unus ex Cadmi ſociis, qui e dentibus ſerpentinis nati fuerant, unde & nomen traxit. Ὄφις enim Græcè *ſerpens* dicitur. Ovid. *Metam. l.* 3. *v.* 126.

> *Quinque ſuperſtitibus; quorum fuit unus Echion,*
> *In ſua jecit humi monitu Tritonidis arma.*

Nic. Lloydius.

OPHIONEUS, Latin. *Serpentinus*, Dæmonum rebellium Dux, apud Pherecydem Syrum; ubi ſtrictura aliqua primævæ veritatis, de lapſu Diaboli, de quo Gentiles aliquid inaudiiſſe, ex Homero quoque apparet. Unde Juſtinus Martyr *Orat. ad Gent. p.* 71. *Conſimiliter penè*, inquit, *& de generis humani hoſte, è cœlo dejecto, quem Diabolum divinæ vocant Scripturæ, à prima ſua adversùs hominem calumnia & criminatione appellationi hujuſmodi illi impoſita: ſi quis accuratiùs, reſpeculari velit, comperiet quidem, Poëtam Diaboli nomen non uſurpare, ſed ex actionibus ſuis peſſimis, cognominationem illi aptam accommodare; Aten enim, h.e. Noxam, Poëta illum appellans, è cœlo, ab eo, qui opinione eorum eſt, Deo, deturbatum eſſe, ait, perinde, ac ſi verborum ab Eſaia* (c. 14. v. 12.) *vate de illo dictorum probè meminiſſet; nam ita in Poëmate ſuo* (Il. 19.) *ſcribit.*

> *Accipit iratus crinitô vertice Noxam,*
> *Et jusjurandum verbis ſolennibus addit,*
> *Stellantes nunquam venturum poſtea ad auras,*
> *Noxam, quæ ſoleat cunctis ſimul una nocere.*
> *Dixit, & involvens dextrâ dejecit Olympô,*
> *Illa cadens mox tellurem pervenit ad imam.*

Quibus verbis non lapſus iſte tantùm, maximaque, quæ Diabolo contigit, capitis diminutio, ſed & tracta inde nocendi libido, & præcluſa melioris ſtatus ſpes (de quibus in Sacris) ſignificata videntur. Marſilius quoque Ficinus *ad Plat. argum. in Apolog. Sacr.* obſervat, Platonem ab Ægyptiorum Myſtis accepiſſe, Jovem impuriores Dæmones ad inferos deturbâſſe, qui & homines ſimiliter pro viribus ad ima detorqueant. Quibus Pythagoricorum dogma addit Cœl. Rhodig. *Lection. Antiqq. l.* 17. *c.* 14. apertiùs quidem id ſignificantium, dum *fractis alis Animam labi è cœlo* fingant, inque novem tribuant gradus, tanquam novenarium Angelorum chorum: & apud Plut. *de vitando ære alien.* mentionem fieri Dæmonum, Deorum irâ, cœlô deturbatorum, idem advertit. Sic itaque Pherecydes, ex eodem Traditionis fonte hauſit, multos ab Jove Dæmones rebellâſſe, quorum exercitum duxerit *Ophioneus*, ut dictum; vide Tobiam Pſannerum *Syſtem. Theolog. Gentilis purior. c.* 6. §. 7.

OPHIOPHAGI, Æthiopiæ populi, Plin. *l.* 6. *c.* 29. & Solin. *c.* 36.

OPHIR, ſignificat *cinerem*, ſeu *incinerationem*, aut rectius *cineream, pulverulentam terram*, Ebraice אופיר. Eſtque nomen regioni & terræ ſic dictæ ab *Ophir* filio Jectanis, nepote Eberi ex Gen. *c.* 10. *v.* 29. utpote qui cum fratre ſuo Havilah hanc terram occupavit, ibidemque, factâ linguarum confuſione, & variâ populorum migratione, ſedem poſuit. Ut igitur India (ea ſcil. quæ intra Gangem) etiam dicta eſt Havilah: ita ab Ophiro quoque altera Indiæ pars (quæ eſt extra Gangem) nomen eſt ſortita, & dicta eſt *Ophir*. Ita enim tunc moris erat, ut quas quis terras primus occupâſſet, eas pro ſe, ſuiſque poſteris poſſideret, atque iis nomina daret. Id quod totidem verbis nobis inculcat Hieronym. *de Loc. Ebr. Fuit unus de poſteris Eber, nomine Ophir, ex cujus ſtirpe venientes à fluv. Cophene uſque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Serie, habitâſſe refert Joſephus. Joſeph. Acoſta* arbitratur, quod, quemadmodum noſtri homines Indiam vocant quamcunque longiùs diſſitam regionem, ſub eaque Americam, Mexico, Chinam, & Braſiliam comprehendunt: Ita quoque in ſcriptura, nomine *Ophir* & nomine *Tharſis* notari terram, aut locum quemlibet procul remotum. Non videtur longè recedere ab hac opinione *Johan. Gorop. Becanus.* Optimô jure, inquit, Atlanticus orbis Ophir dictus eſt, quô non aliud in Japeti, cujus Atlas nepos fuit, linguâ denotatur, quàm id quod *Ultra* jacet. Et ſanè multis difficultatibus ſatisfieri poſſet, ſi hæc teneatur opinio. Sive enim in Americam, ſive in Africam, ſive in Sianam Indicam excurriſſet Solomonis claſſis, quod factum A. M. 3042. ſemper tamen in *Ophir*, i. e. in remotam provinciam iviſſe dici poteſt. Attamen ex ſequentibus manifeſtum fiet, quòd Ophir propriè hîc accipiatur, notetque certam iſtam Indiæ Orientalis partem, quam diximus. Quis enim Solomonis claſſem in incertum evagatam eſſe & certum ſibi terminum præfixum non habuiſſe credet; Neque ullus vel in ſacra, vel profana hiſtoria locus eſt, in quo Ophir incertum aliquem terræ tractum ſignificet. Neque eadem ratio denominationis in *India* & *Ophir* eſt. Nam Hiſpani & eorum more nos Angli quoque Indiam vocamus utramque Orientalem & Occidentalem *Eaſt & Weſt Indies*; ſed falsò & impropriè. Cùm vera *India* Aſiæ regio, ſit ab inſigniori fluvio *Indo* nominata. Hôc itaque poſitô, quòd Ophir certum quendam locum ſignificet, quis autem, & ubi terrarum ſit, porro eſt diſpiciendum.

I. Primus hîc Autorum cenſus eſt, qui Ophir Solomonæam in Africa ponunt. Et ii quidem iterum in quatuor claſſes diſcinduntur, quorum aliqui in Cuſpide Meridionali, aliqui in umbilico Mediterraneo, aliqui in medio litorali ad Ægyptum, aliqui denique in Fronte Africæ minoris, ad confinia Numidiæ, ſollicitè *Ophiram* indigitant. Primi igitur opinantur, Ophir eſſe *Melinden*, ſeu *regnum Melindanum*, ut Bartholdus Nihuſius *in Tract. Chorogr.* quod in potentiſſima & litorali regione *Zangibar*, præ aliis regnis præcellit, & avorum noſtrorum memoriâ humaniſſimos & erga exteros benevolos Reges habuit, hodieque Luſitanorum mercatorum frequentiâ admodum celebratur. In eo metropolis & ſedes regia *Melinda*, ſita ferè ſub Circulo Æquinoctiali, quæ cum ſua vicina *Quiloa* ditiſſimarum aurifodinarum plena eſt, uti Joanni Regi Luſitanorum nunciavit Petrus Covillanius, primus Abyſſinorum & Indicorum emporiorum luſtrator, apud Joh. Petr. Maffæum *Hiſt. Indic. l.* 1. Secundi, citante Corneliô à Lapide *in Hierem. c.* 10. Ophir eſſe Angolam in Æthiopia arbitrantur, quia *Joſephus* dicat claſſem Solomonis, præter aurum, etiam Æthiopica mancipia advexiſſe; Eſt autem iſta Angola, ſub ipſo Circulo Æquinoctiali ad fluv. *Onchu*, in Nilum ſe exonerantem. Tertii longius progrediuntur, & ad *Zophalam* confluunt, ibique Ophiram ſtatuunt, ut *Volaterranus*; *Stuckius*, & plurimi Luſitanorum apud Lud. Venetum *in deſcript. Navig. Indic.* Eſt autem ea *Zophala*, aliàs *Ceſala*, ſub ima Africa ad Oceanum Ægyptiacum ſita, non procul à Trop. Capric. aurifodinis prænobilis terra, ex quâ Luſitanis magna auri copia tranſportatur. Quartò pro Ophira locum aliqui ex R. D. Kimchi aliorumque, qui Latinum Interpr. avidius quàm decet, ſequuntur, opinione aſſignant in Africa *Carthaginem*, eô potiſſimùm fundamentô ducti, quia *Tarſhiſh* & *Ophir* hîc conjungi videntur, tanquam nomina ejuſdem regionis *Tharſis* autem in multis Scripturæ locis vertitur à *Vulgato*, & intelligitur quoque ab *Hieronymo Carthago*. Sed hæc ſententia planè repudianda eſt. Nam *Primò*, ut ὕστερον πρότερον faciam, quò minus credam Carthaginem eſſe Ophiram, ut Tharſis, hæc immota ſunt fundamenta. 1. Quia tempore Solomonis Carthago nondum erat in rerum natura, utpote quæ demum annis poſt Solomonem centum & ultra eſt ædificata. 2. Portus Solomonis navigationis non Joppe fuit, ex quo versùs Ægyptum & Numidiam facilis fuiſſet in mari Mediterraneo, in regnum Carthaginenſium expeditio; ſed Eſiongeber in litore Rubri maris, ex quo in mari Indico, Æthiopico & Atlantico, ſuperatô *Capite bonæ Spei*, incredibilis, & planè diſpendioſa videtur navigatio. *Secundò*, quantum ad *Angolam* Æthiopicam ſpectat, illa Ophir eſſe non poteſt, quia non maritima, ſed mediterranea ora eſt, neque ita dives aurô, quàm aliis metallis, imprimis autem ære. Imò in *Joſepho* nihil de mancipiis Æthiopibus invenio, quòd ea claſſe Solomonæâ ſint advecta, ut aliàs diffiteri nolimus, quòd Solomoni tantopere ob divitias & magnificentiam celebrato undequaque dona allata & ſic fortè etiam ex Æthiopia tales vernæ donô mitti potuerint; ſed iſtâc navigatione aſportatos eſſe nullibi legitur. Deinde quòd *Zophala*, aut *Melinde* Ophiræ titulô non veniant, ex his conficitur rationibus. Nam primò *Melinde* & *Zophala* viciniores ſunt portui Arabico, quàm ut triennalem navigationem requirerent. Sanè Covillanus Luſitanicus, horum locorum explorator, in Meliudes & Zophalæ loca excurrit, & inde reverſus eſt Dairum in ſemeſtri anni ſpatio, quum hujus pelagi non admodum gnarus eſſet. Secundò, quæ regio nullos pavones gignit, nullum gemmarum pretioſarum genus, nullumque argentum habet, ea non poteſt eſſe Ophir Solomonis. Atqui Zophala, & Melinde nullas gemmas, nullum argentum habent, quod habet Varer. *in Com. ſuo Topogr. lit. c.* 8. Ergo.

II. Novus nunc adeundus Orbis eſt, cum iis, qui Ophiram noſtram, ex orbe veteribus cognito, versùs occidentem in *Americam* tranſportant. Hi in tres abeunt ſententias. Primi ponunt in *Hiſpaniola*, ſecundi in *Peru*, tertii in *Peruana* & *Mexicana* ditione ſimul conjuncta. Primò in *Hiſpaniola* eam ponunt Genebrardus ad *A. M.* 3150. & Vatablus ad 1 Regum *c.* 9. *v.* 26. Et ſanè Chriſtoph. Columbus, cum hanc terram primò patefecit, ſæpe dicere ſolitus eſt, ſe Ophir Solomonis inveniſſe, teſte *Petrô Martyre.* Secundò in *Peru* ponunt *Ben. Arias Montanus*, *Joh. Goropius Becanus*, & M. Marinus Brixianus *de Arca Noe*, in voce *Ophir*, & plures alii. Tertiò conjunctim in Peru & Mexico collocant *Malvenda*, & *Gregor. Garcias*; Quibus quoque *Quarta* poſſet accenſeri non neminis ſententia, qui in inſulis Solomonis ad novam Guineam ſitis, Ophiram eſſe ſitam aſſerit. Hæc quoque ſententia ſtare non poteſt. Et quô minùs poſſet, iſtud unicuique æquo rerum æſtimatori cogitandum relinquo, videlicet, Nunquid conſentaneum ſit, Solomonem ex mari Rubro (ibi enim navigium ejus ſolvit) relictâ Indiâ orientali, viciniori ac notiori, multoque rerum pretioſarum fertiliori, atque minus periculosâ aditu; immenſô circuitu navigationem ad novam regionem Americanorum Peruenſem, ſuſcepiſſe, cùm ad eam regionem ex Joppe vel alio portu maris Mediterranei per fretum Gaditanum multò breviori, faciliori & magis uſitatâ navigatione pervenire potuiſſet? Porrò quare Solomon ex remotis adeo oris peteret, quod viciniores affatim ſuppeditabant?

III. Relictâ itaque Americâ, ſaniores Geographi & interpretes in eo conveniunt, quòd Ophir Aſiæ aliqua & Orientalis plaga mundi ſit, in proprio tamen ejus ſitu ſignando in varias ſcinduntur partes. 1. Primò autem, eam in *Urphen* aliqui collocant, inſula ſcil. in mari Rubro ſitâ; Additque Bochart. *l.* 1. *Phaleg*, *c.* 27. Οὐφφη eſſe fœmininum Arabicum, ex אופר, quaſi *Terram ditiſſimam* dicas; tradit inſuper, tum Solomonis parentem Davidem naves eò miſiſſe petitum aurum, apud Euſeb. *Præp. Evang. l.* 9. *c.* 4. putat denique, ex cognatione nominis *Urphen* dictam eſſe *Ophir*. At præterquam, quòd cognatio nominalis non ſit genuina, neque tam difficilis, neque tam longa, neque tam ſumptuoſa ea fuiſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fuiſſet navigatio, ſi ad vicinam inſulam in Rubro mari itum fuiſſet. Quid quod ea *Urphen* vel nihil vel parum rei mercatoriæ contineat, atque producat. 2. Secundò, alii eam ad imam Perſiam in regno *Ormuz* tranſierunt, quia & vicinum, & auri prægnans eſt. Cæterùm hæc loca propiora ſunt, quàm ut expeditionem triennalem requirant; & quanquam ibi multum auri & margaritarum, tanta tamen ubertas & pretioſitas earum rerum non eſt, quanta in reliquis Indiæ provinciis. Ut ut igitur huc veniſſe dicatur claſſis aurifera, ulterius tamen progreſſa non negatur. 3. Tertiò non procul ab hoc recedit Georg. Hornius *Obſerv. ad Sulp. Severum*, qui ex H. Grotio opinatur eſſe *Aphar*: *Cogitemus*, inquit, *an fortè non in Indiam uſque iverint naves Phœniſſæ & Judaicæ, ſed ad oppidum adſitum ſinui Arabico, quà is ad Oceanum ſpectat, quod* Aghar *vocat Arrianus*, *Plinius* Saphar, *Ptolemæus* Saphora, *Stephanus* Sapphirinam, *ut Indi nempe ſuas res huc tulerint, inde autem petierint longius ab Indiâ abſiti.* Atqui vel ipſo Horniô arbitrô *Aghar*, quod oppidi nomen eſt, non poteſt eſſe *Ophir*, quæ totam regionem complectitur. 4. Quartò, Bochart. *loc. cit.* refert ad Zeilam, ſeu Taprobanem, in qua portus Hipporus, quem Phœnices & Græci appellârunt *Ophir*. Eum ut pleniùs intelligas, ita habe. Duplicem terram Ophir facit Vir magnus; Unam in Arabia prope Sabæos, alteram in India. Illam fuiſſe *Coſſanisin Ptolemai*, & *Stephani*, cujus incolas *Diodor. Gaſandes* & *Agatharchides Caſandos* vocat. Hanc vocat Davidis Ophiram, ex qua Rex ille tot pondo auri acceperit, 1. Chronic. *c.* 29. *v.* 4. Alteram in India ponit ſcil. in Taprobane, vulgò Zeilan, & eam Solomonis Ophiram eſſe ſtatuit. 5. Quintò, Maffæus cenſet, Ophir eſſe Indiam extra Gangem, ad urbem, quæ *Ptolemæo* dicatur *Triglypton*, hodie autem vocetur *Pegu*, cùm quia ibi copia auri & argenti maxima, tum quia ex *Bomferri*, ex Familia Franciſcana Sacerdotis, natione Galli, *literis* conſtet, quòd Peguſii originem ſuam à Judæis exulibus ducant, qui à Solomone damnati ad Ophirinas aurifodinas, hæc loca primùm tenuerint. 6. Sextò; Alii ad Malacam referunt, Regionis Indiæ Gangeticæ maritimam, quæ potentiſſima, & opulentiſſima ferè omnium eſt, omniumque rerum ad Solomonem allatarum apprimè dives. 7. Septimò, Joh. Tzetzes Ophiræ ſitum aſſignat inſulæ Sumatræ, quæ profert aurum & argentum & marmor teſtudini ſimile, gemmas præterea & margaritas præcipuæ bonitatis. 8. Octavò, audiendus quoque eſt Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 2. qui Ophiram vocat Cherſoneſum Auream, ſeu Auream Terram, quem ſequuntur *Theodoretus* & *Procopius*. 9. Denique Lipenius, ex quo hæc deſumuntur, ſicut Ophiram in India Orientali ſtatuit, ita putat ejus quantitatem & ſitum non ita eſſe in una & altera inſula, aut regione coarctandum, ut vel ſola Sumatra, vel ſola Pegu, vel alia aliqua inſula Orientalis ſit, ſed extendenda potius hæc Aurea Cherſoneſus ſit, & conſtituenda cum ampliatione quadam in Sumatra, Malaca, Siam, Pegu, Bengala, aliiſque conterminis ac finitimis inſulis, & continentibus terris, quas omnes Ophiri Jectanici nepotes longâ ſeriè nati oppleverunt & habitaverunt. *Nic. Lloydius. Ortelio, Barroſio* aliiſque fuit, ubi nunc *Sofala*, urbs Africæ in ora Orientali, quod forſan melius, *Baudrand.* Σωφεὶρ dicitur Origeni in Job *c.* 22. *v.* 24. Sic enim ille, Φασὶ δέ τινες τῶν ἑρμηνευτῶν τὴν Σωφεὶρ τὴν Ἀφρικὴν εἶναι. *Sophir*, i. e. *Ophir*: Ita legitur in Græca verſione, S. repetitô perperam ex τοῦ Ὠφείρ. Σουφὶρ verò *Heſychio*, cui χώρα dicitur ἐν ᾗ οἱ πολύτιμοι λίθοι καὶ ὁ χρυσὸς ἐν Ἰνδίᾳ. Iterum *Lloydius*. Addo, quòd de navigatione hac *Ophiritica* Salomonis, ita Auctor anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 3. §. 9. ubi, ob defectum pyxidis nauticæ, veteres Navigationes per littora inſtitui fuiſſe ſolitas docet: *Et ipſa*, inquit, *Navigatio Salomonis* Ophirica *per littora inſtitui potuit, quamcunque* Ophirem *dixerimus, ſive Mozambiquam Africæ, ſeu, quod probabilius, Cherſoneſum Auream & Malaccam Aſiæ. Sic enim Ezeongebera ſolventes primùm littora maris Rubri legerunt, inde littora Arabiæ, Perſiæ, Indiæ, littus Malabaricum, littus Coromandelicum, littora Bengalæ, Pegu, & ipſius denique Malaccæ: Nec mirum, quòd ſacer codex docet, finitô trienniô demum navigationem ejuſmodi confectam fuiſſe, quô ſpatiô ne illis quidem, qui totum Orbem circumnavigant, nunc opus eſt. In littoralibus enim iſtis navigationibus non potuerunt non cum fluxu & refluxu, tempeſtatibus etiam ſæpiſſimè colluctari, quæ velut iter nimiùm quantum impediunt, ita hodiernos nautas in altum provectos non adeò morantur; In Americam verò non abiiſſe hanc claſſem certiſſimum eſt, quia ebur attulit, quod ex oſſibus Elephantum eſt: America verò Elephantes non habet.* Vide quoque Auctorem *Sinæ & Europ. c.* 30.

OPHIS, fluv. Arcadiæ, juxta Mantineam, in Alpheum labens cum aliis.

OPHIS, fluv. Cappadociæ in Pontum Euxinum defluens, *Arrian. Stuckius* eum Opharum putat, quem Plin. *l.* 6. *c.* 7. in Lagoum amnem ſe exonerare ſcribit.

OPHITÆ, Hæretici quidam, ex Nicolaïtis & Gnoſticis oriundi, *Euphrate* auctore, à *ſerpente* ſic dicti, quia Chriſtum ſerpentem illum, à quo Eva tentata, fuiſſe, vel in hoc animal ſe mutâſſe, blaſphemârunt. Quoties ſacerrima ſua ſacra peragebant, elicuerunt ſerpentem ex ſuo latibulo, qui volutari per omnia, quæ oblaturi erant, ſolebat: Tum ea à Jeſu Chriſto ſanctificata dictitantes, miſero popello adoranda porrexerunt, Origen. *l.* 6. *contra Celſum*, Tertullian. *de Præſcr. c.* 47. Irenæus *l.* 1. *c.* 24. Epiphanius *hæreſ.* 37. Auguſtin. *de hæret.* Theodoret. *hæret. fab. l.* 1. Baron. *A. C.* 145.

OPHITÆA, Phocidis urbs, Herodot. *Amphicæa* Pauſaniæ, *l.* 10. *Amphicæa Steph.*

OPHITES, Orontes fluv. ſic dictus, teſte *Pomponiô Lætô*.

OPHIUCHUS, inter Numina Gentilium. It. ſidus cœleſte, ſtellis 16. conſtans, quod Poëtæ Latini verbum verbo reddentes, *Anguitenentem* appellârunt. Qui Aſtronomicum Poëticum conſcripſerunt, Herculem eſſe putant, qui adhuc in cunis vagiens, angues à Junone immiſſos manibus præfocavit. Alii Æſculapium eſſe volunt. Cicer. *l.* 2. *de Nat. Deor. Atque hæc quidem à tergo, propter caput autem Anguitenens,*

Quem clarô perhibent Ὀφιοῦχον *nomine Graji:*
Hic preſſu duplici palmarum continet anguem.
Ejus & ipſe manet religatus corpore torto:
Namque virum medium ſerpens ſub pectore cingit.

Ovid. *Metam. l.* 8. *v.* 182.

Qui medius nixique genu eſt Anguemque tenentis.

Nempe ſimulachris Æſculapii & ſalutis draconem additum, ex nummis liquet. Unde Servius *in illud Æn. l.* 11. *v.* 260. ---- *Scit triſte Minervæ ſidus*: *Numina*, inquit, *quæ inter ſidera non videntur, licèt ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permiſta: ut* Ophiuchus *ipſe eſt Æſculapii.* Quod quidem de Æſculapio Græco, non autem de Ægyptio (mille annis antiquiore) accipiendum. Unde μόρφωσις iſta in Sphæra Græcanica conſpicitur, & inter Arati Φαινόμενα canitur, vide quoque Manilium *l.* 5. *v.* 32. & Jul. Firmicum *l.* 8. *c.* 15. & 28. in Ægyptiaca autem Aſtronomia omnino nullus Ὀφιοῦχος eſt, uti diſcimus ex Achillis Tatii εἰσαγωγῇ *ad Phænomena Arati*, uti nec in Sphæra Chaldæorum, Perſarum ac Indorum. Serpentes enim nulli apud Ægyptios Æſculapio dicati, aut inter ſidera recepti erant: ſicut apud Græcos: apud quos Draco ſignum cæleſte, & ſerpentes Epidaurii, εἰς τὸ ξανθότερον ῥέποντες χρόας, *fulvô colore conſpicui*, Æſculapio ſacri habebantur, Pauſan. *l.* 2. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* I. ubi de *Toſorthro Æſculapio*, & ſuprà voce *Æſculapius*.

OPHIUL, fil. Zabab, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 37. Latinè, *judicans*, vel *orans*. Lege *Ophlal*.

OPHIUSA, inſula in mari Balearico, *Ptolem.* ex duabus Pityuſis minor (nam major Ebuſus dicitur) propter *ſerpentum* copiam inculta, inde & *Colubraria* Latinis dicta, nunc *Formentera*, vix 4. mill. paſſ. ab Ebuſa in Meridiem, 5. milliaria lata. Rhodus quoque inſula ſic olim vocabatur, Strab. *l.* 14. Vide Steph. in Βέβρυκος, Κύθνος, Λιβύη, Ῥόδος, Τῆνος, & Τύρας. Item inſula non procul à Creta, Plin. *l.* 4. *c.* 12. Item urbs Myſiæ. Aliis urbs eſt Germano-Sarmatiæ, in Baſtarnis, in limite Daciæ, ad Tyram fluv. Ubi nunc *Czarne*, Caſtrum Podoliæ inferioris in limite Moldaviæ, 45. mill. paſſ. ſupra oſtium Tyræ in Occidentem. *Baudrand.* Val. Flacc. *l.* 6. *v* 85.

——— *Gelidis pollens Ophiuſa venenis.*

Nic. Lloydius.

OPHLONES, populi Sarmatiæ Europææ *Ptolem.*

OPHNI, חפני, Latinè *pugnus*, vel *pugillus*, aut *cooperiens*, fil. Eli Sacerdotis, cum fratre Pineha, in prælio contra Philiſtæos, ob impietatem, occiſus, 1. Sam. *c.* 1. *v.* 3. & *c.* 4. *v.* 17.

OPHNI, עפני, Latinè, *volens*, ſive *laſſitudo*, aut Syriacè, *plicatio*, nomen civitatis, Joſ. *c.* 18. *v.* 24.

OPHRA, fil. Maonathi, 1. Paral. *c.* 4. *v.* 14. Latinè, *pulvis*, *plumbum*, vel *hinnulus*.

OPHRADUS, fluv. circa Indum, Plin. *l.* 6. *c.* 23.

OPHRATEUS I. Aſſyriorum Rex, poſt Piricadem, A. 3104. per Ann. 20. Succeſſit *Ophrateus* II. uſque ad An. 3173.

OPHTHALMICUS, apud Martialem *l.* 8. *Epigr.* 74.

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus *ante,*
Feciſti Medicus quod facit Hoplomachus.

Medicus ocularis eſt, Belgic. *Oculiſt.* Vide ſuprà, ubi de *Oculis*: uti de *Ophthalmoſcopia*, infrà aliquid voce *Phyſiognomia*.

OPHTHIS, urbs Libyæ, Ægypto adjacens, *Stephan.*

OPHYUSA, vide *Tina*.

OPIÆ, populi juxta Indum fluv. *Idem.*

OPICI, populi Campaniæ, qui poſtea *Auſonii*, teſte *Ariſtotele* dicti ſunt, juxta Tyrrhenum mare incolentes, & in Latium novum etiam extenſi. A linguarum colluvie ſic dicti, ſive à ſerpentibus, ut *Stephano* placet, quaſi *Ophicos* dicas. Cæterùm *Opicum*, teſte *Feſtô*, pro *Oſco* ponitur, & *ſordidum*, *immundum*, aut *obſcœnum* ſignificat. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 207.

Divina Opici rodebant carmina mures.

I. e. fœdi, & putidi. Idem *Sat.* 6. *v.* 455.

Nec curanda viris Opicæ caſtigat amicæ
Verba. ——— ———

I. e. quæ non Latinè loqueretur, ſed Opicè, h. e. barbarè, Plin. *l.* 29. *c.* 1. ſub Catonis perſona: *Nos quoque dictitant barbaros, & ſpurcius nos, quàm alios Opicos appellatione fœdant.* Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 3. *c.* 9.

OPICONSIVA, feſtum Deæ Opis, apud Romanos, quæ peculiare etiam cognomen habuit *Conſivæ*, à *conſerendo*. Incidebat in VIII. Kal. Sept. De eo ſic Varro, *Opeconſiva dies, ab Dea Opeconſiva, cujus in Regia ſacrarium, quod ideo actum, ut eò præter Virgines Veſtales & Sacerdotem publicum introëat nemo, cùm eat, ſuffibulum haud habeat*, *de L. L. l.* 5. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 58.

OPIFICES, ſub Minervæ olim patrocinio fuêre: Ovid. *Faſtor. l.* 3. *v.* 832. Namque

Mille Dea eſt operum. ———

Hinc de illa ſic *Iſidorus*: *Minervam Gentiles multis ingeniis præfi. cant: hanc enim primam lanificii uſum monſtrâſſe, hanc etiam telam ordiſſe & colorâſſe lanam perhibent; olivæ quoque dicunt inventricem & fabricæ, & multarum Artium repertricem, ideoque illi vulgò Opifices ſupplicant.* Quô commentô indigitare Poëtæ voluerunt, ingenii, quod in capite ſedem habet (quemadmodum Minerva fingitur è cerebro Jovis nata) acumine, Artes fuiſſe inventas excogitataſque, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 9. Ut autem Opificia ſtrenuè excolerentur, ſcripta fuit Athenis lentitudinis Lex: Ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔστω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. *Lentitudinis dicam quivis impingito*: quam ab Ægyptiis ſancitam & Athenas à Solone invectam eſſe, auctor eſt Herodot. *Euterpe*, ubi Amaſis illius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

illius facit auctorem, docetque quemlibet *Opificum* quotannis ad Nomarchum vocatum fuiſſe, ut ibi vitæ ſuæ rationem redderet. Vide quoque Diodor. Sic. *l.* 1. Piſiſtrato hanc legem tribuit *Theophraſtus* apud *Plutarchum*, quem proin reddidiſſe τήν τε χώραν ἐνεργεςέραν τήν τε πόλιν ἠρεμαιοτέραν, *& agrum magis cultum, & civitatem magis quietam*, dicit. At Draconem eam priùs ſcripſiſſe, teſtatur Lyſias *contra Niciam*, apud Diog. Laërtium, *in Solone*: Quæ ſic concilies, ut pœnam τ͂ ἀργίας dicatur leniiſſe Solon: Draco enim illos primâ ſtatim vice infamiâ multavit, ut habet Pollux *l.* 8. *c.* 6. Solon verò tum demum, ſi in eodem delicto ter fuiſſent deprehenſi. Imò tanto in pretio apud Athenienſes Artes erant, ut non cogeretur filius Parentem exhibere, τὸν μὴ διδαξάμενον τέχνην, *qui eum Artem aliquam ſeu* Opificium *non docuiſſet*. Quod enim voluit ante Ariſtotelis ætatem Diophantus Archon. an 2. Olymp. 69. ut ſoli ſervi publici Artes exercerent, vel nunquam vel non diu obtinuit. Nec advena quoque ullus εἰς κοινωνίαν τ͂ οἰκήσεως, niſi è Senatus Areopagitici ſententia & quidem ἐπὶ τέχνῃ, i. e. *ob Artem*, aut alterius rei utilis causâ recipiebatur, teſte Ariſtoph. *in Pluto.* Demum ipſe Theſeus, quamvis hanc ſuis civibus lentitudinis legem non ſcripſerit, pecuniam bove ſignandô, illos non ad agrum ſolùm diligenter colendum, ſed & ad *Opificia* quævis ſtrenuè exercenda, ut haberent, unde ſibi victum quærerent, provocavit. Quin etiam ſervum otioſum, qui Artem aliquam neſciret, alere erat nefas: Interim duo ſimul *Opificia* exercere lege erat vetitum, cujus meminit Demoſthenes *in Timocratea*, Μὴ δύο τέχνας μετιέναι, *Duas Artes ne exerceto.* Quò verò magis ad rem gerendam accenderentur *Opifices*, veteri ejuſdem Reip. lege inter eos, qui peritior habebatur, publicè epulabatur in Prytanejo, & primam in Theatris atque concionibus occupabat ſedem, ex Lege: Τὸν ἄριςον ὄντα τ͂ ἑαυτ͂ συντέχνων σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ λαμβάνειν κ̀ προεδρίαν, ad quam alludit Ariſtophanes *in Ranis*, à quo præterea docemur, non perpetuum fuiſſe aliquando hunc honorem, ſed ſi quis alius, qui hunc ipſum Arte ſuperaret, reperiretur, ei ſuam σίτησιν locumque ceſſiſſe.

> —— Νόμος τις ἐνθάδ' ἐςὶ κείμενος.
> Ἀπὸ τ͂ τεχνῶν ὅσαι μεγάλαι καὶ δεξιαὶ
> Τὸν ἄριςον ὄντα τ͂ ἑαυτ͂ συντέχνων,
> Σίτησιν αὐτὸν ἐν Πρυτανείῳ λαμβάνειν,
> Θρόνον τε, τ͂ Πλούτωνος ἑξῆς. ΞΑΝ. μανθάνω.
> ΑΙΑ. Ἕως ἀφίκοιτο τὴν τέχνην σοφώτερος
> Ἕτερός τις αὐτ͂. τότε δὲ παραχωρεῖν ἔδει.

Ut autem, quis peritiſſimus eſſet, fieret palàm, uniuſcujuſque Artis Magiſtri inter ſeſe committebantur, feſtô, quod Χαλκεῖα ſive Πάνδημον, quia ab omnibus *Opificibus* triceſimô Pyanepſionis die agitabatur, dici ſolebat, dictæque ſunt iſtiuſmodi commiſſiones δείξεις. Sic omnes cùm Artes exercere liceret, Unguentariam tamen facere non licuit, juxta Solonis Legem: Τ͂ς ἄνδρας μὴ μυροπωλεῖν, *Ne quis Vir unguentariam faciat*. Vendebant autem *Opificum* tenuiores merces ſuas in Foro, ut ex Demoſthene diſcimus ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην, in qua is, cui hanc Orationem ſcripſit Orator, fatetur Matrem eſſe pauperem, & in Foro tænias vendere: id quod ſub umbraculis faciebant; Unde Mulierum σκηνὰς καταλαμβανουσῶν jurgia inter ſe & ἀκροχειρισμοὶ argumentum dramatis, cui titulum fecit Ariſtophanes, Σκηνὰς καταλαμβανούσαις. Interea non licebat hanc in Foro ἐργασίαν cuiquam, ſive mari, ſive fœminæ exprobare. Ita enim Solon cavit, Ἔνοχον εἶναι τῇ κατηγορίᾳ τ͂ τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἢ τ͂ πολιτῶν, ἢ τ͂ πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι. *Qui civi ſive mari ſive fœminæ exprobrârit, quòd in Foro merces venales exponat, accuſare eum jus eſto*, vide Demoſthenem *loc. cit.* At peregrinis neutrum licebat, neque in Foro aliquid vendere, neque in Urbe *Opficium* aliquod exercere, vi legis eidem Demoſteni *ibid.* laudatæ, Τ͂ς ξένους ἐν ἀγορᾷ μὴ ἐργάζεσθαι. *Peregrini in Foro nihil vendunto, neque ullam Artem exercento*, Sam. Petitus *Comm. in LL. Atticas l.* 5. *tit.* 6. Addam, *Opifices* tertiam civium claſſem antiquitus in Rep. Athenienſium conſtituiſſe: Τρία δὲ ἦν ἔθνη πάλαι, Εὐπατρίδαι, Γεωμόροι κ̀ Δημιουργοί, i. e. *Tria olim erant civium genera, Eupatridæ, Geomori &* Demurgi ſeu Opifices: donec Solon aliam diviſionem introduceret, in Pentacoſiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas, univerſam civium multitudinem diſpeſcendo, vide Pollucem *Onomaſt. l.* 8. *c.* 9. & Diog. Laërtium *in Solone.* Romæ ſua Collegia, ſuæ Sodalitates fuêre *Opificibus*, à Numæ jam temporibus, quem primum Collegia inſtituiſſe Plutarchus *in Numa* auctor eſt, diſtributâ ſecundùm artificia multitudine. Ita ſuum peculiare Corpus juſſit habere Tibicines, ſuum Aurifices, Architectos, Tinctores, Sutores, Coriarios, Fabros ærarios, Figulos, Alios; ſimulque unicuique generi ſuos peculiares Conventus & Religiones præſcripſit, ut latiùs apud Autorem præfatum videre eſt. Et meminit Collegii Tibicinum Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. *ex* 4. Collegii Fabrûm ærariûm, Plin. *l.* 34. *c.* 1. Collegii Figulorum idem *l.* 35. *c.* 12. ut alia omittam. Quæ quid juris habuerint, Oſtendit Cajus JC. *in l.* 1. *ff. Quòd cujuſque Univerſitatis nomine, vel contra eam agatur*; cùm ait: *Collegia Romæ certa ſunt, quorum Corpus Senatuſconſultô & conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt, velut Paſtorum, & quorundam aliorum & Naviculariorum, qui & in provinciis ſunt. Quibus autem permiſſum eſt. Corpus habere Collegii, vel Societatis, vel cujuſque* Ἑταιρίας *nomine, eorum proprium eſt, ad exemplar Reip. habere res communes, arcam communem & Actorem ſive Syndicum, per quem tanquam in Rep. quod communiter agi, fieri oporteat, agatur, fiat*, &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *in l. XII. Tabb.* 41. *de Collegiis*, ut & infrà voce *Patronus*, it. *Plebeji.* Apud Athenienſes ſimiles Sodalitates ſeu Collegia erant, verùm an iſtiuſmodi Arcam communem Sodales habuerint, non uſque adeò liquet. Dicit quidem Marcian. *l.* 3. *Inſtitut. Mandatis principalibus* apud Romanos permitti *tenuioribus ſtipem menſtruam conferre, dum tamen ſemel in Menſe coëant, l.* 1. *D. de Collegiis*, cum qua ſtipe conferunt nonnulli τ͂ ἔρανον Athenienſium, quia in *vet. Gloſſa* legitur: Ἔρανος, *Stipes ſodalium.* Atqui Sodales hîc non intelliguntur, qui Collegium ſive Sodalitium celebrant, aut Societatem contrahunt, *ſive univerſorum bonorum, ſive negotiationis alicujus, ſive vectigalis, ſive etiam rei unius, l.* 5. *D. de ſocio*: Sed Æquales & Amici, quemadmodum apud Terentium *in Phorm. Actu* 4. *ſc.* v. 4. 23.

> *Interea Amici, quod polliciti ſunt, dabunt,*
> *Inde iſte reddet.*

Et Philemon Comicus,

> Ἀλλ' Ἑταῖροι κ̀ φίλοι σοι κ̀ συνήθεις ἐν Δία
> Ἔρανον εἰσοίσουσιν εὔχου μὴ λαβεῖν πεῖραν φίλων,
> Εἰ δὲ μή, γνώσῃ σεαυτὸν ἄλλο μηδὲν πλὴν σκιάν.

E quibus videmus eum, cui Ἐράνου opus erat, factum fuiſſe ſupplicem ſuis Æqualibus atque Amicis:

> *Ne cuiquam ſuorum Æqualium ſupplex ſiet.*

Adibantur enim Amici, & ab iis ἔρανος petebatur. Sed & repetebantur atque reddebantur ἔρανοι ab illis, qui hujuſmodi collatione fuerant ſublevati, debebatque reſtitui collata hæc pecunia, intra menſem ex quo fuerat collata. Unde *Harpocration, Suidas, Pollux*; Ἔμμηνοι δίκαι, αἵτε Ἐμπορικαὶ καὶ Ἐρανικαί. Imò qui hanc ſtipem conferebant aliquando, à Sponſore aliquo ſibi caveri volebant, ut docet titulus Orationis Lyſianæ. Et ad collatitiam hanc Athenienſium ſtipem proximè accedit Romanis uſurpatus mos in ſublevandis adverſis amicorum rebus, ſed ſine ulla reſtitutionis ſpe aut fiducia. Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 52.

> *Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:*
> *Abſtulit hanc nimiùm caſus in Urbe frequens.*
> *Collatum eſt decies: rogo, non potes ipſe videri*
> *Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum?*

Vide quoque Juvenalem *Sat.* 3. Ad menſtruam verò illam ſtipem, quæ in Sodalitiis & Collegiis conferebatur tenuioribus apud Romanos, accedunt *Erani* Amiſenorum, de quibus Trajanus *in Deſcr. ad Plin. Sec. Amiſenos, quorum libellum Epiſtolæ tuæ junxeras, ſi legibus iſtorum, quibus de officio fœderis utuntur, conceſſum eſt Eranos habere, poſſumus quominus habeant non impedire, eò faciliùs ſi tali collatione non ad turbas & illicitos cœtus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam utuntur.* Vide iterum Sam. Petitum *loc. cit. c. ſequente.* Nec omittenda *Opificum* a bello immunitas; qui proin non niſi neceſſitate urgente ad id exciti: uti legimus apud Livium *l.* 3. *c.* 4. & *l.* 8. *c.* 20. Iiſdem parcitum bellô captis, uti docet Hugo Grotius *de Jure Belli* & *Pacis l.* 3. *c.* 11. §. 10. Hinc Opifices Carthaginis novæ, poſtquam hæc à Romanis expugnata eſt, exercitui diſtributi ad operas leguntur, apud eundem Livium *l.* 26. *c.* 47. &c. Apud Hebræos quibuſnam *Opificibus* licuerit artes ſuas exercere in diebus προεορτίοις dicemus infrà voce *Paraſceve.*

Opificum in Urbe Roma Sodalitates Veter. memoratæ.

Architectorum collegii, meminit Plut. *in Numa.*
Aurificum, Idem *ibid.*
Capitolinorum, Cicer. *Ep. ad Q. Fratrem l.* 2.
Coriariorum, Plut. *loc. cit.*
Fabrûm ærariûm, Idem *ibid.* ut & Plin. *l.* 34. *c.* 1.
Fabricenſium *Pandectæ & Codex.*
Figulorum, Plut. *in Numa*, & Plin. *l.* 35. *c.* 12.
Mercurialium, i. e. Mercatorum, Cicer. *l.* 2. *Epiſt. ad Quintum Fr.*
Naviculariorum mentio fit in *Pandectis* & *Codice.*
Piſtorum, *ibidem.*
Sutorum, meminit Plut. *in Numa.*
Tibicinum, Idem *ibid.* Item Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. *ex.* 4.
Tinctorum, Plut. *in Numa.*
Viatorum Collegii, mentionem facit A. Gellius *l.* 12. *c.* 3. quem vide cum *Notis Anton. Thyſii*, & plura de his apud Roſin. *retrò* laudatum.

OPIGENA, ab *Ope* Juno ſic dicta, quam matronæ colebant, quòd eam *opem* quoque ferre in partu laborantibus credebatur. *Feſtus.* Eadem cum Lucina Latinorum Ilithyia & Zygia Græcorum, quam, utpote parturientum Deam, familiaris advocandi mos olim viguit. Eidem vota nuncupârunt Puerperæ; quem morem eleganter expreſſit Propertius *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 99.

> *Idem ego, cùm Cinaræ traheret Lucina dolores,*
> *Et facerent uteri pondera lenta moram.*
> *Junoni votum facite impetrabile, dixi,*
> *Illa parit.*

Haſtas quoque conſecrârunt, quod in nummis honori ejus conſecratis apparet, ubi non rarò ſtatua ejus haſtæ ſubnixa videtur. Vaccas item publicô nomine immolârunt, & ne quid cultus deeſſet, nummis cuſis monumenta erexerunt: ritu à Græcis ad Latinos derivatô. Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* ut & ſuprà, in vocibus *Diana, Lucina, Luna* &c.

OPILIO, Conſul cum Vincomalo, An. Urb. Cond. 1206.

OPILIO Lucas, vide *Lucas.*

OPILIUS Macrinus, obſcuris parentibus ortus, Mauruſii generis, proditor, & necis Caracallæ conſcius, Imperator ab exercitu ſalutatus eſt, A. M. 4180. à Chriſto nato 218. unà cum Diadumeno, filio formoſiſſimo. Hic Artabano, Parthorum regi, graviter necem ſuorum civium vindicanti, quos occiderat Caracalla, primò reſtitit: poſtea miſſis legatis petiit pacem, quam libenti animô, interfectô Caracallâ, Parthus conceſſit. Inde, cùm ſe Antiochiam recepiſſet, ac luxuriæ operam daret, juſtam cauſam necis ſuæ præbuit exercitui: fugiens itaque cum filio, in vico quodam Bithyniæ, occiditur: caput ejus ablatum ad Heliogabalum perfertur, Jul. Capitolin. Ael. Lamprid. *in Vit. hujus*, vixit annos 50. imperavit menſes 14. Vide *Macrinus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OPIMA Spolia, laxè pro *ſpoliis egregiis*, qualia Scipio de Vaccæorum Rege, ſingulari certamine victo, retulit, apud Florum *l.* 2. *c.* 17. Strictè & propriè verò illa dicebantur, quæ Dux hoſtium Duci à ſe interfecto detraxerat: Quorum, uti *Feſtus* & cum eo alii tradunt, tanta raritas fuit, ut intra annos paulo minus 530. tantùm trina contigerint nomini Romano: una, quæ Romulus de Acrone: altera, quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio: Tertia, quæ Marcus Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro, fixerunt. Et quidem *Lege Numæ prima opima ſpolia Jovi Feretrio debere ſuſpendi, ſecunda Marti* (belli Præſidi, cujus templum extra Urbem) *tertia Quirino* (i. e. Marti qui præeſt paci) Servius ait *ad illud Æn. l.* 6. *v.* 859. ſed Plut. qui idem narrat in *Marcello c.* 11. obtinuiſſe dicit, ut omnia Jovi Feretrio ſpolia ſuſpenſa credantur. Vide Florum *Hiſtor. Rom. l.* 1. *c.* 1. & 12. ut & *l.* 2. *c.* 4. Eadem ferè *Opima* dicuntur, non additâ voce ſpoliorum, intellectâ tamen. Ita Seneca *Herc. fur. v.* 48.

Opima victi Regis ad Superos refert.

Florus quoque *l.* 2. *c.* 17. *ſuprà cit.* M. Varroni *Opima ſpolia* etiam ſunt, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo Duci hoſtium detraxerit: Idem quoque docet, non omnia ſolita fuiſſe ad ædem Jovis Feretrii poni, cùm in libris Pontificum ſcriptum ſit, pro primis ſpoliis bove, pro ſecundis ſolitaurilibus, pro tertiis agnô publicè ſacra fieri debere. Eſſe etiam Pompilii Numæ Regis legem *Opimorum ſpoliorum* talem: *Quojus. auſpiciô. claſſ. procincta. Opeima. ſpolia. capiuntur. Jovei. Feretrio. bovem. cædito. quei. cepit. æris. ducenta. darier. oportetò. Secunda. ſpolia. in Martis. aram. in. campo. ſolitaurilia. utra. voverit. cædito. Tertia. ſpolia. Jano. Qurino. agnum. marem. cædito. centum. quei. ceperit. ex. ære. dato: Feſtus* refert; ſed fieri poteſt, ut ritus hic in deſuetudinem abierit, quod Plut. docere videtur, vide Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 10. *c.* 29. Jupiter verò Feretrius, cui hæc ſpolia conſecrare mos erat, inde appellatus videtur, quòd abſque ejus ope *Dux Ducem ferire non poterat*, Alex. ab Alexandro *Genialium dier. l.* 1. *c.* 14. Aliàs *opimi* propriè boves totius armenti pulcherrimi & electiſſimi. Varro *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 1. *Boves altiles ad Sacrificia publica Saginati, dicuntur opimi.* Sic Ovidius *de Ponto l.* 4. *El.* 9. *v.* 50.

Albave opimorum *colla ferire boum.*

Vide quoque Senec. *de Benef. l.* 1. *c.* 6. Plin. *l.* 10. &c.

OPIMIUS, vide *Lucius*, it. *Quintus.*

OPINIO, inter Veter. Numina, vide ſuprà ubi de *Diis*. Apud Sueton. *Nerone c.* 53. *Exiit opinio*: idem quod fama eſt, ut aliàs ſæpe. Sic *fama exiit*, apud Corn. Nepotem *Ageſilao c.* 2. & *Annibale c.* 9. Græcè λόγος ἐξέπεσε. Nempe *Opinio* propriè λόγος eſt ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ, Platoni in *Theæteto*: inde Metalepticè ſermo ipſe, qui ex *opinione*, i. e. ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς καρδίας, *ex plenitudine cordis*, naſcitur. Hinc *opinari* propriè quidem eſt *intra ſe ſentire aliquid*; at tralatitiè *dicere*. Sueton. *Aug. c.* 51. *malè opinari de Cæſare.* Et *c.* 67. *ſervum graviſſimè de ſe opinantem non ultra quàm compedibus coërcuit*: ad quæ loca Caſaubonum vide. Sed & *Opinio*, pro cenſu. Hinc *Opinatores*, milites olim dicti, qui in provincias mittebantur, petendæ militaris annonæ cauſâ, in *l. miſſi* 7. *C. de exact. trib. l.* 10. quòd exigerent *opinionem*, i. e. cenſum agri, ut opinatur Jac. Cujacius *d. l. Opinio* enim in poſterioribus libris Codicis pro cenſu prædii ponitur *l. ult. C. de præd. navic. l. ult. C. de collat. fund. fiſcal.* Vulgò *Taxa*, Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Hi miſſi in provincias, non fungebantur Exactorum officiò, ſed inſtabant præſidibus & officiis eorum, ac Curialibus tantùm, quibus titulorum fiſcalium exactio competebat, ut intra anni ſpatium annonas acciperent, *leg.* 11. *eod. de erog. milit. annon.* In *Gloſſ. Græc.* Ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής, &c. Vide Jac. Gotofredum *ad legg.* 26. & 34. *de Erog. mil. ann.* Haloander tamen *in d. l. miſſi* 7. legit *optiones*, de qua lectione vide Budæum *in l. ult. ff. de jur. immun.* Pyrrhus quoque non *Opinatores*, ſed *Opimatores* legi vult, apud eund. *Calvinum.*

OPINIONISTÆ dicti, ab adverſariis, qui tempore Pauli 2. neminem in terris Vicarium Chriſti ſe verè dicere poſſe, niſi qui Chriſti quoque paupertatem imitaretur, docuerunt; Spond. *A. C.* 1467. *n.* 12.

OPINUM, Corſicæ inſulæ oppid. *Ptolem. Pino* hodie vocatur. Nunc *Opino Baudrand.* Eſtque tantùm mons, 8. milliar. à littore Orientali, 4. ab Aleriæ ruinis in Occidentem, Curiam verſus 13. uti ab Acciæ ruderibus in Meridiem, 34. à Baſtia.

OPIS, Nympha, Dianæ comes, Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 867.

Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.

Item civitas, juxta quam Tigris influit in mare Rubrum, Herodot *l.* 1. Idem Dianæ epitheton ſive Lunæ, ſicut & *Loxo* & *Hecaërga*, uti Servius docet in *Æn. l.* 11. Cui Delias virgines, quum nupturæ eſſent, comam deſectam dicâſſe, diſcimus ex Pauſania *in Atticis*, & Herodoto *in Melpomene*. Sic autem dicta videtur, à cura puerperii; uti docet Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 29. Ὄπις enim *cura* eſt, vel etiam, in gratiam virginis Hyperboreæ *Opis* nuncupatæ, quæ ſacra Apollinis & Dianæ ἱεροῖς δ᾽ ἀμάωσιν, ut *Callimachus* vocat, h. e. *in ſacris mergitum*, ut Servius habet *in Æn. l.* 6. occultata in Delum pertulerit. Ionicè Οὖπις, Doricè Ὦπις vocatur, quæ quô pactô differat ab *Ope* Dea Latinorum, vide eundem *c.* 58.

OPISINA, Thraciæ urbs mediterranea, *Ptolem.* fortè quæ *Opizum Antonino.*

OPISTHOCREPIDÆ, in fœmineî calceatus cenſu; memorantur Jul. Polluci *Onomaſt. l.* 7. *c.* 22.

OPISTHODOMUS, Græcè Ὀπισθόδομος, i. e. *poſticum*, pars erat Templorum, apud Græcos Gentiles, poſt cellam, cujus meminit Publ. Victor *de Urbis. Reg.* 14. *his verbis*, *Ante cellam* (ſanctiorem, ſolis rebus ſacris diſtinatam) *eſt prodomon*, *poſt templum Opiſthodomon.* Ubi templum in tres partes dividit, mediam ubi eſt Cella, quam hodie *Chorum* vocamus; quæ antecedit, Πρόδομον· quæ ſequitur, *Opiſthodomon*, Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 22. *c.* 17. Salmaſio in Templis illis hæc erant, *Pronaus* primum πρόδομος, vel parietibus antarum vel columnis ædificatus cum faſtigio: deinde προπύλαια ſeu Πυλεών. Sequebatur *ædis Cella*, ὁ σηκὸς, h. e. ædes interior, in qua ſimulachrum illius Divi, cui dicata erat ædes, cum ara ponebatur: cujuſmodi Cellæ plerunque in eodem conſepto multæ erant, præſertim ſi pluribus Divis una eademque ædes eſſet dedicata. Poſt cellam Ædis, ὀπισθόδομος vel *poſticum*, ad idem ferè inſtar factum, ut πρόδομος vel πρόναος. Circa latera Ædis *deambulationes* ſive περίδρομοι, ordinibus columnarum utrinque adjectis. Ante pronaum *Area*, quod ſpatium erat ſub dio. In templis verò Chriſtianorum Narthex quidem erat, & οἱ πυλῶνες ſivè *Veſtibulum* ac Ingreſſus Templi: Templum dein ipſum ſeu *Templi navis*: & *Apſis* ſive *Concha* ac intimum ſacrarium, quod hodie *Chorum* appellant; ſed nullus Ὀπισθόδομος, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1218. & pluribus *ad Eliberinum Concilium.* In iſtiuſmodi poſtico, cùm ad eundem modum Ædes columnas & faſtigium haberet, ut in fronte, Ἀμφιπρόστυλος ea vocabatur, uti ex Vitruvio *l.* 2. *c.* 8. diſcimus. Vide quoque ſuprà in voce *Amphiproſtylos.*

OPISTHOGRAPHUM, Græcè Ὀπισθόγραφον, *Hermolao* dictum eſt, quod ex utraque pagina ſcriptum eſſet, adverſâ & averſâ minutis literis plenum. *Hotomannus* verò opinatur, eſſe chartam non utraque ex parte ſcriptam, ſed quæ ex una deleta, ὄπισθεν, i. e. *ponè* ſcripta eſt, quam opinionem Ulpiani verba confirmant, *leg.* 4. *ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* ubi, *Chartæ appellatio*, inquit, *& ad novam chartam refertur & ad deletitiam: proinde etſi in* Opiſtographa *quis teſtatus ſit, hic peti poteſt bonorum poſſeſſio. Veteres enim plerunque una tantùm in parte ſcribebant, quia ſcriptas chartas poſtea involvebant: unde Volumina dicta ſunt*, Vide Alciatum *diſpunct. l.* 6. *c. ult.* Corraſium *Miſcellan. l.* 1. *c.* 19. *Hotomannum.* Alii tamen in *d. l.* 4. *Epiſtographus*, alii *Epigraphus*, mendosè legunt. Meminit autem *Opiſthographi* quoque Plin. Secund. *l.* 3. *Ep.* 5. *ad Macrum: Electorum*, inquit, *commentarios* 160. *mihi reliquit*, Opiſtographos *quidem & minutiſſimè ſcriptos*, ad quem vide Hermolaum in *Gloſſem.* & Alexandrum ab Alexandro *Genialium Dier. l.* 2. *c.* 30. laudatos Joh. Calvino *Lexic. Jurid.* Salmaſio ſic dictæ ſunt ſchedæ illæ, quibus extemporalia ſcripta & nondum emendata adlinebantur, quæque & in averſa parte, h. e. in tergo ſcribi & exarari ſolebant, unde nomen. In *Opiſthographis* enim & adverſariis rationes ac diurna ſua perſcribebant, iiſque utramque occupabant paginam, averſam & adverſam; à quarum illa *Adverſaria*, ab iſta *Opiſthographa* dicta ſunt, de quibus vide Scaligerum *de Papyro.* Sed & Studioſi ac literati homines primas ſuas curas ac commentationes, & quidquid denique ſub limam revocandum eſſet, in ejuſmodi ſchedis *opiſthographis* conſcribere moris habebant, quod poſtea in mundam chartam, & quæ ab una tantùm parte ſcribebatur, transferendum curabant, ubi ſatis emendatum videretur. Sic Lucian. *in Dial.* βίων πρᾶσις, *peram Cynicorum; lupinis & libellis opiſthographis refertam fuiſſe* dicit, in quibus philoſophemata ſcilicet quædam de ſecta ſua inconditè habebant ſcripta: ἡ πήρα δέ σοι θέρμων ἔσται μεστὴ καὶ ὀπισθογράφων, At nitidæ chartæ & mundæ, ex quibus librorum volumina compaginabantur, & in quibus emendata opera perſcribebantur, in adverſa tantùm facie, *non etiam* in tergo, exarari conſuevêre. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 4.

—— —— *Impunè diem conſumpſerit ingens*
Telephus, aut ſummi plenâ jam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Oreſtes?

Tam longam hanc fuiſſe Oreſtis tragœdiam innuit, ut non ſolùm ſummam libri ſcedam uſque ad extremum marginem impleret, ſed adverſam etiam ſuperficiem occuparet, nec dum tamen eſſet abſoluta. Qui locus ſatis oſtendit, libros emendatos & purè ſcriptos, in tergo non conſueviſſe exarari, niſi qui nimiùm longi eſſent & extra modum menſuramque juſtam traherentur. Arator.

Si tibi, Magne, velim Faſces memorare parentum,
Vix daret in tergo pagina lecta locum.

Martialis in Picentem quendam, *l.* 8. *Epigr.* 62.

Scribit in averſa Picens epigrammata charta,
Et dolet averſo quòd facit illa Deo, &c.

Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo. c.* 3.

OPITER Virginius Tricoſtus, Conſul, Cameriam cepit, An. Urb. Cond. 253. ab ejectis verò Regibus, 8.

OPITERGIUM, Carnorum oppid. inter Cenetam & mare Adriaticum, nunc *Oderzo*, vel *Uderzo*, & *Ovederzo* dictum, *Ptol.* Οὐενετίας δὲ μεσόγειοι πόλεις, Οὐικεντία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἄλτινον. Tacit. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 6. *Primus ac Varus occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur.* Amm. Marcellin. *l* 29. *Obſeſſa à Quadis ac Marcomannis Aquileja diu, Opitergiumque exciſum.* Corruptiſſimè apud Strabonem *l.* 5. ἐπίτερπον & Ὄρδια legitur pro Ὀπιτέργιον, & Κωνκορδία. Populi *Opitergini*, Lucan. *l.* 4. *v.* 462.

Hic Opiterginis moles onerata colonis
Conſtitit. —— ——

Nic. Lloydius. Longitud. 34. 10. Latid. 45. 30. *Baudrando* oppid. Marchiæ Tarviſinæ, ſub Venetis, ad amnem Moteganum, 12. milliar. à Tarviſio in Cæciam, Utinum verſus, 12. à Ceneta in Eurum, ab Aquileja, 45. in Occidentem, 35. ab Utino. Direptum fuit ab Attila, A. C. 452.

OPITES, Argivi proprium, quem Hector in bello Trojano interfecit, Homer. *Il.* λ. *v.* 301.

OPITIUS Hieronymus, Profeſſor Theologiæ & linguæ Hebrææ Jenæ, obiit A. C. 1577. Fuit autem Roſbinenſis Miſnicus, filiumque reliquit cognominem. Andr. Beyerus *Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium.*

OPITIUS Joſua, Burckerſdorfii & Geræ in Miſnia primùm, dein Ratisbonæ, tandem Viennæ Auſtriæ Paſtor Evangel. hinc pulſus A.C. 1581. Budingæ verbum Dei docuit ann. 4. extinctus A.C. 1585. ætat. 43.

OPITIUS Martinus, Boleſlaviâ Sileſius, Poëta excellens, Albæ Juliæ Artem publice docuit, inde per varias Aulas & regiones vagus, Gedani tandem ſedem ſtatuit, Hiſtoriographus & Secretarius Poloniæ Regis factus; Obiit cœlebs A. C. 1639. Scripſit Variar. Lectionum librum, Daciam opus 16. annor. *Pſalterium Poëticum*, *Proſodiam Germanicam*, *Epiſtolas Dominicales & Feſtivales*, *H. Vocum Germ.* *Poëmata varia* &c. Paul. Freherus *Theatro Viror. eruditione claror.*

OPITULUS, dictus eſt Jupiter, quaſi *Opis lator*, in rebus dubiis & malis, *Feſtus.*

OPIUM, Turcis Perſiſque in frequenti uſu, qui eô ſumptô validiores ſeſe & ad belli pericula magis impavidos eſſe, perſuaſum habent. Quare, ubi exercitum colligit Turca, *opiô* univerſa ſpoliatur terra, licet quotannis incredibili id colligatur copiâ, ex albo papavere, poſtquam capita protulerit, leviter vulnerato: unde lactis aliquot guttæ emanant, paulatim concreſcentes. Ejus ſemine proin apud Turcas Perſaſque non minùs, ac apud nos triticô, terra conſeritur, præſertim in Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia. Interim tritô proverbiô illius eſum ſibi mutuò Turcæ exprobrant, *Opium comediſti*, quod non minus convitium, quàm ſi ebrietatem objicerent, habetur vide P. Bellonium *Obſerv. l. 2. c. 15.*

OPIUS, Ponti Cappadocici urbs.

OPIZUM, Thraciæ urbs, *Antonin.*

OPMERUS Petrus, vide *Petrus.*

OPOBALSAMUM, de ſucco propriè, ſicut *balſamum* de arbore; cùm Juſtin. *l. 36. c. 3.* inverſâ vice *opobalſamum* pro arbore, *balſamum* pro lachryma poſuerit: Græcè ὀποβάλσαμον, quaſi ὀπὸς τȣ̃ βαλσάμȣ. Plin. *l. 12. c. 25.* *Succus è plaga manat, quem* opobalſamum *vocant, ſuavitatis eximiæ, ſed tenui gutta, ploratu lanis parva colligitur in cornua.* Dioſcorides *l. 1. c. 18.* ῥεῖ δὲ ὀλίγον ὡς καθ᾽ ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἓξ ἢ ἑπτὰ χόας συναθροίζεσθαι, *Tenuiter autem fluit, ut quotannis non plus quàm ſex aut ſeptem* Χοεῖς, h. e. *congii colligantur.* Sic ætate Alexandri, quâ vixit *Theophraſtus*, totidem congii omnibus annis colligebantur, referente hôc Scriptore: Atqui Plin. *loc. cit.* narrat, ſuô ævô vel ſingularum arborum venam largiorem fluxiſſe, ex ſingulis nempe arboribus plus tum balſami collectum fuiſſe, quàm Alexandri temporibus & Theophraſti ex omni totius anni fœcunditate. Ita enim is, *Alexandrô magnô ibi* (in Judæa) *res gerente totô die æſtivô unam concham impleri juſtum erat. Omni* (Salmaſius legit, *erat homini. Anni*) *verò fœcunditate è majore horto congios ſenos, è minore ſingulos, cum duplo rependebatur argento.* Qui ſunt ſeptem congii, quos ſingulis anni, colligi refert Dioſcorides, *loc. cit.* Addit Plin. *Nunc etiam ſingularum arborum largior vena, ter omnibus percutitur æſtatibus, poſtea deputatur* &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 591.* & paulo infrà. Univerſus autem hic balſami reditus, ad Fiſcum pertinebat, qui arborem ferendam, colendam, incidendam curabat & balſamum ex ea collectum vendebat: quod purum putumque trecenis denariis vænibat. Qui verò à fiſco emebant Mercatores, in tantum liquorem illum malâ fraude augebant, admixtis aliis ſuccis, ut mille denarios facerent ex ea menſura, ſextario videl. pro qua trecentos tantùm denarios dediſſent. Erat autem ſextarius congii ſexta pars & 20. pendebat uncias, in vino: quô levius erat nonâ parte oleum, quâ menſurâ *opobalſamum* penſitabatur. Quòd autem plus balſami recentiore ævô collectum, quàm Alexandri tempore, hinc fuit. Ante victoriam Romanorum, in Judæa, arborum balſamum ſudantium duo tantùm erant horti, iique Regii & paucorum jugerum. Sub Romanis ſpatium amplificatum eſt & arbores propagatæ & plures factæ: nec propagatione tantùm numeroſiores, ſed etiam culturâ & curâ, proceriores ſingulæ effectæ. Unde duplici modò uberius balſamum colligi cœpit. Ejus probationem Servius, quaſi à Plinio, hanc refert *in Virg. l. 2. Georg. v. 119.* *Probatio autem* opobalſami *ut dicit Plinius, hæc eſt. Si contra Solem feratur, & corruptum non ſit, manum ferentis exurit.* Quod apud Plinium non reperitur, qui poſtquam varias ſpecies enumeravit, quibus balſamum adulteretur, ita ſcribit *loc. cit.* *Nequiſſimè autem gummi, quoniam inareſcit* (pro quo fortè *inardeſcit*, legit Servius) *in manu inverſa & in aqua ſidit: quæ probatio eſt gemina. Debet ſincerum & inareſcere, ſed hoc è gummi areſcere additâ fragili cruſta evenit, & guſtu deprehenditur.* Ubi *nequiſſimè* balſamum gummi adulterari dicit, quia difficillimè deprehenditur: geminam quippe habet probationem ſinceri, quòd in manu inverſa inareſcit & cruſtam concipit & quòd in aquam inditum ad ima vaſis ſidit. Sed fraus ſic deprehenditur, quòd opobalſamum gummi adulteratum areſcit, cruſtâ fragili additâ; at cruſta ſinceri, quod in manu inverſa inareſcit, fragilis non eſt &c. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ubi ſuprà*, & quæ retro dicta de *Balſamo.*

OPON, promontorium Cretæ in Occidentem vergens.

OPORINUS Johannes, Baſileenſis Germanicè *Herbſter*, ex anguſtiis inopis juventæ ægrè eluctatus, in Academia patria Latinæ primùm & Græcæ Linguæ Profeſſor, exin, quòd examini pro Magiſterio ſe, jam 20. annorum exiſtens, ſubjicere verecundaretur, cathedrâ Profeſſoriâ ceſſit, evaſitque celebris, doctus, & elegans Typographus, Buchole. *in Indic. Chronol.* Operas plerumque quinquaginta habuit, & ſui & priſci ſeculi Scriptorum ingentem numerum, ſummâ fide in publicum edidit, ac infinitis in hanc rem laboribus ſumptibuſque impenſis, nomine ſuô immortalitati conſecratô, obiit A. 1568. ætat. 60. Muſæi ſui januæ, ad imitationem Aldi Manutii hæc inſcripta habuit, *Quiſquis es, rogat te Oporinus etiam atque etiam, ut ſi quid eſt quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas, niſi tanquam Hercules defeſſo Atlanti veneris ſuppoſitum humeros. Semper enim erit, quod & tu agas, & quotquot huc attulerint pedes.* Vertit Latinè quædam Theocriti, Xenophontis, Heſiodi, ac in Platonem, Ariſtotelem, Plinium, Pollucem, Cælium Rhodiginum pluresque alios Indices ſummâ induſtriâ confecit, ipſeque compoſuit varia, de quibus vide Anton. Teiſſier *in Elogiis Part. 1.* Voglerus aſſiduè XXXII. prela eum fatigâſſe, refert *Introductione in Notitiam Scriptorum.* Vide etiam Urſtiſ. *Epit. Hiſtor. Baſil. c. 9. &c.*

Poſteritas, obſtricta mihi non nomine vanô es,
Per me namque audis ſecula priſca loqui.

OPOTON, Palæſtinæ oppid. *Ptol.* quod Chryſorrhoâ amne irrigatur. Opotane urbis memoria eſt in *Concil. Chalcedonenſi.* *Eupoton* mavult legi Salmaſ. qui nomen hoc urbis apud multos Auctores ſe reperiſſe, ait. Sic verò dicta ſit ab illis riguis amnis Chryſorrhoæ, quibus fœcunda eſt, quaſi εὐπότιστος. Plin. *l. 5. c. 18.* *Jungitur ei* (Judææ) *latere Syriæ Decapolitana regio, à numero oppidorum, in quo non omnes eadem obſervant. Plurimi tamen Damaſcon, Eupoton* (uti legit Salmaſius, pro Opoton) *riguis ex amne Chryſorrhoa fertilem, Philadelphiam, Rhaphanam, omnia in Arabiam reincidentia.* Verùm nec *Eupotos* alibi occurrit, & Solin. *c. 36.* eam urbem omiſit. Ipſe Plin. *loc. cit.* Decapolitanam regionem à numero oppidorum dictam ſcribit eaque oppida recenſet, ſed undecim pro decem in eo cenſu reperiuntur: *Damaſcus*, Opoton, *Philadelphia*, *Rhaphanea*, *Scythopolis*, *Gaddara*, *Hippos*, *Dion*, *Pella*, *Galaſa*, *Canatha.* Forſan itaque Opoton, non nomen fuerit diſtinctæ urbis, ſed Plin. ſcripſerit *Damaſcum Eupoton*, epithetô hoc ei adjunctô. In Græcis, unde illa tranſtulit, videtur reperiſſe, εὔποτον ταῖς ὀχετείαις τȣ̃ Χρυσοῤῥόα ποταμȣ̃. Quod ille ſic accepit, quaſi Δαμασκὸς εὔποτος, cum adjuncto vel epitheto diceretur, ad diſcrimen alterius cujuſdam Damaſci, hoc indubitatum; atqui εὔποτος idem quod εὐπότιστος, *irrigua* & rivis bene ſatura. Chryſorrhoas enim amnis, qui totus fere in rigua & rivorum deductiones convertebatur, Damaſcum præcipuè rigabat & εὔποτον reddebat atque inde nomen potiùs nactus videtur, quòd Damaſcum fertilem redderet, quàm quòd aurô fueret. De uno certè oppido tantùm loqui Plinium, ex verbis ejus manifeſtum eſt, *Damaſcum Eupoton riguis amnis Chryſorrhoa fertilem. Fertiles* namque dixiſſet: cùm ſatis conſtet Damaſcum præcipuè riguis illius amnis fertilem eſſe, in eo Urbium numero. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 617.*

OPOTURA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

OPPAVIA, urbs Sileſiæ, ad Oppam amnem, caput Ducatus cognominis cum arce antiqua, 3. leuc. à Ratiboria in Occidentem, uti à Carnonia in Eurum, 9. ab Oppolio in Meridiem.

OPPENHEIMIUM, urbs Palatinatus inferioris ad Rhenum, inter Moguntiacum ad Boream & Wormatiam ad Auſtrum in colle, paucis inhabitata. Imperialis eſt urbs, ſed Electori Palatino oppignerata.

OPPESSULANDI Januas, apud Veteres modus haud ſimplex fuit; nec enim eôdem munimine interiorum conclavium & œcorum fores, quô primæ domus janua, quæ in publicum aperiebantur & urbis portæ, firmari conſuevêre. Comici certè hæc ritè diſtinguunt. Unde Terentius *Eun. Actu 4. ſc. 6. v. 25.* de prima janua, quam oppugnatum veniebat miles, *oſtium, inquit, obſera intus*, i. e. obditâ ſerâ ſeu vecte ligneô oſtium intus occlude; Græcè dixiſſet, μόχλωσον τὴν θύραν ἔνδοθεν. At de conclavi vel thalamo dicit, *peſſulum oſtio obde*; ferreô obice intus occluſiſſe ſignificans. Cujuſmodi obices ferreos, quibus interiorum membrorum domus fores *oppeſſulantur*, Galli *verucla* dicunt, uti ipſas fores ſic oppeſſulatas *veruclatas*, vulgò *verrouillées.* Duo autem *peſſuli* fermè ſingulis foribus addebantur, ſicut hodieque moris eſt, in ſuperiore parte unus, inferiore alter. Inde apud Plautum *Aulularia, Actu 1. ſc. 2. v. 26.* *Oſtium intus ambobus occlude peſſulis*: quod de ſera vel vecte ligneo non poteſt accipi. Nec enim duabus ſeris vel μοχλοῖς januas muniri moris erat, licèt apud Polybium legatur *l. 15.* de foribus quibuſdam duplici clauſtrô obſeratis, id enim minimè perpetuum ac ſolenne, & proin notatum Polybio: Apud Appulejum *l. 3.* de cubiculi foribus, à Photide intus occluſis, *Et cum dicto*, inquit, *peſſulis injectis & uncinô firmiter immiſſô* &c. Ubi libri quidam *unco*: uncus vel uncinus immittitur, injiciuntur peſſuli, & ſic intus fores oppeſſulantur. Ubi videmus, duplici peſſulô & uncinô firmari, cujuſmodi uncinum *Gloſſæ* exponunt κόρωνα; adeoque rationem hanc diverſam eſſe à ſera, βαλάνῳ ſeu βαλανάγρᾳ, de qua infrà: quæ duo recentiores confundunt. Duobus igitur peſſulis fores occludebantur ab his, qui intus erant & ſecuri volebant eſſe in eo conclavi, quod ad hunc modum tutum præſtabatur. Neque ullâ clave ab his, qui foris adſtabant foribus, ejuſmodi peſſuli removeri aut ſuccuti poterant. Ut autem iſtiuſmodi oſtia intus *oppeſſulata*, ut cellariorum, apothecarum vel aliorum membrorum, reponendis veſtibus & aliis domeſticis rebus deſtinatorum, in quibus maneat nemo, qui poſſet intus occludere vel recludere, ab his qui foris veniunt, reſerari & diſcedentibus inde iterum obſerari poſſent, clave opus erat, quâ immiſſâ ab his, qui foris erant, adducebatur aut reducebatur peſſulus, quô oſtium intus vinctum &, poſti junctum retinebatur, uti etiamnum fieri ſolet. Sed hac de re dicemus infrà, ubi de *Reſerandi modo.* Neque verò *oppeſſulâſſe* fores contenti Veteres præter peſſulos, quibus injectis fores occludebantur ab intus manentibus, alios etiam obices ferreos affixos habuêre, ut de Penelope thalamum ædium intimum ultimumque, in quo pretioſa cimelia illi repoſita jacebant, aperiente, legimus apud Homer. *Od. φ.* Verùm de his vide ſuprà in voce *Obices* infrà *Peſſulus*; plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p. 923. & ſeqq.*

OPPIA, una ex Veſtalibus, quæ convicta ſtupri, viva de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

foſſa eſt. Hæc enim talium pœna memoratur. Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 9.

——— Cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivô terram ſubitura ſacerdos.

OPPIA Lex, de Matronarum cultu, vel mundo muliebri, lata eſt à C. *Oppio* Trib. Pleb. Q. Fabiô Maximô, Tit. Sempronio Graccho II. Conſulib. in medio ardore ſecundi belli Punici: *Ne quà mulier plus ſemuncia auri haberet: nec veſtimentô verſicolore uteretur, neu junctô vehiculô in urbe oppidove, aut propiùs inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſâ, veheretur*, Liv. *l.* 34. *c.* 1. Tacit. *Annal. l.* 3. *c.* 34. &c. Ea tamen poſt aliquot annos antiquata eſt Autoribus M. Fundaniô & L. Valeriô Tribunis, Pleb. vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 13.

OPPIANUS, Poëta & Grammaticus eximius, Ageſilai & Zenodotæ fil. ex Anazarbo, ſive (ut *Suidæ* placet) Coryco, Ciliciæ civitate. Scripſit Ἁλιευτικὰ, & Κυνηγετικὰ elegantiſſimis verſibus, in quibus Virgilium, quâ pote, ſecutus eſt, quæ Antonino Caracallæ obtulit, non ſine doctrinæ ſuæ maxima commendatione, Hujus poëmata cùm apud Imperatorem recitata eſſent, donatus eſt in ſingulos verſus aureô ſtatere, ut viginti millia aureorum pro omnibus acceperit, *Suidas.* Vixit annis 30. & ſæviente in civitate Anazarbi paulo pòſt peſte, obiit parentes relinquens ſuperſtites. Cives autem eum ſepelierunt, & ſumptuoſam ſtatuam illi erexerunt cum hoc epigrammate:

Ὀππιανὸς κλέος εἷλον ἀοιδῶν, ἀλλά με μοίρης
Βάσκανος ἐξήρπαξε μίτος, κρυερός τ᾽ Ἀΐδης με
Καὶ νέον ὄντα κατέσχετο, τὸν ἐπέων ὑποφήτην.
Εἰ δὲ πολύν με χρόνον ζωὸν μίμνειν φθόνος αἰνὸς
Εἴασεν, οὐκ ἄν τίς μοι ἴσον γέρας ἔλλαχε φωτῶν.
Oppianus vatum decus immortale fuiſſem,
Invida ni gelidum rapuiſſet Parca ſub Orcum
Me juvenem, placidæ clarum ſplendore Camœnæ.
Ni livor longa violâſſet tempora vitæ,
Non mihi laude parem quenquam terra alma tuliſſet.

Euſebius *in Chron.* Scaliger *exercit.* 218. *&* 225. *& in Poëtic. &c.* Suidas, *&c.* Nic. Lloydius.

OPPIDUM, idem cum *Urbe*, tametſi quidam *Urbem* majus aliquid *Oppidô* eſſe arbitrantur. Julius Cæſar *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 13. nunc Avaricum *Oppidum* maximum, in finibus Biturigum, nunc *c.* 20. pulcherrimam propè totius Galliæ *Urbem* appellat: Item *c.* 12. *&* 55. *Oppidum* Biturigum Noviodunum, ac mox *Urbem* cum cœteris vocat *c.* 15. quum 20. *Urbes* Biturigum incenſas ait. Idem *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 38. Veſontionem *Oppidum* maximum Sequanorum eſſe ſcribit, quæ modò *Urbs*, modò *Oppidum*, Jonæ præ cœteris dicitur. Lutetiam quoque *Oppidum* Pariſiorum nuncupat, *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 57. quæ, uti Veſontio, caput Gentis erat, & *Urbs* Pariſiaca ac Pariſienſis Civitas *Gregorio* appellatur. Ita & Cicero 4. *in Verr.* Syracuſas ſæpiſſimè *Urbem*, ſemel tamen *Oppidum* vocat. Ita & Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 63. Divodurum Mediomatricum *Oppidum* nuncupat, caput utique nobilis Gentis. *Mela* quoque & *Plinius* nomine *Urbis* & *Oppidi* promiſcuè utuntur. Vide Hadr. Valeſium *Præf. in Notit. Gall.* Ritum, quem in condendis ac circumſcribendis *Oppidis*, obſervârunt Veteres, deſcribit Ter. Varro *de Lingua Lat. l.* 4. cùm inquit, *Oppida condebant in Latio, Etruſcô ritu multa, i.e. junctis bobus, taurô & vaccâ interiore aratrô circumagebant ſulcum: hoc faciebant Religionis cauſâ, die auſpicatô, ut foſſâ & murô eſſent munita: Terram unde exſcalpſerant, Foſſam vocabant: & introrſum factum Murum. Poſtea quod fiebat orbis, Urbs. Principium quod erat poſt murum, Pomerium dictum: ejuſque ambitu auſpicia Urbana finiuntur.* Cum quo conſentit *Plut.* hôc ritu Romam à Romulo conditam referens. Vide etiam Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. &c. Sed ante omnia conditor augurio operam dabat, ut à Religione duceretur exordium. Unde, *auſpicatò murorum fundamenta jecit*, ait Solinus Polyhiſtor. *c.* 2. & Prudentius *in Romano Martyre, v.* 414.

Quod Roma pollet auſpicatò condita, &c.

Captatô demum auguriô, *qui Urbem novam condebat, taurô & vaccâ arabat; Ubi arâſſet, murum faciebat; ubi portam volebat eſſe, aratrum tollebat, & portam vocabat*, Cato *Fragmen.* cujus rationem ſuggerit Plut. *Problem. Rom. c.* 27. P. Maro, *Æn. l.* 5. *v.* 755.

——— ——— Urbem deſignat aratrô,
Sortiturque domos.

Aratrum autem qui tenebat, laciniam togæ rejiciebat in humerum dextrum ſeſeque cingebat: Vel, quia is ſacris operantium erat habitus, atque opus illud inter ſacra numeratum: Vel, ut commodiùs ſtivam tenere poſſet: Deniqué, ut multitudinem civium togatô, i.e. pacificô habitu fovendam eſſe oſtenderet, neque ſolùm bellicis Artibus Civitates vigere, ſed multò magis pace florere. M. Manilius *Aſtronomic. l.* 4.

——— ——— Rituque Gabinô
Mœnia ſuccinctus curvo deſcribet arator.

Dirigebat aratrum ipſe conditor; Quòd ſi Mulier ponendæ Urbis auctor eſſet, *id muneris penès Architectos relinquebatur*, Serv. *ad Æn. illud l.* 1. *v.* 427. *Inſtant ardentes Tyrii.* Neque verò plures, quam duo boves erant, iique coloris albi, & ſexûs diſparis, ut numeroſa fortè hinc ſoboles denotaretur, matrimoniôque legitimô Reſpublicas colligi ac conſervari, oſtenderetur. Ovidius *Faſtor. l.* 4. *v.* 825.

Ipſe tenens ſtivam, deſignat mœnia ſulcô,
Alba jugum niveô cum bove vacca tulit.

Et quidem ſic, ut exteriori parti tauri, interiori vaccæ adjungerentur. Servius iterum *ad illud Æn.* 4. *v.* 212. *Cui littus arandum dedimus.* Qui modus non Romæ tantùm, ſed & in Coloniis *Oppidiſque* aliis obſervatus eſt, teſte Varrone *locô ſuprà cit.* Et quia *unumquodque eôdem modò deſinit & ſolvitur, quô cœperat*, verbis *Ulpiani*, hinc aratrô circumductô, uti condebantur, ita evertebantur Urbes *Oppidaque.* Quam ob cauſam *aratrum paſſa Carthago* dicitur, apud Modeſtinum JC. *l.* 1. *ff.* 21. *quibus modis uſusfruct. amitt.* Tumque deleta *Oppida* Civitateſque dicebantur *intermori*, vide Antholog. *l.* 1. *c.* 90. ubi incertus Poëta,

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν,
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφέρομεν,
Civitatem hanc mortui priùs viventem reliquerunt,
Nos verò viventes civitatem efferimus.

Fortè propter Genios ſeu Deos Tutelares, qui præeſſe unicuique loco credebantur; Hos enim ſtolida Veterum ſuperſtitio vaſtatis mori, reſurgentibus demum renaſci, opinati ſunt. Prudentius *ad Symmachum l.* 2. *v.* 74.

Aut Fatum aut Genium, cujus moderamine regnent.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. l.* 1. *c.* 3. In provinciis Romanis, etiam ſtante Republicâ, varii extiterunt *Oppidorum* ordines, de quibus idem Roſin. agit *l.* 10. *c.* 24. Vide quoque Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ* in voce *Antipolis*, & *hic paulo infrà.*

OPPIDORUM IN IMPERIO ROMANO ORDO, EX VALESIO.

Coloniæ, de quibus vide *ſuô locô.*

Municipia, quæ & *Oppida civium Romanor.* vocantur, propterea quòd eſſent jure Civitatis Roman. donata.

Oppida Latinorum veterum, aliàs *Latinorum* ſimpliciter, quæ etiam *Oppida Latii veteris* vel *Latii antiqui*, atque etiam modò *Oppida Latina*, modò *Latio antiquitus donata*, *Plin.* paſſim appellat: quibus ſcilicet Populus Rom. aut Princeps jus Latii tribuerat, qualis erat Antipolis, inter alia.

Oppida libera, ſeu liberæ *conditionis*, dicta *Plinio*, quorum incolas ſeu populum idem *liberos* vocat, quartum tenebant locum, erant *Oppida* libertate à Romanis donata.

Oppida fæderatorum, quæ fœdere donata erant à Romanis, aut quibuſcum Popul. Roman. fœdus interat, dicta ſunt. Quorum Incolæ *Fœderati.* Sic Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Maſſiliam Græcorum Phocenſium fœderatam* appellat: *Meſſanam Siciliæ* Florus *l.* 2. *c.* 2.

Oppida ſtipendiaria, vel *ſtipendiariorum* dicebantur, quibus certum Imperii jugum ac tributum & ſtipendia à Romanis impoſita erant.

OPPIDUM Novum, vulgò *Rabach*, teſte *Nigrô*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ mediterranea inter Tingi 62. & Volubilim coloniam 74. mill. paſſ. ex *Itinerar.* Antonini.

OPPIDUM Novum alterum, ſed apud *Ptol. Oppidon* tertiæ inflexionis, *Mezuna*, teſte *Marmoliô*, colonia & urbs Mauritaniæ Cæſarienſis mediterran. à Ruſuccurro 86. mill. paſſ. introrſum, à Tigauda 32. à Vagis 72. olim ex primis. Eſt & *Oppidum*, urbs Epiſcopalis Brutiorum in Calabria ulteriori, ſub Archiepiſcopo Rhegino. *Oppido* etiam vulgò dicta.

OPPIGNORARE Creditoribus arma, aratrum, aliaque operi faciundo, non licebat veter. Græciæ Legiſlatorum inſtitutô, apud Diodor. Sic. *l.* 1. cum tamen ipſos, qui iis uti debebant, permitterent *nectendos*, uſque ad Solonis tempora, ut vidimus ſuprà voce *Nexi.* Agri verò & domicilia, ære alienô obſtricta & Daniſtis *oppignorata*, à Creditoribus ὅροις ſignabantur: quâ voce indigitabant Attici tabellas ædibus & prædiis affixas, indicantes ea Creditori eſſe oppignorata, Harpocration voce Ὅρος. Ὅροι [illegible] τὸ χωρίον, χωρίων, λίθος δ᾽ ἦν ἡ στήλη τις, δηλοῦσα ὡς ἔστιν ὑπόχρεων τὸ χωρίον, *Titulos aut tabellas agris apponere: erat autem lapis aut columna quædam, indicans locum eſſe Creditori obligatum*, Jul. Pollux *l.* 3. *c.* 9. Vide etiam Etymologicum M. in Ὅρος, & ſuprà ubi de Lege Σεισαχθείας, in *Oneris Excuſſio*, alibique paſſim, item infrà voce *Pignora.*

OPPIUS, unus è tribus collibus montis Eſquilini Romæ, teſte Varrone, *l.* 4. *de LL.* qui reliquos duos Ciſpium vocat & Septimium, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 8.

OPPIUS Chares, Grammaticus, in Gallia docuit, Sueton. *c.* 3. *de Illuſtr. Gramm.* Item *Oppius*, ſeu *Opilius*, laudatus Macrobio, *l.* 2. *Saturn. c.* 18. *&* 19. Item C. *Oppius*, cui attribuitur Comment. A. Cæſaris, de bello Hiſpan. Item vitæ virorum Illuſtrium, A. Gell. *l.* 7. *c.* 1. Plin. *l.* 11. *c.* 45. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 13. Vide *Cajus Oppius.*

OPPIUS Spurius, vide *Spurius.*

OPPOLIUM, urbs Sileſiæ, ad Oderam fluv. caput Ducatus cognominis aliàs oppignorata Poloniæ Regi cum tractu adjacente ſatis extenſo, munita. A Suecis capta bellô Germanicô ſed reddita pace Monaſterienſi, 7. leuc. à Ratiboria in Septentrionem, 9. ferè à Vratiſlavia in Meridiem, vix ſex à continio Poloniæ. Hôc Ducatu, ut & Ratiboriæ, item titulô Principis Germanici placatus Betleemus Gabor, Tranſylvaniæ Princeps, qui Regis Hungariæ titulô ſumptô Auſtriam invaſerat, diademate Ferdinando II. armis depoſitis, reddidit, A.C. 1619. Joh. Curerus, *in Hiſt. Epit.* Aliter *Oppolia.* Fuit olim ſub propriis Principibus, ex familia Sileſiæ ſuperioris Ducum, quorum Auctor Miciſlaus fuit, filius minimus natu Vladiſlai II. Poloniæ Regis, à fratribus ſuis pulſi. Ex ejus enim poſteris Caſimirus II. Teſchinenſis & Boleſlaus, *Oppolienſis*, linearum fuêre conditores. Et quidem Boleſlaus I. *Oppoliam* nactus, cum Henrico Probo adverſus Vladiſlaum Locticum profectus, ſed ad Cracoviam cruentô præliô victus, A.C. 1290. & mortuus eſt A.C. 1313. Ejus filii Boleſlaus II. *Oppoliam*, Boleſlaus III. Falcoburgum & Albertus Strelitzam tenuêre: è quibus primus genuit Vladiſlaum, Poloniæ regno aliquando deſtinatum, ſed à Jagellone pulſum; & Boleſ-

Boleſlaum IV. quô ut & Euphemiâ Vratiſlavienſi nati, Bernardus Dux Falcobergius, Johannes Epiſcopus Caminenſis & Vladiſlavienſis atque Boleſlaus V. qui Huſſitis favit, & propterea à Nicolao Duce Ratiborio victus eſt. Hujus filii, Boleſlaus VI. cognomine *Mirabilis*, Johannes Henricus ἄτεκνοι & Nicolaus. qui, cum duas uxores habuiſſet, Magdalenam Ligniciam & Eliſabetham Brandeburgicam, extinctus A. C. 1463. ultimos familiæ reliquit Nicolaum, Johannem & Henricum: quorum medius, reliquis ſuperſtes A. C. 1532. obiit, ſucceſſore Ducatus Ferdinandô I. Imperatore. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Piaſtea*,

OPPUPA, vel UPPUPA, Græce ὄρυξ, inſtrumentum foſſorium acutum, quô terra eruitur & lapides fodiuntur; cujus uſus in lapidicinis apud Plautum, *in Captiveis*, *Actu* 5. *ſc.* 4. *v.* 7. ubi de ſervo in lapicidinas dato.

> *Nam ubi illo adveni, quaſi patriciis pueris aut monedula,*
> *Aut anates, aut coturnices dantur, quî cum luſitent,*
> *Itidem hæc mihi advenienti* upupa, *qui me delectet, data eſt.*

Ubi *upupa* non eſt malleus, ut quidam ſunt interpretati, ſed ὄρυξ, ut optime *Gloſſarii* auctor exponit; non eâ quidem planè formâ, nec idem inſtrumentum cum ama: nam hæc ad terram fodiendam & latior, illa ad eruendos lapides & acuta, nec malè referens upupæ caput cum roſtro, unde quoque nomen. *Heſychius* ὄρυγα exponit, λαοξοϊκὸν σκεῦος ἢ σκαφίε εἶδος, *inſtrumentum* ſcil. ferreum *acutum*, *quò lapides primô rudimentô punguntur*, priuſquam poliantur. *Subulas* quoque Latini appellârunt, unde *ſubulis impoliti lapides*, apud auctores *de limitibus*. Nam ſubulis ſignati & compuncti adhuc ſunt impoliti. Atque hinc *Subulo* Latine fera, quæ Græcis ὄρυξ; cujus caput cum unico cornu quaſi ſubulâ, non malè referat illius, quod diximus, ferramenti formam. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 27. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 223.

OPPUGNATIO Urbium, vel primô impetu peragitur: quemadmodum Gomphos Julius Cæſar, uſus ſingulari militum ſtudiô, eôdem quô venerat die expugnavit, *l.* 3. *de bello Civ. c.* 80. vel longiorem moram requirit. Quòd ſi itaque propter foſſarum latitudinem, murorumque altitudinem & munitionem repentinô impetu Urbs expugnari non poſſet, vineis actis, aggere jactô, turribus conſtitutis &c. olim *oppugnabatur*: cujus rei exempla apud Livium inprimis ac Cæſarem plurima extant. Ipſi autem caſtra communiebant Romani aggere, vallô, loricis, cervis, cippis, liliis & ſtimulis: de quibus vide paulo infrà. Quòd ſi ſpes capiundæ Urbis affulgeret, quia omnes Urbes in alicujus Dei tutela eſſe pro ſuperſtitione ſeculi credebantur, mos Romanis arcanus & multis ignotus fuit, certô carmine evocare Tutelares Deos, quòd aut aliter Urbem capi non poſſe haberent perſuaſum, aut etiam ſi poſſet, nefas haberent, Deos captivos abducere. Quô factum, ut ipſi Romani tum Deum, in cujus tutela Urbs Roma erat, tum ipſius Urbis nomen Latinum ignotum eſſe voluerint, caverintque, ne quod ipſi ſæpe adverſus Urbes hoſtium feciſſe ſe noverant, idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur. Carmen autem, quô Deos evocare ſolebant, ejuſmodi ex *l.* 5. rerum reconditarum Sammonici Sereni Macrob. recitat *Saturnal. l.* 3. *c.* 9. *Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus civitasque Carthaginenſis eſt in tutela, teque maximè ille, qui Urbis hujus populique tutelam recepiſti, precor venerorque, veniamque à vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginenſium deſeratis, loca, templa, ſacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis: noſtraque Urbs loca, templa, ſacra, Urbs acceptior probatiorque ſit: mihi quoque populoque Rom. militibusque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamusque. Si ita feceritis; voveo vobis templa ludosque facturum.* In quæ verba hoſtias fieri auctoritatemque videri extorum, ut ea promitterent futura, oportebat. Utque eo lubentiores id facerent, ampliorem in Urbe locum habitationi eorum promittebant inſuper, uti ex Verrio Flacco refert Plin, *l.* 28. *c.* 2. Quô modò Romani dum omnium provinciarum urbium, populorum, quos perdomabant, Deos paſſim publicè conſecrabant, partim privatim per familias ſpargebant, ubi Arnobius ait *l.* 3. fecerunt urbem ſuam ἐπιτομὴν ἁπάντων δαιμόνων, *Theophil.* & receptaculum omnium harum ſordium, ex toto orbe collectarum, Vide Jac. Ouzelium *ad Minuc. Fel. p.* 37. & 38. Evocatis itaque ſic numinibus, tum ipſam dein Urbem tum exercitum hoſtilem devovebant, hôc modô ut idem Auctor refert: *DIS pater, ſive Jovis Manes, ſive quo alio nomine fas eſt appellare, ut omnes illam Urbem Carthaginem Exercitumque, quem ego me ſentio dicere, fugâ, formidine, terrore compleatis, quique adversùs Legiones Exercitumque noſtrum arma telaque ferent: uti vos eos Exercitus, eos hoſtes, eosque homines, Urbes, agrosque eorum, & qui in his locis regionibusque agris Urbibusque habitant, abducatis, lumine ſuperò privetis, Exercitumque hoſtium, Urbes agrosque eorum, quos me ſentio dicere, uti vos eas Urbes, agrosque, capita, ætatesque eorum devotas conſecratasque habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes devoti: eosque ego vicarios pro me, fide, Magiſtratuque meo, & populo Rom. Exercitibus, Legionibusque noſtris, do, devoveo: ut me, meamque fidem, Imperiumque, Legiones, Exercitumque noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſalvos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, ut ego ſciam ſentiam intelligamque, tum quiſquis votum hoc faxit, rectè factum eſto, ovibus atris tribus, Tellus Materque teque Jupiter obteſtor.* Cum Tellurem dicebat, *manibus terram tangebat*: *cum Jovem, manus ad cœlum tollebat*: *cum votum recipere dicebat, manibus pectus tangebat.* Addit Macrobius, hôc modô devota oppida ſe inveniſſe, Stonios, Fregellas, Gabios, Vejos, Fidenas: Præterea Carthaginem & Corinthum; Sed & multos Exercitus oppidaque hoſtium; Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum, Maurorum aliarumque gentium, quas prisci loquuntur Annales. Simile quiddam apud alias Gentes in uſu fuiſſe, deprehendimus apud Curtium *l.* 4. *c.* 3. ubi Tyrii *Apollinis ſimulachrum aureâ catenâ devinxiſſe, aræque Herculis, cujus Numini Urbem dicaverant, innectere inſeruiſſe, quaſi illo Deo Apollinem retenturi*, leguntur. Eôdem modô apud Pauſan. *l.* 3. traditur, Spartanos coluiſſe Martem compedibus irretitum, quô vinculô hoc proprium ſibi ac perpetuum bellorum illud Numen haberent. Athenienſes quoque Victoriæ ſimulachro alas adimebant, ne urbem deſereret: Imò cùm apud Romanos Victoriæ alas decuſſiſſet fulmen, ſic omen expoſuit Pompejus,

> *Roma potens, alis cur ſtat Victoria lapſis?*
> *Urbem ne valeat deſeruiſſe tuam.*

Vide Freinshemium *in Curt. loc. cit.* Quam cæcam ſuperſtitionem miſerorum Gentilium facundè ridet Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 1. *c.* 2. cui adde, ſi placet, Tertullian. Arnob. *adv. Gentes*, alios. Aliam notionem vocis *Oppugnatio* infrâ habes, verbo *Vincere*.

MACHINÆ, IN OPPUGNATIONIBUS URBIUM OLIM ADHIBITÆ.

Agger, ſignificabat vel molem ad mœnia Oppidorum, ex lignis, glebis ac ceſpitibus extructam, ut in urbium ac caſtrorum muros vel militibus vel turribus mobilibus, aſcenſus præberetur; quæ nonnunquam tantæ altitudinis erat, ut ipſa mœnia æquaret, Cæſ. *Bell. Gall. l.* 2. *c.* 30. Liv. *l.* 5. *c.* 7. &c. Ad eam verò non modò fabri, verùm etiam milites adhibebantur, inſtructi bidentibus, ligonibus, raſtris, alveis, cophinis, qualis, ut Vegetius ſcribit *l.* 1. *c.* 24. & *l.* 3. *c.* 8. Vel pro muro & munitione caſtrorum: vel denique pro maceria, quâ moles munitiove extruebatur, ſumi ſolitus eſt.

Aries, machina erat, ex abiete vel orno excelſa, cujus ſummitas durô ferrô concludebatur, arietini capitis ſpeciem habens: Hujus crebro incuſſu ædificiis ſciſſis in rimas, concidebant laxatæ murorum ſtructuræ. Ejus in locum poſtea ſucceſſit Helepolis, de qua vide *ſuô locô.* Vide Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 4.

Baliſta, ſagittam ligneam ſpiculò majore conglutinatam, in propugnantes evibrabat tantâ vi, ut percita internô pulſu ſagitta, à Baliſta ex oculis evolans, interdum nimiô ardore ſcintillaret, & antequam telum cerneretur, vulnus ſentiretur inflictum. Idem *ibidem*.

Cervi, ſtipites erant, cornicula eminentia habentes, quibus ad commiſſuras pluteorum atque aggeris utebantur, ad impediendum aſcenſum.

Cippi, tricipites erant ſtipites, aut quadricipites, delibratis & præacutis cacuminibus, ab infimo revincti longurio tranſverſario, ne avelli poſſent: quibus ad munitionem caſtrorum utebantur Romani.

Cuniculi, foramina erant ſub terra occulta, quorum agendorum rationem quis primò invenerit, docet Vegetius *l.* 4. *c.* 24.

Falces murales, quòd incurvatæ eſſent, ſic dictæ, de muris, lapides magnâ vi evellebant. Idem *ibid. c.* 23. & *ult.* Vide quoque Liv. *l.* 38.

Lilia, ſtipites erant feminis craſſitie, à ſummo præacuti, ad ſimilitudinem floris cognominis, non aperti: ſed compreſſi: qui tenebantur viminibus ac virgultis, in muniendis caſtris, adhibiti.

Loricæ, dicebantur eminentiæ illæ aggeris ſive murorum, quæ pectus defendebant: è cratibus & viminibus plerumque, interdum ex pluteis, i. e. craſſis aſſeribus & tabulis, confectæ.

Malleoli, erant manipuli ſpartei, pice contecti, qui incenſi aut in muros aut in teſtudines jaciebantur. Marcellin. *loc. cit.*

Murices, aliàs *Triboli*, ſeu *Tribuli*, machinulæ erant ferreæ tetragonæ, aculeis infeſtæ, quæ in erumpentes ſolebant ſpargi.

Muſculi, machinæ fuêre, quibus tecti milites, apportatis lignis & terrâ foſſas complebant, ut turri ambulatoriæ viam munirent. Vide Vegetium *l.* 4. *c.* 16. & Cæſ. *Belli civ. l.* 2. *c.* 10. 11. 14.

Onager, Vide ſuprà *ſuô locô.*

Plutei, fuêre machinæ mobiles & ambulatoriæ, de quibus vide *infrà.* Hos obſidentes applicabant muris, eorumque munitione protecti, ſagittis, fundis, miſſilibus defenſores de propugnaculis oppidorum exturbabant, Vegetius *ubi ſuprà.*

Scorpio, Vide *Onager.*

Teſtudo, tabulatum erat ex trabibus, pluteiſque factum, coriis ac ciliciis contectum, adverſus flammam & incurrentia ſaxa, ſub quo Milites, viam vineis aut turribus munientes, latebant. Vide Vitruvium *l.* 10. *c.* 19. 20. & Cæſ. *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 6. & *paſſim*: ut & infrà *ſuô locô.*

Turris mobilis ſeu ambulatoria, ut eam Vegetius vocat, machina erat, inſtar ædificii, ex trabibus & tabulis, interdum decem contignationibus, extructa; intra quam Arietem, quem ſuſpenſum Milites in hoſtium murum impellebant: E ſuperiore verò parte, pons in eundem murum demittebatur, ſcalæque confeſtim injiciebantur: tota autem machina ſubjectis rotis promovebatur. Vide Vegetium *l.* 4. *c.* 17. Vitruvium *l.* 10. *c.* 19. Cæſ. *Belli Gall. l.* 2. *c.* 17. 33. &c.

Vallus, ſeu vallum, dicebatur ſtipes ramoſus, in Aggeris ſumma parte defigi ſolitus, ad eum confirmandum, & Loricas extruendas. Hunc Legionarii milites, unà cum armis, in itinere ferebant. Nonnunquam ſuperiorem partem Aggeris ex illis vallis conſtantem deſignabat. Vide Polybium *l.* 17. ut & infrà in hac voce.

Vineas, Vegetius *l.* 4. *c.* 13. 15. ait

ait fuiſſe machinationem tabulatis cratibuſque conſtratam, quæ ſubjectis rotulis impellebatur: Hujus tectô muniti obſidentes, murorum ſubruebant fundamenta, Franc. Hottomannus *Annotat. in Cæſarem*: ubi earum alium quoque uſum indigitat, ut nempe, cùm plures ordine impellerentur, milites poſt eas occulti ſequerentur; Cæſ. *Belli Gall. l.* 7. *c.* 17. 27. 58. Unde *ſub vitem præliari* Milites dicebantur, *Feſtus.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 16. *& ſeqq.*

OPS, OPIS, filia Cœli ex Veſta, ſoror & conjux Saturni, quæ & *Rhea*, & *Cybele. Ops* autem idcirco dicta putatur, quòd terræ *ope* vita hominum ſuſtentetur, Cicer. *l* 2. *de Nat. Deor. Terram opem Latini idcirco nominant, quòd opes omnes è terra.* Unde & Plutus in Theſmophoriis unà cum Cerere colitur, *Ariſtophan.* Reperitur apud *Heſych.* Ὦπις, unde noſtrum *Ops* ait *Scaliger.* Ab Ὦπις autem vel Ὦπις, ὀπίζεσθαι *colere*, ut *Venerari à Venere.* Porro *Ops*, vel *Opis* pro Rhea, ut ſupra diximus, Latinum eſt, pro Diana autem Græcum Ὦπις, & Οὖπις, Doricè. Vetus Poëta apud Macrob. *l.* 5. *c.* 22.

Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλητῆρα ὀϊστῶν.

Callimachus *Hymn.* 3.

Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε.

Meurſius.

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 36.

At qui non audit Muſas, & vendit amorem,
Idææ currus ille ſequatur Opis:
Et ter centenas erroribus expleat urbes,
Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Turrigeram vocat Ovid. *Triſt. l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 24.

Ipſe quoque Auſonias Cæſar matreſque nuruſque
Carmina turrigeræ dicere juſſit Opi.

Nic. Lloyd. Ejus imago, ut Albricus notat, fuit in cujuſdam Matronæ ſimilitudinem depicta, quæ apertâ manu dextrâ opem omnibus dare velle videbatur, panem verò manu ſiniſtrâ pauperibus porrigebat. Ædem ei primus Romæ vovit ac extruxit T. Tatius Sabinorum Rex, in Regni ſocietatem à Romulo receptus, Varrone *loc. mox. citand.* Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. & Auguſtinô *l.* 4. *de Civ. Dei c.* 11. teſtibus. Vovit poſtea eidem cum Saturno ædem Tull. Hoſtilius, eô tempore, quô cum Sabinis bellum gerebat, Dionyſ. *l.* 3. Feſtum ei ſacrum, *Opalia*, dictum eſt, vide ſuprà. Meminit & *Opis Conſivæ* Deæ Varro, cui à *conſerendo* nomen: Ita autem is *de L. L. l.* 4. *c.* 5. *Ope conſiva dies ab Dea Ope conſiva, cujus in Regia ſacrarium: quod ideo actum, ut eò præter Virgines Veſtales & Sacerdotem publicum introëat nemo. Is cùm eat, ſuffibulum haud habeat.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 4. Plura verò de *Ope* utraque, Græca & Romana, vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 58. ut & ſuprà aliquid, voce *Opis*, it. *Cybele*

OPSIANUS Lapis, Græcis Ὀψιανὸς, apud Auctorem *Peripli*, Ἄμμος ἐστὶ πολλὴ κεχυμένη, καθ' ἧς ἐν βάθει κεχωσμένος εὑρίσκεται ὁ ὀψιανὸς λίθος, ἐν ἐκείνῃ μόνῃ τοπικῶς γενόμενος, *Sabulum eſt multum congeſtum, in quo profundè obrutus reperitur.* Opſianus *lapis, in illa ſola* (Æthiopia) *repertus.* Et incertum Auctorem *de Lapidibus*, nondum editum: Ὀψιανὸς λίθος, μέλας οὐ λίαν, ἀλλ' ὑπόχλωρος εὑρισκόμενος ἐν τῇ Φρυγίᾳ, ὃς καὶ πίσσα καλεῖται, διὰ τὸ προστριβόμενον αὐτὸν ὀσμὴν ποιεῖν πίσσης. Χρήσιμος δέ ἐστι φορούμενος τοῖς κατὰ θάλασσαν καὶ ποταμοὺς τὴν πορείαν ποιουμένοις, *Opſianus lapis, non valde niger, ſed ſubpallidus, repertus in Phrygia, qui & pix vocatur, quòd tritus picis odorem reddat. Utilis eſt, ſi geſtetur, in mari & fluviis iter facientibus.* Idem cum eo eſt, quem *Obſidianum* alii vocant, de qua voce ſuprà diximus; item *Opſidianum.* Certè ὀψιανὸς λίθος dictus eſt, ἀπὸ τῆς ὄψεως: *craſſiore* enim *viſu* dicit eſſe Plinius, *atque in ſpeculis parietum pro imagine umbras reddere.* Sed & ab ὄψις, ὀψίδιον, unde Ὀψιδιανὸς quoque dici potuit. Locus porrò de illo Plinii ſic habet *l.* 36. *c.* 26. *In genere vitri &* Obſidiana *numerantur*--- *Gemmas multi ex eo faciunt: vidimuſque & ſolidas imagines divi Auguſti, capti materiâ hujus craſſitudinis: dicavitque ipſe pro miraculo in templo Concordiæ* Obſidianos *quatuor elephantos. Remiſit & Tiberius Cæſar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi --- Obſidianam imaginem Menelai. Ex quo apparet antiquior materiæ origo, nunc vitri ſimilitudine interpolatæ. Xenocrates in India & in Sammio Italiæ & ad Oceanum in Hiſpania naſci tradit. Fit & tinctura genere Obſidianum ad eſcaria vaſa & totum rubens vitrum* &c. Vide omnino *ſuprà*, ut & ubi de *Vitro.*

OPSICELLA, Cantabriæ in Hiſpania urbs, *Strabo. Lactiſma*, *Nebriſſenſi.*

OPSIGAMIA, judicium apud Spartanos, *ſerò ducenti uxorem* mulctam irrogans: Sicut *Cacogamia*, in *malam ducentem* animadvertebat. Stob. *Serm.* 65. ex Ariſtonis *Commentar.*

OPSIUS, prænomine *Marcus*, Præturâ functus, qui cupidine conſulatus, ſceleratè Titium Sabinum, illuſtrem Equitem Romanum, pervertere adjuvit, Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 68. 71.

OPSONATORES, Gloſſatori *in l. legatis ſerv. in princ. de leg.* 3. ii dicti ſunt, qui reſonabant & cantabant Domino in menſa. Aliis, qui *opſonia*, quibus veſcimur, ſcienter emebant. Plautus, *Menæchm. Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 1. Benè *opſonavi*, i. e. opſonium emi. Seneca Ep. 47. *Adjice* Obſonatores, *quibus dominici palati ſubtilis notitia eſt*, apud Calv. *Lex. Jurid.* Ad horum fraudes deprehendendas, *cùm eum plurimi ſummatibus paſceret* Hadrianus Imperat. *fercula de aliis menſis etiam ultimis quibuſque juſſit apponi*, uti legimus apud Spartian. *in Adrian. c.* 17. Nempe has menſas Hadriani *Opſonatores* ſeu Ἀγοραστὰι, quæſtus proprii, quàm exiſtimationis ſui Heri, ſtudioſiores, inſtruebant; ſed ut quæque illarum ab Imperatoria menſa plurimùm aberat, ita parciſſimè & tenuiſſimè inſternebatur. Quam fraudem ut detegeret Imperator, ingeniô ſuô aptiſſimè uſus eſt. Poſterior ætas *Optiones* vocare cœpit id hominum genus: Si ſatis ex fide Procopius *Perſiarum l.* 2. Ἰωάννην παρέδωκεν, ὃς οἱ ἐπεμελεῖτο τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης, ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι. *Joannem tradidit, qui domeſticas ejus expenſas curabat, Optionem Romani vocant.* Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit.*

OPSONIORUM Comes, vide ſuprà.

OPSONOMI, Græcè Ὀψονόμοι, olim in Rep. Athenienſi, dicti erant duo ſive tres, qui è Senatu eligebantur, ut Fori piſcarii haberent curam, darentque operam, ut Leges Piſcariis latæ obſervarentur. Eorum meminit Sophilus apud Athenæum *l.* 6. Ὀψονόμους δὲ ἔθος τοῦτο καὶ Ἀθήνησιν εἶναι ἄξιοι Σόφιλος, ἐν Ἀνδροκλεῖ, Ὀψονόμους ἀξιῶν αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῆς βουλῆς δύο ἢ καὶ τρεῖς. Et Euſtathius *ad Il.* λ. Ὀψ... φαγεῖν ὅπερ ἐστὶ παρὰ τὸ δέον ὄψοις χρῆσθαι· οὗ ἕνεκεν ἤρεσεν Ὀψονόμους Ἀθήνησιν αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῆς βουλῆς δύο ἢ τρεῖς. Quemadmodum, in univerſum, rerum venalium cura erat penès Agoranomos, qui eos, qui in Forum convenerant, ſi quid in Leges committerent, flagris cædebant, uti docet Græcus Interpres ad hæc Comici *Acharnenſibus.*

Ἀγορανόμους δὲ τῆς ἀγορᾶς καθίσταμαι
Τρεῖς τοὺς λαχόντας, τοὺς δ' ἱμάντας ἐκ λεπρῶν,
Ἐνταῦθα μήτε συκοφάντης εἰσίτω,
Μήτ' ἄλλος τις ὅς τις Φασιανός ἐστ' ἀνήρ.

Τὸ παλαιὸν, inquit, φραγέλλαις ἔτυπτον οἱ Λογισταὶ τοὺς τῆς ἀγορᾶς, *Olim flagris cædebant Logiſtæ* (i. e. Agoranomi, ut paulò ante eos vocat) *qui in Foro deliquerant.* His vectigal depenſum fuiſſe, ab iis qui Athenas aliunde adportâſſent in Forum quicquam mercimonii, ex eodem Ariſtophanis dramate patet: ubi Dicæopolis anguillam à Bæoto ſibi dari petit, ἀγορᾶς τέλος. Vide Sam. Petitum *Comm. in Leges Att. l.* 5. *tit.* 3. &c. De *Opſonio* autem plura ſuprà vide in *Obſonator*, aliquid etiam infrà voce *Pulmentum.*

OPTA, urbs Caſtellæ novæ à Concha 22. leuc. Toletum verſus 7. *Guete*, & *Huete*, haud obſcura.

OPTARE, Donato *unum è duobus eligere*: apud JC. *l.* 3. ſimpliciter, *eligere.* In Eccleſia Upſalienſi, apud Suecos, *Optari* Canonicus dicebatur; in qua, vacante Canoniâ, per deceſſum alicujus, licebat alteri Canonico, omiſſâ ſuâ, in pinguiorem vacantem ſuccedere. Neque tamen omnes *optari* poterant Canoniæ: quæ enim poterant optari, *liberæ*; quæ minùs, *ligatæ* dictæ reperiuntur, Joh. Schefferus ad *Chron.* Archiepiſcoporum Upſalienſium *p.* 215. Ita *Feudum optare* dixit Ericus Upſalienſis *Hiſtor. Sueciæ l.* 5. *p.* 189. *Feudi verò poſſeſſio tam diu duravit in manibus & poteſtate cujuſlibet ſic ementis, donec veniret alius qui idem feudum vellet optare.* Edictum Chlotarii II. Regis in Concilio Pariſ. A. C. 615. *c.* 3. *Ut nullus vivente Epiſcopô adoptare locum ejus præſumat* & apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Ab *opto* dicti *Optiones* apud Latinos, milites electi, *honeſti gradus*, *quaſi adoptati in cohortes*, ut ex Varrone docet *Nonius.* Unde *famoſi Optiones*, apud Orderic. Vitalem *l.* 8. *p.* 687. & *l.* 9. *p.* 720. Adde *l.* 11. *p.* 817. *l.* 12. *p.* 870. & *l.* 13. *p.* 922. Sed de hac voce vide infrà, in voce *Optio*: de verbi verò notione generali, infrà ubi de *Votis.*

OPTATIANUS Suetonius, vide *Suetonius.*

OPTATUS, libertus Cæſaris, præfectus claſſis ſub Tiberio Claudio Principe, ſcaros à mari uſque Carpathio petitos inter Oſtienſem & Campaniæ oram ſparſos diſſeminavit. Ab eo tempore frequentes in Italiæ litore inveniuntur, Plin. *l.* 9. *c.* 17.

OPTATUS, Afer, Epiſcopus Milevitanus, ſub Valentiniano & Valente Imperatorib. A. C. 368. Ejus extant de Schiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum Donatiſtam libri ſeptem, cum Notis & Emendationibus Merici Caſauboni Canonici Cantuarienſis, Londini, A. C. 1631. Excellens Orthodoxiæ defenſor, obiit A. C. 380. Hieronym. *de Scriptor. Eccleſ. c.* 110. Auguſtin. *de doctr. Chriſt. l.* 2. *c.* 40. *contra Parm. &c.* Honor. Auguſtod. *de lumin. Eccl.* Balduinus & Albaſpinus, *in notis*, *Pithæus*, *Poſſivinus*, &c:

OPTERIA, Græcè Ὀπτήρια, munera dicta olim, quæ primò viſô infante exhibebantur; à quibus diverſa erant Ἀνακαλυπτήρια ſeu Θεώρητρα, quæ Sponſæ dari ſolebant, cùm primùm futuro Marito ejuſque cognatis ſe dabat conſpiciendam, Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Scaliger verò ſic *Poëtices l.* 3. *c.* 101. *Ad Sponſum*, inquit, *perducta Sponſa ab eo detegebatur: à quo etiam eius detectionis dona accipiebat, quæ & idcirco* ἀνακαλυπτήρια, *& quòd eam aliquando tunc ab eo primùm videretur*, ὀπτήρια *quoque; &* ... *retur*, προσφθεγκτήρια *etiam dicta ſunt*: inter nuptialia munera hæc referens. Addit tamen, apud *Callimachum* vocem ſumi, uti dictum.

OPTICE, Latinè minùs commodè *Perſpectiva*, meliùs *Aſpectiva*, ſcientia eſt Geometriæ ſubalternata, quæ de radiis viſus & lucis, ſive de viſione ac illuminatione tractat. Ejus dignitatem loquuntur oculi, quibus omnem Philoſophiam debemus, ut teſtis eſt Plato *in Timæo*, ac Philo *in Mundi opificio*: Item lux & color, quibus nil melius, nil jucundius. Uſus maximus in cognoſcenda cujuſque rei magnitudine, altitudine, diſtantia; Unde ſine illa, etiam in mirandis Naturæ tam Cœleſtis, quàm Elementaris, cum oculis aberratur, ut fusè demonſtrat Joh. Pena *Epiſt. ad Carolum Lotharingum Cardin. quam Euclidis Opticis & Catoptricis præmiſit.* Imò hujus beneficiô, in Phyſicis quoque ac Aſtrologicis, ulteriùs, quàm antè à ſummis ingeniis factum fuit, progreſſi. tubô dioptricô cognoſcimus maculas in Sole; Lunæ ſuperficiem eſſe inæqualem, ac quaſi montibus attolli, quaſi vallibus deprimi; viam lacteam, contrà quàm Ariſtoteli viſum erat, nihil eſſe niſi condenſationem ſtellarum minutarum; Jovem à 4. Planetis circumiri certis periodis & intervallis; Venerem, Lunæ inſtar, nunc plenam eſſe, nunc in cornua acui; Saturni globum faciem habere triplicem, Mercurium, reliquorum inſtar Planetarum, corpore eſſe opacô & à Sole lumen accipere, modoque in orbem, modò ſemiplenum ſe conſpiciendum præbere; Lunulam quan-

quandam Saturnum 16. dierum ſpatiô circumire, ejuſque corpus annulô circumcinctum eſſe; atque exinde pro vario ad Solem Terramque noſtram ſitu modò anſatum, modò rotundum, nonnunquam etiam lineâ rectâ ad utrumque latus extenſâ apparere. In terris ſimiliter miranda planè ac ſtupenda hæc Ars edit: ut cùm in ſpeculorum compoſitione pro uno referimus centum: aut cùm facimus, ut homo videatur capite deorſum ambulare, aut colorem faciei pro lubitu variamus, aut Manes etiam videmur ab Inferis ſuſcitare, ſiſtereque Helenam, Hectorem, Æneam, Didonem, Scipionem, Auguſtum & alios quos lubet; quo in Scientiæ genere maximè hôc ævô celebris eſt Noribergæ Grundlerus quidam, Carolo Patino *Relat. quartâ Hiſtor.* memoratus. Sed præteritô ſeculô ingens Artis ſpecimen edidit, qui duo ſpecula confecit ingeniô tàm mirandô, ut quiſquis alterutrum eorum intuetur, ſuum quidem corpus, humeros, pectus, brachia, at non alium, quàm Coſmi Medicæi, primi Hetruriæ M. Ducis vultum videat faciemque: digna proin, quorum alterum in Galliæ Regis cimeliarchio, in Theſauro D. Marci alterum, magna cum cura adſerventur, vivam inclyti Coſmi imaginem poſteritati, memorabili ratione, repræſentantes. In re bellica, quantum Archimedes hâc Arte effecerit, notum; quando naves accendit Marcelli Syracuſas obſidentis, ſoluſque deduxit prodigioſæ magnitudinis navem Hieronis Regis quàm univerſæ Siciliæ vires movere vix poterant. Hodieque pervulgatum eſt, radiis Solis ad certum punctum collectis plumbum liquefacere; lignum ac ſtipulas accendere: Nec niſi ejus ope metiri intervallum modumque licet, quô baliſtis, catapultis ac machinis æneis, mœnia vel portæ quati poſſint. Ut de Architectura, Statuaria, Graphice nihil ad iam. Nec leviter ſanè *Opticæ* debent ſenes ac myopes, quòd & acutiùs & longiùs vident perſpicillis cujuſque viſui accommodatis: quorum notitia Veteribus nulla fuit. Nam quòd Plautus *Moſtellaria Actu* 1. *Sc.* 1. meminit *Conſpicilli*, nil aliud ibi, quàm locum, unde quis conſpicere poſſit, intelligit, interpretante ſic verba ejus *Noniô Marcellô* &c. Ut jam olim non ſine ratione ſcripſerit A. Gellius *l.* 16. *c.* 18. Ὀπτικὴ *facit multa demiranda*. Partes ejus Blancanus *Appar ad Scientias Mathem.* & jam ante eum Joh. Cantuarienſis, tres faciunt, *Opticen* in ſpecie ſic dictam, quæ de Ἰθυφανεία ſive viſione & illuminatione directa: *Catoptricen*, quæ de viſione & illuminatione repercuſſa ſive reflexa, qualis in ſpeculis fit: & *Dioptricen* ſeu *Meſopticen*, quæ de viſione ac illuminatione refracta, tractat; de quibus omnibus, ut & ſingularum uſu mirandiſque effectis vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 23. *& ſeqq.* & infrà quoque aliquid voce *Scenographia*. In Muſæo Kircheriano Romæ *Optica* experimenta multifaria viſuntur, unà cum nonnullis fallaciis, quæ directô radiô in objectum tendunt ac elegantium figurarum ſpecies repræſentant ex certo punctô, cùm tamen in omni alio loco non niſi confuſa quædam colorum congeries appareat. Ibidem eadem tabula tres aut plures differentes repræſentat figuras, ex differenti ſtationis loco. Figuræ item, quæ, quôcunque declinaveris locô, te impetere telô videntur: aliæ inſuper, quæ in figurato plano neſcio quos abſceſſus & ambages mentiuntur & tamen accuratiùs examinando & indagando capita aut membra humana, aliarumque rerum ſchemata figurant. Quorum effectuum ratio eſt à differenti angulorum incidentia, unde plus minus in uno, duobus, tribus aut etiam quinque locis ſtationum objecta variat: uti Auctor pluribus docet *in Arte Lucis & Umbræ*. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Societat. Jeſu Muſæo Romæ p.* 36. ut & ſuprà in voce *Anacamptica*.

Præcipui Opticæ Scriptores, ex eodem Voſſio.

Euclidis Optica & Catoptrica, in hanc Scientiam introducunt.

Archimedes, de *Speculis uſtoriis parabolicis* ſcripſit: ut & Ptolemæus, ſed necdum lucem vidit, ut indicat *Maurolycus*.

Heliodori Lariſſæi *Opticorum* fragmenta, ab Ignatio Dante, cum Euclidæis, Italicè à ſe redditis, edita ſunt.

Philippus Opuntius, temporibus Philippi Macedoniæ Regis, de *Opticis* & *Enopticis* ſcripſit.

Ariſtotelis quoque *de Opticis* liber olim extabat, ut *Laërtius*, & *Vincentius Bellovacenſis*, teſtantur.

Ptolemæus Alexandrinus, ſub M. Aurelio Imperatore *Planiſphærium* reliquit.

Alhazonis quoque ſive Alhazeni *Opticæ* laudem merentur: Fuit is Arabs acutus, floruitque, cùm Saraceni in Hiſpaniis & per eos ſtudia Matheſeos ibi multum vigerent.

Vitello ſeu potius *Vitellio*, non minùs pulchram *Opticis* operam impendit, libr. 10. licèt pleraque mutuatus ex Euclide, Archimede, Ptolemæo & Alhazeno. Vixit A. C. 1252. Vide Theſaurum *Optica*.

Joh. Peccamus, S. Bonaventuræ diſcipulus, Archiepiſcop. Cantuarienſ. & Angliæ totius Primas, *Perſpectivam communem librô unô, alterô Perſpectivam particularem*, conſignavit, circa A. C. 1279.

Rogerus Baconus, Anglus, Ordinis S. Franciſc. Monachus, circa eadem tempora, *de Perſpectiva ſingulari, diſtincta, ac continua: de viſu & ſpeculis: de Speculi facultate; de forma reſultante in ſpeculo deque Speculis uſtoriis*, varia ſcripſit: Quòd tam miranda opere Matheſios præſtaret, ab invidis ac imperitis, apud Clementem IV. Magiæ Dæmoniacæ accuſatus, ac propterea aliquandiu in carcere detentus.

Johannes Petſan, *Opticen* ſcripſit, à Fr. Maurolyco emendatam.

Blaſius Pelacanus Parmenſis, ſubtiliſſimas in Aſtrologicis & *Opticis* quæſtiones reliquit. Docuit autem Ticini ſub Johanne Galeacio. Quibus memoratus ſuprà Blancanus jungere jubet Orontium *de Speculo uſtorio*, Maurolyci *Photiſmos*, & *Diaphana*, *de Specillis* ac *Iride*. Præterea idem nos remittit ad Baptiſtæ Portæ *l.* 9. Joh. Keppleri *Paralipomena ad Vitellionem* atque ejuſdem *Optica* & *Dioptrica*. Item Guil. Ubaldi Marchionis *Perſpectivam Scenographicam*, Marini Ghetaldi *l.* de *Parabola & Speculo uſtorio*, Vignolæ, Seb. Serlii, Dan. Barbari, aliorum, *Perſpectivam Ital. ſcriptam*, Joh. Lenkeri Norimbergenſis *Perſpectivam Germ. conſignatam*. Et ut Latinis potiùs inhæreamus; duo Johannes, unus Cantuarienſis, alter cognomine *Piſanus*, patriâ Cameracenſis, præteritô ſeculô in eadem Arte extitêre celebres. Nec indictus abeat Conradus Daſypodius, apud Argentinenſes Math. Prof. (diſcipulus Chriſtiani Herlini, Mathematici non incelebris, Argentinenſis) qui, inter alia, *in Opticis & Catoptricis* varia edidit: ut nec Frid. Riſnerus, qui adhuc adoleſcens P. Ramum juvit in inchoanda Optica, illamque *libris* 4. abſolvit. Franciſc. quoque Aquilonius Bruxellenſis, 6. *Opticorum* reliquit libros, extinctus Hiſpali A. C. 1617. Quibus ſubjungendum nobile Gallorum par, Martinus Merſennius & Renatus Carteſius: quorum prior *Optices libros* 7. edidit; poſterior *Dioptricen* evulgavit, in quâ ſubtiliter de decem hiſce capitibus diſſerit. 1. *de Lumine.* 2. *de Refractione.* 3. *de Oculo.* 4. *de Senſibus in genere.* 5. *de Imaginibus, quæ formantur in fundo oculi.* 6. *de Viſione.* 7. *de modis viſum perficiendi.* 8. *de Figuris, quæ pellucida corpora requirunt, ad detorquendos refractione radios, omnibus modis viſioni inſervientibus.* 9. *de Specillis.* 10. *de Modo expoliendi vitra.* In quibus omnibus multorum longè alias reddit cauſas, quàm priores fecêre. Vide Voſſ. *l. cit. c.* 27.

OPTILETIS, Minerva dicta eſt ab oculis, quos ὀπτίλλους Dores appellant. Refert enim Plutarch. *in Vitis*, cùm Lycurgus privatorum luxum ſuſtuliſſet, divitibuſque ob hoc factus eſſet inviſus, quendam inſolentem hominem, Alcandrum nomine, alterum oculum Lycurgo eruiſſe, poſteaque Lycurgum in ejus calamitatis memoriam templum ſtatuiſſe, quod *Optiletim* vocavit. Pauſaniæ *l.* 3. communi Græcorum Dialectô Ὀφθαλμῖτις nuncupatur.

OPTIMATES, *Alberico* ſunt *meliores*, ut ipſe ait, *de Populo.* Atqui *Eraſmus*, inquit, *Optimi* vocabulum non refertur ad mores, ſed ad fortunam: unde *Optimates* dicuntur, non qui moribus ſunt laudatiſſimis, ſed qui nobilitate generis, opibus ac dignitate præeminent: quanquam nihil vetat, etiam inter illos eſſe bonos aliquot &c. Aliter Cicero *pro Seſtio*, ſed de hoc ſignificatu à nobis jam dictum. Apud Gothos inprimis, Burgundos, Francos &c. *Optimates* leguntur dicti, è Palatinis Proceribus maximi; Ita in *Ep.* Aureliani Imper. apud Vopiſc. *Bonoſ. ad Legatum Thraciarum ſcriptâ, c.* 1. *Superioribus literis ſcripſeram, ut* Optimates Gothicas *apud Perinthum collocares, decretis ſalariis, non ut ſingula acciperent, ſed ut ſeptem ſimul unum convivium haberent. Quum enim diviſa accipiunt, & illa parùm ſumunt & Reſp. plurimum perdit.* Ubi cum communi vocis notione intelligi poſſent illæ, quæ in ſua gente eminebant, ut ſæpe apud *Marcellinum* & alios: Caſaubonô tamen auctore meliùs vocem referas, ad peculiarem ejus in Gothica gente uſum. Pars enim Gothorum, Ὀπτιμάτοι ἐκαλοῦντο, *Optimates vocabantur*, inquit Olympiodorus in *Excerptis* à Photio; de quibus multa leguntur in Græcorum recentiorum ſcriptis. Atque ex numero harum *Optimatum*, Hunilam, quam *Virginem Regalem* paulo antè Vopiſcus vocat, Bonoſo conjugem dedit, idem Imperator. Vide in *Hunila*. Sic apud Gundebaldum Regem Burgund, *Præfat. ad LL. Burgund.* qui *Optimates* dicuntur, in Indice ſubſequenti *Comites* ſunt. *Optimates nobiles*; in ead. *l. tit.* 2. §. 2. *Optimates, Majores domus, Domeſtici, Grafiones* &c. *in lege* Ripuar. *tit.* 88. *Optimates palatii*, l. Wiſigoth. *l.* 12. *tit.* 1. §. 3. &c. Ita ut *Optimates* habiti ſint, qui *Inluſtres, Optimates, & Principes*, in *Ep.* 1. Deſiderii Epiſcopi Cadurcenſ. Proſtant Eginhardi *Epiſtolæ* 45. & 49. inſcriptæ *N. glorioſo Comiti atque Optimati.* In *Monaſtic.* Anglicano *tom.* 2. *p.* 121. quidam Goda, ſub Eduardo Confeſſore, *Optimatem & Miniſtrum Regalem* ſeſe inſcribit. In alia *Charta* Regis Anglo-Saxonici A. C. 605. ſubſcribit *Tangieilus Regis Optimas*, apud Spelmannum in voce *Referendarius*. Vide præter alios complures Carolo du Freſne laudatos, Caſaubon. & Salmaſ. *ad Capitolin. in M. Antonin. c.* 22. Sed & Vaſſalli ac Barones, qui à Domino ratione dominii nudè pendent, appellati ſic reperiuntur, in *Charta* Fulconis Comitis Andegavenſ. A. C. 1023 *in Hiſtor.* S. Nicolai Andegavenſis: *Et ille eam* (terram) *tenebat de Alberico de Monte Johannis quondam* Optimate *noſtro.* Similiter in veter. *Charta* apud Beſlium, *p.* 422. iidem ſunt *Barones & Optimates*, ac pro vaſſallis majoribus accipiuntur. Apud Anaſtaſium verò & Paulum Diaconum in *Hiſtor. Miſcell.* qui Byzantinis Scriptoribus Ὀπτιμάτοι, quorum nomine in Aſia provincia ita erat appellata, quòd *Optimatum thema* ſeu legio in ea præſidio eſſet, ſic appellati reperiuntur. Apud Gothos autem ſic dicti ſunt præcipui è militaribus viris, quos, cum Rodogaiſo eorum Duce devictos, in Auguſtalem militiam adſcivit Stilico, ut auctor eſt Olympiodorus apud Photium *p.* 179. ex quo deinceps eidem militiæ nomen manſit, quæ poſtmodum vilioribus militaribus officiis addicta eſt, uti diſcimus ex Conſtantino *de Them. l.* 1. *c.* 5. Meminit iſtius thematis Pachymeres *l.* 1. *c.* 9. Vide *Gloſſas* Rigaltii, *Notas* Fabroti *ad Hiſtoriam Eccleſiaſtic. Anaſtaſii p.* 233. & Car. du Freſne *Gloſſar.* nec non ſuprà, voce *Domeſticus.*

OPTIMI Nobilium, apud *Aurelium Victorem* Schotti: *Et Patres quidem, præter commune Romani malum Orbis, ſtimulabat proprii ordinis contumelia, quia primus ipſe metu ſocordiæ ſuæ, ne Imperium*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rium ad Optimos Nobilium *tranſferretur, Senatum vetuit etiam adire exercitum*: iidem cum *Optimatibus*, apud Capitolin. *in Marco, c.* 2. *Summatibus*, apud Spartian. *in Hadriano c.* 17. *Proceribus*, apud Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 63. Senatores nempe ſunt, quos illis temporibus inſigniri conſueviſſe notum. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad loc. Capitolin. cit.*

OPTIMUS Græcorum, oraculô dictus Ariſtomenes Meſſenius. Damagetus enim Rhodius, Jalyſi Rex, ex oraculo ſciſcitans, unde illi uxor ducenda eſſet, reſponſum à Pythia accepit, ut illius filiam duceret, qui eſſet τ̃ Ἑλλήνων ἄριστος quare Ariſtomene genitam ſibi junxit, *Pauſan. p.* 261.

OPTIMUS Maximus, proprium Jovi Capitolino olim apud Romanos cognomen. Cic. *pro Domo ſua, Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Roman.* Optimum, *propter vim* Maximum *nominavit.* Hinc apud Liv. *l.* 22. Capitolium templum *Jovis Optimi Maximi* dicitur. Et *l.* 3. auguſtiſſima domus, *Jovis Optimi Maximi.* Idem *l.* 28. in Saguntinorum oratione: *Jupiter Optimus Maximus* præſes Capitolinæ arcis nuncupatur. Sic Plin. *l.* 28. *c.* 2. poſt Hetruriæ vates conſultos de capite humano invento, in delubro Tarpeio; h. e. Capitolino, pronuntiatum fuiſſe, *Hic templum Jovis Optimi Maximi futurum eſt*, refert, apud Jac. Ouzelium *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 124. Vide quoque ſupra *Jupiter.*

OPTIO, cujuſvis muneris adminiſter Paterno, *in l. ult. ff. de jur. immun.* Nam, ut ſcribit Vegetius *l.* 2. *c.* 7, & *Nonius Marcellus, Optiones ab optando appellati ſunt: quod antecedentibus ægritudine præditis, hi tantùm adoptati eorum atque vicarii ſolent univerſa curare.* Varro de L. L. *l.* 1. *Primi ſingularum decuriarum Decuriones dicti, quos ii primos ſibi adminiſtros adoptabant*, Optiones *vocari cœpti, quos nunc propter ambitiones Tribuni faciunt.* Unde *Optionem* Budæus in *l. fin. ff. de jur. imm.* accipit pro eo, qui adjutor eſt Centurionis aut Decurionis: ut Plautus eſt uſus Metaphoricè *in Aſinar Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 88. &c. Apud recentioris ævi Scriptores *Optio* delectus miles eſt. Unde *Famoſus Optio*, apud Ordericum Vitalem *l.* 8. *p.* 687. In *l. ult. ff. ad exhibendum, Optio* Fabricæ, videtur eſſe, qui Imperatoriæ fabricæ, à qua *Fabricenſes* dicti, aut fabricis legionum, ſcutariis & loricariis cuſtos præerat; Quemadmodum & cuſtos carceris, *Optio carceris* D. Ambroſio appellatur, *Neque Paulus & Silas tempus diſtulerunt, quin* Optionem *carceris baptizarent cum omnibus.* Sed & *Optiones*, dicti reperiuntur militaris annonæ Erogatores, qui annonas diſtribuebant militibus, *Cod. Theodoſ. l.* 1. 24. *de Erogat. militar. annon.* alibique paſſim. Hinc Græci *l.* 54. Βασιλικῶν, annonæ diviſionem interpretantur *optionem militum.* Ratio nominis, quòd Duces eos ſibi optent dividendæ annonæ causâ; quaſi adjutores, quò faciliùs cœtera munia militaria obeant; quâ ratione auxilia Fœderatorum *Optiones* etiam dicuntur *leg. ult. C. de locat.* quorum Duces *Phylarchi* appellantur, *Novell.* 116. & 117. Etiam Procopius *Vandal. l.* 2. *c.* 20. & *l.* 1. *c.* 17. non militaris duntaxat annonæ Erogatores, ſed &, qui domeſticorum ſumtuum curam gerebant, *Optiones* dictos innuit: Ὅς οἱ ἐπεμελεῖτο τ̃ περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης, Ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσιν Ῥωμαῖοι, *Hic apud eum domeſticos ſumtus curabat*; Optionem *Romani vocant* &c. Vide ſuprà in *Obſonatores*, & plura apud Cujacium *ad l.* 7. *C. de Exact. tribut.* Alemannum *ad Procopium Hiſtor. arcan.* Salmaſ. *ad Spartian. in Hadrian c.* 11. & Jac. Gotofredum *ad d. l.* 1. laudatos Carolo du Freſne *loc. cit.* Sed & *Optio* terminus eſt Curiæ Romanæ, cùm Cardinalis aliquis titulum ſui Cardinalatus mutat, cujus origo à tempore Alexandri V. Pontificis, hic enim cùm, poſt ſublatum ſchiſma, duos Cardinales eôdem tituló utentes deprehendiſſet, alteri illorum titulum ut mutaret injunxit, ſicque *Optionem* introduxit, uti docet Onuphrius, apud Spondanum A. C. 1410. laudatus Carolo Macro in *Hierolex.*

OPUNTIUS, nomen cujuſdam luſci Athenis, quem bis Ariſtophan. *Avibus* traducit, cui ob rapacitatem & mores incommodos *Corvi* nomen inditum.

OPUROCARRA, apud Amm. Marcellin. *l.* 23. *Appellantur autem iidem montes Aria & Nazavicium & Aſmira & Emodus & Opurocarra:* pro *Ottoracarra* fortè. *Ptolomæo* enim memorantur Ὀτταροκόραι, aliis ut videtur, Ὀτταχόραι & Ἀτταχόραι, populi Sericæ, quorum Urbs Ὀττοροκόρα, & mons Ὀττοροκόρρα. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 989.

OPUS, *puntis*, civitas Locrorum Epicnemidiorum, non procul ab Aſopo fluvio. Olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Athenienſi. *Strabo*, Plin. *l.* 4. *c.* 7. *Ptolem.* Ovid. *Ponticor. l.* 1. *eleg.* 3. *v.* 73.

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

Hinc *Opuntius*, ut *ſinus Opuntius* in Ægæo. Et *Opuntii* populi Phocenſibus Bœotis finitimi. Ab *Opoënte* quodam Eleo dictam volunt. Dicitur etiam *Opois*, teſte *Vadianô.* Sic Orpheus *in Argon.* paſſim Ὀπόεις, Ὀπόεντος extulit, quæ vox vel *ſucculentum*, vel *foraminoſum* ſignificat. *Baudrando* urbs fuit Opuntiorum in Bœotia, 55. mill. paſſ. à Chalcide in Circium, uti 15. ab oſtiis Cephiſſi fluvii totidemque ab ora Eubææ. *Nic. Lloydius.*

OPUS, de agricultura apud Ovid. *Ponticor. l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 11.

Cernis, ut in duris (& quid bove firmius?) arvis,
Fortia taurorum corpora frangat opus.

Tibullum *l.* 1. *eleg.* 9. *v.* 8.

Et durum terra ruſticus urget opus &c.

Unde Βοῦς ἐργάτης, de quo ſuô locô; & ἐργάτης κάνθων, *Lycophroni* eleganter dicitur aſinus aratro junctus. Namque & aſinis olim pauperiores ad aratrum uſi. Arnob. *l.* 2. *Et aſellus & bos æquè (uſu atque aſſiduitate cogente) diſcit arare ac molere.* Indidem titulus operis Heſiodæi, Ἔργα καὶ Ἡμέραι, *Opera & Dies*, quod de Agricultura ſcripſit, præceptis Politicis, Ethicis, Oeconomicis refertiſſimum, vide Dan. Heinſium *Introduct. in illud.* In *Epitaphio* Berthæ uxoris Adalberti Marchionis in Italia, apud Ughellum *Tom.* 1. *p.* 856.

Exulibus miſeris mater clariſſima manſit,
Atque peregrinis ſemper opus *tribuit:*

vox *Eleemoſynam*, utpote inter opera bona præcipuum, denotat. Unde & Cypriani extat liber *de Opere & Eleemoſyna.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud quem etiam *Opus Dei, Opus Divinum, Opus Dominicum, Opus ſacrum*, variis Auctoribus pro *Officio divino, ſacra Liturgia, Opere quod Deo impenditur*, ſumi conſueviſſe, legimus. Aliàs *Opus*, opificium, labor: Unde *Opus Albarium, Inteſtinum, Tectorium*, de quibus vide *ſuis locis*, uti de *Opere feriarum tempore non faciendo*, ſupra ubi de *Feriis* item voce *Ceſſatio.*

OQUIA, inſula parva Japaniæ, in ora Boreali Niphoniæ inſulæ cum oppido cognomine, *Brietius.*

OR. in notis antiquis *ornato* vel *ordo.* ORB. PAR. *orbati parentes.* ORD. *ordinis.* OR. M. *ordo militum.* ORN. IMP. *ornamentum Imperiale* &c. ſignificat.

OR, (vide *Horeb*,) mons Arabiæ Petrææ, Petræ urbi proximus, in finibus Sodomorum.

ORA, vulgo apud Curt. *l.* 8. *c.* 11. *Nora*, Indiæ urbs ab Alexandro expugnata, Arrianus, *locô jam citando.* Circa Indi partes ſuperiores. Carmaniæ, *Ptol.* Vide mox dicenda.

ORA, urbs Carmaniæ, *Ptol.* cujus etiam meminit Arrian. *l.* 4. Εἰς τὰ Ὦρα τὴν πόλιν, *in* Ora *urbem*: unde populi *Ori*; quos cum Gedroſis idem *l.* 6. nominat, Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Νέαρχος παραπλεύσας τὴν Ὠρῶν τε καὶ Γαδρωσσῶν γῆν καὶ τ̃ Ἰχθυοφάγων, κατῆρεν εἰς τ̃ Καρμανίας τὰ πρὸς θάλασσαν ᾠκισμένα: utpote illis vicinos. Iidem *Oritæ*, Apollodoro apud *Stephanum*, Græcè Ὠρῖται.

Ἔπειτα δ᾽ Ὠρίτας τε καὶ Γεδρωσίους
Οὐκ ἴσμεν Ἰνδοὺς τοὺς ἐνοικοῦντας πέραν
Ἀρβίος.
Poſtea autem Oritas *& Gedroſios*
Non novimus Indos habitantes ultra
Arbim.

Ab Arbiis enim *Oritas* ſeparabat flumen Arbis. Ita ergo Oritæ Gedroſis & Carmanis, imò & Ichthyophagis vicini erant. Horum quippe alii ad mare colebant, alii intus, quos τοὺς ἄνω Ὠρίτας, *ſuperiores Oritas*, indigitat *Arrianus.* Malè Ὠρεῖται ſcribuntur apud *Strabonem* & *Arrianum*, pro Ὠρῖται: Ὠρεῖται enim dicti ſunt, ab *Oreo* urbe Eubææ, quos τετρασυλλάβως extulit *Apollodorus* &c. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1176.

ORA, extremitas cujuſque rei, Clement. *ſec. de vit. & hon. Cler.* Hinc *Ora Veſtis*, Græcis πέζα, unde πεζοφόροι χιτῶνες Æſchylo; Sed πέζα propriè *oram* veſtis *extremam* ſeu *ultimam*, quam *ultimam fimbriam* appellat Trebellius *in XXX. Tyrannis, c.* 30. ubi *de Zenobia*, notat; unde faſciam vel zonam, quæ adponebatur, ornamenti gratiâ, ad illam, πεζίδιον Græci nuncupârunt, quod ad verbum eſt *Orarium.* Præter hanc verò erat & ſumma *ora*, quæ circa collum & humeros hæret Græciſque ſτόμα dicitur. Interim, ut *orarium* poſtmodùm, pro quavis zona vel loro, uſurpatum eſt Latinis, ſic πεζίδιον quoque Græcis, pro qualibet faſcia, poni cœpit. Unde πεζίδιον, *faſciam Imperialem* illis ſignificat vel diadema & cingulum capitis penès mulieres. Optimæ *Gloſſæ*, Πεζίδιον βασιλικὸν, *diadema*; πεζίδιον γυναικὸς, *faſcia.* Lorum vocat *Balſamo*: namque & hoc utrumque ſignificat, & vittam, quæ veſtis extremitatem, propriè τὴν πέζαν, ambit & faſciam coronæ regiæ. Sic itaque & πεζίδιον, quod πεζίτιον Suidæ dicitur, aliis φακιόλιον quoque, quibus de vocibus vide Salmaſ. ad Trebellium *l. c.* & Flav. Vopiſc. *in Aureliano, c.* 48. ut & hic paſſim. At propriè *Ora*, extremitas littoralis eſt; an ex *ore*, an ex Græco ὅρα vel οἶα, *vicus*, ſeu χώρα, *regio*, an ex Hebr. ארח *via*? Skenæo ait generaliter ſignificat omne metallum, velut cùm dicimus, idem, *leed-ore*, i.e. plumbi metallum. Præterea apud eundem, alioſque recentioris ævi Scriptores, monetæ ſpecies eſt, ex auro vel ære, valoris, ut videtur, 2. ſolidorum. *Spelmanno* verò & *Somnero Ora*, non moneta, ſed uncia eſt, quæ fuit 20. denariorum, qua de re vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

ORA Aurea, vulgò *la Coſte d'or*, Gallis: *Goud Cuſt*, Batavis, ora littoralis Guineæ regionis in Africa. Extenditur ad 130. leucas inter oram dentium ad occaſum & fluvium *de la Volta* dictum. Sed per terras longè lateque extenditur; eſtque Guineæ pars præcipua. In ea ſunt regna Asbinum, *Asbin*, Aximum, *Axime*, Commendum, *Commendo*, Fetum, *Fetu*, Acaneum parvum, *Acanes petit*, Sabum, *Sabou*, Fantinum, *Fantin*, & Akara, *Akara.* quæ omnia jure clientelari pendent à Rege Acanao majori, qui *Akim* dictus, valde potens eſt; & ejus urbs præcipua 60. leucis Gallicis diſtat ab arce S. Georgii de Mina in Boream. In ora autem littorali ſunt plurimæ arces Europæorum.

ARCES EUROPÆORUM IN ORA AUREA GUINEÆ:

Arx S. Georgii de Mina, *la Mine*, in ditione Hollandorum.
Aximum, *Axime*, Hollandorum.
Botrum, *Botru*, Hollandorum.
Caput Corſum, *Capo Corſo*, Anglorum.
Chriſtianoburgum, *Chriſtiansbourg*, Danorum.
Cormentinum, *Cormentin*, Hollandorum.
Eniachamum, *Eniacham*, Anglorum.
Fridericoburgum, *Friderichsbourg*, Danorum.
Moura, ſeu Naſſovia, *la Moure*, Hollandorum.

ORA Dentium, vulgò *Coſte des dents*, Gallis, *Quaquacuſt*, Hollandis, ora Guineæ regionis, in Africa, ſic dicta, quòd in ea reperiuntur innumeri dentes Elephantium. Per 80. leucas Gallicas extenditur ab occaſu in ortum, nempe à promontorio Palmarum, ubi definit ora Malaguettæ, ad fluvium Aſenum, ubi incipit ora Aurea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rea. In ea nulla urbs alicujus momenti, ſed tantùm aliquot portus & pagi multi.

ORA *Dives*, vulgò *Coſta Ricca*, provincia Americæ ſeptentrionalis, in nova Hiſpania & in Præfectura generali Guatimalæ, inter utrumque mare Boreale & Auſtrinum, atque inter Veraguam provinciam ad ortum & Nicaraguam ad occaſum; ſubeſtque dominio Hiſpanorum, qui in ea habent urbes Carthaginem, *Cartago*, Caſtrum Auſtriacum, *Caſtro d'Auſtria*, & Nicoiam, *Nicoia*.

ORA Piſcariæ, vulgò *la Coſte de la Peſcherie*, tractus Indiæ intra Gangem, in ora ſinus Gangetici, inter promontor. Comorinam ad auſtrum & Negapatamum ad Boream, in ditione Principis Maduræ, è regione Ceylani inſulæ. Vide *Piſcaria ora*.

ORABA, Oſroenæ regionis urbs, *Liber Notit*.

ORABANTIUS Trœzenius, ſcripſit poëmata, ante Homerum, *Diodor*. Sic *l*. 3.

ORACULUM, Luc. Senecæ *Præfat. l*. 1. *Controv. voluntas eſt divina hominis ore denunciata*. Ciceroni *Topic. Deorum Oratio*. Hinc; quòd Principes Romani aliquid Majeſtatis ſuperhumanæ, unde *Divi* appellabantur, ſibi attribuêre, Deorumque è numero ſeſe eſſe falsò ſibi perſuaſêre (quemadmodum Domitianus ille, licet omnium truculentiſſimus, inſcriptionem feciſſe legitur, DOMITIANUS DOMINUS ET DEUS VESTER) factum eſt, ut Principis reſponſum ſeu reſcriptum *ſacrum Oraculum*, plerìſque Juris in locis, dicatur. Unde vetus *Gloſſa*, *Sacrum Oraculum eſt Reſcriptum, quod Imperator precibus & ſupplicationi reſpondens reſcribit, vel ei fieri, vel non fieri quòd poſtulat, & dicitur, quòd orando inſpectum*. Arcadius & Honorius in *Append. Cod. Theodoſ. c*. 2. *Comitatum ſacrum petere, mereri mendaciis* Oracula *& furtiva Reſcripta*. Ita paſſim in *Cod*. in *LL*. Wiſigothorum *l*. 2. *tit*. 1. §. 30. *l*. 12. *tit*. 3. §. 1. &c. Vide quoque *Theoprepia*. Apud Recentiores etiam Ædem ſacram; in qua *oratur*, aliàs oratorium, vox notat. Wilh. Britto in *Vocabular. MS*. Oraculum *dicitur Propitiatorium, unde Exod. c*. 38. *Deus fecit Propitiatorium, i. e. Oraculum. Et in eodem ſenſu accipitur fere per totam Bibliam — tamen pro Templo poteſt accipi* &c. Vide quoque Gregor. M. *in Dial*. Anaſtaſium *in Vitis Pontificum* Paul. Warnefridum *l*. 4. *c*. 48. 59. alios. Sed & Plin. ſic accepiſſe vocabulum videtur *l*. 12. *c*. 23. *Ab Ammonis* Oraculo, *juxta quod gignitur arbor*. Vide Caſaubon. *ad Pollionem, in Gallienis, c*. 14. quia nempe *Oracula* ibi edebantur. Sic enim dicebantur olim Deorum reſponſa, quæ vel e Terræ cavernis, vel è ſimulachris, ſolertiâ nonnunquam humanâ, ſæpe Diabolicâ, edebantur. Nam conſtitêre quidem fraudibus Vatum, ſed non ſolis, cùm multa prædixerint, ad quæ nullâ ratione humanæ mentis acumen pertigiſſet. Atque hæc iis etiam præſtitêre, qui *Oracula* venerant exploratum, hominibus vafris, neque admodum credulis: Quô factum, ut, cùm vulgus citra delectum omnia amplecteretur, prudentiſſimi quique non omnia, ſed multa tamen crederent, quod ex illa in narrando conſtantia eorum ſatis liquet. *Ariſtoteles*, qui Dæmonia non credebat, ſaltem non memorat, divinationes iſtas humori melancholico: *Plutarchus* & alii, vapori terreſtri à Sole educto, inque corpus bene temperatum accepto, mentemque concitanti: *Demoſthenes* fraudibus humanis, attribuit, quando, ut Minutius *in Octavio* ait, *reſponſô ſimulatô* φιλιππίζειν *Pythiam* conqueſtus eſt; planiuſque fucum detexit Lucianus *in Alexandro Pſeudomante*; ut tot alios fraudis Patriciæ pariter, ac Sacerdotalis teſtes prætercam, quas non invenuſtè adumbravit Cœlius Calcagnin. *l. de Oraculis*. Quò facit, quòd ferè ita eſſent ambigua, ut ad eorum intelligentiam alterô eſſe *Oraculô* opus videretur. Sed ut concedamus Ariſtoteli ac Plutarchô, quorum ſemper magnum inter Eruditos nomen fuit, Mentem poſſe humanam ab vaporibus ejuſcemodi concitari, unde verò evincent, vim aliam habere, quàm ut quæ priùs ſciunt homines, ſubtiliùs vel diſertiùs promant? quô modô Poëtæ, ubi paulum ſe conſperſerint flore Liberi Patris, meliùs poëtari ſolent. Nec ſi *Oracula* latentium fuêre hominum imposturæ, eò non fraude etiam conſtiterint illudentium Dæmonum: quas *Oraculorum* proin cauſas eſſe, candidè agnovit Porphyrius *l. de Dæmonibus*, nec non Jamblichus *l. de Myſteriis c*. 21. & 26. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idololatr. l*. 1. *c*. 6. De *Oraculis*, quæ penitus deſierant, agit Plut. *l*. περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων: plurima ſiquidem omnino erant exhauſta, atque in tota Bœotia, quæ olim Μαντεῖα & *Oraculorum* ſedes plurimas, ſola Lebadia, unde ſortes peterentur, reſtabat; Pythia quoque Antiſtes, non quidem planè tum reſpondere deſierat, ut plurimi hactenus crediderunt, ſed verſibus non ampliùs *Oracula* edebat, ut idem Autor docet *altero l*. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν, *de eo quod non amplius Oracula verſu reddat Pythia* &c. Vide quoque Caſaubon. *Exercit*. 1. *ad Appar. Annalium, num*. 25. & *ad Pollionem in Gallienis, loc. cit*. nec non Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l*. 9. *v*. 662. è quo pauca hæc addimus. Docet Theodoretus *contra Gentes Diſſertat*. 10. curiosè in Oracula inquiſiviſſe & Philoſophiam peculiarem inde exſculpſiſſe Porphyrium, cujus Commentarii utinam ad nos perveniſſent. Inquirebat enim ita, ut vitii convinceret, quando res poſtularet. Idem optimus & mirè ſagax Scriptor profert verba *Plutarchi*, quibus oſtenditur, Dæmonas primùm omnium *Oraculorum*, deinde eorum malos Spiritus auctores eſſe, quæ cum cæde animalium, furore Sacerdotum & turpibus aliis ceremoniis fiunt. Unde mirum non ſit, ſi non ſolum dubia fuerint reſponſa, verùm etiam noxia, & abhorrenda. Certè id nec Gentilibus ignotum: Hinc pulchrè exclamat Claudian. *Bello Get. v*. 556.

Heu ſemper tacitâ ſortes ambage malignæ &c.
— *vix tandem interprete caſu*
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.

Cujus rei illuſtre exemplum, in *Hiſtoria* Franc. ante pugnam Bovinenſem conſultis Dæmonibus, ab adverſariis Philippi Auguſti, qui eos vicit, profligavit, cepit, ludibrio à malis Spiritibus habitos, videre eſt apud Rigordum Gothum A. C. 1215. Aliud ſuggerit Lud. Domenichius, quod malitioſâ ſubtilitate facilè multa ſuperat. *Hiſtor. Var. l*. 14. *p*. 807. *edit. Venet. A. C*. 1565, ubi de Comite Alberto Scoto, Placentiæ Domino ait, illuſum eum ambiguitate reſponſi hujus, quod in ſcripto ipſi exhibuerat Dæmon, DOMINE STES SECURUS: INIMICI TUI SUAVITER INTRABUNT TERRAM, ET SUBJICIENTUR DOMUI TUÆ. Legi enim & ſic poterat, DOMI NE STES SECURUS: INIMICI TUI SUA VI TER INTRABUNT &c. quod etiam eventus probavit. Vide eundem Barthium *de Oraculis etiam per ſomnum datis, ad Stat. Theb. l*. 5. *v*. 620. ut & hîc paſſim. Nec omittendum, *Oracula* petituris, per integrum diem à cibo, à vino autem per triduum, abſtinendum fuiſſe, ut videre eſt apud Alexandrum ab Alex. *Genial. Dier. l*. 6. *c*. 2. &c.

ORACULA NONNULLA VETERUM.

Oraculum Amphiarai, in Oropo, Jovis & Apollinis confertur à Theodoreto *Therapeutic. l*. 10. Vide Barthium *ad Theb. l*. 9. *v*. 658. & ſuprà, ubi de *Amphiarao*.

Oraculum Caſtorum, Lacedæmone fuit, uti docet Lutatius *ad Stat. Theb. l*. 7. *v*. 413. *Templis Sparte præſaga recluſis, Vidit Amycleos (facinus) concurrere fratres*.

Oraculum Delphicum, apud Delphos urbem Phocidis, oraculum Apollinis totô orbe celeberrimum, & ditiſſimum, unde *Aphetoriæ opes*, ab Apolline Aphetore, i. e. *Emiſſore Oraculorum*, in Proverb. abierunt: Edebatur in templo Delphico, quod quinquies deſtructum inque eodem loco reparatum legimus. Ara κεράτινος βωμὸς, i. e. *cornuta*, appellabatur à cornibus, quæ ad ſiniſtrum latus, ut Plut. *in Theſeo* docet, affixa, tantâ arte in ſe flexa & complicata erant, ut ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θαύμασι, *inter ſeptem miracula*, referrentur. Hinc Ovid. *Ep. Heroid*. 21. *v*. 99. *Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram*. Quando Oraculum hoc deſierit, variant ſententiæ. Quidam ab Alexandro M. id deletum volunt, ſed ſine ratione. Plut. *de Orac*. exhauſta vaporibus terrâ deſiiſſe contendit. Prudentio, *in Apotheoſi, v*. 505. *ex quo hominis Deus induit artus, Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra*: Sed & poſt illa tempora *Oraculum* hoc interrogari ſuiſſe ſolitum, ex Hiſtoriis patet; & Plut. verſu tantùm reſpondere ceſſâſſe refert, ut *ſuprà* viſum. Diô, occiſô à Nerone in aditu antri homine, *Oraculum* fuiſſe extinctum, refert. Delphis cùm abiit, ad Hyperboreos Scythas ſe contuliſſe creditum eſt, unde & dona illò non aliter, quàm priùs Delphos, miſſa ſunt, & Abaris Scytha, Apollonis Sacerdos integrum de ejus Reſponſis & adventu in illa loca volumen edidit. Vide in voce *Delphi*.

Dodonæum, apud Dodonam urbem & ſylvam Epiri, ubi Jovis vates dabant reſponſa, omnium antiquiſſimum habitum eſt, ut *Herodotus* ait. An à *Dodonaim*, Japheti nepote? De hoc fabulantur, par columbarum ex Ægypto advolâſſe, quarum una in Epiro, in fago quadam conſidens, voce humanâ loqui inceperit, & præter varia monita ſalutaria, incolas juſſerit templum condere: quod factum à Deucalione, poſtquam navis ejus eò appulit; hic enim non tantùm templum, ſed & urbem Dodonam, juxta quam *Oraculum* in ſylva proxima edebatur, condidiſſe dicitur. An de Noacho, arca, columba ejus, auditio quædam, fabulandi occaſio? Intelligunt autem per columbas has Eruditi fœminas quaſdam vaticinatrices, quæ ex Ægypto in Phœniciam, hincque in Theſſaliam delatæ, tres numerô, reſponſa hæc ediderint. Et certè Theſſalicâ linguâ, voce Πελειὰς, non columbam modò, ſed & fatidicam anum, deſignatam fuiſſe, Euſtathius in *Il*. ξ. docet. Vide plura in voce *Timarate*.

Hammonis τὸ ἀνάκτορον ſeu χρηστήριον, i. e. *Oraculum*, antiquitus fuiſſe videtur Schola quædam Chamidarum, ſeu Hami poſterorum; à Dæmone poſteà *Oraculô* ſuô coinquinata. Erat autem in loco, ob æſtum, inacceſſo, in regione Garamantum, ubi Jupiter formâ hirci colebatur & reſponſa dabat.

Nabarcæ, Anariacæ Urbe prope mare Caſpium, μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, *Oraculum incubantium*, i. e. *ſomnia captantium*, fuiſſe, docet Strabo *l*. 11. Quem incubandi morem durâſſe, temporibus etiam Gratiani ac Theodoſii Imperator. indicat Prudentius *in Harmatigenia*. vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idololatriæ l*. 3. *c*. 25. &c. de Panis *Oraculo*, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l*. 2. *c*. 20. Imò tot *Oracula* erant, quot Dii, uti videre eſt, ubi de *Paredris Diis* infrà. Sed hæc celebriora fuêre, quæ diximus. Vide infrà *Oraculum Dianæ*.

ORACULUM Delphicum, nomen inſignis machinamenti, in *Muſæo* Kircheriano. Habuit Auctor tubum in ergaſterio cubiculi ſui ita diſpoſitum, ut janitores eum ad portam vocaturi, in ipſa porta, quà in hortum aditus dabatur, ordinario vocis ſono loquentes eum alloqui poſſent, quorum omnium verba, non ſecus ac ſi in cubiculo præſentes eſſent, percipiebat eodemque modo per tubum reſpondebat, quantumcunque illi diſſiti eſſent. Hunc poſtea in Muſæum tranſtulit & ſtatuæ tali arte inſeruit, ut ſtatua quaſi ſpirans ore apertô motiſque hinc inde oculis loqui videretur; cui proin nomen dedit *Oraculi Delphici*. Nam quemadmodum veteres Sacerdotes Ægyptiorum ac Græcorum per hujuſmodi tubos, ori Idolorum inſertos ingenioſô dolô, Oraculum conſulentes decipiebant & homines ſuperſtitioſos ad opimas ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

lationes faciendas ſolicitare ſolebant, ſimpliciores verò animi, velut divinâ voce moniti, id quod jubebatur, magnô utique Sacerdotum emolumentô, exſequebantur: Ita hanc fallaciam ut detegeret Kircherus, ſimilem ſtatuam fieri curavit. Erat autem hic tubus ad 30. pedes à ſtatua diſſitus. Itaque quidquid Titius ori ſtatuæ conceptis verbis immurmurabat, ad id Sempronius oppoſitô ſtatuæ orificiô tubi aure applicatâ aſſiſtens reſpondebat: attonitis ſpectatorum animis, qui verba quidem ex ore ſtatuæ prodeuntia audirent, unde verò is veniret, divinare non poſſent. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo c.* 7. & prolixiorem hujus machinæ deſcriptionem in Autoris *Phonurgia.*

ORACULUM Dianæ, *Ptolem.* fuit in ora Arabiæ felicis ad ortum, inter ſinum Sachalitem & Perſicum, haud procul à Didymis montibus, & Corodamo promontorio.

ORACULA ALIA OLIM MEMORATA: DE QUIBUS PLUT. ET LUCIAN. IN PSEUDOMANTE.

Ammonis, *Vide* Hammonis.
Branchidarum, quod & Mileſium, *Vide ibi.*
Chryſopolitanum, in Bithynia apud Chalcedonem.
Clarium, in Ionia apud Colophonem, ex quo Apollo Clarius dictus eſt.
Delium, in Delo inſula, ubi Apollo reſponſa dabat.
Dindymæum, in Phrygia, ubi Cybele conſulebatur.
Mileſium, in Ioniæ & Cariæ confinio, apud Miletum urbem, quod & Branchidarum.
Malli, in Cicilia, *vide* Mallus.
Pataræum, apud Pataram Urbem Lyciæ, ſeu in ora Pamphyliæ.
Pallæum, apud Pellam urbem Macedoniæ, teſte *Lucianô*, ſive apud alios in Pelethronia regione, ad Pelii montis radices, ubi in dracone Æſculapius dabat reſponſa.
Phaſelidis, urbis littoralis Ciliciæ, ubi conſulebatur Apollo.
Sinopæum, apud Sinopen urbem Paphlagoniæ.
Urii Jovis in Bithynia, idem quod Chryſopolitanum, ut videtur.
Fuêre & alia: ſed prædicta clariora.

ORÆA, regiuncula Peloponneſi, circa Trœzen urbem Argiæ in ora ad ortum vergens. Cujus meminit *Stephan.* Poſteà *Altephia*, *Pauſan. in Corinth.*

d'ORAISON Martha. Vide *Martha.*

ORALE, vox medii ævi, veſtem denotat Epiſcopalem, in formam ſindonis, quam Pontifex Roman. capiti quaſi in modum veli imponit & replicat ſuper humeros & ante pectus. Ita Innocentius III. *Myſter. Miſſæ l.* 1. *c.* 53. & ex eo Durandus *Ration. l.* 3. *c.* 6. Sed & fœminis *Oralia* adſcribit Concilium Arelatenſe A. C. 1234. *can.* 16. *Mulieres autem Judææ à* 12. *annis & ſuprà*, Oralia *deferant extra domos.* I. e. vela, quibus caput & os tegant; apud Car. du Freſne *Gloſſar. in voce Orale*, item *Oralia.* Vide & ſuprà *Fanon.*

ORANDI Ritus, apud Ethnicos quoque olim frequens fuit: Namque *Initiis* eos omnibus Deos precari conſueviſſe, ex *Pauſania* atque *Ælio Dionyſio* Cœl. Rhodig. refert *Lect. Antiq. l.* 1. *c.* 2. *ſub princ.* Cui communi Religioni veluti teſtimonium perhibens Cicero, *omnium magnarum rerum à Diis immortalibus principia duci*, affirmat, in *Vatin.* Et quidem *ſermonem de Mundo* ejuſque generatione habiturus Socrates, apud Platon. *in Timæo*: Ibidem *Elementorum Naturam* explicaturus, inſigni *Orandi* formulâ utitur. Apud Eundem *de LL. l.* 10. Hoſpes Athenienſis, demonſtraturus *Deum eſſe*; & paulo pòſt *de Diis*, *Deorumque* cultu agens, eâdem pietate defungitur. Idem Cicero fecit, de *Legibus* ſermonem habiturus; Ovidius *Metamorphoſeων Opus* inchoans; Plotinus, *de Anima* ſententiam dicturus, *Enneade* 9. 4. Poëtæ tandem atque Oratores paſſim. Sic etiam *Annum* à precibus auſpicabantur, teſte Luciano *Tom. III. p.* 632. *ſeqq.* de quo vide plura apud Rod. Hoſpinian. *de Orig. Feſtorum c.* 8. *fol.* 49. & A. Wilckium *Heortogr. Part.* 1. *p.* 93. *Diem* quoque ſic inchoare & matutinis veſpertiniſque precibus Numen adire conſueviſſe, apud Platonem *de LL. l.* 10. legimus: atque id de Indis nominatim teſtatur Lucian. *Tom.* 4. *p.* 105. Etiam in *Menſa* orâſſe, videbimus infrà. Neque *Nuptias* ineuntibus ſua Romanis aliiſque ſacra deerant, ut ex iis apparet, quæ hanc in rem Briſſonius & Anton. Hottomannus *de Vet. rit. Nupt.* collegêre. Idque eo magis in *publicis Negotiis* obſervabant, quantum iſta feliciter evenire magis intererat. Pertinet huc iſta Græcorum Ἀγαθὴ Τύχη, & Populi Decretis & Conventionibus publicis præpoſita. Quos imitatos Romanos ſolemne aliquod carmen *Orationis* habuiſſe, quod in Concionibus ad Populum Magiſtratus præfarentur, conſtat ex Livio *l.* 39. *c.* 15. Apud eoſdem in *Magiſtratibus* deſignandis creandiſque, Deorum velut ſuffragia fuiſſe expetita, docet Cicero *pro Muran.* ubi maximè ſolemnem habes Comitiorum precationem; & Plinius *Panegyr. Trajani.* Hinc & Tiberium, principiô literarum, quibus Druſo poteſtatem Tribunitiam à Senatu petierat, veneratum eſſe Deos, ut conſilia ſua Reip. proſperarent, Tacitus auctor eſt *Annal. l.* 3. *c.* 56. In *condendis ferendiſque Legibus*, idem obſervatum Romanis, ut Decemvirorum exemplô probat Liv. *l.* 3. *c.* 34. Præſertim verò in *Bellis* decernendis, ſuſcipiendis ac gerendis, eam curam à Veterib. adhibitam, ut Deos in partes vocarent, docent exempla Cyri, apud Xenoph. *de Expedit. Cyri l.* 6. & *Inſtit. Cyri l.* 1. & Romanorum, apud Livium paſſim, inprimis *l.* 31. *c.* 5. 7. 8. *l.* 36. *c.* 1. & *l.* 42. *c.* 28. Apud eundem, Scipionis è Sicilia in Africam trajicientis eximia & lectu digniſſima *Oratio* eſt, *l.* 29. *c.* 27. Porrò cùm magna *Ædificia* molirentur, conderentque, idem ritus ſervatus. Quæ precatio fuerit Romuli, urbem condentis, exponit Ovid. *Faſtor. l.* 4. Nero quoque cùm Iſthmi aggrederetur opus, ut ſibi ac Populo Rom. bene res verteret, precatus eſt, apud Sueton. *Neron. c.* 37. Preces pro *Fructibus* agrorum prolixè exſequitur Ovid. *Faſtor. l.* 1. *ſub fin.* Gentileſque *Meſſes* opimas feraceſque *vindemias* à Diis ſuis petiiſſe, Arnob. *adv. eos l.* 6. teſtis eſt. Maximè verò *orâſſe* Deos, cùm præſentibus malis preſſi, aut futurorum anxii, non aliam, quàm in Numine, reliquam opem advertebant, docet apud Senecam Chorus, *Agamemn. Act.* 3. Dejanira, apud Sophoclem *Trachin.* v. 301. Athenienſium Chorus, apud Eurip. *Supplic. Act.* 3. Romani, cùm Hannibal ad portas eſſet, apud Livium *l.* 26. *c.* 12. cùm Urbs peſte laboraret, apud Eund. *l.* 1. *c.* 31. & *l.* 3. *c.* 7. cùm eadem, bello cum Æquis implicita, variis prodigiis terreretur, *Ibid. l.* 3. *c.* 5. &c. Neque pro ſe modò, ſed & *pro aliis* Deos adiiſſe, oſtendit exemplum Æaci, apud Ovidium *Metam. l. VII. Fab.* 25. Laodamiæ, apud Eund. *Heroid. Ep.* 13. Hypſipyles, *Ep.* 6. ipſius Ovidii *Amor. l.* 2. *Eleg.* 13. Præcipuè verò *Reip. Principique* propitios faventeſque Deos precibus ſuis efficere conati ſunt, ut infrà videbimus. Quô autem affectu animôque inter *orandum* eſſe conveniat, Pythagoras docuit præcipiens: *Cùm veneris in Templum, adora, nec interea aliud facies.* Et *Adoraturus ſede.* Quô, precantes compoſitô & tranquillô animô, atque ab omnibus aliis cogitationibus vacuô eſſe debere, ut is totus in Deum colligi poſſit, ſignificat. De ſitu *orantium* in ordine ad plagas Mundi, infrà; de reliquis, ut ſcil. *Capite apertô, ſtantes, procumbentes, advoluti aris, ſublatis in cœlum manibus*; & mulieres *genibus nixæ, capillis paſſis, in terram proſtratæ, crinibus humum verrentes*, aliiſque humilitatis indiciis, quæ Numinis reverentia, & ſua cuique calamitas ſponte ferè & velut Naturâ monſtrante, ſuggerit, *Oratione* fuerint defuncti, videatur Barn. Briſſonius, materiam hanc diligentiſſimè exſequutus, *de Formul. l.* 1. *p.* 30. *ſeqq.* ut & plura in hanc rem, apud Tob. Pfannerum *Syſtem. Theolog. Gentilis Purior. c.* 16. *totô.* nec non infrà.

ORANDI ad Menſam ritus, apud Chriſtianos uſitatus, Patribus arceſſitur ex CHRISTI facto, *oculis in cœlos ſublatis, benedicentis panibus*, Matth. *c.* 14. *v.* 19. Vide Baſilium Seleuc. *Homil. in illud mirac.* Sed & Judæi, ut eſt in *Juchaſin*, *p.* 9. inter tria præclara Moſis inventa, vel, ut ipſi appellant, [illegible] recenſere ſolent *Benedictionem cibi*, ex Deuteron. *c.* 8. *v.* 10. quo è loco Rabbini multa commenti ſunt, de ritibus in cibo ſumendo adhibendis: inter quos præcipuus hic eſt, de gratiis Deo agendis, unde & variæ in hunc uſum formulæ in eorum Ritualibus occurrunt. Vide Philonem *de Vit. Contempl.* Neque verò Paganis id inſtitutum prorſus fuiſſe ignotum multa declarant. In Platonis *Sympoſio*, ſtatim ut Socrates accubuit, convivæ libationes fecerunt & *hymnum Deo cecinerunt.* Sic Athen. *l.* 4. Naucratitis morem fuiſſe, quoties conveniebant ad feſti alicujus ſolennis epulas, poſtquam in tricliniis diſcubuiſſent, ἐπανίςαϑαι εἰς γόνατα, τῦ Ἱεροκήρυκος τὰς πατρίυς εὐχὰς καταλέγοντος, *ſurgere in genua, dum ſacrorum Miniſter preces patrias recitabat*, refert. Apud Stobæum *c.* 41. Diotogenis Pythagorici extat hoc præceptum, Καλῶς δὲ καὶ τὸ τὸν Θεὸν ἐν ἀρχᾷ τῷ δείπνῳ καὶ τῷ ἀρίςῳ ἐπικαλεῖϑαι· οὐχ ὡς δεόμενός τινος τῶν τοιούτων· ἀλλ' εἰς τὸ μναςϑέντα κατακοσμηϑῆναι τὰς ψυχάς. *Bene fit etiam, ut Deus initio & cœna & prandii invocetur: non quia tale quid Numini ſit opus, ſed ut quiſque Dei recordans animô ſit compoſitô.* Quô & illud Ovidii facit, *Amor. l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 27.

Tange precor menſam, tangunt quô more precantes, &c.

Quod cùm Pagani obſervaverint, monſtro ſimile eſt, reperiri inter Chriſtianos, qui ſecus faciant. Nam de ſua ætate Chryſoſtomus teſtatur, fuiſſe nonnullos, qui neque initiô neque in fine cœnæ Deum laudarent, *Homil. in Matth.* 56. qui utinam nulli eſſent hodie. In eadem *Homil.* preces ἐπιτραπέζιοι, h. e. *quæ in menſa peragebantur*, non communes omnium Orientalium, ſed propriè quorundam Monachorum montes incolentium, fuêre, docente Caſaubonô *Exercit. XVI.* §. 63. Vide quoque Briſſonium *d. l. p.* 40.

ORANDI pro Rep. Principeque ritus, apud Romanos olim, religiosè obſervatus: Unde pro valetudine Auguſtæ, pro incolumitate Principis, vota ſuſcepta eſſe, apud Tacitum reperire eſt, *Annal. l.* 3. *c.* 71. *l.* 4. *c.* 17. *l.* 12. *c.* 68. Qui & *Hiſtor. l.* 1. *c.* 50. memorans, quantus mœror pleroſque ex Populo occupaverit, allatô, de Vitellio contra Ottonem electo, nuntiô, querentes rogitanteſque introducit, *pro Othone, an pro Vitellio in templa ituros? utraſque impias preces* &c. Et Ovid. *Faſtorum l.* 1. *v.* 67. Janum invocans,

Dexter ades Ducibus, quorum ſecura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet.
Dexter ades, Patribus tuis, Populoque Quirini!

Vide Eundem *l.* 1. *in fin.* ubi Sacerdotes hac in re ſui officii admonet; & *Triſt. l.* 2. *Eleg.* 1. ubi ipſum Auguſtum alloquitur. Imò morem invaluiſſe, certô ſtatutôque die ſalutem Principis Diis commendare, Gajus teſtatur *l.* 233. §. 1. *de V. S. Poſt Kalendas Januarias*, inquiens, *die tertiô pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur.* Quod jam Julii Cæſaris tempore cœpiſſe, ex Dione diſcimus *l.* 44. qui conſtitutum eſſe refert, Εὔχεσϑαι ὑπὲρ αὐτῦ δημοσίᾳ καϑ' ἔτος ἕκαςον, *Ut quotannis pro ipſius ſalute publico ſupplicaretur.* Eundem honorem Auguſto, poſt Actiacam victoriam, habitum, idem memorat, *l.* 51. atque id poſtea ſolennem in morem abiiſſe, alibi indicat; ubi Cajum Caligulam vota, quotannis à Magiſtratu & Pontificibus pro ipſius ſalute nuncupata, etiam ad ſorores pertinere voluiſſe ait; alibique, *l.* nempe 59. vota illa, τὰς εὐχὰς τὰς κατ' ἔτος ὑπὸ τῶν Ἀρχόντων, καὶ ὑπὸ τῶν Ἱερέων, ὑπὲρ τῦ Αὐτοκράτορος καὶ ὑπὲρ τῦ Δημοσίυ ποιυμένας, appellat. Neque incommodè huc illud Arcadii atque Honorii Imperator. *l. un. C. de oblat. vot.* dicentium, *Votis communibus felicem annum aperiri*, refertur. Præter cujuſmodi precationes ſolennes, alias quoque pro Principibus ad Deos fundi ſolitas, reperimus, apud Senecam *Conſol. ad Polyb. c.* 31. & 36. Plinium *Panegyr. Trajan.* alios. Unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Unde Aſclepiades Præfectus, Romanum Martyrem, ſacra etiam pro Principe Diis facere recuſantem, increpans, apud Prudentium περὶ ςεφάν. *Hymn.* 14. *v.* 416. inquit,

Hoc ſanctum ab Avo eſt, hoc ab Atavis traditum,
Placanda nobis, pro triumphis Principis
Delubra, fauſtus ut ſecundes gloriam
Precinctus; utque ſubjugatis hoſtibus
Ductor quietem frænet orbem legibus.
Accingere ergo, quiſquis es, nequiſſime,
Pro Principali ritè nobiſcum Deos
Orare vita, vel quod hoſtem publicum
Pati neceſſe eſt, ſolve pœnam ſanguine,
Spreviſſe templa, reſpuiſſe eſt Principem.

Nec omittendum, quod Tacit. habet *Annal. l.* 15. *c.* 23. nempe Senatum uterum Poppææ, Neroni junctæ, commendaſſe Diis, more etiam hodiernis Aulis receptô &c. Idem majori longe pietate Chriſtiani quôvis ævô fecêre. Præivit penè verba Apoſtolus 1. Timoth. *c.* 2. *v.* 1, 2. *Hortor*, dicens, *primùm omnium fieri, obſecrationes*, Orationes, *poſtulationes —— pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro quacunque poteſtate.* Et de more pro Principum ſalute orandi, *Proinde*, ſcribit Juſtinus Martyr. *Apolog.* 2. *nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inſervimus, Imperatores ac Principes hominum eſſe profitemur, & ſimul precantes, ut cum Imperiali poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Athenagoras item, ſuâ ad Marc. Aurelium Antoninum & L. Aur. Commodum Imperatores pro Chriſtianis *Apolog. Qui enim*, inquit, *quod orant, impetrant, quam qui pro Imperio veſtro vota freceſque ad Deum profundunt, ut Filius Patri in eo, ſicut æquiſſimum eſt ſuccedat* &c. Tertullian. quoque *Apologet. c.* 30. & 39. *Oramus etiam pro Imperatoribus* &c. Ut & Arnobius, *contra Gent. l.* 4. *ſub fin. Cur immaniter conventicula dirui* (Chriſtianorum ſcil. meruère) *in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur: Magiſtratibus, Exercitibus, Regibus.* Sic Athanaſius *ad Imper. Conſtantium Apolog.* excuſans, quod in magna Eccleſia Alexandriæ, nondum dedicata, ſynaxin habuerat, *ibi preces pro ejus ſalute factas eſſe*, inter alia, ait. Et aliquanto inferiùs, ſermone ad Chriſtum verſus, *Ecce Domine —— reus agor, quia —— populus per te tuum Patrem —— imploravit, idque pro ſalute famuli tui pientiſſimi Conſtantii* &c. Pari pietate etiam Eccleſiam (ſi eô nomine compellare licet) Judaicam, pro Imperatoribus quotidiana, ſolemniaque ſacrificia peregiſſe, Joſephus auctor eſt *adverſ. Apion. l.* 2. *p.* 1065. Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 16. §. 21. & 22.

ORANGIA Familia, Gall. *Orange*, hodie Naſſovicæ ſtirpis ramus eſt. Henricus enim, primogenitus fil. Johannis Comitis Naſſovii, defuncti A. C. 1516. poſtquam cum fratre Guilielmo paternam hæreditatem ſic partitus eſſet, ut huic Dilleburgum & cœtera in Germania bona cederent; ipſe in Belgicas ditiones & Præfecturas, Engelberto patruo poſſeſſas, ſuccederet, apud Carolum V. magnâ mox gratiâ florere cœpit, ſecundiſque nuptiis Claudiam Auriacam (*d'Orange*) Johannis Cabillonenſis filiam, Philiberti *Orangii* ſororem, in conſpectu Annæ Gall. Reginæ educatam, & ab ipſo Franciſco I. Rege elocatam, ſibi junxit, atque ex ea ſuſcepit Renatum Cabillonenſem, *Principem Orangium, Comit. Naſſoviæ, Baronem Bredæ* &c. *Hollandiæ, Zeelandiæ, Frieſiæ* &c. *Præfectum*, qui avunculi Philiberti teſtamentô Principatus *Orangii* hæreditatem adivit; ſed cum ex Anna Lotharingica, non niſi filiam, nec eam ipſam diu ſuperſtitem, ſuſcepit, mortuus A. C. 1544. ætat. 26. teſtamentô hæredem ex aſſe reliquit Guilielmum patruelem, libertatis Belgicæ Auctorem, & hodiernæ familiæ *Orangiæ* conditorem. Hic maximus natu filiorum Guilielmi Comitis Naſſov. ex Juliana Comite Stolbergenſi, in lucem editus A. C. 1533. *D. G. Princeps Arauſiorum, Comes Naſſoviæ, Cattimeliboci, Viandæ & Deciarum* &c. *Marchio Vliſſingæ & Verarum, Antverpiæ Burggravius, Pro-Comes Veſontionis, Bredæ, Dieſtæ, Grimbergæ, Arlai, Noveroi Baro, Dominus Caſtelbilini, ſupremus Militiæ per omnes Belgicas Legatus, Brabantiæ, Hollandiæ, Trajecti ad Rhenum & Friſiæ Præfectus, Oceani Belgici Thalaſſiarchus* &c. rebus pro libertate Belgii, contra potentiſſimum Hiſpaniæ Monarcham præclariſſimè geſtis ſclopi manuarii diſploſione, à Balthaſaro Gerhardo, notione Sequano, percuſſore ſubornato, occiſus eſt Delphis, A. C. 1584. ætat. 51. Pater ex prima conjuge Annâ (filia Maximiliani Buræ & Leerdami Comitis) Philippi, in Principatu Orangio ſucceſſoris, ſed nullâ, ex Eleonora Borbonia Henrici Condæi Principis fil. ſuſceptâ ſobole extincti: & Mariæ, Philippo Hohenloæ Comiti nuptæ. Ex ſecunda, Annâ, (Mauritii Saxoniæ Elect. filia) Mauritii, rerum geſtarum gloriâ incluti, ſed itidem, ſine legitimo hærede, defuncti, A. C. 1625. Annæ (Guil. Ludovico Comiti Naſſoviæ, Friſiæ Præfecto, nuptæ) ac Æmiliæ (quæ maritum invenit Emanuelem, Antoniô Luſitaniæ Rege genitum) Ex tertia, Carola Borbonia (filia Ludovici Ducis Mompenſerii) Ludovicæ Julianæ, Friderico IV. Electori Palatino junctæ: Eliſabethæ Flandricæ (quæ Henrico Bullionio Torinnæ Vice-Comiti nuptum data eſt) Catharinæ Belgicæ (quam Philippus Ludovicus Hanoviæ Munzenberg. Comes uxorem duxit) Flandrinæ (alicubi in Gallia Abbatiſſæ) Catharinæ Brabantinæ (Claudio Tremollio Duc. elocatæ) & Æmiliæ Secundæ (Friderici Caſimiri Palatini Bipontini Ducis uxoris) Ex ultima tandem Ludovica Colonia (Caſpari Galliæ Admiralii filia) Henrici Friderici, qui opus à Patre inceptum, à fratre continuatum, ad finem feliciſſimè perduxit, defunctus A. C. 1647. relictis ex Amalia Solmenſi rami *Braunfelſii* (filia Johannis Alberti Comitis) Guilielmô, qui Patri ſucceſſit (natâ 1626. denatâ 1650.) Ludovicâ (natâ 1627. uxore Friderici Wilhelmi Electoris Brandeburg. denatâ 1667.) Albertinâ Agnete (Spenerus habet Henrica Æmilia, natâ 1628. uxore Guilielmi Friderici Principis Naſſoviæ, Gubernatoris Groningani) Henricâ Catharinâ (natâ 1637. nuptâ Johanni Georgio Principi Anhaltino) & Mariâ: e quibus primus, ex Maria Britannica (filia Caroli I. M. Britanniæ Regis) filium reliquit poſthumum Guilielmum Henricum, Arauſionis Principem & Mariæ Eboracenſis, (Jacobô Eboraci Duce Caroli II. M. Britanniæ Regis fratre unicô genitæ) maritum, hodiernum M. Britanniæ Regem. Vide Phil. Jac Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 54. Cyr. Lentulum *Genealog. Principum Naſſoviæ* MS, ut & in voce *Arauſio*, ſic enim *Orange* Latinis exprimitur, nec non infrà *Wilhelmus* III.

ORANI, gens in Sarmatia Aſiatica, Plin. *l.* 6. *c.* 7.

ORANTIUM Ritus, corpore Soli Orienti obverſô, antiquus admodùm, à Solis cultoribus originem traxit. Non enim hunc ſolùm adorabant, manum oſculando ſeu dexteram ori admovendo, unde *adorandi* verbum: qui ritus à Diis ad homines, honore potentiâque antecellentes primùm, dein pares, tandem inferiores, gliſcente adulatione tranſiit, *manu venerari* Tacito, *l.* 16. *Annal. c.* 4. *manu ſalutare Martiali* dictus: Sed etiam erectum ori pollicem admovendo, quemadmodem docet nos Appulejus *Metam. l.* 4. ſeque inſuper circumagendo: ac Romani quidem dextorſum, unde Plautus *Curcul. Actu.* 1. *Sc.* 1. *v.* 69.

—— PH. *Quô me vertam, neſcio.*
PA. *Si Deos ſalutas, dextroverſum cenſeo:*

Galli verò ſiniſtrorſum, teſte Pliniô *l.* 28. *c.* 2. qui tamen duo poſteriores ritus, ultimus inprimis, non uſque adeo antiqui fuêre: Inprimis autem Solem Orientem versùs ſe ſiſtendo, quocunque etiam tempore Deum precarentur. Hinc Iſraëlitæ contra Occidentem verſi, ubi Sanctuarium erat, preces Deo fundebant: atque ita ſe oſtendebant *precantes adorare non Solem orientem. ſed Solis Dominum*, ut ait Anaſtaſius Nicænus *Quæſt.* 18. *in Script.* Quod ità ſe habuiſſe, tum porta Orientalis oſtendit, per quam ingreſſi tabernaculum, vel Templum, ad Occidentem *oraturi* pergebant: ut cognoſcimus ex Exod. *c.* 26. *v.* 15. *ſ.* tum etiam verba Ezechielis Prophetæ, *c.* 8. *v.* 16. ubi Iſraëlitæ accuſantur, quòd precaturi ad Orientem ſe converterent: *Dorſa habebant contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant contra Solis Ortum.* Quemadmodum & Magos precatos, refert Herodot. *l.* 1. Vitruvius *l.* 4. *c.* 5. & 8. *Aræ ſpectent Orientem.* Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 172.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem,
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferrô
Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant &c.

Chriſtiani veteres tamen in hoc maluêre Gentilium morem ſequi; πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν τὰς εὐχὰς, *ad ortum matutinum preces*, concipientes, ut ait Clemens *l.* 1. *Strom.* Hinc & viſi Solem adorare; Tertullian. *Apologet. Ad Perſas forte deputabimur, licet Solem in linteo depictum non adoremus, habentes ipſum ubique in ſuo clypeo: denique inde ſuſpicio, quòd innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Vide quoque Clementem Rom. *Conſtitut. l.* 2. *c.* 57. Origenem *in Num. Hom.* 3. Auguſtin. *de Sermone Dom. l.* 2. *c.* 19. Damaſcen. *Orthod. Fidei c.* 13. &c. è quibus Origenes & Damaſcenus, etiam ab Apoſtolis id inſtitutum ajunt. Ac ſimiliter ſenſit Juſtinus ſive alius *Quæſt. & Reſp. ad Orthod. Reſp.* 118. cum aliis nonnullis. Unde Templum Orientem versùs extrui ſolere præter Clementem Rom. *loc. cit.* Paulinus quoque Auctor eſt *Ep.* 12. *ad Severum.* Verùm cùm ritu convenirent, longè tamen aliud Chriſtiani ſpectârunt, quàm Gentiles: non quidem, quòd Paradiſus in Oriente creatus ſit, nec quòd Chriſtus in illa mundi plaga ſit paſſus, aut quòd improbarent Judæos, verſus Occidentem *orantes*: ſed quòd Solem juſtitiæ Jeſum Chriſtum, mentes noſtras ſalutari lumine illuſtrantem, correctâ ſic Gentilium conſuetudine, venerari ſe oſtenderent: Quam ob cauſam & Tertulliano *Oriens Chriſti figura* dicitur, *contra Valentinianum c.* 3. Vide quoque Clem. Alex. *l.* 7. *Strom.* Porrô inter *orandum* & ſacrificandum Romani opertum habebant caput, præterquam quum Saturno, Honori ac Herculi litarent, Plut. *Quæſt. Rom.* 11. & 13. quod capitis operimentum *Tutulus* dicebatur, Fulgent. *de vocibus antiqq.* Apud Plautum *Amphitr. Actu* 2. *Sc.* 1. ab Alcmæna parturiente quoque Dii tectô capite invocantur. Et apud eundem *Curcul. Actu* 3. *Sc.* 1. alius opertô Capite Æſculapium ſalutat: apud Val. Flacc. *l.* 5. Alopſus Vates, Manes venerando, caput obnubit &c. Contrà Græci nudis capitibus *orârunt*: quæ cauſa, quod ritum ſacrificandi Saturno apertô capite, *inſtitutum Græcanicum* vocet Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 10. & *l.* 3. *c.* 6. Hebræi, non minùs ac Romani, *orando* aperire capita, turpe & probroſum judicabant, quod ab illis hauſtum hodieque in uſu apud Turcas eſſe, ſcribit Giergiovitzius *de Cerem. Turc. l.* 1. *c.* 1. Et quidem de Hebræis latè id proſequitur Abulenſis *in c.* 13. *Levit. poſt q.* 10. docetque auctorem ritus Moyſen fuiſſe, qui reverentiæ ac verecundiæ comparendi coram Deo ergò ad rubi conſpectum caput obtexerit: Adde; quod etiam ſubjectionis & timoris index capitis ſit velatio. Quô ritu *orare* Corinthios ſuos juſſerit Apoſtolus 1. *Ep. c.* 11. *v.* 4. & 5. exponit: *Omnis vir orans aut prophetans opertô capite, dedecorat caput ſuum* &c. & *v.* 7. *Vir enim non debet velare caput, quum is imago ſit & gloria Dei: & mulier gloria Viri eſt.* Quam legem politicam eſſe, ac proin non ſine diſtinctione locorum ac temporum accipiendam, ait Beza, docetque vel exinde, quòd hodie, contrariâ prorſus ratione, capite opertô in cœtu loqui, ſignum ſit auctoritatis: apertô verò ſubjectionis teſtimonium, *Annotat. in locum.* At *oramus* nudô capite in ſignum, ut quidam volunt, perfectæ libertatis, à Chriſto nobis partæ, quod etiam totô Oriente obtinere, refert *Simeon Theſſalonicenſis* &c. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo ſect.* 2. Addam, aliò properans, pauca quædam de priſco *orantium* more, aras manibus apprehendendi tenendique, de quo ita Macrob. *Saturn. l.* 3. *c.* 2. *Eſt profundam ſcientiam hujus Poëtæ in uno ſæpe reperire verbo, quod fortuitò dictum vulgus putaret: multifariè enim legimus,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quòd litare ſola non poſſit Oratio; *niſi & is, qui Deos precatur, etiam aram manibus apprehendat. Inde Varro Divinarum l. 5. dicit, Aras primum Anſas dictas, quòd eſſet neceſſarium à ſacrificantibus illas teneri. Anſis autem teneri ſolere vaſa, quis dubitet? Commutatione ergo literarum Aras dici cœptas, ut Valeſios & Fuſios dictos priùs nunc Valerios & Furios dici. Hæc omnino illò verſu Poëta exequutus eſt* (*Æn. l. 4. v. 219.*

Talibus orantem *dictis, Araſque tenentem*
Audiit omnipotens.

Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annular. Schem.* 14. *c.* 74. *& ſeqq. inprimis c.* 75. *ubi de tribus orandi modis antiquis, ſtatario, adgeniculato & ſedentario prolixè diſſerit*: de ſitu verò verſùs Orientem aliaſque Mundi plagas, hic paſſim plura ſuis locis.

ORANUM, vulgò ORANO Hiſpanis, *Oran*, Gallis, urbs parva Barbariæ, cum arce probè munita, in ora maris Mediterranei & in regno Algerii, ſub dominio Hiſpanorum ab A. C. 1509. quò capta fuit à Cardinali Ximenio; eſtque in colle aſpero, portum habens ſatis capacem & tutum. Dicta fuit aliàs Quiſa, & nunc *Guharan* incolis illius tractus; eſtque ſub Diœceſi Toletana, quanquam longè à Toleto diſſita in Meridiem.

ORARIARII, & contractâ voce euphoniæ gratiâ, atque *o* in *au* diphthongam mutatô, *Aurarii*, dicti ſunt olim, qui in theatris Circenſibuſque favebant, ab *orariis*, quæ Aurelianô auctore, locô togæ, jactari cœperant. Vopiſc. in *Vita* ejus, *c.* 48. *Sciendum --- ipſum primum donâſſe* oraria *pop. Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Eſt autem propriè *orarium* linteum ori tergendo paratum, hinc *pignus oris* dictum Prudentio περὶ Στεφάνων *Hymnô* 1. *v.* 86.

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Cujuſmodi *orariorum* meminit *Nonius*, ubi verba *Lucilii*, *Ricini aurati*, exponit *per ricas, oraria aut mitras*, quæ voces ejuſdem notionis, ſaltem non multùm diverſæ ſunt. *Etymologicum* M. Μίτραι, κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠραρίων γινόμενοι ςέφανοι. Quòd enim oraria ad modum faſciarum longiuſcula fuerint, patet ex Auguſtino *de Civit. Dei l.* 22. *c.* 8. ubi de eo loquens, cui oculus in maxillam fuſus erat, *Tunc*, ait, *ſicut potuit, oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, ligavit orario.* Evagrius in ſimili hiſtoria *l.* 4. *c.* 7. τὸ ὀφθαλμὸν τελαμῶσιν ἀναδῆσαι dicit; unde τελαμῶνι fuiſſe orarium ſimile, omnino colligitur, quam vocem Græci interpretantur λῶρον ἢ φασκίαν. Ambroſius *Orat. fun. de obitu Symmachi Fratris, Divinum illud fidelium ſacramentum ligari fecit in orario, &* orarium *involvit collo atque ita ſe dejecit in mare.* Non verò ſolùm longa, ſed & lata fuiſſe, diſcimus ex antiquo Juvenalis *Interprete*, qui flammeum illud, quô nubentes amiciebantur, *Orarium* interpretatur. Optimè autem quid *Orarium* ſit, declarant Eccleſiaſtici Scriptores, qui in habitu Sacerdotali *orarium* appellârunt pannum oblongum brachio Sacerdotis ſolitum imponi: quam manualem laciniam, modò ὠράριον, modò λῶρον Græci vocant, vide *infrà*. Et quidem olim ad uſum tantùm munditiei *Oraria* geſtabantur: Sed Aurelianus, novum eorum uſum inſtituit, ut qui ea populo dedit, quibus ille ad favorem uteretur. *Favere* autem & *favor* verba ſunt Circi ac Theatrorum propria, & non tacitam ſolùm benevolentiam indicant, ſed quæ voce inſuper geſtuque exprimeretur, uti diximus *ſuprà*. Hanc, præter fauſtam acclamationem, ante Aureliani tempora, jactatione togæ ſeu laciniæ veſtis, quam motitabant, ſolebant teſtari, quod Græci dixêre ἀνασείειν τὴν χεῖρα καὶ τὴν ἐσθῆτα, item καταſείειν ταῖς ὀθόναις, uti legitur apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.* 7. de Paulo Samoſateno Hæretic. qui graviter offenſus dicitur, quoties verba publicè faceret, τοῖς μὴ ἐπαινοῦσι, μηδὲ ὡς ἐν τοῖς θεάτροις καταſείουσι ταῖς ὀθόναις μηδ᾽ ἐκβοῶσί τε καὶ ἀναπηδῶσι, *iis qui non laudarent, neque ut in theatris veſtem jactarent, aut exclamarent, exilirentque* &c. Quod cùm non ſine incommodo fieret, ut inter alia liquet ex Ovidio *Amor. l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 75. ubi univerſum hunc favendi morem pulcherrimè expreſſit, additque,

——— *at ne turbet toga mota capillos,*
In noſtros abdas te licèt uſque ſinus:

Aurelianô auctore mutatum eſt, cœperuntque locô togæ *oraria* jactari, unde qui favebant, *Orariarii*, uti quidem diximus ex *Caſaubono*, hincque *Aurarii*. *Salmaſ.* verò non ab *orariis* dictos *Aurarios* contendit, ſed ab *aura* populari, uti videre eſt ſuprà ſuô locô. Idem *Orarii* etymon non tam ab *ore*, quàm ab *ora* veſtis, de qua paulo ſuprà, arceſſit, & hôc nomine *inſtitas* & *faſcias*, quas manu tenerent & ad favorem motitarent, in Ludis, Imperatorem hunc dediſſe, ait. Quemadmodum autem iſti in Ludis favoris ſignum *Orariis* dederunt: ſic alios jactatione ſudarii dare ſignum ſolitos, obſervârunt Eruditi. Nam, ut in Eccleſiis Chriſtianorum Diaconus, qui *orarium* geſtabat, eum, qui in ambone ſacram Scripturam legebat, admonebat, quando vel ad Fideles, vel ad Catechumenos, orationem deberet flectere: Sic in Judæorum Synagogis, Legem è pulpito recitanti aderat aliquis, manu ſudarium tenens, qui populo ſignum daret, ut diceret *Amen*: dabat autem ſignum, מניף בסודרין, ut loquuntur Rabbini, i. e. *motitans ſudarium.* Sic etiam in Judiciis capitis, cùm reus poſt latam ſententiam ducebatur ad locum ſupplicii, conſtituebatur aliquis in Prætorii foribus, qui, ſi de ejus innocentia inter hæc conſtitiſſet, datô ſignô, executionem ſupplicii impediret & condemnatum ad Judices revocaret: Id autem ſignum dabatur ſimiliter jactatô ſudariô, ut diſertè iidem Magiſtri teſtantur &c. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad d. l.* ſuprà *Muccinium*, & hic infrà, in voce *Orarium.*

ORARIUM, vox medii ævi *ab ora*, extremitatem veſtium denotat, ſeu limbum, qui *ora* attexitur: ab *ore*, peplum deſignat, infulamque illam, quæ involvit & aperit ora ſeu vultum, ut habet *Joh. de Janua.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* Propriè verò ſic dicitur ſudarium, quô os abſtergitur, apud Hieronym. Ep. ad Nepotian. *Plenum dedecoris eſt referta marſupiis, quòd ſudarium,* Orariumque *non habeas, gloriari.* Hinc Lazari facies *orario* colligata dicitur, apud Ambroſium *de Reſurr.* & apud Prudentium *d. l.*

Hîc ſui dat pignus oris, ut ferunt, Orarium &c.

Inde *Orarium B. Virginis*, apud Marlotum *Metrop. Remenſi l.* 3. *c.* 15. idem quod ὠμοφόριον τῆς Θεοτόκου, de quo multa dixit Car. du Freſne ad *Alexiadem Annæ Comnenæ.* Caſaubono *ad Vopiſc. in Aurelian. loc. cit.* in habitu Sacerdotali, *Orarium* eſt pannus oblongus, brachio Sacerdotis imponi ſolitus, cujus in Græcis *Liturgiis* frequens mentio, quamque manualem laciniam, modò Ὠράριον, modò Λῶρον Græci vocant. Quanquam alii *Orarium* & Ὠμοφόριον pro eodem accipiunt, quod non Sacerdotum, ſed Diaconorum, geſtamen fuiſſe, reperimus. Matthæus Blaſtares *in Synopſi Conciliorum*: Ὁ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ κβ´ καὶ ὁ κγ´ οὐ δεῖ, φασὶ, τὸν ὑπηρέτην, ἤτοι ὑποδιάκονον ὠράριον περιβεβλῆσθαι, ἀλλὰ τὰς τῆς Ἐκκλησίας θυρῶν ἔχεσθαι. *Laodiceni can.* 22. *&* 23. *non oportet, ajunt Miniſtrum ſeu Hypodiaconum* Orarium *induere, ſed Eccleſiæ fores cuſtodire.* Et paulo pòſt, Τοῖς Διακόνοις δέδοται καὶ μόνοις, τῷ λαιῷ τῶν ὤμων τοῦτο περιθέσθαι. Οἱ γὰρ ἐξαρτῶντες κλῆθη δὲ ὠράριον, ἐκ τοῦ ὠρῶ τοῦ φυλάσσω καὶ ἐπιτηρῶ. Οἱ γὰρ ἐξαρτῶντες τοῦτο διάκονοι, τοῖς ἱερουργοῦσι περιςάμενοι καὶ τὰς τῆς ἱερᾶς τελετῆς ἐπιτηροῦντες εὐχὰς, τῷ ὠραρίῳ τοῖς ἐν ἄμβωνι σημαίνουσι Διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιςῶν, *Diaconis conceſſum & quidem ſolis, ſiniſtro humero illud imponere. Quod dictum eſt autem* Orarium, *ab* ὠρῶ, *i. e. cuſtodio & obſervo. Qui enim id ſuſpendunt Diaconi, ſacra facientibus adſtantes, & obſervantes orationes, orario iis qui in ambone ſunt Diaconis ſignificant, quando oporteat convertere orationem vel ad Catechumenos, vel ad Fideles.* Ubi omnino vult, Diaconorum proprium eſſe *Orarium*: quod illi lævo humero impoſitum geſtent. Notatio autem verbi, quæ ibidem innuitur, inepta planè & falſa; quæ tamen non hujus eſt recentioris Scriptoris, ſed etiam apud erudititiſſimum Balſamonem legitur. Sic accipe apud Codinum Curam palatii, *in l. de Officiis*, Ὁ Ἀρχιδιάκονος φορῶν τὸ σύνηθες αὐτῷ ςιχάριον, φορεῖ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῦ καὶ φελόνην, οὐ μὴν καὶ ἐπιτραχήλιον, ἀλλ᾽ Ὠράριον. Quibus verbis *libro* ſeparat ἐπιτραχήλιον, quod injicitur collo, ab Orario: at in Severi Alexandrini Patriarchæ *de ritibus Syrorum*, amictus pars nominatur אוררא, quod noſtrum eſt ſine dubio orarium; id autem ait imponi collo: Quare idem videtur eſſe cum eo, quod Græci ἐπιτραχήλιον appellant. Habuerunt porrò & Epiſcopi *Orarium* ſuum, velut quoddam ſanctiſſimæ dignitatis inſigne. *Vita* Fulgentii, *Una tantùm viliſſimâ tunica, ſive per æſtatem, ſive per hyemem, patienter indutus: orariô quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nunquam utebatur.* Sed hoc Epiſcoporum *orarium* peculiaris fuit formæ, nec ut cœtera oraria, ſimplex tantùm faſcia, quare etiam *Pallium* eſt vocitatum. Hinc in *Hiſtor.* Synodi Remenſis legitur, *Arnulphus* (is fuerat Durocortori Remorum Epiſcopus) *in ſui promotione annulum & baculum acceperat, quoddamque genus orarii, quod per differentiam pallium dicitur.* Atque hôc *orariô* ſpoliabantur, qui munere ſuô movebantur. Unde Anaſtaſius Biblioth. *in Agathone* ait, quòd, cùm eſſet Patriarcha Antiochenus Macarius in VI. Synodo, tanquam Hæreticus damnatus, ibi Baſilius Cretenſis Epiſcopus illi publicè orarium ademerit, quod degradationis indicium erat. Idem in *Stephano IV. Accedens Mauricius Subdiaconus orarium de ejus collo abſtulit, & projecit ante pedes ejus.* Quod in aliis etiam Ordinibus uſu veniſſe, conjicere licet ex reſtitutione Ordinum, *in can. Epiſcopus* 11 *quæſt.* 2. *Gradus amiſſos recipiat & coram Altari de manibus Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, orarium & baculum & annulum; ſi Presbyter eſt, orarium & planetam; ſi Diaconus, orarium & albam.* Reſtituebatur enim quod antea ablatum erat &c. Plura de vocis ſignificatibus aliis & *orarii* in Romana, Græca ac Maronitarum Eccleſia uſu, vide apud Macros Fratres *in Hierolex.* Addam hoc unum, ſericeam illam inſtitam, quam collo appendunt in Galliis Magiſtratus & alii, qui Doctores fuerunt renuntiati, non ineptè *Orarium* dici poſſe, ex eodem Caſaubono, *ubi ſuprà.* Vide & J. C. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ὠράριον, aliquid etiam infrà, in *Semicinctium*, it. *Stola.*

ORATA, cognomen Sergii cujuſdam, de quo Cicer. *in l.* 1. *de Oratore c.* 39.

ORATA Genutius, Romanus Piſcator, monumentô celebris non ita pridem defoſſô, in agri Ateſtini loco, qui *Ripa Ulmi* dicitur, cujus inſcriptio vetus, *in Chron.* Hieronymi Ateſtini MS. hæc eſt:

GENUTIUS. ORATA.
ROM. PISCATOR.
Maledictus ille piſcis,
Qui ſpinâ me confixit.
Heu mons Lucis & tu Ripa,
Cunctis portum, mortem mihi.

Fortun. Licetus *de Lucernis l.* 6. *c.* 101. *ubi nobilem Piſcatoris lychnum, piſcis imaginem inſculptam habentem, explicat, veroque ſimile judicat, hujuſmodi lucernam olim arſiſſe, in ſepulchro Genutii Rom. aculeata venenataque ſpinâ ab Araneo piſce confecti.* Dictus eſt autem *Orata*, à piſce cognomine, frequenti Romanorum more, ſibi ab hujuſcemodi externis rebus, cognomina vel agnomina vindicantium, vide *infrà*.

ORATA Sergius, Romanus, à piſce cognomine (de quo vide ſuprà in *Aurata*) ſimiliter appellatus; teſte Varrone *de R. R. l.* 3. *c.* 3. *Quis* (Majorum noſtrorum) *habebat piſcinam, niſi dulcem? & in ea duntaxat ſqualos atque mugiles piſces? Quis contrà nunc Rhinton non dicit, ſuâ nihil intereſſe, utrum his piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis? Non Philippus, cùm ad Ummidium hoſpitem Caſini divertiſſet, & ei è vicino flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtâſſet, & expuiſſet, dixit: Peream, ni piſcem putavi eſſe?* Hinc ſubjungit, *Sic noſtra ætas, inquam luxuriâ propagavit leporaria, ac piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ges piſcium revocavit. Non propter hoc appellati Sergius Orata, & L. Muræna? Quis enim propter nobilitatem ignorat piſcinas Philippi, Hortenſii, Lucullorum? Ubi quod ait de cognomentis à piſcibus, etiam Columella habet l. 8. c. 16. Jam enim celebres erant deliciæ popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria, quorum ſtudioſiſſimi, velut antè devictarum Gentium, Numantinus & Iſauricus, ita Sergius Orata & Licinius Muræna, captorum piſcium lætabantur vocabulis. Vide præterea Val. Max. l. 9. c. 1. ex. 1. & Macrob. Saturnal. l. 3. c. 15. Eundem Oratam primum oſtrearum vivaria excogitâſſe, docet Plin. l. 9. c. 54. Oſtrearum vivaria, inquiens, primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi Oratoris, ante Marſicum bellum (circa an. Urb. Cond. 666.) nec gulæ causâ, ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens: ut qui primus penſiles invenit balneas, ita mangonizatas villas ſubinde vendendo. Unde colligimus, eundem thermas penſiles primum inveniſſe; hallucinari proin Senecam, cùm ſuſpenſuras balneorum ſuô ævô inventas tradit Ep. 91. Diu enim ante Senecam ævô Mithridatis Regis & Cn. Pompeji Orata vixit, Thom. Dempſter. Paralipom. in Joh. Roſin. Antiquit. Rom. l. 1. c. 14.

ORATES, fluv. Scythiæ Europææ, in Pontum Euxinum influens.

ORATHA, urbs fuit Meſopotamiæ, teſte Stephanô. Urbs Meſuſſenes, Tigride fluv. incluſa. Idem. Cujus tamen hodie nulla fit in tabulis Geographicis mentio.

ORATIANUS, Conſul cum Gadalaipho, An. Urb. Cond. 1119. Lege Gratianus.

ORATIO Sacerdotis Summi in Vet. Teſt. ad Deum, die Propitiationum, utrâque manu hirco impoſitâ, hæc legitur in Joma c. 6. fol. 66. Rogo te, Domine, peccârunt, iniquè egerunt, prævaricati ſunt coram te populus tuus domus Iſraël. Quæſo, Domine, expia nunc peccata, iniquitates & prævaricationes, quibus peccârunt, iniquè egerunt & prævaricati ſunt in te populus tuus domus Iſraël, prout ſcriptum habetur in lege Moſis ſervi tui (Levit. c. 16. v. 30.) Quia iſtô die vos expiabit ad vos mundandos ab omnibus peccatis veſtris; coram Domino mundabimini. Tum Sacerdotes & Populus, qui ſtabant in Atrio, audientes שם המפורש nomen explicatum i. e. nomen יהוה, prolatum ex ore Summi Sacerdotis, flexis genibus adorantes proni in faciem dicebant, ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד Benedictus ſit Dominus, gloria Regni ejus ſit in æternum. Peractâ poſtmodum oratione, hircus in ſolitudinem deducebatur, uti diximus ſuprà in voce Azazel. Vide etiam ubi de Expiationis ſeu Propitiationis, Feſto, voce Lingua, & plura hanc in rem, apud Bochart. Hieroz. Part. prior. p. 658.

ORATIO, in Communione Romana licentia exeundi eſt, apud Monachos, quæ dari conſuevit oratione ſeu benedictione Prioris. Beda in Vita S. Cuthberti c. 36. Dixerat hæc, & datâ oratione ac benedictione, ſuam manſionem introierunt, Græcis eâdem notione Εὐλογία. Liber Ἐπιτιμίων· Εἴ τις ἐξέλθοι τοῦ Μοναστηρίου μὴ λαβὼν τὴν Εὐλογίαν, ἢ ἀπολυθεὶς ὑπὸ Ἀρχιμανδρίτου μετ᾽ εὐχῆς, ἔσω ἀκοινώνητος, Si quis exierit è Monaſterio, non acceptâ benedictione, neque dimiſſus ab Archimandrita, cum oratione, eſto à communione excluſus. In eadem Oratio Dominica, quam DOMINUS noſter Diſcipulis ſuis præſcripſit, ut in Miſſa poſt Canonem recitaretur, ſtatuit Gregorius Pontif. Roman. teſte Rupertô de Divin. Offic. l. 2. c. 21. Eadem Oratio paterna, in Ord. celebrandi Concilii: & Herilis, in Vita S. Sifredi Epiſcopi Carpentoractenſis, appellatur. Oratio item quotidiana à Patribus, ut habetur in Concilio Toletano IV. c. 10. ex Cypriano, Hilario, Auguſtino, quòd quotidie recitari debeat à Chriſtianis, qui per eam panem quotidianum ſibi dari poſtulant. Similiter in Eccleſia Romana: Oratio ſuper populum, vocatur ultima benedictio, quæ fit in officio Miſſæ, uti docet Hugo à S. Victore Speculi Eccleſ. l. 3. c. 3. At Oratio plebis, quæ poſt Euangelia legitur, in Concil. Lugdunenſi I. c. 6. Hinc Orationale, liber in quo continentur Orationes, in Eccleſia recitari ſolitæ, quæ à voce Oremus habent initium, vide infrà in voce Orationes & plura hanc in rem apud Car. du Freſne loc. cit.

ORATIO Soluta, metricâ poſterior eſt. Et quidem Pherecydem Athenienſem proſas Orationes condere primùm inſtituiſſe, Plin. l. 7. c. 56. ſcribit, quem primum Hiſtoriæ auctorem alii faciunt: De eodem Strabo, ubi diſputat, Poëticam compoſitionem proſâ oratione antiquiorem fuiſſe, ac priùs viguiſſe, Πρώτιστα, inquit, ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμησεν, εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον. Τἆλλα δὲ φυλάξαντες, τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον, καὶ Φερεκύδη καὶ Ἑκαταῖον εἶτα οἱ ὕστερον ἀφαιροῦντες ἀεί τι τῶν τοιούτων τὸ νῦν εἶδος κατήγαγον ὡς ἂν ἀπὸ ὕψους τινός. Qui locus ſic accipiendus eſt, non ut dicat omnem Orationem ſolutam Poëticâ poſteriorem eſſe; quod omnino falſum eſt; Etenim pedeſtri ſermone ſemper loquuti ſunt homines, non poëticô, nec metricô: Sed eam proſam Orationem, quæ arte conſtat, & quâ aliquid primò conſcriptum eſt, è poëtica docet manâſſe, veluti ex fonte. Ὡς δ᾽ εἰπεῖν, inquit, ὁ πεζὸς λόγος, ὅ γε κατεσκευασμένος, μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστι: Non dicit omnem Pedeſtrem Orationem pedeſtrem, ſed τὸν κατεσκευασμένον, arte elaboratam. Quod poſtea explicans, Καὶ τὸ ἀείδειν δὲ, pergit, ἀντὶ τοῦ φράζειν τιθέμενον παρὰ τοῖς πάλαι, ταυτὸ τοῦτο ἐκμαρτυρεῖ διότι πηγὴ καὶ ἀρχὴ φράσεως κατεσκευασμένης, καὶ ῥητορικῆς ὑπῆρξεν ἡ ποιητική, Et quòd canere veteribus dictum eſt pro dicere, hoc ipſum indicio eſt, fontem & originem dictionis elaboratæ & oratoriæ fuiſſe poëticam orationem. Atque inde πεζὸς λόγος & pedeſtris ſermo, de ſoluta oratione, quòd veluti ex faſtigio quodam & ſuggeſtu, veluti curru, ad humum ſit deductus. Inter primos autem, qui Oratione ſolutâ ſcripſerunt, recenſet Cadmum, Pherecydem & Hecatæum: è quibus Cadmus is eſt Mileſius, quem proſæ orationis primum conditorem aſſerit Plin. l. 5. c. 29. quod tamen Pherecydi, ut dictum, poſtea tribuit l. 7. c. 56. ubi de rerum inventoribus agit. Cadmo verò ibi dat, ut primus Hiſtoriæ conditor fuerit. Sed & Porphyrius, apud Suidam, Pherecydem primum omnium συγγραφὴν edidiſſe proſâ oratione tradit. Ut ut ſit, tres illi vetuſtiſſimi Straboni nominantur, qui proſâ oratione aliquid tradiderunt, inter quos primus, ut apparet, Cadmus Mileſius fuit. Tractavêre autem hi poëtica argumenta & fabulas pedeſtri oratione, ſolutis tantùm metris: & quidem Pherecydes, qui non Syrus ille, ſed Athenienſis Straboni memoratus, θεογονίαν, neque ſolùm hominum & Heroum aliquorum, ſed etiam Deorum, Genealogias, imò univerſam Mythiſtoriam hôc modô conſcripſit. Meliùs tamen alii, Salmaſiô Judice, tres hos inter antiquiſſimos & primos Hiſtoricos recenſeri aſſerentes, Pherecydem Syrum orationem ſolutam condere primùm inſtituiſſe, contendunt. Philoſophatus autem is eſt, de Natura ac Diis, ænigmaticè & involutè, eamque Theologiam in literas retulit, propter quod primus proſæ orationis auctor eſt exiſtimatus. Sane, qui ante illum Sophi dicti ſunt, nihil hâc oratione ſcriptum reliquerunt, ſi Thaletem excipias, quem opus de Nautica Aſtrologia compoſuiſſe quidam dixêre; alii nihil prorſus edidiſſe volunt: nonnulli tamen de Æquinoctio & Solſtitio ſcripſiſſe eum affirmant &c. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 841. & ſeqq.

ORATIONES Principum, dicuntur in Jure, quæ ab ipſis Principibus in Senatu habentur; Cùm ipſi ſcilicet explicatis rei totius circumſtantiis, quod juſtum, utile ac honeſtum Reip. ſit, oſtendunt, Senatumque rogant, an ſic conſtituere placeat. Talis extat Oratio vel pars potiùs Orationis Imper. Severi l. 1. ff. de rebus eorum, qui ſub tut. ſunt, non alien. Citantur item D. Marci Orationes, de alimentis, l. cùm hi, ff. de tranſact. de fugitiv. requiſit. l. divus. ff. de ſerv. fugit. de bonis mat. l. penult. ff. ad Tertull. Ejuſmodi quoque eſt Oratio D. Marci de confeſſis, cujus fit mentio l. 6. §. 1. ff. de confeſſ. & l. 59. ff. de re Jud. Oratio porrò Marci & Commodi, quâ prohibentur Tutores & filii eorum pupillas ſuas ducere: ad quam Paulus librum ſingularem ſcripſit; leg. 60. & l. 67. §. ſed & filius fam. ff. de ritu Nupt. Eorundem Imperatorum Oratio, de rebus eorum, qui ſub tutela vel curâ ſunt ſine decreto non alienandis, l. 1. ff. de rebus eorum, l. 9. Cod. de præd. minor. quam ſingulari librô idem Paulus expoſuit, ut ex Indice Florentino ac Inſcriptionibus aliquot conſtat: Oratio Hadriani in leg. ſi & rem, §. & illud ff. de pet. hæredit. Oratio Antonini, de confirmandis inter virum & uxorem donationibus, l. 32. ff. de donat. inter viros. Similia alia exempla ſunt in l. ult. Cod. de Teſtam. man. leg. 17. Cod. de excuſat. tut. leg. 2. Cod. de Cur. de cur. fur. l. penult. Cod. de his quæ, ut indigitat Barn. Briſſonius in Lexic. & l. 1. Antiqq. c. 16. Et quia Senatus aliquando à Principe conſulitur, ipſæ Orationes Senatuſconſulta interdum vocantur: Exemplum eſt in l. item veniunt, §. pridie. ff. de pet. hæred. Vultejus in Comment. Inſtitut. quibus modis Teſtam. infirm. §. fin. num. 1. apud Joh. Calvin. Lexic. Jurid. Vide quoque infrà, ubi de SConſulto Orphitiano, voce Orphitus. In Communione Romana, Orationes vocantur, in Ritualibus libris, eæ preces, quas in ſacris liturgiis peragunt, quæque à verbo Oremus initium habent ac ſemper ad Deum Patrem diriguntur. Eaſdem quoque Collectas appellant. Vide Durandum l. 4. c. 15. qui num. 17. obſervat, in Eccleſia Lateranenſi nunquam dici Orationem, ſed in Miſſa & in omnibus Horis altâ voce pronuntiari Orationem Dominicam, quæ in Novo Teſtam. prima fuit Oratio, &c. Vide ſuprà.

ORATIS, fluv. Perſidis ultimus, quô ab Elymaide dividitur, Plin. l. 6. c. 23. Straboni & Ptolemæo Ὀρόατις, de quo vide Salmaſ. ad Solin. p. 1181. ut &, in voce Oroates.

ORATOR, pro Legato, apud Juriſconſultos in l. Jul. ff. de vi publ. Accurſius Doctores Artium intelligit, qui à Græcis Rhetores vocantur, Joh. Calvin. Lexic. Jurid. Apud Salvian. Ep. 8. Orator eſt, qui Deum orat ſeu precatur. Sic Joh. de Garlandia in Æquivocis.

Orator Chriſtum rogat & verbum bene profert.

In plurali Oratores dicuntur, in Concilio Narbonenſi A. C. 1054. c. 24. peregrini qui ad Sanctorum limina Orationis & devotionis ergò veniunt &c. Car. du Freſne Gloſſar. In Rep. Athenienſium Oratores olim inter Magiſtratus quidem non cenſebantur, interim à civibus privatis diſtincti erant, ut patet ex Æſchinis Orat. contra Timarch. & maximo in pretio habebantur. Nemo autem in eum ordinem, qui eſſet minor annis 30. cooptabatur, ex Lege: Μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τριάκοντα ἔτη γεγονότα: cujus mentio apud Interpretem Ariſtophanis ad Nubes. Et erat hæc ætas Senatoria, nec minore debuit eſſe is, qui re verâ erat Auctor publici conſilii, regendæ civitatis Dux, Princeps ſententiæ in Senatu, in Populo, in cauſis publicis. Nec temerè quiſquam Oratorum albo adſcribebatur, ſed quotannis decem ſorte legebantur, qui drachmam accipiebant de publico, eô quô orabant dies ut docet Ariſtoteles apud Scholiaſtem præfatum in Veſpas, ubi illos Συνηγόρους vocat, qui aliàs Ῥήτορες dicebantur. Hi itaque ſorte capti ἐδοκιμάζοντο apud Judices, atque in vitam eorum inquirebatur, cùm è re publica non eſſet, τὸν Ῥήτορα ἥκειν ἐπὶ τὸ βῆμα τῶν λόγων ἐπιμεληθέντα πρότερον ἀλλ᾽ οὐ τοῦ βίου, Oratorem Tribunal conſcendere, facundiæ; non vitæ, probatæ: Atque hanc ob cauſam dicebantur à Judicibus χειροτονεῖσθαι, ut teſtis eſt Demoſthenes in Timocratea. Continebatur examen hiſce capitibus, à Legiſlatore præſcriptis, quorum Æſchines loc. cit. meminit: Ἄν τις λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ, τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, Si quis in populo oret, qui alterum Parentum pulſârit aut non aluerit, aut tectum ad habitandum non præbuerit: Εἰ τὰς στρατείας μὴ ἐστρατευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσαχθῶσιν ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκώς, Si ad militiam vocatus non reſponderit, aut clypeum abjecerit: Τὸ πεπορνευμένος ἢ ἡταιρηκώς. Si ſcortetur aut muliebria patiatur: Εἰ ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται, Si paternam, aut aliam quamvis ad ſe delatam hæreditatem decoxerit: Ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα λέγῃ, δοκιμασίαν μὲν ἐπαγγειλάτω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστι.

Τοὺς δὲ δικαστὰς περὶ τούτων ἐν τῷ Δικαστηρίῳ διαγινώσκειν, *Si, inquam, in populo oret nihilò minus, illius nomen Athenienſium quivis, cui libuerit & licuerit, deferto; Judiceſque ea de re judicium redaunto.* Et habebatur hæc quæſtio a Judicibus, quando ſorte capti *Oratores* ab illis, an ad *orandum* apti eſſent, examinabantur. Sed & lege cautum erat, ut agros intra fines Atticæ poſſiderent, & liberos legitimos, ex cive nempe, aut jam haberent, aut ſuſcepturi eſſent, velut Reipublicæ oppigneratos & paternæ fidei obſides; ſic autem illa ſonuit: Τὸν Ῥήτορα παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι. Vide Dinarchum *contra Demoſthenem.* Quò verò decenter, ſive in Senatu, ſive in Populo orarent, alia Lex proſpexit, quæ ſic habet Latinè: *Si quis Oratorum in Senatu aut in Populo vel non ſeorſim de re propoſita, vel bis de eadem re apud eoſdem dixerit, ſive conviciatus dixerit ſive maledixerit, ſive pede ſupploſerit, vel inter decernendum importunè loquutus fuerit de rebus alienis ab his, de quibus referebant Proëdri, vel aliquem concitârit, vel Epiſtatam traxerit, dimiſsâ concione, aut Senatu, ejus multandi poteſtas eſto penès Proëdros, ad quinquaginta drachmas uſque: Quinquaginta hæ drachmæ exigendæ inſcribuntor exactoribus hôc nomine: quòd ſi graviorem meruiſſe pœnam videbitur, irrogatâ multâ ad quinquaginta drachmas uſque, deferunto ad Senatum, aut concionem, quæ prima habebitur. Ubi in jus vocatus fuerit, in Senatu judicanto. Quòd ſi damnatus fuerit, clam ſuffragia ferentibus Senatoribus, Proëdri multam exactoribus exigendam Legum violatarum nomine inſcribunto.* Quam Legem deſcripſit Æſchines contra *Timarchum*: ubi locô κρύβδην ψηφιζόντων τῶν βουλευτῶν, Petitus reponit, κρύβδην ψηφιζόντων Ε. Ν. (i. e. πέντε καὶ πεντήκοντα) τῶν βουλευτῶν, h. e. *Clam ſuffragia ferentibus quinquaginta quinque Senatoribus*, ut oſtendatur numerum definitum fuiſſe, quot minimum clam ſuffragia ferre deberent hac in cauſa Senatores: Cùm in concionibus eorum numerus, qui ſuffragia clam ferre deberent, indefinitus, & unicuique id permiſſum eſſet; Unde paſſim legitur, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ, κρύβδην ψηφιζομένοις, *Suffragia ferentibus non minùs ſex millibus, & quibus libuerit clam ſuffragantibus*, Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 3. Coronabantur autem *Oratores*, quoties ad *orandum* ſurgebant, vel in concionem *oraturi* prodibant: uti patet exemplo Cippi, apud Ovid. *Met. l.* 15. Demonactis, apud Lucianum *in eo*, Periclis, apud Hieronym. *l.* 2. *Epiſt.* 22. Praxagoræ mulieris, apud Ariſtophanem Ἐκκλησιάζ. Aliorum. Hinc qui ſæpiùs apud Populum dicerent, adeoque ſæpius coronati aſpicerentur, jus accepêre coronam geſtandi, uti de Demoſthene habes, apud *Plut.* Porrò illi, quidicturus ſurgeret, ab illo qui proximè dixiſſet, corona tradebatur. Unde apud Ariſtophanem *d. l.*

Γυ. φέρε τὸν ϛέφανον· ἐγὼ γὰρ λέξω πάλιν.
Affer coronam, ego enim rurſus dicturus ſum &c.

Vide ſuprà in voce, *Caput Coronatum* & plura hanc in rem apud C. Paſchalium *Coronar. l.* 5. *c.* 5. nec non *l.* 6. *c.* 5. ubi quædam de *Oratorum Certaminibus publicis.* Victoriam iidem partam pro foribus apud Romanos appenſâ palmâ teſtabantur, uti docet Lucianus Ῥητόρων διδασκ. ubi id eò factum, ut clientes hôc pactô ſibi plures conciliarent, addit. Quò reſpiciens Juvenal. ait *Sat.* 7. *v.* 117.

——— *Rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo*
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.

Et Tertullian. *De anima, Nihil mirandum, ſi & in carcere lemniſcatas Anyti & Meliti palmas geſtiens infringere, ipsâ morte coràm immortalitatem vindicat anima.* Ubi de Socrate loquens, ad morem ſui ævi alludere voluit Scriptor doctiſſimus. Vide quoque infrà, ubi de *Rhetoribus.*

ORATORIUM, urbs Galliæ; in Marchia, ad Sevam amnem, 9. leuc. à Lemovico in Boream, Pictavium versùs, à quo 13. leuc. diſtat, 2. à Belaco; *Dorat.*

ORATORIUM, Græcè Εὐκτήριον ſeu Εὐκτήριος οἶκος, propriè *locus, ubi oratur*: ſed nomen in Chriſtianiſmo veteri pro templis invaluit, ex eo quòd Dominus ipſe Templum Hieroſol. בֵּית תְּפִלָּתִי, *Domum Orationis meam*, nec non בֵּית תְּפִלָּה *Domum Orationis*, οἶκον προσευχῆς, vocandum eſſe pronuntiavit, Eſaj. *c.* 56. *v.* 7. Hinc plerunque ædes ſacræ Euſebio οἶκοι εὐκτήριοι, *Ædes Oratoriæ*, dicuntur. Nominis ratio ab *orando* ſeu invocando divino Numine, quæ præcipua divini cultus pars eſt, adeoque per Synecdochen pro illo toto uſurpatur, Johannis *c.* 4. *v.* 24. Et quidem jam tempore Apoſtolorum & deinceps, per ſecula primitiva Imperii ſummi & Chriſtianiſmi in Conſtantino M. conjunctionem antevertentia, conveniendi, ad Sacra exercenda, Locos, Cœnacula, Cryptas, Eremos, Domus, *Oratoria* habuiſſe Chriſtianorum cœtus, certum eſt; ex diſciplina ſcil. tantùm inter ſe confœderata, quâ tunc, prout quivêre, nitebantur, uti & Philoſophorum ſodalitia imperiô penitùs carentia (Pythagorica, Platonica, alia, etiam Eſſenica) conveniendi id genus modum inter ſe ſibi præſtitutum itidem habuêre. Namque Apoſtoli & Diſcipuli in τὸ ὑπερῷον, *Cœnaculum*, velut in locum Conventûs ſacri ſatis notum, Sacrorum ſuorum gratiâ, aſcendiſſe leguntur, Actor. *c.* 1. *v.* 13. & Paulus 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 2. ſingulorum domos, ut habitationis loca, expreſsè diſtinguit ab Eccleſia, quô nomine illic Conventûs locus, ad ſacra celebranda deſtinatus, ut aliàs itidem qui convenirent, pro ſubjecti diſcrimine, non paucis innui videtur. Atque huc ſpectat illud ſive Luciani in *Philopatr.* ſive alius ejuſdem ſeculi, ubi Critias acceſſum ſuum ad Chriſtianorum (ſub Trajano Auguſto) cœtum quendam enarrans, *multis*, inquit, *ſuperatis ſcalis* ἐς χρυσόφορον οἶκον, *in domum auratam aſcendimus, qualem Homerus Menelai fingit eſſe.* Unde colligitur, etiam ſplendidiora jam tunc habuiſſe Chriſtianos Cœnacula, quæ Sacris eorum fuêre commodiora. Tantundem pariter, in illo Lampridii de Severo: *c.* 49. *Quum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contrà Popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocunque iſtic Deus colatur, quàm Popinariis dedatur.* Etiam de Προσευκτηρίοις *Oratoriis* & Προσευκτηρίων οἴκοις in Eccleſiis, eiſque diverſi generis & numeroſiſſimis à Chriſtianis extructis, ante Diocletiani tempora, diſertè apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l.* 8. *c.* 1. & 2. alibique. Ruffinus, inter alia, *Cùm ne ipſa quidem*, inquit, *antiqua Receptacula ſufficerent. ſed quotidie Orationum domus dilatarentur, ita ut amplitudo earum concludere inſtar Urbium videretur*, &c. An verò *Oratoria* hæc ante Conſtantini M. tempora ſolenni ritu dedicata, & uſibus communibus per Dedicationis vim aliquam ſic exempta habuerint Chriſtiani, multis diſputat *Seldenus*: concluditque primis illis ſeculis illos Dedicationibus abſtinuiſſe, non quòd eas penitùs improbarent, ſed quia ſummarum obſervantiſſimi eſſent poteſtatum, Cæſarum nempe, ut Pontificatu Max. gaudentium & Senatus PQ. quorum nullus, ante Conſtantinum, Chriſtianiſmum ita in ſe receperat, ut ædes Chriſto dedicari permitteret. Et certè; ſine ejuſmodi indultu, ſcimus nefas planè ex jure Romano & Cæſareo habitum fuiſſe, novum aliquem Deum ſive majorum, ſive minorum Gentium, conſecrando in Orbem Romanum introduxiſſe. At cùm Conſtantinus rerum potitus eſt, Chriſtianis ſuis indulgentiſſimus, mox inhibitis, quà potuit Gentiliſmi tum delubrorum extructionibus, legem tulit, quâ juſſum eſt, τῶν Εὐκτηρίων οἴκων τὰς οἰκοδομὰς ὑψοῦν αὔξειν τε καὶ εἰς πλάτος καὶ μῆκος τὰς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, *Oratoriarum domuum ſtructuras* (Magiſtratuum paſſim procuratione) *fieri ſublimiores & Eccleſias Dei tum latitudine, tum longitudine, ampliores*, apud Euſebium de *Vitâ Conſtantini l.* 2. *c.* 44. Ipſe etiam mandavit in ſacro reſurrectionis Servatoris noſtri loco Ναὸν προσευκτήριον, *Templum in Orationem*, Hieroſolymis extrui ſplendidiſſimum ditiſſimumque & quod cœtera per urbes alias univerſa ſuperaret, *Ibid. l.* 3. *c.* 24. 29. 30. &c. Alia, in Terra Sancta alibique non pauca conſtrui juſſit, *Ibid. c.* 40. & 41. quorum nonnulla τῷ προσκυνηθέντι Θεῷ, *Deo qui adoratur*, conſecravit, *Ibid. c.* 42. alia Angelis, Apoſtolis, Martyribus, Sanctis. Vide Sozom. *l.* 2. *c.* 2. & Baronium ad *Martyrol. Rom. Maji* 8. &c. Unde Encæniorum annuæ celebrationis uſus jam vigere per Orbem Chriſtianum cœpit, nefaſque, ſaltem poſt Conſtantinum ſtatim, regulariter habebatur, tum in Ædibus, utcunque in ſacros uſus conſtructis, ſed nondum ſic dedicatis, Synaxes facere eiſque illic intereſſe (niſi urgentibus aliarum ædium anguſtiis, ob illarum defectum, cauſamque aliquam ejuſmodi inevitabilem) tum Templum aliquod ſeu *Oratorium* dedicare, citra mandatum, auctoritatem permiſſumque Cæſareum. Nota lis ab Arianis Athanaſio mota, quòd intra pauculos à Conſtantino annos, ſub Conſtantio, in Eccleſia Alexandriæ Magna nondum dedicatâ, tempore Paſchali, ſynaxin celebrâſſet, de qua ipſe *Apolog. ad Conſtantium, Tom. I. p.* 682. &c. Vide omnino I. Seldenum *de Synedriis veter. Hebr. Part.* 3. *c.* 15. §. 2. & *ſeqq.* Deinde verò *Oratoria* dici cœperunt, ſequentibus temporibus, Sacella, Monaſteriis adjuncta, quæ omnibus pervia non erant, uti Eccleſiæ, quas ideo Καθολικὰ vocârunt, quòd utriuſque ſexûs populo paterent, & in quibus Collectas celebrare non licebat, ſed erant tantùm ad Monachorum preces & aſſiduos cantus accommodata. Sic Euagrius in *Vitis SS. Patr. c.* 5. Eccleſias & *Oratoria* diſtinguit, & Beletus *de Officiis divin. c.* 2. *Ignorandum non eſt*, inquit, *quin* Oratorium *pro ipſa Eccleſia interdum accipiatur atque etiam quivis locus alius ad orandum conſtitutus, vocetur Oratorium: cujuſmodi in ſuis Cœnobiis ſtatuerunt Monachi.* Atque *Oratoria* ejuſmodi ædes ſacras Monaſteriis adjunctas, vocant, Benedictus *Regul. c.* 38. 52. 58. Gregorius M. *l.* 1. *Ep.* 54. Alii. Olim verò Monachi ad Eccleſias Sabbathô tantùm & die Dominicô confluebant, ut eſt apud Palladium *Hiſtor. Lauſiac. c.* 17. Tandem *Oratoria* dicta ſunt Sacella quædam domeſtica, aut privatæ ædes ſacræ in agris & villis extructæ; quæ Parochiarum jus non habebant & à Magnatibus ex fundis ſuis dotabantur ac ab Epiſcopis conſecrabantur: de cujuſmodi *Oratoriis* agit Gregorius M. *l.* 2. *Ep.* 9. in quibus Baptiſmum peragi vetat Synodus Trullana *can.* 58. Sic Romanos olim ſua habuiſſe Sacella privata, quæ *Lararia* vocabant & Perſas ſua Πυρεῖα, legimus. Atque ad Sacella iſta domeſtica fortè ſpectant, quæ habet Odo Cluniac. de *Tranſlat. S. Mauric. Ubi dum quâdam die iſdem venerabilis Comes in Oratoriolo compendioſè ibidem extructo, ut nobilioribus mos eſt, ſuper matutinos reſidens hymnos, divinis intenderet theoriis* &c. Vide Juſtinianum *Nov.* 131. Aliud quid eſt *Oratorium*, quod vulgò Gallis, *un Prié Dieu*, & cujus mentio in *Ord. Rom. quartus verò Subdiaconus, ſi tempus fuerit, præcedit ad Pontificem, ut ponat* Oratorium *ante altare*, *& accedens Pontifex orat ſuper ipſum.* Nec omittendum Εὐκτήριον τοῦ ἁγιωτάτου Μαρτυρίου, *Oratorium Sanctiſſ. Martyrii S. Euphemiæ* Chalcedonenſis (in quod ſeceſſiſſe Epiſcopos, tractatum de Fide habituros, dum ageretur Concilium Chalcedonenſe, tradunt *Acta* ejuſdem *Concilii*, ἐν τῷ Μαρτυρίῳ præfatæ Sanctæ hibiti) non fuiſſe βῆμα ſeu *Altare*, ut quidam; neque Ναὸν ſeu Chorum, ut alii volunt: ſed eam Martyrii partem, à Bemate & Altari ſecluſam, in quam Populus *orationis* cauſâ ſecedere erat ſolitus, ut Jac. Gotofredus ſtatuit. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & plura de *Oratoriis* veter. Chriſtianorum apud J. C. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Εὐκτήριον, ubi præ foribus eorum pauperes collocatos, in atriis fontem fuiſſe, in iis tamen Baptiſmum adminiſtrare non licuiſſe, inter alia docet. De *Oratoriis* Judæorum infrà, in voce *Proſeucha.*

ORATORIUM, Congregatio ſacra, in Communione Romana à Philippo Nerio Florentino, Romæ inſtituta, & approbata à Gregorio XIII. A.C. 1575. à Paulo V. confirmata, A.C. 1612. Hinc Cardin. Baronius, inter alios prodiit. Item alia Congregatio, quæ Jeſu nomen gerit, in Gallia, à Cardinali Berullo fundata, A. C. 1611. confirmata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

firmata à Paulo V. A. C. 1613. in Gallia & Belgio crevit. Inter alia, vacant erudiendæ Juventuti, in Collegiis: Clericis inſtruendis, in Seminariis, & populo docendo in templis. Vide Morerium, *in Lexicon. Hiſtor.*

ORATORIUS, Alemannorum Rex, An. Urb. Cond. 1109.

ORATRIX, in *Gloſſar. Græco-Latino* Βρεβίον, *Meurſio* in *Gloſſar.* eſt Enchiridion precum, quod in Orientali Eccleſia habebant pariter, ut in Occidentali, & *Breviarium* vulgò indigitatur.

ORAXUS, *Ortel. Aſtruno*, fons Campaniæ ad Leucogæum collem, inter Neapolim & Puteolos oculis, dentibus & ulceribus ſalutaris, Plin. *l.* 18. *c.* 11.

ORBA, fluv. Helvetiæ, cujus mirabilis admodum eſt ex lacu Jurienſi exitus. Cùm enim ex illo lacu, per ſubterraneos meatus & cavernas nemini viſus effluat, tandem, poſt longum ſatis intervallum, ex rupe erumpit, non procul à pago *Vallorbe*, Joh. Baptiſta Plantinus *in Helvetia nov. antiq.*

ORBA, vide *Verbigenus.*

ORBACUM, locus Galliæ in Sueſſionibus, ad rivum vel amniculum, in Matronam paulo ſupra Caſtellum Theodorici effluentem, à quo rivo & nomen accepit, nuncupaturque *Orbay*. Hîc Regulus, Frodoardo aliiſque B. *Reolus* dictus, Remorum primò Comes, deinde & Epiſcopus, permiſſu Theodorici Francorum Regis Ebroinô Majore domûs Regiæ ſuffragante, Monaſterium extruxit, Leudericô Resbacenſi Monachô ei Abbate præfectô, quem ab Odone quodam expulſum Childebertus Rex poſtea reſtituit. Loca inter quæ ſitum eſt, Villaris aut Villare & Capella, ab ipſo cognomen accepêre: Nam Villaris ſub *Orbaco* à ſitu cognominatur, *Villiers ſous Orbay*, i. e. Capella ſuper *Orbacum*, vulgò *la Chapelle ſur Orbay*. Cœterùm præfatus Regulus is fuit, quô miniſtrô in decipiendo Martino, Præfecto Palatii per Auſtriam, unà cum Ægilberto, Pariſiorum Epiſcopo, Ebroinus uſus eſt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ORBANA, Dea quæ Romæ ad ædem Larium Aram habuit, Plin. *l.* 2. *c.* 7. Lege *Orbona*. Arnobius, *l.* 4. *In tutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes. Nic. Lloydius.*

ORBANASSA, Pamphyliæ urbs, *Ptolemæo.*

ORBAS, fluv. Phrygiæ, circa Celænas.

ORBECCUM, vulgò ORBEC, memoratum Orderico *Hiſtor. l.* 8. locus eſt Galliæ, ſitus in finibus Lexoviorum, ad rivum *Orbeccum*, vulgò ſimiliter *Orbec* aut *la Riviere d'Orbec* appellatum, qui ſupra Noviomagum Lexoviorum caput in Tolcam effluit. Nomen autem à re invenit: Scribit enim Bebelius, apud Freherum, *Originum Palat. parte* 1. *Pagum* deducendum videri à *pach*, vel *bach*, quod rivum Germanis notet, eſſeque proin plures villas juxta rivum poſitas. Quod verò Germanis *pach* aut *bach*, idem Flandrenſibus *Beke*, & Gallis *Bec* eſt. Quam ob cauſam Divæus *rerum Brabant. l.* 1. *c.* 5. ſcribit, familiam nobilem apud Bruxellenſes *van Rottenbeke*, à rivo rubro nomen inveniſſe, &c. *Orbeccus* igitur amnis dictus eſt, quòd revera rivus veriùs quàm amniculus ſit, & *Orbecco* loco, quem alluit, nomen ſuum dedit. Sic Calidum Beccum *Caudebec*, i. e. *Calidum rivum*, dixêre, à rivulo ibi in Sequanam defluente: & Monaſterium Beccenſe *Bec*, atque alia complura, in Normannia aliiſque Galliæ provinciis loca, quorum nomina in *Bec* deſinunt, ſingula à rivo, cui appoſita ſunt, nomen accepêre. Omitto *Orbacum* ſuprà dictum, & Resbacem in Meldis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ORBELÆ, Gladiatorum genus, qui aliàs *Dimacharii*, gemino enſe ſecum invicem pugnabant, vide Lipſium *Saturnal. l.* 2.

ORBELIA, regio Macedoniæ, ab *Orbelo* monte, qui eam à Moeſia dirimit, & cum Hæmo connectitur, in limite Thraciæ, cujus meminit Plin. *l.* 4. *c.* 10. *M. Caropnitze*, teſte *Laziô.*

de ORBELLIS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

in ORBEM tonderi, quorum olim, vide hîc paſſim vocibus *Circumtonſi*, *Palæſtrici juvenes*; ubi de *Tondendi ritu.*

ORBES, apud Senec. *Ep.* 86. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis* orbibus *refulſerunt, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt*: Formæ ſunt ſpeculorum rotundæ, quibus, ut & abacorum, ex vitro aut alio pellucido lapide, parietes olim diſtingui ſolebant. Et quidem abacos quadratos fuiſſe, ut ſic alternatim diſtinguerentur parietes abacorum ſpeculorumque diviſionibus, h. e. figuris quadratis & orbiculatis prominentibus, veroſimile eſt. Ii verò, qui miniſterium ſuſtinebant, quæque *Delphica* dicebantur, ſimiliter erant orbiculares. Unde *Orbis Lacedæmonius* Juvenali, pro abaco ex marmore Laconico, *Sat.* 11. *v.* 173.

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

Ubi *Lacedæmonius orbis*, non eſt pavimentum ſtibadii marmoreum, orbibus vel orbicularibus figuris diſtinctum, quod voluit Vir magnus, ſed menſa ex Laconico marmore. Aliàs enim *Lacedæmonios orbes* dixiſſet, ſi multis orbibus teſſellatum intellexiſſet pavimentum. *Orbes* autem menſas dici, adeò tralatitium eſt, apud Latinos Poëtas, ut frequentiùs penè *orbes*, quàm menſas nominent. Sic *Libyci orbes*, *orbes citrei*, apud Martialem, *l.* 2. *Epigr.* 43. menſæ ſunt citreæ &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. Peſcennio Nigro*, *c.* 6. ac *Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3. & ſuprà, ubi de *Delphicis.*

ORBES Ænei, Sanco dicati, apud Livium *l.* 8. *c.* 20. *Senatus de Vitruvio Privernatibuſque conſultus --- Vitruvium in carcere aſſervari juſſit --- ædes ejus, quæ eſſent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda: quodque æris ex eis redactum eſt, ex eo ænei orbes facti, poſiti in ſacello Sanci, verſus ædem Quirini.* Vide Joſ. Caſtalionem *Obſervat. dec.* 3. *c.* 10. Apud Papinium *Theb. l.* 2. *v.* 258. *Orbes ærei* dicuntur clypei ærei, de more Heroum, cujuſmodi clypeos Argivæ Junonis Templo ſuſpendi ſolitos, exemplum habes apud Hyginum *Fabular. c.* 273. Nomen autem hoc à figura, vide ſuprà. Unde *Orbem*, ſimpliciter hâc notione dixit idem Stat. *l.* 2. *v.* 581.

——— *orbem,*
Quem procul oppreſſo vidit Therone volutum,
Accipit.

At *comarum orbis*, de quo Martial. *l.* 2. *Epigr.* 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus ———

Gronovio eſt circulus, ex tota crinium compage & ſpiratim convoluta ac per multos annulos contexta conſtans: qua de re diximus ſuprà, ubi de *Annulis capillorum*, *Capillis*, ac *Coma*. De *Orbe rerum humanarum*, variis hieroglyphicis, *draconis* inprimis, *ſerpentis* & *annuli* adumbrato, à veterib. Sapientibus vide egregia apud Caſp. Barthium *Animadverſ. Papinian. ad Theb. l.* 5. *v.* 461. & *ſeqq.*

ORBESIONA, Armeniæ minoris regio *Ptol.*

ORBETELLUM, vulgò ORBITELLO, oppid. munitum Italiæ, in Hetruria & in territorio Senenſi, intra ſtagnum cognom. prope oram maris Tyrrheni, & ad radices montis Argentarii; ſubeſtque dominio Hiſpanorum cum ditiuncula adjacente. Diſtat 35. mill. paſſ. à Centumcellis in occaſum, & 50. ab Ilua inſula in ortum; pendetque in ſpiritualibus ab Abbate Trium Fontium, ad Aquas Salvias, prope & extra Romam. Fortiter reſtitit Turcis ſub Carolo V. & Gallis, A. C. 1646. Notandum eſt Orbetellum fuiſſe aliàs ſub dominio Reipublicæ Senenſis. Sed ex quo Sena ceſſit magno Duci Hetruriæ, Hiſpanus retinuit Orbetellum cum oppidis Telamone, Portu Herculis, Portu S. Stephani & Monte Argentario; eaque præſidiis & arcibus munivit: unde tractus adjacens in ora maris Tyrrheni dicitur *Stato delli preſidii* ab incolis.

ORBICULARE, Liber Anniverſariorum Baſilicæ Vaticanæ, apud Joh. Rubeum in *Vita* Bonifacii VIII. Pontific. Romani *p.* 345. *Item tria ſuperpellicia de vinipa & cortina. Item duo* Orbicularia *de opere ad acum.* Legendum verò putat *Auricularia*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ORBILIUS, Beneventanus Grammaticus, militiam primò ſecutus; dein tempore Ciceronis profitebatur, vir acer in diſcipulos, ac *plagoſus* propterea ab Horatio dictus, *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 70. ſcripſit varia. Vixit propè ad centeſimum annum, amiſſâ jampridem memoriâ, relictô ex ſeſe Orbiliô, & ipſô Grammaticô. Tranquillus, *de claris Gramm. c.* 4. & 9.

ORBINIACUM, vicus eſt Turonum, in horum Biturigumque confinio, 2. plus minus leuc. à fluv. Caro, vulgò *Orbigni*. Greg. *ſub finem. Hiſt. Fr.* Ei proximum eſt Cerate, vulgò *Ceray*: nec procul Tauriacum, vicus Turonum, nunc *Truje*, inter Andriam & Carum amnes, ſitus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ORBIS, vel Globus militum, dicebatur acies in circulum formata, apud Romanos: Quemadmodum *Cuneus* vocabatur peditum multitudo, cunei figuram imitans, primumque anguſtior, dein latior: ut alia omittam, de quibus conſuli poteſt Vegetius *l.* 3. *c.* 17.

ORBIS Mythologiæ, Κύκλος Ἐπικός, appellata fuit collectio illa Poëtarum, qui Mythologicam hiſtoriam continuârunt, in unum corpus redacta; à ſerie & ordine pari, quô conſertis manibus tenentur in Choro circulari (Dithyrambico videl. nam Chori Tragici & Comici τετράγωνοι fuêre) canentes pueri puellæve, vel in corona nexi flores habentur. Ut enim plures flores conjuncti contextique invicem unum corpus conficiunt, qui κύκλος, ut plures perſonæ manibus per mutuâ nexis chorum conſtituunt, qui itidem κύκλος eſt; Sic multa Epigrammata Κύκλον Ἐπιγραμμάτων, *Orbem Epigrammatum*, & multa Poëmata Epica ſimul juncta corpus illud condiderunt, quod *Orbis Mythologiæ* Latinis, Κύκλος Ἐπικὸς Græcis, dictum eſt. Comprehenderat ille Cyclus à prima conjunctione Cœli & Terræ, unde Deorum turba nata eſt, uſque ad Ulyſſis reditum, totam Græcorum Mythologiam: quæ ἀκολουθία ſeu ſeries non unum aliquem Auctorem habuit, neque in ſingulis tantùm Poëmatis & earum rerum ordine, quas ſinguli perſequuti ſint, fuiſſe videtur, ſed in ipſa potiùs Poëmatum connexione, juxta fabularum ordinem & temporum ſeriem concinnè & convenienter aptatâ atque inter ſe junctâ. Alius ſcil. Θεογονίαν ſcripſerat, alius Τιτανομαχίαν, alius Γιγαντομαχίαν, alius *Argonautica*, alius Θηβαΐδα, alius Θησηΐδα, alius *Iliada*, alius denique aliud opus Mythologicum ediderat, ut non unius ætatis, ita nec unius nationis. His adde Φορωνίδα, Αἰθιοπίδα, Νόστον Ἑλλήνων & multa præterea alia, quorum meminêre Veteres. Quæ omnia poëmata, velut in Choro homines, vel in corona flores, decenter invicem juncta, ſeriem totius Mythologiæ à Mundi principio ad Troica uſque tempora & reditum Ulyſſis, oſtendebant; Sed hac de re plura diximus ſuprà, ubi de *Cyclicis Poëtis* & in voce *Cyclus*. Uti autem Κύκλος Ἐπικὸς, *Orbis Mythiſtoriæ*: ſic Κύκλος παιδείας dictus eſt *Orbis diſciplinarum*, inter ſe aptè connexarum, quæ ἐγκύκλια μαθήματα & κύκλια dicta ſunt. Tzetzes *Chiliade* 11.

Ὁ κύκλος καὶ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων,
Γραμματικῆς, Ῥητορικῆς, αὐτῆς Φιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρωντε τεχνῶν τῶν ὑπ᾽ αὐτὴν κειμένων,
Τῆς ἀριθμούσης, Μουσικῆς καὶ τῆς Γεωμετρίας
Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς Ἀστρονομίας.
Orbis & complementum omnium diſciplinarum,
Grammaticæ, Rhetoricæ, ipſius Philoſophiæ,
Et quatuor Artium ei ſubordinatarum,
Arithmeticæ, Muſicæ, Geometriæ,
Et cœlum ſcandentis ipſius Aſtronomiæ.

Similiter, cùm in Græcia quatuor agones olim ſacri eſſent, qui eos omnes quatuor ordine viciſſet, Περίοδον viciſſe dicebatur, quaſi dicas κύκλον ἀγώνων, *orbem certaminum*; Περίοδος enim idem, quod Κύκλος. Hinc περιοδικοὶ ςέφανοι, quos reportaverant periodi victores, apud Scholiaſtem Pindari *ad Iſthmion. Od.* 11. & victores

περιο-

περιοδονίκαι dicti. Sic qui multa per limina ſalutationes potentiorum manè obibat, περίοδον facere dicebatur: *orbem* appellat Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 21.

——— *donec totum jam turba peregerit Orbem* &c.

Vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 858. & *ſeqq.* ut & hic *paſſim.*

ORBIS Rerum humanarum, vide ſuprà *Orbes ænei.*

ORBIS Romanus, pro ditione Romanæ Civitatis, in *l. in Orbe ff. de ſtat. hom.* apud Plin. *l.* 7. *c.* 12. Hegeſippum *l.* 2. *c.* 9. Firmicum *l.* 1. Gruterum *Inſcript.* 281. 10. Majoragium *Miſcellaneor. l.* 4. *c.* 4. ubi pluribus oſtendit, *Orbem* pro ditione ac Imperio antiquis temporibus fuiſſe uſurpatum. Sic Ovid. *l.* 8. *Met. v.* 100. ſub Minois perſona,

Certè non patiar Jovis incunabula Cretem,
Qui meus eſt Orbis, *tantum contingere monſtrum.*

Ad cujus imitationem, legimus *Orbis Africanus*, apud Salvianum *l.* 7. *Orbis Galliæ*, in *Vita* S. Sulpicii Epiſcopi Bituricenſis *Orbis Anglicus*, in *veteri Charta*, in Concil. Anglic. in qua Knute Angliæ Rex, ſe *gubernatorem Orbis Anglici* ſubſcripſit. Imò *Orbis Lemovicinus*, *Orbis Caturcinus*, pro pago ſeu provincia, crebrò in Tabulario Abb. Belliloci in Lemovicibus, apud Car. du Freſne. Ut autem *Orbis Romanus* pro Imperio Romano; apud præfatos Auctores: Sic *Latinus Orbis* idem, apud Vincentium Lirinenſem *Common.* 1. Græcè Ῥωμαϊκὸς Κόσμος, apud Gelaſium Cyzicenum reperitur in *Actis* Concil. Niceni. Apud Helgaudum verò in *Roberto* Gall. Rege *Orbis Terrarum*, ornamenti genus denotat: Ita enim is *p.* 68. *Beato Dionyſio caſulam mirô itidem opere factam contulit: cui & aliud, ut tantam decebat fœminam, ornamentum contexuit, quod vocatur* Orbis Terrarum, *illi Caroli Calvi diſſimillimum.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

ORBIS Siniſter, apud Stat. *l.* 7. Theb. *v.* 220.

——— ——— *Luſtrantque ex more ſiniſtro*
Orbe rogum:

interior erat ſeu ſiniſtratio, quô gyrô luſtrabant Veteres rogos, in decurſionibus ſolennibus: cùm aras contrà dextratione, ut & Ædes, luſtrarent, h. e. dextrô interiore gyrô eas circumirent. *Ariſtophanes*,

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
Περίϊθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Prior tamen naturalior motus, ut docet Philoſophus, ἀπὸ δεξιῶν ἐπ' ἀριστερὰ, & equos naturaliter ad ſiniſtram flectere tradunt equarii. Quæ ratio eſt, cur in certamine curuli equi ad ſiniſtram flecterent ac ſiniſtrô gyrô interiore metas luſtrarent; quia ſcil. hic motus equis familiarior & magis ex natura. Lucan. *l.* 8. *v.* 199.

——— ——— *Nec ſit moderator equorum*
Dexteriore rotâ lævum cùm circumit orbem.

Ubi *lævus orbis* in metæ flexu interior, dexter exterior eſt, & à meta remotior: quam proin cùm ſpatioſo nimis orbe circumflecterent, per *dextros orbes ire* dicebantur, & *dextros abire.* Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 162.

Quò tantum mihi dexter abis? ———

Manilius, *l.* 5. *v.* 80.

——— *in obliquum currus agitare malignos,*
Obſtantemque morâ totum percludere Circum,
Vel medium turbæ, nunc dextros ire per Orbes,
Fidentem campo; nunc meta currere acuta &c.

Vide Salmaſ. *ubi ſuprà p.* 936.

ORBIS Terræ, ſeu *Mundus*, vulgò *le Monde ou la Terre univerſelle*, dividitur in antiquum orbem ſeu ab antiquis cognitum, & novum ſeu recèns detectum. In orbe antiquo ſunt tres partes, nempe Europa, *l'Europe*, quæ minor eſt, ſed magis populoſa & culta: Africa, *l'Afrique*, quæ Europæ ſubjacet, & ab ea Mediterraneô mari dirimitur, per Æquatorem ſecta, & Aſia, *l'Aſie*, nobis aliquando *le Levant*, quæ Europæ & Africæ ſubtenditur. In orbe novo ſeu recens detecto eſt America, *l'Amerique*, quæ duplex eſt, nempe America ſeptentrionalis, quæ aliquando Mexicana dicitur ab ejus urbe præcipua, & America meridionalis, quæ etiam Peruviana dicitur. Præter has quatuor orbis partes ſunt etiam duæ aliæ, nempe terra Arctica ſeu Borealis incognita, *la terre Artique*, in qua nova Zemla, Gronelandia; ſeu Terra Viridis, & Spitzberga, ſeu regio Montium Acutorum, cum aliis multis ſinubus & fretis; & terra Antarctica ſeu Auſtralis, incognita, *la terre Auſtrale*, in qua nova Hollandia, nova Zelandia, terra Concordiæ & Magellanica, cum multis inſulis & regionibus ad auſtrum extenſis; de quibus, ſicuti de Arcticis, pauca aut nulla ſunt dicenda, & de his ultimis partibus nondum conſtat, quæ ſint orbis antiqui, & quæ partes orbis novi; ſed tantùm dignoſcitur orbis partes eſſe ſex, nempe Europam, Aſiam, Africam, Americam, terras Arcticas, & terras Antarcticas.

ORBIS Terræ novus, vulgò *le nouveau Monde*, pars orbis ampliſſima recèns detecta, nempe A. C. 1492. à Chriſtophoro Columbo Genuenſi. Dicitur aliter Indiæ occidentales, *les Indes occidentales*, ſeu meliùs America, *l'Amerique.* Ejus pars Borealis, verſus Groenlandiam, Iſlandiam & Finnlandiam, caſu à piſcatoribus Hollandis inventa, & oblivioni tradita, coli rurſus cœpta eſt, A. C. 1390. Ortel. *in Theatr.* Vide *America.*

ORBITÆ, Indiæ populi, *Stephan.*

ORBITAS, Romanis olim interdicta. Stat. *l.* 4. *Sylv.* 7. *v.* 33.

Orbitas *omni fugienda niſu* &c.

Vide Marcum Vertranium Maurum *de Jure trium Liberorum c.* 45. ut & elegantiſſimam *Diatriben ad L. Jul. de Maritandis Ordinibus*, apud J. Lipſium *Commentar. ad Tacitum Annal. l.* 3. Iſraëlitis eadem probro habebatur, uti ex Sacris paſſim diſcimus. Vide quæ de *Cœlibatu* & *Sterilitate*, Auctores literis conſignavêre, ut & hic paſſim. Poſtmodum verò *Orbitas* in pretio eſſe apud Romanos cœpit, qua de re ſic graviter Plin. *Proœm. l.* 14. *Numerum alii ſubiêre ritus, circaque alia mentes hominum detinentur.* --- *Antea incluſis gentium imperiis intra ipſas, ideoque & ingeniis, quadam ſterilitate fortunæ, neceſſe erat animi bona exercere: Regeſque innumeri honore artium colebantur & in oſtentatione has præferebant opes, immortalitatem ſibi per illas prorogari arbitrantes. Quare abundabant & præmia & opera vitæ. Poſteris laxitas mundi & rerum amplitudo, damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus --- poſtquam cœpere* orbitas *in auctoritate ſumma & potentia eſſe, captatio in quaſtu fertiliſſimo ac ſola gaudia in poſſidendo: peſſum iêre vitæ pretia: omneſque à maximo bono* (libertate) *liberales dictæ artes, in contrarium cecidêre ac ſervitute ſolâ profici cœptum* &c. Quibus verbis quorſum reſpiciat, facilè liquet. Hactenus *Orbitas*, de iis qui liberis carent, vel illos amiſerunt. Sed & *orbi* liberi, qui patrem lugent ademptum: cujus utriuſque notionis teſtem habemus Tullium. Vide G. Stewechium *Elector. ad Arnob. l.* 4.

ORBITUM, vide *Oropitum* & *Herbanum.*

ORBONA, Dea apud Romanos, colebatur ne *orbos* faceret: In hujus tutela fuiſſe *orbatos* Parentibus liberos, tradit Arnob. *l.* 4. *adv. Gentes.* Ara illius teſte Pliniô *l.* 2. *c.* 7. ad Larium eidem in Urbe fuit, quanquam *Orbonæ* vocabulum inde eſſet ejectum: Reſtituit tamen Hadr. Junius *Animadverſorum l.* 3. *c.* 1. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. De *Orbarum* verò Virginum conditione ac jure, vide ſuprà in voce *Epiclera*: uti plura hanc in rem infrà, ubi de *Orphanis* & *Orphanorophiis.*

ORCA, marina bellua, inter Cete majora memoratur Plinio *l.* 32. *c.* 11. *Ut à belluis ordiamur, arbores, phyſeteres, balænæ, priſtes, Tritones, Nereides* --- orcæ --- *delphini* &c. Cujus imaginem nullâ repræſentatione exprimi poſſe aliâ, quàm carnis immenſæ, dentibus truculentæ, ait *l.* 9. *c.* 6. ubi, poſtquam balænis infeſtum id monſtrum eſſe dixiſſet, ſic pergit: *Irrumpunt ergo in ſecreta ac vitulos earum & fœtas vel etiamnum gravidas lancinant morſu, incuſſaque ceu Liburnicarum roſtris fodiunt. Illæ --- ſolum auxilium novêre, in altum profugere & ſe totô defendere Oceanô. Contra orcæ occurrere laborant, ſeſeque opponere, & cautium anguſtiis trucidare, in vada urgere, ſaxis illidere. Spectantur ea prælia, ceu mari ipſi ſibi irato, nullis in ſinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictuſque, quantos nulli turbines volvunt.* Bellua hujuſmodi in portu Oſtienſi viſa, oppugnata eſt à Claudio Principe *eminente dorſo multum ſuper aquas, carinæ vice inverſæ*, Ibid. Habet verò Orca, ſicut & phyſeter, & vera balæna, fiſtulam, tum ad rejiciendam aquam, tum ad reſpirandum datam: unde in modò dicto conflictu, *militem reflatu belluæ oppletum undâ* merſum fuiſſe, idem Plin. ſcribit. Interiora ferme eadem cum balæna, Auctor Anonym. *Sinæ & Eur. c.* 42. &c. Origo vocis ab accuſativo Græco ὄρυγα, quod ab ὀρύσσω, *fodio.* Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. p.* 588.

ORCA, Varroni *l.* 1. *Rei Ruſt. c.* 13. vas Hiſpanicum: Iſidorol. 20. *c.* 6. amphoræ ſpecies, cujus ratio, ait *Budæus*, non menſurâ, ſed ſuâ formâ, conſiſtit. *Papias; Seria, ſingul. vaſis genus. Orca; inde Seriola. Joh. de Janua; Orca, vas olei, vel ſpecies amphoræ magnæ.* Certè *Orcam* fictile eſſe vas, præſertim oleatorium, Perſius auctor eſt, *Sat.* 3. *v.* 50.

——— *Anguſto collo non fallier Orcæ.*

Hinc *vaſa olei liquaminis, quæ vulgò* Orcas, *vocant*, apud Greg. Turonenſ. *Hiſt. l.* 4. *c.* 38. *Sexaginta* Orcæ *olei*, apud Senatorem *l.* 3. *Ep.* 7. &c. *Orcæ bene picatæ*, apud Columellam *l.* 12. *c.* 15. Utuntur eâdem voce, *Feſtus*, Plin. *l.* 9. *c.* 6. *Acta* Proconſularia ſub Min. Felice, Vopiſc. *in Aureliano*, *Dolabella* & alii. *Agrimenſores, Collatio Carthagin.* Severus Epiſcop. Minoricenſ. *de Mirac. S. Stephani*, Alii, laudati Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & in orcis conditos cineres, apud Romanos; diſcimus ex Salmaſio *ad Solin. p.* 1204. Vide quoque infrà *Pyrgus.*

ORCA Valerius, vide *Valerius.*

ORCADES, inſulæ maris Caledonii, Scotiæ ad Boream adjacentes, inter illam & Norvegiam, numerô 40. Plinio, *l.* 4. *c.* 16. 30. verò *Pomponio*, ab Hebudibus 5. dierum navigatione in Oriente diſtantes. Magnæ Britanniæ regi parent, à Danis oppignoratæ, quorum rex Canutus illas, cum Iſlandia, ſibi ſubjecit, A. C. 1062. Saxo Gramm. *l.* 11. *Orkney* Camdeno. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 161.

——— ——— *Arma quidem ultra*
Litora Juvernæ promovimus & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Claudian. citante *Ferrariô*,

Orcades; incaluit Pictorum ſanguine Thule.

Extenduntur à Septentrione in Meridiem. Harum 11. majores inſulæ ſunt: Pomonia, *Mainland*, præcipua, Hoya, Ranalſa, Meridionalis & Borealis Siapinſa, Raſa, Flotta, Weſtria, Eda, Sanda, & Stromza. Haud pridem Ducali titulô inſignitæ. Suntque in his tantùm aliquot caſtra, cum oppido *Kirkual*, in Pomonia. A Scotia Pictico fretô diviſæ, *Baudrand.* In his neque ſerpens ullus, neque aliud venenô infeſtum animal vivere poteſt: incolæ bibones inſignes & vivaces, medicinæ uſum ignorant, Camden. *deſcr. M. Britanniæ. Nic. Lloydius.* Auctori Anonymo Hiſtoriæ *Orbis Terr. Geogr. & Civ.* triginta earum ſunt, vulgò *Orkney*, admodum ſylvis vacuæ, ſed pecorum bene feraces: quarum maxima Pomona, fodinis plumbi & ſede Epiſcopali præ reliquis inſignis eſt. Cæterùm Inſulæ hæ, ut & Hebrides, incolas ex Norvegia acceperunt, ac illius Regibus diu ſubfuerunt. Unde cùm aliquoties bella inter Scotos & Norvegos, ob earum poſſeſſionem, orirentur, tandem Aquinus Norvegiæ Rex eas Alexandro III. Scotiæ Regi ceſſit. Sed cùm ne ſic quidem controverſiæ ceſſarent, Chriſtianus I. Daniæ Rex eas Jacobo III. Scotiæ Regi cum filia in dotem dedit, cujus tranſlationis authenticas ſe vidiſſe tabulas, Buchanan.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Buchananus tradit. Ita *Orcades* à Regno Norvegiæ avulſæ, in poteſtatem Scotorum venerunt, Hornius *Orb. Imper.*

ORCAS, vide *Tarvidum.*

ORCELIS, vulgò *Horiguela*, teſte *Cluſiô*, *Oribuella* aliis, urbs Baſtitanorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Taderum fluv. *Ptolem.* In regno Valentiæ, 4. leuc. infra Murciam in Ortum, 9. ab Alonis in Occaſum, uti 5. ab ora ſinus Illicitani, 24. à Valentia. Satis parva paucisque habitata, *Baudrand.*

ORCHÆ, Babyloniorum urbs, *Ptolem.* *Urchao*, aliis dicitur. *Ur Chaldæorum*, in ſacris literis, patria Abrahami.

ORCHALIS, tumulus Bœotiæ in finibus Haliarti ad Heliconem vergentibus, qui poſtea *Alopecos* dictus fuit, Plut. *in Lyſandro.*

ORCHANES, Turcarum Imperator Pruſiam Græcis Imperatoribus ademit, A. C. 988.

ORCHANES, ſeu URCHANES, fil. minimus Ottomanni, duobus fratrum victis, Imperator Turcarum factus: in Myſia, Phrygia, Lycaonia, Lydia, Caria, &c. feliciter res geſſit. Nicæam, Nicomediam aliaque magni nominis loca cepit, ſocero Caramaniæ Regi, & Imperatorib. Græcis formidabilis. Obiit A. C. 1359. Hegiræ 760. Imperii 32. ætat. 80. Chalcondylas *Hiſtor. Turc.* Leuncl. *in Pandect. Turc.* Vide & *Urchanes.*

ORCHANUS, Aſſyriorum Rex, Achæmenidis fil. qui ex Eurynome conjuge Leucothoen filiam ſuſcepit, quam poſtea vivam defodit, quòd cum Sole concubuiſſet. Domitius *in Comment. in Ibin Ovidii*, & Ovid. ipſe *Met. l. 4. v.* 208. ubi tamen lege *Orchamus.*

——— *Leucothoë multarum oblivia fecit;*
Gentis odoriferæ quam formoſiſſima partu
Edidit Eurynome, ſed poſtquam filia crevit,
Quàm mater cunctas, tam matrem filia vincit.
Rexit Achamenias urbes pater Orchamus: iſque
Septimus à priſci numeratur origine Beli.

Et paulo pòſt *v.* 237.

——— *Ille ferox immanſuetuſque precantem,*
Tendentemque manus ad lumina Solis &, Ille
Vim tulit invitæ, dicentem, defodit altâ
Crudus humô; tumulumque ſuper gravis addit arenæ.

Lloydius.

ORCHENI, ſecta quædam Aſtronomorum Chaldæorum. Item, populi Arabiæ deſertæ *Ptolem.*

ORCHESTENA, provinc. Armeniæ majoris.

ORCHESTICA, Græcè Ὀρχηστική, i. e. *Ars ſaltandi*, quàrta Muſices pars ſtatuitur Voſſio, & ſanè eam jam Muſicæ partem fecit Jul. Pollux *l. 4. c.* 12. atque idcirco ut canere & pſallere, ita pſallere & ſaltare, ſubinde conjunguntur. Salluſt. *in Conjur. Catilinæ, c.* 25. *Hæc Mulier* (Sempronia videlicet) *literis Græcis & Latinis docta: pſallere & ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ.* Unde & hôc Muſices genere Populum Dei in eo celebrando fuiſſe uſum, & Gentiles itidem hyporchemata ceciniſſe in Deorum ſacrificiis, neque abſque tripudiis initiari potuiſſe, legimus. Apud Romanos item Salii, Martis Sacerdotes, tripudiabant per Urbem, ſolemnia cantantes carmina, unô præſiliente certaſque adhibente geſticulationes ac corporis circumvolutiones, quem *Præſulem*, & ſaltationem ejus *amtruare* dixere; reliquis Saliis exemplum ejus imitantibus, quod *redamtruare Lucilius* vocat,

Præſul ut amtruat, inde & volgu' redamtruat olli.

Indos ſimiliter *ſaltando* ſingulis matutinis Solem ſalutâſſe, dicemus infrà voce *Oriens* &c. Etiam extra ſacra apud Græcos magnus Arti honos: Sanè Socrates apud Platonem eam in ſeriis diſciplinis ſtatuit, & eximios viros illi operam dediſſe conſtat; uti de Epaminonda, inter alios, Tullius *l. 3. de Orat.* & Corn. Nepos *in ejus vita, c.* 1. docet. Nec Romana gravitas primitus eam eſt in Juventute, vel Matronis honeſtis, aſpernata, ſed demum, poſtquam inſtrumentum luxuriæ eſſe cœpit, ut liquet ex Macrobio *Saturnal. l. 3. c.* 14. *Taceo, quòd Matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant: ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa, uſque ad artis perfectionem. Quid enim ait Salluſtius? Pſallere, & ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ. Adeò & ipſe Semproniam reprehendit, non quòd ſaltaret, ſed quòd optimè ſciret.* Idem poſtea firmat, ex Scipionis Africani Æmiliani *Orat. contra Legem Judiciariam Tib. Gracchi:* Item quòd ſaltationis peritiâ gloriati ſint Gabinius Conſularis, Ciceronis inimicus; M. Cœlius, quem Cicero defendit, & Licinius Gracchus, qui cum Patre à Parthis interfectus eſt. Lacedæmonii ſimiliter amplexi *Orcheſticam*, ſed eam quam ad bellum conducere putarent, leguntur apud Fabium Quintilian. *Inſtitut. Orat. l. 1. c.* 11. cujus cùm plures fuerint ſpecies, præcipua Pyrricha fuit, quam *bellicrepam* Latinè vocat Feſtus Pompejus, vide infrà *ſuô locô.* In Poëſi triplex adhibita ſaltatio eſt, Tragica, Græcè Ἐμμέλεια, Comica Κόρδαξ & Satyrica Σίκιννις, teſte Polluce *l. 4. c.* 14. & Athenæo *l.* 1. è quo triplici genere, Saltationem Italicam, cujus Bathyllus Alexandrinus Auctor, conſtitiſſe, docet Idem *ibid.* Aliàs *Orcheſticam* diviſere in Κυβιστικὴν, quando homines manibus ac pedibus ſe ita contorquerent, ut converſione ſui inſiſterent capiti: Σφαιριστικὴν, ubi pilâ ludentes ſaltarent, ut liquet ex Homero *Od.* ζ. & Ὀρχηστικὴν ſimpliciter dictam: Iterum Saltationem in altum, in longum, & quæ fit pedes alternis attollendo, ut facere ſolebant Sacerdotes Salii; quæ tria genera memorat Seneca *Ep.* 15. Vim ſanè Artis inſigni documentô Memphis Pythagoreus oſtendit, qui Pythagoricam Philoſophiam in ſilentio conſiſtentem, ſaltando plenius, quàm qui dicendi Artem profiterentur, demonſtrâſſe dicitur, referente Athenæô *loc. cit.* ubi & ex *Xenophonte* legas, ut Socrati etiam Memphitica hæc *Orcheſis* ſeu ſaltatio fuerit grata. Sed & Teleſtes, Æſchyli Saltator, tragœdiam quandam integram ſaltando expreſſit: ut de Protei fabula & Empuſæ ſpectro; de Corybantibus item, Caſtore & Polluce, Orpheo, Muſæo, Baccho ipſo, ſaltatoribus eximiis, nihil adjiciam: vide Gerh. Joh. Voſſium *de quatuor Artibus Popul. c. 3. §. 48. & ſeqq.* & *c. 4. §. 36. & ſeqq.* ut & infrà in voce *Saltatio.*

ORCHESTOPOLARII, ſeu ORCHESTOPOLI, Græcè Ὀρχηστόπολοι, apud Firmicum *l. 8. c.* 15. ſunt, qui vertiginoſâ & concitâ ſaltatione in orbem moventur; πόλος enim *circulus* & πολεύειν, in circulum moveri ac circumagi eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 986. *Orchiſcopularii* alii apud *Firmicum* legunt, ſed perperam. Vide infrà in *Orchiſtopolus.*

ORCHESTRA, pars Theatri, quarum 4. fuêre, erat, in qua Senatores conſidebant ſpectaturi, depreſſior pulpitô, ſicut pulpitô altior erat Scena. Licèt enim in principio promiſcuè ſpectaverit cum plebe Senatus nullô habitô diſcrimine, juvandæ concordiæ fovendæque libertatis gratiâ, ut teſtatur Val. Max. *l. 2. c. 4. ex.* 3. poſt quingentos tamen & quinquaginta octo annos Attilius Seranus & L. Scribonius Ædiles, ludos Matri Deûm facientes, ſuperioris Africani ſententiam ſequuti, diſcretis Senatûs & Populi locis, morem ſolverunt: tandemque ſuus Senatoribus locus *Orcheſtra:* ſuus Equitibus, gradus 14. ſuus Plebi, cavea: ſuus Senibus, Buleuticum: ſuus Juvenibus, Ephibicum: ſuus Conſulibus ac Imperatoribus, podium; ſuus quoque Virginibus Veſtalibus, à reliquis omnibus diſcretus, eſſe cœpit. Et quidem Senatorum ſubſelliis *Orcheſtram* deſtinatam fuiſſe, Vitruvius docet *Architect. l. 5. c.* 6. *Ex his trigonis cujus latus fuerit proximum ſcenæ, eâ regione, quâ percipit curvaturam circinationis, ibi finiatur ſcenæ frons, & ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quæ disjungat proſcenæ pulpitum, &* Orcheſtræ *regionem: Ita latius factum fuerit pulpitum quàm Græcorum, quòd omnes Artifices in ſcenam dent operam. In* Orcheſtra *autem Senatorum ſunt ſedibus loca deſignata & ejus pulpiti altitudo, ſitne plus pedum quinque, uti qui in* Orcheſtra *ſederint, ſpectare poſſint omnium agentium geſtus.* Hinc Suetonius *Cæſare c.* 76. *Prænomen*, inquit, *Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, ſtatuam inter Reges ſuggeſtum in Orcheſtra.* Et *in Aug. c.* 35. *Servavit Senatoribus etiam excuſantibus inſigne veſtis & ſpectandi in* Orcheſtra, *publiceque epulandi jus.* Idem *in Nerone c.* 12. *Deinde in* Orcheſtram *Senatumque deſcendit.* Juvenal. *Sat. 3. v.* 178.

Æquales habitus illic ſimilemque videbis
Orcheſtram, & *Populum.*

I. e. *Optimates ac plebem.* Sunt tamen qui Pantomimorum ſaltationibus eam dicatam fuiſſe contendant, nixi tum originatione vocis, namque ὀρχεῖσθαι, *ſaltare* Græcis eſt, tum auctoritatibus Scriptorum non contemnendorum. Namque Iſidor. *Orig. l. 18. c.* 44. *Orcheſtra*, ait, *pulpitus erat ſcenæ, ubi ſaltator agere poſſet, aut duo inter ſe diſputare: Ibi enim Poëtæ, Comœdi & Tragœdi ad certamen deſcendebant, iiſque canentibus, alii geſtus edebant.* Cui concors vetus Scholiaſtes Juvenalis *Sat. 3. v.* 178. *Orcheſtra*, inquit, *ſpatium, in quo ſaltat Pantomimus, vel qui in Orcheſtra procedit aut ſpectatur.* Nec ab hiſce abſcedere videtur Varro citatus à Nonio *c. 2. num.* 743. &c. Et certè apud Græcos ſaltationes in hoc loco peragi ſolitas fuiſſe, extra dubium eſt; an apud Romanos in ſcena id factum, an *in Orcheſtra:* an tractu temporum mos variatus? in medio relinquit Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c.* 10. Vide quoque eundem Roſin. *l. eod. c.* 4. Cœl. Rhodig. *l. 8. c.* 8. *Orcheſtram* locum fuiſſe vult, è quo ſub cujuſque Actus finem, Chorus Populum ſit allocutus, habetque varios ſibi ſuffragantes: Interim prima ſententia maximè propinqua vero videtur, ut *Orcheſtra* ſedem denotaverit, Senatoribus aſſignatam, quum inter alia Juvenalis *Orcheſtræ* nomine Senatum indigitet, ut viſum. Plura vide apud Lipſium *de Amphith. c.* 14.

ORCHIA Lex, Ὄρχιος νόμος, prima inter Leges Sumptuarias Romæ fuit. Cùm enim à veteri & avita morum parſimonia poſteri deficerent, & nullum modum luxuria inveniret, legum animadverſione opus fuit: Itaque lata primùm lex *Orchia*, à C. Orchio Tribuno Plebis de Senatûs ſententia, tertiô annô quàm Cato Cenſor fuerat, *numerum convivarum* præſcripſit, & quò Legi nulla fieret fraus, *ut apertis januis cœnaretur*, cavit. Ejus meminit Macrob. *Saturnal. l. 3. c.* 18. ubi Catonem mox orationibus ſuis vociferatum eſſe, quòd plures, quàm præſcriptô ejus cavebatur, tum ad cœnam vocarentur, refert. Sequuta Fannia eſt annô 22. pòſt, annô videl. Urb. Cond. 488. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. c.* 12.

ORCHIANUM, ſeu *Vitorchianum*, caſtrum Hetruriæ, in ditione Pontificis in provinc. Patrimonii, 6. milliar. à Viterbio in Cæciam Polymartium verſùs.

ORCHIMUS, filiam habuit Cydippen, Stephanus in *Lindo.*

ORCHISTOPOLUS, Græcè Ὀρχηστόπολος, in *vet. libro Notarum*, *Orchiſtopolis*, Salmaſio ad *Solinum* eſt, qui vertiginoſâ & concitâ ſaltatione in orbem movetur: namque πολεύειν in circulum moveri ac circumagi eſt *Heſychio.* Hinc apud Jul. Firmicum *l. 8. Math. c.* 15. *Petalmarius, Ephalmator, Orciſcopalarius* &c. Quô locô, vocem hanc ſic effert Manilius *l.* 5.

Corporaque immergunt undis, ipſumque ſub antris
Nerea & æquoreas conatur viſere Nymphas:

Unde conjectat Scaliger, *Orciſcopalarios* urinatores eſſe ſicque dictos quòd Ἅδου σκοπέλους ... & latentes explorent; idem Salmaſ. *Orcheſtopolarius* legi jubet, atque ſic appellari, qui Ὀρχηστόπολοι Græcis. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Orcheſtopolarii.*

C. ORCHIUS, Tribun. plebis, tertiô antè anno quàm Cato Cenſor fieret, legem tulit de Senatus ſententiâ, quæ dicta eſt *Orchia*, quâ præſcribebatur numerus convivarum, Macrob. *Saturnal. l. 3. c.* 18.

ORCHIVUS Theſaurus, apud *Nævium*,

Itaque, poſtquam Orchivo *traditus eſt* theſauro:

Crypta eſt ſeu faviſſa, h. e. monumentum, de quo vide infrà, voce *Theſaurus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ORCHOE, vide ORCHÆ.

ORCHOMENUS, ſive ORCHOMENUM, oppid. geminum; unum Bœotiæ inter Elateam ad Septentrionem & Coroneam ad Meridiem proximas urbes, adhuc *Orchomeno* dictum; ubi templum Charitibus, h. e. Gratiis dicatum erat: olim ditiſſimum, ac potentiſſimum, cui Thebani tributa pendebant. De eo Pauſan. *l.* 9. *Apud* Orchomenios, *eſt templum vetuſtiſſimum Gratiarum*: τὰς μὲν δὴ πέτρας σέβουσι, *ſed ſaxa venerantur; eaque de cœlo delapſa, & eodem excepiſſe ferunt.* Nempe idololatria ab impoſitis columnis, rudibuſque lapidibus cœpit, & priſcis temporibus Deorum ſimulachra informia fuêre. Vide ſuprà ubi de hujuſcemodi Deaſtrorum *Batylis.* Hujus ſolum à talpis fermè everſum eſt, authore *Pliniô.* Nunc tantùm caſtrum eſt *Orcomeno*, in Stramulipa provinc. Livadiæ, ſub Turcis. Alterum in Arcadia inter paluſtria & paludoſa loca, Mantineæ urbi proximum. Eſt & *Orchomenus* fluv. Theſſaliæ, *Minyejus* ante, poſtea *Minterius* dictus, teſte *Strabone*, cum oppid. cognomine. Homer. *Il.* β. *v.* 511.

——— ——— Οἱ δὲ

Ἀσπληδόνα ναῖον, ἰδ᾽ Ὀρχομενὸν Μινύειον.

Ubi *Scholiaſt.* Τὸν ἐν τῇ Βοιωτίᾳ λέγει Ὀρχομενὸν, τὸν ὑπὸ Μινύου βασιλευθέντα, τὸν ὀνομασθέντα ἀπὸ Ὀρχομένου τοῦ Διὸς υἱοῦ, καὶ Ἑρμίππης τῆς Βοιωτοῦ. Παραῤῥεῖ αὐτὸν ποταμὸς Μινύας, ἀφ᾽ οὗ Μινύαι ἐκλήθησαν οἱ τὴν χώραν κατοικοῦντες. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ὀρχομενὸς τῆς Ἀρκαδίας, ὃν πολύμηλον καλεῖ ὁ Ποιητής· καὶ ἕτερος τῆς Θεσσαλίας. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 416.

Orchomenoſque ferax, & nobilis ære Corinthus.

Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 295.

Dives & Orchomenos pecorum, & Cynoſura ferarum.

Heſych.

Ὀρχομενὸς, πόλις Βοιωτίας, ἣν Μινύειον καλοῦσι.

Nic. Lloydius.

ORCI Galea, apud Homer. *Il.* ε. *v.* 845. ubi de Minerva,

Δῦν᾽ Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης.

Inducit Orci galeam, *ne ipſam videret potens Mars.*

Nebula eſt denſiſſima, quâ ſe Dii condebant apud Poëtas, cùm conſpicui eſſe nollent. Metaphorâ deſumptâ à Ducibus belli, qui, quoties agnoſci nolebant, ſaltem non dignoſci à manipulari & gregario milite, non ſumebant galeam ornamentis ſuis ac terriculamentis, conis videl. criſtis, & jubis, inſignem, ſed genus illud galeæ, quæ Homero *Il.* κ. *v.* 258. eſt καταῖτυξ, *ſine cono & criſta*, ἄφαλος καὶ ἄλοφος. Hinc Ἄϊδος κυνέην φορέειν, Proverbialiter dictum, ut de Philippo Rege apud *Ariſtidem*, pro *doloſè & fraudulenter aliquid agere.* Sed & aliquis τὴν ἄϊδος κυνῆν geſtare dicebatur, i. e. κουριῶν ſeu κομιῶν, *gerere comam intonſam* & ſqualentem, indicem luctus: quam *Ariſtophanes* vocat σκοτοδασυπυκνότριχα, *nigram, rigidam, hirtam comam*, in *Acharn.* &c. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 10. *c.* 20.

ORCINI, & Pileati, *heſterni Quirites*, ut appellat Perſius, *Sat.* 3. *v.* 106. inter funeris Miniſtros inſerti olim Romæ videntur, Laurentio Pignorio *Comment. de Servis.* Iſtiuſmodi hominibus, à Cæſare Dictatore, & poſt necem ejus inprimis, à Triumviris Reip. conſtituendæ, ductum coinquinatumque Senatorium ordinem fuiſſe, Suetonius *in Aug. c.* 35. ait: ubi *Auguſtum Senatorum numerum affluentem deformi & inconditâ turbâ (erant enim ſuper mille & quidem indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos* Orcinos *vulgus vocabat) ad modum & ſplendorem priſtinum redegiſſe*, refert. Aliàs *Orcinus* libertus, cùm nullius viventis libertus ſit, Ditis ſive Orci libertus ſeu Charonita vocatur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 5. & ante eum Cujacium *Obſervat. l.* 3. *c.* 23.

ORCISCOPALARIUS, vide ſuprà *Orchiſtopolus.*

ORCUS, Deus Inferorum, idem cum Plutone: & fuit *Orci* ſeu Plutonis ædes Romæ, in decima Urbis regione. Alii eum cum Charonte confundentes, Acheronti fluvio præfuiſſe, ajunt. At Antiquis *Quietalem* dictum eſſe, à Quiete, quam, ædem extra portam Collinam habentem, ad mortuos pertinuiſſe docet Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 16. annotat Lud. Vives *in locum.* Nomen quod attinet, Verrius apud *Feſtum*, *Orcum* quondam *Uragum* dictum eſſe affirmat, unde per contractionem *Orcus* appellatus ſit: ſed ex Hebr. potiùs ארקא, quod *terram* denotat, deducendam vocem eſſe docent Eruditi. Et certè pleraque, quæ ad Inferos pertinent nomina, ex eo fonte profluxiſſe, obſcurum non eſt. Ita Erebus, Acheron &c. Hebraica nomina vel Syra ſunt, quæ veſperam, ſeu occidentem & extrema rerum denotant: Atque hinc Poëtæ, qui Erebo creatam noctem finxêre, νύκτα ἐρεβεννὴν dixerunt, quod & Viri Eruditi fuſè oſtenderunt. Quin etiam ipſa Græcorum ſacra ex Oriente petita. Vide Heinſium *ad Nonnum* & Bochartum *in Phaleg*, quibus adde Anton. Thyſium JCtum *Notis in A. Gellium l.* 1. *c.* 24. ubi in *Epigrammate Navii*, *verſum illum*,

Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,

explicat, ut & Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 2. *c.* 11. Inter cognomina ejus *Quietalis* eſt, quia viventibus affert *quietem*, ut dictum, Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 19. Vide quoque infrà *Quies.*

ORCUS, Moloſſorum Rex, annô ferè ante Romam conditam 717.

ORCUS, Theſſaliæ fluv. è Stygia palude profluens, aquis adeò pinguibus, ut Peneo fluvio, in quem illabitur, olei in modum ſupernatet. Hinc factus eſt locus fabulæ, ut Orcus Inferorum fluvius eſſe dicatur, cujus apud Deos ſanctiſſimum ſemper habitum ſit juramentum. Apud Heſiodum *in* Ἔργ. *v.* 802. vulgò legas Ὅρκον τιννυμένας. Ubi Interpretes: *Perjurium vindicantes.* Quis verò unquam audivit ὅρκον eſſe perjurium? Sanè in MS. (notante Græviô) legitur. Ὅρκον γεινόμενον, *Orcum natum.* Et ſic legiſſe videtur Virg. *Georg.* 1. *v.* 277.

——— *Quintam fuge, pallidus Orcus*

Eumenideſque ſatæ. ——— ———

Ubi Servius, *Heſiodus Orcum quintâ Lunâ dicit natum.* Ex *Celſo* quoque tradit, Orcum eſſe jurisjurandi Deum, pallidum dictum, quia jurantes trepidatione palleſcant. Apud Orcum enim defunctas animas jurare, ne quid ſuos, quos in vitâ reliquerunt, contra fas adjuvent. *Orcus* autem Latinis eſt Pluto, ſummus inferorum Deus. Cicer. *in Verr. Orat.* 4. *c.* 50. *Ut alter Orcus veniſſe Ætnam, & non Proſerpinam, ſed ipſam Cererem rapuiſſe videatur*, h. e. alter Pluto. Plautus *in Pœnulo Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 131. *Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiſerit.* Nonnullis tamen Charon eſt. *Gloſſæ* Philoxeni. *Orcus*, Χάρων. Quin & Sil. Italicus Cerberum *Orcum* vocat *l.* 13. *v.* 845.

——— *Illatrat jejunis faucibus Orcus,*

Armenti quondam cuſtos immanis Iberi.

Ut veteres videantur omnibus inferis tribuiſſe nomen *Orci*, quod à Græcis illos accepiſſe certum eſt, qui Ὄρκον vocârunt ſepulchrum, ut benè obſervat maximus Scaliger *ad Varronem ex Menandro.* Vide Grævium *ad Heſiod. p.* 91. *Nic. Lloydius.*

ORCYNIA, locus Cappadociæ, ubi Eumenes ab Antigono victus, *Plut.*

ORCYNIUM, Lesbi mons. Theophraſtus, *l.* 3. *c. ult. Hiſtor. Ordymnus* Plinio, *l.* 5. *c.* 31. & *Ordunum* vocatur. Item nemus, & oppid. Germaniæ, quod in ejus meditullio ſitum eſt, aliàs Pfortſhemium. German. *Orcynheim*: quam enim ſylvam Græci Latinique *Hercyniam*, veteres Germani *Orcyniam* dixêre. B. Rhenanus *Rer. Germanic. l.* 3. ad quem vide *Notas* Ottonis JCti *p.* 415.

ORDA ſeu HORDA, Tartaris tentorium, ſtatio, curia Imperatoris: Occurrit apud Vincentium Beluacenſem *l.* 32. *c.* 22. 24. 25. 31. & apud Abulfaragium in *Hiſtor. Dynaſtar.* paſſim. *Gloſſar.* Theotiſcum Lipſii, *Ordon, habitabant.* Unde hodieque tribus Tartarorum, in quas illi diviſi, *Hordæ* dicuntur. Hinc Tartaros tribum ſeu *Hordam* Scytharum fuiſſe, à fluvio *Tater* appellatam; Najagenſes, hodie pro numeroſiſſima & maxima Tartarorum *Horda* cenſeri, ut alia omittam, ait Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 288. & 295.

ORDÆA, urbs Macedoniæ, *Stephan.*

ORDALIUM, vox mediiævi, ab *Or* i. e. magnum, & *dael*, i. e. judicium. Judicium fuit ferri, aquæ, ignis, duelli, &c. in Germania, Anglia, Gallia, &c. frequens priſcis temporibus: Duodecim igniti vomeres *Ordalium* apud Græcos fuerunt. Unde Ludovicus Ludovici Regis fil. decem homines cum aqua calida, decem cum ferro calido, & decem cum aqua frigida ad judicium Dei, de Lotharingia cum Carolo Calvo diſceptans, miſit, qui omnes illæſi reperti ſunt, A. C. 876. Liber autem per ferrum candens, ruſticus per aquam, jus ſuum probare ſolitus erat. Vide Aimoin. *l.* 5. *c.* 34. Sigebert. *ad A. C.* 966. inprimis Spelmann. *in Gloſſar. Archæol.* qui formam judicii per *Ordalium* prolixè exſequitur, atque Exorciſmos Aquæ, adjurationem Ferri, Panis item ordeacei & Caſei ex antiquitate diligentiſſimè eruit. Cæterùm Belgicum *Ordeel*, Germanicum *Urtheil*, idem cum *Ordalio* videtur, niſi quòd illa in genere quodvis judicium ſignent. Forma Judicii per *Ordalium* hæc fuit, apud Spelmann.

INCIPIT EXORCISMUS AQUÆ AD JUDICIUM DEI DEMONSTRANDUM.

Peractis coram Sacerdote trium dierum jejuniis, cùm homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ, ad comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam & duc eos in Eccleſiam & coram omnibus illis cantet Presbyter Miſſam & faciet eos ad ipſam Miſſam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget Sacerdos eos, cum adjuratione & dicat, *Adjuro vos N. per Patrem & Filium & Spiritum S. & per veſtram Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis, & per unigenitum Dei fil. & per S. Trinitatem & per S. Euangelium, & per iſtas ſanctas reliquias, quæ in iſta Eccleſia ſunt; & per illum Baptiſmum, quô vos Sacerdos regeneravit, ut ne præſumatis ullô modô communicare neque ad Altare accedere, ſi hoc feciſtis, aut conſenſiſtis aut ſcitis, quis hoc egerit.* Si autem tacuerint & nulli hoc dixerint, accedat Sacerdos ad Altare & communicet. Poſtea verò communicet & illos, quos vult in aquam mittere.

Incipit Miſſa Judicii. ℵ

ℵ *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum; fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam.*

PS. *Beati immaculati in vita.*

Oratio:

Abſolve quæſumus Domine tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxerunt, ſuâ benignitate liberentur, & in hoc judicio, prout meruerint, tuâ juſtitiâ præveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereantur, per Dominum noſtrum.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis, loquutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Ego ſum Dominus, Deus veſter; Non facietis furtum, nec mentiemini: nec decipiat unuſquiſque proximum ſuum. Non perjures in nomine meo: nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo: nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarii tui apud te uſque manè. Non maledices ſurdo: nec coram cæco ponas offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.

Alia.

Ad Epheſios.

FRS. *Renovamini ſpiritum mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra. Iraſcimini & nolite peccare.

Sol

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sol ne occidat ſuper iracundiam veſtram.
Nolite locum dare Diabolo.
Qui furabatur, jam ne furetur: Magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.

RS. Propitius eſto Domine peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum?

Vs. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Alleluja. Deus Judex juſtus, fortis & patiens; nunquid iraſcetur per ſingulos dies?

Secundùm Marcum.

In illis --- Cùm egreſſus eſſet Jheſus in via, percurrens quidam genu flexò ante eum, rogabat eum dicens, Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jheſus autem dixit illi: Quia me dicis bonum: Nemo bonus, niſi ſolus Deus.

Præcepta noſti? Ille dixit, Quæ? Ait. Non occidas. Non adulteraveris. Non fureris. Non falſum teſtimonium dicas. Non fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille reſpondens ait, Magiſter, hæc omnia cuſtodivi à juventute mea. Jheſus autem intuitus eum, dilexit eum & dixit ei, Unum tibi deeſt. Vade, quæcunque habes, vende & da pauperibus & habebis theſaurum in cœlo; Et veni ſequere me. Of Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum & eripiet eos: guſtate & videte quàm ſuavis eſt Dominus.

His offerant: SCRs.

Interceſſio ſanctorum tuorum miſericordiæ tuæ, Domine, munera noſtra conciliet; & quam merita noſtra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere, per Dominum.

Præfatio.

O æterne Deus: Qui non ſolùm peccata dimittis: ſed ipſos etiam juſtificas peccatores: & reis non tantùm pœnas relaxas, ſed dona largiris & præmia. Cujus nos pietatem ſupplices exoramus, ut famulos tuos N. non de præteritis judices reatibus, ſed hujus culpæ veritatem ſpectantibus inſinues, quatenus & in hoc Populus tuus præconia nominis tui efferat & te vitæ præſentis & perpetuæ auctorem agnoſcat per Chriſtum.

Benedictiones ad Judicium.

Deus, de quo ſcriptum eſt, quia juſtus es & rectum judicium tuum, fac cum his ſervis tuis, ſecundùm miſericordiam tuam, ut non de priſtinis judicentur reatibus, ſed in hoc, prout meruerunt, tuâ benedictione præveniente veritatis ſubſequantur judicium. Amen.

Et qui juſtus es & amator juſtitiæ, & à cujus vultu videtur æquitas, fac in conſpectu populi tui, ut nullis malorum præſtigiis veritatis tuæ fuſcentur examina. Amen.

Petitiones noſtras placatus intende & culparum omnium præteritarum eis veniam clementer attribue; & ſi culpabiles ſunt, tua larga benedictio non eis ad ſuffragium, ſed hujus culpæ ad inſinuandam veritatem proficiat. Amen.

Quid ipſe.

Hic communicent poſt Sacerdotem, & dicat Sacerdos:

Corpus hoc & ſanguis Domini noſtri Jheſu Chriſti, ſit vobis ad probationem hodie. Cos. Juſtus Dominus & juſtitiam dilexit, æquitatem videt vultus ejus.

Poſt Communionem.

Perceptis Domine Deus ſacris muneribus, ſuppliciter deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti & à propriis nos reatibus indeſinenter expediat, & in famulis his veritatis ſententiam declaret, per Dominum noſtrum.

Expletâ Miſſâ faciat ipſe Sacerdos aquam benedictam, & pergat ad locum, ubi homines probentur. Cùm autem venerit ad ipſum locum, det illis omnibus bibere de aqua. Poſtea verò conjuret aquam, ubi culpabiles mittat.

Incipit adjuratio aquæ.

Deus, qui per aquarum ſubſtantiam judicia tua exercens, diluvii inundatione millia populorum interemiſti; & Noe juſtum cum ſuis ſalvandum cenſuiſti. Deus, qui in mari rubro cuneos Ægyptiorum involviſti, & agmina Iſraëlitica imperterrita abire juſſiſti, virtutem tuæ benedictionis † his aquis infundere & novum ac mirabile ſignum in illis oſtendere digneris: ut innocentes à crimine, cujus examinationem agimus more aquæ, in ſe recipiant & in profundum pertrahant; conſcios autem hujus criminis à ſe repellant atque reficiant, nec patiantur recipere corpus, quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit, & in hanc conſtituit; ſed quod careat pondere virtutis, careat pondere propriæ ſubſtantiæ in aquis, per Dominum noſtrum. Alias duas adjurationum formulas habes ibidem.

Poſt has autem conjurationes aquæ, exuantur homines, qui mittendi ſunt in aquam, propriis veſtimentis & oſculentur Euangelium & crucem Chriſti & Aqua benedicta ſuper omnes aſpergatur; & qui adſint, omnes jejunent, & ſic projiciantur ſinguli in aquam. Et ſi ſummerſi fuerint, inculpabiles reputentur: ſi ſupernataverint, rei judicentur.

Incipit adjuratio Ferri vel Aquæ ferventis ad judicium. In ſimplo unum pondus. In triplo tria ferrum æquiparet pondera. Et in illa adjuratione non adſint, uti prædiximus, niſi jejuni. Et dictis Letaniis, ſic Sacerdos in loco, ubi ferrum accenditur, vel aqua infervеſcatur, adjurationem initiando inchoet.

Deus, qui per ignem ſigna magna oſtendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum eripuiſti: Deus, qui rubum ardere ante conſpectum Moyſi & minimè comburi permiſiſti: Deus, qui ab incendio fornacis Chaldaici, pleriſque ſuccenſis, tres pueros tuos illæſos eduxiſti: Deus, qui incendio ignis populum Sodomæ & Gomorræ involvens, Loth famulum tuum, cum ſuis, ſaluti donaſti: Deus, qui in adventu ſancti Spiritus tui illuſtratione ignis fideles tuos ab infidelibus ſecreviſti, oſtende nobis in hoc parvitatis noſtræ examine virtutem ejuſdem S. Spiritus; & per hujus ignis fervorem diſcerne fideles & infideles, ut ad tactum ejus rei cujus inquiſitio agitur (furti, homicidii &c.) conſcii exhorreſcant & manus eorum vel pedes comburantur aliquatenus; immunes verò ab ejuſmodi crimine liberentur penitus & illæſi permaneant, per &c. Habes ibidem alteram quoque & tertiam.

His peractis, Aqua benedicta cunctis adſtantibus detur ad deguſtandum & aſpergatur per totam domum & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur & per menſuram 9. pedum portetur, manus ſigilletur, ſub ſigillo ſervetur, & poſt tres noctes aperiatur, & ſi mundus eſt, Deo gratuletur, ſi autem inſanies crudeſcens in veſtigio ferri inveniatur, culpabilis & immundus reputetur. In aqua fervente, accipiat homo lapidem, qui per finem ſuſpendatur, in ſimpla probatione, per menſuram palmæ: in tripla autem, unius ulnæ: manus verò ſigilletur & aperiatur, ut ſuprà.

Incipit Exorciſmus panis ordeacei, quorum appenſio unius unciæ: Primitus faciat Sacerdos lætanias, & omnes, qui intus ſunt cum eo, jejunent, & ſic incipiat.

Conſecrator & creator humani generis; dator gratiæ ſpiritualis; largitor æternæ ſalutis; emitte Spiritum tuum ſuper hanc creaturam panis vel caſei cum timore & tremore magnitudinis brachii tui, adverſùs eum, qui cum ſuperbia & contumacia ac Zelo iniquo venit, & vult ſubvertere juſtitiam & conculcare judicium. Fac eum Domine in viſceribus, anguſtari ejuſque guttura conclude, ut panem vel caſeum iſtum in tuo nomine ſanctificatum devorare non poſſit hic, qui injuſtè juravit ac negavit hoc quod quærebatur & jusjurandum pro nihilo habuit, & nomen tuum nominavit, ubi rectum non erat: Te quæſumus, ut non ei permittas abſcondere, quia juſtus es Domine & rectum judicium tuum, qui cuſtodis veritatem in ſeculum, faciens judicium injuriam patientibus & cuſtodis pupillum ac viduas ſuſcipis & viam malignorum exterminabis; Ideo oſtende nobis miſericordiam tuam, ut humiles ac manſueti & recti propter veritatem gaudeant; ſuperbi autem ac iniqui & cupidi contriſtentur & humilientur, uſque dum confiteantur magno & ſancto nomini tuo & cognoſcant cœteri, quia nomen tibi Dominus & tu ſolus ſuper omnem terram altiſſimus & ſervi tui in te glorientur & laudent nomen tuum in ſecula ſeculorum, Amen. Ibidem alias itidem duas habes.

Hactenus Spelmannus ex textu Roffenſi. Idem Judicium aquæ ignis & ferri conceſſum à Johanne Angliæ Rege Deo & Eccleſiæ S. Trinitatis de Norwic & Epiſcopo loci & ſucceſſoribus ejus & Monachis ibidem Deo ſervientibus per omnes terras ſuas &c. Et quòd habeant per univerſas terras ſuas, ſac & ſoc, tolſthem, Infangentheif & Utfangentheif, cum judicio ferri aquæ & ignis ac duelli benè & in pace &c. data apud Geitinton 28. Novembr. Regni 2. (quod ab Henrico III. confirmatum, apud Weſtmon. 1. Jan. Regni ſui 16.) tradit. Vide apud Eundem plura Gloſſar. Archæol. & ut voce Lada, item Purgatio.

ORDEA, vox recentioris ævi, memorata in Tabulario S. Petri Generenſis, Abſolvit idem Gaſto in Bearnio --- omnes homines ad dominium S. Petri Generenſis pertinentes, ab exercitu & ab omni expeditionis genere, & à repentina hoſtium inſequutione, quam vulgùs conſuevit Ordeam appellare: Marcæ Hiſtor. Beneharn. l. 6. c. 11. num. 6. idem videtur eſſe, quod Wardea, in LL. Wiſigothorum & in Capitular. Caroli M. certus ſcilicet militum numerus, qui in caſtris & oppidis olim conſtituebatur, ad arcendas hoſtium repentinas invaſiones & irruptiones. At Dominico de Prærogativ. allod. c. 22. §. 5. ſignificat hæc vox tumultuariam illam & repentinam militum convocationem, quæ æris campani ſonitu jam finibus imminenti hoſti opponi conſuevit: in veteri quippe Codice forenſium Actorum ditionis Mixiæ, in regno Navarræ, conventus generalis denuntiatio ab orde ſonade, idem eſt ac interpoſitô æris ſonitu, interpretante Oyhenarto in Notit. Vaſconiæ p. 127. Ita Ordeam pulſare, idem ſignificat, quod Gallis battre le beffroy, & Anglis levare hueſium. Vide Car. du Freſne Gloſſar. ut & ſuprà, voce Hueſium.

ORDEACEUS Panis, in Ordalio olim quoque adhibitus. Vide ſuprà Ordalium, ut & in voce Hordeum.

ORDELAFFUS Franciſcus, vide Franciſcus.

ORDESUS, Sarmatiæ Europææ urbs, ad Axiacen fluv. Item fluv. ingens; qui Iſtro miſcetur, Herodot.

ORDINALE, liber quô ordinatur modus dicendi, decantandi, celebrandique divinum officium, ex more Eccleſiæ Romanæ. Provincial. Angl. l. 3. tit. de Eccleſiis ædificandis c. ut Parochiani: Volumus quòd teneantur (Parochiani) invenire omnia inferiùs annotata videl. Legendam, Antiphonarium, Gradale, Pſalterium, Troparium, Ordinale, Miſſale, Manuale, Calicem &c. Ranulfus in Polychron. l. 7. c. 3. in A. D. 1077. de Oſmundo Saresberienſi Epiſcopo, Hic quoque, inquit, compoſuit librum Ordinalem Eccleſiaſtici officii, quem Conſuetudinarium vocant, quô ferè nunc tota Anglia, Wallia & Hibernia utitur, apud Henr. Spelmann. Gloſſar. Archæol.

ORDINARIA Structura, Latinis dicta eſt, quam ἰσόδομοι πλίνθοι, lateres ordinarii, non acervatim, ſed in ordine compoſiti, faciebant. Juvenalis Scholiaſtes: Babylonem ſignificat Perſarum civitatem, quam condidit Semiramis Nini uxor & coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem. Atqui later non eſt lapis. Sed ordinaria ſtructura etiam lateritia, quæ ordine ſtructa eſt. Fiebat & ſilicibus, quos ordinarios vocat Vitruvius l. 2. c. 8. Ex rubro ſaxo quadrato aut ex teſta, aut ex ſilicibus ordinariis ſtruat bipedales parietes. Ubi ſilices ordinarii dicuntur, qui in pariete poſiti ſunt ordine, non temerè congeſti. Hinc idem paulo

pòſt, *Ita enim non acervatim, ſed ordine ſtructum opus poterit eſſe ſempiternum.* Palladius, *l.* 1. *c.* 34. de maceriis horti, *Plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt.* Qualis lateritia ſtructura. Vitruvius ibidem, *Itaque non eſt contemnenda Græcorum ſtructura: non enim utuntur è molli cæmento polita, ſed quum diſceſſerunt à quadrato, ponunt de ſilice ſeu de lapide duro* ordinariam *& ita uti lateritia ſtruentes alligant eorum alternis coriis coagmenta.* Itaque latericia ſtructura propriè *ordinaria*, ad cujus exemplum & ex ſilice vel lapide duro fiebat, quem *lapidem ordinarium* dixêre, diverſum utique à latere coctô: Plin. *l.* 36. *c.* 22. *Græci è lapide duro vel ſilice æquato conſtruunt veluti lateritios parietes, quum ita fecerint, Iſidomum vocant genus ſtructuræ.* At *pſeuſodomon* vocabant, quum inæquali craſſitudine ſtructi erant. Præter quæ tertium *Ordinariæ ſtructuræ* genus fuit, *emplecton* appellatum, quod frontes tantùm politas habebat: Ἐμπλέκεσθαι namque propriè mulierum verbum, quæ capillos in fronte comunt: Recentiores Græci ordine compoſitam ſtructuram, ſive ex ſilice ſive ex latere coctô fieret, ἐγχώρηγον appellarunt; ita ἐγχωρήγου τοίχου meminit Harmenopulus *l.* 2. quâ voce latericia appellata eſſe, teſtatur apud *Suidam* vetus Auctor *de Semiramide.* Vide quoque Achmetis Onirocrit. Interpretem *c.* 45. & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1230.

ORDINARIUS, apud Vopiſc. *in Bonoſo*, *c.* 14. & Capitolin. in *Clodio Albino*, *c.* 11. idem eſt, qui Græcis Τακτικὸς, *manipularis nempe miles, qui in ordine eſt*, *Feſt.* Apud Vegetium *l.* 2. *c.* 7. 8. 15. *qui ordinem ducit*, Ταξίαρχος. Cujuſmodi ordinarios, qui prima in acie pugnarent, primoſque in prælio ordines ducerent, eos eſſe, qui antea *Principes* vocabantur, idem ait *c.* 15. Olim namque & liberâ ſtante Rep. ſic acies ordinabatur, ut primi haſtati pugnarent, deinde principes, poſtremô loco triarii; verùm mutatâ poſtea fermè in totum militiæ ratione, *principes* dicti ſunt, qui in prima acie capeſſerent pugnam, quô nomine primi ordines vel primorum ordinum ductores, h. e. *ordinarii* intelligebantur. Fortè & iidem cum *Evocatis*, qui cùm milites eſſent veteres & è militia jam exiiſſent, ad eam ſponte revocabantur, ordinum ac præmiorum ſpe. Atque hi certô numerô in legione militabant, & *Ordinarii Legionis* dicebantur, quorum mentio in veterib. ſaxis. Diſtinguebantur autem à Centurionibus; quòd Centuriones non eſſent, neque extra prælium munere ſuô fungerentur, ſed cùm præliandum ſolùm eſſet, ordines ducendos acciperent &c. Vide plura de iis apud Salmaſ. *Not. ad Capitolin. in Maximinis* & *Vopiſc. in Bonoſo, loc. cit.* item infrà in *Ordines* alibique. Præterea *Ordinarii* dicuntur, Judicum Ordinariorum Officiales, vel Apparitores, qui inter Cornicularios, Commentarienſes, Numerarios, Apparitores vel Speculatores recenſentur, in *Notit.* Imperii, alibique paſſim. Sed & *Ordinarii*, apud Romanos ſervi dicti ſunt, qui aliis ſervis præpoſiti, certum miniſterium, officiumve in familia exercebant. Theophilus τοὺς πρώτους οἰκέτας, ſicut *Vicarios*, quos illis opponit, τοὺς τῶν οἰκετῶν οἰκέτας, appellat. Vide Tit. Popmam *de Operis Serv.* & plura vocis ſignificata apud Calvin. *Lexic. Jurid.* In *Charta* Henrici Imperatoris A. C. 1312. *Ordinarius* Judicem denotat ordinarium. In Eccleſia Romana, *Ordinarius* loci Epiſcopus dicitur, qui habet ordinariam Juriſdictionem in cauſis Eccleſiaſticis; Gallis vulgò *l'Ordinaire*, apud Littletonem *ſect.* 136. 648. *Ordinary.* Vide Statuta Wilhelmi Scotiæ Regis, *c.* 22. §. 2. Idem nomen dignitatis eſt, in ordine Canonicorum Regularium, cujus munus recitat Innocentius III. *Ep. l.* 1. *p.* 30. *edit. Venetæ. Prædictorum verò octo*, (Canonicorum Regularium in Eccleſia Peruſina) *major Archipresbyter erit, alius* Ordinarius, *ſequens Camerarius* — *Ordinarius verò clauſtrum debet ex officio cuſtodire, ſignare diligenter & auſcultare à ſingulis lectiones* &c. *Ordinarius* verò *Ordinariorum* dicitur ſummus Pontifex, ex quo collationem beneficiorum ſibi vindicavit, in Concilio Lateranenſi *c.* 5. *c. Antiqua de Privil.* & exinde Pontifex concurrit cum omnibus *Ordinariis* & jure præventionis confert omnia beneficia vacantia. In eadem Eccleſia, *Ordinarii* etiam dicuntur ex ordine Eccleſiaſtico, dignitates Eccleſiarum, quibus competit aliqua juriſdictio. Lindwodus ad *Provinciale* Cantuar. Eccleſiæ *l.* 1. *tit.* 7. *Ordinarius principaliter habet locum de Epiſcopo & aliis ſuperioribus, qui ſoli ſunt univerſales in ſuis juriſdictionibus, ſed ſunt ſub eo Ordinarii, hi videlicet, quibus competit juriſdictio ordinaria de jure, privilegio vel conſuetudine* &c. Nec non Canonici Eccleſiarum Collegialium in *Charta* A. C. 1040. apud Ughellum, laudatum Car. du Freſne *Gloſſar.* quem vide. In Aula Gallica *Ordinarius* vocatur, item *Nobilis Ordinarius*, Gall. *Ordinaire*, item *Gentilhomme Ordinaire*, Miniſter Regis, qui mandata ejus ad Parlamenta & in provincias perfert: miſſuſque ad Reges Principeſque exteros illis cùm lætis eorum rebus Regis ſui nomine gratulatur, tum triſtibus ejus συμπάθειαν illis teſtatur, *Richeliet.*

ORDINARIUS, apud Sueton. *de Rhetorib. c.* 2. *Ordinarium eum appellat, deridens ut inflatum ac levem & ſordidum*; ubi perperam vulgò legitur *Hordearium*, ſcurra eſt. Ita enim apud Veteres ſcurra dicebatur. *Feſtus*, *Ordinarius homo ſcurra ac improbus.* Aliter *Buffo*, *Planipes*, *Neanicologus*, *Coprias*, *Aretalogus*, *Paradoxologus* &c. Græcè Κοπρολόγος, Μῶξος, Ἀλαζὼν, Καυχημαλίας &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio.* Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.* de voce hac iſta habet, *Ordinarius*, inquit, *Feſto ſolutus ſcurra & improbus, qui aſſiduè in litibus moratur ob eam cauſam, quòd in* ordine *ſtet adeuntium Prætorem*, ex *Hottomanno* & *Rhodigino.*

ORDINATIO Presbyterorum, in Eccleſia Iſraëlitica, quis ritus fuerit, vide ſuprà ubi de *Manu ordinandis impoſitâ*, nec non ubi de *Ligandi ac Solvendi arcano.* Nomen inde in Eccleſiam Novi Teſt. translatum, & quidem *Canones* Apoſtolorum I. & II. apertè loquuntur de ſacra *Ordinatione* Epiſcopi, Sacerdotis, Diaconi: Dionyſius Areopagita *Hierarch. Eccleſ. c.* 5. de ritu *Ordinandorum* agit: Nicenum Concil. *can.* 8. de ſacra *Ordinatione*, quæ per impoſitionem manuum, verba facit: Chalcedonenſe *can.* 2. damnat eos, qui pecunias pro *ordinatione* accipiunt, ut alia omittam. Vide ſuprà, ubi de *Manuum impoſitione.* Hinc diſtinctio τῶν Προβαθμίων, *qui primi in ordine*, ac Ὑποβαθμίων, *qui ultimi*, priori nempe aut poſteriori locô *ordinati*; & jus, προγενεσίας & pittacia iis data, ut infrà videbimus voce *Pittacium.* In Communione Romana hodie *Ordo*: ſeu *Ordines* ſive *Ordinatio*, unum ex VII. Eccleſiæ illius Sacramentis eſt, de quo Lombardus *l.* 4. *diſtinct.* 24. aliique. Et quidem, quemadmodum olim in Rep. Rom. *ordo* erat Publicanorum, Equitum, Patriciorum, Senatorum: ſimiliter Eccleſiam diſtinguunt primò in Plebem & Clerum; *Plebis* nomine continentes omnes, qui nihil ſunt niſi Chriſtiani ſive fideles, qui tamen *Ordo* non dicitur: *Cleri* verò nomine complexi omnes, quibus aliqua commiſſa eſt curanda pars Eccleſiæ; cujuſmodi in Rep. Magiſtratus ſunt generis cujuſque. Porrò functiones ſacras ſubdividunt, in *Ordines* & *Dignitates*: quorum hæ ſunt *Epiſcoporum*, *Metropolitanorum*, *Archiepiſcoporum*, *Patriarcharum*, *Cardinalium* & *Papæ.* Illi vel *Minores* iterum ſunt, qui non conferuntur in exercitium. Verùm in præviam ſaltem diſpoſitionem, ad Sacerdotium, ut vocant, ſuntque *Oſtiariorum*, *Acoluthorum*, *Lectorum* & *Exorciſtarum*, qui per ſolam tonſuram conſtituuntur vel *Majores*, quibus annexus eſt Cœlibatus, nempe *Subdiaconorum*, *Diaconorum* & *Sacerdotum*, horumque iterum vel *Secularium* vel *Regularium*; Qui omnes, vi tonſuræ, civili juriſdictioni exemti ſunt. Septem verò his *Ordinibus*, per quos ad Sacerdotium aſcenditur, nonnulli duos addunt, *Tonſuram* & *Epiſcopatum*, quidam etiam *Pſalmiſtas* addidêre, decantandis Pſalmis Hymniſque deſtinatos. Quæ non ſatis apertè videntur deciſa in Concilio Tridentino, quemadmodum nec illud, an Hierarchia Eccleſiæ Rom. in ſolis *Ordinibus*, an etiam in juriſdictione conſtat, an verò in utriuſque commixtione, quæ vulgaris eſt ſententia. Horum verò *Ordinum* Viris initiandis ſui cùm ſint ritus, ſua ſolemnia, illis itidem nomen *Ordinis* vulgò tribuunt: *Hoſius* tamen & *Eccius Ordinationem* malunt; hancque propriè Sacramentum eſſe dicunt atque definiunt; *Hoſius* quidem, *Signaculum Eccleſiæ, per quod Spiritualis poteſtas traditur ordinato: Eccius* verò *Signum ſacrum, cum quo poteſtas ſpiritualis confertur & officium ordinato.* Ubi notat *Rubeus*, poni *Poteſtatem*, propter Ordines majores, *Officium*, propter minores. Alii tot Sacramenta, quot *Ordines*, iterumque nonnulli ſeptem, alii octo ſeu novem faciunt: Nec deſunt, qui decimum addant, Tonſuram vulgò ſimplicem: quæ etſi ordinem nullum faciat, tamen præparationem ad *Ordines* & veſtibulum primum eſſe dicunt; adſpiranti enim ad eos ante omnia caput tonderi, i. e. aliquot ex capite pilos in modum circuli, cui *Coronæ* nomen, abradi, notum. Materiam ſingulorum *Ordinum* eſſe id, quod traditur in collatione Ordinis: Formam, verba quæ in illius traditione per modum Imperii dicantur, ait idem *Rubeus*, qua de re hîc infrà. Epiſcopos die Dominicâ Presbyteros cœteroſque Sabbato *ordinari*, Hugo habet *à S. Victore.* Reliqua apud Theologos vide & hîc paſſim.

Ordines Sacri in Ecclesia Romana.

Oſtiarii ſunt, qui Templi januis præficiuntur, cuſtodiuntque ejus omnia interiora & exteriora. His *claves* tradi ſolent, cum verbis: *Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri, de rebus, quæ clavibus iſtis recluduntur.*

Acoluthi, deſtinati ſunt geſtandis cereis porrigendoque vino & quæ ad Euchariſtiam. Eorundem eſt, luminaria in Templis accendere. His itaque *Candelabrum* cum *cereo* porrigitur & *urceolus* vacuus; cum verbis, *Penſate quod ſuſcipitis.*

Lectores, Scripturam Sacram publicè legere tenentur; His proin traditur *Codex* divinarum literarum & dicitur cuique: *Accipe & eſto Verbi Dei relator.*

Exorciſtæ, quorum munus dicunt eſſe, pellere dæmonas ab energumenorum corporibus per manus impoſitionem. Hi accipiunt *Librum* exorciſmorum, cum verbis: *Accipite, & habetote poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos & catechumenos.*

Hypodiaconi ſeu Subdiaconi dicuntur Diaconis præparare vaſa corporis & ſanguinis Chriſti, oblationeſque Populi excipere. His traditur *Patina*, *Calix* vacuus & *Urceolus* cum Aquamanili, ad lavandas manus: cum oratione quadam Epiſcopi.

Diaconi, Sacerdoti ſacrificanti, ut ajunt, adeſſe tenentur ac ſervire. His manus imponitur & *Orarium*, traditurque *Textus* Euangelii: cum verbis: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium.*

Presbyteri ſeu Sacerdotes, qui ipſi ſacrificant. His inunguntur *Manus*, traditur *Stola*, *Calix* cum vino & *Patina* cum hoſtiis, cum verbis: *Accipite poteſtatem offerendi & conficiendi pro vivis & mortuis.* Chamierus *Panſtrat. l.* 4. *c.* 22. & *ſeqq.*

ORDINATOR, Hebr. הסומך, dictus eſt in ſua gente Rabbi Jehuda Ben Baba; quòd non obſtante edictô Cæſareô, de ordinatione Judiciaria criminali inter Judæos penitùs abolenda, *quinque Presbyteros ordinaverat inter Oſam & Sephoram, trecentis hinc ſagittis transfixus*, uti de eo habet David Ganzius in Tzemach David *part.* 1. *Millen.* 4. *ann.* 828. Factum id videtur Seldeno circa ann. 18. Hadriani, Chriſti 134. cùm, ex ſeditione illa Barchocebæ, Judaica tota fermè gens in Terra Sanctâ deſtructa eſt. Vide eum *de Synedriis veter. Ebræorum l.* 2. *c.* 7. §. 6.

ORDINES, in Republica Romana olim tres fuerunt. *Senatorius* primus; Hi Patricii erant & in Senatum eligebantur. Secundus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cundus *Equeſter*: hic Equitum erat, qui equis publicis mererent; eorum inſigne aurei fuêre annuli, quibus à plebe diſtinguebantur. Tertius erat *Plebis*, in quorum numero Quirites, & qui ex aliqua *tribu* eſſent, atque *Cives Romani* dicebantur, Zaſius *de Orig. Juris l.* 2. Eorum meminit Martial. *l.* 4. *Epigr.* 2. *v.* 3.

Cùm plebs & minor Ordo Maximuſque
Sancto cum Duce candidus ſederet.

Ubi loquitur de publicis Ludis, in quo Imperator Ordineſque omnes albati ſpectabant. Quod etiam diebus feſtis, & in comeſſationibus ac conviviis factitatum eſſe, legimus. Sed & *laureis publicos Ordines coronabant publicæ cauſæ*, inquit Tertullian. *de Cor. Mil.* Unde Romanum Senatum pingi ſolitum, ἐν ἱματίῳ καὶ ἐσθῆτι περιπορφύρῳ, ἔτι δὲ καὶ στεφάνῳ ἐστολισμένον, *prætextatum & coronâ honeſtatum*, diſcimus ex Dione in *Trajano* &c. Plures tamen *Ordines* memorat Manilius *l.* 5.

Utque per ingentem Populus deſcribitur urbem:
Præcipuum Patres retinent, & proximum Equeſter
Ordo locum: Populumque Equiti, Populoque ſubire
Vulgus iners, videas etiam ſine nomine turbam.

Nempe pro *populi* ſeu *plebis* acceptione varia, de qua ſuprà. Vide plura hanc in rem apud Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 28. *c.* 33. Iſ. Caſaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 101. Alios, nec non hic paſſim. Eòdem modò per Germaniam tres eſſe *Ordines*, commodè dicitur: Videlicet, *Senatorium* h. e. Principum & Magiſtratuum: *Equeſtrem* h. e. Beneficiariorum Nobilium ſive ruri, ſive in civitatibus: *Plebejum* tandem, i. e. reliquorum civium, Negotiatorum, Opificum, Ruſticorum. Quos ſtatus ſi confundas, actum fuerit cum politia & tanquillitate. Unuſquiſque enim debet ſuæ vocationis meminiſſe, quò pertinet tit. C. *negotiator ne milit.* Sed & Imperii corpus tres *Ordines* conſtituunt, *Electores*, *Principes*, & *Civitates* Imperiales, quorum omnium caput Imperator eſt. De Gallia aliiſque Regnis ut in præſens nil dicam. Vide Joh. Calvin. *Lex. Jurid.* In *veter. Inſcr.* OR. vel ORD. i. e. *Ordo* per ſe *Ordinem Senatorium* deſignat.

ORDINES Alti, apud Senecam, *de Conſtantia Sapientis*; *c. ult. Quo quiſque genere honeſtior, famâ, patrimoniô eſt, hôc ſe fortius gerat, memor in prima acie* altos ordines *ſtare*: iidem cum *primorum ordinum ductoribus* ſunt. Nempe e. g. prima legionum cohors, decem centurias habebat, totidemque Centuriones, quos poſterior ætas *Centenarios* dixit. Ab hac prima cohorte, cùm pugnandum erat, prima acies incipiebat ordinari; in qua primipilus non unam tantùm centuriam, ſed quatuor gubernabat & aquilæ præerat, ut refert *Vegetius*. Primus haſtatus duas, princeps unam ac ſemis, ſecundùm eundem. Qui olim *primi ordines* dicebantur, & *primorum ordinum ductores*, & *principes Centurionum* & *alii Ordines* Senecæ: quos à Centurionibus diſtinguit Frontinus *l.* 1. *c.* 10. *Imperavit Tribunis & primis Ordinibus & Centurionibus.* Hi enim ante aquilam in prælio ſtantes, in prima acie pugnabant: cùm cœteri Centuriones, juxta ſuam quiſque centuriam pugnarent: qua de re plura apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Vita Bonoſi. c.* 14. Cœterùm *Ordines militares* jam in bello Thebano vetuſtiſſimo obſervatos fuiſſe, diſcimus ex *Æſchylo, Seneca*, aliiſque Poëtis. Quos ſequutus Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 7.

Diſpoſiti in turmas rurſus, legemque ſeveri
Ordinis, ut cuique antè locus, ductorque monentur
Inſtaurare vias ——

Quos tamen alii ad Palamedem poſtea, ſub belli Trojani tempora, inventorem referunt. Sed refutat hanc ſententiam Alcidamas Rhetor, Neſtorem jam Centauris bellum inferentem ſic diſpoſitô exercitu rem geſſiſſe aſſeverans, *Declam. Ulyſſis contra Palamedem.* Ibi enim Neſtorem in Pirithoi nuptiis, cum Lapithis, conflixiſſe ἐν φάλαγγι καὶ ἐν τάξει. Mneſtheumque primum κοσμῆσαι τάξεις, καὶ λόχους καὶ φάλαγγας συστῆσαι docet, bellô Eumolpi, contra Athenienſes &c. Vide Barthium *ad Stat. d. l.* ubi initia & progreſſus rei variis & hominibus & temporibus adſcribendos cenſet, conciliatis ſic Veter. ſententiis.

ORDINUM Ductor, in veter. *Inſcr.*

SERGIUS TERENTIUS.
SERG. F. ÆMILIANUS
CENTUR. EMER. VIX. A. LXX.
ORDIN. DUX. SUB
L. POSTUMIO. MODES.
TINA. MARITO
MERENTISSIMO.

Idem cum *Ordinario*, de qua voce diximus *ſupra*.

ORDO, à ſerie differt; quia ille digeſtio eſt, quâ ſuô locô quidque collocatur: hæc verò continua quædam progreſſio atque contextus continuus. Et quidem *Ordinem* in deferendis Magiſtratibus Romani exactè olim obſervârunt, ab inferiore ad ampliorem progrediendo: cùm omnibus in rebus *Ordo* obſervandus ſit, tum maximè in Magiſtratu conferendo, maximam ac peculiarem quandam vim illum habere rati. Primùm, ut hominis ingenium rectè cognoſcatur: cùm Magiſtratus, qualis quiſque ſit ſtatim indicare ſoleat. Deinde, ut expoliantur cives negotiis vulgaribus ad arduas res agendas, quoniam pulchrius eſt parari, quàm creari nobilem. Quæ cauſæ tanti momenti ſunt, ut nihil ſalubrius Reip. videatur quàm inſtitutum hoc in omnibus Civitatibus obſervare, ut non ſtatim rudes ac nullô geſti officii argumentô, probati, rapiantur ad ſummum adminiſtrandæ Reip. gradum & ordinem. E Rep. in Academias tranſiit εὐταξίας hæc ratio, & literarum Candidati, ab incunabulis earum ſenſim ad graviores diſciplinas ordine præparantur; unde graduum, præmiorumque notiſſima jam ab Hebræis, Græciſque ad Europæos noſtros, propagata diſcrimina, de quibus *alibi*. In Exercitu, quantum *Ordo* valeat, Tactici Scriptores, hinc omnino nomen adepti, & experientia docet quotidiana. Ut alia hîc tranſiliam.

Sed & *Ordo* pro ſtatu ſumitur, *l. divus Marc. ff. de Offic. Præſ.* &c. Vide plura apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* In *Gloſſ.* Græco *Lat. Ordo* Βουλευτήριον eſt *Curia*, *Senatus*. Ita capiendus Auguſtin. *in Breviar. Collat.* 3. *c.* 13. *Scripſit etiam Secundus & ad ſeipſum miſſos à Curatore &* Ordine *Centurionem & Beneficiarium*, vide ibidem *c.* 15. & 17. ut & in *Cod.* Theodoſiano non ſemel. In Eccleſia Roman. unum ex Sacramentis *Ordo* dicitur, de quo ſuprà aliquid, in voce *Ordinatio*. In eadem ſic vocatur Liber Eccleſiaſticus, qui vulgò quoque *Ordo Romanus*, editus cum Scriptoribus de Ritibus Eccleſiaſticis, cujus mentio eſt in *l.* 7. *Capit. Caroli Magni c.* 143. Eum intelligit Petrus Diaconus *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 57. *Moxque ſuper eum orationem, ſicut in* Ordine *continetur, Lavicanus Epiſcopus dedit.* Apud eoſdem *Ordo* nudè, pro Ordine religioſo. Arnoldus Lubecenſis *l.* 4. *c.* 13. *Quid ergo damno, reprehendo? Ordinem? non* Ordinem, *ſed* Ordinis *ſuperfluitates, quæ ex illo tempore cœperunt, ex quo facta eſt mutatio Ordinis.* Adde quæ de voce *Ordo* annotavit, Johannes Seldenus *in Eutychii Origines p.* 27. & *ſeqq.* 1. *edit.* Hinc *Homo Ordinis*, pro Religioſo, Cur. General. Catalaniæ A. C. 1291. *Aliquem Ricam hominem, Militem, Clericum*, Hominem Ordinis, *& civem* &c. Etiam Regula ipſa vel obſervatio Monachica ſic appellatur, apud Eadmerum *l. de Similitudin. S. Anſelmi c.* 7. *Hæc & his ſimilia novitius dicit, dum* Ordo *inprimis illi videtur gravis.* Et *c.* 29. *Ipſi jam probati ſunt in omni humilitate & obedientia & patientia & obſervatione omnium quæ* Ordo *expoſcit.* Sic *Charta* Stephani Epiſcopi Noviomenſis A. C. 1215. *Et annô elapſô, in conſpectu univerſitatis fratrum,* Ordo *domus ei exponatur* &c. Unde regula primaria Canonicorum Regularium S. Victoris Pariſienſis, *Liber Ordinis S. Victoris* inſcribitur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* è quo *Ordines* quoſdam Eccleſ. Roman. hîc ſubjicimus.

ORDINES QUIDAM RELIGIOSI ECCLESIÆ ROMANÆ.

Ordo Albus, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, memoratur Jac. à Vitriaco *Hiſtor. Occident. c.* 13. *Cùm à priſcis temporibus in partibus Occidentis duæ tantùm fuiſſent Regularium diverſitates, Monachi ſcil. nigri, S. Benedicti regulam profitentes: & Canonici* albi, *ſecundùm regulam B. Auguſtini viventes* &c. Item Orderico Vitali *l.* 8. *p.* 711. *In ſaltibus & campeſtribus paſſim conſtruuntur Cœnobia, noviſque ritibus variiſque ſcematibus trabeata peragrant Orbem cucullatorum examina* Albedine *præcipuè in habitu ſuo utuntur, quâ ſingulares ab aliis notabileſque videantur. Nigredo in pleriſque locis ſanctæ Scripturæ humilitatem deſignat, quem idcirco Religioſorum fervor colorem hactenus geſtat. Nunc autem nigredinem, quâ priſci Patres tam regulares Clerici in cappis, quàm Monachi in cucullis, ob humilitatis ſpecimen uſi ſunt, moderni tanquam ob majoris juſtitiæ oſtentationem abjiciunt: inuſitatâ quoque pannorum ſectione ſuorum ab aliis diſcrepare appetunt* &c.

Ordo Aſinorum, vide ſuprà in *Aſinus*.

Ordo Fidei, ſeu *Militia Ordinis Fidei Jeſu Chriſti*, Ordo fuit militaris inſtitutus, contra Albigenſes, cujus quidam Savaricus *Pauperem* ſe *Magiſtrum* inſcribit, in literis A. C. 1220.

Ordo Griſeus, Monachorum eſt, qui coloris griſei ſeu pſeudolactini veſtibus induebantur: quô nomine Ciſtercienſes Monachi indigitantur, qui *nigrum habitum primi in griſeum commutârunt*, ut auctor eſt Jacobus Vitriacenſis in *Hiſt. Occid. c.* 14. Vide eundem *c. præc.* ubi poſtquam dixiſſet, priſcis temporibus non niſi *Albos Nigroſque* fuiſſe, pergit: *Poſtquam peccatis exigentibus primò modicà negligentes paululum cadere cœperunt, tandem ad tantam diſſolutionem plures Regularium Conventus devenerunt, quòd viri timorati & prudentes, ſub alio habitu & aliis inſtitutis Domino militaturi, ab ipſis receſſerunt.* Sed & Tironenſes Monachos in Carnutibus, *à conſortio nigrorum Monachorum, mutatô habitu in griſeum* receſſiſſe, ſcribit idem Vitriacenſis. Vide quoque Michaëlem Scotum *Menſæ Philoſ. l.* 5. *c.* 39.

Ordo Niger, *Nigri Monachi*, Benedictini in Occidente paſſim dicti, apud Matthæum Pariſ. *p.* 321. 514. *Nigri Monachi ſub Norma S. Benedicti famulantes*, & alibi. Quid color hic indigitet, diximus paulo ſuprà ex Vitriacenſi. De illis Poëta infimi ævi MS. apud Car. du Freſne;

Sunt tria Nigrorum quæ vaſtant rès Monachorum,
Renes & venter & pocula ſumta frequenter.

Veteres porrò Monachos μελαίναν ἐσθῆτα induiſſe, auctor eſt Eunapius in *Ædeſio*, *p.* 78. &c.

ORDO, in compoſitione capillorum, idem quod *ſtatio*, *gradus*, *fluctus*. Unde *crines in ordine ponere*, Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 11. *v.* 1. *ordine crines digerere*, Martial. *l.* 3. *Epigr.* 63. *v.* 3.

Ille etiam flexos qui digerit ordine crines.

Comæ enim annulatim criſpatæ, non ſolebant confuſæ ac turbatæ & indiſcriminatim temereque implexæ haberi, ſed per gradus quoſdam poſitæ & ordine digeſtæ, ita ut una quæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſervaret & gradatim alveolatimque alia ſuper aliam ſcanderet. Ἕδραν *Euripides* dixit, vide ſuprà *paſſim*.

ORDO Certaminum, in Ludis Gymnicis, vide ſuprà.

ORDO Naturæ, in morte ſervatus, pro re magna olim Gentilibus habitus. Extatque illuſtre exemplum in ſimul morientibus, apud Tacit. *Annal. l.* 16. Sic maritus Priſcillæ, apud Statium *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 181.

Linquo equidem thalamos (ſalvo tamen ordine*) mœſtos,*
Quòd prior exegi longâ potiora ſenectâ
Tempora —— ——

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Alioqui felicior ordo conjugii, uxore priùs moriente, eidem infrà *v.* 220.

——— *illam tranquillo fine ſolutam,*
Felicemque vocant, lachrymas fundente maritô.

Et Auſonio *in Parentalibus.* Vide quoque *veter. Inſcr.* in *Theſauro* Gruteriano DCLXXIX. 7. Sic parentes paſſim &c. Contrà turbatum hunc *ordinem* maximam à Diis pœnam immiſſam rebantur: quare mortem & mortuaria liberorum, nefas putabant à Parentibus videri. Unde Priamus, cum exſecratione Neoptolemum inclamat *Æn. l.* 2. *v.* 536.

At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dî, ſi qua eſt cœlo pietas quæ talia curet,
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita; qui nati coràm me cernere letum
Feciſti, & patrios fœdâſti ſanguine vultus.

Vide quæ de occiſis in conſpectu Matrum Patrumque liberis, adnotavit Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Papin. Stat. paſſim*, inprimis *ad Theb. l.* 6. *v.* 205. Primus autem, qui inverſô Naturæ ordine ante patrem elatus eſt, memoratur in Sacris Lamech II. Methuſalemi fil. Geneſ. *c.* 5. *v.* 31.

ORDO Precum, Vigilio Papæ, idem cùm Canone Miſſæ, Macio *in Hierolex.* Vide ſuprà *Canon Miſſæ.*

ORDONIUS *I.* Legionis & Aſturiæ Rex, poſt patrem Raimirum A. C. 850. A Toletanis, contra Saracenos rebellantibus, in auxilium vocatus, poſt res parum proſperè geſtas, obiit A. C. 862. Ex Nunna, Alphonſi III. Garciæ, *Ordonii* II. & Froilæ, parens.

ORDONIUS *II.* Almanſorum Maurorum Principem ingenti præliô vicit, cæſis hominum 70000. Obiit A. C. 923. pater Alphonſi, IV. qui à Froila patruo regnô exutus eſt, donec poſt 14. menſes, illud obtinuit, uſque ad A. C. 931. quô Raimirus II. frater, illô in monaſterium detruſô, regnare incepit, uſque ad A. C. 950.

ORDONIUS *III.* hujus fil. ſucceſſit, perpetuo cum ſubditis bello implicitus.

ORDONIUS *IV.* Malus, fil. Alphonſi IV. uſurpavit regnum, A. C. 955. paulo pòſt pulſus à Sanctio I. fil. Ramiri *II.* fratre Ordonii III. Vaſæus, Turquetus, Mariana *Hiſt. Hiſp.*

ORDOVICÆ, populus Albionis in ora ad Ortum, quorum urbs *Bervicium*, *Berwick*, vel *Barwick*, in Scotiæ Angliæque confinib. teſte *H. Boethiô.*

ORDOVICES, populi Albionis, quos *Lhuydus* Ceſtrienſes, & Salopienſes in Angliæ Walliæque confinio, ac Lancaſtrenſes eſſe putat. Aliis ſunt in Comitatu Montis Gomerici, in Mervinia & Arvonia, in agro Deubighenſi & Flintenſi. Quibus addit *Camdenus* Monam inſulam. *Baudrando* fuerunt, ubi nunc Wallia Borealis. Habebant ad Ortum Comavios, ad Meridiem Demetos, ad Occaſum & Boream mare Hibernicum.

ORDOVICUM, meliùs *Nordovicum.* Vide ibi.

ORDUNIA, oppid. Biſcajæ, verſus montes, 9. leuc. à Flaviobriga in Meridiem ab ora Oceani Cantabrici.

OREADES, Nymphæ montium, ἀπὸ τοῦ ὄρεος, quod *montem* ſignificat. Virgil. *l.* 1. *Æn. v.* 503. ubi de Diana,

——— *Quam mille ſecutæ*
Hinc atque hinc glomerantur Oreades.

Ovid. *Metam. l.* 8. *v.* 787.

Talibus agreſtum compellat Oreada dictis.

Nic. Lloydius.

OREB, Ebraice חורב, Latinè: *deſertum*, vel *ſolitudo*, ſive *deſtructio*, aut *ſiccitas*, aut *gladius*, mons in deſerto Madianitarum, Pſal. 106. *v.* 19. qui *Sinai* aliàs dicitur, in quo data fuit lex Moſi. Eſt & nomen petræ, Exod. *c.* 17. *v.* 6.

OREB, Ebraice עורב, Latinè, *corvus*, *ſuavis*, aut *fidejuſſor*, vel *commiſcens*, aut *veſpertinus.* Vir Midianita cum Zebo à Gideone interfectus, Judic. *c.* 7. *v.* 25. Pſal. 83. *v.* 12. Joſeph. *l.* 5. *c.* 8.

OREBATIS, urbs Perſidis in mediterraneis, *Ptol.* Vide *Obroatis.*

OREBITÆ, Huſſitarum quidam dicti, Æn. Sylv. *Hiſt. Boh. c.* 43.

OREBROA, ſeu OREBROGIA, parva & unica urbs Nericiæ, in Suecia prope Melerum lacum, 4. leuc. Suec. ab Arboga in Occaſum.

OREGES, unus ex colliculis Imai montis, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

OREGRUNDA, oppid. Uplandiæ in Suecia cum portu in ora ſinus Bothnici, è regione *Ginſon* inſulæ, 7. leucis Suecicis ab Upſala in Ortum.

OREI, vel OROEI, populi Arabiæ apud Plin. *l.* 6. *c.* 9. *Quod intereſt ibi, tenent Arabes Orei. Sic finem uſque in Adjabenem perfert.* Græcè Ὀρεῖοι vel Ὀροαῖοι, de quibus Salmaſ. *ad Solin. p.* 625.

OREINE, inſula in ſinu Arabico. Arrian. *in Periplo. Maczua* fortè hodie, *Ramuſiô* teſte.

ORELHANUS, ſeu fluv. Amazonum, in America Meridionali inter Guajanam, & Braſiliam.

ORELIACUM, urbs Alverinæ ſuperioris ad Jordanum fluvium. Vide *Aureliacum.*

OREMIUS Nicolaus, Papam Antichriſtum eſſe docuit, eôdem tempore, quô Johannes de Rupeſciſſa, Franciſcanus, Apocalypſin contra Papas expoſuit: in Gallia. Juſſu Caroli 5. Regis Biblia ſacra in linguam vernaculam convertit, ſecul. 14. Mornæus *in myſt. iniq.* Joh. Balæus *l.* 6. *&c.* Vide quoque in voce *Nicolaus.*

ORENI, populi Celtiberis proximi ab auſtro.

ORENOCUS, fluv. ingens Americæ Meridional. aliter *Paria*, ſeu *Yuyapari* incolis. Recipit fluv. plures, & regionem Pariam à Gujana ſeparans, in mare Boreale ſe exonerat latiſſimô oſtiô, ubi plurimæ inſulæ & prope Trinitatis inſulam.

OREOPHANTA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol. Rotæ Caſtaldo.*

OREOS, urbs Eubœæ. Gentile *Orites*, *Steph.*

ORESIESIS, vel ORIESIUS, Eremita Ægyptius, ſeculô 4. Scripſit *regulam de Inſtitut. Monachorum &c.* Morer. *in Dict. Hiſt.*

ORESITROPHUS, unus ex canibus Actæonis ἀπὸ τῶν ὀρέων, καὶ τρέφειν, quaſi *in montibus educatus.* Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 233.

——— *Oreſitrophus hæſit in armo.*

ORESTA prius dicta eſt *Hadrianopolis*, ab Oreſte condita.

ORESTÆ, Epiri populi Moloſſis finitimi, ab *Oreſto* ſic dicti, qui cùm inſaniâ liberaretur, & præ pudore cum Hermione & Oreſte filio fugeret, in hanc terram pervenit. *Strabo*, *Plin. l.* 4. *c.* 10. Lucan. *l.* 3. *v.* 249.

Tum furor extremos Romanus movit Oreſtas.

Baudrando populi fuêre Macedoniæ, verſus mare Adriaticum inter Elymiotas ad Boream & Epirum ad Meridiem, à qua dirimitur Acrocerauniis montibus. Eorum urbs fuêre *Oreſtia*, quæ forte *Argos Oreſticum*, ſed ſitus ignoratur & Amantiæ duæ urbes, una ad Mare, altera in Mediterraneis.

ORESTÆ, populus Aſiæ in Gedroſia, ultra Carmaniam, *Oritæ Straboni.*

ORESTE, urbs quædam, cujus Hecatæus in Europa meminit, *Steph. Heſych.* Ὀρέστη, χωρίον Εὐβοίας.

ORESTES, in *Marmore Arundell.* memoratus, Agamemnonis & Clytemneſtræ fil. cui ſoror Electra necem parari ab Ægyſtho, qui patrem Agamemnonem interfecerat, matremque conſtupraverat, prævidens, ipſum per pædagogum in Phocidem clam ablegat, ad Strophium Phocenſium principem, qui Agamemnonis ſororem duxerat. Illic 12. annos moratus cum pædagogo ſuo Argos rediit, ubi, ſub ſpecie hoſpitum Phocenſium, quos Strophius miſerat, ut Oreſtis obitum nunciarent, intromiſſus ad Clytæmneſtram, eam cum Ægyſtho adultero, conſciâ Electrâ, in ultionem patris occidit. Deinde Pyrrhum quoque, Macarei ſacerdotis ope, in templo Apollinis interfecit, eo quòd Hermionem, Menelai filiam, ſibi prius deſponſatam, rapuiſſet. Propter quæ ſcelera furiis agitatus eſt, quibus non antè purgari potuit, quàm ad aram Dianæ Tauricæ à Pylade perductus, perpetrata facinora expiâſſet. Obiit, magnâ cum Pylade familiaritate contractâ, A. M. 2948. regni 70. Pater Tiſamenis Penthili & Cometis, ſucceſſorum. Vellej. Paterc. *l.* 1. *c.* 1. & 2. Pauſan. *in Meſſen.* Euſeb. *in Chron.* Ἀπὸ τοῦ ὄρεος, i. e. à *monte* dictus eſt, vel ob magnam & monſtroſam, corporis magnitudinem, quod ſeptem cubitos longitudine æquâſſe Herodot. *l.* 1. & Solin. *c.* 5. prodiderunt; vel, ut immanes ac feros ejus mores exprimerent, id quod Euſebius vult, *Præp. Euang. l.* 4. & ante Euſebium *Plato.* De furore ejus multa Sophocles, in *Electra*, Euripides, in *Oreſte*; Val. Flacc. *l.* 7. *v.* 148. & alii authores. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 331.

——— *Scelerum Furiis agitatus Oreſtes.*

Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 6. *Nec dum finitus Oreſtes*, ſcil. fabula de Oreſte. *Probus* ſcribit, diu illum hôc furore vexatum didiciſſe tandem ex reſponſo, non prius ſe liberatum iri, quàm flumine eſſet ablutus, quod ſeptem fluminibus confunderetur; atque ita tandem in Rhegini agri flumine purgatum ad priſtinam mentem rediiſſe; cujus & Varro meminit, *Rerum Humanarum l.* 10. Viciſſe ipſum *in Areopago*, h. e. cauſam ſuam obtinuiſſe, *anno* Attico 942. *regnante Athenis Demophonte*, extat in *Marmore præſ.* quod factum eſſe Minervâ calculum ſuum æqualibus Areopagitarum calculis adjiciente, ipſa apud Æſchylum docet *Eumenidib. v.* 743. & 749. Neque tantùm *judicatum*; ſed apud Trœzenios etiam ex*piatum* illum eſſe, à Trœzeniorum Novem-Viris, diſcimus ex Pauſaniæ *Corinthiacis.* Tandem *factum à diis comprobatum, ſpatiô vitæ & felicitate Imperii, apparuiſſe*, ait Vellej. Paterc. *l.* 1. *c.* 1. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* XII. ubi *de Oreſte, Teucro, Aliis*: qui & migrationis Æolicæ primum auctorem O*reſtem* fuiſſe, cum ſocio Piſandro Thebano, ex Pindari *Nem. Od.* 11. ſed re infectâ reverſum notat *ad Sec. XIII.* etiam ſuprà ubi *de Æolum migration.* ut & voce *Penthilus.* Neronem etiam de *Oreſte* Tragœdiam cantâſſe, idque in ſcena, apud Sueton. *in Neron. c.* 21. legas. *Nic. Lloyd.* Hinc *Oreſteus* & *Oreſtea Diana* apud Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 489. & *fides Oreſtea* apud *Claudian.* &c. Vide & *Pylades*, & *Iphigenia*, it. voce *Oreſtida.*

ORESTES, Athenis quidam præmiator nocturnus, qui, dementiæ ſimulatione, noctu deprehenſos diripiebat. Vide Ariſtophan. Acharn. Act. 4. *ſc.* 7. *Schol. p.* 426. *A.*

ORESTES, inter duces Alexandri Magni. Curt. *l.* 4. *c.* 13.

ORESTES, Archelai Macedoniæ regis filius, qui, patre à Cratero occiſô, impubes regnum adeptus eſt, ſed, perfidiâ tutoris Aëropi, è medio ſublatus, percuſſori ſuo in ſexennium vacuam dominationem fecit.

ORESTES, Præfectus urbis, circa A. C. 423.

ORESTES, Patricius & Magiſter militiæ, ſub Nepote Imperatore throno inhians, Ravennam venit, ibique fil. Romulum Auguſtulum Imperatorem proclamavit, A. C. 475. Ab Odoacro, Placentiæ, occiſus, Paulô fratre victô, & Auguſtulô in exilium pulſô. Caſſiodor. *in Chron. Jornand. Paulus Diac. Procopius, &c.*

ORESTES, Præfectus Sardibus, ſub Magorum imperio. Poſtea juſſu Darii Hiſtaſpis interfectus. Is Polycratem Samiorum tyrannum in crucem egit.

ORESTES, Conſul cum Lampadio, An. Urb. Cond. 1283.

ORESTES, cognomen familiæ cujuſdam, de gente Aufidia, apud Romanos. Item; Patriarcha Hieroſolymitanus, A. C. 1006.

ORE-

ORESTEUM, urbs Arcadiæ, quæ *Oreſtia* ab ipſo *Oreſte* appellata. *Steph.* Αὐτὸς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης θνήσκει εἰς χωρίον τῆς Ἀρκαδίας, τὸ λεγόμενον Ὀρέστειον, *Ipſe autem viperæ morſu interiit, in loco Arcadiæ, Oreſteum dicto.* Et paulò poſt, Ἔστι καὶ ἄλλη ἐν Ἀρκαδίᾳ Ὀρεστία, ἣν Εὐδαίμων καὶ Ὦρος διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσι τὴν Ὠρέστειον, *Eſt & alia in Arcadia Oreſtia, quam Eudæmon & Orus per diphthongum ſcribunt.* Hanc Ὀρέστειον urbem, memorat in *Oreſte* Euripides, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 154. his verbis,

——— σὲ δ' αὖ χρεὼν
Ὀρέστα γαίας τῆσδ' ὑπερβάλλονθ' ὅρους
Παῤῥάσιον οἰκεῖν δάπεδον, ἐνιαυτοῦ κύκλον
Κεκλήσεται δὲ σῆς φυγῆς ἐπώνυμον
Ἀζᾶσιν Ἀρκάσιν τ' Ὀρέστειον καλεῖν.

Delrius verò malè transfert *Oreſtas* populos Macedoniæ, quorum regio ἡ Ὀρεστὶς, *Oreſtis.* Vide *ibi.*

ORESTHASION, urbs Arcadiæ, ab *Oreſtheo*, Lycaonis filio, *Steph.* ex Pauſania, *l.* 8. Poſtea *Oreſtium* dicta.

ORESTI, populi Scotiæ. Vide *Horeſti.*

ORESTIA, urbs Oreſtis, in monte ſupra Macedoniam eminente, in qua natus eſt Ptolemæus Lagi filius, primus Ægypti rex. Alia eſt Arcadiæ, *Steph.*

ORESTIADES, Vide *Hecatontachiria.*

ORESTIDÆ, poſteri Oreſtis, *excluſi ab Heraclidis* (Peloponneſo) *jactati variis caſibus, quintô decimo annô ſedem cepêre Lesbum inſulam*, Vellej. Paterculus *l.* 1. *c.* 2. quod factum ſub Penthilo: ſub Echelato dein & Graide ulteriùs progreſſi ſunt, donec Grais Æolicam expeditionem, quam jam proavus orſus fuerat, ut diximus, tandem perficeret. Vide hîc paſſim.

ORESTION, locus Arcadiæ, ubi Oreſtes ab Echidna morſus interiit, *Steph.* eadem cum *Oreſthaſio.*

ORESTIS Portus, apud Plin. *l.* 3. *c.* 5. eſt in ora Calabriæ ulterioris. *Porto Ravaglioſo*, teſte *Barriô.* Item regio Macedoniæ, *Ptolemæo*, (& oppid. ejuſdem regionis Livio *l.* 31. *c.* 40.) quæ *Oreſtias Straboni*, in qua Amantia, oppid. *Ptolem.* quod *Oreſtia Stephano*, & *Oreſtis Livio* dicitur, cujus populi *Oreſtæ*, Plin. *l.* 4. *c.* 10.

ORESUNDICUM Fretum, maris Baltici inter Scaniam ad Ortum & Selandiam ad Occidentem, ubi naves Daniæ Regi tributum ſolvunt, in ſingulos malos. Valde reſtrictum eſt, inter Coronæburgum & Elſingoburgum. Adjacent ei Havnia, Malmoa, aliæque urbes, vulgò *Sund.* Vide *Sundicum fretum.*

ORETÆ, populi Sarmatiæ Aſianæ ad mare Euxinum, inter Cercetios, & Achæos incolentes. *Dionyſius.*

——— Καὶ οἱ πέλας Εὐξείνοιο
Κερκέτιοί τ' Ὀρέται τε, καὶ ἀλλήεντες Ἀχαιοί.

Ita vulgò quidem locus iſte legitur. Atqui *Oretarum* nomen alibi, ni fallor, non invenitur. *Toretas* hîc locat Plin. *l.* 6. *c.* 5. Cercetiis propinquos, in promuntorio quodam, quod etiam *Toreticum Ptolemæus* vocat. *Stephano* quoque Τορέται ἔθνος Ποντικὸν dicitur. Eadem etiam gens eſſe videtur, quos *Toreatas* nominat Mela, *l.* 1. *c.* 19. ſed Mæoticæ, non Ponticæ, oræ incolas, quos etiam Mæoticis gentibus annumerat Strabo, *l.* 11. Ut dubitari poſſit, an utrumque mare eorum fines attigerint, an à Mæotide ad Pontum demigrârint. Extra dubium verò eſt (inquit *Montanus*) hîc legendum eſſe Κερκέτιοι Τορέται τε, quamvis *Euſtathius* Ὀρέται legerit. *Nic. Lloydius.*

ORETANI, populi Hiſpaniæ Tarraconenſis, quorum regio *La Mancha* in regno Caſtellæ novæ. Plin. *l.* 3. *c.* 3. eos *Germanos* cognominat. Eorum urbs *Ptolemæo Oretum Germanicum* vocatur. *Calatrava* hodie, teſte *Cluſiô.* *Oreto* verò *Morali*, ab Almagro (ex ruinis Oreti extructo, vel aucto, ut *Vetus Inſcriptio* indicat) 4. leuc. recedens apud Anam fluv. longitud. 16. 30. latitud. 39. 15. *Baudrando* fuêre, ubi nunc provinc. *La Mancha*, & pars Occidental. provinciæ *La Sierra.*

ORETHUS, fluv. Siciliæ apud *Panormum*, *Fiume della Muraglia Leandro.* Victoriâ Metelli adverſus Haſdrubalem Carthaginenſem memorabilis. *Baudrando* etiamnum *Oreto*, in ora Boreali. Oritur ex montibus, & poſt curſum 8. mill. paſſ. 1. milliar. à Panormo ad Ortum, in mare Tyrrhenum ſe exonerat.

ORETUM, vide ORETANI.

OREUM, Eubœæ inſulæ urbs, Plin. *l.* 4. *c.* 12. in ora maris Ægæi, 50. mill. paſſ. à Chalcide in Boream, *Horæus*, *Ptolemæo* vocatur. Pauſan. tradit, eam quoque *Iſtiæam* vocatam. *Thucydides Heſtiæam* legit. Camerarius, *in ſuis Homericis Commentariis*, dicit, eam prius *Talentiam* dictam. *Steph. Hiſtiæam* ſcribit, & ſuô tempore Oropum nuncupatam addit. *L'Oreo* hodie *Sophiano*, oppid. tenue, *Baudrand.*

OREUS, Liber Pater dictus eſt à *montibus*, in quibus ei fieri ſacrificia ſolebant.

OREXARTES, vide JAXARTES.

OREXIS Convivii, ciborum caritate quæſita. Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 20. *Amabat*, inquit de illo, *ſibi pretia majora dici earum rerum quæ menſæ parabantur*, orexin *convivio hanc eſſe aſſerens.* Unde illa *Senecæ* querela, *delicatis civibus nihil placere, niſi carum.* Et Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 14.

Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interiùs ſi
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

ORGA, *Strabon.* *Orgas*, fluv. Phrygiæ magnæ, in Mæandrum, apud Apameam, influens. Variè ab Urbibus, quas irrigat, hodie dicitur. Recipitur à Marſya, priuſquam in Mæandrum influat; eum proin cum Marſya malè confundit Curtius *l.* 3. *c.* 1. cùm de Marſya ait, *Inde diffuſus circumjectos rigat campos liquidus & duntaxat undas vehens*; quod Orgæ convenit. Idem flumen cum ſuas Marſya & Obrima fluv. Novas Celænas, i.e. Apamæam, circumluit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 827.

ORGALEMA, urbs juxta Iſtrum. *Stephan.*

ORGANA, Minerva ſic dicta. *Heſych.* Ὀργάνη ἡ Ἀθηνᾶ, ἣν καὶ Ἐργάνην, ἀπὸ τῶν ἔργων λέγουσι.

ORGANA, inſula Arabiæ Felici adjacens, *Ptol. Arriano* autem inſula eſt in ſinu Perſico. *Ormus* hodie, ut putat *Ferrarius*, vel alia inſula non longè diſtans. *Tyrrhina Straboni* vocatur. *Cuove* vulgò & *Alchoſam* Arabibus nominari vult *Thevetus.* Idem etiam (viderit ipſe quàm benè) *Serapidis inſulam* putat. *Baudrando* inſula eſt Arabiæ Felicis in ora, in mari Arabico, extra fauces ſinus Perſici, & extra trajectum ex ea in Carmaniam. Nunc *Mazira.* Oblonga eſt, vix 30. mill. paſſ. ab ora Arabiæ, 140. à Corodamo promontor. in Africum, 300. ab Armuzia in Meridiem.

ORGANARII, vide infrà in voce *Organum.*

ORGANICA, Muſices illa pars eſt, quæ Inſtrumentis peragitur, quô Muſices genere qui defungitur, *pſallere* dicitur. Nempe ore quidem canimus, fidibus vel alio *Organo* pſallimus. Cicero *Invectivâ in Catilin.* 2. *Pueri tam delicati non ſolùm amare & amari, neque cantare & pſallere, ſed etiam ſicas vibrare & ſpargere venena didicerunt.* Sueton. *in Tito*, *c.* 3. *Ne Muſicæ quidem rudis, ut qui cantaret & pſalleret, jucundè ſcienterque.* Quamvis non diffitendum, etiam tibiis cani: Ideò A. Gellius, cùm de oris & fidium cantu dicere vellet, ſic ait *l.* 19. *c.* 9. *Deſideravit exhiberi, quos habere eum ſciebat, ſcitiſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce & qui pſallerent.* Nempe canerent *voce* ait, quia & pſallentes canunt: unde & Pſaltria eadem, quæ Fidicina, & *cantare tibiis* dixit Corn. Nepos, *in præfat.* Ubi igitur *canere* ſimpliciter dicitur, & *pſallere* ei adponitur, prius de cantu, qui voce fit, intelligendum. Sunt autem *Organa* illa, quibus hæc Muſices pars peragitur, vel Ἐμπνευστὰ, quæ ſpiritu inflantur: vel Ἔγχορδα ſive Ἔντατα, quæ nervis intenduntur: vel Κρουόμενα ſeu Κρουστὰ, quæ digitis pulſantur; Ad quorum primum genus Buccina, Tuba, Lituus &c. ad ſecundum, Cithara, Barbitus, Nablia &c. ad tertium Tympanum, Cymbalum, Siſtrum &c. referuntur. E quibus *Organi* vox alias generalis, ei per excellentiam manſit, cui folles adhibentur, de quo ita Iſidor. *Orig. l.* 2. *c.* 20. *Organum vocabulum generale eſt vaſorum omnium Muſicorum: hoc autem, cui folles adhibentur, aliô Græci nomine appellant, ut autem* Organum *dicatur, magis ea vulgaris eſt conſuetudo Græcorum.* Atque hujus certè ſcil. quod variô calamorum ordine conſtat, (nam ὄργανον, *fiſtula*, exponitur, in *Gloſſ. Græco-Latin.*) follibuſque inflatur, inventum nuperum non eſſe, diſcimus inſuper ex Auguſtino *in Pſalm.* 56. Amalario *de Offic. Eccleſiaſt. l.* 3. *c.* 3. *Papia*, aliis. Deſcribitur à Senatore in *Pſalm.* 150. his verbis: *Organum eſt quaſi turris, diverſis fiſtulis fabricata, quibus flatus follium vox copioſiſſima deſtinatur & ut eam modulatio decora componat, linguis quibuſdam ligneis ab inferiore parte conſtruitur, quas diſciplinabiliter Magiſtrorum digiti reprimentes, grandiſonam efficiunt & ſuaviſſimam cantilenam.* Similiter Julianus, quem *Parabatem* plerique putant, ita de eo canit, *Antholog. l.* 1. *c.* 64.

Ἀλλοίην ὁρόω δονάκων φύσιν· ἦπου ἀπ' ἄλλης
Χαλκείης τάχα μᾶλλον ἀνεβλάστησαν ἀρούρης,
Ἄγριοι, οὐδ' ἀνέμοισιν ὑφ' ἡμετέροις δονέονται,
Ἀλλ' ὑπὸ ταυρείης προθορὼν σπήλυγγος ἀήτης,
Νέρθεν ἐϋτρήτων καλάμων ὑπὸ ῥίζαν ὁδεύει.
Καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχος ἔχων θοὰ δάκτυλα χειρὸς,
Ἵσταται ἀμφαφόων κανόνας συμφράδμονας αὐλῶν,
Οἱ δ' ἀπαλὸν σκιρτῶντες, ἀποθλίβουσιν ἀοιδήν.

Quam cerno, alterius natura eſt fiſtula; nempe
Altera produxit fortaſſe hanc ænea tellus:
Horrendum ſtridet, nec noſtris illa movetur
Flatibus, at miſſus taurino è carcere ventus
Subtus agit læves calamos, perque ima vagatur.
Mox aliquis velox digitis inſignis & arte
Adſtat, concordes calamis pulſatque tabellas,
Ad illa ſubitò exiliunt & carmina miſcent.

Latinis tamen vix cognita fuiſſe, evincunt Francorum *Annales*, qui in Franciam tum primùm allatum *Organum* A. C. 757. ac Pipino Compendii tunc agenti, cum aliis muneribus miſſum à Conſtantino Imperatore narrant. Simile exin *Organum* Carolo M. oblatum per Legatos, à Conſtantino Michaële, cognomine *Rhangabe*, Imperat. ſubdit Monachus Sangallenſis *de Carolo M. l.* 1. *c.* 10. *Adduxerunt etiam eidem miſſi omne genus Organorum, ſed & variarum rerum ſecum ——— & præcipuè illud Muſicorum* Organum *præſtantiſſimum, quod doliis ex ære conflatis, follibuſque taurinis, per fiſtulas æreas mirè perſlantibus, rugitu quidem tonitrui boatum, garrulitatem verò lyræ vel cymbali, dulcedine coæquabat.* Sed & habuiſſe *Organa* Veronenſem Eccleſiam, eôdem Carolô imperante, docent aliquot *Chartæ*, deſcriptæ ab Ughello *Tom. V. p.* 610. Verùm non follibus ſolùm Antiqui *Organa* ſua quandoque, ſed & aquâ, animabant; imò & Hydraulica ipſa follibus non caruerunt. Porphyrius *in Panegyr*, *dicto Conſtantino Aug.*

Hæc erit in varios ſpecies aptiſſima cantus,
Perque modos gradibus ſurget fœcunda ſonoris,
Ære cavô, & tereti, calamis creſcentibus aucta:
Queîs benè ſuppoſitis quadratis ordine plectris
Artificis manus in numeros clauditque aperitque,
Spiramenta probans placidis bene conſona rhythmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud ſibi diſcors,
Hinc atque hinc animaque agitant. ———

Quæ qui tractabat, *Hydraules*, item *Organarius* dicebatur. Sed quia aquariorum *Organorum* non erat facilis ratio, ut inquit Vitruvius *l.* 10. *c.* 13. proin ſpiritalia noſtra & pneumatica prævaluêre. Meminit incertus Auctor *in Collection. Pithæi* A. C. 826. Georgium quendam Presbyterum de Venetia ad Ludovicum

Pium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pium adductum *Organum* hydraulicum Aquiſgrani féciſſe, quod argumentô ſit, aut deſiiſſe prorſus jam tum, aut minus ſuiſſe in uſu. Vidit tamen & in Quirinali, in hortis Pontificiis, audivitque iſtiuſmodi *Organum* Pignorius, non ſine admiratione, cùm Muſicos concentus variaret, nemine plectra manu tangente. Imò & Hydraulicorum *Organorum* uſum, *ubi mirum in modum aquæ calefactæ violentiam ventus emergens impleret concavitatem barbiti, & per multiforatiles tranſitus aneæ fiſtulæ modulatos clamores emitteret*, in Occidente obtinuiſſe, teſtatur quoque Wilhelmus Malmesbur. Olim verò à cœna domum ſeſe recepiſſe luxurioſiſſimum Imperatorem Gallienum, ad *Organum*, cùm ad tibiam proceſſiſſet, refert Capitolin. *c.* 17. Nec omittendæ Syræ mulieres, quæ Romæ olim, in Circo aliiſque locis Ædilem metuentibus habitantes, *organa* ſecum è patria allata pulſando, ad turpe commercium plebem alliciebant, *ambubajæ* hinc vel *abbubajæ*, Syriacô ſermone dictæ. Nec aliæ ejuſdem farinæ, quibus *organorum* peritia adeò familiaris, ut imperitas ſui gregis, πεζὰς per contemtum appellarent. *Heſychius*, πεζὰς ἑταίρας ἔλεγον, τὰς μισθαρνούσας χωρὶς ὀργάνων. Vide quoque Procopium in Ἀνεκδότοις, & hanc in rem plura apud Caſaubon. *ad Neron. Tranquilli c.* 27. Affinia iſtiuſmodi *Organis* ſyſtemata ſunt campanaria, ubi diverſæ magnitudinis campanæ eâ arte diſponuntur, ut à peritis pulſatæ ſuaviſſimos edant concentus, homineſque non modò in Templis, ſed & domi, in ſtratis, paſſimque eâ, quæ aliàs à Muſicis *Organis* proficiſci ſolet, perfruantur voluptate. Hujuſmodi tria tintinnabula argentea Bononiæ in æde Epiſcopali vidit *Magius*, eâ arte facta, ut cùm à Sacerdotibus Muſices non ignaris ad ſonum edendum impellerentur, Muſicos emitterent concentus: Antverpiæ in turri Divi Mariæ, refert *Merſennus*, triginta tres campanas ut magnitudine & ſonô inter ſe differentes, ita ſuos ſingulas funes, ſuos malleolos habentes, his per funes diverſimodè commotis, concentum alium atque alium reddere, nec fere quidquam hanc machinam ab *Organis* vel Clavicymbalis vulgaribus differre, niſi quòd hîc palmulæ pugnis, illic digitis pulſentur. Sed ſuperant hæc, ut & reliqua apud Menapios, Sicambros, Flandros, Inſulis inprimis & in Tungris, machinæ iſtiuſmodi ſeu *Organa* Campanaria, à Franc. Hemonio inſigni in Arte fuſoria Magiſtro, Amſtelodami paſſim, Senatus juſſu, adornata, de quibus vide Hieronym. Magium *l. de Tintinnabulis c.* 17. Sicut de reliquis *Organis* Muſicis, paulo *infrà*: quorum pleraque complexus eſt Petrus Chryſologus *Serm.* 93. ubi conviviis Romanorum, in quibus hæc Symphoniacorum *Organa* perſtrepuêre, Chriſtianorum conviviorum ſanctam opponens modeſtiam ait: *Venit pietatis illa, non voluptatis, exhibitura convivium: denique & pœnitentiæ ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura & ad delitias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis ſymphoniam.* Organi *planctu dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ipſum conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare.* Quæ verò de *Organis* Muſicis narrant *Conſtantinus Manaſſes* & *Michaël Gyclas* à Theophilo Michaëlis Fil. Imperatore Conſtantinop. adinventis, aliò ſpectant, Muſicam nempe quandam avium fictitiarum arbori perinde fictitiæ inſidentium organicam, ut ex *Leone Grammatico* licet colligere. Cujuſmodi Muſicâ à Conſtantino Imperatore miſſum à Berengario Italiæ Rege ſeſe exceptum eſſe, A. C. 950. refert Luitprandus Ticinenſis Diaconus *l.* 6. *c.* 2. *Erat Regia ornata ſumtuoſiſſimè, ibi aneæ inaurata arbor ante ipſius Imperatoris ſolium effulgebat, expanſis magnum in modum ramis æreis atque inauratis: in his frequentiſſimæ variarum ſpecierum aves, arte confictæ, quarum ſingulæ ſpeciei proprias voces cantuſque emittebant, incredibili arte. Regium autem ſolium mirô erat confectum artificiô, ut momentô videretur humile —— poſtea momentô in ſublimi elatumque apparebat* &c. Sicut autem, qui *Organa* pulſat, *Organarius* dicitur Julio Firmico *Matheſ. l.* 3. *c.* 14. ſic locus Templi, ubi *Organa* ſunt, *Organiſtrum* dicitur, apud Galbertum in *Vita* Caroli Comit. Flandriæ *c.* 4. In interdictis porro *ſuſpendi Organa*, tradit. Guil. Neubrigenſis *l.* 1. *c.* 17. Plura de *Organorum* uſu, vide ſuprà, ubi de *Muſica Eccleſ.* nec non apud Stephanum Durantum *de Ritibus Eccleſ. l.* 1. *c.* 13. Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Heliogabalo*, *c.* 32. & Car. du Freſne *Gloſſar.* qui etiam hanc *Organorum* hodiernorum atque ingentium deſcriptionem metricam ſubjungit, ex Volſtano *Prolog. ad Vitam S. Swithuni*:

> *Talia & auxiſtis hîc* Organa, *qualia nuſquam*
> *Cernuntur geminô conſtabilita ſonô.*
> *Biſſeni ſupra ſociantur in ordine folles*
> *Inferiuſque jacent quatuor atque decem,*
> *Flatibus alternis ſpiracula maxima reddunt,*
> *Quos agitant validi ſeptuaginta Viri.*
> *Brachia verſantes, multô & ſudore madentes,*
> *Certatimque ſuos quiſque movet ſocios.*
> *Viribus ut totis impellant flamina ſurſum,*
> *Et rugiat plenô Kapſa referta ſinu.*
> *Sola quadringentas quæ ſuſtinet ordine Muſas,*
> *Quas manus organici temperat ingenii.*

Adde, quæ hanc in rem præclara congeſſit Clar. Suicerus *Theſauro Eccl.* voce Ὄργανον, quæque ſuprà diximus de *Muſica* in genere.

ORGANORUM SEU INSTRUMENTORUM MUSICORUM SPECIES QUÆDAM.

Barbiton, citharæ ſpecies, apud Iſidor. *Origin. l.* 3. *c.* 21.

Buccina.

Calamus ſeu Fiſtula, *Tu calamos inflare leves* Virg. *Eccl.* 5. *v.* 2. Puellam ex Hebræis, in regio convivio calamos inflantem, habes apud Abdiam *Hiſtor. Apoſtol. l.* 9. Calami ſciſſi meminit *Suidas*, ex Interprete Ariſtophanis *in Nebulas.*

Cithara, in conviviis olim frequens, de qua vide *ſuô locô.* Ejus ſpecies enumerat Iſidor. *loc. cit.* Pſalteria, Lyras, Barbita, & alias quadratâ formâ, nec non & trigonali: quarum aliquas delineatas antiquitatis Studioſis exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* In hac, cùm chordam unam citra neceſſitatem intendiſſet Terpander, mulctatus ab Ephoris ac paxillo cithara ejus ſuſpenſa eſt in rei memoriam; quod Phrynnidi quoque contigiſſe, meminit Plut. περὶ προκοπῆς.

Crotalum, ſi Euſtathio *Il.* α. credimus, vas erat è teſta, ligno aut ære, quod manibus tenebatur & colliſum ſonum edebat. Vide quoque Plin. *l.* 9. *c.* 35. Ejus crepitus onocrotali nomen avi impoſuiſſe videtur: Meminit *Crotaliſtriarum* in conviviis Propert. *l.* 4. *Eleg.* 9. *v.* 11. Ægyptiis Crotala erant, teſte *Joh. Sarisberienſi: ſonoræ ſphærulæ, quæ quibuſdam granis interpoſitis, pro ſui quantitate & ſpecie metalli, varios dabant ſonos.*

Cymbala, ejus figuræ erant, quâ cotyledonis folia ſunt: ambabus enim manibus (erant manubriata vel anſata in extima concavitate) apprehendebantur & comploſa concuſſaque tinniebant: Fuêre ex ære, & *Cymbaliſtriæ* in ſcalpturis Bacchanalium ſacrorum Romæ frequenter viſuntur.

Epigonium, Græcè Ἐπιγόνειον, nomen habuit ab inventore Epigono Ambraciota, quem primum abſque plectro pulſâſſe, docet Jul. Pollux *Onomaſt. l.* 4. *c.* 9.

Fides, nomen generale: In Timothei fidibus, quos plures quàm ſeptem haberet nervos, demi juſſit ſevera Lacedæmon, apud Cic. *de LL. l.* 3. Hinc *Fidicines*, *Fidicinæ.*

Fiſtula, multo in uſu, Fiſtulator amanuenſis concionanti Graccho eburneam fiſtulam inflavit, ad quam ille vocem ac geſtum componeret, apud Cicer. *de Orat. l.* 3. Puellæ Hebrææ, in convivio regio, apud Abdiam, calamos inflantis meminimus ſuprà.

Lituus, vide *ſuô locô.*

Lyra, primitùs ſeptem chordarum fuit, octavam addidit Pythagoras, Theophraſtus Pierites nonam, decimam Hiſtiæus Colophonius, undecimam Timotheus Mileſius, tandem verò ita crevit numerus, ut ſyſtema fieret chordarum 18. Hinc *Lyriſtæ* & *Lyriſtriæ.* Vide quoque ſuprà, in voce *Lyra.*

Magades, inſtrumentum Muſicum quoque fuit, in quo quum plures adhibuiſſet nervos, quàm antea ſolerent, Timotheus Mileſius, in judicium, ut qui priſcam labefaceret Muſicam, eſt vocatus, apud Athen. *l.* 14.

Monochordum, ab Arabibus eſt, Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 20. §. 5.

Naulia, cymbalorum figurâ fuiſſe, Ovid. *de Arte Amandi l.* 3. innuit. *Magius*, quæ *Organa* dicimus, olim ſic appellata, ait, vide ſupra *Naulium.*

Organum, per eminentiam ſic dictum, vide *ſuprà.* Cœlum *Organum* Dei dixit olim Dorylaus, Pythagoræ ſententiam, quod cœleſtium orbium motu concitatiſſimô ſuavis edatur concentus, ſequens.

Pandura, Aſſyriorum inventum. Vide Jul. Pollucem *Onomaſt. l.* 4. *c.* 9.

Quinque chordarum inſtrumentum, à Scythis eſt. Vide eundem, & infrà *Pentachordon.*

Sambuca, organi fuit genus, in quo chordæ intendebantur, ut ait *Feſtus. Sambuciſtriarum*, meminit Livius *l.* 39. *c.* 6.

Siſtrum, oblongum erat, imâ ſui parte manubriatum cancellatumque trajectis virgulis, & ut unô verbo dicam, inquit Pignorius, laminæ ac præterea nihil. Ejus iconem exhibet Auctor modò memoratus *Comm. de Servis.*

Sithyra, à Libybus excogitata eſt, Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 20. §. 5. Vide quoque Julium Pollucem *loc. cit.*

Teſtudo, ab Apolline inventa, aliter *chelys*: exhibetur à Laur. Pignorio *loc. cit.* Unde ejus partes, *latera, cacumina, brachia, humeros, ſcapulas, pectines, modulum, thympanum*, facilè cognoſces.

Tibia, quòd vultum inflantis deformaret, à Minerva quidem abjecta eſt, ſed non deſuêre, quæ tollerent, *Tibicinæ Tibicineſve*, quorum unus, cum fidicine, Duillio à cœna domum revertenti, præire ſolebat, in memoriam primæ victoriæ navalis ab eo reportatæ. Vide *infrà*, in voce *Tibia.*

Tuba, vide *ſuô locô.*

Tympana, pelle vel coriô ſuperinducta, virgulâ percutiebantur, aliquando & manu impellebantur: Eorum iconem habes apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Vide quoque *infrà.*

ORGANOPOIETICA, Græcè Ὀργανοποιητική, pars Mechanices, de qua ſuprà.

ORGAS, vel ORGA, Phrygiæ magnæ fluv. in Mæandrum apud Apameam urbem influens, *Strab.* Plin. *l.* 5. *c.* 29.

ORGASI, Scythiæ intra Imaum populi *Ptol. Organzi Nigro.*

ORGAZ, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quæ Mendoziæ ſtirpis ramus eſt. Hujus enim cùm duo præcipui ſint trunci, alter Dominorum de *Hita* & *Butrago*, cujus princeps Petrus Gonſalez in prælio ad Aliubarrota morte ſuâ Regem ſervavit: alter Dominorum *de Mendibil* & *Ribera*; Fratres in hoc poſteriore fuêre Johannes Hurtadus Dn. de *Mendibil* & Hurtadus Diazius Dn. *de Fuentecha* & *Corçana*; à quorum illo genitus eſt Johannes Hurtadus, ex Maria Caſtellana, Johannis Hurtadi Dn. de *Mendibil* & Didaci Hurtadi Dn. *de Cannere*, genitor. Ex his Didacus hic Hurtadus Marchiones *de Cannete* ſevit: Joh. verò Hurtadus, cujus fil. *Ruiz Diaz* Dn. de *Moron*, dedit Alvarum Comitem *de Caſtrogeriz*, illius proſapiæ, cui etiam cognomen *de Manrique* placuit.

placuit aſſumere, auctorem; alter Joh. Hurtadus, jure uxoriô cognomen *de Sarmiento* & Comitatum *de Ribadavia*, in familiam intulit: etiam Comitum *de Orgaz*, cum *Guzmannio* epitheto, ſator extitit, quorum ſeries ab aliquot ſeculis hæc eſt. Johannes Hurtadus de Mendoza Dn. *de Mendibil*, junxit ſibi Mariam (filiam Alvari Perezii Guzmanni Dn. *de Orgaz*) atque ex ea ſuſcepit Alvarum *de Mendoza* & *Guzmann* Dn. de *Mendibil*, maritum Mariæ *de Roxas* Dn. *de Santacruz*, exque ea patrem Ludovici Hurtadi *de Mendoza* & *Guzman*; quô & Agnete Toletanâ (filiâ Ferdinandi Toletani Dn. *de Viloria*) natus Johannes Hurtadus *de Mendoza* & *Guzman* Comes *de Orgaz*, Leonoram agnatam (Franciſci *de Ribera Barroſo*, Mareſcalli Caſtiliæ Dn. *de Malpica*, ex Maria *de Figueroa*, filiam) conjugem duxit, pater ex ea Stephani *de Mendoza* & *Guzmann*: qui ex Maria *de Figueroa* (Petri de Ribera Barr. Marchionis de Malpica, Mareſcalli Caſtellani filia) genuit Johannem Hurtadum *de Mendoza* & *Guzman*, ac ſororem ejus Leonoram (quæ Johanni Ludovico *de Silva & Ribera* Marchioni *de Montemayor* nupſit) ambos *de Mendoza* & *Guzman* *Comit.* de *Orgaz*. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 64.

ORGE, ſeu *Sulgas Straboni*, meliùs *Sulga*, Gall. *La Sorgue*, teſte *Jo. Poldo*, fons & fluviolus Galliæ Narbonenſ. in Provincia, in Comitatu Vindaxino. Oritur è fonte Vallis Cluſæ, *Vaucluſe*, & in Rhodanum ſe exonerat ſupra Avenionem. Vide *Sulga*. *Sorge* legendum apud Plinium videtur, de quo vide mirum apud illum, *l.* 18. *c.* 22. Nam in eo herbæ quædam naſcuntur, quas boves avidè, capite in aquam merſo, decerpunt & edunt, quas tamen certum eſt, non niſi imbribus ali. Hadriano Valeſio, videtur eſſe *Fons-Aſtorgue*, aliàs *Font-Eſtorgue*, in *tabulis Geographic.* unde Lertius, *le Lers*, oritur, qui Macerias attingit, atque Areiâ auctus, cum ipſo Garumnæ accedit. Hunc Lertii fontem in Pyrenæis intra 22. horas vicies quater increſcere ac decreſcere dicunt: qui ſi eſt *Orge* Plin. *Fonſaſt Orgue*, vel *Fonteſt Orgue* potiùs ſcribi debet: *Notit. Galliæ.*

ORGELIUM, ſeu ORGIA, *Ptolem. Orgella*, *Lib. Concil.* & *Urgella*, urbs Hiſpaniæ citerioris in Catalaunia ad montium Pyrenæorum radices. *Ortelius* illam in Arragonia collocat. *Baudrando Urgel* incolis, urbs Cataloniæ, ad Secorim fluv. in Comitatu Ceretaniæ, 5. leuc. Hiſpan. à confinio Galliæ in Meridiem, 20. à Perpiniano in Occidentem, 28. à Barcinone in Septentrionem, 9. à Soliona. Populi *Orgelitani*, & *Urgellenſes*.

ORGESSUM, urbs Maced. Livio, *l.* 31. *c.* 27. an *Orgyſus* Polyb. *l.* 5. *circa fin.*

ORGETORIX, apud Helvetios, longè nobiliſſimus & ditiſſimus fuit, regni cupiditate inductus, conjurationem nobilitatis fecit, de Gallia occupanda, cujus rei accuſatus mortem ſibi conſcivit. Cæterùm omnia nomina Gallica, quæ Cæſar in X. terminat, apud Helvetios in X. literam ſcripta fuiſſe probabile eſt. Itaque ex *Ehrenrich* fecit *Orgetrix*. Alii deducunt ab ὀργὴ voce, Germanis quoque uſitatâ, pro bello & tumultu, quaſi dicas *hominem bellis gaudentem & deditum*, non pari gratiâ.

ORGIA, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs: in finib Oretanorum, à Toleto 28. leuc. Marciam verſus, *Alcaraz Wernero*; Aliis *Orgaz*, oppid. amplum Toleto finitimum, ab eo 5. leuc. Oretum verſus quod veriſimilius videtur.

ORGIA, Bacchi ſacra, aliô nomine *Bacchanalia*, *Dionyſiaca*, *Trieterica*, de nocte celebrari ſolita, omni poſthabitô pudore, teſte Liviô, *l.* 39. *c.* 9. 10. 13. 17. in Thracia primùm ab Orpheo inſtituta, à quo etiam *Orphica* dicta ſunt, *Diodorô Siculô* authore. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 521. ubi de Orpheo:

Inter ſacra Deum nocturnaque Orgia Bacchi.

Idem *Æn. l.* 4. *v.* 301.

—— *Qualis commotis excita ſacris*
Thyas, ubi auditô ſtimulant Trieterica Bacchô
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 92. ubi de Baccho agit.)

—— *Cui Thracius Orpheus*
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.

Statius *l.* 1. *Achilleidos v.* 593.

Lucus Agenorei ſublimis ad Orgia Bacchi
Stabat. —— ——

Idem *l.* 2. *v.* 137.

—— *Quid ſi Bacchea ferentes*
Orgia, Palladias aut circumvideris aras?

Claudian. *in* 4. *Conſulat. Honorii v.* 604.

—— *Dubitâſſent Orgia Bacchi*
Cui furerent. —— ——

Inde *Heſychius.* Ὀργιάζειν, τελεῖν Διονύσῳ. Catullus *in Ariadna:*

Pars obſcura cavis celebrabant Orgia ciſtis,
Orgia, quæ fruſtrà cupiunt audire profani.

Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 91.

Talia ſecretâ celebrabant Orgia tædâ,
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Nomen traxerunt ἀπὸ τῆς ὀργῆς, i. e. *à furore*, vel *ira*, ut cenſet Euſebius *de Præp. Euang. Phurnutus*, & alii: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, i. e. *montibus*, quòd in montem Cithæronem ſacra illa ex Thracia primum tranſtulerit Orpheus; vel ἀπὸ τῶν ὀργάδων, h. e. *conſecratis alicui Deo locis.* Vel ἀπὸ τοῦ εἴργειν, i. e. *arcendo*, quòd profani arceantur ſacris, id quod Apollonii interpres *l.* 1. etiam affirmat his verbis: Ὄργια, μυστήρια παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν. Addit; ἢ τὰ ἐν ὀργάσι γινόμενα, ὀργάδας δὲ συμφύτους τόπους καλοῦσι, καὶ ἱερούς. Poſſis etiam à ῥέζω deducere, cujus præteritum ἔοργα, ut ita dicantur quaſi θεῖα ἔργα. Eſt & verbum Ὀργᾶν, idem Græcis quod ἐφιέσθαι, h. e. appetere, qua in ſignificatione uſus eſt quandoque Ariſtoteles *in Problem.* τμῆμ. δʹ. Et *Heſychius*, Ὀργᾷ, ἐπιτεταμένως ἐπιθυμεῖ. Quid ſi quis inde auſpicium nominis deducere velit, cùm conſtet, omne eos turpitudinis genus exercuiſſe in iis ſacris. Hinc verbum Ὀργιάζειν, quod idem eſt cum θύειν: teſte *Suidâ*, & Ὀργεῶνες Bacchi ſacerdotes in ſpecie, & eorum cœnæ δεῖπνα Ὀργεωνικὰ *Athenæo.* Nam aliàs etiam aliorum ſacrorum antiſtites Ὀργεῶνας dictas invenio. Scribit enim *Servius*, omnia apud Græcos ſacra *Orgia* ſignificâſſe, ſicut *ceremoniæ* apud Latinos; additque propriè dicta *Orgia*, cauſâ turpitudinis à populo Rom. fuiſſe antiquata. Facit quoque nobiſcum Strabo *l.* 10. *Plurimi Græcorum totum ceremoniale negotium, quod* Orgia *vocant, tum Bacchanale & Choricum, & ſacrorum myſteria Libero Patri attribuerunt.* Cæterùm *Orgia* pro omnibus ceremoniis uti diximus, capiuntur. Unde idem *Strabo: Cybelem præcipuô venerantur honore, ejus* Orgia *frequentantes.* Hinc Ὄργια πόθων, i. e. *Amorum ſacra*, in *Epigrammate.* Dixit quoque *Plato* generaliter, Ὀργιάζω θεὸν, *ſacrificiis placo Deum.* Ita Μουσῶν Ὄργια, apud Ariſtophan. *in Ranis.* Hinc Propert. *l.* 3. *El.* 1. *v.* 3.

Primus ego ingredior puro de fonte Sacerdos,
Itala per Grajos Orgia ferre Choros.

Sic Stat. *l.* 5. *Sylv. Epitaph. in fil. v.* 4.

—— *Quæ veſtra, ſorores*
Orgia, Pieriæ, quas inceſtavimus aras?

Nic. Lloydius. Celebrabant autem hæc *Orgia* Bacchæ, non niſi coronatæ ſertis hederaceis (Numinis inſigni) nec ſine ſerpentibus; qui ſæpe ex hedera & è ſacris ciſtis emergentes & circumvoluti thiaſis ac coronis mulierum, ingentem metum viris incutiebant. Imò & ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, *coronati ſerpentibus*, dicebantur, qui Myſteria hæc obibant. Et verò ſignum Bacchicorum orgiorum fuit ὄφις τετελεσμένος, *ſerpens Myſteriis initiatus.* Ubi veſtigium aliquod ſacræ veritatis, de Eva per ſerpentem ſeducta, deprehendit Clemens Alexandr. *Protrept.* Namque & Εὐὰν in his *orgiis* ululare Bacchi Sacerdotes conſueviſſe diximus ſuprà. Nonnunquam verò *Orgia*, & pro Inſtrumentis ſacrorum, occurrunt. Quâ notione vocem uſurpavit Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 785.

—— *Qualis Berecynthia mater,*
Dum circa parvum jubet exultare Tonantem,
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, ſed magnis reſonat vagitibus Ide.

Et Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 520.

Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Ubi tympana, aut tale quid ſonitu ciendo factum, intelligit. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l. & v. cit.* infrà voce *Trieterica*, uti de tibiis, in *Orgiis* adhiberi ſolitis, ſuprà voce *Bombyx*; de tympanis infrà, ſuô locô.

ORGOMENÆ, urbs Illyriæ, *Stephano*, eadem fortè cum ejus Orgalema.

ORGON, inſula prope Thuſciam. *Idem.*

ORGONESUS, vide URGO.

ORI, populi Aſiæ, Gedroſiis vicini, aliis *Oritæ*: Arbi fluviô ab Indis diſcreti, Plin. *l.* 6. *c.* 23. Quos tamen Arrianus *in Expeditione Alexandri l.* 6. Indis accenſet: Καὶ ἅμα ἐς τοῖς Ὠρίταις τοῖς ταύτῃ Ἰνδοῖς αὐτονόμοις ἐκ πολλοῦ οὖσιν ἄφνω ἐπιπεσεῖν. Niſi fortè legendum, Ὠρίταις καὶ τοῖς ταύτῃ Ἰνδοῖς αὐτονόμοις: ut Arbias intelligat, Oris vicinos. Idem quippe *in Indicis* Arbias populos ultimos Indorum eſſe ait: quod ſi verum, non inter Indos Oritæ. Sicut autem Arbies, ita & *Oritæ*, αὐτονόμοι erant ac ſuis legibus vivebant. Vide ſuprà in *Ora.*

ORIA, Salentinorum civitas in colle ſita: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tarentino: hodiè non magni nominis. Meliùs *Uria*, Latinè.

ORIBASIUS, Juliani Imper. familiaris, à quo & Quæſtor Conſtantinopolitanus factus eſt. Scripſit libros Medicinæ 72. ad Julianum, & eorum epitomen in libris 9. ad Euſtathium fil. de Regno, & de Affectibus *Suidas.* Eunapius verò Sardinius, *in l. Sophiſt. Oribaſius*, inquit, *Pergamenus genere, in eloquentia pariter & medicina profecit, Julianoque propterea, ut medicus, fuit accerſitus; invidiâ deinde ſuccedentium Principum bonis privatus, ac in exilium ad Barbaros miſſus, animum Philoſophi ſemper in calamitate retinuit. Tantâ autem apud eas nationes gratiâ & opinione ob doctrina, & medicina experimenta perſeveravit, ut pro Deo penè coleretur.* Ab exilio dein revocatus eſt. Scripſit, vide ſupra, varia. *Idem.* Caſtellanus, *in vita Medicor.* Juſtus *in Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.* Voſſ. *de Philoſ. c.* 12. §. 28. *&c.*

ORIBASUS, nomen canis Actæonis, apud Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 210. ab Ὄρος, *mons*, & βαίνω, *aſcendo:*

Pampagus, & Dorceus, & Oribaſus; Arcades omnes.

ORIBATÆ, apud Firmicum *l.* 7. *Erunt funambuli, oribatæ, neurobatæ & qui talia pertractent:* Græcis ſunt ὀρειβάται· κρημνοβάτας vocat *Heſychius*, quos cum *neurobatis* perperam, ut videtur, confundit: inter Veteres fuêre Θαυματοποιοὺς, quòd mirabili celeritate per prærupta & acclivia ſcanderent, ſic dicti. Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Carino*, *c.* 19. Vide quoque infrà *Tichobates.*

ORICHALCUM, apud Horat. *de Arte*, *v.* 202. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 87. & Stat. *Theb. l.* 10. Græcis ὀρείχαλκος. i. e. *montanum æs*, verùm nomen hujus metalli eſt, quod Romanorum vetuſtiſſimi, Plautus *in Curcul. Actu* 1. *ſc.* 3. *v.* 46. & *Pſeudolo*, *Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 22. Feſtus item *in Lexico*, tanquam ab *aureo colore*, quem non pauci Scriptores ei tribuunt, *Aurichalcum* ſcripſêre. Origo vocis inde, quia vetus erat fabula, è ſylvoſis montibus incendio correptis præſtantiſſima metalla defluxiſſe. Ita Galliæ montes, olim Rhiphæi, dein Olbii, nunc Alpes dicti, ut ait apud Athenæum *l.* 6. non optimus Geographus *Poſidonius*, αὐτομάτως ὕλης ἐμπρησθείσης ἀργύρῳ διεῤῥύη, *ſylvâ per ſe incenſâ argento profluxerunt*, & Strabo *l.* 3. Idem de Hiſpaniæ metallis agens, negat ſe illi fabulæ fidem derogare, quâ fertur ὅτι τῶν δρυμῶν ποτε ἐμπρησθέντων ἡ γῆ τακεῖσα ἅτε ἀργυρῖτις καὶ χρυσῖτις, εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξέζεσε, διὰ δὲ τοῦτο πᾶν ὄρος καὶ πάντα βουνὸν ὕλην εἶναι νομίσματος, *ſylvis olim incenſis terram liquatam, tam quæ argentô, quàm quæ aurô fœcunda*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eſt & in ſuperficiem ebulliiſſe, & propterea montem omnem atque omnem collem materiam eſſe nummorum. De Pyrenæo ſaltu, ſimile quid ſcribit Diodor. Sic. *l.* 5. Et ne argenti ſolùm ac auri metalla eô caſu liquata credas, de ære quoque & plumbo ſic Lucretius *l.* 5. *v.* 1251.

Quidquid id eſt, quacunque è cauſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſylvas exederat altas,
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat rivis ferventibus, in loca terræ
Concava, conveniens argenti rivus & auri,
Æris item & plumbi &c.

Hanc itaque & *Orichalco* originem fuiſſe, volunt. Sed uti, qui ab aureo colore dictum putârunt, hôc nomine deſignârunt vulgare illud æs, quod cùm naturâ ſit rubrum, admixtâ Cadmiâ flaveſcit; cùm apud Veteres *orichalcum* aliud fuerit ære longè pretioſius, nec multum infra auri pretium, inſuper albi coloris: ſic qui à montibus ei nomen & ortum eſſe contendunt, non magis certa loquuntur. De cœtero, tam rarum inventu eſt nativum *Orichalcum*, ut *Plato* illud deſcribat, tanquam ὀνομαζόμενον μόνον, *ſolò nomine notum*: Imò, an verè extet, aut verò unquam extiterit, jam inde ab Ariſtotele inter Scriptores res fuerit controverſa, ut patet ex Apollonii Scholiaſte *l.* 4. *v.* 973. Vide quoque *Heſychium*, Plinium, *l.* 34. *c.* 2. Tzetzem *in Heſiodum*, *Etymologum*, *Phavorinum*, *Pollucem*, Alios; è quibus *Pollux*, Τὸ δὲ τοῦ ὀρειχάλκου μέταλλον, inquit, οὐδέπω καὶ νῦν εἰς πίστιν ἥκει βεβαίαν, *Orichalci verò metallum hodieque nondum firmâ fide creditur.* Tamen æs Demoneſium, i. e. è Demoneſo Inſul. prope Chalcedonem, pro *Oricalcho* videtur eſſe habitum, ex Ariſtotele *in Mirabil.* ubi æs hoc è fundo maris effodi, & ex eo ſtatuam Sicyone, in veteri Templo Apollinis, item alias, quæ *orichalca* vocentur, in urbe Pheneo conflatas eſſe, narrat. Idem fortè ſuſpicari liceat de ære Moſſynæco, quod Philoſophus vocat λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *ſplendore & candore excellens*, quæ duæ ſunt orichalci notæ characteriſticæ. Sed & idem fortè fuerit *Orichalcum* cum chalcolibano, quomodo vocem hanc interpretatus Hieronymus Apocalypſ. *c.* 1. *v.* 15. qua de re vide ſuprà paſſim, inprimis ubi de *Ære Indico*, *Moſſynæco* & *Sicyonio*, ſeu *Demoneſio*, plura verò apud Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l. 6. c. 16. ubi Haſmal apud Ezechiel. aurichalcum eſſe probat.*

ORICUM, vel ORICUS, ORCO hodie, teſte *Nigrô*, oppid. Epiri maritimum, inter Acroceraunia ad Auſtrum, & Aulonem urbem Macedoniæ ad Boream, à Brundiſio 58. mill. paſſ. quot ab Japygio promontor. Salentinorum. Dionyſ. *v.* 399.

Ὠρικίην δ' ὑπὲρ αἶαν, ἐρείδεται Ἑλλάδος ἀρχὴ,
Πολλὸν ἀνερχομένη, διοσσῇ ζωθεῖσα θαλάσσῃ.
Αἰγαίῃ, Σικελῇ τε. ———

Propert. *l.* 1. *El.* 8. *v.* 19.

Ut te felici vectam per cærula remo
Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Lucan. *l.* 3. *v.* 187.

Tunc qui Dardaniam tenet Oricon. ———

Ubi *Dardaniam* vocat ab Heleno & Andromache Dardanis ibi regnantibus. Hecatæus apud *Stephanum*, Μετὰ δὲ Βούθρωτος πόλις, μετὰ δὲ Ὠρικὸς λιμήν, Plin. *l.* 2. *c.* 89. *Epidaurus & Oricum inſulæ eſſe deſierunt*, Horat. *Carm.* 3. *Od.* 7. *v.* 5. *Ille Notis actus ad Oricum.* Hîc *Oricus* mons *Polybio*, ubi *Oricia terebinthus.* Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 136.

Incluſum buxo, aut Oriciâ terebinthô.

Ubi *Servius*, *Oricos civitas eſt Epeiri, juxta quam naſcitur Terebinthus, nigrum lignum habens folia, in buxi ſpeciem.* Inde Propert. *l.* 3. *Epigr.* 6. *v.* 49.

Sed Thyæ thalamo, aut Oriciâ terebintho.

Nic. Lloydius. Baudrando urbs fuit Chaoniæ, in Epiro, in ora maris Ionii, prope Aulonæ portum, de qua multa *Livius.* Ad radices montis Acroceraunii, cum portu capaci, 60. milliar. ab Hydrunto in Ortum. *Orcha*, *Nigro.*

ORIENS, in veteri hiſtoria pro Aſiæ parte, quæ nobis verſùs Orientem eſt, fortè Parthia, Aſſyria & Armenia major. Vide quoque in voce *Occidens.* Hinc omnia divina & humana Græcos accepiſſe, unde & vocum plurimarum origines non aliunde arceſſendæ, docet Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſoph. l.* 1. *c.* 1. Idem Deorum multitudinem ad alias Gentes, ex eodem *Oriente* tranſiiſſe, demonſtrat *c.* 4. Cùm autem pro parte Orbis ſumitur, varia ejus notio. Apud Plin. *l.* 22. *c.* 22. *Scolymum quoque in cibos recepit* Oriens *& aliô nomine Limoniam appellavit* &c. pro *Græcia* ponitur, cui ſcolymum fuiſſe notiſſimum, patet ex illo Heſiodi, apud *Ariſtotelem*, ἐπὶ σκολύμῳ. Alibi ab eo excluſa Græcia, *Eid.* Babyloniam & Perſidem *Idem* hôc nomine inſignit, ubi de caryotis. In *Notit. Imper.* ubi de Jordane, Magiſtro Militum per Orientem, nomine *Orientis*, τῆς ἀνατολῆς, non intelligitur Aſia minor, ut quidam volunt, quod poſtea demum factum; ſed Ἀνατολικὴ Διοίκησις, *Orientalis Diœceſis*, quæ primis & mediis Eccleſiæ temporibus, ab Aſia minore & Aſiatica Diœceſi fuit diſtincta, quæ quot provinciis conſtiterit, infrà dicetur. Concilium Conſtantinopolitanum *can.* 2. Τοὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς Ἐπισκόπους ἀνατολὴν διοικεῖν, φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νικαίαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ· καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως Ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν μόνην οἰκονομεῖν. Et Antiochiæ Epiſcopus, τῆς Ἀνατολῆς, *Orientis Patriarcha* & τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος audiebat. Hinc & Ἀνατολικαὶ σύνοδοι, *Orientales Synodi* & Ἀνατολικοὶ *Orientales Epiſcopi*, quia illi Patriarchæ ſuberant, nec quicquam habebant commune cum Aſianis, qui Conſtantinopolitanum Patriarchiam agnoſcebant. *Orientem* ſimiliter Latini, ut Græci ἀνατολήν, eas provincias vocârunt, quæ Antiocheno Patriarchæ ſubjacebant. Atque hæc pars Imperii proprium olim Prætorio Præfectum habuit, ejuſque diœceſis provincias numeravit XV. *Palæſtinam*, *Phœnicem*, *Syriam*, *Cyprum*, *Ciliciam*, *Palæſtinam ſecundam*, *Palæſtinam Salutarem*, *Phœnicen Libani*, *Euphratenſem*, *Syriam Salutarem*, *Oſroënam*, *Meſopotamiam*, *Ciliciam ſecundam*, *Iſauriam* & *Arabiam.* Quanquam Guil. Tyrius *Orientem*, ex Veter. auctoritate, *Antiochenam* diœceſin appellare ſe ſcribat, *de Bello Sacr. l.* 2. *c.* 18. Erant autem ſupradictæ provinciæ omnes, ſub diſpoſitione Viri Spectabilis *Comitis Orientis*; cujus curæ Seleucena claſſis commiſſa legitur, ad auxilium purgandi *Orientis*, *in l. una de Claſſicis l.* 11. *C.* At mendum hîc eſſe, ſcripti Codicis Juſtinianei libri & impreſſus Theodoſii codex, ſuadent: in quibus habetur, *ad auxilium purgati Orontis*, Eſt autem Orontes Phœniciæ & Syriæ fluvius, inter Libanum & Antilibanum exoriens, ut Plin. *l.* 5. *c.* 22. & Mela *l.* 1. *c.* 12. ſcribunt &c. Vide Briſſonium apud Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.* Maxima Diœceſeos hujus pars hodie Turcarum ſubeſt Imperatori, qua de re vide Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civil. Part.* 2. ubi *de Imperio Turcico.* At infimis Græciæ & cadentis Imperii temporibus, minor Aſia, Ἀνατολικὸν θέμα, i. e. *Orientalis provincia*, dicta eſt, unde hodieque *Natoliam* vulgò appellant. Hanc Conſtantinus *de provinc. Orientalis Imperii*, quinque his gentibus conſtare ait, Phrygibus, Lycaonibus, Iſauris, Pamphyliis, Piſidis: τὸ νῦν Ἀνατολικὸν καλούμενον θέμα, ὑπὸ πέντε ἐθνῶν κατοικεῖται, Φρυγῶν, Λυκαόνων, Ἰσαύρων, Παμφυλίων, Πισιδῶν. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 804. & *ſeqq.* Cùm verò vox eam partem Mundi, unde Sol oritur, notat, memorabilis eſt ritus *ad Orientem precandi*, Chriſtianis Gentilibuſque non raro in uſu. Et quidem ſolemnem hunc quoque Chriſtianis fuiſſe, nemo, Eccleſiaſticæ Antiquitatis utcunque peritus, poteſt ignorare. Redditque ejus rei apud hos cauſas Seldenus *de Diis Syris Syntagmate* 2. *c.* 8. *ſub fin.* Unam, quia CHRISTUS, quem invocamus, cùm cruci affixus eſſet, Occidentem ſpectârit, atque ita ab adorantibus, in *Orientem* verſis, quaſi conſpici poſſit; Alteram, quoniam uti fulguris ab Oriente in Occidentem motus, ita & magnô illô ſupremôque Orbis die adventum futurum ipſe Chriſtus prædixerit, Matthæi *c.* 24. *v.* 27. Quibus adjice ex Juſtino Martyre (ſi is Autor eſt) *Quæſt.* 118. quia, *opinione hominum præſtabilior eſt Oriens, aliis Creaturæ partibus*: ex Clem. Alexandrino *l.* 7. *Strom. Quoniam diei natalis imago eſt* Oriens *atque illinc quoque lux augetur, quæ primùm illuxit ex tenebris*: ex Baſilio M. *de Spiritu S. c.* 27. *Quia hoc facientes, antiquam repetimus Patriam, videlicet Paradiſum, quem conſeruit Deus in Eden ad Orientem* &c. Quam conſuetudinem Chriſtianis traditam eſſe ab Apoſtolis, contendunt Juſtinus Martyr *l. c.* Baſilius M. ſimiliter *d. l.* & Tertullian. *de Coron. Milit. p.* 417. Apud Gentiles verò, tam antè, quàm poſt natum orbique prædicatum SERVATOREM, jam invaluiſſe, certum eſt. Obſervatum enim id antiquiſſimis temporibus, à Pythagoricis, ſive eam rationem, quam ex Cœlio Rhodigino Johannes Langius, ſuis *ad Juſtinum Martyr. Notis*, refert, quòd ab *Oriente* motus diurnus ſit, ſive quam ex Juſtino ac Clemente jam recenſuimus, ſive quamcunque aliam ſequutis. Ad quem proin morem reſpiciens Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 68. de Ænea canit,

Surgit & ætherei ſpectans orientia Solis
Lumina &c.

Et *l.* 12. *v.* 172.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas.

Atque Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 777.

Hæc Dea placanda eſt, hæc tu converſus ad Ortus
Dic ———

Et diſertè id, atque præſertim, quæ de Templorum ſitu Clemens habet *l.* 3. *Unde etiam Templorum antiquiſſima reſpiciebant ad Occidentem, ut, qui vultus ſtant ad imagines converſi, doceantur verti ad Orientem*: confirmans Vitruvius *l.* 4. *c.* 5. *Ædes autem*, inquit, *ſacræ Deorum immortalium ad regiones, quas ſpectare debent, ſic erunt conſtituendæ, ut, ſi nulla ratio impedierit, liberaque fuerit poteſtas, ædis, ſignum, quod erit in cella collocatum, ſpectet ad Veſpertinam cœli regionem: uti qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli orientem, & ſimulacrum, quod erit in æde; Et ita vota ſuſcipientes contueantur ædem & orientem cœli.* Atque Apulejus *Metam. l.* 2. de Ægyptio quodam vate: *Tunc Orientem obverſus, & incrementa Solis auguſti tacitè imprecatus* &c. Ubi & Beroaldus ritum hunc notat. Et Lucianus *Tom.* 4. *de Saltat. p.* 105. Καὶ τί σοι τοὺς Ἕλληνας λέγω, ὅπου καὶ Ἰνδοὶ ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχονται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς, τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ εἶναι ἡμῶν τὴν εὐχήν; ἀλλ' ἐκεῖνοι πρὸς τὴν ἀνατολὴν στάντες, ὀρχήσει τὸν ἥλιον ἀσπάζονται, *Quid verò Græcorum gentes tibi commoverem, cùm Indi quoque, poſteaquam manè è ſtratis ſurrexerunt, Solem precibus venerati fuerint, non quemadmodum nos, deoſculatâ manu, perfectam precationem arbitramur. Verùm illi ad Orientem converſi, ſaltatione Solem conſalutant*, &c. Vide Tobiam Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 15. §. 24. 25. Sed de hoc ritu, eam ipſam ob cauſam, quòd Gentilibus in uſu eſſet, ſeverè Iſraëlitis in Vet. Teſtamento interdicto, plura dicemus infrà, ubi de phraſi *ad Orientem*, vide & ſuprà de *Orantium ſitu.* Addam hoc unum, uti Iſraëlitæ olim ad Occidentem, Gentiles & Chriſtiani veteres ad *Orientem* converſi adorabant, ita Muhammedanos omnes, quacunque in regione degunt, Meridiem verſùs (quòd Meccæ urbis, ubi Pſeudoprophetæ ſepulchrum eſſe vulgò creditur, Auſtralis ſitus ſit) precibus ſuis defungi. Joh. Baptiſt. Tavernier *Relation du Serrail.*

Oriens Conſul, apud Stat. *l.* 4. *Sylv.* 1. cui titul. *Conſulatus Imp. Aug. Germanici*, *v.* 2. 3.

——— *aperit Germanicus annum,*
Jamque oritur cum Sole novo ———

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eſt, qui Magiſtratum auſpicatur. Fuit autem hoc verbum Conſulari Magiſtratui atque Celſitudini addictum, ex imperio veteris Sanctionis, *Oriens Conſul Magiſtrum Populi dicat.* Qua de vide Velium Longum, cujus verba proponit explicatque Caſp. Barthius *Adverſarior. l.* 137. *c.* 16. Similis rei titulus eſt, quem ſibi Perſarum olim Reges arrogabant, σὺν ἡλίῳ ἀνατέλλων, *cum Sole oriens*, de quo vide ſuprà ubi de *Choſroë*. Neque aliter de Regibus apud Inferos Lucianus in *Necyomantia*, Ὁ δὲ μόγις ἄν ποτε ἀνατείλας αὐτοῖς, περιφερής τις, ἢ περίχρυσος, ἢ διαποίκιλος, εὐδαίμονας ᾤετο καὶ μακαρίους ἀποφαίνειν τοὺς προσειπόντας, εἰ τὸ στῆθος ἢ τὴν δεξιὰν προτείνων δοίη καταφιλεῖν. Sed & Diogenem hominibus, ad quos veniebat, velut Deum quendam *exortum*, ſcribit idem in *Demonacte* &c. Vide Barthium laudatum *Animadverſion. ad Statium d. l.* Quanto ſpecioſior inviſit nos *Oriens ex alto*, cujus meminit in ſua prophetia Zacharias Sacerdos, apud Euangel. Lucam *c.* 1. *v.* 78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Ex intima miſericordia Dei noſtri, qua inviſit nos* Oriens *ex alto*; ad quem locum vide Bezam, alioſque.

ORIENTALIS Eccleſiæ Codex Canonum, à Codice Eccleſiæ univerſæ ſeu Catholicæ, quô uſus olim Oriens, & quem Occidens in Latinum vertit, diſtinctus, editus à Græcis eſt habitâ Synodô Conſtantinopoli in Trullo. Quod cùm non attenderet Perronius Cardin. *in Reſponſ. ad Magnæ Britanniæ Regem. l.* 1. *c.* 53. Chriſtophorum Juſtellum (qui Codicem Eccleſiæ Catholicæ reſtituit & vulgavit A. C. 1610.) imperitiæ & malæ fidei ſine cauſa arguit, quòd in Codicem Univ. Eccleſiæ Sardicenſes Canones non retulerit. *Cùm certiſſimum ſit*, verba ſunt filii (qui eundem Codicem iterum publici juris fecit A. C. 1661. *in Bibl. Juris Canon. Veter. additis Canonibus Epheſinis & Chalcedonenſibus*) *ut omnes eruditi nôrunt, Codicem Eccleſiæ Univerſæ non debere confundi cum eo, qui nunc* Orientalis *Eccleſiæ Codex dicitur, qui à Joanne Tilio editus eſt primùm Lutetiæ, Anno* 1540. *ex MS. codice Eccleſiæ Pictavienſis; unde illius ſummi Viri tota argumentationis ſtrues corruat neceſſe eſt, cùm falſo innitatur fundamento. Et certè non erat, cur in Juſtello genuinum infringeret, ob canones Sardicenſes; cùm inter emunctæ naris viros compertiſſimum ſit, Synodi Sardicenſis Canones in illo primario Codice non extitiſſe. Hujus adſertionis teſtis idoneus Dionyſius Exiguus* &c. Conſtat autem *Orientalis Eccleſiæ Codex*, ex Codice Canonum Eccleſiæ Univerſæ, dein Additionibus iis, quas ipſe *Can.* 2. refert, quem editio Pariſienſis ſatis prolixum Græcè & Latinè repræſentat. E quo patet, multa à Trullanis Patribus Codici Eccl. Univ. eſſe addita, poſt Juſtinianum Imperator. nempe *Canones*, qui vulgò *Apoſtolici* dicuntur, *Canones Sardicenſes*, & *Canones Africanorum Conciliorum*. Porrò Epiſcoporum & Patrum & Patriarcharum quorundam *Canones Epiſtolaſque*, quia idem ab Occidentalibus factum videbant: Quæ additamenta, ex editione Pariſienſi A. C. 1620. cum Balſamonis Commentariis, erudito Lectori exhibet Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 189. Editus verò eſt Codex hic, ut dictum, à Tilio primùm; dein ab Elia Ehingero, ex Bibliotheca Auguſtana, Witebergæ, A. C. 1614. tandem Pariſiis A. C. 1620. Commentariis cum illuſtrârunt Zonaras & Balſamo. Hoc autem inprimis de illo obſervat præfatus Maſtricht, in eum primùm ſententias Patrum recipi & Canonibus exæquari cœpiſſe; poſtquam in Occidente Creſconius, Pontificum Romanorum Decretales, Canonibus primus miſcuiſſet; niſi quòd Joannes Scholaſticus Baſilii Canones ſuo Nomocanoni addiderit. Confirmatus Codex eſt Synodo Nicænâ II. circa quod tempus & in Occidente ſua incrementa habuit Jus Canonicum, ut videre eſt apud præfatum Auctorem, qui utriuſque *Juris Hiſtoriam* accuratè perſequitur *d. l.*

ad ORIENTEM, Græcè κατ' ἀνατολὰς, ſacra ſua peragentes Levitas Choroſque cantantium, in Templi Salomonici Encæniis, ſtetiſſe, legitur in Clementinis Apoſtolorum Conſtitutionibus, ex 2. Paral. *c.* 5. *v.* 12. ut uſus in Orientem precandi Chriſtianis etiam ex Hebræorum exemplo derivetur. Sed notum, Templi Hieroſolymitani ejuſmodi fuiſſe poſitionem, ut introitus ejus à parte haberetur Orientali, nullâ in Occidentali portâ admiſſâ: qui ſitus etiam erat introitus Tabernaculi Fœderis, Numer. *c.* 3. *v.* 38. parilemque fuiſſe Templi, teſtatur etiam Joſephus *Archæolog. l.* 8. *c.* 2. & Ariſteas *l. de LXXII. Interpp.* Patres Chriſtiani, Hieronym. *ad Ezech. c.* 8. Titulus Talmudicus *Middoth*, & ad illum Magiſtri, præter Scriptores ex profeſſo illud delineantes, *Adrichomium*, *Riberam*, *Villalpandum*; Scripturam tandem ipſam Ezech. *Ibid. v.* 16. & *c.* 11. *v.* 1. adeò ut ingredientes in Occidentem ſic verſi preces ac ſacra peragerent. Nec è *loco* Paralipom. *cit.* neceſſario colligitur, facies ſuas verſùs Orientem habuiſſe Levitas Cantoreſque poſitas. Sacer enim textus ſaltem innuit, eos ſtetiſſe מזרח למזבח *in Oriente ad Altare*, ſeu *ad Orientalem* (ut Vulgata) *plagam Altaris*; unde nihil aliud elicitur, quàm coram Altari eos ſtetiſſe, tergiſque obverſis Orienti miniſterium ſuum peregiſſe, quod planiſſimè poſitionem eorum *ad Orientem* negat, contrarium aſſerens, ut & Baronius advertit *Tom. I. Annal. ad ann.* 58. §. 105. Nec meliùs nonnulli ex eo, quod Pontifici M. in magno illo Expiationum Sacrificio, Levit. *c.* 16. *v.* 14. ſpargendus erat juvenci ſanguis, coram Propitiatorio, קדמה, κατ' ἀνατολὰς, *ad Orientem*, exſculpere conantur exemplum ſingulare Sacra verſùs Orientem peragendi; cùm haud aliud inde deduci poſſit, quàm quòd Pontifex ad Orientem Propitiatorii, facie in Occidentem, ut reliqui, verſâ, munus illud ſpargendi præſtaret. Et hanc Templi poſitionem, tam ante ejuſdem excidium, quàm poſt, Synagogæ & Proſeuchæ Judæorum, imitatæ ſunt. Hinc, poſtquam tradidit Maimonides alicubi ex more ſuis avito, ut & Magiſtrorum alii, ubicunque fuerit Iſraëlitarum numerus denarius, eos oportere Proſeucham ſibi qualemcunque ad orandum ædificare; etiam in Urbe qualibet, quoties ſui eſſent juris, cogendos eſſe etiam invitos, ad ædificandam Synagogam, & Librum Legis, Prophetarum ac Hagiographorum ibi comparandum; & Synagogæ ſtructuram eſſe debere, in loco Urbis editiore: Subdit, *Neque fieri debent oſtia Synagogæ alibi atque in Orientem; juxta quod dicitur* (Numer. *c.* 3. *v.* 38.) *& qui caſtrametatur ante Tabernaculum, Orientem verſùs, ante Tabernaculum Fœderis ad Ortum.* Scilicet ex illo Tabernaculi, ſitum hunc in Templum propagatum, etiam in Synagogas ubicunque locorum derivandum, voluêre Veteres. Cùm verò adjicit, *Et conſtruendum eſt ſacellum, in quo ponant Librum Legis. Sacellum autem hoc ſic extrui debet, ut ſitum habeat, ad plagam illam, in quam precari mos eſt Urbis illius:* plagam, in quam orandum, aliam fuiſſe atque aliam, ex avita traditione, docet, vide infrà, in voce *Reſpectus Templi.* Uti ergo Templi Hieroſolymitani ſitus ex plaga illa verſùs quam generatim precandum erat, Occidentem videl. pendebat: Similiter apud Gentiles in plaga Mundi deſignandâ, in quam pateſceret Templum, ſuiſque aris ac ſimulachris, rectâ introëuntibus, obverſi cultum præſtarent, admodum erant ſoliciti: qui tamen uſus varius fuit. Admittitur autem plerumque, Gentiles in genere *Orientem* inter precandum, adeoque fores Templorum eorum, eandem in plagam, à vetuſtiſſimis etiam ſeculis ſpectâſſe. Ut è Sacris non afferam; quæ huc faciunt, alibi monenda; etiam Vitruvius *Architect. l.* 4. *c.* 5. qui ſub Auguſto floruit, veluti pro notiſſima ſui temporis & vetuſta; de ædibus Sacris conſtituendis, ſecundùm regiones & mundi plagas, diſciplina tradit, *eas ita conſtituendas eſſe, ut, ſi nulla alia ratio impediret, liberaque fuerit poteſtas, Ædis ſignum ſeu Numinis ſimulachrum, quod erat in cella collocatum, ſpectaret ad veſpertinam cœli regionem, ut qui adirent ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes ſpectarent ad partem cœli* Orientis, *ipſaque ſimulachra viderent exorientia contueri ſupplicantes & ſacrificantes; quòd aras omnes Deorum neceſſe eſſe videatur, ad* Orientem *ſpectare.* Hinc de Latino Turnoque Regibus, Ænea & Aſcanio ſacrificantibus & precaturis, Virg. Æn. *l.* 12. *v.* 172.

Illi ad ſurgentem converſi lumina ſolem,
Dant fruges manibus ſalſas & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterìſque altaria libant.

Ubi *Servius*, *Non utique nunc Solem ſurgentem dixit. Jam dudum enim dies erat. Sed diſciplinam ceremoniarum ſequutus eſt, ut* Orien*tem ſpectare diceret eum, qui eſſet precaturus.* Ad quem modum etiam oraturus antè Æneas, *l.* 8. *Æn. v.* 68.

Surgit & ætherii ſpectans orientia Solis
Lumina, ritè cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac tales effudit ad æthera voces;
Nymphæ, Laurentes Nymphæ.

Clemens item Alexandr. *loc. cit.* rituum Gentilium ſcientiſſimus, de Chriſtianis precationibus *in Orientem* fieri ſolitis, veluti more hominum antiquiſſimo ritè fundatis, Ὅθεν, inquit, καὶ τὰ παλαιότατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται, *Unde etiam Templorum antiquiſſima reſpiciebant ad Occidentem, ut qui vultu ſtant ad ſimulachra converſo, doceantur verti ad Orientem* &c. Quod verò Lucianus Syrus, de ædibus Orientem proſpicientibus locutus, *l.* περὶ τοῦ οἴκου, Καθ' ἃ, inquit, καὶ τὰ ἱερὰ βλέποντα ἐποίευν οἱ παλαιοί, *Juxta quod etiam templa aſpicere fecére Veteres* qui etiam Templorum haud paucorum origines ac poſitionem ex inſpectione ſe didiciſſe fuſiùs tradit, *l. de Dea Syra:* ea de re dictum ſuprà, in voce *ad Occidentem.* Idem interim Templum Priapi accuratiùs deſcribens, veſtibula Templi, εἰς ἄνεμον Βορέαν, *verſùs ventum Boream*, directa fuiſſe, narrat; ipſum autem Templum Orientem Solem proſpexiſſe, addit. Vide quoque Iſidor. *Origin. l.* 15. *c.* 4. ubi de poſitione Templorum loquitur, *Oram Æquinoctialem* ſpectante, velut in perpetuo apud Veteres uſu; & ex recentioribus Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 12. *c.* 1. & 2. Baronium *Tom. I. ann.* 58. §. 105. Villalpandum *ad Ezech. c.* 8. *v.* 16. Alios. Chriſtianos certè quod attinet, imbibiſſe illos à temporibus maximè primitivis morem *ad Orientem* adorandi, adeoque ad eandem plagam Oratoria ſua ædificandi, palam fit ex Patribus, Conſtantinum etiam Imperatorem longe antevertentibus; Sed hac de re vide hîc paſſim, peculiarem inprimis rationem Gentilium *verſùs Orientem* precandi, ſuprà voce *Decanus*; & plura apud Joann. Seldenum *de Synedriis veter. Hebræorum l.* 3. *c.* 16. §. 1. 2. 3. &c. Sed & in ſepulchris mortui apud Græcos *verſùs Orientem* condebantur, teſte *Scholiaſte* Thucydidis, ubi ait moris iis fuiſſe, ἐπ' ἀνατολὰς ποιεῖν ὁρᾶν τοὺς νεκρούς. Vide quoque Diogenem Laërtium *Solone.* At inſepulto hominis cadaveri terram injici, & in ſepulchro occaſum verſùs condi, Lex voluit, Ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας, memorata Æliano *Var. l.* 5. *c.* 14. qui idem *l.* 7. *c.* 19. Megarenſes *ad Orientem*, Athenienſes *ad Occaſum* ſuos reſpicere voluiſſe, ait: antiquitus videl. more poſtmodum variatô, ut ex præfatis Auctoribus liquet &c.

ORIENTIS Patriarcha, quis olim dictus fuerit, vide ſuprà in voce *Oriens.*

ORIGANUS David, vide *David.*

• ORIGARIUM, melius ORIGAXIUM, palus eſt Comaclenſis, in Ducatu Ferrarienſi, ſub ditione Pontificis vulgò *le valli di Comachio*; inter oſtia Padi fluv. ad Boream & Ravennam ad Meridiem vide *Comaclum.*

ORIGENES, autor Eccleſiaſticus, Alexandrinus, fil. Leonidæ martyris, ſub Severo: diſcipulus Clementis Alexandr. vide infra, cui ſucceſſit. Mortuò patre, in ſumma rerum inopia, bonis videlicet fiſco addictis, fœminæ cujuſdam opulentæ munificentiâ adjutus eſt. Scholam primò Grammaticam Alexandriæ, dein Theologicam, permiſſu Demetrii Epiſcopi cùm vix An. 18. eſſet, aperuit. Fideles in fide confirmavit, Idololatras multos convertit, plurimos mar-

tyres in diſcipulorum numero habuit, Gregorii quoque Thaumaturgi præceptor. Hujus dogmata quædam damnata ſunt, cum in varios errores incideret, quos Auguſtin. *l. de Hæreticis*, commemorat. A quo *Origeniani* dicti, qui eum ſequuntur. Vide infrà. Virilia ſibi amputavit, ne moleſtam ſibi Venerem experiretur, quoque minus ſuſpecta eſſet ejus cum matronis virginibuſque, quas Theologiam non minùs, ac mares docebat, converſatio: Imitatus Hierophantas, Athenienſium ſacerdotes, qui ſorbitione cicutæ ſe caſtrabant, quò caſtiùs in ſacerdotio viverent. Sequuti eum hîc Valeſiani hæretici, nimis liberaliter verba Chriſti accipientes. Dein varia itinera adornavit, Romam ad Zephyrinum Epiſcopum, ad Mammæam, matrem Alexandri Severi, cum qua de fidei myſteriis diſſeruit, &c. Alexandriam redux, complures hæreticos convertit. Dein à Demetrio heterodoxias accuſatus, Tyrum conceſſit, ubi Hexapla ſua confecit. Vide infra: nihilominus & ſic errorum ſuſpectus. Proin Romam denuò profectus, confeſſionem fidei Fabiano Epiſcopo obtulit, dein Cæſareæ docuit, in Deciana perſecutione graviſſima paſſus, obtuliſſe dicitur, diabolicâ Judicis fraude inductus, Idolo thus, apud Epiphan. aliis id in dubium vocantibus. Obiit Tyri An. 254. ætat. 69. Præceptores ejus erant Clemens Alexandr. & Ammonius. *Secundus Eccleſiæ magiſter poſt Apoſtolos*, dicitur *Hieronymo*. Sena millia librorum ſcripſiſſe, unde συντάκτης, vel συλλεκτήριος dictus, author eſt Epiphanius *Hæreſ.* 4. Hexaplorum conditor fuit, qui cùm duabus poſuiſſet columellis ſacrum contextum, ſemel Hebræis, atque iterum Græcis literis, duabus his columellas addidit quatuor, ſcil. verſionem 70. Interpp. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, unde & *Hexapla* dicebantur. Parum probè de Origene ſenſit Theod. Beza. Sic enim ille, *Ep.* 29. *Eſt certè hic ſcriptor adeò omnibus modis impurus, ſive ita ipſe ſcripſit, ſive depravata poſtea fuerunt ejus ſcripta, ut nullam in Eccleſia authoritatem in rebus controverſis mereatur.* De Doctrinâ quoque ejus hæc breviter notavit *Epiphanius*; κακῶς δογματίσας τὰ περὶ πίστεως, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν γραφῶν κακῶς φράσας. Quidquid horum ſit, inter Origenem & ſcripta ejus diſcernendum eſt, quorum ille innocens, hæc fortè hæreticorum, ſub illuſtri ejus nomine orbi impoſitum euntium, fraude, corrupta eſſe potuerunt. Certè non exiguæ diſceptationis jam olim materia fuerunt; dicente Caſſiodorô: *Ubi bene, nemo meliùs, Ubi malè, nemo pejus*, Genebrardus opera ejus collecta edidit, Pariſiis, duobus volum. in fol. A. C. 1574. Euſebius ejus apologiam ſcripſit; ſub nomine martyris Pamphili. Idem & Ruffinus jam tum aliique & Petrus Halloiſius, Jeſuita, haud pridem præſtitit. Epiphan. *hær.* 64. *& de Pond. ac menſ.* Hieronym. *in Catal. c.* 54. *&c.* Euſeb. *in Chron. & Hiſt.* Socrat. *Hiſt. l.* 6. *c.* 12. *&c.* Quidam credunt duos fuiſſe Origenes, Philoſophum Platonicum unum, alterum Chriſtianum. Vide Euſeb. *Hiſt. l.* 6. *c.* 19. Valeſium, *in Euſeb. p.* 120. *Adamantius*, ob ſtudiorum & laborum tolerantiam, dictus eſt. Obiit in ſummâ paupertate A. C. 255. Vide Suidam, in Ὠρειγένης. *Oras* autem nomen fuit Regis Ægyptii, imò apud *Etymologum* etiam Grammatici. Atque, ut ἀπὸ τοῦ Διὸς proprium eſt nomen Διογένης, quaſi *Jovigenam* dixeris, ſic ἀπὸ τοῦ Ὧρου eſt Ὠριγένης, quaſi *Origenam* dicas. Aliud viſum Andreæ Schotto, *ſuis in Origenem Obſervationibus*, *l.* 1. *contra Celſum*, ubi eum tradit ita vocari, quaſi Ὀρειγενῆ, h. e. *montigenam*, quemadmodum Aſcetæ quidam Chryſoſtomo, *Homil.* 13. *in Ep. ad Epheſ.* οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι vocantur, & Laërtio Heraclitus Epheſius dicitur, ἐν τοῖς ὄρεσι διαιτώμενος Sed præterquam quòd prima in Ὄρος ſit correpta, in Ὠρειγένης porrecta, hoc nihil ad Origenem Alexandriæ natum & educatum, ubi *Or*, ſeu *Orus* pro Numine colebatur, & ab eo quoque hominibus nomen id fuit, ut, quin inde *Origenes* appelletur, minimè ſit dubitandum. *Nic. Lloydius.* De ejus ſcriptis hactenus ἀνεκδότοις nonnullis, nuperrimè Baſileæ in lucem editis, vide infrà *Wetſtenius Joh. Rodolfus. P.*

ORIGENI, Melæ *l.* 3. *c.* 1. *Origeviones*, populi Hiſpaniæ Tarraconenſ. in finibus Cantabrorum, per quos Neſva flum. decurrit, quorum urbs primaria *Flaviobriga*, dein *Flavionavia*.

ORIGENIANI, vel ORIGENISTÆ, Hæretici, qui, ſicut Pelagius, erroribus, ex Origenis Libro *de Principiis*, hauſtis: docebant, Jeſum Chriſtum, non eſſe Filium Dei, niſi ex gratia adoptionis, eum cum hominibus comparatum, Veritatem: cum Deo, mendacium eſſe, &c. Animam, ante corpus creatum, in cœlo peccare, Solem, Lunam, Stellas & aquas ſupracœleſtes animatas eſſe; in Reſurrectione corpora forè globoſa, Dæmonum cruciatus aliquando finitum iri: &c. Etiam quidam illorum obſcœnitates Gnoſticorum reduxerunt. Monachi Ægypti & Nitrææ inprimis hâc hæreſi infecti erant, quæ Romam tranſiit, traductione falsâ Ruffini libri hujus, cui magis ſinceram verſionem Hieronymus oppoſuit: Etiam 4. 5. & 6. ſecul. adhuc turbas dedêre; damnati à Theophilo Alexandr. Epiphanio; &c. unâ cum libris Origenis, quorum lectio vetita. Idem renovatum Conciliô Oecumenicô Conſtantinopolitano 2. A. C. 533. Auguſtin. *de hæreſ. c.* 43. *&c.* Cæterùm, quemadmodum myſteriorum arcanè habendorum prætextu Hæretici varii, obtegendæ dogmatum, quorum ipſos pudebat, pravitati atque obſcœnitati, non incommodè abutebantur; ut teſtatur de Baſilide, turpiſſimæ improbiſſimæque doctrinæ auctore, Epiphanius *Hær.* 24. Irenæus item *l.* 1. *c.* 23. ita & *Origeniſtas* perſtringens Hieronymus, quem ſocium errorum ſuorum falsò jactaverant, *Epiſt. ad Pammach. & Ocean. de error. Orig. Nec mirum*, ait, *putant enim, me ſuum eſſe* συμμύστην *& propter animales ac luteos* (ita vocabant ſacris ſuis ſacerrimis non initiatos) *nolle palam dogmata confiteri. Ipſorum enim decretum eſt, non facilè margaritas ante porcos eſſe mittendas, nec dandum ſanctum canibus; Et cum Davide dicere, Abſcondi in corde meo eloquia tua, ut non peccem tibi. Et in alio loco, ſuper juſto: Qui loquitur, inquit, veritatem cum proximo ſuo, i. e. cum his qui domeſtici fidei ſunt. Ex quo volunt intelligi, nos qui necdum initiati ſumus, debere audire mendacium, ne parvuli atque lactentes ſolidioris cibi eduliô ſuffocemur.* Vide de hoc myſteriorum arcanè habendorum more, apud Iſraëlitas, & Chriſtianos, amborumque ſimias, Gentiles ac Hæreticos, Tob. Pfannerum *Lib. cit. c.* 1. §. 5. *& ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Myſterium*, item *Norunt Fideles*.

ORIGIACUM, urbs Pleumoſiorum, in Gallia Belgica eſt *Orchies*, oppid. Flandriæ Gallicæ medium inter Duacum in Africam & Tornacum in Cæciam, 4. leuc. ab Inſulis in Meridiem, ſub Gallis ab A. C. 1667. *Cluv. Baudrandus.*

ORIGINALE, apud Pontificii juris Scriptores, idem eſt cum *Regeſto*; Iidem dicunt eſſe *in integra* nempe Decretali, h. e. *Originali*. Vide exempla apud Alberic. Gentilem *de lib. Jur. Canon. c.* 30. *p.* 30. *& ſeqq.* laudatum Gerhardo von Maſtricht. *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 397. & infrà in voce *Regeſtum*.

ORIGINARII ſeu ORIGINALES ſervi, idem cum vernis ſeu vernaculis, ſunt qui ex aſcriptitiis orti ſunt, in ipſo ſolo, ſive fundo, ut *C. de agric. & cenſit. l. colonos*, *l.* 11. ſervi glebæ addicti, à prima origine colonariæ conditioni adſtricti, qui proin ſine gleba, quam coluerunt, vendi nequeunt. Aſcriptitii verò ſunt, qui per 30. annos fuerunt in ſolo: fiuntque duplici modô: Aut præſcriptione, aut duplici confeſſione, per ſcripturam bis factam, in qua Domino fundi promiſerint, ſe nunquam inde diſceſſuros: quos *Partiarios* etiam nonnulli vocant, ut adnotavit Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c. ult.* Sed & obſervandum, cùm Liberti deputarentur agris; aut etiam cùm liberi homines ſeſe addici paterentur; ab his dein *Originarios* procreatos præſertim, quô tempore Juſtinianus rerum potiebatur. Cujuſmodi hodie ſunt Ruſtici, quos *proprios* appellant, vide Joh. Calvin. *Lexicon. Juridic.* Meminit *Originariorum* ſervorum, Sidonius quoque *l.* 5. *Ep.* 19. & *Edictum* Theodorici Regis *c.* 142. *Liceat unicuique domino ex prædiis, quæ corporaliter & legitimô jure poſſidet, ruſtica utriuſque ſexus mancipia, etiamſi Originaria ſint, ad juris ſui loca transferre, vel urbanis miniſteriis applicare, ita ut illis prædiis acquirantur, ad quæ voluntate Domini migrata fuiſſe conſtiterit —— alienare etiam ſupradictæ conditionis homines liceat dominis, abſque terræ aliqua portione* &c. Teſtamentum item S. Remigii, apud Flodoardum *l.* 1. *c.* 18. *Innocentium ſervum, quem accepi à Profuturo* originario *meo* &c. Ita alibi paſſim. Vide Auctores hanc in rem laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

ORIGINES, nomen libri 2. & 3. Hiſtoriarum M. Porcii Catonis, apud C. Nepotem *in eo c. ult. Senex hiſtoriam ſcribere inſtituit, quales ſunt libri ſeptem. Primus continet res geſtas legum populi Romani. Secundus & tertius, unde quæque civitas orta ſit Italica, ob quam rem omnes*, Origines *videtur appellâſſe* &c. Nempe à duobus his libris, qui propriè origines tractabant, toti Operi id nomen datum. Unde *Originum ſeptimi libri* meminit Tullius *Catone*. Feſtus verò inſcriptionem hanc carpit, voce *Originum*: *Originum libros quod inſcripſit Cato, non ſatis plenum titulum propoſiti ſui videtur amplexus: quando prægravant ea, quæ ſunt rerum geſtarum populi Romani.* Meminit illorum Robertus Valturius *de Re milit. l.* 2. Cicero inſuper impenſè laudat, ob florem præſertim ac lumen eloquentiæ, etſi hæc non probet Brutus, G. J. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 5.

ORIGO, Ὀριγὼ, priùs dicta, quæ deinde Dido. *Euſebius* Ἐκαλεῖτο δὲ πρὸ τούτου Ὀριγώ.

ORIGO, mima, & meretrix. Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 55.

—— *Marſæus amator Originis.*

ORILLACUM, oppid. Alverniæ.

ORINDA, panis genus, &, ex quo conficitur, ſemen Æthiopiæ peculiare & ſeſamo perſimile, quod coquentes veſcuntur, ut eſt apud Heſychium in Ὀρίνδην. Atque ita hanc vocem reſtituit Gabr. Humelbergius, apud Apicium *l.* 2. *c.* 2. pro *Oridia*, ut annotavit Car. du Freſne *Gloſſar.*

ORINE, *Arriano*, *Ramuſio Macxua*, Inſula ſinus Arabici, Æthiopiæ contra Adulim urbem adjacens, forte *Orneon*, *Ptol.*

ORINGIS, vel ONINGIS, *Jaen*, ut *Morali* videtur, urbs Hiſpaniæ Bæticæ in Vandalia, à Scipione Africano expugnata, & exciſa, teſte *Liviô*, nunc inter præclaras urbes habita.

ORINUS, fluv. Illyrici in Myſiæ confinio, qui in Drinum excipitur. *Calliſtus*, *Niceph.*

ORINUS, *Ptolem. Thucyd. Erineus*, fluv. Siciliæ, per agrum Neetenſem, inter Aſſinarium & Cacyparim fluens, marique inter Syracuſas & Elorum exceptus: *Miranda*, & intus *Fiume di Noto*, *Fazello*.

ORIOBATES, Sogdianorum ac Mardorum in exercitu ad Arbela cæſo, ductor, Curt. *l.* 4. *c.* 12.

ORIOLA, vulgò ORIHUELLA. Vide *Orcelis*.

ORION, Poëtis venator eſt, & ſatelles Dianæ, auditor Atlantis, qui doctrinam de cœleſtibus motibus, & ſtellis ex Libya in Græciam attulit. Nomen ejus quidam ab ὥρα, quod ſignificat differentias temporum anni, ver, æſtatem, &c. deducunt. Quanquam *Strabo* appellatum cum velit *Oriona*, quòd eſſet educatus in *Oræo* oppid. Eubœæ, Grammatici verò ab οὖρον derivant, i. e. *urinâ*, quia Coſmicus occaſus Orionis in Novembri ciet ſævas tempeſtates; unde Virg. dixit, *l.* 7. *Æn. v.* 719.

Sævus ibi Orion hybernis conditur undis.

Sanè Plinius, *l.* 18. *c.* 28. Orionem nominat inter noxia ſidera; ita etiam alii. Excitat quippe tempeſtates ortu ſuô & occaſu. De ortu Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 539.

Cùm ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit. —— ——

De occaſu Horat. *Epod.* 10. *v.* 9. 10.

Nec ſidus atrâ nocte amicum appareat,
Quâ triſtis Orion cadit.

Utrumque Ariſtoteles conjunxit, *l.* 2. *Meteor.* ſcribens, *Orionis dum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

δύνειν, καὶ ἀνατολὴν ταραχώδη, *dirum eſſe ortum occaſumque.* Sed aliam cauſam affert Lactantius, Statii vetus Scholiaſtes, *in l. 7. Theb.* Fabula ſic ſe habet: Pelaſgus pauper quidam, *Oenopeus* nomine, vel *Oenopion*, (*Hyreus* autem *Ovidio* dicitur) Jovem, Neptunum & Mercurium ſuſceperat hoſpitiò. Qui referendæ gratiæ copiam dedére precandi quod vellet. Pelaſgus orbus filium optavit. Dii in corium bovis immolati mingunt, defoſſumque poſt novem menſes tolli jubent, tum igitur natus eſt Orion. Ovid. *l. 5. v. 535.*

Hunc Hyrieus, quia ſic genitus, vocat Oriona,
Perdidit antiquum litera prima ſonum.

Vide Palæphatum, *de Orione.* Hic poſtea adultus ſtrenuus venator extitit, Dianæque comes adhæſit. Verùm cùm corporis robori ſatis fidens jactitaret, nullam eſſe feram, quam conficere non poſſet, Terra hominis inſolentiam non ferens, ſcorpionem peperit, cujus ictu Orion interiit; Diana autem eum in cœlum tranſtulit, & juxta Tauri ſidus conſtituit. Contra tamen Lucanus, ſcorpionem hunc à Diana immiſſum tradit, aliorumque Deorum miſeratione in cœlum fuiſſe tranſlatum. Sic enim ille *l. 9. v. 833.*

——— *Quis fata putaret*
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
Ille minax nodis, & rectò verbere ſævus,
Teſte tulit cœlo victi decus Orionis.

Ejus meminit Nicander, *in Alexipharmacis*, ſtatim ab initio,

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
Σκόρπιον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
Ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.

Et paulo pòſt:

Τοῦ δὲ γέρας περίσημον ἐν ἄστρασιν ἀπλανὲς αὔτως,
Οἷα κυνηλατέοντος ἀείδελον ἐστήρικται.

Horatius autem Dianæ telis eum confoſſum occubuiſſe tradit in his: *l. 3. Carm. Od. 4. v. 71.*

——— *Notus & integræ*
Tentator Orion Dianæ
Virgineâ domitus ſagittâ.

Oarion dicitur Catullo. Sic enim ille, *Epigr. 67. v. ult.*

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Scriptum reliquit Dorion, *in l. de piſcibus*, Orionem filium fuiſſe Neptuni & Brylles Minois filiæ, quæ ſententia fuit etiam *Heſiodi.* Huic ſororem addiderunt Canciopen. Fabulantur præterea hunc munus à patre Neptuno impetrâſſe, ut tam ſuper undas, quàm ſuper terram poſſet incedere. Alii tamen tantæ fuiſſe magnitudinis ſenſerunt, ut nulla eſſet tanta profunditas, è qua non humeri ſaltem extarent è mari, quam ſententiam ſequi videtur Virgilius *Æn. l. 10. v. 763.*

——— *Quam magnus Orion,*
Cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet undas.

Hic cùm poſtea in Chium ad Oenopionem veniſſet, Æropen illius uxorem vitiare conatus eſt. Qui graviter ferens illud, comprehenſo Orioni oculos effodit, & mox extra ſuam regionem ejecit; Sic poſtea in Lemnum profectus à Vulcano perbenignè excipitur, qui ejus miſertus Cedalionem unum è famulis ei ducem viarum dedit, unde in orientem ad Solem profectus ab eo ſanitati reſtitutus eſt, ac lumen recuperavit. Deinde contra Oenopionem arma ſuſcepit, quem à civibus ſuis ſub terra occultatum, cùm non ſperaret ſe ampliùs poſſe invenire, in Cretam profectus eſt, ubi ob inſolentiam à ſcorpio, ut ſuprà dictum, occiſus eſt, uti quoque teſtatur *Euphorion* in his: Συγκυνηγῶν δὲ οὗτος Ἀρτέμιδι, ἐπεχείρησεν αὐτὴν βιάζεσθαι, ὀργισθεῖσα δὲ ἡ Θεὸς, ἀνέδωκεν ἐκ τῆς γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον ἀπέκτεινε. Quidam verò maluerunt occiſum fuiſſe à Diana, quia illam invitâſſet, ut diſcô ſecum luderet. Alii quia vim Opi uni è virginibus, quæ Dianam ex Hyperboreis ſecutæ fuerant, inferre voluerit, à Diana confixum ſagittis exiſtimârunt, ut ait Apollodorus *l. 1.* Neque verò ipſius ſolùm Orionis magna fuit arrogantia, ſed etiam Side ejus uxor dicitur auſa fuiſſe cum Junone de forma contendere, quare ad inferos fuit ab illâ dejecta. Porrò fabulam Orionis ad Naturalem Philoſophiam doctè applicat, & explicat Nat. Comes *l. 8. c. 13.* Aſtronomiam ejus vide apud *Ceſium*, & Heſychium in Ὠρίων. Nos impræſentiarum paucula tantùm de magnitudine ejus dicemus. Fuit enim Homerô teſte, ſi hiſtoricè ſpectes, maximus & proceriſſimus ævi ſui. In *Od. λ. v. 571.* πελώριος dicitur. *Ibidem v. 305.* ait Otum & Ephialtem μηκίστους omnium fuiſſe,

——— Μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.

Vide quoque Plin *l. 7. c. 16.* Atque ſic utrumque Hemiſphærium obſidens, ſecundùm longitudinem obtinere dicitur partes ſeptendecim; ſecundùm latitudinem verò triginta. Hinc Manilius *in Sphærâ barbarica, l. 5.*

——— *Orion magni pars maxima cœli.*

Et Pindarus *in Iſthmiis*, Φύσιν Ὠριωνείαν, pro *immani corpulentiâ* dixit. Theocritus *in Thalyſiis, v. 52.*

Ἔσσεται Ἀγεάνακτι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλάναν.
Χὤταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ
Κύματα, χ' Ὠρίων ὅκ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχῃ.

Idem in Ἡρακλίσκῳ,

Ὠρίωνα κατ' αὐτὸν, ὁ δ' ἀμφαίνει μέγαν ὦμον.

Aratus:

Ὃς καὶ ἐπερχόμενος φοβέει μέγαν Ὠρίωνα.

Nic. Lloydius. Cœterùm, gigantem hunc Nimrodum Scripturæ faciunt Scriptores Eccleſiaſtici. Hinc Auctor *Chronici Alex.* Ἐκ τῆς φυλῆς, ait, τοῦ Χάμ, Χοῦς ὀνόματι, ὁ Αἰθίοψ. ὅστις ἐγέννησεν τὸν Νεβρὼδ γιγάντα, τὸν Βαβυλωνίαν κτίσαντα· ὃν λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἀποθεωθέντα, καὶ γενόμενον ἐν τοῖς ἄστροις τοῦ οὐρανοῦ, ὅντινα καλοῦσιν Ὠρίωνα, *Ex tribu Cham, Chus nomine, Æthiops, qui genuit Nimrodum gigantem, Babylonis conditorem. Hunc Perſæ in Deos relatum & aſtris inſertum* Orionem *vocant.* Ubi pro οἱ Πέρσαι, reponit Barthius οἱ Ποιηταὶ, *Poëtæ*, vide eum *Animadverſionum ad Stat. Theb. l. 7. v. 256.* alibique paſſim: adde Gerh. Jo. Voſſium *de Idolol. l. 1. c. 16.* & 24. ubi cum Belo ſeu Nimrodo *Orionem* eundem fuiſſe probat, & *l. 2. c. 35.* ubi de *Orionis ſtella, & antiquitate nominum Orionis & Arcturi*, apud Græcos, varia habet, nec non infrà, voce *Tridens.* Sed & cum Sampſone *Orionem* eruditè confert *Cl. Bochartus.* ut videbimus ubi de *Sampſone.*

ORIPPO, Antonin. oppid. Vandalitiæ, ab Hiſpali 9. milliar. apud Italicam, Gades verſum, *Ferrar.*

ORISGONTES, ab aliis vocatur *Orgiagontes*, à *Plutarcho Origontes*, Rex Piſidarum ſeu Gallo-Græcorum, cujus uxor Chiomara inter captivos cuidam Tribuno in cuſtodiam data, cùm ab eo vi ſtuprata eſſet, de injuria tacuit, & poſt, impetratâ redemptione, marito adulterum Tribunum interficiendum tradidit.

ORISIA, urbs Iberiæ, *Stephan.*

ORISTIDES, Inſul. 2. in ſinu Arabico, *Ptolem.*

ORITÆ, populi Indiæ liberi, Stephan. ex Strab. *l. 15.* verſùs Occaſum ad Arbim fluv. *Oritæ* etiam *Polybio*: *Oritani*, Liv. *l. 21. c. 11.* populi Achajæ, Opuntiis finitimi, *Ferrar.* Vide de *Oritis* fuſè agentem Salmaſ. *ad Solin. p. 1176. 1190.* &c.

ORITANUM, urbs Eubœæ, Plin. *l. 4. c. 12.*

ORITHYIA, filia Erechthei Athenarum Regis, quam cùm Boreas adamaret, neque bonâ cum gratiâ nuptias ejus poſſet impetrare, vi eam rapuit, raptamque tulit in Thraciam, & ex ea Zethen & Calaim ſuſcepit, qui cum Argonautis in Colchos navigârunt, & Harpyas fugaverunt. Nomen habet ἀπὸ τοῦ ὄρεος, *monte*, & θύω, *concitor.* Quidam tradunt, eam raptam à Borea Strymonis filio, inter quos Heſagoras, idque Poëtas ab homine tranſtuliſſe ad ventum. At Hermias Platonicus ſcripſit, Aquilonis impetu eam ex alto præcipitatam, atque inde datam fabulæ occaſionem. Eleganter deſcripſit hunc raptum Apollonius *Argon. l. 1.* quem potiſſimum imitatur Ovid. *Metam. 6.* Meminit & Plato *in Phædro*, ubi Socrates quoque fabulam refert ad ventum Borealem, qui ipſam cum Pharmacea ludentem de proximis petris dejecerit. Propert. *l. 3. El. 6. v. 13.*

Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ.

Actias Orithyia dicitur Virgilio *Georg. l. 4. v. 463.* Hinc Muſæus,

Ἀτθίδος οὐ Βορέην ἀμνήμονα κάλλιπε Νύμφης.

Nonnus, *Dionyſ. l. 1.*

Ναὶ λίτομαι, Βορέης, ὡς ἥρπασας Ἀτθίδα Νύμφην.

Dionyſius factum hoc ait ad Iliſſum, cùm alii juxta fontem Cephiſium contigiſſe velint. Sic enim ille, *v. 424.*

——— Πρὸς αὐγὰς Ἀττικὸν οὖδας,
Τοῦ διὰ θεσπεσίου φέρεται ῥόος Ἰλισσοῖο,
Ἔνθεν καὶ Βορέης ποτ' ἀνήρπασεν Ὠρείθυιαν.

Suidas Ὠρείθυια ἡ τοῦ Βορέου ἐρωμένη. Vide Nat. Comit. *l. 8. c. 2.* & Cæl. Rhodig. *l. 15. c. 23.* *Nic. Lloydius.*

ORITHYIA, Marpheſiæ filia, Amazonum poſt matrem Regina, tum ob belli induſtriam, tum ob perpetuam virginitatem, conſpicuam ſe, ac mirabilem præſtitit. Hæc ubi comperit, bellum, vim quoque ſororibus ſuis illatam ab Hercule & Theſeo, hortatur comites in ultionem, fruſtraque Ponti ſinum, & Aſiam domitam eſſe dicit, ſi Græcorum non tam bellis, quàm rapinis, pateant. Auxilium à Rege Scytharum capit. Sed ante prælium diſſenſione ortâ, ab auxiliis deſertæ Amazones, belloque ab Athenienſibus victæ, receptaculum tamen habuêre caſtra ſociorum, in regnumque reverſæ ſunt. Ei Pentheſilea ſucceſſit. Juſtin. *l. 2. c. 4.* Boccat. *de clar. mul. c.* 18.

ORIUM, vide ORICUM.

ORIUNDUS, fluv. Illyrici, prope urbem Scodram, in Barbanam flum. influens, Liv. *l. 44. c. 31.*

ORIXA, urbs regni Golcondæ, provinc. cognominis caput, in monte, in mediterraneis, 100. mill. paſſ. ab ora ſinus Gangetici. Hinc regnum Golcondæ antea *regnum Orixæ* dictum. Vide *Maſſæum.*

ORIZA, urbs Palmyrenæ, *Ptolem.*

ORIZA, quod nos *Riſum*, ut Calvin. ait *Lexic. Jurid.* dicimus; ab antiquis inter frumenta habita eſt, hodie tamen venire frumentô legatô non putatur, ſaltem in his Regionibus, ubi non ſeritur, quia non ad panem, ſed ad pultem & delitias adſervatur, quare vim nominis cum uſu amittere videtur, *l. ſi cui §. lana ff. de legat.* Habet autem radicem teretem, altitudine eſt cubitali, foliis porraceis, flore purpureô, paluſtrem & riguum locum amat, ut habet *Dioſcorides.* Frequentiſſimus ejus in Oriente uſus, tum apud plebem, tum apud opulentiores; qui quibus artificiis illam luxui ſuo ſervire cogant, Turcæ inprimis Perſæque, docet accurate Tavernier *Relation. du Serrail*, & *Itiner. Perſ.* Sinenſes ex illa exquiſitiſſimi ſaporis potum, quô Europæi, non niſi ad Euchariſtiam, iis in locis utantur; imò & vitrum mirè perſpicuum ac friabile, conficere, refert Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ capite de Fructibus* &c. Vide & *Oryza.*

ORKANES, Latine *Typhones* dixeris; ſunt impetuoſi venti cum celeritate per omnes Mundi plagas circa locum aliquem vagantes; Nomen Indicum eſt *Orankan*, ſeu *Forakan.* Frequentiſſimi ſunt inter Malaccam & Japoniam. Inter Navaſſam & Jamaicam Americæ Inſulas talem aliquem expertus prolixè & accuratè deſcribit, Vincentius le Blanc *Itiner. part. 2. c. 22.* Vide Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. c. 2. §. 1.*

ORLANDUS Laſſus, Bergis Hannoniæ natus, Muſicus inter omnes ſui temporis excellentiſſimus, in qua arte eximios producere, velut prærogativa quædam Belgii eſt. Raptus aliquoties vocis ob dulcedinem, paulò provectior apud Ferdin. Gonzagam in Sicilia ac Mediolani aliquandiu fuit, inde Neapoli primùm, exin Romæ, Rei Muſicæ præfuit. Poſt iter dein Gallicum Anglicumque cum Jul. Cæſ. Brancaio ſuſceptum, in Belgium re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dux, Antverpiæ aliquandiu moratus, literas ab Alberto Bavariæ Duce accepit & in aulam invitatus eſt, quo cum ſe contuliſſet, uxorem duxit. Hinc in Franciam munificentiâ Caroli IX. qui poſt lanienam nocturnis terroribus ac inſomniô turbatus ex Muſica remedium quærebat, allectus, dum itineri ſe accingit, audito Regis obitu, in Bavariam rediit, & Guilielmo, filio Alberti ſe addixit. Tandem, pòſt cantilenas complures per 25. annos in lucem editas, obiit Monachii, A. C. 1594. ætat. 73. *Meliſſo, Verderio, Aliis*, inſignitè laudatus. Ejus Epitaphium Gallicô idiomate tale fuiſſe tradit A. Teiſſier *Elog.*

Etant enfant j'ay chanté le deſſes,
Adoleſcent j'ay fait le contretaille,
Homme parfait j'ay reſonné la taille.
Mais maintenant je ſuis mis au baſſus,
Prie, paſſant, que l'eſprit ſoit là ſus.

Vide eum *Part.* 2. *p.* 200. & 425. nec non P. Freherum *Theatro Viror. erudit. claror.*

ORLIUM, oppid. Poloniæ minoris ubi Seniores Fratrum, indictô conventu, ut & poſteà Vlodaviæ, de ritibus diſcrepantibus, in Lithuania & Polonia, convenerunt, circa A. C. 1630. Sunt autem Seniores in unione Fratrum Bohemorum, Paſtores & Miniſtri, quibus munera Eccleſiaſtica & Jus Ordinationis committi ſolet. De Fratribus vide in voce *Fratres.*

ORMANUS, fluv. Arabiæ Felicis per oram ad Ortum in mare Rubrum apud Didymos montes decurrens, *Ptol.*

ORMENIUS, mons Bithyniæ apud Claudiopolin urbem, *Ermenidag*, Turcis, teſte *Leunclavio. Ormenium* quoque Straboni oppid. Theſſaliæ ad ſinum Pagaſæum.

ORMESINA, vide infrà *Serica veſtis.*

ORMESTA, titulus libri, apud Order. Vitalem *l.* 5. *p.* 558. *Oroſius Presbyter, qui librum de Ormeſta Mundi ſcripſit.* Similiter inſcribitur Pauli Oroſii Hiſtoria in *MS. Regio.* Codices verò MSS. Collegii Navarræ Pariſienſis, Monaſterii Dunenſis in Flandria, Vallis S. Martini Lovanii, Alii, *Hormeſtam* præferunt. Hanc in linguam Anglicam tranſtuliſſe Alvredum Regem ſcribit *Balæus.* Sed de vocis ſignificatione planè non conſtat. Quòd enim quidam legunt de *Orcheſtra* i. e. Scena Mundi, refelluntur conſtanti lectione vocis *Ormeſta*, quæ temerè mutanda non eſt. Nec conjecturæ variæ Voſſii *de Hiſtor. Latin. l.* 2. *c.* 14. & Bivarii *ad Pſeudodextrum p.* 431. aſſenſum impetrant, Car. du Freſne *Gloſſ.*

ORMION, Epiſcopatus ſub ſede Hierapolitana in Syria, *Guilielm. Tyrius.*

ORMISDARES, Perſarum Rex, A. C. 273. mel. *Ormiſdates*, quod vide.

ORMISDAS, vide infrà *Oromaſdes.*

ORMISDATES ſeu HORMISDATES I. Perſarum Rex III. Sapori I. ſucceſſit, nullô factô clarus, unius quippe anni Rex, Agathias *l.* 4. Eum excepit Vararanes ſeu Vardanes I.

ORMISDATES II. Perſarum Rex VI. poſt Narſem, præfuit ann. 7. menſes 9. nullis rebus geſtis memorabilis. *Adanarſes* Zonaræ *Tom.* 3. *f.* 11. *Miſidates* aliis. Ei ſucceſſit Sapor II. quem vide.

ORMUS, Item, *Armuzia, Ormuzium*, & *Organa.* Tartar. *Necrokin*, Perſiæ inclyta fuit civitas, emporiumque celebre, ad ſinum Perſicum ſitu eleganti, ac unionum copiâ nulli urbium ſecundum. Sita eſt in inſula, & omnibus maritimis civitatibus fuit præferenda. Abeſt à continenti ſpatio 12. mill. paſſ. aquarum autem potu ſuavium, annonæque mira ibi caritas; invehuntur itaque fermè omnia, quæ victum incolis ſuppeditant. Expugnata eſt hæc urbs, A. C. 1507. à Luſitaniæ Regis Præfecto marino, qui eam tributum ingens annuatim pendere coëgit. His autem erepta eſt à Perſis, auxiliô Anglorum, A. C. 1621. arxque diruta. Nunc urbs à paucis incolitur, eque ruinis ejus crevit emporium in viciniis, *Bandar Abaſſi.* Mercurium Ægyptium huc Coloniam deduxiſſe, auctor eſt *Hayto.* Poſt Chriſtum natum, ſeculô 9. vel 10. Princeps quidam Mahometanus Inſulâ potitus eſt, qui unà cum Succeſſoribus ſuis, tributarius fuit Regi Perſarum: quam cùm adeò neceſſariam commercio Indico viderent Luſitani, occupârunt eam ſub Albuquercio Duce, A. C. 1507. arce ibi validâ extructâ: Tandem, ut dictum, in Perſarum poteſtatem devenit. Solum hîc totum ſal, adeoque Solis ardore exuſtum intolerabili æſtuat calore. Vide inprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 2. & 3. & in voce *Armuzia.* Addo quod Incolarum domos ventorum ductus habere, quibus omnia cubicula ad libitum refrigerent, narrat Marc. Polus *l.* 3. *c.* 43. Inſula parva eſt & 6. milliar. ambitu ferè comprehenſa: Nunc pulſis Luſitanis, caſtellôque dirutô, urbs *Gamron* indè ad Continentem ſita, robore pariter ac commerciis effloreſcendi occaſionem ſumſit. Vide Herbertum *Itiner. p.* 39. & *ſeqq.* Mandelſlovium *Itiner. l.* 1. *c.* 8. &c.

ORNA, aliàs OLINA, fluv. Normanniæ, *Orne.* Argentanum & Cadomum rigat, & ad Strehamum oppid. mari Britannicô excipitur. Vide *Olina.*

ORNA, pro *ornatura*, apud *Cedrenum* ὄρνη, quam vocem ex Latino mutuati ſunt Græci recentiores: qui inſtitas ſive lora, quibus ornabantur veſtes, ὄρνας vocârunt, quemadmodum & παραθύρια, ex Latino *paratura.* Sic idem διδακτυλιαίας ὄρνας, latiores inſtitas appellat, de Tiberio Juniore, Ὀρίσας διδακτυλιαίας ὄρνας ἐν ταῖς ϛολαῖς αὐτῶν κόσμου χάριν. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Bonoſo, c. ult.* Vide hîc paſſim, in vocibus, *Inſtita, Lorum, Pannus* &c.

ORNAMENTUM eſt, quod corporis *ornandi* & venuſtatis gratiâ paratur, *l. argum.* §. *Ornam. cum* §. *ſeq.* & *leg. Ornamentor.* 37. *ff. de aur. & arg. mund.* Differt à Veſte, quia hæc neceſſitatis ac utilitatis cauſâ habetur & in victu eſt *l. victus ff. de verb. ſignif. Ornamentum* verò neque neceſſitatis neque cultus gratiâ eſt, ſed ut ornatius ſit corpus: unde non ſolùm cultui & veſtitui, verùm etiam ipſi quandoque corpori accedit; cujuſmodi ſunt, *Armillæ, Inaures, Gemmæ, Margaritæ, Annuli*, (ſignatoriis exceptis) *Vittæ, Mitræ* &c. *d. l. argum.* §. *Ornam.* Quibus rebus neque corpus induitur, neque cultum redditur, ſed exornatur tantùm: adeò ut etiam matrona nuda, quæ corpori vittas, armillas, inaures gemmasve appoſuit, hôc modô *ornata* dici poſſit, *d. l.* A Mundo etiam diſtinguitur, ut qui corporis venuſtati inſerviens, illud mundius tantùm nitidiuſque reddit: cujuſmodi videri poteſt *Balneum, Unguentum, Speculum, Pecten* & ſimilia munditiei corporis inſervientia, *d. l.* Græcè Καλλωπίσματα; quibus addenda, *Lurpuriſſum, Stibium*, de quibus fucis Plin. *l.* 33. *c.* 4 & Plautus *Moſtellar. Act.* 1. *Scen.* 3. Vide Calvin. *Lex. Jurid.* In *l.* 4. *C. de Fidejuſſor. l.* 10. *Ornamentum ſacrum*, ſacrum Ærarium denotat: *Et ſi inventas apud dignos pecunias fiſcales exegerit, & ſacro Ornamento intulerit, licitô jure ſibi in ſingulas libras ſeu ſolidos pro ſolatio retineat.* Græci Βεϛιάριον, *Veſtiarium*, appellant, ad *l.* 2. *C. de fiſc. vel reſp.* Vide infrà. Apud Jul. Capitolin. in *Pertinace, c.* 8. ubi de Comodo mentio, vox *Ornamenta* arma gladiatoria deſignat, Salmaſ. *Not. ad Tertull.* Certè *Ornamenta Gladiatorum*, Suetonio *in Tito c.* 9. & Senecæ *præfat. l.* 4. *Natur. Quæſt.* τὰ ὅπλα ſunt, i. e. *arma*; ut Viri docti obſervârunt. *Ornatus* Livio, *l.* 9. *Campani, ab ſuperbia & odio Samnitium, gladiatores, quod ſpectaculum inter epulas erat, eò ornatu armârunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Solino *ornatura*, ubi de Trittanno *c.* 1. *Varro in relatione prodigioſæ fortitudinis, annotavit Trittannum gladiatorem ornaturâ Samnitum fuiſſe* &c. Ubi *ornaturam*, idem eſſe, quod *armaturam*, docet Salmaſ. ex illo Plinii, de eodem, *Tritannum in Gladiatorio ludo Samnitum armaturâ celebrem, Exercit. ſuis ad Solin. p.* 35. Jumenta autem *ornata* dicuntur, *l.* 58. *ff. de Ædil. Edict.* i. e. inſtrata, frenisque ephippiis ac phaleris inſtructa, Calvin. ubi *ſuprà.* Quo ſenſu *ornatum elephantum*, dicit Corn. Nepos *Vitâ Annibalis c.* 3. &c. Aliam notionem vocis vide ſuprà in *Agalma.*

ORNAMENTUM Sacrum, *in l.* 4. *Cod. de diſcuſſ.* Ἐὰν οὖν εὑρεθῇ παρά τισι χρήματα δημόσια ὁ Λογοθέτης αὐνύσῃ αὐτὰ καὶ εἰς τὸ θεῖον ornamentum εἰσκομίσῃ: Sacrum eſt ærarium, ſeu, ut Recentiores vocârunt, *Sacræ Largitiones*; quæ *Erogationes* quoque dictæ, Cod. *Theodoſ. de Murileg. & Gynæciariis l.* 6. *Opifices veſti lintea contexendæ, in uſum erogationum noſtrarum, operam dantes.* Græcis Veſtiarium dici, notat *Cujacius.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonino Diadumeno c.* 4.

ORNAN, vir, 1. Paral. *c.* 21. *v.* 18. qui 2. Sam. *c.* 24. *v.* 20. *Areuna* dicitur. Latinè *exultans, arca earum. lux filii, aut lux,* ſeu *maledictio permanens.*

ORNARE, apud veteres Romanos quid? Vide infrà *Proconſul.*

ORNATISSIMUS Vir, is dici ſolet, qui optimis artibus inſtructus & honores aſſecutus à Populô, maximeque aptus eſt. Sæpe occurrit hic titulus in *Notit. Imper.* & Regibus quoque tributus. Vide iterum Calvin. *Lexic. Jur.*

ORNATORES, Pumicatores, Malleatores, Librariorum fuere adminiſtri, apud Romanos, ut ex Cicer. docet Laur. Pignorius *Comm. de Servis:* & quidem de pumice Catullus *Epigr.* 1. *v.* 2. Tibullus *l.* 3. *Eleg.* 1. *v.* 10. & Plin. *l.* 36. *c.* 21. de cœtero ornatu, agit Ulpian. *L. L. de Leg.* 3.

ORNATRICES ſeu Coſmetæ, puellæ fuerunt, *quæ Mulierieus olim comas exornabant*, de quibus Ulpian. *leg.* 49. *ff. de leg.* 3. *Item mancipia alia: puellæ fortaſſis, queis ſibi comas mulieres exornant.* Tertullian. *de Habit. mul. Habitus fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento & gemmis & veſtibus deputatur: Ille in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 5. *Eadem Julia maturè cœperat habere canos, quos legere ſecretò ſolebat; Subitus interventus Patris aliquando oppreſſit Ornatrices.* Ovid. *l.* 3. *Art. amand. v.* 239.

Tuta ſit Ornatrix.

Solebant hæ tradi Magiſtris, ad artificium ornandi ediſcendum: Marcianus *L.* 65. *ff. de Leg. l.* 3. *Ornatricibus legatis, Celſus ſcripſit, eas quæ duos tantùm Menſes apud Magiſtros fuerunt, legato non cedere.* Quod quale fuerit, exponit Manilius partim *l.* 5. partim Alii:

Illis cura ſui vultus, frontiſque decoræ
Semper erit, tortoſque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rurſus vertice denſô
Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.

Tertullian. *de cultu Fœm.* graphicè: *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnis coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bonâ ſimplicitate. Affingitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum. Nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum* &c. Utrôque brevior ac concinnior Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 501.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Cujuſmodi erat Flaminicæ Tutulus, vittam inſuper purpuream crinibus innexam habens. Unde Romæ olim in Muſæo Carpenſi, *Aponia. Succeſſa. à. Tutul. Ornatr. C. Batonius. Epigonus. Atrienſis.* Ex hujuſmodi miniſterio, ancilla apud Petronium *Gytona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput: Imò ſupercilia etiam profert de pyxide. ſciteque jacturæ lineamenta ſecuta, totam illi formam ſuam reddidit.* Pyxis enim continebatur inſtrumentô Ornatricum & Coſmetarum. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 38. *v.* 1.

Cùm ſis ipſa domi, mediaque ornere Suburrâ.
Fiant abſentes & tibi, Galla, comæ.
Nec dentes aliter, quàm Serica, nocte reponas,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Et lateas centum condita pyxidibus.
Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi prolatum eſt manè, ſupercilio.

En integram officinam *Ornatoriam*, geminam planè illi Petronianæ, comas, pyxidem, ſupercilia. Vide quoque Appulejum *Metam. l.* 6. ubi *Pyxidem Veneris* memorat, & Zenonem *Mart. Præf. de Contin.* ubi hæc luxûs inſtrumenta diſertè explodit. Capillorum verò cura præcipua *Ornatricibus*, non in ſtructura tantùm, ſed & in colore cincinniſque fuit: quod increpuit Propert. *l.* 2. *Eleg.* 18. *v.* 27. imprecatus,

Illi ſub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.

Et Tertullian. *lib. cit. Video quoſdam & capillum crocô vertere: Pudet eas etiam nationis ſuæ, quòd Germanæ non aut Gallæ procreatæ ſint: ita Patriam capilló transferunt.* A cincinnorum ſtudio *Cinerarii* & *Ciniflones* miniſtri appellati ſunt, quorum inſtrumentum calamiſtrum fuit, quod *acum ferream* non ſemel interpretatus eſt Iſidor. *Origin. l.* 10. *c.* 20. ubi inter alia: *Acus dicitur, quâ Sarcinatrix vel etiam Ornatrix utitur.* Petronius *acum comatoriam*, Appulejus *crinalem*: niſi quòd crinalis latiùs pateat, & minores etiam acus, quibus ſuſtinebantur & figebantur capilli, complectatur. Hujus Miniſterii inſtrumenta erant diſcerniculum, pecten, ſpeculum &c. Porrò quia *Ornatrices rarum ac parum aquæ ſolebant mittere ac velut ψεκάζειν, quoties crinem componerent*, ut habent *veter. Gloſſæ*, hinc *Pſecades* quoque appellatæ ſunt, de qua voce vide *infrà*. Sicut autem Mulieres ſuas *Ornatrices*, ſic ne in hac quidem parte à molliori ſexu ſe ſuperari ferentes viri, *ſuos capitum & capillorum concinnatores habuêre*, teſte Columella *Præfat. l.* 1. quos *Capillaturæ ſtructores* vocat Tertullian. Hinc & perſonæ Tragicæ, in utroque ſexu, quantum ad ornatum pertinet capitis, ſimiles fuêre, docente Serviô ad *Æn. l.* 10. *v.* 832.

——— ——— *Comtos de more capillos.*

Imò nec barbam inornatam ſiviſſe ſemiviros hos, apud Cyprianum & Tertullianum *Pamelius* notavit, Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Meminit *Ornatricis quoque Vetus Inſcriptio. Cineribus Hamillæ. Albioniæ. Quintæ. Ornatrici. Feſtus. M. Septimi. Galli. Diſpon. Contubernali. B. M. F. & ſibi*, apud Tit. Popmam. *l. de Operis Serv.* Sed & *Auriculæ Ornatrix*, memoratur in vetere monumento Romæ, apud eundem Pignorium. Adi quoque, ſi viſum eſt, Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 35. Ad eaſdem pertinent hæc Clementis Alex. *Pædagog. l.* 3. *c.* 4. Κομμῶται δὲ καὶ κομμώτριαι περὶ τὰς γυναῖκας ἀμφιπολεύουσιν, αἱ μὲν τὰ κάτοπτρα, αἱ δὲ, τὰς κεκρυφάλους, ἄλλαι τοὺς κτένας. Celebres inprimis hôc miniſteriô fuêre, Cypaſſis, apud Ovid. *Amorum l.* 2. *Eleg.* 7. *v.* 17.

Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaſſis, &c.

& Nape, apud eundem, *Amor. l.* 1. *Eleg.* 11. *v.* 1.

Colligere incertos, & in ordine ponere, crines
Docta, nec ancillas inter habenda, Nape.

Berenices inprimis Leo, de quo vide ſuprà in hac voce. Nec omittendum, *ſpeculum Junoni tenere* dici ſolitas fuiſſe *Ornatrices*, quòd illa munditiei & ornatus curam haberet; quare & ejus ſtatuæ crines additi, iique curioſâ ſuperſtitione diſpoſiti fuerunt. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 6. *Sunt quæ Junoni & Minervæ capillos diſponant, longè à Templo, non tantùm à ſimulachro, ſtantes, digitos movent, ornantium modò; ſunt, quæ ſpeculum teneant*: ex Seneca *l. de Superſtitione*, qui intercidit. Unde Prudentio in *Symmachum l.* 2. *pexô crine virago* dicitur &c.

ORNEA, Argiæ urbs in Peloponneſo, ubi prælium inter Lacedæmonios & Argivos commiſſum, *Diodor. Sic.* Item urbs inter Corinthum & Sicyonem.

ORNEA, Priapi ſacra, quem Corinthii *Orneum* vocabant. Celebrabant hæc feſta Nymphæ juxta Colophonem.

ORNEOSOPHION, nomen libri, juſſu Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani, de *Avibus* conſcripti, cujus meminit Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 3. ubi de Exypterio. A voce Ὄρνις: quæ cùm Homero & Heſiodo nihil quicquam ſit, quàm *avis* in genere, Platonis cœpit ævô uſurpari pro *gallo gallinaceo* in genere, & per aliquot ſecula, tam de *gallo*, quàm de *gallina*, dici: donec obtinuit uſus, ut proprium maneret *gallinæ* nomen. Unde apud Athenæum *l.* 9. Myrtilus, Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας. *Nunc quidem fert conſuetudo, ut ſolæ* (gallorum) *fœminæ* ὄρνιθες *dicantur &* ὀρνίθια. Quæ cauſa, quòd in Matthæo *c.* 23. *v.* 37. & Luca *c.* 13. *v.* 34. ubi de Chriſto congregare volente filios Hieroſolymorum, *quomodo congregat* ὄρνις *pullos ſuos ſub alas*; vox hæc non denotat *avem* in genere, ut Vulgatus & Arabum unus in Luca, alter utrôque locô reddit: ſed *gallinam*, ut in Matthæo habent Vulgatus & Erpenianus Arabs. Certè Platoni *de LL. l.* 7. ὀρνίθων θρέμματα, putantur eſſe *gallinarum pulli*: Et Ariſtophani *in Veſpis*, ὀρνίθων γάλα, *lac gallinarum*: Et Ariſtoteli, οἱ ὄρνιθες ſunt *galli*, *Hiſtor. l.* 9. *c.* 50. & αἱ ὄρνιθες, *gallinæ*, *de Generat. animal. l.* 1. *c.* 21. Neque aliud ſignificatur in his Theophraſti verbis, *de Cauſis l.* 2. *c.* 15. Τὰ ὅλως εὔτοκα βραχύβια. καὶ τὰ ὑπερτοκήσαντα πολλάκις ἀπόλλυται, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν τε συνανθρωπευομένων αἱ ὄρνιθες, *Fœcundiſſima quæque animalia brevis vitæ ſunt: & quorum fœtura exuberat, ſæpe pereunt, & gallinæ potiſſimum inter ea, quæ cum hominibus degunt.* Neque in his Chryſippi, apud Athenæum *l.* 9. *c.* 4. Καθάπερ τινὲς τὰς λευκὰς ὄρνιθας τῶν μελανῶν ἡδίους εἶναι μᾶλλον. *Ut candidas gallinas volunt nonnulli nigris eſſe ſuaviores.* Sed & Comicos veteres Menandrum, Cratinum & Antiphanem, pro gallinis, uſurpâſſe, exemplis allatis idem probat. Vide præfatum Bochart. *ubi ſupra, l.* 1. *c.* 18. *de Gallinæ affectu erga pullos.*

ORNEUS, Centaurus, Ixionis & Nubis fil. Ovid. *Metam. l.* 12. *v.* 302.

ORNITHIÆ, venti Septentrionales. Columella *l.* 11. *c.* 2. *Decimô Kalend. Martii, Leo deſinit occidere, venti Septentrionales, qui vocantur Ornithiæ, per dies triginta eſſe ſolent.* Vide Plin. *l.* 2. *c.* 47. Ab *avium* adventu dicuntur.

ORNITHIA, luſus apud Athenienſes, in quo everberabantur pueri. Plut. in *Lycurgo*, Πολλοὺς ἐφήβους ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρνιθείας ἑωράκαμεν ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς, *Multos ephebos, in ara Ornithiæ* (ſeu augurii) *cæſos verberibus mori vidimus.* Sic idem *in Ariſtide* Plut. in pugnæ memoriam: cum Mardonio, cædi ad aram ephebos, ait, quòd, cùm ſacrificante Pauſaniâ incurriſſent Barbari, virgis loriſque disjecti ſint: ex quo & Lydia pompa diſflagellationem conſequebatur. Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 1. *c.* 18.

ORNITHOMANTIA, Græcis dicta fuit, ex avibus præſagia deſumendi ars: Has enim Deorum miniſtras, ab iiſdem hominibus objici, ut futura ex illis diſcerent, veteri ſuperſtitione creditum. Ovid. *Faſtor. l.* 1. *v.* 447.

——— *Nam Diis ut proxima quæque,*
Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.

Latinis *Augurium*, inter præcipuas olim Divinationis ſpecies. *Quæ enim aut gens eſt, aut quæ civitas, quæ non extis pecudum aut Augurum, aut ſortium prædictione moveatur?* quærit Cicero *de Divin. l.* 1. Inventor ejus Car, teſte Pliniô *l.* 7. *c.* 56. *Auguria ex avibus invenit, à quo Caria nomen habet: adjecit ex cæteris animalibus Orpheus.* Excoluit inprimis Calchas, qui non tantùm Græcis, beneficiô Artis hujus, conſilium ſuggeſſit, quô ira Dianæ, claſſem in Aulide remorantis & Apollinis, peſte exercitum affligentis, placaretur: verùm etiam numerum annorum, quô obſidio Trojana eſſet duratura, prædixit:

Nam quot aves retro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos,
Quæ decimo cadet, & pœnâ ſatiabit Achivos.

Il. β. Viguit inprimis apud Phryges, Cilices, Arabas, Piſidas & Umbros: Lacedæmonios non minùs, in qua gente non Regibus ſolùm, ſed Senatui quoque ſui fuêre Ὀρνιθοσκόποι ſeu *Augures.* Habuêre hi apud Græcos veſtem candidam, ſicut purpura eos apud Romanos velavit: Locus, ubi aves obſervabant, οἰωνιστήριον; Sedes, cui inſidebant, θάκος, vel θῶκος dicebatur. Sophocles *in Antig.*

Εἰς τὸ παλαιὸν θῶκον Ὀρνιθοσκόπους ἵζον.

Euripidis Scholiaſtes vocem hanc, θάκος, interpretatur locum peculiarem Thebis, ubi Tireſias, auguria captans, ſedere conſueverit. Habebant ſecum autem οἱ Οἰωνοσκόποι tabellas, in quibus, ne memoria illos falleret, annotabant nomen & volatum avis, aliaque quæ fortè accidebant: Quare idem Scholiaſtes, Ἐν δέλτοις, inquit, ἐσημείουν τὰς πτήσεις. Modus quoque obſervandi aves ab aliarum Gentium conſuetudine diverſus fuit. *Quid quòd aliis avibus utuntur, aliis ſignis? Aliter obſervant, aliter reſpondent*, Cicer. *de Divin l.* 2. *c.* 39. Iiſdem Græcis *dextra meliora*, Romanis *ſiniſtra.* Idem *ibid.* & ut idem obſervarent latus, ſitus tamen non minus diverſus erat. Versùs Boream enim Græcorum Ὀρνιθοσκόποι ſpectabant: Romanis ad Auſtrum ſe convertentibus: quibus læta auguria *ſiniſtra* dicebantur non tam à ſiniſtrâ manu, quàm à *ſinendo*, quod ita in hominis relinqueretur arbitrio, opus ſi vellet aggredi. Unde Cicer. *loc. cit. Quanquam haud ignoro*, inquit, *quæ bona ſunt, ſiniſtra nos dicere, etiamſi dextra ſint.* At Græci omnia ſigna fauſta *dextra* vocavêre. Homericus hinc Ajax *Il.* ι. *v.* 236.

Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων.

Romani verò eadem modò *dextra* dixêre, modò *læva*: ſed alterum more ſuô, alterum more Græcô. Infauſtas aves porrò ἐξωλάμους, item ἐξέδρους vocavêre, cùm nempe vel non volarent, vel non in debita altitudine ſolitoque loco. Eædem ἀποδίμιοι quoque ſeu κωλυτικαὶ, *Inhibæ*, εἴρκτιοι *Arculæ*, & ἀσινέλιοι, quaſi *nonſiniſtræ*, ſeu *ſinentes*, ſunt vocitatæ. Quales in genere habitæ ſunt omnes, quibus ungues longi, vel quæ caput ſcalperent vellerentque, cujuſmodi in Caſſii tentorio, paulo ante cladem ejus, viſæ leguntur. Latini *Volsgras* appellant. *Æſchylus* ait, κερκὸν πτεροῖς ἐφορμώμενα καὶ χηλαῖς κάρα τίλλοντα. Contra quas remedium ſuggerit Appulejus *Metam. l.* 3. cùm ait: *Has nocturnas aves cùm penetraverint Larem quempiam, ſolicitè prehenſas foribus videmus affigi, ut, quod infauſtis volatibus familiæ minantur, exitium ſuis luant cruciatibus.* Contrà aves, quæ vel naturâ ſuâ, vel à loco, in quo conſpiciebantur, habebantur fortunatæ, αἴσιοι, item ὅσιοι dictæ ſunt, ut quæ παμπρέπεις ἐν ἕδραισι, *convenientibus inſedibus*, ut *Æſchylus* habet, viderentur: tanquam in propria ſphæra. Tales Columbæ & Sittæ æſtimatæ ſunt amantibus: ut in bello continuus Gallorum gallinaceorum cantus felicis ominis fuit: Ita enim Thebani olim victoriam augurati ſunt, *Propterea quòd avis illa ſilere ſoleret: canere, ſi viciſſet.* Certè pugnæ eorum στάσεων σημαντικαὶ, inquit Artemidorus *l.* 3. *c.* 5. ſeditiones & civilia bella prænuntiabant. Hinc, quòd bellica inde caperentur auguria, avis hæc Marti in pictura addi ſolet, etiam olim non aliud ſacrificium frequentius. Omitto diviſionem τῶν Ὀρνίθων ſeu Avium, in Μαντικὰς, quales Cornices, Aquilæ, Columbæ, Ululæ; Μουσικὰς & Θαλασσίους· ſententiam item Veterum de mutuo illarum ſermone & colloquiis, quæ neminem intelligere, niſi qui ſerpentem, ex avium quarundam confuſo ſanguine prognatum, ederit, ſtatuerunt, ut teſtis eſt Plin. *l.* 10. *c.* 49. Addam ſaltem, Gentilium ſapientiores ipſos auguria iſtiuſmodi exiguô habuiſſe locô. Unde apud Homerum, Hector Polydamanti Auguri pugnam diſſuadenti, vanitate artis ejus rejectâ, reſpondit, *Il.* μ. *v.* 243.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης,
Optima avis ſola eſt, Patriam defendere charam,

Apud *Ariſtophanem*, ipſas Aves occinentes hoc Spectatoribus audies,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ἐσμὲν δ' ὑμῶν δαίμων, Δελφοὶ, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνεις ὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε.
Sumus autem veſter Genius, Delphi, Dodona, Phœbus Apollo;
Venientes enim primùm ad ædes, poſtea ad res veſtras convertimini.

Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l. 7. ſect.* 2. & plura ſuprà in voce *Augur.*

ORNITHON, oppidum Phœnices in ora inter Tyrum & Sidonem, *Strab.* Plin. *l. 5. c.* 19.

ORNITHONES, ſeu Aviaria Romanorum, memorantur Varroni *de R. R l. 3. c.* 3. *Nunc* Ornithonas *dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ ſolent paſci.* Et mox, *In binas ſpecies dividi poſſunt: in prima parte ut ſint, quæ terrâ modò ſunt contentæ: ut ſunt pavones, turtures, turdi. Altera ſpecies ſunt, quæ non ſunt contentæ terrâ ſolùm: ut ſunt anſeres, querquedulæ, anates.* In iis tria admirationi erant, magnitudo, avium multitudo, & pretium ingens, quos inde perciperent quotannis. De magnitudine ſic ibidem Varro: *Primus ille gradus antiquus Majorum noſtrorum erat, in quo eſſent Aviaria duo duntaxat. In plano cohors, in qua paſcebantur gallinæ, & earum fructus erant ova & pulli. Alter ſublimis, in quo erant columbæ in turribus, ut ſumma villa. Contrà nunc Aviaria ſunt nomine mutatô, quòd ſint* Ornithones*; quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quàm tum habebant totæ villæ, in quibus ſtabulentur turdi ac pavones.* De multitudine avium ſic *c. 5. princip. Dicam de hoc* Ornithone*; quod fructus causâ faciunt. Igitur teſtudo fit magna, quâ millia aliquot turdorum ac merularum, includere poſſint. Quidam cum eo adjiciunt præterea aves alias quoque, quæ pingues veneunt carè, ut miliariæ ac coturnices.* Magnitudinem pretii indè redeuntis, docet nos Axius apud Varronem ejuſdem *lib. c.* 2. ubi cùm loquutus eſſet de Materteræ ſuæ fundo in Sabinis, *In hac*, inquit *villa qui eſt* Ornithon, *ex eo uno quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo annô villæ, bis tantum, quantum tuus fundus ducentum jugerum Reate dedit.* Et poſt pauca, *Nonne L. Albutius, homo apprimè doctus, cujus Lucilianô charactere ſunt libelli, dicebat in Albano fundum ſuum ſemper vinci à villa? Agrum enim minùs decem millia reddere, villam plus vicena.* Pluraque inibi in hanc mentem. Idem *l. 3. c. 6. Ex pavonibus M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia nummûm dicitur capere*, quæ ſumma Belgis ſit cIↃ. IↃ. CCC. florenorum, inquit Voſſ. Idem *Ibid.* Varro *c.* 7. ubi de columbis: *Parentes eorum Romæ, ſi ſunt formoſi, bonô colore, integri, boni ſeminis; paria ſingula vulgò veneunt ducenis numis; nec non eximia ſingulis millibus nummûm: quas nuper cum Mercator tanti emere vellet à L. Axio, Equite Romano, minoris quadringentis denariis daturum negavit:* quod de Axio referre etiam non piguit Plinium *l. 10. c.* 37. Auxêre avitiorum pretia Cœnæ, præcipuè adjiciales ac triumphales: unde Varro *l. 3. c.* 2. *Quotuſquiſque enim eſt annus: quô non videas epulum, aut Collegia non epulari; quæ nunc innumerabiles incendunt annonam.* Adde privatorum civium luxum, è quibus Æſopus, tragicus Hiſtrio, *cantu commendabiles aviculas, immanibus emtas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere* ſolebat, teſte Val. Maximô *l. 9. c. 1. ex* 2. & Pliniô *l. 10. c.* 51. Vide quoque Tertullian. *de Pallio c.* 5. ubi cum *ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris & loquacibus quibuſque, centum millium patinam confiſcaviſſe* ſcribit: h. e. patinam centum millium, quod ejus pretium erat, confiſcatam ſive repoſitam habuit; ut eam cùm vellet, avibus cariſſimè emtis plenam repræſentaret convivis: quarum quamlibet ſex ſeſtertiis, ſive ſex millibus nummûm emtas fuiſſe, annotavit *ibi* Salmaſ. Suetonius quoque *cœnam Vitellio datam adventitiam à Fratre, in qua ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, à Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ, per Navarchos ac triremes petitarum, commiſcuerit*, narrat *in Vitell. c.* 13. Et apud A. Gellium *l. 15. c. 8. Negant*, Phavorinus inquit, *ullam avem, præter ficedulam, totam comeſſe oportere: cœterarum avium, atque altilium, niſi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopiâ ſordere: ſuperiorem partem qui edunt, eos palatum non habere*, &c. Nihil igitur mirandum, ſi ex villis tantas ſibi opes pararent: præſertim cogitantibus, quanta ſit avium quarundam fœcunditas: Siquidem ex aliquarum pari uno, ſi pro Naturæ viribus generent, & ex natis atque exinde porro genitis necetur nihil, nec ſponte intereat quidquam, annos intra octo eſſe poſſint 33474272. quod facilè videbit, qui numerandi artem calleat, Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l. 3. c.* 94. Laur. Pignorio, corte coërcebantur gallinæ villaticæ, ruſticæ Africanæ, galli & capi, quorum curator, *Gallinarius* Varroni dicitur *de R. R. l. 3. c.* 9. Aviaria verò ſeu *Ornithones* cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luſcinias, merulas, anſeres, anates, phaſianos: quorum omnium cuſtos *Aviarius*, ut patet ex *veter. Inſcr. D. M. Oloplutio. Succeſſo. Priſcus. L. Vari. Ambiboli Aviarius. Altiliarius* &c. Vide præfatum Pignorium *Comm. de Servis p.* 598. *& ſeqq.*

ORNOSPADES, Parthus, à Rege Artabano patriâ pulſus, haud inglorius Tiberio, cùm Dalmaticum bellum conficeret, auxiliator, ideoque civitate Romanâ donatus. Cùm Tiridates à Romanis in Parthicum regnum à L. Vitellio collocaretur, multis equitum millibus in caſtra venit, ac, repetitâ amicitiâ Regis, multô apud eum honore Meſopotamiæ præfectus eſt, Tacit. *l. 6. Annal. c.* 37.

ORNUS, apud Stat. *Thebaid. l. 5. v.* 18.

——— *antiqua ut fortè ſub* orno
Stabat: & admoti nixus Polynices in haſtam:

durabilis arbor eſt, quod notiſſimum; Unde & *veteres orni* Horatio *l. 1. Carm. Od. 9. v.* 12. Piro inſerenda, juxta Virg. *Georgic. l. 1. fraxinum ſylveſtrem* vocant alii, & eſt utilis frondibus, unde hic ſub ea degebat, velut tribunali,

——— *procerum vallante corona*
Dux Talaionides,

i. e. Adraſtus, veter. Heroum more, Vide Gargilium Martialem *de Arboribus, c.* 16. Ab robore & amplitudine eadem commendatur Lucano *l. 6. v.* 390.

——— *quas vix Boreas everterit, ornos.*

Ab altitudine, Val. Flacco, qui *aëriam* hinc vocat *Argonautic. l. 8. v.* 112.

——— *fidens Cretheia proles*
Calcat, & aëream quamvis perfertur ad ornum.

Et proin *ornum* aſſignat aureo velleri, in qua hoc cuſtoditum ſit: Ut & *l.* 3. Herculis vecturæ, cùm Heroës arbores ex Myſia advehunt, ut omnibus grandiorem &c. Nihilominus pro telo Centauris *Achilleidos lib. 1. v.* 111.

——— ——— ——— *at intra*
Centauri ſtabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus. Hîc hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni.

Ad quem locum vide Barthium; plura verò de hac arbore, apud Plin. *l. 16. c.* 18.

ORNYTUS, Cyzicenus, ſingulari comitate exceptis hoſpitiô Argonautis, ab iiſdem, in conflictu nocturno, per errorem cæſus eſt. *Val.* Flacc. *l. 3. v.* 173.

OROACTA, vel OARACTA, *Ptolemæo* Οὐόρoχθα, pro Ὀάρακτα vel Ὀαράχθα, una ex tribus Inſulis, in Perſico ſinu, prope Harmozon Carmaniæ promontor. haud longè ab oſtiis fluminis Addanis, memorata Marciano Heracleotæ *in Periplo*, Ἀπὸ δὲ Ἀ-χιάδαμα ποταμῦ ἐπὶ Ἀδδάνιος ποταμῦ ἐκβολὰς ςάδια φ. παράκειται δὲ τοῖς τόποις τύτοις νῆσος Ὀοράχθα. In ea Inſul. ſepulchrum fuiſſe Erythræ Regis qui nomen fecit mari, notat *Ammianus. Dionyſius* verò, Mela *l. 3. c.* 8. & Plin. *l. 6. c.* 28. *Ogyrim* vocant Inſulam eam, in qua hic rex tumulatus creditur. Fuit autem hæc itidem ex tribus Inſulis modò dictis, deſerta non minùs, ac tertia, quæ *Organa* dicta, ſolâ *Oroactâ* exiſtente fertili. Ad hanc porro adpulerunt Alexandri M. naves, quam proin Alexandri nomine Macedones appellâſſe videntur: *Ptolemæus* namque inter Inſulas; quæ objacent Perſidi, unam *Alexandri* nomine indigitat, quæ & *Aracia* dicta ſit: Ἀλεξάνδρυ, ἡ καὶ Ἀρακία. Ubi reſcribendum videtur, Ὀάρακτα; uti & apud Plinium, pro *Aratia* vel *Aracha.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1180. & ſuprà in voce *Oaracta.*

OROANDA, urbs Piſidiæ Plin. *l. 5. c.* 27.

OROANDES, mons Aſiæ, Tauri pars, de quo Plin. *ibid.*

OROATES, Straboni fluv. Suſianæ maximus, illam à Perſide diſterminans, & in ſinum Perſicum ſe exonerans. *Oroatis Ptolemæo, Tiritiri Caſtaldo.* Vide hîc infrà.

OROATIS, fluv. Perſidis ultimus, quô ab Elymaide dividitur, Plin. *l. 6. c.* 25. apud quem exemplaria ſcribunt, *Oratim:* Sed *Strabo* & *Ptol.* ſcribunt Ὀροάτιν; quod etiam reſtituendum apud eundem Plinium, ubi Ἄροσις legit, ſicut *Zarotis*, apud eundem *Arrianum*. *Paſitigris* ... Ex Uxiis oritur & Perſidem ab Suſiana diſterminat, *Paſitigris* Veterib. qui poſt Choaſpem vel Eulæum illum ſtatuunt, apud *Strabonem.* At Paſitigrim illum, quem Alexandrum tranſiiſſe dicit *Arrianus*, quum Suſis profectus in regionem Uxiorum ingredi vellet, Τίγριν vocat Diod. Sic. *l.* 17. & quartô die ad illum amnem perveniſſe ſcribit, poſtquam à Suſis moverat. Sed hic Tigris Uxianæ regionis, qui in latere Suſianæ Orientali fluit, à Tigride Aſſyrio diſtinguendus, idem omnino cum *Oroate* eſt, quem *Tigrim* aut *Paſitigrim* videntur appellâſſe illi, qui cum Alexandro fuerunt, quòd verum ejus nomen ignorarent. Quemadmodum *Choaſpem* Veterem nominârunt, quem *Eulæum* recentiores paſſim indigetant, etiam illi, qui res Alexandri literis mandârunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 701. & *ſeqq.* Bochart. fluvium hunc Perſidis vel Suſianæ maximum, à Barbaris *Oroaten*, ut à Græcis *Vatrachiten*, i. e. Βατραχίτην, tanquam à *ranis* denominatum eſſe, docet, *Hieroz. Part. poſter. p.* 653. Vide quoque in voce *Oroates.*

OROBA, urbs Aſſyriæ mediterranea, *Ptol.*

OROBATIS, urbs Perſidis in mediterraneis. *Idem.*

OROBII, populi fuêre Galliæ Tranſpadanæ, ubi nunc pars Borealis Ducatus Mediolanenſis verſus Comum. Eorum urbes fuêre Bergomum, Comum & Forum Licinii, *Brietio.* A Septentrione Euganeis erant contermini, uti & ab Oriente, ab Occidente Lepontiis, à Meridie Inſubribus.

OROBIOTÆ, ex Græco Ὀροβιωταὶ, in *Annalibus Francorum* A. C. 809. Græci dicti ſunt, qui montes incolebant: *Orobiotæ Populonium civit. maritimam ſunt depradati.* In *Annalibus Francicis* Bertinianis *Oroboitæ* ſcribitur, ſed perperam, annotante Car. du Freſne *Gloſſar.*

OROBIS, Galliæ Narbonenſis fluv. *Ptol. Orbis*, Pomponio *l. 2. c. 5. l'Orbe Cluſio* hodie dicitur. Bliterus præterfluit, ex Cebennis ortus, & in mare, infra Serinianum ſe exonerat. Vide *Obris.*

OROCANA Mediæ urbs *Ptolem.*

OROCASIAS, mons ad Antiochiam, apud Procopium *Perſicor. l.* 2. Ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ γενόμενος, ἣν δὴ Ὀροκασιάδα καλεῖν οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι νενομίκασι, ἐπιμαχώτατον κατενόησεν, ὃ τὸ κατ' αὐτὴν τεῖχος ... πέτρα γὰρ τυγχάνει τις ἐνταῦθά ποι ὖσα εὔρυς μὲν ἐπὶ πλεῖστον ἱκανῶς ἔχυσα· ὕψος δὲ ὀλίγῳ τῦ περιβόλυ ἐλασσυμένη. Idem cum *Caſio*, qui apud Dionem in *Trajano* ὄρος Κάσιον, vel unicâ dictione Ὀροκάσιον dicitur. *Quò, quum videndi Solis ortus gratiâ nocte aſcendiſſet Adrianus, imbre ortô, fulmen decidens hoſtem & victimarium ſacrificanti afflavit*, Spartian. in *Vita* ejus, *c.* 14. Hujus montis pedes Orontes fluv. lambit Ammian. *l.* 14. *Has autem provincias, quas Orontes ambiens amnis, imoſque pedes Caſii prætermeans, funditur in Parthenium mare.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 618.

OROO-

ORODES I. Rex Parthorum, Mithridati II. ſeu Magno, fratri à ſe pulſo, ſucceſſit, Craſſum cum fil. Publio cepit & occidit, An. 701. Urb. Cond. aquilis & ingenti captivorum vi potitus. Dicitur, Craſſo aurum liquatum in os infudiſſe, avaritiam et tot ſacrilegiorum totuplicisque injuſtitiæ cauſam, exprobrantem. Dein Caſſium Brutumque ſequutus, infelicioribus Fatis uſus eſt, Vellej. Paterc. l. 2. c. 46. & 91. Appian. in Parth. Juſtin. l. 42. c. 4. Florus, l. 3. c. 11. Eutrop. l. 6. c. 31. Oroſius, l. 6. c. 13. &c. Plutarcho in Craſſo eſt Ὑρώδης, Africano apud Euſebium Ἡρώδης, malim utrobique Ὀρώδης, ex Vellejo, Floro, Appiano, & aliis. Mo-rodem vocare videtur Servius ad Æn. l. 11. ſed videtur tantùm, nam locus iſte eſt mendoſus, uti oſtenſum Gerardo Voſſio filio, ad Velleium, p. 67. Ei ſucceſſit Pacorus, quem vide.

ORODES II. Parthorum Rex, cœtu populrium factô, cæſus in ſacrificio, vel (ut alii) in venatu, ob crudelitatem, Joſeph. l. 18. Ant. Jud. Itèm, Artabani fil. Armeniæ Rex, Tacit. l. 6. Annal. c. 33.

ORODES, nomen viri à Mezentio interfecti, Virg. Æn. l. 10. v. 732. 737.

ORODIENSIS Comitat. Czongrad, provinc. parva Hungariæ inferioris verſus Tibiſcum fluv. & confinia Tranſylvaniæ, ſub Turcis, inter Comitatus Torantalienſem ad Boream & Conadienſem ad Meridiem.

ORODOPES, inſula parva Phœnicis, prope Tyrum.

OROLAUNUM, Galliæ Belgicæ oppid. in Ducatu Lucemburgenſi, Antonin. Vulgò Arlun, quaſi Aram Lunæ dicas, longitud. 27. 15. latitud. 49. 45. Baudrando Arlon, urbs parva ſed munita, in colle, ſub Hiſpanis. Alias in Cæreſiis, vix 2. leuc. à limite Lotharingiæ & Barrenſis tractus, in Boream, 6. à Monmedio in Cæciam. Media inter Lucemburgum ad Ortum, & Neocaſtrum ad Occidentem. Valeſio in Notit. Gall. eſt Arlon, caſtrum montanum Ducatus Luciliburgenſis, Marchiæ titulô gaudens. Ponitur in Itin. Æthici, inter Epoiſſium ac Audethaunalem vicos, medius in itinere Durocortorô Treviros. In diviſione regni Lotharii A. C. 870. vocatur Arlon, inter Dulminſe & Vaurenſe, &c. Arlonis caſtrum nomine corruptô dici, tradit Lupus, qui ante Ann. 832. de Maximino Epiſcopo Trevirorum ſcripſit.

OROMANDRUS, urbs Armeniæ minoris Ptolem.

OROMANSACI, populi Belgii inter Morinos, Geſſoriaco proximi, in Picardiæ, Arteſiæ, Flandriæque confinio, ubi Audomarum urbs, Guinnes & Ardres oppida ſunt. Baudrando populi fuère ſub Morinis, juxta fretum Gallicum ubi nunc tractus Picardiæ Borealis, in quo Ardrenſis Præfectura, & ditio recuperata, ubi Comitatus Oſienſis & Guinenſis, ubi Caletum, Ardra, & Guinea, urbes Galliæ in limite Arteſiæ & Flandriæ.

OROMASDES, boni principium Zoroaſtri, ſicut Arimanius mali, apud Plut. de Iſide & Oſir. aliis Ormiſdas, de quo vide pluscula apud Gerh. Jo. Voſſ. de Orig. & progreſſu Idolol. l. 1. c. 5.

OROMEDON, mons Co inſulæ altiſſimus, Theocrit. Idyl. 7.

> Ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.

Ubi Caſaubon. Probo eam interpretationem, quæ Oromedontem eſſe montis nomen ſtatuit. Videtur enim mons ille à Gigante ibi occiſo & obruto ſic eſſe dictus. Sanè Oromedon Gigantis nomen eſt, apud Propert. l. 3. El. 8. v. 47.

> *Te duce vel Jovis arma canam, cœloque minantem*
> *Cœum, & Phlegræis Oromedonta jugis.*

Vide ſis Theocriti Schol. ad locum prædictum. Nic. Lloydius.

ORONAIM, vel Horonaim, duo vici, quâ via eſt Aſſyrios, ſive duæ urbes Moabitarum: una ſuperior, altera inferior, Eſaj. c. 15. v. 5. Latinè iræ, vel furores, aut Syriacè, libertates.

ORONDA, Beuthero, Onda, oppid. regni Valentiæ, inter Saguntum & Incibilim, Dertuſam verſus, ab Oro Rege conditum.

ORONDICI, populi fuère Galatiæ, Ptolem.

ORONIUS Modeſtus, magnus Britannici generis vates fuit ex Bardorum poëtarum numero doctiſſimus.

ORONTAS, Artaxerxis affinis, pedeſtribus copiis ad bellum Cyprium præfectus, cum Evagora pacem fecit, ei pacatum regnum relinquens. Columniæ poſtea, quâ Teribazum petiverat, damnatus & ſuppliciô affectus. Vide Polyæn. l. 7. c. 13. 14. Diodor. Sic. l. 15.

ORONTES, Myſiæ Satrapa, defecit cum aliis ab Artaxerxe: quare à ſociis ſumma ei rerum commiſſa eſt. Sed, ſpe præmiorum ex perfidia conſequendorum, ſocios Artaxerxi prodidit. Diodor. l. 15. 5. Polyæn. loc. cit.

ORONTES, Prætor Armeniæ, ex Epigonis Alexandri Magni. Vide Polyæn. l. 4. com. 3 in Eumene.

ORONTES, Lyciorum dux in bello Trojano, qui capto Iliô cum Ænea in Italiam navigans, naufragiò periit. Virg. Æn. l. 1. v. 113. 220.

ORONTES, qui Typhon priùs teſte Strabone, Ophites Pomp. Læto, Ladon Philoſtrato; fluv. maximus Syriæ, ex monte Libano profluens, multiſque urbibus irrigatis, in quibus Antiochia, quam interluit, ad Seleuciam Pieriam in Syrum pelagus delabitur. Variè legitur. Oronz intus, teſte Thevetô, Soldino apud oſtia; interius Fer, teſte W. Tyriô. Farfaro autem Olivario. Hujus meminit Ovid. Met. l. 2. v. 248.

> *Arſit & Euphrates Babylonius, arſit Orontes.*

Propert. l. 2. El. 23. v. 21.

> *Et quas Euphrates, & quas mihi miſit Orontes.*

Dionyſius v. 919.

> Τὸν δὲ πρὸς ἀντολίην καὶ ἀσπίδος ὑγρὸς Ὀρόντης
> Ἀσπέτος, Ἀπαμέης μέσσην διὰ γαῖαν ὁρίζων.

Juvenal. Sat. 3. v. 62.

> *Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.*

Ejus oſtium nunc porto Simone, à monaſterio cognomine in arduo monte ad ejus oram ſito, Baudr. Hinc Oronteus. Propert. l. 1. El. 2. v. 3.

> *Aut quid Orontea crinem perfundere myrrhâ.*

Juxta hunc fluv. laudatiſſima bombyx. Item Orontes, mons Mediæ, Ecbatanis incumbens, Ptol. Nic. Lloydius. Plinio Oroandes, vide ibi.

ORONTIUS Finæus, Mathematicus celebris, fil. Franciſci, Medici Delphinatis. Profeſſor Regius, à Franciſco I. conſtitutus A. C. 1530. ſcripſit in Geometria, Optica, Geographia, Aſtrologia, &c. complura. Obiit A. C. 1555. horâ natali, Anton. Mizaltius Medic. in ejus vita. Scævola Sammart. elog. l. 1. Voſſ. de Scient. Math. Morerius Diction. Hiſtor. Vide & Finæus.

OROPESA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ Portugallicæ ſeu Luſitanicæ ſtirpis ramus eſt. Patruus enim Johannis IV. Luſitaniæ Regis Edoardus, ductâ Beatrice de Toledo-Oropeſa hærede, ex ea filium ſuſcepit Ferdinandum, cujus Progenitores ſic habent: Ferdinandus I. Dux Bragantiæ, ex Johanna de Caſtro (filia Johannis Dn. de Cadaval) ſuſcepit Ferdinandum II. Ducem, qui obiit A. C. 1483. pater ex Iſabella Portugallica Jacobi Ducis: quô & Eleonorâ de Mendoza (filia Johannis Guzmani Ducis Methymnæ Sidoniæ) natus Theodoſius Dux, junxit ſibi Iſabellam de Caſtro agnatam, atque ex ea genuit Johannem Ducem de Bragantia & Barcellos, defunctum A. C. 1582. Huic Catharina Portugallica (filia Edoardi Infantis Portugalliæ Ducis de Gujomarans, Emanuele Rege geniti) peperit Eduardum Marchionem de Flechilla (fratrem Theodoſii II. Ducis) qui ex Beatrice Toletana Marchione de Xarandilla ſuſcepit Ferdinandum Alvarum Toletanum de Monroy & Ayala Marchion. de Xarandilla, Comit. de Oropeſa; qui ex Mencia (filia Johannis Alfonſi Pimentelli Comitis de Benavente) filium habuit Eduardum Alvarum de Toledo Portugal Monroy Ayala Ducem de Oropeſa; patrem ex Anna de Zuniga Modica de Corduba Pimentel Comite de Alcaudete, Manuelis Joachimi Alvari Toletani Marchionis de Xarandilla. Spenerus Theatr. Nobilit. Part. 2. p. 74. Quia verò præfata Beatrix Toletana titulum de Oropeſa Bragantinæ domui intulit, Majores ejus hi fuère: Ferdinandus Alvarus Toletanus Comes de Oropeſa, uxorem habuit Leonoram (filiam Petri de Zuniga Comitis de Ledeſma & Plac.) atque ex ea filium Ferdinandum Alvarum maritum Mariæ Pachecæ (cujus pater Joh. Pachecus Marchio de Villena deceſſit A. C. 1474.) & ex ea Patrem Franciſci Alvari Toletani itidem Comitis Oropeſæ, quô & Mariâ Manuel de Figueroa (filiâ Gomeſii Suarezii de Figueroa Comite Feriæ) genitus Ferdinandus Alvarus Toletanus Comes Oropeſæ, ex Beatrice de Monroy Ayala, ſuſcepit Johannem Alvarum Toletanum Monroy, Ayala, Comitem de Oropeſa, cujus ex Luiſa Pimentellia filia Beatrix fuit, hodiernorum Ducum Oropeſæ genitrix. Idem Spenerus Part. 1. p. 159.

OROPI, Epiſcopalis ſub Anazarba ſedes, G. Tyrius.

OROPITE. Catoni, Oropitum Antonino, Orobitum, ſeu Orbitum, in tabula Deſiderii Regis, Herbanum Plinio, l. 3. c. 5. urbs vetus P. Diacono, Urſvetana, & Urbevetanum Procopio, urbs Hetruriæ mediterranea, inter Viterbium in Boream, 20. & Peruſiam in Meridiem 30. mill. paſſ. Orvieto Leandro dicitur, longitud. 36. 20. latitud. 42. 24. In ditione Pontificis ad Peliam fluv. qui paulo ſupra recipit Glanim, 3. autem milliar. infra cadit in Tiberim. In colle, ſitu permunita, caputque agri adjacentis, vulgò Territorio d'Orvieto, 50. milliar. à Roma in Boream, 15. à confinio territorii Senenſis in Ortum Baudr.

OROPUS, vulgò Zucamini, teſte Alexandro Zardô; Suſamino, Nardo, oppid. Bœotiæ in Atticæ confinio in ora, inter Chalcidem 20. & Tanagram 18. milliar. à Thebis 36. ab Athenis 44. Quod cùm Athenienſes vaſtâſſent, à Romanis 500. talentis multati ſunt, teſte Agellio. In eo Fanum Amphiarai, apud Pomp. Melam l. 2. c. 3. ex lectione Pinciani, Rhamnus & Oropus parvæ, illuſtres tamen, quòd in hoc fanum eſt Amphiarai. Sed non in Oropo, verùm in itinere, quod Athenis Oropum dirigebat, ſitum fuiſſe Amphiarai fanum, docet Dicæarchus: Ἐντεῦθεν (i. e. ἐξ Ἀθηνῶν) εἰς Ὠρωπὸν διὰ Δαφνίδων καὶ τοῦ Ἀμφιαράου Διὸς ἱεροῦ ὁδὸς ἐλευθέρῳ βαδίζοντι σχεδὸν ἡμέρας, Illinc (nempe Athenis) Oropum uſque per Daphnidem & Amphiarai Jovis templum iter expedito pediti unius prope diei eſt. Ubi pro Δαφνίδων, Ψαφίδων legi vult Salmaſ. Interim Amphiarai Fanum Oropo vicinum fuiſſe, hinc patet. Pauſan. l. 1. 12. ſtadiis ab Oropo ait diſtare; in loco Harma dicto, à curru Amphiarai; itaque non quidem Oropi, in Oropiorum (qui primi Græcorum Amphiarai memoriæ honorem habuerunt) tamen agro, fanum hoc Amphiarai olim oraculis celeberrimum fuit. Quam in rem vide complura, apud Salmaſ. ad Solin. p. 146. & ſeqq. Hodie vicus eſt ſatis grandis Græcis inhabitatus, vulgò Ropo, ubi 200. circiter eorum familiæ, uti docet Car. Sponius Itinerar. Greciæ Part. 2. p. 517. & 518. ubi & Epitaphii meminit Aphrodiſii filii Zopyri, Oropo oriundi, quod Sycamini 3. inde milliar. viſitur.

OROPUS, urbs Macedoniæ, patria Seleuci Nicanoris, ab Oropo filio Lycaonis dicta. Item oppid. Eubœæ, quod Ariſtoteli Græa dicitur. Itèm, Syriæ urbs, Telmiſſa quoque, teſte Stephanô, quem ſis conſule.

ORORI, civitas, 2. Sam. c. 23. v. 33.

ORORICIUS, Rex Methiæ, cujus uxorem Dermitius Rex Lageniæ cùm per vim abripuiſſet, omnibus Hiberniæ Regnis finis impoſitus eſt. Sub Henrico enim II. Angliæ Rege Hibernia in quamplurima adhuc Regna, quatuor inprimis hæc, Ultoniam, Lageniam, Momoniam & Conachtiam, diviſa erat, inter quorum Reges plerunque potentior Hiberniæ Monarcham ſe nominabat, quemadmodum etiam in Heptarchia Saxonum, in Anglia, factum eſſe, conſtat. Monarchiâ igitur ad Rodericum Regem Conachtiæ delatâ, Ororicius apud eum de injuria conqueſtus, raptorem Dermitium accuſavit ejuſque imploravit auxilium. Hinc bellum, in quo Dermitius inferior ad Angliæ Regem præfatum confu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

confugit, à quo etiam ſuſceptus & bonam ſpem habere juſſus eſt; videbat enim Hiberniam internis diſſidiis laborantem facilè ſub poteſtatem iri redactum. Nec feſellit augurium: exercitu enim comparatô Richardum Stranckboum Comitem Pembrokiæ, in Hiberniam miſit, qui Wexfordiâ occupatâ, & Dublinô Dermitii proditione captô, Waterfordiam quoque tandem expugnavit, ſicque omnes Hibernorum Regulos Regi ſuo ſubjecit, qui *Dominus Hiberniæ* ab eo tempore voluit vocari, Hornius *Orb. Imper. p.* 204. 205.

OROSA, quæ & *Alinza*, *Ptolem.* urbs Mediæ mediterranea, inter Nazadam, & Arſiſacam ad Ortum, *Archiech Caſtaldo.*

OROSCOPA, Africæ urbs, de qua lis inter Maſiniſſam & Carthaginenſes, Appian. *in Pun.*

OROSINES, Thraciæ fluv. Plinio *l.* 4. *c.* 11.

OROSIUS, Hiſpanus patriâ, domô (ut *Joh. Gerundenſis* tradit) Tarraconenſis, ſub Arcadio & Honorio vixit, ut Proſper, *in Chronicis*, ait. Hic, cùm, Româ ab Alarico Gothorum Rege captâ, gentiles, & hujus, & omnium calamitatum cauſam in Chriſtianos conjicerent, compoſuit, hortatu B. Auguſtini, ſeptem hiſtoriarum libros: quibus oſtendit, ab Orbe condito, uſque ad tempus, quô illa ſcriberet, (id ſpatium ipſe dicit annorum eſſe quinquies mille ſexcentorum, & duo de viginti) maximas ſemper atque atrociſſimas, per orbem, calamitates contigiſſe. Scriptor eſt planè utilis, ſed qui ſcriptores Græcos non legerit: imò Græcarum literarum expers fuit. In temporibus etiam crebrò fallitur, ut vel illa oſtendunt, quæ in eo caſtigavit Scaliger, *in Animadverſionibus Euſebianis.* Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 14. qui de eo fusè agit *Hiſt. Pelag. l.* 1. *c.* 17. *Nic. Lloyd.* Vide & in voce *Paulus Oroſius.*

OROSPEDA *Straboni*, *Orteſpeda*, Ptolemæo, mons Hiſpaniæ Tarraconenſ. poſt Pyrenæum maximus, longè, lateque diffuſus, varia habens nomina, à locis quæ attingit. In Celtiberis enim *Sierra de Molina* dicitur, teſte Florianô, in Arevacis & Carpetanis *Palomera d'Avila. Puerto di Somma ſiera, del Pico*, & *della Tablada*, in regno Caſtellæ veter. In regno autem Legionenſi apud Caliaicos, *Sierra di Ponſria* vocatur. *Baudrando* Mons eſt valde extenſus, per Carpetanos & Baſtitanos, à Tago fluv. nempe ad oram maris Mediterranei per Caſtellam novam regnum Murciæ & partem Orientalem regni Granatæ. Ejus partes dicuntur *Sierra de Segura*, *Sierra d'Alcaraz*, *montes de los Alpujaras*, in regno Granatæ; & alibi aliter. Sed non extenditur verſus regnum Legionenſe neque per Caſtellam veterem.

ORPHA, uxor Chelion, filii Elimelech Bethlehemitæ, Ruth. *c.* 1. *v.* 14. Latinè *cervix*, vel *cervicoſa*, ſive *ſuſcitatio*, vel *denudatio oris.*

ORPHANI nomen quorundam ex Huſſitis. Poſt mortem enim Ziſcæ, inclyti illius Huſſitarum Ducis, in duas hi factiones diviſi ſunt, quarum una Procopium Magnum ſibi Ducem creavit; altera, quòd nullum inveniri poſſe crederet, qui jure Ziſcæ ſuccederet, *Orphanorum* aſſumſit nomen. Quæ diſſidia ipſorum cauſæ plurimum nocuerunt, neque extingui potuêre, uſque ad A. C. 1030. quô utrique Bohemiâ expulſi, & Fratribus æternum exilium indictum eſt. Idem *p.* 46.

ORPHANOTROPHI, qui præponuntur *Orphanis* nutriendis, tanquam Tutores ſeu Curatores minorum: ſecundùm Juſtinianum *in l. Orphanotrophos, in princ. Cod. de Epiſc. & Cler. & in l. Omnia.* De iiſdem Spec. *in tit. de Orphanotropho* & *in tit. de his qui alien. nom. in judic. inter. in verſ. Orphanotrophus* & *in tit. de Inſtrum. edit.* §. *nunc verò aliqua, v.* 26. & §. *ult. v. ſunt etiam Orphanotrophi:* & *text. in Authent. de alien. & emph.* §. *emphyteuſeos verò per totum*, alibique paſſim. Locus verò, ubi filii iſtiuſmodi orbi & parentibus privati nutriebantur, *Orphanotrophium* dictus eſt, cujus meminit Imperat. *in l. illud*, §. *ſi quis verò* & *l. penult. in princ. Cod. de ſacroſanct. Eccl.* & *in l. omnia privilegia*, *Cod. de Epiſc. & Cleric.* Vide Calvin. *Lexic.* Græcè ὀρφανοτροφεῖον, quæ vox legitur apud Balſamonem in *can.* 8. *Concilii Chalced. p.* 332. ubi Epiſcopo non ſubjici Monachos ſeu Clericos templorum ἐν τοῖς Ὀρφανοτροφείοις ait. Item *in Collect. Conſtitut. Eccl.* ex *l.* 1. *Cod. num.* 19. ubi donationes, Actis non inſinuatas, quæ ad 500. uſque nummos fierent, inter alia, εἰς τὸ ὀρφανοτροφεῖον, ratas eſſe, dicitur. Eorum inventorem Hircanum Judæorum Principem *Hegeſippus* facit. Opus planè regium, unde & *Orphanos* non niſi ipſi Archonti curæ eſſe etiam Athenienſes voluêre, uti patet ex lege Solonis, memorata Demoſtheni πρὸς Μακάρτ. Et *Orphanotrophi* munus in Aula Byzantina magni fuit habitum, ut quô frater Michaëlis Paphlagonis Imperatoris ornatus legitur apud *Zonaram.* In quo verò id propriè conſtiterit, habetur in *Coll. cit. num.* 31. ſed rebus in pejus labentibus, deſiit, ſub poſtremis videl. Imperatoribus, teſte Codinô, apud Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* voce Ὀρφανοτρόφος. Vide quoque Meurſium *Gloſſar.* Scil. *Orphanus*, qui caret patre, præſidiôque paternô, quæ Græca vox eſt. Sed & *lapis pretioſus*, inquit Albertus M. *qui in corona Imperatoris, non unquam alibi viſus eſt, propter quod* Orphanus *dictus.* Fuit is *in colore vinoſus, ſubtilem habens vinoſitatem ſicut ſi in candidum nimis micans penetraret in rubeum clarum vinoſum & ſit ſuperatus ab ipſo; & traditur, quòd aliquando in nocte fulſit: ſed nunc tempore noſtrô non micat in tenebris.* Meminit Nicephorus Bryennius *l.* 1. *c.* 17. Πολυθρυλλήτου μαργάρου ὃν Ὀρφανὸν καλωνόμαζον, *Margariti illius decantati, Orphani vocati.* In clade Romani Diogenis in Turcarum veniſſe poteſtatem pretiumque ejus 90000. aureorum, refert El-Macinus *Hiſtor. Saracen.* apud Car. du Freſne. *Lychnitem* fuiſſe, diximus ſuprà voce *Lychnis.*

ORPHE, Lyco & Carya, ſorores, & filiæ Dionis Laconiæ Regis ex Iphithea: quarum Carya à Libero amata, in monte Taygeto, mutata eſt in arborem ſui nominis, quum arctiùs à ſororibus ſuis cuſtodiretur, Servius *ad Ecl.* 8. ex antiquiſſimis Græciæ fabulis, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 603.

ORPHEI Caput, inter vetera Oracula memoratur Philoſtrato Lemnio non ſolùm *l.* 4. *de Vita Apollonii*, verùm etiam *in Heroicis*, & quidem *in Philoctete*, ubi verba Latinè ſic habent: *Illinc Diomedes & Neoptolemus ad Trojam volentem adduxêre, cùm pro univerſis Græcis ei ſupplicâſſent, oraculumque de arcubus ex Lesbo, ut ait, profectum recitâſſent. Uti enim Achivos ait ex domeſticis oraculis, Dodonæo ſcil. & Pythico, & quæcunque Bœotica ſive Phocica probarentur, vaticinia. Lesbô autem haud procul ab Ilio diſtante, ad oraculum illic exiſtens miſerunt. Dabat autem reſponſa ex Orpheo:* Caput *enim poſt mulierum facinus Lesbô appulſum rupem habitavit, & in cava humo* ἐχρησμῴδει *vaticinabatur. Unde Lesbii cœterique Æoles atque his finitimi Iones, ipſo ad vaticinia utebantur. Reſponſa autem hujus oraculi & Babylona accerſebantur. Multa etenim Perſarum quoque Regi caput hoc cecinit: Cyroque vetuſto editum inde oraculum ferunt*, τὰ ἐμὰ, ὦ Κῦρε, σὰ κτλ. *Mea, ô Cyre, tua* &c. Quæ quâ hominum impoſturâ contigerint, pluribus eruditè ediſſerit Anton. van Dalen *de Oraculis Ethnicorum Diſſertat. II. p.* 29. & *ſeqq.* Vide infrà *Orpheus.*

ORPHEUM Theatrum, apud Martial. *l. de Spectac. Epigr.* 21. *v.* 1.

> *Quidquid in Orpheo Rhodope ſpectâſſe theatro*
> *Dicitur; exhibuit Cæſar, arena, tibi* &c.

A ſimilitudine dicitur veri Theatri, quod eſſet in Threjiciis vallibus ſeu planitie ad Hæmum Rhodopénve; ubi canente Orpheô ſylvas, ſaxa, feras motas diximus: quæ ad veri Theatri ſimilitudinem refert Poëta, ut Ovid. *Met. l.* 11. Hæc in Amphitheatro repræſentavit Domitianus, in quo

> *Repſerunt ſcopuli mirandaque ſylva cucurrit,*

per machinamenta ſcil. νευροσπαστικά; vel ab hominibus, in truncis arborum ſcopuliſque latitantibus:

> *Et ſupra vatem multa pependit avis:*

filô vel reti coërcitæ tenuiſſimô: Tandem ipſe, non quidem à Bacchis, ſed ab urſo, verè diſcerptus eſt. Damnatus nempe quiſpiam ad mortem, qui *Orphei* ſchema in hoc ludo gerebat, ab urſo laniatus eſt, ut verum Orpheum à Bacchis diſcerptum, ad vivum exprimeret. Vide Gronov. *ad loc.*

ORPHEUS, ut ſenſit *Myrleanus Aſclepiades*, Apollinis & Calliopes, unius Muſarum, fil. fuit. Virg. *in Pollione:*

> *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,*
> *Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adſit,*
> *Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.*

Apollon. *verò l.* 1. *Arg.* Oeagri, & Calliopes filium facit:

> Πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
> Καλλιόπη Θρήικι φατίζεται εὐνηθεῖσα
> Οἰάγρῳ, σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.

Alii Oeagri, & Polymniæ, alii Menippes, alii Thamyridis filium fuiſſe voluerunt, atque Jalemum & Hymenæum hujus fratres fuiſſe conſtat. Hunc à Mercurio, ſive ut alii habent, à patre Apolline lyram accepiſſe ferunt, eâque tantum valuiſſe, ut illius cantu ſylvas, & ſaxa moverit, fluviorum curſum inhibuerit, feraſque mitiores reddiderit. De quibus poſtea. Quamvis autem multi fuerunt Orphei, teſtante *Suidâ*, omnia tamen cæterorum facinora ad vetuſtiſſimum Thracem, Oeagri filium referuntur, qui, ut Tzetzes ait, *Hiſt.* 399. *Chil.* 12. fuit Herculis coætaneus, ac floruit annis 100. ante bellum Trojanum. Hic primus omnium apud Græcos de Aſtrologia ſcripſit. Lucian. *de Aſtrolog.* Ἕλληνες δὲ οὔτε παρ' Αἰθιόπων, οὔτε παρ' Αἰγυπτίων ἀστρολογίης πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλὰ σφίσιν Ὀρφεὺς, ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης πρῶτος τάδε ἀφηγήσατο. Idem primus Bacchi ſacra in Græciam introduxit, & in monte Bœotiæ Thebis, ubi Liber Pater natus eſt, ſacra illa, quæ *Orphica* vocantur, in quibus ipſe poſteà fuit laceratus, inſtituit, ut ait Lactantius, *de falſa Religione.* Hic multa humanæ, politicæque vitæ utilia invenit, ut ait Pauſan. *in Bœot.* Deorum initia, & univerſam Theologiam primus aperuit. Scripſit de Elementorum inter ſe mutuâ generatione, de vi amoris in rebus naturalibus, de Gigantomachiâ, de Raptu Proſerpinæ, de Cereris erroribus, de laboribus Herculis, de Idæorum, & Corybantum ſacrorum ritibus, de occultis oraculorum reſponſis, de Veneris & Minervæ ſacrificiis, de luctu Ægyptiorum Oſiridis cauſâ, ac de illorum luſtrationibus, de vaticiniis, de obſervationibus auſpiciorum, de ſitu fibrarum, de ſomniorum interpretatione, de ſignis ac prodigiis, deque illorum expiationibus, de expiatione inferorum, de ratione & motu aſtrorum, quô pactô Dii irati placari poſſint, &c. de quibus omnibus ſe ſcripſiſſe teſtatur initiô Argonauticorum, quæ ſub illius nomine circumferuntur. Non defuerunt, qui Orpheum & Amphionem magos Ægyptios fuiſſe arbitrati ſunt, ut ait Pauſan. *in poſt. Eliacis.* Uxorem habuit Eurydicen, cujus amore cùm flagraret Ariſtæus, eamque inſequeretur, ut captæ vim inferret, illa per loca devia fugiens à ſerpente in herba latente icta interiit. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 457.

> *Illa quidem, dum te fugiens per flumina præceps,*
> *Immanem ante pedes hydrum moritura puella*
> *Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.*

Tum fama eſt, Orpheum ſumptâ citharâ ad inferos deſcendiſſe, atque cùm mirificam quandam lamentationem ceciniſſet, lacrymas inferis excitâſſe; Plutone deinde placatô ac Proſerpinâ, ſeveriſſimis mortuorum regibus, cantûs ſuavitate non ſolùm obtinuiſſe, ut ipſe poſt viſam Eurydicen in lucem rediret, ſed etiam, ut eam ſecum abduceret; eâ tamen conditione, ne prius reſpiceret, quam ad ſuperos perveniſſet. Verùm cùm ille amoris impatiens reſpexiſſet, uxorem amiſit. Hunc inquiunt, cùm ad inferos deſcendiſſet, ibi Deorum omnium laudes ceciniſſe, præterquam Liberi Patris, quem per oblivionem prætermiſit: quare iratus Dionyſus furorem ſuis Bacchis immiſit, à quibus apud Hebrum fluv. fuit diſcerptus, membraque ejus per agros ſparſa, ut à canibus vorarentur: ſed tamen à Muſis dicuntur fuiſſe collecta, & in Dio Macedoniæ loco ſepulta. Alii dixerunt, à Jove

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

à Jove fuiſſe percuſſum fulmine, ſicut Leonides teſtatur hôc epitaphiô:

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μουσαὶ ἔθαψαν,
Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

Fertur ejus caput in Hebrum dejectum cum lyra in Lesbum delatum fuiſſe, atque ibi ſepultum; Lyram autem inter ſidera relatum, & a ſingulis Muſis, quarum laudes eximiè cecinerat, novem inſignibus ſtellis inſignitam. Alii memorant, illum poſt mortem Eurydices cæterarum mulierum conjugium ſpreviſſe, multiſque perſuaſiſſe hominibus, malum ingens eſſe fœminam; quare cùm multi abſtinerent à nuptiis fœminarum, ab illis per ſimulata Liberi Patris ſacrificia diſcerptus fuit, teſte Apollodorô, *l. de Diis.* Alii turpiſſimam cauſam tradiderunt, ajunt eum παιδεραστίας authorem fuiſſe, quam ita attigit Ovid. *l.* 10. *Met. v.* 81.

Ille etiam Thracum populis fuit author amores
In teneros transferre mares; citraque juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Vide Cœl. Rhod. *l.* 15. *c.* 19. Pauſan. *in Bœot.* indignatas ait Thracum fœminas, quod ob cantûs ſuavitatem multos viros ſecum abduceret. At Gelous Apollodorus *in Philadelphis*, judicem Calliopem electam fuiſſe inquit à Jove, contendentibus Venere & Proſerpinâ de Adonide; quæ cùm Adonidem communem adjudicaſſet, Venus indignata mulieres in Orpheum filium ejus concitavit. Alii dicunt, ita Venerem vertiſſe amorem omnium mulierum in Orpheum, ut ab illis raptim captus, dum inter ſe contenderent de Orpheo, fuerit laniatus. Agatharchides Cnidius *l.* 22. *rerum Aſiaticarum*, Orpheum ſcripſit, mortuâ Eurydice, veniſſe ad Aornum in Theſprotidem, ubi pervetus erat oraculum evocandarum animarum: ibi cùm Eurydicem ſibi adeſſe putâſſet, ſeque deceptum comperiſſet, ſibi mortem conſciviſſe. Inde ſcripſit *Pauſanias*, luſcinias quæ forent circa ſepulchrum Orphei in Thracia, cantum emittere cæteris omnibus ſuaviorem. Denique alii vitæ pertæſum, poſt mortem uxoris, ſibi manus intuliſſe inquiunt præ mœrore. *Vetuſtiſſimum poëtarum*, appellat Lactant. *l.* 1. Poëmata 39. compoſuiſſe dicitur, quæ temporum injuriâ periêre. Hymnos enim & verſus, qui illi vulgò tribuuntur, φασὶν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντετάχθαι, ait *Tatianus*. Clariſſimus Voſſius, Orphea hunc nunquam fuiſſe putat, ſed eſſe nomen ab antiqua Phœnicum lingua, quâ uſi Cadmus, ejuſque poſteri, atque à ſcientia nomen hauſiſſe. *Ariſa* enim Arabibus eſt *ſcire*; Unde *Ariſ*, *ſciens*, *doctus*. Hanc ſententiam veriſimiliorem facit, quod Cicer. *l.* 1. *de Nat. Deor.* refert, Ariſtotelem prodidiſſe Orphea illum nunquam fuiſſe, quæ verò carmina ejus nomine circumferuntur, ea à Pythagoricis attribui *Cecropi* cuidam, vel, ut legi debet, *Cercopi*. Nota etiam, Origenem negâſſe ulla Orphei ſcripta ſuô ævô extitiſſe, *l.* 1. κατὰ Κέλσου. Fabulam Orphei optimè omnium fusè tractat Virgil. *Georg. l.* 4. Et

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo

Ovidius *Metam. l.* 11. Vide Boëtium *de Conſol. Phil. l.* 1. *c.* 3. Mythologiam ejus habes apud Natal. Comit. *l.* 7. *c.* 14. Et eam quoque breviter innuit Horat. *ad Piſones de Arte Poët. v.* 391. *ſ.*

Sylveſtres homines, ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus, & victu fœdô deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidoſque leones.

Plurimi Poëtæ, ut nil dicam de mira Alexandri Severi Imper. devotione, qui in larario ſuo, inter Divos Principes, & animas ſanctiores, coluit Chriſtum, & Abrahamum, Orpheum & Apollonium, Lamprid. *in Severi vita c.* 29. ſunt in laudibus ejus decantandis, apud quos, imo & Oratores ac Philoſophos movit Orpheus ſuâ citharâ & cantilenâ Homines, Deos, Aſtra, Fluvios, Ventos, Arbores, Volucres, Animalia, Lapides, Montes, Inferos.

I. Homines. Calpurnius, *Ecl.* 2.

Convenit umbroſa quicunque ſub ilice lentus
Paſcit oves. ——— ———

Plato quoque in *Protagora*, ait Protagoram ipſum homines cantu & eloquentiâ demulſiſſe ὥσπερ Ὀρφεύς.

II. Deos. Calpurnius *ubi ſupra.*

——— *Faunuſque pater Satyrique bicornes*
Adfuerant, ſicco Dryades pede, Najades udo.

Silius Italicus *l.* 11. *v.* 462.

Auditus Superis, auditus Manibus Orpheus.

III. Aſtra. Hæc, ſi non ipſe, certè ejus lyra ex fictione Manilii, Nam de hac, quæ in cœlo eſt, ita ille *l.* 5.

Tunc ſilvas & ſaxa trahens, nunc ſidera ducit:
Et rapit immenſum mundi revolubilis orbem.

IV. Fluvios. Apollon. *l.* 1. *Argon.*

——— ——— Ποταμῶν τε ῥέεθρα.

Horatius *Carm. l.* 1. *Od.* 12. *v.* 9.

Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum curſus. ———

Propert. *l.* 3. *El.* 1. *v.* 41. cum illo loquens:

——— *Te concita dicunt*
Flumina Threiciâ detinuiſſe lyrâ.

Seneca *in Herc. Furente Actu* 2. *v.* 573.

Ars quæ præbuerat fluminibus moras.

Et in Medea, *Actu* 3. *v.* 625.

Ille vocali genitus Camœnâ,
Cujus ad chordas modulante plectrô
Reſtitit torrens. ———

Calpurnius,

Et tenuêre ſuos properantia flumina curſus.

Sidonius *Panegyr. Anth.*

Cùm ſtarent Hebri latices, curſuque ligatô
Fluminis attoniti carmen magis unda ſubiret.

Boëtius, ubi de Orpheo:

Sylvas currere mobiles,
Amnes ſtare coëgerat.

V. Mare. Antipater, *in carmine de Orpheo*, inter alia nominat παταγεῦσαν ἅλα, *mare obſtrepens*, quod ille flexit ſuô cantu. Inde pulchra illa fictio Valerii & Papinii de nave Argo per mare euntе, quam Orpheus ſuô cantu dirigebat, elemento illi imperans. Ait prior *l.* 1. *v.* 470.

Nec verò Oæagrius tranſtris impenditur Orpheus,
Haud pontum remo ſubigit; ſed carmine tonſas
Ire docet, ſummô paſſim ne gurgite pugnent.

Poſterior *l.* 5. *Theb. v.* 343.

——— ——— *Oeagrius illis*
Acclivis malo, mediis interſonat Orpheus
Remigiis, tantoſque jubet neſcire labores.

Utrique Silium adjungas, qui ſic *l.* 11. *v.* 471.

Quin etiam Pegaſæa ratis, cùm cærula nondum
Cognita terrigenis, pontoque intrare negaret,
Ad puppim ſacræ citharâ eliciente carinæ,
Adductum cantu venit mare.

VI. Ventos Calpurnius *de Orpheo*:

Deſiſtunt tremulis decurrere frondibus Euri.

Horat. ait, *l.* 1. *Carm. Od.* 12. *v.* 10. tardatos Orphei arte,

Fluminum curſus, celereſque ventos.

Seneca, *in Medea v.* 627. de rebus Orphei: *Siluêre venti.* Antipater *l.* 3. *Anthologiæ*, dat illi domitum ἀνέμων βρόμον, *ventorum impetum.* Et uſurpat verbum κοιμάσεις *conſopies.*

VII. Arbores. Euripides, *in Bacchis*, de Orpheo: Συνάγε δένδρεα, *conduxit arbores.* Dio Chryſoſtomus *Orat.* 53. φυτὰ nominat inter alia. Et *Orat.* 73. ita ait, Ἔτι δὲ τῶν δένδρων προσιόντων ἅμα τῷ καρπῷ τε καὶ ἄνθει, *concurriſſe arbores ad illum, una cum fructibus, & floribus.* Antipater inducit θελγομένας δρύας, *permulſas quercus.* Seneca *in Medea*, *Sylvas trahit.* Et Ovidius *eleg.* 1. *l.* 4. *Triſt. v.* 17. *Cùm traheret ſylvas Orpheus.* Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 12. *v.* 7. *Inſecutæ Orphea ſylvæ.* Et *v.* 11.

——— *Auritas fidibus canoris*
Ducere quercus.

Claudian. *l.* 2. *de laud. Stilic. v.* 172.

——— *Orpheo migrantes pectine ſylvas.*

Idem *in Præfat. l.* 2. *de Rap. Proſ. v.* 8.

Sylvaque Biſtonium ſæpe ſecuta Chelyn.

Sidonius Apollinaris,

——— ——— *Digitiſque canoris*
Compulit auritas ad plectrum currere ſylvas.

VIII. Volucres. Calpurnius,

Et quæcunque vagis altum ferit aëra pennis.

Seneca *in Herc. Fur. Actu* 2. *v.* 572. *Aves traxerat.* Et *in Medea*, *Actu* 3. *v.* 628.

Cui ſuo cantu volucris relicto
Adfuit totâ comitante ſylvâ.

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 20.

——— *Attonitas etiamnum voce canentis*
Innumeras volucres. ——— ———

Silius, *l.* 11. *v.* 469.

Immemor & dulcis nidi, poſitôque volatu.
Non mota volucris captiva pependit in æthra.

Orpheus ipſe de avibus.

——— Εἷος δὲ λάθοντα καλιῆς.

Dio Chryſoſtomus *Orat.* 78. meminit τῶν ὀρνίθων καταπετομένων πρὸς αὐτὸν (Ὀρφέα) ᾄδοντα. Et *Orat.* 32. numerat πτηνὰ καὶ πρόβατα.

IX. Animalia; Euripides *in Bacchis*, inter res Orphei numerat, θῆρας ἀγρώτας, *feras ſylveſtres.* Ut etiam Dio *Orat.* 32. τὰ θηρία ἡμέρωσε *feras manſuefecit.* Et 78. meminit τῶν θηρίων κηλουμένων ὑπὸ τῆς φωνῆς, καὶ παρεστηκότων πράως, καὶ ἀθορύβως, *ferarum, quæ ejus voce leniebantur, aſtabantque prope illum manſuetè, & quietè.* Propert. *l.* 3. *El.* 1. *v.* 41. *Orpheu te tenuiſſe feras.* Ovid. *l.* 3. *Amor. El.* 9. *v.* 22.

——— *Victas obſtupuiſſe feras.*

Pauſanias quoque *l.* 9. ait, videri ſtatuam Orphei, quam circumſtabant feræ expreſſæ in marmore, atque ære. Boëtius *de Conſol. Philoſoph. l.* 3.

Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec viſum timuit lepus
Jam cantu placidum canem.

Ex hoc miraculo pulchre Claudian. *præfat. l.* 2. *de Raptu Proſerp.* *v.* 5. de Orpheo jam ceſſante à Muſicâ,

Sæva feris Natura redit, metuenſque leonum,
Implorat citharæ vacca tacentis opem.

X. Lapides. Antipater petras inducit ab Orpheo θελγομένας *mulſas.* Apollon. *Argon.* 1.

——— ——— Πέτρας
Θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ.

Orpheus ipſe in *Argon.* Πέτραι δ' ἐσμαράγευν, *ſonuerunt ſaxa*, videlicet ad Vatis modos. Dio Chryſoſt. *Orat.* 53. λίθους κηλεῖν καὶ ἄγειν, *delinere ſaxa & ducere.* Et *Orat.* 78. καὶ τῶν λίθων κινουμένων, καὶ ξυιόντων, ὥστε μεγάλα ἕρματα ἀθροίζεσθαι λίθων πλησίον αὐτοῦ. Ovid. *l.* 3. *de Art. Am. v.* 321.

Saxa feraſque lyrâ movit Rhodopeius Orpheus.

Et *l.* 3. *Amor. El.* 12. *v.* 40.

Duraque percuſſam ſaxa ſecuta lyram.

Seneca in Medea, *Act.* 2. *v.* 356.

——— *Qui ſaxa cantu mulcet.*

XI. Montes. Orpheus ipſe *in Argon.*

Ἔστη δ' ἄκρα κάρηνα, καὶ ἄγκεα δενδρήεντα
Πηλίου. Caſſius Parmenſis:
Convulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit.

Silius Italicus, *l.* 11. *v.* 466.

Non illo Pangæa juga, aut Mavortius Hæmus,
Non illo modulante ſonos ſtetit ultima Thrace,
Cum ſylvis venêre feræ, cum montibus amnes.

Claudian. *l.* 3. *de Conſul. Honorii: v.* 113.

——— *Rhodopeia ſaxa*
Orpheis animata modis. ———

Sidon. Apollin. *in Panegyr. Anthemii Aug.*

Qui cantu flexit ſcopulos.

XII. Inferos. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 481.

Quin ipſæ ſtupuêre domus, atque intima lethi
Tartara, cæruleoſque implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.

Ovid. *l.* 3. *Art. Am. v.* 322. ait illum moviſſe,

Tartareoſque lacus, tergeminumque canem.

Idem *Met. l.* 11. *v.* 41.

Talia dicentem, nervoſque ad verba moventem
Exſangues flebant animæ.

Seneca *in Hercul. Furent. v.* 569.

Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos.

Silius Italicus, *l.* 11. *v.* 475.

——— ——— *Pallida regna*
Biſtonius vates, flammiſque Acheronta ſonantem
Placavit plectro, & fixit revolubile ſaxum.

Nic. Lloydius. Cœterùm, prope Pimpleam natum, Apollonius Rhodius Auctor eſt.

——— τόν ῥά ποῖ αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήϊκι Φυτίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.
——— *quem quondam ipſa*
Calliope Thraci dicitur congreſſa
Oeagro ſpeculam prope Pimpleida peperiſſe.

Quam Pimpleam alii montem Thraciæ, alii fontem, alii locum juxta Pieriam eſſe volunt. Πίπλαν & Πίπλειαν Græci plerunque ſcribunt, unde *Pipletes vates* Orpheus dicitur Appulejo *Mileſiar. l.* 2. *Sic in modum ſuperbi juvenis Aonis vel Muſæi vatis Pipletis laceratus atque diſcerptus domô proturbor.* At apud Sithonos illum natum, habet Solin. *c.* 9. Ex Pieria verò Zonem uſque attraxiſſe nemora, Mela refert *l.* 2. *c.* 2. qui ad hæc Apollonii reſpexiſſe videtur:

——— κείνην ἔτι σήματα μολπῆς
Ἀκτῆς Θρηϊκίης Ζώνης ἔπι τηλεθόωσαι
Ἑξείης στιχόωσιν ἐπίτριμοι, ἃς ὅγ' ἐπιπρὸ
Θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.
——— *Ejus adhuc ſigna cantilenæ*
In littore Threïcio, quod Zone appellatur, florentes
Ordine plantatæ arbores, quas ille
Delinitas citharâ deduxit è Pieria.

In quo promontorio *arbores* illas *Orphei* Nicander quoque collocat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 159. Pauſan. verò *l.* 6. & eum & Amphionem, etſi Thraces vulgò perhibeantur, fuiſſe tamen Ægyptô oriundos, ac utrumque arcanis Magorum ſcientiis excelluiſſe, refert. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 455. Ejus porrò caput Lesbo appulſum, vaticinari fuiſſe ſolitum, atque Cyro etiam Regi, cùm aliquos illud conſultum Babylone miſiſſet, reſpondiſſe hunc in modum, Τὰ ἐμὰ, ὦ Κῦρε, σά, *Mea, ô Cyre, tua*: quod Cyrus acceperit de locis, eoque ad Imperii incrementum retulerit: Oraculum autem de ſorte ſimilique vitæ exitu, quòd, ut *Orpheo* contigit à Threiſſis, ſic Cyro à fœmina Scythica præcidendum eſſet caput, intellexerit, narrat Philoſtratus *in Heroicis*, in Philoctete, qua de re vide Gerh. Jo. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 44. ut de *Orphei* Argonautæ cultu *l.* 1. *c.* 39. de ejus tetrachordo *l.* 2. *c.* 51. & *Orphei* περὶ λίθων ætate *l.* 4. *c.* 13. Ex illius autem doctrina, qualis Thracum fuerit Philoſophia, cognoſci poteſt: Multi enim olim Ὀρφαϊκὰ ſive Poëmata, juxta *Orphei* doctrinam, ſcripſêre, Suidas in Ὀρφεύς. E quibus maximè celebre nomen Onomacriti eſt, qui temporibus vixit liberorum Piſiſtrati, de quo vide Herodot. *l.* 6. Tatianum item *contra Gentes*, qui Poëmata, quæ *Orphei* nomine circumferuntur, ab Onomacrito hoc Athenienſi fuiſſe compoſita, docet, circa Olymp. 50. Leguntur adhuc apud varios fragmenta ex Ὀρφαϊκῶν Scriptoribus, quæ collegit Henr. Stephanus *in Poëſi ſua Philoſ.* Sed maximè illuſtre illud eſt apud Juſtinum Martyrem, in quo de Abrahamo & Moſaïcis Decalogi tabulis, quæ unde acceperit Onomacritus, non facile dictu eſt: niſi fortè Auctor iſtorum non Onomacritus fuerit, ſed recens admodum *Orphicorum* ſcriptor, atque id non ſatis attenderit Juſtinus. In eo autem *Orphici* & Pythagorici differebant, quòd hi per numeros, illi per fabulas, Auditores docerent. Proclus *in Theologiam* Platon. *l.* 1. *c.* 4. Ὀρφικοὶ διὰ συμβόλων, Πυθαγόρειοι διὰ εἰκόνων τὰ θεῖα μηνύειν ἐφίεμενοι, *Orphici per ſymbola, Pythagorici per iconas divina tradere ſtatuerunt.* Vide Voſſ. ſæpius laudatum *l. de Philoſophor. ſectis c.* 3. §. 4. & 5. ut & *l. de Scientiis Mathem. c.* 32. §. 7. *ubi ſententiam illorum, qui Aſtrologiam ab Orpheo Græciæ illatam, quique lyram ejus* 7. *chordis conſtantem,* 7. *Planetarum fuiſſe ſymbolum contenderunt, refutat*: De imagine verò *Orphei*, in faſtigio domus Plinianæ, Martialem *l.* 10. *Epigr.* 19. & ipſum Plin. *l.* 35. *c.* 3. &c. Ab *Orpheo* dicti *Orphici*, vide ſuprà.

ORPHIDIUS Benignus, primæ Legionis, cognomine *Adjutricis* legatus, in conflictu primæ & unius & viceſimæ, occiſus, Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 43.

ORPHITUS, Conſul cum Priſco, An. Urb. Cond. 901.

ORPHITUS, memoratur Amm. Marcellino *l.* 14. *Orphitus*, inquit, *Præfecti poteſtate regebat Urbem æternam*, i. e. *Romam*, uti iterum *l.* 16. 19. & 28. idem Scriptor eam vocat. Symmachus quoque *l.* 2. *Ep.* 78. *Ut curulibus ſtabulis Urbis æternæ etiam quina mancipia largiamur.* Auſonius *præf. ad Faſtos ſuos*,

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. l.* 1. *c.* 2.

ORPHITUS, Conſul cum Ruffo, ſub Marco Imperatore, à quo *SC. Orphitianum*, quod *Orationem D. Marci* nominant, qui jus novum introduxit, ut matribus liberi ab inteſtato ſuccedant, qua de re Jul. Capitolin. in *Vita* ejus, *c.* 11. *Leges etiam addidit de viceſima hæreditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis, & item de filiorum ſucceſſionibus, pro parte materna* &c. Item Conſul cum Maximo, annô 12. Imperii Commodiani, quô Imperator hic *Germanicus* appellatus eſt, apud Lamprid. *in Commodo c.* 12. Item cum Atticiano ſub Claudio II. cujus meminit Trebellius Pollio, in *Vita* Claudii. *c.* 11.

ORPHITUS, vide *Pactius*, it. *Cornelius.*

ORPHNEUS, unus ex equis Plutonis à *tenebris* nomen habens. Claudian. *in fine l.* 1. *de Rapt. Proſ.*

Orphneus crudele micans, Æthonque ſagittâ
Ocyor, & Stygii ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditiſque notâ ſignatus Alaſtor.

ORRADUS, Inſul. ſinus Perſici, in *tabul. Peutingeriana*, fortè pro *Aradus.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1182.

ORREA, oppid. fuit Africæ, inter Sitiſim 18. & Saldas coloniam 59. mill. paſſ.

ORRHEA, vulgò *Forfair*, vel *Forfar*, teſte Camdenô, oppid. Scotiæ in Anguſia regione inter Brechinum ad Ortum, & Duncaledinum ad Occidentem, 12. mill. paſſ. Aliis eſt *Newcaſtle*, oppid. Northumbriæ apud Tinam fluv. à Nunelmo 12. mill. paſſ. in Boream, Bervicum verſus. Item oppid. Myſiæ ſuperioris ad Margum fluv. in Danubium influentem, *Horreum Margi*, *Antonino*. *Baudrando* ad Moravam fluv. eſt. Nunc oppid. Serviæ, *la Guardia*, 60. mill. paſſ. à Viminatio, in Meridiem, verſùs Scardum montem.

ORSA, oppid. Indiæ intra Gangem, *Ptolem.*

ORSA, oppid. munitum Lithuaniæ, ad Boriſthenem, ubi Orſcam amnem recipit. A Moſcis haud pridem captum, 18. leuc. Polonic. à Smolenſco in Occidentem, 12. à Mobilovia in Boream, Vitebſcum verſus, cum arce valida. Hic Sigiſmundus I. Poloniæ Rex Baſilium Moſcum, ob ademptum Smolenſcum, XL. Millibus cæſis, ſuperavit, Ductoribus exercitus, omni gentis ſenatu & IV. Millibus captis, A. C. 1514. Cromer. *in Orat. fun. Sigiſmundi I.*

ORSARA, Armeniæ minoris urbs *Ptol. Tonaſa Antonini*, ut putat *Simlerus*; ipſe autem legit *Horſa* ex codicibus fortè mendosè.

ORSI, nomen Dei apud Perſarum Magos, quatuor literis conſtans: Quemadmodum Marſilius Ficinus *Argum. in Plat. Cratyl.* notat, omnes Gentes atque linguas, præcipuum Dei nomen τετραγράμματον habere, & quatuor ſolùm literis pronuntiare; Sic enim Latinis *Deus*, Ægyptiis *Theut*, Perſis *Syre*, Græcis Θεὸς, Arabibus *Alla*, Mahumedi *Abdi*, Hebræis celebri nomine iſtô tetragrammatô, Magis *Orſi* &c. appellatur. Quem equidem literarum in divino nomine quaternionem etiam à Clemente Alex. *l.* 5. *Strom.* animadverſum eſſe, obſervavit Tob. Pfannerus *Syſtem. Theol. Gentil. purioris c.* 2. §. 11.

ORSIA, vide ORISIA.

ORSILLUS Perſa, parricidium Beſſi peroſus, transfugit ad Alexandrum, Curt. *l.* 5. *c.* 13.

ORSILOCHUS, fil. Idomenei, qui patrem ſequutus ad expeditionem Trojanam, quum per totum bellum ex voto omnia ſucceſſiſſent, in exitu rei, ob inſolentiam, dum obſtaret totis viribus, ne ex præda capti Ilii ſors debita daretur Ulyſſi, ab eo occiſus. Item fil. Alphei fluv. Homer. *Il.* 5. *v.* 542. 546. & nomen Trojani cujuſdam, de quo Virgil. *l.* 11. *Æn. v.* 636. 690.

ORSIMA, oppid, Æthiopiæ ſub Ægypto, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ORSINES, Satrapa Darii ultimi, ab ſeptem Perſis oriundus, ad Cyrum quoque nobiliſſimum regem originem ſui referens. In exercitu, qui ad Arbela cæſus, Perſis aliiſque multis copiis præfuit. Calumniis Bagoæ Eunuchi, tanquam ſepulchrum Cyri ſpoliâſſet, everſus & ab Alexandro interfici juſſus. Vide Curt. *l.* 10. *c.* 1.

ORSIPPUS Megarenſis, quòd curſu eſſet ſuperatus, quia περίζωμα, ſeu ſubligaculum ejus impediiſſet curſum; vel, ut alii narrant, quòd cingulum decidere ſiviſſet, quò expeditiùs curreret ſicque victor evaſiſſet, in cauſa fuit, ut in poſterum ſine zona eoque prorſus nudi, in Gymnicis ludis, curſitarent. Factum id Olymp. 15. annô primô, ab Archonte Hippomene. Auctores rei Pauſan. *in Atticis*, Poëta incertus *in Antholog.* Euſebius *Chron. l.* 1. Anonymus Olympiadum ſcriptor, Iſidor. *Originum l.* 18. *c.* 17. Euſtathius *in Iliad.* ψ. Nicas ſeu Etymologi M. Scriptor in voce Γυμνάσια, apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Gymnaſtica c.* 3. §. 43.

ORSOJUM, oppid. probè munitum Ducatus Clivenſis, ad Rhenum. Juris eſt Brandeburgici, ſub clientela tamen Hollandorum, 3. leuc. ſupra Veſaliam in Meridiem, 4. à Geldria in Ortum, paulò ſuprà Rhenobergam. Captum à Gallis, A. C. 1672. ſed deſertum A. C. 1674.

ORSOLOGIACUM, urbs Galatiæ, inter Ancyram & Niſam, *Antonin.* Fortè *Orſologia*, *Ptolem.*

ORSONA, ſeu URSO colonia *Straboni*, & Plinio, *l.* 3. *c.* 1. quæ & *Genua Urbanorum*, eidem Plinio, *Urſao*, autem Aulo Hirtio, *de Bello Hiſpan. c.* 26. oppid. amplum Hiſpaniæ Bæticæ, Ducatus, & Academia in Vandalitia, inter Hiſpalim 8. & Malaceam 16. ab Aſtigi 5. leuc. in Meridiem, *Oſſuna Morali. Baudrando*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

drando urbs parva, & culta Vandalitiæ, 13. leuc. ab Hiſpali in Ortum. Vide *Urſo.*

ORSURA, Italiæ urbs circa Samnium aut Campaniam, P. Diac. in *Longob.* Forſan *Sora* hodie.

ORTALUS, prænomine Marcus. Q. Hortenſii ex filio, bellô civili Brutianô occiſo, nepos; illectus à D. Auguſto, liberalitate decies ſeſtertiûm, uxorem ducere, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia exſtingueretur. Qui, cùm quatuor filiis ſublatis, in paupertate manifeſta cenſum ſuum à Tiberio ſublevari peteret, cerius repulſus eſt. Tacit. *Annal. l. 2. c. 37.* & Sueton. *in Tiberio.* Val. Max. *l. 3. c. 5.* ubi *Corbio* vocatur. Forſàn hic eſt, ad quem Catullus *Epigr. 66.*

Etſi me aſſiduo confectum cura dolore
Sevocet à doctis Ortale virginibus.

ORTANA, oppidum Navarræ, 5. à Pompelone leuc. *Artajo* aliis, locus excitus.

ORTELIUS Abrahamus, Antverpianus, 30. demum ætat. annô ſtudia aggreſſus, nec ullo præceptore uſus, eò eruditionis pervenit brevi, ut ob ſummam Geographiæ peritiam *Ptolemæus ſui ſeculi* dictus ſit. Vulgavit *Tabulas*, *Theſaurum*, *Theatrum Geogr.* O. T. *Synonyma Geographica*, aliaque ſublimi ſuô ingeniô digniſſima. Obiit A. C. 1598. ætat. 72 Franc. Swertius, *in ejus vita.* Symbolum ejus; Orbis, cum lemmate, *Contemno & Orno, mente, manu.* Bucholcer. *Ind.* Philippi II. Geographus fuit. Ei J. Lipſius hoc Epitaphium fecit: *Abrahami Ortelii, quem urbs urbium Antverpia edidit, Rex Regum Philippus Geographum habuit, monumentum hic vides. Brevis terra eum capit qui ipſe orbem terrarum cepit, ſtilo & tabulis illuſtravit, ſed mente contempſit, quæ cœlum & alta ſuſpexit. Conſtans adverſum ſpes aut metus, amicitiæ cultor, candore, ſide, officiis; quietis cultor, ſine lite, uxore, prole, vitam habuit, qualem alius votum, ut nunc quoque in æterna requieſcit, votis fave Lector. Obiit quarto Kal. Jul. 1598. ætat. 71. menſes 2. dies 18.* Idem de *Theſauro* ejus *Geographico*, *Placet*, ait, *materies, ordo, induſtria. Illa utiliſſima, iſte facilimus, hæc ſumma*, *Epiſt. Miſc. Cent. 2. ep. 57.* & illius *Theatrum Orbis terrarum* maximopere commendat, *Epiſt. Quæſt. l. 4. c. 4.* cœtera ejus opera enumerat Anton. Teiſſier *Elog. Part. 1.* Vide quoque Aub. Miræum & Laur. Craſſum *Elog.* Valer. Andream *Biblioth. Belg. Alios.*

ORTENBURGUM, oppid. Carinthiæ ſuperioris ad Dravum fluv. in confinio ditionis Salisburg. vix 5. milliar. Germanic. ſupra Villacum in Occaſum, 6. à Ponte ad Fellam ſeu à confinio Foro-Julii & ditionis Venetæ in Boream. Olim ſub proprio Comite. Fridericus enim Comes in *Spanheim* & *Ortenburg* dicitur A. C. 1042. Hujus filii Sigfridus & Engelbertus I. Comitatum *Lavant*, à primi uxore, obtinuerunt. In Engelberto II. prioris filio, titulus *Marchionis Iſtriæ* acceſſit. Hic Ducis Carinthiæ fuit gener & plures ſuſcepit liberos, è quibus Bernardus dedit Comites in *Lavant* & *Spanheim*; Sigfridus Comites de *Liebenau* (qui, ditione in Bavaros tranſlatâ, deſiêre A. C. 1229.) ſed Engelbertus III. Dux Carinthiæ creatus eſt, atque ex filiorum altero Ulrico reliquos Duces Carinthiæ (qui in nepotibus ejus defecerunt) tum Comites *Ortenburgi* in Carinthia ac Sternbergæ (quorum hæreditas ad Cilienſes, ab his ad Auſtrios devenit) altero Rapatone ſive Rapoldo, cœteros *Ortenburgicos* in Bavaria, & aliquot hujus Palatinos, ſevit. Inter iſtos Sebaſtianus, duorum inprimis filiorum pater, totidem lineas orſus eſt: quarum altera, per Chriſtophorum propagata, in ejus filio Joachimo (qui filium & nepotem, turbatô Naturæ ordine, extulit) finem accepit A. C. 1600. altera ab Ulrico derivata, cùm filius hujus Alexander etiam duos genuiſſet, denuo in duas abiit. Hujus enim poſteritas in nepotibus deſiit. Illius pronepos adhuc ſupereſt Georgius Philippus. cui Majores hi fuêre: Sebaſtianus Comes *Ortenburgi*, ex Maria (filia Johannis *de Rorbach* Comitis Neoburgi ad Oenum) pater fuit Ulrici Comitis, defuncti A. C. 1524. Hôc & Veronicâ *ab Aichberg* Baron. natus Alexander Comes deceſſit A. C. 1548. relictô, ex Regina Blanca *de Wolckenſtein* Baron. Ulricô Comite, qui Catharinam Truchſeſſiam (filiam Georgii Truchſeſſii Dn. *de Waldburg*) ſibi junxit atque ex ea ſuſcepit Georgium Comit. maritum Annæ Mariæ Comit. Leiningenſis atque ex ea patrem Georgii Reinhardi Comit. cui Eſther Dorothea Baron. Criechingenſis, genuit Georgium Reinhardum (qui natali ſuô A. C. 1647. obiit) Annam Sibyllam (natam 1648.) Annam Eliſabetham (natam 1649.) Annam Dorotheam (natam & denatam 1650.) Mariam Evam (natam & denatam 1651.) & Georgium Philippum (natum 1655.) omnes Comites de *Ortenburg* &c. Spenerus *Theat. Nobilit. Part. 2. p. 107.* & in *Indice.*

ORTESIUM, urbec. Benearniæ, ad Gabarum Palenſem fluvium 7. leuc. ab Elorona in Boream, uti à Palo in Circium, 10. à Bajona in Ortum, *Ourtes.* Hîc docuit Lambertus Danæus, Theologus exercitatiſſimus, obiitque A. C. 1576.

ORTHAGORAS, tyrannus Sicyonis; quem dominatum per liberos in annos centum propagavit, humanè & comiter imperans. Succeſſêre verò illi Myron & Cliſthenes.

ORTHAGORAS, de rebus Indiæ volumen condidit. Ælian. *de Animal. l. 16. c. 35. & l. 17. c. 6.*

ORTHAGORAS, tibicen clariſſimus, à quo ut & Olympiodoro, eam Artem didicit Epaminondas: quemadmodum Proſomius Alcibiadem eandem docuit. Vide Athenæum *l. 4.*

ORTHAGORAS, vide *Satyrus.*

ORTHE, Magneſiæ civitas Plinio, *l. 4. c. 9.* Perrhæbiæ verò Straboni, quæ quibusdam (ut idem ſcribit) *Phalanneorum arx* credita fuit. Vide *Hippia.*

ORTHEAGA, Meſopotamiæ urbs, *Ptolem.*

ORTHESIA, cognomen Dianæ, apud Thraces olim cultæ, ſicque dictæ ἀπὸ τοῦ ὀρθοῦν, *ab erigendo* ſeu *dirigendo*, quòd parturientes, imò mortales univerſos, elevare ac adjutare crederetur, Herodot. *Melpomene.* Eandem & Βένδιν appellârunt iidem atque utrôque nomine Lunam ſimul ac Terram venerati ſunt. Voſſ. *de Idolol. l. 2. c. 57.*

ORTHIA, Diana apud Lacedæmonios, in cujus ſacrificiis adoleſcentuli, qui *Bomonicæ* dicebantur, aris ſuperpoſiti contendere ſolebant, qui plura verbera ſuſtineret, *Plut.*

ORTHIUM Carmen, memoratur A. Gellio *l. 16. c. 19.* ubi de fidicine Arione: *Atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, ſtanſque in ſummæ puppis foro, carmen, quod* Orthium *dicitur, voce ſublatiſſima cantavit:* In quæ verba Jac. Oiſelius JCtus: *Carmen Orthium, inquit, ſive Orthius modus, ad accendendos animos exigendoſque trepidos in prælio, efficax erat & accommodatus: utpote incenſus, ſonorus & claſſicus.* Ab ὄρω, i. e. *excito.* Eôdem canendi genere uſus Timotheus Alexandrum M. tantô belli deſideriô implevit, ut confertim ad arma proſiliret, apud Euſtathium *in Iliad. λ.* Scholiaſtes vetus Ariſtophanis *in Acharnenſ.* cum ſic vocatum ait, διὰ τὸ εὔηχ ἔυτονον καὶ ἀνάτασιν ἔχειν: adducitque Homeri illud *Il. λ. v. 10. 11.*

Ἔνθα στᾶσ' ἤυσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε
Ὄρθι' Ἀχαιοῖσιν, μέγα δὲ σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ.
Illic ſtans clamavit Dea altumque, horribileque,
Orthium *carmen Achivis, magnum autem robur injecit unicuique.*

Suidas, Ὄρθιον νόμον καὶ Τροχαῖον τὰς δύο νόμους ἀπὸ τῶν ῥυθμῶν ὠνόμασε, Τέρπανδρος· ἀνατεταμένοι δὲ ἦσαν καὶ εὔτονοι, *Orthium modum & Trochæum, à rhythmis ſic appellavit Terpander: Erant enim intenſi ac acres.* Meminit ejuſdem Maximus Tyrius *Orat. 7.* *Nec enim in Muſicis unus eſt modus, aut unum tempus. Pulchrum in bello id, quod* Orthium *nominant: pulchrum in convivio id, quod Paroenion vocatur.* In ſaltationibus quoque Pyrrichis Ὄρθιον νόμον ex tibiis fuiſſe adhibitum, docet Jul. C. Scaliger *Poëtices l. 1. c. 18.* qui idem *c. 20.* *tibias Syriacas audaciam atque impetum ſpirantes, ad leges Entheas & Orthias refert.* Vide quoque Gerh. Joh. Voſſ. *de Muſice c. 4. §. 36.* & infrà voce *Prælium*, it. *Scolium.*

ORTHIUMAGUS, locus maritimæ Phœniciæ, Polyæn. *l. 4. c. 6. com. 9.*

ORTHOCORYBANTII, populi Scythiæ in Aſia, Herod. *l. 3.*

ORTHODOXUS, apud Scriptores Eccleſ. dicitur, qui de Religione Chriſtiana rectè ſentit, ſeu ὁ ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων, *qui pro Apoſtolicis dogmatibus decertat*, ut Theodoretus ait *Præf. ad Dial.* Hinc Κυριακὴ τῆς Ὀρθοδοξίας, *Dominica Orthodoxiæ*, aliter ἡ τῆς Ὀρθοδοξίας πανήγυρις, apud *Cedrenum*, Ἑορτὴ τῆς Ὀρθοδοξίας, *Feſtum Orthodoxiæ*, apud *Joann. Curopalatem*, dicta eſt Dominica prima Quadrageſimæ apud Græcos, quam iidem Κυριακὴν πρώτην τῶν νηστειῶν, *Dominicam primam jejuniorum* Latini *Invocavit* appellant. Inſtituta à Michaële Imperatore & ejus matre Theodora, ob Imaginum reſtitutionem. In cujus memoriam proceſſio cum crucibus & imaginibus hâc die fiebat, prædicabaturque memoria *Orthodoxorum* Imperator. ac Patriarcharum. Inſuper Synodicum legebatur, hôcque finitô fauſtis acclamationibus Imperatores Antiſtiteſque excipiebantur: uti pluribus videre eſt, apud Meurſium *Gloſſar.* voce Ὀρθοδοξία, L. Allatium *de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum Sect. 14.* & Cl. Suicerum *Theſauro Eccleſ.* voce Ὀρθόδοξος, item Ὀρθοδοξία.

ORTHOGRAPHIA, pars altera Grammaticæ Technicæ ſive Methodicæ, de Scriptione eſt. Exſequuti eam diligenter ſunt eruditiſſimi Grammatici tum Græci, tum Latini: è Græcis *Didymus, Tryphon, Herodianus, Eudæmon, Arcadius, Hyperchio* & tot alii, quos laudant Stephanus περὶ πόλεων & *Suidas*, è Latinis, *Verrius* teſte Tranquillô *de Clar. Grammatic. c. 17. 18.* & *Velius Flaccus, Longus*, quem Commelinus juris publici fecit, cum caſtigationibus Franc. Junii Biturigis. Item undecim alii, ex quibus ſua collegit *Caſſiodorus:* unde ſic ipſe verſibus iis, quos præfationi ſubjunxit,

Omnia cùm Veterum ſint deflorata libellis,
Multa loqui breviter ſit novitatis opus.

Hòc ſeculô quoque varii de illa ſcripſêre; ſed ut priorum induſtriam vicerat *Aldus Nepos:* ita eum & alios, longè pòſt ſe reliquit, *Claudius Dauſquius*, eruditiſſimis duobus *de Orthographia* libris: multa etiam Voſſius de ea *in Originum opere.* Ad hæc *veteres codices MSSi.* item *ſaxorum, nummorum, gemmarum, annulorumque Inſcriptiones.* Convincere quidem hanc doctrinam vanitatis conatur Sextus Empiricus, ἐκ τῆς διαφωνίας, ſed quantillum hoc, quòd in ſcribendi ratione ſit diſſenſus. Pertinet ad *Orthographiam* quoque ratio tum interpungendi, tum ſcribendi διὰ σημείων ſive per *notas*, de quibus Eruditos & quæ ſuprà diximus conſule. Et quidem de Interpretatione *Aldus* ac *Voſſius.* de Siglis *Val. Probus, Mango, Petrus Diaconus;* de Notis, *Tullius Tyro* & *L. Seneca* ſcripſêre: Erat & ſcribendi ratio Hieroglyphica, de qua *Horapollo:* Gerh. Joh. Voſſ. *de Philologia c. 4. §. 11. & 12.* Vide quoque de unoquoque horum *ſuis locis.* Addo ſaltem de Veter. *Orthographia*, judicium Caſpari Barthii *Animadverſion. ad Stat. l. 2. v. 157.* *Sanè illius* (Εὐφωνίας) *magnam habuit priſca Latinitas, non aliter quàm nunc ab ea deſcendentes idiotiſmi rationem; nos verò cum recente noſtro prorſus nullam: Etſi quam pauci generoſique homines haberemus, quantos putes Larvalium pulverearumque Lamiarum nos clamores ſequuturos?* At *Orthographia* viris olim magnis parum ſolicitè curata. Suetonius de & in *Octavio c. 88.* *Orthographiam, i. e. formulam rationemque ſcribendi à Grammaticis inſtitutam non adeò cuſtodiit, ac videtur eorum ſequi potiùs opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquamur, exiſtiment.* Porphyrius de Plotino ſimiliter, nihil eum penſi habuiſſe ſcribit, ut nitidè aut eleganter ſcriberet: diviſionem ſyllabarum neglexiſſe: regulas *Orthographiæ* parum curâſſe: ad ſolam denique mentem animum attendiſſe &c. Vide Caſaubon. *ad Sueton. d. l.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ORTHOMARMAROSIS, Græcè Ὀρθομαρμάρωσις, dicebatur parietes marmore operiendi artificium: Cùm enim variis rebus ſolerent Veteres domorum parietes ornare, aut picturis condecorabant, & coloribus udô tectoriô inductis; aut deaurabant; aut marmore operiebant, quod genus Ὀρθόςρωσις & ὀρθομαρμάρωσις vocabatur; aut interraſô plerunque marmore, vermiculatiſque ad effigiem animalium cruſtis depingebant, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo c.* 3. Hinc *Codinus*, Εἶθ' ὅτως ἐμυσίωσαν καὶ ὀρθομαρμάρωσαν τὸ αὐτὸν, de trullo loquens: Et paulò poſt, Ἐκέλευσε δὲ ὁ βασιλεὺς τὰς ὀρθομαρμαρώσεις καὶ τὸν πάτον ὅλον χρυσῦν ποιῆσαι; ubi μυσίωσιν, ὀρθομαρμάρωσιν & πάτωσιν diligenter diſtinguit. Licet enim eôdem opere ſola, parietes & cameræ condecorarentur, propriè tamen πάτωσιν vocat, quod in ſolo ponebatur; μυσείωσιν, quod in cameris & pendentibus; ὀρθομαρμαρώσιν verò, quod in parietibus. Unde in loco poſter. ὀρθομαρμαρώσεις & πάτος ſunt *parietes* & *pavimentum*. Ὀρθοςρώσεις elegantiores Græci vocabant: Nam de pavimento ςρῶσιν dicentes, de parietibus vocem ὀρθόςρωσιν adhibuerunt. Inde ὀρθόςρωτοι τοῖχοι, apud Hieroclem de Nuptiis, penès *Stobæum*, h. e. *cruſtis marmoreis & laminis inducti.* Vide eundem Salmaſ. *ad Spartianum in Nigro c.* 6. & hîc paſſim, inprimis ubi de *Parietibus* & *Teſſeliato opere.*

ORTHOPAGOS, vide *Thurium.*

ORTHOPALE, Græcè ὀρθοπάλη, aliter duabus vocibus ὀρθία πάλη, lucta eſt; quòd inter ſtantes & *rectos* ageretur, hinc dicta. In hac viciſſe erat adverſarium ſolo dejeciſſe, quod καταβάλλειν communiter, propriè ῥῆξαι dixêre; ut contrà victi ignominiâ, cecidiſſe. Unde reſponſum Laconis, de antagoniſta, à quo Olympiæ victus erat, ὁ μόνον κρείττων, ἀλλὰ καββαλικώτερος. Itaque ſupplantare & ſubvertere omni arte alter alterum quærebant: Hinc ἐκ σκελέων ἐδροςρόφοι, Theocrito dicti in Ἡρακλίσκῳ. Secus omnia in pancratio, in quo & ſuccubuiſſe erat artis. Etenim dejectus & ſolo proſtratus pancratiaſtes, pugnabat tamen, & quâ mordendo, quà depilando, quà fauces ſtringendo, ſæpe victorem antagoniſtam adigebat, victum ſe fateri: Unde luctatori cavendos ὑπλιασμὸς, ipſi ab arte affectabant; nec, ut in *orthopale*, qui cadebat, victus erat, ſed qui prior omnium deſponderat. In lucta porrò non niſi ter dejectus ab adverſario victus habebatur, qui tum digitum ſolebat ἀνατείνασθαι, *tollere.* Seneca *de Beneficiis, l.* 5. *c.* 3. *Curſor metam prior contingit, velocitate alium non animô; anteceſſit, luctator ter dejectus perdidit palmam, non tradidit.* Atque hoc τριάξαι, item ἀποτριάξαι dicebatur, *Planude* teſte. Hinc de Clitomacho, invicto luctatore, *Epigr.*

Τὸ τρίτον οὐκ ἐκόνισσεν ἐπωτίδας, ἀλλὰ παλαίςας
  Ἀπτὼς τὼς τρισσὼς ἰσθμόθεν εἶλε πόνως.
Tertiò non pulvere humeros inquinavit, ſed luctatus,
  Ut non caderet &c.

Et de Venere, *Sophocles.*

Τίν' οὐ παλαίουσ' ἐς τρὶς ἐκβάλλει θεῶν;
Quem non luctando ter dejicit Deorum?

metaphorâ à luctatoribus ductâ, qui ter dejiciendo adverſarios vincunt &c. Vide ſuprà in voce *Nexus*, item *Nodi.*

ORTHOPLUMUS, ſeu ORTHOPLUMEUS, ex hybrida voce Græca Ὀρθόπλυμος pannus eſt *rectis plumis* variegatus, opereque plumatô diſtinctus. *Charta* donationis factæ Eccleſiæ Cornutian. edita à *Suareſio*: *Vela holoſerica alba auroclava*, Orthopluma *duo* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide de plumarum in veſtibus uſu, infrà in voce *Pluma.*

ORTHOSIA, quæ *Antaradus* prius, teſte Pliniô; *l.* 5. *c.* 20. *Orthoſias Straboni. Orthoſis Dionyſio*, *Tortoſa Moletio* & aliis, urbs Phœnices Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tyrio in ora, inter Balaneas ad Arct. 24. & Tripolim ad Auſtrum 50. mill. paſſ. Item cognomen Minervæ ab *Orthoſio* Laconiæ monte in regione Peloponneſi. Item, urbs Cariæ maritimæ in confinio Piſidiæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropol. *Ferrar.*

ORTHOSTADIA, *Ariſtophani* vocatur, quam *Tunicam Conſiſtentem*, quæ non accingitur, nuncupat Jul. Pollux *l.* 7. *c.* 13. Erat illa utrinque manicata, longioribus manicis, arctis, ad pedes uſque deſcendentibus. Qualem podere longiorem eique ſuperinjectam, lævâ deorſum porrectâ velut ſuſtinet, aliquantiſper attollens ad femur, ne greſſum impediat elevati pedis, Veſtalis Virgo, in Imagine Galvaniana, quam inſigni commentariô illuſtravit Fortun. Licetus *de Lucernis l.* 8. *c.* 83. Vide quoque infrà voce *Recta.*

ORTHURA, urbs Indiæ citerioris ampla & regia in mediterraneis apud oram in Ortum inter Narſingam & Bengalam, à quâ in Occidentem ad 200. leuc. abeſt. *Oriſſa Caſtaldo.* Aliis nunc *Gingi*, urbs ampla Indiæ citerioris aliàs regni Biſnagaris, nunc proprii regni caput, cum arce ampla & permunita in colle. 70. mill. paſſ. circiter ab ora ſinus Gangetici in Occidentem, 260. à promontorio Comorino in Boream.

ORTHUS, canis, qui Geryonis armenta cuſtodiebat, appellatus eſt; fuitque Echidnæ fil. Cerberi frater, quem, unà cum Eurytione Paſtore, ab Hercule ſcribit interemptum, Heſiodus *in Theogonia*, Silius Italicus, *l.* 13. *v.* 845.

——— *Illatrat jejunis faucibus Orthus,*
Armenti quondam cuſtos immanis Iberi.

ORTLIBIENSES, inter Valdenſium epitheta, quibus hi olim aſpergi conſuevêre, *Ortholevi in Conſtitut.* Friderici II. *contra Hæret.* Vide Raynerum *contra Valdenſes c.* 6.

ORTON, meliùs ORTONA, Italiæ oppid. in Marrucinis, non longè ab Aterno amne. Strabo *l.* 5. Μετὰ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν. *Ptolemæus* falsò Pelignis tribuit; ut magnus eſt Italiæ turbator. Πηλιγνῶν, inquit, Σάγρυ ποταμῦ ἐκβολαὶ, Ὄρτων. *Nic. Lloydius.* Hodie etiam *Ortona* vocatur, cognomine *à mare*, longitud. 38. 35. latitud. 42. 40. *Baudrando* urbs fuit Frentanorum, in ora maris Adriatici, nunc urbs Epiſcopalis, Aprutii citerioris, 12. milliar. à Theate in Ortum, S. ab Anxano in Boream, cum portu ſatis tuto.

ORTOPULA, ſeu ORTOPLA, *Ptol.* oppid. Liburniæ litoralis, inter Seniam ad Occaſum & Vegiam ad Ortum, *Ortopola Moletio.*

ORTOSPANA, Paropaniſi in Aſia urbs, *Ptolemæo. Candahar, Caſtaldo.* Hinc trivium erat, quod Bactra ducebat, *Strab.*

ORTOSPANUM, Indiæ urbs, inter Arachoſiorum urb. 50. & Indum fluv. 337. mill. paſſ. diſtans, Plin. *l.* 6. *c.* 17.

ORTOSPEDA, Vide OROSPEDA, & Bochart. *de Phœnic. Colon. l.* 1. *c.* 34.

ORTUGA, moneta Danica 2. obolorum C. du Freſne.

ORTYGIA, Delos à copia *coturnicum* ſic dicta. Eſt & lucus Epheſiorum, Teſte Tacitô, *l.* 3. *Annal. c.* 61. & alius apud Panormum Mileſiorum *Strab.* Inſula quoque Siciliæ apud Syracuſas. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 124.

Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.

Vide Stephan. in Ἔφεσος, & Λιβύη. *Nic. Lloydius.* Hodie verò, cùm ager ejus non conſeratur, nil mirum, quod, eâ desertâ, coturnices in proximas inſulas demigraverint. Jac. Sponius *Itinerar. Part. I. p.* 174. Eôdem porrò hujus avis vocabulô Græcô, Ὀρτυγοκόπος ludi quoddam genus dictum eſt, in quo, *coturnicibus* in orbem collocatis, earum capita per vices feriebant, quique in gyro coturnicem proſtraviſſet, ordine reliquas capiebat, qui verò aberrâſſet, alteri coturnices feriendas cedebat, uti docet *Suidas.*

ORVALIUM, Gallic. *Orval*, nomen caſtri in Gallia, cum titulo Comitatus. Eſt autem *Orvallea* Famila Bethuniæ ſtirpis ramus, cui ortum præbuit Franciſcus Comes *de Orval*, fil. è ſecundo matrimonio, Maximiliani Ducis Sullii, qui ſub Henrico IV. magnâ auctoritate fuit & ſecundis nuptiis ſibi junxit Rahelem *de Cochefilet* (filiam Jacobi *de Cochfilet* Dn. *Vaucelas*) ex ea pater, inter alios, Franciſci prædicti, qui uxorem nactus Jacoben Caumontiam, (filiam Jacobi Nomparis Caumontii Ducis Forcæi, Mareſcalli Galliæ) familiam propagavit. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 65. Vide quoque ſuprà, ubi de *Bethunia Familia.*

ORVINIUM, Halicarnaſſ. oppid. Aboriginum, ubi Minerva culta, à Mephila 40. ſtad.

ORVIUM, promontor. Hiſpaniæ Tarraconenſis *Ptolemæo. Orubium* in Latin. exemplarib.

ORUROS, locus Meſopotamiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 26. terminus Imperii Romani è Zeugmate 250. mill. paſſ. in Ortum, verſus Tigrim fluv.

ORUS, Ægypti Rex, ante Urb. Cond. an. plus minùs 830. cognomine Pharao, poſt Amenophin II. vel Memnonem, circa A. M. 2469. regnavit Ann. 38. An Buſiris, ob ſævitiam, & Thebas conditas, pyramideſque ſubſtructas famoſus? Euſeb. in *Chron. Manethoni*, & ex eo *Marshamo*, Regum Thebanorum ordine fuit XLVI. poſt Amenophin II. circa quod tempus omnis Ægyptus ſub unam ditionem redacta eſt, dum Jephtha, Ebzan, Elon, judicant Iſraëlem. Regnavit ann. 36. menſ. 5. Eum excepit Acenchres, vel Acherres. Item Apollo ſic dictus apud Ægyptios: Ægyptiis certè eundem ac Apollinem, ſive Solem, fuiſſe docet Diodor. Sic. *l.* 1. & Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 21. Apud Orapollinem legas *c.* 17. ita dictum ἀπὸ τοῦ τῶν ὡρῶν κρατεῖν, *quia præſit horis*, ſive quatuor anni temporibus. Sed Voſſ. contra, *Horis* nomen ab *Horo* contendit: quod propriè Sol, Metonymicè verò *tempus*, ut *Erotianus* exponit: ſive *annus*, ut Diodor. Sic. interpretatur *l.* 1. & Plut. *Sympoſ. quæſt. l.* 5. *quæſt.* 4. item *Heſychius.* Sol verò Ὧρον, ab Hebr. חרם, i. e. *Sol*, unde & Latinum *coruſcare.* Vel potiùs, cùm *os* in Ὧρος ſolùm ſit vocis productio erit Ὧρος ab אור *lux*, eſt enim lux mundi præcipua. At quemadmodum ab Ἥλιος, quô *Sol* denotatur, prænomen *Helius* venit, quod crebrum eſt in lapidibus antiquis: ita & Apollinare *Ori* nomen hominibus attributum eſt. Sanè *Orus* vetus quoque nomen eſt Regis ac Grammatici: Atque ut ἀπὸ τοῦ Διὸς proprium eſt nomen Διογένης, quaſi *Jovigenam* dixeris: ſic ἀπὸ τοῦ Ὧρυ eſt Ὠριγένης, quaſi *Origenam* appelles, h. e. *Ore* ſive *Orô genitum*, nomen viri in Eccleſia veteri celebris, qui Alexandriæ natus ac educatus, ubi *Or* ſive *Orus* pro Numine, inde ſine dubio nomen accepit. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *Orig. & Progr. Idololatr. l.* 2. *c.* 10. ut & in voce *Horus.* An alius ab Apolline? uti probat præfatus *Marshamus Can. Chron. Sec. XVI.*

ORUS, Grammaticus quidam apud Euſtath. *in Il.* λ. ubi etiam cum *Ælio Dionyſio*, & *Alexandro Cottyaënſi* conjungitur. Vide Etymologum, in Πάταικος, & Seldenum, *de Diis Syris Synt.* 2. *cap.* 16. Item Hiſtoricus, vel Geographus, cujus meminit Steph. in Νικίου κώμη.

ORUZA, urbs Palæſtinæ. *Concil. Chalced.*

ORYANDER, Satrapes Darii Perſicus, Ægypto impoſitus, ob cujus crudelitatem Ægyptii defecerunt, Polyæn. *l.* 7. *c.* 11.

ORYCHION, locus Atticæ.

ORYNGES Equi, apud Oppian. *de Venatione l.* 1. equi ſunt varii, de quibus ita ſcribit,

Δοιὰ δ' ἐπ' Ὠρύγγων τελέθει πολυανθέα κάλλη,
Τοὶ μὲν γὰρ δειρὴν, καλλιτριχάτ' εὐρέα νῶτα
Γεγράφαται δολιχῇσιν ἐπίτριμα ταινίῃσι,
Τίγριες οἷα θοοὶ, κραιπνοῦ Ζεφύροιο γενέθλη.
Τοὶ δ' ἄρ εὐτροχάλοισι περίδρομα δαιδάλλονται
Σφραγῖσιν πυκινῇσιν, ὁμοίια παρδαλίεσσι.
Duplicia verò Oryngum ſunt florida genera.
Alii namque collum & pulchris crinibus lata terga
Inſigniti ſunt, longis confertim vittis,
Tigrides ut veloces, pernicis Zephyri ſoboles.
Aſt alii rotundis in orbem variantur
Sigillis denſis, quomodo pardi.

Phi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ubi σφραγῖδας, *ſigna* vel *ſigilla* vocat, notas pilis eorum impreſſas. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 7. & 8. ut & infrà, ubi de voce *Varius*.

ORYX, unicorne animal, Ariſtoteli *l.* 2. *c.* 1. & Plinio *l.* 11. *c.* 46. quorum hic ponit in cenſu caprarum ſylveſtrium, quas ut doceat in plurimas figuras transfigurari, poſtquam capreas memoravit & rupicapras & ibices. *Sunt*, inquit, *& oryges, ſoli quibuſdam dicti contrario pilô veſtiri & ad caput verſô*. Columella tamen cervis videtur accenſere, cùm *l.* 9. *c.* 1. ita orditur, *Feræ pecudes, ut capreoli, damæque, nec minùs orygum cervorumque genera*. In Africæ deſertis, mirabilis erat *Oryx*, *ad remedia ſitientium: Namque Getuli latrones eô durabant auxiliô, repertis in illius corpore ſaluberrimi liquoris veſicis*, Plin. *l.* 10. *c.* 73. Idem ab Ægyptiorum Horoſcopis magni fiebat, ob ſideralem ſcientiam: Namque, ut Caniculæ *ſternutamentô*, ita Lunæ Soliſque ortum, *clamore* inconditô ſignificabat, aut *alvi dejectione*, Ælian. *l.* 7. *c.* 8. Plin. *l.* 2. *c.* 40. Plut. *de Solertia animal.* &c. Qua ipſa de cauſa fuit hieroglyphicon immunditiei, & ab Ægyptiorum Sacerdotibus ſolus edebatur ἀσφράγιστος, Orus *in Hieroglyph.* ubi ἀσφράγιστον victimam *Scaliger* exponit, cujus frons cultrô ſignata non fuerit, ex more Romano, cùm de Ægyptio ſit intelligendum. Quid ſit autem his ἀσφράγιστον & ἀσήμαντον κτῆνος, & quomodo ſoliti ſint Ægyptii Sacerdotes probare ac ſignare victimas ſuas, docet Herodot. *l.* 2. *c.* 38. nullum nempe κτῆνος ἀσήμαντον, excepto oryge, edebant. Eoſdem Regibus ſuis offerebant donarii locô Indi, apud Ælian. *l.* 13. *c.* 25. In Ptolemæi pompa, apud Athenæum *l.* 5. orygum bigæ ſeptem erant: in vivariis Romæ fuiſſe, colligitur ex Columella *l.* 9. *c.* 1. in cœnis, ex Juvenali *Sat.* 11. *v.* 140. in Amphitheatris, ex Martiali *l.* 15. *Epigr.* 95. *Orygis* porro cornu Simos Æthiopes & Struthophagos, pro armis uſos eſſe, notat Agatharchides *c.* 26. Græcos ad pacis artes, ut qui ex eo cithararum cubita faciebant, Herodot. *l.* 4. quas *phœnices*, i. e. *punicas* inde dictas, conjicit Bochart. quia orygum cornua ex Africa & Getulia, Pœnis deferentibus, habebant, Plin. *l.* 10. *c.* 37. Sed & ex pelle orygis cituræ fiebant, i. e. minora Maurorum ſcuta, ut Juvenalis Scholiaſtes auctor eſt, *Sat.* 11. Nec omittendus *Heliodori* locus, quô Perſina Æthiopum Regina, in ſacrificia & convivia adhibuiſſe legitur, βοῶν τε ἀγέλας καὶ ἵππων καὶ προβάτων, ὀρύγων τε καὶ γρυπῶν, *boum greges & equorum & ovium orygumque & coturnicum* &c. E quibus cum conſtet abundè, olim Oryges notiſſimum fuiſſe animal, & in Africa maximè multi uſus, mirum eſt, illorum hodie ne tenuiſſimum quidem ſupereſſe veſtigium. Niſi quis *Orygum* eſſe ſpecies putet unicornes illas capras, quas in monte Carpatho, Bulgaria & Segeſtana, deſcribunt Eruditi. Fallitur enim *Bellonius*, cui Arabum gazellæ bicornes, circa montem Sina & alibi, ſunt Veter. oryges, cum Arabicè *gazel*, vel *gazal*, potiùs, nihil quidquam ſit, quàm capreæ hinnulus. Quòd verò *Orygem* Oppiani attinet, *Cynegeticωn l.* 2. *v.* 445. ubi illum deſcribit, lactei coloris tantique roboris, ut tauri, urſi & leonis impetum ſuſtinere audeat, non propterea oryx is ab aliorum oryge diverſus eſt. Namque fieri poteſt, ut illorum alii qui dorcadum colorem habeant, quod *Heſychius* vult, alii lacteum colorem, quod *Oppianus*: quomodo etiam in dorcadum genere platycerotes aliquando totæ albæ ſunt. Et, præter Oppianum, ut animal pugnaciſſimum, Orygem deſcribit Martial. *l.* 13. *Epigr.* 95.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx, conſtat quot mihi morte canum?

Nec obſtat, quòd idem orygem bicornem facit; non enim omnes illorum unicornes eſſe, ſed & quoſdam bicornes, imò quadricornes, refert de India Ælian. *l.* 15. *c.* 14. Plus videtur eſſe virium, quòd *Oppianus* orygem ſuum non multùm minorem rhinocerote eſſe ait. Sed & orygem accedere conſueviſſe ad bovis magnitudinem, Herodot. tradit *l.* 4. *c.* 192. Hinc bigis jungi conſueviſſe, legimus apud Athenæum *l.* 5. *c.* 7. & equi vices præſtitiſſe, priſcis Ægypti Regibus, Horus *Hieroglyph. l.* 1. *c.* 46. ubi illos ἐπικαθίσαντας τούτῳ τῷ ζώῳ, *inſidentes huic animali*, deſcribit: aut ſaltem Horoſcopo, h. e. horarum inſpectori, qui orygi inſidens, Reges monuerit de proximo exortus tempore, ut alii hæc verba intelligunt, pro ἐπικαθίσαντας legentes ἐπικαθίσαντος, ſcil. τοῦ Ὡροσκόπου. Certè *Oryx* è caprarum ſylveſtrium fuit genere, ſed ita ut ad cervi naturam ac ſtaturam magis accederet. Unde orygem cum cervis recenſet Columella *l.* 9. *c.* 1. Etiam apud Plinium *l.* 11. *c.* 37. *cervi ſubulonis* nomine orygem ſignificari multis contendit Salmaſ. *ad Solin.* atque in hanc rem citat hoc ex veter. *Gloſſario*, *Sublones*, ὄρυγες, θηρία, ἐργαλεῖά τε, *feræ & artificum inſtrumenta*, *nempe foſſoria*. Nam ὄρυξ propriè Græcis, illud notat inſtrumentum, quod *oppopam* Latini vocant, item *ſubulonem*: Unde *oryx* & *ſubulo* dictum id animal, quia cornu habet inſtar ſubulæ, aut inſtar τοῦ ὄρυγος, ſive foſſorum, ſive lapicidarum; adeò quidem durum, ut iis velut gladiis ferreis in pugna uſi fuerint Simi populi veluti diximus. E quo obiter notandus Lamprid. qui virium ad conficiendas feras tantarum fuiſſe Commodum ſcribit, *c.* 13. *uti orygis cornu haſtâ tranſmiſerit*. Patriam quod ſpectat animalis hujus, in iis, quæ ad Tritonis fluvium ortum in Africa procreantur, recenſetur Herodoto *l.* 4. quemadmodum & Plinius Africæ adſcribit *l.* 10. *c.* 73. Alii Æthiopiæ interiori vindicant, Strabo *l.* 16. Diodor. Sic. *l.* 3. & Heliodorus *l.* 10. Sed & Ægyptium fuiſſe, aut ſaltem Ægyptiis notiſſimum, refert Plin. idem *l.* 2. *c.* 40. Ælian. *Hiſtor. l.* 7. *c.* 8. Alii &c. Vide plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. parte prior. l.* 3. *c.* 27. Ubi de *Reem* & *c.* 28. ubi de *Tho*, vel *Theo*; nec non Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, ac ſuprà voce *Monoceros*.

ORYX, locus Arcadiæ ad Ladonem fluv. Pauſan. *l.* 8.

ORYZA, quid ſit, diximus ſuprà in voce *Oriza*. Addo hîc ſaltem, eam magnô numerô Aſiam, atque in hac Regnum Chinæ inprimis optimam educare. Sed & in hoc ipſo varia eſt. Ad *Kienchang* certe in provinc. Kiangſia creſcit adeò præ reliqua totius regionis præſtans, ut ad ipſum inde Imperatorem deferatur, *argentea grana* vocant incolæ. Iidem potu ex *oryza* utuntur, adeò præſtanti, ut ne ab Europæis quidem ibi vinum, niſi ad Euchariſtiæ ſacrum uſum, requiri ſoleat. Auctor Anonymus *Sina & Eur. c.* 32. *&* 36.

OS. in notis antiquis, *Omnes*: Os. C. *Omnes conciliant*, denotat. Franc. Gouldmannus.

OS, nobile corporis humani membrum, cùm *jumentis vice manus datum ſit ad colligenda pabula*, Plin. *l.* 11. *c.* 37. homini ad cibum quidem etiam capiendum, ſed inſuper ad ſublimiora longè inſervit. Unde *os probum*, cum quadam ſcil. majeſtatis ſpecie morum integritatem ac probitatem indicante, in Pompejo præcipuè commendat idem *l.* 7. *c.* 12. Vide quoque infrà voce *Pallidi*: it. *Verecundia*. Hominiſque liberi apud Romanos *os* verberare lege vetitum. Quod cùm L. Neratius pro oblectamento haberet, ſervum comitem traxiſſe crumenam plenam aſſium portitantem, &, ſi quem depalmâſſet, numerari ſtatim ſecundùm *XII. Tabulas* viginti quinque aſſes eidem juſſiſſe, legitur apud *A. Gellium*, dignus utique graviore pœnâ. Illi manum admoviſſe adoraturos olim, unde hodieque in ſalutando is ritus retentus, diximus ſuprà. Modeſtiæ tamen causâ illud abſcondebant Thebanæ mulieres, προσωπίδια geſtantes, quibus facies tota, oculis exceptis, tegeretur, teſte Dicæarchô *Vitâ Græciæ*, ubi Bœotiam deſcribit. Similiter in magnis myſteriis *os ſignabant* Epoptæ, quibus ſilentii neceſſitas hôc ſymbolô indicta, uti ex *Tertulliano* diſcimus, & Græcè μύειν, unde *myſterium*, hoc idem ſignificat. Eôdem modô obligatum obſignatumque os Angeronæ ſimulachrum habuiſſe, legimus apud Plin. *l.* 3. *c.* 5. & Macrob. *l.* 1. *c.* 10. quam in rem egregia habes apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 8. eundem *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 13. ubi de Eleuſiniis Sacris, & Cl. Suicerum *Theſ. Eccleſ.* voce Μύω, item Μυστήριον, ut non hîc quædam non unô locô. Sed & in luctu comprimebatur, qui ritus deſcribitur Statio *Theb. l.* 6. *v.* 194. ubi de Archemori funere:

At genitor; ſceptrique decus, cultuſque Tonantis
Injicit ipſe rogis, tergoque & pectore fuſam
Cæſariem ferrô minuit, ſectiſque jacentis
Obnubit tenuia ora *comis ac talia fletu*
Verba pio miſcens. ———

Imò nec *os* ſolùm, ſed totum corpus cadaveris, tegebant capillis deſectis. Pedo Albinovanus *ad Liviam*,

Non animam appoſito fugientem excepit hiatu,
Nec traxit cæſas per tua membra comas.

Vide de cæſis & funeri impoſitis capillis ubertim, qui Luctus & Sepulchralia deſcripſerunt, magnô numerô laudatos Barthio *ad d. l.* Sed & *Ora premebant* ſuorum defunctorum Veteres; Idem Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 154.

——— — *quæ vulnera tractem,*
Quæ priùs ora *premam?*

H. e. oſculabantur: morem enim hunc ante combuſtionem receptum, notat Jo. Bourdelotius *ad Heliodorum l.* 2. Item claudebant. *Ora* enim etiam pro oculis, apud eundem Statium *Theb. l.* 1. *v.* 504.

Dii quos effoſſô non irritus ore *rogavit*
Oedipodes &c.

Oculos autem morientium, à proximis, claudi ſolitos, diximus ſuprà. Etiam *Os claudendi & aperiendi* novis Cardinalibus, in Communione Romana ritus, deſcribitur in *Ceremoniali* Romano *l.* 1. *ſect.* 8. *p.* 78. 79. &c. Nec omittendus barbarus incolarum Inſul. Calemandi mos, cum quorum Rege Calamaro Hiſpani, dum Moluccarum legunt Inſulas, ductu Ferdinandi Magellani, ſocietatem pro more gentis, ſanguinem de brachio ſiniſtro mittentes, eoque *os* & linguam illinentes, iniiſſe leguntur, apud P. Ciezam *Hiſtor. Peruviæ Tom.* 2. *c.* 24. Nec in *os inſepulti glebam injiciendi ritus*, de quo ſuprà voce *Gleba* &c. Vide quoque *Oblinere os*, it. infrà *Oſculum*.

OS, Vide infrà OSSA.

OS Aureum, Facundo Hermianenſi *l.* 4. *c.* 2. dictus eſt Johannes Patriarcha Conſtantinopolitan. qui Græcis Χρυσόστομος. Ita enim is, *Agedum veniamus & ad illud* Os aureum *Conſtantinopolitani Johannis*. Sic Nicolaus I. Pontif. Roman. *Ep.* 8. & vetus Scheda poſt *Pœnitentiale* Theodori *p.* 361. Interdum unicâ voce, *Oſaureum*: ut *Synodico* Raphaëlis Archiepiſcopi Nicoſienſis pro Græcis *c.* 6. *Et ut quâlibet die, maximè in Quadrageſima quilibet Parochialis Sacerdos Miſſam cantet integram ſecundùm morem S. Baſilii & S. Joannis* Oſaurei, *niſi fuerit impeditus*. Sed & ita appellatum legimus Hibernis Gregorium M. apud Cummianum Hibernum *de Controv. Paſchali*, *ad Gregorii Papæ urbis Romæ Epiſcopi à nobis ſuſcepti &* Oris aurei *appellatione donati, verba me converti* &c. Idem elogium Auguſtinus impetravit à Leone IX. Pontif. Roman. *Ep. ad Leonem Archidamum*, ab illo *Chryſoſtomi nomine* inſignitus. Galfridus de Vinoſalvo ad Innocentium III. Pontif.

Eſto quòd in verbis aut hic aut ille ſit ore
Aureus & totus reſplendeat: Os tamen ejus
Impar eſt, oriſque tui præjudicat aurum.

De S. Ildefonſo eadem habet Iſidor. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* quem vide.

OS Mæotidis, *Herodoto Fretum Cimmerium*, vulgò *Stretto di Caffa*. Vide *Boſporus Cimmerius*.

OS Ponti, vide *Boſporus Thracius*.

OS PORCI, ſeu *Bucca Porci*, cognomen Sylveſtri II. apud Dietmarum, laudatum Dominic. Macro in voce *Papa*.

OSA, vox recentioris ævi, Germanis & Cambrobritannis *Hoſen*, Gallis *Heuſe* & *Houſeaux*, Italis *voſa*, apud Joh. de Janua *genus quoddam calceamenti, dicitur ab Os, oſſis, quòd primò de coriis*

bouum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

boum Oſæ *factæ ſunt.* Paulus Warnefridus *l.* 4. *c.* 23. *Poſtea cœperunt* Oſis *uti, ſupra quas equitantes tybrugos byrreos mittebant.* Apud *Iſidorum* eſt *Oſſa*: ſic Adalbero Laudunenſi ad Robertum Regem

Oſſa ſuperficiem ſtringit diffuſa deorſum.

Apud Monachum Sangallenſem *de Carolo M. l.* 2. *Heſſa*, quam ibi *Gallicnlam* Latinè & *Ocream* dixit. Apud Matthæum Paris. A. 1247. *Heuſe, calceamentum militare*, in *Concil.* Pariſienſi *Hoſella, calceamentum ſeculare* &c. Latinis *Tibiale, Crurale, Caliga*; quæ tamen voces hodiè à priſtina ſignificatione degenerârunt, neque *Hoſa* nunc aliud quid eſt apud Germanos alioſque, quàm bracca Veteribus. Hinc *Hoſibinda*, Germanicè *Hoſenband*, faſciæ crurales, quarum mentio in *Ep.* Synodali Concilii Duziacenſis I. *Inde umgas ad ſpatas & balteos & calcaria atque ligaturas Hoſarum, quas* Hoſibindas *dicunt, fieri juſſit*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

d'OSA Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

OSÆA, Sardiniæ oppid. *Ptol.* nunc viculus. *Simlerus* dubitat, num ſit *Othoca Antonini. Salino* dicitur *Nigro*, *l'Oſeo Ferrario.*

OSAJAS, nomen viri, Nehem. *c.* 12. *v.* 32. Latinè *ſalvator*, vel *ſalus Domini.*

OSANNA, acclamatum DOMINO noſtro Hieroſolymam adventanti, Ὠσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, *Oſanna, filio David*, ex Hebræo הושענא *Hoſchahana*, compendiô ſermonis dici, apud Hebræos, conſuevit, in acclamationibus, pro הושיעה נא *Hoſchiah na*, Ναὶ σῶσον, *Serva obſecro.* Id enim moris in omnibus linguis obſervamus, ut in ejuſmodi caſu, ſicut & ſtatuarum inſcriptionibus, ſententiæ ſemiplenæ efferantur, atque audientibus relinquantur ſupplenda verba, ad ſenſum perficiendum neceſſaria. Cujuſmodi acclamatio illa apud Lamprid. *Severo, Juveni Imperatori Patri Patriæ, Pontifici Maximo*, ſupple, *ſalutem precamur*, aut tale quid. Et iſtæ ad Pertinacem, *Gladiatorem in ſpoliario*, ſupple, *poni volumus.* Et *Delatores ad Leonem*, Et, *Delatoribus metum*, Et, *victoriæ Populi Rom. feliciter: Fidei militum feliciter*: nempe *evenire optamus*, vel *ſperamus.* Apud Evagrium *l.* 2. *c.* 17. Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη, *Leoni multos annos* &c. Quare & hæc acclamatio Servatori facta, *Oſanna, filio David*, ſic commodiſſimè accipitur, *Serva quæſo*, ô Deus: *Filio David*, hoc precamur. Votum namque hoc eſſe Populi Judaici, Regi Meſſiæ læta precantis, petentiſque à Deo, illi benediceret, cùm res ipſa arguit, tum à doctis viris prolixè diſputatum eſt. Nec inſolens hîc tertius caſus, *Filio David*, quum verbum Hebraicum, unde eſt *Hoſanna* ita ſæpe conſtruatur; ut in ſimillimo loco Pſalm. 86. *v.* 16. הושיעה לבן אמתך, quod poſſis vertere, Ὠσαννὰ τῷ υἱῷ τῆς παιδίσκης σου. Græci Interpretes: Σῶσον τὸν υἱὸν κτλ. Et hæc interpretatio ſimpliciſſima. Sed & aliter hæc dictio etiam accipi poteſt; quoniam, ut obſervavit Caninius, in ſcriptis Rabbinorum, ex hac dictione nomen fit τεχνικὸν; cujus plurale extat in *Ritualibus* illorum, cùm dicunt, הושענות לסוכות *Hoſannoth leſucoth*, i. e. formulæ Hymnorum uſitatæ, celebrando Feſto Tabernaculorum, 7. dierum: quorum ſinguli habent ſibi proprias *Hoſannas*, quæ dicuntur, *Hoſanna primi diei*, *Hoſanna ſecundi* &c. Sic autem & Hymni illi nominantur & frondes arborum, putà, palmæ, oleæ, aut ſalicis, quas tenere manibus per illos dies ſolebant: Quia ſubinde repetita ea formula, *Hoſchiana na*, vel *Ana Hoſchiana na*, & ſimiles quidam verſus intercalares, quibus hoc verbum ineſt. Sic itaque in his, *Oſanna filio David*, vocem eam ſic interpretatur Caſaubon. ut ſit idem ac βάϊα, quod nomen in ea hiſtoria Johannes uſurpavit: Tumque ſupplendo locutionem imperfectam, verba illa ſic capit: *Hæc baja ſive termites palmæ oleæve aut ſalicis, aliaſve arboris frondes, in honorem filii David*; videl. Φέρομεν καὶ πάλλομεν, *geſtamus & vibramus.* Moris namque apud Veteres ut quorundam feſtorum pompam ducentes, olivæ termites geſtarent, hinc θαλλοφόροι, etiam Chryſoſtomus meminit, *in Annam Serm.* 3. ubi eos conjugit ἀγωνοθέταις & χορειάρχαις. Aliquando è plurium arborum frondibus & fructibus concinnabatur quaſi faſciculus levis, quem geſtabant, ut fuit illa, quæ dicebatur Athenienſibus Εἰρεσιώνη, & hæc Judæorum *Hoſchana*, quam propter eam cauſam Εἰρεσιώνην appellat Joſeph. *l.* 3. *c.* 10. ubi ejus conficiendæ è myrto, ſalice, ſpadice palmæ & perſea, rationem exponit. Ad cujus ireſionæ Judaicæ concinnationem videtur Epiphanius alludere, cùm *ſermone* εἰς τὰ Βάϊα, i. e. *Die Palmarum* habitô, ait, οἱ μὲν τοὺς κλάδους ἔκοπτον, οἱ δὲ τοὺς θαλλοὺς ἔπλεκον, *Alii ramos ſecabant, alii frondes virentes inter ſe connectebant.* Porrò has frondes quatiebant, in honorem ejus, cui pompa ducebatur, quod Græci dixêre, κλάδους ἐπισείειν: Patres in hac hiſtoria, βάϊα σείειν. vel ἐπισείειν, Epiphan. *Serm. eod.* Vide quoque Chryſoſtomum *Homil. in magnam Septim.* Hactenus Iſaac. Caſaub. *Exercitat. XVI.* §. 3. Apud Chriſtianos *Hoſchanna* è feſto Scenopegiarum autumnali in vernum tranſlatum eſt, in Dominicam nempe, Paſcha proximè præcedentem, quæ in utraque Eccleſia celebratur, & *Dominica in ramis palmarum* ſeu *in Palmis* dicitur: cujus lectionis propriæ titulus Syro, ex Euangelio eſt, *Dominica* τοῦ *Hoſanna.* Nec abludit Feſtum Olivæ ſeu Olivarum, de quo ſuprà, quod unum eſt ex VII. majoribus Coptitarum Feſtis, & Calcaſendio *Feſtum Alshajanin*, Golio *Feſtum Palmarum*, quoque dicitur. Corruptam enim ex *Hoſanna* vocem eſſe, non diſſimilis vero conjectura eſt; quæ confirmatur verbis Calcaſendii, cùm addit de Feſto modò dicto: *Et interpretatio ejus Laudatio eſt*: vocem enim *Laudatio* in Ægypto pro *Hoshanna* uſurpatam videmus, apud Nonnum Panopolitam, qui loco in illo Johannis ſubſtituit,

Εὐλογίῃσιν ἄναξ Ἰσραὴλ αἴνετος ἔσω.
Celebrationibus Rex Iſraël laudatus ſit.

Sed & Arabes feſtum illud ἀπὸ τῶν Βαΐων nuncupant. In Græcanica Eccleſia vocatur ἡ Κυριακὴ τῶν Βαΐων, *Dominica Ramorum*, & Βαϊοφόρος dies &c. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræor. l.* 3. *c.* 15. & Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Βάϊον, ubi inter alia hîc etiam *dona, munera*, & *togas*, quæ quotannis ab Imperatore & Patriarcha hebdomade, quæ ante diem Palmarum eſt, populo diſtribuebantur, indigitari apud Græcæ Eccleſiæ Scriptores, adnotat: item voce Ὠσαννὰ: hîc quoque voce *Olivæ*, it. *Palmæ.*

OSBERNUS, ſeu OSBERTUS, Anglus Benedictinus, A. C. 1074. ſub Guilielmo Conqueſtore, Lanfranco familiaris, præcentor Eccleſiæ Cantuarienſis, eruditione inclytus, ſcripſit vitam S. Dunſtani, &c. *Pitſeus, de Scriptorib. Anglic.* Baleus, Molan. *in not. Uſuardi*, Baron. *A. C.* 840. 855. *&c.* Poſſevin. *in Apparat.* Voſſ. *l.* 2. *de Hiſtor. Latin. c.* 46. Item, alius, A. C. 1140. in varios S. Scripturæ libros commentatus, *Pitſeus.* Item alius, A. C. 1136. Clarentiá oriundus. Scripſit vitam S. Eduardi, *Pitſeus, Voſſ.* &c.

OSBERTUS Pickenguam, Carmelita Anglus, Doctor Pariſienſis: inter primos ſui ſeculi, ſcripſit in Magiſtrum ſententiar. tractatus Theologicos, &c. Obiit A. C. 1330. Pitſeus *de Scriptorib. Angl. &c.*

OSBORIUM, locus in Germania, ubi Concilium à S. Annone, Archiepiſcop. Colonienſi celebratum, A. C. 1062. in quo, præſente Henricó IV. Imperatore Cadalous Parmæ Epiſcopus Antipapa, nomine Honorii II. ſumptô, condemnatus eſt, & electio Alexandri II. rata habita. Ubi ſit, ignoratur.

OSCA, vulgò *Huesca*, urbs Hiſpaniæ citerioris in regno Arragonio. Hîc Sertorius Academiam, educationi juventutis inſtituit, & vitam morte commutavit. Plut. *in Sertorio.* Vellejus: *l.* 2. *c.* 30. *Sertorium inter cœnam Etoſcæ interemit.* Imo *Oſcæ*, Strab. *l.* 3. de eodem Sertorio, Ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ, ita enim egregiè emendavit Cl. Puteanus; olim corruptè νόσῳ. Florus etiam *l.* 3. *c.* 22. Oſcam inter urbes recenſet, quæ Sertoriô occiſô in poteſtatem Romanam venêre. Locus illius ita ſcribendus eſt, *Ipſæ quoque in Romanam fidem venêre urbes, Oſca, Thermes, Tutia, Valentia, Uxama*, longitud. 21. 20. latitud. 43. 00. Olim urbs Illergetum, in Vaſcitania tractu, ad Iſuelam fluv. 9. leuc. à Cæſaraugusta in Cæciam, 8. à Jacca in Meridiem, 7. à Barbaſtro in Occidentem parva ſed culta. Ex nummis antiquis legit *Anton. Auguſtinus V.V. Oſca*, & exponit *Urbs Victrix Oſca. Baudrand.* Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi olim, nunc Cæſarauguſtano. Hîc Concilium A. C. 598. Æræ Hiſpanicæ 636. Conciliorum Volum. 14. edition. Lupar. *Nic. Lloydius.*

OSCA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in Baſtitanis, *Eſcua Plinio*, nunc vulgò *Hueſcar*, vel *Gueſcar*, in regno Granatæ, in confinio Murciæ, verſus montes, cum titulo Ducatus, inter Baſti 7. & Caravaccam in Boream, 10. leuc.

OSCANA, urbs Gedroſiæ, *Ptolem.*

OSCARUS, vel OSCARA, vulgò OUSCHE, teſte *Cænali*, fluv. Galliæ Celticæ per Burgundiam (Divionem urbem interluens) in Ararim fluv. inter Auxonam & Suram fluens. *Ferrar.* Piſcibus prædives. Ad hunc Gundobaldus, Burgundiæ Rex victus eſt à Chlodoveo Francorum Rege; Gregor. *Turonenſ. Hiſt. Franc. l.* 2. *c.* 32. *& l.* 3. *c.* 19. Dedit pago *Oſcarenſi* nomen, qui continebatur Arari ac Oſcarâ & Tillâ fluminibus, à pago Diviſionenſi diſtinctus, &c. *Uſcarenſis* quoque nonnunquam dicitur. Præterlabitur hic fluv. Columbaria, Divionem, Robur, Longam Curtem, & contra Latonam in Ararim defluit, Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.*

OSCELLA, oppid. Inſubriæ in Lepontiorum confinio apud Montem Sempronium, *Ptolem. Domo d'Oſcela*, Italis dicitur, longitud. 39. 10. latitud. 45. 08. In ea valle, quam *Toſa* flumen à ſummis Alpibus, ut Ticinus, ortum perluit, infimâ parte jacens. *Thum* Germanicè ab Dominico ibi, i. e. Canonicorum Collegio. Unde hodie nomen *Dum d'Oſcela* habet, & *Vallis de Oſcella.* Germanicè *Eſchenthal.*

OSCELLARUM Luſus, vide *Oſcilla*, it. *Pacaurum.*

OSCELLUS, Inſula amnica, ubi Nortmanni extruxerant caſtellum, in eo à Danis, duce Welandô, obſeſſi, A. C. 861. in Sequana: vulgò à ſimilitudine, Roſtrum Aſini, *l'Iſle de Belſne*, aliàs *Tourville* & *Oiſſel* dicitur, i. e. Torulina, & *Oſcellus*, & 25. arvi acras, prati tres, ac viminetum continere fertur, Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.*

OSCHOPHORIA, feſta Athenienſium, hanc ob cauſam inſtituta. Athenienſes ob cædem Androgeo, Cretenſibus ad 9. Ann. pœnæ causâ 7. adoleſcentes, totidemque puellas, oraculi juſſu, pendere cogebantur. Cumque tertia penſio jam exigeretur, Theſeus cum reliquis profectus, illâ tributi vexatione patriam liberavit, & in rei memoriam Ὠσχοφόρια, cum ſuis redux, conſtituit, Χαριστήρια ἀποδιδοὺς, ut ait *Proclus*, Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἱ αὐτῷ κατὰ τὴν Δίαν ἐπιφάνησαν. Alii in honorem Liberi Patris & Ariadnæ inſtituta tradiderunt; vel quòd reditus in id tempus incidiſſet, quô fructus autumni colliguntur. *Plutarch.* utrumque tangit, Φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. Et poſtremum hoc mihi cum Plutarcho magis placet; cui & ipſa ratio nominis adſtipulatur, ἀπὸ τοῦ φέρειν τὰς ὤσχας. Ὤσχη apud *Harpocrationem*, eſt κλῆμα βότρυς ἔχον. Unde *Heſychius*, Ὦσχη, κλῆμα σὺν βότρυσι. Porro ſolennitatem auſpicabantur adoleſcentes duo ex ordine nobilium & divitum electi. *Harpocration* ex Philochoro, ... Atque hi adoleſcentes habitu muliebri ornabantur. Proclus *in Chreſtomathia*: Τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι ... ἐστολισμένοι, κλῆμα τε ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὦσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) ...

τῆς καθηγεῖσθαι. Prætereà certamen curſus inter adoleſcentes committebatur: quos omnes & patrimos, & matrimos & genere nobiles eſſe oportebat; curſu autem à Bacchi templo ad Minervæ Scirados contendebant. Scholiaſtes Nicandri *in Alexipharmacis*: Ὠσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησιν παῖδες ἀμφιθαλεῖς, ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. *Heſychius*. Ὠσχοφόρια, παῖδες εὐγενεῖς ἡβῶντες καταλέγονται, οἱ φέροντες τὰς ὤσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Hoc Minervæ templum erat in Phalero. *Heſychius*. Ὠσχοφόρια, τόπος Ἀθήνησι Φαληρεῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν. Nam alterum erat Minervæ templum in Sciro, pago inter Athenas & Eleuſinem, de quo dicemus in *Scirophoria*. Vide Caſtellanum *de Feſt. Græcorum*. *Nic. Lloydius*. Roſino *l.4.c.4.* *Ramalia* Latinè, apud Romanos celebrabantur ſeptimo Idûs Octobr. *Plut. Suid. Comm.* in Nicandrum. Sed & Ὠσχοφόρια, carminis nomen eſt, apud Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l. 1. c. 56.*

OSCI, populi Campaniæ in Latii & Samnii confinio *Sidicini* poſtea dicti, teſte *Strab.* quorum urbs Teanum. Virg. *Æn.l.7. v.730.*

> *Oſcorumque manus.* ——— ———

Sic ab oris fœditate dicti, *Oſci* enim apud veteres, turpitudinis, libidinis, & ſermonis notantur, autore *Feſtô* ex *Titinnio*. Unde *Oſce loqui*, proverb. dicitur de iis, qui turpiter, & impudicè loquuntur. *Oſcè* etiam & *Volſcè* fabulari dicuntur, qui Latinè neſciunt loqui. Scopticè Horat. *v. 54.*

> ——— *Meſſi clarum genus Oſci.*

Nic. Lloydius.

OSCILLA, plur. dicebantur, icunculæ è cera vel lino, quæ ad humanam formam effictæ, ſuſpendebantur olim Saturno, ut is propitius eſſet. Voſſius, ubi triplicem Animæ fuiſſe expurgationem in Gentilium ſacris docet, aëre unam, alteram aquâ, tertiam igni: ventilabrum ſive vannum Liberi Patris ad aëra pertinere, ut & *Oſcilla*, ait; ex Servio *Æn. l.6.* *In omnibus ſacris tres ſunt iſtæ purgationes. Nam aut tedâ purgantur & ſulphure, aut aquâ abluuntur; aut aëre ventilantur, quod erat in ſacris Liberi: Hoc enim eſt, quod dixit Georg. l.2. v.389.*

> ——— ——— *Tibique*
> Oſcilla *ex alta ſuſpendunt mollia quercu.*

Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.2. c.14. ſub fin.* Eſt etiam ludi genus *Oſcillum*, in quo fune altrinſecus de tigno arboreque religato, in aëre quis libratus ſubvectabatur: ad redintegrandam memoriam initiò acceptæ vitæ per motus cunarum, Feſt. ab *Os* & *Cillo* vel *Cilleo*, i. e. moveo. Etiam veretra arboribus ſuſpenſa, ad avertendam faſcinationem, ſic dicta ait *Serv.* Suſpendioſis, quibus juſta fieri jus non erat, *Oſcillis*, velut per imitationem mortis, parentatum fuiſſe olim, idem tradit. Cùm & *librationem* vox denotet, αἰώραν, & *perſonam* ac *larvam*: reſpectu duarum harum ſignificationum, duas quoque diverſas originationes habet. Cùm perſonam, σωμάτιον aut προσωπεῖον ſignificat, diminutivæ formæ eſt ab *os*: hinc enim *Oſculum* & *Oſcillum*; ut à *vas*, *vaſculum* & *vaſcillum*. Itaque *Oſcillum* eſt σωμάτιον, *Gloſſ.* Unde *Oſcillorum ludicrum*, quod σωματίων *Græci dicunt*. apud Auſonium *præfat. Centon. Nuptial. Edyll.* 13. & *Stomatium eburneum*, apud *Ennodium*. At cùm αἰώραν ac librationem notat, aliam habet originem. Κῖνος Græcè eſt κίνησις, *Gloſſar.* cinus; τὸ νεῦμα. *Iſidoro cini* ſunt indecentes oris tortiones, motitationeſque: Hinc diminutivum *Cillus*, à quo verbum *cilleo* antiquum, pro moveo vel inclino, cujus compoſitum *Obſcilleo* & *Oſcilleo* à quo *Oſcillum*. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.1.* *Nam & arietem, nemini unquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago, ſtudiis aſperrima belli prima omnium armâſſe in* Oſcillum *penduli impetus.* Nempe *Oſcillum* per tranſlationem in ariete murali Veteres dixêre, propterea quòd malô ſtatutô, tanquam trutina, alter tranſverſus ſuſpendebatur: quomodo de Mundo ex axe pendente in *l. de Anim.* dixit Philoſophus, *Initium enim omnium commentatus animum & Univerſitatis* Oſcillum *de illius axe ſuſpendens.* Propriè itaque *Oſcilla* erant penſiles quædam geſtationes, de arboribus ſuſpenſæ, in quibus homines per luſum jactabantur, impoſiti tranſverſo tigno, de arbore pendente alterniſque ſe mutuò ſubjectantes ac deprimentes. Quod genus luſus, per Feriarum Latinarum dies, celebrare ſolebant, Romani, in memoriam ac imaginem vitæ humanæ, in qua altiſſima interdum in imum dejiciuntur, infima viciſſim in ſublime evehuntur, ſimul quoque memoriam redintegrantes initiô acceptæ vitæ illis diebus per *Oſcillationem* motus cunarum ut dictum, per lactatam potionem quâ tum utebantur, lactis alimentum ſignificabant. Nam lac Latinis feriis conſueviſſe adhiberi, etiam in ſacrificiis, Cicero docet. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* ex Turnebi *Adverſ. l.1.c.20.* Quem Romanorum, veterum etiam Athenienſium in feriis morem imitantes hodie Turcæ, durante ſuô Paſchate, quod *Bairam* vocant, eundem ludum exercere leguntur. Vide Petrum *de Valle Itinerar. Tom. I.* Sed & fulcra ſubalaria vox *Oſcilli* ſignificare videtur, *in Vita* S. Hugonis Abbatis S. Martini Eduenſis *num.* 22. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* quem vide, ut & Gerh. Jo. Voſſium *in hac voce*: ſuprà quoque voce *Convivia*, ubi de menſe *Majo*, & infrà voce *Sigillaria*.

OSCINES, ab *ore* & *canendo*, aves erant, *auſpicium ore facientes*, ut ait *Varro*. Belli enim, nuptiarum, itinerum, ſimiliumque eventus præſagire olim volentes, obſervabant, vel *Oſcinum* cantum garritumque, ut corvi, cornicis, noctuæ &c. vel Præpetum volatum, vel pullorum paſtum, teſte Serviô *in Æn. l. 3.* & Iſidor. *Orig. l.12. c.7.* Plin. omnes aves, quæ canunt, *Oſcines* dici exiſtimat. & *l.10. c.19.* *Oſcinem* ab alite diſtinguit cantu, alitem verò magnitudine. Habebantur autem apud Latinos ſiniſtræ aves fauſtæ, quòd iis Septentrio ſiniſter erat, teſte Liviô, *l.1.c.18.* Orientem aſpiciendo, fortunatæque aves erant, quæ altè ſubvolarent, quod verſus Aquilonem fieri oportebat iis, quibus maximè omnium ſublimis ille vertex. Atque ita Judæi quoque obſervârunt, qui cùm oculos ad Orientem converterent, quem קדם appellant, Auſtrum pro dextro, Septentrionem pro ſiniſtro habebant, Græcis contrarium tenentibus. Cleomedes enim Occidentem anticam partem eſſe voluit, poſticam Orientem: ſic Septentrio illis dexter, & auſpicia dextra, fortunata fuêre. Vide plura *in Exercit. Miſcell.* Anton. Thyſii JCti *Exercit.* 19. apud Auguſtinum Niphum *l. de Auguriis*, Alex. Neapolitan, *Genial. dierum l.5.c.13.* & ad eum Tiraquelli *Notas*, Peucerum *l. de Divinat.* Georg. Raguſejum *l.4 de Divinat. Ep.* 9. Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l.3.c.98.* & ſuprà in in voce *Ornithomantia*, ac infrà voce *Tripudium*, ubi *Tripudii oſcini* mentionem habes.

OSCITATIO, apud Papin. Statium *l.4. Sylv.9. v.20.*

> *Sed Bruti ſenis* oſcitationes,
> *De capſa miſeri libellionis,*
> *Emptum plus minus aſſe Caiano*
> *Donas* ——— ———

pigra eſt, faſtidioſa, nullius rei ad ſeculum iſtud oratio. Ad *Orationum* enim titulum hôc ſuô ridiculô alludit Poëta, ſimulque Oſcas illas & *Opicas* Conciones congruô convitiô verberat. Vide de Brutô, ex Quintiliano & Cicerone, Gevartium *ad h. l.* *Oſcitatio* certè, negligentiæ ac faſtidii ſignum, Martial. *l. 11. Epigr. 6.* Unde ad Cenſores Romæ ab amico vocatus, cùm in jure ſtans ſonorè *oſcitâſſet*, notam aliter effugere non potuiſſe, quàm dejerando ſe eô vitiô teneri, quod *oſcedo* appellatur, legitur, apud Gellium *l.4. c.20.* &c.

OSCIUS, mons & fluv. Thraciæ ex eodem monte apud Rhodopen non longè ab Hebro fluviô, *Thucyd.*

OSCULA jacere, vide ſuprà voce *Jacere*.

OSCULA Labrata, vide itidem ſuprà in *Labratum*.

OSCULATORIUM, Icon pacis, ut vocant, cui in Miſſa oſcula impingunt Pontifices Romani. De quo vide Spelmannum *in Gloſſ. Archæol.* Sed & *Oſculatorium*, in Communione Romana dicitur parva tabella, cum Sancti alicujus imagine, quâ *oſculum pacis* confertur tempore Miſſæ, Dominicus Macer *in Hierolex.* Vide quoque ſuprà *Lapis pacis*, it. *Marmor*, & infra in voce *Oſculum*, item *Pax*.

OSCULUM, res ſacra, utpote quâ quaſi Anima, quâ nihil nobis pretioſius, transfunditur. Proin ejus uſque adeò religioſi fuêre Veteres, Romani inprimis, ut cuiquam temerè *Oſculum* dare nefas eſſet, nec Sponſo quidem, nihil ſemel tantùm liceret, confirmandorum Sponſaliorum causâ. Sic enim Alexander *Nov. de Sponſ. Confirmari*, ait, *Sponſalia, datâ arrhâ & Oſculô*: & jus *Oſculi*, quod magnum erat olim pudicitiæ argumentum, jus Sponſaliorum augebat, quæque *Oſculum* præbuerat, erat quaſi Uxor vel pluſquàm Sponſa. Imò Uxorem aut Maritum oſculô tantùm putari, Quintilian. dicit *Declam.* 270. Hinc P. Mænius filiæ, ut non tantùm virginitatem illibatam marito, ſed & *Oſcula* ad virum ſincere deferret, mandavit, Joh. Nævis *in Sylva Nuptiali l. 4. num. 76. & ſeqq.* Itaque, licèt regulariter nuptiis non ſecutis reſolvebatur propter nuptias donatio, *leg.* 15. *C. de Nupt.* tamen, ſi *Oſculô* interveniente à Sponſo Sponſæ donatum eſſet, dimidiam rerum donatarum partem lucrabatur, etiamſi, ante Nuptias obierit Sponſus, *leg.* 16. *C. de Nupt. leg.* 52. *Tauri*, & ibi Gomez *num.* 3. Johannes Laurentius JC. *Notis in Phædrum l.4. fab.23. v.18.* *Jactas, tegere quod debet pudor.* Imò *Oſculum* hinc vocatum Donatio propter nuptias, quam ſolebat Sponſus, *interveniente Oſculô*, dare Sponſæ, *l. 5. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* Nam, ut eſt in *Novella Alexii Comneni eod. tit.* & apud Matth. Monachum, *Juris Græco Rom. l. 8. p. 510.* Sponſalia peraguntur, μετὰ τοῦ ἀρραβῶνος, καὶ τοῦ φιλήματος τοῖς μνηστῆρσι φιλήματος. Vide Georgium Turonenſ. *de Vitis Patrum c. 20.* Inde in *Charta* Philippi Regis Franciæ A. C. 1320. in *Hiſtor.* Caſtilionenſi, apud Car. du Freſne legimus: *Quittavit filio ſuo Duci prædicto ſuum Dotalitilium, donationem propter nuptias, ſive* Oſculum, *eidem Ducisſæ in terra de Pratella*, &c. Inſtitutum tamen, ut cognatis mulieres *oſcula* ferrent, *deprehendendi causâ ut odor indicium faceret, ſi bibiſſent* (vinum nempe, cujus uſus Romuli lege ſequiori ſexui interdictum erat) teſte A. Gelliô *l. 10. c.23.* idque ad Conſobrinos uſque in uſu fuiſſe, tradit *Athenæus*: Sed & Affinibus ac propinquis idem fuiſſe jus ſcribit Arnob. *l. 2.* & Tertullian. *Apolog. c. 6.* Apud alias Gentes non minori in pretio *Oſculum* fuit. Salutatione Hebræi defungebantur, partim verbis, partim geſtu, videl. vel corpus proſternendo, vel *oſculando* pedes, Lucæ *c. 7. v. 38.* communiter verò amicos excipiebant *Oſculô* ordinariô. Sic *Moſes proceſſit obviàm ſocero ſuo & incurvans ſe oſculatus eſt eum*, Exod. *c.18. v.7.* & ante eum Joſephus, Ægypti Prorex, *Oſculatus omnes fratres ſuos flebat ſuper eos*, Geneſ. *c.45. v.15.* quod Paulus 1. *Corinth. c. 16. v. 20.* *Oſculum ſanctum*: Petrus Epiſt. 1. *c. 5. v. 14.* *Oſculum charitatis* vocat: ut Tertullianus *Oſculum pacis*, *de Orat. c. 14.* Fuêre autem Hebræis *Oſcula* trium generum נשיקות פרקים *Neshikoth pharukim*, i. e. *Oſcula propinquorum*, quibus ſe mutuò ſalutabant, ut dictum: נשיקות פרישות *Neshukoth parishuth*, i. e. *Oſcula ſeparationis*, quibus à ſe invicem diſcedentes ſibi mutuò valedicebant, ut videre eſt Gen. *c.31. v.28.* & נשיקות גדולה *Neshikoth gedola*, h. e. *Oſcula magnitudinis*, ſeu homagii, quibus Regibus Principibuſque ſuis venerationem ac ſubjectionem teſtabantur. Quemadmodum Samuel Propheta, *oleô profundens caput* Saulis, *oſculatus eſt eum*, 1. Sam. *c. 10. v. 1.* Et hôc ſenſu quidam verba illa Pſalmi 2. *v. 12.* *Oſculamini filium*, accipi volunt, atque interpretantur, *Oſculô teſtamini ſubjectionem veſtri*, vel ſimpliciter,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Obedite Filio: Sicut de Joſepho; cùm Ægypto à Pharaone præficeretur, legimus Gen. *c.* 41. *v.* 40. *Tu praeris domui meæ, & ad os te oſculabitur univerſus populus meus*; non illô duntaxat benevolentiæ *Oſculô*, quali Darius Zorobabelem proſequutus dicitur *l* 3. Eſræ *c.* 4. *v.* 47. ſed in ſignum ſubjectionis, unde LXX. hæc verba tranſtulerunt, ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, ut reddit Vulgatus Interpres. Aliquid tamen plus indigitari Pſalmo 2. *v.* 12. religioſam videl. venerationem, alii non immeritò contendunt: divini hoc cultus ſignum ab Idolis ad verum Deum, futurum Meſſiam, transferendum eſſe, docente Regiô Pſalte. Namque non manus ſolùm *oſculari* ſoliti olim ſunt, qui Solem adorabànt, ut teſtantur Apulejus *Apolog.* 1. Lucianus *l. de Saltatione & in Demoſthenis encomio*, Minucius Felix *in Octavio*: Hiobus item ex Scriptoribus ſacris, cùm ait, *Si oſculatus ſum manum meam ore meo*, *c.* 31. *v.* 27. quem locum B. Hieronymus *in Ezech. c.* 8. *v.* 17. & *Apolog.* 1. *in Rufinum*, refert ad ritum, quô Gentiles in adorando dextram ori admovebant. Sed ipſa quoque Idola *oſculati* ſunt, ritu hôc, habitum etiam Animamque ſuam iis ſe acceptam ferre, ſignificantes: Unde & de Iſraëlitis Idololatris legimus, Hoſeæ *c.* 13. *v.* 2. *Vitulos oſculantur.* Vox quoque ipſa *adorare* hinc orta eſt, cùm nihil aliud ſit, quàm *ad os referre*, i. e. *oſculari.* Et veterem hanc conſuetudinem, *Oſculum* cruci à Chriſtianis, teſte Nicephorô *l.* 17. *c.* 15. & Prudentiô *in Apotheoſi adverſus Judaos v.* 516. ferri ſolitum, ſapere videtur. Ita ergo Pſalmographus, Idololatrarum corrigens vanitatem, ſacrum hoc ſubjectionis religioſique cultus ſymbolum non alii quam vero Deo Meſſiæ deferendum eſſe, indicare voluit, *loc. cit.* Græci benevolentiam non minùs, ac aliæ Gentes, *Oſculô teſtati* ſunt, & hôc quoque geſtu ſeſe mutuò ſalutârunt. Nec non Romani poſtea, uti docet Martial. *l.* 7. *Epigr.* 94. *v.* 1.

Bruma eſt, & riget horridus December,
Audes tu tamen oſculô nivali
Omnes obvius hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, baſiare Romam &c.

Vide quoque Caſaubon. *ad Julium Suetonii*, *c.* 13. Ut de Perſis nihil dicam, quibus idem in more fuiſſe legimus. Contrà Numidiæ Reges, *more gentis ſuæ nulli mortalium oſculum ferebant*, Val. Max. *l.* 2. *c.* 6. *ex. ult.* addens rationem: *Quidquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt*, humili *& tritâ conſuetudine, quò ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.* Quos ſecutus Tiberius, Imperator minimè comis, cùm *quotidiana oſcula* gravaretur, ne ſuperbiæ hoc ipſi tribueretur, ſi ſolus conſuetudinem ſperneret, illa edicto prohibuit, apud Suetonium *c.* 34. &c. In primitiva Eccleſia, pacis & charitatis *Oſcula* inter Chriſtianos libera, atque uſitatiſſima fuiſſe, diſcimus ex 1. Corinth. *c.* 16. *v.* 20. & 2. Corinth. *c.* 13. *v.* 12. Rom. item *c.* 16. *v.* 16. & *ibi* Calvin. Petri quoque 1. Epiſtol. *c.* 5. *v.* 14. Inprimis, priuſquam S. Euchariſtiam ſumerent, ſe mutuò oſculari ſolebant, unde poſtmodum in Miſſæ celebratione, dum Sacerdos poſt hoſtiæ conſecrationem hæc verba proferret, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ſtatim Clerus ipſeque Populus *per baſia blanda* ſeſe invicem oſculabantur, ut ait Amalarius *de Eccleſ. Offic. l.* 3. *c.* 31. quæ quidem baſia, *Pacis oſcula* appellantur *cap. ſeq.* Hinc *Ordo* Romanus: *Cùm dixerit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittit in calicem de ſancta —— Interim Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, qui & ultra dabit juxta ſe ſtanti, ac deinde per ordinem cœteri, atque populus oſculantur ſeſe invicem in oſculo Chriſti.* Ejuſmodi verò *Oſcula* ab Innocentio I. Pontifice Romano inſtituta tradunt Scriptores Communionis Romanæ. Atque qui ita ſe mutuò inter Miſſæ ſolennia oſculabantur, *Pacem* dicebantur *facere*, Gregor. Turonenſ. *l.* 6. *c.* 40. Hinc *ad pacem acceſſiſſe* Subdiaconos in Sacrario, non verò intra cancellos Altaris, obſervat Car. du Freſne, ex *Ep.* Lupi Tricaſſini & Euphronii Auguſtodunenſ. Epp. *Tom. I. Concil. Gallic.* At in Eccleſia Græca Oſculum *pacis* dabatur ſtatim poſt lotionem manus, & ante *confecta myſteria*, uti diſcimus ex Joanne Chryſoſtomo, *Homiliâ* 18. *in* 2. *Corinth.* quem morem improbat Innocentius *d. l.* De *Oſculo ſacro*, quô Chriſtiani atque adeò ipſi Sacrorum Miniſtri, invicem ſe donabant, in die Paſchatis, Vide Pachymerem *l.* 7. *c.* 15. E quibus ſatis patet cur excommunicati ab hujuſmodi fidelium *Oſculis* arcerentur, cujus ritus meminit *Charta* Ludovici VI. Franciæ Regis A. C. 1110. Abrogatus dein Oſculorum pacis in Eccleſia uſus, introductuſque alius, ut dum Sacerdos verba prædicta proferret, Diaconi vel Subdiaconi imaginem quandam adſtantibus Clericis ac Plebi oſculandam porrigant, quam vulgari vocabulo *Pacem* appellant. Eadem *Tabula pacis*, *Oſculatorium*, *Marmor*, *Lapis Pacis* dicitur &c. Sed & *Oſculum pacis* ſibi invicem dediſſe Monachos alioſque, præſertim in diſceſſu, legimus apud Ekkehardum jun. *de Caſibus S. Galli c.* 1. *p.* 41. à quibus, qui pœnitentiæ ſubjacebant, conſueviſſe arceri, docet idem paulo pòſt. Hodieque inprimis, apud Belgas, Gallos, Alios, vulgaria ſunt amicitiæ atque ſalutationis indicia; ſed non eodem in pretio, quô olim habita. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 3. *c.* 2. Jac. Oiſelium *Notis in A. Gellium l.* 19. *c.* 11. Jo. Laurentium *Notis in Phadr. paſſim* &c. Neque vero ſolùm cùm conveniebant, ſed & cùm à ſeinvicem diſcedebant, *oſculum* impertiri Veteres conſuevêre, quò nos Ekkehardus modò laudatus ducit. Conjugibus inprimis, profiſiſcentes domo. Statius *Theb. l.* 12. *v.* 707.

Jam nec conjugibus, ſuprema nec oſcula natis
Jungit, ——

Moribundis item amici, qua de conſuetudine vide Quintilian. *Procem. l.* 6. Joſephum Gorionidem *l.* 2. *c.* 2. Ovid. *Met. l.* 1. 2. & 9. Lucan. *l.* 3. Alios. Unde Petronius imminente naufragiô, *Igitur*, ait, *ſi verè Encolpion dilexiſti, da* oſcula, *dum licet, & ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape.* Cadaveribus ipſis; cujuſmodi oſcula velut ſolennia erant, uti docet Barthius *ad Stat. Theb. l.* 12. *v.* 28. & Bourdelotius *ad Heliodorum l.* 2. Sed *oſculum mortuis figi*, vetuit Concilium Autiſſiodor. Interim & *oſculum* abſentibus, i. e. Eulogia, Benedictio, munus aliquod, quod hôc nomine veniebat, in ſignum charitatis & mutuæ bevevolentiæ, dabatur mittebaturque. Liber *Epiſtolarum* Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini *Ep.* 85. *Celſitudini veſtræ, vice* oſculi *duas vini cupellas tranſmiſimus.* Quô ſenſu ἀποστολιμαῖον φίλημα dixêre, Achilles Tatius *l.* 2. & Euſtathius *l.* 9. *de Iſmenia. Epigr.* veter. *l.* 4.

Ut ſi diſſimulas multùm mihi chare venire,
Oſcula cum pomis mitte, vorabo libens &c.

Hactenus *de Oſculo benevolentiæ & amoris*, ut aliquid addam de *Oſculo ſubjectionis.* Jus hujus *Oſculi*, ſeu oſculandi Magiſtratus, cùm ſalutarentur, non omnibus, ſed Domeſticis, Protectoribus & Curialibus ſolùm muneribus in Patria defunctis, indultum, docent *l.* 4. *Cod. Theodoſ. de Domeſtic.* & *l.* 109. *de Decurion. eod. Cod.* In Hominiis *Oſculi Pacis* meminit *Tabularium Eccleſiæ Uzelientis* A. C. 1272. & *Charta* conventionis apud Ughellum *Tom.* 4. *p.* 670. In aliis quoque pactis ac conventionibus, *Oſculum* in fidei ſignum eſſe adhibitum, diſcimus ex *Tabulario Vindocinenſi Chartâ* 11. Juſtelli *Hiſtor. Arvern. p.* 40. aliiſque monumentis ac Auctoribus Carolo du Freſne *in Gloſſar.* memoratis. Hinc *Oſculum pacis, fidei & ſecuritatis* dictum, apud *Eoſdem.* Petebant autem *Oſculô* Veteres *Caput*, tanquam principem humani corporis partem, & antiquitus oculis os admovebant: labia enim oſculari recentior mos fuit, Pollux *l.* 9. *c.* 24. Et quidem, cùm puerum *oſculabantur*, faciebant id utraque ejus aure manibus arreptâ, quod genus *Oſculi χύτραν* Pollux vocat *Onomaſt. l.* 10. Vide Franc Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 6. *c.* 3. Caſparus tamen Bartholinus moris fuiſſe olim ſcribit *de Inaur. Veter.* ut pueri Patres hôc modô oſcularentur, partiſque hujus contrectatione de benevolentia eorum redderentur certiores, probatque ex his Poëtæ verbis,

Et fœtus Matrona dabit, natuſque Parenti
Oſcula *comprenſis auribus eripiet.*

Caput etiam, quæcunque ejus ſe obtuliſſet pars, item humeros, cervicem quoque *oſculabantur*, quod ultimum Hebræis frequens, Romaniſque. Certè hujus partis oſcula multis Auctorum locis commendantur. Suetonius *Caligula c.* 33. *Quoties uxoris vel amiculæ collum exoſcularetur, addebat: tam bona cervix ſimul ac juſſero demetur.* Unde *dilectam cervicem*, apud Statium *Achilleid. l.* 1. *v.* 329.

Ac ſua dilecta cervice monilia transfert:

oſculatam interpretatur rectè vetus Scholiaſtes, judiciô Barthii *ad loc.* In *ore*, *fronte*, & *oculis*, Henrico Imperatori oſculum impreſſiſſe Paſchalem Pontificem tradit Petrus Diaconus *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 37. Ad *Manus* dein ſe ritus demiſit, Eurip. *Jon. v.* 578.

Δὸς χερὸς φίλημά μοι σῆς.
Da manus Oſculum *mihi tuæ.*

de quo vide Pithœum *Adverſar. l.* 1. *c.* 7. Muretum *Var. Lect. l.* 10. *c.* 1. & Lipſium *Elect. l.* 2. *c.* 9. Giphanium quoque *Scholiis ad Odyſſ.* π. Docet autem Plin. *l.* 11. *c.* 45. *Dextram averſam oſculis appeti ſolere*: quod verum eſt de *Oſculo* manus alienæ, nam propriæ pars adverſa ſive interior adoratur, h. e. ori admovetur, ut vidimus *ſuprà.* Sed hic adorandi mos potentioribus plerunque, tanquam demiſſionis nota, & propriè ferè dominis à ſervis deferebatur: unde Regum Principumque præcipuè verò Tyrannorum manus ſubditos exoſculari fuiſſe ſolitos, docet Phædrus *l.* 5. *fab.* 2. *v.* 15.

Illam oſculantur: quâ ſunt oppreſſi manum.

Hinc Suetonius narrat, C. Caligulam Chæreæ. agenti gratias *oſculandam* manum obtuliſſe, ſed formatam commotamque in obſcœnum modum *c.* 56. & Domitianum Cœnidi, Patris concubinæ, manum præbuiſſe, *c.* 12. Candidati quoque Magiſtratum ambientes, quos manus potentiorum, eorumque quorum gratiam captabant, frequentius prenſâſſe conſtat, id in uſu habuiſſe videntur. Neque verò his terminis Principes Tyrannoſque honorandi ratio concluſa: ad *Genua* porrò deſcendit, de quibus ſic Amm. Marcellin. *l.* 28. *Ex his quidam, cùm ſalutari pectoribus oppoſitis cœperunt, oſculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuavianda & manus.* Imò & ad *pedes*, viliſſimô & plus quàm ſervili more: Dio, *Pomponius ſecundus tunc Conſul, pedes Caligulæ adſidens, identidem ſe inclinans, eos oſculabatur.* Et Seneca idem docet, cum C. Cæſarem ait Pompejo abſoluto & gratias agenti porrexiſſe oſculandum pedem ſiniſtrum, *de Benefic. l.* 2. *c.* 12. quem ritum, velut per manus traditum, Pontifices Romani, Reges & Imperatores ſeculares in omnibus æmulantes, hodieque retinent: quod ut excuſatiùs fieret, jampridem ſandalia purpurea Pontificum crucis aureæ ornamentô inſigniri cœperunt, ut ſic honor crucis ſigno, non pedibus vel ſandaliis Pontificum, videretur deferri, vide Balduinum *de Calceo antiquo*, ubi *c.* 27. *calcei Silveſtri I. Martini I. & Honorii I. iconem exhibet.* Meſſalinæ certè ſandalia, Vitellium per adulationem crebrò oſculatum eſſe, Tacitus refert, unde ei ad ampliſſimos honores, ſtrata via eſt, vide in voce *Vitellius Imper.* ut alia hâc vice omittam. Plura hanc in rem vide apud C. Barthium *Animadverſion. ad Stat. paſſim*, inprimis *Theb. l.* 2. *v.* 152. nec non *Adverſariorum Tom. I.* Anton. Contium *Lectionibus Succiſivis*, Jo. Bourdelotium *ubi ſuprà*, *Alios*: in ſpecie *de Oſculo charitatis & dilectionis*, quod φίλημα ἅγιον vocat Apoſtolus 1. Corinth. *c.* 16. *v.* 20. i. e. ἄδολον, καὶ ἀνυπόκριτον, ut interpretatur *Theophylactus*: De *Oſculo charitatis*, in Feſto Paſchatis apud Græcos uſitato, quod φίλημα ἀγάπης vocant: de *Oſculo* porro in S.

Cœna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Cœnæ uſurpari ſolito, de *Oſculo Sponſorum*, & *Oſculo*, in ordinationibus ſacris adhibito, apud J. C. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ἀσπασμὸς, item Φίλημα.

OSCUM, locus augurum, in agro Vejenti, *Feſt.*

OSCUS, Thuſcorum Rex, Ann. ante Urb. Cond. 540. Ejus inſigne fuit ſerpens.

OSCUS, Othonis libertus, claſſi contra Gallicam Narbonenſem præfectus, ad obſervandam honeſtiorum fidem invitatus. Tacitus *Hiſtor. l.* 1. *c.* 87.

OSDARA, Armeniæ minoris urbs, *Antonin.* forſan eadem cum *Aſdara.*

OSEE, fil. Ela, Phacæô Iſraëlis Rege occiſô, thronum occupavit: à Salmanaſſare oppugnatus, regnum ei tributarium reddidit. Excuſſurus jugum, fiduciâ Suæ Ægypti Regis, à Salmanaſſare Samariæ obſeſſus eſt, quâ poſt triennii moram captâ, Iſraëlitarum tribus 10. in Mediam & Aſſyriam tranſlatæ, inde in omnes partes Septentrionales Aſiæ ſe extenderunt. Hos, ſub Cyro, ex parte in Judæam rediiſſe, ſtatuunt *Cyrillus*, *Theodoretus* & *Theophylactus*. Hic regni Iſraëlitici finis, hic terminus fuit, A. M. 3314. An. 255. poſtquam à regno Jehudæ fuit avulſum, 2. Regum. *c.* 15. 17. 18. Nomen item Prophetæ filii Beeri, qui princeps 12. minorum Prophetar. è tribu Iſaſchar, prophetavit, ſub Ozia, Joathamo, Achaſo, Ezechia, & Jeroboamo 2. Jehudæ Iſraëliſque Regibus. Populo ſcortationem ſpiritualem acerbè exprobare juſſus, ejus captivitatem prædixit. Vixit circiter An. 100. ejus Prophetia continetur capitib. 14. Hieron. *in Prol. Galeato & ibi.* Epiphan. *de vit. Prophet.* Salian. Torniel. *in Annal.* Bellarmin. *de Script. Eccleſ.* Rivetus, Coccejus, &c. *in Hoſeam.* Vide ibi. Item Joſue ſic dictus, filius Nave, Numer. *c.* 13. *v.* 16. Latin. *ſalvator*, aut *ſalvus.*

OSEHIA Rabbah, celebris Rabbinus, auctor *Bereſchit Rabbah*, floruit *ſecul.* 10. *Millenarii* IV. juxta *Rabbi Dav. Ganz.*

OSERICTA, inſula parva, ubi ſylva Cedrorum conſpiciebatur, è quibus electrum in petras defluebat, Plin. *l.* 37. *c.* 5. Cluverio eſt *Oeſel*, inſula maris Baltici prope Livoniam, quæ aliàs *Latris* etiam dicta, *Oſilia* recentioribus prope os ſinus Rigenſis. Vide ibi.

OSI, populi Germaniæ quos *Althamerus* ponit in Sileſia, ubi *Oppeln*, & *Neiſſe* urbes ſunt. *Reyneccius* verò in Weſtphalia, quorum urbs eſt *Oſenburg*, vel *Oſnaburg*, quaſi *Oſorum burgum*, a Monaſterio 6. leuc. in Boream Bremam verſus: Et ab his forte *Oſenfurtum*, Franconiæ. Rantzovius verò in inſula maris Baltici, quam *Oeſel* vocat. *Baudrando* fuêre, verſus Viadrum fluvium: Cluverio aliiſque, ubi nunc major pars Sileſiæ, urbeſque *Oppelen*, *Ratibor*, *Troppa*, *Neyſſe*, cum minuta parte Poloniæ ſuperioris. Vide & Cl. Ottonem *Notis ad B. Rhenanum p.* 249.

OSIANA, urbs Cappadociæ, *Antonino.*

OSIANDER Andreas, ſenior Bavarus. Norimbergæ primam concionem habuit, A. C. 1522. Hinc in Pruſſiam profectus, A. C. 1548. ob librum *Interim*, bellum ibi Oſiandricum movit, *Hominem juſtum eſſe juſtitiâ Dei eſſentiali*, aſſerens, obiit A. C. 1552. ætat. 54. Vir αὐτοδίδακτος, & aliis inter ſuos magni nominis. Edidit *Harmoniam Euangel. Græc. Latin.* cum *Annotat.* Baſil. 1516. 1537. Franc. 1541. Pariſ. 1564. Animus in eo fuit confidens, & mores neutiquam moderati ac ſuaves, Melch. Adami, Calvinus *ad Melanchth.* Georg. Fabricius *Obſervat. de reb. Metall.* Ad. de Cardanum *de Subtil. tit. de Mirabil.* Anton. Teiſſier *Elog. Part.* 1. ubi index ſcriptorum ejus &c.

OSIANDER Andreas, Junior fil. Lucæ, Miniſtri Tubingenſis, (qui in Utrumque Teſtam. *Annotationes* 3. *Volum. fol.* ſcripſit, aliaque, & obiit A. C. 1604.) Natus eſt Blabeuræ, agri Wirtembergenſ. oppidô, Concionator & Conſiliarius Aulæ Wirtembergenſ. Theologiæ D. Abbas cœnobii Adelbergenſis & proximarum Eccleſiar. Superintendens, Præpoſitus Tubingenſ. & Cancellarius. Edidit Sacr. Biblia, cùm obſervat. Theolog. Theologus vigilans, prudens, conſtans, obiit A. C. 1617. ætat. 55. Melch. Adami *in vita Theol. Germ.*

OSIANDER, vide quoque *Andreas* & *Lucas.*

OSIBA, Albaniæ urbs, *Ptolem.*

OSICA, Albaniæ urbs, *Idem.* An *Harmozica Strab.*

OSICERDA, vel OSSERA, teſte *Varreriô*, oppid. Hiſpan. Tarraconenſis in regno Arragonio, *Ptol.* Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Oſigerdenſe* vocat.

OSII, & OSILI, gens Sarmatiæ Europææ *Ptol.*

OSILIA, inſula maris Baltici cum urbe ad os ſinus Venedici, Livoniæ pars; vulgò *Oeſel.* Sub Suecis A. C. 1646. cùm prius ſub Danis eſſet. Vix 3. milliar. Germanic. ab ora Curlandiæ in Boream, 5. ab Eſthonia in Occident. Circuitus 100. mill. paſſ. Ibi ſunt Aresburgum & Sonneburgum arces. Vix 1. leuc. in Meridiem à Daghoa inſula, 16. milliar. Germanic. à Riga in Circium, 11. à Pirnavia, 10. à Vinda in Boream. Aliàs *Latris.*

OSINCUM, pagus Corſicæ, ad Hieri fluv. ortum, *Ptolem.* *Omiſo*, ut putatur, hodie dicitur.

OSINTIGI, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, Plin. *l.* 3. *c.* 1.

OSIRIS, Jovis fil. ex Niobe Phoronei filia. Argivis imperavit: ſed ſubditis ſubiratus fratri Ægialeo regnum tradidit, profectus in Ægyptum eſt, quam legibus egregiis inſtructam, Rex tenuit. Iûs maritus, quæ & Iſis dicta, varias artes Ægyptios docuit, unde uterque pro Deo incolis. Tandem diſcerptus à ſuis inimicis, in bovem transformatus fingitur, præcipuæ non apud veteres modò Ægyptios, ſub nomine Apidis & Serapidis, ſed & hodiernos Indos, venerationis. Vide Alex. Roſſæum, *in Myſtagogo Poëtico*, & de Valle, *Itiner. tom.* 4. Hujus nomine non ſolùm Sol intelligebatur, apud Ægyptios, verùm etiam Dionyſius ſive Bacchus. Jupiter quoque pater, juſtus & dux, quique unà cum Anubi Gigantes ex Italia expuliſſe legitur. Quibuſdam *virum beatum* ſignificare videtur, & proinde rectiſſimè derivari, ab אשר *Aſchre*, *beatus*, & איש *Iſch*, vir. Aliis Ægyptiacum placet etymon. Scribit enim Plutarch. *Os* apud Ægyptios deſignare *multum* & ἶριν *oculum*, *l. de Iſ. & Oſ.* quod etiam approbat Euſebius, cui propterea, ut Dionyſius, πολυόφθαλμος dicitur. Idque cum Solis ſignificato probe congruit. Eâdem ratione juſtum eſſe dixerunt. Quid ita? Annon Orpheus affirmat Solem eſſe δικαιοσύνης ὄμμα? Annon Theologi veteres Juſtitiam prodiderunt è medio Solis throno per cuncta propagari, omniaque dirigere? Ex Plutarchi libro etiam colligitur, *Oſirim* Nilum vocari, & nigrô fuiſſe corporis colore: & Hellanicô teſte, Ὄσιριν appellatum à ſacerdotibus, propriô verò nomine *Arſaphen* dictum, quod Plutarch. tamen parum probat, qui & eum nomen accepiſſe ait, ἐκ τοῦ ὁσίου ἱεροῦ, *ex ſacro ſancto.* Hinc *Suidas*, *Deum hunc alii Jovem eſſe dixerunt, alii Nilum, propter modium, quod in capite habet, & cubitum, menſuram aquæ ſcilicet.* Plinio, *Pan*, *Serapis*, & *Ammon* dicitur. Cultus tandem & Romæ fuit, pluresque ei ædes & templa extructa fuiſſe ex *P. Victoris*, & *Onuphrii Panvinii* deſcriptionibus 14. Regionum urbis apparet. Columnæ ejus, teſte *Diodorô*, hujuſmodi fuit inſcriptio: Πατὴρ μέν ἐστί μοι Κρόνος, νεώτατος θεῶν ἁπάντων. Εἰμὶ δὲ Ὄσιρις ὁ βασιλεὺς, ὁ στρατεύσας ἐπὶ πᾶσαν χώραν, ἕως εἰς τοὺς ἀοικήτους τόπους τῶν Ἰνδῶν, καὶ τοὺς πρὸς Ἄρκτον κεκλιμένους μέχρις τῶν τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ πηγῶν, καὶ πάλιν ἐπὶ τἄλλα μέρη ἕως Ὠκεανοῦ. Εἰμὶ δὲ υἱὸς Κρόνου πρεσβύτατος, καὶ βλαστὸς ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς ᾠοῦ σπέρματος, συγγενὴς ἐγεννήθην ἡμέρας; καὶ οὐκ ἔστι τόπος εἰς ὃν ἐγὼ οὐκ ἀφῖγμαι, διαδοὺς πᾶσιν ὧν ἐγὼ εὑρετὴς ἐγενόμην. Agriculturam Ægyptios docuit, quod beneficium occaſio procul dubio fuit, quamobrem pro Deo cultus ſit. Tibull. *l.* 1. *el.* 7. *v.* 29.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferrò ſollicitavit humum.
Primus inexperta commiſit ſemina terra,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cadere falce comam.

Suidas; Ὄσιρις. Τοῦτον οἱ μὲν λέγουσιν εἶναι τὸν Διονύσιον, οἱ δὲ, ἄλλον, ὃν ὑπὸ Τυφῶνος διαιρούμενος ἐσπαράχθαι, καὶ μέγα πένθος γενέσθαι τοῖς Αἰγυπτίοις, καὶ τοῦ σπαραγμοῦ μνήμην ποιεῖσθαι ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον. Typhon ille frater ejus fuit, Diodor. Sic. *l.* 1. Φασὶ γὰρ νομίμως βασιλεύοντα τῆς Αἰγύπτου τὸν Ὄσιριν ὑπὸ Τυφῶνος ἀναιρεθῆναι τοῦ ἀδελφοῦ, βιαίου καὶ ἀσεβοῦς ὄντος. Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 29.

Exclamare libet populus, quod clamat Oſiri
Invento. ———— ————

I. e. non minori lætitiâ, quàm Ægyptii exultant, ubi invenerint Apim bovem, qui Oſiridem, i. e. frumenti Sationem repræſentet, exclamantes εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Athenagoras Orator in legatione pro Chriſtianis. Per hunc jurare ſolebant veteres, Horat. 1. *Ep.* 18. *v.* 60.

———— *Licet illi plurima manet*
Lacryma, per ſanctum juratus dicat Oſirim,
Credite, non ludo. ———— ————

Non prætermittendum eſt hôc locô, quod de Oſiride habet Mercurius ille Triſmegiſtus, in τῇ Κόρῃ τοῦ Κόσμου. Oſiris ibi σωμάτων ἑκάστου ἔθνους ἡγεμὼν, καὶ ἰσχύος, καὶ ῥώμης καθηγητὴς appellatur, nominibus putà, quæ ad eum propriè apud Ægyptios ſpectabant. Eum nempe corporum, adeoque itinerum, uniuſcujuſque gentis, virium item ac roboris ductorem eſſe, ſive ducem obtendebant Hierophantæ. *Nic. Lloydius.* Vide plura de Oſiride, apud Selden. *l. de Diis Syris*, Marshamum *Canone Chronico Sec.* I. ubi eum eundem cum Mene ſeu Chano facit, & in voce *Apis.* Addo hîc ſaltem. Sanè Sol fuerit, inquit Voſſ. *de Philoſ. c.* 6. §. 11. ſi Ὄσιρις idem eſt, quod Σείριος, ut Græci vocem truncârint, quaſi princeps ſyllaba illis haud aliud eſſet, quàm articulus, quod quidam volunt: Heſiodo enim, ſi *Proclo* credimus, Σείριος Sol dicitur. Unde ſuprà Serapidem, qui *Oſiris* eſt, magnus collocatus eſt Oculus abſque palpebris ſemper apertus, hieroglyphicum Solis, qui Mundi oculus eſſe perhibetur, in Lucerna Ægyptiorum veteres ritus repræſentante, apud Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 118. *ubi Columnam ſepulchralem Oſiridis, cujus meminit Diodor. Sic. l.* 1. *c.* 2. *eruditè explicat.* Horum tamen ſententiæ obſtare videtur, quòd Plut. *l. de Oſiride* dicat Ægyptiis Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, *Nilum eſſe Oſiridem*: neque id, Ægyptiorum vulgo, ſed, ut ait, *Sapientibus Sacerdotum, qui non tantùm Nilum* Oſirin *nominant, ſed ſimpliciter principium & vim omnem humificam.* Cum quo convenit, quòd eundem eſſe dicant Διόνυσον, ſive Liberum Patrem, ut idem tradit. Ac Athanaſ. quoque *contra Gentes*, & Jul. Firmicus *de err. profan. Relig.* teſtantur, aquam divinô honore maximè affici ab Ægyptiis: quod cur factum ſit, facilè videt, qui cogitat in Ægypto non pluere, eoque à Nilo omnem Regionis pendere fœcunditatem. Ita ergo per Oſiridem, ſicut & per Cererem ac Saturnum, non perſonæ ſignabuntur, ſed tres res naturales, à quibus productio eſt frugum, & omnium plantarum, nempe terra, humor & tempus: quô factum, ut Agricultura, vel ſaltem fruges ſerendi Ars, in Italia, à Saturno: in Græcia, à Cerere, in Ægypto ab *Oſiride* cœpiſſe fingatur. Plurima ejus, in Ægypto ſimulachra fuiſſe, eo quòd Iſis fruſtum quodque, ita ut inciderat, humaverit, teſtatur Plut. *l. cit. de Iſide* & *Oſiride.* Vide iterum Licetum *de Lucernis l.* 6. *c.* 61. & de corona *Oſiridis* ex loto Paſchalium *Coron. l.* 3. *c.* 13. plura verò hanc in rem apud Gerhard. Johann. Voſſium *de Orig. & progreſſu Idololatriæ l.* 1. *c.* 27. ubi ei inter alia, *Oſiris* ſive Mitſraim, filius Chami, Diodoro idem, qui Græcis Διόνυσος vocatur, illius opus, ex quorundam ſententia, Thebæ Ægyptiæ; ex omnium verò opinione, Jovis Ammonis templum: inventum, præter alia hedera, quæ hinc *Oſiridis herba* dicta: *c.* 30. ubi eidem *Oſiris tertius*, idem

cùm Arabico Libero, in quo Moſes expreſſus: & *l.* 2. *c.* 40. ubi illi *Oſiri:* Ægyptiorum idem, qui Phœnicum Adoni, Phrygum Attis, & Græcorum Liber: *Oſiridiſque ſtella* Ægyptiis, quæ Græcis Jovis *c.* 32. & *c.* 74. ubi de ejus nigredine quâ effingebatur, & etymo, quædam addit.

OSISMI, Cæſari *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 34. *Oſiſmii*, Pomponio *l.* 3. *c.* 2. & Plinio *l.* 4. *c.* 18. populi Galliæ Celticæ in ultimo receſſu Britanniæ minoris, ad Boream, quorum tractus adhuc *Oſiſmer*, teſte *Bertrandô Argentæô*, dicitur. *Timios* vocat Pythæas apud *Strabonem*, qui eos quoque *Siſmios* appellat. Ibi nunc Diœceſes Trecorenſis & Leonenſis. Eorum urbes fuêre, Vorganium caput eorum, vulgò *le Quicudet* caſtrum, Staliocanus portus, *S. Paul. de Leon*, & Brivates, *Breſt*, *Baudrandus.* Cæſar ſupra memoratus numerat eos, inter maritimas civitates, quæ Oceanum attingunt, atque inter ſocios belli Venetici, inter Unellos & Curioſolitas, *l.* 2. *c.* 34. *&* *l.* 3. *Comm. c.* 9. cum quibus, ut & Rhedonibus, ſena millia armatorum, Vercingetorigi contulerunt, *l.* 7. *c.* 75. Plinius ſecundus *loc. cit.* in Lugdunenſi Gallia, inter Abrincatuos ac Ligerim eos ponit; *Claud. Ptolemæus* eos in eadem Gallia ultimos uſque ad Gobæum promontor. facit, quia in ora Oceani Aremorici ad Occidentem verſa ſunt ultimi. *Oxiſmi* quandoque, & *Oximenſes* quoque dicuntur; unde factum, ut pro Oximis prope Sajos facile à quibuſdam haberentur. Horum urbs Vorganium *Ptolem. Vorgium*, *tabula Peutingeriana*, ubi Maurorum Oſiſmiacorum præſidium ſub præfecto fuiſſe, indicat *Notitia Imperii Romani. Civitas Oſſiſmorum* quandoque vocitatur. Hanc apud *Bertr. Argentæum*, Britannicô nomine, *Cozqueoudet*, h. e. urbem veterem appellari, tradit *Samſon*: quâ ante multa ſecula dirutâ, ex ejus antiqua diœceſi ac unica ſede, tres eſſe factas, nimirum Leonenſem, Trecorenſem ac Bricorenſem, meliùs Briocenſem, *S. Pol de Leon*, *Treguier*, & *S. Brieu*, ſed de iſta urbe veteri, quam Albertus *Lexobiam* quoque vocat, nil apud graves auctores reperitur. Et, regnante quidem Carolô Calvô, ex Monaſterio S. Brioci ſedem Epiſcopalem factam eſſe conſtat, à Nomenoio Regulo Brittonum, in Oſiſmiis: At *civitatis Oſiſmiorum* nomine utra deſignetur, Tregorenſis, à qua Epiſcopus, cui ibi ſedes, nomen habet, (*Treguer*, aut *Land triguier*,) an Leonenſis (*S. Paul de Leon*) & utra alteram vetuſtate præcedat, haud facile dictu eſt, Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

OSIUS, Epiſcopus Cordubenſis, in Hiſpania. Natus A. C. 257. Durante perſecutione Diocletiani & Maximiani fidem admirabili conſtantiâ confeſſus, Confeſſoris elogium à Synodo Sardicenſi, S. Athanaſio, aliis, meruit. A Conſtantino M. ob virtutem uſque adeò eſt magni habitus, ut eum in rebus ad Eccleſiam pertinentibus ſubinde conſuleret. Zelô religionis fervens, Donatiſtarum, Arianorum, aliorum hæreticorum odia in ſe concitavit: Alexandriam miſſus eſt à Conſtantino, qui Concilium ibi contra Meletianos, Arianos, & Colluthi ſectatores, item de Paſchatis obſervatione, celebrabat. Princeps, poſteà legatorum, in 1. Concil. Niceno, ex parte Sylveſtri Epiſcopi Romani præſedit in Concilio Sardicenſi, A. C. 347. Hæreticorum malleus: qui ut eum in ſuas partes pertraherent, nullum non moverunt lapidem. Perſuaſerunt igitur Conſtantio Imperatori ut illum ad ſe accerſitum, ſeu blanditiis ſeu minis, ab inſigni hoc orthodoxias zelo abduceret. Sed is vocati ejus Mediolanum conſtantiâ perculſus, ad Eccleſiam ſuam eum remiſit. Paulò pòſt literis ab eodem tentatus, pari animi robore obſtitit, epiſtolâ egregiâ, quam Athanaſius refert, Imperatori reſpondens: quâ Ariani irritatiores non quieverunt, donec à Conſtantio denuo Sirmium vocatus, ibi in vincula conjiceretur; ubi per annum detentus eſt, *non reverente novô hôc Achabô*, verba ſunt Athanaſii, *neque canos Præſulis, neque virtutem ejus, tanti in Eccleſia nominis*, A. C. 355. Epiſcopatus Oſii 60. Tandem tamen malis tot feſſus, Hæreticorum Confeſſioni Syrmii formatæ, ſubſcripſit, & diuturnæ vitæ ſplendorem decrepitus ſenex hâc infirmitate obſcuravit, tantùm non in portu naufragiô factô. Interim biennio pòſt, morti vicinus tantam culpam pœnitentiæ lachrymis eluit, Arianiſmô anathematizatô. Ab Athanaſio *ep. ad Solit. apol.* 1. *&c.* & Auguſtin. *l.* 1. *contr. Parm.* impensè laudatus obiit A. C. 375. ætat. 100. Epiſcopat. 62. & 63. Lapſum ejus, tanquam vulgi rumore, non certâ famâ ſparſum, memorat Sulpic. Severus *l.* 7. *c.* 54. Vide inſuper Euſeb. *in vita Conſtant. & Hiſt. Theodoret. Zoſimum*, Baron. *in Annal.* Hermantium, *in vita S. Athanaſii, &c.*

OSLAVESLA, locus in Merciorum regno, ubi Concilium A. C. 821. ſub Wulfredo Archiepiſcopo Cantuarienſi.

OSMA, Petrus, vide *Petrus.*

OSMAN, aliàs *Matias*, Calipha Saracenorum III. Omari I. ſucceſſit, Cyprum, Rhodum, Africam invaſit, Conſtantinopolim oppugnavit; extinctus A. C. 666. regni II. menſ. 6. ſucceſſore Aly, ſeu Ali. *Cedrenus*, *Zonaras*, *Alii.*

OSMAN, ſive *Otman*, I. unus ex Principibus Turcarum, qui Azainte ultimô Sultanô Iconienſi à Scythis ejectô, principatum inter ſe diviſerunt; fundator *Portæ Ottomannicæ*, extinctus A. C. 1428. ſucceſſorem habuit fil. Orcanem, ſeu Urchanem. Vide Nicephorum Greg. *l.* 7. & Ducam *Hiſtor. Byzant. c.* 2. nec non infrà voce *Oſmanes.*

OSMAN II. Imperator Turcarum, patri Achmeto I. vix duodecennis ſucceſſit, A. C. 1618. Exercitu 400000. militum inſtructus, A. C. 1621. invaſit Poloniam, ſucceſſu parum felici, unde amiſſis circiter centum millibus, Conſtantinopolim redux, Muſtaphæ patrui ſui juſſu, qui pridie à Janizeris in thronum erat evectus, die 21. Mart. ejuſdem anni, ſtrangulatus eſt: ſucceſſore Muſtaphâ, quem vide.

OSMANES, fil. fuit Ortho-Grul, natione Turca, cujus majores ex Perſica in Aſiam à Tartaris expulſi, apud Sultanos Guniæ tantam obtinuerant gratiam, ut ſpem conciperent Imperii conſequendi. Cùm itaque Aladdus A. C. 1298. ſine liberis obiiſſet, Turcarum Proceres univerſum Imperium inter ſe ita diviſerunt, ut 9. inde Regna emergerent; præcipuâ tamen auctoritate & potentiâ penès *Oſmanem*, cui Bithynia obvenerat, manente. Sedes regni ejus Burſa Bithyniæ urbs, ab Olympum montem, fuit. Inter hos autem Turcarum Reges cùm perpetua eſſent bella, reliquis tandem oppreſſis, tres tantùm potentiores remanêre, *Oſmania*, Caramaniæ & Dulgadiriæ, ſed & his inter ſe ſe colliſis, Caramani, qui præcipuè Oſmaniorum implacabiles hoſtes erant, quoque tandem ab *Oſmanidis* everſi, ſicque omnis poteſtas Turcarum ad eos translata eſt. Vide Georg. Hornium *Orb. Imp. p.* 273. Idem & *Ottoman* dictus eſt, ejuſque familia in hunc uſque diem ampliſſimo huic imperio præeſt: unde Turcicum Imperium frequenter *Domus* vel *Porta Ottomannica* dicitur. Succeſſores illius Burſâ, Adrianopolim Thraciæ Urbem, inde ipſam Conſtantinopolim, Imperatoriam ſedem tranſtulerunt; quod factum A. C. 1453. cùm Muhammedes vel Mahometes II. eam Urbem expugnâſſet, ſicque Imperium Ottomannicum ad ſummum faſtigium perduxiſſet, Idem. *Orbe Polit. Part. I. p.* 22. Vide quoque Forbeſium *Inſtructionum Hiſtor. Theol. l.* 4. *c.* 22. ut & infrà *Ottomannus.*

OSMIANA, oppid. Lithuaniæ, in Palatinatu Vilnenſi, 7. milliar. à Vilna in Ortum Minskum verſus, juxta Oſmianam amnem.

OSMUNDUS, Epiſcopus Saliſburienſis, in Anglia, floruit ſecul. 11. Auctor diverſorum tractatuum Eccleſiaſticorum, quorum meminit Polydorus Virg. *l.* 9. *rer. Angl.* Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 46. Poſſevin. *in Appar.*

OSMUS, fluv. Myſiæ, *Cedrenus. Sladitza*, *Leunclavio.*

OSNABRUGUM, urbs Weſtphaliæ, Hanſeatica, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Colonienſi facta à Carolo M. A. C. 776. Vide Aventin. *l.* 3. Ad Haſam fluv. ſub proprio Epiſcopo. Pace inter Imperatorem & Sueciæ Regem A. C. 1648. celebris. 8. milliar. Germanic. à Monaſterio in Cæciam, 15. ab Oldenburgo in Meridiem. Caput & unica urbs Epiſcopatus Oſnabrugici, qui ad 40. mill. paſſ. à Septentrione extenditur in Meridiem, vix 24. mill. paſſ. ab Ortu in Occidentem. Habet à Septentrione, Occidente, & Meridie ditionem Epiſcopalem Monaſterienſem, ab Ortu Principatum Mindenſem, & Comitatum Ravensbergenſem. Præſules hujus urbis enumerant *Crantzius*, *Bruſchius* & *Cratepolius.* Hodiernus eſt, Erneſtus Auguſtus, fil. Georgii Ducis Luneburgici, rami Cellenſis, celeberrimi bellô Germanico, qui obiit A. C. 1641. Hic, jure familiæ ex pace Monaſterienſi collatô, Epiſcopatui præeſt, egregiâ prole ex Sophia Palatina, & re inſigniter ad Trevirim, A. C. 1675. in prælio contra Crequium, quô flos copiarum Gallicarum à Germanis fuſus cæſuſque eſt, geſtâ, inclytus: jam Suecis, inter Confœderatos feliciter obnititur, in ducatu Bremenſi, haud pridem Caroloſtadiô, arce munitiſſimâ, inter alia, expugnatô. Filios è matrimonio hoc, quod A. C. 1658. coaluit, ſuſcepit ſex, Georgium Ludovicum, Fridericum Auguſtum, Maximilianum Wilhelmum N. N. N. Erneſtum Auguſtum, quorum primus lucem vidit A. C. 1660. Spenerus *Sylloge Geneal.* Vide etiam *Oſi* & *Oſſenburgum.*

OSOCHOR, Rex Ægypti, An. ante Urb. Cond. 170. Manethoni *Oſocher*, Rex Paſtorum in Ægypto XI. Amenophthim in regno excepit, præfuit annô 56. quô tempore Jabin Iſraëlitis gravis eſſe cœpit. Illum ſecutus eſt Pinaches. Joh. Marſhamus *Can. Chron.*

OSONES, oppid. olim, nunc pagus Pannoniæ ſuperioris, *Zanto*, teſte Laziô.

OSOPIUM, urbs Carnorum apud Tilavemptum fluv. Oſopo hodie.

OSORCHO, Tanitarum in Ægypto Rex XV. *Hercules Ægyptiis* dictus, poſt Petubatem regnavit annos 8. Ei ſucceſſit Pſammus. Vide *Ameſſes.* Gideon tunc Iſraëlitas judicavit. Marſhamus *Can. Chron.*

OSORIA Familia, in Hiſpania illuſtris, & antiquitate nulli ſecunda. In ea Petrus Alvarus *Oſorius*, ſub Petro Caſtellæ Rege Comitis *de Villalobos* & Ducis *de Aguiar* honorem geſſit ac ab uxore Maria *Ferdinandez de Villalobos*, hujus familiæ ſucceſſionem ſuæ intulit. Nam minor fil. Garſias Alvarus *Cerralvenſium* ſator eſt; quam ſucceſſionem obtinuit Garſiæ nepos Alvarus Perezius *Oſorius*, ductâ Mariâ Pachecâ Dn. *de Cerralvo*: Eandem poſteri, *Oſoriô* nomine omiſſô, jam *Paſcheci*, retinuêre, ac Marchionum obtinuêre axioma, Vide infrà, in Famil. *Paſchecæ.* Major Alvari Perezii fil. Johannes Alvarus *Oſorius*, Petrum Alvarum genuit, qui Comes *de Traſtamara* à Johanne II. Rege creatus eſt, quô pactô priores tituli exolevêre. Petrus quatuor linearum novarum per totidem filios ſator agnoſcitur: è quibus maximus natu Alvarus Perezius *Oſorius* I. titulum *Marchionis de Aſtorga* paterno adjecit, & illos ſimul poſteris tranſmiſit, defunctus A. C. 1471. Ei ſucceſſit, ex Leonora (filia Friderici Henrici Admiralis Caſtellani) fil. Petrus Alvarus *Oſorius* I. Marchio *de Aſtorga*, quô & Beatrice Quinnoniâ (filiâ Didaci Fernandeſii *de Quinnones* Comitis *de Luna*) genitus Alvarus Perezius II. Iſabellam *Sarmiento* (filiam Franciſci Sarmienti Comitis *de S. Martha*) ſibi junxit atque ex ea ſuſcepit Petrum Alvarum II. maritum Mariæ Pimentelliæ, & ex ea patrem, Petri Alvari III. qui ex Conſtantia *de Caſtro Oſorio* agnata, filium habuit Petrum Alvarum IV. qui deceſſit A. C. 1613. Pater, ex Blanca Manricia & Aragonia (filia Ludovici Fernandi Manricii Marchionis *de Aguilar*,) Alvari Perezii III. Marchionis *de Aſtorga* Comitis *de Traſtamara & de S. Martha* (nati 1600.) Conſtantiæ (Antonio Gometio Davilæ Marchioni *de Velada* nuptæ) & Annæ (uxoris Ludo-

Ludovici *de Velaſco* Marchionis *de Salinas*. 2. Ludovici Hieronymi Fernandezii *de Cabrera* & *Bobadilla* Comitis *de Chinchon*) qui omnes, nominis *Oſorii*. Secundus fil. Petri, patri cognominis, Urracam duxit Comitem de *Atlamira*, Roderici *de Moſcoſo* filiam, unde utriuſque familiæ nomen conjunctum & ad poſteros tranſmiſſam eſt, de quibus vide ſuprà. Tertius fil. Didacus Dominos *de Villacid* & *Cerbantes* ſevit: & quartus Ludovicus Epiſcopus *de Jaën*, filios naturales Franciſcum atque Alvarum, habuit: quorum ille Dominorum *de Valdonquillo* auctor eſt: hic ex Beatrice *de Caſtro* filios, ſed improles ipſos, genuit. Præter hos *Oſorii* de *Ocanna*, à Lupo Alvaro Oſorio Marchionis Aſtorgenſis I. germano vel filio derivantur, & Domini *de las Reguerus*, à Roderico primi Petri Alvari, ex Maria *de Villalobos*, filio. Atque hæc ſtirpis de *Villalobos* ſeries eſt. Neque verò altera eſt omittenda *Oſoria* familia, Dominorum *de Cabrera* & *Ribera*: in qua Petrus Alvarus, Beatricis *de Caſtro* Dn. de *Lemos* maritus, A. C. 1457. Comes *de Lemos*, Henrici IV. Regis gratiâ renuntiatus eſt. Verumenim verò proneptis Beatrix, titulos ad Portugallenſem familiam transtulit. Vide ſuprà in voce *Lemos*. Ex eadem linea fuit Beatrix ſive Johanna, filia Petri Alvari *Oſorii* Comitis *de Lemos*, quæ cùm Ludovico Pimentellio Marchioni *de Villafranca* nupſiſſet, in hanc & mox per filiam Petri Toletani conjugem, in Toletanam gentem, *Oſorium* cognomen intulit. Fuit hic Petrus, Prorex Neapolitanus, & defunctus A. C. 1553. ex uxore filium reliquit Garſiam *de Toledo Oſorio* Marchionem *de Villafranca* Ducem *de Fernandina*: qui junctâ ſibi Victoriâ Columnâ (filiâ Aſcanii Ducis *de Pagliano* & *Taglia*) Petrum genuit, ex Elvira Mendoza, patrem Garſiæ *de Toledo Oſorio* Dn. *de Fernandina*, quô & Mariâ de Mendoza nati ſunt N. N. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 110. & 89.

OSORIUS Hieronymus, Olyſippone Luſitanus, Epiſcopus Algarbiæ, doctus, pius, eloquens, in pauperes adeò largus, ut decimas, quas ex diœceſi ſua colligebat illis concederet. In menſa S. Bernhardum ſibi prælegi curabat, quâ lectione finitâ cuilibet convivarum (alebat autem ſemper viros quoſdam eruditos ac probos) dubium aliquod movere licebat. Obiit A. C. 1580. ætat. 74. Opera ejus Romæ prodierunt IV. Volum. quæ ſigillatim enarrat Teiſſier *Elog. P.* 2. Habuit nepotem ſibi cognominem, auctorem itidem plurium librorum, vide *ibid.* ut & aliquid ſuprà, voce *Hieronymus*: adde Paul. Freherum *Theatro Viror. eruditione claror.*

OSORNUM, oppid. regni Chiles, ab Hiſpanis excitatum, inter Andes montes & Chilvenſem Archipelagum.

OSORTON, Rex Ægypti, An. ferè 110. Urb. Cond. in Bubaſtitarum Dynaſtia II. Succeſſit Seſonchidi patri, regnavit annos 15. Necepſo & Tnephachtho coævus. Eum excepit Taccllothis, à Sabacone cum reliquis Ægypti Regulis oppreſſus. Marshamus *Canone Chron. Sec. XVI.*

OSPHAGUS, fluv. Macedoniæ apud Erigonem, Liv. *l.* 31. *c.* 39.

OSPHRYON, unus ex illis, qui Athenis Hermas mutilârunt, quos traducit cum Piſia & Diitrepho, Cratinus, fabulâ nomine Χείρωσι. Vide Scholia in Ariſtoph. *Aves* 577.

OSQUIDATES, populi Galliæ Aquitanicæ, Plin. *l.* 4. *c.* 19. Fuêre populi campeſtres & montani in Aquitania & Novempopulania; Campeſtres fuêre ſub Dariis, inter Aturum fluv. & Beneharnos, Montani verò fuêre pars Eluſatum, & inter Eluſam ad Meridiem, & Vazates ad Boream ubi nunc *Les petites Landes, Baudr.*

OSRHOENE; regio Syriæ in Meſopotamiæ confinio, in qua Edeſſa & Nicephorium urbes juxta Euphratem fluv. An hodie *Tiſire*, in provinc. Diarbeck? Hîc Concilium ab 18. Epiſcopis A. C. 197. habitum, in quo de celebratione Paſchatis actum eſt. *Procop. Pauſan. Dion. Amm. Marcellin. Stephanus Byzant. alii.* Populi *Oſroeni*, de quibus vide Herodian. *l.* 6. *c.* 7. & *princ. l.* 7. *c.* 1.

OSROES, Parthorum Rex, Pacori II. cui ſucceſſit, frater, à Trajano ſubactus eſt. Dionis *Fragm. è Theodos. l.* 68. ſucceſſore *Parthamaſpate*, quem vide.

OSSA, Italiæ fluv. in Tuſciâ, *Ptolemæo. Fiore* hodie dicitur. *Baudrando* nunc *Albegna*, in territorio Senenſi, & 4. milliar. ab Orbetello in Boream, Telamonem verſus, in mare Tyrrhenum ſe exonerat.

OSSA, *Sophiano Monte Caſſovo, Pineto Olira*, mons excelſus Theſſaliæ, Centaurorum ſtabulum, quem Seneca *l.* 6. *Natur. Quæſtion. c.* 25. dicit Olympo quondam fuiſſe conjunctum; Herculis autem operâ abſciſſum, ab eâ parte ubi per Tempe fluit Peneus fluvius. In hoc eſſe fertur tanta pinorum copia, ut inflexione, atque reflexione ramorum tonitrua referantur. Quod Lucan. *l.* 1. *v.* 389. tetigit:

Quantus piniferæ Boreas cùm Thracius Oſſæ
Rupibus incubuit, curvatô robore preſſæ
Fit ſonus, aut rurſum redeuntis ad æthera ſylvæ.

Virg. Georg. *l.* 1. *c.* 281. ubi de Cœo & Typhœo:

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum.

De quorum montium ſubſtructione Græci & Latini frequentiſſimè agunt, *Homer. Odyſſ.* 11. *v.* 314.

Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

Antipater Sidonius,

——— Οὐχ' Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος.

Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 307.

Sic petitur cœlum, non ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.

Horat. *l.* 3. *Od.* 4. *v.* 51. ſine mentione Oſſæ:

Fratreſque tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo.

Seneca *in Hercul. Fur. Actu* 4. *v.* 971.

Videat ſub Oſſâ Pelion Chiron ſuum:
In cœlum Olympus tertiô poſitus gradu
Perveniet, aut mittetur. ———

Et *in Agamemnone, Actu* 2. *v.* 338.

——— *Stetit impoſita*
Pelion Oſſæ; pinifer ambos
Preſſis Olympus. ———

Ovidius *Met. l.* 1. *v.* 154.

Tum pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine, & excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.

Sidon. Apoll. ad Magnum Felicem plures conjungit:

Nec Phlegræ legis ampliata rura,
Miſſi dum volitant per aſtra montes,
Pindus, Pelion, Oſſa, Olympus, Othrys.

Lloyd.

Item mons Peloponneſi, *Strab.* Item urbs Macedoniæ, *Ptol.*

OSSA, poſtquàm defunctorum cadavera in rogo eſſent combuſta, olim legi & cineribus aſſervari conſuevêre. Itaque aderat in Græcorum funeribus Κῆρυξ ſeu *Præco*, qui, ne quis ea involaret, cavebat: propinqui dein defuncti, reliquô corporis flammis conſumtô, ignem vinô ibant extinctum, Manibuſque vocatis *oſſa* (cinere deteriò, quem ſimiliter aſſervabant) lavantes aquâ, quæ in χύτραις, quas fœminæ huic operi deſtinatæ Ἐγχυτρίστριαι afferre ſolebant, ſervabatur, ea manibus legebant, lecta vinô perfundebant & lacte; mox ventô ſiccanda exponebant, ſiccata dein aromatibus & odoribus miſcentes, vel etiam unguentis ac lardô inunguentes, puro involvebant linteo, eaque reponebant in loculo, quem modò θήκην modò πύελον, modò σορὸν dixere. Homer. *Il.* ψ. *v.* 91.

Ὣς δὲ καὶ ὀστέα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

Ex auro fuiſſe, *Moſchus* videtur innuere, cùm κρωσσῶ χρυσείω: ex lapide, Plut. cum σορῶ λιθίνω, *in Numa*, meminit: ſed communiter ex cedro conſtitiſſe videtur, quod lignum difficulter putreſcit & proin νεκρῶν ζωὴ vocatur. Unde & apud Euripidem *Alc. v.* 365. Admetus eôdem tumulô cum uxore recondi deſiderans, inquit,

Ἐν ταῖσιν αὐταῖς γάρ μ' ἐπισκήψω κέδροις
Σοὶ τε δὲ θεῖναι πλευράς.

Quemadmodum de S. Auguſtino idem legimus, matris *Oſſibus* ſua jungi cupiente. Quò reſpiciens Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 156.

——— *Quos certus amor, quos hora noviſſima junxit,*
Componi tumulô non invideatis eôdem.

Et Athenienſes quidem raro plurium hominum *Oſſa* eodem in loculo reponebant, Megarenſes verò quaternorum ſæpe, ut ait *Pauſan.* Dicebantur verò *Oſſa* ſic recondita λείψανα ſive *Reliquiæ*, quibus lachrymæ ſuperinfundebantur quæque ideo ſolicitè tumulo inferebantur, ne hoſtibus ludibrio eſſent, teſte Euripide *in Oreſte.* Similiter apud Romanos, ubi uſtulatum cadaver erat, rogus *Buſtum* dicebatur, cineresque & *Oſſa* cadô ſive urnâ colligebantur, Amicis & Cognatis & aliis circumſtantibus, qui à Sacerdote ter aquâ aſpergebantur ſicque expiabantur ſive luſtrabantur. Quibus perfectis Præfica noviſſimum verbum illud altâ voce pronuntiabat, *Ilicet*: mox, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale altâ voce pronuntiabant, hôc modô; *Vale, vale, vale, nos te ordine, quô Natura permiſerit, ſequemur.* Tum cineres & *oſſa* ſepulchro inferebantur, ante quod Ara conſtituta erat, quam *Acerram Feſtus* appellatam ſcribit, in qua odores incendebantur. Quos ritus eleganter Virg. expreſſit *l.* 6. *v.* 228. *in funere Miſeni, ubi inter alia ait,*

Reliquias vino & bibulam lavêre favillam,
Oſſaque lecta cadô texit Corinæus aheno.

Apud utroſque, cùm quis peregre diem ſuum obiiſſet, *Oſſa* ejus cineresque non ſine floribus ſertiſque, in urna, magna cum pompa domum deferebantur. Quod ut fieret, multi etiam teſtamentô cavebant, ut ex *Inſcriptionibus* patet. Mulieres autem *oſſa* ſinu legebant, uti docet Heraldus *Adverſar. l.* 1. &c. Unde Ovid. *l.* 3. *El.* 3. *Triſt. v.* 65.

Oſſa *tamen facito parva referantur in urna,*
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Ubi, cùm ad compita perventum, ſolebant propinqui *Compitalia* obire tandem, modô quô dictum, poſt *Manes magnâ ter voce vocatos*, in tumulis Majorum recondebantur. Franc. Roſſæus *Archæol. Att. l.* 5. *c.* 29. Johann. Roſin. *Antiqq. l.* 5. *c.* 39. &c. Nec ea inconſultô ſacrorum Pontifice, aliò transferre licebat. Thomas Dempſter. *in Roſin. l.* 3. *c.* 33. Imò & ſacra fuiſſe habita & accenſis luminibus culta, paſſim legimus: *Quandoquidem apud omnes propemodum nationes Veteres opinati ſunt, per Mortem homines tranſire in Deos Manes, hinc mortuorum oſſa, quin & ſepulchra, tanquam ſacras res, habebant ac venerabantur*, Fortun. Licetus *de Lucernis l.* 6. *c.* 86. *ubi vocem* Licincos *in quodam lucerna explicat. Lumen illuſtrans conditorium indicat nobilitatem cultorum oſſium ſacrorum.* Ab hoc itaque *Oſſa* legendi ritu *Oſſilegium* nomen habuit. *Oſſuaria* verò dicebantur urnæ majores, in quibus urnæ plures adeoque totius alicujus familiæ reliquiæ aſſervabantur, Joh. Laurentius JCtus *Notis in Phœdrum l.* 3. *fab.* 10. *v.* 4.

Et cedo invidiæ, dummodo abſolvar cinis:

Ubi multa egregia in hanc rem. Quanto atrocior Barbarorum quorundam conſuetudo fuit, quibus capitis humani *Oſſa* pro poculis erant: quod in more fuiſſe Scythis antiquis, tradit Strabo *l.* 7. & Herodot. *l.* 4. Hungaris Anton. Bonfinius *Rer. Hungar. Dec.* 1. *l.* 1. *p.* 20. Scordiſcis, Amm. Marcellin. *l.* 20. Avaribus, Hunnis, Gepidiſque Paul. Varnefridus *de Geſtis Longob. l.* 1. *c.* 27. ubi *Albonium ex Cunimundi devicti hoſtis capite poculum*

lum ſibi concinnâſſe filiæque ejus Roſimundæ propinâſſe, ſcribit: quibuſdam ad Septentrionem colentibus populis Plin. *l.* 7. *c.* 2. Eſſedonibus Jul. Solinus *c.* 19. priſcis tandem Gallis ſeu Celtis, Silius Ital. *l.* 13. *v.* 482.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Oſſa *nefas! auro & menſis ea pocula ſervant.*

Vide iterum Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. l.* 5. *c.* 30. Sed & ſpargebantur nonnunquam *oſſa* ſeu reliquiæ exoſorum hominum. Ovid. *in Ibin. v.* 302.

Nec tua quàm Pyrrhi feliciùs oſſa quieſcant,
Sparſa per Ambracias quæ jacuêre vias:

more vetuſtiſſimô, cujus & in Sacris mentio, 2. Regum *c.* 23. *v.* 14. & 15. ubi Joſias Rex idoleja profanaturus, mortuorum *oſſa* in illas ædes intuliſſe, legitur &c. Mediô ævô in Eccleſia *Oſſa* martyrum conſociandi oſſibus defunctorum conſuetudo invaluit, indigitata Ambroſio *Serm.* 9. *de Sanctis*, qua de quid ſentiendum, Vide Jo. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 7. *c.* 5. §. 15. uti de Veterum more *cineres* & *oſſa charorum miſcendi*, plura apud Caſaubon. *ad Sueton.* Ut & alia quædam paucis aſpergam. Animalium *oſſa*, quaſi prò vitânda eorum peſte, alicubi ſuſpendere, vetitum eſt in Concilio Londonienſi A. C. 1075. & in *Decretis* Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi in *Monaſtico Anglic. Tom.* 3. *p.* 307. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Nec omittendum, ſtylô *oſſeô* in ceratis tabulis olim Veteres ſcriptitâſſe; unde Titinnius vetus Comicus; apud Soſipatrum *l.* 1. *Velim ego* oſſe *arare campum cereum.* Sed hac de re vide ſuprà, voce *Graphium*, & infra, ubi de Veter. *Stylo*; ut & de *Oſſium* Dea, voce *Oſſilago*, de vocibus *Oſſilegium* & *Oſſuarium* infrà, voce *Urna*, & *de divinatione ex Oſſibus* ſuprà, voce *Divinatio*; & *de duritie oſſium Hippopotami* ſuô locô, & de *Oſſium* pro ſigno uſu, voce *Lebes*, pro libris voce *Teſta*.

OSSÆI & OSSENI, Græcè Ὀσσηνοὶ καὶ Ὀσσαῖοι, iidem cum *Eſſenis*, ſecta Judæorum: quæ nomina quòd diſtinguat *Epiphanius*, quodque de Oſſenorum ſecta multa narret, quæ ab Eſſenorum propoſito quadantenus aliena videantur eſſe, mirum non eſt. Omnia tempore mutantur; paucæque ſectæ puritatem inſtituti ad ultimum ſervârunt. Quod proin tempus vel hæreſiarcha in Eſſenorum vel Oſſenorum inſtitutis ac moribus, immutârunt, hoc Epiphanius nominibus ſeparavit, ut alii fuerint *Eſſeni*, alii *Oſſeni*; aliter antiqui Eſſeni vixerint, aliter novi: quos *Oſſenos*, veluti ab illis Eſſenis veterib. diverſos, ideo poſuerit Auctor ille. Quod in illo non mirabitur, qui cum noverit ſatis; Scribit idem Exai quendam cum fratre Jexæo ſeſe adjunxiſſe Oſſenis, Trajanô imperante, qui, ut Pſeudopropheta, non pauca in illa ſecta obſervaverit & ab inſtituto deflexerit. Quæ utut ſe habeant, nomina hæc certè propria ſunt, nec habent quidquam cum Oſſenis vel Oſſæis commune: Quos *Oſſæos* in eadem regione collocat, ubi Eſſenos coluiſſe tradunt antiqui Scriptores, juxta Mortuum videl. mare in Peræa, prope Sampſitas vel Sampſæos, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 610. & in voce *Eſſeni*.

OSSARIA, oppid. agri Peruſini: juxta lacum Peruſinum, quo in loco Annibal Romanos cecídit; hinc ab oſſium multitudine, quæ poſt eam ſtragem Romanorum militum hîc remanſêre, nomen loco inditum *Oſſariæ*. Vide *Oſteodes*.

OSSATURA Geocoſmi. Vide *Montes*.

OSSATUS Arnoldus cui natale ſolum *Caſſagnabere* in Aquitania, parentibus obſcuriſſimis pauperrimiſque ortus, primò Rhetoricam ac Philoſophiam Lutetiæ, docuit; dein Juri ſub Cujacio operam dedit: Paulo Foxio in Legatione Rom. à ſecretis. poſtmodum, poſt hujus obitum, reconciliatione Henrici IV. cum Sede Rom. ex voto peractâ, purpuram meruit. Obiit A. C 1604. ætat. 68. fermè *Literæ* ejus maximi æſtimantur. Scripſit & alia quædam. Vide *Elogia* Teiſſeir *part.* 2. & ſuprà *Arnoldus Oſſatus*.

OSSENBURGUM, ſive OSNABRUGUM, inſignis Saxoniæ civitas, à Julio Cæſare erecta, duobus Canonicorum collegiis celebris. Multum ſibi lucri ex cinericio & lineo panno comparat; ſub paucis annis munitior facta: ſitu amœnam obtinet vallem, amnique Haſâ irrigatur. Carolus M. Saxonibus poſt 33. annorum bellum edomitis, Widekindi etiam arce, huic urbi vicinâ, expugnatâ, eaque impoſitô præſidiô firmata, decem in Saxonia Epiſcopatus inſtituit, quorum præcipuum Oſnaburgenſem eſſe voluit. Summè etenim hanc urbem præ cæteris coluit, cui privilegium novæ Scholæ conceſſit, ubi Græcæ & Latinæ literæ à viris doctis traderentur, *Munſterus*, Vide *Oſi*, & *Oſnabrugum*.

OSSERIA, vulgò OSSERY, urbs Hiberniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Dublinenſi, in Laginia regione, Fano S. Canici propinqua, ad 3. mill. paſſ. recedens, *Camdeno* autem & aliis non urbs eſt, ſed comitatus, qui Epiſcopatum habet conjunctum Kilkennienſi, cujus ſedes Epiſcopalis Kilkennia eſt, ſeu Fanum S. Canici.

OSSERIATES, *Ptol. Oſeriates*, Plinio *l.* 3. *c.* 25. populi Pannoniæ ſuperioris apud Dravum fluv. incolentes, Jaſſiis & Coletianis finitimi.

OSSET, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ quod & *Julia Conſtantia*, Plinio *l.* 3. *c.* 1. Hiſpali finitimum, ſed exciſum, *Triana Pineto*: *Sevilla la Veja Marinæo.* Nunc in Vandalitia, *Triana*, urbs ex adverſa parte Bætis fluv. contra Hiſpalim. *Baudrand.*

OSSIDA vel OSSIDUS, vulgò l'OSSE, fluv. Galliæ, in Aquitania, qui Geliſam vel Gelidam *Geliſe*, Eluſatium amnem & Baliſam Condomienſem Neracenſemque fluvium, *Baiſe*, dictum, infra Aginnum in Garumnam defert, & vico, quem *Foramen Oſſidæ* vocant *Hour d'Oſſe*, nomen dedit: quanquam alii contrà *Oſſidam* ad vicum iſtum in Geliſam effluere, Geliſam ipſum à Baliſa excipi, atque in Garumnum devolvi aſſerunt. Ad *Oſſidam* eſt Monteſquivum oppid. *Monteſquiou*, forſitan Taſta *Oſſidatium*, apud *Ptolom.* cùm ait: Ὑπὸ Γαβάλλους Δατιοι καὶ πόλις Τάσα, ubi, quia Datii inter Aquitaniæ populos, apud *Strabonem* & *Plinium* reliquoſque veteres Geographos nuſquam reperiantur, multò minùs apud Hiſtoricos, Cæſarem alioſque, verba mendoſa eſſe & repetitione unius ſyllabæ ſic reſtitui oportere, contendit Valeſius, Ὑπὸ Γαβάλλους Ὀυσδάτιοι, aut Ὀυσιδάτιοι, vultque *Oſſidatios* vel *Oſidatios* dici à *Ptolemæo*, qui Latinè *Oſſidates* vocantur, à fluvio cognomine. Certè à Plinio, *l.* 4. *c.* 19. inter Aquitaniæ gentes, numerantur *Oſſidates Montani* & *Oſſidates Campeſtres*, aliàs *Oſquidates*, ambo à diverſo ſitu ſic nominati. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.* in voce *Aquæ Tarbellicæ*.

OSSIFRAGA, vide infrà *Peres*.

OSSIGI, quod *Laconicum* cognomen oppid. Hiſpanici conventus Cordubenſis Plin. *l.* 3. *c.* 1.

OSSIGITANIA, urbs Hiſpaniæ Bæticæ Idem *ibid.*

OSSILAGO, Dea, oſſium ſolidatrix, Arnob. *l.* 4.

OSSIPANGA, inter Numina Romanorum, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 3. *Si aër illa* (Juno) *eſt* —— *nulla ſoror & conjunx omnipotentis reperietur Jovis, nulla* --- *Pomona, nulla* Oſſipanga, *nulla Februtis.* &c Ubi vulgò *Oſſipagina* legitur. A *pangendo* dicta; ut cujus munus ſolidare parvis infántibus Oſſa, ut idem habet *l.* 4. Niſi malis *Oſſipagam* indigitari, à *pago*, verbo antiquo, *l.* 4. G. Stewechius *Electis ad l. prior.* qui pro *Oſſilago* binis locis idem reponi vult. Heraldus tamen, pro *Pomona & Oſſipagina* legentes *Sororia & Opigena*, non rejicit, *animadverſionibus adlecit.*

OSSONABA, urbs Luſitaniæ exciſa. *Luſturia* Plinio *l.* 3. *c.* 1. *Onoba* Melæ, *l.* 3. *c.* 1. *Sonoba*, *Straboni. Exuba* Mauris dicta, *Eſicy* Hiſpanis, & *Eſtombar* aliis, apud Sylvam urb. quæ illi ſucceſſit, longitud. 11. 30. latitud. 37. 00. *Baudrando* urbs Luſitaniæ. Nunc *Silves* quibuſdam, aliis *Eſtombar*, 1. leuc. in Meridiem paulo ampliùs ab ora Sinus Gaditani, 8. leuc. Hiſpanic. à promontorio Sacro in Ortum, Fanum verſus. In regno Algarbiæ, 23. leuc. à. Salacia.

OSSORIA, Vide OSSERIA.

OSSORNUM ſeu OSORNUM, Hiſpan. *Oſorno*, oppid. Hiſpaniæ, cum titulo Comitatus, ad cujus imitationem cognomine oppidum in Regno Chiles ab Hiſpanis excitatum eſt, Vide in *Oſornum*. Eſt autem *Oſſornia* Familia, Mauriciæ ſtirpis ramus: in qua cùm duæ præcipuè lineæ ſint, *Caſtannedenſis* & *Trebinnenſis*: in illa Garſias Fernandezius Manricius, Infantis Aragoniæ Henrici primarius Miniſter, ex Aldoncia Caſtellana genuit Johannem Fernandezium, qui Caſtannedenſes propagavit & Gabrielem, qui *Comitis Oſornenſis* & *Ducis Galiſtei* dignitatem obtinuit: quarum illa ad poſteros, è quibus etiam Antonius quidam à conjuge Anna *de Luna* & *Arellano* Comes *de Morata* factus eſt, hucuſque propagatur. Fuit enim Gabriel is Pater, ex Aldoncia (filia Alfonſi Perezii *de Bibero*) pater Petri Manricii, Comitis *de Oſorno*: quô & Tereſiâ Toletanâ (filiâ Garſiæ Alvari Ducis Albæ) natus Garſias Fernandus Manricius Comes *de Oſſorno*, ex Maria Henricia *de Luna*, ſuſcepit Petrum Fernandezium Manricium Comitem *de Oſſorno*, maritum Elviræ Henriciæ *de Cordubа* (è Marchionibus *de Priego*) & ex ea Patrem Garſiæ Fernandezii II. Manricii Comitis *de Oſſorno*: qui junctâ ſibi Tereſiâ Henriciâ (filiâ Didaci Henricii Guzmani Comitis *de Alba de Aliſte* ſeu *de Liſta*) filium habuit Petrum Manricium Comitem de *Oſorno*, cui Catharina Zapata *de Mendoza* (filia Franciſci Zapatæ *de Ciſneros* Comitis *de Barajas* & Mariæ de *Mendoza*) peperit Johannem (qui obiit . . .) Garſiam Fernandezium, Comitem *de Oſorno* Ducem *de Galiſteo*, cui nupſit Anna Maria *de la Cerda*, & Franciſcum Equitem Alcantaræ, qui hôc ſeculô floruerunt, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part.* 2. *p.* 68.

OSSUNA, nomen Familiæ in Hiſpania itidem illuſtris, quæ Marchionum Gironiæ ſtirpis ramus eſt. Cùm enim Alfonſus Acugna, Marchio Gironum tini fil. à matre Tereſia, ex antiqua & celeberrima Gironum ſtirpe oriunda, *Gironis* aſſumſiſſet nomen, huic uxor deſponſata Maria (filia Johannis Fernandezii Pacheci Dn. *de Belmonte*) ſuum item nomen in hanc gentem intulit. Horum primo filio Johanni, *Pacheci*, nomen impoſitum, alteri Petro *Gironis*, à quo poſteriore deſcendunt Comites de *Urenna*, ex quibus deinde Duces *de Oſſuna* & Marchiones *de Pennafiel* orti ſunt. Fuit enim Petrus Giron M. Magiſter Ordin. *Calatravæ*, qui obiit A. C. 1466. Pater, ex Iſabella *de las Caſas* Sevilienſi, Johannis Tellis I. Gironis Comitis Urennæ: quô & Mariâ *de la Vega Velaſco* (filia Petri Fernandi *de Velaſco* Conneſtabilis Caſtellæ, Comitis *de Haro*) genitus Johannes Telles II. obiit A. C. 1558. relictô, ex Maria *de la Cueva* (Franciſci Fernandi *de la Cueva* Ducis Albuquerquii filia) filiô Petro Girone I. Duce *de Oſſuna*. Hic ex Leonora Anna Guzmania (Joh. Alfonſi Guzmani Ducis Methymnæ Sidoniæ filia) Johannem Tellezium I. Gironem ſuſcepit, Marchionem *de Pennafiel* Ducem *Oſſunæ*, qui deceſſit A. C. . . Pater ex Maria *de Velaſco* (filia Inici Fernandi Conneſtabilis Caſtiliæ Ducis *de Frias*) Petri Gironis II. Ducis *Oſſunæ*, cui Catharina Henricia *de Ribera* (filia Fernandi Ducis Alcalæ) peperit Johannem Tellezium II. Gironem, Ducem *Oſſunæ*, Marchionem *de Pennafiel*, Proregem Neapolitanum, cui Iſabella nupſit (filia Chriſtophori Gomezii *de Sandoval* & *Roxas de Uzeda*) ex eo mater Caſpari Tellezii Gironis Ducis *Oſſunæ* & Uzedæ, Marchionis *de Pennafiel*, Comitis *de Urenna*, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 70. & *Part.* 3. *p.* 57.

OSTAMA, urbs Arabiæ Felicis *Ptolem.*

OSTANES, vide ſuprà *Dies*.

OSTENDA, urbs Flandriæ munita, cùm portu ſatis commodo, in ora maris Germanici celebris triennali Hiſpanor. obſidione. Quidam addunt tres menſes, cum totidem ſeptimanis, diebus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

diebus & hòris. Dedita eſt Alberto Archiduci, A.C. 1604. Intra paludes, 3. leuc. à Novoportu in Cæciam, 4. ferè à Brugis in Occidentem, uti à Dixmuda in Boream, ſub Hiſpanis, quibus ſolus hic portus in Flandria ſupereſt.

OSTENDERE, apud Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 239. ubi de triumpho Bacchi, ex India revertentis,

——— *nigri vexilla triumphi*
Liber, & ignotos populis oſtenderet *Indos:*

eſt inferre communi publicoque aſpectui. Sic Auctor *Panegyrici ad Piſonem*,

——— ——— *Mæcenas ulta Latinos*
Eruit & populis oſtendit *mœnia Grajis.*

Aliàs *Oſtentare*. Illuſtris de Caractaco Britanno à Romanis victo, capto, Romamque deducto, ſub Claudio I. A.C. 50. Taciti locus, *Annal. l.* 12. *c.* 36. *Vocatus -- ut ad inſigne ſpectaculum populus.---- Tunc incedentibus regiis clientelis phaleræ torqueſque, quæque externis bellis quæſierat, traducta; mox fratres, & conjux, & filia: poſtremò ipſe* oſtentatus *ceterorum* &c. Quod paulò poſt *Oſtendere* itidem vocat. *c.* 38. *Vocati poſthac patres multa & magnifica ſuper captivitate Caractaci diſſeruêre; neque minùs id clarum quàm cùm Syphacem P. Scipio, Perſem L. Paulus, & ſi qui alii vinctos Reges populo Rom.* oſtendêre. Alibi *Viſui præbere*. Vide infrà. Inde *oſtenſio* idem, quod Græcis φαντασία, & *Oſtenſionale*, quod φαντασιῶδες, unde *Oſtenſionales Milites*, οἱ φαντασιώδεις, de quibus infrà. *Pompaticum* pro eodem dixêre. Unde *carrum pompaticum*, & *pompabilis ornatus*, eſt φαντασιώδης. Trebellius *in Gallienis*, *c.* 8. *Mille CC. gladiatores pompabiliter ornati*. In *veteri Saxo*, hôc ſenſu *Oſtenſio* occurrit: CLAVDII. TIBERII. FACTA. HOMINVM. ARMIGERORVM. OSTENSIONE, Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 33. Alia vocis ſignificata, vide apud Calvin. *Lexico Jurid.* & Car. du Freſne *in Gloſſario*. At apud Martialem *l.* 1. *Epigr.* 70.

Cœpit, Maxime, Pana quæ ſolebat,
Nunc oſtendere *Canium Terentos:*

verbum veluti portentum exhibere denotat, quod & δεῖξαι Græcis. Atque hôc ſenſu inde *Oſtentum* deſcendit, de qua voce infrà. In S. Euchariſtiæ verò negotio, quid verbum hoc notet, videbimus infrà, ubi de *Pane Euchar.*

OSTENSIONALES Milites, apud Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 33. dicti videntur, qui *oſtentui* modò, non bellicæ rei cauſâ habebantur. *Pompabiliter ornati*, Trebellio *d. l.* φαντασιώδεις Græcis: σχολάριοι Agathiæ *Hiſtor. l.* 5. *Proſpicui cultu atque formâ* Senecæ *Ep.* 110. &c. quippe ad pompam tantùm Imperatore aliquoverſum prodeunte, ornati. Cujuſmodi videntur fuiſſe quinque millia militum, quos plauſibus & pompæ Theatricæ aptavit Nero, cùm populo placere vellet, apud Dionem *fine l.* 61. Eos *non pretioſis, ſed ſpecioſis clariſque veſtibus ornabat ---- dicens, Imperium in virtute eſſe, non in decore*, Lamprid. *loc. cit.* Vide Caſp. Barth. *ad Stat. Theb. l.* 7. *v.* 620. & *l.* 12. *v.* 15. nec non ſuprà, voce *Cohortalini*, & infrà *Pompa*, it. *Proſpicui. Subarmalis.*

OSTENTA, quæ hominum mortes, vel ingentia prælia, vel Imperiorum mutationes ſæpiſſime antecedunt, nuncque in cœlo vel aëre contingunt, nunc terrâ marive, argumento Veteribus fuêre, dari Dæmonia & Subſtantias quaſdam homine nobiliores. Unde & acutus ille Hetruſcus, ſed fortè non multo Gentilibus religioſior, Machiavellus videl. *Diſput. l.* 1. *c.* 36. *Magnos*, inquit, *motus prædici ſolere, cùm in urbibus, tùm in provinciis, idque ſignis quibuſdam aut hominum præſagiis denuntiari*. Et paulò poſt, *Ut cauſam facilè confitebor me ignorare; ita rem ipſam, cùm ex antiquis, tum novis exemplis agnoſcere oportet & confiteri, omnes magnos motùs, quicunque aut urbi alicui, aut Regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis aut cœleſtibus ſignis prædici ac prænuntiari ſolere*. Mox pergens, ea ad Spiritus, cùm nollet ad Supremam recurrere cauſam, refert, *Niſi fortè cum Philoſophis quibuſdam pronuntiandum cenſeamus, aërem plenùm Spiritibus & Intelligentiis eſſe: quæ futuras res prævidentes & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuntient, ut ſe adverſûs eas tempeſtivè præparare & communire queant*, apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 1. *c.* 6. Hæc, ut & monſtra ac prodigia, ex conſilio & præſcripto Augurum ac Aruſpicum, Quindecimque Virorum, (qui libros Sibyllinos ſuper his rebus adibant & inſpiciebant, ut averruncaretur malum, quod illa minabantur) procurare Romani ſolebant. Hinc Cicer. *de divin. l.* 2. *Quemadmodum*, ait, *ſigna, quæ à Diis hominibus portenduntur, procurentur atque expientur; hoc prænoſcere unum ex officiis divinationis ponebat Chryſippus*. Quô ſenſu *procurandi* verbô ſæpeutitur Livius, inprimis *l.* 31. 34. 37. 38. 39. Gellius *l.* 4. *c.* 6. Phædrus *l.* 3. *fab.* 4. *v.* 16.

Si procurare vis Oſtentum, *ruſtice &c.*

Imò neque tantùm in his, ſed etiam in ſomniis paulo triſtioribus procurandis, mirè ſuperſtitioſi erant iidem. Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 5. *v.* 13.

Ipſe procuravi, ne poſſent ſæva nocere
Somnia, ter ſalſâ deveneranda molâ.

Vide Guilielmum *quæſt. Plaut. ad Amphitruonem*, & ſuprà in voce *Mola*. Sic & fulmen procurabant, expiantes locum fulguritum, ſivè bidental: & quidem procurandi ejus ritum quô pactô Numa Pompilius didicerit, eleganter & callidè deluſô Jove, qui humanis capitibus (quibus Patri quoque illius Saturno fieri ſolitum acceperimus) fulgurita procurari volebat, ſed pro his capillum cœpitium ſibi à Numa obtruſum tandem acceptavit, ex *l.* 2. Furii Antiatis, refert Arnob. *adv. Gentes l.* 5. quò & *Joh. Sariſberienſis* alludit. Inde *Depulſorium*, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. ſacrum ſignificat, quô imminens malum depellitur, teſte Turnebô *Adverſar. l.* 23. *c.* 11. atque eâ ſignificatione Val. Max. alicubi *Portentorum depulſa* dixit, & Perſius *Sat.* 5. *Deos depellentes*, qui aliis *Averrunci*: Similiter, *Amuletum* Plinio, *l.* 25. *c.* 9. ab *amolior*, ἀλεξιφάρμακον, præſertim adverſus faſcinum, ſignificat. Joh. Lautentius JCtus *Notis in Phædrum loc. cit.* Vide quoque Perottum *de differ. inter Oſtentum, Prodigium & Monſtrum*, & plura, apud Jo. Calvin. *Lexic. Jurid.* Addam ſaltem, apud veterem Agrimenſorem *de Ponderibus* hâc voce notari minimam horæ partem. Ita enim is, *Hora conſtat* 115. *punctis*, 10. *minutis*, 15. *partibus*, 40. *momentis*, 60. *oſtentis* &c.

OSTEODES, inſulæ Siciliæ adjacentes ab ea parte, quâ Africam ſpectat, Plin. *l.* 3. *c.* 8. vulgò *Li Pozzeli*. Nomen Græcum eſt *ab oſſibus* defunctorum ibi fame à Carthaginenſibus interfectorum, teſte *Diodorô Siculô*. *Baudrando* aliter *Uſtica*, quod vide. Inſul. Æoliarum Occidentalior, 36. milliar. ab Ericuſa in Occaſum, 70. à Solunte, urbe Siciliæ in Boream.

OSTERA, Germanic. *Oſter*, Dea olim Saxonum, cui ſacra quotannis, Aprili recurrente, faciebant: unde feſto, quod in memoriam mortis à Deo Dominoque noſtro triumphatæ eôdem menſe celebrari ſolet, apud Germanos, hodieque appellatio manet, meliori vocabulô jure mutanda, vide Bedam, Schildium, *de Chaucis l.* 2. *c.* 3. alios. Ab eadem, & illi dicata ſaltuoſa ſacratarum arborum frequentia in Chaucide majore nemoroſum pagum *Oſterholt*, quaſi *Oſteræ lucum*, denominatum cenſet idem Schildius *c.* 4. Cœterùm de feſto Chriſtianorum inde *Oſterfeſt* appellato, vide voce *Paſcha*.

OSTERHOFUM, oppid. Bavariæ inferioris *Metel.*

OSTERLANDIA, tractus Miſniæ, ſub Duce Saxoniæ Altenburgenſi, majori ex parte. Inter Thuringiam ad Occidentem, Voitlandiam ad Meridiem, Naumburgenſem Diœceſin & Lipſienſem tractum ad Boream cum reliqua Miſnia ad Ortum. Ejus urbs præcipua Altenburgum.

OSTERVICUM, aliis OSTROVICUM, oppid. Halberſtadienſis Principatus ad amnem Olſam, ubi aliàs ſedes Epiſcopalis ſub Electore Brandeburg. 3. milliar. Germanic. ab Halberſtadio in Occaſum, 5. ferè à Brunſvico in Meridiem.

OSTFRISIA, ſeu *Friſia Orientalis*, (quam vocem ſi placet, vide) Comitatus fit, ſeculô 14. Circa Annum enim Chr. 1350. paſſim per Friſiam Tranſamaſanam familiæ nobiles caput efferre, & ſub Præfecturarum titulo, varios Capitaneatus exſtruere cœperunt: cujuſmodi fuêre, in Roſtringia, Oſtringia, Wangria, Jevera, Kniphuſa, Inhuſa, Brocmeria, Auricana, Marienhova, Embda, Grætſela aliiſque locis, complures. Quæ familiæ cùm mutuis cædibus ac bellis paulatim attritæ fuiſſent, Ulricus Sircſena, Dynaſta in *Gretſiel* & *Pilſum* creatus Comes Oſtfriſiæ ſive Embdæ, à Friderico III. Imperatore A. C. 1454. & decennio pòſt Embdæ proclamatus eſt; ex Edſardi Capitanei in *Grezil*, qui Ennonis Ulrici mortui A. C. 1373. pater fuit, ſtirpe oriundus; frater Edſardi, quem Friſii Rectorem & perpetuum Judicem elegerant. In Edſardi I. filiis, qui A.C. 1506. Groningenſium Dominus factus, contra Georgium Saxoniæ Ducem huic ſuo juri poſtea renuntiavit; illudque in Carolum Ducem Gelriæ tranſtulit, divergium linearum primum factum eſt, cùm in Belgico Johannes *Falcoburgiam* lineam orſus eſſet: quæ tamen intra tertium gradum eſt extincta. Altera linea in Friſia ſubſtitit, ubi Johannis frater Enno, Edſardum genuit, duarum linearum, quæ hodieque ſuperſunt, auctorem. Inter has altera *Rietbergia* eſt, ſatore Johanne: altera ipſa *Friſia*, Ennone III. propagatore, cujus ſeries hæc eſt. Ulricus I. Comes & Dn. Friſiæ Orientalis, defunctus A.C. 1466. ex Theda (filia Ucconis Lerani Dn. *de Aurick*) ſuſcepit Edſardum vel Ezardum I. cui modò Groninganos ſe ſubmiſiſſe diximus. Hic obiit A.C. 1528. Pater, ex Eliſabetha Rietbergica (filia Johannis Comitis Rietbergæ) Ennonis I. Comitis ac Dn. Friſiæ Orientalis, cum quo Anna Dorothea & Maria ſorores, Dominæ Jeveræ, pacta de ſucceſſione iniverunt A.C. 1527. quorum poſtea pertæſæ, ditiones ſuas Carolo V. Imperatori ut Burgundiæ Duci feudatarias fecerunt, A. C. 1532. (Unde prætenſio *Oſtfriſiæ* Comitum in Jeveram, Oſtringiam, Ruſtringiam & Wangriam.) E quibus Maria ſola ſuperſtes, Johannem XVI. Oldenburgicum Comitem poſtea hæredem inſtituit, quô pactô hæ ditiones à Friſia avulſæ, Comitatui Oldenburgico annexæ fuerunt A. C. 1575. Natus eſt autem Ennoni, qui obiit A.C. 1540. ex Anna Oldenburgica (filia Johannis Comitis) Edſardus II. ſub quo urbs Embda, ex confluxu peregrinorum, inprimis Anglorum & Belgarum, maxima incrementa ſumſit: unde inter Comites & Urbem ſub A.C. 1595. graves controverſiæ, arx Comitis ab Embdanis direpta & Belgicum præſidium intra urbem receptum eſt, Thuan. *l.* 114. Quæ turbæ aliquoties compoſitæ, tractatu inprimis Delfzylanô, frequenter iterum exarſerunt & ad noſtra uſque tempora continuantur. Obiit verò Edſardus A. C. 1599. relictô ex Catharina Suecica (filia Guſtavi Regis) Ennone II. Comite & Dn. Friſiæ Orientalis, qui extinctus A.C. 1625. ex Anna Holſata (filia Adolfi Ducis Sleſuici & Holſatiæ) reliquit Ulricum II. Comitem & Dn. Friſiæ Orientalis extinctum A. C. 1648. Quô & Johannâ Haſſiacâ (quæ, filia Ludovici Landgrav. Haſſiæ, obiit A. C. 1659.) nati ſunt Enno Ludovicus (natus 1632. denatus 1660.) Georgius Chriſtianus (natus 1634. denatus 1665.) & Edzardus Ferdinandus (natus 1636.) è quibus Enno Ludovicus *Princeps Imperii* creatus, à Ferdinando III. A.C. 1650. ex Juſtina Sophia (filia Alberti Friderici Comitis Barbienſis) genuit Julianam (natam 1657.) & Sophiam Wilhelminam (natam 1659.) *Principes Friſiæ Oriental.* &c. *in Norden*: Georgius Chriſtianus, idem Principis axioma cum fratre nactus, ex Chriſtina Carola Wirtenbergica (filia Eberhardi Ducis) ſuſcepit Chriſtianum Eberhardum, cum ſorore præmortua, *Principem Friſiæ Oriental.* ſeu *Emdæ*: Tertius verò Edzardus Ferdinandus, ex Anna Dorothea Criechingenſi (filia Alberti Ludovici Comitis) duos reliquit filios, *Comites Friſiæ Orientalis*, quorum alter natus eſt A.C. 1667. d. 31. Dec. pridie.

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quàm Pater extingueretur. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Part.* 1. *p.* 78. 162. & 163. Vide quoque Georg. Hornium *Orbe Polit. Part.* 2. ut & in vocibus, *Edſardus* ac *Embda.*

OSTGOTHI, ſeu *Gothi Orientales*, veteris Germaniæ gens, primò Thraciam & Græciam, inde Pannonias, inſederunt; veſtigia eorum poſtea Hunnis inſequentibus. Ex Pannonia poſtmodum profecti, debellatô Odoacrô, Herulorum Rege occupârunt Italiam, primumque in hac Regem habuerunt Theodoricum, qui ſedem novi Regni ex urbe Roma Ravennam tranſtulit, Romam ipſam magnificè exornavit; Princeps laude digniſſimus, niſi quòd Arianâ impietate infectus fuit & Symmachum Boëthiumque, viros clariſſimos, è medio ſuſtulit. E ſucceſſoribus ejus Vitiges, Româ integrô annô obſeſſâ, in oppugnatione ejus unâ die amiſit triginta ſuorum millia, & poſtquam octuagies novies certatum eſſet, obſidionem deſerere eſt coactus. Poſtmodum, Mediolanô à Belliſario Juſtiniani Imperatoris celeberrimo duce, cæſis trecentis millibus, expugnatô, captus ac Conſtantinopolim in triumpho deductus eſt. Quô pactô confractis Gothorum in Italia viribus, de gloria eorum non parum deceſſit: donec eas Totilas utcunque reſtituit, à quo Roma, poſt ingentem famem bis expugnata eſt. Eô ex vulneribus mortuô, reliqui Gothorum Regem elegêre Tejam, quô ad Nuceriam victô, Narſes Eunuchus, Juſtiniani Dux, Regnum *Oſtgothicum* in Italia funditus delevit. Sed cùm Sophia Auguſta Narſetem contumelioſiùs habuiſſet, ipſe ultionis ſtudiô ardens, Langobardos ex eadem Pannonia in Italiam evocavit, qui circa A. C. 570. Langobardicum ibi Regnum fundârunt. Hæc de *Oſtrogothis* memorabilia, annotavit Hornius *Orbe Polit. Part.* 3. *p.* 60. Idem obſervavit, non minùs *Oſtgothos*, quàm Langobardos Reges, Weſt-Gothorum ſeu Viſo-Gothorum in Hiſpania exemplô, qui à capto A. C. 429. Toleto *Flavii* cognomentum aſſumſerant, eôdem, ut ſignificarent ſe pares eſſe Imperatoribus Romanis quoque aſſumtô, *Flavios*, cognominari voluiſſe, *Orbe Imper. p.* 160. Vide quoque *Oſtrogothi.*

OSTHA, Indiæ citerioris urbs, *Ptolem.*

OSTIA, urbs ad oſtia Tiberis ſita, ab Anco Martio condita, teſte *Liviô*, *l.* 1. *c.* 33. deſtructa à Saracenis. Sita in ipſo mari fluminiſque confinio, ab urbe Româ 16. mill. paſſ. diſtans. Ad Cardinalem ſeniorem, à quo Pontif. Max. coronatur, pertinet. Hîc Fauſta mulier unô partu duos mares, & duas fœminas peperiſſe dicitur. *Strabo* τὰ Ὤστια dicere ſolet, ubi alii τὴν Ὠστίαν vocant. Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάσσης ἀκῶν πόλιν ὁ βασιλεὺς ἐντειχίσας, ἣν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὠστίαν ὠνόμασεν, ὡς δ' ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν θύραν. Feſtus, *Oſtiam urbem ad exitum Tiberis in mare fluentis, Ancus Martius rex condidiſſe, & fœmineô appellâſſe vocabulô fertur.* Quòd autem *Strabo* ait, Oſtiam eſſe ἀλίμενον διὰ τὴν πρόχωσιν, repugnat Dionyſius, cujus hâc de re verba operæ pretium fuerit attexere: Ἐπίνειον ἔγνω κατασκευάζειν ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς αὐτοῦ, λιμένι χρησάμενος αὐτῷ τῷ τοῦ ποταμοῦ στόματι. Εὐρύνεται γὰρ ἐπὶ πολὺ τῇ θαλάττῃ συνάπτων, καὶ κόλπους λαμβάνει μεγάλους οἵους οἱ κράτιστοι τῶν θαλαττίων λιμένων. Ὃ δὲ μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις, οὐκ ἀποκλείεται τοῦ στόματος ὑπὸ τῆς θαλαττίας θινὸς ἐμφραττόμενος. Idem Dionyſ. affirmat, Tiberis oſtium unum eſſe γνήσιον, quô mare ingrediatur. Ac Rutilius *v.* 179. *Itinerar.* ita ſcribit:

Tum demum ad naves gradior, quâ fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis,
Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet.

Nic. Lloydius. Baudrando fuit urbs aliàs Latii, aliter *Oſtia Tiberina*, nunc Campaniæ Regionis, 12. milliar. à Roma in Meridiem in ora maris Tyrrheni ad oſtia Tiberis, vix unô aut alterô à Portu in Ortum. Ejus Epiſcopus ſemper Decanus eſt Collegii Cardinalium, ſed non ab illo, verùm à primo Cardinal. Diacono Papa coronatur. In ruinis, propter cœli gravitatem fermè inculta. Hîc Monica obiit, D. Auguſtini mater. Inde *Oſtienſis lacus*, hodie penè exſiccatus; & *Oſtienſis Porta*, una ex Portis Romæ, quæ *Tergemina*, & vulgò *Porta di S. Paulo* vocatur & *Via Oſtienſis*, quæ Oſtiam deducit.

OSTIA, in Circo, apud Romanos duodena, unâ ſimul machinatione pandi ſolebant, quum quadrigæ emitterentur, licèt quatuor duntaxat quadrigas ex 4. oſtiis per ſingulos miſſus emitti, ſolenne eſſet. *Caſſiodorus. Biſſena oſtia ad duodecim ſigna poſuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demiſſis ſubitâ æqualitate panduntur, docentibus totum illic, ut putatur, conſiliô geri, ubi imago capitis cognoſcitur operari.* Nempe ab una parte ſex, ab altera totidem aperiebantur, exceptô mediô oſtiô, in quo Conſulum ſedes atque Editoris; quod non ſolebat cum cœteris aperiri, vel ſi aperiebatur, nullæ ex eo emittebantur quadrigæ. Ibidem in Conſtantinopolitano Circo Mapparius quoque ſtabat, qui officium ſuſtinebat mittendæ mappæ, ſicque ſignum quadrigis dandi. Græci, Δώδεκα δὲ ὕσπληγες κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα ζῳδίων, Μαππάριος δὲ καλεῖται ὁ ἐν τῷ μέσῳ ἱστάμενος, καὶ τοῦ δρόμου ἔχων τὸ σύνθημα, *Duodecim verò carceres*, (ſeu oſtia) *ad imitationem duodecim ſignorum zodiaci. Mapparius autem vocatur, qui in medio eorum conſiſtens, curſûs ſignum dat.* Sola verò ſex illa, quæ ad dextram primarum metarum & à latere dextro illius mediæ januæ erant, neceſſaria fuêre mittendis quadrigis, quia à dextra ad ſiniſtram curricula ſua peragebant. Et quidem ex his iiſdem ſenis, ſola quatuor prima quadrigas emittebant quatuor certaturas ſingula ſingulas: quod ab eo tempore obtinuit, quô in quatuor colores & greges tota Circi factio diviſa eſt. Hôc enim conſtitutô, quatuor aurigæ cum ſuis quiſque coloribus per ſingulos miſſus certabant. Olim verò plures currus in hoc certamen equeſtre deſcendebant. Apud *Homerum*, quinque currus committunt in funere Patrocli; In Archemori, apud *Statium*, ſex; Apud Sophoclem, *in Electra*, decem. Apud Anonymum *de Vita Alexandri*, novem: ita numerus certantium quadrigarum certus non fuit. An legitimum dicemus fuiſſe, ut ſex unâ miſſione contenderent, ideoque Tarquinium Priſcum, ſi modò is in Circo Maximo primus carceres extruendos curavit, ſex tantùm *Oſtia* in eo feciſſe, ſex quadrigis emittendis? Atqui duodecim oſtia ſive carceres in Circo illo, ſex in ſiniſtra parte lateris ejuſdem, totidemque in dextra. An itaque ſupervacua & inutilia prorſus ſiniſtræ partis oſtia atque ad ornamentum tantùm Architecturæ addita? Supervacua omnino illa, quô tempore quatuor tantùm quadrigæ quaternis oſtiis emitti ſolitæ. Fortè ad exemplum Circi Olympiaci & in eo carcerum, Romani Circi carceres ædificati ſunt: in eo autem bini ordines fuêre oſtiorum, unus in ſiniſtra parte ejuſdem lateris, alter in dextera; in quorum medio locus erat ejus, qui machinationem movebat, quâ omnia oſtia aperiebantur; Altare nempe, ut videtur, Januæ Conſulum vel oſtio, quod ad medium Circi ſpatium patebat Romæ, reſpondens. Cœterùm omnes currus, qui emittendi erant ad currendum, æquô limite ſtare debebant, ad dextram partem illius aræ vel primarum metarum, quoniam rectô curſu ad ultimam metam circumflectendam tendebant. At ſi omnia *Oſtia* ſiniſtri ac dextri lateris vel ordinis aperta ſimul fuiſſent, eveniſſet ut ex dextri lateris carceribus exeuntes, longô ſpatiô reliquos præverterent: quare æqualitati æquitatique certaminis ut conſuleretur, ita fiebat. Motâ machinatione, quæ in medio conſiſtebat aperiendis repagulis, dextri lateris ſive ordinis oſtia primò aperiebantur: unde quadrigæ emiſſæ ſtabant ad eum locum, ubi carceres ſortiti fuerant currus ordinis ſecundi ac dexteri, ne ulteriùs progrederentur, fune omnibus oſtiis prætentô prohibiti. Ad hunc locum ubi primi ac ſiniſtri ordinis quadrigæ conſtiterant, tum ſecundi ordinis oſtia pandebantur, ac ſic æquatis frontibus tam primi ac ſiniſtri, quàm dexteri ac ſecundi ordinis currus in ſpatia ſe addebent & in curſum effundebant. Sic omnino ædificati carceres in Circo Romano videntur, & plures etiam tum certâſſe, quum ædificari cœpti ſunt: poſtmodum verò quatuor tantùm ex oſtiis, pro numero eorum, emitti quadrigæ cœpêre; cujus rei originem, qui vel ad Romulum vel Tarquinium Priſcum referunt, non parùm hallucinantur, cùm *Oſtia* in Circo demum ædificata legamus, anno Urb. Cond. 425. nec quatuor factionum initia in liquido ſint. Quibus licèt Domitianus duos, *purpurei auratique panni*, addidiſſe legatur, non diu tamen id duravit, ſtatimque poſt obitum ejus ad quaternarium numerum reditum eſt. Quoniam autem non omnia, unde equi exibant, oſtia paris conditionis fuêre, ſed alia melioris, alia pejoris ſortis habita, ideò ſortitò legebantur. Et quidem qui proximum oſtium primis metis, mediæque Circi aræ, quòd optimum habebatur (quia inde ad ultimas metas breviſſimum iter) & *intimum primumque* dicebatur, fuerat ſortitus, *occupare* dicebatur; qui ſecundum, *ſuccedere*; qui tertium, *eripere*; Quartô verò oſtiô miſſus rarò ad palmam perveniebat, vide ſuprà in voce *Occupare*. Ad eadem poſtea, unde exierant, revertebantur Victores, & curſum ibidem terminabant & coronabantur. Habebant verò carceres ſeu oſtia fores cancellatas, ſeu tranſennas, quæ funibus demittebantur ac laxabantur, ſignô mappæ miſſô: de quibus, aliiſque huc pertinentibus, vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 902. *& ſeqq.* ut & *hîc paſſim.*

OSTIARIUS, ſecundus ordo in Eccleſia, juxta *Hieronymum.* & *Iſidor. Jun. Ad* Oſtiarium *pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia, quæ ſunt intus, extraque cuſtodiat, fideles excipiat, excommunicatos & infideles projiciat. Hieronymus, Secundus* Oſtiariorum *locus eſt, qui claves regni cœlorum tenent; quæ Patriarchis dantur, quoniam præſunt portis Hieruſalem, atque inter bonum & malum habentes judicium aperiunt quod nemo claudit, & claudunt; quod nemo aperit.* Vide Alcuin. & Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vox è ſeculo deſumta. Erant enim apud Romanos ſervi hôc nomine inſignes, quòd, *oſtii* cuſtodes, ad illud more antiquô catenis religati eſſent, ut refert Sueton. *l. de claris Rhetorib. c.* 3. Ovid. *Amor. l.* 1. *El.* 6. *v.* 1.

Janitor indignè durâ religate catenâ,
Difficilem motô cardine pande forem.

Hinc Afranium, *Feſtus* & *Nonius* ajunt ſic in *Vopiſco* ſcripſiſſe, *Hoſtiarii impedimenta titinnire audio.* De iis ſcitè admodum & facetè Plautus *in Aſinaria*, *Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 6.

——— *Nolo ego fores conſervas meas*
A te verberarier: ſanè ego ſum amicus noſtris ædibus.
ME. Pol! haud periclum eſt, cardines ne foribus effringantur,
Si iſtôc exemplô omnibus, qui quærunt, reſpondebis.
LI. Ita hæc morata januaſt, extemplo Janitorem
Clamat, procul ſi quem videt ire ad ſe calcitronem.

Officium illorum pulchrè explicant Salvianus *de Provid. Dei l.* 4. Vide quoque Senecam *de Ira l.* 3. *c.* 37. *de Tranquill. vitæ c.* 11. Varronem *l.* 1. *de R. R. c.* 13. Plin. *l.* 12. *c.* 14. Ulpianum *Leg.* 12. §. *Idem reſpondit. ff. de inſtr.* & §. 9. *eod. tit.* Alfenum *l.* 61. *ff. de Legat. l.* 3. &c. Quò autem ignoti ingreſſu ædium arcerentur, catenâ itidem vinctus, non longè ab *Oſtiarii* cella, canis ingens, in pariete pictus erat, ſuperque quadratâ literâ ſcriptum, CAVE CANEM, ut ex Petroni *Satyr.* diſcimus. Nam ex edicto Ædilium (*l. hi enim; cum ſeqq. ff. de Ædilitio edicto*) canem mordacem ita habere, ut cuiquam nocere vel damnum dare poſſet, non licebat. Vide Auſon. Popmam *Conjectan. in Varronis Satyras Menippeas*, Tit. Popmam *de Operis Servorum*, & ſupra in voce *Janitor.* Apud Imperatores Romanos citerioris ævi, juxta Salmaſ. Cancellarii olim, ad cancellos ſuos ſedentes, admiſſiones & ingreſſus ad Judicem, ut ſine confuſione & tumultu fierent, curabant, Judici præſentandos admittebant, reſponſa Judicum execu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

executione mandabant, & idem planè ſuſtinebant officium; quod hodie ſolent in Curiis Regis, qui *Huiſſiers*, h. e. *Oſtiarii*, dicuntur, *ad Vopiſc. Carino c.* 16. Certè qui ad velum ſtabat, Cancellarius: nam *Oſtiariorum* id potiſſimum munus fuit. Monachus Sangallenſis de Carolo M. *l.* 1. *c.* 20. *Tunc dixit nominatus, non revera Epiſcopus*, *ad* Oſtiarium *vel Scarionem ſuum, cujus dignitatis aut miniſterii viri, apud antiquos Romanos, Æditiorum nomine cenſebantur.* Palatii autem *Oſtiarius*, primus inter Miniſteriales Palatinos, qui majoribus miniſteriis ſuberant, ſtatuitur ab Hincmaro *de Ordine Palatii c.* 17. E quibus aliquot recenſentur, ſcil. *Goterammus magnificus Oſtiarius*; in *Ep.* Hadriani Pontificis Romani 92. Codicis Carolini. *Francolinus, Oſtiarius Regis*, apud Odorannum in *Chron.* A. C. 1031. Gerungus, *ſummus ſacri Palatii Oſtiarius*, apud Frotharium Tullenſem *Ep.* 2. 4. &c. Apud eundem Hincmarum in *append.* ad Flodoardum, *Atho Oſtiarius Caroli magni*, memoratur. *Oſtiariorum Magiſter*, apud Eginhardum A. C. 822. Βασιλικὸς ὀστιάριος καὶ λογοθέτης τοῦ στρατιωτικοῦ λογοθεσίου, in VII. Synodo *Act.* 1. In Eccleſia Lat. *Oſtiario* primum gradum Ordinis Eccleſiaſtici, aſſignat Car. du Freſne *Gloſſar.* apud quem vide Auctores in hanc rem complures. De quorum ordinatione iſta habet *Ordo* Romanus & *Liber Sacramentorum* Gregorii: *Oſtiarius, cùm ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ, dicens, ſic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ iſtis clavibus recluduntur, & tradat ei Diaconus oſtium Eccleſiæ.* Hinc *Oſtiariatus*, in *Tabulario* S. Bertini, i. e. *Oſtiarii ordo*, de quo etiam aliquid, in voce *Ordinatio.* Leoni Oſtienſi, velum ad oſtium ædis ſacræ, *Oſtiale* ſeu *Oſtiarium*, dicitur *l.* 1. *c.* 58. &c. Sed & Templo Hieroſolymitano ſui erant Θυρωροὶ ſeu *Oſtiarii*, quorum frequens mentio in Vet. Teſtamento: Vide infrà *Pontificalis dignitas*: nec non Eccleſiæ primitivæ, ſub Novo, quorum meminit *can.* 24. Laodicenus; aliter Πυλωροὶ quoque dicti, ut patet ex *Nomocanone* Photii *c.* 31. Cujuſmodi Πυλωροὶ in magna Eccleſia Conſtantinopoli erant ſeptuaginta quinque, ut legitur in Heraclii Aug. *Novella* in *Bibl. Juris Can. p.* 1367. Aliàs tres numerô recenſet Conſtantinus Cabaſilas *Quæſitis ad Joannem Citri Epiſc.* Quorum munus, cuſtodire portas Templi ἵνα μή τις τῶν ἀσεβῶν ἐπὶ κατασκοπῇ καὶ χλεύῃ τῆς Ἐκκλησίας εἰσέλθῃ, καὶ ἵνα μή τις τῶν ἔνδον Χριστιανῶν ὑπὸ ῥαθυμίας ἐξελθεῖν δύνηται πρὸ καιροῦ, *Ut ne quis impiorum ad ſpeculationem & ludibrium Eccleſiæ intret, &, ne quis illorum, qui intus ſunt, Chriſtianorum, per negligentiam exire poſſit ante tempus*, Metrophanes Critopulus *Confeſſ. Eccl. Orientalis c.* 11. apud Clar. Suicerum *Theſaur. Eccl.* voce Θυρωρὸς, ubi & de metaphorico ejus ſignificatu, in Sacris, & apud Scriptores Eccleſiaſt. varia. Faciunt huc illa *Iſidori*: *Ad Oſtiarium pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat & aperiat templum Dei —— fideles recipiat, excommunicatos & infideles rejiciat* &c.

OSTIENSIS Leo, vide *Leo.*

OSTII apertura, apud Veteres duplex fuit: namque vel in interiores partes, ut hodieque, vel in exteriores, fiebat; quorum oſtiorum illa ἔσω, hæc ἔξω ἀνοίγεσθαι, dicebantur. Meminit hujus aperturæ Vitruvius, *l.* 4. *c.* 6. *Ipſaque forium ornamenta non fiunt ceſtrota, neque bifora, ſed valvata, & aperturas habent in exteriores partes*, i. e. ἔξω ἀνοίγοντα, ἔξω ἀνατρέποντα. Quo modo fores aperiebantur, apud veter. Atticos, ubi qui intus domo exibant, earum aperturam in exteriores partes & publicum versùs projiciebant. Hinc jocô apud Comicos, qui intus exeunt, priùs oſtium percutiunt & ſtrepitum faciunt, ut, qui extra ſunt, admoneantur recedere, ne apertura oſtii læderet tranſeuntes, quòd ψοφεῖν θύραν, dicebatur; Latinis Comicis *crepare oſtium*, ut apud Terentium, *Andr. Actu* 4. *ſc.* 1. *v.* 58. *crepuit à Glycerio oſtium*, ἐψόφησεν ἡ ἀπὸ Γλυκερίου θύρα, aliquô ſcil. egredi parante. At cùm externus oſtium pulſaret intraturus, κόπτειν dicebatur θύραν. Interim non neceſſe erat, januam cujus apertura in publicum ejiciebatur, ab exteriori quoque parte occludi & obſerari: ſicut nec intus occludi ſolita, in interiorem partem neceſſariò aperiebatur. Fores pleræque intus obſerari ſolitæ, foràs versùs pandebantur, & contrà. Apud Atticos inprimis modò dictos, ἔσωθεν κατεκλείοντο, ἔξω ἠνοίγοντο, *intus obſerabantur, extra aperiebantur.* At Mediæ Græciæ temporibus, quæ ſub Imperio Romano fuit, fores intus aperiebantur ſeu in interiorem partem aperturam inclinabant, forinſecus tamen habuêre adfixas & aptatas ſeras, quibus occludebantur. Interpres Arati *Theon*, Νῦν δ' ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, i. e. *ab exteriori parte foribus aptantur clauſtra.* Et tamen ejus ætate, in Græcia fores versùs interiora ædium pandebantur. *Helladius*, apud Photium, Οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ πύλαι, ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ, ἔξω γὰρ αὐτὰς ἀνατρέποντες ἔνδοθεν ἐξῄεσαν, *Non, uti apud nos, olim aperiebantur oſtia, ſed contrariô modô, forium enim aperturam impellebant extra & in publicam viam, qui egrediebantur*: quod ἔξω ἀνοίγειν & ἔξω ὠθεῖν dicebant. Cùm verò omnia fer: olim *Oſtia* intus clauſtrô & ſerâ munita haberentur, ut ab iis, qui foris erant, quoque aperiri poſſent, foramen in oſtio fiebat, quà brachium tranſmitti poſſet, ad immittendam clavem in clauſtrum ſeu ſeram, ac βάλανον inde extrahendam: quô factô per idem foramen clauſtrum facilè removebatur & janua patebat. Apulejus *l.* 4. *Tunc itaque ſublimis ille Vexillarius noſter Lamachus, ſpectatâ virtutis ſuæ fiduciâ, quâ clavi immittendæ foramen ſenſim immiſſâ manu clauſtrum evellere geſtiebat.* Certè fraudes illæ omnes, quas Æneas *in Tacticis* narrat admiſſas ab externis, circa βάλανον eruendam ac dolô evellendam, abſque ope βαλανάγρας in plerisque urbium portis, non potuêre admitti, niſi per hujuſmodi ſatis grande foramen ſupra locum ſeræ τοῦ μοχλοῦ in oſtio relictum, per quod foris etiam poterat reſerari janua intus obſerata. Hinc ſi quis modulum balani cepiſſet, ad eum modulum clave factâ, etiam urbe excluſus vel ædibus, falſâ clave immiſſâ per foramen, fores facilè reſerabat; quô modô urbem quandam in Achaja captam, idem memorat *Æneas.* Cæterùm non in omnibus foribus hæc ratio uſitata, ſed in iis utplurimum, quæ in publicum exibant: At conclavium & interiorum domus aliâ methodô claudi firmarique conſuevêre, ut videre eſt ſuprà, ubi de *Oppeſſulandi more.* Quarundam verò domorum talem fuiſſe ſitum; ut *adaperientibus fores tonitruum intus terribile exiſteret*, refert Plin. *l.* 36. *c.* 13. quod eſt de *Labyrinthis.* Plura vide hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 926. *& ſeqq.* & *hîc paſſim.* Inprimis ſuprà, in vocibus *Fores*, *Janua* &c. uti de inveſtitura per *Oſtium*, ſuô locô. In Eccleſia Romana ut hoc ſolùm addam, apud Hariulfum *in Chron.* Centul. *l.* 2. *c.* 10. *Oſtium* ſeu *Oſtiolum* inter donaria vel miniſteria ſacra recenſetur; meminit enim ibi *Oſtiolorum parvorum ex argento & auro gemmiſque fabricatorum, ad pedes S. Richarii* &c. In *veteri Charta* apud Car. du Freſne, corruptè legitur *Oſtrea argentea* 2. *cum clavi ſua.* Vide eum in hac voce.

OSTIONES, populi ad Oceanum occidentalem, *Stephano*; quos etiam *Coſſinos* vocari ait. Pytheas apud *Strabonem Oſtiaos* vocat.

OSTIPPO, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, in ora litorali, à Calpe 6. leucis Malacam verſus, olim ſub Hiſpalenſi conventu, Plin. *l.* 3. *c.* 1. vulgò *Eſtepona*, longitud. 15. 25. latitud. 36. 00.

OSTIUS, vide *Lucius.*

OSTMANNI, memorati Sylveſtro Gyraldo *Topogr. Hiberniæ Diſt.* 3. *c.* 43. Richardo Stanihurſto *Rerum Hiberniæ l.* 3. *p.* 111. & Camdeno *Britann.* Norwagienſes ſunt, qui, in Hiberniam appulſi, cùm ibi conſediſſent, ab Anglis hôc nomine ſunt inſigniti, quòd in lingua Saxonica *Orientales homines* deſignat, *Reſpectu namque terræ iſtius ab Orientalibus huc undecunque advecti ſunt*, verbis *Giraldi* modò laudati.

OSTOBARA, urbs Bactrianæ, *Ptolem.*

OSTORIUS Sabinus, Eques Romanus, Sorani accuſator, ob quod Nero ei duodecies & Quæſtoria inſignia tribuit, Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 23.

OSTORIUS Scapula, apud quem, in celebri convivio, Antiſtius probroſa in Neronem carmina recitavit. Et cùm *Scapula* nihil audiviſſe pro teſtimonio dixiſſet; adverſis teſtibus creditum, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 48. Eum tamen Antiſtius, repertis, apud Pammenem, Chaldaicæ vanitatis petitum, quæ de ortu vitaque Scapulæ erant compoſita, rerum novarum detulit apud Neronem. Unde ille apud finem Ligurum, nunciante ſuprema adeſſe centurione, manu ſervi uſus, jugulum pugione abrupit, fortitudinemque adverſum hoſtem ſæpe ſpectatam in ſe vertit. Idem *l.* 16. *c.* 14.

OSTRA, Umbriæ oppid. *Ptol.* Populi *Oſtrani* Plinio *l.* 3. *c.* 14. dicuntur.

OSTRACHE, pagus Friſiæ, S. Bonifacii martyriô celebris.

OSTRACIA vel OSTRACITES Lapis, cujus fragmentis gemmæ olim ſcalpi ſolitæ, Plin. *l.* 37. *c.* 10.

OSTRACINE, urbs Palæſtinæ in Ægypti confinio, cui à *Ptolemæo* tribuitur. *Stragioni* Pineto; longitud. 64. 15. latitud. 31. 50. Eâ Arabiam finiri, & inde Idumæam incipere, Plin. habet *l.* 5. *c.* 12. *Pompeji Magni ſepulchrô locum inclytum*, vocat Solin. *c.* 37. ſed interpunctis malè Plinii verbis deceptus, quæ cùm ſonent, *à Peluſio Calabriæ caſtra, Caſius mons; delubrum Jovis Caſii, tumulus Magni Pompeji, Oſtracine*; ille ſic accepit, quaſi *tumulum Magni Pompeji* vocaret *Oſtracinen*, quod falſum. Nam in Caſio Pompeji ſepulchrum, non in Oſtracine. *Strabo*, Κάσιον θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, ἄνυδρος ὅπου τὸ Πομπηΐου τοῦ μεγάλου σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐστιν ἱερὸν Κασίου, *Caſius littoralis quidam collis, promontorii inſtar, aquæ penuriâ laborans, ubi Pompeji Magni cadaver reconditum & Jovis Caſii templum eſt.* Et Amm. Marcellin. *l.* 22. *Peluſium oppidum & Caſſium, ubi Pompeji ſepulchrum eſt Magni, & Oſtracine & Rhinocolura.* Oſtracine autem à Caſio 6. milliaria diſtabat. Itinerarium, *Rhinicorura*, XXII. *Oſtracena*, XXIV. *Caſſio*, XXVI. &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 569.

OSTRACISMUS, ſpecies judicii popularis apud Athenienſes. Heraclides ab Hippia tyranno, Piſiſtrati filio, adverſus eos, qui tyrannidem appeterent, inſtitutum ſcribit. Ælian. *l.* 13. *c.* 24. verò à Cliſthene: Eſt autem Ὀστρακισμὸς dictus, ab Ὄστρακον, *teſtula*, in quâ nomen ejus, quem urbe pellere cupiebant, inſcriptum fuit: Vide Ariſtotel. *l.* 5. *Polit.* & Plut. *in Ariſtide & Themiſtocle.* De authore Oſtraciſmi diſputat Scalig. *ad Euſeb. p.* 47. De quo tamen aliter ſentit Mauſſacus, *ad Harpocrationem p.* 139. *& ſeq. Heſychius*, Ὀστρακισμὸς εἶδος φυγῆς ἐν ὀστράκοις γραψάντων. Athenienſes enim, cùm potentiam & opes civis alicujus formidare inciperent, teſtulis inſcribebant ejus nomen & comitiis inferebant. Tum cujus plures teſtæ in urnam erant conjectæ, is de concilii ſententia ab aris, atque focis projectus 15. aut 10. annorum ſpatiô vertere ſolum compellebatur, bonis tamen ejus interea illibatis. Irrita erant, & nulla iſta comitia, niſi ſupra 6. civium millia concilio interfuiſſent. Hinc ὀστρακίζεσθαι apud *Thucydidem*, de *extorribus* & *exſulibus.* Abibant autem tales exſulatum Argivam, ubi quia bos erat æneus viſendæ magnitudinis, per jocum dicebantur ſervare bovem. Tandem verò hoc more damnandi adeò abuſus eſt populus, multorum capitum bellua, ut etiam optimos, ac benè meritos cives ſæpe ejiceret, qualis Theſeus, quem exegerunt in Scyrum, Solon legiſlator, Ariſtides, quô juſtior nemo, Miltiades clarus victoriis, gravis orator Pericles, liberalis Cimon, qui agrorum ſuorum ſepes ſuſtulit, ut hoſpites, & ex civibus quicunque opus fructibus haberent, impunè frui poſſent, *Fungerus*: Antiquatus eſt tandem, ejectô per hunc Hyperbolô, homine contemptô & humili. Vide Eraſmum *in Adag. Centur.* 1. *Chiliad.* 2. Corn. Nepotem, *in Miltiade*, *&c. Nic. Lloydius.*

OSTRACORUM Luſus, Græcè ὀστράκου περιστροφή, i. e. *teſtæ converſio*, cujus mentio apud Platonem *Phædro*, & *de Repub. l.* 7. qualis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fuerit; vide infrà ubi de *Teſtarum luſu*. Alius luſus fuit, quem Græci ἐποστρακισμὸν appellavêre, memoratus Minucio Felici *Octavio*, de quo *ibid*.

OSTREA Tarentina, inter luxuriantis gulæ irritamenta, ponit Varro apud A. Gellium *l. 7. c. 16. Muræna Tarteſſia, aſelli Peſſinuntii*, Oſtrea *Tarentina, pectunculus Chius* &c. Bajana laudat Auſonius *ad Theonem, Ep. 7. v. 1.*

Oſtrea Bajanis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis refiui maris æſtus opimat.

Eorum vivaria in Bajano inveniſſe Sergium Oratam, ſcribit Plin. *l. 9. c. 54.* qui Brunduſina quoque & Britannica ibidem commemorat. Juvenal. *Sat. 4. v. 140.*

——— ——— *Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,
Oſtrea *callebat primô deprendere morſu.*

Hæc *ſeneſcente Lunâ tabeſcere*, idem Gellius *l. 20. c. 8.* habet, communiſque opinio eſt, Lunâ creſcente *Oſtreorum*, Conchyliorum Concharumque omnium corpora augeri, eâ verò decreſcente, rurſus minui: cujus rei cauſam vulgò referunt, in Lunæ humiditatem, quâ radiis Solis in plenilunio percuſſâ, lucem inde in terram evibratam volunt eſſe calidum quid humido commiſtum atque adeò prolificum & nutriendo idoneum. Sed Iſ. Voſſ. *l. de motu Marium & Ventor. c. 16.* tumorem hunc ac pinguedinem *Oſtreorum* in ipſum maris æſtum rejicit: cùm in multis Indiæ locis, uti ad Cambajam, Bengalam, Javam Inſul. & alibi, in Plenilunio æquè ac in Novilunio inania ſint pleraque teſtacea, plena contrà in quadraturis. Quemadmodum idem in ſinu Cambajenſi ac Peguano, in Lunæ quadraturis, maximè maria tumere, eademque ſubſidere Lunâ vel plenâ, vel novâ, refert. Plura de *Oſtreis*, Vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idol. l. 4. c. 34.* ubi, præter ſuprà memorata Oſtreorum genera, laudat ex *Xenocrate* apud *Oribaſium*, quæ ad Nili oſtia præcipuè in Ægypto, in Epheſo ad Cayſtri ingreſſum, præterea Tarracone, Narbone, Dicæarchiæ in Lucrino lacu: Chelidoniæ, Leucade, Actio & Libyco ſinu creſcunt: ex Clem. Alexandrino *Pædag. l. 2.* & Virgilio *Georg.* 1. Abydena: ex aliis Cyzicena, quæ *majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Getulicis, acriora Lepticis, pleniora Lucenſibus, ſicciora Coryphantenis, leniora Iſtricis, candidiora Circetenſibus*, vocat Plin. *l. 32. c. 6.* Hodie apud Belgas maximum honorem Britannicis eſſe addit, docetque Veteres non minùs ac hodie fit, *Oſtrea* in antecœnio inprimis ediſſe cruda, ex Macrobio *Saturn. l. 3. c. 13.* interim in deliciis magis fuiſſe, quàm cibis, ex Seneca *Ep. 108.* & Cicerone *l. 7. Ep. 26.* Eadem carere oculis ac auditu aſſerit, idem Voſſ. *l. eod. c. 12.* & de guſtu tactuque eorum diſquirit, *c. ſequenti.* Quia verò *Oſtrea* crudæ edebantur vel hauriebantur potiùs, inter frigidas menſas primô locô habitæ ſunt. Plut. *in Sympoſ. Quæſtion.* Αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ, πρότερον ὀστρέων, ἐχίνων, ὠμῶν λαχάνων, ὥσπερ ἔλεγεν ὁ Πλάτων, ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεθαρμοσθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης ἔχουσι. Imò quia frigidæ illæ menſæ, quas vocabant, *oſtreis* maximè conſiſterent, *frigidas* de oſtreis abſolutè uſurpavit Capitolin. *in Gordiano Jun. c. 21.* & *in Maximinis, c. 4.* ubi dicit, *Maximinum ab oleribus ſemper abſtinuiſſe, à frigidis prope ſemper, niſi cùm illi potandi neceſſitas eſſet.* Nam *oſtrea* potum provocant, ob humorem ſalſuginoſum, quem in carne habent, teſte Galenô περὶ τροφῶν δυνάμ. *l. 3.* Vide ſuprà ubi de menſis *Frigidis*, nec non voce *Melones*, ubi, præter alia, quadringenta *oſtrea* Clod. Albinum Imperatorem comediſſe vidimus. Apud Sinenſes, ut & hoc addam, ſub urbe *Tengcheu*, in provinc. Xantonia, *oſtrea* copioſa admodum inveniuntur, helluonum delitiæ. Ad *Vencheu* verò, in provinc. *Chekiang*, oſtrea illa parva, quod mirabile, & alibi inſolitum, aqueis in campis ſata creſcunt. Hujus enim generis quædam contuſa guttatim per campos ſpargunt, veluti ſemina, ex quibus dein magnô numerô ſuavis admodum ſaporis oſtrea prodeunt &c. Auctor Anonymus *Sina & Eur. c. 41.* De *garo oſtreorum* ſonat *Epigr. 28.* Martial. *l. 13.*

Ebria Bajanô fueram modò concha Lucrinô,
Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.

OSTREA Margaritifera, vide ſuprà in voce *Cochlea*, Item *Concha*.

OSTRINI *Montes, Scaligero Mapalia*, aliis *Stabula*, montes Trojæ, *Ferrario*.

OSTROGIUM, oppid. munitum Volhiniæ ſuperioris ad Horinum fluvium, cum titulo Ducatus, 3. milliar. German. à Zaſlavia in Occidentem, vix 1. à Miedireczo.

OSTROGOTHI, Gothi qui Orientem verſus habitant. Sic *Oſtrogothi*, vel Gothi Orientales vocabantur olim, qui Italiam tenuerunt, ad diſcrimen Wiſigothorum, ſeu Gothorum Occidentalium, qui Hiſpaniam occupavêre. De prioribus Claudian. *l. 2. de Eutrop. v. 152.*

Eſt opus: Oſtrogothis colitur, mixtiſque Gothunnis.

Hæc vulgò vocis origo: Grotius verò *in Hiſt. Goth.* docet, ab iis nomina hæc à patria jam deportata fuiſſe: namque & *Vopiſcus* circa Claudii tempora Auſtrogotthorum, i. e. *Oſtrogothorum* meminit, & *Caſſiodorus* ab antiquo Oſtrogotha Rege, qui imperante Romanis Philippô, floruit, nomen ortum docet. Horum Regum Genealogiam, vide apud eundem *Grotium*. Tejas ultimus illorum Rex fuit. Populi hi, Arcadiô & Honoriô imperantibus, invaſerunt Phrygiam, Lydiam, & Pamphyliam. Vide *Claudian. Zoſimum, Eutropium.* Martianus partem Pannoniæ, Zeno, partem Illyrici illis conceſſit, Malchus *in Byzant. Hiſtor.* Sub Walamiro dein ac fratre ejus Theudemiro multa egregiè geſſerunt. Latiſſimè illorum regnum ſub Theodorico patuit. Nam præter Italiam & Siciliam tenebat Rhætiam, Noricum, Dalmatiam, cum Liburnia Iſtriaque partem Pannoniæ & Galliæ: pendebant ei tributa Alemanni, Hiſpaniam quoque tutoris nomine Rex adminiſtrabat. Vide plura apud Grot. *Ibid.*

OSTROGOTIA, regio Sueciæ in Gothia, ſub qua ſunt provinc. Oſtrogothia propria, & Smalandia, cum Oelandia & Gothlandia, inſula in mari Baltico. Habet è Septentrione Sueoniam, ab Ortu mare Balticum, à Meridie Blekingiam & Scaniam, ab Occidente Weſtrogothiam. *Oſtrogothia* autem *propria* eſt inter Sueoniam ad Boream, Weſtrogothiam ad Occidentem, mare Balticum ad Ortum, & Smalandiam ad Meridiem. Ejus urbes Norcopia, Nordholmia, Sudcopia, Kelmum & Stegeburgum.

OSTROROGIUS Conſtantinus, è ducibus Sigiſmundi I. Poloniæ Regis, magnâ clade fudit Tartaros, A. C. 1506. Salom. Neigeb. *Hiſt. Polon. l. 7.* Ex qua nobiliſſima familia Jacobus Comes, Euangelium amplexus, ædes ſuas Poznaniæ, in ſuburbio ſacris concionibus dicavit, defunctus A. C. 1568. poſtquam Fratrum Confeſſionem Fidei Sigiſmundo Auguſto Regi obtuliſſet, A. C. 1564. benignè acceptam & approbatam. Duravit Eccleſia hæc Oſtrorogana, quæ prima in Polonia majore doctrinam Euangelii amplexa eſt, per annos 86. uſque ad A. C. 1636. quô cum 19. aliis, ab hoſtibus, diſſipata eſt, templis ademptis. Vide Lætum *in Comp. Hiſt. Univ.*

OSTRUM, purpuræ ſanies eſt, Græcè ἄνθος πορφύρας; ex Græco itidem ὄστρεον ſeu ὄστρειον, quod etiam eſt conchylium marinum. Unde *Oſtrina veſtis, à colore oſtri, qui ſubrubeus*, Nonio *c. 16.* Cujuſmodi veſtem, ut & auream, ſummo lecti ſeu feretri pueriles tegmini, à Magnatibus Romanis Græciſque injici conſueviſſe, diſcimus ex Statio *Theb. l. 6. v. 62.* ubi de funere Archemori,

Summa crepant aurô, Tyriôque attolitur oſtrô
Molle ſupercilium ———

Certè *Auro oſtrum* etiam Virg. *l. 1. v. 642.* jungit, ut pretioſiſſima duo humani corporis indumenta. Sed & aurô oſtrum variegari ſolitum eſt, quod *pictum oſtrum* vocat lepor Petronianus:

Vilis adulator pictô jacet ebrius oſtrô.

Quô modô *pictus limbus* apud Ovid. *Met. l. 10. v. 593.* de currente Atalanta. *Mæonium limbum* vocat Stat. *l. cit. v. 540.* quod opificium in veſtibus repetit *l. 11. v. 400.*

——— ——— *opus ipſa novârat*
Mæoniis Argia modis, & pollice doctô
Stamina purpureæ ſociaverat aurea telæ &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Stat. d. l.* & infrà, voce *Purpura*.

OSTUNUM, urbs provinc. Hydruntinæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Brunduſino, in colle, verſus oram maris Adriatici & limites agri Bariani, 16. milliar. à Brunduſio in Occaſum, 22. à Tarento in Cæciam.

OSVINUS, vide OSWALDUS.

OSWALDUS, Rex Northumbriæ, poſt Eduinum, & filios, virtutis ingens cultor, Chriſtianam fidem in ditione ſua propagavit, Epiſcopis è Scotia vocatis, qui cùm Anglicum non callerent idioma, conciones ipſorum Anglicâ tranſtulit linguâ, ut ab omnibus intelligi poſſent. Circa A. C. 624. victor hoſtium. Occiſus tandem à Pando Merciorum Rege. Ei ſucceſſit frater Oſui, in regno Northumbriæ, cujus partem Oſwinus Princeps etiam tenebat: qui occiſus eſt à priore, victô quoque Merciorum Rege, utrôque regnô potitô: ſed regnô Merciorum Oſui à Vulfero exutus, reliquum vitæ tranquillus exegit, templis Monaſteriiſque fundandis intentus. Obiit ſub finem ſeculi, 7. Beda, *Hiſt. Angl.*

OSWALDUS, Anglus, Canonicus Winceſtrienſis, floruit ſecul. 10. Diſcipulus Abbonis Fleuriacenſis. Scripſit diverſas epiſtolas, pietate & eruditione inclytus. Obiit A. C. 992. Pitſeus *de Ill. Angl. Scriptor.* Item, Monachus Worceſtrienſis, qui liberalitate prioris adjutus, celeberrima Galliæ, Angliæque Monaſteria inviſit, ſcriptiſque quibuſdam editis, obiit A. C. 1010. Item, Carthuſianus, A. C. 1430. Scotiæ Prior. Scriptis & pietate clarus. Item, alius eôdem tempore, Anglus: Johanni Gerſoni Pariſiis familiaris, Anglis, Hibernis, Scotis Principibus admirationi fuit. Hujus hortatu Jacobus I. celebre Carthuſianorum monaſterium fundavit. Obiit A. C. 1450. Petrejus *Bibl. Carthuſ.* Sutorius, *l. 2. vita Carthuſ.* Poſſevin. *in appar. ſacro.* Pitſeus *de Script. Angl.*

OSWALDUS Berus, Medicus Baſilienſis, floruit ſeculô præteritô, urbis Hippocrates, in Epitaphio dictus. Obiit A. C. 1567. P. Freherus *Theatro*.

OSWALDUS Eraſmus, Hungarus *Thuano*, Melchiori Adamo in *Vit. Philoſophorum*, Auſtrius ex Comitatu Marchenſtenio; in patria primò, exin Ingolſtadii, Lipſiæ, Baſileæ, Friburgi, Mathemata ac Hebraicam linguam, quam à Seb. Munſtero hauſerat, docuit. Obiit A. C. 1579. ætat. 68. Scripſit varia, vertit Latinè quoſdam Rabbinos & Hebraicè Novum Teſtam. Anton. Teiſſier *in Elogiis Part. 2.* Vide quoque *Eraſmus Oſwaldus*.

OSWALDUS Myconius, Lucernas, primarius Eccleſiæ Baſileenſis paſtor, poſt Oecolampadium, cujus veſtigia ſtrenuè ſequutus eſt. Obiit A. C. 1552. Vide *Myconius*.

OSYMANDIS, Hecatæo apud *Suidam*; Βασιλεὺς Βασιλέων, Rex *Regum*, in *Inſcr.* Labyrinthi Ægyptiaci, apud Strabonem *l. 17.* ubi *Iſmandes* appellatur: hôc forſan ab Iſide, illô ab Oſiride nomine ſumptô, idem eſt cum Ægyptiorum Rege inclyto Amenophe IV. ſeu *Memnone*, de quo vide ſuprà; uti plura de nobiliſſimo hoc monumento, apud Diodor. Sic. *l. 1.* Plin. *l. 36. c. 7.* Philoſtratum *l. 6. c. 3.* & Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. XV. p. 426. & ſeqq.* ubi poſtquam præcipua hîc viſenda eruditè expoſuit, coronidis locô addit: *ſumma eſt, hunc Regem, non bellô tantum, ſed etiam pace Magnum; erga Deos Pium; erga homines juſtum fuiſſe.*

OT.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OT. FN. in notis Antiquorum *oſtium feneſtra* notat &c.

OTACES, cum Larri Iberorum Dux, in auxiliis Perſæ, contra Æeten, apud Val. Flacc. *l.6.v.*121. in vulgat. Codd. *Sotaces*, legebatur. *Nic. Lloydius.*

OTACILIA Severa, repreſentatur in nummo veter. in fœderis Laodicenſium cum Epheſiis initi monumentum cuſo, in cujus altera parte, Jupiter & Diana, binis cervis comitata, expreſſi ſunt. Item in nummo, fœderis Hierapolitanorum & Smyrnæorum memoriam ſervante, in cujus parte altera duæ urnæ, è quarum utraque palmæ ſurgunt, Ludorum communium indices: cum *Inſcr.* ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, apud Sponium *Itiner. Part.* 3. *p.* 180. *&* 192. Integrum nomen eſt, *Marcia Otacilia Severa.* Fuit ea Philippi Senioris Imperatoris uxor, quæ quòd eſſet religionis Chriſtianæ ſacris imbuta (ut plerique autumant) hinc factum videtur, ut Philippum quoque uxoris gratiâ æquiorem piis, palam Chriſtianum fuiſſe Euſebius aliique ſcripſerint. Vide Caſaubon. *Not. ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores*, ubi Auguſtam hanc in multis nummis antiquis celebrari addit.

OTADINI, ſeu OTADENI, populi Albionis, ultra Tinam amnem, *Ptolem. Otadini* etiam, teſte *Camdenó*; putantur autem in Northumbria contineri, & Epiſcopatu Dunelmenſi. *Baudrando* fuerunt in ora Oceani Germanici ubi nunc Northumbria, in limite Scotiæ, & inter oſtia Tuvædæ fluv. ad Septentrionem & oſtia Tinæ ad Meridiem. Cujus primaria *Oeocaſtrum.*

OTANES, Perſa, vir nobilis, unus ex his qui cum Dario in Magos conjurârunt, Herodot. *l.* 3. Is oræ maritimæ à Dario præfectus, poſt Megabyzum, Byzantium, Chalcedonem, Antandrum, Lemnum, & Imbrum cepit, Herodot. *l.* 5.

OTAXES, alius ab Otace, qui inter auxilia Perſæ, aſſumptô Panis habitu, Colchis terrorem incuſſerat, ſed ab Arone occiſus eſt. Vide Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 529.

OTENE, vide MOTENE.

OTESINI, populi Italiæ extincti, in Gallia Togata. Plin. *l.* 3. *c.* 15.

OTHAN, Numen olim Saxonum, memoratur *in Hiſtor.* S. Cuthberti: *Juro per Deos meos potentes, Thor &* Othan, *quòd ab hac hora inimiciſſimus ero omnibus vobis.* An, qui aliis *Wodan* dicitur, de quo vide ſuô locô. Sed & Deam *Eoſtre* coluiſſe Germanos, auctor eſt Beda *de Tempor. ratione c.* 13. quæ *Oſtar* nonnullis nuncupata eadem cum Aſtarte fuiſſe creditur. Sed aliam eam fuiſſe ab *Othan*, opinatur Car. du Freſne *Gloſſar.*

OTHEI, fil. Ammihud, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 4. Latinè, *tempus meum*, vel *iniquitas mea.*

OTHINGARUS, floruit A. C. 980. Epiſcopus in Dania, Selandiam & Scaniam convertit.

OTHIR, nomen viri, 2. Paral. *c.* 25. *v.* 4. Latinè *excellens*, aut *reſiduus.*

OTHMAN, vide OSMAN, it. OSMANES.

OTHMARSEN, oppidum Sungoviæ, quod putant aliqui nomen ſumpſiſſe ab *Idolo Martis*, cui templum ibi ſacrum fuit: id ejus imago paucos ante annos hîc inventa comprobat, *Metel.*

OTHNI, nomen viri, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 7. Latinè *tempus*, aut *hora mea.*

OTHO M. Sylvius, ex Hetruſcorum Regum genere, Eques Roman. Neroni primùm amicus, dein ad Galbæ partes ſe applicuit: à quo cùm adoptari fruſtra ſperâſſet, illô, cum Piſone quem huic ipſi prætulerat, jugulatô, per ſcelus adeptus eſt imperium, quod cum adverſus Vitellium ad Bebriacum, pagum inter Cremonam & Veronam, victus tueri non poſſet, ſibi vim attulit, A. C. 69. Imperii menſe 2. die 5. qui per totam vitam paulò mollior in ſola morte fortis viſus eſt illis. *Qui tunc vivebant homines atque ævum agitabant*, ut loquitur *Ennius*, *Plut.* Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 50. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 99.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis.
Actoris Arunci ſpolium: quo ſe ille videbat.
Armatum, cùm jam tolli vexilla jubebat.

Nic. Lloydius. Ejus nummi, in cujus una parte circa caput ejus hæc Græca *Inſcr.* ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟC ΚΑΙC. CΕΒ. in altera, caput fœminæ calanticâ tectæ, & coronatæ, cum caduceo ponè, & nomine ΕΙΡΗΝΗ, cui reſpondet ab eodem cuſus alius, in quo voces Latinæ, PAX ORBIS TERRARUM: Alterius item, longè rarioris, in cujus poſtica parte mulier eſt veſtita, victoriolam alterâ manu, alterâ tropæum, geſtans, cum voce ΚΡΑΣΙΣ, meminit, eorumque icones exhibet Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *p.* 168.

OTHO I. Roman. Imperat. A. C. 936. ſucceſſit patri ſuo Henrico primo, victis Hungaris, Bohemiſque immortalem gloriam adeptus. M. Tancredum fratrem nothum rebellem, Principeſque æmulos oppreſſit, fratri tamen Henrico ſupplici pepercit, Bavariâ ei donatâ. Boleſlaum Principem Bohemiæ, Haraldumque Daniæ, domuit & vaſallos fecit. Ludovicum Tranſmarinum affinem adverſus Hugonem defendit regnoque reſtituit. Dein in Italiam profectus Berengarium compeſcuit, Ticinôque captô, viduam Lotharii ſibi junxit. Redux Ludolphum filium ſucceſſorem deſignatum, inſidiatorem coërcuit, cum complicibus ejus, Conrado Lotharingo, Friderico Moguntino, &c. cepitque Ratisbonam: dein verſis in Hungaros armis, A. C. 955. ingenti victoriâ potitus eſt, Duce Wormatiæ occiſô, & Sarmatis Principibus duobus ſuperatis. Poſt hæc rebellantem Berengarium victum, unà cum uxore Bambergam in perpetuos carceres miſit. Comitiis Wormatiæ habitis Othonem fil. Aquiſgrani coronari curavit. Joannem XIII. Pontificem, qui in omnem libidinem effuſus, & à Clero inceſtus ac ſcelerum graviſſimorum coram Imperatore accuſatus erat, inſuper urbem Romam perfidè in manus Adelberti filii Berengarii tradiderat, Româ pepulit, Leonem 8. creandum curavit, qui Imperatori jus eligendi Pontifices ac inveſtituram Cleri reſtituit, A. C. 964. Hunc poſteà à Romanis pulſum, obſeſſâ, & fame captâ urbe, pulſô Benedictô V. reſtituit. Illi mortuo Joannem XIV. ſurrogavit, quem à Romanis pulſum, per Principes Capuanos reduxit, ſuppliciô de Magiſtratu ſumptô: Adalbertum ſubegit, Saracenos Italiâ expulit, Græcis, ob legatos ſuos contumelioſè habitos, Apuliam atque Calabriam ademit, tributumque illos ingens pendere coëgit. Fundatis tandem variis Epiſcopatibus, obiit Magdeburgi, A. C. 973. Luitpr. *l.* 4. *c.* 7. 8. 9. *& l.* 6. *c.* 7. Vittic. *l.* 2. Schafnaburg. *in Chron.* Otto Friſing. *l.* 6. *c.* 19. Crantzius *l.* 3. *c.* 27. Sigon. *l.* 6. *&* 7. Aventin. *l.* 4. *Annal. Boj.* Flodoardus, Baronius *in Annal.* Ceterùm, ſub eo maxima Imperii Germanici potentia fuit; ille enim collapſam ejus poſt Carolum Magnum dignitatem reſtituit, & Bohemiam, Franciam, Burgundiam, Italiam, Hungariam, Daniamque, felici armorum ſucceſſu partim domuit, partim in officio continuit. Hornius *Orb. Imp.*

OTHO II. Roman. Imperat. dictus *Sanguinarius*, ſucceſſit Othoni I. patri, quô vivô jam coronatus, Græcos, Saracenoſque in Italia vicerat. Mortuô patre, agnatum ſuum Henricum Bavariæ Ducem Imperium ſibi vindicantem Ratisbonæ oppugnavit, proſcripſit, exiliô multavit. Bavaros rebelles ſubegit. Danum, Bohemum & Polonum terruit. A Lothario Rege, quòd Carolo fratri ejus inferiorem Lotharingiam, ſub Imperii fide, conceſſerat, Aquiſgrani vix non oppreſſus, recipientem ſe Lutetiam uſque perſequutus eſt, & de Lotharingia pro lubitu ſtatuit. Pace dein illi datâ, A. C. 980. rogatu Benedicti VII. in Italiam tranſgreſſus, Græcos Imperatores adortus eſt, ſed ab iis Saracenorum auxiliô victus, in Calabria ad Baſentellum, Italorum perfidiâ, captus, perſolutôque lytrô, & beneficiô Græcæ linguæ, Mercatorem ſe ſimulans, ſcaphâ effugit: Beneventum exuſſit, de Principibus Italis, conviviô ferali eos in Vaticano excipiens, pœnas meritas ſumpſit, hinc *Sanguinarius* ab illis, ſicut à Saracenis, quos in mari cruentiſſimô devicerat præliô, *Pallida Saracenorum mors*, dictus. Obiit, poſt Comitia Veronæ habita, Romæ, an ſagittæ venenatæ vulnere, an animi mœrore? A. C. 983. Imperii 10. menſ. 7. Leo Oſtienſ. *l.* 2. Dietmar. *l.* 3. *Chron. Sigebertus*, *Marianus Scotus*, *Crantz.* &c.

OTHO III. Roman. Imperat. cognomin. *Rufus*, ſucceſſit patri Othoni II. juvenis admodum, fide ſubditorum & prudentiâ Theophaniæ matris. Henricum Bavarum exulem, ſub prætextu tutelæ, Imperium raptantem, reſtitutâ Bavariâ placavit, Boleſlaum Bohemum, & Miecziſlaum Polonum repreſſit. Creſcentium Nomentanum Conſulem, dominium Romæ ſibi vindicantem exterruit, Johanni XVI. ab illo pulſo, Gregorium V. ſubſtituit; huic iterum à Creſcentio ſurrogatum Johannem XVII. mutilavit, & exulantem in Germaniam miſit; Gregoriô V. mortuo Gerbertum, dictum Sylveſtrum II. ſubſtituit: Creſcentium, aſino averſâ facie vinctum, unà cum 12. aliis, contra datam fidem, ſuſpendiô affecit. Jus eligendi Imperatorem penès ſolos Germanos eſſe, decrevit. Mariam Auguſtam, fœminam procaciſſimam, cujus impulſu Comitem Mutinenſem innocentem ſecuri percuſſerat, convictus à vidua Comitis, *per laminam candentem*, combuſſit. In Poloniam profectus, ſeptem ibi Epiſcopatus inſtituit. Inde in Italiam reverſus, A. C. 1000. Saracenos Capuæ obſidione depulit. Ab Italis denuo rebellantibus, tantùm non oppreſſus, induſtriâ ſuorum evaſit: venenatô Chirothecarum munere, à Creſcentii viduâ, quæ Imperatorio conjugio inhiabat, ſublatus, A. C. 1002. ætat. 20. nullâ prole relictâ. Ei ſucceſſit Henricus II. Sub Othonis hujus Imperio, Odilo Abbas, gemitibus ad Vulcani ollam, in Sicilia auditis, Purgatorium inde effecit. Sigebert. *in Chron.* Brunoque Epiſcopus Auguſtanus, ſubornatus ab Italis, ut contra Epiſtolam Hulderici, pro Cœlibatu, ſcriberet, miſerè amputatis manibus & capite à Clericis mutilatus eſt. Martin. Chemnit. *in exam. Concil. Trid. de Cœlib.* Cæterùm vide Ditmar. Petr. Damianum, Blondum *dec.* 2. *l.* 3. Sigon. *l.* 7. *ad A. C.* 996. *&c.*

OTHO IV. fil. Henrici Saxoniæ Ducis poſt Henricum V. ab Electoribus quibuſdam Rex Roman. ſalutatus, & Aquiſgrani coronatus, adverſarium habuit, ab aliis electum, Philippum Sueviæ Ducem mortui Imperatoris fratrem: à quo ad Spiram victus, Brunſvigi obſeſſus, auxiliaribuſque ſuperatis ad fugam in Angliam compulſus, tandem pacem, & Beatricem filiam impetravit, hâc lege, ut à titulo & re Imperii abſtineret, quamdiu ipſe ſuperſtes eſſet, poſt mortem ſuccederet. Quô factô A. C. 1208. legem tulit: *ne quiſquam Imperium hæreditate ſibi vindicaret.* In Italia dein, dum Marchionatum Ravennæ, Romandiolam, Tuſciam, Apuliam, Calabriam, aliaque Imperio erepta recuperare nititur, ab Innocentio III. excommunicatus eſt, oppoſitô ei ab Electoribus Friderico II. A. C. 1210. Fœdere poſtea cum Angliæ Rege & Flandriæ Comite contra Philippum Auguſtum Galliæ Regem initô, præliô ad Bovinas, A. C. 1214. commiſſô, vix fugâ evaſit. Ab æmulo imperiô exutus, obiit Brunſvicæ, ubi ſeptenniô privatus vixerat, A. C. 1218. Crantz. *l.* 7. *Saxon. c.* 37. Abbas Urſperg. Trithem. *in Chron. Rigordus*, *Nauclerus*, Sigonius, *l.* 16. *&c.* Lex, quam, odiô familiæ Suevicæ flagrans, in Comitiis Francofurtenſibus tulit A. C. 1208. quaque Legem Henrici VI. de hæreditaria Imperii ſucceſſione, antiquavit, hæc habuit capita: *Nullus Imperator hæreditarium jus in Imperium prætendat. Principes ſex, tres Eccleſiaſtici, tres Seculares Imperatorem creanto, qui, ſi diſcordes fuerint, Regem Bohemiæ, tanquam arbitrum, adhibento.* A quo tempore certam habemus Electorum hodiernorum originem. Namque & circa *Othonis III.* & ſuperiorum quoque Imperatorum quorundam tempora Electorum quidem mentio reperitur, ſed nec ſeptenarius hic numerus, nec dignitas ad hodiernas familias reſtricta, ante Othonem IV. ullibi occurrit. Vide Georg. Hornium *Orb. Imp.*

OTHO, Bavarorum Dux, Hungariæ Rex factus, à Ladiſlao, Tranſylvaniæ præfecto captus, & in carcerem conjectus eſt.

OTHO, Brunſvicenſ. Dux, quartus maritus Johannæ I. Neapolitanæ Reginæ, cui, Rege Balearium Jacobô Arragoniô repudiatô, nupſerat: Clementis VII. partes, contra Urbanum VI. ſectatus, Carolum Dyrrachinum, Apuliæ ab Urbano Regem creatum, infeſtum habuit: qui Othonem cum Johanna cepit, ipſôque in ſacello interfectô, hanc ſuſpendit, eo loci, ubi quondam Andreæ mariti gulam fregerat. Paul. Æmil. *l.* 10. Theodor. à Niem. *l.* 11. *de Schiſm. c.* 24. 37. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 10.

Principes ex Familia Palatina.

OTHO I. Comes Palatinus Schirenſis, è poſteris Arnolphi Imperatoris, ut quidam volunt; ſecundùm *Blondellum* verò, è familia Arnolphi cujuſdam, à Normannis cæſi A. C. 891. cujus fil. Luitpoldus Dux Bavariam rexerit, ab Ungaris occiſus A. C. 908. Wernerô genitus, Comes Schirenſis & palatio Bavarico præfectus, fratrem habuit Babonem, conditorem Abenſpergenſium. Ipſô autem natus eſt,

OTHO II. quô genitus,

OTHO III. qui Witelſpachium condidit (unde poſtea familiæ titulus) Schirenſi arce in Monaſterium converſâ. Hujus fil.

OTHO IV. fuit: quô editus,

OTHO V. cognomine *Major*, it. *Illuſtris*, vexillifer fuit Friderici Barbaroſſæ, & proſcriptô Henricô Leone, A. C. 1180. 3. Id. Jul. Bavariæ Ducatum nactus eſt, poſtliminiò in hanc familiam reducem. Frater Conradi Archiepiſcopi Salisburgenſis, & dein Moguntini, ac *Ottonis* VI. de quò *infrà*: Pater vero Ludovici, qui à Friderico II. Imperatore conſequutus eſt Palatinatum, cùm ejus filio *Ottoni* Agnes, Henrici Saxonis filia, daretur uxor, vide *infrà*.

OTHO VI. cognomine *Minor*, frater fuit *Othonis* V. Illô genitus eſt.

OTHO VII. cognomine *Homicida*, ob cædem Philippi Imperatoris ex filio Gerhardo, ſator fuit Wildgraviorum *in Kirburg* & *Daun*, quorum ditiones ad Rheni Comites dein devolutæ.

OTHO, cognomine *Illuſtris*, fil. Ludovici præfati, ductâ Agnete, hærede Palatinatus, Henrici Saxonis filiâ, Bavariam denuò cum Palatinatu gubernavit. Pater Ludovici cognomine *Severi*, qui cum ſuperiore Bavaria Palatinatum nactus eſt, communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie ſuperſunt, Principum genitor: Henrici, qui Bavariam inferiorem tenuit, & cum fratre, in Comitiis Auguſtanis, Auſtriam, Stiriam & alia, tanquam Majoribus ſuis ablata, repetiit, A. C. 1282. ac *Othonis*, qui cum filio Henrico Regnum Hungariæ adverſùs Carolum Martellum ſibi aſſerere eſt conatus.

OTHO I. fil. quarto-genitus Ruperti I. Imperatoris ex Familia Rudolfina, in diviſione hæreditatis paternæ, Mosbacum tenuit, Electorali poſtea adminiſtratione illuſtris. Fratri namque Ludovico I. cognomine *Barbato*, mortuo, fil. ejus Ludovicus II. cognomine *Manſuetus*, ſub patrui *Othonis* tutela, quem majoribus fratribus Ludovicus prætulerat, ſucceſſit. Eô genitus eſt,

OTHO II. Mathematicarum & aliarum Scientiarum amator ſingularis: Frater Ruperti Ratisbonenſis, Johannis Auguſtani & Alberti Argentinenſis, Epiſcoporum, quorum hic de Epiſcopatu bene meritus & concubinatus Sacerdotum ſummus fuit oſor. Qui omnes cùm cœlibes deceſſiſſent, ipſis cum *Othonis* I. linea defecit.

OTHO Henricus, cognomine *Magnanimus*, fil. Ruperti cognomine *Virtuoſi* (qui triſti bello Bavarico ſtirpem involvit) mortuô patruô, Ludovicô III. cognomine *Pacificô*, Electore, in Electoratu nec invitus præteritus eſt, alterô patruô Fridericô II. *Sapiente*, fratri ſuffectô, A. C. 1544. ipſe tandem Elector. Variæ Princeps fortunæ vix natus penè exul fuit, Patre omni ferè ditione exutô: Conceſſus tamen ei & fratri Philippo *Bellicoſo*, ex ditione materna Principatus Neoburgicus. Inde in Palæſtinam profectus rediit A. C. 1521. in provincia autem Euangelicam Religionem introduxit A. C. 1542. ac poſtea Smalcaldico fœderi nomen dedit, de capite proin ac fortunis periclitatus: Ditionibus enim à Cæſare exutus eſt, à quo tempore Auſtriacis minùs favit. Quô zelô, tum Heidelbergæ habitans, movit Electorem, ut & ipſe publicè Heidelbergæ Reformationem inſtitueret, A. C. 1546. Reſtitutus poſtea, ope Mauritii Saxonis, A. C. 1552. Patruo A. C. 1556. in Electoratu ſucceſſit, ſtatimque quidquid veteris fermenti reliquum erat, è tota provincia eliminavit, Miſſâ prohibita, & Ordinatione Eccleſiaſticâ ſermone vernaculô vulgatâ: Academiam quoque, ipſe ſtudiis delectatus, rectiùs ex conſilio Melanchthonis diſpoſuit ac dotavit; primus inſuper florentiſſimæ poſtea Bibliothecæ Auctor. Deceſſit A. C. 1559. d. 12. Febr. orbus & ultimus è proſapia Ludovici Barbati, quod ipſe ultioni divinæ ob ſanguinem Huſſi (in Concilio Conſtantienſi, cujus Præſes Ludovicus ſententiam in Huſſum & Hieron. Pragenſem latam, juſſu Cæſaris, lictoribus exſequendam commiſerat) fuſum aſcripſit. Maternam ditionem Neoburgenſem, tranſmiſit Teſtamentô ad Wolffgangum Bipontinum, Electoratus hærede Fridericô III. Simmerenſi, agnatô. Idem nomen fuit uni ex filiis Wolffgangi modò memorati, qui ſine prole maſcula obiit Sulzbaci A. C. 1604.

Carol. OTHO, fil. Georg. Wilhelmi Bircofeldenſ. Ducis natus eſt A. C. 1625.

OTHO, fil. Ludovici V. Imperatoris Bavaricæ lineæ conditoris, fratri Ludovico Romano, (cui Pater Marchionatum Brandeburgenſem conciliaverat, poſtquam Tirolis Comitatum obtinuiſſet) mortuo ſucceſſit; ſed à Socero Carolo IV. 200000. aureis Ungaricis eum vendere coactus, A. C. 1373. exiguâ ditione in Bohemia acquievit; ob ignaviam *Finnius* dictus. Obiit A. C. 1379. Idem quoque nomen fuit Epiſcopo Friſingenſi, filio Lupoldi II. Marchionis Auſtriæ, ex eadem Familia, fratri Lupoldi III. primi Auſtriæ Ducis, qui etiam Bavariam adverſùs Welfum III. ſibi adſeruit. De quibus omnibus, vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt. in Fam. Palatino-Bavarica.*

Ex Familia Saxonica.

OTHO, Dux Saxoniæ, fil. Ludolfi, nepos Brunonis, qui Witekindi I. fuerat frater, fratrem habuit Brunonem, à quo condita Brunſuiga urbs; ipſe Pater Henrici I. cognomine *Aucupis* Imperatoris, quod axioma ipſe recuſaverat: Sicque *Othonum* I. II. III. Imperatorum, de quibus vide inter Imperatores, progenitor. Alii tamen, de *Othonianæ* hujus lineæ origine aliter ſentientes, Witikindum I. Wigberti & Witikindi II. Wigbertum autem Walperti & Brunonis Patrem conſtituunt, atque hunc Brunonem his Othonibus Patrem aſſignant.

OTHO, fil. Ludolfi, qui primogenitus *Othonis* I. Imperatoris poſt ſocerum Hermannum Dux Sueviæ fuit, Patri ſucceſſit: per filium Henricum avus Conradi cognomine *Salici* Imperatoris cujus fil. Henricus III. genitor Henrici IV. fuit, quô natus eſt Henricus V. omnes Imperatores.

OTHO, cognomine *Dives*, à repertis argentifodinis, fil. Dedonis II. Saxoniæ Ducis Fribergam condidit; Friderici I. Imperatoris adverſùs Henricum Leonem miles, à Ludovico Landgravio Thuringiæ, dein autem filio Alberto cognomine *Superbo*, captivus detentus eſt: Pater Theodorici, cujus fil. Henricus cognomine *Illuſtris* A. C. 1249. Landgraviatum Thuringiæ ſibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ in domum ſuam poſtliminiò reduxit. Ph. J. Spenerus *in Fam. Sax.*

Ex Familia Guelfica.

OTHO, fil. ſecundogenitus Henrici Leonis Ducis Bavariæ ac Saxoniæ potentiſſimi, quartus hujus nominis Imperator juſſu Innocentii III. Philippo Suevo oppoſitus eſt A. C. 1199. ſed cùm à Pontifice Anconam, Thuſciam, Calabriam, Apuliam & Romaniolam repoſceret, quæ anteceſſores Imperio eripuerant, ab ipſo quoque diris devotus eſt, electô Fridericô II. Tandem à ſuis etiam deſertus, Imperiô excidit, & moriturus dicitur coquinariis ſuis, ut collum calcaneis premerent, præcepiſſe. Ejus frater minimus Wilhelmus Brunſuicenſium Ducum fuit conditor. Illô enim genitus,

OTHO, cognomine *Puer*, vel *Parvus*, Brunſuicô, quod filiæ Henrici patrui dicuntur Imperatori vendidiſſe, præſidium Friderici II. Imperatoris ejecit, ab eodem tamen poſteà Brunſuici ac Lunæburgi Dux creatus, A. C. 1235. cùm, conventione cum Aſcaniis initâ, Saxoniæ omiſiſſet titulum. Ditiones multis acceſſionibus, emtionis aliiſque titulis, auxit: Pater Johannis, Lunæburgicæ: & Alberti, Brunſuicenſis lineæ, conditorum.

OTHO, fil. Henrici cognomine *Junioris*, (familiæ Grubenhagiæ, quam Alberti modò dicti fil. major natu Henricus cognomine *Mirabilis*, orſus fuerat) à Johanna I. Regina Neapolitana maritus, cùm pro ea in Italia bellum adverſùs Pontificem gereret, electus eſt, A. C. 1378. titulum tamen Principis tantùm gerere juſſus. Hujus cautus poſt Jacobum Aragonium Majoricæ Regem ſam, cùm illa plures hoſtes haberet, excommunicata ab Urbano, qui Carolo Dyrrachio Regnum aſſignârat & undiquaque oppugnata, fortiſſimè tuitus, bis captus, ac demum A. C. 1388. vel ſeriùs, ex vulneribus ad Neapolim acceptis, eſt extinctus, nullâ prole relictâ.

OTHO, cognomine *Largus*, vide infrà.

OTHO I. cognomine *Magnus* vel *Claudus*, vel etiam *von der Heide*, fil. Bernhardi Ducis Lunæburgici, Comitatum Eberſteinium, à ſocero Hermanno, cùm ejus fil. *Otho*, ob occiſum Henricum Dominum *de Hornbach*, fugâ patriam deſeruiſſet, (ſator inde Eberſteniorum Neugartenſium) obtinuit. Frater Friderici cognomine *Religioſi*, qui ſtemma propagavit.

OTHO II. cognomine *Victorioſus*, fil. Friderici prædicti, ex Magdalena Brandeburgica, genuit Henricum cognomine *Juniorem* vel *Medium*: ipſe ante Patrem mortuus.

OTHO III. fil. maximus natu Henrici modò memorati, aliquandiu adminiſtrationem provinciæ geſſit, fratri dein Ernesto acceptâ pecuniæ certâ in annos ſingulos penſione ceſſit: Harburgiorum conditor. Ejus fil.

OTHO IV. cùm ex nobili Metta de Campen ſuſceptus eſſet, linea à reliquis agnatis initio non agnita eſt; ſed auctoritas Cæſarea illam eſt tutata. Ejus filii tamen omnes ſine prole deceſſerunt, ultimô extinctô A. C. 1642. Ex Patruo verò ejus Ernesto, præter alios, natus eſt Franciſcus *Otho*, ſed etiam ἄπαις.

Ex Famil. Badensi.

OTHO, Marchio Badenſis, Hochbergicæ lineæ, fil. Henrici, Dux copiarum Leopoldi Auſtriaci ad Sempacum cecidit, A. C. 1386. Frater Heſſonis I. in cujus filio *Othone* minimo natu, qui mortuus eſt A. C. 1418. Hochbergicus ramus defecit, ſucceſſione ad alterum Suſenbergium delatâ, cujus auctor fuerat Rodolfus III.

OTHO, fil. Rodolfi IV. fratris Rodolfi V. A. C. 1356. præmortui ex Catharina Thierſtenia filium Rodolfum VI. poſtquam tutor ejus fuiſſet, hæredem reliquit: inter cujus filios quoque *Otho* fuit, qui ab A. C. 1431. Conſtantienſem Epiſcopatum rexit.

Ex Famil. Hassiaca.

OTHO, fil. Henrici cognomine *Pueri*, qui ex Ducibus Brabantinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tinis ortus, Familiam Haſſiacam condidit, Patre mortuô A. C. 1308. in diviſione hæreditatis Principatum ad Lanum nactus eſt, frater maximus natu Johannis, qui Caſſellas, & Ludovici Epiſcopi Monaſterienſis, qui Marpurgum accepit. Sed fratrum tandem ſucceſſor, factâ A. C. 1311. conſtitutione, jus Primogenituræ, & ut primo tantùm *imperantis Domini* titulus daretur, introduxit, à Moguntino Præſule excommunicatus, ſicut & Pater fuerat. Eô geniti Henricus cognomine *Ferreus* ſeu *Magnanimus* ſucceſſor, Ludovicus, Hermannus & *Otho* Archiepiſcopus Magdeburgenſis, è quibus Ludovicus & Hermannus, vi paternæ conſtitutionis, paucis quibuſdam dominiis acquieſcere coacti ſunt. Obiit autem *Otho* A. C. 1326.

OTHO, fil. Mauritii, ex Anna Solmenſi, Hirſchfeldæ Abbas, triſti morte extinctus eſt, A. C. 1617.

Ex Famil. Wandalica.

OTHO I. fil. major natu Barnimi I. Pomeraniæ citerioris Ducis, Stetinenſem ramum, ſicut frater ejus Bogiſlaus IV. Wolgaſtenſem, orſus eſt. Nactus namque Stettinum, & quidquid Orientem verſus ad Pomerelliam ſitum; bellum adversùs Megapolitanos, dein Ludovic. Bavarum Electorem Brandeburg. cui Epiſcopus Caminenſis aſſiſtebat, habuit: Belgardiæ dein tranſactum, ut Epiſcopi Duces fundatores ac Patronos agnoſcerent, & communes haberent ipſiſcum hoſtes. Ei in regimine ac bello adverſus Ludovic. prædictum ſucceſſit A. C. 1345. Barnimus cognomine *Magnus*, qui bellô ſæpius victor, tandem tamen dicitur in caſum deficientis prolis Brandeburgicis ſucceſſionem addixiſſe.

OTHO II. fil. Suantibori II. minimi natu filii Barnimi præfati, fratrem habuit Caſimirum VI. cujus ex filio Joachimo nepos fuit,

OTHO II. qui Patri ſucceſſit A. C. 1451. Sed cùm in eo A. C. 1464. mortuo, ramus defeciſſet, acre inter Brandeburgicos, quibus Imperator Fridericus III. feudum contulerat, & Agnatos reliquos Wolgaſtenſis rami bellum ortum eſt; præſertim cùm in Hiſtoriarum tenebris ſeries genealogica, quòd ab eadem deſcenderint origine, doceri ſatis non poſſet. Sed penès Wolgaſtenſes manſit victoria, & Wartiſlaus X. ac Ericus II. fratres, *Othoni* ſucceſſerunt.

Ex Famil. Ascania.

OTHO I. Comes Aſcaniæ.

OTHO II. fil. Alberti II. qui Aſcaniam reſtaurâſſe, & Bernburgum condidiſſe dicitur: Frater fuit Sigiſmundi & Alberti. Eô genitus

OTHO III. pater Eſici ac Theodorici Eccleſiaſtici, avus Ortolphi, cum fratre Eſicô præliô adverſùs Hungaros, ad Merſeburgum, occiſus eſt A. C. 933.

OTHO IV.

OTHO V.

OTHO VI. fil. Erneſti, frater Henrici, Erneſti (quos Wœlpanos nominant Comites) Richardi & Eſici: quô ultimô natus

OTHO VII. cognomine *Magnus* ſeu *Dives*, à ſocero Magno, Electore Saxoniæ, Marchiam veterem, patri Othonis à Pribiſlao Rege Herulorum, & huic à Magno ereptam, rurſus accepit: Saxoniæ verò Ducatum adverſùs affinem Henricum cognomine *Nigrum* ſibi vindicare fruſtra conatus eſt. Pater Alberti cognomine *Urſi* ſeu *Pulchri*, Principis ſuâ ætate celeberrimi, cui Conradus III. Imperator Marchiam Brandeburgenſem contulit. Hôc genitus

OTHO I. Elector Brandeburgicus, ſtirpis Brandeburgicæ; ſicut frater ejus Bernhardus, Saxonicæ, conditor: Bellô adverſùs Wichmannum Archiepiſcopum Magdeburgicum, & Ulricum Epiſcopum Halberſtadienſem primùm captus, aliô præliô Archiepiſcopum vulneratum ipſe cepit. Auxilium quoque Odoacro, Regi Bohemiæ, adverſus Belam Ungariæ Regem tulit. Mortuo A. C. 1198. ſuperfuêre, præter alios, Henricus Præpoſitus Tangermundæ, ſuâ voluntate Marchiam veterem in Epiſcopatum mutaturus, & ſucceſſores in Electoratu *Otho* II. ac Albertus II.

OTHO II. fil. prioris, in Palæſtina ſtrenuè ſe geſſit, Ludolfum Archiepiſcopum Magdeburgenſem & Conradum Epiſcopum Halberſtadienſem A. C. 1203. cepit, obiitque paulo pòſt improlis, ſucceſſore fratre Albertô II. quô ex Mechtilde Marchionis Luſatiæ filia, nati ſunt Johannes, (pater Johannis II. *Othonis* & Conradi) ac

OTHO III. cognomine *Pius* & *Beneficus*, qui poſt expeditionem Aſiaticam reverſus domum, ab Hildebrando Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Ludovico Epiſcopo Halberſtadienſi captus, ſolutòque lytrô dimiſſus eſt: ſed alterâ vice, cùm eundem adorirentur, eos profligavit & alterum cepit: Imperiale axioma, poſt Wilhelmum Hollandiæ Comitem ſibi oblatum recuſavit: Brandeburgum Boruſſiæ condidit; Pater ex Beatrice Bohemica Johannis cognomine *Pragenſis*, ubi educatus & in haſtiludio periit: *Othonis* cognomine *Longi*, qui tutor fuit Wenceſlai Bohemiæ Regis & à Cruciferis Boruſſiæ novam Marchiam emit: Alberti & *Othonis* cognomine *Parvi*, Rudolfi I. Imperatoris generi, demum Templarii, ac tandem Monachi. E quibus ſolus *Otho* Longus, ex Juditha Hennebergica reliquit filios, *Othonem* cognomine *Magnum*, poſt mortem uxoris, Magiſtrum Ordinis Teutonici Albertum, Guntherum improles & Hermannum cognomine *Longum*, cujus fil. Johannes cognomine *Illuſtris*, lineam clauſit A. C. 1312. Fuit etiam *Otho*, Templarius, in eadem linea, fil. Conradi Electoris, frater Johannis III. & Woldemari ſimiliter Electorum.

OTHO, fil. Alberti II. Electoris Saxoniæ, ex Agnete, Rudolfi I. Imperatoris filia, frater fuit Rudolfi I. majoris natu; qui Patri ſucceſſit, ipſe Albertum Epiſcopum Naumburgenſem genuit.

OTHO, fil. Rudolphi memorati, ex Juditha Brandeburgica, frater Rudolphi II. ante hunc vivis exceſſit, relictô ex Agnete Lunæburgica filiô Albertô, pro quo, quem initiò ipſe avus Wilhelmus ultimus Dux Lunæburgicus hæredem eſſe juſſerat, ſucceſſio Lunæburgica fruſtra à Carolo IV. petita fuit, qui eam eidem quidem Alberto ex parte, ſed & patruis ejus Rudolfo ac Wenceſlao contulit; Unde inter hos & Brunſuicenſes Lunæburgicorum Principum agnatos, acerrimum bellum conflatum eſt.

OTHO, è filiis Henrici cognomine *Senioris*, (qui à Friderico II. Imperatore primus creatus eſt Princeps Anhaltinus) ex Mechtilde Brunſuicenſi, Aſcaniam ſeu *Aſcherſleben*, in diviſione paternæ hæreditatis, nactus, filium *Othonem* ipſe ſepelivit. Frater Sigfridi Serveſtanæ, & Bernhardi, Bernburgicæ lineæ, Auctorum. *Othoni* patruô, cùm Bernardus II. primi fil. in Bernburgenſi linea, ſucceſſiſſet, ejus frater Albertus Epiſcopus Halberſtadius ab ipſo diſſidens Aſcaniam Capitulo Halberſtadio, ope viduæ Othonis Eliſabethæ, quæ eam dotalitiô adhuc nomine poſſidebat, adſeruit: unde Bernhardus III. illâ ditione vi ejectus, hinc *Spoliati* cognomentô inſignitus eſt.

OTHO, fil. minimus natu Bernhardi III. præfati, pater fuit Bernhardi & *Othonis*, qui lineam Bernburgicam clauſêre, ſeculô 15. ſucceſſore Georgiô agnatô.

Ex Familia Piastea.

OTHO, fil. natu minor Boleſlai *Chrobri* dicti, Poloniæ Rex A. C. 1025. cum fratre Miciſlao II. Patri ſucceſſit, ſed à Miciſlao pulſus, ad Conradum II. Imperatorem ſe contulit: unde hic Miciſlaô ad Bohemos fugere coactô *Othonem* reſtituit, qui diadema paternum Cæſari tranſmiſit. Donec Othone à milite cæſô, frater denuo clavum arripuit, Maſoviâ tamen à regno avulſâ, quam Maſlaus pocillator ejus, ſeu Imperiali auctoritate, ſeu defectione ſuâ, ſibi vindicavit.

OTHO, fil. Miciſlai cognomine *Magni*, vel *Senis*, Poloniæ Principis, Patrem A. C. 1202. extinctum, mox ſequutus, filium reliquit Vladiſlaum cognomine *Sputatorem*, qui Patruum Vladiſlaum, cognomine *Laſconogum*, Principatu exuit.

Comites Principesque, ex Familia Nassovia.

OTHO, cognomine *Magnus*, Comes Naſſoviæ, Toparcha Loperæ, Lauriburgii & Sonnenbergii, fil. Johannis Naſſoviæ Comitis, ex Sibylla, Ludovici Saxoniæ Palatini filia, caput omnium, quotquot in illuſtriſſima hac Familia ſuperſunt. Quanquam enim per trecentos ante ipſum annos, ab Adolfo, Haſſiæ præfecto, & Comitatui Naſſoviæ regendo præpoſito, ad eum uſque Comites Naſſoviæ, perpetuâ ſucceſſionis ſerie, memorentur ultra triginta, ab hoc tamen vulgatæ Genealogiæ ſeries initium capit. Ab Henrico is Aucupe Imperatore exercitui contra Hungaros ſummus Dux præfectus; Hungariam victor peragravit. Inde haſtiludio Magdeburgenſi interfuit. Plerumque Norībergæ commoratus, ibidem deceſſit, & ſepultus eſt: quem habitationis locum moremque non pauci dein Naſſoviæ Comites ſecuti ſunt. Pater fuit, ex Magdalena, Walravii Comitis Sponhaimenſis filiâ Henrici, Canonici Moguntini: Walravii, ſucceſſoris, Luciæ Hildebrando Sainæ Comiti nuptum datæ & Barbaræ, Goſſelini Ducis Limburgenſis uxoris. Tribuitur ei ingens prudentiæ, fortitudinis, & animi excelſi, elogium: ut dignus omnino fuerit, à quo tot tantarumque familiarum illuſtrium quaſi coloniæ, inciperent. In Walravii filiis prima ſtemmatis diviſio facta eſt, altero filiorum, Patri, in provinc. *Naſſoviæ*, ſuccedente; altero *Othone*, *Geldriæ* Principatum adepto. Secunda diremptio, octavo ab *Othone M.* gradu cœpit: liberis Henrici cognomine *Divitis* ita hæreditatem erciſcentibus, ut *Othoni*. Dilleburgum cederet, Walravio Weisbadenſis obtingeret Comitatus, unde *Dilleburgicus* & *Weisbadenſis*, rami; quorum ille, *Beilſteniam*, *Auriacam* cœteraſque, iſte *Saræpontanam* & *Weilburgenſem*, lineas, ex ſe dedêre.

OTHO I. Walraviô, filiô Othonis Magni, genitus, Geldriæ, cui gubernandæ præfectus erat, poſſeſſionem, titulo *Comitis*, voluntate Henrici Aucupis Aug. in Comitiis Mogontiacenſibus, nactus eſt A. C. 1090. Adjecta & Zutphaniæ provincia, quæ ab eo die Gelriæ territorio annexa eſt. Sic ſtemmatis is Gelro-Zutphanienſis conditor, quod aliquot ſeculis floruit, Geldriæ mutavit inſignia, & Leo argenteus, in cœruleo clypeo, tres meſpilorum flores, in aureo clypeo rubros, expunxit. Obiit A. C. 1107. Zutphaniæ tumulatus. Ex Adelheida, Vichardi Geldriæ Gubernatoris filia & ex aſſe hærede (unde ei via ad ad Geldriæ poſſeſſionem) Gerhardum I. ex Sophia, Vichmanni Zutphaniæ Comitis filia unica, Gerlacum genuit: quorum hic præliô ad Iſſelmondam cæſus, ille Patris in imperio ſucceſſor fuit.

OTHO II. Gerhardi modò dicti, ex filio Henrico, marito Mariæ, Godofredi II. Hieroſolym. Regis filiæ (quæ magnam Velaviæ portionem dotis locô accepit) nepos, fratri Gerhardo II. ſucceſſit: de Velaviæ jure, cum Balduino Trajecti Epiſcopo, Florentio Hollandiæ & Theodoro Cliviæ, Comitibus, poſt fratrem cruentis præliis decertavit, donec ſententiâ latâ eam illi Fridericus I. Imperator addixit. Quem poſtea contra Saracenos ſequutus, præſtitæ fortiter operæ præmia redux impetravit. Neomagum & Emmericum oppida ad Rhenum Vahalimque floſrentiſſima, Cliviæ Duci erepta: è quibus tamen Emmericum, temporis tractu, ad Cliviæ Duces rediit. Obiit A. C. 1202. ſeu, ut *Merula* habet, 1205. Pater Henrici, ob vitæ ſanctimoniam,

Divis adſcripti: Gerhardi III. ſucceſſoris; *Othonis* veteris Trajecti Epiſcopi; Adelheidæ, quæ Guilhelmo I. Hollandiæ & Zelandiæ Comiti & Margarethæ, quæ Adolfo Comiti Marcæ, nupsêre.

OTHO III. cognomine *Claudus*, fil. Gerhardi III. ex Richarda, (aliis Maria) Ruperti Naſſoviæ Comitis filia pacis ſtudiô non minùs, quàm à Majoribus armis factitatum, imperium auxit: muris oppida circumdedit, Monaſteriis condendis animum intendit. Obiit A. C. 1271. poſtquam 42. integros annos ditiones rexiſſet. Uxores habuit, priorem Margaretham, Theodorici IV. Cliviæ Comitis filiam, ſterilem; poſteriorem, Philippam ſeu Philippinam, Comitis S. Pauli filiam, è qua ſuſcepti Rinaldus I. Patris ſucceſſor, Henricus & Gerhardus maturè extincti ac Irmgarda, Theodorico VII. Cliviæ Comiti, nuptum data. Vide infra, in voce *Rinaldus*.

OTHO, fil. Henrici, *Principis* nomine in priſcis Annalibus aliquoties ſalutati, præter ditionem Naſſovicam & prædia Noribergenſia à majoribus, Ottone inprimis *Magno*, & filio ejus primogenito, Walravio I. (cujus frater Otho Gelriam, ut diximus, erat nactus, hæreditate traditâ, etiam Suabachiam & Cadelbergiam, poſſedit. Prudentiâ, juſtitiâ, virtute itidem bellicâ; inclytus: Obiit A. C. 1213. Pater ex Comite Virnenburgica, Henrici cognomine *Divitis*: quô, & Machtilde, Diederici Geldriæ & Zutphaniæ Comitis filiâ præter Walravium; primum Weisbadæ, Weilburgi, Idſtenii Comitem, natus eſt.

OTHO I. primus Comitatus Dillenburgici auctor. Hic enim, cui in diviſione hæreditatis paternæ, Dillenburgum, unà cum Herborna, Sigena, Beylſtenio aliiſque intra Lanum ſitis, fortitò obtigerat, ibi ſedem fixit, circa A. C. 1250. Inclytus & regendi & bellandi artibus, uxorem habuit Agnetem, filiam Comitis Solmenſis; ex ea Pater Henrici ſucceſſoris; Johannis, qui improlis obiit & Emichi, qui Noribergæ, familiari Comitum Naſſoviæ ſede, ſepultus eſt. Obiit A. C. 1292. imperii 37. Dillenburgi magnificè tumulatus.

OTHO II. fil. major natu Henrici præfati, frater Henrici (qui, factâ cum fratre hæreditatis patitione, Beylſtenii dominium nactus eſt) ditionem paternam auxit, Comitatus Viandenſis, Baronatus S. Viti & parte dominii Grimbergenſis adjectione. Belli gerendi peritiſſimus & conſilium animi magnitudine egregiè temperans, deceſſit A. C. 1369. Ejus memoriam aulæum ſervat, in arce Dillenburgica, cui hæc intexta: *Otho, Comes de Naſſau, bellicæ rei expertiſſimus, egregia & memoratu digna in vita peragens facinora; uxorem habuit D. à Leyden, de Viana, unicam filiam &c.* Liberi eorum erant, Henricus, in adoleſcentia defunctus: Johannes, Patris ſucceſſor, & *Otho*, idem cum Henrico fatum expertus. Inter Johannis filios, Engelberto quoque fil. fuit *Otho*, ſed itidem ſine prole extinctus.

Guilielmus OTHO, fil. Johannis Comitis Naſſoviæ, cognomine *Junioris* (Johanne Seniore geniti) ex Margaretha Holſata (filia Johannis Ducis) frater Johannis Mauritii majoris natu, Americanâ expeditione celebris, natus A. C. 1607. improlis deceſſit.

Hermannus OTHO, fil. Johannis Ludovici S. Romani Imperii Principis, ex Urſula (filia Simonis Lippiæ Comitis & Eliſabethæ Schauenburgicæ, *Othone* VI. Comite Holſatiæ genitæ) Canonicorum ſocietati variis in locis adſcriptus eſt: Moguntiaci, Auguſtæ Trevirorum, Coloniæ Agrippinæ, Argentorati, Halberſtadii & Hildeſiæ; quo in loco, ut & Treviris, Archidiaconi quoque munere eſt inſignitus. A. C. 1649. lætum ſancitæ Monaſterii pacis nuntium, ad Imperatorem detulit, magnificâ ab ipſo remuneratione excultus.

OTHO, porrò nomen variorum fuit Naſſoviæ Comitum, qui *Othonis M.* tempora anteceſſerunt, de quibus hæc pauca. *Otho*, fil. Theodori ſeu Diederici Haſſiæ Præfecti (Adolfô, cujus antiquiſſima inter Naſſovios mentio, geniti) & Gertrudæ Altorfenſis (Engelberti Comitis filiæ) Haſſiæ Præfectus, Naſſoviæ per annos 19. præfuit ſecul. 8. Pater, ex Irmentruda, (Goſſelini Ducis Arduennæ filia) Henrici & Goſſelini, qui brevi abrepti; Johannis ſucceſſoris, Alberti Canonici Moguntini & Hatmudæ, Sigeberto Eberſtenio Comiti nuptæ. Alius, fil. Philippi Naſſovii, ex Catharina Comite Hanoviæ, primus Solmæ Comes, hodiernorum Comitum conditor fuit. Alius Friderici, cui Philippus modò dictus frater erat, ex Metta Schirenſi (Othonis Comitis filiâ) intra adoleſcentiæ annos, obiit. Eôdem nomine inſignis fuit fil. Arnoldi (Friderici & Philippi modò dictorum fratris primogeniti) ex Leucherda (filia *Othonis* Comitis Linſelſtenii) Mortiſiorum Comitum, ut volunt nonnulli, conditor, matrimoniô Barbaræ (Palatinæ Kernittæ genitæ) Comitatum hunc adeptus. Item fil. Philippi Comitis ex Imagina (*Othonis* Hanoviæ Comitis filiâ) ſine prole deceſſit; tribus licèt nuptiis quæſitâ; primis nempe Johannæ Luciliburgenſis; ſecundis Theodoræ Preſſenſis; tertiis Margarethæ (Comitis Argentinenſis filiæ.) Item, unus ex filiis Diederici, Warmundô Comite Naſſoviæ geniti; Eccleſiaſticam vitam ſectatus. Item fil. Johannis Comitis ex Sibylla (Ludovici Saxoniæ Palatini filiâ) poſt fratrem Georgium, regimini admotus. Hic, unde generis propagationem quæſivit, vitæ invenit, & ſtemmatis ſimul paterni, terminum: ipſô nuptiarum die, quô Adelam Caſtelæ dominam ſibi junxit, in haſtiludio, à Comite Lochsmundæ (imprudenter, an per iram?) violentô concurſu confoſſus. Quô pactô, ſtemma regentium, ad *Othonem* propatruum Johannis proavi filium nonum, avi Georgii minorem natu fratrem, qui is ipſe eſt *Otho* Magnus, à quo exorti ſumus, delatum eſt. Cyr. Lentulus *Geneal. Comit. Naſſoviæ MS.*

Comites Oldenburgici, aliique.

OTHO I. Comes Oldenburgicus, fil. Ulrici, nepos Sigfridi, pronepos Regimberti, qui A. C. 918. Danos cæcidit, à ſpectro quodam mirabile cornu, quod adhuc aſſervatur, accepiſſe fertur. Eô nati ſunt Johannes Comes Oldenburgicus, & Conradus, à matre Comes Alvenſlebenſis. Idem nomen fuit filio Elimari II. Præpoſito Bremenſi, rami Hatſtedii, cujus conditor fuerat Chriſtianus.

OTHO II. cognomine *Berne*, fil. Mauritii, condidit Delmenhorſtum arcem A. C. 1247.

OTHO III. prioris ex Chriſtiano fratre nepos, Delmenhorſtum urbem fecit, frater Johannis, cujus fil. *Otho* Archiepiſcopus Bremenſis electus A. C. 1345. nepotem Mauritium aſcivit ob ſenium, extinctus A. C. 1349.

OTHO, fil. tertio-genitus Chriſtiani, Delmenhorſtanæ lineæ conditoris, fratribus Mauritiô præfatô & Chriſtianô à Butjadis A. C. 1368. cæſis, Patri ſucceſſit: cum patruele Conrado, Oldenburgici ramus, quem Johannes Chriſtiani frater major condiderat, de non alienando pactum iniit, filiam verò Annam Johanni agnato ex Hatſtediis deſpondit.

OTHO, prioris ex Chriſtiano fratre nepos, cognomine *Simplex*, Bremenſibus Comitatum Delmenhorſtanum, ſi ſolvendo non eſſet, & illi filium Archiepiſcopum eligerent, aſſignavit: ita electus fil. Nicolaus A. C. 1421. deceſſit A. C. 1435. Comitatum nihiloſecius ſibi vindicante ſororis ejus Adelheidis maritô Theodoricô cognomine *Fortunatô*, Comite Oldenburgicô.

OTHO, fil. Gerhardi cognomine *Bellicoſi*, qui frater Chriſtiani I. Daniæ Regis Oldenburgicos continuavit; Canonicus Bremenſis & Colonienſis, cum fratre Adolfo, bellô Ditmarſicô periit A. C. 1500. Idem nomen fuit quarto genito filio Alberti I. Imperatoris qui cognomentô *Audax*, vel *Gratioſus*, Stiriam tenuit, & ſine prole maſcula deceſſit. Frater Friderici III. Imperatoris, quem tamen, quòd à Ludovico Bavaro Imperatore victus eſſet, inter Imperatores non numerant. Spenerus *Syll. Geneal. Hiſt.*

OTHO de S. Blaſio, quod Monaſterium eſt, in Diœceſi Conſtantienſi, floruit A. C. 1200. Epitomator Chronici Othonis Friſingenſ. alia quoque ſcripſit. Nauclerus, *l. 1. gener.* 38. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. l. 2. c. 55. &c.*

OTHO Bruckmannus, Friderico Holſatiæ Duci Perſicæ Legationis, immenſis ſumtibus ſuſceptæ, ſuaſor, eidem cum Ph. Cruſio præfuit. Revaliam mari itum, inde Narvam, Novogardiam, Moſcoviam, iter ſuum direxerunt; tum pervenêre in fluminibus Moſca Columnam, Okka Niſſinovogardiam, Volgâ Aſtracanum; Mare Caſpium trajecturi, naufragium paſſi ſunt, ſed ad *Niaſabath* evaſêre: Inde per *Ardebil* & Caſvinum, ad Metropolim *Iſpahanum* perventum. Cùm legatione defuncti eſſent, per Kilanum ſeu Hircaniam & Mokanum, iter inſtitutum. Derbentô egreſſi apud Tartaros Dageſtanos in Albania tranſierunt, inde per Terkios, Circaſſios, donec in Moſcoviam reverſi priorem viam temetirentur. Redux Bruckmannus capite luit, in Legatione admiſſa. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtorica* & Adam. Olearium *Itiner. Perſ.*

OTHO Brunfeldius, Moguntinus, Medicus & Mathematicus, ſcriptis inclytus, A. C. 1530.

OTHO Friſingenſis, Epiſcopus, fil. Leopoldi Ducis Auſtriæ, ex Agnete, filia Henrici IV. Imperator. Frater uterinus Conradi III. patruus Friderici Barbaroſſæ, frater Leopoldi Bavariæ, Henrici Auſtriæ, Gertrudis Bohemiæ, Berthæ Poloniæ Ducum, Itæ Marchioniſſæ Monferratenſis, & Conradi Epiſcopi Saliſburgenſis: Non minùs ingeniô & eruditione inclytus. Primùm, patris curâ, in Collegio Neoburgi ab illo fundato educatus, aliquandiu deinde Lutetiæ literis incubuit; Abbas exin Monaſterii cujuſdam Ordinis Ciſtercienſis in Burgundia factus, poſtmodum verò ad Epiſcopatum Friſingenſem, in patriam revocatus: A. C. 1148. Conradum Imperator. in Orientem ſecutus eſt: inde redux in Burgundiam rediit, obiitque A. C. 1158. In Philoſophiâ & Hiſtoriis egregriè verſatus: condidit Chronicon librorum 7. à M. C. uſque ad An. 1146. cum libro 8. de fine Mundi, & Perſecutione Antichriſti. Porrò ſcripſit libros 2. de vita Friderici Barbaroſſæ; Continuavit *Radericus, Monachus Friſingenſis.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 53.* Henriquez, *in Faſc. Ciſterc. Onuphr. Trithemium, Poſſev. Baron. Simler.* &c.

OTHO Heurnius, Ultrajectinus, ſcripſit *Antiquitatum Philoſophiæ Barbaricæ libros* 2. *&c.* ſub initium ſeculi hujus. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

OTHO, gentili nomine, *Junius*, tribunus plebis, qui, cùm damnatâ Acutiâ, præmium accuſatori decerneretur, interceſſit: ſed mox in exilium propterea pulſus eſt, Tacit. *l. 6. Annal. c. 47.*

OTHO Morena, auctor vitæ Friderici Barbaroſſæ, quam filius ejus Acerbus abſolvit. Voſſ. *l. 3. Hiſt. Lat. c. 7. Simler. Baron. Poſſev.* &c.

OTHO Roſcius, Tribunus plebis, tulit legem, quâ cautum eſt, ne quis in numero equitum ſit, qui 400. H. S. non habeat. Noſtræ monetæ 3125. libras, *Lloyd.* Juvenal. *Sat. 3. v. 153.*

——— *Exeat, inquit,*
Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit, & ſedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius, inter
Pinnirapi cultos juvenes, juveneſque laniſtæ;
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.

OTHO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OTHO, vide etiam *Otto.*

OTHOCA, urbs Sardiniæ, *Antonin.*

OTHOCARUS, Bohemiæ Rex, A. C. 1271. Vide *Ottocarus.*

OTHOES, Memphitarum Rex XVII. poſt Thamphtim, præfuit, à Satellitibus occiſus. Ei ſucceſſit Phius: Rameſſe-Mene in inferiore Ægypto regnante. Joh. Marshamus ex *Manethone.*

OTHOLIA, fil. Jeroam, 1. Paral. *c.* 8. *v.* 26. Latine *tempus*, ſive *hora Dei.*

OTHOLINIA, regio Scotiæ ad Ortum vergens; *Fiſe*, ubi Andreapolis.

OTHOMANNI, Turcarum Imperatores ab *Othomanno* quodam, qui primus ejus gentis Imperator fuit, etiam *Oſmanus* dictus, fil. Orthoguli ruſtici. Hic egregiis fortitudinis, contra Chriſtianos populareſque ſpeciminibus editis, plurimas Aſiæ minoris provincias, cum Sultanis, quibus parebant, exiguâ rebellium quorundam manu ſubnixus, ſubjugavit. Partem dein Cappadociæ & Bithyniæ occupavit, captiſque Sinope, Burſâ, &c. aliiſque plurimis magni nominis urbibus, Zoſimi illud Oraculum, quô lupos in Bithyniâ ſede fixâ, tandem ſceptrô Byzantinô potituros eſſe, prædixerat, verum reddidit. Voti ſemper compos, niſi quòd Nicæam & Philadelphiam fruſtra tentavit; Benignus, magnificus, & dignus à ſucceſſoribus habitus, cujus cognomento Ottomanni dici hodieque glorientur. Obiit A. C. 1326. Hegiræ 727. Imperii 27. vel 28. Chalcondylas, *Hiſt. Turc.*

OTHONA, oppid. Albionis regionis Eſſexiæ, *Ithanceſter Camdeno* videtur, locus non procul à Camaloduno.

OTHONIA, ſylva Germaniæ in Sueviæ & Franconiæ confinio apud Rhenum, inter Nicrum & Rhenum fluv. vulgò *Ottenwaldt.*

OTHONIEL, fil. Kenez, & frater Caleb minor natu generque, Joſ. *c.* 15. *v.* 17. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 13. de tribu Juda, 4. Dux Iſraëliticus judicavit populum Iſraël A. M. 2600. In eo fuit ſpiritus Domini, egreſſuſque eſt ad pugnam & tradidit Dominus in manus ejus Chuſam-raſathiam Regem Syriæ, cui Iſraëlitæ ſerviverant annis 8. & oppreſſit eum. Hic judicavit Iſraëlem, quadraginta annis, & mortuus eſt, A. M. 2640. Judic. *c.* 3. *v.* 9. 10. 11. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 5. *c.* 7. Othoniel Latinè ſonat, *tempus Dei*, ſive *hora Dei.*

OTHRIONEI, Macedoniæ populi Plin. *l.* 4. *c.* 10. inter Amantios & Lynceſtos.

OTHRISII, vide OTRISII.

OTHRONIENSES, populi circa Mæoniam, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

OTHRONUS, urbs, vel inſula ad Meridiem Siciliæ, aut ſecundùm alios Melitenæ, *Stephan.*

OTHRYADES, Spartiata, qui, cùm inter Argivos & Spartanos conveniſſet, ut 300. utrinque delecti de agro Thyreatico inter ſe decernerent, & utri ſuperiores extitiſſent, eorum regio foret; unus hic tantùm victor è Spartanis ſuperfuit. Quum verò duo, qui ex Argivis reliqui erant, fugiſſent, caſtris ſuorum relictis, ajunt, Othryadem, ſpoliatis priùs hoſtium corporibus, & ad ſua caſtra relatis armis, deinde erectò tropæô, cruoreque ſuô inſignitô, ac Jovi dicatô, & in ſcuto ſuo, quum adſcripſiſſet, *Vici*, quia puderet Spartam reverti ob ſocios interfectos, ſibi mortem conſcivisse. Vide Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 4. *externô.* Meminit ejus *Herodot.* Plutarch. *in Paral. Strabo*, & *Suidas.* Quibus adde Senecæ locum *in Suaſor.* 2. quem ſic lege; *Othryades penè à ſepulchro victor digitis vulnera geſſit, ut tropæa Laconum inſcriberet. En dignum Deo in Spartano ſacramento virum, cujus ne literæ quidem fuère ſine ſanguine.* Nec omittendum illud Crinagoræ, Ὀθρυάδην Σπάρτης τὸ μέγα κλέος. *Nic. Lloydius.*

OTHRYS, Theſſaliæ mons, non procul ab Oeta; Centaurorum olim ſedes & Lapitharum, Strabo *l.* 9. *Delacha* incolis vocatur. *Nivalis* Virgilio dicitur, *l.* 7. *Æn. v.* 675. quod fortè hauſit ex Nicandro; ſic enim ille *Theriacôn v.* 145.

Ναὶ μὲν καὶ νιφόεσσα φέρει δυσπαίπαλος Ὄθρυς
Φοινὰ δάκη.

Ubi *Scholiaſt.* Ὄθρυς, ὄνομα ὄρους Θεσσαλίας. Ex utroque Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 319.

——— ——— *Non ocyus alti*
In terras cadit ira Jovis, ſi quando nivalem
Othryn, & Arctoæ gelidum caput inſtitit Oſſæ.

Idem *Achilleid. l.* 1. *v.* 238.

——— *Jam nubilus ingemit Othrys.*

Pinos dat ei Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 390.

Qualiter exoſus Pyrrhæ genus, æquora rurſus
Jupiter, atque omnes fluviûm ſi fundat habenas;
Ardua Parnaſſi lateant juga, ceſſerit Othrys
Piniger, & morſis decreſcant rupibus Alpes.

Idem Lloydius.

OTIA, in veſtibulo Somni, collocantur Statio *Theb. l.* 10. *v.* 91. ubi Idoli hujus aulam deſcribit:

Limen opaca Quies, & pigra Oblivia ſervant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia veſtibulo, preſſiſque ſilentia pennis
Multa ſedent &c.

Non abs re: Somnus enim vacationem humanorum operum infert. Aliàs *Otia*, amœnitates dicuntur ad otium proritantes. Idem *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 265.

Nec Pompejani placeant magis otia *Sarni.*

Ad illud Virgilii, *Georg. l.* 4. *v.* 563.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis otii.

Hinc *otioſa Neapolis*, Horatio *Epod.* 5. *v.* 43. & *in otia nata Parthenope*, Ovidio *Met. l.* 15. *v.* 711. De cujuſmodi *Otiis* ſeu Seceſſibus Principum diximus alibi. Ut de *Otioſis* aliquid addam: *otioſum eſſe*, apud Thraces olim honeſtum erat, & raptô vivere præclarum, agriculturæ verò ſtudium contemptiſſimum, apud Herodot. *l.* 5. Contrà *otioſos* reprehendit Paulus 2. Theſſal. *c.* 3. *v.* 10. legibus coërcet Amaſis, apud Herodotum eundem *l.* 2. & Solon apud Alexandrum ab Alex. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 13. Sardi, apud Ælian. *Var. l.* 4. *c.* 1. Alii. Salariis privat Antoninus Pius, *Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius*, inquiens, *quàm ſi Remp. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent*, apud Capitolin. *c.* 7. Urbe expellit Pericles, apud *Plut.* morte etiam Draco punit, apud Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 11. *c.* 3. Alia notio vocis, cùm de Philoſophis uſurpatur; ut infrà videbimus, ubi de *Philoſophia.*

OTIES; Græcè Ὠτιεῖς, pars Cypriorum, *Steph.*

OTINUM, oppidul. Holſatiæ, in Wagria, cum caſtro; *Outin*, ſedes Adminiſtratoris Epiſcopi Lubecenſis, è Ducibus Holſatiæ. *Eutyn*, quibuſdam ferè medium inter Lubecam & Chilonium, 5. milliar. German. utrinque.

OTIS, *Aſſariphi* Scriptori Arabi, avis eſt magni colli, cinerei coloris, roſtri utcunque longi, notiſſima in Oriente, carnis inter gallinaceam & anſerinam mediæ, ſed anſerinâ levioris: cui ſtercus pro telo eſt, ut addit *Damir.* Nempe cùm eam inſequitur accipiter, non ceſſat cum accipitre aſcendere & deſcendere, donec in ejus pupillam incidens ſtercus in eam conjecerit: Quô factô conſtrictus manet accipiter, ut qui pedibus manibuſque vinctus eſt. Tum verò convenientes otides accipitris plumas vellicant, unde ei certa mors, uti habet Alkazuinius. Eandem avem brevis eſſe tardique volatus, propter corporis gravitatem, Græci Scriptores aſſerunt, Xenophon *in Cyro min. l.* 1. Athen. *l.* 9. *Plut.* Ælian. *l.* 5. *c.* 24. unde & *tardam* dictam docet Plin. *l.* 10. *c.* 22. Quibus tamen contrarium docent Arabes Scriptores, illam à volatu quoque commendantes. *Damir*, *Avem eſſe fortiſſimi volatus longiſſimeque evagari, ex eo patet, quòd, cùm capitur circa Baſoram, ad Euphratis oſtia, in ingluvie ejus reperitur gramen viride, cujus arbor terebinthus creſcit in finibus Syriæ Damaſcenæ. Unde eſt, quòd vulgatô Proverbiô dicimus, aliquem eſſe Otide volaciorem*, ſi verbo datur venia. Ovis illius utuntur, ad denigrandos capillos, ſed non niſi maſculinis, i. e. unde mares naſcituri ſunt, quæ filô inſertô dignoſcuntur; illud enim è maſculino ovo nigrum educitur, Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 22.

OTIUM, inter Gentilium Numina, ſub *Quietis* & *Vacunæ* nominibus, quæ vide, ut & ſuprà *Dii*, item *Labor*, & *Otia.* Addo, τῆς Ἀργίας Legem, *de otioſis morte multandis*, ex Ægypto à Solone advectam, tradere Herodotum *l.* 2. *c.* 177. ubi Amaſin conſtituiſſe, ut, quiſquis Ægyptiorum quotannis Nomarchæ juſ unt vitæ ſuæ rationem non demonſtrâſſet, morte mulctaretur, refert. At Solon leges Athenienſibus promulgavit, antequam in Ægypto regnaret Amaſis: neque Solon, ſed Draco, ſtatuit mortem eſſe otii pœnam, Plut. *Solone*: quamvis neque de pœna iſta ſatis conveniat. Juxta Draconem, *Otii* pœnam infamiam: juxta Solonem ejus tertiò reum infamem eſſe, apud Pollucem extat *l.* 8. *c.* 6. Lyſias Draconem legem ſcripſiſſe: Ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔσω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι, *Otioſi nomen deferre cuivis liceat*, ait, *contra Nic.* Solon itaque non legis auctor fuit, ſed Areopagitis negotium dedit, ut viderent, unde quiſque viveret, & in *Otioſos* animadverterent, Plut. *ibid.* Sed & Theophraſtus tradidit, Piſiſtratum τῆς Ἀργίας legem tuliſſe, quâ & agrum cultiorem & urbem infrequentiorem redderet, *Ibid.*

OTLINGUA, apud medii ævi Scriptores, *Saxoniam* notat. Vide *Capitular.* Caroli C. *p.* 113. 1. *edit.* Sic dictus pagus Galliæ, in Neuſtria provinc. ubi conſedêre Saxones, cognominati *Oſtlingui.* Et quidem Saxones, ad oras Sequanæ maritimas, conſediſſe, probat littus Saxonicum, in Gallia, cujus mentio eſt in *Notit.* Imperii. *Saxones Bajocaſſinos* memorat Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. l.* 5. *c.* 27. apud C. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ubi de *Saxonibus Gallicanis.*

OTLO, vel OTHOLON, Monachus Fuldenſis, floruit ſeculô 10. Auctor vitæ S. Primiani, &c. Caniſ. *in antiq. lect.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 41. *Surius*, *Chriſtoph. Brouwerius*, &c.

OTMAN, vide OSMAN.

OTOMEGALI, h. e. *homines promiſſas aures habentes*, memorati Plinio aliiſque, non ſine ratione, ab illis Hiſtoriæ inſerti ſunt. Non quidem, ut auribus tam patulis eſſe credamus, ut interdiu veſtium, noctu ſtragulæ & æſtûs tempore umbraculi locô ipſis inſerviant, quod audax fingendi licentia hiſtoriæ aſſuit: ſed tamen, ut patulæ omnino & prolixæ eſſe verè dicantur. Namque littoris Malabarici incolæ communiter etiamnum pandas & promiſſas aures habent, exiſtimantque ornatui ſuo multum deeſſe, niſi utrinque humeros non contingant modò, ſed etiam latè flagellent. Vide Iſaac. Voſſ. *in Pomp. Melam l.* 3. *c.* 6. & infrà *Panotii.*

OTPOPA, vide ſuprà *Oppopa.*

OTREUS, Ciſſei fil. Hecubæ frater. *Heſychius*, Ὄτρευς καὶ Μύγδων βασιλεῖς Φρυγίας.

OTREUS, è Mariandinis Princeps, Procus Heſionæ Trojanæ; ab Amyco interfectus, Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 162. Fil. Daſcyli & Anthemoïſæ, Tantali ac Lyci fluminis nepos, in bello Colchico, quod Perſes contra Aeëten movit, ab Ambeno haſtæ fragmine occiſus, Herodot. *l.* 6. *c.* 252.

OTRICULUM, vide OCRICULUM.

OTRISII, vide ODRISII.

OTROEA, oppidul. in finibus Bithyniæ, paulo ſupra Aſcanium lacum, *Strab.*

OTRYE, oppid. fuit Phrygiæ magnæ in confinio Lydiæ. Cujus oppidani *Othronienſes*, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

OTTA, ſeu Ebuſus, fil. Hengiſti, qui unà cum Horſa A. C. 449. Angliam occupavit, per filios, hinc Iddam, Northumbriæ Reges: inde Wiffam, Reges Eaſt Angliæ, ſeu Angliæ Orientalis proſevit. Frater *Ottici* ſeu *Oſci*, qui Cantii Reges dedit & Hadwakeri ſeu Andacharii, vel Odoacri, qui in Germania ſtemma produxiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

duxiſſe fertur, per illos poſteros, Hadvigatum, Hildericum, Bodicum, Bertholdum, Sighardum vel Sigiſmundum, Saxonum Reges vel Duces. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Hiſtor. in Fam. Saxonica.*

OTTAROCORÆ, apud *Ptolemæum*, qui aliis *Ottacoræ* & *Attacoræ*, populi Sericæ, quorum urbs *Ottorocora*; meminit & montis *Ottorocorra* idem, quem Appianus *Opurocarra* vocat *l.* 3.

OTTERA, Marthehæ filia, quâ regnante Amazonum imperium in id opulentiæ, gloriæ ac famæ pervenit, ut Euryſtheus rex, quaſi rem impoſſibilem, Herculi imperârit, ut Amazonum reginæ arma ſibi afferret.

OTTHORA, urbs Phœniciæ, *liber Notit.*

OTTINGA, oppid. Sueviæ, ad Vernitium fluv. ſub proprio Comite, 2. milliar. German. à Nerolinga in Cæciam Norimbergam verſus, 6. ab Eiſtato in Occidentem.

OTTO Jacobus JCtus Sac. Cæſ. Lateranenſis Palatii Comes & Reip. Ulmenſis Conſiliarius. Natus Ulmæ d. 8. Febr. A. C. 1633. in inclyta Raurica Juris U. D. creatus eſt; exin à Senatu Ulmenſi in Collegium Juridicum cooptatus, paulo pòſt à Leopoldo Aug. Dignitate comitivæ & ſingulari Monili donatus, *Europæ Coronam Triumphalem, à Cæſare filio Joſepho* I. *Romanorum Regi* XIII. *impoſitam*, ſcripſit conſecravitque. Poſtquam *Hypotypoſin legitimationis illegitimorum*, *A. C.* 1673. ejuſdem alteram partem, *de Legitimatione per ſubſequens matrimonium*, A. C. 1678. *Cynoſuram Auguſti & Auguſtæ*, A. 1680. *Delectum Paternorum Conſiliorum Exoticorum* A. C. 1681. *Corpus Juris Criminalis Carolini*, A. C. 1683. aliaque tum Latinô, tum vernaculô ſtylô, exarata, publici juris feciſſet. Haud pridem inſtitutæ Societatis Teutonico-Leopoldinæ Hiſtoriæ Univ. Germ. membrum factus, B. Rhenani *Rerum Germanic. libros tres* eruditis *Notis* illuſtravit edidítque A. C. 1693. Tiraquelli JC. inclyti exemplô tot librorum quàm liberorum, parens.

OTTO Sebaſtianus, prioris Pater, inclytæ Reip. Ulmenſi aliiſque Imperii Statibus à conſiliis: ſcripſit varia, inter quæ, *Conſiliorum* ejus *Exoticorum delectum* edidit, Illius Filius, ut diximus.

OTTO, vide OTHO.

OTTOBERTUS, fil. Eberhardi ſenioris, Habſpurgiorum veterum ex adoptione hæres, & Monaſterii Trudpertini inſtaurator, Pater fuit Ramperti cognomine *Gratioſi*, cujus poſteri Guotramus, Luithardus, Luitfridus II. qui fratrem itidem *Ottobertum* habuit, Epiſcopum Argentoratenſem, cæſum A. C. 913. & Hundfridus, Guntrami cognomine *Divitis*, Habſpurgenſium Comitum indubitati Satoris, genitor. Spenerus *in Fam. Badenſi.*

OTTOCARUS I. Bohemiæ Rex, priùs Przemiſlaus dictus, Philippi Suevi Imperatoris partes quòd egregiè tueretur, ab eo Rex coronatus eſt, A. C. 1199. Quem cùm divortiô ſuô offendiſſet, A. C. 1208. dimidiâ parte regni mulctatus, tam obſtinatè ſe Ottoni, ejus æmulo, applicuit, ut diceretur *Ottogarus*, quod Germanis denotat, *in ſolidum Ottonis.* Dubrav. *in Hiſt. Bohem.* Spangenberg. *in Chron.*

OTTOCARUS, meliùs OTTOGARUS II. ut ex *Dubravio* patet, dictus aliàs Wenceſlaus, priori ſucceſſit. Eum excepit.

OTTOCARUS III. Rex Bohemiæ, à Stiriis *Dux* Stiriæ creatus, uſurpavit Ducatum Auſtriæ, vel potiùs ductâ in uxorem Margaretâ Auſtriacâ, acquiſivit, A. C. 1247. Stiriam Belæ Regi conceſſit, Prutenos vicit, Montem Regium condidit, obtinuitque A. C. CIↃCCLXIX. Carinthiam, ſed diu conſervare non potuit. Nam cùm eò arrogantiæ provectus eſſet, ut, contemptâ Imperii Majeſtate, de clientalibus Bohemiæ beneficiis Cæſari Rudolpho Habsburgio ſacramentum dicere nollet, citatur ad Auguſtam Vindelicorum ſub graviſſimis pœnis, uti ſe ſiſtat, ac de injuſtè occupatis Imperii provinciis, neglectaque ejus Majeſtate rationem reddat. Ridet citationem Ottocarus, neminemque ad Comitia, qui pro ſe reſpondeat, mittit. Interim legati, ab Auſtriæ ordinibus miſſi, Auguſtam ad Cæſarem Principumque conventum perveniunt, & apud Cæſarem Principeſque graviſſimè de injuria crudelitateque Ottocari conqueſti ſunt, decernitur communi principum ſententiâ legatos ad Bohemum mittendos, ſed cùm ii indigna in Cæſarem Imperiique Principes probra pro reſponſo retuliſſent, omnium conſenſu decretô bellô, ad id juſta Cæſari auxilia promiſſa fuerunt: At cùm utrinque maximæ collectæ eſſent copiæ, & Cæſar cum ſuis in Auſtriam contendiſſet, Ottocarus de prælii eventu, Cæſaris prudentiam ac vim veritus; dubitans, interceſſione duorum hinc inde Antiſtitum, pacem cum eo facit, reſtitutâ Auſtriâ, dictôque de Bohemiæ cæteriſque ejus provinciis Cæſari ſacramentô, in genua dum hæc fiunt, ante Cæſarem ſedens, inſpectante Bohemorum, Hungarorum, & Germanorum exercitu: qua de re, ut indigna, ab uxore hominibuſque turbulentis, Rex Ottocarus acerbè acriterque reprehenſus, violatâ pace, cum ingenti exercitu Auſtriam invadit: exit contrà Cæſar Rodolphus, Germanorum copiis Hungarorumque auxiliis ſtipatus, ac haud procul oppidô Marcheccô, cum Ottocaro congreſſus, eum XIV. M. cæſis ſuperat occiditque A. C. 1278. Æn. Sylv. *Hiſtor. Bohem. Natal. Metel.* Regnum tamen filio Venceſlao, elocatâ ipſi Jutâ filiâ reliquit, Alberto filio Auſtriâ donatâ, A. C. 1282. Bonfin. *Decad.* 2. *l.* 8. Addo, quòd is itidem *Premiſlaus* appellatus, Regnum Bohemiæ ad ſummam amplitudinem perduxit, illudque à mari Baltico uſque ad Hadriaticum propagavit. Præter enim Auſtriam; ab Ulrico, ultimo Carinthiorum Duce, titulô emtionis, Carinthiam, Carniolam, Marchiam Vinidorum, Slavoniam & portum Naonis, conſecutus eſt. Eidem Veronenſes, Feltrenſes, Tarviſini & multi ex Foro Julio ſeſe ſponte ſubmiſerunt. Hungaris Stiriam ademit & in Pruſſia, ſuperatis Tartaris, urbem extruxit Königsbergam, Æn. Sylvius *Hiſtor. Bohem. c.* 27. &c. Poſteris ejus remanſit Regnum Bohemiæ ac Moraviæ; è quibus etiam Wenceſlaus II. ductâ Rixâ, Poloniæ inſuper Rex creatus eſt, A. C. 1300. Quô mortuô, Poloni defecerunt, & Wenceſlaus II. ſecundô Regni ſui annô nefariè Olomutzii in Moravia obtruncatus, familiam Zechorum ſeu *Ottogarorum* finivit. Poſt eos Regnum Bohemiæ, à variis competitoribus miſerè dilaceratum, partim ad Henricum Carinthiæ Ducem partim ad Rodolfum, Alberti I. Imperatoris filium pervenit: quæ diſſidia durârunt, usque ad A. C. 1312. quô Regnum Bohemiæ ad domum Luciliburgicam eſt tranſlatum; è quibus Johannes, in prælio contra Anglos ad Creſliacum, A. C. 1346. cæſus, ſucceſſorem habuit Wenceſlaum cognomine *Carolum*, qui etiam Imperator, quartus hujus nominis, evaſit &c. Georg. Hornus *Orb. Imper.*

OTTOMAN, vel OTHMAN, vel OSMAN, עתמאן Arabib. nomen fuit Chaliphæ Saracinorum, qui Omaris ſucceſſor, annos 12. Saracenis præfuit, occiſus domi ſuæ A. C. 655. Item Principis illius Turci, à quo regia Turcarum familia hodie denominatur *Oſmannica* vel *Ottomannica.* Obiit is A. C. 1328. In poſteris ejus primus Bajazetes cognomine *Gilderin*, i. e. fulmineus, hoc genus parricidii orſus eſt, quod in hunc uſque diem in familia hac manet, juxta illud in Imperio Turcico celebratum dictum, *Unus Deus in cœlis, unus Ottomannus in Terris.* Fuit & *Oſman* II. fil. Achmetis, qui Sigiſmundo Poloniæ Regi bellum intulit A. C. 1621. ſed inde reverſus, à Janizeris ſtrangulatus eſt. Vide de priore, ſuprà in voce *Oſman*, ſeu *Oſmanes*, de poſteriore verò ſuô locô.

OTTOMARUS Luſcinius, Argentoratenſis. Vulgavit *Muſurgiam* A. C. 1535. aliiſque in publicum ſcriptis editis inclaruit. Vide Geſnerum & Simlerum *in Biblioth.* ut & Voſſ. *de Scient. Mathem. cap.* 60. *ſect.* 20.

OTTONIA, *Crantzio Tirholam*, inſula maris Baltici Cimbricæ Cherſoneſo adjacens, ſub regno Daniæ.

OTTONIEL *Diſcaltius*, JCtus Patavinus celebris, docuit Jus utrumque Ann. 42. ſcriptis excellentiſſimis æternam famam meritus. A Rodolpho ſecundo, Imperatore Comitivâ, & à Veneta Republ. Equeſtri dignitate honoratus. Obiit A. C. 1607. ætat. 71. Tomaſin. *in elog. Illuſtr. Vir. Patav.*

OTTONIUM, urbs Fioniæ inſulæ primaria in ejus ferè umbilico, media inter Neoburgum ad Ortum & Mildefariam ad Occaſum, 2. leuc. Danicis, ab ora ſinus Codani in Auſtrum, uti 9. ab Arhuſia, 14. à Sleſvico in Boream, 18. ab Hafnia in Occidentem *Odenſee.* Condita ab Haraldo Rege ſicque dicta in honorem Othonis 1. Imperatoris. Hìc conventus ab Epiſcopis regni habitus, A. C. 1257.

OTTOROCORRA, Sericæ regionis urbs, *Ptol. Salgora Mercatori.* Populi etiam *Ottorocorra*, *Attacori* Plinio, *l.* 6. *c.* 17. teſte *Villanovanô.*

OTTUS Marcus, vide *Marcus.*

OTTWEILER, quaſi OTTONIS-VILLA, caſtrum Wetteraviæ, ſub proprio Comite, ex Familia Comitum Saræpontanorum, ſeu in *Sarbrucken.* Nactus eſt autem illud, in diviſione hæreditatis paternæ, Joannes Ludovicus fil. Wilhelmi Ludovici Comitis Naſſoviæ in *Sarbrücken* maximus natu; & Dorotheam duxit Catharinam Palatinam: frater Guſtavi Adolfi, qui in *Sarbrucken*, & Volradi, qui in *Uſingen* habitat. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 21. Vide quoque eum *Arte Heraldicâ Tom.* 2. In lucem editus eſt præfatus Jo. Ludovicus A C. 1625

OTUS, Vide *Aloëus.*

OTUS, avis nomen, de qua aliquid infrà voce *Planipes.* Græcè ὠτὸς, ſicut *Otis*, de qua ſuprà, Ὠτίς. Alias *Oſio*, quaſi *Aſinio*, an quia rudentem aſinum æmulatur, an quia aures habet prominulas?

OTYS, Paphlagonum Rex, qui à Perſis ad Ageſilaum defecit. Xenophon. *l.* 4.

O. V. D. in notis antiquorum, *omni virtuti dedito*: O. V. F. *optimo viventi fecit*, ſignificat &c. Franc. Gouldm. *Dict. Lat. Angl.*

OVA, & avenæ, Oonæ inſul. incolarum cibus, ut docet Plin. *l.* 4. *c.* 13. Ab *ovo* etiam Romani cœnas ordiebantur: Unde illud, *Ab ovo uſque ad mala.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 6. & *Ad ovum integram adferre famem*, Cic. *l.* 9. *Ep. ad Patum* 20. Imò & in ſecundis eadem menſis apponebant, teſte Athenæô *l.* 14. Nec ſolùm hôc cibô nihil eſt paratius, quaquà iter facias: ſed nihil etiam purius mundiuſque; quippe nec intus ſordes habet ullas, nec manibus contrectatum inquinatur. Imò nihil ſecurius tutiuſque, unde hunc unicum cibum extra veneni vim ac ſuſpicionem Principibus aſſumi poſſe, Ampliſſ. aſſerit Forſtnerus *in Tacit. Notis.* Illud quoque ad commendationem facit, quòd ne igni quidem opus ſit, ſi per ſolitudinem circumgeſtes. Fundâ enim circumactum ſic jugi vertigine incaleſcit, ut citra ignem coquatur: quod Babylonios, venatibus aſſuetos, ubi in ſolitudine deprehenderentur, nec cibaria percoquendi eſſet occaſio, factitare olim fuiſſe ſolitos, docet, ex Suida in voce Περιδραμῶντες, Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 8. *c.* 12. Laudantur autem phaſianorum *Ova* præcipuè, ſed hæc, ob raritatem vix inferuntur menſis, niſi virorum Principum. Proximus illis locus gallinarum datur. Ex Athenæo tamen *l.* 2. diſcimus, Epænetum & Heraclidem Syracuſium in Ὀψαρτυτικῷ ſeu *libro Rei coquinariæ*, pavonum *Ova* omnibus aliis prætuliſſe, ac dein chenalopecum; ac demum tertiô locô gallinarum. Sed quantopere illa pavonum poſtea viluerint, arguunt hæc Macrobii *Saturnal. l.* 3. *c.* 13. cùm ait: *Ecce res non admiranda ſolùm, ſed pudenda, ut Ova pavonum quinis denariis veneant: quæ hodie non dico vilius, ſeu omnino non veneunt.* Addo ſaltem, *ova* perdicum magnâ copiâ convivis exhibita, ab Heliogabalo; de quo Lamprid. *c.* 19. *Exhibuit*, inquit, *& Palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterûm, & perdicum ovis, & cerebellis turdorum.* Sed & Struthiocamelorum *ova*, in præcipuis Turca-

Turcarum Perſarumque moſcheis (ita fana ſuâ vocant) ornatûs causâ ſuſpenſâ conſpici, uti teſtatur P. de Valle *Itinerar. Part.* 1. & 2. Nec omittendum, quòd *ova ignita*, ad Martyrum cruciatus adhibita interdum eſſe, ſcribit Erchinfridus in *Vita* S. Colomanni: *Acria tortorum flagra, lapides, ovaque fortiter ignita candentemque forcipem* &c. apud C. du Freſne in *Gloſſar.* ubi & *Ovorum*, in præſtationibus quæ Miſſis Dominicis fiebant, mentionem facit. *ex Capitular.* 5. *ann.* 819. *c.* 29. & *l.* 4. *Capitul. c.* 73. & *Ovorum de crucibus*, ex *Tabulario* Foſſatenſi &c. Fuit verò *Ovum*, apud veteres Sapientes, Æternitatis, Mundi, Perfectionis &c. hieroglyphicum, & hinc in Magnæ Matris ſacris præcipuô cultu: ad cujus figuram concinnavit carmen Simmias Rhodius, quod falsò Theocrito tribui oſtendit Licetus *de Gemmis Annul. c.* 140. non extare contendit Jul. Cæſ. Scaliger: quare duo ipſe animi gratiâ exhibet *Poëtices l.* 2. *c.* 25. alterum minuſculum, quaſi Philomelæ; alterum grandius, ut ſit Cygni.

OVUM PUSILLUM SCALIGERI.

Σι
μίας
Ῥόδιος
μ' ἐποίη.
σεν οὔ
τως.

OVUM GRANDIUS.

ὄρανῦ
παντοδόκυ
πλησιόμορφος
ἀργύρεον ὕδωρ
ἐγκατέχων μεσσόπυρ
ᾗ ὁ πάτωρ ἀρχόμενος
ἰδέ τε ἀρχῶν διφυὴς
ὃ τὸ πάλαι σιμμίᾳ
νησογενεῖ κῦδος
δῶκε τόδ' αὖ νῦν
σκαλοφόρῳ
πανθρωσεῖ.

Vide quoque infrà.

OVA, in Circo olim, apud Romanos, memorantur *Tertulliano*, *Ova honori Caſtorum aſcribunt, qui illos ovô editos credere & Deos de Cygno Jove non erubeſcunt.* Quorum uſum & auctorem oſtendit *Dio*, his verbis de Agrippa, Κὰν τῷ ἱπποδρόμῳ σφαλλομένυς τὺς ἀνθρώπυς περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρῶν, τύς τε δελφῖνας καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιυργήματα κατεςήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται, *Cùm videret in Circo homines ſæpius errare circa numerum ſpatiorum decurrendorum, Delphinas & ovales fabricas conſtituit, quibus circuitus curriculorum notarentur ac numerarentur.* Nempe, cùm circa numerum ſpatiorum & curriculorum homines ſæpe laberentur, & cùm e.g. quatuor curricula exacta eſſent, quidam quinque aut 6. ſpatia evoluta dicerent, *ova* hæc excogitata ſunt, tanquam notæ, quibus curricula numerabantur. Sed cùm Liv. doceat, ſub finem *l.* 41. *c.* 27. Cenſores locâſſe carceres in Circo faciendos & *ova ad notas curriculis numerandis*, anno Urb. Cond. 581. cumque Varro meminerit illius ovi, *quod ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem faciebat quadrigis:* jam ante Agrippam illa reperta & uſitata fuiſſe oportet. Non verò illa metarum ſummitati erant impoſita, ut contendit Auctor *libri de Circo*: qui enim potuiſſent *ova* metarum apicibus addita, quot jam ſpatia peracta, eſſent, indicare? Præterea, non ova ſunt, quæ ſummis metis & obeliſco impoſita viſuntur, ſed pilæ vel ſphæræ, ſicut omnibus ferè pyramidibus & obeliſcis eas addi moris fuit, in ſummo apice. Ut taceam, aliam eſſe ovi formam, aliam ſphæricam. Itaque *Ova Circi*, quibus curricula notari ac nominari ſolebant, fuêre ὠοειδῆ δημιυργήματα, ut & *Dio* vocat, fabricæque quædam ex ligno ovali figurâ factæ cum baſi, quà ſiſti poſſent & erigi: quas hinc inde transferri & portari potuiſſe, *Varro* innuit, inquiens, *Nam non modò ovum illud ſublatum eſt, quod Ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis.* E quibus colligit Salmaſ. ſeptem ova tot numerô ſtatuta eſſe, quot curriculi peragenda. Sic primô curriculô peractô, unum è medio tollebatur: ſecundô, alterum; & ſic deinceps: ſextô ſpatiô confectô unum reſtabat, quod noviſſimô curriculô abſolutô etiam auferebatur. Sed & contrariâ ratione, numerus curriculorum per ova iniri poterat; ut ſingulis peractis ſpatiis unum ſubinde ovum produceretur in medium atque erigeretur, quibus omnibus productis & ſtatutis omnia curricula finita indicarentur. Cui rationi videretur adſtipulari *Caſſiodorus*, ut in vulgatis editionibus deſcriptus eſt. Sic enim ait: *Nec illud putatur irritum, quòd metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur, quando actus ipſe multis ſuperſtitionibus gravis, ovi exemplô geniturum ſe aliqua profitetur.* Sed eam lectionem falſi damnant veteres libri, quæ pro *ovorum erectionibus* habent *exceptionibus*: fortè legendum, *exemtionibus*. Ovorum enim exemtionibus exprimebatur curriculorum circuitus, quia poſt ſingula ſpatia evoluta unum eximebatur ovum, uti dictum. Juvenalis ova illa, *Falas* vocare videtur; quas cum Delphinis, uti *Dio* jungit, *Sat.* 6. *v.* 589.

Quæ nullis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Falas Delphinorumque columnas.

Sic *Dioni*, οἱ Δελφῖνές τε καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιυργήματα. Falæ certè turres ſunt rotundæ, quarum faſtigium ovi refert imaginem, quaſque diviſiones eſſe in Circo & turres ad tempus extrui ſolitas, ait Servius *ad Æn. l.* 9. Planè videl. ſunt illæ ovales fabricæ, quas Agrippa primus curâſſe dicitur, ad numerum curriculorum oſtendendum, ad tempus, ludorum nempe die, conſtruendas. Quem in uſum delphines ab eodem facti ſunt, in Euripo, h. e. in medio ſpatio, quod erat inter utramque metam, uti ex eodem *Caſſiodoro* conſtat. Ante has falas & Delphinas, viles & triviales Aſtrologos à mediocribus & plebejis fœminis conſuli conſueviſſe, cùm divitibus reſponſa darent conducti è Phrygia Augures, inſignes Mathematici & Auſpices, qui publica condebant fulgura, docet idem Juvenalis *d. l.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 911. & plura hanc in rem ſupra paſſim, inprimis in vocibus *Falæ & Delphini Circorum.*

OVA Hapala, apud *Marcellum Empiric. Statim dare debes lentem & betam coctam vel alicam; vel* ova hapala *& ungellam diſcoctam*; & *Apicium*, quid ſint, Vide ſuprà in voce *Apalar.*

OVASIS, ſeu OASIS, tam parva, quàm magna, locus deſertus eſt in Africa, in quem nocentes olim relegari ſolebant. Utriuſque meminit Ptolemeus in 3. *tab.* Africæ. Plin. item *l.* 5. *c.* 9. ubi *Arſinoitæ*, inquit, *duo ſunt: hi & Memphites, uſque ad ſummum Delta perveniunt, cui ſint contermini ex Africa duo Oeaſitæ.* Etiam Strabo *l.* 17. ubi ait, οἱ Αἰγύπτιοι καλῦσι τὰς οἰκυμένας περιεχομένας κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις ὡς αν νήσυς πελαγίας, *Oeaſes Ægyptii vocant loca habitata in magnis deſertis, quaſi Inſulas quaſdam in mari.* Sic Socr. *Hiſtor. Eccleſiaſt. l.* 2. *c.* 28. de Georgio quodam Aniano loquens, eum quoſdam fideles interfeciſſe; alios verò ſuperſtites in exilium, ad magnam *Oaſim*, relegâſſe, ait. Evagrius *Eccleſ. Hiſtor. l.* 1. *c.* 7. refert, Neſtorium hæreticum, edictô Imperatoris Theodoſii, *Oaſim* relegatum fuiſſe, quam & *Ibim* vocari ſcribit, ut & Plin. teſtatur *l.* 5. *c.* 4. Sic enim apud eum legendum: *Ibis civitas Oeenſis* &c. Sed & alii Auctores hujus vocis faciunt mentionem: ut jam non ſit dubitandum, quin apud Ulpianum *leg.* 7. §. *eſt quoddam, ff. de interdic. & relegat.* ſic legi debeat: *Eſt quoddam genus, quaſi in Inſulam relegationis, in provincia Ægypto in* Ovaſim *relegare.* Hinc *Oaſena* relegatio, *l.* 1. *Cod. Theod. de Nili agger.* Vide Duarenum *Diſput. ann. l.* 2. *c.* 39. & Pratejum, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* ut & in voce *Oaſis.*

OVATIO, ignobilior ſpecies triumphi, cui initium An. 250. vel 251. à Romanis datum: tum, cùm Conſul Poſthumius Tubertus, victis Sabinis, inter populi circumfuſi applauſus, myrteam capite corollam geſtans, Urbem ingreſſus eſt. Vide Dionyſ. *l.* 5. Plin. *l.* 15. *c.* 29. Sigon. *in Faſt. Comment.* Ita autem de illa Plin. *loc. cit. Bellicis quoque rebus myrtus inſeruit, triumphanſque de Sabinis Poſthumius Tubertus in Conſulatu (qui primus omnium ovans Urbem ingreſſus eſt: quoniam rem leviter ſine cruore geſſerat) myrtô Veneris Victricis coronatus inceſſit, optabilemque arborem etiam hoſtibus fecit.* Ab *ove* nomen arceſſit Plut. *in Marcello*, quòd *Ovatione* non taurus, ut in Triumpho, ſed ovis, à Victore immolaretur: & rectè. *Feſtus* tamen à militum gratulantium & literam O. quum è pugna victores redeunt, geminantium clamore vocem deducit; quod idem placet *Dionyſio Halicarnaſſeo*, *Quaſi*, inquit, Romani Εὐασμὸν *Græcorum vocem, quæ clamorem ſignificat*, Ovationis *nomine voluerint interpretari.* Qui idem, eum qui *Ovans* urbem ingrediebatur, nec curru vectum, nec trabeam togamque pictam indutum, pedibus Urbem, exercitu præeunte, introiviſſe, ait. Plut. autem eundem, nec quadrigis invectum, nec laureâ coronatum, nec tubis concinentibus, ſed pedibus & calceis, myrteâ redimitum, tibiis modulantibus, Urbem ingreſſum eſſe ſcribit, cum quo Plinius, Feſtus, A. Gellius ſentiunt. Quorum ultimus *l.* 5. *c.* 6. cauſas *Ovationis* has enarrat: *Cùm aut bella non ritè indicta, neque cum juſto hoſte geſta ſunt, aut cùm hoſtium nomen humile & non idoneum eſt, ut ſervorum piratarumque aut deditione repentè factâ, in pulvere (ut dici ſolet) incruentaque victoria obvenit. Cui facilitati aptam eſſe Veneris frondem crediderunt, quòd non Martis, ſed quaſi Veneris triumphus quidam foret.* Addit *Plutarchus*, *cùm aut in aliena provincia, aut alienis auſpiciis, aut cùm ſine Magiſtratu res geſta eſſet.* Quod de pedeſtri introitu dictum, non eadem omnium Scriptorum mens fuit: *Partim enim*, pergit Gellius, *ſcripſerunt, qui ovaret, introïre ſolitum equô vehentem: at Sabinus Maſſurius pedibus ingredi ovantes dicit, ſequentibus eos non militibus, ſed univerſô Senatu.* Et quidem, cùm Lucretius Tricipitinus de Æquis Volſciſque triumpharet, Veturio à Senatu conceſſum, ut ſine legionibus equô veheretur: Claudius quoque Nero, bellô Punicô ſecundô eques ſine militibus urbem introivit. Plerunque tamen urbem ingrediebantur. Unde *Dionyſius Ovationem*, dum de Aulo Manlio ovante annô Urb. Cond. 279. loquitur, *pedeſtrem Triumphum* vocat; *Dione ovantes ingredi* interpretante, *equô vehi*: Sed & *myrteam coronam Marcus Craſſus, bellô fugitivorum confectô, cùm ovans rediret, inſolenter aſpernatus eſt. Senatuſque conſultum faciendum per gratiam curavit, ut laurô, non myrtô coronaretur*, verba ſunt iterum A. Gellii *locô cit.* Tiberius verò ob res geſtas, *ovans, curru urbem ingreſſus eſt, licèt triumphalibus ornamentis primus, uti quidam putant, honoratus, novô, nec antea cuiquam tributô, genere honoris*, teſte Suetoniô *in eo c.* 9. Vide præter Car. Paſchalium *Coronarum l.* 7. *c.* 17. *toto*, Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 684. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 17. Onuphr. Panvinium *de Triumpho*, Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 28. Salmuthum *in Pancirollum lib. Rerum deperdit c. de Triumpho*, ubi *ovem*, quam victor mactaturus erat, ante eum duci ſolitam fuiſſe addit, Thom. Godwyn. *Antholog. Romanæ l.* 4. *c.* 6. &c. nec non infrà ubi de *Triumpho Secreto.* Hinc *aurum Ovatum*, quod *ovatione* victoriâque quæſitum eſt Perſ. *Sat.* 2. *v.* 55. Jo. Calvinus ubi ſuprà. At *ovatæ caſſides* apud *Appulejum* dicebantur, quæ *ovi* ἡμίτονον repræſentabant: quâ formâ pileî quoque nonnullis erant, rotunda videl. ſine acumine, ad inſtar hemiſphærii vel ovi diviſi. *Iſidor.* de Pileo Sacerdotali

Judæorum, *Pileum ex byſſo rotundum, quaſi ſphæra media, caput tegens Sacerdotale, & in occipitio vittâ conſtructum, hoc Græci & noſtri tiaram vocant, nonnulli galerum. Non habet acumen in ſummo, ſed galeum.* Ad quod inſtar facta erant & pilea Caſtorum: media Latinitas *calamancas*, pro quo Græci, voce in ſuum morem detorta, Καμελαύκια dixêre, quaſi ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *à frigore arcendo.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 55[illegible].

OVATUS, Vide hîc ſuprà.

OVETUM, urbs Legionis, inſignis. Aſturiæ Ovetenſis caput, ad Aſtam fluv. quò reliquiæ Gothorum confugêre, 16. leuc. Hiſpan. à Legione urb. in Circium, 6. ab ora maris Cantabrici in Meridiem, 18. ab Aſturica in Boream, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Caſtellano. Aliàs regni Ovetani caput, & regia ſedes, cùm poſt obitum Roderici, Gothorum Regis ultimi, Chriſtiani à Mauris expulſi, & in Aſturias compacti, Principem Pelagium elegerunt, A. C. 717. qui Ovetanum regnum inſtituit; quod Legionenſis, A. C. 913. fermentum fuit; Tum enim Ordonnus 2. Regis Legion. titulum ſumſit. Hiſpanis *Oviedo*, hîc Concilium, A. C. 878. & 901.

OVICULA, cognomen Fabii M. à clementia morum, apud Plut. & Aur. Victorem, quorum hic: *Quinctus Fabius Maximus, Cunctator*, inquit, *Verrucoſus à verruca in labris ſita*, Ovicula *à clementia morum dictus.* Sicut *ſcorpiones* contra vocabantur, moribus aſperi. Appulejus *Miles.* 9. *Noſti quendam ——— quem ſcorpionem præ morum acritudine vulgus appellat.* Cujuſmodi homines ὄφεις, i. e. *ſerpentes* Græcis, δράκοντες quoque Lycophroni dicti ſunt. Joh. Meurſius *Commentar. in Lycophronem p.* 125.

OVICULA, in ſinu domini quieſcens, memoratur in parabola Nathanis, 2. Samuel. *c.* 12. *v.* 3. Ibi enim legitur pauper quidam unam habuiſſe oviculam à ſe emptam & enutritam, quæ unà cum filiis ejus adoleverat, ejus pane veſcens & ex ejus calice bibens & in ejus ſinu quieſcens & ei erat locô filiæ. Quæ parabola quò minus videatur vero abſimilis, facit inſanus quorundam in Melitæos catellos amor, quos in deliciis habent: qualis fuit Iſſa Publii, apud Martialem *l.* 1. *Epigr.* 110.

Iſſa eſt delitiæ catella Publî,
Collo nixa cubat, capitque ſomnos,
Ut ſuſpiria nulla ſentiantur.

Aut in feles, qualis Mechlempe, cui Conſtantini Monomachi uxorem lautos cibos & opiparos, aureis vaſis quotidie apponi juſſiſſe, refert Tzetzes *Chil.* 5. *Hiſtor.* 12. Quid quòd dracones, immanem belluam, nonnulli enutriviſſe non contenti etiam in lecti conſortium admiſerunt, ut de Ætola virgine Plut. *in l. utra Animal.* de puella alia, in Judæa, ſub Rege Herode, Ælian. *l.* 6. *c.* 7. de puero quodam Arcade, idem *ibid. c.* 36. de puero alio Patrenſi, alter Ælian. *Variar. l.* 13. *c.* 46. referunt. Hodieque Arabes inſignem aliquam *ovem* apud ſe habere, quam manſuefaciant & domi mulgeant, nec foràs paſtum dimittant (*Thima* illis dictam) conſueviſſe leguntur. Aliud eſt, quod de Paſtore ovium Chriſto legimus Eſaj. *c.* 40. *v.* 11. *Paſcet ut paſtor gregem ſuum, in brachio ſuo colliget agnos, & in ſinu ſuo portabit, fœtas minabit*, id eſt, *aget.* Hoc enim ad boni Paſtoris officium, pertinet, quod apud Calphurnium hiſce Myconis deſcribitur.

Te quoque non pudeat, cùm ſerus ovilia viſes,
Si qua jacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc Humeris portare tuis, natoſque tepenti
Ferre ſinu tremulos & nondum ſtare paratos.

Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 42. & *ſeqq.* nec non infrà aliquid voce *Rachel.*

P. OVIDIUS Naſo, Poëta Romanus patriâ Sulmonenſis, familiâ equeſtri, ut ipſe de ſe teſtatur, cujus hiſtoriam habes Triſt. *l.* 4. *eleg.* 10. Vide & *l.* 3. *Amor. eleg.* 15. Natus eſt, Ann. 711. Urb. Cond. Hirtiô & Panſâ Conſulib. *Cùm cecidit fatô Conſul uterque pari*, uti legimus *loc. cit. v.* 6. Inſtitutus Latinis literis, patris juſſu, ad Oratoriam facultatem ſe contulit; à quo tamen inſtituto, poſtea factus arbitrii ſui, reſiliit, totôque pectore Poëticam, cui natus videbatur, amplexus eſt. Sub Marco Varrone in Aſiam profecto, militavit; ut ipſe teſtatur *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 2. *v.* 77.

Non peto, quas quondam petii ſtudioſus Athenas,
Oppida non Aſiæ, non mihi viſa prius.

Scripſit quamplurima vulgò nota, ex quibus dolendum eſt, interiiſſe *Halieutica, Medeam,* & *ſex libros Faſtorum poſteriores.* Uxorem habuit, poſt unam, aut alteram repudiatam, Fabiam Perillam, formâ & integritate morum præſtantem. Suſtulit & filiam, ex quâ bis avus factus eſt. Cùm autem Auguſtum, apud quem ſummo in pretio fuerat, imprudenter offendiſſet, in Scythas religatus eſt, annos natus quinquaginta. Cujus exilii, de quo ubique triſtiſſimè queritur, cauſas fuiſſe duas teſtatur; unam, quòd libros *de Arte Amand.* in gratiam an Juliæ, an Liviæ? compoſuiſſet; alteram, errorem quendam in Auguſtum, ſed cujuſmodi fuerit, ut ubique ipſe diſſimulat, ita nec divinari quidem poteſt; nec ſcire ipſe quidem voluit, ſicut inquit *l.* 2. *Ep.* 9. *ex Ponto v.* 75.

Et quid præterea peccârim, quærere noli.

Cùm autem exilium annis 8. & menſibus quibuſdam pertuliſſet, in eo demum obiit, Olymp. 199. Ruffô & Faccô Conſulib. A. C. 17. Tiber. Imper. 5. Tomis autem ſepultus eſt, uti tradit *Euſebius, Laurentius Mullerus, Glandorpius,* &c. ſepulchrum ejus, A. C. 1508. Sabariæ, German. *Stain*, in Auſtria, ad Savum, repertum eſſe ſcribunt, cum hoc Epitaphio:

Hîc ſitus eſt vates, quem Divi Cæſaris ira
Auguſti, patriâ cedere juſſit humô.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra: Hunc illi Fata dedêre locum.

Sed non ſapiunt Auguſti ſeculum hi verſus. Fertur quoque Iſabella, Hungariæ Regina, Petro Angelo Bargæo, oſtendiſſe calamum argenteum, Belgradi repertum, cum his verbis: *Ovidii Naſonis calamus.* Seneca *Declam. l.* 2. *declam.* 1. ſcribit, ſe vidiſſe Ovidium declamantem apud Rhetorem Arellium Fuſcum, cujus auditor fuerat, ut Varronis admirator, habitumque declamatorem bonum, verbis minimè licenter uſum, niſi in carmine, in quo non ignorârit vitia ſua, ſed amârit. Rogatum enim aliquando ab amicis, ut tolleret tres verſus, illô contra tres verſus excipiente, quum utrique ſuos deſcripſiſſent, repertos eſſe eoſdem. Ex quo apparet ſummi ingenii viro judicium non defuiſſe, ad compreſcendam licentiam carminum ſuorum, ſed animum, quum interim & hoc dictum uſurpârit: *Decentiorem faciem eſſe, in qua nævus aliquis eſſet.* Generum reliquit Cornelium Fidum. Nomen ejus quod attinet, Ὀΐδιον ovicula eſt. Sic ab *aſino Aſinius*, à *porco Porcius.* Verùm de Ovidio nos alibi plura. *Lloydius.* Vide etiam Senec. *quaſi. natur l.* 3. *c.* 27. Vellej. Paterc. *l.* 2. Euſeb. & Hieron. *in Chron.* Jul. Cæſ. Scal. *l.* 6. *Poët. Muret. Camerarium, Regium, Paſſeratium,* Voſſium, *de Poët. Latin. c.* 2. &c. Nic. Lloydius.

OVIENTALUS, Elias, vide *Elias.*

OVILABIS, urbs fuit Norici Ripenſis, ubi nunc oppid. *Wels*, in Auſtria poſteriori ad Traunam fluv. 7. mill. paſſ. Infra *Lampach*, cœnobium Lentiam verſus, à qua 12. mill. paſſ. in Meridiem abeſt, *Cluver.*

OVILE, ſeu OVILIA, dicebatur locus Romæ, in Campo Martio, cancellis concluſus, in quo erant, qui ſuffragium dicebant; Tribunali vicinus. Principio namque locus Comitiorum in ipſa Urbe erat, in comitio, quod pars Fori erat, docente Luc. Fauno, *de Antiqq. Urbis Rom. l.* 2. *c.* 10. Poſteà, creſcente indies civium multitudine, extra urbem tranſlata ſunt, in Campum Martium, teſte Vegetiô *Rei mil. l.* 1. *c.* 10. Unde Claudian. *l.* 1. *in Eutrop. v.* 438.

Martius Eunuchi repetat ſuffragia Campus.

C. Petronius Satyricus, in bellorum Civil. deſcriptione,

Nec minor in campo furor eſt emptique Quirites
Ad prædam, ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.

In hoc itaque Campo prope fluvium locus erat geminus, alter exercendis militibus deſtinatus, quem *Aream* Auctores vocant: alter, cui includebatur populus, donec de creandis Magiſtratibus ſuffragia tuliſſent cui nomen eſſe voluerint *Ovilia*, item *Septa.* Servius *ad Virgil. Ecl.* 1. *v.* 34. *Septa propriè ſunt loca in Campo Martio, incluſa tabulatis, in quibus ſtans populus Rom. ſuffragia ferre conſueverat: Sed quoniam hæc Septa ſimilia ſunt ovilibus, duo hæc invicem pro ſe ponuntur.* Seneca *de Ira l.* 2. *c.* 7. *Cùm videris Forum multitudine refertum, & Septa concurſu omnis frequentiæ plena*, &c. Quæ poſtea marmore ſtructa & porticibus circumjectis magnificè exornata ſunt, erectô inibi inſigni Tribunali, uti diſcimus ex Plinio *l.* 16. *c.* 40. *Trabs fuit in porticibus ſeptorum à M. Agrippa relicta.* Picturis itidem ac ſtatuis condecorata, Idem *l.* 36. *c.* 5. *Nec minor quæſtio eſt, in Septis Pana & Olympum, Chironemque cum Achille, qui fecerint.* Antiquum *Ovile* memorat, Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 528.

A Meroë portabis aquas, quas ſpargat in æde
Iſidos, antiquo quæ proxima ſurgit Ovili

Huc ergò Centuria aſcenſura ibat, non per ſcalas, ſed per pontes, qui erant anguſtæ viæ ad *Ovile* ducentes: in quorum initio ſtabant Diribitores, qui tabellas ſingulis miniſtrabant; extremò verò Rogatores, *Ovile* ingreſſuris ciſtam proponebant, in quam conjicerent quam vellent tabulam: quibus collectis ex *Ovili* diſcedens Centuria alteri locum faciebat. Unde *de ponte dejiciendus* Proverb. dici cœpit, cui jus ſuffragii negabatur: *Non ut periclitarentur de vita, ſed ne ſuffragarentur in Comitiis* dicente Joh. Saxoniô *in Orat. pro Roſcio.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14. Ibi enim Ad alios dein quoque uſus loca hæc adhiberi cœpêre. *Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in ſeptis, aliquot edidit*, ludi exhiberi ſolebant, teſte Suetoniô *in Calig. c.* 18. Qui etiam *c.* 21. *Amphitheatrum prope ſepta* fuiſſe extructum, docet: confirmatque idem in *Claudio c.* 21. Imò ſub Auguſtis rarò ſolennes ludos alibi, quàm hic; editos fuiſſe, patet ex eodem *in Nerone c.* 12. *Gymnico, quod in Septis dabat, inter buthyſiæ apparatum barbam primus poſuit:* Vide quoque Strabonem *l.* 5. Porrò deambulationibus inſerviebat locus, ut qui vicinô Tibride apricus eſſet, & ſalubriori invitaret cœlô, accedente præſertim tantarum rerum opulentiâ. Statius *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 1.

Fortè remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia Septis,
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Martial. *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 1.

In Septis Mamurra diu, multumque vagatus,
His ubi Roma ſuas aurea vexat opes &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. loc. cit.* Aliàs *Ovilia* quid ſint, notum. Horum fores Feſtis Palilibus coronari jubet Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 735. id genus ſacrificii deſcribens:

Paſtor, oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Unda priùs ſpargat, virgaque verrat humum.
Frondibus & fixis decorentur ovilia *ramis,*
Et tegat ornatas longa corona fores.

Vide Car. Paſchalium in *Coronarum l.* 4. *c.* 17. & plura infrà voce *Palilia.*

OVI-LUPUS, Vide ſuprà *Oeolycus.*

OVINIA, Lex, quâ ſancitum eſt, ut Cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim in ſenatum legerent: Quò factum eſt, ut qui præteriti eſſent, & locô moti, haberentur ignominioſi. Nam anteà præteriti Senatores in opprobrio non erant; quum, ut ante Reges ſibi legebant, ſublegebantque, quos in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in conſilio publico haberent, ita poſt illos exactos, Conſules quoque, & Trib. Militum conſulari poteſtate conjunctiſſimos ſibi quoſque Patriciorum, & deinde Plebejorum legebant, Sext. Pompejus. De munere & poteſtate Cenſorum eadem habet Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5.

OVINIUS, Vatinii libertus, roganti Ciceroni de valetudine patroni, *Rectene omnia?* quum reſpondiſſet, *Rectè*: tum Cicero, *Ergo mortuus eſt*, inquit, Quinctil. *l.* 3. *c.* 4.

Q. OVINIUS, ab Aug. Cæſ. punitus eſt, quòd cùm Senator eſſet Romanus, lanificio, textrinæque Reginæ Cleopatræ præeſſe non erubuiſſet. Oroſius *l.* 6. *c.* 49. Eutrop. *l.* 1.

OVINIUS Camillus, Senator antiquæ familiæ ſub Alex. Severo, cui rebellionem molienti non modò pepercit Cæſar, ſed gratias inſuper egit, quòd curam Reipubl. quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſponte in ſe reciperet, Lamprid. *c.* 48.

OVINIUS Gallicanus, Conſul, cum Septimio Baſſo, An. Urb. Cond. 1069.

OVINIUS Paternus, Conſul cum Fl. Cl. Auguſto, An. Urb. Cond. 1021. Aureolum vicit variis prælhis, 350. Gothorum millia cecidit.

OVINUM Pratum, vulgò *die Scaffmatte*, pars eſt Juraſſi montis, in agro Baſilienſi, quæ per Siſgoviam aſcendentes tranſmittit, nomine à paſcuis accepto. Urſtiſius *epit. hiſt. Baſil. c.* 1.

OVIS, apud Romanos *Maxima hoſtia* dicta eſt. *Feſtus Maximam hoſtiam ovilli pecoris, appellabant, non ab amplitudine corporis, ſed ab animo placidiore.* Vide Meurſium *Notis in Phadr. l.* 3. *fab.* 4. *v.* 11.

Sed expiari poſſe majore hoſtiâ:

ut & ſuprà in voce, *Maxima.* Apud Athenienſes, poſtquam ſimplex illa adeoque paucis parabilis Deos frugibus venerandi ratio, paulo poſt Draconis tempora, deſiiſſet, victimæque jam ante Solonem mactarentur, harum pretium legibus æſtimavit Solon, teſte *Plutarchô*: Πρόβατον καὶ δραχμὴν, ιή. ἀντὶ μεδίμνε, *Drachma in ovem, octodecim in Medimnum.* Fuiſſe autem μίαν δραχμὴν προβάτε τιμὴν, *unam drachmam ovis pretium*, *Demetrius Phalereus* Auctor eſt. Atque ad hanc frugalitatem exemplô ſuô præivit Epimenides Athenienſeſque eidem aſſuefecit, ut idem *Plut.* de Epimenide docet. Majus tamen, eôdem Solone auctore, in ſextodecimo Axione, *eximiarum hoſtiarum* pretium, quanquam & hoc vile nimis, ſi ad ſequentia tempora, quibus iſtud Solonis inſtitutum mutavit, attendatur, ut apud eundem videre eſt. Iſtiuſmodi ſacrificia in Axonibus ἀφελῆ, dixit Solon, teſte Polluce *l.* 1. *c.* 1. iique qui ſacra fecerant, victimarum nonnihil domum reportabant, bonæ ſcævæ gratiâ, unde ὑγίεια nomen invenit, apud *Heſychium*: reliqua Sacerdotibus cedebant, pelles nempe & κωλαί, ut docet Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Veſpas.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 5. & *ſeqq.* Sed & in luſtrationibus adhibebatur *Ovis*, cujus corpus vivô ſulfure adurebatur; uti diſcimus ex Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 739.

Cærulei fiant puro de ſulfure fumi,
Tectaque fumanti ſulphure balet ovis.

Et Statio *Thebaid. l.* 4. *v.* 416.

——— circumque bidentum
Viſceribus laceris & odori ſulfuris aurâ,
Graminibuſque novis & longô murmure purgat.

Etiam *ovantibus* immolabatur, cum *triumphanti* bovem mactarent, unde & *Ovationi*, de qua ſuprà, nomen impoſitum fuiſſe ait Plut. *in Marcello.* Jovi quoque *oves* ſacræ erant apud Apolloniatas, in Sinu Ionico, de quibus multa habet Herodot. *Muſâ* 9. Vide etiam Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 26. *c.* 17. uti de *Ove*, Pacis hoſtia, extra conſpectum Deæ cædi ſolitâ, Delrium *ad Senec. Medeâ, Actu* 1. At *ove nigrâ* Erebo ſacrificavit, apud Homerum, Ulyſſes &c. Vide plura ſuprà, ubi de *Agni* & *Arietis*, in ſacris, uſu. Porrò ante pecuniæ uſum, boum *oviumque* numerô mulctam fuiſſe definitam legimus, apud A. Gellium *l.* 11. *c.* 1. cum ait: *Conjectare autem poſſumus, quòd Italia tunc eſſet armentoſiſſima, multam quæ appellatur ſuprema inſtitutam in ſingulos duarum* Ovium, *boum triginta, pro copia ſcil. boum, proque Ovium penuria. Sed cùm ejuſmodi multa pecoris armentique à Magiſtratibus dicta erat, addicebantur boves oveſque aliàs precii parvi, aliàs majoris: eaque res faciebat inæqualem multæ pœnitionem: Idcirco poſtea lege Alteriâ conſtituti ſunt in* Oves *ſingulas æris deni* (i. e. decuſſis) *in boves æris centeni. Minima multa eſt Ovis unius.* Idem docet, quandò à Magiſtratibus Pop. Romani multa dicebatur, *Oves* genere virili appellari fuiſſe ſolitas, adducens hæc Varronis verba: *M. Terentium, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unum ovem multam dicô*: quô genere niſi diceretur, veram mulctam videri negârunt, *Ibid.* Vide quoque Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 17. Poſtea verò *ovium* boumque effigie æs ſignatum eſt: quod primum feciſſe Servium Regem, Plin. ait *l.* 18. *c.* 3. &c. Plura de *Ovibus*, vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 55. & *ſeqq.* Sam. item Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 42--50. & hîc paſſim, inprimis *de Ovibus Syriacis*, caudæ pondere ac pinguedine celebratis, ubi de *Ovium cauda*: de Veterum verò more in *Ovium pellibus* ſcribendi, Vide *ſuô locô.* Addam ſaltem de divino cultu, huic animali, à populis quibuſdam habito. Uti enim Lycopolitani Lupum, Hermopolitæ Cynocephalum, Bovem, Vaccam &c. alii, ſic Saitas & Thebanos *Ovem* veneratos eſſe, narrat Clemens Alexandr. *Admon. ad Gentes*, quemadmodum & Jovi Ammoni Arietem fuiſſe ſacratum, auctor eſt Clemens, qui dicitur *Romanus*, *Recognit. l.* 10. Quod tamen non niſi ad cultum ſymbolicum pertinuiſſe, contendit Voſſ. *c.* 74. Quemadmodum & id, quod de Samiis idem Clemens addit, *Oves* iis cultas: *Fortaſſe enim*, inquit, *nec iſti coluêre eas, ut Deos, tantummodo honorârunt, ut anathemata, c.* 75. Namque Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 12. *c.* 40. ſic ex Ariſtotele, Σαμίοις χρυσίον (ἱερὸν) κλαπὲν πρόβατον ἀνεῦρε καὶ ἐντεῦθεν Μανδράβολος ὁ Σάμιος τῇ Ἥρᾳ πρόβατον ἀνάθημα ἀνῆψε, *Samiis aurum* (*ſacrum*) *furto ſublatum* Ovis *invenit: Quare Mandrabolus Samius Junoni* Ovem *conſecravit.* Inde ab earum eſu abſtinebant Ægyptii, teſte Herodotô *l.* 2. cumque à Cambyſe Peluſium obſidente, contra illorum tela, *oves* ante aciem collocarentur, jacula cohibuerunt, ne ſacrum id animal læderent, Polyænus *l.* 7. *c.* 6. Vide ſuprà, ubi de *Junone* ſub ovis ſpecie cultâ, nec non voce *Leana*; ac infrà voce *Siſarra*. Apud Romanos *Ovilium* mancipia reperimus, Tonſores, Varr. *de R. R. l.* 2. *c.* 2. Item *Opiliones*, Virgil. *Ecl.* vel *Ovilliones*, ut appellat Juriſconſultus *leg.* 25. §. 2. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* qui *Oves* curabant, *leg.* 60. §. *ff. de Leg.* 3. ſicut Caprarii caprilia, verveces Virvicarii, armentaria Equilia Equiſones &c. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Meminit quoque *Opilionis*, Plautus *Aſinaria, Actu* 3. *ſc.* 1. *v.* 36. *Etiam Opilio, qui paſcit alienas oves, aliquam habet peculiarem, quæ ſpem ſoletur ſuam.* Virgilius *Upilionem* vocat *Ecl.* 10. *v.* 19.

Venit & Upilio, tardi venêre bubulci, &c.

OVIS, locus in Scythia, *Jornandi*, fortè circa fluv. Obium, *Oby*, qui antiquis *Carambucus.* Vide ibi,

OVIS Fera, Romanis dicta eſt Camelopardalis de qua ſuprà: *ovis* ſcil. à manſuetudine morum, & *fera* διακριτικῶς. Bellonius ex αὐτοψίᾳ *Obſervat. l.* 2. *c.* 49. *Animal mitius nullum eſt, eſt inſtar ovis, & quâvis aliâ ferâ gratior.* Sed & in ipſo *ovium* genere, feras memorat, noſtris ovibus paulo majores, Oppianus, qui de iis capriſque mira tradens *Cynegetic. l.* 2. *v.* 326. πανάγρια φῦλα, *admodum fera ſecula* vocat; & in pugnam ruentes ſic deſcribit:

Πολλάκι δ' ὁρμηθέντες ἐνὶ ξυλόχοισιν ἔθηκαν
Καὶ σύας αἰθυκτῆρας ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας
Ἔστι δ' ὅτ' ἀλλήλοισιν ἐναντίον ἀΐξαντες
Μάρνανται· κρατερὸς δὲ πρὸ αἰθέρα δοῦπος ἱκάνει.
Οὐδέ τ' ἀλεύασθαι θέμις ἔπλετο δήϊον αὐτοῖς.
Νίκην δ' ἀλλήλοις φορέειν ἀτίνακτος ἀνάγκη.
Ἠὲ νέκυν κεῖσθαι. τοῖόν σφισι νεῖκος ὀρώρει.
Sæpe autem impetu factô in ſylvis proſtraverunt
Etiam apros violentos in terra palpitantes.
Quandoque etiam in ſeſe invicem ex adverſo irruentes
Certant: ingens verò ad cœlum fragor penetrat.
Neque evitare licet hoſtem ipſis,
Sed victoriam ut alteruter obtineat, inconcuſſa eſt neceſſitas,
Aut mortuus jaceat. Talis inter ipſos oritur contentio.

Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior l.* 3. *c.* 27.

OVIS Gemellipara, ſeu διδυμοτόκος, Cantici *c.* 4. *v.* 2. *Dentes tui ſunt, ut grex ovium æqualium, quæ ex lavacro aſcendunt, & omnes ſunt gemellipara, neque ulla eſt, quæ abortiat*: unde hallucinantur Arabes quidam Scriptores, qui ovem quotannis ſemel tantûm parere, nec niſi unum agnum, ajunt; aut ſaltem peregrinas oves ex natura ſuarum demetiuntur. Namque in Judæa gemelliparum hoc pecus fuiſſe hîc Salomo teſtatur: idem de Illyricis ovibus Ariſtoteles *in Mirabil.* de Indicis, Ælian. *l.* 4. *c.* 32. de aliis alii referunt. Et hinc oves hujuſmodi Græci δικῦμα πρόβατα, priſci Romani *ambegnas*, vocabant. Fulgentius *de priſco Serm. ad Chalcidium c.* 6. *Bebius Macer, qui Faſtos dies ſcripſit ait Junoni eas, quæ geminos parerent, oves ſacrificari, cum duobus agnis altrinſecus alligatis; quas oves ambegnas vocari, quaſi ex utraque parte agnos habentes.* Quam ovium fœcunditatem Græci ad Apollinem Nomium referebant. Unde Callimachus *Hymnô in Apoll.* petit, ut ejus beneficiô,

Ἡ δὲ μονοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο.
Quæ unipara erat, gemellipara repentè fiat.

Imò nec gemelliparæ ſolùm, ſed & biferæ nonnunquam oves ſunt & bis in anno pariunt, ut de Illyricanis Philoſophus docet *d. l.* idemque de Magneſiis & Libycis refert *Problem. c.* 10. *ſect.* 46. Quod Poëticè rem augens, de eadem Libya, ſcribit Poëta *Odyſſ.* δ. *v.* 86.

Τρὶς γὰρ τίκτε μῆλα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν,
Ter enim (ibi) *pariunt oves in anno perfecto.*

Sed res merè impoſſibilis eſt, cùm ovis uterum gerat per dies 150. vel quod idem eſt, per 5. menſes, uti Plin. habet *l.* 8. *c.* 47. & Ariſtoteles *ubi ſuprà.* Qui menſium numerus in anno bis quidem poteſt, ſed non ter reperiri. Itaque meritò ſuſpectum eſt, quod legitur apud eund. *in l. Mirabilium*, Παρὰ τοῖς Ὀμβρικοῖς φασι τὰ βοσκήματα τρὶς τίκτειν τοῦ ἐνιαυτοῦ, *Apud Ombricos pecora ter in anno parere ajunt.* Vide ubi ſuprà Bochart. *l.* 2. *c.* 46.

OVIS Pellita, apud Varronem occurrit *de Re R. l.* 2. *c.* 2. *Pleraque ſimiliter faciendum in* ovibus pellitis, *quæ propter lanæ bonitatem* (*ut ſunt Tarentinæ & Altinates*) *pellibus integuntur, ne lana inquinetur.* Hebr. כבונא i. e. *circumligata* dicitur, in Tractatu Talmudico *de Sabbatho c.* 5. ubi de lana Damaſcena, quæ Mileſiam puritate & mollitie æquabat. Utrobique enim ſimiliter, *quô die natus eſt agnus ——— parabant ei integumentum, fibulis circumquaque annexum, ut pura eſſet lana ipſius*, Selomo *in Ezech.* Unde Diogenis Cynici jocus, apud Laërt. *l.* 6. cùm Megaris videns, τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνοὺς, *oves quidem pellibus tectas, eorum autem liberos nudos*; dixit, *præſtare Magarenſis arietem eſſe, quàm filium.* Et Columella *l.* 7. *c.* 4. monet, ut liberis campis & omni ſurculô rubôque vacantibus paſcant, ne & lana carpatur & tegumenta &c.

OVIS Rubra, imò purpurea; non in converſione rerum ſolùm Cumæô carmine prædictâ, apud Virgilium, *Ecl.* 4. *v.* 39.

> —— —— *Omnis fert omnia tellus,*
> *Non raſtros patietur humus, non vinea facem.*
> *Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.*
> *Nec varios diſcet mentiri lana colores.*
> *Ipſe ſed in pratis aries jam ſuavè rubenti*
> *Murice, jam croceô mutabit vellera lutô.*
> *Sponte ſuâ ſandyx paſcentes veſtiet agnos.*

Sed revera in Oriente reperiuntur. Et rubras quidem naſci, res eſt tam tralatitia, ut probatione non egeat. Hinc Columella *l.* 7. *c.* 2. ubi de ovium coloribus, *Sunt etiam*, ait, *ſuâpte naturâ pretiô commendabiles, pullus atque fuſcus, quos præbent in Italia Pollentia, in Bætica Corduba. Nec minùs Aſia rutilos, quos vocant* ἐρύθρες. Et infrà, *Quoniam ex albo ſæpe fuſcus editur partus, ex erythræo, vel pullo, nunquam generatur albus.* Et *c.* 3. *Una eademque ratio eſt in erythræis & nigris arietibus.* Et Plin. *l.* 8. *c.* 48. de lanarum generibus, *Colorum plura genera: quippe cùm deſint etiam nomina eis, quas nativas appellant aliquot modis. Hiſpania nigri velleris præcipuas habet, Pollentia juxta Alpes cani, Aſia rutili, quas erythræas vocant: item Bætica* &c. Unde eſt, quòd rubras ovium pelles Exodi *c.* 25. *v.* 5. & *c.* 26. *v.* 14. *Item fac operimentum Tabernaculo ex pellibus arietum rubris & ex pellibus arietum hyſginis:* Syrus Paraphraſtes vocet *Hiſpanicas.* Sed & *rubrarum ovium* paſſim Arabes meminerunt &c. Jam de *purpureis* Oppianus *Venaticorum l.* 2.

> Εἰσὶ δὲ ξανθοὶ, πυμάτης ἐνὶ τέρμασι Κρήτης,
> Ἐν χθαμαλῇ γαίῃ Γορτυνίδι, τετρακέρωτες,
> Λάχνη πορφυρόεσσα δ᾽ ἐπὶ χροὸς ἐςεφάνωται.
> *Sunt autem oves rufæ, in extremæ finibus Cretæ;*
> *In humili terra Gortynide, quadricornes.*
> *Lana autem purpurea pelli circumdata eſt.*

Et Lamprid. *in Antonino Diadumeno, c.* 4. *In agro patris ejus oves purpureas duodecim ferunt natas, quarum una tantùm varia fuerit.* Conſtantinus item Porphyrogenn. *Them.* 12. ubi de munere, quod Juſtino Juſtiniano patruo obtulit Thomas Lycandi Procœcus; *Munus illud erat ovium decem mille, quarum ſingula colorem habebant ſingularem: & in his* πρόβατα *fuerunt* φοινικότριχα, *oves purpurei coloris mille* &c. Unde quod de purpureis calceis legimus, ad pelles purpureas, non tam arte, quàm naturâ, non ſine ratione trahi poteſt. Livius Andronicus *Hymnô, ad Dianam*, apud Terentianum Maurum,

> *Et jam purpureo ſuras include cothurno.*

Quod geſtamen cùm virginum olim eſſet genere opibuſque inſignium, Cantici *c.* 7. *v.* 1. & apud Virgilium, ubi de Tyriis Virginibus; poſtea Regum Imperatorumque proprium eſſe cœpit. Uti de Romanorum Imperator. & Perſarum Regibus, Procopius *de Ædif. Juſtiniani l.* 3. deque Bulgarorum Principum inſignibus, Curopalates *in Tzimiſce*, referunt. Cujuſmodi proin calceis quòd uteretur Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab Iſaacio Comneno Patriarchatu eſt dejectus, Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 30.

OVIUM Cauda, Hebr. אליה *aljah*, voce maximè propriâ, Levit. *c.* 3. *v.* 9. de agno, qui offerri debebat in ſacrificium Euchariſticum, *caudam integram uſque ad coccygem removebit: c.* 7. *v.* 3. ubi de oblatione agni pro delicto, *caudam offeret & adipem, qui operit extra: c.* 8. *v.* 25. de agno conſecrationum, *Et cepit adipem & caudam:* & *c.* 9. *v.* 19. *Et ex ariete obtulerunt caudam;* in quibus locis omnibus Hebr. *aliah* eſt, cùm in reliquis animalibus cauda eidem genti זנב *Sanab* dicatur. Eandem vocem uſurpant Samaritani, Syri, Chaldæi & Arabes: quin apud hos *alia* verbum, de Ove, ſignificat *caudam habere amplam & adipoſam* &c. Verùm non intelliguntur hôc nomine vulgares ovium, quales in Europa ſunt, caudæ, ſed, ut habet in Lexico Golius, *quales in Orientis ovibus ſpectare eſt, quarum minimæ decem, vel duodecim libras pendunt, nonnullæ autem quadraginta libras pondere excedunt. Eas autem minutatim conciſas liquant & adipem in ſuos uſus ſervant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum vel etiam, ut in Perſia, & alibi, ad conficiendas candelas.* Cujuſmodi proin caudam Arabes aliô vocabulô nominant, idem ſonante, quaſi *divitem* & *copioſam* dixeris; quemadmodum & *ſegmentum ejus*, qualia multa apud Arabum fartores & macellarios proſtant, voce ab eadem origine manante inſigniunt. Ne verò iſtiuſmodi cauda, ſi humum verreret, laceraretur, ploſtello illam alligare conſueverunt. *Eſt* autem *ploſtellum illud parva rheda quam caudæ ſupponunt, quia caput caudæ illorum arietum eſt latum, ad inſtar agniculi: neque habet oſſa, ſed pinguedinem & denſitatem & gravitatem: & cùm humum verrit, laceratur ac corrumpitur. Proinde ploſtellum ipſis aptant, quod poſt eos volvitur, cùm ambulant, & cauda illis alligatur*, ut habet *Gloſſa, in Talmud. Tr. de Sabbatho c.* 5. *in Gemar.* Cujus moris veſtigia in Græcis quoque Scriptoribus reperire eſt, in Herodoto inprimis *l.* 3. *c.* 115. ubi de Arabibus, *Duo autem*, inquit, *habent ovium genera admiratione digna, quæ nuſquam alibi ſunt. Quorum unum longas habet caudas, tricubitalibus non minores: quas trahere ſi permitterentur, ulcera contraherent, dum cauda ad terram attereretur. Sed unuſquiſque paſtorum hactenus arte fabrili doctus eſt, ut ploſtella faciant, quæ illarum caudis ſubligent, ſingulas ovium caudas ſingulis ploſtellis devincientes. Alterum autem ovium genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit.* Vide quoque Ælian. *Animal. l.* 10. *c.* 4. Ariſtotelem *Hiſt. l.* 8. *c.* 28. ubi de Syriæ ovibus, ut & de iiſdem Plin. *l.* 8. *c.* 48. Diodor. Sic. *l.* 2. ubi de Arabiæ parte ad Oceanum intima & Cteſiam de Indis, apud Ælian. *l.* 4. *c.* 32. ubi paſtores earum ovium, quæ ad partum idoneæ ſunt, caudas amputare, ut faciliùs ineantur, ſed & ex earum adipe oleum exprimere: arietum porrò caudas diſſecare, ut adipem extrahant, iterumque conſuere, tradit. Quibus adde Damirem, Scriptorem Arabem, *de Animal.* multo portentoſiora de Indicis ovibus memorantem; ex recentioribus, Ludovicum Vartomannum *Navigat. l.* 2. *c.* 5. ubi de Principe *Aden* in Arabia Felice *c.* 9. ubi de Reame, ejuſdem Arabiæ urbe; & *c.* 15. ubi de Zeila Æthiopiæ: Busbequium *Ep.* 1. in itinere Nicææ Ancyram; Olearium, qui iſtiuſmodi ovium, tanquam in Syria, Meſopotamia, Gordyæa & Perſide vulgarium, meminit, *Moſcovit. & Perſici Itiner. l.* 5. *p.* 548. & *Indici l.* 1. *p.* 91. Sed & in Africa & in Ægypto ſimiles deſcribit Leo Africanus *l.* 9. ut & Ludovicus Marmolius *Africæ ſuæ l.* 1. *c.* 23. ubi eas Hiſpanicè appellat *carneros de cinco quartos:* quia cùm noſtræ ſolùm in quatuor partes, hæ in quinque dividuntur, quarum partium una eſt cauda eaque ſæpè potiſſima, &c. E quibus omnibus facilè apparet, quare Moſes, qui in boum hircorumque ſacrificiis de cauda ne hilum quidem habet, de ovilla tam fuerit ſolicitus. Vide plura apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 45. & hîc in vocibus *Cauda*, & *Ploſtellum.*

OVIUM Notæ, vel inuſtæ, vel impreſſæ. *Calphurnius*,

> —— —— *nec Brutia deſit*
> *Dura tibi, & liquidô ſimul unguine terra memento,*
> *Si ſint raſa, linas: vivi quoque pondera melle*
> *Argenti coquito, lentumque bitumen aheno;*
> *Impreſſurus* ovi *tua nomina.*

Et Virg. *Georgic. l.* 1. *v.* 263.

> *Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.*

Ad quem locum *Servius: Id eſt, facit aut characteres, quibus pecora ſignantur, aut teſſeras, quibus frumentorum numerus deſignatur.* Signabant autem charactere agnos maturos, ut & cœtera animalia, menſe Januariô: at fœtus ſerotinos, Aprili, Palladius in *Januar. c.* 17. & *Aprili c.* 7. Et quidem alias in aure, alias in cute notabant, Eulogius apud Photium, *Auctore* 280. Vide Bochart. *ubi ſuprà c.* 44. ubi, quomodo Arabes *notam ovi inuſtam in mediis auribus*, item *ad anteriorem auris partem*, nec non *in loco cinguli*, i. e. circa lumbos, ut & *clunibus*, diſtinctè appellent, exponit. Atque hoc σφραγίζειν dixêre Græci, unde μῆλα ἀσφράγιστα, *oves non ſignatæ.* Aliud μῆλα ἀσήμαντα, apud Homerum *Il.* κ. *v.* 485.

> Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθών.

Græcè *oves paſtore carentes*, incuſtoditæ, ἀπροστάτευτα, *præfectô carentes, Euſtath.* Stabulorum enim præfectos præſideſque σταθμῶν σημάντορας dici paſſim, notum. Idem *ibid.*

OVORUM Progenies, vide ſuprà *Cupido.*

OUPORUM, *Moletio Obrovazo*, oppid. Liburniæ mediterran. inter Blanonam & Nedinum, ab eo 3. leuc. à Jadera veteri, 6. in Boream in medio Nedinum.

OUSTA, ſeu AUSTA, fluv. parvus Britanniæ minoris. Oritur prope Quintinum oppid. dein aliquot amnibus auctus, in Vidanam cadit, prope Redonum oppid. Gall. *Ouſte.*

OVUM, Græcè Ὠὸν, quomodo generetur, facundè perſequitur Plin. *l.* 10. *c.* 35. qui & de vitiis & remediis incubantium, ut in *c. ſeq.* ubi & *quædam citra incubitum, ſponte naturæ gignere, ut in Ægypti fimetis;* memorat: *ſcitum de quodam potore, illum Siracuſis tamdiu potare ſolitum, donec cooperta terra fœtum ederent ova*, addens. Quam conſuetudinem hodieque in Ægypto durare, docet pluribus P. de Valle *Itinerar. Tom. I.* Imò & ab hominibus perfici; docet ſuperſtitio Veterum. Apud hos enim cupidæ maſculæ prolis matres, *ovo* gallinæ incubanti ſubducto, atque ſuoque foto, quoad pullus excluderetur, ſi gallus prodiret, maſculæ prolis augurium inde hauriebant. Sic prægnans Livia apud Sueton. *Tiber. c.* 14. iſtiuſmodi ovum, *nunc ſuâ, nunc miniſtrarum manu per vices uſque eò fovit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt.* Unde fortaſſe inventum, ait Plin. *l.* 10. *c.* 55. *ut ova in calido loco impoſita paleis igne modicô foverentur, homine verſante, pariterque & ſtatô die illinc erumperet fœtus.* Vide quoque ſuprà *Divinatio.* At à ſaluberrimo hoc alimenti genere abſtinuêre Ægyptiorum olim Sacerdotes, uti & à lacte, hoc *ſanguinem colore mutatô*, id *carnem* eſſe *liquidam* dicentes, ut docet, ex Chæremone Stoico & Herodo, Alexander Neapolit. *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 17. Sed de *Ovis* jam ſuprà diximus. Addam hîc ſaltem, de ſtruthiocameli ovis, propter amplitudinem nonnullis vaſorum locô inſerviiſſe, ex eodem, *l.* 10. *c.* 1. De *Ovo* verò *Ledæ*, è quo Caſtor & Pollux prognati, apud Lacedæmonios, ubi tæniis à teſtudine Templi fuerit ſuſpenſum, oſtenſo vide *in Laconicis* Pauſan. & ſuprà aliquid, voce *Gynæconitis*, item *Helena;* uti de pileo eorum *dimidii ovi* inſtar habente, infrà lemmate, *Pileati fratres:* de *Ovo* verò *purpureo*, quod cùm naſceretur Geta gallina in Aula peperit, à Baſſiano fratre, per invidiam, confracto increpante eum verbis hiſce ominoſis matre, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti*, Spartian. *in Geta c.* 3. de *Ovo*, *ſerpentem inſculptum* habente, Romæ, quod interprete Gregoriô VII. Pontifice Romano denotabat imperium Roman. & Henricum IV. Imperatorem Aventinum *l.* 5. de *Ovo ſerpentino*, à quodam Equite Romana è Vocontiis, in ſinu geſtato, ut is Magicâ ejus ope cauſam in Foro obtineret, illoque proin occiſo, Claudii Imperatoris juſſu, Plinium *l.* 29. *c.* 3. & plura de *Ovis*, apud Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 78. 83. & 90. necnon *l.* 1. *c.* 5. & 6. uti *de Ovo in Cerealibus ludis adhibito*, ſuprà ubi de iis: in Zoroaſtris Schola, aliiſque Veter. ſacris, voce *Mundus* & de *Oopægnio* ſeu *Ovorum luſu* Mahometanorum, in feſto *Bairam*, aliquid infrà, voce *Paſcha.*

OXAMA, vel UXAMA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. *Ptolem.* Hodie *Oſma* in regno Caſtellæ veteris exciſa, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Burgenſi, inde 18. leuc. in Meridiem: Ex ejus ruinis crevit oppid. vicinum *Borgo d'Oſma*, ubi ſæpe moratur Epiſcopus Oxomenſis, 9. leuc. à Seguntia in Circium Media inter Bilbilim ad Ortum & Pintiam ad Occidentem. Vide *Uxama.*

OXAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

OXARTES, è Regione Naura, inter dedititios Alexandri Magni, perſuaſit Syſimithri dedere Petram Alexandro, Curt. *l.* 8. *c.* 2. Legendum autem apud Curtium pertendit Janus Gebhardus *Oxyartes.* Nam hic Rhoxanis Pater, Paropamiſadarum & Bactrianorum Regulus, Diodor. Sic. *l.* 18. *p.* 628.

OXATRES Darii, ultimi Perſarum Regis frater, robore corporis & animi fortitudine multum inter Perſas eminens, ab Alexandro, poſt mortem Darii, in cohortem amicorum receptus, omni vetuſtæ claritatis honore ſervatô, Curt. *l.* 6. *c.* 2.

OXEA, ſeu OXIA, inſula Propontidis, *Nicet. Cedren.*

OXEÆ, inſulæ eædem, quæ *Echinades*, Steph. in *Dulichium.*

OXEAS, Herculis ex Megara fil. *Boccat.*

OXEI, populi Epiri inter Nicopolim & Naupactum, *Antonin.*

OXES, Græcè Ὤξης, fluv. Scythiæ Orientalis, qui aliàs *Oaxes* dicitur & *Oxus.* Vide *ibi.*

OXIANE, palus, ſive ſtagnum Sogdianæ regionis, quod Oxus fluvius efficit. *Choraſmuni*, teſte *Nigrô.* Populi *Oxiani Ptolemæo* vocantur.

OXIDATES, nobilis Perſes, à Dario capitali ſupplicio deſtinatus, cohibebatur in vinculis. Huic Alexander liberato Satrapiam Mediæ attribuit, Curt. *l.* 9. *c.* 8. Sed videtur, ob injurias in provinciales, inde iterum eſſe remotus, ſubmiſſô in ejus locum ab Alexandro Magno Arſace, *l.* 8. *c.* 3.

OXIMUM, vulgò *Hyeſmes*, oppid. Galliæ Celticæ in Normannia clarum, inter Aquilam & Cadomum, longitud. 21. 20. latitud. 48. 54. In colle, 4. leuc. à Sagio in Boream, 8. ab Aquila in Occaſum, uti 9. à Faleſia, 16. à Cadomo in Eurum *Baudrandus.* Aliter *Exmes*, ſub Sajenſi Epiſcopo, qui nonnunquam ibi ſedem habuiſſe potuit, nunquam autem civitas hæc aut ſedes Epiſcopi Sajenſis primaria, aut caput gentis fuit; Sajis ſemper ſubjecta. Hinc Pagus *Oximenſis*, vulgò *l'Hieſmois*, aut *le pays d'Hieſmois*, qui pagos minores duos, Alentionenſem & Sajenſem, olim continuit. In hoc villa Taſiliacum, vulgò *Ville Taillac*, Fortun. *de vita Germ. c.* 54. Item locus qui *Monſfortis* dictus, *Oximus*, & Guaccjum (*Gaſſay*) memorantur Orderic. Vitali *l.* 6. Incolæ *Oximenſes*, & *Oximi* dicuntur, *l.* 8. *&* 13. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Itaque malè confundit Robertus Cenalis aliique, Sajos ſedem Epiſcopalem in Normannia, & locum *Oximum*, *Oximoſque*, ei vicinum atque ſubjectum, cum Oſiſmiis vel (ut tum vulgò loquebantur) cum *Oximenſi* Epiſcopatu Britanniæ Aremoricæ, ſimilitudine nominum decepti. Interim pago *Oximenſi* nomen dedit. Vicecomitis *Oximenſium* Rogerii de monte Gomerici, *Literæ* ejus meminêre, apud Valeſ. ibid. voce *Saji.*

OXIONES populi Sarmatiæ Europææ Tacit. *de mor. Germ. c.* 46.

OXIOPIUM, urbs Myſiæ Aſiaticæ, Plin. *l.* 5. *c.* 30.

OXONIA, vel OXONIUM, urbs Angliæ Epiſcopalis, & Academia totius orbis terrarum longè celeberrima, fundata, ab Alfredo Rege A. C. 895. hortatu Noëti, viri doctiſſimi. Athenæ noſtræ nobiliſſimæ, uti loquitur Camdenus, Angliæ μουσεῖον, & ἱερεῖον, imò Sol, oculus, & anima, literarum & ſapientiæ clariſſima officina, unde Religio, Humanitas, & Doctrina, in omnes regni partes uberrimè diſtribuuntur. Hanc ſeculô 14. Johannes Viclefus, Theologiæ Profeſſor ibidem, illuſtravit. De quo vide in voce *Viclefus.* Urbs egregia, & nitida, ſive privatorum ædificiorum elegantiam, ſive publicorum dignitatem (inter quæ *Bibliotheca Bodlejana*, & *Theatrum Scheldonianum* præcipuè excellunt,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.)

ſive ſitûs ſalubritatem, & amœnitatem ſpectes. Planitiem enim ita obvallant nemoroſi colles, ut hinc peſtilenti Auſtrô, illinc tempeſtuoſô Zephyrô excluſô, tantùm ſerenantem Eurum, & Aquilonem αἰθρηγενέα, & corruptionis vindicem admittant, unde ab hoc ſitu *Belloſitum* quondam dictum fuiſſe produnt ſcriptores. Nonnulli, qui tamen, meâ opinione, fallacem opinionis ſuccum imbiberunt, hanc *Caer Vortigern*, & *Caer Vember* Britannicè appellatam, & neſcio quos Vortigernos, & Mempricios extruxiſſe opinantur. Quodcunque vero Britannicis temporibus fuerit, Saxones *Oxenford* appellârunt, eâ plane ſignificatione, quâ Græci ſuos *Boſphoros*, & Germani ſuam *Ochſenfurt* ad Gderam habent, à *Boum* ſcil. *vado*, quô etiam ſenſu Britannis noſtris *Rhidychen* vocatur. Lelandus tamen probabili conjecturâ ab *Ouſe* fluvio, qui Latinè *Iſis*, nomen deducit, & *Ouſſord* vocatum fuiſſe arbitratur, cùm inſulæ amnicæ, quas *Iſis* hic diſpergit, *Ouſney* dicantur. Plura vide apud Camdenum, & Brianum Twynum, *in Antiquitatis Academiæ Oxonienſis Apologia.* Propediem vero, favente Deô, viſuras es librum verè aureolum, plurimi laboris, nec minoris judicii, ubi *Oxonia, ſive celeberrimæ univerſitatis Oxonienſis Hiſtoria, ex intima antiquitate luculenter illuſtratur. Authore Antoniô Vuood*, *Collegii Mertonenſis in eadem Univerſitate Artium Magiſtro.* Cujus laudes, integerrimam erga me amicitiam, & ſingularem in hiſce ſtudiis induſtriam & ſcientiam deprædicabo, *Dum thymô paſcentur apes, dum rore cicadæ, Lloyd.* Prodiit A. C. 1672. Diſtat hæc urbs ad Tameſin ſita, 60. mill. paſſ. à Briſtolio in Ortum, uti 40. à Gloceſtria; in limite Bercheriæ Comitatus. Aliàs urbs Atrebatum fuit, nunc caput eorum eſt, *Baudrand.* Hiſtoriam recentiorem quod ſpectat, urbem hanc Regiarum partium principem, d. 10. Maji. A. C. 1645. obſidere cœperunt Parlamentarii, duce Thomâ Fairfaxiô, cùm intereà Rex valido cum exercitu univerſam Angliam perterreret. Metus inprimis auctus fuit expugnatâ primô impetu Leiceſtriâ, atque hinc trepidatio omnes pervadebat ac deſperatio. Itaque juſſus *Oxonii* obſidionem ſolvere Fairfaxius, & cum Rege confligere (licèt in ejus exercitu recèns collecto non niſi unus veteranus miles, & unus Nobilis eſſet) prælium commiſit d. 14. Junii, ejuſdem Anni, in Comitatu Northamptoniæ, prope pagum Naſebin, atque contra omnium expectationem copias Regis fugavit, omnique ejus peditatu captô & ſecretis ipſius literis in poteſtatem redactis, fortunam ejus jam labantem graviter impulit. Ab eo enim tempore non jam per gradus, ſed unô impetu, Regiæ partes collapſæ ſunt: Perpetuæ Parlamenti victoriæ, expugnationes urbium, ac ne quidem ullus adverſus caſus proſperum armorum curſum perturbavit. Quidquid militum Regi reſtabat, compulſum fuit in extremum Cornubiæ angulum, itaque ibi quinque equitum millia in deditionem accepta, dieque viceſimô Junii *Oxonium* captum eſt, cùm paulo antè Rex mutatô habitu in caſtra Scotorum evaſiſſet, ab illis abductus Novocaſtrum. Paulo pòſt ultimô Regis præſidiô caſtellô Cornubiæ firmiſſimô, *Pendennis* dictô, ad deditionem quoque compulſô finis bello impoſitus & ad majorem tragœdiam totiuſque Regni miram metamorphoſim via eſt ſtrata. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 229. & 230.

OXONIENSIS Comitatus, qui verſùs Tameſin, olim regni Merciorum antiqui pars. Habet ab Ortum Notthingamiam, ab Occaſu Gloceſtriam, à Meridie Bercheriam, à Septentrione Warvicenſem Comitatum. Hîc Concil. A. C. 1222. à Stephano Langtono, Archiepiſcopo Cantuarienſi celebratum.

OXUS, fluv. ingens Sogdianæ per Margianam in Hyrcanum mare decurrens. *Geichon*, *Rhamuſio*; *Deiſtan Nigro.* Aliis *Xa Cappanach* Perſis, teſte *Thevetô. Monarach* Arabibus. *Nicaprach* incolis. *Abiamu Caſtaldo.* Ejus meminit Dionyſ. *v.* 746.

——— Οἷς ἐπὶ γαῖα
Σουγδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος,
Ὅστε λιπὼν Ἠμωδὸν ὄρος, μετὰ Κασπίδα βάλλει.

Hunc fluv. medium terminum inter Bactrianam & Sogdianam; ut Iaxarten inter hanc & Sacas, ſtatuit Eratoſthenes apud Strab. *l.* 11. affirmans, διείργειν Σάκας μὲν καὶ Σογδιανοὺς τὸν Ἰαξάρτην, Σογδιανοὺς δὲ καὶ Βακτριανὴν τὸν Ὦξον. Cum quo ſatis conſentit Ptolem. *l.* 6. *c.* 12. *&* 13. Neque in cæteris Dionyſio malè cum his convenit, niſi quòd Oxum affirmet per mediam Sogdianam fluere: quæ loquendi forma apud eum nova non eſt, cùm de fluv. loquitur, qui regionis alicujus terminos tantùm perſtringit, quod facit, ubi de Tyberino fluv. loquitur, *v.* 351. Montanus, Arrian. *de Exped. Alex. l.* 3. Ὁ δὲ Ὦξος ποταμὸς ῥέει μὲν ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Καυκάσου, ἔστι δὲ ποταμῶν μέγιστος τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅσους γε δὴ Ἀλέξανδρος καὶ οἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ ἐπῆλθον, πλὴν τῶν Ἰνδῶν ποταμῶν, οἱ δὲ Ἰνδοὶ ποταμοὶ μέγιστοί εἰσιν. Ἐξίησι δὲ ὁ Ὦξος ἐς τὴν μεγάλην θάλασσαν, τὴν καθ' Ὑρκανίαν. Διαβαίνειν δὲ ἐπιχειροῦντι αὐτῷ τὸν ποταμὸν πάντῃ ἄπορον ἐφαίνετο. Τὸ μὲν γὰρ εὖρος ἦν ἐς ἓξ μάλιστα σταδίους, βάθος δὲ, οὐδὲ πρὸς λόγον τοῦ εὔρους, ἀλλὰ πολὺ δή τι βαθύτερος καὶ ψαμμώδης. Καὶ ῥεῦμα ὀξὺ, ὡς τὰ καταπηγνύμενα πρὸς αὐτοῦ τοῦ ῥοῦ ἐκ τῆς γῆς οὐ χαλεπῶς, οἷα δὴ οὐδὲ βεβαίως κατὰ τῆς ψάμμου ἱδρυμένα. Qu. Curtius *l* 7. *c.* 4. *Quartô die ad flumen Oxum perventum eſt: hic quia limum vehit, turbidus ſemper, & inſalubris eſt potu.* Meminit fluv. hujus Achamed Geraphi fil. *in Themiris hiſtor.* eumque *Ghajon*, *Gihon*, & *Jihunc* vocat, qui Choraſanam regionem à Mauranharia diſtinguit. *Nic. Lloydius.*

OXYBAPHUM, Græcè ὀξύβαφον, item ἐμβάφιον, vas embammati continendo inſerviens, acetarium vas. Et quidem inter ſicca condimenta, præcipuum locum obtinebant ſales; in liquidis acetum & oleum, quæ propriè βάμματα & embammata, & varia mixturâ γαρέλαιον, ὀξύγαρον, & alia hujuſmodi oxypora: quibus recipiendis idonea vaſa *Oxybapha* & ἐμβάφια dicta; item τρυβλία. Unde manum aut panem intingere in condimentario, ἐμβάπτειν, Matthæi *c.* 26. *v.* 23. A *bamma*, parvum *oxybaphium* bammulum dictum eſt, unde Græci recentiores βάμπουλον fecêre & βάμβουλον, ſic appellantes candelabra in modum lancis vel ἐμβαφίου ſeu *oxybaphii* uncinum in medio habentia, quibus infigebatur candela, cum pediculo, quô manu retinebatur. Sed de his ſuprà. vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 375.

OXYBII, Ligurum gens *Straboni & Stephano*, *Oberrois Dalechampio. Baudrando* populi Provinciæ fuêre, inter Deceates ad Ortum & Argenteum fluv. ad Occidentem in ora maris Mediterranei ubi Forum-Julii & Forum-Voconii.

OXYBLATTA, purpura intenſioris ac vividioris luminis, quæ Comico ὀξεῖα φοινικὶς; apud Suidam in βάμμα, πορφύραι διάφοροι καὶ ὀξύταται, *purpuræ excellentes & vividiſſimæ*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Latini *excitatum*, i. e. *clarum* & *acutum* vocant colorem, quem Græci ὀξὺν dicunt, *adſtricto* oppoſitum; qui ſimul tamen in eodem eſſe poſſunt, ſed diverſô reſpectu. Sic enim Tyria purpura nigrior & adſtrictior adſpicientibus apparet ſuſpicientibus verò excitatiſſimum lumen & nitorem adfulgebat. At excitatus & dilutus, ut nec adſtrictus ac dilutus, ſimul eſſe nequeunt, nec in uno morari. Adeoque excitatus & preſſus color, licèt inter ſe diverſi, ex æquo tamen ubique diluto contrarii ſunt. Excitatus & acutus color in cocco; preſſus & adſtrictus in purpura, *nigrantis roſæ*, ut Plinius ait, *colore ſublucens.* Tyria purpura utrumque habebat, *acumen* lumenque cocci & nigritiam ſaturitatemque purpuræ nigræ, neutrum habebant dilutiora, ut conchylium. Porrò quod Græcis ὀξὺ, illud item λαμπρὸν, Latinis *clarum* eſt: unde *claræ purpuræ* in *Vita* Probi. In recentioribus Græcorum *Conſtitut.* ὀξεῖα μετάξη, ut τὸ χρυσόβουλλον διὰ μετάξης ὀξείας ἀπηωρεῖτο: ubi ὀξεῖα metaxa eſt coccinea. Et quidem antiqui preſſiores & fuſciores purpuras magis probabant; at recentioribus claræ & excitatiores magis placuêre. Nec hoc omittendum, Latinos *preſſum & ſaturum* etiam de clariſſimis & excitatiſſimis coloribus uſurpâſſe, intenſiſſimum quemque in ſua ſpecie colorem, & qui diluto pallidoque maximè contrarius eſſet, ita vocantes: atque omnino, quidquid largiſſimô atque abundantiſſimô colore & lumine pictum tinctumque eſſet, hôc nomine donantes. Sic Græcis κατακορὲς. Sextus Empiricus *Pyrrhon. Hypotyp. l.* 1. Καὶ τὸ αὐτὸ χρῶμα τοῖς μὲν πρεσβυτέροις ἀμυδρὸν φαίνεται, τοῖς δὲ ἀκμάζουσι κατακορὲς, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertull. de Pallio c.* 3. & *ad Solin. p.* 199. 278. & 344.

OXYCANUS, Præſtorum, Indiæ gentis Rex, Curt. *l.9.c.*8.

OXYCRATON, vide *Poſca.*

OXYDATES, nobilis Perſa, Curt. *l.6. c.*2.

OXYDRACÆ, Indiæ citerioris populi à quibus cùm Alexandrum liberâſſet Ptolemæus, *Soter*, i.e. *ſalvator*, cognominatus eſt. Alii fabuloſa eſſe tradunt, quæ de Oxydracis dicuntur, *Stephan.* Vide Q. Curt. *l. 9. c.* 4.

OXYGARUM, apud Martialem *l.* 3. *Epigr.* 50. *v.* 3.

Depoſuit ſoleas; affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber:

garum ex aceto eſt, in antecœna olim appoſitum. Vide quoque ſuprà *Garum*, & infrà, ubi de *Oxyporis.*

OXYLITGAM, *Leuncl. Aurichyſar*, vel *Siurichiſar*, caſtrum Saracenum, in Myſiæ, Thraciæ & Macedoniæ confinio, *Cedren.*

OXYLUS, Eliorum Rex juſtiſſimus ac præſtantiſſimus, qui vetuerat mutuam pecuniam in ſuam cuiquam agri partem dare, nec licebat cuiquam eam oppignerare, ut quiſque haberet, quod coleret. Ariſtot. *l.* 6. *Polit. c.* 4. Pauſan. *l.* 5. Strabo *l.* 10.

OXYLUS, τριόφθαλμος, quô duce Heraclidæ, Temenus, Creſphontes & Ariſtodemus fratres, Peloponneſum feliciter recuperârunt: in præmium operæ fortiter præſtitæ, ab illis Elidem, ejectô Eleæô Rege, obtinuit. Idem cum priore. Ab eo Iphitus deſcendit, qui Olympia inſtituit. Pauſan. *Arcad.* Vide quoque Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec. XIII.* ubi *de Heraclidarum reditu.* Addo ſaltem, ab hujus *Oxyli* temporibus, totam Elidis regionem (ex Heraclidarum juramento) Jovi ſacram, & urbem Eleam, ſine muris, ipſâ religione tutam fuiſſe, ex Strabone *l.* 8. ubi &, deficiente licèt Jovis Olympii oraculô in urbe Olympia, manſiſſe nihilominus ſuam templo gloriam, διὰ τὴν πανήγυριν καὶ τὸν ἀγῶνα, ait. Vide & *Iphitus.*

OXYMAGIS, Indiæ fluv. in Gangem irrumpens, Arrian. *in Ind.*

OXYNIA, Græciæ urbs, ad Ionem fluv. qui ſe cum Peneo jungit, *Strab.*

OXYNTHES, Athenienſium Rex XIII. An. ante Urb. Cond. 390. ſucceſſit Demophonti, regnavit annos 12. circa tempora Jairi Hebræorum Judicis: ſucceſſorem habuit Aphidam. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron. ad Sec. XII.*

OXYPÆDEROTINÆ Veſtes, apud Flav. Vopiſcum *in Aureliano, c.*46. *Idem conceſſit, ut blatteas matronæ tunicas haberent & cæteras veſtes, cùm antea coloreas habuiſſent, &, ut multùm, oxypæderotinas:* dictæ ſunt à *pæderote* gemma, quam aliò nomine *opalium* dixêre. *Heſych.* παιδέρως ἡ σφραγίς. Uti autem in purpura varii colorum luminiſque gradus ſunt ac differentiæ; quæ, prout preſſior ſaturiorque eſt vel dilutior, ita nomina invenit; unde *blatta* & *oxyblatta* &c. Sic itaque in pæderote gemma varii colores elucent: *Eſt in his*, inquit Plin. *l.* 37. *c.* 9. *carbunculi tenuior ignis, eſt amethyſti fulgens purpura, eſt ſmaragdi virens mare & cuncta pariter incredibili mixturâ lucentia.* Quorum optimus ille eſt, eodem Judice, cujus color vini colore fuſcatur: ad quem proin tingentium officinæ vota dirigebant, cui & *oxypæderotinum* videntur nomen feciſſe. Inter quem ſanè & amethyſtinum non magnum videtur fuiſſe diſcrimen; unde non mirum eſt, eum colorem, ut pretioſiorem & purpuræ propiorem, rariùs fuiſſe matronis conceſſum. Nero namque, ut non ſolùm ex Suetonio diſcimus, Tyrii, ſed & amethyſtini coloris uſu, privatis interdixit: quamvis amethyſtinum inter pretii levioris colores Ovidius enumeret, quem inter alios plures ac viliores concedit mulieribus artis ſuæ. Videntur ergo matronæ in ſolatium ademtæ purpuræ vel conchyliatæ veſtis; aut, uti tum loquebantur, blatteæ, quæ erat magni pretii, amethyſtinas & oxypæderotinas, quæ proximè ad purpuram accederent, in uſu habuiſſe. Quòd enim Vopiſcus *c.* 40. de Alexandro Severo memorat, illum *purpuram clariſſimam matronis, ſi quæ aut poſſent, aut vellent, vendidiſſe*; non negat, ante Aurelianum alias veſtes Matronis habitas, quàm coloreas, aut ad ſummum oxypæderotinas: ſed hoc tantùm vult, veſtes hujuſmodi habendi copiam non fuiſſe privatis, niſi ſi quas ipſe Imperator donaret aut venderet. Omnia enim baphia in quibus purpureæ veſtes tingebantur, non privati, ſed Imperatorii juris fuêre & omnes ſpecies ibi tinctæ in veſtiarium Principis inferebantur & ad ejus uſum ſervabantur &c. Salmaſ. *ad Vopiſc.* Idem tamen *ad Solin. p.* 1148. à ſeipſo diſcedens, à *pæderote* colore ſeu purpuriſſo, quod genis olim indebant mulieres, colorem hunc in veſtibus tum uſitatum deducere mavult. Vide infrà in voce *Pæderos.*

OXYPORA Condimenta, quæ ex herbis & oleribus, ex aceto & ſale comedi ſolitis, conſtabant, dicebantur: cujuſmodi Λάχανα, quæ cruda in aceto edebantur, Græci τρώμιξα appellârunt. *Gloſſa, Acetaria*, τρώξιμα. Sed & ſic vocabant, quæ acetô & ſale condiebantur. Plin. *l.* 20. *c.* 20. de peplio ſeu portulaca agreſti: *ſtomachum in acetariis ſumpta corroborant.* Græce ἐν προσοψήμασιν, ἐν ὀξυπόροις; acetô enim eam & ſale condiri, ſcribit *Dioſcorides.* Quæ itaque hujuſmodi herbis & aceto conſtabant, ὀξύπορα appellantur, qua voce porrò dicta quòd ex *aceto* darentur. Hinc ſua Medicis ὀξύπορα vel ὀξυπόρια antidota & πεπτικά, non ita appellata, ut in ſuis definitionibus doctiſſimi Medici aſſerunt, quòd citò penetrarent utpote tenuium partium, ſed quòd *acetô* & *acetariis* hujuſmodi herbis componerentur: certè nunquam ſine aceto fiebant, ut plurimum piperato: unde quòd ex aceto præberentur, *oxypora* vocitata ſunt; quemadmodum *oxygarum* erat, quod ex aceto & garo &c. Neque verò de crudis ſolùm oleribus, ſed & de coctis, quæ ex aceto edi mos erat, vox accipienda, & quidem *Oxypora* propriè ex pluribus ſpeciebus unà tritis mixtiſque, quibus acetum addebatur, ſeu ex multis ſeminibus calidis conſtabant, juvandæ concoctioni acetô & oleô quoque præparatis: cùm *Acetaria* dicerentur, olera, quæ recentia & cruda ex aceto edebantur; *Salgama* verò quæ ſale & acetô condita ſervabantur. Interim non raró iſtæ voces confunduntur, apud Auctores. Κατ' ἐξοχὴν verò *Oxypori* appellatione venit, apud Græcos recentiores, tithymalli id genus, quod *ſebram* Arabes ſeu *ſcebram* nominant. Latini *eſulam*, quæ vox idem ſignificat, quod Græcum ὀξύπορον, ab *eſu*, herba ſcil. quæ ex aceto editur. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim, inprimis p.* 375. 1284. & 1326.

OXYRYNCHUS, civitas Ægypti ad Nilum, templis monaſteriiſque refertiſſima, tempore Evagrii; ab *Oxyryncho* piſce, quem colebant cives, ſic dicta, *Ptol.* Strabo *l.* 17. Quod nomen cùm omnibus piſcibus acutô roſtrô præditis convenire poſſit, propriè tamen maleficum animal, inter Nili piſces peculiare, ſic appellatum eſt, cujus mentio in veteri hoc hemiſtichio:

——— οὐκ ἀδαλὲς γένος ὀξυρύγχου.

deque cujus jecore mira tradit Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Jecur vetuſtatis maximè patiens, centenis durare annis* Oxyrynchon *exempta prodidêre.* Plura de illo vide apud Strabonem *l.* 10. Clement. Alex. *Admonit. ad Gentes*, Plut. *de Iſ. & Oſir.* Hadr. Junium *Nomenclat. c. de Piſcibus*, Petrum Bellonium *Obſervat. l.* 2. *c.* 32. Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel.* Alios. Hoc itaque *Oxyrynchitarum* Numen quòd Cynopolitani odiſſent; quemadmodum illi horum Deos, canes videl. averſati ſunt, inter vicinos hos populos bellum olim exarſit, quod, *Ombitarum* & *Tentyritarum* nomine, à Juvenali deſcriptum eſſe, Salmaſ. cenſet, uti vidimus ſuprà, ubi *de Ombitis.* Sed & *oxyrynchum* dictum eſſe, characterem quendam ſcribendi peculiarem, ex *Palladio* conſtat, cujus Interpres *Heraclides* verba ejus ſic vertit, *Similiter illam ſcribebant manum, quam oxyryncham vocant Græci:* à piſce *oxyryncho*; quòd acutæ longioriſque formæ eſſet. Certè Chaldæi hodieque *Strangeli* characterem appellant, quô in librorum titulis ſcribendis utuntur; cui ſimilem penè characterem Græci in Eccleſiaſticis ſuis libris adhibent: quam vocem ex *Oxyryncho* corruptam eſſe, conjicit Dominicus Macer *in Hierolexico.*

OXYTHRES, frater Artabazi, Polyæn. *l.* 7. *c.* 33.

OZA, nomen viri, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 29. Item fil. Abinadab, percuſſus divinitùs, quòd ad ſuſtentandam arcam manum exporrexiſſet, 2. Samuel. *c.* 6. *v.* 3. Latinè *fortitudo*, vel *capra.*

OZACA, urbs ampla Niphoniæ, cum arce ſplendidiſſima Imperatoris, haud pridem extructa, in regione Jetſena, in ora ſinus ampliſſimi, in meditullio inſulæ, 50. mill. paſſ. à Meaco in Eurum.

OZAN, pater Phaltiel, principis tribûs Iſſachar, Numer. *c.* 34. *v.* 26. Latinè, *fortitudo*, aut *capra earum.*

OZAZIN, nomen viri, 1. Paral. *c.* 15. *v.* 21. Latinè *fortitudo Domini.*

OZECARUS, fluv. Luſitaniæ, nunc *Zezare.* Oritur prope Guardam urb. in provinc. *Beira*; dein auctus Nabane, Beſelga, aliiſque fluminib. minoribus, in Tagum ſe exonerat, 7. leuc. ſuprà Scalatim in Cæciam.

OZEN-SARA, urbs à *Sara* filia Ephraim condita, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 24. Latinè, *auricula carnis*, vel *conſanguinitatis*, aut *auricula fermentata*, vel *remanens*, ſive *ſtatera carnis, conſanguinitatis*, vel *reſidui.*

OZENE, urbs Indiæ citerioris Ptol. *Pali* Caſtaldo.

OZI, עזי fil. Bocci, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 5. Filius item Thola, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 2. Latinè *fortis*, vel *fortitudo mea*, aut *hircus meus.*

OZI, אזי nomen viri, Nehem. *c.* 3. *v.* 25. Latinè *tunc*, vel *aut iſte.*

OZIA, fil. Amaſiæ Regis Juda, aliàs etiam *Azarias* dictus, ſatis laudabiliter præfuit, bellô etiam contra Philiſtæos, Ammonitas & Arabes felix; Poſtea leprâ percuſſus, quòd ſacris functionibus ſe immiſcuiſſet. Obiit An. M. 3277. regni 52. interea Jotham fil. clavum tenuit, 1. Regem. *c.* 15. *v.* 1. 2. Paral. *c.* 26. *v.* 1. Fil. item Caath, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 23. *fortitudo*, vel *hircus Domini.*

OZIAU, nomen viri, 1. Paral. *c.* 24. *v.* 26. Idem ſignificat quod *Ozias.*

OZIEL, fil. Bela, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 7. Fil. Caath, Exod. *c.* 6. *v.* 8. Idem ſignificat quod *Ozias.*

OZINES, nobilis Perſa; defectionem ab Alexandro M. moliens oppreſſus eſt à Cratero, & in vincula conjectus, Curt. *l.* 9. *c.* 10.

OZNI, fil. Gad, Numer. *c.* 26. *v.* 16. Latinè *auris*, vel *ſtatera mea.*

OZOGARDANA, oppidi nomen apud *Amm. Marcellin.* circa Meſopotamiam eſſe videtur, ubi Trajani tribunal oſtenditur.

OZOLÆ, ſeu OZOLI Plinio, *l.* 4. *c.* 3. populi Achajæ, Ætolis finitimi, ad ſinum Corinthiacum. Vide *Locri*; quorum alii ad ſinum Corinthiacum, alii ad ſinum Euboicum ſunt. Locrorum ſpecies erant, ſimul & *Opuntii* & *Epicnemidii*, in Græcia; præter quos in Italia Locri fuêre *Epizephyrii*, à Zephyrio promontor. quos colonos fuiſſe Locrorum Græciæ conſtat; an verò Locrorum *Ozolorum* an *Opuntiorum*, non adeò liquet. Marcianus Heracleotes,

——— οἱ δὲ λεγόμενοι
Ἐπιζεφύριοι πλησίον κεῖνται Λοκροί,
Εἰσὶν δ᾽ ἄποικοι τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν,
Ἔνιοι δὲ Λοκρῶν φασι τῶν ἐν Ὀζολαῖς.
——— *qui autem dicuntur*
Epizephyrii, prope ſiti ſunt Locri.
Sunt autem coloni Opuntiorum Locrorum.
Aliqui verò Locrorum dicunt Ozolorum.

Prius tamen probabilius. Namque *Ozolas* dictos quoque eſſe *Heſperios*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtericos tradit *Strabo*, quòd Parnaſſi montis ex parte Occidentali accolæ eſſent: Hinc *Epizephyrii* in Italia dicti videntur, quia Zephyrus ab Occidente ſpirat; unde & *Zephyrium* promontor. Italiæ appellatum eſt, quòd portum haberet hujuſmodi ventis obverſum. Salmaſ. *ad Solin. p.* 66. & 67.

OZVIECINUM, oppid. Palatinatus Cracoviæ ad Viſtulam fluv. ubi Salam recipit, cum titulo Ducatus, vix 3. milliar. German. à confinio Sileſiæ in Ortum, Cracoviam verſus, 7. Arcem habet ligneam, & paludibus cinctum eſt. German. *Auſchuits*, & A.C. 1454. in Poloniæ Regis poſſeſſionem rediit.

OZZALA, Galatiæ urbs, *Antonin.*

P.

P Conſonans muta, aſpirationem ignorat, niſi in vocibus Græcis, ut *Phaëton*, *Philotas*, *&c.* Aliquando in *B.* vertitur, ut *Byrrhus*, *Balatum*, pro *Pyrrhus*, *Palatium*. Etiam nota erat vel Populi, vel Partis, &c. Vide Voſſ. *in Ariſtarcho*. Auſonius, *de litt. monoſ.* de Conſonante hac ita loquitur:

Auſonium ſi P. ſcribas, ero Cecropium P.
Et Rho de Græco mutabitur in Latium P.

P.A. in notis Antiquorum, *Pace*, cui additum P. R. *populo Romano*; P. C. *pactum conventum*, *pecunia conſtituta*; P. D. *publicè dedit.* &c. denotat.

PA. DIG. vel P. D. *Patriciatûs dignitas*: PAR. *Parentum*. PAT. *Patritius* &c. in iiſdem notis deſignat.

PACALIA, nomen feſti apud Romanos, memorati Aldhelmo *in Laud. Virgin. c.* 26. Ubi cùm iſta reperiantur: *Tunc ſpurcas delubrorum ceremonias exhibet, quaſi Lupercalia & Compitalia, vel Pœnalia & Suovetaurilia thurificando, ſeu Turalia & Nyctelia litando furibunda Numina reconciliarent*, Gronovius deſiderat doceri, quænam *Pœnalia* illa, quæ *Turalia* eſſent. Nam cùm ſit veriſimile, non finxiſſe diem feſtum, qui non erat, nec nomen excogitâſſe, quod olim Romanum non eſſet, neutrum ſive in Faſtis ſive alibi legitur. An potiùs nulla ſunt, ait, & ſub priore, vel *Pacalia*, vel Palilia vel Faunalia latent; ſub poſteriore Feralia, vel Saturnalia, vel denique Fugalia, ex Auguſtino *de Civit. Dei.* Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 8.

PACAMORES, populi Peruviæ, ad confluentes Maranionis in fluv. Amazonum, *P. Texeira.*

PACARE, apud Poëtam,

——— *incultæ* pacantur *vomere ſylvæ*;

eſt à ſentibus & ſpinis purgare. Apud Claudian. *de Dianæ*,

——— *pacabat Manala cornu.*

Manilium *l.* 4.

Et pacare *metu ſylvas & vivere raptô.*

Statium item *Thebaid. l.* 4. *v.* 250.

——— *tum ſaltus fortè remotos*
Pacabat *cornu.*

Venari eſt: Feras enim occidendo, quæ venatoribus (ut Gratius eleganter ait *Cyneget.*) pro hoſtibus ſunt, ſaltus pacantur. Vide Barthium *ad loc.* Apud recentioris ævi Scriptores ſolvere, exſolvere ſignificat: an à *pacando*, quod pacem facere propriè; an à *pactando*, quod eſt *pactum*, i. e. tributum ex pacto conceſſum ſolvere? Vide Salmaſ. *de Trapezit. fœn. p.* 517. Hinc Italorum *pagare*, Gallorum *payer*; & ex hac notione vocis *pacti*, Germanorum *pachi*, orum &c.

PACARIUS, vide *Decimus.*

PACATIANA, ſecundùm quoſdam Phrygiæ majoris pars. Videntur enim recentiores ex Phrygia Magna duas feciſſe provincias, primam & ſecundam, quarum prima *Pacatiana*, ſecunda *Salutaris*; at quæ Phrygia Minor olim dicta eſt, *Troadem* dicere maluiſſe. Certè Conſtantinus τῆς μικρᾶς Φρυγίας οἰκήτορας, *Minoris Phrygiæ incolas*, Thracenſium Themati vindicat: Et tamen utramque Phrygiam Salutarem & Pacatianam, quam ipſe vocat Καπατιανὴν, *Capatianam*, ſub Anatoliæ provincia collocat; quomodo utraque illa Phrygia, Salutaris & Pacatiana, una fuit olim Phrygia Magna. Quod ex ipſis Conſtantini verbis colligere eſt, quibus Ἀνατολικὸν Θέμα determinat: Ἀρχὴ γὰρ αὐτῆ ἀπὸ τῆς Κωμοπόλεως τῆς ὀνομαζομένης Μηρῦ πεποίηται καὶ λέγεται Φρυγίας Σαλυταρίας ἕως τῦ Ἰκονίε, *Initium enim ejus à Comopoli, quæ Merus dicta, factum eſt, & dicitur Phrygia Salutaris, Iconium uſque*; erat autem Iconium Lycaoniæ oppidum, quô Phrygia Magna finiebatur. Sequitur *de Pacatiana*, Τὰ δὲ ἀπὸ Κροΐνε καὶ μέχρι τῦ Ἀμωρίε καλεῖται Φρυγία Καπατιανὴ, *A Croino autem Amorium uſque vocatur Phrygia Pacatiana*: Certè Amorium inter Phrygiæ magnæ urbes, recenſetur *Ptolemæo.* Habebat verò *Pacatiana* Phrygia Præſides olim, ſicut Piſidia, Lycaonia, Salutaris, aliæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 806. Laodiceam *Pacatianæ* metropolim facit ſubſcriptio Epiſtolæ prioris Pauli ad Timotheum, ubi illa ſcripta dicitur ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐςὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς, *Laodiceâ, quæ metropolis eſt Phrygiæ Pacatianæ.*

PACATIANUS, Conſ. cum Cæcilio Hilariano, An. Urb. Cond. 1084.

PACATUS Latinus, vide *Latinus Pacatus.*

PACATUS Minutius, Grammaticus, ſcripſit de Tragicis & Comicis dictionibus, item de proprietate Atticæ, ac Doricæ linguæ. Vide *Drepanius.*

PACENSIS, vide *Æmilius.*

PACENSIS Colonia & urbs. Vide *Pax Auguſti.*

PACHACAMALI ſeu PACHAYCAKIK, Peruanorum, qui Americæ celebris Populus eſt, ſummus Deus: Eſt autem ſi interpreteris, *Creator Cœli & Terræ.* Eundem *Viracochin* communiter vocant, ut & *Uſapu*, i.e. *Admirabilem*, ut ſcribit Joh. Hugo Linſchottanus *Hiſtor. Ind. Occid. l.* 5. *c.* 3. Ita nempe & hi, ſicut jam olim Gentilium cordatiores, quamvis multorum Deorum meminerint, unum tamen ſummum, cui cœteri pateant; adeoque *unum* ſolum verum *Deum*, ſtatuunt; ut, quod apud Cicer. *de Nat. Deor. l.* 1. *c.* 12. de Socrate Vellejus, de iiſdem dici poſſit, *eos modò unum, tum autem plures Deos dicere.* Quò & illud Marſilii Ficini quadrat, de Platone, in *Argum. l.* 4. *de LL. Neque verò nos turbet, quòd plures ſæpe nominet Deos, unicum enim per ſe ipſum in Parmenide atque Timæo probat eſſe Deum, cæteros verò Angelicos, cœleſteſque Dei miniſtros, cùm Deos nominat, non tam Deos, quàm divinos, intelligit.* Eôdem modô Phœnices quondam Deum aliquem ſummum maximumque & tanquam Deorum Regem, quem *Adadum* ſeu *Adodum*, i.e. Unum dixêre, interprete Macrobiô, venerati ſunt. Et ut ad recentiora redeam, in Aſia Siamenſes, Auctor *Hiſtor. Orientalis*, Merian. *Part. XIII. p.* 91. atque Juſtus Schulteſius *Deſcript. Siam. p.* 308. tum Sinenſes; præterea Madagaſcaris ſive Divi Laurentii, ut vocant, ad Africam inſulæ, incolas, Creatorem unicum cœli & terræ credere, tradit idem Linſchottanus *Ind. Orient. Part.* 2. *c.* 7. & *c.* 30. Novæ quoque Angliæ, Americæ itidem populum, ſupremum quoddam Numen *Richtanis* titulô colere, à quo ipſo increato & inviſibili, tum cœteros Deos, tum cœlum, terram, mare, omniaque, quæ iſtis continentur, condita credant, affirmat Rich. Waitbornius *Deſcript. Nov. Angl. Part.* 1. *c.* 4. Pariter atque Biarmenſes & Lappones, Deum verum ſummumque *Jumalæ* ac *Tori* nomine venerari, Johannes Schefferus auctor eſt, *in Lapponia c.* 7. *p.* 61. Quô eôdem locô etiam ſuum *Tinagogo*, ſive *Deum mille Deorum*, incolæ regionis cujuſdam in Aſia, apud Ferdinandum Pinto *Itiner. p.* 296. & Peguenſes, apud Eund. *p.* 372. ſuum *Quiay Lacuſa*, & ipſum *mille Numinum Numen*, habuerunt. Adeò vera *de uno Deo* ſententia etiam per denſiſſimas tenebras, immerſis earum caligini animis; ſive rationis, ſive qualiſcunque Traditionis operâ illuxit, Tob. Pfannerus *Theol. Gentil. pur. c.* 2. §. 10. At *Pachamama*, Voſſio Dea fuit Peruanorum, quô nomine Terram ait cultam *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 2. *c.* 62. Vide quoque infrà *Peruvia.*

PACHECA, Hiſpan. *Pacheco*, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quod Maria (filia Johannis Fernandini *Pacheci* Dn. *de Belmonte*) Alfonſo Acugnæ à matre Tereſia, *Gironis* nomen nacto, elocata, Gironiæ familiæ intulit. Primo enim eorum filio Johanni *Pacheci* nomen impoſitum, alteri Petro *Gironis.* Et quidem cùm ex hoc Comites Urennæ, Duces Oſſunæ & Marchiones *de Pennafiel* orti ſint: viciſſim in illius, Marchionis *de Villena* & Ducis *de Eſcalona* filiis, cognominum diverſitas eſt. Primogenitus namque *Pacheci* ſervavit nomen, & ab eo ſunt Duces *de Eſcalona*: alter filius Petrus, à matre *Portocarreri* nomen accepit & ex ſe Marchiones Villæ Novæ dedit. Tertius Alfonſus Tellezius, ad Gironium nomen rediit, & Dominos *de la Puebla in Montalvan*, qui poſtea *Comitum* dignitate ornati ſunt & ſubinde *Pachecorum* nomen renovârunt, ſevit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 1. *in Ind.* & ſeriem Ducum *de Eſcalona*, ſupra in hac voce. Sed & Marchiones *de Cerralvo* nomine *Pachecorum* inſigniti ſunt; ut qui nomen hoc accepêre, ab hærede Maria *Pacheca*, Stephani filiâ Joh. nepte, Stephani alterius, cui *Cerralvo* Henricus II. Rex dono dedit, pronepte, Alvari Pereſii Oſorii conjuge. Ex hoc enim matrimonio natus Joh. I. *Pachecus* Oſorius Dn. *de Cerralvo*, Catharinam Maldonatam ſibi junxit (filiam Roderici *Areſmendes Maldonnado*) atque ex ea ſuſcepit Joh. II. *Pachecum* maritum Annæ Toletanæ (Ferdinando *de Toledo* Dn. *de Villora* genitæ) & ex ea Patrem Roderici *Pacheci* Marchionis *de Cerralvo*; quô & Annâ Henriciâ Toletanâ (filiâ Didaci Henricii Guzmani Comitis *de Alba de Aliſte*) genitus Joh. III. *Pachecus* Marchio *de Cerralvo*; ex Agnete Toletana (filia Garſiæ Toletani Oſorii Marchionis *de Villa Franca* Ducis Fernandinæ) ſuſcepit Rodericum II. *Pachecum* Marchionem *de Cerralvo* ſeu *Zerralvo*, cui Franciſca *de la Cueva & Corduba* (filia Beltrami Cuevæ Ducis Albuquerquii) defuncti A. C. 1612. peperit Johannem IV. *Pachecum*, Agnetem &c. Idem *Part.* 2. *p.* 84.

PACHERES, Athenienſis quidam belli peritiſſimus, qui Mytilenen & Lesbum, de Perſis recepit, Olymp. 89.

PACHES, Notium oppugnans Hippiam Ducem Piſuthnæ poſtulavit, ut è munimentis ad colloquium exiret, fide datâ ſe illæſum & vivum eum remiſſurum. Poſtquam verò proceſſit, cuſtodiâ ei circumdatâ, Notium vi cepit: atque tum Hippiam vivum in urbem induxit, quemadmodum in fœdere promiſerat; & poſtea jaculis confecit, Polyæn. *l.* 3. *c.* 2. Cujuſdam *Pachetis* Athenienſis, ut videtur, qui Mitylenem cepit; meminit Ariſtot. *l.* 5. *Politic. c.* 4.

PACHIA, promontor. Sardiniæ, *Ptolem.*

PACHIRI, montes in Aſia minori.

PACHOMIUS, Abbas ſeu Pater Eremitarum, in Scythia; à juventute ad ſenium uſque optimè converſatus, quem neque circà corporis ſanitatem, neque circa animi paſſionem Dæmon aliquando decepit, ſi Sozomeno credas, *l.* 8. *c.* 6.

PACHOMIUS, Abbas Ægyptius, ex milite idololatra Licinii, vel

Maxen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Maxentii. Diſcipulus Palæmonis Eremitæ, ſuper ſerpentes ambulâſſe, & à Crocodilis ab una Nili ripa in alteram tranſvectus eſſe, fertur. *Ad populum phaleras!* Variis monaſteriis conditis, obiit A. C. 350. vel 360. Ejus *Monita* edidit Gerardus Voſſius, unà cum operibus Gregorii Thaumaturgi. Dionyſius Petitus vitam ejus latinè tranſtulit. Vide Gennad. *c.* 7. *de Vir. Illuſtr. Trithem. Bellarmin. Poſſevin. Baronium*, &c. Item Patriarcha Conſtantinopol. A. C. 1500. uſque ad Annum 1513. Turcicis inſidiis multùm infeſtatus, Onuphr. *in Chron.*

PACHYMERUS Georgius, vide *Georgius.*

PACHYNUS, ſive & meliùs *Pachynum*, unum ex tribus Siciliæ promontoriis, Peloponneſum ſpectans, abaëris craſſitudine, ut vulgò creditur, nomen habens. Nam παχὺ, pingue & craſſum ſonat. Bochart. verò *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 29. ab Ebræo בחון *bachon*, ſeu *Bachum* deducit, quæ vox Tyriis *ſpeculam* ſignif. *B.* & *P.* permutatis. *Pachynus enim turrim habet ſpeculam in mare prominentem*, uti loquitur Fazellus, *Dec.* 1. *l* 5. *c.* 1. Vulgò *Capo Paſſaro*, eſtque in ora Orientali Siciliæ, ubi ad Auſtrum vergit, 60. milliar. à Melita inſula, in Boream, 140. à Peloro in Meridiem. *Baudrand.* Quantitatem priorum ſyllabarum pro licentia ſua variant Poëtæ. *Dionyſius* primam corripit & ſecundam,

Ἄκραι δὲ οἱ Πάχυνός τε Πελωρίς τε Λιλύβη τε.

Idem alibi ſecundam produxit,

——— *Καὶ μέχρι πολυκλύστοιο Παχύνου.*

Virg. itidem priorem brevem fecit, *Æn. l.* 3. *v.* 429.

Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni.

Quam tamen Ovidius producere non dubitat, *Met. l.* 13. *v.* 726.

E quibus imbriferos verſa eſt Pachynos in Auſtros.

Nic. Lloydius.

PACHYNUS Portus, vulgò *Porto Longobardo*, teſte *Fazellô*, portus Siciliæ inter Pachynum promontor. & Motyam urbem excifam.

PACIACUM, Brittoni memoratum *Philippidos* 3. *&* 4. Orderico *l.* 12. dicitur *Caſtellum Pacejum*; Oppidum autem eſt ad Auturam fluv. in Aulercis Eburovicibus, inter Ebroicas & Meduntam medium, hodie *Pacy*: corruptè *Paſſy*. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

PACIANUS, Epiſcopus Barcinonenſis, genere, caſtitate, eloquiô, vitæ ſanctitate & eruditione illuſtris. Sub Valente Imperatore floruit, obiit ſub Theodoſio M. A. C. 380. vel 388. ſcripſit *Parænesin ad Pœnitentiam*, *Epiſtolas contra Novatianos*, *tractatum parvum de Baptiſmo.* Hujus filio Dextro, Prætorii præfecto, inſcripſit Hieronym. librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *c.* 106. *Cat.* Baron. *in Annalib.*

PACIARII, in Concilio Monſpelienſi, A. C. 1214. *can.* 23. & Toloſano A. C. 1229. *can.* 31. ſunt, quibus *pacis* indictæ à Pontifice & Conciliis obſervandæ cura erat commiſſa. Horum collegium *Pax* appellatur, in Concil. Toloſano præfato *can.* 34. *Si vaſſalli homines rebellaverint contra dominos*, Pax *adſiſtat dominis contra eos.* Sed & *Paciarius*, ſeu *Pacificator*, nomen fuit dignitatis, olim collatæ ad triennium Carolo I. Siciliæ Regi à Clemente IV. Pontifice Romano flagrante Guelforum & Gibellinorum diſſidiô Imperiôque vacante, A. C. 1267. *Clemens* &c. *Cùm te in partibus Tuſciæ, Romano ſubjectis Imperio nunc vacanti, Pacis conſtituerimus per noſtras literas ſervatorem, in eiſdem tibi* Paciarii *ſeu* Pacis ſervatoris *officium committentes* &c. Johannes Villaneus *Paciaro* vocat *l.* 7. *c.* 56. Etiam *Paciarius* Ædilis, Scabinus eſt, qui *pacem* inter cives tuetur: *Præfectus pacis* aut *Decurio*, *in l.* 1. *Cod. Theod. de Pignoribus*: Εἰρηνάρχης Græcè, Gall. *Juré de la paix.* Vide Buzelinum *in Gallo Flandr. l.* 3. *c.* 15. *p.* 512. Curiam Generalem Barcinonenſem A. C. 1283. ſub Petro II. Rege Aragoniæ *c.* 28. Et Curiam Generalem Cataloniæ, actam in villa Montis Albi, ſub Alfonſo Rege Aragoniæ A. C. 1333. Iidem *Pacis aſſertores* dicuntur in *LL.* Wiſigothorum *l.* 2. *Tit.* 1. §. 16. *Sunt qui ſola pacis faciendæ intentione Regali ſolâ deſtinantur auctoritate, qui eas ſolùm dirimunt cauſas, quas illis regia deputaverit ordinandi poteſtas. Præpoſiti pacis*, *in l.* 49. *Cod. Theodoſ. de Decurionibus*, ubi tamen quidam judicant legendum, *Præpoſiti pagis*, de quibus in *l.* 1. *de Pignoribus eodem Cod.* & alibi. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in vocibus variis, *Paciarii* imprimis, & *Pax.*

PACIDIANUS, vide *Eſernius.*

PACIFER, cognomen Herculis, vide ſuprà.

PACIFICÆ Literæ, in Concilio Eliberitano A. C. 305. *c.* 81. *Ne fœminæ ſuô potiùs, abſque maritorum nominibus, Laicis ſcribere audeant, qui fideles ſunt, vel literas alicujus* pacificas *ad ſuum ſolum nomen ſcriptas accipiant*: videntur appellatæ generatim omnes epiſtolæ amicæ, *pacis* ac divinæ charitatis conciliatrices, maximè quæ Clericis inopiæ cauſâ aliò proficiſcentibus, ab Epiſcopis, dabantur: Hinc vetus Interpres Concilii Antiocheni A. C. 341. *c.* 8. *Presbyteri qui ſunt in agris, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt* --- *Chorepiſcopi autem, qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſunt* Pacificas, *i. e. generales.* Ubi Græca editio tantùm Εἰρηνικὰς præfert. Vel etiam quæ ab Archiepiſcopis concedebantur Epiſcopis, ad Imperatorem legatis: Item quæ injuſtè oppreſſis ab iiſdem dabantur. Vide *Formulas* veter. *Tom. II.* Conciliorum Sirmondi *p.* 667. Franc. Turrianum *l.* 3. *pro Epiſtol. Pontif. c.* 4. Ferrarium *Antiqq. Eccleſ. l.* 1. *c. ult.* Cl. Juſtellum *ad Can.* 8. Conc. Antioch. & *ad Can.* 11. *Conc. Chalced.* & Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce Εἰρηνικὸς, ubi etiam Εἰρηνικὰ in Græcorum Liturgiis dici, quæ Diaconus extra Tabernaculum recitat, dum in Tabernaculo Sacerdos ſecretò orationem dicit: ſicque appellari, quòd nil aliud quàm preces ſint pro pace, addit. Vide quoque eum in Συναπτή.

PACIFICI, ſeu PACIFICATORES, illi dicti ſeculô 5. qui Henoticon Zenonis Imperatoris ſequuti, ſub ſpecioſo concordiæ inter Catholicos & errones ſarciendæ prætextu, Fidem deſtructum ibant, Conciliô Chalcedonenſi ſtabilitam. Euagr. *l.* 3. Baron. *A. C.* 842. *num.* 25. Item Anabaptiſtæ, ſeculô præteritô qui in pagis oberrantes, ſe Euangeliſtas jactârunt, plurimis deceptis.

PACIFICUS Maximus, Aſculô oriundus, obiit ſub initium præteriti ſeculi, An. ætat. 100. Scripſit *contra Angelum Politianum*, *Poëmata de Lucretia, Virginia, bellis Cyri, Syllæ & Marii*, &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

PACIFICUS Novarienſis, Franciſcanus, ſeculô, 15. ſcripſit *ſummam Pacificam.* Floruit A. C. 1470. Wading. *in Bibl. Minor.* Bellarm. *de Script. Eccleſ.* Poſſevin. *in Appar. ſacro*, &c.

PACINUS, unus ex nepotibus Volſinii regis, cognomento Luculli, à quo *Pacinates* Italiæ populi.

PACIS Fractio, ſeu infractio, cùm pax indicta ab Imperatore vel Rege; ſeu alicui, aut Eccleſiæ, locisve aliis conceſſa, violatur; cujus criminis cognitio inter jura Regia recenſetur, in *LL.* Henrici I. Regis Angliæ; quid propriè apud Francicarum Rerum Scriptores dicatur, ex *Statuto* Philippi Regis Franciæ dato A. C. 1279. docet Car. du Freſne, quod ſic habet: *Frangi pacem* ---- *publicè tum dicimus, cùm in caſtris aut civitatibus, factâ ſeditione pars partem ejecerit, vel cum armis invaſerit, vel civitas, caſtrum, aut villa, aut Baro, aut caſtri Dominus, alii guerram moverint, aut furtivè caſtrum aut villam, aut munitionem ſubtraxerint.* Paulò pòſt, *Aggreſſores itinerum, ſive plures fuerint ſive unus, pacis violatores cenſendi ſunt* &c. In Imperio Romano, ſanctio de *Pace Publica*, una ex illuſtrioribus eſt, Wormatiæ primùm conſtituta A. C. 1495. ac deinde ſæpius confirmata, German. *Landfried*, cujus violatoribus aquâ & igni interdicitur, ita ut à nemine in fidem & clientelam recipi, ab omnibus verò impunè, tam in perſona, quàm in rebus, offendi poſſint: *Bannum* vocant ſeu Proſcriptionem. Olim verò apud Suevos & Francos, *Pacis* hujus turbones cogebantur canem humeris impoſitum portare per mille paſſus, multis ſpectantibus. Quâ pœnâ affecit Henricum Palatinum alioſque X. Germaniæ Comites Fridericus I. uti docet Conr. Ritterſhuſius *Orat. de eo.* Capita Sanctionis, vide apud *Juris Publ.* Scriptores.

PACIS Lapis, vide ſuprà *Lapis.*

PACIS Liber, vide *Liber.*

PACIS Mora, ſcil. conciliatrix, ſeu *Pax ſequeſtra*, Statio *Theb. l.* 2. *v.* 425. induciæ dicuntur: uti *Pacis Sequeſtrum*, Legatum vocat Lucan. *l.* 10. *v.* 472.

——— *Orator Regis Paciſque ſequeſter.*

Quomodo extremô ævô Dudo Sanquintinius aliquoties loquitur, clarâ tantorum Auctorum imitatione. Vide Barth. *Animadverſ. ad Statium d. l.* & hîc paſſim, ſuis locis.

PACIS Ordo, à Rudolpho II. Imperatore inſtituendus; de quo ſic Joh. Henr. Heideggerus: *Meditabatur idem Imperator & Rex Bohemiæ Rodolphus ſuperſtes adhuc* Ordinem Pacis, *pro conſcientiarum libertate, aurea torquis inſigni condecorandum ad cujus ſocietatem Reges & Principes Euangelicos ac Pontificios invitare conſtituerat, Hiſtoriâ Papatus Period. Sept.* §. 224.

PACIS Oſculum, vide ſuprà.

PACIS Princeps, vide ſuprà, voce *Irenarcha.*

PACIUS Julius, Vicentinus, *Beriga* cognomen tulit à vico Vicentiæ vicino, *Arithmeticæ* libellum conſcripſit jam anno ætat. 13. Juri inde animô applicitô, Genevam venit, ubi Philoſophiam Studioſos docuit privatim, donec editis ingenii monumentis publicô docendi munere ornaretur. Inde Heidelbergæ *Organum Ariſtotelis* interpretatus: hinc in Pannoniam accitus, *Jus Civile* ibi explicuit. Sedani dein, Nemauſi, Monſpelii, Valentiæ, Patavii, eôdem munere cum gloria functus, Eques D. Marci à Senatu Veneto creatus, & fil. ejus Jacobus, in Profeſſorum Juris numerum adoptatus eſt. Sed ob valetudinem, Valentiam reverſus, ibi 1000. coronatorum ſtipendiô ad vitæ finem docuit extinctus A. C. 1635. ætat. 85. Pater IV. Filiorum, omnium J. U. Doctorum, è quibus *Paulus* ſummô ſplendore familiam ſuſtinuit. Frater *Fabii*, trienniô majoris, Medici per Italiam celebris, & IV. itidem Filiorum omnium eruditione quoque inclytorum, parentis. Scripſit quàm plurima enumerata Paul. Frehero *in Theatro Viror. eruditione claror.* ubi etiam inſigne Epigramma habes, quô ipſe Vitæ ſuæ curſum Pacius deſcripſit.

PACONIA, inſula Siciliæ inter Lilybæum & Africam, *Ptol.*

PACONIUS, vide *Cæſar Sextius.*

PACONIUS, prænomine *Marcus*, C. Silani Aſiæ Proconſulis legatus, ejuſdemque accuſator; quem poſt illa reum majeſtatis Tiberius interfecit, admonitu ſcurræ cujuſdam, Sueton. *Tib. c.* 61.

PACONIUS Agrippinus, Marci fil. è Stoica diſciplina. Huic exercitanti ſupervenit, qui diceret, Fuge ocyus, damnatus es: exiliô, inquit, an morte? Exiliô. Bona autem quid? Non ablata tibi. Ariciam ergò euntes iſtic prandeamus, Arrian. *l.* 1.

PACORIA, Meſopotamiæ urbs, *Ptolem.*

PACORUS I. Parthorum Rex X. in pugna, quâ Craſſus victus, rem egregiè geſſit. Antigono favens, Hieruſalem venit prætextu componendæ ſeditionis obortæ, inter Judæos: Illis partim Phaſelo, & Hyrcano, partim Antigono faventibus, reverà autem principatum Antigono traditurus: Itaque per dolum Phaſelum ad Barſaphanem, Perſarum ſatrapam, mittit: Phaſelus cum Hyrcano à Parthis ligatus eſt, quibus talenta mille, ac mulieres quinquaginta pollicitus erat Antigonus. Hâc viâ Judææ Rex à Pacoro conſtitutus Antigonus, Hyrcano ſibi à Parthis tradito, dentibus aures præcidit, ne quando ſummum obiret ſacerdotium: nam lex tantùm integros admittebat. Labieno quoque Pompeji amico, dein Caſſio Brutoque affuit. Hujus pater Orodes, Craſſum Roman. dolô circumventum interfecerat, vide ſuprà, quam maculam Ventidius Baſſus, Marci Antonii legatus, delevit, Pacorum cum exercitu ad internecionem cædens, An. 715. Urb. Cond. vivâ

vivò adhuc patre, *Rex* tamen vocatur Tacit. *Hiſt. l. 5. c. 9.* Vide Egeſip. *l.* 2. Joſeph. *l.* 14. *c.* 22. *&c.* Vellej. *l.* 2. *c.* 78. Juſtinum *l.* 42. *c.* 4. *Dion. Flor. Eutrop.* Appian. *Parthic.* Oroſ. *l.* 6. *c.* 16. &c. Martialis *l.* 9. *Ep.* 36. *v.* 3.

Quicquid in Arſaciâ Pacorus deliberat aulâ.

Ei ſucceſſit frater *Phraates* III. Vide *ibi.*

PACORUS II. Artabano III. ſucceſſit Trajani Imperatoris principatu, de quo vide Plin. *l.* 10. *ep.* 16. Illum excepit frater Oſroës, quem vide.

PACTA, ſeu PACTÆ, urbs Siciliæ maritima Epiſcopalis in ora occidua apud Tyndaridem urbem exciſam, ab eâ 6. mill. paſſ. in Meridiem recedens: à Comite Rogerio, victis Saracenis, condita. *Patti* vulgò dicitur.

PACTA, apud Vellejum Paterculum *l.* 1. *c.* 1. ubi Oreſtem Delphis interfeciſſe Pyrrhum, *quòd* pactæ *ejus nuptias occupaverat,* refert: conjugio deſtinata & jam promiſſa eſt. Nonius Marcellus, *Inter Speratam, Dictam,* Pactam *& Sponſam hoc intereſt, quòd Virgo, priuſquam petatur, Sperata dicitur ---- Dehinc promiſſa vel ſponſa dici poteſt. Virg. Æn. l.* 2. *v.* 678. *Cui pater eſt, conjux quondam tua dicta relinquor? Et idem aliô locô: l.* 10. *Æn. v.* 79. *Et gremiis abducere pactas* &c. Sic *Pactus,* apud Statium *Theb. l.* 3. *v.* 172.

Hinc Chthonium conjux, hinc mater Penthea clamat
Aſtyoche, puerique rudes tua, Phædime, proles
Amiſſum didicêre patrem, Marpiſſaque pactum
Phyllea ———

promiſſus eſt, nuptiis deſtinatus. Vide hìc infrà.

PACTA Dotalia, cùm ineunda eſſent, apud Romanos. Auſpices noctu & ſub auroram, auguria captabant. Dote dein dictâ, quæ cenſui proportione reſpondebat, ſignabantur. M. Fab. Quintilian. *l.* 5. *c.* 11. *Nihil obſtat, quò minus juſtum Matrimonium ſit mente coëuntium, etiamſi tabulæ ſignatæ non fuerint.* Iſidor. *l.* 9. *c.* 8. *Ante uſum tabularum, Matrimonii cautiones, quibus invicem emittebant.* Quod ipſum & à Jureconſultis admittitur *l. Seſa. ff. de donat. int. vir. & uxorem.* Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 118.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter.

Rectè *feliciter*: Talis enim erat acclamatio fauſtior, quâ bona quæque ominabantur, inprimis auſpicatum contractûs initi eventum. Sueton. *Dom. c.* 13. *Domino & dominæ feliciter.* Non autem priùs ſignabantur hæ tabulæ ſeu dotalia Inſtrumenta, quæ *veteres Gloſſæ* προικῷα appellant, quàm ſolemnis ſtipulatio fuiſſet interpoſita: ut ex Plauto *in Curculione Actu* 5. *Sc.* 2. & *in Aulularia ſc. præſagibat,* Eruditis obſervatum. Q. Symmachus *l.* 9. *Ep.* 7. *Petitoris ambitum, teſtis fidem in me recepi.* Iſidor. *Etymol. l.* 10. *Procax idem quod petax propriè; Nam procari eſt petere: Unde & Nuptiarum petitore Proci dicuntur.* Hinc Sidon. Apollinaris *Sponſum* vocat *Petitorem l.* 4. *Ep.* 20. & *l.* 7. *Ep.* 2. ait *Adoleſcens ſolus, tenuis, peregrinus, puellam non inferiorem natalibus Uxorem petit, impetrat, conſcribuntur tabulæ Nuptiales.* Nonius quoque Marcellus *c.* 5. *num.* 69. *Virgo,* inquit, *priùs quàm petatur, ſperata dicitur.* Vide ſuprà. Clariùs Servius Sulpitius *l. de Dotibus, Qui Uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri: Qui daturus erat, itidem ſpondebat; is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur Sponſalia. Tunc, quæ promiſſa erat, Sponſa appellabatur; qui ſpoponderat, ſponſus.* Vide Servium *ad illud l.* 10. *Æn. v.* 79.

——— ——— *Gremiis abducere pactas.*

Sic *pactam* pro Sponſam, Vellejus dicit Paterculus *l.* 1. *c.* 1. *Qui* (Oreſtes) *ſe etiam à Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Nam quòd pactæ ejus Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit.* Sic intelligendus Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 54.

Multi illam toto è Latio, magnaque petebant
Auſonia.

Catullus *Epigr.* 71. *v.* 1.

Nulli ſe dicit mulier mea nubere velle,
Quàm mihi, non ſi ſe Jupiter ipſe petat.

Claudian. *de Raptu l.* 1. *v.* 67.

Poſce Jovem, dabitur conjux &c.

Reſpondebatur dein dandam, quæ petebatur in Uxorem, puellam, & teſtatio interponebatur, parùm refert, *ſcriptône an ſine ſcripto,* ut loquitur JCtus *l.* 7. *ff. de Sponſalibus:* atque in hac reſponſione ille *Cajus,* illa *Caja* vocabatur, cujus rei rationes pete è Plutarcho *Problem. Rom. c.* 29. M. Fab. Quintilianus *Inſtitut. Orator. l.* 1. *c.* 7. *Nam & Cajus C. literâ notatur, quæ inverſa mulierem ſignificat: quia tam Cajas eſſe vocitatas, quàm Cajos, etiam ex Nuptialibus ſacris apparet.* Ubi cùm hæc nomina *in Nuptialibus ſacris* recepta eſſe ait, reſpicit vel ad auſpicia, de quibus dictum, vel ad ſacrum, quod, dum Sponſalia fierent, aut tabulæ ſcriberentur, celebrabatur. Virgilius *Æn. l.* 3. *v.* 136. & *ad eum* Servius,

Connubiis arviſque novis operata Juventus:

Perfecit ſacrificia, propter connubia & novas ſedes, quia apud Veteres neque Uxor duci, neque ager arari, ſine ſacrificiis poterat. Eodem reſpicit Val. Flacc. *Argonaut. l.* 8. *v.* 243. *ubi de Nuptiis Iaſonis & Medeæ, ſic inter cætera,*

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, &c.

Denique tota hæc ſolennitas magnificô epulô finiebatur. Q. Flor. Tertull. *l. de Cultu Fœmin. Prætereà ut conviviis multis ac moleſtiis ſuperſederent, quæ fermè ex more novis Maritis obeunda ſunt.* L. Apulejus *Metam. l.* 6. *Nec mora, cùm cœna nuptialis affluens exhibetur, accumbebat.* Suetonius *in Aug. c.* 53. *Dies cujuſque ſolemnes frequentare deſiit, quum grandior jam natu, & in turba quondam Sponſaliorum diu vexatus,* &c. Intererant illi Amici quique & familiares, ipſi interdum Principes, ut Auguſti hoc, & Caligulæ apud eundem Sueton. *c.* 25. exemplô patet. Deducebatur deinde per vim abrepta è gremio Matris in domum Mariti Sponſa, cui ritui Domiducus Deus præeſſe credebatur, conſummabanturque Nuptiæ.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. ſuprà, in voce *Nuptiæ,* ac intrà *Sponſa.*

PACTIA, apud *Stephanum* eſt inſula una Cycladum; *Pazzi.* Vide *Pactya.*

PACTILIS Corona, apud Plin. *l.* 21. *c.* 3. *Summa auctoritas* pactili *coronæ*; Græcè πηκτὴ, quòd è floribus artificioſè mixtis *compacta* eſſet: eadem cum *plectili, nexili,* ſeu *tortili,* quas voces vide. *Ita* Paſchalius *in Coronarum libris,* Farnabio *nexilis* ſeu *plectilis dicta* eſt, quæ è ramulis innectebatur pectebaturque: *Pactilis* verò, quæ in torulo rotundo pangebatur, *Notis ad Agamemn. Senecæ Actu* 2. Hujuſmodi coronam Sponſas, ad viros ituras, apud Græcos, ex obviis floribus ſibi compegiſſe, quam ſub flammeo capiti imponerent, cùm probroſum fuerit emptam geſtare, refert Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 5.

PACTIUS Africanus, delator, qui Neroni Scribonianos concordiâ opibuſque inſignes ad exitium monſtravit, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 41. Ideò ſub Veſpaſiano ſenatu proturbatus eſt.

PACTIUS Orphitus, primipilaris, qui, contra Corbulonis imperium, cum Parthis confligens fuſus; ob id increpitus & extra vallum cum copiis tendere juſſus eſt, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 36. At Mureto *Pactius* inſolitum apud Romanos vocabulum videtur, quare ille legit, *P. Attius.*

PACTIUS, fluv. Apuliæ Peucetiæ per oram inter Barium ad Occaſum & Brunduſium in Ortum fluens, Plin. *l.* 3. *c.* 11. *Cava.*

PACTOLUS, hodie *Sarabat,* ex *tabulis recentiorib.* Lydiæ fluv. ex monte Tmolo naſcens, & per Sardianum agrum in Hermum influens, qui & *Chryſorrhoas,* ab eo quòd aureas ſecum trahat arenulas, ex quo Midas in eo ſe laviſſet. Plut. *in Pactolo:* Πακτωλὸς ποταμός ἐςι τ͂ Λυδίας, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Χρυσοῤῥόας. *Scholiaſtes Apollonii:* Ὁ νῦν Χρυσοῤῥόας λέγεται. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Et ex eo profluente Pactolô, eôdemque Chryſorrhoâ.* Et ex eo Solin. *c.* 43. *Quem auratô fluore inclytum aliter Chryſorrhoan vocant.* Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 142.

——— *Pactoluſque irrigat auro.*

Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 87.

Pactolumque petit, quamvis non aureus illô
Tempore. ——— ———

Lucan. *l.* 3. *v.* 210.

Paſſaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon, quâ culta ſecat non vilior Hermus.

Silius *l.* 1. *v.* 234.

Hic certant, Pactole, tibi Duriuſque, Taguſque.

Juvenalis *Sat.* 14. *v.* 299.

Sed cujus votis modò non ſuffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutilâ volvit Pactolus arenâ.

Claudian.

Dives Pactolus rutilas deſpumat arenas.

Lycophron *in Caſſandra:* Χρυσοεργὰ Πακτωλῦ ποτά. Dionyſius Periegetes,

——— Τόθεν Πακτωλὸς ὁδεύων,
Χρυσὸν ἑμῦ δίνησιν ἐφελκόμενος κελαρύζει.

Max. Tyrius *Diſſert.* 24. Χορηγῦσι δὲ καὶ οἱ ποταμοὶ τ͂ βασιλέων ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπης ὕδωρ. Strabo *l.* 13. dat huic fluvio χρυσῦ σμῆγμα πολὺ, *multa auri ramenta.* Eadem habent Dio Pruſæenſis *Orat.* 78. & Philoſtratus *l.* 6. *de Vita Apollonii Tyanei, c.* 16. *Herodot.* quoque & *Athen.* uterque, dant illi χρυσῦν σμῆγμα. Aurea verè Apollonii ſimilitudo eſt *l.* 4. quæ & huc ſpectat:

Ἢ ὅτε καλὰ νέοντος ἐπ' ὄφρεσι Πακτωλοῖο
Κύκνοι κινήσωσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἑρσήεις βρέμεται ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα.

Nonnus *Baſſaricωn, l.* 41.

Οὐ τότε Σάρδιες ἦσαν, ὅπη Πακτωλίδος ὄχθης
Χρυσὸν ἐρευγομένης ἀμαρύσσεται ὄλβιος ἰλύς.

Ab eodem Nonno *l.* 21. celebratur ὄλβος Πακτωλίδος ὄχθης. Idem *l.* 10.

Πακτωλὸς κελάρυζε χέων χρυσοσπόρον ὕδωρ.

Et *librô proximô:*

Ἀςράπτει ῥόος ἄτος ἐρευθιόωντι μετάλλῳ.

Denique ab eodem alibi χρυσαυγὴς & βαθύπλουτος appellatur. Sophocles quoque *in Philoctete,* Εὔχρυσον, cum dixit, Claudian. *l.* 1. *in Ruffin. v.* 102.

——— *Non ſtagna rubentis*
Area Pactoli. ———

Varro *in Lege Mœniâ,* dat illi *aureas undas.* Auctor Thebaidos, *opulenta vada.* Idem Varro *in Hecatombe,* citante *Nonio: Ladon fluens ſub Sardibus flumen tulit aureum later.* Quin & Tibull. κατ' ἐξοχὴν, *l.* 3. *El.* 3. *v.* 29.

——— *Lydius aurifer amnis.*

Et Propert. *l.* 1. *el.* 6. *v.* 32.

Lydia Pactoli tingit alata liquor.

Horatius proverbialiter *in Epod. Od.* 15. *v.* 10.

Sis pecore, & multâ dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat. ———

Vide *Midas. Nic. Lloydius.* Addo, quòd *Chryſorrhoam* dictum eſſe hunc fluvium vult Salmaſ. propter alium Lydiæ amnem vicinum Χρυσαόραν, qui Maſtaura Lydiæ oppidum interfluit. *Steph.* ποταμὸς διὰ μέσης τ͂ πόλεως ῥεῖ Χρυσαόρας λεγόμενος. Sic enim facilè fieri potuit, ut fluvii vicini nomen inter ſe miſcerent, ſicque appellatus ſit Pactolus, propter aureas arenas, ex vicinitate nominis Χρυσοῤῥόας. Vide eum *ad Solin. p.* 837.

PACTON, Græcè Πάκτων, apud *Hyginum* Chariſio laudatum, *Ab Actio navigantes ſtadia quadraginta veniunt ad Iſthmum Leucadienſium: ibi ſolent itineris minuendi gratiâ remulcô, quem Græci πάκτωνα dicunt, navem traducere:* ſcapha eſt, ex pluribus lignis ſeu fuſtibus inter ſe alligatis compoſita. Πάκτων enim idem eſt, quod πήκτων, dicuntur autem πακτὰ & πηκτὰ, τὰ ἐκ πολλῶν ξύλων πεπηγμένα, *quæ ex pluribus lignis compacta ſunt:* unde πάκτωσαι & πηκτὰ δωμάτων, *fores ex pluribus aſſeribus compoſitæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Simile fuiſſe id ſcaphæ genus *διαπλοκίνῳ* habet *Strabo*, h. e. Nili navigio papyraceo, ſeu è papyro *texto*, de cujuſmodi navigiis vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1116.

PACTORUM Portus, in Taurica Cherſoneſo. *Calamita*, teſte *Nigrô*, inter Ctenuntem & Cherſoneſum oppid. in ora Auſtrali.

PACTUM, quid notet Politicis, vide apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis* paſſim, inprimis *l.* 2. *c.* 11. ubi de obligatione, quæ ex promiſſo oritur, pluribus diſſerit. Apud medii ævi Scriptores, *Pactum* dicitur tributum, ex *pacto* conceſſum, quâ notione Germani etiamnum vocem *Pacht* uſurpant, vide ſuprà *Pacare*. Sic Saraceni *ſub pactis Perſarum conſtituti* memorantur, *in Hiſtoria Miſc. l.* 18. Et *πάκτα* inde recentiores Græci frequenter eôdem ſignificatu dicunt, *Theophanes*, *Cedrenus*, *Conſtantinus*, *Alii*. Vide infrà in voce *Penſitationes*. Apud Eccleſiæ Romanæ Scriptores, voce profeſſio Monaſtica indigitatur, unde *annotari in pacto*, h. e. profeſſionem Monaſticam edere, in *Regula* Fructuoſi *c.* 18. Quô ſenſu *συνθήκην* uſurpant Græci Patres, Clemens *l.* 3. *Strom.* *Origenes*, *Baſilius*, *Alii*. Sed & *Pactum* ſeu *Pactus*, dicitur lex, quæ ex pacto convento & ex communi populorum conſenſu fertur & admittitur; quô nomine donantur ferè leges omnes Francorum veterum quarum uſus in Imperio olim Galliæque Regno fuit. Hinc paſſim *Pactum Romanum*, *Pactum Gunbaldum*, *Pactus. legis Salicæ*, *Pactus legis Alamanorum*. *Pactum Francorum* &c. ut videre eſt, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Non ſine exemplo Veterum, namque & ab Ariſtotele, & à Demoſthene, Leges, quæ quaſi commune ſunt Populi pactum, hôc nomine inſigniuntur, uti docet Grotius ſuprà laudatus *l. cit.* §. 1. Plura vocis ſignificata, vide apud modò dictum *Gloſſarii* Auctorem.

PACTUMEJUS Magnus, vir Conſularis, Commodi juſſu interemptus, apud Æl. Lamprid. in *Commodo*, *c.* 7. ubi alii *Paſtulejus* legunt. Sed & apud Horatium *Pactumejus* ex libris reponendum, ubi hactenus *partumejus* fuit, *Epodon. l. ode* 17. *v.* 50.

Tuuſque venter Pactumejus *& tuo*
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit.

Salmaſ. *ad loc.*

PACTYA, Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Pactyæ*, *Sophiano Pazzi*, & *Panido*, urbs Thraciæ, ad Propontidem, ex adverſo Caridiæ, apud Lyſimachiam. Vide & *Pactye*. Item inſula, vide *Paros*. *Pactyæ* etiam Plin. *l.* 4. *c.* 17. Inſulæ parvæ Lyciæ, contra Taurum, apud Chelidonias inſulas.

PACTYE, urbs Thraciæ, ad Propontidem, quam cum Cardia, quæ ambæ urbes litorales fuêre, & Lyſimachia, quæ in medio, muris longis 5000. paſſ. comprehenſam fuiſſe, Plin. ait *l.* 4. *c.* 11. *Μακρὸν τεῖχος* intelligens; qui murus à Propontide, ubi *Pactye* erat, ductus ad Melanem ſinum, ubi Cardia, tres has Urbes complectebatur: fuit autem hæc Iſthmi latitudo. *Strabo μῆκος τοῦ Ἰσθμοῦ στάδια μ.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 167.

PACTYES *Straboni*, mons Ioniæ, Epheſo penè imminens, *Monte de Figena* hodie.

PACULLUS, legitur apud Livium *l.* 23. *c.* 8. ubi convivium Campanum deſcribitur: *Diverſatus eſt apud Minios Celeres*, *Stenium*, Pacullumque *inclytos nobilitate ac divitiis. Eò Pacuvius Calavius, de quo antè dictum eſt*, *Princeps factionis ejus quæ attraxerat rem ad Pœnos*, *filium juvenem adduxit: abſtractumque ab ſe à Decii ait latere* &c. Ubi omnes boni Libri habent conſtanter *Ninnios* pro *Minios* & *Pacuviumque*, pro *Pacullumque*, & quidem de voce *Ninnius* vide ſuprà. Etiam *l.* 39. *c.* 13. pro *Pacullam*, reponit *Pacuviam* Gronovius. At de *Calavii* altero nomine dubitans Sigonius, *Pacullum* vult eſſe, quòd in ſcriptis quibuſdam ſit *Pacinus*, quodque ille cum Glareano aliiſque exiſtimet, Silio Italico, ubi eandem Hiſtoriam Poëta exſequitur, eſſe *Pactulonem*. Sed nec libri iſti ullô apud eruditos numerô, & in Silio falſâ ſunt lectione decepti, unde tamen *Pactulum* potiùs, quàm *Pactulonem* formare debuerant, quia eſt illic, *Pactulô genitus*. Potiùs verò utrobique *Pacuvio* ſcribendum, *l.* 11. *v.* 55.

Has aſtu agreſſus, quò verteret acriùs ægras
Ad Tyrios mentes, quia nullâ ſorte daturam
Certus erat Romam: neque enim impetrata volebant:
(Pacuvio *fuit haud obſcurum crimine nomen*)
Hortatur ſummi partem depoſcere juris.

Ubi ſubaudiendus primus caſus ad verba finita ex parentheſi: quaſi eſſet, *Has mentes ægras aſtu aggreſſus nonnemo, cui nomen* Pacuvio *fuit.* Idque notandum, quia, *Pacuvius fuit*, reponit Dauſquejus, & quod vulgo legitur, *Pactulo*, etiam nominandi caſu accipit. Sed & Barthius non leviter hic offendit, qui *hæc* legit pro *has*. Deinde, quia primum vocis caſum deeſſe videbat, vaticinatur de Hannibale Silium loqui: eum intelligendum, qui aſtu aggreſſus Pacuvio ſuaſerit, petere à Romanis ſocietatem ordinarii Imperii, in urbe Roma: hunc dolum fuiſſe verſutiſſimi Ducis, *Adverſar. l.* 3. *c.* 10. Imò *Pacuvio* adſcribit Poëtarum libertate Silius, quod Vibio Virrio Livius: illum fuiſſe auctorem, ut dicis causâ petitô alterô Conſulatu rejecti prætextum haberent defectionis, quaſi indignè priùs à veteribus ſociis habiti. Itaque *aggreſſus*, *verteret*, *certus erat*, *volebat*, *hortatur*, ſubaudi, *ille cui Pacuvio nomen fuit.* Simillimum Silii *l.* 10. *v.* 92.

Flumineo Libycam turbabat in aggere pubem,
Criſtæ nomen erat, bis terni juncta ferebant
Arma ſenem circa nati.

I. e. turbabat vir, cui nomen erat Criſtæ. Livius *l.* 9. *c.* 36. *Tum ex iis, qui aderant (Conſulis fratrem Fabium Cæſonem alii, C. Claudium quidam matre eâdem, quâ Conſulem, genitum tradunt) ſpeculatum ſe iturum profeſſus, brevique omnia certa allaturum.* Sic ex MSS. reſtituit Gronov. quod ejuſdem rationis ignoratione vitiârant. Eſt perinde ac ſi eſſet: *Ex iis, qui aderant, Conſulis vel germanus vel uterinus frater.* Cornificius ad Herennium *l.* 4. *Obfuit eô tempore plurimum Reip. Conſulum ſive ſtultitiam ſive malitiam dicere oportet, ſive utrumque.* Quod eſt, *quoddam vitium, quod vel* &c. Sed & *Pacuvii* idem Silius infrà *v.* 312. *l. cit.* 11. meminit,

Quoque eſſet miranda magis tam ſancta libido:
Pacuviô *genitus patrias damnaverat artes*, &c.

Vide Joh. Frider. Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 4.

PACURA, urbs Mæſoliæ, in India citeriore *Ptolem.*

PACUS, locus Syriæ, in monte Amano, ubi Galbanus provenit.

PACUVIUS, Brunduſinus poëta, Tragœdiarum ſcriptor, A. 600. Urb. Cond. Ennii poëtæ ex ſorore nepos. Romæ picturam exercuit, ac fabulas venditavit: Inde Tarentum tranſgreſſus, prope nonagenarius diem obiit. Hieronym. *in Chron. Euſeb.* Plin. *l.* 35. *c.* 4. *&c.* Ejus epitaphium extat apud Agellium, *l.* 1. *c.* 24.

Adoleſcens, tametſi properas, hoc te ſaxum rogat;
Ut ſe aſpicias, deinde quod ſcriptum eſt legas:
Hic ſunt poëtæ Pacuvii ſita Marci
Oſſa: Hoc volebam neſcius ne eſſes. Vale.

Hic, ut Quinctilianus ait, *l.* 10. *c.* 1. *gravitate ſententiarum, pondere verborum, authoritate perſonarum clariſſimus fuit, citra tamen nitorem.* Horat. *l.* 2. Ep. 1. *v.* 55.

——— ——— *Aufert*
Pacuvius docti famam ſenis, Accius alti.

Ejus lectione & imitatione antiquarii delectabantur. Perſ. *Sat.* 1. *v.* 77.

Sunt quos Pacuviuſque & verrucoſa moratur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.

Martial. *l.* 11. *Epigr.* 91. *v.* 5.

Attonituſque legis terrai frugiferai,
Accius & quicquid Pacuviuſque vomunt.

Nic. Lloydius.

PACUVIUS, legatus Cn. Sentii in Syria, mortuô Germanicô ſub Tiberio, de quo ſic Seneca *ep.* 12. *Pacuvius, qui Syriam uſu ſuam fecit, cùm vinô & illis funereis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaverit, ſic in cubiculum ferebâtur à cœnâ, ut, inter plauſus exoletorum, hoc ad ſymphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε, nullò non ſe die extulit.*

S. PACUVIUS Taurus, quum munus ab Auguſto peteret, diceretque, rumore ſparſum; pecuniam haud parvam ipſi à Cæſare datam; *Sed tu*, inquit Cæſar, *noli credere.* Idem Tribun. Plebis tulit ad populum, ut menſis Sextilis Auguſtus vocaretur, eſtque eô nomine plebiſcitum factum, ut ſcribit Macrob. *l.* 1. *c.* 12. Factum ejus in adulando Auguſto, dum illi divinos honores tribuens ſacrificat, & ſimul illum cum filio ſuo dicit hæredem ex æquo ſe relinquere, non quòd quicquam haberet, ſed quòd accipere vellet, pete ex Dione *l.* 53.

PACYRIS, Plin. *l.* 4. *c.* 12. meliùs *Hypaciris*, fluv. Scythiæ Europææ. Oritur in limite Moſcoviæ; dein per Tartariam Precopenſem ad Carcinem, unde *Carcinites* dicitur, fluens, ibi in ſinum Carcinitem ſe exonerat, longè à palude Mæotica in Occaſum. Nomen recens ignoratur.

PADÆI, populi Indiæ extremi ad ortum, quos ægrotos antequam moriantur vorare, Herodot. teſtatur. Tibullus *l.* 4. *Panegyr. ad Meſſalam*, *v.* 191.

Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus.

PADAGRUS *Arriano πάδαγρος*, fluv. eſt Perſiæ, quem *Phirſtimum* vocat Plin. *l.* 6. *c.* 23.

PADASIA, urbs Galatiæ, *Cedren. Phadaſia Curopalat.*

PADEBORNA, urbs Weſtphaliæ Epiſcopalis ſub proprio Epiſcopo à Carolo M. qui ibi Comitia celebravit, A. C. 777. inſtituto; conflagravit A. C. 999. inter Monaſterium 12. milliar. German. in Ortum & Caſellam ferè 10. in Circium, diſſita, Lupiæ fontibus proxima. Hanzeatica, ſatis culta. Caput *Epiſcopatus Padeborn.* qui inter Ducatum Brunſvicenſem ad Ortum, ditionem Monaſterienſem & Ducatum Weſtphaliæ ad Occidentem, Comitatum Lemgoviæ ad Boream, & Ditionem Haſſo-Caſſellanam eſt, ad Meridiem ad 40. mill. paſſ. extenſus à Septentrione in Meridiem. Reliquæ urbes Brachelia & Warburgum. Ejus cives jurare coacti A. C. 1625. nunquam ſe Lutheranam Religionem admiſſuros, cùm id non obſervarent, vi ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi ad id compulſi atque ſub jugum redacti ſunt. Vide Georg. Hornium *Orbis Politic. Part.* 2. *p.* 18.

PADINATES, populi Galliæ Ciſpadanæ, juxta Padum incolentes, Regiatibus finitimi, quô nomine Guaſtallenſes vocari poſſunt.

PADUA Venetorum urbs: ab Antenore, ante Romam, condita, poſtea ſub his fuit. Dein ab Attila deſtructa, à Narſete reparata, diu Longobardis paruit. Horum regnô extinctô, paruit ſub Italiæ Regibus, exin proprios Tyrannos paſſa, tandem ſub Venetorum imperio acquievit. Capta ab Imperatore Maximiliano I. mox recepta, & ab eodem fruſtra obſeſſa eſt, A. C. 1519. Solum habet fertile, unde Proverb. *Bolonia la graſſa, Venetia la guaſta, ma Padoüa la paſſa.* Propugnaculum eſt Venetorum, ex parte Lombardiæ: Ædes ibi magnificæ, Academia celeberrima, fundata à Carolo M. Patria Livii, &c. Reliquorum illuſtrium Patavinorum Catalogum pertexuit Jac. Phil. Thomaſinus. Vide & Riccobon. *de Gymnaſio Patavino.* Angel. Portenarium, *de Felicitate Patavina.* Bernardin. Scardeonium, *de Illuſtr. Patav.* Adde Plin. *l.* 3. *c.* 19. Liv. *l.* 10. *c.* 2. Strab. *l.* 15. Melam, *l.* 2. *c.* 4. Paul. Diac. *l.* 15. Blondum *l.* 2. Leandr. Alberti *deſcr. Ital.* Guil. Cortuſium, *de novit. Pad.* Monachum Patavinum, *hiſt. ab An.* 1207. *uſque ad An.* 1270. *&c.* Hîc Concilium A. C. 1350. à Clemente VI. celebratum, per Legatum Guidonem Bononienſem. Vide & *Patavium.*

PADULA, nobile Lucaniæ oppidum.

PADURA, *Jo. Maldonato Arrya Gorriaga*, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Cantabrorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PADUS, fluv. Italiæ, nulli amnium claritate inferior, præcipuè penè Phaëthontis nobilis, de qua vide *Eridanus*; ſic enim amnis iſte Græcis Poëtis dici ſolet. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 12. *v.* 2.

Et Phaëthonteos qui petis arva Padi.

De vocabulo *Padi*, ita Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Pudet à Græcis Italiæ rationem mutuari. Metrodorus tamen Scepſius dicit; quoniam circa fontem arbor multa ſit picea, quæ Pades Gallicè vocetur, Padum hoc nomen accepiſſe. Ligurum quidem linguâ, amnem ipſum Bodincum vocari: quod ſignificet fundo carentem.* Hoc etiam graviſſimus auctor Polybius atteſtatur *l.* 11. *his verbis:* Παρά γε μὴν τοῖς ἐγχωρίοις ὁ ποταμὸς προσαγορεύεται Βόδεγκος. De origine ejus Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 4. *Padus ab imis radicibus Veſuli montis exoritur. Viſendum fontem* ejus appellat Plin. *ubi ſuprà.* Atqui ſpiſſus eſt error *Blondi*, qui docet, fontis hujus nomen proprium fuiſſe *Viſendus.* Quippe quid Plinius, epitomatorque ejus Solinus *c.* 8. *viſendò fonte* intellexerint, diſertè oſtendit alius Plinii epitomator Martianus Capella, *l.* 6. *in deſcriptione Italiæ his verbis: Padum amnem mons Veſulus, inter montes Alpium elatior, gignit fonte mirabili, qui in Ligurum finibus flumen creat.* Polybius innuit, duos ſaltem Padi fontes eſſe. Sic enim ille, *ubi ſupra:* Ὁ δὲ Πάδος, inquit, ποταμὸς ἔχει τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. Servius verò *ad Æn. l.* 11. *Alii Padum tribus fontibus naſci dicunt.* Et Iſidor. *Origin. l.* 13. *c.* 21. *Padus à jugis Alpium fuſus, ex tribus fontibus oritur, ex quibus uni vocabulum eſt Padus.* Ac totidem ſanè fontes ejus hodieque naſcuntur, inquit Cluverius, ſub prædicto lacu *è gremio*, ut loquitur Plin. *Veſuli montis*, ſive *ab imis*, ut *Mela* ait, *ejus radicibus exorientes:* quorum unus reliquis duobus ſitu inferior eſt, longeque uberior, qui *Padus* olim propriè dictus eſt. Inde unus jam factus amnis per ſaxa præcipitia delabens, ſtrepitum, fragoremque edit ingentem. Plin. *ubi ſupra: Padus è gremio Veſuli montis, viſendô fonte profluens, condenſque ſeſe cuniculo, in Forovibienſium agro iterum exoritur.* Et Epitomator ejus Solin. *loc. cit. Submerſus cuniculô rurſus in agro Vibienſi extollitur.* Itemque Capella, *Dehinc fluvius merſus in penita agri Vibienſis emergit.* Nempe à dicto præcipitio in plana dejectus, tantâ aquarum copiâ, quanta verſandæ molæ frumentariæ ſufficiat, nullô tamen certô alveô, per ſaxeum ſolum tria fermè millia paſſuum, ad vicum uſque, cui vulgare vocabulum *Paiſana*, defertur. Heic cuniculo ſe condit, ita ut vix exigua quædam veſtigia ſupra terram appareant. Inde poſt duo millia rurſum emergit receptiſque aliis ſubinde atque aliis fluminibus, mirum in modum augetur; idque ſub ortum Canis. Plin. ex emendatione magni Cluverii: *Augetur ad Canis ortus, liquatis nivibus, aquis: & quamvis torrentior, nil tamen ex rapto ſibi vendicans.* Patet hoc ex epitomatore Solino, qui eandem rem ita refert, *c.* 8. *Intumeſcit ex ortu Canis, tabefactus nivibus, & liquentibus brumæ pruinis: auctuſque aquarum acceſſione* 30. *flumina in Hadriaticum defert mare.* Martianus quoque Capella: *Canis ortu diffuſior. Nam ſolutis Alpium nivibus flagrantiâ Solis æſtivi, exuberat ultra gurgitis ripas; nullique gloriâ nobilium amnium cedens*, 30. *receptis fluminibus, Hadriaticum mare magnâ opimus granditate perfundit.* Inſignis eſt locus Polybii *l.* 2. quem etiam ſcribere non gravabor. Ὁ δὲ Πάδος ποταμὸς ἔχει μὲν τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καταφέρεται δ᾽ εἰς τὰ πεδία, ποιούμενος τὴν ῥύσιν ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν. Ἀφικόμενος δὲ εἰς τοὺς ἐπιπέδους τόπους, ἐκκλίνας τῷ ῥεύματι, πρὸς ἕω φέρεται δι᾽ αὐτῶν. Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν μυχούς. Τὸ δὲ πλεῖον ἀποτέμνεται μέρος τῆς πεδιάδος χώρας εἰς τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ἀδριατικὸν μυχόν. Ἄγει δὲ πλῆθος ὕδατος, οὐδενὸς ἔλαττον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμῶν, διὰ τὸ τὰς ῥύσεις, τὰς ἐπὶ τὰ πεδία νευούσας, ἀπό τε τῶν Ἄλπεων, καὶ Ἀπεννίνων ὀρῶν, εἰς τοῦτον ἐμπίπτειν ἁπάσας καὶ πανταχόθεν. Μεγίστῳ δὲ καὶ καλλίστῳ ῥεύματι φέρεται περὶ Κυνὸς ἐπιτολήν, αὐξόμενος ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἀνατηκομένων χιόνων ἐν τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν. Oſtia Padi quod attinet, duo facit Polybius, *ubi ſupra:* Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν δυσὶ στόμασι εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπους. Septem verò memorat Mela *l.* 2. *c.* 4. *Padus ab imis radicibus Veſuli montis exortus, parvis ſe primùm fontibus colligit: & aliquatenus exilis & macer, mox aliis amnibus adeò augeſcit atque alitur, ut ſe per ſeptem ad poſtremum oſtia effundat.* In eandem mentem & Herodian. *l.* 8. *c.* 7. Ὁ δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας, ἐπέστη Ἀκυληΐᾳ, διαβὰς τὰ τενάγη ἅτε ὑπὸ Ἠριδανοῦ ποταμοῦ πλημμυρούμενα καὶ τῶν περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται. Ἔνθεν καὶ τῇ φωνῇ ἑαυτῶν καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην. Idem quoque tradit Plin. *loc. cit. Quia largiùs vomit*, inquit, *Septem maria dictus facere.* Atque hinc tandem natus eſt Apollonii error, quo Rhodanum Ἑπτὰ διὰ στομάτων καὶ λιμνῶν δυσχειμένων in mare effluere tradit, *l.* 4. quia hoc de Eridano, i.e. de Pado acceperat, quem ille unà cum Æſchylo, unum eundemque cum Rhodano amnem eſſe credit. *Populifer* Ovidio dicitur *l.* 2. *Amor. El.* 17. *v.* 32.

Frigidus Eurotas populiferque Padus.

Olorifer Claudiano *Epiſtol. ad Serenam v.* 12.

Cygnus oloriferi venit ab amne Padi.

Padi inundationis meminit Lucan. *l.* 4. *v.* 134.

Sic Venetus ſtagnante Padô fuſôque Britannus
Navigat Oceanô. ——— ———

Idem *l.* 6. *v.* 272.

Sic plenô Padus ore tumens ſuper aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit ſi quà tellus, cumulumque furentem
Undarum non paſſa, ruit: tum flumine totô
Tranſit, & ignotos aperit ſibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Padô. ———

Sed nimiùm ſibi & fluvio iſti indulget, *l.* 2. *v.* 408.

Quoque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem
Eridanus, fractaſque evolvit in æquora ſylvas,

v. 416.

Heſperiamque exhaurit aquis. ———

Non minor hic Nilo, ſi non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus ſtagnaret arenas.
Non minor hic Iſtrò, niſi quòd, dum permeat orbem
Iſter, caſuros in quælibet æquora fontes
Accipit; & Scythicas exit non ſolus in undas.

Nic. Lloyd. Baudrand. ſic habet: *Padus*, vulgò *le Po*, Germanis *Paw*, oritur ex Alpibus & Veſulo monte, in ipſo limite Galliæ & Delphinatus, in Marchionatu Salutiarum, ex triplici fonte. Hinc prope Salutias fluens, paulò infrà recipit fluvios Peleum, Varætam, Mairam, & Malaam, poſteà verſùs Carmaniolam labitur & Carinianum, uti in ſuburbiis Auguſtæ Taurinorum, ubi recipit Doriam minorem, uti infrà Sturam & Doriam Balteam fluvios. Inde in occaſum tendens. Verrucam rigat, Creſcentinum, & Tridinum; ubi ex ditione ducis Sabaudiæ exiens, Caſalem Montiſferrati primariam rigat; poſtea receptô Seſſite fluviô, per Mediolanenſem Ducatum fluens paulò infra Valentiam, Tanarum fluvium recipit, uti & Scriviam, Staſſoram, & Ticinum flumen paulò infra Papiam ſeu Ticinum; quibus auctus atque Trebiâ, prope Placentiam urbem Ducatus cognominis caput labitur, receptôque Adduâ, Cremonam rigat. Hinc auctus Tarô, Parmâ, & Niciâ fluviis Ducatus Parmenſis, per Mantuanam ditionem fluit; ubi auctus Olliô, Gabellô, Minciô, aliiſque minoribus, tandem in ditione Pontificia & Ducatu Ferrarienſi in duo brachia ſcinditur ad caſtrum Stellatam, quorum maximum, *Po grande* dictum, 20. milliaribus ſupra ejus oſtia iterum in duas partes dividitur, ex quibus major etiam *Po grande*, ſeu *di Venetia* dicitur; & paulò infrà in ſinum Venetum ſe exonerat, hujus oſtium dicitur *Porto Viero*; minor autem dicitur *Po di Ariano*, ab oppidulo cognomine, per oſtium *Porto di Goro* dictum etiam in ſinum Venetum ſe exonerat, vix 10. milliaribus à præcedenti in meridiem. Ex duabus autem primis partibus ſeu brachiis Padi ad Stellatam, minor alveus, dictus *Po di Ferrata* ſeu *Po morto*, ſenſim oblimatur; ita ut æſtate ferè careat aquis, ut ego aliquoties vidi: ſed paulò pòſt auctus Scultenna, Rheno Bononienſi, & aliquot aliis amnibus, paulò infrà Ferrariam urbem in duo brachia ſcinditur, quorum unum, quod ad Boream eſt, vulgò *Po di Volana* dicitur, & in mare Adriaticum labitur per oſtium *Porto di Volana* dictum: aliud autem, quod meridionale eſt, *Po di Argenta*, ſeu *Po di Primaro* dicitur, & per oſtium *Porto di Primaro* dictum in mare Adriaticum ſe exonerat; ità ut hodie ſint tantùm quatuor oſtia Padi à quatuor ejus brachiis dicta, nempe Foſſa Philiſtina, *il Po grande*, Foſſa Carbonaria, *il Po di Ariano*, Volane, *il Po di Volana*, & Paduſa, *il Po di Argenta*. Capraſia autem & Sagis non ſunt alvei Padi, ſed tantùm incilia, quibus ſe exonerat ſtagnum Comaclenum in ſinum Venetum.

PADUSA, foſſa ex Pado Ravennam uſque ducta, Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus appellatus.* Unde ita legitur apud Blondum: *Is eſt S. Alberti locus, unde per foſſam Paduſæ Meſſanicam* 12. *milliaria Ravennam itur.* Blondum poſtea ſecuti ſunt plerique alii. At verò ſi hic alveus *Meſſanicus Padus* fuit dictus, ſive *Meſſanica foſſa*; certè idem alveus & Paduſa appellandus erit, ex iiſdem Plinii verbis, quod tamen minimè ſic intellexit ipſe Blondus, falſumque eſſe ex Virgilio patet, qui *piſcoſum amnem* vocat Paduſam, *Æn. l.* 11. ut videre eſt in his *v.* 457.

Haud ſecus atque alto in luco, quum fortè caterva
Conſedêre avium; piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.

Ubi Servius, *Alii dicunt, Paduſam eſſe partem fluminis Padi, in quam deſcenditur foſſâ.* Valgius *in elegiis:*

Et placidam foſſæ qua jungunt ora Paduſam,
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Ubi apertiſſime diſtinguitur inter ipſum Paduſam & foſſam. Claudian. *in Epithalamio Palladii & Celerinæ v.* 108.

Eridani ripas & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor. ———

Vide plura apud Cluver. *de Ital. Ant. l.* 1. *c.* 35. *Idem Lloydius.* Baudrando hæc Foſſa aliter *Meſſanicum oſtium*, & *Spineticum*, itemque *Vatreni portus*, à Vatreno fluv. qui Forum Cornelii alluit, etiam *Padus Magnus* dictus & quia præcipuum erat oſtiorum Padi: *Spinetum* à fluv. Spine, ad quem urbs Spina condita erat. Hodie Padus Argentanus, ſuperiùs, Padus Primaro, à caſtris cognominibus, & alicubi *Canale di S. Alberto*, ab incili manu ducto, aliquot milliar. ſuprà ejus oſtium, quod nunc *Porto di Primarò*. Sed ſenſim oblimatur.

PÆAN, hymnus in laudem Apollinis, ſicut Dithyrambus in laudem Bacchi, qui teſte Polluce, poſt victoriam, nonnunquam etiam avertendorum malorum cauſâ cani ſolebat. Καταχρηστικῶς autem, pro omni Deorum laude, ponitur. Unde opus ſuum Pindarus, de Deorum omnium laudibus, *Pæana* inſcripſit. Speciatim verò, ut dixi, *Pæan* Apollinis fuit, addo & Martis. Sic enim *Suidas* clarè diſtinguit: Παιᾶνες δύο ἦσαν, Ἐνυάλιος, ὅτε ἦρχον, ὃς καὶ πρὸ τῆς μάχης ἐγένετο, καὶ ἕτερος ὅτε ἐνίκων. Et clariùs: Δύο Παιᾶνας ᾖδον οἱ παλαιοὶ πρὸ μὲν τοῦ πολέμου τῷ Ἄρει, μετὰ δὲ τὸν πόλεμον, τῷ Ἀπόλλωνι. Accepit hæc *Suidas* (annotante *de la Cerda*) ab *Scholiaſte Thucydidis*; ubi enim Græcus ſcriptor *l.* 1. dicit: Ἐπεπαιάνιστο αὐτοῖς ὡς ἐπίπλουν, *Pæan bis clamatus ad navalem congreſſum:* Scholiaſt. ſubdit ipſa verba, quæ apud *Suidam* habentur. Ovid. *l.* 2. *de Art. Am. v.* 1.

Dicite, Io Pæan, & Io bis dicite, Pæan,
Decidit in caſſes præda petita meos.

Propert. *l.* 3. *El.* 14. *v.* 41.

——— ——— *Victorque canebat*
Pæana Amphion ripâ, Aracynthe, tuâ.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 657.

——— *Lætumque choro Pæana canentes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ubi Servius, *Laudes Apollinis propriè; abuſivè verò omnium Deorum.* Quin & Apollo ipſe *Pæan* dictus eſt. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 172.

Parce precor Pæan, & tu depone ſagittas.

Heſych. verò, Παιάν, Ζεὺς τιμᾶται ἐν Ῥόδῳ, ἢ εἶδος ᾠδῆς. Apollinem verò ſic dictum volunt, ἀπὸ τοῦ παίειν, h. e. à *feriendo*, quia Pythonem ſagittis ſuis confecit. Fortè verò à *medendo*, nomen habet. *Heſych.* Παιὼν ὄνομα, καὶ ἰατρός. *Idem:* Παιώνια, φάρμακα ἰατρικά, ἢ θεραπεῖαι. *Nic. Lloyd.* *Herculei Pæanis*, meminit Statius *Theb. l.* 4. *v.* 157. Quòd verò hominum etiam laudes *Pæanas* inſcripſiſſe Pindarum, dicit Servius; neſcio an credere debeamus, qui ſciamus, Athenienſes olim judiciô perſecutos Ariſtotelem, quòd Hermiam fuerit proſecutus *Pæane*: quem cum alio Ariphronis, pretioſiſſima Antiquitatis monumenta, habes apud Athenæum *ad finem l.* 15. & repoſuit Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 44. Cœterùm, uti *Pæanes* erant, quibus gratulabantur Diis pro victoria, in præliis; ſic Epinicia, in certaminibus Victori, Hymni verò ad aras Diis canebantur. Nec à Scoliis differebant, niſi acclamatione, ἰὴ παιάν, quod Græci *epiphthegma* vocabant & ἐπίφθεγμα: tametſi & hoc poſtea deſitum eſt. Vide Scaligerum *loc. cit.* ubi inſuper *Pæanis* meminit in Lyſandrum Lacedæmonium ſcripti, qui ob dignitatem in Samo olim publicè decantatus fuerit: quemadmodum alterius Delphis cani ſoliti, in Craterum Macedonem, admodulante lyrâ puellô impubere &c. Canebantur enim à tripudiantibus, dum puer aliquis citharâ luderet: habebantque plauſus, & exclamationes. Ut, *ô beatus ortus ille* &c. Item adhortationes repetitas. Ut,

Pſallat altitudo cœli, pſallat omnis Angelus.

apud Prudentium *Hymnô* Καθημερ. IX.

PÆANIUM, oppid. Acarnaniæ, *Polyb.*

PÆANIUS Sophiſta Græcus, Eutropii hiſtoriam Græcè vertit. Ejus metaphraſis cum aliis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus edita eſt; à doctiſſimo Frid. Sylburgio.

PÆANTIADES, & PÆANTIUS Philoctetes dicebatur, i. e. Pæantis filius. Lege *Pœantiades.*

PÆDAGOGI, apud Romanos, dicti ſunt puerorum & puellarum ductores doctoreſque, è numero ſervorum honoratiorum. Plautus *Bacchidib. Actu* 3. *ſc.* 3. *v.* 18.

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ
Digitum longè Pædagogo *pedem ne efferres ædibus.*

Et, *v.* 27.

Inde de hippodromo & palæſtra ubi reveniſſes domum,
Cincticulô præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres,
Cùm librum legeres.

Ubi *Magiſtrum* vocat: alii nonnunquam *Præceptorem* nuncupant. Idem ſibi voluit Manilius *l.* 5.

Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus prætextâ lege ſequatur.

Auguſtin. quoque eorundem meminit: *Cùm videamus exempli gratiâ & ſine tribulis areas triturari, quamvis adjuvent ſi adſint; & ſine* Pædagogis *poſſe pueros pergere in Scholam, quamvis ad hoc non ſint inutilia* Pædagogorum *adjumenta.* Cujus operæ pueris puelliſque navatæ notitia facit, ut minùs miremur puellæ virginitatem, à ſervo *Pædagogo*, Fanio cuidam Saturnino proditam; apud Val. Maximum *l.* 6. *c.* 1. *ex* 3. Vide *Pædagogum Cruciarium* Calpurnii Flacci. Fuit autem non raro præpoſtera valde & tranſlatitia Parentum in iis comparandis cura. Ariſtides in *Platonica* 1. *Quid autem? Nonne nutrices, literatores ac* Pædagogi *pueris ita dicunt: Oportet te non impleri & modeſtè per vias incedere, ac ſenioribus aſſurgere, & Parentes amare, non tumultuari, non aleâ ludere, non ſi vis alternare pedes: Veruntamen non propterea magni ſe faciunt Nutrices, nec Philoſophis ſeſe præferunt, Itaque quæcunque maximi eſt pretii, duarum eſt fortaſſe vel trium minarum.* Pædagogi *verò etiam cum barbarie quadam plerique iſta docent, ac Janitores aliquando pro* Pædagogis, *cùm artem deſierunt, æquô animô fiunt.* Unde etiam colligitur, quænam *Pædagogi* docuerint, ut & ex Plut. *l. Virtutem doceri poſſe: Ut ambulare in via, demiſſô capite: unô digitô ſalſamentum, duobus tangere piſcem, carnem, panem; ſic ſcabere, ſic veſtem gerere.* Magiſtri pueros & puellas docebant & ipſi: uti de pueris docet Hieronymus, de puellis Julianus JCtus *l.* 4. *ff. ubi Pupillus educari deb.* de utriſque Martial. *l.* 9. *Epigr.* 70. *v.* 1.

Quid tibi nobiſcum eſt ludi ſcelerate Magiſter,
Inviſum pueris virginibuſque caput?

Sed de his vide infrà in voce *Præceptores.* Neque verò ſervis ipſis defuit Magiſter aut *Pædagogus* familiaris: de quorum illo antiquus cippus Romæ ſic loquitur, *Flavi. Stephani. Pædag. Puerorum Imper. Titi Cæſaris.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis* Apud Græcos ſimiliter *Pædagogorum* iſtiuſmodi curæ utriuſque ſexûs liberorum cuſtodiam ac educationem fuiſſe olim commiſſam, diſcimus ex Euripide *in Phœniſſis v.* 88. ubi de Antigone permiſſu matris, in culmen domus aſcenſura, ut inde exercitum ſpectaret, ſermo eſt. Vide ſuprà in voce *Oecuria.* Veſtis puerorum *Pædagogianorum* Romæ tunica erat aurô diſtincta, quâ à calce in pubem induti erant, purpureis operti pedum tegminibus, Cujacius, *ad Tit. de Caſtrenſian. & Miniſteri. Cod. l.* 12. Rigaltius *in Not. ad Phæd. l.* 2. *fab.* 5. *v.* 12.

Cui tunica ab humeris linteo Peluſia
Erat deſtricta, cirris dependentibus &c.

Nec omittendum, *Pædagogii* nomine etiam veniſſe non raro ſervos, licèt non omnes promiſcuè. Seneca *de Beata Vita c.* 17. *Quare* Pædagogium *pretioſâ veſte ſuccingitur?* Idem *Ep.* 123. *Omnium* Pædagogia *oblitâ facie vehuntur, ne Sol, ne frigus teneram cutem lædat.* Hinc Amm. Marcellin. de Procopio Tyr. loquens *l.* 26. *Stetit itaque ſubtabidus (excitum putares ab Inferis) nuſquam repertô paludamentô, tunicâ aurô diſtinctâ, ut regius Miniſter indutus, à calce ad pubem in* Pædagogiani *pueri ſpeciem, purpureis opertus tegminibus pedes, haſtatuſque; purpureum itidem pannulum lævâ manu geſtabat, ut in Theatrali ſcena ſimulachrum quoddam inſigne, per aulæum vel mimicam illationem ſubitò putares emerſum* &c. Atque hinc *de Pædagogio* eſſe nonnunquam dicuntur, ut in *veter. inſcr.* PHILONICUS. TI. CÆSARIS. GERM. DE. PÆDAGOGIO. VIXIT. ANN. XIIX. ubi ætas *Pædagogiani* notanda. Dicti autem reperiuntur *Pædagogiani*, propriè pueri honorarii, qui in Palatio miniſterio Principis militabant, cujuſmodi ſunt ii, quos inde *Pagios* appellatos Viri docti volunt. Ammian. Marcellin. *l.* 29. *Adultus quidam ex his, quos* Pædagogianos *vocant.* Meminit & *Notitia* Imper. Orient. *c.* 91. in qua recenſentur, inter Caſtrenſianos, *ſub diſpoſitione Viri Spectabilis Caſtrenſis.* Apud Lamprid. *in Alex. c.* 41. *Caſtrenſes Miniſtri appellantur:* ut & apud Tertullian. *de Cor. Mil.* *Eſt etiam alia militia regiarum familiarum: nam & Caſtrenſes appellantur.* Sic verò ii appellati ſunt, quòd ſub *Pædagogis*, utpote pueri eſſent, quorum mentio in *Veterib. Inſcriptionibus*, Car. du Freſne *Gloſſar.* & Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.* apud quem Briſſonius *Pædagogii* nomine, etiam conclave ac cubiculum illud, in quo pueri iſtiuſmodi jacebant cubabantque, venire aſſerit, apud Plin. Sec. *l.* 7. *Ep.* 27. Marcellinus eoſdem in venatione, ad canes retinendos, diſponi conſueviſſe ait, *l.* 30. &c. Plura de *Pædagogis* & *Pædagogianis*, congeſſerunt Cujacius, Dorleans *ad Annal. Tacit. l.* 4. Jac. Gothofredus *ad L. Cod. Theodoſ.* 5. *de Diverſ. Offic.* Alii: vide & infrà aliquid. Addam ſaltem, quod *de Pædagogorum cuneo* in Theatro refert Sueton. *Auguſto c.* 44. *Prætextatis cuneum ſuum & proximum Pædagogis* aſſignavit. Quando enim in Theatrum veniebant prætextati, *Pædagogos* ſuos comites habebant, ob nimiam, quæ in Theatris regnabat, petulantiam. Unde per Pædagogum ſibi priùs Theatris intereſſe non licuiſſe, quàm pilorum plus in mento, quam in capite haberet, narrat in *Miſopogone* Julianus. Vide Caſaubon. *ad locum Suetonii:* uti de notionibus variis vocis apud Scriptores Eccleſiaſticos dum modò puerorum Inſtitutorem apud Chriſtianos, de cujus officio vide Clementem Alex. *Protreptico c.* 7. modò Sponſorem in Baptiſmo, modò Paſtorem ſeu Doctorem &c. notat, Cl. Suicerum *Theſauro Eccleſ.* voce Παιδαγωγός.

Super PÆDAGOGOS, apud Spartian. *in Hadriano, c.* 2. *Fuit in amore Trajani, nec tamen ei ſuper pædagogos puerorum, Gallo favente, defuit:* eſt præfectus *Pædagogorum*; quemadmodum ſuper *Velarios*, eſt præpoſitus Velariorum in *veter. Inſcr.* SUPRA. VELARIOS. DE. DOMU. AUG. *Superjumentarius*, jumentariorum præfectus, apud Sueton. *in Claudio: c.* 2. *Superſtationarius*, præfectus Stationariorum, apud *Optatum Milevitanum*; *Super hæreditates* libertus, Procurator hæreditatum, apud *Marcellum Empir.* &c. Meminit autem iſtiuſmodi *Pædagogorum* Lapis Romæ, T. FLAVIO. AUG. LIB. GANYMEDI. PÆDAGOGO. PUERORUM. CÆS. N. Alius, D. M. TI. CLAUDIO. AUG. LIB. GRATIO. PÆDAGOGO. PUERORUM. CÆRETANORUM. AUG. N. SER. FECIT. Item alius lapis, D. M. P. ÆLIUS. AUG. LIB. LYCUS. PÆDAGOG. PUERORUM. AC. APUT. AFRICAS, ubi AC. principum nominis eſt, quô patria iſtorum puerorum declarabatur. *Salmaſ.* & Caſaubonus *ad loc.*

PÆDAGOGUS Senatorum, vulgari dicteriô notatus eſt Aurelianus Imperator. apud Vopiſc. in *Vita* ejus, *c.* 37. *Senatus mortem ejus graviter tulit, gravius tamen populus Roman. qui vulgò dicebat, Aurelianum pædagogum eſſe Senatorum.* Sed & *Pædagogi Imperatorum.* Ita enim vocabantur vulgò olim T. Vinius, Laco & Icelus, quibus obnoxius erat Galba Imperator. apud Sueton. *in eo c.* 14. quemadmodum apud Tacitum Claudius, obtemperabat Agrippinæ *Annal. l.* 12. *c.* 59. Nero eidem, *l.* 13. *c.* 6. Philippus Aridæus Eurydicæ, apud Cor. Nepotem in *Phocione:* Nicephorus Botoniates Borilo & Germano, apud Zonaram *Tom. III.* Ptolemæus Jubæ fil. libertis, apud Tacitum iterùm *Annal. l.* 4. *c.* 23. veter. Perſiæ Reges Eunuchis, apud Diodor. Sic. *l.* 17. &c. Imò *plerique Principes, cùm eſſent civium domini, libertorum erant ſervi;* Plin. *Panegyrico*, *c.* 88. Vide Gebhardum *ad Datamen C. Nepotis c.* 5.

PÆDARETUS, proprium nomen viri ἀπὸ τῆς παιδείας καὶ ἀρετῆς, ut vulgò volunt, h. e. à *diſciplinâ* & *virtute.* Non electus inter trecentos haud ægrè tulit, quia tot in civitate ſe eſſent præſtantiores. Plutar. *in Lycurgo:* Ὁ μὲν γὰρ Παιδάρητος, οὐκ ἐγκριθεὶς εἰς τοὺς τριακοσίους, ἀπῄει μάλα φαιδρῶς, ὥσπερ χαίρων, ὅτι βελτίονας αὐτοῦ τριακοσίους εἶχεν ἡ πόλις.

PÆDEIUM, locus in domicilio, in quo pueri ſervique commorantur, qui Παῖδες Græcis dicuntur. Παῖδες, enim nomini *Liberorum* quidem reſpondet, ſed non tam aptè aut commodè, propterea quòd ſervi quoque ita nuncupentur tam Græcis quàm Latinis; quorum hi ab iſta voce *pueri* vocabulum formavêre, quô ſignificant domeſticos ſervos, præſertim Tabellarios, fortè quòd non niſi pueris & in juvenili ætate conſtitutis, qui pedibus valerent, uti poſſent ad eam rem. Vide infrà in *Pueri*, & Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PÆDEROS, herba, quæ aliàs *carefolium* ſive *acanthus*, unde *pæderotinas veſtes* Veterib. uſitatas nomen traxiſſe nonnulli volunt. Sed herbæ illæ vim non habent tingendi, nec ullum foliô vel flore colorem præferunt, cujus nomen aut ſimilitudo in veſtes tranſire meruerit. Item gemma, quam alii eandem cum opalo, ob gratiæ venuſtatem *pæderotis* nomen nacto, alii diverſum genus faciunt, quem Indi *Sagenon* vel *Agenon* appellaverint, quique non in India ſolùm, uti opalus, ſed etiam Arabia, Ægypto & Ponto, naſcatur: quo de *pæderote* intelligendus Solin. *c.* 33. *Pæderotem & Arabicam inde* (ex Arabia) *ſumimus.* Et quidem in *pæderote* hi colores congruebant, cryſtalli perſpicuitas, aëris viriditas cœrulea, purpuræ nitor, vini crocique fulgor: in opalo, quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quem & *pæderotem* quâdam decoris prærogativâ plerique nuncupaverunt, carbunculi tennior ignis, amethyſti fulgens purpura, ſmaragdi virens mare, ſulphuris ardens flamma aut etiam ignis oleô accenſi. Quæ candidarum gemmarum dux & ſignifera & poſt ſmaragdos primæ dignitatis olim; cùm pæderos altera, quæ ſui generis erat, ut non indigna hujus nominis ſpectatione, ita opalô longè inferior pretiô & auctoritate fuit, ut ex Plinio Salmaſ. docet, qui à *pæderote* gemma potiùs veſtes *Pæderotinas* & *Oxypæderotinas*, apud Vopiſcum, nomen ſibi petiiſſe, contendit. *Not. ad Vopiſc. in Aureliano, c.* 46. Vide ſuprà ubi de *Oxypæderotinis Veſtibus*. Sed & *Pæderotis* meminit in Comœdia ἰσοστασίῳ, qui fœminæ ruborem buccarum conciliaverint, quæ expallido vultùs erant candore, Alexis,

> Τῷ δ' ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τις; ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ.
> Συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν· καταπλάττει ψιμυθίῳ.
> Λευκόχρως λίαν τίς ἐστι; παιδέρωτ' ἐντρίβεται.

Ubi Viri docti παιδέρωτα, *acanthum* vertunt. At acanthus παιδέρως quidem cognominatus eſt, ſed nemo Veterum tradit, vim ullam aut ſuccum in acantho pæderote eſſe, rubore inficientem. Cærefolium etiam *pæderos* Plinio, *l.* 16. *c.* 8. ſed nec hoc rutilando aptum. Multo minùs opalium hìc locum habuerit. Unguentum itaque doctus quidam Italorum Medicus, ex *pæderote* herba compoſitum, hìc intelligit, eo quòd *Heſych.* etiam παιδέρως ἄλειμμα, i.e. *unguentum*, exponat. Sed ſi herba non inficit, nec unguentum ex ea factum tinget. Alius ejuſdem gentis Medicus, pæderotis, h. e. acanthi ſuccô, candorem faciei quæri tradit: nam & Demetrium eô faciem illeviſſe, ut candorem arceſſeret. Verùm in verſu Alexidis, λευκόχρως λίαν, *quæ immodicò candore palleſcit*, pæderotem captando rubori illinit: nec cenſendus Demetrius aliud in pæderote quæſiviſſe. Potior itaque eorum ſententia eſt, qui unguentum hôc nomine appellârant ex radice anchuſæ, aut ex radicula Syriaca, quæ *fucus* dicebatur, compoſitum. Illud ἄλειμμα, eſt ex fuco, quô facies ſuas illinebant mulieres: ab elegantia & gratia coloris *pæderos* dictum. Ita enim quidquid eximiâ gratiâ commendebatur, Græci dixêre. Sic acanthos herba, uti dictum, cujus inſignis in operibus topiariis gratia: ſic genus amethyſti, quam alii *anterota*, alii *Veneris gemmam*, appellabant, quòd in illa ex carbunculo in purpuram refulgeret leniter roſeus nitor adeoque eximiam haberet gratiam ſpeciei & coloris; hôc nomine inſignita ſunt. Eſt autem παιδέρως hìc idem, quod ἀντέρως, *æquè venuſtus ac amor*, contra amorem pulcher. Nec enim pueri amorem aut τῶν παιδικῶν ἔρωτα, ſed παῖδα ἔρωτα deſignat, *puerum æquè amabilem ac venuſtum, ut eſt amor*. Unde Orpheus opallium παιδέρωτα appellatum tradit, quòd ſimile eſſet τερενόχροϊ παιδὶ, tenello puero,

> Φημὶ δέ τοι τέρπειν ϰ ὀπάλλιον ἠρανίοντα,
> Ἀγλαὸν, ἱμερτοῦ τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα &c.

Atque ab hoc potiùs unguento fuci vel anchuſæ, ruborandis mulierum genis idoneo, color *pæderotinus* & *oxypæderotinus*, in veſtibus olim amatus, nomen habuiſſe videtur. Salmaſ. *ad Solin.* p. 565. & 1149. ut & ſuprà in *Fucus*.

PÆDEROTINÆ Veſtes, vide hìc ſuprà.

PÆDIA Lex, quam anno poſt Juliam Q. *Pedius* cum C. Octavio Conſ. tulit, nominatim de Cæſaris interfectoribus, memoratur Vellejo Paterculo *l.* 2. *c.* 69. ſed ſive ea *de vi*, ſive *de Majeſtate*, dicatur, pro lege non eſſe habendam, cùm neque in univerſum neque in futurum, ſit lata, docent Eruditi. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 27.

PÆDOPILES, ſeu PÆDOPULES, Græcè Παιδοπίλης ſeu Παιδοπύλης fluv. apud Plinium, *l.* 6. *c.* 1. alibi non memoratus, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 388.

PÆDOTHYSIA, Latinè *Filii oblatio*, Abrahamo divinitus imperata, mirum fidei experimentum fuit, de quo in Sacris: non tamen novum & inauditum ſacrificium ex aliorum ſententia. Philo Jud. *l. de Abrah.* Τὴν δὲ, ait, τί προσῆκεν ἐπαινεῖν, ὡς ἐγχειρητὴν καινουργημένης πράξεως, ἣν ϰ ἰδιῶται ϰ βασιλεῖς ϰ ὅλα ἔθνη δρῶσιν ἐν καιροῖς, *Quid attinet illum* (Abrahamum) *laudare, tanquam novi facinoris auctorem, quod & privati & reges & gentes integræ ex occaſione faciunt.* Cujus feralis ritus originem Philo Byblius, ex Sanchuniathone, ad ipſum Saturnum refert, apud Euſebium *Præp. Euang. l.* 1. *c.* 10. Inde ad alios tranſiit, Cananæos, Sepharvæos, Phœnices, quos in magnis periculis chariſſimorum aliquem, ad id ſuffragiis publicis delectum, Saturno ſacrificâſſe, refert Porphyrius *de Abſtin. l.* 2. §. 56. & de Regibus inprimis filium maximè dilectum offerentibus, Philo *de Phœnic. Hiſt. l.* 1. apud Euſeb. ubi ſuprà *l.* 4. *c.* 16. Vide de primogenito Regis Moabitarum, 2. Reg. *c.* 3. *v. ult.* Cum Phœnicum coloniis nefaria hæc τῆς ἀνθρωποθυσίας religio in Inſulas, in Europam, in Africam, latè propagata eſt. In Arabia Dumatii quotannis ἔθυον παῖδα, *mactabant puerum*, Porphyr. *ibid.* In Ægypto verò mos fuit vetuſtiſſimus, ab Amoſe demum Rege abolitus, Diodor. Sic. *l.* 1. & Plut. *de Iſide*. Hodieque apud Mexicanos immanem παιδοθυσίαν quotannis in uſu eſſe, reperias apud *Itinerariorum* Scriptores. Vide ſuprà *Hoſtia Humana*, *Infanticidium* &c.

PÆDOTRIBA, nonnullis idem cum Gymnaſiarcha, à quo tamen diſertè diſtinguitur, in veter. *Inſcr.* quæ Athenis hodieque conſpicitur, apud Cl. Sponium *Itiner. Part.* 3. ubi *Pædotriba* διὰ βίου, *per totam ſuam vitam*, muneri ſuo præfuiſſe, Gymnaſiarchæ verò officium menſtruum tantùm fuiſſe dicitur. *Platoni* idem eſt cum *Gymnaſte*, ut & *Heſychio*, qui Παιδοτρίβαι, Ἀλεῖπται, Γυμνασταὶ, explicat, cùm Gymnaſiarcha Ἄρχων τοῦ ξυστοῦ diceretur: *Galeno* tamen diverſus à Gymnaſte, & poſt eum collocatur, Gymnaſtam Medico & Imperatori, *Pædotribam* militi & coquo aſſimilanti, merumque Gymnaſtæ miniſtrum nuncupanti. Vide quoque Ariſtotelem *Politicor. l.* 8. & plura de omnium horum trium officio, apud Hier. Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 12. *l.* 2. *c.* 8. nec non ſuprà, ubi de Re Veter. *Gymnaſtica*.

PÆMANI, Belgii populi, Cæſar, *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 4. *Peelanders* (hi in Brabantia ſunt) eos vertit *Divæus*; *Leodio* autem in Arduenna ſylva ſunt, ubi nunc *Pemont* vicus eſt. *Baudrando* in Eburonibus, verſùs Moſam fluv. ubi pars Occidentalis Ducatus Luxemburg. & minuta pars ditionis Leodienſis, verſùs Fanum S. Huberti. Veſtigia nominis ſervat *Pemont*, vicus in illo tractu. Vide quoque B. Rhenanum *Rer. Germanic. Nov.-Antiq. l.* 1. & ad illum *Notas* Ottonis JCti *p.* 108.

PÆNA, inſula maris Atlantici *Ptol.* Quid nunc ſit, non conſtat.

PÆNULA, à Græco φαινόλις ſive Doricè φαινόλα, Iſaaco Caſaubono *ad Spartian. in Hadrian. c.* 3. ſic dicta videtur, quòd veſtis eſſet adſtricta, & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret, quaſi ὅλον τὸ σῶμα φαίνουσα. Quæ ſententia firmatur auctoritate Artemidori, qui eam inter veſtes recenſet, quæ θλῖψιν ϰ στενοχωρίαν, in ſomnis ſignificant, *anguſtias* ſcilicet ac *preſſuras*: ut lacernæ quoque & chlamydes fuêre. Henr. tamen Stephanus Græcam vocem à Latina potiùs factam, & à *Pænula* φαινόλιν dictam vult. Et certè apud Athenæum *l.* 3. Ulpianum Cynalcus perſtringit, quòd vocem novam & inſolentem invexerit, φαινόλην dicens. Horum utrum ſit, incerta eſt vocis notatio, non minùs ac tempus, quô veſtis hoc genus apud Romanos in uſu eſſe cœperit. Tertullian. *in Apolog.* eam inventum Lacedæmoniorum facit, cùm ait: *Et ne voluptas impudica frigeret, Lacedæmonii* Pænulam *ludis excogitaverunt*. Niſi fortè *Pænulam*, pro Endromide poſuit, quam à Lacedæmoniis repertam & in palæſtra maximè uſitatam, Martialis innuit. *l.* 4. *Epigr.* 19. Cum Lacerna malè à quibuſdam confunditur; Fuit interim veſtimentum itinerarium, quod ſupra tunicam acciperetur, pluviæ cauſâ. *Varro*; *Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem*, Pænula *in imbri*. Poſtea tamen in Urbem tranſiit, Tiberiô imperitante, ſi Dioni fides, *l.* 57. ubi tradit, cùm multi veſtem purpuream, licèt interdictam, geſtarent, Tiberium neque id reprehendiſſe, neque multâſſe, tantùm ludis, cùm plueret, φαιὰν μανδύην indutum effeciſſe, ne quis alius veſtem inconceſſam uſurparet: ubi Interpres cum *Lipſio* μανδύην *Pænulam* reddidit, ſed fuiſſe Lacernam, doctis jam pridem obſervatum; quâ intra urbem, cùm plueret, Romani utebantur. Sub Flaviis itaque potiùs intra urbem geſtatæ videntur *Pænulæ*, cœlô pluente, ut colligitur ex Juvenali *Sat.* 5. *v.* 76. ubi de Salutatore, qui etiam fœdis imbre diebus Ave matutinum portabat,

> *Scilicet hoc fuerat, propter quod, ſæpe relictâ*
> *Conjuge, per montem adverſum gelidaſque cucurri*
> *Eſquilias, fremeret ſævâ cùm grandine vernus*
> *Jupiter, & multò ſtillaret* Pænula *nimbô.*

Idem docet jocus Galbæ apud Quintilianum, *l.* 6. *c.* 3. qui *Pænulam* roganti, *Non poſſum commodare*, inquit, *domi maneo; cùm cœnaculum ejus perplueret*. Et paulò infrà, *Non pluit, non eſt opus tibi: ſi pluit, ipſe utor.* Mox in promiſcuo uſu, etiam cùm ſudum eſſet, paulatim eſſe cœperunt, & quod maximè mirum eſt, etiam ab Oratoribus, cùm cauſas agerent, adhibitæ, ut docet Auctor *Dialogi de cauſis corr. Eloquentiæ. c.* 39. Senatoribus primus conceſſit, teſte Lampridio, *c.* 27. Alexander Severus, ut frigoris cauſâ *Pænulis* uterentur. Ipſi autem Imperatores nunquam in iis fuêre. Spartian. *in Adriano, c.* 3. *Tribunus Plebis factus eſt, in quo Magiſtratu ad perpetuam Tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum aſſerit, quod* Pænulas *amiſerit, quibus uti Tribuni Plebis tempore pluviæ ſolebant, Imperatores autem nunquam: unde hodieque Imperatores ſine pænulis à Togatis videntur.* Quod ideo factum, quia veſtis hæc vilis, viatoria & ad ſervos uſque demiſſa, dedecere Majeſtatem Imperatoriam videretur, quos Togam modò puram, modò prætextam, interdum purpuream ac pictam geſtâſſe Eruditi adnotârunt. Fuêre autem duplicis generis *Pænulæ*, aliæ ſcorteæ, aliæ laneæ ac gauſapinæ: de quarum illis ita Martial. *l.* 14. *Epigr.* 130. *cui tit. Pænula ſcortea*,

> *Ingrediare viam cœlô licèt uſque ſerenô,*
> *Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.*

Et hæ ex pelle erant. Ex lana iterum duûm factæ ſunt generum, quædam brevi villô, quæ & *Canuſinæ*; alia villoſæ, quæ *Gauſapinæ* dictæ. Illæ pluviæ tempore ferebantur, etiam intra Urbem, cùm ferè ſcorteæ tantùm in itinere: Gauſapinæ verò per hyemem frigoris cauſâ, extra ædes, ſumerentur. Vide Plin. *l.* 8. *c.* 48. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 145. cui tit. *Pænula Gauſapina*, Horat. *l.* 1. *Ep.* 11. *v.* 18. &c. Lacernis verò *Pænulæ* breviores, utpote veſtimentum viatorium, equitanti accommodatum, Lecticariis, Curſoribus & id genus hominibus, aptum: non ſicut illæ, apertæ fuerunt, ſed clauſæ, rotundæ togæque inſtar corpori injiciebantur illudque ambiebant, niſi quòd ſtrictiores erant ac breviores; prætereà, cùm in Toga dextrum brachium per ſummam oram exereretur, *Pænula* utroque brachio ſubducebatur, ut ex duplici effigie, altera Mercurii, altera Militis pænulati, apud Ferrarium *de Re Veſtia. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 7. videre eſt: Remanetque etiamnum in communione Romana veteris *Pænulæ* veſtigium, in Sacrificantium veſte, licèt illi ætas paulum detraxerit. Ideo verò in ſacris *Pænula* videtur adhibita, quòd olim in promiſcua veſte ſacra peragerentur; ea autem fermè *Pænula* fuit, cùm paulatim & Togæ & Lacernæ geſtari deſiiſſent. Hinc nec cingi ſolitæ ſunt, imò nec potuerunt, niſi utrumque brachium eôdem cingulô conſtrictum colligaretur. Colorem quod attinet, ſcorteam nativô pellis colore fuiſſe, dubium non eſt: Laneas gauſapinas fuiſſe albas, Martial. docet *l.* 14. *Epigr. cit.* Canuſinas duplicis coloris fuiſſe, fuſcas & rufas, ex *eodem* diſcimus: quarum illæ à vulgo Romæ geſtatæ, hæ Gallorum exemplô à militibus ac pueris ingenuis. Donec creſcente luxu ditiores ſervis ſuis etiam illas induxêre, præcipuè lecticariis, quod in Nerone reprehendit Sueton. *c.* 30.

Verùm cùm etiam in hiſce id coloris *Pænulæ* viluiſſent, deſtinavit Macrinus populo dare *Pænulas* roſei coloris, in honorem filii Antonini, quæ proin *Antoninianæ* vocarentur, teſte Lampridiô *in Antonino Diadumeno c.* 2. Nec omittendum, hoc veſtis genus etiam Mulieribus commune fuiſſe, cùm Lacernæ viriles eſſent: *D. de auro, argento, mundo legato.* Quas colore & ornatu iis, quibus Viri utebantur, fuiſſe pretioſiores, innuit Pollio *in Quieto c.* 14. & Sueton. *in Calig. c.* 52. qui *Pænulas* Matronales acu pictas ac variatas, gemmataſque memorant. Vide Octav. Ferrarium *Opere ſuprà cit. Parte* 2. *l. totô* 2. *ubi præter icones ſuprà dictas, Pænulæ, cui cucullus appenſus: item Pænula puerilis, ex duplici marmore Patavino, figuram in ære exhibet.* Thom. Bartholinus *Pænulæ* formam hôc modô deſcribit, *Veſtis eſt ferè rotunda, quaſi caput, jugulum, mediaque crura, quibus terminatur, excipiamus, totum hominem operit. Strictior eſt ejus ora, quæ collum ambit, tam laxè tamen patens, ut caput exeri poſſit, operiri aut involvi. Non in ea ſunt manicæ, non pectus patet; Manus & brachia veſte continentur, quæ aliter expediri non poſſunt, niſi aut per ſciſſuram exerantur, aut hinc inde extremis oris ſubjiciantur, ita ut* Pænula *in ricas & plicas contrahatur; Pars ventrem ſpectans, aperta eſt, alioqui veſtimentum clauſum & rotundum eſſet*, apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Hominis *Pænulati* effigiem, in ærea lucerna, exhibet Fortun. Licetus *de Lucernis l.* 6. *c.* 106. Grammaticos *Magiſtros pænulatos* vocat D. Auguſtin. *Confeſſion. l.* 1. *c.* 16. ut & Grammaticam ingreſſam fuiſſe Deorum Senatum *Pænulatam*, affirmat Marcian. Capella *l.* 3. apud eundem Pignorium; ubi *Pænulam* ait fuiſſe pallium cum fimbriis longis, quô Grammatici uſi. *Scindere pænulam* eleganter dicitur, quum aliquem magnâ contentione detinere volumus. Cicer. *ad Attic. l.* 13. *Ep.* 33. *de Varrone loquebamur: Lupus in fabula. Venit ad me, & quidem id temporis, ut retinendus eſſet. Sed ego ita egi, ut non ſcinderem pænulam: memini enim tui & multi erant, noſque imparati.* Et paulo pòſt, *Horum ego vix attigi pænulam, & tamen remanſerunt.* Quam muliones geſtabant, *mulioniam* idem vocavit pro *Sextio* &c. Vide quoque infrà in voce *Penula*, it. *Togati.*

PÆON, Medicus peritiſſimus, quem Homer. *l.* 5. *Il.* ſcribit curâſſe Plutonem, graviter ab Hercule vulneratum; à quo *Paonia* herba dicitur, quam invenit; & *Paonius* adjectivum, i. e. *medicinalis.* Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 769.

Pæoniis revocatum herbis & amore Dianæ.

Euſtath. aliique ipſum hôc nomine Apollinem intellectum volunt. *Nic. Lloyd.*

PÆON, Amathuſius, utrum inter Hiſtoricos locum habere debeat, nondum conſtat. Memoratur Plutarcho, *in Theſea.* Vide etiam *Pæones.*

PÆONES, populi Macedoniæ in Myſiæ ſuperioris confinio, à Philippo domiti, quos *Herodot.* ad Strymonem fluv. deſcribit; *Dio* ad Rhodopen montem; *Ptol.* ad ortum Haliacmonis fluvii, Horum regio *Pæonia*, *Strab.* Plin. *l.* 4. *c.* 10. & *Ptol.* intra montes. Sic dici volunt, à *Pæone* Endymionis filio; Epei fratre, qui victus curſu ab Epeo (ſicut inter eos convenerat) imperium victori dedit, & in Macedoniam ſeu Thraciam ad amnem diſceſſit. Hos memorat Ovid. *Ponticorum l.* 2. *eleg.* 2. *v.* 77.

Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.

Alii Pæoniam circa Axium fluv. deſcribunt Emathiæ finitimum. *Xylander* autem, quos Strabo Παίονας & Παννονίους appellat, eoſdem putavit eſſe, & indiſcriminatim, tum illos Pandonios vocat, Sed fallitur vehementer. Nam Pæoniam, ut oſtendimus, Macedoniæ & Thraciæ faciunt Geographi finitimam: Pannoniam autem hinc procul ſummovent, ad μυχὸν ferè Adriatici ſinus, ubi eſt Segeſtica; nec aliter *Ptolemæus* docet, nec *Plin.* Eſt autem error antiquus eorum, qui *Pæonas* & *Pannonios* confundunt; non ferendus tamen, ſi *Dioni*, qui poſt patrem Pannoniæ præfuit, & loca illa diligenter oculis luſtravit, ulla fides. Is *l.* 49. poſtquam docuit, Romanos à *pannis* appellâſſe *Pannonios*, eos qui νέμονται πρὸς τῇ Δαλματίᾳ παρ' αὐτὸν τὸν Ἴστρον, ἀπὸ Νωρικοῦ μέχρι τῆς Μυσίας τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ſubjicit mox, de iſto Græcorum, errore, Τῶν δὲ Ἑλλήνων τινὲς τἀληθὲς ἀγνοήσαντες, Παίονας σφᾶς προσεῖπον, ἀρχαίου μέν που προσρήματος ὄντος, οὐ μέντοι κἀκεῖ, ἀλλ' ἔν τε τῇ Ῥοδόπῃ, καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ Μακεδονίᾳ τῇ νῦν μέχρι τῆς θαλάσσης. Ὑφ' οὗπερ καὶ ἐγὼ ἐκείνους μὲν Παίονας, τούτους δὲ Παννονίους, ὥσπερ που καὶ αὐτοὶ ἑαυτοὺς, καὶ Ῥωμαῖοι σφᾶς καλοῦσι, προσαγορεύσω. *Lloydius.*

PÆONIA, Minerva ab arte medendi ſic dicta eſt, bonaque valetudine, quam præſtare credebatur.

PÆONIA, Gall. *la Peone*, nomen floris, *quô nullus grandior, ab heliotropio ſi diſceſſeris; majori utique habenda in pretio, ſi minor exiſteret. Nihil enim ſpecioſius hôc flore, nihil ejus ſplendidius purpurâ, nihil foliorum magnificentia glorioſius: Sunt illa videlicet in orbem diffuſa ſatis amplum, lævia, fulgentiaque ſanguineô rubrô, tam belle conſerta compactaque & agglomerata, ut nihil rotundius; nihil abſolutius. Orbiculata ei figura eſt, odor nullus; ſcapus pro craſſitie brevior; at in latum foliorum profundit ſylvam, altè inciſorum pulcherriméque viridantium: quâ quidem viriditate mirum quantum excitatur floris internaſcentis purpureus ſplendor*, Fr. Pomey *Deſcr. diverſ.* Item radicis, *quæ vetuſtiſſima inventu nomen auctoris retinet*, ——— *& medetur Faunorum in quiete ludibriis*, Plin. *l.* 25. *c.* 4. h. e. ephialti ſeu incubo, quem ſic vocat, quòd Faunus hæc viſa dormientibus immittere crederetur. Inprimis contra epilepſiam morbumque Comitialem efficax; quare perforata ejus ſemina & filô trajecta, coralliorum modô, infantibus circumligantur, à muliercularum non paucis, ut hoc amuletô hoſtem arceant. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 31.

PÆPIA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptolem.*

PÆSAMARCI, populi Hiſpaniæ, pars Celticorum Tarraconenſ. qui *Neriorum* & *Pæſamarcorum* nominibus diſtinguebantur, & extimam oram incolebant, ad angulum Arctoi & Occidui lateris, ubi promontor. Celticum & Arotrebarum portus, ſeu Artabrorum: de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 276. & 279.

PÆSARCÆ, populi ſub Caucaſo, *Stephan.*

PÆSTANUS Sinus, à *Pæſto* urbe dictus, qui & Poſidoniates; *Golfo Agropolitano*, à *Leandro* vocatur.

PÆSTUM, Lucaniæ oppid. Græcis Ποσειδωνία à Neptuno ſcil. unde etiam *Neptunia* Paterculo *l.* 1. *c.* 11. dicitur, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Oppidum Pæſtum, Græcis Poſidonia appellatum: ſinus Pæſtanus.* Strabo *l.* 5. Τὸ τοῦ Πικεντίνων, ἔθνος, μικρὸν ἀπόσπασμα, τῶν ἐν τῇ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον μετῳκισμένων, ὃς νῦν Παιστάνος καλεῖται, καὶ ἡ πόλις Ποσειδωνία, Παῖστος, ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη. Non longè abeſſe à Salaro fluvio innuit, Ptolem. Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Παῖστον, Mela *l.* 2. *c.* 14. *Pæſtanus ſinus*, (nunc *Golfo di Salerno*;) *Pæſtum oppidum, Silarus amnis.* Sil. Italicus *l.* 8. *v.* 579.

——— *Nunc avem Picentia Pæſto*
Miſit ——— ———

Conditores ejus quod attinet, Solin. *l.* 8. *Notum eſt*, inquit, *Pæſtum à Dorenſibus conſtitutum.* Sed aliter Martianus, Heracleenſis, in Περιηγήσει.

Προσεχεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν Οἰνώτριοι,
Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης.
Ἥν φασι Συμβρίτας ἀποικίσαι ποτέ.

Lege Συβαρίτας ex emendatione magni Cluverii. Oppidum hoc roſarum abundantiâ valde ab antiquis celebratur. Propert. *l.* 4. *el.* 5. *v.* 59.

Vidi ego adorati victura roſaria Pæſti,
Sub matutino cocta jacere Noto.

Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 708.

Leucaſiamque petit, tepidique roſaria Pæſti.

Idem *Ponticorum l.* 2. *eleg.* 4. *v.* 28.

Calthaque Pæſtanas vincet odore roſas.

Martial. *l.* 4. *Epigr.* 42. *v.* 10.

Pæſtanis rubeant æmula labra roſis.

Hæ roſæ autem, ob cœli clementiam, bis in anno producebantur (Majô ſcil. & Septembri.) Virg. *Georg.* l. 4. *v.* 118.

Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem; biferique roſaria Pæſti.

Martial. *l.* 12. *Epigr.* 31. *v.* 3.

Prataque nec bifero ceſſura roſaria Pæſto.

Claudian. *de nuptiis Honorii & Mariæ, v.* 247.

——— ——— *Vel flore ſub uno;*
Ceu geminæ Pæſtana roſæ per jugera regnant.

Aliis etiam floribus abundare Pæſtum author eſt Martial. *l.* 9. *epigr.* 27. *v.* 3.

Pæſtano violas, & cana liguſtra colono,
Hyblæis apibus Corſica mella dabit.

Nic. Lloydius. Nunc vicus ſemidirutus eſt, *Peſti*, in ora Principatus ulterioris regni Neapolitani 6. milliar. ab oſtiis Silari fluv. in Meridiem, uti 22. à Salerno, 18. à Velia in Boream, *Baudrand.*

PÆSULA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ in Vandalitia & conventu Hiſpalenſi, *S. Domingo*, teſte *Moletiô*; quod aliquibus non probatur, cùm *S. Domingo de Silos* ſit in finibus Vectonum: niſi ſit geminum.

PÆSURI, qui & *Pæſures* Plin. *l.* 4. *c.* 20. populi Luſitaniæ circa Tagum fluv. *La Comarca de Covilhan*, *Jac. Vaſconcello.*

PÆSUS, vide APÆSUS. Eſt autem urbs Troadis inter Lampſacum, & Parium oppida. Vide Strab. *l.* 3. *Heſych.* Παισὸς, πόλις, καὶ ποταμός.

PÆTALIA, pars Thraciæ, *Stephan.*

PÆTI, populi Thraciæ inter Hebrum & Melam fluv. quorum regio *Pætica Arriano* dicitur. Æno urbi proximi fuêre.

PÆTIDUS, Conſul cum Caſſio Aproniano, An. Urb. Cond. 875.

PÆTOVIUM, urbs Pannoniæ ſuperioris i. e. Auſtriæ, Ptolem. vulgò *Pætovionem* Tacitus ſcribit *Hiſtor. l.* 3. *c.* 1. Alii *Pætoniam*, *Nic. Lloyd.* Fuiſſe *Betta.* Sanè in Græcis codicibus legitur Πεταούιον. ibi caſtra Romanorum, docet *Inſcr.* JUL. AUG. MATRI CASTRORUM POETOVIENS. Vide B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 639. ubi vulgò *Pettau* dici, ac quondam Nobilibus à *Pettau* ſubfuiſſe, docet. Hîc Gallus Cæſar Conſtantii juſſu comprehenſus ac ad Hiſtriam prope urbem Polam ductus Marcellin *l.* 14. Hungari verò à Conrado III. Carinthiæ Duce ingenti præliô victi ſunt, tempore Henrici III. Imperatoris Otto *cit. loc.*

PAETUS, vide *Cæſennius.* it. P. *Ælius.*

PÆTUS, famoſus exercendis apud ærarium ſectionibus, accuſator Pallantis ac Burrhi, tanquam conſenſiſſent, ut Cornelius Sulla claritudine generis & affinitate Claudii, cui per nuptias Antoniæ gener erat, ad imperium vocaretur: Sed tum vanitatis manifeſtus in exilium projectus eſt, & tabulæ exuſtæ ſunt, quibus obliterata ærarii monumenta retrahebat, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 23.

PÆTUS, vir quidam, qui in Ægyptum, causâ pecuniæ comparandæ, navigans ſubmerſus eſt. Propert. *l.* 3. *El.* 6. *v.* 5. pecuniam alloquens:

Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus,
Obruis inſanô terque quaterque mari.

Cæcina PÆTUS, Arriæ maritus, cui, cùm in partibus Scribonianis contra Claudium fuiſſet, ad mortem adacto, uxor extractum è ſuo vulnere pugionem porrexit hâc voce: *Non dolet.* Tacit. *Annal. l.* 16. Dio *l.* 60. Plin. *l.* 3. *ep.* 16. Martial. *l.* 1. *epigr.* 14.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

PAETUS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PAETUS Lucas, Romanus, JCtus & Antiquitatis inſigniter gnarus. Obiit A. C. 1581. ætat 69. Auctor quorundam Juridicorum, item *librorum 5. de Menſuris & Ponderibus Roman. & Græcis, cum his quæ hodie Romæ ſunt collatis*, ac *Variar. Lectionum.* Thuanus *Hiſtor.* & Anton. Teiſſier *Elog. Part.* 1.

PAGÆ, urbs Achajæ in Megaride, verſus Iſthmum Corinthiacum, in ora ſinus, quæ & *Pegæ* Græcis, à Philippo, Amyntæ fil. ſubactæ, Olymp. 106. Ann. 3. Hodie *Pago.* Hinc *Pagæi* populi, de quibus Plin. *l.* 4. *c.* 7. *Baudrando* nunc *Livadoſta*, 20. mill. paſſ. à Megara in Occidentem.

PAGÆ, Iſidoro *in Gloſſ. Memoriæ ſine idolis.* Nempe in honoratiorum cippis ſepulchralibus effigies mortuorum ſculpi ſunt ſolitæ, uti docet *Feſtus*, de Ludio, qui quondam fulmine ictus in Circo, ſepultus fuit in Janiculo. In quibus autem iſtæ effigies non eſſent, *Pagæ* dicebantur. Vide Jo. Meurſium *Not. ad loc.* & *Commentar. ad Lycophronem p.* 228. nec non hìc paſſim, inprimis ſuprà, in voce *Memoria.*

PAGANA Lex, memoratur Plinio *l.* 28. *c.* 2. Eâ in plerisque Italiæ prædiis cavebatur, *Ne mulieres per itinera ambulantes torquerent fuſos, aut omnino attectos ferrent, quoniam adverſaretur id omnium ſpei, præcipuéque frugum.* Inter infauſta enim iſtiuſmodi Mulieris occurſum omina habitum fuiſſe, alibi notatum: non minùs ac

——— ——— Cùm pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago
Diſcolor, & macies occurſu læderet omnes
Aut pueris latura metus &c.

ut ait Claudian. *in Eutropium l.* 1. *v.* 121.

PAGANALIA, Feſta agriculturæ cauſâ ſunt inſtituta, in *pagis*, à quibus & illis nomen. Solebant enim tunc temporis, ut & in Sementinis Feſtis, ſolemni pompâ circumire, atque luſtrare pagum, & liba quotannis Deorum aris inferre, id quod haud obſcurè etiam Ovidius indicat, *Faſt. l.* 1. *v.* 669.

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate, coloni:
Et date Paganis annua liba focis:
Placentur matres frugum, Tellusque, Cereſque
Farre ſuô gravidæ, viſceribuſque ſuis.

Regem Tullium horum auctorem eſſe, produnt *Halicarnaſſeus Dionyſ.* ac *Hieronym.* Celebrabantur autem menſe Januariô, & quidem poſt Sementinas.

PAGANI, communiter ruſtici, à pagis viciſque quos incolebant, olim dicti: unde *Paganicæ feriæ*, ſeu *Paganalia*, de quibus ſuprà. Hinc Auſonius *in ep. ad Theonem*, tædas vocat *lumina paganica*, Idem *in Moſella*, Faunos *Numina paganica*, i. e. Deos paganorum, vel vicanorum nominat. Peculiariter Idololatræ à Chriſtianis, non Gentiles modò, ac Ethnici, ſed etiam *Pagani* dicuntur: propterea quòd poſt adductos ad fidem urbium Imperii Romani incolas, diu in agris, in pagis, aut vicis, veteris ſuperſtitionis reliquiæ remanſerunt. Unde Gregor. Turonenſ. *in vita Niceti*, ut & *in Hiſt. Fr.* in Idololatras, ubicunque habitarent, non ruris modò, ſed etiam urbium incolas, nunc *Paganos*, nunc *Ruſticos*, ac *crudam ruſticitatem* promiſcuè appellat. Galli hodieque agreſtes quidem *Payſans*, ſimulachrorum verò cultores *Payens* vocitârunt, utrôque nomine deductô à *paganis*. Hadr. Valeſ. *Præf. in Notit. Gall.* Alii *Paganorum* nomen hinc ortum volunt, quòd Conſtantius Imperat. qui meros Chriſtianos in exercitu ſuo eſſe voluit, in bello contra Magnentium, ethnicos exauctoratos in *pagos* ablegaverit, circa A. C. 352. Vide Eutrop. *l.* 10. Hinc *Paganiæ*, nefandi Gentilium cœtus. Synodus ſub Carlomanno Duce Franc. A. C. 742. *Capitul. l.* 5. *c.* 2. Populus Dei *paganias* non faciat: ſed ut omnes ſpurcitias Gentilitatis abjiciat, ſive prophana ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos, vel divinos, ſive phylacteria & auguria, ſive incantationes, ſive ſacrilegos ignes, quod *Nodfyrs* vocant, &c. apud Spelman. *Gloſſar.* Cœterùm Græcis Ἕλληνες, qui Latinis *Pagani* ſeu Idololatræ ac Gentiles. Marius Victorinus *de Homoouſio recipiendo: Græci, quos* Ἕλληνας *vel Paganos vocant, multos Deos dicunt.* *Gloſſæ Græco-Latinæ*, Ἕλλην τὴν θρησκείαν, *Paganus* &c. Quod nomen Gentilibus à vulgo Chriſtianorum inditum eſſe, jam ante annum Chriſti 365. patet ex *leg.* 18. *Cod. Theod. de Epiſcop.* quæ eſt Valentiniani & Valentis; quâ tempeſtate ſcribebat etiam prædictus Victorinus: tametſi anteà jam obtinuiſſe, non ſine cauſa exiſtimari poſſit. Rationem ejus præter jam dictas, alii hanc adferunt, quòd pro ſuperſtitionibus *paganicis* contumaciter eâ tempeſtate contenderent; cùm nempe ſinguli pagi ferè ſuos haberent Deos, ſuaque ſacra, quod ex Libanio probare contendit Jac. Gotofredus. Salmaſ. verò apud Vopiſc. *c.* 8. *in Saturnino.* *Paganos* dictos contendit, à *pagus*, voce quæ idem valet ac gens, ἔθνος, unde illa promiſcua *Paganorum* & *Gentilium* acceptio. Sed & alia Anonymi ſententia eſt in Codice reg. *Paganus, qui ſine aliquo jure eſt. Pagus, Collegium, curia vel poſſeſſio ampla ſine aliquo jure: unde &* Paganos *dicimus alienos à jure, ſacris Conſtitutionibus.* Quibus reſpexiſſe videtur illud Oroſii *Præfat. Hiſtor. l.* 1. *Præceperas mihi, ut adverſùs vaniloquam probitatem eorum, qui alieni à civitate Dei, ex locorum agreſtium compitis & pagis* Pagani *vocantur, ſive Gentiles, quia terrena non ſapiunt.* Quarum ſententiarum quæcunque obtineat, conſtat à *Pagis* & à *Pagenſi* idololatria, *Paganos* nuncupatos, ex Prudentio *Periſteph. l.* 1. *in S. Romano, v.* 296.

Non erubeſcis, ſtulte, pago dedite.

Idem contra *Symm. l.* 1. *v.* 450.

Sunt hæc barbaricis Gentilia nomina pagis, &c.

De horum cibo non licuiſſe comedere Chriſtianis, diſcimus ex *Pœnitentiali Roman. tit.* 7. *c.* 24. *Si comediſti de cibo Judæorum, vel Paganorum, quem ipſi ſibi præparaverunt, decem dies pœniteas.* Vide quoque ſuprà ubi de *Idolothytis*, & quæ idolis *Immolata*: ut & plura de voce hoc apud Deſid. Heraldum *Animadverſion. Arnob.* ſtatim ab initio. Imò & interdum ſic appellatos infantes legimus, quorum certis ex cauſis differebatur Baptiſmus, quibus poſtea id *in joculare nomen*, ut *Auſonius* ait, tranſiit, ut oſtendit Car. du Freſne *Not. ad Alexiad.* Nam poſterioribus ſeculis nomen tum primùm datum infantibus eſſe quum baptizarentur, cùm olim ſecus fieret, contendit pluribus Menardus *ad Gregorii M. l. Sacram.* Quippe baptizandi *Nomen dare* dicebantur, eorumque nomina recitabantur, cùm ad Baptiſmum percipiendum evocabantur: quod ſanè mirum videri non debet de adultis, qui à Paganiſmo ad Chriſtianiſmum tranſibant, cùm nomina ſua haberent. Infantium vero baptizatorum ſcripta etiam fuiſſe nomina, diximus ſuprà in voce *Nomen.* Eâdem notione vocem *Ethnicus* uſurpant *LL.* Presbyterorum Northumbrenſium in *Conciliis* Anglic. circa A.C. 977. *c.* 10. *Si exactis 9. noctibus per negligentiam mortuus fuerit* (infans abſque baptiſmo) *componatur utique apud Deum----quòd infans tantùm fuiſſet Ethnicus.* Apud Saxones *Pagani* dicti ſunt Pagenſes, cenſuales, qui Sculretorum civili, Archipresbyterorum verò Eccleſiaſticæ, juriſdictioni ſubſunt. Vide *Speculum* Saxonicum *l.* 1. *art.* 2. §. 2. & *l.* 3. *art.* 45. §. 7. apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.* At apud veteres Romanos, *Paganus* ille erat, qui militiæ cupiens, illi accingi ſeu adſcribi voluit. Eô enim intervallô, quô id quærebat, & ad militiam adhuc adſpirabat tantùm, *Paganus*; militiam verò demum adeptus, *Miles* dicebatur. Unde Scævola *ad Leg. Falcid.* 1. *Si dum paganus erat, fecerit Teſtamentum, militiæ tempore codicillos Falcidia in Codicillis locum non habet, in Teſtamento locum habebit.* Certum quidem receptius eſſe, *paganum* dici omnem, qui non eſt miles & qui eſt privatus. Sueton. *Aug. c.* 27. *Concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites.* Perſius, *in Prœm. v.* 5.

——— ——— Ipſe ſemipaganus,
Ad Sacra vatum carmen adfero noſtrum.

I. e. cum nondum ſim verè miles Muſarum: tamen affero carmen noſtrum ad ſacra Vatum, ut apud ipſos militiæ ſacramentum dicam, & nomen meum illæ accipiant, &c. Vide Johann. Calvinum *Lexic. Jurid.* in voce, *Paganus.*

PAGANICA Pila, unum ex quatuor pilæ generibus priſcis, quibus Romani utebantur: Martial. *l.* 7. *Epigr.* 31. *v.* 7.

——— ——— Non te Paganica *thermis*
Præparat.

Nomen ei, quòd eſſet vulgaris admodum, & in villis, *pagis* vocatis, vel in *pagis* Urbis utplurimum in uſu haberetur: quam idem Poëta *l.* 14. *Epigr.* 45. ſic obiter deſcribit,

Hæc quæ difficilis turget Paganica *pluma,*
Folle minus laxa eſt & minus arcta pila.

Plenius, pila fuit ex corio plumâ repleto, trigonali latior, non ita tamen laxa ut follis, ſed durior, imò undequaque duriſſima, quâ propterea ludere in proclivi non erat. Illius in Gymnaſiis exercitationem etiam in uſu fuiſſe, ex verbis ſuprà citatis, Poëtæ patet: ubi, inter cœteros pilæ luſus in Gymnaſiis ſeſe exercentium ad balnea præparatorios, non follis ſolùm, & pilæ (quô nomine trigonalem indigitat) ſed & *Paganicæ* meminit. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Gymnaſtica c.* 3. §. 65. Hieron. Mercurialem *de eadem Arte l.* 2. *c.* 5. Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 1. & infrà in voce *Pila.*

De PAGANIS Hugo, vide *Hugo.*

PAGANIZANTES; Vide ſuprà *Ethnophrones.*

PAGANORUM, inſula, *Marcellinus Comes*, *Pago Ortelio*, videtur inſula Illyrici apud oram Liburniæ. Vide *Curicta.*

PAGARCHI, Græcè Παγάρχοι, in *Novellis* aliquoties appellantur, Pagorum Præpoſiti. Vide etiam Juſtin. *in Edicto* 13. & *in l. C. de ſuſcept. l.* 19. &c. Dicebatur autem vetuſtiſſimis Romanorum *Pagus*, pars ſeu portio agri Romani, tribui alicui aſſignata; in quorum aliquos ager Romanus diſtributus fuerat à Numa Pompilio, teſte Dionyſiô *l.* 2. cum ait: Διεῖλε τὴν χώραν ἅπασαν εἰς τοὺς καλουμένους πάγους, *Diviſit univerſam regionem in pagos*, i. e. tractus quoſdam ſeu partes regionis. Sic Plut. in Numa: εἰς μέρη τὴν χώραν διεῖλεν, ἃ πάγους προσηγόρευσε, *In partes diviſit regionem, quas* Pagos *appellavit.* Liv. quoque *l.* 1. *c.* 43. narrat, Tullum urbem regionibus & collibus quadrifariam diviſiſſe, & quæ habitabantur partes, Tribus appellâſſe, à tributo. *Dionyſius* iterum, Græcâ linguâ *pagos* vocatos dicit, quia ſingulæ agri partes, ſingulis tribubus habitandæ datæ eſſent, quibus ſe montibus, rupibus & ſpecubus, adverſùs latronum incurſum munierant: feſtaque habuiſſe anniverſaria, *Paganalia* dicta, quòd ea pagi iſti ſuô quiſque more & tempore peragerent, tanquam ſibi propria, non totius Urbis communia, &c. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* His itaque pagis præerant, Παγάρχοι ſeu *Pagorum Magiſtri*, Turneb. *Adverſar. l.* 9. *c.* 7.

PAGASÆ, ſeu PAGASA *Ptolemæo* ac *Straboni*, oppid. Theſſaliæ, in Magneſia provinc. non procul à Pelio monte, à quo propinquus ſinus *Pagaſicus* appellatur Plinio *l.* 4. *c.* 8. *Pagaſæus* Melæ, *l.* 2. *c.* 3. *Pagaſiticus* autem *Straboni*, nunc *Golfo d'Almiro.* *Vollo* nunc oppid. dicitur, aliis autem *Armiro.* Hic Tyro mortuum virum morte ſibi illatâ ſecuta eſt ſponte, Pius *l.* 2. *eleg. &c.* Juxta hanc urbem Argo navis ædificata fuit; quam inde *Pagaſæam* vocant. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 24.

Litoraque intravit Pagaſæâ Colcha carinâ.

Lucanus *l.* 2. *v.* 715.

Ut Pagaſæo ratis peteret cùm Phaſidos undas.

Propert. *l.* 1. *eleg.* 20. *v.* 27.

Namque ferunt olim, Pagaſæ navalibus Argon
Egreſſam longè Phaſidos iſſe viam.

Quia autem ex ſinu Pagaſico Argonautæ profecti ſunt, ideo urbem Pagaſas, quæ nomen ſinui dedit, plerique dici volunt, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Οἱ δὲ πιθανώτερον ἡγοῦνται τοὔνομα τῷ τόπῳ τεθῆναι τοῦτο ἀπὸ τῶν πηγῶν, αἳ πολλαί τε καὶ δαψιλεῖς ῥέουσι. *At*

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

(ex ſententia *Strabonis*) *probabilius alii ſtatuunt, loco nomen eſſe à fontibus* (Doricè παγαῖς,) *qui frequentes ibi, largique fluunt.* Scepſius etiam, apud Apollonii Scholiaſten, *l.* 1. *Pagaſas* dici aſſerit, ἀπὸ τῶ παγαῖς περιῤῥεῖσϑαι τὰς τόπυς. Vide *Cicynethus*, *Nic. Lloyd. Baudrando* diſtat hæc urbs 8. mill. paſſ. à Demetriade in Occaſum eratque Pherarum navale: crediturque fuiſſe, ubi nunc *Vollo*, portus commodus & munitus.

PAGASUS, viri nomen. Virgil. *Æn. l.* 11. *v.* 670.

PAGIDA, ſive Belus, rivus in Phœnicia ad Carmelum promontor. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 19.

PAGINÆ, de libris chartarum propriè dicebantur, ut *tabellæ* de membranis; Et quidem libri in membranis omnia folia, ſive tabellas membranaceas, ex utraque parte ſcriptas habebant & probè ſuccinctéque compacti in non adeò magnam molem aſſurgebant: Libri verò in charta exarati cùm ab uno tantùm latere ſcriberentur & paginis ad paganas agglutinatis, in longam paginarum ſeriem extenderentur, ſic grandia volumina efficiebantur, quorum interior tantùm facies & legenti adverſa cùm replicabatur, ſcripturis erat occupata; exterior autem & adverſa, quæ interiorem replicando & convolvendo operiebat, nihil ſcripti continebat. Uti autem *tabella* Græcis πτυχίον, ſic *pagina*, σελίδες dicebantur. *Gloſſæ, pagina*, σελίς. *Epigr.* Græcum, Καὶ σελίδων κανόνισμα, *& paginarum directio* &c. Tamen etiam ſpatium, quod vacuum & mundum patet, inter duos verſus in ſcriptura, σελίδα vocant Græci. *Heſych.* Σελίδες, τὰ μεταξὺ διαφράγματα τῶ διαστημάτων τῆς νεώς· καϑάπερ καὶ ἐν τοῖς βιβλίοις τὰ μεταξὺ τῶ παραγράφων. *Suidas* σελίδα interpretatur, τὸ μέσον τῶ δύο καταβατῶν ἄγραφον τυγχάνον; *Heſychio* σελὶς, eſt ipſum καταβατὸν. Sic autem dixêre lineam, quæ deorſum verſùs ducitur, quomodo olim ſcribebatur, ut σίχος linea eſt, dextrorſum verſùs ducta, *verſum* Latini appellant: Itaque Græci propriè σελίδα appellârunt ſcribendi genus deorſum verſùs, ut nunc dextrorſum ſcribimus: quod καταβατὸν etiam dixêre &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Flav. Vopiſcum in Firmo. c.* 3. Hinc *Paginator*, vox medii ævi, cujus mentio in *Chron.* Windeshemenſi *l.* 2. *c.* 43. *Magnarum literarum Miſſalium, Biblia & librorum Cantualium optimus pictor & Paginator.* Ubi Editori, *Paginator* videtur eſſe Compactor, qui *paginas* & folia in codicem compingit. Car. du Freſne *Paginatorem* interpretatur, qui *paginas* exornat picturis ac vineolis, Gall. *vignette*, vide eum *Gloſſar.* Sed annon id officii *Pictoris* jam nomine expreſſit Auctor? De *Pagina honorum*, apud Juven. *Sat.* 10. *v.* 58. Vide infrà, voce *Tabula*.

PAGINÆ Valvarum, apud Plin. *l.* 16. *c.* 42. *Firmiſſima ad tectum abies, eadem valvarum paginis, & ad quæcunque libeat inteſtina opera, firmiſſima, ſive Græcô, ſive Campana fabrica artis genere ſpectabilis, ramentorum crinibus pampinatô ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos runcinarum raptus:* Sunt τὰ σανιδώματα τῶ ϑυρῶν ſeu τὰ πήγματα. Propriæ verò in valvis *pagina*, quia duplices ſunt & complicantur replicanturque, ut librorum paginæ. Fieri conſueviſſe ex inteſtino opere, idem dicit; Dicebatur autem propriè *inteſtinum opus*, quod ex ligno fit, ſed elegantiore fabrica & eâ arte, quam minutiariam Galli appellant, Veteres quoque λεπτουργίαν Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034.

PAGINE & PAGINEUMA, in *Inſcr. marmorea* Civitatis Leoninæ ad Vaticanum, quæ à Leone IV. Pontifice Romano contra Saracenorum incurſiones extructa eſt: †*Temporibus Dom. Leonis. Q. PP. hanc pagine & duas turres ſalti ſine militia conſtruxi*† Item, *Hanc turrem & pagineuma facta à millitia capracorum Tem. Dom. Leonis Quar.* PP. *Ego Agatho ei* ——— apud Torrigium *de Crypt. Vatic.* 2. *edit. p.* 400. 401. & 406. idem quod agger eſt. Macri in *Hierolexico*.

PAGIUS, nomen apud medii ævi Scriptores, quô dicuntur pueri honorarii, qui Magnatibus adſunt. Cujuſmodi honorarios ephebos, παιδόπυλας vocat Pachymeres *Hiſt. l.* 1. *c.* 9. & 12. Παιδόπυλα *Narratio* de Bertrando Romano *MS.* Καὶ μετὰ τρία παιδόπυλα καβαλικεύει μόνος. Vide etiam Codinum *de Offic.* Nicetam *p.* 548. Ægid. Menagium *in Originibus Gallicis p.* 500. & 817. Car. du Freſne *Gloſſar.* Alios, ut & ſuprà, ubi de pueris *Pædagogianis*, hinc enim vocem contractam nonnulli volunt. Alii tamen à Græco παῖς, *puer*, nonnulli etiam ex Perſico nomine proprio, *Bagoas*, quod in Aula frequens, & celebrium aliquot in veteri Hiſtoria Eunuchorum erat, ejus originem arceſſere malunt, vide Gronov. *Not. ad Tacitum.* Et quidem pueros hujuſmodi nobiles, in arctiorem diſciplinam, Principibus tradendi, mos ab antiquo viguit. Apud Macedonas, Philippo id inſtituti adſcribit, præter Arrianum *l.* 4. *c.* 2. Ælian. *Hiſtor. Var. l.* 14. *c.* 49. At Valeriô Maximô teſte, *vetuſtô Macedoniæ more Regi Alexandro nobiliſſimi pueri præſtô erant*, *l.* 3. *c.* 3. *ex* 3. Aſtipulatur Curtius, qui *patrium hunc morem & ab antiquiſſimis Macedoniæ Regum uſurpatum*, dicit *l.* 8. *c.* 8. Idem *ibid. c.* 6. de illis ita: *Mos erat principibus Macedonum adultos liberos Regibus tradere, ad munia haud multum ſervilibus miniſteriis abhorrentia. Excubabant ſervatis noctium vicibus proximi foribus ædis, in quæ Rex adquieſcebat. per hos pellices introducebantur aliô aditu quàm quem armati obſidebant. Iidem acceptos ab agaſonibus equos, quum Rex adſcenſurus eſſet, admovebant; comitabanturque & venantem & in præliis, omnibus artibus ſtudiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod liceret ſedentibus veſci cum Rege, caſtigandi verberibus eos nullius poteſtas præter ipſum erat. Hæc cohors velut ſeminarium ducum præfectorumque* ——— *fuit, hinc habuêre poſteri Reges, quorum ſtirpi poſt multas ætates Romani opes ademerunt.* Mox *Regiam cohortem* vocat: cum quibus minimè confundendi quos *Principes juventutis* idem *l.* 6. *c.* 9. *Epigonos*, *l.* 10. *c.* 4. Βασιλεῖας, *Suidas*, appellant. Sic hodieque pueri nobiles in comitatu & familia Procerum, dum ex ephebis excedant, arctiſſimô famulitiô diſtinentur: quod & Polleto *de Foro Rom. l.* 2. *c.* 7. notatum, ubi & morem Romanum, adoleſcentulos, poſt puerilem prætextam depoſitam, dandi in contubernium Viris magnis gravibuſque, non intactum relinquit, Freinshemius *ad Curtium l.* 8. *c.* 6. Vide quoque Lipſium *Not. ad Polit. l.* 3. *c.* 3.

PAGOARGAS, oppid. ad mare Rubrum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PAGODES, famoſiſſimum Sinenſium idolum, in Muſæo Kircheriano Romæ viſitur, teſte Georg. de Sepibus *in Deſcriptione ejus.* Vide ſuprà, in voce *Confutius*.

PAGORUM, Præpoſiti, Euſebio in *Ep.* Sabini Præfecti Prætorio πρὸς τὰς λογιστὰς καὶ τὰς στρατηγὰς καὶ τὰς πραιποσίτυς τῶ πάγυ ἑκάστης πόλεως, & Theodoſio *in Cod. de erogat. milit. annonæ, ut procuratores ſeu ſuſceptores vel* præpoſiti pagorum *& horreorum eam comparent*: iidem ſunt cum *Pagorum Magiſtris*, apud Sæculum Flaccum de *condit. agror. Sed & pagi ſæpe ſignificanter finiuntur, de quibus non puto quæſtionem futuram, quorum territoriorum ipſi pagi ſunt, ſed quatenus territoria: quod tamen intelligi poteſt vel ex hoc, Magiſtri pagorum, quòd pagos luſtrare ſoliti ſunt, uti trahamus, quatenus luſtrarent.* Ubi *pagi* nomine territorium alicujus urbis, i. e. omne illud terræ vel agri ſpatium, certis terminis definitum delimitatumque, intra quod juriſdictio illius civitatis exercetur, intelligitur. Nulla enim olim Colonia fuit in Italia, nullum Municipium, nulla Præfectura, quæ non certum agri modum adſcriptum haberet adſignatumque; cujus intra fines, ejus ad quem pertineret Coloniæ vel Municipii vel Præfecturæ Magiſtratui vis dicendi, coërcendique libera poteſtas eſſet. Græcè cirſία, Gallis *finagium* hodie, item *banleuca*, de qua voce vide *ſuprà*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *Not. ad Trebellium Pollionem in Triginta Tyrannis, in Vita Tetrici Senioris, c.* 24.

PAGOS, mons Æolidis apud Meleten fluv. Pauſan. *l.* 7. Meles autem apud *Strab.* fluv. eſt Ioniæ, Smyrnam circumfluens. Fortè autem per utramque regionem decurrit, in Æolide oriens, & in Ioniâ deſinens.

PAGRÆ, nunc *Begras*, urbs Syriæ, in Pieria regione & Ciliciæ confinio ad montem Amanum, *Pacra Antonin.* inter Alexandriam, in ora 16. & Antiochiam intus 25. mill. paſſ. Πάτραι *Seldeni MS.*

PAGRASA, Indiæ extra Gangem urbs, *Ptol. Perperi Caſtaldo.*

PAGUS, antiquum Corinthii nomen, *Stephan.*

PAGUS, apud Hiſtoricos, Comitatum, territorium, diſtrictum, Comitis unius diœceſin in Germania & Gallia ſignificat. Sic Cæſar *l.* 1. *bell. Gall. c.* 17. Helvetiam totam in quatuor *Pagos* diviſam fuiſſe refert: qui hodie in XIII. tractus, Gallicè *Cantons*, i. e. Latinè *Angulos*: Germaniè *Ort* diſtribuuntur. Idem *l.* 1. *c.* 37. & *l.* 4. *Comm. c.* 1. Suevos centum *Pagos* habuiſſe: & *l.* 6. *c.* 22. Principes Regionum, Pagorumque apud Germanos, commemorat. Sic Plin. *l.* 4. *c.* 13. portionem Scandinaviæ; ab Hillevionum gente, quingentis incoli *Pagis* ſcribit, &c. Orta vox ex German. *pach*, vel *bach*, i. e. rivus: ut *Pagus* notet plures villas juxta rivum aliquem poſitas. Bebelius apud Freherum *Orig. Palatin. part.* 1. Idem apud Belgas *Beke*, & Gallos *Bec*: quod urbium nominibus frequentiſſimè adjicitur: Hinc *Orbacum*, *Resbace*, Candebec ſeu *Calidus Beccus*. Pagus quoque aliquando *Paga*, in Thracia & Armenia majori *Strategia*: apud Judæos *Toparchia*, in Ægypto *Præfectura*, ſeu *Nomus*: Angl. *Shira*; veter. Celticâ linguâ *Gouva*, quod hodieque apud Helvetios, *Gow*. Singulis *Pagis* ſuus & unus modò plerunque præerat Comes: ita ut pro *Pago* Comitatus, & viciſſim ſæpe acciperetur. Sic *Pagus* Atoarienſis & Comitatus Atoarienſis, *in Chron. Beſuenſi.* *Pagus* Pariſienſis, &c. *Civitas* quoque olim dicebatur, quamvis aliquando à *Pago*, ſeu *Pagis* minoribus diſtinguitur, Spelmann. *in Gloſſar.* & Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* A *Pagus*, dicuntur *Pagenſes*, ejuſdem *Pagi*, ſive Comitatus accolæ; qui & inde etiam *Compagenſes* vocantur. Ab eodem vox Gallic. *Pais* orta, *g.* in *i.* vel *y*, ut ſæpe, ita hic converſô. Iidem.

PAGYDA, fluv. Africæ propria, *Belus* etiam Plinio *l.* 5. *c.* 19.

PAGYRIS, nomen fluvii & civitatis, à qua *Pagyritæ* populi. *Pacyris* Plinio vocatur, *l.* 4. *c.* 12.

PAJARINUS Joh. Baptiſta, vide *ibi*.

PAISANÆ, lapicidinæ marmorum nobilium in Pedemontio.

PALA, vicus Corſicæ, *Ptolem.* meliùs *Palla*, oppidum Corſicæ. Vide *Palla*.

PALA, arbor Indica, pomum è cortice emittens, quô veſcebantur olim gentis illius Sapientes. Plin. *l.* 12. *c.* 6. *Major alia pomô & ſuavitate præcellentior, quô Sapientes Indorum vivunt, folium alas avium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duûm, fructum cortice emittit, admirabilem ſucci dulcedine, ut unô quaternos ſatiet. Arbori nomen* Palæ, *pomo Ariena.* Qui ex Theophraſto illa hauſit, *l.* 4. *Hiſt. Plant.* ubi ita ſcribit, Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον δένδρον καὶ τῷ μεγέϑει μέγα καὶ ἡδύκαρπον ϑαυμαστῶς καὶ μεγαλόκαρπον, ᾧ χρῶνται τροφῇ τῶ Ἰνδῶν οἱ σοφοὶ ὐκ ἀμπεχόμενοι, *Eſt autem & alia arbor, pomô ingenti & ſuavitate præcellens, quô cibô veſcuntur Indorum Sapientes, qui non veſtiuntur*, h. e. Gymnoſophiſtæ. Vide quæ de hac arbore commentatur Salmaſ. *ad Solin. p.* 298.

PALA Annularis, ſeu *Palea*, item *Paleta*, pars eſt annuli, quæ gemmam cohibet; hinc *Obſtrigillum* quoque, à ſtringendo gemmam & obſtrigillando, dicta. Græcè πυελὶς, σφενδόνη τῶ δακτυλίυ, σφραγιδοφύλαξ. *Funda* quoque dicitur, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9. ubi, de Chryſolitho, *Optima verò ſunt, quæ in collatione aurum albicare quâdam argenti facie cogunt. Fundâ includantur perſpicuæ, cœteris ſubjicitur orichalcum. Tametſi jam expertes gemmarum uſu appellantur aliqui & Chryſelectri, in colorem electri declinantes.* Ubi Salmaſ. reponit, *cœteris ſubjicitur aurichalcum, quondam etiam & per ſe gemmarum in uſu. Appellantur aliqui & chryſelectri &c.* Dicit, optimas chryſolithos includi palâ perſpicuas, i. e. patentes; cœteris aurichalcum ſubjici, *folii* ſcil. ut vulgò vocatur, vicem: quod orichalcum olim & per ſe in uſu gem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

gemmarum diu apud Veteres in admiratione fuiſſe, diximus ſuprà. *Fundam* autem vocat annuli palam, quia Græci σφενδόνην quoque appellant. Erat verò rotunda & cava, ut gemmam inſertam & incluſam teneret; hinc Græca vox σφραγὶς, quæ de palis annulorum quoque accipitur, ad veſtium ocellos, ſeu notas, ſigna & clavos, denotandos etiam adhibita eſt, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 20. Vide eundem *ad Solin. p.* 406. Hinc Παρακοιμώμενος τ̃ σφενδόνης, nomen dignitatis excelſæ in Aula Conſtantinopolit. de qua vide infrà, voce *Parachimumenus.*

PALAGÆ, pro PALALÆ, apud *Plin.* Græcis Παλάθαι, Vide infrà.

PALACIA, caſtrum Vandalitiæ. 5. leuc. Hiſpan. ab Hiſpali in Meridiem, Nebriſſam verſus totidem, 2. à Bæti fluv. Vulgò *Palacios.*

PALACIUM, vel PALATIUM, urbs Thraciæ Cherſoneſ. *Strab.*

PALÆA, *Strab. Pelandre* Luſignano oppid. olim, nunc pagus Cypri mediterran. Item oppid. Cephaleniæ. *Polyb.* Θεῶν τράπεζαν, *Deorum menſam,* dictam fuiſſe, ob florum copiam, notat *Steph.* Conſtat autem, in ſolenni lætitia menſas aliaque loca floribus, apud Græcos ac Romanos, plerumque olim conſueviſſe conſpergi. Horat. *l.* 1. *Ep.* 5. *ad Torq. v.* 13.

Parcus ob hæredis curam, nimiumque ſeverus
Aſſidet inſano; potare & ſpargere flores
Incipiam. ——————

Sic apud Indos moris fuiſſe, menſas conſpergere laureis ramis, docet Philoſtratus in *Vita* Apollonii *l.* 2. Qua de re vide Paſchalium *Coronar. l.* 2. *c.* 17.

PALÆALAZICA Statio, ad mare Euxinum, in Sarmatia Aſiatica, ex Arriani *Periplo.*

PALÆOPOLIS, *Strab.* Inſula parva Hiſpan. forſan quæ nunc *les Medes* dicitur, cum altera adjacente in ora Cataloniæ, prope Emporias oppid. & oſtia Sambrocæ fluv. *le Ter*, cum caſtro & vico.

PALÆBEUDOS, *Ptolem. Beudos Plinio*, oppid. Phrygiæ magnæ exciſum.

PALÆBYBLOS, Plin. *l.* 5. *c.* 20. urbs Phœnicis, vide *Byblos*, apud Adonidem fluv. ſub monte Libano gemina, nova & vetus.

PALÆMON, fil. Athamantis & Inûs, aliô nomine Melicertes dictus. Hujus mater, cùm virum tantô furore correptum videret, ut Learchum, alterum ex filiis, ſaxo allideret, jamque ſibi ſimilem exitum videret imminere, alterum filium, nomine Melicertem, ulnis complexa, in mare ſe præcipitavit, amboque Dii marini facti ſunt, mutatiſque nominibus, mater *Leucothea*, h. e. *alba Dea*, dicta eſt, crediturque eadem eſſe cum *Aurora*, quæ & *Matuta* à Latinis quòd *portubus* præeſſe putetur, *Portunus* eſt appellatus. Apotheoſin eorum narrat Ovid. *l.* 4. *Met. v.* 538.

Annuit oranti Neptunus, & abſtulit illis,
Quod mortale fuit, majeſtatemque verendam
Impoſuit, nomenque ſimul, faciemque novavit,
Leucothoeque Deum cum matre Palæmona dixit.

Idem Ovid. *Ep.* 18. *Heroid. v.* 159.

Et juvenem poſſim ſperare Palæmona nando.
Miraque quem ſubito reddidit herba Deum.

Scribit Pauſan. *in Atticis*, Melicertam à Delphine exceptum fuiſſe, cùm cecidiſſet è ſaxo Moluride & in Corinthiorum Iſthmum expoſitum, mutatô nomine, Palæmonem fuiſſe appellatum, atque inter cæteros honores petram iſtam illi fuiſſe conſecratam, & Iſthmicos ludos illi à Siſypho, Æoli filio, fuiſſe inſtitutos, qui tunc imperabat Corinthiis, cùm eſſet Melicerta fratris filius: atque primùm pinu, deinde apiô ſiccô victores ibi coronati ſunt, Muſæus quoque in eô libro, quem *de Iſthmiis* conſcripſit, duo certaminum genera celebrari ſolita in Iſthmo ſcribit, alterum in honorem Neptuni, alterum in Melicertæ. Ejus meminit Orpheus *in Hymnis:*

Σύντροφε Βάκχε χοροῖο Διωνύσου πολυγηθοῦς,
Κικλήσκω σε Παλαῖμον ἐπ' εὐιέροις τελεταῖσιν,
Ὃς ναίεις πόντοιο βυθοὺς βαθυκύμονας ἁγνοὺς,
Ἐλθεῖν εὐμενέοντα νέῳ γήθοντα προσώπῳ,
Καὶ σώζειν μύστας κατά τε χθόνα, καὶ κατὰ πόντον.
Ποντοπλάνοις γὰρ ἀεὶ ναυσὶν χειμῶνος ἐναργὴς
Φαινόμενος σωτὴρ, μοῦνος θνητοῖς ἀναφαίνῃ
Ῥυόμενος μῆνιν χαλεπὴν κατὰ πόντιον οἶδμα.

Euripides quoque *in Iphigenia, in Tauris*, cuſtodem & ſervatorem navium Palæmonem vocavit:

Ὦ ποντίας παῖ Λευκοθέας, νεῶν φύλαξ,
Δέσποτα Παλαῖμον ἵλεως ἡμῖν γένου.

Inde *Palæmonius* adject. Claudian. *de Conſul. Mallii Theodor. v.* 289.

Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis
Adſit. ——————

Stat. *l.* 2. *Theb. v.* 381.

Curva Palæmonio ſecluditur unda Lechæo.

Vide Nat. Comit. *l.* 8. *c.* 4. *Heſych.* Παλαίμων, Ἡρακλῆς. *Nic. Lloydius.*

PALÆMON, Grammaticus Vicentinus, qui Romæ vixit, ſub Tiberio & Claudio Imperatorib. tantâ vir arrogantiâ, ut M. Varronem porcum appellaret; ſecum autem & natas & morituras literas jactaret. Luxuriæ quoque ita indulſit, ut ſæpius in die lavaretur, nec ſufficeret ſumptibus, Tranquillus. Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 452.

—————— Odi
Hanc ego quæ repetit, volvitque Palæmonis artem.

Idem *Sat.* 7. *v.* 215.

Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? ——

Quærant eruditi, quiſnam *Palæmon* ille fuerit, de quo Martial. *l.* 2. *Epigr.* 86. *v.* 11.

Scribat carmina circulis Palæmon.

Idem Lloydius.

PALÆMONIUS, Argonautarum unus, quem *Orpheus* claudum fuiſſe his verbis innuit:

Ἐν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου νόθος ἤλυθεν υἱὸς,
Σίνετο δὲ σφυρὰ δισσὰ, πόδας δ' οὐκ ἦεν ἀρηρὼς,
Τοὔνεκεν Ἡφαίστοιο γόνον καλέεσκον ἅπαντες.

PALÆMUNDUS, urbs Cariæ, non longè à Myndo conſtructa.

PALÆOCASTRUM, nunc *Balikeſre*, *Leunclav.* oppid. Troadis apud Alexandriam.

PALÆOCASTRUM, meliùs *Policaſtrum*, aliàs *Buxentum*, urbec. pene deſerta Lucaniæ, in ora maris Tyrrheni in limite Baſilicatæ provinc. Hinc ſinus Laus *Golfo de Policaſtro*, 55. milliar. à Salerno in Eurum, vix 10. ab Apennino in Occidentem, 20. à Marſico novo in Meridiem diſtat; *Policaſtro.*

PALÆOCASTRUM, oppid. Cretæ, cum arce aliàs munita, & portu in parte Boreali Inſulæ in Candiæ territorio, à quo 8. milliar. in Occaſum Rithymum verſus abeſt, ad radices collis, ſub Turcis; *Palecaſtro.*

PALÆOLOGA Familia, in Imperio Conſtantinopolitano illuſtris, è qua varii Imperatores hodieque in triſtibus quibuſdam poſterorum reliquiis, ſub Imperio Turcico gementibus, ſupereſt, uti teſtatur Sponius *Itinerar. Græc.* Pauci autem ex ea, imò vix ulla numiſmata obvia, vel quia, cùm eſſent malè formata, ab Antiquariis neglecta ſunt, vel quia à Turcis in proprias monetas converſa, vel, quod veriſimilius, quia poſtremi illi Græciæ Auguſti in nummis ſuas effigies ac nomina non rarò omiſerunt: unde fieri poteſt, ut inter Zimiſcianos alioſque Palæologorum nummi nonnunquam exhibeantur. Superſunt tamen figuræ eorum, è quibus habitum Imperatorium horum temporum, qui à Codino aliiſque deſcribitur, percipere licet. Quas inter præ cœteris inſignes habendæ Michaëlis *Palæologi* (cujus nummorum aureorum meminit Pachymeres *l.* 12. *c.* 8. qui ait, receptâ à Latinis Conſtantinopoli, in poſtica facie, ejuſdem Urbis figuram effingi curâſſe, metalli probitate detritâ) Theodoræ Auguſtæ uxoris, & Conſtantis Porphyrogeniti filii imagines, quæ Conſtantinopoli in Deiparæ περιβλέπτου æde ſacra conſpiciuntur, quaſque delineari curavit, in ſua *de Numiſm. inf. ævi Diſſertatione* Car. du Freſne. In qua quidem tabella, Theodora effingitur cum τυμπανίῳ in capite, margaritis & lapillis diſtincto, uti Euphroſyne Auguſta, Alexii Angeli Imperatoris uxor, apud Nicetam Chon. *in Alexiò l.* 1. *num.* 3. Habetur alia haud abſimilis ejuſdem Michaëlis Imperatoris effigies, deſcripta ab *Hier. Wolphio*, ex codice MS. Auguſtanæ Bibliothecæ Hiſtoriæ Georgii Pachymeris, cui diadema capiti impoſitum non omnino ejuſdem formæ eſt, quâ in ea Imagine à Car. du Freſne deſcripta cernitur. Sed &, quòd *Acaciam* vocant, voluminis ſpeciem planè refert. Aliam tabellam idem exhibet Manuelis *Palæologi* & Helenæ Auguſtæ uxoris, ut & Joannis, Theodori & Andronici filiorum, effigies continentem, ex MS. codice operum Dionyſii Areopagitæ, quem idem Manuel, ad Monaſterium S. Dionyſii in Francia, ubi aſſervatur, per Manuelem Chryſoloram Legatum ſuum miſit A. C. 1408. uti præfert eidem imagini ſubdita epigraphe hæc, Τὸ παρὸν βιβλίον ἀπεστάλη παρὰ τοῦ ὑψηλοτάτου Βασιλέως καὶ Αὐτοκράτορος Ῥωμαίων κυροῦ, Μανουὴλ τοῦ Παλαιολόγου, εἰς τὸ μοναστήριον τοῦ ἁγίου Διονυσίου τοῦ ἐν Παρισίῳ τῆς Φραγγίας ἢ Γαλατίας ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως. δι' ἐμοῦ Μανουὴλ τοῦ Χρυσολωρᾶ πεμφθέντος πρέσβεως παρὰ τοῦ εἰρημένου Βασιλέως· ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἑξακισχιλιοστῷ ἐννακοσιοστῷ ἑξκαιδεκάτῳ ἀπὸ σαρκώσεως δὲ τοῦ κυρίου, χιλιοστῷ τεσσαρακοσιοστῷ ὀγδόῳ. Ὅς τις εἰρημένος Βασιλεὺς, ἦλθε πρότερον εἰς τὸ Παρίσιον πρὸ ἐτῶν τεσσάρων, *Præſens liber miſſus eſt ab excellentiſſimo Imperatore & Autocratore Romanorum Domino Manuele Palæologo, in Monaſterium ſancti Dionyſii, quod eſt Pariſiis, Franciæ ſeu Galliæ, Conſtantinopoli, per me Manuelem Chryſoloram, miſſum Legatum ab Imperatore præfato; annô ab orbe conditio ſexies milleſimô nongenteſimô decimô ſextô. ab Incarnatione verò Domini, milleſimô quadringenteſimô octavô. Qui prædictus Imperator, venerat priùs Pariſios, quatuor annis antè.* Vide Car. du Freſne *d. l.*

PALÆOLOGUS Jacobus, vide *Jacobus.*

PALÆONIDORUS Johannes, vide *Johannes.*

PALÆOPOLIS, urbs Lyciæ, quæ & *Faga*, & παλαιὸν τεῖχος, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 252.

PALÆOTUS Gabriel, Bononienſis, annô ætat. 24. Jus docuit, Canonicus inde Bononienſis ac Auditor Romæ factus, Concilio Tridentino interfuit. Pauló IV. Pió IV. ac præſertim Gregório XIV. gratus. Liber ejus *de Conſiſtorialibus Conſultationibus*, Miniſtris Principum, Cardinalibus inprimis, utiliſſimus. Tractatus quoque *de Notis & Spuriis* in pretió eſt. Obiit A. C. 1597. ætat. 75. Donius d'Attichi *Floribus Cardinal. tom.* 3. Naudæus, *Bibl. Polit.* Teiſſier *Elog. Part.* 2. ubi reliqua ejus ſcripta enumerat.

PALÆPAPHUS, Cypri urbs; Veneri ſacra. Vide *Paphos.*

PALÆPATMA, emporium Indiæ citerioris Arrianus *in Periplo.*

PALÆPHARSALUS, urbs Theſſaliæ vide *Farſalus*, & *Pharſalus.*

PALÆPHATUS, ſcriptor antiquus, patriâ Parius, aut (ut alii malunt) Prienæus, Artaxerxis tempore natus, teſte *Suidâ*, qui ἀπίστων, h. e. *rerum incredibilium* volumina quinque ſcripſit. Item, Athenienſis, Poëmatum heroicorum auctor; Item Abydenus, diſcipulus Ariſtotelis, pariter ſcriptis inclytus. Item Ægyptius, an Athenienſis, opera quædam hiſtorica ſcripſit. Hinc *Palæphatius*, Virgilius *in Ciri:*

Infamem tali meritò rumore fuiſſe
Docta Palæphatiâ teſtatur voce papyrus.

Cæterùm de variis Palæphatis vide Voſſium, *de Hiſt. Græc. l.* 1 *c.* 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

c. 9. & *l.* 3. *p.* 395. 396. Cœl. Rhodig. *l.* 30. *antiq. lect. c.* 34. Lil. Girald. *dial.* 2. *Hiſt. Poët. Nic. Lloydius.*

PALÆPOLIS, vulgò POGGIO *reale*, urbs vetus Campaniæ apud Neapolim, quæ illi ſucceſſit, teſte *Ambr. Leone.* Aliis *Torre di Giuparelli*, locus quoque Neapoli vicinus.

PALÆRUS, Acarniæ urbs, *Strabo.*

PALÆSCAMANDRUS, fluv. Phrygiæ, ſeu Myſiæ, Plin. *l.* 5. *c.* 30.

PALÆSCEPSIS, Troadis civitas, in convalle Æſapi fluv. inter Aſſum & Antandrum proximas urbes, Cleanthi: qui auctore Scholiaſte Ariſtophanis *in Equites*, ſcribit hoc à Rege Perſarum datum Themiſtocli in veſtem, ſicut Percoten in ſtragula. Hoc autem nomen ad alia multa loca extendi annotat *Strabo. Elmachani, Moletio. Baudrando* urbec. Myſiæ majoris in ora ſinus Adramytteni, inter Antandrum ad Ortum & Aſſum ad Occaſum, 20. mill. paſſ. à Scepſi in Eurum.

PALÆSIMUNDUM, apud Plinium, *l.* 6. *c.* 22. ubi de Taprobana Inſul. *Legatos quatuor miſit, principe Rachia. Ex iis cognitum D. eſſe oppida, portum contra meridiem adpoſitum oppido* Palæſimundo, *omnium ibi clariſſimo ac Regia.* CC. M. *plebis:* Regia erat Inſul. Taprobanæ, in qua ducenta quinquaginta millia plebis urbanæ, in cujus locum *Ptolomæi* tempore ſucceſſit Ἀνυρίγραμμον, quam is Regiam unicam in ea Inſul. ſuô tempore fuiſſe prodit, nullâ planè ampliùs *Palæſimundi* mentione factâ. Sed & *Palæſimundis* ſubintellige inſula, tota Inſula vocabatur Plinii ætate, ab illo oppido Inſulæ clariſſimo & Βασιλείῳ; at *Ptolomæi* ævô dicebatur *Salica.* Adeò omnia cum tempore mutantur; Sic Saba, apud vetuſtiſſimos Auctores Sabæorum Metropolis, ut Agatharchidæ, deſiit eſſe, & eam excepit Μαριάβα. Neque verò oppidum ſolùm, & Inſulam ipſam, ſed & fluvium in ea, influentem in mare, juxta illud oppidum, *Palæſimundum* fuiſſe appellatum, idem Plinius addit. E quibus liquere poteſt, quantô vetuſtior ſit Ptolemæô auctor ille, qui *Periplum maris Rubri* compoſuit, dum ita ſcribit, Ἐις πέλαγος ἔκκειται πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν, λεγομένη Παλαισιμούνδε, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις αὐτῶν Ταπροβάνη, *In pelago ſita eſt ad Occaſum, dicta* Palæſimunda, *apud vetuſtiores autem eorum Taprobane.* Nempe ætate hujus Auctoris adhuc dicebatur Παλαισιμούνδε, quod vetus nomen ejus eſſe tradit *Ptolemæus.* Sed & hinc apud *Ptolemæum,* ubi vulgò editum eſt, ἣ τις ἐκαλεῖτο πάλαι Σιμούνδα, *quæ vocabatur olim Simundi*, legendum eſſe conjunctim Παλαισιμούνδε videmus. Quemadmodum & *Marcianus Heracleota* legit, Ἡ δὲ Ταπροβάνη νῆσος πρότερον μὲν ἐκαλεῖτο Παλαισιμούνδε, νῦν δὲ Σαλική. *Taprobane Inſul. autem, priùs vocabatur* Palæſimundu, *poſtea Salica dicta eſt.* E qua voce *Salica*, Taprobanem Veter. *Zeilan* eſſe hodiernorum, uti ab Arabibus & Perſis appellatur, conjicit Salmaſ. eò majori fiduciâ, quòd multa locorum in illis regionibus hodieque vocabula ab antiquo remanſerint, ut *Sina*, *Indus*, *Sinthus*, *Comarin*, & alia. Sed & ſitus, inquit, Inſulæ *Zeilan*; Elephanti, quos gignit maximos; gemmæ & margaritæ grandiores, quas illa fert, & multa alia, prorſus evincunt eſſe veterem Taprobanem. Vide eum *Exercit. Plin. ad Solinum p.* 1110. & 1117. item in voce *Taprobane.*

PALÆSTE, vicus Epiri apud Oricum urbem, Lucan. *l.* 5. *v.* 460.

Lapſa Palæſtinas uncis confixit arenas.

Ubi Grotius *Apameſtinas* legendum jubet; nam *Apameſte* eſt, in prominente parte Italiæ, quæ ad Epirum accedit, contra Apſum fluv. Vide *Plin.* & *Ptolemæum.*

PALÆSTINA, provincia Syriæ Arabiæ contermina. *Herodot.* totam Syriam vocat Palæſtinam. In ea quinque civitates continebantur, *Gaza*, *Aſcalon*, *Gath*, *Accaron*, & *Azotus.* Vide Plin. *l.* 5. *c.* 20. & *l.* 6. *c.* 27. Alii *terram Sanctam* vocant, in Galilæam ad Boream, Judæam cum Idumæa ad Auſtrum, & Samariam in medio diviſam, Sanè *Ptolemæo*, *Straboni*, ac Tacito, *l.* 2. *Annal. c.* 42. Syria Palæſtina eadem ipſa eſt quæ Judæa. Aliis diverſæ ſunt; ſic Ebræi à Palæſtinis diſterminantur. Papinius *Sylv.* 1. *l.* 5. *v.* 213.

——— *Palæſtini ſimul, Ebræique liquores.*

Quod libentius (inquit Seldenus) adduxi, ut magni ejuſdem poëtæ nimis depravatam, in Glauciæ Epicedio, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 160. lectionem inde emendarem. In eo ita legitur:

Quòd Cilicum flores, quòd munera graminis Indi,
Quodque Arabes Phariique (palam eſt, vidique) liquores
Arſuram lavere comam. ———

Quid (malum) *palam eſt vidique?* Tantuſne Poëta tantæ monimentum oſcitantiæ etiam ridiculum infarciret? Quæ habent heic Domitius Calderinus, Cæl. Rhodig. etiam & ipſe Gevartius *in notis* plane frigent. Reſtituimus:

Quodque Arabes Phariique Palæſtinique liquores.

Palæſtina aqua, pro Tigride ponitur apud Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 464.

Inque Palæſtinæ margine ſedit aqua.

Sittacena enim regio Aſſyriæ à Tigride fluv. irrigata, *Palæſtina*, teſte Pliniô, *l.* 6. *c.* 27. nominatur. Tibull. *l.* 1. *eleg.* 7. *v.* 18.

Alba Palæſtino ſancta columba Syro.

Sil. Italicus *l.* 3. *v.* 605. *de Tito Veſpaſ. loquens:*

——— ——— *Hic fera gentis*
Bella Paleſtinæ primo delebit in ævo.

Ubi *bellum Judaicum* intelligit. *Palæſtina* itaque olim *Chanaan* dicta, Judæam, Samariam, & Galilæam complectitur: Dio *l.* 36. Ταῦτα μὲν ποτε ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἐγένετο, οὕτω γὰρ τὸ σύμπαν ἔθνος, ὅσον ἀπὸ τῆς Φοινίκης μέχρι τῆς Αἰγύπτου παρὰ τὴν θάλασσαν τὴν ἔσω παρήκει, ὑπὸ παλαιῶν κέκληται. *Nic. Lloydius. Baudrando* pars Aſiæ. olim *Terra Canaan*, poſteà *Judæa* exteris. Diviſa fuit aliàs in 12. Tribus, à Borea in Meridiem extenſa. Habet à Septentrione Syriam, ab Occaſu mare Mediterraneum, ab Ortu Arabiam deſertam, à Meridie Arabiam Petræam. Ejus partes fuêre Galilæa, Samaria, Judæa, Idumæa & Decapolis trans Jordanem. Urbes præcipuæ Hieroſolymæ, caput; Cæſarea, Aſcalon, Gaza, Joppe, Boſtra Idumææ, Sebaſte, Accon ſeu Ptolemais & Tiberias. Nunc hæc regio *Terra Sancta* dicta ſubeſt Turcis, à 152. annis. Cùm enim Saracenorum jugô preſſa gemeret, expeditio in eam ſuſcepta eſt A. C. 1094. eoque ad ſexagies centena Millia hôc & ſeqq. annis ſe contulerunt, Duce Godofridô Bullionæô, qui, Solymannô victô, Hieroſolymam cepit, Rex ibi deſignatus, A. C. 1099. cui mortuo ſucceſſit frater Balduinus I. A.C. 1101. poſtquam ibidem jam A.C. 1090. Ordo Vallis Umbroſæ, & Hoſpitaliorum inſtitutus eſſet, Quemadmodum ordo Templariorum, eôdem loci originem cepit, A. C. 1118. Balduino I. ſucceſſit gener Fulco, Comes Andegav. A.C. 1131. qui equi lapſu mortuus, A.C. 1141. Balduinum II. & Almericum, fratris ſucceſſorem A.C. 1163. reliquit. Hunc excepit Balduinus III. Epilepticus, A.C. 1173. qui Balduinum IV. quinquennem fil. Regem creavit, quô triennio pòſt mortuô, Guido Luſinianus, Balduini leproſi affinis, regnum ſuſcepit, unde civile bellum, hincque ruina regni, occupati à Saladino, A.C. 1187. rege, metropoli, cruce captis. Quare nova Chriſtianorum in terram Sanctam A.C. 1190. ſuſcepta expeditio, Philippi Galliæ & Richardi Angliæ Regum ductu, ſed nil niſi Tyrus, Ptolemais, Antiochia & Cyprus obtenta, quæ Guidoni vendita eſt, A. C. 1192. poſt quem Almericus Cyprum & Palæſtinæ loca retenuit, quô mortuô, A. C. 1205. poſt quinque annorum interregnum, evocatus è Gallia Johannes Brenna, ductâ Almerici privignâ, Rex declaratus eſt, A. C. 1210. cùm priùs in Ungaria fratres duo de regno contendentes, ita conveniſſent, ut qui fortiùs ſe in Palæſtina geſſiſſet, regnum domi teneret, A.C. 1200. Iterum expeditio in Palæſtinam decreta eſt, A.C. 1215. in Concil. Lateranenſi, quô tempore ex ſola Anglia LXM. exierunt. Fridericus dein II. Imper. Jolantâ Johannis Brenni filiâ ductâ regnum obtinuit, A. C. 1229. quô mortuô inter factiones Venetam & Genuenſem de novo rege litigatum, tandemque rex Cypri Hugo Luſignanus creatus eſt, A. C. 1269. quô annô Jacobus Arragoniæ Rex expeditionem eôdem infeliciter tentavit, claſſe amiſſâ. Poſtmodum Hugonis jus in dubium vocatum, quod cùm Maria Domicella Carolo Siculo vendidiſſet, hinc iterum diſcordiæ, Sultani ſucceſſus, Hugonis in Cyprum fuga & mors: Sicque *Latini ex Syria & Palæſtina, ignaviâ, perfidiâ, diſſidiis ſuis, annô à victoria Godofredi* 194. *planè excluſi ſunt, A. C.* 1292. Peucer. *in Chron.* De novo ergo expeditio decreta in Concil. Lugdunenſi, A. C. 1274. ſequentibuſque annis varia Chriſtianorum molimina ſunt ſuſcepta, ſed fruſtra. Manſit ſiquidem in Sultanorum Ægypti poteſtate Palæſtina, donec Turcis ceſſit. De Palæſtina accuratiſſimè ſcripſerunt Jac. Bonfrerius *Not. ad tabb. Adrichomii*, & Joh. Lightfootus *Animadverſ. in Chorographiam ſacram.* Vide Becmannum *Hiſtor. Orbis Terr.* Item in vocibus *Judæa* & *Terra S.* Cœterùm ratione limitum dupliciter conſiderari poteſt, vel prout poſſeſſa fuit ab iis, qui ex Ægypto exierunt, vel prout reduces è captivitate Babylonica, eam tenuerunt. Priori reſpectu Mare magnum ſeu Mediterraneum ab Occaſu habuit: in Auſtralibus primus fuit fluvius Ægypti i.e. *Sihor*, Joſuæ *c.* 13. *v.* 3. In extremo Septentrione *Geſſuri* regio fuit. A Mari Mediterraneo verſùs Ortum gemina montium juga ſurrexêre Libani ac Antilibani. Auctor Anonymus (quem Chriſtianum Becmannum eſſe accepimus) *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 6. *ſect.* 2. Friderico Spanhemio *in Epitome Hiſtor. V.T.* Regio hæc, quam velut totius Geocoſmi umbilicum in medio Geographi locant, inter 31. & 32. gr. latitud. 65. & 66. longitud. primitus terminos habuit, ab Ortu Cœleſyriam, cum parte Arabiæ deſertæ: ab Occaſu Mare Mediterraneum, à Meridie deſertum *Baran* & *Beerſeba*, cum *Cadesh Barnea* ac fluv. *Sichor:* à Septentrione Libanum ſeu potiùs Antilibanum, ad cujus radicem *Dan* erat civitas (quæ poſtea *Cæſarea Philippi* & *Paneas* dicta) item *Hamath* ſeu *Emath* (ſequenti tempore *Epiphania* vocata) Unde phraſis Scripturæ, *à Dan uſque Beerſeba*, Judic. *c.* 20. *v.* 1. 1. Sam. *c.* 3. *v.* 20. Vide quoque Ezech. *c.* 47. *v.* 15. &c. Davidis verò & Salomonis Principatu, ad Euphratem uſque, Orientales terræ limites extenſi ſunt. Idem regionis longitudinem, à *Dan* videl. *Beerſeba* uſque 67. milliar. latitudinem autem à Mari Magno ad Jordanem uſque, quà maximè in Orientem excurrit, 17. vel 18. milliar. ſtatui, addit. Poſt ſolutam dein captivitatem Babylonicam, ſtante Templô ſecundô, partibus aliquot imminuta fuit: Samaria enim & Aſſeritarum non parva portio exſecta, & præterea limites Auſtrales poſiti ſunt *Cadesh Barnea* & *Aſcalon*, atque adeo excluſum, quod extra eas in parallelo quaſi ſitas erat, Becmannus *ibid. ex Schebiith Hieroſ. fol.* 36. 3. *Palæſtina* diviſio fuit in quatuor partes, Judæam, Samariam, Galilæam & Peræam, (cùm priùs in 12. tribus, de quibus vide *ſuô locô*, fuiſſet diſtributa.) Deſtructô tandem Templô ſecundô & Hieroſolymâ, cum toto Regno, funditus à Romanis, everſâ, alia iterum *Palæſtinæ* facies erat. Triplex namque ſub Imperatorib. Chriſtianis facta in tot provincias ſeu Eparchias, (quæ ſub majoribus Præfecturis, quas *Diœceſes* appellabant, continebantur) abiit: Et quidem omnes hæ *Palæſtinæ* ad Præfecturam Antiochenam, unam ex quinque Orientalibus, cui 15. ſuberant provinciæ, pertinebant. Quarum prima Metropolim habebat Cæſaream, & primò quidem à Proprætore, poſteà à Proconſule regebatur, continebatque inter alia, Hieroſolymam ſeu Æliam & Neapolim olim *Sichar.* Secunda, verſùs Boream magis tendens, Samariam primò, poſteà Scythopolim olim *Bethſean* nuncupatam, caput habuit, & priore ignobilior, Præſidi paruit. Tertia, Auſtro obverſa, aliàs *Salutaris* quoque dicta, montem Sinai, Arabiam Petræam, veterem Idumæam cum Judææ parte Meridiali complectebatur, & Metropolim habebat Petram atque itidem à Præſide gubernabatur &c. Vide Franc. Burmannum *in Judic. c.* 21. & plura de regione hac, apud Burch. de Monte Sion *Deſcr. Terra Sancta in tom.* 6. *Antiqq. Lect. Caniſ.* Rud. de Franceinſperg *Itiner. in Terram Sanctam.* Bellonium *Obſervation. l.* 2. *c.* 79. Chr. Adrichomium *Theatr. Terræ S.* Henr. Buntingum *Itiner.* Chr. Heidmannum *Palæſtinâ*, *Ariam Montanum in Chaleb,*

Jac.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Jac. Zieglerum *Palæſt.* Thom. Fullerum *the Piſga ſight of the Land of promiſe*: quos omnes tamen non unius παροράματος accuſarunt Jac. Bonfrerius & Joh. Lightfootus. Antiquitates ejus, quæ hodieque ſpectandæ exhibentur, S. ſepulchri, loci crucifixionis Chriſti, veſtigiorum Chriſti in cœlum aſcendentis lapidi impreſſorum, Turris Ederæ ſeu Templi *Angelus ad Paſtores* nunc dicti, aliarumque rerum magno numerô, grave hoc dubium manet, *an loca & monumenta talia eo in ſtatu adhuc ſupereſſe poſſint, quò tempore Chriſti & Apoſtolorum fuerunt, poſt tot, tantaſque mutationes Judææ à Romanis, Perſis, Saracenis, Turcis illatas?* Vide Voëtium *Diſput. Sel. part.* 3. *p.* 999. *de Peregrinationibus Hieroſolymit.* Certiores ſunt variæ inſcriptiones, quibus in rupibus Deſerti Sin, in Arabia Petræa inciſis, conſervatur memoria antiquiſſimæ Iſraëlitarum in deſerto peregrinationis; quas ante annos aliquot collegit Thom. Novarienſis Franciſcanus, Athan. dein Kircherus publici juris fecit, *in Oed. Ægypt. t.* 2. *cl.* 2. *c.* 2. §. 5. De Maribus, Montibus, Lociſque illuſtribus Palæſtinæ, vide infrà.

Maria Palæstinæ, sub quibus etiam Lacus comprehensi.

Mare Apamienſe, ab urbe Syriæ propinqua dictum, vulgò *Mare de Apamia*, lacus Joſepho appellatur.

Mare Arenoſum, vulgò *Mare decholta*, fortè *lacus Sirbonis* olim quem locis arenoſis cinctum eſſe *Diod. Siculus* ſcribit.

Aſphaltites lacus, ſeu Mare Sodomiticum.

Mare Jazer; Jerem. *c.* 48. *v.* 32. vulgò *Mare de Scalijith.*

Mare Magnum, ſeu Mediterraneum, Samochonitis lacus.

Mare Tiberiadis: è quibus Aſphaltites lacus, & hæc tria ultima ſatis nota; fluvii ſunt, Jordanes, totius Regionis præcipuus, de quo vide *ſuô locô*. Præterea *Arnon* & *Jabok* in regione trans Jordanem; Ciſon in tribu Iſaſchar & Zebulon. *Jarmoch* Plinio *Hieramax*, *Kirmion*, *Pigah* ſeu Pharphar, Nehel Eſcol &c.

Montes Palæstinæ clari.

Abarim, mons fuit ſeu potiùs plurium montium continuatio, in confinibus Amorrhæorum & Moabitarum. Vide Deuter. *c.* 32. *v.* 49. Ejus pars *Nebo*, ibid. cujus vertex *Piſga* ſeu *Phaſga*, Deuter. *c.* 34. *v.* 1.

Antilibanus, terminus regionis Septentrionalis.

Carmelus geminus, alter ad mare, Plinio *l.* 5. *c.* 19. *Promontorium Carmelum*, in cujus vertice oppid. Ecbatana: Alter in Judæa, ubi olim Nabal habitavit, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 2.

Ebal & Garizim, montes in tribu Ephraim, maledictione ac benedictione inde recitari ſolitis, inſignes.

Gilboæ montes, è regione Hermonii, vide *infrà*.

Gilead montes, versùs Ortum maximè extenſi.

Hermon, non procul à Thabore ortus, ad egreſſum Jordanis è mari Galilææ deſinit, Hieron. *in Epit. Paulæ.* Vide Pſalmum 89. *v.* 13.

Hermonium, jugum humile, montis Hermon, versùs montem Thabor, procurrens. Pſ. 42. *v.* 7.

Judæ montana, ubi Hebron.

Libanus, versùs Septentrionem, in Sacris multum memoratus.

Moria, in quo Templum.

Olivarum mons, in hiſtoria N. Teſt. notiſſimus.

Sion mons, intra urbem Hieroſolymam.

Thabor, quem LXX. ſæpenumero *Itabyrium*, Joſephus τὸ Ἰταβύριον ὄρος vocat: Medius fuit inter Campum Magnum & Scythopolim. Vide Joſeph. *Jud. Bell. l.* 11. *c.* 11. Ut alios omittam, quorum in terra hac ingens numerus. Imò montibus tota, velut muro, cincta *Palæſtina* fuit, niſi quà ad Occidentem Mari Mediterraneô alluebatur.

Urbes et loca Palæstinæ illustriora.

Accaron, Satrapia Philiſtæorum extrema, urbs Borealis, Joſ. *c.* 13. *v.* 3. confer cum Strabone, *Geogr. l.* 16.

Aroer, ad torrentem Arnon, Joſ. *c.* 13. *v.* 25.

Aſcalon, in tribu Juda.

Aſdod ſeu Azotum, una ex Satrapiis Philiſtæorum, cujus mentio 1. Sam. *c.* 5. *v.* 1.

Azor, ad lacum Samochonitidem.

Bethaven, juxta Hai, Joſæ. *c.* 7. *v.* 2. Bethela, urbs limitanea Benjaminitidos, lineâ rectâ Hieroſolymæ oppoſita, Vide Joſ. *c.* 18. *v.* 13.

Bethlehema, in tribu Juda, CHRISTI inſignis natalibus.

Bethoron duplex, inferior & ſuperior, quæ utraque ad Ephraimitidem ſpectavit, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 24. Sunt tamen, qui inferiorem Judææ tranſcribant.

Bethſan, quæ poſtea *Scythopolis*, in Manaſſide, ad Jordanem, terminus fuit Galilææ. Vide Joſ. *c.* 17. *v.* 11.

Bethſura gemina, altera Hieroſolymis 5. tantùm ſtadiis diſtans versùs Auſtrum, 1. Macchab. *c.* 4. *v.* 61. altera prope Chebronem fuit, Hieronym. *in Loc. Hebr.*

Cæſarea *Palæſtinæ*, littoralis.

Cæſarea Philippi, aliàs *Paneas*, & *Dan* & *Leſa*, in Peræa.

Cana in Galilæa, cujus Tiberiade diſtantiam itineris nocturni ſpatiô ſe eſſe emenſum, refert Joſeph. *de V. S.*

Capernaum, in Geneſaritide regione, Matth. *c.* 4. *v.* 13. in Galilæa, ad lacum, Joſeph. *Belli* Jud. *l.* 3. *c.* 18.

Chebron, ſita fuit, in plaga Auſtrali, ſed ad Ortum inclinante.

Clauthmos, i.e. *locus flentium*, ſylva fuit, quâ David Hieroſolymis egreſſus Palæſtinos in valle Rephaim caſtrametantes à tergo invaſit. Vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 7. *c.* 4.

Deſerta fuêre varia, Engaddi, ad limites Auſtrales tribus Judæ: Hiericho, inter Hierichuntem & Hieroſolymam, Joſeph. Bell. *Jud. l.* 5. *c.* 4. Maon, infra deſertum Engaddi: Paran extra limites Terræ ſanctæ, in Auſtro: Ziph, interiùs juxta Maon, Vide 1. Sam. *c.* 23. *v.* 19, 24, 25.

Eleutheropolis, in tribu Juda, Hieroſolymâ Auſtralior.

Gadara, Tiberiadi vicina, juxta Tribum Simeon.

Gamala, in Gaulonitide inferiore è regione Tarichεæ, Joſeph. *de Bello Jud. l.* 4. *c.* 1.

Gaza, una ex 5. Satrapiis Philiſtæorum, penès Tribum Juda.

Getha, ſimiliter, vide 1. Sam. *c.* 5. *v.* 8. ubi Arca Fœderis Azothô Getham, Gethâ Accaronem tranſlata legitur. Vide quoque Joſ. *c.* 13. *v.* 3.

Hai, ab Oriente Bethelæ, Joſ. *c.* 7. *v.* 2: ſicut hæc, limitanea.

Hiericho in Tractu Benjamin, Hieroſolymâ 150. & à Jordane 60. ſtadiis diſtans; prima in Iſraëlitarum manus pervenit, Vide Joſ. *c.* 6. *v.* 2.

Hieroſolyma, caput Regionis.

Jamnia, eadem cum *Jebneel*, Joſ. *c.* 15. *v.* 11. cum portu, 2. Machab. *c.* 12. *v.* 9.

Joppe, extra limites Dan, litôralis, omnium Urbium, quæ extant, antiquiſſima. Vide Strabon. *Geogr. l.* 16.

Julias, ad influxum Jordanis in mare Genneſareth.

Lydda, vicina Joppæ, Actor. *c.* 9. *v.* 38.

Madon, ad lacum Samochonitidem Urbs.

Mageddo, ad Ciſonem fluv. haud procul à monte Thabor, Joſ. *c.* 17. *v.* 14. in Manaſſitide.

Maſpha, ſeu Mizpa, in Tractu Juda. Judic. *c.* 20. *v.* 1.

Modin, in Tractu Dan, in monte, 1. Machab. *c.* 2. *v.* 1.

Najoth, locus Ramæ proximus, ſeu magis ejus ſuburbium, 1. Sam. *c.* 19. *v.* 18.

Pella, limes Borealis Perææ, inter Juliadem & Philadelphiam media. Vide Joſeph. *Bell. Jud. l.* 3. *c.* 11.

Philadelphia, ad Perææ terminos Orientales, Idem *ibid.* Alia ab ea, cujus in *Apocal. c.* 1. *v.* 11. mentio.

Rama, quà Ephraimitis Tribui Juda alligata, Socco prope aberat, 1. Sam. *c.* 19. *v.* 22.

Schilo; in Tribu Ephraim, *Pſ.* 78. *v.* 60. ſita inter Bethelam & Sichemam, Judic. *c.* 21. *v.* 19.

Sichem, in eadem Tribu, juxta Vallem Illuſtrem, vide Gen. *c.* 12. *v.* 5. 6.

Simron, Urbs ad lacum Samochonitidem, vide Joſ. *c.* 11: *v.* 1. & *c.* 12. *v.* 20.

Valles variæ: in quibus clariores. Vallis Achor, juxta Galgalam,

Arundineti, ad mare Joſ. *c.* 16. *v.* 8.

Illuſtris, ſeu Vallis Viſionis ſeu Aulon, montibus incluſa & à Patriarcha Abrahamo olim habitata, vide Geneſ. *c.* 12. *v.* 6.

Rephaim, juxta Hieroſolymam, versùs Occidentem, Joſeph. Κοιλὰς Τιτάνων, *Cœlas Titanorum* Hieronymo dicta, inde versùs Auſtrum ſe Bethlehemam uſque extendebat. Ut vallem Jephthaël, & Jeſreël, aliaque loca omittam, de quibus vide præfatum Becmannum *loc. cit.*

PALÆSTINA Altera, prope Thraciam, de qua Lucan. *l.* 5. *v.* 460.

PALÆSTINA Tertia, cujus metropolis Petra, reliquæ urbes, Auguſtopolis, Arindeda, Characmoba, Mapſis, Eluſa; memoratur in *Not. prov. Eccl.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 470. & 488. nec non hic ſuprà, ut & in voce *Petræa*, & *Syria.*

PALÆSTINUS quoque priùs Strymon, fluv. Macedoniæ dictus eſt, *Plut.*

PALÆSTRA, Herculis filia, nuditatem obtegendi conſuetudinem inter Mulieres, quæ curſu aliiſque exercebantur, introduxit: quemadmodum Pater ejus, ne unquam Athletæ in publicum ad certandum ſine ſubligaculis prodirent, inſtituit; teſte Clem. Alexandrino *Pædagog. l.* 3. *c.* 5. apud Hier. Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c. ult. ſub finem.*

PALÆSTRA, ſexta pars Gymnaſii, ubi Veteres luctabantur, ſic ἀπὸ τῆς πάλης ſive lucta dicta. Reliquæ enim Gymnaſii partes hæ erant. Prima, porticus plenæ exhedris, in quibus Philoſophi aliique conſidentes diſputabant: Secunda, Ἐφηβεῖον ſeu Ἐφηβεῖον, ubi Ephebi, ſive puberes, exercebant corpus: Tertia, Coryceon, Græcè Κωρυκεῖον, ubi folle luſoriô, ac pilâ luſitarent: Quarta, Elæotheſium, ubi unguenta reponerentur: Quinta, Coniſterium, ubi qui inuncti erant, pulvere adſpergebantur: Septima, Sphæriſterium, ubi pilâ exercerentur: Octava, inter porticus & muros, ubi currebatur: Nona, xyſtos & xyſta continebat, i. e. porticus tectas, ubi Athletæ hyeme exercebantur, & ſubdiales deambulationes, ubi æſtate: Decima, balnea. Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gymnaſt. c.* 3. §. 9. & *ſeqq.* Sæpe tamen pro toto Gymnaſio, teſte eôdem §. 71. quô ſenſu apud Vitruvium ſumitur, ubi *l.* 5. *c.* 11. de *Palæſtrarum* Græcarum extructione prolixè agit, ſed de hac re alibi. In *Palæſtra*, quam ſextum fuiſſe Gymnaſii locum diximus, *curſu, luctando, haſtâ, diſcô, pugilatu, pilâ, ſaliendo ſe exercebant magis, quàm ſcortô aut ſaviis,* verba ſunt Lydi Plautini *Bacchidibus Actu* 3. *ſc.* 3. *v.* 24. Galenus *de tuenda valet. l.* 2. *c.* 9. ibi has exercitationes peragi fuiſſe ſolitas refert, *luctam, pugilatum, appenſionem manibus ad funes, exercitationem, quâ ſtabant pedibus & manibus in pugnum vinctis eaſque alteri aperiendas porrigebant, quâ pondera manibus attollebant & ita perſiſtebant*, *quod genus* halteres *vocatum eſt, ſciamachia & armorum pugna.* Cui aſſentiens Oribaſius, addit non has modò, ſed & alias ſexcentas *Palæſtræ* exercitationes fuiſſe. Et hujus loci parietum ſordes collectas in panno applicatas furunculos maturare, ſcripſerunt Plinius *l.* 28. *c.* 4. & Priſcian. *de claris Orator.* Eâdem ſignificatione vocem accepit Catullus, *Epigr.* 64. *v.* 120. ubi dixit:

> *Abero forô,* Palæſtrâ, *ſtadiô & Gymnaſiis?*
> *Miſer ah miſer!*

Quodque modò dictum, de ſtrigmentis quibuſdam, quæ à *Palæſtræ* muris, ſtatuis atque columnis, quibus à pulvere & luctantium contactu adhæſerant, abradi & in uſus Medicos ſervari ſolebant, abunde *Dioſcorides* quoque & *Galenus* confirmant, docetque Plin. *l.* 15. *c.* 4. illa à Ludorum Magiſtratibus octingentis quandoque ſeſtertiis fuiſſe vendita. Aliter vox ſumitur, apud Ciceronem

nem *l.* 3. *Ep.* 1. & *de Leg. l.* 2. ubi locum quemcunque exercendis corporibus idoneum denotat: ut & Virgilium *Æn. l.* 6. *v.* 642.

Pars in gramineis exercent membra palæſtris.

Imò idem Tullius pro ipſa exercitatione quandoque vocabulô hôc utitur: Plut. *Sympoſ.* 2. *Palæſtram* vocat locum, ubi Athletæ exercerentur, luctâ ſolùm volutatoriâ & pancratiô &c. Redeo ad ſextum Gymnaſii locum, in quo cùm plurimæ exercitationes viguiſſent, primum locum obtinuit lucta, Græcis communi nomine πάλη, Laconibus καταβλητικὴ quandoque ſeu dejectoria, nuncupata, qualem habuiſſe Jacobum cum Angelo, ac inde fuiſſe pede læſum, narrant ſacri Annales, Geneſ. *c.* 32. *v.* 24. Fuit autem hæc nihil aliud, *quàm exercitatio quædam in Palæſtra ſeu porticu tecta, quæ Xyſtus vocabatur, fieri ſolita, in qua luctatores bini nudi, uncti oleô, & pulvere aſperſi ſeſe brachiis complicantes, invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebant, ad quod peragendum* embolæ, parembolæ, paratheſes, & ſyſtaſes, *neceſſario requirebantur, illudque præ cœteris quærebatur, ut pedes primò comprehenderentur,* definitore Mercuriali *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 8. qui *Luctatoriam* prolixè deſcribit, ut & reliquas *Palæſtræ* exercitationes, *ibid.* & *capp. ſeqq.* Et ab iſta *Palæſtræ* nomen inditum, quemadmodum πάλη, à πηλὸς ſive Dorico παλὸς, h. e. *lutum*, ortum. Cùm verò ante Theſeum, ſolâ magnitudine, pondereque & naturæ viribus nixi luctarentur, primus hic addidit Artem Παλαιςρικὴν, quem luctationis *aſtum* vocat *Papinius.* Vide Pauſan. *in Atticis*, qui non ſolùm auctor eſt, Theſeum Artis hujus Inventorem eſſe, ſed & addit, eâ victum ab illo Cercyonem, luctâ licet tum inclytum: qualis iiſdem temporibus fuit Antæus, ſed ad Hercule devictus; cujus utriuſque eô nomine meminit Plato *de Legg. l.* 2. Et quia in lucta proprium erat τὸ συμπλέκεσθαι, ſive *nodus* ſeu *mutuus nexus*, hinc *catenatas Palæſtras*, dixit Papinius *l.* 2. *Sylv. Epicediô in Glauciam Melioris. v.* 110. Vide quoque infrà, *Sudore uno* &c. A *Palæſtra*, dictus eſt *Magiſter Palæſtricus*, qui Lydo *Plautino Bacchid. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 28. *Gymnaſii Præfectus*, Græcis Ἐπιςάτης, Platoni etiam παιδευτὴς τῶν νέων *de Republ. l.* 2. cui proximus ab Agonotheta erat honor, apud Voſſ. *loc. cit.* Vide quoque infrà voce *Xyſtarcha. Palæſtritam* ſervum recenſuit Martialis *l.* 6. *Epigr.* 39. *v.* 8.

At ille ſimâ nare, turgidis labris,
Ipſa eſt imago Pannici Palæſtritæ.

Quem *de Palæſtra* vocat Ulpian. *l.* 15. *ff. de Uſufr. Nam ſi Librarium rus mittat, & qualum & calcem portare cogat, vel Hiſtrionem Balneatorem faciat, vel de Symphoniaco Atrienſem vel* de Palæſtra, *ſtercorandis latrinis præponat, videbitur abuti proprietate.* Seneca *homines inter oleum & vinum occupatos* appellat *Ep.* 15. &c. Aliàs *Palæſtritæ*, qui in *Palæſtra* ſeſe exercebant, quod non niſi ingenuis, apud Græcos, licebat. Coluêre hi Mercurium, qui proin Ἀγώνιος Pindaro *Iſthmior. od.* 1. *antiſtroph.* 4. & Ἐναγώνιος dicitur, *Pyth. od.* 2. Unde Heliodorus *l.* 10. Τὴν ἐναγώνιον Ἑρμοῦ τέχνην ἠκριβωκὼς, *In concertatoria Mercurii Arte exercitatiſſimus*, & Horatius *Carm. l.* 1. *Od.* 10. *ad Mercurium, v.* 2.

Qui feros cultus hominum recentûm
Voce formaſti catus & decoræ
More Palæſtræ.

Illuſtre quoque Silviani illud *l.* 4. *de Gubern. Dei, Colitur & honoratur Minerva in Gymnaſiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in Palæſtris.* Sed & Apollinem Ἐναγώνιον ibidem cultum eſſe, legimus apud Lucian. in *Anacharſi*, ſive de *Gymnaſiis*: ut prætercam, quòd Mercurio & Herculi, commune in ſtadio Templum poſuêre Arcades, teſte Pauſaniâ in *Arcadicis*: quòd item Herculi ac Theſeo, *Palæſtrices*, ut dictum, Auctori, ſtatuæ in Gymnaſiis collocatæ leguntur. Vide ſis, quæ de Diis *Palæſtræ* Præſidibus tradita ſunt Petro Fabro *Agoniſtici l.* 1. *c.* 16. & 17. Plura verò hîc infrà.

PALÆSTRICI Juvenes, olim tondebantur, uti diſcimus ex Tertulliano *de Pallio c.* 4. ubi de ſuis Carthaginienſibus: *Unde apud aliquos Numidas, etiam equis cæſariatos, juxta cutem tonſor & cultri vertex ſolus immunis?* In quibus verbis *tonſor*, pro *tonſura*, ut apud Horat. *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 95.

——— *Curtatus inæquali tonſore capillus.*

Tonſuram autem hîc interpretes ſuadent intelligamus κουρὰν περιτροχηλάτην, ita enim vocant, quâ uſi Arabes, Numidæ, Judæi; ſed malè ſuadent, inquit Salmaſ. Tantum enim abeſt, ut hoc tonſuræ genus Numidis uſitatum fuiſſe velit hôc locô Tertullian. ut miretur, Carthaginenſes, qui Numidis erant vicini, ac pæne etiam de vicinitate Numidæ & ipſi videbantur, modum iſthunc tonſuræ uſurpare, à quo tam alieni fuêre Numidæ, ut non ſolùm propriam alerent cæſariem, verùm etiam inſuper equinis caudis aut jubis cæſariati criſtatique incederent. Quòd verò iidem addunt, Tertullianum nunc tonſum illum Numidarum, quaſi Græcanicum, Carthaginienſibus ſuis exprobrare, quòd Philoſophi plerique raſi, ut Stoici; id alieniſſimum & abſurdiſſimum. Nec enim heîc de tonſura Philoſophorum & Stoicorum agitur, ſed de toto genere diverſa. Stoici totô capite atque etiam vertice deraſi, καὶ ἐν χρῷ κουρίαι: illô verò tondendi modô, qui hîc tangitur, vertex intonſus & cultri immunis, ſub vertice omnia circumtonſa & ſtrictim raſa, juxta cutem. Præterea Philoſophicam tonſuram non exprobraret ſuis Carthaginenſibus Tertullian. oportet igitur hanc delicatiorum & elegantiorum Græcorum fuiſſe conſuetudinem, quam vitio illis ducit. At κουρὰ περιτροχηλάτης, quam hic nominant, quid ſit, incertum: nec enim Græcum nomen eſſe poteſt iſtô ſenſu. Legitur quidem apud Pollucem περιτροχαλάτη, ſed corruptè, περιτρόχαλα enim apud ipſum ſcribendum. Dicebantur autem περιτρόχαλα κείρεσθαι, qui in orbem tonderi ſoliti; unde περιτρόχαλα, inter tonſuræ is modos poſuit: atque hic tonſus erat elegantiorum Græcorum ac *Palæſtritarum.* Omnia etenim, quæ Tertullian. hôc locô in ſuis Carthaginienſibus taxat, ad palæſtram pertinere, ex ſequentibus palàm fit, ubi *Xyſticas munditias* iiſdem exprobrat. Ephebi itaque Græci, qui xyſto & palæſtræ operam dabant, hôc tonſuræ genere utebantur: unde Ariſtodemum Cumanorum Tyrannum, pueros puellarum habitu & muliebribus comis comptos, puellas autem epheborum in modum circumtonſas atque ephebicis chlamydibus amictas ire juſſiſſe, *Plut.* refert. Neque verò pueri tantùm ingenui, apud Græcos, ut quidam volunt, ſed omnes etiam elegantiæ ſtudioſi circumtonſi, unde *circumtonſa & fucata oratio* Senec. *Ep.* 115. *Circumradere* & *circumdare capillum*, hoc vocat Tertullian. *l. de cultu fœmin. Propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, intervellere, circumradere capillum, diſponere, etiam colorare canitiem*: Et in Comœdiis Adoleſcentis γυμναςικοῦ perſona ita effĭcta erat, nam ὑπὸ ςεφάνην τριχῶν habebat. Pollux, ὁ μὲν πάγχρηςος νεανίσκος, ὑπέρυθρος, γυμναςικὸς, ὑποκεχρωσμένος, ῥυτίδας ὀλίγας ἔχων ἐπὶ τοῦ μετώπου καὶ ςεφάνην τριχῶν: capillaturam nempe, quæ in orbem attonſa erat, ad inſtar coronæ, ςεφάνην τριχῶν, *coronam capillorum*, appellabant; Ita enim extremus crinium ambitus circumtonſus, ut & περίδρομος, dicebatur. Et hôc habitu proin comarum ingenui ac *Palæſtrici* adoleſcentes ac juvenes in Comœdia introducebantur, at milites erant cæſariati, quod colligere eſt ex Plauti *Milite Glorioſo.* Imò omnes, qui in gymnaſiis verſabantur & Græcas delitias elegantiaſque ſectabantur; tàm ſenes, quàm juvenes, capillum circumtondebant. Hinc *Euripides* longam comam non eſſe ex palæſtræ more dicit:

Πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς, οὐ πάλης ὕπο
Γένυν παρ᾽ αὐτὴν κεχυμένος.

Differunt tamen οἱ ἐν χρῷ κουρίαι, quos Græci vocant, & *circumtonſi*, h. e. οἱ περιτρόχαλα κεκαρμένοι; hi enim in orbem tantùm tonſi, verticem intonſum gerebant, cœterùm quâ parte tondebantur, juxta cutem raſi erant. Σκαφιοκάρους tales appellat *Euſtathius*: nam σκαφίον & περιτρόχαλον genus tonſuræ idem, *Heſychio* quoque. Hanc tonſuram itaque intelligit *d. l.* Tertullian. cùm dicit, *Juxta cutem tonſor, & cultri vertex ſolus immunis*, qui tondendi modus ex palæſtra & à Græcis ad Carthaginienſes venit, auctore ipſô Tertullianô. Eoſdem *Palæſtricos* quoque depilari in reliquis corporis partibus conſueviſſe, idem innuit verbis proximè ſequentibus, *Unde apud hirtos & hirſutos tam rapax ab alarum ſina, tam furax à mento volſella? —— Quid tibi Libya & Europa cum xyſticis delitiis, quas veſtire non noſti?* Ubi vix dubitat Salmaſ. quin Auctor ſcripſerit: *tam rapax à culo reſina*; quam partem pſilothrô accurâſſe Veteres notum eſt. Et hôc depilari ac velli, *Xyſticas munditias* Afer vocat, quòd hunc morem haberent homines xyſto & palæſtræ dediti, idque etiam in medio gymnaſio, ſub omnium oculis. Fiebat id autem à *Palæſtritis*, Perſius *Sat.* 4. *v.* 38.

Quinque palæſtritæ licèt hæc plantaria vellant,
Elixaſque nates labefactent forcipe aduncâ,
Non tamen iſta filix ullô manſueſcet aratrô.

Unde & diſcimus, *Palæſtritas* fuiſſe dictos, qui Athletas in gymnaſiis ungebant: Hi verò & γυμναςαὶ quoque & Ἀλεῖπται vocabantur; quorum inter alia officium erat Athletarum nates vellere & reſinâ lævigare &c. Iſta verò in ſuis Carthaginienſibus ideo hîc carpit Scriptor citatus, quia tum recèns donati Pythicô agone ab Imperatore Severo, illa omnia factitabant, quæ fieri ſolita ab Athletis in Græcia & ſimiliter exercebantur. Quare Gymnaſtici & Xyſtici, apud Carthaginienſes, etiam pilabantur & vellebantur, ut Græci, quum tamen non eſſent, ut illi, palliati. Ideo dicit: *Quid tibi Libya & Europa cum xyſticis munditiis, quas veſtire non nôſti?* Nam & in Europa multis locis hujuſmodi Græcanici agones celebrabantur &c. Nec omittendum, Ἐμπινῆ Græcis propriè hominem gymnaſticum, ac *palæſtricum*, vocari conſueviſſe, utpote qui oleô unctus & ſordidus eſſet è palæſtra: Atque hinc, quidquid mundum, politum, nitidum & elegans apud Græcos, ab oleo palæſtræ, ἐμπινὴς & εὐπινὲς, fuiſſe dictum. Unde apud Latinos, *nitida palæſtra, decora palæſtra*: apud Appulejum, *adoleſcens decorus & ſucci palæſtrici plenus*; apud Græcos, λιπαρὸς καὶ κόσμιος ἐκ τῆς παλαίςρας: etiam in veterib. *Gloſſis* ἐμπινὴς, *politus*; item εὐπινὴς cujus contrarium ἀπινὴς, de *indocto*, & rudi & impolito καὶ ἀπαλαίςρῳ. Imò inde τὸν πίνον, de nitore & elegantia ſtyli bene ſubacti & exercitati uſurpârunt. Cicero in *Ep. ad Atticum l.* 14. *Ep.* 7. *A Cicerone mihi literæ πεπινωμένου & bene longæ, cœtera autem vel fingi poſſunt*: πίνος *literarum ſignificat* εὐπινὴς, è quo *mihi indoctiorem.* Nitor, qui ex arte, πίνος appellabatur, *pro nitido & eleganti.* Idem *Ep.* 6. *l.* 12. *Cæſar autem mihi irridere viſus eſt,* QUÆSO *illud tuum, quod erat* εὐπινὲς, *& urbanum.* Et *l.* 5. *Ep.* 17. *Et mehercule ipſius literæ, ſic* φιλοςόργως & εὐπινῶς *ſcriptæ ut eas vel in acroaſi audeam legere.* Et *l. eod. Epiſt.* 16. *Tandem à Cicerone tabellarius: & mehercule literæ* εὐπινῶς & πεπινωμένως *ſcriptæ* &c. Quibus omnibus locis, *Viri docti* πεπινωμένον, *ſqualorem vetuſtatis redolens*, interpretantur: ſed errant. Nam nihil aliud illis vocibus propriè ſignificatur, quàm quod oleô palæſtricô inunctum ac nitidum eſt: hinc ad orationem ſunt translatæ, quæ tùm εὐπινὴς & πεπινωμένη dicitur, quum multo quaſi ſanguine & ſuccô palæſtricô florida, colorem quendam virilem, nitoremque multâ arte & exercitiô quæſitum præfert, qualis in corporibus exercitatis, quæque Solem & oleum imbiberunt. Claud. Salmaſ. *ad Tertullian. l. c.* Vide quoque infrà *Pinacopœi.*

PALÆSTRIUM, oppid. in Macedonia, Plin. *l.* 4. *c.* 10.

PALÆSTROPHYLAX, Vide *Xyſtarcha.*

PALÆTYRUS, vocabatur antiqua Tyrus Phœniciæ urbs, in continenti ſita, è regione novæ Tyri, quæ in mari erat condita, *Steph.*

PALA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PALAMEDES, Nauplii Eubœæ Regis fil. ingenioſiſſimus, (à quo *Naupliades* à Poëtis dictus eſt) acerrimus Ulyſſis inimicus fuit, à quo tandem iniquô judiciô circumventus eſt, & ab exercitu lapidibus obrutus. Nam cùm omnes totius Græciæ principes ad bellum Trojanum convocarentur, Ulyſſes, quem uxoris juvenculæ amor domi retinebat, inſaniam ſimulavit, & quò melius rei fidem faceret, junctis diverſæ naturæ animalibus, ſalem ſerebat. Palamedes autem, ut viri aſtutiam deprehenderet, Telemachum filium aranti objecit: quô viſô Ulyſſes aratrum ſubitò ſuſpendit, ne eum læderet. Quô argumentô ſimulatione deprehenſâ, invitus eſt pertractus. Deinde verò, cùm in Thraciam frumentatum miſſus eſſet Ulyſſes, & nihil inde attuliſſet, neque quidquam ſe inveniſſe diceret: Palamedes, eôdem miſſus, plurimum frumenti advexit. Quamobrem Ulyſſes invidiæ ſtimulis agitatus, adulterinam, Priami nomine, epiſtolam ſcripſit, in quâ agebat Palamedi proditionis gratias, commemorabatque ſecretum auri pondus eſſe tranſmiſſum, quod ipſe Ulyſſes per corruptos ſervos in tentorio ejus infodi curârat. His igitur literis in Græcorum concilio recitatis, Palamedes proditionis accuſatur. Ibi Ulyſſes, reo adeſſe ſimulans, hoſtilibus literis nihil fidei habendum contendit, eaſque re ipſâ facilè poſſe coargui, ſi Palamedis tentorium ſcrutarentur: In quo ſi aurum inveniretur, nullum illum ſupplicii genus recuſare. Miſſi itaque, qui tentorium ejus perſcrutarentur, cùm aurum inveniſſent, Palamedes velut proditionis convictus lapidibus obrutus eſt. Hic fertur Trojanô bellô 4. literas inveniſſe ϑ. ξ. χ. φ. Hic etiam calculorum ludum, & menſurarum ac ponderum rationem excogitavit, & ſuffragia, quibus in liberando, judicandoque nunc utimur, primus omnium reperit, Polyd. Virgil. *de rer. Inventorib. l.* 1. *c.* 6. Aſtrologiæ inſuper peritus fuiſſe dicitur, annumque ad curſum Solis, & menſes ad curſum Lunæ accommodâſſe, primuſque in caſtris viſam atque reformidatam Solis Eclipſim naturalem, minimeque timendam eſſe docuiſſe; præterea ordinationem aciei, ac teſſeras, h. e. ſymbolum bellicum, & vigilias inveniſſe. Numeri inventorem fuiſſe affirmat *Plato*: Ἡ οὐκ ἐννενόηκας ὅ φησιν ἀριθμὸν εὑρών; *Sophocles* de eodem:

> *Οὗτος δ' ἐφεῦρε τεῦχος Ἀργείῳ στρατῷ*
> *Σταθμῶν τ' ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα*
> *Κεῖνος ἔτευξε.* ———

Euripides *in Phœniſſis*:

> *Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι, καὶ μέρη σταθμῶν*
> *Ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν διώρισε.*

Et Manilius *l.* 4.

> *Qui primus numeros rebus, qui nomina ſummis*
> *Impoſuit, certumque modum, propriaſque figuras.*

Quæ omnia à gruibus fertur didiciſſe. Illæ enim non niſi acie inſtructâ volant, electô duce, quem ſequantur, depoſitiſque in extremo agmine, qui gregem voce contineant, & qui noctu cæteris dormientibus excubias obeant. Inter volandum etiam mutatis ſubinde ordinibus, literas quaſdam videntur effingere, quas etiam ab iis primus obſervâſſe fertur Palamedes. Hinc à Poëtis *Palamedis aves* grues dicuntur, Martial. *l.* 13. *Epigr.* 75.

> *Turbabis verſus, nec littera tota volabit,*
> *Unam perdideris ſi Palamedis avem.*

Vide quoque Plin. *l.* 7. *c.* 72. Philoſtr. *in Hero.* Meurſ. *Græcia ludibunda, ſeu de ludis Græcor.* Dan. Sutorem, *Palam. ſive de Aleatoribus.* Nomen ejus quod attinet, Ebræi Doctores & Profeſſores Publicos (inquit Fungerus) מורים *Morim*, & מלמדים *Melammedim* vocant; unde natum nomen *Palamedis*. Sanè Phœnicii, quorum lingua Hebraicæ fuit affinis, plurima nomina Græcis tradiderunt, qui ſuo idiomati accommodârunt ea, ac de rerum inventoribus ſuô more gloriari ſolent. *Nic. Lloydius.*

PALAMEDES Eleates Grammaticus, ſcripſit Onomaſticon de Tragicis & Comicis dictionibus, ac de proprietate Atticæ, ac Doricæ linguæ, *Suidas*. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 396. & Scholiaſt. *in Ariſtophan. fab.*

PALAMEDES Forbinius, à Ludovico X. ſuâ operâ hærede Caroli III. Andegavenſ. conſtitutô, Provinciæ præfectus, à Carolo VIII. depoſitus, obiit A. C. 1508. Virtute inclytus, Mezeray *Hiſt. Gall.* Noſtradamus & Bouch. *Hiſt. Prov.*

PALAMEDES Thebanus, Corinni Ilienſis præceptor, quos ambos ante Homerum *de Bello Trojano* ſcripſiſſe, Suidas refert in παλαμ. & Κόρ. Vide ſuprà *Corinnus*.

PALAMEDIS, in *Epigramm. veteri de Tabula*,

> *Hoc opus inventor nimiùm* Palamedis *amavit*,
> *Et parili excellens Mucius ingeniô*:

pro *Palamedes*, Græcè Παλαμήδης. Sic *Artabaſſis*, pro *Artabaſſes*, apud Vobiſc. *in Probo*, *c.* 4. Græcè Ἀρταβάσσης: *Lyriſtis*, apud Sidonium Apollinarem,

> *Alcæô melior lyriſtis ipſo* &c.

Nauplii Eubœæ Regis filius, Homericô carmine clarus, inter alia *Tabulæ luſum* excogitavit, τὴν Πεττείαν Græcis. Hinc Sophocles *in Palamede*,

> *Οὐ λιμὸν οὗτος τοῦ δ' ἀπῶσε σὺν Θεῷ*
> *Εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας*
> *Ἐφεῦρε, φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις,*
> *Πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος.*

Et *Euphorion*, Πεσσὰ Ναυπλιάδαο. Nempe ante eum quidem jam *teſſeræ* erant, h. e. κύβοι, & *tali*, h. e. ἀστράγαλοι; item *calculi*, i. e. ψῆφοι: ſed ipſe primus πεσσοὺς invenit. Quâ voce non ſimpliciter calculi aut teſſeræ indigitantur, ſed & *calculi ſimul & teſſeræ*, & *lineæ etiam*, *ſive ſcripta*, *quibus tabula luſoria diſtinguebatur*. Unde, quoties legimus apud Veteres τὴν Πεττευτικὴν à Palamede repertam, de hoc luſu debemus intelligere, qui teſſeris calculiſque conſtabat, & tabulâ, in quâ ludebatur, lineis multis diſtinctâ, per quas calculi, ad teſſerarum jactum, movebantur: quam totam ludi diſpoſitionem modò πεσσὸν, modò κύβον, Veteres appellabant, quòd & teſſeris & calculis ſimul perageretur; Romani quoque *aleam* dixerunt: Ita quidem hactenus docuêre Eruditi. Sed probè attendendum, quænam fuerit antiqua πεττεία, cujus auctorem repertoremque *Palamedem* antiquiſſimi faciunt Scriptores; malè enim cum *Duodecim ſcriptorum* apud Romanos ludo illam non pauci confundere videntur. Πεττείαν Palamedis quaſi πεντείαν dictam volunt Grammatici, quòd uterque luſorum *quinos* tantùm *calculos* haberet, totidemque lineas, in quibus illi calculi ſtatuebantur. Inter illas verò utrinque quinas lineas alia quædam media ferebatur, quam *ſacram* vocabant; à qua qui calculum movebat, proverbio locum fecit, Κινῶ τὴν ἀφ' ἱερᾶς; quô modô Veteres Grammatici hunc ludum deſcribunt. Sic teſſeræ nullum in eo locum habebant, ſolis calculis res agebatur, qui de linea in lineam promovebantur, uſque ad mediam ſeu ſacram; ad quam qui pervenerat, ultimâ neceſſitate compulſus & ad inciras redactus, calculum inde movebat, in extremum ſubſidium. Nihil enim poſt hanc reſtabat, & manus erant victori dandæ. Et certè teſſeras ad hunc luſum adhibitas non fuiſſe, locuples teſtis *Heſychius* eſt, his verbis:

> *Καὶ πεσσὰ πεντέγραμμα, καὶ κύβων βολάς.*

Σοφοκλῆς Ναυπλίῳ πυρκαεῖ· παρόσον πέντε γραμμαῖς ἔπαιζον· διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας· ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναῤῥιπτοῦσιν· ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. Ubi apertè κυβείαν diſtinguit à πεττείᾳ; quòd in κυβείᾳ teſſeræ jactarentur, in πεττείᾳ autem calculi ſolùm tranſmoverentur. Atqui πεττείαν idem Grammaticus, alibi κυβείαν interpretatur. Itaque duplex videtur πεττεία apud Græcos fuiſſe uſitata, altera à Palamede, altera ab Ægyptiis, inſtituta; Illa ſimplicior, quæ ſolis quinque calculis, quos πεσσοὺς Græci dicunt, ab utraque ludentium parte tractabatur, abſque teſſeris: ubi proin nulla fortuna & alea, ſed ars omnia faciebat. Iſta, nempe quæ Ægyptiorum inventum erat, longè operoſior & ingenioſior. Tota ſiquidem φιλοσοφικῶς, & ad rationem Aſtronomicam, compoſita & excogitata, duodecim lineis curſum Solis per XII. Zodiaci ſigna repræſentabat; tabulaque terrenam iſtam, quam calcamus, Mundi plagam; ſeptem teſſeris, quæ in pſephobolo habebantur, ſeptem planetas; & per pyrgum, altitudinem cœli, deſignabat. Quam tamen ipſam φιλοσοφικὴν πεττείαν plerique Auctores, non Ægyptiis, ſed Palamedi quoque, attribuunt: utramque ſic πεττείαν commiſcentes. *Heſychius* certè, quum à κυβείᾳ diſtinguit πεττείαν, manifeſtò ſimplicem illam intelligit, quæ meris calculis, abſque ullo teſſerarum jactu, exercebatur; quum verò aliô locô πεττείαν interpretatur, διὰ κύβων παιδιὰν, de iſta duplici accipit, in qua & teſſeræ jactabantur, & ad earum jactum calculi movebantur; de qua etiam accipiendi Auctores, quoties πεττοὺς ἀντὶ κύβων *calculos pro teſſeris* uſurpant &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Flav. Vopiſc. in Proculo*, *c.* 13. *ubi inter alia utriuſque tabulæ, Palamedeæ & Ægyptiacæ, figuram exhibet.* Cæterùm *Palamedis* hujus, faſce gladium condentis, imago picta, inter præcipua Euphranoris opera, memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 11. ad quem locum vide Dalechampii *Notas*.

PALAMEDIUM, oppidum fuit Troadis, Plin. *l.* 5. *c.* 30.

PALAMUS, oppid. munitum Cataloniæ, cum portu, in ora maris Mediterran. 7. leuc. à Gerunda in Ortum, 7. ab Emporiis in Meridiem 22. à Barcinone in Cæciam.

PALANDA, Indiæ extra Gangem urbs in Aurea Cherſoneſo. *Pari* dicitur *Caſtaldo*. Aliis fuit, ubi nunc *Palimban*, urbs ampla Sumatræ, in parte Auſtrali in ora contra Barcam Inſulam in mari Indico. Sed hæc ex conjectura tantùm, *Baudrand*.

PALANGÆ ſeu PHALANGÆ. *Plinio* fuſtes ſunt teretes, qui navibus ſubjiciuntur, aut quibus idem opus plures bajulant. *Nonius*; *fuſtes ſunt teretes, qui navibus ſubjiciuntur, cùm attrahuntur ad pelagus, vel cùm ad littora ſubducuntur.* Quem in ſenſum Pollux *l.* 7. *c.* 35. §. 9. Τὰ δὲ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑποβληθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες, φάλαγγες καὶ φαλάγγια. Rurſus *Nonius*; *Phalangiarios dicimus, qui aliquid oneris fuſtibus transvehunt.* Sic *Heſych.* φαλάγγια στρογγύλα ξύλα καὶ σύμμετρα. Et *Gloſſæ*, *Phalangiarii*, Οἱ ταῖς δοκοῖς ἀποκρεμῶντες βάρη, καὶ πλείονες ἅμα βαστάζοντες. Cujuſmodi *palangæ* ebeni ex India & Æthiopia magnô olim numerô afferebantur, unde Fullerus ad ebeni palangas refert vocem הבנים *hobnim*, Ezech. *c.* 27. *v.* 15. De quo quidquid ſit, origo certè vocis Hebraica videtur. Nam פלך, *pelec*, vel ἀρχαϊκῶς *phelec*, eſt baculus, 2. Sam. *c.* 3. *v.* 9. & Arab. *phalaca*, eſt rotundum eſſe. Itaque φάλαγγες, *phalanges* vel *palanges*, dici potuêre baculi teretes ebenini, quos Tyrii mercatores *pelakim* aut *phelakim* appellabant. Callixenus, apud Athenæum *l.* 5. nominat ἐβένου κορμοὺς, *ebeni ſtipites*; Appulejus *Apolog.* 1. *hebeni baculos*; quamvis ibi *loculos* quidam legere malint. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 1. *c.* 20. Et quidem φάλαγγας ἐβένου ſæpe Veter. nominant in mercimoniis, aut donis tributiſque ab ea gente, ubi naſcitur, exteris præberi ſolitas. Vetuſtiſſimus auctor *Herodot.* *centenas* hujus arboris *palangas*, ab Æthiopibus penſitatas Regibus Perſiæ, inſit. In *Epiſtola* Candaces Æthiopiæ Reginæ ad Alexandrum mentio fit *trecentarum ebeni phalangarum*, quas illa dono mittit Alexandro: ubi perperam in ſcripto codice Græco, Κανδάκη βασίλισσα Βερόης vocatur, pro Μερόης. Nec verò eſt, quòd quis eâ voce truncos ebeni magnos intelligat, ut fecêre Viri quidam magni: bacillos namque ſive fuſtes teretes modicos eô vocabulô ſignificari, oſtendimus. Quod autem ad *Palangiarios* illos attinet, qui fuſtibus onera portabant, *perticas* vocat eas phalangas Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 12. *v.* 1, 2.

> *Quòd nutantia fronte perticatâ*
> *Geſtat pondera Maſchrion ſuperbus* &c.

Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 1021. & 1032.

PALANTA, *Ptol. Balagna* quibuſdam oppid. Corſicæ, in ora Occidentali, 10. milliar. à Calvio in Boream.

PALANTEUM, urbs in Palatino monte. Vide *Palatinus*. Item urbs Arcadiæ. Vide *Steph.*

PALANTHIA, ἡ Φαλάνθη, vel, ut alii legunt, *Palantho*, ἡ Φαλανθώ, Hyperborei filia, apud Solin. *c.* 1. *Dionyſ.* Ὑπερβορίδα κόρην, *Hyperboream puellam*, vocat, h. e. ex Hyperboreorum regione: Λατῖνος δὲ ἔκ τινος ὑπερβορίδος κόρης, ἣν πατρὸς εἰς ὁμήρειαν δόντος ἀπή-γετο. Unde fortè apud Solinum legendum, *cujuſdam Hyperborei filia.* Apollo certè Hyperboreus, colebatur à Scythis. *Servius*, filiam Evandri *Palantiam* facit, ab Hercule vitiatam; ſed hæc *Pallantia* potiùs, quam Latino uxorem tribuit Varro *de L. Lat. l.* 4. *Sed hoc alii à Pallantia uxore Latini putârunt.* Niſi quis dicat, *Palantham* tam apud *Varronem*, quàm apud *Servium*, eſſe legendum, τὴν Φαλάνθην. Nam Varro *Palantham* uxorem Latini eſſe vult & filiam Evandri, quam *Feſtus* Latini matrem & Hyperborei filiam. Vide præfatum Salmaſ. *ubi ſuprà p.* 13.

PALANTIA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. *Ptol.* Vaccæorum colonia, populi *Palantini.* Vide *Steph. Baudrando Palencia*, urbs Legionenſis regni, ad Arrionem fluv. qui paulo infra cadit in Piſoracam, in limite Caſtellæ veteris, 12. leuc. Hiſpanic. à Burgis in Occaſum, 15. à Legione in Eurum. Dicta quoque olim *Palentia in Vacexis*: magni tum nominis, hodie antiquæ famæ decus ægrè tuetur. Vide inſuper Melam, *l.* 2. *c.* 6. *Strabonem*, Livium, *l.* 1. *c.* 5. Merulam *deſcr. Hiſp. &c.* Hic Concilium, à Petro de Luna, qui dein Antipapa electus eſt, nomine Clementis VII. A. C. 1388. celebratum: in ejus verò diœceſi, Pinciæ, aliud A. C. 1322. à Legato Johannis XXIV. habitum eſt.

PALANTIA, ſeu PALLANTIA, item PALATINATUS, dicta olim juriſdictio Comitis Palatini, ſeu jus decidendi lites ſupremô jure, cujuſmodi, inter alia, habuit Magdeburgum, ex Imperatorum indulto, uti videre eſt in *Charta* Ottonis II. apud Goldaſtum *Tom. I. Conſtitut. Imper. p.* 226. & in *Wichbild* Magdeburgico *art.* 12. ac *ſeqq.* ut & quinque aliæ Saxoniæ civitates, quæ ideo *Palantiæ* dictæ, ut eſt in *Speculo* Saxonic. *artic.* 62. §. 1. Vide Freherum *Origin. Palatin. part.* 1. *c.* 2. Gorop. Becanum *Francicor. l.* 2. *p.* 44. *Chronic.* Magiſtri Jordanis *p.* 106. Car. du Freſne *Gloſſar.* nec non infrà, voce *Palatini.*

PALARIA Exercitatio, vide infrà, voce *Palus.*

PALAS, nomen Palatii Trevirenſis, apud Ditmarum *l.* 6. *c.* 68. *Propter hoc ſubdolæ generationis furor accenditur*, Palas *à Trevirenſibus contra Regem firmatur, ac terra hæc, hactenus pacifica, crebris concremationibus quatitur* &c. Mox, *Obſidione etiam continuâ eos, qui* Palas *turbârant, in tantum conſtrinxit, ut fame & aſſiduâ impugnatione defatigati, aut interiùs perire, aut in poteſtatem Regis inviti deberent exteriùs venire.* Adde *Hiſtoriam* Trevirenſem in *Spicilegio* Acheriano *Tom.* XII. Regionem, *cui Capellatii, vel Palas nomen* erat, *ubi terminales lapides Alamannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant*, memorat Amm. Marcellin. *l.* 18. ad quam *Palatinorum* Comitum nomenclaturam & originem referunt *Aventinus, Rhenanus*, alii: Sed à *Palatio* magis alii deducunt, ut iidem ſint *Comites Palatini* & *Comites Palatii*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide voce *Palatii Com.* & *Palatini*: inprimis verò hîc infrà, in *Palus.*

PALAS, ſeu PALATIUM, German. *Pfaltz*, caſtrum German. in Rheni Inſul. unde Palatinatui inferiori nomen, 2. leuc. infra Bingium, medium fermè inter Moguntiacum & Confluentes, 5. milliar. German. utrinque: cujus mentio apud Amm. Marcellin. *l.* 18. ubi de Juliani victoria contra Alemannos, prope Argentoratum, obtenta, & tranſitu ejus per Rhenum in Germanicam ripam, ac hanc ipſam regionem, in quam cùm penetrâſſet, Macrianô, Hariobaudô, Vadomariô, Uriô, Urſicinô & Verſalpô, Alemannorum Regibus, pacem obſecrantibus, illam conceſſit. Aliis *Capellatium.* Vide B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti *p.* 427. Porrò, Marquardum Freherum *in Origin. Palatinis*, Thom. Hub. Leodium *in Vita Friderici II. Palat.* Alios. In ditione Sereniſſimi Electoris Palatini, cujus Familiæ origo, ut antiquiora omittam, eſt ab Ottone I. Comite Palatino Schirenſi, abavo Ottonis, ad quem poſtea Bavariæ Ducis dignitas delata eſt, à Friderico I. Imperatore circa A. C. 1180. Hujus fil. Ludovicus, à Friderico II. Imperatore conſecutus eſt Palatinatum, cùm ejus filio Ottoni uxor Agnes, hæres Palatinatus, Henrici Saxonis filia daretur. Pater hic fuit Ludovici Severi, qui communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie ſuperſunt, Sator, Rudolfo primogenito cum Electorali dignitate Palatinatum reliquit. Sed hic à fratre, Ludovico Imperatore ditione exutus, Obiit in Anglia A. C. 1319. Ei ſucceſſit à Ludovico reſtitutus, fil. Adolphus Simplex, qui ſpontè Rudolfo cæco Electoratum conceſſit, hunc tertius frater Rupertus excepit, Academiæ Heidelbergenſi fundator, mortuus A. C. 1390. Mortuo patruo ſucceſſit Rupertus junior pater Ruperti Imperatoris qui defunctus A. C. 1410. communis linearum Palatinarum, quæ dein profâtæ, Pater extitit. Filius enim ejus primogenitus Ludovicus Barbatus, in Electoratu ſucceſſit, præſes Concilii Conſtantienſis, cujus poſteritas in Ottone Henrico, mortuo A. C. 1559. defecit. Stephanus verò, quartus Ruperti Imperatoris fil. duas lineas dedit, è duobus filiis; ex Friderico Simmerenſem, ex Ludovico Bipontinam: de qua ſuô locô. Friderico ſucceſſit Johannes I. fil. pater Johannis II. qui obiit A. C. 1557. Ei ſucceſſit fil. Fridericus III. Pius dictus, agnati quoque Ottonis Henrici, in Electoratu, A. C. 1559. ſucceſſor. Sub hoc Catecheſis Heidelbergenſis publicata, variaque de Religione colloquia habita ſunt. Illum excepit fil. Ludovicus, qui mortuus A. C. 1583. Frater fuit Joh. Caſimiri, expeditionibus in Galliam Belgicamque, pro Religione, ſuſceptis inclyti: Neoſtadienſis Academiæ quam *Caſimirianam* dixêre, auctoris. Succeſſit patri Ludovico fil. Fridericus IV. Sincerus, ſub cujus auſpiciis Unio initâ, A. C. 1610. Pater is Friderici V. fuit, qui jubilæô A. C. 1617. in ditione ſua inſtitutô ſolennes gratias pro accenſa luce Euangelii, Deo egit, dein à Bohemis Rex electus A. C. 1619. variis Fortunæ vicibus, & excelſi ubique animi conſtantiâ clariſſimus, obiit A. C. 1632. Pater Caroli Ludovici, Electoris, Sapientiæ laude inclyti, cui, ex Conjuge Haſſiaca; unicus filius Carolus; Electoralis dignitatis hæres, natus eſt, A. C. 1651. poſt Patris fata; ſucceſſor ejus, ſed abſque hærede defunctus; Neoburgicis Ducibus in ejus locum ſuccedentibus, ut diximus ſuprà, voce *Carolus.* Vide Phil. Jac. Spenerum *ſyll. Geneal. Hiſt.*

Hos ô Chriſte tuæ conſerva robore dextræ,
Et pelle inſidias; exitiumque procul!

PALATHÆ, Græcis παλάθαι, ficuum dicebantur globi vel maſſæ; quo modo ſimiliter in maſſam conditæ afferebantur caryotæ. Cottana item & pruna, apud Statium, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 27.

Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atque cottanorum.

Ubi globus prunorum, ad verbum eſt παλάθη. Sic de prunis Ægyptiis ſiccatis, exemptô nucleô παλάθας fieri ſimiliter, ſcribit Theophr. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 3. Οἱ δὲ περὶ τὴν Θηβαΐδα κατοικοῦντες διὰ τὴν ἀφθονίαν τοῦ δένδρου ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιροῦντες κόπτουσι καὶ ποιοῦσι παλάθας, *Qui circa Thebaidem incolunt, ob copiam arboris ſiccant fructum & nucleô exemptô incidunt, ac in maſſas & globos redigunt.* Nam παλάθη nihil aliud eſt, quàm ἐπάλληλος θέσις, ut *Heſych.* ait, prunorum, ficorum & ſimilium. Quemadmodum hodieque ad nos afferuntur ficus, in maſſas & globos conditæ in ſportellis junceis. Vide ſuprà in vocibus *Maſſa* & *Offa.* Atque hinc globum crinium in medium congeſtum & concumulatum σπαλάθιον aut παλάθιον appellatum olim eſſe, nonnulli cenſent: quem etiam *corymbium* & *botronatum* dixêre. Sed modum illum comendi, quô in unum coma glomeratur, σπατάλιον dictum eſſe, quòd aurea fortè *ſpatale* vel *ſpataliô* vinciretur, ſtatuit ex illo Poëtæ,

——— *Crines nodantur in aurum:*

Salmaſ. *ad Solin. p.* 764.

PALATIA, vide PALACIA.

PALATII Comites, iidem cum *Comitibus Palatinis*, varii occurrunt apud Auctores. *Comites* enim *Palatii* habuiſſe Beneventanos in Italia Principes, colligitur ex *Diplomate* Pandulphi & Landulfi Principum, quod extat in *Chron.* S. Sophiæ Benevent. *p.* 661. Gothicos quoque Reges, Sebaſt. Salmanticenſis Epiſcopus docet, qui illos inter *in Ranimiro I. Rege* ærâ 880. recenſet, *Nepotianum, Aldretum* & *Piniolum*, qui ſubinde in ipſum Regem inſurgentes Regiam dignitatem uſurpare annixi ſunt: unde magnam ejuſmodi Comitum & in Hiſpania auctoritatem fuiſſe, conjicere licet. Similiter *Comitem Palatii* neſcio quem *Hamedeum* Adalberonis I. Epiſcopi Metenſis *Diplomatibus* anni 942. ſubſcripſiſſe, inter Comites alios & Proceres, obſervat Car. du Freſne apud Meuriſſium *p.* 307. & 309. qui quidem in Lotharingia hâc dignitate donatus fortean fuit ab Ottone Imperatore poſtquam hanc ſubjugavit, uti narrat Hermannus Contractus *ad A. C.* 939. Ebroino quoque Majori-domûs eundem titulum tribuit Auctor *Vitæ S.* Drauſii Epiſcop. Sueſſion. apud Car. du Freſne *Diſſertat. ad Joinvill.* 14. Nec omittendi *Comites Palatii Lateranenſis*, qui quales fuerint, & quænam eorum dignitas ac prærogativa, docemur ex *Formula* Conceſſionis iſtius dignitatis Caſtrucio Duci Lucano, ab Imperatore Ludovico IV. factæ A. C. 1328. quam deſcripſit Goldaſtus *Conſtitut. Imper. Tom. I. p.* 329. quâ, ex aſſenſu Procerum, eidem Caſtrucio & ſucceſſoribus maſculis Comitatum S. Palatii Lateranenſis, quem ad fiſcum & S. Rom. Imperium juſtis & legitimis de cauſis devolutum pronuntiat, concedit, cum omnibus honoribus ac privilegiis eidem dignitati annexis. Quorum quidem privilegiorum prærogativam hiſce verbis exequitur: *Declarantes & nunc per hæc noſtræ Serenitatis indultum, tibi & prædictis ſucceſſoribus tuis, ex prædicta Comitatus dignitate, competere jus aſſiſtendi perpetuò benedictioni, ſacræ unctioni, & coronationi Succeſſorum noſtrorum ——— & præcipuè ſociandi ac deducendi ipſos Romanos Principes, tempore coronationis ——— ad ſacram unctionem de ipſis faciendam & eoſdem ——— tenendi & juvandi in ipſa ſacra unctione & actu ipſius & eâdem unctione perfectâ, eos reducendi & ſociandi ad altare & thalamum, prout & quoties Principes expediunt redire. Item jus levandi & tenendi Imperiale diadema, de noſtro & ſucceſſorum noſtrorum ——— capite, tempore quô Imperialis coronationis ſolennia celebrantur & etiam quicunque aliô tempore, quoties publicè ipſum diadema expedierit elevare de capite noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Principum reponi.* Iiſdem Comitibus, in *Charta MS.* Caroli IV. Imperator. pro Amizino de Bozullis LL. Doctore & Milite & Joanne de Bozullis, Cataneis, Papienſibus civibus; quam ex *veteri quodam Regeſto* idem Car. du Freſne eruit, conceditur, *per totum Romanum Imperium facere & creare Notarios publicos ſeu Tabelliones & Judices ordinarios ——— de prædictis per pennam & calamum inveſtire ——— ſingulos & ſingulas baſtardos & baſtardas, manzeres & nothos & nothas ---- ſeu defectum natalium patientes, illuſtrium Principum, ſpectabilium Comitum & nobilium Baronum natis exceptis ---- legitimare &c. A. C.* 1370. Quos *Comites Lateranenſes* vocare videtur Leo Oſtienſis *l.* 2. *c.* 101. Unde autem Palatio Romano Laterani nomen inditum ſit, pluribus docet Baronius *A. C.* 312. num. 83. 84. Sed & Romanos Pontifices ſuos habuiſſe *Comites Palatinos*, docet idem ſæpius laudatus Car. du Freſne, ex *Bulla* Joannis XIX. cujus frater Albericus Comes Palatii intereſt Judicato, quod ipſe Pontifex protulit in Æde S. Sylveſtri, infra Palatium Lateranenſe. Vide eum in voce *Comes*, ut & infrà *Palatini.*

S. PALATII Fanum, urbs inferioris Navarræ. Sub Rege Galliæ.

PALATINA Tribus, una ex quatuor Tribubus urbanis, à Servio Tullio Romano Rege inſtitutis, denominata eſt, ſecundùm Varro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Varronem *de Ling. Lat. l.* 4. à monte *Palatino*, quem cum Foro & Capitolio obtinebat. Meminerunt ejus omnes ii, qui Suburanæ quoque, Eſquilinæ & Collatinæ, ſeu, ut alii, Collinæ, mentionem faciunt; quibus nominibus reliquæ Tribus urbanæ erant inſignes: inprimis verò Cicer. *Orat.* 4. *in Verrem*, *C. Claudius C. F. Palatina*, in quem locum Aſconius videatur: Et alibi, *L. Claudium Palatina.* Plurima inſuper antiqua marmora illius memoriam retinent, in quibus ferè his verbis notatur, *Pal. Palat. Palatin. Palatina* & *Palateina:* Quas inſcriptiones explicat Onuphrius Panvinius *Comm. de Republ. Rom. l.* 2. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15. & Sigonium *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 3.

PALATINA Venus, L. Craſſus Orator à M. Bruto in jurgiis dictus, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 3. quòd primus peregrini marmoris columnas, *Hymettias tamen, nec plures ſex aut longiores duodenum pedum, in Palatio habuerit.* Qualium poſteà columnarum vix ullus atrium habere ſuſtinuit. Poſt eum enim mox M. Scaurus duodequadragenum pedum Lucullei marmoris, in atrio, collocavit, *Ibid.*

PALATINATUS Inferior. ſeu *Rheni*, provinc. German. à Rheno bipartita, ſub Electore Palatino. Cujus Urbes Heydelberga primaria, Birkenfeldia, Cæſaropolis, Cruciniacum, Franckenthalium & Simmera. Peſſimè bellô Germanicô nuperô & hodiernô, accepta: Habet à Septentrione ditionem Moguntinam, uti & partim ab Ortu & Ducatum Wirtembergicum; ab Occaſu ditionem Trevirenſem & Ducatum Bipontinum, à Meridie Alſatiam & Marchionatum Badenſem. Huic Provinciæ inſertæ ſunt ditiones Spirenſis & Wormatienſis, ſatis anguſtæ; ejuſque pars antè fuit Ducatus Bipontinus.

PALATINATUS Superior provinc. eſt Germaniæ in circulo Bavariæ, inter Bohemiam ad Ortum, Franconiam ad Occaſum, Bavariam ad Meridiem. Ejus Urbs primaria Amberga. Nunc ſub Bavariæ Duce qui Elector quoque eſſe cœpit bellô German.

PALATINI, Scholiaſtæ Juliani Anteceſſoris *c.* 28. *Omnes qui in palatio militant:* quibus ſecundùm nonnullos *Caſtrenſes* oppoſiti; in quâ ſententia & Salmaſius aliquandiu hærens, putavit ſeparatum olim ac diverſum fuiſſe miniſterium Imperatoribus, Aulicum ſive Urbanum, ac Caſtrenſe; & *Caſtrenſes* quoſdam dictos eſſe, qui in expeditionibus obſequium Principi præſtarent eoſque diſtinctos ab Urbanis & Aulicis Miniſtris: quemadmodum & ſupellectilem aliam videntur urbanam habuiſſe, aliam caſtrenſem. Poſteà verò, ſe erraſſe ipſe deprehendit, atque veriùs eſſe didicit, *Caſtrenſes* dictos eſſe omnes *Palatinos* Miniſtros, quòd ſemper adeſſent Principi, nec tantùm in Aula vel in Urbe, ſed in caſtris etiam obſequium illi & miniſterium exhiberent, ac in omnibus expeditionibus eum ſequerentur: Nam quocunque iret Imperator, id *Expeditio* vocabatur. Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Severo. c.* 41. Hinc *Palatini*, Proceres, Optimates *Palatii*, in *Vita* S. Genulfi *c.* 7. *Primores palatii*, apud Poëtam Saxonicum *Palatini Principes*, apud Claudianum *Palatinus Senatus*, in *de IV. Honor. Conſul. v.* 10.

——— *Et in mediis effulget Curia caſtris,*
Ipſa Palatino *circumvallata Senatu*, &c.

E qua Nomenclatura, Scriptoribus Francicis infimæ ætatis, *Paladini* dicuntur Regni Proceres. Liber de *Caſtro* Amboſiæ *p.* 567. *Quæ mulier de* Paladinorum *ſtirpe deſcendit, ex linea Regii ſanguinis.* Iidem ita vocârunt ſeu veros ſeu fictitios Caroli M. comites expeditionum & præcipuos copiarum Duces, Orlandum, Renalſum, Oliverium, Ogerium, quos Παλαδίνες etiam appellatos fuiſſe, obſervat Laonicus *l.* 2. *p.* 57. *edit. Genev.* Redeo ad primam notionem, quâ vox cum *Caſtrenſis* vocabulo æquipollet. Non verò *Caſtrenſes* ob id dicti ſunt, quòd in caſtris, h. e. comitatu Principis, verſarentur: Aliàs enim etiam Corporecuſtodes, Protectores & Domeſtici, qui latus Principis protegebant, & militiam ſequebantur armatam, iſtô potiùs nomine fuiſſent dicti; quos tamen conſtat nunquam ita vocatos fuiſſe. Sed nec omnes, qui *Palatinorum* matriculis adtinebantur, hoc nomen habuêre. Nam qui in ſcriniis Imperatorum militabant, i. e. memoriæ, epiſtolarum libellorumque, in numero ac ſub nomine Caſtrenſium miniſtrorum nunquam fuêre: ſed nec Admiſſionales, nec Cubicularii, hâc appellatione cenſebantur. Aliquot Miniſtros ex his, qui propriè *Caſtrenſes* dicebantur, nominat Lamprid. *l. c. Fullones, Pictores, Veſtitores, Pincernas.* Videntur *& Coci & Piſcatores & Balneatores & Curſores* etiam, ac cœteri, qui *Miniſtri* propriè vocabantur, & aliquod miniſterium, in Aula, gerebant, ſic appellati. Iſtiuſmodi Miniſtros ita deſcribit Corippus,

Adfuit obſequio caſtrorum turba virorum;
Illis ſumma fides & plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis ornare ſuperbis,
Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile,
Internas munire fores veſteſque parare.

Dicuntur illi *Sacri Palatii miniſteria*, in *Cod.* Theodoſ. & *Sacro Miniſterio deputati, C. de Caſtrenſianis l.* 4. militabantque ſub Caſtrenſi ſacri Palatii, qui & *Caſtrenſis* ſimpliciter dicebatur, *l.* 3. *Cod. Theod. de privil. eorum, qui in ſacr. Pal. mil.* quâ eâdem lege ſeparantur à Palatinis *Scriniorum* & ab *Admiſſionalibus* ac *Largitionalibus Palatinis*, quorum hi poſtremi rei privatæ & largitionales titulos exigebant. Vide in utroque Cod. *tit. de Palatinis ſacrarum largitionum*, &c. ac iterum Salmaſ. & Car. du Freſne *Gloſſar.* Ita ergo apud Romanos Græcoſque Imperatores dicti, qui Principi Aulæque miniſtrabant; atque poſtea apud Francos, iſtorum inſtituta nominaque ut plurimùm imitantes, Aulici in *Palatinos majores minoreſque* (quaſi Germanicè diceres *Ober- und Unter Hoff-Aempter*) diſtincti fuêre. Primas autem tenuêre *Palatii Comites*, quibus præcipua pacis bellique negotia innitebantur: ad quos à minoribus judiciis provocatio fuit, exceptis Procerum cauſis, de quibus, niſi Regis mandatô, judicare erat nefas. Atque iſtôc munere, Merovingorum tempore, unus plerumque fungebatur; quod mutatum, ut videtur, ſub Carolo M. plures conſtituente, ut diviſæ dignitatis, cujus occaſione Pater Avuſque Merovingios honore Regiô exuerant, minor, & regnantibus tutior potentia eſſet. Et, ut conjicere licèt, ex omnibus, quibus Franci imperitabant, provinciis delecti, qui Aulam colerent, popularibus quiſque ſua jura dicentes reddenteſque. Pòſt in provincias miſſi, qui *Pfaltzgraviorum* titulô ornati Cæſarum Regumque vice, tribunalia præſiderent, Fiſcum Auguſti, prædia Salica, reditus Regios curarent, cenſui præeſſent; tantâ equidem auctoritate, ut invitis iſtis Duci Provinciæ, quem dignatione proximè contingebant, ſtatuere quid aut decernere nefas eſſet, ad Cæſarem relaturis, ſi hujus ſententia diſpliceret. Pro magnitudine verò provinciæ, uni plures ſæpe *Palatini* præfuêre. Et quidem vel unam Saxoniam quinque talibus Dicaſteriis, *Pfalzis* ſeu Curiis, Cronæ nimirùm Werlici, pòſt Goſlariæ, Walhuſæ, Alſtedii & Merſeburgi, gaviſam, *Spec. Sax.* Auctor memorat, *l.* 3. *art.* 62. niſi Cæſaribus fortè iſta loca deſtinata, Curias ibi habituris, ſi adventâſſent. Vide infrà in *Palatium.* Cùm autem quatuor velut inſignioribus provinciis Germania ferè componeretur, Saxoniâ nempe, Bavariâ, Franconicâ atque Sueviâ, ſingulas ſui *Palatini* habuêre, cœteris poteſtate atque dignitate potiores. Inter quos, & abſorptis fortè duobus reliquis, Saxoniæ (qui tamen poſt Guilielmum, ex Miſnica familia, titulô iſtô uti deſierunt) & maximè *Palatini Rheni* eminuêre, quorum illud præcipuum inter alia munus honoſque, ut, vacante Imperiô, iſte tractum Saxonicum, qui Saxonicô ſcil. jure regebatur; hic Rhenanum cum provinciis Francicô jure utentibus, vice ſacrâ gubernarent. Cœterùm quas ii ante quinque vel ſex ſecula terras tenuerint obſcurum eſt, quanquam veter. illos *Palatinos Rheni*, in inferioribus Rheni partibus, longè lateque imperâſſe, quidam aſſerant, Pipinorum, qui apud Francorum Reges è familia Merovingorum Palatii præfecturam obierint, ut volunt, ſanguine oriundos. Illud certum, totum circa Heidelbergam, quæ nunc *Palatinatus* iſtius metropolis eſt, tractum alienæ tum ditionis fuiſſe, cujus ſcil. pars quædam ad Moguntiæ Wormatiæque Præſules, alia ad Badenſes, alia ad alios; quædam etiam ad Imperium immediatè ſpectârint, quorum pleraque pòſt *Palatini* pecuniâ, armis aliiſque modis ſibi aſſeruêre, præſertim poſtquam adjuncta Palatinatui Bavaria vires Principibus iſtis addiderat. Horum verò *Palatinorum* plures gentes Auctores referunt, Lotharingicam, Haſſicam, Franconicam, Saxonicam, Suevicam, Guelphicam & denique Wittelsbachiam. At in tanta rerum caligine, certi quid affirmare non licet. Illud certiori aliquantum fide conſtat, Fridericum I. Imperatorem fratrem Conradum, maritum Eliſabethæ Conradô Franconiæ Duce & *Palatinô ad Rhenum Comite* genitæ, *Palatinatu* auxiſſe. Hujus filiam Agnetam duxit Henricus Dux Saxoniæ & Luneburgi, atque ſimul terras iſtas ac honorem adeptus eſt. Hujus rurſum filia Gertrudis, ſeu, ut alii, Agnes, nupſit Ottoni Comiti Schirenſi, ex veteri familia Bavariæ Ducum oriundo, cujus conditor Arnolfus, *Schirenſis Comitatus* titulô ac conditione uti coactus eſt, poſtquam pater Arnolfus cognomine *Malus* Bavariæ Dux ob cœptam adverſùs Conradum I. atque Henricum Aucupem Imperator. rebellionem, Ducatu iſtô fuerat multatus. Alii tamen filio Ottonis Ludovico, beneficiô Friderici II. alii, nepoti Ottoni connubiô cum Agnete iſta, obveniſſe *Palatinatum* hunc volunt, &c. Vide Marq. Freherum *Orig. Palat. Part.* 1. *c.* 2. & *Part.* 2. *c.* 1. Hubertum Thom. I. Leod. *de Palat. Orig.* P. Pithœum *Obſervat. de Palatin.* Bertium *Rerum Germanic. l.* 2. *c.* 10. Lehmannum *Chron. Spir. l.* 2. *c.* 6. & 13. Joh. Aventinum *Annal. Bojorum l.* 4. *p.* 383. Pomarium *Chron. Saxon.* Speculum Suevicum *l.* 1. *c.* 19. alioſque complures, laudatos Tobiæ Pfannero *l. de præc. Germaniæ Principum gentibus c.* 3. Addam ſaltem, *Palatinos ad Rhenum* diviſos in varias eſſe lineas, *Electoralem*, *Bipontinam*, *Simmerenſem* (quæ haud pridem extincta) *Neoburgicam*, *Sultzbacenſem*, *Lauterecciam* ſeu *Veldentiam* potiùs, *Bircofeldiam* & *Lucelſteniam*, quæ eadem hodie cum Veldentia. Præter quas olim quoque fuêre *Ambergenſis*, *Neumarchia* (ex qua Chriſtophorus factus eſt Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ A. C. 1438.) *Moſpacenſis*, *Neoſtadiana* & *Lauterenſis:* quibus etiam nonnulli *Leonſteniam* accenſent. Atque hi omnes originem duxêre, à poſteris Ruperti Imperatoris Rom. & Electoris Palatini. Vide de hodiernis Sereniſſ. hujus ſtirpis lineis *paſſim.* Præter *Comites* verè *Palatinos* memoratos, *Palatinorum Comitum in Luſatia* meminit Lamb. Schaffnaburgenſis, A. C. 1057. *Comitem Palatinum* Ottonem filium in Burgundiæ Comitatu, inſtituiſſe Fridericum I. Imperatorem, auctor eſt Golutus *Rerum Sequan. l.* 2. *c.* 37. Seriem *Comitum Palatinorum Franciæ*, qui ab ipſis Regni incunabulis, in Regum Palatiis, cauſis publicis præerant eaſque dijudicabant, exhibebimus infrà: erat autem eorum & in illa Aula ſumma auctoritas, ut qui vice ſacrâ judicarent & ſupremô jure. Unde Theobaldus Comes Campaniæ, qui Comes Palatinus erat intra Franciam, *ſecundus à Rege* dicitur, in *Chronico* Mauriniac. & dignitas proin hæc *Monarchia* appellatur *Palatini, in l. de Fundatione Gozecenſis Monaſterii A. C.* 1153. ubi de Dedone Comite Palatino Saxoniæ. Porrò quoque Comites hujuſmodi habuerunt Reges Aquitaniæ, ex familia Francica, ut colligitur ex *Capitulari* Ludovici Pii pro Monaſterio S. Crucis Pictav. *c.* 3. ut & Burgundiæ Reges, uti legitur, in *Charta* Cunradi Regis ann. 6. In Anglia Comites Palatini quatuor recenſentur à Cowello *l.* 2. *tit.* 2. §. 7. *Lancaſtrenſis*, *Dunelmenſis*, *Ceſtrenſis* & *Elienſis:* è quibus primus hanc dignitatem nactus eſt Ceſtrenſis, quam Wilhelmus Nothus Hugoni ex ſorore nepoti conceſſit, Comitatum Ceſtriæ ei dando *adeò liberum, ad gladium ſuum, ſicut ipſe Rex totam tenebat Angliam ad coronam ſuam:* quibus verbis dignitas Palatinatûs innuitur, cujus auctoritatem Regiæ fuiſſe æquiparatam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tam, dictum ſuprà. Eandem poſtmodum dignitatem Lancaſtrenſi Comitatui adjunxit Eduardus III. ut de aliis nil dicam, de quibus, præter Spelmannum, omnino Car. du Freſne prædictus videndus eſt in voce *Comes*. In Regno Neapolitano *Palatini Comites Loretelli*, qui etiam *Comites Comitum* dicti, occurrunt ſub Normannicis Regibus, in variis *tabb.* laudatis eidem, *Not. ad Cinnamum*; eandemque videntur dignitatem in Sicilia obtinuiſſe, qualem apud Francos, Comites Campaniæ, apud Anglos Comites Palatini præfati, apud Germanos Comites Palatini, de quibus itidem ſuprà, & apud Italiæ Reges, Comites Lomelli: qualem quidem in Sicilia Comitis Palatini dignitatem videtur habuiſſe Henricus de Claromonte, qui in *Charta* ann. 1412. apud Ughellum *Tom.* 1. *p.* 268. *Admiralius Regni Siciliæ & Comes Palatinus* dicitur: de aliis, vide ſuprà, ubi de *Palatii Comitibus*.

COMITUM PALATINORUM REGNI FRANCIÆ SERIES, EX EODEM AUCTORE.

Sub prima ſtirpe.

- Gucilio, ſub Sigiberto Rege Auſtraſiæ.
- Trudulfus & Romulfus, ſub Childeberto.
- Tacilo, ſub Dagoberto primo, in *Geſtis* Dagoberti *c.* 37.
- S. Wandregiſilus, ſub eodem Rege.
- Badefridus, pater S. Auſtrebertæ, ſub eod.
- Aigulfus, ſub Chlodoveo II.
- Berthorius, ſub eodem, apud Fredegarium *in Chron. c.* 90.
- Rigobertus, S. Bertæ pater.
- Andobaldus, ſub Chlotario III.
- Marſo, ſub Chlodoveo III.
- Warno, ſub eodem & Chilperico.
- Andramnus, ſub eodem Chlodoveo.
- Chrodebertus, ſub Theodorico II. in *Vita* Leodegar. an idem cum Chuniodebaldo, apud *Doubletum*.
- Temulfus denique ſub Childeberto II. apud Gregorium Turon. *de Miraculis S. Martini l.* 4. *c.* 6.

Sub ſecunda.

- Wicbertus, ſub Pipino,
- Anſelmus, A. C. 778.
- Voradus ſeu Voradinus & Treautus, ſub Carolo M. apud Eginhartum.
- Ragonfredus, ſub Ludovico Pio A. C. 817. an idem cum Reginero: quorum illius mentio eſt in *Charta* hujus Imperator. iſtius in *Vita* Imperator. eod. annô.
- Bernardus, ſub eodem,
- Ranulfus, ſub eodem,
- Adhalardus I. ſub eod. apud Eginhardum, ann. 822. 23. 24. cui ſucceſſêre, ſub eodem Imperatore,
- Bertricus, de quo idem;
- Morhardus, de quo Theganus *c.* 45.
- Gebucinus & Ruodbertus, apud eundem Eginhardum *Ep.* 9.
- Anſfridus, ſub Lothario,
- Hucboldus, ſub Lothario & Ludovico,
- Rudolfus, ſub Ludovico IV. *in Annalibus Franc. Fuld. annô* 857.
- Adhalardus II. ſub Carolo Calvo, *in Capitulis hujus tit.* 43.
- Bodradus, *ibidem*.
- Hilmeradus, apud Catellum, *Hiſtor. Occitan.*
- Boſo.
- Fulco, apud Flodoardum *Hiſtor. Rem. l.* 3. *c.* 26. eodem ſub Carolo idem dignitatis habuêre.
- Elduinus, ſub Odone.
- Guido, ſub Carolo Simplice.
- Robertus, ſub Rodulfo.
- Ragenarius, ſub Ludovico IV.
- Et Heribertus III. Viromandenſis & Trecenſis Comes, ſub Lothario.

Sub tertia.

Hugo Bellovacenſis, ſub Roberto, apud Glabrum Rodulf. *l.* 3. *c.* 3. quam etiam ſibi aſſeruêre Comites Toloſani aliquot, atque in iis Poncius, Wilhelmus & Raymundus Sanctegidianus. Sed hanc præſertim retinuêre, ab Heriberto, ut probabile eſt, jure quôdam hæreditariô ad ſe devolutam, cœteri Comites Campaniæ & Bleſenſes: qui paſſim *Comites Palatini Franciæ*; & interdum, ſuppreſſô *Palatini* vocabulô, *Comites Franciæ* aut *Francorum* vocitantur. Sed & obſervat Mejerus A. C. 863. Comites Flandriæ interdum *Comites* pariter *Francorum* vel *Franciæ* ſeſe inſcripſiſſe. Certè *Comitis Palatini* titulum Balduino Flandrenſium Comiti tribuit Guilielmus Brito *in Philipp.*

> —— *& Balduinus honoris*
> *Jure* Palatini *clarus: proaviſque ſuperbus:*

ut & *Mabillonius*. Sed vereri ſe addit Car. du Freſne (apud quem vide Auctores huc facientes) ne his locis *Comites Palatini* appellentur, quòd *Pares Franciæ* fuerint; quemadmodum Matthæus Paris *A. C.* 1249. ait, Epiſcopum Noviomenſem fuiſſe *Comitem Palatinum & unum de XII. Paribus Franciæ.*

PALATINI Ludi, quòd in *Palatino* monte celebrarentur, dicti, quibuſdam in honorem Julii Cæſaris, aliis in Auguſti potiùs, inſtituti videntur, vide Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 6. *c.* 19. & *l.* 56. *c. ult.* Et favet poſteriori ſententiæ Dio, qui ludos Auguſtales & *Palatinos* eidem Auguſto ſacros facit, *l.* 56. cùm ait: *Decretum porrò eſt, ne qua ejus imago ullo in funere ferretur, ut natalitiis ejus ludis Conſules, quemadmodum Martis fieri ſolitum, præmia certaminum proponerent, Auguſtalia Tribuni Pl. tanquam ſacri celebrarent. Iique omnia reliqua eô, quô conſueverant fieri, more peregerunt, veſte triumphali ludis Circenſibus uſi; currum tamen non conſcenderunt. Præter hæc in Palatio Livia peculiares ludos in honorem Auguſti fecit, qui ipſi quoque ſecundô locô ab Imperatoribus exhibentur* &c. Meminit quoque Ludorum *Palatinorum* Sueton. *in Calig. c.* 56. *Cùm placuiſſet* Palatinis *ludis Spectaculô egreſſum* (Caligulam) *Meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea Tribunus cohortis Prætoriæ depopoſcit.*

PALATINI Salii, dicti ſunt duodecim illi Salii, quos ex Patricio ordine electos, Marti ſacra in *Palatio* (unde illis nomen) celebrare voluit Numa Pompilius; qui, ut pleraque Romanorum ſacra, ita etiam hoc Collegium inſtituit, ut teſtantur, Liv. *l.* 1. *c.* 20. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. *Plut.* &c. Sed de his plura vide infrà, in voce *Salii*.

PALATINUS, Apollo dictus eſt à *Palatio*, ubi Auguſtus Apollini, poſt Aruſpicum reſponſa, ædem conſtruxit, porticibus & Bibliothecâ Latinâ Græcâque valde celebrem, unde eſt illud apud Horat. *l.* 1. *Ep.* 3. *v.* 23.

> —— *Et tangere vitet*
> *Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo.*

In eo templo fuit columna quædam 50. pedum, dubium pretiône, an pulchritudine nobilior, cortinæque aureæ ab Auguſto, conflatis omnibus aliis imaginibus, Apollini Palatino dicatæ. Aliàs vox hæc, modò pro Aulicis in genere, modò pro Optimatibus, apud Hiſtoricos ſumitur. Hinc *Palatina* officia, quibus aulici honorantur: ut, Stabulariorum, Gillonariorum, eſt autem *Gillo*, vaſis genus, Argentariorum, Coquorumque præpoſiti, vel ſi qui, præter hos, ſuperiori ordine vel gradu præcedunt, Wiſegothorum *legg. l.* 2. *t.* 4. *l.* 4. apud Spelmann. *in Gloſſ. A Palas* regione, non à *Palatio* nomen *Palatini* deducit B. Rhenanus *l.* 3. *p.* 235. Vide quoque in voce *Comites*.

PALATINUS, nomen dignitatis in Hungariæ Regno præcipuæ, de qua ſic habent *Decreta* Andreæ Regis Hungariæ A. C. 1222. *c.* 10. *Palatinus omnes homines Regni noſtri indifferenter diſcutiat, ad cauſam Nobilium. Quæ autem ad proditionem capitis vel ad deſtructionem poſſeſſionum pertinent, ſine conſcientia Regis terminare non poſſit.* Ejuſdem porrò prærogativæ ſunt eæ: Si regium ſemen defecerit, in alterius electione primam vocem habet; Si Rex filium hæredem, in tenera ætate, reliquerit, ejus Tutorem agit Regnique Gubernatorem, ac diætas indicit, Exercituum Dux & ſupremus Capitaneus eſt, juxta tamen voluntatem & arbitrium Regis; Controverſias Regnicolarum dijudicat; in controverſiis inter Regem & ſubditos arbiter eſt; Regis, ſi negligens ſit, aut minimè idoneus, defectum ſupplet; ſi Rex in Exercitum pergat, ejus Vicarius ac Locumtenens eſt &c. Car. du Freſne *Gloſſar. Vice-Regem* eum vocat Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Civ. c.* 9. *num.* 4. *Vice-Rex peculiari nomine* Palatini *inſignitur, ad imitationem veteris Comitis Caſtrenſis Sacri Palatii, quem Græci Curopalatem dixêre.* Cui ſimile eſſe addit cognomen *Bani*, quod Gubernatoribus Regnorum ab Hungaria dependentium, Dalmatiæ, Croatiæ & Slavoniæ, tribui notum. Nec omittendus, in Eccl. Conſtantinopolitana, Παλάτινος, *Palatinus*, miniſter Patriarchæ, qui ejus nomine in *palatium* ad Imperatorem ultrò citroque commeabat & ſermones ac voluntates communicabat, memoratus Nicetæ *in Alexio Man. F.* Vide Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* in hac voce, ubi & de *Militia Palatina*, i. e. eorum, qui in aula verſabantur, de quibus ſuprà, & *de Panibus Palatinis*, panis genere à Conſtantino M. Conſulatûs tempore, populo donato, quædam: adde J. Meurſium *Gloſſar.*

PALATINUS Mons Romæ, inhabitatus longô tempore ante urbem conditam à Valentiâ Itali filiâ, inde ab Euandro, qui & arcem in eo conſtituit. Idem inter ſeptem colles præcipuus, ideoque celebris præ reliquis, varias ſui nominis cauſas habet apud auctores bonos. Nam & *Palatium* dictum conſtat, quòd Arcades cum Euandro *palantes*, i. e. nullô ordine vagantes in illum locum venerint, Varrone *l.* 4. *de LL.* teſte. Quanquam alii nomen trahant à *Palatinis*, i. e. Aboriginibus, quod hi venientes ex agro Reatino, qui appellatur *Palatium*, ibi conſederint. Addit *Varro*, exiſtimare nonnullos, inditum hoc illi nomen, à *Palatia* Latini uxore. Sunt qui à *Pallante* Euandri proavo deducunt. Alii à *Palatho* Hyperborei filiâ, quæ ex Hercule Latinum ſuſcepit; nonnulli à ſepulto *Pallante*, quem à Turno occiſum canit Virgilius. Liv. *l.* 1. *c.* 5. primò vocatum cenſet *Palantium*, à *Palanteo* Arcadiæ urbe, inde *Palatium*. Præter hos omnes, ſunt qui à pecorum *balatu*, quæ ibi ſolebant paſci, anteaquam incoleretur, nomen ejus derivant, quapropter *Balantium* nominavit vetus Poëta Nævius, cui & Feſtus aſtipulari videtur his verbis: *Palatium mons Romæ eſt appellatus, quòd ibi pecus paſcens balare conſueverit. Solinus* verò ſcribit, quoſdam auctores eſſe, datum ei nomen à *Pale*, paſtorum Deâ, *Fungerus*. Vide Voſſ. in *Palatium*. Nunc *monte Palatino*, ejuſque pars Foro Boario obverſa *Palazio magiore*, à palatio Cæſarum ibi aliàs excitato. Virgilius illis, qui ab Euandro, in proavi *Pallantis* memoriam, monti nomen volunt impoſitum, adſtipulari videtur, *Æn. l.* 8. *v.* 53.

> —— —— *Poſuêre in montibus Urbem*
> *Pallantis proavi de nomine Pallanteum.*

Vide Servium *ad loc.* Quidquid ſit autem de origine nominis, hoc certè conſtat, inquit Roſin. *l.* 1. *Antiqq. Rom. c.* 2. & 4. Romulum hunc montem primum omnium murô cinxiſſe, & in eo Romam quadratam condidiſſe, quæ poſteà additis ſemper aliis atque aliis montibus collibuſque Pomeriô prolatô ampliata, & Urbs ſepticollis, ut ſæpenumero ab Hiſtoricis vocatur, facta eſt. Fabius tamen apud Sigonium *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 2. Romam, ut primò condita erat, in formam arcus, cujus nervum Tibris efficeret, delineâſſe legitur. Non alium autem locum Romulo placuiſſe, in quo Urbem conderet, propterea ait Roſinus ex Dionyſio, quòd Mons hic fratribus expoſitis incolumitatem ac educationem præbuiſſet, auſpiciô inſuper 12. vulturum, qui Romulo Imperium addixerant, accedente. Hinc non à Romulo ſolùm ac Tullo Hoſtilio is habitatus, ſed in eo ſedes fixa eſt Imperii etiam ſequentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tibus temporibus & domus ſeu Regia Auguſtorum: cùm ab Octavio Auguſto deinceps omnes Imperatores Romani non alibi, quàm in *Palatio*, habitaverint. Quô factum, ut hodieque cujuſvis Principis Aula ac ſplendidi hominis domus *Palatium* nuncupetur. Cœterùm, cùm ex tribus his gentibus, Ramnenſibus, qui cum Romulo primò urbem condidêre, ex Paſtoribus Albanis aliquotque aliis Græcanici generis mixti: Sabinis; qui dein *Tatienſes* dicti, à Tatio Rege & colluvie Etruſcorum, Ardeatium, Latinorum &c. qui *Luceres* appellati ſunt, Populus Rom. primitus conſtitiſſet, Albani cœterique primô locô memorati *Palatium* & Cœlium montes habitaverunt: loca inter *Palatium* & Capitolium plana, atque circum Forum, incolentibus Luceribus. Templa aliaque celebria ædificia, quæ in hoc monte olim fuêre, recitantur ab Onuphrio Panvinio *in reg.* 10. eque illo à Joh. Roſino *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 12. quorum aliqua infrà exhibentur, Templa nimirum Ædeſque: hodie ſuffoſſionibus & ſubterraneis ſpecubus totus eſt quaſi penſilis, & aut ruinis deformatus aut herbis occupatus. Habet autem ad Ortum Suburam & Cœlium; ad Occaſum Forum Romanum & Capitolium, ad Meridiem Circum Maximum & Aventinum; ad Septentrionem, viam Sacram & Templum Pacis, Roſin. *l. eod. c.* 4. Addam, inprimis celebrem hunc montem Aſylô fuiſſe, à Romulo inſtitutô, ut omnes, cujuſcunque etiam facinoris rei, eò confugientes ſalvi eſſent; quemadmodum idem de Cadmo, cùm Thebas conderet, legimus: Crotoniatæ quoque parem immunitatem iis, qui ad Deorum aras confugiſſent, indulſêre, ut docet Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 20.

Templa, Ædes, Ædiculæ in hoc monte.

Apollinis Palatini templum, dedicatum ab Auguſto, ubi lychnuchi pendebant inſtar arboris mala ferentis: cum porticu & area, in qua fuerant ſimulachra Dei Apollinis, opus Scopæ. Inſignis ibidem fuit Porticus templi Apollinis cum ſtatua M. Varronis.
Auguſti templum.
Conſi ædes.
Deæ Viriplacæ ædes.
Dijovis ædes.
Febris Templum cum ara.
Fidei templum.
Fortunæ Vicinæ ædes.
Jovis Arbitratoris Pantapilon.
Propugnatoris, Statoris, Victoris ædes. } Templum.
Junonis Soſpitæ Delubrum.
Larum Sacellum in Velia.
Latonæ Delubrum.
Matris Deûm ſeu Magnæ Matris Templum cum ſimulachro ejus ex Peſſinunte advecto.
Minervæ Delubrum.
Orci ædes.
Palatii delubrum.
Quirini Templum, prope Lupercal, ubi erat ſignum lupæ, præbentis duobus pueris, Romulo & Remo, mammas.
Rhamnuſiæ ædes.
Veſtæ ædes.
Victoriæ ædes.
Victoris Jovis, vide *ſuprà*.
Volupiæ Sacellum. Adde Auguratorium, Jovis Cœnationem, aram Febris & Palatinam &c.

PALATIOLUM, villa Regia, una de minoribus; quam Pipinus Monaſterio Suburbano S. Dionyſii pro anima patris ſui Caroli ibi ſepulti dedit. Vulgò *Paleiſol* olim, hodie *Palaiſeau*; titulô Marchiæ nunc illuſtris. In agro Pariſienſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vocabant autem Galli olim Villas Regias aut fiſcales, *villas Palatii* & *Palatia*, à Regum ibi palatiis.

PALATIOLUM, oppid. Foro-Julii. Vide *Palatium.*

PALATIUM, Imperatorum Regumque Aula, ut & ſplendidorum quorumque hominum magnificæ ædes; unde nomen traxerit, dictum *ſuprà*. *Suidas* à capite hominis recenter occiſi, dum locarentur ibi fundamenta, reperto, nominis originem arceſſit, quod apud nullum alium, quod ſciam, Auctorem reperire eſt. De ſplendore, dignitate, antiquitate, eleganter & accuratè, ut ſolet, Dio *l.* 53. Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον οὐχ' ὅτι ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἔν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, κἀκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε, καί τινα καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμύλου προσκύνησιν φήμην ἡ οἰκία αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ παντὸς ὄρους ἔλαβε. *Imperatoris autem ædes Palatium nominatur, non quòd ita aliquando decretum ſit, ſed quòd in Palatio Cæſar habitabat ibique Prætorium ejus erat ac nonnihil domus ejus, ab eo toto monte propterea, quod ibi quondam Romulus habitârat, ſplendoris accepit.* Claudian. *de* 6. *Honorii Conſul. v.* 35.

Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exultatque habitante Deo. ——

I. e. Imperatore. Subdit *Dio*, Καὶ διὰ τοῦτο κἂν ἄλλο τί που ὁ Αὐτοκράτωρ καταλύῃ τὴν τοῦ Παλατίου ἐπίκλησιν ἡ καταγωγὴ αὐτοῦ ἴσχει, *Ideoque etſi alibi Imperator domicilium ſuum habeat, tamen id quoque Palatii nomen obtinet.* Paria Claudian. *loc. cit. v.* 409. *ubi Roma Honorium alloquitur,*

Cur mea quæ cunctis tribuêre Palatia nomen,
Neglectô ſqualent ſeniô? nec creditur orbis
Illic poſſe regi? —— ——

Ædes Romuli *Palatium* dictum, vult Scholiaſtes *Juvenal. ad Sat.* 6. *v.* 529. Quæ non ultra Valentinianum in ſplendore ſuo remanſiſſe, ſunt qui contendant; ſed Maximus Valentiniani ſucceſſor, *Palatinis incluſus limitibus* dicitur, à Sidonio Apollinari *l.* 2. *Ep.* 13. & Caſſiodorus *in Chron. Hermenerico*, inquit, *& Baſilico Coſſ. Ricimeris fraude, ut dicitur, Severus Romæ in* Palatio *interemptus eſt.* Hic quoque conventus agebatur Procerum ſeris temporibus, cùm de eligendo Imperii Succeſſore agebatur, Corippus *de Laudibus Aug. Juſtini min. l.* 1. *num.* 17. ubi etiam liquet, Senatu ibidem habitô de honoribus defuncto decernendis deliberatum eſſe:

Caſtigatque moras & plena Palatia *narrat*
Conventu Procerum fortis ſenioris ademti,
Dilecti Numen ſtruerent quò nocte peractâ.

Tuebantur autem *Palatium* excubiæ ſtationariorum & legionariorum militum. Idem *lib. eod. num.* 12.

Excubiæ primùm, quæ ſumma Palatia *ſervant,*
Imperium felix dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armatô milite vallant.

Præeratque ei Vir ſummæ apud Imperatorem auctoritatis, præſertim tranſlatô Conſtantinopolim Imperiô. Unde in officiis Aulæ Byzantinæ mentio eſt τοῦ προκαθημένου τῶν μεγάλων Παλατίων, *Præfecti aut Præſidis magnorum Palatiorum:* item Ἄρχοντος τῶν Παλατίων, *Principis Palatiorum.* Dicebatur verò *Curopalates*, *l. de Offic. Conſtantinop. p.* 47. Item *Cura palatii*, unde prior vox orta, Amm. Marcellin. *l.* 14. *Iiſdem diebus Apollinaris Domitiani gener paulo antè agens Palatii Cæſaris curam* &c. Cujus munus, ut *virgâ aureâ decoratus, inter obſequia numeroſa, ante pedes regios primus incederet.* Corippus Africanus *l.* 1. *num.* 8.

Cùm magni regeres divina Palatia *Patris,*
Par extans curis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura Palatî,
Diſpoſitu nam Cæſar eras, cùm ſceptra teneret
Fortis adhuc ſenior.

Ubi tamen pro *Cura Palatî* quidam malunt legere *Curopalates* quæ vox ſeriùs invecta eſt. Meminit ejus P. Diaconus *l.* 16. *Efficitur ei hujuſmodi ſucceſſor, Juſtinus Curopalates:* Georg. Cedrenus & Joh. Zonaras *tom.* 3. in vita Juſtini, in Leonis Iſauri, à quo Arthabaſdus eum honorem accepit, & Inſtaurati, Κουροπαλάτην appellat, ipſe Curopalates, ſeu, ut alii volunt, Georg. Codinus *l. de Off. Conſtant. p.* 13. & *p.* 31. καὶ τὰ τοῦ Κουροπαλάτου ὅμοια τοῖς τοῦ πιγκέρνου καὶ ἄνευ δικανικίου. *Et Curopalatæ ſimilia quoque veſtimentis Pincernæ, ac ſine judiciali ſceptro.* Cui Magiſtratui ſimilis apud Gallos fuit, *Majordomus* Eginharto dictus *in vita Caroli M.* & Vinc. Lupan. *de Magiſtrat. Gall.* qui regiæ Aulæ curam gerebat. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 4. & de *Palatiis* Publicis Regum Franciæ infrà. In Theatris quoque tragicis *Palatia* Regum, penſilibus tapetibus obducta, partim ut Scena magnificentiùs ornaretur, partim ut Regiarum ædium ſpecies vera exhiberetur, erigi fuiſſe ſolita, idem docet, *in l.* 5. *c.* 10. probatque variis ex Antiquitate exemplis, etiam Heroicis temporibus iſtiuſmodi Regum ſedes tapetibus fuiſſe inſtratas. Unde *aulæa Regum* Auſon. *Eidyll.* 5. &c. Imò apud recentiores, in Monaſteriis quoque *Palatium* memoratur, Petro Diacono Caſin. *de Miracul. S. Bened.* ſed quæ pars ædium Monaſterii fuerit, non omnino liquet; niſi fuerit domus Abbatis, quam *Aulæ* nomine donat Auctor *Vitæ* Hermelandi Abb. *num.* 30. Sed & id nominis cœteris quoque Dignitatum ſeu Officialium Monaſterii ædibus, in *veteri ſcheda*, apud *Angelum à Nuce*, tributum legitur. Interdum pro *Refectorio* etiam ſeu majori Aula uſurpatur, ut in *Regula* Militum Templariorum in Concilio Trecenſi A. C. 1127. *can.* 8. ſeu potiùs pro cellis, vel quibuſvis ædibus Monaſticis, ut in *veteri Charta* Sanctii Regis, qui ad Zamorram obiit, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

Palatia quædam seu Regiæ illustriores, ex Preyelii Sina et Europa.

Chingtu Metropolis eſt Suchuenæ provinc. in Sinis, Emporium ſplendidiſſimum, ubi Rex è Taïminga familia habitabat, cujus *Palatium* 4. milliaria Italica ſuô ambitu complexum in ipſo urbis meditullio, quatuor portis exornatum erat, *p.* 225.

Conſtantinopolim miſſus à Berengario Italiæ Rege ad Conſtantinum Imperatorem, A. C. 950. Luitprandus Diaconus Ticinenſis *Palatium* Imperatoris ſic deſcribit *l.* 6. *c.* 2. *Erat*, inquit, *Regia ornata ſumtuoſiſſimè, ibi ærea inaurata arbor, ante ipſius Imperatoris ſolium aſſurgebat, expanſis magnum in modum ramis æneis atque inauratis: in his frequentiſſimæ variarum ſpecierum aves arte confictæ; quarum ſingulæ ſpeciei proprias voces cantuſque emittebant, incredibili arte. Regium autem ſolium mirô erat confectum artificiô, ut momentô videretur humile, poſteà momentô in ſublime elatum apparebat, ut velut ſolario compar conſpiceretur, nullis conſpectis aut inſtrumentis aut machinis: Erant ſedilia ejus ampliſſima, quæ leonum ſimulachra aurô tecta cuſtodire viderentur. Delatus igitur eſt Luitprandus in Imperatoris conſpectum, duorum Eunuchorum humeris innixus, mox ubi coram adſtitit, leonum ſimulachra illa rugitum quendam emiſêre; avium quoque ſimulachra quælibet pro ſua ſpecie vocibus obſtrepebant. At cùm pronus paulum ab Imperatore diſtans illum adorâſſet in humili ſedentem, vix erigens cervicem conſpicit illum jam, mutatô Imperiali amictu, juxta Aulæ laquearia, ſublimem ſedere*, *p.* 220.

Fhokiena provinc. Sinarum, habet ad Urbem Himghoam, lacum *Chung*, in cujus ripa *Palatium* ingens decem aularum: in eo, quoties pluvia aut tempeſtas imminet, ſonus veluti campanæ auditur, *p.* 225.

Galieni *Palatium*, ad Burdigalam, ab Galieno Auguſto nomen habuerit: ibi triſtes & ſegnes inſignis quondam Amphitheatri reliquiæ. Id circumdabant parietes ſex, eratque extimi, reliquos altitudine ſuperantis & infimi omnium humillimi intervallum 86. pedes: Mediæ areæ longitudo, quam excipiebant utrinque portæ ſingulæ, 224. latitudo 140. pedes patebat, ut hæc ovi figurâ conſtrui mos erat. Extra Urbem ſemper fuit, à proximo mœnium angulo paſſus minimum 400. Tutela vel *Palatium* tutelæ, & ipſum extra Urbem quadratum, ſed propius Garumnam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pomœriô prolatô, in ipſam Urbem concluditur. Periſtylium eſt quadrangulum orthogonium longum pedes 87. latum 63. columnis adſurgebat ſtriatis octo in longitud. & 6. in latit. quæ fiebant in toto ambitu 24. è quibus adhuc nuper 18. ſtetêre vide eundem *p* 234.

Haga Comitis, *Palatium* habet regium, foſſis in arcis modum circumdatum, cui piſcina perampla ad Septentrionem objecta eſt, à Guilielmo Imperatore Hollandiæ Comite, extructum. In eo admirabilis atrii fabrica eſt, quod latiſſimum ampliſſimumque non trabibus colligatur, ſed ſolis lacunaribus elegantis operis, quorum materiam Hibernia ſubminiſtrâſſe dicitur, nullius venenati patientem. Idem *p.* 236.

Hemeskirkam prope, in Batavia eadem, reliquus ſupereſt caſtelli circus, pyrgum Lugdunenſem circinatô ambitu referens, uliginoſâ & inacceſſa palude; in cujus meditullio editiſſimum ſtetiſſe perhibetur ædificium, novem contignationes altum, ſic ut nautis phari uſum exhibuerit: cum puteo altiſſimo & peramplo, quem credulum vulgus cuniculum habuiſſe pervium fabulatur, ad armamentarium uſque Romanum *p.* 236.

Junnania, Sinarum provincia, urbem habet *Tali*, in qua *Palatium*, cujus peribolus 5. ſtadia complet, tota moles 10. perticas in altitudinem exurgit, *p.* 225.

Mogoris *Palatium*, vide deſcriptum *ſuprà*.

Nero, in veſtibulo ædium ſuarum coloſſum 120. pedum poſuit; erant porticus triplices milliariæ, ſtagnum, maris inſtar, circumſeptum ædificiis, ad Urbium ſpeciem. Rura inſuper arvis atque vinetis & paſcuis, ſylviſque varia, cum multitudine omnis generis pecudum atque ferarum. In cœteris partibus cuncta aurô lita, diſtincta gemmis unionumque conchis: cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores; & fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipuæ cœnationum rotundæ, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice Mundi circumagerentur. Idem *p.* 229.

Pekinga in Sinis, *Palatiô* ſuperbit, quod 12. in ambitu Sinica ſtadia continens, 4. habet portas, quatuor Mundi cardinibus obverſas, murô triplici altô & forti cinctum. Vide ejus deſcriptionem apud eundem *p.* 217. & *ſeqq.* Dicam ſaltem, fluviô permeari magnarum navium patiente, qui per interiores *Palatii* partes in varios diſtributus canales, utilitati ſimul ac amœnitati inſervit: Ibidem Forum eſſe hominum 30000. capax: ad ſingulas portas 5000. militum excubare &c. Ut de Præfectorum ædibus, qúas verè *Palatia* poſſis dicere, nihil ſuperaddam.

Perſepolis, regiam habuit magnificentiſſimam quam ab Alexandro M. incenſam facundè deſcribit ac dolet Curtius: *l.* 5. *c.* 6. De ejus ruderibus vide ſuprà in voce *Chilminar.*

Piſauri, in Ducum Urbinatium villa Imperiali, eâ arte confecta ſedilia conſpiciuntur, quæ, quanquam pavimento ſint proxima, momentô tamen in laquearia uſque tracta cum ſeſſoribus videntur, trapetiorum ſimili vertigine: qui etiam ſupra Solarium efferuntur, non amplius conſpiciendi. Idem *p.* 233.

Salomonis *Palatium*, in ſacris *Domus ſaltûs Libani* dictum longum 100. latum 50. altum 30. cubitos, de polito marmore, lignis cedrinis, aurô atque argentô decoratis, ac deſuper tectô planô cum deambulatoriis, magnificè extructum, deſcribitur 1. Regum *c.* 7. & apud Preyelium *Sinæ & Eur. p.* 226. Majeſtatem ejus conjectare licet, à tempore 13. annorum, & operariorum multitudine, ad 165000. hominum aſſurgente, quibus ter mille tercenti præerant Architecti & Ἐργοδιῶκται.

Scarponæ, *Palatium* ad Nancejum, deſcribitur à Petro Divæo, qui numiſmata quædam antiqua ibidem ſubinde erui extareque antiquum marmor, in quo artifice manu Mulier, talaribus induta veſtibus, equæ inſidens, calathum aut ſimile quidpiam geſtet, memorat, apud eundem *p.* 234.

Sinenſium Palatia licèt magnitudine, ſoliditate ac ſplendore marmoreis Europæorum molibus cedant, ampliora tamen plerunque ſunt & ad uſus humanos commodiora ſæpe ac illis magis nitida.

Suchuena, vide ſuprà *Chingtu.*

Trojani *Palatii* reliquias, deſcripſit αὐτόπτης Petrus de Valle *Itiner. tom.* 1.

Valentiam Hiſpaniæ prope horti ſunt, non tantùm citris conſiti, ſed etiam citreis parietibus vivente materiâ concluſi, ut dubites horti ne ſint an ædes. Intus enim Aula, Conclavia, Curia: Item Sacella, Altaria, ſedilia Canonicorum, Thronus. Epiſcopi & cœtera hujuſmodi. Præterea pavimentum laterculô quadratô, vitreatôque ac pictô conſtratum eſt; Deſcribitur à Laur. Valla apud *Ad. Preyelium l. cit. pag.* 232.

Villæ Romanorum, quid niſi *Palatia?* Gordianorum villa una locô omnium: in qua Capitolin. *c.* 32. ait, 200. columnas uno periſtylio fuiſſe, quarum 50. Caryſtiæ 50. Claudianæ, 50. Syenitides, totidem Numidicæ, pari menſurâ, in qua Baſilicæ centenariæ tres; Cœtera huic operi coovenientia, & Thermæ, quales, præter Urbem, nuſquam in Orbe terrarum: fuit autem viâ Præneſtinâ. Apud eundem Preyelium *loc. cit. p.* 230. Sed de his in voce *Villa* plura. Vide quoque hîc in voce *Palatium, locus in Lemovicibus.*

PALATIUM, urbs Diocletiani, quam nunc nautæ *Spalatum* vocant. Euſeb. *in Chronicis: Diocletianus haud procul Salonis in villa ſua Palatio moritur.* Vide *Spalatum.*

PALATIUM, forſan Caſtrum agri Brixiani, *Palazzolo*, cum ponte ad Ollium fluv. in limite agri Bergomenſis, medium inter Brixiam ad Ortum & Bergomum ad Occaſum in regiuncula *Franzacurta*, 4. milliar. à Sebino lacu in Meridiem.

PALATIUM, locus in Lemovicibus, civitati Lemovicis proximum, *le Palais*, prope Taurionem fluv. mox in Vigernam caſurum. Vel etiam alterum, eidem amni adſitum, ſed à civit. Lemovicum remotius: ubi Petrus Epiſcopus Lemovicenſis (qui *Concilio Agathæ habito Meſſallâ U. C. Conſule, annô* 22. *regni Domini Alarici Regis* inter cæteros ſubſcripſiſſe legitur,) commorári ſolitus, proin *Epiſcopus de Palatio* dictus eſt: Sed & in ipſa urbe Lemovicis locus fuit hôc nomine: Nam uti in pleriſque Imperii Romani urbibus, paulò celebrioribus, ſic Lemovicis Imperatores & Cæſares *Palatium* habuêre, ubi, dum provincias ſuas obirent, commodè poſſent habitare, alienô non egentes hoſpitiô. His *Palatiis*, ſtante Imperiô Romanô majores Magiſtratus, his ſucceſſores Imperatorum ac Cæſarum, in Galliis, Reges Veſigothorum ac Burgundionum & victores utriuſque gentis Franci reges uſi ſunt. Unde, quoniam Reges Veſigothorum raro admodum, ac ferè nunquam Lemovicas tum adibant, potuit Petrus Epiſcopus ejus in urbis Palatio habitare atque ex eo appellationem trahere. Vide Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Iſtiuſmodi *Palatiis* Regiis ſeu Publicis, amplos fuiſſe reditus attributos annexoſque, quibus Regia aleretur familia, patet ex *Vita* Ludovici Pii A. C. 796. ubi de Carolo M. *Ordinavit qualiter in quatuor locis hiberna transfigeret, ut, tribus annis exactis, quartô demum annô hyematurum ſe quisque eorum ſuſciperet locus: Theowadum ſcilicet Palatium, Caſſinogilum, Andiacum & Eurogilum, quæ loca, quando ad quartum redibatur annum, ſufficientem Regio ſervitio exhibebant expenſam.* Neque verò Reges ſolùm ac Imperatores, intra ditionum ſuarum limites iter facientes; ſed & Miſſi Dominici ac Regii, ne Populus eorum *manſionibus* gravaretur, in hæc divertebant. Synodus Ticinenſis A. C. 855: *Sancimus, ut ſinguli conventus & exactores Rei publicæ in ſuis miniſteriis ---- per loca ſolita reſtaurent*, Palatia, *quibus cùm iter dictaverit, Nos Legatoſque noſtros valeant recipere, ne gravetur Eccleſia.* Alii verò in iis hoſpitare vetabantur. Etſi enim *Palatia* non modò *Regia*; ſed & *Publica* dicerentur, uſui tamen regio unicè erant addicta, cùm quod *publicum* dicitur, Regii eſſe intelligatur patrimonii: Nam *Villæ Regiæ* & *proprietates* dicuntur, in *Annalibus* Francor. Bertinianis A. C. 858. Vide in voce *Villa*, ut & in *Curtis.* Etiam in hiſce Palatiis *Placita* tenebant, ac feſta ſolennia Natalis & Paſchatis cum apparatu celebrabant, ut *Annales* Francorum paſſim docent: Præfuitque illis Magiſtratus, qui *Proviſor Regiarum villarum* dicebatur, ut fuit apud Byzantinos Ἄρχων τῶν Παλατίων. Quæ porrò in ſingulis Regni provinciis complura erant Regum *Palatia*, ab ipſis Regibus diſtracta pleraque, & Proceribus poſtea conceſſa ſunt; quod à Carolo M. factitatum eſſe, docet Auctor *Vitæ* Ludovici Pii *l. c.* dein ab ipſo Ludovico, *Annales*-Francorum Mettenſes. Sed Normannorum tandem incurſionibus illa penè omnia deleta fuêre, adeò, ut nulla fermè loci, ubi extructa fuerint, ac ne nomenclaturæ quidem, ſuperſint veſtigia. Ne tamen eorum penitùs intercideret memoria, Locorum, qui vel *Palatiorum* vel *Villarum Regiarum* appellatione donantur in *veterib. chartis*, & apud Scriptores Francicos, catalogum *Gloſſario* ſuo inſeruit Car. du Freſne, additis Scriptoribus, qui horum mentionem faciunt, è quo nomina Palatiorum hic ſubjungere viſum eſt.

Palatiorum Regiorum, in Franciæ olim Regno, catalogus.

Andiacum *Palatium.*
Aquiſgranum *Palatium.*
Arlaunum Jocundum *Palatium.*
Attiniacum *Palatium.*
Bacivum vel Baſia *Palatium.*
Bigargium *Palatium.*
Bremacum Villa Publica.
Bruchariacum *Palatium.*
Cambiſonnum.
Captonnacum *Palatium.*
Cariſiacum *Palatium.*
Caſſinogilum *Palatium.*
Clepiacum *Palatium.*
Corbiniacum *Palatium.*
Divio *Palatium.*
Dura vel Duira *Palatium.*
Eurogilum.
Franconofurt *Palatium.*
Gentiliacum.
Germiniacum *Palatium.*
Gundovilla, Godingovilla vel Gundulfivilla *Palatium.*
Heriſtallum.
Hiſentiacum *Palatium*, à Moſella flum. 8. fere millibus conſtructum.
Jocundiacum, al. Joguntiacum *Palatium*, vel Jogentiacum.
Jopila Villa publica.
Kala, vulgò *Chelles.*
Laudunum *Palatium.*
Liptinæ *Palatium.*
Mamacca, Villa Publica.
Moguntia *Palatium.*
Nemetenſe.
Neomagum *Palatium.*
Noviomenſe.
Papia *Palatium.*
Pariſienſe *Palatium.*
Perona *Palatium.*
Pictavum *Palatium.*
Piſſiacum *Palatium.*
Pontiliacum *Palatium.*
Pontio ſeu Pontico *Palatium.*
Romarici mons, *Palatium*, vulgò *Remiremont.*
Salmonciacum *Palatium.*
Senonenſe.
Silvacus.
Sueſſio Palatium, *Soiſſons.*
Theodonis Villa. *Palatium.*
Theodwadum *Palatium.*
Valentianæ *Palatium.*
Vermeria *Palatium.*
Vernum *Palatium.*
Vitriacum *Palatium.* De quibus quinam Auctores ſcripſerint, vide apud præfatum *Gloſſar.* Auctorem.

PALATIUM, planities retro Baſilicam, in urbe Baſilea, amœniſſima; ubi firma moles contra Rheni alluentis undas: cum tiliis ob ramos orbiculariter diductos, duplici columnarum ſerie ſuffultâ. Germ. *die Pfaltz.* Hoc è loco cives, tempore Ludovici Bavari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Bavari Imperatoris cui invitô Papâ, conſtanter adhæſerant, legatum quondam Romanum diras ipſis intentantem fulminaque Pontificia ferentem, è ſublimi præcipitem dediſſe, ex Vitodurano Monacho *Stumpſius* refert. Reſtaurata eſt hæc ſtructura operoſiore ſumtu, A.C. 1512. ut ex verſibus Henr. Glareani, circa arborem, exaratis patet:

Julius Eccleſiæ dum præfuit ecce ſecundus,
Dum ſceptra Imperii Maximilianus habet.
Hoc opus exciſum eſt, quô Rhenum cernere amœnum,
Quô nemora, & campos, monticuloſque potes.
Quô geminas turres & mœnia conſpicis urbis,
Concentus audis dulciſonoſque modos.

Vide Chriſt. Urſtiſii *Epitomen Hiſt. Baſil.*

PALATUA, Dea in cujus tutela *Palatium* eſſe putabatur.

PALATUAL, ſacrificium, quod Romæ fiebat in *Palatio.*

PALATUALIS, Flamen, qui ad ſacrificandum *Palatuæ* Deæ conſtitutus erat.

PALBUS, mons Africæ.

PALEA, vel quòd *palô* ventiletur, vel à *Pale* frugum inventrice, vel à *Patulo*, vel à Græco πάλλειν dicta, quantumcunque vilis, Providentiam tamen Dei efficaciter arguit: Unde Lucilius Vaninus Italus, qui ſcriptô *de Arcanis Naturæ* librô Naturam omnium Deum profeſſus, Tholoſæ, quò ex Italia profugerat, Atheiſmi, poſtulatus cùm eſſet, criminationem hanc, quantum poterat, primum refellere conatus, coram Senatu lectâ fortuitò è terrâ *Paleâ*, Judicibuſque oſtenſâ: *Hæc jubet*, dixit, *ut credam Deum eſſe.* Inde ad Providentiam ſermone prolapſus, ut jactum in terram ſemen, ut elanguiſſe viſum & mori, ut ex putrefacta albeſcit, ut viret & naſcitur, ut ſenſim creſcit, ut adoleſcit rore matutinô, ut luxuriat infuſâ largiùs deſuper aquâ, ut in ariſtas armatur, prohibendis per ſpicula avibus, ut in ſtipulam erigitur & frondeſcit; Ut flaveſcit provectiùs, demiſſôque ut ſuperciliô languet, donec demetatur: ut poſtmodum trituratur, & ſeparatô à *palea* fructu, granô homines, *paleâ* vivunt animantes reliquæ, facundâ oratione proſequutus, inde Deum eſſe Auctorem Naturæ concluſit; & objicientibus, id ab ipſo Naturæ aliàs tribui, regeſſit: Si id ſeminis Natura produxit, quis immediatè proximum? Si & illi debita ex Natura proceſſio, quis antecedens? donec ad primum veniret, quod neceſſarium eſſet, creatum fuiſſe, cùm non eſſet, à quo procederetur: E quibus oporteret effici, *Deum creatorem omnium fuiſſe.* Quæ quanquam ab impiiſſimo homine, non adſtruendæ veritati, ſed diſſimulandæ impietati, & ſupplicio averruncando prolata (convictus enim poſteà & ad rogum damnatus exutâ tandem ſimulatione & ſpretis, qui vertendo ad meliora animo ſupplicium ſubeunti aderant, Monachis, inter cruciatus impietatem retinuit) & refellendæ tamen huic & iſti aſſerendæ, apprimè conducunt, Tob. Pfannerus *Syſtem. Theolog. Gentil. Pur. c.* 2. §. 5. Cœterùm *Palea* proprium aſinorum pabulum. Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Cùm altaribus veſtris darent aſini fœnum, paleaſque libarent.* Unde Philemon in *Excerptis* Athenæi *l.* 2. ὄνος, inquit, βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων, *Vadis aſinus ad paleas bellariorum.* Significans hominis inſanam aviditatem & vehementiorem φορὰν atque impetum ad bellaria, qualis eſt aſini ad paleas: ſimulque alludens ad Proverbium Græcorum, ὄνος εἰς ἀχυρῶνας ἀπέδρα, quò & Ariſtophanes *Veſpis* reſpicit,

Ἔοικας ὦ πρεσβῦτα νεοπλύτῳ τρυγί,
Κλητῆρι τ' εἰς ἀχυρῶνας ἀποδεδρακότι.

A quo proin nullis plagis abſterreri patiuntur. Ariſtoteles *Nicomacheis c. de Fortitud.* Ἐπεὶ ὅτω γε κἂν οἱ ὄνοι ἀνδρεῖοι ἂν εἶεν πεινῶντες τυπτόμενοι γὰρ οὐκ ἀφίστανται τῆς νομῆς. Paraſitorum ſic hieroglyphicum, quos οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐδὲ χαλκὸς εἴργει μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον, quod Epolis ajebat. Vide Heraldum *ad Arnobii l. p.* 267. Eadem verò vox, *Palea*, præponitur ut titulus quibuſdam capitibus Decretorum Gratiani, de qua acceptione variæ Doctorum ſententiæ ſunt. Quatuor diverſas recenſet Guido Pancirollus *de Claris Leg. Interp. l.* 3. *c.* 2. *Cùm verò Gratianus, librum Eugenio III. Pontifici offerendum Romæ detuliſſet, Cardinali cuidam, Viro alioqui erudito, ſed ambitioſo, cujus operâ ad Pontificem introduci volebat, legendum tradidiſſe fertur. Ille alienam laudem in ſe transferre cupiens, volumini quædam à Gratiano omiſſa inſeruit, ſeque operis auctorem eſſe jactitabat. Monachus, hominis fraude intellectâ; additiones illas* Paleas *eſſe reſpondit, quæ granô alibi conditô inanes redderentur;* Paleam *enim veteres Theologi literam fructu carentem vel ſterile opus vocabant.* A quo tempore, *Capita illa poſteà ſemper pro Paleis ſunt inſcripta:* Cæpo. *Alii* Paleas *ab eodem Cardinali Pocapalea nuncupato, quô nomine etiam hodie oppidum in Subalpinis & familia vocatur, dictas fuiſſe cenſent. Nonnulli* à Palea Gratiani *diſcipulo, qui diverſas ejus libri inſcriptiones, quandoque etiam improbatas, fecit, ſic nominatas autumant. Nec deſunt, qui hæc fabuloſa exiſtimantes, Decreta quædam noviſſimè adjecta, velut ſuſpecta & fide carentia,* Paleas *appellatas fuiſſe credant, opus, quod Paſtrum Pontificumque Decretis ſcateat, Decretum inſcriptum fuit.* Cui poſtremæ ſententiæ videtur accedere Jacobus Cujacius, *ad c. l. X. de deſpons. Imp.* qui tamen & ſuam quintam ſententiam adjicit, *Paleæ nomine quidam ſignificari putant quod caſſum eſt irritumque, ut caſſa palearum dixit Solinus in India. Itaque* Paleam *dici per contemtum canonem nullius fidei vel auctoritatis, ut apud Johannem Cremonenſem ad Abbatem Urſpergenſem Imperator Fridericus, qui Alexandro III. valde infenſus erat, poſt Alexandriam conditam in Liguria, nomine Alexandri III. eam* Paleam *vocat, quaſi factam ex caſſis palearum, ex ſtramine. Equidem verius puto, hoc nomen præponi antiquioribus canonibus & decretis & ſcribi debere cum diphthongo* Palæa, *quâ & in Baſilicis ſæpe video* Παλαιὸν *nominari ſimpliciter antiquum Interpretem & ita hanc conſtitutionem, cùm ſit Hormiſdæ, qui ex antiquioribus Pontificibus eſt, rectè* Palæam *appellari.* Anton. Contius *ad c.* 2. *diſt.* 5. ſextam ſuam conjecturam adjiciens, *Ego*, inquit, *Paleam inſcribi hoc caput exiſtimo & cœtera ſimilia, quia addititia ſunt, nec à Gratiano primitus huic libro inſerta, ſed ab Interpretibus, prout cuique commodum videbatur, ad marginem Gratiani adſcripta & plerumque in emendationibus & antiquioribus exemplaribus prorſus omiſſa. Cui rei fidem facit antiquum Gratiani exemplar, quô in hoc emendando uſus ſum, in quo pleræque ejuſdem* Paleæ *deſunt.* Quas pleraſque ſententias recenſent, & tandem, quid ex Manuſcriptorum collatione obſervaverint, addunt Emendatores Romani *Præfat. Gratiani ad Lector. De nomine* Paleæ *ſunt variæ Doctorum ſententiæ. Multi ——— alii quaſi additiones quaſdam, derivatâ aut potiùs depravatâ voce, ab adverbio* πάλιν, i. e. *rurſum, quô Scriptores etiam Latini Gratiani tempore uterentur. Verùm Johannes Andreæ ——— putat quendam Protopaleam, quem Iaſon addit Cardinalem fuiſſe, collectioni Gratiani capita hæc adjunxiſſe ——— in collatis exemplaribus obſervatur quid fuerit, ut exponatur: In tribus, quæ ſunt antiquiſſima, & videntur ſcripta paulo poſt Gratiani ætatem, pauciſſima ex hujuſmodi capitibus habentur. In uno valde emendato ſunt appoſita in margine, ſine ulla nota, ſed non omnia, quæ in impreſſis: quamvis viciſſim in illo additiones aliquæ ſint, quæ in his non habentur. In alio literis perantiquis deſcripto,* Paleæ *ipſæ recentiori ſcripturâ toti volumini præponuntur. In cœteris habentur aut omnes aut pleræque: & partim quidem cum* Paleæ *nomine, partim verò ſine ullo à cœteris capitibus diſcrimine. Ex qua obſervatione, illud videtur poſſe colligi, has paleas eſſe additiones non eôdem tempore factas, ad primam collectionem Gratiani, in margine primùm adſcriptas, ac nonnullas fortaſſe ab ipſomet Gratiano (ut fit) inter componendum aut relegendum: quas deinde Librariorum quidam omiſerint, quidam in contextu poſuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo diſcrimine, Falſam verò eſſe illorum opinionem, qui eas contemnendas putant, ex eo conſtat, quòd multæ & in Decretalibus & apud vetuſtiores Gratiani collectiones habentur, quòd ſuis locis indicabitur.* Alii dicunt, cùm Gratianus librum ſuum Eugenio III. obtuliſſet recognoſcendum hanc vocem *Paleæ* fuiſſe adſcriptam: *Papam enim velut aſteriſcô notâſſe, quæ nullâ auctoritate valitura, ut ſicut paleæ ad grana vilia ſunt, ita capita iſta omni pondere carere innueret.* Gibbertus *Reg.* 1. *Enantiop.* 25. Sed & alia ſententia elicitur, ex Curtii *de Feud. Quæſt.* 1. *Quatenus ratione non juvantur dicta Gratiani, dicuntur Paleæ.* Quæ omnes tamen meræ ſunt conjecturæ, ut cuique liberum ſit, quæ placeat, ſententiæ accedere. De auctoritate earum conſtans ferè eſt omnium ſententia, non multum iis deferendum eſſe, nec eſſe integræ auctoritatis. Licèt enim Correctores Romani, ut jam dictum, non contemnendas cenſeant, eò quod multæ in Decretalibus & vetuſtioribus Collectionibus extent, regerit tamen Alber. Gentiles *de lib. Jur. Canon. c.* 2. *prope fin. Aliud eſſe contemni, aliud non allegari pro authenticis. Illa c.* 14. *diſt.* 96. *quâ tribuit Conſtantinus omnia Romano Pontifici, licèt ſit Palea & pro* Palea *inſeratur, multum tamen tritici attulit Eccleſiæ*, &c. Quomodo illæ paulatim in codicem Decreti irrepſerint, aliaque hanc in rem plura, vide apud Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. & Pontificii num. marginali* 314. &c.

PALEARII, Gallis *Paillers*, memorati Gaufrido Voſienſi *Chron. part.* 2. *c.* 10. Philippus, *Galliarum Rex, ſocero ſuo Anglorum Regi Henrico. quaſi auxilium, tartareas direxit legiones: eorum pedes veloces erant ad effundendum ſanguinem. Hi ex diverſis terrarum partibus conglobati, unam Eccleſiam fecerunt malignantium, unôque vocabulô* Palearii, *quaſi à palea, vocabantur.* Infrà, *Palearii apud Caſtrum Dunum delentur.* Vide etiam *c.* 13. & 21. Idem *l.* 1. *c.* 73. *Immiſit Deus in Aquitaniam hoſtes crudelium populorum ---- & ut ruſticè loquar, Brabançons, Hainuiers, Aſperes,* Pailers; *Navar* &c. Militum genus fuêre, qui incertùm an ſic dicti, quòd *Paleam* pro inſigni ad caput aut galeam deferrent; an verò, quòd incendia, ubique ignem paleâ emittendo, excitarent, Car. du Freſne *Gloſſar.* De *Palearum nave*, Ciceroni memoratâ, vide ſuprà *Navis.*

PALEDA & PALETA, à πυελίς, πυελίδα, funda, obſtrigillum ſeu pala annuli eſt. Vide ſuprà *Pala.* At *paletare*, apud Anonymum *de Recuper. Terræ S. c.* 66. in *Geſtis Dei per Francos*, alioſque citimæ ætatis ſcriptores, ad *Palum* dimicare eſt; de qua exercitationis militaris ſpecie; vide infrà, voce *Palus.*

PALEIS, ſeu PALÆA *Polybio*, *Palichi Sophiano*, oppid. ſeu pagus hodie Cephalleniæ inſulæ. Populi *Palenſes*, Pauſaniæ, *l.* 6. qui *Dulichii* quoque vocantur. Strab. *l.* 10.

PALENSA Vallis, Italis *Plenia*, vel *Breunia*, una ex tribus Præfecturis ditionis Bilitionenſis, ſub Imperio trium antiquiſſimorum Helvetiæ pagorum. Vide *Bilitionum.*

PALEOTUS Gabriel, vide *Gabriel.*

PALES, paſtorum vel pabuli Dea. Hanc quidam, teſte *Serviô*; Veſtam, Deorum matrem vocant; Virg. *Ecl.* 5. *v.* 35.

Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.

Et *l.* 3. *Georg. v.* 1.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſô. ———

Fuit hæc Dea, vel hic Deus (nam *Varro* maſculinô genere habet) præcipuô honore à paſtoribus culta; ideo ab Ovidio *Faſt. l.* 4. *v.* 723. invocatur:

Alma Pales, faveas paſtorum ſacra canenti.

Illi lacte ſacra fiebant, ut lupos abigeret, auctores Ovidius ac Tibullus, Prior *loc. cit. v.* 746.

——— *Et tepidô lacte precare Palem.*

Poſterior *l.* 3. *El.* 2. *v.* 20.

Et placidam niveô ſpargere lacte Palem.

Ideo *fœcundam Calpurnius* vocat. Nominis rationem quod attinet, vide Bochart. *de Phœn. Col. l.* 2. *c.* 9. *Lloyd.* Hôc nomine, ut & Floræ ac Cereris, Terram à Romanis cultam, docet Servius *in Georgic. l.* 3. *v.* 1. *Pales Dea eſt pabuli: quam alii Veſtam, alii*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Matrem Deûm vocant. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. ac Progr. Idololatriæ l. 2. c. 61.* An templum ei Romæ fuerit conſtructum, non legitur: Interim culta ab eis fuit, in ejuſque honorem feſtum, quod *Palilia*, vel *Parilia* dicebatur, celebratum eſt, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 2.* Bellô Salentinô victoriæ præmium Templum ſibi popoſciſſe Paſtoriam Palem, Florus ait *l. 1. c. 20.*

PALESIMUNDUS, urbs & fluv. Taprobanæ inſulæ. Plin. *l. 6. c. 22. Patzm Vineto.* Vide *Palæſimundum.*

PALEUNAS Gregorius, vide *ibi.*

PALFI, nomen Familiæ, cujus clara in Hungariæ Proceribus memoria eſt, Comitivæ dignitate illuſtris. Series Comitum ab aliquot ſeculis hæc eſt: Paulus Baro *Palfi* ex Juditha Czorna, Petrum genuit Baronem *Palfi:* maritum Sophiæ *Dersfiæ* (filiæ Nicolai Baronis Dersfii ex Perpetua Dn. *de Bathyan*) & ex ea patrem Nicolai Baronis *Palfi*, quô, & Mariâ Fuggeriâ (Marcô Fuggerô Barone, qui obiit A. C. 1597. & Sibyllâ Comite Eberſteniâ genitâ) natus Stephanus Baro *Palfi*, Suſannam ſibi Puchemiam junxit (filiam Johannis Chriſtophori Comitis *de Pucheim* & Suſannæ Baron. *de Hofkirchen*) atque ex ea ſuſcepit Nicolaum Baronem *Palfi*, ex Leonora *de Harrach* (filia Caroli Leonhardi Comit. & Mariæ Franciſcæ Princip. Eggenbergiæ) patrem aliquot filiorum, qui Comitum numero adſcripti ſunt. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Part. 1. p. 69.*

PALFURIANA, vulgò BRUFAGANA, oppid. Cataloniæ, 18. mill. paſſ. à Tarracone. *Auguſtinus Lubing.*

PALFURIUS Sura, Orator & Cauſidicus, ob ſuſpicionem quòd cum Vitellianis ſenſiſſet, ſenatu à Domitiano fuit amotus. Juvenal. *Satyr. 4. v. 53.*

> *Si quid Palfurio, ſi credimus Armillato,*
> *Quicquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto*
> *Res fiſci eſt, ubicunque natat.*

PALFURIUS Sura, *Ephemeridas Vitæ Gallieni* compoſuit, teſte Treb. Pollione *ſub finem Gallienorum:* ubi cùm *Calphurinum* habeat princeps editio, conjicit Salmaſ. *Calfurnium* vel *Calpurnium*, legendum eſſe, *ad l.*

PALI Terminales, apud Tertullian. *adverſ. Pſychicos, Sed rurſus palos terminales figitis Deo;* limites ſunt vel termini, quibus agri olim diſtinguebantur. Hâc enim fini non lapides ſolùm, uti legimus apud Statium *Thebaid. l. 6.* ſed & ſtipites *palique* adhiberi ſunt ſoliti. Lactantius *de Falſa Relig. l. 1. c. 20. Et huic ergo publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantùm lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt.* Ubi pro *Diis* habitos innuit. Saltem in tutela Numinum eo uſque fuiſſe credita confinia ſeu limites, ut in iis Templa hinc inde ædificari, aut columnas ad minimum erigi mos eſſet. Iidem proin termini coronabantur, ſeu floribus, Ovid. *Faſtor. l. 2. v. 641.* ſeu faſciolis Prudent. contr. *Symm. l. 2. v. 1005.* Ungebantur quoque, Lucian. *Pſeudom.* & coram iis adorabatur, Clemens *l. 7. Strom.* Vide plura apud Paſchalium *Coronarum l. 4. c. 4.* & infrà ſuô locô, ut & ſuprà, voce *Centuria*, it. *Confinia.*

PALIANA, Sericæ urbs. *Ptol. Panconia Caſtaldo.*

PALIANUM, oppid. munitum Campaniæ Romanæ cum titulo Ducatus Columnarum, in ditione Pontificis, 25. milliar. à Roma in Ortum, Soram verſus.

PALIBOTHRA, urbs Indiæ citerioris *Palimbothram* vocat in *Indicis* Arrian. *Ava Mercatori, Vothara Nigro.* Quibuſd. eſt *Holobaſſ*, urbs ampla, in Imperio M. Mogolis, ad Gangem, ubi recipit Semenam, 300. mill. paſſ. ab Agra in Ortum.

PALIBOTHRENI, Παλιϐοθρηνοὶ nonnunquam apud Græcos, iidem cum *Palibothris*, ſicut Παρθυηνοὶ iidem cum Παρθεῖς *Parthis.* Sunt autem *Palibothri* populi Indiæ, ulteriorem ripam Gangis colentes, quos *Parraſios* vocat Curtius *l. 9. c. 2.* ubi *Praſios* legi jubet Salmaſ. Sic enim Solin. *c. 58. Praſia gens validiſſima* Palibothram *urbem incolunt, unde quidam gentem ipſam Palibothros nominârunt. Quorum Rex peditum ſexaginta millia, equitum triginta millia, elephantorum octo millia, omnibus diebus ad ſtipendium vocat.* Ad quem vide Salmaſ. *p.* 9[illegible]2. 994. 1113. & 1186. ut & in voce *Palibothri.*

PALIBOTRI, Reges Indorum à magnanimo *Palibotro* multô tempore ſic dicti, ſicut olim apud Ægyptios *Pharaones*, apud Romanos *Cæſares.* Alex. ab Alex. *l. 1. c. 2. Dier. Genial.*

PALICA, *Dionyſ. Paliconia*, oppidul. Siciliæ, olim Urbs ad lacum Palicorum. Vide *Palici.*

PALICENUS, ſive PALICINUS, fons in Sicilia. *Steph.* Vide *Palici.*

PALICI, vel ut alii *Paliſci*, gemini fratres, Jovis filii & Thaliæ Nymphæ, vel, ut alii volunt, Ætnæ. Tradunt enim hanc Nympham, à Jove, in Sicilia juxta Simæthum amnem, non longè à Catina urbe compreſſam, metu Junonis optâſſe, ut ſibi terra dehiſceret, & ab irâ Deæ iſtius ſe occultaret. Quibus precibus exauditis, terra molliter dehiſcens, intra viſcera ſua eam recepit, ubi illa legitimô tempore gemellos peperit, quos terra denuo ſe aperiens in lucem edidit: Unde & *Palici* dicti ſunt, ἀπὸ τȣ͂ πάλιν ἱκέσθαι, quòd in terram demerſi *denuo ſint reverſi.* Quàm verum ſit hoc etymon, poſteà videbimus. Oſtendunt autem accolæ 2 lacus, ex quibus fratres hoſce putant emerſiſſe, eoſque *dellos* vocant, qui tantâ olim in veneratione habiti ſunt, ut circa eos juramenta exigi ſolerent, ſi quis in furti ſuſpicionem incidiſſet, prius tamen acceptô fidejuſſore, qui ſi juranti quid accidiſſet, præſtaret, quod exitus oſtenderet. Nam quum rei negatæ fides quærebatur, & jusjurandum à ſuſpecto petebatur, uterque ab omni contagione mundus ad Crateras accedebat; deinde loci Numine invocatô, jurabat; quod ſi jure fiebat, diſcedebat illæſus: ſi verò malè juratum eſſet, mox in lacu peribat perjurus. Magnâ præterea veneratione erat Palicorum templum, quòd cùm Siciliam ſterilis annus arefeciſſet, divinô Palicorum reſponſô admoniti Siculi certum ſacrificium fecerunt, poſt quod ſtatim reverſa eſt ubertas. Quapropter Siculi omne genus frugum congeſſerunt in Aram Palicorum, quæ ob id *pinguis* à Virgilio dicitur *Æn. l. 9. v. 585.*

> ——— *Simethia circum*
> *Flumina, pinguis ubi & placabilis Ara Palici.*

Palicorum Græcum etymon obtrudunt nobis Macrob. *l. 5. c. 19.* & Servius *in cit. Virg. loc.* Sed hæ Gerræ Siculæ ſunt, inquit Bochart. *in Chanaan, c. 28. l. 1.* nugæque nugaciſſimæ, ab Æſchylo & aliis, non alia de cauſâ confictæ, quàm ut è Græcâ linguâ *Palicorum* nomen peterent, quod eſt planè Punicum. *Palici* enim פליחין *Palichin* vel *Pelichin* à Pœnis nominati ſunt, ut Athenis Σεμναὶ θεαὶ voce *à veneratione* deductâ. Syris enim verbum פלח *pelach* ſignificat *colere* & *venerari.* Quô ipſô nomine Æſchylus ipſe inſignivit, *his verbis:*

> Σεμνȣ̀ς Παλίκȣς Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.
> *Summos Palicos Jupiter venerabiles*
> *Voluit vocari.* ———

Et verò Palicos non Jovis, ſed Adrani eſſe filios ex *Heſychio* diſcimus: Ἀδράνῳ, inquit, δύο γεννᾶνται υἱοὶ Παλικοί; quod multò eſt veriſimilius, quia tam Palici, quàm Adranus ſunt ἐντόπιοι θεοὶ, extra Siciliam nullibi noti. *Nic. Lloydius.*

PALICI, qui & *Delli*, & *Crateres* nominantur, lacus, ſive fontes in Sicilia ſunt, qui continuâ eructatione, ad 3. circiter cubitus in altum efferuntur, cadenteſque in ſeipſos recipiuntur. Horum hiſtoriam & nominis originem, vide apud Macrob. *loc. cit.* & Diod. Sic. *in fine l. 11.* & apud Fazellum, qui ſcribit, eos hodie *Naphthia* vocari. *Palicam* urbem & *Palicinum fontem* habet *Steph.*

PALIETUM, oppidum Aprutii, ita dictum quòd aratores triturâ factâ, quotannis paleam immenſis acervis collectam hîc relinquunt.

PALIKANUS, Tribunus plebis qui anno Urb. Cond. DCLXXXI. auctor fuit Pompejo reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis, quam rem ut indicaret, roſtra Libertati ſacra in Denariis ſignavit, & ex altera parte ipſius Libertatis caput cum inſcriptione, *Libertatis*, & *Palikanus.* Totum autem nomen eſt *M. Lollius* (niſi potius *Atilius*, ex Salluſtii *fragmento*, nominandus ſit,) *Palikanus.*

PALILIA, vel, ut alii, *Parilia* ſacra Palis Deæ. *Heſych.* Παλίλια, ἀγών. Οἱ μὲν τῷ Πάλητι, ἔνιοι δὲ τῷ Πανί. Hæc à paſtoribus in agris fiebant 1. Calend. Maji, quô die Romulus urbem fundavit; vel ad lupos arcendos, morboſque à pecore pellendos, ſeu pro partu pecoris. In hoc die feſto, palearum accenſi acervi certô ordine in loco plano collocabantur, quos paſtores ſaltando tranſiliebant. (Solin. à *partu Iliæ* dici vult, unde *Parilia.* Vide *Fungerum.*) Ovid. *Faſt. l. 4. v. 781.*

> *Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos*
> *Trajicias celeri ſtrenua membra pede.*

Propert. *l. 4. Eleg. 1. v. 19.*

> *Annuaque accenſô celebrare Palilia fœnô,*
> *Qualia nunc curtô luſtra novantur equô.*

Idem *eleg. 4. ejuſdem libri, v. 73.*

> *Urbi feſtus erat, dixêre Palilia patres.*
> *Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Unde Ovid. *Met. l. 14. v. 774.*

> ——— *Feſtiſque Palilibus urbis*
> *Mœnia conduntur.* ———

Cicer. *l. 2. de Divinat. c. 47. L. Tarutius Firmanus, familiaris noſter, imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus:* Sueton. *in Calig. c. 16. Decretum autem, ut dies, quô cepiſſet imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rurſus urbis conditæ.* Ovid. *Faſt. l. 4. v. 805.*

> *Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos,*
> *Quod fit natali nunc quoque Roma, tuô.*

Idem *Faſt. l. 6. v. 257.*

> *Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,*
> *Cùm flammæ cuſtos æde recepta Dea eſt.*

I. c. 40. natales & annos. Vide Dionyſ. Halic. *Ant. l. 1.* Plut. *in Romulo*, & Caſaub. *ad illud Perſii Sat. l. 1. v. 72.*

> *Et focus, & porci, & fumoſa Palilia fœno.*

Nic. Lloydius. Quibus ceremoniis celebritas hujus diei peragi fuerit ſolita, multis verſibus exponit Ovid. *Faſtor. l. 4.* Primùm namque ſuffimen erat conficiendum ex vituli favilla, ſanguine equi & fabæ culmine: Dein primô diluculô Paſtor luſtrabat oves & ovilia, hâc ratione; Inſpergebat oves aquâ & ſulphure, herbâque Sabinâ & laurô igne ſuccenſis circumcirca ovilia ſuffibat, quô ſuffimentô pecora piari, morbos depelli, & tabem putabant. Deinde ſacrificabatur Pali Deæ libô ex milio, lacte & ſapa, confectô, tum preces ad eam factæ &c. Quibus peractis Paſtores aquâ ſpargebantur, cœnæ apparabantur, & veſperi ſub noctem ignes à ruſticis excitabantur è ſtipulis, quos ter tranſiliebant. Incidebat feſtum in 11. Kal. MaI, ſeu 21. d. Aprilis juxta Kalendarium, vel 12. Kal. ſeu 20. d. ſecundùm Ovidium, quem Urbis fuiſſe natalem, omnes ii, qui de Urbis primordiis aliquid memoriæ tradiderunt, aſſerunt, inprimis *Plut. Plin.* & *Solin.* Unde obſervatum, ne hôc die hoſtia mactaretur, quòd videlicet eum diem, qui Patriæ natalis erat, & quô ipſi ſanguinem, i. e. vitam cepiſſent, à cæde & ſanguine purum eſſe deceret. Neque ſilentiô prætereundum, quod Dio ſcribit *l. 43.* C. Julio Cæſari ex bello Hiſpanienſi domum revertenti decretum inter alios honores à Senatu etiam hunc eſſe, ut *Palilibus* (quâ feſtivitate Equorum certamen fuiſſe celebratum ait) Diis immortalibus ſacra fierent: non eam ob cauſam, quòd is dies Urbis eſſet natalis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

natalis, ſed quòd nuncius de victoria Cæſaris pridie ejus diei ſub veſperam fuiſſet allatus. Vide Tibullum *l.* 2. *Eleg.* 4. Propertium *Eleg.* 1. *l.* 4. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 8. *ubi de menſe Aprili & diebus in eo feſtis*, &c. Præter hæc verò *Palilia*, quæ univerſi celebrabant: alia etiam erant, quæ à puerperis obſervari ſuiſſe ſolita, ex Feſti fragmentis his verbis docet Joſephus Scaliger: *Palilia ſibi obſervanda judicant privatim ipſæ quoque Puerperæ domi in ſtratis, uti pariendo ab iis quaſi ſtabiliantur* Parilia *feſta*: quæ poſteà explicans dicit *fœtas in lectis, quos in atrio ſternebant, & adverſos vocabant dicis causâ* cubuiſſe. Ex quibus ſuſpicari quis non incommodè poſſet, *Palilia* à *Parilibus* diſtincta, & illa quidem à Pale, hæc à *pariendo* dicta; illaque à Paſtoribus, iſta verò à gravidis pro feliciori partu fuiſſe celebrata. Quidam pro *Palilia* etiam *Pavilia* legunt, eò quòd Pales Paſtorum Dea eſſet, cui pro partu pecoris ſacra fiebant. Hermannides *Notis ad Florum Hiſtor. Rom. l.* 1. *c.* 20. Plura hanc in rem vide apud Ill. Marshamum *Canone Chronico Sec.* XVI. tit. *Roma Condita.*

BALIMBANUM, forſan aliàs *Palanda*: Vide ibi, vix 200. mill. à freto Sundæ in Boream Malaccam verſus, ſub proprio Rege. Portum habet capacem.

PALIMBON, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Damaſceno, *G. Tyrio.*

PALIMBOTHRA, urbs Indiæ. Civis *Palimbothrenus. Steph.*

PALIMPSESTUS, vide infrà, ubi de *Scribendi ratione.*

PALINDROMOS, Arabiæ Felicis promontor. *Acila* Plinii *l.* 6. *c.* 28. teſte *Villanovano.*

PALINGENIUS Marcellus, vide *Marcellus.*

PALINODIA, Græcè Παλινῳδία, carminis genus, de quo ſic Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 54. *Ubi fieret convitium, ſine imprecationibus, cum vituperatione, attinebat ad Jambica — quod quis quum ſcripſiſſet, atque eum ſcriptionis pœnituiſſet, recantabant, appellatum id nomine* Palinodiæ. *Certum Poëma, atque aliud à Choris. Argumentum totum in laude pro congeſtis probris.* Inventor ejus Steſichorus perhibetur, qui, quum Helenam verſibus laceràſſet, captus idcirco oculis revocâſſe ſententiam, editis contrariò carmine laudibus, ſicque oculorum uſum recuperâſſe, legitur. Negat autem in Poëmatio, verum eſſe, quod & ipſe & alii ſcripſerint, Helenam cum Paride Trojam navigâſſe. Similis eſt Horatiana *Ode* 16. *Carm. l.* 1.

O matre pulchra filia pulchrior &c.

Ibid.

PALINURUS, vel PALINURUM, Lucaniæ promontor. haud longè à Velia; inter Pæſtum & Talaum, vulgò *Capo di Palinura*, in provinc. Principatus ulterioris in ora maris Tyrrheni, 17. milliar. à Palicaſtro in Occaſum, 26. à Pæſti ruderibus in Meridiem, *Baudr.* Ita dictum à *Palinuro*, navis Æneæ gubernatore, qui ſomnô oppreſſus unà cum gubernaculo in mare decidit, totôque triduô fluctibus jactatus, quartô demum die ad litus Velinum adnavit; jamque terram tenebat, cùm loci ejus accolæ ſpe prædæ impetum in eum fecerunt, occiſumque & ſpoliatum denuò in mare abjecerunt. Quod ob facinus, cùm Velini poſteà gravi peſtilentiâ laborarent, oraculô moniti; ut Palinuri Manes placarent, lucum ei conſecrârunt, cenotaphiumque erexerunt in promontor. quod ab ea *Palinuri* nomen obtinuit. Virg. *Æn l.* 6. *v.* 381.

Æternumque locus Palinuri nomen habebit.

Dicitur autem *Palinurus*, quaſi *iterum meiens*, πάλιν, enim *rurſus*, οὖρος *urinam* ſignificat. Ad quam etymologiam alludit Martial. *l.* 3. *Epigr.* 78.

Minxiſti, Pauline, ſemel currente carinâ;
Mejere vis iterum? jam Palinurus eris.

Nic. Lloydius.

PALICORUM, vel PALICORUM ſtagnum in Sicilia, ſulphurei odoris. Unde Ovid. *Pontic. l.* 2. *eleg.* 10. *v.* 25.

Ætnæoſque lacus & olentia ſtagna Palici.

Idem *l.* 5. *Met. v.* 406.

Stagna Palicorum ruptâ ferventia terrâ.

Apud *Stephanum* legitur, Κρήνη τις ἐν Παλικοῖς, apud Philoſophum verò *in l. de Mirabilibus*, ἐν Παλίσκοις.

PALIURA, urbs fuit Macedoniæ, ex qua oriundus Antipater, Idæi Filius, *Suid.*

PALIURUS, rhamnus, oxyacanthos & cynosbatus, quaſi congeneres ſpinoſæ arbores, ſimul recenſentur *Dioſcoridi*, è quibus ſepes vivæ olim fiebant: *oxyacantha* aliàs dicta, hodie *alba ſpina* vocatur; è qua hodieque ſæpiſſimè fiunt ſepes, nec iis vivis faciendis ulla communior, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 270. & 271. Ejus ſuccum, ſeu aquam cum illo, bibere Troglodytarum vulgus, docet Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 6.

PALLA, urbs à latere meridiali Corſicæ. *Ptol. Pola* vulgo, à Bonifacio oppido 6. mill. paſſ. diſtans in occidentem. *Baudrando* nunc eſt *Bonifacio*, urbs munita Corſicæ, in latere Auſtrali juxta fretum *Taphros*, ex adverſo Sardiniæ; ex *Cluver.* & *Brietio*, vide *Bonifacium.*

PALLA, pallium, quod tunicæ ſive ſtolæ mulieres honeſtæ olim apud Romanos injiciebant. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 652.

——— ——— *Pallam, ſignis aurôque rigentem.*

Servius, *Significat autem tunicæ pallium, quod ſecundùm Varronem Palla dictum eſt, ab irrugatione & mobilitate, quæ circa finem hujuſmodi veſtium*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Quæ rugæ efficiebantur, quòd, cùm pars ejus in humerum ſiniſtrum rejiceretur & ſiniſtro pars altera brachio ſubduceretur, contrahebatur in rugas. *Rigentem*, i. e. *duram propter aurum ſicut & novas veſtes videmus.* Idem ad illud. *l.* 11. *Æn. v.* 576.

——— *Pro longæ tegmine* Pallæ.

Palla, inquit, *propriè eſt veſtis muliebris, deducta uſque ad veſtigia.* Horat. Matronarum habitum deſcribens, *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 99.

Ad talos ſtola demiſſa & circumdata Pallâ.

Et Ovid. *Amor. l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 25.

Virginei crines aurô gemmâque premuntur,
Et tegit auratos Palla *ſuperba pedes.*

Idem *Pallium* ſimpliciter appellat. *de Arte l.* 1. *v.* 153.

Sed nimium demiſſa jacent tua pallia terræ,
Collige, vel digitis en ego tollo meis &c.

Itaque *Palla*, non minùs ac Stola, ita Mulierum peculiaris fuit, ut iis facilè Viri uti non poſſent ſine vituperio, ut loquitur Ulpianus *l.* 23. *D. de auro. arg. leg.* Unde Liv. memorat *l.* 27. *c.* 4. Ptolemæo Ægypti Regi donô à Senatu miſſam *togam & tunicam purpuream, Cleopatræ Reginæ* Pallam *pictam cum amiculo.* Porrò *Pallam* eandem cum peplo ſuprà laudatus Servius facit, *ad illud l.* 1. *Æn. v.* 484.

——— ——— *Peplumque ferebant*:

Inquiens, *Peplum propriè eſt palla picta fœminea, Minervæ conſecrata*, &c. Troadibus etiam Juvenalis *Pallam* tribuit, *Sat.* 10. *v.* 262.

——— ——— *Sciſſaque Polyxena* Pallâ.

Ovidius Dianæ, ſeſe ad lotionem exuenti *Met. l.* 3. *v.* 167.

Altera depoſitæ ſubjecit brachia Pallæ.

Item Ocyroæ in equam converſæ *l.* 2. Inde ab Citharœdos, Tragœdos & Saltatores tranſlata eſt. Unde Citharœdo Corfinius *l.* 4. adſcribit *Pallam* inauratam cum chlamyde purpurea, coloribus variis intextâ: & de Arione Ovidius *Faſtor. l.* 2. *v.* 107.

Induerat Tyrio diſtinctam murice Pallam.

Apollo quoque ipſe propterea, apud eundem *Amor. l.* 1. *Eleg.* 8. ut & apud Virgilium *loc. cit.* Orpheus, pallâ induti producuntur. De Tragœdis vide iterum Ovidium *Amor. l.* 2. *Eleg.* 18. & *l.* 3. *Eleg.* 1. De Saltatorum *Palla* animadvertit Turnebus *l.* 20. *c.* 27. ex *Plauti Menæchmis. Actu* 1. *Sc.* 3. *v.* 14. ubi iſta habentur:

Sed obſecro hercle ſalta ſic cum Palla *poſtea.*

Horat. *de Arte Poët. v.* 278.

Poſt hæc perſonæ Pallæque *repertor honeſtæ*
Æſchylus. ——— ———

Quàm longô ſyrmate humum verriſſe, illa indicant, *ibid. v.* 215.

——— ——— *Traxitque vagus per pulpita veſtem:*

ut & Sueton. *in Calig. c.* 54. *Tres Conſulares ſecundâ vigiliâ in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes ſuper pulpitum collocavit, deinde repentè magno tibiarum & ſcabellorum crepitu cum* Palla *tunicaque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit.* Quod mirum videri poteſt, ſaltatores longis ac fluentibus tunicâ *Pallaque* velatos, cùm habiliores ſuccincti & tunicati tantùm futuri fuiſſent. Etiam verò inter virilia veſtimenta, ſed Barbarica, fuiſſe *Pallam*, ex Curtio diſcimus *l.* 3. *c.* 3. *Cultus Regis inter omnia luxuriâ notabatur: Purpureæ tunicæ, medium album intextum erat:* Pallam *auro diſtinctam aurei accipitres adornabant.* Gallis eandem tribuit Martial. *l.* 1. *Epigr.* 93. *v.* 8.

Dimidiaſque nates Gallica Palla *tegit.*

Quô fortaſſe reſpexit Strabo *l.* 5. de habitu Gallorum, οἱ γὰρ Κέλται ἀντὶ χιτωνίσκων σχιστοὺς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν, ubi Interpres magis ſenſum ſecutus, quàm verba *Pallas* vertit, cùm *tunicas apertas manuleatas* debuiſſet, quæ tamen Gallis pallæ fuêre ad verenda pertinentes. Vide Octav. Ferrar. *de re Veſtiar. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 18. & Part. 2. *l.* 3. *c.* 3. Thom. Godwyn. inſuper *Pallæ* uſum non muliebri tantùm ſexui, ſed & Viris puerisque familiarem fuiſſe, docet *Anthologia Rom. l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 8. de *Palla*, inventore Æſchylo vide *Suidam.* Apud Eccl. Romanæ Scriptores. *Palla Altaris*, dicitur *veſtis, quâ altare cooperitur, videl. lineus pannus conſecratus, qui ſuper altare ponitur, ſuper quem exponitur corporale.* Durandus *Ration. l.* 1. *c.* 3. *num.* 49. Aliud ſcil. iis eſt *Palla Altaris*, aliud *Opertorium Dominici corporis*, i. e. *Corporale*, quod *Corporis palla*, apud Gregorium M. in *Sacram.* ubi de Ordine Subdiaconi, appellatur. Prior eſt *Palla Dominica, ad quam non licet mulieri manum ſuam mittere*, ut habet Concilium Autiſiodor. *can.* 37. & *Palla Altaris*, in qua *manus pueri oblati ad Monaſterium à Parentibus involvebantur*, in Regula Benedict. *c.* 66. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexic.* &c. De inveſtitura *per Palam* ſeu *Pallem* & *Pallium*, ſuô locô.

PALLA, Græce πάλλα, globus, Germanis *Ballen*: Gallis *Bale*, Italis *Palla* & *Bala*, pro pila. *Heſych.* Πάλλα, σφαῖρα ἐκ ποικίλων νημάτων πεποιημένη. Sed & ſic globum crucigerum Imperialem, qui inter Regalia inſignia reponitur, appellat Gotefridus Viterbienſis: Germanicè *Reichsapfel.* Ita autem is,

Aureus ille globus Pomum, vel Palla *vocatur,*
Quando coronatur, Palla *ferenda datur.*

Infrà:

Crux & Palla *ſimul pariter connexa tenentur:*
Hæc ferit, hæc ſanat; hæc perit, illa manet.

De cujuſmodi globis crucigeris, pluribus agit Car. du Freſne *Syntagm. de numiſmatibus Impp. CNP.* & vidimus ſuprà aliquid ſuô locô. Inter Romano-Germanici Imperii clinodia, partim Noribergæ, partim alibi aſſervari ſolita, etiam *Pallam* iſtiuſmodi ſeu globum aureum ſeu pomum Imperiale eſſe, refert Enucleator Limnæi *l.* 1. *c. de Inſignibus Imperii*: quod Cæſaris donô inſignibus Palatini Electoris illatum, primus horum geſſit Fridericus II. cognomine *Sapiens*, Caroli V. olim educationi admotus, atque hinc ei intimus, qui Ludovico Fratri in Electorali munere ſucceſſit A. C. 1544. Hodie in inſignibus Electoris Bavariæ comparet. Vide Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Famil. Palatino-Bavarica.*

PALLACOPAS, vocabatur foſſa ex Euphrate aperta, quæ totum ferè amnem exhauriebat & in paludes avertebat, à recto curſu & exitu ſuo in mare; quæque, quamdiu aperta fuit, præcluſus erat Euphrates, nec niſi per paludes & Tigrim evehebatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in mare. Quomodo longô tempore Orchenos & cæteros accolas, agros ſuos rigantes, præcludere eum conſueviſſe tradit Plin. & ex eo Solin. *c.* 37. ubi tamen hic in eo errat, quòd *Euphratem per Tigrim in mare deferri* ſcribit. Hoc enim non niſi tum obtinebat, cùm præcluſus Euphrates ac per canales foſſaſque carptus & in Tigrim delapſus, languidas atque tenues tantùm reliquias in mare ſine nomine emittebat. Cujuſmodi διωρύγων, quæ ex Euphrate ductæ in Tigrim, ad rigandos agros, inter utrumque flumen ſitos, emitti ſolebant, meminit *Strabo*: Ἄλλοι δέ φασι τοὺς διὰ Σούσων ποταμοὺς εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τοῦ Πασιτίγριος συμπίπτειν καὶ τὰς μεταξὺ διώρυγας τοῦ Εὐφράτου, διὰ δὲ τοῦτο κατὰ τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι Πασίτιγριν. Hujus poſtmodum canalis, quô ſic Euphrates diſtrahebatur, oſtia Satrapes quidam Babyloniæ magnô labore obſtruere conatus eſt, amnemque in alveum ſuum priſtinum & intra ripas ſuas reducere: quod, cùm non eum, quem optabat, ſucceſſum haberet, Alexander tandem Magnus, cùm ibi eſſet, perficiendum abſolvendumque curavit, vide Arrian. *l.* 6. & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 703.

PALLADES, virgines erant, quas Thebani apud Ægyptios Jovi ſacrabant, de quibus Strabo *l.* 17. in hunc modum: *Jovi, quem præcipuè colunt, virgo quædam genere clariſſima & ſpecie pulcherrima ſacratur*, ἃς καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες Παλλάδας. *Ea, pellicis more, cum quibus vult coit, uſque ad naturalem corporis purgationem. Poſt purgationem viro datur, ſed prius quàm nubat, poſt pellicatus tempus in mortuæ morem lugetur.* Idem habet Euſtath. *ad Iliad.* α. *& Odyſſ.* ν.

PALLADIUM, Palladis ſimulachrum, quod Romæ in æde Veſtæ fuit, cujus meminit Herodian. *l.* 1. *c.* 14. Id fuit è ligno compactum, movens oculos, atque haſtam, quam manu geſtabat, ut ſcribit *Servius*. Nam cùm apud Trojam in honorem Palladis arx, & in ejus ſummo templum illi ædificaretur, è cœlo cecidit, & locum ſibi in eo templo delegit, nondum coopertâ æde; moxque ab Apolline redditum eſt oraculum, ejus civitatis futurum exitium, ſi id ſimulachrum extra muros portaretur, Ovid. *in Faſt.* Quod factum eſt, tempore belli Trojani, cùm Diomedes & Ulyſſes cuniculis, vel, ut alii dicunt, cloacis aſcenderent in arcem, tum occiſis cuſtodibus ſimulachrum ſuſtulerunt. Vide Meurſ. *in Lycophr.* Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 163.

——— ——— *Impius ex quo*
Tydides, ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes
Fatale aggreſſi ſacratô avellere templô
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuêre ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divæ contingere vittas.

Nic. Lloyd. Et quidem cùm præter ignem, in æde Veſtæ, alia quoque ſacra, ſolis Æditius Virginibuſque cognita, recondita fuiſſe tradant, Dionyſ. *l.* 2. & Plut. *in Camillo*, aliis alia conjectantibus, multorum ſermonibus Minervæ Ilienſis effigiem veram ſeu *Palladium* genuinum, ab Ænea huc allatum, in iis arcanis fuiſſe, traditum eſt. De quo Joh. Ludovicus Vives *ad Auguſtin. de Civ. Dei l.* 1. *c.* 2. iſta collegit ex Varrone, Dionyſio, Ovidio, Plutarcho & Servio. *Chryſas Pallantis filia, cùm Dardano nuberet, pro dote ſecum attulit* Palladium *& magnorum Deorum ſimulachra, quibus templa Dardanus in Samothracia conſtruxit: quæ poſtea ſacra in Ilium ſunt, nepotum tempore, tranſvecta, acceptô Oraculô manſuram Urbem, quamdiu & in ea* Palladium *illud. Quocirca in intimam Arcis partem eſt reconditum, efficto alterô quôdam* Palladiô *illi ſimillimô, quod in publico negligentiùs aſſervabatur. Cumque Pyrrhus ex Heleno vate, Priami filio, inexpugnabilem eſſe Trojanam Urbem, ſalvô in ea* Palladiô, *cognoviſſet, idque Principibus Græcorum renuntiâſſet, Ulyſſes & Diomedes per fraudem primùm ingreſſi, deinde factâ in cuſtodes vi* Palladium *illud imaginarium ſurripuerunt. Alterum, captâ jam Urbe Sycas Æneæ tradidit cum magnis Diis, quos* Penates Trojanos *vocant: Hæc omnia in Italiam Æneas ſecum abduxit. Hinc ex Alba Longa, ſive ut Varro putat, ex Lavinio* Romam Palladium *translatum eſt, ſtatutumque in æde Veſtæ, quæ dum deflagraret, L. Metellus Pont. Max. illud medio ex igne ſuſtulit, amiſſis luminibus. Conſpectum autem illud vulgò eſt Heliogabalô Imperatore incenſâ æde veſtæ. Fuit & alterum* Palladium, *quod Athenis in arce dicavit Nicias.* Hactenus *Vives*. Certè ſtatuam fuiſſe *conſecratam*, ad cuſtodiam urbis Trojæ, ſcribunt veteres Grammatici Παλλάδιον τοῦτο ἦν ζῴδιον μικρὸν ξύλινον, ὃ ἔλεγον εἶναι τετελεσμένον, φυλάττον τὴν βασιλείαν τῆς Τροίας. Quemadmodum Memnonis ſtatuam reſonantem ſimiliter τετελεσμένην fuiſſe, vult *vetus Scholiaſtes* Juvenalis &c. Vide ſuprà, ubi de *Conſecratione*; Poſteà Romam tranſlatum, fatale pignus Imperii illius habitum, Liv. *l.* 26. quod ne alicujus furtô periret, varia ei ſimilia efficta eſſe, quò inter illa tutiùs lateret. Hinc de Heliogabalo Lamprid. *c.* 6. *In penum Veſtæ, quod ſolæ Virgines ſolique Pontifices adeunt, irrupit pollutus ipſe omni contagione morum, cum iis qui ſe polluerant quumque ſeriam quaſi veram rapuiſſet, quoniam ei virgo maxima falſam monſtraverat, atque in ea nihil reperiſſet, apploſam fregit: nec tamen quidquam religioni demſit, quia plures ſimiles factæ dicuntur eſſe, ne quis veram unquam poſſit auferre. Hæc quum ita eſſent, ſignum tamen, quod* Palladium *eſſe credebat, abſtulit*, & *aurô fictum in Dei ſui templo locavit.* Ubi pro *aurô fictum*, legit Salmaſius *aurô vinctum*, h. e. deauratum; quod Græci dicunt χρυσένδετον, unde *vaſa chryſendeta*, ad verbum, *aurô vincta*. Cum enim iſtiuſmodi *Palladia* ex ligno eſſent, aurô tamen obducebantur, Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* Vide quoque ſuprà ubi de *Auro vinctis*, item *Chryſendetis*, & infrà lemmate, *Penetrale ſacrum*. At Joh. Meurſius *in illa verba Lycophronis, in Caſſandra*,

——— ——— τοῖς τε Ταντάλου
Λαιτρῶν αἰκισθεὶς λωφήσεις πυρὸς
Παιδὸς κατασβεσθέντος αἰθάλῳ δέμας.

Palladium ex Pelopis coſtis fuiſſe conflatum oſtendit, confirmatque auctoritate Clem. & Arnobii: Quorum ille in Προτρεπτικῷ, Πολλοὶ, inquit, δ' ἂν τάχα θαυμάσειαν, Εἰ μάθοιεν τὸ Παλλάδιον, τὸ Διοπετὲς καλούμενον, ὃ Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς ἱστοροῦνται μὲν ἀφελέσθαι ἀπὸ Ἰλίου, παρακαθέσθαι δὲ Δημοφῶντι, ἐκ τῶν Πέλοπος ὀστῶν κατεσκευάσθαι. Iſte *l.* 4. *Quis ex reliquiis Pelopis compactum eſſe* Palladium *prodidit, non vos?* Idem & Plin. alicubi teſtatur. Addit Meurſius, Trojanis à Scythis illud venditum fuiſſe; *Ibid. & in ſeqq.* ex Herodiano *l.* 1. refert, cœlitus *Palladium* decidiſſe creditum fuiſſe, idque in eum Phrygiæ agrum, cui *Peſſinuntis* ab ejus caſu nomen manſerit, ibique primum comparuiſſe: ex Homeri Scholiaſte *Il.* ν. ſimulacrum oculos, cùm Caſſandræ vis ab Ajace inferretur, ad templi tectum ſuſtuliſſe; quod ridet ac refellit Strabo *l.* 6. Ex Plut. *in Parall.* ardente apud Ilium Minervæ Templo, Ilum accurrentem, ut *Palladium* eriperet, quòd à viro id videri eſſet nefas, viſu privatum, eum poſteà placatô Numine recuperâſſe &c. In veteribus nummis & Veſtæ Templum rotundum & Æneas Patrem Anchiſem humeris portans, atque unâ manu *Palladium* ferens; alterâ filium Julum, alia ſacra geſtantem, ducens cernuntur, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 12. Vide & ſuprà *Nautii*: uti de Tribunali Athen. ἐπὶ Παλλαδίῳ. Vide itidem ſuprà voce *Dicaſteria*.

PALLADIUS, Epiſcopus Helenopolitanus, Galata, A. C. 401. Chryſoſtomi, durante etiam hujus perſecutione, amicus fidus. Decenniô poſt Chryſoſtomi obitum Romam veniens, ſub Zoſimo Epiſcopo cum Theodoro, Diacono Romano ſæpius collocutus, Dialogum de vita Chryſoſtomi, edidit. Origeniſmi accuſatus, non multum Hieronymo favit, cum Rufino intimâ familiaritate conjunctus. Diſcipulus fuit Evagrii Pontici, & Pelagianiſmi quoque ſuſpectus. Obiit ſecul. 5. Epiphan. *Epiſt. ad Joh. Hieroſ.* Socr. *l.* 4. *Hiſt. c.* 18. & 23. Caſſiod. *Hiſt. Trip. l.* 8. *c.* 1. Joh. Damaſc. *de his qui in fide dorm.* Niceph. *l.* 11. *c.* 44. *Baronius, Voſſ. Poſſevinus.* &c. Idem cum Auctore *Hiſtoriæ Lauſiacæ*, vide infrà. Non verò confundendus cum *Palladio* Diacono, qui à Cæleſtino, A. C. 430. in Scotiam miſſus, ut Pelagio obniteretur, ibi Epiſcopus primus obiit. Vide Balæum *Cent.* 14. & Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 19. & *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* ult.

PALLADIUS, Theologus Danus, in illo regno junctus Hemmingio, Reformationis opus ſtrenuè promovit, ſeculô præteritô.

PALLADIUS, nomen viri proprium, qui de Agricultura ſcripſit. Item Sophiſta Græcus, qui in 6. libr. Hippocratis commentatus eſt. Vander Linden, *de Script. Med.*

PALLADIUS, Hæreticus, poſt Petrum Fullonem, in ſedem Antiochenam intruſus; cum Petro Mongo, Pſeudoepiſcopo Alexandrino arctam familiaritatem coluit. Obiit A. C. 496. Baron. *in Annalib. An.* 486. & 496.

PALLADIUS Galata, Hiſtoricus; floruit ſub Theodoſio M. Vitas aliquot ſanctorum in literas retulit; quæ vulgò *Hiſtoria Lauſiaca* dicitur, quia nuncupata eſt *Lauſo* præfecto. Opus hoc certis diebus in Eccleſiâ prælegi ſolere, ex Triodio oſtendit in Gloſſario ſuo clariſſimus Joh. Meurſius, qui & primus hunc ſcriptorem Græcè edidit. Vide ſuprà.

PALLADIUS Methonæus, fil. patris cognominis, floruit ſub Conſtantino M. Præter orationes ac diſputationes varias etiam hiſtoricum ac philologicum opus contexuit de feſtis Romanorum, ut è Suida & Phot. *Cod.* 132. cognoſcimus.

PALLADIUS Niger, ſeu Fuſcus, Patavinus, floruit A. C. 1470. à Sabellico *Ænead.* impensè laudatus. Scripſit *in Catullum, de Inſulis*, &c. Juſtinopoli, urbe Iſtriæ, ubi Profeſſor erat, Scardeon. *de clariſſ. Patavinis.*

PALLADIUS Rutilius Taurus, Medicus, floruit A. C. 129. ſcriptis clarus. Juſtus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

PALLÆ Manicatæ, vide *Palliolatæ Tunicæ.*

PALLANA, in Laconia ſita, *Strab.*

PALLANTEUM, vide PALANTEUM, Virgil. *l.* 8. *Æn. v.* 53.

——— *Poſuêre in montibus urbem*
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

PALLANTIAS, ut *Callimachus* refert, lacus, aliô nomine *Triton*, ex quo Palladem genitam volunt.

PALLANTIUS, cognomen Jovis, Græcè Παλλάντιος, qui Trapezunte colebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 13.

PALLAS, nomen gigantis à Minerva occiſi, unde ei *Palladis* cognomen ſecundùm veteres Grammaticos. Item unius ex Pandionis filiis, uti ſuô locô diximus. Etiam Euandri avus filiuſque ſimiliter nominabatur, *Ibid.*

PALLAS, *adis*, filia Jovis, ex cerebro ejus prognata, ſapientiæ, diſciplinarumque omnium Dea, quam Latini Minervam vocant. Sic dicta, ſecundùm quoſdam, quòd ab ea *Pallas* ſit interemptus, aut παρὰ τὸ ἀναπεπλάχθαι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διὸς, aut ex *Pallante* palude, juxta *Feſtum*. Quid quòd aliqui datum velint nomen ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, alii à ſaliendo, ſive ſaltando in bello. Euſtath. *in Iliad.* α. Τὸ δὲ λέγειν οὕτω καλεῖσθαι αὐτὴν, ἢ ἐπειδὴ ἐν τῇ Γιγαντομαχίᾳ Πάλλαντά τινα πεφόνευκε γίγαντα, ἢ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ Διὸς συνέπαλτο κεφαλῆς, ἢ ὅτι κεραυνῷ τῆς Σεμέλης βληθείσης, καὶ τοῦ Διονύσου διεκπεσόντος ἐμβρύου, παλλομένην τὴν τοῦ ἀμβλώματος καρδίαν ἤνεγκε τῷ Διΐ. Nonnulli ab Ebræo פלך *pallas*, i. e. *agitare*, quia quatit haſtam, vel quia mens eſt in perpetua agitatione, unde πάλλας ſignificaret agilitatem animi, eſſetque epitheton, non proprium nomen. Alii denique à verbo פלא quæ vox Ebræis admirabile quiddam ſonat. Vide Fungerum, in *Pallas. Nic. Lloyd.* Ei ſacram Lucernam, pulcherrimas hiſtorias veteres indicantem, quam Judæus quidam ex illi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Illiberi regno, à Majoribus ſuis ex Africa allatam & theſauri ingentis locô habitam, Æmilio Campilongio Medico Patavino donavit, inſigni & prolixô Commentario illuſtrat Fortun. Licetus *de Lucernis l.* 6. *c.* 13. Idem Caſalii lucernam *Palladi Victrici* dedicatam, eôdem modô perſequitur *c.* 47. *ejuſd. lib.* & aliam ejuſdem Caſalii, caput equi ad manubrium gerentem, adeoque Neptuno: ſed & ob oleum, cujus inventrix Pallas, huic quoque conſecratam, ſimili exponit facundiâ, *Eod. l. c.* 59. Plura *de Pallade*, vide in voce *Minerva*. Addam hoc unum, quòd Deæ hujus ſimulachrum, inter Muſæi Kircher. cimelia, numerat Georg. de Sepibus *in Deſcript. ejus p.* 8.

PALLAS, *antis*, fil. Euandri, qui à patre iis copiis, quas Æneæ auxilio miſit, præfectus, magnâ jam hoſtium ſtrage editâ, à Turno eſt interfectus. Vide Virgil. *l.* 8. *Æn.* In ejus ſepulchro, ante duo ſecula ſcil. A. C. 1401. cùm agricola quidam non longè ab Urbe Roma altiùs ſolito agellum foderet, repertum eſt corpus adeò proceræ ſtaturæ, ut muros Urbis excederet; cum inſcriptione in tumulo lapideo. Cadaver erat integrum, inque pectore vulnus latiſſimum conſpiciebatur: Supra caput autem Lucerna perpetuô igne ardens viſa eſt, quæ nec flatu, nec aquæ alteriuſve liquoris ullius ſuperinjectu extingui cùm poſſet, tum demum evanuit, cùm in fundo perforata & ab importunis tam miræ lucis oſoribus diſrupta eſſet, effluxô liquore pretioſô, qui flammæ pabulum per tot ſecula præbuerat. Fuiſſe autem iſtud corpus magni *Pallantis* Arcadis, teſtatur tum Raphaël Volaterranus, *l.* 33. *cap. de cœl.* & *terr. progen.* tum etiam cadaveris inventi proceritas, quâ muros Urbis, etſi non præaltos, ſuperabat: tum vulneris amplitudo, quæ in thorace, cadaveris ſupra 4. pedum longitudinem ſeſe extendebat; cujus meminit Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 484.

Vibravit cuſpis medium transverberat ictu,
Loricæque moras, & pectus perforat ingens:

tum demum, quod ſaxo monumenti inſculptum legebatur, Epitaphium hujuſmodi:

Filius. Evandri. Pallas. Quem. Lancea. Turni.
Militis. Occidit. Mole. Suâ. Jacet. Hic.

Fuit autem hæc lucerna *Pallantis* reliquarum omnium, quæ hujus generis repertæ ſunt in vetuſtis monumentis, celeberrima, non ſolùm quia niſi fracta fuiſſet, ac ex ea perforata liquor effluxiſſet, in aperto aëre ardens & flatus & aquæ omnem violentiam eludens pertinaciſſimè, longè diutiùs inextincta perdurâſſet, verùm etiam quia reipsâ perduravit ardens ultra annos 2600. Vide Martinum *in eo Chron. libro, quem Martinianum appellavit*, Joh. Boccatium *de Geneal. Deorum Gentil.* Phil. Bergomenſem *in Supplem. Chron. Univer.* Toſtatum *Gen. c.* 5. *quæſt.* 12. *l.* 1. Fortun. Licetum *de Lucernis Antiquorum reconditis l.* 1. *c.* 1. nec non *alibi paſſim.*

PALLAS, *antis*, hiſtoricum volumen condidit de myſteriis Mithræ, Porphyr. περὶ ἀποχῆς *l.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 397.

PALLAS, Claudii Cæſaris libertus; ditiſſimus, qui Craſſo fertur ditior vicies, & quinquies centenis millibus, Plin. *l.* 33. *c.* 10. Vide Tacit. *Annal. l.* 12. *c.* 53. Et Plin. *l.* 8. *ep.* 6. Juven. *Sat.* 1. *v.* 109.

——— ——— *Ego poſſideo plus*
Pallante & Licinis. ——— ———

PALLAS, Pandionis fil. Ovid. *Met. l.* 7. Hunc *Steph.* ſcribit habitâſſe in Diacria tribu Atticæ. Vide Scholia *in Crabr.*

PALLAS, nomen paludis, in Africa.

PALLENE, quæ & *Phlegra Herodoto*, *Patalene Ptolemæo* dicitur; peninſul. Macedoniæ ad ſinum Thermaicum; cujus iſthmus *Pallenſis* Plinio *l.* 4. *c.* 10. dicitur, quæ & peninſ. Caſſandriæ ab *Euſtath.* nominatur, *Pallenea* à Val. Flacco. *l.* 2. *v.* 17. Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 390. *de Proteo:*

Hic nunc Emathiæ portus, patriamque reviſit
Pallenen. ——— ———

Hic *Pallene*, oppid. teſte Pliniô *l.* 4. *c.* 10. & *Stephano*, *Caniſtro*, teſte *Sophian* hodie, *Nardo* autem *Tarcho*, ſeu *Tarſo* dictum, Caſſandriæ finitimum. Vide Steph. in Παλλήνη. Cui *Pallene* Sitonis Clethique; (ut Egeſippus ait) filia à ſe nomen dedit: gigantum bellô inſigne fuit. Habet triangulam baſim meridiei obverſam. Theagenes aliter hanc hiſtoriam narrat: *Pallene*, inquit, quæ veteri nomine *Phlegra* dicebatur; homines tenuerunt, quibus immanitas & ſuperbia morum Gigantum nomen dedit; in hos prælium ineunte Hercule, fulmina de cœlo viſa ſunt ferri, donec ſe fugæ commiſerunt, magnâque victoriâ ſuperati ſunt: Unde rumor in vulgus belli contra Deos manavit, Mela *l.* 2. *c.* 2. *Pallenem* inter Thraciæ loca recenſet & ſoli tàm patentis eſſe refert, ut quinque urbium ſedes ſit atque ager. Hinc *Pallenæos*, Stat. *l.* 4. *Sylv. Carm.* 2. *v.* 56.

Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.

Claudian.

Pallenæa Jovi mutavit flumina Cyclops.

Nic. Lloydius.

PALLENIDIS Minervæ fanum inter Athenas & Marathonem alicubi, Herodot *l.* 1. *c.* 21. *Pallenidis Pagi*, apud Euripidem Heraclidis.

PALLIATI Mimi, in *Gloſſar.* ϛιχολόγοι, ſunt riciniati planipedes Mimi *Feſto*: uti *Jovem palliatum* unô locô dixit Arnobius, quem *l.* 6. *riciniatum* appellavit. Ricinium enim erat pro toga vel pallio mulierum, ſub quo tunicam, & cycladem geſtabant, & *pallium* quidem dicebatur, quòd eſſet quadratum, uti pallia erant. Sic Nonius ricinium, primò *palliolum breve fœmineum*; dein ſimplex *pallium*, *quod geſtabant mulieres in luctu*, exponit. Vide infrà paſſim, inprimis in *Rica* & *Ricinium.*

PALLICIUM, vide infrà *Vallus.*

PALLIDI, & mali coloris homines, impudentes ferè & inverecundi habebantur dicebanturque, niſi pallor ille ex ſtudiorum contentione contractus videretur. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 3.

Eſſet, Maxime; cùm mali coloris;
Verſus ſcribere capit Oppianus.

Quemadmodum contra, quibus os rubebat, pro modeſtis & ingenuis habebantur & *oris probi* dicebantur. Plin. *l.* 1. *Ep.* 14. *Eſt illi facies liberalis, multô ſanguine, multò rubore ſuffuſa* Et *l.* 5. *ep.* 17. *Commendabat hæc vox ſuaviſſima; vocem verecundia: multum ſanguinis, multum ſolicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis.* Ita Horat. *Od.* 17. *Epod. v.* 21. *verecundum colorem* vocavit τὰ ἔρευθες, i. e. ruborem, qui juvenibus multô & integrô ſanguine plenis ἐπιτρέχει &c. Atque inde ἄχρωμος & ἄχρους, *impudentem* Græcis deſignat & improbum: quæ non ad homines ſolùm; ſed & ad res extenſa eſt; unde ἄχρωμοι ἐργασίαι *Artemidoro*, ſunt lenonum & aquariolorum. *Gloſſæ* ἄχρωμος, *impudica*, *impudicus*, ἀχρωμία, *impudicitia.* Similiter *pallidum* colorem & *luteum*, Græci πονηρὸν χρῶμα & φαῦλον appellant. Ariſtoteles de Chlorione, Χλωρίων δὲ μαθεῖν μὲν ἀγαθὸς καὶ βιομήχανος, κακοπετής, δὲ καὶ χρόαν ἔχει μοχθηράν. Ubi χρόαν μοχθηράν vocat, h. e. *malum colorem* ſeu *luteum*: malum enim colorem Græci Latinique de *pallido* & *luteo* dixerunt. Aliter *improbus color*, de quo vide ſupra, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. Tom.* 1. *p.* 654. Eſt tamen, ſi rem exactiùs penſiculemus, inter *pallidum* & *luteum* colorem non leve diſcrimen. Namque propriè *Pallidus*, cui ſanguine recedente nativus rubor fugit & pallore mutatur. Aliàs *pallidus color* nullus eſt, ſed eſt affectus omnium colorum dilutiorum ac palleſcentium. Eſt enim viridis pallidus, eſt luteus; ruber & quicunque alius color, non bene ſaturatus, nec meracô à natura imbutus. Cui ſanguis metu deceſſit ex facie, eum pallidum eſſe, modò diximus. Aliter tamen pallet mortuus & luteô magis inficitur. Qui fuſcô vultu ſunt, quum metuunt; etiam pallent, haud ſecus quàm qui facie ſunt candidâ; & notabiliùs quidem illi, quam iſti. Pallor contrarius rubori; ſed rubicundâ etiam facie præditi ſæpenumero pallent: & qui in his rubor eſt, non penitus evaneſcit, ſed diluitur & minor fit, accedente pallore. Auruginoſi plus ſunt, quàm pallidi: nam meracô luteô occupatam cutem habent; Græci ὠχροὺς vocant. qui & *luteum* colorem ὠχρὸν dicunt, quem *pallidum* qui diceret nugaretur. Ὤχρος enim crocus eſt, unde croceus color, qui non eſt pallidus, niſi ſit dilutior. Abuſivè tamen & *pallorem* de *aurugine* ſeu *luteo colore*, dixêre Latini: nam his *mors* quoque *pallida* dicitur, cùm mortui color ſit ſubluteus. *Pallidus* eſt ἄχρους *ſine colore*, *luteus eſt* κακόχρους, *mali coloris.* At Græci ὠχρὸν de coloribus palleſcentibus ac dilutis non uſurpant, ſed ἔκλευκον &c. Vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1114. & ſuprà ubi de *Auro*, nec non infrà voce *Pallor.* Addo hîc ſaltum *Pallidos* ab Ethnicis crebrò olim per convitium Chriſtianos appellatos. Unde Cæcilius apud Minutium, *Pallidi, trepidi, miſericordiâ digni.* Et de iiſdem Lucian. *in Philop.* ὁρῶ ἄνδρας ἐπικεκυφότας καὶ καταχρωμένους. Quod ab iis timori videtur tributum. Sed jejuniis potius aut abſtinentiis id aſcribendum, docet Baſilius *de Jejuno Homil.* 1. Νηστεύοντος σεμνὸν τὸ σῶμα δὲ εἰς ἐρύθημα ἀναιδὲς ἐξανθοῦν, ἀλλ' ἀχρότητι σώφρονι κοσμούμενον. Et Sulpitius Sev. qui proin Monachorum, quorum ſtrictior erat ἐγκράτεια *pallidas libras* eleganter appellat; *Epiſt. ad Baſſulam Socium.* Hincque idem Baſilius, uti ſagina athletam, ſic *pallore* & *macie* Chriſti militem conſpici ait in *Aſceticis.* Vide Deſ. Heraldum *ad Minutium Fel. p.* 25.

cum PALLIO Denarii, Gall. *Deniers au Mantelet*, ſub Philippo IV, Galliæ Rege cuſi, memorantur Car. du Freſne in voce *Moneta.* Idem meminit Regalium auri purorum, Gall. *des Royaux d'or fin*, ſub Rege Joanne cuſorum; in quibus Rex ſtans in tabernaculo effingitur, *palliô*, inſtar pluvialis, amictus, ad pectus clauſo, cum ſceptro liliato in dextra; quod ſiniſtræ digito videtur indicare. Hinc *Trabeatos* alii, Gall. *Longveſtus* vocant: Eorum valorem & typum habes *ibid.*

PALLIOLATÆ Tunicæ, apud Flav. Vopiſc. *in Bonoſo*, *c.* 15. ubi de muneribus ab Aureliano Hunilæ ſponſæ Bonoſi causâ nuptiarum datis, *Tunicas* palliolatas *hyacinthinas ſubſericas*: *tunicam aurô clavatam* &c. mixtum genus veſtis & ex duabus compoſitum, duarumque uſum præſtans, pallioli & tunicæ, *Caſaubono. Salmaſio* verò fuêre tunicæ, adnexa & adjuncta *palliola* habentes. *Palliolum* autem breve capitis operimentum muliebre, ut infrà latiùs videbimus. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 94.

——— ——— *Dorida nullo*
Cultam palliolo ——— ———

Martial. *l.* 9. *Epigr.* 33. *v.* 1.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata *vagatur.*

Cujuſmodi palliola tegendo capiti viros quoque, ſed in morbo, uſurpâſſe, docet Ovid. *l.* 1. *Artis v.* 733.

Sæpe fac ægrotum ſimules, nec turpe putâris
Palliolum nitidis impoſuiſſe comis, &c.

Ut *palliolatæ* autem *tunicæ*, quæ palliola adjuncta haberent, ſic *veſtes cucullatæ* vulgò appellabantur, quæ cucullos habebant. *Iſidor. Caſula eſt veſtis cucullata, dicta à caſa, quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa.* Ita & *lorica cucullata*, quæ cum cucullis erant & totum hominem à capite contegebant uſque ad pedes. Videntur verò olim mulieres, pro diverſis tunicis, diverſa quoque palliola habuiſſe, ita ut talem tunicam cum tali palliolo geſtarent, quod & hodie variis in locis obſervare nôrunt mulieres. Quibus autem, pro variis tunicis, varia & ſua quædam propria palliola ſumebantur, ſolebant ſingulas tunicas ſuis palliolis inſtruere, quæ *palliolatæ* vulgò videntur appellari conſuetæ. Sic tunicarum cum palliolis junctim meminit Scævola *l.* 38. *D. de aur. arg. mundo*, quæ *in Pandectis Florentinis* ſic legitur: *Sempronia Pia hoc amplius coopertoria Tabiana & tunicas tres*

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cum palliolis, quæ elegerit, dari volo. Quæro an ex univerſa veſte i. e. an ex ſyntheſi, tunicas ſingulas & palliola Sempronia eligere poſſit. Reſpondit, ſi eſſent tunicæ ſingulares cum palliolis relictæ, ex his duntaxat eligi poſſe: quod ſi non eſt, hæredem vel tunicas & palliola, ſed ex ſyntheſi præſtaturum, vel veram æſtimationem earum. Ad quam vide Salmaſ. *d. l.* Plura verò de *Palliolo* mox.

PALLIOLUM, breve fuit & anguſtum pallium, ut vox ipſa declarat, quô Romani cùm latere volebant, item mulieres, languentes & delicati homines, caput obnubere ſolebant aliquando *Pallii* quoque nomine dictum. Injiciebatur id totum capiti, unde de Mæcenate Seneca, *Ep.* 114. *Hunc eſſe, qui in tribunali, in Roſtris, in omni publico ſic apparuerit cœtu, ut palliô velaretur caput, excluſis utrinque auribus, non aliter quàm in Mimo Divite fugitivi ſolent.* Atqui ſervos olim in Comœdiis fugitivos cùm ſe ad curſum expedirent, *Pallium* in caput injeciſſe, ut agiliores eſſent, notum ex Plauto *Captivis* & *Epidico.* Sic quòd novô more *Palliolatus*, i. e. caput *Palliolô* tectus, in gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ Matris edebat, præſediſſet Claudius Imperator apud Suetonium, *c.* 2. reprehenſus legitur, & ſola valetudo excuſare poterat. Eidem *adraſum incluſiſſe caput* Trimalcionem, notiſſimam luxuriæ victimam, refert Petronius. Idem geſtamen meretricum quoque fuiſſe, oſtendunt Martialis illa, *l.* 9. *Epigr.* 33. *v.* 1.

Hanc volo, quæ ſimplex, quæ Palliolata *vagatur.*

Et Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 94.

——— *Dorida nullo*
Cultam Palliolo &c.

Aliter Græci caput operiebant, cùm latere inprimis vellent, adductô nempe in caput palliô, quæ propria eorum veſtis erat, ut infrà videbimus. Lucian. *Dialogo mortuor. de Philoſopho. Flet, quia non ampliùs tam opiparas cœnas habebit, neque noctu exiens clara omnibus,* τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας, *pallio caput involutus, ordine omnia accedet ſcorta.* Plautus *Curcul. Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 9.

Tum iſti Græci palliati capite opertô qui ambulant.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. paſſim, inprimis Part.* 2. *l.* 4. *c.* 23. & de *Pallio, quô fœminæ olim capita abſcondebant*, Ans. Solerium *l. de Pileo*, ut & hic infrà in voce *Pallium* it. *Theriſtrum.*

PALLIUM, Veteribus in genere omne veſtimenti genus ſignificavit, quàm apertum, tam clauſum, ut etiam Toga *Pallio rotundum* dicatur *Iſidoro*; Abuſivè pro *Palliolo* quoque ſumi fuiſſe ſolitum ſuprà vidimus: Propriè verò ac ſimpliciter communique loquendi more, pro Græco accipitur indumento, quatenus à Toga Romanorum diſtinguitur. Hinc *tranſire à Toga ad Pallium* &c. cùm tunica, interior nempe veſtis utrique genti communis eſſet. Græcis illud ἱμάτιον, Atticè θοιμάτιον, item Φᾶρος dictum, quamvis enim utraque hæc vox genericè, pro quavis veſte non raro uſurpata reperiatur, tamen & Ἱμάτιον, propriè id indumentum quod tunicæ ſuperinducebatur, indigitâſſe, ex Demoſthene patet & Plutarcho *in Lycurgo*, Æliano item *Var. Hiſtor. l.* 1. *c.* 16. Et Φᾶρος de virili *Pallio* paſſim Homerus uſurpat. Vide quoque *Antholog. l.* 1. *c.* 1. de Xerxe, qui, cùm corpus Leonidæ mortui adſpexiſſet, honoris causâ ἐχλαίνε φάρεϊ πορφυρέῳ, *Involvit pallio purpureo.* Latina vox à *Palla* rectè Iſidoro derivatur, quæ inde dicta, *quod palàm & foris eſſet*, teſte *Varrone*: Nam verè in Romano cultu, non alius *Pallii* uſus, quàm in fœminis, quarum habitus exterior *Palla* dicebatur, quæ nihil aliud fuit, quàm *Pallium*, apertum ſcilicet, quodque corpori circumjectum illud veſtiret. Sed & ſuam poſtea Græci hanc vocem facientes, Παλλίον vocavêre. Fuit autem veſtimentum apertum, quod tunicæ imponeretur, laxum, atque ad pedes fuſum & ſemirotundum, quale prorſus *Pallium* Romanarum mulierum ſive *Palla*, ut ex veteribus ſtatuis palliatis videre eſt. Geſtabatur id, vel ut pars utraque ad pedes fuſa caderet, vel ut una pars ſive ala, dextra ſcilicet, ſiniſtro brachio imponeretur aut eidem ſubjiceretur, aut demum ſiniſtro humero injiceretur: quæ ultima geſtandi *Pallii* ratio communis, honeſtiorum præcipuè erat, nempe ut pars ejus dextra ita imponeretur ſiniſtro humero, ut totum corpus atque utrumque humerum involveret, ſolaque ferè dextra ad pectus extaret, interdum ipſa quoque operiretur: quorum prius, nempe brachium *Pallio* involutum fuiſſe, ſolâ dextrâ eminente, docet Quintilian. *l.* 11. *c.* 3. poſterius, de Pericle Plutarchus *in Politicis*, ubi ait, eum fuiſſe ſolitum τὴν χεῖρα συνέχειν ἐντὸς τῆς περιβολῆς, *manum continere intra pallium.* Hinc & apud Xenophontem *de Rep. Laced.* traditur Lycurgus inſtituiſſe, ut, qui ex Ephebis exceſſerant, manum pallio continerent, quò modeſtior eorum inceſſus eſſet; cùm antea, ubi ex Ephebis exceſſêre, ſumtô *Pallio* (cum prius Chlamydem geſtâſſent) more Virorum, cohibitô brachiô dextram exercere ſolerent. Reliquos omnes palliatos, honeſtiores ſaltem, brachium *Palliô* continuiſſe, ut ſola extaret manus, Val. Max. inter alios docet *l.* 6. *c.* 9. cùm Polemonem temulentum, auditô Xenocrate, *primùm coronam capiti detractam projeciſſe, paulo pòſt brachium intra* Pallium *reduxiſſe*, refert. Quô habitu ſtatuam M. Aurelii palliatam videre eſt, in atrio Palatii Veneti quam Ferrarius exhibet *de Re Veſtiar. Part.* 2. *l.* 4. *c.* 5. Itaque magna fuit veter. Græcorum in veſtitu decoro *Palliique* modeſto atque ingenuo circumjectu cura; ut vel unus Athenæus abunde teſtatur, cùm magnopere Veteres allaborâſſe tradit, κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα, *ornatè ac decenter componere Pallium l.* 1. Imò notam hominis minimè ingenui hanc quoque ponit Lucian. *de compon. Hiſt.* ὃς οὔτε τὴν ἐσθῆτα οἶδεν, ὡς χρὴ περιβάλλεσθαι, *qui neſcit Pallium, ut oportet, componere.* Supra genua illud ſubducere, negligentiæ ac ruſticitatis erat; quare apud laudatum Athenæum, Amphis vetus Poëta, jubet pectori injici *Pallium*, illudque ruſticorum more ſupra genua advolvi vetat. Quod & honeſtas ſuaſit, cùm tunicæ viriles non minùs apud Græcos, quàm apud Romanos, paulo infra genua caderent: Tum enim eveniebat, ut in ſedendo contraherentur fierentque breviores, ſicque demiſſô decenter *Palliô*, ea quæ obvelari convenit, nullô tum feminalium aut braccarum uſu, contegerentur. Quò pertinet notum Philippi Macedonum Regis tunicâ contractâ indecorè ſedentis apophthegma. Quoties autem ad opus vel iter ſeſe accingebant, quò expeditiores eſſent, non unam tantùm *Pallii* partem ſeu alam, dextram videl. ſiniſtro humero imponebant, ſed utramque, dextram in ſiniſtrum, ſiniſtram in dextrum humerum retrorſum rejiciebant, ut nempe illô ſubductô atque in collum conjectô utrumque brachium exereretur, minimeque pallium ad pedes fluens feſtinantibus moram injiceret. Et quidem habitus hic non tam civium atque honeſtiorum hominum, quàm ſervorum fuit, cùm ſe ad verſuram expedirent, in Comœdiis palliatis. Plautus *Captivis, Actu* 4. *ſc.* 1. *v.* 11.

Nunc certa res eſt, eôdem pactô, ut Comici ſervi ſolent,
Conjiciam in collum Pallium, *primò ex me hanc rem ut audiat* &c.

Idem in venatione factum, vel prorſus depoſitum eſſe *Pallium*, ex *Oppiano* obſervavit *Caſaubon.* In bello autem nullus ejus uſus, tum namque chlamys ſumta, quæ brevior ac fibulâ adſtricta, nec defluere nec morari præliantes poterat: Proin, cùm Græcia ferè omnis propter frequentia latrocinia & crebras incurſiones etiam in pace armata degeret, tunicæque ac *Pallii* communi uſu fermè abolitô, lineæ tunicæ ſeu loricæ paſſim geſtarentur & pro *Pallio* chlamydes eſſent, Cyri tempeſtate, hic Lydorum gentem exitio daturus, ex conſilio Crœſi, illos juſſiſſe arma tradere ac *Pallium* tunicis imponere, legitur apud Thucydidem *l.* 1. Porro, quid actum in concione, cùm in ſuffragiis ferendis manus porrigi ac extendi deberent? Quid cùm Oratores ad Populum verba facerent? num ſine geſtu brachiô ita involutô, uti dictum, id contigerit, quæritur. Tum certè non manum modò, ſed totum quandoque brachium exertum fuiſſe credere par eſt. Interim *Æſchines* apud Timarchum clarè oſtendit, morem exerendi brachium non fuiſſe antiquum, narratque in Foro Salaminiorum ſtatuam Solonis eô habitu & compoſitione corporis, quâ ad Populum perorabat, poſitam fuiſſe, Ἐντὸς τὴν χεῖρα ἔχουσαν, *manum Pallio contenentem.* Primum autem hunc morem mutavit Cleon, Thucydidi propterea Ariſtophanique non ſemel reprehenſus. Tandem, qui *Pallium* non aptè ſubducerent, ſed illud traherent, partim tanquam ſoluti & effœminati, partim & negligentes, notabantur. Proin Plut. de Alcibiadis filio verba memorans Archippi, Βαδίζει, inquit, διακεχλιδὼς θοιμάτιον ἕλκων, *Incedit diffluens, Pallium trahendo.* Apud Terentium *Eunucho, Actu* 4. *ſc.* 6. *v.* 31. Thais Chremeti, *Attolle pallium* ait: Ubi Donatus, *vel quia ſimplex eſt, vel quia ebrius Pallium trahit Chremes.* E quibus omnibus facilè patet, *Pallium* commune fibulâ caruiſſe, quæ Chlænarum propriè ac Chlamydum erat: Ideo Homerus, de Chlæna voce περονήσατο, i. e. *infibulavit, Il.* x. *v.* 133. de Pallio nuſquam, utitur. Sicut autem calcei Togæ, ſic crepidæ *Pallii* peculiares fuêre, ſine quibus id nulquam ſumtum. Livius de Scipione in Sicilia otiante *l.* 29. *c.* 19. *Ipſius etiam Imperatoris, non Romanus modò ſed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum* Pallio crepidiſque *inambulare in Gymnaſio:* quod imitatus eſt in Ægypto Germanicus, ubi *pedibus intectis inceſſit & pari cum Græcis amictu*, apud Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 59. Idem de Claudio Neapoli agente refert Dio *l.* 60. Lana *Pallii*, ſicut & reliquorum veſtimentorum, antiquitus materia fuit, nec niſi in Mulieribus lineæ interdum veſtis uſus reperitur, interim ex ipſo lanæ pretio textura plus minuſve æſtimabatur: Quemadmodum Ælian. *Var. Hiſt. l.* 1. *c.* 16. tradit, Apollodorum Socrati morituro attuliſſe, χιτῶνα ἐρίων πολυτελῆ καὶ εὐήτριον καὶ ἱμάτιον τοιοῦτο, *Tunicam ex pretioſa lana pulchreque textam, ſimile item Pallium.* Sic *Lanæ ovium Atticarum*, meminit Plutarchus *de aud.* &c. Serici *Pallii malaci*, Plautus *Milite Glor. Actu* 3. *Sc.* 1. *v.* 94. Colore, apud Græcos, lineæque veſtis rarus ſeruſque uſus, fuit honeſtiores, *Pallium*, ſicut & Romanæ Togæ Tunicæque, albo, nec pullus niſi in luctu ſumtus, ut luculenter demonſtrat Artemidorus *l.* 2. *c.* 2. Imò ita in Græcia alba veſtimenta vulgò uſurpata legimus, ut veſtis infectæ uſus, in Populi conventu ac in Spectaculis, lege eſſet interdictus: Solis Sponſis *Pallii* βαπτοῦ, ſive *tincti* uſu permiſſô. Quare mirum eſt, Ælianum *l.* 4. *c.* 22. prodere, veteres Athenienſes *Pallia* purpurea, tunicaſque variegatas ſolitos fuiſſe geſtare &c. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria Part.* 2. *toto l.* 4. Non ingenui autem ſolùm, ſed & ſervi in Græcia vulgò palliati fuêre. Unde Plaut. *Captivis Actu* 4. *Sc.* 2. *v.* 8.

Sed Ergaſilus eſt ne hic, procul quem video?
Collectô quidem eſt Palliô, *quidnam acturus eſt?*

Idem *Epidico Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 1. ubi ait Theſprio ſervus.

Quis properantem me prehendit pallio?

Vide quoque Terent. *in Phormione*, &c. E quibus intelligimus, ſervos cùm properarent, ne fluens *Pallium* curſuram impediret, ſolitos fuiſſe illud in collum conjicere, h. e. dextram partem in ſiniſtrum humerum, ſiniſtram in dextrum, ut ſic eſſent expeditiores: Quô habitu interdum & liberi, ut Paraſiti trechedipni, cùm ad cœnam feſtinarent: Idemque color ſervilis *Pallii*, nempe albus, & lætitiæ cauſâ candidus erat. Quare Olympio apud Plautum *in Caſina* in nuptiis vulgi more candidatus introducitur. Interim propria eorum veſtis fuit Exomis & Diphthera, Ferrarius *l. cit. c.* 21. A Toga Tertullian. ad *Pallium* tranſiit, editô propterea ſcriptô Apologet. cui de *Pallio* titulum fecit, ad quem tam multa Interpretes diſputârunt. Quod ab eo factum quidam volunt, cùm Chriſtianus factus eſt. Unde ipſe in

in fine libri, *Gaude Pallium, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.* Veriſimile enim videtur, primis illis Eccleſiæ temporibus, qui Chriſto nomen darent, ipſô etiam habitu cultuque Chriſtum & Apoſtolos imitari voluiſſe, quos *Palliatos* Hebræorum more fuiſſe conſtat. Alii, non cùm Chriſtianus, ſed cùm Sacerdos factus eſſet, habitum mutâſſe contendunt. Ferrarius hoc eum feciſſe conjicit, cùm primùm ἄσκησιν & ſtrictiorem diſciplinam profiteri cœpit, *l. cit. c.* 18. Vide quæ Pamelius ad *Tertullian. de Pallio* annotavit, & diſputantem contra eum *Baronium*. A *Pallio* Græci nonnunquam ſimpliciter *Palliati*, item *Gens palliata*, ſicut Romani à Toga *Togati*: & Comœdiæ Græcæ *Palliatæ*, ſicut Romanæ *Togatæ*, dictæ ſunt. Vetus Interpres Juvenalis, *ad illud. Sat.* 1. *v.* 3.

——— *Recitaverit ille Togatas:*

Togatæ, inquit *Comœdiæ Latinæ*, *Palliatæ Græcæ*, *quales Africanus fecit.* Ubi Ferrarius verba ultima retrahenda & Togatis ſubjicienda eſſe docet, Afranium enim Togatas dediſſe notum eſt, vide eum *l. cit. c.* 1. &c.

Varii Pallii species, ex Ferrario aliisque.

Abolla, vide ſuprà.

Album, & in lætitia candidum, non minùs ſervis ac ingenuis apud Græcos fuiſſe in communi uſu, ſuprà viſum. Hinc cùm mortui viventium veſte efferrentur, ideo ægrotanti alba veſtimenta per ſomnium viſa mortem prænuntiabant, ſecundùm diſciplinam Artemidori *l.* 2. *c.* 2.

Aſcetarum *Pallium* Tribonium fuiſſe, ſentit Ferrarius *Part.* 2. *l.* 4. *c.* 18. Qui quoniam Philoſophorum erat habitus, quorum plurimi ſolâ barbâ ac *Palliô* Sapientiam mentiebantur, reliqua impoſtores ac ſycophantæ, eadem in Chriſtianos illos ac in hos convitia expetebant. Imò & Mulieres Aſcetrias eâdem veſte tectas fuiſſe, apparet ex *can.* 13. Synodi Gangrenſis, *Si quæ mulier propter ἄσκησιν habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem* (i. Pallium) *ſumit*, *anathema.*

Aſiaticorum, & reliquarum gentium ad Orientem colentium *Pallium* quadratum fuiſſe videtur. Unde Romani, in Aſia negotiantes, ut Mithridatis effugerent crudelitatem, poſitis Togis, quadrata veſtimenta gentis illius propria ſumſiſſe leguntur, apud *Athenæum*.

Carthaginenſes antequam Togam induerent, *Pallium* geſtavêre quadrangulum, quod in humeris fibulâ nexum ſedebat, & humerum utrumque advelabat, teſte Tertullianô *de Palliô*. Quod poſteà abolitum, apud ſolos Æſculapii Sacerdotes remanſiſſe idem docet.

Chriſti Domini commune fuiſſe *Pallium*, non Tribonium, ut quidam contendunt, vel hinc patet, quòd aliàs fruſtra milites ſuper pannuceâ, ne centonibus quidem bonis dignâ, ſortem miſiſſent. Chriſtianos primis temporibus *Pallium* ſumſiſſe ſuprà vidimus: è quibus illi, qui ſerius vitæ inſtitutum ſectati ſunt, Tribonium geſtabant, ſed non duravit diu hæc tribonophoria, imò cùm Conſtantini ætate Euſtathius Sebaſtenorum Epiſcopus Epiſcopos Presbyteroſque omnes ad vetus Tribonii geſtamen revocare conaretur, Synodô Gangrenſi *Can.* 12. damnatus eſt.

Coccinei *Pallii* jus Imperatorum ſolorum erat, namque & hîſce inferiori ævô aliquis *Pallii* uſus fuit. Vide Vopiſcum in *Valeriano* & *Albino*. *c.* 2.

Commune, ſuprà prolixè deſcriptum eſt.

Cynicum; ut & Pythagoreum ac Stoicum, à communi in hoc differebat, quòd detritum, obſoletum, ſordidum ac pullum eſſet, cùm commune albô niteret colore: Præterea Cynici Tribonium non ut cæteri Philoſophi geſtabant, extremam nempe *Pallii* partem dextram in ſiniſtrum humerum ſic rejiciendo ut ſola manus extaret, ſed totam Tribonii partem dextram ita in ſiniſtrum conjiciebant humerum, ut cum toto brachio dexter humerus nudus exereretur, parte quoque pectoris renudatâ: Neque enim Tunicam geſtabant, ut Stoici cœterique Philoſophi. Exhibet iſtiuſmodi hominis iconem Ferrarius *c.* 20.

Fuſcum *Pallium* Tribonium erat, de quo vide *ſuô locô*. Quem colorem Epiſcoporum quoque veſtitui fuiſſe, Baronius notat *ad A. C.* 407. (ubi Joh. Chryſoſtomum, morti proximum, exuiſſe veſtimenta atque alba ſumſiſſe, ex ejus Actis refert.)

Gallicum *Pallium* fibulatum fuiſſe, colligitur ex Vopiſco *in Probo*, *c.* 4. cui Valerianus inter cœtera juſſit dari, *Pallia Gallica fibulata duo.* Viri docti, qui in Tertullianum ſcripſerunt, *Sagochlamydes* explicant.

Judaicum, quatuor in imo angulos habuit, in quo ex præcepto Dei, fimbrias & vittas hyacinthinas geſtabant, Numer. *c.* 15. *v.* 38. adeoque quadratum fuit, & à Græcorum *Pallio* diverſum. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria*, *Part.* 1. *c.* 4.

Muliebre *Pallium*, Ἱμάτιον quoque dicitur Plut. *de Præc. connub.* Vide ſuprà *Palla*, & infrà, in voce *Theriſtrum*. Lacænas verò, cùm nuberent, amiciri fuiſſe ſolitas ἱματίῳ ἀνδρείῳ, *Palliô virili*, idem Plut. *in Lycurgo* refert.

Nuptiale *Pallium* βαπτὸν, i. e. *tinctum* ſeu *infectum* erat, quale ſolis Sponſis in Græcia geſtare licebat, vide Ariſtoph. *Pluto Actu* 2. *Sc.* 5. & *veter.* Interpretem *in locum*.

Perſicum *Pallium*: quadratum erat ac fibulatum. Unde Suidas, φιβλατώριον περιβόλαιον Περσικόν. Vide quoque infrà *Schuba*.

Philoſophicum *Pallium*, detritum erat, obſoletum, ſordidum ac pullum, aliàs *Tribonium* dictum. Non enim ſolius Cynicæ ſectæ geſtamen Tribonium fuit; cùm & Socrates, ac Pythagorei, Stoici item, & reliqui ſeverè Philoſophantes hanc veſtem peplis omnibus Regumque indumentis prætulerint. Et quidem primus Socrates Tribonium Sapientiæ aptavit, cùm reliqui prætér memoratos in communi habitu inceſſerint, & ante ipſum Philoſophi idem factitarent. Unde Pythagoram veſte albâ purâque ſemper uſum, apud *Laërtium* atque *Ælianum* legimus. Color *Pallii* fuſcus & ſubniger atque obſoletus erat; qualem fuiſſe Pænularum, item fermè Lacernarum, imò & Tunicarum Rom. plebis ac viliſſimi cujuſque, unde *Pullatus circulus* ac *Pullata multitudo*, apud Auctores legimus. Idem prælongum fuiſſe, notavit Jac. Oiſeli us JCtus *in A. Gell. l.* 13. *c.* 8.

Sternia vide *infrà*.

Virile, ſuprà pluribus expoſitum eſt, &c.

PALLIUM, inſigne honoris atque dignitatis, quod Archiepiſcopis aut Metropolitanis confert Pontifex, è lana: quæ deſumitur à duobus agnis candidis, qui die Agnetis, in templo illi ſacro Romæ, cum in miſſa imploratur Agnus Dei, ſuper altare ponuntur, poſteà traduntur Baſilicæ D. Petri Subdiaconis, in paſcua mittendi, ſuôque tempore tondendi. Latum eſt tres digitos, ab humeris in pectus atque renes propendens: ad extremum ſunt laminæ plumbeæ tenues, ejuſdem latitudinis, Sleidan. *l.* 13. Spelmanno habet circulum deſuper humeros conſtringentem, & duas lineas ab utraque parte dependentes: quatuor autem cruces purpureas antè & retrò, à dextris, & ſiniſtris: ſed à ſiniſtris duplex eſt, à dextris ſimplex. Tribus acubus aureis ante pectus, ſuper humerum & poſt tergum, affigitur. Dicitur *plenitudo Pontificatus officii*; quoniam, antequam Metropolitanus *palliô* decoretur, nec Clericos ordinare, nec Eccleſias dedicare, nec aliquem Epiſcopatui inaugurare poteſt. Poſtquam hôc modò contextum eſt, defertur unà cum aliis ad corpora divi Petri ac Pauli, ubi certis precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam: alterâ die Subdiaconi illa recipiunt. Traditur dein multis cum ceremoniis, & deferentibus mandatur, ne ſupra noctem unam in eodem loco ſubſiſtant. Hanc mercem magnâ pecuniæ vi redimunt Archiepiſcopi, intra ſpatium trimeſtre, illôque in ſacrificiis atque Miſſis inprimis utuntur. Neque verò licet anteceſſoris uti Palliô, ſed quiſque ſibi tenetur illud Romæ comparare: imo cùm talis alterius Eccleſiæ Archiepiſcopus vel Metropolitanus evadit, novum ſibi emere neceſſe habet. Sleidan. *l.* 4. *&* 13. Græci *Pallia* à Romanis Pontificibus redimere deſierunt, circa A. C. 934. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* Vide prolixe de *Pallio* diſſerentem, prædictum Spelmannum *in Gloſſar.* & *Pragmatica.* Græcè Ὠμοφόριον, cujus conficiendi rationem accuratè tradit Chriſtophorus Marcellus auctor *Ceremonialis Rom. l.* 1. *ſect.* 10. Vide quoque Cencium Camerarium *in Ceremoniali*, & ſupra *Orarium*. Originem ejus uſumque ab ipſo Lino quidam repetunt, alii ante Marci Epiſcopi qui vixit A. C. 336. tempora, ejus mentionem non fieri obſervant: Alii denique hanc prærogativam Sylveſtro demum Papæ à Conſtantino M. conceſſam volunt, unde ad cœteros Patriarchas & Archiepiſcopos profluxerit: Quam in rem vide quæ annotaverit Car. du Freſne *Diſſertat. de Byzantinorum Impp. nummis.* Quantâ autem id reverentiâ ab Epiſcopo delatum in vaſe argenteo ab Archiepiſcopo ſuſciperetur, eidemque imponeretur, narrant pluribus Eadmerus *Novorum l.* 2. & 5. Wilh. Malmesburienſis *de Geſtis Pontific.* & *Ceremoniale* Epiſcoporum *l.* 1. *c.* 16. factô priùs ſacramentô Pontifici, ùt eſt *c.* 3. *de Juram. Extra* & *c. de Elect.* apud Gregor. Poſt obitum, Archiepiſcopi cum *Pallio* ſepeliendi ſunt: & quidem ſepeliantur in provincia ſua, circa humeros ſupra planetam: ſi verò extra provinciam, ponendum erit *Pallium* plicatum, ſub eorum capite, Adamus Bremenſis *c.* 45. Porrò, Pontificibus, Patriarchis, Primatibus & Metropolitanis proprium eſt, & quod *de corpore S. Petri* ſumi ſolet, (quæ phraſis hinc orta, quòd poſtquam confecta ſunt, per Subdiaconos portantur ad Baſilicam Petri, & per Canonicos Baſilicæ ponuntur ſuper corpora Petri & Pauli Apoſtolorum, ſub Altari majori) à ſolo Pontifice conceditur, & quidem olim non niſi Romam & ad Apoſtolorum limina venientibus & fortiter poſtulantibus Metropolitanis dabatur: poſteà verò mitti cœpit per Romanæ Sedis Legatos. Interim & Patriarcharum etiam prærogativa eſt, ut, cùm ipſi Româ acciperent, *Pallium* Suffraganeis ſuis concederent: quod indultum olim ab Innocentio III. Patriarchæ Conſtantinopolitano, poſtmodum ad omnes Patriarchas extenſum eſt Conciliô Lateran. A. C. 1215. Uſus ejus ad ſolenniores feſtivitates reſtrictus paſſim legitur, ne, ut & in Concilio VIII. *c. ult.* hujuſmodi cultu per faſtum, aut ſuperbiam abuterentur Metropolitani: quæ quidem ſacra feſta deſignantur in Epiſtolis Pontificiis, ſcil. *Nativitas Domini*, *Feſtivitas S. Stephani*, *S. Johannis. Circumciſio Domini*, *Epiphania*, *Dominica Palmorum*, *Cœna Domini*, *Sabbatum ſanctum*, *Paſcha*, *Feria ſecunda poſt Paſcha*, *Aſcenſio Domini*, *Pentecoſte*, *tres* (al. quatuor) *Feſtivitates S. Mariæ*, *Natalis Johannis Bapt. Solennitas omnium Apoſtolorum*, *Commemoratio omnium Sanctorum*, *Dedicationes Eccleſiarum*, *Conſecrationes Epiſcoporum*, *Ordinationes Clericorum*, *Eccleſiæ propriæ principales Feſtivitates*, *& anniverſarius Conſecrationis dies*, Innocentius III. *l.* 15. *Epiſt.* 57. 58. Etiam Pallii uſum in Imperatoris aliorumque Magnatum & Principum ſepulturis, Patriarchæ Conſtantinopolitano indulſit Idem, ut in ejus *Geſtis* legitur *p.* 102. Porrò utuntur eô Metropolitani, in Miſſarum ſolennibus, in Eccleſiis ſibi ſubjectis; non etiam in proceſſionibus & aliis occaſionibus; niſi ex indulto Pontificis: Solus Pontifex illud in Miſſarum ſolennibus ſemper & ubique adhibet, ut in iiſdem *Geſtis* legere eſt. Interdum tamen ex peculiari indultu legimus conceſſum, à Pontificibus Romanis ut Metropolitani, quoties vellent, *Palliô* uterentur: ut Brunoni Colonienſi Archiepiſcopo ab Agapeto II. apud Flodoardum *l.* 3. *c.* 10. Uti vero

Pallium Archiepiſcopis confertur, in ſignum plenariæ poteſtatis, ita ſi degradentur, eis aufertur, teſte eôdem *l.* 4. *c.* 35. &c. Sed & *Pallium* ſæpe aliis conceſſum legitur, quàm Metropolitanis; Epiſcopis videl. quibus id privilegii Pontifices indulſêre, quod quibuſdam *perſonale*, i. e. ad vitam, aliis *reale* fuit i. e. eorum Eccleſiis conceſſum. Ad vitam conceſſum legitur aliquot Epiſcopis Metenſibus, Urbicio ſcil. Chrodegango, Angibranno, Drogoni, Walæ, Roberto & Stephano Barrenſi, apud Meuriſſium *Epiſc. Metenſ.* quorum proin aliquot *Archiepiſcopi* nomen ac titulum uſurpârunt. Epiſcopis verò, & eorum Eccleſiis, conceſſi *Pallii* exempla proſtant in Anicienſi in Gallia, apud Durandum *Ration. l.* 3. *c.* 17. Pariſienſi, ex conceſſione Gregorii XI. Papienſi in Lombardia & Maſſano, in Regno Neapol. apud Hoſtienſem *in Summa tit. de uſu Pallii:* Lucenſi, in Tuſcia, Bambergenſi in Germania, Quinqueccleſienſi in Hungaria, *in c. Cùm in juv. Extra de Præſumpt.* Catanenſi in Sicilia Epiſcopo *Pallium* indulſerat Alexander III. ſed Lucius III. abſtulit, apud Rocchum Pirrum; ut & Richardo Syracuſano, idem Alexander, apud eundem Pirrum, ſed Clemens III. ademit. Sed ejuſmodi indultam Epiſcopis prærogativam ægrè paſſos eſſe Archiepiſcopos, diſcimus ex Flodoardo *l.* 4. *c.* 4. *extremo*, aliiſque. At *Pallium* deferunt omnes Epiſcopi, apud Græcos, teſte Luithprandô in *Legat.* &c. Plura de *Pallio*, ejus forma, uſu & ſignificatione, apud Nicol. Bralionum *in Pallio Archiep.* alioſque laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* Ejuſdem meminit Jacobus Cardin. *de Coron. Bonifacii VIII. l.* 2.

> Pallia *tunc humeris crucibus candentia nigris*
> *Impoſuit Levita rubens, quibus aurea puros*
> *Sapphiros defixit acu* &c.

Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.* & ſuprà in voce *Lorum Conſulare.*

PALLIUM, quoque velum Monialium dictum, in *Vita* Aldegundis Abbatiſſæ Melbodienſis *c.* 4. Unde *Virgines palliatæ*, pro *velatis*, in *Collectione* Canonum Hibernic. *l.* 43. *c.* 10. Etiam velum, quod in Communione Romana inter Miſſæ ſolennia ſupra caput nubentium expanditur, conceptas quaſdam orationes Sacerdote interea recitante, *Pallium* dici, monet Durandus *Ration. l.* 1. *c.* 9. *num.* 9. quod aliàs *Velamen nuptiale*, de quo ſuô locô. *Candidi* illud *purpureique coloris Vittam*, vocat modò dictus Durandus. Sed & *Pallium* idem nonnunquam cum aulæo vel palla eſt, de qua ſuprà. Interdum ipſam *Pallii* materiam, pannum ipſum, hôc nomine venire, deprehendimus. Unde in Eccleſ. Roman. id panno nigro manſit, qui feretro inſternitur, cùm mortui cadaver humandum defertur: ut & umbraculo quatuor haſtis ſuſtentari ſolito, ſub quo vel Euchariſtia deferri conſuevit, vel, quod Regibus Principibuſque viris, in ſolennibus ceremoniis ac urbium ingreſſibus, prætenditur, quam quidem umbellam nonnullos perperam *Poile*, pro *Paille*, appellare notat Car. du Freſne: additque, ab eadem voce Gallica, deductum eſſe *Pallare* & *Paller*, pro, *ædium parietes palliis exornare*, Gall. *Tapiſſer*; atque hinc vocem *Palle*, in armorum ſeu inſignium deſcriptionibus, originem ducere: cùm certum ſit, ita in iis *Pallia* bicoloria deſignari, non verò *palos* ſeu *paxillos*; ut hactenus creditum Viris Heraldicæ Artis peritis. Sic inſignia Regum Aragonenſium *pallata* ſunt ex auro & rubeo, ſeu *palliis* aureis & coccinei coloris diſtincta. Sed & Itali *Paglio* vocant, quod Galli *Paille*. Hinc enim *correre in paglio* dicunt, cùm equorum vel equitum curſus inſtituitur, *Palliis* pretioſioribus in præmium propoſitis, uti *Falceto* obſervatum. Nec omittendus *Palliô cooperiendi* filios, ante matrimonium natos, ritus, quod Galli vocant, *Mettre les enfans ſous le drap*, qui adhibetur, in natis ex concubina: quam Pater poſtmodum in legitimam uxorem, coram Sacerdote, accipit. Cujus initium fluxiſſe ab eo videtur, qui obſervatur in adoptionibus, in quibus, adoptivos *Pallio* ac ſtolâ propriâ adoptantes quodammodo involvebant, ut ab iis quaſi prognatos indicarent, de quo pluribus egit idem Car. du Freſne *ad Joinvillam* & *ad Annam Comnenam.* Ita in legitimationibus per ſubſequens matrimonium, liberi, in ipſis Nuptiarum ſacris ſolennibus, cum Patre & Matre *palliô* operiuntur, ut ab iis ex legitima conjunctione procreati innuantur. Meminit moris hujus Wilhelmus Gemmeticenſis *Hiſtor. Norm. l.* 8. *c.* 36. *Hac itaque de cauſa Comes Richardus Gunnorem Comitiſſam more Chriſtianô ſibi copulavit, filiique, qui jam ex ea nati erant, interim, dum Sponſalia peragerentur, cum Patre & Matre palliô cooperti ſunt.* Philippus verò *Mouſkes* in *Lothariô*, ſolô Matris palliô opertos Gunnoris filios refert. Item Richardus *Groſſeteſte* Lincolnienſis Epiſcopus *Ep.* 13. ad Walterum *de Raſeg*, Tribunalis Regii Præſidem: *Et ut Seniorum relatione didici, conſuetudo etiam in hoc Regno antiquitus obtenta & adprobata tales legitimos habuit ac hæredes: unde in ſignum legitimationis nati ante matrimonium conſueverunt poni ſub pallio ſuper Parentes eorum extento, in matrimonii ſolemnizatione.* Eundem ritum in ipſis Comitiis adhibitum, & Parlamentariâ auctoritate, ſub Richardo II. legitimos ſic factos eſſe liberos Johannis Gandavenſis Ducis Lancaſtriæ, è Catharina, uxore ejus tertia, ante matrimonium ſuſceptos, narrat Joh. Seldenus *Diſſertat. ad Fl.* Paucis etiam hic notandum, *Pallia* quoque dictas Francis eas veſtium *liberationes*, quæ fiebant Officialibus Regiis convivis ſeu *Commenſalibus.* Nam aliis *Pallia*, aliis *Robæ* dabantur, ſtatis anni tempeſtatibus, uti obſervatum Car. du Freſne *ad Joinvillam Diſſertat.* 5. vulgò *Droit de manteau.* Vide de voce *Pallium* plura, apud Eundem *Gloſſar.* ut & inſuper aliquid hic infrà.

PALLIUM Venenatum, quod etiam ſimpliciter *Venenatum*, vel *flammeum* vel *purpureum* erat, quô Flaminica olim apud Romanos caput operiebat & *Rica* dicebatur, quòd purpurâ infectum eſſet, nomen accepit. Mattius *Mimiambis*, apud A. Gellium, *l.* 20. *c.* 9.

> *Nec tonſiles tapetes ebrii fuco,*
> *Quos concha purpurâ imbuens venavit.*

Idem enim color *flammeus*, *venenatus* & *purpureus*. Sed & aliis mulieribus ricam attribuit *Varro*, quâ, ſacrificium cùm facerent, capita velabant, quam pari modô *pallium* quoque & *ricinium* Veteres appellavêre; eôque nomine & pileos & mitras & diademata & ſudaria & tiaras & capitis vincula & tænias & lora & faſcias & quidquid eſt ſtringendo, alligando tegendoque capiti & capillis colligandis, ſtringendiſque comis, comprehenderunt. Et *pallium* quidem ac *palliolum*, operimentum capitis muliebre fuiſſe, pluſquam notum. Viris verò quoque *pallium* tegendo capiti fuiſſe, multis Auctorum locis *ad Tertulliani Pallium* oſtendit Salmaſ. Trimalcio Petronianus, *pallio adraſum incluſerat caput.* Apud Rutilium Lupum *de fig. Sentent. l.* 2. *Soleatus præ lectulo, palliolô frigus à capite defendens:* ubi *pallium* vocat, quod in Græco erat πιλίδιον. Unde *palliolatus*, palliolô tectus vel pileô, de Claudio Imperat. apud Sueton. *c.* 2. Vide ſuprà. Sic tutulus, qui pileus erat lanatus Pontificum Flaminumque, *pallium* vocatur, apud Fulgentium *de Serm. antiq.* ex Numa Pompilio: *Numa verò Pompilius, tutulum dici ait pallium, quô Sacerdotes caput tutabant, quum ad ſacrificium acceſſiſſent, ſicut & Virgilius ait, l.* 3. *Æn. v.* 545.

> *Et capite ante aras Phrygiô velamur amictu* &c.

Vide omnino Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Aureliano. c.* 43. ubi quid *Pallium muliebre* eſſet & quot modis diceretur, pluribus explicat, *ricinium, ricam, mafortium, pileum, galerum, birrum, cucullum, reticulum, tiaram, faſciam, orarium, phrygium, cufam, tufam, & alia ejuſmodi ſynonyma quamplurima*, quæ omnia capiti tegendo vel ornando fuêre etſi non ejuſdem figuræ facturæque, *Pallii* appellatione plerumque ſumi, apud veteres Scriptores, addit.

PALLON, oppid. Arabiæ Felicis Plin. *l.* 6. *c.* 28.

PALLOR, ut omnes alii affectus humani, pro Numine olim cultus, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 15. Unde Lactantius Firmianus *Divin. Inſtitut. l.* 1. *c.* 20. *Pavorem Palloremque Tullus Hoſtilius figuravit & coluit: Quid de hoc dicam, niſi dignum fuiſſe, qui ſemper Deos, (ſicut optari ſolet) præſentes haberet.* Ut mirum ſit, non deſcribi ejus Ædem à Topographis Urbis, cùm luculenta extet Livii narratio *l.* 1. *c.* 27. *Tullus Hoſtilius in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque* Pallori *ac Pavori, equitem clarâ increpans voce, ut hoſtes exaudirent, redire in prælium jubet.* Sed non in Urbe, verùm extra Urbis pomerium *Pallori* ſtructam ædem loquitur Plut. *in Cleomene:* Iſti autem Auctores tantùm ea, quæ in ipſis mœnibus continentur, deſcripſerunt. Et rectè *Pallorem* communi cum Pavore fanô coluerunt, quia ex timore ſeu pavore naſcitur *Pallor: Antequam palleſcamus, exangues ſimus,* inquit Servius *ad Æn. l.* 2. *v.* 212.

> *Diffugimus viſu exſangues.*

Sive, ut idem loquitur, *ad v.* 20. *Æn. l.* 3. *Pallor naſcitur, cùm ſe ad præcordia fugiens contrahit ſanguis.* M. Tullius *de Fin. bon. & mal. l.* 5. *Quis eſt enim, aut quotuſquiſque, cui mors cùm appropinquat,*

> *Non refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*

Atque ita ſemper Poëtæ; alios citari nihil expedit, unicus ſatis erit Claudian. *in Ruffin. l.* 2. *v.* 130.

> *At procul exſanguis Rufinum perculit horror,*
> *Infectæ* Pallore *genæ.*

Idem *l. de bello Gildonico, v.* 342.

> —— —— ----- *Semper pallebit Regia Bocchi.*

Nempe calamitatis metu venturæ. Idem *Panegyr. de* 3. *Honorii Conſul. v.* 51.

> ———— ———— *Famulis Gangem palleſcere miris.*

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 12. ubi in Regione quinta urbis, ex *Notitia Urb.* & Sexto *Ruffino* Roſinus ponit *Palloris vicum*, in qua eadem Ruffus quoque Ædiculam *Palloris* collocat. Cane & ove illum placari conſueviſſe, diſcas ex Alexandro *Neapol. Genial. Dier. l.* 1. *c.* 13. Pallo-Rationem cultus Barthius indicat, *Tribuerunt*, inquiens, *Pallori, ut affectuum Indici & divinæ cuidam oſtenſioni adeo multa, ut pro Deo eum conſecratum colerent, Animadverſion. Papin. ad Theb. l.* 10. *v.* 161. Egregium Numen, quod bibentibus etiam cuminum gignit. *Ita ferunt Portii Latronis clari Rhetoris adſectatores ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos: & paulò antè Jul. Vindicem adſertorem illum à Nerone libertatis, captatione teſtamenti, ſic lenocinatum*, Plin. *l.* 20. *c.* 14. Vide etiam ſuprà, in voce *Pallidi.* Atque hinc *Pallorii*, Saliorum genus, de quibus diximus ſuô locô.

PALLURA, urbs Indiæ citerioris Limyricæ regionis, *Ptolem.*

PALMA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quæ ſtirpis Portocarreriæ ramus eſt. In qua Franciſca, Petri ſoror, Ægidio *Boccanigræ* Alfonſi filio, Ægidii Genuenſis (qui Admiralis Caſtellæ factus eſt) nepoti, *Palmæ* domino nupſit, unde liberi *Portocarrerium* nomen ſibi adſcivêre. Pronepos ejus Ludovicus Fernandinus Portocarrerus, *Comes Palmæ* poſteà creatus eſt, & dignitatem ad poſteros tranſmiſit: Fratre Fridericô Manriciô Portocarrerô etiam poſteros habente. Comitum Dominorumque *Palmæ* ſeries, ab aliquot ſeculis hæc eſt: Martinus Fernandinus Portocarrerus *Boccanigra*, Dn. *Palmæ*, ex Maria (filia Fernandi *de Velaſco*) genuit Ludovicum Fernandinum Portocarrerum Dn. *Palmæ*: quô & Franciſcâ Manriciâ genitus Ludovicus I. Fernandinus Portocarrerus, Comes *de Palma*, junxit ſibi Leonaram Gironam *de la Vega*, atque ex ea ſuſcepit Ludovicum II. maritum Luiſæ Manriciæ, atque ex ea patrem Ludovici Antonii Portocarreri *de Palma*; qui ex Franciſca Mendozia (filia Johannis *de Mendoza* & *Luna*, Marchionis *de Montes Claros*) genuit Ludovicum Andream & Ludovicam Antoniam (quæ primis nuptiis Rode-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Rodericum Mexium Carillum Marchionem *de Guardia*; alteris Johannem *de Mendoza* & *Luna* Marchionem *de Montes Claros*, maritos nacta eſt) nominis *Portocarrero*. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 1. *p.* 32.

PALMA, Conſul ſub Hadriano, ſeu *A. Cornelius Palma*, integrô nomine, fuit Conſul II. ordinarius eôdem annô, quô inter ſuffectos Hadrianus, poſtcà hujus juſſu unà cum Celſo ſeu L. Publilio Celſo, Hadriani in illo ſuo Conſulatu collega, occiſus, Cujus rei rationem Spartian. ſuggerit *in Hadriano*, *c.* 4. *In adoptionis ſponſionem venit*, Palmâ *&* *Celſô inimicis ſemper ſuis*, *& quos poſtea ipſe inſequutus eſt*, *in ſuſpicionem affectatæ tyrannidis lapſos*. Dicere nempe vult, Hadrianum ſpopondiſſe ſibi adoptionem, paulo ante Trajani exceſſum, *Palmâ* & Celſô, quos inimicos ſemper habuit privatus, & quos poſteà inſectatus eſt Imperator factus, in ſuſpicionem affectæ tyrannidis adductis. His enim amotis, qui plurimum apud Trajanum poterant & ſibi infenſi erant, bene cœpiſſe ſperare de adoptione & in ſponſionem ejus veniſſe, quam certiorem mox habuit, ſecundò Conſul Plotinæ favore factus. Salmaſ. *ad loc.*

PALMA, colonia & urbs primaria Balearis majoris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi, nunc *Mallorca* incolis, ampla, probe munita, in parte Occidentali Inſul. 24. leuc. à Magone in Occaſum, 34. à Tarracone in Meridiem, 40. à Valentia in Ortum ſub Hiſpanis.

PALMA, oppidum Vandalitiæ, ad confluentes Singilis fluvii, in Bætim, vix 2. leucis infrà Aſtigim, 12. ab Hiſpali in Ortum, Cordubam verſus.

PALMA, arx munitiſſima Foro-Julii, ſub Venetis, recens ab ipſis extructa, in tutelam regionis, prope Natiſonem fluv. verſus limites Comitatus Goritiæ. Media inter Utinum in Circium & Aquilejam in Eurum, 10. mill. paſſ. utrinque, 13. ab ora Sinus Veneti in Boream, 15. à Goritia in Occidentem.

PALMA, ſignum victoriæ, ut notum. Cujus rei cauſam exhibet A. Gell. *l.* 3. *c.* 6. cum ait, ex Ariſtotele: *Si ſuper palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tum graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum* Palma *cedit, nec intra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recurvaturque. Propterea ait Plutarchus, in certaminibus* Palmam *ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus, opprimentibuſque non cedat.* Ita autem habet Plutarchi locus, *Sympoſ. l.* 8. *c.* 5. Latinè, *Peculiare autem præter hæc omnia eſt quod dicam, quod nulli alii arbori contingit. Palmæ lignum ſi ſupernè onere impoſitô premas non deorſum affligitur aut cedit, ſed contra incurvatur, quaſi vi renitens prementi. Eôdem modô res habet in Athleticis certaminibus. Qui enim ob imbecillitatem & mollitiem cedunt, ii flectuntur atque deprimuntur: Qui exercitationem fortiter ſuſtinent, eorum non corpora tantùm, ſed animi quoque eriguntur & augentur* &c. Ubi alias quoque rationes *Plut.* affert, inprimis à perpetuo foliorum virore &c. deſumtas. Et quidem commune omnium certaminum præmium fuit *Palma*. Gerebatur autem illa non capite tantùm, ſed & manibus; unde apud Appulejum Mercurius dextrâ palmam virentem quatit, *l.* 11. eoque habitu victores diſcurrebant, ut ait Sueton. *Calig. c.* 32. more è Græcia Romam tranſlatô. Ii verò, quibus datæ fuerant, illas ante fores ſtatuebant. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 27. *v.* 6. ubi de Cauſidicis victoribus.

Excolat & geminas plurima palma fores.

Vide & infrà, ubi de *Oratorum* palmis. Porrò idem Appulejus Deæ ſuæ palmam tribuens, eam non collocat in capite, ac ne in manibus quidem, verùm in pedibus: *Pedes ambroſios tegebant ſoleæ palmæ victricis foliis intextæ* &c. Quam in rem vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 20. & *ſeqq.* Hinc itaque & inter præmia Gladiatorum, *Palma*: unde *plurium palmarum homo*, qui ſæpius victoriam reportâſſet: reliqua erant Miſſio, Rudis & Pileus. Dicta autem hæc palma *lemniſcata*, quòd ſertum tale, ex *Palmæ* arboris ramis foliiſque contextum, laneis vittis, quæ *lemniſci* vocabantur, vinctum eſſet. Priùs verò Athletis dabatur virga e *palma*, quàm corona; quæ virgæ exhibitio, propriè δόσις Græcis dicta eſt. Illam ſequebatur ἐπεγερμὸς, *incitamentum*; dein φυλλοβολία & κρότος, *conjectus foliorum* & *plauſus*, tandem corona, ut latiùs dicemus infrà, in voce *Victor.* Ob eandem cauſam, ad Martyrum ſepulchra *palmam* apponi conſueviſſe, occaſione Apocalypſ. *c.* 7. *v.* 9. docet Caſalius apud Fortun. Licetum *l. de Lucernis c.* 62. Sed & *Palma*, olim Franciæ Regibus porrecta, in ſolennibus eorum inaugurationibus, unà cum ſceptro, in victoriæ omen; apud Hincmarum in *Coronationibus Regiis p.* 746. *Ad iſta verba, det tibi Dominus velle, dederunt illi* Palmam, *& ſceptrum. Det tibi Dominus velle & poſſe quæ præcipit, ut in Regni regimine ſecundùm voluntatem ſuam proficiens, cum palma perſeverantis victoriæ, ad palmam pervenias gloriæ ſempiternæ* &c. Sic *Palmas virentes* ad Carolum Calvum Imperatorem miſit Johannes VIII. Pontif. Roman. *Ep.* 32. hâc formulâ: *Hodieque manui veſtræ ſpeciali votô, & prærogativâ, plenam benedictione Palmam, ſicut cernitis, deſtinamus, adverſùs viſibiles hoſtes & inviſibiles triumphum, optantes enim vos de cunctis adverſariis triumphare, nihil aptius vobis, quàm ramos palmarum, duximus offerendum* &c. Apud Hebræos, inter Nuptiales ritus, prælatio quoque fuit ramorum myrti ac *Palmarum*, cum cantu: qui tamen, ſicut & Coronatum nuptialium uſus, ſub Templi ſecundi excidium, ſublatus eſt. Hinc legitur in eorum Commentariis, mortuô Rab, decretum fuiſſe, *myrtum & ramos palmarum Sponſis in pompa Muſica non eſſe præferendos*, vide *Sepher Juchaſin fol.* 182. Eandem arborem tetigiſſe olim Puerperas, oſtendit Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Rationem reddit Apollonii Scholiaſtes: *Quia*, inquit, *mos erat parturientium, ut ſic dolores ſublevarent enixiùs, proxima quæque apprehendere, ideo Latonam legimus* Palmæ *adniſam peperiſſe Dianam & Apollinem.* Quò reſpexit Nonnus Διονυσιακῶν *l.* 27.

——— ——— Εἰσόκε Λητὼ
Οὐτιδανοῖς πετάλοισι γέρων μαιώσατο φοίνιξ.
——— ——— *Donec Latonæ*
Vilibus foliis ſenex obſtetrix erat Palma &c.

Ut & alia quædam addam: In foliis *palmæ* (quæ quomodo Græcis dicantur, infrà videbimus, voce *Thalia.*) ſcriptitatum olim, ut teſtatur Plin. *l.* 13. *c.* 11. & Maro *Æn. l.* 6. ubi de Sibylla ſermo eſt. Sic *malvarum palmarumque folia* jungit Iſidor. *l.* 6. *c.* 12. quæ duæ arbores maximè in hunc uſum olim adhibitæ. Et quidem malvæ illud boni, quòd folia ejus molliora, cùm aſperiora ſint palmæ: Sed aliô vincit *palma*, quia folia malvæ ob mollitiem vix ſuſtinent calami mucronem, Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 36. Hodieque Indorum Brachmanes in *palmæ* foliis ſcribere notat P. de Valle *Itinerar. Part.* 4. ubi libellum ex hujuſmodi foliis contextum ab horum Brachmanum aliquo muneri accepiſſe, addit. Sed & fiſcellæ ex iis confiebant, cujuſmodi fiſcellâ in igni illæſâ manente, Eulalium Monachum innocentiam ſuam probatam dediſſe, refert Marul. *l.* 1. *c.* 4. &c. Quod verò de *palmæ* adverſùs pondera reniſu magnô conſenſu tradunt Auctores, non de ejus arbore, frondibus, foliiſque, ſed ligno, intelligendum, uti ex præcedd. videre eſt, atque inſuper Strabo docet *Geograph. l.* 15. ubi trabi è palmæ ligno confectæ id peculiare eſſe tradit, ut vetuſtate firmata, ponderi impoſito adeò non cedat, ut ſurſum potiùs fornicis inſtar convexa contendat, tectumque ædificii eô fortiùs ſuſtentet: quod & de abiete & picea ſcribit Theophraſtus *Hiſtor. Plant. l.* 5. *c.* 7. Atque hanc ob cauſam Cyrus turres, quas ad fluminis oram extruebat, φοίνιξι θεμελιῶσαι, *palmis* exciſis ſubſtratiſque *fundaviſſe* legitur, apud Xenoph. *de Cyri Inſtit. l.* 7. Quam in rem vide Gatakerum *in Cinno c.* 2. ubi plura de hac arbore; ut & apud Plin. *l.* 13. *c.* 4. Dioſcoridem *l.* 1. *c.* 126. Theophraſtum *l.* 2. *c.* 8. Salmaſ. *ad Solinum*, Joh. Meurſium *Arboreto ſacro c.* 5. Jo. Henricum Urſinum *Arboreto Biblico c.* 40. Jo. Caſp. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce Φοίνιξ, Alios: nec non ſuprà, ubi de *Caryotis*, *Dactylis* &c. Hinc *Palmarius* ſeu *Palmatus*, quam vocem vide infrà, uti & *Palmata.*

PALMA, apud Solin. *c.* 45. *Ingenia equorum etiam Claudii Cæſaris tempora probaverunt, cùm effuſô rectore, quadrigæ currus æmulos, non minùs aſtu, quàm velocitate præverterent, & poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum* palmæ *ſponte conſiſterent velutque victoriæ præmium poſtularent*: miſſus eſt, & *locus palmæ*, locus victoriæ, creta videlicet. Totidem nempe miſſus, totidem palmæ, cumque legitimi Circenſes viginti quatuor miſſibus abſolverentur, tot quoque palmæ dabantur. Hinc Βαΐον, quæ vox *palmæ ramulum* ſignificat, poſitum itidem pro *miſſu* ludicri Circenſis, quia ad ſingulos palma dabatur, & tunc ſolvebatur agon. Proin narrat *Cedrenus*, Juſtinianum cognomine Rhinotmetum, quum ludi Circenſes agerentur, ἱππικοῦ γενομένου, Apſimarii & Leontii antartarum colla pedibus calcâſſe, ἄχρις ἀπολύσεως τοῦ πρώτου βαΐου, i. e. *uſque dum primus miſſus abſolveretur*, ſcil. à principio primi miſſus uſque ad finem, colla Tyrannorum ſub pedibus ſuis tenuit. Uti verò *palma*, h. e. βαΐον, pro miſſu; ita contrariâ vice *miſſus*, pro *palma* vel brabeo, uſurpatus eſt: *Miſſus*, ἆθλον. Et apud *Interpretem Juvenalis*, *vocis miſſa*, pro vocis præmiis. Similiter *Joannes Lydus* βραβεῖα etiam, pro *miſſibus*, uſurpavit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 935. & ſuprà in voce *Miſſus.*

PALMA, paſſa manus, vide infrà *Palmata.*

PALMA Chriſti, vide ſuprà *Kiki.*

PALMÆ ſeu *Palmarum dies*, ſeu *Palmarum Feſtum*, ſeu *Dominica in Ramis Palmarum*, ſeu *in Palmis*, dictus eſt dies Dominicus, qui Paſcha antecedit, quia *in eo*, inquit Iſidor. *de Divin. Offic. l.* 1. *c.* 27. *Dominus & Servator noſter, ſicut Propheta cecinit, Hieruſalem tendens aſello ſediſſe perhibetur. Tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obviam ei cecinerunt Oſanna in excelſis* &c. Hiſtoria habetur Johannis *c.* 12. *v.* 13. ubi τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, *ramos Palmarum*, habet: Matthæus verò *c.* 21. *v.* 8. generatim κλάδους τῶν δένδρων, *ramos arborum*, ſive *Palmarum*, olivarum aliarumve. Unde etiam in precatione ſolenni, ad hoc feſtum attinente, Græci populum, qui tunc Chriſtum Hieroſolyma adventantem exciperet deduceretque, τοὺς κλάδους τῶν δένδρων καὶ βαΐα τῶν φοινίκων, *Germina arborum ramoſque palmarum*, adhibuiſſe ajunt. Et in *Liturgiis* Romanis, nunc *Palmæ* ſolùm hoc de feſto inde memorantur, nunc *Palmæ* ſimul & *Olivarum rami*, nunc tantùm *olivæ*, *nunc rami Palmæ ac olivarum*, nunc *olivæ cæterarumque arborum rami*, nunc *Palmæ ſeu olivæ*, nunc *rami arborum.* Atque inde Durandus *Rational. l.* 6. *c.* 67. §. 16. *Dicitur etiam alibi Dominica olivarum, quia rami olivæ portantur; quod fit ad repreſentandum filios Iſraël, qui cum ramis palmarum & olivarum venienti Domino obviam exierunt.* Hieroſolyma nempe paulò antè paſſionem accedenti. Ubi verò nec *Palmæ*, nec olivæ fuerint, ramuli ſalicum efforeſcentes, ut apud Anglos alibique, Feſto in hocce adhiberi conſuevêre, & myrtei apud Græcos, teſte Georg. Phranze *l.* 2. *c.* 4. ut & buxei apud Gallos, Angel. Caninius *in Loca Nov. Teſtam. c.* 4. Græcanica Eccleſia Feſtum hoc ſimpliciter vocat τὴν Κυριακὴν τῶν Βαΐων, i. e. *Dominicam ramorum*, & Βαιοφόρον, *Diem in quo rami geſtantur.* Ægyptiis Chriſtianis ſeu Coptitis ſimile feſtum fuit, *feſtum Alshajanin* dictum, quam vocem corruptam eſſe ab Hebræo *Hoshannah*, Græcè Ὡσαννὰ, quod clamabant, ramos hos geſtantes, unde etiam feſtum ipſum eô nomine appellatum, contendit Seldenus. Vide quæ hanc in rem jam ſuprà diximus, in voce *Olivæ*: item *Oſanna*, Addò ſaltem, Βαΐων φιλοτιμήματα, apud Balſamonem *de Incenſ. Patriarchæ die Catecheſ. bajorum largitiones*, dici largitiones, quotannis ab Imperatore & Patriarcha, hebdomade ante diem *Palmarum*, fieri ſolitas: ejuſdem verò ſabbathô

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Lazari reſuſcitati Græcos memoriam recolere, ac poſtmodum magnô pompæ apparatu, ramis olivarum *palmiſque* in formas varias confictis, in ramis appenſis, diem Dominicum, quem Βαϊφόρον, quaſi *Palmiferum*, ut diximus, vocant, celebrare, uti pluribus videre eſt apud Meurſium *Gloſſar.* voce Βαΐα, L. Allatium *de Domin. & Hebdom. Græc. n.* 20. Lud. De la Cerda *Adverſ. ſacr. c.* 124. *n.* 19. & J. Caſp. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce ead. Cœterùm hebdomada, quæ Dominicam hanc præcedit, *Hebdomadam paſſionis* appellari, videbimus infrà, voce *Paſſio*, ex Amalario, aliiſque Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus. Vide quoque aliquid voce *Portatorium*, it. ubi de *Tabernaculorum feſto.*

ad PALMAM, locus Romæ, juxta arcum triumphalem Septimii Severi, ad radices Capitolii, Floravantius Martinellus *in Roma ſacr. p.* 45. i. e. ad ædes Deorum Penatum, ubi hodie templum S. Mariæ Liberatricis, Nardinus *Româ Antiq. l.* 5. *c.* 4. apud Car. Macrum *in Hierolex.*

ad PALMAM Auream, locus ibidem, memoratus in *Vita* S. Fulgentii, *Pallara* fortè hodie.

PALMANOTHES, Ægypti Rex, in regione Heliopolitana, tempore naſcentis Moſis, *Auctori Chronici Alex.* ubi πολλῶν, ait, βασιλέων ἡγεμένων Παλμανώθης ἐβασίλευσε τῶν περὶ Ἡλιούπολιν τόπων. Filiam ſuam nuptum dedit Chenephræ cuidam, τῶν ὑπὲρ Μέμφιν τόπων Βασιλεύοντι, *Memphiticæ terræ domino.* Artapanus apud Euſeb. *Præpar. l.* 9. *c.* 27. Tum enim diverſa Regna diverſis in Ægypti partibus fuiſſe, certum. *Cedreno*, tempore Moſis Ægypti Rex, qui & *Pharao*, vocatur *Petiſonius*, quem vide: ut & ſuprà voce *Apachnas*; hunc enim inferioris Ægypti Regem, Moſe natô & expoſitô, fuiſſe, docet Joh. Marshamus *Canone Chron.*

PALMARIA, inſula maris Tyrrheni contra Tarracinam, inde 37. mill. paſſ. diſtans, proxima Pontiæ. *Palmarola Nigro.* Vide *Pandaria.* Item, Inſula parva maris Liguſtici in ore portus Lunenſis, apud Portum Veneris, ab eo fretô anguſtiſſimô diviſa. *Ortel. Ferrar.*

PALMARII, dicti milites Galli, expeditione in terram Sanctam defuncti, ſicut enim eò profecturi crucem Hieroſolymit. è panno rubro palliis aſſuere ſolebant, proin cruciati, *Croiſez* dicti: ita reduces palmam manibus geſtabant, hinc *Palmarii* appellati, privilegiis ornati, inſtitutore Ludov. IX. *Spelmannus.*

PALMARIS Synodus, cognominata eſt Synodus Romana quarta, habita Ruſiô Magnô Fauſtô Avienô Conſule ſub Symmacho Epiſcopo Romano A. C. 502. ut eſt in *Cod.* Narbonenſi, uti obſervat Sirmondus *Not. ad Avitum Ep.* 31. quam tamen alii nomenclaturam Synodo, Avienô juniore Conſule celebratæ, attribuunt. Hanc porrò ſic dictam putant, quòd in porticu Baſilicæ S. Petri, quæ hanc appellationem ſortita eſt, fuerit coacta. Anaſtaſius Bibliothecarius in *Honorio* Pontifice. *In porticu*, inquit, *Beati Petri Apoſtoli, quæ appellatur ad Palmaria* &c. Sed & loci Romæ, dicti *Palma*, meminit Anonymus de Conſtantino M. à Valeſio editus, *p.* 482. ubi de eodem Symmacho: *Deinde veniens ingreſſus Urbem, venit ad Senatum, & ad* Palmam *populo adlocutus* &c. Ubi fortè *Palma* idem quod *Palmaria* eſt. Car. du Freſne. Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex.*

PALMARIUS, ſeu PALMATUS, apud recentioris ævi Scriptores, *Peregrinum* notat. Poëtis Gallis *un Paumier.* Sed & *Palmarii* dicebantur, qui peregrinationem Hieroſolymitanam ſeu ex voto ac devotionis intuitu, vel cruce ac ſacrâ expeditione ſuſceptâ, in patriam redierunt; eo quòd, in ſignum exactæ iſtius peregrinationis, *palmarum*, quarum ferax eſt Syria, ramos præ manibus redeuntes deferrent. Aliam rationem adfert Durandus *Ration. l.* 1. *c.* 3. *num.* 14. *Qui de Hieroſolymis veniunt*, palmam *in manibus ferunt, in ſignum, quòd illi Regi militârunt, qui Hieroſolymis cum palmis honorificè receptus eſt, & poſtmodum ibidem, cum Diabolo pugnans, victor extitit*, &c. Cum *palma* autem rediiſſe in Patriam peregrinos Hieroſolymitanos, teſtantur paſſim Scriptores. *Chronicon* Urſpergenſe & Alb. Stadenſis A. C. 1104. *Nonnulli etiam* palmati *de Hieroſolyma redeuntes* &c. Pet. Damianus *l.* 2. *Ep.* 15. *Ex Hieroſolymitana peregrinatione deveniens, palmam ferebat in manu* &c. Vide Auctores alios, laudatos Carolo du Freſne *Diſſert.* 15. *ad Joinvillam.* Poſtquam verò ſic Patriæ appropinquâſſent, ſuſcepti fuêre cum proceſſione Eccleſiaſtica. *Chron.* Moriniacenſe *l.* 2. Vide quoque Olai Wormii *Lexicon Runicum*, in voce *Palmare*, & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſario.*

PALMATA, nomen veſtis apud Romanos, quia *palmæ* in illa pictæ, inquit *Manutius.* Et quidem *Togæ palmatæ*, meminit Martial. cùm *l.* 7. *Epigr.* 1. *v. ult.* canit:

I comes & magnos illæſa merere triumphos,
Palmatæque Ducem, ſed citò, redde togæ.

Sed præter eum pauci alii Togam *palmatam* dixêre. Plures Tunicæ *palmatæ*, quæ cum priore dari ſolebat, meminerunt, quam *Feſtus* nuncupatam ait à clavorum magnitudine, quòd nempe latô clavô ad inſtar palmæ manus diſtincta eſſet: deinde à genere picturæ, quòd *Palmas* haberet intextas. In genere veſtem *palmatam* memorant Sueton. *in Claudio, c.* 17. Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. *ex.* 5. & Auſonius *in grat. act. ad Gratianum pro Conſulatu*: ubi notat *Ferrarius*, eandem veſtem, modò *Trabeam*, modò *Togam palmatam* dici, quod etiam *Sidonius* & *Caſſiodorus* fecêre. Eadem ergo Toga triumphalis & *Picta* dicebatur, quòd acu diſtincta erat, & *Palmata*, à genere picturæ, h. e. à *palmis*, licèt & talis poſtea diceretur, quanquam aliis figuris diſtincta eſſet, tandem & *Capitolina*, quòd talis Jovis erat in Capitolio, vel quia in Capitolio aſſervabatur. Nec triumphantium verò ſolùm Toga illa fuit, ſed Conſulum quoque, ſub Imperatoribus, quoties Magiſtratum inirent ipſis Kal. Jan. item cùm Jani Templum reſerarent: & Prætorum. Unde Juvenal. de Prætore, ludos edente, *Sat.* 10. *v.* 38.

——— ——— *Pictæ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa togæ, &c.

Thenſas porrò ducentium, Rubenius *ad Martialem d. l.* Imò & præcipua dona, quibus amicos Reges Senatus Romanus excolebat, Togæ pictæ & Tunicæ *palmatæ* fuerunt, teſte Liviô *l.* 30. *c.* 15. aliiſque: Fuiſſe autem has veſtes triumphales in templo Jovis aſſervatas, indeque cùm opus foret, depromtas, docet Lamprid. *in Alexandro*, ut & Capitolin. *in Gordiano.* Originem hujuſmodi veſtium, ut & reliqui triumphantium cultus, à Tuſcis, à quibus Tarquinius acceperit, arceſſit Florus *l.* 1. *c.* 5. aliique. Vide Octav. Ferrar. *de Re Veſtiar. l.* 2. *c.* 8. cui adde Thom. Dempſter. *Paralipom. in Jo. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 29. & Car. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 21. nec non infrà ubi de *Picta toga.* Simile quid *Palmatianæ veſtes*, apud Gregorium M. *l.* 1. *Ep.* 64. *Nobis de cætero, ne quid tranſmittere debeas, inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis*, Palmatianas, *quas tua direxit Fraternitas cum gratiarum actione ſuſcepimus, ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, dignô fecimus pretiô venundari* &c. ubi ſic dicuntur itidem, quibus aurum, & *palmæ* intextæ. Atque hæc Altaſerræ ad *h. l.* ſententia eſt, cui non placet Baronii, *uvas Palmatianas* ſeu *vinum Palmatianum* (de quo Senator *l.* 12. *Ep.* 12. & Alexander Iatroſophiſta *l.* 2.) intelligentis conjectura. Alii tamen *ramos palmarum* voce hâc innui volunt. Vide Menagium *Origin. Italic. p.* 1039. Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolex.*

PALMATA, apud Recentiores, pœnitentiam notat, & quidem certam ejus ſpeciem. Beda de *Remed. pecc. c.* 14. *Si quis tinxerit manum in aliquo liquido cibo, & non idoneâ manu, centum palmatis tundetur.* Harum 20. pro uno pœnitentiæ die valere, legimus apud Car. du Freſne, ex *Pœnitentiali MS.* Thuani *c.* 3. Ibidem *c.* 10. legitur: *Aliô modô* 12. *triduanæ, ſingula cum pſalteriis tribus impletis, cum palmatis* 300. *per ſingula pſalteria, excuſant unius anni pœnitentiam*, &c. Joh. Laudenſis in *Vita* Petri Damiani Cardin. *c.* 3. *Cœteris autem ſpiritualibus exercitiis diſciplinæ, videlicet metaneis, palmatis, prolixis ulnarum extenſionibus* ——— *incumbebant.* Vide eundem *Opuſc.* 15. *c.* 18. Quid verò *Palmata* propriè ſit & in quo conſiſtat, quærunt Eruditi. Baronius A. C. 1055. *num.* 11. ait, pœnitentium *palmas* ferulâ fuiſſe verberatas: quod veroſimile Car. du Freſne judicat, de iis, quibus ob crimina perpetrata imponebatur hæc pœnitentiæ ſpecies, quod ex verbis *Pœnitentialis* laudati elici poteſt, ubi *centum palmatis tundi* dicitur, qui tinxerit manum &c. At in ſpontaneis *Palmatis* non idem dicendum judicat, ait enim, à vero abſonum eſſe, eos, qui ſibi ipſi, devotionis opinione, has imponebant pœnitentias ab aliis *palmatas* ſeu palmarum percuſſiones accepiſſe: Illos proin, harum vice, *palmas* alliſiſſe ad pavimentum, colligit ex eodem Petro Damiano *l.* 6. *Ep.* 27. *Loricâ eſt homo indutus ad carnem, ferreis membra diviſa circulis ambit, mittit cum labore metaneas, allidit in pavimentum ſæpius palmas.* Simile eſt *mortificationis*, ut vocant, Monachicæ genus, quod refertur ab Hugone Flaviniacenſi *p.* 160. de Richardo Abbate Virdunenſi: *Cui etiam moris erat pſalterium ex ordine quôque die dicere, & primos quidem quinquagenos proſtando manibus ad terram deflexis dicebat, quinquagenos erectus, quinquagenos proſtratus totô corpore, ſed ſuſpenſus, articulis pedum manuumque ſuſtentatus, perorabat*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PALMERIUS, vide *Matthæus* & *Matthias.*

PALMES, propriè de *palmarum* virgis, quæ Græcis σπάδικες, & κλήματα, quòd in modum *palmæ* humanæ virgulas, quaſi digitos, edat: inde ad vites vox tranſlata. Hinc de Junone Bacchi Herculiſque inſignia ſibi vindicante, Tertullian. *l. de Corona mil.* *Junoni vitem Callimachus indixit, Ita*, inquit, *& Argis ſignum palmite redimitum, ſubjectô pedibus ejus coriô leoninô, inſultantem oſtentat novercam de exuviis utriuſque privigni.* Quam in rem vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 1. &c. Cœterùm de *palmitibus Vitis*, vide latè differentem Plin. *l.* 17. *c.* 22.

de PALMIS Fratres, vide ſuprà *Frater.*

PALMULÆ Nicoleæ, apud Athen. *l.* 14. *c.* 23. Vide ſuprà *Nicolai panes*: de *Palmulis* verò *ſiccis*, quæ τραγημάτων nomen ſibi κατ' ἐξοχὴν vindicârunt, infrà aliquid voce *Tragema.*

PALMULARIUS, apud Meurſium *in Gloſſar.* Παλμουλάριος, litera aſperiore in leniorem mutatâ, pro *Parmulario* eſt. Sic autem dicti Gladiatorum genus, quòd *parmâ* ſeu *parmulâ* uterentur, uti diſcimus ex Suetonii *Domit. c.* 10. ubi pro nomine proprio *Parmularium* à Viris doctis malè accipi, oſtendit Cl. Suicerus *Theſauro Eccl.* voce Παλμουλάριος.

PALMYRA, vulgò *Amegara, Caſtaldo*, & *Ortelio, Faid Sanſoni*, urbs Syriæ Archiepiſcopalis in Arabiæ Deſertæ confinio inter Damaſcum 225. & Seleuciam magnam ad Tigrim 533. ab Antiochiâ magnâ 240. mill. paſſ. in Ortum; Palmyrenæ regionis, quæ *Arden Caſtaldo* dicitur, caput, nunc *Fayd Sanſoni*, ut dictum. Populi *Palmyreni*, qui & *Adrianopolitæ* dicti, urbe ab Adriano reædificatâ, teſte *Stephanô.* Horum regina Zenobia fuit. Vide *ibi.* Cœterùm, Urbem eandem cum *Thamar*, opere Salomonis, de quo in 1. Regum *c.* 9. *v.* 18. facit Gerh. Jo. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 5.

PALMYTES, *Heſych.* Παλμύτης, Αἰγύπτιος Θεός.

PALODA, vulgò *Blechisfield*, ut *Lazio* videtur, oppid. Daciæ, cujus ager ſic in Tranſylvania appellatur. Item oppid. Pannoniæ ſuperioris in Hungaria, nunc *Palotta*, inter Taurinam oppid. & Datam oppid. 2. leucis.

PALONIUS, vide *Marcellus.*

PALPEBRÆ, an à palpitando, i. e. tremendo, quia ſemper moventur, an à Græco βλέφαρον; an à *palpando.* i. e. prætentando objecta: an quaſi φᾶρος τοῦ βλέπους, i. e. *indumentum oculi?* in genis homini & ſtruthiocamelo utrinque; à provida natura conceſſæ ſunt, *ceu vallum quoddam viſus & prominens munimentum, contra*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tra occurſantia, aut alia fortuitò incidentia, Plin. *l.* 11. *c.* 37. Mulieres verò præpoſterâ decoris affectatione etiam inficiebant. Idem *Ibid. Mulieribus verò etiam infectu quotidianô. Tanta eſt decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque.* Ubi meritò *quotidiano* ait. Quibus enim earum illita ſemel fucô eſt facies, id niſi quotidie fiat, turpiſſimis rugis & luridô colore ſtatim illa fœdatur. Fuligine id factum, Juvenal. ait, *Sat.* 2. *v.* 93.

Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu.

Unde Tertullian. *de Cultu Fœm. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent; genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt.* Fuligo autem illa è ſtibio: de cujus nigro pulvere accipienda hæc ejuſdem *l. de Habitu mul. & illum ipſum nigrum pulverem, quô oculorum exordia producuntur.* Unde ipſum ſtibium πλατυοφθαλμον dictum: Nempe hôc pulvere ſupercilia circumducebant & in arcum formabant, ſicque oculorum ſpatium veluti producebant ac extendebant mulieres. Ion *in Omphale*,

Καὶ τὴν μέλαιναν ςίμμιν ὀμματογράφον.

Hinc ὑπογράμματα *Heſych.* ςιμμίσματα oculorum interpretatur. *Polux*, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων περιάγει &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1148. Eundem *palpebras* inficiendi ritum hodieque in Oriente vigere, docet P. de Valle *Itinerarii Tom.* 2. Sed & à formicis nigrorem *palpebris* conciliari, diximus ſuprà. At in ſupplicium *palpebras reſectas* Regulo, habet Hiſtoria Romana quò ſic Soli obverſus eo acriùs excruciaretur, uti videre eſt apud Ant. Thyſium JC. varias hac de re Veter. ſententias (non enim conſentiunt omnes) enarrantem *Not. ad Val. Max. l.* 1. *c.* 1. *num.* 14. &c. Plura de *Palpebris*, vide apud Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 23. ubi *de triplici earum uſu, albarumque ac nigrarum deſcrimine*, & *l.* 4. *c.* 39. & 87. ubi de *Medicina illarum*: aliquid etiam ſuprà voce *Oculi.*

PALPELIUS, Hiſter, prænome *Sextus*, Legatus Tiberii Cæſaris.

PALPHURIUS Sura, auctor diarii, de vita Galieni Imperatoris Trebell. Pollio, *c.* 18. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 4.

PALSUS, fluvius Mauritaniæ, Plin. *l.* 5. *c.* 1.

PALSICIUM, oppidum Iſtriæ, Plin. *l.* 3. *c.* 11. Nunc in ruinis.

PALTOS, nunc *Boldo*, oppid. Phœnices in ora apud Byblum urb. quod *Niger Gibel* indigetat, cum *Gibel* ſit ipſa Byblos. Ejus meminêre *Strab.* Mela *l.* 1. *c.* 12. Artemidorus *in Epitome.* Hic Memnon fil. Auroræ, ut fabulantur, ſepultus eſt. Populi *Palteni.*

PALUDAMENTUM, cum ſago & chlamyde à nonnullis confunditur: qui tamen propriè loquuntur Scriptores, *Paludamentum* Imperatoris vocant chlamydem, *ſagum* militum. Varro *de L. L. l.* 6. *Paludata à Paludamentis; Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit Imperator ac lictores veſtem mutant, & ſigna incinuerunt*, Paludatus *dicitur proficiſci, quæ propterea quòd conſpiciuntur & fiunt palam*, Paludamenta *dicta.* De qua notatione videant rideantque docti. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 400.

Cumque paludatis Ducibus, præſente maritô,
Ipſa loqui &c.

Duces ergo atque Imperatores *paludati* proficiſcebantur in hoſtem; cum è bello reverterentur, poſitô *Paludamentô*, togati Urbem intrabant. Quare ut novum ac Tyrannicum in Vitellio notavit Sueton. *c.* 11. *Quòd urbem ad claſſicum introierit paludatus.* Fuit autem *Paludamentum*, ſicut quoque Sagum & Chlamys, à quibus formâ non multum diſcrepabat, indumentum apertum, quod tunicæ ſuperinduceretur fibulâque necteretur, ſed Chlamyde longius ac fuſius. Et quidem apertum fuiſſe, illud *Livii* de Graccho demonſtrat, *Paludamentum brachio involvens.* Etiam fibulatum, veteres ſtatuæ indicant: Sicuti Imperatorum vulgaria laxiùs & fuſius, tum numiſmata, tum marmora vetera oſtendunt. Ex lana vulgari *Paludamenta*, ſeu Chlamydes, Imperatorium autem ex purpura fuit: unde notatus à Dione *l.* 59. Commodus Imperator quod tunicâ & chlamyde ſericâ purpurea auro inſperſâ: item Cajus Cæſar, quòd per pontem triumphalem incedens, thorace Alexandri M. & Chlamyde ſericâ uſus eſſet. Sed & auratæ Chlamydis, Virg. *l.* 4. *v.* 137. & *Paludamenti auro textilis ſine alia materia*, meminit Plin. *l.* 33. *c.* 3. de Agrippina loquens: quod mirum profectò, quomodo enim aurum ſine alia materia texi potuerit, difficile dictu eſt. Porrò, cùm communes Græcorum Chlamydes albæ eſſent, Romanorum nativum lanæ colorem retinerent, Chlamys ſive *Paludamentum* Imperatorum purpureum ſive ex cocco fuit. Plinius *l.* 22. *c.* 2. *Atque ut ſileamus Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ cocci granum Imperatoriis dicatum Paludamentis.* Unde ex purpura Cæſarem ab hoſtibus agnitum fuiſſe, docet Dio *l.* 42. Ipſe Cæſar de ſe *Comm. l.* 7. *c.* 88. *Accelerat Cæſar, ut prælio interſit, ejus adventu ex colore veſtis cognitô.* Horat. de Antonio fugiente, ac victo, *Od.* 9. *Epod. v.* 27.

Terrâ marique victum hoſtis Punicô
Lugubre mutavit ſagum.

Hinc idem Dio *l.* 46. *Paludamentum* ſimpliciter φοίνικα appellat: Appian. *de bello Pun.* ἁλουργίδα: qui idem *in Parthicis* memorans prodigia, quæ Craſſi necem præceſſêre, illud primò poſuit, airatum eum, non purpuratum ad milites proceſſiſſe, οὐκ ἐν φοινικίδι, inquit, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι. Idem alibi de M. Antonio, qui eôdem Parthicô bellô allocuturus milites pullum *Paludamentum* petierat, quô miſerabilior eſſet, diſſuadentibus tamen amicis, ἐν τῇ ςρατηγικῇ φοινικίδι, proceſſit. Quod idem Val. Max. de Craſſo narrans: ait, Imperatorium *Paludamentum* aut purpureum fuiſſe aut album, *l.* 1. *c.* 6. *ex* 11. De Sexto autem Pompeji filio, belli ſucceſſibus inflato, Appian. *Civil. l.* 5. τὴν συνήθη, inquit, τοῖς Αὐτοκράτορσι, χλαμύδα ἐκ φοινικῆς εἰς κυανῆν μεταλλάξαι, *Imperatorium* Paludamentum *purpureum in cæruleum mutâſſe*, quaſi à Neptuno adoptatus eſſet. Plura in hanc rem vide apud Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria Part.* 2. *l.* 3. *totô, ubi inter alia paludati Imperatoris habes icona.* De *Paludamenti* verò abjectione ἥττης & turpis fugæ in Ducibus argumento, vide Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 10.

PALUDANUS Michaël, vide *Michaël.*

de PALUDE Petrus, vide *Petrus.*

PALUM, vulgò *Po*, urbs Aquitaniæ ad Gabarum Palenſem fluv. Beneharniæ caput, ſedeſque Parlamenti cum palatio ſuperbo, ab Henrico Albretano extructo, & caſtro; 1. leuc. ſupra Laſcuram in Eurum, 4. ab Olorone in Ortum, ferè 9. à confinio Aragoniæ in Boream, Henrici M. natalibus clara. De Marca, *Hiſt. Bearn.*

PALUM, vulgò PALO, caſtrum Ducatus Bracciani, gentis Urſinæ, in provinc. Patrimonii, tantiſper munitum, in ora maris Tyrrheni 18. milliar. à Roma in Occaſum Centumcellas verſus; an *Alſium* antiquorum? an Villa Virginii Rufi, prope Alſium?

PALUMBARIUM, oppid. Aprutii, ad radices Majellæ montis, in jugo montis ſitum.

PALUMBES, ſeu PALUMBUS, columba ſylveſtris eſt, Hebr. יונת אלם, *columba arborum*, ſeu *nemorum*, in *titul.* Pſalmi 56. quòd in ſylvis degit, & in arboribus nidificat. Theocritus *Idyll.* 3.

Κἠγὼ μὲν δώσω τῇ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών.
Et ego quidem dabo puellæ mox palumbum
Ex junipero abreptum.

Unde Gallis *ramier*, à *ramis* arborum. De iis Plin. *l.* 10. *c.* 35. *Vivere* palumbes *ad XXX. annum aliquos ad XL. habemus auctores, uno tantùm incommodo unguium --- Cantus omnibus, ſimilis atque idem, trinô conficitur verſu præterque in clauſula gemitu* &c. Iiſdem caſtitas tanta, ut adulteria morte puniant, Porphyr. *de abſtin. anim. l.* 3. & Phile *de Anima c.* 19. uterque ex Æliano *Hiſtor. l. c.* 44. Mahometanis inprimis in pretio ſunt, qui proin illos circa Meccham magnô numerô alunt. Nempe ſub *palumbi* ſpecie Mahumeti Deum apparuiſſe multaque inſpirâſſe credunt. Lud. Vartomannus *Navigat. l.* 1. *c.* 18. *Dum iter agimus* (verſùs Meccham) *cœlum inumbrabant palumbes innumeri. Ajunt avitiâ hujuſmodi ab illa ave traxiſſe genus, quæ Mahumeti in aurem loquebatur, ſub velamento ſacri Pneumatis.* Unde, quod columbæ Moſes, quam tempore decreſcentis diluvii ex Arca emiſſam ait, id *palumbi* tribuunt iidem. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *p.* 32. Apud Plautum in *Pœnulo*, *Actu* 3. *ſc.* 3. *v.* 63.

Nos tibi palumbem *ad aream uſque adduximus,*
Nunc te illum melius capere eſt, ſi captum eſſe vis:

voce hâc lepidè denotatur homo peregrinus ac hoſpes, prædæ inſidiiſque lenonis objectus, Dalechampius *Not. ad Plinium d. l.* Vide quoque Voſſ. de *Orig.* & *Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 79. ubi *de ætate eorum*, quam illos ad ann. 50. perducere ait, & *c.* 91. ubi de *Palumbi & turturis diſcrimine.*

PALUS, nomen Gladiatoris nobilis Caſaubono, cujus præmortui nomen Commodus aſſumſerit, apud Lamprid. *in hujus Vita c.* 15. *Appellatus eſt ſanè inter cœtera triumphalia nomina, etiam ſexcenties vicies* Palus *primus ſequutorum*, quomodo legendum eſſe Palatinus codex & ex Dione viri doctiſſimi jam pridem docuerunt. Sed quòd iidem, juxta Caſaubonum, *Palum* dictum fuiſſe cenſent Commodum, ex nomine gladiatoris cujuſpiam jam antè defuncti, non aſſenſum accommodat Salmaſ. Nec enim eò ducunt *Dionis* verba, apud quem legitur Πρωτόπαλος σεκυτόρων; nec aſſentitur is legentibus, πρῶτος Πάλος σεκυτόρων, ut Πάλος ſit nomen proprium. Debuiſſet enim potiùs hôc ſenſu ſcribi, Πάλος πρῶτος σεκυτόρων. Igitur unicâ voce Πρωτόπαλος apud Dionem Vir Cl. ſcribit, quæ vox nihil aliud ſignificat, quàm *primum ſequutorum.* Sequutoris autem armaturâ utebatur Commodus. *Dio*, Ἤσκει δὲ καὶ ἐχρῆτο τῇ τοῦ σεκύτορος καλουμένῃ. Inde igitur inter triumphalia omina, πρωτόπαλος σεκυτόρων dici amabat. Sequutores namque erant, qui ſorte victis ſufficiebantur & victoribus comparabantur, qui Græcè ἔφεδροι: Hinc πρωτόπαλος, cujus prima ſors exiit. Sed, ut dictum, πρωτόπαλος σεκυτόρων, eſt primus ſequutorum. Lamprid. pro nomine proprio videtur accepiſſe, apud Dionem, qui vertit, *primus* Palus *ſequutorum*, ſed falſus eſt, aut certè *palum* pro ſorte poſuit & vocem retinuit Græcam. *Veteres Gloſſæ*: Πάλον, *palus* &c. Hactenus Salmaſ. *ad Lampridium loc. cit.*

PALUS, oppidum Andaluziæ, *Palos de Moguer*, in ora Oceani, unde primùm Columbus ſolvit in Americam, 3. Auguſt. A. C. 1492. Ad oſtia fluv. Luxiæ, *Tinto*, in Ocean, & ſinum Gaditanum, 15. leuc. ab Hiſpali in Occaſum, 9. ab oſtio Anæ fluvii.

PALUS, à lacu eo tantùm differt, quòd aliquando exſiccatur, ſicuti Pontinæ in Latio contigit; lacus verò nunquam, *Ferrar. Sed paludes Pontinæ non ſunt exſiccatæ, Baudrand.*

Nomina paludum apud veteres famoſiorum:

Acheruſia, vulgo *Lago di Janna*, Epiri. Altera Campaniæ, *Lago della Coluçcia.*
Amadoca, Sarmatiæ Europææ.
Ambracia, *dell' Arta*, Epiri, *Ferrar.* meliùs dicitur Ambracius ſinus, *Golfo dell' Arta*, vulgò, *Baudrand.*
Argita, *di Der*, Hiberniæ.
Aria, *Lago di Burgian*, Ariæ.
Arſiſſa, *Lago di Giocho*, Armeniæ majoris, quibuſdam eſt *lac de Vaſtan*, aliis *la mer d'Armenie.*
Artynia, *Lago di Jubat*, Myſiæ in Aſia.
Aſcania, *Lago di Iſnich*, Bithyniæ.
Byce, *Seſeban*, apud Tauricam, *Ferrar. Baudrando Palus Byce*, ſeu *Buges*, in Taurica Cherſoneſo, nunc *Suza Morſi* dicitur ab incolis illius tractus.
Camerina, *di Camarana*, Siciliæ.
Chelonidæ, *ſeu* Chelonides, *di Gaoga*, Libyæ interioris.
Coloe, *Barcena*, Æthiopiæ.

Gallicæ paludes, *Lagune di Venetia.*
Glanis, *la Chiana*, Hetruriæ.
Hiulca, *Palina* Pannoniæ inferioris.
Laterra, *Eſtang.* Galliæ Narbonenſis, *Ferrar. Baudrando Palus Latera*, ſeu *Latara dicitur*, *l'Eſtang de Latte*, ſeu etiam *l'Eſtang de Maguelone*, à quibuſdam,
Lerna Peloponneſi, *Lerna.*
Linterna, *Lago di Patria*, Campaniæ.
Lugea, *Zirknitzerſée*, Japodum.
Lychnites, *Lago di Exſechia*, Armeniæ majoris.
Lycomedis, *di Serta*, Libyæ interioris.
Mæotis, *Mare della Zabacche*, Sarmatiæ, *Ferrar. Baudrando Palus Maotis*, ſinus eſt ampliſſimus, ſeu potius mare Sarmatiæ, vulgò *Mer de Zabacche*, ſeu *de la Tana* dictum, *Limen* accolis.
Mantiana, *di Van*, âliis *di Actamar*, Mediæ.
Maria, *d'Aleſſandria*, Ægypti. *Ferrar. Baudrando Palus Maria* ſeu *Mareotis*, nunc *Lago di Buchiara* dicitur.
Nigritis, *di Guber*, Libyæ interioris, *Ferrar. Baudrando Palus Nigritis*, nunc *Lago Guarda* dicitur.
Nuba, Libyæ interioris.
Oxa de Oxiana, *Lago d'Amu*, Sogdianæ.
Paduſa, *Canal di San Alberto*, Æmiliæ fluvius eſt.
Palica, *Naphtia*, Siciliæ.
Pontina, *di Tarracina*, Latii, *Ferrar. Baudrando Palus Pontina*, ſeu, & veriùs, *Paludes Pontinæ* vulgò dicuntur, *le paludi Pontine*, in parte auſtrali ſeu maritima Campaniæ Romanæ.
Reatina, *di Rieti*, in Sabinis.
Salapina, *di Salpe*, Apuliæ, *Ferrar. Baudrando Palus Salapina*, vulgò *Lago Salſa* dicitur.
Sitbonis: *Stagnone*, Palæſtinæ & Ægypti, *Ferrar. Baudrando Palus Sirbonis*, nunc *le Baranguerlis* vulgò dicitur ab incolis illius tractus, & ſenſim deficit.
Stymphalis, *Lago di Vulſi*, Arcadiæ.
Styx inferior, & Arcadiæ, eadem ſuperiori.
Thoſpites, *Gabacu*, Armeniæ majoris.
Tritonis, *ſeu* Trittonias, *di Caps*, Africæ.
Volcææ, *Balaton*, Pannoniæ ſuperioris.

PALUS, non minimum in Athletarum Gymnaſtica olim locum habuit. Exercitationis cujus meminit Vegetius *l.* 1. *de re Milit. c.* 11. cùm ſcribit: *Palorum uſum non tantùm militibus, ſed etiam gladiatoribus plurimum profuiſſe, nec unquam aut arenam, aut campum victores ullos declarâſſe, niſi qui diligenter* ad palum *fuiſſent exercitati.* Proin omnium frequentiſſimè in hac ſe futuri Athletæ, & militari diſciplinæ initiati, exercere ſolebant; quod quô pactô factum fuerit, idem ibidem docet, his verbis: *A ſingulis Tyronibus ſinguli pali defigebantur in terram, ita ut micare non poſſent, & ſex digitis eminerent: Contra illum* Palum *veluti contra adverſarium Tyro cum crate & clava, tanquam cum gladio ſe quiſque exercebat & ſcuto: ut nunc quaſi caput aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, interdum contenderet & poplites & crura ferire, recederet, aſſultaret, inſiliret, & quaſi præſentem Adverſarium, ſic* Palum *omni impetu, omni bellandi arte, tentaret.* Unde & Seneca *Ep.* 18. *Exerceamur ad palum.* Vide quoque Platonem *de Legg. l.* 7. Ariſtotelem *in Politicis*, Hier. inprimis Mercurialem *de Arte Gymnaſtica l.* 3. *c.* 4. Juvenalis de hoc Exercitii genere, ita *Sat.* 6. *v.* 248.

——— ——— Aut quis non vidit vulnera pali,
Quem cavet aſſiduis ſudibus, ſcutôque laceſſit,
Atque omnes implet numeros &c.

Sed & ſupplicii id genus. Hinc *Nudum ad Palum vapulare*, pœna ſervorum erat, in *L.* Longob. *l.* 3. *tit.* 7. §. 1. & *Capitul.* Caroli M. *l.* 4. *c.* 30. vide quoque ſupra *Crux*, infrà *Stipes*, & *unci*. De *Palo* menſurali, vide ſuprà *Incomma*: de *ſacrificalibus*, vide *Siculum Flaccum* alioſque Agrimenſores: de *Terminalibus*, ſuprà ibidem in voce *Pali*. Vide etiam quædam, voce *Chrenecruda*, item *Cindalopectæ*, *Paleda*, ut & ubi de *Monomachia.*

PAMBERGA, vide BAMBERGA, & *Gravionarium.*

PAMBOTADES, δημὸς, Ἀττικὸς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς, *Steph.*

PAMELIUS *Jacobus*, Brugis Flander, Linguarum, Hiſtoriarum & Theologiæ peritiâ inclytus, gratus fuit Cardinalibus Hoſio & Sirleto, nec non ipſi Sixto V. Cujus juſſu editionem operum Rabani Mauri in ſe ſuſcepit. Scripſit Commentar. *in Tertullianum & Cyprianum*, aliaque Teiſſerio enarrata *Elog. Part.* 2. Deſtinatus S. Audomari Epiſcopus obiit A. C. 1587. ætat. 52. Vide quoque Aub. Miræum *Elog.* Poſſevinum *Appar. Scaligerana*, Freherum, & aliquid ſuprà in *Jacobus Pamelius.*

PAMENOTHUS, ab Ægyptiis menſis appellatus, ſicut & Chronius & Antheſterion, Alex. ab Alexandro *l.* 3. *c.* 24. *Genial. Dier.*

PAMIÆ, ſeu APAMIÆ, urbs Comitatus Fuxenſis ad Alburacim fluv. 3. leuc. à Fuxio in Boream, 9. à Toloſa in Meridiem, uti 6. à Rivis in Eurum; *Pamiers.* Ita propriè Arx dicitur, cùm urbs Fredelacum fuerit appellata. Hîc Abbatia ſeculô 8. à Comitibus Carcaſſonenſibus fundata eſt, & Rogerius Bernardus, Comes Fuxenſis Fredelacum urbem cum arce Pamia, Abbati donavit. A. C. 1149. cum cujus ſucceſſoribus Comiti non rarò lis fuit. Epiſcopalis facta eſt, A. C. 1296. à Bonifacio VIII. primumque Præſulem habuit Bern. Saiſſetium, qui cum Comite pacem fecit. Fuit autem tum ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, donec Toloſanâ Eccleſiâ in Archiepiſcopalem evectâ, à Johanne 24. huic ſubeſſe cœpit. Bellis civilibus plurimum paſſa, nunc indies reparatur, Guil. Perierius, *Annalib. Fux.* Bertrandus Elias, *Hiſt. Fux.* Petrus Olhagaray, *Hiſt. Fux.* de Marca, *Hiſt. Bearn.* Des Caſes, *Hiſt. Fux. &c.* Vide quoque *Apamia.*

PAMISUS, ſeu PANISUS *Ptolomæo*, qui & *Amathus*, *Mamaus*, & *Arcadiacus*, à *Strab.* nominatur, & *Pamiſſus*, fluvius Meſſeniæ in Peloponneſo, cujus oſtia à Meſſene 300. milliar. abſunt. *Stromio* Nigro, aliis *Tiſeo*, alliis *Sparnazza.* Eſt & Theſſaliæ fluv. in Peneum ſe exonerans: itemque Myſiæ inferioris inter Odeſſon, & Meſembriam in mare Euxinum influens. Priori velut Deo, ſacrificatum eſſe à Meſſeniorum Regibus, inſtituti auctore Sybotâ, Dotadæ fil. teſtis eſt Pauſanias *in Meſſeniacis.*

PAMMENES, Dux Athenienſium, miſſus Megapolitanis auxilio, contra Mantinenſes, Eleos, alioſque Arcadas ſocios, Olympiadis centeſimæ quartæ annô tertiô. Vide & Polyænum *l.* 5. *c.* 16. Tandem ſuſpectus initorum cum hoſte conſiliorum, ab Artabazo comprehenſus, & fratri Oxythræ & Dibicto miſſus *l.* 7. *c.* 33.

PAMMENES, ob Chaldæorum artem exſulavit, multorum amicitiis innexus, tempore Neronis.

PAMMILIA, ſacra erant apud Græcos: de quibus copioſè *Lil. Gyraldus.*

PAMMONIA, locus in Europa, ubi vipera ſerpens reperitur. Nicander *in Theriacis.*

PAMMUS Archondes, Thebaidis in Ægypto Rex XIX. poſt Muſthim, præfuit ann. 35. Chenebre apud Thinitas, Tamphthi apud Memphitas, Rameſſe in inferiori Ægypto rerum potitis: circa tempora Iſaaci. Eum excepit Apappus Maximus, quem vide.

PAMPA, vicus vicinus Tentyris, qui & Παμπανὶς dicitur. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 75. ubi de bello inter Tentyritas & Ombitas exorto:

Terga fugâ celeri præſtant inſtantibus Ombis,
Qui vicina colunt umbroſæ Tentyra Pampæ:

Itinirarium Antonini *Pappam* vocat, *Tentyra, contra Copton, Pappa* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 448. At in Capitular. Caroli M. *l.* 7. *c.* 314. *Ut Clerici* pampis *aut tzangis vel armis non utantur.* Lindenbrogio *pampa* videtur ſicæ genus, in Germania uſitatæ, quod etiamnum *Pampi* vocetur, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

PAMPANIS, vicus mediter. Ægypti, *Ptol. Papa* ab *Anton.* & *Ripampane* in *Lib. Notit.* vocari aſſerit *Simlerus.*

PAMPELONA, urbs præcipua Regni Navárræ, quod ab ea Regnum *Pampelonæ* quoque dictum eſt. Poſtquam enim Pelagius, Mauris (qui Hiſpaniâ fuerant potiti) inter ſe diſſentientibus, primum Hiſpaniæ Regnum in montibus Aſturiæ, Gallæciæ & Cantabriæ, erexiſſet, circa A. C. 716. ſecundum in montibus Pyrenæis orſus eſt Garſias Ximenius ſeu Innicus I. circa A. C. 724. cujus ſedes Inſa primùm: inſignia rubra palma nullâ picturâ diſtincta: titulus, *Suprarbia* & *Ripagorça* fuit. Dein verò, ſub Garſia Innico II. captâ *Pampelonâ*, Latin. *Pompejopoli*, & in eam ſede Regni translatâ, *Regnum Pampelonæ* id vocatum eſt, donec *Regni Navarreni* titulum accepit. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 164. Vide *Pampilone*, *Pompejopolis* alibique paſſim.

PAMPHAGI, Æthiopiæ populi, omnibus rebus veſcentes. Vide Plin. *l.* 6. *c.* 30.

PAMPHILA, Epidamô oriunda, filia Soteridis ex Socratida, ſub Nerone. Ex conſortio mariti, qui probè literatus erat, aliorumque tantum doctrinæ hauſit, ut ipſamet Hiſtoriam miſcellaneam ſcripſerit, libris 8. *Suidas* eam libris 33. conſtitiſſe, illamque inſuper Cteſiam in libros 3. contraxiſſe, aliaque edidiſſe refert. A. Gellius *l.* 15. *c.* 17. citat librum 29. Hiſt. ejus. Vide & *Diog. Laërt.* Phot. *Cod.* 175. Suid. Diogen. *in Pittaco, Socr.* &c. adde Voſſium, *de Hiſtor. Gr. l.* 2. *c.* 7.

PAMPHILA, ſeu PAMPHILE, in Ceo mulier, veſtes bombycinas, ex Aſſyria bombyce textas redordiri rurſuſque texere prima invenit. Plin. *l.* 11. *c.* 22. ubi de bombycina veſte: *Prima eas redordiri, rurſuſque texere invenit*---Pamphile *Latoi filia, non fraudanda gloria excogitata rationis, ut denudet fœminas veſtis.* Cujuſmodi veſtis, à Coa diverſa, quæ ex Cois bombycibus, cujuſque apud Veteres mentio eſt, cùm de Cea apud illos nil reperiatur. Nempe artificium in Ceo quidem ipſum inventum retexendarum è bombyce Aſſyria veſtium, delicatiuſque texendarum, materia ipſa bombyx Aſſyria, unde Ἀσσυρίαι ἐσθῆτες, quæ eædem, cum Sericis. Etenim Romanæ Græcæque fœminæ Sericas veſtes inde allatas filatim reſolvebant, iterumque ſubtiliori ſtamine texebant &c. Atque hæ Sericæ Aſſyriæque veſtes fœminarum ſolùm erant, Plinii tempore, cùm Coæ etiam virorum eſſent, uti alibi diximus. Vide Salmaſ. *ad Solin. pag.* 143. & *ſeqq. ut & hic paſſim.*

PAMPHILE, mulier textrix peritiſſima, *Plin.*

PAMPHILIUS Obeliſcus, inter XIII. illos, qui Romæ hodieque ſuperſtites viſuntur. Erexerat eum Heliopoli Sothis Manethonis fil. Rameſes: quem poſteà Romam traductum A. C. 249. ad Prætoriana caſtra, in Hippodromo, Anton. Caracalla Imperator ſtatuit. Demum A. C. 1649. munificentiâ Innocentii X. in Foro Agonali, ſuper excelſa rupe ab arte, ad naturæ invidiam, copioſis rivis fontibuſque ſcatente, ad 4. Mundi plagas, cum diſpoſitione Equitis Bernini Architecti, erectus eſt. Georg. de Sepibus *Deſcript. Muſæi Kircheriani p.* 12.

PAMPHILUS, Athenienſis fœnerator inſignis, Remp. adminiſtraverat, qui cùm ærarium expilâſſet peculatuſque convictus eſſet, publicata ſunt univerſa ejus bona.

PAMPHILUS, celebris Pictor, Euryſtheus Herculi vivo infeſtus ſemper fuit & inimicus ſummus. Mortuô Hercule *Heraclidas*, i. e. *liberos Herculis*, & qui à partibus illius ſteterant, pertinaciſſimè eſt inſectatus: cujus ſævitiam cùm neque ferre neque repellere poſſe ſe agnoſcerent; tandem ad Athenienſes opis gratiâ ſupplices venerunt. Chærephon tragicus Poëta horum miſeriam poſteà carmine deſcripſit. Dein Pamphilius inſignis pictor in Stoâ, in porticu Athenienſium, mirè expreſſit.

PAMPHILUS, Neoclidis fil. Platonis auditor; qui circa Phædonis principium, dicit, illum inter eos, qui in acie ceciderunt, decem dies jacuiſſe, triduoque poſtquam inde ſublatus fuerat, impoſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

poſitum rogo revixiſſe, ac mira quædam tempore mortis viſa narrâſſe.

PAMPHILUS Presbyter, Euſebii Cæſarienſis neceſſarius, tantô Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut bonam partem voluminum Origenis ſuâ manu deſcripſerit. Martyriô coronatus eſt, apud Cæſaream Palæſtinæ ſub Maximiano, A. C. 308. Dicitur in carcere ſuo biennali, in apologia Origenis deſudâſſe, quam poſteà abſolverit Euſebius; qui quantâ veneratione hunc martyrem coluerit, vel hinc intelligi poteſt, quòd ejus nomen ſuo adjunxerit, & compoſuerit de vita illius libros 3. qui perierunt. Hieron. *de Scr. Eccleſ. c. 75.* Euſeb. *Hiſt. l. 6. & ſeqq.* Phot. *Cod.* 118. Baron. *in Annal. Suidas* tres Pamphilos commemorat, duos ſcilicet Grammaticos, quorum alter Sicyonius genere de Grammaticâ picturâque ac ſcriptoribus claris ſcripſit. Alter Alexandrinus Dictionarium edidit, quod *Pratum* appellavit. Tertius Athenienſis fuit Reip. expilator, unde proverbium; *Pamphili furtum.* Vide ſuprà.

PAMPHILUS, Apellis Præceptor: Primus cum Arte pingendi Matheſin conjunxit; negans ſine Arithmetice & Geometria illam poſſe perfici. Vide Plin. *l. 35. c.* 10. & Gerh. Joh. Voſſium *de Scient. Mathem. c.* 2. §. 13. quorum hic, Picturam à Geometria accipere lineam ac magnitudinem: ab Optica ſumere lumen & umbram, ſplendorem ac opacitatem, eruditè oſtendit. Vide quoque quæ hanc in rem Alb. Durerus, celebris ille Germaniæ Apelles, literis conſignavit. Idem nomen Mago celebri, de quo ſuprà voce *Armenius.*

PAMPHILUS, pictor egregius, Apellis victor, qui neminem minoris talentô in diſciplinam admittebat, nec minore tempore quàm annis decem.

PAMPHILUS Amphipolita, aut Sicyonius, aut Nicopolita, (nec enim de patria convenit) φιλογράμματος, præceptor Ariſtotelis inter alia illuſtrium pictorum hiſtoriam ſcripſit, teſte *Suidâ*, cui Philoſophus dicitur. Unde opinari quis poſſet, eſſe Pamphilum Platonis diſcipulum. Compoſuit quoque libros tres de Re Ruſtica, quorum, præter *Suidam*, etiam meminêre *Geoponica* Conſtantino dicata. Vide Diog. Laërt. *in Epic.* Antoninus Liberalis narrationem viceſimam tertiam, quæ de Batto eſt, exſcripſit ex *l.* 1. Pamphili cujuſdam, & iis quos Pamphilus ſecutus erat. Etiam Athen. *l.* 12. refert ex quodam Pamphilo, Abydi eſſe templum Ἀφροδίτης Πόρνης. Fortaſſis is eſt Pamphilus Alexandrinus, cujus idem meminit *l.* 2. 3. 8. 9. Voſſius, *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 8. *& l.* 3. *p.* 307. *Nic. Lloyd.*

PAMPHILUS Joſephus, vide *Joſephus.*

PAMPHOS, Athenienſis, Poëta celebris, recentior Olene, ſed vetuſtior Heſiodô, memoratur Pauſaniæ *l.* 9.

PAMPHYLIA, quæ & *Mopſopia*, teſte Pliniô, *l. 5. c.* 27. regio minoris Aſiæ ad Auſtrum verſus oram littoralem maris, quod Pamphylium appellatur, inter Lyciam ad Occidentem & Ciliciam ad Ortum, à Phrygia magna Taurô monte diviſa. Urbes quondam habuit celebriores Olbiam modò dirutam, & Ataliam, nunc Sataliam. Regio eſt vinetorum & olearum fertilitate nulli poſtponenda, paſcuis etiam fœcundiſſima, quamvis habeat ſua arenis moleſta. Amnes ejus nobiliores ſunt Cataractas, Cayſerus, Eurymedon, apud quem Cimon Athenienſis Perſas navali præliô ſuperavit, & Medos. Omnis montana ex Tauro, quô premitur, in mare procumbit. In ipſa *Ptol.* has regiunculas aſſignat: Corbaliam, quæ & Lyciæ partem occupat, Phrygiam, quam majorem nonnulli dicunt, & Piſidiam. Noſtræ autem ætatis homines, poſtquam Turcarum tyrannidi ſubjecta eſt, binas ejus dynaſtias faciunt: partem ejus quæ Piſidiæ, Iſauriæque & Cappadociæ finitima eſt, *Caramaniam* vocantes, à Caramanno, uno ex ſeptem Turciæ primoribus, ab Othomanno expulſo: littorea autem Pamphylia, nunc *Scandalera* appellatur. *Settalia* teſte *Giravâ*; *Zina Theveto*, *Caraman Nigro* dicitur. *Scandalor* eidem *Nigro* eſt pars occidua & ad mare terminata. Pamphyliæ inter poëtas meminit Stat. *l.* 1. *Silv. Carm.* 4. *v.* 77.

Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia meſſes.

Ilinc *Pamphylius* adject. Lucan. *l.* 8. *v.* 249.

——— *Pamphylia puppi*
Occurrit tellus. ———

Nic. Lloydius. Baudrando terminatur à Septentrione Piſidiâ & Lycaoniâ provinc. uti etiam tantiſper Phrygiâ magnâ. Nunc pars eſt Occidentalis Caramaniæ provinc. ſub Turcis. Hâc regione, ut & Phrygiâ, Lycaoniâ, Iſauriâ & Piſidiâ, Ἀνατολικὸν θέμα, conſtare, ait Conſtantinus, *de provinciis Orientalis Imperii*, ſeu *Aſiam parvam & Proconſularem* olim dictam; qua de re quid ſentiat Salmaſ. vide illum *ad Solin. p.* 803. & *ſeqq.*

PAMPHYLIA, urbs Mediæ. *Steph.*

PAMPHYLIUM Mare ſeu *Pamphylius Sinus*, dicitur is, quem Pamphylii accolunt: quô nomine etiam Cilicium interdum comprehendebant. Nam & Cyprum Παμφυλίου ἔνδοθι κόλπου, *Pamphylio in Sinu*, collocat *Dionyſius*, cùm illa Inſul. oppoſita ſit tota Ciliciæ oræ maritimæ. Sed & Ἰσσικὸν κόλπον etiam *Pamphylium* dici, notat *Euſtathius* ab Iſſo, ad Patara Lyciæ uſque. *Dionyſ.* ſinus ejus, quidquid Pamphylii circum colunt, uſque ad Chelidonias extendit, quibus contraverſum Tauri promontorium. Idem Cilicium Sinum à *Pamphylio* ſeparat, de illo ita canens, poſt Piſidiæ Urbes & Pamphyliæ:

Κεῖθεν δ' εἰς αὐγὰς σκολιὸν περιτέμνεται οἶμον
Πολλὸν ἔσω βεβαυῖα περίδρομος Ἀμφιτρίτη,
Γείτων Εὐξείνοιο πολυκλύστοιο θαλάσσης.

De Pamphylio verò Mela, *l. 1. c.* 14. *Sidæ portu & Tauri promontoriô claudi*, ait. Cœterùm, uti Lycius & Cilicius, ita & *Pamphylius Sinus*, multis aliis parvis ſinubus porrò lancinatur, in terras excurrentibus, ubi promontoria ſunt. Vide Salmaſ. *d. l. p.* 781. & *ſeqq.*

PAMPILONE, metropolis Navarræ regni, cujus incolæ à fide Chriſtiana apoſtatæ, à Carolo M. revocati ſunt, Crantz. *l.* 2. *c.* 14. 15. A. C. 809. Primus Aragoniæ & Pampilones Rex Abarcas fuit, A. C. 895. Vide *Pompelona* & *Pompejopolis.*

PAMPINATA Lanx, in Epiſt. Gallieni apud Treb. Pollionem in *Divo Claudio*, *c.* 17. *Miſi ad eum pateras gemmatas trilibres duas, ſcyphos aureos gemmatos trilibres duos, diſcum corymbiatum argenteum librarum viginti. Lancem argenteam* pampinatam *librarum triginta* &c. à *pampino* nomen habet, quemadmodum à corymbio, *corymbiatus* diſcus appellatus eſt, in quo corymbia mulierum, & crinium cumulatæ in altum ſtructuræ (à corymbi vel racemi ſimilitudine ſic dictæ) cælatura expreſſæ erant: ab hedera *hederata* patina in *ſeqq.* quæ hederæ corymbos & racemos habuit: à filice, *filicata* patera, quæ ad filicis herbæ ſpeciem erat cælata &c. Variis enim argumentis, in cælandis vaſis, luſit Veterum luxuria. Vide Salmaſ. *ad loc. cit.* Fuit autem *Pampinus*, coronamentum Bacchi, apud Horatium *Carm. l. 3. Od. 25. v. ult.*

——— *dulce periculum eſt*
O Lenæe ſequi Deum
Cingentem viridi tempora pampinô.

Et *l. 3. Carm. Od. 8. v. ult.*

Ornatus viridi tempora pampinô
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Cùm aliàs is hederâ & vite coronarêtur. Atque hinc coronæ illæ vitigineæ, i. e. ad pampinorum vitis ſimilitudinem effectæ, originem traxêre. Fuit autem *pampinea* hujuſmodi corona, ſymbolum maturitatis ejus, quæ fini eſt proxima. Unde, cùm Eques quidam Roman. per quietem vidiſſet, Claudium hujuſmodi coronâ evinctum albeſcentibus foliis, vergente autumnô, mortem Principis oſtendi, inde conjecêre harum rerum periti, apud Tacitum *Annal. l.* 11. *c.* 4. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 1. Cœterùm *pampinationem* Stolonis inventum, facit Plin. *l. 17. c.* 1. quem etiam *de abiete, ramentorum crinibus pampinato ſemper orbe ſe volvente, ad incitatos runcinarum raptus*, vide *l. 16. c.* 42.

PAMPREPIUS, poëta Panopolitanus, floruit ſub Zenone, etiamque gratiâ apud eum valuit. Magni fuit Procli diſcipulus, inque religione Gentili perſtitit, nec id diſſimulavit, ubi omnes videret in urbe Chriſtianos. Vide de eo multis differentem *Suidam*, & Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Græc. c.* 21.

PAN, quem paſtorum, venatorumque Deum, & univerſæ vitæ ruſticanæ præſidem crediderunt antiqui, cujus fil. fuerit, non ſatis conſtat. Homer. *in Hymnis*, Mercurii filium facit:

——— Ἑρμείαο φίλον γόνον ἔννεπε Μοῦσα,
Αἰγοπόδην, δικέρωτα, φιλόκροτον.

Herodot. *in Euterpe*, Penelopen matrem ejus fuiſſe refert: Πανὶ δὲ τῷ ἐκ Πηνελόπης, ἐκ ταύτης γὰρ καὶ Ἑρμέω λέγεται γενέσθαι. Durius autem Samius in eo libro, quem ſcripſit *de Agathocle*, Penelopen cum omnibus procis rem habuiſſe narrat, è quorum congreſſu Pana inquit natum fuiſſe. Πᾶν enim Græcis *totum* vel *omne* ſignificat Homer. autem in *Hymnis* ſic dictum putat, quia Deorum omnium mentes delectaverit, cùm citharam nuper natus ſcitè pulſaret:

Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψε.

Veteres autem ita Pana pinxerunt, ut nihil ex toto univerſo in eo prætermiſſum videatur. Habet enim cornua in radiorum Solis, & cornuum Lunæ ſimilitudinem. Rubet ejus facies ad ætheris imitationem, in pectore Nebridem habet ſtellatam, ad ſtellarum imaginem: pars ejus inferior hiſpida eſt, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut oſtendat terræ ſoliditatem. Hic à nonnullis Demogorgonis filius creditur fuiſſe, & fiſtulam compoſuiſſe 7. imparibus calamis ſimul conjunctis, propter harmoniam cœli. Traditur enim cum Cupidine aliquando pugnâſſe, (à quo ſuperatus eſt) & incidiſſe in amorem Syringis, ſeu Syringæ virginis, quam, cùm tranſire Ladonem Arcadiæ amnem non poſſet, Nympharum precibus in paluſtrem calamum mutatam vidit, è quo ſtatim compoſuit fiſtulam, quæ ex puellæ nomine apud Græcos *Syrinx* eſt vocata, Bion. *Idyll.* 3.

Ὡς εὗρε πλαγίαυλον ὁ Πᾶν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα.

Virg. *Eclog.* 2. *v.* 32.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit. ——— ———

Idem *Eclog.* 8. *v.* 24.

Panaque qui primus calamos non paſſus inertes.

Propert. *l. 3. Eleg. 2. v.* 30.

——— *Calami Pan Tegeæ tui.*

Redeo autem ad etymon, in quo planè etiam nobiſcum facere videtur Orpheus, *univerſam* ſub ejus nomine *naturam* intelligens. Verba ejus ſunt:

Πᾶνα καλῶ κρατερόν τε Θεὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν, ἰδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.

Colebatur per totam Arcadiam, potiſſimùm tamen in Lyceo & Mænalo montibus. Virg. *Eclog.* 10. *v.* 26.

Pan Deus Arcadiæ venit.

Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 271.

Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades, Arcadiis pluribus ille jugis.

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 28. *v.* 20.

——— *Arcadio pinus amata Deo.*

Alcæus,

Ἰὼ Πᾶν Ἀρκαδίας μεδέων κλεεννᾶς.

Quin & Simonides hunc vocat τραγόπουν καὶ Ἀρκάδα. Dixi Deum hunc montibus gaudere. Homer. *in Hymn.*

——— Ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε,
Καὶ κορυφὰς ὀρέων, καὶ πετρήεντα κάρηνα.

Teſtes quoque Horatius ac Ovidius. Ille *l. 4. Od. 12. v.* 11.

——— *Deum cui pecus, & nigri*

Colles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Colles Arcadiæ placent.

Hic *Faſt. l. 2. v. 285.*

Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis
Montibus; & ſubitas concitat ille feras.

Ab iſta ſubita concitatione *terrores Panici*, Græcè Πανικὰ δείματα vocabantur, de quibus *in Miſcellaneis* vir ſummus Angelus Politianus. Appoſitè Val. Flacc. *l. 3. v. 56.*

Ludus & ille Deo, pavidum præſepibus aufert
Cùm pecus, & profugi ſternunt dumeta juvenci.

Cicer. *l. 5. Ep. 20. ad Attic. Scis enim quadam* Πανικὰ *dici.* Hyginus *in Capricorno: Hic enim dicitur, cùm Jupiter Titanas oppugnaret, primus objeciſſe hoſtibus terrorem, qui Panicus dicitur.* Hinc aliquibus *Pan* dictus videtur, à verbo Ebræo פון *Pun*, vel *Pon*, *attonitus eſt*, ita ut dubius ſit animi, ne planè pereat; Et פן *Pen* adverbium dubitantis eſt. Mali autem ominis habebantur hi terrores apud veteres, teſte Plutarch. *in Cæſare*, & ex eo Dionyſ. Halicarn. *l. 1. c. 16.* Qui tamen Dionyſius Fauno hos terrores Romanos adſcribere ſolitos fuiſſe teſtatur, unde *Faunum* eundem eſſe cum *Pane*, probat Bochart. ὁ μέγας. Sed nihil opus eſt argumentis, cùm in eam rem expreſſa ſint teſtimonia veterum. Sextus Aurelius Victor *de origine gentis Romanæ*; *Hunc Faunum plerique eundem Sylvanum à ſylvis, & Inuum Deum, quidam etiam Pana dixerunt.* Rutilius *l. 1. Itiner. v. 232.*

Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala ſylvis,
Sive ſuos patrios incola Faunus init.

Fuit etiam venatorum Deus, qui ſi faviſſe putaretur venatoribus, ab illis colebatur à venatione reverſis: at ſi fruſtra laborâſſent, ſcillas in illum conjiciebant, uti teſtatur Theocritus *in Thalyſ.*

Κὴν μὲν ταῦθ' ἕρδοις, ὦ Πὰν φίλε, μή τύ τι παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε ϗ ὤμους
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅκα κρέα τυτθὰ παρείη.

Ovid. quoque *in 4. ep. Phædræ, Heroid. v. 169.* unà cum Diana Panes & Satyros venantium præſides facit:

Sic tibi ſecretis agilis Dea ſaltibus adſit,
Sylvaque perdendas præbeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes,
Et cadat adverſâ cuſpide foſſus aper.

[Nam non unum ſolummodo, ſed plures Panes fuiſſe apud veteres legimus, Theocr. *in Amaryllide,*

——— Τό τοι γένος ἢ Σατυρίσκοις
Ἐγγύθεν, ἢ Πάνεσι κακοκνήμοισιν ἐρίσδει.

Propert. *l. 3. Eleg. 16. v. 34.*

Capripedes calamô Panes hiante canent.]

Sed quid venatorum Deum fuiſſe dicimus? Ipſemet Pan fuit venator, ut ait Theocritus *Idyll. 1.*

——— Τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες, ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
Ἀνίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται, ἐντί γε πικρός.

Memoriæ prodidit *Iſacius*, Pana Deam Echo adamâſſe, quare eum maritum Echûs appellavit Theætetus, *in his Carminibus:*

Ὑλοβάτας, φιλόδενδρος, ὀρεσαύλου πόσις Ἠχοῦς,
Πάνσκοπος, εὐκεράου μηλοφύλαξ ἀγέλας.

Quam amicam ejus nominavit Archias, *in his:*

Ἠχὼ πετρήεσσαν ὁρᾷς φίλε, Πανὸς ἑταίρην
Ἀντίτονον φθογγὴν ἔμπαλιν ᾀδομένην.

Fuit etiam à Luna amatus, cùm in niveum arietem pulcherrimum ſe convertiſſet. Virg. *Georg. l. 3. v. 392.*

Munere ſic niveô lactis (ſi credere dignum eſt)
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans, nec tu aſpernata vocantem.

Porrò libidinoſum finxerunt hunc Deum, propter ſpermaticarum rationum copiam, ideoque Nymphas non ſolùm inſequi, ſed etiam pueros formoſos. *Heſych.* Πᾶνες, τοὺς ἐσπουδακότας σφοδρῶς περὶ τὰς συνουσίας ἔλεγον. Coluerunt etiam Πᾶνα piſcatores, cùm in locis mari propinquis plerumque verſaretur, quem etiam ἁλίπλαγκτον Sophocles, *in Ajace*, vocat. Offerebatur huic Deo lac & mel in paſtorum poculis, quod ſignificavit Theocritus, *in Viatoribus:*

Στασῶ γ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος,
Οὐκτὼ δὲ σκαφίδας μέλιτος πλέα κήρι' ἐχοίσας.

Quare non ritè ſacrificabant, qui tauros illi immolabant, aut qui in aureis poculis lac aut vinum offerebant, cùm vaſa ex eo metallo ſuperis ac cœleſtibus Deis, non autem terreſtribus vel paſtorum curam habentibus convenirent. Apollonius Smyrnæus,

Ἀγροτέρων Θεός εἰμι, τί μοι χρυσέοις δεπάεσσι
Σπένδετε, ποῦ δ' Ἰταλοῦ χεῖτε μέθυ Βρομίου,
Καὶ γυροὺς ταύρων πέτρῃ προσδεῖτε τένοντας,
Φείσασθ', οὐ τούτοις θύμασι τερπόμεθα.
Πὰν ὁ παρωρείτης, αὐτόξυλος, ἀρνοθοίνης
Εἰμὶ ϗ ἐγχθονίου γλευκοπότης κύλικος.

Pinus Pani arbor ſacra fuit. Alex. ab Alexandr. *l. 4. c. 17.* Propert. *l. 1. El. 18. v. 19.*

Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor honores
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Ovid. de Lupercalibus, qui erant ſacerdotes Panis, *Faſt. l. 2. v. 27.*

Ipſe ego Flaminiam poſcentem februa vidi,
Februa poſcenti pinea virga data eſt.

Pinus, inquam, grata Pani arbos, & inde nectit coronam. Ovid. *Faſt. l. 1. v. 412.*

Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.

Idem *l. 1. Met. v. 699.*

Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acutâ.

Et *in 5. ep. Oenones Heroid. v. 137.*

Cornigerumque caput pinu præcinctus acutâ
Faunus. ——— ———

Et *l. 3. Faſt. v. 84.*

Pinigeris Fauni Mænalis ora caput.

Lucret. *l. 4. v. 587.*

——— ——— *Cùm Pan*
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans.

Unde apud Stat. *l. 2. Sylv. 3. v. 52.* Pan ipſe loquitur,

——— *Et noſtræ ſtupeant tua germina pinus.*

Feſta ejus dicebantur *Lupercalia*, fiebantque in Aventino monte, menſe Februariô, quorum author fuit *Evander*. Plut. *de def. Oracul.* refert, nautas Inſulam quandam præternavigantes, audiiſſe vocem, *Magnus Pan mortuus eſt:* quod tum factum creditur, cùm Christô in carne præſtitô, omnis hæc Gentilium Deorum ſuperſtitio ceſſavit, qua de re quid ſentiendum, vide apud Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſert. 1.* Juſtinum etiam *l. 43.* Herodot. *in Euterpe, &c. Nic. Lloydius.* Addo, quòd in *Hymnis*, qui Orpheo attribuuntur, φαντασιῶν ἐπαρωγὸς appellatus legitur. Credebatur enim repentinos injicere & lymphaticos metus, ac ipſe ſubitis inconſultiſque motibus gaudere. Unde ibidem, vocatur σκιρτητὴς & περίδρομος, i. e. *ſaltator* ac *vagabundus:*

Ἔλθὲ μάκαρ σκιρτητὰ, περίδρομε, σύνθρονε ὥραις.

Et de Fauno, ſuppare ejus, Horat. *l. 1. Carm. Od. 17. v. 1.*

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lyeo Faunus ———

Siliuſque Italicus, *l. 13. v. 327.*

——— *Pendenti ſimilis Pan ſemper, & imo*
Vix ulla inſcribens terræ veſtigia cornu.

Quam ob cauſam Gronov. apud ingenioſiſſimum Naſonem *Faſt. l. 2. v. 286.* pro, *concitat ipſe feras*, quod *Scaligero* placuit, legit: *concipit ipſe fugas*, i. e. φαντασιοῦται, imaginatur, & ſubitò nec quid nec quare exilit diſcurſatque: ita ludens ipſe repentinos metus, quorum credebatur excitator. De eodem, apud Val. Flaccum *Argonaut. l. 3. v. 56.* habetur:

Ludus & ille Deo, pavidum præſepibus aufert
Cùm pecus & profugi ſternunt dumeta juvenci.

Quâ ſuperſtitione abuſus ille Geta, quem idem *l. 6.* introducit, *Panis* habitu, abigeum, & tum vanô ludibriô hoſtes territantem *v. 530. & ſeqq.*

——— *Pariterque inglorius Armes*
Fraude nova ſtabula & furtis adſuetus inultis.
Depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
Hiſpidus inque Dei latuit terrore Lycei, &c.

Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. l. 4. c. 15.* ut & paulo infrà. In Arcadia autem potiſſimùm cultus eſt antiquitus, unde Romam veneratio ejus tranſiit, *Panis Lycæi* nomine apud illos inſignis; à quibus *Inuus* quoque, vel, ut alii, *Junus* appellatus eſt. De ſacris ejus, *Lupercalia* dictis, vide *ſuô locô.* Addi poteſt, apes quoque atque alvearia in ejus fuiſſe tutela. Zonas Poëta *Antholog. l. 1. c. 60. Epigr. 7.*

Ὄφρα μελισσόος, Πὰν ἐπικυψέλιος,
Ut apum ſervator Pan *ſubalvearius.*

Inter Semideos collocat Placidius *ad v. 112. l. 6. Theb. Statianæ.* Quòd Echûs ſeu ſoni repercuſſi eſſet inventor, ideo amore ejus captus fingitur. Alcæus,

Πανά μοι τὸν δυσέρωτα ϗ ἐξ ὑδάτων φύγεν Ἠχώ,
Pana me amorem infelicem & ex aquis fugit Echo.

Ejuſdem Oraculum fuiſſe apud Piſas, refert Luctatius Placidius, *ad v. 479. l. 3. Theb.*

——— ——— *Ruſticus accola Piſæ,*
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra.

Et Templi idem meminit, *l. 2. ad v. 206.*

——— ——— *Procul uſque Lycæos,*
Partheniosque ſuper ſaltus.

Fabulam ejus eleganter interpretatur, Fr. Baco Verulamius *l. de Sapientia Veter.* Fortunius Licetus, (qui Deum Mercurium in ætate ſenili, ſed virilitate ſatis excitatâ, currentem, ut apprehendat Deum *Pana* fugientem à facie ſubſequentis, cum verbis, *Fortaſſe licebit*, ſymbolum ſuum literarium fecit) *de Gemmis Annularib. c. 140.* &c. ex antiquis Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 22.* Vide quoque Silium Italicum, *Bell. Pun. l. 13.* Et omnium primo, ab Arcadibus, poſtquam in Italiam veniſſent, ſedibuſque ſub colle acceptis more patriô domicilia exædificâſſent, Themide jubente, templum fuiſſe in loco, quem Romani *Lupercal* nominabant, extructum, ex Livio, Juſtino, Plutarcho, aliiſque docet Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 20.* Quò facit locus Dionyſii *l. 1. Erat tum ſpelunca ſub tumulo magna, denſô quercetô contecta, & ſub petris profundi fonticuli, ſolumque rupibus contiguum, nemoroſum ac frequentibus proceriſque opacum arboribus. Ibi arâ dicatâ Deo more patriô ſacra fecerunt, quæ noſtrô quoque tempore faciunt Romani menſe Februariô, poſt Brumam, nihil mutantes ex ritu priſtino.* Eundem cum Sole, Apolline, ac Satane priſcis fuiſſe, Georg. Hornius refert *Hiſtor. Philoſ. l. 1. c. 8.* Cùm enim hic noſſet, inquit, Domini eſſe terram ac plenitudinem ejus Pſal. 24. v. 1. ſub *Panis* ſchemate ſe hominibus colendum dedit: *ſub finem dein cap.* ex fabula *Panis* ac Echûs, Philoſophiæ origines aperit. Primum Idololatriæ inſtitutorem *Pana* fuiſſe, Clem. Alexandr. *Admonit. ad Græcos* aſſerit, inquiens: *Athenienſes autem, ne quis eſſet quidem Pan, noverant, priuſquàm eis diceret Philippides. Meritò ergo Dæmonum cultus, quem alicunde cepiſſet, fons fuit ſtolidi vitii.* Quod evidentiùs conſtat ex Livio, Probo, Pomponio Læto, Lactantio, Natali Mythologo, Gyraldo, cœteriſque Claſſicis. Simonides hunc Satyrorum Principem ac Patrem Athenienſibus in bello navali opem tuliſſe, Medoſque profligâſſe, cecinit his verbis,

Τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα τὸν Ἀρκάδα, τὸν κατὰ Μήδων,
Τὸν μετ' Ἀθηναίων στήσατο Μιλτιάδης.
Arcada Capripedemque in Medos Pana locavit
Me pro Cecropiis gloria Miltiadis.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hinc in bellis omnibus, magni momenti fuêre ſemper ab illo terrores, ut credebatur, hoſtibus invecti: qua de re latè Pauſan. *in Phocicis*, aſſerens Gallos, qui duce Arennô Delphos acceſſerant prædaturi, fugatos à Deo *Pane* terroribus immiſſis, confectoſque viciſſim mutuis ictibus; quod idem Hannibali quoque, ad Urbis Romæ mœnia accedenti, contigiſſe, Sil. Italicus *in Punic.* narrat *loc. cit.* Vide Fortun. Licetum, *de Lucernis l. 6. c. 17. ubi Lucernam Minervæ Galvanianam explicat*, & de lampade, quâ Athenienſes hoc ſuum Numen, inter alia, venerabantur, Cœl. Rhodig. *l. 11. Antiq. Lection. c. 27.* uti de ejus coronamento, ex pinu & ebulo, Car. Paſchalium *Coronar. l. 4. c. 2. & l. 6. c. 28.* Inter Zeuxidis pictoris opera, *Panis* quoque mentio, apud Plin. *l. 35. c. 9. Poſteà donare ſua opera inſtituit, quòd ea nullô ſatis dignô pretiô permutari poſſe diceret, ſicut Alcumenem Agrigentinis*, Pana *Archelao*. Idem ex marmore Romæ fuit, in Septis, cum Olympo & Chirone ac Achille, *quos capitali ſatiſdatione fama judicavit dignos*, apud eundem *l. 36. c. 5.* &c. Plura hanc in rem, inprimis de *Panos* parentibus, *Panos Ægyptii* ætate, caprina facie ac cruribus, facie item rubra, vide apud G. J. Voſſium *de Idolol. l. 1. c. 8. 12. 16. 27. & l. 2. c. 74.* & 99. uti de ſchemate, cum quo pingi ſolitus, infrà voce *Pantomimus*.

PANACEA, fil. Æſculapii, ex πᾶν & ἄκος dicta, ut ipſô nomine omnium *morborum remedia* promittat. Plin. *l. 24. c. 4.* Vide Voſſ. *ibid. l. 4. c. 58.*

PANACHÆI, iidem qui *Panhellenes*.

PANACRA, montes Cretæ, *Callimachus*. Gentile *Panacræus*, & *Panacris*, fœmin. gener. *Panacron* autem urbs Cypri, Gentile *Panacreus*, vel *Panacrius*.

PANACTOS, Græcè Πάνακτος, locus Atticæ, apud *Stephanum*, Πάνακτον, φρούριον Ἀττικόν, ὁ Ἀνδροτίων ἐν τρίτῃ Ἀτθίδος. *Harpocration*, oppidum eſſe ſcribit, inter Atticam & Bœotiam ſitum, additque ejus mentionem facere *Thucydidem* & *Euripidem* & *Menandrum*, unde πανάκτειον, dictum origanum eſt, quòd ibi plurimum naſceretur; ſed & Πάνακτος, pro *Panacteo origano*, abſolutè occurrit, ut Χάλυψ, pro *Chalybico ferro*; Μάγνης, pro Magnetico lapide &c. Vide Salmaſ. *ad Solin, p. 1278.*

PANÆI, gens Edonica non procul ab Amphipoli.

PANÆTIUS, Equitum Athenienſium Magiſter, apud Ariſtophan. *Equit. Actu 1. Sc. 3.*

PANÆTIUS, Philoſophus Stoicus, patriâ Rhodius. Is fuit Scipionis præceptor, quem in Ægyptum comitatus eſt; & Lælii ſapientis amicus. Floruit A. 625. Urb. Cond. Suid. *in Panætio.* Hunc imitatus eſt Cicero libris de officiis, ipſô teſte, *l. 3. c. 2. Panætius igitur qui ſine controverſia de officiis accuratiſſimè diſputavit, quemque nos, correctione quâdam adhibitâ, potiſſimum ſecuti ſumus, &c.* Item primus in Sicilia tyrannus, An. 140. Urb. Cond. Olymp. 42. apud Leontinos, Ariſtoteles *l. 5.* Polit. *c. 10. & 12.* Euſeb. *Chron.* Factus eſt autem hôc modô tyrannus: cùm Leontini bellum adverſus Megarenſes gererent de finibus agrorum, Dux belli creatus, primum egenos & pedites adverſus Mercatores atque Equites irritavit, quòd illi longè deterrimâ conditione in pugnis uterentur, hi verò commodiſſimâ. Dein pro portis armorum numerum atque delectum habere inſtituit: Equos aurigis traditos pabulatum ducere juſſit. Sexcentos verò ſcutatos habens idoneos & expeditos ad eruptionem: horum principi numerationem armorum permiſit. Ipſe verò ſub arbores captaturus umbram conceſſit, aurigiſque perſuaſit, ut impetum in Dominos facerent. Illi conſcenſis equis incurſionem in eos fecerunt, atque armis, quorum numerus habebatur, direptis, nudos atque inermes trucidârunt, atque ſcutati in eam cædem conſenſerunt, citatôque curſu urbem occupaverunt & Panætium Tyrannum conſtituerunt, Polyæn. *l. 5. c. ult. Nic. Lloydius.*

PANÆTOLIUM, quaſi *totam* continens *Ætoliam*, mons Ætoliæ altiſſimus, Plin. *l. 4. c. 2.*

PANÆURA, urbs juxta Indum fluv. *Steph.*

PANÆUS, pictor, Phidiæ frater, pinxit prælium Athenienſium apud Marathonem factum, Plin. *l. 35. c. 8.* Induxit etiam in æde Minervæ tectorium lacte & crocô ſubactum. Idem *l. 36. c. 23.* ſed ibi *Pannæus* legitur.

PANAF, vox Hebræa, quam Eſaiæ *c. 6. v. 2*: Chaldæus Interpres, aliique paſſim Viri eruditi, de operimento capitis Seraphinorum ſonantem, ad verecundiam eorum de imperfecto ſuo in DEUM affectu, & ad metum reverentialem, quô aſtantes tantæ Majeſtati corripiebantur, referunt. Capitis enim obnuptio nota pudoris eſt, ut Braſſicanus *in Adagiorum farrag.* ſcribit: quique verecundantur, faciem & caput operiunt, Theophr. *in Character.* Unde apud Plautum non unô locô, frons perfricta ac inverecunda his ſignatur vocibus, *adeò nudô & apertô capite.* Et in convivio Alcinoi *Od. 8.* Ulyſſes canentem Demodocum audiens, præ verecundia caput operit: ut de juvene illo, apud Arbitrum: de Socrate, apud Platonem *in Phædro*: de Helena, apud A. Gellium *l. 14. c. 9.* & Q. Calabrum *Paralipom. l. 14.* nil addam. Ad ſacra redeo: Et hæc ſine dubio cauſa, cur Hebræi, cum alibi, tum maximè in Templo, orationi vacantes, capita velaverint, caputiis operti; cujus ritus primus Auctor Moſes creditur, ad rubi conſpectum vocemque Angeli inde auditam, faciem abſcondens. Nec multum abeſt, quod eum ritum Abulenſis ad ſubjectionem & timorem refert; unde Apoſtolus *1. Corinth. 11. v. 10.* capitis valamen *poteſtatem* vocat, quia timoris ſubjectioniſque nota: Quæ omnia non incommodè Epiphanius *hær.* 80. ad CHRISTI capitis noſtri obductionem transferens, Hebræis illum non ita, ac nobis eſt, manifeſtum ac patentem fuiſſe docet, quam ob cauſam Moſis lecturi libros capita velaverint. Ita Anshelm. Solerius *de Pileo Sect. 2.* Sed deceptus is eſt, cùm *Panaf* vult ſignificare, *operimentum capitis*: cùm Hebræa vox פניו reddi debeat *facies ſuas.* Ita enim verba habent, יכסה בשתים פניו, i. e. *duabus alis operiebant facies ſuas*, &c. *Joan. Buxtorf.*

PANAGÆA, Diana dicta eſt, quòd vagaretur, & per nemora monteſque oberraret. Quin domicilium etiam ſubinde mutat nunc apud ſuperos, nunc inferos agens. Ne ſpecie quidem ſemper eadem ſed nunc plenô orbe, nunc mutila, nunc nulla. Unde natum proverb. *Panagæa Diana.*

PANAGIA, Græcè Παναγία, i. e. *Sanctiſſima* ſeu *tota Sancta*, titulus quô B. Virginem Græci compellant. De cujus origine iſta referuntur in *Horologio Græco*, *Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem, quando ad menſam ſedebant, primum accubitum vacuum relinquebant, ob reverentiam Magiſtri & Domini Jeſu, in quem locum ſuper pulvinar partem panis, de quo comedebant, deponere conſuevêre. Peractâ autem menſâ, in altum panem illum extollebant, preceſque in gratiarum actionem recitabant, qui pius uſus à ſingulis Apoſtolis per mundum diſperſis continuatus dein fuerat. At dum iterum in unum divinâ diſpoſitione in Deiparæ tranſitu congregati, poſt funebres functiones, ſcil. die tertiô illius obitus, cùm, poſt menſam, ſolitam panis elevationem cum gratiarum actione celebrarent, apparuit eis B. Virgo choris Angelicis ſtipata, quæ vultu humaniſſimô eos ſalutavit: verùm illi mente ſtupefacti ac animi lætitiâ excitati, confeſtim in tali cœleſti viſione ſolitas preces edentes*, Panagia Deipara adjuva nos, *conclamare cœperunt & redeuntes ad Virginis ſepulchrum, ejus beatiſſimum corpus non invenêre, quare certiores facti ſunt, illam animâ & corpore in cœlum aſſumtam eſſe. E qua hiſtoria originem habuit non ſolùm titulus B. Virgini attributus, ſed & ipſemet panis, qui in altum elevatur cum gratiarum actione, poſt comeſtionem, ita appellatus fuit; unde ſolent adhuc Græci Monachi, ad imitationem Apoſtolorum, Deo gratias agere, poſt corporis refectionem, quem panem benedictum dein inter ſe dividunt & cophinum ſeu vas, in quo hic panis collocatur, Panagiarium vocant.* Quod ſuis Auctoribus relinquimus. Meminit ſimilis ceremoniæ Codinus, in menſa Imperiali Græcorum adhiberi ſolitæ: *Porrò Præfectus menſæ acceptum panagiarium menſæ imponit & elevans panagiam, dat illam Domeſtico Menſæ, & ille Magno Domeſtico, hic Imperatori & quam primùm panagiam ori inſerit, omnes accinunt, Ad multos annos.* E quibus patet, ait Dominic. Macer, nomine *Panagiæ*, non panem benedictum denotari, ut quidam volunt, ſed panem in altum elevatum, ad ceremoniæ præfatæ complementum: certè παναγία, non eſt εὐλογία, *benedictio*, ſed *omnino ſancta*, uti diximus, notat. Vide Macrum utrumque *in Hierolexico*, Goarum *ad Euchologium Græcorum p. 837.* Meurſium *in Gloſſario*, Alios. Jac. Sponius Patriarcham Conſtantinopolitanum titulô, *Panagiotita ſou*, i. e. *tuam omnimodam Sanctitatem*, compellari, cùm reliqui Græcorum Eccleſiaſtæ titulô *Agiotita ſou*, h. e. *ſanctitatis tuæ*, ſint contenti, adnotat *Itiner. Græciæ Part. 1. p. 270.* Idem *Panagioti* cujuſdam viri celebris, Chio oriundi, & in Aula Turcica magni habiti, ubi Interpretis, & aliquando Legati ad M. Moſcoviæ Ducem munere functus eſt, demortui A.C. 1673. Epitaphium Græcâ linguâ exaratum, quod in Monaſterio Chalcidis Inſul. viſitur, exhibet *Part. 3. p. 103.*

PANAGIUM, & APPENAGIUM, apud Francos, illa prædiorum dominiorumque portio eſt, quam Reges minoribus ſuis filiis in patrimonium largiuntur. An ab antiquo Francico, *Abbannen*, excludere, *quòd acceptâ hâc portione excluſos ſe à regni ſucceſſione intelligant*, Hotom. *Francog. c. 9.* An quaſi πᾶν ἅγιον, Choppinus *de domanio Franciæ l. 1. c. 6.* An à *pane*, ut ſignificet prædium, datum ad alimoniam filiorum? An tandem *ab appendendo*, quaſi appennagium coronæ? Vide Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* & hîc paſſim.

PANAGRA, Lybiæ interioris Urbs, *Ptolem.*

PANAMÆ, urbs Epiſcopalis & emporium celeberrimum Americæ Meridionalis in provinc. *Terra firma*, cum portu, in ora maris Auſtrini, & arce munita, ſub Hiſpanis, in loco parum ſalubri. Ipſa urbs lignea eſt tota, 17. leuc. Hiſpanis ab ora Maris Borealis in Meridiem, Hinc

PANAMÆ Iſthmus, tractus parvus 17. leuc. quô America Septentrionalis conjungitur Meridionali in *Terra firma*, inter Panamam & mare Auſtrale ad Meridiem, & Portum Belum, ad mare Boreale in Septentrionem.

PANAPANAS piſcis in Braſilia fluviatilis ſimilis Zygænæ, ſed mole minor. Vide infrà *Zygæna.*

PANARETUS, Græcè Πανάρετος, vocatur à Veterib. liber, qui geminum apud Græcos titulum habet; & modò Σοφία Σειράχ, *Sapientia Sirach*, modò pleniùs, Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ, *Sapientia Jeſu, filii Sirach*, appellatur, vide Iſidorum Peluſ. *Ep. 66. l. 3. p. 281.* Et quidem Græca vox occurrit apud Hieronym. *Prologô in libros Salom. Fertur & πανάρετος Jeſu filii Sirach: & alius ψευδεπίγραφος.* Latina apud eundem alibi: *Judæorum Pontifex Maximus Simon Oniæ filius ——— ſub quo Jeſus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton* &c. Eôdem modô vocatur *Salomonis Sapientia* vulgò inſcripta, apud Epiphanium *de Ponder. & Menſ.* Potiori longè jure, ipſa Proverbia Salomonis, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. l. 4. c. 22.* Sed & omnes libri Γνωμολόγοι ſic vocari poſſint, utpote, *omnium Virtutum* monita complexi, uti docet Scaliger *ad Chronicon Euſebii*, apud Cl. Suicerum voce Πανάρετος. Vide de his omnibus libris ſuô locô.

PANARISTE, aulica fœmina Beronices Reginæ, uxoris Antiochi, cujus ingeniô regnum Aſiæ à Tauro ad Indiam retentum in officio eſt, donec pater Ptolemæus ex Ægypto admoviſſet, Polyæn. *l. 8. c. 50.*

PANARIUM, nomen libri, quod Epiphanius contra Hæreticos conſcripſit. *Arculam medicam* ipſe interpretatur, *Ep. ad Acacium & Paulum*, amicos ſuos, quorum precibus librum compoſuit, *Panarium ſive arculam medicam, ad eorum, qui à ſerpentibus* (i. e. Hæreticis) *icti ſunt, remedium.* Dominic. & C. Macri *in Hierol.* Propriè verò *Panarium*, ubi *panes* ſervabant, Varro *de L. L. l. 5.* Sicut *Panarius*, apud Arnobium *l. 2.* qui in Gloſſ. Ἀρτοπώλης. Vide Jo. à Wower *Notis ad Minucium Fel.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PANARUCANUM, urbs Javæ inſulæ, in parte Orientali juxta fretum Balambuanum, cum portu capaci. Vix 30. mill. paſſ. ab urbe Paſſarvano in Ortum, 60. à Balambuano in Septentrionem.

PANASSA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol. Pandaſga Mercatori.*

PANATHENÆA, Erichthonius Vulcani filius Minervæ feſtum inſtituit, & Ἀθήναια quaſi dicas *Minervalia*, vocavit. *Harpocration*, Ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν ὁ Ἐριχθόνιος ὁ Ἡφαίστου, καθά φασιν Ἑλλάνικός τε καὶ Ἀνδροτίων, ἑκάτερος ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος· πρὸ τούτου δὲ Ἀθήναια ἐκαλεῖτο. Πρὸ τούτου, h. e. *ante Theſeum*. Ille enim omnibus Atticæ populis in unam civitatem redactis, inſtauravit, &, ut inquit *Plut.* Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν. Pauſan. *in Arcadicis*: Τούτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Ἀθήναια ὄνομα ἦν. Παναθήναια δὲ κληθῆναί φασιν ὑπὸ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Ἀθηναίων ἐτέθη συνειλεγμένων εἰς μίαν ἁπάντων πόλιν. *Suidas*, Παναθήναια, Ἀθήνησιν ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θησέως γινομένῃ συνοικισμῷ. Πρῶτον ὑπὸ Ἐριχθονίου τοῦ Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς, ὕστερον δὲ ὑπὸ Θησέως συναγαγόντος τοὺς δήμους εἰς ἄστυ. Sed Theodoretus *l.* 1. *Græcanicarum affectionum, ſive ſermonum de Fide*, eorum authorem Orphea facit. Cæterùm duplicia fuêre, Magna, & quinquennalia; Parva & annua. *Harpocration*, Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι· τὰ μὲν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἅπερ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. Eadem totidem verbis *Suidas*. Verùm author argumenti, quod orationi Demoſthenis *contra Midiam* præfigitur, magna quinquennalia, ſed parva triennalia, fuiſſe tradit: Διάφοροι παρὰ Ἀθηναίοις ἤγοντο ἑορταί. ἐν αἷς ἦν τὰ Παναθήναια, ἅπερ ἦν διπλᾶ, μικρά τε καὶ μεγάλα. Καὶ τὰ μὲν μεγάλα κατὰ πενταετηρίδα ἐτελεῖτο· τὰ δὲ μικρὰ κατὰ τριετηρίδα. Falſus igitur eſt Scholiaſtes Ariſtophanis *in Pace*, ad hunc verſum,

Καί σοι τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν.

Οὐχ', inquit, ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτό φησι, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν. Dixi feſtum communiter ab omnibus Atticæ populis actum, nam & ſinguli bovem mittebant inſtaurandis ſacrificiis; hinc ea carnium copia, quæ tantæ multitudini in epulas ſufficeret. Scholiaſtes Ariſtoph. *in Nebulas*, Ἐν τοῖς Παναθηναίοις πόλεις ἔπεμπον βοῦς ὅθεν δαψίλεια τῶν κρεῶν. Nec verò ſiccam fuiſſe viſcerationem, argumento ſunt pocula maximæ capacitatis, & ut Athenæus ait, Δίχοα καὶ μείζονα, h. e. *duorum congiorum & majora*, quæ ab eodem hôc feſtô Παναθηναϊκά. In pompa ſenes olei ramum geſtabant, quos ideo Θαλλοφόρους appellabant. Ariſtoph. *in Veſpis.*

Οὐκέτι πρεσβυτῶν ὄχλος
Χρήσιμος ἐς οὐδ' ἀκαρῆ.
Σκωπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν
Ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλοφόροι καλέμεθ'.

Cui muneri deligebantur ſenes, non illi quidem paſſi & rugoſi, ſed formâ præſtantes, & in ipſo vergentis ætatis occaſu vigorem aliquem oſtentantes. Xenophon *in Convivio*: Ἀλλ' οὐδὲ μὲν τοιαύτη γε ἀτιμαστέον τὸ κάλλος, ὡς ταχὺ παρακμάζον, ἐπεὶ ὥσπερ γε παῖς γίγνεται καλὸς, οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ καὶ πρεσβύτης. Θαλλοφόρους δὲ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. Hæc ille. Hiſce ceremoniis Minervam oleæ inventricem oſtendebant: quò etiam ſpectat, quòd oleâ coronabantur Athletæ, præmiique locô vas olei accipiebant. *Suidas*, Καὶ ὁ νικῶν ἐστεφανοῦτο ἐλαίᾳ πλεκτῇ. *Scholiaſtes Comici*, Κέραμον ἐλαίου ἐλάμβανον οἱ νικῶντες. In hunc uſum ſymbolam conferebant, quicunque oliveta poſſidebant: unde ἀπὸ τοῦ μείρεσθαι, i. e. *dividere*, ipſas oleas μορίας appellari tradiderunt. Ariſtophanis Schol. *in Nebulis*: Μορίαι, ἐλαῖαι ἐκλήθησαν, διὰ τὸ πάντα ἄνθρωπον κεκτημένον ἐλαίας ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρέχειν εἰς τὰ Παναθήναια. In eadem pompa circumferebatur peplum à virginibus contextum, in quo geſta Minervæ depicta conſpiciebantur. Meminit ejus Euripides *in Hecuba*. Ad quem locum *Scholiaſtes*: Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ Ἀθηνᾷ πέπλον, ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς Θεοῦ πολεμικῆς οὔσης καὶ ἃ κατὰ Γιγάντων ἐπράξατο μετὰ τοῦ Διός. Ὕφαινον δὲ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. Comici Enarrator, Enceladum in peplo expreſſum ait, quem Minerva occidit: τῷ πέπλῳ ἐνέγραπτο Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν Ἀθηνᾶ. Generatim Proclus *in Timæum Platonis*· Ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν. Sed obſervabatur hic mos in magnis Panathenæis tantùm, quæ ſingulô quinquenniô celebrabantur. Plautus *in Mercatore Prolog. v.* 66.

Neque niſi quinto quoque anno poſſe inviſere
Urbem: atque extemplo inde ut ſpectaviſſem peplum,
Rus rurſum confeſtim exigi ſolitum à patre.

Harpocration quoque meminit πέπλου τοῦ ἀναγομένου τῇ Ἀθηνᾷ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις. Itaque non video, quâ ratione poſſit excuſari, quod in Scholiis Comici legitur ad *Equites*: Ἐπεσκευάζετο οὖν ὁ πέπλος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ ἐπομπεύετο ἐν τοῖς Παναθηναίοις. Hîc præterire nequeam ritum in peplo notabilem; quod ſcil. ei nomina benè de Rep. meritorum intexerentur *Suidas*, Νικήσαντες Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποίησαν τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ἀνέγραψαν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ. Eadem habet *Ariſtoph. Scholiaſtes*. Reſpexit hunc morem Virgilius, ſeu quiſquis alius *in Ciri*:

Sed magno intexens, ſi fas eſt dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cùm caſtæ ſolvuntur vota Minervæ,
Tardaque confectô redeunt quinquennia luſtrô.

Unde viros fortes & bono patriæ natos, Ariſtophanes in *Equitibus*, appellat ἀξίους τοῦ πέπλου. Λαμπαδηδρομίας cum Promethiis & Vulcanalibus, Panathenæa communes habuerunt: niſi quòd in his equites decurrerent. Plato *l.* 1. *de Rep.* Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. Et Xenophon *in Convivio*: Ἦν γὰρ Παναθηναίων τῶν μεγάλων Ἱπποδρομία. Hos ludos in veſte tincta ſpectare nefas erat, uti conſtat ex Nigrino Luciani. Caſtellanus. *Nic. Lloydius.* Cœterùm utraque menſe Hecatombæone jam affectô, celebrata fuêre, & lampadis certamen, quod iis certabatur, in Ceramico extra urbem ſive in Academia peragebatur; cùm in Piræo illud vigeret, quod fiebat in Minervæ honorem. Agebantur autem eadem in Minoribus, quæ in Majoribus, ſi peplum excipias, qui in Majoribus tantùm *Panathenæis* inferebatur. Pompam ludoſque tinctâ veſte ſpectare, vetuit Lex: Ἐν τῷ τῶν παναθηναίων ἀγῶνι μὴ ἐξεῖναι τῷ βαπτὸν ἔχοντι ἱμάτιον θεωρεῖν, *Non licere in veſte tincta Panathenæorum pompam ludoſque ſpectare*: Qui ſecus fecerat, in jus rapiebatur ad Agonothetam, qui in eum animadvertebat, ut diſcimus ex Luciano *in Nigrino*. Sed nec peplum ſolùm in Majoribus inferri, verùm etiam Homeri carmina à Rhapſodis recitari moris erat, ex lege: Καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα Παναθηναίων τὰ τοῦ Ὁμήρου ἔπη ῥαψῳδεῖσθαι, *Panathenæis majoribus Rhapſodi Homeri carmina recitent*; quam Piſiſtrati filius Hipparchus tulit, ut teſtis eſt Lycurgus ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους, Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 8. *c.* 2. &c. Hipparchum poſtea æmulatus eſt Ariſtoteles, de cujus *Peplo* vide *ſuô locô*. Inferebatur verò Peplus *Panathenæis* maxima cum pompa, proſequebantur enim Athenienſes omnis ordinis, omnis ætatis, neque Athenienſes tantùm, ſed & inquilini: & quidem mares cum ligonibus, fœminæ cum hydriis & umbellis. Qua de re lex extat apud Harpocrationem, Τοὺς μετοίκους ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν. τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιάδια, *Inquilini in pompa ligones ferant: eorumque filiæ hydrias & umbellas.* Quam ſcripſiſſe videntur Inquilinis Athenienſes, circa belli Peloponneſiaci tempora, ubi Athenienſes proſperô rerum ſuarum ſucceſſu corrupti inſoleſcere cœperunt; vide Ælian. *Var. l.* 6. *c.* 1. & plura de his apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1.

PANATHENAICUM, Hermæum, Athenæum, in veſtigiis Hadriani Imperatoris Tiburtinæ villæ ſe inveniſſe, ſcribit *Ligorius* Antiquitatis peritiſſimus: quæ quidem Gymnaſia fuiſſe, ubi corpora exercerentur, exiſtimat. Mercurialis verò loca vult eſſe, in quibus aut diſciplinarum & aliarum Artium ſtudiis opera dabatur, vel feſta aliqua celebrabantur: & in ſpecie in *Panathenaico* fuiſſe Panathenæa celebrata, contendit, *l.* 1. *de Arte Gymnaſtic. c.* 10.

PANCADE, locus Palæſtinæ, apud quem Noradinum, opera Templariorum, Balduinus vicit, A.C. 1150. P. Æmilius *l.* 5.

PANCALE, inſula una Cycladum, quæ & *Amorgos. Steph.*

PANCALERUM, urbs Pedemontii, ad Padum fluv. 9. milliar. ſupra Auguſtam Taurin. in Meridiem, Savillanum versùs totidem, ſub Sabaudiæ Duce; *Pancalieri.*

PANCARPUM, vel PANCARPUS, Idem cum ſylva. *Jac. Cujacio, Franc. Pithœo, & Iſ. Caſaubono*, qui ex πανκάρπῳ θυσίᾳ Athenienſium tranſlatum eſſe nomen rati ſunt ad alia, quæ ſimiliter ex variarum rerum miſcellâ conſtarent. Sic enim & πάγκαρπον ſτέφανον *Ariſteas* dixit, coronam compoſitam ex omni fructuum genere, putà racemis, ſpicis, dactylis, malis multifariis, oleis ac cœteris ſimilibus. Ita igitur & *Pancarpum*, ait Caſaubonus, dixerunt ſpectaculum venationis, quô omnium generum beſtiæ exhiberi ſolitæ; eidemque nugatur is, qui *ad Martialis amphith.* diſputat de diſcrimine, inter *Pancarpum* & venationem direptionis, falſumque eſſe addit, quod idem ſcribit, à Gordianis primis exhibitam id genus venationem, cùm jam Alagabalus, non nummos, vel bellaria, vel minuta animalia, ſed boves opimos & camelos & cervos populo diripiendos objeciſſe legatur, apud Lamprid. *in Heliogab. c.* 8. Secundùm viros itaque eruditos hoſce, *Pancarpus* & *Sylva* idem fuerint, quod *venationem ampliſſimam* nominat Vopiſcus in *Probo c.* 19. *Sylva* autem hæc ideo fuerit dicta, partim quòd multiplicia animalium genera illa, quæ in Circum vel Amphitheatrum inducebantur, imaginem ſylvæ feris abundantis referrent; partim, quòd multifariæ arbores, ipſis evelli radicibus, atque in Circum vel Amphitheatrum inferri atque deſtitui ſolitæ eſſent, ut expreſſam veræ ſylvæ ſpeciem locus præferret. Salmaſio tamen longè aliud *Pancarpum*, aliud Sylva: neque in *Pancarpo* ſylva vel ulla ſylvæ ſpecies, nulla herbatica animalia, nulla animalium direptio, nulli qui diriperent populares: quemadmodum in ſylva nullæ feræ, nulla cum beſtiis hominum depugnatio, nulla beſtiarum occiſio. Ei itaque *Sylva* dictum eſt venationis id genus ludicræ ſeu ſpectaculi, in quo omnia, quæ producta erant animalia, diripiebantur à Populo, ab eo, quòd totus Circus ad ſylvæ ſpeciem arboribus eſſet conſitus: Nullæ autem feræ, aut noxia, vel dentibus vel unguibus, animalia exhibebantur, in illo venationis ludicro, ſed herbatica tantùm, & quæ rapi facilè poſſent ab inermibus popularibus, viva enim diripiebantur. Cujuſmodi Gordiani fuiſſe ſylvam, diſcimus ex Jul. Capitolino *c.* 3. in qua cervi, oves feræ, equæ feræ, tauri Cypriaci, onagri, ibides, damæ &c. *Pancarpum* verò ſpectaculi genus appellârunt, in quo homines mercede conducti cum beſtiis depugnarent. Caſſianus *collat.* 5. *c.* 14. *Ut fieri ſolet ab his, qui coram Regibus hujus Mundi omnigenis congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſuêrunt, quod ſpectaculi genus vulgò* Pancarpum *nuncupatur. Hi, inquam, feras quaſcunque fortiores robore, vel feritatis rabie conſpexerint diriores, adverſus eas primæ congreſſionis certamen arripiunt, quibus extinctis reliquas, quæ minùs terribiles minuſque vehementes ſunt, exitu faciliore proſternunt.* Vide quoque Juſtinianum *Novell.* 105. ubi ἀνθρώπους εὐδοκιμοῦντας τῇ τόλμῃ, i. e. *homines perditæ ac deſperatæ audaciæ*, quos *audaces* vocat *Claudian.* depugnâſſe cum feris ait, in hoc ludi genere, quod Μονημέριον quoque vocatum indigitat, eò quòd ultra unius diei ſpatium non protraheretur. Idem ei nomen tribuitur in Leonis Philoſ. *Epigr.* Faciebant autem id homines illiauctorati ac mercede conducti, ut ex Caſſiano conſtat & Caſſiodoro *Ep.* 42. *l.* 5. ubi *Pancarpum* multis deſcribit, licèt non nominet, in cujus fine hæc leguntur: *Longum eſt per tot periculorum caſus ſermonibus evagari, ſed aptè jungendum eſt, quod ait de inferis Mantuanus, Quis ſcelerum comprendere formas: quis omnia pugnarum* per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

percurrere nomina poſſit? Sed vobis, quibus eſt neceſſe talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, ut hæc miſeris faciatis eſſe votiva. Quæ poſtrema verba ſatis liquidò patefaciunt, mercede ac præmiô invitatos in arenam deſcendiſſe ejuſmodi audaces ac deſperatos homines, ad beſtias depugnandas. Porrò *Pancarpum* in Amphitheatro, Sylva in Circo edebatur, duravitque prius ſpectaculum uſque ad poſteriorum Imperatorum ævum, edi ſolitum à Conſulibus & Prætoribus, qui Magiſtratum inibant; cùm Sylva ſeu venationis illud ac direptionis ludicrum penitùs ab uſu & conſuetudine receſſerit, ſub iis: ſaltem nulla ejus uſpiam extat memoria, & Juſtinianus. *Novell. d.* omnia Spectaculorum genera, à Conſulibus tum edi ſolita, commemorans, nuſquam Sylvæ, *Pancarpi* verò meminit &c. Nec omittendum, *Pancarpum* melius, quàm *Pancarpus*, illudque ellipticè dici atque ſubintelligendum eſſe κυνηγέσιον: vocatum autem ſic, ab omnigenis beſtiis, quæ in illo ſpectaculo depugnabantur & occidebantur ab illis audacibus ac παραβόλοις, quos operam ſuam ad eas conficiendas locâſſe diximus. Salmaſ. *ad Capitolin. in Gord. loc. cit.* In genere *Pancarpum*, Græcè Πάγκαρπον, quidquid miſcellum eſſet, & ex variis rebus contextum confarcinatumque, dictum eſt. Sic πάγκαρπον ςέφανον vocârunt coronam, ex vario florum genere factam: quô nomine inſcripſerat *Meleagar* collectionem veter. Epigrammatum ex omnibus antiquorum Poëtarum Epigrammatibus compilatam, in qua ſingulos Poëtas, quos in illam compilationem innexuerat, ſingulis floribus perquam eleganter comparabat.

Μῦσα φίλα τίνι τὴν δε φέρεις πάγκαρπον ἀοιδὰν,
Ἢ τίς ὁ ϗ τεύξας ὑμνοθέταν ςέφανον;

Idem *alio Epigramm.*

Πάγκαρπόν σοι Κύπριοι παθήρμοσε χειρὶ τρυγήσας
Παίδων ἄνθος ἔρως ψυχατάτην ςέφανον.

Παγκάρπους iidem Græci appellaverunt coronas, ex omni genere fructuum compoſitas, quibus columnarum frontes ornabantur: Ἐγκάρπους vocavit Vitruvius *l. 4. c. 1.* & *cymatiis & encarpis pro crinibus diſpoſitis, frontes ornaverunt.* Ubi legit aliquando Salmaſius *pancarpis*: ſed idem deprehendit poſteà ἔγκαρπος & πάγκαρπος. Sic ἔγκαρπον ἐλάϊνον dicebant olivæ ramum, ex omnigenis fructibus implexum, quem ante foros olim ſtatuebant Athenienſes & quotannis renovabant: de quo ita Grammatici: Κλάδος ἦν ἐλαίας ἐρίοις πεπλεγμένος, ἐξήρτητο δὲ αὐτοῦ ὡραῖα πάντα, *Ramus erat olivæ lanâ implicatus, è quo omnia matura ſuſpendebantur.* Vide ſuprà *Ireſione*. Ejuſmodi autem encarpos, quos in antiquis columnis & operibus ad ornamentum ſculpere ſolebant Artifices, etiam παγκάρπους Græcis dictos eſſe, ex Ariſtea docet, idem Salmaſ. *ubi ſuprà* At *Pancarpia Corona*, apud Feſtum, eadem cum florea. Vide ſuprà.

PANCASTRUM, locus Britanniæ Inſul. ubi Hengiſtus, ab Aurelio Ambroſio Britonum ſtrenuo duce, prælio ſuperatus & interemtus eſt. A. C. 456. Polydor. *Hiſt. l. 3.*

PANCHÆA, Inſul. Arabiæ Felicis in Oceano, ubi Fanum Jovis Triphylii, *Diodoro*. Item, Arabiæ Troglodyticæ pars, quæ oſtio ſinus Arabici adjacet. Regio tota ferè fructifera eſt, vini maxime & thuris abundans, quod præter Arabiam nullis eſt terris. Regio thurifera, ſpectat ortum Solis æſtivi, undique rupibus invia, & à dextris maris ſcopulis inacceſſa. Sylvarum longitudo eſt 30. milliar. German. Latitudo dimidium ejus. Vide Voſſ. *ad Melam. l. 3. c. 9.* Virg. *Georg. l. 2. v. 139.*

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Idem *Georg. l. 4. v. 379.*

——— *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.*

Ovid. *Met. l. 10. v. 308.*

Cinnamaque coſtumque ſuam, ſudataque ligno
Thura ferat, floreſque alios Panchaia tellus.

Claudian. *l. 2. Rapt. Proſerp. v. 81.*

Quicquid thuriferis ſpirat Panchaia ſylvis.

De hoc thure capiendi Lucretius, Claudianus, Tibullus, Arnobius ſub nomine *odorum*, *ramorum*, *mercium*, *reſinæ*. Ait primus *l. 2. v. 417.*

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Alter *de 3. Conſul. Honor. v. ult.*

Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

Tertius *l. 3. El. 2. v. 23.*

Illic, quas mittit dives Panchaia merces.

Quartus *l. 7. Panchaicas ardere reſinulas.* Hîc mons Sina, qui & Oreb, in quo Moſes legem accepit; Hic Phœnix avis, Plin. *l. 10. c. 2.* & Sardonyx gemma. *Nic. Lloydius.*

PANCHARIS, ſive Baccaris, planta ſuaviter olens, è qua coronis plexis Vatum olim capita redimita, à virulentis linguis tuta credebantur. Virg. *Ecl. 7. v. 27.*

Aut ſi ultra placitum laudârit, baccare frontem
Cingite, ne Vati noceat mala lingua futuro.

Idem flos cum Cypri flore & croco, in ſomnum bibentes agebat, & miſcebatur hederis, colocaſiis, acantho, & amomo. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l. 3. v. 12.* & ſuprà in voce *Baccar.*

PANCHARTA, apud recentioris ævi Scriptores, quævis charta ſeu diploma eſt. Sed & vulgò *Panchartæ* dicuntur, Regeſta chartarum ſeu Tabularia Eccleſiarum, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PANCHATES, nomen equi, apud Silium Ital. *l. 16. v. 346.* ubi ludos à Scipione in Africa celebratos memorat,

Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci diſtans; ſed proximus ibat
Aſtur Panchates, *patrio frons alba nitebat*
Inſigni & patrio pes omnis concolor albo.

Indicans, Aſturicos equos vulgò maculâ albâ frontem inſignitam habere. Indigitat autem, nomine *Panchatis*, totam quadrigam Iberi, ſecundi in illis Ludis agitatoris. Mox enim addit, *v. 354.*

Cinyphio rector cocco radiabat Iberus.

Nempe ex more Circi, è quatuor equis unum velut palmæ præcipuum auctorem numerare ac nominare conſueverant Agitatores, cum videl. ex quo victoria potiſſimùm pendebat: unde cùm in his Scipionis Ludis quatuor Agitatores certarent; *Cyrenus*, *Iberus*, *Durius* & *Atlas*; in ſingulis recenſendis quadrigis, non quatuor omnes, ſed unum duntaxat, Poëta nominat: ubi de Cyrno, ſolum *Lampona*: ubi de Ibero, ſolum *Panchatem*, nominans. Funalis autem ſiniſter, in agoniſticis & Circenſibus plurimum ad victoriam momenti afferebat, quia ad ſiniſtram meta circumflectenda erat: & talis erat Panchates, *v. 385.*

——— ——— *uſque ad colla repentè*
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens
Concitat ardentem, quòd ferret lora ſecundus,
Panchaten, *voceſque addit cum verbere mixtas.*
Tene Aſtur certante ferat quiſquam æquore palmam
Erepto, conſurge, vola, perlabere campum.

Ubi ex omnibus unum Panchatem urget & excitat, ad palmam, quia ferebat lora ſecundus, i. e. quia funalis erat ſiniſterior, Græcis ἀριςερόζυγος. Vide Salmaſ. *ad Solinum p. 896.* & *898.* ut & *hic paſſim.*

PANCHEA, PANCHÆA ſeu PANCHAJA, juxta *Diodorum*, una eſt ex Inſulis illis, quæ in Indico Oceano contra Arabiam Felicem ſitæ ſunt, thuris & myrrhæ aliarumque odorum ferax. *Philargyrus*, Arabiæ Felicis ipſius regionem facit, in qua templum Triphylii Jovis: *Servius*, gentem eſſe Sabæorum notat, ſed nugantur illi Grammatici. Nulla enim *Panchaia* regio, in Arabia Felice, ſed quòd in hac Inſul. ut in Arabia, thus naſceretur, inde *Panchajam* partem vel gentem thuriferæ eſſe Arabiæ, prodiderunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 549.* & in voce *Panchæa.*

PANCHRESTUM, Græcè Πάγχρηςον, genus libi; quod qui conficerent, *Panchreſtarii* dicti ſunt: *Suidæ* γλύκασμα, item ἐγχρίς; Homero, Βατραχομ. *v. 39.* χρηςὸν μελίτωμα; Latinis, *Dulcium*, *Hieronymo Dulciamen*. Hoc enim *Dulcium* & hæc *dulcia*, dixêre placentas vel liba. *Gloſſæ*, *Dulcium*, πλακοῦντα. Hinc *Dulciarii*, πλακουντάριοι. Vetus Interpres Juvenalis *Sat. 6. v. 202. muſtacea dulcia* interpretatur.

——— ——— *Muſtacea perdas.*

Solebant enim, inquit, *antea per nuptias dulcia recedentibus, erogare, pro apophoretis.* Græci γλυκχυντῆρας dixerunt; atque inde vox vetus Latinorum *lucunter*, pro dulcio vel placenta, &c. Vide Deſ. Heraldum *ad Arnobium l. 2.* Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogabalo, c. 22.* ut & ſuprà in voce *Dulciarius.*

PANCIROLLUS Guido, Regii Lombardiæ natus, A. C. 1516. patre Albertô JCto Jus docuit Patavii primùm, dein Taurini, A. C. 1571. hinc verò, ob aëris intemperiem Patavium reverſus, principem Juriſprudentiæ ſedem ibi obtinuit A. C. 1582. à duobus Pontificibus, Gregorio XIV. & Clemente VIII. ad Aulæ Romanæ limina, conſultationis ergò, fruſtra invitatus. Obiit A. C. 1591. æt. 75. Scripſit, præter Juridica varia, *De origine & auctoritate Equitum*, *Commentar. in Tertullianum*, *De Numiſmatis antiquis*, *De XIV. utriuſque tam veter. quam novæ Urbis regionibus, earundemque ædificiis tam publicis quàm privatis: Theſaurum Variar. Lectionum in libb. III. digeſtum. Rerum memorabilium deperditarum & noviter inventarum Partes II. Commentarios in Notitiam Dignitatum utriuſque Imperii, ultra Arcadii Honoriique tempora: De Magiſtratibus municipalibus & Corporibus Artificum libellum: Stimulos virtutum adoleſcentiæ Chriſtianæ dicatos*, Italicè. Jac. Phil. Tomaſinus *Elogiis Viror. doctorum.*

PANCRATES, Poëta Alexandrinus, Hadriano Imperatori cum in Ægypto eſſet & Alexandriæ verſaretur, obtulit τὸν ῥοδίζοντα λωτὸν, *lotum roſei coloris*, eumque poëticâ adulatione dixit, tellurem tum nuper ſubmiſiſſe, ex ſanguine Mauruſii leonis natum, quem in Libya Ægypto conterminâ ipſe occiderat Adrianus: debere itaque eum florem Ἀντινόειον appellari. Quô Poëtæ ingenii & inventionis novitate delectatus Imperator, illorum numero eum aſcribi juſſit, qui in Muſæo alerentur: Hincque non flori ſolùm nomen, ſed & coronas ex eo plexas Alexandrini vulgò *Antinoëas* appellare cœperunt, ab Antinoo, Hadriani puero delicato. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 976.*

PANCRATIASTES, quis olim dictus ſit, inſignis hic Ariſtotelis indicat locus *Rhetor. l. 1. c. 5. circa fin.* Ἀγωνιςικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους ϗ ἰσχύος ϗ τάχους. Καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐςιν, ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ϗ ῥίπτειν πῶς ϗ κινεῖν ταχὺ ϗ πόῤῥω, δρομικός· ὁ δὲ θλίβειν ϗ κατέχειν, παλαιςικὸς, ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικὸς, ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, Παγκρατιαςικὸς, ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος, i. e. *Agoniſtica autem corporis virtus ex magnitudine, & robore & celeritate componitur: Nam & celer fortis eſt: qui enim quodammodo crura projicere & velociter ac longè movere, Curſor: qui verò comprimere & continere, Luctator; qui percuſſione impellere, Pugil; qui autem utriſque his*, Pancratiaſtes; *qui verò omnibus his, Quinquertio eſt.* E quibus verbis patet, eum qui ſimul in lucta & pugilatu valebat, *Pancratiaſtem* fuiſſe nuncupatum. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l. 1. c. 14.* & *l. 2. c. 9.* (*ubi hôc nomine veros quoque Athletas fuiſſe indigitatos, ex Galeno de Alim. fac. l. 3. c. 2. docet*;) ut & infrà, in voce *Pancratium.*

PANCRATIUM, Græcè Παγκράτιον, aliter *Suidâ* teſte Παμμάχιον, Pugilatui poſterioribus temporibus acceſſit; inque eo pugnis & calcibus certatum eſt: Proin tertium quoddam exercitationis Gymnaſticæ fuit genus, ex lucta & pugilatu compoſitum. Quare *Ariſtophanis Scholiaſtes*, cùm 8. enumerat gymnica certamina, uti peccat, cùm non videt, ςάδιον, δίαυλον, δόλιχον, ὁπλιτόδρομον, ad unam curſus exercitationem pertinere: ita etiam errat, cùm inter πάλην & πυγμὴν, medium interſerit παγκράτιον, quaſi non ex utraque componeretur Gerh. Joh. Voſſ. *de Gymnaſtica c. 3. §. 85.* In eo qui exercebantur, adverſarios & pugnis ferire,

& comprimere & continere & dejicere ſtudebant. Nam Pugiles ſolis contendentes pugnis, nunquam complicabantur; ut commendanda ſit urbanitas Horatii, qui *l.* 2. *Sat.* 3. venuſtè admodum phreneticos, quòd pugnis miniſtros & adſtantes ferirent, *Pugiles* vocavit. Luctatores complicabantur & comprimebant, ut dejicerent, ſed pugnis minimè percutiebant: At *Pancratiaſtæ* utrôque utebantur, & tum etiam quâcunque aliâ ratione, ut dentibus, genibus, calcibus, talitris, denique totô corpore, ut dixit Pauſan. *l.* 5. adverſarium vincere contendebant; atque in eo à Pugilibus differebant, quòd illi pugnis ſtrictis, hi digitis ſolummodo inflexis certabant. Quod ſignificare voluit Galenus *de motu muſcul. l.* 1. Εἰ δὲ ἕκαςος τ̃ δακτύλων καμφθῇ, τὸ σχῆμα τ̃ χειρὸς γένοιτο μάλιςα τοῖς ἐν παγκρατίῳ προτεταχόσιν αὐτὴν ὅμοιον, h. e. *Sin autem unuſquiſque digitus flectatur, manûs figura iis maximè ſimilis evadet, qui ipſam in* Pancratio *protenderint.* Talis enim manuum figura prehendendis adverſariis, cui maximè ſtudebant *Pancratiaſtæ*, ut nomen quoque ſignificare videtur, valde accommodata erat: quibus de cauſis παμμάχιον, ut diximus, vocatum eſt *Pancratium*, ſicuti Plato Euthydemum πάμμαχον vocavit, nec non ambobus difficilius certamen habebatur. Ob quod Galenus *Epid. l.* 6. ubi renibus affectis exercitationem commendat *Hippocrates*, ſub tali exercitatione non debere *Pancratium*, ob magnitudinem laboris, intelligi credit: Plato quoque *de LL. l.* 8. mulieres ſolummodo poſt nubilem ætatem *Pancratio* exerceri conſulit. De ſpecie quadam *Pancratii* loquutus videtur Galenus, quando *in Comm. ſuper libellum de ſalubri diæta* ſcribit, Gymnaſtas ferè quos impugnare ſolebant, conſtituiſſe inter exercendum προσάπτεσθαι καὶ σωματομαχεῖν, ut jungerentur & totô corpore certarent, ſed nudi ac ſine complexu. Panætius quoque apud A. Gellium *l.* 13. *c.* 27. *Pancratiaſtarum* geſtus & luſus hunc in modum depinxit: *Ut ſunt Athletarum, qui* Pancratiaſtæ *vocantur; Nam ſicut illi ad certandum vocati projectis altè brachiis conſiſtunt, capuique & os ſuum manibus oppoſitis, quaſi vallô, præmuniunt, membraque eorum omnia, priuſquam pugna mota eſt, aut ad vitandos ictus cauta ſunt aut ad faciendos parata* &c. Fuiſſe hanc exercitationem ex his, quæ in Gymnaſiis peragebantur, perſpicuè ſignificat Propert. *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 8.

Et patitur duro vulnera Pancratio:

Et quidem in Gymnaſtica Athletica ac Bellica multum valuiſſe, vel hinc patet, quòd ludis ac certaminibus uſque adeò *Pancratiaſtarum* ſpectaculum oblectaverit, ut & Nobiles illud ſubire neutiquam recuſarent. Hinc Phrynon, Athenienſium Dux, *Pancratiaſtes* clariſſimus fuit, quem Pittacus Mitylenæus reſte ſub clypeo latente involutum ſuperavit, Autolycus item, ob *Pancratii* gloriam, in loco Prytanei digniſſimo Athenis ſtatuam meruit. In ſpecie *Pancratium volutatorium*, ſpecies luctæ erat, in qua certantes humi proſternebantur, atque ibi invicem, ſeque mutuò convolventes, alter alterum ſibi ſupponere nitebantur: quemadmodum clariſſimè monſtrant nummi cujuſdam Salluſtii Auctoris, qui ſub Valentiniani & Placidiæ Auguſtæ Principatu, Africæ regnô vi occupatô, ludos ſimiles, alioſque ob victoriam edidit: Exhibet illos Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnaſt. l.* 2. *c.* 8. Atque de hac exercitatione fortè Ariſtoteles verba fecit, *l. de comm. animalium greſſu*, ubi nullum erectum & ſtantem continenter & tutò incedere poſſe demonſtrat; quia perinde ſe moveret, ut Palæſtritæ, qui per pulverem in genua ſubſidentes procurrunt. Martialis quoque, cùm *l.* 14. *Epigramm.* 201. cui Palæſtrita *titulus*, canit,

Non amo qui vincit, ſed qui ſuccumbere novit,
Et diſcit meliùs τὴν ἀνακλινοπάλην.

Anthyllus item apud apud Oribaſium *Collectan. l.* 6. *c.* 27. ubi *luctam ſuper pavimentum* illud vocat. Sed aliud etiam pugnæ genus apud Veteres *Pancratii* venit nomine, quod adverſùs beſtias committebatur, de quo vide Caſſianum *l. collat.* 5. *c.* 14. Dictum verò vult *Pancratium* Budæus *in Annotat. minor*, quòd advocatis omnibus corporis viribus omniumque *nervorum contentione tranſigerètur*; vide quoque P. Fabrum *Agoniſt. l.* 1. *c.* 19. At Salmaſ. quod ex pugilatu & lucta compoſitum genus agonis eſſet; in quo artis fuiſſe, ut vincerent velut in terram cadentes ac reſupinantes ſeſe, adeoque circa κυλισμοὺς, *volutationes*, & nexus humi explicandos & implicandos, ὑπτιασμοὺς & χαμαὶ τρόπους vocatos *Scholiaſtæ Theocriti*, plurimùm verſatos Pancratiaſtas, neque proin duo genera *Pancratii*, ſed unum, *Volutatorium* ſcil. fuiſſe, docet. Et quidem in lucta, quam ὀρθοπάλην Græci dixêre, quòd à ſtantibus & erectis peragеretur, ter dejectum ab adverſario, pro victo habitum: in Pugilatu verò & *Pancratio*, ad ἀπαγόρευσιν neque certatum eſſe, donec ſcil. alter animum deſpondiſſet, addit, *ad Solin. p.* 290. In *Pancratio* itaque qui ſatis bene pugnis depexi erant, ut graviora evitarent, manum demittebant. Nempe contraria ſigna erant porrectio manus & demiſſio: de quarum illa Papinius *Theb. l.* 6. *v.* 663.

Promiſêre manus ———

Hanc verò adeò averſati ſunt Spartani, ut apud illos Lege vetitum eſſet, ne foris, ubi illa demiſſio obtineret, Pugilatu aut *Pancratiô*, vel cæſtibus certarent. Hinc nec Sapientibus, nec Alexandro M. certaminis hujus magna dignatio fuit: itaque alia quidem huncedi juſſiſſe, illud non item, refert Plut. *in eo.* Primus verò Olympiæ victor fuit Hercules, à quo Olympiaci Ludi Pelopi, avo ſuo materno, fuerunt conſecrati, ut *Hyginus*, *Solinus*, aliique Auctores ſunt, vide iterum Voſſ. *loc. cit.* §. 86. ---- 90. & ſuprà voce *nexus*: infrà *Pygmachi*. Adde Car. Paſchalium *Coronar. l.* 7. ubi *de Ludis Græcorum ſacris*, ſeu *Gymnicis*. Simulachrum *Pancratiaſtarum* ex ære, inter opera Myronis præcipua, habes apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. Sed & ſequiorem ſexum, præter ea quæ ſuprà apud Spartanos, non pugilatu ſolùm & cæſtu, verùm & *Pancratiô* decertâſſe, tradunt Xenophon *de Rep. Laced.* Plut. *in Lycurgo*, Vetus Poëta apud Ciceronem *Tuſcul.* 2. Claudian. *de Manlii Conſ.* & Propert. *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 1. ubi iſta habet, de variis Spartanarum exercitationibus:

Multa tuæ, Sparte, miramur jura Palæſtræ,
Sed mage Virginei tot bona Gymnaſii.
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.
Cùm pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & verſi clavis adunca trochi:
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas,
Et patitur durô vulnera Pancratiô:
Nunc ligat ad cæſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit,
Virgineumque cavô protegit ære caput.

PANDA, Dea à Romanis in ſumma veneratione habita, ſic dicta, quod *pandat*, i. e. *aperiat* viam. *Panda* item dicta Dea pacis, à *pandendis* ſeu aperiendis Urbis portis, ut cenſet *Turnebus.* Aliam tamen ſententiam adfert Arnob. *l.* 4. *adverſ. Gentes*, qui & *Panticam* appellatam ſcribit: *Quòd T. Tatio, ut Capitolinum capiat collem, viam pandere atque aperire, permiſſum eſt, Dea Panda eſt appellata, vel Pantica.* In *Gloſſis* Philoxeni eſt: *Panda*, Εἰρήνης θεός. Apud Varronem *l.* 1. *de vita pop. Romani*, Ælius hanc Deam eandem putat cum Cerere, dictamque *à pane dando.* Varronis verba nobis ſervavit Nonius, in verbo *Pandere*, ubi refert: *Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem; ſed quòd ei, qui in Aſylum confugiſſet, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando Pandere, quod eſt aperire.* Verùm *pando* non eſt à *panem do*, & more ſuô ludit Varro, cùm Ælii ſententiam in medium adferat, eamque probare videatur. Neque Panda eſt Ceres, cùm apertè ipſe Varro eam à Cerere diverſam faciat his verſibus apud Gellium *l.* 13. *c.* 22.

Ted' Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes, & Minerva, Fortuna, ac Ceres.

PANDA, Merciorum Rex, à quo victus præliô, cæſuſque Oſwaldus, Northumbriæ Rex: cujus frater Oſwinus tandem Pandam, publicis ſupplicationibus indictis, ſuperavit: ejuſque regnum ſuo adjecit. A. C. 642. 655. 658. Beda *Hiſt. Ang.* Polyd. *l.* 14.

PANDA, oppid non procul. ab Alexandria, quod eſt Sogdianorum. Plin. *l.* 6. *c.* 16. Vide *Drepſa.*

PANDA, fluv. Siracis. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 16.

PANDÆ, Indiæ populi qui cum Deriade contra Bacchum pugnaverunt; hi ſoli reguntur fœminis. *Steph. Pandæam*, Πανδαίην, regionem eorum vocat *Arrianus*, ab Herculis filia *Pandæa*, quam unicam in ea regione habuit, cùm multos ibi filios genuiſſet. Arrianus *in Indicis*, Καὶ τούτῳ ἄρσενας μὲν παῖδας πολλοὺς κάρτα γενέσθαι ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ, θυγατέρα δὲ μουνογενέην, οὔνομα δὲ εἶναι τῇ παιδὶ Πανδαίην. An iidem cum Padæis Herodoti *l.* 3. Ἄλλοι δὲ τ̃ Ἰνδῶν πρὸς ἠῶ οἰκέοντες τούτων Νομάδες εἰσὶ κρεῶν ἔδεσται ὠμῶν, καλέονται δὲ Παδαῖοι, *Alii autem Indorum, verſùs Auroram habitantes* -- *crudas carnes devorant, vocanturque Padæi.* Et Tibulli, *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 250.

Impia nec ſævis celebrans convivia menſis,
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus?

Ita omnino videtur Salmaſio *ad Solinum p.* 925.

PANDAMA, filia in India, ab Hercule adoptata, cui attribuit partem Indiæ Meridionalis ad mare vergentem, populumque ſubjectum in 365. vicos ſeu pagos diſtribuit, quotidie uni duntaxat pago regio tributo imperato. Vide Polyæn. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 4.

PANDANE, porta Romæ à *pandendo* dicta, quòd ſemper pateret ad res, quæ in urbem ferebantur. Eadem dicebatur *Libera* à *libertate.*

PANDANORUM regio Indiæ citerioris *Ptol.* Hanc *Niger* putat Oxydracarum eſſe.

PANDARIA, vel, & meliùs, *Pandataria*, Plinio *l.* 3. *c.* 6. & Solino, *c.* 8. *Pandateria* Tacito, *l.* 1. *Annal. c.* 53. inſul. parva maris Tyrrheni in ſinu Puteolano, Palmariæ & Pontiæ finitima, ab eis in ortum ante Cajetam recedens, inde 250. ſtad. diſtans. In hanc Inſul. Domitianus Imperator Flaviam Domicellam, Flavii Clementis patruelis ſui uxorem, quòd Chriſtianiſmum cum marito amplexa eſſet, relegavit. A. C. 95. Euſeb. *l.* 3. *c.* 17. *Joh. Xiphilinus*, *Hieron. Baudrando* nunc *S. Maria*, verſùs oram Latii eſt, 8. milliar. à Pontia Inſul. in Ortum, 18. à Tarracina in Meridiem; ſed 30. circiter à ſinu Puteolano in Occaſum pendet ex provinc. Terræ Laboris, regni Neapolitani. Palmaria autem, omnium Occidentalior, prope Pontiam Inſul. *Palmaruola* hodie dicitur. Erantque olim omnes illæ Inſulæ ſeu ſcopuli Monachis repleti.

PANDARIDÆ, apud Dionyſium, in ſcriptis codd. pro *Gangaridæ*, populi ſunt citeriorem Hypanis ripam incolentes, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin.* 992. & 993. ut & in voce *Gangaridæ.*

PANDARUS, Lycaonis fil. Homer. *Il.* δ. juſſu Minervæ certamen Menelai & Paridis jactu teli diremit. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 495.

Tertius Eurytion, tuus ô clariſſime, frater,
Pandare; qui quondam juſſus confundere fœdus,
In medios telum torſiſti primus Achivos.

Lloydius. Pinarenſibus, Lyciæ populis infrà Cragum, in veneratione fuiſſe, teſtatur Strabo *l.* 14. Παλαιὸς ἥρως, *Antiquus heros*, dicitur Euſtathio, *ad Il.* δ. vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 1. *c.* 21.

PANDARUS, Alcanoris Idæi fil. unà cum fratre Bitia à Turno interfectus. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 735.

——— *Tum Pandarus ingens*
Emicat, & mortis fraternæ fervidus irâ
Effatur, &c.

PAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PANDATES, gazæ cuſtos regiæ, ſub Artaxerxe. Nepos *Datame. c. 5.*

PANDECTA, Græcum nomen, ſic dictum *quòd omnia comprehendat*; Græcè Πανδέκτης: in numero plur. *Pandectæ*, Πανδέκται, quaſi dicas, *Omnium rerum receptacula*, variorum olim librorum tituli fuêre. Et quidem Πανδέκτην, maſculinô genere & numero ſingulari in Digeſtorum Inſcriptione legendum nonnulli exiſtimant, quorum opinionem firmat Harmenopulus *l. 1. Epit. 1.* Ὕστερον δὲ ὁ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς τὰς πολλὰς ἐκθέσεις τῶν νόμων ἐν πεντήκοντα βιβλίοις διὰ σοφῶν ἀνδρῶν σπουδαίως συνήγαγε. ἃ καὶ Δίγεστα ἤτοι Πανδέκτην, ὡς πάντων δεκτικὸν τῶν νόμων ἐκάλεσεν. *Poſtmodum verò Imperator Juſtinianus multas expoſitiones illas Legum, in quinquaginta libros, Sapientium virorum operâ, diligenter collectos digeſſit: & proin* Digeſta *ſeu* Pandectam, *utpote omnes Leges continentem, vocavit.* Sunt tamen qui *Pandectas* magis probent, quô titulô quondam inſcriptos à Veterib. libros Plin. docet, *Præf. Hiſtor. Natur.* inquiens: *Jam Muſæ*, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμών, πινακίδιον, &c. Et certè Tullii Tironis, qui M. Ciceronis alumnus ac libertus fuerat, *Pandectarum*, meminit Gellius *l. 13. c. 9. Tullius Tiro--- libros--- de variis atque promiſcuis quæſtionibus compoſuit. In his eſſe præcipui videntur, quos Græcô titulô* Πανδέκται *inſcripſit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes.* Dorothei *Pandectæ* citantur, à Clem. Alexandrino *l. 1. Strom.* &c. Quorum exemplô Veteres Juriſconſulti, Volumina jus continentia *Digeſtorum*, & Juſtinianus Imperator, ſive, quibus id commiſerat, Volumen, quod omnes legum diſputationes ac deciſiones continet, *Pandectarum* quoque nomine vocavêre: qua de re Imperator *l. 20. §. omnia igitur C. de Vet. Jur. enucleando*, ita loquitur: *Nomen libris imposuimus Digeſtorum ſeu Pandectarum, qui omnes diſputationes & deciſiones in ſe habent legitimas, & quod fuit undique collectum, hoc in ſinus receperunt, in centum quinquaginta penè millia verſuum totum opus conſummantes.* Notabant autem Græci *Pandectas* per π. cum accentu circumflexo, unde facili liturâ Latinorum ff. quô *Digeſta* ſeu *Pandectæ* illis ſignantur, ortum, ſed hac de re vide plura apud Anton. Thyſium JC. *Notis ad A. Gellii Præfationem ad Noctes Atticas*, ubi ad exemplum Plinii iſtiuſmodi Inſcriptionum feſtivitates falsè deridet Gellius, & ſuprà in voce *Digeſta*, nec non aliquid ubi de *Literis Piſanis*, & infrà voce *Polyhiſtor.*

PANDELETUS, Sycophanta quidam Athenis, litigioſus, malitiæ nomine traductus à Comicis, de quo vide pluribus Scholia in Ariſtoph. *Nubes Act. III.*

PANDEMUS, meretriculæ cujuſdam nomen, Cæl. Rhodig. *l. 14. c. 4.*

PANDION I. Athen. Rex V. Erichthonii Athenarum regis, filius, in regno patri ſucceſſit. Apollodorus *l. 3.* Ἐριχθονίου δὲ ἀποθανόντος, καὶ ταφέντος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσεν. Fuiſſe autem regem quintum *Euſebius* teſtatur: Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν πέμπτος Πανδίων. Sub eo tanta fuit frugum vinique copia, ut Cererem & Bacchum in Attidem tunc veniſſe finxerit Poëtarum audax licentia. Sed felicitas tanta mox non exiguô infortuniô interpolata eſt. Nam cùm illi filiæ fuiſſent Procne & Philomela; priorem Tereo Thracum regi, cujus ope Ponti regem profligaverat, uxorem dedit; qui poſteà & Philomelam violavit, prætextu viſendæ ſororis à patre abductam, uti poſteà videbimus in *Philomela*, & *Procne*. Pandion autem filiarum caſu acerbiſſimè afflictus, nimiô animi mœrore vitam finiit, an. regni 40. Euſeb. in *Chron.* Ovid. *Met. l. 6. v. 675.*

Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ
Tempora, Tartareas Pandiona miſit ad umbras.

Idque, annô regni ſui quadrageſimô, teſtibus *Euſebiô* ac *Hieronymô*. Vide plura de eo apud Meurſ. *De Reg. Athen. l. 2.* Addo ſaltem, ejus tempore *Minoëm* primum Regem in Apollonia ſedes fixiſſe, & *Ferrum* repertum eſſe in Ida ab Idæis Dactylis, ex Marmore Arundel. In Bithyniam verò veniſſe *Phœnicem*, ex *Euſebio*, circa tempus Joſuæ introducentis populum in terram Canaan. Ei ſucceſſit Erechtheus. Hinc *Pandionius* pro *Attico*. Ovid. *Met. l. 15. v. 430.* ut vulgò habetur,

Quid Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ.

Lucanus *de Pallade, l. 3.*

Et Pandionias quæ curſu protegit arces.

Nic. Lloydius.

PANDION II. Cecropis II. Athenarum Regis fil. qui patri ſuo in regno ſucceſſit. Hieronym. *Athenienſibus regnavit Pandion alter.* Regnavit ann. 25. ſucceſſore Ægeo fil. Sub eo Καθαρμὸς πρῶτον ἐγένετο, *Luſtratio primùm* & *Lycæa* in Arcadia inſtituta ſunt. Epochæ marmoreæ, apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. ad Sec. X.* ubi & *de Luſtratione* pluribus agit. Vide Meurſ. *de Reg. Athen. l. 2. c. 15.*

PANDION, Rex Indicus tempore Auguſti Cæſaris. Strabo *l. 15.*

PANDION, Rex Nelcyndæ, tempore Plinii, vide ſuprà *Nelcynda.*

PANDIONIS, Græcè Πανδιονὶς, una ex XII. Reip. Athenienſis Tribubus, cui à *Pandione* Rege nomen. Ejus 10. populos recenſet Franc. Roſſæus *Archæolog. Attic. l. 1. c. 6.*

Populi ſeu Δῆμοι *Tribus Pandionidis.*

Angele.	
Cydathenæum.	Pæania ſuperior.
Cytharum.	Pæania inferior.
Myrrhinus.	Phegæa.
Oa vel Oeis.	Probalinthus.
	Stiria.

Vide ſuprà, voce *Demarchi* & infrà voce *Tribus.*

PANDOCHEUM, Græcè Πανδοχεῖον, propriè ſtabulum eſt ſeu diverſorium. *Veter. Gloſſæ, Stabulum*, ἱπποστάσιον, ὀνοστάσιον, πανδοχεῖον. Stabulum autem non ſolùm ſignificare receptaculum equorum & jumentorum, ſed etiam pro caupona, diverſorio, ac hoſpitio accipi, diſcimus ex Appulejo *Miles. 1.* Tertulliano *Apologet. c. 42.* Cypriano *l. 3. Ep. 13.* Auguſtino *Tract. 41. in Joann.* Aliis. Unde *Stabularius*, caupo, apud Senec. *de Benef. l. 1. c. 14.* Atque hôc ſenſu vox Πανδοχεὺς occurrit Lucæ *c. 10. v. 34.* de eo, qui in latrones inciderat, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον. Vide Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* in hac voce, uti hîc paſſim, in vocibus, *Copa, Hoſpitium, Stabulum.* De *Pandocheorum* verò *extorſionibus coërcitis*, lege memorabili Ferdinandi Catholici & Iſabellæ, Caſtellæ ac Aragoniæ Regum, vide Damianum Goës *in Hiſpan.* &c. Affine *Pandocheo*, Cœnotrophium eſt, qualia, pro uſu promiſcuorum, ſicut Xenodochia, Gerontocomia, Orphanotrophia aliaque, pro uſu peregrinorum, ſenum, orphanorum &c. in ſpecie, primus inſtituiſſe legitur Hircanus Judæorum Princeps, apud Hegeſippum, vide ſuô locô.

PANDORA, Heſiodo fingitur prima mulier à Vulcano Jovis juſſu fabricata, quam ſinguli dii donis ſuis ornaverunt, unde & nomen ſuum ſortita eſt, teſte Heſiodô in Ἔργ. *v. 80.*

——— Ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Δῶρον ἐδώρησαν. ———

Pallas enim ſapientiæ donum ei contulit, Venus formæ, Apollo Muſices, Mercurius eloquentiæ. Hunc poſtea cum pyxide clauſa miſſam fuiſſe tradunt ad Epimetheum, (quia humano generi malè cupiebat Jupiter, ob Promethei audaciam, qui ignem è cœlo furatus ferulæ incluſum detulerat in terras) qui illâ receptâ, & pyxide apertâ, cui omne malorum genus inerat, terram morbis calamitatibuſque replevit. Pandoræ nomine Naturam repræſentari, docent Mythologi. Vide Pauſan. *in Attic.* Al. Roſſæum, in *Myſtagogo Poëtico, &c.* Item mater Deucalionis, à qua Theſſalia *Pandora* dicta eſt. Eſt & nomen vel epitheton Terræ. *Heſych.* Πανδώρα, ἡ Γῆ, ὅτι τὰ πρὸς τὸ ζῆν πάντα δωρεῖται, ἀφ' οὗ καὶ ζείδωρος. *Nic. Lloydius.*

PANDORA, filia Erechthei Athenienſium Regis, quæ unà cum Protogenia ſorore, ingruente Bœotiô bellô, ſe pro patriæ ſalute ultro immolandam præbuit; quod factum eſt in pago Hyacintho, unde & virgines Hyacinthides ſunt cognominatæ.

PANDORÆ, Indorum populi qui degunt in convallibus. Vivunt annos ducentos; in juventute ſunt candidô capillô, in ſenectute verò nigrô.

PANDOSIA, urbs gemina: una Brutiorum (licet *Strabo* in finibus Lucaniæ reponat) in monte, apud præterfluentem Acheruntem fluv. vetuſtiſſima, olim Regum Oenotriæ regia, Strab. *l. 7.* dein Platœenſium colonia fuit, *Scylax:* capta, cum Coſentia, à Romanis. Vide Liv. *l. 10.* & exciſa, apud opidulum vulgò *Caſtel Franco*, quod, teſte *Barriô*, locum tenet Pandoſiæ, in territorio Conſentino, inter Conſentiam & Mont. Altum 6. mill. paſſ. circiter. Hîc Alexander, rex Epiri, ab oraculô deluſus (cùm, quæ Pandoſia ſibi fatalis eſſet, haud præmonitus fuiſſet) Tarentinis opem ferens à Brutiis obtruncatus eſt. In nummis legimus ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ. Altera in Epiro ad fluv. Acherontem quoque, ubi Pandoſia lacus, teſte Pliniô *l. 4. c. 1.* in Caſſiopeæ & Theſprotiæ confinio, in ipſa Theſprotia.

PANDROSOS, filia Cecropis Athenienſium Regis, ſoror Aglauri, & Herſes. Ovid. *Met. l. 2. v. 737.*

Pars ſecreta domûs ebore ac teſtudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandroſe, dextrum,
Aglauros lævum, medium poſſederat Herſe.

Lloyd. Mater Ceryci fuit &, poſt obitum, divinis honoribus Athenis culta, non minùs ac reliquæ duæ ſorores, uti ex Athenagora *in Legat.* docet Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l. 1. c. 13.*

PANDULPHUS, cognomine Maſca, Piſanus, Cardinalium numero à Lucio 3. A. C. 1182. aſcriptus eſt. Hiſtoriæ Paparum auctor. An idem cum eo, qui, in epitome hiſt. Siculæ Felini, dicitur Chronicum Damaſi continuâſſe? Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 53.* Onuphr. & Ciaccon. *in vita Pontif.* Auberius *Hiſt. Cardin.* *Eiſengrien*, &c.

PANDURA, ſeu PANDURIUM, aliter apud recentiores, aliter apud veteres Scriptores accipitur. *Panduram* enim vetuſtiores trichordum appellavêre, vocemque ipſam acceptam tulêre Aſſyriis. *Pollux*, Τρίχορδον δὲ, ὅπερ Ἀσσύριοι πανδοῦραν ὠνόμαζον *Trichordum autem* (i. e. organum tribus nervis conſtans) *quod Aſſyrii* Panduram *vocabant.* Nempe Chaldaicum erat inventum, nomenque adeò ipſum barbarum: cujus tamen veſtigium in lingua Chaldæorum aut Syrorum nullum ſe agnoſcere, fatetur *Caſaubon.* Græcis Latiniſque Grammaticis aliam etymologiam comminiſcentibus, more ſuô. Hinc *vetus Interpres Horatii: A Pane & fiſtula &* τὸ πανδούριον *inventum celebratur: contentio illa de canendi gloria, inter Paſtores; ut:*

Pan primus calamos cera conjungere plures
Conſtituit, &c.

Quibus proin auctoribus πάνδουρα vel πάνδωρα vel πάνδορος aut πανδουρίς (tot enim modis dicitur) ita nominata eſſet, quaſi πανδηρίς &c. *Iſidor.* verò *Panduram* inter ἔμπνευστα organa recenſet: *Secunda diviſio*, inquiens, *organica eſt, in iis quæ, ſpiritu inflante completa, in ſonum vocis animantur, ut ſunt tubæ, calami, fiſtulæ, organa, panduria & iis ſimilia inſtrumenta.* Idem, *Pandorius* ab inventore vocatus &c. ubi *Pandorius* dixit *Iſidor.* pro *Pandurius*, & *Pandurius* pro *Pandurium.* Græcè enim τὸ πανδούριον, de quo Virgilium *Ecl. 2. v. 32.* modò vidimus. Recentiores itaque id *Panduram* & *Pandurium* apparet nominâſſe, quod Veteribus erat fiſtula ex ſeptem calamis compacta, quam κηρόδετον σύριγγα, *cerâ compactam fiſtulam Euripides*, quamque *per ſeptem diſcrimina vocum* obloqui, dixit Poëta, quamque adeò ſic deſcribit Poëta.

Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo.

Atque ſic fiſtulam ejuſmodi, quæ plures calamos junctos & ordine

dine decreſcentes haberet, *Pandurium Panduramque*: ſed *fiſtulam* vocare cœperunt, quæ unâ tantùm arundine conſtaret. Quod diſcrimen apertè indicat *Martian. Capella*: *Rerum per medium, quidam agreſtes canorique Semidei, quorum Hircipedem* Pandura, *Sylvanum arundinis enodis fiſtula ſibilatrix, rureſtris Faunum tibia decuerunt.* Quis enim hic ille *Hircipes*, niſi Pani, cui tribuitur σύριγξ? Eam igitur σύριγγα *Panduram* nominat Martianus. Et alibi, *Tibiæ per Tritonidem noſtri comitem & Marſyam Lydum ſonuerunt, calamos Maryandini & Aones in laudes inflavêre cœleſtium*, Panduram *Ægyptios attentare permiſi.* Græcis antiquis ignotum organon aut nomen certè *Panduræ*, priori ſignificatu. Meminit inter Romanos *Panduræ* primus *Varro* & poſt illum Græci ac Latini multi. E lauro, quæ ad mare naſcitur, factam deſcribit *Euſtathius*, id quod ſumpſiſſe videtur ab Athenæo *l.* 3. Inde *Pandurizare*, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo, c.* 32. *Ipſe cantavit, ſaltavit, ad tibias dixit, tubâ cecinit*, pandurizavit, *organô modulatus eſt.* Vide Salmaſ. *ad locum*, Caſpar. Bartholinum *de Tibiis Veter. l.* 3. *c.* 6. ſuprà ubi de *Fiſtula*, & infrà voce *Sibilare.*

PANE madidô faciem linendi mos, delicatioribus olim in uſu, indigitatur Suetonio in *Otton. c. ult. Fuiſſe traditur --- munditiarum pæne muliebrium --- Quin & faciem quotidie raſitare ac pane madidô linere conſuetum: idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Fiebat is ex oryza aut fabis; ut apud Medicos in pſilothrorum compoſitione legere eſt. Item ex farina ſiliginea. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 472.

> ——— ——— *coctæque ſiliginis offas*
> *Accipit, & madidæ, facies dicetur an ulcus?*

Vide ſuprà paſſim, inprimis verbô *Oblinere.*

de PANE Sortes, memorantur *Can.* 4. Concilii Autiſſiodor. *Non licet ad --- Sortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut* de Pane *faciunt, adſpicere: ſed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Dei faciat.* Ubi an intelligatur Panis benedictus, ut vocant; an Euchariſtici reliquiæ; an alius ſingulari modô ad id negotii conſecratus, non adeò liquet. Id certum, hujuſmodi *Pani* nimium ab iſtiuſmodi hominibus tributum, creditumque vim quandam illi & virtutem divinam ineſſe, ac propterea Deum ſortes tales, præſertim orationibus, jejuniis, aliiſque præmiſſis, cœlitus dirigere, Ant. van Dalen *de Oraculis Diſſertat. II.* quem errorem, præfatum Concilium hoc *Can.* voluit ſublatum.

PANEAS, fons Palæſtinæ in Cœleſyria, unde Jordanis fluv. effluit apud Cæſaream Philippi urbem nunc everſam, quæ & *Paneas* dicta eſt, à Sidone urbe Phœniciæ 20. mill. paſſ. in ortum recedens. Item, regio in tribu Nephthalim, ab urbe Paneade nomen adepta.

PANEBI, populi Arabiæ; de quibus ſic ſcriptum legimus. Si quando rex moritur, corpus ejus quidem defodiunt, caput verò auratum in templo auguſtiſſimo conſecrant, dicantque. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 2.

PANEGYRICON, orationis ſeu carminis genus, in totius alicujus gentis celebritate recitari ſolitum; de cujus origine ſic Jul. Cæſ. Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 109. *Veteres Græcos tenuit conſuetudo certis ut celebritatibus unum in locum univerſi convenirent: ut eorum animi vel præceptionibus Sapientum vel fortium æmulatione, componerentur atque colerentur: vel ludorum feſtivitatibus laxarentur. Namque tum Poëtæ, tum Oratores, tum Aretalogi, tum Hiſtorici, ſuas recitabant lucubrationes. Legimus enim ſuas Muſas propriô ore Herodotum pronuntiâſſe. Heſiodus verò etiam ſe victorem fuiſſe prædicat. Prætereà currus, athletæ, equi* &c. *Ad hæc fabulæ multæ dabantur vel à Tragicis, vel à Comicis: quorum jocis & præteritorum laborum laſſitudo, & præſentis moræ tædium tolleretur. Nomen igitur generis* πανήγυρις, ὅτι πάντας ἤγυρεν, i. e. *omnes congregabat* &c. Poſtmodum fortium inprimis virorum, &, qui pro patria pugnando defuncti, eô modô celebrari cœperunt, ut ſuô locô dicemus. Porrò hujuſmodi oratione populo poſt initum honorem Magiſtratus gratias agebant. Sueton. *Tiberio c.* 32. *Prætorem collaudavit, quòd, honore initô, conſuetudinem antiquam retuliſſet, de Majoribus ſuis pro concione, memorandi.* Vide quoque Plut. *in Æmilio.* A quo fonte manârunt Orationes *Panegyricæ*, quibus Principi gratias in Senatu agebant Kal. Jan. novi Conſules: ſuper qua re SC. factum eſſe, auctor eſt *Panegyricô* Plinius, cujus tamen alibi nulla mentio. Idem mos etiam in Præſidibus provinciarum ſervatus, ad tempora Claudii, de quo Dio *l.* 53. &c. Vide Caſaubon. *ad Sueton. dictô loc.*

PANELLENES, omnes Græci ſic vocantur, Pauſan. *l.* 2. *Steph.* Item, *Panachæi*, vide *Panhellenes.*

PANELLENIA, Græcè Πανελλήνια, nomen agonis, Athenis olim celebrari ſoliti, cujus mentio in *veteri Inſcr.* Παναθήναια, Ὀλύμπια, Πανελλήνια, Ἀδριάνεια. Ubi Vir quidam ſummus quatuor illos agones pro uno accepit & de Hadrianeis interpretatur. Multis enim in urbibus, cùm ludos edidiſſe vel novos inſtituiſſe Hadrianum, paſſim Veter. loquantur monumenta, Πανελλήνια Athenis eum celebrâſſe, ait Dio: Τόν τε σηκὸν αὐτοῦ τὸ Πανελλήνιον ὠνομασμένον οἰκοδομήσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ἐπέτρεψε, καὶ ἀγῶνα ἐπ' αὐτῷ κατεστήσατο, *Templumque ejus* Panellenium *cognominatum extruere Græcis permiſit, & ludos in illo inſtituit*, quos Πανελλήνια in *inſcr.* dictos vidimus. Sed cùm vetus Interpres Pindari ad Olympionicas eorum mentionem jam faciat: Εἴη δ' ἂν ἢ τὰ Παναθήναια νενικηκὼς, ἢ τὰ Ἡράκλεια ἢ τὰ Ὀλύμπια, ἢ τὰ Ἐλευσίνια ἢ τὰ Πανελλήνια; quibus vel is omnes agones, qui Athenis aut in Attica celebrarentur, eſt complexus: vetuſta Olympia & *Panellenia* eſſe oportet, nec ab Hadriano inſtituta & celebrari ſolita; alia nuper ab Hadriano: vel ſanè erraverit vetus ille Pindari Scholiaſtes, qui, cùm viderit ætate ſuâ, *Panellenia* Athenis celebrari, putavit antiquitùs etiam & tempore illius Diagoræ, cujus certamina cecinit & laudavit Pindarus, fuiſſe celebrata. Quodcunque ſit, Salmaſ. Hadrianea à *Panelleniis* diverſa eſſe, judicat. De Hadrianeis vetus in veteri ſaxo Epigr.

ΚΟϹΜΗΤΕΥΟΝΤΟϹ. ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ. ΑΧΑΡ-ΝΕΩΣ.

> Στῆσεν Ἀχέριστος στήλην μεγακύδεσιν ἀστοῖς
> Πατρὸς τοὔνομ' ἔχων δημόθεν Εὐπυρίδης.
> Ἐκπρεπέως ἀέθλοισιν ἐπασκήσας καὶ ἐφήβοις,
> Καὶ στεφάνου κῦδος μοῦνος ἐνεγκάμενος.

ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ. ΑΔΡΙΑΝΕΙΩΝ.

Vide Salmaſ. *ad Spartiani in Adriano verba: c.* 18. *In omnibus penè urbibus & aliquid ædificavit & ludos edidit.*

PANELUS, urbs circa Pontum, ſic dicta ab Heracleota quodam, ex poſteris Penelei, ducis in bello Trojano, qui illuc ex Bœotia venit. *Steph.*

PANEPHYSIS, oppid. Ægypti, *Ptol.*

PANETARIA, locus Romæ, in Lateranenſi Palatio, ubi Feriâ V. *in Cœna Domini* cibum capere Pontifex conſuevit. Cencius Camer. *in Ceremoniali MS. Vadit ad Baſilicam Zachariæ, quæ Panetaria diebus his nuncupatur:* cùm tempore Benedicti Canonici Vaticanæ Baſil. Papa eâ die ad Baſilicam S. Theodori paſceret, teſte Dominicô Macro *in Hierolex.* Item officium Panetarii. Eſt autem *Panetarius*, apud recentioris ævi Scriptores, qui panem conficit, Piſtor, Gall. *Panetier.* Maximè verò ita olim appellabant Officialem domeſticum, qui menſæ panem, mappas, & manutergia ſubminiſtrabat: cujus officium in *Geſtis* Guilielmi Majoris Epiſc. Andegav. *c.* 23. ſic deſcribitur, *Nobis autem aſſiſtis, venit nobilis D. Guido de Camilliaco in tunica, gerens mappam ſupra collum, quam ante nos ſupra menſam poſuit, miniſtris ſuis eum coadjuvantibus: quâ poſitâ, manibus propriis duos panes coram nobis poſuit, & alios panes in dicta menſa, in qua nos ſedebamus: quod officium eidem incumbebat ratione feudi de Camilliaco, quod tenet à nobis, unde dictâ die officium Paniſtarii ſubire tenebatur ---- Finitô prandiô omnes mappas dictorum locorum habuit, quia jus ſuum erat.* Vide Concilium Pariſ. *p.* 4. *c.* 11. In aula verò Regum Franciæ dignitas quoque ea olim viguit, quâ qui donatus erat, *Panetarius Franciæ* nuncupabatur, vel *Magiſter Panetarius Franciæ*, ut Hugo & de Atheis Miles A. C. 1223. Cui ſimilis fuit Piſtor ille, qui cœteris piſtoribus præerat, in aula Pharaonis, Ἀρχισιτοποιὸς, Gen. *c.* 40. *v.* 1. & Ὁ ἐπὶ τῆς Τραπέζης, apud Byzantinos, de quo *Codinus* & alii. In *Areſto* A. C. 1439. deſcripto in *Hiſtor.* Caſtilionenſi *p.* 235. Dominus *de Graville* Conſiliarius & Cambellanus Regis dicitur fuiſſe *Magnus Piſtor* ſeu *Panetarius Franciæ*: atque, quod obiter hîc notandum, *Peſtors* vocabant Franci, quos *Bolengarios* nunc dicunt. In *Hypomneſtico* de Anaſtaſio Apocriſiario, mentio fit *Plutini*, *beatiſſimi Imperatorii Piſtoris*, i. e. *qui ſuper omnes Piſtores* erat *publicos*, de quibus dictum in voce *Manceps*, ſuprà. Hugo de Cleeriis de Seneſcalcia Franciæ: *Tunc* Panetarius *mittet*, inquit, *Comiti duos panes atque unum vini ſextarium, & Coquus fruſtum carnis & vini hauſtum.* Magnus verò hic Franciæ *Panetarius*, ex ſua dignitate, præerat omnibus Piſtoribus publicis, juſque habebat per ſe aut per ſuos Vicarios, panes, qui venum exponebantur, viſitandi, & habendi ſuper eos *cognitionem, correctionem*, & *punitionem, & emendas, erogandique ad pios uſus panem minùs ſufficientem repertum*, ut eſt in *Areſto* veteri apud Car. du Freſne.

PANEURA, Indiæ intra Gangem Urbs, juxta Indum fluv. *Steph.*

PANEUS, pictor egregius. Vide *Panæus.*

PANGÆUS, ſeu *Malaca* & *Caſtagna Bellonio*, mons Thraciæ in Macedoniæ confinio, Philippis urbi imminens. *Pangæa* Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 462.

> *Altaque Pangæa, & Rheſi Mavortia tellus.*

In hoc, teſte Herodotô *Muſa* 7. aurea ſunt & argentea metalla. Cinnamis eum abundare ait *Ferrarius* deceptus locô Claudiani, *de Nuptiis Honor. & Mariæ v.* 94. ubi legendum eſt:

> ——— *Panchaia turgent*
> *Cinnama* ———

Lucan. *l.* 1. *v.* 679.

> ——— *Video Pangæa nivoſis*
> *Cana jugis, latoſque Æmi ſub rupe Philippos.*

Statius *Theb. l.* 10. *v.* 512.

> *Perfindunt inarata diu Pangæa juvenci.*

Hinc *Pangæus.* Lucan. *l.* 7. *v.* 482.

> *Pindus agit gemitus, Pangæaque ſaxa reſultant.*

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 575.

> *Carbaſa Pangæâ Boreas ſpeculatus ab arce.*

Nic. Lloydius.

PANGUS, Provincia regni Congiani, olim fuit libera ſuô vivens jure, ſed jam propter finitima bella, ſub regis Congiani eſt tutela, eumque pro domino agnoſcit. Verſus Aquilonem Sondi contermina, verſus meridiem Batta, verſus occidentem ad comitatum Congi, verſus orientem extenditur uſque ad montes Solis. *Natal. Metel.*

PANHELLENES, ſimpl. pro Græcis apud Heſiod. in Ἔργ. v. 526. ubi de Sole hyberno,

> ——— Βράδιον δὲ Πανελλήνεσσι φαείνει.

Ubi non vertendum *univerſis Græcis*, ut vulgò, ſed ſimpliciter *Græcis.* Πανέλληνες enim, tempore Heſiodi, Homeri, & Archilochi appellabantur Græci; ad differentiam Ἑλλήνων propriè ſic dictorum. Hellenes autem tunc temporis dicebantur Phthiotidis incolæ, quod nomen acceperunt ab *Hellene* Deucalionis filio, qui illius partis Theſſaliæ rex fuit. Ante hunc nominabantur Γραικοὶ, quod Latini retinuerunt. Hinc Homerus Achillis populares & ſubjectos vocat Myrmidonas & Hellenas, Achilles autem imperabat Phthiotidi. Hi itaque cùm propriè dicerentur Ἕλληνες, reliqui

reliqui Græciæ populi dicti ſunt Πανέλληνες. Vide Thucydidis *proœmium*, Strabonem *l.* 8. Apollodor. *l.* 1. *Bibliothecæ*. *Panhellenia* autem ſacra totius Græciæ vocantur.

PANHELLENIUS, mons Æginæ, in Sinu Saronico, *Gyrald.* nunc *monte di Engina.*

PANHYDRI Montes, aut *Panthydri*, aliis *Panedri* aut *Paryedri*, apud Solin. *c.* 47. & *Marcianum*, *Paniedri* apud Plin. mel. *Paryadræ*, inter cognomina montis Tauri, *l.* 5. *c.* 27. apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 891.

PANHYPERSEBASTUS, Græcè Πανυπερσέβαστος, i. e. *totus Auguſtus*, titulus eſt novæ dignitatis in Imperio Conſtantinopolitano, qua primus Alexius Comnenus Imperator Michaëlem Taronitam affinem ſuum ornavit ac Cæſarei throni participem fecit: Andronicus poſtea Junior, Joannem Cantacuzenum Magnum Domeſticum æqualem primò, mox mortuô Andronicô ſeniore inferiorem *Panhyperſebaſtô* declaravit. Nicetas *l.* 7. *Eum longe auguſtiorem effecit, quàm anteà fuerat, conceſſis veſtimentis, calceis & equi ornamentis lutei coloris, ut infra Imperatoriam dignitatem maximè illuſtris eſſet*, apud Dominic. Macrum *Hierolex.* ex *Gloſſario* Meurſii.

PANIA, vetus nomen Arcadiæ. *Steph.* Alibi verò navale eſſe ſcribit Ciliciæ, circa campum Alcium.

PANIADA, & PANIAS & PANIUM, vide PANEAS.

PANIARDIS, urbs Sarmatiæ Aſiaticæ *Ptol.*

PANIAS, Græcè Πανιὰς, apud *Ptol.* Καισάρεια Πανιὰς, eadem nonnullis cum *Paneas*: *Joſephus* tamen Πανεὰς de Urbe, quam inſtauratam à Philippo Tetrarcha & Καισάρειαν nominatam, in gratiam Cæſaris, ſcribit; at Πανιὰς de provincia, ſumit: Sed aliis provincia quoque *Paneas* appellatur. Plin. *l.* 5. *c.* 18. de urbibus Decapolitanæ Syriæ, *Intercurſant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ & in regna contribuuntur*, *Trachonitis*, Paneas, *in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte*, *Abila*, *Arca*, *Amploeſſa*, *Gabe*. Ubi *Paneadem* vocat regionem ſive Tetrarchiam, in qua urbs Cæſarea, quæ & *Paneas* cognominata eſt &c. A ſimulachro ſeu templo *Panis* ſic dictum autumat Philoſtorgius, quod Πάνειον Græcis, ſicut Ἴσειον, *Iſidis ſimulachrum* vel *ædes*, Ἀσκληπίειον, *Æſculapii*, Ὀλυμπίειον κλ. Alii etiam ſcripſêre. Πάνιον; unde ſpelunca Panis Πανίαι βήσσαι, apud *Æſchylum*, & Πάνιος δαίμων, apud *Heſychium*: certè ὁ Πάνιος & Πάνειος dicebatur, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 576. Vide quoque in voce *Paneas*.

PANIASIS, Samius vel Heraclidenſis: an Dioclis, an Poliarchi filius? Scripſit poëma de Hercule, aliaque frequenter laudata Athenæo, Stephano Byzant. Hygino &c. Vide *Suid.* Poſſevin. *in appar.* Geſner. *in Bibl.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 6. Item alius, junior ſcripſit de Somniis libros 2. Vide Lil. Giraldum, *dial.* 3. *de Poët.*

PANICA, Græcè Πανικὰ, ligneæ perticæ cum furculis, ad ſimilanda crura Ægipanum, quæ ὑπόξυλα erant & arida, cruribus utpote caprarum ſimilia, factæ, *grallæ* aliàs & *colobathra*. *Feſtus*, *Grallatores appellantur Pantomimi, qui, ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas, adiectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes ob ſimilationem crurum ejus generis, gradiebantur utique propter difficultatem conſiſtendi.* Hinc in *Gloſſis*, *Grallatores*, Πανικὰ Φορῆτες: qui ad effingenda lignea & exſucca Panum ſive Ægipanum crura, grallas ſumebant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 413. & ſuprà ubi de *Colobathriariis* ac *Grallis*.

PANICAROLA Franciſcus, Italus, Mediolanenſis, Minorita Franciſcanus, poſteà Aſtenſis Epiſcopus, claruit circa A. C. 1580. Ejus extant, *in Pſalmos Paraphraſis*, *Commentarii in Jeremiam, in Threnos* &c. *Prædicationum inprimis laude floruit, tempore* Caroli Borromæi, qui obiit A. C. 1584. Gaulterio *in Chron.* *Tempore, quô floruit tres in concionibus dicendi laude florebant*, Panicarola, *Toletus*, *Lupus*. *Cùm tria ſint in Oratore requiſita, ſcil. ut doceat, ut delectet, ut moveat; communiter dicebatur*, *Lupus movet*, *Toletus docet*, Panicarola *delectat*, Eduard. Leigh. *Arm. de Religione &c. Anglicè*: apud Guil. Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Script.*

PANIFICIA Diis olim oblata, vide infrà *Verbena*, ubi de Serapidis cultu: & Juſtinum *l.* 20. *c.* 2. ubi de Minerva à Crotoniatis placata.

PANIGALIA, vicus agri Tarviſini.

PANIGAROLA Franciſcus, vide *Franciſcus*, it. *Panicarola*.

PANIGENA, urbs Indiæ citerioris *Ptol.* *Nanigana* Interpretibus.

PANIONIA, vide *Ionia*.

PANIONIUM, locus ſacer in Mycale promont. in Septentrionem vergens, communiter ab univerſis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus. Hunc in locum quotannis conveniebant Iones ad peragenda ſacrificia, quæ & ipſa *Panionia* dicebantur. *Stephanus*: Πανιώνιον, τέμενος, καὶ πόλις ἐν τῇ παραλίᾳ τῶν Ἐφεσίων. Herodotus non urbem, ſed χῶρον ἱερὸν vocat. Sic enim ille *l.* 1. Τὸ δὲ Πανιώνιόν ἐστι τῆς Μυκάλης χῶρος, ἱερὸς πρὸς Ἄρκτον τετραμμένος κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδέωνι Ἑλικωνίῳ. Ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς Ἠπείρου ἄκρη, πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κατήκουσα Σάμῳ. Ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες ἄγεσκον ὁρτὴν τῇ ἔθεντο οὔνομα Πανιώνια. Herodoto conſonat Strabo *l.* 14. Πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ σταδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάσσης, ὅπου τὰ Πανιώνια, κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι, καὶ θυσία. Meminerunt etiam Plin. *l.* 5. *c.* 29. Itemque Pomp. Mela. *l.* 1. *c.* 17. Plinius ita: *In orâ, quæ Trogylia appellatur*, *Geſſus amnis*. *Regio omnibus Ionibus ſacra, & ideo Panionia appellata.* Mela verò ſic: *Ibi eſt Panionium ſacra regio, & ob id eô nomine appellata, quòd eam communiter Iones colant.* Nic. *Lloydius*. Illuſtri Marſhamo *Panionia*, feſtum & templum Ionum; *Panionium*, concilium fuit ex XII. urbibus, ſicut Triopium Dorienſe ex VI. Amphictyonicum σύστημα ex pluribus, Colonias has in Aſiam deduxit Neleus, illuſtris *Ionicæ migrationis* auctor. Vellejus *l.* 1. *c.* 74. *Iones profecti Athenis nobiliſſimam partem regionis maritimæ occupavêre, quæ hodieque appellatur Ionia.* In Marmore Arundel. apparet adhuc, *Epheſus*, *Erythræ*, *Clazomenæ*, *Colophon*, *Myus*, *Samus*: evanuerunt, *Miletus*, *Priene*, *Lebedus*, *Teos*, *Phocæa*, *Chius*: quæ XII. civitates *Ionum* nomine gloriabantur, & fanum conſtruxerunt de ſuo nomine, ad quod Iones alii non admittebantur, exceptis Smyrnæis: in Mycale promontor. ut dictum. Vide Herodot. *d. l.* Sed & anteà Ælæam urbem maritimam (poſtea Pergamenorum navale) Athenienſes jamdudum incoluerant, ſub Meneſtheo Rege cum eo Trojam profecti, Strabo *l.* 13. Quam in rem plura apud Marſhamum præfatum *Canone Chron. ad Sec. XII.* & ſuprà voce *Ionia*, item *Nileus*. Addo, quòd prope Miletum locat Sponius, ubi XII. has Ioniæ civitates, *Epheſum*, *Miletum*, *Myuntem*, *Lebedum*, *Teum*, *Colophonem*, *Prienem*, *Phocaam*, *Erythras*, *Clazomenem*, *Chium*, *Samumque*, quibus *Smyrna* acceſſit decima tertia, convenire ſolitas, recenſet, *Itiner. Part.* 1. *p.* 373. *Panionia* verò, ſicut & Panathenaica, feſtivitates fuiſſe, in quibus utriuſque ſexus flos per mutua nexis manibus ſaltaverint Pyrrhichicam, docet Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 27.

PANIS, vel PANIDES, Rex Chalcidis, qui, quia ſatis imprudenter Heſiodum Homero prætulit, ejus ſtultum ac ineruditum judicium abiit in proverbium, *Panidis ſuffragium*. Philoſtratus *in Euphorbo*.

PANIS, urbs Thraciæ, in Europa provinc. ex Synodò 6. Conſtantinopol. Item Inſul. in Sinu Arabico, *Ptol.* forſan *Orine* Arrian. *in Periplo*.

PANIS nomine frumentum venit, *l.* 1. & *ibid.* Bartol. *Cod. de frument. verb. Conſtant. II. lib. &c.* *Civilis Panis* nomine, ſunt qui ſimpliciter annonam intelligant: cui vendendæ qui præeſt, dicitur *Sitoſtaſius*; ſicut Magiſtratus, qui curatur, *Periſſochoregia* nuncupatur, Cœl. Rodig. *l.* 9. *c.* 16. &c. *Panis Fiſcalis* populi eſt annona, vel quod populo erogatur è fiſco. *Panis gradilis* dicitur, qui è gradibus, qui in unaquaque urbis regione erant ad piſtrina, præbebantur populo. Prudentius *l.* 1. *cont. Symmachum v.* 584.

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.

Panis Curiæ, quem Galenus *l.* 2. ad *Glauc.* vocat *Syncomiſtum*: Hic inter exquiſitè purum, & furfuraceum medius eſt, *Panis militum*, qui militibus, i. e. nobilioribus Monaſterii vaſallis, apponebatur; Hic ideo fortè adoraceus fuit & puriſſimus *Panis ordei* tandem, quia ordeaceus vel totus furfuraceus fuit: operariis dabatur in ſtipem & corredium, Spelm. *Gloſſar. Archæol.*

PANIS, inter Iſidis inventa, ut ſuprà videre eſt, ubi de *Frumento*; vide quoque voce *Ops*; apud Romanos in uſu primitus non fuit, quippe quos, pulte contentos, Piſtores per annos ſexcentos, uſque ad Perſicum bellum, non habuiſſe conſtat, Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 11. poſtmodum apud eos jentaculi fuit caput, neque unquam ſine illo jentaculum, imò aliquando ſolus jentaculum abſolvebat. Fuit enim hæc Veterum frugalitas, eorum præcipuè, qui negotioſam vitam καὶ περιστατικὴν agebant, ut matutinis horis ſolô *pane* deguſtatô, uſque ad veſperam & tempus cœnæ impranſi perdurarent, adeò ut ne biberent quidem: quod de ſe Galenus prædicat Ὑγιειν. *l.* 6. Unde *Panem ſiccum* id jentaculi genus vocârunt. De Antonino Pio Jul. Capitolin. *c.* 13. *Senex etiam, antequam ſalutatores venerunt, panem ſiccum comedit ad ſuſtentandas vires.* Et de Tacito Imperatore Flavius Vopiſc. *c.* 11. *Panem, niſi ſiccum, nunquam comedit, eundemque ſale atque aliis rebus conditum.* Ubi *Panis ſiccus* denotatur, qui ſolus & abſque pulmento ſumitur. Sic Galenus explicat *l. c.* & Græci eôdem modô ξηρὸν ἄρτον pro ſolo pane, cui nihil aliud adjunctum aut admixtum eſt, libenter uſurpant, Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 13. Atque hinc ἀρτοσιτεῖν, i. e. *panem comedere*, pro *jentare*, in *Lexiphane* Luciani. Plerique tamen non ſolùm eum comedebant, ſed palmulas, uvas paſſas, nucleos, mel Atticum, crudum aut coctum, aut aliquid melliti operisve dulciarii: Salſi etiam aliquid aliquando cum pane ſumebant. Quidam etiam bibebant: nonnulli poſt hoc jentaculum prandebant quoque &c. Cum melle Pythagoræorum etiam cibum fuiſſe, habet Athenæus *l.* 2. *c.* 2. Interim nullum jentaculum, ut dictum, ſine *pane*: quem quidam horâ tertiâ, aut quartâ, imò ſextâ etiam, qui videl. non prandebant, Antoninus verò, propter ſenilem ætatem, ſumebat maturiùs. Inde Græci βουκκισμὸν appellârunt jentaculum, à Latina voce *Bucca* vel *Buccea*, quæ fruſtum panis vel *panem*, deſignat. Nam hinc *buccella* & *buccellatum*, panis ſex unciarum. *Vetus Gloſſar.* *Jentat*, βουκκίζει. *Guſtare*, βουκκίσαι. Unde *Bucca* & *Buccellarii*, qui alienâ vivunt bucceâ, ſeu quadrâ, paraſiti ſcil. & aſſeclæ. *Panes* namque in quadras, haſque in bucceas, dividi conſuêſſe, dicemus infrà voce *Quadra*, &c. Et hinc fortaſſe *immorſus* Horatio, qui adhuc jejunus eſt, & nondum jentavit nec jejunium polluit, quod faciebant guſtatâ unâ aut alterâ panis bucceâ. Auguſtus in *Epiſt.* *Nos in eſſedo* panem *& palmulas guſtavimus.* Et iterum, *Dum lecticâ ex Regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.* Ac paulo pòſt, *Qui in balineo demum poſt horam primam noctis duas bucceas panis manducavi priuſquam ungi inciperem.* Ubi *panem comedere*, *guſtare* & *jentare*, res eadem. Galenus Ὑγιειν *l.* 2. Ἐν δὲ τῷ κατὰ τὴν ἀγορὰν χωρίῳ περὶ τρίτην ὥραν ἢ τὸ μακρότερον περὶ τετάρτην ἤσθιεν ἄρτον μετὰ μέλιτος Ἀττικοῦ. Nempe jentaculum non ſemper domi ſumebant, ſed in foro, in lectica, ubicunque eſſent. Vide Salmaſ. *ad Fl. Vopiſc. in vita Taciti Imp. loc. cit.* & plura hanc in rem ſuprà, in voce *Jentaculum*. Fuit autem *panis* ex hordeo primùm factus, uti diſcimus ex Artemidoro *l.* 1. *c.* 71. & Plinio *l.* 18. *c.* 7. qui poſteà in pœnam ceſſit, Sueton. *Aug. c.* 24. manente nihilominus ejus uſu, apud pauperes & frugaliores, Sen. *Ep.* 18. Monachos etiam quoſdam Orientales, apud Sulpitium Sev. *Dial.* 1. Ejus locô frumentaceus

inven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

inventus à Cerere, Plin. *l.* 18. *c.* 7. 8. 9. 11. cujus apud Romanos, penès aliquem ſervorum Tricliniarium diſtributio fuit, videnturque appellatione mutuatâ à Comitialibus & Judiciariis Diribitoribus, qui illum diribebant, *Diribitores* Appulejo dicti, *Met. l.* 2. *Diribitores pluſculi, ſplendidè amicti, fercula copioſa, puellæ ſcitulæ miniſtrantes, pueri calamiſtrati, pulchre induſiati.* Juvenalis, ut ſolet, eleganter *Sat.* 5. *v.* 66. & *ſeqq.*

Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis,
Ecce aliùs quantô porrexit murmure Panem,
Vix fractum, ſolidæ jam mucida fruſta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.
Sed tener, & niveus mollique ſiligine factus
Servatur Domino. —— ——

Et huc pertinent illa Petronii: *Circumferebat Ægyptius puer clibanô argenteô panem.* Promebant autem e caniſtris ſtatutis in ipſo Triclinio, ut indicat antiqua Sigmatis ſculptura, quæ Romæ trans Tiberim viſitur, è regione ædis D. Chryſogoni, exhibita à Laurentio Pignorio *Comm. de Servis.* Ideoque iterum Juvenalis *Sat. cit. v.* 73.

—— —— *Finge tamen te*
Improbulum, ſupereſt illic, qui ponere cogat.
Vis tu conſuetis audax conviva caniſtris
Impleri, Paniſque *tui noviſſe colorem.*

Virg. etiam *Æn. l.* 1. *v.* 705.

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt. —— ——

Ubi Donatus, *Hîc*, inquit, *diſpoſitionem familiæ Regalis oſtendit. Alii enim, h. e. Viri aquam abluendis manibus dabant: alii mantilia porrigebant, quibus manus ablutæ tergerentur, alii caniſtris* Panem *miniſtrabant. Mos enim fertur apud veteres fuiſſe, ut* Panis *non argenteis vaſculis inferretur, ſed caniſtris, h. e. ſpeciebus factis ex vimine.* Unde colligimus, in Petronio pleraque legi, quæ luxum referant non vulgarem ac tritum, ſed Imperatorium & ſummæ inter luxurioſos fortunæ: quale eſt, quod de clibano argenteo legimus. Coquebant eum olim Piſtores ſeu Coqui, qui antiquis temporis iidem fuêre: poſteà munia hæc ſeparari cœperunt, & mulierum, quæ *Panem* coquerent (*Panicoctarias* vocat Chryſologus *Serm.* 99.) mentio fit *leg.* 12. & 13. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* Conficiendi *Panis* rationem exhibet Plin. *loc. cit.* qui de Piſtoribus quoque multa, de quibus vide infrà *ſuô locô.* Apud eoſdem Romanos, cùm frumentum primò, poſteà locô ejus *Panis* Populo publicè diſtribui ſolitus eſt: cujus moris originem quidam à Trajano petunt, ſed mirum neminem Auctorum, tantô intervallô, ſub tot Imperatoribus, qui à Trajano uſque ad Aurelianum præfuêre, ejus rei mentionem feciſſe. Contrà meminêre multi, ſub mediis illis Imperatoribus, teſſerarum frumentariarum. Quòd enim Juvenalis, Trajano coævus, panis populo diſtribuendi mentionem facit, cùm ſic de Populo loquitur, *Sat.* 10. *v.* 80.

—— *Atque duas tantùm res anxius optat,*
Panem *& Circenſes:*

Panem Poëticè uſurpat pro frumento; quod hinc patet, quia aliô locô frumenti teſſeræ meminit, *Sat.* 7. *v.* 174.

Summula ne pereat, quâ vilis teſſera venit
Frumenti.

Nec juvat Aurelius Victor, qui ſcribit, *Trajanum mirè annonæ conſuluiſſe, repertô firmatôque Piſtorum Collegiô.* Hæc enim verba non auctorem faciunt Trajanum annonæ Populo dividendæ, non in frumento ut priùs, ſed in *pane cocto:* cujus rei auctorem fuiſſe primum Aurelianum, diſcimus ex Fl. Vopiſco, *c.* 35. *Cùm aureas populus ſperaret, neque Aurelianus aut poſſet aut vellet, coronas eum feciſſe de panibus, qui nunc ſiliginei vocantur, & ſingulis quibuſque donâſſe: ita ut ſiligineum ſuum quotidie totô ævô ſuô & unuſquiſque reciperet & poſteris dimitteret.* Quemadmodum idem porcinam carnem Populo primus diſtribuiſſe, in ſequentibus dicitur. Bilibres autem primò facti ſunt *Panes*, qui Populo diſtribuebantur, ſicque viginti quatuor uncias panis quotidie accipiebant populares. Addidit poſteà unciam idem Imperator: addidêre verò etiam ſequentes Principes, donec uſque ad triginta ſex uncias panium pondus proceſſit; & plures panes minores dari cœperunt, ita ut ſex panes quotidie darentur ſingulis popularibus, quorum quiſque ſex uncias pendebat. Et ſic in ſex panibus triginta ſex uncias accipiebat Populus Rom. ſub Theodoſio, cùm 25. tantùm unciæ in uno pane, ſub Aureliano, præberentur. Vide *L.* Valentiniani *C. Theod. de annon. civ. & pane grad.* Formam *panis* quod attinet, Aureliano in modum coronæ fuit, ut ex Vopiſco vidimus, an poſteà mutârit, quemadmodum mutavit in pondere, non adeò certum: videtur tamen non mutâſſe. Namque & apud Conſtantinum περὶ θεμάτων bucella panis dictus in modum circuli factus; *bucellas* autem vocâſſe illos civiles panes, teſtimoniô eſt *l. d.* Græci recentiores ψωμία appellârunt, unde *Buccellarius* apud eundem ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου, *Cuſtos panis.* Porrò nemini *Panis* de officina Piſtoris præbebatur, ſed omnes in iiſdem gradibus illos accipiebant, quibus olim congiaria Populo dabantur, æra dividebantur & miſſilia omne genus ſpargebantur ac teſſeræ mittebantur, in Amphitheatri ſcil. gradibus, de quibus gradibus accipienda omnino eſt *vetus* hæc *Inſcr.*

COLLEGIO. DENDROPHOR.
ROMANOR. QUIBUS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN
TI P. X. ET HS. X. MILIA. N.
REDDEDIT
QUÆ. DIVISA. SUNT. POPULO. PER.
GRADUS.
KAL. AUG. N. COLLEGI.

I. e. per gradus Amphitheatri vel Theatri, in quibus omnes diviſiones & ἐπιδόσεις Populo fiebant, ut ex Martiali paſſim conſtat. Unde illæ locutiones, *de gradibus, in gradibus*, & *gradibus* panem diſtribuere, pro hominibus, qui ſunt in gradibus: *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de annon. civ. & pane grad.* & *l.* 5. *tit. eod.* ubi *proprii gradus*, i. e. *popularium gradus* memorantur, qui unicâ voce *Popularia* dicti, & à gradibus Militarium, Equeſtrium & Senatorum diſtincti erant: neque enim *panis gradilis* hujus in alium gradum tranſlationem facere licebat, ex *l.* 2. *Cod. Theodoſ. d. l.* Minimè tamen diſſimulandum, cùm ex Conſtantini inſtituto annonæ civicæ populo in Urbe Conſtantinopolit. itidem, ut Romæ, erogarentur, erogationem eam non in Circo, aut Amphitheatri gradibus ſed in Foro fieri ſolitam: ubi Populus per gradus diſtinctus & per turmas diviſus panes illos civiles, qui publico dabantur, accipiebat. In quo eodem loco, ſparſiones etiam Conſulum, quas ὑπατείας vocabant, fieri conſueverant: quod Romæ quoque nonnunquam factum eſſe, diſcimus ex Joſepho *Origin. l.* 19. *c.* 1. Hinc *l.* 5. *Cod. Theodoſ. d. t.* in eodem loco panem emi & erogari conſueviſſe, dicitur: emebatur autem panis in Foro. Sed & ibi per gradus Populum, cùm panes acciperet, fuiſſe diviſum, legimus apud Corippum:

Diſpoſuêre gradus, quis ſtaret in ordine longo
Diviſum in turmas atque in ſua corpora vulgus.

Sil. haud ſecus atque in Amphitheatro quiſque popularium in ſuo gradu ac loco ſtabat, ne quid confuſionis eſſet, ſingularumque Urbis regionum populares ſua loca ibi adſignata habebant & gradus ſuos diſtinctos, &c. Non verò aliter *panis* hic diſtribuebatur, quàm per teſſeras ligneas συντόμια καλάμια, in *Chron. Alexandr.* καλάμους *Codino*, ξυλήφια *Polybio* dictas, uti illis, qui priùs frumentum gratuitum accipiebant, ſimilitèr teſſeræ dabantur. Acceptis proin teſſeris ad Forum ejuſque ἑρκάνας, ibant populares & ibi iiſdem oſtenſis, panem quiſque ſuum accipiebant. Hinc καλαμηφορεῖν apud Themiſtium, de his, qui teſſeras ſuas & καλάμους ad Forum portabant, ut panes acciperent ibidem de gradibus erogandos, *Orat.* 4. Teſſerarum poſteà locô Valentinianus & Valens Imperatores juſſêre, ut titulus æneus in gradibus figeretur, in quem & *Panis* modus & nomen percipientis incidi debebat, vide *l.* 5. *Cod. Theod. tit. eod.* manſitque hæc conſuetudo Panes, & vinum & oleum & carnem porcinam, gratuita Populo erogandi, uſque ad Principatum Heraclii Aug. ſub quo eam reperimus abolitam. Nam Faſti Siculi referunt, octavô Imperii ejus annô, Civibus Conſtantinopolit. impoſitum tributum ſive capitationem, *Panum civicorum* nomine, ut pro ſingulus ſcil. panibus, quos percipiebant de publico, tres nummulos dependerent; quod tributum cùm ſolviſſent, eôdem illô ipſô annô, menſe Auguſtô, ejuſmodi omnis annonarum civicarum diſtributio omnino ſublata eſt. Non omittendum verò, ἑρκάνας Themiſtii (harum enim meminit *l. c.*) ad quas cum teſſeris ſuis olim itare ſolebant populares, quibus panes ejuſmodi πολιτικοὶ de publico miniſtrabantur, ſepta fuiſſe ſeu tabulata, *Heſychio & Euſtathio.* In medio namque Foro Conſtantinopolitano, quod Γυστεῖον vel Αὐγουστεῖον & Αὐγουστεῶνα vocabant, ſepta de lignis fuiſſe conſtructa & in his gradus diſpoſitos, haud ſecus atque in Theatro & Amphitheatro, legimus, in quibus Populus per ordines diviſus ſtabat, ut exciperet miſſilia, à Principibus & Conſulibus ſpargi ſolita, nummos ſcil. aureos, argenteos, æreos, & teſſeras quoque panarias: nam & has jaciebant. Ad has itaque Ἑρκάνας ventitabat quotidie manè plebs, καλαμηφοροῦσα, h. e. calamos ſeu *teſſeras* ferens, ut panes accipere, quos παλατίνους ἄρτους & πολιτικοὺς, Latini *annonas civicas* vocabant, &c. Quâ de re pluribus diſſerit Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aureliano.* Porrò apud Macedonas celebris in nuptiis *Panis* uſus, indigitatur Curtio *l.* 8. *c.* 5. ubi de nuptiis Alexandri cum Roxane, *juſſit*, inquit, *afferri patriô more panem. Hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coëuntium pignus; quem diviſum gladiô uterque libabat.* Rationem ſubdit, *Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parcô & parabili victu oſtendere voluiſſe jungentibus opes, quantulô contenti eſſe deberent.* Quos imitatæ gentes aliæ, *panem & vinum* quædam adhibent, nonnullæ *farreum libum*, quod & nomine *Panis* apud Curtium ſunt qui intelligant. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 28. *c.* 15. Alex. ab Alexandro *Dier. Genial. l.* 2. *c.* 5. Aurelianum ad *Tacitum*, Stuckium *Convivial. Antiqq. l.* 1. *c.* 30. Alios, & ſuprà ubi de *Nuptiis.* In Lotharingia vicum eſſe, cujus incolis, quoties in Ducum aula miniſtrant, inverſum cuique *panem* in menſa apponi ſit moris, ob infidelitatem à Majoribus olim exercitam, refert Auctor Anonymus *Hiſtoria Orbis Terrar. Geogr. & Civil. Panis & aquæ refectione*, damnatos olim fuiſſe Epiſcopos delinquentes, habet, ex *LL. Viſigoth.* Car. du Freſne *Gloſſar.* At à *Pane* in Iſidis, Cybeleſque ſacris, olìm abſtinebatur, ad luctum ſcil. indicandum. Hieronym. *Ep. ad Lætum: Faciant hoc cultores Iſidis & Cybeles: qui guloſâ abſtinentiâ Phaſidis aves & fumantes turtures vorant, ne ſcil. Cerealia dona contaminent.* Unde lux Tertulliano *de Jejuniis. Sed bene quod in noſtras xerophagias blaſphemias ingerens, caſto Iſidis & Cybeles eas adæquas.* Vide Jac. Ouzelium *Animadverſ. ad Minucium p.* 90. ubi utriuſque Deæ ceremonias inter ſe comparat, & plura apud Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad illud Arnobii l.* 5. *Quid temperatus ab alimonio panis cui rei dediſtis nomen caſtus?* Manichæi verò, nec *Panem* frangebant, nec olus ſcindebant, quippe omnia animata eſſe credentes, ſciſſis tamen & fractis veſcebantur, Theodoretus *Hæret. fab. l.* 1. *c.* 26. Imò panem offerenti dicebant, *Paulum foris ſta: & tibi benedicam: tum ſumtô in manus pane, ego te non feci, inquiebat Manichæus pani: & in Altiſſimum contumelias fundens diriſque devovens eum, qui fecit, ita veſcebatur eâ re factâ*, Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſi Illum.* 6. *p.* 67. Nempe *Panem* ut & alias res creatas, à nullo Deo eſſe dictitantes, eum ſic averſabantur. Hincque nonnulli eorum, pane prorſus rejectô, ei, qui dedit, maledicebant

bant inſuper hujuſmodi verbis, Ὁ σπείρας σε σπαρείη, ὁ ἀλήσας σε ἀλεσθείη τὰς σάρκας, *Qui ſeminavit te, diſpergatur; & qui moluit te, ejus carnes molantur*, apud Theophylactum *in Joannem c. 6.* Vide Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ἄρτος. De *Pane* autem ejuſque conficiendi ratione Veteribus uſitatâ, aliiſque huc pertinentibus, vide Plinium paſſim, inprimis *l.* 18. *c.* 11. ut & paulò infrà: Addo ſaltem quòd *Panis*, in coronas quoque olim adhibitus, memoratur Lactantio *l.* 1. *c.* 21. ubi hanc fabulam narrat: *Lampſaceni aſellum Priapo, quaſi in ultionem, mactare conſueverunt. Cùm enim hic Deus Veſtæ dormienti vim inferre conaretur, aſinus intempeſtivô clamore eam excitavit ---- Hinc apud Romanos eundem aſellum Veſtalibus ſacris in honorem pudicitiæ conſervatæ* panibus *coronant.* Neque verò huic ſolùm aſello iſtiuſmodi corona merces, ſed & apud Ariſtophanem *Pluto*, præmium fuit ſervo nuntio rei lætiſſimæ, paupertatis ſcil. opibus commutatæ. Cùm enim propter hoc ipſum totus ille ſenum grex vitularetur ac ſaltaret, mulier, quæ ibidem introducitur, ait,

——— κἀγὼ 'γ ἀναδῆσαι βούλομαι
Εὐαγγέλιά σ' ἐκ κριβανωτῶν ὁρμαθῷ
Τοιαῦτα ἀναγγείλαντα.

Ubi κριβανωτῶν ὁρμαθῷ Scholiaſtes exponit, ἄρτων δέσμῃ ἐν κριβάνῳ ὠπτημένων, *panum faſce in clibano coctorum*, quô rei tam lætæ nuntium illa ſe coronaturam ait &c. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 28. Aliæ erant *Coronæ de panibus bilibres*, quas Aurelianus Imperator locô aurearum, quas populus ſperaverat, ex Oriente reverſus ei exhiberi juſſit ut diximus. Erant panes ſiliginei κρικελλοειδεῖς, ut ait Conſtantinus περὶ Θεμάτων, h. e. in modum circuli ſeu coronæ facti, de quibus vide Caſaubon. Salmaſiumque *Not. ad Vopiſcum in Aureliano, loc. cit.* ut & ſuprà. Sed & Petrum Aragon. Regem Romam profectum, ab Innocentio III. coronatum eſſe *coronâ panis azymi*, in Æde S. Pancratii, impetraviſſe autem, ut ejus ſucceſſores in perpetuum Cæſarauguſtæ coronarentur, à Tarraconis Antiſtite, refert Marineus *Rerum Hiſpanic. l.* 10. &c. De *Frumento, Molis, Piſtoribus*, aliiſque huc pertinentibns, hîc paſſim, uti de more cruſtam *Panis* conficiendi, infrà *Papaver* & de inveſtitura per *Panem* ſuô locô. Vox poſtmodum tranſlata, ad quamcunque materiam, in morem panum formatam. Hinc *ærei panes*, apud Plin. *l.* 34. *c.* 11. *panes aphronitri*, apud *Statium* inter munera Saturnalitia &c. Vide Caſaubon. *ad Neronem Suetonii c.* 20. A *pane*, vox medii ævi *Apanare* eſt, quam vide ſuprà.

Panis variæ, apud Auctores, species.

PANIS Acrozymus, i. e. fermentatus, apud Iſidor. *l.* 20. *c.* 2.

PANIS Agitationis, vide infra *Pentecoſte*.

PANIS Æſtivatus, i. e. mucidus, in *veter. Gloſſar.* MS. apud Car. du Freſne.

PANIS Alexandrinus, i. e. bis coctus, rubicundus, apud Plin. *l.* 18. *c.* 7. & Conſtantinum Afric. *de rat. victus p.* 278.

PANIS in aqua coqui ſolitus, apud Udalricum *Conſuetud. Cluniac. l.* 2. *c.* 4.

PANIS Ardinienſis. i. e. ſordidus, *l.* 5. *Cod. Th. de Annon. Civic.* fortè *Sardinienſis*.

PANIS Armigerorum qui famulis, vulgò *Eſcujers* dictis, miniſtrabatur *Monaſt.* Anglic. *Tom. I. p.* 420.

PANIS Avenaceus, in Concil. Francof. *c.* 4.

PANIS ex auro, quales convivis appoſuit Caligula Imperator. vide Cœl. Rhodig *Antiqq. Lect. l.* 28. *c.* 3.

PANIS Autopyrus, ex Græco αὐτόπυρος, ex quo nihil neque pollinis neque furfuris excretum vel ademptum, quaſi totum in ſe triticum non imminutum habens, apud Celſum *l.* 2. *c.* 17. Alioſque paſſim.

PANIS Azymus ſeu *crudus*, apud Conſtantinum African. *Loc. Comm. Medic. l.* 5. *c.* 15.

PANIS Benedictus, dicebatur olim, qui Catechumenis (quibus, ante Baptiſmum, ſacrorum myſteriorum participes fieri non licebat) dabatur, quô præpararentur ad Corporis Chriſti ſeu Euchariſtiæ ſumtionem. Auguſtin. *de Peccator merit. & remiſſ. l.* 2. *c.* 26. Iis poſtmodum Fideles etiam uſos eſſe, pro munere, in ſignum mutuæ amicitiæ & communionis, invicem transmiſſis, contendit Raincrus, *contr. Waldenſes, in catal. Hæret.* de Græcis loquens: *Euchariſtiam conficiunt de panibus fermentatis, excidunt rotulas; ex illo conficiunt Corpus Domini & panes illi vocantur* Panis benedictus, *& datur omnibus, qui volunt ſumere in cibum.* Vide ſuprà *Cethia, Eulogia, Panagia*, & infrà *Panis fractus.* nec non Sponium *Itin. Part.* 2. *p.* 364.

PANIS Biſcoctus ſeu *buccellatus*, Græcè δίπυρος, qui eſt panis nauticus, Gall. *Biſcuit*, apud Abbonem *de Obſid. Paris l.* 2. Guil. Brittonem *Philippide l.* 4. & Paul. Venetum *l.* 3. *c.* 46.

PANIS Biſcus ater, furfuraceus, Gallis *Pain-bis*, apud Suetonium in *Nerone*, ſordidus, *c.* 48. Vide *Monaſticum* Anglic. *Tom. I. p.* 420.

PANIS Braſilicus, vide ſuprà *Mandioca*.

PANIS Cacabaceus, qui ſaporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinebat: erat autem *cacabus* vas piſtorum, Caſaub. *ad Heliogabalum* Lamprid. *c.* 18. At Car. du Freſne mavult ſic dictum eſſe panem nigrum, cui nihil furfuris ademtum, in *Gloſſar.*

PANIS Calendarius, quem in Calendis offerri mos fuit Sacerdotibus, à Parochianis, in die Natalis Domini, occaſione loci Levit. *c.* 23. *v.* 17. ubi de panibus duobus Sacerdoti offerri ſolitis. Vide Durandum *Ration. l.* 4. *c.* 30. *num.* 40.

PANIS Cantabrus, ſervorum erat. Vide ſuprà.

PANIS Ceparius, Χυδαῖος ἄρτος, in *Gloſſ. Græco-Lat.*

PANIS Civilis, Græcè Πολιτικὸς, idem cum *Gradili*.

PANIS Clibanites, in furno coctus. *Gloſſ.* Ælrici.

PANIS Cognatorum, Græcè σπολεὺς, vide ſuprà *Cognati Regis*.

PANIS Conjuratus, vide ſuprà *Corſned*.

PANES Coronati, in *Charta* anno 1050. apud Puricellum in *Monum.* Ambroſianæ Bibl. *p.* 428.

PANIS Curiæ, vide hîc *Panis Curialis*.

PANIS Curialis, qui è Curia Domini profertur, ad alendam familiam, in *Charta* Theobaldi Comitis Bleſenſis A. C. 1190. in Regeſto Cenſuum Carnot. alibique, apud Car. du Freſne.

PANIS διαιωνίζων dicebatur, quem unuſquiſque totô ævô percipiebat, & poſteris ſuis tranſmittebat. Talis ille, quem Aurelianus erogavit apud Vopiſc. *loc. cit.* Item quem popularibus ſuis, Antiochenſibus civibus, diſtribui inſtituiſſe, atque eam in rem certos reditus ex fundis ſuis conſtituiſſe Artabanum, legimus apud *Chronici* Alexandrini Auctorem.

PANIS Diſpenſatorius, idem cum ſecundo, juxta *veterem Horatii Interpretem:* qui de ſecundo pane ſcribens, eum eſſe dicit, qui non ſit ſiligineus, non primus, non poſtremus, ſed *diſpenſatorius.* Ubi diſpenſatorium panem accipit Salmaſ. quem *Fiſcalem* dixit Interpres Perſii, quòd Populo ſcilicet diſpenſaretur. Prudentius, *l.* 1. *contr. Symmach. v.* 584.

——— *Populo gradibus diſpenſus ab altis.*

Vide hîc infrà, *Panis Fiſcalis*.

PANIS Durus, vide ſuprà *Mutorum pœna*.

PANIS Eleemoſynarius, qui pauperibus diſtribuebatur, apud Sylveſtr. Giraldum *Itin. Cambriæ l.* 3. *c.* 12.

PANIS Eſchaudatus, vide ſuprà Oblatá.

PANIS Euchariſticus & nonnunquam *Panis* ſimpliciter, pro S. Cœna, apud Patres & in Scripturis. Nam Lucæ *c.* 24. *v.* 35. *Fractionem Panis*, non pauci de Euchariſtia expoſuerunt: è quo loco *Sacramentum Panis* ipſam vocat Auguſtin. *de Conſenſu Euangel. l.* 3. Et Cyprian. ὑποβολιμαῖος *de Cœna Dom. Hoc Sacramentum aliquando Carnem & ſanguinem, aliquando* Panem *Chriſti appellat.* Sæpius tamen Patres, ut *Panem* ſacrum & myſticum diſtinguunt à communi, & epitheta adjiciunt, quorum nonnulla infrà ſubjiciemus. Idem *Eulogia* & *Euchariſtia* dicitur, ex verbis εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν, quæ Euangeliſtæ & Apoſtolus Paulus, in explicanda divini hujus myſterii inſtitutione, promiſcuè adhibent: Nam CHRISTUS in eodem actu & Deum Patrem laudavit & gratias illi egit, atque hoc ampliùs *Panem* ſanctificavit, h. e. conſecravit in uſum Sacramenti, ut eſſet in myſterio corpus ſive caro Chriſti, ſicut ipſe dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Atque hoc docent nos, præter Paulum, ex tetrade Euangeliſtarum tres, DOMINUM ſcil. *Panem* ſumpſiſſe, ac deinde vinum, & utrumque εὐλογῆσαι ſive εὐχαριστῆσαι, antequam Diſcipulis traderet. Qua in hiſtoria Filius Dei umbras Legis ad veritatem traduxit. Mos enim Populo Judaico fuit, convivium illud, in quo edebatur Paſchalis Agnus, poculô claudere, quod dicebatur כוס הלל *poculum laudis*, vel, ut Paulus 1. *Corinth. c.* 10. *v.* 16. loquitur, *poculum benedictionis:* unde non uno in loco Sacramentum hoc, in Liturgiis Græcis, θυσία αἰνέσεως, *Sacrificium laudationis*, appellatur. Idem autem εὐλογεῖσθαι, quod ἁγιάζεσθαι, *ſanctificari:* ſic enim Patres paſſim aquam Baptiſmi modò εὐλογεῖσθαι, modò ἁγιάζεσθαι, i. e. *benedici* ac *ſanctificari* dicunt: quô eôdem modô & *Panem* Euchariſtiæ Chriſtus εὐλογήσας ἔκλασε, *præmiſsâ benedictione fregit;* pro quo ἁγιάζειν, *ſanctificare*, paſſim apud Patres Græcos & Latinos, dicitur. Unde etiam τὰ ἁγιάσματα unum è nominibus Euchariſtiæ. Juſtinus *in Dial. cum Tryphone* dixit, ἄρτον ποιεῖν, *Panem facere* vel *conficere*, h. e. Chriſti exemplô εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν, i. e. *benedictione & gratiarum actione conſecrare*, in ſacramentum Corporis Chriſti. Ita enim is, *ſimilæ oblatio, figura erat panis* εὐχαριστίας, *quem in memoriam paſſionis ſuæ Dominus noſter* παρέδωκε ποιεῖν, *tradidit* (præcepit) *facere.* Ubi alludit ad vocem Chriſti apud Paulum Τοῦτο ποιεῖτε. *Hoc facite;* quâ proin eam in rem Latina Eccleſia interdum uſa eſt. Unde eſt apud Auguſtin. *de Trinit. l.* 3. *c.* 10. *Panis ad hoc factus*, h. e. *conſecratus.* Sed eadem verbum *conficere* adhibuit frequentiùs. Hinc apud Latinos Patres de Secerdotibus tritiſſima phraſis, *Conficere corpus Chriſti*, pro eo quod Juſtinus ſuprà dixit, ἄρτον ποιεῖν, Hieronymum *ad Heliodor.* & *Evagrium*, Alioſque paſſim. *Conficere* verò *corpus Chriſti* dixêre, pro *Conficere Sacramentum carnis Chriſti*, quô utrôque modô loquuntur Patres, nullô diſcrimine. CHRISTUS enim propriè eſt qui totum illud Myſterium conficit, ut ex Auguſtino, Chryſoſtomo Patribuſque aliis, pluribus exponunt Viri eruditi. Vide præclarum hanc in rem locum, apud Eckbertum, *contra Catharos Sermon.* 11. Sic & in Liturgiis Græcis verba εὐλογεῖν. *Benedicere*, & ποιεῖν, *Facere*, tribuuntur Deo: ut in Chryſoſtomiana, εὐλόγησον ὦ Δέσποτα τὸν ἅγιον Ἄρτον· ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου. *Benedic Domine ſancto huic Pani, confice ex pane hoc pretioſum corpus Chriſti tui.* In Baſiliana, oratur Deus, ut Spiritum ſuum immittat ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι, *in propoſita dona, ut illa benedicat, ſanctificet atque oſtendat*, ſive *efficiat*, nempe *Corpus Chriſti.* Ubi quidam τὸ ἀναδεῖξαι referunt, ad *Panis* conſecrati elevationem, cùm Populo oſtenditur; in cujus ritus mentione Græci κυφισμὸν καὶ ὕψωσιν vel ἀνύψωσιν appellant, ut Johannes Damaſcenus, Maximus Monachus & Anaſtaſius Sinaita: Alii interpretantur verbum illud *oſtendere aliquô effectu præſentiam ſuam.* Verùm ex alio ejuſdem Baſilii loco diſcere eſt, fuiſſe id verbum uſurpatum, ad denotandam illam partem Liturgiæ, quæ pertinet ad panis & vini conſecrationem nihilque aliud hîc ſignificare, quàm *conficere Sacramentum Euchariſtiæ*, vide eum *l. de Spir. S. ad Amphilochium c.* 27. Nec inſuetum Græcis, ἀποδείκνυσθαι atque ἀναδείκνυσθαι non tam *oſtenſionem rei alicujus*, quàm *effectionem*, ſæpe deſignare; inprimis cùm de rebus magnis ſermo eſt, Sic Herodotus *princip.* ἔργα μεγάλα καὶ θαυμαστὰ ἀποδειχθέντα. Non diſſimile verbum in eadem re, apud alios Patres, eſt ἀναφαίνεσθαι: pro quo Oecumenius uſurpat verbum κατασκευάζειν, Liturgiæ ἱερουργεῖν τὸ ἅγιον σῶμα, Baſilius in *Aſcet.* ἱερατεύειν, &c. quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

omnia *benedicere*, *ſanctificare*, *conſecrare*, *conficere*, *creare*, vel, ut loquitur Auguſtin. apud Gratian. *de Conſecrat. Diſtinct.* 2. *c.* 72. *in myſterio potentialiter creare*, item *in uſum religionis aſſumere*, & ſimilia, Latinis. Porrò *Eulogia*, aliquando ſimpliciter Euchariſtiam ut dictum notat, aliquando ſingulæ *Panis* myſtici particulæ, quæ communicantibus porrigebantur εὐλογίαι dictæ ſunt, vide Cyrillum *Epiſt. ad Neſtor.* Clementem *Conſtitut. l.* 8. Alios. Sed & εὐλογίας reperimus appellatas, partes *Panis* conſecrati, quas moris erat in veteri Eccleſia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos ἐπιδημοῦντας declarandæ dilectionis ergò & in fide contentionis: quo ſenſu Euſebius πέμπειν εὐχαριστίαν dixit, *Hiſt. l.* 5. *c.* 26. Sed hæc conſuetudo poſtea prohibita eſt, in Concil. Laodiceno. Similiter verò & *Panis* benedicti, ſed non in uſum Euchariſtiæ, fruſta, Latini *Eulogias* dixêre, qui & mittebatur ad abſentes dabaturque iis, qui *communicare non erant parati*, ut eſt in *Decr.* Pii I. etiam Catechumenis, qui jus ſumendæ Euchariſtiæ non habebant, ut illis eſſet vice Sacramenti, quô ſine ἀντίδωρον hunc *Panem* dixêre: aliàs κλαστὸν quoque & κατάκλαστον, propter fractionem, dictum, ut infrà videbitur &c. Plura hanc in rem vide apud Iſaac. Caſaubonum *Exercitat. XVI. ad Annal. Baronii Eccleſ.* §. 35. & *ſeqq.* Cl. Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* & hîc paſſim. inprimis ubi de *Cœna Domini*: uti de Sindone, cui involvebatur *Panis* hic benedictus, apud Græcos infrà voce *Volumen*: de æmulatione quadam S. Euchariſtiæ in Gentilium Sacris, à malis Dæmonibus traditâ, ſuprà voce *Myſterium.*

Panis Eucharistici epitheta apud Patres varia.

α. Ἄχραντον, it. μυστήρια ἄχραντα, vide infrà *Polluere.* β *Panis Angelorum*, Lib. *de Cœna Dom. Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris.* γ. *Panis Cæleſtis*, dicitur Ignatio *Ep.* 14. quæ appellatio deſumta eſt, ex Johann. *c.* 6. & 1. Corinth. *c.* 10. & 11. δ. *Corpus Chriſti*, i.e. caro: *Corpus* enim pro *carne* & *caro* pro *corpore* non rarò apud Patres. Hinc Theodoretus. *Dominus ſymbolo corporis nomen dedit.* ε. *Panis Dei*, Θεῖος ἄρτος; apud Ignatium *Epiſt. ad Rom.* Ubi tamen Caſaubonus, non Euchariſtiam, ſed ipſum Jeſum Chriſtum, extra Sacramentum, in Regno ſuo cœleſti, conſideratum vult. ζ. Δῶρον, vide ſuprà. η. Μετάληψις, nonnunquam additô participationis objectô. Μετάληψις ἁγιασμάτων, *participatio rerum ſanctificatarum*; Μετάληψις μυστηρίων, *Participatio ſacramentorum*; Μετάληψις εὐχαριστίας, *Participatio euchariſtiæ*; Nonnunquam additis epithetis, Μετάληψις ἁγία, *Communio ſacra*; Μετάληψις μυστικὴ, *Communio myſtica* &c. Sacram Euchariſtiam deſignat. Sed & pro ipſo *pane Euchariſtico* ſumitur, uti ex una *Epiſtolarum* Zonaræ ἀνεκδότων docet Caſaubon. apud Cl. Suicerum *Theſauro Eccleſ.* voce Μετάληψις. θ. *Panis Propoſitionis*, ἄρτος προθέσεως, dicitur Iſidoro Peluſiotæ *l.* 1. *Ep.* 123. ſed ante conſecrationem: & oſtendit Damaſcenus *de Myſter.* praxiſque hodiernæ Eccleſiæ: quæ priorem menſam, ubi apponitur panis adhuc communis, vocat Menſam propoſitionis. ι. *Panis Quotidianus*, Tertulliano *de Orat.* Ambroſio *de Sacr. l.* 5. Cyrillo, aliis, qui verba Dominicæ Orationis, Ἄρτον ἐπιούσιον, *Panem quotidianum*, reddunt, & ad Euchariſtiam referunt. Ac Græci quidem Patres rationem hanc reddunt, quòd panis iſte divinus & animæ & corporis οὐσίαν, i. e. *ſubſtantiam*, fulciat: vocis notationem ab οὐσία arceſſentes. Alii verò ἐπιούσιον interpretantur ἐφήμερον, i. e. *quotidianum*, à voce ἐπιοῦσα, cui tamen notioni nomen etiam ἀπὸ τῆς οὐσίας profectum nonnulli accommodant: utpote quòd Pani præclarè conveniat, qui quotidie per nutritionem, τῇ οὐσίᾳ adjici addique videatur. Quô itidem fortaſſè ſenſu ἐπιούσιον, *tranſſubſtantialem* vel *ſuperſubſtantialem*, vertit Ambroſius. At Chryſoſtomus in veris Operibus, nuſquam hæc verba ad Sacramentum retulit & eſt omnino illa interpretatio, utut multis Patribus probata, longè petita minuſque ſolida; ſicut firmis rationibus probat Abulenſis *in Matth. c.* 6. *quæſt.* 111. Damaſcenus de *Pane* cœleſti accipit, quô Beati in cœlis veſcemur *l. de Myſteriis*, vide omnino Suicerum in Ἐπιούσιος. κ. *Panis Sanctus*, ἅγιος ἄρτος, in *Liturgiis* Græcis ſæpe occurrit, etiam in ipſa diſtributione apud Chryſoſtomum. λ. *Panis Superſubſtantialis.* Vide *Panis Quotidianus.* μ. *Panis Tranſſubſtantialis*, vide *ibid.* ν. *Panis Vitæ*, Ἄρτος ζωῆς, ex Johannis *c.* 6. *v.* 48. ubi Chriſtus quidem de ſe loquitur, ſed Patres inde Sacramentum, quô fideles unum cum Chriſto fiunt, ſimiliter appellârunt &c.

PANIS Fermentaceus, in *Gloſſar. Saxon.* Ælfrici. Vide ſuprà, ubi *de Fermento.*

PANIS Fiſcalis, qui Populo dividebatur gratis, aliàs *Civilis* quoque & *Gradilis* dictus. Hic à prima inſtitutione purus ac mundus fuit. Aurelianum enim inſtituti hujus auctorem ſiligineos dediſſe, diximus. Poſteà verò non mundos panes è Fiſco percipiebat Populus, ſed ſordidos, *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de pane Gradili.* Unde veter. Gloſſæ ad Perſium, *Sat.* 3. *v.* 112.

——— *Populi cribrô decuſſa farina:*

Farinam, inquiunt, *panem non delitioſiùs cribrô diſcuſſum, ſed plebejum de Populi annona*, *id eſt*, Fiſcalem, *dicit.* Donec id mutavit Valentinianus vel potiùs in antiquum ſtatum redegit, ut Populo diſtribuerentur mundi panes; quos ante eum ſordidos, nec gratuitos, ſed pretiô comparabat, è fiſco, ut vina etiam Fiſcalia emebat, tempore Vopiſci. De Pane Fiſcali ſeu Oſtienſi, vide paulò *infrà.*

PANIS Focatius, ſeu *Subcinericius*, Græcè ἐγκρυφίας, ἐσχαρίτης, &c. *ſuo loc.*

PANIS Fortis & *durus* apud JCtos Anglos dicitur, cùm quis de felonia accuſatus, accuſatori aut Judici reſpondere renuit, aut mutum ſe fingit, vel certè os aperire aut loqui non vult: tum enim pœna ea illi imponitur, ut, donec Judici ſatisfaciat, in carcerem tetrum conjiciatur, inque eo ſolô pane durô ac mucidô alatur, vide Stanfordium *Placitor. Cor. l.* 2. *c.* 61. & ſuprà ubi de *Mutorum pœna.*

PANIS Fractio, ritus Euchariſticus à Matthæo, Marco, Luca expreſsè notatus, de DOMINO, Sacramentum hoc inſtituente, εὐλογήσας ἔκλασε, *quum benedixiſſet, fregit*: Vel, εὐχαριστήσας ἔκλασε, *poſtquam gratias egiſſet, fregit.* Eandem circumſtantiam, ut apprimè ad rem facientem, iiſdem verbis Paulus expreſſit. Unde apud Patres, κλᾶν ἄρτον & κλάσις ἄρτου, de celebratione Euchariſtiæ: & ſunt tam è Veteribus, quàm è Recentioribus, qui de Sacramento hoc interpretantur verba Lucæ, & in Euangelio *c.* 24. *v.* 35. *cognitus eſt ipſis in fractione panis*: & in Actis *c.* 2. *v.* 42. ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου; & *c.* 20. *v.* 7. *quum eſſent congregati diſcipuli* τοῦ κλάσαι ἄρτον, *ad frangendum panem.* In quo utroque Actorum loco, ipſam vocem Græcam Euchariſtiæ, in paraphraſi ſua Syrus interpres uſurpavit. Origo ceremoniæ & phraſis à priſcis Hebræis, quibus, ut in V. T. ſæpius legitur, *frangere panem*, uſitatiſſima locutio eſt, de cibum ſumentibus, & *frangere panem cum aliquo*, eſt συνδειπνεῖν: atque ut Græci à parte altera, potu nempe, totam actionem appellârunt συμπόσιον; ſic Hebræi, ab eſu & fractione *Panis*, totum convivium denotârunt; potum non excludentes, ſed unà ſub voce *panis* Synecdochicè comprehendentes. Quomodo *Panem* cùm petimus quotidianum, in oratione Dominica, reliqua etiam ad victum neceſſaria unà expetimus, *à parte, quæ excellit, totam ſufficientiam ſignificantes*, ut ait Auguſtin. Phraſin hanc Scripturæ imitati Patres ſunt non uno in loco: è quibus Ignatius *Ep.* 221. Ἕνα ἄρτον, inquit, κλῶμεν, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν: ubi ἄρτον κλᾶν, *panem frangere*, eſt communionem in ſynaxi celebrare. Dicit verò Ἕνα ἄρτον κλῶντες, *unum panem frangentes*, ut eos hortaretur ad unitatem colendam, præſertim in ſynaxibus, ſub unius Epiſcopi ductu: Confer alium locum *in Ep. ad Smyrnæos.* Idem Auctor *in Ep. ad Philadelphienſes*, de Euchariſtia loquens, verbum θρύπτεσθαι uſurpat: Εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, *Unus panis omnibus eſt comminutus.* Nam θρύπτεσθαι propriè de iis uſurpatur, quæ in partes minutas franguntur: è quo colligitur, partes, quæ ſingulis fidelibus præbebantur, fuiſſe valde parvas; quam ob cauſam etiam ſunt qui *micas* vocent, ut poſteà dicemus, in voce *Partes.* Sed & Auguſtinum in eam rem uti videmus verbô *comminuendi*, *Ep.* 59. *ad Paulin. Cùm illud, quod & in Domini menſa benedicitur, & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur*, &c. Fregit autem DOMINUS & imitatione ejus vetus Eccleſia *Panem*, non ſolùm ut paſſionis illius ſymbolum eſſet fractio: ſed etiam, ut τὰ κλάσματα, *partes fractæ* Diſcipulis Fidelibuſque porrigerentur. Eccleſiæ Gothicæ, quæ diu Hiſpanias inſederunt, in partes novem dividere conſuevêre hoſtiam, eaſque certô ordine in patina diſpoſitas: & quum DOMINI noſtri in his terris agentis hiſtoriam eſſent novem hiſce nominibus complexi; *Corporatio*, *Nativitas*, *Circumciſio*, *Apparitio*, *Paſſio*, *Mors*, *Reſurrectio*, *Gloria*, *Regnum*: fractione panis uſæ ſunt, ad commemorandam & memoriæ altiùs imprimendam Chriſti hiſtoriam, novemque proin factæ hoſtiæ partibus novem hæc nomina impoſuerunt, uti legitur in *Liturgia* Moſarabica. Vide Iſaac. Caſaubonum *Exercitat.* 16. §. 38. Addere placet, quæ Car. du Freſne in *Gloſſar.* ex Diſſertationibus ſacris ac hiſtoricis ineditis Michaëlis du Freſne Soc. Jeſu Presbyteri, fratris ſui *de Antiquis Sacramentorum ritibus* &c. *Diſſert.* 4. *c.* 2. adducit hanc in rem, ubi inter alia iſta habet: *Perdiu verò iſta conſuetudo tenuit in Eccleſia, ut panis Euchariſticus Chriſtianis diſtribuendus in partes minutas tribueretur, quas vocant è re, Chriſtique facto* κλάσματα, *h. e. fragmenta, ac* μερίδας, *nempe particulas potiùs, quàm* μέρη, *partes: quia, ut ajunt Concilii Nicæni Patres can.* 5. Οὐ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν ἀλλ' εἰς ἁγιασμὸν *illa capi intelligamus. Hinc etiam forſan idioma manavit, Eccleſiarum Africanarum, cujus mentio fit apud Gratianum diſt.* 11. *can.* 58. *qui hæc Auguſtini verba refert: Nôrunt Fideles quemadmodum manducent carnem Chriſti: unuſquiſque accipit partem ſuam, unde & ipſa Gratia* (Euchariſtia) *partes vocantur.* Hinc itaque *Panis fractus*, dictus poſtmodum *Panis benedictus*, qui in particulas diſſectus fidelibus diſtribui ſolebat: Ἱεροῦ κλάσματος μετάληψις, *Panis benedicti participatio*, apud Pachymerem *l.* 7. *c.* 6. 15. & 22. & *l.* 8. *c.* 20. Quæ particulæ etiam plur. num. εὐλογίαι dictæ ſunt. Clemens *Conſtitut. l.* 8. Τὰς περισσεύσας ἐν τοῖς μυστικοῖς εὐλογίας οἱ διάκονοι διανεμέτωσαν τῷ κλήρῳ, *Quæ fuerint reliquæ benedictiones* (i. e. particulæ ſeu buccellæ panis conſecrati) *eas Diaconi Clero diſtribuunto.* Quomodo quoque appellata ſunt ea panis κλάσματα, quæ in veteri Eccleſia ad alias parœcias, aut ad peregrinos ἐπιδημοῦντας, ut dictum, mitti ſolebant. Similiter etiam Latini *Eulogias* dixêre fruſta Panis benedicti quidem, ſed non in uſum Euchariſtiæ; quæ & abſentibus & Catechumenis, jus ſumendæ Euchariſtiæ non habentibus, mittebantur, ut ipſis eſſent vice Sacramenti: quem Panem quoque κλαστὸν & κατάκλαστον dixêre, propter fractionem, quam videntur in eo dividendo obſervâſſe, ſicut obſervabatur in Euchariſtiæ diſtributione. Extatque ea vox non ſemel in Canonico Jure Græcorum; ut & in Demetrii Chomateni *Reſponſ.* apud Leunclavium *p.* 320. ubi quæritur, an Græcus Sacerdos Latino, qui Sacris interfuiſſet, debeat μεταδοῦναι κατακλάστου, *dare partem panis benedicti?* Hanc verò mittendi Eulogias conſuetudinem, diu fuiſſe in Gallia frequentem, teſtatur Gregorius Turonenſis, Aliique, quos laudat Pithœus *Not. ad Capitul. Car. Magni*; eaque in re uſitatas formulas in Marculfo à ſe edito, publicavit Hier. Bignonius. Vide iterum Caſaubonum *Exercit. d.* §. 34. Sed & *Fractio Panis* dicebatur, Eulogiarum benedictio, quæ à Presbyteris vel Epiſcopis fiebat ante cibi ſumptionem ſeu prandium; quas eulogias amicis vel convivis, in communionis ſymbolum diſtribuebant. Unde modò laudatus Gregorius in *Vitis* Patrum *c.* 6. dixit: *Pane confractô communionem largiris*: Et Theodorus Cantuar. Archiep. in Capi-

pitul. c.95. *Fractâ oblatione communicare.* Idem *c.5. Cum Græcis non frangunt panem ſanctum, nec collectionem dicunt, vel Dominus vobiſcum, Diacones, nec Completum.* Hincmarus Remenſ. in *Capitulis ad Presbyteros parochiæ ſuæ c.* 16. ubi de Conventibus & Gildoniis Presbyterorum in quibus reconciliantur, qui invicem diſſident: *Et poſt debitas admonitiones, qui voluerint, eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, ſinguli ſingulos bibere accipiant* &c. Vide plura hanc in rem *ſuprà:* uti de *Panis fractione*, inter nuptiales Moſcorum ritus, ſuprà itidem, ubi de *Nuptialibus moribus.*

PANIS Frumenti, nobilium erat vel certè honoratiorum aut divitum. Plin. *l.* 19. *c.*4. *Aliô pane Procerum, aliô vulgi, tot generibus uſque ad infimam plebem deſcendente annonâ.*

PANIS Furfureus, Græcè πιτυρώδης.

PANIS Gradilis, qui ad gradus plebi diſtribuebatur. Nam cùm ſumma plerunque eſſet Conſtantinopoli rei frumentariæ penuria, tum propter vim hominum, tum quòd Thracia vicinæque regiones, frumenti haud multum feraces, iis alendis non ſufficerent, proviſum ab Imperatorib. ut per annos ſingulos ſtatis temporibus, annona ex Alexandria & Ægypto in Urbem transferretur: quam quidem tranſvectionem *Felicem embolam* vocitabant, quòd eâ populus gaudens reficeretur. Nec hâc ratione penuriæ publicæ cautum duntaxat, ſed & panes Imperator. nomine dividebantur, non pauperibus modò verùm etiam honeſtioribus è Populo, atque iis præſertim, qui domos in urbe extruxerant, quos Κτήτορες non ſemel vocat *Chron.* Alexan. *Poſſeſſores* Liberatus Diaconus *c.* 20. Galli *Proprietaires* nominant, Unde panis ſive jus eorum capiendorum è publico domos ſequebatur, ita ut qui illas quoquomodo diſtraxiſſet, id juris amitteret *l.*1. *Cod. Theod. de Annon. Civ.* Diſtribuebantur verò tales panes, datis teſſeris, quæ vel ligneæ, uti oſtenſum, vel æreæ aut certè malleô ductæ erant; Themiſtio enim δέλτοι σφυρήλατοι dicuntur: idque in gradibus, unde ii *Gradiles* dicti. Vide Car. du Freſne *Gloſſar. in Conſtantinop. Chriſt.* & quæ ſupra diximus. Addam hîc ſaltem, aliquem exiſtimare poſſe, in Circo Maximo diſtributum plebi Romanæ hunc panem, ex Amm. Marcellino *l.* 28. ubi copiam omnem & ſpem plebejorum ait fuiſſe Circum Maximum quia videl. annonarum civicarum gratuita erogatio ibi fieri ſolita. Et ſanè loca ac gradus, in Circo Maximo fuêre popularibus adſignati: graduumque Circi in Urbe Conſtantinop. meminit *Chron.* Marcellini. Salmaſ. *ad Vopiſc. Aurel. c.*35.48.

PANIS Herbaticus vel Herbaceus, apud Papiam. *Gloſſ.* Biblicæ MSS. *Borith, herba de qua fiunt panes, quos herbacios appellant, quibus ſiccatis pro ſapone utuntur.* Panis ex herba facti, meminit Suet. in *Julio c.*68. Etiam Braſilienſes, ex herbæ cujuſdam radice conficere, docet Oſorius *Rerum Emanuelis l.*2.

PANIS Hordeaceus, in Concil. Francofort. A.C. 794. *c.*4. Vide Caſaubon. *ad Sueton. de Gramm.* & *Rhetor. c.*2. De examine & purgatione per Panem hordeaceum, diximus ſuprà ubi de *Ordalio.*

PANIS ex Lotometræ ſemine, aquâ vel lacte ſubacto, Paſtoribus Ægyptiis in uſu ſalubris maximè ac levis, memoratur Plin. *l.*22. *c.*21.

PANIS Mellitus, apud Arnoldum Lubecenſem *l.*3.*c.*32. Gallis *Pain d'eſpice.*

PANIS Miliarius, vide ſuprà *Milium.*

PANIS Militaris, qui militibus erogabatur. Joh. Calvinus. *Lexic. Jurid.*

PANIS Mixtus, *Pain de meteil* Gall. *in Itin.* Camerarii Scotici *c.*9. §.4. Vide quoque ſuprà *Mixtum.*

PANIS Mundus, ſiligineus eſt, cui opponitur ſordidus & ſecundarius. *Mundas buccellas* vocat *lex.* 4. *Cod. Theodoſ. de annon. civ.* & *pan. grad.* Atque de his coronas fecit primus Imperator Aurelianus, teſte Fl. Vopiſcô, *c.*35. Aliàs etiam *primus* iſtiuſmodi panis dictus eſt. Vide quoque ſuprà *Mundæ annonæ.*

PANIS Natalitius, cujuſmodi fieri ſolet in die Natalis Domini, & præberi Dominis à prædiorum conductoribus, in quibuſdam provinciis, qui ex farina delicatiore, ovis & lacte, confici ſolent: *Cuignets*, appellant Picardi, quòd in cuneorum varias ſpecies efformentur. Vide Gervaſium Dorobernenſem A.C.1188. & alios Car. du Freſne laudatos *Gloſſar.*

PANIS Nauticus, vide ſuprà *Panis Biſcoctus.*

PANIS Nicolaus: ita placentas appellavit Auguſtus, à Nicolao Damaſceno ſibi exhibitas & donatas, apud Photium *Biblioth.* Palladius in *Hiſtor. Lauſiaca, c.* 4. Καὶ Νικολάυς παμμεγέθεις ἄρτυς δέκα καθαρὺς καὶ θερμὺς, *Et Nicolaos prodigioſæ magnitudinis panes decem mundos & calidos*, &c. Vide Roſweidum *ad Ruffinum de Vit. Patrum, c.*7.

PANIS Nitidus, apud Bedam *l.*2. *c.*5. qui *mundus* apud Lamprid. *Alex. Severo, c.*37. Καθαρὸς ἄρτος. apud Theophanem ann. 40. Theodoſii Jun. Sed & ſic Concil. Toletano XVI. *can.* 6. Vide quoque Chilienum *in Vita* Brigidæ *num.* 52.

PANIS Nuntius, German. *Bottenbrot*, qui nuntiis dari ſolet, in nuntii allati mercedem, apud Phil. Eyſtetenſem Epiſcopum in Vita S. Wilibaldi: Joſua Pictorius *Euangelia* interpretatur.

PANIS Oblatus, in Fleta *l.*2.*c.*14.§.4.*ſ. Obolatus, l.*2.*c.*72.§.19.

PANIS Ex Orinda, vide ſuprà in hac voce.

PANIS, ex oſſibus humani corporis comminutis & molitis, in obſidione Lutetiæ, ſub Henrico M. adhibitus legitur, in *Hiſtoria* ejus temporis.

PANIS Oſtienſis ſeu *Fiſcalis* in *l. un. Cod. Theod. de Pretio panis Oſtienſis*, qui de Fiſcali frumento, quod Oſtiæ, piſtoribus venditto, confectus Populo Rom. vendebatur. Vide Jac. Godofredum & Salmaſ. *ad Vopiſc. c.*48.

PANIS Palatinus, vide *Gradilis.*

PANIS Papalis. Matth. Silvaticus: *Simila ſic fit. Frumentum fractum in fruſta, vel mollitum groſsè, in qua diverſa ſubſtantia dividitur per cribra, extrahitur furfur & farina ſubtiliſſima, quæ pollina dicitur, poſteà remanet ſimila, quæ dividitur in groſſum, ſubtilem & mediocrem. De pollina fit panis Papalis:* apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PANIS Paxamatis, panis erat ſex unciarum pondere, ſicut & civilis & buccellatus ſeu militaris. Nam duo paxamatia libræ pondus habuiſſe, ſcribit Caſſianus *Collat.*2.*c.*19. quâ iniquâ menſurâ ventres ſuos olim Monachi caſtigabant. Fuit autem *paxamas* idem, quod *buccella*, vide infrà, in voce *Paxamatium.*

PANIS Picentinus, qui ex alica fiebat, Plin. *l.*18. *c.*11. & Apicius *de Re Culin. l.*4. *c.*1.

PANIS Piperatus, vide *Panis Natalitius.*

PANIS è piſcibus, meminit Plin. *l.*7. *c.*2.

PANIS Præbendarius. Sic dicuntur, qui dictim diſtribui ſolent Canonicis Præbendariis, ex communi piſtrino. Honorius III. in 5. Compilat. *tit.*16. *c.*2.

PANES Primitiales, qui Eccleſiis aut Dominis pro primitiis offeruntur, apud *Eundem.*

PANES Propoſitionis, quid in V. T. fuerint, notum, ex Exod. *c.*25. *v.*23. Reponebantur illi in Menſa Aurea, (de qua vide ſuprà) in Sancto, inſtratâ veſte hyacinthinâ, cui impoſitæ 12. lances, accipiendis panibus, totidemque acerræ thure repletæ. Collocabantur autem panes duplici ordine, utrinque ſeni, qui ſibi mutuò incumbebant, interpoſitis calamis, ut Judæi volunt, ne vitium contraherent. *Panes* autem *facierum* appellabantur & *Menſa facierum*, Numer. *c.*4.7. Sabbatôque accedente *Panes* renovabantur, vetereſque Sacerdotibus cedebant, Levit. *c.*24. *v.*9. Ad horum imitationem in *Charta* apud Car. du Freſne *Panes propoſitionis*, primitiis ac decimis Eccleſiæ debitis junguntur. Vide quoque ſuprà. *Panis Euchariſticus.*

PANIS Quadratus, vide ſuprà *Buccæ.*

PANIS Reverſatus, vide infrà *Reverſatus.*

PANIS Rubidus, idem cum Biſcocto, Iſidor. *l.*20.*c.*2.

PANIS Sanctorum, qui ad Altare offerebatur, apud Herardum Archiepiſcop. Turonenſem in *Capitular. c.*24.

PANIS Sardinienſis, i. e. ſordidus, *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Pane grad. Civis Romanus, qui in viginti panibus ſordidis, qui nunc dicuntur* Sardinienſes, *quinquaginta uncias comparabat, triginta & ſex uncias in buccellis ſex mundis ſine pretio conſequatur.*

PANIS Secundus, idem cum ſordido: *Vetus Horatii Interpres ſecundum* & *diſpenſatorium* eundem facit. Opponitur *primo*, qui ſiligineus erat, & *mundo*, item *nitido*, apud *Vopiſcum & Marculfum*: & *ſecundarius* quoque ac *ſequens* dicitur, Gall. *Pain de meſnage*, quô ut plurimum in familiis utuntur. Conſtantino Africano *Comm. locor. Medic. l.*5. *c.*15. *minùs eſt nutritivus & citiùs digeritur: quia multùm furfureus eſt.* Horat. *l.*2. *Ep.*1. *v.*123.

——— *Vivit ſiliquis & pane ſecundô*, &c.

PANIS Sequens, qui *mundum* excipit, idem cum *ſecundo.* Et ſanè *ſequens* ac *ſecundus* res eadem & ex eodem fonte ſunt voces: *Secundum* enim Veteres dicebant, & ſcribebant pro *ſequendum*; atque inde *ſecundus* vel *ſequendus*, qui ſequi debet, i. e. proximus à primo ut qui primum ſequitur. Meminit panis hujus Lamprid. *Sever. c.*37. *Uſus convivii diurnus hic fuit. Vini ad totum diem ſextarii* XXX. *panis mundi pondo* XXX. *panis ſequentis ad donandum pondo L. Nam ſemper de manu ſua miniſtris convivii & panem & partes aut olerum aut carnis aut leguminum dabat* &c. Sic δεύτερα ἄλφιτα Græcis, τὰ εὐτελῆ καὶ δευτέρια, Salmaſ. *ad hunc loc.*

PANIS Servientialis, ſervientibus ſeu famulis dari ſolitus, in *Conſuetud.* Monaſt. de Regula. Idem *puerorum Panis* dicitur Petro Damiano *l.*1. *Ep. p.*89. cui opponitur *Panis Procerum*, apud Plinium *l.*19. *c.*4. Car. du Freſne laudatum.

PANIS Siccus, apud Jul. Capitolin. in *Antonino Pio, c.*13. dictus eſt, qui ſolus abſque ullo alio pulmento, jentaculi locô, apud Romanos, ſumebatur, vide ſuprà paſſim, & infrà voce *Piſtor* it. *Siccus panis.*

PANIS Siligineus, i. e. mundus: unde *Panes ſiligineos* vocat *mundas buccellas l.*4. *C. Theod. de Annon. Civ.* & *Pan. grad.* &c.

PANIS Sordidus idem cum *Secundo.* Vide Joh. Bruyerinum Campegium *de Re Cibaria l.*6. *c.*9.

PANIS ſubcinericius, vide infrà *Subcinericia.*

PANIS Toſtus, vide infrà *Piſtor.*

PANISCI, Dii ſylveſtres; quaſi per diminutionem dicti minuti illi Panes, ſicut à Satyro Satyriſcus.

PANISCUS, apud Plin. *l.*35. *c.*11. ubi de pretiis mirabilibus picturarum, *Tauriſcus Diſcobolum, Clytæmneſtram*, Paniſcum, *Polynicem regnum repetentem & Capanea*, ſcil. fecit; eſt Pan exiguus, qualem per jocum in parvis tabellis fingere Pictores ſolebant: vel Theatralis perſonarum larva. Dalechampius *ad loc.*

PANISSA, fluv. Thraciæ non procul ab Apollonia. Plin. *l.*4. *c.*11. *Panizza Moletio.*

PANISUS, vide *Pamiſus.*

PANITAS Priſcus, vide *Priſcus.*

PANIUM, promontor. Europæ, parallelum Cyaneis inſulis, ut illud ex Dionyſio Byzantino deſcribit *Gyllius.* Vulgò *Phanarion* dicitur.

PANIUM, ſpecus eſt licet umbroſa; amœniſſima tamen, in altiſſimi ſaxoſique montis, qui *Panius* appellatur, radice ſita; in tractu Nephthalim; ex hoc Jordanes effluit.

PANIUS, Joſepho *Panion*, mons & locus Cæleſyriæ apud Ortum Jordanis, & Paneadem ſeu Cæſaream Philippi, nunc *Pelin*, *Maſio.*

PANIZA Ludovicus. Vide *Ludovicus.*

PANNI, pro inſtitis: Ita tunica Joſephi Gen. *c.*37. *v.*3. & 34. quam Græci Interpres ποικίλον χιτῶνα reddiderunt, Latinus *polymitam*; *Hieronym.* modò *polymitam*, modò *variam*: in *paraphraſi* Jonathanis, *Paragoda* nominatur. Dicebatur autem ſic veſtis, *pannis* & inſtitis verſicoloribus, prætexta, atque, ut loquitur mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

modô laudatus *Hieronym. varietate circumdata.* Eandem ἀϛραγαλωτὸν *Aquila* vocavit: Genus enim hoc veſtis, quod Hebræi *Ketonet paſſim* appellant, h. e. *veſtem fruſtorum* & *particularum*, tale erat, ut tunicis talaribus ſubſuerentur *panni* vel inſtitæ verſicolores, quæ extremam veſtis oram ambiebant & ornabant; nec unum tantùm aut alterum ejuſmodi *pannum* de diverſis coloribus textum veſtibus adſui in uſu eſſet, ſed pluribus etiam interdum inſtitis, ad pedes uſque & talos deſcendentibus, in imo per circuitum prætexerentur. Græci πέζας vocant & περιπέζια. Latini *limbos* & *inſtitas* & *pannos*: Hebræi verò כנסים. Hinc πεζοφόρος χιτὼν Græcis, qui hujuſmodi πέζας prætextas habet, i. e. pannos & inſtitas per extremam oram ſubſutas, & ad talos uſque demiſſus eſt. Quales erant Romanarum matronarum: Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 29.

Quarum ſubſutâ talos tegit inſtita veſte.

Cùm contrà Libertinarum, & earum, quæ corpore quæſtum faciebant, nec inſtitas haberent per circuitum extimum, nec talares eſſent. Similiter apud Græcos ποδήρεις ϛολαὶ, *talares veſtes*, limbis ferme ac inſtitis ad imum erant ornatæ. *Heſych.* Ποδήρης ϛολὴ, τὸ εἰς τὸ κάτω τῦ ἱματίυ κεκλωσμένον: ubi intelligit hujuſmodi faſcias, ſeu ornaturas, quæ talaribus ſtolis adſuebantur, ac κλώσματα, κλωϛῆρες, λώματα item ac ῥάμματα dicebantur. Attici ὀχθοίβυς in mulierum veſtibus, *pannos* tales, quibus prætexebantur, vocabant. *Etymol. M.* λῶμα τὸ γυναικεῖον, ὃ ὑπὸ Ἀττικῶν ὀχθοίβος λέγεται καὶ τὸ εἰς τὸ κατώτερον τῦ ἱματίυ ἐπίβλημα ἐκ βύσσυ καὶ πορφύρας καὶ κόκκυ, è quibus ultimis verbis, *byſſo, purpura* & *cocco*, diſcimus, verſicolorias iſtas inſtitas fuiſſe & ex diverſis inter ſe mixtis coloribus ut plurimum textas: diverſi ſanè ſemper ab ipſa veſte coloris fuêre, ἑτερόχροα ἐπιβλήματα hinc Balſamoni vocata *ad Conc.* 7. *can.* 16. Itaque cùm talares omnes ſeu ἀϛραγαλωτοὶ tunicæ verſicoloribus limbis & *pannis* prætexerentur, minimè mirum eſt, ſi Græci Bibliorum Interpretes tunicam tum Joſephi, tum Thamaræ (de qua 2. Sam. *c.* 13. *v.* 19.) colorearum inſtitarum varietate circumdatam, partim ποικίλον χιτῶνα, partim ἀϛραγαλωτὸν vertерunt: utrumque enim tunicæ illæ fuêre, & *variæ* & *talares*. Uti verò iſtiuſmodi tunicæ circa extremitatem inſtitis erant prætextæ & faſciis verſicoloribus, ſic etiam circa manum, ubi manicas (talares enim tunicæ fermè & manicatæ, χειριδωτοὶ ſeu καρπωτοὶ Græcè erant) variis & picturatis limbis variegatas & fimbriatas fuiſſe minimè dubium eſt. Cæſar certè, apud Suetonium *c.* 45. *laticlaviâ tunicâ, ad manus fimbriatâ*, uſus fuit &c. Vide quæ hanc in rem Salmaſ. prolixè habet, *ad Vopiſc. in Aurelian. c.* 46. ubi de *coloreis veſtibus*, Autor loquitur. Apud Horat. *de Arte Poët. v.* 15. ubi ait,

Purpureus latè, qui ſplendeat unus & alter,
Adſuitur pannus:

pannus itidem faſcia eſt vel zona, quâ veſtis ornabatur. *Antepannos* Latinè dictos, colligas ex voce Græcis recentioribus uſitatâ, Ἀντίπανον: Eam enim certum eſt, puram putam eſſe Latinam. *Heſych.* Ἀντίπανον, παρατύριον, κράσπεδον, ubi παρατύριον eſt paratura ſeu ornatura, quomodo vocabant in veſtibus ultimam fimbriam. Vegetius *lemniſcos* & *pannos* indifferenter, pro eadem re, uſurpat, *l.* 3. *c.* 18. *Contra inciſuras quatuor foraminibus cautere pertunde &* pannos *vel lemniſcos ex aceto ſub cute per foramina trajicies.* Sic lemniſcum coronæ Regiæ, *pannum* vocavit Val. Max. *l.* 7. *c.* 2. *ex. ext.* 5. *ô nobilem magis, quàm felicem, pannum!* Duo autem *panni* veſti adſuti, *dilorem* eam faciunt, ut in Horatii verſu citato. Sic apud Virgilium *l.* 5. *Æn. v.* 250. chlamys præmium victori datur, duplici mæandrô purpureô ornata,

——— *Quam plurima circum*
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Plures *panni trilores, pentelores* efficiunt, quomodo capiendus Vopiſc. in *Aureliano c.* 46. iterum, *Aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis & uſque ad pentelores, quales hodie lineæ ſunt.* Quæ *lora* ſeu *pannos* hodie *Bandas* vocant Galli, in veſtibus mulierum, quas non pentelores tantùm geſtant. ſed uſque ad cingulum loratas & zonis ſericis, h. e. paragaudis diſtinctas, inquit Salmaſ. *ad dict. loc.* &c.

PANNI Imperiales, memorantur Radulfo de Diceto A.C. 1178. *Comes Wilhelmus de Magna villa Hieroſolymis rediit, Idus Octobris. Qui peregrè profectus, ſicut altaria multarum per Angliam Eccleſiarum habuerat in memoria, ſic & rediens habuit in veneratione* Pannos, *quos Civitas Conſtantinopolis vocat* Imperiales, *paſſim locis diſtribuens Religioſis*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PANNI Infantiæ Latinis; quæ Græci σπάργανα, δεσμὰ, ῥάκη, Latini iterum *Cunabula* & *Incunabula* dixêre, i. e. faſciolæ, quibus infantes involvi ſoliti. Sicut enim *Cunæ* lectuli erant illi mobiles, in quibus pueri cubabant; ita *cunabula* vel *incunabula* vincula dicta ſunt, vel faſciæ, quibus colligati infantes in cunis ponebantur. Plautus *Truculento, Actu* 5. *ſc.* 1. *v.* 13.

Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis.

Et *Amphitruone, Actu* 5. *ſc.* 1. *v.* 52.

Nemo eum colligare quivit incunabulis.

Incertus Auctor, *de Orthogr. Cunabula ſunt* panni *infantiæ: ſed Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſcribit, Lazarum in monumento cunabulis involutum.* Ubi videmus in contrarium planè uſum verſa Cunabula, & involvendis mortuis uſurpata. *Cunabula* enim vocat ibi Johannes Epiſcopus quæ κειρίαι dicuntur in Euangeliorum libris & ſunt tæniæ, quibus mortui à capite ad pedes vinciebantur, capite ſudariô vel linteô ligatô. Quemadmodum è contrario κειρίας, quæ propriè mortuorum involucra erant, etiam pro *pannis* ſeu faſciolis, quibus alligantur infantes, uſurpavit *Moſchopulus.* Quod inde factum, quia eôdem prorſus modô infantes & mortui faſciis ligabantur. *Artemidorus*, οἱ ἀποθανόντες ἐσχισμένοις συνειλῦνται ῥάκεσιν ὡς τὰ βρέφη καὶ χαμαὶ τίθενται: ubi ῥάκη ſunt *panni*, quomodo Latini vocant, præſecta in longum fruſta cujuslibet materiæ textilis. Et *pannum* pro faſcia vel inſtita, ſuprà vidimus. Salvianus *pannorum crepundia* habet *de Gubernat. Dei l.* 6. Dupliciter autem vinciebantur pueri, primùm illis vinculis & faſciis, quibus involvebantur mortuorum more & quæ ipſis erant pro veſte: Deinde etiam faſciolâ aliquâ in cunis ipſis collocati ligabantur, ne cunis decidere poſſent aut elabi quod hodieque fit: de qua faſciola locus capiendus Vopiſci in *Aureliano, c.* 4. *quòd vinctum faſciolâ Aurelianum aquila innoxiè de cunis levaverit* &c. Et fortaſſe *faſciæ* erant, quibus involvebantur infantes & illigabantur, ad quarum uſum Veteres olim adhibuiſſe veſtes ſuas, quas in Eleuſineis ſacris initiati habuerant, jam vetuſtate detritas, videbimus infrà ubi de *Veſte initiatorum*: *Incunabula* autem propriè lora aut *panni*, quibus ad cunas, ne exciderent, ligabantur &c. Addendum & hoc obiter, non Græcos ſolùm, ſed & Romanos, licèt corpora defunctorum comburerent, faſciis tamen ad involvendos mortuos ſimiliter uſos fuiſſe. Vide iterum Salmaſ. *ad Vopiſc. h. l.* & ſuprà paſſim.

PANNIAS, Aſſyriorum Rex 25. vel 23. ſecundùm alios, Lampari ſucceſſit, A. M. 2758. Regnavitque uſque ad an. 2802. Excepit eum Soſarmes. Euſeb. *in Chron.*

PANNICULARIA, apud JCtos quid ſint, diſcimus, ex Reſcripto Hadriani *D. de bonis damnat. Non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probè dixerit: nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus ſibi vindicare debebit. Sed veſtem, quâ is fuerit indutus, aut nummulos in venteralem, quos victus ſui causâ in promtu habuerit, aut leves annulos.* Ubi *venteralem* pro *veteralem*, quod eſt in *Pandectis Florentinis*, repoſuit Salmaſ. *Venteralis* autem pro *Ventralis*, eratque zonæ genus, quæ, quòd fundam referret, *funda* quoque dicebatur. Ligamenta enim & habenas, quibus circa ventrem cingebatur, habebat, & in medio receptaculum, quô nummi continebantur, ut ſinum funda, quo lapides conlocabantur; quod Latini *ſcutale* dicebant, quòd ſcuti formam referret: Et quorum quædam quidem ſimplex habebant, aliæ verò triplex, ut ex Livio diſcimus *l.* 38. *c.* 29. Dum autem *Ventralis* dicitur, intelligitur zona aut faſcia, cùm verò *Ventrale*, cingulum ſubaudiendum eſt, &c. Vide Salmaſ. *c.* 10. *ad Spartian. Peſcennio Nigro.*

PANNONIA, regio Europæ maxima, inter Danubium ad Boream à Metanaſtis Jazygibus ſeparantem, & Saum fluv. ad meridiem dividentem; ac inter Noricum ad occidentem & Myſiam ad ortum contenta; In ſuperiorem (quæ *Prima Rufo, Marcellino,* & *Lib. Notit.* dicitur) in qua *Ala Flaviana*, ſeu *Vienna*, ut nunc vocant, *Flexum*, ſeu *Poſonium, Arrabo*, ſive *Jaurinum, Sabaria, Savaria*, ſeu *Gracium* & *Petovio* urbes continentur: Et inferiorem ad ortum, in qua *Buda, Strigonium, Alba Regalis, Colocia, Quinque Eccleſiæ, Sirmium,* & *Taurinum* urbes ſunt, diviſa. Utraque *Hungaria* nominatur, non tamen ex æquo; Nam Hungaria trans Danubium uſque ad Carpatem montem extenſa Jazyges Metanaſtas complectitur, & Pannonia partem Auſtriæ, & Styriæ, Carniolæque comprehendit. Ex quo error *Ortelii* patet, Pannoniam ſuperiorem Auſtriam appellantis, cùm modicam partem Auſtriæ (in quâ Vienna & Sapronium) tantùm contineat, maximaque Auſtriæ ac Stiriæ pars cum Carinthia & Carniola ſit in Norico. Erant autem Pannones Celtica natio: quorum terram primus intravit Jul. Cæſar, Tiberius reddidit tributariam: poſſederunt dein Hunni, Gothi, Alii. Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 225.

Nunc tibi Pannonia eſt, nunc Illyris ora domanda.

Populi *Pannonii.* Idem Ovid. *ad Liviam:*

Summaque diſperſi per juga Pannonii.

Hinc *Pannonicus.* Martial. *l.* 8. *Epigr.* 15. *v.* 1.

Dum nova Pannonici narratur gloria belli.

Et *Pannonis* fœm. Lucan. *l.* 6. *v.* 220.

Pannonis haud aliter poſt ictum ſævior urſa,
Cùm jaculum parvâ Libys amentavit habenâ,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, & ſecum fugientem circuit haſtam.

Horum meminit Dionyſ. *v.* 321.

Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι καὶ Νωρίκι ἄστε' ἐρυμνὰ,
Παννόνιοι, Μυσοί τε. ———

Solin. *c.* 24. *Jam Pannonia virô fortis, & ſolô planô læta, atque uber Dravô Savôque inclytis amnibus circumflua.* Ferrar. *Nic. Lloyd.* &c. *Baudrando Pannonia*, regio Europæ perampla, inter Danubium ad ſeptentrionem & ortum, quô Jazyges Metanaſtæ ab ea ſeparantur, & inter Noricum ad occaſum, & Illyricum ad meridiem; fuitque etiam aliquando pars Illyrici Occidentis latè ſumpti. Duplex fuit, nempe prima ſeu ſuperior, quæ magis ad occaſum, ubi nunc pars orientalis Auſtriæ, maxima pars Stiriæ, Carniola, Cellejenſis Comitatus, pars Vindorum Marchiæ & Sclavoniæ; & ſecunda ſeu inferior, quæ ad ortum ſpectat, ubi nunc magna pars Hungariæ inferioris cum parte Sclavoniæ. Nunc ſæpe Pannonia pro Hungaria ſumitur, *la Hongria*, & vice verſâ. Sed Hungaria Jazyges Metanaſtas comprehendit etiam cum Pannonia inferiori & minuta parte ſeu orientali Pannoniæ ſuperioris. Sic igitur Hungaria vix hodie tertiam ſui partem in veteri Pannonia habet; de cujus partibus vide in voce *Hungaria.* Pannoniæ autem antiquæ urbes præcipuæ fuêre Segeſta ſeu Sciſcia, Petovio, Emona, Nauportum, Vindobona, Scarabantia, Sirmium, & Taurunum.

PANNONIA Savia, *Lib. Notit.* quæ & Riparia ſeu Ripenſis, Bubalia *Aurelio Victori*, Sirmienſis *Caſſiodoro*, Cibalienſis *Paulo Diacono*, pars Pannoniæ inferioris, circa Saum fluvium, ubi Amantini populi Plinio. *l.* 3. *c.* 25. quæ partim Hungaria, partim Boſſina, & partim Sclavonia nunc dicitur.

PANNONIA Valeria, *Lib. Notit*, quæ & Valeria ſimpliciter, pars Pannoniæ ſuperioris, in qua Stiria ad ortum continetur. De Pannonia Ovid. *loc. cit.*

Nunc tibi Pannonia eſt, nunc Illyris ora domanda.

Ur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Urbes Pannoniæ et Jazygum sive Hungariæ hujus temporis, sub Auſtriacis:

Altemburgum, *Altemburg*, ſeu *Owar.*	Poſonium, *Presburg.*
Arrabo. *Rab*, ſeu *Javarin.*	Sopronium, *Edenburg.*
Biſtricia, *Biſtricz*, ſeu *Newſol.*	Thata, *Dotes.*
Caſſovia, *Caſchaw.*	Tirnavia, *Tyrna.*
Crumerum, ſeu Comaria, *Komara.*	Tokæum, *Tokay.*
Eperiæ, *Eperies.*	Varaſdinum, *Varaſdin.*
Filecum, *Filex.*	Veſprimium, *Veſprim.*
Nitria, *Neytracht.*	Unguaria, *Unghwar.*
Papa, *Papa.*	Zagrabia, *Zagrab.*
	Zatmaria, *Zatmar.*

Urbes Pannoniæ et Jazygum sive Hungariæ hujus temporis, sub Turcis:

Agria, *Erlaw.*	Novoſelium, *Owar*, ſeu *Newhauſel.*
Alba Regalis, *Stulweiſſemburg.*	Peſtum, *Peſt.*
Bodroga, *Bodrock.*	Petrowaradinum, *Peterwarden.*
Boſna, *vel* Baſiana, *Poſega.*	Quinque Eccleſiæ, *Funfkirken.*
Buda, *Offen.*	Segedinum, *Seged.*
Caniſia, *Caniſcha.*	Segetum, *Zygeth.*
Cenadium, *Chonad.*	Sirmium, *Sirmiſch.*
Centum colles, *Zashalon.*	Solnocum, *Zolnock.*
Colocia, *Coloz.*	Strigonium, *Gran*, ſeu *Strigonie.*
Copanum, *Kopan.*	Taurunum, *Belgrade.*
Debrecinum, *Debrecyn.*	Temiſvaria, *Temeſvar.*
Hatuanum, *Hatuan.*	Vacia, *Vaitzen.*
Lippa, *Lippa.*	Valponum, *Valpon.*
Murſa, & Murſia, *Ezeck.*	
Novigradum, *Novigrad.*	

PANNUS, in Circenſibus olim ludis, certô colore inſignis, factiones diſcernebat; unde conſuetudinem in Principum Aulis Nobilibuſque familiis ſervitia variorum colorum *pannis* excolendi & ab aliis diſcernendi, quos *Livreas* hodie dicunt, ortam eſſe, haud vanè conjicit Octav. Ferrarius *l. de Re Veſtiar.* Fuêre autem aurigarum factiones quatuor, quæ à coloribus viridis coccinei, cœrulei albique *Panni*, quô donabantur, nomina acceperunt, *Praſinæ*, *Ruſſæ*, *Venetæ* & *Albatæ*, Tertullian. Quibus Domitianus, Suetoniô teſte, duas alias adjunxit, Aurati Purpureique *Panni*, *c.* 7. Harum ad reprehenſionem uſque Imperatores nonnulli ſtudioſi exſtiterunt, ut Caligula Praſinæ, Vitellius Venetæ &c. Imò & pompâ procedente favorem & ſtudia uniuſcujuſque prout huic vel illi factioni ſtudebant, ingentes ſæpe ſponſiones, quæ depoſitâ pecuniâ fiebant, oſtenderunt. Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 8. *c.* 4. & *l.* 18. *c.* 23. Ovid. *de Arte l.* 2. *v.* 167.

——— ——— Tangitque manu poſcitque libellum.
Et quærit poſitô pignore, vincat uter, &c.

Vide præter Tertullian. memoratum *l. de Spectaculis c.* 16. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 5. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempſteri, ut & ſuprà, in voce *Factiones.* Sed & apud Latinos Scriptores *Panni* non rarò pro veſtimentis laceris accipiuntur. Seneca *de Ira l.* 3. *c.* 19. *Cùm ſpongiæ non invenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum & in os farciri pannos imperavit:* & *Ep.* 20. *Magnificentior mihi crede ſermo tuus in grabbato videbitur & in panno.* Unde Philoſophorum *Pallium* ſeu Tribonium, quòd veſtis eſſet detrita & fermè lacera, ſimpliciter nonnunquam Ῥάκος ſeu *Pannus* dictum reperitur: nec enim pauperiorum ſolùm, ſed & Philoſophorum geſtamen Tribonium fuiſſe, *ſuô locô* videbitur. Cynicorum inprimis Pallium, quod illi duplicare ſolebant, id eſt, dextro cum humero brachiô exertô, totam ejus partem dextram ſiniſtro humero injicere, ut retro ad pedes caderet atque ita totum corpus involveret, & conſtringeret, ut, niſi detraheretur, dilabi non poſſet, *duplicem Pannum* vocat Horat. *l.* 1. *Ep.* 17. *v.* 25. ubi de Diogene,

——— Quem duplici panno patientia velat.

Vide Caſaubon. *ad Octavium Suetonii c.* 21. Et Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria paſſim inprimis Part.* 2. *l.* 4. *c.* 19. Aliàs *Pannus*, materia veſtis eſt ex lana: Qui optimi Carthagenâ ex Hiſpania Genuam & Florentiam: ex Anglia, & Belgio, in quo Lugdunum inprimis pannificiô eminet, in Germaniam, Daniam, Sueciam totumque reliquum Septentrionem, deferuntur. In Hiſpania, lanæ mercaturâ, excellit Oppidum S. Sebaſtiani, in Hibernia Galbaſſia. Auctor Anonymus *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. & Civ. Part.* 1. *c.* 10. §. 3. In his, dum ad modulum corporis in veſtem cæduntur, delineandis, morochthide gemmâ uti Veſtifices, ſuprà diximus. De inveſtitura per *Pannum ſericum* itidem ſuprà.

PANNUS Rubeus, pro Numine colitur Mogosmais, Badais & Calmaccis, qui eum ex pertica pendentem adorant, ubi docet Petrus Kærius *Deſcr. Africæ.*

PANODORUS, Monachus Ægyptius, ſecul. 5. condidit Chronologiam, ex Euſebio, quem magno cum judicio correxit. Syncellus, Scaliger *Animadverſ. in Euſeb.*

PANOLBIUS, Epicus poeta, epitaphium ſcripſit in Hypatiam Erythræi filiam; item carmen ad Eutherium, atque alia.

PANOMPHÆUS, Jovis epitheton à πᾶς *omnis*, & ὀμφὴ *vox*, ſive quòd ab omni lingua colatur, ſive quòd omnium voces audiat. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 198.

Ara Panomphæo vetus eſt ſacrata Tonanti.

Heſych. Πανομφαίω, ᾧ πᾶσα φήμη, καὶ μαντεία, ἀναφαίνεται, τουτέστι κληδών. *Nic. Lloydius.*

PANOPE, ſive PANOPEA, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 437. Item urbs Phocidis mediterranea & fons Athenis, *Heſych.* Πανόπη, πόλις Φωκίδος. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 19.

Jam vada Cephiſi, Panopeſque evaſerat arva.

Dicta à Panopeo, Phoci fil. *Idem.*

PANOPES, ACESTÆ Regis Siciliæ comes, venator egregius. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 300.

Tam duo Trinacriæ juvenes Helymus Panopeſque
Aſſueti ſylvis, comites ſenioris Aceſtæ

PANOPOLIS, urbs erat Ægypti, in Thebaide, ad Orientalem Nili ripam, inter urbem Apollinis magnam ad Boream, & Copton ad Auſtrum, ab eo in Boream 94. mill. paſſ. diſtans. Nonni Patria, qui Euangelium D. Johannis Græcè verſu hexametrô deſcripſit. Vide *Panos.*

PANOPS, *Heſych.* Πάνοψ, ἥρως Ἀττικὸς, ἐστὶ δὲ αὐτοῦ νεὼς καὶ ἄγαλμα καὶ κρήνη.

PANOPTES, Idem *Heſych.*: Πανόπτης, πολυόφθαλμος, Ζεὺς, Ἀχαιοί.

PANORMIA, vel PANNOMIA, quarum priore voce utitur plerunque Anton. Auguſtinus *in emend. Grat.* aliis meliùs vocantibus *Pannomiam*, ex πᾶν & νόμος. nomen libri eſt, quem Ivoni Carnutenſi nonnulli eunt adſcriptum, Ballarminô id ex eo refellente, quòd *multa l.* 8. *ſint decreta ex Innocentio II. & ex hiſtoria Sigeberti, qui Ivone poſteriores fuerunt.* Vocari tamen idem Ivonis ait, *quia ex Decreto Ivonis maxima ex parte ſit deſumtum, ſitque quaſi ejus compendium*, Vide eum *l. de Script. Eccl.* Pancirollus ergo *de claris LL. Interpp. l.* 3. *c.* 1. *p.* 403. auctorem libri facit Ugonem Catalaunum, non diu poſt editum opus Ivonis, illud contrahentem: *Poſt Iſidorum*, inquiens, *Burchardus Wormatienſis Epiſcopus rudem indigeſtamque illius Decreti molem methodicè ordinavit ac primùm jus Pontificium in ſua loca diſtinctum* 20. *libris complexus eſt, qui ob longæ lectionis tædium intermiſſi brevi interiêre. Nam quæ ejus nomine circumfertur Epitome, plures quidem libellos, ſed vix juſti operis ſextam partem continet. Cùm verò novis exortis ſectis etiam Berengarius in S. Euchariſtiam blaſphemus extitiſſet, Ivo —— poſt annos* 9. *quàm Burcardus ſcripſit, præter alia opuſcula, ampliſſimum Decretorum volumen decem & ſeptem libris diſtinctum concinnavit, in quo Burchardum omnino ſecutus verbis, aut ordine parùm ab eo ſeceſſit. Quaſdam tamen veterum Scriptorum ſententias, adversùs Eccleſiæ turbatores & multa ex Jure noſtro Civili teſtimonia adjecit, quæ ille, velut parùm ſuo inſtituto neceſſaria, omiſerat, vel quòd juribus Romanis nondum apparentibus Caroli M. tantùm leges, vulgò Capitula vocata, frequentabantur; nunquam enim juris Civilis & bis tantùm Codicis Theodoſiani meminit. Cæterùm Ivonis opus cùm alia & ipſus etiam Iſidori Decreta magnitudine ſuperaret; Ugo Catalaunus, non multo poſt quàm ſcriptum eſt, in compendium redegit, ac* Pannormiam *ſive Summam Decretorum Ivonis nuncupavit. Ea, etſi tota mendis & erroribus ſcatebat, adjutus Gratianus plura inde & ex Burchardi Epitome excerpſit, autographi enim texturam aut Burchardi nunquam meminiſſe videtur, cùm errores in compendiis inventos in ſuum opus tranſtulit.* Et poſteà *c.* 3. *Cæterùm Burchardi & Ivonis Decretis, ob librorum magnitudinem, neglectis, eorum tantùm compendia, quorum meminimus, legebantur in uſuque erant.* Edidit autem *Decretum* Ivonis Lovanii ſeculô præteritô anno 61. Johannes Molynæus; *Pannomia* verò prodiit Baſileæ A. C. 1499. Opera Ivonis omnia poſteà edita ſunt Pariſiis A. C. 1647. Sed conſpurcata eſt utraque Collectio, & *Decretum* & *Pannomia*, quiſquiliis & fictis aut ſuppoſitiis *Iſidori Mercatoris* Decretalibus, item multis aliis fictis & ſuppoſitiis Decretis: quorum bene longum & accuratum catalogum contextum vide, apud Blondellum in *Pſeudo-Iſidoro vapulante c.* 18. *p.* 100. & *ſeqq.* Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccleſiaſtici* §. 267.

PANORMITANUS, vide *Nicolaus Tudeſchius.* It. *Antonius.*

PANORMUS, Siciliæ urbs, *Ptolem.* & caput, hodie *Palermo*, teſtibus *Aretiô* & Fazellô. Totius Italiæ pulcherrima, ſoli ubere, ſitu, ædificiis, commerciô, nobilitate, opibus, fontium ſalientium copiâ tantâ, ut Neapolitani horum æmuli, dicant; *à Palerno l'aqua non val niente:* Aliàs quoque *Panhormum & litus pulchrum.* Polybius hanc *l.* 1. in 2. partes diſtinguit, in veterem nempe & novam, quas Neapolin & Palæopolin vocat. Hanc unà cum Solunte & Motye Pœnis illis antiquiſſimis attribuit Thucyd. *l.* 6. Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον, &c. ἐνέμοντο. Hæc, ut Polybius author eſt *l.* 1. Ἦν βαρυτάτη πόλις τῆς τῶν Καρχηδονίων ἐπαρχίας. Ac Diodor. Sic. *l.* 22. eandem habere aſſerit, λιμένα κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν συμβέβηκε τετυχέναι ταύτης τῆς προσηγορίας. Quod ipſum mitari ſubit, unde Græcum habuerit nomen urbs, quam nec Græci condidiſſe, nec niſi ſerò admodum obtinuiſſe leguntur. Proinde veriſimile eſt, aliud Panormi nomen in uſu fuiſſe apud Pœnos, puta לבתין *Leptin*, i. e. ὅρμον, *ſtationem* Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 27. Ejus meminit Sil. *l.* 14. *v.* 262.

Tergeminô venit numerô fœcunda Panormus.

Nic. Lloydius.

Baudrando eſt prope oſtia Orethi fluv. 4. mill. paſſ. à monte Regali in Boream, 60. à Lilybæo in Cæciam, 140. à Meſſana in Occaſum, uti ferè 150. à Peloro promontor. ſedes Proregis. Habet Palatium regium & caſtrum munitum cum præſidio Hiſpan. in valle Mazaræ. Hîc Frider. II. Imper. à Manfredo filio dolô dicitur necatus, ut regnum arriperet, *Baudrand. Ferrar.* Leand. Albertus, *Deſcr. Inſ. Ital.*

PANORMUS, oppid. multiplex. Unum Cretæ, *Ptolem.* cujus meminit Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Mirabello* nunc *Nigro*, *Voliſmeni* pagus *Bellonio* in ora Boreali. Alterum Macedoniæ in ora apud Athon montem *Ptolemæo. Yeriſco Ortelio, Macri Moletio.* Tertium in Samo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mo inſula, Liv. *l.* 24. *c.* 36. *Macri* quoque *Nardo.* Quartum Achajæ, Polyb. *l.* 5. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Pauſan. *l.* 7. *Thucyd.* in Peloponneſo juxta Rhium promontor. contra Naupactum. Quintum Cherſoneſi Thraciæ, Plin. *l.* 4. *c.* 11. inter Elæum & Caridiam. Sextum in Phrygiâ ad Helleſpontum apud Cyzicum, *Palermo Leunclavio.*

PANORMUS, portus multiplex. Unus Epiri apud Oricum *Straboni*, inter Acroceraunia & Onchelmum, *Palermo Moletio.* Alter Atticæ, *Ptolem.* Pauſan. *l.* 5. *Raphei Sophiano*, inter Sunium & Cynoſuram promontoria. Alius Cephalleniæ inſul. teſte *Porphyrib.*

PANOS, Ægypti civitas, ubi & Panis ſimulacrum magnum habetur. Vide *Steph.* Nonnii Poëtæ patria fuit, qui inde *Panopolites* appellatur.

PANOS Inſula, urbs Æthiopum, quæ & *Adulis.*

PANOS Vicus, juxta mare Rubrum eſt, qui & *Panon.* Gentile *Panocomites*, *Steph.*

PANOTHEA, una ex Apollinis (de quo vide ſuô locô) vatibus, inventrix Heroici carminis, ſub Abante Argivo, vel Acriſio, floruiſſe dicitur. Sic Jambum, ut ajunt, Ananias reperit, perfecit Archilochus Parius. quiſque auctor ſit Pherecratii, Archilochii, Anacreontei, Sapphici, Phalæcii, Glyconii, Aſclepiadei, Alcmanii, ipsâ appellatione indicari videtur. Quamvis credibile eſt nomen interdum datum, non ab Auctore; ſed eo, qui præcipuè illud nobilitaverit. Gerh. Joh. Voſſ. *de Philologia c.* 9. §. 6. Scaliger *Phæmonoëm*, vocat, illamque primam extitiſſe, quæ eô carminis genere fuerit vaticinata, tradit: ideoque verſum Heroicum *Pythium* vocari, quia Apollinis inventum eſſet, ait, *Poëtices l.* 2. *qui & Hyle*, *c.* 37.

PANOTII, Græcè Πανώτιοι, apud *Plinium*, iidem ſunt cum *Otomegalis* ſeu *Enotocœtis*, qui auribus prægrandibus inſtructi, iis totum corpus contegere ac indormire quoque dicebantur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 219.

PANSA, vide *Cornelius.* It. *Martinus.*

PANTA, Palæſtinæ urbs, inter Balanæas & Laodiceam, *Baudrand.*

PANTACLES, videtur è militaribus Athenienſibus fuiſſe, quem ut imperitum ac præpoſterum in ſe armando, traducit Ariſtophanes *Ran. Act.* 4. *Sc.* 2. Vide *Scholiaſt.* 261.

PANTÆNUS, vel PANTENUS. Theologus eruditiſſimus, primus Scholæ Eccleſiaſticæ præfuit apud Antiochiam, A. C. 181. Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. l.* 2. *c.* 32. 36. *& l.* 5. *c.* 10.

PANTÆNUS, celebris Scriptor Eccleſiaſt. ſecul. 3. Ex Stoico Zelator fidei, hanc Indis prædicavit, à Demetrio Epſcopo Alexandrino illuc miſſus: Ubi Euangelium Matthæi Hebraicum reperiſſe illincque Alexandriam detuliſſe fertur. Docuit hîc ſacras literas, per plures annos, Clementis Alexandrini præceptor. Floruit autem ſub Severo, & Antonino Caracalla. Euſeb. *l.* 5. *c.* 10. Hieronym. *de Script. Eccleſ. & ep.* 84. *ad Magn.* Baron. *A. C.* 185. Idem cum præcedente.

PANTAGATHUS Octavianus, Brixienſis, Manutio *fons ubervimus ſcientiarum præſtantiſſimarum*, *Epiſt.* 9. *l.* 5. prudentiâ ac judiciô admirandô præditus, domi ſuæ undique ad ſe venientibus oraculi inſtar reſponſa dedit, Onuphr. Panvinio, Anton. Auguſtino, & Fulvio Urſino magni habitus. Obiit A. C. 1567. nullô ingenii, ad Socratis exemplum, poſt ſe monumentô relictô. Vide Paul. Sacr. *Ep. l.* 1. Benc. *Orat.* 11. Teiſſierium *Elog. Part.* 1. Lævinus Torrentinus de ipſo,

Quô gaudet omnis Roma ſuperſtite,
Fletura defunctô, nec ullis
Temporibus paritura talem.

PANTAGIAS, vel PANTAGIES, *Fazello Porcari* & *Bruca*, fluv. Siciliæ, valde quidem exiguus, Sil. *l.* 14. *v.* 232.

——— *Ac facilem ſuperari gurgite parcô*
Pantagiam. ——— ———

Sed rapidiſſimi curſûs, quique magnô murmure per multa ſaxa in mare præceps devolvitur. Hunc mirâ vocum contractione *Pantagiam* dictum volunt, quaſi Παντᾳχῦ παταγίαν, *ubique obſtreperum.* Servius *in l.* 3. *Æn. v.* 689. *Hic fluvius Siciliæ cùm plenus flueret, implebat ſonitu penè totam Siciliam, nunc &* Pantagias *dictus*, quaſi ubique ſonans. *Hic poſtea, cùm Cereri quærenti filiam obſtreperet, tacere juſſus eſt numinis voluntate.* Et Vibius, *in Catalogo fluminum: Pantagias Siciliæ ita dictus, quòd ſonitus ejus decurrentis per totam inſulam auditus eſt, uſque eò, donec Ceres quærens filiam comprimeret eum.* At, ut cætera taceam, *Pataciam* appellârunt Græci veteres, non *Patagiam*, Thucyd. *l.* 6. de Lamo quodam: Ὑπὲρ Παντακίȣ τε Ποταμȣ̃ Τρώτιλόν τε ὄνομα χωρίον οἰκίσας. In *Ptolemæo* legitur: Παντάχȣ ποταμȣ̃ ἐκβολαί, quaſi à recto Πάνταχας. Fallor (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 28.) an Pœni פתק *pattak* vocabant à verbo Syro פתק *petak*, i. e. jaculari projicere, & cum impetu propellere. Unde Claudian. *de Rapt. Proſerp. l.* 2. *v.* 58.

——— *Et ſaxa rotantem*
Pantagiam. ——— ———

Vide Cluver. *de Sic. Ant. l.* 1. *c.* 11. *Nic. Lloydius.*

PANTAGNOSTUS, tertius Polycratis Samii frater, cujus ope tyrannidem hic Samiorum invaſit, Polyæn. *l.* 1. *c.* 23.

PANTALEON, Henricus, Medicus & Hiſtoricus inſignis, natus Baſileæ A. C. 1522. docuit in Academia Ann. 40. Obiit A. C. 1595. Ejus inter alia extat opus, de illuſtribus Germaniæ Viris, *das Heldenbuch.* Vide & *Henricus.*

PANTALEON Jacobus, vide *Jacobus.*

PANTALIA, urbs Thraciæ, *Procop.*

PANTANUS, lacus Apuliæ in Italia, Plin. *l.* 3. *c.* 11. *Lago de Leſina*, *Leandro.*

PANTAPOLA, ex Græco Παντοπώλης, eſt πάντα πωλῶν, ut ait Pollux *l.* 7. *c.* 3. de cujuſmodi hominibus extat *Novella* Valentiniani, *Urbis Romæ, quam meritò caput noſtri veneramur Imperii, in tantum nos cura non deſerit, ut quieti ejus atque abundantiæ modis omnibus conſulamus Græcos. Itaque negotiatores* (*quos* Pantapolas *dicunt*) *in quibus manifeſtum eſt maximam ineſſe magnitudinem, magnamque in edendis vendendiſque mercibus diligentiam, ulteriùs non patimur Sacræ Urbis habitatione ſecludi, licèt eos diſſenſio & maximè invidia Tabernariorum, quàm venerabilis Romæ utilitas, à negotiatione ſubmoverit. Itaque hôc edictô ſinguli univerſique cognoſcant,* Pantapolis *ad urbem Romam redeundi negotiandique licentiam reſtitutam, ut curâ pervigili ubertas populo miniſtretur.* Ad quam vide quæ eruditè commentatur Sam. Petitus *Commentar. in LL. Atticas l.* 5. *tit.* 5. ut & hîc paſſim, inter alia & infrà voce *Rhopopola*, it. *Seplaſiarius*, *Species.*

PANTAPOLEON, impoſtor quidam Euſtathio memoratus in Homer. *Odyſſ. α.*

PANTHÆUS Joh. Antonius, vide *ibi.*

PANTHEA, Abradatæ, Suſii ductoris uxor fuit formâ & caſtitate præcellens: hæc à Cyro majore capta, Araſpæ Medo ſervanda traditur, qui apud Cyrum affirmat, nondum eſſe ortam hâc pulchriorem: nec tamen eam adiit aut accerſivit Cyrus, ne à rebus gerendis avocaretur: quare & ipſa id beneficii à marito petit, ut ſtrenuè pro Cyro pugnet. Qui cùm inter pugnandum occumberet, in demortui Viri pectus impoſito hæc ſe jugulat capite: tres quoque aſtantes, ubi eos juſſerat, quod factum erat intuiti, diſtrictis acinacibus ibi ſe jugulant. Xenoph. *l.* 7. *Cyri pæd.* & Cæl Rhodig. *l.* 13. *c.* 33. Vide *Abradates.*

PANTHEJUM, locus Atticæ, 60. ſtad. ad Iliſſo fluv. ubi olivâ coronabantur Olympionicæ, *Suid.*

PANTHEON, templum Romæ, ſic dictum, quod in Martis Veneriſque imaginibus, ſub ipſo templo conſtitutis omnium Deorum imagines effictæ erant. Sive quòd templum ipſum rotundum ſit, cœloque ſimile, & ſic quoque omnium Deorum habitatio cenſeatur. Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum fuit. Hodiè appellatur Templum Div. Mariæ rotundæ, inter reliqua antiquorum opera integerrimum. *Baudrando* in cultum Deorum omnium fuit extructum, à M. Agrippa, Auguſti genero, opere Corinthiô. Murô continuô 30. palmarum circumducitur, unicâ tantùm januâ, unicô quoque foramine in ſupremo culmine lumen admittit. Altum, latumque 144. pedes in circuitu, cum porticu 16. columnarum. Reſtauratum fuit ab Adriano, Septimio Severo, & Aureliano. Bonifacius autem IV. Phocâ Imperatore illud Mariæ Virgini & omnibus ſanctis mirâ metamorphoſi ſacravit. Vide *Agrippa.* Erant verò & alibi, quàm Romæ, *Panthea*, ut Athenis, quod Pauſan. vocat τὸ τῶν Θεῶν κοινὸν ἱερόν, *Deorum commune templum:* & in vico Gazenſium, Bethelia, Sozomeni natali Patriâ. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano c.* 19. Vide quoque infrà *Pantheum.*

PANTHER, Græcè Πάνθηρ, Poëtis pro *Panthera*, quaſi Πανὸς θὴρ *Panis fera*, quia in deliciis Pani & Baccho, ut lynces & tigres: unde in ſcenis Veter. verſatilibus ſemper ante Bacchi pedes, & inter ſatyricas veſtes pantherina quoque pellis *Polluci* recenſita, quæ quia raræ admodum nec ſemper ad manum, earum locô textiles ſumebantur, quæ macularum varietate veras pantheridas imitarentur. Sunt tamen qui *panthera* diſtinguant. Namque τȣ̀ς πανθῆρας & τὰς παρδάλεις, tanquam ſpecies diverſas, poni videmus, apud Græcum Interpretem Oſeæ *c.* 13. *v.* 7. Xenophon etiam diſtinctè recenſet *l. de Venat.* Et in deſcriptione pompæ Ptolemæi Philadelphi, ſeorſim procedunt *pantheres* & *panthera*, apud Athenæum *l.* 5. Inprimis verè ex Oppiano idem videtur colligi, qui *Cynegetic. l.* 2. *v.* 570. *pantheres* inter minora & imbellia animalia, his verbis recenſet:

Μȣ̃σα φίλη, βαιῶν, ȣ̈ μοι θέμις ἀμφὶς ἀείδειν,
Οὐτιδανȣ̀ς λίπε θῆρας, ὅσοις μὴ κάρτος ὀπηδεῖ,
Πανθῆρας χαροπȣ̀ς, ἠδ᾽ αἰλȣ́ρȣς κακοεργȣ́ς.
Muſa chara, mihi non licet in parvis diu morari:
Minutas relinque feras, quas robur non comitatur;
Pantheres *ravos & feles maleficos.*

Quò facit, quòd thos, animal vulpe non multo majus, πανθήριον & λυκοπάνθηρ & λυκοπάνθηρον, à multis appellatur. Tamen, ut *Pantheram*, ita & *Pantherem*, vel eſſe pardum, vel animal pardo congener, non thoëm, aut aliud ſimile animalculum, varia probant. Namque Xenophon, qui Scriptorum, quotquot extant, primus *pantherum* meminit, eos palàm recenſet inter majores feras; Julius inſuper Pollux non ſolùm majoribus accenſet feris, ſed & minoribus opponit, vulpibus, thoibus, lupis. Euſtathius porrò, *pantherem* dicit eſſe animal τῷ σώματι ἀστερωπὸν, *macularum oculis quaſi ſtellis inſigne*, & reliqua delectari αὐτȣ̃ τῇ ποικιλίᾳ τȣ̃ σώματος, *corporis illius varietate*, *in Hexaëm.* quod *panthera* belle convenit, & ei cum pauciſſimis animalibus commune eſt. Plin. *l.* 8. *c.* 17. *Panthera & tigris, macularum varietate, prope ſolæ beſtiarum, ſpectantur, cæteris unus ac ſuus cujuſque generis color.* De *panthere* addit idem, Ἐκ τȣ̃ σώματος (*l.* σώματος) αὐτȣ̃ εὐωδία τις ἔξεισιν ἀρωματικὴ, δι᾽ ἧς τὰ ἄλλα ζῶα θελγόμενα, τὰ ἐγγὺς καὶ τὰ πόῤῥωθεν ἐγγίζȣσιν αὐτῷ καὶ ἕπονται. *Ex illius corpore aromatica quadam fragrantia effunditur, quâ pellecta animalia, tam vicina, quàm remotiora, pròximè accedunt & ſequuntur.* Et paulo pòſt: Ὁ δὲ πάνθηρ ὀλίγον τι προηγησάμενος αὐτῶν ὑποστρέφεται καὶ ἀποτηρεῖ, καὶ ὅ,τι ἂν τῶν ζώων ἀρέσῃ αὐτῷ, ἐπιπηδήσας λαμβάνει. *Panther autem aliquantulum progreſſus regreditur, & iis inſidiatur & quodcunque vult animal, impetu factô invadit.* Quæ eadem de pardo habet, Ælian. *Hiſtor. l.* 5. *c.* 40. Quin, teſte Philoſophô, *Problematum Sect.* 13. *Quæſt.* 4. τῶν μὲν ζώων ȣ̓δὲν εὐῶδές ἐστιν ἔξω τῆς παρδάλεως, *præter pardum nullum animal ſuaviter olet:* quod ipſum confirmant Theophraſtus *de Cauſis l.* 5. *c.* 6. & 26. & Plin. *loc. cit.* Neque enim Zibethi felem noverant, neque muſci capreolum.

olum. Itaque ſi *panther* bene olet, ex illorum ſententia animal à pardo ſpecie diverſum eſſe nequit. Utque repetam, quæ de ſcenis verſatilibus Veter. dicta, de iis Hero περὶ αὐτοματοποιητικῆς, Παρακαθίζεται δὲ, inquit, πανθηρίσκος πρὸς τοῖς τοῦ Διονύσου ποσὶν *Ad Bacchi pedes aſſidet pantheriſcus*, h. e. *parvus panther*, vel, quod idem, *parva panthera*, Baccho ſacrum animal, ut alibi dictum. Sequitur mox, de ſcypho, quem Bacchus habet in manu, Ἐκ δὲ τοῦ σκύφου οἶνος ἐκχυθήσεται ἐπὶ τὸν ὑποκείμενον πανθηρίσκον, *Ex ſcypho autem vinum effundetur in ſubjectum pantheriſcum*: quia ſcilicet vini potu maximè delectatur panthera, uti docent rerum naturalium Scriptores. Sed &, ſi *panthera* eſt pardus, quod in Veter. ſcriptis omnino clarum, quidni etiam πανθὴρ id ipſum ſit? Certè, ut *fera* factum ex Æolico φὴρ, pro θὴρ, ita etiam *panthera* ex πανθὴρ &c. Interim notandum, duo eſſe pardorum genera, ex Oppiano *Cynegeticῶν l.* 3. Hinc & Arabes in Damire, *Hujus* (*pardi*) *duæ ſunt ſpecies, una magni corporis & brevis caudæ, altera contra.* Aliter diſtinguit Plin. *loc. cit.* nempe à ſexu & colore: *Pantheris*, inquit, *in candido breves macularum oculi*, cùm pardi in cœrulo oculatis maculis varii eſſent. Et paulò poſt, *Nunc*, (pantheras) *varias & pardos, qui mares ſunt, appellant.* Et rurſus, *Quidam ab iis pantheras candore ſole diſcernunt.* Et in Solino, Plinii ſimia, *c.* 21. *Pantheræ ſunt minutis orbiculis ſuperpictæ, ita ut oculatis ex fulvo circulis vel cærula vel alba diſtinguatur tergi ſupellex* &c. Igitur vel ex ſexu, vel ex variis maculis factum, ut in eodem animalis genere, aliud propriè πανθὴρ, aliud πάρδαλις, diceretur. Neque aliud volunt Veter. qui *pantheres* & *pardos*, ut diverſa animalia, diſtinguunt. Oppianus verò fruſtra opponitur, in quo πάνθηρες χαροποὶ, quos cenſet in minutis & infirmis animalibus, non ſunt *pantheres* ii, quos majoribus feris accenſent Scriptores vetuſti, ſed recentiorum πανθῆρες vel λυκοπάνθηρες; quod thoibus à Græcis poſterioribus nomen eſt inditum, quia in lupina forma pantherinam pellem habent. Vide plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 7. & 8. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 212. Cæterùm *Panthera* in Africa Syriaque creberrima eſt: Unde Plin. *loc. cit.* nomine *Africanæ* ſolo id feræ genus indigitat: *Senatuſconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere.* Ibi enim per *Africanas* ſolas Pantheras intelligendas eſſe, monet idem Salmaſius. Sicque capiendus eſt Servius *ad illud Virg. l.* 5. *Æn. v.* 37.

——— *In pelle Libyſtidos urſæ*:

aut reverà urſæ, inquiens, *aut feræ Africanæ.* Ubi per *feram Africanam*, pardum vel pantheram accipe, non leonem, ut putabat Lipſius. Inde *Libycæ pelles* pretioſæ, *Pantherarum* nempe aut pardorum, quas ſola macularum varietas commendabat. *Heſych.* Λιβυκὸν δέρμα ὡς κάλλιστον. Non enim leonum pelles pulcherrimæ, ſed pardorum vel pantherarum. Idem *Heſych.* Λιβυκὸν θηρίον, ἐπεὶ θανάσιμα ἐκεῖ ἑρπετὰ καὶ ὡς Λιβύης ἐχούσης θηρία, καὶ τὸ ποικιλόμορφον: ubi Λιβυκὸν θηρίον exponitur ποικιλόμορφον, quod ſolis Pantheris pardiſque convenit. Unde & *varias* eas vocavêre Romani. *Vetus Gloſſar. Varia*, ποικίλη πάρδαλις. Sic & *Parthicæ pelles*, de quibus, ut pretioſiſſimis & pulcherrimis, tam frequens in libris occurrit mentio, pantherarum & pardorum erant pelles & tigrium, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. Aurelian. c.* 33. Aliter vox ſumitur, apud Ulpianum *leg.* 11. §. 1. *ff. de act. empt. Veluti cùm futurum jactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel* pantheram *ab aucupe*, (ubi pro *Pantheram*, ſunt qui *Panthera* legi malunt, à *Panther*, quam vocem Varro habet *de L. L. l.* 4. retis genus eſſe ſcribens.) Hîc enim *Panthera*, pro univerſo aucupio, & eo, quidquid auceps capit, ſumitur, Joh. Calvin. *Lex. Jurid.* Apud Petrum Creſcentium *de Agricult. l.* 10. *c.* 17. retis eſt ſpecies, quâ anates capiuntur &c. Vide ſuprà, ut & in voce *Varia*, de odoris verò *Pantherarum ſuavitate*, quâ ipſa vincunt aromata cœteraſque beſtias alliciunt, ut & *de corii pantherini* in bello, apud Veter. olim, quorum meminit Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 459. hodiernoſque Polonos, uſu, Gerh. Jo. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 30. & 70.

PANTHERINÆ Menſæ, memorantur Plinio *l.* 13. *c.* 15. *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice variis; illud oblongô evenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur; hoc intortô, & ideo tales* Pantherinæ *vocantur. Sunt & undatim criſpæ, majore gratia, ſi pavonum caudæ oculos imitentur.* Et aliquot lineis interjectis, *Poſt ea murana nigrô tranſcurrens limite, variiſque corticum punctis apprehenſus, papaverum modo & in totum atro propior color, maculæque diſcolores.* Nempe citreæ hæ menſæ erant, quæ tanto in pretio apud Romanos, Plinii tempore, fuêre, ut non auri ſolùm argentique, ſed & margaritarum æſtimationem, æquarent, ut ipſe teſtatur *loc. cit.* Hæ, quo majoribus conſpicuæ erant maculis, eo cariores; quæ appellationibus prædictis origo, namque & Tigris & *Panthera* maculas habent. Meminit macularum in his menſis, quoque Seneca *de Tranquill. l. c.* 1. *Placet miniſter incultus, ac rudis vernula, argentum grave ruſtici patris ſine ullo opere & nomine artificis & menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium Dominorum ſucceſſiones populo nota, ſed in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidiâ.* Petronius item *Satyrico*, in *deſcript. bell. civil.*

——— *Ecce Afris eruta terris*
Citrea menſa, greges ſervorum, oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quod cenſum trahat: hoc ſterile, ac malè nobile lignum
Turba ſepulta mero circumvenit.

Ubi dum *cenſûs* mentionem facit, Senecæ illud *l.* 7. *de Benefic. c.* 9. in memoriam revocat, *Video iſthic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eô pretioſius, quô illud in plures nodos arboris torſit infelicitas.* Sed quis ille Senatorius cenſus? Tertullian. & Plin. ille *de Pallio l.* 5. iſte *loco cit.* HS. undecim, h. e. viginti quinque millibus aureorum definiunt. Et certè idem Tertullian. ibid. *M. Tullium* refert *quingentis millibus nummûm orbem citri emiſſe*, exclamatque, *Heu! quantis facultatibus æſtimavêre ligneas maculas?* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 26. Addo, illud tamdiu in Italia obtinuiſſe, quandiu regio hæc iſtâ arbore carebat: Poſtquam autem, quod paulo ante Palladii tempora factum eſt, in Italiam citrus pervenit, ibique plantari cœpta eſt, copia pretium extinxit. Vide Auctorem Anonymum (Adam, fuit Preyelius Paſtor Eccl. Reformatæ Francofurti primùm, dein Bremæ) *Sinæ & Europæ c.* 35.

PANTHEUM, ſeu PANTHEON, dicta eſt ædes Jovi Ultori ab Agrippa dicata, hodie *Mariæ rotundæ* & *omnium Sanctorum* vocatur. Aliquando Cybeli quoque ſacra fuit, cujus Deæ caput antiqui operis è ſaxo, cum duobus piſcibus, muro templi incluſum adhuc cernitur, vide Dionyſ. ac Plin. *l.* 34. *c.* 3. *l.* 36. *c.* 5. &. 15. Fabricius *in ſua Roma* ſic deſcribit: *Altum eſt hoc templum pedes* 144. *totidem latum, contignationes æneis trabibus canalium modô compactæ, pedum* 40. *ut teſtatur Baptiſta Leo. Valvæ ingentes, item trabes ex ære Corinthio & inauratæ, lithoſtrotum varii marmoris, aræ duæ marmoreæ ſex marmoratæ, interſtitia ſex columnarum ſpatiô diſtantia. Teſtudo templi laqueata vacuis circumquaque ſpatiis relictis, ne nimiô pondere ædificium premeretur. Nulla feneſtra penitùs ineſt, niſi in medio foramen ſphæricum, æneis inauratiſque trabibus fultum, quod lumen præfert, eique in pavimento ſubjectum ad imbres excipiendos impluvium. Ad foramen illud in tecto quadraginta gradibus plumbeis aſcenditur: ad quod tectum antequam perveniatur, bini ambitus ſunt, ad quorum primum ex imo templi per centum quaquaginta gradus eſt eundum.* Marcellin. *l.* 16. *Pantheum, regionem terentem ſpacioſâ celſitudine fornicatam vocat. Laminas tecti, quæ olim argenteæ fuerant, Conſtans Imp. Conſtantini Junioris filius detraxit, plumbeis earum locô repoſitis: Gradus quoque ante templum ænei ſublati & ſaxeis permutati ſunt. Cumque olim per gradus* 12. *ad illud aſcenderetur, nunc per totidem in illud deſcenditur; unde colligere eſt, quàm altè ex ruinis ſolum exaggeratum ſit. Parietes nunc lateritii ſunt, qui olim marmoribus fuerant incruſtati. Inter omnia igitur Urbis opera nullum admirabilibus, ſive molem, ſive artem, ſive impenſam conſideres, nullum etiam ex antiquiſſimis integrius: nam nec injectis ignibus Gothi corrumpere aut frangere potuerunt.* Hactenus ille. In eo voluit, qui illud perfecerat, Agrippa, Auguſti etiam ſtatuam collocare, nomenque operis ei adſcribere, neutrum autem eô accipiente, in *Pantheo* ipſo Cæſaris ſuperioris ſtatuam, ſuam & Auguſti in veſtibulo poſuit. *Decoravit* prætereà *illud*, annotante Pliniô, *loc. cit. Diogenes Athenienſis, & Caryatides in columnis ejus probantur, inter pauca operum, ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed propter altitudinem loci minùs celebrata. In honore eſt & in templo illo Hercules, ad quem Pœni omnibus annis humanâ ſacrificaverunt victimâ, humi ſtans, ante aditum porticus* &c. Poſteà Bonifacius III. à Phoca Imperatore, qui rem Pontificiam mirè auxit atque extulit, acceptum B. Virgini & omnibus Sanctis dicavit: fuitque primùm dictum *Virgo ad Martyres*, ſicut nunc à circulari formâ, cœlum imitante (unde nomen potiùs, quam ab omnibus Diis) *Sancta Maria rotunda.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. ut & in voce *Pantheon.* Sicut de *Conclavibus figuratis*, apud idololatras Judæos, quæ *Pantheo* Romanorum non malè compares, ſuprà aliquid in lemmate *Militia cœli.*

PANTHEUS, & PANTHUS, vir Trojanus unus ex primoribus urbis Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 322.

Quo res ſumma loco, Pantheu? quam prendimus arcem?

PANTHOIDES, patronymicum, pro Euphorbus, Panthoi filius, quem Pythagoras philoſophus dicebat ſe fuiſſe in bello Trojano, & à Menelao interfectum eſſe. Pythagoras ipſe apud Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 150.

Ipſe ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.

Vide Philoſtrat. *in Euphorbo.*

PANTHYDRI Montes, vide ſuprà *Panhydri.*

PANTIA, inſula non procul à ſinu Cajetano. Lege *Pontia.*

PANTICA, quæ aliàs & *Panda* Dea, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 4. cùm ait: *Quòd Tito Tatio Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſt, Dea Panda eſt appellata, vel Pantica.* In *Gloſſis Philoxeni* dicitur εἰρήνης Θεὸς, i. e. *Dea pacis*; ideoque à *pandendis* ſeu aperiendis, pacis tempore, portis, *Pandam* arbitratur nuncupatam Hadr. Turnebus, *l.* 19. *Adverſ. c.* 11. Apud Varronem *de vita Pop. Rom.* Ælius hanc Deam eandem cum Cerere, atque adeò à *pane dando* vocitatam contendit. Ejus verba apud Nonium, in verbo *Pandere*: *Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem, ſed quòd in aſylum qui confugiſſent, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando* pandere, *quod eſt aperire.* Verùm *pando* non eſt à *panem do*; & more ſuô ludit Varro, cùm Ælii ſententiam in medium adferat, eamque probare videatur. Neque *Panda* ſeu *Pantica* eſt Ceres, cùm apertè ipſe Varro, *in hiſce verſibus*,

Sed Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna ac Ceres:

eam à Cerere faciat diverſam. Scaliger *Conjectan. in Varronem*, eam *Empandam* in Paganalibus ſacris vocatam ſcribit eamque ſic dictam putat à latitudine tanquam εὐρύστερνον. Vide Jac. Oiſelium JCtum *Notis in A. Gell. l.* 13. *c.* 22.

PANTICAPÆA, melius PANTICAPÆUM, Plin. *l.* 4. *c.* 12. ac *Stephan. Voſpero*, teſte *Nigrô*, urbs Tauricæ maxima ab Boſporum Cimmerium, *Boſphorium* olim, teſte Pliniô, *loc. cit. Sanſoni Pantica* nunc, in Tartaria Precopenſi 90. mill. paſſ. à Theodoſia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PANTICAPES, fluv. Scythiæ Europææ per Lithuaniam fluens in Euxinum mare, Nomadas à Georgis ſeparans, teſte Pliniô, *l. 4. c. 12. Przepets*, vel *Przypicks*, teſte Peucerô, *Conſcavado Mercatori.* Nunc *Vorsklo Sanſoni*, in Volhinia inferiori. Oritur in Moſcovia, & auctus aliquot fluviis in Boriſthenem ſe exonerat, 150. mill. paſſ. infra Kioviam in Eurum. Quintus fluv. eſt ab Iſtro inter celebres apud Herodot. *l.* 4. Dionyſ. *v.* 314.

Κεῖθι γὰρ Ἀλδήσκοιο καὶ ὕδατα Παντικάπαο,
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσι, διάνδιχα μορμύρουσι.

Nic. Lloydius.

PANTICUM, locus Bithyniæ; apud Chalcedonem. *Antonin.*

PANTINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PANTIPOLIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptolem.*

PANTOCRATORENUS, apud Balſamonem *tit. de Fide ad can. 20. Photii*, *Quod autem* Pantocratorenus *præfectus præſit multis Monaſteriis, canoni non adverſatur: multa enim Monaſteria, ut unum, reputantur.* Superior eſt univerſalis ſeu Generalis alicujus Ordinis religioſi. Dominic. Macer *in Hierolexico.* Vide quoque ſuprà *Generales.*

PANTOMATRIUM, oppidum Cretæ maritimum, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Milopotamo. Pineto.*

PANTOMETRUM Kircherianum, ad uſum Principum ab Auctore primùm inventum, & à Caſp. Schotto, integrô Tomô explicatum ac demonſtratum; memoratur Georgio de Sepibus in *Collegii Rom. Soc. Jeſu Muſæo p.* 64.

PANTOMIMUS, Græcè Παντόμιμος, *in vett. Gloſſis* notare *Hiſtrionem* dicitur: *l. 27. ff. de oper. libert.* qui ſcenicis ludis operam navat: Luciano Παντόμιμοι iidem ſunt, qui ὀρχησαὶ, i. e. *ſaltatores.* Vide eum περὶ ὀρχήσεως. Sed priuſquam οἱ ὀρχησαὶ ſe à dramatis ſeparârunt; quod Auguſti ætate cœpit à Pylade & Bathyllo, non ſaltabant ſolùm hiſtriones, ſed etiam diverſa pronuntiabant. Vide Voſſ. *in Etymol. voc. Theatrum*: & Anton. Thyſium JCtum *Notis in A. Gellium l. 1. c. 5.* Donato *Mimus* dictus eſt, à diuturna imitatione vilium rerum & levium perſonarum: unde *Pantomimi*, omnium rerum imitatores, & Archimimi præcipui, ſeu Mimorum Principes. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 6.* Primus autem *Pantomimi* nomen Pylades, ſuprà memoratus, ex Aſia veniens, uſurpâſſe legitur, apud Lucianum, & Suetonium *in Aug. c.* 45. In Conſulatum T. Sulpicii & C. Licinii Stolonis Hiſtrionum Romam adventum rejicit Joh. Cuſpinian. *in Faſtos Caſſiodori p.* 159. Suidas autem in voce Ἀθηνοδῶρος notat, liberâ & ſtante Republicâ nullum *Pantomimorum* nomen nedum officium fuiſſe, ſed artem ſub Auguſto primùm repertam, cùm anteà non eſſet, & in ſcenam introductam. Quòd traditum & *Athenæo*, & *Zoſimo*, aliiſque τὴν παντόμιμον ſaltationem Auguſti temporibus, à Pylade primùm inventam & uſurpatam, cui & Bathyllus ὁμότεχνος adjungitur, dicentibus. At quomodo ratio conſtabit Suetonio, qui primis temporibus *Pantomimos* in Comœdia ceciniſſe, apud Diomedem, aſſerit? Certè notum uſitatumque etiam, Veteres ac longè Auguſti ævô priores genus illud ſaltationis habuiſſe, quæ motu corporis & geſtu quodvis exprimeret, docet Athenæus, apud quem Teleſiam quendam ſive Teleſten ὀρχηστοδιδάσκαλον multas ſchemas & geſtus inveniſſe & manibus omnia, quæ dicerentur, graphicè oſtendiſſe, legimus. Imò adeò res vetus fuit hæc chironomia, à qua *Chironomi* Pantomimi appellati ſunt, ut tradat Quintilian. *l. 1. c. 19.* eam ab ipſis temporibus Heroicis ortam eſſe & à ſummis Græciæ viris, ab ipſo etiam Socrate, probatam, à Platone quoque in parte civilium poſitam virtutum, & à Chryſippo, in præceptis de liberorum educatione, non omiſſam. Cumque tres fuerint antiquiſſimæ & celeberrimæ ſcenicæ ſaltationis ſpecies, Tragica, Comica & Satyrica, nulla non harum manibus & corporis geſtibus exprimebat, quidquid in fabula ageretur. Unde refert Athenæus *l.* 1. Teleſtem, quô ſaltatore utebatur Æſchylus, adeò bonum ejus rei fuiſſe artificem, ut cùm τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας deſaltaret, omnia quæ illic agebantur, geſtibus peregerit & oculis ſpectatorum ſubjecerit. In Comœdiis quoque Latinis Hiſtriones, qui cantica ſaltabant, ita res omnes geſtibus repræſentare conſueverunt, ut populus facilè inde cognoſcere poſſet, quam fabulam eſſent acturi. Sed tempus fuit, quum idem ſimul canerent ſaltarentque. Poſteà, quia vocem motus corporis ex anhelitu interturbabat & rurſum vox multum geſtibus incommodabat, melius viſum eſt, ut, aliis accinentibus, ipſi tantùm ſaltarent & taciti geſticulationem peragerent. Et hoc eſt, quod ajebat Sueton. primis temporibus *Pantomimos* in Comœdia canere ſolitos eſſe. Gellius de Mimis: *Saltabundi autem canebant, quæ nunc ſtantes canunt.* Scribitque Liv. *l. 7. c.* 2. Livium, antiquiſſimum apud Romanos fabularum actorem eundem & Poëtam, quum in ſaltando canendoque cantico vocem obtudiſſet, & veniâ petitâ puerum ad canendum ante tibicinem ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil uſus vocis impediebat. A quo tempore Hiſtriones canere deſiêre, & qui anteà voce motuque cantica agerent, ſolò motu & tacitâ geſticulatione exinde agere cœpêre, diverbiis tantùm eorum voci relictis: quæ Hiſtriones pronuntiabant, cùm cantica contrà ſaltarent, puerô accinente & reſponſante tibicine. Hinc addit Livius: *Inde ad manum ſaltari Hiſtrionibus captum* &c. Quod ergo de Pylade & Bathyllo dicitur, non de Arte ſimpliciter intelligendum, ſed de ſaltatione, qualis Auguſti Principatu in ſcena verſabatur & quæ poſt illa tempora paſſim viguit, quæque nihil amplius commune aut conjunctum habebat cum Comœdia aut Tragœdia, ſed ſeorſim in Orcheſtram veniebat, inventoribus Pantomimis præfatis: cùm res ipſa, & ars illa ſaltandique modus, quô omnia, quæ dicerentur, manibus expediebantur, quoque ipſe etiam Pylades in ſua ſaltatione uſus eſt, longè ante cum nota ſcenæ & in uſu poſita, ſed in Tragœdia tantùm & Comœdia & Satyris locum haberent. E quo triplici ſaltationis genere, Tragicæ nempe, Comicæ & Satyricæ, compoſitam Saltationis ſuæ Artem, à Tragœdia & Comœdia ſeparatam, primus in ſcenam Latinam introduxit, excoluit, expolivit, & *Italicam*, quòd Romæ primum ejus ſpecimen in Latino theatro ediderit, vocavit Pylades, ipſe natione Cilix, ut ex Suida diſcimus. Athenæus tamen Bathyllum Alexandrinum, Italicæ illius ſaltationis inventorem facit: utroſque jungit apud eundem Ariſtonicus, ut & Zoſimus. Hoc certum, non ſolùm eos ὁμοτέχνους, ſed & ἀντιτέχνους fuiſſe, & in tragicis argumentis ſaltandis Pyladem, in comicis verò Bathyllum, primas obtinuiſſe. Etſi enim ſaltatio hæc, ex Tragica, Comica, Satyricaque eſſet compoſita, haud ita tamen ex omnibus mixta erat, ut confunderentur & ex tribus una ſpecies fieret: ſed cùm omnia Tragœdiarum, Comœdiarumque & Satyrarum argumenta primi ſaltare inſtituiſſent, Tragœdias ſecundum tragicæ, Comœdias ſecundùm comicæ ſaltationis inſtituta deſaltabant, factâque inter ipſos Auctores dividiâ & in diverſo ſaltationis genere contrariâ quoque factione inſtitutâ; eam ad diſcipulos ſuos & artificii per longam ſeriem ſucceſſores uterque tranſmiſerunt. Tragicæ autem chironomiæ antiquæ aliquot ſchemas & geſtus recenſet Pollux *l. 4. c. 15.* καὶ μὴν τραγικῆς ὀρχήσεως τὰ σχήματα, σιμὴ χεὶρ, ὁ καλαθίσκος, χεὶρ καταπρανὴς, ξύλου παράληψις, διπλῆ, θερμαστρὶς κτλ. Ubi malè leg. κυλαβίσκος & χεὶρ καταπλανὴς. χεὶρ enim σιμὴ & χεὶρ καταπρανὴς, contraria erant ſchemata. Quibus addenda & ὑποσκοπος χεὶρ, quæ etiam inter ſchemas tragicas numerabantur: geſtus autem eſt eorum, qui intentè aliquid & diligenter ſpeculari volunt. Hi enim manum fronti obtendunt, ne Sol oculis officere & proſpectum impedire poſſit. Sic Panem ἀποσκοποῦντα, (nam cum hoc ſchemare Panes vulgò fingebantur) h. e. manu fronti obtentâ ſpeculantem, & paſcua luſtrantem, eleganter deſcribit Silius Italicus *l. 13. v.* 341.

Obtendenſque manum, Solem infervescere fronti
Arcet & umbrato perluſtrat paſcua viſu &c.

Cujuſmodi σχήματα τραγικὰ invenit olim multa Teleſtes vel Teleſias aliquoties dictus, ſed longè plura excogitavit Pylades, qui ſaltationem hanc, quæ manibus peragebatur, non quidem novam & anteà ignotam, ut vidimus, introduxit, at multis partibus ampliavit & expolivit. Idem primus, fiſtulæ & chorus ſibi ſaltanti ut præcinerent curavit, cùm ante illum ſine fiſtulis & Choro *Pantomimi* ſaltarent, ſolô adhibitô pueri canentis & tibicinis concentu. Unde, ab Auguſto interrogatus, quid ſaltationi contuliſſet, reſpondit:

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Et Lucianus de *Pantomimi* ſcena ac apparatu loquens, jungit αὐλὸν, σύριγγα, ποδῶν κτύπον, κυμβάλου ψόφον. ὑποκριτοῦ εὐφωνίαν, ᾀδόντων ὁμοφωνίαν, alibique addit *citharas.* Nempe, ſaltante Pantomimô, alii tibiis canebant, alii vocibus concinebant, alii fiſtulis ſibilabant, alii cymbala concrepabant, alii pede ſonabant; è quibus hi ultimi, quô clarior ſonus eſſet, & ab omnibus meliùs intelligerentur, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, κρουπέζια Græcis dictas, & ad hunc ſolùm uſum factas: imo nonnunquam ferreas, ut ex eodem patet Luciano, vide infrà, in voce *Scabellum.* Nonnulli quoque citharis canebant, aut teſtulis crepabant, aut manibus plaudebant, &c. Ut de aliis quibuſdam *Pantomimis* celebribus aliqua adſpergam, ætate Galeni, h. e. Marci Philoſophi, tres nobiliſſimi Pantomimi orcheſtram calfaciebant, qui vicibus ſaltabant & in orbem: quorum duos nominat Galenus περὶ τοῦ προγιγνώσκειν, Pyladem & Morphum; tertium non nominat, ſed is procul dubio Bathyllus fuit, ex iis quæ diximus. Mithæci cujuſdam *Pantomimi* formâ præcellentis, meminit Plin. *l. 7. c.* 33. quod nomen Græcum eſt & proprium illius; vix enim ullum reperias in Hiſtoria Romana *Pantomimum*, niſi Græcô nomine appellatum. Unde rideas doctorum hominum fabulas, qui apud Plinium *Mythicum* legunt & hinc duo genera *Pantomimorum* faciunt, *Scenicos* & *Mythicos* &c. De iis porrò vetus *Scholiaſtes* Juvenalis *ad v. 178. Sat. 2. Orcheſtra ſpatium, in quo ſaltat Pantomimus.* Æl. Lamprid. *in Alexandro c. 34. Nanos & Nanas, & Moriones & vocales exoletos & omnia acroamata, & Pantomimos, populo donavit.* Illorum manus *loquaciſſimas*, digitos *linguoſos*, ſilentium *clamoſum*, vocat Aur. Caſſiodor. *l. 4. Ep. ult.* & paulo pòſt: *Pantomimo*, inquit, *cui à multifaria imitatione nomen eſt, cùm primùm in ſcenam plauſibus invitatus advenerit, aſſiſtunt conſoni chori diverſis organis eruditi: tum illa ſenſuum manus oculis canorum carmen exponit, & per ſigna compoſita, quaſi quibuſdam literis, edocet intuentis aſpectum: In illa leguntur apices rerum, & non ſcribendo docet, quod ſcriptura declaravit: idem corpus Herculem deſignat & Venerem fœminam præſentat & marem Regem facit, & militem ſenem reddit & juvenem: in uno credo eſſe multos vanâ eruditione diſcretos.* Tertullian. *de Spectac. l. c.* 15. *Pantomimus à pueritia patitur in corpore, ut artifex eſſe poſſit*: tam operoſâ præparatione iis opus fuit. Hinc in proclivi erit Poëtas intelligere, qui de hac geſticulatione loquuntur, & vel nutus vel geſtus vel digitos loquaces, de mimica hac omnium perſonarum effictione, accipere. Claudian. *de Conſul. Manlii Theod. v.* 312.

Qui nutu, manibuſque loquax,

Sidon. Apollinaris *Carm.* 23.

Clauſis faucibus & loquente geſtu.

Terent. Maurus *de Metris*, ſeu veriùs C. Petronius Illicitanus,

At Arbiter diſertus
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci, &c.

Utut autem totius corporis circumactu nutibuſque oblectabant, præſertim verò digitis id effecêre. Aur. iterum Caſſiodor. *l.* 1. *Ep.* 10. *Hanc partem Muſicæ diſciplinæ mutam nominavêre majores noſtri*

noſtri, quæ ore clauſô manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante linguâ aut ſcripturæ textu poſſet agnoſci. Iſidor. *l.* 1. *c.* 15. *Sunt quædam & digitorum notæ, ſunt & oculorum, quibus ſecum taciti procùlque loquuntur.* Nec ſervi ſolùm *Pantomimi*, ſed & libertis eam Artem exercere licuiſſe, patet ex *ff. de Act. empt. Julian. l.* 27. *Oſtendam nobiliſſimos Juvenes, mancipia Pantomimorum:* Virique Senatorii illorum ædes ſtudioſè adibant; donec lege cautum, cujus meminit Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 77. *Ne domos Pantomimorum Senator introiret.* Primitus autem ſcenam occupabant, unde orcheſtram ſaltationi eorum deſtinatam ſuprà diximus, & Seneca *Nat. quæſt. l.* 7. *c. ult. In pulpito*, inquit, *Pantomimorum. Viri & fœminæ tripudiant.* Poſteà, Comœdi & Hiſtriones Archimimi & *Pantomimi* familiares in convivium induci cœperunt, jam inde ab Aſiatica illa præda, quæ Romanam frugalitatem afflixit, ſeu potius, perdidit, teſte Liviô *l.* 39. *c.* 6. & Auguſtinô *de Civ. Dei l.* 3. *c.* 21. quibus adde Salluſtium *Hiſt. l.* 2. *de luxu Metelli loquentem*, & eundem, *ubi de Mario ſermo, in Jugurth.* Unde Ovid. *Amor. l.* 2. *El.* 5. *v.* 17.

Non oculi tacuêre tui, conſcriptaque vino
Menſa, nec in digitis litera nulla fuit.

Et *l.* 3. *El.* 11. *v.* 23.

Quid Juvenum tacitos inter convivia nutus,
Verbaque compoſitis diſſimulata notis?

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in locum Roſini cit.* Tandem, ut luxurioſa hæc voluptas etiam mortuos comitaretur, funeribus *Pantomimi* adhibiti ſunt. Hinc ubi Scholiaſtes Britannicus *ad Juvenal. perſonam ab Hiſtrionibus, in agendis fabulis*, ſumi ſolitam eſſe docet: *Addendum eſt*, inquit Fortun. Licetus *l.* 6. *de Lucernis c.* 7. *& à Pantomimis*, ſeu *Archimimis*, *Mimiſque minoribus, & Mulieribus, quæ* Funetæ *nuncupatæ in celebrandis pompis funeralibus.* Vide ſuprà in voce *Favor.* Nec *Pantomimos* ſolùm, ſed & *Pantomimas* fuiſſe, docet vetus Juvenalis Scholiaſtes *Sat.* 11. *v.* 162. ubi, cùm dixit Poëta;

Forſitan expectes, ut Gaditana canorô
Incipiat prurire chorô, plauſuque probatæ
Ad terram tremulô deſcendant clune puellæ:

Has *Lyriſtrias* & *Pontomimas* interpretatur: Quæ omnia calentis in triclinio nequitiæ irritamenaa, ſuſtulit optimus Imperator Theodoſius, uti Principem Chriſtianum utique decebat. Nihilominus exciſam utcunque luxuriam, per vices pullulare non deſiiſſe, deprehendimus apud Petrum Chryſologum *Serm.* 127. Vide quoque Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Cœl. Rhodig. *l.* 5. *c.* 3. &c. Nomen verò *Pantomimi* quod attinet, ita ſaltatorem ab Italiotis, h. e. Græcis eam partem Italiæ incolentibus, quæ *major Græcia* dicta, vocari dixit ſuprà Lucianus. Romani *Hiſtrionem* propriè τὸν παντόμιμον vocabant: ubi tamen tempora diſtinguenda. Poſtquam enim primus Pylades ſaltationem ab actu fabularum, qui voce fiebat, ſeparavit & diverſum in ſcena artificium effecit, fabulas ſaltare & canere; exinde, qui propriè loquuti ſunt, *Hiſtriones* de Pantomimis vel Saltatoribus uſurparunt (& revera *Hiſter* Tuſcis Ludio ſeu Saltator dicebatur) eos autem, qui voce fabulas imitabantur, *Cantores* appellârunt: Ante id tempus verò *Hiſtriones* de utroque Artificum genere dicebantur, quia diverſi non erant, ſed iidem fabulas ſaltabant & canebant: ſaltantes in canticis, canentes in diverbiis. Quia autem ſaltationes omnes à Satyris, hinc Σάτυροι & Σατυρισκοὶ quoque dicti ſunt *Pantomimi* ac Saltatores ut infrà videbimus, ubi de *Satyro geſtu* &c. Plura hanc in rem, vide apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino. c.* 19. Vetus Epigramma de *Pantomimo:*

Maſcula fœmineô derivans pectora flexu
Atque aptans lentum, ſexum ad utrumque latus.
Ingreſſus ſcenam Populum Saltator adorat,
Solerti ſpondens prodere verba manu.

Vide quoque Manilium *Aſtronomic. l.* 5. & ſuprà in *Panica*, item voce *Agagula.* Nec omittenda *Inſcr.* antiqua *p.* 331. *M. Ulpius. Aug. Lib. Apolautus. Maximus. Pantomimorum. coronatus. adverſus. Hiſtriones. &. omnes. ſcænicos. Artifices.* cujus meminit Gev. Elmenhorſt *Obſervationibus Arnobianis l.* 2. ubi de *vacatione cum coronis*, quæ inter alia Hiſtrionum præmia fuêre.

PANTONUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

PANUCLA, in plur. *Panuclæ*, Iſidoro *l.* 19. *c.* 29. *dictæ, quòd ex iis panni texantur: ipſæ enim diſcurrunt per telam:* Vox textoria. Primum enim in tela contexenda, telæ pedes erigere & jugum iis fuit imponere, quod Ovid *l.* 6. *Met. v.* 55. *telam jugo jungere* dixit: Deinde ſtamina telæ vel jugo telæ adnectere, quod idem *telam ſtamine intendere v.* 54. dixit, & *ſtamen telâ ſuſpendere.* Conſtitutô ſtamine ſequebatur ſtaminis cum ſubtemine connexus, Græcis σύνδεσις σήμονος. Theophylacto *Hiſt. l.* 11. i. e. συϛρέφειν τὴν κρόκην τῷ σήμονι, aliis unô verbô κωρῶσαι, item κροκῶσαι. Hinc κροκωτὸς veſtis, quæ plus ſubteminis, quàm ſtaminis, haberet; tales enim molliores & delicatiores: contrà σημόνιοι, multô ſtamine, adeoque denſæ & pingues. Κροκωτὸν Scholiaſtes *Ariſtophanis* interpretatur, ἀπὸ πήνης ἔνδυμα· πήνη namque idem cum κρόκη, & πηνίζειν cum κροκῶσαι. Unde πηνίον, radius textorius tramâ involutus. *Epigr. Græc.*

——— ——— Καὶ τὰ τροχᾶα
Πανία.

Panuclium & *Panucellium* Latinis: Nam à πήνη, Doric. πάνα, *Panucula* & *Panucla*, tramæ involucrum, & *Panucella*, à quo *Panucellium*, ut à *Panucla*, *Panuclium.* *Heſych.* Πηνίον, πανύκλιον ἢ ἄτρακτος εἰς ὃν εἱλεῖται ἡ κρόκη. Eſt autem idem Græcis τὸ πῆνος, & πήνη & πηνίον, glomus ſcil. ſubteminis, radio textorio involutus: à πῆνος Doric. πᾶνος, Latinè *panus*, & diminutiv. *Panucula* & *Panucla.* Nonius, *Panus tramæ involucrum, quem diminutivè* Panuclam *appellamus.* A cujus tumoris, quem efficit ita circumvoluta trama, ſimilitudine, tumorem quoque inguinum & omnem in corpore tumorem, appellârunt *panum* & *panuclam*, ut videre eſt apud *Alex. Trallianum:* cùm *Panus* propriè ſit ſubteminis glomus. Unde χρυσόπηνοι, veſtes aureis filis; vel aureô ſubtemine textæ, apud *Heſychium.* In veſtibus enim aurô textis ſemper ſubtemen ex aurô fuit, neque, cùm veſtibus aurum dicitur intexi, id aliter capi poteſt, quàm de ſubtemine, quod propriè inſeri, & immitti & intexi ſtamini, dicitur. Ovid. *loc. cit. v.* 55.

——— *Stamen ſecernit arundo,*
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Quod digiti expediunt.

Et paulo pòſt *v.* 68.

Illic & lentum filis immittitur aurum.

Heſiodus, in Ἔργ. *v.* 536. κρόκην ἐν τῷ σήμονι μηρύσασθαι, *ſubtemen ſtamini inducere*, vel *intra ſtamen ducere*, ut idem Ovid. loquitur. Græci tamen recentiores πήνην non pro ſubtemine, ſed pro ſerico uſurpârunt: quemadmodum & μέταξαν, quæ *filum* vel *ſubtemen* quodvis denotat, de ſerico tantùm poſteriores accepêre. Paulus Silentiarius ἐν ἐκφράσει τ̃ μεγάλης Ἐκκλησ.

——— ——— Πάντα δὲ πήνης
Νήμασι, χρυσοπόρων τε μίτων ποικίλλεται αἴγλη.

Ubi πήνης νήματα, *ſtamina ſericea* vocat: & χρυσοπόρους μίτους, *aurea fila* vel *auri ſubtemen.* Græcis enim νῆμα propriè ſtamen, & ſubtemen μίτος: Latinis *licium.* Unde *licia telæ addere; licia in tela ſuſpendere; adnectere licia telis:* ubi *licia* ſunt *ſtamina* καὶ τὰ νήματα, ſubtemen verò μίτον lubentiùs appellant. Hinc πολύμιτα, quæ de ſubtemine verſicolore fiunt: varietas namque illa filorum in polymitis de ſubtemine fit. Sic Latinè *fila* de ſubtemine, quæ tamen non raró confunduntur, ut apud Jul. Capitolin. in *Pertinace, c.* 8. *veſtis ſubtemine ſericô, aureis filis inſignior*, vide Salmaſ. *ad loc.* Cùm verò in *Gloſſ.* Ælfrici *c. de Veſtib. Panucla* exponitur *veſtis conſuta*, Somnerus *Pannutia* cenſet reponendum, apud Car. du Freſne. Vide quoque Meurſium in Πανῦκλα.

PANUCO, regio novæ Hiſpaniæ ſub præfectura Mexicana, inter ſinum Mexican. ad Ortum & novam Biſcajam ad Occaſum, longa 100. leuc. ab ortu ad Occaſum paulo minus lata, ubi aliquot coloniæ Hiſpanicæ, nempe *S. Jago de los Valles*, *San Luis de Tampico, &c.* & *Panuco*, ad fluvium cognom. parvi circuitus, quibuſdam etiam *S. Eſtevan del puerto*, vix 12. leucis ab ora ſinus Mexican. 80. à Mexico in Cæciam.

PANVINIUS Onuphrius, vide *Onuphrius.*

PANYASIS, Poëta Epicus celebris, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 856.

PANYASUS; Macedoniæ fluv. *Ptol. Spirnaſſa Theveto.* Eſt autem inter Dyrrachium urbem & Apſum fluv.

PANYSUS, fluv. Myſiæ inferioris in Euxinum mare inter Neſembriam & Odeſſum influens. *Paniza Nigro.*

PAOCHINGA, urbs, ex præcipuis Huquamenſis provinc. regni Sinarum intra colles, ad radicem montis Lungi. Habet ſub ſe quatuor alias Urbes, *Martinius.*

PAOGANUM, urbecula Sinarum munita aliàs, contra Tartaros, in Pechinenſi provinc. ad Sancanum fluv.

PAONINGA, urbs ſecunda Suchuenſis provinc. Sinici Imperii ad fluv. Kialing, ſub qua 9. Urbes.

PAOTINGA, urbs ſecunda Pechinenſis provinc. ſub qua 19. Urbes in mediterran. ad radicem montium. De his vide Martinium, *Atl. Sin.*

PAPA, nomen olim commune omnium Epiſcoporum, quos nudè *Papas* appellabant: *Papiæ, Admirabilis, major, pater & cuſtos.* Hinc Veter. Epiſtolæ Epiſcopis inſcriptæ, *Domino Papæ N. ſalutem*, ut patet ex Auguſtino *Ep.* 13. 18. 222, 256. Hieronymo *Ep. ad eund.* & Aliis, quos laudat Joachimus Vadianus *de Primit. Eccl. ſtatu*, Bignonius *ad Marculfi l.* 1. Savaro *ad Sidonium l.* 1. *Ep.* 6. Caſaubon. *Exercit. XIV.* §. 4. &c. Prudentius *in paſſ. Hippolyti, ad Valerianum Epiſc. Periſteph. Hymn.* 4. *v.* 127.

Rorantes ſaxorum apices vidi, optime Papa.

Series Epiſcoporum Mettenſium, ſcripta ſub Carolo M.

Nobilis in cunctis Papa, *Chrodegangus habetur.*

Tortarius Floriacenſis *de Tranſlat. S. Mauri*, cùm ſe Epiſcopum fuiſſe inſinuâſſet, priuſquam Benedictinum induiſſet habitum. hæc ſubdit:

Gratum eſt, ut coram Legiſlatore rependam
Servitium Domino, præſente mihi Benedictô,
Illius & normam juxta deducere vitam,
Quàm me barbarico Papam *contradere ludô*, &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Tradit quidem *Chronicon* Orient. & Eutychius, *Papæ* nomen ac titulum *Hieroclam*, ſeu *Heraclam*, Patriarcham Alexandrinum uſurpâſſe, *in Origin. Alexandr.* à quo idem titulus cœteris Alexandrinis Præſulibus tribuitur à Scriptoribus, uti obſervatum Selden. *ad Eutych.* Goaro *ad Theophan.* & Allatio *de Conſenſ. utriuſque Eccleſ. c.* 18. quibus adde Pachymerem *l.* 10. *c.* 32. & Facundum Hermianenſem *l.* 4. *c.* 2. ubi Athanaſius, *Papa noſter Athanaſius* dicitur: Verùm non Alexandrino tamen Patriarchæ proprius hic titulus fuit, cùm & Conſtantinopolitano & Hieroſolymitano eum tribuat Avitus Vienenſis *Ep.* 7. & 23. communiſque fuerit omnibus Epiſcopis appellatio, ut oſtenſum. Sed, quemadmodum nomen *Apoſtoli, Apoſtolici, Apoſtolicæ ſedis;* quemadmodum mos oſculandi pedes aliaque antiquitus quidem omnibus Epiſcopis communia fuêre, ut Caſaubon. *d. l.* probat pluribus, poſteà verò ritus hic ad cultum Pontificis Romani propriè tranſlatus eſt, & ap-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pellatio illa, de Romæ Epiſcopo & ſede Romana ἀντωνομικῶς in Occidente uſurpari cœpit: ita *Papa* nomenclatura in eadem ſolis Pontificibus Romanis remanſit, idque ex decreto Gregorii VII. qui in Synodo Romæ habitâ, ſtatuit, ut *Papa* nomen unius eſſet in Orbe Chriſtiano. Vide Baronium *ad* 10. *Januar.* & Sirmondum *ad Ennod. l.* 4. *Ep.* 1. Adde Clar. Suicerum, qui ſeculô adhuc V. omnes Epiſcopos, imò & Sacerdotes ac Abbates, honoris gratiâ, in Eccleſiis occidentalibus *Papas* vocatos, pluribus exemplis docet, atque de Patriarcha Alexandrino hæc ſubjicit: *à temporibus Heraclæ, qui, circiter* 83. *annis, ante Alexandrum Patriarcha fuit, obtinuit, ut Patriarchæ vocarentur* Papæ. *Is vocabatur Pater, id eſt, Abba, cùm alii Presbyteri tantùm vocarentur, id eſt, Seniores. Poſteaquam verò plures Epiſcopi per Ægyptum creati ſunt, qui nulli anteà erant, ſed ab Heracla primùm conſtituti ſunt, tunc communicatô omnibus illô nomine Abba, id eſt, Patris, ut aliquid præcipuum haberet Epiſcopus Alexandrinus, qui aliquot Epiſcopos ſub ſe habebat, placuit eum vocari* Papam, *id eſt, avum, nempe πατέρων πατέρα*, ex Eutychii *Origin. Sedis Alex.* in *Theſ. Eccl.* Hinc *Papatia* & *Papatus*, de dignitate Pontificia, apud Leonem Oſtienſem *l.* 2. *c.* 79. *Papare*, ſummum Pontificatum obtinere, apud Laur. Leodienſem in *Epiſc. Virdunenſ.* &c. Vide de incrementis ejus Fr. Burmannum *Synopſ. Theolog. Part.* 2. *l.* 8. *c.* 14. Uti verò in Eccleſia Romana *Papa* eſt, ejus caput & Monarcha, *cui ſubeſſe, omnibus de neceſſitate ſalutis eſſe*, pronuntiavit jam olim Bonifacius VIII. ita Japonenſes quoque ſuum habent *Papam*, ſeu ſacrorum Principem; nec non Peguani, inter hodiernos Ethnicos: vocaturque Japonicus, *Dair* (qui tamen poteſtate civili omni exutus eſt circa A. C. 1600.) Peguanus, *Rolim*. Sed & Mahumedani olim ſuum Papatum habuere; *Califatûs* nomine, quem tamen jam ante quatuor ſecula extinxêre Tartari: non ſic tamen, ut non hodieque *Cheki*, qui Meccæ reſidet & omnium Muſlimorum cujuſcunque ſectæ, in ſacris, caput eſt, maxima ſit auctoritas, ſed imperiô deſtituta. Vide ſuprà, ubi de *Muslimis*, & Georg. Hornium paſſim, inprimis *Orbe Polit. Part.* 2. *p.* 4. ubi de quadruplici *Papatu*. De *Papa* verò Romani ditione vide in voce *Pontificia ditio*. Nec omittendum, quòd Goarus *ad Cedren.* has voces Πάπας & Παπᾶς diſtinguens, alteram Pontifici, alteram Clericis minoribus, convenire ait: Hinc in Iſaacii Commeni *Nov.* ὅτι ποιεῖ τοῦτον λιτὸν, Παπᾶν, ἤτοι ἀναγνώστην, ubi innuitur, Lectorem ex infimo Clericorum ordine, ſimplicemque Clericum, eſſe: Atque ita vocem Παπᾶς pro Clerico uſurpâſſe Byzantinos conſtat. Nam & in *Epiſt.* Barbaro-Græcâ Beſſarionis Cardin. editâ à Meurſio Παπάδες, pro *Presbyteris*, accipiuntur; uti Παπαδίσκια, in *Actis* S. Eliæ Junior. pro *Sacrificulis*: & Παπαδίτζη, pro *Sacerdotiſſis*, in *Gloſſis* Græco barb. Scribit præterea Scaliger *de Emendat. Temp. l.* 7. Æthiopes Sacerdotes *Papaſath* hodie vocari, ut Epiſcopos *Epiſcopaſath*. Sed & Indos, de quibus dictum, ſummos ſuos Pontifices *Papas* appellare etiamnum, tradit Joſ. à Coſta *l.* 5. *c.* 14. de quâ appellatione vide Franc. Lopes de Gomara *l.* 2. *c.* 89. Quin etiam Græcis recentioribus vox Παπᾶς præponi conſuevit Hegumenorum nominibus, quemadmodum vox *Pater* apud Latinos. Concilium Chalcedonenſe *Act.* 1. περιμένω τὸν Παπᾶν Ἀβραάμιον. Alibi, de Eutychete Archimandrita hæretico: Ὁ Παπᾶς Εὐτυχής. *Lamentatio* MS. de capta Conſtantinop. Παπάδες, ἡγούμενοι &c. Walafridus Strabo *de Reb. Eccl. c.* 7. *Papa* nomen *paternitatis* appellationem eſſe dicit; & *Clericorum congruere dignitati*: quod etiam colligitur ex *vita* Zoſimi Epiſcopi Syracuſ. *num.* 16. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Epiſcopos enim, *Patres eſſe, non Dominos*, decet, verbis Hieronymi. Vide quoque Coraſium *Miſcellaneor. l.* 5. *c.* 15. Certè *Papa*, pro *Patre*, apud Græcos & Romanos: ſeu *Avo*, apud Arabas. pro quo alii *Atta*, quod ad fratres etiam tranſiit; vel *Abba*, item *Tatta*. Unde *pappare* dicti infantes, mammam amplexuri, vel Patrem vocaturi. *Pappi*, qui pappum miniſtrabant, ut & Pædagogi. Iſidoro, *Papas*, *Pædagogus qui ſequitur ſtudentes.* Hinc Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 633.

——— *Timidus prægustat pocula* Papas.

Et *Acta* Viti ac Modeſti Martyrum: *Angelus autem Domini apparuit* Papati *ejus religioſo viro, Modeſto nomine.* Etiam *Papa*, cibus puerorum, ſicut Bua potus. Non. Marcellus *de Propriet. Serm. c.* 2. *Buas portionem poſitam parvulorum. Var. Cato, vel de liberis educandis: Cùm cibum ac potionem Buas &* Papas *docent, & matrem mammam, Patrem tatam.* Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* & Laur. Pignorium *Comm. de Servis*: nec non in vocibus *Apoſtolici*, *Archiepiſcopus*, & *Pater*, it. *Protopapa*.

Rabbi PAPA, præſes Nareſæ, in urbe vicina Soræ, circa ann. 4113. juxta Rabbi Ganz.

Rabbi PAPA Daman-netzar, floruit ann. 4013. juxta calculum David Ganz, docuitque Nahardeæ. *Juchaſin. p.* 116.

PAPA, urbecula Hungariæ munita, cum arce, ad amnem *Marchaltz*, ſub Auſtriaco media inter Arrabonem ad Boream & Veſprinium ad Meridiem, vix. 3. leuc. Hungaric. à Turcicæ ditionis confinio.

PAPA Fatuorum, vide ſuprà *Kalenda*.

PAPA Guido, vide Guido.

PAPÆUS, Jupiter apud Scythas. Herodot. *l.* 4.

PAPALETHRA, Clericalis corona eſt, apud Balſamonem *ad Synod. VI. annotat.* 21. Græcè παπάληθρα, aliter στεφάνη & γάρραρα, quas voces vide apud Cl. Suicerum in *Theſauro Eccl.*

PAPARINUS Petrus, vide *Petrus*.

PAPAS, vide paulo ſuprà & infrà *Prægustator*.

PAPAVER, in honore apud Romanos fuit ſemper, ut *indicio eſt Tarquinius Superbus, qui Legatis à filio miſſis decutiendo* papavera *in horto altiſſima, ſanguinarium illud reſponſum hâc facti ambage reddidit*, Plin. *l.* 19. *c.* 8. Cujus caput, florem, folia, caulem, clypeum cœlo obtentum, pomi obtuſi caveam penè inanem quid attinet indigitare? *Cereale* dicitur Virgilio *Georgic. l.* 1. *v.* 212.

Nec non & lini ſegetem & Cereale papaver.
Tempus humô tegere & jam dudum incumbere aratris.

Vide quoque *l.* 3. an quòd Cereris effigies in templis id in manu geſtaret, uti docet Callimachus *Hymn. in Cererem*,

——— ——— γέντο δὲ χειρὶ
Στάμματα ϗ μάκωνα ——— ———

An quòd in ſegetibus Agricolæ ſererent. ut Deæ offerretur, Brodæus *l.* 2. *c.* 29. Cereri certè ſacrum fuit. Verùm cùm à frumenti frugumque natura procul abſit: inde colligit Licetus; Cerealia, proindeque Cereris filiam Proſerpinam: quæ ſuaſu Jovis *Papavera* comediſſe fingitur, eſſe non tam fruges triticeas, quàm plantas alias: vel ideo ſic dici, quòd ſomnium & requiem conciliet, unde in oblivionem doloris Cereri eorum eſus conſultus. Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annularibus Schem.* 22. *c.* 104. & 105. Facultate enim frigidum eſt, atque hinc ſomnum ei conciliandi vis. Quam ob cauſam, ante fores hujus Dei florent papavera, apud Ovid. *Met. l.* 11. & Nox papavere coronatur, apud eund. *Faſt. l.* 4. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 17. ubi *papaver*, inter flores quoque coronarios, adhibitum docet, & ſuprà aliquid voce *Opium*. In occulta vero Ægyptiorum Philoſophia, hieroglyphicum fuiſſe non Cereris modò, de qua dictum, ſed & Juſtitiæ, Veneris, Amoris, Gentium, Capitum, oſtendit Jo. Pierius in *Hieroglyphicis*. Inter condimentaria porrò Veterum ſemina ſeſamum & *papaver* numeratur Apicio in *Excerptis*. Unde *Papavere ſparſa*, apud Petronium, *Sed mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque, quaſi papavere & ſeſamô ſparſa*: τὰ μηκωνισμένα ſunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 368. Certè *papaveris* candidi ſemen toſtum cum melle, ſecundis Romanorum menſis adhibitum, docet Plin. *l.* 19. *c.* 8. ubi addit, *Hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergebatur, affuſo ovo inhærens, ubi inferiorem cruſtam apium githque cereali ſapore condiunt.* Ejuſdem ſuccus, lacte & melle dilutus, in mamillis connuptiali apud eoſdem cœna exhibitus: imò & contra inſomnia aſperſus eſt. At in Coorum Inſul. ſeniô confectos, antequam ægreſcerent, alios *papavere*, alios cicutâ ſibi ipſis mortem conſciviſſe, habet *in Politiis* Heraclides. De more ſoliis *papaveris* ludendi, apud Græcos uſitato, dicemus infrà, voce *Platagonion*. Ut & hoc addam: ejus puncta in citreis Romanorum menſis magni habita fuiſſe, docet Plin. *l.* 13. *c.* 15. *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice variis* &c. & paulò pòſt, *Poſteà murænа nigrô tranſcurrens limite, variiſque corticum punctis apprehenſus* Papaverum *modo, & in totum atro propior color, maculæque diſcolores.* A capitum inſuper eorum forma ac ſimilitudine, *Codones* dici tintinnabula, non ſine ratione contendit Hier. Magius *de Tintinnabulis l. c.* 1. ubi ait: *Codones à Græcis tintinnabula nuncupari, nemo eſt qui neſciat. Codones autem dici, eo quòd dum moventur, ſonum & quaſi cantum edere ſolent, Græcânt pareſt etymologiâ, teſtantur Johannes Grammaticus in Commentariis in l. Ariſtot. de Anima & Suidas in Lexico. Tametſi à forma & ſimilitudine capitum plantæ papaveris, quæ Codonum voce à Græcis ſignificantur, ſic dici tintinnabula, aliquis non ſine ratione fortaſſe contendet.* Sunt autem *Codones* propriè tintinnabula, equorum phaleris appenſa. *Suidas*, Κώδων, παρὰ τὸ ἐν τῷ κινεῖν ᾄδειν. Franciſcus Swertius *Notis in Magium*. In veteri verò *Charta* apud Joh. Scheferum ad *Chron.* Upſalienſe 10. 152. *Obtulit caſulam dalmaticam & ſubtile cum duabus cappis, omnia de papavere, ad ponendum ſuper ſepulchrum in ſolennitatibus*, &c. quid vox ſignificet, quæritur. Occurrit eôdem ſenſu in *Exceptione* corporis S. Florentini Latiniac. *MS. Inſcriptio hæc erat: Hîc requieſcit &c. Erat autem ſcriptum in papavere*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* An lux his locis è ſeqq. aliqua?

PAPAVERACA Veſtis, Latinis pro *tenui ac delicata*, uti Græcis μήκων. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Crebra* papaveracæ *antiquam habent originem, jam ſub Lucillio Poëta in Torquato notata.* Nempe quia Græci μήκωνα vel μηκωνῖτιν veſtem vocârunt tenuiſſimam, ex *mecone* ſive *papavere* pinnarum textam: hinc *Lucillius*, qui ubique & ſemper Græciſſabat, *papaveracam*, delicatam ac byſſinam veſtem dixit. Quales autem illæ veſtes fuerint, non explicuit Plinius. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1127. & hîc ubi de *Conchis Pinniſque*.

PAPEBERGA, & BABENBERGA, urbs Franconiæ, vulgò *Bamberg*. Patria Joachimi Camerarii.

PAPELLIUS Iſter Conſul, cujus tempore bubo infauſta avis Capitolii cellam intravit, propter quod Nonis Martiis urbs luſtrata eſt eô annô, Plin. *l.* 10. *c.* 12.

PAPHAGES, Rex Ambraciæ, qui cùm obviam factus eſſet leænæ catulis ſuis ſtipatæ, ab ea occiſus eſt.

PAPHARA, urbs regionis Cyrrheſticæ, in Syria, *Ptol.*

PAPHLAGONIA, vulgò *Roni Caſtaldo*, *Bolli* aliis, regio Aſiæ minoris ad Pontum Euxinum, Galatiæ pars Borealis *Ptolemæo* inter Bithyniam ad Occidentem & Cappadociam ad Ortum Galatiâ ad Auſtrum cohærente. *Baudrando* eſt, inter Pontum Euxinum ad Boream & Galatiam ad Meridiem, ad 160. mill. paſſ. extenſa verſus oram littoralem, ubi ejus urbes præcipuæ Synope, Teuthrania *Tripoli*, ſeu *Tribicelli* hodie; & Amiſus, ex *P. de Via*. In hac provinc. Mahometes à Calojohanne, per fil. Emanuelem victus eſt, A. C. 1138. Vaſtata eſt à Coſacis, A. C. 1616. Nomen habet à *Paphlagone*, Phinei filio, teſte *Stephanô*. Populi *Paphlagones*, quos ſuperſtitioſos ac ſtolidos eſſe affirmat Lucianus *in Pſeudomanti*. Strabo *l.* 7. Plin. *l.* 6. *c.* 2. *Ptolem. Steph. Byzantinus*, *Dionyſ. Africanus*, qui ſic ait:

Paphlagones poſt hos, Mariandinique ſequuntur.

Horum meminit etiam Dionyſ. *v.* 787.

Παφλαγόνες δ᾽ ἐπὶ τοῖσιν ἐπ᾽ ἠιόνεσσι νέμονται,
Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον. ———

A *Paphlagone* Phinei filio; uti diximus, *Paphlagoniam* deducit *Steph.*

Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ita etiam Conſtantinus Porphyrogenneta *Them.* 7. *Paphlagones* deducit, ἀπὸ Φινέως τοῦ πρώτου τὴν Παφλαγονίαν οἰκίσαντος, ὃς ἔσχεν υἱὸν Παφλαγόνα ἐξ οὗ καὶ ἡ χώρα τὴν προσηγορίαν ἐκληρονόμησεν. Fortaſſe autem, inquit vir Magnus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 10. Phinei filius pro *Paphlago*, fuit *Phaleg*, unde *Paphlagonia*, compoſitô nomine פאה פלג dicta fuerit, h. e. *plaga Phalegi*. Id enim propriè פארה ſea. Homer. eos à fortitudine commendat. *Il.* ε. *v.* 577.

Ἀρχὸν Παφλαγόνων μεγαθύμων ἀσπιστάων.

Idem *Il.* ν. *v.* 656.

Τὸν μὲν Παφλαγόνες μεγαλήτορες ἀμφεπένοντο.

Nic. Lloydius.

PAPHNUTIUS, Epiſcopus Ægyptius Confeſſor, ex illis, quos Maximinianus, dextris effoſſis oculis, & ſiniſtrô poplite ſuccisô, ad metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut ſigna per eum non minus, quàm dudum per Apoſtolos fierent. Nam & Dæmonas verbô tantùm fugabat, & ægros ſolâ oratione curabat: ſed & cæcis viſum dediſſe dicitur, & paralyticos ad ſtabilitatem corporis revocâſſe. Hunc Conſtantinus Imperator in tanta veneratione & affectu habuit, ut ſæpiùs eum, intra Palatium evocatum, complecteretur, & illum oculum, qui in confeſſione fidei erat evulſus, avidioribus oſculis demulceret, Ruffin. *Eccleſ. Hiſt. l.* 10. *c.* 4. Is Concilio adfuit Nicæno, in quo cùm cæteri Patres legem laturi eſſent, quâ conjugium Sacerdotibus prohiberetur, contradixit, honorabiles confeſſus nuptias, & caſtitatem eſſe dicens concubitum cùm propria conjuge. Interfuit quoque Concilio Tyrio & Sardicenſi, pauloque pòſt obiit. Socr. *l.* 1. *c.* 8. Ruffin. *l.* 1. Athanaſ. Baronius, *A. C.* 325. Hiſtor. Trip. Sozom. *l.* 2. *c.* 22. *&c.*

PAPHOS, Cypri civitas, Veneri quondam ſacra, hodie in ruinis; *Baſſo.* Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 51.

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos.

Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 30. *v.* 1.

O Venus, regina Cnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron. ———

In hac urbe ante nuptias, puellæ dotem quæſituræ, in honorem Veneris, in litore ſe proſtituebant, Juſtin. *l.* 18. *c.* 5. *Ptol. Pomp. Mela l.* 2. *c.* 7. Strabo *l.* 14. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Hinc Nonnus *in Baſſaricis l.* 13.

Καὶ Πάφον ἁβροκόμων στεφανηφόρον ὅρμον Ἐρώτων.

Nic. Lloyd. In nummo Caracallæ cernitur vetuſtiſſimum *Veneris Paphiæ* ſimulacrum, *nulli rei magis aſſimile, quàm albæ pyramidi*, Erizzo *in Caracalla* & Max. Tyrius *Serm.* λή. Erat enim *continuus orbis, latiore initiò tenuem in ambitum metæ modò, exſurgens*, Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 3. Vide ſuprà ubi de Deaſtrorum hujuſmodi *Batylis*: Ita enim informes hæ ſtolæ vocabantur.

PAPHOS, *Nova*, Cypri inſulæ urbs, *Ptol. Neapaphos* Plinio, *l.* 5. *c.* 31. *Bapho Nigro.* Paphum ab Auguſto Imperatore *Auguſtam* appellatam ſcribit Dio *l.* 54. ſed veteremne an novam, non diſcernit. Duæ enim ſunt in Cypro, teſte *Ptolemæô.*

PAPHUS, Pygmalionis fil. ex Eburnea matre. Cùm enim olim Pygmalion in Cyprum inſulam perveniſſet, comperiſſetque mulieres omnium libidini obſequentes cœlibem vitam ducere ſtatuit. Porrò cum ingeniô valeret, eſſetque ſculptor inſignis, dicitur ſibi ex candidiſſimo ebore muliebre ſculpſiſſe ſimulachrum, omnibus venuſtatis, formæque numeris quoad fieri potuit, abſolutum. In quo cùm homo ingenioſus artem ſuam miraretur, in ejus amorem incidit, oravitque Venerem (quæ ſummâ cum veneratione id temporis in Cypro colebatur) ut uxorem ſibi concederet ſtatuæ ſuæ eburneæ ſimilimam. Quibus precibus à Venere exauditis, Pygmalion domum rediens ſtatuam ſuam animatam invenit, ſervatiſque iiſdem lineamentis, eôdemque candore, in formoſiſſimam virginem transformatam. Cujus poſteà concubitu uſus, ex ea Paphum filium ſuſcepit, qui & patri in regno ſucceſſit, condiditque urbem in Cypro, quam de ſuo nomine *Paphum* vocavit. Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 297.

Illa Paphum genuit, de quo tenet inſula nomen.

Conſtruxit etiam in ea templum & aram in honorem Veneris, quæ a loco *Paphia* dicta eſt, cui diu ſolô thure ſacrificatum eſt.

PAPIA, quæ & *Flavia* aliquando in antiquis nummis, olim *Ticinum*, urbs Inſubriæ poſt Mediolanum clariſſima. Quondam Oſtrogothorum, & Longobardorum ſedes. Carolus Calvus Boſonem affinem, Regem Provinciæ & Papiæ Ducem creavit, A.C. 876. Synodô dein, hîc coactâ, Victor Papa Alexandrum III. cum patre ejus candelis accenſis execratus eſt, A. C 1150. Martinus V. quoque hîc Concilium indixit, A.C. 1423. quò poſteà Senas tranſlatô, oſſa Viclefi exhumata ſunt. Hîc etiam Galeatius Mantuanus hybernans, à Papienſi puella, quam unicè amabat, juſſus, in fluvium præceps iit. *Pontanus.* Item fluv. ejuſdem nominis. Vide *Ticinum.*

PAPIA Lex, de Patronatus jure, aliis *Pappia*, lata à M. Pappio Mutilo Conſule cum Q. Pompejo II. Auguſti temporibus, *Ut ex bonis ejus, qui HS. centum millium patrimonium reliquerat & pauciores, quàm tres liberos habebat, ſivè is Teſtamentô factô, ſive inteſtato mortuus erat, virilis pars Patrono deberetur.* Item *ut libertus, qui duos liberos in poteſtate haberet, operarum obligatione liberaretur*, Juſtinianus §. 1. *de Succeſſ. libert.* & *in ff. tit. de bon. libert.* &c. Item de Peregrinis, non multùm poſt legem Claudiam, lata, quô annô, incertum: *Ut peregrini urbe Româ expellerentur*, juſſit, Cicer. *pro Balbo.* Alia de ritu capiendæ Veſtalis Virginis, fuit hæc: *ut Pontificis Maximi arbitratu Virgines è populo* 20. *legerentur, ſortitioque in concione, eô numerô fieret, ut cujus virginis ducta eſſet, eam Pontifex Maximus caperet, eaque Veſtæ fieret.* Sic enim eam reſtituerunt Jac. Rævardus & Lud. Carrio JCti. Addit autem etiam A. Gellius, *l.* 1. *c.* 12. eam ſortitionem ex lege *Papia* ſuô temporè non neceſſariam fuiſſe viſam: Nam *ſi quis honeſtô locô natus adeat Pontificem Max. atque offerat ad Sacerdotium filiam ſuam, cujus duntaxat ſalvis Religionum obſervationibus ratio haberi poſſit, gratiam Papiæ legis per Senatum fieri.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

PAPIANILLA, *Sidon. Maſſono Sorlivia*, lacus Galliæ in finibus Arvernorum.

PAPIAS, D. Joannis auditor, D. Polycarpi condiſcipulus & ſocius, Hierapoleos civitatis Epiſcopus fuit. Eloquiô, pietate, eruditione omnigenâ illuſtris, ſed parum firmô judiciô. Auctor quinque librorum quos edidit cum titul. *Expoſitio Verborum Domini noſtri.* Opinionem de felicitate piorum millenaria, in hac vita, primus fovit, ex non intellecto Apocalypſeos loco, minimè tamen hæreticis Chiliaſtis accenſendus, quibus hæc felicitas non pura & ſpiritualis eſt, ſed in turpiſſimis voluptatibus tranſigitur. Vide Euſeb. *Eccleſ. Hiſt. l.* 3. *c.* 33. 35. & 39. Hieronym. *de Script. Eccleſ.* Baron. *A.C.* 118. *&c.*

PAPIAS, ſeu PAPPUS, Alexandrinus, diſcipulus Theonis Philoſophi, ſub Theodoſio M. Deſcriptionem terræ edidit, & tractatum de Lybiæ fluviis. Vide *Pappus.*

PAPIAS, Grammaticus, qui ſcripſit Dictionarium Latinum ordine literarum.

PAPIAS & PAPPIAS, cuſtos Palatii, apud Byzantinos Imperatores *Cuſtos Palatii*, Papias & *Oſtiarius*, in VIII. Syn. *act.* 5. De qua dignitate vide quæ obſervavit *ad Cinnamum p.* 480. Car. du Freſne.

PAPIENSE Territorium *il Paveſe*, pars eſt Ducatus Mediolanenſis verſus Ticinum urbem. In duas partes à Pado ſcinditur, habetque ad Boream agrum Mediolanenſem, ad Ortum Laudenſem, & Ducatum Placentinum, ad Meridiem ditionem Genuenſem, ad Occidentem agros Dertonenſem & Alexandrinum. Ejus etiam pars eſt Laumellina tractus. Urbes ſunt Ticinum, Mortaria, Voghiera, & Bobbium.

PAPILIO, dicitur bombyx, cùm alas ſumit. Bombyx enim, unde ſtamen bombycinum ducitur, eô tempore dicitur, & eſt bombyx, quô mortuæ ſimilis in ſuo ſibi nido textili, quo ſeſe involvit, prorſus immobilis quieſcit. Nam ex vermiculo fit eruca, quæ poſt paulum temporis, ut eruca facta eſt, ſedes ſibi tendere incipit & quaſi tumulum ſive nidum potiùs condere filis multis hirſutum & horricomem, in quo velut ſepulta jacet; atque tunc *Bombyx* dicitur & *Bombylius.* Ex bombylio dein, perforatâ teſtâ, quâ incluſa eſt, ſumptis pennis exit *Papilio*, quem νεκύδαλον Græci vocant; ita dictum, vel quòd haud diu vivat, nam pòſt paulò moritur, aut quòd ex mortua bombyce quaſi renaſcatur; Atque hujuſmodi papiliones, qui ex crucis diverſis fiunt, ψυχαὶ Græcis dicuntur. Confundunt quidem βόμβυκα & νεκύδαλον nonnulli, ut inter alios *Clemens Alex.* at *Ariſtoteles* aliique diſtinguunt & meliùs: nam certum eſt, necydalum dici, qui prodit ex bombyce. Heſych. νεκύδαλος, τὸ ἐκ τοῦ βόμβυκος ζῶον. Plin. *l.* 11. *c.* 22. *E grandiore vermiculo gemina ſui generis protendente cornua urica fit* (pro eruca) *dein quod vocatur bombylis, ex ea necydalus*, &c. Sic autem è bombyce exiens *Papilio* vel necydalus, ova generat, ex ovis naſcitur vermiculus, ex vermiculo fit eruca, ex eruca bombyx, ex bombyce iterum *Papilio*, ſeu necydalus: quæ tot mutationes unius animalculi in ſex totis menſibus fiunt. Apud Plinium Coi artifices non priùs ex bombyce ſtamen bombycinum eliquabant ac evolvebant, quàm evolâſſet papilio; quare non mirum, ſi non optimæ notæ bombycinum illud erat, ita ut veſtes ex eo textas viros etiam uſurpare non puderet: Necanda enim bombyx eſt, priuſquam erumpat papilio, ut optima habeatur & delicatiſſima metaxa. Atque ita hodierni Artifices faciunt, qui ardentiſſimo Soli expoſitas ſic interficiunt in ſuo ſibi nido ac folliculo bombyces, aut in furno torrendas curant, &c. Vide hanc in rem plura, apud Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3. & ſuprà, ubi de *Bombycina veſte*, ac voce *Bombyx*, & infrà ubi de *Serice.* De tabernaculo porrò ſeu tentorio, vox *Papilio*, Gallis *Pavillon*, frequenter uſurpatur, apud recentiores ævi Scriptores. *Gloſſæ veter. Papilio*, σκήνωμα, Joh. de Janua, *Papiliones dicuntur tentoria, ad ſimilitudinem papilionis volantis.* Papias, *Papiliones, tentoria dicuntur, à ſimilitudine parvi animalis: hæ ſunt aviculæ, lumine accenſô conveniunt & circa volitantes ab igne proximo interire coguntur.* Vide quoque Vegetium *l.* 1. *c.* 23. Spartianum, Petrum Diaconum *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 108. Alios & infra voce *Tenſa.* Sic παπυλεῶνα dixerunt Græci poſteriores. Vide Meurſium in Παπυλεών. Et ab hoc *Papilionis* ſignificatu, *Papiliones* dicti ſunt nummi aurei Francici, quòd Rex in iis ſub *papilione* in throno ſedeat. Vetus *Regeſtum d.* 14. *Novembr.* 1338. *uſque ad* 14. *Jan.* 133 . *fiebant Papiliones ponderis* 48. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Moneta*; ubi Denariorum auri puri *cum Papilione*, Gall. *des Deniers d'or fin au Pavillon*, in quibus Rex ſedet ſub tentorio liliato, pond. 4. den. pretii. 30. ſolid. juſſu Philippi VI. Regis cuſorum typum exhibet. Plura de *papilionum* generibus variis, copiâ florente malvâ, Americanorum inprimis magnitudine, vide apud Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 65. 69. & 77. uti de venatione eorum, cui domi Ludovicus XI. Gall. Rex vacaverit, cùm foris inſectari feras ampliùs haud poſſet, Joh. Bapt. Fulgoſum *l.* 8. *c.* 8.

PAPILLA, vide infrà *Uber.*

PAPINIANISTÆ, dicti olim, qui biennium in Legum ſtudio verſati, tertium etiam adjungebant. Imperat. *ad Anteceſſ. Ne autem tertii anni auditores, quos & Papinianiſtas vocant, nomen & felicitatem ejus amittere videantur.* Ratio nominis, quòd iis *Papiniani* librorum lectio proponeretur. Hi ſi quartum quoque annum adjicerent, *Lytæ* vocabantur; ſi quintum & poſtremum, *Prolytæ.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid. paſſim.*

PAPINIANUS, JCtus Severo Principi gratiſſimus, Scævolæ diſcipulus, qui ei in advocatione fiſci ſucceſſit. Is eſt, cui filios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſuos Severus moriens commendavit, ſed deinde ab Antonino Caracalla ſecuri percuſſus eſt. Cauſa necis traditur, quòd Caracalla, interfectô fratre Getâ, ut & in Senatu, & apud populum facinus dilueret: illum autem reſpondiſſe, *Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri.* Spartian. *in Sev. c.* 21. *Geta c.* 6. *& Carac. c.* 4. ubi eum Juriſprudentiæ decus, & theſaurum legum appellat. Dion. *in Caracalla.* Herodian. *l.* 4. Fiſchard. *de vit. Juriſc.* Fuerat Advocatus Fiſci primò, dein Prætorio præfectus.

PAPINIUS, prænomine *Sextus*, conſulari familiâ Gn. Acerroniô, C. Pontiô Conſulib. repentinum & informem exitum dilegit. jactô in præceps corpore. Cauſa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, adſentationibus atque luxu pepuliſſet juvenem ad ea, quorum effugium non niſi morte inveniret. Igitur accuſata in Senatu, quanquam genua patrum advolveretur; urbe tamen in decem annos prohibita eſt, donec minor filius lubricum juventæ exiret. Tacit. *l.* 6. *c.* 49. *Annal.*

PAPINIUS Galienus, vide *Sextus.*

PAPINIUS Statius, Neapolitanus, inter Heroicos poëtas relatus, haud ignobili genere ortus eſt. Quidam ſcribunt, majores ejus oriundos eſſe Epirô, diuque verſatos Sellis, non ſine admiratione ingenii & probitatis. Patrem Papinium habuit, qui, ob inſignem eruditionem, egregiaſque virtutes, Neapoli civitate donatus eſt, in qua Statius poëta natalem ſuum habuit. Compoſuit multa & varia poëmata. Vide *Statius*, & Crinitum *de Vit. Poët.*

PAPINOGRODA, urbs recens Moſcoviæ Borealis in Petzora provinc. ad Petzoram fluv. in ipſo Siberiæ limite.

PAPIRIA, ſive PAPISIA, gens patricia Romæ fuit, minorum gentium, teſte Cicer. Habuit cognomina *Mugillanus*, *Craſſus*, *Curſor*, *Prætextatus*. *Maſo* & *Pætus*, è quibus nobiliſſimæ familiæ Mugillanorum; Craſſorum & Curſorum. Vide *Papyrius.*

PAPIRIA, gens fuit etiam Plebeja, *Corbonis* nomine inſignita.

PAPIRIA Lex, de Aſſibus: lata à C. Papirio Carbone Tribun. Pleb. L. Corneliô Scipione, C. Læliô Nepote Conſulib. an. Urb. Cond. 563. voluit, *Ut aſſes, qui unciales erant, ſemunciales fierent.* Ejus meminit Plin. *l.* 33. *c.* 3. Alia de Civitate danda Acerranis, cujus auctor fuit L. Papirius Prætor an. 421. Corn. Coſſô Arvinâ II. Cn. Domitiô Calvinô Conſulib. juſſit, *ut Acerranis civitas ſine ſuffragio daretur*, Liv. *l.* 8. *c.* 17. Alia, de Suffragiorum libertate, à C. Papirio Carbone Tribun. Pleb. P. Pollio Lænate R. Rupiliô Conſulib. an. 621. rogata, *Ut in jubendis legibus, aut vetandis, populus tabellâ ſuffragium ferret*, ſanxit. Vide Cicer. *de Legg. l.* 3. Alia, eôdem Auctore, an. 623. M. Perpennâ, C. Claudiô Pulchrô Conſulib. fuit, *ut eundem Tribunum Pleb. quoties quidem vellet, creari liceret.* Sed perlata non eſt. Florus *Epitome* 59. Cicer. *in Lælio* &c. Tandem L. Papirius Tribun. Pleb. tulit: *Ut, qui inter cives jus diceret, Treſviros Capitales populum rogaret, qui Sacramenta litigatorum exigerent, judicarentque: eôdemque jure eſſent, uti quos ex legibus, plebiſve ſcitis exigere, judicareve oportet.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.* Fuit & *Papiria* Julia Lex Conſularis, *de modo multarum lata*, ut ex Livio conſtat: verùm quâ ſententiâ, non exprimitur. Idem *l.* 4. *c.* 30.

PAPIRIA Tribus, una ex Tribubus Pop. Romani ruſticis, à gente *Papiria*, cujus Livius, Dionyſius ac alii, & inter recentiores Richardus Streinius meminerunt, nomen accepit. Sic enim Sext. Pompejus, *Papiria*, inquit, *Tribus à Papirio vocata.* Meminit illius quoque *l.* 8. *c.* 37. Livius, cùm ſcribit: *Memoriamque ejus iræ Tuſculanis in pœnæ tam atroci auctore manſiſſe ad Patrum ætatem conſtat, nec quenquam fermè ex Pollia Tribu Candidatum Papiriam ferre ſolitum.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 6. *c.* 15.

PAPIRIANÆ Foſſæ, vide *Foſſæ.*

PAPIRIANUM, Jovio, quòd aliis *Pyrenianum*, *Perpignan*, urbs Galliæ Narbonenſ. caput Comitatus Ruſcinonenſ. Excitata è ruinis Ruſcinonis, à qua dimidiâ leuc. Gall. diſtat. Ad Thetim fluv. vix. 3. leuc. ab ora maris Mediterranei in Occaſum, 9. à Narbone in Meridiem. Anteà ſub Hiſpanis ſed A. C. 1642. à Gallis expugnata, iis nunc ſubeſt. Habet arcem permunitam, ſedeſque eſt Epiſcopalis Elnenſis, ab A. C. 1604.

PAPIRIANUM Jus, à Sexto *Papirio*, nomen accepit. Primùm enim Romani Legibus Regiis cùm regerentur, quas partim Romulus, auctâ jam ad aliquem modum civitate, (cùm anteà manu Regis omnia gubernarentur) partim Reges ſubſequentes ad Populum tulerant, illas omnes Sextus Papirius, qui floruit illis temporibus, quibus Superbus, Demarati Corinthii filius, in unum librum congeſſit, qui poſteà, *Jus Civile Papirianum* proptereà dictus eſt; non quòd Papirius quidquam de ſuo ibi adjecerit, ſed quòd Leges ſine ordine latas, ut dictum, in unum compoſuerit. Duravit illud, donec exactis Regibus, lege Tribunitiâ in uſu eſſe deſiit, omnibuſque Legibus Regiis abolitis, iterum incertô magis jure & conſuetudine potiùs, quàm lege Populus Roman. uti cœpit, per annos circiter 20. quibus exactis, XII. Tabulæ à Decemviris concinnatæ ſunt, quæ præcipuum Romanæ Juriſprudentiæ caput extiterunt. Quænam autem in *Papiriano* codice Leges fuerint exaratæ, non admodùm certum eſt. Franc. Balduinus *l. quem ad Romuli LL. ſcripſit*, 18. recenſet ipſius Leges, quas ſe in tabula antiquiſſima inveniſſe ſcribit, & ex quibus multas etiam Paul. Manutius *in Legum libello* commemorat. Verùm tamen Eruditis illæ non probantur: Cujacius certè non dubitat affirmare, confictas eſſe. Interim pleraruмque Legum conjecturas, quicunque eas primùm collegerunt, ſumſiſſe ex aliquibus Dionyſii Halicarnaſſæi, Plutarchi, Ciceronis, aliorumque Scriptorum locis: imò quaſdam ex Legibus à Balduino recitatis verè latas eſſe, licèt ipſa earum verba, quæ fuerunt ſine omni dubio antiquiſſima, afferri non poſſint, docet & oſtendit Joh. Roſin. qui primùm, quæ ipſi recitant capita, repetit: dein eas Leges commemorat; quæ certis Veterum teſtimoniis nituntur, *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5.

Capita Juris Papiriani, quæ Balduinus aliique recitant.

1. *Ne quid inauguratò faciunto.* Sumta conjectura eſt ex Cicer. *de divin. l.* 1. & Dionyſ. *l.* 2.
2. *Patres ſacra, Magiſtratuſque ſoli peragunto ineuntoque juſque dicunto*: ex eodem *Dionyſ.*
3. *Sacrorum omnium poteſtas ſub Rege eſto: Sacra Patres cuſtodiunto*, Ex *eod.*
4. *Plebeji agros colunto.* Similiter.
5. *Populus Magiſtratus creanto, leges ſciſcunto, bella decernunto.* Vide *eund.*
6. *Deorum fabulas ne credunto.* Ex *eod.*
7. *Deos peregrinos præter Faunum ne colunto.* Vide Cicer. *de LL. l.* 2. & *Dionyſ.*
8. *Nocturnas in Templo vigilias ne habento*: Ex *eod. Dionyſ.*
9. *Ne quis, præſentibus fœminis, obſcœna verba facito*, ex Plut. *in Romulo.*
10. *Quiſque demiſſam ad talos Togam in Urbe habeto, neve egreditor.* Ex *eodem.*
11. *Parricidas omnes capite puniunto*, Vide *eund.*
12. *Ne quis, niſi per portas, Urbem ingreditor. Mœnia ſacroſancta ſunto*: ex Pompon. JCto Plut. *in Quæſt. Rom. q.* 27. &c.
13. *Mulier viro legitimè conjuncta, Fortunarum & ſacrorum ſocia illi eſto: utque domus ille dominus, ita hæc domina.* Ex *Dionyſ. Halicarn.*
14. *Filia uti Patri, ita defuncto Viro hæres eſto.* Ex *eod.*
15. *Adulterii convictam vir & cognati, uti volent, necanto.* Vide *eundem.*
16. *Si vinum biberit, domi ut adulteram puniunto.* Ex *eod.* Vide quoque A. Gellium *l.* 10. *c.* 23. Jac. Cujacium *Obſervat. l.* 6. *c.* 25. &c.
17. *Parentum liberos omne jus eſto relegandi, vendendi & occidendi.* Ex Dionyſ. *l.* 2.
18. *Monſtroſos partus ſine fraude cædunto.* Ex *eodem.* Hæc *Balduinus* & *Manutius* habent. Addit aliquas leges & Pandulfus Parcus *Jurisprudentia.*
19. *Virum uxor ne deſerito. Uxorem ſi in veneficio natorum, adulteriove deprehenſa clamve marito fuerit; repudiandi jus eſto. Qui præter has cauſas repudiârit, verum ſuarum pars Uxori dator, pars Cereri ſacra eſto.* Ex Plut. *in Romulo.*
20. *Deprehenſi in homicidio, ſtatim puniuntor.* Eadem eſt cum undecima, quam vide.
21. *Plebeji, quem ſibi è Patriciis Patronum volent, eligunto.* Ex *Dionyſio.*
22. *Judiciis fraus ne adhibetor.*
23. *Maximarum injuriarum judicium penès Reges eſto: minimarum penès Senatores.* Ex *Dionyſio* eodem.
24. *Annus menſis decimus eſto*: ex Macrobio *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. &c.

Leges Regiæ, quarum certiora extant teſtimonia.

Romuli legis unius fit mentio in *Feſto. Sei. Parentem. puer. verberit. Aſt. Oloe. ploràſſint. Puer. Diveis. Parentum. ſacer. eſto. ſei. Nurus. ſacra. Diveis. Parentum. eſto.*

Ex legibus Numæ Pompilii hæc fragmenta reperiuntur: *Sei. hominem. fulmen. Jovis.* (ſeu ut *Lipſio* placet; *Fulminis*, nominandi caſu) *occiſit. em. ſupra. genua. nei. tollito. Homo. ſei. fulmen. occiſus. eſit. &. Juſta. nulla. fieri oporteto.* Apud Feſtum in voce *Occiſus.*

Ejuſdem de parricidiis, apud eundem, in voce *Paricidii Quæſtores* &c. *Si. quis. hominem. liberum. dolo. ſciens. morti. duit. Parricida. eſto. ſei. im. imprudens. ſe. dolo. malo. occiſit. pro. capite. occiſei. &. nateis. ejus. in. concione. arietem. ſubicito.*

Ejuſdem de Pellice: *Pellex. aram. Junonis. ne. tangito. ſi. tanget. Junoni. crinibus. demiſſis. agnum. fœminam. cædito.* Paulus JCtus.

Ejuſdem de Opimis ſpoliis: *Quovis. auſpicio. claſſe. procincta. opeima. ſpolia. capiuntur. Jovei. Feretrio. bovem. cædito. quei. cepit. æris. ducenta. darier. oporteto: Secunda. ſpolia. in. Martis. aram. in Campo. ſolita. Aurilia. vita. volverit. cædito. Tertia. ſpolia. Jano. Quirino. agnum. marem. cædito. centum. quei. ceperit. &. ære. dato.*

Ejuſdem de Pollucto: *Piſceis. quei. ſquamoſei. non. ſunt. nei polluceto. ſquamoſos. omneis. præter. ſcarum. polluceto*: ex Plin. *l.* 32. *c.* 2. & *Feſto.*

Ejuſdem de Vino: *Vino. rogum. ne reſpergito.* Plin. *l.* 14. *c.* 12. Vide quoque Lipſium *Antiqq. Lection. l.* 3.

Ejuſdem de Judiciis: *Sei. quid. horum. fuat. unum. Judicei. Arbitrove. reove. dies. diffenſus. eſto.* Feſtus in voce *Reus.*

Ejuſdem de Terminis: *Quei terminon. exaraſſit. ipſus. & bovis. ſacrei ſunto. Feſtus*, & *Dionyſ. Halicarn.* Memoratur & hæc ex Numæ legibus, apud *Dionyſ.* & *Plut. Si. pater. filio. conceſſerit. uxorem. deducere. futuram. ſacrorum. ac. bonorum. juxta. leges. participem. Patri. poſthac. nullum. jus. eſto. vendendi. filium.* Neque prætermittenda Lex Regia, *de mortuo non inferendo*; quæ à Martiano refertur *l.* 2. *ff. mort. in fer.* Legum Servii Tulli *de Contractibus*, meminit Dionyſ. *l.* 4. & 5. Cœterum, quarum æquitas manifeſta fuit, in XII. Tabul. relatæ ſunt. Joſ. Scaliger *in Feſtum.*

PAPIRIUS, prænomine Manius, ex patriciis, vir quietis ſtudioſus, poſt reges ejectos, primus creatus rex Sacrificulus. Videatur Liv. *l.* 2.

PAPIRIUS, centurio, à Muriano ad cædem L. Piſonis Proconſulis Africæ miſſus: de quo vide Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 49.

PAPIRIUS *Ager*, in Latio circa Tuſculum.

PAPIRIUS *Lacus*, ſeu *Bapirianus*, lacus parvus Hetruriæ, in provinc. Patrimonii, 3. milliar. à lacu Sabatino in Ortum Campaniam verſus, in Sabatia tractu; *Lago di Strettia cappa. L. Holſtenius*, *Alii.*

PAPITIUM, urbs Paphlagoniæ, *Steph.*

PAPIUS Andreas, Gandarenſis, cum Joh. Livineio, ab avunculo amborum Lævino Torrentio, ſolicitè educatus, ætatis annô vix 18. vertit *Dionyſium Alexandrinum heroicô carmine*, & *Notas* addidit; Muſices, quoque peritiſſimus. Obiit Leodii, ubi Canonicatum habebat, A. C. 1581. ætat 30. ſub caniculæ æſtu dum natando ſe exercet aquis merſus Voſſ. *de ſcient. Mathem.* p. 418. *Aub. Miræus & Ant. Teiſſier*, qui reliqua ejus ſcripta recenſet, *Elog.*

PAPIUS Mutilus, prænomine *Marcus*, & *Quintus Poppæus*, Conſules fuêre ſuffecti, ab Auguſto Cæſare An. Urb. Cond. IↃCCLXI. ſub quibus Lex de maritandis Ordinibus ab Imperatore, quamvis invitô populô, perlata: quæ inde *Papia Poppæa* dicta, quam perperam Alexander ab Alexandro, Beroaldus ac Zaſius *Papiam Pompejam* appellant.

PAPO Johannes, Senator Parlamenti Pariſini ſeculô præteritô ſcripſit Syllogen Senatuſconſultor. & Tres Notarios. Morerius *in Dict. Hiſt.* Vide & *Johannes.*

PAPO Ludovicus, vide *Ludovicus.*

PAPPA, Orondicorum urbs in Galatia, Ptol.

PAPPENHAIMUM, oppid. Sueviæ, ad Alemannum fluv. ſub proprio Comite. Vix. 3. leucis ab Aichſtatto in Occidentem, Nerolingam verſus 5. Et quidem.

PAPPENHEMIA Familia, in Germaniæ illuſtribus, Mareſcallatus dignitate hæreditariâ in Imperio inſignis, à Calatino Romano, qui Druſô & Tiberiô bella gerentibus in Vindelicio remanſerit, originem ſecundùm quoſdam arceſſit. Lineæ plures fuêre; Nam, præterquàm quòd in Henrici, qui deceſſit A. C. 1278. filiis, Hildebrandus *Pappenhemios in Biberach* ſevit, prior Henricus primariam ſtirpem propagavit. In hac Henrici abnepos Haupto IV. filios habuit, totidem linearum auctores. Conradus primus ex iis fuerat, ſed ejus poſteritas etiam prima defecit A. C. 1597. Henrici ramus, in Maximiliano Landgrav. *Stulingenſi* exaruit A. C. 1639. Georgii, qui tertius erat, abnepos Wolfgangus Adamus (Godofredi Henrici Comitis *Pappenhemii*, celebris Belli Ducis, in pugna Lutzenſi, quâ & Guſtavus Adolfus Sueciæ Rex occubuit, occiſi A. C. 1632. fil.) morte ſuâ iſtam lineam terminavit, A. C. 1647. Supereſt nunc poſteritas Sigiſmundi, qui inter liberos Hauptionis quartus recenſetur. Habuit & Henricus præfatus utriuſque ſexus liberos. ſed qui omnes inverſô Naturæ ordine ante Patrem obiêre. Horum Majores ab aliquot ſeculis ita habent. Henricus Dn. & Mareſcallus *Pappenhemius*, qui obiit A. C. 1482. ex Anna (filia Jodoci Dn. *de Abenſperg*) genuit Wilhelmum Mareſcallum *Pappenhemium*, defunctum A. C. 1518. Hôc & Magdalenâ Dn. *de Rechberg*, natus Wolfgangus Mareſcallus *de Pappenheim*, deceſſit eôdem cum Patre annô, & ex Margareta *de Roth* (quæ uſque ad A. C. 1555. ſupervixit) reliquit filium Conradum Mareſcallum, qui defunctus eſt A. C. 1603. Pater ex Catharina Dn. *de Lamberg*, Maximiliani Mareſcalli *Pappenhemii*, Landgravii; qui obiit A. C. 1639. ramumque hunc illuſtris familiæ terminavit. Ei enim ex Maria Urſula Comite Leiningenſi geniti, Erneſtus Fridericus deceſſit annô ſuô natali 1609. Henricus Ludovicus A. C. 1633. & Maximiliana Maria (uxor Friderici Rudolfi Comitis Furſtenbergii) A. C. 1635. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 80. In inauguratione Imperatorum *Pappenhemii* Comites, Archimareſcalli Electoris Saxoniæ, ſi abſit, vices gerunt: quemadmodum Barones Walpurgici Truchſeſſii, Archidapiferi Electoris Bavariæ & Comites Zollerani Archicamerarii Brandeburgici, Vicarii ſunt, &c. Wendelinus *Doctr. Polit. l.* 2. *c.* 35.

PAPPI, Vide ſuprà in voce *Papa.*

PAPPIA decimaria Lex: *ut Vir & uxor, nullis ex eo matrimonio extantibus liberis, decimam ex Teſtamento matrimonii nomine capere poſſit; Si verò extent liberi ex alio matrimonio, pro unoquoque ex liberis aliam decimam & pro communi filio poſt nonum diem amiſſo aliam: pro duobus poſt nonum diem amiſſis, duas:* quod explicat Ulpianus *in fragm. tit.* 15. & 21. Memoratur quoque Cujacio *Obſervat. l.* 3. *c.* 12. Alludit ad eam Tertullian. *ad Uxorem l.* 1. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 18. Fuit & *Pappia* Poppæa Lex, de Connubiis, eadem quæ Lex Julia continens, tum prætereà hæc: *Ut ne quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet, aut vir hac ætate junior quinquagenariam fœminam duceret in uxorem. Ut Patronis, qui jus trium liberorum haberent, contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos hæredes non naturales, bonorum poſſeſſio daretur: Ut Patronæ ingenuæ duobus liberis, honoratæ libertinæ tribus, idem juris daretur, quod Patronis ex edicto. Ut liberis ingenuæ trium liberorum jure honoratæ, idem juris, quod ipſi Patronæ tribueretur: Ut omnibus ingenuis, præter Senatores, earumque liberos, uxores libertinas habere liceret.* Tulêre eam M. *Pappius* Mutilus, Q. Poppæus II. Conſul. ſuff. Auguſtô Imperatore. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 25. & 28. Vide iterum Roſin. *l.* 8. *c.* 16.

PAPPIAS, dignitas in Aula Imperiali Græcorum, non niſi conſanguineis Imperatorum conferri ſolita, quæ *Majori domus* in Gallia reſpondiſſe videtur. Cantacuzenus *l.* 2. *c.* 27. *Dextrum cornu Protoſtrator, ſiniſtrum Zamplaco, Magnus* Pappias, *tenebat, medio agmine Imperator ipſe emicabat*, apud Dominic. Macrum in Hierolex. Car. du Freſne *Papiam* habet in *Gloſſar.* Vide ſuprà.

M. PAPPIUS Mutilus, Vide ſuprà.

PAPPUS Alexandrinus, floruit ſub Theodoſio M. Scripſit octo *Mathematicarum collectionum* libros. Idem Mathematicâ συντάξει in Ptolemæum magnum ſibi nomen conſecutus eſt. Etiam ſuperſunt ejus explicationes, in Ariſtarchum Samium, de magnitudinibus & diſtantiis Solis ac Lunæ. Convertit Latinè, ut & Ariſtarchum, *Fredericus Commandinus.* Editus eſt Piſauri A. C. 1572. Librum quoque *de fluviis Libyæ*, nec non *univerſalem Chorographiam* reliquit.

PAPRIMIS, Urbs Ægypti, *Steph.* Hic Martis olim oraculum celebre fuit. Vide Joh. Marshamum *Canone Chronico Secul.* IV. ubi de *Ægypti Oraculis.*

PAPULÆ, vide *Variolæ.*

PAPULI Fanum, urbecula Occitaniæ Epiſcopalis verſus montes, juxta amnem *Lampi*, 9. leuc. à Toloſa in Eurum, Carcaſſonem verſus 5. in tractu Auraicenſi *Lauraguais*, prope caſtellum Arianorum. A S. Papulo, quem à Pappo, *Pappolum*, & *Pappulum* veteres dixêre, Galli *S. Popul*: qui nomen ſuum dedit illuſtri veterique Cœnobio, quod *Monaſterium S. Papuli* in Toloſano pago dicitur Ludovico Pio, *in Conſtit. de Mon. Regni ac Imperii ſui, A. C.* 817. ut & huic urbeculæ, quæ diſtat à Caſtro Novo Arrii, 3. mill. paſſ. Diœceſis Sanctipapulenſis in Volſcis Tectoſagibus continet 45. parœcias, ut *Morer.* ait: & ut Valeſ. habet, civitatem S. Pauli, Caſtrum Novum Arrii, *Caſtelnau d'Arri*; Manſum S. Puellarum, *les Mas ſaintes Puelles*; Montem Maurum, *Montmaur*: Villam Novam. Verdunum, *Notit. Gall.*

S. PAPULUS, quem à Pappo *Pappulum* & *Pappolum* Veteres dixêre, Gallis *S. Papoul*, Martyr, nomen dedit ſuum illuſtri Cœnobio veterique, quod *Monaſterium S. Papuli in Toloſano* pago nuncupavit Ludovicus Pius Aug. *in Conſtitut. de Monaſteriis Regni ac Imperii ſui A. C.* 817. Situm id ajunt, in pago Lauracenſi, diſtareque à Caſtro Novo Arrii circiter 3000. paſſ. Hodie in Epiſcopatum crevit, quæ ſedes etiamnum pro Patrono S. *Pappulum* Martyrem agnoſcit. In Martyrologiis Nonis Octobr. *Toloſæ inventio corporis S. Pappoli Epiſcopi & Martyr.* notatur. Diœceſis *Sanctipapulenſis* quæ contineat loca, vide voce *Papuli Fanum.*

PAPUORUM regio i. e. *Nigrorum*, pars Terræ Auſtralis, anguſtô fretô à nova Guinea ſeparata; Europæis vix nota verſus oram littoralem.

PAPUS, Conſul cum Arriano, ſub Gordiano III. cujus meminit Jul. Capitolin. in *Vita* hujus, *c.* 29.

PAPYRACEÆ Naves, quibus ex papyro textis in Nilo utebantur, occurrunt apud Plin. *l.* 13. *c.* 11. *Ex ipſo quidem* papyro *navigia texunt: at è libro vela tegeteſque, nec non & veſtem, etiam ſtragula & funes.* Et *Theophraſtum*, ubi de papyro, Καὶ τὰ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ. *Etenim navigia ex eo conficiunt.* Cujuſmodi navigia Strabo διαπλόκινα appellat, *in Ægypti rebus*: Διέβημεν δὲ εἰς τὴν νῆσον ἐπὶ πακτῶνος· ὁ δὲ πακτὼν, διὰ σκυταλίδων πεπηγὸς ἐστὶ σκαφίον, ὥστε ὅμοιον εἶναι διαπλοκίνῳ. Cum his ad extremos Indos navigare olim Ægyptios conſueviſſe, quod Plin. tradit, mirum omnino, imò neutiquam credibile. De armamentis verò Nili, h. e. funibus, id minus mirum. Nam Ægypti ac Syriæ Reges diu non aliis uſi ſunt funibus in re navali, quam ex libro papyri textis, nondum ſpartô communicatô: quod idem Plinius teſtatur, *Papyraceis navibus armamentiſque Nili*, ubi armamenta ſunt funes, ut ὅπλα τῆς νεὼς σχοινία Græcè. At *papyraceæ naves* ex ipſo papyro texebantur &c. Præter iſtiuſmodi autem navigia, ſcaphis etiam teſtaceis in Nilo fuiſſe Ægyptios uſos, Juvenal. teſtatur *Sat.* 15. *v.* 127.

Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis,
Et brevibus pictæ remis incumbere teſtæ.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1115. & 1116.

PAPYRIUS Balbus, vide *Cajus.*

PAPYRIUS Carbo, cum dentibus natus, Plin. *l.* 7. *c.* 16. Vide *Cajus*, it. *Cneus.*

PAPYRIUS Craſſus, quum Privernates intra mœnia fugâſſet, ac pro rebus bene geſtis triumphus ei negaretur, in monte Albano triumphavit, & pro laureo uſus eſt myrteâ coronâ, Val. Max. *l.* 3. *c.* 7.

PAPYRIUS Craſſus, vide *Cajus* & *Lucius.*

PAPYRIUS, à velocitate *Curſor* dictus, Dictator, quum Conſulem ſe, adverſis omnibus, contra Samnites progreſſum eſſe ſenſiſſet, ad auſpicia repetenda Comum regreſſus, edixit Fabio Rutiliano, ſeu, ut alii legunt, Rulliano, Magiſtro equitum, quem exercitui præpoſuit, ne manus cum hoſte conſereret. Sed cùm ille opportunitate ductus pugnâſſet, ac viciſſet, An. 429. Urb. Cond. reverſus eum ſecuri ferire juſſit: Ille in urbem confugit, nec ſupplicem Tribuni tuebantur, Deinde parentis lacrymis, populus veniam precibus impetravit. Papyrius item de Samnitibus triumphavit: Poſtquam illos An. 435. quoque, miſſis ſub jugum eorum 7000. & Luceriâ captâ: atque denuo An. 445. ſuperâſſet. Liv. *l.* 9. Aur. Victor, *de Viris Illuſtr. c.* 21. *Florus*, &c.

PAPYRIUS Curſor, ſuperioris fil. de Samnitibus ſecundùm patrem, omnium pulcherrimam victoriam reportavit, Ædemque Fortunæ de manubiis faciendam locavit. Vide *Lucius.*

PAPYRIUS MASSONIUS Johannes, Advocatus Parlamenti Pariſienſis. Jeſuita primum, Neapoli per biennium docuit, dein in Galliam reverſus eôdem munere aliquot in locis functus eſt. Ordine poſt hæc Jeſuiticô relictô, Carolo IX. epithalamium ſcripſit, aliaque, quæ ipſi nomen ingens pepererunt. Juri dein Andegavi, ſub Balduino, operam dedit, unde Advocatus poſtmodum Parlamenti evaſit. Edidit *hiſtoriam Paparum*, *Annales Galliæ*, *Elogia Virorum illuſtrium*, *deſcriptionem fluviorum Galliæ* aliaque multâ eruditione referta. Obiit A. C. 1611. ætat. 67. ex Dionyſia Godarda nullâ prole ſuſceptâ. Ejus vitam, in frontiſpicio Elogiorum, deſcripſit Jac. Aug. Thuanus, optimus Maſſonii amicus. Idem Maſſonius Papyriæ familiæ elogia ſcripſit.

PAPYRIUS Maſſus, vide *Cajus.*

PAPYRIUS Mugillanus, Conſul. Geſnerus meminit etiam *Papyrii* Frontonis, item Juſti, qui ambo Jureconſulti celebres, item *Papyrii* Prætextati, Grammatici, *in Bibl.* Vide & voce *Marcus.*

PAPYRIUS Prætextatus, nobilis adoleſcens, ex eo cognomen aſſecutus, quòd in prætexta & adoleſcentia magnopere viſus eſt ſapere. Cùm enim à patre duceretur in Curiam, in eaque fortè arcana quædam tractarentur, domum reverſus, interrogatuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

à matre, Quidnam in Senatu actum eſſet: *Ut duæ*, inquit, *uni nubere poſſint*. At illa manè convocatis matronis ad Curiam properat, rogatque, ut eâdem lege viros duos habendi licentia ſit etiam fœminis. Re cognitâ ingenium & conſtantia pueri laudata eſt, Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 6.

PAPYRIUS Spurius, vide *Spurius*

PAPYRIUS fœnerator, cùm C. Publium nobilem adoleſcentem, quem ob æs alienum paternum nexum habebat, quòd ſtuprum pati nollet, contumeliis ac plagis afficeret, re ad Senatum delatâ, damnatus eſt, lex deinde lata, ne quis in corpora libera ob æs alienum jus haberet, Liv. *l.* 8. *c.* 28. Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *de pudicitia, ex.* 9. *T. Veturium* pro *Publio*, & *C. Plotium* pro *Papyrio* nominat.

PAPYRUS, à charta differt: materies namque fuit, ex qua charta, quod circa Alexandri M. ætatem primùm repertum quibuſdam, fieret. Nec illi *chartæ* datum nomen, niſi cùm Epiſtolis ſalutatricibus inſerviret. Eſt enim χάρτης Græcum à χαίρειν, *gaudere, ſalvere*, ut ad verbum notet, *Salutator*: Unde Epiſtolam ſic περιφράζει Martialis *l.* . *Epigr.* 101.

Charta ſalutatrix ſi modò vera refert.

Fuit autem *Papyrus* planta Ægyptia, duos cubitos non excedens, in qua poſt tiliam ſcribi cœpit: Interior ejus tunica βίβλος vel βύβλος, ex qua propriè charta confecta eſt. Proveniebat in paluſtribus Nili ripis, ubi & calami ad ſcribendum apti naſcebantur. Hinc Appulejus *Metam. l.* 1. *in ipſo principio*, *Si Papyrum*, inquit, *Ægyptiam argutiâ Niloticicalami inſcriptam*. Auſonius autem *Ep.* 4. *v.* 73. *Melonis* (i. e. Nili) *albam paginam*, pro eodem dixit: & *Ep.* 7. *v.* 48. *campum papyrium* vocat. Vide abunde de hoc frutice, Theophraſtum *l.* 4. *c.* 9. Dioſcoridem *l.* 1. *c.* 116. Plinium *l.* 13. *c.* 11. ac præter hos Galenum *l.* 8. & *Simplicium*. *Biblum* vocat Lucan. *l.* 3. *v.* 222. per Synecdochen:

Nondum fluminéas Memphis contexere biblos
Noverat.

Nec tamen in ſola Ægypto *Papyrus* creſcebat: ſed etiam in Cœleſyria, Babylonia, India: alibi, quod conſtet, non item. Modum ex eo chartam conficiendi, Plin. *l.* 13. *c.* 11. & 12. his verbis exponit: *Præparantur ex eo chartæ diviſæ acu in pertenues, ſed quàm latiſſimas philuras*; (ubi clarè *Papyrus* Plinio eſt totus ſcapus, ex cujus medio plures philuræ fiebant) *Principatus medio, atque inde ſciſſuræ ordine*: pro quo poſteà dicit, *Proximarum ſemper bonitatis diminutione ad deterrimas* &c. Nempe ex *Papyro* acu diviſô in tenuiſſimas & latiſſimas philyras chartæ præparabantur, tenuiſſimæ ſcindebantur & optimæ circa medium & inde ſciſſuræ ordine, uſque ad exteriorem corticem, qui ne ad funes quidem, niſi in humore, utilis erat. Ex tenuiſſimis philyris optima & tenuiſſima charta texebatur; ex minùs tenuibus, minùs bona, idque hôc modô: Philyræ primùm tam longæ, quàm longum *papyrum*, unde erant exſectæ, poterat eſſe, reſectis utrinque præſegminibus, in tabulâ Nili aquâ madente (quâ vice glutini utebantur) extendebantur & ſtatuebantur; atque hæc prima ſcheda ſupinæ tabulæ addita vicem ſtatuminis vel ſtaminis in tela extenſi obtinebat. Super iſtas philyras in tabula directas & extenſas, aliæ deindæ transverſæ collocabantur & adlinebantur, in modum cratis. Sic enim texebantur crates, ex directis ſcil. ac tranſverſis virgis: quemadmodum ſubtemen in tela tranſverſum ſtamini inſeritur. Hinc in charta quoque prima ſcheda, quæ in rectum tabulæ adlinebatur, dicebatur *ſtamen* ſive *ſtatumen*, altera verò, quæ transverſa ponebatur, *ſubtemen*, Plin. *l.* 13. *c.* 12. *Igitur è ſecundo corio ſtamina facta ſunt, è primo ſubtemina*. Unde & *texi charta* dicebatur. Stamen autem chartæ ex multis philyris in tabula extenſis & παραλλήλως poſitis concinnatum erat, ut ſtamen telæ ex multis liciis; ſubtemen quoque plures habebat philyras tranſverſarias, ut telæ ſubtemen plura fila, quæ transverſa ſtamini radiô textoriô inſerebantur: hôc tamen diſcrimine, quòd in chartis ſubtemen imponebatur ſtamini & glutini ope ſtamen ad ſubtemen connectebatur; in tela autem ſubtemen ſtamini inſerebatur & per medium decurrebat. Quia verò utraque ſcheda ex pluribus minutiis h. e. philyris conſtabat, hinc *Caſſiodorus* de Charta: *Junctura*, inquit, *ſine rimis, continuitas de minutiis, viſcera nivèa virentium herbarum*. Poſtquam utraque ſcheda, ſupina ſcil. & tranſverſa, ad eum modum contexta, ſubtemenque ſtamini connexum eſſe & Nili turbido ingeſto liquore conglutinatum, prælis premebatur: exemtæ dein prælis plagulæ ſole ſiccabantur atque inter ſe jungebantur, h. e. in ſcapum digerebantur (ſunt autem plagulæ, quæ *folia* hodie vocamus in charta: ſcapus eſt, quem *papyri manum* hodie dicimus) nunquam plures ſcapô, quàm vicenæ, (cùm hodie vicenas quinas in ſcapo ponamus.) At inferiori ævô denas tantùm plagulas in ſingulis ſcapis reperimus: Unde *Chartæ decades*, in *Vita* Sylveſtri apud Anaſtaſium, pro chartæ ſcapis, quòd plures ſcil. ſcapus tunc non haberet, *Chartas decadas trecentas*; & paulò antè, *chartas decadas centum ac quinquaginta* &c. Ibidem legitur: *Papyrum runcanas libras mundas mille*, quod emendat Salmaſ. *Papyrum, racanas mundas mille*. Ubi *papyrum* intelligit ad chartas paratum, & in *racanas* ſeu faſciculos colligatum: cujuſmodi faſces papyri ſic colligatos, ut baculi vel ſcapi figuram referrent, etiam βαργὺς, *bargos*, vocitabant. Quemadmodum autem chartas conſtat in ſcapum convolvi complicarique apud Veter. ſolitas, eôdem prorſus modô & libri convolvebantur: Unde & *tomus* & *volumen* de libro, h. e. de charta ſcripta, nôn minùs dicebatur, quàm de chartâ nondum ſcripta; quamvis, ut *ſcapus* propriè magis de chartis, *tomus* verò & *volumen* de libris diceretur, uſus obtinuit. Idem tamen *ſcapus* quod *tomus*. *Schedæ* verò propriè dicebantur ſingulares plagulæ, ex ſcapo chartarum revulſæ, quibus committebant, quidquid ſubitâ & tumultuariâ ſcriptione commentati eſſent, quod emendatum poſteà in mundiorem chartam regerebatur. Hæ, quòd & in averſa parte, h. e. in tergo, ſcribi & exarari ſolerent, *Opiſtographa* dici cœperunt; in quibus, ut & adverſariis, rationes & ſua diurna Veteres perſcribebant, iis utramque paginam chartæ occupantes, adverſam & averſam, à quarum illa *Adverſaria*, ab hac *Opiſtographa* dicta ſunt. At nitidæ chartæ, ex quibus librorum volumina compaginabantur, & in quibus emendata opera ſcribebantur, in adverſa tantùm facie exarari ſolebant. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 4.

——— *Impunè diem conſumpſerit ingens*
Telephus? aut ſummi plenô jam margine libri
Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes? &c.

Aliter in libris ex membrana, qui non ſolùm ex multiplicibus tabellis & foliis conſtruebantur ac compingebantur haud ſecus ac noſtri libri ſolent: ſed etiam paginas ex utraque parte ſcriptas habebant, & probè ſuccincteque compacti in non adeò magnam molem ſurgebant; cùm libri in charta exarati, quòd ab uno tantùm latere ſcriberentur & paginis ad paginas adglutinatis in longam paginarum ſeriem extenderentur, grandia volumina efficerent. Unde Martialis Livium in membranis, pellibus exiguis, parvo in ſpatio arctatum fuiſſe, refert, quem in charta ſcriptum vix totum ejus Bibliotheca capiebat, *l.* 14. *Epigr.* 190.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit.

Componebantur porrò libri menbranacei per quaterniones, & folia eorum *tabellæ* propriè, ſicut librorum è charta ſeu papyro *paginæ*, dicebantur, Græcè σελίδες: quamvis σελίδα etiam Græci vocaverint ſpatium, quod vacuum & mundum patet inter duos verſus in ſcriptura. In chartæ ſcapis verò, ut & in libris compactis, prima ſcheda, quæ primô locô glutinata erat, πρωτόκολλον dicebatur, atque hoc in prima ſcapi fronte poſitum erat: Cumque ſcapus plures ſchedas aut plagulas haberet, ſola prima adnotatum præferebat, quô Comite Largitionum, ſub quo erant chartariæ, quo tempore, & à quo præparata fuiſſet illa charta; quemadmodum hodieque chartæ lintcariæ noſtræ aliquô charactere inſigniri ſolent, è quo ſciri poteſt, quis eas confecerit. Sed nota illa, quam chartæ noſtrates exhibent, ut vix apparet, ita nec ſcribenti officere poteſt, nec legentem impedire, ut apud Veteres ſcheda illa prima, quæ protocollon habebat, ſcribendo prorſus erat inutilis, occupata enim ſcripturâ jam erat, ut diximus. Quam ob cauſam ſolebant Tabelliones & Librarii eam exſcindere & revellere, ut immundam & ſcriptioni inutilem: quod ne fieret in contractibus ſcribendis, (quia inde falſum ſæpe coargueretur) juſſit Imperator Juſtinianus *Nov.* 45. Uti autem πρωτόκολλον prima libri ſcheda, ſic ἐσχατόκολλον extrema dicebatur. Martial. *l.* 2. *Epigr.* 6. *v.* 2.

Vix lectis tibi paginis duabus
Spectas eſchatocollion Severe.

Idem alibi, *ſummam ſchedam* vocat, *l.* 4. *Epigr.* 91. *v.* 1.

Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle,
Jam pervenimus uſque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc & ire quaris,
Nec ſumma potes in ſcheda teneri.

Μακρόκολλον verò appellârunt majore modulô compaginatam chartam. Nec omittendum ſcapum chartarum. h. e. chartas in volumen corrotundatas, infimæ Latinitatis auctoribus *Rotulum* vocari, i. e. *Rutulum* (quod idem cum ſcapo, baculus enim rotundus ſic dicebatur, quo cumulus menſuræ deruitur & exæquatur) unde Gall. *Roolle*, & *Contrarotulator*, ἀντιγραφεὺς, Gall. *Controlleur*: item *Regulam*, ſicut Græcis κανόνα olim; poſteà verò εἰλητάριον, à *volvendo* &c. De *Chartæ* diſcriminibus, diximus ſuprà. Nunc illud ſolùm addam, Artem illam chartarum ex *papyro* conficiendarum, Euſtathii jam ætate antiquatam fuiſſe, ut ex eo diſcimus *Odyſſ.* φ. ubi ξυλοχάρτια, h. e. *ligneas chartas*, Græcis recentioribus appellatas tradit, chartas è papyro; ad differentiam chartarum, quæ ex linteis concerptis ac contuſis jam tum inter Græcos parari & in uſu eſſe cœperunt. *Papyrum* autem lignum vocabant, unde ξυλοχάρτια, *chartæ ex papyro*. Caſſiodorus *de papyro*: *Surgit Nilotica ſilva* —— *neſcio quâ vacuitate plena, plenitudine vacua, bibula teneritudo, ſpongeum lignum*. Vide Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 37. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo, c.* 3. & hîc paſſim. *Papyri* in locum, quomodo Pergamena ſucceſſerit, dicemus infrà. Eô verò tempore in ceratis tabulis ſcribebant Romani: *Unde ſecundùm & contra tabulas bonorum poſſeſſio*, vide P. Pellitar. *in Orat pro A. Cæcina*, & hîc paſſim, donec & ad ipſos *papyri* uſus perveniret &c. Quamvis autem ille ex *Papyro* chartam faciendi mos jam Euſtathii ætate penitus deſierit, ut dictum, tamen vox Latinis, Germanis, Anglis aliiſque nationibus in uſu, de charta hodie uſitata: quemadmodum & Græci Biblia libros vocant ex quacunque materia conſtantes, &c. Sed & Calcei è *Papyro* geſtati, teſte Alex. Neapolitano *Genial. dier. l.* 5. *c.* 13. qui erant, vel ex implexis ejus tæniis contexti, de quibus Martianus Capella *de Nupt. Philol. l.* 2. *Calceos*, inquit, *è papyro textili ſubligavit*: vel è craſſiore papyri membrana ſive cortice compacti. Et quidem tenuiores illæ & mediæ *Papyri* propinquiores philuræ ad ſcriptionem potiùs adhibebantur; interim à calceis non planè excluſæ fuerunt,, præſertim, ubi non tam utilitatis fructus, quàm vel elegantiæ oſtentatio, vel religioſæ celebritatis pompa quærebatur: ut in ſacris Iſidis, in quibus exſecti illius Sacerdotes pedibus molli papyrô redimitis incedebant. Sic enim ea de re Tertullian. Senatori Apoſtatæ ſacra Iſidis exprobrans loquitur, *Carm. ad Senatorem c.* 2.

——— ——— *Caligaque remotâ*
Gallica ſit pedibus moli redimita Papyrô.

Et tum, cùm tenuioribus iſtiuſmodi *Papyri* membranulis pedes tectos habebant Sacerdotes, ἀνυπόδητοι ſive *diſcalceati* non immeritò dici poterant, ſicque facilè Tertullianus cum Prudentio conciliabitur, quorum hic, de iiſdem Iſidis ſacris, loquens, nudis plantis remotiſque calceis, Gallos illius ſacerdotes inceſſiſſe, his ver-

verbis teſtatur, *lib. Periſteph. hymno* 14. *v.* 154. *& ſeqq.*

Nudare plantas ante carpentum ſcio
Proceres togatos, Matris Idea ſacris, &c.

Aliàs Ægyptios è junco quoque, quemadmodum è *Papyro*, & apud Hiſpanos, è ſparto, calceos uſurpâſſe, vidimus *ſuprà*. Plura de his apud B. Balduinum *de Calceo Antiquo c.* 3. Ex ligno *Papyri* naves factas, diximus ſuprà. Sunt porrò, qui ex ejus libro texi vela, tegetes, veſtes & funes, conſueviſſe tradant, ex Theophraſto *Hiſtor. Plantar. l.* 4. *c.* 9. & Plin. *l.* 13. *c.* 11. unde non ſemel ſtoreæ Monachorum & mattæ *ex papyro* occurrunt, apud Monaſticæ rei Scriptores. Inſuper *papyrum* in lucernis & cereis adhibitam, vice ellychnii obſervare eſt non ſemel, ſed de hac re accuratiùs dicemus paulò pòſt. Interim & edule *Papyrum* fuiſſe, apud Ægyptios, diſcimus ex Plino: *Mandunt quod crudum decoctumque, ſuccum tantùm ejus devorantes.* Unde παπυροφάγοι Ægyptii, ab hujus plantæ eſu: *Scholiaſtes* Æſchyli ad illud,

Βύβλε δὲ καρπὸς ὀ κρατεῖ ςάχυν:

ἐπεὶ, inquit, παπυροφάγοι Αἰγύπτιοι, *quandoquidem papyrivori Ægyptii.* Et ſic capi poſſunt verba Vopiſci de Firmo, *loc. cit. Tantum habuiſſe de chartis, ut publicè ſæpe diceret, exercitum ſe alere poſſe* Papyrô *& glutinô.* Ubi cùm de pretiis iſtarum rerum verba hæc accipiant non pauci, Salmaſ. contrà de ipſis illis duabus ſpeciebus, ex quibus chartæ conſtabant, interpretatur. Namque & glutinum quoque, quô charta glutinabatur, alimoniæ aptum non minùs, ac ipſum *papyrum*: duaſque has ſpecies & utramque edulem, refert Plinius. Senſus ergo Firmi apud Vopiſcum erit, tantum ſe habuiſſe chartarum, ut earum papyrô, priuſquam inde chartæ fierent, & glutinô, quod in eas conficiendas impendebatur, exercitum alere poſſet. Nec omittendus ejus in coronis apud Veteres uſus, quippe cujus flore Deos coronari conſueviſſe, tradit Plinius ubi ſuprà *c.* 1. unde ςεφανώτρις βίβλος dicta eſt. Meminit hujuſmodi coronæ Appianus Alexandr. *Mithrid.* ubi cùm milites Pharnacem filium Mithridatis Regem renuntiâſſent, unus illorum elatam è ſacra æde *papyrum* capiti ejus, diadematis locô, impoſuiſſe legitur. Et Athen. *l.* 15. ubi Ageſilao, cùm in Ægyptum trajeciſſet, ſuper alia dona, Ægyptios itidem *papyrum* miſiſſe *coronarium*, refert. At ridet morem Athenæus, & fervente Alexandriæ ſeditione, Carabati cuidam homini mentis non ſatis compoti, impoſitum fuiſſe papyraceum diadema, in contemptum Agrippæ, ejuſque dextræ pro ſceptro fruſtum ejuſdem materiæ inditum, refert. Philo εἰς Φλάκκον. Qua de re vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 10. *c.* 6. ut & ſuprà, in voce *Byblus*.

PAPYRUS Phleus ſeu vulgaris, ob ſimilitudinem cum *Papyro* planta Nilotica, ſcirpus dictus eſt. Vetus Auctor *Gloſſarum*, *Scirpus*, φλοῦς πάπυρος. Strabo *l.* 5. τύφη τε καὶ πάπυρος ἀνθήλη τε πολλὴ κατακομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν Ρώμην, ubi πάπυρος i. e. quod antiqui Attici φλεῶ dixere, Ionici φλοῦν, qui ἀνθήλην etiam habet, i. e. *panniculam* & *lanuginem*, &c. Quod probè notandum, ne *papyrus* hic vulgaris, cum papyro Ægyptio, è quo charta fiebat, confundatur. Et quidem hôc papyrô, ſeu ſcirpô, qui naturam habet papyraceam, faciebant olim lectos mortuorum, cum quibus rogo inferebantur comburendi. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 44. *v.* 14.

Fartus papyrô *dum tibi thorus creſcit.*

Ex eodem, cerâ circumdato, candelæ, quibus prælucentibus mortui noctu efferrentur. Perſius, *Hinc tuba, candelæ.* Panniculâ porrò illius, ſtipæ vice, utebantur, ad componenda vaſa fictilia, ne invicem colliſa frangerentur, Græci ςοιβὴν vocant: ſcribitque *Galenus*, circumponi ſolitam vaſis olcariis. Quæ omnia qui ex papyro Ægyptia facta eſſe voluerit, multum errat; necenim ad candelas & funera ex Ægypto efferebatur papyrus, ſed ex indigena papyro ſeu ſcirpo iſta conficiebant. Clarè Plin. *loc. cit.* de ſcirpis: *A quibus detractô cortice candelæ luminibus & funeribus ſerviunt.* *Antipater*,

Λαμπάδα κηροχίτωνα κόνυς, τυφήρεα λύχνον
Σχοίνυ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Paulinus,

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

i. e. candelæ è ſcirpis factæ. Ex utraque quidem fiebant tegetes, vela & veſtes, funes item aliaque, exceptis tamen *chartis*, h. e. τοῖς βιβλίοις, quæ non niſi ex Ægyptia fiebant. De velis ſcirpeis Plin. *loc. cit. Namque his velificant non in Pado tantùm nautici, verùm & in mari piſcator Africus.* Veſtes φλοΐνας Indorum, ex *Herodoto* notæ, quæ *ſcirpeæ* vertendæ ſunt Latinè. Funes quoque, unde mentio apud Euripidem, φλοΐνων ἡνιῶν, in *Autolyco* Satyr. φλοΐνας ἡνίας πλέκει, *ſcirpeas habenas plectit.* Tegetes item & alia. Eôdem farciebant toros pauperes ac ſtramenta, haud ſecus atque Ægyptii ſuô. Pelagius *de Vitis Sanctorum*, *Vides autem Ægyptium veſtitum mollibus rebus & bulam de* papyro *& pellem ſtratam ſub ipſo*: ubi *bula* eſt ſtramentum vel ſtorea. Idem paulò pòſt: *Et pro his dedit mihi Deus ſtramentum de papyro, & hanc pellem.* Rachanas quin etiam de papyro, h. e. cervicalia ſeu faſciculos, qui cervicalium vicem præſtarent, habuêre &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1003. & 1004. & infra *Phleos*, it. *Scirpus*.

PAQ, in nummo Conſtantini M. *percuſſa Aquilejæ*: PAR. in Conſtantii, *percuſſa Arelate*, notat, Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus*.

PAR, i. e. ejuſdem dignitatis & conditionis; Sic *pares* ſeſe invicem appellant filii Ludovici Pii Imperatoris Conventu apud Marſnam A. C. 851. *c.* 2. 3. & alibi paſſim. Inde *Pares* appellati, unius Domini convaſſalli, quòd ratione hominii ac *tenuræ* ſibi invicem *Pares* ſint unique Domino ſubſint; à quibus ſolis judicari poterant: Aliter *Æquales* dicti, in *Speculo* Saxonico *l.* 2. *artic.* 12. §. 2. Tenebantur autem hi judiciis Dominicis intereſſe, judicumque munere fungebantur; quod ſi ipſi obire non poſſent, paris ſibi conditionis vicarios ſubmittere adſtringebantur, qui eorum locum tenerent in iiſdem judiciis. Et quidem *Parium* judicia, in ipſos *Pares* & convaſſallos exercebantur; adeò ut ſi aliqua oriretur controverſia inter ipſos *Pares*, illa dirimi non poſſet, niſi in *Parium* ſuorum conventu ac judicio, Dominô ipſô feudali Præſide. Guil. Britto *Philipp. l.* 6.

Accedant igitur priùs ad me, judicióque
Stent noſtrô, faciam, quidquid jus juſſerit, illis,
Conſilióque illos Parium *tractabo ſuorum.*

In Dominum verò judicia ab iis, in *Parium* conceſſu, non exercebantur; quod ſi verò horum aliquis cum Domino controverſiam haberet, dirimebatur ea ab ejus Ballivo ſeu Juſtitiæ dominicæ Præpoſito, à quo ad ſuperiorem Dominum appellare licebat. De numero porro *Parium* id juris obtinuit, ut *Par* unicus judicium edere non poſſet, ſed duo ad minimum adeſſent, præter Dominum. Alii *quatuor* habent, ſed pro feudorum varietate etiam hic mos variavit. Quod ſi Dominus nullum haberet *Parem* vel idoneum *Parium* ad judicium numerum, non ideo juſtitiam ſuam amittebat, ſed à Domino ſuperiore mutuò accipiebat, ſuis impenſis, aliquot ex ejus Vaſſalis, qui judicia ederent. Si verò adeò pauper eſſet, ut eos mutuari non poſſet, vel ſi Dominus mutuò dare renueret; tum actori & reo licebat juſtitiam Domini ſuperioris convenire inque ea diſceptare. Proin tenebatur Dominus Curiam ſuam idoneô *Parium* numerô munire, quod Practici Galliæ dicunt, *garnir ſa Cour de Pairs*: ita ut ſi deeſſent ii, aut per legitimam excuſationem adeſſe non poſſent, alios ejuſdem dignitatis ac conditionis ſubmittere deberet, qui jus dicerent. *Parium* inſuper judiciis non modò intererat Dominus, vel ejus Ballivus; ſed etiam in rebus arduis eorum conſilium expetebat, ita ut *Conſiliariorum* quoque Domini Feudalis vicem fungerentur: quamvis pro diverſitate locorum ſubinde judiciorum etiam ratio varia eſſet. Interim, licèt omnes convaſſalli ſibi invicem *Pares* eſſent & ita haberentur; non tamen ſemper omnes Judicum locô habebantur, & in *Parium* conſeſſu conſidebant. Nam cum in magnis Baroniis vaſſalli complures eſſent, adeoque magnô interdum à ſe invicem terrarum intervallô diviſi, ita ut unà omnes ad Dominica placita vix convenire poſſent; tum etiam, ne tantus Vaſſallorum numerus judiciis obeſſet: plerique è majoribus iſtis Dominis ac Baronibus, quoſdam è ſuis Vaſſallis ſelegêre, quibus *Parium* nomen, titulum ac dignitatem conceſſerunt, quique cum iis, cœteris *Paribus* ſuis ac convaſſallis jus dicerent. Hinc legimus, certum ac definitum fuiſſe fere ſemper, in majoribus Baroniis *Parium* numerum, ut Car. du Freſne oſtendit *Not. ad Stabilim. S. Ludovici p.* 178. eumque ad duodenarium ut plurimùm redactum: maximè in Regno Franciæ, in Comitatu Flandrenſi, in Baronia Ardenſi, in Comitatibus Guinenſi, Cameracenſi, Hannonienſi &c. Apud Anglos quoque, ut ex Lamberto Ardenſi, Vinchantio in *Annal. Hannon.* & Stanfordio *in Placitis Cor. l.* 3. *c.* 1. idem docet. Et quidem duodecim viratum *Parium Franciæ* ſuis numeris abſolutum fuiſſe, Ludovicô VII. vel Philippô II. filiô regnantibus, contendunt Chopinus & Anton. Colardus *in Comm. Rerum Remenſ. MS.* quorum hic ad A. C. 1179. *Ludovicus VII.* inquit, *Rex Franciæ formulam Regum Franciæ, Remis inaugurandorum, ſimulque inſtituit Pares Franciæ, qui coronando Regi adſtarent eique titulos attribuit: unde Guilielmus Archiep. primus omnium Par Franciæ dictus, ex Comite Remenſi Dux nominatus fuit* &c. Sed hæc tamen ſeriùs accidiſſe conſtat; nam in Philippi Aug. Ludovici filii coronatione, annô præfatô nondum fuiſſe *Parium Franciæ* definitum numerum, diſcimus ex *Rog. Hovedeno*: quare alii inſtituti hujus originem ad Ludovicum IX. referunt, quos inter eſt Joh. à Leidis *Chron. l.* 22. *c.* 7. Verùm, ſi, quod tradit Matthæus Paris A. C. 1226. pro vero certoque haberi debet, jam ipſâ hâc tempeſtate ſtatus eorum fixuſque numerus fuit. In judicio enim Raimundi Comitis Toloſani, XII. *Parium* mentionem facit: idemque ad A. C. 1257. duodenarium eorum catalogum, omniumque nomina exhibet &c. Quorum quidquid ſit, certum eſt patetque ex judicio lato contra Erardum Briennenſem A. C. 1216. pro Comitatu Campaniæ, necdum fuiſſe *Parium* definitum numerum, cùm Regni Proceres alii ſeu Barones atque adeò Epiſcopi interfuerint, tametſi in primis recenſeantur Archiepiſcop. Remenſis, Epiſcopi Lingonenſis, Catalaunenſis, Bellovacenſis & Noviodunenſis, Car. du Freſne *Gloſſar.* Pura de *Franciæ Paribus*, vide infrà in *Pares Franciæ*.

PAR Apoſtolis, cognomen S. Martini, quô propter miraculum illud, quod Turonibus, dum ſacra celebraret, acciderit, eum fuiſſe inſignitum, ſcribit Durandus *Ration. l.* 3. *c.* 17. *num.* 13. & *l.* 7. *c.* 27. & Odo Cluniac. *in l. Quòd Beatus Martinus Par dicitur Apoſtolis.* Hinc Fortunatus *de Vita S. Martini l.* 2.

Compar Apoſtolicis meritis æquanda Prophetis &c.

Sic Ἰσαπόςολυ titulum variis Sanctis etiam conceſſum, docet Car. du Freſne ex *Menæis* Græcorum, atque inprimis S. Theclæ, *S.* Alberico Epiſcopo Hierapolitano, Conſtantino M. & Helenæ Matri, Mariæ Magdalenæ aliiſque aliquot: Et quidem de Conſtantino potiſſimùm teſtantur, Euſeb. in *Vita* ejus *l.* 4. *c.* 71. Jo. Damaſcenus *in Synodic. ad Theophilum Imperat.* Anna Comnena *l.* 14. Alex. Cinnamus *l.* 1. Balſamon, Manuel Comnenus *Novell.* 1. Alii.

PAR Impar, inter ludorum puerilium genera, memoratur Horatio, *Sermon. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 247.

Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures,
Ludere par impar, *equitare in arundine longa,*
Si quem delectat barbatum, amentia verſet.

Imò & Principes viros hôc genere ludi delectatos, diſcas ex Suetonio, apud quem, ſcribit ad filiam Auguſtus, *Miſi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe, inter cœnam, vel talis, vel* par impar *ludere*, *c.* 71. Ubi *tali* ab eo ſeparantur, non quin & talis par impar luderetur: nam ἀρτιασμοῦ per talos exemplum habes in *Lyſide* Platonis, & notat Pollux

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pollux *l.* 9. Sed quia & teſſeris, & nummis, & nucibus, idem fiebat, ut apud *Ovidium* & *Ariſtophanis Scholiaſtem*, legere eſt. Similis luſio erat, quando quærebant, *capita aut navem*, Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 7. Sic apud Græcos ζυγὰ, ἢ ἄζυγα, de quo vide *Scholia* Ariſtophanis *ad Plutum*. Nec abſimile, *micare digitis*, quum horum partim plurium, partim pauciorum extenſione, vel contractione divinatur, quid bonæ quidve malæ ſortis ceciderit. Vide Chabotium *ad loc.* At Muhammedanos per *Par impar* etiam jurare conſueviſſe diximus ſuprà.

PAR Numerus, vide ſuprà *Numerus.*

PARA, urbs Braſiliæ, in parte Boreali, verſus oſtia fluv. Amazonum, ſub Luſitanis. Hinc Præfectura Paræ. Sunt tantùm aliquot coloniæ Luſitanorum in hoc tractu.

PARABOLANI, plebeji quidam famulitio Eccleſiarum, Xenodochiorumque deputati, & quaſi adſcriptitii glebæ: ut ſicut illis omni vitâ ab agrorum cultura recedere non licebat; ita his à ſervitio ægrorum, qui in Noſocomiis reſidebant. Sic dicti, quia ſe in periculum maximum conjecerunt, ut qui ægrotos publicè in Alexandriâ civitate curabant. Graſſante enim, ut non rarò aſſolet, peſte, & ipſi rapiebantur, & id muneris contemptâ vitâ ſuſcipiebant. Horum quingenti vel ſexcenti erant ſub Epiſcopo, quod non parum negotii Ægypti Præfectis faceſſebat. *L.* 22. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* Baronius, *A. C.* 416. De qua illorum *Confratria* vide quæ habet Malbrancus *de Morinis l.* 10. *c.* 38. Nomen à Græca voce παράβολος vel παραβαλλόμενος, quam vocem per ἀνακινδυνεύων reddit *Heſych.* Propriè verò παραβόλου nomen *audacem* ſignat, & latè ſanè patet de omnibus in quibus audacia poteſt conſiſtere; Græci tamen illi hominum generi peculiariter attribuerunt, qui ad beſtias depugnandas & conficiendas operam locarent. Παραβόλους namque & *Parabolanos* nemo dictos fuiſſe ignorat, quos aliter *Confectores* appellârunt Latini atque etiam *Audaces*, ut à Viris doctis pridem eſt obſervatum, Salmaſ. *ad Trebell. Pollionem Gallien. c.* 12. Atque hinc in Eccleſiam veterem vox accepta, quæ inſtitutô hôc hominum miniſteriô ægrotis mortuiſque, quibus nemo erat qui curaret aut efferret, voluit conſultum: cùm id priùs vel privatô ſolùm ſumtu, vel publicô, ſed extra ordinem, à quibuſdam factitatum legamus. Namque Cimon, apud Corn. Nepotem, *c.* ult. *complureis pauperes mortuos, qui unde efferrentur, non reliquiſſent, ſuô ſumtu extulit.* Et apud Aurelium Victorem, *Gallo Voluſianoque favor quæſitus eſt, quòd anxiè ſtudioſéque tenuiſſimi cujuſque exequias curarent.* M. quoque Antoninus Philoſophus Imperat. apud Jul. Capitolin. *c.* 13. laudatur, quod *ſumptu publicô vulgaria funera juberet efferri:* &c. Iidem etiam *Parabolarii*, item *Copiatæ* dicti ſunt, vide Caſaubon. Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.* & Salmaſ. *de Modo Uſurar. c.* 5. *p.* 198. Jac. Gotofredum *ad leg.* 42. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* Alios. Hinc *Parabolare*, id eſt, *periclitari:* quam vocem, in antiquiſſimo codice Bibliothecæ Puteanæ, in Epiſtola Pauli ad Philipp. *c.* 2. *v. ult.* haberi verbaque Græcè ſic ſonare: Διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισε, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, *Parabolatus eſt de anima ſua*, monet Salmaſ. *de modo Uſur. p.* 196. & Jac. Gotofredus, præfati.

PARABOLOS, inſula parva contra Phœnicem.

PARABYSTON, forum Athenis, in quo undecim viri judicabant, & quidem res viliores. Vide Meurſium *Atticar. Lection. l.* 2. *c.* 9. & Mauſſacum *ad Harpocrationem.*

PARABYSTUS, Græcis παράβυστος, dictus eſt thorus ſeu lectus genialis, ut *Catullus* vocat, ad quem, duabus culcitris adornatum, à fœmina, quàm & νυμφεύτριαν, & θαλαμεύτριαν Græci vocitârunt, Sponſa, poſt cœnam nuptialem, dictumque hymenæum, cum choreis, manu à Pronuba deducebatur: propterea, quòd *velô* obtectus eſſet. Vide de eo pluribus agentem Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 3. *c.* 101. & ſuprà in voce *Cupha.*

PARACELLARIUS, Macro eſt Palatii Pontificii Officialis, cui incumbebat menſæ Papalis largitiones pauperibus diſtribuere. Anaſtaſius Biblioth. *in Zacharia*, *Hic beatiſſimus Papa ſtatuit, crebris diebus alimentorum ſumptus, qui & uſque nunc eleemoſyna appellatur, de venerabili Patriarchio à* Paracellariis, *pauperibus, & peregrinis qui ad B. Petrum morantur, deportari eiſque erogari: Nec non & omnibus inopibus & infirmis, per univerſas regiones, iſtius Romanæ Urbis conſtitutis, eandem ſimiliter diſtribui ipſam alimentorum eleemoſynam.* Idem *in Adriano I. Et erogentur omni die, per manus unius fideliſſimi* Paracellarii, *eiſdem pauperibus; accipiens unuſquiſque eorum portionem panis atque portionem vini* &c. *Subpulmentarius* quoque vocabatur, uti ex Luithprando diſcimus, vide Macros Fratres *in Hierolexico*, & ſuprà ubi de *Cellariis.*

PARACELSUS Philippus Aurelius Theophraſtus Bombaſtus, natus in pago Hohenheim, vel Einſideln, ditionis Tigurinæ. Solicitè educatus à Patre, qui JCtus & filius nothus Principis cujuſdam erat, ad Medicum ſtudium ſe maturè applicuit, profectióneque in Galliam, Hiſpaniam, Italiam, & Germaniam inſtitutâ, multum profundæ eruditionis ſibi conciliavit. Reverſus in Helvetiam, Baſileæ docuit, Chymicamque faciens Medicinam, famam ſibi magnam comparavit. Offenſus à Judice, qui ob Joh. Lichtenfelſium Canonicum expectatione omnium citius ſanatum, eum conſuetô ſalariô, licet ipſi longe amplius ab ægro promiſſum eſſet, contentum eſſe juſſit, in Alſatiam ſe recepit. Ordinariâ medendi ratione omiſſâ, Galenóque ſpretô, Medicorum odium in ſe concitavit, nec Theologiæ quidem parcens, in aliquot errores prolapſus dicitur. Opera ejus XI. voluminib. habentur, cum titulo *Opera Medico-Chymica ſive Paradoxa.* Obiit, A. C. 1541. Ætat. 48. cùm ipſe vi artis ſuæ aliis ſecula promiſiſſet, Salisburgi ſepultus: *Scriptor pluribus oppugnatus, quàm intellectus*, Tycho. Vide Voſſ. *de Philoſ. c.* 9. §. 2. Quenſtedt. *de patr. doct.* Craſſum, *Elog. Litterat.* Melch. Adami *Vit. Medicor.* Mich. Neandrum *in Geogr.* Ant. Teiſſier *Elog.* part. I. Alios. De eo varia Eruditorum judicia. Sennertus *l. de cauſis & differ. c.* 14. *Caput,* inquit, *& cauda fonſque operationum Magicarum & cardo, in qua Magia totus Crollius eſt, & quam recentiores non pauci ſectantur ac clam propagant ac non niſi iis qui his ſacris digni videntur per manus tradunt, eſt falſa iſta de imaginationis viribus opinio. Horum omnium Pater & Princeps Theophraſtus* Paracelſus *eſt, cujus Philoſophia peccat magnâ præceptorum* ἀμεθοδίᾳ, *terminorum & phraſium inſolentiâ: qui omnibus bonis Artibus quaſi bellum indixit.* Narrat enim de eo & Seb. Franck *in Chron.* ipſum ſcripta Avicennæ in publico foro Baſileæ combuſſiſſe. Medicorum tamen non pauci eum magni æſtimant. Mich. Barth. *apud Scholtzium Epiſt. Medic.* 80. *Ego de ipſo Theophraſto præclarè ſentio: admiranda præſtitit: ſed qui eum perfectè intelligat & quæ ipſe fecit faciat, nondum audivi.* Henr. Smetius *Miſcell. Medic. l.* 5. *Ego ſanè* Paracelſum *laborioſum induſtrioſumque rerum abſtruſarum indagatorem multæque peritiæ Virum libenter agnoſco, atque in pharmacorum præparativa admirandum: verùm ſcientiæ ſolidioris parum, methodi nihil, oris tamen quamplurimum habere.* P. Meliſſus *in Baſilicam Crollii,*

Quis non Aureoli Theophraſti dia reperta
Ingeniumque ſagax & mirum prædicet ignem,
Quô præeunte artes Chymici didicêre novellas,
Quô monſtrante ægri curantur ſimplice gutta.

Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 6. *c.* 11.

PARACHARAXIMA Pecunia, Caſſiano *Collat.* 1. *c.* 20. 21. & 22. pecunia eſt adulterina & falſâ cuſione formata. Ita enim is *c.* 20. *ſive cum* paracharaximis *nos conatur illudere.* Et *c.* 21. *Paracharaximo ſcilicet nomiſmate, dum in illo veri Regis imaginem veneratur, parùm diſcutit, an eſſet legitimè figuratum.* Tandem *c.* 22. *tanquam adulterina nomiſmata &* paracharaxima *reprobemus, utpote quæ falſam imaginem Regis non legitimè figuratam retinent.* Quibus omnibus locis vir quidam doctus, *Paracharagma* repoſuit: at minùs benè, ait Salmaſ. *Paracharagmum* enim *nomiſma* dici rectè non poteſt, cùm adjectivum non ſit. Græcis namque παραχάραγμα ipſa adulteratio eſt. Sicut παραχαράκτης, adulter, quæ vox etiam reperitur *l.* 8. *Cod. Theod. de Falſa Moneta.* Eſt autem *adulterare monetam* idem cum *vitiare:* ſed non idem cum *corrodere.* Siquidem *corrodere* eſt exteriorem circulum arrodere; at qui *vitiat*, non omnino & corrodit, ſed monetam adulterat, aut miſcendo & adulterando inter ſe metalla, ut aurum argentô, argentum ære, æs plumbô: aut adulterinam monetam clam exercendo, ut ſub Conſtantino feciſſe, teſtis lex eſt in *Cod. Theod. de Falſa Mon.* aut ſecernendo ſeparandoque metalla, ut argentum ab ære, quemadmodum quidam Monetarii ſub eodem Imper. *l.* 6. *tit. eod.* his verbis: *Comperimus nonnullos Flaturarios majorinam pecuniam non minùs criminoſè, quam crebrè, ſeparatô argentô ab ære purgare.* Majorinæ enim illæ pecuniæ argentô ære mixtô flabantur: Flaturarii autem argentum ſeparantes, æs ſolùm in figuranda moneta exhibebant, in quo non mediocre compendium faciebant. Monetarii; quam ſeparationem metallorum, *ſtagnationem* vulgò dictam eſſe, monet Iſidor. *in Gloſſar.* Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. Aureliano, c.* 38. & Cl. Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* voce Παραχαράττω.

PARACHELOITÆ, populi apud Theſſalos circa Maliam urbem, ad Acheloum fluv. & apud Ætolicos; *Strabo.* Alios in Phthiotide ponit *Stephanus.*

PARACHIMUMEMUS, ex Græco Παρακοιμώμενος, ſacri cubiculi Præfectus, in Aula olim Conſtantinopolit. de qua dignitate Scriptores paſſim, exque iis Gretzerus & Goarus ad *Codinum* nec non Car. du Freſne *ad Villharduinum.* Ignotus Barenſis *in Chron.* A. C. 888. *Parakimumenus* habet, *Mortuus eſt Michayl Imp. & ſurrexit Baſilius* Parakimumenus *ejus.* Apud Luitprandum *l.* 3. *c.* 7. *Parachimmenus*, corruptè. Car. du Freſne *Gloſſar.* Meurſius duos fuiſſe παρακοιμωμένους ſeu *Accubitores*, unum τῆς σφενδόνης, i. e. *annuli Imperator.* alterum τοῦ κοιτῶνος, i. e. *cubiculi*, obſervat, in *Gloſſar.* ubi plura hanc in rem. Vide quoque infrà *Sigillum.*

PARACHOATRAS, *Straboni* & *Ptolemæo*; Solino *c.* 38. *Choatras*, inter Tauri montis nomina, & quidem ſic apud Parthos dici is ait. Quos montes τοῦ Παραχοάτρα, ab Armenia aduſque Medos & Matienos Parthoſque extendi refert Strabo. Vide Salmaſ. *ad Solinum p.* 787.

PARACIMOMENUS, vide ſuprà, *Parachimumenus.*

PARACLETICUS, Græcis Παρακλητικὴ, ſubintellige βίβλος, vel Παρακλητικὸν βιβλίον & aliquando nudè Παρακλητικὸς, liber Eccleſiaſticus eſt apud Græcos, quô quotidie utuntur ſive in Miſſa ſive in Veſperis ſive in Matutino, ſive in aliis officiis: cùm in aliis eorundem libris, Triodio, Pentecoſtario, Menæis &c. certa habeantur certis diebus decreta officia, canones ſeu troparia, quæ illis quidem durantibus recitantur, finitis autem reponuntur, donec eadem tempora remeent. Adeoque quum in aliis officiis propria deſiderantur, quæ ad complementum officii pertinent, ad *Paracleticum* Lector remittitur. Ratio nominis an à *conſolando*, an ab *adhortando*, an ab *invocando?* omnia enim, quæ in eo, eò maximè ſpectant, ut peccatorem *conſolentur*, *hortentur* & quaſi vi quâdam compellant, ut de commiſſis pœnitentiâ actâ Deum ſibi propitiet: quô fine modò Angelorum opem, modò Apoſtolorum, modò Martyrum, modò Confeſſorum, aliorumque Sanctorum, prout diei, cujus officium recitatur, ratio expoſcit, *implorare* docet. Cl. Suicerus *Theſaur. Eccleſ.* voce Παρακλητικὸς, ex Leone Allatio *Diſſert.* 1. *de libris Eccl. Græc.*

PARACLETUS, Græcè Παράκλητος epitheton Spiritus S. quô officium ejus peculiare indigitatur. Sic nempe dictus eſt, quòd tanquam *Advocatus* & *Suſceptor* cauſæ noſtræ, precum noſtrarum atque omnis pii affectus auctor ſit eaſque dictet, & formet. Joh. *c.* 14. *v.* 16. *Ego rogabo Patrem & alium* Paracletum *dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſecula.* Et *v.* 26. Paracletus, *Spiritus ille ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.* Vide

Vide quoque *c.* 15. *v.* 26. & *c.* 16. *v.* 7. Sed & idem nomen Filio Dei, Servatori noſtro, tribuitur, 1. Joh. *c.* 2. *v.* 1. ob rationem, quæ indigitatur *v. ſeq.* Alius longe fuit *Paracletus* Montani, & Manichæi, de quibus Hæreticis ſic Jo. Forbeſius *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 4. *c.* 3. §. 2. ubi de Muhammede, Angeli cujuſdam vel Dei alloquium in paſſione epileptica mentiente, *Montanum Hæreticum* (Satanas) *in eam pertraxit inſaniam, ut miſer homuncio ſe jactaret eſſe Paracletum. Manichæo etiam eum ingeſſit furorem, ut ſpurciſſimus hæreticus diceret promiſſionem Chriſti de Paracleto, completam in ipſo eſſe*, ex Auguſtino *l. ad Quod vult-deum Hær.* 16. & *Hær.* 46. Et quidem Montani Sectatores eô nomine perpetuò illum inſigniiſſe, ſicut Priſcillam & Maximillam ejus Prophetiſſas appellabant, docet Euſebius *Hiſtoriæ Eccleſ. l.* 5. *c.* 14 & 16. Vide plura ſuô locô. Utriuſque furor in Muhammedem tranſiit, quem *Paracletum eſſe in Euangelio promiſſum*, inter ſacerrima arcana impietatis Muhammedicæ haberi, docet P. de Valle *Itinerar. Tom.* 3. ubi editô Perſicâ linguâ ſcriptô delirium hocce blaſphemum refutâſſe, addit. *Paraclitus*, habent recentioris ævi Scriptores, ob diverſam τῦ H. pronuntiationem. Vide hîc infrà, plura verò de voce Παράκλητος, apud *Suicerum*, ubi ſuprà.

PARACLITENSE, Monaſterium Galliæ, in Diœceſi vulgò *Troges*, ubi Moniales degunt, à *Paraclito* Spiritu S. appellatum, fundatumque à Petro Abaillardo, qui uxorem ſuam Heloiſam ei præfecit: cujus epitaphium ibi tale,

Hôc tumulô Abbatiſſa jacet prudens Heloiſſa,
Paraclitum ſtatuit, cum Paraclito requieſcit.

Dicitur etiam *Paracliti* ſeu *de Paraclito.* Bernardus *Ep.* 178. *ad Eugenium III. Sed & quod petit Abbatiſſa de* Paraclito *per ipſum ſi dignamini, ſcire poteſtis, & facere, ſi dignum judicatis.* In eo hodieque in die Pentecoſtes, linguâ Græcâ Officium cani, docet Nicol. Camuſatus *Hiſtor Miſcell.* apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

PARADA, vox medii ævi, cujus meminit Sidonius *l.* 8. *Ep.* 12. *Hic nec tibi pendulum tinguat volubilis ſentina veſtigium, pandi carinarum ventres, abiegnarum trabium textu pulpitabuntur: hic ſuperflexa crate* Paradarum *ſereni brumalis inſida vitabis.* Auſonius item *Ep.* 5. 27.

Expoſitum ſubter Paradas, *lectoque jacentem:*
Corporis ut tanti non moveatur onus.

Ubi Scaliger *Auſonian. Lect. l.* 2. *c.* 14. naves voluptuarias & cubiculatas undique tectas (de qualibus vide ſuprà in voce *Navis*) hôc nomine intelligi vult: cui adſtipulatur Caſaubon. *ad Julium Suetonii c.* 52. Car. du Freſne verò his locis partem navis, ſub qua navigantes jacebant, *Paradarum* nomine venire contendit. Vide Voſſium, Martinium, *in Etymolog.* & qui multa de hac voce commentatur, Schefferum *de Milit. Naval. l.* 2. *c.* 2. *in Addit. p.* 325. laudatos Car. du Freſne in *Gloſſar.*

PARADIGMATICE, quid Artis, vide ſuprà ubi *de Gypſo*; at de vario ſignificatu verbi παραδειγματίζειν, eo inprimis, quem habet Matthæi *c.* 1, *v.* 19. Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* in eo, ut & infrà, voce *Theatrum*, ubi hanc in rem adducimus locum Suetonii *Aug. c.* 45. *Stephanionem --- per trina theatra virgis caſum relegavit.*

PARADINUS, Claudius, vide *Claudius.*

PARADINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PARADISUS, oppid. Syriæ, ſeu Phœnices, ab hortorum amœnitate nomen nactum, ad Septentrion. Libani, ſupra Antaradum cum fluv. cognomine, Plin. *l.* 5. *c.* 23. *Ptol.* Item pagus Siciliæ, *Steph.*

PARADISUS, quem Dominum Deum in Eden plantâſſe meminit Moyſes, Gen. *c.* 2. *v.* 8. his verbis: ויטע יהוה אלהים גן בעדן *vajitta Jehova Elohim gan beheden*, transferentibus id Septuaginta; ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς Παράδεισον ἐν Ἐδὲμ, ut non tam voluptatem, quàm nomen proprium iſtius loci accepiſſe videantur. Origine autem *Paradiſus* vox Perſica eſt, ſicut Xenophon *l.* 5. *Memorabil.* non ſolùm teſtatur hortos à Perſis *Paradiſos* appellari, verùm etiam *Plut. in Demetrio* & Philoſtratus *in vita Apollonii Tyanei.* cùm ita ſcribit: Μέλλων ὁ Δαμὶς πρὸς θήραν γίνεσθαι τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις χωρίων, εἰς οὓς λέοντές τε ἀπόκεινται τοῖς βαρβάροις καὶ ἄρκτοι, καὶ παρδάλεις. Et Pollux, *l.* 9. *c.* 3. Παράδεισοι βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖ τοὔνομα, ἥκει δὲ κατὰ συνήθειαν εἰς χρῆσιν Ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ Περσικῶν. Etenim Perſæ nominabant Paradiſos, ampliores hortos δένδρα ἔχοντας ἥμερα, interdum etiam vivaria, ut quibuſdam placere video. Agellius *l.* 2. *c.* 20. *Vivaria nunc dicuntur ſepta quædam loca, in quibus feræ vivæ paſcuntur.* Et paulo pòſt, *Vivaria, quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos* Παραδείσους *Græci vocant.* Quocirca Vandalorum regum paradiſum in Africa pulcherrimum & amœniſſimum fontibus non tantùm irriguum, ſed etiam arboribus pomis onuſtis plenum fuiſſe, ſcribit *Procopius.* Unde Heſych. παράδεισον τὴν Βασιλέως κατάλυσιν interpretatur. Valeant ergo, qui cum Scholaſticis *Paradiſum* dici volunt quaſi *parans Dei viſum.* Valeant, qui cum *Suida* peregrinæ hujus vocis originem aut παρὰ τὸ δεύσω, i. e. βρέχω, aut παρὰ τὸ τὴν δεῖσαν, i. e. βοτάνων συλλογὴν ποιεῖσθαι, arceſſunt. Tandem hanc vocem receperunt literæ ſacræ. Ait enim Solomon Eccleſ. *c.* 2. *v.* 5. *Feci mihi hortos, & paradiſos (ganoth vepardeſſim) & plantavi in eis omne lignum fructiferum.* Canticorum quoque *c.* 4. *v.* 13. Nehemiæ *c.* 2. *v.* 8. eandem vocem reperias. In Novo Teſtamento eſt tranſlata à S. Lucâ *c.* 23. *v.* 43. & D. Paulo 2. Corinth. *c.* 12. *v.* 4. ad æternam illam & beatam Dei, angelorum, & animarum felicium ſedem, ut cùm Chriſtus inquit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Eâdem ſignificatione accipitur Apocal. *c.* 2. *v.* 7. ubi *vincenti lignum vitæ* promittitur, *quod eſt in paradiſo.* Ubi fortè Seleuciani negârunt fuiſſe olim Paradiſum terrenum, ut & Origenes *l.* 4. περὶ ἀρχῶν pueriliter ratiocinatur, haud fore aliquem uſque adeô ſtupidum, ut putet Deum agricolam fuiſſe, & arbores plantâſſe in Paradiſo. Sed eum confutat *Epiphanius.* Quin ipſa creatio, verbô Dei facta, redarguit ineptias tales; nec eſſe in Paradiſi hiſtoria ſemper quærendas allegorias monet *Hieronym.* Fuit itaque Paradiſus aliquis terrenus, ſed ubi fuerit, ab eruditis diſputatur. Sunt qui ſub Æquinoctiali circulo conſtituunt, & nomine *gladii, torridam zonam* accipiunt. Alii in altiſſimis montibus ponunt, ut ad Lunarem uſque circulum pertingat, aquarum diluvii expers. Nonnulli extra orbem noſtrum locum illi faciunt, myſticè intelligentes omnia illa, quæ de eo commemorantur. Philo quoque Judæus cœlum intelligit. Sed hanc ejus opinionem improbat & rejicit *Theodoretus* multis modis, tum pariter his verbis: Ἐδὲμ οἱ μὲν τὸν παράδεισον αὐτὸν λέγεσθαί φασιν, οἱ δὲ τόπον πάντα, ἐν ᾧ καὶ παράδεισος ἦν, ὅθεν καὶ ὁ Ἀδὰμ ἐπλάσθη. Καὶ ὁ Ἀδὰμ ἀπὸ τῆς γῆς ἐν Ἐδὲμ γεγεννῆσθαι προσηγορεύθη, ἔδωμ γὰρ τὸ πυῤῥόν. Quanquam poſteriora hæc minimè ſint vera, eò quòd Adamus nomen tulerit à terra, quæ Ebræis dicitur אדמה *Adama.* In quâ regione ergo plantatus eſt hortus hic voluptatis? Probabiliter loqui ac ſcribere videntur, qui locum ejus deſignant in Meſopotamia inter Judæam & Arabiam, maximè circa Babylonem & Seleuciam, ubi Tigris & Euphrates 4. flumina ſuô concurſu conſtituunt, ſupra Babylonem autem unô alveô recipiuntur, & infra rurſus dividuntur in flumina duo, aut potius in Chaldæâ vel Aſſyriâ. Sed & hanc ſententiam evertere conantur nonnulli, non ſatis animadvertentes, ubi primi iſti homines vixerint, ubi turrim condiderint, ubi Nineve prius condita ab Aſſur, à quo circumjacens regio Aſſuria, vel (quod idem eſt) Aſſyria eſt dicta. Suſpicionis etiam nonnihil injicit, quòd inter Magorum præcepta, quorum in Chaldæa & proximis regionibus magna fuit auctoritas, Paradiſi quoque mentio fiat verbis:

Ζήτησον παράδεισον. ———

Quanquam myſticè eos de Paradiſo loqui intelligat *Pſellus*, qui diſertis verbis Χαλδαϊκὸν παράδεισον vocat, & aliô locô ἱερὸν παράδεισον κατὰ Χαλδαίους, quaſi fuerit indubitatum tum temporis, eſſe aliquem Paradiſum Chaldaicum. At quia perierat aquis diluvii vaſtatus, atque ideo digitô monſtrari non poterat, myſticè intelligendum exiſtimârunt, ſicut & nonnulli Chriſtianorum Theologi. Adde quòd verſus Orientem habitaverint Adam, Cain, Abel, & ab eodem tractu coloniæ fuerint in alias regiones deductæ. Poſt cataclyſmum enim venit in Ægyptum Mizraim, id eſt, Ægyptus, ut Chus in Æthiopiam. Atqui Orientalis regio eſt Chaldæa, cujus incolæ quoque non falsò, Arcadum inſtar, ſed magnô jure ſe, omnium hominum antiquiſſimos jactare ſolent. Jam & ipſe hortus voluptatis plantatus fuiſſe legitur à Deo, Gen. *loc. cit.* מקדם *Mikedem*; quam vocem licet Onkelos *à principio vertat*, Hieronym. *ab exordio*, Aquila ἀπ᾽ ἀρχῆς, Theodoretus ἐν τοῖς πρώτοις, Symmachus ἐκ πρώτης; quaſi ante conditum mundum extiterit Paradiſus; tamen horum ſententiæ omnino ſtandum non eſt, cùm eadem vox *ab Oriente* quoque ſignificet, teſte Aben Ezrâ & aliis. Atque hâc adeo de causâ Septuaginta verterunt κατὰ τὰς ἀνατολάς, i. e. *ad Orientem*, reſpicientes ad locum, non ad tempus. *Baudrandus* ait fuiſſe multis in Armenia majori verſus montem Ararath; ex illa enim regione profluunt 4. illi fluvii Scripturæ memorati, nempe Euphrates, Tigris, Phiſon poſtea Phaſis, & Gehon, qui poſteà Araxes. Gehon enim fluvium Chaldaicè ſignificat, uti Araxes Perſicè: Et in his partibus ponuntur etiam populi *Etopes* quibuſdam. Sed alii aliter. Hoc certum eſt, ante hominem formatum extitiſſe Paradiſum. Ante mundum verò creatum non extitiſſe, vel inde probari queat, quòd terreſtris fuerit, arbores in ſe fructiferas habens, fluviorumque & regionum Orientalium mentio fiat in ejus deſcriptione. Credibile quoque eſt. temperatiſſimam fuiſſe regionem hanc, atque ideo priſcos illos homines vitam in plures, quàm nos, annos produxiſſe, cùm nondum immanis illa ventris ingluvies, verè Hydra Lernæa, irrepſiſſet in mundum, quæ jam & morbos plures generat, & manes anticipat. Cæterùm periit Paradiſus terreſtris, everſus aquis diluvii, horridus jam & incultus, aut certè priſtinâ amœnitate deſtitutus. Quò ſtultè faciunt prorſus, quicunque eum inquirunt, eò quòd ab aliis locis quoad ſplendorem, culturamque dignoſci haudquaquam poſſit. Falluntur etiam Judæi, qui in terreno Paradiſo etiamnum verſari putant Thisbitem Eliam, & Enoch, cùm in cœleſtem revera tranſlati ſint, de quo Salvator locutus eſt pendens in cruce, & B. Paulus, *loc. cit.* ubi ſe raptum eſſe affirmat in Paradiſum tertium aduſque cœlum, atque ibidem multa audiviſſe verba arcana, quæ homini aperire non licet. Hæc ex *Fungero.* Videat eruditus Lector tractatum Anglicanô ſermone conſcriptum, cujus titulus eſt: *A diſcourſe of the Terreſtrial Paradiſe.* Londini, excudebat Jac. Fleſherus, A. C. 1666. *Nic. Lloydius.* Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* quatuor *Paradiſi* fluvios fuiſſe ait, Euphratem, qui *Phrat* ſeu *Frat* in Scriptura vocatur; Tigrim, qui accolis antehac & Arabibus hodienum, *Diglito* ſeu *Diglath*, ad nominis *Chidekel* ſimilitudinem voce accedente: ut & utriuſque alveos, in quos antequam Oceanum ſubeant, ſcinduntur, quorum unum hodie *Naharmalca*, olim *Piſhon*: alterum nunc *Naharſares*, qui Arabiam alluit, olim *Gichon* appellatum vult. Nec obſtat, quòd *Gichon* dicatur fluere circa terram *Chus* ſeu Æthiopiam; Æthiopia hæc enim, non Occidentalis illa eſt, quam Nilus interluit: Sed Orientalis, quæ Arabia eſt. Quemadmodum Moſis uxor Æthiopiſſa dicitur, quæ tamen non ex Æthiopia Africæ, ſed ex Arabia oriunda erat: Filia namque Jethronis, Principis in terra *Midian*, quæ in Arabia ſita. Similis Chavilæ, quam *Piſhon* rigare dicitur, unde Gangem eum fecêre *Joſephus*, *Euſebius*, *Hieronymus*, ratio eſt. Etenim non intelligitur Chavila, quæ in India eſt; ſed quæ ad Sinum Perſicum hodiernum *Chelſa* dicta cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Populi *Chelſalini*, qui etiamnum aſſerunt ſe in Eden habitare, ubi *Paradiſus* fuerit, vide quoque Horn. *in Sulpicium Severum*, *l.* 1. *c.* 1. *num.* 2. Ita ergo eorum ſententia corruit, qui Piſhonem Gangem & Gichonem Nilum fecêre ſicque totam Aſiam, & maximam partem Africæ, priſcis *Paradiſi* limitibus incluſêre. Accedit quòd fluvii hi fontibus & ipsô aquarum decurſu immenſum quantum divertant. Revocavit quidem vetus iſtud placitum in lucem noſtrô tempore Cl. Olearius, Perſicô itinere celebris, Euphratem, Tigrim, Gangem, Nilum in India quidem naſci, ſed canalibus ſubterraneis tandiu duci, donec locis, ubi fontes eorum nunc habeantur, ſuper terram emergant, docens ex Auguſtino *in Geneſ. l.* 8. *c.* 7. Sed quamvis trium priorum aliqua communio concipi poſſit, Nilus tamen in conſortium venire non poterit, quippe de quo vix dicetur, qui longinquus ejuſmodi canalis ab eo per totam Aſiam & Africam ducendus interjectô Mari Rubrô aut Indicô miſceri non poſſit. Et quamvis inſtet, *Phrat* quidem diſertè memorari, ſed veluti Gihon non Nilum ſolùm, verùm alia quoque flumina denotat, ſic Phratem etiam non neceſſario exponendum Euphratem: facilis tamen reſponſio eſt. De Tigri enim res indubia eſt, cùm Aſſyriam dicatur alluere, quid ni ergo & ipſi propinquum Ephratem retineamus. Adde, ſi Zeilana Inſul. vel India intra Gangem, ut vult, neceſſariò *Paradiſum* tulêre, quia rerum omnium ibi copia; etiam Africæ Americæque quædam partes eandem ob cauſam *Paradiſum* ſibi vindicabunt. Imo à fertilitate atque amœnitate locorum hodierna argumentum eò infirmius ducitur, quòd maledictio Adamo inflicta, ſi textum ſacrum curatiùs evolvamus, in ſpiecie *Paradiſum* quoque preſſiſſe videtur; ut proin credibile non ſit, ſolum ipſius fertile ac amœnum manſiſſe. Vide Auctorem ipſum Anonym. *loc: cit. c.* 3. §. 14. & de celebrioribus Hortis, qui *Paradiſi* nomine apud Scriptores veniunt *ſuô loc.* Ejus porrò aliqua apud Gentiles quoque, quibus per traditionem utcunque innotuit, veſtigia reperiuntur; in iſto maximè errantes, quòd dierum paucorum, quibus primis Parentibus cum integritate felicitas ſua in eo conſtitit, fortunam, ſeculi fecerint, cui ob præſtantiam ſuam *Aurei* indidêre nomen. Vide Heſiodum *Op. & Dier. l.* 1. Ovid. *Metam. l.* 1. *Fab.* 3. Senecam Trag. *Hippolyt. Act.* 2. *Sc.* 1. Alios. Audiemus hîc ſolum Tibullum *l.* 1. *El.* 3. *v.* 41.

Illô non validus ſubiit juga tempore taurus,
Non domitô frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipſa mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſævus duxerat arte faber.

Neque Poëtæ ſolùm, quibus quidvis fingendi licentia eſt, verùm & Philoſophi talia tradidêre; inter quos Plato *Polit p.* 175. 176. ætatis iſtius conditionemque hominis referens, inter alia docet, *ſine laboris moleſtia* primis hominibus victum obtigiſſe; illos *frugibus* ſolùm *oleribuſque* victitâſſe, nullâ carnium mentione factâ, quarum eſum Noacho demum conceſſum nonnulli ex Moſis hiſtoria ſe colligere poſſe autumant; eoſdemque *nudos* inceſſiſſe, quod apertiſſimè Moſes indicat. Idem & alibi regionem quandam ſic deſcribit, ut non ita magnam cum *Paradiſo* diverſitatem habeat, judiciô Cœlii Rhodigini *l.* 1. *Antiqq. Lection. c.* 22. Sic ejectionis è *Paradiſo* poſt lapſum, calamitatumque inde humano generi immiſſarum, ſtricturæ, apud Heſiodum iterum *d. l.* ubi tantùm non *Eva* nomen defert: Plotinum *Ennead.* 48. 1. & 5. Catullum Argonaut. *carm.* 65. *ſub fin.* Ovid. *Metam. l.* 1. *Fab.* 4. Senecam Tragic. *l. c.* Platonem *in Cratil. ſub fin.* in cujus verbis legum divinarum humano generi latarum transgreſſioni omnem, quâ conflictatur calamitatem, imputantis, & terreſtris illius *Paradiſi* & ejectionis myſterium, etiam Marſilius Ficinus agnoſcit *Argum. in Plat. de LL. l.* 9. &c. Quô ſpectant & Bacchi orgia, quæ celebrabant Ἀνεςεμμένοι, ut Clemens Alexandr. illa quoque huc trahens *Protrept. p.* 7. τοῖς ὄφεσιν ἐπολολύζοντες Εὐάν· Εὐὰν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε, *Coronati ſerpentibus, ululantes Evan. Evam illam per quam eſt error conſequutus*, & quæ ſequuntur. Sed & inter Novi Orbis incolas eadem non omnino ignota Imò totam hanc de utroque Hominis ſtatu hiſtoriam, mutatis ferè tantùm nominibus, à Sacerdote quodam Peguano, ita relatam, ut ex ipſa ſacra Hiſtoria recitatam crederes, fide auctoris, qui ſermoni ſe præſentem adfuiſſe dicit, Ferdinand. Mend. Pinti *Itinerar. p.* 313. hîc ſubjungere placuit. Ea ita ſe habet: *Poſt erutum ex aqua orbem, Hortum à Deo plantatum eſſe, cui incolam cuſtodemque hominem,* Adaæ *nomine cum uxore* Baragone *dederit; utrumque in obſequii ſpecimen eâ lege adſtrictum, ne arboris* Hilafaran *fructum temeraret, quam ſuo honori ſepoſuiſſet; ni paréret, gulæ intemperiem horrendis ſuppliciis luituros, etiam in poſteros tranſituris. At ſerpentem*, ex domô fumi, *magnam iſtam* Lupanto *veritam, ne homini ſuâ erga Dei juſſa reverentiâ æterna felicitas obtingeret, mulieri, melioris ſortis ſpe illectæ, perſuaſiſſe, ut vetitos fructus invaderet, maritô quoque in criminis communionem pertractô. Unde Hortô expulſis mors, dolores, atque inopia ab irato Numine incubuerint, quod tamen Adæ multis lachrymis teſtata pœnitentia utcunque mitigârit.* Quæ tamen & ipſa non vulgata, & ne Symmyſtis quidem ſuis cognita eſſe, Sacerdos iſte, *Grepos* nominant, jactabat, ex Tob. Pfannero *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 7. §. 9. & 10. Ἀ' *Paradiſo* dicuntur *Paradiſiacæ* aves, quæ aliàs *Manucodiatæ*, ſeu *Mamuco diatas*, h. e. *aves Dei* (hanc enim Etymologiam *Maximil. Tranſylvanus* reddit) dictæ, ex Inſulis Moluccis in Europam adferuntur: Has pro apodibus malè quidam hactenus habuêre; cùm ab Inſulanis ideo pedes & viſcera reſecentur, ne pennis, quibus maximè ſuperbiunt, fœtor adhæreat, Idem Anonym. *c.* 5. §. 13. Et ab amico accepi, in Ulyſſis Aldrovandi Cimeliarchio iſtiuſmodi aves cum pedibus, ſed brevibus admodum, & plumis taliter involutis, ut facilè procul ſpectantem fallant, ſpectandam exhiberi. Vide quoque in voce *Molucca.* Indidem *Arbor Paradiſi* vulgò dicta eſt. Aloë aromatica ſeu Agallochum, ab excellenti odore, ob quem lignum ejus magno apud Orientales hodieque in pretio eſt, qui illô myſtaces ſuos ſuffumigare tantæ voluptati habent, ut nunquam eô ſine gratiarum peculiari formula, erga Deum tanti beneficii auctorem, illos uti, tradat Joh. Bapt. Tavernier *ubi de Commercio Indico.* Sic Folium ſive malabathrum *herbam Paradiſi* vulgus vocitavit, teſte *Iſidorô*: & poma quædam prædulcia etiamnum *Paradiſi* nuncupant Galli, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1055. ubi de *Agallocho* ſeu *Aloë.*

PARADISUS, apud recentiores Scriptores, atrium eſt porticibus circumdatum ante ædes ſacras. ex Græco Παράδεισος, qui ab *Heſychio* definitur τόπος ἐν ᾧ περιπάτοι, *locus porticibus & deambulatoriis circumdatus*, Gallis verò *Parvis.* Hâc notione vox reperitur, apud Anaſtaſium *in Dono* I. Pontific. *Hic Atrium B. Petri ſuperius, quod* Paradiſus *dicitur, eſtque ante Eccleſiam in quadriporticum, magnis marmoribus ſtravit.* Et in *S. Paulo, Fecit autem in atrio turrem S. Mariæ ad Gradus, quod vocatur* Paradiſus, *oraculum.* Ubi in priore loco, ςοὰ, ἡ εἰς τὸν Πέτρου τοῦ Ἀποςόλου νεὼν ἀνήκει habetur. Vide Gruterum *Inſcript. Chriſtian. p.* 1163. Hos verò *Paradiſos* cœmeteriorum vicem interdum præbuiſſe, declarant quæ de Othone II. Imperatore habent Scriptores, quem in *Paradiſo B. Petri* Romæ tumulatum tradunt, Leo Oſtienſis *l.* 2. *c.* 9. aliique. Ita etiam Sicelgaitam, Roberti Guiſcardi uxorem, ibidem humatam, ſcribit Paulus Diaconus *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 8. Certè, ut *Paradiſi*, ita & Cœmeteria *Atria* dicuntur paſſim, vide Car. du Freſne *Gloſſar*, & Salmaſ. *ad Solin.* Sed & *Paradiſos* appellari Gallis *Parcs*, in quibus varia animalia, ad uſum voluptatis vel venationis includuntur, & poſſidentur, ademtâ naturali libertate, tradit Balduinus *Inſtitut. de rerum diviſ.* apud Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.* Etiam in navi *Paradiſos* habet, Contractus navigii &c. ann. 1268. *tom.* 5. *Hiſtor. Francic. p.* 439. apud Car. du Freſne *l. c.* Nempe Παράδεισοι Græcis etiam veter. quæ *Vivaria* Latini dixêre, A. Gellius *l.* 2. *c.* 20. non tam à παρὰ, *juxta*, & δεύω, *irrigo*, ut *Suidas* vult, quàm ex Hebr. פרדס *pardes*, pomarium denotante, ſeu hortum: unde & pardo quidam nomen inditum volunt, quòd, ut hortus floribus, ita maculis pardus varietur, Sam. Bochartus *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 7. Nec omittendus *Paradiſus* Aloadis, *Senis de Montanis* nomine inſigniti, quem poſt occupatam regionem Muletam in valle quadam amœniſſima, & præruptis cinctâ montibus, omni delitiarum genere inſtruxit, in faucibus, per quas ſolas patebat aditus, arce munitiſſimâ condita, ne cui accedendi, niſi conſciis, poteſtas eſſet. Quô pactô cùm ſicariorum magnam vim (quos vulgò *Aſſaſſinos* ſeu *Laſſatinos* dixêre) ad ſe traxiſſet, multaque per eos, quà Chriſtianis, quà aliis, damna inflixiſſet aliquandiu, tandem ab Allavo Rege Tartarorum triennali obſidione ad deditionem compulſus, locus abolitus, aſſeclæque omnes interempti ſunt, uti legere eſt apud Marc. Paulum Venetum *Orient. Hiſtor. l.* 1. *c.* 8. Vide quoque, ubi de *Aſſaſſinis*, ſeu *Laſſatinis*, nec non infrà, voce *Senex.*

PARADOXI & PARADOXOLOGI, iidem cum Neanicologis & Aretalogis ſeu Scurris, ſic dictis, quòd, multa falſa de virtutibus ſuis prædicantes, riſum aliis movere quærerent. *Vet. Scholiaſtes* Juvenalis, *Siparium velum eſt, ſub quo latent* Paradoxi, *cùm in ſcenam prodeunt.* Eoſdem *Ordinarios* vocat Suetonius *de Rhetor. c.* 2. *Ordinarium appellat, deridens ut inflatum ac levem & ſordidum*: ubi perperam vulgò legitur, *Hordearium*, cùm veteres omnes ibi habeant *ordinarium.* Ordinarium autem Veteribus ſcurram dictum eſſe, monet *Feſtus: Ordinarius, homo ſcurra & improbus.* Sed de his ſuprâ non uno in loco; imprimis voce *Jactantes*, item *Mendaces.* Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullianum de Pallio.*

PARÆTACA, urbs Mediæ, popul. *Parataceni Straboni*, & Plinio, *l.* 6. *c* 26. & 27. ac *Paretacani Herodoto in* Perſide, ubi *Paratacene* regio *Ptolemæo*, *Paritaca Arriano*, *Paretacene Straboni*, inter Perſidem & Parthiam. Ita variè locis remotis ab autoribus ſcribitur.

PARÆTESIS, Græcè Παραίτησις, in Conciliorum canonibus, eſt, cùm quis, abdicatô Epiſcopatu, an ob laboris fugam, an aliam ob cauſam, honorem nihilominus retinere cupiebat, uti pluribus videre eſt in *Epiſt.* Synodi Epheſ. ad Synodum in Pamphylia, de Euſtathio Metropol. ad quam hujuſmodi Παραιτήσεις non fuiſſe licitas, docet Zonaras, adductô locô ex *Ep.* Cyrilli ad Domnum, ubi decernitur, λίβελλον παραιτήσεως μὴ προσάγειν τινὰς τῶν ἱερέων, *Ne ulli Sacerdotes libellum abdicationis afferant*, apud Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* voce Παραίτησις

PARÆTONIUM, quod *Berton* Mercatori & aliis, urbs Marmaricæ, olim Epiſcopalis & præcipua in ora Boreali ac maritima inter Apolloniam urbem Cyrenaicæ, ad Occaſum 390. & Alexandriam Ægypti in Ortum 144. mill. paſſ. à Catabathmo 900. ſtad. in Ortum Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 772.

Iſi, Paratonium, Mareoticaque arva, Pharumque.

Baudrando nunc *Alberto*; urbecula & emporium regni Barcæ, in ora maris Mediterranei, 180. mill. paſſ. ab Alexandria in Occaſum ſub Turcis. Hinc *Paratonius*: Lucan. *l.* 3. *v.* 295.

Uſque Paratonias Eoa ad litora Syrtes.

Nic. Lloydius Vitruvius *Paratonio* lacum eſſe paluſtrem adeò falſum, *ut habeat inſuper ſe ſalem congelatum*, narrat *l.* 8. *c.* 3.

PARAFRENARIUS, vox medii ævi, Gall. *Palefrenier*, Ital. *Palefreniere*, Equiſo, qui *palafridos* ſeu equos curat, ſeu etiam qui ſtabulis Regiis aut Principis præeſt. Apud Continuatorem Guil. Nangii ad A. C. 1378. id officii in Aula Francica notat, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quod poſt modum *Magni Franciæ Scutiferi* dictum eſt. Eſt autem *Palafrenus* apud Ott. Morenam *Hiſtor. Rer. Laudenſium p.* 38. idem cum *Palafrido* & *Palafredo*, item *Palefredo*, apud Gall. *Palefroi, cheval de ſervice*, deſignatque equum gradarium & pompæ causâ ali ſolitum: quæ omnes voces ex *Paraveredus* corruptæ ſunt, vide infrà in *Paraveredi.*

PARAGAUDÆ, vel *es*, ſive ea vox Parthorum ſive Syrorum fuit, dictæ ſunt aureæ faſciæ, limbique ac ſegmenta, quæ tunicis laneis & ſubſericis, lineis inprimis interulis, olim à Romanis addebantur. Meminit earum Trebellius Pollio in *Claudio, c.* 17. *Albam ſubſericam paragaudem triuncem unam*, i. e. Albam ſubſericam, *paragaudis* vel loris prætextam, in quibus tres unciæ erant auri. Quomodo Lamprid. in *Alexandro Severo, c.* 41. cum inter alia uxorem uti voluiſſe ait, *Cyclade, quæ ſex unciis auri plus non haberet*, in limbis ſcil. & ornaturis ex auro, quæ cycladem in ima parte circumcurrebant. Regiæ enim matronæ cycladas olim gerebant, non purpurâ, ſed aurô circumtextas, erantque limbis auratis, quos *Paragaudas* vocârunt, prætextæ, quæ extremis earum oris adſuebantur. Iſtiuſmodi *Paragaudias* veſtes, primus militibus dediſſe legitur, apud Vopiſc. *c.* 46. *Aurelianus*, cùm anteà non niſi rectas purpureas accepiſſent, *caſque aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis & uſque ad pentelores, quales hodie lineæ ſunt*, à multitudine nempe pannorum vel faſciarum & lororum ſeu *Paragaudarum*, quæ lora vulgò hodie *bandæ* vocantur. Cujuſmodi λωρωτοὺς χιτῶνας Achmes in *Onirocrit. c.* 120. appellat *Paragaudias veſtes.* Idem λωρωτοῦ ἀληθινοῦ mentionem facit, h. e. *purpureæ veſtis loratæ*: ſed & τοῦ ἀπὸ μετάξης λωρωτῶν, nam & ſubſericæ veſtes *Paragaudiæ* erant, ut vidimus ex Trebellio *loc. cit.* & *paragaudæ* ipſæ vel lora, ex ſerico auro intexto fiebant. Imò nec multilores ſolùm veſtes, ſed vela quoque olim loris ornabant ac diſtinguebant: Anaſtaſius *in Gregorio IV. Ibi ipſe fecit & alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, habentque lora viginti quinque.* Ex iiſdem Vopiſci verbis colligimus, ſub Gallieno & Aureliano, nondum in uſu fuiſſe lineas loratas, ſed tunicas tantùm. Poſt eorum verò tempora lineas & interulas etiam multis loris variegârunt & frequentiùs quidem quàm tunicas, ita ut & quinquelores fierent. Nam tales fuiſſe lineas ſuô tempore, ſcribit Vopiſcus heic; hinc idem in *vita Bonoſi, c.* 15. in brevi munerum, quæ Hunilæ Bonoſi novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* meminit, non item tunicarum: ſed Bonoſus ille ſub Aureliano vixit & munera illa ex Aureliani præcepto data. Jam tum igitur lineæ loratæ in uſu, verùm dilores ferè tantùm, non etiam pentelores, quò jam uſque proceſſerunt Vopiſci ætate. Longè autem ante Aureliani tempora, aurô & purpurâ lineas intertexi conſuevisſe, diſcimus ex Lampridio in *vita Severi, c.* 40. ubi hunc queſtum fuiſſe refert, quòd aurum & purpura in lineas mitterentur: *Si lineæ idcirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpurâ? in lineas autem aurum mitti etiam judicabat dementiam, quum ad aſperitatem adderetur rigor.* Hinc illa diſtinctio, ut lineæ puræ dicerentur, quibus nihil auri vel purpuræ eſſet intextum, ad differentiam earum, quæ prætextæ intextæve aurô & purpurâ. Sed & hoc notandum, ſub Gallieno demum, luxurioſiſſimo Principe, *tunicarum virilium auratarum*, i. e. *paragaudiarum*, mentionem fieri; priùs enim ſegmenta hæc vel auratæ faſciæ muliebribus tantùm tunicis adſuebantur: donec luxu creſcente etiam ad viros hic ornatus tranſiit, atque poſt Gallieni tempora paſſim *paraugandæ* viriles ac muliebres in uſu fuêre, ita ut & milites ſub Aureliano *paragaudias* acciperent, uti diximus. Quæ cùm tam promiſcui eſſent uſus, Valentinianus & Valens Imperatores lege eas prohibuêre, cùm viriles tum muliebres & privatis ademêre ſuiſque Gynæceis tantùm fieri voluêre, ſolis miniſtris conviviorum uſu earum permiſſô, *Codice de Veſt. holov. leg.* 2. &c. *Nemo vir auratas tunicis aut lineis habeat* Paragaudas: *niſi hi tantummodo, quibus hoc propter Imperiale miniſterium conceſſum eſt.* Vide Salmaſ. *ad Hiſt. Aug. Scriptores*, & Octav. Ferrarium *de Re veſtiaria l.* 3. *c.* 3. & 4. Juſtinianus autem earum uſum reſtituit mulieribus, non item viris, ſolaſque viriles *paragaudas* contexi vetuit &c. Vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. Scriptores* paſſim, & ſuprà in vocibus ſynonymis, *Inſtita, Lorum, Pannus* &c. Hinc *Paragaudatus*, in *Charta* Donationis Cornutianenſis, edita à Suareſio, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & *pro ara ora vela tramoſerica alba pro auroclava.* 2. *vela blattea auroclava paragaudata.* 2. Infrà, *vela lintea paragaudata Perſica clavatura leucorodina* 2. Vide quoque Jac. Gotofredum *ad l.* 2. *C. Theod. de veſtib. Nemo auratas habeat, aut in tunicis aut in lineis paragaudas*; Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 9. *c.* 11. Alios.

PARAGOJA, vulgò *Paragoja*, ſeu *Calamianes*, inſula Oceani Indici, per centum leucas in longum porrecta, inter Bornei inſulam in Circium & Manillam in Eurum. Diſtat. 17. leucis Hiſpanicis à Bornei inſula, à qua pendet. Dicitur aliter Puloamuin; eſtque una ex Philippinis inſulis latè ſumptis.

PARAGONTICUS Sinus, *Ptolem. Golfo de Gugerath* nunc, teſte Nigrô, ſinus Carmaniæ, ultra Armozum & Carpellam promontorium, Paragon, Paragontis apud *Ptolem.*

PARAGRAPHUS, id propriè dicitur, *quidquid ſub ea ſententia clauditur.* Ita Martianus Coſſias antiquus Pandectarum Interpres, in illum locum, *verſuum tricies centena millia: Verſuum*, inquit, *id eſt, paragraphorum; Paragraphus, id eſt,* &c. Ubi obiter notat Pratejus, nomen hoc à Græcis in fœminino efferri contra quàm ab omnibus Juriſconſultis uſurpatur, apud Calvin. in *Lexico Jurid.* Apud veteres Græcos, lineam ſignificavit Criticis notam. In Gloſſis verò, *Preductal*, παράγραφος plumbum videl. vel ſtilus, quô lineæ præducebantur in membrana, ad ſcripturam dirigendam. Unde ὁ παραγράφων, *qui prælucit ac præſcribit lineas.* Atque hinc tandem pro linea ipſa ſeu verſu. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 917. & infrà in voce *Preductal.*

PARAGUAJA, ſeu *Paraguaria*, vulgò *le Paraguay*, regio ampla Americæ meridionalis, quæ pro majori parte ſubeſt dominio Hiſpanorum. Terminatur ab Oriente Braſiliâ regione, à meridie Magellanicâ, & ab Occidente Peruviâ & regnô Chiles. In ea ſunt aliquot provinciæ, nempe Paraguaja propria, *le Paraguay*, Tucumania, *le Tucuman*, Urvagia, *Urvaig*, Parana, *Parana*, Guaira, *Guaira*, Chaca, *Chaco*, & provincia fluvii Argentei, *Rio de la Plata*: Et in his provinciis ſunt multæ coloniæ Hiſpanorum. Paraguaja autem propria provincia eſt inter Braſiliam ad ortum & Paraguajum fluvium ad occaſum, versùs lacum *de los Xarajes* extenſa. Sed urbibus caret & coloniis.

Paraguajæ late sumptæ urbes:

Acaraiga, *Acaraig.*	Fanum S. Jacobi, *Sant Jago del Eſtero.*
Aſſumptio, *l'Aſſomption.*	Fanum S. Michaëlis, *San Miguel de Tucuman.*
Bonus Aër, *Buenos Ayres.*	Itapoa, *Itapoa.*
Civitas regia: *ſeu* Guaira, *Ciudad Real.*	Nova Corduba, *Nueva Cordoua.*
Conceptio, *la Conception.*	
Fanum S. Fidei. *Santa Fé.*	

PARAGUAJUS, vulgò *Paraguay*, fluv. ingens Americæ meridionalis, in Paraguaja regione. Oritur ex lacu *de los Xaraies* dicto; deinde in auſtrum tendens, auctuſque jam plurimis amnibus, recipit fluvios Argenteum, Paranam, Purpureum, Album, Salſum, Tertium, Carcarannam, Urvagium, ſeu Uraguajum, & alios; quibus auctus, per latiſſimum oſtium in mare Magellanicum ſe exonerat inter promontoria ſanctæ Mariæ & S. Antonii.

PARAIBA, vulgò *Paraiba*, urbs munita Americæ meridionalis in Braſilia regione, cum portu capaci, ſub Luſitanis. Ab ea provincia adjacens dicitur *Capitania de Paraiba*, Præfectura Paraibæ. Urbs ipſa ſedet ad fluvium cognominem, vix 3. milliaribus diſtans ab ora maris Borealis. Dicta fuit etiam *Frederickſtadt*; Frederica, à Batavis, qui eam expugnaverant A. C. 1634. Sed inde ejecti fuêre fortiter à Luſitanis, à quibus urbs ipſa dicitur perſæpe *noſſa Senora das Nieves*, ſeu Sancta Maria ad Nives. Ei adjacent arx Sanctæ Catharinæ, & arx S. Antonii.

PARALAIS, Cappadociæ oppidum, in Lycaonia, teſte *Ptolem.*

PARALI, Athenis dicti maritimi, inter Diacrios Oligarchicos & Pediacos Democraticos medii, de quibus Plutarch. *Solone.*

PARALIPOMENA, Hebræis *Dibre Hajamim*, aliter Chronicorum libri duo, pars Canonis Vet. Teſt. ubi ea, quæ in reliquis libris Hiſtoricis præterita, continentur. Autor in abdito eſt: Interim, *in libro hoc omnis eruditio Scripturarum continetur.* Hieronym. *præfat. ad l. Paralip.* In *Paralipomena*, vel *partes*, extant, Angeloni *Stromata.* Antoninus. Bedæ *Expoſitio.* Crommius, Lovanii, 1631. Hieronymus. Jacobus R. Don Joſeph Aben Jechija, de Lapide, *Comment.* fol. Antverpiæ, 1642. Lavateri *Comm.* fol. Heidelb. 1590. Leonhartus, Lipſiæ, 1614. Malvenda. Nezenius. Paulutius. Piſcatoris *Comm.* Procopius. Gaz. Rabanus. Sancti *Comm.* fol. Lugd. 1625. Serarii *Comm. poſthumi*, fol. Lugduni, 1618. Strigelii *Scholia*, octav. Neoſtadii 1571. Theodoreti *Quæſtiones Selectæ.* Toſtatus. &c. Vide Crowæi *Elenchum.*

PARALIUS, nomen viri apud Romanos præcipui, quem inter occiſos à Commodo refert Æl. Lamprid. in hujus Imperat. *Vita, c.* 4. *Poſthæc interfecti ſunt Pompejanus primò & Quadratus: dein Norbana, atque Norbanus &* Paralius *& mater ejus Lucilla in exilium acta.* Ubi *Paralius* hic Lucillæ filius fuiſſe videtur, ſed Lucilla hæc ſoror Commodi eſt; quam Capreas in exilium relegatam, deinde occiſam, ſcribit *Dio.* Quis autem iſte Paralius ejus filius? Duos Lucilla habuit maritos, Verum & Pompejanum. Veri filius eſſe non poteſt, neque enim Græcô nomine Imperatoris filius vocatus fuiſſet: neque ita obiter ab Auctore indicaretur. Pompejanô genitus eſſe ac Lucillâ, per temporum rationem, non poteſt. Supereſt ut locus mendoſus ſit: Diſtinguit igitur Caſaubonus: *& Paralius & mater ejus. Lucilla in exilium acta*; vel ſcribit, ut in aliis libris, *& Lucilla in exilium acta.* Salmaſ. verò, ex Palatini codicis fide ſcribere jubet: *Deinde Norbana atque Norbanus & Paralius & mater ejus & Lucilla in exilium acta.* Vide utrumque *ad loc. cit.*

PARALUS, Clazomenarum, urbis Ioniæ Aſiaticæ, conditor; quæ prius *Gryna* nominata, vicina Colophoni, unde & Apollo *Gryneus* dictus eſt; quòd ibi Oraculum ejus eſſet, poſteà *Clazomenæ* appellari cœpit. Vide Strabonem *l.* 13. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Joh. Laurentium JCtum *Notis in Phædrum l.* 4. *fab.* 21. *v.* 17.

——— *Fortè Clazomenæ prope*
Antiqua fuit Urbs.

PARALUS, Minoæ urbis à Carthaginenſibus præfectus, amicus Dionis, quô adjutore quoque uſus eſt in deſtruendo tyranno, Diodor. Sic. *l.* 16.

PARALUS, vir qui primus longam navem invenit, Plin. *l.* 7. *c.* 56. Sunt & *Parali* in Attica, qui *Paraliam* incolunt, *Steph.* Plutarchus *Paralos*, factionem unam è tribus, quæ Athenis erant, Solonis tempore intelligit. Eſt etiam *Paralus* urbs Melienſium in Theſſalia, *Steph.*

PARALUS, navis ſacra Athenis, quæ aliàs Θεωρίς, quòd in illa *Theori* Delum veherentur, item Δηλιάς, eadem fuiſſe creditur, quâ Theſeus puellas Minotauro deſtinatas, illô interemptô, incolumes Athenas reduxit, in rei memoriam inſtitutis Deliis ſacris. Et perdurâſſe illam ab antiquis illis temporibus uſque ad Demetrii Phalerei ætatem, communis fuit opinio, ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις, ut Plutarch. ait, ἐκ τῶν αὐξανομένων λόγων ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει λεγόντων. *Sicut & Philoſophis navigium hoc diſceptationis anſam præberet, quibuſdam idem penitus cum illo Theſei, aliis non idem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eſſe aſſerentibus. Quemadmodum de Bucentauro Venetorum idem quæritur. Alii vero navem illam, quam Θεωρίδα ſeu Δηλιάδα quoque vocatam eſſe diximus, à *Parolo* diverſam faciunt, &, præter eam, quatuor naves ſacras nominant, *Paralum* videl. Antigonidem, Ptolemaidem & Ammonidem. Vide Thucyd. *l.* 5. Franc. Roſſæum *Archæol. Attica l.* 7. *c.* 2. &c. Quidquid ſit, magnæ exiſtimationis fuiſſe *Paralum* triremem Athenis oportet, cùm vectores ejus in dies ſingulos ſtipendium acciperent quatuor obolos, adeoque plus reliquis militibus navalibus, quorum ſtipendium fuiſſe obolos diurnos tres, ex Thucydide *l.* 8. diſcimus. Ita enim veteres Grammatici, Οἱ δὲ ἐπιβεβηκότες αὐτῆς Πάραλοι ἐκαλοῦντο οἳ διὰ ταύτην τὴν ὑπηρεσίαν τετταράς τε ὀβολὰς ἐλάμβανον, καὶ τὸ πλεῖον μέρος ἐνιαυτοῦ οἴκοι ἔμενον, *Vectores ejus* Parali *dicebantur, qui ob miniſterium hoc non ſolùm quaternos obolos accipiebant, ſed & maximam anni partem domi manebant.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 8. *tit.* 1. Atque hanc proin navem honoris causâ, fortè etiam ideò, quòd jam inaudiverant de Hammonis reſponſo, quô filius ejus declaratus erat, Alexandro M. miſerunt Athenienſes, quaſi ludis Sacris & ſacrificiis inſervientem apud Arrian. *l.* 1. Quemadmodum iidem haud diu pòſt decrevêre, uti qui ad Antigonum & Demetrium publicô nomine irent, non Legati, ſed *Theori*, dicerentur, uti Plutarchus *in Demetrio c.* 13. tradit. qui idem de *Fortuna Alex. l.* 2. *c.* 12. πρέσβεις, inquit, πρὸς αὐτὸν οὐκ ἔπεμπον, ἀλλὰ θεωροὺς αἱ πόλεις, καὶ τοὺς ἀποκρίσεις χρησμοὺς προσηγόρευον. Vide Freinshemium *ad Curtium l.* 4. *c.* 8. ut & aliquid infrà, voce *Salaminia.* Addam ſolùm, in clade navali, quâ à Lyſandro Athenienſium opes fractæ, apud Ægos flumen, unicam *Paralum* evaſiſſe, illiuſque nuncium fuiſſe Athenienſibus, ex Polyæno *l.* 1. *c.* 45. *n.* 2. ubi de Lyſandro. Vide quoque de hac nave Scholiaſten Ariſtophanis *in Acharn. Aves, Ranas.*

A PARAMO Ludovicus, Boroxenſis Archidiaconus & Canonicus Legion. regnique Siciliæ Inquiſitor, ſcripſit *de Orig. & Progreſſu Inquiſitionis, ejuſque dignitate & utilitate.* Quod opus prodiit Madriti A. C. 1598.

PARAMONARII, Villici fuêre ſive actores poſſeſſionum, ex eorum genere, qui res Eccleſiaſticas adminiſtrant: quamvis aliàs hi videantur appellari *Adſeclæ, Buccellarii. Satellites.* Eſt enim Nicetæ, παραμονή, πελεκυφόρος Βάρβαρος. Eorum meminit *l. ſancimus* 46. §. 3. ubi Cujacius & Gothofredus *C. de Epiſc. & Cler.* laudati Joh. Calvino *Lexic. Jurid.* Carolo du Freſne iidem ſunt, qui *Manſionarii* Eccleſiarum, de quibus vide aliquid ſuprà. Græcis Παραμονάριοι, & Προσμονάριοι dicuntur: cujuſmodi Προσμονάριους etiam Gentiles habuiſſe, ex *Menologio* ad 12. Nov. videtur colligi, Idem Car. du Freſne *Gloſſario.* Vide quoque Macros Fratres *Hierolexico.* adde Juſtellum *ad can.* 2. Concilii Chalcedon. & Voſſium *de Vitiis Serm. l.* 3. *c.* 23. Voci origo à Græco Παραμονή, quâ præter nativum ac primum ſignificatum, apud Græcos hodiernos, qui non niſi tres per annum Vigilias celebrant, Vigilia Epiphaniæ ſeu Feſti Regum (quem diem genio indulgent Latini) indigitatur: quô die illi ſolent ingenti ceremoniâ mare baptizare, vaſculum extremitati longæ perticæ alligatum, cum cruce, deſuper in mare demittentes: quô aquam extractam, ſalſedine depoſitâ, dulcem eſſe ajunt. Jac. Sponius *Itiner. Græciæ l.* 2. *p.* 359. Nempe παραμονή, in Eccleſia vigilia, in Aula ſtatio dicta eſt. Joh. Meurſius *Gloſſar.*

PARANA, vulgò *Parana*, provinc. Americæ meridionalis, in Paraguaria regione. Habet à ſeptentrione Guairam provinciam, à meridie Urvagiam, & ab occidente provinciam fluvii Argentei; ſuntque in ea quatuor coloniæ Hiſpanorum, nempe Fanum S. Ignatii, *S. Ignatio*, Itapoa, *Itapoa*, ſeu *l'Incarnatione*, Acaraiga, *Acaraig.* ſeu *la Natividad*, & Fanum Sanctæ Mariæ de Iguazu; *S. Maria de Iguazu.*

PARANA, vulgò *Parana*, fluv. Americæ meridionalis. Oritur ex Guayra provincia; & deinde auctus fluviis Tibagivâ, Yguaſiâ, & aliis, per Paranam provinciam labitur; & rigatis aliquot coloniis Hiſpanorum, in Argenteum fluvium ſe exonerat. Hinc

PARANAIBA, vulgo *Paranayba*, fluv. Americæ meridionalis. Oritur in confinio Braſiliæ, & in Amazonum fluvium cadit verſùs ejus oſtia, teſte *Petro Texeirâ.* Hinc

PARANAIBA, vulgò *Paranaiba*, provincia Americæ meridionalis, paulò ſupra oſtia Amazonum fluvii, ubi in eum influit Paranaiba fluvius, & verſùs limites Braſiliæ, teſte *Petrô Texeirâ.*

PARANGARIÆ, ſumtus aut labores, agendi ferendive alicujus causâ, à Principe impoſiti, cùm non per viam, ſed alia verſum iter ſuſcipitur, *l.* 2. *C. de Epiſc. & Cler.* & alibi in Jure paſſim. Atque ſic ab *Angariis* diſtinguuntur: Angaria enim eſt, quà curſus publicus eſt diſpoſitus; *Parangaria* verò alioverſum: utrumque onus à Provincialibus exigitur, in transvectione armorum, *l. ultim. Cod. de fabric. l.* 2. Cujacius *ad rubric. Cod. de Curſu publ. angar. & parang. l.* 12. Onus *Parangariarum* exponit graphicè Guil. Tyrius *Belli Sacr. l.* 5. *c.* 19. *Hos etiam tantis*, ajens, *angariis affligebant* & parangariis, *ut melius videretur eſſe his, quos ab Urbe depulerant, quàm quibus pro ſummo beneficio urbis indulſerant habitationem. Nam & pecuniarias eis ſæpiùs multas infligebant, id quod habere videbantur violenter extorquentes & ad qualibet ſordida munera & onera civilia rapiebant invitos. Nam ſi erigendæ eſſent machinæ, aut immenſi ponderis transferendæ trabes, ſtatim id eis muneris injungebatur; Hi lapides & cæmenta & quamcunque materiam ad opus ædificiorum neceſſariam circumferre compellebant: Hi jaculatoriis & machinis molares, qui extra mitterentur, tenebantur miniſtrare & funibus, quibus extra contorquebantur, inſervire.* Vide eundem *l.* 8. *c.* 8. & *l.* 9. *c.* 17. Ita Briſſonius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide quoque ſuprà in voce *Angaria.*

PARANYMPHUS, cujus mentio in *c. Sponſus* 23. *diſtinct.* ab antiquis *Auſpex* dicebatur; præerat enim nuptiis celebrandis, in quibus auſpicium capere Romani conſuevêre, & ideo à Græcis *Paranymphus* appellabatur: ac ſicut auſpex pro viro, ita pro parte Sponſæ *Pronuba* adhibebatur, Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* De eo Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 101. *Abſolutô ſacrificiô diei nuptialis, in ſoceri ædes deducebatur Sponſus, ab eo quem Græci* Παράνυμφον *quaſi ejus aſſeclam nominârunt, aliqui etiam* νυμφευτήν, *alii* πάροχον *vocabant quemadmodum mulier, quæ Sponſæ aderat,* προμνήστρια *dicebatur illis, nobis Pronuba.* Apud Hebræos eorum bini minimùm fuêre, שושבים, i. e. *Socii, Comites, Amici* Sponſorum dicti: Sed verò, pro morum diverſitate ſive adhibiti ſive prætermiſſi. Gemara Hieroſolym. *ad tit. Cethuboth. c.* 1. *fol.* 25. *col.* 1. *Rabbi Juda morem antiquitus in Judæa obtinuiſſe, ut conſtituerentur bini Paranymphi, Socii ſeu Amici; alter Sponſæ, Sponſo alter. Quos tamen non conſtituebant, niſi tempore Nuptiarum* ſeu *Deductionis: Neque in Galilæa mos ille obtinuit. Antiquitus etiam in Judæa Paranymphi locum Sponſi & Sponſæ* (decubitûs locum) *perſcrutabantur, quod in Galilæa non ſolebat fieri. Quin in Judæa* Paranymphi *pernoctabant in loco Sponſi & loco Sponſæ* (juxta eos in thalamo) *quod nec in Galilæa fieri ſolebat.* Eorundem mentio alibi in libris Talmudicis, & Ritualibus, quibus etiamnum utuntur. Quin & pro eis, qui officio ſingulari nuptiis adſunt, occurrit in paraphraſi Uzielidi tributa Deuter. *c.* 32. *v.* 50. Sed apertiùs Gemara Babylonia *ad tit. Cethuboth c.* 1. *fol.* 12. ubi eadem ferè, quæ in Gemara Hieroſolymitana occurrunt. Additur, eorum fuiſſe officiosè ſcrutari & obſervare, *quæ Sponſi illâ nocte* (Deductionis) *fecerint. Ne ſcilicet alter alteri dolô inferat damnum. Ne Sponſus, etiamſi agnoſcat ſanguinem Virginitatis, illum celet vel tollat, & ne Sponſa ſecum inferat pannum* ſeu *ſindonem ſanguine intinctam.* Scilicet in Gemara fiunt verba, de Sponſæ virginitate, adeoque officium *Paranymphorum* ibi ad eam rem primariò ſpectat. In Judæa igitur *Paranymphorum* uſus erat, tum in ipſa Deductione, tum in cubili ſeu thalamo, idque tota Deductionis nocte. Et tametſi paſſim ferè, pudoris causâ, in more ſit poſitum, ut concubitus etiam conjugalis, quemadmodum ait Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 14. *c.* 18. *remotum ab arbitris cubile requirat; omneſque famulos atque ipſos etiam* Paranymphos, *& quoſcunque ingredi qualibet neceſſitudo permiſerat, antè mittat foràs, quàm vel blandiri conjux conjugi incipiat;* in Judæa nihilominus *Paranymphos* videmus non ſolùm Nuptiis, verùm etiam ipſi thoro conjugali, nocte primâ, officiosè adfuiſſe, ne fraus alterutrinque de Virginitatis teſtimonio committeretur. Sed & de aliis, quæ ad apparatum lætitiamque Sponſorum attinebant, eos proſpexiſſe, ambigendum non eſt. Jam verò, non-ne è *Paranymphis* hiſce Amiciſve alter, qui Sponſo, ut amicus fideliſſimus, ita tempore Nuptiarum officium præſtaret, innuitur in ſimilitudine illa ſacra Johannis *c.* 3. *v.* 28. *Ipſi teſtimonium mihi perhibetis, quòd dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quòd miſſus ſum, ante illum.* Dein, ὁ ἔχων τὴν νύμφην νυμφίος ἐστίν· ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτοῦ χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου, αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται, *Qui habet Sponſam, Sponſus eſt. Amicus autem Sponſi, qui ſtat & audit eum, gaudiô gaudet propter vocem Sponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Ubi dum vocis Sponſi, ut & alibi Sponſæ paſſim (tum in ſacris literis, tum in ipſa, quæ Deductioni erat prævia, benedictione) mentio fit, vocem mutuos Conjugum affectus atque exhilarati animi invicem effata indicantem denotari, dubium non eſt: quam audire atque obſervare, etiam inter primaria *Paranymphorum* officia fuiſſe, indeque more nuptiali lætari, ex hoc loco colligimus. Ita enim hic Johannes, ex more jam memorato, ſe dicit, ut Paranymphum ſeu Amicum Sponſi, vocem Sponſi, inſignemque ejus erga Sponſam (Eccleſiam) affectum obſervâſſe atque hinc ſummâ perfuſum eſſe lætitiâ. Certè ſcimus, etiam τοῦ φίλου ſeu *Amici* nomen, quemadmodum & *Comitis*, à diffuſiori vulgarique ſignificatione delapſum, peculiarem non rarò apud Veteres dignitatem aut officium denotâſſe. Vide ſuprà in voce *Amicus.* Quin & in veteri Fœdere, pro eo quod eſt למרעהו Samſonis, ſeu *Socio ejus*, ſubſtituunt LXX. τῷ Νυμφαγωγῷ αὐτοῦ, cui ſcil. data eſt uxor ejus. Et Chaldæus ibi (Judic. nempe *c.* 14. *v.* 20.) habet, *qui erat Socius ejus* ſeu *Amicus Nuptialis*, i. e. *Paranymphus.* Quô eodem nomine, apud veteres Hebræos inſigniuntur Michaël & Gabriel, *Paranymphi* Adæ, *in Bereſhith Rabba paraſh.* 8. Item Moſes, quem, ubi Sponſalia inter Deum & Eccleſiam Iſraëliticam memorant, dicunt fuiſſe השושבין *Paranymphum* Deo & Eccleſiæ illius. Sed & apud Græcos veteres *Sponſi Amicorum* nomen & uſus reperitur. Jul Pollux *Onomaſtic. l.* 3. *c.* 3. Καλεῖται δὲ τις τῶν τοῦ Νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ Νύμφῃ βοώσῃ. Iidem verò & υἱοὶ τοῦ Νυμφῶνος Matthæi *c.* 9. *v.* 15. *Filii thalami Nuptialis* appellati leguntur, qua de re vide Hug. Grotium *Not. Euangel. p.* 185. Hodie apud Anglos, ſingulare quoque habetur nomen ejuſmodi *Paranymphorum*, quos *Brideknight*, i. e. *Miniſtros Sponſalitios*, qui Sponſam deducere ſolent, appellitant. Sed de Chriſtianorum *Paranymphis* mox: de Hebræorum verò hactenus dictis, plura vide apud Joh. Buxtorffium in *Lexic. Chald. Talmud. p.* 2535. & *Synag. c.* 28. Leonem Mutinenſem, Aloyſium Novarinum *Elect. Sacr. l.* 6. *c.* 46. & Joh. Seldenum *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 16. & *alibi.* In Eccleſia Chriſtiana, Soterem Pontific. Roman. inſtituiſſe ajunt, ut legitima uxor tum haberetur, cui Sacerdos benedixiſſet, & quam Parentes ſolenni pompâ, more Chriſtianô, collocâſſent, quamque inſuper *Paranymphi* conſtituiſſent: de quo more extat *Epiſtola* 1. ſub nomine Euariſti Pontif. Et *Paranymphi* quidem meminit Concilium Carthagin. IV. *can.* 13. apud Reginonem *l.* 2. *c.* 153 *Sponſus & Sponſa cùm benedicendi ſunt, à Sacerdote à Parentibus à ſuis, vel à Paranymphis offerantur.* Adde Burchardum *l.* 9. *c.* 6. 7. *Capitul.* Caroli M. *l.* 7. *c.* 363. *LL.* Longobardorum *l.* 1. *tit.* 16. §. 8. &c. Cujuſmodi Παρανύμφους plures interdum adhibitos, in nuptiarum ſolennibus, teſtatur *Euchologium* Græcum, *p.* 398. ex quo Συντέκνους appellatos eos fuiſſe docemur: Εἶτα ἀλλάσσουσιν οἱ Πα-

οἱ Παράνυμφοι, ἤγουν κοινῶς λεγόμενοι Σύντεκνοι, τὰ δακτυλίδια τῶν Νεονύμφων. *Tum permutant Paranymphi, ſeu, ut vulgò appellantur, Paratecni annulos Sponſorum.* Sic porrò *Compatres* ſeu *Patres Spirituales* etiam appellant Græci recentiores, quòd in deducendis Sponſis vicem teneant. Νυμφευταὶ, apud Theophylactum Simocattam, *l.* 1. *c.* 10. Vide Juretum *ad Epiſtolam Ivonis Carnot.* 209. & Car. du Freſne *Gloſſar.*

PARAPASIUS, unus ex Parthorum Regibus, qui & *Arſaces* dictus fuit, Alex. ab Alexand. *l.* 1. *c.* 2.

PARAPEGMA, Græcè παράπηγμα, propriè tabula eſt ænea, columnæ alicui ſolita affigi, ςυλοπινάκιον hinc quoque Græcis. In cujuſmodi tabulis Leges, Edicta, Agrorum diviſionum formæ, Canones ſiderum Aſtronomici, & alia vulgò incidebantur, & in locis publicis adfigebantur. Auctores Agrimenſoriæ, *poſt æs fixum*: i. e. poſt tabulam æream fixam, quæ agrorum formam deſcriptam & inciſam continebat. Et apud Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 622.

—— *Leges fixit pretiô atque refixit.*

Quia tabulis æneis inſculpebantur columnæ aut pilæ in loco publico adfigendis, quæ refingebantur quum lex abrogabatur. *Servius*: *Fixit autem ideò, quia inciſa in æris tabulis adſigebantur*, Ἀ παραπήξασθαι, quâ voce utitur Plato *Axiocho.* Sic itaque in rebus Aſtronomicis, in παραπήγμασι talibus deſcribebantur Cœli ratio & ſiderum occidentium orientiumque ac tempeſtatum ſignificatio cum quadripartitis anni cardinibus & aliis ejuſcemodi effectibus eventibuſque Mundi: Πίνακας vocat, *Theo*, χαλκᾶ γραμματεῖα *Ælian. l.* 10. *c.* 7. Quod qui faciebant, ab illo canone ſic inſculpto & in tabulis iſtiuſmodi publicè expoſito, dicebantur Aſtrologi Κανονικοὶ, de quibus vide *ſuprà.* Hinc inter opera Mathematica Democriti, recenſetur à Diogene Laërtio, *l.* 9. *c.* 48. Μέγας ἐνιαυτὸς ἢ Ἀστρονομίης παράπηγμα: quod *parapegma* ſeu tabula, Aſtrologiam continebat magni illius, quem compoſuerat, Anni Qui enim periodos ex multis annis compoſitas ediderunt Aſtrologi, earum παραπήγματα ſimul etiam publicare ſolebant, h. e. tabulâ in publico affixâ canonem proponere, ortuum & occaſuum ſtellarum errantium, defectuum Solis & Lunæ, æquinoctiorum & ſolſtitiorum, variarum cœli tempeſtatum & ſimilium. Primus autem Meton id inſtituit, qui ſolſtitiô æſtivô obſervatô Heliotropium ſuum erexit, h. e. monumentum Aſtrologicum, in quo deſcripta ſolſtitia omnia & æquinoctia totius enneadecaëteridis ſuæ vulgavit, cum canone ſiderum & tempeſtatum ſignificatione, atque eclipſium Solis notatione. Quem poſtea ſequuti Aſtrologi, paſſim per oppida Græciæ, publicis locis tabulas Aſtronomicas enneadecaëteridem proponere cœpêre, quibus ſignificarent, qualis hyems futura eſſet annis ſingulis periodi, qualis æſtas & qualis autumnus, qui venti flaturi, quando pluviæ vel ſerena ventura, uti refert Theon *ad Aratum.* Inter quos Oenopides Aſtrologus Chius, ulterius progreſſus, Olympiæ dedicavit æneam tabulam, ἐγγράψας τὴν ἀστρολογίαν τῶν ἑνὸς δέοντων ἑξήκοντα ἐτῶν, φήσας τὸν μέγαν ἐνιαυτὸν εἶναι τοῦτον, *inſcribens illi Aſtrologiam novem & quinquaginta annorum*, h. e. ſtellarum ortus & occaſus, cum tempeſtatum ſignificationibus per totum illius periodi ambitum, deſcriptos ac notatos. Aliorum meminit Vitruvius *l.* 9. *c.* 7. Eudoxi, Euctemonis, Callippi, Phaïni, Hipparchi, Arati &c. qui omnes periodos promulgârunt, & earum aſtricum canonem *parapegmatis* conſignârunt & explicatum poſteris tradiderunt. Atque de his perapegmatis exponenda ſunt Ἡλιοτρόπια illa, quorum extat mentio in Veterib. ſcriptis, de quibus vide ſuprà *ſuô locô.* Ex iis itaque in publico propoſitis ediſcebat populus, quando ſervanda eſſent Solſtitia & Æquinoctia; quid Siderum ortus & occaſus proderent; tempeſtates anni denique & varium cœli morem pernoſcebat: cum nihil aliud continerent, quàm digeſtionem ſiderum in dies & noctes per aliquot annorum ambitum (aliquibus tetraëteridas, aliis Octaëteridas, Enneadecaëteridas, & plurium etiam annorum, excogitantibus) explicatam; cujuſmodi periodis putabant ortus & occaſus ſtellarum in orbem redire & omnium πλανωμένων τε καὶ ἀπλανῶν ἀποκαταστάσεων fieri. Diverſis verò in locis diverſi Aſtronomi obſervârunt & monumenta ſuarum obſervationum in illis urbibus, quibus conſederant, publicârunt, & erexerunt: ut Phainus & Meto Athenis, qui ex Lycabetto monte ſtellarum motus ſpeculabantur; Cleoſtratus, in Tenedo Inſul. ab Ida monte; Matricetas Methymnæ à Lepetymno &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 740. & *ſeqq.* nec non *p.* 860. *ubi & quædam de parapegmatis Hiſtoricis Fabuloſis ac Geographicis.*

PARAPETASIA. nomen ædificii, *l.* 39. *Cod. Theodoſ. de Oper. publ. Ædificia, quæ vulgi more* Parapetaſia *nuncupantur, vel ſi qua opera publica mœnibus, vel privatis, ſociata cohærent, ut ex his incendium vel inſidias vicinitas reformidet, aut anguſtentur ſpatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac proſterni præcipimus.* Quô locô in *Baſilicis* haberi παραπέτασμα vel παραπέτασμα, notat Car. du Freſne quæ vox *opus quoddam alii adjunctum* ſignificat, ſeu ad fulciendum, ſeu alia de cauſa. Vide eum *Deſcript. Ædis Sophianæ, num.* 36. ubi illa à mœnianis & ſubgrundiis diverſa fuiſſe, oſtendit. At *Parapetaſmata*, inter partes acceſſorias Theatri memorata Scaligero, Latinis *vela* ſunt; quæ carbaſina poſuit Q. Catulus, byſſina Lentulus Spinther, Nero ſtellata. Primùm excogitata, defendendi æſtûs causâ; quòd officium auxit Pompejus, etiam aquâ deductâ per ſedilia. Vide Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 21.

PARAPHERNA, vox Græca, ex παρὰ & φέρνη, ea quæ præter dotis cauſam viris deferuntur, ſeu res uxoris extra dotem conſtitutæ, vel res, quas uxor in domo mariti in uſu habet. Ulpianus *in l.* 9. §. 2. *ff. de jure Dot.* Galli *peculium* appellant. Nobile exemplum apud Livium extat *l.* 26. *c.* 50. de Scipione Africano, qui captâ Carthagine virginem nobilem Allucio adoleſcenti, Celtiberorum Principi, deſponſatam reddidit, ut pecuniam, ad illam redimendam à Parentibus allatam, adjiceret, ſuper dotem, inquiens. *Quam accepturus à Socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedunt, aurumque tollere ac ſibi habere juſſit.* Cicer. *Philipp.* 12. *His quaſi præter dotem, quam in civilibus malis acceperunt; agrum Campanum eſt largitus Antonius.* Conſtantinus Harmenopulus ἐξώπροικα vocat, Hotomannus ex Connano *l.* 8. *c.* 8. *n.* 9. adde Tiraquellum *Comm. Leg. connub. gloſſ.* 9. *in text. ne les ſiens propres*, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Eſt autem φέρνη, unde hæc vox compoſita, ipſa *dos*, ſicut ἀντιφέρνη, *donatio propter nuptias*, quæ uti jure Cæſareô adhiberi conſuevit, ita apud Hebræos, moræ tempore, ſeu ante Deductionem, pacta dotalia ineunda & dos Sponſæ à Sponſo conſtituenda erat, Seldenus *Uxor. Hebraica l.* 2. *c.* 9. De *Paraphernis* ſic Scaliger *Poëtices l.* 3. *c.* 101. *Antecedebant autem Sponſam ad lectum uſque faciferi illi: duoque præterea, qui colum cum lana, & fuſum ferrent cum ſtamine* —— *Ad hæc alii mundum muliebrem, aurum ſpintheres, ſtalagmia: præterea pelves, ſpeculum, ſandalia atque id genus alia, quæ præter dotem dicuntur ab Jureconſultis* parapherna. *Eam luxuriam ad trium tantùm veſtium modum, ac modici pretii vaſa aliquot à Solone reductam, memoria proditum eſt.* Vide & ſuprà de *Nuptiis.*

PARAPHILUS, Patriarcha Hieroſolymitanus, ſucceſſit, A. C. 416. Johanni 2. Succeſſorem habuit Juvenalem, A. C. 429. Baron. *in Annal.*

PARAPHONISTÆ, ex Græco Παραφωνισταὶ, Cantores, qui ſunt ex Schola Cantorum, memorantur in *Ordine Romano* ubi de Schola Cantorum: *Et ſtatuuntur per ordinem acies duæ*; Paraphoniſtæ *quidem hinc inde aforis, infantes ab utroque latere intrà, per ordinem.* Aliô locô, *Tunc aſcendentes duo ex* Paraphoniſtis *imponant Antiphonam.* Ubi qui *infantes* dicuntur, ibidem bis appellantur *Infantes Paraphoniſtæ*, Gallis *Enfans de Chœur.* Vide quoque Monachum Sangall. *de Carolo. M. l.* 1. Eorum princeps *Archiparaphoniſta* dictus eſt, in *Ordine* eodem, *Deſcendit Archidiaconus ſequens in Scholam, & accipit Fontem de manu Archiparaphoniſtæ*, ubi & *Quartum Scholæ* alibi appellari conſueviſſe legitur. Vide Car du Freſne *Gloſſar.* & Dominic. Macrum *Hierolexico.*

PARAPIANI, populi Indiæ procul ab Indo fluvio, Plin. *l.* 6. *c.* 23.

PARAPINACIUS, convitium quo Michaël Ducas affectus legitur, apud Zonaram *l.* 3. de quo vide ſuprà, ubi de *Fame.*

PARAPLASMATA, Græcè παραπλάσματα, dicebantur fruſtula ex cera, quæ Critici antiqui locis dubiis, de quibus ampliùs quærendum eſſet, aut notabilibus adfingebant: *Heſych.* Παραπλάσματα τὰ κηρία τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς ζητήμασιν ἐν τοῖς βιβλίοις. Et alibi, Παρερρυπωμένα βιβλία οἷς κηροὺς προσπλάσσομεν, πρὸς τὸ ζητῆσαί τινα, *Quibus cerulas adfingimus, ad aliquid inquirendum.* Sic Democritus *in eô Comm.* quô rerum naturalium arcana ſcrutabatur, iis paradoxis, quæ ipſe vera expertus erat, notas hujuſmodi ex cera affigere ſolebat & annulô quidem ſuô ſignatas, qui quòd χειρόκμητον diceretur, h. e. *manu ſculptum*, hinc libro titulus Χειρόκμητα vel Χειροκμήτων: quòd totum eſſet ex illis quæſtionibus, quas ipſe experimentô veras eſſe didicerat, & quibus propterea cerulas annulô ſuô ſignatas adpoſuerat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1100. & ſuprà voce *Chriocmeta.*

PARAPOMPICA Græca itidem vox, ſumtus in *Nov.* 128. *l.* 14. *Cod.* dicuntur Provincialium, in ſpeciebus tranſmittendis, ad arcam Præfecti Prætorio, quæ & ἀγγαρικὰ vocantur; quod nomen retinuit Julianus Patritius eâdem *Nov.* §. καὶ τοῦτο. Haloander vertit *Tranſmiſſoria*, Pratejus apud Jo. Calvin. *Lexico Jurid.*

PARAPOTAMIA, oppid. Phocidis ad Cephiſum fluv. *Strabo.* Item regio proxima Tigri fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

PARARENCHUS, nomen viri cujuſdam ſic dicti, quòd ſimularet dormientem, quò impunitiùs uxor ejus mœcharetur. Alciatus *l.* 4. *Parergωn. c.* 6. Pararenchus, inquit, ἀπὸ τοῦ ῥέγχειν dictus eſt, quòd roſtrô ſeu naſô ſterteret, & ſomnum in menſâ ſimularet, ut eſt apud *Feſtum.* Quod & à quodam Galba factum fuiſſe Plutarch. auctor eſt, dum C. Mæcenati in uxoris ſuæ amorem effuſo, obſequeretur. Unde proverbium, *Non omnibus dormio.* De hujuſmodi currucis Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 55.

Cùm leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Jus nullum uxori; doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſô.

Nic. Lloydius.

PARARIUS, propriè qui nominibus faciendis intervenit, conciliator inter emptorem & venditorem, Seneca *de Benef. l.* 2. *c.* 23. *Quidam volunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios.* Vide Cœl. Rhodig. *Lectionum Antiqq. l.* 11. *c.* 10. & intrà, voce *Proxeneta.* At *Paratium Æs*, apud Romanos, appellatum eſt, *quod equitibus duplex pro binis (ſeu paribus) equis dabatur*, *Feſtus.* Dicebantur autem *pares equi*, equi aliàs deſultorii appellati, *quibus utebatur in prælio, ut ſudante unô tranſirent in ſiccum*, Id. Græcis ἄμφιπποι. Auctor ignotus *de Verbis Milet.* in fine Suidæ voce Ὁπλῖται. Ἄμφιπποι μὲν οἱ ἐπὶ δυεῖν ἀστρώτοιν ἵπποιν συνδεδεμένοιν ὀχούμενοι, οἳ καὶ καταπηδῶσιν ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλον, *Amphippi quidem ſunt, qui duobus equis non ſtratis ſimul junctis, vehuntur qui cùm opus eſt, ab uno in alterum deſiliunt.* Quô nomine Ælianus *in Tacticis* nominari ait Barbaros propè Iſtrum, Ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων ἵππων ἐπ' ἄλλους, *tanquam ſolitos ex uno equo in alterum tranſilire*; In quo numero Mœſi, apud Valer. Flaccum *Argonauticῶn l.* 6. *v.* 161.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

——— *comitumque celer mutator equorum*
Mæſus.

Quadi etiam & Sarmatæ, de quibus Amm. Marcellin. *l.* 17. *Trahenteſque ſingulos* (equos) *interdum & binos, uti permutatio vires foveat jumentorum, vigorque otiô integretur alternô.* Sed & Romanos ita pugnâſſe, ex prædictis videmus. Neque id hodie Arabibus ignotum, qui *equum lateralem* appellant eum, quem à latere ſuo vacuum ducit eques, conſcendendum cùm neceſſe eſt. Ut de Tartaris nihil dicam, &c. Vide Feſtum in *Paribus equis* & Bochart. *Hieroz. Part. prior l.* 2. *c.* 9. ut & ſuprà, ubi de equis *Deſultoriis.*

PARASCÉVE, nomen Virginis & Martyris, Græcis Παρασκευὴ, Latinis *Venera* ſeu *Veneranda*; cui à Parentibus id nomen datum, quòd in Feria VI. *Paraſceve* nata eſſet; cujus Feſtum die 14. Nov. celebrat Martyrologium Roman. ſed Eccleſia Græca ad diem 26. Julii: quod etiam fit in Melita Inſul. & Catanæ civitate Siciliæ, ubi ad littus ejus Sacellum extat. Lectiones illius habentur, in quodam antiquo Licienſis Eccleſiæ Breviario, ad diem eundem. Vulgus tamen cum Deipara Genitrice hanc Virginem confundit, quòd eôdem die utriuſque Feſtum recolitur; uti legas apud Macros Fratres *Hierolex.*

PARASCEVE, dicitur in Communione Romanâ Sexta Sabbathi, ſeu ſexta Feria ultimæ hebdomadis Quadrageſimæ, *quia,* ut inquit Iſidor. *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 29. *in eo die Chriſtus myſterium crucis explevit, propter quod venerat in hunc mundum.* Papias, *Paraſceve, ſexta Sabbathi appellatur, hinc enim præparatio dicitur, quòd à Judæis, quæ in Sabbatho ſunt, eô die præparentur* &c. de cujus diei ritibus, vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macros Fratres *Hierolex.* Fuit autem nonnullis *Paraſceve* apud Judæos, non Sabbathi ſolùm, ſed & *Paſchatis*, cujus mentio Johannis c. 19. *v.* 14. & reliquorum feſtorum. Unde Rabbinos paſſim videmus mentionem facere. ערב יום טוב, h. e. *Paraſceves feſti*, unicuique enim יט *diei bono* ſeu *feſtô*, attribuitur ſua veſpera προεόρτιος, parandis rebus ad feſtum neceſſariis deſtinata. Apud *Jad* Rambam, *Juchaſin* Jacuthi, in *Thalmud*, aliiſque Hebræorum ſcriptis, reperimus *Paraſceven capitis anni* ſive *Kalendarum novarum: Paraſceven Pentecoſtes, Paraſceven Paſchatis*, & diſtinctiùs *Paraſceven primi diei boni Paſchatis*, & *Paraſceven poſterioris diei boni Paſchatis*, h. e. ultimi diei totius ſolennitatis. cùm Paſchatis tum Azymorum. In *Michol* Kimchi *fol.* 221. *edit. Ven.* legitur. ex omnibus artibus tres Artifices facere artem in Paraſcevis Paſchatum, ad medium ipſius Paraſceves; Sartores nempe; item Calceolarios & Scribas. Sed & alios artes ſuas diebus his præparatoriis exercuiſſe, veriſimile eſt. Nam de Cauponibus, qui tabernas & popinas exercent, Hebræiſque dicuntur חנונים *Chanuanim*, extat *in Juchaſin, p.* 26. *Atque hi menſuras implebant jam inde à* Paraſcevis *bonorum dierum, propter ceſſationem domus concionis*, h. e. ne diebus feſtis cogerentur abeſſe à concionibus &c. Auctor *Megillath Thaanith c.* 11. magnam affinitatem habere ait, *harbe ſabbatoth* paraſcevas ſive cœnas puras ſabbatorum & *harbe jom tob*, paraſcevas dierum bonorum, i. e. magnarum ſolennitatum: in quo & ſimilibus locis, quæ ſunt paſſim obvia ערב *hereb* vox idem eſt, quod Galli dicunt *la veille de la feſte*; illa videlicet veſpera, quæ præcedit feſtum diem: Græci προεόρτιον dicunt, quâ voce uſus eſt eleganter Philo *de Vita Contempl. p.* 616. cùm appellet τὴν ἑβδομάδα προεόρτιον μεγάλης ἑορτῆς, alludens ad hunc morem Judaicum, majorum Feſtorum paraſcevas obſervandi. Ac propriè quidem, ut ipſa vox indicat, ſola veſpera Paraſceve eſt: Quare in edicto Auguſti apud Joſephum *l.* 16. *c.* 10. *Paraſceves* Sabbati tempus definitur ab hora nona: interim totus ille dies Veneris, cujus pars erat illa veſpera, appellatur *Paraſceve Sabbati.* Sic Judæis, qui Paſcha ſuum commederunt, ineunte die 15. *Paraſceve* Paſchatis propriè fuit, veſpera diei decimæ quartæ, quô ferè tempore DOMINUS noſter cruci affixus eſt: laxè verò accipiendo, dies ipſa decima quarta &c. Patres Latini Græcum hoc vocabulum, nonnunquam *Cœna pura* vertunt, ut in *Notis ad Feſtum* obſervavit Scaliger, ubi verbô indicat, Auctorem *Gloſſarii*, cùm ſcribit, *Cœna pura*, προσάββατον, imitatione Gentilium ſic appellâſſe Judæorum paraſceven. Sed licèt pro eodem hæc vocabula aliquando ſumantur, in re tamen ingens diſcrimen fuit. Nam in ritibus Paganorum, *Cœna pura* appellatur cœna illis apponi ſolita, qui in caſto erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν. Erant autem, pro diverſitate ſacrorum ritus diverſi & multiplex ciborum obſervatio. Sic enim Arrianus *in Diſſertat. Epicteti*, cum qui ſuſcepturus erat myſteria, dicit, acceſſiſſe προηγνευκότα, i. e. poſtquam obſervâſſet leges caſtimoniæ proprias illis myſteriis, quibus initiari volebat; pars autem illius caſtimoniæ, ſive, ut Veteres loquebantur, *caſtus*, erat poſita in ciborum delectu. In Hebræorum verò ritibus, nihil ejuſmodi fuit. Habuerunt ſanè etiam apud hos *Paraſceva* magnarum feſtivitatum ſuas obſervationes, ſed delectum aliquem fuiſſe ciborum, ultra Legem Moſaicam, quæ omnes ex æquo adſtringebat, neque ex Scriptura neque ex Hebræorum ſcriptis diſcimus, ſed nec jejunia Populi Judaici mutationes ciborum erant, verùm abſtinentia omnimoda à cibo & potu. Imò nec illud quidem probatu facile, Judæos in ſuis *Paraſcevis* jejunâſſe: contrarium potiùs conſtat. In *Paraſceve* enim Paſchatis, ut hoc ſaltem adducam, agnus Paſchalis comedebatur. Hinc apud Johannem, cùm Judæi non ingrediuntur Pilati Prætorium, ἵνα μὴ μιανθῶσι, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, *Ne polluantur, ſed ut comedant Paſcha*, *c.* 18. *v.* 28. & cùm corpus Domini feſtinanter ex oculis hominum eripitur, *propter paraſceven Judæorum c.* 19. *v.* 42. diverſis verbis eadem cauſa exprimitur, &c. Iſaac. Caſaubonus *Exercitat. XVI. ad Annales Eccleſ. Baronii* §. 14. & 106. ut & paulò infrà. Nec omittendum, Judæis fas non fuiſſe, diebus *Paraſceves* Sabbati aut Feſtorum, judicia capitalia exercere, aut mortuos ſepelire, ut diſcimus ex Maimonide *l. ult. Jad ſect.* 1. *c.* 11. ubi, tractans de variis differentiis, inter judicia *Mammonoth*, i. e. civilia & *Animarum* ſeu capitalia, ait inter cœtera: *Judices rerum capitalium non judicant in Paraſceve Sabbathi, aut in* Paraſceve *dies feſti: quia non debet id fieri & reus occidi poſtridie non poteſt.* Vide eundem *ibid.* §. 20. Bocharto, *Paraſceve* Paſchæ, Joannis *c.* 19. *v.* 14. idem eſt, quod Hebræis ערב vel ערובתא quâ voce non ſolùm *paraſceve* vel *Sabbathi* vel alius feſti appellatur, ſed & ſpeciatim *Veneris dies*, quia Sabbathi fuit Paraſceve. Proinde in *Bereſith Rabba c.* 11. dies hebdomadis ſic numerantur, *Prima hebdomadis, ſecunda, tertia, quarta, quinta,* Paraſceve, *Sabbatum.* Quod vocabulum ita obtinuit, ut etiam inter Arabes, qui Sabbathum non obſervabant, Veneris dies vocata ſit *Paraſceve*; uti aſſerit Giauchari, qui veteris Arabiſmi fuiſſe vocem addit, apud Golium *p.* 1151. Nam poſt Mahumetem, dici cœpit dies *algiuma* ſeu *congregationis*, quia illâ die populus in Moſcheas convocatur. Itaque cùm Veneris dies *Paraſceve* vocaretur tam ab Hebræis, quàm ab Arabibus, dies illa, quâ fuit Paſcha, dicta eſt *Paraſceve Paſchæ*, quomodo *Dominica Paſchæ*, vel *Dominica Pentecoſtes* dicitur, quæ cum Paſcha vel Pentecoſte concurrit. Nam, cùm alibi *Paraſceve*, pro *præparatione* ſumitur, non refertur, niſi ab Sabbathum, vide Marcum *c.* 15. *v.* 42. & Lucam *c.* 23. *v.* 54. ubi non dicitur *Paraſceve Sabbathi*, ſed ſimplicitur *Paraſceve*, quia Sacri Scriptores aliam Paraſceven ſeu præparationem non nôrunt, quàm Sabbathi; ut quâ nec ignem accendere, nec parare cibum licuit. Unde Exod. *c.* 16. *v.* 5. *Die ſextô præparent, quod intulerunt.* Et *v.* 23. *Requies Sabbathi ſancti cras eſt Domino. Quod vobis pinſendum eſt, pinſite, & quod coquendum, coquite* &c. Ne ſcilicet harum rerum cura quietem Sabbati interturbet. At aliis feſtis præter *Sabbatum* lex non ita fuit præciſa; iis enim ſervilia opera ita fuêre prohibita, ut tamen parare cibos licuerit: quod dè Paſchalibus feſtis diſertè legas, Exod. *c.* 12. *v.* 16. Itaque de illorum παρασκευῇ nihil in Lege præſcribitur. Sed dies, quô CHRISTUS crucifixus eſt, cùm alibi προσάββατον & παρασκευὴ dicatur (nempe *Sabbathi*) à Joanne appellatur Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, quia hoc habuit peculiare, quòd in Paſchatis feſtum incidit, unde hoc illi proprium, quod à Paſcha denominatur: ut *Veris*, vel *Auctumni æquinoctium* vocamus, quod in Ver aut Autumnum incidit. Vide præfatum Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. Apud Græcæ Eccleſ. Scriptores diem hunc crucifixionis Chriſti vocari μεγάλην παρασκευὴν, item ἁγίαν παρασκευὴν, adnotat Cl. Suicerus in *Theſauro Eccl.* in illa Symbolum recitari, & Horas cum Tropariis cani ſolitas, addens, ex Codino & Theod. Anagnoſta *Eccl.* 2. Vide quoque infrà *Polyeleus*, it. *Veneris dies.*

PARASCEVE, ſeu *Sancta Paraſceve*, Græcè Ἁγία παρασκευὴ, nomen eſt Ædis ſacræ in oppid. Phocidis, *Amphiſſa* Veter. hodie *Salona*, quod Turcis permixti Græci inhabitant, dicta, apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 2. *p.* 52.

PARASEMA, Græcè παράσημα, navis inſignia, aliter ἐπίσημα. Dicebatur autem *paraſemen*, animalis alicujus προτομὴ ſupra roſtrum navis in prora effigiata, inter προεμβολίδα, h. e. *partem eminentem in prora* & ἔμβολον, *roſtrum*, unde tota nomen accipiebat: uti videre eſt in antiquis ſaxis, quæ Liburnas ſculptas exhibent. Ibi enim roſtra tridentia viſuntur, quæ fluctus ſcindunt in infima proræ parte. Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 143.

Convulſum remis roſtriſque tridentibus æquor.

Supra quæ roſtra caput tauri, aut porci, aut arietis, aut alius cujuſlibet animalis, prominens habetur. *Pollux*, ὑπὲρ δὲ τὸ ἔμβολον δελφὶς ἵσταται, ὅταν ἡ ναῦς δελφινοφόρος ᾖ, *ſuper roſtrum autem delphinus ſtat, ſic ut navis delphinifera ſit.* Omnino rectè: nam & aliorum animalium effigies ibi pariter ſtabant, unde modò ταυροφόροι, modò κριοφόροι dictæ, quæ *tauri* & *arietis* effigiem repræſentabant. Stephanus in voce Ταυρόεις, Ἀπολλόδωρος ἐν πρώτῳ γεωγραφουμένων φησὶ, ὅτι Ταυροφόρος ἦν ἡ ναῦς, ἡ διακομίσασα τοὺς τὴν πόλιν κτίσαντας, οἱ ἀπορριφέντες ἀπὸ τοῦ στόλου τῶν Φωκαέων καὶ προσενεχθέντες αὐτόθι ἀπὸ τοῦ ἐπισήμου τῆς νεὼς τὴν πόλιν ὠνόμασαν. Ubi urbem hanc *Tauroënta* nomen accepiſſe ait ab inſigni navis, quâ vecti erant illi, qui urbem condiderunt, erat autem illud *taurus*, unde navis ταυροφόρος appellata. Sic κριοφόρος, apud *Palæphatum, ab ariete* inſigni: Κητοφόρος vel κητόπρωρος apud *Heſychium*, quâ Andromeda rapta, à *ceti* paraſemo. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 156.

——— *Æneia puppis*
Prima tenet, noſtro Phrygios ſubjuncta leones,

eleganter & planè expreſſit τὴν λεοντοφόρον, quæ ſupra roſtrum Phrygiæ matris *Leones* habuit pro inſigni. Erat verò hæc navis in tutela Matris Deûm, quæ in puppi pingebatur & pro inſigni vel paraſemo habebat ejus Leones in prora: unde videre eſt, diverſa eſſe *Tutelam* & *Paraſemon.* *Tutela* nempe Deus erat vel Dea, cujus ſimulachrum in puppi; *paraſemon*, animalis alicujus protome, ſupra roſtrum navis, in prora effigiata. Feſtus in voce *Europa, Alii eam à prædonibus raptam & nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri habuerit, in eam regionem eſſe delatam.* Scholiaſtes Juvenalis, *Pegaſus Trierarchi filius, ex cujus Liburnæ paraſemo* (ubi *paraſimon* vulgò ſcriptum, è quo *paraſio* corruptè) *nomen accepit, juris ſtudiô gloriam memoriæ meruit* &c. Et quidem *tutela* ſæpe nihil communè habebat cum *paraſemo* ut in nave, quâ Europa hæc vecta eſt; & in ea, qua Maſſicus, apud Virg. *loc. cit. v.* 166.

Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri.

Et pòſt, *v.* 170.

——— ——— *huic totum inſignibus armis*
Agmen, & auratô fulgebat Apolline puppis.

Ubi

Ubi paraſemon tigris, tutela Apollo fuit. Aliquando tamen, ut ſua ſingulis Diis inſignia fuêre attributa, inſigne aliquod ejus Numinis, in cujus tutela navigium erat, pro paraſemo in eadem navi ponebatur. Sic navis Æneæ, cujus tutela Mater Deûm fuit, paraſemon habuit leones ejus: & navis, quæ Ovidium in Pontum vexit, Minervam pictam pro tutela gerebat, ejuſdem verò galeam pro paraſemo. Verba habent, *l.* 1. *Triſt. El.* 11. *v.* 1.

Eſt mihi, ſitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & à picta caſſide nomen habet.

Sed & interdum accidebat, ut una eademque res & tutela eſſet & inſigne navis; quoties ſcil. Numinis ipſius effigies, in cujus tutela navigium erat, pro inſigni locaretur in prora: & tunc navis Dei illius nomine vocabatur. Ita apud Lucian. *in Dial.* πλοῖον ἢ εὐχαί, navis Iſidem Deam & tutelam & paraſemon habuit. Pauli quoque Apoſtoli navis, cujus Lucas meminit in Actis, Dioſcuros παράσημον habuit ſimulque tutelam: unde & Διόσκουροι quoque vocata eſt, ut illa Luciani, *Iſis* &c. Nomen porro navis inſcriptum erat in prora, ubi & *paraſemon*; etiamſi paraſemon à qua nominabatur haberet: idque ὑπὲρ τὸ πρέχον ἀκροστόλιον ut ait *Pollux*, qui στόλον collocat inter roſtrum & ſummam proræ partem h. e. lignum illud carinæ ad proram eminens, quod multis in navibus in varias animalium effigies ſculpebatur, at cùm inſigne navis non haberet, in galeam ut plurimum formabatur &c. Quam in rem plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 570.

PARASIA, *Polyb.* regio Mediæ, ad Ortum vergens. Ubi *Parthaſii* populi, *Strab.*

PARASIA, apud vet. Interpretem Juvenalis *Sat.* 4. *v.* 77. *Pegaſus, Trierarchi filius, ex quibus Liburnia* paraſia *nomen acceſſit.* Ubi *P. Pithæus* legit, *ex cujus Liburnæ paraſia*: & *paraſium*, pro παράσημον, dictum putat. Vide Salmaſ. ubi ſuprà.

PARASINUM, oppid. Tauricæ, cujus terra vulnera ſanat, Plin. *l.* 2. *c.* 96.

PARASITI, apud Athenienſes iidem, qui apud Romanos *Epulones* fuêre Nam τὸ τοῦ παρασίτου ὄνομα, Athenæus *l.* 6. πάλαι ἦν σεμνὸν καὶ ἱερὸν, *Nomen* Paraſiti *olim venerabile erat & ſacrum*, Habebant autem quilibet populi ſeu Δῆμοι Reip. Athenienſis ſuos *Paraſitos*, quos è popularibus ſuis eligebant atque præficiebant, ut colligitur ex lege memorata Athenæo *l.* 6. Ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα τῶν τε Ἀρχόντων, ὅπως ἂν καθιστῶνται καὶ τοὺς Παρασίτους ἐκ τῶν δήμων αἱρῶνται κατὰ τὰ γεγραμμένα· τοὺς δὲ παρασίτους ἐκ τῆς βουκολίας ἐκλέγειν ἐκ τοῦ μέρους τοῦ ἑαυτῶν ἕκαστον ἑκτέα κριθῶν δαίνυσθαι τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ κατὰ τὰ πάτρια, τὸ δὲ ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ Ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν, *Rex è Novem viris unus, ut* Paraſitos *conſtituant & e ſingulis ſecundùm Leges eligant populi, curato. Paraſiti ſinguli ſine dolo malo ſeponunto hecteum hordei è parte quiſque ſua. Athenienſes epulô in Templo excipiunto, ſecundùm Patrium morem. Acharnenſium* Paraſiti *ex illo quod collegerunt, hordeo, hecteum Apollini in apothetis reponunto.* Sacrorum itaque Miniſtri hi *Paraſiti* erant; Unde Pollux *l.* 6. *c.* 7. *Paraſitum* dici ait, τὸν ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενον: & Heſychius ἀρχὴν vocat ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκδοχὴν: quibus munus eorum indigitatur. Namque ille ἱερὸς σῖτος frumentum ſive hordeum fuit, quod è Rhario deſecabatur campo, ut docet Pauſan. *Atticis*, cùm ait: Τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρπούς· καὶ διὰ τοῦτο οὐλαῖς ἐξ αὐτοῦ χρῆσθαι σφίσι καὶ ποιεῖσθαι πέμματα εἰς τὰς θυσίας καθέστηκεν. An potius illud fuit, quod naſcebatur in illis terræ arvipendiis, quæ unicuique Deo dedicabant vel dividebant, è quorum locationibus fiebant impenſæ, quæ poſteà in ſacrificiis publicè fiebant, ut Grammatici ex *Didymo* oſtendunt, ubi τεμενικῶν iſtiuſmodi προσόδων meminerunt. Unde πρόσοδια μεγάλα, *Introitus magni*, pro *magno Sacrificio*, apud Ariſtophanem *Avibus p.* 581. Atque ex his arvipendiis ejus Dei, cui erant dedicata vel diviſa, *Paraſiti* ἐξέλεγον τὸν ἱερὸν σῖτον, *collegerunt ſacrum frumentum.* Sed & ὁ ἱερὸς σῖτος frumentum erat ſeu hordeum, quod à privatis, pro cujuſque modulo, religionis ergò dabatur templis atque conferebatur: quò facit locus Digeſtorum Scævolæ *l.* 8. qui legitur *D. de Annuis legatis l.* 20. §. 1. *Attia fidei commiſſum his verbis reliquit: Quiſquis mihi hæres erit, fidei ejus committo, uti det ex reditu cœnaculi mei & horrei, poſt obitum, Sacerdoti & Hierophylaco & Libertis, qui in illo Templo erunt, denaria decem die nundinarum, quas ibi poſui.* Ubi Petitus exiſtimat *Libertos* vocari, quos veteres *Paraſitos* dixêre. Cùm enim παρασιτεῖν inſequutis temporibus in vitium excidiſſet, nec eſſet ingenui hominis, ſed vilis potiùs & Libertinorum patre nati, quos *Paraſitos* in veterib. monumentis & ſcriptis nominatos repererat Scævola, *Libertos* vocavit. Ex hoc itaque hordeo, hecteum ejus ſeponere & Apollini in apothecis reponere debebant bonâ fide *Paraſiti*, qui ex Acharnenſium populo fuerant electi: atque hi ſacra Apollini faciebant, ex lege: Θύειν τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους. Singulis enim Diis ſui *Paraſiti* erant, unde hic Apollinis, alibi Herculis *Paraſiti* memorantur. Iidem cum Rege ſacra curabant, ex lege, Ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλέα τὸν ἀεὶ βασιλεύοντα καὶ τοὺς παρασίτους οὓς ἂν ἐκ τῶν δήμων προαιρῶνται καὶ τοὺς γέροντας, καὶ τὰς γυναῖκας τὰς πρωτοπόσεις. *Rex, quiſquis erit, cum* Paraſitis, *quos è ſingulis anteà elegerint populis, cum ſenibus item atque fœminis univiris, curato*; ubi de Panathenæis ſermo eſt. Cùm Sacerdote item ſingulis menſibus ſacra facere tenebantur, juxta legem. Τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων· οἱ δὲ παράσιτοι ὄντων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων κατὰ τὰ πάτρια. Ὃς δ᾽ ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω καὶ περὶ τούτων τὸ δικαστήριον, *Sacerdos cum* Paraſitis *menſtrua ſacra facito.* Paraſiti *de Nothis aut Nothorum liberis unum eligunto ſecundùm morem patrium: ſi paraſitari detrectat, in jus vocanto.* Quod intelligendum de Herculis ſacris, illi enim ex ſingulis Atticæ Δήμοις duodecim Paraſitos fuiſſe, non è plebe vulgi, ſed apprimè nobiles ac opulentos, quot ſcil. erant anni menſes, quia ſingulis menſium Kalendis ſacra Herculi fiebant, teſtis eſt Diod. Sinopenſis *in dramate, cui titul.* Ἐπικλήρῳ. Hinc quia ipſe Nothus fuerat, nothorum lex meminit. Interim cùm Apollo ſummo in honore apud Athenienſes eſſet, & θεωροὶ in Inſul. Delon quotannis mitterentur, in his erant duo è Cerycum Myſticorum gente, qui annum in Delio Templo Apollini paraſitabantur, ex lege: Καὶ δύο κήρυκες ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τοῦ τῆς μυστηριώτιδος, τούτους δὲ παρασιτεῖν ἐν τῷ Δηλίῳ ἐνιαυτὸν, *Duo Ceryces ſunto è gente Cerycum Myſticorum: iidemque annum in Delio templo* Paraſiti *ſunto.* Athen. *l.* 6. Vide quoque Euſebium *Præpar. Euangel. l.* 3. De eo quod *Paraſitis* cedebat, extat lex columnæ in Anacæo ſive Dioſcurorum Templo inſcripta, apud Athenæum *loc. cit.* Τοῖν δὲ βοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν τοῖν ἐξαιρουμένοιν τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη, τὸ μὲν ἕτερον τῷ ἱερεῖ, τὸ δὲ τοῖς παρασίτοις, *Duorum boum præcidaneorum eximiorum tertia pars in certamen: reliquarum duarum una Sacerdoti: altera* Paraſitis, *cedunto*: Ubi iterum Panathenaicum reſpicitur ſacrum, ad quod omnes Atticæ Urbes, ſive quæ coloniæ Athenarum eſſent, bovem immolandum mittere tenebantur: unde viſceratio atque epulum populo. Inde Ariſtophanes *Nubibus*,

Ἤδη ζωμοῦ Παναθηναίοις ἐμπλησθεὶς εἶτ᾽ ἐταράχθης
Τὴν γαστέρα.

Habebant tandem ſuas *Paraſiti* apothecas, ſua *Paraſitia*, ad quorum, ut & Templi & Ædis ſacræ, ſarta tecta tantum argenti dandum erat, quanto faciundum opus locaverant illi Sacerdotes, quibus ea cura erat mandata; quæ de re Lex lata eſt: Εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεὼ τοῦ Ἀρχείου καὶ τοῦ παρασιτίου καὶ τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς διδόναι τὸ ἀργύριον, ὁπόσου ἂν οἱ τῶν ἱερῶν ἐπισκευάσαι μισθώσωσιν, *Ad ſarta tecta Templi apothecæ*, Paraſitii *& ædis ſacræ, tantùm argenti dator, quanto faciendum opus locaverint Sacerdotes, quibus id commiſſum eſt.* Vide iterum Athen. *loc. cit.* Pollucem *l.* 6. *c.* 7. & Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *tit.* 2. Ita ergo cùm *Paraſiti* apud Græcos non minori olim famâ eſſent, ac *Epulones Viri* apud Latinos, vox poſtmodum in tam degenerem ſenſum abiit, ut nullos magis quàm *Paraſitos* Comici Scriptores rideant: notus *edax* Terentii *Paraſitus.* Originem indicat Diodorus Sinopenſis *Dramate cit.* docens, cùm olim *Paraſiti* eſſent tantùm Deorum, Herculis putà, Apollinis, aliorumque, factos quoque eſſe poſteà hominum potentiorum, qui Deos imitaturi & ipſi *Paraſitos* habere voluerint non illos quidem χαριεστάτους, ſed qui adulandi artem haberent penitùs cognitam. Et quidem *Paraſito* hujuſmodi pallium obvolutum in Scena datum eſt: pulla item tunica, aut nigra, aut alba, apud Latinos. Et alba quidem, ſi ejus ſuaſu aut technis nuptiæ tractabantur. Strigilem & ampullam dat Plautus in *Sticho*; olei vaſculum alii: color ater, ex Athenæo & Cicerone. Vide Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 13. De *Paraſito Inſcriptionem* habes ſuprà, voce *Pantomimus*: uti de *Paraſitorum* veſtitu, infra *Trechedipna*, de *Paraſitos ludendi modis variis*, hîc paſſim. Vide imprimis ſuprà *Capitones*, *Cœna cerea*, *Cœna pura*, *Eſur*, *Flos*, *Follis*, *Ixionii*; & infrà, ubi de *Solano*: ſicut de *Paraſita ave* Plinii, voce *Planipes.*

PARASIUM, urbs olim Epiſcopalis in Cenomanis Italiæ, apud Forum Juntuntorum, inter illud & Cremam, ab Henrico IV. Imperatore excitum.

PARASIUS, fil. Philonomiæ cujuſdam, quæ, cùm paſtoris concubitu prægnans facta geminos enixa eſſet, Paraſium videlicet & Lycaſtum, metu patris abjecit eos in Erymanthum, ubi in concavam quercum delati, lupam repererunt, quæ abjectis propriis catulis eoſdem lactavit. Author *Plut.*

PARASTADES, Græcè παραστάδες, Latini *Antæ*, quadræ dictæ ſunt columnæ vel pilæ, quæ ad latera oſtiorum utrinque poni conſuevêre, & ligneis antepagmentis, ornamenti gratiâ, operiri. Hinc *Templum in Antis*, Græcè Ναὸς ἐν Παραστάσιν, quod antas haberet in pronao, qui Νάρθηξ Græcis Chriſtianis dicebatur. Vide ſuprà *Antæ.* Apud Onuphrium verò Panvinium, ubi de deſcriptione Baſilicæ S. Pauli extra Urbem, *Octavum in medio paraſtata*: *Paraſtata*; Græcè παραστάτης. Dominico Macro eſt columnæ baſis, ſuper quam Altaria antiquitus erigebantur &c. in *Hierolex.*

PARASTLABA, urbs Myſiæ infer. in Bulgaria, à Joanne Zimiſco Imper. expugnata, a quo *Jannipolis* dicebatur, teſte Curopalate.

PARASYNAGOGA, Græcè Παρασυναγωγὴ, ſpecies quædam ſchiſmatis, ſed ſine hæreſi, *illegitimum conventum* notat, & frequenter occurrit apud Patres. Eam ab hæreſi & ſchiſmate ſic diſtinguit Baſilius M. *Ep.* 1. *Canon. ad Amphilochium c.* 1. ut *Hæreſes* quidem eſſe dicat, quando homines prorſus abrumpuntur & ſecùndum ipſam fidem abalienati ſunt. *ſchiſmata*, quando propter cauſas quaſdam Eccleſiaſticas & ζητήματα ἰάσιμα; *quæſtiones medicabiles*, diſſenſio eſt: Παρασυναγωγὰς δὲ, τὰς συνάξεις τὰς παρὰ τῶν ἀνυποτάκτων πρεσβυτέρων ἢ ἐπισκόπων, καὶ παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων λαῶν γινομένας, *Paraſynagogas autem conventum eſſe rebellium Preſbyterorum aut Epiſcoporum, ſeu ab ineruditis Laicis factum.* Ut ſi quis peccâſſe convictus, & à ſacrorum miniſterio prohibitus, canonibus ſe non ſubmitteret, ſed ſibi Προεδρίαν καὶ τὴν λειτουργίαν, *Præſulatum & Miniſterium*, nihilominus vindicaret. Contra cujuſmodi conventicula, ut & παραβαπτίσματα, in iis adminiſtrata, conſtitum eſt in Quiniſexto Concilio *can.* 59. ut in privatis Oratoriis intra domos, ſed ἐν ταῖς καθολικαῖς Ἐκκλησίαις, *in Catholicis Eccleſiis*, Sacramentum Baptiſmi adminiſtraretur. Vide quoque *can.* 2. Synodi Antiochenæ in Encæniis celebratæ & de *Paraſynagogis* Acephalorum aliiſque huc pertinentibus Joh. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 3. *c.*

14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

14. §. 5. *l.* 10. *c.* 5. §. 13. & *l* 14. *c.* 1. §. 8. adde Cl. Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* voce Παρασυναγωγὴ, & quæ infrà dicemus, voce *Schiſma*, Similiter *Paraſynaxis* ex Græco Παρασύναξις, *conventus*, *coitio*, *conventiculum Hæreticorum*. Sacra Martiani Imper. contra Hær. *part.* 3. *Concilii Chalced. can.* 19. *Univerſi prætereà Apollinariſtæ non Eccleſias non Monaſteria ſibi conſtruant*, Paraſynaxes *& conventicula tam diurna. quàm nocturna, non contrahant.* Concilium Conſtantin. ſub Menna Patriarch. *act.* 1. Κελεύσαντες μήτε παρασυνάξαι, μήτε παραβαπτίσαι. Ubi vetus Interpres, *Reconventiculare.* Vide quoque *l.* 8. *Cod. de Hæret.* & *Manich.*

PARATÆ, apud Recentiores expenſæ ad hoſpitum exceptiones, maximè Miſſorum ſeu Legatorum publicorum, *Miſſatici*: Falli enim Sigonium *de Regno Ital. l.* 7. ait Car. du Freſne, cùm *in Paratam* vult ſumptum dici, quem populi in viasponteſque fluminum, quà tranſiturus, aut quò aditurus Rex erat, reficiendos impendebant. Vox formata à *parare*, quod idem ac *metare*, in *Gloſſ.* Latin. Græc. Vide Sidonium *l.* 8. Hinc *Præceptum* Ludovici Pii pro Hiſpanis A. C. 815. Et *Miſſis noſtris, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut Legatis, qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint*, paratas *faciant & ad ſubvectionem eorum veredos donent*, &c. Crebriùs verò expenſæ, quæ in Epiſcoporum & Archidiaconorum ſuſceptionibus, à Presbyteris Eccleſiarum ruralium fiunt, dum ii diœceſim ſuam viſitant, quæ poſtmodum in præſtationes pecuniarias abivêre. Hincmarus Remenſis: *Presbyteros in* paratis *& exeniis indebitis non affligant.* &c. Vide Car. du Freſne, & infrà in *Synodaticum* & *Synodus.* De voce verò *Paraticum* ſeu *Paragium*, verbô *Pariare.*

PARATHESIS, Græcè παράθεσις, apud Scriptores Eccleſiæ Græc. oratio eſt ſuper Catechumenos fieri ſolita, quando illi cervices ſuas ac capita manui & benedictioni Pontificis ſupponerent, uti diſcimus ex Alexio Ariſteno *in can.* 106. *Carthag.* Hinc formula illa, poſt lectum Euangelium, aliaque S. Scripturæ oracula. Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε κτλ. Inde vox tranſlata ad eam orationem, quâ defuncti Deo per preces commendari conſuevêre, uti pluribus docet Suicerus *Theſaur. Eccl.* voce Παράθεσις. Vide eum quoque in Εὐχή.

PARATIANÆ, urbs Mauritaniæ Cæſarienſ. *Antonino.*

PARATILMUS, Græcè Παρατιλμὸς, pœnæ genus, adulteris olim irrogatæ, apud Athenienſes: qui adulteros, ſi divites eſſent, pecuniâ multabant; ſi pauperes, ἀποραφανιδώσει, i. e. *raphani* vel mugilis in anum immiſſione, vel παρατιλμῷ, *expilatione ſedis*, puniebant. Ἀ παρατίλλειν, *vellere.* Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. lect. l.* 10. *c.* 5. & infrà voce *Raphanus.*

PARATITLA, Græcè Παράτιτλα, argumenta dicuntur & quaſi ſummæ tractatuum, ad quemcunque titulum ſeu rubricam appoſitæ, unde fieri de toto tractatu conjectura poſſit: quaſi cauſæ quædam conjectio, Imperat. *de concep. ff. dig.* 9. *Sed ſufficiat per judices tantummodo & titulorum ſubtilitatem. quæ* Παράτιτλα *vocantur, quædam admonitoria ejus facere, nullo ex interpretatione eorum vitiô oriundô.* Eorundem mentio fit *l.* 2. *hoc autem Cod. de veter. jur. enucl.* ubi *Haloander* ait, nil aliud complecti, quàm breves quaſdam notas eorum locorum, quæ vel ſimilitudinem aliquam, vel pugnam præ ſe ferre videantur; dicta quaſi *tituli cum titulo collatio*, id quod Veteres ante Bartholum, ſecundùm Juſtiniani præceptum, ſemper & ſolùm feciſſe, teſtantur adhuc vetuſti Codices ſolis iſtiuſmodi *Paratitlis* inſigniti, Spiegelius apud Johann. Calvin. *Lexic. Juridic.* Eadem vox reperitur *in l.* 1. §. *penult. Cod. de vet. jure enucl.* &c. Scripſerunt iſtiuſmodi Summas, *Azo* aliique qui per titulos admonitoria quædam ſive prælùdia permiſſu Imperatoris, collegerunt, *Cotta.* Quòd verò hactenus opuſculum, ſub *Paratitlorum* nomine, Latinè edidit Leunclavius, ſine Auctoris mentione, reſtituerunt haud pridem Viri docti, Parenti ſuo Theod. Balſamoni, qui eôdem ferè tempore, quô Bernhardus, florens, nempe in fine ſeculi XII. & principiô ſeculi XIII. primùm Diaconus Sanctiſſimæ Dei Magnæ Eccleſiæ Conſtantinop. Nomophylax & Chartophylax, dein Πρῶτος Βλαχερνῶν, *Primus Blachernorum*, tandem Theopoleos ſive Antiochiæ, totiuſque Orientis Patriarcha fuit, & juſſu Emanuelis Comneni Imperatoris ac Patriarchæ Conſtantinop. Michaëlis Anchiali, varia ſcripſit, vide *ſuô locô.* Uti verò operi genuinus Auctor, ita & ſuus titulus tribuendus eſt: Non enim *Paratitla* vocari debet, ſed, quemadmodum in *Bibliotheca Juris Canonici vet.* editur, Συναγωγὴ τῶν εἰρημένων ἐν τῷ Κώδικι καὶ τοῖς Διγέστοις καὶ νεαραῖς διατάξεσιν, περὶ Ἐπισκόπων, καὶ Κληρικῶν καὶ Μοναχῶν καὶ πραγμάτων εὐαγῶν, ἔτι δὲ καὶ Ἰουδαίων καὶ Αἱρετικῶν. *Collectio expoſitorum in Codice & Digeſtis & Novellis conſtitutionibus, de Epiſcopis & Clericis & Monachis & rebus ſacris, atque etiam de Judæis & Hæreticis*, libris tribus; Quos huic Auctori aſſertos vide, apud Fabrottum *princ. Notarum ad hanc Collectionem*, in *Bibliotheca Juris Canonici veteris p.* 1377. & Juſtellum filium *Præfat, ejuſdem Bibliothecæ, in fine ferè.* Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ.* §. 345.

PARATORIUM, in *Ordine Romano*, Secretarium Eccleſiæ, ſeu locus, ubi Pontifex & qui ſacra facturi ſunt, ſeſe *parant*, i. e. ex medii ævi uſu, adornant, & veſtes Eccleſiaſticas induunt: vel ubi ad ſacram peragendam liturgiam ſe *parant*, i. e. præparant. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Deſcription. ædis Soph. n.* 67. 68. Sic *Paratura*, vox ſimiliter recentioris ævi, idem quod *Paramentum* (cujus vocis frequens uſus, apud Eccleſiæ Romanæ Scriptores, ubi de veſtibus ſacris: unde *Parator*, Sartor, qui veſtes conficit, vel ornat, in veter. *Charta* apud Car. du Freſne, Gallicè etiam *Parmentier*, quaſi *Paramentarius* ſeu *paramentorum effector*) Gallis *Parure*, reperitur apud Tertullian. *de Coron. Mil.* & Solin. *c.* 53. Latinè *Antepannus*, quod colligit Salmaſ. ex voce Græcis recentioribus uſurpatâ, Ἀντίπανον, quam certum eſſe ait, puram putam eſſe Latinam. Ἀντίπανα enim *Antepanos* dixêre; ut, Ἀντικένσορα, *Anteceſſorem*; Ἀντιμίνσιον, *Antemiſſum. Heſychius*, Ἀντίπανον, παρατύριον, κράσπεδον: ubi παρατύριον omnino noſtrum *paratura* eſt vel ornatura: quô modô vocabant olim in veſtibus ultimam fimbriam; pannum autem pro *faſcia* poni jam ſuprà diximus. Igitur, *inſtitam*, *limbum*, *faſciam*, *pannum*, *lorum*, *paragaudam*, quibus veſtes olim ornabantur, *ornaturas* etiam dixerunt & *paraturas.* Ὄρνας vocat Cedrenus (an ab *ornando*) & διδακτυλιαίους ὄρνας, latiores inſtitas, quibus veſtes ornabantur. De Tiberio jun. Ὀρίσας διδακτυλιαίους ὄρνας ἐν ταῖς στολαῖς αὐτῶν κόσμου χάριν. Omnino, ſicut infimô ævô in Græcam linguam παρατύριον, à *paratura*, ſic etiam ὄρνα, à verbo *ornare*, ut hæc *reſona*, à reſonare in *Gloſſ. vigila*, *vigla* & βίγλα, à *vigilare*, aſſumtum eſt. Etiam *Margella* hujuſmodi ornaturas & lora Latini vocârunt. *Margum* enim vel *Margus*, idem cum *Margo*, Gall. *bord.* hinc diminutiva *Margulum* & *Margellum*, pro limbo vel margine veſtem ornante. *Sidonius*; *Veſtimenta puniceis marginata limbis*: unde Græcis recentioribus Μαργέλλια; hodieque *Margellam putei*, pro *margine*, etiam Burgundiones dicunt. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Vita Bonoſi, c. ult.* & *Exercit. ſuis ad Solinum.*

PARATRAPEZII, Græcè Παρατραπέζιοι, in *Chron.* Alex. dicti ſunt, qui inter ſacræ Liturgiæ actus *menſæ*, quæ ad ἁγίαν τράπεζαν collata erat, & παρατραπέζιον dicebatur, velut miniſtri, adſtabant, Suicerus *Theſaur. Eccleſ.*

PARAVÆI, populi Theſprotiæ in Epiro, ſic dicti, quòd juxta *Avon* fluv. hoc eſt, παρ' Αὔων incolant, *Steph.*

PARAVEREDI, majores equi agminales, quorum uſus in curſu publico, non quidem in viis publicis, ſed in tranſverſariis & militaribus, ut *Veredorum* in viis publicis; Ita Jac. Gothofredus *ad l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Curſu publ.* Eorundem mentio occurrit in *l.* 6. 7. 15. 16. 59. 63. 64. *eodem tit.* & apud *Senatorem* non ſemel, ubi pro quibusvis equis publicis videntur uſurpari: *Paraveredorum ubvectiones exigere, l.* 5. *Ep.* 39. *Paraveredorum aſſiduitate fatigari, l.* 11. *Ep.* 14. *Paraveredorum præbitio l.* 12. *Ep.* 15. *Paraveredorum numerus adſcriptus eôd. l. Ep.* 18. *Paraveredos tollere*, in *Capitular.* Caroli Calvi *tit.* 5. §. 6. *exſolvere*, in *Edicto* Piſtenſi Caroli Calvi *c.* 26. *Paraveredis Presbyteros affligere*, in Concilio Troſlejano A. C. 909. *c.* 6. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Pro *Paraveredo*, legimus aliter *Paraveredarius*, *Paraveredum*, *Parafredum* &c. Cùm autem curſus olim publicus duplex eſſet, velox & tardus, ſeu clavularius; ille rhedarum aut veredorum fuit, hic angariarum i. e. plauſtrorum ſeu carrorum, quæ, oneribus ferendis deſtinata & ſpeciebus publicis tranſvehendis, non multum celeriter ibant atque à bobus trahebantur. Unde *curſum* & *angarias* ponit ut diverſa *lex ultim.* Cod. Theodoſ. *de curioſ.* In *leg.* 3. *ejuſdem Cod. de curſu publ.* onerum menſura definita in rhedis, angariis & veredis: *Ut nemo ampliùs rhedæ, quàm mille pondo, angariæ quàm mille quingenta, veredo quàm triginta auderet imponere* &c. Veredorum verò & *Paraveredorum* diſcurſus in Inſul. Sardinia amputavit Julianus, angariis non ſublatis, propter publicas ſpecies, quæ ad diverſos portus erant devehendæ ut docet Salmaſ. ad Jul. Capitolin. in *Antonino Pio. c.* 12. Vide quoque ſuprà aliquid, in voce *Parafrenarius.*

PARBAR, Hebr. פרבר, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 18. locus fuit Templi Hieroſolymitani, vel potiùs Templo vicinus, ad occaſum ejus, idem fortè cum *Parvarim*, quæ vox occurrit 2. Regum *c.* 23. *v.* 11. *Et ceſſare fecit* (Joſias) *equos, quos Soli dederant Reges Juda, ab ingreſſu domus Dei ad domum Nathan Melechi Eunuchi, quæ erat in* Parvarim *& currus Solis combuſſit igni.* Ab hoc nempe loco, ad Templi fores, nihil fuit præter equorum ſtationem, ſub Idololatricis illis Regibus: ubi & alebantur & exercebantur. Vide Sam. Bochartum *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 10.

PARCA, inquit Varro, apud A. Gellium *l.* 3. *c.* 16. *immutatâ literâ unâ à partu nominata.* Tertullian. *Partulam Deam nominat*, quæ *partui* præeſt. *l. de Anima*: unde fortaſſe & *Parta Dea* dicta fuerit, cujus diminutivum *Partula.* Proin aliam à *Parcis* fuiſſe veroſimile. Vide Anton. Thyſium JCtum *Notis* in *A. Gellium*, & in voce *Parca.* Cœterùm de *Parca* Aſtrologis aliiſque ad æthera, ac particulatim ad Lunam reducta: de eadem, cum Mœra ſeu Fato, Neceſſitate, Nemeſi & Adraſtia pro eodem habitâ: de numero *Parcarum* ac nominibus: de prima earum, Venere: de matre, Nocte, an neceſſitate, vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 44.

PARCA, urbs Jazygum Metanaſtarum, *Ptol.*

PARCÆ, filiæ Jovis ex Themide, an ex Nocte, Chao, Neceſſitate? &c. Deæ fatales, humanæ vitæ ſtamina diſpenſantes. Dictæ autem videntur *Parcæ* à *partu*, teſte Varrone, *loc. cit.* eò quòd naſcentibus hominibus bona malaque conferre cenſeantur. Sed duriuſcula hæc immutatio. Et, ſi id eſſet, una tantùm foret Parca; Niſi fortè dicas, pro triplici partus menſe tres fuiſſe Parcas, atque hoc *Nonæ*, & *Decimæ* vocibus firmari. Sed hanc qui ſententiam ſequatur, *tertiæ Parcæ* nomen itidem à numero ſumptum oſtendat, neceſſe eſt. Si tamen *Parcam* quaſi *Partam* dici cum Varrone ſtatuere lubet, quantô melius dixeris, *Parcam* ſive *Partam* dici à *partiendo*, quia unicuique per eam fatalis vitæ ſuæ portio obtingat. Sanè & Græci ſimiliter Μοῖραν ἀπὸ τοῦ μείρειν vocant, h. e. *dividere*, *partiri*. Aliis, & pluribus, placet, *Parcis* inde nomen eſſe, quòd minimè *parcant*: quod etymon adferunt Apulejus, Martianus Capella *l.* 4. Donatus *de barbariſmo.* Servius *ad* 4. *Elog.* aliique. Hinc à Statio *duræ* dicuntur. *Theb. l.* 6. *v.* 575.

Sed juvenem duræ prohibebant diſcere Parcæ.

Eidem Statio *ſævæ* & *graves* vocantur, *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 89.

O ſævæ nimium graveſque Parcæ.

Idem *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 137.

——— *Subitas inimica levavit*

Parca manus. ——— ———

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ab Alio *tetricæ*:

Moverunt tetricas tam pia vota Deas.

Ab Horatio *iniquæ*: *Carm. l.* 2. *Od.* 6. *v.* 9.

Unde ſi Parcæ prohibent iniquæ.

A Propertio *immites*, *l.* 4. *El.* 12. *v.* 13.

--- *Immites habuit Cornelia Parcas.*

A Tibullo *triſtes*, *l.* 3. *El.* 3. *v.* 35.

Aut ſi fata negant reditus, triſteſque ſorores.

Denique *inexorabiles* paſſim audiunt, Martial. *l.* 3. *Epigr.* 54. *v.* 5.

Lanificas nulli tres exorare ſorores
Contigit, obſervant quam ſtatuere diem.

Omitto Græcos. Atqui antiphraſis, ut ait Voſſ. eſt nugale Grammaticorum commentum, merumque inſcitiæ aſylum. Quare audiendus Jul. Scalig. qui *l. de Re Poëticâ*, *l.* 3. *c.* 50. *Parcæ*, inquit, *quia parcant, una enim tantùm dicitur filum incidere; duæ verò, altera vitam dare, altera vitæ tractum continuare. A pluribus igitur ſit nominatio. Quin illa quoque parcit, ſuſtinet enim aliarum opus, quoad fatorum juſſibus pareat.* Hæ autem Parcæ tres eſſe ſorores finguntur, *Clotho* ſcil. *Lacheſis*, & *Atropos*, ita concordes, ut nulla unquam illarum diſſenſio, ſicuti cæterorum Deorum, audita fuerit. Jovis autem ac Themidis fuiſſe filias ſcriptum reliquit Heſiodus *in Theogonia*, *v.* 901. hôc pactô:

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας
Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,
Αἵτ' ἔργ' ὠραίουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι,
Μοίρας θ' ἧς πλείστην τιμὴν πόρε μητιέτα Ζεύς.
Κλωθώ τε Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε διδοῦσι
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.

Idem tamen Poëta, *in eodem libello*, *v.* 217. inter Noctis filias Parcas numerat:

Καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνετο νηλεοποίνους.

Cui ſententiæ acceſſit etiam Orpheus, qui ita ſcripſit *Hymnô in Parcas*:

Μοῖραι ἀπειρέσιαι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.

Harum primam natu minimam, colum volunt geſtare; ſecundam grandiorem nendo humanæ vitæ terminum præfinire; tertiam maximam natu, filum incidere, h. e. vitam tempore ſtatutô abrumpere. *Apulejus* Parcarum ternarium numerum, à triplici tempore ductum, exiſtimat. Nam quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem, & quod in digitis torquetur, momenti præſentis indicat ſpatia: & quod nondum ex colo tractum eſt, futuri & conſequentis ſeculi poſteriora videtur oſtendere. Veracitatem Parcis ferè tribuunt antiqui: Horatius *in Carmine Seculari*, *v.* 25.

Voſque veraces ceciniſſe Parcæ.

Alius:

Nec tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores.

Et ante utroſque Catullus *in Argonauticis Epigr.* 65. *v.* 382.

Talia præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina divinô cecinerunt omine Parcæ.

Idem *ibidem*, *v.* 306.

Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.

Quæcunque enim Parcæ facta eſſe volunt, infecta fieri nequeunt, Tibullus *l.* 1. *El.* 7. *v.* 1. 2.

Hunc cecinêre diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli diſſolvenda Deo.

Seneca Tragœdus *in Oedipo*, *Actu* 5. *v.* 989.

Non illa Deo vertiſſe liquet
Quæ nexa ſuis currunt cauſis.

Idem *in Hercule Furente*, *Act.* 1. *v.* 181.

Duræ peragunt penſa ſorores,
Nec ſua retro fila revolvunt.

Has Parcas officiô ſuô ſedulò fungentes graphicè admodum deſcribit Catullus, ubi ſupra; *v.* 307. *ſ.* cujus verſus non poſſum non adſcribere:

His corpus tremulum, complectens undique veſtis
Candida purpureâ talos incinxerat orâ,
At roſeo niveæ reſidebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lanâ retinebat amictam,
Dextera tum leviter deducens fila ſupinis
Formabat digitis, dum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum:
Atque ita decerpens æquabat ſemper opus dens,
Laneaque horridulis hærebant morſa labellis,
Quæ prius in leni fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.
Hæ tum clariſonâ pellentes vellera voce,
Talia divinô fuderunt carmine fata
Carmine, perfidiæ quod poſt nulla arguet ætas.

Nic. Lloydius.

PARCUS, apud recentiores Scriptores, liberior eſt & ſpatioſior locus, in quo grex totus includitur: quomodo etiamnum Galli *Parc* appellant ſeptum ex cratibus, in quo de nocte oves, quæ ad paſcua educuntur, includi ſolent, ut tutæ ſint ab incurſibus luporum. *Gregis equarum in parco*, meminit *Lex* Angliorum & Verinorum *tit.* 7. §. 1. item *Lex* Ripuariorum *tit.* 82. §. 2. In quibus porro pecora dicuntur ad *Parcum* duci, quæ ob foriſfactum & damnum pignorantur & in ejus, cui damnum factum eſt, *parcum* ſeu *imparcum*, uti quoque appellabant, conſervanda ducuntur, donec illud reſarciatur. Atque ita *Parcum publicum* appellant JCti Angli, definiente Cowellô, *Aream in quolibet feudo ſeu manerio circumſeptam, in quo animalia damnum frugibus ——— facientia includuntur, donec de damno per dominum ſatisfiat, aut ſaltem cautio apud Vicecomitem per Dominum interponatur de ſtando juri.* Unde *imparcare* animalia, quæ in damno ſunt, hôc modô *parco* includere; quod etiam ad homines reos translatum, apud Bractonum *de Coron. l.* 3. *c.* 9. §. 4. & *c.* 37. §. 9. alibique. Sed & *Parcus*, locus dicebatur, ad ferarum cuſtodiam, palis, cratibus, muris aut foſſis circumſeptus; cujus primum inventum Henrico I. Regi in Anglia attribuit Joh. Roſſus: contrarium ex *Domesdei* evincente Spelmannô in *Derefald*, qui ſub Anglo-Saxonibus jam *Parcos* extitiſſe oſtendit. Sanè Perſicos Reges ejuſmodi ſylvas muris clauſas habuiſſe, teſtatur inprimis Zoſimus *l.* 3. *p.* 724. ubi de Rege Perſarum: Γίνεται δὲ καὶ εἰς περίβολον, ὃν Βασιλέως θήραν ἐκάλουν, ἦν δέ τι τειχίον ἀπειληφὸς ἔνδον πολὺ, δένδρεσι πεφυτευμένον παντοδαποῖς· ἐν τούτῳ θηρίων παντοίων ἐναποκλειόμενα γένη, τροφῆς τε οὐκ ἠπόρουν, διὰ τὸ καὶ ταύτην ἐπεισάγεσθαι· καὶ παρεῖχον τῷ βασιλεῖ τοῦ θηρᾶν, ἡνίκα ἂν βουληθείη, ῥᾳστώνην. *Venit autem & in peribolum ſeu ſeptum, quod Regis venationem vocabant: erat autem murus multum intus ſpatii complexus, arboribus conſiti omnifariis. In hoc ferarum omnigenarum genera incluſa, neque pabulô indigebant, quod aliunde inferebatur, & Regi venandi voluptatem, quoties lubebat, exhibebat* ſeptum. Sic cervorum & caprearum *parco* incluſarum, meminit Petrus Cellenſis *de Diſciplina Clauſtr. l.* 1. Damarum, capreolorum & porcorum ſylveſtrium, Romualdus Salernitanus *Chron. MS. ad A. C.* 1149. ut alios omittam. Inde *Parcorum clauſura*, inter onera, quibus tenebantur Angli erga Regem, in *Charta* Guilielmi Nothi pro Monaſterio de Bello, in *Monaſtic. Anglic. Tom.* 1. *p.* 317. cum quo idem fortè *Parcatio*, quæ inter jura dominica recenſetur, in eodem *Monaſtico Tom.* 3. *p.* 111. Vide quoque ſuprà *Paradiſus* & infrà *Peribolus*. De miniſtris verò Cellariæ Pontificiæ, in quoſdam *de Parco majori* alioſque *de Parco minori* diviſis, diximus voce *Abbreviator*.

PARDI Maculæ, Jerem. *c.* 13. *v.* 23. Græcis ποικίλματα, item σφραγῖδες, Chaldæo *ſcuta operis Phrygionici* dicuntur: eô ſenſu, quô *ſcutula* vocamus ſegmenta in veſtibus & maculas in equis; unde *ſcutulatæ veſtes*, & *ſcutulati equi*, apud Plin. *l.* 8. *c.* 48. Juvenalem *Sat.* 2. *v.* 95. & Palladium *l.* 4. *c.* 13. Et quidem de varia hujus animalis pelle, multa Veteres inter quos Plin. *l.* 8. *c.* 17. *Panthera* (i. e. pardi fœmina) *& tigris macularum varietate prope ſolæ beſtiarum ſpectantur*: & Solin. *c.* 21. *Panthera quoque numeroſæ ſunt in Hyrcania, minutis orbiculis ſuperpictæ, ita, ut oculatis ex fulvo circulis, vel cærula* (in maribus) *vel alba* (in fœminis) *diſtinguatur tergi ſupellex.* Unde παρδαλέη dicta non ſolùm *pardi pellis*, ſed & alia quævis, modò *varia*. Ita Satyricam veſtem textilem, vocat *Pollux* παρδαλῆν ὑφασμένην. In Orphei, vel Onomacriti veriùs, *Argonauticis*, Chiron dat Orpheo, ad Colchos profecturo, νεβρὴν παρδαλέην, i. e. *hinnuli pellem variam*. Ariſtophanes *in Avibus*, porphyriones deſcribit παρδαλᾶς ἐνημμένους, *pardaleis veſtitos*, i. e. pictis pennis. Qua ipſa de cauſa, quæcunque animalia varia ſunt, cum *pardo* paſſim conferuntur. Imò ab his maculis, *pardo* apud Arabes nomen *namir*, i. e. *varius*, quemadmodum pantheram Latini *variam* dixêre. Plinius *d. l.* *Nunc varias & pardos, qui mares ſunt, appellant.* Item, *Primus autem Scaurus Ædilitate ſuâ varias CL. univerſas miſit.* Salmaſ. tamen *variarum* nomine pardos, mares ſcil. intelligit, quippe pulchriores & maculis magis variatos. Vide infrà voce *Varia*. Eodem pertinent Arabica Pardi cognomina, *alarkato*, i. e. *albus cum maculis nigris*, & *Pater varius*, item *Pater grandinatus* ſeu *maculis, tanquam grandine, aſperſus*. Nec deſunt, quibus inuſitatum πάρδος, apud Ariſtophanis *Scholiaſtem*, unde *pardus*, πάρδαλις & πόρδαλις, videtur alludere, ad Hebraicam vocem פרדש *pardes* pro *horto*; quia, ut hortus floribus, ita maculis variatur pardi pellis. Quæ ipſa metaphora in Oppiano frequens eſt: qui *l.* 1. *Cynegetic.* Oryngibus equis, pardorum inſtar maculoſis, tribuit

——— ——— πολυανθέα κάλλη.
floridam ſpeciem.

Et *l.* 3. tigridis ſpeciem deſcribit,

——— ἄνθεσι μαρμαίροντα,
Floribus micantem.

Apud eundem *l.* 4. Bacchus Nutricibus ſuis in pantheras mutatis,

——— ——— κατέγραψεν δ' ἐπὶ νώτου
Ῥινὸν ὀπωρινοῖσι
pinxit in illarum dorſo
Pellem floribus Autumnalibus &c.

Atque ob has maculas, cum *Pardo*, inter alia, tertia Monarchia, confertur Danielis *c.* 7. *v.* 6. i. e. Alexandri ſeu Græcorum. Eas enim referebant gentium, quibus Alexander imperabat, diverſi mores. In his namque præter Macedones, & Græcos & Thracas & Illyrios in Europa, & in Africa, Libyes, & Ægyptios & Troglodytas; Aſiaticæ fuêre gentes omnes uſque ad Gangem, quem trajeciſſet quoque, ſi licuiſſet per milites tot victoriis fatigatos. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. part. prior. c.* 7. *l.* 3.

PARDOCAS, nomen ſervile, Ariſtoph. *Ranis*, *Act.* II. *Sc.* 6.

S. PARDULFI Caſtrum, *S. Pardoul*, vel *S. Perdoux*, nomen eſt variorum Galliæ, in Aquitania, locorum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* voce *S. Gaudentii.*

PARDUS, Græcè πόρδαλις, de mare, πάρδαλις de fœmina, quæ *panthera*, antiquitùs πάρδος, ut dictum; in feris ſecundum a leone locum occupat: unde in Sacris toties ei jungitur, Cantici *c.* 4. *v.* 8. Eſaj. *c.* 11. *v.* 6. Jerem. *c.* 5. *v.* 6. &c. Etiam apud Homerum *Il.* ρ. *v.* 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

> Οὔτ᾽ ἂν παρδάλιος τόσσον μένος, οὔτε λέοντος.
> *Nec pardi vis tanta, nec eſt vis tanta leonis.*

Leoni namque *ſimilis, niſi quòd minor eſt & pellem habet nigris maculis diſtinctam. Damir*, vide *ſuprà*. Et ſicut robore Leo, ſic velocitate *pardus*, regnat. Hinc de Periclymeno, Tzetzes *Chil.* 2. *Hiſtor.* 45.

> Ἐν τοῖς πολέμοις ἅπαντας τοὺς θῆρας ἐμιμεῖτο,
> Παρδάλεων ὀξύτητα, λεόντων μέγα σθένος.
> *In bellis omnes feras imitabatur,*
> *Pardorum velocitatem, leonum ingens robur.*

Saltu enim valet. Plin. *l.* 10. *c.* 73. *Incidunt in eadem Africa* pardi *condensâ arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia deſiliunt, atque è volucrum ſede graſſantur.* Ita ut quandoque 40. cubitos eô ſuperet, *Damir.* Nec minor celeritas curſus. Oppianus *Cynegetic. l.* 3.

> Ὠκύτατον θέει, καὶ τ᾽ ἄλκιμον ἰθὺς ὀρούει,
> Φαίης ὁππότ᾽ ἴδοιο διηερίην φορέεσθαι.
> *Celerrimè currit & fortiter rectâ irruit,*
> *Diceres, cùm videres, eam aëriam ferri.*

Certè Olearius *Moſcovitici & Perſici Itin. l.* 4. pardum venaticum Scamachiæ ſe vidiſſe refert, quôvis cane Gallicô velociorem, qui in lepores incidens eos ſtatim aſſequebatur, ſic ut nullus evaderet. Atque ob hanc iterum celeritatem, cùm *Pardo* Danielis *d. l.* Alexander comparatur, qui tantâ pernicitate in rebus gerendis uſus eſt, ut magnam partem habitati Orbis annis XII. ſubegerit, ſicque victoriis potiùs, quàm præliis, totum terrarum Orbem, percurrerit, ut *Hieronym.* habet. Cujus comparationis ut reliqua quoque paucis interſeram (nam de maculis ſuprà dictum) *pardus*, vini avidum animal eſt, ut idem Oppianus refert *l.* 4.

> Παρδάλιας καὶ δῶρα Διωνύσοιο δάμασσαν,
> Θηροφρόνων δολερῶν δολερὴν πόσιν οἰνοχεόντων.
> *Pantheras etiam dona Bacchi domârunt,*
> *Doloſis Venatoribus doloſum potum fundentibus.*

Quod quâ ratione fiat, *eôdem librô* multis Poëta perſequitur, *à v.* 318. *uſque ad v.* 351. Unde Poëtis nata occaſio fingendi, Bacchi nutrices in pantheras fuiſſe mutatas. Notus autem hic Alexandri nævus. Sed & illud obſervatum eſt, quod ex Ariſtoxeni *Commentariis de Alexandro* refert *Plut,* Ὅτι τοῦ χρωτὸς ἥδιστον ἀπέπνει, καὶ τὸ στόμα κατεῖχεν εὐωδία καὶ τὴν σάρκα πᾶσαν, ὥστε πληροῦσθαι τοὺς χιτωνίσκους, *Odorem ex cute ejus gratiſſimum exhalâſſe, os quoque & carnem totam tantum habuiſſe fragrantiæ, ut eâ replerentur interiores tunicæ.* Quod ipſum de *pardo* pantheraque Veteres magnô conſenſu tradiderunt, Ariſtoteles *Hiſtor. l.* 9. *c.* 8. *Problem. ſect.* 13. §. 4. Theophraſtus *de Cauſis plant. l.* 6. *c.* 5. *Plut.* Plinius, (qui de *Pardis* multa habet *l.* 8. *c.* 15. & 17.) *Solin. Ælian.* alii. Ut de robore animoque *pardi* nil dicam, qui, etſi ſtaturâ parvus, cum leone ipſo & proceriſſimis quibuſque feris congredi non veretur. Qui ſimilitudinem hanc ſubtiliùs fortè, quàm ſolidiùs, rimantur, inconſultam Alexandri temeritatem cùm pardi furore conferunt, quô in venabula præceps ruit, de vita parùm ſolicitus, Homer. *Il.* φ. & Oppian. *Halicut. l.* 2. Interim & jugum pati didicit *pardus*, Magnateſque Romani, uti cervos ſphingeſque, ſic & pardos aureis catenis deviciebant. Refert quoque Philoſtratus, apud Photium *act.* 241. ἁλῶναί ποτε ἐν Παμφυλίᾳ παρδάλιον στρεπτῷ ἅμα, ὃ περὶ τῇ δέρῃ ἔφερε, χρυσοῦν δὲ ἦν καὶ ἐπεγέγραπτο Ἀρμενίοις γράμμασιν, Βασιλεὺς Ἀρσάκης Θεῷ Νυσίῳ, *Aliquando in Pamphylia captum fuiſſe pardalium* (i. e. pantheram ſeu pardum) *aureum torquem circa collum habentem Armeniis literis ita inſcriptum, Rex Arſaces Deo Nyſæo.* Imò & eouſque cicurari, ut venationi quoque adhiberi poſſit, retro dictum. Nec omittenda loca varia, à *pardis* & pantheris (Hebraic. *namer*) dicta, quæ in S. Scriptura occurrunt: *Nimra*, Numer. *c.* 32. *v.* 3. *Beth-nimra*, *v.* 36. & *aqua Nimrim*, Eſaj. *c.* 15. *v.* 6. & Jeremiæ *c.* 48. *v.* 34. quæ tria videntur unius loci eſſe nomina, quem Moſes & Joſua in Gaditis ponunt, Eſajas & Jeremias in Moabitis, qui in vicinos Gaditas tum temporis uſurpaverant imperium. Ævô Hieronymi vocabatur *Benamerium*, i. e. *Beth-nimrim*, Latinè *domus pardorum.* Inſuper Cantici *c.* 4. *v.* 8. memorantur *montes pardorum*: ſive à Salomone ſic appellentur montes quilibet pardis frequentes, præcipuè Libanus, Amana, Senir & Hermon, quorum ibi mentio; ſive aliqui tum fuerint montes circa Libanum peculiariter ſic nominati, ut is, de quo Brocardus, *A Tripoli per duas leucas eſt mons Leopardorum, rotundus & alius, unâ leucâ à Libano diſtans,* &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 7. *toto, ubi de Pardo,* & *c.* 8. ubi pantheram & πάρδαλιν, non eſſe diverſa animalium genera, pluribus probat, contra Allatium *in Euſtathii Hexaëm.* Adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 212. 213. & 323. G. J. Voſſium *de Idol. l.* 3. *c.* 60. & *ſeqq.* & quæ ſuprà diximus, in vocibus *Panther*, item *Panthera.* Impropriè vox *pardus* ſumitur, cùm de leopardis, ex *pardo* videl. & *lea* genitis, aliquando occurrit. Vide Salmaſ. *ibid.*

PAREDRI, Græcè Πάρεδροι, aliter Σύνθρονοι, quaſi *Adſeſſores & eâdem ſede præditi.* Tertulliano *Synhodi* (vide infrà) Deorum, fieri dicebantur olim, qui de hominibus in Deorum numerum referebantur, & *collegio* eorum, ſeu *concilio*, ſeu *conſeſſui*, ut veteres Inſcriptiones præ ſe ferunt, ſeu *ſynodo*, ut modò dictus Tertullianus vocat, adſcribebantur. Virg. ad Auguſtum, *l.* 1. *Georg. v.* 24.

> *Tuque adeò, quem mox quæ ſint habitura Deorum*
> *Concilia, incertum eſt.*

Erat autem Synhodus Deorum apud Græcos, ex XII. Diis, quos *magnos* appellabant, in quorum numerum relati homines πάρεδροι τῶν μεγάλων Θεῶν dicebantur: item τῶν δώδεκα Θεῶν. Et quidem Deorum unicuique ſui fuêre attributi *Paredri*: Jovi, XII. Dii, ſex mares, ſex fœminæ, quos propterea *Conſentes* appellabant: i. e. συνέδρους Matri Deum, Idæi Dactyli: Æſculapio, Hygia, Jaſo & Teleſphorion, aliis alii. Sic Antinous, Hadriani delicium, Ægyptiorum Deorum σύνθρονος, in *veteri Inſcr.* dicitur. Porrò hujuſcemodi Deorum πάρεδροι, Latinis veterib. *Novemſiles* vel *Novemſides*, ſecundùm opinionem quorundam, ſunt appellati, apud *Arnobium* & *Servium*; quaſi *eâdem ſede præditi*, Græcis σύνναοι, quòd *novem* in eadem ſede, h. e. in eodem templo, collocati eſſent, explicante Victorinô. Vide Claud. Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadriano Cæſ. c.* 14. Dicebantur ergo *Paredri* Dii, qui beneficiô Principis alicujus aut propriæ virtutis meritô, Numinis dignitatem erant adepti & recepti in conſortium Deorum. Hi verò, quia nil erat, eſſe Deum, niſi Dei quoque fungerentur officiô, ut aliquâ divinitatis auctoritate cenſerentur, ſomniis & oraculis reſponſa dare & curationes facere credebantur: quod in Æſculapio, Amphiarao, Trophonio, aliiſque ſtulta credidit antiquitas. Idem de Hephæſtione finxerunt, qui Alexandro adulabatur; & de Antinoo præfato, qui Hadriano. Hinc & πάρεδροι δαίμονες, quos ad futura prænoſcenda Magi evocabant, *Heſych.* planeque liquet ex *Luciano*, Hephæſtionem πάρεδρον fuiſſe & ὀνειροπομπὸν, *ſomniorum immiſſorem.* Euſebius proin quoque ὀνειροπομποὺς & παρέδρους δαίμονας jungit, *Hiſtor. Eccl. l.* 4. ubi de Simone Mago, inter Deos à Romanis relato, & ſtatuis ac inſcriptionibus inaugurato, loquitur. Tertullian. *Paredrorum* ubi meminit *l. de Anima, Scimus etiam*, inquit, *Magiam elicere explorandis occultis catabolicos &* Paredros *& pythonicos Spiritus.* Et Fulgentius *de contin. Virgil. Nec illa*, ait *quæ Dardanus in Dynameris, aut Battiades in* Paredris, *aut Campeſter, in Catabolicis, Infernalibuſque cecinerunt*: quibus nominibus Deorum vel Dæmonum tres recenſentur ſpecies, ſeu tria Spirituum Marſικῶν genera, *Dynameri*, h. e. Δυναμεροὶ, potentes & magni Dii vel Spiritus, quorum in oraculis reddendis & ſomniis mittendis ſemper certior fides & effectus major; Græcis Θεοὶ δυνατοὶ, in Augurum libris *Divi potes*: *Paredri*, de quibus diximus, quoſque minùs rectè *Turnebus* malos Genios interpretatur, qui alicui ſemper adſiderent: & *Catabolici*, quos eoſdem cum Infernalibus facere, apud *Fulgentium*, Campeſter videtur, quique per arreptitios & energumenos futura prædicebant, quos plerunque raptabant, dejiciebant & ſolo affligebant, à καταβάλλειν proin nomen conſecuti. Et quia, per *Paredros*, Oracula fieri ſic dicebantur, hinc & illis ſui Prophetæ fuerunt; unde in *veter. Inſcr.* Ulpius Apollonius quidam, Antinoi Propheta dicitur, ut & ſua templa, ſui Sacerdotes, ſui agones &c. Idem *ibid.* Vide quoque Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Paredrus.* Sed & dicebantur *Paredri*, qui Magiſtratus in publicum prodeuntes, apud Græcos, præcedebant erantque velut ſcribæ obſervatores, diſpunctoreſque eorum quæ tranſcripſiſſent dictante Judice. Hos oportebat eſſe vitæ inculpatiſſimæ, de qua, antequam poſſent Judicibus aſſidere, apud quingentos Viros Prytanes primùm, ſecundò inter Areopagitas, quôvis volente per Præconem ad accuſandum admiſſô, rationem reddidiſſe, Athenis oportebat. Cujus ſeveræ perquiſitionis cauſa erat, quòd res periculi plenas & in quibus maximâ fide opus eſt, tractarent, nempe Judicum ſententias, quas unicum verbum omiſſum, mutatum, aliò tranſlatum, aut à Scriba celerrimè excipiente additum, poterat evertere, inque contrarium trahere &c. Poſtellus *de Magiſtratibus Athenienſ. c.* 31. apud Calvin. *Lexic. Jurid.*

PAREDUM, quibuſdam *Parejum*, ad fluv. Brebincam, 2. leucis à Ligeri, in Comitatu Carolenſi, *Morer.* numeratur inter Prioratus ad Cluniacum pertinentes, in Privileg. Ludovici Craſſi, *A.* C. 1119. Hodie *Paroy le Moinal*, vocatur locus i. e. *Paredum* monachale, & Monaſterium in pago Auguſtodunenſi habet Cluniaco ſubjectum. Eſt & *Paredum Fratrum*, non procul à Burbone Anſelli, à Fratribus ſeu Monachis ita cognominatum, *Paray le Frairy* vulgò. Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.*

PAREJUM, Monachium, oppid. Burgundiæ, in agro Carolenſi, ad amnem *la Brebinche*, vix 2. leuc. à Ligeri fluv. 11. ab Auguſtoduno in Meridiem Rodumnam verſus; *Paray le Monian.* Vide *Paredum.*

PAREMPHIS, urbs Ægypti. *Steph.* Hujus meminit nummus Tiberii Imperatoris apud *Goltzium.*

PARENS, vulgò Patrem & Matrem notat, vide infrà *Parentes.* Sed Juriſprudentes Avos & Proavos, Avias & Proavias *Parentum* nomine appellari ajunt. Paulus *de grad. Affinit. l. JCoſſ.* & Cajus *l. Parentis appellatione de verbor. ſignif.* At latiùs hodie ſumitur, pro ſanguine proximo, agnato, cognato: quâ notione tamen jam apud Salluſtium vox reperitur, notante Car. du Freſne. Certè, apud Jul. Capitolin. *in M. Antonino Philoſ. c.* 6. legimus: *Adoptatus in aulicam domum, omnibus Parentibus ſuis tantam reverentiam, quantam privatus exhibuit.* Ubi Caſaubon. *Hem. omnibus?* inquit, *tam multos igitur habuit Marcus Parentes? Atqui Patre, qui genuerat, pridem extinctô, duos ſolos habuit Parentes reverentiâ colendos, Patrem Pium & Hadrianum Avum: Mater & Avi, paternus ac maternus fato jam conceſſerant. Quinam igitur iſti tot Parentes? Si* γονέας *quæris, præter quos diximus, nulli erant.* Additque, vocem *Parentis*, non ex veter. Romanorum uſu hîc debere accipi, verùm planè quomodo in idiotiſmo Gallico, Hiſpanico etiam & Italico, pro quibuſcunque ſanguine vel affinitate junctis, uſurpatur. Sic & alibi, apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ ſæpe capitur. Idem Capitolin. *in Maximino Jun. c.* 4. *Quum Grammatico daretur, quædam Parens ſua libros Home-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mericos omnes purpureos dedit aureis literis ſcriptos. Lamprid. *in Severo, c.* 67. *Amicos & Parentes Alexander ſi malos reperit, aut punivit; aut ſi vetus vel amicitia vel neceſſitudo non ſivit puniri, dimiſit à ſe.* Sic quoque accipiendum, apud Vopiſcum *Aureliano* & *Probo*: apud Greg. verò Turonenſem, & inferioris ævi Scriptores, locis innumeris. Sed & apud Zenonem Veronenſem, Latinorum Patrum elegantiſſimum, qui circa Deciorum tempora ſcribebat, hanc vocem eâdem notione obſervavit Caſaubon. Is enim in *Serm. de Lazaro ſuſcitato*, *Poſt quatriduum*, ſcribit, *Lazari anima movetur, manus officio præparantur, oculi ſolis in orbibus currunt, veſtigia greſſibus explicantur, auribus renovatur auditus; acies dirigitur in* Parentes: *cognatio redivivis obtutibus muneratur.* Ubi, niſi diſcedit a narratione Johannis Euang. *parentes* Lazari appellavit Mariam & Martham ejus ſorores. Sic cùm ſoli illi *Comites* & *Amici* dicerentur olim, qui in comitatu Principis erant; cæteri, *Amici* tantùm; vel etiam *Parentes* & *Amici* vel *Parentes chariſſimi*, ab Auguſtis nuncupabantur. Ita Conſules & Præfecti Urbis & Proconſules & Provinciarum Rectores, honoris gratiâ ab illis appellabantur. Hinc de Præfecto Urbis, in Scriptoribus præfatis, *Parens & Amicus noſter*, & ſic de aliis: quod etiam ſub poſterioribus Principibus obtinuit. Unde Inſcriptiones illæ in Principum reſcriptis, ad Præfectos & Proconſules in *Cod. Theodoſ.* frequentes: *Have parens cariſſime Auguſti.* Ubi *Parens* quidem, Barnabæ Briſſonio *Formular. l.* 3. Patrem notat, honoris vocabulum: Salmaſius verò, non ex uſu veter. Latinorum jubet accipi; ſed ex recentiorum uſurpatione. Quemadmodum hodieque Rex Galliarum moris habet Legatos ſuos, & quos regendis provinciis imponit: *Parentes* vel *Cognatos* ſuos, appellare. Vide Caſaubon. *ad Capitolinum l. c.* & *Treb Pollionem in XXX. Tyrannis.* Fortunatus *de Excidio Thuringiæ*:

Tunc Pater ac genitrix & avunculus atque Parentes.

Idem Carm. ad Artachin:

Sed de fratre patris proximus ille parens:

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc, apud Eugenium *in Epitaph. matris ſuæ*, Subſtantiv. *Parentatus*, affinitatem cognationemque deſignat, Ital. *Parentado*, Gall. *Parenté*: cui ſynonymum eſt, *Parentela*, apud Capitolin *Gordiano III.* Adjectivum verò, *Parentatus*, apud Arnoldum Lubecenſem *l.* 7. *c.* 3. & 9. cognationibus ſignificat & affinitatibus inſtructum, annotante eôdem Car. du Freſne. Vide quoque Jac. Gothoſredum *ad l. Cod. Theodoſ. de Piſtor.* & *ad l. unic. de Action. certo temp. fin.*

PARENS Deorum, cognomen Domitiani, apud Statium *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 139.

Salve dux hominum, & Parens *Deorum*
Prævisum mihi, cognitumque Numen.

Propter reddita videl. vel addita Diis Templa. Idem *Parens Latius*, h. e. Jupiter Auſonius, eidem, *Comâ Earini* & *l.* 1. *Sylv.* 2. Item *Parens Mundi*, *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 17.

Salve Magne Parens mundi, *qui ſecula mecum*
Inſtaurare paras ———

alibique paſſim, ubi *inter Deos principatum affectanti belluæ blanditur* Poëta, uti ait Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Statium d.l.*

PARENTALIA, erant ſacra funeſta; quæ fiebant ab antiquis in honorem mortuorum, à *parentando*, quod parentibus juſta celebrare ſignificat, licèt etiam transferatur ad alios. In his fieri ſolebant προσκλήσεις τῶν νεκρῶν, *evocationes mortuorum.* Aderant propinqui: qui parentes ob defunctum conſolabantur. Latini etiam, inquit Fungerus *in Etymol. feralia* nominârunt, à *ferendis* epulis, vel à *feriendis* pecudibus. Ovid. *l.* 2. *Faſtor. v.* 543. originem aperit Latinorum reſpectu,

Hunc morem Æneas, pietatis idoneus author,
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille Patris Genio ſolennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicère novos.

Nic. Lloydius. Apud Romanos, peractis ad ſepulcrum juſtis, convivia domi apparabantur, ad quæ amici & cognati convocabantur. Divitibus etiam cœna funebris exhiberi ſolebat, quæ *Silicernium* dicebatur: Imò & populo interdum, aut ad minimum cruda caro diſtribuebatur, quod *Viſcerationem* vocabant. Deniçales inde Feriæ celebrabantur, cùm hominis mortui causâ familia purgabatur: Erant enim Exverræ, purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam ferebatur, quæ per everriatorem, certò ſcoparum genere adhibitô, fiebat. Edebantur etiam nonnunquam in honorem defunctorum Ludi *Funebres* dicti, de quibus *ſuô locô*: Et cùm nonnulli eſſent, qui deſiderium ſuorum minùs ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, quidam etiam viceſimum, triceſimum & quadrageſimum, non ſine quadam numerorum Religione, dies defunctorum Manibus & memoriæ ſtatuebant: unde *Parentationes*, Feralia, Novendialia, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia &c. originem traxerunt; quæ omnia tum lacte & vinô, tum ſertis & floribus, tum aliis rebus antiquitus celebrabantur, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 39. Integer de hoc ritu Ovidii locus ſic habet *Faſtor. l.* 2. *v.* 533.

Eſt honor & tumulis. Animas placare paternas;
Parvaque in exſtinctas munera ferre pyras.
Parva petunt manes: pietas pro divite grata eſt
Munere; Non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis;
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis:
Inque mero molita Ceres, violæque ſolutæ:
Hæc habeat mediâ teſta relicta viâ.
Nec majora veto. Sed & his placabilis umbra eſt.
Adde preces poſitis & ſua verba focis.
Hunc morem Æneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras juſte Latine tuas.
Ille patris genio ſolennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicère pios.

Quem egregiè illuſtrat *Animadverſionibus ſuis ad Arnobium adverſus Gentes l.* 7. Deſid. Heraldus, vide quoque ſuprà, *Cœna Feralis.* Apud Græcos iidem ferme ritus; Ab exequiis reduces ædes funeſtas ſulphure, ſeipſos, per ignem ſaliendo, vel aliter luſtrabant: aliquando cum calatho circumeundo aram, & in luſtralem aquam titionem immittendo, teſte Euripide in *Hercule Fur. v.* 923. Poſteà περίδειπνον ſeu Silicernium exhibebant, quod *inibant Parentes coronati*, ut Cicero ait *in Vatin.* In his autem epulis jam ab ipſo Cecrope celebrabantur defuncti, ſiquidem laudanda feciſſent. Quare iterum Cicer. *apud quas* (epulas) *de mortui laude, cùm quid veri erat, prædicatum. Nam mentiri nefas habebatur.* Qui honos poſteà iis tantùm eſt habitus, qui in bello eſſent interfecti, aut publicè ſepeliebantur; eæque orationes habebantur in Ceramico extra urbem, ubi ſepulti: idque ab iis ſolis, qui ad eam rem publicè erant conſtituti: *Nec enim de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi quis publicè ad eam conſtitutus ſit, dicitor:* Lex fuit, memorata Ciceroni *de LL. l.* 2. Quamvis enim jam à Cecropis tempore, ut dictum, de mortui laude prædicaretur apud epulas, tamen laudatio hæc non publica, ſed privata tantùm in circumpotatione erat: Dein verò, poſtquam adversùs Perſas pugnatum eſt, tulerunt poſt Romanos, Athenienſes, ut pro concione tales laudarentur. Vide Thucydidem *l.* 2. & Cicer. *loc. cit.* Atque ad hanc orationem dicendam conſtituebatur lege is, cujus filius in bello reliquis longè fortiùs cecidiſſet: Τὸν πατέρα τοῦ ἄριστα ἀποθανόντος ἐν πολέμῳ λέγειν τὸ ἐπιτάφιον. Aliàs liberi, aut hæredes, mortuis Parentibus juſta faciebant, teſte Demoſthene κατὰ Τιμοκράτους & Iſæo περὶ τοῦ Κλεωνύμου κλήρου; in quibus, ne bove *parentaretur*, Lege prohibuit Solon: Μὴ ἐναγίζειν βοῦν. Fiebant autem hæc, non ſolùm ipſô elationis die, ſed & ab illo nonô, unde Ἔνατα, item triceſimô, unde Τριακοντάδες (quô Mercurio Animarum Ductori ſacrificabant) anniverſariò item, unde Νεκύσια, & illô quô Natalem ejus celebrabant, unde Γενέσια. Quorum omnium commune nomen erat, Νεμέσια, ordinariò haberi ſolita menſe Antheſterione, ſicuti apud Romanos *Parentalia*, Februariô menſe, in *quibus parentabatur manibus mortuorum*, cognatique Terræ, & Diis Infernalibus, Manibus item Parentum Majorumque ſacra faciebant. Et quidem defunctos non ſolùm, cùm terræ mandabantur, pro concione laudatos fuiſſe, ſed eundem honorem in bello interfectis quotannis fuiſſe inſtauratum, patet ex ſæpius laudato Cicerone *l. de Orat. Sed in populari oratione, quâ mos eſt Athenis laudari in concione eos, qui ſint in prœliis interfecti, quæ ſic probata eſt, ut eam quotannis illô die recitari neceſſe ſit.* Vide quoque Platonem *in Menedemo*, & plura de his, apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 6. *c. ult.* Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 5. *c.* 24. ut & ſuprà, in vocibus *Commemoratio Defuncti, Funebres Ludi, Feris, Funus, Gladiatores, Exequiæ* &c. At ab his juſtis Inimici arcebantur, quibus iſta obire neutiquam concedebatur, Unde Electra ad Chryſothemin apud *Sophoclem*,

Οὐδ' ὅσιον ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
Κτερίσματα.

Imò, apud eundem, etiam ad tumulum Ajacis propiùs accedere, Ulyſſem prohibitum fuiſſe, legimus. Hinc ea fuit *ſepulchralis ſanctitas*, inquit Cicero, ut nec peregrinus quidem, ne fortè ſub hoc ſchemate inimicus lateret, juſta mortuo facere vel *parentare* potuerit. Tanta autem iſtiuſmodi juſtorum fuit neceſſitas, ut apud eoſdem Athenienſes, in Magiſtratuum δοκιμασίαις, interrogarentur, an Parentibus juſta feciſſent, nec ne, Xenoph. *l.* 2. quod ſi omiſſum eſſet, indignus habebatur talis, qui ad honores veheretur. Vide iterum Petitum *loc. cit.* &c. Ut de Roman. *Parentalibus* aliquid addam: Hôc die, apud Romanos, fiebat in plebem diviſio diverſarum ſpecierum, ut vini, olei, aut pecuniæ, cujus moris teſtes extant plurimæ Inſcriptiones. Hadrianus Imperat. verò, quod rarum, & antè fortaſſe inauditum, aromatica donavit. Æl. Spartian. *in Eo c.* 19. *Romæ, poſt cœteras immenſiſſimas voluptates, in honorem ſocrus ſuæ, aromatica Populo donavit.* Vide Salmaſ. *ad loc.* &c. Verùm hæc Νεκύσια conviviaque Paganorum ad tumulos demortuorum, Chriſtiani poſtmodum proſcripſerunt è ſuis pomœriis, Gaud. Brixienſis *Tract.* 4. *Partes enim idololatriæ ſunt veneficia, præcantationes, ſuballigaturæ, vanitates, auguria, ſortes, obſervatio ominum.* Parentalia, *inquam, unde Idololatriæ malum caput extulit erroris. Nam gulæ ſuæ causâ primùm cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent.* &c. Quò ſpectant iſta Tertulliani *de Teſtim. Animæ*, *Si quando extra portam cum obſoniis & matteis, tibi potiùs parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis.* Idem vetatur in *Capitul.* Caroli M. *l.* 6. *c.* 191. &c.

PARENTELA, vox recentioris ævi, memorata Wilh. Britoni in *Vocab.* cui *Cognatio, vel conſanguinitas vel contribulitas* eſt. Reperitur & apud Capitolinum in *Gordiano III. c.* 23. *Quem causâ eloquentiæ dignum* parentelâ *ſua putavit.* Alioſque. Hinc *de Parentela ſe tollere* dicebatur, qui eam ſolenni & receptô ritu ejurabat, qui pluribus deſcribitur in pacto *Legis* Salicæ *tit.* 63. quemque pluribus explicatum ivit Wendelinus in *Gloſſ.* Vide *Alninos fuſtes.* Cauſa autem, cur quis id faceret, ea potiſſimum erat, ut à bellis familiaribus ſeſe ſubduceret: quô quidem fine *ſe de juramento & de hæreditate & de tota ratione parentum & agnatorum tollebat.* ita ut, *ſi aliquis de ſuis parentibus aut moreretur aut occideretur, nulla ad illum compoſitio hæreditatis perveniret: ſimili modô, ſi ille moreretur, ad ſuos parentes non pertineret cauſa, nec hæreditas ejus.* Atque id fiebat in mallo publico, coram Judice, cum XII. Juratoribus, qui ſacramentô firmabant, id eum jure ac ex cauſâ facere: duravitque hic ritus etiam longè pòſt, ut ex legibus Henrici I. Angl. Regis colligitur, *c.* 88. Apud Jac. Hemricurtium *de bellis Leodi-*

enſibus c. 35. & 60. dicitur hic ritus *Renoier ſon lenàge*, Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Diſſertat.* 29. *ad Joinvillam*, *p.* 333. 334. Sed & alius pravus mos *de Parentela* viguit, in Comitatu Hannoniæ, quem ita ediſſerunt Areſta A. C. 1298. in *Regeſto* Parlam. *B. fol. ult.* *Ex parte Comitis fuit propoſitum, coram nobis, talem morem in ſuo Comitatu Hannoniæ vigere, videlicet quòd quotieſcunque aliquis in ſuo comitatu prædicto perpetrat homicidium, omnes & ſinguli* de Parentela *ipſius homicidæ, infra annum, à tempore perpetrati homicidii tenentur in Curia prædicti Comitis comparere abjuraturi homicidium prædictum. Et ſi quis de parentela homicidæ prædicti hoc facere omiſerit, reus & culpabilis dicti homicidii reputatur, & punitur tanquam homicida, ſi ibi poſteà reperitur* &c. Quam conſuetudinem, ut pravam, Curia prohibuit. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà voce *Parens.*

PARENTES, à PARIENDO dicti, magno in honore ubique habiti ſunt. Cùm enim natura exiguam hominibus vitæ periodum circumſcripſerit, ejuſque uſuram dederit, tanquam pecuniæ, nullâ præſtitutâ die, facilè ſuis exhauriretur civitas civibus, niſi cives *Parentes* fierent, liberiſque genitis ac ſuſceptis ſubveniretur mox ſequuturæ inopiæ. Hinc immenſô prolis deſideriô, quô Reipublicæ augendæ causâ ardebant Veteres, uxores ſæpe, quòd ſteriles eſſent, domô ejiciebant; Quod ne fieret, utque conciperent Uxores, Mutini faſcino inſidere, lucis ſeſe offerre, ferulâ caprinâ pelle coriôque tectâ percutiendas; Lydenque pyxide geſtare ſolebant. Stimulatus legibus ardor, & jus trium liberorum magni æſtimatum eſt. Quod à Græcis ad Romanos tranſiit: Quippe Spartani multiplicandorum causâ civium legem tulerunt, ut qui tres genuiſſet, à cuſtodiæ munere eſſet immunis; ſi credimus Æliano *Var. Hiſtor. l.* 6. *c.* 6. Romani autem & Præturas ac Quæſturas, omneſque adeò Magiſtratus & honores ad numerum liberorum *Parentibus* diſtribuerunt. Apud eoſdem, pro liberorum numero, frumentum quoque *Parentes* acceperunt, teſte Spartianô *in Hadr.* & in faſcibus ſumendis priores erant, qui plures liberos habebant, ſecundùm Gellium *l.* 2. *c.* 15. Unde variæ leges Julia, Papia Poppæa &c. In primis fuêre jura tria liberorum, de quibus Juvenalis agit *Sat.* 9. *v.* 87.

> *Jura* Parentis *habes, propter me ſcriberis hæres,*
> *Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.*
> *Commoda prætereà jungentur mille caducis,*
> *Si numerum, ſi treis implevero.* ———

Qui enim ſine ſobole erant, quod in Teſtamento â Teſtatore legatum erat, non capiebant, nec ad caducarum hæreditatum ſucceſſionem admittebantur. Quapropter etiam ſteriles, quod Fortunæ iniquitas denegaverat, à bonitate Regum Imperatorumque impetrare conabantur: ut docet Martial. *l.* 2. *Epigr.* 91. *ad Domitianum*,

> *Quod Fortuna negat fieri, permitte videri,*
> *Natorum genitor credar ut eſſe trium.*

Hinc porrò, ne infelices eſſent, ſupplicationes & vota Veneri Genetrici apud Romanos, Τριτοπάτορσι Athenienſibus (ut habet Auctor Etymologici. quæ iidem cum θεοῖς γενεθλίοις Ariſtæneti *l.* 1. *Epigr.* 19.) Pacique, magis pro filiis & gemellis, quàm filiabus, concepta, quæ illud includebant, ut ſimiles fierent *Parentibus*. Hoc enim eſt, quô Puerperas commendat Horat. *l.* 4. *ode* 5. *v.* 23.

> *Laudantur ſimili prole Puerperæ.*

Vide infrà in voce *Puerpera*. Quoque confidentius onus ventris gererent gravidæ, privilegia quædam conceſſa: dilata ſupplicia, donec peperiſſent, lege Ægyptiis primò, inde Athenienſibus, hinc Romanis ſancitâ, apud quos ne quidem quæſtio de gravidis habebatur: Apud Perſas aureô donabantur. Infante dein feliciter editô, gaudium & ſalutatio inter amicos & clientes, *Hodie nate Salve*, ab Oriente ad Romanos delatô more, qua de re vide A. Gellium *l.* 12. *c.* 1. Ut autem is legitimus haberetur, à *Parente* tollendus erat, cui vitæ & mortis antiquitus poteſtas erat in eos, quos pro ſuis agnoviſſet: Eôautem id ritu fiebat, ut ex terra ſublatum infantem ſuſciperet per ſervum *Parens*, vel ejus vice Puerpera ipſa, vel ſoror illius, vel familiaris aliqua, obſtetrices quoque, unde *terræ Matres* dictæ. Quos Pater ſuſcipere nollet ominis ergò & metus, more à Diis derivatô, exponebant, quandoque enecabant: cui contrariam legem Romulus, apud Dion. Halicarn. *l.* 2. multitudini augendæ intentus, induxit; Thebani etiam certis cautelis inhibuerunt. Puerum poſteà, poſtquàm robuſtior factus & idoneam attigiſſet ætatem, natare & literas, apud Græcos docebant *Parentes*: tenuiores dein ruri opus facere, aut peregre ad mercatum ire aut artem exercere: Honeſtiores verò in Muſicis, in re equeſtri, in Gymnicis, ad venandum, in Philoſophia inſtituebantur. Quod ſi *Parentes* neglexiſſent, ad illos exhibendos Filius non cogebatur, ex Lege Solonis apud Plut. Υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι, *Filius, quem Pater artem non docuerit, ad eum exhibendum ne cogitor.* Cùm ad nubilem perventum ætatem, ad Sponſalia conſtituenda conſenſus & auctoritas *Parentum* uſque adeò neceſſaria fuit, ut, eorum conſenſu omiſſô, ea pro nihilo haberentur: *Vis enim & lex naturæ ſemper in ditione* Parentum *liberos eſſe juſſit*, Plin. *in Panegyr. c.* 38. & Ariſtot. *Politic. l.* 1. *c.* 4. & 8. Quod non ſolùm apud Romanos, ſed & alias gentes obtinuit. Hinc apud Athenienſes Pater filiam deſpondebat, niſi is peregrè abeſſet. quod tempus trienniô definierunt Romani Juriſconſulti *Leg.* 10. *D. de ritu Nupt.* Hodieque apud Moſcos, totius negotii hujus cardo in *Parentum* manu vertitur, ut teſtis eſt Sigiſm. L. B. Herberſtenius *Hiſtor. Moſcov.* Dico *Parentum*: namque & ad Matres id juris pertinere, ex Livio colligere eſt *l.* 38. *c.* 57. qui Scipionis Africani uxorem, ob deſponſam à Viro ſuum contra ſcitum filiam, muliebriter indignatam eſſe ſcribit, *nihil de communi filia ſecum conſultatum fuiſſe.* Vide quoque quæ de Irene Andronici Imperatoris uxore, filium Johannem ad externum conjugium ablegare volente, habet Niceph. Gregoras *l.* 7. *c.* 14. &c. Porrò *Parentibus* liberos, cognitâ priùs & probatâ Judicibus causâ, abdicandi jus apud Athenienſes erat, ut auctor eſt Demoſthenes πρὸς Βοιωτόν. Vide quoque Quintilianum *Declam.* 283. Lucianum *in Abdicato*, & *Suidam*: Quæ abdicatio per præconem fiebat, pronuntiantem, τὸν δεῖνα negare τὸν δεῖνα filium ſuum eſſe ampliùs, Plato *de Legg. l.* 11. quô pactô talis excidebat Patris familiâ, nec bonorum ejus particeps fiebat. Romanorum verò legibus, comprobatam abdicationem non eſſe, conſtat ex Reſcripto Imperatorum Diocletiani & Maximiniani *leg.* 6. *C. de patr. poteſt.* Imò ante Solonis νομοθεσίαν, & vendere liberos *Parentibus* licebat, non tam lege, quàm moribus populi Athenienſis, ut Plut. *in Solone* ſcribit: quod Plato poſteà hâc lege reſtrinxit, Μὴ ἐξεῖναι θυγατέρα πωλεῖν, μήτ᾽ ἀδελφὰς, πλὴν ἂν μὴ λάβῃ παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην, *Filiam aut Sororem vendere nemini jus eſto, niſi in ea adhuc Virgine mœchum deprehenderit.* Quod apud Romanos diverſimode, ſecundùm diverſa tempora, obſervatum eſt. Lege enim Decemvirali cautum legimus, *Si Pater Filium ter venum duit, Filius à Patre liber eſto: Liberos ceteros ſemel ſi venum duit, ſui juris ſunto.* Vide quoque Dion. Halicarn. *l.* 2. Sed jus iſtud mutavit: neque conceſſum fuit Patribus liberos vendere, priuſque jus illud abrogatum eſt, antequam vitæ neciſque in liberos poteſtas, (quam primis temporibus *Parentes* habuerant, quamque revocandam eſſe ſuadet Bodinus *de Rep. l.* 1. *c.* 4.) Patribus derogaretur, quod colligitur *ex L.* 10. *C. de patr. pot.* Quanquam & hac in re aliquid paulo pòſt immutatum eſt. Nam Pauli temporibus, qui imperante Alexandrô Sev. floruit, ſi cogeret egeſtas, adeò ut Pater non poſſet alendis liberis ſufficere, vendere eos illi licebat, Paulus *l.* 5. *Sentent. tit.* 1. §. 1. donec omni liberorum venditione interdictum eſt, conſtitutione Diocletiani *l.* 1. *C. de Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt.* Cùm tamen obtineri non poſſet, ut Patres egeni ab oppigneratione, ſi non venditione, liberorum, abſtinerent, utrâque hâc iis interdixit Conſtantinus M. *L.* 2. *Cod. Theod. de alimentis, quæ inopes Parentes de publico petere debent*, circa A. C. 323. Verum cùm ne ſic quidem à populo Conſtantinus extorqueret, quin Patres in egeſtate conſtituti liberos ſuos venderent victus causâ; itaque ſanguinolentos & adhuc à matre rubentes liberos Patribus ob eam cauſam vendere permiſit, *leg.* 2. *Cod. de Patribus, qui filios ſuos diſtrax.* &c. Cùm liberos non haberent, adoptione fiebant *Parentes*, qua de vide *ſuprà*. Tam venerabile proin cùm nomen *Parentum* eſſet, liberi, in quibus natura vitio cedebat, lege Triptolemi juſſi ſunt, Τοὺς γονεῖς τιμᾷν, *Parentes honorare*: quam in Templo Eleuſiniæ Cereris reſidere, ſcripſit. Xenocrates Philoſophus, ut *Hermippus* apud Porphyrium auctor eſt. Quare etiam legibus Athenienſium ingrati actio dabatur, adversùs liberos, qui *Parentes* ſuos non honorâſſent: Ἐάν τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην τε ἐπιτιθέναι καὶ οὐκ ἐᾶν ἄρχειν τοῦτον, *Si quis Parentes non honorarit, dica illi ſcribitor, neque Magiſtratum gerito.* E qua lege, qui inter Magiſtratus, Novemviros puto, allecti erant, Magiſtratuum expungebantur albô, ſi, quando in eorum vitam moreſque inquirebatur ἐν ταῖς δοκιμασίαις, in hanc Legem incurriſſe arguerentur, Xenoph. Ἀπομν. *l.* 2. In ſpecie verò, ex Solonis Lege, ὁ τοὺς γονέας τύπτων, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, καὶ τὰ ἐπιτήδεια, ἄτιμος ἦν, *Si quis Parentes pulſaſſet, aut non aluiſſet, aut tectum ad habitandum cœteraque neceſſaria non præbuiſſet, ignominioſus erat.* Quæ lex ab Atticis Jureconſultis τῆς γονέων κακώσεως, *malæ tractationis Parentum*, appellata, reperitur apud Lyſiam κατὰ Ἀγοράτου. Vide ſupra *Cotyla*: Qualis autem hæc ἀτιμίας & capitis fuerit minutio, oſtendit comparatio Legum ἀστρατείας & malæ *Parentum* tractationis, quas conjungit Demoſthenes *contra Timocratem*, nempe ὁλόκληρον ἠτιμοῦντο, i. e. *omnino infames fiebant.* Nam eos ὁ νόμος ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει, καὶ οὐκ ἐᾷ στεφανοῦσθαι ἐν ταῖς κοιναῖς στεφανοφορίαις, οὐδὲ εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, & ita nulla illis neque civilium, neque ſacrorum communio fuit. Judicârunt verò litem οἱ Φράτορες, idque ad clepſydram, quô pactô agebantur maximi momenti cauſæ. Quòd ſi damnatus ab his, vel concionem, vel templum publicum, publicamve ullam feſtivitatem ingrederetur, Undecimviri capitales eum vincire & in judicium apud Heliæam rapere tenebantur, ubi ei convicto vel pœna vel multa irrogabatur eratque tam diu in vinculis, quouſque multam ſolviſſet, ut docet *in Timocratea* Demoſthenes. Apud Romanos Legibus quidem cogebantur liberi *Parentes* alere, ſed id tantùm, nullâ pœnâ ei irrogatâ, qui ſecus feciſſet. Imperator Antoninus Pius Auguſtus Baſſo, *Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere juſtum eſt*, *l.* 1. *C. de alendis liberis & Parentibus.* Neque tantùm ad exhibendos *Parentes* cogebatur, ſed etiam *Avum Proavumque & cœteros per utrumque ſexum contingentes*, *l.* 5. §. 1. *D. eod.* Quin etiam *à milite quoque filio, qui in facultatibus ſit, exhibendos Parentes eſſe, pietatis exiſtimat ratio*, *l. eos.* §. 15. *D. eod.* Si filius igitur *Parentes* non exhiberet, adibantur Conſules, qui alere jubebant; ut inſcriptio *legis* 5. *D. de alendis liber. & Par.* innuit. Quod ſi apud Senecam Patrem legis illius, *Liberi Parentes alant aut vinciantur*, mentio ſæpius fit, illa non è jure Athenienſium ſive Romanorum, Sed è Syria petita eſt; qualis & illa apud eundem, *Cum filio tricenario Pater patrimonium dividat*, de qua vide Lucæ *c.* 15. *v.* 12. &c. Et hoc erat, *Parentibus* τὰ θρεπτήρια ἀποδιδόναι, ſeu θρέπτρα ſeu τροφεῖα, i. e. *alimenta*, quod tam neceſſariam officii noſtri partem eſſe natura etiam liberis inſerit, ut inter infelicitatis ſuæ momenta non minima numerâſſe legamus plurimos, quòd prægmaturâ morte abrepti id officii *Parentibus* exhibere non potuerint. Homer. *Il.* δ. *v.* 477.

> ——— ——— Οὐδὲ τοκεῦσι
> Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
> Ἔπλεθ᾽.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quæ ſic reddit Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 570.

——— — ——— *Nec reddita charo*
Nutrimenta Patri, brevibus præreptus in annis.

Interim, nec filius, quem Pater artem non docuiſſet, uti dictum: Nec nothi Patres alere, Solonis legibus, cogebantur, Vide Plut. *in Solone.* Pertinet ad honorem *Parentibus* exhibendum, quòd Patribus, qui peregre erant, domum reverſis, filias pedes laviſſe & oleó demulſiſſe, legimus apud Ariſtoph. *in Veſpis*: ubi Scholiaſtes, ἔτως, inquit, ἐπεμέλϩν τὰς πατέρας ϗ τὰς γέροντας: Quò reſpicere videtur Homerus, quoties pedes λιπαρὰς vocare ſolet. Eosdem oſculari fuiſſe ſolitas, ex Hiſtor. Euang. patet, & eodem Comico,

——— ——— Καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ
Ἀπονίζῃ ϗ τὰς πόδ᾽ ἀλείφῃ ϗ προσκύψασα φιλήσῃ.
——— ——— *Et primùm quidem filia*
Abluat, & pedes mungat, & inclinans ſe oſculetur.

Tandem filiorum humeris *Parentes* defuncti efferebantur; Unde de Metello legitur; tres filios Conſulares, duos Triumphales, unum Cenſorium & alterum Prætorem, lectum ejus emortualem ſubiiſſe: Et in Magiſtratuum, apud Athenienſes, δοκιμασίαις, interrogatos legimus, an *Parentibus* juſta feciſſent, & eorum ſepulchra exornâſſent, nec ne? Xenoph. *l.* 2. Ἀπομνημ. Itaque poſt cadaver tumulo honeſtè conditum Silicernium exhibere, quæque alia huc pertinebant, curare filii tenebantur. Quemadmodum contrà, cùm præmortui eſſent liberi, *epulas has inibant* Parentes *coronati*, ut loquitur Cicero *de LL. l.* 2. & ſi in bello pro patria cecidiſſent, de illorum laudibus ad populum dicebant: ex Lege, cujus mentio facta eſt ſuprà, in voce *Parentalia.* Imò & poſt Fata, manſit hæc in *Parentes* defunctos veneratio. Proin Atheniensium iterum Legislator Solon, ſi quis Patrem defunctum criminaretur, eaque de re cum filio ſeu hærede ageret, filium pro Patre jusjurandum dare voluit, hâc Lege: Ὑπὲρ τῶ πατρὸς τὸν ὑὸν πίςιν δἔναι, ἐάν τις τεθνεῶτι ἐπικαλῶν δικάζηται τῷ κληρονόμῳ, *Filius pro Patre jusjurandum dato, ſi quis mortuum criminatus cum hærede agat*: quam laudat Demoſthenes, *contra Calippum.* Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 2. *tit.* 4. Caſpar. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Franc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 5. *c.* 14. Matth. Berneggerum *in Taciti Germ. quæſt.* 95. &c. uti de ſacra liberorum contra Parentes delinquentium apud Hebræos pœna, ſuprà voce *Lapis*, it. infrà ubi de *Perenoptero.* Modum exceſſêre, qui *Parentes* conſecrârunt & privatâ religione coluerunt, quod frequens olim: unde Imperatorum, utpote *Patrum Patriæ*, ἀποθέωσις originem habuit, ut ſuprà vidimus. Contrà barbari Caſpii ſeniò confectos fame necare & canibus objicere, Indi ipſimet devorare, neutiquam abhorruerunt, in pietatis quoque aliqua parte atrocem hanc crudelitatem reponentes, Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 18. *c.* 28. & Alex. Neapolit. *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 2. Adjam ex Petito aliquid, de jure & poteſtate liberorum in *Parentes*, in Rep. Athen. qua de re lex legitur: Υἱῷ τὸν πατέρα ὑπὸ νόσου, ἢ γήρως διατιθέμενον αἰσχρῶς, ἐξεῖναι παρανοίας γράφεσθαι· παρανοίας δὲ ἑλόντι τὸν πατέρα ἐξεῖναι ϗ δῆσαι, *Filio jus eſto Patri tanquam deſipienti, ob morbum vel ſenectutem, dicam ſcribere: deſipere convictum in vinculis habeto.* Meminit ejus Ariſtophanes *Nubibus*,

Οἴμοι· τί δράσω παραφρονῦντος τῶ πατρός,
Πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω;
Heu mihi! quid agam, deſipiente Patre?
Num tanquam deſipienti dicam ſcribam &c.

Ita autem convictus Pater, à re familiari removebatur, poteſtate datâ liberis in ejus bonis; Judicabantque iterum οἱ φράτορες, ut colligere eſt è Græco Comici Interprete *ad Ranas.* Sed quàm id iniquum, doceat hiſtoria, memorata Ciceroni *de Senect. c.* 7. *Sophocles ad ſummam ſenectutem Tragœdias fecit: quod propter ſtudium cùm rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus eſt, ut, quemadmodum, noſtrô môre, malè rem gerentibus Patribus bonis interdici ſolet: ſic illum, quaſi deſipientem, a re familiari removerent Judices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat & proximè ſcripſerat, Oedipum Coloneum, recitâſſe Judicibus, quæſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur. Quò recitatò, ſententiis Judicum liberatus eſt.*

PARENTHETICA, Græca vox, ſpecies bellariorum, apud Joh. Sariſberienſem *Policrat. l.* 8. *c.* 7. ubi *Bellaria* ait alia eſſe *Solennia*, alia *Parenthetica*, ac ſolemnia quidem *pulmenta eſſe, quæ in omnes transeunt, & à Græcis Catholica, h. e. univerſalia, appellantur.* Parenthetica *verò, quæ ex cauſa neceſſitatis vel urbanitatis in præceptam aliquâ ratione veniunt partem: ſic dictam, eò quòd ſolennibus, id eſt, univerſalibus particulariter ſoleant interponi*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, in voce *Solennia.*

PARENTIUM, Iſtriæ, urbs Epiſcopalis parva, *Steph.* vulgo *Parenzo*, ſub Venetis 7. milliar. ferè ab Æmonia in meridiem, ferè media inter Juſtinopolim ad Boream & Polam ad Auſtrum 28. milliar.

PARERE, apud Statium *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 76.

——— *diverſis ſervat ſua terra feneſtris.*
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aſpera paret.
Armiger hac magni patet Hectoris ———

Eſt apparere. Jureconſultorum verbum. Petronius,

——— paret, *non paret, habeto:*
Atque eſto quidquid Servius & Labeo.

Vide Hug. Grotium, *Not. ad Martianum Capellam l.* 8. Hinc *Parere ad memoriam*, apud Æl. Spartianum *in Peſcennio Nigr. c.* 7. *Ac poſteà cùm unus ad memoriam, alter ad libellos, paruiſſet, ſtatim præfecti facti ſunt*: idem quod apud Herodianum, *l.* 4. *c.* 8. προσῆναι τῇ μνήμῃ τῶ βασιλέως. Aliter *obſecundare ad memoriam*: de memoriæ Magiſtris, qui aliàs quoque *Obſecundatores ad memoriam* dicebantur, & *Dictatores memoriæ.* Cujuſmodi munus apud Carum Imperatorem obiiſſe legitur Junius Calphurnius, qui narrante Flav. Vopiſco, *c.* 8. *ad memoriam dictabat* &c. Iſtiuſmodi *Dictator memoriæ* ſeu *Dictator ad memoriam*, Græcis Ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης dictus eſt: quatuor enim Ἀντιγραφεῖς ſive Dictatores erant, primus Libellorum; ſecundus Memoriæ, tertius Epiſtolarum; quartus diſpoſitionum, & totidem ſcrinia; uti legimus apud Anonymum Scholiaſtem *in Juſtiniani Novellas*, quæ à Juliano Anteceſſore Latinæ factæ ſunt. Dicti *Dictatores* à *dictando*: verba enim tantùm commodabant, non etiam manum. Vopiſc. *c.* 7. *Hanc Epiſtolam Claudius ipſe dictavit, verba Magiſtri memoriæ non requiro*; habebantque ſub ſe Librarios & Scribas, & eos qui ſcrinium gerebant. Lamprid. *in Alex. Severo. c.* 31. *Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni Epiſtolarum ſemper dedit operam, ita ut ab Epiſtolis & Libellis, & à Memoria ſemper aſſiſterent: nonnunquam etiam, ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta Librariis & iis, qui ſcrinium gerebant, ita ut Alexander ſuâ manu adderet, ſi quid eſſet addendum.* Iidem, poſtquam dictâſſent, relegentibus Librariis & Scriniariis, dictata recognoſcebant, & ſi quid corrigendum eſſet, reſcribebant ac corrigebant, hinc Ἀντιβολεῖς quoque vocari. Quibus omnibus præerat Magiſter Scriniorum, quos cum Antigrapheis malè confundunt nonnulli: hi enim Magiſtri Scriniorum non erant, ſed proximi. Dicebatur autem *Proximus* in unoquoque ſcrinio, qui primus erat & in capite conſtitutus, ut proximus ab Epiſtolis, proximus à Libellis, proximus ad Memoriam, atque idem omnino Proximus qui Ἀντιγραφεὺς, iidemque proximi, qui & primi, Vide infrà in voce *Proximus.* Et quidem in ſcrinio Diſpoſitionum, non *Proximi*, ſed *Comites* tantùm, atque *Magiſtri Diſpoſitionum* dicebantur· cœterorum verò ſcriniorum Proximi, etiam *Comitum* titulô ac nomine ornabantur, & *Magiſtri* dicebantur. Sic *Proximus Memoriæ*, idem & Magiſter erat Memoriæ, qui in ſcrinio memoriæ primus ac princeps militabat; idem dicendum de Proximo Epiſtolarum, & Proximo Libellorum & Comite Diſpoſitionum. Hi omnes Ἀντιγραφεῖς appellabantur, & parebant Magiſtro Scriniorum, ut dictum, qui omnia ſcrinia curabat: qualem fuiſſe legimus Ulpianum ſub Alexandro Severo & Papinianum, ſub Baſſiano, &c. Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſcum in Caro Imper. loc. cit.*

PARERGON, vox in Pictura uſitata, occurrit apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. ubi de Protogene, *Quis eum docuerit, non putant conſtare. Quidam & naves pinxiſſe uſque ad annum quinquageſimum, argumentum eſſe, quod cùm Athenis celeberrimô locô Minervæ delubri propylæum pingeret, ubi fecit nobilem Paralum & Hemionida ---- adjecerit parvulas naves longas in iis, quæ Pictores* parerga *appellant, ut appareret, à quibus initiis ad arcem oſtentationis opera ſua perveniſſent.* Sic nempe dicuntur operum appendices, quæ præter propoſitum ornatûs gratiâ adjiciuntur; unde vox ad alia tranſiit &c.

PARERMENEUTÆ, Hæretici Seculo 7. S. Scripturam, pro lubitu, ad ſuorum errorum patrocinium, detorquentes. Johann. Damaſc.

PARES Curiæ, Regis, vel Regni, quos Tacitus *Comites* vocat, ſunt in genere, qui in eadem Curiâ pari funguntur poteſtate, parique lege & conditione vivunt. Convaſalli, ſeu Conclientes ejuſdem Curiæ ſeu dominii, parili claſſe conſtituti: Burchardo *Socii* dicti. Horum eſt de rebus judicare, ad Curiam illam ſpectantibus, prædiorum tranſactionibus intereſſe, & de iiſdem fidem facere, teſtimoniumque adhibere. Origo vel a Gallorum ambactis, apud Cæſarem, vel à centenis apud Tacitum Comitibus, qui per pagos jus dicebant, & Principi Concilium aderant; vel eo altius à centum viralibus apud Romanos judicibus, arceſſitur, &c. Hi priſcô jure feudali domino adeſſe tenebantur in cauſis quibuslibet gravioribus, domi conſiliô, foris armis, ubique fide, obſequiô, & neceſſariô auxiliô. Ipſi inſuper de ſe ipſis cognoſcebant, neque niſi ſecundum judicium *Parium* ſuorum judicabantur. L. Longob. *l.* 3. *titul.* 8. *l.* 4. *Conrad. Imper.* in ſpecie.

PARES Franciæ; ſunt XIII. Miniſtri coronæ Gallicæ, & principes Conſiliarii Parlamenti Pariſienſis, *Curia Parium* propterea dicti. Horum *Sex Eccleſiaſtici*, Nempe Archiepiſcopus Rementis, Epiſcop. Lingonenſis, Laudunenſis, *Duces Pares*; Bellovacenſis, Neviodunenſis, Cabillonenſis. *Comites Pares. Sex Laici*, Burgundiæ, Normanniæ, Aquitan. *Duces*; Flandriæ, Tholoſæ & Campan. *Comites.* Inſtituti ſub Roberto Sapiente. Favin. *de offic. Coronæ Gall. l.* 3. *c.* 2. *Tillet. Paſq. Ducheſn.* &c. Exemplum Regum ſuorum ſequutos ait *Hadr.* Valeſ. non duces modò & Comites, atque adeo Epiſcopos, ſed etiam parvorum oppidorum nonnunquam & caſtellorum, dominos, qui ſuos ſibi *Pares* plerunque numerô XII. habere voluerint. Hinc qui Ducibus aſſidebant, in privatis judiciis aut in conventibus publicis, *Pares Ducatus* aut *Pares Curiæ*, Aquitanicæ, vel Burgundicæ & ſimilium: qui Comitibus aderant Barones aut Proceres, *Pares Comitatus* Flandriæ v. g. aut *Pares Curiæ* Flandrenſis: qui in conſilio erant Epiſcopis Barones, hujus aut illius *Epiſcopatus Pares* vocatos eſſe. Certè Lambertus *Chronico de Comit. Giſnenſ.* duodecim Curiæ Flandrenſis *Pares & Barones* fuiſſe: ac Comitatum Giſnenſem totidem *Pariatus* ac *Baronatus* à priſcis temporibus habuiſſe, atque etiam duodecim *Pares vel Barones* caſtro Ardæ Arnoldoque Domino Ardenii ſubjectos fuiſſe refert. Similiter & Johannes Pariſienſis *in memor. Hiſtor.* Optimates Germaniæ, qui Imperatorem eligunt, numero XII. eſſe ait, *Pareſque* etiam appellari. Vide Valeſ. *Notit. Gall. in Durocortoro Remorum.* Iidem *Conſiliarii* vocati: Unde Philippus Valeſius Rex Gall. A. C. 1339. in literis ſuis, Johannem Lingonenſem Epiſcopum Conſiliarium ſuum appellat, quem modò laudatus Valeſius *Parem* interpretatur: qui idem ex Chartulario Eccleſiæ Lingonicæ, ad A. C. 1275. XII. *Parium Franciæ* hunc ordinem affert: *Comes Flandriæ. Dux Aquitaniæ, Dux Bur-*

gundiæ, Dux Normanniæ, Comites Toloſæ & Campaniæ: Epiſcopi Bellovacorum, Noviomagi & Catalaunorum, Comites Pares: Antiſtites Remorum Lauduni & Lingonum, Duces. Additurque, *Comites Britanniæ, Niverni, Atrebatum, Andicavorum, Marchiæ, ſplendore & potentiâ ad Pares proximè accedunt: quibus adjungi poſſunt Comites Bleſenſes, Antiſſiodorenſes, Ternodorenſes, Durocaſſini, Claromontenſes, oppidi S. Pauli: domini Burbonis, Belliioci & Codiciaci.* Vide eundem in voce *Lingones*. Matthæus Paris A.C. 1257. duodenarium Franciæ *Parium* catalogum his verbis exequitur: *Rex Francorum --- Magnates ſuos animat & confortat, præcipuè eos, quos XII. Pares Franciæ conſuevimus appellare. Et quia prætactum eſt de Alemannorum Primatibus, ad quos Regis ſpectat electio, non reor à materia alienum, ſi nomina Francorum nobilium, præcipuè ad quos Regni negotia ſpectant ardua, præſenti inſeramus paginæ, cum ſuccincta tamen brevitate. Archiepiſcopus Remenſis, qui Regem Francorum cœleſti conſecrat chriſmate, quapropter Rex Francorum, Regum cenſetur digniſſimus, eſt omnium Franciæ Parium primus & excellentiſſimus: Epiſcopus Noviomenſis, qui eſt Comes Palatinus: Epiſcopus Belvacenſis, qui eſt Comes Palatinus: Epiſcopus Catalaunenſis. Epiſcopus Lingonenſis. qui & ſi pauper ſit, dignus tamen habetur. Epiſcopus Laudunenſis, qui Dux eſt & Comes, ratione S. Remigii, ad quem devoluta fuit illa præclara hæreditas. Dux Normanniæ, primus inter Laicos & digniſſimus: Rex Angliæ, Dux eſt de jure Normanniæ, ſanguinis derivatione geniali, Rex ex conqueſtu --- Dux Aquitaniæ, Dux Burgundiæ, Comes Flandrenſis, Comes Campaniæ, Comes Toloſæ, qui dicitur Comes S. Ægidii.* Alius Franciæ Parium ordo recenſetur, in *Regeſto* Parlamenti, pro judicio litis Roberti Atrebatenſis, apud Tilium, quæ in Latinum translata ſic habent: *Olim XII. ſolùm erant Pares in Francia, ſex Laici, & ſex Clerici, è quibus Clerici non mutantur; nempe Pares Duces, Archiepiſcopus Remenſis, Epiſcopus Laudunenſis, Epiſcopus Lingonenſis. Clerici Comites Epiſcopus Bellovacenſis, Epiſcopus Cabillonenſis, Epiſcopus Noviomenſis. Pares Laici, Duces, Dux Burgundiæ, Dux Normanniæ, Dux Aquitaniæ Comites, Comes Toloſanus, Comes Flandrenſis, Comes Campaniæ. Pares priſci hic ſiti ſunt, uti ſedere ſolent in judicio, in præſentia Regis; debent autem Pares Laici ſedere ad dextram, & Pares Clerici ac Prælati ad ſiniſtram Regis.* Eorum olim ſacramentum, quod in Parlamento edebant, in primo, quem inibant, judiciorum conſeſſu, ejuſmodi fuit, in lingua vernacula, *Vous jurez par voſtre foy & ferment & ſur les ſaintes Euangiles, que vous ſerez bon, loyal, feal & obeiſſant: au Roy de France noſtre Sire, qui cy eſt, & à les hoirs & ſucceſſeurs, ſon corps, ſes membres, ſon heritage, les droiz & nobleces de la Couronne de France & de ſa ſouveraineté. Garderez & deffenderez envers tous & contre tous, qui peuvent vivre ne morir & loyal & bon conſeil li donrez toutes les fois qu'il vous en requerra & tendrez ſecret ſon conſeil & toutes choſes, qui ſont à tenir ſecretes pour le bien de luy & de ſon Royaume.* Quod poſteà immutatum, atque hiſce verbis conceptum eſt: *Vous jurez & promettez bien & fidellement conſeiller & ſervir le Roy en ſes tres hauts tres grands & importans affaires & ſeant en la dite Cour, garder les Ordonnances, rendre la juſtice au pauvre comme au riche & tenir les deliberations clauſes & ſecretes, & vous comporter comme un digne & vertueux Pair de France, vivre & mourir en l'obeiſſance du Roy. Ce fait le Pair prend ſon eſpée, & monte aux hauts ſieges & aſſiſte à l'audience.* Hodie adduntur hiſce, *comme un vertueux Pair de France*, hæc verba, *& officier de la Couronne*, uti docet Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed hodie non eadem *Parium* horum ratio. Quamvis enim etiamnum eorum XII. numerentur, Secularium tamen, qui naſcenti Regno penè coævi erant, judice Grammondô, nomen fermè evanuit, ex quo feuda ipſorum ipſi Regno, variis temporibus, unita ſunt. His ſuffecti ſex, *Pares Franciæ* quidem ſimiliter dicuntur, ſed rem ſi ſpectes, priſcis illis longè inferiores ſunt. Cùm enim illis olim imperium merum & jura Regni vi feudi eſſent, his feudi nomen inane eſt, Ducatus, vacuus auctoritate titulus. *Primùm* nonnullis *ſex lecti, inde numerus auctior, donec in contemtum venit. In inauguratione Regum hodie ex arbitrio Regis ſex leguntur, qui vices ſubeant: ea autem Paribus cura, id ex veteri formula muneris eſt, ut præſtò ſint Regi & ſocietate manuum pares ſe exhibeant coronæ ſuſtinendæ: unde dicti Pares*, Fellerus *ad Hornium Orb. Imper.* Vide quoque Grammondum *Hiſtor. Gall. l.* 1. & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & ſuprà, voce *Par.*

PARES Equi, iidem cum *Deſultoriis*. Vide ſuprà in hac voce, nec non *Pararium Æs.*

PARETACENI, vel *Pareſitaceni*, Vide *Parætaca.*

PAREUS David, Francoſtenii Sileſiorum natus, A. C. 1548. Theologus Heidelbergenſis celeberrimus: Commentariis in Scripturam ſolidè elaboratis, & diſputationib. adverſus Robertum Bellarminum immortale nomen adeptus eſt. Extremus ipſi labor, in poliendo corpore doctrinæ, à Zach. Urſino collecto, fuit. Obiit Heidelbergæ, ubi 38. ann. docuit, A.C. 1622. ætat. 74. poſtquam trienniô antè per quietem vidiſſet, totam urbem occultô incendiô undiquaque fumigantem, arcemque flammis ſæviſſimis conflagrantem: atque hôc viſô exclamâſſet, *ô Deus clementiſſime, averte ſiniſtrum omen, & ſerva Sareptam tuam!* Quòd de Monarchico regimine liberius ſcripſiſſet, Commentarios ejus ad Roman. Londini alibique exuſtos, refert Guil. Crowæus *Elench. Scriptorum S.* Pater fuit Philippi: Utriuſque Opera 3. Volum. fol. excuſa ſunt Francof. 16 7. & ſeorſim alibi.

PAREUS Philippus, fil. prioris, Baſileæ Magiſterii axiomate ornatus A. C. 1599. ibidem Jac. Grynæi & Amandi Polani, in Theologia, auditor, Joh. Buxtorfii in Hebræa Lingua inſtitutione feliciter uſus eſt. Genevæ dein Bezam audiit. Domum reverſus poſt Academias, Friburgenſem, Tubingenſem & Argentinenſem, luſtratas, Gymnaſiis variis illuſtribus, ad Navam, Rhenum, Hartam & Mœnum, magna Nominis ſui famâ, præfuit. Obiit A.C. 1643. ætat. 67. Pater *Danielis*. Scripſit, præter Theologica varia, *Lexicon Criticum, Lexicon Plautinum & Symmachianum, Notas in Terentium, Plautum, Salluſtium, Symmachum, Ovidium, Statium & Lucretium: Deſcriptionem Vitæ & obitus Davidis Parei; Orationem Panegyr. pro Muſis Hanoicis inſtaurandis: Anti-Magirum & Anti-Owenum de ſeriis argumentis, Theologico-Politicis* &c. Jan. Jac. Boiſſardus *Vitis Viror. doctor.*

PAREUS ſerpens, διὰ τὸ παρειὰς μείζους ἔχειν dictus, vel παρὰ τὸ ἐπῆρθαι τὰς παρειὰς, quod maxillas habeat inflatiores & majores, rarò mordet, neque ferè unquam lædit.

PARHIPPUS, Græcè Πάριππος, Juliano Imperatori eſt, *Si quis uſurpatô unô vel duobus veredis, quos ſolos evectio continebit, alterum tertium & extra ordinem commoveat*, *l.* 14. C. Theod. *de curſu Publ.* Aliàs *Avertarii* ſic dicti, qui Curſorum onera ferebant. Nonnunquam & *Veredi* in genere &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PARIA, inſula parva Phœnicii maris ante Joppen urbem Palæſtinæ, *Arſuffo* ex *tabul. recentiorib.*

PARIA, Regio Americæ meridionalis, prope oram maris Borealis, in provinc. *Terra ferma*, à Chriſtophoro Columbo detecta, in qua ingentia coccinei ſive Braſilici ligni nemora lucuſque. Arbores ipſæ in non credibilem altitudinem excreſcunt, fama eſt pleraſque vix ſedecim virorum brachiis comprehendi poſſe, *Metel.* Inter fluv. Orenocum ad Ortum & Venezuelam ad Occidentem. Pars eſt præcipua Vandalitiæ, quæ hinc *Paria* ſæpe dicitur. In ea eſt una alteraque colonia Hiſpaniæ. Vide *Nova Vandalitia.* Hinc & *Pariæ ſinus*, pars maris Borealis in Pariam excurrens, inter ipſam ad Occaſum & Trinitatis Inſul. ad Ortum *Baudrand.*

PARIA componere, apud *Minucium Felic. Hic (Homerus) eorum paria compoſuit, ſauciavit Venerem* &c. Gladiatorum ſermo, qui poſtquam in arenam deducti, *paria* inter ſe *componi* dicebantur. Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. *v.* 18.

—— Brutô prætore tenente
Ditem Aſiam, Rupili, & Perſi par pugnat, uti non
Compoſitus melius cum Pitho Bacchius ——

Hinc Seneca *l.* 3. *Controv.* 16. *Componis in domo par.* Et Plin. de occulta animalium diſcordia, *l.* 8. *c.* 12. *Quam quis aliam tantæ diſcordiæ cauſam attulerit, niſi Naturam, ſpectaculum ſibi & paria componentem.* Vide de Gladiatorum compoſitionibus Ciceronem *l.* 2. *ad Famil. Ep.* 8. & ſuprà aliquid, verbo *Componere*, it. voce *Homogrammi.*

PARIA Conſulum, ἐπὶ τῦ βήματος, ut eſt apud *Themiſtium*, ſeu *pro tribunali ſedentium*, in nummis interdum expreſſa. Uti in nummo Conſtantis Imperatoris æreo majoris formæ, ubi ſedet ipſe Conſtans celſior, caput nimbô vel lumine circundatus, cum binis Conſulib. in tribunali, in cujus baſi hæc *Inſcr.* VOT. V. quæ arguit Felicianum & Titianum in eo exprimi, qui Conſulatum gerebant, cùm Conſtantinus M. exceſſit 25. Julii, quô pro Conſtante Aug. vota quinquennaliorum ſoluta ſunt: aut fortè Urſum & Polemium, qui ſequenti. Sic Conſtantinum & Conſtantem Conſules repræſentat nummus aureus majoris formæ, pro tribunali ſimiliter ſedentes, caputque nimbô exornatos, quibus adſtant figuræ duæ ſtolatæ, laureos ramos porrigentes, cum Chriſti monogrammate, inter utriuſque Auguſti capita & hac Inſcript. GLORIA REIPUBLICÆ; nam ter ſimul Conſulatum geſſerunt, A.C. 339. 342. & 346. Maximè verò inter Conſulares inſignis eſt nummus aureus Theodoſii Junioris in quo Theodoſius ipſe in ſella ſedet, cum Placidio Valentiniano: uterque autem habitu Conſulari, dextrâ volumen, ſiniſtrâ globum crucigerum tenet &c. Sed & *Paria Imperatorum* exhibent perinde nummi Valentiniani Senioris, Valentis, Gratiani, Valentiniani Junioris, Theodoſii, Maximi Tyranni, & Victoris; non ut Conſulum, ſed ut Imperii conſortium & collegarum: quod & indicat globus, quem iis in nummis uterque expreſſus Auguſtus dextrâ tenet, Car. du Freſne *Diſſert. de Nummis infer. ævi num.* 3.

PARIA Scyphorum, occurrunt apud Plinium, *l.* 33. *c.* 12. ubi de Mentore, *Mirum in auro cælando inclaruiſſe neminem, argento multos. Maximè tamen laudatus eſt Mentor —— Quatuor paria denique ab eo omnino facta ac jam nullum extare dicitur.* Ubi intelligit, *paria ſcyphorum*: nam *c. præc.* meminit duûm ſcyphorum, Mentoris manu cælatorum. *Paria* autem dicit, quia ſemper in Delphica ſive Abaco *pares* ponebantur, h. e. σύνδυο, *Agræciô teſte, Quia vaſa in Delphica* paria *ſemper ſunt; unde ipſe Cicero dicebat, Scyphorum paria compluria.* Hinc de Delphica Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 6. *v.* 117. in qua vaſa & pocula ponebantur:

—— —— Lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.

Non tamen *paria* tantùm vaſa in abaco poni conſueviſſe, ſed & *imparia*, ex Varrone diſcimus *de L. L. l.* 8. *Itaque ſicut abacum argentô ornari videmus, ut alia paria ſint, alia diſparia, ſic in oratione.* Sic in Horatii illo abaco, cyathus eſt impar, pocula paria. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1047.

PARIACACA, mons Americæ, in Peruviæ Regno, tam excelſus, ut in jugo ejus, ob aëris tenuitatem ac ſubtilitatem, ægrè reſpirare homo poſſit, de quo vide Joſ. Acoſtam *Hiſtor. Indic. l.* 3. *c.* 9.

PARIANI, populus in Helleſponto, qui Amorem Deum venerantur. Eorum urbs *Parium*, quod à Pari Inſul. incolis conditum eſt. Ὀφιογενεῖς dicuntur Straboni *l.* 13. ubi addit: Μυθεύουσι δὲ τὸν ἀρχηγέτην τῦ γένους ἥρωά τινα μεταβαλεῖν ἐξ ὄφεως· τάχα δ' ἂν Ψυλλῶν τις ἦν τῶν Λιβυκῶν. *Fabulantur autem auctorem generis heroëm quendam è ſerpente hominem factum: Nempe Pſyllorum fortè unus fuit ex Libya.* Sic videl. quidam incolarum dicti, qui ſalivâ ſuâ ſerpentum ictibus medebantur. Plin. in Inſul. Paro illos locat, *l.* 28. *c.* 3. *Quorundam hominum tota corpora proſunt, ut ex familiis quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſô levant percuſſos, ſuctuque modicô; quorum è genere ſunt Pſylli Marſique & qui Ophiogenes vocantur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tur in inſula Paro. Sed aut ex *Paro* Inſul. *Parium* Helleſpontiacum translatos dicas quoſdam τ̃ Ὀφιογενῶν, ſic ut tam in Paro inſul. quam in urbe Pario, tales homines fuerint; aut hallucinatum eſſe Plinium, quod illi accidit non raro. Idem ex eorum familia Evagontem quendam legatum memorat &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 348.

PARIARE, apud *Ulpianum*, ἰσάζειν Græcis, eſt rationes ita putare, ut expenſa *paria* fiant acceptis, vide *Budæum*, *Alciatum*, *Vallam*, Anton. Auguſtinum *Obſervationibus l.* 4. *c.* 12. God. Stewechium *Electis Arnobianis l.* 6. ſub fin. ubi *paria facere* idem eſſe, docet, & Becmannum in *Originibus L. L.* Hinc *Pariare* Vela, dicuntur navigantes, qui paribus & æquis velis ſecundô flatu curſum tenent. Virgil. *l.* 4. *Æn. v.* 587.

Senſit & æquatis claſſem procedere velis.

Cùm enim æqualiter tenduntur dextra & ſiniſtra vela, tum proſpera navigatio eſt; æquatas quippe & ſecundas auras ſpirare indicat. Unde apud Eund. *æquatæ ſpirant auræ.* Auctor vetus apud Macrobium *l.* 6. *c.* 4. *Pæſtanum & Vibonenſem ſinum pedibus æquis tranſmiſimus*, velis æquis vel æqualiter tenſis. Catullus, *Epigr.* 4. *v.* 21.

——— ſive utrumque Jupiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Ubi *pedes* propriè ſunt funes ad angulos velorum, quibus ea, pro venti mutabilitate, vertebantur, ſicut modò dextri, modò ſiniſtri, proferrentur, prout erat ventus,

——— Læva ſive dextera
Vocaret aura.

Nam vela ventis obvertebantur, ad excipiendos flatus. Plautus, *Penul. Actu.* 3. *ſc.* 5. *v.* 9. *Utcunque ventus eſt, exin velum vortitur:* adeoque modò ad lævam; modò ad dextram, vertebantur; modò dextri pedes modò ſiniſtri proferebantur. Plin. *l.* 2. *c.* 47. *Iiſdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adverſa vela concurrant.* In diverſum prolatis pedibus, in contrarium navigatur, ita ut adverſa vela concurrant etiam iiſdem ventis. At *pariata* & æquata dicebantur vela, cùm in dextrum & ſiniſtrum ſimul ventus ingrueret, qui maximè ſecundus &c. Inde *repariare vela in Ægyptum*, apud Solin. *c.* 33. ad quem vide *Exercitationes* Salmaſii *p.* 568. At *Pariatio* vel *Pariagium*, apud Recentiores, item *Appariatio*, Gallis *Pariage*, maximè ſumitur pro *aſſociatione* Domini. Unde *Aſſociationes* etiam dicuntur paſſim. Monaſteriorum quippe & Eccleſiarum Præſules, ut bona ſua tuta & illæſa poſſiderent, eorum partem Regibus aut Magnatibus concedebant, quò reliquam horum præſidiô ac patrociniô tutarentur: quemadmodum, ut eſt apud Tacitum, Cæſares paſſim ſcribebant hæredes ex triente vel ſemiſſe quò tutiùs ab iis reliquum patrimonium liberis propinquiſque aſſervaretur. Vide Chopinum *de Domanio l.* 2. *tit.* 8. *artic.* 7. & *de ſacra Politia l.* 3. *tit.* 3. *artic.* 8. & 9. ubi complura ejuſmodi *Pariagorum* profert exempla, quorum quidem ea potiſſimùm erat conditio, ut in *Appariationem* adſcripti partem prædii ſibi conceſſam alienare nullô modô poſſent &c. Sed & *Pariarios* vocabant, quibus juris pars quælibet erat in aliquo pretio. Sic legitur, apud Plantavitium *p.* 228. *Epiſcopum Lodovenſem, ut* Pariarium *Caſtri de S. Privato, præter ea, quæ ad ipſum ſpectabant, tanquam ad majorem dominum, & Dominum ſupremum & Dominum feudi, habuiſſe in juriſdictione dicti caſtri decem hebdomadas: quibus ſcil. in ſolidum pro Caſtri Domino haberetur* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi ſimilium conditionum *in Pariagiis* exempla habes complura. *Paragium* verò ſeu, *Paraticum*, conditionis ac nobilitatis *paritas*, juxta quam Barones *debent maritare ſorores, aut amitas, fratres aut nepotes*, ut eſt in *Conſtitut. Sic. l.* 3. *tit.* 33. quam *congruam paritatem* Martianus Capella *l.* 1. ὁμαλὸν γάμον Æſchylus appellat in *Prometheo.* Vide de hâc vocis notione eundem Car. du Freſne *ibid.* & ſupra, voce *Diſparagare.* Sed & *Paragium* hinc appellatum, quidquid feudale à fratre primogenito ſecundo genitis in partem hæreditatis datur, qui id ab ipſo primogenito fratre tenent, pari ac ille reliquum feudum, conditione, abſque tamen homagio (quod is pro toto feudo dominico præſtat) uſque ad 7. generationem, quâ finitâ, omnis ſanguinis affinitas extincta cenſetur, adeoque, qui tum excipiunt, homagium hæredibus primogeniti præſtare neceſſe habent: quam in rem vide plura apud eund. *ad Joinvillam Diſſert.* 3. nec non ubi ſuprà. Idem *Apparagium* quoque dicitur. Vide & ſuprà *Apanagium.*

PARIAS, Græcè Παρειάς, à tumidis inflatiſque maxillis, ſerpens acerrimi viſus, memoratus Ariſtophani *Pluto*, Demoſtheni ac Lycurgo *adv. Demadem.* Alexandriæ frequens, ac in Templis olim Bacchi conſpicuus, uti docet Ariſtophanis Scholiaſtes. Idem quòd innoxius ſit ac planè mitis, Æſculapio Θεῶν φιλανθρωποτάτῳ ſacrum & miniſterio ejus dicatum eſſe, narrat Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 4. *c.* 13.

à PARIBUS, Vide ſuprà *Aparibus.*

PARICANE, urbs Perſica, *Stephan.*

PARIEDRUS, & *Pariedri*, numeri plur. *Paryadris Ptolem. Leprus Jovio*, mons Armeniæ altiſſimus ex quo Euphrates & Araxes flum. profluunt. *Lloyd.* Melius *Paryedris* ſeu *Paryadres*, Tauri montis cognomen, illam ejus partem denotans, quæ à dextra habet Hyrcanum & Caſpium; à læva Moſchicum, Amazonicum & Coraxicum montes, ejuſdem Tauri partes à gentibus adſitis ſic cognominatas. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 788.

PARIENNA, oppid. German. in Sileſia, oppid. Gothinorum. Nunc *Frideck* Villanovano, ad radices montium; in ipſo limite Moraviæ, vix 8. mill. paſſ. ab Odera fluv. Brietio autem eſt *Parn*, Moraviæ oppidulum.

PARIES, an ex *par*, quia ſemper duo *pares*: an ex *paro*, i. e. ſtruo? Æliô Gallô finitore, *ſive murus, ſive maceria eſt*, *l.* 157. *ff. de verb. ſignif.* Leoni Bapt. Alber. *l.* 1. omnis ſtructura ſic dicitur, quæ à ſolo in altum ſurrexit ad ferendum onus tectorum, quæve obducta ſtat ad interiora ædificii vacua obvallanda. Hi calce & arenâ olim farciebantur, ut hodieque fit. Non enim ſolùm arenâ & calce inducebantur ſupra trulliſſationem, ſed etiam in iis ſtruendis ad cæmenta continenda ſimiliter adhibebatur arenatum, h. e. arena & calx mixta, cujus vicem Babylonis præſtabat bitumen. Hinc in veter. *Inſcr.* calx arenata, & diſcrimen inter opus tectorium & albarium: tectorium namque fit harenatâ calce vel marmoratô, albarium calce merâ, utrumque tamen κονιατὸν appellatur. Nempe linebant primò calce & arenâ parietes, deinde inductum tectorium fricabant ac ſubigebant liaculis, quæ inſtrumenta fuêre lævigando jam inducto tectorio, ut ſuprà vidimus, ſed & in ſtructuris arenarum locum habuit, ad ligandos inter ſe lapides, atque, ut *Plinius* loquitur, ferruminandos. Hinc *Solidati parietes tectorio*, paſſim apud *Vitruvium* leguntur, à verbo *ſolidare*, quod eſt *munire, loricare, tegere*, item *malthare*; nam & inde *Tectores*, quòd parietes tegerent ac ſolidarent, dicti. Pro calce verò & arena, multi utebantur lutô ſubactô & paleis mixtô, in parietum inſtructura; unde vicem luti bitumine fartos Babylonis muros tradit *Herodotus. Palladius, quibus copia ſuppetit, macerias lutô & lapide excitant. Plerique ſine luto congeſta in ordinibus ſaxa componunt. Petronius,*

Et paries circa paleâ ſatiatus inani,
Fortuitoque luto clauſos munibat agreſtes.

Ubi *parietem lutô ſatiatum & paleâ* dicit, qui fartus erat lutô. Vitruvius *l.* 2. *c.* 8. *Utraque autem ex minutiſſimis ſunt inſtruenda, uti materiâ ex calce & arena crebriter parietes ſatiati diutiùs contineantur.* Ita & lutô ſatiabantur. Fiebant autem & *craticii parietes*, qui lutô inducebantur. Idem *l.* 7. *c.* 3. *Cùm paries totus lutô inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannæ clavis muſcariis perpetuæ figantur, deinde iterum lutô inductô ſi priores tranſverſariis ordinibus fixa ſunt, ſecundæ erectis figantur.* De *craticiis Parietibus* loquitur, quibus lutô inductis cannarum duplex ordo adfigebatur, ut tectorium ſuperinductum firmiùs adhæreſceret. Sic in muris Babylonis, inter ſingulos ordines laterum, texta cannarum ſtipata erant & bitumine adglutinata. *Herodotus*, Καὶ διὰ τῶν ἰσοδόμων πλίνθων ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, *Et inter ordinariam laterum ſtructuram texta cannarum ſtipantes.* Ubi ταρσοὶ καλάμων ſunt *texta cannicia*, ſingulis literarum ordinibus interpoſita & bitumine oblita ad continendam ſtructuram. Tria porro hæc vulgatiſſima ſtructurarum genera, apud Græcos, *Latericia*, ἡ ἀπὸ βησάλυ; *Ordinaria*, latericiæ ſimilis, ſed ex lapide duro vel ſilice, quam Ἐγχώριον vocat Conſtantinus, *Tertia* ex ſaxo quadrato, quam τετραπέδικον λίθον idem appellat: de quibus omnibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1230. & *ſeqq.* &c. Eoſdem Veteres variis rebus ornare ſolebant: aut enim picturis condecorabant, & coloribus udô tectoriô inductis; aut marmore operiebant, quod genus ὀρθόστρωσις aut ὀρθομαρμάρωσις vocabatur; aut deaurabant; interraſô plerumque etiam marmore vermiculatiſque ad effigies animalium cruſtis depingebant. Et hoc poſtremum luxuria invenit Claudii Principatu. Vide Plin. *l.* 35. *c.* 1. At ſub Nerone inventum, refert Plinius eôdem locô. *Maculas, quæ non eſſent, in cruſtis inſerendo unitatem variare, ut ovatus eſſet Numidicus, & purpurâ diſtingueretur Synnadicus, qualiter illos naſci optarent deliciæ.* Ad eum uſum proin Veteribus noti non erant pſilotapetes, quibus hodie totos *parietes* obtegimus & incendimus, ad ornamentum ſaltem in communi & promiſcuo uſu non erant. Attalica tamen aulæa contegendis etiam *parietibus*, in domibus Magnatum, uſum præbuiſſe, certum; *tapetiarias* vulgò vocamus. Solebant autem etiam Veteres & abacorum formis ſpeculorumque orbibus ex vitro aut alio pellucido lapide parietes diſtinguere, ſed & vitreis quadraturis inſertis inducere. Unde de Firmo Vopiſcus, *c.* 3. *Nam & vitreis quadraturis bitumine aliiſque medicamentis inſertis domum induxiſſe perhibetur.* De ſpeculis, quæ in *parietes* ad ornamentum inſerebantur, Plin. *l.* 36. *c.* 26. *In genere vitri & obſidiana numerantur, ad ſimilitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit Obſidius, nigerrimi coloris, aliquando & tranſlucidi, craſſiore viſu atque in ſpecalis* parietum *pro imagine umbras reddente.* Vitruvius *l.* 7. *c.* 3. *Ipſaque tectoria abacorum, ac ſpeculorum diviſionibus inter ſe prominentes habent expreſſiones.* Seneca, *Orbes* vocat, *Ep.* 86. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi* parietes *magnis & pretioſis orbibus refulſerunt: niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt.* Speculorum nempe formæ rotundæ, inde *orbes* Senecæ; ita & abacorum, eorum certè qui miniſterium ſubſtinebant, quæ & *Delphicæ* dicebantur. Sed & quadrati erant abaci, ut Logiſtici & columnarum abaci: quâ formâ parietum fuiſſe abacos veroſimilius eſt. Sic enim alternatim diſtinguebantur *parietes* abacorum ſpeculorumque diviſionibus, h. e. figuris quadratis & orbiculatis prominentibus. Hinc *ſpecula & abaci* junctim poſiti, apud Vitruvium, parietibus decorandis. Ita etiam apud Plinium *l.* 35. *c.* 1. *Non placent jam abaci, nec ſpecula in cubiculo nitentia.* Meminit & ſpeculorum cubiculi Synopſis Βασιλικῶν *l.* 45. his verbis: Οἴνυ λεγατευομένυ καὶ οἱ κέραμοι περιέχονται, ὐχ ὡς μέν τοι μέρος ὄντες τῦ οἴνυ, ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρέων σκευῶν καὶ τὰ σπέκλα τῦ οἴκυ, quæ ſic redduntur *l.* 3. *Dig. de trit. vin. vel oleo leg. Et Celſus inquit, vinô legatô, etiamſi non ſit legatum cum vaſis, vaſa quoque legata videri: non quia pars ſunt vini vaſa, quemadmodum emblemata argenti, ſcyphorum fortè vel ſpeculorum cubiculi.* Ita enim planè ſpecula in parietes inſerebantur, & immittebantur, ut emblemata in pocula: nec malè faceret, qui ſpecula *parietum emblemata* vocaret. Vitreæ quoque quadraturæ, quibus domum ſuam induxiſſe Firmum diximus, parietum planè emblemata fuêre. Nam ſic illæ in domus Firmianæ parietes erant immiſſæ, & inſertæ, ut in vas emblata ſolent. Ideo dicit Vopiſcus, *inſertas bitumi-*

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ne aliiſque medicamentis fuiſſe. *Inſertas*, immiſſas in parietem & illigatas. *Inſerere* enim eſt ἐμβάλλειν, unde *hæc inſerta* ἔμβλημα. Publius,

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

Quod tam de veſtis inſerta, quàm de vaſis accipi poteſt. Caſaubonus quidem *inſertas iſtas quadraturas vitreas* interpretatur, commiſſas & continuatas, operâ bituminis aliorumque medicamentorum, ita ut unum eſſet ac continuum vitrum: ſed vitrum inſerere, aut vitreas quadraturas, non eſt invicem & inter ſe committere & conjungere, ſed aliquò immittere. Bitumine igitur inſertas omnino quadraturas intellige, quæ in parietes inſertæ & illigatæ bitumine erant ſicque ejus, ut & aliorum id genus medicamentorum, ope fixæ & conligatæ tenebantur. Salmaſ. *ad Vopiſc. l. c.* Sed & herbis pingi *parietes* conſueviſſe, tradit Plin. *l.* 22. *c.* 2. cujus titulus: *Quòd herbis veſtes inficiantur.* Quem videetiam de *Parietum* variis apud Veteres generibus. De uſu eorum, ut quædam addam, præter vulgarem illum & omnibus notum, Patavii, ut & in reliqua Italia moris eſſe, ut eorum nomina, qui eruditione, aut quôvis aliô virtutis genere excellunt, *parietibus* inſcribantur, adnotat Zingerus *Theatro Hum. Vitæ p.* 2629. *b.* Quemadmodum jam olim novis ædificiis nomina ſua poſſeſſores dominique adſcribebant, unde *Herbam parietariam*, ob titulos multarum ædium *parietibus* inſcriptos, Trajanum Imperatorem vocare ſolitus eſt Imperator Conſtantinus. Vide hanc in rem inſignem locum Juliani in *Cæſaribus*, *in examine Alexandri M.* ubi publica ædificia aliorum operâ & ſumptu ad exitum perduci, aliorum nomina, qui ſcil. illis præerant, iis inſcribi, ſolita, miratur: & hunc egregiè applicantem ad Imperatorum, victoriam militum operâ partam, ſibi vindicantium, morem, Freinshemium ad *Curtium*, *l.* 8. *c.* 1. Iis verò capita allidebant Veteres in luctu. Capitolin. *in Maximinis c.* 17. *Jaciebat ſe in* parietes, *nonnunquam terræ ſe proſternebat.* Ibidem, *Incurrere in* parietes, *veſtem ſcindere videbatur.* Græci Παίειν τὴν κεφαλὴν πρὸς τὸν τοῖχον dixêre. *Parietibus* inprimis, ſeu foribus quoque, ſacrarum ædium, putantes hac ſui injuriâ leniri Deorum iram, de quo *deteſtabili lugendi genere*, ut Cicero vocat 3. *Tuſc.* vide Caſaubonum *ad Auguſtum Suetonii c.* 23. Addo ſaltem, Petrum de Vineis JCtum à Friderico II. Imperatore ob conjurationis ſuſpicionem relegatum, ſimiliter capite *parieti* ſæpius illisô, ſe ipſum necâſſe, ex Volaterrano *Anthrop. l.* 23. At Romæ ſub Cæſaribus, inter ſpectacula populo exhibita, productus eſt, qui *per adverſum parietem* felis modô reptando ſcanderet, teſte Sabellicô *l.* 10. *c.* 9. de cujuſmodi τοιχοβάταις aliquid dicemus voce *Tichobates*, uti de vaporibus ſubter & per *parietes*, ad conclavia calefacienda, in tubis, adactis, voce *Vapor* &c. Vide quoque paulo infrà.

VARIA PARIETUM, APUD VETERES, GENERA.

Ambiens, ſtructuræ univerſæque domus corpus, Franc. Marius *de partibus Ædium l.* 1. *c.* 1.

Arenarius *Ibid.*

Cæcus, qui feneſtras non habet, apud Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 589. *Parietibus textum cæcis iter.*

Cæmentarius, qui fit ex temerè conjectis lapidibus calceque commixtis & imbricum modô hærentibus. Fiunt enim plerumque Parietes ex lapidum congerie, vel limo aut calce, gypſo, aliave materia, Gœddeus *ad l.* 157. *de verborum ſignif.*

Calcatus, apud præfatum Franc. Marium Grapaldum *l. c.*

Communis, quem communiter ædificant vicini, ad quem proin jus habet vicinus adjungendi ædificii, *l. flumin.* & *l. inter quos ff. de damn. infect.* Hic communiter utriuſque domus onera gerit, Corraſ. *l.* 4. *Miſcell. c.* 16. *n.* 1. *per parietem ff de ſerv. urb.*

Concratitius, idem cum *Cratitio.*

Cratitius, qui in cratis modum lignis contextis eſt compoſitus, de quo vide Vitruvium *l.* 2. *c.* 8. & *l.* 7. *c.* 3. Idem & *Concratitius* Papiniano *ff. l.* 17. dictus eſt, fiebatque ligneis cratibus inſertis, ſeu aſſeribus arrectis tranſverſiſque in cratis modum. Vide infrà.

Dealbatus, in Euangelio & Actis.

Directus, cujus extremitas parietem alterum attingit; Cicer. *in Topicis*, *Omnibus eſt jus parietem directum ad parietem communem adjungere*, *vel ſolidum vel fornicatum.* Hic ita attingebat communem, ut in literâ *T.* pendens in imum linea tranſverſa ſuperiorem attingit. Quare ſi vicinus fornicatum *parietem* ad communem adjunxerit, alter, qui in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit, non debebit præſtare, quod fornix vitii fecerit. Confer Boët. in *Topic.* & vide Hottomannum *l.* 1. *Obſervation.* 24.

Formaceus, vide Plin. *d. l.*

Fornicatus, qui arcum habet: opponitur ſolido, apud Cicer. in *Topic.*

Internus, qui ædes intus diſtinguit ac ſeparat, oppoſitus ambienti, apud Grapaldum *d. l.* At Intergerinus, Feſto *l.* 9. qui inter confines ſtruitur, & quaſi *intergeritur*; in *Lexico Latin. Græc.* Ædis B. Germani, τεῖχος ὁ δύο κλήσεις διορίζων. Vide Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Vitruvio* eſt, qui communiter utriuſque domus onera gerit ac ſuſtinet, ſic dictus, quòd à vicinis extructus velut *intergerat*, h. e. cummuniter gerendo ſit. Vide quoque Corraſ. *Miſcellan. l.* 4. *c.* 16.

Lapideus, vide Grapaldum ubi ſuprà.

Lateritius, fuit olim ex lateribus duriſſimæ ſoliditatis: utpote qui crudi ſub Sole diutiùs permanſerant, ut exſiccarentur. Cujuſmodi *lateritiis parietibus* exciſum opus tectorium, propter excellentiam picturæ, ligneis formis incluſum, Romam deportaviſſe, in Ædilitate, ad Comitium exornandum, Muræna & Varro legitur, apud Plin. ubi *ſuprà.*

Loricatus, memoratus Fr. Mario Grapaldo *l. c.*

Marmoreus, ſimiliter.

Medianus, vide Gœddeum *ad l. paries* 157. *num.* 6. *de verborum ſignif.*

Rudis dicebatur, nondum tectoriô opere inductus, vide 50. *ff. de uſufr.*

Solidus, opponitur fornicato, apud Cicer. *in Topicis*, *l. c.* diciturque is, qui à ſolo, continuo ductu, ad faſtigium exurgit, ſic ut nuſquam ſuſpendatur. *Briſſonius.*

Teſtaceus, qui fiebat ex latere cocto: cujuſmodi *parietes* etiam nunc in uſu ſunt &c. Cæterùm *Parietis* adjuncta ſunt, eodem *Briſſoniô* docente, *vetus*, *novus*, *idoneus*: & *Parietem ædificare*, *demoliri*, *reficere*, *meliorem aut deteriorem facere*, phraſes ſunt Jureconſult. adhiberi ſolitæ. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PARIETIBUS vivis homines includendi mos, inter Veter. ſupplicia, memoratur Jul. Capitolino. Ita enim is de Opilio Macrino, *c.* 12. *Vivos etiam homines parietibus incluſit*, *ac ſtruxit.* Quod unicô verbô Græci exprimunt, quod eſt ἐγκατοικοδομεῖν, horumque imitatione Germani, *einmauren*; aliàs *zwiſchen vier mauren einſchlieſſen.* Latini *Parietibus ſtruere* dixerunt. Vetus Interpres Juvenalis *adv.* 10. *Sat.* 4. *de Veſtali defoſſa* (harum enim apud Romanos hæc pœna fuit.)

Sanguine adhuc vivô terram ſubitura Sacerdos:

Hæc, inquit, *Virginibus Veſtæ pœna fuit decreta*, *ſi vitiatæ fuiſſent, vivæ parietibus ſtruebantur.* Græci, ut jam dictum, ἐγκατοικοδομεῖν. Suidas, Ἀνάγυρος ἥρως. Τοῦτο δέ τις ἐξέκοψε τὸ ἄλσος: ὁ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐπέμηνε παλλακὴν, ἥ τις μὴ δυναμένη συμπεῖσαι τὸν παῖδα, διέβαλεν ὡς ἀσελγῆ τῷ πατρὶ, ὁ δὲ ἐπήρωσεν αὐτὸν καὶ ἐγκατῳκοδόμησεν. *Quæ* (nempe pellex) *cùm perſuadere adoleſcentem non poſſet, detulit eum, ut laſciviæ reum, apud Patrem; hic verò illum mutilavit & parietibus ſtruxit.* Idem in Belgio pœnæ genus in Euangelicos ſtatuere aggreſſus, Albertus Archidux, Iſabellæ Claræ Eugeniæ maritus, vivâ defoſſâ virgine, Pontificios ritus averſatâ, deſtitit inceptô, ſuis ipſiſmet atrox nimis id ſupplicii genus cenſentibus, vide *Hovia Anna*, & ſuprà *Murus.* Parietes nempe & ſaxeos licèt intelligere. Ut apud Salluſtium *Catilin. c.* 55. ubi Tullianum in carcere deſcribitur, *Eum muniunt undique*, parietes *atque inſuper camera lapideis fornicibus juncta.* Ad quem *loc.* vide C. Barthium *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 10. *v.* 48. Nec omittendum; *in parietem caducum inclinare*, Græcis Proverbiô dictum vel potiùs huc à Latinis alluſum. Græci enim propriè, πρὸς τὸν πρατέοντα τοῖχον ῥέπειν dixêre. Sic apud Æl. Spartian. *c.* 23. Hadrianus Imperator, de Cejonio Commodo Vero, quem adoptaverat, & *Ælium Verum Cæſarem* appellaverat, cùm eum minùs ſanum videret, *ſæpiſſimè dictavit*, *In parietem caducum inclinavimus.* Vide quoque Spartian. eund. in *Vero c.* 6. &c.

PARIGIUM, apud Sanutum *l.* 2. *part.* 4. *c.* 14. *Cæterùm propter aquarum diſcurſus oportet ire uſque ad medium parigii eundo quartam venti deſuper à Syroco---qui quidem tranſitus* Parigium *nuncupatur, circa* 450. *milliaria æſtimatur*, *licèt quidam* 500. *milliaria tranſitum ſeu Parigium fore aſſerant ſuprà dictum.* Maris aliquod ſpatium, ita appellatum, quod tendentibus in Ægyptum occurrit, tranſitu difficile ac periculoſum, Car. du Freſne *Gloſſar.*

PARILIA, vide PALILIA.

PARILION, cognomen S. Wilibaldi in *Itinerario ejus num.* 31. aliàs *Barilion.* Sed illud melius, videntur enim reſpexiſſe Scriptores iſti ad Græcum Παρήλιον, quod *nubem Soli ſimilem tum colore, tum orbiculari figura*, ſonat, ita ut quaſi *Sol alter* ſanctitatis fuerit, qui iſtiuſmodi epithetô inſignitur. Vide de Parelio Joh. Sariſberienſem *l.* 2. *c.* 3. laudatum eidem.

PARIMEUS lacus ingens, in Gujana regione Jaois, populi *Raponovini*, longè ab ora maritima, inſtar maris ampliſſimus, ſed Europæis nomine tantùm & Famâ notus.

PARINACORA, provinc. regni Peruviæ, verſus Andes, inter Urbem Regum ad Circium & Lacum Titiacam ad Eurum ſub Hiſpanis.

PARION, urbs in ora Helleſponti, à Mileſiis, annô 2. Olymp. 19. extructa, vel potiùs inſtaurata. Urbs enim κληθεῖσα ἀπὸ Παρίου τοῦ Ἰασίωνος, *dicta à Pario Iaſonis filio*, *Steph. qui eam condidit*, Ammian. Nummus extat argenteus ΠΑΡΙ h. e. ΠΑΡΙΑΝΩΝ, in quo ſerpentinum caput eſt ore hiulcô, linguâ exertâ & (inſtar Meduſæ) ſerpentibus crinitum. Ibi enim fuerunt Ὀφιογενεῖς, *cognationem quandam habentes cum ſerpentibus*, *quorum mares dicuntur iis medicari, qui à ſerpentibus morſi ſunt*, *continenter tangendo* (*ut ſolent incantatores*) *& livorem in ſe primum transferre*, *deinde inflammationem doloremque ſedare: Ejus* ſcil. *generis* ἀρχηγέτην *è ſerpente in Heroëm fuiſſe mutatum*, Strabo *l.* 13. & Plin. *l.* 7. *c.* 2. Atque hunc Heroëm ſignari in nummo, notat poſſeſſor ejus Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. IX.* ubi de *Serpente æneo*: qui Mileſiis, in deducenda hac colonia, adfuiſſe Erythræos & Parios ex Inſula, addit *Ibid. Sec.* XVII. Vide & *Parium.*

PARIRÆ, apud Plinium, *Flumen Tomerum navigabile*, *circa quod* Pariræ, *deinde Ichthyophagi* &c. lege, *Paſiræ.*

PARIS, *idis*, Priami & Hecubæ fil. aliô nomine *Alexander* dictus, cujus matri, cùm illa ſe facem ardentem parere ſomniâſſet, conjectores reſponderunt, Fore, ut filius, quem in utero geſtabat, cauſa eſſet excidii Trojani. Quâ re cognitâ, Priamus puerum, ubi primùm fuit natus, Archelao ſervo exponendum tradidit. Contra Hecuba cùm maternô affectu, tum infantuli formâ commota, curavit, ut furtim nutriretur à paſtoribus in Idâ monte. Ubi cùm adoleviſſet, Oenonen Nympham amavit, & compreſſit, ſuſcepitque ex ea duos filios. Porro cùm in dirimendis controverſiis eſſet æquiſſimus, maximam juſtitiæ famam ſibi comparavit, adeo ut ortâ inter Deas, Junonem, Palladem, & Venerem diſceptatione de formæ præſtantiâ, propter aureum malum à Diſcordia ad Pelei nuptias illatum, in quo ſcriptum erat; *Detur pulcherrimæ*, talis judex ſit conſtitutus. Quas cùm vidiſſet nudas ſententiam ſecun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſecundùm Venerem, quæ pulcherrimam fœminarum illi promiſerat, neglectô regnô, quod pollicebatur Juno, & contemptâ, quam Pallas offerebat, ſapientiâ. Propert. *l.* 2. *El.* 2. *v.* 13.

Cedite jam Divæ, quas paſtor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Ovid. *l.* 1. *de Art. Am. v.* 247.

Luce Deas, cœloque Paris ſpectavit aperto,
Cùm dixit Veneri; Vincis utramque Venus.

Coluthus in *de Helenæ raptu*:

——— Αὐταὶ γὰρ ἐθηήσασθε μολοῦσαι
Ἰδαίης δικάρηνον ἐπὶ πρηῶνα Φαλάκρης,
Καὶ Πάριν οἰπόλοισιν ἐφεδριόωντα θοώκοις,
Καὶ Χαρίτων βασιλείαν ἀγαλλομένην Ἀφροδίτην.

Præterea cùm eſſet fortiſſimus, in agonali certamine, quod ad Trojam agebatur, cùm alios omnes ſuperavit, tùm ipſum etiam Hectorem, qui cùm ægrè ferret à paſtore ſe eſſe ſuperatum, gladiumque in eum ſtringeret; Paris illi aperuit, ſe ejus fratrem eſſe germanum, quod & allatis crepundiis probavit. Sic igitur cognitus à patre receptus eſt. Deinde conſtructis viginti navibus, ſub ſpecie legationis, ad repetendam Heſionem, in Græciam miſſus eſt, ubi à Menelao hoſpitiô eſt receptus. Verùm cùm ille neceſſariâ de causâ in Cretam navigare cogeretur, Paris ſibi occaſionem rei bene gerendæ oblatam ratus, Helenam, quam mutuò amore deperiebat, rapuit, & in Aſiam abduxit. Herodotus tamen author eſt, in Græciam veniſſe, abſente Menelaô, Helenæque pulchritudine captum, Spartam expugnâſſe, illamque etiam renitentem, & omnes regios theſauros rapuiſſe, & ob id poſteà Helenam à viro recipi meruiſſe. Propert. *l.* 2. *El.* 15. *v.* 13.

Ipſe Paris nudâ fertur periiſſe Lacænâ,
Cum Menelaëo ſurgeret è thalamo.

Horat. *l.* 1. *Od.* 15. *v.* 1.

Paſtor cùm traheret per freta navibus.
Idæis Helenam perfidus hoſpitam.

Ovid. *l.* 2. *de Art. Am. v.* 5.

Talis ab armiferis Priameius hoſtes Amyclis,
Candida cum raptâ conjuge vela dedit.

Stat. *in Achilleide, l.* 1. *v.* 20.

Solverat Oebalio claſſem de litore paſtor
Dardanus, incautas blandè populatus Amyclas.

Ex hoc raptu ſecutum eſt bellum Trojanum, in quo ſingulari certamine cum Menelao Paris congreſſus, cùm penè vinceretur, à Venere pugnæ ſubtractus eſt. Poſtremò Hectore ac Troilô fratribus occiſis, cùm ipſe, ſumptô arcu & ſagittis, quibus plurimum valebat, Achillem, ſub prætextu deſponſandæ Polyxenæ ſororis, in templo Thymbræi Apollinis interfeciſſet, ipſe quoque à Pyrrho, ſive (ut aliorum eſt opinio) à Philoctete occiſus eſt, poſt cujus mortem Helene Deiphobo nupſit. Hunc Homerus ubique parum ſtrenuum inducit, amoribuſque ac citharæ, quàm tractandis armis aptiorem. Unde eſt illud apud Ovidium *in Epiſtola Helenes* 17. *v.* 254.

Bella gerant alii, tu Pari, ſemper ama.

Nic. Lloydius. Apud Homerum perpetuò *Alexander* audit, ſi fides habenda Thomæ Dempſtero *Paralipom. in Joh. Roſini Antiq. l.* 3. *c.* 18. ubi oſtendit, Homerum alia apud Deos, alia apud homines, nomina nonnullis imponere: Carolô Sigoniô, unum nomen eſſe, alterum cognomen, contendente, *de Nom. Rom. c.* 1. Aliàs Πάρις *Il.* γ. *v.* 437. ζ. *v.* 503. μ. *v.* 93. ν. *v.* 660. ο. *v.* 341. χ. *v.* 359. Πάριος *Il.* γ. *v.* 325. Πάριν *Il.* ζ. *v.* 280. ν. *v.* 490. ω. *v.* 249. Δύσπαρις quoque *Il.* γ. *v.* 39. & ν. *v.* 769. reperitur. Lyram is callentiſſimè pulſabat. Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 9. *c.* 38. προσελθὼν τὴν λύραν ἐδείκνυ Ἀλεξάνδρου, *Accedens lyram oſtendit Alexandri.* Vide *locum* & confer cum Plut. *in Alexandro*: utrobique enim narratur, Alexandrum M. Ilium veniſſe, & curioſe ſingula luſtrâſſe, atque inter alia, cùm *Paridis* ei oſtenderetur lyra, dixiſſe: *Majoris facerem, ſi lyram Achillis oſtenderetis; potius enim mihi foret gratiuſque, virorum fortium laudibus cantandis idoneum videre inſtrumentum, quàm eam lyram, quæ accinebat fœminis captandis demulcendiſque apta carmina.* vide Hadr. Junium *in Adagiis ſuis c.* 546. Interim ille ſive Δύσπαρις ſive *Paris*, ille *Veneris præſidiô ferox, grataque fœminis Imbelli citharâ carmina dividens*, ut Horatius de eo *l.* 1. *od.* 15. *v.* 13. 15. quod mireris, divinis honoribus: quod ſtupeas, Therapnis Laconicis, cultus eſt. Inter Laconum namque Heroas, Hyacinthum Pauſan. *in Lacon.* Agamemnonem, ex Staphylo Clem. *admon. ad Gentes:* Aſtrabacum idem: Menelaum, Athenag. *initio Apolog. pro Chriſt.* Menelaum, *Paridem* ac Deiphobum, Æneas Gazæus numerat *in Theophraſto*, apud Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & Progr. Idololatriæ l.* 1. *c.* 13. *p.* 101. Ejus ſimulachrum ex ære, inter opera Euphranoris, miris laudibus evehitur à Plinio *l.* 35. *c.* 8. *Euphranoris Alexander Paris eſt; in quo laudatur, quòd omnia ſimul intelliguntur, judex Dearum, amator Helenæ & tamen Achillis interfector.*

PARIS, Rex Galliæ, annô ferè ante Romam conditam 660. Hic urbem Pariſienſem, omnium florentiſſimam condidit, ac de ſuo nomine vocavit, Maneth. & Ann. *in Comment. ejuſdem.*

PARIS, hiſtrio, Libertus Domitiæ, Neronis amitæ, qui ſolebat Neronis luxus intendere cœnæ tempore, ejuſque animum demulcere, Cornel. Tacitus, *l.* 13. *Annal. c.* 19. 22. 27. Tranquillus *c.* 3. 10. & *in Neron. c.* 54. ait, à Domitiano eum fuiſſe interfectum, quaſi gravem adverſarium. Idem ſcribit, Domitianum uxorem repudiâſſe *Paridis* hiſtrionis amore perditam. Eum intelligit Juvenalis, cùm ait *Sat.* 7. *v.* 90.

Quod non dant proceres, dabit hiſtrio. ———

Quem alibi palam nominat; ut *Sat.* 6. *v.* 87.

Utque magis ſtupeas, ludos, Paridemque reliquit.

Et Satyrâ proximâ, *v.* 87. de Papinio Statio:

Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

Ejus inſtigatione Juvenalis à Domitiano ab urbe in Ægyptum miſſus eſt. Vide *Juvenalis.* Paridis epitaphium apud Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 14. tale extat:

Quiſquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ ſaleſque Nili,
Ars & gratia, luſus & voluptas,
Romani decus & decor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidineſque
Hôc ſunt condita, quô Paris ſepulchrô.

Nic. Lloydius.

PARIS, nomen Hiſtrionis, ſub Vero Imperatore celebris, de quo ſic Jul. Capitolin. in *Vero, c.* 8. *His acceſſit, quòd, quaſi Reges aliquos ad triumphum adduceret, ſic Hiſtriones eduxit è Syria, quorum præcipuus fuit Maximinus, quem Paridis nomine nuncupavit.*

PARIS, Vide quoque *Alexander, Johannes, Julius, Matthæus.*

PARISADES, Rex Ponti tempore Alex. Magni, Polyæn. *l.* 7. *c.* 37.

PARISIENSES, Gall. *Pariſi*, monetæ Pariſiis cuſæ. Et quidem *Pariſienſes aurei*, Gall. *Pariſis d'or*, cuſi ſunt ſub Philippo VI. valore 20. ſolidorum bonorum parvorum Pariſienſium. Rex in iis conſpicitur in cathedra ſedens, cum binis ad pedes leonibus: uti docet typus eorum apud Car. du Freſne. *Pariſienſes duplices*, Gall. *Pariſis doubles*, ſub Rege Philippo IV. prodierunt, i. e. duo denarii Pariſienſes, quartâ parte Turonenſi graviores: in quorum altera parte Crux in florem deſinens, cum *Inſcr.* PHILIPPUS REX. in altera lilium in medio nummo, cui vox REGALIS ſubeſt: in circulo, MONETA DUPLEX, vide typum, ut & alios ſub Carolo Pulchro ibidem. *Duplices Pariſienſes nigri*, Gall. *Doubles Pariſis noirs*, ſub Joanne Rege *Parvi Pariſienſes*, Gall. *Petits Pariſis*, ſub Philippo itidem IV. & VI. in quorum parte altera nuda crux, cum *Inſcr.* PARISIUS CIVIS, cuſi ſunt &c. de quibus aliiſque vide præfatum Auctorem in voce *Moneta.*

PARISIENSIS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PARISIENSIS Johannes, vide *Johannes.*

PARISIENSIS Matthæus, vide *Matthæus.*

PARISIENSIS Philippus, vide *Philippus.*

PARISII, populus Galliæ Celticæ. Horum meminit Cæſar *Comment. l.* 6. *c.* 3. referens, illos cum Senioribus fœdus perpetuum iniiſſe, 40. aut 50. Ann. antè quàm ipſe Gallis bellum inferret. Hi minorum quidem gentium in Galliis populi, liberi tamen & ſui juris tum erant, nec niſi domeſticis Magiſtratibus, aut Regibus, & totius Galliæ concilio paruerunt, quod contra Samſonem, monet Valeſius. Cùm dein *l.* 7. *c.* 75. ad Aleſiam obſidione liberandam armata eſt Gallia, imperata leguntur *Turonibus & Pariſiis & Helvetiis ſena millia.* Celtis potius, quàm Belgis accenſiti, apud eundem. Plinio *l.* 4. *c.* 17. in Gallia Lugdunenſi ponuntur, inter Meldos & Trecaſſes, ut & *Claudio Ptolemæo*; qui eorum urbem λυκοτεκίαν vocat. A ſiniſtra ripa Sequanæ, ad fines Carnutum & Senonum ac Meldos pertinent; a dextra Meldorum, Sylvanectum, Bellovacorum, & Velocaſſium diœceſibus coartantur: è quibus Velocaſſes & Meldi Celticæ, Bellovaci ac Sylvanecti Belgicæ adſcribuntur. Quæ ad ſiniſtram ripam ſunt Pariſiorum, in Celtica: quæ ad dextram, in Belgarum finibus propriè conſiſtunt: quæ tamen inter dextrum Sequanam & lævum Matronam Pariſiacæ diœceſeos ſunt in Briegio, Celtica ſunt. Intra horum fines fluunt Sequana, Matrona ac Iſara: & minores fluvii Crodoldus *le Crou*, qui Rodonum *Rone* recipit; Edera, *Jerre*: Bevera *Bievre*: Urbia ſeu Orgia, *Orge*; qui Ivetam & Remandam recipit, & Junna *Juine*, nec non Separa, *Sevre*, qui vico ſuo nomen dedit, ut & Edera ac Bevera. Eorum urbs Epiſcopalis ac Regia, ad Sequanam fluv. interfluentem, urbs *Pariſium Zoſimo, Pariſius* à *Venant. Fortunato* ab aliis *Lutetia Pariſiorum*, vulgo *Paris* dicitur. An à Samothe, an à Paride 17. Rege Gallorum veter. condita? Certè Româ antiquior, *Euſeb.* Julius Cæſar ejus meminit *l.* 7. & Julianus Apoſtata, qui diu ibi moratus eſt. Nominis originem quidam à Paride Trojano, alii à Luco, octavo Gallorum Rege, nonnulli à Paride Romi filio, vel Iſide ibidem culta, vel à Parrhaſiis Arcadiæ populis ab Hercule huc deductis, vel à λευκότης, *candor*, vel à παῤῥησία, *loquendi libertas*, arceſſunt. Vide Guilielm. Briton. *l.* 1. *Philipp.* qui tamen, cum plurimis aliis, à luto Lutetiam, quia in loco uliginoſo ſita eſt, dictam mavult. *Non Urbs ſed Orbis eſt:* & Carolus V. an Sigiſmundus? dixit olim, ſe in Gallia vidiſſe, *Mundum, Urbem & Pagum*, Lutetiam, Aurelianum & Pictavium. Palatium, ubi Parlamenti, quod à Philippo Pulchro fixum redditum eſt, ſedes, priſca fuit regia. Lupara hodierna eſt, à Ludovici XII. temporibus. Hanc Philippus Auguſtus inchoavit, ærarii ſedem & illuſtrium virorum tum carcerem: Carolus V. reparavit & auxit: quod idem Franciſcus I. &c. facere perrexerunt. Ludovicus XIV. inſignem ei addidit colophonem. Academia hîc celeberrima, fundata à Corolo M. aucta à Ludovico VII. & Philippo Auguſto, &c. Hæc *Euangelio æterno*, ut vocabant, à fratribus Prædicatoribus publicato, ſe oppoſuit, circa A. C. 1280. Matth. Pariſ. *in Henr.* 3. Indulgentias publicô ſcriptô refutavit, A. C. 1350. Mornæus, *in Myſter. Iniq.* Ludovico XI. in gratiam Pontificis, Pragmaticam ſanctionem abolere volenti, perniciosum id Regi Regnoque fore demonſtravit, &c. Dicitur continere hodie vaſtô ambitu ædes 50000. Vicos 413. à Clodovei I. tempore, qui hanc ſibi ſedem elegit, indies novâ acceſſione aucta: portas 17. cum totidem fermè magnificis ſuburbiis, è quibus id, quod S. Germani nomen habet, amplitudine & ædificiorum ſplendore, pulcherrimis Galliæ civitatibus palmam dubiam reddit. Multa olim hæc Urbs à Normannis paſſa, A. C. 845. & 856. ab iiſdem obſeſſa A. C. 886. & 890. ſub regno Ludovici Ultramarini non parum afflicta eſt. Capta ab Anglis, ſub Carolo VII. & à Ligiſtis, quibus illam Henricus IV. memorabili fame in extremas anguſtias reda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ctam, denuo eripuit, Thuan. *in Hiſt.* Tota fermè arſit, A. C. 585. ante quod infortunium, dum fundamenta alicujus ædificii loca- rentur, ſerpentem muremque æneum effoſſum, quæ velut ima- gines aſtrales (*Taliſmans*) hactenus ab incendio urbem tutam præ- ſtiterint, ſecundùm ſuperſtitioſam veter. traditionem, narrat. Gregor. Turon. *Hiſt. Franc.* Iterum arſit, A. C. 1034. contrà, aqua- rum eluvionem ſenſit, A. C. 1206. Lanienâ *Pariſienſi*, non exiguam labem ſibi contraxit, A. C. 1572. Vide Thuan. *in Hiſtor.* cujus pa- rens illud, *Excidat illa dies ævo*, propterea in ore habuit. Nec tamen Eccleſia Reformatorum, cui in hac urbe Maſſonius Riverius, ſum- mæ pietatis & eruditionis vir, Andegavi eôdem annô funeſtô ma- ctatus, prima fundamenta jecerat: cuique ſuperædificârunt Jaco- bus Riparius Andegavenſis, & hic martyr: Colongius & Antonius Sadeel, circa A. C. 1554. extingui potuit, uſque ad hæc tempora. Plura vide apud Morer. *in Dict. Hiſt.* Hîc Concilium A. C. 362. à S. Hilario Pictavienſi, contra Arrianos habitum, & fides, de Conſub- ſtantialitate Filii ſtabilita eſt, excommunicatô Saturninô Arela- tenſi. A. C. 555. quô Saffaracus Epiſcopus ob crimina depoſitus. A. C. 557. A. C. 575. quô Gontranus Rex litem, inter Chilpericum & Sigebertum exortam, componere conatus eſt, A. C. 624. à Clotario 2. celebratum. A. C. 824. ubi de imaginibus actum: decretumque, *nec ſtultâ præſumptione abolendas*, *nec ſuperſtitioſâ affectione adorandas*, *ſed memoriæ causâ habendas*, contra Concil. Nicenum 2. A. C. 828. à Ludovico Pio, ad Deum contra Normannos implorandum. A. C. 846. A. C. 1050. ab Henrico 1. contra Berengarium, A. C. 1059. quô Philippum 1. filium coronari voluit. A. C. 1073. 1091. 1145. contra Gilbertum Epiſcopum Pictavienſ. 1147. contra eundem, 1186. & 1188. à Philippo Aug. pro Terra Sancta. A. C. 1196. quô Philippum Reg. legati Papæ cogere volebant, ut Agnetem Meta- niam dimitteret. A. C. 1202. contra Eberardum: A. C. 1210. contra ſectatores Almerici, A. C. 1212. 1223. contra Albigenſes: ut & A. C. 1225. &c. Porrò A. C. 1610. à Parlamento liber Bellarmini Car- dinal. de poteſtate Pontificis Romani in temporalibus damnatus, & A. C. 1611. ejuſdem auctoritate Jeſuitæ juſſi ſunt ſubſcribere his aſſertionibus: *Concilium ſupra Papam eſſe: Papæ in temporalibus po- teſtatem eſſe nullam: Non licere ei Reges excommunicare: Clericos cri- men læſæ Majeſtatis incurrere: Quæ in Confeſſione ad Remp. ſpectan- tia cognoſcuntur, omnino deferenda eſſe*: Cui actui Condæus Prin- ceps, & Epiſcopi Belluacenſis ac Laudanenſis, pares Regni, in- terfuêre. A. C. 1612. hîc condemnatus Edm. Richerii, *de Eccleſ. & Pol. poteſtate*, liber, &c. Archiepiſcopalis facta à Gregorio XV. A. C. 1622. Galliæ eſt caput, & totius Europæ maxima. Tractus adjacens *le Pariſis* limites perdidit; eſtque in provinc. Inſulæ Fran- ciæ. Vide *Lutetia*, & infrà *Pariſiorum ager*. Sunt & *Pariſii*, qui & *Pariſi* populi Albionis in Anglia, quorum lacus *Holderneſſe* in Co- mitatu Eboracenſi teſte *Camdenô*, dicitur. An ex prioribus orti? Eorum urbs *Petouaria*, *Ptolem.* Cæterùm, *Pariſienſis Comitatûs*, ſub Carolovingis eadem ferè poteſtas, quæ olim ſub Merovingis Ma- jorum Domus ſeu Comitum ſtabuli fuit. Quemadmodum igitur Majores Domus tandem regiâ poteſtate ad ſe pertractâ thronum ipſi conſcenderunt, & ſic Martellus ad Carolinorum ſtirpem regale tranſtulit axioma: ita orti ex poſteris Wittekindi Ducis Saxonum Hugo Magnus & Hugo Capetus, poſtquam Comitatum *Pariſienſem* obtinuerunt, ſenſim ſibi ad regni faſtigium viam parârunt, donec poſt obitum Ludovici V. ſeu potiùs VI. Hugo Capetus *Pariſiorum* Comes, excluſâ Caroli M. ſtirpe, Regnum occupavit, in cujus poſteris etiamnum hæret. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 134.

PARISIORUM Ager, aliis *Pariſiacus* terminus, vel pagus ap- pellatur. Ejus finibus nunc continentur à dextra ripa Sequanæ Francia propriè dicta, non tamen tota. Ager Pariſiacus (*le Pa- riſis*) veteris Pagi vix quinta portio: & Alnetum (*l'Aunay*) à vi- co cognom. A ſiniſtra pagus Joviacenſis, vulgò *Joſas*, aliàs Hu- ripenſis; & pagus Caſtrenſis, quorum alter Joviaco *Jouy*, alter Caſtris, *Chaſtres* nomen ſuum debet: Vallis Galliæ *le Vau de Gal- lie*, à Gaudii Valle Abbatia, *Joye en Val*, & Meo Gaudio *Monjoye*, uſque ad Verſalias & Monaſteriolum, ac Vicum S. Chlodoaldi pertinens: atque inter Sequanam ac Matronam pars Briegenſis pagi. Alii Pagum *Pariſinum*, Gallicè *le Pariſi*, à porta urbis Lu- teciæ hinc ad Brivam Iſaræ, inde ad Clojam *Claye*, pertinere aſ- ſerunt.

Castella in Agro Pariſiaco:

Braja, *Braye Comte Robert.*	*le Chaſtel.*
Bruerïæ, *les Brujeres.*	Gornacium, *Gournay.*
Caproſia, *Cheuvreuſe.*	Livriacum, *Livry.*
Caſtra, *Chaſtres.*	Luſarchiæ.
Caſtra in Bria.	Malliacum, *Marly le Chaſtel.*
Caſtrum Forte, *Chateaufort.*	Malus Repaſtus, *Maurepas.*
Cauda, *la Queüe.*	Mons Gajus, *Mongé.*
Confluentes Iſaræ & Sequanæ, *Conflans.*	Mons Letherici, *Montleheri.*
	Mons Maurentiacus, *Morancy.*
Corbolium, *Corbeil.*	Torciacum, *Torci.*
Foſſatum Bacaudanum, *Foſſez.*	Turnomium, *Tournon.*
Gomedum Caſtellum, *Gomets,*	Villa Petroſa, ſeu Villa Piroſa.

Pariſiorum Fluvii Nobiliores.

Bevera aut Beveris, *Bievre.*	Matrona, *Marne.*
Crodoldus, *le Croc.*	Savara, vide *Separa.*
Edera, *Jerre.*	Separa, *Sevre.*
Iſara, *Oiſe.*	Sequana, *Seine.*
Junna, *Juine.*	Urbia, *Orge.*

In Pariſiacæ Eccleſiæ finibus vetera Chartaria numerant vicos am- plius 360. quibus acceſſêre recentiores, circiter 70. de quibus vi- de Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PARISIUS, Franciæ metropolis, item *Pariſiis*, apud Veteres quæ hodie *Lutetia Pariſiorum*. Ex Trebellio enim Pollione in *D. Claudio*, *c.* 12. ubi Palatinus Codex legit, *Sub hoc Barbari, qui ſu- perfuerant, Anchialo vaſtare conati ſunt*, pro *Anchialum*, diſcimus, eô tempore ſic loqui ſolitos fuiſſe, ut nomina Urbium plerarum- que hôc caſu enuntiarent: ſicut etiam aliquando per quartum. Fronto, qui ſub Adriano vixit, *Ep. ad Marcum Imper. Durocorto- ro, Athenæ veſtræ.* Frontinus de Coloniis, *ager Carſeolis: Puteo- lis colonia: Fundis oppidum: Gabiis oppidum:* &, *Cumis muro du- cta colonia.* Sic & *Megaris*, ſunt *Megara*, apud veter. Juvenalis Interpretem. Quod imitati ſunt recentiores Scriptores, unde *Aurelianis urbs*, pro Aurelia vel Aureliani: *Pariſiis*, *Remis* & ſimi- lia. Per quartum quoque caſum non rarò extulerunt. Apud Fron- tinum *Colonia Vejos: Colonia Graviſcos: Caſſinos & Aquinos.* Per- peram hodie ſcriptum, *Caſſinus* & *Aquinus.* Unde eſt, quòd in omnibus libris citimæ etiam vetuſtatis, non aliter Pariſiorum ur- bem dictam reperias, quàm *Pariſius*, quod eſt pro *Pariſios.* Sic *Remus aliquid factum eſſe*, in antiquis Martyrologiis MSS. non rarò occurrit, quod itidem eſt, pro *Remos.* Nam *Pariſios*, ut & *Remos*, indeclinabile eſt, *urbs Pariſios*, *urbis Pariſios*, *ſum Pa- riſios*, pro quo obtinuit, ut *Pariſius* ſcriberetur. Ita &, cùm per tertium caſum ea efferrent, indeclinabilia erant, ut *hac An- chialo*, *hujus Anchialo* &c. *Hoc barbarum*, *inquies*, ait Salmaſ. *ad Pollionem loc cit. ſit planè barbarum, dum conſtet etiam Veteres ita uſurpâſſe.* Et paulo pòſt, *De hac ratione plura alibi dicam, quæ id verum eſſe magis vincant. Sic enim infrà locutus eſt Vopiſcus in vita Probi, c.* 17. *Copto prætereà & Ptolemaide urbes, ereptas barba- rico ſervitio, Romano addidit juri*, &c. Vide plura in vocibus *Lu- tetia* & *Pariſii.*

PARISIUS Petrus Paulus, Vide *ibi.*

PARISUS, *Strab.* Pannoniæ fluv. per Scardiſcos in Danubium fluens.

PARITA, urbs Veraguæ, cum portu in ora maris Auſtrini. Hinc *Sinus Parita.*

PARIUM, çivitas Aſiæ in regione Myſiæ minoris ad Proponti- dem, 20. mill. paſſ. à Lampſaco in Ortum, Cyzicum verſus, 35. circiter, ex qua fuit Neoptolemus cognomento Gloſſographus, vir memoratu dignus, Strab. *l.* 10. & 12. Parii quoque ortus eſt Archilochus Poëta Jambographus, unde Horat. *l.* 1. *Ep.* 19. *v.* 23.

——— *Parios ego primus Jambos, &c.*

Malim autem huncad *Paron* inſul. referre. Vide Steph. in Πάρος, qui à *Pario*, Iaſonis filio dictum tradit, ut & ſuprà voce *Parion.* Juxta hanc urbem teſte Pliniô *l.* 7. *c.* 2. gentes ſunt quæ Ophio- genes vocantur. In eodem oppid. Cupido nudus fuit par Veneri Cnidiæ nobilitate & induſtriâ, hîcque & Theſpiis in Bœotia, præ- cipuè cultus, cujus Sacra *Erotidia* dicta. Item apud Colchos & Idalium, *Catull.* & apud Ægyram urbem, *Pauſ.* & apud Samios, ubi *Eleutheria.* Ejus meminit Val. Flacc. *l.* 2. *v.* 622.

Jam juga Percotes, Pariumque infame fragoſis
Exſuperant, *Pythiamque vadis.* ———

Pario adhuc *Sophiano*, *Pariſio Nigro.* Ab Homero *Adraſtiam* ap- pellatam tradit *Plinius*; Eandem & *Paſtos* apud Homerum dici ſcri- bit *Camerarius.*

PARIUS, *fil.* Iaſionis, nomen dedit Pario urbi, à ſe conditæ, *Steph.* Hinc Ammianus, *Parion*, *quam condidit Iaſionis filius Pa- rius.* Vide *Parion.*

PARIUS, Tarſenſis quidam, quem ſupra Dianæ ædem decum- bentem febris adeo vehemens corripuit, ut eum tandem oppreſ- ſerit. De illo Hippocrates *l.* 3. *de morbis vulgaribus*, ejuſque in- terpres Galenus *Comment. l.* 3.

PARL. in nummis Conſtantini M. Licinii & Conſtantii, per- cuſſa *Arelate* eſt, interprete Car. du Freſne *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

PARLAMENTUM, à Gall. *parler*, i. e. loqui, Colloquium ſignat ſolenne omnium Ordinum Regni, authoritate ſolius Re- gis, ad conſulendum, ſtatuendumque de negotiis regni, indi- ctum. *Parliamentum* & *Parlementum* quibuſdam. Hujus ſpeci- men inter Normannos, Saxones, Britannos quærunt Philologi. Britannos tepidè, ex illo Cæſaris *l.* 5. *c.* 11. *Summa imperii belli- que adminiſtrandi* Communi Concilio *permiſſa eſt Caſſivelanno.* Saxo- in his Conciliis, nec Regis adfuit præſentia, nec auctoritas. Saxo- num mos, è Germanorum agnoſcitur, *De minoribus rebus Principes conſultant, de majoribus omnes*, Tacit. *Germ. c.* 11. Conciliorum igitur duo poſthac, apud Anglos, genera: Eccleſiaſticum, quod expe- diebant Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Clerus; præſentibus etiam ſæpe ipſô Rege, cum Magnatibus populique Senioribus: Se- culare, cui poſt Regem aderant Prælati antedicti, & Aldermanni (aliàs Seniores atque Sapientes Regni) h. e. Duces, Comites, Pro- ceres & Magiſtratus nonnulli. Inas Rex Occidentalium Saxonum, A. C. 712. leges ſuas condidit, *Conciliô & documentô Cenredi patris, Heddæ & Erkenwoldi Epiſcoporum, omniumque Aldermannorum, & Seniorum ſapientum populi ſui, magnâ etiam ſervorum Dei frequentiâ.* Guilielmus poſtea I. Conqueſtor dictus, à conquirendo, i. e. ac- quirendo Angliam, terram totam inter Magnates ſuos ſic diſpo- ſuit, ut ſuum quiſque patrimonium de Rege teneret in Capite per ſervitium plerunque Baroniæ. Hinc Magnates Barones Regis, & Barones Regni nuncupantur, Regni etiam Capitanei, quòd in Capite, i. e. à Rege tenuêre, & in librum *Domeſdei* conſcribun- tur ſinguli. Patrimonia horum quiſque ſua feodorum nomine diſ- partitur ſuis quiſque clientibus, quos vulgò *Milites* vocant: & hi viciſſim inter Tenentes ſuos & Colonos. Hi Feodales domini ex aſſenſu Vaſallorum ſuorum, qui *Pares feodi & Curiæ ſuæ* dicti, le- ges ferebant, de rebus feodi ſui: & Rex perinde Conſiliô & aſſenſu Baronum ſuorum leges olim impoſuit univerſo regno, & conſen- tire inferior quiſque viſus eſt, in perſona domini ſui capitalis. Con- venire igitur ſolebant Barones Regis, quoad opus fuerat, ter quot- annis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

annis ad Aulam Regiam, nempe ad Natale Domini, ad Paſcham & ad Pentecoſten, cum quibus Rex coronatus publicè de negotiis Regni conſtituit. Hunc morem mutaviſſe Henricus I. plebe ad Concilium Saresberienſe accitâ, fertur à Polydoro Virg. ſed malè: Johannes enim Rex demum non tam *Parliamentum*, nam hoc nomen non tum emicuit, ſed *Communis Conſilii Regni* formam & coactionem perſpicuam dedit, Chartaque ſuâ Anno Regni ſui 17. ſtatuit obſervandam. Poſt ſuſceptionem ſic plebis in Comitia Parlamentaria, Magnatum poteſtas coërcita eſt, adeoque eorum labefactata ſuperbia, ut adverſus Regem nemo ſuſcitare auſus ſit novorum quidpiam, ſi de regno non ageretur. Sed ecce nova incommodorum ſeges, &c. Vide Spelmannum *Gloſſar. Archæol. de Angliæ Parlamentis prolixè diſſerentem*. De Galliæ *Parlamentis*, hæc ſolùm addam: Illorum X. ſunt: 1. *Pariſienſe*, quod ſub ſe habet Picardiam, Franciam, Belſiam, Campaniam, tractum Lugdunenſem, Bituricum, Borbonium, Pictaviam, & Arverniam. 2. *Rotomagenſe*, ſub quo Normannia. 3. *Redonenſe*, cui ſubeſt Britannia minor, ſeu Armorica. 4. *Burdigalenſe*, ſub quo Lemovicium, Petrocorium, Guienna, & in Vaſconia, Ducatus Albretanus. 5. *Toloſanum*, quod habet Languedokiam, Cadurcium, Rutenium: Et in Vaſconia, Armaniacenſes, Bigerrones, & Comingenſes. 6. *Aquenſe*, ſub quo Provincia. 7. *Gratianopolitanum*, ſub quo Delphinatus. 8. *Divionenſe*, ſub quo Burgundia. 9. *Benearnenſe*, quod Benearniam continet. 10. *Mettenſe*, Mediomatricum, Tullum, & Verdunum. Quibus A. C. 1657. undecimum acceſſit, *Enſishemenſe*, Enſishemii, pro Landgraviatu utriuſque Alſatiæ erectum. Vide Thulden, *ad h. A. p.* 119. Cœterùm, vox eſt recentioris ævi, & modò *Placitum* ſeu *ſervitium placiti* ſignificat, modò colloquium in genere, modò idem quod *Parlatorium* ſeu *locutorium*, notat. Maximè verò, pro *ſolenni* aliquo *Colloquio* uſurpata reperitur, de re quapiam alicujus momenti deliberandi causâ habito. Ita appellatos reperimus plebis ac populi Conventus in Civitatibus, de rebus ad publicam ſalutem ſpectantibus, deliberandi cauſa, coactos: ad cujuſmodi *Parlamenta*, ſonô tubæ populum convocari conſueviſſe, diſcimus ex *Charta* quadam, apud C. du Freſne: *Dominus Vicarius in Palatio domus communis conſtitutus, Parlamentô in ipſo palatio, ad ſonum tubæ ſeu tubarum publicè congregatô.* Unde haud ægrè colligere eſt, cur ſic Galli Anglique appellârint Procerum totius Regni Conventus, ad hoc coactos; ut cum Rege ac Principe de publicis rebus conſilia conferrent, & ſi quæ majoris momenti negotia eſſent peragenda, in iis per leges examinarentur & conficerentur. Nam conſtat eam fuiſſe *Parlamentorum* inſtitutionis occaſionem, maximè in Anglia, ubi Parlamentum *Commune Concilium regni Angliæ*, *Magnum Concilium* & *Magnum Concilium Regis* vulgò appellatur, ut auctor eſt Edw. Cokus *ad Littletonem ſect.* 104. licèt diſcrimen, & quidem ſatis inſigne eſſe videatur inter Anglicana & Francica Parlamenta, de quo infrà quædam. Pergo de Francicis: Indicebantur hæc perinde ſemel ac iterum quotannis, ad majoris momenti lites examinandas, appellationes à Ballivis ſupremô judiciô decidendas & reliqua, quæ ad jus dicendum videbantur conducere, decernenda: idque *generali Parlamentô ſedente Pariſiis*, ubi ferè ſemper indicta legimus, fieri dicebatur. Nangius in *Ludovico IX.* cognom. *Sancto*, *Convocavit Rex Francorum Ludovicus grande Pariſiis Parlamentum.* Cui etiam *Univerſalis & capitalis Juſtitiæ Regni*, præ cœteris, illuſtre elogium tribuit Carolus Normanniæ Dux tum Regni Rector, in *Statuto* edito d. 23. April. A. C. 1360. &c. Et ſanè ea fuit, apud exteros etiam Principes, *Parlamenti* Francici fama, ac juſtitiæ exiſtimatio, ut non ſemel controverſias ſuas ab eo dijudicari petierint ac conſenſerint: atque in iis Henricus II. Angliæ Rex in ea controverſia, quam cum Archiepiſcopo Cantuarienſi exercuit, ut legimus apud Radulfum de Diceto ſub A. C. 1169. ubi *judicium in Palatio Pariſienſi ſubire, Proceribus Galliæ reſidentibus*, paratum ſe eſſe: profitetur: quod de Parlamento Pariſienſi intelligi omnino vult Car. du Freſne, tametſi non prorſus conſtet, ædem tum Regiam, quam *Palatium* vocant, juri dicundo, ut hodie, fuiſſe addictam, quod plerique ſub Ludovico Hutino, alii ſub Philippo IV. factitatum volunt. Similiter Fridericus II. Imperator in controverſia inter Imperium & Sacerdotium, *ſe coram Laicis Paribus & Nobilibus Regni Franciæ* jus ſubiturum, proteſtatur in ea *Epiſt.* quam Idem Car du Freſne *in Notis ad Joinvillam* edidit *p.* 56. ut alia ejuſmodi omittam. *Parlamentum* verò, quod ambulatorium erat, ſeu potiùs, quod indici ſolebat quotannis, ſemel vel bis, ſtatarium & perpetuum dein factum eſt, litiumque ac controverſiarum appellationibus dirimendis addictum: ejuſque exemplô creata ſubinde alia in provinciis, de quibus aliquid infrà. Plura qui cupit, adeat qui de Parlamentariis ſedibus Juridicis ſcripſerunt, Rocraflavinum, Miramontium, Alios, inter quos inprimis conſuli meretur ſæpius nobis laudatus Car. du Freſne *Gloſſ.* Addam hìc quædam, de diſcrimine Angliæ Galliæque *Parlamentorum*. Et quidem, Gallica quod attinet, nihil ea eſſe aliud quàm Dicaſteria & ſuprema Juſtitiæ tribunalia, eum in finem inſtituta, ut cauſæ & controverſiæ civium in illis dijudicentur ac decidantur, ex antè dictis patet: Britannica verò *Parlamenta*, Conventus ſunt publici trium Regni Ordinum, *Cleri*, *Optimatum* & *Popularium*, in quibus, tanquam totius gentis Comitiis, de rebus ſummis ac maximis conſultatur, Vide Joh. Andr. Gerhardum *Diſc. exot. de Parlamentis Galliæ & Angliæ Jenæ*, *A.C.* 1667. *edit.* & Greenium *Diſſertat. de Regno Britanniæ*: adeoque Britannica idem ſunt, quod in Francia trium Regni Ordinum Conventus, qui vulgò, *Aſſemblees des Eſtats du Royaume*, appellatur. Cogebantur autem ea potiſſimum ad hoc, ut ingruente bellô Regi auxilia pecuniaria ab omnibus Regni incolis præberentur. Unde quòd Anglici *Parlamenti* auctoritatem prolixè commendat Joh. Forteſcutus *l. de laudibus LL. Angliæ c.* 13. & 34. atque inter alia dicit (non ut in Francicis, ſi prima ſpectetur eorum origo, Proceres tantùm, eoſque utriuſque ordinis Secularis & Eccleſiaſtici, iis intereſſe mos. In *Vita* Ludovici VII. *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & magna pars Baronum Franciæ*, conveniſſe dicuntur, &c. Nec omittendum, *Parlamentum* Britannorum duplex eſſe, *Superius*, vulgò Germ. *das Ober-Hauſs* & *Inferius* ſeu *das Unter-Hauſs*, in quorum illo Archiepiſcopi, Duces, Comites, Marchiones, Barones, in iſto, Equites & Municipes ſive Nobilitas & Civitates, locum habent. Et his Proceres, communi nomine *Lords* Angl. & formulâ compellandi *Mylords*, quaſi dicas, *Domini mei*, appellantur. Vide præter Auctores ſuprà citatos Thomam Schmidium *de Republ. Anglic. l.* 2. *c.* 2. & qui per *Parlamenta* Angliam ſemper gubernatam fuiſſe, pluribus oſtendere contendit, Georg. Hornium *Orb. Imp. p.* 314. *cum Notis L. Joach. Felleri edit.* 1677. Etiam verbô mentio hìc facienda *Parlamenti*, ſeu Conſeſſûs Baronum de capitalibus criminibus cognoſcentium, de quo vide Hect. Boëthium *Hiſtor. Scot. l.* 14. *p.* 305. & infrà in voce *Placitum Lethiferum*.

Parlamentorum Galliæ succincta historia ex Car. du Fresne.

Pariſienſe ſtatarium factum eſt ſecundùm nonnullos, à Philippo Pulchro, quod ex ejus *Statuto* pro reformatione Regni edito A.C. 1302. *art.* 51. colligunt. Ei ſedem aſſignatam in Palatio Regio, à Ludovico Hutino quidam ſcribunt: at Thuanus *Hiſtor. l.* 10. id ſub Philippo IV. A. C. 1344. factum eſſe aſſerit.

Tholoſanum, ante Philippum Pulchrum, jam extitit, ut Catellus *Rerum Occitanar. l.* 2. fusè probavit: Statarium verò factum, à Carolo VII. literis datis Salmurii 11. Octobris A. C. 1443. cujus exordia tum primùm inita 4. Junii ſubſequentis. Inde tamen Montempeſſulanum tranſlatum, ſed rurſum Toloſam reductum eſt à Ludovico XI. A. C. 1461.

Burdigalenſe, poſt exactos ex Aquitania Anglos, inſtitutum eſt, à Carolo VII. Burdegalenſibus, qui ſe ultro Regi dediderant, ſolenni pactô id obtinentibus A. C. 1451. Exinde erectum fuit A. C. 1460. eique Caſtellum Lomberianum, vetus Ducum domicilium, pro ſede aſſignatum. Verùm Burdegalenſibus paulo pòſt in rebellionem prolapſis urbs recepta, Pariſienſi Parlamento ſubdita manſit, donec, Aquitaniæ Ordinum precibus, rurſum Burdigalæ *Parlamentum* inſtauratum eſt, à Ludovico XI. 12. Junii A. C. 1462. Idem tamen poſteà, cum Aquitaniæ Ducatum Carolo fratri in apanagium conceſſiſſet A. C. 1469. Pictavum tranſtulit (quia Parlamenta teneri haberique non poſſunt in terris apanagiatis) donec Carolô extinctô A. C. 1472. rurſum Burdigalæ inſtitutum eſt.

Rotomagenſe, ſtatarium redditum eſt à Philippo Pulchro A. C. 1302. ad petitionem trium Normanniæ Ordinum erectum à Ludovico XII. 1. Octobris A.C. 1499. quod in annum ſequentem rejiciunt Chopinus *de Dom. l.* 2. *Tit.* 15. Hallianus, alii.

Aquenſe, ab eodem Rege inſtitutum eſt A. C. 1501. cùm anteà in ea urbe ſupremum Concilium eſſet, quod Ludovicus II. Comes Provinciæ inſtituerat literis datis A. C. 1424. in quibus *Eminens Concilium* appellat.

Gratianopolitanum, à Ludovico Delphino, poſtmodum Rege XI. Caroli VII. fil. erectum eſt, pro toto Delphinatu, menſe Jun. 1453. cùm anteà lites judicarentur ſupremô judiciô, à *Concilio Judicum* erecto 1340. ab Humberto Delphino Viennenſi.

Divionenſe, Burgundiæ Ducatu poſt Caroli Ducis obitum, ad coronam reverſô, erectum eſt à Ludovico XI. 18. Mart. 1476. Extinctum poſteà à Carolo VIII. & Pariſienſi unitum, denuo inſtauratum fuit, à Ludovico XII.

Redonenſe, ab Henrico II. menſe Martiô A. C. 1533. erectum conflatumque eſt ex duabus Cameris uti vocant, quarum prior Redonenſi in urbe ad 1. Aug. altera in Nannetenſi à 1. Febr. tenebatur. Sed hanc poſteriorem Redonas tranſtulit Carolus IX. 1560. Thuanus *Hiſt. l.* 10.

Palenſe, in Beneharnis, inſtitutum eſt à Ludovico XIII. cùm anteà lites dirimerentur, in Curia Majori ſeu Plenaria, dein à Concilio Supremo. Marca *Hiſtor. Beneharn. l.* 6.

Metenſe; ab eodem erectum eſt, menſe Januar. A.C. 1633. tranſlatum inde in Urbem Tullenſem, 10. Maj. 1636. rurſum denique in Metenſem urbem remiſſum. Addunt quidam Enſisheimenſe, in Alſatia, ſed illud Metenſi ſubeſt.

PARLATORIUM, locus deſtinatus colloquiis, in Monaſteriis, Gall. *Parloir* &c. Aliter *Locutorium* quoque, quod vide. In Italia & Lombardia præſertim *Parlatorium* appellatur locus ſeu camera, ubi de rebus ſeriis civitatis diſceptatum. Vide Joh. Villaneum *l.* 1. apud Car. du Freſne Gloſſar.

PARMA, nomen fluvii in Italia, in Longobardia Ciſpadana. Oritur ex Apennino. in confinio ditionis Genuenſis, versùs Apuam, dein in Boream tendens, per Ducatum Parmenſem, Parmam rigat, & 10. milliar. infra in Padum ſe exonerat. Ab hoc urbs inter Placentiam & Cremonam ſita *Parma*, urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bononienſi, & Ducatus titulô inſignis, appellata eſt. Hæc patria fuit Caſſii poetæ, quem ideo *Parmenſem* vocat Horat. *l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 3. itemque Macrobii, viri ingeniô ac doctrinâ præſtantis, ut & Gerardi Sagarelli, Fratricellorum doctoris celebris. Nomen antiquum hodie retinet. Oppidani inde dicuntur *Parmenſes* Ciceroni, *Orat. Philipp.* 14. *c.* 3. *Plinio* & *Martiali l.* 4. *Epigr.* 37. *v.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

At Stephano ſunt inuſitatô Romanis, ut arbitror, vocabulo *Parmani*. Πάρμα, inquit, πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Παρμαῖος, ἢ Παρμανός. Illa Græca, hæc Romana erat formatio. De ipſo oppido ſic Strabo *l.* 5. Πόλεις δ᾽ εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου, καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμωνὴ πλησιαίταται κατὰ μέσην που τὴν χώραν, μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη καὶ Βονωνία. *Ptolemaus*, Ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάς δε. Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον. Πάρμα Κολωνία. Plin. *l.* 3. *c.* 15. *Intus Colonia, Bononia, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. Oppida Caſena, Claterna.* Quando Colonia huc ſit deducta, oſtendit Liv. *l.* 39. *c.* 55. *Eôdem*, inquit, *annô Mutina & Parma Coloniæ Romanorum civium ſunt deductæ: bina millia hominum, in agro, qui proximè Bojorum, ante Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt.* Annus is fuit urbis Romæ 569. quô annô Conſules fuêre M. Claudius Marcellus, & Q. Fabius Labeo. Longô tempore pôſt, quum ſub Auguſto Imperatore novos colonos accepit, cognomenta ei tum addita, quæ antiquus lapis refert hôc modô: Col. Jul. Aug. Parma. A quo primùm ædificata fuerit, variè tradiderunt ſcriptores. Sicardus Cremonenſis à Chryſo Trojano, Pallantis Comite, Judicum Iſraëlis tempore conditam, & ab ipſius authoris nomine *Chryſopolim* dictam ſcribit, i. e. *civitatem auream*: Paramam *Leander* primùm à Thuſcis, quæ gens hanc regionem diu poſſedit, conditam, & à principatu coloniarum *Parmam* denominatam arbitratur. Sita eſt in Æmilia via in plano, quinis ab Apennino paſſ. mill. tam ſalubri cœlo eſt, ut *Plinius* inter exempla cenſus, quem ſuis temporibus Imperatores Cæſares Veſpaſiani pater filiuſque Cenſores egerunt, Parmenſes 120. natos annos tres, 130. binos edidiſſe memoriâ prodiderit. Hic cum fratres Prædicatores mulierem nobilem hæreſis Catharorum convictam, exuſſiſſent, plebs tumultu concitatô omnes urbe exegerunt, A. C. 1280. Blondus *Dec.* 2. *l.* 9. Sigon. *l.* 20. Ducatus cognominis caput eſt, à fluv. *Parma* in duas partes ſecta. Ampla, probè culta, picturiſque elegantiſſimis ornata, cum arce valida & palatio ſuperbiſſimo; Vix 10. milliar. à Pado in Meridiem, Media ferè inter Mutinam ad Ortum & Placentiam ad Occidentem. Academiam hîc fundavit, A. C. 1599. Rainucius Farneſius. Labente Imperiô, urbs varios habuit dominos, à Frider. Barbaroſſa per biennium fruſtra obſeſſa. Poſt alias Fortunæ vices, Petrus Lud. Farneſius, à Paulo III. patre ſuo Dux Parmæ creatus eſt, A. C. 1545. indignante Carolô V. qui tamen Margaretam, filiam ſuam notham, pace factâ, Octavio elocavit. E quo conjugio natus eſt Alexander, ille Belgicis bellis adeò celebris Hiſpanorum Dux. Vide & Agathiam *l.* 1. Leandr. Alb. *deſcript. Ital. Sanſovinum, Thuanum, Grotium, Stradam,* &c. Lana illius olim in pretio. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 155.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis. ——— ———

Idem *l.* 5. *epigr.* 13. *v.* 8.

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Idem *l.* 4. *epigr.* 37. *v.* 5.

Ex pecore redeunt ter ducena Parmenſi.

Et *l.* 2. *epigr.* 43. *v.* 3.

Te Lacedæmoniô velat toga lota Galeſo,
Vel quam ſepoſito de grege Parma dedit.

Lloyd. Cœterum, de Petri Aloyſii Paulô III. geniti, primi *Parmæ* ac Placentiæ Ducis, immani tyrannide ac miſerabili morte, conſule ſi placet Sleidanum. Ex ejus ſucceſſoribus Octavius Cæſari reconciliatus eſt A. C. 1556. quibus conditionibus, vide apud Thuanum *l.* 16. Papa poſteà Urbanus VIII. Ducatum Caſtrenſem Duci eripuit hôc ſeculô, ob debita, unde bellum exortum & controverſia tandem auctoritate Ludovici XIV. Galliæ Regis compoſita eſt A. C. 1664. ſed hactenus ſine ſucceſſu. Seriem Ducum exhibuimus ſuprà in voce *Farneſius Alexander.* Addam ſaltem, Ducatum *Parmæ* Papalé eſſe feudum, ſed in Placentiam jus ſibi vindicare Regem Hiſpaniæ ratione Ducatûs Mediolanenſis, ex Georg. Hornio *Orb. Politic: Part.* 2. *p.* 70. *edit. prim.*

PARMA, vox Thracica, genus armorum denotat, tutando corpori excogitatum. Memoratur Polybio *l.* 6. cùm ait: *Natu minimi, quos Velites & Pilanos nominârunt, jubentur geſtare gladium, pila,* Parmamque: Parma *tum firmitatem habet ob ſtructuram, tum magnitudinem, quæ tutando corpori ſit ſatis. Nam rotunda cùm ſit, tripedalem habet diametron.* Vide Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 10. Servius *ad Æn. l.* 10. à clypeo *Parmam* ſic diſtinguit: *Parma levia arma, clypei majoris ponderis. Vet. Gloſſa, Parma* ἀσπιδίσκιον. Iterum *Parma* ἀσπὶς ἱππική, *clypeus equeſter*: Denique *Parma* Θρακικὸν ὅπλον, *Thracicum armorum genus.* Quòd equeſtrem vocavit clypeum, ad velites referendum, auctore Liviô *Decad.* 3. *l.* 6. *Gladiis à Velitibus trucidabantur, hic miles tripedalem* Parmam *habet, & in dextra haſtas, quibus eminus utitur, gladiô Hiſpanienſi cinctus eſt.* Quomodo & intelligendus Jul. Frontin. *Strategem. l.* 4. *c. ult. Romani cùm Campanis Equitibus nullô modô pares eſſent, Qu. Nonius Centurio in exercitu Fulvii Flacci Procos. excogitavit, ut delectos ex toto exercitu, qui velociſſimi videbantur, & mediocris ſtaturæ erant,* Parmulis *non amplis & galericulis gladiiſque ac ſeptenis ſingulos haſtis quaternum circiter pedum armaret eoſque adjunctos Equitibus juberet uſque ad mœnia provehi.* Aliàs *Parma*, clypeus, ſcutum, umbo &c. non raro confunduntur. Fuêre autem fortium virorum ſcuta ſeu *Parmæ* pictæ, inertium ac tironum puræ, docente Serviô in *Æn. l.* 7. *v.* 796. qui *ad Æneid. l.* 9. *v.* 548. quoque ait, *Picta arma jam probati in bellis habebant:* ad quem locum videatur quoque Jac. Pontanus. Abbo de *Obſid. Lutetiæ Pariſ. l.* 1.

——— *Saxa fremunt* parmas *quatientia pictas,*
Scuta gemunt.

Ipſe Virgilius *loc. cit.*

Enſe levis nudô, parmaque inglorius albâ.

Et de Camilla *l.* 11. *v.* 711. tirocinium ejus ſpectans,

——— ——— *Puraque interrita* Parmâ.

Contrà de Viro forti & bellicoſo Capaneo, Statius *Theb. l.* 10. *v.* 929.

Et clypei niger umbo cadit. ———

Vide Thom. Dempſterum Paralipom. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 10. *c. cit.* A *parma* dicta eſt in exercitu Romano, contra Volſcos, *parmata cohors*, apud Livium *l.* 4. *c.* 38. quæ *tegumen omnis exercitus* appellatur, *c. ſeq. Dat ſignum Volſcis Imperator, ut parmatis, novæ cohorti hoſtium, locus detur. Quum Conſul legioneſque Romanæ, quod tegumen modò omnis exercitus fuerat, nuſquam viderent* &c. Indidem vocati ſunt *Parmularii*, genus quoddam Gladiatorum, qui & *Thraces* dicti ſunt: Apud hos enim primitus in uſu fuit *Parma*, clypeus rotundus & parvus; quæ poſteà huic Gladiatorum generi peculiaris extitit; ſicâ præterea inſtructis, Turnebus *Adverſar. l.* 5. *c.* 10. Namque & hæc Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπὲς, *Thracius gladius incurvus* erat. Vide quoque Sueton. *in Domit. c.* 10. Alex. ab Alexandro *l.* 6. *c.* 22. & Lipſium *de Militia Romana*, nec non ſuprà, voce *Palmularius.*

PARMENAS, nomen Diaconi unius ex 7. Sub Trajano martyriô coronatus eſt, A. C. 109. Actor. *c.* 6. *v.* 5.

PARMENIANUS, Epiſcopus Schiſmaticus, in Africa; à Donatiſtis Donato ſurrogatus, A. C. 368. Ab Orthodoxis ad diſquiſitionem invitatus, renuit venire, eò quòd illi immundi eſſent. Refutatus ab Optato. *l.* 1. & Auguſtino.

PARMENIDES, Eleates Philoſophus, Xenophanis an Anaximandri? auditor; atque amicus, cujus meminit Plato, atque ejus nomine dialogum ſcripſit, vocavitque *Parmenidem, ſive de ideis.* Hic carmine phyſiologiam expreſſit, ſicut Empedocles & Heſiodus: Duplicem autem eam ſtatuit, unam, quæ veritate conſtaret; alteram, quæ opinione. Primus apprehendiſſe dicitur eundem eſſe Luciferum & Heſperum; alii autem Pythagoram dicunt. Vixit Olymp. 86. An. 318. Urb. Cond. Primus etiam terram rotundam, & in medio mundi; duo elementa, ignem & aërem: Solem frigidum & calidum, primum hominem è ſole genitum, &c. dixit. Item Rhetor, Suid. Diog. Laërt. *l.* 9. *vita Phil.* Theophr. Plut. Sextus Empiricus, Clemens Alexandrin. Proclus, &c. Fragmenta Philoſophi exhibet *Henr. Stephanus, de Poëſi Philoſoph.*

PARMENIO, inter Alexandri M. comites maximè dilectus, occiſus tandem ejus juſſu: de quo plurima *Curt.* & *Plutarch.*

PARMENISCUS, Grammaticus & Aſtrologus, quàm ſapienter de autumno ac vindemiis ſcripſerit, refert Plin. *l.* 18. *c.* 31. Idem commentatus eſt in Aratum, & hiſtoriam Aſtrorum ſcripſit, laudatam Hygino, *Poëtic. Aſtron. c.* 2. *&* 13. & Varron. *l.* 9. *de L. L.* Vide Voſſium *de Hiſtor. Græc. p.* 397. *& de Scient. Mathemat. c.* 33. §. 21.

PARMENO, nomen viri apud Comicos.

PARMENSIS Johannes, vide *ib.*

PARMENSIS Ditio, inter Ducatum Mediol. ad Boream & Occidentem Ducatum Mutinenſem ad Ortum & ditionem Genuenſem partemque vallis Macræ ad Meridiem. Partes habet, Ducatum Parmenſem & Placentinum, Statum Buxeti, & Principatum Vallis Tari pro majore parte, quibus annumerabantur anteà Ducatus Caſtrenſis, & ditio Roncilionis, in provincia Patrimonii. Dux eſt è gente Farneſio, Ducatus verò Parmenſis ſtrictè ſumptus, eſt inter Mutinenſem ad Ortum & Placentinum ad Occidentem.

Parmensis ditionis Urbes:

Burgus S. Domnini, *Borgo S. Donino.*	Buxetum, *Buſſeto.*
	Florentiola, *Fiorenzuola.*
Burgus Vallis Tari, *Borgo di Val di Taro.*	Parma, *Parma.*
	Placentia, *Piacenza.*

PARNASSUS, urbs Epiſcopalis Cappadociæ, in Galatiæ confinio ad fontes Melæ fluv. 140. mill. paſſ. ab Ancyra in Eurum. 80. ab Amaſia in Meridiem ad radices montium. Quid nunc ſit, non conſtat. Item, urbs Aſiæ minoris.

PARNASSUS, mons Phocidis, ubi plurima & laudatiſſima Laurus, hodie *Liacura, Sophian.* Apollini & Muſis ſacer, 2. vertices habens, quorum unum Tithorea vocari, alterum Hyampeum, anthor eſt *Herodotus.* Cithæron autem & Helicon, quos Servius malè putavit eſſe Parnaſſi juga, montes ab hoc diverſi, licet non admodum disjuncti, ſunt. Hujus autem duo juga ſunt *Cyrrha* & *Niſa.* Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 62.

Quis locus ingenio, niſi cùm ſe carmine ſolô
Vexant, & dominis Cyrrhæ Niſæque feruntur
Pectora noſtra duas non admittentia curas.

Magnitudinem ejus innuit Strabo *l.* 9. ubi Heliconem (quem Heſiodus vocat ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε) κατά τε ὕψος καὶ περίμετρον *altitudine & ambitu* ſcribit eſſe Parnaſſo ἐνάμιλλον, hoc eſt, *conferendum:* De quo Theophr. *hiſt. pl. l.* 3. *c.* 3. Ἐν γε τοῖς μεγάλοις ὄρεσιν οἷον τὰ ἐν Παρνήσῳ, *in magnis montibus, ut in Parnaſſo.* Unde ἄνθρωποι Παρνασσῶν μεγέθη, apud Ariſtophanem in *Ranis*, & Παρνάσιοι pro *magnis* in Acharnanenſibus. Altitudinem ſatis innuit Ovid. *Metam. l.* 1. *v.* 316.

Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus
Nomine Parnaſſus, ſuperatque cacumine nubes.

Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 780.

——— *Parnaſſi è vertice ſummo.*

Et Lucan. *l.* 5. *v.* 72.

Cardine, Parnaſſus geminô petit æthera colle.
Mons Bromio, Phœboque ſacer. ———

Perſius *in Prologo, v.* 2.

Nec in bicipiti ſomniâſſe Parnaſſo
Memini. ———

Sene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Seneca Oedip. *Actu* 2. *v.* 227.

Gemina Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit.

Statius, *Thebaid. l.* 1. *v.* 62.

Idem: ——— *Si ſtagna petii Cyrrhæa bicorni.*

——— *Summaque biverticis umbrâ*
Parnaſſi reſidens. ———

Proinde Nonno *in Dionyſiacis*, διχάρηνος, h. e. *biceps* dicitur. Quòd autem Seneca *nivalem* arcem dixerit, habuit forte ex Homero, qui ſic *in Hymn.* 2. *v.* 282. de Parnaſſo:

Ἵκεο δ' ἐς Κρίσσην ὑπὸ Παρνησὸν νιφόεντα.

Unde quoque, ni fallor, Euripides in Phœniſſis νιφοβόλον vocat. Lauru abundâſſe hunc montem innuit Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 18.

——— *Etiam Parnaſſia laurus*
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.

Quo circa Nonnus εὔδενδρον, h. e. *bonas arbores habentem* vocat. *Parnaſſi deſerta avia* dixit Virg. *Georg. l.* 3. 291. Hauſit forſan ex Pindaro, cui *Ode* 10. *Pyth.* Παρνάσιος μυχὸς dicitur. Pauſan. *in Atticis*, Gallos, cùm in Græciam irrupiſſent, ait, Delphos, ad diripienda Delphici templi donaria ſe contuliſſe; incolas autem iis occurriſſe, ac tum crebra de cœlo fulmina, & divinitus ac ſponte avulſa de Parnaſſo ſaxa Gallorum aciem perculiſſe. Quo alluſit Propert. *l.* 2. *eleg.* 34. *v.* 13.

Altera dejectos Parnaſſi vertice Gallos.

Et planiùs *l.* 2. *eleg.* 13. *v.* 53.

Torrida ſacrilegum teſtantur lumina Brennum,
Dum petit intonſi Pythia regna Dei.
At mons laurigo concuſſus vertice, duras
Gallica Parnaſſi ſparſit in arma nives.

Priùs hic mons *Larnaſſus* dictus fuit, à *Larnace* arca Deucalionis, quæ eò delata, autore *Stephanô* cum *Apollonii Interprete.* Poſt diluvium verò, *Parnaſſus* vocabatur, ab heroë *Parnaſſo*, uti tradit *Hellanicus.* Lege Lilium Gyraldum *Synt. de Muſis. Peucerus* ab Ebræo הר *Har* & נחש *Nahas* deducit; litera p. locô h. adſcripta in compoſitione. *Har* autem eſt *mons*; *Nahas* verò *augurium*, ac *divinatio*, quaſi dicatur *mons divinationis.* Nam Oraculum Delphicum ſedem habuit ad radices Parnaſſi. *Nic. Lloydius.* Probat hanc Etymologiam etiam Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſoph. l.* 3. *c.* 2. ubi Græcos *Parnaſſi* etymon fruſtra in lingua ſua quærere, cùm docti jam pridem oſtenderint, *Har-naſſe* primitus dictum fuiſſe, docet: additque, quoſdam Semitarum vel Japetionidarum ibi conſediſſe ac prædixiſſe, ſi homines in impietate ſua pergerent, fore ut rurſum aquis abſorberentur; vel potiùs ibi primò, editis Oraculis, religioſæ ſuperſtitionis fundamenta jeciſſe. Certum enim, Japetum vel ipſum vel poſteros ipſius in Græciam delatos eſſe, cùm ab eo Græci generis humani originem arceſſant: quod Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 3. *v.* 27. *Audax Japeti* vocat *genus.* Unde illæ fabulæ de Japeto & filio ejus Prometheo, cui inventionem Artium & Philoſophiæ manifeſtè tribuit *Suidas*, Προμηθεὺς, inquiens, εὗρε πρῶτος τὴν γραμματικὴν φιλοσοφίαν: ubi monet Voſſ. *l.* 1. *Gramm. c.* 3. legendum eſſe. Γραμματικὴν καὶ φιλοσοφίαν. Et apud Euſebium Africanus *Præpar. l.* 4. *c.* 3. *Prometheum finxiſſe homines fabulantur atque formâſſe, quoniam ſapientiâ, eloquentiâque ſuâ à beſtiarum vita in civilem eos transformavit.* Etiam Plato *in Philebo*, maximam inventorum, cælitus acceptorum, laudem ei tribuit &c. Itaque cùm prima Sapientiæ ſtudia ad hunc montem excolerentur, facilè factum eſt, ut primi illi Magiſtri Muſarum (quæ in *Parnaſſo* ſedes habere fingebantur olim) nomen reportaverint: itidem à voce Hebr. מוסר, quòd reconditæ diſciplinæ Magiſtri eſſent. Vide eundem Hornium *l.* 7. *c.* 3. *ubi de Helicone ei, aliiſque Philoſophandi locis prolixus ſermo eſt:* nec non infrà voce *Pharnas.*

PARNES, mons Atticæ vitifer. Statius *l.* 12. *Theb. v.* 620.

Dives & Hegaleos nemorum, Parneſque benignus
Vitibus. ——— ———

Genitivus caſus *Parnethos* apud Ariſtoph. *in Nubibus.* Et hic mons & *Parnaſſus* alludunt ad Syrum פרנס *parnes*, h. e. *paſcere*, unde פרנוס *pirnus*, paſcuum, Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 16. *Nic. Lloydius.*

PARNESSUS, Aſiæ mons inter Arianam & Bactrianam, Dionyſ. *v.* 737.

——— Κνημοῖς ὑπὸ Παρνησοῖο.

Hic pleriſque Παροπαμισὸς, *Ptolemæo* verò Παροπανισὸς dicitur, unde per ſyncopen fit Παρπανισὸς, & iterata eâdem ſyncope Παρνισός. Παρνησοῖο enim apud *Dionyſium* legendum docet Salmaſ. & ex variantibus lectionibus probat *Montanus. Idem Lloyd.*

PARNETES, cognomen Caliſtrati Athenienſis Principis, qui, quia inſtituit, ut in judiciis & concionibus nummuli diſtribuerentur, locum proverbio dedit: *Obolum repetit Parnetes.*

PARNI, Nomades quidam, qui Arſace virô Scythâ duce Parthiam invaſerunt, eamque obtinuerunt, quum anteà Ochum accolerent, Strabo *l.* 11.

PARNOPIUS, Apollo dictus eſt apud Bœotios, ſive *à mure*, qui apud Æolos παρνοπίων dicitur, ſive *à culicibus*, qui ſic apud Bœotios nominantur. Pauſan. autem ideo *Parnopium* vocat, quòd infeſtas agro Athenienſi locuſtas, h. e. πάρνοπα, de regione propulſaverit. *l.* 1.

PARNUS quidam, qui ob amiſſam naviculam, cum obviis quibuſque litigabat. Hinc adagium: *diſceptare ob Parni ſcaphulam*, i. e. ob res minutulas multum movere litium & querelarum. Diogenianus *apud Eraſmum.*

PAROCHIÆ, de harum origine *Anaſtaſius* dicit, Fabianum Pontific. 21. per Regiones Romam diviſiſſe Diaconis. Et *Luitprandus*: Fabianus 7. Diaconos in urbe Roma in 7. Regiones ipſius urbis diviſit. Dionyſius autem, Presbyteris Eccleſias diviſit & Cœmiteria, & *Parochias*, & Diœceſes inſtituit. Poſt hæc Marcellinus Papa, 25. titulos, quaſi diœceſes eſſe voluit. In Angliam *Parochiarum* originem primus Româ deduxit Honorius Dorobernenſis Archiepiſcopus V. Romanus ipſe & Gregorii M. diſcipulus. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Meliùs *Parœciæ*, ex Græco Παροικία. (Unde *Budæus* ait, *Parœcia accolarum eſt conventus & accolatus ſacraque vicinia. Quare qui fanum aliquod accolunt*, Parœci *dicti ſunt, ejuſdem ſcilicet Fani* (quod voce οἶκος, *Oeci*, non raro venire Veteribus diximus ſuprà, in hac voce) *participes.* Additque, *Quòd ſi Latinè loqui magis placet, Latina ſcientibus Parœcia Curiæ dici poſſunt, unde Curiones olim dicti & Parœci ipſi Curiales. Inde Curionatus, qui vulgò Cura dicitur* &c. Quæ omnia eruditè probat ex *Livio & Feſto.* Atque hæc etymologia videtur non longè petita. Fileſacus etiam *de Parœciis c.* 1. exiſtimat, ejuſdem Eccleſiæ conſortes vel vicinos, παροίκους dictos: & *Parœciam*, eorum qui eandem Eccleſiam accolunt viciniam. Henric. tamen Valeſ. *ad Euſebii Hiſtor. l.* 1. *c.* 1. hujus vocis originem inde natam putat, quòd Eccleſia in terris duntaxat inquilina ſit & πάροικος; ejus autem patria & municipatus in cœlo. Car. verò du Freſne cenſet, Veteres appellâſſe Eccleſias παροικίας, quòd, cùm in magnarum Urbium viciniis conventus ſuos ſacros ſecretò agerent, eorum Eccleſiæ ſeu Conventus, non civitates quidem dicerentur, ſed viciniæ civitatis: quod probat ex formulis familiaribus primitivæ Eccleſiæ, ἡ ἐκκλησία ἡ παροικοῦσα ἐν Σμύρνῃ, apud Euſeb. *l.* 4. Ἐκκλησίᾳ τῇ παροικούσῃ Γορτύναν, *eód. l. c.* 23. ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην, in *Ep.* Clementis ad Corinth. &c. Neque ab hac ſententia diſcedit Sirmondus *Diſquiſit. de Azymo c.* 5. ubi obſervat, *Parochiarum* nomen, ruſticarum olim Eccleſiarum fuiſſe, ideoque *Parochias* Civitatibus opponi, in Concilio Agathenſi *can.* 21. & in Concil. Aurelian. V. *can.* 8. Sed falſum id eſſe, pluribus docet Cl. Suicerus, cui proin Παροικία Σμύρνης vel Ῥώμης, eſt Ἐκκλησία παροικοῦσα Σμύρναν vel Ῥώμην, *Eccleſia Smyrnam* vel *Romam habitans. Primi*, addens, *Chriſtianorum cœtus in urbibus ita vocati ſunt, quia, cùm pauci eſſent & differrent à civibus ipſis religione ac ſacris, tanquam hoſpites ac peregrini, ſive* πάροικοι *illarum urbium cenſebantur. Sed & revera plurimi ex his erant peregrini* ——— Πάροικος *autem non dicitur, qui in vicinia colit, aut propter urbem, ſed qui ipſam urbem incolit, ut inquilinus* παρ' ἄλλης πόλεως ἄλλην οἰκῶν, *qui de una urbe in aliam incolendi gratiâ migravit. Hæc eſt origo* Παροικιῶν & παροικουσῶν πόλιν τινὰ Ἐκκλησιῶν. *Quæ vox aliquando plurium minutarum Eccleſiarum complexionem ſignificat & unam Eccleſiam civitatis, in plures diſpertitam minores conventus. Aliquando minores illos ipſos cœtus, qui ut Eccleſiarum nomine vocitabantur, ita etiam* παροικιῶν, *ut in Epiſt. Innocentii ad Decentium. Alioquin circa illa tempora* Parœcia *diſtinguebatur ab Eccleſia, præcipuè in Africana Eccleſ. quia Eccleſiæ nomen ſumebatur propriè de matrice & principali Eccleſia* ——— *Eôdem tempore in Eccleſiis Occidentis* Parœcia *appellata eſt, quæ pars eſſet Eccleſiæ civitatis, Baſilica nempe particularis, cui unus Presbyter præerat* ——— *tota autem civitas Eccleſiaſtica ſub Presbyterio ſuo vel Epiſcopo, quæ ex multis parœciis conſtabat, vocata fuit Diœceſis. Quô ſenſu Diœceſis & Eccleſia eadem erat, ut apud Græcos* Ἐκκλησία & Παροικία ——— *ut qui vocem* Διοίκησις *raro aliter uſurpabant, niſi de plurium provinciarum, ſub Exarcho eccleſiaſtica, ſub Vicario civili adminiſtratione. Eccleſia igitur abſolutè cùm idem ſignificet, quod Diœceſis apud Latinos, &* Παροικία *apud Græcos, & omnem unius civitatis plebem comprehendat, inde factum, ut Civitas, Eccleſia & Plebs, pro eodem ſumantur* &c. Vide eum *Theſaur. Eccl.* voce Παροικία. Hodie *Parœcia*, ſeu, ut vocabulô Canoniſtis magis tritô utar, *Parochia*, territorium & diſtrictus Epiſcopi vel Sacerdotis, uti *Provincia* & *Diœceſis* Metropolitani & Archiepiſcopi, dicitur; ad cujus imitationem, diſtrictus quoque Judicis *Parochia* dicitur, in *Decretis* S. Ladislai Hungariæ Regis *l.* 3. *c.* 16. Diviſio autem *Parochiarum* ortum habuit à Dion. *ut* 13. *quæſt.* 1. *c. Eccleſ.* Atque in hoc *Parochiale* jus conſiſtit, ut omnes *Parochiani* in diebus Dominicis & feſtivis miſſam audiant in Eccleſiis, in quarum parochiis habitant, *c.* 2. *dicto t. de Parochiis.* Præterea in decimis perſonalibus, quæ Eccleſiæ parochiali debentur, 16. *quæſt.* 1. *ſi quis Laicus cap. ad Apoſtolicæ, de decim. primit & oblat.* Tandem in oblationibus, quæ dandæ ſunt Sacerdoti *Parochiali*, qui pro Populo orare debet, 10. *qu.* 1. *quia Sacerdos.* Hactenus Canoniſtæ, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Conſtituunt autem *Parochiam* decem homines ſecundùm eoſdem qui inde *Parochiani* ſeu *Parochiales* dicuntur, &c. Plura vide præter auctores laudatos, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* ſimiles *Parœciis* hodiernis fuêre Curiæ illæ triginta, in quas Populum Romanum primis temporibus Romulus diſtribuit. Ut enim *Parochiæ* habent deſtinatas quaſdam ædes ac domos, in certa quadam urbis parte poſitas, quæ communia ſacra, ipſam ædem communem & ſacrorum communem Miniſtrum, i. e. *Parochum*, habent: Ita Curiæ illæ Romanæ erant incolarum Urbis partes, non modò locô, ſed etiam ſacris peculiaribus, diſtinctæ, quibus qui præerant, *Curiones* vocabantur. Vide Joh. Roſin. *Antiquitat. Rom. l.* 6. *c.* 2.

PAROCHUS, Gothofredo *convivatorem* notat: Horat. *l.* 2. *Sermon.* 8. *v.* 36.

Tum Parochi *faciem nil ſic metuentis.*

I. e. qui menſas cœteris appoſitas epulis inſtruit. Propriè, qui lege Juliâ Magiſtratibus Reip. causâ proficiſcentibus omnia neceſſaria ſuppeditabat; quæ unô nomine vocabantur Παροχὴ: quod A. Gellius vertit *Præbenda*, *l.* 15. *c.* 14. Horum redemtionem ſordidam viſam fuiſſe, oſtendit Horatii locus de Ventidio Baſſo. Ut autem ab iſtiuſmodi præbendis Cicero abſtinuerit, in provinciam proficiſcens, lege *ad Attic. l.* 5. *Ep.* 10. & 21. Officium iſtiuſmodi *Parochi*, idem Poëta deſcribit, *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 46

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi, *quæ debent, ligna ſalemque:*

A Græco παρέχειν, quod eſt πορίζειν, *præbere* ac ſuppeditare, dicti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quando autem vox ἀπὸ τῦ παροχεῖσθαι, quod eſt, *vehi aſſidentem lateri alterius*, valet, tum τ̃ Παράνυμφον ſeu Νυμφαγωγὸν, *Conjugum conciliatorem* & *Auſpicem*, cui plurimum in Græcia deferebatur; ubi, ut ſcribit Pauſanias, in nuptiali curru tres tantùm ſedebant, Sponſa quidem media & à lateribus ipſius Sponſus & *Parochus*, qui vel genere vel amicitiâ Neogamis conjunctus erat: ſed de hoc vide ſuprà in voce *Paranymphus*. Ad prius vocis ſignificatum ut redeam, Porphyrio *Parochos* illos Horatii hodie *Copiarios* dici monet, quod & Duarenus annotavit *Diſput. Anniverſ. l.* 1. *c.* 26. Atque inde *Parochias* quidam derivârunt, quibus ſingulis Sacerdotes ſui deſtinati ſunt, ab exhibitione Euchariſtiæ *Parochi* dicti: ſed *Parœcias* primùm, non *Parochias*, appellatas eſſe, vidimus ſuprà. Vide Chabotium *ad Horat.* & Calvin. *l. c.*

PARODANA, Perſidis urbs, *Ptolem.*

PARODIA, de Rhapſodia nata eſt, uti è Tragœdia Satyra; è Comœdia mimus. Cùm enim Rhapſodi intermitterent recitationem, luſûs gratiâ prodibant, qui ad animi remiſſionem omnia illa priora inverterent. Hos idcirco Παρῳδὺς nominârunt: quia, præter rem ſeriam propoſitam, alia ridicula ſubinferrent. Sic Matron Poëta Græcus aliquot millia verſuum Homericorum ad culinam & macellum invertit juſtô poëmate. Eubœus quoque Parius quatuor edidit libros *Parodiarum*, ſub Philippo. Primus autem Hegemon, apud Athenienſes, certavit hôc genere carminis, & vicit tum aliis, tum eô, quod vocavit *Gigantomachiam*. Ariſtoteles Hegemonem Thaſium primum *Parodias* ſcripſiſſe prodidit: quod tamen alii Hipponacti tribuunt, cujus reliquias exhibet Scaliger *Poët. l.* 1. *c.* 42. Fuiſſe id genus carminis apud Siculos in honore, conjici poteſt ex Alexandri Ætoli *elegiaco* hoc,

> Τοῖα Συρακοσίοισιν ἔχων χάριν οἱ δὲ Βοωτὺς
> Ἔκλυον, εὐδοίῳ τέρπεται οὐκ ὀλίγον.

Perſonæ in eo amantes fœminæ aut temulentæ: item ganeones; qui bona ſua abligurièrunt. Patres eorundem nepotum & gurgitum, Alcumiſtarum impoſturæ. Luſus in malos Poëtas ex perſona cauponis aut piſtoris. Irriſio mali Medici, ex recitatione podagrici. Omne genus Bacelorum & Bauciarum &c. Introducuntur hi cum Magiſtris, qui præeunt aut prælegunt aliquem verſum ſerium: at illi detorquent ridiculè, ad cujuſpiam ignominiam. Vide Scaligerum *d. l.*

PAROECOPOLIS, urbs Macedoniæ intra montes in Myſiæ confinio *Ptolemæo.*

PAROENIUM, carminis apud Græcos olim genus, in conviviis adhiberi ſolitum, de quo vide Athenæum *l.* 14. *c.* 6. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 4. *c.* 2. & Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 55. Græcè παροίνιον, quaſi *ad cyathum*. Cujuſmodi carmen integrum Praxilla Sicyonia compoſuit, è quo verſiculos hos,

> Οὐκ ἔςιν ἀλωπεκίζειν
> Οὐδ' ἀμφοτέροις γίνεσθαι φίλον,

citat idem Scaliger; qui & παροινίυ *ſaltationis*, inter Ionicas, *c.* 18. & παροινίων *tibiarum c.* 20. *ejuſdem libri*, meminit. Simile carmen apud Indos in uſu, indigitatur Curtio *l.* 8. *c.* 9. *Regem merô ſomnôque ſopitum, in cubiculum pellices referunt patriô more invocantium noctium Deos.* Cujus præcipuum argumentum fuiſſe, *ut Rex bonis ſomniis uteretur, & benignus erga ſubditos ac* ξύμβολος *ſurgeret*, tradit Philoſtratus *Apollin. l.* 2. *c.* 14. Sed hæc nœnia potius ſomni conciliatrix: qualem infantibus dormituris apud Græcos adhiberi ſolitam, retulimus ſuprà voce *Nænia*. Vide quoque hîc paſſim, inprimis ubi *de Conviviis* ac *Scoliis*, & de voce παροινία, quæ ὕβριν, i. e. *petulantiam* ſeu *injuriam*, ex temulentia naſcentem, notat, Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* in hac voce.

PAROETEA, regio prope mare Rubrum. *Steph.*

PARON & *Heraclides*, Ænii fratres, Cotyn extinxerunt, à quo pater eorum contumeliâ erat affectus, Ariſtotel. l. V. Politic. *c.* 10. Plutarcho, adverſus Coloten, *Python* dicitur. Idem *in Apophth.* ait, ideo ab iſtis Cotyn ſublatum, quod homo nefarius iſtorum patri vim intuliſſet. Vide Demoſth. contra Ariſtocrat. Laërt. in *vita Plat.* & *Suidam.*

PAROPAMISSADÆ, PAROPANISSADÆ *Ptolemæo*, populi fuêre Aſiæ, quorum regio, *Paropaniſſus* dicta; eratque pars Aſiæ, ſub Perſis, inter Bactrianam ad Occidentem, Indiam ad Ortum, Arachoſiam ad Auſtrum, & Caucaſum ad Boream. Quorum regio nunc *Subleſton Caſtaldo* & aliis dicitur, & regia *Carura*, ſeu *Ortoſpana* vel *Ortoſpanum*. *Baudrando* erant, ubi nunc *Cabul*, provinc. in ditione M. Mogolis, cum maxima parte Candahariæ provinc. ex *G. Sanſone*. *Ptol.* veteres hujus regionis incolas maximè feros fuiſſe, extra omne reliquorum hominum commercium, in caſis lateritiis habitantes, cum Curtio *l.* 7. *c.* 3. 4. 5. refert, qui addit, ſolum egelidum & ſterile, exercitui Alexandri non parùm fuiſſe infeſtum. Vide etiam Strabon. *l.* 11. Plin. *l.* 6. *c.* 20. 23. &c.

PARAPOMISUS, ſeu PARAPOMISSUS Plinio, *l.* 5. *c.* 27. *l.* 6. *c.* 17. *Parapaniſus Ptolemæo*, *Parnaſus* Ariſtoteli, *Parneſſus*, vel *Parneſſos Dionyſio*, mons excelſus Paropamiſſadarum, Tauri pars, ex quo Bactrus fluv. oritur. *Calchiſtan Caſtaldo* & *Moletio*. Ex eo etiam Indus fluv. profluit, teſtibus Pliniô *loc. cit.* & Arrianô, *l.* 5. *de Expedit. Alex.* Hujus montis jugum altiſſimum *Navagrot* à *M. Paulo Veneto* vocatur, *Pamer* verò *Mercatori* dicitur.

PAROPSIS, Græcè Παροψὶς, eſcarium vas, *Feſt.* Suetonius *Galbâ c.* 12. *Ordinario diſpenſatori breviarium rationum offerenti*, paropſidem *leguminis, pro ſedulitate ac diligentia, porrexit.* Sed & ſic dicebatur medica illa compoſitio Medeæ, quâ ægris vigorem ac ſanitatem reſtituendo, in lebete homines recoquere à Poëtis fingebatur. Unde Lycophron. *Caſſandr.* ubi de Æſone, Medeæ ope vigori priſtino reſtituto,

> ——— λέϐητι δαιτρευθεὶς δέμας,
> *elixus immiti rogo.*

Nempe *Medea*, ut ait Fulgentius *Mytholog. l.* 2. *ejus naturæ florem invenit, qui capillos albos nigroſve faciendi poteſtatem habebat, quô omnibus à canitie liberari volentibus capillos nigros apparere fecit. Invenit quoque prima lavacri cujuſdam calidi uſum vim Medicam habentis, quô volentibus omnibus medebatur, atque hæc quidem non in publico, ſed clam agebat, ne quis Medicorum talia addiſceret. Hæc verò compoſitio, quâ utebatur,* παροψὶς *dicebatur. Quicunque igitur hâc paropſi utebantur, agiliores prorſus ſanioreſque fiebant. Ex hoc Medea præparationem hanc quicunque videbant, lebetes ſcilicet, lignum & ignem, homines elixando à Medea coqui exiſtimabant.* Pro *Paropſis*, cùm vas eſcarium notat, *parapſis*, legi jubet Gruterus, apud Martial. *l.* 11. *Epigr.* 27. ſed repugnat Caſaubon. *ad Sueton. d. l.*

PAROPUS, oppid. Siciliæ in ora Occidua contra Uſticam inſulam. Populi *Paropini*, Plin. *l.* 3. *c.* 8. Periit funditùs.

PARORÆA, urbs Arcadiæ, *Steph.* Alia Macedonum, *Idem.*

PAROREJA, Thraciæ urbs, vicina Macedonibus, Liv, *l.* 39. *c.* 27. *Paronei* populi, Plinio, *l.* 4. *c.* 10.

PAROS, quæ PARIO *Sophiano*, inſula maris Ægæi, una Cycladum, priùs *Pactya*, & *Minoa*, teſte Pliniô, *l.* 4. *c.* 12. dicta. *Demetrias*, *Zacynthus*, *Hyria*, *Hyleeſſa*, & *Cabarnis Steph.* Venetis, à Turcis, cum Eubœa A. C. 1470. erepta. Olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhodio. Nunc Græci hîc Archiepiſcopum habent. Ita dicta putatur, à *Paro* Iaſonis filio, vel ab Arcade quodam *Paro* Parrhaſii filio, Plin. *loc. cit.* In ea eſt oppid. etiam *Parum* vocitatum. In hâc inſula marmor candidum proveniebat, ad Deorum ſimulachra maximè expetitum, idque à loco *Parium* dicebatur. Unde Ovid. *Metam. l.* 7. *v.* 465.

> ——— *Planamque Seriphon,*
> *Marmoreamque Paron.* ———

Sidonius Apollinaris *in Burgi deſcriptione v.* 140.

> *Candentem jam nolo Paron, jam nolo Caryſton.*

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 19. *v.* 5.

> *Urit me Glyceræ nitor*
> *Splendentis Pariô marmore purius.*

Strab. *l.* 10. Παρίῳ ἡ Παρία λίθος λεγομένη, ἀρίςυ πρὸς τὴν μαρμαρογλυφίαν. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 34.

> *Stabunt & Parii lapides, ſpirantia ſigna.*

Et *l.* 1. *Æn. v.* 597.

> *Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo*
> *Argentum, Pariuſve lapis circumdatur auro.*

Idem *l.* 3. *Æn. v.* 126.

> *Viridemque Donyſam*
> *Olearon, niveamque Paron.* ———

Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 7. *v.* 51.

> *Aſtitit illa gemens albo, & ſine ſanguine vultu,*
> *Caduntur Pariis qualia ſaxa jugis.*

Seneca *in Hippolyto*, *Actu* 2. *v.* 797.

> *Lucebit Pariô marmore clarius.*

Paros frigidam habet aquam & mulieres formoſas apud *Ariſtoph.* quod adagii ſpeciem habet, quô ſignificamus; Non eſſe commodum ſine incommodo. Hîc mures non reperiri feruntur. Hinc etiam proverbium: Ἀναπαριάζειν, de illis, qui pacta & conventa violant. Item inſula Liburnorum *Stephano*, quem ſis conſule in voce *Paros*. Vide *Pharia*. *Paros*. *Nicanore* teſte, apud *Stephanum* etiam *Zacynthus* dicta eſt. An quia זחות *Zachuth*, Phœnicibus erat ſublimitas, ut infra docebimus, ubi de inſula *Zacyntho*? Certè Zacynthus, ita Parus montoſa fuit & ſublimis. Dioſcorides *Antholog. l.* 3. *c.* 12.

> Οὔτε Πάρον νήσων αἰπυτάτην ἱερῶν.

Parii porro montes profundis cuniculis ſcatent, & Soli tam inacceſſis, ut candidum marmor in iis latens, non niſi ad lucernas, erui poſſit. Unde factum, ut *lychnites*, ſeu *lucernarius* diceretur Parius lapis. Plin. *l.* 36. *c.* 5. locutus de Chiis quibuſdam ſculptoribus magni nominis: *Omnes autem tantùm candidô marmore uſi ſunt à Paro inſula, quem lapidem cœpêre Lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut author eſt Varro.* Λίθου λυχνέα ob id ipſum appellat Callixenus Rhodius, apud Athen. *l.* 5. ubi de thalamego Philopatoris· ἵδρυται δ' ἐν αὐτῷ τ̃ τ̃ βασιλέων συγγενείας ἀγάλματα εἰκωνικὰ λίθυ λυχνέως. A cuniculis hiſce, quos diximus, nomen habere *Paron* inſulam, ſtatim agnoſcet, quiſque ſciet, Ebreis פרה *pera* ex Eſaj. *c.* 2. *v.* 20. & פרא *paro* Syris eſſe terræ cuniculum, Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 14. *Nic. Lloyd.*

PAROSPUS, fluv. Indiæ, in Cophen influens, Plin. *l.* 6. *c.* 23.

PAROSTA, Tauricæ Cherſoneſi urbs, *Ptol.* Niger ſcribit *Paraſinum* quibuſdam eſſe. Hujus Plin. meminit, dicitque terram ejus omnia vulnera ſanare.

PARPAILLOT, vox Gallica, *papilionem* denotans; quâ per convitium Reformati appellantur, in Galliæ Regno: eo quod in primis, quæ Religionis causâ excitatæ, ſunt turbis, pericula impavidè adirent, haud ſecus ac animalcula hæc in ipſum candelæ lumen involant, ejuſque ardore interimuntur. Primùm autem ſic dictos volunt in obſidione Clariaci, poſtquam eruptionem feciſſent obſeſſi, induſiis candidis ſuper reliquas veſtes amicti, tempore, quô multi in aëre papiliones, quos Aquitani *Parpaillos* dicunt, conſpiciebantur, Richelietus in hac voce.

PARPARON, Παρπάρων, *Stephano*, regio Æolidis in Aſia, ubi Thucydidem obiiſſe ferunt. Alii *Perinem* vocant.

PARPODIZUM, Thraciæ urbs, *Antoninus*, *Tarpodizum* legit *Simlerus.*

PAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PARRHASIA, PARRHASIÆ Plin. *l.* 4. *c.* 6. *Parrhaſii Strab.* & *Vibio Sequ.* oppid. regionis & populi Arcadiæ in Peloponneſo, ubi *Parrhaſium nemus Statio*, & *Parrhaſius mons Heſychio.* Lycaonis patria fuit, à quo univerſa Arcadia à poëtis quandoque *Parrhaſia* dicitur. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 344.

Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Ovid. *Faſtor. l.* 2. *v.* 276.

Altaque Trœzene, Parrhaſiaque nives.

Eſt autem *Parrhaſia* Stymphalo finitima. *Parrhaſis* etiam nomen gentile dicitur. Ovid. *Triſt. l.* 1. *El.* 3. *v.* 48.

Verſaque ab axe ſuo Parrhaſis Arctos erat.

Nic. Lloydius.

PARRHASINI, populus Aſiæ, circa Sogdianam, Plinio *l.* 6. *c.* 16. *Curtio* Indiæ ultimæ populi.

PARRHASIUM, vide PARASIUM.

PARRHASIUS Janus, vide *Janus.*

PARRHASIUS, Epheſius, an Athenienſis? tempore Socratis, pictor inſignis, ſed *quô nemo inſolentiùs & arrogantiùs ſit uſus gloriâ artis*, Plin. Hîc primus ſymmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris expreſſit, & artificum confeſſione in lineis extremis palmam adeptus eſt. Superatus tamen eſt à Timante in Ajace. Idem venit in certamen cum Xeuxide. Et cum ille detuliſſet uvas pictas tantô ſucceſſu, ut in ſcenam aves advolarent, ipſe detuliſſe linteum pictum traditur, ita veritate repræſentatâ, ut Xeuxis, alitum judiciô tumens, flagitaret tandem remotô linteô oſtendi picturam, atque intellectô errore concederet palmam ingenuô pudore, quoniam ipſe aves fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem, Plinius *l.* 35. *c.* 10. Cœterùm pictor fuit parum caſtus, vide Sueton. *in Tiber. c.* 44. Quintil. *l.* 12. *c.* 10. Diod. Sic. *l.* 26. Athen. *l.* 12. Vaſarium & Ridolphum *vit. Pict.* Fillebenium *de Pictor.* Ciceron. *l.* 1. *de Diſtinct.* Horat. *Ode* 8. *l.* 4. *v.* 6.

——— ——— *Artium,*

Quas aut Parrhaſius protulit aut Scopas.

Propert. *l.* 3. *El.* 8. *v.* 12.

Parrhaſius parvâ vindicat arte locum.

Idem *Lloyd.*

PARRHAX Parthus, cliens paternus Meherdatis: cujus dolô hic vinctus traditusque Gotarzi victori. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 14.

PARRICIDA, apud Romanos, antiquitus ſignificabat, qui *parem*, i. e. hominem occidiſſet, ut notant Franciſcus Balduinus *de legibus Romuli p.* 25. & Jacobus Rævardus *Comm. in Reg. jur. c.* 109. Unde lex Numæ: *Si quis hominem liberum dolô ſciens morti duit, Parricida eſto. Si non imprudens. Si dolô malô occiſit, pro capite occiſei & nateis ejus in concione arietem ſubicitô.* Ubi Joſ. Scaliger notat, hanc clauſulam in omni re capitali poſitam fuiſſe, *Parricida eſto:* & ſignificare idem, quod *Capital eſto.* Et veteres proin de *Parricidio* leges omnes in genere de cæde cujuſcunque hominis, non autem Parentum, loquuntur: Neminem enim priſci illi tam nefarium eſſe arbitrabantur, qui Parentibus necem inferret: nec niſi ſerò Romæ tam immane facinus patratum eſt à L. Hoſtio, aliquando poſt bellum Annibalis, unde Lex, de qua infrà, originem traxit. Dein *Parricida* vox tranſiit ad eum, qui non *Patrem* ſolùm aut *Matrem*, ſed & *Avum, Aviam, Fratrem, Sororem, Patruelem, Matruelem, Patruum, Avunculum, Amitam* (Materteram) *Conſobrinum, Conſobrinam, Uxorem, Virum, Generum, Socerum, Vitricum,* (Novercam) *Privignum, Privignam, Patronum, Patronam,* ut habet lex Pompeja *de Parricidis*, è medio ſuſtuliſſet, vide quoque Iſidorum *Etymolog. l.* 5. *c.* 6. Propriè verò ſignificat, eum qui *Patrem* aut Matrem ſuſtulit: aut liberos ſuos fratremque interemit: quorum prius definit Conſtantinus Cæſ. *l.* 1. *tit.* 27. *l.* 11. *Cod. Theodoſ.* poſterius indigitat Aur. Prudentius *Hamartig. præfat. v.* 14.

Armat deinde parricidialem manum
Frater.

De pœnis tam enormis flagitii, neque Romulus, ut dicitur, neque Solon, ut de eo *Plutarchus* habet, ſtatuêre quicquam, quòd, *tantum facinus velle admittere* ullum hominem ut crederent, induci nullâ ratione potuerunt. Julius Cæſar leviſſimè punit, ut *bonis omnibus tantùm multaret*, teſte Suetoniô *c.* 42. niſi *Parricidium* ibi pro Homicidio in genere, ut olim, ſumendum eſſe dicas. Ex veteri legum Romanarum, poſt L. Hoſtii præfati facinus, latarum præſcripto, *Soleæ ligneæ* Parricidæ *pedibus inducebantur & is in carcerem ducebatur*, ut eſt apud Auctorem *Rhetor. ad Herennium l.* 1. *Ne*, ut ait Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 13. *c.* 13. *terram, communem omnium Parentem, attactu improbô contaminaret.* Aſſervabatur autem domi vel in carcere, ad annum, ut eô exactô debitis pœnis à Magiſtratu plecti poſſet, Calpurnius Flaccus *Declam.* 4. cui Epigraphe eſt: *Damnatus Parricidii annô cuſtodiatur.* Imò & non occidenti, ſed tantùm verberanti Parentes, manus amputabatur, L. Seneca *l.* 3. *Controv.* 4. Vide quoque Exod. *c.* 20. *v.* 12. & *c.* 21. *v.* 15. & Proverb. *c.* 30. *v.* 17. Comburebantur quoque ſubjectô igne *Parricidæ*, qua de re extat lex, in Harmenopulo *l.* 6. *c.* 6. *Qui aſcendentem vel deſcendentem* (i. e. Parentes vel Liberos.) *occiderit, igni traditor.* Exemplum in Chlodovei Galliarum Regis filia exhibet Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. Franc. l.* 3. *c.* 39. Denique culeo inſuebantur (quæ pœna primitus fuit eorum, qui Deos violâſſent, Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *ex* 13.) Ita enim lex prædicta, quam primam de iis, qui Parentes occidiſſent, latam fuiſſe opinatur Carol. Sigonius, conjecturâ ejus captâ ex Liv. *Epit.* Rhetoricis ad Herennium & Plauto *in Vidularia apud Nonium*, ſonat: *Si quis Parentes occiderit, aut verberaverit, ei damnato obvolvitor os folliculô lupinô ſoleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus, ibi ſit tantiſper, dum paretur culleus, in quem conjectus in profluentem præcipitetur.* Quam legem idem Sigonius putat L. Corn. Sullam conſtitutâ publicâ quæſtione repetiſſe & confirmâſſe. Sic culei mentio apud Zonaram & Appulejum *Mileſiarum l.* 10. ut & Firm. Lactantium *l.* 3. *c.* 14. Erat autem culeus, ut habet vetus Gloſſar. ἀσκὸς βόειος, *ſaccus* aut *corium bovinum.* Huic inſuti in mare abjiciebantur *Parricidæ*, neque primitus quiddam illis adjungebatur cùm ex humana ſocietate deturbare, & eliminare hæc hominum portenta, ſat haberent primi Legiſlatores, vide Platonem *de LL. l.* 11. Val. Max. *loc. cit.* Hier. Magium *Miſcellan. l.* 4. *c.* 8. &c. vel extra fines deportabantur, Conſtantinus Aug. *l. un. C. de his qui Par. vel Lib. occ.* vel in ſolitudinem projiciebantur, Jul. Capitolin. *in Antonino Pio:* Hinc Plautus *Pſeudolo, Sc. exite in fin.*

Si mihi jam non huc culleis oleum deportetur,
Te ipſam culeo ego cras faciam deportare in pergulam,
Ibi tibi adeò lectus dabitur, ubi tu haud ſomnum capias,
Sed ubi uſque ad languorem &c.

Acceſſit poſtmodum creſcente *Parricidarum* numerô gravitas ſupplicii, ac primum *Serpentes* cum reo includi cœpêre, ut de C. Villio ſcriptum reliquit Plutarchus. Vide quoque L. Senecam *l.* 5. *Controv.* 4. *in fin.* T. Livium *Decad.* 5. *l.* 8. Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. &c. Dein *Simia*, Juvenalis *Sat.* 8. *v.* 211.

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni,
Cujus ſuppliciô non debuit una parari
Simia, *non* ſerpens *unus, non culleus unus.*

Denique *Canis* & *Gallinaceus*, quod à Conſtantino primùm adjectum vult Conr. Rittershuſius, *l. un. C. de his qui P. vel L. occid.* quod ſi verum eſt, Tribonianus interpellavit legem Modeſtini *l. præv. ad leg. Pompejam de Parric.* Pompejus enim nihil tale ſtatuit, ſed eandem ejus legem cum lege Cornelia fuiſſe: oſtendit Jac. Cujacius *Notis ad Paulum l.* 5. *tit.* 25. Quamvis Roſinus eam his verbis efferat: *Prætor, qui ex hac lege quæret, de ejus capite quærito, qui Patrem, Matrem &c. occiderit: cujuſve dolô malô id factum fuerit, ſive conſcius fuerit: Deque ejus Matris capite quærito, quæ filium filiamve occiderit, & Avi ejus, qui nepotem occiderit, ejuſque qui emit venenum, ut Patri daret, quamvis non potuerit dare. Is ſi confeſſus erit, virgis ſanguineis verberatus, deinde culleo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo & vipera & ſimia, deinde in mare profundum culleus jactetur*, ex Marciano, Modeſtino *de Parricid.* Juſtiniano *Inſtitut. l.* 4. *de Judic. publ.* aliiſque. Ubi pro *Sanguineis* legentem *Sagmineis* Corraſium, corrigit Turnebus *l.* 8. *c.* 23. Vide quoque Voſſ. de *Idolol. l.* 3. *c.* 85. Meminit hujus ſupplicii Iſidorus Hiſpalenſis *in Gloſſis*, cùm ait: *Culleus, tunica ex ſparto, in modum crumenæ facta, quæ linebatur à publico* (i. e. carnifice) *pice & bitumine, in qua includebantur* Parricidæ, *cum ſimia, ſerpente & gallo: inſuta mittebatur in mare & contendentibus inter ſe animantibus homo majoribus pœnis afficiebatur.* Quo mortis genere primus legitur excruciatus Publicius Malleolus (Matrem is interemerat) quintô C. Marii Conſulatu. apud Livium *Epit. l.* 68. Ciceronem *de Invent. l.* 2. Cornificium *Rhetor. ad Herennium l.* 1. & Oroſium *l.* 5. *c.* 16. De Græcis, vide aliquid ſuprà in voce *Parentes:* qui quid de accuſato Oreſte Matricida cenſuerint, & quare Minerva eum abſolverit, perpendit eruditè P. Victorius *Variar. Lect. l.* 13. *c.* 23. Poſteà exolevit Culeus, &, *ſi anteà illi inſuti in mare præcipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur, vel ad beſtias damnantur*, inquit Tertullian. *l. de Anima*, & Paulus JC. *l.* 5. *tit.* 24. *Sententiar.* Sidonius Apollinaris pleraque in eos ſupplicia congerens, *l.* 4. *Ep.* 23. *Dignum*, inquit, *abdicatione, cruce, culleô clamans cœteriſque ſuppliciis parricidialibus* &c. Fuit porrò diſquiſitio celebris *Parricidii*, cùm negaretur, olim, ut pedibus nudis ignitos vomeres calcarent; qua de re vide Karoli M. *Capitular. Appendic. ſec. ad l.* 4. *c.* 3. & in Synodo Bavarica coacta ſub Taſſilone Duce temporibus ejuſdem *p.* 143. Quod antiquiſſimum probationis genus fuiſſe, docet Servius *ad Æn. l.* 11. *v.* 786.

Sancte Pater, ſummi cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervô
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus veſtigia prunâ.

Sed ut frivolum & profanum Varro ipſe irridet, cauſam adſcribens: *Quòd medicamentô plantas tingerent.* Interim multarum gentium conſuetudine receptum & à Barbaris præſertim, lapſâ jam Rep. Romanâ obſervatum fuiſſe, oſtendunt, Theod. Marcilius, Helmoldus *in Hiſtor. Sclavorum*, Aimoinus *l.* 5. *c.* 34. Hildebertus Cenomanenſis *Ep.* 17. Petrus Venerabilis *l.* 6. *Ep.* 29. Saxo Gramm. *l.* 14. Nicephorus Gregoras *l.* 6. *c.* 1. Aventinus *Annal. Bojor. l.* 4. Sigebertus *in Chron.* &c. Ritum operoſè totum deſcribit Heliodorus *Æthiopicor. l.* 10. ut & Henr. Spelmann. *Gloſſario Archæol. in vocibus, Judicium ferri candentis, Ordalium, Purgatio.* Vide Thom. Dempſter. Paralipom. in Joh. Roſini *Antiqq. l.* 8. *c.* 24. 26. 29. 34. In locis, ubi jus Saxonicum viget, hodieque culeum Romanorum, cum inviſa illa animantum quadriga, de qua ſuprà, *Parricidio* puniendo adhiberi, didici ex Amico: ſed quid

——— *magno reticenda Soloni*
Dicere porrò velim?

Addam ſaltem, Ægyptiorum in *Parricidas* ſeveritatem, quos per ſingula membra acutis calamis impetere, mox minutiſſimis ictibus conſauciatos, ſuper ſpinarum acervos, comburere conſueviſſe, refert Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 5. &c. At à *Parricidiis* Imperium ſicque *tyrannidem in ſuos, priuſquam in exteros*, ut Juſtinus ait, auſpicari, Turcarum Principibus ſolenne, quod *poſtulatum Regium ad ſecuritatem* vocat Plut.

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in Demetrio c. 5. ubi de Familiis Regum, qui Alexandro M. ſucceſſerunt, *Penè omnes*, inquit, *frequentes habent liberorum, frequentes etiam matrum neces & uxorum. Nam fratrum* parricidia, *ut poſtulata Geometræ ſumunt, ſic concedebantur habebanturque commune quoddam poſtulatum & regium ad ſecuritatem.* Vide quoque de Dionyſio juniore apud Juſtinum *l. 21. c. 1.* & jam de Abimelecho, in Sacris, Judicum *c. 9. v. 5.*

PARRICIDII vel rerum Capitalium Quæſtores, qui & *Quæſitores* dicti fuerunt, dicebantur apud Romanos, qui judicia quæſtionum exercerent. Eorum Magiſtratus extraordinarius fuit: Cùm enim Conſules de capite civis Romani, injuſſu Populi, jus dicere non poſſent, idcirco, quoties uſus poſtulabat, ex Senatuſconſulto vel Dictator, vel Conſulum alter ambove, vel Prætorum aliquis de crimine publico quærere jubebatur: qui hinc *Quæſitor* dictus eſt, uti docet Pomponius JC. *ff. tit. de orig. juris*, vide quoque *Feſtum*, ubi ait: *Parricidii Quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari causâ rerum capitalium quærendarum.* Nam Parricida *non utique is, qui Parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcunque hominem:* probatque ex Lege Numæ, cujus ſuprà meminimus in voce *Parricida*. Hôc modô publicæ quæſtiones tractatæ ſunt, uſque ad annum Urb. Cond. 604. quô conſtitutæ ſunt quæſtiones publicæ, de Ambitu, de Majeſtate, Peculatu, Repetundis & ſingulis ſui Prætores præfecti, atque tum, ſi de aliquo criminum horum eſſet quærendum, non novô Quæſitore, qui extra ordinem quæreret, opus erat, ſed Prætor ille, qui ei quæſtioni præeſſet, adhibebatur, iſque, ut antè, cum conſilio de eo crimine cognoſcebat, dicebaturque tum ipſe Prætor *quærere*, & quæſtionem ad judicium exercere, quæſtioni præeſſe & *Quæſitor* eſſe, ut ex variis Ciceronis locis intelligere eſt. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 37.* Hinc duo Prætorum genera reperimus apud Auctores, *Prætores* ſimpliciter dictos, qui de cauſis civilibus judicabant, & *Prætores Quæſitores*, in capitalibus cauſis jus dicentes: quorum illorum inſigne haſta, iſtorum gladius fuit, *illa ad juriſdictionem, hic ad quæſtionem ſignificandam*, Sigon. *de Judic. l. 1. c. 7.* &c.

PARRICIDIUM, dictus eſt Martii dies 15. ſeu Idus Martiæ, quòd C. Julius Cæſar Dictator à conjuratis, in Senatu collecto in Curia Pompeji, 23. vulneribus confoſſus eſt, qua de re Sueton. *in Cæſare c. penult.* Florus *Epitome Liv. l. 116. Ovidius, Dio*, alii. Contrà, meminit Appian. *de bellis Civil. l. 2.* P. Cornelium Dolabellam legem tuliſſe, ut hic dies, quô C. Julii Cæſaris nece libertas Reip. reſtituta eſſet, inter fauſtos haberetur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 7.*

PARRODUNUM, oppid. Rhætiæ, idem cum Parthano. *Laz.*

PARS, vox πολύσημος, inter alia, regionem notat, apud Sulp. Severum *Hiſtor. l. 1.* & in *Capitul. 3. ad L. Sal.* quomodo Galli dicunt, *Partie.* Apud Patres paſſim Schiſmaticos, qui in Eccleſia ſchiſma amplectuntur, ſeu qui Hæreticis adhærent, ſignificat, ſicque Eccleſiæ opponitur. Unde Auguſtinus non uno in loco *partis Donati* meminit, ut & Optatus. In Ædibus ſacris porrò locus, ubi Viri ſtare conſueverunt, *Pars Virorum* vocatur, in *Ord.* Roman. *Diaconus ſtat verſus ad Meridiem, ad quam* Partem *Viri ſolent confluere.* Stabant autem ii in navi, ad Meridiem, ut hic dicitur, & ad dextram, mulieribus ad Septentrionem & ſiniſtram ſtationem ſuam habentibus. Ita enim & Amalarius de *Eccleſ. l. 3. c. 2. 32. Maſculi ſtant in Auſtrali parte, & fœminæ, in Boreali.* Deſcripſit quidem Baronius *A. C. 57. n. 125.* hanc *Inſcr.* Chriſtianam Vatican. AD SANCTUM PETRUM APOSTOLUM, ANTE REGIA, IN PORTICU COLUMNA SECUNDA, QUANDO INTRAMUS SINISTRA PARTE VIRORUM LUCILIUS ET JANUARIA HONESTA FOEMINA, Ex qua is colligit, Viros ſiniſtram templi partem, ut tum digniorem habitam, mulieres verò dextram occupâſſe, quod quidem ſibi vix conſtat. Nam cùm vetera Chriſtianorum Templa ad Orientem extructa fuiſſe certum ſit, viroſque in iis ad Meridiem, mulieres ad Septentrionem, locum habuiſſe, conſtet, neceſſe eſt, ut introeuntibus *Pars Virorum* dextra fuerit, quod Inſcriptioni adverſari videtur: niſi, quod retur du Freſne, *ſiniſtra pars Virorum* hôc locô ſit, pars ſiniſtra reſpectu Partis virorum. Nam conſtat, partem Altaris, in quo legitur Euangelium, *ſiniſtrum cornu* appellari. Vide præfatum Car. du Freſne *Gloſſar.*

PARSIA, & PARSIANA, Paropaniſi urbes, *Ptol.*

PARSODAS, Perſa quidam, ſub Artæo VI. juxta Cteſiam Medorum Rege, circa annum 150. ante Cyrum, Caduſios ad defectionem incitavit, & partâ victoriâ ab illis Rex factus eſt, apud *Diodorum Sic.* Quæ quidem non eſſe iis diſſimilia, quæ de Dejoce narravit Herodotus, notat Marshamus, qui Cteſiæ hallucinationes paſſim arguit. Παρσώνδας vocatur à Nicol. Damaſceno *Excerpt. Valeſ. p. 426.* Vide ſuprà *Dejoces.*

PARSUETI, Aſiæ montes, *Nochdariaſari Caſtaldo.* Vide *Taurus.*

PARTA, Perſidis urbs, *Ptolem.*

PARTAMIS, Ægypti Rex Hellanico apud Athenæum memoratus *Dipnos. l. 15.* ubi eum ab Amaſi, qui ob coronam elegantiſſimè contextam, Regique die natali ejus oblatam, ab eo in amicorum numerum receptus fuerit, regnô exutum refert: quod alii de Aprie Rege tradunt. Niſi fortè plures Reges, in illa Saitarum dynaſtia, fuerint, quàm quos Herodotus ponit *l. 2. c. 151.* Precariò autem hos Reges, poſt Pſamaidem devictum, regnâſſe & Babyloniis vectigales fuiſſe, docet Joſ. Scaliger *in Fragm.* Vide quoque eum *Can. Iſagog.* & Joh. Marshamum Equ. Anglum *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi de *Clade Ægypti*, à Nabuchodonoſoro illata, prolixè & accuratè agit, nec non ſuprà vocibus *Amaſis, Apries, Pſammis.*

PARTES, dictæ Veteribus, quidquid è convivio decerpebatur & miniſtris aut mittebatur aut reſervabatur, de quo ritu diximus ſuô locô. Lamprid. *in Alex. Severo c. 37. Semper de manu ſua Miniſtris convivii & panum partes aut olerum aut carnis aut leguminum dabat.* Vide Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli c. 2. p. 51.* Hinc vox in Eccleſiam tranſlata, ubi inter Euchariſtiæ appellationes reperitur. Apud Bedam in *c. 10. prioris ad Corinth.* & apud Gratianum *de Conſecr. diſtinct. 11. can. 58.* extant hæc Auguſtini verba: *Nec quando manducamus, partes de illo facimus: Et quidem in ſacramento ſic fit & nôrunt fideles, quemadmodum manducent carnem Chriſti: unuſquiſque accipit partem ſuam, unde & ipſa gratia* Partes *vocantur.* Ubi *gratiam* eſſe ſymbola Euchariſtiæ, ab Eruditis oſtenſum. Quare hoc ſignificavit iſtô locô Auguſtinus, unam ex appellationibus Euchariſtiæ eſſe *Partes*, quod Eccleſiarum Africanarum idioma videtur. Cyprianus *de Lapſis*, *Et alius, qui & ipſe maculatus ſacrificiô à Sacerdote celebratô, partem cum cœteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.* Ubi obiter obſervandum, Euchariſtiam olim fideles de manu Miniſtri manu ſuâ accepiſſe, quod etiam ex 21. Statuarum Chryſoſtomi colligitur, ubi δέχεσθαι τῇ χειρὶ ter habet. Sic apud Euſeb. *l. 7. c. 9:* legitur, χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνας. Nempe utramque manum porrigebant & cavô dextræ ſuppoſitâ ſiniſtrâ, panem ſuſcipiebant, ut eſt apud Cyrillum *in 5. Myſtagog.* Vide rurſum Cyprianum *de Opere & Eleemoſ. de Bono Patient.* & *Ep. 56.* Cornelium Epiſcop. Roman. *ad Fabium Antiochen. Ep.* Ambroſium *Ep. ad Theodoſ.* Hieronym. *Ep. ad Theophil.* Alios. Poſteà verò ſuperſtitio conſuetudinem invexit conficiendi ex auro, vel alia materia pretioſa, quædam δοχεῖα, vaſcula, quibus pro manu utebantur, ſed damnatur & tollitur ea conſuetudo graviſſimo *Can.* 101. Concilii VI. Oecumenici ſive in Trullo: contra quem tandem obtinuit, ut Sacramentum fidelibus non in manus traderetur, ſed in os inſereretur, ut obſervat Balſamon *ad Can. cit.* Concilii Trullani, idque cautum Canone 2. Concil. Rotomag. ut habet Car. du Freſne. Quòd autem toti S. Euchariſtiæ nomen *Partium* tributum, hinc eſt quòd olim in Eccleſia, panis Euchariſticus dividendus fidelibus, in *partes* minutas frangeretur, quas à re κλάσματα, item μερίδας, *particulas* potiùs, quam μέρη appellaverunt: quia ut ajunt Patres Concilii Niceni *can. 5.* Οὐ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον ἵνα γνῶμεν ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμὸν, *Non multum panis aut vini accipimus, ſed parum; ut intelligamus, non ad ſatietatem illa capi, ſed ad ſanctificationem.* Latini modò *partem* vocant, modò *portionem*; Auguſtinus *buccellam*, ſed de Juda, quem ſacræ cœnæ fuiſſe participem ipſe credidit, alii negârunt; Dixerunt & *micam*. Paſchaſius *de Corpore & Sang. Domini, c. 17. Hoc myſterium dum communicas, dilata ſinum mentis tuæ, emunda conſcientiam & percipe, non quantum mica exhibet, ſed quantum fides capit.* In hiſtoria inſigni, quam narrat Euagrius *l. 4. c. 36.* dicuntur ἁγίαι μερίδες: Similiter in *Euchologio*, καὶ τίθησι τὴν μερίδα ἐν ἁγίῳ ποτηρίῳ. Vide Caſaubon. *Exercit. XVI. §. 50.* Unde eſt, quòd de Euchariſtia loquens Ignatius *Ep. ad Philadelphenſes*, verbum θρύπτεσθαι uſurpat, Εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, *Unus panis omnibus eſt comminutus:* Nam θρύπτεσθαι propriè de iis uſurpatur, quæ in partes minutas franguntur. Hinc & Auguſtin. eam in rem verbô *comminuendi* uſus eſt, *Ep. 59. ad Paulin. Cùm illud, quod eſt in Domini menſa, benedicitur, & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur.* Vide ſuprà, ubi de *Panis fractione*. Ex his itaque *Partibus*, quædam communicantibus diſtribuebantur, quædam ad alias parœcias aut ad peregrinos, ἐπιδημοῦντας, declarandæ dilectioni & in fide conſenſionis ergò, mittebantur, quod πέμπειν εὐχαριστίαν dixit Euſebius *Hiſtor. l. 5. c. 26.* quamque conſuetudinem poſteà prohibitam eſſe legimus. Vide Concil. Laodiceni *Canon.* Reliquæ, ſi quæ ſupererant, pueris abſumendæ dabantur, teſte Euagriô *l. c.* quem morem ſuâ etiam ætate obſervatum teſtatur Nicephorus Calliſtus *l. 17. c. 25.* Ut de *Partibus* panis benedicti quidem, ſed non in uſum Euchariſtiæ, qui & mittebatur ad abſentes, & Catechumenis, jus ſumendæ Euchariſtiæ non habentibus, nil dicam in præſens, utpote de quo ritu jam ſuprà egimus, in voce *Eulogia* &c. Plura apud præfatum Caſaubon. *loc. cit. §. 35.*

PARTES, pro *Adminiſtratione Reip.* Ita enim nonnulli accipiunt verba Jul. Capitolini *in Pertinace, c. 2. Inde ad ducenum H. S. ſtipendium tranſlatus in Daciam ſuſpectuſque Marco, quorundam relatu à* partibus *remotus eſt:* quod illi explicant, *à Reip. adminiſtratione depulſus eſt.* Sed cùm loquutionis hujus non extet exemplum, vitium hic hærere non fruſtra ſuſpicatus Salmaſius eſt. Palatinus vocem *relatu* non agnoſcit: hinc rectè legendi occaſio, *ſuſpectuſque Marco, quorundam* partibus *remotus eſt.* Vel etiam, *quorundam à partibus*, h. e. per partes quorundam, vel quorundam factione. *Partes* enim ſemper pro *factione*, cujus innumera poſſent afferri exempla. Quod igitur hic *Partes* vocat, paulo inferiùs *factionem* nominat, *Poſteà iterum re bene geſtâ prodita eſt factio.* Vide Salmaſ. *ad loc.* Hinc Dux *Partium*, victoria *Partium* &c. In Scena inprimis *Partium* nobilis notio eſt. Eleganter Liv. *l. 3. c. 10. fabulam compoſitam Volſci belli, Hernicos ad partes paratos.* Erant autem perſonarum aliæ *Partes* primæ, aliæ ſecundæ, tam in Comœdiis, quàm in Mimis, ſed hâc differentiâ: in Comœdiis primæ attributæ ſunt illis perſonis, quæ plurima dicerent agerentque & ſæpius in ſcenam reverterentur, ſecundæ tertiæque quæ minùs & deinceps. In Mimis una videtur potiſſima fuiſſe perſona, cui cœtera ſubſerviebant, ejuſque actionem imitabantur, ut ille veram. De Comœdiarum *Partibus* Donatus in *Præfation.* De Tragœdia & Comœdia: *Sed primò una ſubſtituta eſt Cantoribus perſona, quæ reſpondens alternis choro locupletavit variavitque rem Muſicam: tum altera, tum tertia, & ad poſtremum cre-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

creſcente numerô &c. *qui primarum partium, qui ſecundarum & tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores eſſent.* In Andriam, *in hac primæ* Partes *ſunt ſenis Simonis, ſecundæ Davi, tertiæ Chremetis & deinceps reliquorum.* In Eunuchum, *Atque in hac Comœdia qui perſonam Parmenonis actor ſuſtinet, primas habet* partes, *ſecundæ ſunt Chereæ, tertiæ ad Phædriam ſpectant.* In Adelphos, *In hac primæ* Partes *ſunt, ut quidam putant Demeæ, ut quidam Syri. Quod ſi eſt, ut primas Syrus habeat, ſecundæ Demeæ erunt, tertiæ Mitionis, & ſic deinceps. Quanquam etiam ſunt, qui putant, primas Mitioni dandas, ſecundas Syro, tertias Demeæ.* In Hecyram; *Atque in hac primæ* Partes *ſunt Lachetis, ſecundæ Pamphili, tertiæ Philippi, quartæ Parmenonis & ſic deinceps.* In Phormionem, *Primas in ea* Partes, *ut ipſe Poëta profeſſus eſt, tenet Phormio, ſecundas Geta, tertias Demipho: ſubinde cæteri, prout cujuſque actus oſtendit.* Hinc Cicero *Divinat. in Cæcil. Ut in actoribus Græcis videmus ſæpe illum, qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clarius dicere quàm ipſe primarum, multum ſubmittere, ut ille princeps quàm maximè excellat. ſic facit Allienus, tibi ſerviet, tibi lenocinabitur.* Ubi notat Aſconius, perſonam *primarum partium eſſe, quæ ſæpius actu regreditur; ſecundarum & tertiarum, quæ minus minuſque procedunt.* Pro Flacco, *Quis unquam Græcis Comœdiam ſcripſit; in qua ſervus primarum partium non Lydus eſſet.* De Mimis dictum ſuprà. Quas autem quiſque *Partes* ſolitus erat agere, inde appellabatur: Ille primarum, πρωταγωνιςής, ille ſecundarum, δευτεραγωνιςής, ille tertiarum τριταγωνιςής. Val. Max. *l.* 9. *c.* 14. ex 4. *Generoſiſſimus Conſulatus, collegium Lentuli & Metelli fuit: qui ambo in ſcena propter ſimilitudinem hiſtrionum propemodum ſpectati ſunt: ſed alter ex quodam ſecundarum cognomen Spintheris traxit, alter niſi Nepotis à moribus accepiſſet, Pamphili tertiarum, cui ſimillimus eſſe ferebatur, habuiſſet.* Plin. *l.* 7. *c.* 12. *Ejuſdem familiæ Scipioni poſt Cnæo cognomen Salucio mimus dedit, ſicut Spinther ſecundarum tertiarumque Pamphilus collegio Lentuli & Metelli Coſſ. in quo perquam informe fortuitum hoc quoque fuit, duorum ſimul conſulum in ſcena imagines cerni.* Ex quo emendandum apud Ciceronem *in Bruto c.* 69. *Quod idem faciebat Q. Arrius fuit M. Craſſi qui ſecundarius,* l. *qui fuit M. Craſſi quaſi ſecundarum,* uti Dionyſ. Lambinus ex tribus MSS. protulit. Ita enim loquebantur priſci, *ille primarum, Spinther ſecundarum, Pamphilus tertiarum,* pro, *ille primarum partium actor, Spinther ſecundarum partium hiſtrio, Pamphilus tertiarum partium* &c. Sic *meus ſecundarum,* Gall. *mon. ſecond,* vel propriè, ſi actor ipſe optionis ſui mentionem feciſſet; vel, ubi tranſlatum erat aliorſum, qui ſive imitatorem ſuum, ſive ab ſe ſubornatum, ſive paraſitum & aſſeclam vel adjutorem, ſignificarent. Ita *M. Favonius M. Catonis ſecundarum* admodum Latinè dicitur: neque aliter Cicero: *Q. Arrius M. Craſſi ſecundarum.* Quam compoſitionem qui non caperent, *ſecundarius* ſubjecêre, ut apud Plinium *loc. cit. ſecundanus retiariuſque,* quod & Hermolaum impedivit: ut apud Val. Max. *loc. cit. retiarii* & *tertiarii,* quod etiam Turnebus retinet, *l.* 1. *Adverſ. c.* 10. fecêre. Atque hinc colligere eſt, *ſecundas agere, ferre, facere,* pro *adſentari, obſecundare,* non tam à Comicis primis & ſecundis, ut voluit Lipſius, neque ex eo, quòd in Mimis ferè ſecundarum partium eſſet Paraſitus, ut Scaliger, eſſe tranſlatum, quam inde, quòd Mimorum actorem, qui ſecundarum eſſent, imitarentur, eademque dicerent atque agerent, quæ illi præiviſſet, &c. *Ferre partes,* dixit Plautus *Mercat. act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 5. *Atque illius hac nunc ſimia partes ferat.* Et Terentius *Adelph. Actu* 2. *ſc.* 4. *v.* 26. *Non poſteriores feram.* Idem Plautus, *facere Partes,* habet *Aſinar. Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 89. ut rectè reſtituit Lipſius, expreſſitque Sidonius *l.* 1. *Ep.* 2. *Secundas faſtidit vel timere vel facere,* ut alia omittam. Ab illis autem juſtæ Fabulæ *partibus,* quia primæ ut negotiô, ita honore, præcellebant, ſecundæ & deinceps minore pretiô cenſebantur, profectum, ut *priores partes* agere dicerent, pro *plus pollere, efficere;* & *ſecundas ſortiri,* pro *proximè aut inferiore locô eſſe.* Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 4. *Priores partes agit, quod utile eſt, quam quod delectat.* Terentius, Eun. *Actu.* 1. *ſc.* 2. *v.* 71. *Sine illum* priores partes *hoſce aliquot dies apud me habere.* Seneca *de Benefic. l.* 2. *c.* 29. *Quantò ſatius eſt ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti & agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt ſecundas ſortiri.* Lucan. invectus in Septimium, Pompeji interfectorem, *l.* 8. *v.* 676.

Degener atque operæ, miles Romane, ſecundæ
Pompeji dirô ſacrum caput enſe recidit,
Ut non ipſe feras.

Romanum, utpote de Populo terrarum primo, in omnibus decebat primarum partium eſſe & illi inſervire alios. At hic leporem aliis excitavit, non ſuæ iræ aut ſtudiô, ſed alienæ libidini ſcelus præbuit: Imò nec ovans ipſe cum opimo ſpolio inceſſit; ſatellitem Pharium ovantem ſequutus eſt. Joh. Frid. Gronovius *Obſerv. in Eccl. c.* 25. Nec omittendus uſus hujus vocis, in Jure, ubi *Partibus locare* opponitur τῷ *Numero locare:* atque iſtud eſt eam legem fundorum locationi dare, ut conductores annuam penſionem nummorum poſſeſſori præſtent: illud verò, ita locare, ut proventûs percipias partes, veluti ſeptimas, octavas, nonas, decumas prout convenerit: *Partes* enim non ſunt agrorum, ſed frugum: unde quum apud Ciceronem 3. *Verrin.* legimus, *ut quæ dimidiæ eſſent decumæ vocarentur,* ſemper intelliguntur partes proventus. Quod indicat ipſe, cùm ait, *His legibus, his conditionibus, erit quiſquam tam ſtultus qui decumas vaniſſe arbitretur? qui aratori novem* partes *reliquas factas eſſe exiſtimet.* Cùm Crotonienſes, in bello apud Sagram, voviſſent Apollini *decimas prædæ,* Locrenſes *nonas* voviſſe, ait Juſtinus *l.* 20. *c.* 2. Sic *tertias prædæ,* Plin. *l.* 24. *c.* 5. Hoc unicum remedium eſt contra reliqua, ut ipſe poſſeſſor quotannis ſuas *Partes* aut per ſe, aut exactores redigat neque ei quiſquam, niſi ipſe ſibi in mora eſſe poſſit: at ubi nummô locatum eſt, ut maximè diligens & fidus ſit manceps, poteſt injuria anni & perfidia terrarum, aut hujuſmodi caſus ſic illum affligere, ut remiſſiones petere & reliqua facere, neceſſum habeat: Sic explicat inſignem locum Plinii Junior. *l.* 9. *Ep.* 37. de quo jam ſuprà diximus, ubi de *Nummo.* Apud eundem ſequitur: *Et alioqui nullum juſtius genus eſt reditus; quàm quod terra, cœlum, annus refert.* Ubi denotat, poſſeſſores ſanctius & juſtius ipſius terræ reditu in *parte* frui, quàm locatô fruendô aliis totô agrô pecuniam paciſci. Et hi *Partiarii Coloni* dicti ſunt, qui ſic conducebant. Cajus *l.* 25. §. 6. *D. de locat. Apparet autem de eo nos colono dicere qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioqui* Partiarius *colonus, quaſi ſocietatis jure, & damnum & lucrum cum Domino fundi partitur.* Ubi habemus utrumque conductionis genus, ſicut apud Plinium *l. c.* utrumque genus locandi. Meminit *Partiarii* quoque Cato *de R. R. c.* 16. *Calcem* Partiario *coquendam qui dant, ita dant.* Sic *paſcenda pecora Partiaria, i. e., ut fœtus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum & pallorem dividantur,* inquit Imperator Antoninus; *l.* 8. *Cod. de Pactis,* vide iterum Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 16. *ſub. fin.*

PARTHAMASPATES, Parthorum Rex, poſt Oſroën ſubactum, à Trajano Imperat. genti impoſitus, Xiphilin. *l.* 68. ſucceſſorem habuit Vologeſem II. in Parthicorum Regum ſerie penultimum, quem vide.

PARTHAMOSIRIUS, Rex Parthorum, memoratus Æl. Spartiano in *Hadriano Cæſ. c.* 5. *Pſamatoſſirim, quem Trajanus Parthis Regem fecerat.* Membranæ Palatinæ *Sarmatoſſirim* hunc Regem indigetant & editio Mediolanenſis, quod propiùs accedit ad Παρθαμόσιριν, ut eum vocat *Dio:* & uti apud Spartianum videtur legendum. Qui & in eo perperam agit, quòd confundit *Parthamoſirim* cum *Parthamaſpate,* quorum ille Armeniæ Rex, hic Parthis à Trajano impoſitus eſt. De priore locus Dionis in *Trajano,* Τραϊανὸς δὲ ἀμαχεὶ πάντα χειρώμενος εἰς Σάταλα ἦλθε καὶ εἰς Ἐλέγειαν τῆς Ἀρμενίας χώρια καὶ τὸν Ἡνιόχων βασιλέα ἐτίμησε, Παρθαμόσιριν δὲ τῶν Ἀρμενίων ἐτιμωρήσατο. *Trajanus verò ſine ſanguine omnia occupans. Satala venit & Elegiam, Armeniæ loca & Heniochorum Regem honoravit: Parthamoſirim verò Armeniorum Regem multavit.* En ἐτιμωρήσατο, *multavit?* Non igitur ille, quem Parthis impoſuit Trajanus: eum enim Παρθαμασπάτην appellat & ſic de eo ſcribit: Καὶ ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν ἀναβὰς καὶ μεγαληγορήσας ὑπὲρ ὧν καὶ κατειργάσατο, Παρθαμασπάτην τοῖς Πάρθοις βασιλέα ἀπέδειξε, τὸ διάδημα αὐτῷ ἐπιθείς, *Et celſo tribunali conſcenſo, poſtquam magnificè, quæ fecerat, prædicâſſet, Parthamaſpatem Parthis Regem dedit, diademate ipſi impoſitô.* Et paulo pòſt: Καὶ γὰρ καὶ οἱ Πάρθοι τὸν Παρθαμασπάτην ἀπαξιώσαντες ἐν τῷ σφετέρῳ τρόπῳ ἤρξαντο βασιλεύεσθαι, *Etenim & Parthi, Parthamaſpatem dedignati, ſuô more inceperunt regnari.* Quod ipſum eſt, quod *d. l.* tangit Spartian. Hadrianum cùm apud Parthos videret, haud in magno pondere haberi Regem ſuum *Parthamoſirim,* proximis gentibus eum dediſſe Regem: volens dicere, *Parthamaſpatem.* Quòd verò vir doctiſſimus Regem illum Armeniæ occiſum non conſtare, ex Dione notat, cùm Eutropius occiſum eſſe ſcribat, non habet aſſentientem Salmaſium qui ita vocem ἐτιμωρήσατο explicat, ſaltem ſic videri accepiſſe Eutropium contendit. At Sextus Rufus diadema tantùm illi ſublatum, adeoque dignitate Regiâ multatum ſcribit &c.

PARTHANUM, urbs in Vindelicis, *Antonin. Partenkirch,* oppidulum ad Loyſam fluv. in Bavaria, nominat *Simlerus.* Ibi Fridericus ab Henrico Imperatore victus.

PARTHAON, fil Iaſonis Pheræi, quare ſic appellatus, ſequentia docebunt. Habebat Iaſon fratrem Merionem ditiſſimum, ſed ſimul tenaciſſimum: quem puero ſibi nato advocabat, invitatis quoque Theſſalorum Principibus, ut tamen frater primas illius negotii ſuſtineret. *Merione* in his rebus occupatô, Iaſon venationem obtendens, ad Pagaſas uſque progreſſus eſt, ubi Meriones ſedem ac familiam habebat: milites haſtatos circumdedit, vi Diſpenſatoribus factâ, vigintique argenti talentis extortis, ſummô ſtudiô ad cœnam rediit. Meriones, cognitô domum eſſe vaſtatam, puero nomen *Parthaon,* ἀπὸ τοῦ πεπορθῆσθαι τὴν οἰκίαν, quod domus ejus vaſtata atque expilata ſit, impoſuit, Polyæn. *l.* 6. *c.* 1. §. 6.

PARTHENÆUM, urbs Pictavienſis provinc. ad Tocam amnem. Media inter Tovarcium ad Boream & Fanum S. Maxentii ad Meridiem 6. leucis utrinque, uti 12. à Salmurio in Auſtrum, 10. à Pictavio in Occaſum.

PARTHENASPATES, Parthorum Rex à Trajano deſignatus, A. C. 115. paulò pòſt à Parthis pulſus eſt.

PARTHENI, Plin. *l.* 3. *c.* 22. *Parthini* Pomponio *l.* 2. *c.* 3. ac *Dioni,* Illyrici populi, quos hodie *Raguſienſes* licebit appellare.

PARTHENIA, vicus prope Pontum. Samos etiam olim ſic dicta eſt, teſte *Stephanô.* Cùm autem Nicander.

——— Βύρος ἀγνοῦ γαίης Παρθενίης.

dixit, *Samiam terram* intellexit, teſte *Scholiaſte.*

PARTHENIÆ, Spartani bellô Meſſeniacô I. per annos viginti occupati, (Ephorus apud Strabonem *l.* 6. annô belli 10 id factum ait, ſub Polydoro Rege) metu ne interim Sparta tota viris nudaretur, maximè juvenes ex caſtris remiſêre in urbem eoſque paſſim cum virginibus congredi juſſerunt, ex quibus poſteà nati, incertô patre, dicti ſunt *Partheniæ,* quaſi *filii Virginum.* Hi cùm poſteà à reverſis Spartanis ſeſe pro ſpuriis ac nothis haberi viderent, nec ad ullam Reipubl. partem admitti; ſcirent tamen ſe Spartanô ſanguine editos, conjurârunt dolore contemtus cum Helotis, de Optimatibus trucidandis. Quô conſiliô patefactò, duce Phalantô, aliò migrare ſunt coacti. Hinc ergo delati in magnam Græciam Tarentum condidêre, quod vide.

PARTHENIAS, fluv. Peloponneſi, per Elidem fluens, ibique Epinam oppid. interluens. Pauſan. *l.* 6. *Strab.* Aliis *Parthenius.*

PARTHENICE, floris coronarii nomen, apud Catullum *in Epithalam. Jul. & Manlii, v.* 192. *Epigr.* 6. ubi papaveri jungitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Uxor in thalamo eſt tibi
Ore floridulô nitens,
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.

Vide Car. Paſchalium *Coronar. l. 3. c. 17.*

PARTHENICUM Pelagus, apud Steph. Diac. *in vita Stephani Junior.* fortè mare, quod à Conſtantinopoli protenditur ad Boriſthenem, nempe pars Occidentalis maris Euxini.

PARTHENICUM, caſtrum Siciliæ, in ora Occidentali. *Sala di Partenico*, in colle, in provinc. Mazaræ, 4. milliar. ab ora maris Tyrrheni, medium inter Panormum in Cæciam & Caſtrum ad mare in Africum, 15. utrinque milliar.

PARTHENICUM Promontor. *Sanſoni* eſt *Kiderleri*, in ora Boſpori Cimmerii, ubi exit è palude Mæotide.

PARTHENII, Græcè Παρθενίαι, vide *Parthenia.*

PARTHENIUM, urbs Eubœæ, ac alia Thraciæ. Item Myſiæ.

PARTHENIUS, Poëta Nicæus, ex Nicæa oppid. Liguriæ, quod hodie *Nizza della Paglia*, *Ferrar.* elegiacus, diverſorumque metrorum ſcriptor: A Cinna in bello Mithridatico captus, deinde ob ingenium manumiſſus: Vixit uſque ad Tiber. Cæſarem, qui ejus ſcriptis admodum delectabatur. Hôc præceptore uſus Virgilius in Græcis, ut apud Macrobium legere eſt, *Saturnal. l. 5. c. 17.* Etiam quædam ex ejus carmine expreſſit: ut ibidem legas de verſu iſtoc, *Georg. l. 1. v. 437.*

Glauco & Panopea, & Inoo Melicerta.

Quod ex illo Parthenii,

Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ.

Item ad imitationem ejus, Poëma, cui *Moretum* titulus, compoſuiſſe dicitur. Quòd ſi Virgilii fuit præceptor, omnino alius ab eo videatur, quem ad Tiberii uſque tempora vixiſſe ait *Suidas.* Niſi eò placet ad Tiberii tempora referri à Suida, quia dicârit ſuum opus Tiberio; quod facere potuit, ſimul ac rem bellô præclarè gerere cœpit; id verò fuit annis 29. ante Principatum ejus. Auctor quoque fuit hic Parthenius elegantiſſimi libelli, *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων*, qui hodie ſupereſt, ac narrationes continet collectas ex ſcriptoribus benè antiquis, ſed deperditis: ut vel hôc nomine gratiſſimus eſſe debeat Philologiæ & veteris Hiſtoriæ ſtudioſis. Eum dicavit auctor Corn. Gallo Foro-Julienſi, primo Ægypti præfecto. Quid mirum? Erat enim Gallus poëta egregius, & amorum minimè vacuus, quod vel ex Maronis eclogis notum eſt: At ſimiliter Parthenius, & poëta nobilis fuit, & qui amatoriô ſe argumentô inprimis oblectaret. Planè enim verſimile fit, eſſe hunc Parthenium illum, quem *Suidas* dicit eſſe Heraclidis, & Eudoræ ſive, ut Hermippus putabat, Tethæ filium, patriâ Nicænum, vel juxta alios, Myrleanum, qui præter Aretes, conjugis ſuæ, encomium, ac tres libros de laudibus uxoris, aliaque nonnulla etiam elegias in Venerem ſcripſit; Nec tempora repugnant; Nam Poëta ille, ut ait *Suidas*, belli Mithridatici tempore captus fuit, poſteaque ob eruditionem manumiſſus eſt, ac pervenit uſque ad tempora Tiber. Cæſaris. Quanquam majus hoc quidem videatur intervallum, quàm ut ſcriptor ille tot annos poſt captivitatem fuerit ſuperſtes. Nam à morte Mithridatis, uſque ad imperium Tiberii, anni ſunt 76. Sed fortaſſis erat adoleſcens admodum, cùm caperetur, valdeque ſenex cùm decederet. Aut hoc verum eſt, aut Tiberii tempus apud Suidam intelligi debet, non quô imperare, ſed quô florere cœpit, ut cùm Rhætos ac Vindelicos vicit. Id ſpatium totis undetriginta annis minus erit. Potuit autem circa iſta tempora Tiberio aliquid dicare, unde Suidas fortè crediderit, eum vixiſſe imperante Tiberiô. Ex Parthenio hoc verbum à Marone expreſſum Gellius, *l. 13. c. 25.* *Μεταμορφώσεις* quoque edidit; ut ex *Plutarchô* & *Euſtathio* ſcitur, item Suida in *Νίκωρ*, ubi Parthenius hic *Nicenus* vocatur. Eas Metamorphoſes Ovidium ſecutum fuiſſe pereſt veriſimile. *Archelaida* ejus nominat Hephæſtion: *Herculem*, *Iphiclum*, *Anthippen*, *Delum*, *Epicedium in Auxithemin*, & *Propempticon* celebrat *Stephanus*: ac meminit quoque Probus *in Eclog. 3. Virgilii*, & Artemidorus *l. 4.* *Ὀνειροκριτικῶν.* Vide *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 2. c. 1. & de Poët. c. 8.* Geſner. *in Biblioth. &c.* Alius omninò ab hoc eſt *Parthenius* Chius, cognomento *Chaos*, ex Homeri, ut creditum poſteritate unus, qui de patre ſuo Theſtore ſcripſit, teſte *Suidâ.* Alius *Parthenius* Phocenſis, cujus meminit Stephanus in Γόττοι ac Δεκέτιοι. Alius denique *Parthenius* Grammaticus, Dionyſii Grammatici diſcipulus, cujus ætatem ex magiſtro cognoſcimus. Nam Dionyſius ille floruit uſque ad Trajanum, ut *Suidas* docet. Eſt puto, hic Παρθένιος ὁ Διονύσου, quem *ἐν πρώτῳ περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων ζητουμένων*, Athenæus citat *l. 9. Nic. Lloyd.*

PARTHENIUS, cubicularius Domitiani Imperatoris de quo ſæpe Martial. Vide Dionem Caſſ. *l. 67. in Domitiano.*

PARTHENIUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus hôc tempore, de quo vide Jac. Sponium *Itiner. Græcia Part. I. p. 269.*

PARTHENIUS, fluv. Paphlagonum in Pontum Euxinum influens, *Heſych.* Per mediam Amaſtrianorum urbem fluit. Sic dictus, teſte *Stephanô*, vel quòd Diana virgo frequenter in eo venaretur, vel quòd placidô, tanquam virgineô gradu, profluat;

Ὡς ἀκαλὰ προρέων, ὡς ἁβρὴ παρθένος εἶσι.

Vel quòd virgo Palætinis regia filia in eo ſubmerſa ſit. Item fluvius Arcadiæ, ex montibus illius ortus. Item fluv. Sami, qui & *Imbraſus.* Item fluv. Sarmatiæ Europææ. Ejus meminit *Arrianus*; itemque Ovid. *l. 4. El. 10. v. 49.*

Partheniuſque rapax, & volvens ſaxa Cynapes
Labitur, & nullô tardior amne Tyras.

Ubi cùm *rapacem* vocat, ſecundum etymon ab Ethnicographo productum planè evertit. Item fluv. Bithyniæ, *Partheni*, *Moletio*, *Dolap*, *Nigro.* Eſt etiam promontorium prope Heracleam. Eſt item *Parthenius*, portus in litore Brutio: & mons in Arcadia ſic dictus, quaſi *Virgineus*, à *Virginibus*, quæ ibi Veneri frequenter ſacra facere ſolebant, vel venari, ut vult *Servius.* Virg. *Eclog. 10. v. 57.*

——— *Non me ulla vetabunt*
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.

Propertius *l. 1. El. 1. v. 11.*

Nam modò Partheniis amens errabat in antris.
Ibat & hirſutas ille videre feras.

Claudianus *l. 2. de raptu, v. 241.*

Jam neque Partheniis innectere retia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet. ———

Ovidius *Epiſt. 9. Heroid. v. 49.*

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos.

Item *Parthenium nemus* apud Stat. *Theb. l. 4. v. 285. Nic. Lloydius.*

PARTHENIUS, vide *Imbraſus.*

PARTHENON, Græcè Παρθενὼν, locus ædium, & quidem Gynæconitidos pars, ubi *Virgines* olim habitabant, de quo vide aliquid ſuprà: ubi de *Oecuria Athenienſium. Nuptiis*; infrà, voce *Puella*, it. *Thalamus*, & *Virginitas.* Item Monaſterium Virginum, apud medii ævi Scriptores. Nomen inprimis Templi Minervæ, quod in Acropoli Athenarum magnificum admodum hodieque magnâ ſui parte ſupereſt. Meminit ejus Plut. in *Pericle*, & à Callicratide extructum ait: Pauſan. ſimiliter in *Atticis*, ſed Ictinum ei Architectum tribuit. Poſtquam Urbs Athenarum ad fidem traducta eſt, Templi locô Chriſtianis fuit, hodieque Menſæ ſacræ & Baptiſterii, è porphyretico marmore, reliquiæ in eo ſuperſunt. Nunc, à Turcis in Meſquitam verſum, Mahumedicæ impietatis in ea urbe præcipua ſedes eſt. Nomen ei à Minerva, quam τὴν Παρθένον Athenienſibus per excellentiam dictam fuiſſe, conſtat. Aliàs ἑκατόμπεδον quoque appellatum, ut apud *Suidam* videre eſt à longitudine centum pedum, quam navis ejus continet. Prolixè & accuratè illud, qualiter etiamnum ſupereſt, deſcribit Jac. Sponius *Itinerario Græciæ Part. 2. p. 142. & ſeqq.* ubi & iconem ejus habes.

PARTHENOPÆA, Certamina, apud Surrentum inſtituta, an ſucceſſêre Neapolitanis Quinquennalibus ſacris ac Muſicis, an eadem cum illis? *Parthenope* enim Neapolis. Quem agonem ἁμιλλον τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα, *conferendum cum quolibet clariſſimo certamine eorum, quæ in Græcia celebrabantur*, vocat Strab. *l. 5.* Ea indigitat Statius *l. 3. Sylv. 1. v. 152.*

——— *ridetque benigna*
Parthenope *gentile ſacrum, nudoſque virorum*
Certatus, & parva ſua ſimulachra corona.

Ubi *coronam* accipit Paſchalius, pro certamine & ludis, à Pollione inſtitutis, in Herculis Surrentini, cui hæc *Sylva* inſcribitur, honorem, quæ fuerint aut Neapolitana, aut imitatione Neapolitanorum. Vide eum *Coronar. l. 6. c. 30.* & Petrum Fabrum *p. 646.*

PARTHENOPÆUS, fil. Meleagri & Atalantæ. Nonnulli perhibent illum Martis & Menalippes fuiſſe filium, ſive Milanionis, qui fuit rex Arcadiæ. Hic Thebana bella puer admodum petiit, ac in iiſdem obiit mortem. De illo plurimum Statius *in Theb.* Eum apud inferos vidit Æneas. Virg. *Æn. l. 6. v. 480.*

——— *Hîc inclytus armis*
Parthenopeus, & Adraſti pallentis imago.

PARTHENOPE, una Sirenum, quæ præ dolore, quod prætereuntem Ulyſſem cum ſociis in ſcopulos cantu pellicere non potuiſſent, in mare ſe præcipitârunt. Harum aliæ alia in loca; Parthenope autem eò delata eſt, ubi poſteà condita fuit Neapolis, primaria urbs Campaniæ, regni Neapolis caput, emporiumque celeberrimum, in ora maris Tyrrheni; amplitudine & incolarum frequentiâ inſignis, quæ ab ejus nomine etiam Parthenope eſt appellata: Neapolin autem poſteà dictam volunt hanc urbem, quòd ab Auguſto fuerit inſtaurata: Sed hoc verum eſſe non poteſt. Nam etiam apud Lycophronem, qui Ptolemæi temporibus multis ante Auguſtum annis claruit, *Neapolis* hæc urbs appellatur: & cives ejus *Neapolitani*: quos ſcribit quotannis ad templum Parthenopes faces ferre conſueviſſe. Veriſimilor eſt itaque aliorum opinio, qui hanc urbem à Cumanis conditam tradunt: qui cùm in eo loco Parthenopes corpus in veteri monumento conditum repeiriſſent nomen ejus urbi indidêre. Sed poſtquàm loci ubertate atque amœnitate majorem in modum frequentari civitas cœpit, veriti ne Cumæ deſererentur, diruendi Parthenopen conſilium inivêre. Quô factô mox immani peſtilentiâ vexati, oraculô moniti ſunt, ut novam urbem reſtituerent. Cui oraculo obtemperantes, urbem paulo ante dirutam ſplendidius inſtaurârunt, & ex reſponſi verbis arreptô nomine *Neapolin*, h. e. *novam urbem* appellaverunt. Dionyſius:

——— Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον, ἔνθα μέλαθρον
Ἁγνῆς Παρθενόπης. ———

Plin. *l. 3. c. 5. Neapolis, Chalcidenſium & ipſa, Parthenope à tumulo Sirenes appellata.* Otio deditam eſſe civitatem, ſequentia teſtimonia firmant. Horat. *Epod. 5. v. 43.*

Et otioſa credidit Neapolis.

Ovidius *Metam. l. 15. v. 712.*

——— *Et in otia natam*
Parthenopen. ———

Silius *l. 12. v. 31.*

Nam molles urbi ritus, atque hoſpita Muſis
Otia, & exemptum curis gravioribus avum.

Virg. *in fine l. 4. Georg. v. 563.*

Illô Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.

Nic. Lloyd.

PARTHENOPE, inſula parva maris Tyrrheni quibuſdam Ventotiene

tiene, cum alia minore adjacente, verſus Sinum Formianum, 20. milliar. à Cajeta in Meridiem, 12. ab Ænaria inſula in Ortum.

PARTHENOPOLIS, oppid. Myſiæ in Aſia, ad Helleſpontum, & urbs Macedoniæ, ſic dicta à filiabus Geræſti, filii Mygdonis, quæ cùm agreſtes & inhumanæ eſſent; pater, ut eas ad civiliorem vitam invitaret, civitatem earum gratiâ condidit.

PARTHENOPOLIS, etiam *Magdeburgum* dicta eſt, quòd ibi Diana Virgo culta; quod etiam etymon Germanic. teſtatur. Vide *ibi*.

PARTHENOS, Græcè παρθένος, i. e. *Virgo*, nomen monetæ Atticæ, apud Euripidem, quæ κόρη aliàs dicebatur, quod Palladis imaginem inſculptam haberet. Unde feſtivum ortum adagium, de poſcinumiis ſcortillis; ut παρθένον *amare* dicerentur; de quo vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 10. *c.* 2. uti de vocis παρθένε aliis, apud Eccleſ. inprimis Scriptores, notionibus, Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.*

PARTHENUHIERON, i. e. *virginis templum* & *Panthenacra*, nomen loci & promuntorii ante Cherſoneſum Boſpori urbem, *Strabo*. Incola *Parthenius*.

PARTHIA, Aſiæ regio, perampla, ab occaſu Mediâ, ab Aquilone Hyrcaniâ, ab ortu Arianâ, à meridie Carmaniæ deſertis terminata. *Parthenen* Qu. Curtius vocat. *l.* 6. *c.* 2. ubi docet Parthos Scytharum progeniem eſſe, quod & *Dionyſ.* teſtatur. *Parthiam* quidem à *Parthyene*, ut totum à parte diſtinguit *Ptol.* qui in illa urbes 25. numeravit, quarum præcipua Hecatompylos, quam quidam *Hiſphahanum* eſſe contendunt, Parthyenen Parthiæ provinciam faciens, ſed ab eo in hac re diſſentit Strabo *l.* 11. cui tota regio, quæ *Parthia Ptolemæo* eſt, *Parthyene* dicitur, cum quo *Polybius* & alii conſentiunt. *Stephanus Byzantinus*: Λέγονται δὲ καὶ Πάρθοι, καὶ Πάρθιοι, καὶ Παρθυαῖοι. Καὶ Παρθυαία ἡ χώρα; καὶ Παρθυηνή. Fuit initiò obſcura & minùs valida gens, deinde nobiliſſima & potentiſſima evaſit. Vide infrà & Dionem Caſſium, *l.* 40. *in rebus Craſſi*, ubi accuratè de iis exponit. Recentiores Latini aliquando Parthiæ nomen ad totum Parthicum, ſeu Perſicum imperium, ſub Arſacidis acquiſitum extendunt. Ita Solin. *c.* 59. *Parthiam, quanta omnis eſt, à Septentrione Hyrcanio claudi* affirmat; & *regna in ea duo deviginti* numerat. *Baudrando* Parthia etiam regio fuit perampla, Hyrcaniam, Margianam, & Parthiam propriam, inter Mediam & Arriam, nunc *Khœmus* dictam, & *Choraſan* ex parte Occidentali comprehendens. Horum ſitum ac mores his verſibus deſcribit Dionyſius ὁ Περιηγητής, *v.* 1039.

Ἀλλ᾽ ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάων
Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήϊοι ἀγκυλότοξοι,
Παντοίου πολέμοιο δαήμονες· οὐ γὰρ ἀρότρῳ
Αὔλακ᾽ ἐπιθύνουσι διασχίζοντες ἀρούρας,
Οὐδὲ μὲν ἐν νήεσσιν ἅλα τμήγουσιν ἐρετμοῖς,
Οὐδὲ νομῷ φέρβουσι βοῶν γένος, ἐκ δὲ γενέθλης
Νηπίαχοι τόξοισι καὶ ἱπποσύνῃσι μέλονται.
Αἰεὶ δ᾽ ἠχήεσσαν ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων,
Ἠδ᾽ βελέων, πάντῃ δέ τ᾽ ἀελλοπόδων δρόμος ἵππων
Θυνόντων· οὐ γάρ σφι θέμις δόρποιο πάσασθαι,
Πρὶν πολέμου μόχθοισι κάρην ἱδρῶτι παλῦναι.
Φέρβονται δ᾽ ἄγρῃσι δορυκτήτου βιότοιο.
Ἀλλ᾽ ἔμπης, κατὰ δῆριν ἀμαιμακέτους περ ἐόντας
Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπρήϋνεν ἀκωκή.

Parthos autem è Scythia primùm profectos *Parthiam* ab ipſis dictam occupâſſe refert Juſtinus, *l.* 41. *c.* 1. idque nominis indiciô probat, quod *Scythicô ſermone Parthi exules dicantur*; quod & Euſtathius, aliique confirmant. Regionem hi nacti ſterilem & deſertam, atque ob hoc ipſum Macedonibus neglectam, in tantum ſequentibus ſeculis potentiâ creverunt, ut cum Romanis de Imperio Orbis contenderent. Arſaces conditor hujus monarchiæ fuit, cujus ſucceſſores *Arſacidæ* dicti, præfuerunt, uſque ad Artabanum, quô ab Artaxerxe Perſa occiſô. Regnum hoc poſt 400. ann. utpote inchoatum Ann. ante Chriſtum 250. finitum eſt, A. C. 227. Vide ſuprà, & inſuper Juſtin. *l.* 41. *c.* 1. Herodian. *l.* 6. Agathiam *l.* 1. Plin. *l.* 6. *c.* 25. Appian. *de Bellis Syriac. & Parthic.* &c. Ex Parthiæ Regibus Phraate, fraude Thermuſæ pellicis, & filii ejus ſublato, Phraataces regnum rapuit, A. C. 16. mox ſubditis propterea inviſus periit, ſurrogatô Orode; ſed & hic ob ſævitiam ſublatus Ann. 17. Tum Romæ Vonones, obſes à Phraate patre datus, in regnum miſſus, ſed ab Artabano victus eſt. A. C. 34. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 1. 2. 3. 4. 56. 58. &c. Huic iterum à Sinnace & Abbo Eunucho pulſo, ſubmiſſus eſt à Tiberio Tiridates, qui à L. Vitellio in regnum deductus, mox à Parthis, revocatô Artabanô, iterum expulſus eſt, A. 36. interim hunc per Alanos graviter afflixit Imperator. Poſteà diſſidiis inteſtinis cæſô Artabanô, Goratzes frater regnô potitus eſt, An. 49. Huic Vonones ſucceſſit, An. 50. quem brevi Vulogeſes filius excepit. Idem *l.* 11. & 12. Joſeph. *Antiq. l.* 20. *c.* 2. Hic rebus variis præclarè geſtis inclytus, tandem tamen à Cæſare regnum petere & accipere coactus eſt. Tacit. *Annal. l.* 15. Dion. *l.* 63. A. C. 64. Poſteà magna Parthiæ pars à Trajano ſubacta, Parthanaſpatem ab eo Regem accepit, A. C. 107. 115. ſed Æl. Adrianus Pſamatoriſim impoſitum Parthis amovit, A. C. 120. Antoninus Pius Parthorum Regem ab Armeniorum expugnatione ſolis literis repulit, A. C. 151. Vologeſes quoque ab Antonino Phil. ad incitas redactus eſt, Ann. 166. Dion. *l.* 71. ut & à Severo Artabanus, A. C. 201. quem ſub prætextu nuptiarum filiæ, oppreſſit Caracalla, A. C. 218. Idem *l.* 78. Iterum ſub Macrino victorem, A. C. 226. regnô exuit Artaxerxes, ut dictum. Arcu plurimum valuerunt *Parthi*, quò vel fugientes hoſtibus plurimum detrimenti afferebant. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 31.

Fidentemque fugâ Parthum, verſiſque ſagittis.

Idem *l.* 4. *v.* 313. *de apibus:*

——— *Aut ut nervô pulſante ſagittæ*
Prima leves ineunt ſi quando prælia Parthi.

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 19. *v.* 11.

——— *Et verſis animoſum equis*
Parthum dicere. ——— ———

Et *l.* 2. *Od.* 13. *v.* 17.

Miles ſagittas & celerem fugam Parthi.

Idem *l.* 2. *Serm. Sat.* 1. *v.* 15.

Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.

Claudian.

——— *Refugo quæ ſit fiducia Partho.*

Catullus, *Epigr.* 11. *v.* 6.

Seu Sacas ſagittiferoſque Parthos.

Ovidius 1. *de Art. Am. v.* 209.

Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam,
Telaque ab adverſo quæ jacit hoſtis equo

Idem *Remed. Am. v.* 224.

Ut celer averſis utere Parthis equis.

Alius

——— *Parthus tutus ab hoſte fugâ eſt.*

Propert. *l.* 2. *El.* 10. *v.* 13.

Jam negat Euphrates equitem poſt terga tueri.

Idem *l.* 3. *El.* 8. *v.* 54.

Parthorum aſtutæ tela remiſſa fugæ.

Et *l.* 4. *El.* 3. *v.* 66.

Subdolus & verſis increpat arcus equis.

Seneca *in Oedipo Actu* 1. *v.* 118.

Vidit & verſas equitis ſagittas
Terga fallacis metuenda Parthi.

Idem *in Thyeſte Actu* 2. *v.* 382.

Nil armis & inertibus
Telis, quæ procul ingeret
Parthus, cùm ſimulat fugas.

Boëtius *l.* 5.

Rupis Achæmeniæ ſcopulis, ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax.

Statius *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 78.

——— *Arcuque horrenda fugaci*
Armenia. ——— ———

Lucan. *l.* 1. *v.* 229.

——— *Tortô Balearis verbere fundæ*
Ocyor, & miſſâ Parthi poſt terga ſagittâ.

Unde *refugi* dicti ab eodem *l.* 6. *v.* 49.

——— *Fragili circumdata teſtâ*
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Erant porro vino libidinique dediti, ſed bellô laboreque indefatigabiles. Tandem ſuperſtitioſè admodum & venerabundè Regi ſuo obſequium impendiſſe dicuntur, oſculis pedum & ſervili ſupplicatione: quin eum adituri terram ore tangebant, teſte *Xenophonte*. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 211.

Præterea regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant. ——— ———

Martial. *l.* 10. *epigr.* 72. *v.* 1. 5.

Fruſtra blanditiæ venitis ad me,
Ad Parthos procul ite pileatos
Et turpes, humileſque, ſuppliceſque
Pictorum ſola baſiate regum.

Nic. Lloydius. Cœterùm poſt victos à Perſis *Parthos* & nomen imperiumque *Parthorum*, victô Artabanô, ab Artaxerxe, extinctum, redditamque Perſis, imperante Alexandrô Severô, potentiam, *Perſarum Parthorumque* nomina apud Scriptores confundi paſſim deprehendimus. Inter quos Hegeſippus, non rarò in hunc lapidem impingit. Nam, cùm Joſephus dixiſſet *Ant. Jud. l.* 14. *c.* 2. Πάρθων δὲ Μιθριδάτην καὶ Ὀρσάνην φυγάδας, ipſe reddidit *Hiſtor. Eccl. l.* 1. *c.* 21. *Mithridatem & Tigranem* (*l.* Orſanem) *fugientes de Perſide.* Idem *eôd. l. c.* 32. *Siquidem non multo pòſt ei Parthorum Rex* Artabazes, *Tigranis---filius, dono eſt datus; quem Antonius captivum tenens, cum omni præda & ſpoliis Perſicis, triumpho debitum, quaſi vile mancipium, mulieri addixit.* Quod Joſephus ſic narraverat: Καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ παρῆν ἐκ Πάρθων Ἀντώνιος, ἄγων αἰχμάλωτον Ἀρταβάζην, τὸν Τιγράνου παῖδα, δῶρον Κλεοπάτρᾳ, μετὰ τῶν χρημάτων καὶ τῆς λείας ἁπάσης. E *Parthis* veniſſe ait Antonium, & duxiſſe captivum Regem Artabazen: Iſte accepit, quaſi Parthorum Regem dixiſſet, qui Armeniis imperitârat, & fraude, atque ut ait Tacitus *ſcelere* Antonii vinctus erat. *Spolia* quoque *Perſica* nuncupat, quaſi non plus in Parthis perdidiſſet Antonius, quàm quæſiverat. Fuêre autem illa quoque Armeniorum, ut ſatis docet Joſeph. *Antiqq. l.* 25. *c.* 4. &c. Plura vide apud Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 1. cui adde Cl. Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Valerianis. c.* 4.

PARTHIA, nomen libri ab Iſidoro Characeno conſcripti, qui Παρθίας περιηγητικὸν. item Παρθικοὺς σταθμοὺς, in publicum edidit, totum *Parthicum Regnum* hôc nomine complexus. Ita enim claudit libellum *de Manſionibus Parthicis*, Ἄχρι τούτου ἐστὶ τῶν Πάρθων ἐπικράτεια, *Hucuſque eſt Parthorum imperium.* Aliàs ſic dicta eſt propria ac priva Parthorum provincia ſeu regio, quæ Παρθυαία & Παρθυηνή. Quemadmodum hodie *Franciæ* nomen dupliciter ſumitur, pro Regno Francorum & pro ſpeciali provincia, in qua conſederunt Franci. Et falluntur qui hæc vocabula non diſtinguunt: Nam Παρθυηνοὶ populi iidem & Παρθοὶ, ac Παρθία utrumque promiſcuè ſignificat, tam Regnum, quàm regionem, at Παρθυαία vel Παρθυηνη regionem tantùm. Qui typus fuit quamplurium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

illius Imperii provinciarum. Hinc Auctorum ſcripta titulis diſtinguenda, qui Παρθικὰ ſcripſêre, & qui Παρθυηνικὰ: illi *res Parthicas* totius Imperii Parthorum tractaverunt; iſti *origines Parthorum*, reſque duntaxat eas, quas in patria geſſerunt, expoſuêre. Sic Quadratus ſæpe citatur apud *Stephanum* ἐν Παρθυηνικοῖς, pro quo libri mendosè habent Παρθενικὰ, Xylander omnibus locis correxit Παρθικὰ: Arrianus verò non Παρθυηνικὰ, ſed Παρθικὰ, compoſuerat; qui libri non raro afferuntur à Veteribus. Vide Salmaſ. *in Solin. p.* 1296. & hìc infrà. Sed hæc paſſim confundi notum eſt. Meminit Παρθυηνικῶν Scriptoris dicti Jul. Capitolin. *in Vero*, *c.* 8. *Caſſii, à quo contra fidem Seleucia expugnata eſt; quod quidem inter cœteros etiam Quadratus Parthici belli ſcriptor, incuſatis Seleucenis, qui fidem primi ruperant, purgat.* Nonum librum iſtorum *Parthicorum* citat Stephanus idem, in voce Σόλυμα, nec ultra citatus reperitur. Vixit verò Sciptor hic, ſub Philippis, & Romanorum Hiſtoriam exorſus, à primo anno Urbis uſque ad milleſimum, quem Philippi celebrârunt, Χιλιαρχίαν vel Χιλιάδα titulô ſignavit, Stephano eidem laudatam: adeoque ſicut Παρθυηνικὰ, ita & Ῥωμαϊκά, ſcribere exorſus eſt. Vide eundem Salmaſ. *ad Capitolin. cit. loc.*

PARTHICÆ Pelles, magno olim in pretio. Matthæus Silvaticus: *Fenutio, i. e. pellis Parthica.* Ex φοινικιαῖον, nam pelles hæ purpureæ fuêre, è quibus calcei fiebant Imperatorum, *Zanchæ* dicti. Treb. Pollio in *Claudio*, *c.* 17. *Zanchas de noſtris Parthicis paria duo*; ubi ſcribit Salmaſ. *Zanchas de noſtris Parthicas.* Zanchæ nempe Parthicæ, ſunt calcei ex pelle Parthica: atque ita apud *Corrippum tergora Parthica* accipienda ſunt. Deſcribit illos Idem *l.* 2. *de laudibus Juſtini Imp.* his verbis:

Purpureô ſuræ reſonant fulgente cothurnô,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica *Campano dederant quæ tergora fuco,*
Qui ſolet edomitos victor calcare tyrannos,
Romanus Princeps &c.

Sic Guilielmus Apul. *Normannic. Rerum l.* 1.

—— —— *Aſſumitur Imperialis*
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,
Quâ ſolet, Imperii qui curam ſuſcipit, uti.

Meminit *Parthici lori* Scholiaſtes Juvenalis, *ad illud, Sat.* 5. *v.* 165.

Vel nodus tantùm & ſignum de paupere loro.

i. e. *Parthica corrigia, unde ſolet bulla pendere ſignum ingenuitatis.* Sacculi *Parthici*, Ammian. Marcellin. *l.* 22. *Notum eſt enim, ſub Maximiano Cæſare, vallô Regis Perſarum direptô, gregarium quendam poſt ſacculum Parthicum, in quo erant margaritæ, repertum, projectis imperitiâ gemmis, abiſſe ſolô pellis nitore contentum* &c. Erant autem hæ pelles, de quibus ut pretioſiſſimis & pulcherrimis tam frequens mentio, pantherarum, pardorum & tigrium. Salmaſ. *ad Pollionem l. c.* & *Vopiſc. Aureliano. c.* 33. Hinc *Parthicarii* harum pellium mercatores, in *l.* 2. *Cod. de excuſat. mun.* quos, Imperatori deſervientes, à muneribus fuiſſe immunes dicitur *l.* 7. *Cod. eod. tit.* ubi cùm *Partiarii* legeretur, repoſuit Cujacius *ad d. l. Parthicarii.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Ut etiam de *Parthicis* equis hìc aliquid addam, Vegetius *l.* 4. *c.* 6. ait; loquens de illis, qui tolutim docebant: *Prætereà minutos greſſus imitatur, ut inter aulices ungulas ponat, nam ſi extendere voluerit, offendit in cumunum. Minutim autem equus ambulans commodiùs vehit & pulchriùs videtur incedere.* Cujuſmodi equos *Tricinarios* appellatos à tricino & ſpiſſo, minutatimque fracto & mollito gradu, docet Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis, c.* 3.

PARTHICARII, vide ſuprà in *Parthicæ Pelles.*

PARTHINI, populi Macedoniæ, Plin. *l.* 3. *c.* 23. Illyrici circa Epidamnum, *Baudrand.* falsô pro Raguſinis habiti.

PARTHIUM, regiuncula Campaniæ Gallicanæ ſuperioris, nomen illi à Burgo; qui vulgò *Perte* ad Matronam dicitur: Regio ipſa vocatur *le pays de Parthois.* Metropolis ejus eſt *Vitriacum*, *Metel.* & *Merula.*

PARTHUS, nomen equi, in Circenſibus, à gente inditum. Omnium enim equorum, qui Circo committebantur, cùm ſua eſſent nomina, quibus appellabantur, uti ex Auctoribus conſtat & veter. *Inſcr.* monumentis, quæ indices continent equorum Circenſium, cum ſuis hominibus; quidam nomina habuerunt à colore, alii à celeritate, nonnulli à gente, vel ab inſigni aliquo ſeu genitivo ſeu inuſto, vel ab aliis rebus: ut multa fuit in his laſcivia, ac deliciæ Veter. Idem Salmaſ. *p.* 895.

PARTHUS, urbs Illyrica, *Stephan.*

PARTHYENE, vide PARTHIA.

PARTIARIA Pecora, *Partiarius* Colonus, vide ſuprà in voce *Partes.*

in PARTIBUS Doctor, legitur in *Epitaphio*, quod Clar. Naudæus edidit:

Hic jacet Judocus,
Qui fuit Romæ coquus,
Magiſter in Artibus,
Et doctor in Partibus,
Et de gratia ſpeciali,
Hortus in hoſpitali.

Et extat in Bibliotheca Sangermanenſi Galliæ apud Car. du Freſne Codex *MS.* cùm tit. *Incipit tractatus* in Partibus *Donati cujuſdam Presbyteri Zmaragdi.* Eſt autem *Partes edere*, partitiones orationis per partes ac verba ſingula examinare. Quintilian. *l.* 1. *c.* 14. *Et illa quidem minora præſtare debebit, ut* partes *orationis reddi ſibi ſolutâ oratione deſideret*, &c. Cujuſmodi ſunt Priſciani *Partitiones* 12. *primorum verſuum Æneidos.* Hanc verò Grammaticæ partem, *quâ docentur Adoleſcentes ſcripta intelligere & probare*, ut eſt apud Martian. Capellam *l.* 3. Σχεδογραφίαν vocat Anna Comnena *Alexiad. l.* 14. *p.* 485. atque recentiorum ait fuiſſe inventum, præcipuos in ea nominans Magiſtros Stylianos, Longobardos ſeu Italos, quos Glaber *l.* 2. *c.* 12. & Paul. Warnefridus *de Geſtis Longobard. c.* 7. Grammaticæ præ cœteris operam impenſius dediſſe, teſtantur. Atque eâ notione σχεδογραφεῖν, pro *edere partes*, uſurpat Baſilius περὶ Γραμματικῆς γυμνασίας, ut & σχέδος, pro *partibus*, idem Scriptor & Manuel Moſchopulus, qui hanc potiſſimùm Grammaticæ partem illuſtrârunt, poſterior librô, quem Περὶ σχεδῶν inſcripſit. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PARTICIPANTES, memorati in Bulla Pauli Pontific. Romani A. C. 1358. apud Guichenonem in *Bibl. Sebus. p.* 138. *Cubicularius, de numero Participantium.* Vide ſuprà *Cubicularius.*

PARTICIPATUS Imperii, occurrit apud Jul. Capitolin. *c.* 3. in *Vero*, ubi cùm ait, *Defuncto Pio Maximus in eum omnia contulit, Principatu etiam Imperatoriæ poteſtatis indulto*: reponendum docet Iſaac. Caſaubonus, *Participatu*; quam lectionem firmat Palatin. & Mediolanenſis editio. Item apud Æl. Spartian. *in Didio Juliano*, *c.* 8. ubi iterum, in verbis, *Claudium Pompejanum è Taracinenſi ad Principatum evocavit*, legendum, *Participatum*, ut iterum Palatinus codex habet. Nam *ad Principatum*, quod eſt in vulgatis, heîc conſiſtere non poteſt: partiariô enim imperiô eum honeſtatum volebat Julianus, non integrô. Vide quoque *L. Cod.* 6. *de Inceſt. nupt.*

PARTICULÆ, vide ſuprà *Margaritæ*, & *Partes.*

PARTICULARIUS, Ælfrico in *Gloſſ.* Saxon. idem quod *Offarius*, nomen miniſterii in Monaſteriis, quâ illi inſigniti leguntur, quorum erat cibos per partes ſingulis Monachis diſſecare, Car. du Freſne. *Gloſſar.*

PARTISCUM, Jazygum Metanaſtarum urbs, *Ptol.* Eſt autem in Hungaria Tranſdanubiana Agriæ urbi finitima, ab ea in Ortum & Meridiem recedens. *Cechometh Nigro*, *Parooczlo* verò teſte *Laziô.*

PARTULA, Dea, quæ puerperiis præeſſe credebatur, *Tertullian.*

PARTUNDA, aliis *Parunda*, Dea parientium, quæ & *Lucina*, & *Ilithyia.*

PARVA Deppa, locus Guineæ, in ora Maleguettæ, cum fluv. cognomine, ubi aliàs Francorum colonia, à Deppenſibus extructa, A. C. 1365. & poſteà derelicta; *petit Dieppe.*

PARVA Pila, vide infrà *Pila.*

PARVI Denarii Pariſienſes, Gall. *Petits Deniers Pariſis*, pretii 1. den. Pariſ. ſub Philippo. VI. Gall. Rege *Parvi Liardi Delphinatus*, Gall. *Petits Liards du Dauphiné*, & *Parvi Liardi Franciæ*, Gall. *Petits Liards de France*, in quorum illis Delphinus, iſtis parvulus Rex pallio involutus ſub Ludovico XI. Item *parvi Oboli Pariſienſes*, Gall. *Petits Oboles Pariſis*, ſub Philippo itidem VI. cuſi, memorantur Carolo du Freſne voce *Moneta.*

in PARVIS Artifices, vide ſuprà *Marmor*, *Microſcopium.*

PARVIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

in PARUM, qui Græcis αἰγιθαλὸς, Timandra mutata memoratur Anton. Liberali in *Transform.* ex Bæi *Ornithogonia l.* 1. Vide hac de ave Ariſtotelem *Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 3. & *l.* 9. *c.* 15. ac 40. Inde & ſaltationi nomen, apud *Pollucem.*

PARUTA Paulus, Venetus Nobilis, Præfectus Brexiæ & Procurator D. Marci, Legationibus variis ad Philippum III. Hiſpan. Regem, Clementem VIII. & Margaritam Auſtriacam, cùm Marito adduceretur, feliciter defunctus: ſcripſit *Della perfezione della vita Politica, libros* 3. *Iſtoria Veneziana, Part.* 2. *Diſcorſi Politici, Soliloquio nel quale fà un breve eſſame di tutto il corſo della vita ſua*: quorum operum primum Politicæ cultoribus utiliſſimum. Unde Traj. Boccalini *Paruta* maximi habitus *Ragg. di Parn. Cent.* 1. *Rag.* 67. *Cent. III. Rag.* 9. & Naudæo Opera illius *incomparabilia*, ipſe vero *filos & ornamentum Venetæ Nobilitatis* cluet, apud Anton. Teiſſier *Elog. Partez.* Obiit A. C. 1599. ætat. 58. Vide etiam *Paulus Paruta.*

PARVUS, pro infante, frequens apud Papinium Statium, *Theb. l.* 7. *v.* 93. ubi de Juſtis Archemoro ſolutis,

—— *Da*, parve, *tuum trieterida multâ*
Inſtaurare diem ——

Quem mox *v.* 98. *puerum* vocat.

Nos te lugenti; puer, inficiamur Averno.

Sic *Theb. l.* 9. *v.* 839.

Hinc plena tibi, parve, *colus* ——

Et *l.* 9. *v.* 719.

—— *Auguſtum jamdudum, urgentibus annis,*
Mænalium tibi, parve, *nemus* ——

Etiam *l.* 1. *Sylv. ult. v.* 43.

Una veſcitur omnis ordo menſâ,
Parvi, *Fœmina, Plebs, Eques, Senatus* &c.

Ad quæ loca vide *Animadverſiones*, Caſp. Barthii. Virgilius ſubſtantivum addit, in *Ecl.* 4. *v.* 60.

Incipe parve puer, *riſu cognoſcere matrem.*

ubi *Servium* vide. Ejus diminutivum *Parvulus*, Græcè ἄφρων, νήπιος, h. e. *inſipiens*, *imprudens*, uti Auguſtinus interpretatur *Tom. X. Serm.* 9. *de verbis Domini.* Sic Arnobius *adv. Gentes l.* 1. *Quid dicitis ô parvuli, incomperta vobis & neſcia, temerariâ vocis garrulitate loquentes*, ubi G. Elmenhorſtium & Deſid. Heraldum vide.

PARYADRES, inter Tauri montis cognomina, vide ſuprà *Pariedri.*

PARYADRIS, mons Armeniæ maj. *Ptol.* Vide *Pariedrus.*

PARYSADES, Leuconis fil. Satyri nepos, Spartaci pronepos, mortuô fratre Sportacô, Ponti regnum ſuſcepit, Olympiadis centeſimæ ſeptimæ annô quartô, tenuitque annos triginta octo, Diodor. Sic. *l.* 16. *p.* 538.

PARYSATIS, aliquot fœminarum principum in Perſia nomen. Inprimis illuſtris Xerxis filia, uxor Darii poſterioris, qui Nothus dictus eſt, Artaxerxis Mnemonis & Cyri Junioris mater: Gingæ famulâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

famulâ ad veneficia uſa eſt, *Plutarch.* Hæc iniqua & infeſta nurui Statiræ necem intulit, hôc pactô: Cultelli partem venenô contigit, reliquâ parte à veneno intactâ. Hôc cultellô avicula quædam ovi magnitudine (*Rhyndacem* Perſæ nominant) ſecatur in duas partes. Ac partem quidem dimidiam à veneno immunem Paryſatis ſibi ſumit & comedit: venenô contactam Statiræ porrigit. Illa autem ubi vidit Paryſatidem, quæ alteram partem ſibi poſteà dederat, comeſſe partem ſuam, quòd non ſatis animadvertere potuiſſet, quid ab illis actum eſſet: etiam ipſa ſuam partem cum illâ comeſt. Iraſcitur matri ob hanc cauſam Rex & Gingem comprehendi jubet Paryſatidis ancillam. Vocatur in judicium Ginge & à judicibus, ut innocens abſolvitur; ſed à rege damnata necatur. Hinc mater Paryſatis filio & ille matri ſuccenſet, *Cteſias.*

PASARGADA, Perſidis urbs, *Ptolem.* regia olim, *Chilquera Theveto.* Nunc *Databegerd* incolis, *Valaſegerd* Arab. ſatis adhuc culta, in tractu *Darabegerd* dicto. Fuit autem prope Carmaniam, à Cyro ibi loci condita, ubi Aſtyagen præliô vicit; & nomen quidem ipſum Περσῶν ϛρατόπεδον, h. e. *Perſarum caſtra*, ſignificare, teſtatur tum *Euſtath.* tum Steph. de urbibus, cujus verba ſic ſe habent: Τὰς δὲ Πασαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος ἐφ' ᾧ τόπῳ παραταξάμενος Ἀϛυάγην ἐνίκησεν. Ὀνομάζεται δὲ ἡ πόλις διερμηνευθεῖσα Περσῶν ϛρατόπεδον. Sed tunc eſſet *Parſagada. Dionyſius* verò *Paſargadas*, non tanquam urbem, ſed gentem nominat; cui genti proculdubio Paſargadæ urbs, quam cum locis vicinis tenuêre, nomen dedit. Sic enim ille, Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδαι. Qu. Curt. *l.* 10. *c.* 1. ubi de Alexandri ex India in Carmaniam reditu: *Ventum eſt*, inquit, *inde Paſargadas; Perſica gens eſt; cujus Satrapes Orſines erat.* Scribitur & *Paſſargada. Nic. Lloydius.*

PASARINUS Marc. Antonius, vide *ibi.*

PASARNA, Lavinianenſis præfecturæ urbs, in Armenia minore *Ptol.*

PASCATIRA, vulgò PASCATIR, regio Aſiæ Septentrionalis, ultra Moſcoviam, ex qua orti tum Hunni olim, tum Hungari, teſte Rubruque Monachô, legatione ad Magnum Tartarorum Imperatorem celebri: qui etiam Juhros, è quorum provinc. Juhra nonnulli, inter quos Baro Herberſtenius, Hungaros prodiiſſe volunt, diſtingui à *Paſcatiris* & Sinenſibus eſſe propiores, addit. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper.* ubi, varias de Hunnorum origine ſententias enumerans, non tam à Tartaris, aut Ruſſis, ut quidam volunt, quàm à *Paſcatiris*, autoritate Monachi præfati motus, eam accerſit. Quorum quidquid ſit, certum eſt, ab extremis frigidiſſimiſque Septentrionum oris Hunnos Hungaroſque prodiiſſe, neque proin videtur Fellero *ad Hornium* multum intereſſe, an ad Tartaros an ad Juharos, Moſco ſubjectos, an ad *Paſcatiros*, eorum ortum referas, ſiquidem hi omnes inter Moſcos & Sinenſes ſint ſiti. Certè Ruſſi ſive Moſci hodieque gloriantur, ſuos olim ſubditos Hungaros ex Juharia ſive Juhra, quæ ad Oceanum Septentrional. Moſcici Imperii eſt, egreſſos ad Danubium commigrâſſe occupatâque Pannoniâ eam ſuô nomine *Juhariam* primò, poſteà literis paulùm immutatis Hungariam appellâſſe; Quin & hoc addunt, Juharos in hunc uſque diem eâdem cum Hungaris linguâ uti, uti Baro Herberſtenius in legatione ſua comperit, &c.

PASCERE, propriè de familia ſervorum: ut apud Catonem, *bene veſtire & benè paſcere.* Appulejum, *parciùs paſco, leviùs veſtio;* Spartianum *in Hadriano*, *c.* 11. *Ante omnes tamen enitebatur, ne quid otioſum vel emeret aliquando vel paſceret.* Sic Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 141

—— *Quot* paſcit *ſervos?* ——

Vide Caſaubon. *ad Spartian. d. l.* Abſolute dictum, *convivium exhibere* vel *epulari* ſignificat. Unde locum ejuſdem Auctoris in eodem Imperat. *Ad deprehendendas obſonatorum fraudes, quum eum pluribus ſumentibus* paſceret, *fercula de aliis menſis etiam ultimis quibuſque juſſi apponi*, legit Salmaſius, *quum cum plurimis Summatibus paſceret*, i. e. epularetur. Apud Lamprid. *in Alexandro Mammææ c.* 41. legimus, *Et quum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros anteà, quando* paſcebat, *accipiebat ab amicis, quod hodieque, ſi* paſcatur *à Præfectis, abſente Imperatore.* Ubi eôdem ſenſu vox *paſcere* occurrit. *Paſcere* nempe dicebatur Imperator, cùm ſolenne convivium exhiberet, Magiſtratibus & reliquis Proceribus ac Summatibus; adeoque *paſcere* eſt convivia celebrare & epulas apparare: ſed tam is, qui convivium præbebat, quàm illi, cui præbebatur, *paſcere* tunc dicebatur. Ennodius *in Epigrammatis*: *de eo, qui nunquam niſi in depoſitione filii pavit*, i. e. conviviô quenquam accepit,

Convivæ, inquit, *miſeri luctus deponite multos:*
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

Cujuſmodi mortualia convivia περίδειπνα Græcis dicta ſunt: unde *paſcere* περιδειπνίζειν exponunt optimæ *Gloſſæ. Paſcit* βόσκει, τρέφει, νέμει, δειπνίζει, περιδειπνίζει. Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 82. *Paſcit* vel abſolutè *paſcere*, qui verò excipiebatur, *paſcere apud aliquem* dicebantur. Luxurius *in Epigr. de eo, qui amicos ad convivium clamabat*, i. e. vocabat, *ut plura acciperet Xenia:*

Gaudeo, quòd me nimis ac frequenter
Ambitu paſcis *Blumarit* (nomen proprium Gothicum vel Vandal.) *ſuperbô.*
Unde ſed paſcor, *mea ſunt per omnes*
Sparſa convivas bona, nec volebam
Paſceres *quenquam, petereſque mecum,*
Ne tibi quidquam detur, unde paſcas.
Hôc tamen ſi tu vitiô teneris,
Me, precor, nunquam jubeas vocari &c.

Ad Imperatorum *paſcendi* morem ut redeam, convivia illi aut privata aut publica habebant; quorum illis amicos tantùm adhibebant & familiares, qui ad convivia vel invocati veniebant, ut ſub quibuſdam Imperatoribus factum, inter quos Alexander Severus *l. c.* Iſtis Magiſtratus, ut dictum, Proceresque accipiebant. Privatô igitur conviviô Alexander, qui argentum in miniſterio non plus ducentis libris haberet & ſervos paucos, non mutuabatur ab amicis: ſed publicis tantùm conviviis, quibus & miniſteriô ampliore & ſervis longè pluribus, propter conviventium multitudinem, opus erat. Quando igitur *paſcebat*, & argentum & miniſtros accipiebat ab amicis; idque ſuâ ætate quoque in uſu fuiſſe, narrat Lamprid. non ab Imperatore, ſed à Præfectis, ſi quando eô abſente *paſcerent.* Et quidem Calendis Januariis convivium exhibebat Imperator Magiſtratibus & Senatus Proceribus, Conſularibus, Prætoriis & Ducibus. Capitolin. in *Pertinace*: *Eâ die etiam ad convivium Magiſtratus & Proceres Senatus rogavit: quam conſuetudinem Commodus prætermiſerat.* Abſente Imperatore, Præfecti Prætorio nomine Imperatoris *paſcebant* Magiſtratus & reliquos Summates. Plut. in *Galba*, εὐθὺς οὖν Τιγελλίνῳ μὲν τῷ συνάρχοντι προσέταξεν ἀποθέσθαι τὸ ξίφος ὑποδοχὰς δὲ ποιούμενος ἐδείπνιζε τοὺς Ὑπατικοὺς καὶ τοὺς Ἡγεμονικοὺς, ἔτι τοῦ Γάλβα προστιθεὶς ὄνομα ταῖς κλήσεσι. Gloſſæ, *paſcit*, βόσκει, σιτίζει, *paſcere* eſt ὑποδοχὰς ποιεῖσθαι, δειπνίζειν. Caſſiodorus de Rege convivium præbente, *l.* 12. *Ep.* 4. *Sic decet Regem paſcere: ut à Legatis gentium credatur omnia poſſidere.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Severo. c.* 41. Ad quem jam antè Caſaubonus adnotavit, ex illa conſuetudine Alexandri fluxiſſe hunc morem, qui adhuc temporibus Lampridii obtineret: ut, cùm abſente Principe cœna Imperatoria Præfectis pararetur, eſcarium potoriumque argentum Cæſariani mutuò ab amicis Cæſaris poſcerent, non autem ex Imperatoris id ſumerent vaſario. Hinc *Paſtus*, de quo infrà.

PASCHA, impropriè ſignificat agnum Paſchalem, dies feſtos, totamque illam celebritatem & obſervationem, imò apud B. Paulum ipſummet Chriſtum per agnum Paſchalem adumbratum; propriè verò *tranſitum* notat, non enim trahit originem nominis à verbo πάσχω, quod Latinis eſt *patior*, affirmante id *Lactantiô*, verùm ab Ebræo פסח *Paſach*, h. e. *tranſilivit*, vel *tranſivit*, inde *Peſach*, *tranſitus*, Græcis πάσχα, nempe feſtus dies Judæorum in memoriam, quòd tranſiit ſeu præteriit Dominus ædes filiorum Iſraël, & non percuſſit primogenita eorum. Inſtitutio feſti prolixè extat, Exod. *c.* 12. Nazianzenus *oratione de Paſchate*: *Cùm quidam*, inquit, *Paſcha nomen eſſe putarent ſalutaris paſſionis Domini, convertentes vocem Hebræam Græcè Paſcha hunc diem nominârunt. Quâ cùm uſus recepiſſet, uſitatiorem quoque reddidit hanc vocem, velut ſanctiori nomini aſſentientibus auribus. Philo Judæus* exiſtimat, ſignificari eô nomine διαβατήρια, i. e. ſacrificia quæ tranſituri libamus; ſed fallitur. Melius *Symmachus* vertit ὑπέρβασιν, i. e. *tranſgreſſum*, ſeu *tranſitum. Theodotion* Φασὲκ reliquit, ad *Peſach* omninò alludens. *Druſius* exiſtimat, vocabulum illud concinnatum à Græcis, ita ut pro Hebraico ח ſcriberent χ, ſicut in aliis multis, ad finem verò adjicerent א, ut ſolent Chaldæi & Syri in nominibus propriis, ipſamque aſpiratam פ mutarent in tenuem P. Vide Fungerum *in Etymolog.* Hoc Pius I. poſt Hyginum Epiſcopus Romæ, non more Judaicô, ſed tantùm dominicô die celebrari voluit, A. C. 156. Hinc Polycarpus ex Aſia Romam, ad controverſiam hanc finiendam, pervenit, A. C. 166. cum quo Anicetus, Pii ſucceſſor, ſtatuit, celebrationem Paſchatis liberam eſſe, nec *propter ceremoniarum diſſonantiam, rumpendam eſſe fidei conſonantiam*, Iren. *l.* 3. *c.* 3. Platina *in vita ejus.* Sed acrior Victor Eccleſias Aſiaticas, quòd Paſcha 14. Lunâ celebrarent, excommunicavit: A. C. 196. Aſiatici Epiſcopi ſe oppoſuêre, Polycrates inprimis, Synodali epiſtolâ ſcriptâ. Idem fecit Irenæus Lugdun. Epiſcopus A. C. 198. Euſeb. *l.* 5. *c.* 23. Iterum de die Paſchatis obſervando, in Eccleſia litigatum, A. C. 316. ſed finita lis Conciliô Nicenô, A. C. 325. Euſeb. *l.* 10. *c.* 6. 7. Socr. *l.* 1. *c.* 6. & 8. &c. *Nic Lloyd.* Celebrabant autem *Paſcha* Judæi hôc modô. Primò, poculi paniſque benedictione præmiſſâ diſtribuebant utrumque inter præſentes & accumbentibus pedes lavabant, quod & in aliis epulis ſolennibus uſu veniebat. Dein, puer quidam, cœnâ durante, interrogabat, *Quid ſibi hæc ſolennitas vellet?* Reſpondebat is, qui menſam conſecraverat. *Quàm longè alia ratio noctis hujus eſt, quàm aliarum noctium! Aliis enim noctibus ſemel tantùm lavamus; hâc bis: Aliis noctibus, fermentatô azymôque pane promiſcuè utimur; nunc azymô ſolùm: Aliis noctibus quibus libet herbis veſci licet, nunc amaras adhibemus; Aliis omnibus noctibus, ſedentes aut accumbentes cœnamus, hâc ſtamus erecti.* Hinc pergebat indicare, *Paſcha* inſtitutum eſſe, in memoriam innoxii tranſitus Angeli occiſoris in Ægypto. Dein, amaras herbas manu tenens dicebat: Iſtæ herbæ amaræ, quibus veſcimur, in memoriam revocent nobis Ægyptiorum ſævitiam, qui Patrum noſtrum vitam in terra Ægypti amaram reddiderunt. Poſteà azymum panem in altum elevans, hic azymus, panis, quem edimus, inquiebat, ſignificat, non ſat temporis habuiſſe Patres noſtros, ad fermentandum panem, cùm Dominus ipſis appareret, è manu inimicorum ſuorum illos liberaturus. Hanc catechizationis formulam, quam הגדה *Haggada* i. e. *Annuntiationem* vocant Judæi, inculcatam ſibi divinitus contendunt, Exod. *c.* 12. *v.* 26. Et videtur inde phraſin ſuam mutuâſſe Apoſtolus, 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 26. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & biberitis poculum hoc*, annuntiabitis *mortem Domini uſque quo venerit.* Agnum *Paſchalem* quod attinet, de eo extat mandatum, Exod. *c.* 12. *v.* 13. *In ipſo decimo* (die) *menſis hujus* (Abib) *accipiant ſibi quiſque parvam pecudem pro familia paterna, parvam pecudem pro quaque familia*, &c. & *v.* 5. jubetur, ut ſit *integra, maſcula, annicula*, (quam) *ex ovibus aut ex capris accipiant*: & *v.* 6. additur *jugulabant eam decimò quartô die inter duas veſperas* &c. Vide infrà. Sic cùm totus populus Iſraëlitarum eſſet diviſus in Tribus, quæque Tribus in Familias, quælibet Familia in Domos, cùm minor erat domus, quàm ut par eſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

agno edendo *accipere* tenebatur Pater familiâs & *vicinus ejus, qui proximus* eſſet *domui ejus, parvam pecudem, pro numero animarum.* *v.* 4. Quæ tota congregatio Φρατρία dicta eſt, quô ſenſu S. Marcus vocem συμπόσια, item πρασιαὶ uſurpat *c.* 6. *v.* 39. & 40. quibus verbis indicare vult numerum convivarum cujuſque menſæ idoneum: poſteriori inprimis, quæ *areolam* denotat, totum epulum horto comparans, in quo quot menſæ, tot πρασιαὶ i. e. *areolæ.* Erat autem convivarum numerus, nec infrà denarium, nec ſuprà vicenarium, Joſeph. *de bello Jud. Veſperas* illas *duas*, inter quas comedendus erat Agnus, Aben Ezra *in Exod. c.* 12. exponit de *Veſpera Solis*, cùm ipſe Solaris diſcus occidit, & *de Veſpera luminis*, cùm radii ejus lumenque penitus ſe ſubducit, quod tempus horæ & tertiæ partis ſpatiô definit: Sed R. David *in Radic.* paulò laxius explicat, de *Veſpera declinationis* & *Veſpera occaſus*, ſtatuitque comeſtum eſſe Agnum ſpatiô, quod inter Meridiem & Noctem intercipitur. Vide quoque Pirke Avoth *c.* 5. quæ poſterior ſententia ſtabiliri videtur Numer. *c.* 28. *v.* 4. collatô cum Marci *c.* 15. *v.* 25. & 34. ut & infrà. Hôc ergo tempore Agnum, poſtquam is mactatus eſſet à Sacerdotibus, 2. Chron. *c.* 35. *v.* 4. *in loco illo quem Jehova Deus elegit, ad collocandum nomen ſuum*, Deuter. *c.* 16. *v.* 6. i. e. *in Templo.* Vide Maimonidem *in Korban Peſach c.* 1. *ſect.* 6. comedebat quiſque domi ſuæ, quemadmodum Servatorem noſtrum cum Diſcipulis ſuis *Paſcha* comediſſe, legimus Hieroſolymis, in ſuperiori domus, ubi degebat, cœnaculo. Herbas amaras, cum quibus comedi Agnum fuiſſe ſolitum diximus, intingere ſolebant, in catinum certô embammate, quod חרוסת *Caroſeth* dixêre, repletum: Quò reſpicere videtur Matth. *c.* 26. *v.* 23. *Qui intingit mecum manum in catino, is me prodet*, Chriſtum dicentem introducens. Fiebat autem illud *Caroſeth*, ut Majemonides refert *l. cit. c.* 2. *ſect.* 11. ex Palmæ foliis, vel ficubus arefactis, vel uvis ſiccatis, acetôque maceratis, &c. Vide Hiſtoriam Paſchatis Exod. *c.* 12. *ſuprà cit.* & illam ſuccinctè ex Hebræorum monumentis explicantem Thom. Godwynum *Tractatu Angl. cui tit. Moſes and Aaron l.* 3. *c.* 2. &c. Quô die DOMINUS noſter ultimum ſuum *Paſcha* celebraverit, & an die eôdem cœteri Judæi agnum Paſchalem comederint, vetus & magnis contendentium ſtudiis agitata quæſtio eſt. Græci qui ad confectionem corporis myſtici panem adhibent fermentatum; ut ſententiæ ſuæ approbandæ neceſſitatem aliis imponant, & Eccleſiam Romanam, quæ azymis utitur, erroris convincant, Chriſtum diem legitimum anticipâſſe contendunt, ut ex Xanthopulo diſcimus. Itaque placet iis, cœteros Judæos ex præcepto legis tunc 14. Lunâ primi menſis *Abib* ſeu *Niſan* mactâſſe & ediſſe *Paſcha*, at Jeſum Chriſtum, qui Dominus erat legis, 13. Lunâ cum diſcipulis ſuis idem feciſſe, è quo ſequitur, Chriſtum quidem ἔνζυμον ſive fermentatum panem & communem, Judæos verò ex inſtitutione divina azymum, adhibuiſſe. In Eccleſia Romana communiter recepta opinio eſt, DOMINUM, Lunâ 14. celebrâſſe *Paſcha*, eâdem die atque horâ, quibus & cœteri omnes Judæi idem faciebant. Similiter Sam. Bocharto, Chriſtus eô ipſô die, quô Judæi Paſcha celebrabant, in fine nempe diei decimi quarti, & jam ineunte decimô quintô, qui primus erat Azymorum, cum Apoſtolis ultimum Paſcha celebravit; id quod multis probat *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 50. Vide quoque ſuprà, voce *Paraſceve.* Idem Cl. Suicerus confirmat *Theſ. Eccl.* addens & tertiam ſententiam eorum, qui, Græcis ex parte accedentes, Chriſtum diem à Judæis receptum ſic anticipâſſe volunt, ut Chriſtus die 14. Judæi autem die 15. celebraverint, ne feſtum azymorum, in Veneris diem incidens, cum Sabbato continuum eſſet, vide eum *Theſaur. Eccl.* voce *Paſcha*, ubi de Judæorum poſt Chriſti tempora canonibus Feſtalibus, ac tempore Paſchatis celebrandi, item de Teſſareſcædecatitis, varia. Quia autem *Paſcha* typus erat Chriſti, hinc ipſe Πάσχα appellatur, 1. Corinth. *c.* 5. *v.* 7. atque ulteriùs apud Patres Sacramentum illud Novi Fœderis, de quo ipſe dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Hinc Auguſtin. *contra lit. Petiliani Donat. l.* 2. *c.* 37. *Aliud*, inquit, *eſt Paſcha, quod adhuc Judæi de ove celebrant; aliud autem, quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.* Et Greg. Nazianzenus *Or.* 42. *in Cœna Domini communicantes* μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα, *participare Paſcha*, ait. Vide iterum Caſaubon. *Exercit. XVI.* §. 53. ut & infrà. Sed & *Paſcha* dicitur in Eccleſia Chriſtiana, unum ex tribus præcipuis ejus feſtis, quod majori reliquis cultu peragi jam olim conſueviſſe, docet Procopius *de Bello Perſ. l.* 1. *c.* 18. quod proin Ἑορτὴ τῶν ἑορτῶν καὶ πανήγυρις τῶν πανηγύρεων dicitur Euſtathio in *Vita* S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolit. *num.* 31. *ſolennitas ſolennitatum*, Gregorio M. *Homil.* 22. Et quidem duplex. Chriſtianorum *Paſcha* eſt, unum Σταυρώσιμον, quô Chriſtus in *crucem* actus; alterum Ἀναστάσιμον, quô *ſurrexit*, de quo utroque vide Geth. Jo. Voſſium *de Vitiis Serm. c.* 6. Cœperunt nempe Apoſtolorum nonnulli, ex quorum numero Joannes eſt & Philippus Euangel. in Orientis partibus *Paſcha*, in memoriam Cœnæ Dominicæ, celebrare, ſed tamen more Judæorum, die 14. Lunæ: quos multi alii ſecuti ſunt; recenſiti Polycrati, apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 26. Alii autem, Petrus & Paulus præcipuè, in diem Dominicum proximum poſt plenilunium primi menſis, propter Reſurrectionis Dominicæ memoriam, *Paſcha* rejecêre, teſte Theophilô Cæſar. apud Bedam *de Ratione Temp. c.* 45. Libertate ab utriuſque Fidelibus, circa hæc, relictâ, uti diſcimus ex Socrate *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 22. Donec Pius Romæ Epiſcopus lege edixit, *ut Paſcha Domini die Dominicâ annuis ſolennitatibus celebraretur ab omnibus*; quâ tamen Aſiatici Doctores ſe conſtringi non paſſi ſunt: re utrinque leniter & amicè agitatâ primùm, ac Polycarpô hanc ob cauſam Romam profectô; ubi cùm convenire non poſſet, conſtitutum, ut quiſque ſuum de Paſchate morem ſervare, nec propter diſſimilitudinem hujus circumſtantiæ concordia rumperetur. Ulteriùs proceſſit Victor circa A. C. 200. qui *Quartidecimanos per Aſiam excommunicavit*, uti diximus ſuô locô: qui rigor etiam Occidentalium Epiſcoporum nonnullis diſplicuit, inter quos Irenæus Epiſcopus Lugdunenſ. aliique viri pacis ſtudioſi tantum effecerunt, ut, controverſiâ paulùm ſedatâ, quælibet pars ſuam retineret ſententiam. Verùm rurſus contentio exarſit A. C. 318. quam ægerrimè ferens Conſtantinus Imperator ad concordiam omnes hortatus eſt, Aſiaticoſque primùm monuit, ne cum Judæis Κυριοκτόνοις aliquid commune habere vellent. Vide *Ep.* ejus *ad Epiſcopos qui ad Concil. Nicænum venire non poterant*, apud Theodoretum *Hiſtor. Eccl. l.* 1. *c.* 9. Quem cùm non audirent illi, nec Oſius ad eos ab Imperatore miſſus aliquid profeciſſet, in Concilio Nicæno, perpetuô decretô conſtitutum eſt, τὴν ἁγιωτάτην τοῦ Πάσχα ἑορτὴν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ συντελεῖσθαι, *ſanctiſſimum Paſcha feſtum uno eôdemque die* (nempe Dominicô) *ab omnibus celebrandum eſſe.* Quod confirmatum Synodô Antiochenâ, *can.* 1. circa A. C. 341. hodieque in Eccleſia obtinet. Vide quoque infrà *Paſchalis epiſtola.* Manſêre tamen hîc ibi Teſſareſcædecatitarum reliquiæ, quibus ex Hæreticis acceſſêre Novatiani, Sabbatiani, Montaniſtæ, Audiani &c. Galli verò in principio Eccleſiæ *Paſcha* celebrârunt 25. die Martii, quòd eô Chriſtum reſurrexiſſe; ſicut Cappadoces, quòd paſſum eſſe putarent, Beda ubi ſuprà, & Epiphanius *Hær.* 50. At Aëriani, planè celebrari id feſtum noluêre. Vide Cl. Suicerum *d. l.* ut & voce Ἀσπασμὸς, ubi *de oſculo in Paſchatis Feſto*, apud Græcos uſitato. Porrò *Paſcha* tempus à Dominica in Ramis-palmarum, uſque ad octavam *Paſchatis*, quoque dici, refert Durandus *Ration. l.* 6. *c.* 81. *num.* 5. Eâdem nomenclaturâ donari pariter dies omnes Dominicos, in *Ordine* Romano habetur apud Gregor. Turonenſ. in *Vita MS.* S. Maurilii Epiſcopi Andegavenſ. *c.* 18. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Imò & quodlibet magnum feſtum in quibuſdam provinciis ita vocari, obſervavit iterum Durandus *l.* 7. *c.* 1. *num.* 25. Certè conſtat, hodie omnes majores feſtivitates Italos *Paſchata* vocare, & quidem Pentecoſten *Paſchata roſada*, quòd incidere ſoleat in tempus roſarum. Unde Παχαλικὸν & Φιλέορτον, pro eo, *qui libens feſta colit*, confundit Marcus Hieromachus *in Reſponſ.* Vide modò dictum Car. du Freſne *Gloſſar.* è quo varia *Paſchatis* ſignificata atque epitheta, in Communione Romana, uſitata, paucis ſubjungo. Addo ſaltem, apud Turcas, Perſas, Arabes ſimilem feſtivitatem vigere, quam *Bairam* Turcis appellari, docet P. de Valle *Itiner. Tom.* 1. ubi de feſto hoc multa: quemadmodum de Perſarum analoga feſtivitate idem agit *Tom.* 2. ubi inter alia de *oopagnio* ſeu *ovorum luſu* gentis, eâ durante, varia.

Varia vocis, Pascha, Significata et epitheta in Eccles. Romana.

Ἀναστάσιμον ſeu *Reſurrectionis Paſcha*, reſurrectionis Chriſti memoriam recolens.

Annotinum, Græcè ἐπέτειον, ἐνιαυσιαῖον περύσιον, ut in *Gloſſis* redditur, non habuit ſtatum vel fixum diem, ſolebatque celebrari ipſômet, die recurrente, quô quis priori annô fuerat baptizatus. Poſteà ad omnium baptizatorum anniverſarium diem, videtur ſtatutus eſſe dies ſequens Dominicam in Albis, C. du Freſne *ubi ſuprà.* In ejuſmodi verò feſtivitate convivia exacta, teſtatur Ruodbertus Magiſter S. Galli *Ep.* 7.

Clauſum, Dominica dicitur octavarum *Paſchæ*, quâ Paſchalium feſtivitatum ſolennitas clauditur.

Floridum *Paſcha*, eſt Dominica in Palmis, quâ cantatur: *Occurrunt turbæ cum floribus & palmis: & nos ſimiliter debemus ei occurrere cum floribus virtutum & palmis victoriarum.* In *Ord.* Roman. *Dies Palmarum* ſive *Florum atque ramorum* dicitur: *Paſcha Florum*, apud Ordericum Vitalem *l.* 8. *p.* 696. Ejus meminit *Hiſtor.* Hieroſolymit. A. C. 1118.

Paſcha Petitum, in *Ord.* Romano dicitur primum Paſcha ſeu Dominica Palmarum; aliter *Paſcha Competentium*; quia hôc die *Symbolum competentibus* tradebatur, ut eſt apud Iſidorum, Alcuinum & Rabanum Maurum *de Inſtitut. Cleric. l.* 2. *c.* 35. quod non ſine ſolennitate ac pompa apparatuque fiebat, ut teſtatur Beraldus: quippe, ut ait, in traditione Symboli *omnia tintinnabula ſunt ſonanda, oſtia claudenda tuncque incipit ſymbolum Archiepiſcopus & dicit regenerandis majori tono Euangeliorum, Signate vos & audite Symbolum*, &c. Tum ad finem, *in majori etiam tono Euangeliorum & excelsâ voce Archiepiſcopus dicit, Accepiſtis dilectiſſimi.* Atque hæc traditio, expoſitio erat publica Symboli & quæ palàm in Eccleſia fieret. Aliàs totô Quadrageſimæ decurſu ſubinde Symboli traditio ſeu perſpicua illius faciliſque enodatio repetebatur, ut videre eſt apud Car. du Freſne.

Paſcha Roſata, Italis Pentecoſte appellatur, quòd eô tempore fere roſæ floreant, ut dicunt Cruſcani.

Πάσχα σταυρώσιμον, dies eſt ipſius crucifixionis Chriſti, quod quidam celebrandum eſſe contenderunt præ *Paſchate* Reſurrectionis, quòd Pius Papa die Dominicâ Lunam XIV. ſequente juſſit peragi &c.

PASCHA Secundum, die 14. ſecundi menſis, celebrandum, in eorum gratiam, qui tempore primi Paſchatis immundi erant aut in locis ab Urbe tam diſſitis, ut ad eam maturè ſe conferre non poſſent, inſtitutum legitur Numer. *c.* 9. *v.* 6. & *ſeqq.* De cujus à primo differentia, ſic Majemonides *l. de Paſchate c.* 10. *ſect.* 15. *Quid inter ſe differunt Paſcha primum & ſecundum? In primo vetitum eſt, ne fermentum* (in domo) *videatur, aut reperiatur, nec cum fermento mactetur, Neque ex eo quidquam auferatur extra* τὴν φρατρίαν. *Et hymnus inter comedendum eſt cantandus. Et cum eo offertur* chagiga. *Et fieri poteſt ut cum immunditie celebretur, ſi contactu mortui polluta eſt major pars congregationis --- Sed cum Paſchate ſecundo poſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

poſſunt fermentum & azymum ſimul cum eo eſſe in domo. Nec neceſſe eſt, ut inter comedendum decantetur hymnus. Nec cum eo offertur chagiga. *Nec cum immunditie celebratur. At ambo impellunt Sabbatum,* (i. e. celebrantur, etiamſi ſit Sabbatum) *Et dum paratur Agnus, hymnum oportet cani. Et toſtus comeditur in una domo cum azymo & herbis amaris. Neque ex iis quidquam ſervatur, neque frangitur ullum os.* Quibus meritò poteſt objici *ſecundum Paſcha* in omnibus debere *primo* æquari; quia de eo dicitur Numer. *c.* 9. *v.* 12. *Juxta omnem ritum primi Paſchatis, illud celebrabunt.* Quod ut ſolvatur, obſervat, à Moſe quoſdam Paſchatis ritus ibidem exponi, qui ſint בגופו *in corpore ejus*, i. e. illi eſſentiales, ut ſciamus in his ſolùm ſecundum primo æquari. Sed hæc non ſatisfaciunt. Quippe cùm jubet Moſes Paſcha ſecundum celebrari, juxta omnem prioris ritum, apertè docet, hæc *duo Paſchata* nullô modô ab invicem differre, niſi in ſola temporis circumſtantia. Quamvis ne tempore quidem prius ab altero differat, niſi menſis reſpectu, de cœtero enim æquè ac priùs die menſis 14. atque inter duas veſperas celebratum eſt, Numer. *c.* 9. *v.* 11. Addi poteſt, prius alterô fuiſſe ſolennius, quia ad illius celebrationem confluebant mares omnes, iis tantùm exceptis, quos vel legalis immunditia vel major ab urbe diſtantia prohibebat; hi enim ſoli in alterum Paſcha ſe reſervabant. Non tamen id fuit perpetuum: nam ſub Ezechia Rege *Paſcha* primô menſe celebratum non fuit, ſed ſolùm ſecundô. Cujus rei cauſa, quòd Achazus, Ezechiæ pater, Dei altare locô ſuô moverat, ut alterum, Damaſceno ſimile, ei ſubſtitueret, Templum clauſerat, Liturgiam aboleverat, totum Dei cultum ſubverterat, idola ubique erexerat & omnia ſuſque deque miſcuerat, 2. Regum *c.* 16. *v.* 10. Quæ reſtituere cuncta conatus Ezechias, primô Regni ſui annô ineunte cum menſe *Niſan*, non habuit ſatis temporis, ut Templum, Sacerdotes, Levitas & populum ipſum repurgaret, ante diem menſis hujus decimam quartam: ideoque primi Paſchatis celebratio in ſecundum menſem neceſſariò fuit differenda. An etiam in tertium menſem potuerit Paſcha rejici, ſi fortè ſimilis immunditia etiam ad ſecundum menſem occurreret, dubitat Auguſtin. *in Numeros Quæſt.* 15. Sed tempus à Deo in Lege ſua indictum non videtur quacunque de cauſa potuiſſe prorogari. Præſtabat enim à Paſchatis celebratione ad tempus abſtinere, quàm illud obſervare tempore non ſuô. Hinc inter Jeroboami peccata hoc unum erat, quòd ſolenne feſtum celebravit, *menſe, quem confinxerat ex corde ſuo*, 1. Regum *c.* 12. *v.* 32. & 33. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. & plura de *Paſchate* apud Fr. Burmannum *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 31.

PASCHALE, cujus mentio apud Victorinum *in Canone Paſch. Theophilus quondam Alexandrinus Epiſcopus, ad Theodoſium Imperat. datis Epiſtolis ex primo ipſius & Gratiani* 5. *Conſulatu conditum* Paſchale *direxit.* Et Senatorem *in fine Chron. Sicut ex Tito Livio & Aufidio Baſſo &* Paſchali *virorum clarorum auctoritate firmato collegimus, anni ſunt* 1031. Computum eſt *Paſchale* ſeu ratio inveniendi diem, quô celebrari debet Paſcha quôlibet annô: à die ſcil. Martii 8. ad Aprilis 5. *Paſchalis circulus* Adoni Vienn. *Paſchalis curſus* Honorio Auguſtodun. *Paſchalis recurſus*, Gennadio *de viris illuſtr. c.* 88. &c. Sed & *Paſchale* dicitur, diſtrictus Parœciæ, eo quòd Parœciani in feſto ſaltem Paſchatis ad Eccleſiam parœcialem convenire & ibi *communicare* ex Canonum præſcriptis tenerentur. Hinc in Tabulario Monaſterii S. Savini Levitanenſis, apud Car. du Freſne, non ſemel occurrit mentio *Paſchalis S. Savini*, pro diſtrictu 8. Parœciarum, quarum Parœciani ex veter. inſtituto tenebantur certis anni feſtis ſolennioribus, Paſchatis ſcil. Pentecoſtes & Nativitatis Domini, Baptiſmum & S. Communionem recipere in Templo S. Savini: quod præſertim cavetur in Concilio Agathenſi *can.* 18. Vide Marcam *Hiſtor. Beneharn. l.* 9. *c.* 2. *num.* 4. & Car. du Freſne *Gloſſar.*

PASCHALES Dies, Hebdomadis ſcil. *Paſchalis*, quæ pari cultu ac ipſe Paſchalis dies colebatur à Chriſtianis. Unde Durandus Ration. *l.* 6. *c.* 81. *num.* 6. ait, *Dies omnes hujus octavæ eſſe Dominicos.* Athanaſius *de Ord. Antiphonarii c.* 52. *Paſchalis dies, qui per ſeptem dies quaſi unus celebratur.* Theodulfus *in Capitul. c.* 41. *Ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt* &c. Poſtea verò Gebehardus Conſtantiæ Epiſcopus in hebdomada majore ante Paſcha, magnâ Synodô Conſtantiæ celebratâ, A. C. 1094. ſtatuiſſe legitur, apud Bertholdum Conſtantienſem, ut tam in hebdomada Pentecoſtes, quàm in hebdomada Paſchali, tres tantùm dies feſtivi celebrarentur. Quod quidem hodieque apud Chriſtianorum non paucos obtinet. Quatuor in Paſchate & totidem in Pentecoſte dies celebrandos ſtatuit Concilium Exonienſe A. C. 1287. *c.* 23. & Maghfeldenſe A. C. 1332. duos verò ſolùm, Concilium Toletanum A. C. 1229. *c.* 26. Car. du Freſne *d. l.* Veſtimentorum *Paſchalium* mentio fit, apud Cæſarium Arelatenſem Archiepiſc. in *Teſtam. ſuo*, laudatum ejuſdem Gloſſarii Auctori. De *Paſchalibus Denariis*, vide ſuprà in voce *Chriſma.*

PASCHALICUS, Græcè Πασχαλικὸς, nonnullis dictus eſt, qui Feſtorum obſervationi maximè addictus eſt. Marcus Hieromonachus, εἰ δέ τις ἴσως λίαν ἐςὶ πασχαλικὸς καὶ φιλέορτος, *ſi quis autem feſtorum pariter obſervationi valde eſt addictus, & eorum amans.* Bochart. *ibid.* Vide quoque Gl. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce Πασχαλικὸς.

PASCHALIS I. Roman. Pontifex, 96. A. C. 817. ſucceſſit Stephano IV. ſine conſenſu Ludovici Pii Imperatoris electus; apud quem, ſicut & Stephanus fecerat, ſe propterea purgavit, monitus, *ne in poſterum Majeſtatem læderet.* Primicerii & Nomenclatoris excœcati ac occiſi accuſatus, Leonem imitatus eſt, & crimen jurejurandô negavit. Platina, *in vit. Pontif.* Leonem V. Imperatorem ob Imaginum cultum abolitum excommunicavit, benignè exceptis Iconolatris, è Græcia profugis. Lotharium Imperatorem ipſo Paſchatis die coronavit, A. C. 822. obiit A. C. 824. Succeſſit Gregor. IV.

PASCHALIS II. Thuſcus, prius Rainerius dictus, Urbanum II. A. C. 1099. excepit; Antipapam Gilbertum excommunicavit, tyrannis quibuſdam oppreſſis, pacem Italiæ utcunque dedit. Guaſtallæ in Lombardia, & Trecis in Campania, Concilium celebravit. Cum Henrico I. Anglo, & Henrico IV. & V. Imperatorib. ob Inveſtituram litigavit, ad ſanguinem uſque A. C. 1111. Qui poſtremus, cùm eum ac Proceres ejus Romæ obſediſſet, vix non oppreſſus: multis millibus aut ferrô deletis aut Tiberi merſis, coronationem & inveſtituram tamen extorſit, liberô è captivitate demiſſô Paſchali, poſtquam hoſtiæ parte ſumptâ, alterâ Cæſari datâ, dixiſſet: *Sicut pars hæc vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit à regno Chriſti Domini noſtri, qui pactum hoc violare tentaverit*, Sigon. *l.* 10. *ad An.* 11. & 22. Sed hic Imperatore vix in Germaniam regreſſô fœderis & Sacramenti immemor, Saxones contra ipſum concitavit; à quibus ſuperatus Imperator Inveſtituram omnem Epiſcopo Romano remiſit. Obiit A. C. 1118. plurimas ſcripſit epiſtolas. *Sigebert. Pandulphus, Platina, Ciacconius*, &c.

PASCHALIS, Archidiaconus Eccleſiæ Romanæ Antipapa electus eſt, contra Sergium I. ſed obiit paulò pòſt A. C. 678. Alius Antipapa, contra Alexandrum III. Hic erat Guido de Crema, ab Adriano IV. Cardinalis creatus. A. C. 1155. & miſſus in Germaniam, ad animum Friderici Barbaroſſæ Imperatoris demulcendum: in cujus gratiam Octaviano, qui Victoris nomen aſſumpſerat, adhæſit, eique mortuo ſub nomine *Paſchalis*, ſucceſſit: neque ceſſavit ſchiſma, namque Paſchalem hunc defunctum, A. C. 1164. Calliſtus excepit, donec tandem malis fractus Imperator Venetus ad pedes Alexandri procubuit. A. C. 1169. Sigon. *l.* 12. Nauclerus *gener.* 40. &c. Baronius, *A. C.* 1164. & 1170. Ciacconius *in vita Pontif.*

PASCHALIS Agnus, nomine *Paſcha* (quod propriè *tranſitum Angeli* occiſoris notat) venit Exod. *c.* 12. *v.* 11. *Comedetis eam cum feſtinatione*, Paſcha *eſt Jehovæ.* Et *verſ.* 21. *Accipite vobis parvam pecudem per familias veſtras, dein jugulate ipſum Paſcha.* 2. Chron. *c.* 35. *v.* 11. *Jugulantibus autem illis* Paſcha, *Sacerdotes ſpargebant* ſanguinem &c. *v.* 13. *Tum coquebant* Paſcha *igne pro ritu.* Lucæ *c.* 22. *v.* 7. *Venit dies Azymorum, quô oportebat mactari Paſcha*, &c. Deſcribitur Exod. *c.* 12. ubi & ritus, quibus ille in Feſto Paſchali mactandus erat. Ad ſacrum enim iſtud adhibendus erat *agnus* aut hœdus maſculus, *annô non major*, *v.* 5. qui *decimô die menſis Niſan*, qui à Novilunio noſtri Martii incipit, ab ovili ſeparandus, domi aſſervandus & die 14. mactandus erat, *v.* 3. 6. Peragebatur autem mactatio *die* 24. *inter duas veſperas*, *v.* 6. i. e. inter initium ſacrificii veſpertini & occaſum ſolis. Tum ſanguis allinendus erat poſtibus & ſuperliminari domûs, faſciculo hyſſopi, *v.* 7. 22. quô ſignô Angelus vaſtator admoneretur, ædeſque ipſorum præteriret, *v.* 13, 23. Nemini verò licebat illâ nocte domô egredi, uſque ad manè, *v.* 22. Comedebatur porrò Agnus die 15. ſtatim ab occaſu Solis, à circumciſis duntaxat, *v.* 8, 44. & convivarum numero, qui non erat infra decem, nec ſupra viginti. Ille verò non crudus, nec aquis excoctus, ſed aſſus, unà cum capite, cruribus & viſceribus manducandus erat: idque cum panibus azymis, lactucis & herbis amaris *v.* 18. ut recens ſemper eſſet memoria afflictionis Ægyptiacæ, unde & *panis afflictus* dicitur, Deuteron. *c.* 16. *v.* 3. Quam ob cauſam Judæi nocte pervigilium feſti præcedente fermenti expurgationem peragebant, ſummâ curâ omnes domus anguſtias & rimas luſtrantes, collectaſque fermenti particulas, non ſine diris ac execratione, flammis abſumendas tradentes. Comedebant porrò Agnum habitu feſtinantium, lumbis accinctis, calceis induti, baculis in manum ſumtis, *v.* 11. nullum verò ejus os frangebant, *v.* 46. quodque ex epulo reliquum erat, manè igni concremare jubebantur, *v.* 10, cùm nefas eſſet ſacras carnes corrumpi. Denique ſacri iſtius univerſi religio eâdem nocte liberis tradebatur. illique tota de re, divinô juſſu, edocebantur, Exod. *c.* 13. *v.* 8. Quæ *Haggada*, ſive *annuntiatio Paſchatis* dicebatur: quò reſpicitur 1. Corinth. *c.* 11, *v.* 26. Atque ita celebratum fuit primum Paſcha, in Ægypto. In deſerto unicum tantùm legitur celebratum, Numer. *c.* 9. *v.* 5. In terra Cananæa mox iterum Paſcha celebrârunt Iſraëlitæ, Joſuæ *c.* 5. &c. Locus, ubi mactabatur *Paſchalis* agnus, in Ægypto, erant privatorum ædes, Exod. *c.* 12. *v.* 7. Deinceps verò Tabernaculum, aut Templum, ſive ejus atrium, ubi victimas mactare erat moris, Deuter. *c.* 16. *v.* 5, 6. collato. Joſ. *c.* 5. *v.* 10. 2. Chron. *c.* 35. *v.* 3, 6. Lucæ *c.* 2. *v.* 41, 42. Manducabatur verò in privatis ædibus, Matth. *c.* 26. *v.* 17, 18. Miniſtri hujus feſtivitatis in Ægypto erant Patresfamiliâs, aut filii primogeniti, Exod. *c.* 12. *v.* 3. Poſteà, ſimul Patresfamiliâs cum Sacerdotibus & Levitis: tum enim Patresfamiliâs Agnum mactâſſe; hi autem ſanguinem ad Altare detuliſſe & effudiſſe videntur. Vide 2. Paralip. *c.* 30. *v.* 15. 17. 18. & *c.* 35. *v.* 5. 6. 10. 11. Eſræ *c.* 6. *v.* 20. & Matth. *c.* 26. *v.* 28. Nec omittendum hîc *Paſcha ſecundarium*, quod ex inſtituto divino celebrandum erat menſe ſecundô, die 14. ab iis, qui priori menſe ſive immundi ſive abſentes fuerant: cujus occaſio memoratur Numer. *c.* 9. *v.* 6. 10. 11. Idem illud per omnia cum *Paſchate* erat *ordinario*, niſi quòd hîc non conſtringerentur omnis fermenti expurgationem ex ædibus ſuis; & quòd unicus tantùm dies feſtus, & ἄπρακτος eſſet &c. Vide *ſuprà.* De uſu porrò & ſignificatione myſtica *Paſchalis Agni* totiuſque hujus Sacri, conſule Theologos, & ex his Bochart. inprimis *Hieroz. Part. prior. d. l.* aliquid etiam vide ſuprà. *Agnus Paſchalis*, uti de ratione populum per *Agnos* hujuſmodi numerandi, lemmate *Numerandi ratio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Parallelismus Agni Paschalis et CHRISTI.

Agnus Paſchalis erat	Chriſtus eſt
1. Unus ex grege.	1. Homo verus, Joh. *c.* 1. *v.* 14.
2. Abſque macula.	2. Abſque peccato.
3. Offerendus ac aſſandus.	3. Paſſus ac mortuus.
4. Sic tamen ut oſſa ejus non frangerentur.	4. *Non* tamen *confregerunt ejus crura*, Joh. *c.* 19. *v.* 33.
5. Sub veſperam.	5. In conſummatione ſeculorum, Hebr. *c.* 9. *v.* 26.
6. Ejus ſanguine poſtes ædium illinebantur.	6. Ejus ſanguis purgat nos ab omni peccato, 1. Joh. *c.* 1. *v.* 7.
7. Ut Angelus occiſor ſine noxa tranſiret.	7. Ne peccatum & mors contra nos prævaleret.
8. In qualibet familia comedebatur.	8. Applicatur unicuique per fidem.
9. Agnus totus.	9. Secundùm omnes Fidei articulos.
10. Abſque fermento.	10. Abſque hypocriſi, 1. Corinth. *c.* 5. *v.* 8.
11. Cum herbis amaris.	11. Cum tolerantia crucis.
12. Celeriter, & ab accinctis.	12. Seriâ expectatione melioris vitæ.
13. Solùm à circumciſis.	13. Saltem à credentibus, 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 23.

PASCHALIS Cereus, vide ſuprà.

PASCHALIS Epiſtola dicebatur quâ Epiſcopus Alexandrinus olim (vide Domin. Macrum *in Hierolex.*) inde Pontifex Romanus, Metropolitanis Epiſcopis denuntiabat, quô die celebrandum eſſet Paſcha: *Ad præcipuum enim Religionis ſacramentum pertinere, ut in Feſtivitate Paſchali nulla eſſet totô orbe diverſitas*, viſum eſt Patribus, ut ait Leo I. *Ep.* 95. *ad Ravennium Arelat.* Unde unô eôdemque die per totum orbem celebrandum, in eundemque finem dirigendas ad omnes Epiſcopos literas, quæ id potiſſimùm indicarent, ſtatuerunt Concilia, atque inprimis Arelatenſe I. *can.* 1. & Cæſarauguſtanum III. *can.* 2. Cujuſmodi Literarum *Paſchalium* formulam exhibet *d. l.* Leo I. ut & in *Ep.* 95. Aliæ habentur apud Bucherium *in Victorii Can. Paſchalem p.* 72. 73. 82. 469. & *ſeqq.* in *Spicilegio* Acheriano *Tom. VI. p.* 8. &c. Atque his acceptis, Epiſcopi Epiphaniorum die vel Chriſti Natalitiô, in Eccleſia populis denuntiabant, quis eſſet ille dies *Paſchatis*, ut indicat Concilium Aurelianenſe IV. *can.* 1. vel certè principium Quadrageſimæ, ut eſt in Autiſiodorenſi *can.* 2. aliiſque. Sed & *Paſchales Epiſtolas* vocat Avitus Viennenſis *Ep.* 65. quas Pontifices ſibi invicem ſcribebant, ſeſe conſalutantes, & de exacta feſtivitate nuntium mittentes, quæ proin erant ex iis, quas Græci ἑορταστικὰς nuncupabant: Hæ enim non in *Paſchalibus* modò, ſed & in aliis ſolennioribus feſtis, ſcribebantur ab Epiſcopis, ut ex aliis Aviti & Theodoreti Epiſtolis colligit Car. du Freſne in *Gloſſ.* quem, ſi placet, vide.

PASCHALIS Stephanus, vide *Stephanus.*

PASCHASINUS, Epiſcopus Lilybæi, Legatus Leonis M. ad Concil. Chalcedonenſe: Genſerici in Siciliam irruptione factâ A. C. 454. captivus abductus eſt. Scripſit ad Leonem Papam Epiſt. quæ inter hujus Epiſtolas 63. eſt. Vide Iſidor. *c.* 11. *de Vir. Illuſtr.* Adon. *in Chron.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 17. Baron. *in Annal. &c.*

PASCHASIUS, Hiſpanus, martyr ſub Genſerico Gothorum rege. *Paul. Diaconus.*

PASCHASIUS, Diaconus Roman. Laurentio, contra Symmachum electo præſtò fuit. Scripſit libros 2. de Spiritu Sancto, &c. Obiit A. C. 512. Gregor. *l.* 4. *dialog. c.* 40. & 41. Sigebert. *c.* 11. *de Script. Illuſtr.* Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 20. *Poſſevin. Trithemius*, &c.

PASCHASIUS Ratbertus, Abbas Corbiacenſis, floruit ſub Ludovico Pio & Carolo Calvo. Opera ejus unô Volumine in fol. edidit Sirmondus, Pariſiis A. C. 1618 In quibus, *libri* 12. *Commentar. in Matthæum.* 3. *Explicationum in Pſalmos* 44. *Quinque in Threnos. Unus de Corpore & Sanguine JESU CHRISTI in Euchariſtia, ad mentem Sacræ Scripturæ: Epiſtola ejuſdem argumenti: Vita* tandem *Adelardi, Ruffini & Valerii.* Obiit A. C. 851. Lupus Ferrerius *ep.* 56. 57. Sigebert. *c.* 99. *de Vir. Ill.* Honor. Auguſtod. *l.* 4. *de Lumin. Eccl.* Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 36. &c.

à PASCHATE, ad Paſcha, annos computandi ratio, per totam Franciam, labentibus ſeculis obtinuit, ſub tertia videl. Regum ſtirpe: adeò ut ſi Paſcha poſt 25. diem Martii (à quo nonnulli eâ tempeſtate annorum initium in illa gente ductum eſſe volunt) vel in menſem Aprilem incideret, *ante* vel *poſt Paſcha* apponerent, ſecundùm diem, in quem incidebat dies Paſchatis Dominicus, ita ut *ante Paſcha* annum proximè elapſum; ſi *poſt Paſcha* apponeretur, annum ſubſequentem, denotaret: V. g. extat Charta data 4. *Aprilis annô* 1375. *ante Paſcha*, quod extitit eô annô, ſecundùm hodiernum annos putandi morem, 22. ejuſdem menſis. Ita perinde alia habetur, data 20. *Aprilis annô* 1376. *poſt Paſcha*, quod extitit 13. ejuſdem menſis die illius anni. At cur *Paſchatis* primus anni dies fuerit, apud Gallos, vel certè initium anni, variæ ſunt ſententiæ. Joſeph. Scaliger *Ep.* 226. ait Gallos, veteris Eccleſiæ ſequutos conſuetudinem, qui Paſcha & Paſchalem hebdomadam *novum annum* vocabant. Car. verò du Freſne exiſtimat id inde manâſſe, quòd ab ipſis Eccleſiæ ferè primordiis ea obtinuiſſet conſuetedo, ut tabella Cereo Paſchali appenderetur, in qua annus currens deſcriberetur, idque ejus initium putarent Franci: iis enim mos iſte proprius fuit. Unde in *Tabulario* Lingonenſi legi dicit diploma, cum hac temporis nota: 12. *menſis Februarii*, *Indict.* 12. *annô* 1328. *more Gallicanô.* Aliud, *Annô Domini* 1384. *ſumtô à Paſchate more Gallicanô, die* 6. *menſis Maji.* Ut alios omittam. Sed tandem, Caroli IX. Regis Edictô anni 1564. cautum eſt, ut in Galliis, in publicis privatiſque tabulis, à Kalendis Januar. annorum repeteretur exordium. Vide præfatum Car. du Freſne in voce *Annus.*

PASCHATIS Contubernia, Joſepho φρατρίαι dicuntur, Hebræis חבורות, *ſodalitia*, & commenſales בני חבורות, *ſilii ſodalitii.* Agni enim convivæ per domos convenire jubentur, Exod. *c.* 12. *v.* 3. Quòd ſi minor domus eſſet, quàm ut Agno comedendo ſufficeret, in eo caſu lex vicinos convocari juſſit, ut convenirent ita, quantum ad comedendum ſatis eſſet, Exod. *c.* 12. *v.* 4. ubi numerum convivarum nec infrà decem, nec ſupra viginti eſſe oportuit, ut dictum. In his itaque contuberniis ſimul accumbebant viri & mulieres, ſenes & pueri, ſani ac ægri, domini & ſervi, Judæorum denique, quotquot poterant comedere carnis offulam, ne infantibus quidem excluſis, modò ne eſſent ἀρτιγέννητα βρέφη, *infantes modò geniti*, quales *lacte egere* dicit Paulus & *non ſolidô cibô*, Hebr. *c.* 5. *v.* 12. Interim Majemonides *de Paſch. c.* 1. *ſect.* 4. ſodalitium iniri negat inter mulieres & ſervos ne ſit *levitas capitis inter eos*, i. e. ne levius & protervius ſe gerant, quàm in tali feſto deceat. Sed idem approbat ſodalitium totum ex mulieribus, aut totum ex ſervis conflatum, non tamen totum ex pueris, quia nondum ſint rationis compotes: neque totum ex ægris, aut ex ſenibus, aut *propter mortuum lugentibus*; quia tales parùm comedant. Timendum igitur, ne quid ſuperſit & agni reliquiæ vileſcant profanæque fiant. Quod idem periculum, ſi omnes eſſent proſelyti, qui agni carnes diſſecare ſolent, in minimas particulas, quæque alia ſunt futilia Magiſtrorum λεπτολογήματα. Bochart. *ubi ſuprà.* Vide & in voce *Paſcha.*

PASCHILLUS, Romæ vates ridiculus, aut potiùs ſtatua lapidea, cui prædictiones & ſtatuas affigunt, item dicteria, quæ in ſuo nomine non audet quis evulgare. Lil. Gyrald. *l.* 4. *Synt. Hiſtor. Deor.* Lege *Paſquillus*, quod vide.

PASCUA, unicum Romanorum vectigal aliquandiu fuit. Plin. *l.* 18. *c.* 3. *Agrum malè colere, Cenſorium probrum judicabatur* ——— *Etiam nunc in tabulis Cenſoriis* paſcua *dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat.* Et quidem montana meliora cœteris, Columella *l.* 6. *c.* 27. Unde Statius *Thebaid. l.* 10. *v.* 229.

Cui fœtura gregem pecoroſum vere novavit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis. ———

ad quem locum vide Caſp. Barthium *Animadverſ. Parte* 3. *p.* 1157. Hinc *Paſcualis* Agnus, aut, ſi mavis ἀρχαϊκῶς, *Paſcalis.* Lucilius,

Paſcali pecore & montano hirto atque ſoloci:

Hebr. כר, contractè ex ככר, occurrit Deuter. *c.* 32. *v.* 14. *cum adipe paſcualium & arietum Baſanæorum.* 1. Sam. *c.* 15. *v.* 9. *Et indulgens fuit Saul & populus erga Agagum & erga optimas oves & boves & bidentes; & erga* agnos *paſcuales.* 2. Reg. *c.* 3. *v.* 4. de Rege Moab: *Pendebat Iſraëlis Regi centum millia agnorum paſcualium.* Pſalmo 37. *v.* 20, *Quia peribunt impii & Domini hoſtes, ut pretioſum* agnorum *paſcualium* (i. e. adipes) *deficiunt, in fumum abeunt.* Ubi Chaldæus habet. *Quomodo pretioſum phalgiſin, qui primùm quidem ſaginantur, ſed poſtmodum immolantur.* Quam vocem *phalgiſin*, trajectis literis, deflexam eſſe ex Græco φάγιλος, i. e. *agnus*, cenſet Bochart. Certè Plutarchus *in Hellenicis Quæſt.* 14. ubi de multa, quam procorum hæredibus, ab Ulyſſe interemptis, impoſuit Achillis filius Neoptolemus, Ἦν δὲ, inquit, ἄλφιτα, οἶνος, κηρία, ἔλαιον, ἅλας, ἱερεῖα πρεσβύτερα φαγίλων. φάγιλον δὲ φησιν Ἀριστοτέλης τὸν ἀμνὸν εἶναι, *Erant autem farina, vinum, favi mellis, oleum, ſal, victimæ phagilis adultiores. Phagilum verò Ariſtoteles agnum eſſe dicit.* Ita nempe dicebatur agnus, cùm edulis eſſe incepit, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, i. e. quadrimeſtris ut minimùm. Vix enim eduntur agni, antequam depulſi ſint, nec niſi quartò menſe depelluntur. *Nutricantur*, inquit Varro, *quoad facti ſint quadrimeſtres.* Unde φάγιλος Græcè id ipſum eſt, quod Arabicè *algiaphro*, quâ voce quadrimeſtrem agnum Arabes indigitant &c. Vide Sam Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 43. *ubi de Ovium nominibus.*

PASIAS, mangonium equorum exercuit, eoque facultates ſuas egeſſit. Hujus meminit Scholiaſt. *in Ariſtoph. Neph.*

PASICANA, urbs Indiæ citerioris. *Ptolem.*

PASICLES, cognomen L. Craſſitii genere Tarentini, ordinis libertini, celebris Grammatici, qui *Panſam* poſtmodum ſe tranſnominavit, apud Sueton. *de Illuſtr. Gramm.* ubi Caſaubonum vide.

PASIPEDA, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptolem.*

PASIPHAE, filia ſolis, Minois Cretæ Regis uxor, quam fabulæ ferunt Tauri amore captam fuiſſe, Dædalique operâ, quæ ligneæ eam vaccæ incluſit, voti compotem factam Minotaurum peperiſſe, medià parte hominem, reliquâ Taurum referentem: quod monſtrum poſteà in Cretenſi Labyrintho Theſeus dicitur interfeciſſe, Ariadnes ope adjutus. Servius Minois ſcribam tradit nomine *Taurum*, cum Paſiphaë mutuô ejus amore captâ, in Dædali ædibus concubuiſſe, expletiſque legitimis menſibus gemellos peperiſſe; quorum alter *Minos*, alter *Tauro* ſcribæ ſimilis extiterit, indeque factum eſſe locum fabulæ, ut Paſiphaë monſtrum biforme traderetur peperiſſe. Vide Natal. Com *l.* 6. *c.* 5. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 24.

Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphaë, miſtumque genus, proleſque biformis,
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.

Idem *Ecl.* 6. *v.* 46.

Et fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaën nivei ſolatur amore juvenci.

Propert.

Propert. *l.* 2. *Epigr.* 32. *v.* 57.

Uxorem quondam magni Minois (ut ajunt)
Corripuit torvi candida forma bovis.

Idem *l.* 3. *eleg.* 18. *v.* 11.

Teſtis Cretæi faſtus quæ paſſa juvenci,
Induit abiegnæ cornua falſa bovis.

Idem *l.* 4. *eleg.* 7. *v.* 57.

Una Clytæmneſtræ ſtuprum vehit, altera Cretæ
Portat mentitæ lignea monſtra bovis.

Vide Plut. *in Theſeo.* Plat. *in Minoë*, Palæphatum, *c.* 2. Hyginum, *Fab.* 40. &c. Silius Ital. *l.* 8. *v.* 472.

Hinc genus orditur Minos, immiſtaque tauro
Paſiphaë. ——— ———

Inter alia ſpectacula Romæ exhibitus eſt hic Paſiphaës nefandus cum tauro concubitus. Martialis *epigr.* 5. *de Spectac.*

Junctam Paſiphaën Dictæo, credite, tauro
Vidimus; accepit fabula priſca fidem.

Nic Lloydius.

PASIRA, Græcè Πασιρὰ, apud Arrian. *in Indicis*, urbs eſt in ora Ichthyophagorum, Λιμήν τε ἐστὶν αὐτόθι ἔυορμος, καὶ κώμη Πασιρὰ, ἀπέχουσα τῆς θαλάσσης ἑξήκοντα σταδίους καὶ οἱ πρόσοικοι αὐτῆς Πασιρεῖς, *Portus eſt ibi commodus & vicus Paſira, à mari* 60. *ſtadiis diſtans, cujus incolæ Paſireni.* *Ptolemæo* Gedroſiæ metropolis recenſetur Πασιρα, unde *Paſirena*, Πασιρηνὴ, regio Gedroſiæ interior. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1176.

PASIRIS, urbs Sarmatiæ Europææ *Ptolemæo.*

PASITELES, ſculptor egregius in Græcia natus, & civitate Romanâ donatus, Plaſticen matrem ſtatuariæ, ſculpturæque & cælaturæ eſſe dixit, & cùm eſſet in omnibus his ſummus, nihil unquam fecit, antequam finxit, Plin. *l.* 35. *c.* 12.

PASITHEA, una Gratiarum, filia Jovis & Eurynomes, ſoror Thaliæ, & Euphroſynes. Item Nympha marina Nerei & Doridis filia. Heſiod. *in Theog. v.* 352. Et Atlantis filia ex Æthra.

PASITIGRIS, nomen, quô Tigris fluv. ubi remeavêre aquæ, appellatur, Plin. *l.* 6. *c.* 27. Strabo *l.* 15. Καὶ ὁ Πασίτιγρις, ὃς ἐκ τῆς Οὐξίας καὶ αὐτὸς ῥεῖ. Adſcribam de hoc fluv. quæ habet Qu. Curtius, *l.* 5. *c.* 3. *Rex*, inquit, *quartis caſtris pervenit ad flumen, Paſitigrim incolæ vocant; Oritur in montibus Uxiorum, & per quinquaginta ſtadia ſylveſtribus ripis præceps inter ſaxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveô præterit, jam navium patiens: ſexcenta ſtadia ſunt mollioris ſoli, per quod leni tractu aquarum Perſico mari ſe inſinuat.*

PASITIGRIS, alterius quoque in Perſia fluvii nomen. *Strabo* enim, poſtquàm ſcripſit Tigrim, ubi in mare effunditur, acceptis amnibus Choaſpe & Eulæô, *Paſitigrim* appellari, deque eo multa dixit, protinus adjicit, Μετὰ γὰρ τὸν Χοάσπην ὁ Κοπράτας ἐστὶ καὶ ὁ Πασίτιγρις ὃς καὶ ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ καὶ αὐτὸς, *Poſt Choaſpem enim Copratas eſt & Paſitigris, qui & ipſe ex Uxiorum regione fluit.* Quem *Paſitigrim* omnino diverſum eſſe, ab eo qui Tigris eſt, oportet. Nam Tigrim, ubi rurſus jungitur & totus fluit, *Paſitigrim* vocari prodidêre: poſt hunc Choaſpes, qui in eum influit, ab Uxia regione ortus, ut vult *Strabo*; poſt Choaſpem Copratas & *Paſitigris*, qui & ipſe ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ. Arrianus quoque *de Expedit. Alexandri l.* 3. ſcribit, Alexandrum, ubi à Suſis caſtra movit, ut in regionem Uxiorum ingrederetur, transîſſe flumen *Paſitigrim*; qui Uxii cùm ad Orientem ſint Suſis, Eulæus autem Suſa præterfluat, neceſſe eſt, poſt Eulæum, hunc Paſitigrim versùs Orientem eſſe. Sed & ejus Curtius *loc. cit.* meminit, qui illum oriri dicit in montibus Uxiorum & Perſico mari inſinuari leni aquarum tractu. Recentiores tamen illius nuſquam meminerunt, Ptolemæus & Marcianus. Forſan *Paſitigris* ille Veter. Oroatis eſt, quem ultimum Suſianæ fluvium memorat *Marcianus*, vel quisquis ille Auctor. Certè Oroatis ex Uxiis oritur, & Perſidem ab Suſiana diſterminat; intra Suſianam porro Uxios & Meſſabatas, per quos fluit, complectitur. Idem tamen & *Tigris* dicitur Diodoro Siculo *l.* 17. qui quartô die ad illum amnem perveniſſe ſcribit Alexandrum, poſtquam à Suſis moverat: unde videmus, uti *Paſitigris*, ſic *Tigrim* duplicem eſſe, Aſſyrium alterum, qui occiduum latus Suſianæ claudit; & alterum Uxiorum in latere Orientali ejuſdem regionis fluentem. Videntur autem *Tigrim* aut *Paſitigrim* appellâſſe fluv. Oroatem, comites Alexandri Magni, quòd ejus verum nomen ignorarent. Quemadmodum *Choaſpem* Veteres nominârunt, quem Eulæum recentiores paſſim indigetant, etiam illi, qui res Alexandri ſcripſerunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 701. &

PASOR Matthias, Herbornenſis, fil. Georgii Ellarani, (S. Theol. & L. Hebr. per annos 19. ibid. Græcarum verò Literar. per annos 11. in Franekerana Acad. Profeſſoris) Phyſicam & Mathemata docuit Heidelbergæ, A. C. 1619. & 1620. Profeſſor inde LL. Arabicæ, Chaldaicæ & Syriacæ Oxonii in Collegio Exonienſi; nec non Hebraicæ in Collegio novo B. Mariæ conſtitutus, A. C. 1626. inde Groningam ad Profeſſ. Ethicam & Matthematic. vocatus eſt A. C. 1629. & 1635. ibidemque Theologicam ſuſcepit, A. C. 1645. extinctus A. C. 1658. ætat. 59. *Vit. Profeſſorum Groning.*

PASQUILLUS, ſeu PASQUINUS, Ital. PASQUINO, nomen ſtatuæ in urbe Roma, cui affigi ſolent, quæ vel in regimine, vel in Magnatum vitâ moribuſque digna videntur cenſurâ; ingenioſis non rarò in ipſos Pontifices dicteriis aſſurgens. Ei Venetiis reſpondet *Maforii* ſtatua, ejuſdem planè uſus. Vide Lil. Giraldum *Syntagm. Hiſtor. Deorum l.* 4. & *Antiqq.* Urbis Romæ. Hinc Satyræ, apud Gallos nomen, quæ, Melinô San-gelaſiô inventore, principatu Caroli IX. & Henrici III. inprimis multo fuit in uſu: Magna tum itidem varia acerbè perſtringens, *Richelier.* Vide quoque in voce *Paſchillus.*

PASSA, urbs Thraciæ, *Steph.*

PASSAGINI, inter Valdenſium ſectatores, memorantur in *Conſtitutionibus* Friderici II. *Imp. contra Catharos & Patarenos.*

PASSAGIUM, apud medii ævi ſcriptores, tranſitum notat: item pecuniam, vel cenſum pro hoc impenſum. Aliquando pro expeditione quavis tranſmarina ſùmitur, qualis Chriſtianorum eſt in terram ſanctam. Ex quo Bulla Sixti III. Principes Chriſtianos ad ſacram expeditionem in Turcos exhortantis, miſſa Philippo Palatino Elect. A. C. 1481. *Paſſagium* inſcribitur. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Hinc *Paſſagium Ultramarinum*, apud Jo. Villaneum *l.* 7. *c.* 37. Erat autem illud duplex, *Vernale* alterum, circa tempus illud, quô maria aperiuntur, ut loquitur Vegetius *l.* 5. *c.* 9. incidebatque in menſem Martium, hinc *Paſſagium Martii* vocitatum Matthæo Paris. A. C. 1244. *Æſtivale* alterum, quod menſe Juniô aut Juliô peragebatur, vulgò *Paſſagium S. Joannis Baptiſtæ* nuncupatum. Quando verò aperiantur, quando claudantur maria, vide quæ notant Caſaubon. *ad Theophr. Charact.* Meurſius *ad Conſtantinum de Adm. Imperii.* Jac. Gothofredus *ad l.* 3. Cod. Theodoſ. *de Naufragiis*, laudati Car. du Freſne in *Gloſſar.* Alii. Adde ejuſdem illuſtris Gloſſographi *Notas ad Villharduinum num.* 39. Apud Equites Melitenſes, voce hâc denotatur ſolutio quædam, quæ fit, in Equitum receptione, communi ærariô, & in expenſas phari applicatur, ad ſuſtinendas lucernas, in uſum navigantium tempore nocturnô. Sed & ex prima inſtitutione *Paſſagium* dicebatur nautica illa ſolutio, quum Equites hi, cùm adhuc Hieroſolymis ſederent, ex Oriente navem mittebant, per maritima Europæ loca, ad colligendos tyrones, qui in hanc ſacram militiam recipi avebant. vide Car. Macrum *Hierolexico.*

PASSALA, navale Mylaſſienſium, *Stephan.*

PASSALON, Ægypti urbs, *Ptolem. Peſla Antonini* eſt, ut æſtimat *Villanovanus. Peſcla* in *Lib. Notit.* credit dici Simlerus.

PASSALORHYNCHITÆ, Hæretici, Sectatores Montani: digitô ori admotô, perpetuum ſilentium profeſſi ſunt, abuſi Pſalm. 141. *v.* 3. ſeculô ſecundô. Hieronymus ſuô adhuc tempore in horum quoſdam, dum Ancyrâ in Galatiam iter faceret, incidiſſe ſe refert. Iidem nares quoque obſtruxerunt, Philaſtr. *de hær. c.* 77. Auguſtin. *de Hæreſ. c.* 63. Baron. *in Annal.*

PASSANDA, parva regio, ſive locus apud Adramyttium urbem, *Stephanus.*

PASSARVANUM, urbs Javæ inſulæ in parte Orientali verſus fretum Balambuanum, cum portu, media inter Panarucanum ad Ortum & Jortanum ad Occidentem.

PASSE-TEMPS, & PASSER LE TEMPS, i. e. *tempus tranſigere*, dicitur apud Gallos, de his qui ludô tempus ducunt; quaſi optimè illi tempus terant, qui per ludum & oblectationes illud tranſigunt. Ex Græco διάγειν, quod Latinis eſt *avocare.* Hinc *Arnob.* dixit, *Pueros crepitacillis avocare*, h. e. τὰ παιδία τοῖς κροτάλοις διάγεσθαι: quod Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 468. *animum picturâ paſcere*, dixit. Fulgentius *in l. de contin. Virgil. Animum picturis avocare*, pro eo poſuit: *Matrem videt nec agnoſcit, à qua nube cavâ cum Achate contegitur: dein picturis animum avocat*, i. e. διάγει, ubi perperam vulgò eſt, *advocat.* Idemque paulo pôſt: *In ſecundo verò libro & tertio avocatur fabulis, quibus puerilis conſueta eſt avocari garrulitas.* Διάγειν igitur *avocare* eſt; namque etiam Græcis *abducere* & *deducere de re aliqua* denotat: ut διάγω σε τοῦτο, διάγω σε ἀπὸ τοῦ λόγου, *avoco* & *abduco.* Hinc & pro *oblectare* apud eoſdem, ut apud Latinos *avocare*, eôdem ſenſu, & διαγωγή, *oblectamentum*, Gall. *paſſe-temps*, & διάγειν χρόνον, quod eſt *tempus tranſigere*, Gall. *paſſer le temps.* Integrè, διάγειν φροντίδας dicitur, qui *animum remittit & à curis ſegregat.* Philoſtratus in *Phavorino*, ubi Hadrianum ad concertationes & confabulationes cum Philoſophis & Rhetoribus ſæpius, animi relaxandi & avocandi gratiâ, divertiſſe refert: Ταῦτα μὲν, inquit, Αὐτοκράτωρ διατριβὴν ἐπεποίητο καὶ διῆγε τὰς βασιλείους φροντίδας, ἀπονεύων εἰς σοφιστάς τε καὶ φιλοσόφους, ubi ridiculus eſt Interpres, qui Hadrianum Philoſophos & Sophiſtas frequentâſſe dicit, & Imperatorias ſæpe curas cum illis communicâſſe. Reddenda enim verba ſunt, *Hæc Imperator exercitationis ergò habuit, & avocavit Regales curas, divertens ad Sophiſtas & Philoſophos.* Idem *ibid.* Ὅθεν καὶ τελευτῶν κληρονόμον Ἡρώδην ἀπέφηνε τῶν τε βιβλίων καὶ τῆς ἐπὶ Ῥώμῃ οἰκίας καὶ τοῦ αὐτοληκύθου. Ἦν δὲ οὗτος Ἰνδὸς μὲν καὶ ἱκανῶς μέλας, ἄθυρμά τε Ἡρώδου καὶ Φαβωρίνου· ξυμπίνοντας καὶ αὐτοὺς διῆγεν ἐγκαταμιγνὺς Ἰνδικοῖς Ἀττικὰ καὶ πεπλανημένῃ τῇ γλώττῃ βαρβαρίζων, ubi infeliciſſimè idem Interpres vertit, ξυμπίνοντας αὐτοὺς διῆγεν, *Convivantes ipſos referebat*, cùm vertere debuiſſet, *convivantes ipſos oblectabat*, Salmaſ. *ad Spartian. Hadrian. c.* 15.

PASSER, Græcè στρουθὸς, de gallina quoque nonnunquam uſurpatur; uti Hebræi nomine *tſippor*, tum in ſpecie *paſſerem*, tum in genere *avem*, notant. Nicander *in Alexipharmacis, v.* 16.

Ἢ ἔτι μυελόεντα χαλικρότερον ποτὸν ἴσχοις
Ὄρνιθος στρουθοῖο κατοικάδος.
Sive aliquod medulloſum meracum potabile pharmacum habeas,
Ex ave paſſere *domeſtica.* i. e. ex gallina.

Et rurſus *v.* 535.

Ἠὲ πάτον στρουθοῖο κατοικάδος.
Aut ſtercus paſſeris *domeſtici.* i. e. gallinæ.

Unde factum, ut στρουθὸς diceretur gallina illa Libyca, avium longè maxima, unô verbô *Struthio.* Quod imitati Romani Scriptores ſtruthionem appellant *marinum paſſerem.* Plautus *in Perſa Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 17.

Vola curriculo. P. *Iſtuc marinus* paſſer per *circum ſolet.*

Auſonius *Ep.* 11. *v.* 3.

Ovum tu quoque paſſeris marini, &c.

Cœterum *paſſerem domeſticum*, (nam varia ejus genera faciunt Arabes, ut videbimus infrà) ſic deſcribit *Damir*: *Pugnacis eſt* na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

naturæ. Nempe ferinum ei aliquid ineſt à natura. Proinde carne veſcitur & pullos ſuos non cibat, roſtrô in illorum ora inſertô. Sed cum avibus non rapacibus hoc illi commune eſt, quòd non habet ungues, quibus laniet, neque roſtrum aduncum & grana ac olera comedit. Cùm in arborem incidit, è quatuor digitis tres in anteriora porrigit & unum retro ——— *Mas à fœmina diſtinguitur nigrâ barbâ, quam habet ad inſtar viri, hirci aut galli. Nuſquam eſt avis aut fera aut jumentum in prolem propenſius, quodque vehementiùs amet. Unde eſt, quòd pullos & nidum in locis cultis collocat, & ſub ædium tectis, metu rapacium. Cùm deſolatur urbs, ex ea excedunt* paſſeres, *& ſimul cum incolis redeunt.* Paſſer *ambulare neſcit, nec niſi ſaltuatim fertur* ——— *plerumque ultra annum non vivit. Dociles habet pullos ſupra vulgus avium, ita ut vocati reſpondeant. Paſſerem à paraſanga redire, teſtatur Algiahid.* Garritus ejus propriè צפצף *tſaphſeph*, Eſajæ *c.* 38. *v.* 14. Græcè τρίζειν, *Il. β. v.* 314. ubi draco paſſerculos octo, cum matre,

> ——— ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας.
> *miſerabiliter voravit ſtridentes.*

Vocis quod attinet etymon, poſſet dici ex Hebr. *tſippor* orta. Sed Salmaſ. *ad Solin.* obſervat, paſſerem etiam *paſſam* dici, ut Gallicè *paiſſe*, paſſeram fœminam. *Paſſa* autem ex Æolico πίζα, pro σπίζα, *fringillus*, avis paſſeri ſimilis. *Heſych.* Σπίζα ὀρνιθάριον, στρουθίῳ παρεμφερές. Et quandoque avicula in genere, ut *in Timone*, apud Laërtium de Arceſilao,

> Οἱ δὲ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέρι σπίζαι τερατεῦντο,
> *Illum autem mirabantur, ut avicula circa noctuam.*

Uſus hujus aviculæ non unus. In Sacris, indigitatur ſecundùm complures, Levit. *c.* 14. *v.* 4. ubi agitur de duobus *tſipporim*, quarum unâ cæsâ, alterâ emiſſâ, purgabatur leproſus, & domus etiam leprâ infecta. Sed *aves* in genere hîc denotari, pluribus docet Bochart. At apud Athenienſes ſacra hæc Æſculapio avis, unde Atarben, quòd ad necem verberâſſet *paſſerem* Æſculapii, ad mortem damnatum eſſe, refert Ælian. *l.* 5. *c.* 17. Etiam Veneris currum à *paſſeribus* trahi, finxit Sappho; & a *paſſere*, qui cicadâ diſcerptâ partem in æde Bellonæ reliquit, cum altera parte avolavit, primi belli civilis augurium Romanis captum, tradit *in Sylla* Plut. In eſu, merulis ac turdis *paſſeres* jungit Galenus *de Alim. facult. l.* 3. *c.* 19. quô fine auctumnales præcipuè commendantur, quoniam tum, ob meſſem & vindemiam, pinguioris ac melioris ſucci fiunt, Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 92. Porro ad luſum idonea hæc avis. Arnob. *l.* 7. *Ut parvuli puſiones-----paſſerculos, populos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint.* Vide & quæ mox dicemus de paſſere Catulli &c. Plura verò hanc in rem, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 1. *c.* 18. & *ſeqq.* ut & ſuprà, voce *Fringilla*. Notus *Paſſer* Catullianus, de quo canit ille Poëta, *Epigr.* 2.

> *Paſſer deliciæ meæ puellæ,*
> *Qui cum ludere, quem in ſinu tenere,*
> *Quoi primum digitum dare adpetenti*
> *Et acris ſolet incitare morſus* &c.

Ut & alter, puellæ Amſtelodamenſis, artem nendi edoctus, apud Caſparum Barlæum *in Carm.* Nec omittendus *Paſſer Indicus*, ob eximiam in extruendo nido ſagacitatem, εἰρωνικῶς *paſſer ſtultus* nominatur, de quo vide Cardanum *de Subtil.* l. 10. &c.

PASSERUM, APUD ARABES SCRIPTORES, VARIÆ SPECIES.

Abubarakis, avicula canora, longô collô & pedibus, pennis rubris, flavis, viridibus & cœruleis, colores ſubinde mutans.

Acanthis ſeu *Acanthyllis*, Gall. *Serin*, Latinè *carduelis*, ex ſpinis victitans: unde illi cum aſino, qui eas teneras depaſcitur, inimicitia.

Andalib, avis ſpecies, philomelæ ſimilis.

Bulbul, Latinè *philomela*.

Hamra, alaudæ ſpecies rubra.

Haſſun, à pulchritudine nomen habens.

Kubaa, avicula varia, collum in metu contrahens, unde nomen.

Kubbara, i. e. *corydalus*.

Mechaci, à ſibilo dicta.

Paſſer Domeſticus, vide ſuprà.

Paſſer Paradiſi, hirundo.

Saphir, quæ totâ nocte ſibilat, capite inclinatô & pedibus ad arborem applicatis.

Savva, avicula rubrô vertice.

Suar, paſſer eſt, qui vocatus ſtridendo reſpondet.

Thenavvut, nidum ex arbore ſuſpendit, τῷ *ſaphir* non abſimilis.

Waſa, Latinè *Regulus*.

PASSER, cognomen *Cetronii*, in *antiq. Inſcr.*

PASSER, nomen loci, cujus meminit Martial. *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 5.

> *Non mollis Sinueſſa, fervidique*
> *Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur.*

PASSERATIUS Johannes, Trecenſis, Profeſſor Regius Pariſiis, Criticorum ſui ſeculi inter primos. Sub Cujacio primùm Juri operam dedit Avarici, dein Petri Rami ſucceſſor. Eloquentiam profeſſus eſt. Edidit quædam egregia; Auxit Calepinum, & elegantiores literas immenſum juvit. Unoculos erat, & in ædibus Memmii Ann. 30. moratus, obiit paralyſi A. C. 1602. ætat. 73. Sibi ipſi Epitaphium ſcripſit per 5. Ann. clinicus, at lætus & præſens. Vide Scævol. Sammart. *elog. l.* 4. & Ant. Teiſſier *Elog. Part.* 2.

de PASSERIBUS Marcus Antonius, vide *ibi*.

PASSERINUS ſeu PASSARINUS, equus in Circo olim celebris, apud Martialem, *l.* 7. *Epigr.* 6. *v.* 8.

> *Adeoque mentes omnium tenet unus,*
> *Ut turba magni ſæpe neſciat Circi,*
> *Utrumne currat* Paſſerinus, *an Tigris.*

Et quidem funalis ſiniſter, cujuſmodi equos plurimum momenti ad victoriam conferro ſolitos, diximus ſuprà in voce *Panchates*. Hinc unius hujuſmodi equi nomine tota quadriga intelligitur; non enim ſingulares hi equi currebant; ſed in curru ſic juncti, ut in medio duo jugales eſſent inter utrumque funalem, ſicque omnes quatuor equi fronte æquatâ irent, cujus inſtituti auctor primus fuit Cliſthenes Sicyonius, apud Iſidorum. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 897.

PASSERINUS Petrus, vide *Petrus*.

PASSI Capilli, in mœrore, apud Veteres. Virgilius *Æn. l.* 1. *v.* 483.

> *Interea ad templum non æquæ Palladis ibant.*
> *Crinibus Iliades paſſis* ———

i. e. incultis & in humeros negligenter rejectis, ut exponit Donatus. Ovid. *Heroid. Ep.* 10. *v.* 137.

> *Aſpice demiſſos ingenti more capillos,* &c.

Siculos præſertim, ubi de Catinienſium legatis Athenas miſſis docet Juſtinus *l.* 4. *c.* 4. De eodem ritu *Lycophron*.

> Κρατὸς δ' ἄκουρος νῶτα καλλυνεῖ φόβη,
> Μνήμην παλαιῶν τημελοῦσ' ὀδυρμάτων.
> *Intonſa per tergum fluet capitis coma*
> *Doloris antiqui memoriam refricans.*

Vide hîc non unô locô. Neque verò Gentilium ſolus hic mos, ſed & à Chriſtianis mulieribus non raro uſurpatus, in litaniis præſertim ac proceſſionibus. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 24. *At illi in tanta humilitate ad Deum converſi ſunt, ut induti ciliciis ... muros civitatis pſallendo circuirent. Mulieres quoque amictæ nigris palliis, diſſolutâ cæſarie, ſuperpoſitô cinere, ut eas putares virorum funeribus deſervire, plangendo ſequebantur.* Sed nec rebus tantùm dictis crines ſolvebant adoraturæ mulieres, verùm nonnunquam in re læta quoque & ſolenni atque accuratâ religione. Tibullus *l.* 2. *El.* 3. *v.* 29.

> *Ut mea votivas perſolvens Delia noctes,*
> *Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.*
> *Biſque die reſoluta comas tibi dicere laudes,*
> *Inſignis turba debeat in Pharia* &c.

Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnob. adv. Gentes l.* 1. & hîc paſſim.

PASSIENUS Criſpus, primus maritus Domitiæ, cujus pecuniariam litem adverſus fratrem Ænobarbum defendit, ut eſt apud Quintil. *l.* 6. *c.* 2. Deinde Agrippinæ matrimoniô & Nerone privignô clarior inter primarios cives emicuit, bis Conſul, & Orator inſignis. Ejus eſt ſcitum illud in C. Cæſarem; *Neque meliorem unquam ſervum, neque deteriorem dominum fuiſſe.* Vide Tacitum *l.* 6. Annal. *c.* 20. & Senecam *Contr.* 13. 17. 26. 27. Plinius eum ſcribit arborem morum eximiam ſic adamâſſe, ut non modô oſculari, complectique, verùm etiam cubare ſub illâ, vinumque illi effundere ſolitus ſit, *l.* 16. *c.* 44. Municeps fuit Viſellienſis. plurimas ſponte cauſas apud centumviros egit; pro qua re in Baſilicâ Juliâ ejus ſtatua poſita eſt. Poſſedit bis millies ſeſtertiûm, cujus hæreditate mortui ſub initia Claudiani Imperii ditatus eſt Nero. Periit verò per fraudem Agrippinæ, quam hæredem reliquerat, & funere publicô elatus eſt.

PASSIENUS Paulus, eques Romanus, ſub Flaviis ac deinceps claruit. Poëta fuit elegiacus, patriâ Mevanienſis ex Umbria, Propertii nepos, vel pronepos, eumque in elegiis imitabatur. Plinius *l.* 6. *ep.* 15. *ad Romanum: Mirifica rei non interfuiſti; nec ego quidem, ſed me recens fabula excepit: Paſſienus Paulus, ſplendidus eques Romanus, & imprimis eruditus, ſcribit elegos: Gentilitium hoc illi. Eſt enim municeps Propertii, atque etiam inter majores ſuos Propertium numerat. Is cùm recitaret, ita cœpit,* PRISCE JUBES: ſubdit deinde, ut eô ſic exorſô, Priſcus Jabolenus, egregius Juriſconſultus, ſed dubiæ ſanitatis reſponderit, *Ego verò non jubeo*: atque inde magnus ortus ſit riſus, eaque res Paſſieno attulerit multum frigoris. Cœterùm de tribus *Paſſienis*, avo, patre, & filio, multa Andreas Schottus *diſſertatione de claris apud Senecam Rhetoribus.* Is, de quo nunc agimus, ab elegis poſteà ſe ad Lyrica convertit, atque uti in elegis Propertium, ita in Lyricis Horatium ſibi imitandum propoſuit. Teſtis idem Plin. *l.* 9. *ep.* 22. *ad Severum:* ubi & plura de ejus laudibus. At planè alius eſt *Paſſienus*, qui ſeſquiſeculô pòſt ſub Gallieno Proconſul Africæ fuit, uti Trebellius Pollio narrat, Voſſ. *de Poët. Lat. c.* 3. *p.* 50.

PASSIENUS, Rufus, vide *Lucius*.

PASSIO, in Communione Roman. Dominica dicitur quinta Quadrageſimæ, quæ *Ramis palmas* præcedit. Etiam *Paſſio Domini*, in epiſtola Balduini Imperator. de expugnatione Conſtantinopol. ubi urbs obſeſſa dicitur, 5. *Id. April. feriâ* 6. *ante paſſionem Domini: & capta* 2. *Id. April. feriâ ſecundâ in Paſſione*, i. e. die Lunæ hebdomadis, quæ Dominicam Ramiſpalmarum præcedit, quam *Hebdomadam Paſſionis* vulgò vocant. Amalarius *l.* 4. *c.* 48. apud Meibomium: *In* Paſſione Domini, *quindecim videlicet dies ante Paſcha.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Not. ad Villharduinum num.* 129. ut & ſuprà in vocibus. *Dominica*, & *Hebdomada*. Item Euangelii pars, continens Chriſti *paſſionem*, quæ in majori Hebdomade in Eccleſia canitur, ex Alexandri Papæ inſtitutione, ut Durandus refert *c.* 68. Et quidem in Eccleſia Ambroſiana tantùm *paſſionis* textus ex Matthæo legitur, qui in duas dividitur lectiones, quarum una legitur in Feriâ V. Cœnæ Dom. altera Feriâ VI. ſeq. quô die Diaconus, qui *paſſionem* canit, totus rubrô colore eſt indutus, Dalmaticam ex villoſo ſerico gerens, quô eôdem colore Altare quoque operitur, Templum ornatur & Miniſtri veſtiuntur, occaſione loci, *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Quando autem pronuntiantur verba, *Et emiſit ſpiritum*; ſtatim duo Subdiaconi denudant Altare, ac cœtera Eccleſiæ paramenta auferuntur, luminaria extinguuntur & campanarum ſonus inhibetur; quæ mœſtitiæ ſigna mœrorem in aſtantibus excitant, eorumque animos attentiores reddunt, ad audiendam *de Paſſione* concionem, quæ Euangelium ſtatim ſequitur. Quibus verò paſſionis Euangelium canendum, ex Sacriſtia exire tenentur amicti, albâ, cingulô, ſtolâ ac manipulô induti; idque hûc ordine: ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ut præcedat, qui textum canere debet, dein ſequatur qui turbam repræſentat, & ultimus ſit, qui Chriſti vicem gerit, qui in canendo medium locum tenet, inter Euangeliſtam à dextris & turbam canentem à ſiniſtris. Omnes autem, antequàm canere incipiant, oſculantur Epiſcopi manum; quæ ceremonia omittitur Feriâ VI. quâ inſuper nec benedictio petitur, nec lumina deferuntur, nec incenſum adoletur, nec conſueta ſalutatio *Dominus vobiſcum* adhibetur, nec denique dicitur *Gloria tibi Domine*. Vide quæ hanc in rem plura habet Dominic. Macer *in Hierolexico*. Hinc *Paſſionarium*, in eadem Eccleſia, liber continens *Paſſionis Chriſti* Euangelia, in majori Hebdomade legi ſolita; uti ex quodam pervetuſto Collegiatæ S. Fauſtini Eccleſiæ Viterbii inventario, refert Idem. At *Paſſionalia*, ſcripta dicuntur ſeu libri; in eadem Communione, in quibus *paſſiones* Sanctorum Martyrum continebantur, aliàs *Sanctoralia* quoque dicta: e quibus *Martyrologium Rom.* conflatum eſt. Legebantur autem olim acta SS. Martyrum in Eccleſia eôdem modô, quô Martyrologium hodie; imò poſt eas lectiones priſcis temporibus encomiaſtica fiebat concio, ut paſſim apud Patres videre eſt. Idem *Ibid.* De iis *Regula* S. Ferreoli, *c.* 18. *Geſta Martyrum, i. e. Paſſiones Sanctorum fidelium, quôdam compaginata ſtudiô & ſermone digeſta ſunt, tempore, quô nobis diem migrationis eorum anni meta curſus ſui legibus repræſentat, recenſeri in Oratorio, audientibus cunctis, omnino decernimus.* Quod idem ſtatuitur in Conc. Africano *can.* 13. *Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniverſarii dies eorum celebrantur.* Vide ſuprà in voce *Commemoratio.*

PASSUM, inter potus genera, matronis olim Romanis, quibus vini uſus interdictus Romuli lege, conceſſa, memoratur A. Gellio *l.* 10. *c.* 23. *bibere autem ſolitæ fuerunt loream*, paſſum, *murinam, & quæ id genus ſapiant, potu dulcia.* Erat id *genus liquoris, quod ex uva paſſa cogebatur*, *Nonio*: apud quem *Varro* quoque *Paſſum nominabant*, inquit, *ſi in vindemia uvam diutiùs coctam legerent, eamque* paſſi *eſſent in ſole aduri.* Ægoſthenenſi & Cretico vino guſtu fuiſſe ſimile, apud *Athenæum* legas. Quod Juvenal. firmat *Sat.* 14. *v.* 270.

Qui gaudet pingue antiquæ de litore Cretæ
Paſſum *& municipes Jovis advexiſſe lagenas* &c.

Vide de ejus confectione, præter Athenæum, Columellam *l.* 12. *c.* 39. laudatum Ant. Thyſio *Not. ad Gellii loc.* aliquid etiam infrà voce *Pſithia.*

PASSUS, apud Matthæum Pariſ. *p.* 443. *anguſtias* & *clauſtra* itineris montiumque denotat. Ita enim is, *Dum per quoddam iter arctiſſimum, quod vulgariter* Paſſus *dicitur, forent tranſituri.* Sic Matth. Weſtmonaſterienſis A. C. 1260. *Emanavit à Cancellaria Breve Domini Regis —— ad omnes Vicecomites, in quorum Ballivis ſolebant viatoribus imminere pericula, ut omnes* paſſus *periculoſos tam in viis concavis & boſcis & hajis, quàm aliis pacis regiæ perturbationibus faciant videri* &c. Occurrit prætereà apud Sylv. Giraldum *de Expugn. Hibern. l.* 1. *c.* 26. Sanutum *l.* 3. *part.* 11. *c.* 13. &c. Aliter *Clauſuræ* & *Cluſæ*. Vide Car. du Freſne. Aquitani portus locoſque, ad oſtia fluminis, è quibus conſcenſio in naves fit tuta, quique aliter *Gradus* dicti, ut vidimus in hac voce, *Paſſus* etiam vocant. Hinc Burdigalenſes in oſtio Garumnæ, quod propter ſcopulos & arenas periculoſum eſt, tres *Paſſus* ſeu Gradus agnoſcunt, nimir. *Paſſum* Arenoſum vel Glareoſum, prope Meducos, vulgò *le Pas de Grave*, in medio ore fluminis, *Paſſum* Aſinorum, *le Pas aux Aſnes* & ad littus Santonicum, versùs Foramen Mali Dumi *le Pertuis de Maubuiſſon*, tranſitum Malmuſſonenſem, *le paſſage de Maumuſſon.* Quæ ſunt tria loca opportuna ac tuta, Garumnâ Oceanum aut contrà intrantibus. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Rhodanus.* Communiter *Paſſus* eſt, quantum homo *paſſis* pedibus ambulando conficit. Annotavit autem Philander ſex paſſuum diſcrimina & differentias: Eſt enim *Paſſus*, qui continet veſtigium & ſpatium, i. e. pedes duos; Alius duo veſtigia & medium intervallum, i. e. pedes duos & dimidium; Tertium genus, duo veſtigia cum intervallo uno continet, aut contrà, i. e. pedes tres. Quartum duo ſpatia cum totidem interjectis veſtigiis, i. e. pedes quaternos; Quintum tria intervalla cum veſtigiis duobus, aut contrà, i. e. pedes quinos; Sextum denique, veſtigia tria cum totidem intervallis, i. e. pedes ſenos, Græci ὀργυιὰν appellant. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

per PASSUS, itinerum menſuram Veter. colligebant, neque tum perticæ ad hanc rem aut funiculi ullus uſus. Hinc *millia paſſuum*, quæ *milliaria* unâ voce, & *milliarii lapides*, qui ponebantur in ſingula millia; ut *Lapides centuriales* defigi ſolebant diſtantes à ſe ped. IICCCC qui centuriæ podiſmus eſt. Significat autem ποδίζειν, *menſuram per pedes colligere*, ut βηματίζειν, *per paſſus*, & ςαδιάζειν, *per ſtadia.* Polybius de Romanis milliariis, Ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτιςαι καὶ σεσημείωται κατὰ ςαδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς. Græci quoque ſtadia ſua per *paſſus* metiebantur. Vetus auctor, *Per paſſus ſtadium, per ſtadium milliarium.* Quæ verò gentes itinera ſua & locorum vel urbium inter ſe diſtantias aliâ menſurâ, quàm per paſſus ſignaverunt, ejus menſuræ nomen intervallis illis ſignificandis retinuerunt: ut in Oriente σχοῖνοι & παρασάγγαι: Hinc Romani, quia paſſibus ea dimetiebantur, *per paſſus* etiam numerârunt. Quod in limitibus agrorum, qui viarum publicarum inſtar fuêre & iter populo præbebant, item in caſtris metandis & locis aſſignandis tenſuræ papilionum per ſtrigas & ſcamna, ſimiliter antiquitus obſervatum eſt. Faciunt autem *Paſſum* pedes quinque; origo vocis inde, quôd *paſſis* cruribus, i. e. expanſis explicetur paſſus. Nemo quippe poteſt paſſum facere, aut greſſum ullô modô promovere, quin crura *pandat*, i. e. diducat & aperiat, quod Græci σκέλισμα, item πλῖχα, propterea vocant, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 688. & 946.

PASTAS, Græcè Παςὰς, quoque dicta eſt porticus ante Ædem, quæ aliàs πρόδομος, πρόναος, προςὰς, πρόςοος, & in Templis Chriſtianorum Νάρθηξ. Apollonius *Argonauticῶν. l.* 1.

—— κυλῆς διὰ παςάδος εἶσιν ἄγουσα.

pro προδόμου διὰ ποιητοῖο, ut eum in προεκδόσει Ἀργοναυτικῶν ſcripſiſſe, *vetus Scholiaſtes* notat &c. Sicut autem in ædibus ſacris, ita etiam in privatis, apud Græcos, ſed procerum & principum, ſui πρόδομοι fuêre & παςάδες. Vitruvius *l.* 6. *c.* 10. *Id periſtylium in tribus partibus habet porticus. In quarta parte, quæ ſpectat ad meridiem, duas Antas inter ſe ſpatiô amplô diſtantes, in quibus trabes invehuntur, & quantum inter Antas diſtat ex eo tertiâ demtâ ſpatium datur introrſus. Hic locus apud nonnullos* Προςὰς, *apud alios* Παςὰς *nominatur.*. Ubi alii παραςὰς legunt, ſed malè: *Paſtas* enim duas habebat hinc & inde παραςάδας; quæ *Antæ* Latinis. Παςὰς autem non ἀπὸ τοῦ πάσασθαι dicta, quòd in ea convivarentur, uti Interpres vetus Apollonii habet; ſed ἀπὸ τοῦ πάσσειν, quod eſt ποικίλλειν, quia opere inteſtinô cælatis laqueariis & tectoriô albariôque opere inductis pictiſve & auratis ornata erat. Unde παςάδας, διαγεγραμμένους οἴκους *Heſychius* interpretatur, & παςοφόρον ναὸν εὐανθῆ. Sed & παςὸς *velum* ſignificat linteum variegatum, plumariô opere, quod thalami vel œci ſeu calybæ (ita dictæ interiores cellæ in pleriſque templis, præcipuè Dearum) foribus prætendebatur. Inde παςοφόρια, templorum Atria, in quibus ejuſmodi vela prætenta eſſent; vel quòd is locus deſtinatus eſſet manſionibus τῶν Παςοφόρων, de quibus vide in voce *Paſtophori.* Porrò, in *paſtadis* dextra & ſiniſtra, cubicula erant poſita, in Græcorum ædificiis. Idem Vitruvius, *In proſtadii autem dextra & ſiniſtra, cubicula ſunt collocata, quorum unum* προςάδιον hîc vocat. quam paulô ante προςάδα. Corrigendum etiam ibidem: *In his locis etiam conſtituuntur œci magni, in quibus matres familiarum cum lanificis habent ſeſſionem.* Qui verò parietes utrinque πρόναον ſeu προςάδα circumcludebant, πτερὰ vocata ſunt &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1217. Sed & in Circo παςάδας ὑποςέγους poſitas legimus à Tarquinio. Nempe in Circo olim ſpectabant in tabulatis ſtantes, quæ furcis ſuſtinebantur. Primus Tarquinius καθέδρας ſeu παςάδας ὑποςέγους, h. e. *ſubſellia contecta*, in Circi circuitu ponendas curavit, è quibus populus ſpectaret: Priſcus videl. qui cùm opus illud imperfectum reliquiſſet, abſolvit Superbus. Dionyſ. *l.* 4. Τὸν δ᾽ ἀμφιθέατρον ἱππόδρομον οὐδέπω ἔξω τῶν κρηπίδων ἔχοντα παςάσιν ὑποςέγοις παρέλαβεν &c. Vide eundem *p.* 920. & infrà.

PASTELLUM, vel *Gueſdum* hodie vocatur, quod olim in Gallia *Guaſtum*, eâdem herba, quæ *Vitrum* Latinè & Græcè ἴσατις; à qua id genus coloris, quô cœruleum tingitur, confici ſolet, ſic dicta quòd contuſa in *paſtillos* digeratur, Græci recentiores πάςιλλον vocant, Arabes *Nil*, quô nomine & cœruleum colorem nuncupant. Inde & aliam herbam, quæ ſimili præparata modô ſimilem colorem efficit, eâdem appellatione impertiunt. Guzaratæ, ubi plurimum celebratur hujus herbæ ad tincturam σκευασία, vocari ferunt *Gali*; quam rori marino ſimilem de facie faciunt *Linſchottus* & *Paludanus*, ocimo Garcias, ex verſione Cluſii. Iſatis verò noſtra plantagini ſimilia habet folia. Nec dubium, quin veterum Ἰνδικὸν, quod hodie ajunt inexploratæ inventionis eſſe, ex illa herba Indica parari ſolitum ſit. Harundinum Indicarum limum eſſe priſci credidêre: nempe ex India allatum & limo indurato ſimile quum viderent, putârunt ſpumam eſſe arundinum, adhæreſcente limô. Iſatidem certè & Indicum eôdem colore inficere *Zoſimus* docet, Ἐπὶ ὑακίνθου δὲ πόαν ὑάκινθον καὶ μέλαν Ἰνδικὸν καὶ ἰσάτιδος ῥίζαν. Ubi μέλαν Ἰνδικὸν, eſt *Nil Indicum*, Iſatis, noſtras *Nil*. Hoc *paſtellum cœruleum* Narbonenſium. Aliud autem eſt *Paſtellum luteum* vel *rubrum*; quod φοινικοπάςελλον ἐρυθρὸν eidem *Zoſimo* dicitur, Arabibus Νάτηφ, an ex Latino *nativus*; ita enim Latini *rubrum* colorem per excellentiam vocavêre: oblongus inſtar dactyli (qui φοῖνιξ Græcis) paſtillus ruber. Namque *Paſtilli* variô modô facti, *rotundi*, qui τροχίσκοι & κυκλίσκοι & τροχοειδεῖς ἄρτοι Andromacho *in Theriac. oblongi*, ut dactyli palmarum; vel *ovali figurâ*, quas ὑπομήκεις κολλύρας vocat *Theomneſtus*, μαγδαλίας Auctores Veterinarii &c. Fortè eâ voce exprimere voluit eum colorem, quem Galli hodie vocant *Aurantianum paſtellum*, vulgò *Orange paſtel*, qui croceus eſt color in rubrum vel coccinum vergens. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1331. & *ſeqq.*

PASTELLUS, apud Gregorium M. *in Regiſt. l.* 4. *c.* 88. *Pro ordinatione verò vel pallio ſeu chartis atque* paſtello *omninò aliquid dare prohibet*, juxta Dominic. Macrum, ſigillum eſt ſive ejus impreſſio, in *paſta* cerea, ſicut modò in Brevibus Pontificiis aliiſque privilegiis fieri ſolet. Hinc *Paſtellaticum*, quod pro hujuſmodi ſigilli impreſſione dabatur. Joannes Diacon. in *Vita ejuſdem Gregorii, cùm verò quoſdam cognoſceret, ad evitanda ſimoniacæ hæreſeos crimina peſtiferæ negotiationis munera* paſtellaticum *callidè vocare* &c. Vide utrumque Macrum *in Hierolex.*

PASTERIS, urbs Ægypti, *Steph.*

PASTILLUS, in re Medica quid ſit, Celſus exponit *l.* 5. *c.* 17. *Malagmata atque emplaſtra Paſtillique, quos* τροχίσκους *Græci vocant, cùm plurima eadem habeant, differunt eô, quòd malagmata maximè è floribus, eorumque ſurculis: emplaſtra Paſtillique magis ex quibuſdam metallinis fiunt ---- Inter emplaſtrum autem &* Paſtillum *hoc intereſt, quòd emplaſtrum utique liquoris aliquid accipit: in Paſtillo tantùm arida medicamenta aliquô humore junguntur.* Hinc appellatus *Paſtillus*, panificium carne aut eduliô aliquô fartum, Gallis *Paſté*, quod in modum Medicorum *paſtilli* compoſitum fartumque ſit, *Bulla* Honorii III. apud Margarinum: niſi potiùs à *Paſta* vocem deducas, quod *maſſam* denotat ſeu crudum panem, Gall. *Paſté*; & reperitur apud Guil. Brittonem in *Vocabul. Piſtor dicitur, qui panem facit, à pinſo, is, quod eſt panem facere*, paſtam *deducere & terere.* Atque hinc fortè, ad Medicos delatum vocabulum.

PASTONA, civitas ad Euphratem, Plin. *l.* 5. *c.* 24.

PASTOPHORI, ſacerdotes ſacroſancti Ægyptiorum, honora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tiores cæteris; ſic dicti quòd ferant pallium Veneris, cui nomen eſt *Paſtos*. *Paſtophoros* etiam Venus dicta eſt. *Lloyd*. Vel etiam, quòd cujuſcunque Dei, cujus erat templum, thalamum ferant, i. e. ædiculam ei ſacram. Vide Apulejum. *l.* 11. *Metam.* & de Ægyptiorum *Paſtophoris*, infrà voce *Propheta*. Hinc *Paſtophorium*, tabernaculum, ſeu thalamus, in quo habitat Præpoſitus templi: Plura apud Joh. Dallæum, *de cultibus religioſis Latinorum*, *l.* 6. *c.* 6. ubi de hujus vocis uſu apud Patres, prolixè agit. *Heſychius*, παστοφόριον, τὸ τὸν παστὸν φέρον, (παστὸς autem Thalamus eſt:) ἢ συναγωγὴ, ἢ ναὸς εὐκτήριος: ubi per *Synagogam* fortè proſeucham intelligit, in qua Judæi ad preces & ſacra conveniebant.

PASTOR, alius gregis dominus, alius mercenarius, μισθωτὸς Græcè, Johann. *c.* 10. *v.* 12. Ille, ſi Druſio credimus, in Amoſi Prophetiam, Hebr. נוקד vocatur, hic רועה: Sed רועה *Roe*, utrumque denotat, non mercenarium ſolùm. Namque Abel ſic appellatur, Gen. *c.* 4. *v.* 2. & Rachel Gen. *c.* 29. *v.* 2. & Patriarchæ omnes, Gen. *c.* 47. *v.* 3. qui tamen aut gregum domini erant, aut dominorum liberi, non ſervi aut mercenarii. Quin ipſe Deus hoc nomen non dedignatur, Pſalmo 23. *v.* 1. & 80. *v.* 2. Sed nec prior vox *Dominum gregis* præciſè notat, uti pluribus Bochart. docet infrà laudandus. Porrò inter *Paſtores mercenarios* varii gradus, & alii *primarii*, alii *ſecundarii* ſunt. Sic Pharaoni plures fuêre שרי מקנה, *principes gregis*, Gen. *c.* 47. *v.* 6. ut & Davidi: cui boum alii in campis Saron, alii in vallibus, paſcebantur; quorum his Saphatus, illis præerat Sitræus, ut camelis Obil, aſinis Jechdias, ovibus denique & capris Jazizus, 1. Paralip. *c.* 27. *v.* 29, 30. 31. Saul tamen tam armentis, quàm gregibus, videtur unum præfeciſſe Doegum, qui proin vocatur, princeps paſtorum Saulis, 1. Sam. *c.* 21. *v.* 7. Sic in Syria, ſub Nino Rege, Simma erat προεστὼς τῶν βασιλικῶν κτηνῶν, *pecoris Regii præfectus*, ut ex Cteſia refert Diodor. *l.* 2. Et Plutarchus *in Pyrrho* meminit cujuſdam Σάμωνος τοῦ τὰ ποίμνια καὶ τὰ βουκόλια τοῦ Νεοπτολέμου διοικοῦντος, *Samonis, qui* Moloſſorum Regis *Neoptolemi greges, & armenta adminiſtrabat*. Latini quoque Ἀρχιποιμὴν erat Tyrrhus, de quo Poëta *Æn. l.* 7. *v.* 485.

——— Tyrrhuſque pater, cui regia parent
Armenta, & latè cuſtodia credita campi

In quem locum *Servius*, *Magiſtrum hunc pecoris vult fuiſſe, & ſaltuarium* &c. *Magiſter autem pecoris eſt, ad quem omnia pertinent animalia.* Cicero, *Nominat hominem, quem Magiſtrum pecoris eſſe dicebat.* Proinde Livius *l.* 1. *c.* 4. de Fauſtulo, cui Latii Rex Numitor eandem curam demandaverat, *Ut lupam*, inquit, *linguâ lambentem pueros, Magiſter Regii pecoris invenerit.* Quem eundem Dionyſius Halicarn. *l.* 1. tanquam ex Fabio Pictore, fuiſſe dicit, συφορβίων βασιλικῶν ἐπιμελούμενον. Et de Phorbante, quem Laius Thebarum Rex paſtoribus ſuis præfecerat, ita Seneca *in Oedipo Actu* 4. *v.* 815.

——— regios pavit greges,
Minor ſub illo turba paſtorum fuit.

Et rurſus *v.* 839.

Arbitria ſub quo regii fuerant gregis, &c.

Uti verò in Paſtorum ſupremo gradu eſt אביר הרועים, *Princeps Paſtorum*: ita כרזיל *Carzil*, in infimo, quem Thalmudici *Paſtoris diſcipulum* eſſe dicuunt. Quod diſcrimen in Calphurnio *Ecl.* 5. quoque obſervatur,

Fortè Mycon ſenior, Canthuſque, Myconis alumnus
Torrentem patulâ vitabant arbore ſolem,
Cùm juvens ſenior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert &c.

Ubi Mycon ſenior & qui Canthum docet, eſt רועה, ſed qui docetur Canthus, eſt כרזיל *Carzil* &c. Paſtorum vaſa, in Sacris, non ſemel occurrunt, ubi non ſolùm ſic dicuntur vaſa propriè dicta, putà γαυλὸς, σκαφὶς, πέλλη, κυμβίον, καρχήσιον, κισσύβιον, *mulctrale, ſinus, & ſi quæ alia ſunt ejuſmodi*; ſed & *veſtis & arma & inſtrumenta Muſica & tota ſupellex*. Hinc *in Zachariam* Hieronymus, *Vaſa autem paſtoris inſignia illius & habitum debemus accipere, peram, baculum, fiſtulam & ſibilum.* Et quidem *veſtis* Paſtoralis mentio fit, Jerem. *c.* 43. *v.* 12. quæ apud Syrum Interpretem vocatur *gultha*, i. e. εἴλυμα, aut περιβόλαιον. Quia enim hoc hominum genus cœli injuriis eſt maximè obnoxium, cùm ſub dio ſemper degat, hinc contra ventorum ingruentium procellas neceſſe habet ſe majori curâ tueri, veſtibus circa corpus ſedulò *convolutis*; ut apud Avienum, in *Fab. de Borea & Sole*, viator, flante Boreâ,

Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida ſummotos quò trahit aura ſinus.

Poſt veſtem, memoratur ילקוט, *jalkut*, i. e. *mantica* ſeu *pera*, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 40. à verbo *lakat*, quod *colligere* eſt, quia in ea viaticum & quidquid neceſſe eſt, Paſtor colligit. Vide infrà in voce *Pera*. Eſt & עטין, *atin*, vas ποιμενικὸν, Jobi *c.* 21. *v.* 24. quod *Mulctare* reddunt complures, quibus tamen non præbet aſſenſum Bochart. *Arma* Paſtorum, ſunt *virga* & *pedum*; item, quibus eminus pugnant, *arcus, ſagitta, funda, lapides* &c. *Virga* ſeu *pedum*, מקל *makel*, dicitur 1. Sam. *c.* 17. *v.* 40. & Zachariæ *c.* 11. *v.* 7. Item שבט, *ſcebet*, Græcè σκῆπτον ſeu σκῆπτρον, Pſalmo 23. *v.* 4. Micheæ *c.* 7. *v.* 14. & Levit. *c.* 27. *v.* 32. Sub qua virga tranſibant armenta & greges, quoties illorum numerus ſubducebatur; quod fiebat ab iis, qui accurati ſunt manè & veſperi, ut habet Servius *in illud Poëta Eccl.* 3. *v.* 34.

Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Sed maximè ſub veſperam, cum è paſtu reduci ſolent; Theocritus *Idyll.* 8.

——— τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα παντ' ἀριθμεῦντι.
Oves autem veſpere ſemper omnes numerant.

Vide quoque Virg. *Ecl.* 6. *v.* 85. 86. & *Georgic. l.* 4. *v.* 433. 434. 435. 436. ubi de Proteo phocas numerante, ut & Calphurnium *Ecl.* 3. Quò Jeremias reſpiciens *c.* 33. *v.* 13. *Adhuc*, inquit, *tranſibunt oves per manum numerantis.* Nempe in ovile ingredientes oves ſingulas Paſtor, extremâ virgâ tactas, præſente dominô aut villicô, recenſebat, ad quem ritum palàm alluditur, Ezech. *c.* 20. *v.* 37. Sed & de *Pedo*, & de aliis Paſtoris *armis*, dicetur aliquid infrà, in voce *Pedum*. Ad Muſicam paſtorum, nos vocat Davidis cithara, Hebr. כנור, *cinnor*, unde Græcè κινύρα, quam Joſephus δέκα χορδαῖς ἐξημμένην πλήκτρῳ τύπτεσθαι, *decem chordis inſtructam plectrô pulſari* conſueviſſe, ait *Antiqq. Jud. l.* 7. *c.* 10. Cùm Auctor *Epiſtolæ ad Dardanum*, ſub Hieronymi nomine, citharam in modum *Delta* literæ, i. e. triangularem deſcribat, cum chordis viginti quatuor, quæ per digitos Pindari variis vocibus tinnulis ictibus diverſis modis concitentur. Potiùs dicemus, peculiare id inſtrumentum Muſicum fuiſſe, ipſiuſque Davidis inventum, quem non ſolùm citharam mirâ arte pulſaviſſe, ſed & inſtrumenta Muſica excogitâſſe ac fabricâſſe, conſtat ex Amoſ. *c.* 6. *v.* 5. Unde Apollinaris *in paraphr. Pſalmi ſuppoſitii* 151.

Εἰροπόκων οἴων ἀγέλας ἀγροῖσιν νομεύων,
Χεῖρες ἐμαὶ φόρμιγγα λιγύθροον ἐντείναντο,
Δάκτυλα δ' ἁρμονίην θεοτερπέα τεκτήναντο.

Et certè Græci quoque Scriptores Muſicæ inventionem ad *Paſtores* referunt; citharæ, ad Apollinem; lyræ, ad Mercurium, ſeu Terambum Melienſem paſtorem; fiſtulæ, ad Panem; tibiæ, ad alios &c. Sed & *Paſtorum tabernacula* non omittenda, quæ quandoque dicuntur משכנות, ut Cantici *c.* 1. *v.* 8. quandoque אהלים, ut 2. Paralip. *c.* 14. *v.* 15. quorum prius eſt à radice *ſatan*, i. e. *habitare*, unde Græcorum σκηνή; poſterius ab *ahal*, h. e. *tentorium figere*. Sub cujuſmodi tentoriis ſemper degiſſe Patriarchas, obſervat Apoſtolus, Hebr. *c.* 11. *v.* 9. Qui idem fuit ſtatus Iſraëlitarum omnium in deſerto per annos 40. Imò non paucorum, poſtmodum in ipſa terra Chanaan, uti de Davide, Jaële, Rubenitis, & Recabitis, legitur 1. Sam. *c.* 17. *v.* 54. Judicum *c.* 4. *v.* 17. 1. Paralip. *c.* 5. *v.* 10. & Jerem. *c.* 35. *v.* 7. Nec villæ Jairi, quæ memorantur Numer. *c.* 32. *v.* 41. quidquam aliud videntur fuiſſe, quàm tentoria in orbem digeſta & collecta. Qui certè mos à paſtoribus incepit, & inter illas maximè gentes viguit, qui pecuariam exercuerunt, quales in Arabia Scenitæ, & Nomades in Africa. Rei originem Moſes arceſſit à Jabale, Jubalis fratre, Gen. *c.* 4. *v.* 20. *Is pater fuit habitantis in tabernaculo, cum pecore.* Eodem pertinent *caulæ*, quinque nominibus diverſæ rationis, ab Hebræis, inſignitæ. Primum eſt גדרה, *gedera*, i. e. *ſeptum*, unde *Gaderoth*, urbs in tribu Juda, 2. Paralip. *c.* 28. *v.* 18. & Gadium priſcum nomen, Γάδειρα, à Phœnicibus inditum, quod Heſychius exponit περιφράγματα. Secundum, דבר, *dober*, i. e. *caula, in quam aguntur ſermone paſtoris pecora*, Quod verbum veriſimile eſt inter Pœnos in uſu fuiſſe, atque illud in animo habuiſſe Auguſtinum, quoties Synagogam definit *pecorum congregationem*, ut ab Eccleſia diſtinguat, in quam homines convocantur, vide illum *in Expoſit. Epiſt. ad Rom.* & in *Pſalmum* 81. Tertium eſt, מכלה *micla*, Habac. *c.* 3. *v.* 17. à *cala*, i. e. *claudere*. Quartum, נוה *nave*, ut 2. Sam. *c.* 7. *v.* 8. quod propriè notat *caulam à paſtoribus effoſſam, in cryptis ſubterraneis, ad vitandum Solis æſtum.* Quale Polyphemi antrum fuit, in quo

——— μῆλ', ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον.

Denique, מרבץ, *marbets*, vel רבץ, *rebets*, Gen. *c.* 29. *v.* 2. quod ferè idem eſt cum Græco, κλίσις, i. e. ἐπαυλὶς, ſeu κλισίον &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 44. Apud Romanos *Paſtores* ſervi erant, qui curam habebant *paſcendi*. De his Ulpianus, *Quibuſdam*, inquit, *in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultior eſt, Atrienſes, Scoparii. Si etiam viridaria ſint, Topiarii; Si fundus ſaltus paſtioneſque habeat, greges pecorum* Paſtores, *Saltuarii.* Apud Matthæum Euangel. *c.* 8. *v.* 33. Βόσκοντες. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 477.

——— ——— Deſertaque regna
Paſtorum, *& longè ſaltus*, lateque *vacantes.*

Juvenalis *Sat.* 11. *v.* 151.

Paſtoris *duri eſt hic filius* &c.

Iidem *ad baculum Servi* dicebantur; cùm baculus, qui *Pedum* vocatur, *Paſtoris* argumentum ſit. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 2. *v.* 39.

Paſtorem ad baculum poſſum curare.

Dicebantur autem hôc nomine ferè omnes ſequentes: Arator ſeu Jugarius, cujus operam recenſet Columella *l.* 1. *c.* 6. Bubulcus ſeu Bubſequa, quorum munera apud Rei ruſticæ Scriptores latè extant: imaginem graphicè deſcribit Ovidius *Metam. l.* 14. Opilio ſeu Upilio, qui oves curabat, dictus Plauto *Aſinariâ. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 36. Virgilio *Eclog.* 10. & Alfeno *l.* 60. §. 3. *ff. de leg.* 3. Caprarius, cui caprilia erant curæ, apud Columellam *l.* 3. *c.* 10. & *l.* 7. *c.* 6. Virvicarius, vervecum cuſtos, Papinian. *tit.* 4. Equiſo, cui equorum grex commiſſus, Feſt. *in Agaſones*: Superjumentarius, cujuſmodi Pædagogum ſibi obtigiſſe conqueritur, apud Suetonium, Claudius Imp. *c.* 2. Subulcus, de quo Martial. *l.* 10. *Epigr.* 98. *v.* 8.

Præſta de grege, ſordidaque villa,
Tonſos, horridulos, rudes, puſillos,
Hircoſi mihi filios Subulci.

Porculator, qui lactentes adhuc obſervabat, ſicut is adultos, Columel. *in proœm. l.* 1. & *l.* 7. *R. R. c.* 9. &c. Sed & anſerum *Paſtores* habet Paulus *Sentent. l.* 3. *Avibus legatis, anſeres, phaſiani & gallinæ & aviaria debebuntur. Phaſianarii autem & Paſtores anſerum non continentur, niſi id Teſtator expreſſit.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Tit. Popmam *de operis ſervorum* &c. De Dea *Paſtorali* ſuprà in voce *Pales*, A *Paſtoribus* ortum duxiſſe Romanos ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

habes ſuprà in voce *Palatium*, quod, ab ovium *balatu*, quidam dictum contendunt: & Florus *Hiſtor. Rom. l.* 1. *c.* 1. *Imaginem urbis potiùs, quàm urbem* (Romulus) *fecerat: incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Aſylum facit: & ſtatim mira vis hominum, Latini Tuſcique* Paſtores: *quidam etiam transmarini* &c. Unde idem *ejuſdem l. c.* 14. Paſtorum *caſas*, ait, *ignis ille & flamma* (à Gallis, qui Romam ceperant, excitata) *paupertatem Romuli abſcondit.* Quâ mente Timagenes felicitati Urbis inimicus, ajebat; *Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quod ſcirent meliora reſurrectura, quàm arſiſſent*, apud Senec. *Ep.* 91. Magnæ porrò æſtimationis, hoc hominum genus olim fuiſſe, probat, ut è Sacris nil hîc addam, Alexandri Priamô geniti hiſtoria, quem Ida *Paſtorem* habuit, ut notum: Endymionis item, qui primus Lunæ phraſes deprehendit menteſque hominum Aſtrologiæ reddidit peritas: quæ causâ, quòd ipſum è Luna filias genuiſſe fabulata ſit Antiquitas. Fuit autem hîc Endymion, Æthlii Regis filius, *Paſtor* in monte Lathmo, teſte Pauſaniâ *Eliacorum initio*: Unde illum cum *Paſtorali* pedo, *Paſtoricio* urceo, & cane minimè venatico, exhibet annularis gemma, apud Thom. Licetum *Gemmarum Annul. ſchem.* 20. *c.* 101. *quem vide ſis, operæ pretium erit*: uti plura hanc in rem infrà, voce *Reges.*

PASTOR, in Eccleſia, idem qui Ἡγούμενος, Προεστὼς, Ἐπίσκοπος, Πρεσβύτερος, vide Actorum *c.* 20. *v.* 17. 1. Tim. *c.* 3. *v.* 1. & 2. Philip. *c.* 1. *v.* 1. Tit. *c.* 1. *v.* 5. & 7. 1. Petr. *c.* 5. *v.* 1. 2. 3. &c. Ab iis nonnulli *Doctores* diſtinguunt, occaſione loci Epheſ. *c.* 4. *v.* 11. cenſentes, eos Miniſtros fuiſſe extraordinariis doctrinæ donis præditos, qui alios Miniſtros informarent & ad Eccleſiarum miniſterium præpararent ac inſtituerent. Alii cum *Paſtoribus* eoſdem faciunt, cùm omiſſo *Paſtorum* nomine ſoli exprimantur, 1. Cor. *c.* 12. *v.* 28, 29. ut videantur iidem, qui Διδάσκαλοι ſunt, quoque Ποιμένες fuiſſe, qui ſicut ab una officii parte dicebantur Ποιμένες atque Ἐπίσκοποι, ita ab alia (quatenus nempe docebant Eccleſiam per inſtructionem, exhortationem &c.) appellabantur Διδάσκαλοι. Quod enim ad Doctorum & Profeſſorum in Scholis gradus attinet, quales nunc vigent, longè recentiores ſunt, quàm ut in ſcriptis Apoſtolicis occurrant. Licet, quantum ad rem ipſam attinet, nunquam in Eccleſia, etſi variô modô; defuerint Doctores, ſive κατηχήσεων Magiſtri, qui doctrinam ſacram per manus tradebant, non promiſcuo fidelium vulgo, ſed præcipuè aliis, qui & ipſi Eccleſiæ *Paſtores* aut Magiſtri futuri erant. Namque in Vet. Teſt. Prophetæ ac Filii Prophetarum; & poſtremis temporibus Scribæ, Νομικοὶ dicti, id muneris exercuerunt: In N. Teſt. ut de Chriſto & Apoſtolis nil dicam, à primis ſtatim Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus celebris hoc nomine Eccleſia Alexandrina fuit, ubi frequentes iſtiuſmodi διατριβαὶ & Scholæ; præfectique iis Catechetæ, Pantænus, Clemens Alex. Origenes &c. Conſiſtit autem *Paſtorum* munus, tum in publico Verbi, Precum ac Sacramentorum miniſterio, tum in reliqua gregis cura, καλὸν ἔργον hinc Apoſtolo vocitatum, 1. Tim. *c.* 3. *v.* 1. de quibus omnibus, ut & aliis huc pertinentibus, Theologi conſulendi: vide inprimis Franc. Burmannum *Synopſ. Theol. Chriſtian. Part.* 2. *l.* 8. *c.* 7. *toto.* De *Paſtore* verò Laico in Communione Rom. ſuprà in voce *Advocatus.* In Eccleſia Rotomagenſi Galliæ, *Paſtorum officium*, quod ſtatim poſt Nocturnale officium Natalitii Chriſti celebrari mos, ita deſcribit Ordinarius *MS.* ejuſdem Eccleſiæ: *Finito* te Deum laudamus, *peragatur* Officium Paſtorum *hòc modô, ſecundùm Rothomagenſem uſum. Præſepe ſit paratum retro altare, & imago S. Mariæ ſit in eo poſita. Inprimis quidam puer ante Chorum, in excelſo, in ſimilitudinem Angeli, Nativitatem Domini annuntians; ad quinque Canonicos quindecim marcharum & librarum, vel ad eorum Vicarios de ſecunda ſede*, Paſtores *intrantes, per magnum oſtium chori tranſeuntes, tunicis & amictis indutos. hunc verſum ita dicens*, Nolite timere, ecce enim, *uſque* in præſepio. *Sint plures pueri in voltis Eccleſiæ, quaſi Angeli, qui altâ voce incipiant*, Gloria in excelſis Deo *& cantent uſque* voluntatis. *Hæc audientes Paſtores, ad locum, in quo paratum eſt præſepe, accedant cantantes hunc verſum*, Pax in terris, *totum. Quod dum intraverint, duo Presbyteri dalmaticati de majori ſede, quaſi obſtetrices, qui ad præſepe fuerint, dicant*, Quem quæritis, *uſque*, dicite. *Paſtores reſpondeant*, Salvatorem Chriſtum *uſque* Angelicum. *Item Obſtetrices cortinam aperientes, Puerum demonſtrent, dicentes*, Adeſt hic parvulus, *uſque* Iſajas dixerat Propheta. *Hîc oſtendant matrem pueri, dicentes*, Ecce Virgo, *uſque* qui natus eſt. *Tunc eô viſô, inclinatis cervicibus, adorent Puerum, & ſalutent, dicentes*, Salve Virgo ſingularis, *uſque* frui natus viſione. *Deinde vertant ſe ad Chorum redeuntes & dicentes*, Alleluja, Alleluja, jam verèſcimus, *uſque* cum Propheta dicentes. *Hôc finitô incipiatur Miſſa & Paſtores regant chorum. Dom. Archiepiſcopus, ſi præſens fuerit, cantet miſſam:* apud Car. du Freſne.

PASTOR, Conſul cum Æliano, An. Urb. Cond. 915.

PASTOR, Presbyter caſtiſſimus, qui ſtudiô caſtitatis ſervandæ matrem ad ſe venientem cellâ clauſâ repulit.

PASTOR, nomen libri, cujus auctor Hermas, Pii I. Pontificis Romani frater, Labbæo *de Scriptoribus Eccleſ.* Vide ſuprà, voce *Hermas.*

PASTOR Albenacenſis, vel *Sarratius*, Cardinal. & Archiepiſcopus Ebrodunenſis, obiit A. C. 1354. Avenione. Scripſit varia in auctores tum ſacros, tum prophanos: inprimis Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſui temporis. Ciaccon. *in vit. Pontific.* Wading. *in Ann. Minor. &c.*

PASTORALE Carmen, omnium vetuſtiſſimum. Namque cùm tria ſint ſeculorum genera, *Paſtoris*, *Venatoris*, *Aratoris*, Venatores quidem, quia ſunt in motu, minus ad verba propenſi exiſtunt. Quin neutiquam fauſtum putamus in venatu loqui, nedum ut cantus aptus judicetur. Reliqua duo genera cantiones ſuas meditata ſunt; & ſanè *Paſtores*, quàm Aratores, antiqui magis: quemadmodum & Varro probat, & è Thucydide colligi poteſt. Ad hæc Arator in opere, *Paſtor* otioſus. Videtur autem modulatio in paſtionibus inventa primùm, vel Naturæ impulſu, vel avicularum imitatione, vel arborum ſibilis, uti pluribus diximus ſuprà in voce *Modulatio.* A genere autem paſtoris iſtiuſmodi Carmina nomina accepêre. Ac quanquam Ποιμὴν omnem comprehendat cuſtodiam, παρὰ τὸ ἐν πόᾳ μένειν: tamen Opilionibus ſolis attributum maluêre, unde & Ποιμενικὰ, ii cantus, quibus illi ſeſe atque alios oblectarent: Αἰπόλικα verò, à capellis, quaſi αἰγοπόλικα; Συβώτικα, à ſuibus; Βουκολικὰ, à bobus, quæ & nobiliſſima habita. Libyes tamen & Scythæ, Parthique, Myſi, item Perſæ, Arabes, Numidæ armentarios equitii primâ laude dignos cenſuêre. Sed eorum in Græcia nomen nullum, quanquam & in Theſſalia ſummus equis honor haberetur: & in ipſa Bucolici carminis parente Sicilia id armenti genus adeò ſtudioſè à Natura datum, ab indigenis cultum eſt, ut aut nulli, aut paucis nationibus ſecundum eſſe cenſeatur. Vide quæ ſuprà diximus de *Bucolicis*, nec non in voce *Ecloga*, it. *Monoproſopos*, & plura hanc in rem apud J. C. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 41. contra quem tamen infrà aliquid, ubi de re *Pecuaria.* Apud Italos hodie *Paſtorale* vocatur Poëmatis dramatici genus, à Taſſo inventum, A. C. 1573. in quo Paſtorum amores in ſcena repræſentantur, lætô plerumque exitu terminandi. Origo ei ex Eclogis Satyriſque antiquorum. Vide Trajanum Boccalinum *Ragguaglio.*

PASTORALIS Baculus, vide hic in *Baculus*, *Myrtus*, *Pedum* & *Virga.*

PASTORELLI, cohors factioſorum, exorta in Francia, ſub Ludovico IX. circa A. C. 1251. de qua ſic *Hiſtoria* Francorum *MS.* ex Bibliotheca Memmiana, vernaculô ſermone conſignata: *In Franciam tunc venit impoſtor, qui Magiſtrum Hungariæ ſe vocitans, jactabat Terram S. liberari oportere ab infidelibus, operâ juvenum* Paſtorellorum. *Ipſe probus videbatur & modeſtô cultu veſtitus, in Francia ad decies mille* Paſtorellos *coëgit: cum quibus Lutetiam accedens, à Regina Blancha, ejus verbis fidem habente, magnificè exceptus eſt* &c. *Verùm quamprimum* Paſtorelli *Ligerim tranſierunt, non Judæis modô, ſed etiam Chriſtianis, tot damna intulerunt, ut dici vix poſſit.* Diſperſa tandem iſta latronum fæx, & caput eorum Avarici Biturigum interfectum eſt, Guil. Guiart. *in Hiſt. MS.* ubi *Paſtorellos* hos captivitatem Ludovici Sancti (qui in Saracenorum manus pervenerat) ſeſe vindicaturos jactitâſſe, addit. Vide de iis plura, apud Matth. Paris. cœteroſque Gallicæ Hiſtor. Scriptores. Eâdem poſteà appellatione, ſimilique in Terram S. proficiſcendi prætextu, exorta in Francia & Anglia, factioſorum hujuſmodi alia cohors eſt, circa A. C. 1320. ſed eundem cum prioribus quoque exitum nacta. Poſtquam enim in Aquitaniam uſque penetrâſſent, velut contra Saracenos ultra mare profecturi, mox ſipariô remotô in Judæos æquè ac Chriſtianos ſævire inceperunt, donec poſt multa damna incolis illata cœtus illorum diſperſus, & plurimi ſuſpendiô necati ſunt, uti docet Car. du Freſne ex eâdem *Hiſt. MS.* Memmiorum. Eadem habet *Chronicon* MS. vernaculum Monſpelienſe, ubi inter alia narratur, unô die Toloſæ eorum ſexaginta, Carcaſſone verò triginta octo, in crucem actos eſſe. Vide de his plura, apud Thom. Walſinghamum *p.* 112. Coſmam Pragenſem *p.* 34. *Chronicon* Rotomagenſe à Labeo editum, Odoric. Rainaldum A. C. 1320. *num.* 21. 22. 23. &, qui hos omnes laudat, Car. du Freſne *Gloſſar.* Gallicè *Paſtoreaux.* Dominicus Macer ſic dictos ait, quòd Agni effigiem in vexillo gererent.

PASTORES, Ægyptiis per contemtum *Hycſos*, h. e. *Reges Paſtores* dicti, è Phœnicia oriundi *Africano*; Arabes aliis; fortè Arabægyptii, quos Ptolemæus extra montes Ægypti ad ſinus Arabici littoris collocat, *Geogr. l.* 4. poſtquam hactenus profundâ pace Ægyptus emollita eſſet, illam ſubitò aggreſſi ἀμαχητὶ *abſque præliô* occupârunt, Principibuſque in poteſtatem redactis, urbes incenderant, templa everterunt, incolas cæciderunt, filioſque eorum & uxores in ſervitutem redegerunt, Salate ſibi in Regem electô, qui Abarim ſeu Peluſium urbem, *Pithom* dictam Exod. *c.* 10. *v.* 11. quaſi *Urbes theſaurorum* ſeu *Urbes horrea*, Iſraëlitarum graviſſimâ ſervitute preſſorum operâ, ædificavit communivitque, Tane ſedem Regni fixit, & Ægyptum ſuperiorem non minùs quàm inferiorem, ſibi tributariam reddidit, ſolâ Thebaide & fortè adhuc paucis aliis locis (namque tempore naſcentis Moſis quorundam aliorum Regum *Chronicon* Alexandr. ac Euſebius, & poſteà, ut de Xoitis nihil dicam, *Herodotus* Protei qui Memphis regnaverit, meminêre) exceptis, tam infenſô in Ægyptios odiô ut gentem & ſacra eorum penitùs extinguere conarentur. Cœpit autem hoc regnum circa extrema Joſephi Patriarchæ, ſicque Iſraëlitæ, qui per annos 58. liberi in Ægypto hactenus vixerant, 77. reliquos ad Moſen uſque in ſervitute tranſegerunt, quæ demum ſub novis his Regibus, durior eſſe cœpit. *Prævaluêre* namque *Paſtores* uſque ad ſexti ſui Regis poſteriora tempora, donec armorum uſum neceſſitate edocti Thebani Reges, quibus alii quoque Paſtorum tyrannidem non ferentes ſe junxerant, bellô illos continuô & diuturnô agreſſi, receptâ primùm Memphi ſub Mœride; exin Heliopoli ſub Amoſe Regib. *cedere*, tandem ſub Miſphragmutoſe, ultimo Rege Zet victo & cum ſuis in Abarim incluſo, ſub Thummoſe dein illius filio ad deditionem adacto, *diſcedere* illos coëgerunt. Redierunt quidem ſub Amenophe II. ſed poſt 13. annos denuo expulſi, in loca unde venerant, ſe receperunt; poſtquam durâſſet regnum illorum annos DXI. cujus finis incidit in tempora Jephthæ Judicis Iſraëlitarum, vide hanc in rem plura apud *Manethonem* Joſepho laudatum *contra Apionem l.* 1. *Africanum*, *Syncellum*, *Euſebium*; inprimis verò Joh. Marshamum Equitem Anglum, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Joſephum *Antiquitatum Judaic.* Scriptorem modò indigitatum (*Paſtorum* horum nomine Iſraëlitas, cum Jacobo in Ægyptum profectos, ſub Rameſſe Tubaële Regum inferioris Ægypti XXIII. intelligentem) eruditè refellit: nec non hîc paſſim, ubi de Thebarum Paſtorumque Regibus, it. voce *Hycſos*, & *Tanis*. Ultimus autem Ægypti inferioris Rex, ſub quo tempeſtas hæc incubuerat *Coucharis* dicitur Syncello, *cui ſucceſſiſſe Tanitas* ait: cùm Thebanis, Thinillus, Heliopolitanis verò Timaus imperarent, uti refert Manetho Sacerdos Heliopolitanus *d. l.*

PASTOS, oppid. ad Ægæum mare, non procul à Neapoli regione Thraciæ, Plin. *l.* 4. *c.* 11.

PASTOVIA, oppidul. Cornubiæ in Anglia, cum portu, in ora littorali maris Verginii, ad oſtia Alani fluv. 50. mill. paſſ. ab Anteveſtæo promontor. in Cæciam, vulgò *Paaſtovv.*

PASTRANA, oppid. Caſtellæ novæ, cum titulo Ducatus ad Tagum fluvium, quibuſdam Paterniana, 13. leuc. à Madrito in Ortum uti 18. à Toleto. Familia Ducum ramus eſt inclytæ Stirpis *de Silva*, quæ Luſitaniæ originem debet. Hujus cùm duæ ſint lineæ, poſterior Duces de *Paſtrana* complectitur quæ à Didaco Gomezio *de Silva* Dn. *de Chamuſca* Miniſtro Johannis I. Luſitaniæ Regis originem habet. Hujus enim abnepos Ruis Gomeſius ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem tranſiit, & , ut Dux *Paſtranæ* creatur, meruit: Ab ejus uxore Anna Mendoza Principis Meliti fil. liberi *Mendozium* nomen ſuo adjecêre, in quibus Rodericus Ducale axioma *Paſtranæ* continuavit; Didacus D. Francavillæ, ab uxore Anna *Sarmiento de Villandrado*, *Com. de Salinas ac Ribadeo*, ac dein titulum *Marchionis de Alenquer* nactus eſt: demum tertius, Ruis Gomeſius Com. *de Galbe*, honorem *Marchionis de Liſeda* obtinuit. Ducum progenitores progenieſque ſic habet: Ruis Gomeſius *de Silva* Dn. *de la Chamuſca*, ex Blanca (filiâ Didaci Fernandi *de Almeyda*) pater fuit Jon. Gomeſii *de Silva* Dn. *de la Chamuſca*: quô & Johannâ Henriciâ, genitus Franciſcus Gomeſius *de Silva* Dn. *de la Chamuſca*, genuit ex Maria *de Norogna* & *Meneſes* (filia Roderici Tellezii *de Meneſes* Dn. *de Umon*) Ruis ſeu Rodericum Gomeſium I. *de Silva* Ducem *Paſtranæ*, Principem Eboli, cui ex Anna *de Mendoza* & *de la Cerda* genitus, ante alios, Rodericus Gomeſius II. *de Silva* & *Mendoza* Dux *de Paſtrana* & *Francavilla* Princeps *de Melito*, uxorem ſibi junxit Annam *de Portugal* & *Borgia* (filiam Friderici *de Portugal*, ex Ducibus Bragantinis & Margaretæ Borgiæ) atque ex ea ſuſcepit Rodericum Gomezium III. *de Silva* & *Mendoza* Ducem *de Paſtrana* Principem *de Melito* D. *de Francavilla* M. *de Algezilla*, patrem ex Leonora Mauricia *de Sotomayor*, Mariæ, Roderici & Annæ Mariæ, è quibus Rodericus, hujus nominis IV. *de Silva Mendoza Guzman* Dux *Paſtranæ* & *Eſtremera*, Princeps *de Melito* & Dux *de Villafranca*, in Regno Neapolitan. uxore ductâ Catharinâ Mendoziâ *Sandoval Roxas* Duc. *del Infantadgo* M. *de Santillana*, *Argueſo* & *Campo*; M. *de Zenete* (filia Didaci Gomeſii *de Sandoval* Comit. *de Saldanna*, & Luiſæ de Mendoza Ducis *del Infantadgo*) ſuſcepit Rodericum *de Silva Hurtado de Mendoza* Comitem *de Saldanna*, qui ſibi junxit. . . *de Haro*, filiam Ludovici *de Haro*, A. C. 1666. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part.* 2. *p.* 52. & *Part.* 3. *p.* 80. & 87.

PASTRENGIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PASTUS, i. ſeu *Paſtas*, Græcè Παστὸς ſeu Παστὰς, *velum* ſignificat *variegatum plumariô opere, quod apud Paganos thalami vel œci* (ubi Numen colebatur) *foribus prætendebatur. Inde παστοφόρια, Templorum atria, in quibus ejuſmodi vela prætenta eſſent, vel quòd is locus diſtinatus eſſet manſionibus, τῶν παστοφόρων. Quod verius. In templo Iſidis & aliarum ſi fortè Dearum, ut Deæ Syriæ & Matris Deûm; certus cœtus fuit ſacratorum hominum, qui παστοφόροι dicebantur, à παστῷ, quod erat velum linteum variegatum thalami foribus vel ſacræ Calybæ oppandi ſolitum.* Salmaſ. *in Plinianis p.* 1217. *Heſychius*, Παστοφόριον τὸ τὸν παστὸν φέρον, ἢ οἰκονομία, ἢ συναγωγή, ἢ ναὸς ἐυανής. Et *Suidas*, Παστοφορεῖον τὸ φέρον τὸν παστὸν, &c. Hinc *Paſtophori*, ſignantiùs ſic dicti, quorum inter alia erat, levatô παστῷ ſeu *velô*, quô Numen Ægyptium tegebatur, illud advenis oſtendere. Clem. Alex. de inſigni Ægyptiorum fanorum ſplendore verba faciens, ubi multa de *Paſtis*, *Paſtophoris* & *Paſtophoriis* Ægyptiorum, Τὰ δὲ ἄδυτα, inquit, χρυσοπάστοις ἐπισκιάζεται πέπλοις· ἀλλ᾽ ἢν παρεισέλθῃς τὸ βάθος τοῦ περιβόλου, σπεύδων ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ κρείττονος, ζητήσεις τὸ ἄγαλμα τὸ ἔνοικον τοῦ νεὼ. Παστοφόρος δὲ ἤ τις ἄλλος τῶν ἱεροποιούντων περὶ τὸ τέμενος σεμνὸν δεδορκὼς, παιᾶνα τῇ Αἰγυπτίων ᾄδων γλώσσῃ, ὀλίγον ἐπαναστείλας τοῦ καταπετάσματος, ὡς δείξων τὸν Θεὸν, πλατὺν ἡμῖν ἐνδίδωσι γέλωτα τοῦ σεβάσματος. Idem de *Paſtophorûm* doctrina in Medica ſingulari ſeu Hermetica, etiam *l.* 6. *Strom.* multis agit. Et, *cœtum* Paſtophororum, *quod Sacroſancti Collegii nomen eſt*, memorat in ſacris Iſiacis, Appulejus *Mileſiar. l.* 11. Indidem *Paſtophorium*, ex iis, quæ dicta, fanum ipſum, tum quâ ornabatur, tum quà velum ei oppandebatur: vel potiùs, locus *Paſtophorûm* manſionibus deſtinatus. Quæ vox è ſacris Paganorum ad Chriſtianos tranſiit. Meminit ejus Gruterus *Theſaur. p.* 84. 3. in hac Inſcr.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
THEOPHILUS THEOPHILI
ANTIOCHENUS MELANE-
PHORUS, TECTORIUM
HUJUS FANI &c.

Integram vide ſuprà in voce *Nigrigeruli.* Ubi *Fanum*, in verſione Bembi, eſt παστοφόριον, nomen primariæ Fani, maximè apud Ægyptios in Numinum horum delubris, partis, unde ipſum per ſynecdochen Fanum ſic dictum. Sæpius quidem egitur *Paſtophoria*, in Græcis codicib. fœderis veteris maximè pro לשכות *conclavibus* ſacris Levitarum Sacerdotumque, Ezech. *c.* 40. *v.* 17. & 38. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 33. &c. ubi *Vulgatus* habet, *gazophylacia*, uti & *Aquila*; *Symmachus* ἐξέδρας, *Hieronym. thalamos.* Idem interdum eſt הסכן *Sochen*, *habitaculum*, unde etiam ille, *ad Jeſaj. c.* 22. *v.* 15. *Sochen*, inquit, *aut tabernaculum interpretatur aut* Paſtophorion, h. e. *thalamus, in quo habitat Præpoſitus templi.* Syrus & Arabs pro *gradibus*, in Ezech. loco indicato capiunt. Etiam in Maccabaicis *l.* 1. *c.* 4. *v.* 38. & 57. Græcè & Latinè uſurpatur, *Paſtophoria*, pro *conclavibus* ejuſmodi. Ubi Syrus, pro καὶ τὰ παστοφόρια καθῃρημένα, *& Paſtophoria* (è Templo) *ſublata ſunt*, ſubſtituit, *omnia ornamenta deſtructa ſunt*, uti & poſtmodum *Paſtophoria* interpretatur. Gallus ibi, *les aſſiettes pour manger*, Lutherus *der Prieſter cellen*, Angli *the Prieſts chambers*, & *Chambers*, uti & Duacenſes. *Paſtophoria* ibi interpretatur H. Grotius, הלשכות, *i. e. conclavia illa ad Templi latera, in quibus ſervabantur veſtes Sacerdotales, inſtrumenta Templi, copia aromatum & ſimilia*, ac ſe refert ad citata antè ex Ezech. & Paralipomenis loca. Atque ita ſumi ſolere, liquet ex Vacabulariô *Catholico* dicto. Sed & in Eccleſiis Chriſtianis *Paſtophoria* fuêre. In Conſtitutionibus, *Apoſtolicis* dictis, ubi de Eccleſiæ diſpoſitione agitur *l.* 2. *c.* 57. ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ Παστοφόρια πρὸς ἀνατολήν. *Utrinque ſint Paſtophoria versùs Orientem*; de quibus videſis plura apud Durantum *de Ritibus Eccleſiæ l.* 1. *c.* 16. §. 8. & Gerh. Joh. Voſſium *de Vitiis Sermonis l.* 3. *c.* 33. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum l.* 2. *in Addendis p.* 712. *& ſeqq.* Vide quoque in voce *Paſtas* & *Paſtophorium.* Hoc unicum addo, thalamum apud Hebræos nuptialem, ſeu *Chuppa*, quô ad cohabitationem conjugalem Sponſi primâ nocte deducebantur, ab Helleniſtis, Παστὸν, reddi Joëlis *c.* 2. *v.* 16. Vide de hoc *thalamo* ſuprà, ubi de *Nuptiis.*

PASTUS, ûs, apud recentioris ævi Scriptores, *convivium*, *refectio* eſt, Gallis *Paſt.* Jus, quô Vaſſalli & *tenentes*, Principem ac Dominum ſtatis ac definitis vicibus vel diebus, vel etiam quoties per Vaſſallorum prædia iter agebat, conviviô tenebantur excipere: aliàs *Cœnaticum* quoque, *Procuratio* &c. quod quidem jus in pecuniarias præſtationes commutatum ſæpiſſimè legitur. Ac *paſtûs* quidem, qui Principes ſpectabat, mentio eſt in *Capitulis* poſt Concilium Rom. *A. C.* 904. *c.* 8. *Ut* Paſtus *Imperatoris ab Epiſcopis & Comitibus, ſecundùm antiquam conſuetudinem, ſolvatur.* In *Capitular.* Caroli C. *tit.* 32. *c.* 2. alibique *Paſtus caballi* occurrit, Miſſis Dominicis debitus: quemadmodum *Paſtûs canum Venaticorum*, in veter. *Charta* apud Auguſtinum du Pas *Stemmat. Armoric.* 823. citatum Car. du Freſne *d. l.* Vide quoque ſuprà, voce *Paſcere*, item ubi de *Giſto.*

PASUMENA Terra. ſcribunt *Volaterranus* & *Leander* ſic à *Strabone* vocari eum tractum Tuſciæ, quem vulgo *Il Conſentino* vocant.

PASUS, Theſſalus, in exercitu Alexandri Magni, ab Aridæo miſſus ad Equites Macedonas, extra Babylonem tendentes de finienda cum Peditibus diſcordia, Curt. *l.* 10. *c.* 8.

PATACON; Hiſpan. *Patagon* Gall. moneta argentea, in Flandria cuſa, ſub Alberto & Iſabella Archiducibus, magnitudine nummi Imperialis: in cujus una parte crux Andreana, cum corona in medio, & verbis, *Albertus & Eliſabetha Dei gratiâ*: in altera, ſcutum coronatum, cum binis leunculis & *Inſcr. Archiduces Auſtriæ Duces Burgundiæ & Brab.* Richeliet.

PATÆCI, ſic dicuntur Dii à Phœnicibus, quos in triremium proris circumferunt. Herodotus habet Παταϊκοί. Sic enim ſcribit *Muſâ quartâ*: Τοῖσι Φοινικηΐοισι Παταϊκοῖσι, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι τῶν τριηρέων περιάγουσι. *Heſych.* Παταϊκοί, Θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Itaque cum vox ſit Phœnicia, meritô dici putatur à פתיחה *pethica*, i. e. *titulus*, qui aperit rei nomen Bochart. *l.* 2. *Chanaan c.* 3. *Nic. Lloydius.*

PATÆCUS, vetus author an hiſtoricus fuerit, videndum apud Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 398.

PATAGA, civitas Arabiæ: Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PATAGE, quæ & *Platage* & *Amorgos*, inſul. inter Sporadas, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

PATAGIUM, memoratum Plauto *Epidic. Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 46. ubi muliebris luxus cenſuram facundè agit Senex Comicus, cùm inter alia recenſet;

> *Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſitium,*
> *Induſiatam*, patagiatam, *caltulam* &c.

Nonius interpretatur *aureum clavum, qui pretioſis veſtibus immitti ſolet: unde*, inquit, *veſtis patagiata.* Quam vocem porrò ἀπὸ τοῦ πατάσσω, à quo παταγεῖον, clavus qui in materiam incuditur, Eruditi deducunt: ut propriè *clavus* ſit purpureus, *Patagium* aureus. Tertullianus de Pavone, *Omni patagiô inauratior*; Feſtus *Patagium eſt, quod ad ſummam tunicam aſſui ſolet, quæ patagiata dicitur: &* Patagiarii: *qui ejuſmodi opera faciunt.* Ad quem locum Octav. Ferrarius non vult audiri Scaligerum, qui verba Livii *l.* 4. *c.* 25. *Placet tollendæ ambitionis causâ Tribunos Legum promulgare, ne cui album in veſtimentum addere petitionis causâ liceret:* ſolicitans, *clavum* legit, atque hunc errorem ex corrupta ſcriptura *clabum* manâſſe ait. Cur enim clavi petitionis causâ dicantur additi veſtimentis, cum ſolùm ibi vetitam togam candidam, quæ Petitorum propria, ſive cretatam ambitionem interdictam fuiſſe, clarum ſit. Multo minùs dictum *Patagium*, quòd quibuſdam quaſi maculis ac nævis inſperſum eſſet; quia *Patagus* genus morbi, quô qui moriuntur, hujuſmodi rotundis fœdantur maculis: Cùm potiùs à ſimilitudine clavorum morbum eum ita dictum eſſe ſit veroſimile. Vide præfatum Ferrarium *de Re Veſtiaria l.* 3. *c.* 20.

PATAGONES, populi Americæ Meridionalis in Megellanica regione prope oram Borealem freti Magellanici & maris Braſilici. Regio eorum à Ferd. Magellano primùm detecta eſt. Sed nulla in ea urbs.

PATALA, urbs Italiæ. *Steph.*

PATALA, urbs in Indi fluminis inſula. *Patalena Ptolemæo, Pattala* duplici TT. ſcribit Arrianus. *l. 6. de Expedit. Alex. & in Indic. Patalis* fortè Plinii *l. 2. c. 73. Pathaliam* regionem habet Curt. *l. 9. c. 8. Petana* videtur Diodoro *l. 3. Pattalena* apud Strabonem *l. 15.* dicitur Inſula, & *Pattala* ejus oppidum. In Indi oſtio inter illud & Baraceninſ. *Petacal* hodie *Caſtaldo. Diu* vel *Babul Pincto* vocatur: *Parimioth Theveto.* Aliis eſt *Cambaja*, urbs ampla Indiæ. citerior. regni cognominis caput, in intimo receſſu ſinus Barigazeni, ſub M. Mogole, 300. mill. paſſ. ob oſtio Indi fluv. in Ortum. *Baudrandus.*

PATALENA, dea, quæ præeſſe ſegetibus exiſtimatur, cùm ſpicæ, & folliculi pateſcunt, ut ſcilicet ſpicæ exire poſſint. Arnob. *l. 4. adv. Gent. Patellanam* vocare videtur, & *Patellam*, ex quibus una patefactis, altera patefaciendis rebus præſtituta.

PATALENE, regio Scythiæ Auſtralis, intra Indi oſtia. Vide *Patala.*

PATALES, portus Indiæ celeberrimus, Plin. *l. 2. c. 73.*

PATALES Boves & *patules*, quorum cornua in diverſum paterent, *Feſtus.* His contrarii, quibus cornua introrſum converſa eſſent, *camuri* dicti. Philargyrus, *Camuri boves ſunt, qui converſa introrſus cornua habent, quibus contrarii patuli, qui cornua diverſa habent.* Græcis πεταλεῖς & πέτηλοι quòd cornua habent ἐκπίταλα, i. e. *expanſa* & *patula*, item *vara*: Namque & *vari* hi boves dicti. Similiter & vari vel varis cruribus homines, qui pedes extra verſos & apertos habent, ſuras & calces introrſum actas, genua in diverſum patentia &c. Vide infrà *Varus.*

PATALUS, Inſul. Cariæ vicina, *Steph.*

PATARA, vide *Patarorum urbs.*

PATAREA, ſecta *Paterinorum*, Bonizo Epiſcop. Sutrinus in *Chron.* Roman. Pontif. ex Bibliotheca Cæſar. apud Lambecium *Comm. l. 2. Ejus temporibus* Patarea *apud Mediolanum exorta eſt.* Dicti autem ſunt *Paterini* ex Valdenſibus quidam, de quorum appellatione ſic Conſtitutio Friderici II. contra Hæreticos, apud Vaddingum *A. C. 1274. num. 14. In exemplum Martyrum, qui pro fide Catholica martyria ſubiêrunt*, Patarenos *ſe nominant, veluti expoſitos paſſioni.* Jac. Petri Luccarus *in Annalib. Raguſienſibus l. 1. p. 17.* tradit ex *Chronicis* Boſnicis & Petro Livio Veronenſi, ſic nuncupatos eſſe à *Paterno* Romano, hæretico peſſimo, qui in Boſnia doctrinæ ſuæ ſemina ſparſerit: Petrus Monachus Vallis Sarnei *in Hiſtor. Albig. c. 2.* illos ſic dictos contendit, à *Pater noſter*, quòd nempe Orationis Dominicæ, quæ ab his verbis incipit, recitatione ſalvari ſe crederent. Alii ſic vocitatos ajunt; quod cum ſolâ eâdem Dominicâ Oratione S. Cœnam conſecrarent, ut eſt apud Rupertum *de Divin. Offic. l. 2. c. 21.* Mentio eorum in *Authentica Gazaros Cod. de Hæreticis*, ubi alii legunt *Patharenos*, alii *Patharinos*, alii *Patrinos*; item apud Reinerum contra *Valdenſes c. 6.* Matthæum Paris A. C. 1236. in *Geſtis* Innocentii III. *p. 135.* Concil. Lateran. III. ſub Alexandro III. &c. Galli *Patalins* & *Patelins* vocârunt, Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque in voce *Patarini*, ſic enim potiùs vocati videntur, ut ex dictis patet, it. infrà *Patareni.*

PATARENI, qui & *Cathari*, *Publicani*, *Speroniſtæ*, *Leoniſtæ*, *Arnaldiſtæ*, *Joſepini*, *Garatenſes*, *Albanenſes*, *Franciſci*, *Begardi*, *Commiſſi*, *Romanali*, *Communelli*, *Varini*, *Ortuleni*, *de Aqua Nigra*, *Gazari* ab adverſariis: *Paſagieri* ab exilio, *Albigenſes* ab Albigio; *Lugdunenſes* à Lugduno; *Waldenſes*, à Petro Valdo, *Henriciani*, ab Henrico Monacho, &c dicti: Papam Seculô 11. & 12. Antichriſtum, Eccleſiam Romanam matrem fornicationum pronuntiabant, puritatem Sacramentorum & dogmatum pro poſſe & noſſe tuebantur: Flac. *in Catal. Teſtium Verit.* Quòd enim à Lucifero res viſibiles creatas ſtatuiſſe, conjugium adulterium, rubum ardentem, ludibrium vocâſſe &c. dicuntur, id ipſis affictum. An à *Pati*, quia omnia potiùs pati; quàm ſeculi idololatriam ſectari, maluerunt? Firmatur id ex Conſtitutione II. Friderici II. Imperat. quà ipſi ſe ita nominâſſe dicuntur, quaſi *paſſioni expoſitos.* Iidem *Conſolatores*, in Lombardia, *Boni homines* in Germania communiter vocitati ſunt, Sigonius *Patarinos* hâc occaſione dictos vult: Cùm Mediolani Guido Archiepiſcopus celebratô Epiſcoporum conventu, Clericis uxores habere permiſiſſet, hinc ſeceſſio facta, & quia uxorati in Patria conveniebant, *Patarini* dicti ſunt *l. 9. Ad A. C. 1058.* quæ appellatio dein ad omnes à Latina Eccleſia diverſum ſentientes eſt extenſa. Hinc Wilhelmus Nogaretus Gallus, qui cum Sciarrâ Columnâ, auſpiciis Philippi Pulchri Ananiæ cepit Bonifacium VIII. ab hoc irato, *Patarini* convitiô affectus eſt, A. C. 1303. Vide Maſſon. *l. 3.* Contra hos præfatus Fridericus II. Imperator inter alias LL. adverſ. Hæreticos Patavii conditas, edidit unam, cujus initium, *Patarenorum receptatores*, in qua hæreticorum filios honoribus privat, niſi aliquis eorum aliquem *Patarenum* detexerit, ipſis verò hæreticis, bannum & confiſcationem infligit. Aliâ. quæ incipit, *Inconſutilem Tunicam*, hæreticos impœnitentes igne cremari jubet, & *Patarenorum fautores relegari.* Aliâ, in eoſdem acriter inquiri illoſque ſeverè puniri mandat, circa A. C. 12.4. ut vult Paulus Servita *Hiſtor. Inquiſ. Venet.* an. 1225. ut *Bzovius* & *Raynaldus* Quorum utrum ſit, conſtat per has LL. Inquiſitionis negotium valde eſſe promotum, ipſaſque per aliquot Paparum Bullas, quibus inſertæ ſunt, fuiſſe approbatas & confirmatas. Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l. 1. c. 12.* Vide & ſupri.

PATARORUM urbs, ſeu *Patara*, nunc *Patera*, ſeu *Paterea Caſtaldo*, urbs Lyciæ, *Baudrando* in ora maris Pamphylii, prope oſtia Xanthi fluv. Patari opus. Strab. *l. 14.* in qua Apollo 6. hybernis menſibus oracula reddebat. Patria S. Nicolai, Myræ Epiſcopi. Hinc *Patareus*; ut apud Horatium *l. 3. Od. 4. v. 64.*

Delius & Patareus Apollo.

Item *Paterejus.* Ovid. *Met. l. 1. v. 515.*

——— *Mihi Delphica tellus*
Et Claros, & Tenedos, Patereaque regia ſervit.

Statius *Theb. l. 1. v. 696.*

Phœbe parens, ſeu te Lyciæ Patarea nivoſis
Exercent dumeta jugis. ———

Mela *l. 1. c. 15.* ubi de Lycia: *Atque ut multa oppida, ſic præter Patara non illuſtria. Illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide, Delphico ſimile.* Ubi vir doctiſſimus *Iſaacus Voſſ. Alio ordine, inquit, Plinius hæc oppida recenſet atque Mela. Ille quippe priùs Xanthum, deinceps Patara nominat. Rectè tamen uterque. Limyra enim proficiſcentibus Xanthos oppidum vicinius erit Pataris. Verùm Xanthi oſtia remotiora, & ultra Patara erant ſita. Xanthos enim mediterranea urbs eſt, Patara verò ſita erant ad ipſum mare. Nam, quod Scylax ait, ad Patara adverſô amne Xanthô navigari, id falſum eſt. omnino verum eſt vel erraſſe Scylacem, vel ita ſcripſiſſe:* Ξάνθος, δὶ ȣ ἀνάπλȣς εἰς πόλιν. Πάταρα πόλις ἡ καὶ λιμένα ἔχει. *Valde autem errat Salmaſius, quum exiſtimat hanc eſſe urbem, quam Dionyſius Alexandrinus vocat* Παταρηΐδα ἄκραν. *Verſus illius aliter quam ipſe facit, ſunt corrigendi hoc modó:*

——— Τὼς κείνȣς ἑλισσεῖται εἰν ἁλὶ κόλπος
Νηχῦλος, ἔνθα καὶ ἔνθα βαρυνόμενος προβολῆσι.
Τȣ͂ μὲν ἐπὶ προχοῇ Παμφύλιοι ἀμφινέμονται,
Ὅσσον ἐπὶ προβέβηκε Χελιδονίων ἐπὶ μυχόν.
Σῆμα δ᾽ ἔχει ζεφύρȣ Παταρηΐδα τηλόθεν ἄκρην.

Patara urbs nullum efficit promuntorium, portu enim præcingitur. Licèt verò exigua aliqua litoris hîc eſſet prominentia, quæ tamen nulla eſt, non tamen μεγάλην ἄκρην *appellâſſet, ut alibi facit,*

Τὴν δὲ μετ᾽ ἀντολίην Χελιδόνιαι γεγάασι
Τρεῖς νῆσοι μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Illud verò plane à ratione alienum, quod oſtendere conatur idem vir doctiſſimus, Dionyſium hîc per magnum Patareidis promuntorium intelligere portum Patarenſem. Nam quis unquam portus & promuntoria confudit? Longè verò diverſa fuit mens Dionyſio: Παταρηΐδα ἄκρην *vocavit ille totum Lyciæ promuntorium, ſive peninſulam. Sciendum enim, Lyciæ oram, quæ à Chelidoniis uſque ad Telmeſſum extenditur, valde in mare prominere, & peninſulam efficere. Ideò aliô locô inquit Dionyſius,*

Πρὸς δ᾽ ἄλλα κεκλιμένην Λύκιοι χθόνα ναιετάȣσι.

At verò, in tabulis Ptolemaicis tantum abeſt ut Lycia in mare excurrat, ut potiùs immenſum quantum intus recedat. Verùm id non tam errore factum eſt Ptolemæi, quàm librariorum eorum, qui tabulas confecerunt. Taurus quippe mons, à Piſidicis deſcendens jugis, multis in hoc mare exit promontoriis. Ab alia parte mons Cragus & ipſe quoque ſatis longè in mare evehitur. Hi duo montes efficiunt magnum iſtud Lyciæ promuntorium, quod multa alia continet promuntoria, multos quoque portus, & non paucas urbes. A Pataris verò, præcipuâ hujus promontorii ſeu peninſulæ urbe, Παταρηΐδα ἄκραν *vocat Dionyſius. Meminit & Heſychius, ſed ex Dionyſio, ut arbitror:* Παταρηΐς, πόλις καὶ ὄρος Λυκίας. *Steph.* Λυκίων χερρόνησον *vocat, quod non de Patarenſi portu, ſed de tota peninſula accipiendum eſt. Addit idem nominis originem, nempe dictum eſſe* ἀπὸ τȣ͂ πατάρας *quod* κίστην & κιβωτὸν interpretatur: Ἀλέξανδρος Σαλακίαν κόρην φησὶ φέρειν ἱερὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἐν πατάρᾳ. Ἐστὶ δὲ ταῦτα πέμματα λύραν τε, καὶ τόξα καὶ βέλη οἷς παίζειν νηπίȣς ὄντας. Hic Apollo 6. menſibus, ut *Lucian.* ait, nullâ hyemis factâ mentione, ut ſupra, reſponſa dabat, reliquis ſex menſibus Deli. *Servius.* Hîc & Aceſcus ortus & Helicon Cariſtius, peplum Palladis contexuêre, de quibus Proverb. *Aceſei & Heliconis opera* pro exquiſitiſſimis. *Ferrar. Lloydius.*

PATAVIA, ſeu *Batava caſtra* vocatur vulgò Latinè ea urbs Germaniæ ad Danubium ſita, ampla admodùm, ſed tota ferè lignea, quam incolæ *Paſſavv* vocant, *Bruſchiô* teſte. Urbs fuit aliàs Vindeliciæ, in confinio Norici, nunc in Bavaria inferiore ad confluentes Oeni in Danubium, à quo triplex efficitur, *Paſſavv* nempe dicitur præcipua Urbs, quæ Vindelicia cis Oenum, ubi aliàs *Batava caſtra*; *Inſtat* ea pars Urbis, quæ in Norico juxta & infra confluentes Oeni, ubi alias Bojodorum: *Ilſtat* autem eſt pars, quæ trans Danubium fluv. ex adverſo Patavii. Sub Epiſcopo proprio, cum tractu adjacente. Eſtque inter Ducatum Bavariæ ad Occaſum & Auſtriam ſuperiorem ad Ortum. Haud pridem fœdô conflagravit incendiô. Eique adjacet ex adverſo Oberhunſim arx & ſedes Epiſcopalis in monte, juxta Ilſtadium. Celeberrimam hanc urbem fecit Pax Religionis, à Carolo V. Imperatore ibi Germaniæ conceſſa, cujus tenor: *Propter Religionem nulla cuiquam exhibeatur moleſtia.* A. C. 1552. Vide Thuan. *Hiſt. l. 7.* &c.

PATAVINUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

PATAVINUS Marſilius, vide *Marſilius.*

PATAVIUM, civitas Italiæ, recentiore nomine *Padua* appellata: vide ibi. Ampla & munita, ſed non æquè culta, agri Patavini caput, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Aquilejenſi, ſub Venetis, ad Medoacum fluv. Academiâ, à Friderico Imperatore & Cœleſtino Pontifice erectâ inſignis. Hujus Urbis originem è Trojanæ urbis ruinis auctores deduxerunt. Mela *l. 2. c. 4. Urbium, quæ procul à mari habitantur, opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram, Patavium Antenoris, Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ.* Solin. *c. 8. Notum eſt, Patavium ab Antenore conſtitutum.* Mar. Capella *l. 6. Patavium Antenor condidit* Ælian. *de Anim. l. 1 . c. 8.* Πόλις ἐστὶν ἐν τοῖς ὑπὸ τὴν ἑσπέραν χωρίοις Ἰταλικοῖς, καὶ ὄνομα αὐτῇ Πατάβιον. Ἀντήνορος ἔργον εἶναι λέγȣσι τȣ͂ Τρωός. Virg. *Æn. l. 1. v. 245.*

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi;
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis

It

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

It mare præruptum. & pelago premit arva ſonanti.
Heic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit
Teucrorum; & genti nomen dedit, armaque fixit
Troia. ———

Vide ſis illic *Servium*, & Livium, *initiô l.* 1. Idem *Servius* ex emendatione magni Cluverii: *Patavium autem dictum, vel à Padi vicinitate, vel, ut alii putant, à palude Paduâ, quæ vicina civitati eſt, quaſi Padavium: vel ἀπὸ τȣ̃ πέτεσθαι, quòd captatô augurió dicitur conditum, vel, quòd avem telô petiiſſe dicitur* (Antenor) *& eô locô condidiſſe civitatem.* Atqui de ave petita, vel de Augurio, Grammaticorum ineptorum putidum eſt commentum, inquit *Cluverius*: & Græcâ linguâ Trojanum voluiſſe novæ urbi nomen imponere, minimè credibile eſt. A magno, nobilique amne, haud ita longè diſſito, vocabulum ei quæſitum eſſe, nihil abſonum fuerit. Ab Antenore tamen eſſe inditum dubitari poteſt, quando Celticam formationem habere videtur, quaſi *Padaw*; quod poſteà Latini ſuô ore formârunt *Patavium*: ut *Bataviam* vocaverunt, Batavorum ad Rheni oſtia agrum, qui incolis erat *Bataw*. A Venetis igitur Illyriis fortè nomen inditum fuerit urbi, in quam poſteà cum ſociis receptus eſt à Troja capta profugus Antenor; quemadmodum ad alterum mare, in Latii ac Romæ urbis partem cum ſuis Æneas: hinc poſterioribus auctores, conditoreſque earum urbium exiſtimati ſunt. Strabo *l.* 5. Παταούιον vocat. Παταούιον, inquit *πασῶν ταύτῃ ἀρίϛη τῶν πόλεων*: ibidemque *τὴν εὐανδρίαν τῆς πόλεως καὶ τὴν εὐτυχίαν* celebrat. Livii patria & Valerii Setini Aponinati, qui Argonautica, Apollonium Rhodium imitatus, ſub Domitiano Imperatore ſcripſit, teſte Crinitô. *Nic. Lloydius.* Urbs ab Attila, Dei flagello, direpta, A. C. 452. Cum Vincentinis bellum geſſit, A. C. 1140. Carrarienſes dominos accepit, A. C. 1308. quos dominatu exuit Johannes Galeacius, A. C. 1403. Blondus, *dec.* 2. *l.* 10. Tranſiit dein ſub imperium Venetorum, quorum urbem Patavini, poſt Aquilejæ excidium, condidêre. His à Maximiliano I. Imperatore erepta, A. C. 1509. moxque recepta eſt. *Ferrar.* &c. *Deſcriptionem Gymnaſii Patavini* edidit Anton. Riccobonus. Populi *Patavini*. Unde Martialis *l.* 11. *Epigr.* 17. *v.* 7.

Tu quoque nequitias noſtri, luſuſque libelli
Uda puella leges; ſis Patavina licet.

Idem *l.* 14. *Epigr.* 143. vellera Patavina commendat,

Vellera cùm ſumant Patavinæ multa trilices;
Et pingues tunicas ſerra ſecare poteſt.

PATAVIUM, Urbs in Ponto, ſive Bithynia. *Polmen* hodie dicta. Aliter *Claudiopolis.*

PATAVIUM, locus in Belſa; corruptè *Patajum*, vel *Patejum*, vulgò *Patay en Beauſſe*, ſicut ex Alingavia in Turonibus factum eſt, *Lengay* aut *Langey*, literâ u. eliſâ. Parochiæ *de Patajo*, mentio fit in literis A. C. 1221. Prioris *de Patajo*, in literis datis A. C. 1191, regnante Philippô. In aliis Prioratus *de Patejo*, membrum Monaſterii S. Florentini bonæ vallis nuncupatur. Vide Hadr. Valeſ., *Notit. Gall.*

PATELLÆ, dicta ſunt vaſa picata, parva, quorum in ſacrificiis olim uſus: Diminutiv. ex voce *Patera*, de qua infrà. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 38. Placabantur iis Dii, hinc *Patellarii* nominati, de quibus vide ſuô locô. Sed & *Patellæ coctæ*, ſingulis hebdomadibus, ex micis, quæ è menſis Monachicis levantur, occurrunt apud Magiſtrum *in Reg. c.* 23. 25. &c.

PATELLANA, & PATELLA, inter Romanorum idola: *ex quibus una patefactis, patefaciendis rebus altera eſt præſtituta*, Arnobius *adverſus Gentes l.* 4. Papias, *Patellana Dea à paganis dicta, cum folliculi meſſium pateſcunt, aut è ſpicis exeunt.*

PATELLARII, Dii ſic dicti, quòd *patellis*, quæ vaſa erant in ſacrificiis uſurpari ſolita, placarentur. Plautus *in Ciſtellaria, Actu* 2. *ſc.* 1. *v.* 45.

Dii me omnes magni, minuti, & patellarii.

PATELO, inter Boruſſorum olim idola. Vide infrà *Pruſſia.*

PATENA, Columellæ *l.* 12. *c.* 43. *vas latum* definitur: à *patendo, quòd patula ſit*, Walafr. Straboni *de Rebus Eccl. c.* 24. in genere, idem cum *patina*, cum qua non raró confunditur: quemadmodum *Apenarii* pro *Apinarii*, *Apena* pro *Apinis*, *Catena* pro *Catina* urbe, *Legula* pro *ligula*, ſæpe libri exhibent. Sic apud Treb. Pollionem *in Claudio, c.* 17. ubi habet, *Patinam argenteam hederatam librarum viginti & trium*, monet Gruterus, ex Palatino codice. legendum, *Patenam argenti hedraciam.* Quomodo & vetus Editio legit: raroque aliter ſcriptum reperias in libris vetuſtis. *Patina* in vet. *Gloſſario* quidem ſcribitur: ſed ex ſerie & ordine literarum patet, Auctorem Gloſſarum *Patenam* poſuiſſe, ubi hodie *Patina* in editionibus legitur. Sic enim ordo eſt, *Patefacit, Patena, Paternum*: & paulo infrà, *Patera, Pateſcit, Patena*: atque ita etiam ſcriptum eſt in codice magnæ vetuſtatis, qui in Bibliotheca eſt P. Puteani, Salmaſ. *ad Pollionem. loc. cit.* In ſpecie, in Eccleſia Romana vas ita dicitur Eccleſiæ miniſteriis dicatum, cujus uſus olim in oblatione Corporis Dominici fuit, & jam eſt; Δισκοκάλυμμα Germano Patriarch. *In Theor.* Δισκοποτήριον Nicetæ & Auctori *Deſcriptionis S. Sophiæ.* Meminit ejus Anaſtaſius *in Nicolao*: *Patenam ex auro puriſſimo miſit Michaël Imp. cum diverſis lapidibus pretioſis.* Extantque in *Ord.* Rom. orationes ad benedictionem *Patenæ*, quæ ibi appellatur, *Vaſculum in quo Euchariſtia reconditur.* In Liturgia S. Jacobi, *Diſcus* appellatur; cujuſmodi patenam argenteam Petri Chryſologi, in cujus medio Altare delineatum ſit, cum cruce & agno, hiſque in circuitu verbis,

Quem plebs tunc cara Crucis jam fixit in ara:

in Imolenſi Eccleſia hodieque conſervari, contendit Car. Macer. Apud eundem antiquitus in Miſſa Acolythus ſuſtinebat patenam velô obtectam, uti hodie Subdiaconus manu dextrâ facit: quæ ceremonia in Miſſa defunctorum omittitur. In Miſſis vero privatis, patina ſub corporali abſconditur &c. quæ quid ſignificent, vide apud ipſum *in Hierolexico.*

PATENTES Literæ, Vide ſuprà *Bulla. Cera, Linum.*

PATER Papiæ, *Genitor naturæ vocabulum eſt*, Pater *dignitatis.* Quod quidem diſcrimen obſervare eſt, *in Ep.* Theodeberti Regis *ad filium Mauricii Imp. Et quia ad Sereniſſimum & piiſſimum Patrem noſtrum, Genitorem veſtrum Mauritium Imperat. Legatarios direximus* &c. Vide Car. du Freſne *Diſſertat.* 23. *ad Joinvillam p.* 288. Quô pertinet, quòd Dii omnes *Patres* appellabantur, religionis nempe & reverentiæ ergò, vide infrà *Sardopater* & Servium *ad illud Virg. l.* 2. *Georg. v.* 4.

Huc ades ô Lenæe Pater ———

In Lucilio proin *Sat.* 1. apud Lactantium *l.* 4. *c.* 3. in Deorum concilio, ridens Jupiter ſic fatur:

Ut nemo ſit noſtrûm, qui Pater *optimu' divûm,*
Ut Neptunu' Pater, *Liber, Saturnu'* Pater *Mars,*
Janu', Quirinu', Pater, *omnes dicamur ad unum.*

Quod & Lactantius exibilat, inquiens: *Natura non patitur, ut ſint unius hominis plures Patres. Ex uno enim procreatur. Unus igitur colendus eſt qui poteſt verè* Pater *nominari.* E quibus tamen Janus privatô nomine *Patris* nominatus eſt, quòd primus Deorum crederetur. Seneca *in Apocolocyntbosi* ſeu *Apotheoſi Claudiana, Illô dimiſſô primus interrogatur ſententiam Janus* Pater, *is multa diſertè quòd in foro vivat dixit.* Septimius, antiquus Poëta, apud Terentianum Maurum *l. de Metris*,

Jane Pater, *Jane tuens, Dive biceps, biformis,*
O cate rerum ſator, ô principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi,
Tibi vetus ara caluit Aborigineo ſacello.

Ubi *principium* vocat eum, non Romanæ gentis, quô nomine Quirinus quoque *Pater* dictus eſt, ſed *Deorum*, quod eſt Deorum eximii, quem inter nomina cœtera Jovem dixêre, Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 2. *c.* 16. Hinc toties hôc nomine inſignem deprehendimus Janum: *Jane* Pater, *audite vota*, Livius *Dec.* 1. *l.* 8. *Janus* Pater *in ſuo templo dicatus*, Plin. *l.* 36. *c.* 5. &c. Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 3[illegible]4.

Reſpondes his Jane Pater.

Virg. *Æneid. l.* 8. *v.* 357.

Hanc Janus Pater, *hanc Saturnus condidit arcem* &c.

Martiali *Sanctus Pater*, dicitur *l.* 10. *Epigr.* 28. *v.* 7. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom.* in Joh. Roſini *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3. Etiam *Pater* & *Rex* junguntur à Poëtis; ad par utriuſque, in Regia poteſtate, officium declarandum. Quomodo Romulum invocabat Ennius, addens ab eo Romanos in lucem productos eſſe, non aliter, atque eoſdem Catullus *Romuli & Remi nepotes* appellat, *ad Cicer. Epigr.* 50.

Diſertiſſime Romuli nepotum.

Et in *Lesbia, Epigr.* 59.

——— *in triviis & angiportis*
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Porrò ad Benefactores vox extenſa: Quò facit *Patris Patriæ* inſigne elogium Tullio tributum, juxta illud,

Roma Patrem Patriæ *Ciceronem libera dixit.*

Vide quoque ſupra *Abrech.* it. *Genua*, Hierophantas it. in Mithrariis ſacris, vide ſuprà *Mithra.* Quemvis adcò præfectum, qui curâ, monitis, caſtigatione, aliorum vitam moderatur. Hinc & in Eccleſia *Pater*, & *Pater Monaſterii* olim dictus eſt. quem hodie *Abbatem* vocant. Auguſtin. de *Moribus Eccl. Cathol. l.* 1. *c.* 31. *Illi autem Decani cum magna ſolicitudine omnia diſponentes ---- traditionem tamen etiam ipſi reddant uni, quem* Patrem *vocant.* Gregorius M. *Dial. l.* 1. *c.* 1. *Monaſterium conſtruxit, in quo ducentorum fermè Monachorum Pater extitit.* Adde *l.* 2. *c.* 3. & *l.* 3. *c.* 23. & 33. Seldenum *ad Eadmerum p.* 150. 153. &c. Atque indidem nati quibuſdam *Paparum* primùm, deinde *Abbatum* tituli, de quibus, & uter alterô prior, multa Barthius. Vide eum *Animadverſ.* ad Statium *l.* 3. *v.* 516. alibique paſſim: infrà quoque *Vitas-Patrum* & ſuprà vocibus *Abbas Abbates.* Sed & *Pater*, aliàs *Pater luſtricus*, item *Pater Spiritualis* dicitur, qui è ſacro lavacro aliquem ſuſcepit, Patrinus. Ruffinus in *Hieronym. l.* 1. *Quorum alter nunc Preſbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter Archidiaconus, alius Diaconus, ſimulque* Pater *mihi & Doctor ſymboli ac fidei fuit.* Plures alias *Patris* vocis acceptiones & epitheta vide hîc infrà: uti de *Patria poteſtate*, voce *Parentes.*

PATER, inter Monachos Eccleſiæ primitivæ is dicebatur, qui Decanis præfuit, eorumque muneris rationem exegit. De his Auguſtin. *l.* 1. *de moribus Eccl. Cathol. c.* 31. *Hi verò* Patres *non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiam divinâ doctrinâ excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nullâ ſuperbiâ conſulunt Filiis, magnâ ſuâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremô de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc jejuni ſunt, ad audiendum illum* Patrem, *& conveniunt ad ſingulos* Patres, *terna, (ut minimum) millia hominum* &c. Idem voce *Papa* indigitatur, hodieque Græci Eccleſiaſtas ſuos *Papas* vocant, teſte P. de Valle *Itin. Tom.* 4. Vide hîc infrà.

VOCIS PATER VARIÆ ACCEPTIONES ET EPITHETA, APUD AUCTORES.

Pater Abbas, dicitur in Communione Romana Abbas domus illius quæ alteram genuit, qui aliàs *Abbas majoris Eccleſiæ* dicitur. Habebat autem is jus ſuperioritatis & viſitationis, in Monaſteriis, quæ genuerat, ejuſque reſpectu alii Abbates *Filii* dicebantur.

Pater Civitatis, Synod. Mopſveſtan. in V. Synodo Conſtantinopolit. *Collat.* 5.

Pater Confeſſionum, in Communio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

munione Romana qui vulgò *Confeſſarius*, apud Florentium Wigorn. *p.* 604. Aliàs *Pater Spiritualis* quoque, Græcis Πατὴρ πνευματικὸς, & interdum nudè Πατὴρ, ut eſt apud Pachymerem *l.* 2. *c.* 27. Vide quoque Chriſtoph. Angelum *Hodierno Græcorum ſtatu Græcè edito, Londini A. C.* 1619. *c.* 22.

Pater Conſilii, apud Curtium *l.* 6. *c.* 11. auctor eſt, quâ notione Athenæus. *princ. Operis* Ἀθηναῖος μὲν ὁ τ̃ βίβλου πατήρ. Et Maximus Tyr. *Serm.* 8. Ἀλλὰ εἴτε Μαντινικὴ, εἴτε καὶ Λεσβία τὶς ἦν ἡ τοῦ λόγου μήτηρ. Similiter Ovidius *de Ponto l.* 4. *Ep.* 5. *v.* 29.

Quidque Parens ego veſter agam ——

Freinſhemius *Not. ad Curtium l. cit.*

Pater Domus Judicum, quis apud Hebræos, vide infrà ubi de *Synedrio*, it. lemmate *Pater Synedrii.*

Pater Familias, vide ſuprà voce *Familia.*

Pater Imperatoris, nomen dignitatis, in Imperio Conſtantinopolitano. Græcè ΠατὴρΒασιλέως. Vide infrà.

Pater Loci, apud Papin. Statium *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 125. & 141.

Pater Monachorum, apud Guil. Gemeticenſem *Hiſtor. Normann. l.* 5. *c.* 17. qui *Pater Monaſterii*, apud Gregorium M. *Homil.* 35. coryphæus eſt ſeu primarius, fautor atque tutor reliquorum, Barthius *ad Statium, Thebaid. l.* 3. *v.* 516. Vide quoque ſuprà.

Pater Patratus, vide infrà.

Pater Patriæ, vide ſuprà: & plura infrà ubi de *Patris Patriæ titulô.*

Pater Patrum, titulus Joanni N. Patriarchæ Conſtantinopolitano tributus, à Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna habita *act.* 5. & Epiſcopis ſecundæ Syriæ, *Ep. ad eum.* Quod nomen nulli mortalium concedendum eſſe, docet Gregorius M. *l.* 4. *ep.* 38. Poſteà Pontifex aſſumſit in Concilio Lateran. *Seſſ.* 5. Vide Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico Theol. l.* 16. *c.* 7. §. 52. Unde Gregorius IV. *Epiſt. ad Epiſc. Regni Franc.* queritur, quòd *Frater* & *Papa* ab iis appellatus fuerit, cùm *Patrem* appellare debuiſſent.

Pater Populi, apud Guilielmum Gemeticenſem, *l.* 8. *c.* 33. idem cum Patre Monachorum, de quo ſuprà.

Pater Sacrorum, vide ſuprà *Hierophanta.*

Pater Spiritualis, Adoni Vienneſi dicitur *Sacerdos, qui Baptiſmi ſacramentum alicui impertit.* Vide quoque *Pater Confeſſionum.*

Pater Synedrii, apud Hebræos qui fuerit, vide infrà.

PATER Imperatoris, Græcè Πατὴρ Βασιλέως vel unâ voce Βασιλεοπάτωρ, dictus eſt, temporibus Conſtantini Principis, quò Patriciatûs culmen iis ſolùm, quos dignos cenſuiſſent Imperatores, concedi cœpit, *Patricius*, ut Luithprandus exponit: qui *Pater Principis* redditur, ab Interprete Nicephori Calliſti *l.* 13. *c.* 1. Sic dictus eſt Romanus Lecapenus, honoris ergò, priuſquam Imperator appellatus eſſet, teſte Luithprandô *l.* 3. *c.* 7. 8. Eôdem dignitatis titulô affectus eſt Tzautzas Stylianus, ſocer Leonis Philoſophi Imperatoris apud *Zonaram*, *Cedrenum*, *Leonem Grammaticum*, *Alios*: Romanus, apud Conſtantinum Manaſſem, ubi πατὴρ καὶ προφύλαξ τ̃ βασιλείας, dicitur. Ita, Πατὴρ τοῦ κοινοῦ, *Pater publicæ rei*, *Suidæ* dicitur Patricius, ut *Pater imperii Corippo.* Dignitas verò ipſa Βασιλεοπατερία, Georgio Pachymeri *Hiſtor. l.* 1. *c.* 27. ubi de Michaële Palæologo: qui junioris Laſcaris tutelam exceperat. Et ſanè illam non diverſam eſſe à Patriciatu plerique cenſent; cùm ab ipſa ferme iſtius dignitatis origine *Patres Imperatorum* vocati legantur, Philoſtorgius *l.* 11. *c.* 4. & ex eo Nicephorus *l.* 13. *c.* 1. de Rufino Eunucho, Patricio, Arcadii principatu: Ἀλλ᾽ ἐπειδήπερ αὐτὸν ἡ ἐκτομὴ τ̃ ἁλουργίδος ἀπεστέρει, πείθει Βασιλέα Πατρικιόν καὶ Ὕπατον ἀναγράφειν, καὶ ἦν λοιπὸν πατὴρ ὁ εὐνοῦχος Βασιλέως, ὁ μηδὲ τ̃ τυχόντα παῖδα φῦσαι δυνάμενος, *Sed quandoquidem caſtratio eum purpurâ arcebat, perſuadet Regi, Patricium ſe & Conſulem creet. quô pactô in poſterum Eunuchus Pater evaſit Imperatoris, filium communem generare impotens.* Vide quoque Suidam *in Antiocho Præpoſito*, Georgium item Cedrenum *in Baſilio Macedone*, Procopium *de Bello Vandal. l.* 1. &c. Porrò Aurelius Caſſiodorus *l.* 6. *form.* 2. *Mox ut datus fuerit* (patriciatus) *in vitæ tempus reliquum, homini fit coævus ornatus individui cinguium fidele, quod neſcit antè deſerere, quàm de mundo contingat exire.* Juſtinianum Aug. *l.* 1 *Inſtitut.* 11. 12. §. *Quis patiatur Imperatoriam altitudinem, non valere eum, quem ſibi Patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate.* Idem *l.* 5. *C. de Conſul. Ne videantur, qui a nobis loco* Patris *honorantur, alieno juri eſſe ſubjecti.* Forte idem *Tutor Patriæ* dictus eſt Suetonio *in Tito c.* 6. *Neque ex eo deſtitit participem, atque etiam tutorem Imperii agere.* Quâ mente etiam accipiendus videtur Q. Symmachus *l.* 1. *Epiſt.* 25. *Parentes etiam Patriæ*, dicens &c. Hinc eſt, quòd duo hæc conjungit Majorianus *Nov.* 3. *cum* Patre *Patricioque noſtro Richimere.* In quam dignitatem ne porrò cooptarentur Eunuchi, ſancitum eſt à Theodoſio juniore apud *Cedrenum* & *Suidam*: quod tamen non obtinuiſſe, ex eodem Cedreno & Luithprando in *Legat.* pater. Claudian. certè in *Eutropium præfat. l.* 2. *v.* 49.

Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis eſſe Pater.

Item *l.* 2. *v.* 68. ibid. de eodem.

—— *Præſidium Legum, Genitorque vocatur*
Principis & famulum dignatur Regia Patrem.

Et Sozom. *l.* 8. *c.* 7. de eodem Ὑπάτου καὶ Πατρὸς Βασιλέως ἀξίᾳ ἐτιμήθη, *Conſulis & Patris Imperatoris dignitate condecoratus eſt*, De iſtiuſmodi *Patribus*, habes apud Juſtinianum *Inſtitut.* ubi ſuprà: *Quis enim patiatur, Patrem quidem poſſe per emancupationis nodum poteſtatis ſuæ nexibus filium liberare; Imperatoriam autem celſitudinem non valere eum, quem ſibi Patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate.* Et apud Eund. *l.* 5. *Cod. de Conſul. Ne videantur, qui à nobis locô* Patris *honorantur, alieno juri eſſe ſubjecti.* Adde Theophylactum Simocattam *l.* 1. *c.* 10. Οἱ ταῖς κορυφαῖς τ̃ ἀξιωμάτων περιλαμπόμενοι, οὓς καὶ Γονεῖς ἀποκαλεῖν Βασιλεὺς οὐκ ἀπηξίωσεν, *Qui apicibus dignitatum circumfulgentes, quos & Genitores appellare Imperator non dedignatur.* Anonymi item Epigramma, *Anthol. l.* 4. *c.* 4.

Οὗτος ὁ κοσμήσας Ὑπάτων θρόνον, τὸν τρισέπαρχον,
Καὶ Πατέρα βασιλῆες ἑὸν καλέσαντο μέγιστοι.
Hic qui ornavit Conſulum ſedem, quem Triſeparchum
Et Patrem *Imperatores ſuum appellârunt maximi* &c.

Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Dempſter. *ad Roſin. l.* 7. *c.* 5.

PATER Noſter, initium Orationis à D. N. J. Chriſto compoſitæ in cujus recitatione tres ritus diverſi occurrunt, in Communione Romana. Nam aliquando *tota hæc oratio ſecretè recitatur*, ut in principio & in fine horarum Canonicarum; aliquando *tota elatâ voce dicitur*, ut in Miſſa & in fine horarum Canonicarum, ſecundùm Monaſticam conſuetudinem, quod & in Lateranenſi Eccleſia in omnibus horis Canonicis obſervatur: Aliquando denique & quidem frequentiùs *priora* ſaltem & *poſteriora verba clarè recitantur*, petitionibus ſubmiſſiùs recenſitis: cujus diverſitatis rationem, vide apud Macros fratres: qui etiam obſervant, Catechumenis olim non licuiſſe hanc orationem adhibere; ad verba, *Dimitte nobis*, pectus percuti conſueviſſe; poſt *Pater noſter*, in miſſa ſtatim datum eſſe oſculum pacis; à Joanni XXII. ad hæreſium feliciorem extirpationem eſſe inſtitutum, ut Pſalmus. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi* &c. cum aliis precibus, finitâ oratione hac, ſubjungatur; in Miſſa Papali, in die Paſchæ, non reſponſum dari per *Amen* &c. Vide eos in *Hierolexico*, ut & infrà. In Anglia verò Browniſtæ, Independentes & Anabaptiſtarum non pauci, in oratione formulis utendum præconceptis, quibus mens & lingua in officio dirigantur, negantes, ipſius Orationis Dominicæ recitationem negligunt: contra Eccleſiæ omnium temporum conſtantem praxin, firmiſſimis Scripturæ S. teſtimoniis nixam. Quam in rem vide Samuel. Mareſ. *Syſtem. Theol. Loco XII.* §. 26. Hinc *Paterini* nomen, de quibus vide ſuprà.

PATER Religionis, apud Arnob. *adv. Gent. l.* 4. *Quid dicitis, ô Patres magnarum religionum & poteſtatum? Ergone à vobis Deos violari & negligi ſacrilegè clamitatis, quiritaminique contemni?* Antiſtes eſt, ut pluribus *ad Tertullianum* oſtendit Deſid. Heraldus. Sic in lapidibus, PATER. ET. HIEROCERYX. DEI. SANCTI. INVICTI. MITHRÆ. & ſimilia. Vide eundem Heraldum *Animadverſ. ad Arnobii locum.*

PATER Patratus, vocatus eſt ex Fecialibus unus, is nempe cui Pater & cui filii erant: Habebatur is maximus, appellatuſque in Plutarcho videtur, vel *quòd & liberi revereantur ac timeant ſuos genitores: vel quòd ſint perfecti, ut ipſum nomen ſonat: Patratum enim eſſe, vel quaſi perfectum & abſolutum; perfectiorem autem eſſe, qui vivô Patre Pater eſſet: vel quòd jurejurandi & pacis præſidem oporteat ſimul prorſum & retrorſum videri, id præſtare verò maximè eum poſſe, qui & filium habeat, de quo conſultet, & Patrem quî cum deliberet.* Vide Roſin. ſæpiùs laudatum *l.* 3. *c.* 21. & *l.* 10. *c.* 1. ubi Feciale, res repetitum ad hoſtes miſſô, ſed ſine ſucceſſu reverſô, Regem his fermè verbis Patres conſulere ſolitum fuiſſe, refert: *Quarum rerum litium, cauſarum condixit* Pater Patratus *Pop. Romani Quiritium* Patri Patrato *Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis, quas res nec dederunt, nec ſolverunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, dic*, inquit ei, *quem primum ſententiam rogabat, quid cenſes? Cap.* itidem *ſeq.* ubi ritum Romanum fœderis cum aliquo populo feriendi, ex Liv. *l.* 1. *c.* 24. exponens, ait: *Fecialis Regem Tullum rogavit. Jubes ne me Rex cum Patre patrato Pop. Romani fœdus ferire* &c. E quibus patet, magnæ auctoritatis ſive in bello indicendo, ſive in fœdere feriendo *Patris Patrati* fuiſſe: Et quidem eôdem locô Livius aliam *Patris Patrati* orationem ſuggerit, inquiens: *Fetialis erat M. Valerius, is Patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbenâ caput capilloſque tangens* (ubi Paterpatratus ad jusjurandum ſeu ſanciendum fit) fœdus dein longâ verborum ſerie exponens. Vide quoque ſuprà in voce *Fecialis.*

PATER Synedrii, Hebr. אב בית דין, ſeu Princeps ſecundus, proximæ dignitatis erat à Principe ſeu *Naſi*, de quo ſuprà, apud Hebræos. Maimonides, de Synedriis tam magnis quàm minoribus, agens, in *Jad tit. Sanhedrin. c.* 1. §. 3. *Qui ſapientiâ*, inquit, *præſtabat, conſtituebant eum ſuper ſe caput, adeoque is erat conſeſſus* ſeu *Synedrii caput, ac idem, quem Sapientes appellitant ubique Principem. Atque is conſtituebatur locô Magiſtri noſtri. Conſtituebant etiam virum Septuaginta reliquis eminentiorem, Capiti ſecundum, cujus ſedes erat à dextera illius: is vocitabatur* Pater *Synedrii. Reliqui verò ex LXX. ſedebant coram binis hiſce juxta dignitatem ſuam. Et quiſque ut Socium ſuum antecellnit, eô proximior erat Principi à ſiniſtra ejus: Sedebant autem velut in dimidiata area circulari, ita ut Princeps &* Pater *Synedrii cunctos poſſent contueri.* Sic ergo in conſeſſu reliqui omnes, præter *Patrem* Synedrii, à ſiniſtra Principis conſederunt, adeoque hic cum *Patre* ad ſemicirculi ſiniſtram intuenti partem locum habuit, cœterique ſemicirculi reſiduum, ſecundùm dignitatem ſuam, occupârunt. Atque ita ſanè conſeſſum Rabban Gamaliëlis Principis ſe habuiſſe in Jabne (quò tandem Synedrium Magnum tranſlatum eſt) reperitur in *Thoſiphtha ad c.* 8. *tit. Sanhedrin* & apud Joſephum Karo *in Ceſeph. Miſna ad tit. Sanhedrin. c.* 1. §. 3. Nempe formula hæc ſeſſionis pro arbitrio legitima ſatis fuit, neque mori ita adverſa ut admittenda non eſſet. Cœterùm receptior eſt ſententia, de formula conſidendi uſitatiore ejuſmodi, ut Princeps & *Pater* in medio ſemicirculi ſederent, reliqui à dextris & ſiniſtris; juxta dignitates ſuas, nec ſine Scribis binis adſtantibus: cujuſmodi Synedrii figuram exhibet Seldenus *de Synedriis l.* 2. *c.* 6. §. 1. Uti autem ſecundus à Principe *Pater* erat, ita maxima ipſi, poſt Principem.

cipem, reverentia publicitus eſt exhibita, quâ excipi conſuevit, quoties Conventus aliquos ſive Juridicos ſive Sacros introiret: Gemara Babylonia *ad tit. Horaijoth c. 3. fol. 13. 2. Traditio eſt Rabbinica, univerſum Populum aſſurgere ſolitos, quoties ingrediebatur Princeps, nec reſediſſe, uſque dum dixerat ille eis, ſedete. Quando* Pater *Synedrii ingrediebatur, faciebant ei ſemitam alterutrinque uſque dum locô ſuô conſederat. Sapiens cùm ingrediebatur* (i. e. aliquis ex cœteris Synedris) *alter ſedebat, & alter ſtabat* (quiſque vice ſuâ in tranſitu ei aſſurgebat) *uſque dum ſuô conſederat locô.* Idem ſed paulò expreſſiùs Gemara Hieroſolymitana, *ad tit. Bieurim c. 3. fol. 65. col. 3. §. 3. Quoties ingrediebatur Princeps, univerſus aſſurgebat Populus, ſimul ac conſpiciebatur, nec reſidere cuiquam licuit antequam dixerat ille ſedete.* Pater *Synedrii, quoties ingrediebatur, faciebant ei ſemitas* (binas) *adeò ut ſive per hanc, ſive per illam, pro arbitrio tranſire poſſet,* &c. Seriem Principum *Patrumque* Synedrii Magni ab Antigono Socæo, in Rabban uſque Simeonem (filium Rabbi Gamalielis I.) qui, in excidio Urbis ſub Veſpaſiano, peremtus eſt, aliosque per annos aliquot, ab excidio illô, ad ipſius gentis illic deletionem, exhibuimus ſuprà in voce *Naſi.* Uti autem in Synedrio M. ſic & in Vigintitriumvirali, *Pater* erat, quemadmodum utrumque ſuum habebat *Principem*, Hebr. *Naſi*, Græcè Καθηγητὴν: quos titulos non planè abolitos voluit Chriſtus Matth. *c.* 23. *v.* 8. 9. 10. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ἡμῶν ὁ καθηγητὴς ὁ Χριστὸς --- Καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς· εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Μηδὲ κληθῆτε Καθηγηταί· εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ Καθηγητὴς ὁ Χριστός, *Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus eſt enim veſtrum Princeps* ſeu *Doctor, ipſe Chriſtus --- Et, ne vocetis Patrem veſtrûm ſuper terram: Nam unus eſt* Pater *veſter qui eſt in cœlis. Neque vocemini Præſides* ſeu *Principes,* ſeu *Primates, unus enim eſt veſter Princeps, ipſe Chriſtus.* Sed ambitionem tantùm his titulis ſuperbientium caſtigat. Hinc, ut de *Patris* ſolùm nomine pergam (quod & Patroni cognatum munus & dignitatem civilem, maximè apud Romanos veteres, denotâſſe neſcit nemo) uſus ejuſdem, non obſtante interdictô illô in Chriſtianiſmum etiam primitivum, ut undiquaque licitus receptus eſt, ex diſciplina Platonica, in qua Theologos eminentiores & Θεῶν παῖδας, *Deorum Filios* & Πατέρας τῆς περὶ αὐτῶν ἀληθείας, *Patres veritatis ab ipſis tradita,* dici conſueviſſe docet Philolaus apud Proclum *in Platon. Theol. l. 1. c. 5.* & 6. &c. Etiam hoc addendum, nomen *Patris* non ſolum apud Hebræos notiſſimum fuiſſe in dignitate illa ampliſſima, de qua dictum, ſed & τῷ אב & אבא *Patris* nomen eminentioribus Rabbinis, ob reverentiam ſingularem, à compluribus tribui conſueviſſe: ut expreſſè patet ex titulo Talmudico illo generali פרקי אבות *Capitula Patrum,* qui ad Doctores vetuſtiores attinet, & in פרקי אבות ר נתן *Pircke Aboth Rabbi Nathan,* qui corpori Talmudico Babylonio conjunctus eſt, in Capitula illa, Commentarius quaſi perpetuus. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræorum l.* 2. paſſim, inprimis *c.* 6. §. 1. *c.* 10. §. 1. &c. nec non ſuprà, voce *Naſi,* ubi *Patrum* quoque *Synedrii* ſeries.

PATERA, eò quod *pateat,* dicta: Ejus in ſacrificiis antiquitus uſus fuit, poſteà ad convivia tranſiit. Unde Varro *de L. L. l.* 4. *Hiſce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ cauſâ, cùm Magiſtri fiunt, potio circumfertur, & in ſacrificando Diis, hôc poculô Magiſtratus dat Deo vinum.* Priorem uſum indigitat Heliodorus *Æthiopic. l.* 2. Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπέχει τῆς φιάλης ἄκρατον τὸ ὕδωρ. τοῦτο καὶ σπένδω μὲν ἔλεγε Θεοῖς ἐγχωρίοις, καὶ Ἕλλησι καὶ αὐτῷ γε Ἀπόλλωνι Πυθίῳ καὶ προσέτι Θεαγένει καὶ Χαρικλείᾳ. *Hæc locutus effundebat ex* Patera *meram aquam, & libo, dicebat, Diis Indigenis & Græcis, & ipſi Apollini Pythio, atque inſuper Theageni & Charicleæ.* Chriſtodorus quoque Poëta Thebanus Copita, *Antholog. l. Epigr.* 29.

——— ——— ἦν μὲν ἀείρων
Δεξιτερῇ φιάλην ἐπιλοίβιον.
——— ——— *Et attollebat quidem*
Dextrâ phialam (ſeu Pateram) *libatoriam,* &c.

Quam in rem Theod. Marcilius, *Feſtis diebus,* inquit, *ſoliti ſunt pateras Diis libare, deinde & ipſi perpotare. Itaque matronæ, quanquam lege Romuli temetô abſtinere juſſæ, tamen feſtis diebus ſolitæ poſt libationem obducere, ad l. 12. Tabb. c.* 96. vide quoque *ad illa Arnobii l. 4. Ant. ex pateris aureis inferia via defuncti,* Lud. Carrionem *Emendationum l. 2. c. 3.* aliquid etiam apud Jac. Cujacium *Obſervat. l. 2. c.* 12. Propriè autem vas, quô, popâ victimam jugulante, alius ſanguinem excipiebat, ἄμνιον Cretenſibus, quæ vox Syra videtur, quia vaſa Syri *mane* & per metatheſim *amne* vocant. Hôc ſenſu Virg. dixit *Æn. l. 3. v.* 67.

Sanguinis & ſacri pateras ———

nempe *de victimis ſumpti,* ut ibi Servius. Et *l.* 6. *v.* 249.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris ———

Moſes אגנות *aganoth,* vocat Exodi *c.* 24. *v.* 6. pro quo *Chaldæi* habent מזרקיא, quaſi dicas *aſperſoria, Syrus* λεκάνας, *Arabum* unus *hydrias,* alter *taſſath* (Gall. *taſſes*) i. e. *pateras, Seniores* & *Vulgatus,* κρατῆρας, *crateras.* Atque hôc ſanguine aræ perfundebantur. Vide Sam Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c.* 33. &c. Poſteriorem Pindarus *Olympic. Ode 7. ab initio:*

Φιάλαν ὡς εἴ τις ἀ---
φνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν
Ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοι---
σαν δρόσῳ δωρήσεται,
Νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων,
Phialam ut ſi quis è di---
vite manu deſumtam,
Intus uvæ bullien---
tem rore donet
Juveni genero præbibens.

Vide eundem *Pythiorum* quoque *Od. 5. Iſthmiorum Od.* 1. &c. Macrob. certè *Saturnal. l. 5. c.* 21. inter poculorum genera *Pateram* recenſet, dicitque fuiſſe, ut nomen ipſum indicet, *poculum planum ac patens:* quod anſas habuiſſe oſtendit Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l. 5. c.* 30. Vide de more ingentem hujuſmodi antiquamque & præſignem *Pateram* in epulis veter. Heroum, poſcendi, in honorem Deorum atque convivii, Caſp. Barthium *Animadverſion. Papin. ad Theb. l. 1. v.* 541. ut & aliquid ſuprà, voce *Crater.* Cujuſmodi *Patera filicata,* à *filice,* ad cujus herbæ ſpeciem erat cælata, nomen trahens, occurrit apud Salmaſ. *Not. ad Pollionis Claudium, c.* 17. ubi variis argumentis, in vaſis cælandis, luſiſſe Veterum luxuriam, pluribus docet. Vide quoque infrà, voce *Patina.* Idem Pollio *in eodem, Paterarum trilibrium mentionem facit.* Sed & *pateris,* munera, quæ in pecunia numerata olim Principibus quotannis exſolvi ſunt ſolita, offerebantur, uti vidimus ſuprà, in *Hanaperium.* Imò ipſæ *Pateræ* inter dona, Amicis Legatiſque tributa. Sic Flav. Vopiſcus, Probum, quum bellô Sarmaticô jam Tribunus multa fortiter feciſſet, publicè in concione donatum eſſe, haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, coronâ civicâ unâ, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureô unô, *paterâ ſacrificali quinquelibri unâ,* tradit in *vita* ejus *c.* 5. Nec omittenda *Patera,* à Regibus Perſarum, Imperatoribus Romanis dari ſolita, de qua ſic idem Vopiſcus in *Aureliano, c. 5. Data eſt ei præterea, cùm Legatus in Perſas iſſet,* Patera, *qualis ſolet Imperatoribus dari à Rege Perſarum, in qua inſculptus erat Sol eô habitu, quô colebatur in eo templo, in quo mater ejus fuerat Sacerdos.* Ubi Palatinus & editio vetus: *Sol eô habitu, quô colebatur ab eo, Templo in quo mater ejus fuerat Sacerdos,* i. e. eô habitu, quô colebatur ab Aureliano: à quo cultum fuiſſe Solem multa teſtantur & maximè templum ab eo Soli conditum conſecratumque. Non dicit, quô habitu Sol fuerit ſculptus, in illa patera; ſed credibile eſt cùm à Perſis data fuerit, non aliô habitu in ea illum fuiſſe ſculptum, quàm quô à Perſis colebatur, qui ejus ſimulachrum facie leoninâ effingebant cum tiara. De quo exponendus Arnobius, *l. 6. Inter Deos videmus leonis torviſſimam faciem merô oblitam miniô & nomine frugiferi nuncupari.* Καρποφόρος enim ἥλιος & καρπογένεθλος Sol dicitur, in *Hymno* quodam, in quo omnia ejus attributa, juxta literas alphabeti, ordine recenſentur.

Κοσμοπλόκον, Κλάριον, κρατερόφρονα, καρπογένεθλον.

Statius Papinius, *l. 1. Theb. extr.*

——— *Seu te roſeum Titana vocari*
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim,
Frugiferum, ſeu Perſai ſub rupibus antri.
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

E quibus ultimis verbis pleniùs diſcimus, vultu Leoninô cum tiara fingi, pingique, utrâque manu reluctantis tauri cornua comprimentem, conſueviſſe à Perſis Solem, uti docet Lutatius, *ad d. l.* Atque etiamnum multis locis Romæ viſuntur Mithræ ſimulachra, ſtantis in ſpelæo vel rupe cavata tiarati, taurum cornibus tenentis aut eundem ſubſtratum calcantis, vultum tamen virilem, non leoninum habentis, quem tamen quin aliquando hâc facie pinxerint, dubium non eſt, vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſci l. c.* de *Patera* verò *aurea,* in certum Nili gurgitem, à Sacerdotibus quotannis; die Apis natalî jacta, infrà voce *Phiala.*

PATERÆ, (inquit Bochart. *l. 1. Chanaan c.* 42.) ſunt ſacerdotes Apollinis, oraculorum interpretes, à verbo פתר *patar.* i. e. *interpretari.* Unde Joſeph, פותר *poter* dicitur, quia interpretabatur ſomnia, Gen. *c.* 41. *v.* 8. Auſonius, in Profeſſoribus Burdigalenſibus, ubi de Attio *Patera,* vel *Paterio, v.* 9.

Beleni ſacratum ducis è templo genus,
Et inde vobis nomina.
Tibi Pateræ, ſic miniſtros nuncupant
Apollinares myſtici.
Fratri patrique nomen à Phœbo datum,
Natoque de Delphis tuo.

De his ita Hieronym. *Ep.* 150. *ad Hedybiam: Majores tui Paterius, atque Delphidius; quorum alter, antequam ego naſcerer, Rhetoricam Romæ docuit, alter, me jam adoleſcentulô, omnes Gallias proſâ verſuque ſuô illuſtravit ingeniô.* Nic. Lloyd.

PATERCULUS, Romanus quidam, cujus filia Sulpitia ſemel matronarum ſententiâ pudiciſſima fœmina judicata eſt, & electa ex centum præcipuis, quæ ſimulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Plin. *l. 7. c.* 35.

PATERCULUS Vellejus, Hiſtoricus, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 1. c.* 21. & in voce *Vellejus.*

PATERIA, inſula non procul à Lemno. Plin. *l. 4. c.* 12.

PATERINUS, convitium iis olim aſpergi ſolitum, ab adverſariis Gregorii VII. Pontificis Romani qui huic favebant. Hugo Flaviniac. *in Chron. p. 228. Jam verò ſi quis eſſet, qui Gregorio communicaret, hic publicè convitiis appetebatur. Hic hæreticus, deſtructor Regni* ——— *& quôdam adinventitiô nomine Paterinus dicebatur.* Fortè quòd Papæ, quem *Patrem* appellabant, adhæreret, inquit Car. du Freſne *Gloſſar.* Idem nomen, ſed ab alia origine, poſteà Valdenſium ſectatoribus affrictum, uti videre eſt ſuprà voce *Patarea.*

PATERNIACUM, Gall. *Bayerne,* German. *Patterlingen,* oppid. Helvetiæ, haud procul Ebrodunô, antiquum, quod conjicitur tum ex commodo loci ſitu: tum ex inſcriptione Jovi facta, in marmore rotundo, ſuper ponte Brojæ: *Jovi O. M. Genio. Loci. Fortunæ. Reduci. D. Ap. Pius. Auguſtus. dedic.* An à Graccho Paterno, cujus meminit *inſcriptio Viliariæ,* nomen & ortum accepit? Igne illud, Cæſaris tempore, periiſſe credit Guillim. *p.* 39. Jo. Bapt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Bapt. Plantinus, olim ad Brojæ trajectum vicum fuiſſe putat, qui poſteà ex Aventici ruinis in oppid. excreverit: vide ejus *Helv. Nov. Ant.*

PATERNIANA, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs. *Ptol. Paſtrana Mariana* dicitur. Aliis eſt *Paternoa*, oppidul. Valentiæ ab ea Urbe 2. leuc. diſtans, ſed ſitus non congruit.

PATERNIANI, Hæretici, Symmachi Samaritani, & Patritianorum errores ſectati. Carnem Dæmonis opus ſtatuentes, omni impuritatis genere ſe polluebant. Seculô quartô; mox tamen coërciti. Auguſtin. *de Hær. c.* 85.

PATERNUM, Caſtrum Campaniæ Romanæ in ditione Pontific. & ora maris Tyrrheni ubi aliàs villa Plinii Junioris *Paterno. L. Holſtenius.*

PATERNUM, *Lycophroni Crimiſſa*, *Barrio lo Ciro* oppid. Græciæ magnæ, in ora, ubi ſinus Tarentinus incipit, 24. mill. paſſ. à Crotone urbe in Boream Roſcianum verſus ad 36. Cariato proxima. Item, oppid. Siciliæ, Hadriano propinquum, 4. mill. paſſ. diſtans, à Rogerio Comite Siciliæ adverſus Saracenos extructum; *Paterno.*

PATERNUS, vide *Ovinius.*

Fl. PATERNUS, Conſul cum Fl. Anicio Maximo, an. Urb. Cond. 1196.

PATHANII, iidem cum *Gazaris*, *Patarenis*, *Pauperibus de Lugduno* &c. quos vide & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PATHISSUS *Tibiſcus Ptolemæo*, *Tyſſa* vel *Theiſſa Lazio*, fluv. ingens Jazygum Metanaſtarum in Hungaria Tranſdanubiana à Carpate monte profluens, longôque tractu in Danubium inter Petrovaradinum oppid. ac Taurunum urbem decurrens, Solnocum & Segedinum urbes alluens, Jazygaſque à Dacis ſeparans. *Tibeſis Herodoto*, & *Parthiſcus Ammiano* dicitur.

PATHMITICUM Oſtium, unum ex Nili oſtiis, apud *Ptolem.* per quod Buſiriticus amnis, in quem, prope Delta minus, Bubaſtiacus amnis dividuus ſit, in mare exit. vide Salmaſ: *ad Solin. p.* 477.

PATHMOS, vide PATMOS.

PATHROS, & PATHRUSIM, inter VII. gentes; ex Miſrajim Chami filio ortas, Auſtraliores Ægypti partes incoluerunt, nempe *Thebaidem.* Nam *Pathros* eſt *Thebais:* adeò ut illa partitio, quâ Thebais ab Ægypto propriâ dicta disjungitur, quæ in infima Romanorum tempora duravit, etiam ab ultima antiquitate obtinuerit. Vide Eſaj. *c.* 11. *v.* 11. & Jerem. *c.* 44. *v.* 1. quique primus id obſervavit, vir in literis primus, Sam Bochart. *Phaleg. l.* 4. *c.* 27.

PATI, nullô adjectô caſu, eſt durare, obdurare, ſuſtinere, καρτερεῖν. Virg. *Ecl.* 10. *v.* 52.

Certum eſt in ſilvis, inter ſpelæa ferarum,
Malle pati ———

Ex quo verſu ridiculè Vir doctus, pium & Chriſtianum verbi uſum, cum morte Servatoris, mundi & agonibus Martyrum ac Chriſtiana pietate natum: etiam extra Eccleſiam Latinum fuiſſe probare contendit. Senſus enim Poëtæ, Malo καρτερεῖν ἐν ταῖς ὕλαις καὶ σπηλαίοις, *duram & difficilem ſuſtinere in antris ac ſpeluncis vitam.* Sic Terentius *Eunuchô Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 7.

——— *Ubi* pati *non poteris, quum nemo expetet,*
Infectâ pace ultro ad eam venies.

Id eſt, durare ac vivere ſine Thaide, quam nunc tam fortiter tibi proponis. Idem *Hecyrâ*, *Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 108. alibique. Seneca *Hercule Oet. v.* 1524.

Quique ſub plauſtro patiuntur *Urſæ:*

i.e. vivunt durant. Et *Thyeſte verſu* 470.

Immane regnum & poſſe ſine regno pati.

Ubi *poſſe pati ſine aliquo*, eſt poſſe vivere ſine illo, poſſe æquô animô ejus deſiderium ferre. Ut apud Lucanum, *l.* 9. *v.* 262. *ſine Rege pati poſſe* eſt poſſe perferre libertatem; quod non poterant Cappadoces apud Juſtinum, *l.* 38. *c.* 2. nec Junii Vitelliique, apud *Livium.* Hinc *Patiens*, qui obdurat, contentus anguſtiis præſentibus. Hor. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 37.

——— *Et illis utitur arte*
Quæſitis patiens &c.

Plura apud J. Frid. Gronovium *Not. ad Thyeſtem Sen. d. l.* Vide quoque H. Grotium ad *Lucan. l.* 5. *v.* 314.

PATIBULUM, propriè de tranſverſo crucis ligno, ſicut & pro ſera ſive vecte, quâ oſtia occluduntur, dictum *Titinnio Nonius* docet. Nonnunquam pro tota cruce ſumitur, ut apud Juſtin. *l.* 22. *c.* 7. quod contra Lipſium obſervat Salmaſ. de Cruce. Vide etiam ſuprà *Crux*, & *Furca ſupplicium*, it. ubi de *Vivicomburio.*

PATIENS & Faciens, duo rerum principia, ex Stoicorum ſententia. Diog. Laërtius *princ. in Zenone*, ubi cùm *Patiens* de materia explicâſſet, *Facientis*, ſive τȣ̃ ποιȣ̃ντος nomine verbum Dei, ὑποςατικὸν denotari, apertis ferè verbis ſignificare videtur, Τὸ δὲ ποιȣ̃ν, inquiens, Τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τ̃ θεόν. Τȣ̃τον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιȣργεῖν ἕκαςα. *Quod autem faciat, Verbum Deum eſſe* (Stoici nimirum docuerunt) *quòd in ipſa materia, nempe* Patiente, *ſit. Hunc enim quippe ſempiternum per ipſam omnem ſingula creare.* Tob. Pfannerus *Syſtem. Theolog. Gentilis purioris c.* 5. §. 4.

PATIENTIA, vox Benedictinorum, Auguſtinianorum Diſcalceatorum & Fulienſium in Eccleſ. Romana. Quorum illi, ſpeciem quandam ſcapularis abſque cucullo, cujus apud ægros illorum uſus: iſti fruſtum panni, quod Novitii apud eos antè & retro pendulum habent, ad pedis longitudinem: hi ſpeciem ſcapularis itidem Novitiis, totô Novitiatus tempore, geſtari ſolitam; item induſii genus, quod ægrotis illorum dari conſuevit, hâc voce indigitant. P. Richelietus *Diction. Gall.* vide & ſuprà *Armilauſa.*

PATINA, an à *patendo*; unde ſæpe in veter. libris *Patena* ſcribitur, ut vidimus ſuprà: an à πατάνη, ut *Suidæ* viſum? Græcis Λοπὰς eſt: à Romanis, luxuriante ſequiore ævô, variis argumentis cælari conſuevit. Unde *Hederatam* memorat Treb. Pollio in *Claudio, c.* 17. Patinam *argenteam hederatam librarum XX. & III.* Ubi hederata *Patina* Salmaſio videtur habuiſſe tantum folia hederæ cœlô expreſſa: corymbiatus autem diſcus, cujus ibidem mentio corymbos, i. e. uvas hederæ: cùm inter hederæ ſpecies κορυμβίας κιττὸς *Theophraſto* recenſeatur. *Specillata Patina* meminit Flav. Vopiſc. in *Probo, c.* 4. *Patinam argenteam librarum decem ſpecillatam*; ubi ex libro Palatino & vet. editione, *Specellatam* reponit idem Salmaſ. *Specellum* enim diminutivum à ſpeculo, parvum nempe ſpeculum: ſicut *vaſcellum* à vaſculo, *locellus* à loculo, & ſimilia. *Specellata* autem *patina* à genere cælaturæ itidem dicta, quòd intus haberet crebra exſculpta vel ſpecella. Plin. *l.* 33. *c.* 9. *Quinetiam pocula ita figurantur exſculptis intus ceu ſpeculis, ut vel unô intuente populus totidem imaginum fiat.* Hinc non dubium eſt, *Patinam* appellari *l. c. ſpecellatam* vel *ſpeculatam*, quæ ad eum modum figurata eſſet, ut ſpecula varia cælô expreſſa haberet intus, ad reddendas plures imagines &c. *Perfuſa aurô patinæ*, apud *Anaſtaſium*, ſunt χρυσέμβαφοι, i. e. *deauratæ*, quemadmodum aurô ſuperfuſa ſtatua occurrit in *lapide veter.* STATUAM SECUNDAM. AURO. SUPERFUSAM. LOCARI. SUMPTU. PUBLICO. PLACUIT: quæ aliter *ſub auro decerni* aut *conſtitui* dicebatur &c. At *fictiles* erant, in quibus lautiores cibi apponebantur. Iterum Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figulinis, tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piſcis, inclinatis jam ſcil. moribus, ut tamen eos perferre Græciæ etiam Philoſophis poſſimus.* Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 134.

Deletur magnus Patinæ, *ſubituſque Prometheus*
Argillam atque rotam citiùs properate.

Et, *Sat.* 11. *v.* 19.

Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile, ſic veniunt ad miſcellanea ludi.

Quæ verba, *condire guloſum fictile*, dixit Græcus Poëta *Meleager* apud Stratonem Sardianum, ἐν τῇ παιδικῇ Μȣ́σῃ·

Εἰ γάρ σοι τάδε τερπνὰ πόροι Θεὸς, ὦ μάκαρ, εἴην
Ἀρτύσεις παίδων Ῥωμαϊκὴν λοπάδα.

Ubi vides, Ῥωμαϊκὴν λοπάδα, *Romanam Patinam* proverbiô Græcô jactari, de miſcellanea patina, variis & exquiſitis lautitiis refertâ, qualis inprimis, Æſopea & Vitelliana fuit, jam ſuprà memoratæ voce *Luxuria:* quarum hæc ducentis ſeſtertiis conſtitit, ſcarorum jecinora, murænarum lactes, phaſianorum & pavonum cerebelia & phœnicopterûm linguas continens, ut videre eſt apud Sueton. *in Vitell. c.* 13. Illius meminit Tertullian. *de Pall. c.* 5. ubi de Æſopo, *Ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris & loquacibus quibuſque, ſexcentum millium* Patinam *confiſcavit.* Qui locus variè ab Eruditis hactenus acceptus eſt. *Budæus* ſenſit, hanc Æſopi patinam centenariam fuiſſe, i. e. centenis avibus ſtructam, quarum ſingulæ ſenis millibus numûm coëmtæ fuerint: totam patinam ſexcentis ſeſtertiûm ſtetiſſe. Sed huic ſententiæ repugnat Plin. qui *l.* 35. *c.* 12. diſertè ſcribit centum millibus patinam Æſopi ſtetiſſe. Vetus Salmaſii liber, & prima editio Rhenani, planè etiam in Tertulliano legunt, *centum millium patinam confiſcavit*, non ſexcentum. Atque ita Afrum in Plinio legiſſe, nec aliter Plinium ſcripſiſſe, verba ipſius apertè teſtantur, quæ ſic habent: *Nam nos cùm unam Æſopi tragœdiarum hiſtrionis, in natura avium, diceremus ſeſtertiis C. ſtetiſſe, non dubito indignatos legentes. At hercules, Vitellius in Principatu ſuo CC. ſeſtertiis, condidit* patinam, *cui faciendæ fornax in campis exædificata erat, quoniam eò pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris conſtent, quàm murrhina.* Quibus ex verbis diſcimus, primùm fictilem fuiſſe Æſopi patinam: deinde centum tantùm ſeſtertiis conſtitiſſe: præterea pretium illud, quô patina taxata eſt, pro manupretio datum eſſe figulo, qui eam ex humo duxit, non pro avibus, quas in ea poſuit Æſopus. In eo enim ſpectanda indignatio, non quòd Vitellius Apicium ſuperaverit, Princeps privatum, ſed quòd, cùm Æſopus patinam habuerit fictilem centum millibus emptam, immenſô ſanè pretiô; eô tamen luxuria perveniſſet, ut Vitellius in Principatu ſuo potuerit fictile condere, alterô tantô æſtimandum, adeò ut pretia murrhinorum non æquaret ſolùm, ſed & tranſcenderet. Ejuſdem patinæ, meminit idem Plin. *l.* 10. *c.* 51. *Maximè tamen inſignis eſt in hac memoria Clodii Æſopi patina centum ſeſtertiis taxata:* quæ ſumma aureorum noſtrorum, inquit Salmaſ. facit bis mille & quingentos. In ea itaque *Patina*, Æſopus convivis ſuis appoſuit aves, aut cantu, aut humanæ vocis imitatione, famoſas, quarum ſingulæ ſex millibus coëmtæ fuerant, Plin. *l. c.* hoc eſt, quòd Tertullianus ubi ſuprà, *aves*, ait, *ejuſdem pretioſitatis:* præceſſerat enim, *quâ multi unius obſonium ſex ſeſtertiis detulit.* Sex autem ſeſtertia, ſex millia nummum, h. e. aurei centum quinquaginta. Atque his duabus rebus maximè hæc patina inſignis fuit, & quod ex luto ficta tam carô ſtetit, & quod aves tam carô emptæ in ea ad cœnam appoſitæ ſunt. De numero avium nihil quidem Plinius, interim profectò magnus ille oportet fuerit, ut tam grandem patinam implerent, nam & ingentem hanc fuiſſe neceſſe eſt, cujus facturæ tam immane pretium apud figulum eſt poſitum. Cùm autem Tertullianus, *patinam ex avibus confiſcatam* dicit, *confiſcare* ἀποταμιεύειν denotat, *recondere* vel *reponere*; ſenſuſque eſt, Æſopum Hiſtrionem in cellario ſuo, patinam centum millium confiſcatam repoſitamque habuiſſe, ut aves in ea convivis exhiberet, ſex millibus ſingulas coëmtas: adeoque *confiſcavit avibus*, idem eſt, ac *ad aves confiſcavit*, ut avibus refertam in convivio repræſentaret, & apponeret. Πρὸς τȣ̀ς ὄρνιθας ἀποταμιεύοντι, &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. l. c.* uti de *patinis* tribus Æthiopiæ Regum, ſuprà voce *Æthiopia.*

PATINARIA Via in Sabinos ducebat, ut & *Quintia.*

PATINUS Carolus, Doctor Medicus Pariſ. rei nummariæ peritiâ, ſcriptiſque de illa editis, clarus: Patavii docuit, nuper defunctus.

PATIORUS, Siciliæ mediterraneæ urbs. *Palazzolo* hodie, teſte *Aretiô.*

PATISTAMA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolem.*

PATIZITES, vir Perſa, magus, Smerdim fratrem ſuum ſimilem Smerdi fratri Cambyſis, Perſarum Regem declaravit, Fuit enim præfectus Cambyſis, apud Perſas.

PATMOS, Icarii maris inſula Plinio *l.* 4. *c.* 12. & *Straboni*, nomen antiquum hodie retinet, ſi *Nigro* creditur. *Palmoſa* verò novô nomine eam vocat *Sophianus.* Hæc teſte Pliniô *loc. cit.* patet circuitu triginta mill. paſſ. in Arabicâ Paraphraſi, per B. ſcribitur בטמוס *Batmos.* Nomen habet, ex conjectura Bocharti, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 8. à terebinthis. Syris enim terebinthus eſt בטמא *batmo*, ut Chaldæis *butma*, & Arabibus *botmon*, unde Barbaris *botim*, & *albotim.* Et, ut author eſt *Dioſcorides*, naſcitur terebinthus in Judæa, Syria, Cypro, Libya, Καὶ ἐν ταῖς Κυκλάσι νήσοις. Quod ſequutus Iſidor. *Orig. l.* 17. *c.* 7. terebinthinam afferri aſſerit ex *Arabiæ partibus, atque Judæa, & Syria, Cypro & Africa, & inſulis quoque Cycladibus.* E quo numero eſt Patmus, latè ſumptô vocabulô; quomodo illi ſumunt. *Nic. Lloyd. Baudrando* eſt in mari Ægæo, ferè 40. mill. paſſ. ab Icaria inſula in Meridiem, totidem à Co, in Boream, P. *de Via* nunc *Petina* dicitur, & inſula Palmos ei adjacens ad Meridiem *Palmoſa.* Incolæ ejus Græci ſunt Chriſtiani, ſed Magiſtratus & urbium præfecti Turcæ. Huc D. Johannes Euangeliſta à Domitiano relegatus fuit, ibique Apocalypſin ſcripſit, *Nat. Met.* vide Apoc. *c.* 1. *v.* 9. In ea eſſe monaſterium Calojenorum Bellonius ſcribit, in quo cadaveris manus oſtenditur, cui ungues ſuccreſcunt, tametſi fuerint reſecti; eam D. Joannis manum eſſe Græci affirmant: at contrà Turcæ eſſe manum alicujus ex ipſorum Prophetis jactant, &c. Urbem habet Epiſcopalem ſub Archiepiſcopo Rhodienſi, *Ferrar.*

PATOZIENSIS Argenti fodina Peruviæ, ſingulis diebus XXX. M. Philippicûm dare, ſcribitur. Joſ. A Coſta *de Nat. nov. Orb. l.* 4.

PATRACORII, Galliæ populi *Ptolem.* vulgò *Perigort.* Legitur hodiè *Petrocorii.*

PATRÆ, civitas Archiepiſcopalis in Achaja, *Badra*, & *Balubathra*, i. e. veteres Patræ, Turcis, & nunc florens, *Ferrar.* quam Pauſanias *l.* 3. & 7. *Aroën* dici prius ſolitam ſcribit; mox à *Patreo*, mœnibus ampliatis nomen accepiſſe, quod nunc habet. Plin. *l.* 4. *c.* 4. Silius *l.* 15. *v.* 310.

Tum luſtrata Ephyre, Patræque & regia Pleuron.

Et ante eum Ovid. *Metam. l.* 6. *v.* 417.

Meſſeneque ferox, Patræque, humileſque Cleonæ.

Leunclav. *Pand. Turc.* Item *Patræ* in Phthiotide Laonico, quæ *Patræ Theſſalicæ* dicuntur à D. Paulino, apud Thermopylas. Ad *Patras* victus Mahometes III. A. C. 1602. *Lloyd.* Cœterùm, primùm urbs *Aroë* dicta, quæ vox Græcis culturam terræ notat, quam incolæ primi Græcos docuêre. Triptolemus enim ab Eumelo loci Rege edoctus eam Athenienſibus tradidit. Inde *Patræ*, à *Patreo*, Preugenis fil. Agenoris nepote, inſtauratore ſuo: tandem ab Auguſto, qui urbem portu celebrem & proin mercaturæ aptiſſimam, incolarum numerô plurimùm auxit, *Colonia Auguſta Aroë Patrenſis* appellata eſt. Memorat nummum Claudii Imperatoris cum *Inſcr.* COL. A. A. PATR. & inſignibus militaribus Legionum Roman. additô numerô XXII. Jac. Sponius *Itin. Græciæ Part.* 1. *p.* 17.

PATRASIS, urbs Pontica, *Stephan.*

PATRENSIS Lucius, vide *ibi.*

PATRES, dicti, quos Romulus ætate, prudentiâ, opibus pollentes numerô 100. legit, penes quos Concilium Reip. eſſet: his, idem dein alios 100. addidit, Tarquinius verò Priſcus 300. eſſe voluit. Iidem ob ætatem *Senatus*, item *Patroni*, dicti; qui autem ex illis geniti, *Patriciorum* venerunt nomine. Alii ſecundam *Patrum* Centuriam Tarquinium modò memoratum, ex Plebe, addidiſſe dicunt, qui appellati *Senatores minorum gentium*: Brutum verò tertiam adjeciſſe, & tum *Patres conſcriptos* dici cœpiſſe. Quid inter hos Plebejoſque actum. Vide Liv. *l.* 1. Florum *l.* 1. Lazium de *Rep. Rom.* Alexandr. *Genial. dier*, *l.* 2. *c.* 2. &c. item voce Senatores. In Eccleſia peculiariter ſic dicti ſunt, qui doctrinæ eminentiâ, ſcriptorumque dignitate, doctrinam fidei inſigniter illuſtrârunt, & confirmârunt. Quales Seculô I. Apoſtoli & viri Apoſtolici, Prochorus, Barnabas, Clemens &c. Seculô II. & III. Ignatius, Hegeſippus, Juſtinus Martyr. Irenæus, Theophilus Antiochenus, Melito Sardenſis, Clemens Alex. Tertullianus, Hippolytus Martyr, Origenes, Cyprianus, Gregorius Neocæſarienſis, Arnobius, Lactantius, &c. Seculô *IV.* Euſebius Emiſſenus, & Cæſarienſis, Athanaſius, Cyrillus, Hilarius Pictavienſis, Optatus, Ambroſius, Baſilius, Ephræmus Syrus, Gregorius Nazianz. Cæſarius, Gregorius Nyſſenus, Prudentius, Epiphanius &c. Seculo *V.* & *VI.* Chryſoſtomus, Sixtus Senenſis, Hieronymus, Ruffinus, Auguſtinus, Proſper, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Fulgentius Afer, &c. Vide quemvis *ſuô locô*, & de ſcriptis eorum, tum genuinis, tum ſuppoſititiis, Rivetum *in Critico Sacro*, Dalæum *de uſu Patrum*, &c.

PATRES Fidei, in Eccleſia Romana Inquiſitores dicti, vide ſuprà.

PATRIA: pagus, provincia, regio, Gall. *Pays*: Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 543.

Quod genus hoc hominum? quæque hunc tam barbara morem
Permittit patria? *hoſpitiô prohibemur arenæ.*

Auguſtin. *contra Epiſt. Parmeniani l.* 1. *c.* 17. *Multæ interjacent patriæ gentium.* Eôdem ſenſu vox occurrit, apud Arnob. Junior. *in Pſalm.* 104. Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. l.* 5. *c.* 1. Aliàs *Patria.* genitale ſolum, locus nativitatis noſtræ conſcius eſt: *pro qua & Religione dulce periculum*, judicavit Ludovicus Princeps Condæus apud Thuanum *Hiſtor.* hôc emblemate in vexillis ſuis mirè gaviſus. Sed & jam Hectori apud Homer. *Il.* μ. *v.* 243.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Notique apud Athenienſes Codri, apud Romanos, Decii, pro Patria devoti: Etiam in Gymnicis Certaminibus non aliud Athletæ majori curâ egêre olim, quàm ut *Patriam* coronarent ſuam. Neque enim corona iis victoribus ſolùm, ſed patriæ potiſſimùm hoc decus parabatur, uti Socrates docet apud Xenophontem *Memorabilium l.* 3. Quam in rem vide plura hîc paſſim. In *Fleta l.* 1. *c.* 31. §. 2. 3. & alibi paſſim, *per Patriam ſe defendere*, opponitur *defenſioni per corpus ſuum*: eſt autem tale defenſionis genus, quô accuſatus ſeu reus judicio totius *Patriæ* ſe ſubmittit; idque in factis publicis locum habebat. *Sunt* nempe 4. *caſus, qui imponunt homini neceſſitatem, quòd per patriam ſe defendat, ut eſt in c.* 34. §. 25. *regia dignitas, cùm patriam habeat pro campione, fœmineus ſexus, vitium mahemii & ætas* 60. *annorum & ultra.* Adde *c.* 35. §. 4. & Bractonum *l.* 2. *c.* 35. §. 15. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* De ritu verò *Patriam abjurandi*, apud Anglos, Normannos Danoſque olim uſitato, diximus ſuprà, voce *Abjurandi.* Addam ſolùm, olim in Attica alibique qui vel ſacra legiſſent, vel *patriam* prodidiſſent, ſepelire non licuiſſe. Xenoph. Ἑλλην. *l.* 1. Plut. *Phocione* C. Nepos *Themiſtocle*, *c. ult.* &c. Quò reſpexit Virgilianus Sinon, *Æn. l.* 2. *v.* 137.

Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi,
Nec dulces natos ———

Quem tamen uſum Romanos non obſervâſſe, liquet ex Ovidio *Triſt. l.* 2. *eleg.* 3. Vide Jo. Kirchmannum *de Funer. Rom.* & Gutherium *de Jure Manium.*

PATIRAGADÆ, locus Perſicus, *Stephan.*

PATRIAMPHES, vir Perſa, Xerxis auriga, Herodot. *l.* 7.

PATRIARCHA, nomen dignitatis Eccleſiaſt. Burchard. *l.* 1. *c.* 53. *ponendi* Patriarchæ, *ubi apud Ethnicos primi Flamines.* Conſtituti Concilio Nicæn. circa A. C. 325. Patriarchatus tres, à quibus alii Eccleſiæ dependerent, Romanus, Antiochenus & Alexandrinus, Sozom. *l.* 1. *c.* 17. Dein, in Concilio Conſtantinop. A. C. 385. ſancitum, ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus, in perpetuum diceretur *Patriarcha*: cujus ſedes Antiochenæ & Alexandrinæ prælata eſt, Concilio Chalcedon. ſub Martiano Imperatore habito, A. C. 451. cui decreto Epiſcopus Roman. Leo reſtitit, ortumque inde infelix de titulo *Univerſalis* certamen: Hieroſolymitana quoque Eccleſia Patriarchatus titulô & ſede decorata eſt Concil. Nicenô retrò memoratô, ſed ſalvâ juriſdictione Metropolitæ Cæſareenſis: demum Concil. Conſtantinopolitanô II. A. C. 553. ei Metropoles Cæſarea, & Scythopolis: ut & Berytus & Rubenſis, quarum illæ ſub Antiocheno, hæc ſub Alexandrino Patriarch. fuerant, ſubjectæ ſunt. Hodieque aliqua horum in Eccleſia Græca umbra ſupereſt. Sub finem ſeculi præteriti, cùm Clemens VIII. Henricum IV. Galliæ Regem conſilia *de Patriarcha* in Gallia creando ſerio agitare cerneret, anathemate illum exſolvit. Vide Thuan. *in Hiſtor.* ut & hîc infrà.

PATRIARCHÆ, non ſolùm apud Hebræos & Chriſtianos, ſed & apud Gentilium Religionum cultores olim fuêre. Unde Gamalielis *Patriarchæ* meminit Marcellus Empiricus *c.* 23. quem paganum fuiſſe, nullum eſt dubium. Sed & alibi nominis ejus mentionem factam, etiam in ſcriptis τῶν ἔξωθεν reperies, Caſaubonus *ad Vopiſcum Saturn. c.* 8. Salmaſio verò idem non videtur; quin contendit Gamalielum Marcelli Judæum, omninò fuiſſe, quod & nomen, planè Judaïcum indicat: *Patriarchas* verò inter Gentiles fuiſſe nullos, vide eundem *ibid.* Apud Hebræos, Primogenitum quemque in familia ſua, quantumvis exigua, *Patriarchatum* geſſiſſe, ſeu imperium aliquod exercuiſſe, Seldenus verosimile judicat: Itaque Abrahamus Iſaaco etiam promogenito & ſuis, Iſaacus Eſavo & Jacobo, Jobus filiis ſuis & ex eis nepotibus, alii aliis *Patriarchæ* ſeu Principes fuêre. Cumque Primogenitus quiſque Sacerdos fuerit, ante Moſis tempora, hinc & *Patriarchæ* erat idem munus obire; Adeoque ut Regiminis *Patriarchalis* ſeu Regii, ejuſque Præfecturarum ſubſtitutarum actus in imperando, coërcendo, in jus vocando, ſententiam ferendo, exequutioni mandando reliquiſque Imperii ac Juriſdictionis appendicibus habebant, ita Sacerdotii actus in ipſis ſacris obeundis, cultu ſolenni ritibuſque divinis ac benedictionibus præſtandis, verſabantur. Quo factum, ut vox כהן *Cohen*, quâ *Sacerdos* in ſacro Sermone deſignatur, non rarò *Principem* quoque territorii denotet, & à nonnullis etiam antiquitus ita vertatur, vide Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebr. l.* 1. *c. ult.* Apud Chriſtianos, primis temporibus, h. e. per annos circiter 400. *Patriarchæ* dicebantur iidem, qui & *Metropolitæ* & *Archiepiſcopi* & *Primates*; Poſteà verò, cùm à Conſtantino plures provinciæ in unam diœceſin redigerentur; ſupra Metropolitanos conſtituti ſunt ſuperiores *Patriarchæ*, ſeu *Primates*, *Exarchi Diœceſium* dicti; quorum primus fuit Epiſcopus Alexandrinus, qui jam antè hôc nomine gaudebat, ut apparet ex Flavii Vopiſci *Saturnino*; licèt duntaxat tanquam Epiſcopus Metropolitanus, reliquis Epiſcopis major eſſet. Cùm autem poſterioribus plurimi legantur *Patriarchæ*; primitus tantùm per excellentiam datum eſt id jus tribus Epiſcopis, *Romano* nempe, *Alexandrino* & *Antiocheno*; quæ præcipuæ erant Imperii præfecturæ ſeu diœceſes. Quibus acceſſêre dein alii duo, juxta politicæ dignitatis ordinem aſciti, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus. Et quidem Pontifici Romano, *qui in Occidente unicus eſt ſemperque fuit Occidentis Patriarcha*, ſecundùm Morinum, titulum hunc fuiſſe etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tiam datum, patet exemplô Leonis, qui *Romanus Patriarcha* nominatur a Theodoſio in *Epiſtolis* &c. Tandem tamen etiam minorum Præfecturarum, quæ Græcis Ἐπαρχίαι dictæ, Epiſcopi, eôdem nomine inſigniti ſunt. Hinc *Patriarchæ* dicti etiam Primates: Ita Deſiderius Epiſcopus Cadurcenſis *Ep.* 12. Sulpicium Archiepiſcopum *Patriarcham* vocat, & *primæ ſedis Antiſtitem*. Innocentius III. in *Ep.* Trinovitanum Archiepiſcop. Primatem Bulgariæ & Blachiæ: vide quoque Gregorium VII. *l.* 6. *Ep.* 35. Eôdem axiomate honorat Rainaldum Archiepiſcop. Lugdunenſem, qui obiit A. C. 1129. Petrus Venerab. Archipiſcopum Bituricenſem, Alii. Hodie titulus conceſſus eſt Epiſcopo Gradenſi & Aquilejenſi. Vide Allatium *de Concord. utriuſque Eccl. c.* 25. *num.* 7. Ughellum *in Ital. ſacr.* & Marcam *de Primat. num.* 20. 21. Sed & *Patriarchæ* nomenclaturam ἡγουμένοις Abbatibuſque tribui conſuevitſſe, legimus in *Vita* Nili *p.* 12. 20. &c. Redeo ad Judæos, ſed poſtremorum temporum, apud quos *Patriarchæ* in Palæſtina dicti ſunt Principes ac Summi Pontifices Judæorum, quos ſucceſſionis jure ad hanc dignitatem pervenire ſolitos fuiſſe, docet Epiphanius in *Hær. Ebionit. c.* 30. De his copioſè egit Origenes, περὶ Ἀρχῶν *l.* 2. *c.* 1. Theodoretus *Dial.* 1. Gothofredus *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Judæis* & *ad l.* 29. *eod. tit.* &c. ubi eorum nomen extinctum ac dignitatem ſublatam eſſe, à Theodoſio juniore inter alia obſervat, quibus *Primates* ſucceſſerint in Synedriis electi &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque, inprimis de *Patriarcha* Aquilejenſi, & Gradenſi, Macros Fratres in *Hierolexico*. Seriem verò *Patriarcharum* in Oriente, à tempore Concilii Chalcedonenſis, uſque ad tempora Heraclii Imperatoris exhibet Jo. Forbeſius *Inſtructionum Hiſtor. Theologicarum l.* 3. *c.* 3. 4. 5. & 6. Ut *de Patriarchis Judæorum* quædam addam, de illis ſic Cl. Suicerus, *Scriptores ſacri hanc vocem nunquam Eccleſiæ N. T. accommodârunt. Soli Judæi, etiam poſt everſam politiam & ſynagogam,* Patiarcharum *nomen retinuerunt: ut enim inter ſuæ nationis homines perpetua vigeret communio, ex iis, quos ex Davidis poſteris eſſe credebant, duos eligebant Principes, quorum quilibet* ראש גלותה Αἰχμαλώταρχος, *dicebatur. Horum alter Babylone ſedem habebat, in gratiam Judæorum trans Euphratem ſub Parthorum imperio degentium: alter Tiberiade Galilææ pro Judæis per Imperium Romanum diſperſis. Primorum ſucceſſio, licèt obſcura, ad annum uſque* 1200. *duravit: poſteriorum verò, ex poſteris Hillelis Simeonis, Juſti dicti, ad A. C.* 420. --- *Erat autem eorum dignitas & auctoritas tanta, ut ne Gentiles quidem eam agnoſcere fuerint dedignati:* quod probat Autor ex literis Hadriani Imperatoris ad Servianum Conſulem idem apud Vopiſc. *in Saturnino, d. l.* Vide eum omnino *Theſ. Eccl.* voce Πατριάρχης, ubi de *Patriarchis* quoque *Montaniſtarum* quædam, & *de Patriarchis Chriſtianorum*, apud quos id nominis circa A. C. 380. nondum in uſu fuiſſe docet, complura habet, inter alia id Antiocheno κατ' ἐξοχὴν tributum addens: ut & ſuprà aliquid voce *Nati*. Nomen quod attinet, Πατριάρχης eidem eſt Πατριᾶς ἄρχων, *gentis Primas, ibid.*

PATRIARCHALIA Reſponſa, in Oriente olim magnæ auctoritatis. Poſtquam enim Creſconius primus Romanorum Pontificum Epiſtolas, inter Canones, retuliſſet, illiſque auctoritatem addidiſſet Canonicam, cùm anteà pari cum cœterorum Epiſcoporum Reſponſis valore haberentur: ad hoc exemplum poſteà in Eccleſia Orientali cœperunt valere, adſervari & colligi Reſponſa *Patriachalia*, ut ex Codice Eccleſiæ Oriental. patet; cui multa addita ſunt à Trullanis Patribus, poſt Juſtinianum Imperator. inter quæ Epiſcoporum, Patrum & Patriarcharum quorundam Canones & Epiſtolæ, quia idem factum ob Occidentalibus videbant. Quæ additamenta, editione Pariſienſi A. C. 1620. cum Balſamonis Commentariis in Codicem hunc Canonum Eccleſ. Oriental. ad intellectum Nicæni omnia ſubjicit Maſtricht JCtus in *Hiſtor. Juris Eccl.* Sunt autem iſthæc: *B. Dionyſii Archiepiſcopi Alexandrini Epiſtola ad Baſilidem de diverſis capitibus, ad quæ per Epiſtolam Dionyſius reſponſa dedit, quæ tanquam canones ſunt admiſſi. Canones B. Petri Alexandrini Archipiſcopi & Martyris, quæ feruntur in ſermone de pœnitentia. Epiſtola Canonica S. Gregorii Archiepiſcopi Neocæſarienſis, qui & Thaumaturgus dictus eſt, de iis qui in barbarorum incurſione idolothyta comederant & alia quædam peccata commiſerant. S. Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini Epiſt. ad Ammum Monachum. Ejuſdem ex XXXIX. feſtiva Epiſtola. Ejuſdem Epiſtola ad Ruffinianum. S. Baſilii Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadoc. ad Amphilochium Iconii Epiſcop. Epiſtola Canonica prima. Ad eundem Canonica Ep.* 2. *Ejuſdem alia Ep. ad Amphilochium, de differentia ciborum. Ejuſdem ad Diodorum, de eo qui duxit duas ſorores in matrimonio. Ejuſdem Epiſtola ad Gregorium Presbyterum, ut ſeparetur à muliercula: cum qua habitat. Ejuſdem de Chorepiſcopos, ne ſine ipſo fiant Miniſtri, præter Canones. Ejuſdem ad Epiſcopos, qui ei ſuberant, ne pecuniis ordinent. Ejuſdem ex XXVII. cap. eorum quæ de S. Spiritu ad B. Amphilochium ſcripta ſunt. Ejuſdem ex XXIX. c. ejuſdem operis excerpta. Epiſtola Canon. S. Gregorii Nyſſeni Epiſc. ad S. Letojum Melitenes Epiſcopum. Reſponſa Canonica Timothei Alexandriæ Epiſc. qui fuit unus ex CL. Patribus qui Conſtantinopoli convenerunt. Edictum Theophili Archiepiſcop. Alexandr. cùm Theophania in die Dominico inſtarent. Ejuſdem Commonitorium, quod accepit Ammon propter Lyco. Ejuſdem expoſitio de iis, qui dicuntur Cathari. Ejuſdem Epiſt. ad Agathonem Epiſc. & altera ad Menam Epiſc. S. Patris Cyrilli Archiep. Alexandr. Epiſt. Canon. & altera ad Epiſcopos, qui ſunt in Libya & Pentapoli. S. Patris noſtri Gregorii Theologi ex metricis ejus Poëmatibus, quinam libri ſint legendi vet. & novi Teſtamenti. S. Amphilochii Epiſcop. Iconii ex Jambis ad Seleucum, de eodem argumento. Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani & ſanctæ cum eo congregatæ. Synodi ad ſanctiſſimos omnes Metropolitanos, & ad Papam urbis Romæ Epiſtola circularis, quæ incipit,* Religioſiſſimo & ſanctiſſimo in ſacris comminiſtro Gennadius & quæ in Chriſti amant regia civitate Conſtantinopoli coacta eſt ſancta Synodus. *Ex Epiſtola Magni Baſilii ad Nicopolitanos quædam.* Poſt Trullanam approbationem, quæ facta eſt ſeculi 8. annô 7. acceſſerunt Canones ipſi Trulliani in Synodo quini-ſexta ſanciti, centum & duo, & Canones 22. Synodi Nicænæ II. A. C. 787. habitæ, è quibus omnibus Codex Canonum Eccleſ. Oriental. conſtat. Vide Gerhardum von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 188. & *ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Codex Eccleſiæ Orient.*

PATRIARCHIÆ ſeu PATRIARCHALES, appellatæ ſunt quinque præcipuæ urbis Romæ Baſilicæ, ut iis adjuncta palatia, *Patriachia*: ſcil. Latranenſis, S. Petri in Vaticano, S. Pauli extra muros, S. Mariæ Majoris & S. Stephani ac Laurentii. Vide Onuphr. Panvinium aliosque laudatos Car. du Freſne *Gloſſ.* Sic *Patriarchicon*, Eccleſ. Patriarchalis eſt, apud Anſelmum Epiſcopum Havelberg. *Dial. l.* 3. *c.* 3.

PATRICA, Græcè Πατρικὰ, Sacrorum Perſicorum olim genus, vide ſuprà *Mithra*.

PATRICIACUM, vulgò *Precy*, aliàs *Percy*, locus in Diœceſi Auguſtodunenſi, Prioratu inſignis, ad Floriacenſe Monaſterium pertinente, qui inter Prioratus circiter 25. & Præpoſituras S. Floriaco ſubjectas, tertium tenet locum. Aimonius Floriacenſis Monach. *de mir. Benedicti l.* 2. *c.* 15. villam vocat, in Auguſtodunenſi territorio Burgundiæ ſitam: eamque ab Echardo Comite Burgundionum ditiſſimo Fratribus Floriacenſis Monaſterii collatam, refert: Ibidem Solmaricenſe prædium *Patriciacenſi* cœnobio ſubditum memorat. A *Patricio* nomen accepit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PATRICIANI, ſive PATRITIANI, Hæretici, à quodam *Patricio* Hæreſiarcha, Symmachi Marcionitæ præceptore orti, humanam carnem à Satana conditam eſſe, impiè aſſeruerunt, *Tatiani* quoque dicti. Baronius *ad* A. C. 203. *num.* 16. Vide & *Encratitæ*.

PATRICIATUS, dignitatis olim eminentiſſimæ nomen, apud Romanos, Francos, Burgundiones. Et quidem dignitas hæc, quæ Præfectos quoque Prætorio anteibat, à Conſtantino M. inſtituta eſt, teſte Zozimô *l.* 2. Priſcus *in Hiſt. p.* 56. *edit Reg.* Ἐν τοῖς Πατρικίοις σὺν ἐκείνῳ καλουμένοις, οἳ δὴ τὰς ἀρχὰς ἁπάσας ἀνωτέρω ἥκασι πάσας, *Patriciis cum illo accenſitum, qui Magiſtratus omnes anteeunt.* Procopius *Bell. Vandal. l.* 1. τιμὴ ἡ ἀνωτάτω, *honor ſupremus.* Walaf. Strabo *de Reb. Eccl. c.* 3. *Patriciis, qui primi poſt Cæſares in Imperiis fuiſſe videntur.* Formulam tam eximiæ dignitatis deſcripſit Senator. *l.* 6. *Ep.* 2. è qua obſervare eſt, ſolâ morte fuiſſe ſolutam; quod tamen apud Gothos tantùm obtinuiſſe volunt alii, cùm in Cod. Theod. *Expatricius* legatur. Atque id fortè cauſa eſt, quod Patriciatûs dignitas cum alia perſæpe dignitate copulata legatur; cùm ea perpetua, altera fortè temporaria eſſet. Quoniam verò plures interdum erant hâc dignitate conſpicui, is qui ante alios eam obtinuerat, *Primus Patriciorum* dicebatur, ut Aſpar apud Marcellinum Comitem: Πρωτοπατρίκιον etiam dixit Malchus in *Excerptis p.* 92. Hanc porrò dignitatem, ut eminentiſſimam, Regibus ac Principibus exteris, ab Auguſtis Byzantinis ſæpe collatam legimus; iis maximè qui Conſtantinopolim conceſſerunt, vel ſedibus ſuis pulſi apud Imperatores Græcos perfugium habuerunt. Ita Sigiſmundo Burgundiæ Regi apud Avitum Viennenſem *Ep.* 7. Theodorico Gothorum Regi & Odoacro, apud Procop. *de Bello Goth. l.* 1. *c.* 1. *l.* 2. *c.* 6. & Malchum in *Excerptis p.* 94. à Juſtiniano & Zenone: Vitigi, Gothorum Regi & Arethæ Saracenorum Principi, apud Procopium *l.* 1. *c.* 9. Theophanem *p.* 203. & *Hiſt. Miſc. l.* 16. *c.* 457. ab eodem Juſtiniano: Hunnorum Regi & Nicetæ Sarbari Perſarum Ducis filio, Curvato item Hunogundurorum Domino, apud Nicephorum Conſtantinopol. ab Heraclio: Telericho, Bulgariæ Principi, & Taronis Principibus, apud Landulfum Sagacem *Hiſt. Miſc. l.* 23. *p.* 720. & Conſtantinum *de Adm. Imp. c.* 43. à Leone Philoſopho: Bologudæ & Gylæ Turcorum ſeu Hungarorum Ducibus, apud Zonaram *p.* 155. à Conſtantino Porphyrogennito, Adalgiſo, Deſiderii Longobardorum Regis fil. apud Eginhardum, A. C. 774. à Conſtantino Copronymo: Bulgariæ Principibus aliquot, à Baſilio Bulgaroctono, apud prædictum Zonaram *p.* 181. Cegeni denique Patzinacorum Principi, apud Eund. *p.* 205. dignitatem hanc legimus delatam. Vide ſuprà ubi de *Patre Imperatoris*. Forma conſtituendi *Patricii* talis occurrit, in Hiſtor. Pauli Forojuliani *de Geſtis Longobardor.* aſſervata, in Bibl. Vatic. *Patricii dignitas taliter diſponenda eſt, quatenus illa non vili perſonæ nec alicui concedatur ignoto. Sit enim valde notus Imperatori, ſit fidelis & prudens, non elatus. Protoſpatharius veniens ante Imperatorem, oſculetur ſuum humerum & dicat, Maxime Imperatorum adeſt quem vocâſti. Tunc ſtet ad ſiniſtram Imperatoris illius Hypaochus, quem nos dicimus Præfectum & dicat ei Imperator: Cum Protoſpathario futurum* Patricium *adducito. Dum autem venerit Patricius, inprimis oſculetur pedes Imperatoris, deinde genu, ad extremum oſculetur ipſum; tunc oſculetur omnes Romanos circumſtantes, & dicant omnes, Beneveniatis: Nobis nimium laborioſum eſſe videtur conceſſum nobis à Deo miniſterium ſolum procurare: quocirca te nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut Eccleſiis Dei & pauperibus legem facias, & inde apud altiſſimum Judicem rationem reddas. Tunc induat eum Imperator mantum & ponat ei in dextro indice annulum & det ei bombacinum propriâ manu ſcriptum, ubi taliter contineatur ſcriptum: Eſto Patricius, miſericors & juſtus. Tum ponat ei in caput aureum circulum & dimittat.* Unde, quòd Protoſpatharius & Hyparchus hîc nominantur ſatis colligitur; id potiſſimum ſpectare *Patricios* à Conſtantinopol. Imperatorib. conſtitui ſolitos, maximèque fortè Patricios Italiæ & Siciliæ. Nam *Patricios* etiam peculiari nomenclaturâ appellabant, Siciliæ & Longobardiæ Præfectos, Conſtantinopoli ab Auguſtis ſummiſſos: cùm in Italiam potiſſimùm ſoli ferè *Patricii* mitti ſolerent. Hinc Malchus Rhetor *p.* 93. ait, Auguſtum, Oreſtis filium, orâſſe Zenonem Imperatorem ut Odoacrum *Patriciatûs* ornaret dignitate & Italicam diœceſim ei regendam committeret. Conſtantinus verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Porphyrogenitus *de Adminiſt. Imp. c.* 27. ſcribit, tranſlata Conſtantinopolim Imperii ſede, miſſos inde *Patricios* duos, qui utramque provinciam regerent, & alterum quidem Siciliæ, Calabriæ, Neapoli & Amalphiæ; alterum verò Benevento, Capuæ, Papiæ & reliquis urbibus, quæ adhuc Græcis parebant, præfuiſſe: quod intelligendum, maximè poſt occupatas pleraſque Italiæ provincias, à Gothis, Longobardis, & Saracenis. Hinc *Patricios Siciliæ*, h. e. Præfectos legimus in Cod. Carolino *Ep.* 37. 88. *Patricium Panormitanum*, apud Georgium M. *l.* 10. *Ep.* 44. *Patricios Italiæ*, vide ſuprà in voce *Catapanus*: *Patricium Africæ*, apud eundem Gregorium *eôdem l. Ep.* 43. & Victorem Tunnenſem. Ita Damianum quendam. *Patricium Seleuciæ* i. e. *Præfectum* nominat Codinus in *Origin. edit. Meurſ. p.* 75. ut *Patricios Lazicæ*, Cedrenus *p.* 443. & Anaſtaſius in *Collectaneis*: *Patricium Alanorum*, Idem *p. ſeq. Armeniorum*, Theophanes *p.* 286. &c. Neque alii fuêre *Patricii Romanorum*, quàm præfecti Romanæ urbis, ut videbimus infrà. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

PATRICIATUS B. Petri, memoratus in Codice Carolino *Ep.* 65. idem eſt cum *Eccleſiæ Romanæ Patrimonio* vulgò vocato, quod ex Pipini & Caroli M. liberalitatibus, ut ait Car. du Freſne, eſt conflatum. Ita autem *d. l.* Hadrianus Pontif. Roman. apud Eund. *Tamen fideliſſimi veſtri præfati Miſſi viderunt ipſos Ravennianos, quos vobis præſentaverunt, qualiter nobis in ſuperbia extiterunt: ſed quæſumus veſtram Regalem Potentiam, nullam novitatem in holocauſtum, quod Beato Petro ſanctæ recordationis Genitor veſter obtulit & veſtra Excellentia ampliùs confirmavit, imponere ſatagat, quia, ut fati eſtis, honor* Patriciatus *veſtri à nobis irrefragabiliter conſervatur, etiam & plus ampliùs honorificè honoratur: ſimili modô ipſe* Patriciatus B. Petri, *fautoris veſtri, tam à ſanctæ recordationis Domno Pippino, magno Rege, Genitore veſtro, inſcriptis in integro conceſſus & à vobis ampliùs confirmatus, irrefragabili jure permaneat.*

PATRICII, Romæ olim dicti, qui è *Patribus* geniti, vide *Patres.* Hi Plebejis contradiſtincti, inter quos frequentes, circa adminiſtrationem Reip. lites, de quibus Hiſtor. Roman. ſcriptores conſulendi. De illis autem Procopius Goth. *Hiſt. l.* 4. *Multi pridem ſenatorii ordinis, Totilæ juſſu, in Campania morabantur. Hi ſimul intellexerunt, armis Romanis Romam teneri, profugi è Campania urbem petebant. Cùm id fieri ſentirent Gothi, proxima præſidia tenentes, conquiſitos ſedulò eos, qui* Patricii *vocantur, per villas agroſque interfecêre omnes.* Sic dicti quoque, quos Conſtantinus M. è publico Senatu, in Conſiſtorium & privatum conſilium Principis velut Senatum domeſticum cooptavit, provinciæque alicujus præfecturâ donavit: aliàs Comites Conſiſtoriani, & ſacri Conſiſtorii dicti, & ſolummodo Illuſtres. Carolus poſteà Magnus, *Patritius Romanus*, i. e. pater totius Reip. à populo Romano creatus eſt, A. C. 774. ſicque ei ad Imperium via ſtrata, & unà conceſſum eſt, per ſingulas Provincias, Archiepiſcopos & Epiſcopos, inſtituere, Pontificem quoque eligere, &c. A. C. 800. Sigon. *l.* 4. *ad An.* 774. Hinc & Galliæ Reges, Romanorum *Patricii.* Videndus Meurſius &c. inter cœtera Venericum, ſeu Walthramum proferens, *in apologia* 4. *Legitur, Stephanum Papam veniſſe ad Regem Pipinum, & poſtulâſſe patrocinium ejus contra Haiſtulphum, Regem Longobardorum, ac ipſius Patrocinii gratiâ decreviſſe: quemlibet deinceps Regem Francorum eſſe* Patricium *Romanorum.* Hinc Provinciarum Satrapæ, etiam in Occidente, poſteà dicti ſunt *Patricii*, atque denuo Illuſtres. Sic in Hiſtoriis Anglic. Vide Limhæum Enucl. *l.* 1. *c.* 3. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* &c. Cœterùm, in hos & Plebejos, poſt diviſionem in Tribus & Curias, primùs diſtribuit Populum Roman. Romulus, qua de re ſic Dionyſ. *l.* 2. *Illuſtres genere & virtute celebres, opibuſque ut tum ferebant tempora abundantes, quibus eſſent liberi, ſecrevit ab obſcuris, egenis ac humilibus. Inferioris fortunæ homines* Plebejos *vocavit, qui Græcis* δημοτικοὶ: *Potiores verò* Patres, *ſive quòd ætate anteirent alios, ſive quòd haberent liberos, ſive propter nobilitatem generis, ſive propter hæc omnia.* Idem paulò pòſt addit, ſumtum eſſe hunc morem ab Athenienſium Rep. qui etiam antiquitus bifariàm diſtributâ multitudine, Εὐπατρίδας ſeu *Patricios* appellârint, ex illuſtribus familiis ortos opibuſque pollentes, penès quos civitatis fuerit regimen; cœteros cives Γεωμόρους ſeu Ruſticos, quibus nullum in Rep. ſuffragium: Subjungens dein utrorumque officium, pergit: *Mox legibus latis præſcripſit, ut* Patricii *ſacra curarent, Magiſtratus gererent, jus redderent, ſecum Remp. adminiſtrarent, res urbanas obirent: Plebeji verò ab his negotiis immunes, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæſtuoſa opificia* &c. Tandem, & hoc inter utroſque interfuiſſe notat: *ut quoties* Patricii *convocarentur à Regibus, Præco quemque ſuô ac paternô appellârit nomine: Plebejos verò Miniſtri quidam bubulis cornibus concinentes in concionem contraxerint.* Ut autem hæc populi diviſio nullas pareret turbas, arctiſſimô utroſque vinculô colligans, commendavit *Patriciis* Plebejos ſollicitè, optione cuique è vulgo datâ, ut, quem vellent, ſibi ex illis legerent Patronum, qua de re vide infrà *in voce hac.* Magiſtratus, quos primis temporibus ſoli gerebant *Patricii*, dicebantur *Curules*, quales fuêre Ædiles Curules, Prætores, Cenſores, & Conſules, & hi ſoli antiquis temporibus jus imaginum habebant: illorumque liberi Tarquinii inſtitutô bullâ aureâ cum toga cui purpura prætexebatur, uſi ſunt. Sed procedente tempore, & impetratis Tribunis Pleb. plurima dignitatum & honorum ornamenta, ut Sacrorum quorundam curationem, Magiſtratus Curules prædictos aliaque Plebs per Tribunos ſuos Patribus extorſit; jus ſimul imaginum adepta; etiam connubiorum inter utrumque ordinem communionem: quod poſtremum evicêre Tribuni, ingentes poſt contentiones, annô Urb. Cond. 309. teſte Liviô *l.* 4. *c.* 1. poſtquam ſtatim exactis Regibus, populus Roman. in tres ordines Senatorium, Equeſtrem ac Popularem diviſus fuiſſet, ſicque triplex *Patriciorum* emerſiſſet ordo, ſic ut quidam eſſent Cives Romani Patricii Senatores, alii cives Romani Patricii Equites, reliqui Cives Romani Patricii de populo; namque illi ex *Patriciis*, qui Senatores non eſſent, neque cenſum Equeſtrem implerent, de populo cenſiti ſunt. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim*; & de Minorum Majorumque gentium *Patriciis*, in voce *Patres.* Nec omittendum in veſtitu diſcrimen, quamvis de eo aliquid jam ſuprà tetigerimus. In ludis Amphitheatralibus ac Scenicis *Patricii* candidati ſpectabant, præſertim Senatores, Equites ac Magiſtratus, quibus candidas fuiſſe togas, teſtatur Martial. *l.* 8. *Epigr.* 10. & Tit. Calphurnius Siculus *Eclog.* 7. Inprimis calceorum diſcrimine inſignes, qui lunulati fuêre: à Romulo inſtituti, ut ait *Iſidor.* additâ Lunulâ, quæ nota centenarii eſſet, eò quòd centum ipſe *Patricios* creâſſet. Vide Plut. *Quæſt. Rom.* 79. De iis ſic Zonaras, *Patricii geſtabant in urbe calceos urbanos formâ literæ Rho, ut à centum Senatoribus trahere originem viderentur, aut quòd prima eſſet litera Romanorum.* Ubi graviter Auctor impingit, cum nobilitatis Romanæ in calceis nota, Lunulæ creſcentis ſeu literæ C. effigies, conſtanti probatiſſimorum Scriptorum conſenſu aſſeratur; ſed hac de re vide ſuprà in voce *Lunula.* Calceorum *Patriciorum* vetus *Inſcr.* meminit: *Ædem. Honori. &. Virtuti. fecit. veſte triumphali. calceis. Patriciis.* Hæc de *Patriciis* veteribus, qui ex *Patribus* primis, qui & ipſi quandoque *Patricii* appellantur, ortum traxêre: Alia recentiorum ratio fuit. Temporibus enim Conſtantini M. cœpit *Patriciatus* culmen non niſi iis concedi, quos dignos cenſuiſſent Imperatores, ut ex *Zoſimi* relatione clarum eſt, cœpitque tum *Patricius*, quod maximæ erat poſt Imperatorem dignitatis nomen, appellari Πατὴρ βασιλέως *Pater Imperatoris* vel *Principis*, ut ſuprà diximus in voce *Pater*: habitaque eſt *Patricii* appellatio tam glorioſa, ut cum nomine Regio non rarò conjungeretur. Chron. Lauriſhamenſe MS. productum à Meurſio: *Otto Dei gratiâ Rex Francorum ac Longobardorum &* Patricius *Romanorum*, &c. Cujuſmodi *Patricius* inter alios Narſes erat, quem, cùm priùs Chartularius eſſet, *Patriciatus* honorem, propter merita virtutum, impetrâſſe, refert Paul. Varnefridus *de Geſtis Longobard. l.* 2. *c.* 3. De eodem Otto Friſingenſis *Chron. l.* 5. *c.* 5. *Itaque cùm Narſes* Patricius, *deletis Barbaris, Italiam in priſtinum ſtatum reduxiſſet*: & Freculphus *Chron. tom.* 2. *l.* 5. *c.* 23. *Contra quem Juſtinus Imperator Narſetem* Patricium *direxit*, &c. Adde Claudianum *in Eutropium l.* 2. *v.* 68.

> —— *Præſidium legum genitorque vocatur*
> *Principis, & famulum dignatur Curia Patrem.*

Corippum *l.* 2. *Num.* 8.

> *His ætas diſpar, ſed par votum atque voluntas,*
> *Ambo* Patricii, *dilecti Principis ambo?*

Et *l.* 4. *Num.* 5.

> Patricius *ſenio fulgens Calinicus honore,*
> *Qui Pater Imperii meruit jam factus haberi.*

Elii Conſtantini *Patricii* meminit *Inſcr. vetus*, apud Wolfgangum Lazium *Reip. Rom. l.* 4. *c.* 9. *Hic. jacet. Elius. Conſtantius. Vir. Conſularis. Comes. &. Magiſter. utriuſque. Militiæ. atque. Patricius. ſecundo. Conſul. ordinarius.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. paſſim. inprimis verò l.* 7. *c.* 5. & quæ jam diximus dicemuſque. Hujuſmodi *Patricii* totum habitum, in Anaſtaſio Conſule, latô clavô, togâ pictâ, tunicâ palmatâ, ſubarmali profundô, mappâ Circenſi, ſcipione eburneô, calceis quatuor corrigiis tranſverſim ſuprà pedem & mediô crure tenus adſtrictis, ſellâ tandem curuli inſignem, exhibet ex Diptycho Leodienſi Albertus Rubenius *de Re Veſtiaria l.* 2. *c.* 3. Vide quoque Ben. Balduinum *de Calceo* & Jul. Nigronium *de Caliga.* Addam ſaltem Caſauboni *ad Suetonii Jul. c.* 41. ubi de *Patriciorum* numero ſuppleto, verba: *Cauſam ſuppletarum toties patritiarum gentium aperit Dio l.* 32. --- *Veſpaſianus tandem in futurum proſpexit, ne facilè Patricii deſiderari poſſent, conſtitutis mille gentibus Patriciis.* Idem addit *veter.* hanc in rem Inſcr. ELECTIS. IN. FAMILIAM. PATRITIAM, *ibid.* Sed quomodo tandem omnes extincti, diximus ſuô locô.

PATRICII, Dii octo erant, *Janus*, *Saturnus*, *Genius*, *Pluto*, *Bacchus*, *Sol*, *Luna*, *Tellus*, qui & ipſi magnos in mundi adminiſtratione magiſtratus gerere putabantur.

PATRICII Franciæ eôdem ferè, quô apud Byzantinos, gradu in Regno hoc memorantur. *Lex* Ripuar. *tit.* 50. §. 1. *Si quis teſtes ad mallum ante Centenarium vel Comitem, ſeu ante Ducem* Patricium *vel Regem neceſſe habuerit, ut donent teſtimonium*, &c. Ubi *Patricius* Duci præponitur, & proximè poſt Regem locatur: quemadmodum & apud Marculfum *l.* 1. *tom.* 8. è quo etiam amplius diſcimus, *Patricios*, perinde ac Duces & Comites, provincias rexiſſe & populis jus dixiſſe ſuoſque habuiſſe diſtrictus, quos *Patriciatus terminos* vocat Fredegarius *Chron. c.* 90. Dein, in Burgundionum potius, quàm Francorum Regno, maximam hanc atque poſt Regem ſupremam dignitatem, aliam tamen à dignitate Majoris Domûs (licèt ſumma parque fuerit utriuſque potentia & auctoritas, *Patricioſque* domui etiam Regiæ præfuiſſe videatur indicare Cyprianus in *Vita* S. Cæſarii Arelatenſ.) viguiſſe. Quod etiam inde colligitur, quòd data primitus Sigiſmundo Burgundionum Regi ab Imperatore Conſtantinopol. legitur; in cujus aula cùm præcipua fuerit, etiam Burgundionum Reges primam in ſua eſſe voluerunt, niſi dicamus ſervatam *Patriciorum* in Burgundiæ atque adeò Provinciæ Regno dignitatem, eique attributam rerum adminiſtrationem, quòd Gothorum in Italia Reges, qui huic parti Galliarum, inclinante Romanorum Imperiô leges dabant, hanc regendam committerent Viris illuſtribus, qui *Patricii* dignitatem obtinebant; quâ certè donatus legitur Petrus Marcellinus Felix Liberius Prætorio Galliarum Præfectus, qui Concilio Arauſicano interfuit A. C. 529. ſub Theodorico II. Gothor. in Italia Rege, à quo reſtaurata fuerat Præfectu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fectura in Galliis A. C. 511. quæ dominantibus ibi Wiſigothis deſierat, ut obſervat Ægid. Lacarrius in *Hiſtor. Galliar. ſub Præfectis Prætorio.* Sed & ante hæc tempora Romanos Imperator. viros illuſtres, dignitate *Patricios*, in Gallias, qui eas regerent, miſiſſe ſatis convincunt, quæ de Ætio, Ægidio aliiſque habent Francici Scriptores. Utcunque res habeat, conſtat *Patricios Francicos*, promiſcuè *Patricios Galliæ*, vel *Galliarum*; item *Burgundiæ* vel *Maſſiliæ*, ſeſe inſcripſiſſe, quòd Regni Burgundici hæc urbs præcipua eſſet, atque in ea degerent Reges Burgundiæ, ut & Præfecti. Unde Fortunatus, de Bodegiſilo Duce *l.* 7. *Poëm.* 5.

Maſſiliæ Ductor felicia vota dediſti,
Rectoremque ſuum laude perenne refert.

Exercitus hos etiam ductâſſe, teſtantur paſſim Hiſtorici, è quibus eorum, qui hâc in Galliis, ſeu potiùs in Burgundico Regno, functi ſunt dignitate (omiſſis cœteroquin Galliarum *Patriciis*, quos Romani Imperatores ſubinde ſummisêre) ſeriem hanc, quam hic infrà ſubjicimus, eruit Car. du Freſne *Gloſſar.* apud quem etiam de *Patriciis Anglo-Saxonum* quædam.

SERIES PATRICIORUM FRANCIÆ SEU POTIUS BURGUNDIÆ.

Secundinus, qui primus occurrit hôc nomine inſignis, in *Vita* S. Johannis Abbatis Reomaenſis *l.* 2. *c.* 1. fortè idem cum eo, quem ſub Theudeberto Rege magnâ auctoritate viguiſſe, tradit Gregorius Turonenſ. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 33.

Placidus, Sapaudis Arelatenſ. Epiſcop. genitor, apud Baronium A. C. 556. *num.* 21.

Hecca, ex Primoribus Palatii, mortuô Clotariô miſſus, à Sigeberto Rege ut provinciam Maſſilienſem diſponeret, in *Vita* S. Eucherii Lugdunenſ.

Agricola, ſub Guntranno Rege A. C. 565. apud Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 4. *c.* 24. & Fredegarium *Hiſtor. Epit. c.* 55. quô amotô.

Celſus, *Patriciatu* donatus eſt ab eodem Rege, teſte Gregoriô eôd. *ibid.* Habetur epitaphium Silviæ matris Celſi Patricii, *Hiſtor. Franc. Tom.* 1. *p.* 516.

Amatus, Celſi ſucceſſor, ab eodem Rege in Longobardos miſſus, ab iis cæſus interiit A. C. 575. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 36. *Patricius Provinciæ* dicitur Paulo Warnefrido *l.* 3. *c.* 3. Eum excepit

Ennius, cognomine *Mummolus*, de quo agit Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 36. 37. 39. 40. *l.* 7. *c.* 34. 36. &c.

Ægilanes, ſeu *Ægila*, annô 24. Guntranni eâdem dignitate functus eſt, ut & annô 7. Theuderici, Fredegarius *Chron. c.* 2. 21.

Dinamius, *Patricius Galliarum* A. C. 593. 596. occurrit apud Gregorium M. *l.* 2. *Ind.* 11. *Ep.* 33. quem *Maſſilienſem* vocat Fortunatus *l.* 6. *Poëm.* 11. Ejuſdem Dinarii & Eucheriæ conjugis epitaphium habetur *Hiſtor. Franc. Tom.* I. *p.* 519.

Arigius, *Patricius de Galliis*, A. C. 596. 604. memoratur eidem Gregorio *l.* 5. *Ep.* 57. *l.* 12. *Ep.* 12.

Aſclepiodorus *Patricius in Galliis*, A. C. 599. 604. eidem Gregorio *l.* 7. *Ep.* 125. *Ind.* 2. *l.* 12. *Ep.* 17. An idem cum *Aſclipiado*, cujus mentio in *Decret.* Childeberti Regis, A. C. 595. Leudegiſilus, *Patricius partibus Provinciæ* ordinatur a Guntranno ann. 26. regni. Hermannus A. C. 5?7.

Gundobaldus & Wintrio, *Patricii* dicuntur Childeberti Auſtraſiorum Regis, qui poſt Guntrannum patruelem Burgundiæ Rex factus eſt, in *Geſtis Franc. c.* 36. Poſterior *Quintrio Dux Campanienſis* dicitur Fredegario *Chron. c.* 14. & 18. quô occiſô, inſtigatu Brunechildis, annô 3. Theodeberti,

Colenus, Francus, annô 3. Theuderici, ſucceſſit, vide Eundem *c.* 18.

Partherius, ſub Childeberto Rege memoratur Cypriano in *Vita* S. Cæſarii Arelatenſis.

Liberius, circa eadem tempora, apud Meſſanium in S. Cæſarii *Vita.*

Protadius, genere Romanus, Defunctô Wandalmarô Duce in Pago Ultrajurano & Scutingorum, *Patricius* ordinatur ann. 8. Theuderici, Fredegar. *c.* 24. quô, arte Brunechildis, itidem occiſô,

Vulfus ſubſtituitur, Id, *c.* 27. 29. Hôc perinde occiſô, Richomeres, genere Romanus ſubrogatur ann. 11. Theuderici, Fredegar. *c.* 29.

Philippus *Patricius*, occurrit in *Ep.* ad Deſiderium Epiſcop. Cadurc. *Ep.* 65.

Aletheus, annô 30. Chlotarii II. Fredeg. *c.* 43. 44.

Willibaldus, *Patricius* Burgundiæ, ſub Dagoberto Rege à Floacato Majore Domus interfectus, circa A. C. 651. Fredegarius *c.* 90.

Hector, vel *Hictor*, *in faſcibus Patriciatum Maſſiliæ* rexiſſe, Childebertô II. regnante, dicitur in *Vita* S. Leodegarii *c.* 5. Poſt quem *Patricii Provinciæ* aliquot occurrent, uſque ad tempora Caroli *M.* in veter. *Charta* Sammarthanis deſcriptâ in *Epiſc. Maſſil num.* 14. ſcilicet,

Memphidius, cui uxor fuit Adultrudis.

Antener ſeu Antherius, *Patricius Provinciarum* in *Charta veter.* dictus, maritus Sulpitiæ.

Metrano.

Abbo, qui videtur poſtremus eorum: dignitate poſtmodum ſub altera Regum ſtirpe extinctâ, Regibuſque ipſis aliàs hunc titulum ſibi aſſerentibus. Incertum verò, an is ſit ille *Abbo Patricius*, qui ſub Theodorico Francor. Rege vixit & Monaſterium Novalicienſe conſtruxit, ut in ejus Teſtamento legitur, in quo etiam memoratur.

Agnarius *Patricius.*

Bonitus poſteà, Arvernorum Epiſcop. à Theodorico I. Rege *Præfectus Maſſiliæ primæ Provinciæ* electus eſt, in *Vita* ejus. Sed an *Patricii* dignitatem geſſerit, incertum. Verùm, quanquam extincta in Francia fuiſſe videatur hæc dignitas poſt Pipinum & Carolum M. revixiſſe tamen videtur, ſub Regibus Burgundicis, qui poſt hæc in hiſce Galliæ provinciis regnavêre. Namque Juſtus *Patricius*, memoratur in *legat.* Synodi Martalenſis A. C. 879. ad Boſonem Regem Provinciæ deſignatum.

Erchinoaldus quoque Major-Domus Franciæ, *Patricii* titulô inſignitur à Beda *Hiſt. l.* 3. *c.* 19.

Richardus item Normanniæ Dux, ſeſe *Patricium* indigitat, in *Charta* A. C. 1015. apud Hemeræum in *Auguſta Veromand.* Quô eôdem titulô non ſemel donatur à Dudone *de Moribus, & Actis Normannorum. Hic Comes, Dux* Patriciuſque *ſummus.* Et infrà. *Patrici Ricarde, Comes, Dux, Marchio, Princeps.* Infrà, *Plaudebant omnes qui illis* Patricium *& Ducem tantorum bonorum incrementis largitus eſt cluentem.* Unde fortè eorum ſententia aliquid roboris acciperet, qui *Pares Franciæ*, à *Patriciis Francicis* deduci volunt, niſi aliunde conſtaret vocis origo. Ab eo tempore *Patricii* vox dignitaſque apud Hiſtoricos Francicos non occurrit: quod enim *Patriciatus Romani* dignitatem attinet, illud aliud quiddam fuit, ut paulò poſt videbimus.

PATRICII Purgatorium, Script. Hibern. *Ellanu Frugadori*, teſte *Guillelmô Camdenô*, locus Hiberniæ, per quem olim in inferos erat deſcenſus, ex *vita* S. Patricii Epiſcopi; ubi mira narrantur. In Ultonia reperitur, Comitatu Donegalliæ. *Ferrar. Baudrando Patricii purgatorium*, vulgò *le purgatoire de S. Patrice* Gallis, *S. Patrikes purgatory* Anglis, crypta eſt Ultoniæ ſive ſpecus anguſtior ſubterranea, juxta lacum *Ernu Liſſer*, de qua narrant S. Patricium Hiberniæ Apoſtolum, cùm ſeduiô navâſſet operam, ut hujus provinciæ populum converteret, & in hunc finem multa de futura vita diſſeruiſſet, & auditores ejus contemptim contra arguerent, niſi documenta ſive ſpecimina illorum & gaudiorum & dolorum, de quibus verba fecerat, vidiſſent, ſe uſum fructumque præſentium voluptatum vel ſpe vel metu rerum neſcio quarum futurarum minimè amiſſuros: Ille, ut fertur, obnixè Deum precatus, hoc impetravit, ut ſupplicia & cruciatus, quæ impii poſt hanc vitam perpeſſuri ſunt, ibidem oculis ſubjicerentur; ut hâc tandem ratione faciliùs & delicta & Ethnicos mores, qui adeò firmiter in Hibernicorum mentibus inſederant, radicitus evelleret.

PATRICII Romanorum, non alii fuêre, quàm Præfecti Romanæ Urbis: quam quidem dignitatem, poſtquam ſe à Græcanici Imperii jugo ſubduxêre, Longobardis etiam devictis ac ſuperatis, Pipino primùm, dein Carolo M. & Carolomanno, Francorum Regib. Romani ipſi adſcripsêre, ut colligere eſt ex Anaſtaſio, in *Vita* Stephani IV. Papæ: *Itaque in exordio ordinationis ſuæ, quô iſdem ſanctiſſimus Præſul Pontificatus apicem aſſumſit direxit Franciæ partibus, ad excellentiſſimos Viros Pipinum, Carolum & Carolomannum Reges Francorum &* Patricios *Romanorum.* Cujuſmodi Epiſtolæ complures Stephani ejuſdem & Pauli Pontific. occurrunt in *Cod.* Carolino 1. 4. 7. 8. 9. 41. 42. 45. 47. &c. ut & Adriani, ad eundem Carolum M. quarum pleræque, poſt devictos exactosque Longobardos, exaratæ, *Carolo Regi Francorum & Longobardorum atque* Patricio *Romanorum*, inſcribuntur. Donec hic poſteà, ablatô *Patricii* nomine, Imperator & Auguſtus ſalutatus eſt: à quo tempore, abſtinuêre deinceps hôc titulô gentis Francicæ Auguſti, ut qui Imperatoriæ dignitatis longè eminentiori obſcuraretur, eoque ipſi Romæ illi imperarent, tametſi in aliquot *veterib. tabulis* ſub eodem Carolo tum Imperatore in adſcriptis annis, *Rex Longobardorum & Patricius Romanus* adhuc indigitatur, apud Mabillonium *Tom. V. Vitar. SS. Ord. S. Bened. p.* 88. 89. Quippe *Patriciatus Romanorum* intelligendus propriè de Romæ, vel etiam Italiæ Præfectura, quæ à Patriciis, uti dictum ſuprà, regi ſolebat, ut etiam ſentit Nic. Alemannus *Diſſertat. de Lateranenſ. Parietinis c.* 11. Unde non mirum, ſi Carolus Imperator factus à *Patricii* titulo abſtinuit, cùm dignitas hæc Imperatoriæ ſubdita eſſet. Conceſſa autem ea fuerat à Romanis tribus præfatis Francorum Regibus, ut eſſent, qui Romam & Italicas provincias, cùm adverſùs Græcos, tum etiam Longobardos, eam acriùs infeſtantes, tutarentur defenderentque: Unde *Patricii & Defenſores Romanorum*, conjunctim ii vulgò appellati ſunt, ut diſcimus ex *Annalibus* Francorum Metenſibus A. C. 773. ubi *Tutoris* quoque titulus occurrit, Sic *Romanæ Reip. Patricius, Tutor & Defenſor*, junctim ſequuntur, apud Hug. Flaviniacenſem *Chron. p.* 223. &c. Non verò cum Carolo M. *Patricii* dignitatem omninò extinctam eſſe, colligitur ex Hadriani II. Pontificis Roman. *Ep.* 34. ad Carolum Calvum Regem. Adde quòd eam ambierunt poſtmodùm Germanici Imperatores & peculiaribus hujus dignitatis inſignibus interdum ii donati leguntur. Sic Otto I. *Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum*, inſcribitur apud Maibomium *ad Wittikind. p.* 123. Henricus III. *conventu Baſileæ habitô*, ſumptâ *coronâ Patricius Romanorum appellatus eſt*, &c. apud Bertholdum. Henricus IV. *Patriciatus honore & præter Imper. coronam auream torque* à Romanis donatus eſt, apud Leonem Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 80. Henrico V. Romani Patricii *aureum circulum* impoſuerunt, (poſt coronationem) *& per eum dederunt ſummum Patriciatum Romanæ Urbis*, apud Gulielmum Malmesburium *Hiſt. l.* 5. *p.* 167. Lotharius, *Coronam Patriciatus* accepit, apud Petrum Diaconum *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 120. &c. Imò & aliis interdum dignitas conceſſa: Alberico cuidam, inter quem & Hugonem Regem Italiæ Odo pacem compoſuit, apud Hugonem Flaviniac. A. C. 941. Creſcenti, qui contra Ottonem Imperatorem rebellavit, apud Vincentium Belvac. *l.* 24. *c.* 108. &c. Scribit quoque Otto Friſingenſis *l.* 7. *c.* 31. & 34. ex *Ep.* Lucii Papæ ad Conradum Imperator. Romanos tumultuantes, *Senatoribus quos antè inſtituerant*, Patricium *adjeciſſe, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filium eligentes omnia ei tanquam Principi*

ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſubjeciſſe, Præfecturæ dignitate abolitâ: ſed Eugeniô III. ſuccedente, pacem cum Romanis compoſitam, eâ conditione, *ut Patriciatus dignitatem exfeſtucarent, & Præfectum reciperent, Senatores verò ex ejus auctoritate tenerent*; quod actum fuit ſub A. C. 1145. &c. Vide Car. du Freſne *d. l.* Nec omittendum hîc, quod Hadr. Valeſ. monet, *Patricios Romanorum* & *Patricios Urbis Romæ* eoſdem fuiſſe, quos *Senatores* inferior ætas appellavit, qui eâdem, quâ olim Conſules, dignitate fungebantur, *Rer. Franc. l. 6.*

PATRICIUS, vicus Romæ dictus, quòd ibi *Patricii* habitaverint, jubente Serviô Tullô, ut ſi quid adverſus illum molirentur, ex locis ſuperioribus opprimi poſſent.

PATRICIUS, vide PATRITIUS.

PATRIDAVA, *Lazio Petterſdorff*, oppid. Valachiæ.

PATRIMI & matrimi, juſſu Heliogabali occiſi: *Cecidit & humanas hoſtias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis, credo ut major eſſet utrinque parenti dolor.* Æl. Lamprid. *in Antonino Heliogabalo*, *c.* 8. Iiſdem carmen indici juſſit Ulpius Syllanus, meliùs *Silanus*, apud Flav. Vopiſcum in *Aureliano*, *c.* 19. *Agite Pontifices, quà puri, quà mundi, quà ſancti, quà veſtitu animiſque ſacris commodi, Templum aſcendite, ſubſellia laureata conſtituite, veteranis manibus libros evolvite facta Reip. quæ ſunt æterna perquirite:* Patrimis *matrimiſque pueris carmen indicite: nos ſumptum ſacris, nos apparatum ſacrificiis, nos agris ambarvalia indicemus.* Quam tamen totam periodum, *Patrimis matrimiſque pueris* &c. aſſutam eſſe & adextam ſententiæ Viri Conſularis, cenſet Salmaſ. Quid enim eſt, inquit, *carmen indicere pueris patrimis?* quid eſt, *ſumtum ſacris indicere?* quod denique, *aris ambarvalia indicere?* An indicebat ambarvalia Senatus? Cur verò ambarvalium tantùm meminit, non autem amburbii? cujus magis debuit. Nam amburbium celebratum paulò pòſt dicitur; Ambarvalia tantùm promiſſa. Itaque hæc expungenda cenſet auctoritate Palatini libri & veter. editionis fretus, in quibus nullum horum verborum extat veſtigium, vide eum ad *d. loc.* At ſequitur, *Itum eſt deinde ad Templum, inſpecti libri, proditi verſus, luſtrata urbs, cantata carmina* &c. quod à *Patrimis* matrimiſque, in variis ſolennitatibus, fieri conſueviſſe aliunde notum. Loquitur autem Auctor de Marcomannorum terrore &c. Sed & in nuptiis Romanorum *Patrimi Matrimique* eligebantur quinque, qui totidem præferrent faces, & dum Hymenæus cantabatur, adſtarent, eôque finitô Sponſam ad thorum uſque antecederent: duoque præterea, qui colum cum lana & fuſum ferrent cum ſtamine, operis, in quo ea futura eſſet, auſpicia, uti diſcimus ex Jul. Cæſ. Scaligero *l.* 3. *Poëtic. c.* 101. & ſuprà videre eſt &c. Dicti autem *Patrimi* infantes, quibus *Pater* adhuc ſupereſſet: ſicut *Patrimus Pater*, qui, cùm pater eſſet, ipſe quoque adhuc Patrem haberet. Recentiori ævô dici cœpit *Patrimus*, qui de ſacro fonte infantem ſuſcipit, & *Matrima*, quæ eôdem officiô fungitur: cujuſmodi *Patrimum* unum ſaltem, & *Matrimam* itidem unicam voluit eſſe Hyginus I. numerô poſtmodùm apud varias gentes variè immutatô. Vide quoque infra *Patrinus*

PATRIMONIUM, propriè quod nobis à *Parentibus* relictum eſt & à Majoribus obtingit, Cicer. *l.* 2. *Ep. Famil. ad Cœlium:* adeoque res ipſas nobis relictas, ſicut *Hæreditas* jus à Patre relictum, denotat, Idem *de Offic. l.* 1. Variè ſumitur apud JCtos, ut vulgarem ſignificatum in præſens omittam, cùm triplices eſſent Principis facultates, Largitiones, Privatæ & Patrimoniales: *Largitionum* appellatione donatus eſt fiſcus ſeu theſaurus Principis, cui regendo præfectus erat Comes ſacrarum largitionum; Rerum *privatarum* nomine, intelliguntur bona Principis patrimonialia, quæ privati poſſident & in eorum hæredem tranſeunt, etiamſi non ſucceſſerit in Imperio, quibus gubernandis præerat Comes rerum privatarum. Denique per *Patrimonium*, ſacrum intelligitur, proinde diverſum à privato, cui præerat Comes S. *Patrimonii*, cujus curæ incumbebat: *regias*, ut ait Senator, *epulas ſolicitâ ordinatione diſponere*, ut & apothecas & enthecas aulicas, præterea prædiorum *Patrimonialium* proventus excipere &c. Quæ omnia pluribus explicat Cujacius *in Paratit. l.* 1. *Cod. tit.* 32. 33. 34. & *ad l.* 11. *tit.* 62. Atque ita domus Regiæ fundi appellantur Procopio *de bello Goth. l.* 1. *c.* 4. & 6. Χωρία τῆς Βασιλέως οἰκίας, ἃ δὴ Πατριμώνιον καλοῦσι, Car. du Freſne *Gloſſar.* Antoninum Pium *Patrimonium privatum in filiam contuliſſe, ſed fructus Reip. donaviſſe*, ait Jul. Capitolin. *c.* 7. quod an donatione inter vivos, an mortis causâ factum ſit, non memorat. Infrà quoque de eodem ſuprema ordinante ſcribit: *Privatum patrimonium filiæ reliquit.* Sed videtur etiam antè privata ſua bona filiæ Fauſtinæ utenda fruenda conceſſiſſe, unde eſt, quòd in villa Lanuvina & Commodus & Geta illi nati ſunt. Quòd autem dicit, *ſed fructus Reip. donavit*; videbatur contrarium magis rationi conſentaneum: fructus nempe filiæ donaret, proprietatem verò Reip. Quemadmodum Ambroſius cùm ordinatus eſt, prædia quæ habebat, reſervatô uſufructu germanæ ſuæ, donavit Eccleſiæ, ut ſcribit *Paulinus.* Fauſtina ſanè quid ex iis prædiis, quorum uſus fructus ad Remp. pertineret, commodi potuerit percipere, præter aliquam fortaſſe oblectationem, nihil erat, Caſaubon. *ad loc.* At Tacitus Imperator. *Patrimonium ſuum publicavit, quod habuit in reditibus HS, bis millies octingenties*, teſte Vopiſcô *c.* 10. quæ ſumma facit ſeptem milliones aureorum noſtrorum; *etiam Regum nonnullis hodie invidenda*, ut inquit Caſaubon. Sed unius Senecæ cenſus eam ſuperavit totis quingentis millibus coronatorum: is enim ter millies ſeſtertium rem habuit. Cenſus etiam Lentuli Auguris, Auguſti temporibus, quinque millionum fuit: quod minùs miremur, faciliuſque æſtimare liceat magnitudinem divitiarum Romanarum, Olympiodorus apud Photium ſcribit, ætate ſuâ, longè minus florentibus & opulentis Reip. temporibus & labente jam illâ, multas Romæ familias collegiſſe ex annuo reditu ſexcenta quadraginta millia aureorum, h. e. paulò minùs duos milliones librarum. Sic enim verba ejus interpretatur Salmaſ. ut quadraginta octo aureos in libram auri incurrere faciat; tot enim aurei in libram auri computabantur etiam Vopiſci tempore; aut (quia Olympiodori Hiſtorici, qui ſub Theodoſio vixit, temporibus, ſeptuaginta duobus aureis aurea libra æſtimabatur) quinquaginta quatuor auri centenaria efficiant monetæ noſtræ ſexcenta millia coronatorum, ut numerus ſit rotundus. Ita autem is, Ὅτι πολλοὶ οἶκοι Ῥωμαίων πρόσοδον κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐδέχοντο ἀπὸ τῶν κτημάτων αὐτῶν ἀνὰ τεσσαράκοντα χρυσοῦ κεντηνάρια, χωρὶς τοῦ σίτου καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰδῶν, ἃ εἰς τρίτον συνέτεινεν εἰ ἐπιπράσκετο τοῦ εἰσφερομένου χρυσίου. Ub Κεντηνάριος, *Centenarius*, centum libras auri ſignificat, cujus vocis frequens mentio, apud Græcos Latinoſque Auctores recentioris ævi. Atque hunc fuiſſe cenſum primariorum civium, ſuâ ætate, ſcribit auctor, mediocres autem in reditu habuiſſe quindecim, & decem auri centenaria: Idemque refert, viginti centenaria in Præturam filii Symmachum, qui ex mediocribus erat Senatoribus, impendiſſe; Maximum verò, unum ex opulentis, alterum tantum ſumtuum in filii ſui Præturam feciſſe &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. d. l.*

PATRIMONIUM S. Petri, provinc. Italiæ, ſub Pontifice inter Tiberim ad Ortum & partim ad Septentrionem, Marcam ad Occidentem, mare Tyrrhenum ad Meridiem, ejus caput Viterbium. Eſtque inter Campaniam ad Ortum, & Ducatum Caſtrenſem ad Occaſum. Aliàs pars Hetruriæ. *Patrimonium Apoſtol.* quoque dictum, de cujus Rectoribus, vide infrà voce *Rector.*

PATRIMONII S. PETRI URBES.

Balneoregium, *Bagnarea.*	Nepetum, *Nepi.*
Bracianum, *Braciano.*	Sutrium, *Sutri.*
Centumcellæ, *Civitavecchia.*	Tuſcania, *Toſcanella.*
Cornuetum, *Corneto.*	Viterbium, *Viterbo*, provinciæ caput.
Mons Phiſco, *Monte Fiaſcone.*	
Vulſinium, *Bolſena.*	

PATRINUS, Ἀνάδοχος, *Sponſor*, qui aliquem de ſacro fonte ſuſcipit, quòd ſit quaſi *Pater*, Eraſmus *Colloq.* Unde *Pater ex lavacro* dicitur, *Hiſtor.* Franc. Tom. I. *Ep.* 5. Domnizo de *Vita Mathildis l.* 2. *c.* 1.

Qui Pater in lavacro fuerat Regis ſacro ſancto.

Hinc filiali obſervantiâ colendus, *Chron.* Urſperg. A. C. 1114. *Infantes ſuos in Sabbatho ſancto Paſchæ & Pentecoſtes cum candelis & cappa quæ dicitur veſtis candida, &* Patrinis *conſtantibus ad Baptiſmum deferunt — ne etiam filios ſuos & filias ſuas ad Baptiſmum teneant, ſed ſibi* Patrinos *quærant, Patrinis etiam fidem & amicitiam, ut carnalibus parentibus, ſervent.* Ubi *Patrinus* aliquoties legimus, quemadmodum & in *LL.* Henrici I. Regis Angliæ *c.* 79. alibique: Gall. *Parrain.* De quorum numero, Higinus Epiſcop. Roman. de *Conſecr. diſt.* 4. *In Catechiſmo & in Baptiſmo & in Confirmatione unus* Patrinus *fieri poteſt, ſi neceſſitas cogit. Non eſt tamen conſuetudo Romana, ſed per ſingulos ſinguli ſuſcipiunt.* In aliquot verò Conciliis & Synodis plures ſtatuuntur adhibendi, *In levatione ſcil. maris duo mares & una fœmina, in fœmina verò levatione unus mas & duæ fœminæ*, in Eboracenſi A. C. 1195. *c.* 4. Sariſberienſi A. C. 1217. *c.* 19. Wigornienſi A. C. 1240. *c.* 5. Colonienſi A. C. 1280. *c.* 4. Exonienſi A. C. 1287. *c.* 2. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Occaſio *Patrinorum* iſtiuſmodi ſeu Sponſorum aut Suſceptorum, à perſecutionibus olim Chriſtianorum fuit, quibus ferventibus, ut aliqui Baptiſmo teſtes eſſent, ii aſſumti ſunt; moreque poſteà, licèt neceſſitas tantopere non urgeret ampliùs, in Eccleſia retentô. Ab his baptizando nomen imponebatur (quod etiam hodieque variis in locis obtinet) iiſque baptizatus, de fonte eductus, à Miniſtro tradebatur; à quibus acceptus, lac & mel (poſtquam à primæva Baptiſmi ſimplicitate declinari cœpit) degustabat, quò ſic *infantaretur*, Tertulliani verbô, &c. Franc. Burmannus *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 2. *l.* 7. *c.* 7. §. 14. Ex ſponſione hac cognationem ſpiritualem, quæ etiam matrimonio impedimentum ponat, oriri, tradunt Scriptores Pontificii. Unde Concil. Sariſberienſe A. C. 1217. *c.* 24. *In hoc Sacramento* (Confirmatione, namque & hîc *Patrini* in Communione Romana adhibentur) *contrahitur proximitas ſpiritualis, ſicut in Baptiſmo, inter illos, qui ſuſcipiunt pueros & illos quorum ſunt pueri & inter pueros ſuſceptos.* Quod ab aliis non admittitur. Idem. Vide quoque ſuprà *Filiolitas*; item *Compatres*: ac infrà, *Sponſor* & *Suſceptores.*

PATRIPASSIANI, qui *Patrem* paſſum eſſe aſſerebant. Hæretici fuêre à Praxea orti, *Unde eos etiam* Patripaſſianos *appellari vetuſtus oſtendit*, Ferrandus Diac. *Ep. ad Severum.* Marcellino Comiti *Deipaſſiani* dicuntur in Anaſtaſio: Namque Patrem cum Filio & Spiritu S. eandem perſonam eſſe hallucinati ſunt. Contra quorum Anteſignanum ſcripſit Tertullian. librum peculiarem circa A. C. 210. Poſt Praxeam Victorinus hæreſim corroborare conatus eſt, ut ait idem *fine libri de Præſcript.* Eandem tuebatur Hermogenes Tertulliani quoque σύγχρονος: poſt eum Noëtus, & hujus diſcipulus Sabellius, qui circa A. C. 250. circiter exortus eſt. Unde *Sabelliani* tales, & quia de Pentapoli erat Sabellius, *Pentapolitana* doctrina hæc damnabilis nomen accepit. Scripſit verò contra hunc Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus, & poſteà Athanaſius. Eandem hæreſin everterunt Confeſſiones ac Decreta Conciliorum, Antiocheni, Niceni, Conſtantinopolitani I. & Romani, ſub Damaſo, celebrati; in quibus omnibus alius à Patre Filius declaratur. Vide Auguſtin. *Hær.* 41. Tertullian. *d. l.* Euſebium *Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 5. Anathaſium *Orat.* πρὸς τοὺς Σαβελλίζοντας, Theodoretum *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 11. Epiphanium *Hær.* 57. & 62. Alios, laudatos Joanni Forbeſio *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 3. §. 5. nec non voce *Sabellius.*

PATRIS Patriæ titulus, Imperii auſpiciis, inter alia inſignia Augu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Auguſtis conferri ſolitus. Ita enim de Probo Flav. Vopiſcus vel potiùs apud eum Manlius Statianus qui primæ ſententiæ tunc in Senatu erat, *c.* 12. *Decerno igitur P. C. vobis omnium concinentibus, nomen Cæſareum, nomen Auguſtum, addo Proconſulare Imperium PATRIS PATRIÆ reverentiam, Pontificatum Max. jus tertiæ relationis, Tribunitiam poteſtatem.* Quem honorem Jul. Cæſari jam, pòſt obitum ejus, collatum fuiſſe, diſcimus ex Suetonio *c.* 85. *Plebs ſtatim à funere ad domum Bruti & Caſſii contendit --- ſolidam columnam prope XX. pedem lapidis Numidici in Foro ſtatuit, ſcripſitque PARENTI PATRIÆ.* Item *Dione*, Πρός τε τέ... τοιούτοις ὅσι ΠΑΤΕΡΑ τε αὐτὸν τῆς ΠΑΤΡΙΔΟΣ ἐπωνόμασαν, καὶ εἰς τὰ νομίσματα ἐχάραξαν, *Poſt hæc PARENTEM PATRIÆ illum nuncuparerunt, ſuisque numiſmatibus inſculpſerunt.* Cujuſmodi nummum, ab una parte Cæſaris effigie, ab altera *hâc Inſcr.* C. CÆSAR PARENS PATRIÆ EXS. C. exhibet Cl. Patinus, *ad Sueton.* ubi etiam monet, vivo jam Cæſari nomen id à Senatu datum eſſe, ſuperatô ad Mundam Sextô Pompejô & civilibus bellis paſſim compoſitis. Aliùs *ibid.* nummus, PARENS PATRIÆ. DIC. QUART. præfert. A' quo tempore titulus hic Imperatoribus tributus. Antoninus tamen Pius *Patris Patriæ nomen delatum --- diſtulit*, apud Jul. Capitolin. *c.* 9. ut & ante ipſum Hadrianus, de quo ſic Spartian. *c.* 6. *Patris Patriæ nomen ſibi delatum ſtatim & iterum poſteà diſtulit, quòd hoc nomen Auguſtus ſero meruiſſet.* Sed moram hanc non longam, imo fortaſſe minimam, ne dicam nullam, fuiſſe, Lapis indiciô eſt, ſecundô ejus Conſulatu poſitus, h. e. paulò pòſtquam Imperium Hadrianus ſuſcepit. Ita autem is; IMP. CÆS. TRAJAN. HADRIANUS. AUG. P. M. TR. POT. COS. II. P. P. ſimileſque alii: è quibus rectè conjecit *Onuphrius*, Hadrianum, unà cum Imperio, omnes unà ſuſcepiſſe titulos Auguſtis ſolennes, Quod adeò verùm eſt, ut reperiantur nummi, ad celebrandam adoptionis ejus memoriam, in quibus eadem eſt appellatio. Ut in iſto: IMP. CÆS. TRAJAN. HADRIAN. OPT. P. F. AUG. GERM. DAC. PARTHIC. DIVI. TRAJANI. AUG. F. P. M. TR. P. COS. P. P. ADOPTIO. nec mirum, nam teſtamentô adoptatus, cum Trajani nomine & Imperium & omnia Imperii ornamenta, quantumvis initiô aliquâ diſſimulatione uſus, re tamen ipsâ, & ſuſcepit & geſſit, Caſaubon. *ad loc.* Neque verò Auguſti ſolùm id nominis tulêre, ſed & Auguſtæ ſimili titulô nunnunquam ornatæ: quod docet nummus Liviæ, Patino præfato exhibitus, *ad Sueton. Aug. c.* 63. cum *Inſcr.* JULIA AUGUSTA GENETRIX ORBIS &c. Vide quoque ſuprà in voce *Pater.*

PATRITIUS, Conſul cum Hypatio, An. Urb. Cond. 1254.

D. PATRITIUS, D. Martini ſororis fil. A. C. 433. à Celeſtino Papa in Hiberniam miſſus, Hibernos ad Chriſti fidem aſſiduis ſacri Euangelii prædicationibus, vitæ probitate, honeſtiſque moribus, & exemplis apprime Chriſtianis ſtatim convertit: Secundus eorum, pòſt Palladium, Epiſcopus, per An. 60. poſtquam in juventute ſervus An. 16. ætat. ad An. uſque 24. dura paſſus fuiſſet. Sigebert. *in Chron. A. C.* 432. Baron. *A. C.* 431. Baleus, *de Script. Angl. Cent.* 1. *c.* 43. *&c.*

PATRITIUS Franciſcus, Cliſsâ oriundus, corpore exili ac deformi, animô ingeniôque excelsô, *omnium Italorum*, Erythræô judice, *doctiſſimus*, in Philoſophia primus ad Gaſſendi & Carteſii methodum viam ſtravit, Platoniſque doctrinam 17. annos profeſſus eſt publicè. Alfonſo II. & Clementi VIII. magni habitus, hujus invitatu Romam venit, ac ſuos *Parallelos Militares*, tanti Scaligero æſtimatos, *Ep.* 119. *l.* 2. edidit, aliaque Teiſſerio enumerata *Elog. l.* 2. inter quæ *Dialogos* ejus *Hiſtoricos*, ſummopere extollit Naudæus; illoſque cum Bodini Dialogis, omnibus reliquis Scriptorum in hoc genere monumentis anteponit. Sed Taſſi gloriæ invidiſſe, videtur nonnullis, Obiit A. C. 1597. ætat. 67.

PATRITIUS Franciſcus, Senenſis, auctor libri *de Republica, de Regno & Regis inſtitutione.* Aliùs cognominis, è Sclavonia, Italicè edidit *Expoſitionem Oraculorum Leonis Imperator.* Teiſſier. *ibid.*

PATRIUMPO, inter Boruſſorum olim idola, vide infrà *Pruſſia.*

PATRIUS Apollo, apud Servium *ad Æn. l.* 3. *Alii in templo Apollinis aram fuiſſe inſcriptam*, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟϹ, i. e. *Patrii Apollinis. Ab hoc, quod Icadios Apollinis & Nymphæ Lyciæ filius, cùm in adultam ætatem veniſſet, primò regionem, in qua natus erat, à matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, ſortes & cortinam conſecravit, & ut illum patrem eſſe teſtaretur*, Patora *cognominavit. Inde cùm Italiam peteret naufragiô vexatus delphini tergô exceptus dicitur, ac prope Parnaſſium montem delatus patri Apollini templum conſtituiſſe & à delphino iocum Delphos appellâſſe: aras deinde Apollini conſecrâſſe quas ferunt vulgò patrias dictas.* Cœteras appellationis hujus conjecturas vide *ibid. ad v.* 332. Aliâ ratione

PATRIUS Mavors, apud Papin. Statium occurrit *Theb. l.* 4. *v.* 111. ubi de Tydeo.

——— *patrius ſtat caſſide Mavors:*

ſimulachrum eſt minutum caſſidi impoſitum, uti interpretatur vetus Scholiaſtes: malè de pictura verba capiente Lutatiô. Sic apud Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 785.

——— ——— *galea alta chimæram*
Suſtinet ———

Aptè autem id geſtaminis Tydeo tribuit Poëta, utpote Martis nepoti. Vide Caſpar. Barthium *Animadverſ. ad l.* & ſuprà diximus in vocibus *Caſſis, Conus, Galea.*

PATROBAS, nomen viri, Rom. *c.* 16. *v.* 14. Alius eſt de quo Martial. *l.* 2. *epigr.* 32. *v.* 3.

Vexat ſæpe meum Patrobas confinis agellum,
Contra libertum Cæſaris ire times.

PATROBIUS, Neronis Imperatoris libertus, qui arenam Nili ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis ſibi ex Ægypto advehi faciebat, Plin. *l.* 35. *c.* 13. A Galba punitus; ſedante ejus tumulum caput à militibus, nec non lixis calonibuſque ſuffixum ac laceratum eſt, Tacit *Hiſt. l.* 1. *c.* 49.

PATROCLES, terrarum hiſtoriam condidit. Erathoſtene ſaltem antiquiorem fuiſſe cognoſcimus inde, quòd eum hic teſtem laudavit, uti docet Strabo *l.* 11. Patriam ejus non addit. Sciri alioquin poſſet, an alius ſit *Patrocles* Thurius, de quo Clemens *Protreptico*, Etiam *Patrocli* neſcio cujus ſenarii aliquot leguntur, apud Stobæum *Serm. de Inſperatis eventibus.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 39.

PATROCLI inſula, Pauſan. *l.* 1. *Patrocli vallum Strab.* Inſula parva Atticæ, inter Piræum portum & Sunium promontor. *Ferrar.*

PATROCLIDES, aſſentator Philippi, Macedonum Regis.

PATROCLIDES, inter Politicos Athenienſes & non exiguâ auctoritate; ſed infirmitatis ſuæ nomine ridebatur etiam à Comicis, quòd veſtimenta concacaret, unde & χεσᾶς, h. e. *Cacator*, vulgò audiebat. Vide Ariſtoph. *Avibus ejuſque Scholiaſten.*

PATROCLUS, Menoëtii fil. & Stheneles, qui occisô per ludum aſtragalorum Cleonymô, ſeu, ut aliis placet, Æante Amphidamantis filiô, ſolum vertens, in Phthiam venit, ubi à Peleo propter generis propinquitatem ſuſceptus eſt, & unà cum Achille apud Chironem educatus, cum quo arctiſſimâ amicitiâ junctus vixit: poſteà etiam cum eo ad expeditionem Trojanam profectus eſt, ubi armis Achillis indutus cum Hectore pugnans, ab eodem confoſſus occubuit. Quod cùm reſciviſſet Achilles, tametſi, propter ereptam ſibi ab Agamemnone Briſeida, bellô abſtinere omnino conſtituiſſet, nihilominus mutatô propoſitô, acceptis etiam à Thetide matre aliis armis, à Vulcano fabricatis, ad bellum rediit, nec quievit ex animo, quàm ſocii mortem crudeliſſimè vindicâſſet. Ovid. *l.* 1. *Ep.* 3. *ex Ponto, v.* 73.

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

Sidonius Apollinaris:

Sic Phrygium Emathiâ victorem cuſpide poſcens
Æacides, cæſi luctum frænavit amici.

Lucianus ait, Patroclum fuiſſe Achillis paraſitum, & morionem Idomenei regis Cretæ, qui ad Trojam cum Græcis pugnavit. *Actorides* Ovidio dicitur *Metam. l.* 13. *v.* 273.

Reppulit Actorides, ſub imagine tutus Achillis,
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.

Item Menœtiades. Idem Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 17.

Sive Menœtiaden falſis cecidiſſe ſub armis.

Nic. Lloydius. Apud Jontum. divinis illum honoribus cultum fuiſſe, teſtis eſt Clemens *Romanus Recognit. l.* 10. qui idem Hectorem Helenamque ab Ilienſibus: quemadmodum Sarpedonem à Troadis incolis, Plin. *l.* 13. *c.* 13. Proteſilaum ab Abydenis, Melam *l.* 2. *c.* 2. Autolycum à Sinopenſibus, Strabo *l.* 12. tradunt, pro Numine habitos, apud Gerh. Joh. Voſſium *de Origine & progr. Idololatriæ l.* 1. *c.* 21.

PATROCLUS, dives quidam fuit, ſed maximè ſordidus ac parcus. Hic enim, poſteaquam ad ſummas opes evectus eſt, aut, ut alii dicunt, ex quo natus eſt, nunquam balneô uſus eſt, parſimoniæ causâ. Taxatur ab Ariſtophane *in Pluto.* Unde proverbium; *Patroclo ſordidior*, Eraſmus, *in Adag.*

PATROCLUS, temporibus Neronis, ad Conſulatum uſque ex infimo genere provectus, juxta Capitolium inambulationem ſtruxit cum latrinis; quas Martialis *l.* 12. *epigr.* 78. *v.* 9. appellat *ſellas Patroclianas* à conditore. Sunt tamen, qui ſic dictas volunt haſce cellas à *Patroclo* Ariſtophanico, qui χέσας quaſi *cacator* audiebat. Vide Turneb. *Adverſ. l.* 3. *c.* 26. & ſuprà, in *Patroclides.*

PATRON, Dux 4000. Græcorum, in exercitu Darii, fide erga Regem ad ultimum invictâ.

PATRONATUS Jus, hodie aliter jure Civili, aliter Cononicô accipitur. Nam jure Civili appellatur hoc jus, quod *Patroni* in libertorum perſona boniſque habent, operarum ſcil. exactionem, inteſtati ſucceſſionem, bonorum poſſeſſionem contra tab. *tit. de jur. part.* Vide ſuprà *Papia*, & infrà *Patronus.* Jure verò Canonicô, *jus Patronatus* (ſeu *Advocationem* ſeu *Cuſtodiam* ſeu aliô nomine quis illud appellet) eſt jus idoneos Rectores in Eccleſiis inſtituendi, Epiſcopo offerendi &c. quod alicui in Eccleſia acquiritur eô, quod ipſe vel ejus Majores templum poſuerint, ædificârint vel opibus non minimùm auxerint, è quo jure cum utilitate honor & onus ſimul reſultant. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Brandmyllero *Jus Patronatus* eſt, quod quis Clericus vel Laicus habet in Eccleſia, quam ædificavit vel dotavit, vel fundavit. *C. nobis* 25. *X. de Jure Patron. c. piæ memoriæ* 16. *& ibi gl.* 16. *q.* 7. *c. filius.* 3. 16. *q.* 7. *c.* 18. *q.* 2. Conſiſtit autem potiſſimùm in jure præſentandi inſtituendum ad beneficium vacans, *gl.* 1. *can. piæ ment.* 16. *q.* 7. *c.* 1. §. *ædificatoris. q.* 5. *c. quicunque.* §. *fin. c. decernimus c. Monaſterium. verſ. liceatque. c. illud.* §. *fin.* 16. *quæſt.* 7. Et quidem Laico *Patrono* quatuor tantùm menſes ad præſentandum, à vacationis tempore, conceduntur & indulgentur, *Can. cùm propter X. de jure Patron.* Collegio verò ſive Clericis ſex menſes, *Can. nulla X. de conceſſ. pr.* Unde eſt, quòd *Patronus* Laicus (ut cui minus temporis conceſſum) licèt præſentet indignum, tamen ſuô jure ſeu poteſtate præſentandi non privetur, Clericus verò; ſi eligat vel præſentet indignum, ipsô jure ſit privandus vel privetur, *c. cùm vos X. d. off. Jud. ord.* Acquiritur porrò hoc jus fundatione, ipsô jure, etiamſi Patronus id ſibi non reſervaverit, modò illud non remiſerit, *C. nobis ibi.* ut pro quo etiam non vigilante, ipſa Jura vigilant, Jac. Brandmyllerus *Manud. ad Jus Canonic. & Civ.* Tandem *Patrono* ſeu funda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tori Eccleſiæ id honoris debetur, ut, ſi ad inopiam redactus fuerit ab Eccleſia ei officioſè ſuccurratur. Unde verſiculi,

Patrono debetur honos, onus, emolumentum,
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus &c.

Illis verò mortuis illini parietes ſacros nigrô colore, intus & extra, in tæniæ ſeu limbi ſpeciem lituriſque hiſce adponi, per certa intervalla, depicta illorum inſignia conſueviſſe, diximus ſuprà voce *Litra.* Κτητορικὸν δίκαιον apud *Pachymerem*, jus hoc dici, videbimus infrà, voce *Poſſeſſor.*

PATRONUS, qui alium tuetur, quorum origo hæc: Diviſô universô Populô in Patricios & Plebejos, arctiſſimô utroſque vinculô colligaturus Romulus, commendavit, teſte *Dionyſiô Halicarnaſſæô*, Patriciis Plebejos, optione cuique è vulgo datâ, ut, quem vellet, *Patronum* ſibi legeret: & inter alia, conferens hunc morem cum Theſſalorum & Athenienſium priſcorum inſtituto, negotium hoc appellatione honeſtâ decoravit; nominando *Patronatum* tutelam pauperum & humilium, excogitatis mutuis utrinque officiis. Oportebat autem *Patronos* clientibus reſpondere de jure, cujus illi rudes eſſent, & abſentium æquè ac præſentium curam gerere, facientes quidquid pro filiis Parentes ſolent, quod ad pecunias & contractus attinet, & ſuſtinere accuſatoris impetum & quietem eis à publicis privatiſque negotiis parare. Viciſſim Clientum erat, *Patronos* juvare elocantes filias, ſi his pecuniæ eſſet parùm, & ab hoſte captivos redimere: privatarum quoque litium æſtimationes & multas publicas pecuniarias pro iis ſolvere, idque ſumtu propriô, non quaſi fœnoris locô, ſed ob referendam gratiam: Publicorum porrò impendiorum quæ Magiſtratuum honorumque cauſâ fiebant, eſſe participes non ſecus ac genere conjunctos. Utriſque commune erat, nefas eſſe alteris accuſare alteros, aut adverſum dicere teſtimonium, ferreve ſuffragium, aut cenſeri inter inimicos: quorum aliquid ſi quis facere deprehenſus eſſet, tenebatur Lege de Proditoribus, quam ſanxit Romulus, convictumque ejus criminis cuivis licebat, ut Diti ſacrum, interficere. Quô factum, ut per multas ætates permanſerint mutua *Patronorum* atque Clientum officia, haud ſecus, quàm cognatæ neceſſitudines, poſteris per manum tradita: Eratque maxima laus Nobilium, habere Clientes quàm plurimos, tam hæreditariarum Clientelarum, quàm virtute partarum propriâ, ac ingens certamen utriſque, ne vincerentur mutuâ gratiâ & benevolentiâ, dum Clientes nullum *Patronis* negarent miniſterium, viciſſim *Patroni* nullô ſe paterentur corrumpi pretiô, ut illos proderent: Hæc ex Dionyſio *l.* 2. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 16. Nec in periculis ſolùm negotiiſque omnibus domi *Patrono* aderant Clientes, ſed & foris ac in bello, licèt illis *onus militiæ annexum non eſſet*, Gerh. Niger *l.* 1. *de Feudis.* Proin Claudianus *in Ruffinum l.* 2. *v.* 76.

——— *Circumquaque arma clientum*
Agmina privatis ibant famulantia ſignis:

Et cœnam *popularem* dominis ſuis in æde ſacra inſtituebant, teſte Plautô *Trinummô Actu* 2. *Sc.* 4. eoſque in Forum euntes comitabantur. Corrippus *l.* 2. *num.* 6.

Intonuit Patrum ſubitus fragor, inde Clientum
Clamores creſcunt:

Dextræ *Patronorum* dicti, ut colligere eſt ex Statio *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 183.

——— *Vidi omni te pridem in flore nitentem,*
Vidi altè propiùs, propiuſque accedere dextra &c.

Tales apud Theſſalos *Peneſtæ*, apud Athenienſes *Thetæ*, quos tamen à Patronis ſuperbiùs indigniuſque habitos, refert Lazius *Reip. Rom. l.* 1. *c.* 3. De Libertorum *Patronis* in eadem Athenienſ. Rep. Vide apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 2. *tit.* 6. & ſuprà in voce *Liberti.* Sed nec in Urbe modò Clientelæ celebres erant, verùm & in agris villiſque, Urbibus, Regnis, ac provinciis, quæ ultrò in poteſtatem potentis alicujus cedebant, cujus *Patrociniô* protegerentur. Hinc ſæpenumero Senatus controverſias Civitatum ac Gentium ad earum *Patronos* remiſit eorumque judicia habuit rata. Loquuntur de his Valentinianus & Valens Augg. *C. Theodoſ. Ne colonus inſciô dominô: Non dubium eſt colonis, arma quæ ſubigunt, uſque adeo alienandi jus non eſſe, ut ſi qua propria habeant, inconſultis atque ignorantibus* Patronis, *in alteros transferre non liceat.* Nec minùs Artificum Collegia ſuos habuiſſe *Patronos*, quibus ſtatuas in Foro, aut alio quodam loco celebri, erigebant, ex variis patet Inſcr. antiquis, Tergeſti in Iſtria, Reatæ in Italia; Bergomi ibidem, ut & Urbini extantibus, quarum ultima ſic habet: *C. Veſnio. C. F. Stell. Vindici. Populi Urbini. Patrono. ſuo & Municipii. Æd. III. vir. Curandar. Trib. mil. leg. VIII. Aug.* &c. Imo & privatô quandoque nomine ſtatuis *Patronos* à clientibus fuiſſe honoratos, docet *Inſcr.* in Hiſpaniis iſta: *L. Domitio. Gallicano. Papiniano. C. V. leg. III. Aug. pr. pr. provinciæ. Germaniæ. infer. leg. Aug. pr. pr. Dalmatiæ. Coſ. devotiſſimo & innocentiſſimo. Aurelius. Julianus. Patrono, incomparabili.* Facit eodem illuſtris Claudiani locus *Panegyr. de Conſul. Manlii Theodori, v.* 24.

Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Quæ nunc tota probat, longi ſed pignus amoris
Exiguæ peperêre moræ, populumque clientem
Publica manſuris teſtantur vocibus æra:
Inde tibi Macetûm tellus & credita Fella
Mœnia, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum loc. cit.* & ſuprà in voce *Clientes.* Hinc itaque deſcendit Jus *Patronatus* celebratiſſimum, de quo vide inprimis Gregor. Toloſanum *Syntagm. l.* 17. *c.* 4. & alios. Dicuntur & Advocati *Patroni cauſarum.* Scholiaſtes Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 142. *Togati ſint tibi ante pedes qui litigent, qui te conſulant. Et Patronus cauſarum actor.* Diolcetianus *Imp. l.* 4. *C. de poſtul. & Advocatos Patrocinia præſtare dixit.* His cùm dignam facundiæ mercedem exhibere clientes non poſſent, januas tamen coronâ appenſâ honeſtabant. Senec. *l.* 2. *de Ira c.* 7. *Judex, damnaturus quæ fecit, eligitur & corona pro mala cauſa bonâ* Patroni *voce corruptâ.* Ubi Juſtus Lipſius *coronam*, interpretatur *audientiam ſive conſeſſum aut multitudinem ſpectantis populi*, ſed indubiè de corona, quæ victoriæ indicium offerebatur Advocato, ibi ſermo eſt. Auſonius *in Profeſſor. Epigr.* 2. *v.* 7.

Palma forenſis, & Camœnarum decus,
Exemplar unicum in literis, &c.

Iiſdem, Kalendis Januariis munuſcula quædam offerebant, ut videre eſt apud Auguſtin. *Homiliâ de Kal. Januarii.* Vide iterum Dempſterum *ubi ſuprà.* Erant autem hi cauſarum *Patroni* in lacernis purpureis ſub Domitiano ac Nerva & fortaſſe Trajano quoque, ut innuit Juvenal. *Satyr.* 7. *v.* 134.

Spondet enim Tyrio Silataria purpura filo.
Cauſidicum, vendunt Amethiſtina: convenit illis
Et ſtrepitu & facie majoris vivere cenſus.

Lacernæ ergo purpureæ clientes alliciebant: nam Lacernas in cauſis adhibitas, idem Poëta alibi docet, *Sat. ult. v.* 45.

——— *Jam facundo ponente lacernas*
Cæditio.

Quanquam non ita compertum ſit, verba ſunt Ferrarii, fueritne ille Cæditus *Patronus* an Judex: & ſi *Patronus* fuit, quia illum facundum appellat, cur poſuerit Lacernas: Non quòd defatigatus eſſet expectando, non enim mora æſtum affert, neque dicendo delaſſatus, nondum enim cauſa cœpta erat. Fortaſſe quia dicturi Lacernas deponebant, in quo tamen hæſito, cùm Auctor Dialogi *de cauſis corr. Eloq. c.* 39. etiam Pænulas in agendo adhibitas dicat. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 25. Prudentio *Hymn.* 1. & 2. *Periſteph.* Paulino *Epiſt.* 3. *da Sever.* & alibi. *Sancti*, præcipuè *Tutelares*, ut vocant, *Patroni* dicuntur, unde in Communione Roman. *Patrocinia Sanctorum* reliquiæ ſunt Sanctorum, quorum patrocinia invocantur, Aimoinus *de Mirac. Benedicti pretioſiſſimæ reliquiæ, beatiſſimorum Confeſſorum Eucherii & Verani.* Vide Auctores laudatos Car. du Freſne in *Gloſſar.* ut & ſuprà aliquid, voce *Mundiburdia.*

PATRONUS Voluſianus, conſul cum Gallieno Auguſto, A. Urb. Cond. 1011.

PATROVISSA, urbs Tranſylvaniæ in limite Moldaviæ, ad montium radices, vix 6. milliar. ab Aluta fluv. 15. leuc. Germ. à Libinio in Occaſum, uti 23. ab Alba Julia; *Braſſaw.*

PATRUINUS, vide *Manlius.*

PATRUM Canones, dictus *Codex Canonum*, Græcè Βίβλος Κανόνων, aliàs *Corpus Canonum*, item *Corpus Codicis Canonum*; Poſt tempora enim Synodi Nicænæ primæ, Eccleſia duplici jure uti cœpit, *divinô*, quod in S. Literis & *canonicô*, quod in Canonum Codice continebatur. Qui codices ambo ſequentibus temporibus in Conciliis, in medio conſeſſus poni cœpêre, ut ex iis dogmata pietatis explorarentur, obortæ hæreſes refutarentur & controverſiæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſacramque politiam pertinentes, dirimerentur. Voluêre nempe *Patres* Eccleſiam habere corpus certum regularum ſui juris, quas ex certis Conciliis collegêre; eaſque certô & immutabili numerô complexi ſunt, ut hôc quaſi vallô & murô ſeptum Eccleſiaſtici juris corpus adverſùs falſi crimen undique tutum eſſet: ſicque vis omnis juribus, extra collectiones publicâ auctoritate vagantibus, adimeretur; Relati autem hi Canones in Diptycha ſunt Eccleſiaſtica, ſpeciatim ad hanc rem comparata, uti docet Juſtinianus *leg.* 7. *C. de ſumm. Trinit.* §. 5. Μηδεὶς τοίνυν μάτην ἡμᾶς ταραξάτω ἐλπίδι ματαίᾳ κρατούμενος, ὅτι ἡμεῖς ἐναντίον τῶν εἰρημένων δ. συνόδων ἐπράξαμεν ἢ πράξομεν ἢ πραχθῆναι παρά τισι συγχωρήσομεν ἢ περιαιρεθῆναι τὴν τῶν εἰρημένων τῆς ἐκκλησίας αὐτῶν, ἁγίων δ. συνόδων ὁσίαν μνήμην ἐκ τῶν διπτύχων ἀνεξόμεθα, *Nullus itaque fruſtra nos turbet, ſpe vana nixus, quaſi nos contrarium à ſupradictis quatuor Conciliis fecerimus aut faciamus, aut fieri à quibuſquam permittamus, aut aboleri eorundem ſanctorum quatuor Conciliorum piam memoriam, ex dictis Eccleſiæ diptychis ſuſtineamus.* Atque hoc fortè denotat verbum περιπλύσσεσθαι *Novell.* 115. *c.* 4. §. 14. *pr.* quod cùm perperam verteretur *amplecti* & recitare; meliùs *diptychis inſerere* vel *inſcribere*, redditur, Gerh. van Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccleſ. num.* 47. Et hic Eccleſiæ univerſæ Canonum Codex fuit: an verò hic Britannicis quoque Eccleſiis olim cognitus fuerit, an peculiarem illæ habuerint, non adeò liquet. In *Antiqq.* certè Britannicæ Eccleſiæ, proditum eſt, Theodorum Archiepiſcopum librum protuliſſe, qui *Patrum Canones* vocabatur; quem & in Concilio Herfordienſi A.C. 673. probatum eſſe, ex Bedæ *Hiſtor. Eccl. l.* 4. conjicere licet: *Annô tertiô Ecgfridi Regis Theodorus cogit Concilium Epiſcoporum, unà cum eis qui Canonica Patrum ſtatuta diligerent &c.* Et paulò pòſt: *Rogo dilectiſſimi Fratres, ut quæque decreta ac diffinita ſunt à ſanctis ac probabilibus* Patribus, *incorrupta ab omnibus nobis ſerventur —— Cumque explêſſem prolocutionem, interrogavi unumquemque eorum per ordinem, ſi conſentirent ea, quæ à Patribus canonicè ſunt antiquitùs decreta, cuſtodire; ad quod omnes conſacerdotes noſtri dixerunt: optimè omnibus placet, quæque definiverunt ſanctorum Canones Patrum, nos quoque omnes alacri animo libentiſſimè ſervare. Quibus ſtatim protuli eundem librum Canonum, & ex eodem libro decem capitula* &c. Cujus Codicis Britannici ſpecimen exhibet idem JC. *num.* 89. Fuit autem hic Theodorus Româ miſſus in Angliam, ut Archiepiſcopus eſſet Doruvernenſis, Patriâ Tharſenſis: unde colligere eſt, Librum illum Canonum, quem ille in Concilio Herefordienſi protulit, eundem ipſum Eccleſiæ Romanæ Canonicum Codicem fuiſſe. Namque & in allocutione ad Epiſcopos, roganti illi, *Si conſentirent ea, quæ à Patribus Canonicè ſunt antiquitus decreta?* reſponderunt; *Optimè*

Optimè omnibus placere, quæ definiverunt ſanctorum Canones Patrum. Quibus verbis ſatis innuere videntur, intelligere ſe antiquorum Conciliorum Canones. Et vix auſus fuiſſet Theodorus alium Codicem, quàm Romanum, Eccleſiæ Britannicæ obtrudere, quia inſpector ei erat additus Adrianus Monachus, *ut doctrinæ*, verba ſunt Bedæ *d. l.* cooperator *exiſtens, diligenter attenderet, ne quid ille in contrarium veritati, fidei Græcorum more, in Eccleſiam, cui præerat, introduceret.* Maſtricht ubi ſuprà. Juſtellus tamen Codicis hujus collectorem Theodorum facit, adeoque particularem eum propriumque Eccleſiis fuiſſe Britannicis, contendit *Præf. ad Cod. Can. Eccleſ. Univerſ.* quem vide, uti plura in hanc rem ſuprà ubi de *Canonibus Concil.* &c.

PATTÆCION, infamis quidam calumniator; cui cùm mos eſſet bonis viris calumnias ſtruere, hôc tandem fœdô quæſtu parare rem deprehenſus, convictuſque pœnas capite luit, & popularibus comitiis lapidatus eſt, quòd fur eſſet, & ædium perfoſſor. Unde proverbium: *Pattæcione calumnioſior.*

PATULCIUS, Janus ſic dictus, quòd tempore belli portæ ejus *pateant.* Vel ab aperiendi, ſecundùm anni partes, præſertim veris & hyemis viciſſitudine. Ovid. *Faſt. l.* 1. *v.* 127.

Inde vocor Janus, cui cùm Cereale ſacerdos
Imponit libum, farraque miſta ſale,
Nomina ridebis: modò namque Patulcius idem,
Et modo ſacrificô Cluſius ore vocor.
Scilicet alternô voluit, rudis illa vetuſtas,
Nomine diverſas ſignificare vices.

PATUMUS, urbs Arabiæ. *Stephan.* Gentile *Patumius*, vel *Patumenus.*

PATYCUS, urbs Oenotrorum mediterranea *Stephan. Paula Barrio.* vide ibi.

PATZINACÆ, populus Scythiæ Europææ, qui & *Baſilii*, quorum regio *Podolia Ortel.* Sed Podolia regio Bodenorum aliis, aliis Tyrangitarum.

PAVAODOS, urbs inſulæ Mindanao, unius ex Philippinis, *Nat. Metel.*

PAUCA, oppid. olim, nunc pagus, aliis *Paula*, hodie eſt *Porto Polo*, in Corſica, *Brietio.* Aliis eſt in ſinu *Talabo*, in ora Occidentali inſulæ ad oſtia Titiani fluvii, 30. milliar. à Bonifacio in Circium *Baudr.*

PAUCA, pro PAUSA, apud Æl. Spartian. in *Peſcennio Nigr. c.* 9. ubi de Commodo, cùm prius legeretur, *quibus adeò deditus fuit, ut & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret:* Longè diverſam in Palatino lectionem obſervavit Salmaſ. qui ſic habet, *Et omnes paucas expleret.* Unde reponit, *Et omnes pauſas expleret: paucas* pro *pauſas*, ut in *Heliogabalo* Idem, *c.* 20. *facelaribus* pro *faſelaribus*, dixit. *Paucas* autem *explere* hîc idem, quod *pauſas edere*, apud Eundem in *Caracalla*: *Cùm Antoninus Commodus ita ea* (ſacra Iſidis) *celebraverit, ut & Anubim portaret & pauſas ederet.* Certæ nempe videntur fuiſſe pauſæ conſtitutæ, in quibus pauſabant, qui portabant Anubim, quas *pauſas* nunc *ſtationes* dicunt. Has omnes cogebantur explere, qui ſacra Iſidis ferebant, cumque certis locis requieſcebant, ubi ſtatutæ erant illæ pauſæ, & ſimulachrum deponebant, *pauſas edere* & *explere* dicebantur. Gloſſæ, *pauſat*, ἀναπαύει. Arnob. *l.* 5. *Pauſata circum arboris robur*, h. e. ἀναπαυομένη, qui locus vulgò in mendo cubat. Ad certas autem arbores ſacras, aut ſacella quædam, diſtributas has pauſas, eaſdemque ſemper repetiſſe, veriſimile eſt, quotieſcunque Anubim portarent, Salmaſ. *ad l.* vide quoque infrà in voce *Pauſa.*

PAVENTIA, Dea ab antiquis conſtituta, ut averteret *pavores* ab infantibus, atque inde etiam appellata, teſte D. Auguſtin. *l.* 4. *de Civ. Dei, c.* 11.

PAVERATA Veſtis, memorata Plinio, *l.* 8. *c.* 48. cùm ait: *Lanam cum colo & fuſo Tanaquilis in templo Sangi duráſſe prodente ſe, auctor eſt M. Varro, factamque ab ea Togam Regiam undulatam, in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat uſus.* Et paulò pòſt, *Undulata veſtis prima è lautiſſimis fuit, inde ſororiculata defluxit. Togas raſas Phrygianaſque D. Auguſti noviſſimis temporibus cœpiſſe, ſcribit Feneſtella. Crebræ* Papaveratæ *antiquiorem habent Originem: jam ſub Lucilio Poëta in Torquato notatæ.* Ubi pro *Papaveratæ* legit Scaliger *Paveratæ*, ut ſint bene percuſſæ, quomodo *pavera* frumenta multùm trita, ut granum deglubatur. *Pavera* autem à *paviendo*, Pavire τὸ παίειν, vide eum *ad Cirin Virgilianam.* Sic itaque *Paveratas* veſtes intelligas graviter preſſas & calcatas, pectineque percuſſas, i. e. eaſdem cum ſpiſſis ac pavidenſibus: Ut crebræ ſint, quales *Sophocli* dicuntur σπαθητὰι ἐσθῆτες. Vide Octav. Ferrarium de re *Veſtiar. l.* 2. *c.* 11. & ſuprà quoque in voce *Papaveraca.*

PAVILLANUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

PAVIMENTUM, & Muſivum, doctiſſimis quibuſdam hujus ſeculi Viris, idem: Salmaſio verò tantum inter utrumque intereſt, quantum inter ſolum & cameram triclinii. Nunquam enim apud ullum Auctorem, *Pavimenta* de muſivo picta aut ſola de muſivo ſtrata, occurrunt: ſemper cameris & apſidibus aſſignatur muſivum, ut ſolo *pavimentum.* Idem tamen eſt utrumque opus & teſſellatione utrumque contexitur, unde *Ars pavimenti*, apud *Lucillium.* Sed, ut *Pavimentum* nunquam de camera, ſic nec muſæum de pavimento, etſi ſcripſerit Plin. *l.* 36. *c.* 25. *Pavimenta de humo pulſa tranſiiſſe in cameras.* Cameram igitur, trullum, apſidem, legimus ubique muſivo picta, ſolum autem aut ἔδαφος nunquam. Plinius *l. eod. c.* 21. *Non prætermittenda eſt & pumicum natura. Appellantur quidem ita & cætera ſaxa eroſa annis; in ædificiis Muſæa vocant dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam.* Ubi videmus Muſæa propriè dici in ædificiis, non *pavimenta*, ſed arcuaturam ad ſimilitudinem ſpecus arte effictam. Quam differentiam Codinus religioſè obſervans, cùm eôdem opere ſolo, parietes & cameræ decorarentur, πάτωσιν vocat, quod in ſolo poneretur: ὀρθομαρμάρωσιν, quod in parietibus: in cameris verò & pendentibus μουσίωσιν. Et πάτωσιν quidem, διὰ συγκοπῆς teſſellatum opus, quod ex ſectione fit minutorum lapillorum: ἐπάτησε, inquit, τοὺς αὐτοὺς περιπάτους μετὰ συγκοπῆς, *ex ſectili pavimento ſtravit.* Idem alibi, Τὸν δὲ παῖον διὰ ποικίλων καὶ πολυτελῶν μαρμάρων παρέστρωσεν; cujuſmodi ποικίλα καὶ πολυτελῆ μάρμαρα, *marmora in exemplis*, vocat Anaſtaſius *in Leone III. Ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit.* Fuêre namque marmora hæc *exemplata*, h. e. figurata & imaginata, Græcis recentioribus ἐξομπλωτά; fiebantque operè teſſellatô, in *Epiſtolis* Pontificum *Ep.* 67. *Præfulgidos atque nectareos regalis potentiæ veſtræ per Arminum Ducem ſuſcepimus apices, in quibus referebatur, quòd palatii Ravennatis civitatis muſiva atque marmora cœteraque exempla, tam in ſtrato, quàm in parietibus ſita, vobis tribueremus.* Sic de parietibus quidem ὀρθόστρωσις, de *pavimento* vero στρῶσις uſurpatum &c. Eadem verò ψηφολογικὰ dicta, quæ à λιθοστρώτοις clarè diſtinguit Plinius, *loc. cit.* cùm ſcribit, *Pavimenta expuliſſe* λιθόστρωτα: propriè enim *Pavimenta* τὰ ψηφολογικὰ dicta fuiſſe, docent *Gloſſæ*: *Pavimentum*, ψηφολόγημα: ψήφωσιν etiam Græci vocabant. Ψήφωσις, *pavimentum*; & ψηφωτή *glarea*, ψηφὶς autem & ψηφωτὴ idem eſt. *Gloſſæ* optimæ, *teſſellatum*, ψηφοθέτημα & *teſſellat*, ψηφοθετεῖ. Eædem χονδροβολίας ἔδαφος vocant, ἀπὸ τοῦ βάλλειν & nomine χόνδρος, quod *glaream* quoque, & minutiſſimum calculum, deſignat. Iſtiuſmodi *pavimentum* ſtibadii marmoreum, orbibus & ornatis figuris diſtinctum, etiam indigitari Juvenali, in *v.* 173. *Sat.* 11.

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem:

ſunt qui putent; ſed menſam hîc ex Lacedæmonio marmore intelligi debere eruditè oſtendit Salmaſ. Addantur quædam ex Anaſtaſio loca, ad meliorem præcedentium intelligentiam. Ille igitur in *Hadriano*: *Fecit autem & in Patriarchio Lateranenſi triclinium majus ſuper omnia triclinia nomini ſuæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmiſſima & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis columnis tum porphyreticis quamque albis & ſculptis cum vaſibus & liliis ſimul poſtibus decoravit cameram cum apſida de muſivo.* Ubi apertè *Pavimentum* diſtinguit à Muſivo, quô ſolô cameræ *ornabantur.* Idem *ibid. Præfatus verò ſanctiſſimus Pontifex juxta Eccleſiam B. Petri Apoſtoli fecit in triclinio majori miræ pulchritudinis decoratam apſidam de muſivo ornatam, & apſidas duas dextra lævaque ſuper marmore & picturâ ſplendentes & in* pavimento *marmoreis exemplis ſtratis*: ubi marmorea exempla pavimento aſſignat, muſivum apſidibus. Idem *eod. l. Ædificavit Eccleſiam cum apſida ampliſſima & cacumina mirifica de muſivo atque cameram decoratam ſeu presbyterium, & pavimentum marmoribus pulchris ornavit.* Nuſquam aliter apud eundem reperias, niſi apſidas muſivô decoratas, *Pavimenta* verò marmoreis exemplis ſtrata: ſicque nunquam de iis muſivum uſurpatur. Quamvis *Pavimentorum* opus eâdem ratione & formâ componatur, quâ muſiva, ex parvis variiſque teſſellis aut lapidum ſecturis, quibus diverſæ formæ & figuræ, avis aut piſcis aut hominis &c. exprimuntur, de quibus abunde *ad Suetonium* Caſaub. Vide Salmaſ. *ad Æl. Spartian l. c. Pavimenti* χρυσωθέντος, meminit *Codinus.* Uti autem *teſſellata* pavimenta diverſa fuiſſe diximus, à *lithoſtrotis*, quæ ſub Sylla originem ſumsêre; Lithoſtrata enim ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtrata erant, ex diverſi generis & coloris marmoribus non tinctis, cùm teſſellata, ex parvis teſſellis, h. e. calculis quadratis in varios colores tinctis, fierent: ſic & à *Sectilibus* diſtinguenda ſunt. *Sectilia* namque, apud Sueton. *in Cæſare, c.* 46. quem ait, ſectilia & teſſellata pavimenta in expeditionibus circumtuliſſe: nihil aliud, quàm λιθόστρωτα ſunt, ſectilibus cruſtis pavita, h. e. cruſtis in varias figuras, (non animalium, uti de teſſellatis diximus) ſed ſcutulas ſeu rhombos, trigona, quadrata & favos, i. e. hexagona, ſectis; Cujuſmodi figuris hodieque fiunt ſectilia pavimenta è ligno, ut & latere coctili. Vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1214. Exemplô *Pavimenti* teſſellati, quale ſuprà deſcriptum, egregiè Providentiam illuſtrat Auguſtinus (*de Ordin. l.* 1.) cui etiam maximè inordinata conveniunt plenumque quæſtionibus eſſe aut pleriſque ſaltem videri dicens, quòd membra pulicis diſpoſita mirè atque diſtincta ſint, cûm intereà humana vita innumerabilium perturbationum inconſtantiâ verſetur ac fluctuet, *Sed hôc pactô*, ſubjungit, *ſi quis tàm minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius teſſellæ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis & compoſitionis ignarum: eò quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret, à quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni colluſtrarique poſſent. Nihil enim minus eruditis hominibus accidit, qui univerſam rerum coaptationem atque concentum, imbecillâ mente complecti & conſiderare non valentes, ſi quid eos offenderit, quia ſuæ cogitationi magnum eſt, magnam rebus putant inhærere fœditatem.* Vide Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purioris c. VIII.* §. 13. & *de Pavimentis*, inter ſarcinas Ducum, Caſaubon. *ad Julium Suetonii c.* 46. In genere verò *Pavimentum* bibulum habebant veteres ex carbonibus, ſabulo, calce & favilla mixtis, ut infrà dicemus voce *Scobs.* Vide quoque infrà *Stratura.* Quod vinô odoriferô reſperſiſſe veteres habes in voce *Vinum*: uti *ſuper Pavimentis* luctam, aliudque exercitamenti genus, ubi de *Volutatoria lucta.*

PAVISARII, memorati Thomæ Walſinghamo *in Ed. III. Venientem contra eum cum* 7. *millibus electis armatorum aliiſque armatis* Paviſariis, *ac baliſtariis in numero exceſſivo.* Aliàs *Paveſari*, & *Paveſiatores*, Gall. *Paveſſiers* ſeu *Paveſcheurs*, apud Froiſſardum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Volum. 4. *c.* 13. milites fuère, *pavaſiis* in prœliis belliſque inſtructi. Erant autem *Pavaſia*, *Canano* παβέζια, Cambro-Britannis *Pafais*, ſcuta grandiora, quibus tecti milites hoſtes impetebant. Deſcribuntur ſic à Wilh. Britone *Philipp. l.* 10.

Hunc pracedebat cum parma garcio; ſub qua
Nil ſibi formidans obſeſſos damnificabat
Aſſiduè, poterat nec ab illis damnificari,
Aſſeribus latis dum parma protegit ipſum,
Quam nexu taurina tegit ſeptemplice pellis.

Eorundem ſeriem in navigiorum marginibus olim exponi ſolitam Galliſque *Paveſade* appellatam, deſcribit Joannes Cantacuzenus, *l.* 2. *c.* 11. ubi navalem Andronici Palæologi Imperatoris ad Chienſem expeditionem proficiſcentis apparatum commemorat: Ἦν δὲ ἅμιλλα πολλὴ τοῖς τριηράρχαις, ἑκάστου φιλονεικοῦντος πολυτελείᾳ καὶ λαμπρότητι παρασκευῆς τοὺς ἄλλους ὑπερβάλλεσθαι, καὶ τά τε ἄλλα ἐξηρτύοντο πρὸς τὸ μεγαλοπρεπέστερον, καὶ τὰ πληρώματα ἐκόσμουν ἰδίοις παρασήμοις, ἔν τε ὅπλοις καὶ ἀσπίσιν. Ἦσαν γὰρ οὐ τυχόντων, ἀλλὰ τῶν τε εὐγενῶν καὶ μεγάλα δυναμένων. *Tum non levis trierachis contentio incidit, dum quilibet cœteros ſumtuosô ſplendidôque apparatu ſuperare nititur, & cùm alia magnificè inſtruit, tum claſſiariorum arma & clypeos ſuis inſignibus exornat, nec enim de infima plebe, ſed viri nobiles & admodum copioſi erant.* E quibus verbis Car. du Freſne colligit, Byzantinos ævi recentioris Auguſtos non minùs, ac cœteras nationes, armorum inſignibus uſos eſſe, *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſm. num.* 11. Vide quoque eum *Not. ad Villharduinum.* Græcis ejuſmodi *Paviſarios* nauticos Τοιχάργους dictos eſſe, diſcimus ex *Polluce* & *Suida.* Claudian. *de Conſulatu Manlii*, *v.* 42.

Ac velut exertus lentandis navita tonſis
Præficitur lateri cuſtos &c.

Vide quoque ſuprà *Clypeus.*

PAULA, Romana quædam mulier, quæ, mortuô maritô Toxociô, ſuas facultates indigentibus erogavit. Diſcipula erat Hieronymi, pietate & ingeniô illuſtris: Scipionum Gracchorumque tradux: mater ex marito filii unius, & filiarum quatuor. Hebræam addidicit linguam, in ſeceſſu Bethlehemitico, quò eò exactius ſacram Scripturam, delitias ſuas, intelligeret. Obiit A. C. 404. in delibatum Virtutum Chriſtianarum exemplar. Ætat. 56. menſ. 8. die 21. Hieron. *in ejus vita*, *in Epiſt.* &c.

PAULA, oppid. Calabriæ citerioris, *Paola*, quibuſdam eſt Patycos, 10. milliar. à Conſentia in Occidentem, 13. ab Amantea in Boream, vix 2. ab ora maris Tyrrheni.

de PAULA Franciſcus, vide *Franciſcus.*

PAULI Gregorius, vide *ibi.*

de PAULA Vincentius, vide *Vincentius.*

PAULI Hieronymus, vide *Hieronymus.*

PAULI Matthias, vide *ibi.*

PAULI Theodoricus, vide *ibi.*

S. PAULI Fanum, oppid Britanniæ minoris olim *Leon*, Epiſcopi ſede clarum, *Metel.*

PAULIACUM, de quo ſic Filibertus Gemeticenſis Abbas: in fundo Amalberti illuſtris ac potentis Viri *Pauliaco*, ad 10. lapidem à Gemetico Cœnobium Puellarum eſt, cui Auſtraberta Virgo prudens, & nobilibus parentibus genita præeſt. A *Paulo* aliquo nomen accepit: nunc *Poüilly* Eccleſiâ S. Auſtrabertæ & oppidulô etiamnum clarum. Monaſterium verò *Pauliacenſe* à Normannis pridem everſum eſt, & ex Abbatia Prioratus evaſit. Alterius *Pauliaci*, Floriaco Monaſterio proximi, meminit Arevaldus *de mirac. S. Benedicti*, *c.* 37. Hic pagus nunc *Poüilly* dicitur, prope Floriacum. Vide Hadr. Valeſii *Notit. Gall.*

PAULIACUS, nunc *Pouillac*, pagus Aquitaniæ ad Garumnam, ex adverſo Blaviæ 6. leucis infrà Burdegalam in Circium. Vide quoque ſuprà.

PAULIANISTÆ, vide PAULUS *Samoſatenus.*

PAULICIANI, Hæretici à *Paulo* quodam nomen nacti, de quibus vide infrà voce *Poplicani.*

PAULINA, Sentii Saturnini, Syriæ Præſidis ſub Auguſto, conjux, nobilis & prudens matrona, dolô ſacerdotum Romæ in æde Iſidis ſtuprum paſſa eſt, idque circa initia principatûs Tiberii. Hiſtoria ſic habet: Nobilis quidam, Mundus nomine, impudicô ejus amore flagrans, cùm nec prece, nec pretiô ducentis mille drachmarum, illius caſtitatem inflectere poſſet, fame emori conſtituit. Quod ut averteret Ida, una ex patris ejus libertinis, Iſidis Sacerdotes aurô corrupit, ut illi Paulinam ad ſecretum cum Anubi colloquium invitarent, ſic enim cupere Deum. Paret Paulina, & in idolejo decumbens, à Mundo ignara decipitur. Quod cùm poſteà reſciviſſet, maritus tantum effecit apud Tiberium, ut Iſiacos illos popas, cum prædicta Ida, cruci affixerit, idolô in Tiberim, Mundoque in exilium conjectô. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 4. Boccat. *de Mul.*

PAULINA, Senecæ Philoſophi uxor, cum marito, à Nerone condemnato, mori voluit: jamque venas, ad ejus exemplum, inciderat, ſed impedit conatum Nero. Nihilominus per reliquum vitæ, in vultu pallor, ſanguinis exhauſti & conjugalis amoris indelebile ſignum, remanſit. Vide Tacitum *Annal. l.* 15. *c.* 63. 64.

PAULINA, ſoror Hadriani Imperatoris nupta Serviano prænomine *Julio*, qui ad tertium Conſulatum pervenit, in quo habuit collegam Vibium Verum, annô Hadriani 17. mori tandem ab hoc coactus, Æl. Spartian. *Hadriano*, *c.* 1. Vide quoque infrà in voce *Servianus.*

PAULINA Potio, memoratur Dietmaro *l.* 6. *p.* 80. *Marchio Lutharius in Occidente infirmatus & potione* Paulinâ *inebriatus, ex improviſo obiit.* Fuitque, ut videtur, venenata, cujuſmodi potione poſteà extinctus Henricus VII. Imperator datâ à Paulino, Monacho Ordininis Prædicatorum: cujus meminêre Rythmi in obitum ejus facti,

In grandi ſtat triſtitia
Exercitus militia,
De Principis ruina,
Quam feritas damnabilis
Manuſque deteſtabilis
Coagulat Paulina.

Apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Lætus verò ex Nauclero *Gener.* 44. de hujus Imperatoris morte iſta habet: *Imperator —— plebem & Pontificem offendit, qui ei adverſarium Robertum Apuliæ Regem ſuſcitavit, quem Imperator proſcripſit, Florentinos obſedit; Verùm abiis, ſubornatô Bernhardô Monachô Dominicanô, venenum ſub ſacramenti ſpecie hauſit, conversô per ſceleratum calice vitæ in calicem mortis. Et ut benignum Cæſarem videas, ſentiens venenum, monuit parricidam,* ô Domine recedatis, nam ſi percipient devoti noſtri malum, quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini. Deus vobis ignoſcat! *Verùm pœnam non effugit, captus excoriatus, Monaſterium exuſtum* &c. Ubi potione quidem venenatâ necatum Ludovicum, ſed à Bernhardo quodam, memorat.

PAULINI Prædia, *Porcati Villa di Ruvignas*, villa & locus Carnorum, apud Forum-Julii, *Plin.*

PAULINUS, vide *Suetonius*, & *Paulinus Suet.*

PAULINUS, Epiſcopus Trevirenſis, ſucceſſor S. Maximi. Contra Arianos fidem egregiè tuitus, horum artibus in Phrygiam deportatus eſt, ibique exul obiit. A. C. 356. Hieron. *in Chron.* Sulpic. Sev. *l.* 2. *c.* 53. 55. Athanaſ. *ep. ad Sol. & apol. de fuga.* Socr. *l.* 2. *c.* 9. Sozom. *l.* 4. *c.* 8. Item, Presbyter, diſcipulus Ephremi, in S. Scriptura probè verſatus, & magni in Eccleſia nominis. Nihilominus, mortuô Magiſtrô, dominandi cupidus, ad Schiſmaticos tranſiit. Gennad. *c.* 3. *de Vir. Illuſtr.* Item, auctor lib. *de initio Quadrageſima, de die Dominico Paſcha: de Pœnitentia: de Obedientia: de Neophytis.* Item. Vir eruditione inſignis, in aula Theodoſi Junioris. Occiſus hujus juſſu, quòd Eudoxia Imperatrix pomum inſigne à marito muneri acceptum, illi tradidiſſet.

PAULINUS Antiochenus, Epiſcopus Euſtachio ſurrogatus, tum cùm Meletius quoque præeſſet. Accuſatus Sabellianiſmi, contrarium probavit, familiaritate Athanaſii. Dein quoque cum Meletio pace factâ, Romam venit, Damaſi opem contra Flavianum, Meletii ſucceſſorem, imploraturus. Obiit A. C. 389. Socr. *l.* 3. Theodoret. *l.* 3. Sozom. *l.* 6. Ruffin. *l.* 1. Baronius *in Annal. A. C.* 362. *& ſeqq.* Item, Epiſcopus Antiochenus, Philogoni ſucceſſor, Ann 19. Obiit. A. C. 324.

PAULINUS Aquilejenſis Patriarcha, Grammaticus inſignis, Carolo M. gratus. Scripſit *de SS. Trinitate*, adverſus Elipantum Toletanum, & Felicem Urgelitanum, qui liber *Sacroſyllabus* dictus eſt. Ducheſnius aliud ejuſdem auctoris *contra eundem Felicem opus* edidit. Obiit A. C. 803. ſedis 26.

PAULINUS Nolanus Epiſcopus; adeò miſericors fuit, ut cùm in captivis redimendis omnes fortunas ſuas effudiſſet, filium viduæ mulieris, corpore ſuô in ejus vicem ſervituti addictô, redemerit. Diſcipulus & Diaconus. Natus erat Burdigalæ, vel in agro ejus, amicus Auſonii. Vide hunc *epigr.* 24. quod Paulinus gratus agnovit, illius Carmini ſic reſpondens:

Tibi diſciplinas, dignitatem, literas,
Linguæ & famæ decus,
Provectus, altus, inſtitutus debeo, &c.

Dein Conſul Romæ factus, A. C. 375. poſteà à Delphino, Epiſcopo Burdigalenſi, baptiſmum accepit, atque in ſolitudinem cum Theraſia, vel Tereſia uxore ſe ſubduxit: quod cùm Auſonius non probaret, cauſâ hujus mutationis, vel in atram Paulini bilem, vel in Uxoris pellaciam rejectâ, *ep.* 23. *v.* 30.

Si prodi Pauline, inquit, *times, noſtraque vereris*
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua neſciat iſtud.

Cui iterum Paulinus:

——— *Nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia Conjux.*

Pòſt hæc, in Italiam profectus, ſub Ambroſio, in S. Scriptura & omnifariâ virtute accuratiùs edoctus, Nolæ dein Epiſcopus factus eſt. A Vandalis poſtmodum in Africam abſtractus, rediit Nolam, ibique obiit, A. C. 431. ætat. 78. Scripſit *Epiſtolas & Poëmata*; quæ edidit Heribertus Roſveidus, Jeſuita, A. C. 1622. cum notis variorum. Vide *Ambroſ. Auguſtin. Hieron. Gregor. Eucher. Caſſiodor.* &c. Item Auſon. *in Epiſt.* Idacium & Proſper. *in Chron.* Sulpic. Sev. *Hiſt. l.* 2. Gennad. *Catal. c.* 48. Sigebert. *c.* 14. Barthium *Adverſ. l.* 60. *Scaliger. Voſſ. Baronium, Gabrielem* Urbæum, *Chron. Burdigal.* &c. *Nic. Lloydius.* Primus hic uſum Imaginum Hiſtoricarum in templis inveniſſe legitur, rejectum etiam tum à Baſilio, Cyrillo, Auguſtino, Chryſoſtomo, Epiphanio, &c. Mart. Chemnitius *de Imaginibus.*

PAULINUS Conſul, cum Johanne, An. 1251. Urb. Cond. cum Juliano, anno celebrati Concilii Niceni. Item cum Optato, octennio pòſt. Item, Presbyter Mediolan. qui Auguſtini ſuaſu, ipſi vitam S. Ambroſii inſcripſit, A. C. 401. vel 402. ſtylô admodum ſimplici exaratam. Vide Sigebert. *de Viris Illuſtr. c.* 14. Iſidor. *Hiſpal. c.* 17. Jac. du Brueil, *notis ad Iſid.* Baron. *in Annal.*

PAULINUS Pompejus, ſub Nerone Exercitui Germanico præpoſitus, inchoatum ante tres & ſexaginta annos à Druſi aggerem coërcendo Rheno abſolvit, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 53. Vide & *Pompejus.*

PAULINUS Suetonius, primus Romanorum Ducum, Atlantem montem tranſgreſſus, expeditionem ſuam literis prodidit, teſte Pliniô. *l.* 5. *c.* 1. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 295.

PAULINUS Valerius, vide *Valerius.*

PAULITI, Hæretici Severiani, de quibus vide Baronium ad *A. C.* 535. *num.* 84.

PAULLUS, nomine *Julius*, è Batavis regiâ ſtirpe, à Fonteja Capitone falſo rebellionis crimine interfectus, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 13. Vide & *Julius.*

PAULUS, vide *Palus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PAULMIUM, Arx Turoniæ, Viccecomitatus titulô præſtat: Vivarium ei adjacet duorum ferè milliarium, murô cinctum, *Metel. Merula.*

PAULO, Calabriæ inferioris oppidum, cujus ager vinum optimum generat, imprimis Romæ laudatum.

PAULON, hodie PALION, fluv. Liguriæ, in confinio Galliæ Narbonenſis apud Nicæam urb. cis Varum.

PAULUS, cognomen familiæ Æmiliæ.

PAULUS Apoſtolus, Doctor Gentium, cujus ſanctitudinem, & res geſtas tribus libris complexus eſt vir eruditiſſimus Cl. Dauſquius, Sanctomarius, Canonicus Tornacenſis. Hiſtoria ejus breviter ſic habet: Natus Tarſis, Ciliciæ urbe, ex parentibus Hebræis, qui cives Romani erant, Sauli primò nomen habuit. Ad pedes Gamalielis in Lege inſtructus, An. circiter ætat. 34. tantus ejus Zelator evaſit, ut & eorum veſtimenta, qui Stephanum, ejus cognatum, lapidaverant, cuſtodiret, & literis à Principe Sacerdotum impetratis Damaſcum pergeret, Chriſtianorum etiam nomen deleturus. Sed in itinere, divinô monitu territus, ex lupo ovis, ex hoſte hyperaſpiſtes, ex perſecutore Paſtor Eccleſiæ Chriſtianæ factus eſt. Quæ porrò ſequuntur, illa omnia in Actis Apoſtolicis, à cap. 8. uſque ad finem, divinô Spiritus dictamine, notata habentur. Deſinunt illa in captivitate Pauli primâ, qui poſtquam ad Cæſarem Romam appellavit, difficili navigatione eò devectus eſt, A. C. 59. Ubi Afranio Burrho commiſſus, in ejus privato hoſpitio, vinctus docuit Euangelium, nemine prohibente: inde exteris etiam Eccleſiis, per epiſtolas, confirmatis. Bienniô exactô, abſolutus ac dimiſſus à Nerone, viſitatis Eccleſiis Orientalium, Italiam, Galliam, Hiſpaniamque illuſtravit. Perſecutione tandem primâ, ſub Nerone, ſæviente, cum aliis fidelibus Romam pertractus, poſt novem menſium carcerem, & Simonem Magum, coram Principe, è ſublimi deturbatum, capite plexus eſt. Scripſit 14. Epiſtolas, quæ verus Eccleſiæ theſaurus, & ſanctarum animarum pretioſiſſimæ ſunt delitiæ. Quarum ſeries hæc videtur eſſe: Binas ad Theſſalonicenſes, ſcripſit A. C. 52. Ad Galatas unam, A. C. 56. Binas ad Corinthios, A. C. 57. Dein, ad Romanos, quæ *minor Catecheſis & Compendium Fidei* cluet, A. C. 62. ut &, ad Philippenſes, Philemonem, Coloſſenſes, Epheſios & Hebræos. Priorem ad Timotheum exaravit, A. C. 66. ut & Epiſtolam ad Titum. Ultimam, nempe poſteriorem ad Timotheum, ſcripſit è carcere, paulo ante martyrium, quô coronatus eſt, A. C. 67. Neronis Imperii 13. Vide ejus Hiſtoriam, ut dictum, in Actis Apoſt. ejus verò divinam doctrinam, in ejus Epiſtolis; De quibus Auguſtinus judicat, neminem Apoſtolorum hôc electô Dei vaſe fuſius, clarius & ſimul ſublimius ſcripſiſſe. Vide inſuper Euſeb. Hieron. Ambroſium, Chryſoſtomum, Sophronium, Oecumenium, Crocium, Coccejum &c. *in Epiſt. Paulin.* Petavium, Scaligerum & Ricciolum, *Chronol. Reform. l. 9. c. 1. & 2.* Raptum ejus in tertium cœlum, cujus meminit, 2. ad Corinth. *c.* 12. quidam triduô illô contigiſſe volunt, quô *neque vidit, neque bibit aut edit quicquam.* Actor. *c.* 8. *v.* 9. Alii id quatuordecim interjectis annis factum eſſe, malunt, *cùm ex revelatione rurſum aſcendit Hieroſolymam, expoſitum eis Euangelium, quod prædicaret inter Gentes, c. 2. ad Gal. v.* 2. Unde tam acris paulò poſt ejus in Petrum invectiva, cùm ſimulatione illius, ſuo operi, ad quod cœlitus accinctus erat, remoram poni doluiſſet, *v.* 11. *& ſeqq.*

PAULUS I. Pontifex Romanus ſucceſſit fratri Stephanô II. Papæ. A. C. 757. Conſtantinum Copronmyum ad imaginum cultum perducere fruſtrà conatus, fundavit varia templa, Pipini Regis ope contra Græcos & Longobardos imploratâ. Obiit A. C. 767. Anaſtaſ. *in ejus vita,* Baron. *in Annal.*

PAULUS II. Venetus, priùs Petrus Barbus vocatus, nepos Eugenii IV. ſucceſſit Pio II. A. C. 1464. Formoſus primò, dein Marius appellari gaudens, abſterritus eſt: bibax, ſuperbus, literarum oſor. Cardinales purpurâ donavit, *Omnia jura in ſcrinio pectoris ſui recondita eſſe,* jactavit: Jubilæum ad ann. 25. contraxit, in adulterio ſtrangulatus eſt, A. C. 1471, ætat. 53. Rivetus *in Jeſuita vap.* Platina & Baleus, *in vita ejus.*

PAULUS III. nomine Alex. Farneſius, Romanus, excepit Clementem VII. A. C. 1534. Pater impurus, ſororis ac filiæ contaminator, matris interemtor. Renaſcentis paſſim Euangelii lumine perſtrictus, cùm ejus ſplendorem ferre non poſſet, id extinctum ivit. Et primò quidem Mantuæ Concilium indixit, Nicææque inter Carolum V. & Franciſcum Gall. Regem decennales inducias fecit; Dein, inſtante ad preces Proteſtantium, Cæſare, A. C. 1545. Concilium Oecumenicum Tridenti convocavit: ſed ita, *ut Epiſcopi larvæ non homines, ſed ſimulachra, quæ nervis moventur alienis, & Dædali ſtatuæ eſſent.* Vide Andr. Dudithium, Epiſcopum. Quinqueccleſ. Concilii hujus Aſſeſſorem, *in ep. ad Maximil. II.* P. Suavem *l. 2. p.* 147. Poſt ſeſſiones poſteà 7. ſub prætextu aëris minus ſalubris Bononiam tranſtulit, fruſtra inhibente Cæſare, & Cardinali S. Crucis minante, curaturum ſe, ut in Adicen projiciatur. Idem *p.* 229. Inquiſitionis porro auctor, Cæſari, ob *Interim* Germanis conceſſum, ſuccenſuit. P. Aloyſio filio ſuo notho Parmam & Placentiam dedit: ſed ob tyrannidem & ſcelera hicà conjuratis ſublatus, etſi & Pater ſubmonuiſſet, & dæmon evocatus ex antica nummi parte conjuratores, ſed valde obſcurè, indicâſſet. Thuan. *Hiſt. l.* 1. 4. 6. Sleidan. *Hiſt.* Tandem inobedientiâ Octavii nepotis perculſus, in morbum incidit, quô & expiravit, poſtquam ſæpius ingeminâſſet: *Felix ſi nunquam genuiſſem;* Cœtera eruditus, & non ultimæ notæ Poëta, varias ſcripſit ad Eraſmum, Sadoletum, alios, epiſtolas, & in aliquot Ciceronis Epiſt. commentatus eſt. Vergerius, Baleus, Sleidanus, Morerius *in Diction. Hiſtor.*

PAULUS IV. Neapolitanus, priùs Joh. Petrus Caraffa, ſucceſſit Marcello II. A. C. 1555. ætat. 80. Latine, Græce & Hebraicè doctus, Theatinorum auctor, Severus in delinquentes, privilegiis Populo Romano conceſſis ſtatuam ex marmore meruit. Cognitô decretô Auguſtanô, vehementer excanduit, Ferdinandô increpitô, quòd inſciô ſe, tractationem de Religione inſtituiſſet: Imò, ut ſaſtus erat maximi, Cæſari & Ferdinando, gravia interminatus eſt, Regibus cunctis ſe ſuperiorem eſſe, ad Oratores, dicens: Archiepiſcopatus Goæ in India, Cameracenſem, Mechlinienſem & Ultrajectinum, in Belgio inſtituit. Henricum II. Galliæ Regem ad recuperandum regnum Neapolitanum incitavit, ſub Maria Regina omni ope ſuperſtitionem Romanam in Angliam reducere nixus eſt. Moriturus, Cardinalibus Inquiſitionem, ut ſanctiſſimum officium, commendavit, quæ tamen ipſum adeò inviſum reddiderat, ut cum animam ageret, carcer Inquiſitionis ſuccenſus à furente plebe. Cœnobium Dominicanorum Inquiſitorum in ſummo diſcrimine impetuque in Capitolium factô, ſtatuæ marmoreæ Pontificis, capite dextrâque truncatæ, totô triduô per urbis vias volutatæ ac in Tyberim tandem projectæ fuerint, inſignibus Caraffarum omnibus unô die ſublatis, & cadavere Pontificis tenui pompâ ſepultô. A. C. 1559. Thuan. *Hiſt. l.* 23. Scripſiſſe dicitur, *de Symbolo, de Emendanda Eccleſia, ad Paulum III. Regulas Theatinorum &c.* Rupipoſæus *Nomencl. Cardin.* Victorel. *addit ad Ciacc.* P. Suavis *l.* 5. *p.* 460. Ducheinius, *in ejus vita.* Sodoletus & Hoſius, *in Epiſt. &c.*

PAULUS V. Senenſis, dictus Camillus Borgheſius, Leonis XI. ſucceſſor, A. C. 1605. Titulos nimis inſolentes, in librorum inſcriptionibus, *Paulo 5. Vice Deo, Chriſtianæ Reipubl. Monarchæ invictiſſimo & Pontificiæ omnipotentiæ conſervatori acerrimo,* admiſit. Morn. *in pref. myſt. Iniq.* Venetos, quòd Eccleſiaſticos juriſdictioni ſuæ ſubjicerent, neque Brixianum monachum Auguſtin. undecennis Virginis ſtupratorem, Scipionem Saracenum monachum, cognatæ matronæ ſtupri intentati reum, Brandolinumque Valdemarum, Nervenani cœnobii antiſtitem, veneficii, inceſtûs & magiæ convictum Papæ traderent, ſed ipſimet illos debitis pœnis afficerent, excommunicavit: Leonhardô Donato Duce *brutum id fulmen* appellante, quô Veneti, minimè territi, more ſolitô ſacra peragi juſſêre. Tandem, nullâ ope ab Hiſpano Rege obtentâ, eos, ſed cum jactura exiſtimationis non mediocri, anathemate ſolvit: Quippe Jeſuitæ à Venetis pulſi, ne quidem poſt pacem admiſſi ſunt. Franciſcam Pontianam, viduam Roman. & Carolum Borromæum Sanctis adſcripſit. Formulam juramenti fidelitatis à Jacobo VI. ſuis latam improbavit. Bartholomæum Borgheſium, qui ſe ſpurium ejus dicebat, Lutetiæ ſtrangulari comburique curavit. Rebullium, Apoſtatam infamem, admirabili Dei judiciô, capite truncari, A. C. 1611. juſſit. Voce horrendâ territus, cùm Miſſam celebraret; Controverſiam de Conceptione B. Virginis inter Dominicanos & Jeſuitas, in Hiſpania exortam, fruſtra componere ſtuduit: Univerſo per Italiam Clero duplicatas decimas, in ſumtus belli Bohemici, imperavit. A. Regibus Congi, Indiæ, Japoniæ, per legatos ſalutatus, Obiit A. C. 1621. ætat. 69. Iidem. Vide etiam Thuan. *Hiſt. l.* 137. Lucium *Hiſt. Jeſuit. l.* 4. *c* 8. Jac. Revium *in Vita ejus.* Sethum Calviſ. *in Chron.* A. Rivetum, *in Jeſuita vap. c.* 16. *ſec.* 19.

PAULUS I. Epiſcopus Conſtantinopolitanus, pietate & doctrinâ inſignis, Concilio Niceno interfuit, A. C. 340. electus. Pulſus ab Euſebio Nicomedienſi Ariano, hôc mortuô, revocatus eſt, A. C. 342. à populo; ſed, Macedoniô ab Arianis electô, juſſu Conſtantii iterum exturbatus, Romam venit, ubi plurimi tum Epiſcopi exules morabantur. Dein, rogatu Conſtantis, reſtitutus, paulô tamen pòſt, Conſtantiô connivente, qui Macedonium in ſedem ſuam reducere laborabat, à nebulone quodam abreptus, Theſſalonicam primò, dein Singram in Meſopotamia, tandem Emeſam in Phœnicia, deportatus eſt. Imò hinc Cucuſam delatus, Hæreticorum manibus ibi ſtrangulatus, Obiit A. C. 351. Corpore ejus, Theodoſii M. juſſu, poſteà Conſtantinopolim tranſlatô: Athanaſ. *epiſt. ad Solit.* Socr. Sozom. *l.* 4. Theodoret. *l.* 2. Baronius *in Annal. &c.*

PAULUS II. Monothelita, à Conſtante Imperator. filio Conſtantini Heraclii nepote, Epiſcopus factus, hæreſeos ſuæ venenum, in Africam uſque ſparſit, A. C. 646. Excommunicatus à Theodoro Papâ legatos ejus fuſtigari & è civitate expelli curavit: Imperatori auctor, ut typum vulgaret. Obiit A. C. 651. Ejus memoria Synodô 6. damnata, & nomen è Dypticis ſacris eraſum eſt. Baron. *in Annal.*

PAULUS III. Theodoro ſucceſſit, A. C. 685. Obiit A. C. 691. Succeſſit Callinicus. *Idem.*

PAULUS IV. Cyprius, Nicetæ ſucceſſor, A. C. 780. imaginum uſum in Eccleſia merito improbavit. Theophan. *l.* 23. ſponte dignitate ceſſit, A. C. 784.

PAULUS, Patriarcha Alexandrinus, Theodoſio & Gajano pulſis, ſurrogatus eſt, A. C. 536. Accuſatus, quòd conſcius fuiſſet cædis Oeconomi Eccleſ. Alexandr. depoſitus, & in exilium miſſus eſt, Obiit A. C. 537. Liberatus *in Brevi c.* 23. Baronius, *A. C.* 536. 537.

PAULUS I. Epiſcopus Antiochenus, vide *Paulus Samoſatenus.*

PAULUS II. Severo hæretico ſucceſſit, A. C. 519. cui per biennium reſtiterat. Ob mores, depoſitus, A. C. 521. Succeſſit Euphraſius. Evagr. *l.* 4. *c.* 4. Baron. *in Annal.*

PAULUS, primus Anachoreta, cui in latebris ſolitariam ferarum vitam agenti, corvus quotidie dimidiatum panem afferebat. Cùm autem eò veniſſet Antonius, ut Paulum ipſum videret, corvus integrum attulit panem, & propter novum hoſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tem panem duplicavit. Non pauciores quingentis Monachos habens, 300. orationes de unoquoque die reddebat: Et ne numero fortè delinqueret, 300. lapides ponebat, & ſingulis orationibus lapidem mittebat in ſinum. Expenſis verò lapidibus, orationes ſciebat eſſe completas, Sozom. *l.* 8.

S. PAULUS, congregatio Clericorum Regular. Vide *Barnabitæ.*

PAULUS, JCtus celebris, ſeculô 2. cum Ulpiano & Papiniano, à conſiliis fuit Peſcennino Nigro, aliis quoque ſub Severo muneribus functus. Spartian. *in Peſcennino c.* 8. Lamprid. *in Alex. c.* 26. Item, Epiſcopus ſcripſit *de Pœnit.* Gennad. *de Vir Illuſtr.* Item Presbyter Pannonius, *de Virginitate, de Mundi contemptu* &c. ſcripſit. Idem.

PAULUS Ægineta, Medicus celeberrimus, A. C. 420. ſub Honorio & Theodoſio Juniore Peregrinatione longâ defunctus, Galenum contraxit, aliaque edidit plurima. Juſtus *in Chron. Medic.* Vander Linden, *de Scr. Med.*

PAULUS Æmilius, cognomine Macedonius, Conſul. Filius Lucii Pauli, in clade Cannenſi interfecti. De Liguribus triumphavit, Perſeôque Macedonum Rege victò, denuo triduanum triumphum meruit, amiſſis durante pompâ duobus filiis. Imperialem togam in ludis Circenſibus geſtandi jus nactus. Liv. *l.* 44. Juſtin. *l.* 33. Vellej. *l.* 1. Aur. Victor. *de Vir. Illuſtr. c.* 56. Plut. *in ejus vita* Flor. *l.* 2. *c.* 12. *Eutrop. Oroſ.* Vide in voce *Æmylius.* Item, nomen Hiſtorici Veronenſis. Qui à Ludovico XII. in Galliam abductus, Hiſtoriam Gall. elaboravit, per A. 30. libris 10. comprehenſam: à Pharamundo, uſque ad Ludovic. XII. Continuavit Arnolphus Feronius. Stylus ejus Laconicus, & ſubinde obſcurus eſt. Obiit A. C. 1529. Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 139. Juſt. Lipſ. *not. in lib.* 1. *Polit.* Ducheſnius, *de Auctoribus Hiſt. Gall.*

PAULUS Alciatus Johannes, Hæreticus, Mediolanô oriundus. Ex milite libertinus, ex libertino Arianus. In Polonia, cum Gregorio Blandrata, Valentino Gentili, Lælio Socino, aliis hæreſin hanc docuit: Uti tres Perſonas, ita tres eſſentias in Trinitate ſtatuens, ſic tamen ut ſolus Pater verus Deus ſit, Filius verò & Spiritus S. licet æterni & omnipotentes, tamen Patre inferiores ſint, eſſentiâ non eâdem, ſed aliâ minoris notæ, ab illo acceptâ. Pulſus, cum ſociis, à Sigiſmundo Auguſto, Turciſmum amplexus, periit A. C. 1561.

PAULUS Areſius, Epiſcopus Dertonæ, Mæcenas literatorum. Scripſit *Sermones, tractatus Philoſophicos* & *Theologicos*: inprimis *Delle ſacre Impreze, Libb.* 6. Laur. Craſſus, *elog. literat. Part.* 2.

PAULUS Atavantius: Florentinus, Servita. Scripſit *de Origine ſui ordinis*, &c. Obiit A. C. 1499. ætat. 80. Mich. Pociantius, *de Scr. Florent.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8. *Poſſevinus*, &c.

PAULUS Axius, Orator, & Poëta, Rhetoricam docuit Burdigalæ, Auſonio familiaris: qui *epiſtolas* aliquot, *centonem Nuptialem* & *verſus de Biſſula* ad illum ſcripſit *Eidyll.* 27, *&* 28. *& epiſt.* 11. 12. *& ſeqq.* Elias Vinet. *in Auſon.* de Marca *Hiſt. Bearn. l.* 1. *c.* 10. *num.* 11. *&c.*

PAULUS Barbus, dictus Soncinas, à loco natali, in ditione Veneta, Dominicanus. Thomæ & Capreoli epitomator, varia edidit. A. C. 1510. Leand. Alberti & Alph. Fernandez. *de Vir. Ill. Dom.*

PAULUS Benius, Urbinas, Profeſſor Patavinus, ſcriptis inclytus. Obiit A. C. 1611. Jac. Thomaſin. *in elog. illuſtr. Patav. &c.*

PAULUS Biſcontius, Carmelita Siculus, Archiepiſcopus Panormitanus, A. C. 1440. Varia Theologica ſcripſit, Lucius *Bibl. Carmel &c.*

PAULUS Bonetus, Carmelita Narbonenſis, A. C. 1410. ſcripſit quædam. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4.

PAULUS Burgenſis, Epiſcopus Hiſpanus, ſeculô 15. ex Judæo natus, opulento & erudito. Ab Henrico III. Caſtellæ Rege filii Johannis II. educationi admotus, Cancellarius regni & Patriarcha tandem Aquilejenſis factus, obiit A. C. 1435. Scripſit Additiones, ad Nicolai Lirani notas Biblicas; item *Scrutinium Scripturarum, in* 2. *libros diviſum.* Ejus filii, Alphonſus, in Epiſcopatu Burgenſi, Patris ſucceſſor, compoſuit *Anacephalæoſin Regum Hiſpaniæ:* Conſalvus, Placentiæ in Hiſpan. Præſul, & Alvares Garcia, ſcripſit Hiſtoriam Johannis II. Regis. Mariana, *l.* 19. *Hiſt. c.* 8. Sixtus Sen. *Bibl. S. l.* 4. *&c.* Dicere ſolebat Paulus, Judæis non niſi cautè fidendum, generi hominum hypocrytico, mendaci, perfido, &c.

PAULUS, Caſtrenſis, JCtus nobilis Patavii, Florentiæ & Bononiæ jura interpretatus eſt, editiſque libris quamplurimis, Patavii tandem diem obiit, A. C. 1437. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide & hìc infrà.

PAULUS de Caſtro, Neapolitanus, JCtus celebris. Unde tritum: *Si Bartholus non eſſet, Paulus eſſet.* Jus ultra Ann. 50. docuit Florentiæ, Bononiæ, Senæ & Patavii; ubi obiit A. C. 1437. Opera ejus Venetiis, Francofurti, &c. edita. Geſner. *in Bibl.* Fiſchard. *in vit. Juriſconſ. &c.*

PAULUS Craſſus, Medicus Patavinus, ſcriptis clarus ſeculô præteritô; Riccobon. *de illuſtr. Patav.* Caſtellan. *in vita illuſtr. Med.* Vander Linden, *de Scr. Med.*

PAULUS Diaconus, dictus Warnefridus, ſeu Winfridus, Longobardus, fil. Warnefridi, ex Theodelinda. Diaconus Aquilejenſis, dein Cancellarius Deſiderii Regis, hôc à Carolo M. devictô, inter captivos, in Galliam eſt abductus. Ob inſignem eruditionem multorum amicitiâ ſibi conciliatâ, quòd ſuſpectus eſſe cœpiſſet, in Caprariam inſulam relegatus eſt. Inde ad Arichim, Beneventi Principem, Deſiderii generum, ſe recepit; quô mortuô, Monachus Montis Caſſini factus, obiit ſeculô 9. Auctor *hiſtoriæ Longobardorum, libr.* 6. Scripſit etiam, Angilrami rogatu, *Acta Epiſcoporum Metenſium, vitas quorundam Sanctorum,* alia. Etiam *pars Hiſtoriæ miſcellaneæ* ei tribuitur. Walefridus Strabo. *de div. Off. c.* 28. Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 2. *c.* 30. Sigebert. *de Viris Illuſtr. c.* 80. Morerius *in Diction. Hiſt.* Ejus operâ, textus Euangelicos & Epiſtolas ſingulis Dominicis adaptavit, Carolus Imper. Sigebertus *in Chron.* Rhegino *l.* 2. Item Alius, Diaconus Eccleſiæ Neapolitanæ ſub Carolo M. Vertit *vitam S. Mariæ Ægyptiæ, a Sophronio Epiſcop. Hieroſolymitano Græcè conſcriptam:* Sigebert. *Catal. c.* 69. Henric. Gandav. *c.* 8. Item Cardinal. qui *vitas Paparum* ſcripſit, Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 31. Item, Hiſpanus, floruit A. C. 610. Item, Neſtorianus Perſa. Scripſit *de Judicio.* Vide Acta Concilii Lateran. A. C. 649. habiti.

PAULUS Donatus, Carmelita Italus, ſeculô præteritô ſcripſit varia, Lucius *in Biblioth. Carmel.*

PAULUS Florus, ſeu *Paulus Cyrus Florus*, Hiſtoricus, ſub Juſtiniano: *Principis hujus geſta* carmine expoſuit: Silentiarius Cæſaris. Idem verſu *Sophiæ templum* deſcripſit, &c. Agath. *l.* 5. Suid. Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 9. *& de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 20. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 19.

PAULUS Fabius Priſcus, Conſul cum L. Vitellio, Ann. Urb. Cond. 86. poſt celebrata decennalia Tiberii, ſuppliciô cum Collega affectus.

PAULUS Foxius, Archiepiſcopus Tholoſanus, Caroli IX. & Henrici III. ad varios Principes Legatus. Eruditorum Mæcenas, obiit Romæ A. C. 1584. Sammart. *elog. doct. Gall. l.* 3. Thuan. *Hiſt.* Anton. Teiſſier *in Elogiis* ubi *Voluminis Epiſtolarum* ejus inter alia meminit.

PAULUS Genuenſis, Monachus montis Caſſini, à nativitate cæcus. Scripſit in *Pſalmos, Jeremiam, Euangelia, Epiſtolas Paulinas & Apocalypſin.* Item, *de controverſiis Græcorum & Latinorum.*

PAULUS Gualdus, Vincentinus, JCtus & Theologus magni nominis. Scripſit vitam *Vincentii Pinelli*, obiit A. C. 1621. Filius Joſephi JCti. Thomaſin. *de Vir. illuſtr. Patav.*

PAULUS Jovius, Hiſtoricus ſcriptis celebris, ſed qui venalem calamum Thuano *l.* 11. habere videtur. Comô Longobardus, primò Medicinam fecit, dein Epiſcopus Nucerinus à Clemente VII. factus, hujus nihilominus, cùm Comenſem Epiſcopatum impetrare non poſſet, avaritiam paſſim perſtringit. A Franciſco I. annuâ penſione honoratus eſt, ſed poſt hujus mortem, à Conneſtabile Montmorantio illâ privatus, *l.* 31. hiſtor. acriter in hunc invehitur: multum gratiæ, multum odio dans. Obiit An. 69. ætat. à nato Chriſto 1552. Florentiæ: Mediceæ familiæ encomiaſtes. Hiſtoria ejus conſtat libris 45. quæ deſinit in A. C. 1544. Idem ſcripſit *Elogia Virorum Illuſtr.* tractatum *de imaginibus ſymbolicis*, aliaque complura, quæ in *Elogiis*, Teiſſerii *Part.* I. habes. Plura apud Oſorium *Hiſtor. Portugall.* Bodinum *Methodo, c.* 4. H. Stephanum *de Inſid. L. Græcæ Mag.* Lipſium *Not in l.* 1. *c.* 9. *Polit.* &c. Ejus Epitaphium:

Hic jacet heu! Jovius Romanæ gloria linguæ,
Par cui non Criſpus, non Patavinus erat.

PAULUS, Lancelottus, Paulo IV. Pontif. conſilium ſcribendarum *Inſtitutionum Juris Canonici* ſuggeſſit, & ab eo mandatum, ut id negotii ſuſciperet, obtinuit; Itaque opus aggreſſus, triennii ſpatiô, poſtquam in patriam rediit, confecit, ut ipſe refert *Præf. Inſtitut.* Verius tamen eſt, eum ad minimum per quindecim annos, antequam ederet, in eo fuiſſe occupatum, quod ex literis Joh. Franc. Cardinalis de Gambara ad eum ſcriptis A. C. 1563. colligitur: Ita enim is ad Lancelottum: *Agitur annus ſextus decimus, quô ego Peruſiæ, te Præceptore, prima juris civilis initia urgebam & tu jam tum opus hujuſmodi ſub incude habebas, idque propediem editurus videbaris. unde quòd tam diu reticueris, erit fortaſſe qui te accuſet.* Perfectô opere, Romam contendens, cùm Cenſores Pontificii illud examinâſſent, & de dubiis cum eo contuliſſent; imò alii Theologi, ipſe etiam diœceſeos Peruſinæ Inquiſitor Matthæus Lachius, id probâſſent, attamen à Pontifice approbationem, per integrum binnium, neque ut ejus nomine Inſtitutiones ſuæ ederentur, impetrare potuit. Quare, ſpe omni depoſitâ, in Patriam reverſus eſt; veritusque ne à Concilio Tridentino, quod jam ad finem properabat, præveniretur, & multa in opere mutare ſecundùm ejus tenorem, novamque cenſuram, atque eam difficilem, petere cogeretur, opus ipſe privatô nomine edidit A. C. 1563. Poſtea, ſæpe rogatus, ut mutata in Concilio quoque inſereret, facere id detrectavit, exemplum dicens ſe Juſtiniani ſequi, qui propter mutationes juris in Codice repetitæ prælectionis & Novellis, nunquam mutavit Inſtitutiones, vide Franc. Mancinum *in Ep. cit.* Sub Paulo dein V. iterum tentata libri approbatio eſt, ſed eventu non meliore: hoc ſolùm obtentum, ut is Corpori Juris Canonici adderetur, licèt nullâ confirmatione munitus, vide etiam Jac. Zieglerum *Not. ad Juris Pontificii Candd.* nec non Gerh. van Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccleſ. num* 388. ut & ſuprà, in voce *Inſtitutiones Juris Canonici.*

PAULUS Langius, Benedictinus Germanus; ſcripſit Chronica Epiſcoporum de Zeitz.

PAULUS Lulmius Bergomenſis, Auguſtinianus, ſcriptis celebris, obiit Cremonæ A. C. 1484. Jac. Bergom. *l.* 15. *Chron.* Trithem. *in Catal.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 8. &c.

PAULUS Marcus, vide *Marcus.*

PAULUS Middelburgenſis, Epiſcopus Foro-Sempronienſis, Zeelandus. Medicinam & Mathemata Lovanii addidicit, dein in Italiam profectus Ducis Urbinatis medicus factus, hujus operâ, ut & favore Maximiliani I. infulam nactus eſt. Scripſit libros 14. *de Paſchali obſervatione*, libros 19. *de die Paſſionis Dominicæ, &c.* Obiit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Obiit Romæ, A. C. 1534. ætat. 89. Princeps Mathematicorum ſui ſeculi. Jul. Cæſar. Scalig. *Exercit.* 266. *in Card.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 41. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Ughelius *Ital. Sacrâ.*

PAULUS Montanus, Ultrajectinus, obiit A. C. 1587. Auctor libri, *de Tutelis.* Valer. *Andr. Biblioth. Belg.*

PAULUS Oroſius, Presbyter Tarraconenſis, diſcipulus Auguſtini, ad hunc, A. C. 414. ab Eutropio & Paulo, Hiſpan. Epiſcopis miſſus, ut illis contra hæreticos auxilio eſſet; annum apud ipſum commoratus eſt, & in Sacræ Scripturæ notitiâ mirum in modum profecit. Scripſit ejus hortatu, *Hiſtoriam libb.* 7. *à Mundo condito. uſque ad A. C.* 416. Item, *Apologiam liberi arbitrii, contra Pelagium; ut & de erroribus Apollinaris & Origenis.* Vide Gennad. *c.* 39. *Catal.* Caſſiodor. *c.* 17. *divin. Lect.* Proſper. *in Chron.* Honorat. Auguſtod. *de Lum. Eccleſ.* Scaliger. *in Animadv. Euſeb.* Caſaub. *Exerc.* 1. *in appar. Bar. Sect.* 12. Juſtum Lipſ. *Comm. in l.* 4. *Annal. Taciti.* Voſſ. *Hiſtor. Pelag. l.* 1. *c.* 17. & *de Hiſtor. Lat. l.* 2. *c.* 14. Geſner. *in Biblioth.* Poſſevin. *in appar.*

PAULUS Parutus Venetus, maximis Reip. muneribus defunctus. Obiit A. C. 1598. editis *Diſcurſibus Politicis*, *Hiſtoriâ Venetâ*, &c. Laur. Craſſus, *elog. Vir. literar.* Vide & *Paruta Paulus.*

PAULUS Peruſinus, Carmelita Gallus, Bibliothecarius Roberti Siciliæ Regis ſcripſit plurima. inprimis *in Magiſtrum Sententiar.* Obiit A. C. 1344. Phil. Bergom. *l.* 13. *ſuppl. &c.* Item JCtus Italus celebris.

PAULUS Riccius, Germanus, filius ex Judæo Chriſtiani; ſcripſit quædam magni æſtimata. Geſner. *in Biblioth.* Ejus elogium condidit Eraſmus *l.* 1. *epiſt. ad Ricc. Bartol.*

PAULUS de Roma, Auguſtinianus Italus, ſcripſit *de uſu Clavium*, A. C. 1474.

PAULUS Rondinius, Carmelita Florentinus, ſeculô præteritô celebris. Lucius *in Bibliothec. Carm.* Alegr. *in Parad. Carmel.*

PAULUS Samoſatenus, Hæreſiarcha. Epiſcopus Antiochiæ, poſt Demetrium. A. C. 262. Negavit cum Sabellio, diſtinctionem divinarum Perſonarum; docuit cum Artemone, Verbum deſcendiſſe in Jeſum Chriſtum, indeque, poſtquam per eum facienda expedierit, ad Patrem ſe recepiſſe. Imo duas Perſonas in Domino noſtro aſſeruit, Filium Dei Verbum, & Chriſtum, quem ante Mariam fuiſſe inficiatus eſt: Hunc Filii Dei nomine, ob ſanctitatem ſuam, donatum fuiſſe deliravit, &c. Hujus erroribus, ut obviam iretur, à Dionyſio Alexandrino, aliiſque Epiſcopis Antiochiæ congregatis, condemnatus: ejuravit hæreſin, metu, ſed paulo pòſt illam denuò ſparſit. Quô auditô, Epiſcopis iterum Antiochiæ congregatis, à Malchione convictus, & à Patribus Synodi depoſitus eſt, A. C. 270. Avaritiâ ſordidus, ambitione tumens, auræ popularis avidus, aliorum contemptor, luxu perditus: ut *Epiſt. Synodalis* habet. Surrogatus ei Domnus eſt, fil. Demetriani, qui illum præceſſerat. *Paulianiſtæ*, Pauli hujus infelicis ſectatores. Vide Euſeb. *Hiſt. l.* 7. *c.* 22. 23. 24. Epiphan. *hæreſ.* 65. Auguſtin. *de Hær. c.* 44. Niceph. *l.* 6. *c.* 30. Dionyſ. Alexandrinum, *Epiſt. adv. Paul. Samoſat. &c.*

PAULUS Sarpius, Theologus Reip. Venetæ celeberrimus, ſub nomine *Petri Suavis Polani* Hiſtoriam Concilii Tridentini edidit. Vide Vinc. Placcium *Syntagm. de Scriptoribus Pſeudonymis num.* 716. *p.* 242. & *Paulus Servita.*

PAULUS Servita, celeberrimus Venetæ Reip. Theologus, cauſam hujus contra Paulum V. acriter defendit; hinc, à percuſſoribus immiſſis, aliquot vulneribus, in ipſa urbe, graviter ſauciatus, ſeculô hôc floruit. Vide *vitam ejus*, & ſuprà, *Paulus Sarpius.*

PAULUS, Silentiarius, vide *Paulus Florus.*

PAULUS Tricaſtinus, nomen dedit urbi Delphinatus Epiſcopali quæ civilibus Galliæ bellis multa paſſa eſt. Ducheſnius *ant. Urb.* Vide Ptolem. *l.* 2. *c.* 10. Sil. Italic. *l.* 3. Euangelii doctrina hìc per An. 40. ſeculô præteritô prædicata eſt.

PAULUS Venetus, Foro Julienſis, an Cretenſis? Venetiis educatus, Eremita Auguſtinianus evaſit. Philoſophus & Theologus inter primos. Scripſit contra Judæos, Sermones, tractatus quoſdam Philoſophicos, &c. Obiit A. C. 1429. Phil. Bergom. *l.* 14. Pamphilus, *in Chron. Erem. S. Aug.* Trithem. *de Scr. Eccleſ.* Poſſevin. *in appar. S. &c.* Vide quoque *Marcus Paulus Venetus.*

PAULUTIUS Anafeſtus, primus Dux Venetorum. Hi enim cùm primò *Tribunos* habuiſſent ſumma cum poteſtate, pro numero Inſularum, in quas urbs diviſa, Magiſtratus hic (qui annuus erat) ducentos annos duravit. Succeſſêre *Duces* circa A. C. 697. quâ dignatione *Paulutius* dictus primus functus eſt. Immutatum dein ſub tertio Duce inſtitutum, & creati ſunt *Magiſtri militum* annuâ poteſtate, ſed ſextô pòſt annô ad Duces reditum, qui hodieque Reip. præſunt, Georg. Hornius *Orb. Imp.* Sunt tamen qui, ante Tribunos, Conſules Remp. adminiſtrâſſe dicant. Vide Menckelium *ad Hornium Orb. Polit. p.* 122.

PAVO, genus operimenti, *Gloſſ.* Iſidori. Acta Marcelli Pontif. *c.* 5. *num.* 21. *Condivit corpora Sanctorum cum aromatibus & linteaminibus & impoſuit noctu in* pavone *cum Eunuchis ſuis.* Lotharii Imp. *Diploma*, apud Brouverum *Annal. Trevir. l.* 8. *p.* 504. *Offertorium aureum gemmatum cum patina, fontem aureum cum gemmis*, pavonem *aurô & margaritis diſtinctum, caſulas duodecim.* Aliâ notione vox occurrit, apud Matthæum Weſtmonaſter. A. C. 1255. *Dedit inſuper Regina Franciæ Regi Angliæ unum* Pavonem, videl. *lavachrum lapideum mirabile; quod ſimilitudinem* Pavonis *in forma oſtendebat: & erat lapis pretioſus, qui Perla dicitur, ex auro & argento & ſaphiris, ſicut verus pavo orbiculatus.* Simili ſignificatu *Pavio* reperitur, in *Actis* Dedicationis Eccleſiæ S. Juliani de Lepida in Veronenſi diſtrictu A. C. 1186. apud Ughellum, *Deinde venerunt ad pavionem, ubi erant reliquiæ* &c. Etiam *Pavo, Pavus, Pabo*, vehiculum eſt unirotum in *Gloſſis* præfatis &c. Vide Car. du Freſne & Car. Macrum *In Hierolex.*

PAVOASANUM, urbs Africæ, inſulæ S. Thomæ primar. in mari Guineæ, ſub Luſitanis, cùm arce munita, in ora littorali cum portu capaci. Capta fuit & vaſtata ab Hollandis, ſed recepta à Luſitanis.

PAVONES, Hebr. תוכיים, pro כותיים, *cuthijim*, i. e. Cuthæi ſeu Perſici, 1. Regum *c.* 10. *v.* 22. & 2. Paral. *c.* 9. *v.* 21. *Semel ſingulis trienniis ibat* (Salomonis) *claſſis in Tharſis & afferebat aurum & argentum, dentes elephantinos, ſimias & pavones*: à *Cuth*, i. e. *Perſide*, ſic dicti ſunt. Quemadmodum *Medicam* aut *Perſicam* hanc *avem*, paſſim à Veter. Scriptoribus dici videmus, Ariſtophane *in Avibus* & *in Acharn.* Suida, Clemente *Pædag. l.* 2. *c.* 1. & *l.* 3. *c.* 4. Diodoro *l.* 2. Aliis. Non quòd in Perſia aut Media veri ejus natales ſint, ſed quòd ex India primùm in Perſidem & Mediam *pavones* allati, inde in alias Orbis partes pervenerint. Namque veram eorum patriam, Indiam eſſe, ex hoc loco de expeditione Salomonis, quæ Taprobanam inſtituebatur, ut *Bocharto* placet, ſatis clarè colligitur. Et, ſi Græcos conſulamus, *Theophraſtus*, invectitios eſſe in Aſia pavones, apud Plinium tradit. Ælianus quoque Athenis demum circa Periclis tempora, nutriri cœpiſſe, in Demi cujuſdam, Pyrilampis filii, ædibus, multoſque ex Lacedæmone & Theſſalia, peregrinæ avis viſendæ deſideriô, eò confluxiſſe, narrat, *Hiſtor. Animal. l.* 5. *c.* 21. Proinde Alexandri M. ætate, pavones in Græcia pauci adhuc erant. Hinc de eo idem *d. l.* Ἀλέξανδρος, inquit, ὁ Μακεδὼν ἐν Ἰνδοῖς ἰδὼν τὰς δὲ τὰς ὄρνιθας ἐξεπλάγη, καὶ τοῦ κάλλους θαυμάσας ἠπείλησε τῷ καταθύσαντι ταὼν ἀπειλὰς βαρυτάτας, *Alexander Macedo in Indis has aves videns, earum pulchritudinis admiratione perculſus, pavonem occidenti graviſſimas pœnas interminatus eſt.* Curtius etiam *l.* 9. *c.* 1. Alexandrum pavones agreſtes reperiſſe; circa Indiæ amnem Hydraotem, teſtatur. Ex quo ipſo diſcere eſt, *pavonem* ex India veniſſe. Hinc idem Ælianus *l.* 11. *c.* 33. Ταὼν δὲ Ἰνδικὸν δῶρον λαβὼν ὁ τῶν Αἰγυπτίων Βασιλεὺς, ταὼν ὡς ἰδεῖν μέγιστόν τε καὶ ὡραιότατον, *Cùm Indicum pavonem, eumque maximum & formoſiſſimum donô accepiſſet Ægypti Rex.* Et *l.* 13. *c.* 18. Ἐν δὲ τοῖς παραδείσοις τρέφονται μὲν ταὧς ἥμεροι, *In hortis ejus* (Indorum Regis) *manſueti pavones aluntur.* Lucianus tandem *in Navigio*, Ὄρνις ἐκ Φάσιδος, καὶ ταὼς ἐξ Ἰνδίας, *Gallina ex Phaſide &* pavo *ex India.* E quibus omnibus concludit Bochartus, Menodorum Samium, cùm *Pavones* primùm quidem in Samo editos ac educatos, inde verò in alias regiones deductos eſſe, ait, in gratiam gentis ſuæ id confinxiſſe. Nec obſtat priſca de Argo fabula, à Mercurio occiſo & in pavonem mutato; quòd enim Argus à Mercurio occiſus, jam Homero traditur, ſed quòd in pavonem mutatus ſit, commentum eſt recens, & auctorem habet Moſcho forſan non antiquiorem. Certè Moſcho ferè æqualis Apollodorus *Biblioth. l.* 2. Argi, à Mercurio perempti, cædem ſic refert, ut de ejus metamorphoſi ne γρῦ quidem addat, ut neque Homeri Scholiaſtes *in Il.* β. ad vocem Ἀργειφόντης. Interim ab hac fabula, quamprimùm nata eſt, cœpêre *pavones* pro avibus Junonis haberi & à Poëtis Deæ currui affigi, & Sami ali in ejus æde & cudi etiam in Samiorum nummis, qui etiamnum extant &c. In India igitur veri *pavonum* natales, unde primò in Perſidem, Mediam & Babyloniam tranſvectos fuiſſe credibile eſt. Sed & in Judæam allati ſunt, ſub Salomonis Regno; & in Græciam, non multùm ante Alexandrum. Inde in Latium pervenerunt, ubi *pavonem* cibi gratiâ primus occidit Hortenſius, adjiciali cœnâ Sacerdotii, ſaginare verò primus inſtituit, circa noviſſimum Piraticum bellum, M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditûs ſeſtertium ſexagena M. habuit, uti videbimus. Quamvis enim pavonis caro gallinæ carne non plus ſapiat, tamen pluris multò fiebat, proter caudam & pennas; quaſi ad palatum hoc pertineret, aut cum carne pennas ediſſent. Quam helluonum ſtultitiam Horatius *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 23. ſic ſalsè deridet:

> *Vix tamen eripiam, poſitô* pavone, *velis quin*
> *Hoc potiùs, quàm gallinâ, tergere palatum,*
> *Corruptus vanis rerum: quid veneat aurô*
> *Rara avis, & pictâ pandat ſpectacula caudâ.*
> *Tanquam ad rem attineat quidquam. Num veſceris iſtâ,*
> *Quam laudas, plumâ? Cocto num adeſt honor idem?*
> *Carne tamen quamvis diſtat nihil, hac magis illa*
> *Imparibus formis deceptum te patet* ———

Neque enim ſapore, ſed pretiô æſtimabantur hæ dapes: neque alia de cauſa exquirebantur, quàm quia cariùs venibant, & ſpecies hujus animalis tam eximia eſſet. Ulteriùs proceſſit Heliogabali luxus, quem *pavonum* linguis epulas inſtruxiſſe, ex Lampridio *c.* 20. diſcimus: quemadmodum ex ejuſdem *avis* pulpa lucanicas placuiſſe Leoni X. legimus apud Jovium *l.* 4. Sed & pretium avis loquitur, quòd Caligula Deum ſe mentitus, præter phaſianos, & phœnicopteros, *pavones* quoque Numini ſuo immolari voluit, teſte Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 12. &c. Quamvis autem tanta ejus forma, nihilominus avem hanc mali ominis eſſe, ſibi fingunt Arabes Scriptores; *Quia*, ut fabulantur, *cauſa fuit, cur in Paradiſum ingrederetur Diabolus & ex eo egrederetur Adam.* Cujus tamen commenti ratio non liquet. Ejuſdem farinæ eſt, quod refert incertus Auctor *Viridarii doctorum*, vitem quatuor animalium ſanguine à Diabolo fuiſſe aſperſam, nempe *pavonis*, cùm primùm conſita eſt; *ſimiæ*, cùm incepit folia edere; *leonis*, cùm protruſit uvas; *porci* denique, jam matureſcente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

reſcente fructu: Atque inde eſſe, quòd, qui vinum bibit, ut pa-
vo, fit venuſtior; in ſimiæ modum ludit, ſaltat, geſticulatur,
leonis inſtar furit, & ut porcus,

——— *jacet ſomno vinoque ſepultus*, &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 1. *c.* 20. & *l.* 2. *c.* 16.
Illis veſtem de cataclitis tribuit Tertullian. *de Pallio c.* 3. *Quan-
quam & Pavo pluma veſtis & quidem de cataclitis*; quoniam i-
ſtiuſmodi veſtes tricliniares aut accubitales, quibus accubita &
tricliniares lecti ſternebantur, pictæ ut plurimum & aurô pur-
purâque inſignes erant. His autem præcipuè coloribus ſuperbit
Pavo. Oppianus Κυνηγετικῶν 2.

Τοῖον ἐν ὀρνίθεσσιν ἀριζήλοις ἀμαρύσσει
Χρυσῷ πορφυρόεντι μεμιγμένος αἰθόμενον πῦρ.

Phile de eadem ave,

Λειμὼν γάρ ἐστιν ἡ γραφὴ τῶν ἀνθέων.
Χρυσὸς δὲ λεπτὸς συγχυθεὶς τῇ πορφύρᾳ
Σμάραγδον ἁγνὸν ἐμφυτεύει.

Hinc & Publius Syrus *Pavonem* Babylonicô amictum facit, h. e.
tricliniari ſive accubitali veſte:

Tuo palato oculoſus Pavo *naſcitur,*
Plumatô amictus aureô Babylonicô.

Quos verſus Tertullianum in mente habuiſſe, dubium non eſt,
cùm *Pavoni* veſtem de cataclitis dedit: Nam *Babylonicum* & *ve-
ſtis de cataclitis* idem, &c. Vide elegantiſſimum Tertulliani locum
ipſum & *ad eum Notas* Salmaſii. Hinc *Pavonatilis*, apud Scri-
ptores medii ævi, pro panno, in pavoninarum caudarum ſpe-
ciem variegato, cujuſmodi panni meminit Anaſtaſius in *Stepha-
no VI*. Pontifice Romano. Fecit in eadem prædicta Baſilica vela
4. in circuitu altaris majoris, quorum duo ſunt *de ſerico pigacio,
tertium* Pavonatile, *quartum de Alexandrino*. Galli *Paonnacé* &
Pannasé dicunt. Italis *Paonazzo* & *Pavonazzo*, color violaceus
eſt, quomodo *Pavonacium* & *Pavonatum* dixiſſe Veteres, Sal-
maſius idem auctor eſt. Sed & *Pavonatilis* dici potuit veſtis,
quòd revera intextæ & effictæ in ea eſſent *pavonum* figuræ. Sic
in Codice Carolino *Ep.* 45. *Storacinum pallium unum habens pa-
vonem*. Et apud Wilh. Malmesbur. *de geſtis Anglor. l.* 2. *c.* 11.
Pallium miſit verſicoloribus figuris pavonum, *ut videtur, intextum.*
Similiter in *Vita* Præpoſiti S. Stephani Divion. *Nec non & pal-
lium optimum pavonibus ordinatis intextum.* In quibus tamen lo-
cis idem eſſe, quod *Pavonatile*, neque reapſe *pavonum* figuras
panno fuiſſe intextas, cenſet Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Pli-
nium verò *Pavonacea* quoque *tecta* occurrunt, *l.* 36. *c.* 22. *In
Belgica provincia candidum lapidem ſerrâ, quâ lignum, faciliuſque
etiam, ſecant, ad tegularum & imbricum vicem: vel ſi libeat, ad
quæ vocant* pavonacea *tegendi genera.* Ubi cùm docti complures
legendum putent; *pavita*, aut *pavimenta*, i. e. pavimenti modô
facta, & conſtructa: Dalechampius *Pavonacea* legit, & inter-
pretatur, picturatis lapidum impoſitorum quadris, ad inſtar
pennarum pavonis, fulgentia. *Not. ad loc.* Quod verò Hornius ha-
bet; Helvetios magnô odiô hoc avium genus proſequi, eò quòd
Auſtriæ Archiduces in galeâ ſua *caudam pavonis* gerant, adeo-
que avem hanc totâ ſua ditione eliminâſſe, ac ſi quis *pennam
pavoninam* in pileo geſtet, ab obvio quovis impunè poſſe interfi-
ci; *Orbe Polit. Part.* 2. *p.* 112. idoneum teſtem non laudat, nec
experientiam in partibus habet, pavonibus ibi paſſim obviis &c.
Vide quoque infrà, voce *Pavus*. De *Pavonibus* ſolùm *agreſtibus*,
ſuprà indigitatis, id addo, Avem eſſe pulchram, columbinâ ma-
gnitudine, criſtatô capite, *pavonis* inſtar, in collo viridi colore,
reliquô corpore variam; & Græcis ταῶνα ἄγριον, Latinis recen-
tioribus *vanellum*, Ariſtoteli αἶγα, vulgò *capellam* dici, ac ico-
niſmum ejus ſpectari apud Ulyſſem Aldrovandum *Ornitholog. l.*
20. Belloniam adde, ubi varia cognitu non injucunda de ea.

PAVOR, & PALLOR, Dii à Tullo Hoſtilio figurati & culti,
Auguſtin. *l.* 4. *de Civ. Dei c.* 15. Liv. *l.* 1. *c.* 27. Et Lactantius.
l. 1. *c.* 20. Et quidem *Pavor* armiger Martis eſt, apud Papin.
Statium *Theb. l.* 3. *v.* 425.

——— *comunt Furor, Iraque criſtas,*
Frena miniſtrat equis Pavor *armiger* ———

Alioquin ad currum curandum illi ſerviens. Ita Claudian. *in
Rufin. l.* 1. *v.* 344. Marte clamante:

Fer galeam, Bellona, mihi, nexuſque rotarum
Tende, Pavor; *frænet celeres Formido jugales.*

Imò & ſunt, qui è Martis equis unum faciant. Val. Flaccus *l.* 3.
v. 89.

——— ——— *Terrorque Pavorque*
Martis equi, ſic contextis umbonibus hærent.

Sed unô verbô *Martiſequi* legendum, conjicit Barthius. Notiſſi-
mum enim duo diverſiſſima illa portenta Martem ſequi. At quo-
modo talia ſub uno jugo eant? Vide eum *Animadverſion. ad Sta-
tium d. l.* 1. & ſuprà voce *Mars*. Aliud idolum *Paventia* fuit, de
qua vide ſuô locô, & ſuprà voce *Infans*: uti de *Pavoriis*; Salio-
rum genere, ubi de *Saliis*.

PAUPERES, τὴν πόλιν καταισχύνουσι, *civitatem dehoneſtant*, Iſo-
crates *Areopag.* unde apud Iſraëlitas noluit Deus egentem eſſe ul-
lum, *Per te non debet eſſe egens, cùm omnino benedicturus ſit tibi Je-
hova in illa terra, quam* &c. Deuter. *c.* 15. *v.* 4. Quare & Athe-
nienſes civium ſuorum inopiæ ſubventuri inſtituerunt, ut quæ-
libet Ἑταιρία ſeu *Societas Collegiumque* arcam quandam haberet, in
quam, *Pauperibus* ſublevandis ac redimendis captivis, ſodalium
quiſque ἔρανον εἰσφέρειν ſingulis menſibus teneretur; quâ occaſio-
ne Plautus *Curcul. Actu* 5. *ſc.* 3. *v.* 7. dixit, *Eranum amici contu-
lerunt*: Hinc, ſtipem conferebant· Ἐρανίσαι & ἐράνων πληρωταὶ di-
cti; quemadmodum ipſam hanc collationem συλλέγειν vel κομί-
ζεσθαι τὸν ἔρανον appellavêre, ut diſcimus ex Ariſtotele *Acroaſ. l.* 2.
c. 5. & Δίκαι ἐρανικαὶ Judicia vocitata ſunt, in quibus lites inde ortæ
deciderentur, Simile quiddam fuiſſe ἔρανον παππῷον, ab Ariſti-
de iis, qui contra Medos cum ipſo militaverant, aſſignatum,
colligitur ex Ariſtoph. *Lyſiſtrata*. Vide Platonem quoque *de LL.
l.* 9. & Plinium, *l.* 10. apud quem Trajanus *in Epiſt. reſponſ.* A-
miſenis (nam & aliæ civitates præter Athenas idem facere ſoli-
tæ ſunt) ejuſmodi conſuetudinem, ut porrò continuent, per-
mittit, *eò faciliùs, ſi tali Collationi* &c. Porrò ſingulis Neome-
niis, qui opibus pollebant, epulum ampliſſimum eôdem fine,
apud Athenienſes, inſtruebant, quod quia Hecatæ ſacrum erat,
hinc *Hecates cœna* in Proverb. abiit· qua de re vide Ariſtophanem
Pluto, ubi Poëta *Pauperum* conditionem hôc nomine commen-
daturus ait:

——— Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστι τοῦτο πυθέσθαι,
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον.
——— *Ab Hecate licet hoc ſciſcitari,*
Utrum, divitem eſſe, an eſurire, ſit melius?

Imò, ut & ludos tales ac ſpectacula cum reliquis videre poſſent,
iis ex Ærario attributum eſſe, legimus. Vide Franc. Roſ-
ſæum *Archæol. Atticæ l.* 6. *c.* 9. Apud Romanos boni Principes,
provinciis bellô aut aliquâ calamitate attritis, conſueverunt ſub-
venire, remittendo tributa, onerumque fiſcalium indulgentiam
concedendo: quod dignum encomiô viſum eſt, in Conſtantino
Auguſto, qui Æduæ civitati graviſſimè afflictæ remiſit, quod
è quinquennio fuerat reliquum. Vide Eumenium Rhetorem O-
rat. de Schol. inſtaur. In Theodorico item Rege, qui provinciæ
Alpium Cottiarum, quòd per illam exercitus tranſierat, tertiæ
Indictionis tributa laxavit, apud Aur. Caſſiodorum *l.* 4. *Ep.* 36.
Alebantur interdum & è fiſco *Pauperes*, & poſteriorum Impera-
torum maximè Chriſtianorum temporibus, convocatis genera-
libus Conciliis, Epiſcopis eò profecturis viaticum eſt ſuppedita-
tum, ut legere eſt apud Sulpitium Severum *Hiſtor. ſacr. l.* 2. Apud
Hebræos inprimis variis privilegiis olim inſtructi leguntur. Un-
de ex Lege ſacra ſeptemplex jus iis competiiſſe, docent Magiſtri,
de quibus, dictis מתנות עניים, *Munera quæ pauperibus danda*,
ordine pauca. Primum fuit פאה *Angulus*, ex Levit. *c.* 19. *v.* 9.
*Cum meſſueritis meſſem terræ veſtræ, non conſummabis metendo an-
gulum agri tui.* Græci, οὐ συντελέσετε τὸν θερισμὸν ὑμῶν τοῦ ἀγροῦ σου
ἐκθερίσαι, *non perficietis meſſem veſtram agri tui metendo.* Quæ ve-
lut dicta non minus de agro frugibus conſito, quàm de arbori-
bus frugiferis, adeoque de proventu telluris omnimodo annuo,
capiunt. Quantitas anguli ſeu partis frugum ſic relinquenda-
rum nullibi in Lege ſacra præſtituitur: Sed ex ſcitis Scribarum,
pars eſt minimùm ſexageſima. II. לקט, i. e. *Spicilegium*, ſacris
illis, quæ ſequuntur, nititur verbis, *& collectionem* (ſpicarum
ſeu frugum remanentium) ſeu *ſpicilegium non colliges.* Quod
ad fruges ſeu proventus manipulatim falce ſuccidi aut evelli ſo-
litos attinere volunt. Ubi ſi ſpica unica aut duæ inter ſuccidén-
dum, evellendum aut colligendum, extra manipulos aut ſub
falce deciderent, hâc lege continebantur, non item, ſi tres ſi-
mul nedum plures. III. עוללות ſeu *Racematio*, in Lege ſacra,
ſequitur, *Et vineam tuam non racemabis.* Quod de racemulis di-
ctum volunt, quotquot ſcil. nec ſcapulos denſiores, nec uvas
conjunctiores, haberent. IV. פרט, *Racemi decidui*, qui ſcil. in
vindemia inter colligendum deciderent. De quibus, & ſpicis,
ajunt Magiſtri, ſi unus ſeu bini deciderent, eos hâc lege conti-
neri; non item ſi tres ſimul vel plures conjuncti. V. שכחה,
Quod per oblivionem relinquitur, Deuteron. *c.* 24. *v.* 19. *Cùm
meſſueris meſſem tuam in agro tuo, & oblitus fueris manipulum in
agro, non reverteris, ut tollas illum.* Quod etiam ad vindemiam
& arborum qualiumcunque fructus; extendunt Magiſtri. VI.
מעשר עני, *Decima pauperis*, deſumitur ex Deuteron. *c.* 14. *v.* 28.
A fine trium annorum ſeu *anni tertii, proferes omnem decimam fru-
gum tuarum pro illo anno & repones intra portas tuas, venietque
Levites &c. Et peregrinus, pupillus atque vidua, qui ſunt intra
portas tuas & comedent & ſaturabuntur.* Quod ſpectare volunt ad
tertium & ſextum (qui tertius eſt iteratus) cujuſlibet hebdo-
madis, juxta annorum remiſſionis computum, revertentis. Ita
ut Decima prima & ſecunda annis 1. 2. 4. & 5. ſolverentur,
tertiô verò & ſextô nulla decima ſecunda, ſed hæc velut vice e-
jus, idque domi, non Hieroſolymis, ſic ſolveretur. VII. צדקה,
Eleemoſyna. Quò ſpectat lex illa Deuteron. *c.* 15. *v.* 7. *Si fuerit
in te pauper unus ex fratribus tuis, intra aliquam portarum tuarum,
in terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non obfirmabis cor
tuum, neque contrahes manum tuam à fratre tuo paupere. Sed
aperiendo aperies illi manum tuam & mutuum dabis illi, quod
ſufficiat pro penuria illius, quâ is laborat.* Et quæ ſequuntur
de anno remiſſionis, faciunt, ut non mutuum; ſed donatum,
habendum eſſet, quod indigenti ſic ſubminiſtrandum. Vide
quoque Levitic. *c.* 25. *v.* 35. ubi, inter alia, hæc habentur; Si
attenuatus fuerit frater tuus & mutaverit manus ejus juxta te, etiam
ſublevabis ſeu *ſuſtentabis eum* (*quaſi advenam & peregrinum*, ſeu)
peregrinus item & inquilinus etiam vivat tecum. Quæ poſteriora
verba ſic capiunt Magiſtri, ut non ſolum Proſelytis tam Domi-
cilii, quàm Juſtitiæ, incolatus permiſſio in Terra ſancta ſic præ-
ſtituatur, verùm ut etiam utrorumque inopiæ levamen, ex
eleemoſynis, fuerit erogandum: Gentilibus aliis ſeu qui idolo-
latriæ nondum renuntiaverant, excluſis. Legitur autem Hyr-
canus primus Xenodochia inſtituiſſe, *quibus adventum ſuſciperet
pauperum peregrinorum*, Egeſipp. *l.* 1. *c.* 1. Hinc de eodem Joſe-
phus, *l.* 13. *Ant. Jud. c.* 16. Πρῶτος Ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο &c.
Interim quemlibet Judæum eleemoſynam debere dare pauperibus,
ex *LL.* allegatis colligitur: quod ſi quis detrectaret, ſententiâ
forenſi coërcendus erat in id præſtandum, quod Foro placeret,
idque non ſine plagarum, ſi non pareret, pœnâ. Si ne ſic qui-
dem obſecundaret, è bonis ejus, id quod erat præſtandum, in
pignus Judices ſuſtulêre. Poſteà verò eò deventum, ut quem-
admodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

admodum non rarò inter Chriſtianos, inſtituerentur qualibet in urbe ac oppido גבאי צדקה *Exactores Eleemoſynæ*, ſeu ejus, quod in pauperum ſublevamen erogandum, qui hebdomadatim eô nomine diligentiùs colligerent erogarentque nummos, alimenta, id genus alia. Locus, in quo reponebantur nummi, קופה *arca* vocabatur; in quo alimenta, תמחוי *ſcutella*. Unde evenit, ut dein obligatio non tam pauperes ipſos, quàm Exactores hoſce immediatè ſpectaret, extra quàm ubi quis exactorum munus ritè erogando juxta facultates ſuas anteverteret. Collectam eleemoſynam erogabant Exactores, etiam de aliorum inopia atque erogationis modo, decernentes. V. g. *Qui haberet* (veſperâ Sabbathi) *duo prandia, ei non licebat ex ſcutella erogari: Qui haberet quatuordecim, ei non licuit erogari ex arca*, non ſcil. in alimenta. *Qui habebat in bonis ducentos Zuzos, licèt cum eis non negotiaretur, aut qui haberet quinquaginta Zuzos, & cum iis negotiaretur, is in eis non erat habendus, quibus licuit ſpicilegiò, frugibus per oblivionem in agro relictis, angulô & decima pauperis gaudere*, &c. Ita autem cum Arca & Scutella comparatum erat, ut hæc pro vario locorum more aut haberetur, aut omitteretur, illa verò nullibi deeſſet. Atque ad hujuſmodi arcam ſeu inopum ærarium publicum, reſpicitur illô Euangelii Matth *c.* 19. *v.* 21. *Vende* &c. *& da pauperibus*, Et *dimidium bonorum meorum do pauperibus*, alibi, &c. Judæis verò à Gentilibus eleemoſynam ſumere non licuit palam, niſi ita eveniret, ut neque extremæ neceſſitati ſubvenire poſſent eleemoſynæ à ſuis ſubminiſtratæ, neque clam poſſet à Gentili accepere. Unde intelligendum ritè, quod de mendicantibus Judæis ſolet controverti. Joſ. Scaliger *Elench. Tribæreſ. c.* 28. *Veri Judæi non mendicabant, neque mendicant hodie propter* τὸ φιλάλληλον *eorum, quòd divites non patiuntur tenuiores mendicare aut eſurire, & multa præcepta de eleemoſynis etiam antiquiſſima habent.* Qua de re plura apud Nicol. Serarium *de Rabbinis l.* 2. *Scrup.* 38. & 39. Joh. Druſium, Alios. Non quidem mendicabant, inſtar aliorum, aut tam miſerè efflagitando victum quærebant, quoniam ex diſciplina avita à lautioribus pauperes, etiam ſubinde lautiùs, erant ſuſtentandi. Sed intereà mendicabant. Nec mendicabant, aut hodie ex diſciplina mendicant, ab aliis, quàm à contribulibus rogando, niſi ubi horum eleemoſynæ non ſufficerent. Aliter ab aliis rogare licitè potuêre; quod & factum ab illis fuiſſe, diſcimus tum ex Juvenali *Sat.* 6. tum ex Martiali *l.* 12. *Epigr.* 57. *v.* 11. ubi, ad Sparſum, inter urbis incommoda, recenſet frequentiam mendicantium Judæorum,

Nec turba ceſſat entheata Bellonæ,
Nec faſciam naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus, &c.

Plura vide apud Seldenum *de Jure Natur. ac Gent. l.* 6. *c.* 6. locum quod attinet in quo degere ſoliti, Romæ in Circo, in porticibus templorum, aliiſque locis publicis, morari ſolebant, qua de re vide Caſaubon. *ad Sueton. Julio c.* 39. & *Aug. c.* 74. aut in cœnaculo meritorio habitabant; in quod niſi ſcalis introire non poterant, Idem *ad Domitianum ejuſdem Auctoris c.* 23. Vide quoque infrà *Taberna.* Iidem apud Chriſtianos, in primitiva Eccleſia ad fores Templorum eleemoſynam accipiebant, Actor *c.* 3. *v.* 2. quam ſtationem à Veteribus fuiſſe iis aſſignatam, multis docet Chryſoſtomus *Homil.* 57. *tom.* 5. *p.* 390. qui etiam illos oſtiatim mendicare noluit, ſed in Eccleſia congregatos voluit ex Patriarcheo ſuſtentari, Anonymus in *Vita* ejus *c.* 55. Habebant enim Veteres pro pauperibus κοινὰ τῆς Ἐκκλησίας χρήματα, teſte eôdem alibi, habebantque commune domicilium ab Eccleſia ſegregatum, Κελλίον Χριστοῦ eidem dictum. Vide ſuprà *Diaconia*, it. *Matricula.* Quo pertinent & Πτωχικὰ, i. e. reliqua redituum Epiſcopalium, quæ ut ſuperflua mendicis diſtribuebantur, indigitata Balſamoni *ad can. Apoſtol.* 59. & κιβώτιον, quod Chriſtianorum olim quilibet juxta lectum habebat, precibus ſemper eleemoſynam juncturus, memoratum Chryſoſtomo *Homil.* 43. *in* 1. *ad Cor.* de quibus vide Cl. Suicerum in hac voce alibique; uti *de cava manu*, quâ pauperes ſtipem accipiebant, Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 91. de venditis ob *paupertatem* liberis apud Hebræos & Chriſtianos, diximus alibi. Vide quoque Seldenum ubi ſuprà, *c.* 7. Cœterùm, ut & alia quædam aſpergam, Romæ olim *Pauperes*, ſicut & rei ac qui in luctu erant, pullati fuêre, cùm ditiores albati incederent. Unde *Paupertas pulla*, Calphurnio;

O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet,
Pullaque Paupertas *& adunco fibula morſu:*

& diſcrimen inter cives natum, ſequiori ſeculô, ut alii *Candidati*, non qui peterent, ut olim, ſed honeſtioris ordinis cives: alii *Pullati*, infima nempe plebs ſive vulgus, à veſtium colore, dicerentur; in qua ſignificatione iſta vocabula reperias apud Plin. *l.* 7. *Ep.* 17. Quintilianum *l.* 6. *c.* 4. alios, non rarò. Seneca priores *Pexatos*, quòd pexis h. e. candidis & recentibus Togis uterentur poſteriores *Coloratos* nominare videtur, *de Beat. Vit. l. c.* 25. Vide infrà in voce *Pullatus*. Nec omittendum, antiquitus, ſicut divites in domibus ſuis ſepulti fuêre, ita *Pauperes* poſt mortem in foveas fuiſſe abjectos, Varro *de Lingua Lat. l.* 4. & Feſtus *l.* 14. in voce *Puticuli.* Qua de re vide plura apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c. ult.* & hìc paſſim, inprimis voce *Eleemoſyna*; & ubi de *Vigintitriumvirali Synedrio*, cui idoneam civitatem non fuiſſe habitam quæ arcâ eleemoſynaicâ careret, ex Maimonide videbimus.

PAUPERES Chriſti, dicti in Communione Romana primitùs Carthuſienſes. Guigo Prior Cartuſiæ ſecundus *Epiſt. Dedicat. ad librum de Quadripartito exercitio cellæ: Reverentiſſimo Domino & Patri in Chriſti viſceribus dilectiſſimo B. Priori* Pauperum Chriſti, *qui in Witteham commanentes, Ordinem ſuum Cartuſienſem profeſſi* &c. Similiter Guigo Prior V. majoris Cartuſiæ *in Prologo ad Vit. S. Hugonis Epiſc. Gratianopolitani, Domino Patri cariſſimo ac reverendiſſimo Sedis Apoſtolicæ Pontifici Innocentio, Cartuſienſium* pauperum *ſervus inutilis Guigo, perpetuam ſalutem.* Et Cartuſienſes Majorevi inter Epiſtolas Petri Cluniac. *l.* 6. *Ep.* 23. *Petro Cluniacenſium Abbati, frater humilis* Pauperum *Majorevi Prior vocatus, cum eiſdem* Pauperibus, *æternam à Deo ſalutem.* Apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PAUPERES de Lugduno, vulgò Valdenſes dicti ſunt, de quibus ſic Reinerus contra *Valdenſes c.* 5. *Secta* Pauperum de Lugduno, *qui etiam Leoniſtæ dicuntur, tali modô orta eſt. Cùm cives majores pariter eſſent in Lugduno, contigit quendam mori ſubitò coràm ex iis. Unde quidam inter eos tantum fuit territus, quòd ſtatim magnum theſaurum pauperibus erogavit: & ex hoc maxima multitudo pauperum ad eum confluxit, quos docuit habere voluntariam paupertatem & eſſe imitatores Chriſti & Apoſtolorum. Cùm autem eſſet aliquantum literatus, Novi Teſtamenti textum docuit eos vulgariter: pro quâ temeritate cùm fuiſſet reprehenſus, contempſit & cœpit inſiſtere doctrinæ ſuæ, dicens Diſcipulis ſuis, quòd Clerus, quando malæ vitæ eſſet, invideret ſanctæ vitæ ipſorum & doctrinæ. Cùm autem Papa excommunicationis ſententiam tuliſſet in eos, pertinaciter contempſerunt: & uſque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipſorum* &c. Vide ſuprà, *Boni Homines*, ut & in vocibus *Albigenſes, Valdenſes* &c.

PAUPERES Minores, vide ſuprà *Minores.*

PAUPERTAS, Dea, quam Ariſtophan, *in Pluto*, Πενίαν vocat ac deſcribit. A Gadaræis ſumma in veneratione habita eſt, quòd crederetur artes inveniſſe, induſtriam, & hominum ingenia acuere, *Arrianus.* Hanc ore pallidô, Furiæ ſimilem, niſi quod facem non præfert, pingunt. *Theocritus:*

Ἁ Πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει,
Αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος.

PAUPERUM Advocatus, officium in Eccleſ. Roman. de quo ſuprà voce *Adminiculator.*

PAUPERUM Portarius vide infrà *Portarius.*

PAURMEISTERUS Tobias, Cochſtadiô diœceſ. Halberſtadienſ. oppidô oriundus, Jus Civile Friburgi docuit, Principibus viris ac inprimis Lazaro Schwendio Baroni gratiſſimus. Indè in patriam revocatus, Halberſtadii, à Cathedralis Eccleſiæ Capitulo Advocatus ac Syndicus conſtitutus eſt, quam provinciam cùm annos 13. cum fide adminiſtràſſet, ab Henrico Julio Duce Brunſuic. ac Lunæburg. poſtulato Epiſc. Halberſtadienſi Conſiliis ſecretis & Cancellis Aulæ admotus, A. C. 1594. à Rudolfo II. Imperatore inſuper in Conſiliariorum ordinem cooptatus & Comes Palatinus creatus eſt. obiit A. C. 1608. ætat. 53. Scripſit *Commentarium Per. Politicarum & Juridicarum: De Juriſdictione Imperii Rom. libros II.* Joh. Jac. Boiſſardus *Vitis Viror. doct.* ubi hoc de illo diſtichon legas:

Mentem forma tuam, Doctrinam penna, Cheruſci
Acta, Fidem Cæſar Guelphiadeſque probant.

PAUSA, à Græco παύειν, Gall. *Pauſe*, requies ceſſatio alicujus rei, mora; vox veteri Latio cognita, Lucilio, *Sat. l.* 1. Claudio in *Annalibus, l.* 1. Lucretio, *l.* 1. *v.* 746. *l.* 2. *v.* 118. Plauto, *Perſ. Actu* 5. *ſc.* 2. *v.* 37. Aliis, & à ſequiori revocata: de qua diximus nonnulla ſuprà in voce *Pauca.* Hinc *Pauſarii* dicebantur, qui *pauſas* illas explerent in ſacris Iſidis & Anubim portarent. Nempe moris fuiſſe, ſimulachra Deorum portantibus, ut certis locis interjungerent, ibi vidimus: quod *Pauſas edere* Spartian. vocat. *in Caracallo c.* 9. *Vetus Inſcr.*

PRO. SALUTE. DOMUS. AUGUSTÆ.
CORPORA. PAUSARIORUM. ET
ARGENTATORIORUM. ISIDI
ET. OSIRI MANSIONEM.
ÆDIFICAVIMUS.

Unde duo docemur, & corpus ſive collegium *Pauſariorum* Romæ fuiſſe, manſiones Iſidi extrui ſolitas, in quibus vel ad quas illæ *pauſæ* fiebant. Sed & *manſio* & *pauſa* idem eſt. Neque verò quis putet, *Pauſarios* artifices aut opifices fuiſſe quoſdam, propter Argentariorum nomen, quibus junguntur in Inſcriptione. Nam & ſic Dendrophori in aliis quamplurimis Inſcriptionibus cum Tignariis & Fabris & Centonariis junctim ponuntur; cùm tamen Dendrophori nomen religionis vel ſuperſtitionis eſſet, *Cod.* Theodoſ. *tit. de Paganis & Templis l.* 20. illique ſic vocarentur, qui in honorem alicujus Dei, ut Bacchi, vel Matris Deûm, vel Sylvani, arbores ſtirpitus exciſas per urbem humeris ferrent, Artemidor. *l.* 2. *c.* 42. de Baccho &c. *Pauſarii* igitur erant, qui in portando Anubi omnes *pauſas* edi conſuetas in Iſidis ſacris explebant, Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Antonino Caracalla. loc. cit.* Apud citimæ ætatis Scriptores, *Pauſam*, pro *requie*, quæ ſomnô capitur; atque hinc pro *morte*, *tumulo* item ac *ſepulchro*, paſſim occurrere, pluribus docet Car. du Freſne *Gloſſ.* Unde *Pauſium*, locus ubi pauſatur. Sic in ſigilli Hugonis Ducis Burgundiæ & Albonii Comit. Chartæ A. C. 1189. appenſi averſa parte. Caſtellum extat tribus inſtructum turribus, quas inter exarata hæc, PAUCIUM VIANTIS, in circulo verò, *Sigillum Hugonis Comitis Albonii*, apud Perardum *in Chartis Burgund. p.* 262. Ubi *Paucium*, pro *Pauſium* eſt ſicut *Pauca* pro *Pauſa* ſuprà vidimus.

PAUSANIAS, Macedonum Rex, obiit Olympiad. 96. annô tertiô, dolô & inſidiis Amyntæ, tantùm annô unicô regnô potitus. Poſt quem regnum ſcelere quæſitum Amyntas viginti quatuor annos tenuit.

PAUSANIAS, cognatione regiæ Macedonum ſtirpi annexus: qui, occiſô ab Illyriis Amyntâ, ope Thraciæ regis Regnum ad ſe trahere adfectabat, Diod. Sic. *l.* 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol 3

PAUSANIAS, fil. Pliſtoanactis Euryſthenidæ, Rex Lacedæmoniorum, cum Lyſandro. Quibus contra Athenienſes, Corinthiis & Argivis junctos, miſſis, hic occiſus eſt, An. 359. Urb. Cond. Ille verò indignationem civium veritus, Tegeæam ſe contulit, ubi paulò pòſt fatô functus eſt. Regni annô 14. Eum excepit Ageſipolis I. filius, de quo ſuprà.

PAUSANIAS, fil. Cleombroti Euryſthenidæ, Dux Lacedæmoniorum celebris, virtutibus æquè ac vitiis inſignis. Ejus fortitudo in prælio ad Platæas, quô Mardonius fuſus, An. 275. Urb. Cond. egregiè emicuit. Sed ſucceſſu inſolentior factus, inprimis cùm & mari Perſas ſuperâſſet, Byzantiô illis ereptô; majora viribus agitare & remiſſis ſine lytro captivis Xerxis amicitiâ & affinitate ambitâ, totius Græciæ imperio inhiare cœpit. Quod cum ſoboluiſſet Ephoris, in templo Minervæ, quò ſe receperat, neci eſt datus. Cornel. Nepos, *in ejus vita. Thucyd. Diod. Plutarch.* &c. Ejus fil. Pliſtoanax Pliſtarcho Regi ſucceſſit. Vide ibi.

PAUSANIAS, Macedo adoleſcens, qui Philippum Macedonem interfecit. Hîc primis pubertatis annis ſtuprum per vim paſſus ab Attalo fuerat, & quod deterius eſt, convivis uti ſcortum ultro oblatus: de qua injuria apud Philippum ſæpe quæſtus, cùm eum ridentem facinus videret, iram in eum convertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice exegit. An. 418. Urb. Cond. Trogus Pompejus. *l.* 9. *c.* 6.

PAUSANIAS, Cæſarienſis Grammaticus, æqualis Ariſtidi; ſcripſit *de conſtructione librum unum, problematum* item *unum*, *Philoſtrat.* Alius ab hoc celebratur à *Suida*, cui *Lacon hiſtoricus* dicitur; ſcripſit *de Helleſponto*, item *Laconica*, *Chronica*, *de Amphictyonibus*, ac *de feſtis Laconicis*. Vide Phot. *cod.* 53.

PAUSANIAS, Geographus, qui τῆς Ἑλλάδος περιήγησιν ſcripſit, *Philoſtratô* teſte; Diſcipulus fuit Herodis Attici, qui ſub Adriano, & Antonino Pio magnum adeò nomen habuit inter Sophiſtas. Patria ei fuit Cæſarea Cappadociæ. Declamavit non ſolùm Athenis, ſed etiam Romæ, ubi ſenex deceſſit. Plura de eo apud Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 14. & Frid. Sylburgium *notis ad Pauſan. p.* 133. *edit. Hanoviæ.* 1613.

PAUSARIUS, qui remigibus modos dabat, & remigandi officium quadam quaſi pausâ moderabatur, olim dictus eſt: Senecæ Κελευστής. Nam in navi fuiſſe Symphoniacos, qui celeuſma remigibus canerent, & *per aſſam vocem, i.e. ore, prolatam*, illorum laborem demulcerent, ex Aſconio *ad divin. Cicer.* docet Pignorius *Comm. de Servis.* In Argo ſanè navi, teſtatur Hyginus, Orphea per citharam celeuſma moderatum eſſe, quod & tetigit Valerius Flaccus *Argonauticon l.* 1. *v.* 470. *& ſeqq.*

Nec verò Odryſſius tranſtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo ſubigit, ſed carmine tonſas
Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.

Vide quoque eundem *eod l. v.* 184. Martialem *l.* 4. *Epigram.* 64. Rutilium Numatianum *l.* 1. &c. Nauticum hoc carmen, *nauticus cantus* Ciceroni eſt, *Nauticus clamor* Virgilio *Æn. l.* 3. *v.* 128. *Celeuſma* aliis: quod hodie, Italorum moribus, voce vel parvâ fiſtulâ nautis accini, Pignorius ſuprà memoratus tradit. Aliam vocis notionem vide ſuprà.

PAUSATA Arbor, apud Arnobium *l.* 5. ubi de Attyis morte & Cybeles luctu, *Tunc tundit & ſauciat pectus* pauſatæ *circum arboris robur:* eſt conſecrata, eô modô, ut cùm omnia in illo antro & fano furerent, illa tamen quieſceret, nec ullô ventô aut tumultu concuteretur. Hoc enim fieri credebant perditi idololatræ, uti diſcimus ex Claudiano *de Raptu l.* 1. *v.* 201. ubi hujuſmodi ſacrilegia deſcribit,

—— *templique colendi*
Relligioſa ſilex, denſis quam pinus obumbrat
Frondibus, & nullâ lucos agitante procellâ,
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribiles intus thyaſi, veſanaque mixto
Concentu delubra gemunt, ululatibus Ide
Bacchatur, tumidas inclinant Gargara ſylvas.

Vide C. Barthium *Animadverſion Papin. ad Theb. l.* 10. *v.* 168. Stewechius tamen *Electis ad Arnobii* locum *lanata* legit, quòd ſtipes ejus lanâ velaretur, ut infrà videbimus, voce *Pinus.* Heraldus verò *pauſatè* legit, quia certo modo τακτῶς ac per *pauſas* pactus pulſaverint, quando planctus ad neniam peragebatur, veris & crudis planctibus jam effuſis, *Animadverſionibus ad eundem Arnobii locum:* ſic tamen, ut ipſemet hæreat. Salmaſius certè Stewechio adſentitur, *Exercit. Plinianis.*

PAUSIAS, pictor Sicyonius, Bryetis filius, Pamphili Macedonis diſcipulus; qui Glyceram corollarum textricem adamavit, eamque depinxit humi ſedentem, & coronas ex floribus plectentem, quod opus ex argumento, *Stephanoplocon* appellavit; Ejus tabulam Lucullus duobus talentis emit. Hîc primus lacunaria, & cameras pingere inſtituit. Ejus meminit Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 7.

Vel cum Pauſiacâ torpes inſane tabellâ.

Vide Plin. *l.* 21. *c.* 2. & Varr. *de RR. l.* 3. Idem optimus cerarum ἐγκαύστης. Tria autem cùm fuerint Encauſtices genera, unum erat, quô tabulam diſcoloribus ceris inducebant & inſternebant, ad quidlibet exprimendum, pingendumve, quas poſteà ceras inurebant, ut lævigarent & exæquarent: atque in hoc excelluit Pauſias. Plin. *l.* 35. *c.* 13. *Pinxit & ipſe penicillo parietes Theſpiis, cùm reficerentur quondam à Polygnato picti: multumque comparatione ſuperatus exiſtimabatur, quoniam non ſuô genere certâſſet*, i. e. quoniam encauſticâ non certâſſet: in qua excellebat. Ubi *penicillô pingere*, & *ceris pingere*, diverſa ſtatuit, quoniam in hoc genere Encauſtices penicilli nullus erat uſus. Varro *de Re Ruſt. l.* 3. *c. ult. Nam ut* Pauſias *& cæteri pictores ejuſdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ, ſic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſas habent piſces.* Quæ ceræ diſcolores ad Encauſticen omnino pertinent, in qua primùm nobilis extitit Pauſias. Plin de eod. *Idem & lacunaria primus* &c. Quod itidem de Encauſtice intelligendum. Nam cameras ceris inuſtis pingi ſolitas, ex Procopio obſervat Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug.* Vide quoque eum *ad Solinum p.* 231. & 232. ut & ſuprà, in voce *Encauſtice.*

PAUSICAPE, Græcè Παυσικάπη, erat τροχοειδὲς μηχάνημα, τῷ τραχήλῳ περιαρμοζόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν τῷ στόματι τὰς χεῖρας προσάγειν, *Machina quadam rotæ ſimilis, quæ collo adaptabatur, ut ea conſtrictus manus ori admovere non poſſet*, Pollux *l.* 7. *c.* 4. Vide quoque *Heſychium* ac *Suidam.* Quemadmodum Ποδοκάκη pedes artabat, Ποδοστράβη pedes manuſque vinctos torquebat, Πενταϲύριγγον verò ξύλον, non tantùm collo inſerebatur, ſed etiam pedes manuſque impediebat. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 4. *tit.* 9. *de Pœnis.* Origo *Pauſicapes*, à veteri molendi modo, antequam molæ eſſent in uſu: Ne enim ſervi, qui in Piſtrino far mortariis impoſitum tundere cogebantur, farinâ fortè veſcerentur iſtiuſmodi ligno collum habebant inſertum, Hadr. Turnebus *Adverſarior. l.* 4. *c.* 13. Quod poſteà ad alia ſervorum delicta punienda tranſiit. Jumentis quoque *Pauſicapen* cùm edere prohibebantur, fuiſſe applicitam, docet *Suidas.*

PAUSILYPUM, promuntor. Campaniæ apud Mergillinen, non procul à Neapoli, ab ea ad 3. mill. paſſ. Puteolos verſus diſtans. Ἀπὸ τῆς παύσεως τῆς λύπης, h. e. *à mæroris ceſſatione* ſic dictum. Vide Cluv. *Ital. Ant. p.* 1150.

PAUSIMACHUS Samius, inter eos qui terrarum hiſtoriam literis fuerint perſecuti, à *Feſto Avieno* refertur, in deſcriptione Oræ maritimæ.

Pauſimachus ille, priſca quem genuit Samos.

PAUSINUS, Liburniæ fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 21. nunc *Buzanich. Ortel.*

PAUSON, Pictor in Comœdiis, ob paupertatem traductus. Fuit verò adeò extremæ inopiæ, ut Ariſtoph. *Pluto* 2. *ſc.* 5. eum fingat auxilii gratiâ à *Penia* vocari. Hinc *Pauſone mendicior.* Proverb.

PAUSULÆ, oppid. fuit Piceni, in Comitatu Firmano, aliàs caſtrum *Pauſule*; nunc in ejus ruderibus extat pagus *Monte dell' Olmo*, Camill. Lilius *in hiſtor. Camertia.*

PAUSULANI, populi Piceni, quorum ager Pauſulenſis, & pagus *Pauſuli.* Vide *Pauſulæ.*

PAUSUS, contrarium Bellonæ Numen fuit, obſervante Hadr. Turnebô *Adverſar. l.* 15. *c.* 21. *quòd otium & quies, cui ille præeſt, bello adverſetur.* Ejus meminit Arnob. *l.* 1. *Qui Faunos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui* Pauſos *reverentur atque Bellonas.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſin. l.* 4. *c.* 10. Ei ἀπὸ τοῦ παύειν nomen.

PAUTALIA, Daciæ mediterraneæ civitas fuit *Herocli; Paluzo, Leunclav.* oppid. Thraciæ mediterraneæ *Ptolem.*

PAVUS, nomen de vocis ſono habet, ſi Iſidoro fides *Origin. l.* 12. dicitur *Samius Publio Syro*, apud *Petron. Arbitrum*, quia è Samo (ubi in Templo Junonis Samiæ alebantur) in alias tranſferrentur terras, ut è Menodoto Samio apud *Athenæum* refertur: Voſſius tamen mavult retinere lectionem editionis principis, putà Pariſinæ A. C. 1520. perſuaſus à Publio, verbis his

Tuo palato clauſus Pavo *paſcitur.*

reſpici ad Ornithonas, in quibus aluêre *Pavones*, turtures, turdos, ut indicat Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 3. Fuit hæc avis, *omni patagio inauratior*, ut Tertullian. ait, Græcis ipſis ignota ante tempora Alexandri M. qui cùm *Pavum* in India primùm conſpexiſſet, edictô vetuit, ne quis necaret: ut Ælian. narrat *de Animal. l.* 5. *c.* 21. atque ibidem legas, ut Athenis quibuſque menſium Calendis fuerint, qui quæſtum facerent, oſtendendo eos viris ac mulieribus: item, ut Antiphon. Orat. contra Eraſiſtratum tradat, ibidem marem & fœminam fuiſſe mille drachmis æſtimatos. Et quidem ſpectaculum *Pavonum* ut præberetur, circa Antiphontis ætatem inſtitutum eſt, ut habet ipſe ἐν τῷ περὶ Ταῶν. Quô referri poſſunt Dicæopolis verba, apud Comicum *Acharnenſibus*,

Κη. οἱ παρὰ Βασιλέως πρέσβεις.
Δι. Ποίου Βασιλέως; ἄχθομαι ἐγὼ πρέσβεσι,
Καὶ τοῖς Ταῶσι, τοῖς τ' ἀλαζονεύμασι.

Ubi Petitus, non negans quidem alludere Comicum ad ornatum Perſarum, ſibi tamen perſuadet, Dicæopolim ruris plenum & inficetiarum notâſſe ſpectaculum præfatum, quod non ita pridem inſtitutum erat, & ſingulis Neomeniis præbebatur, Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 1. *tit.* 1. Cœtera carnem habet tam duram, *ut cocta etiam per annum, citra putrefactionem vel fœtorem ullum, duraverit incorrupta*, teſte Iaſone à Pratis Ziricſæo *l. de Sanit. tuenda.* Quod Juvenal. queritur *Sat.* 1. *v.* 143.

Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus
Turgidus & crudum Pavonem *in balnea portas.*
Hinc ſubitæ mortes atque inteſtata ſenectus.

Et Horat. *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 23.

Vix tamen eripiam, poſitô Pavone, *velis quin*
Hoc potiùs, quam gallinâ tergere palatum,
Corruptus vanis rerum: quia veneat aurô.
Rara avis & pictâ pandat ſpectacula caudâ,
Tanquam ad rem attineat quicquam. Nam veſceris iſtâ,
Quam laudas, pluma? Coctove num adeſt honor idem.

Placuit tamen ingenioſæ in perniciem ſuam gulæ: ad quam ſtultitiam quis præiverit, docet Tertullian. *de Pallio c.* 1. *Hortenſius Orator primus pavum cibi causâ juſſit occidere.* Quod ſtructum fuiſſe *cœnâ augurali*, refert Varro *l.* 3. *R. R. c.* 6. Vide quoque Plin, *l.* 10. *c.* 20. & Ælian. *locô cit.* Sed is, quod Plinius tacuit, Varroni addenti, *factum illud tam à luxurioſis, quàm ſeveris*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſeveris boniſque viris, fuiſſe laudatum, repugnare videtur, cùm propterea Hortenſium ſcribit κριθῆναι, vel, ut in aliis codd. eſt, κατακριθῆναι. Et ſanè, apud eundem Ælian. *l.* 10. *c.* 20. ex Athenienſibus quidem Callias & Cteſippus: ex Romanis Apicius ac Hortenſius, ut præ cœteris lurconibus, gulæ dediti memorantur. *Primùs* verò *ſaginare* (Pavones) *inſtituit circa noviſſimum Piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditus ſeſtertium ſexaginta M. habuit*. Plin. *l.* 3. *c.* 42. Ob quæ ſic Publius Syrus apud Petronium Arbitrum, qui hiſce negat melius quid dici poſſe:

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia,
Tuo palato clauſus Pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

Apud Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 92. Vide quoque Papinium Statium *Sylvar. l.* 2. ubi pulchritudinis primas Pſittaco, ſecundas *Pavoni*, tertias Phaſiano tribuit: Inprimis Tertulliani locus, quem ſuprà jam tetigi *de Pallio c.* 3. elegans eſt, cùm inquit; *Quanquam &* Pavo *pluma veſtis, & quidem de cataclitis: omni conchyliô preſſior, quà colla florent, & omni patagiô inauratior, quà terga fulgent; & omni ſyrmate ſolutior, quà caudæ jacent, multicolor & diſcolor & verſicolor, nunquam ipſa, ſemper alia, etſi ſemper ipſa, quando alia: toties denique mutanda, quoties movenda.* Querelam *Pavonis* ad Junonem, quòd ſibi luſciniæ vocem non conceſſerit, habes apud Phædrum, *l.* 3. *Fab.* 18. Ubi inter alia, conſolandi gratiâ, Juno ait:

Sed formâ vincis, vincis magnitudine;
Nitor Smaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.

Quibus adde Piſidem *Coſmurgiâ*, Theophylactum Simocattam *in Epiſt.* ubi, Medicam avem, Μηδικὸν ὄρνεον *Pavonem* vocat, *Martialem, alios.* De ovis ejus, vide ſuprà in hac voce. Ex pennis illius flabella, quibus muſcæ arcerentur, confieri ſolita fuiſſe, indicat Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 105.

——— *Eous Rector Conſulque futurus,*
Pectebat Dominæ crines, & ſæpe lavanti
Nudus in argento lympham geſtavit alumnæ:
Et cùm ſe rapidô feſſam projiceret æſtu,
Patricius roſeis Pavonum *ventilat alis.*

Eunuchos enim, de quali Poëtæ ſermo, in mundo muliebri fuiſſe, & Virginibus Matroniſque delitias dicere, flabello ventulum facere, &c. ſolitos, alibi monuimus. Oculos *Pavonum* caudæ (de qua vide ſuprà, in voce hac) in citreis ſuis menſis, quæ olim maximi æſtimatæ, Romanos gratiſſimos habuiſſe, Plin. docet *l.* 13. *c.* 15. *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice variis, illud oblongô evenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur: hoc intortô, & ideo tales Pantherinæ vocantur. Sunt & undatim criſpæ majore gratiâ, ſi* Pavonum *caudæ oculos imitentur*, &c. In numiſmate Samio *Pavonem* inſculptum, & Junoni propterea ſacrum fuiſſe, quòd primùm in ea Inſul. nati & nutriti atque inde in alias regiones tranſlati ſint, tradit ex Athenæo *l.* 14. Δειπνοσ. Anton. Thyſius *Notis in Gellium l.* 7. *c.* 16. Vide ſuprà. In nummis Romanis Aquilæ vel *Pavones* expreſſi, defunctos Imperatores vel Auguſtas in cœlum ſubvehentes, Apotheſeos ſeu Conſecrationis eorum notæ ſunt, cujuſmodi numiſmata duo exhibet Joh. Roſin. *Antiq. l.* 3. *c.* 18. Vide quoque Seb. Feſchium *de Inſignibus*, ut & ſuprà *Pavones.*

PAX, h. e. εἰρήνη, ut *Dea* colebatur ab antiquis: Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 115.

Ut colitur Pax, atque fides, &c. ———

Ejus ſimulachrum ita effictum legimus, ut puerum Plutum manu geſtaret, quô ſymbolô indigitatum, non ex bello, ſed ex pace divitias, & opes comparari. Effingebatur etiam cum ſpicis, interdum cum oliva, & nonnunquam laurô coronabatur: quin & cum roſa; & nonnunquam cum ſolo caduceo ſignificabatur. Ovidius navali eam coronâ redimit, *Faſtor. l.* 1. *v.* 711.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos,
Pax *ades, & toto mitis in orbe mane.*

Occaſione videl. Actiacæ victoriæ. Vide C. Paſchalium *Coronar. l.* 7. *c.* 4. Romæ Aram habuit: ibidem Templum illi magnificentiſſimum Veſpaſianus à Claudio inchoatum extruxit, Foro proximum, cujus mentio apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. ubi de nobilitatibus ex ære operum: *Atque ex omnibus* ——— *clariſſima quæque in Urbe jam dicata ſunt à Veſpaſiano Principe in Templo Pacis.* Et *l.* 36. *c.* 5. ubi juxta Pauli Baſilicam, Forumque Auguſti, inter *pulcherrima operum, quæ unquam*, recenſetur. Ibi vaſa & donaria Templi Hieroſolymitani à Tito Veſpaſiano repoſita fuiſſe, tradunt Scriptores, D. Hieronymum ſequuti. Ibidem omnium artium Profeſſores ad diſputandum convenire conſueviſſe, Galenus refert *Serm. de libris propriis.* Ægrotos quoque hoc templum frequentare fuiſſe ſolitos, aſſerit Lil. Giraldus ex quodam parùm intellectô ejuſdem Galeni loco, ſed refellitur ab Hier. Mercuriali *Var. Lect. l.* 1. *c.* 13. Bibliothecæ *Pacis* meminit A. Gellius *l.* 16. *c.* 8. quæ ſine dubio Templo fuit ab eodem Veſpaſiano adjuncta. Sed hoc Templum, quod ſupra cœtera maximum fuit, opulentiſſimum, *ac pulcherrimum operum, quæ unquam*, ut loquitur Plinius, *l.* 36. *c. cit.* Commodô imperante, incendiô conſumtum ac in cineres redactum, docet Herodianus *l.* 1. Eidem Deæ Fanum Domitianus poſuit. Statius *l.* 4. *Sylv.* 1. *v.* 13.

——— *quem tu vicinâ* Pace *ligatum*
Omnia juſſiſti componere bella ———

Et *Sylv.* 3. *v.* 17.

Qui reddit Capitolio Tonantem,
Et Pacem *propria domo reponit* &c.

Apud Athenienſes, *Pax* quoque aram habuit & pulvinar, poſt ſuperatos à Timotheo Lacones. Corn. Nepos *in Eo, c.* 2. *Quô factô Lacedæmonii de diutina contentione deſtiterunt* —— *pacemque his legibus conſtituerunt, ut Athenienſes mari Duces eſſent. Quæ victoria tanta fuit Atticis lætitiæ; ut tum primùm aræ* Paci *publicè ſint factæ, eique Deæ pulvinar ſit inſtitutum*, ad quem locum vide Commentatorum *Notas.* Nec omittendum, Matronas Romanas, ut uterum ferrent, Τριτοπάτορσι Athenienſibus *Pacique*, ut & Veneri, ſupplicationes & vota, magis tamen pro filiis & gemellis, quàm filiabus, concipere ſolitas fuiſſe, uti docet Thom. Bartholin. *de Puerperio Veterum.* Vide quoque ſuprà *Otho M. Sylvius.*

PAX, venia, dimiſſio & abſolutio delictorum, quæ fit à Miniſtris Eccleſiæ, nomine & auctoritate D. N. J. Chriſti reconciliatio, communio ſeu potiùs, *admiſſio pœnitentis in communionem Eccleſiæ:* quæ *Pax Eccleſiæ* dicitur in Concil. Taurinenſi *can.* 6. alibique. Hâc notione ſæpiùs vox occurrit apud Cyprianum, inprimis *Ep.* 11. *Cùm ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim graviſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis* Pacem *& Euchariſtiam dare, i. e. ſanctum Domini profanare audeant.* Et *l. de Lapſis, Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, aut purgatam conſcientiam* ——— *ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis*, Pacem *putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant*, &c. Hanc à Martyribus & Confeſſoribus, impetratis ab eis libellis, petere non rarò ſolitos fuiſſe excommunicatos, diximus ſuprà in *Martyrum Pax.* Meminitque ejus moris Tertullian. ad Martyr. *Pax veſtra bellum eſt illi: quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt* Quæ quidem *Pax* Pamelio nil aliud videtur fuiſſe, quam relaxatio ſatisfactionis per Epiſcopum pœnitentibus impoſitæ, atque ad Eccleſiæ communionem, ante expletum præſcriptæ pœnitentiæ tempus, admiſſio: Qua de re alibi. Formulam libellorum illorum tradit Cyprian. *Ep.* 22. *Cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me & dixit mihi, Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt arceſſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Sed & *Pax* pro *oſculo* Pacis, quod pacis & concordiæ ſymbolum erat, non rarò occurrit. Quô ſenſu legimus, *Pacem dare, Pacem tribuere, Pacem offerre* &c. Vide ſuprà *Lapis pacis*, item *Liber Pacis* &c. ubi de *Oſculo Pacis.* Etiam *Pax* laudimium dicitur, id nempe, quod, pro venditionis aut alienationis auctoramento, domino ſuperiori ſolvitur, quaſi ut *Pax* cum eo ineatur & ut venditionem alienationemque non interturbet, datô ad id conſenſu ſuô. In *Charta A. C.* 1183. pro lanionibus Toloſanis, *Habet Dominus Comes, vel ſuus Bajulus, ſuos* Pax *integrè*, apud C. du Freſne in *Gloſſ.* Eadem vox acclamari ſolita, Pacem publicam infractum euntibus. Unde *Pacem proclamare*, eſt ſilentium indicere, quomodo etiam Galli, cùm alios ſilere jubent, *Paix, Paix*, acclamant. Si quando enim Pax publica infringeretur, tum ab omnibus adſtantibus admonebantur Pacis indictæ hâc voce *Pax:* quod maximè in duellis obtinuit, ne quis decertantium amplecteretur partes, qua de re eundem vide ibidem &c. Apud Romanos olim de *Pace* agi Comitiis Tributis conſueviſſe, dicemus infrà voce *Plebiſcitum.*

VARIÆ PACIS SPECIES, QUÆ APUD SCRIPTORES OCCURRUNT PASSIM.

Pax Curiæ Regis, quæ ſcil. contineri debet, intra Curiæ ipſius terminos, qui ita deſcribuntur in *LL.* Henrici I. Regis Angl. *c.* 16. cujus tit. *de Pace Curiæ Regis: Nam longè debet eſſe* Pax Regis *à porta ſua ubi reſidens erit à quatuor partibus loci illius, h. e. quatuor* (in aliis codicib. tria) *milliaria & tres quarantenæ, & novem acræ latitudine & novem pedes, & novem palmæ & novem grana ordei. Multus ſanè reſpectus eſſe debet, ac multa diligentia, ne quis pacem Regis infringat, maximè in ejus vicinia* &c.

Pax Dei & Eccleſiæ, vide infrà *Treuga Dei.*

Pax Deorum, verbum Pontificale, apud veteres Romanos: Nonius *propitiationem* interpretatur. Ita Liv. *l.* 7. *c.* 2. *Pacis Deûm expoſcendæ cauſâ, lectiſternium fuit.* Plautus *Amphitr. Sc.* 1. *Act.* 5. *v.* 75.

Ut Jovis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.

Silius Ital. *l.* 4. *v.* 703.

Gramineas pacem Superûm ponebat ad aras &c.

Vide Bernegg. *ad Juſt. l.* 18. *c.* 7. & *l.* 20. *c.* 2.

Pax Domini idem, quod *Pax vobis*, vide infrà.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, verba ſunt, quæ in Communione Roman. dicuntur à Sacerdote, antequam immittat particulam hoſtiæ in calicem, uti ait Dominic. Macer *in Hierolex.*

Pax Eccleſiæ, *immunitas*, privilegia, quibus illa munitur, quæque qui infregit; pacis Eccleſiæ tractæ reus fit, in *Capitul. A. C* 80[illegible]. *c.* 2. Sed & *Pax Eccleſiæ* de reis dicitur, qui ad Eccleſias, veluti ad aſyla, confugiunt, tum enim *pacem Eccleſiæ* habere dicuntur, *Capitular.* Caroli M. *L.* 5. *c.* 90. &c. Quando verò jus Aſyli nactæ fuerint ædes ſacræ, apud Chriſtianos, ſat multis docet Jac. Gotofredus *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de his qui ad Eccleſiam confug.* Apud Anglos, qui ad Templum confugiebat, aut locum alium aſyli privilegiô donatum, ſiquidem crimen, de quo incuſabatur, à ſe fateretur admiſſum, regnum adjurare tenebatur & eligere portum aliquem, per quem tranſire poſſet ad terram aliam, extra Regnum Angliæ. Quô caſu computabantur ei rationabiles dietæ, uſque ad portum illum, & interdicebatur ei, ne exiret regiam viam, nec moram faceret alicubi per duas noctes, ſed ſemper tenderet rectam viam ad portum, ita ut ibi eſſet ad diem ſibi datum & transfretaret quàm citiſſimè. Morari autem poterat in Eccleſia per 40. dies, Bractonus *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 16. §. 1. &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

&c. Vide ſuprà, ubi de *Aſylis*, nec non ubi de *Abjurandi patriam more*.

Pax Martyrum vide ſupra *Martyrum pax*.

Pax S. Petri, memoratur in *Weichbild* Magdeburg. *art.* 9. §. 2. *Pax S. Petri cum ſigno Crucis eiſdem* (civitatibus) *conceſſa* (ab Imperat.) *Idque ſignum hucuſque ſervatur, ubi Civitates vel Foralia noviter fundantur, figitur crux in teſtimonium pacis, quodque ibi cernatur pax municipalis: appenditurque Imperatoris ſignum, ut appareat de voluntate ejus id factum fore.*

Pax & Quies Imperii, Feudatariis conceſſa, vide *Jus Feudale* Saxonum *c.* 5.

Pax Regis, *Regia protectio*, Gall. *Sauvegarde Royale*, LL. Henrici I. Regis Angl. *c.* 53. alibique paſſim. Hinc ad *Pacem redire* dicebatur Utlagatus & proſcriptus, cùm à Rege recipiebatur, ejuſque Pacem denuò conſequebatur. Et *Litera Pacis*, vulgò *Remiſſio* dicta, quæ criminis admiſſi abolitionem continens à ſolo Rege concedebatur, in *LL.* Malcolmi II. Regis Scotiæ *c.* 2. §. 5. Sed & *Pax Regis* multiplex eſſe dicitur, in *LL.* Eduardi Confeſſ. *c.* 12. ſcil. *ipſius manu* vel *brevi data*; vel *in diebus coronationis*, durans per 8. dies; vel *in præcipuis Anni feſtivitatibus*, Natali ſcil. Domini per 8. dies, totidem in Paſchate ac Pentecoſte; vel in 4. Viis Regalibus, de quibus vide ſuprà, in *Cheminus* & *Ermingſtrete*; vel denique in majoribus fluviis. Aquæ enim minores, perinde ac chemini minores, ſub lege Comitatus ſunt. Hinc *Pacis fractio*, cùm Pax indicta à Rege, vel alicui, aut Eccleſiæ locisque aliis, conceſſa violatur: Aliquem *de Pace appellare*, i. e. accuſare: *Paci Regis ſtare*, i. e. de fracta Regis pace Juri ſtare. Vide Auctores *in Gloſſar.* ſuo laudatos Car. du Freſne, nec non ſuprà.

Pax Tecum, antiquitus in ſacris lectionibus alicujus Apoſtoli, dicebatur, Auguſtin. *Ep.* 163. quod hodieque Græci obſervant: apud quos lectione N. T. in Miſſa peractâ, à Lectore, Sacerdos reſpondere ſolet, Εἰρήνη σοι. Poſt oſculum pacis dici conſueviſſe: item poſt Orationem Dominicam refert Baronius A. C. 45. *num.* 24. & 25.

Pax Villæ, *Banleuca*, diſtrictus urbis, intra quem *Paciarii* ſeu *Scabini* juriſdictionem habent. *Poteſtas* & *terminus Pacis*, in *Charta* Communiæ Cerniacenſis A. C. 1184. &c. Hinc *Maiſon de la Paix*, i. e. *Domus Pacis*, in *Conſuetud.* Montenſi *c.* 12. *artic.* 2. in qua conveniunt Scabini, de rebus publicis cognituri &c. apud Car. du Freſne *d. l.*

PAX, urbs Peruviæ, inter montes ad Ortum, & lacum Titicacam ad Occaſum, ab eo circiter 90. mill. paſſ. ſub Hiſpanis.

PAX Auguſta, Plinio *l.* 3. *c.* 4. *Pax & Colonia Pacenſis*, *Straboni Pezauguſta*, ſeu *Pazauguſta*, hodie *Badajox*, urbs aliàs Luſitaniæ, nunc provinc. Extremaduræ caput, in Regno Legionenſi, in ipſo confinio Portugalliæ. Ampla & permunita eſt, in colle, cum arce; fruſtra tentata à Luſitanis A. C. 1658. Ei adjacet ex adverſo Anæ fluv. Arx S. Chriſtophori, 3. leuc. diſtat ab Elvis in Ortum, uti etiam 15. ab Ebora, 4. ab Oliventia, 25 ab Hiſpali in Boream juxta confluentes Xevoræ fluv. in Anam.

PAX Julia, urbs Luſitaniæ, ſatis culta, cum titulo ducatus vulgò *Beja* & *Pacca*. Sunt qui hanc *Pacem Auguſtam* eſſe velint. ſed antiquæ obſtant inſcriptiones. Probè eſt haud pridem munita, 2. leuc. ab Ana fluv. 13. ab ora Oceani Atlantici. *Baudrand.*

PAX Vobis, vox DOMINI ad Diſcipulos prima, quando eis poſt reſurrectionem apparuit, Luc. *c.* 24. *v.* 36. Joh. *c.* 20. *v.* 19. & 21. ex veteri Hebræorum more uſurpata. Quam ſalutandi formulam, in Communione Romana ad populum in Miſſa ab Epiſcopis adhiberi, auctor eſt Beletus *de Div. Offic. c.* 36. ubi ait, orationem, quâ Sacerdos populum ſalutat, *Dominus vobiſcum*, ſumtam ex Vet. Teſtamento, & quidem ex libro Ruth, pertinere ad minores Sacerdotes, alteram verò, *Pax vobis*, depromtam ex Euangelio, ſolùm ſpectare ad Epiſcopos, & qui iis ſunt ſuperiores. Quam in rem ad calcem *Chronici* Reicherſperg. addita ſunt quædam à Chriſt. Cewoldo Diplomata Pontificum Roman. atque in iis unum Leonis VII. ubi hæc habentur: *Conſultum eſt etiam, utrum Epiſcopi* Pax Vobis, *an* Dominus Vobiſcum *pronuntiare debeant. Sed non aliter per omnem provinciam tenendum eſt, quàm in ſancta Romana Eccleſia. In Dominicis enim diebus & præcipuis feſtivitatibus, atque Sanctorum natalitiis, Gloria in excelſis Deo &* Pax Vobis *pronuntiamus. In diebus verò Quadrageſimæ & in IV. Temporibus, ſive in vigiliis Sanctorum & in reliquis Jejuniorum diebus*, Dominus vobiſcum *tantùm dicimus.* Vide Car. du Freſne *d. l.* ubi idem cum *Pax Vobis* eſſe *Pax Domini*, quod ſimiliter à ſolis Epiſcopis uſurpetur, addit ex Johanne Abrincenſi Epiſc. *de Offic. Eccl.* Plura verò hanc in rem, ſuggerent Macri Fratres *in Hierolex.* inprimis verò Cl. Suicerus *Theſaur. Eccl.* voce Εἰρήνη.

PAXÆ, inſulæ duæ maris Ionii, inter Leucadiam & Corcyram; quarum major *Ericuſa* etiam olim, nunc *Paxu*, minor verò *Antipaxu* nominatur. Sub Venetis; Pargenſibus Epirotis conceſſæ, ut ibi armenta ſua nutriant. Pendent à Corcyræo prætore.

PAXÆA, Pomponii Labæonis uxor, amore mariti, damnationem voluntariâ morte occupantis, per abruptas venas, ſanguinem effudit. Paulô Fabiô, L. Vitelliô Conſulib.

PAXAMATES Panis, ſeu *Paxamatia*, Græcis recentioribus Παξαμάδια, à *Paxamo* quodam nomen habent, qui ut autor eſt *Suidas*, ſcripſit ὀψαρτυτικὰ κατὰ στοιχεῖον. *Panis paximatius*, in *Vita* S. Severi Abbatis Agathenſis *c.* 11. *Panis Paximatus*, apud Ordericum *l.* 9. *p.* 740. *Paximatium panis*, in *Regula* S. Columbani *c.* 3. *Paximates ſimilaginei*, in *Geſtis* Abbatum Gemblacenſium & alibi paſſim. In *Gloſſis* Iſidori, redditur *Panis ſubcinericius*, δίπυρος ἄρτος, *panis recoctus*. Cujuſmodi panes Aureliani tempore, ſicut & panes militares, h. e. buccellata, ut & buccellæ, quæ Populo dividebantur, ferè intra ſex uncias ſtetêre: nam duo *Paxamatia* libræ pondus habuiſſe, ſcribit Caſſianus *Collat.* 2. *c.* 19. quâ iniquâ taxatione ventres ſuos caſtigabant Monachi. Ita autem Caſſianus, *Propoſuerunt cunctis illis refectionem ſicci panis, cujus æquiſſimum modum in duobus* Paxamatiis *ſtatuerunt, quos parvulos panes vix unius libræ pondus habere, certiſſimum eſt.* Sic *Paxamas* & *buccella*, idem erat. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 35. & ſuprà in vocibus *Buccella* & *Panis*.

PAXILLORUM Luſus, vide ſuprà *Cindalopæctæ* & *Cyndaliſmus*: uti *de excæcatione per paxillos*, ubi *de Excæcandi more*.

PAXOS, Inſul. parva maris Ionii inter Ithacam & Echinades, potiùs ſcopulus, abſque incolis. *Plut.*

PAYREUTHUM, ſeu *Beruthum*, vulgò *Bareith*, caſtrum Franconiæ, cum ditione adjacente, ſub proprio Principe, ex Familia Zollerio Brandeburgica. Lineæ hujus *Beruthinæ*, ut vocat Spenerus, aliàs *Secundæ Franconicæ* vel *Culmbacenſis*, conditor fuit Chriſtianus, filius Johannis Georgii, Electoris Brandeburg. ex Eliſabetha Anhaltina, tertia ejus conjuge, natus A. C. 1581. èque ſucceſſione Georgii Friderici agnati in Franconia tractum montanum & ad Ayſſum nactus. Conventui Lipſienſi interfuit A. C. 1630. Obiit A. C. 1655. à pietate & ſtudio promovendi Scholas & Eccleſias commendatus. Pater fuit, ex Maria agnata, Alberti Friderici Boruſſiæ Ducis filia, (præter Annam Mariam, Johanni Antonio Principi Eggenbergio Duci Crumaviæ elocatam A.C. 1639. Magdalenam, Sibyllam Johannis Georgii II. Electoris Saxon. uxorem) Erdmanni Auguſti & Georgii Alberti. Quorum is natus A. C 1615. defunctus eſt A. C. 1651. Sponſus iterum Sophiæ Agnetis Ducis Megapolitanæ, quam morte præventus non duxit; ex Sophia patrueli Onoldsbacenſi relictô filiô, Chriſtianô Erneſtô, qui genitus A.C. 1644. in aula Berolinenſi primùm fuit, inde Argentinenſem Academiam inviſit, A.C. 1657. hinc Galliâ, Italiâ, & Belgiô, perluſtratis, ad Electorem Brandeburgicum rediit. Domum poſteà reverſus, adminiſtrationem provinciæ ſuſcepit & Comitia Ratisbonenſia viſitavit A. C. 1664. ductâ priùs Erdmutâ Sophiâ (Joh. Georgii Electoris Saxoniæ præfati filiâ) 1662. quâ brevi mortuâ Sophiam Ludovicam (Eberhardo Duce Wirtembergenſi genitam) ſibi junxit, èque illa filias aliquot ſuſcepit. Ipſe, nuperô bellô, ex primis inter Principes, arma Cæſareis adverſùs Gallos junxit ac multâ fortitudinis laude variis expeditionibus interfuit: Imperii nomine in Exercitu, generali Vigiliarum curæ præfectus. Patruus ejus vitâ exceſſit A. C. 1665. relictis ex prima conjuge Mariâ Eliſabethâ (filiâ Philippi Ducis Holſatiæ, tribus filiis Erdmannô Philippô, A. C. 1659. Chriſtianô Henricô, 1661. & Carolô Auguſtô A. C. 166... natis; ex altera verò Comite Solmenſi, unicô filiô. Phil. Spenerus *Syllog. Geneal. Hiſtor. in Fam. Zollerio Brandeb.*

PAZ, in Cantico Cantic. *c.* 5. *v.* 11. *Caput ejus Kethem Paz*, quod quidam reddunt, *aurum optimum*, nomen loci, ubi optimi ſecundùm illos auri copia: unde *Kethem Paz* iis maſſam ſignificat auri puriſſimi, quale eſt ἄπεφθον; quomodo Arrianus in *Indicis* vocat aurum, quod abſque coctione ſtatim perfectum ac purum reperiebatur. Sed Salmaſ. *Kethem* vertit gemmam, *Paz* verò cum *Ophaz* Daniel. *c.* 10. *v.* 6. eundem facit locum, vertitque hæc verba, λιθίαν Πὰζ ſeu λιθίαν Ὠφὰζ, *gemmam ex loco Paz* ſeu *Ophaz*. Adeoque ſecundùm eum Τοπάζιον Græcorum hîc intelligas, ab Inſul. Arabiæ *Topazo* ſic dictam, ubi reperiebatur, quæ & Πάζιον appellata eſt. *Heſych.* certè Πάζιον, ὃ καὶ Τοπάζιον, λίθος πολύτιμος; *Pazium, quod & Topazium, lapis pretioſus*: Ergo & Inſula ipſa Πάζον ſeu Τοπάζον. Epiphanius Τοπάζιον, Indiæ urbem facit, ubi effodiebatur Topazion. *Steph.* Τοπάζος, νῆσος Ἰνδική: ubi etiam Παζίους vocat hujus Inſulæ incolas, ex Alexandro Polyhiſtore, Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ φησὶν εὑρίσκεσθαι καὶ ἐν τῇ τῶν Παζίων νήσῳ, λίθον ὁμώνυμον τῇ νήσῳ, ὅμοιον τῇ χρόᾳ τῷ τοῦ νέου ἐλαίου, *Alexander Polyhiſtor ait, reperiri & in Paziorum Inſula lapidem inſulæ cognominem, ſimilem colore recenti oleo* &c. Et hanc eſſe regionem, quæ in Sacris Πὰζ & Ὠπὰζ appellatur, hinc concludit. Quum ea verò *Ophaz* diceretur, *Strabo* & *Diodorus*, poſt *Agatharchidem*, putârunt ἀπὸ τῶν ὄφεων, *à ſerpentibus*, id nomen eſſe nactam, adeoque ὀφιώδη olim appellatam fuiſſe, ſcripſerunt. Sed & Græci Alexandrinique mercatores Helleniſtæ, locorum omnia vocabula, ad ſuæ linguæ modulum inflectentes, Τοπάζον eam, quaſi ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, videntur nominaſſe, h. e. *à quærendo*. Vide eum *ad Solin. p.* 1083. & 1084. & infrà, in voce *Topazus*.

della PAZ, cognomentum Ludovico Mendezio *de Haro*, celebri illi Εἰρηνοποιῷ & Miniſtro Statûs in Hiſpania, à Philippo IV. ob pacem feliciter concluſam A. C. 1660. datum conceſſumque, ut id ad poſteros ejus tranſmitteretur. Integer ergo ejus titulus hic fuit, *Ludovicus Mendezius de Haro*, *Sotomayor*, *Guzman*, *de la Paz Marchio & dein Dux de Carpio*, *Comes Dux de Olivares*, *primus Miniſter Statûs*: Ei ex Catharina Fernandina *de Corduba d'Aragon* natus eſt. Caſpar *de Haro*, *Guzman*, *Aragon de la Paz*, Dux *de Carpio*, March. *de Liche*, Comes Dux *d'Olivares* & *S. Lucar*, cui nupſit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, (filia Johannis Ludovici Ducis *de Medina Celi*) Vide ſuprà.

PAZINACÆ, è Bulgaria ejecti, à Conſtantino IX. Ann. 1025. à Conſtantino Monomacho ad pacem triennalem adacti. A. 1047.

PAZINUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

PCON, in nummis Conſtantii: ut & PCONST. in Juliani, *percuſſa Conſtantinopoli* notat, interprete Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PEACOCKIUS ſive PEROKIUS Renaldus, vide *Renaldus.*

PEAPOLIS, eadem cum Herbipoli. Vide ibi.

PEBECHIUS, nomen Auctoris Chymici, apud Zoſimum, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1160.

PEBILIUM ſeu PEBLISIUM, oppid. Scotiæ meridional. in Tuvedalia provinc. ad Tuvedam fluv. 15. milliar. Scotic. ab Edinburgo in meridiem, Carleolum verſus 30. circiter.

PEC. in Notis Antiquorum *Peculium*, vel *Pecunia* &c.

PECAJA, oppid. Occitaniæ cum arce munita, ad tutelam Salinarum, prope oſtia Rhodani, 1. leuc. ab Aquis mortuis in Ortum, totidem ab ora maris Mediterranei in Boream Nemauſum verſus 6. leuc.

PECCAMUS Johannes, Archiepiſcopus Cantuarienſis, doctrinâ, ſcriptis, muneribus, virtute inclytus; parentibus egenis natus. Diſcipulus Bonaventuræ, velut Oraculum Theologiæ ſui ævi: Docuit Pariſiis, in Anglia, Romæ. Obiit A. C. 1292. Vide Harpsfeld. *Hiſt. Angl. ſecul* 13. *c.* 8. Wading. *in Annal. Min.* Walſingam. *A. C.* 1279. *& ſeqq.* Pitſeum, *de Scriptor. Angl.*

PECCATOR, cognomine quô ſe ipſum, humilitatis teſtandæ ergò inſignivit Car. Perrotus Theologus Genev. qui obiit A. C. 1607. poſt editum, *De extremis in Eccleſia vitandis*, librum. Vide Jac. Sponium *Hiſt. Genev. l.* 3. *ad ann. præf.* Sed & jam olim idem ſibi aſcivit nomen Iſidorus Mercator, de quo ſuprà. De muliere *Peccatrice*, in Euangelio, res nota. Quid autem voce *Peccatoris*, Græcè Ἁμαρτωλῶ, apud Scriptores Eccleſiaſticos propriè indigitetur, vide apud Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.*

PECENTINUM, ſeu PERCENTINUM, *Lazio Pekaricz* oppid. Pannoniæ inter Siſciam ad Occaſum & Cibalim ad Ortum 82. mill. paſſ. *Antonin.*

PECHINENSIS *provinc.* una ex 15. partibus Imperii Sinarum, & primaria. Terminatur ab Ortu Leaotoniâ, & Gange ſinu, ab Occaſu Xanſiâ, à Meridie Xantoniâ & Honaniâ provinciis, à Septentrione ſeparatur à Tartaria montibus & murô Sinenſi. Eſt in parte Boreali; in ea ſunt Octo Urbes præcipuæ nempe Pechinum ſeu *Xuntien*, Imperii caput, Paotinga. Hochienum, Chintinga, Xunta, Quanpinga, Taminga & Junpinga, ſub quibus 130. urbes min. Vide *Martin.*

PECHINUM, i. e. palatium regium Septentrionale, aliter Xuntienum, i. e. obediens cœlo, urbs ampliſſima, ex præcipuis totius Orbis, Imperii. Sinici caput, ab A. C. 1404. quò ſedes regia eò tranſlata eſt è Nanquino ab Imperatore Taiſungo. Ferè innumeris referta eſt incolis, quanquam pluries vaſtata ultimô bellô Tartaricô. Nunc reſtauratur, & indies pulchrior evadit, ſub Tartaris. Ei ſubſunt 26. urbes minores. Eſt in planitie, ad radices montium cum ſuperbiſſimo palatio Imper. 100. mill. paſſ. in Meridiem à muro Sinenſi, 70. à ſinu Gangetico in Occaſum. In parte totius Imper. Septentrionalis. *M. Martinius.*

PECI, fructus Sinicus, magnitudine caſtaneam nucem haud multum excedens, naſcitur in ſtagnantibus aquis, per totum agrum urbis Kiahingæ, in provinc. *Chekiang.* Pellis ſubtiliſſima, pulli coloris, nucleum veſtit, cujus intus candidiſſima caro eſt, plena ſucci, gratique ſaporis, durior quàm pomorum vulgarium, ac parumper acida. Cum eo fructu ſi cupream monetam ori immiſeris, dentibus eâdem facilitate, quâ fructum, comminues, ac in palpam comeſtibilem rediges, mirâ naturæ vi & experimentô ſæpiſſimè probatâ. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 32.

PECORA conſcindendi ritus, in Bacchicis ſacris, occurrit apud Papin. Statium *Achill. l.* 1. *v.* 596.

> —— *nemus. Hujus in umbra,*
> *Alternum revocare piæ Trieterica matres*
> *Conſuêrant, ſciſſumque pecus, terraque revulſas*
> *Ferre trabes* ——

Ubi Vetus Scholiaſtes, ut Pentheum, inquit, pro fera conſciderunt. Alius, *Soliti in ſimulato aut ſanè vero furore, capreolos & alia pecora conſcindere.* Arnob. *adv. Gentes l.* 5. de eôdem more, in (Bacchanalibus) *circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Iterumque Statianus Scholiaſtes *ad Theb. l.* 3. *In ſacris Liberi conſuetudo talis eſt; ut occiſô caprô omnes ſacrati ſanguinem ejus bibant*, vide & Prudentium contra *Symm. l.* 1. Ad quas proin uſitatas animantium ruptiones, alludit Nero, apud Perſium *Sat.* 1. *v.* 100.

> *Et ruptum vitulo caput ablatura ſuperbo*
> *Baſſaris & lyncem Mænas vinctura corymbis.*

Vide Euripidem eô locô, à Caſaubono prolatum, alia à Theodoro Marcilio: quibus adde Caſp. Barthium *Animadverſion. ad loc.* At in Veteris Teſt. Sacris non conſcindebantur, ſed dividebantur ritè Pecora, uti diximus ſuprà ubi de *Diſſecandi* ritu. Vide quoque infrà in voce *Pecus.*

PECORANTES & Sodomitæ, junguntur in *Fleta*, *l.* 1. *c.* 37. §. 3. ἀλογευόμενοι, κτηνοβάται. Vide Meurſium *Gloſſ.* in ἀλογευόμενοι, laudatum Carolo du Freſne *Gloſſar.* & Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* voce eâdem, nec non ſuprà voce *Jumentum.*

PECORIS Magiſter, apud Servium, *ad Æn. l.* 7. *v.* 485.

> —— *Tyrrhuſque pater, cui regia parent*
> *Armenta, & latè cuſtodia credita campi:*

eſt, *ad quem omnia pertinent animalia.* Ἀρχιποίμην Græcis, *Princeps gregis* Hebræis dictus. Cujus meminit quoque Cicero, *Nominat hominem, quem* Magiſtrum pecoris *eſſe dicebat.* Et Liv. *l.* 1. *c.* 4. ubi de Fauſtulo, cui Latii Rex Numitor eandem curam demandaverat, *Ut lupam*, inquiens, *lingua lambentem pueros* Magiſter Regii *pecoris invenit.* Vide ſuprà in voce *Paſtor*,

PECORIS uſus quadruplex, juxta Tullium *Tuſculan. l.* 1. *Videmus*, ait, *multitudinem pecudum, partim ad veſcendum, partim ad cultùs agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda.* Ad *veſcendum* utiles olim erant mundæ omnes, ex Lege, i. e. quotquot ruminant ungulamque diviſam & fiſſam habent, putà, bos, ovis, capra: cœteræ à menſis ſemotæ, tanquam immundæ, Levitic. *c.* 11. Cujus diſtinctionis uſus non fuit modò ante Legem, ſed & ante diluvium, Gen. *c.* 7. *v.* 2. Ea tamen tandem ſublata eſt, Actor. *c.* 10. *v.* 15. Ex mundis autem, præter carnem, etiam lác comedebatur & butyrum & adeps, Deuter. *c.* 32. *v.* 14. medulla item, Pſalmo 66. *v.* 15. Sed ſanguinem attingere nefas, Gen. *c.* 9. *v.* 4. cùm quia in ſanguine eſt anima, tum quia Deus ſanguinem deſtinaverat ad expiationem faciendam in altari pro animabus noſtris, Levit. *c.* 17. *v.* 11. Quod cùm merè eſſet ceremoniale, nihil quicquam cauſæ fuit, cur Apoſtoli Gentibus ſanguinem ad tempus prohiberent, Actor. *c.* 15. *v.* 10. quàm ſpes Judæos infirmos hâc ratione lucrifaciendi, qui ab eſu ſanguinis tantopere abhorrebant, ut eos omnes populos gladiô deſtruendos ſcribant, qui renuunt huic ſe mandato ſubjicere, vide Maimonidem *Tr. de Regibus c.* 9. Quam ob cauſam hoc obſervatum, quamdiu ſpes fuit, Judæos in his ritibus educatos poſſe ad Chriſtum allici. At poſtquam de illorum converſione deſperari jam cœptum, etiam hoc interdictum, ut Legis Ceremonialis partem, abrogavit Apoſtolus 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 25. alibique. Itaque Auguſtini ævô, ſi qui putarent ab eſu ſanguinis eâ lege ſe prohiberi, à cœteris irridebantur, ut docet *contra Fauſtum l.* 32. *c.* 13. Græci tamen hodieque eô ſcrupulô tenentur. Eædem autem pecudes, quæ ad eſum, etiam *ad ſacrificia* aptæ erant atque adhibitæ, mundæ videl. omnes, Gen. *c.* 8. *v.* 20. Vide quoque infrà, ubi de *Sanguine* & *Suffocato.* Qui ſacrificiorum uſus cùm diluviô ſit antiquior, idem de pecudum eſu omnino dicendum. Neque enim Abel in ſacrificium id obtuliſſet Deo quô veſci nefas crediſſet & fruſtra paviſſet agnos, quibus non licuiſſet uti, ut alia omittam. Inſuper ad *cultus agrorum* jumenta neceſſaria ſunt: qua in parte bovis maximè opera requiritur, Salom. Proverb. *c.* 14. *v.* 4. Unde Heſiodus *in* ἔργ. *v.* 405. inter neceſſaria rei familiaris, commendat,

> Οἶκον μὲν πρώτιϛα, γυναῖκά τε, βοῦν τ᾽ ἀροτῆρα,
> *Domum primùm, uxoremque & bovem aratorem.*

Huc & tritura referenda, cujus etiam in Lege Deus eouſque rationem habuit, ut bovi trituranti os obligari vetuerit, Deuter. *c.* 25. *v.* 4, quò faciliùs *in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*, ut ait Tertullian. *in Marcion. l.* 2. *c.* 17. &c. Sed & ad *vecturas* utilem operam equi præſtant, Eſai. *c.* 66. *v.* 20. Aſini item & cameli & muli & boves, 1. Paral. *c.* 12. *v.* 40. Et quidem equus ad bellum aptior, Proverb. *c.* 21. *v.* 30. Aſinus ad pacis artes, Zachar. *c.* 9. *v.* 9. &c. Jam, ut aliquid de veſtibus dicam, quæ fiunt ex quadrupedum ſpoliis, lanea veſtis olim fuit. ut hodieque eſt, in promiſcuo uſu, Jobi *c.* 31. *v.* 20. Proverb. *c.* 27. *v.* 26. & Ezech. *c.* 34. *v.* 3. Sed villoſa ſeu cilicina videntur Prophetarum fuiſſe propria: putà, Eliæ 2. Reg. *c.* 1. *v.* 8. Eſaiæ, Eſai. *c.* 29. *v.* 2. Pſeudoprophetarum, Zachar. *c.* 13. *v.* 4. &c. Quorum exemplô Johanni Baptiſtæ, veſtis fuit ἀπὸ τριχῶν καμήλȣ καὶ ζώνη δερματίνη, Matth. *c.* 3. *v.* 4. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos μηλωτὰς vocat & αἴγεια δέρματα, *c.* 11. *v.* 37. quod veſtimenti genus, uti ſimpliciſſimum, ita antiquiſſimum eſt. Unde Græci Heroës apri, aut tigridis aut leonis exuviis induebantur, aut pelle Libyſtidos urſæ; ut Bacchæ nebride, i. e. hinnuli; aut baſſari, i. e. vulpis pelle, quæ Coptis etiamnum *Baſor* dicitur. Et, apud Salluſtium *in Fragm. Germani rhenonibus corpus tegebant.* Romæ etiam, ut apud Poëtam, priſcos civium mores deſcribentem, inter alia legimus,

> *Curia, prætextô quæ nunc nitet alta Senatu,*
> *Pellitos habuit ruſtica corda Patres.*

Et

> *Verbera pellitus ſetoſa movebat arator.*

Inde Lucretius, de mortalium primis agens, *l.* 5. *v.* 951.

> *Nec dum res igni ſcibant tractare, neque uti*
> *Pellibus & ſpoliis corpus veſtire ferarum.*

Nempe, utut nudis hominibus videatur obvium ferarum & *pecudum* pelle veſtiri, tamen ille pellium uſus latuit primos mortales, donec à Deo edocerentur. Quod ſibi volunt hæc Moſis verba, Gen. *c.* 3. *v.* 21. *Fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas quibus veſtivit eos.* Nec omittenda Columellæ conjectura *Præfat. l.* 6. *Nomina Pecuniæ & Peculii tracta videri à Pecore, quod non ſolùm Veteres poſſederunt, ſed adhuc apud quaſdam Gentes unum uſurpatur divitiarum genus.* Ut enim nos pecuniâ, ita Veter. *Pecore* in permutatione rerum utebantur. Proverb. *c.* 27. *v.* 26. *Agni erunt ad veſtitum tuum, & pretium agri ſunt hirci.* Ubi quod dicitur de *hircis*, ad quodvis pecus pertinet. Proinde Græcum verbum ὠνεῖσθαι, *emere*, ductum creditur ἀπὸ τῶν ὄνων, *ab aſinis*, ut & πωλεῖν, *vendere*, ἀπὸ τῶν πώλων, *à pullis equorum*, & ἀρνυσθαι, *conſequi, permutare*, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, *ab agnis.* Quò referunt nonnulli, quòd Gen. *c.* 33. *v.* 19. Jacob emiſſe legitur partem agri filiorum Hemor ἑκατὸν ἀμνῶν, *centum agnis.* Quod, præter Græcos, ſequuntur Chaldæus, Syrus, Samaritanus, Arabs uterque & Vulgatus Interpres. Alii tamen ἑκατὸν μνῶν, i. e. *centum minis*, legunt, alphâ extritô: aut pro agnis nummos intelligunt, agni effigie ſignatos, quales cudiſſe legitur Servius Romanorum Rex; quia in narratione Stephani Protomartyris, Actor. *c.* 7. *v.* 16. ager ille emtus dicitur τιμῆς ἀργυρίȣ, *argenti pretiô:* ubi tamen facilè regeri poſſet, argenti vel pecuniæ nomine eô locô cenſeri, quidquid illâ ætate pecuniæ vicem præſtat. Quod Arabs, Actorum Interpres, egregiè expreſſit, vocabulô tam *pecudes*, quàm *nummos*, ſignificante, &c. Vide plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 2. & infrà *Pecus.*

PECTEN, inter Ornatricum olim inſtrumenta. Claudian. *de Nupt. Honor. & Mariæ, v.* 99.

Cæſariem tunc fortè Venus ſubnixa coruſco
Fingebat ſolio: dextrâ lævaque ſorores
Stabant Idaliæ: Largos hæc nectaris imbres
Irrigat, hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat: ſed tertia retro
Dat varios nexus &c.

Ubi Ornatricum altera cæſariem Veneris nectare irrigat, hinc *Pſecas* vulgò dicta: altera *Pectine* utitur: quem idem Poëta Eunucho tribuit, *in Eutropium l. 1. v. 105.*

——— *Eous Rector Conſulque futurus*
Pectebat Dominæ crines.

Appulejus in præconio capilli, *Metam. l. 8. Vel nunc guttis Arabicis inunctus &* Pectinis *arguti dente tenui diſcriminatus:* A' calamiſtro differt, hoc enim immoderatum comæ cultum, *Pecten* laudabilem, arguit. Unde Theodorus Marcilius *in Commonitoriis ſuis in Laur. Rameſii Hypomnemata, Triplex*, inquit, *capillorum genus, flexi ad* Pectinem, *ſive pexi; flexi calamiſtris & turbati: Primum genus elegantiæ, alterum mollitiei, tertium ſine elegantia ac venuſtate.* Et Ovid. *Faſtor. l. 1. v. 405.*

Najades, effuſis aliæ ſine pectinis uſu,
Pars aderant poſitis arte manuque comis.

Laudat *Pectinem* in Hadriano Spartian. *c. 26. ſtaturâ procerus, formâ comtus, flexô ad* Pectinem *capillô.* Interdum tamen & mollitiei argumentum inde deſumtum, quòd quis ſe pexum oſtentâſſet: de Catilinæ ſociis M. Tullius *Orat. 2. in illum, c. 10. Hi ſunt*, inquit, *quos pexô capillô nitidos videtis:* Et talem inducit Cupidinem Moſchus, inſignis Poëta Bucolicus, Phocylideſque referente Juniô *de Coma. c. 8.* Horatius de Paride *l. 1. od. 15. v. 13.*

Nequicquam Veneris præſidiô ferox
Pectes cæſariem.

Quod diebus inprimis feſtis aſſolebat. A. Perſius *Sat. 1. v. 15. 16.*

——— *Pexuſque togaque recenti*
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.

Tibullus *l. 2. Eleg. 5. v. 26.*

Sed nitidus, pulcherque veni, nunc indue veſtem
Sepoſitam, longas nunc benè pecte comas &c.

Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c. 35.* Veneri *Pectinem* mulieres decalvatæ conſecrârunt. Georg. Codinus *Conſtantinop.* Τῇ Ἀφροδίτῃ τὸ ἄγαλμα πλάττουσι κτένα φέρον. Ἐπειδὴ συνέβη ταῖς τῶν Ῥωμαίων γυναιξὶ κνήφην λοιμώδη γενέσθαι, καὶ ξυρουμένων πασῶν γεγόνασιν αὐταῖς οἱ κτένες ἀχρεῖοι, vide quoque Suidam in voce Ἀφροδίτη. Fuêre autem *Pectines* ex ebore, unde *numeroſi dentis eburnum morſum*, dixit *ſuprà* Claudian. ſed plerumque è buxo, ut docet Martial. ubi de *Pectine*, calvum alloquente, ludit *l. 14. Epigr. 25.*

Quid faciet nullos hic inventura capillos,
Multifidô buxus qui tibi dente datur.

Joh. Laurentius JC. *in Phædrum fab. 7. l. 5. ad v. 1.*

Invenit calvus fortè in trivio Pectinem &c.

Nec hominum ſolùm, verùm & ſtatuarum aliquando capilli pecti ſolebant, Junonis inprimis, cui, quòd munditiei & ornatus curam haberet, crines additi & curioſâ ſuperſtitione diſpoſiti fuêre: Sed & Minervæ, teſte Auguſtinô *de Civ. Dei l. 6. c. 10. Sunt quæ Junoni & Minervæ capillos diſponunt.* Hinc Prudentius *in Symmachum l. 2.* de Victoria,

——— ——— *Non pexo crine Virago,*
Aut nudo ſuſpenſa pede ———

Et de Idolis in genere *Lipſius*, ex Tertulliano, *Qui in Idolis comendis & ornandis & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* Quia enim Deos, utpote pulchritudinis ſtudioſos & perpetuos, comam lavare caris ſibi amnibus fingebant Poëtæ; ad ejus lotionis æmulationem balnea, ſimulachris inſtituta ſunt, uti de Lutris Palladis, docet *Elegia* Callimachi: eique rei *pecten* etiam adhibebatur, quò alludit Papinius *Thebaid. l. 2. v. 723.* de Pallade,

——— *ſeu tu Libyco Tritone repexas*
Lota comas &c.

Vide quoque infrà *Plynteria*, uti de *Pectinibus ferreis*, inter Martyrum tormenta infrà aliquid voce *Tæda*. Tandem & ad veſtes, vox tranſlata, *pexæque* veſtes Plinio *l. 8. c. 48.* dictæ ſunt, in quibus ob villorum denſitatem nec ſtamen nec trama appareret: quales omnes fuêre veſtes recentes: Sed hac de re vide infrà in voce, *Pexa*, ut & aliquid ſuprà in voce *Pauperes*. Addam ſaltem, inter miniſteria ſacra Eccleſiæ Romanæ *pectinem* quoque, quo ſcil. Sacerdotes ac Clerici, antequam in Eccleſiam procederent, crines pecterent, occurrere, uti ex *Teſtam.* Riculfi Epiſcopi Helenenſis A. C. 915. & *Monaſtico* Angl. obſervatum Car. du Freſne *Gloſſario:* ubi & *pectinariorum* meminit ex libro *Ord. S.* Victoris Pariſ. *Ms.*

PECTEN, *enis*, apud Cyrillum in *Gloſſario*, πλῆκτρον, Latinè quoque plectrum eſt: à ſignificatione alterius inflexione hac diſtinctum. Quam tamen Auctores non obſervant: Virgilius de Orpheo, *l. 6. Æn. v. 645.*

Non non Threïcius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine *pulſat eburnô.*

De eodem Statius *Thebaid. l. 5. v. 341.*

Mitior & ſenibus cygnis, & pectine *Phœbi.*

Maximianus in *Elegiis*,

Nunc niveis digitis, nunc pulſans pectine *chordas,*

Vide quoque Val. Flaccum *l. 3. v. 160. 541.* Alios: plura verò infrà in voce *Plectrum.*

PECTEN Amazonius, apud Statium *Achilleid. l. 2. v. 159.* ubi de variis ſaltationis modis, apud Veteres uſitatis,

——— ——— *Nunc obvia verſa*
Pectine Amazonio, *modò quo citat orbe Lacænas*
Delia, plaudenteſque ſuis intorquet Amyclis:

choreæ genus eſt, Amazonibus olim uſitatæ, quæ complicatæ invicem ſerieque *pectinis* conſtitutæ, choreas ducebant ſaltabantque. *Pecten* enim talis quælibet ſeries, quali conſtare pectines videmus. Ovid. *Metam. l. 9. v. 297.*

——— ——— *ſubſedit in illa*
Ante fores arâ, dextroque eſt poplite lævum
Preſſa genu, digitis inter ſe pectine *junctis*
Suſtinuit partus. ———

Ubi quid velit, enarrat Plin. *l. 28. c. 6. Adſidere gravidis, vel cùm remedium alicui adhibeatur, digitis* pectinatim *inter ſe implexis, veneficium eſt, idque compertum tradunt, Alcmenâ Herculem pariente: pejus, ſi circa unum, ambove genua, item poplites alternis genibus imponi* &c. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* De piſce verò hujus nominis, Plinium paſſim inprimis *l. 9. c. 33.* & Voſſ. *de Idol. l. 4. c. 19.* ubi de piſce volitante hujus nominis, & *c. 36.* ubi de *Pectine*, oſtreæ genere.

PECTINALIS Carduus, ſeu *Pectiniolus*, quibuſdam dicitur carduus, *fullonius* Gallis dictus, cujus capitula carminandis & rudibus pannis lævigandis, uſum præbent, quemadmodum ſpinulenta folia hippophæſti, ſeu potiùs capitula ejus inania echinata, fullonibus olim ad pectendam veſtium mollitiem inſerviêre. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 396.* Hinc *Pectinator*, in *Gloſſ.* Κτενιστής, de quo Claudian. *in Eutropium l. 2. v. 381.*

——— *doctiſſimus artis*
Quondam lanificæ moderator pectinis *unci.*

In *Inſcr. veter. Lanarius pectinarius* &c. Vide hìc paſſim.

PECTINATA Tecta, veterib. Romanis dicta ſunt, quæ in duas partes eſſent devexa; Unde Gallis hódie *Pectiniones* vocant, qui ex utraque parte faſtigium ſuſtinent, & planè ſunt triangulari formâ, ut & ipſum faſtigium, quod ipſis incumbit, & τρίχωρον vel τρίγωνον propterea Græcis dictum eſt. Omnia enim apud Veteres tecta, aut plana erant, aut faſtigata. In Græcia & in Aſia & toto penè Oriente ædium privatarum tecta plana fiebant: ædes verò ſacræ culmen habebant & faſtigium, quod Græcis ἀετὸς, item ἀέτωμα etiam, dictum eſt, quòd πτέρυξιν ἀετοῦ, *alis aquilæ*, ſimile eſſet, unde & πτερύγια quoque & πτερὰ appellata ſunt, Euſtath. *Il. ω.* Talia namque faſtigia. Fiebant autem plerunque tecta pluribus faſtigiis, i. e. trichoris, ut in *l. 3. Epiſtol. 7.* Cicer. ad *Q. Fratr.* videre eſt: *Abſolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod ſupra conclavia non placuerat tibi eſſe multorum faſtigiorum.* Unde Statius Papin. *l. 1. Sylv. 3. v. 58.*

——— *Partitis diſtantia tecta trichoris.*

i. e. *faſtigiis.* Neque verò Ἀετοὶ & Ἀετώματα in Templis ſolùm, ſed & in privatarum ædium tectis uſurpata fuêre: hôc tamen diſcrimine, quòd faſtigiis Templorum quædam adderentur ornamenta, quibus privatorum culmina carebant, ut ſtatuæ, victoriæ, & alia Deorum ſimulachra. Quô modô, cùm multa Cæſari decernerentur ut Deo, ejus quoque ædium faſtigium ornaverunt, Cicer. in *Philipp. Quem is majorem honorem conſecutus erat, quam ut haberet pulvinar, ſimulachrum, faſtigium, Flaminem.* Ubi *faſtigium* dicitur non ipſum tectum (quæ propria ejus ſignificatio) ſed faſtigii ornamentum adeoque faſtigii quaſi faſtigium, qualia non ἀετοὶ ſeu ἀετώματα ſeu ἀκρωτήρια, appellata ſunt, quòd altiora ipſis faſtigiis eſſent &c. Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro. c. 12.* Vide quoque ſuprà in voce *Faſtigium*, & infrà in *Trichora*. Aliud eſt *Pectineum* opus, quod memoratur in *Viſitat.* Theſaurariæ S. Pauli Londinenſis A. C. 1295. *Capa Fulconis Epiſcopi benè operata opere* pectineo *auro & argento.* Alibi, *Veſtimentum Fulconis Baſſet habet paruram de opere* pectineo, *cum roſis, arboribus, floribus & beſtiis* &c.

per PECTINEM, tonſuræ genus, cui opponitur id quod *ſtrictim* fieri ſolet. Vide infra *Tonſura* uti de modo *per Pectinem* texendi, cui oppoſitus alter *per ſpatham*, infrà ibid: ubi de *Pecta tunica* & *Texendi arte.*

PECTORALE, Hebr. חשן inter octo veſtes *aureas* Summi Sacerdotis Hebræorum, & quidem inter harum quatuor illi ſoli proprias, memoratum Exodi *c. 28. v. 15. & ſeqq.* pannus erat pretioſiſſimus, *ex auro, hyacinthino & purpureo & coccineo dibapho & xylino internexo*, quadratus, duplicatus, palmi magnitudine, quem juſſerat Deus amiculo Sacerdotali *Ephod* appellato medio in *pectore* illigari. Ei duodecim uniones opere ſtupendô inſerti erant, XII. Tribuum nomina præferentes, quæ ſic Pontifex, quoties in Sanctuarium ingrediebatur, in ſacro illo *Pectorali Juris*, ſuprà cor ſuum portare ſolebat, in monimentum coram Jehova jugiter. Atque hi quaterni gemmarum ordines (quadruplici enim ſerie erant diſpoſiti) ipſa *Urim & Thumim* erant, vel certè fuêre illa ſecretius, & ſanctius quiddam à Deo artifice Moſi traditum, & myſtico iſti panno inſcriptum, Scripturis verò tacitum adeoque nobis ignotum. Significabatur autem hôc *Pectorali* (quod inter veſtes ſacras, ſicut inter vaſa Arca, pretioſiſſimum fuit) tribuum duodecim nomina Deo quotidie ob oculos exponens, jugem Chriſti interceſſionem; utpote, qui ſemper in Templo Dei degit *intercedens pro nobis, ſemperque vivit ad interpellandum pro nobis*, Rom. *c. 8. v. 34.* & Hebræor. *c. 7. v. 25.* De *Urim & Thummim* dicemus ſuô locô. Vide Franc. Burmannum *Synopſi Theol. Chriſt. Part. 1. l. 4. c. 29. §. 2.* & hìc paſſim, inprimis in vocibus *Ephod*, item *Rationale*. Apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ vox quoque occurrit, & veſtem ſimiliter ſacram notat. Sic enim *Ceremoniale* Roman. ex *MS.* Vaticano de Conſecratione PP. apud Rayn. A. C. 1272. *n. 9. Cùm ad ordinem Presbyteratus ordinari debebit --- nec tamen habebit tunicellam, nec Dalmaticam nec calciabitur ſandaliis, nec habebit* Pectorale, *ſed ſolum amictum & albam* &c. In Lib. *Anniverſar.* Baſilicæ Vaticanæ, ubi de Bonifacio VIII.

VIII. occurrunt, *Pectoralia de opere Cyprenſi*; in *Necrolog.* Eccleſiæ Carnotenſis 2. Id. April. *Pectorale ex auro mundiſſimo & gemmis pretioſis.* In *Viſit.* Eccleſiæ Theſaurariæ S. Pauli Londinenſis A. C. 1295. *Rotunda Pectoralia aurifrigia* ---Item, *Pectorale aurifrigium vineatum* --- Item *Pectorale literatum* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in hac voce, ut & in *Rationale*, ubi hæc ambo cùm Pallio Epiſcopali eadem facit. Alia notio vocis eſt, apud Varronem, ut ſuprà vidimus in *Lorica*; alia in *Geſtis* Innocentii III. Pontific. Romani. *Super novos gradus conſtituens novum altare, novaque* Pectoralia *faciens ante chorum.* Quæ verba Germanus Patriarcha Conſtantinopolitan. *in Myſtagogia p.* 148. ita fermè expreſſit: τὰ κιόνια, ἤτοι τὰ ςήθεα διαχωρίζοντα τὸ βῆμα ἀπὸ τȣ̃ λοιπȣ̃ λαȣ̃ ϗ̀ κάγκελλα. Ubi *Pectoralia* ſunt cancelli, fortè ad pectus uſque erecti. Certè Græci recentiores Στήθεα vocant columellas ordine diſpoſitas, ac ſuperiori epiſtelio junctas, ut rectè obſervat Goarus *ad Cedrenum p.* 631. Vide quoque Codinum *in Orig. Conſtantinopol. Meurſianis p.* 63. At *Pectoralis*, apud Gregorium M. *l.* 10. *Ep.* 52. tunicam hyemalem, pectus tegentem, notat. Vide Car. Car. du Freſne ubi ſuprà ut & infrà aliquid, voce *Pectus*. Addam ex Burmanno, Gemmarum in *Pectorali* Hebræorum & Tribuum parallelíſmum, ſic enim exactè quamque gemmam cuique Tribui reſpondiſſe, ut virtus lapidis genium ac virtutem Tribus, cujus nomen habebat, expreſſerit, Magiſtri aſſerunt.

GEMMÆ IN PECTORALI SACRO TRIBUBUS ISRAELIS RESPONDENTES.

Pyropus.	Ruben.
Topazius.	Simeon.
Smaragdus.	Juda.
Hic ordo primus.	
Chryſopraſus.	Levi.
Sapphirus.	Dan.
Adamas.	Naphthali.
Hic ordo ſecundus.	
Cyanus.	Gad.
Achates.	Aſer.
Amethyſtus.	Iſſachar.
Hic ordo tertius.	
Beryllus.	Zebulon.
Thalaſſius.	Joſeph.
Jaſpis.	Benjamin.
Hic ordo quartus.	

PECTUS, apud Gentiles, Neptuno ſacrum, ferociſſimo Deorum & ab omni ſapientia alieniſſimo: cùm Palladi potiùs conſecrandum videretur, hoc Sapientiæ domicilium. Unde *ſine pectore miles* Ajax dicitur apud Ovid. *Metam. l.* 13. *v.* 290. Homo *ſine pectore* Menelaus, apud eundem *in Ep.* 17. *Heroid.* quæ eſt *Paridis ad Helenam v.* 305. &c. Id in pinum illidebant Galli in ſacris Cybeles, cum planctu & ejulatu, ut eam in medio continentem ſimulachrum Attinis ac lanis circumvolutam & ramis coronatam violaceis, in ſacris illis geſtabant. Statius Papinius *Thebaid. l.* 10. *v.* 70. & *ſeqq.*

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille ſacras in Pectora *pinus,*
Sanguineoſque rotat crines.

Cujus ritûs Claudian. quoque meminit *in Eutrop. l.* 1. *v.* 279.

Cymbala ferre licet. Pectuſque *illidere pinu,*
Inguinis & reliquum Phrygus abſcindere cultris &c.

Vide Voſſ. *de orig. & Progr. Idololatriæ Gentil. l.* 2. *c.* 53. & ſuprà *Cybele*. Faſciis porrò illud, quò graciliores apparerent, Virgines ſuccingebant. Claudian. *de Conſul. Honorii* 6. *v.* 526.

——— ——— *Virdique anguſtat iaſpide pectus.*

Et ante ipſum Ovidius *l.* 3. *de Arte, v.* 74.

Anguſtum circa faſcia Pectus *eat.*

Imò utrôque antiquior Terentius *Eunucho Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 22.

Haud ſimilis Virgo eſt virginum noſtrarum, quas
Matres ſtudent,
Demiſſis humeris eſſe vincto Pectore, *ut*
graciles ſient.

Quod Græcè Στρόφιον, ut ex *Jul. Polluce* obſervatum. Turpilius *in Philopatore*, *Me miſeram, quòd inter vias Epiſtola excidit mihi infelix inter tuniculam & ſtrophium collocata.* Nec hoc ſolùm, verùm & Ægide *Pectus* ornabant. Jul. Poll. *Onomaſtic. l.* 5. *c.* 16. Περὶ δὲ τοῖς ςήθεσι, αἰγίδας, ubi Auctor, non ſcutum, quale Palladis hôc nomine dictum, ſed *Pectorale* intelligit: ut docet Servius, *ad Æn. l.* 2. *Ornamentum pectorale habens in medio Gorgonis caput.* Meminit Ovid. *de Remed. Amoris l.* 1. *v.* 346.

Decipit hac oculos Ægide dives amor.

Sext. Propertius *l.* 2. *Eleg.* 2. *v.* 7.

Aut cùm Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras.
Gorgonis anguiferæ Pectus *operta comis* &c.

Vide & ſuprà *Encolpium*, it. *Mitra*. Porrò in conviviis Veterum non caput ſolùm, & cervicem coronis evinciebant, ſed *pectori* quoque, cordis ſedi, eas applicabant. Inter quas coronæ *hypothymiades* dictæ erant, quas de collo deſcendiſſe ad *pectus*, ex *Anacreonte* diſcimus,

Πλεκτὰς δ᾽ ὑποθυμιάδας
Περὶ ςήθεσι λωτίνας
Ἔθεντο
Plicatiles hypothymiades,
E loto circa pectus
Statuerunt

Et Phileta *in Atactis*, qui, referente Athenæô *l.* 15. *hypothymida* ait à Leſbiis vocari myrti genus, cui circumponant violas, alioſque flores, quorum fragrantiâ pectus recreatur &c. Quam in rem vide Paſchalium *Coronar. l.* 2. *c.* 3. & ſuprà ubi de hujuſmodi coronis: de adoratione verò Saturni, Veneris, Solis, apud Orientales gentes complures & illuſtres, manu non ad os, ſed ad *pectus*, admota, Seldenum & *de Synedriis l.* 3. *c.* 16. *num.* 8. uti de *Pectoris nudandi*, in humilitatis ſignum, more retro voce *Nudandi*, vide quoque ſuprà ubi de *Juramento*. *Mactatione Agni Paſchalis Oblatis*, *Pater noſter.*

PECUARIA Res ſeu *Paſtio*, ζῶσα γεωργία, *viva Agricultura*, dicta Ariſtoteli *Polit. l.* 1. *c.* 8. cum Agricultura primitus conjuncta fuit. Unde Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 1. *Agricultura primò indiſcreta fuit, quòd à Paſtoribus qui erant orti, in eodem agro & ſerebant & paſcebant.* Quæ poſtquam diviſa, proximus poſt Agricolas Paſtoribus locus conceſſus eſt, teſte Ariſtotele *Polit. l.* 6. *c.* 6 Μετὰ τὸ γεωργικὸν πλῆθος βέλτιςος δῆμός ἐςιν, ὅπȣ νομεῖς εἰσι, ϗ̀ ζῶσιν ἀπὸ βοσκημάτων. Hinc in Ægypto poſt Regem proximum locum obtinuiſſe ordinem Sacerdotum, hinc virorum Principum, inde militum, deinde Agricolarum, tunc Paſtorum ac poſtremò Opificum, legimus apud Diod. Siculum *l.* 1. Primus autem qui rem *Pecuariam* exercuit, Abel fuit, quem *Paſtorem gregis* vocans *v.* 2. Moyſes, *de primogenitis gregis ſui & de adipe eorum Deo obtuliſſe* illum refert Gen. *c.* 4. *v.* 2. Unde antiquitas & honeſtas Paſtoralis vitæ ſatis elucet: ſed & illud contra Varronem & ex eodem loco notamus, jam ſub ipſis Mundi primordiis Agriculturæ & Rei Pecuariæ ſeu Paſtoralis rationes fuiſſe diſtinctas, ita enim *v.* 2. legimus: *Fuitque Abel Paſtor gregis & Kain fuit Agricola.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophia c.* 7. *cui tit. de Paſtione ac Venatione*, & ſuprà in voce *Abel* item *Paſtor*, ac infrà in voce *Pecus.*

PECULIARES, ſervorum apud Romanos genus, de quo vide infrà voce *Vicarius.*

PECULIUM, *Feſto ſervorum, à pecore dictum eſt, ut pecunia Patrum familiæ.* Non tamen ſolorum ſervorum fuit, ſed & ſic dictum, quod filius familiâs ſibi parentis permiſſu ſervabat, deductô illô, quod Parenti debebatur. Ita filiis cedebat, ſi pluris vendidiſſent merces, quàm quanti eas pater æſtimâſſet. Plautus *Mercatoris Prolog. v.* 9:.

Lucrum ingens facio, præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces: ita peculium
Conficio grande. ———

Imò & *peculium* vocabatur, quod à Patribusfamiliâs ſeponebatur; Sic *Celſus*, *Pecuniam*, ait, *ſine peculio fragilem eſſe.* Præter quæ *caſtrenſe peculium* erat, quod vel in caſtris acquirebatur, vel occaſione militiæ obtingebat, vide Briſſonium *de Verb. ſignif. l.* 14. voce *Peculium*, Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* in Πεκούλιον, Alios. Et quidem ultimum quod attinet, ad ſigna illud deponi conſueviſſe, ut eò minus de deferendis iis cogitaret miles, pluribus docet Alex. ab Alexan. *Gen. Dier. l.* 14. *c.* 2. ubi varia in hanc rem præclara. Vide & infrà ubi de lege *Petilia.*

PECUNIA, Græce Χρῆμα, item ἀργύριον, eſt omne æs publicâ formâ ſignatum, quô vel commutandis vel vendendis emendiſque rebus & mercimoniis comparandis gentes inter ſeſe uti ſolent, quod *pretium rei emptæ & venditæ* appellatur, Joh. Calvin. *Lexic. Jur.* Signanter dicit *æs*, namque *Pecuniam*, ab auro & argento, etiam Lampridus diſtinguit, in *Alexandro Severo*, *c.* 33. *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix* Pecuniam *donavit:* æreum duntaxat nummum hâc voce indigitans. Quemadmodum nos hodie *Monetæ* nomine, æreos fere minutulos nummos intelligimus & ab auro diſcernimus; cùm tamen etiam aurea dicatur moneta, ut & argentea æreaque. Sic nummum ab auro & argento ſeparavit Sueton. *in Neron. c.* 44. *Partem etiam cenſûs omnes ordines conferre juſſit: & inſuper inquilinos privatarum ædium atque inſularum penſionem annuam repræſentare fiſco: exegitque ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, argentum poſtulatum, aurum ad obruſſam.* Græci κόλλυβον & κερμάτιον vocant. *Gloſſæ* Iſidori: *Collybum, Cermation. Gloſſæ*, κέρμα, *æs.* Et quidem *æs* Latini de auro etiam argentoque ſignato dixerunt, at *Pecunia* hîc propriè æs ſignatum ϗ̀ τὸ κέρμα: quemadmodum & νȣμμία recentiores Græci de ærea pecunia ferè tantùm uſurpârunt. Salmaſ. *ad Lamprid. d. l.* Ei nomen à *pecu*, quòd omnis Veterum ſubſtantia in Pecuaria, *Scalig.* A *pecu* enim *pecuinus*, & *pecunitis*, unde *Pecunia* ſubintelligeres vel quid ſimile; & ſicut Veterum divitiæ in copia pecudis conſtabant, ita *Moneta* pecudis effigie primùm notata eſt. Hinc apud Athenienſes, nummos figurâ boum ſignatos fuiſſe, refert *Macrob.* & luculenter docent apud Homerum illa, ἐννεάβοιος, ἑκατόμβοιος &c. Servium quoque Regem Roman. qui primus in illa gente æs ſignavit, pecudis ei notam impreſſiſſe, tradit Plin. *l.* 18. *c.* 3. anteà enim rude in uſu fuit. Solebat autem *penſari potiùs, quàm numerari*, antiquitus, ut Pſeudocornutus *ad v.* 69. *Sat.* 2. *A. Perſii* docet: Hinc Plinius aliique Auctores neque per aureos, nec per ſeſtertios aut talenta, ſeu quamlibet aliam *Pecuniæ* ſummam, ſed *per pondo* numerâſſe leguntur, Neque aliter militibus diviſa ſtipendia, quàm ad ſtateram. M. Varro *de L. L. l.* 14. *Stipendium quoque à ſtipe dictum; quòd æs quoque ſtipem dicebant; Nam quòd aſſes libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant:* Godeſc. quoque Stevechius idem obſervat *ad Veget. l.* 1. *c.* 7. Feſtus Pomp. *l.* 14. *Pendere pœnas, ſolvere ſignificat, eò quòd ære gravi uterentur Romani, penſô eô, non numeratô; debitum ſolvebant.* Nec ignota eſt Brenni hiſtoria, qui libertatem Romanis obſeſſis vendidit *mille pondo auri*, apud Plut. *in Camillo.* Unde de illo egregiè Silius Italicus *Punicor. l.* 1. *v.* 624.

Hic galea Senonum, penſatique improbus auri
Arbiter enſis adeſt.

Et ad hunc ritum, licèt ſuô ſeculô deſitum, alluſit Martial. *l.* 7. *Epigr.* 52. *v. ult.*

Quanto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quanto commodius, nullô mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

Quare in emptionibus illis familiarum imaginariis, quanquam res obſoleverat, Libripendis tamen retentum eſt nomen, ut Theodor: Marcilius *ad LL. Decemvirales c.* 14. exactiſſimè docet: Quò Horatius quoque reſpexit *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 158.

——— *Quod quis librâ mercatus & ære eſt.*

Hinc frequentiſſima in ſolutionibus *pecuniariis* lancis mentio. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 205.

Quod prima pro nocte datur, cùm lance beatâ
Dacicus, & ſcriptô radiat Germanicus aurô.

Ubi vetus Scholiaſtes, *ſolidos ita ſignatos* exponit, *qui pro virginitate depoſita novæ Nuptæ donabantur*: quam *Pecuniam*: Græcis celebratam uſuque frequentiſſimô receptam, Θεώρητρον appellat Harmenopolus *l.* 4. *tit.* 7. alii Ἀνακαλυπτήριον aut Ὀπτήριον, Callimachus *in Hymno Dianæ*: Dictonarium Græco-barbarum Ἀθρήματα, ſed hac de re vide ſuprà in voce *Nuptiæ* & *alibi.* Aſſervabatur autem *Pecunia* olim in cophinis & ſportellis, unde *Fiſco* poſteà nomen manſit: Publica verò Magnatibus aſſervanda committebatur. Vide ſuprà in voce *Ærarium*; idque in Templis, quòd ea loca ſacra & inviolata cenſerentur. Hinc nota Templi Hieroſolymitani opulentia, apud Urſpergenſem *Chron. p.* 41. nec quiſquam ignorat, Ærarium olim totius Græciæ in Delo Inſula fuiſſe. Templum quoque Apollinis Delphici, propter opes in eo depoſitas, à Brenno petitum. Quâ ratione & Romani inducti, in æde Saturni *Pecuniæ* aſylum eſſe voluerunt. Pſeudocornutus *ad v.* 59. *Sat.* 2. *Perſii*, *Æs in æde Saturni condebatur, nondum argentô aurôque ſignatô, unde Ærarium nomen accepit.* Idque propterea, quod ab ipſo primùm fuerit ſignatus nummus, Tertullian. *Apologet. adv. Gentes c.* 10. Et quidem eam ædem primus his uſibus addixit Val. Publicola, apud Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 6. Huc itaque tributa ordinaria, huc autem viceſimarium, huc *pecuniæ* ex repetundis inferebantur: Huc & Pupillorum Viduarumque, quò tutius aſſervarentur, deferri ſolebant, T. Livius *Decad.* 3. *l.* 3. & L. Valerius Trib. Pleb. in Legis Oppiæ diſſuaſione, apud eundem. Sic ergo *Pecuniæ* publicæ in unum locum congeſtæ & depoſitæ, modò *Fiſci*, modò *Ærarii* nomine venerunt: ac privatorum *Pecunias* vocârunt *Theſaurum*, cùm nempe ita depoſitæ eſſent, *ut neque memoria extaret, neque Dominum haberent*, *l.* 1. *ff. de acquir. rer. dom.* Porrò in tumulis Majorum non rarò reconditam olim fuiſſe *Pecuniam* legimus, quippe qui in ſacrorum habebantur numero, neque ſine piaculo violari poterant, Feſtus in voce *Religioſus*, *l.* 16. Unde Andromache apud Senecam Tragœdum *in Troadibus Actu* 3. *Sc.* 1. *v.* 483.

Eſt tumulus ingens conjugis chari ſacer,
Verendus hoſti, mole quem immenſa parens
Opibuſque magnis ſtruxit in luctus ſuos
Rex non avarus.

Vide Donatum *in Terentium Prolog. Eunuchi.* Idem in more poſitum fuiſſe Hebræis ex Joſepho *Antiqq. Rom. Jud. l.* 1. *c.* 11. Perſis, ex nobili illa Cyri hiſtoria, apud Arrianum *l.* 6. & Curtium *l.* 10. &c. diſcimus. Inde extat edictum Theodorici Gothorum Regis apud Caſſiodorum, *Ep.* 30. *l.* 4. *Moderatâ juſſione decernimus, ut ad eum locum, in quo latere plurima talenta ſuggeruntur, ſub plurima teſtificatione convenias; ſi aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tuâ indagatione detectum, compendiô publicô fideliter vindicabis, ita tamen ut abſtineatis manus à cineribus mortuorum, quia nolumus lucra quæri, per quæ funeſta poſſunt ſcelera reperiri: ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent ſepulchra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. Aurum enim ſepulchris juſtè detrahitur, ubi Dominus non habetur, imò culpæ genus eſt. inutiliter abdita relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium. Non eſt enim cupiditas eripere, quæ nullus ſe Dominus ingemiſcat amiſiſſe.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. l.* 7. *c.* 31. & 36. Apud Romanos porro ſervi erant mutuis *Pecuniis* dandis; fœnerandis, accipiendis præfecti, quos *Menſæ Præpoſitos* appellant Juriſconſulti, *l. ult. ff. quod cum eo Leg.* 19. §. *ult. ff. de Inſtitut. act. L.* 13. *eodem. Leg.* 18. *ff. de ſolut. & liber. Leg.* 5. *in princ. ff. de Inſtitor. act.* Alii *Daniſtas* & *Trapezitas.* Vide quoque ſuprà voce *Argentarii*, it. *Menſa Trapezitarum.* Ejuſdem planè numeri *Exactores* erant, memorati Scævolæ *leg.* 441. *ff. de Fideicom. libertat.* & in antiquo monumento Romæ, in Muſæo Carpenſi: *Sex. Pompejus. Fauſtus. Pompel Exactor.* Apud Cæſares peculiaris Exactoris *Hæredicatum*, *Legatorum*, *Peculiorum*, mentionem faciunt veteres inſcriptiones: ad hæc Exactoris *Auri*, *Argenti*, *Æris* officina monetæ &c. Contrà verò Diſpenſatori credita fuit arca, ut ex ea erogaret, hinc *Arcarius*, Græcè Οἰκονόμος Roman *c.* 16. *v.* 23. dictus: fuitque ea ſive ex ære, ſive ex ferro, ſtataria: cùm contrà Loculi, quos tractâſſe videtur unus è grege Miniſtrorum, mobiles eſſent ac geſtatorii. Par miniſterium illius fuit, qui crumenam & ejus qui marſupium geſtabat, ad nutum Domini. Vide Laur. Pignorium *Commentar. de Servis*, ut etiam ſuprà in vocibus *Moneta* ac *Nummus.* Apud eoſdem in populum *Pecuniam* ſpargebant Conſules, auream quidem Imperatores, argenteam verò privati: unde apud Fl. Vopiſcum in *Aureliano*, *c.* 12. *Dabis ad editionem Circenſium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia* &c. Ex Juſtiniani conſtitutione 105. Coſſ. in minoribus nummis argentum ſpargere permiſſum fuit, putà miliarenſibus, μύλοις, καυκίοις, τετραγωνίοις & ſimilibus, Caſaubon. *ad loc.* Qui verò multum haberet in numerato, & præſenti *pecuniâ* ſolvere poterat, in optimo *Gloſſario*, *Præſens* dicitur, Græcè Εὔχαλκος: nam χαλκὸν ex vulgariter loquentium uſu *argentum* dixêre. Apud A. Gellium *l.* 19. *c.* 10. *Oſtendebantque depictas in membranulis varias ſpecies balnearum, ex quibus cùm elegiſſet unam formam ſpeciemque, interrogavit quantus eſſet pecuniæ conſpectus ad totum opus abſolvendum. Pecuniæ conſpectus* eſt διατίμησις, & ſumma pecuniæ, quâ erat opus, ad earum balnearum abſolutionem. Sic Græci σύνοψιν dicunt: *Gloſſæ*, σύνοψις, *taxatio.* Aliter Latinis. *adæratio* vel *æſtimatio rei*, Græcè ἐξαργυρισμός. Salmaſ. *ad Pollionis Claudium c.* 14. &c. Addam ſaltem aliquid de *Pecuniis* repetundis, quæ quæſtio publicorum criminum prima fuit & prima Prætorem certum habuit. Dictæ autem ſunt *Pecuniæ repetundæ*, quas ſive Socii ſive cives privati à Magiſtratibus, aut publicis Curatoribus, judiciô repetiverunt, quas illi aut in Provincia, aut in Urbe, aut ob judicandum, aut ob aliud aliquid publicè curandum, cepiſſent. Quod genus furti cùm exprimere vellent, *Pecuniam ablatam*, *captam*, *coactam*, *conciliatam*, *averſam* dixerunt: quas voces cùm Cicero, in accuſatione Verris repetundarum rei, tum veter. Legum fragmenta celebrant. Iſtiuſmodi Leges fuêre: Porcia, Calpurnia, Cæcilia, Junia, Servilia, Acilia, Cornelia & Julia, de quibus *ſuô locô.* Apud recentioris ævi Scriptores, *Pecunia* iterum id quod primitus pecuniæ vice erat, atque unde ipſi nomen, *pecudes* nempe, deſignat. L. Alemannorum *tit.* 74. *Quidquid ibi toltum fuerit, mancipium*, pecuniam. *omnia tripliciter reſtituat.* Adaladrus in *Statutis* Abbatiæ Corbejenſis *l.* 1. *c.* 8. *Boves & reliquam pecuniam habeat, cum quibus laborare poſſit, unde & ipſe & omnis familia ejus poſſit vivere. Epiſtola* Synodalis Concilii Duziacenſis I. *generis diverſi ac ſexus Pecuniæ* meminit. Vide Auctores laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* Cum epitheto *Pecunia viva*, in *LL.* Eduardi Confeſſoris *c.* 10. & Guil. Nothi *c.* 9. *Interdicimus, ut nulla pecunia viva vendatur aut ematur niſi intra civitates.* Hinc Florentius Wigornienſis & Simeon Dunelmenſis A. C. 1086. *Gulielmus Rex fecit deſcribi omnem Angliam, quantum terræ quiſque Baronum ſuorum poſſidebat --- quæ animalia, imò quantum* vivæ pecuniæ *poſſidebat.* Cui opponitur *Pecunia operata*, i. e. *ſignata* ſeu moneta, apud Burchardum Epiſc. Wormatienſem *in Lege Familiæ*: *Si ex familia vir aliquis & uxor ejus obierint, & filium cum filia reliquerint, filius hæreditatem ſervilis terræ recipiat, filia autem veſtimenta matris & pecuniam operatam accipiat*, apud eundem Car. du Freſne, &c. Plura hanc in rem hîc paſſim; de *pecuniæ* verò *circumferendæ* apud Veteres *more*, item *de modo Pecuniis* apud Romanos *ſtatuto*, vide Caſaubon. *ad Sueton. in Galba c.* 8. & *Tiberio c.* 49.

PECUNIA Dea, Auguſtin. *l.* 4. *de Civ. Dei*, *c.* 21. *Deæ pecuniæ commendabantur ut pecunioſi eſſent*: eôdem *ibid.* teſte, *Æſculanum*, & ejus filium *Argentinum* Deos habebant antiqui. De his vide verſus elegantes Menandri, qui extant apud Stobæum in ratione, quæ inſcripta eſt *Pluti Laus*, quibus conſonat Petronii Arbitri pulchrum carmen, cui tale eſt initium:

Quiſquis habet nummos, felici naviget aurâ; &c.

Fuerunt ad hæc *Lucri Dei*, lucris præpoſiti, ut *l.* 4. *adv. gentes* prodit Arnobius, à lucro denominati. Aliàs *Pecunia*, pro pecude: & expreſſiùs *Pecunia viva*, apud Scriptores medii ævi. Item pro bonis: Unde *Pecunialis* cauſa res omnis, quæ eſt in bonis aut facultatibus: Equi, Aurum, Argentum, Arma, Veſtes, Utenſilia, &c. Vide Spelmanni *Gloſſar. Archæol.*

PECUS, quô nomine appellari bruta, quæ ſub hominis imperio degunt, Laur. Valla *in Elegantiis l.* 4. *c.* 42. ſcriptum reliquit, Paſtoris curam deſiderat, vide ſuprà in voce *Paſtores* ac *Pecuaria res*, Paſtoribus autem præfuit is, quem *Pecoris Præfectum* Cicer. pro *Plancio* & *Pecoris Magiſtrum*, Varro *l.* 2. *R. R. c.* 10. ac Columella *l.* 1. *c. ult.* vocant. Servius ad illud *Æn. l.* 12. *v.* 717.

——— ——— *Pavidi ceſſêre Magiſtri:*

Propriè, inquit, *Magiſtri ſunt militum, Paſtores pecorum. Sed reciprocæ ſunt iſtæ tranſlationes. Nam & ductor militum Paſtor vocatur & Magiſtros pecorum dicimus. Cicero, quem Magiſtrum pecoris eſſe dicebant.* Ad quam regulam, quem armenti *Cuſtodem* vocat Ovid. *Metam. l.* 11. *v.* 343. Luctatius Grammat. *Paſtorem* vocat armentorum. Paſtor certè fuit Athenio, Cilix ille, apud Florum *l.* 3. *c.* 19. *qui in Sicilia, interfecto domino, familiam ergaſtulo liberatam ſub ſignis ordinavit, & veſte purpureâ baculôque argenteô & diademate minimum Regem aliquandiu egit* &c. Antiquitus verò Regium fuit, pecora paſcere. Varro *l.* 2. *de R. R. c.* 1. *De antiquis illuſtriſſimus quiſque Paſtor erat, ut oſtendit Græca & Latina lingua, & veteres Poëtæ, qui alios vocant* πολύαρνας *&* πολυμήλους, *alios* πολυβούτας. *Qui etiam ipſas pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt.* Vide quoque Didymum *ad Odyſſ. v.* Scholiaſtem Heſiodi *l.* 1. & Jo. Meurſium *Commentar. ad Lycophronem*, ubi de Paride. Sed & à pecore abacto antiquiſſima bellorum cauſa &c. Ligari autem ſolebant pecora, quæ ſaginabantur, & in his oves inprimis: quod Arabicè *bannana* dicitur, voce maximè propriâ. Unde in ovibus מקשרות *ligatæ*, in agnis קשרים *ligati*, Hebræis dicti ſunt obeſiſſimi & pinguiſſimi, Bochart. *Hierozoic. ubi de Ovibus.* Porrò *Strabo* auctor eſt, *Pecudibus* fuiſſe adalligata tintinnabula, ut tinnitu noxiæ feræ ab ipſis arcerentur. Unde Sidonius Apollinaris *l.* 2. *Ep.* 2. *ad Domitium*, vocat *greges tintinnabulatos*, vel *tinnibulatos*, ut eſt in veter. codicibus. Hodie non minùs, more antiquô perdurante, ovium, caprarum, ſuum, boum, equorumque collo tintinnabula aptari ſolent; non tam ad terrendas feras, cùm & illæ non rarò etiam ſonantes invadant necentque *Pecudes*, quàm ad deprehendendum, quibus in locis nemorum, montium valliumque oberrent atque hâc ratione longæ inquiſitionis labor præveniatur. De his Juſtinianum Imper. *in LL. ruſtic. tit.* 2. §. 2. ita ſanxiſſe videmus: *Si quis crepitaculum ſive* tintinnabulum bovis aut ovis aut alterius cujuſdam animalis ſuſtulerit, convictus flagellator, ut fur. Et ſi animal deperditum fuerit, & id damnum ſarcito, *quòd ejus crepitaculum ſuſtulit.* Hinc Fortunatus *l.* 2. *de S. Medardo*,

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere ſolet.

Meminit & Lex Burgundionum *titulo* 4. §. 5. Gothorum *l.* 7. *tit.* 2. 11. Antiq. denique Bajoariorum *c.* 8. *tit.* 11. §. 1. Sed & non ſine

ſine ratione, exiſtimant nonnulli, non ſolùm dulcedine iſtiuſmodi tintinnabulorum labores jumentorum leniri, verùm etiam ut tibiæ, ſic tintinnabuli, ſonô mirum in modum oblectari ac pingueſcere. Certè in mari Delphinos ſibilô allici, & quaſi præ gaudiô exultare ac detineri videmus: Paſtorum quoque fiſtulâ cervos ſiſti & Muſicæ illius agreſtis dulcedine capi, notum eſt. Viſuntur quoque Romæ in antiquis marmoribus ac ſculpturis Elephanti, è quorum collo tintinnabula propendent, quâ formâ & in vetuſto numiſmate viſos ex ære exhibet Magius. Imò hinc & ad volucres tranſitum, atque Hieracarii, quos *Accipitrarios* Latini dicunt, aquilis majoribus minoribuſque accipitribus tintinnabula alii ærea, alii argentea coriaceis compedibus iiſdem de cauſis aſſuunt. Vide Hier. Magium modò memoratum *l. de Tintinnabulis c. 9. cum Notis Franc. Swertii*; & præter hunc, Plinium *l. 11. c. 37.* Corn. Kilianum Dufflæum *in Poëmatibus*, Suidam in voce Κωδωνίσαι &c. nec non hic variis in locis. Alicubi *Pecora* & pellibus integi fuiſſe ſolita, notat Voſſ. ex Varrone *de R. R. l. 2. c. 2.* *Pleraque ſimiliter faciendum in ovibus pellitis; quæ propter lanæ bonitatem pellibus (ut ſunt Tarentinæ & Atticæ) integuntur, ne lana inquinetur, quo minùs vel infici rectè poſſit vel lavari, ac parari.* Ubi pro *Atticæ*, alii *Altinates* legunt. Interim & Atticas quoque ſic integi fuiſſe ſolitas, vero ſimile eſt. De Megarenſibus enim, Atticæ tam vicinis, diſertim id nos docet Laërtius *in Diogene*, de eo ſic ſcribens: Ἐν Μεγαρεῦσιν ἰδὼν τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνοὺς. ἔφη, λυσιτελέστερόν ἐστι Μεγαρέως εἶναι κριὸν, ἢ υἱόν. *Apud Megarenſes cùm vidiſſet oves pellibus tectas, pueros verò nudos: ait, Satius eſt Megarenſis eſſe arietem, quàm filium.* Horatius quoque pellitarum ovium meminit. *l. 2. Carm. Od. 6. v. 10.*

Dulce pellitis ovibus Galæſi
Flumen, &c.

Et hujuſmodi *Pecori* opponitur colonicum, proximæ tamen poſt tectum dignitatis; quia non gramine, ſed rubis paſcitur. Plin. *l. 8. c. 47.* *Ovium ſumma genera duo, tectum & colonicum, illud mollius, hoc in paſcuo delicatius: quippe cùm tectum rubis paſcatur.* Vilius montanum *Pecus*: de quo ſic *Lucilius* apud *Feſtum*, in voce *Solox*:

Paſcali Pecore *ac montano, hirto atque ſoloce.*

Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progr. Idololatriæ Gentil. l. 3. c. 70.* & hic paſſim. De *pecore* verò *hoſtibus per inſidias objecto*, adi Livium *l. 28. c. 33.* ubi de Scipione in Hiſpania res gerente, alibique. Plura verò hanc in rem apud Plinium paſſim.

PEDA, vide PEDUM.

PEDÆUS, Antenoris fil. nothus. Homer. *Il. 7.*

PEDALE, apud recentioris ævi Scriptores: inter alia ſignificata, pedum integumentum notat, in *Chron.* Vindesheimenſi *l. 2. c. 23.* Sed hoc *Pedule* potiùs *Frontoni*, Græcè πόδιον. Erat autem *Pedule* vel *Pedulis* faſcia, pedum involucrum. *Heſych.* πόδια, ἐνειλήματα ποδῶν, ἤγουν φασκίας. Ποδόπανα recentiores Græci vocant, h. e. *pedum pannos & faſcias. Gloſſ.* Οὐδωνάρια. Iterum recentiores Græci Ἀρτάσια, à veteri voce Græca ἀρτὴρ, *faſcia*, quâ quis conſtringitur & colligatur aut etiam ſuſpenditur &c. Sed πίλους h. e. *udones* & ποδεῖα h. e. *faſcias pedules*, non tantùm JC. diſtinguit *l. arg. Dig. de aur. arg. leg.* verùm etiam haud paulò differre apud Græcos ipſos certum eſt. Πῖλοι enim ſeu *Udones* erant propriè lanei, ex lana coacta facti, qui intra calceum quidem habebantur, verum plerunque & ipſi vicem calceamenti præſtabant, præcipuè domi & intra cubiculum. *Calceones* hodiè vocant Galli, & non tantùm ex linteis conſui ſolent, ſed etiam ex laneis pannis: quibus non multùm diſſimiles erant Martialis *ſoleæ lanatæ*, in *diſticho 65. l. 14.*

Defuerit ſi fortè puer, ſoleaſque libebit
Sumere, pro puero pes erit ipſe ſibi.

Faſciæ verò *pedules*; ut ipſum nomen indicio eſt, erant ſegmenta quædam, vel panni ex lanea veſte deciſi, vel etiam ex coactilicia, quibus involvebantur pedes atque integebantur, ad eundem planè modum, quô crura ipſa faſciis illis, quæ *crurales* inde ſunt appellatæ: Adeoque non ad ſpeciem calcei vel soleæ pedem includebant, ſicut *udones*, ſed circumligabant. Unde *Pollux* περιειλήματα ποδῶν & πίλους, apertè diſtinguit. Sub pedibus propterea ſemper atque intra calceos habebantur, recteque Fronto *Pedule* id eſſe interpretabatur, quod pedibus præſtaret utilitatem. Sic πίλους ὑπὸ ποσὶν ἔχειν, dixit Cratinus de his *Pedulibus*: namque Auctores paſſim *udones* & *faſcias pedules* & *empilia* confundunt. Non erant ergo illæ faſciæ calceamentorum, ſed pedum, unde etiam iis nomen. Multo minùs calcei erant, uti Turnebus in *Regula* Benedicti exponit, quippe iis pedes intra calceos muniebantur atque involvebantur. Sed nec faſciæ crurales ac *pedules* confundendæ: Illæ enim Romæ non niſi ab ægrotis aut delicatis & mollitie fluentibus ſumebantur. Quintilian. *l. 11. c. 3.* *Palliolum & faſcias, quibus crura veſtiuntur, & focalia & aurium ligamenta ſola excuſare poteſt valetudo.* Horat. *l. 2. Serm. Sat. 3. v. 255.*

——— *Ponas inſignia morbi*
Faſciolas, cubital, focalia.

Objectæ etiam crurales faſciæ Pompejo, unde laſcivum eum & delicatum fuiſſe, arguit *Cicero*. Alii etiam ad regni affectationem eas trahebant de colore ipſo, nam candidæ & cretatæ. Iſtæ verò, in communi erant uſu, indigitatæ Varroni apud *Nonium*: *Mihi puero modica una fuit tunica & toga, ſine faſciis calceamentum, equus ſine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus.* Error etiam eſt Viri magni, cùm περιπεζίδας cum *Pedulibus* confundit. Apud *Pollucem* enim, inter ornamenta muliebria recenſitæ πέζαι, περιπέζια, περιπεζίδες, ſunt quidem faſciæ, ſed minimè ex iſto *pedulium* genere, de quibus hic agitur, & quæ intra calceamenta gerebantur. Inſtitæ potiùs erant vel faſciæ, quæ veſtibus mulierum ad extimam oram adſuebantur, ornamenti causâ quæque etiam περιπόδια dicebantur. Quando autem *Pedulium* uſus apud Romanos cœperit (apud quos, uti & apud Græcos in promiſcuo erant uſu) ex loco Varronis dicto colligitur, Ciceronis ſcil. ætate. Nam Varro, ſe puerô calceamenta ſine faſciis ſumi ſolita, ſcribit. &c. Cùm verò *Pedules* in pedibus alii gererent, Cathari, contrarii reliquo hominum generi agentes, eas ut & braccas, in manibus, ſicut annulos contrà in pedibus, geſtabant, apud Epiphanium *contra Cathar.* Πόδια τὰ ἐξ ἱματίων γεγεννημένα, ἃ παρά τισιν καλεῖται, ἢ βράκαι, χερσὶ περιτιθέασι, δακτυλίους δὲ τοῖς ποσί. Sed hanc in rem plura vide apud Salmaſ. *ad Æl.* Lamprid. in *Alexandro Sev. c. 40.* Addam hoc unum, Pollucem τὰ πόδια, quæ *pedules faſciæ* erant, eadem facere cum crurum tegminibus ſeu σκελέαις, quæ aliàs diverſa omnino erant, ex eo, quòd iiſdem faſciis & unô tenore, ut apparet, crura ſimul pedesque veſtirent & involverent &c. Vide quoque infrà *Pedocuculli*, item ſuprà *Gamacha*, *Impilia*.

PEDALE Examen, vide infrà, *Vomeres igniti*.

PEDALII, Indorum populi, qui in ſacrificiis nihil aliud à Deo petebant, quàm juſtitiam, arbitrati ſe omnium rerum compotes futuros, ſi eam conſequerentur.

PEDALIUM, in *Ptol.* exemplaribus Latinis eſt Cypri promontor. *Pedaſium* etiam nonnulli habent. *Mercator Cabo de Griego* vocat.

PEDANEI Senatores, melius *Pedarii*, docente A. Gelliô *l. 3. c. 18.* quibuſdam dicti ſunt, qui ſententiam in Senatu non verbis dicerent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent: Sed quum Senatus conſultum per diſceſſionem fiebat, univerſi Senatores ſententiam pedibus ferebant. G. Baſſo illi ſic appellati ſunt, qui cùm Curulem Magiſtratum non geſſiſſent, pedibus in Curiam ibant. M. Varro in Satyra Menippea, Equites quoſdam dicit *Pedarios* appellatos, *videturque*, juxta Gellium, *ſignificare qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti, Senatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi uſi quidem erant, in Senatum veniebant & ſententiæ jus habebant: Nam & Curulibus Magiſtratibus functi, qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant, & quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias, ſed quas principes dixerunt, in eas diſcedebant*, vide *loc. cit.* In quem Anton. Thyſius notat, *Pedaneos* Senatores non dici, ſed Judices, qui de levioribus cauſis cognoſcebant, *l. 4. & l. fin. C. de Pedan. Jud.* quos Χαμαιδικαστὰς, quod in imis ſubſelliis aſſiderent, vocat *Theophilus.* Vide Novellam 82. & *ibi Cujacium.* *Feſtus* Senatorem *Pedarium* fuiſſe eum ait, qui tacitus tranſeundo ad eum, cujus ſententiam probabat, quid ſentiret, indicaverit. Vide *ſuprà*; ut & Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 5.* Sed & *Pedarii* & *Pedicularii*, Græcè ποδοψόφοι, aliter Latinè *Sonipedes*, dicti ſunt, qui pede ſcabillum ſonabant. De Sacerdotibus Ægyptiis Gratius *in Cyneg. v. 42.*

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Velatur ſonipes feſtivi turba Canopi.

Ubi *ſonipes turba feſtivi Canipi*. ἡ ποδοκτύπος eſt, ἡ ταῖς ποδοκτυπίαις ἀεὶ χαίρουσα, *ſcabillorum crepitu ſemper gaudens.* In Sacris enim ſcabillum pede ſonare conſueviſſe, Interpres vetus Statii docet. Sed & in Choro fuêre, qui pede percuſſô ἐνδόσιμον canentibus dabant, ſaltantibuſque εὐρυθμίαν moderabantur. Quod non ſimplicis pedis percuſſione faciebant, ſed ſoleâ ligneâ, cui ſuppacta fuit è ferro regula ad majorem ſonum edendum. *Lucianus* σιδηροῦν ὑπόδημα, *ferreum calceamentum* vocat. Vide ſuprà ubi de *Crupeziis* & hîc infrà ubi de *Pediculis*, item de *Scabellis*.

PEDANIUS Coſta, omiſſus à Vitellio in conſulatu, ingratus ipſi, ut adverſus Neronem auſus, & Virginii exſtimulator. Tacit. *Hiſt. l. 2. c. 71.*

PEDANIUS Secundus, Urbis præfectus à ſervo interfectus: ſeu negatâ libertate, cui precium pepigerat; ſive ob amorem exoleti infenſo & dominum amarum non tolerante: Cæſoniô Pætô, Petroniô Turpilianô Conſulib. Tacit. *l. 14. Annal. c. 42.*

PEDASUS, Bucolionis maximi filiorum Laomedontis fil. frater Æſepi ex Abarbareâ nymphâ. Homer. *Il. 6.* Item civitas Pylo vicina, vini ferax, ut idem Homer. author eſt *Il. 9.* Item oppid. Cariæ mediterran. à Cyro Pytharchio Duci datum. *Athen.* Item unus ex equis Achillis, ut idem tradit *Il. 16.*

PEDASUS; vide *Methone*.

PEDATURA, in *Gloſſ. Græco-Latin.* ποδισμὸς, quodlibet ſpatium, certô pedum numerô definitum, in quo aliquid poni locarique poteſt. Vegetius *l. 3. c. 8.* *Singulæ centuriæ, dividentibus Campidoctoribus & Principiis, accipiunt pedaturas.* Quas paulò antè *Podiſmos* dixit, ut & *l. 2. c. 7.* & *l. 3. c. 15.* pro dimenſione pedibus factâ, ſeu ſpatio certô pedum numerô definito. Sic paſſim in *veter. Inſcr.* & apud Agrimenſores. Atque ad has *Pedaturas* militares Vegetii, quæ ſcil. militibus aſſignabantur ad conſidendum in caſtris, vel alibi, referendum quidam cenſent, quod habetur in *Notit.* Orientis *c. 151. & 15*. de *cohortibus quintæ* pedaturæ *inferioris* vel *ſuperioris legionum Herculiæ & Joviæ*; ita ut & *pedatura* hôc locô ſumatur pro eo podiſmo, qui hiſce legionum cohortibus aſſignatus erat: quod Pancirollus. *de munitione ex aggeribus & pedamentis facta*, haud rectè fortè interpretatur. Ita enim *pedaturas* etiam Tactici Græci uſurpant, atque inprimis Mauricius *Strateg. l. 11. c. 3.* & Leo *in Tactic. c. 15. § 56.* ubi mentionem faciunt *pedaturarum* in mœnibus, quæ ad cuſtodiam oppidi vel caſtri aſſignari ſolent militibus: quaſque πεδιπάτους vocat Conſtantinus Porphyr. *de Adminiſtr. Imp. c. 29.* διάβατα, Harmenopulus *l. 2. tit. 4. §. 59.* quòd hæc mœnium pars pervia ſit & *deambuletur*, &c. Vide Car. du Freſne prolixe de hac voce agentem in *Gloſſar.*

PEDE canentibus menſuram dandi mos veterum, vide infrà *Percutere menſuram*.

PEDELLUS, vide BEDELLUS.

PEDEMONTANA Regio, olim regio Taurinorum; nunc *Pede-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

montium vocatur, tanquam *pedem montium* dicas; quoniam ad radices Alpium eſt, quæ Galliam, Sabaudiamque ab Italia dividunt. Fines ejus ponunt Geographi ab Oriente Padum, à Meridie Ligurum Alpes, a Septentrione Duriam Ripariam. *Ducatus Taurinus* ſub Longobardis appellabatur, à quibus in provinciæ formam, cui dux præerat, redactus eſt. Hodie ſub ditione Ducis Sabaudiæ. Plura de hâc regione habet *Domin. Niger.* vulgò *Piemont. Baudrando* aliàs *Gallia Subalpina*, Regio eſt ampla, inter Ducat. Mediolanenſ. & Montisferrati ad Ortum, Valleſiam ad Boream, Genuenſem ditionem & Comitatum Niceæ ad Auſtrum, Sabaudiam & Delphinatum ad Occaſum, quibus ſeparatur Alpibus Cortiis & Grajis. A Pado bifariam ſcinditur. Partes ejus ſunt Pedemontium proprium, Ducatus Auguſtanus, Marchionatus Seguſinus, & Eporediæ. Item Salutiarum & Cevæ: Comitatus Aſtenſis & Dominium Vercellenſe. Quidam nunc addunt tractum Canavenſem, & partem Montisferrati, Duci conceſſam pace Claraſci. In *Pedemontanas* valles, Convallenſes, Angruniam, & aliàs, à Valdenſibus habitatas, copiis ductis Comes Trinitenſis, inauditô crudelitatis genere in miſeros ac innocentes graſſatus eſt, A. C. 1560. Vide Thuan. Hiſt. *l.* 27. Chriſtoph. Bitur. *in Perſev. Conv.* Quæ ibidem priùs & ab eo tempore uſque ad noſtram ætatem acta, exhibet fideliter Legerus *Hiſt. Vald. Gall. & Belg. in fol. editâ Lugduni Bat. ante paucos annos.* Caput totius regionis eſt Auguſta Taurinorum, *Turin*, ubi ſedes Ducis. Vide *Gallia Subalpina.*

PEDEMONTIUM proprium continet territoria Taurini, Catiniani, Foſſani, Montis Regalis, Cunei, Saviliani & Claraſci: à Septentrione in Meridiem extenditur.

PENDENTISSUM, vide PINDENISSUS.

PEDEPULVEROSI, in *LL.* Burgorum Scoticorum *c.* 120. *Si burgenſes mercatores & Pedepulveroſi.* Gall. *Piepoudreux*, Angl. *Duſtie foote*, ibid. *c.* 134. *advenæ* ſunt, extranei. *Heſychio*, Κονιορτόποδες, ἀγροῖκοι, ἐργάται. Cicero, *l.* 1. *de Inv. Tum veriſimilia, hôc modô: ſi multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat*, &c. Habebant autem hi Curiam peculiarem, in publicis nundinis, quam *Pedis pulverizati* vocant Cowellus *Inſtit. Jur. Angl. tit.* 1. §. 2. & *Spelmannus*, Angli verò *Piépouder*: ſic dictam, quòd in ea *Pedepulveroſorum* ſex extraneorum, Mercatorum præſertim, negotia & cauſæ de plano & ſummariè dirimantur. Chriſtophorus de S. Germano *de Conſuetud. Regni Angl. c.* 5. *In omnibus nundinis, habetur quædam Curia, eiſdem feriis incidens, quæ vocatur* Curia pedis pulveriſati, *quæ ſolùm tenebitur durante tempore feriarum illarum*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PEDES lavandi ritus, in Oriente olim frequens, vide ſuprà ubi de ritibus excipiendi *Hoſpites*, apud priſcos adhibitis. Apud eoſdem *oſculandi* conſuetudo memoratur Senecæ *de Benefic. l.* 2. *c.* 12. de *Cajo Cæſare, Cajus Cæſar dedit vitam Pompejo Penno, ſi dat, qui non aufert, deinde abſoluto, & agenti gratias porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem.* Perſiæ Regum more, unde ſequitur, *Homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Perſicâ ſervitute mutaret, parùm judicavit, ſi Senator ſenex, ſummis uſus honoribus, in conſpectu Principum, ſupplex ſibi, eô more jacuiſſet, quô victi hoſtes victoribus jacuêre: invenit aliquid infrà genua, quò libertatem detruderet.* Ad quam locum vide Lipſium. Sed hoc extra ordinem fecit Caligula. Diocletianus verò poſteà ordinarium id voluit eſſe, edictô vulgatô. *Ut omnes ſine generis diſcimine proſtrati pedes oſcularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta aurô, gemmis & margaritis, (quod feciſſe ante eum Caligulam memorant) eundem ornatum immiſcuit veſtibus.* Idem tamen & ante Diocletianum fecit Maximinus Jun. de quo Capitol. *c.* 2. *Inſalutationibus*, inquit, *ſuperbiſſimus erat & manum porrigebat & genu ſibi oſculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes.* At de Seniore Maximino, *Id nunquam*, ait, *ibid. paſſus eſt qui dicebat, Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſcula figat.* Quod in Trajano quoque laudat Plin. *in Panegyr. c.* 24. Tranſiit mos ad recentiores Imperatores Græcos, teſte Georg. Codinô Curopalate, qui *l. de Offic. Palat. Conſtantinopolitani p.* 140. ubi agit *de matutino magnæ Dominicæ Paſchæ*, refert, paratô in triclinio Imperatoris thronô, ſimulatque ex Eccleſia exiiſſet &c. omnes Principes tum ingredientes, quemque ad ultimum uſque *oſculatos fuiſſe primùm dextrum pedem Imperatoris*, dein manum dextram, poſteà genam illius dextram. Et ad quintum hebdomadis diem, quem vocant διακαινήσιμον, i. e. *renovationem*, Patriarcham, venientem in Palatium, cum ſummis Sacerdotibus, Archimandritis & Antiſtitibus, mutatis veſtibus, adiiſſe Imperatorem, ſtantem in throno ſuo, & accedentem benedixiſſe ac oſculatum eſſe Imperatorem ad os: ſimiliterque ab Imperatore Deſpotam deſignatum, qui ei proximus eſſe deberet, *oſculatum fuiſſe Imperatoris pedem*: Inde ad Pontifices Romanos &c. Vide quoque ſuprà ubi de *Oſculo.* Sed & olim mancipia, ſi in aliqua gravi culpa deprehenderentur, miſericordiam Dominorum ſuorum implorantia, *pedes* eorum proſtrata apprehendebant. Rei item, qui à Principe veniam poſtulabant. Ut & pœnitentes in veteri Eccleſia, qui dum eſſent in primo pœnitentiæ ſuæ gradu, ante veſtibulum Eccleſiæ, proſtrati, *pedes* fidelium apprehendentes, eorum precum implorabant auxilium. Illi propterea, qui multum deferrent ſanctitati, non ſolùm eorum, qui in Eccleſiaſticis muneribus eminebant, ſed etiam Confeſſorum, aut eorum, qui ob nomen Jeſu Chriſti carceribus detinebantur, vel manus eorum deoſculabantur, vel ad *pedes* uſque eorum ſe demittebant, ut hôc honore animos eis adderent, adversùs opprobria quæ ſuſtinebant. Quod etiam ab ipſis Magnatibus & Regibus nonnullis, non Epiſcopis ſolùm, ſed etiam aliis ſanctitatis nomine celebribus, delatum legimus. Nec omittendus *Pedes ungendi*, antequam calceos induerent, vel cùm è bello eſſent reverſi, in conviviis item eorundem Veterum mos, de quo quædam adnotavit Plin. *l.* 13. *c.* 3. & Jo. Meurſius *Commentario ad Lycophronem*: plura dicemus infrà ubi de *Ungendi ritu*, it. voce *Unguentum*, ubi cruribus pedibuſque in ſpecie Mendeſium olim deſtinatum fuiſſe videbimus. De conſuetudine Philoſophorum quorundam *pedibus alternis*, ferventibus arenis, inſiſtendi, ab Ortu uſque ad Occaſum Solis, ἀσκήσεως χάριν, vide eundem Plin. *l.* 7. *c.* 2. De ritu coronas ponendi ante *pedes* ejus Numinis, cui conſecrabantur (etiam in Apocalypſi *c.* 4. *v.* 10. indigitato) Propertium *l.* 2. *El.* 10. *v.* 21.

Ut caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis,
Ponitur hîc imos ante corona pedes.

Ad quem locum vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 11. plura verò, infrà voce *Pes.*

PEDES Menſarum, apud Romanos, eburnei erant, laminis putaminum teſtudineorum minutim ſectis obducti coopertique. Plin. *l.* 9. *c.* 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire, Carvilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumentum ingenii.* Et Philo Judæus, ad Tiberium Principem à ſuis popularibus legatus, citante J. Lipſiô de hoc Romanorum luxu, Τρίκλινα, inquit, καὶ περίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, i. e. *Tricliniares lecti & Stibadia, teſtudine aut ebore adornata, & miliori etiam materiâ, atque ea plerunque gemmata.* Vide quoque Senecam *de Benefic. l.* 7. *c.* 9. Plin. iterum *l.* 16. *c.* 43. Clem. Alexandrinum, Lucianum *in Aſino* &c. Sed & meminit eburneorum *Pedum* Plato, Poëta Comicus vetuſtiſſimus, apud Athenæum *Dipnoſophiſt. l.* 2. *c.* 6.

Κᾆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι, καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις.
Κἀν φοινικίσι σαρδιανικαῖσι κοιμησάμενοι κατάκεινται.
In lectis deinde eburneis fultis Pedibus *ſtragulisque purpurâ tinctis*
Et oſtrô Sardinianô, dormituri recumbunt.

Sextus item Propertius *l.* 2. *Eleg.* 13. *v.* 23.

Nec mihi tunc fulcrô ſternatur lectus eburnô,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

Et Catullus *Epithalamio Juliæ ac Mallii, Epigr.* 62. *v.* 111.

O cubile, quod homine
Candido pede *lectulis*
Quæ tibi veniunt bona,
Gaudeas

Ubi tamen non deſunt, qui non de eburneo fulcro intelligi verſum ſecundum velint, ſed de argenteo *Pede*: aurô enim argentôque obduci lecticas, tam tricliniares, quàm cubitorias, olim conſueviſſe, patet ex Papiniano *l.* 9. *ff. de ſupell. leg.* & Martiali *l.* 8. *Epigr.* 33. &c. Præſentârunt autem *Pedes* hi ſæpius hiantes pardos, uti docet Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 123.

Grande ebur & magnô ſublimis pardus hiatu.

Aliàs leonum effigies exprimebant, &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. l.* 5. *c.* 26. Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idololatriæ l.* 3. *c.* 50. &c.

PEDES Navium, *remiſunt*, Nonio Marcello. Vide quoque Artemidorum *l.* 1. *c.* 50. Unde *Remipedem* navem dixit Auſonius, *Ep.* 5. *v.* 32. & Paridis navem à fabricatore, Φερεκλέιος πόδας Lycophron. Callimachus quoque *Epigramm.* 6. ἐρέσσων ποσσὶν, & Lucilius *Sat.* 8

Verùm flumen uti atque ipſo divortio aquarum
Ilignis pedibus *cercurum concinit æquis.*

Indidem naves *ambulare* dicuntur, Catoni *de Re Ruſt. c.* 1. & ſcaphæ *progredi*, Salluſtio. *Curſus* quoque iiſdem tribuitur, ut videre eſt apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 26. Vide quoque infrà *Pegaſus.* Aliàs tamen *pedes* pro velis. Vide ſuprà *Pariare vela*, & plura hanc in rem, apud Joann. Meurſium *ad Lycophronem* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 568. nec non infrà, voce *Pes.*

per PEDES, menſura limitum, caſtrorum item metatio fiebat olim, vide ſuprà *Paſſus.* Suſpenſio quoque interdum, vide infrà *Suſpendendi.*

PEDESTRES Statuæ, quæ frequentiſſimæ, manus habebant exertas, quô fortè imperium denotare voluêre Veteres: *Una enim manus clypeum prætendebat, altera imperantis ſpecie extendebatur*, Servius *ad Æn. l.* 8. *v.* 302.

Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundô:

Hinc Statius in Equo Maximo *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 37.

Dextra vetat pugnas, lævam Tritonia Pallas
Non gravat. ——— ———

Et Corippus *l.* 2. *Num.* 4.

Circumfuſa chlamys, rutilô quæ ornata metallô
Principis exerta vincebat lumina dextrâ.

Ritus initiô à Cethegorum familia ſumtô, qui ſine tunica nudoque humero & brachiô extra togam porrectô incedere, peculiari ac gentili more, fuêre ſoliti: quem poſteà etiam in bellis ſervârunt, ut ſcilicet ſine tunica, ſolô cinctu ac chlamyde, exertô brachiô pugnarent. Lucan. *l.* 2. *v.* 543.

——— *Exertique manus veſana Cethegi,*

Silius Italicus *Punicorum l.* 8. *v.* 586.

Ipſe humerô exertus gentili more Parentum,
Difficili gaudebat equô, &c.

Sic & in ſtatuis Cauſidicorum, exertæ erant dextræ, quòd iis geſtus fieri ſolerent: &c. Præter has, fuêre & Triumphales & Equeſtres, ſed quæ non niſi graviſſimis de cauſis concedebantur, idque rarenter admodum, nec niſi optimè de Rep. meritis & ſpecioſiſſimis quibuſque Ducibus: teſte Vellejô Paterculô *Hiſt. Rom. l.* 2. *c.* 61. ubi per trecentos annos nemini Equeſtrem ſtatuam, præter quàm Lucio Sullæ & Cn. Pompejo & Cajo Cæſari, poſitam fuiſſe, refert: de iſtiuſmodi ſtatua honori Auguſti Imp. dicatâ verba faciens. Has dextram ſimiliter protenſam habuiſſe, latè probat Thom. Dempſter. quem vide, *Paralipom.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pom. in Roſin. l. 9. Vide & ſuprà voce *Exſerendi*. De *Pedeſtribus* Copiis, vide infrà in voce *Pedites*.

PEDESTRIS Sermo, Græcè Πεζὸς λόγος, Poëticô poſterior, vide ſuprà, ubi *de Oratione Soluta*. Sic autem dictus à *pede* eſt, quem etiam ſoluto ſermoni dat Papinius *l. 2. Sylv. 7. v. 22.*

> *Dum qui vos geminas tulit per Artes*
> *Et vinctæ* pede *vocis*, *& ſolutæ*,
> *Romani colitur chori Sacerdos.*

Nihil enim ſine numeris ſcripsêre Antiqui. Ita Tibullus ad Meſſallam *l. 4. Epigr. 1. v. 35.*

> *Convenientque tuas cupidi componere laudes*
> *Undique*, *quique canent vinctô pede*, *quique ſolutô.*

Unde & *pedeſtres Hiſtorias* ſimiliter de ſoluta oratione dixit Horatius *l. 2. od. 12. v. 9. 10.* cui *Equeſtres* ſive Poëticas narrationes opponi docet Scholiaſtes antiquus, a Jac. Cruquio conſtipatus. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* nec non ſuprà, ubi de Veterum *Legendi* ratione, & infrà ubi de *Politicis verſibus*.

PEDIACI, Athenis dicti, in plano habitantes, Democratici, quos Piſiſtratus contra Diacrios concitavit. Ariſtotel. *l. 5. Polit. c. 5.*

PEDIADIS, regio Bactrianæ, per quam Oxus fluv. decurrit. *Polyb.*

PEDIÆI, ſecundi ordinis, in regione Attica, quibus ſecundum Solonis leges præfuit Lycurgus. Dicti ſunt Græc. πεδιεῖς, quòd in medio civitatis adeoque in planitie habitarent, quemadmodum *Diacrii* vocabantur οἱ ἐξ ἄστεος, ut loquitur Diogenes Laertius *in Solone*, qui ſuperiorem Urbis partem incolebant: *Parali* verò reliqui, qui littori viciniores erant. His inter ſe de regimine concertantibus, cùm Diacrii ad Democratiam inclinarent, ut docet Plut. *in Solon.* in Oligarchiam *Pediæi* propenderent, *Paralii* verò ex utraque mixtum Reip. ſtatum ſectarentur, controverſiæ Arbiter electus Solon priſtinô Civium diſcrimine obliteratô, eos in 4. novas claſſes diviſit, Pentacoſiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas, pro facultatum cenſuſque ratione: è quibus ad munera publica tribus prioribus admiſſis, ultimos velut proletarios ac cenſos capite planè ab omni Reip. adminiſtratione, excluſit. Vide Franc. Roſſæum *Archæologia Atticæ l. 1. c. 4.*

PEDIARCHUS, ſagittariorum Gelonis Dux. Vide Polyæn. *l. 1. c. 27. n. 2.*

PEDIANUS, vide *Aſconius*.

PEDIAS, Græcè Πεδιὰς, Cilicia dicta eſt, quà jacet campo, nam in πεδιάδα & τραχεῖαν dividebatur. Hinc Πεδιανοὶ Cilices dicebantur, qui Πεδιάδα colebant, Latinè *Campanos* liceat dixiſſe. Extendebatur autem hæc Campania Ciliciæ ab Iſſo uſque ad Tarſum. Salmaſ. *ad Solin. p. 772.*

PEDIAS, tribus Atticæ. *Steph.*

PEDIASIMUS Johannes, vide *Johannes*.

PEDIBULUM, apud Auctorem *Vitæ* S. Fructuoſi & Sociorum, *Qui cùm ſenſiſſet* pedibulum *ipſorum*, *confeſtim ſurrexit & prodiit ad eos foràs in ſoleis*: Cardinali *Baronio* & *Bollando*, eſt virga lictoris, quâ ſolebant olim portas pulſare ingreſſurô Conſule; Dominico verò Macro eſt ſtrepitus pedum ambulantium, quaſi *pediambulum*. Quomodo vox ſumi videtur apud Gregorium Turonenſ. *Hiſtor. l. 3. c. 15.* *Quibus pergentibus audiunt* pedibulum *equitum currentium*. Vide eum *in Hierolex.*

PEDIBUS iter facere virile, adeoque Principibus olim Regibuſque multo in uſu. Curtius de Alexandro ſuo *l. 6. c. 5.* *Rex* pedibus *iter plerumque faciebat*. Et Sueton. *in Julio, c. 57.* *In agmine nonnunquam equô*, *ſæpius* pedibus, *anteibat*. Et quidem prior, *ſi iter faceret minùs urgens*, *diſcebat ſimul in progrediendo*, *aut jaculari aut in currum concitatum inſilire & deſilire*, *Plut.* Quod inſigne laboris militaris ac tolerantiæ regiæ exemplum Trajanus Imp. imitatus, *Cum legiones duceret*, *ſeu potiùs* (*tanta velocitas erat*) *raperet*, *non vehiculum unquam*, *nec equum reſpexit*, teſte Pliniô, *Panegyr. c. 14.* qui proin *communia & confuſa privatis veſtigia*, miris in Principe laudibus effert. Imò ante Fabium Dictatorem lege prohibitum apud Romanos Duci, equô vehi, ut cùm in peditatu maximum exercitus robur poneretur, ei Dux ſemper in acie adſtaret, primumque omnium Fabium hunc à Senatu petiiſſe, ut equô ſibi liceret in bello uti, legas apud Plut. in *Vita* ejus. Μαλακίας itaque & mollitici poſtulati, qui nunquam niſi equô vel curru incedere, *quaſi pedum uſum amiſiſſent*, ut Plin. iterum ait, conſuevêre, de qua vide Ariſtotelem *Ethic. l. 7. c. 9.* Ciceronem, qui hôc nomine falsè perſtringit Verrem *5. Verrinâ*, Senecam *Ep. 55.* &c.

à PEDIBUS, vide ſuprà. *Ad pedes Delfinis*, ac infrà *Pediſſequi*.

PEDICA, vinculum, quô pedes vinciuntur. *Nonio*, Græcè Ποδοκάκκη, de qua voce *Harpocration*, Ποδοκάκκη, inquit, τὸ ξύλον, τὸ ἐν δεσμωτηρίῳ οὕτως ἐκαλεῖτο, ἤτοι παρεμβεβλημένου τοῦ ἑτέρου κάππα ποδῶν τις κάκωσις οὖσα, ἢ κατὰ συγκοπὴν, ὥς φησι Δίδυμος, οἷον ποδοκατοχὴ, i. e. Ποδοκάκκη *dictum eſt lignum*, *cujus in carcere uſus*: *vel per inſertum alterum cappa*, *quaſi* ποδῶν κάκωσις, *vel per ſyncopen*, *ut ait Didymus*, *quaſi* ποδοκατοχή. Huic immiſſi in carcere pedes conſtringebantur, ut *Suidas* habet. *Heſych.* verò Ποδοκάκκην non ipſum lignum, ſed τὸν ἐν τῷ ξύλῳ δεσμὸν, *in ligno vinculum*, quô pedes ei adſtringebantur, vocat. Ξύλον ſeu *Lignum* ſimpliciter appellatur, apud Lyſiam ἐν τῷ κατὰ Θεομνήστου α, item in legibus Solonis, & hodieque apud Demoſthenem ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους, in lege κλοπῆς: Latinis auctoribus *Nervus* dicitur, de qua voce vide *ſuprà*. Aliud autem fuit Ποδοστράβη, quæſtionis videl. ſeu tormenti genus, quô rei pedes manuſque torquebantur: hæc luxabat membra illius, qui torquebatur. Unde à Comicis chirurgicum inſtrumentum illud, quô membra reſtituuntur luxata, tacitè Ποδοστράβη dicitur. Fortè idem cum mala manſione. Vinculum autem, quô pedes manuſque impediebantur & cui collum præterea inſerebatur, Πεντεσύριγγον ξύλον i. e. *quinqueſiſtulare lignum*, vocitatum legimus. Vide Pollucem *l. 8. c. 7.* *Heſychium*, Sam. inprimis Petitum *Comm. in LL. Atticas*, *l. 4. tit. 9.* Vide quoque ſuprà *Cipparius*. Ab hominibus vox ad feras tranſlata: Namque *Pedicæ* Cervorum Aprorumque etiam *Retia* dicta: in quibus laqueus ὁ βρόχος & σπειρίδες, ex geniſta, h. e. σπάρτῳ fiebant. *Xenophon*, Τὸν δὲ βρόχον τῆς σπειρίδος τὸν ἐπὶ τὴν στεφάνην ἐπιτεθησόμενον πεπλεγμένον σπάρτου· καὶ αὐτὴν τὴν σπειρίδα. ἔστι γὰρ ἀσηπτότατον τοῦτο. Ubi rationem hujus rei reddit, quia ſpartum minimè putreſcat, ſeu *præcipuè duret*, uti loquiter Plin. *l. 19. c. 2.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 766.*

PEDICULA, Latinis videntur fuiſſe dicta, quæ Græcis Ποδοψόφια, vel Ὑποπόδια, *ſcabella*, quô nomine ſandalia lignea veniebant, quibus in Choris & ſaltationibus Veteres olim uſi fuêre. Uti enim hodiè in Muſicis concentibus, ab eo qui reliquis unà canentibus modum dat, levatâ poſitâque manu menſa aut liber feritur, quod *menſuram percutere* vulgò dicitur: ita apud Veteres in Choris ac ſaltationibus, pedum ſupploſione idem fiebat. Habebant autem tales, in Theatris, quò clarior ſonus eſſet, ligneas ſub pedibus ſoleas, ad hunc uſum ſolùm factas, κρουπέζια Græcis, & κρούπετα, atque hinc ποδοκτύποι & ποδοψόφοι, vocitati ſunt: Imò, quò majorem ſonantioremque ſtrepitum ederent, multi, ſaltantibus Pantomimis, ferreas ad eam rem ſoleas habebant, ut ex *Luciano* diſcimus. Cujuſcemodi ſandalia, lignea inprimis, Latini *ſcabella* videntur appellâſſe, quòd inſtar ſcabellorum eſſent & ex ligno fierent, pedibuſque ſubjicerentur, uti ſcabella, quæ ὑποπόδια hinc Græcis dicta ſunt, ſive *Pedicula*, etiam ποδοψόφια, à *pedum ſtrepitu*, quem ederent. Sed & fortè habuerunt ſcabella in hunc uſum parata, quæ pedis pulſu ligneâ ſoleâ vel ferreâ percuſſa ſonarent. Namque quemadmodum ποδῶν κτύπον ſaltationi Mimorum adhibitum fuiſſe, ſcribit Lucianus, ita & Scabellorum crepitum ſaltantibus fieri ſolitum, docet Suetonius de Caligula, *c. 54.* *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu*: *& quondam tres Conſulares ſecundâ vigiliâ in Palatium accitos multaque & extrema metuentes ſuper pulpitum collocavit*: *deinde repentè magnô tibiarum & ſcabellorum crepitu*, *cum palla tunicaque talari proſiluit ac deſaltatô canticô abiit.* Quæ ſcabella, quia ſine ulla toni variatione, tenore quôdam continuô & æquali, ad pedem feriebantur, inde quoque *ſyntona* appellata ſunt. Unde *Syntonarius*, qui ſcabella aut cymbala pede percutiebat, quemadmodum idem à *Pediculis*, *Pedicularius*. Optimæ *Gloſſæ*, *Pedicularius*, Συντονάριος. *Pedicularium* vocant, τὸν ποδοψόφον, τὸν ποδὶ κτυποῦντα, quales etiam *Pedarii* vel *Podarii* dicebantur. Aliæ *Gloſſæ*, Ποδοψόφοι, *Podarii*: in iiſdem Ποδοψόφιον, *crepitaculum*. Excerpta ex *veterib. Gloſſis*: *Crotalum*, ποδῶν ψόφος: Cujuſmodi pedum crotala & crepitacula ἀσκάρους etiam Græci vocâſſe videntur. Nam ἄσκαρος calcei genus eſt *Heſychio*, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino Imperat. c. 1*[illegible]. & infrà in voce *Scabellum*.

PEDICULI, Italiæ populi Apulis & Salentinis contermini. Plin. *l. 3. c. 5.*

PEDICULUS, Paul. *l. 3*[illegible]. *ff. de auro arg. eſt*, de quo ſigna ſuſtinentur, *baſis*, ſed tenuis: Et ſic plerunque *Pediculi* Columellæ dicuntur, quibus arborum rami baccis onuſti ſuſtinentur, quaſi *parvi pedes* Hotomann. *Pediculis* argenteis adjuncta ſigilla ænea, *dict. l.* apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Atque inde *Pediculo* animali nomen. Unde, uti apud Hebræos כן *Chen baſin* ſignificat, ita כנים *Chinnim*, ſunt *pediculi*, nomen habentes à כונן *chonen*, quod *firmare* & *ſtabilire* eſt; quia pediculus animal firmum & ſtabile eſt, atque à corpore δυσαφαίρετον, ut tradit Philoſophus *Hiſtor. l. 5. c. 31.* Quàm moleſtum hoc ſit inſecti genus, Ægyptii inprimis experti ſunt, quô nullam aliam moleſtiorem fuiſſe plagam, ſcribunt Mahumetani. Ita enim illi, *Moſes ivit ad urbem Ægyptiam quæ vocatur Ainſams* (Fons Solis) *quam cùm virgâ ſuâ percuſſiſſet*, *inde ſparſi fuère pediculi per totam Ægyptum*, *qui aggreſſi*, *quidquid ex ſeminibus*, *arboribus & herbis ſupererat*, *totum id conſumſerunt adeoque terram linxerunt*: *Et inter cujuſque veſtem & pellem irrepſerunt*, *ut eum morſu divexarent. Et ſi quis cibum comederit*, *is ſcatuit pediculis*, *nec ulla iis accidit plaga moleſtior plagâ* Pediculorum, *qui capillos invadebant & carnem & palpebras & ſupercilia & pellem*, *ac ſi variolis laborâſſent*, *ſomnumque & quietem arcebant. Itaque ad* Moſen *clamârunt*, *& opem ejus imploraverunt*, *dicentes*, *Nos pœnitet*, *roga igitur pro nobis Dominum Deum tuum ut hoc malum avertat. Et oravit pro iis* Moſes, *cui bene ſit*: *& Deus* pediculos *ab ipſis abſtulit*, *poſt ſeptem dies elapſos*; *ab uno nempe Sabbatho ad aliud Sabbathum*; apud Bochartum. Ad cujus omnino plagæ Memoriam, quâ Magos ipſos ac Sacerdotes veriſimile eſt graviùs fuiſſe afflictos, cautiones poſteà varias Sacerdotibus Ægyptiorum adhiberi conſueviſſe, diſcimus ex Herodoto *l. 2. c. 37.* ubi illos tertiô quoque die corpus eradere fuiſſe ſolitos ſcribit, ἵνα μήτε φθεὶρ μήτε τι ἄλλο μυσαρὸν ἐγγίνηταί σφι θεραπεύουσι τοὺς Θεοὺς, *Ne Deos colentibus*, *pediculus*, *aut quid aliud inſit immundum*. Et Plutarcho *in Iſide*, ubi lineis veſtibus illos uſos tradit, quia linum ἥκιστα φθειροποιὸν, *minimè pediculos gignat*, &c. Vide Sam. Bochart. *Hierozoic. l. IV. Part. poſter. c. 18. toto.* Cœterùm *pediculi* non hominibus ſolùm, ſed & beſtiis infeſti. Et quidem alii equorum, alii boum, alii porcorum, alii ovium & caprarum proprii: & ſua cuique lues ac peculiare malum eſt. Sunt etiam leonum & cervorum pediculi. Sunt aquilarum, accipitrum, olorum, anſerum; gallinarum, phaſianorum, columbarum, perdicum, coturnicum, de quibus multà Scriptores. Delphines quoque & ſalmones in piſcibus: & in inſectis ſcarabæi, imò & in plantis abrotonum, abſinthia, aquilegia, nymphæa &c. hâc labe non carent. Vites etiam, ſi *Cteſiæ* credimus. Ita, ut vix ulla ſit peſtis, quæ latiùs divagetur: de quibus omnibus vide Bochartum *d. l.* & Muffetum *Theatrô Inſectorum l. 2. c. 23.* Interim Banianis, inter Indos, in veneratione, qui quâ ceremoniâ captos *pediculos* in terram deponant operamque dent omnem ne conterantur, aut conculcentur, exponit P. de Valle *Itiner. Part. 2.* Nonnullis gentibus quoque in cibum ceſsêre. At Atyrmachidarum fœminas eos præmorſos abjeciſſe olim, diſcimus ex Herodo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rodoto *l.* 4. In Acridophagis porrò etiam alatos reperiri, habes apud Auctores præfatos, uti hanc in rem varia quoque apud Gerh. Johan. Voſſium *de Orig. & progr. Idolol l.* 4. paſſim, inprimis *c.* 67. ubi *de ortu illorum deque iis, qui pediculari morbô perierunt*, de quibus & infrà aliquid, voce *Phthiriaſis*, it. *Pududare.* Vide quoque ſuprà *Feralis.*

PEDILA, calceamenta erant utrique ſexui communia, apud Græcos, quemadmodum & Eumarides & Diabathra; Græcè Πέδιλα. Interim illis hoc erat ſingulare, quòd elegantia eſſent atque ad delicias & oſtentationem comparata variiſque ac eximiis coloribus picturata. Unde καλὰ πέδιλα, apud Homerum, *Il. β. v.* 44. Vide Ben. Balduinum *de Calceo.*

PEDILI, populi ad cavum Alpium incolentes. *Plin.*

PEDIRA, urbs Sumatræ, in parte Boreali vix 50. mill. paſſ. ab Acemo in Ortum. Pacemum versùs. Cùm portu ſatis capaci. Sub rege Acemi, cum regno cognomine.

PEDIRUM, unum ex Sumatræ Inſul. Regnis, de quo vide Georg. Hornium *Orbe Imper. ſub fin.*

PEDISSEQUI, ſervi erant, qui dominum dominamve ſequebantur, quemadmodum & illis anteambulones, & iſtis anteambulatrices ſuæ erant. De *Pediſſequis* legatis JC. *in l.* 65. *ff. legat.* 2. *Pediſſequis meis, quos ad curam Templi reliqui.* Meminit quoque eorum Phædrus *l.* 4. *fab.* 4. *v.* 36.

Veſtem, uniones, Pediſſequos, & cætera,
Illi aſſignate, vitam quæ luxu trahit.

Athenæus item, qui ideò ſervorum myriades comparatas fuiſſe ſcribit, ut comitum, anteambulonum, aſſeclarum copia ne deeſſet. Ammianus *l.* 14. *Nonnullos fulgentes ſericis indumentis, ut ducendos ad mortem, vel ut ſine diritate ominis loquamur, prægreſſô exercitu, arma cogentes manipulatim concitatô fragore ſequitur multitudo ſervorum.* Unde magnum *Pediſſequorum* fuiſſe numerum colligimus: quos ex Maurorum Æthiopumve natione aliqui habuerunt, ut glorioſulus ille apud Theophraſtum, *Character.* Cimonem, inclytum Athenienſium Ducem, ſemper *Pediſſequos* cum nummis ſecutos eſſe, ut, ſi quis opis ejus indigeret, haberet quod ſtatim daret, narrat Corn. Nepos *in ejus vita. c. ult.* Alii erant, pueri *ad Pedes*, qui epulanti domino adſtabant, inde appellationem nacti. Seneca *de Benefic. l.* 3. *c.* 27. *Servus, qui cœnanti ad Pedes ſteterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixiſſet.* Vide quoque Suetonium *in Calig. c.* 26. & eundem Senecam *Ep.* 27. Cicero *circumpedes* appellat *in Verrem* 2. *Servos artifices pupilli cùm haberent domi, circumpedes autem homines formoſos & literatos.* Literatos quidem, ut Calviſius Sabinus, apud *Senec.* formoſos, ut plerique omnes è ſecta hominum beatiorum, qui pueris formâ inſignibus non Triccliniium modò, ſed & Coquinam referſerunt. Vide Martialem *l.* 10. *Epigr.* 60. Fuit autem, quos ad *Pedes* vocabant, officium, ſoleas accumbentium dominorum cuſtodire. Martial. *l.* 12. *Epigr.* 89.

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui ſolus inopi præſtat & facit turbam:
Excogitavit homo ſagax, & aſtutus,
Ne facere poſſet tale ſæpius damnum:
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Eoſdem dixerunt *à Pedibus.* Cicer. *l.* 8. *ad Att. Ep.* 5. *Nec ullam ob aliam cauſam Pollucem, ſervum* à Pedibus *meum, Romam miſi.* Martial. feſtivè, *l.* 3. *Epigr.* 23.

Omnia cùm retrò pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur à Pedibus?

Et hæc demum eſſet, in ſacris tabulis, vera & germana ſtatio Mariæ Magdalenæ, quam Pictores, inſcitiâ per manus & penicillos traditâ, conjurârunt, ut perpetuò contra fidem Hiſtoriæ, in triclinio Simoniano, malè collocarent, Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Redeo ad *Pediſſequos*, vel potiùs *Pediſſequas*; namque & ex hoc ſexu fuiſſe, docet Terentius *Andria, Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 96.

——— *Accedo ad* Pediſſequas.

Vide quoque *l.* 59. *ff. de manumiſſ. teſtam.* in qua eſt, *Pediſſequas omnes, quarum nomina in rationibus meis ſcripta ſunt.* Hæ nobiliores Matronas ſequebantur, ut & quas δουλάρια vocant in univerſum Lucianus *Lexiphane.* Harum favorem captabant, dominæ placituri. Plautus *Aſinar. Actu* 1. *ſc.* 3. *v.* 31.

——— ——— *Illi rei ſtudet,*
Volt placere ſeſe amicæ, volt mihi, volt Pediſſequæ:

Nec ipſos pueros ſine comitibus *Pediſſequiſque* fuiſſe, cùm in publicum prodirent, diſcimus ex Cornificio *l.* 4. *Gorgia Pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac incolumes ad Adoleſcentiam perducas.* Apud minùs pudicas mulieres hujus comitatus portio fuerunt, Salutigeruli pueri, Internuncii miniſtri, quorumque meminit Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 28.

Ut non ter decies reſpiret, conſcia matri
Virgo fuit, ceras nunc hanc dictante puſillas
Implet, & ad mœchum dat eiſdem ferre cinædis.

Vide plura, apud præfatum Pignorium.

PEDITES, altera ſed præcipua Exercitus pars, ubique proſunt, cùm Equitum in campis tantùm lociſque planis aliquis uſus ſit. Qua de cauſa Veſpaſiani Imperatoris copiæ Veronam belli ſedem legerunt, ut quæ potior viſa, patentibus circum campis, ad pugnam equeſtrem, quâ prævalebant, teſte Tacitô *Hiſtor. l.* 3. *c.* 5. qui & *Annal. l.* 12. *c.* 55. memorat, agreſtium Cilicum nationes commotas, montes aſperos campis cepiſſe: & miſſos contrà Equites turbatos fuiſſe, eo quòd duri circum loci *Peditibuſque* ad pugnam idonei equeſtre prælium haud patiebantur: ut de periculis, quæ in locis impeditis, paludibus, mari, oppidorumque oppugnatione aut propugnatione, nil dicam. Quin & Equitum, re penè deſperatâ, in *pedes* ſe dantium exempla cùm alibi reperias, tum apud Livium *l.* 4. *c.* 38. *l.* 29. *c.* 2. & *l.* 39. *c.* 31. Quod Cæſar de Germanis etiam *Bell. Gall. l.* 4. *c.* 2. & Tacitus de Agricola, *in ejus vita c.* 35. ſcribit. Imò & in locis non impeditis, licèt magnus Equitum ſit uſus, *Pediti vis* non multo minor eſt, adeò ut etiam illum impetum & procellam Equeſtrem facilè excipiat, ſi modò idoneus ſit illi ordo & arma: quorum is cùm defuerit Parthis apud Tacitum *Annal. l.* 6. *c.* 34. Sarmatiſque Jazygibus apud eundem, *Hiſtor. l.* 3. *c.* 7. non mirum, quòd omne eorum in Equite robur fuerit. De utriſque egregie, dubium melior miles an Hiſtoricus Xenophon *de Exercit. Cyri l.* 3. milites ſuos, qui equis carebant, animaturus: *Decem millia*, inquit, *Equitum, non ſunt ampliùs quàm decem millia hominum. Nam ab equi vel morſu vel calcitratione, nemo facilè in prælio periit. Viri ſunt, per quos in pugnis omnia geruntur. Atque nos quidem multo, quàm equites, tutiores ſumus. Nam illi in equis hærentes, non nos tantùm metuunt, ſed illud etiam, ne ab equis excutiantur: nos terræ firmiter innixi, vehementiùs ferimus ac certiùs. Una tantùm re nobis præſtant Equites, ſecuriùs quàm nos fugam arripiunt*, vide Matth. Berneggerum *in Taciti German. quæſt.* 24. Apud Romanos, cùm Legio ex pedeſtribus equeſtribuſque copiis conſtaret, ſuô tempore *Peditum* in illa ſex millia, Equites ſeptingentos triginta duos fuiſſe, auctor eſt *Vegetius*: Diſtinguebantur autem *Pedites* in Cohortes & Manipulos, quorum hi iterum in ſuas Centurias erant ſubdiviſi; imò & hæ nonnunquam in ſua diſtribuebantur contubernia. Sic ut in juſta Legione eſſent decem Cohortes, quarum quælibet tres Manipulos, ſingulos duabus Centuriis conſtantes, continebat. Qui Contuberniis præerat, *caput Contubernii vel Decanus*: qui mille *Peditibus* præerat, Tribunus vocabatur *Militum*; ſicut *Centuriones*, Centuriarum vocitabantur Præfecti. Qui agmen extremum & quaſi tergum aciei obſervabant, *Tergiductoros* vel *Extremi agminis Duces*, ſunt dicti. Vide Sigonium *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 15. *ubi in ſingulos millenos Pedites centenos Equites additos ait.* Alexandrum ab Alexandro *Genial. dierum l.* 1. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 5. &c. Hodie in regimine, ut vocant, *Pedeſtri*, primas tenet *Magiſter Peditum* & ejus Vicarius. Sequuntur *Tribuni Peditum*, & eorum Vicarii: Præfectus Excubiarum, *Metator Pedeſtris*, Præfectus annonæ: Centuriones, Signiferi, Ordinum ſtructores, Diverſoriorum deſignatores, Ordinum Ductores, Decuriones, de quibus vide Wendelinum *Politic. l.* 2. *c.* 40. §. 7. 8. 9.

PEDIUS, pictor mutus, qui Pedii Conſularis, triumphaliſque filius fuit, Plin *l.* 35. *c.* 4.

PEDIUS Blæſus, motus ſub Nerone Senatu, accuſantibus Cyrenenſibus violatum ab eo theſaurum Æſculapii, delectumque militarem preciô & ambitione corruptum. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 18. Senatorio ordini ab Othone redditus *l.* 1. *Hiſt. c.* 77.

PEDIUS, cognomine *Quintus*, C. Julii Cæſaris ex ſorore nepos, ſub eo in Gallia legionis legatus, ab eoque poſteà inter hæredes adſcriptus, geſſit conſulatum cum Cæſare Juniore, Hircio & Panſâ interemptis. Hujus lege damnati ſunt Caſſius & Brutus, cæterique percuſſores Cæſaris. Deceſſit in eodem honore. Vir præter conſularem dignitatem triumphalis quoque. Vide & *Quintus.*

PEDNA, Inſul. parva maris Ægæi, circa Lesbum, ſcopulis inſtar illam circumſtans. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

PEDNILISSUS, urbs Piſidiæ. *Steph.* Vide *Pindeniſſus.*

PEDO, vide *Albinovanus.* It. *Quintus.*

PEDOCUCULLI, qui & *Cucullopedones* cuculli ſunt pedum, quorum mentio habetur in *Notis* Tironis & Senecæ. Non enim de capite ſolùm cucullus, ſed & de pedibus, reperitur. Sic Græcis πῖλος & pedum & capitis dicitur. Heſiod. *in* Ἔργ. *v.* 544.

——— ——— Κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν
Πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν. ——— ———

Erant autem *Pedocuculli* ſeu *pedum* hi πῖλοι, aliàs *Udones*, propriè lanei calcei, ex lana coacta facti, qui intra calceum quidem habebantur, ſed ſic, ut plerunque & ipſi vicem calceamenti, domi præcipuè atque intra cubiculum, præſtarent: hodie *Caleçons* Gallis. Quibus non multùm erant diſſimiles *ſoleæ lanatæ*, quarum mentio apud Martial. *l.* 14. *in diſticho* 65.

Defuerit ſi fortè puer, ſoleaſque libebit
Sumere: pro puero pes erit ipſe ſibi.

Ita enim legendum: *Ipſe pes ſibi erit pro puero.* Si fortè, inquit, puer defuerit, & ſoleas tibi libeat ſumere, cum ſoleis lanatis poteris ipſe è cubiculo exire, & ſoleas petere; quô pactô vicem pueri pes in ſolea lanata ſupplebit. Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alex. Severo. c.* 40. Vide quoque ſuprà, in *Odo, Pedalis, alibique.* Aliud quid ſonat vox *Pedortes*, apud veterem Interpretem Juvenalis *ad v.* 111. *Sat.* 1.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

pedules nempe faſcias, quibus intra caligas utebantur, ita enim faſciæ hæ vulgò dicebantur. Verba ejus ſic habent: *Oſtendit*, inquit, *plus honoris videri in calceis, quàm in perſona. Illô enim tempore nec dum Senatores nigris calceis utebantur: ſed nudis pedibus vel pulverulentis vel bracis, vel pedules novos in braccis, quos Pedortes dicunt, ut peregrinus.* Ubi *Pedortes* pro *Pedornes*, correxit Salmaſ. Græcis Ποδόρτια, de quibus *Achmes*, Εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι τὰ ποδόρτια ἐςένωσαν τὰ ὑποδήματα, θλίψει τοὺς δούλους αὐτοῦ ἀναλόγως τῆς ςενώσεως. Pedules namque & udones, qui habentur intra calceum, ſi laxiores ipſi ſunt, faciunt ut anguſtiore calceô utamur; & pedem angunt uruntque. Idem *Achmes*: Τὸ γὰρ ποδόρτιον σκέπη ἐςὶ τοῦ ποδός. E quo utroque loco evincuntur, qui Ποδόρτια & pedules pro veſtibus talaribus accipiunt. Ποδόρτια igitur ſunt faſciæ pedules, ſic dicta, quaſi ποδάρτια, ut ὀρτάρια pro ἀρτάρια ſcribebant. Et ſanè ποδόρτια & ἀρτάρια idem erant.

Pedes

Pedes itaque *albos* interpretatur Scholiaſtes ille de *Pedortibus* & Pedulibus novis, nam Pedules illæ faſciæ albæ. *Cratinus*, λευκὰς ὑπὸ ποσὶν ἔχων πίλους, *Albas ſub pedibus habens pedules.* In *Donat.* verò Conſtantini, σανδάλια λευκὰ δι' ὀθωνίων; aut *ſoleæ lanatæ*, aut certè, *calcei candidi cum udonibus*, quæ interpretatio verior. Salmaſ. ubi *ſuprà*.

PEDUCÆA Lex, de Inceſtu, ante *L.* Jul. de Adulterio, lata, memoratur Ciceroni *de Nat. Deor. l.* 3. Sicut Scantinia, de pueris impudicis, Juvenali *Sat.* 2. *v.* 44. Suetonio in *Domit. c.* 8. Auſonio & Ciceroni *Philipp.* 3.

PEDULES, vide ſuprà *Pedale.*

PEDUM, oppid. in Latio, olim à Camillo conſule captum. Liv. *l.* 2. *c.* 39. *Stephano Peda* dicitur: Πέδα, πόλις Αὐσονική, τὸ ἐθνικὸν Πεδανός. Ex antiquiſſimo aliquo hæc habuit auctore, qui vetuſtiſſimô illô uſus eſt vocabulô *Auſoniæ*, pro Italiæ nomine. Hinc *Pedana regio.* Horat. *l.* 1. *ep.* 4. *ad Tibullum*, *v.* 1.

Albi noſtrorum ſermonum candide Judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?

Ubi vetus Commentator: *Pedana regio inter Tibur & Praneſte fuit; ab oppido Pedo, quod non longè fuit ab Urbe: ſed modò non eſt. Nic. Lloydius.*

PEDUM, ſeu Virga Paſtoris, quandoque Hebræis מקל *Makel* dicitur, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 40. & Zachar. *c.* 11. *v.* 7. Sed hæc vox in genere, *baculus* eſt, *quô nitimur* Geneſ. *c.* 32. *v.* 11. Exodi *c.* 12. *v.* 11. &c. Quemadmodum aliud quoque virgæ ſeu baculi nomen generale, שבט *Schebet*; Græcè σκῆπτρον ſeu σκῆπτρον, pro *Pedo* nonnunquam occurrit, in Pſalm 30. *v.* 1. 4. & Mich. *c.* 7. *v.* 14. qui poſterior locus ſic habet, *Paſce populum tuum* בשבטך *pedô tuo, oves poſſeſſionis tuæ.* Unde explicari poteſt locus obſcurus, Levit. *c.* 27. *v.* 32. *Et omnis decima bovis & pecoris, omne quod tranſit* תחת השבט *ſub virga, decimum ejus erit ſanctitas Domino.* In quem R. Salomo, *Cùm ad decimationem proceditur*, inquit, *per oſtium educuntur* (pecora decimanda) *unum poſt aliud & decimum virgâ percutitur tinctâ miniô, ut ſciatur hoc ad decimam pertinere: quomodo quotannis fit tam de agnis, quàm de vitulis.* Bochartus verò non putat hîc agi de virga decimatoris, ſed de Paſtoris pedo, quomodo multi ſumunt, Syrus, Arabs, Aben-Ezra & Vulgatus. Nempe ſub virga Paſtoris tranſibant armenta & greges, quoties illorum numerus ſubducebatur. Unde LXX. hôc ipſô locô, Πᾶν, ὃ ἂν διέλθῃ ἐν τῷ ἀριθμῷ ὑπὸ τὴν ῥάβδον, *Quidquid in numero* (i. e. inter numerandum) *ſub virga tranſit.* Numerabatur autem pecus ab iis, qui accurati erant, manè & veſperi, ſed maximè ad veſperam, cùm illud è paſtu reduci mos. Ad quem ritum Virgilius reſpicit *Georgic. l.* 4. ubi de Proteo phocas numerante:

Ipſe (velut ſtabuli cuſtos in montibus olim
Veſper ubi è paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditique lupos acuunt balatibus agni)
Conſedit ſcopulo medius numerumque recenſet &c.

Vide ſuprà ubi de *Pecoris Magiſtro.* Neque verò virga ſolùm ſeu *Pedum*, ſed & alia Paſtoribus arma erant, quibus eminus pugnarent, ſi poſtularet res; *tela* putà & *ſagittæ.* Virgil. *Georgic. l.* 3. & *Æneid. l.* 4. Unde Paſtor David, in Goliathum depugnaturus, præter *Pedum*, fundam etiam ſumſiſſe legitur, & lævigatos quinque lapides, quos in pera geſtabat. Vide Bochart. præfatum *Hieroz. Part. I. l.* 2. *c.* 44. Jul. Cæſ. Scaliger *Pedum* ſeu baculum ſic deſcribit: *Latini* Pedum, *ab uſu conſiſtendi atque adhærendi, Græci* καλαύροπα; *& à venatione* λαγωβόλον *vocant, etiam* κορύνη *dictum, à clavæ ſpecie, quam præ ſe fert craſſitie capitatâ. Nodoſus erat præterea, cujuſmodi deſcripſit Maro, & nos nunc quoque videmus è ſpino arbore, aut corno, æneis circulis obeuntibus, atque umbilicis adornatum.* vide eum *Poëtic. l.* 1. *c.* 4. & ſuprà, ubi de *Myrto.*

PEDUM Exercitia, antiquiſſima fuêre. Namque agreſtes priſci multùm erant in venationibus, itaque amabant pedum exercitia. Et ſanè ingreſſus communior motus, quàm manuum eſt. Quippe manus uni homini data eſt à natura, pedes etiam aliis: quanquam manuum nobis uſus, quàm *pedum*, prior quia facilior. Hinc itaque prima ſaltatio in pedibus fuit: quem motum, cùm priùs rudis eſſet, poſtquam certis legibus variâſſent & compoſuiſſent, ὄρχησιν privatô nomine Græci dixêre. Latinis rudem illum, *ſaltum*, hunc *ſaltationem* appellantibus. Proxima fuit manuum motio, quam χειρονομίαν vocavêre: poſteà pro vitæ genere ac modo, acceſſiones factæ multæ, Calathi, Abaci, Rotæ, Gladii, Haſtæ, Thyrſi, Pilæ, atque hujuſmodi, uti pluribus docet J. C. Scaliger *d. l. c.* 18. Vide quoque ſuprà ubi de *Curſu.*

PEDUM Lotio, vide ſuprà *Lotio manuum.*

PEDUM Oſculum, vide ſuprà *Oſculum.*

PEGÆ, vicus Megarenſium, *Pagæ* Plinio. *l.* 4. *c.* 3. Vide *Steph.* Nunc *Livadoſta*, in ora littorali ſinus Corinthiaci, 25. mill. paſſ. à Megara in Occaſum, Urbs *Brietio.*

PEGASA, urbs Cariæ. *Steph.*

PEGASIANUM SCtum Veſpaſiani principatu factum, *Pegaſô* & Puſione Conſulib. hæredibus rogatis hæreditatem reſtituere, perinde quartam partem retinere permiſit, atque ex *L.* Falcidia ex legatis retinere concedebatur, §. *ſed quia hær. Inſt. de fideic. hær. Paul.* 4. *ſunt* 3. Ulp. *Inſtitut. tit.* 25. Cujus vis tota à Juſtiniano in Trebellianum SCtum transfuſa eſt, *l.* 2. §. *ſolum aut. Cod. de vet. jure enucl.* §. *ſed quia Inſtit. de fideic. hær.* Briſſonius apud Joh. Calvin. *Lexico Jurid. Voc. JC.*

PEGASIDES, Muſæ ſic dictæ à *fonte*, qui πηγὴ dicitur, quem *Pegaſus* ictu ungulæ fingitur aperuiſſe.

PEGASIUM Stagnum, à Pegaſi ungula procreatum, circa Epheſum, ſicut & Hippocrene. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Hinc *Pegaſis*, Ovid. *ep.* 5. *Heroid. v.* 3.

Pegaſis Oenone Phrygiis celeberrima ſylvis.

PEGASUS, nomen viri. Virgil. *Æn. l.* 11. *v.* 670.

PEGASUS, ex Eleutheris, Bœotiæ urbe, Dionyſi ſive Bacchi ſimulachrum detulit ſecum in Atticam: quod Attici cùm non eô, quô par erat, honore excepiſſent, non impunè tulerunt. Nam ab irato Deo morbus inguinum ipſis eſt immiſſus inſanabilis. Proin de remedio deſperantes miſerunt Oraculum, aliquos conſultum. qui reverſi unicum hoc remedium fore dixerunt, ſi omni honore Deum ornarent. Quare dicto audientes, quà publicè, quà privatim, Phallos in honorem Bacchi erexerunt. Scholia *in Ariſtoph. Acharn. p.* 383. *G.*

PEGASUS, Juriſconſultus, qui ſub Veſpaſiano Urbi præfectus fuit. Pomp. *l.* 2. *Sect. ult. D. de Origine Juris: Caſſio Cælius Sabinus ſucceſſit, Proculo Pegaſus, qui temporibus Veſpaſiani Præfectus Urbis fuit.* Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 77.

——— *Raptâ properabat abollâ*
Pegaſus, attonitæ poſitus modo Villicus Urbi.
Anne aliud tunc præfecti? Quarum optimus ille
Interpres Legum ſanctiſſimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabant inani
Juſtitiâ. ——— ———

Fuit & Conſul; eôque Conſule Senatuſconſultum, quod de ejus nomine *Pegaſianum* eſt appellatum, exiſtit. Unde ei hoc nomen, vide Menagii *Juris Civilis Amœnitatum c.* 17.

PEGASUS, equus alatus, ex Meduſæ ſanguine procreatus; qui cùm in Helicona avolâſſet, ſaxum ungulâ feriens fontem aperuit, qui ex eo *Hippocrene*, i. e. *fons Caballinus*, uti Perſius *in Prologo*, *v.* 1. interpretatur, eſt appellatus. Poſteà verò cum ex Pirene, fonte Corinthio, biberet, à Bellerophonte, qui tunc temporis expeditionem in Chimæram parabat, captus eſt. Cumque is rerum terreſtrium tædiô ductus, in cœlum evolare conaretur, indeque terram deſpiciens, timoreque perculſus è ſublimi decidiſſet, Pegaſus nihilominus curſum ſervans, in cœlum evolâſſe dicitur, ibique inter ſidera conſtitutus eſt. Unde Manilius, *l.* 5. *circa fin.*

Aërius naſcetur equus, cœloque volabit.

Horat. *Carm. l.* 4. *Od.* 11. *v.* 27.

——— *Exemplum grave præbet ales*
Pegaſus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Propert. *l.* 3. *El.* 2. *v.* 1.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,
Bellerophontei quà fluit humor equi.

Statius *in Genethliaco Lucani l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 4.

Pendentis bibit ungulæ liquorem.

Hinc *Pegaſeus.* Propert. *l.* 2. *El.* 30. *v.* 3.

Non ſi Pegaſeo vectaris in aëre dorſo.

Aliqui ἀπὸ τῆς πηγῆς, h. e. *à fonte* dictum volunt. Alii ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, i. e. *à compingendo.* Longè aliter Bochart. *de Animal. l.* 2. *c.* 6. *Pegaſus*, inquit, *cujus originem ad Perſeum referunt, equus fuit fræno adſuetus.* Ebræis enim & Syris פג *pag*, vel פגא, *paga*, *frænum* ſignificat, & סוס *ſus equus* eſt. Inde compoſitum פגא סוס *Pegaſus* fuit, ſcil. ἵππος χαλιναγωγούμενος. Quidam Pegaſum nomen navis eſſe voluerunt. Ovid. *ep.* 5. *Nic. Lloydius.* Hunc verò percuſſu ungulæ, dum cœlos petit in Helicone, monte Bœotiæ altiſſimo, aperuiſſe fontem, nomine *Hippocrenen* quaſi *equi fontem* dicas, fabulati ſunt priſci, propterea quod fontium aqua, utpote aliis purior & aëri ſimilior, in altiſſimos aſcendit montes, equi inſtar alati. Atque hôc ipſô etiam *Pegaſi* nomine firmatur; ut quod ſit à πηγὴ, quô *fons* ſignificatur. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 2. *c.* 80. Plin. *l.* 10. *c.* 49. *Pegaſos equinô capite volucres, in Scythia*, habet: & Solin. *c.* 34. ubi Æthiopiam deſcribit, *Illius*, ait, *cœli ales eſt* Pegaſus: *ſed hæc ales equinum nihil præter aures habet.* Etiam volucris hujus *Euſtathius* meminit; ſed nuſquam eſt avis *Pegaſus:* verùm per *Pegaſum*, ut Palæphatus *c.* 29. interpretatur, intellexêre navem velis remiſque inſtructam. Nam quod in alite alæ, id hîc vela, quòd ibi pedes, hîc remi. Unde Artemidorus *l.* 1. *c.* 58. cùm equum eſſe navigio ſimilem dixiſſet, ſubjungit: Ἵππους γὰρ ὁ ποιητὴς τὰς ναῦς εἶπε καὶ ἡμεῖς τὸν Ποσειδῶνα Ἵππιον καλοῦμεν καὶ ὃν ἔχει λόγον ἐπὶ γῆς ἵππος, τὸν αὐτὸν ἐν θαλάσσῃ ναῦς, *Poëta enim naves dixit equos, & nos Neptunum* Hippium *ſive* Equeſtrem *vocamus: & ſanè quam rationem in terra habet equus, eam in mari habet navis.* Nec etymon adverſatur, nam eſt πήγασος à πήγω ſive πηγνύω, i. e. *compingo*, nempe quia è pluribus tabulis naves conjunguntur. Et favet quoque, quòd *Pegaſus* fingitur Neptuni proles, videl. quia eô maria ſulcamus. Etiam Valerius Probus *Georgic. l.* 1. ubi Poëta ait, terram Neptuni tridente percuſſam primum fudiſſe equum, annotat, Equum iſtum vocatum eſſe *Schypium*: quod magnam habeat convenientiam cum navigii appellatione apud Germanos, quibus hodieque illud *ſciiff* nuncupatur. Eodem facit, quòd in fabula de Heſione, Laomedontis filia, marino expoſita ceto liberaturi eam Hercules & Telamon præmii locô depopoſcerunt, tum ut Heſionem in Græciam abducere liceret: tum etiam *equos regios ſuper aquas, imò & ariſtas, ambulantes*, h. e. velociſſimas navium ex claſſe Laomedontis. Simili tralatione Catullus, *Carm.* 65. *v.* 8. navem Argo vocat,

——— *Levi volitantem flamine currum.*

Nec abſurdè tamen per *Pegaſum* etiam intelligamus nubes, quæ in altum ſubvolant, & per mediam aëris regionem, avis inſtar, deferuntur: ut nec incommodè Neptuni proles cenſentur, cùm vapores attollantur è mari. Vide iterum Voſſ. *Opere præf. l.* 3. *c.* 99. In nummiſmatis *Pegaſus* alatus, oſtendit rem ſummâ celeritate geſtam eſſe, unde & *Victoriam alatam* finxêre ſculpſêreque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

que Veteres: quamvis & alæ hæ indicare poſſint, ad Victoriam promtè parandam Equitibus etiam opus eſſe; quorum pernicitas plurimum neceſſaria captandis occaſionibus rei bene gerendæ, per alas indicatur. Vide Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l. 6. c. 102. ubi Lucernam Victoriatam Militis interpretatur.* Idem Lucernam, Romæ inventam, extra Urbem, in via Appia, non longè à turri, quâ itur ad D. Sebaſtiani ædem propinquam, *Bovis alati* vel *Pegaſi* icone inſculptam, exponit *eód. l. c. 52.* Ut & hoc addam, *Pegaſi* conſcenſor Bellerophon, quem telis Chimæram eminus confeciſſe fabulantur, eſt Bocharto בעל הרובין *Baal harovin*, i. e. *Magiſter* vel *Præfectus jaculatorum*: Chimæra, monſtrum tricorpor,

Antè leo, retroque draco, medioque capella,

tres Solymorum Duces ſignificat, Aryum, Arſalum & Toſibim, quos Bellerophon debellavit: nempe Aryum *ari*, i. e. leonem; Arſalum *arzal* vel *urzil*, i. e. capreæ hinnulum, & Toſibin, *tſoban*, h. e. draconem, Phœnices, quorum coloni Solymi Piſidiæ erant, appellabant. Sed & locum Argivæ regionis, in qua *Pegaſum* primò conſcendit & ſtimulavit Bellerophon, Κενθίππην volunt dici, ab argumento. Vide quoque in *Chimera* & *Bellerophon.*

PEGASUS, apud Auſonium *Epigramm. in Phoſphorum*, equum Circo nobilem.

Hunc titulum vani ſolatia ſume ſepulchri,
Et gradere Elyſios præpes ad alipedes.
Pegaſus *hinc dexter currunt ibi, lævus Arion,*
Funi ſed quartum det tibi Caſtor equum.

Equus eſt jugalis dexter, Græcè ὁ δεξιόζυγος, in quadriga, quam ex præſtantiſſimis equis conflatam Poeta Phoſphoro, funali ſiniſtro, qui proin præcipui honoris ac meriti erat, in Elyſiis campis deſtinat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 899.

PEGASUS, paraſemon triremis, unde Trierarchus filio nomen impoſuit. Scholiaſtes Juvenalis, *Pegaſus, Trierarchi filius, ex cujus Liburnæ paraſemo nomen accepit, juris ſtudio gloriam memoriæ meruit.* Vide Salmaſ. *Ibid. p.* 571. Quid verò ſit paraſemon, retro diximus.

PEGMA, à Græco πήγνυμι, *compingo*, machina fuit ludicra, è ſtrue diverſorum lignorum compacta, tantâ altitudine, ut ad tertium quartumque nidum ſeu contignationem ſive ſtationem fabrica exurgeret. Interpres Dionis *in Adriano*, *ſurgentia ſpectacula & pegmata efferre* dixit: unde conjiciunt nonnulli, automata & *Pegmata* idem eſſe, Philander *in Vitruvium l. 9. c. 7.* ſed malè, ut infrà; *Eam gladiatores accendebant & immiſſâ dein flammâ totam machinam conſumebant, ut illi per incendium evadere ac eniti cogerentur.* Joſephus *de Bello Jud. l. 7. c. 1.* Meminit quoque Fl. Vopiſcus *in Carino, c. 19. Exhibuit*, inquiens, *Pegma etiam, cujus flammis ſcena conflagravit, quam Diocletianus poſteà magnificentiorem reddidit*, M. Tullius *ad Attic. l. 4. Ep. 8. Nihil venuſtius, quàm illa tua pegmata.* Sueton. *in Claudio c. 34. Si aut* αὐτόματον, *vel* Pegma, *vel tale quid aliud parùm ceſſiſſet*: ubi diſertè ab automato *Pegma* diſtinguit. *Ex ſe ſurgentium Pegmatum, & tabulatorum tacitè in ſublime creſcentium*, mentionem facit Senec. *Ep.* 88. Proin machinam artificioſam, pro diverſitate argumenti adornatam, in qua vel in ſublime attollere vel è ſublimi in præceps dare, ac velut dehiſcente terrâ abſumere ſolebant ſive homines, ſive res quas eſſet libitum: *Pegma* definit Lipſius *Amphith. c. 22.* Rittershuſius *Not. in Phædrum l. 5. fab. 8. v. 7.*

Dum Pegma *rapitur, concidit caſu gravi:*

machinam dicit fuiſſe ligneam, in qua collocatæ fuerint quaſi affixæ ſtatuæ, quæ etiam interdum in ſcenam proferebantur & motabantur, aut alioqui in pompa circumferebantur: Sed ita cum automato *Pegma* videtur confundere, de quo ſuprà. Auro argentoque addito ditabatur hæc moles, ſive bracteis, Plin. *l. 33. c. 3. L. Marena & Cajus Princeps in Circo* Pegma *duxit, in quo fuêre argenti pondo centum viginti quatuor.* Imò & crocô decorabatur. Martial. *l. 8. Epigr. 33. v. 3.*

Hac fuerat nebulâ nuper tibi Pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.

Æl. Spartian. *in Hadriano, c. 19. in honorem Trojani balſama & crocum per gradus Theatri fluere juſſit.* Admiſcebatur autem vino, ut ſic dilutum faciliùs in Spectatores poſſet ſpargi. Plin. *l. 21. c. 6. Sed vino mirè congruit, præcipuè dulci, tritum ad Theatra replenda* &c. Hâc ſtrue ſuccensâ librabant ſe per medios ignes, populo oblectamentum allaturi, Petauriſtæ. De incendio cultiſſimè Claudian. *de Conſul. Manlii Theodori, v. 324.*

Mobile ponderibus deſcendat Pegma *reductis,*
Inque chori ſpeciem ſurgentes ardua flammas
Scena rotat, varios effingat Mulciber orbes,
Per tabulas impunè vagus, pictaque citato
Ludant igne trabes & non permiſſa vagari
Ficta per innocuas errent incendia turres.

De ſalute Petauriſtarum, per flammas, accensô *Pegmate*, evadentium, M. Manilius *Aſtronomic. l. 5.*

Membraque per flammas, urbeſque emiſſa flagrantes,
Delphinumque ſuô per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis & in aëre ludunt.

Totam fabricam ſcitè deſcripſit Aur. Prudentius *in Romano Martyre, v.* 1016.

Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita,
Rimoſa rari Pegmatis *compagibus,*
Scindunt ſubinde, vel terebant aream,
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus, &c.

In his porrò *Pegmatis* varia inventa & ſtupendi luſus ingeniorum, de quibus Auguſtin. *ad quam ſtupenda*, inquit, *opera humana induſtria pervenit: quæ in Theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt?* Unde *Pegmates* dicti, ſeu à *Pegmatum* ſtructionibus: ſeu à ludis quos edebant, Artifices iſti, quô nomine & *Gladiatores* aliquando comprehenſi. Ariſtoteles μηχανοτέχνας vocat, *l. de Mundo.* Fuêre autem talia *Pegmata*, tum in Scenis ac Theatris, ut dictum, tum in Circo, in Amphitheatris, in Arena. Hinc Sueton. *Calig. c. 26. Gladiatoriô munere reductis interdum flagrantiſſimô Sole velis, emitti quenquam vetabat: remotôque apparatu ordinariô rabidis feris viliſſimos, ſeniôque confectos Gladiatores: Pegmatis quoque Patres familias notos & inſignes aliquâ debilitate corporis ſubjiciebat.* Ubi legit Dempſter. *Gladiatores quoque Pegmates.* Vide quoque *in Claudio* eundem *c. 14.* Idem Strabo confirmat *l. 6.* ubi refert, quendam Siculum latronem (*Ætnæ filium* nominatum) in foro per ludos Gladiatorios à *Pegmate* (tanquam ex Ætna) compagibus ſolutis, in caveas ferarum decidiſſe, & à feris diſcerptum eſſe. Imò & publicis vicis *Pegmatum* extructorum meminit Martial. *Spectaculorum Epigr. 2. v. 2.*

Et creſcunt media Pegmata *celſa via.*

Et in privatis ædibus, non quidem in inſanos laſcivientium conviviorum luxus, nam in Tricliniis illa aut Cœnaculis: cùm *Pegmata* hæc in domorum eſſent atriis, fortè ſuſtinendis Majorum imaginibus aut gentilitio ſtemmati. Turnebus *Adverſar. l. 8. c. 9. Ornamenta valvarum foribus affixa* intelligit. Ulpianus JC. *l. 12. ff. de inſtrum. leg. Specularia quoque affixa magis domus eſſe puto, quàm partem: Nam in emtione domus & ſpecularia &* Pegmata *cedere, ſive in ædificio ſint poſita, ſive ad tempus detracta.* Auſon. 26. *v.* 10.

Ceris inurens januarum limina
Et Atriorum Pegmata

Vide Scaligerum, Lipſium *loc. cit.* Thom. Dempſter. *in Roſin. l. 5. c. 10. Alios.*

PEGMATES, memorati Suetonio *in Calig. c. 26. Gladiatores quoque Pegmates*, qui fuerint, vide ſuprà in voce *Pegma.* Caſaubonus *Pegmares* legi mavult, & gladiatores interpretatur, *quos de ruina arenæ tranſmiſit*, ut loquitur Petronius: *Qui nempe in pegmate populo exhibiti felici quôdam ſidere ei ſpectaculo ſuperſtites fuêre. Super pegmatis enim*, addit, *producebantur facinoroſi homines, quales gladiatores ferè erant, ut vel inibi pugnam inter ſe committerent, vel ſpectati à populo mox, ſolutis compagibus pegmatis, caſu ſuô in foveam, ubi vel ignis, vel feræ erant, populum oblectarent.*

PEGNA Franciſcus, Arago, J. U. D. factus. Auditor Romanæ Rotæ, A. C. 1588. ejuſdem tribunalis Decanus A. C. 1604. obiit 1612. Auctor *Commentarii* in *Directorium Inquiſitorum* Eymerici, quem vide ſuprà. It. *Annotationum ad Lucernam Inquiſitorum* Bern. Comenſis, de quo itidem ſuô locô: præter *Inſtructionem* ſeu *Praxin Inquiſitorum*, editam Lugduni A. C. 1669. cum *Adnotationibus* Cæſaris Carenæ.

PEGRES, Car, intimus Pſammetichi, & acerrimus inſtructoratque adjutor, ad invadendum Ægypti regnum. Vulgò male *Pigres* dicitur, cùm in Græco ſit Πήγρης. Vide Polyænum *l. 7. c. 3.*

PEGU & *Aracan* regna proximè ſita ſunt ad fines Bengalæ, ubi initium ſumentia littora ſua porrigunt, inter Eurum, & Euroauſtrum uſque ad civitatem portumque Martauan, qui eſt in provincia Pegu, diſtatque milliaribus 70. à Bengala, ſitus ſub decimo ſexto gradu, à quo provincia Sian incipit. Utrumque regnum tam Aracanum, quàm Peguanum abundant rebus quibuſcunque neceſſariis, præſertim aurô, atque gemmis: inveniās enim illic rubinos, ſpinellos, ſaphyros, hyacinthos, robaſſos, granatos &c. Ea regna quotidie frequentantes, certò affirmant, regem Peguanum habere Elephantem totô colore candidum, quem tanquam ſacroſanctum ſupplex veneratur, Mos eſt apud Peguanos, ut advenas negotiatores interrogent, quandiu illis hærere velint, qui ſi certum tempus definierint, offerunt illis puellas nubiles complures, ex quibus unam ſibi deligens advena, cum parentibus illius contrahit certô pretiô pro ea retinenda ſecum, donec ibi manſerit; initô contractu, hoſpes puellam domi ſuæ retinet, quæ & ancillæ & uxoris partes obit: elapſô manſionis tempore ſolvit amicis aut parentibus puellæ, quantum ex pacto debet digrediturque bonâ veniâ, puella æque proba & honeſta ac priùs, redit ad parentes, nec ulla ex parte deterior putatur, nec turpior. Quod ſi poſteà puella deſponſetur marito, iſque vel totius regni princeps fuerit, & advena, cum quo prius conſueverat, in eum locum aliquando revertatur, commoraturus ibidem denuo ad tempus, tum iterum petit pactam ſibi priùs puellam tradi, quæ abſque ulla mariti tergiverſatione, & abſque omni infamiæ nota, advenam ſequitur, illique adhæret, quandiu præſens adeſt, quô iterum digrediente, ipſa maritum repetit: Prætereà, ſi quis ſponſus alicujus ſtatus graduſve, vel etiam parentibus nobilibus prognatus fuerit, huic deligunt aliquem ex advenis, ſollicitantes eum precibus, ut primâ nocte cum ſponſa cubare, eamque deflorare dignetur, offerentes illi honorarium ſatis honeſtum, ducentes id magno honori, atque beneficium amplum interpretantes, quòd tantô labore & moleſtiâ per ipſum ſublevati ſint, atque hunc morem non nobiles tantùm, ſed ipſe rex obſervat religioſè. Multi ex Peguanis ad caput pudendi, appendunt nolam unam, alii duas, ſuaviter admodum ſonantes, juglandium magnitudine trajectas inter cutem carnemque, atque ea conſuetudo ex eo invaluit, quòd Peguani Sodomitico peccato ut plurimum ſunt dediti: nolæ itaque appenduntur, ut eô impedimentô interpoſitô, illud tutiùs declinent. Fœminæ & puellæ nudæ incedunt, duntaxat ad pudenda conciſum habentes ſuccinctorium, quod inter eundum in anteriori parte ventilando fatiſcat, detectis ſæpe ex toto ipſis etiam pudendis, quod eò fit, ut viros in ſui amorem pelliciant, hor-

horrendumque Sodomiæ peccatum devitetur. Sunt quidam inter Peguanos, qui filiabus recens natis pudenda filô conſuunt, relinquentes duntaxat foramen admodum auguſtum, per quod veſicam exonerent; adultis deinde & deſponſatis, ſponſus futuram aperit, cultrô peracutô. Vulnus inciſum curant peculiari unguentô. Ejuſmodi mulieri in aula Archiepiſcopi Goenſis locos incidit Chyrurgus. Stirpem ducere Pegufii exiſtimantur, ab Judæis exulibus, qui à Salomone damnati ad Ophirinas aurifodinas erant. Eſt hoc Regnum in India extra Gangem, aliàs ampliſſimum, à quo 20. regna pendebant, nempe Abdiara, Arracanum, Ava, Bacajum, Brama, Cablanum, Canaranum, Caorium, Caſſubum, Cacomæum, Comotæum, Jangoma, Largoræum, Mandranella, Manarium, Marſinum, Moantæum, Pronum, Tanguum, Tazatæum, Tavæum, Tincum, Tipoura, Toræum, Tranſiana & Vilepum, cum regno Peguano. Nunc valde imminutum, & pluries deſtructum à Regibus Arracani, Bramæ, & Tangui, continet tantùm Peguanum regnum proprium cum uno alterove adjacente. Eſtque inter Tunchinum ad Ortum & Arracanum ad Occaſum. Primaria urbs eſt

PEGU, emporium celebre & ſedes regia. Duplex eſt urbs, vetus & nova, cum palatio ſuperbiſſimo Regum, ad fluv. cognominem 80. mill. paſſ. ab ora ſinus Gangetici in Boream, 160. ab Arracano in Ortum. Quibuſdam etiam *Onxa*. *Barboſa*, *Linſchot.* &c. Cœterum, in Regno hoc, quod unum ex ampliſſimis per Indiam fuit, quippe eam univerſam, ad fluv. uſque Gangem, complexum, quidam Præfectus provinciæ Tanguranæ, contra Dominum ſuum, inſurgere cepit, A. C. 1560. ac felici expeditione regno *Peguano* inſuper *Brom*, *Melindai Calan*, *Mirandu*, *Ava*, *Arakan* & *Makin*, ſingula Regna adjecit. Quô ſucceſſu elatior Siamenſe quoque Regnum bellô petiit, cujus cauſam fuiſſe elephantum album, quem Siamenſes Peguenſibus negaverint, refert Hug. Linſchottanus *c.* 17. Sed potentia injuſtè acquiſita perennare non potuit. Primò enim defecit patruus Regis, regno *Ava* præfectus, quem tamen in prælio ſuâ manu interfecit, A. C. 1598. Sequente annô deſcivit Regnum Siamenſe; ac *Peguanum*, ingruentibus undique innumeris calamitatibus, fame, peſte, bellô, ita deſtructum atque deſolatum eſt, ut primô hujus ſeculi annô, per multa milliaria, nil niſi continua hominum cadavera ſpectantibus cum horrore occurrerent. Neque unquam ſimilis accidit integræ gentis internecio, & quæ de Judæorum, ſub Romanis; Hungarorum ſub Tartaris excidio leguntur, levia præ his ſunt. Vide Petr. Jarrigium *Hiſtor. Indiæ Orient.* Ita Regnum tot cladibus vacuefactum pervenit ad Regem Aracanenſem: hodie tamen ita inſtauratum dicitur, ut vix ulla tantæ calamitatis ſuperſit memoria. Georg. Hornius *Orb. Imp. edit.* 2. *p.* 449. 450. Ut de incolarum religione quædam habeas, agnoſcunt illi Deum aliquem ſummum, nomine *Quiay Lacuſa*, i. e. *mille Numinum Numen*; cui haud abſimile Numen incolarum in Aſia cujuſdam regionis, cui nomen *Tinagogo*, ſeu *Deus mille Deorum*, apud Ferdinandum Pinto *Itiner. p.* 296. Nec inficiantur Mundi creationem: Sacerdotes eorum *Grepi* dicuntur, quorum unus de utroque Hominis ſtatu, integro corruptoque, præclarè diſſeruit, præſente modò laudatô Itinerarii Auctore, *p.* 313. alius, de Mundi creatione interrogatus, non aliam Naturæ, quam ex Dei voluntate, originem eſſe, coram eodem, profeſſus eſt. Vide Tobiam Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. Purior. c.* 2. §. 16. *c.* 5. §. 2. & *c.* 7. §. *ult.*

PEGUNTIUM, *Ptol. Peguntia Plin.* urbs Illyrici mediterranea in ora Dalmatiæ, inter Salonas ad occaſum & Epidaurum ad ortum, *Almiſſa*, teſte *Nigrô*, *Baudrando* Urbs Dalmatiæ, in ora maris Adriatici ex adverſo [illegible] Inſul. à qua vix 5. mill. paſſ. diſtat, & 20. à Salonis in Ortum Naronam verſus 55. circiter, ſub Turcis.

PEIBUS Lacus, aliter *Peibas*, partim & ad Ortum eſt in Moſcovia, partim autem ad Occaſum in Livonia, ſub Suecis. In eo aliquot Inſul. & per fluv. *Puddes* in ſinum Finnicum ſe exonerat. Circuitus 120. mill. paſſ. circiter.

PEICHI, curſores Turcici, vide *Curſores.*

PEJERARIUM, vox recentioris ævi, occurrit apud Cyprian. *Ep.* 22. *Saluta Numeriam & Candidam, quæ ſecundùm Pauli præceptum, & cæterorum Martyrum, quorum nomina ſubjicio, Baſſi in* Pejerario, *Mappalici in quæſtione*, *Fortunionis in carcere*, *Pauli à quæſtione*, *Fortunæ*, *Victoris* &c. *qui Deô volente in carcere necati ſunt.* Ubi Pamelius opinatur, *Pejerarium* dici locum tormentorum, in quo multi fideles jam *pejeraverant.* Nec multum feliciore conjecturâ Ludovicus *d'Orleans ad Taciti Annal. l.* 1. & 3. carcerem interpretatur, in quem conjiciebantur ii, qui ſe perjuriô maculâſſent, vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PEIRATUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PEIRERIUS Iſaacus, ſcripſit *Syſtema Theologiæ Præadamiticæ*; in quo Adamô anteriores alios fuiſſe homines, variis rationibus probare contendit: παλινῳδίαν tandem erroris ſui canere adactus &c.

PEIRESCIUS Nicolaus Claudius Fabri, Senator Parlamenti Provinciæ, ingeniô inter primos ſui ſeculi: Philoſophus acutiſſimus, Mathematicus eximius. Obiit Aquis Sextiis, A. C. 1637. In Academia Romana funebri oratione, aliquot Cardinalibus præſentibus, in literatorum panegyri, honoratus. Elogia ejus, linguis quadraginta expreſſa, in uno volumine habentur, cui titulus, *Rangloſſia*, *ſive Generis humani leſſus*, *in funere delitii ſui.* Vide Gaſſendum *in ejus vita.* Buchæum, *Hiſtor. Prov. l.* 1. *c.* 10. Pittonum, *Hiſt. Urb. Aquenſis*, Paul. Freherum *Theatrô Viror. eruditione clarorum.*

PEISIDA, fluv. amplus Tartariæ Moſcoviticæ, trans Obibium. In Oceanum Tartaricum ſe exonerat. Fontes non benè noti ſunt, cùm tractus ille haud pridem à Samojedis, M. Moſcoviæ Ducis ſubditis ſit detectus, eſtque pars Tartariæ deſertæ.

PEISO, lacus Norici in confinio Hungariæ & Auſtriæ, *Neuſidler See. Lazio.*

PEJUM, Toliſtobogiorum in Galatia caſtellum, *Strab.*

PELAGIA, mulier Antiochena, voluptatibus & illecebris primùm deditiſſima. Tandem meliori ſpiritu ducta, aſpernari cœpit, quod anteà amabat maximè.

PELAGIA Inſul. Hiſpaniæ an *Scombraria?*

PELAGIÆ, *Nigro Conigliere*, Inſul. 5. inter Siciliam & Afric. *Tarichiæ.* vel *Phœnicorum* Inſul. *Straboni.*

PELAGIÆ Conchæ, apud Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Miror ipſô tantum gaudere eas cœlô, ſole rubeſcere, candoremque perdere, ut corpus humanum. Quare præcipuum cuſtodiunt* pelagiæ *altiùs merſæ, quàm ut penetrent radii:* ſunt αἱ ἐμβύθιοι, ut *Iſidorus* vocat, quæ in fundo maris ac penetralibus ipſis ſedes habent. Sic Inſulæ πελαγίαι, quæ in alto mari longè à continenti diſtant: *Pelagiæ purpuræ*, quæ in finibus degebant longè à littoribus. *Ariſtoteles* de purpuris, Αἱ μὲν ἐν τοῖς πόλπεις μεγάλαι ϗ τραχεῖαι, αἱ δὲ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς ϗ περὶ τὰς ἀκτὰς, τὸ μὲν μέγεθός εἰσι μικραὶ. *Aliæ in finibus, magnæ & aſperæ; aliæ circa littora mole exiguæ.* Ubi *littorales pelagiis* opponit. *Theophraſtus* quoque marinum fucum & Cretenſem, qui in alto mari colligitur, non in littore, ut alia algarum genera, πελάγιον vocat, &c. At Plinius *Pelagias* quidem dictas ſignificat, quòd in alto mari degerent, circaque ſcopulos leguntur. Hinc paſſim *Pelagium*, pro purpuræ medicamento ponit, cui opponit buccinum. Inter alia *l.* 9. *c.* 40. *Pretia medicamento ſunt quidem pro fertilitate litorum viliora: non tamen uſquam* Pelagii *centenas libras quingentos nummos excedere & buccini centenos ſciant, qui iſta mercantur immenſô.* Sic libræ ſingulæ *pelagii* quinque nummis, buccini nummô unô exponebantur. Porrò buccinum pelagio miſceri ſolitum addit. Ita enim idem *c.* 38. *Buccinum per ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admotum adligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam nitoremque, qui quæritur, cocci.* Dicitur autem *alligari colores*, qui non facilè eluuntur, nec fucum remittunt. Nempè cùm aliàs per ſe colorem non teneat buccinum, admoveri pelagio ſeu admiſceri alligarique conſuevit. *Pelagio* namque propriam nigritiam facit Plinius: Ariſtoteles quoque eas purpuras, quæ in alti maris finibus colliguntur, florem nigricantem ut plurimum habere dicit, Καὶ τὸ ἄνθος αἱ μὲν πλεῖσαι μέλαν ἔχουσιν, &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1133.

PELAGIANI, vide infrà *Pelagius.*

S. PELAGII oppidum, *S. Pelai*, locus Galliæ, in Navarra inferiori, Hadr. Valeſ. *Notit Gall.* in voce *S. Gaudentii Caſtrum.*

PELAGIUS, primus Rex Legionis; ex priſcis Wiſigothis oriundus, aliquandiu Saracenis in Hiſpania dominantibus ſubjectus fuit. Sed ab illis duriter habitus, jugum excuſſurus, Ducem ſe fecit Chriſtianorum, qui in Aſturiæ montibus perfugium habebant. Ab his Rex electus, copiis comparatis, Saracenos vicit, primaque fundamenta jecit regnorum Aſturiæ, Legionis & Oveti, A. C. 717. feliciter imperans, uſque ad A. C. 736. vel 737. Mariana, *Hiſtor. Hiſpan.* Vaſæus *in Chron.* Roderici, ultimi Gothorum Regis, cujus laſciviâ Regnum everſum, cognatus perhibetur. Nomen Regni certum non extat, niſi quòd in montibus Aſturiæ fuit, ſedes quoque Regia certa nulla, in ſpeluncis antriſque primam majeſtatem exercente *Pelagiô.* Sub Alfonſo demum I. cognom. *Caſto*, Regia Ovetum tranſlata, unde dicti *Reges Oveti*: inde ſub Ordonio Legionem migravit, unde dicti *Reges Legionis.* Inſignia Leo aureus in campo rubeo illuſtravit. Sed tota hæc antiqua Hiſpaniæ Regum hiſtoria admodum obſcura, incerta, dubia ac confuſa, ſicut ipſa Regna admodum exilia, donec progreſſu temporis magnam iterum Hiſpaniæ partem Chriſtiani Mauris eripuerunt. Molitus autem eſt *Pelagius* prima hæc Regni in montibus Aſturiæ, Gallæciæ & Cantabriæ, fundamenta, circa A. C. 716. Poſt quem, ſecundum Hiſpaniæ Regnum in montibus Pyrenæis condidit, Garſias Ximenius ſeu Innicus, circa A. C. 724. Georg. Hornius *Orb. Imper. edit.* 2. *p.* 270.

PELAGIUS I. Romanus, Vigilio Pſeudo-Epiſcopo Romano ſucceſſit, A. C. 555. magni æſtimatus à Juſtiniano Imperatore. Hujus tempore Epiſcopus Aquilejenſis, Concil. 5. recipere nolens, diuturni ſchiſmatis auctor extitit. Obiit A. C. 559. Epiſtolæ ejus ſedecim ſuperſunt, Anaſtaſ. *in Pelag.* Baron. *in Annal.* Succeſſit Johannes III. quem, cum Pelagio primo è Græco vitas Patrum diſertè tranſtuliſſe, volunt *Phot. Bibl.* 198. Sigebert. *in Catal. c.* 117. & 118. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 20. Poſſevin. *in appar.* &c.

PELAGIUS *II.* Romanus, Benedictum I. excepit, A. C. 577. fil. Winigili, quod Gothicum nomen. Sine conſenſu Imperatoris electus, quòd Roma à Longobardis tum obſeſſa: hâc liberatâ, per Gregorium Diaconum Tiberium placavit, conſenſu ejus impetratô: *Nil enim tum à Clero, in eligendo Pontifice agi ſolebat, niſi ejus electionem Imperator approbâſſet*, Sigebert. *in Chron.* Epiſcoporum Iſtriæ ſchiſmate tunc Eccleſia ſciſſa, & Johannes Jejunator, Epiſcopo Conſtantinopol. Epiſcopi Univerſalis titulum ſumpſit. Sed reſtitit Pelagius, *ac titulum illum nemini, ne quidem Pontifici Romano convenire*, docuit: Morn. *in Myſt. Iniq.* Obiit A. C. 590. Succeſſorem nactus Gregorium M. Habentur ejus 10. *epiſtolæ.*

PELAGIUS, Patritius, ſub Zenone. Scripſit *Homericum centonem*, *Hiſtoriam*, &c. Ab Imperatore quem crebro à vitiis dehortari ſolebat, relegatus & ſtrangulatus eſt. A. C. 490. Marcellin. *in Chron.* Cedren. *in Comp.* Zonar. *in Annal.* Item Epiſcopus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pus Oveti auctor Hiſtoriæ à Weremundo 2. uſque ad Alphonſum 8. Vaſæus, *in Chron. c.* 4. Item, Benedictinus Hiſpan. Cardinalis & Legatus Honorii 3. in Orientem. A. C. 1213. Mariana *l.* 12. *c.* 4. Spondan. *in Annal.*

PELAGIUS, Hæreſiarcha, A. C. 415. De quo vide ſis Voſſium *de Hiſtoria Pelagiana*, Monachus è M. Britannia oriundus, Scotus an Hibernus? *Serpens Britannicus* proin *Proſpero* dictus. Monachus primô, aliquot annos ſatis laudabiliter vixit, ſecundùm *Auguſtin.* & *Chryſoſt.* qui apoſtaſiam ejus multis lachrymis deflevit: quamvis non idem ſcribant *Iſidorus Peluſiota & Hieron.* Ingeniô ſubtili & acri præditus, magnô animi fervore concionatus eſt, ſtyli elegantiâ & orationis floſculis auditoribus imponens. Philoſophiâ quoque non leviter tinctus inflatuſque, in Impeccabilitatis errorem primùm incidit, credititque cum Stoicis omnimodam ἀπάθειαν. Dein Gratiâ JESU CHRISTI negatâ, viribus Liberi Arbitrii vitam æternam acquiri poſſe, docuit. Horum deliriorum manifeſtus eſſe cœpit primò in Oriente, A. C. 405. Romæ dein: quâ à Gothis direptâ, cum diſcipulo Cæleſtio, in Africam trajecit, inde in Palæſtinam delatus. ubi Epiſtolâ ad Demetriadem exaratâ, & librô *de Natura* editô, Eccleſiæ ſchoſtem apertè profeſſus eſt. Præſulibus Dioſpoli, Palæſtinæ hac de re congregatis adulatus, effecit, ut abſolveretur: irâque omni in Hieronymum effusâ, qui primus contra eum ſcripſerat, *quatuor libris de Libero arbitrio* evulgatis, Auguſtino imponere conatus eſt. Sed ab hoc Viro Dei inſigniter refutatus, à Conciliis Africanis condemnatus, ab Innocentio, Zoſimo & Cæleſtino Epiſcopis Romanis excommunicatus, edictô tandem ſolemni Honorii Imperatoris Româ cum aſſeclis pulſus, in patriam rediit: ubi à St. Germano Antiſſiodorenſi & St. Lupo Trecenſi, convictus & confuſus, in hæreſi periit. Præter jam memorata, negavit Peccatum originale: poſt regenerationem, hominem impeccabilem eſſe, etiam Gratiam meritis quæri aſſeruit, &c. verbô, totus *Pelagianiſmus* nihil aliud erat, quàm *Divinæ Gratiæ*, non tantùm *extenuatio*, ſed *abolitio* ac *negatio*, in cujus locum *Liberum arbitrium* ſubſtituit ac *naturales* hominis *vires*. Unde impium illud dictum, *A Deo habemus quòd homines, à nobis ipſis quòd juſti ſumus.* Itaque à Gratia derivabat nil niſi *ſolum poſſe bonum: velle* autem & *agere* à mero ſuſpendebat hominis arbitrio. Statuebat etiam tres ſalutis vias: *Ante Legem*, homines ſalvos factos *per Naturam* deinde *per Legem:* poſtremò per *Chriſtum:* quare & virtutes Gentilium opera verè bona & Deo placentia judicavit &c. Diſcipuli ejus *Pelagiani*, Conciliô Epheſinô condemnati, plurimos tamen ſectatores habuêre, diverſis temporibus, errorem adeò carni gratum facilè amplexos. Hos egregiè refutavit, hortatu Africæ Conciliorum, Auguſtin. *libris de Remiſſione peccatorum*, *de Spiritu & litera*, *de Gratia J. C. de Peccato Orig. contra Julian. &c.* Vide etiam *c.* 88. *de hæret.* in Occidente verò Hieronymus *libris ad Cteſiphontem.* Quoniam autem Originale peccatum negebant, hinc & *Pædobaptiſmi* uſum non eundem cum orthodoxis agnoverunt: delirantes, *non* baptizari infantes *in remiſſionem peccatorum*, ſed tantùm, *in regnum cœlorum.* Unde & alia quæſtio orta *de Statu parvulorum ſine Baptiſmô Defunctorum*, quibus Pelagiani regnum Dei negabant, conceſſô tamen iis extra regnum Dei ſalutis & vitæ æternæ locô. Vide porrò Proſperum *Carm. de Ingrat.* G. Hornium *Hiſtor. Eccl. cum Notis* Leydeckeri, qui non niſi *Naturaliſmi* fœtum hanc peſtem eſſe docet, ut & in voce *Semipelagiani.*

PELAGIUS Alvares, vel *Alvares Pelagius*, Juris primò Doctor Bononiæ, dein Franciſcanus, diſcipulus fuit Duns Scoti. Pœnitentiarius poſteà Johannis 22. factus, in patria Hiſpania, Epiſcopatum nactus eſt. Hôc uſum Papam contra Occamum, Trithemius refert. Obiit A. C. 1340. Sepultus Hiſpali. Wading. in *Annal. & Bibl.* Willot. *Athen. Gall.* Trithem. *de ſcript. Eccl.*

PELAGO, ſpado Neronis, quem ille centurioni, & manipulo 60. militum, quaſi ſatellitibus, miniſtrum regium, ad patrandam cædem Rubellii Plauti præpoſuit, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 59.

PELAGON, nomen viri. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 360.

PELAGONIA, regio Siciliæ. *Steph.* Alii, ut Plin. *l.* 4. *c.* 10. in Macedonia ponunt, & *Tripolim* dicunt, auctore *Strabone*, quòd *tribus urbibus* conſtaret.

PELAMIS, piſcis è thynnorum genere. Plin. *l.* 9. *c.* 15. *Thynni mares ſub ventre non habent pinnam. Intrant è magno mari Pontum vernô tempore gregatim, nec alibi fœtificant. Cordyla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitantur. Limoſæ verò à luto* pelamides *incipiunt vocari, & cùm annuum exceſſêre tempus, thynni.* Ubi pro *limoſæ*, legunt alii *reverſæ*. Poſt ſexageſimum autem diem, in mare reverſas & illic augeſcentes, *Pelamides* vocari, adnotat Dalechampius *ad loc.* Porrò ex *Pelamide*, cybia parabantur, in formam cubi conciſa, quæ & πηλαμύδες & κύβια vocabantur. Plin. *l.* 9. *c.* 15. *Pelamides in apolectos, particulatimque conſectæ in genera cybiorum diſpartiuntur.* Ubi ἀπόλεκτοι, ſubintellige τόμοι, ſunt grandiores pelamidum partes, quæ in cybia deinde quadrata particulatim concidebantur. *Heſych.* ἀπόλεκτον, ἔκλεκτον. Atque hinc factum, ut fruſtra hæc *pelamides* quoque dicerentur: more Græcorum, qui ſalſamentorum magnorum partes eôdem nomine appellabant, quô piſcem, unde ſumta ſunt, ſic *pelamides* & *cybia* eadem. Ut meritò Salmaſius miretur, Cybium à Plinio inter piſcium nomina referri, *l.* 32. *c.* 11. *Cybium ita vocatur* Pelamis, *quæ poſt quadraginta dies à Ponto in Mæotim revertitur:* cùm *cybium* nihil aliud ſit: quàm quadratum & in teſſeræ formam ſectum ſalſamenti fruſtum. Unde Κυβιοσάκτης, cognomen Ægypti Regis turpiſſimarum ſordium, &c. Largam autem *Pelamidum* capturam circa Byzantinum fretum, hinc Κέρας χρυσοῦν, *cornu aureum*, dictum, ac divitem inde proventum Byzantinis acceſſiſſe, refert *Strabo*, apud Salmaſium *ad Solin. p.* 165.

PELAMYDIUM ſuburbium Conſtantinopolitanum. *Cedreno.*

PELARGI, Græcè Πελαργοὶ, cognominati ſunt διὰ τὴν πλάνην, i. e. *ob peregrinationem* ſeu *errorem*, duo fratres, qui è Tuſcia profecti Athenas venerunt, ibique primi, cùm prius in ſpecubus locisque ſubterraneis homines habitarent, ex lateribus domos condiderunt, Strabo *l.* 9. Plin. illos Euryalum vocat ac Hyperbium, *l.* 7. *c.* 56. Pauſan. verò, *Laterarias domos conſtituerunt primi Agrolas & Hyperbius*, Φασὶ γὰρ Ἀγρόλαν καὶ Ὑπέρβιον κ.λ. habet, *in Atticis p.* 26. Ab his pars Acropoleos, *Pelargicum* dicta, ædificata eſt; cujus meminit Ariſtophanes *Avibus*,

Τίς δ᾽ ἂν καθέξει τῆς πόλεως τὸ Πελαργικόν;
Quis autem incolet Urbis Pelargicum?

Quemadmodum reliquam ejus partem, à fratribus his nudam relictam, Cimon poſteà, Miltiadis filius, clauſit, teſte eôdem Pauſaniâ *ibid.* Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 1. *c.* 2. ut & in voce *Pelaſgia*. Nomen à Græco πελαργὸς, *ciconia*, διὰ τὸ πλάνητας εἶναι καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ᾽ οὓς ἔτυχε τόπους, *quòd vagi eſſent & ciconiarum inſtar in quævis loca oberrarent*, Strab. *l.* 5. Quod Idem repetit *l.* 9, Ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν Πελαργοὶ προσηγορεύθησαν διὰ τὴν πλάνην, *Propter errores* Pelargi *ab Athenienſibus appellati ſunt.* Ciconiam autem migratoriam eſſe avem, docet Petronius ex Publio,

Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.

Vide quoque Plin. *l.* 10. *c.* 33. Solin. *c.* 40. Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 3. *c.* 23. Baſilium *Homil.* 8. Euſtathium *Hexaëm.* Alios. Ex recentioribus ſic de illis Gaſpar Heldelinus, *Idibus Auguſti ciconiæ, juveneſquè ſeneſque, collectô agmine pulcherrimô, iter laborioſum illud pernocte Lunâ ingrediuntur. Priuſquam verò mare trajiciant omnes, quas quidem agri noſtri emiſêre, Atheſim, Galliæ flumen, non ita procul à Sextiis Aquis, vel, ut aliis placet, Seſtianis Aris, nimirum ubi Marius Cimbros ferrô fudit, congregantur. Illic, habitis inter ſe publicis concionibus, commurmurant, exercitum luſtrant* &c. *Cœterùm abituræ Aquilonis ſecundum flatum prudenter expectant, qui ſimulatque pronior incidit, tum, ceu lege prædictâ die, abitum maturant.* Bellonius item, *Cùm circa Abydum eſſem, 24. die Auguſti, ingentem ciconiarum vim conſpexi, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbatur. Volabant illæ à Ruſſia & Tartaria & Helleſpontum agmine decuſſatô longô per tranſverſum trajiciebant. Et cùm ſupra Tenedum eſſent, anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur. Inde priuſquam à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant, & ſe invicem verſus Meridiem ſequebantur*, &c. Alii tamen, apud Etymologum, ſic vocatos Pelargos volunt, διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν, *propter veſtes, quas ferebant, ciconiarum inſtar, nigrô & albô diſtinctas.* Bochart. *Hieroz. Part. Poſter. l.* 2. *c.* 29. Vide & in voce *Pelaſgi*, uti de Ciconiis plura ſuprà.

PELARGICI Nomi dicti, quaſi *Ciconiariæ Leges*, quibus liberi Parentes alere jubentur: id quod in Jure quoque cautum eſt. Vide Budæum *in Annotat.* & ſuprà, in voce *Antipelargia*.

PELARGUS Chriſtophorus, Theologus cum paucis comparandus. Natus Suidniciæ in Sileſia, A. C. 1565. Theologiam Francofurti ad Oderam docuit, Superattendens generalis. Scripſit *Commentar.* in *Pentateuchum* & *Johannem*: *Explicationes in Pſalmos* 16. 22. 29. & *Pſalmos Pœnit. Quæſtiones & Reſp. in Mattheum: Meditationes, in quædam Lucæ loca. Expoſitionem in Acta Ap.* Ὑπομνήματα *in Judam* &c. Obiit A. C. 1628. *Vir in omni antiquitate & literatura verſatiſſimus.* Bergius *in Prax. Cath.*

PELASGIA, regio Græciæ circa extremam partem Macedoniæ, verſus Achajam, olim Theſſalia dicta; à qua *Pelaſgi* populi, quaſi *Pelargi*, quoniam errabundi, ritu *ciconiarum*, per multas regiones iverunt, *Strabone* teſte. Vel à Pelaſgo Jovis filio. *Heſych.* Πελασγοὶ οἱ Θεσσαλοί. Aliquando latiùs extenditur hæc vox, nempe ut univerſos Græcos comprehendat. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 128.

Si mea cum veſtris valuiſſent vota Pelaſgi.

Idem ibidem, *v.* 268.

Quid tamen hoc refert, ſi ſe pro claſſe Pelaſgâ
Arma tuliſſe refert? ———

I. e. pro navibus Græcis. *Strabo* Pelaſgos Græciæ populos vetuſtiſſimos vocat, qui, ut ex *Heſiodo* idem refert, ab Arcadia originem duxerunt, eos quippe è Lycaone natos extitiſſe ait, quem Pelaſgus procreavit. Æſchylus autem *in Danaidibus*, eorum genus ex Argis Mycenarum extitiſſe prodidit: Peloponneſum enim & Pelaſgiam vocatam fuiſſe, teſtis eſt *Ephorus*. Euripides quoque, *in Archelao*, Danaum illum 50. filiarum genitorem, Argos venientem, Inachi urbem habitâſſe commemorat, quique anteà Pelaſgi nominabantur, ut Danai dehinc vocarentur, lege Græcâ ſanxiſſe. Plerique etiam gentes Epiroticas appellavêre *Pelaſgicas*. Lesbos quoque *Pelaſgia* dicta fuit; & habitantibus Troadem Cilicibus finitimos *Pelaſgos* nuncupat *Homerus*. Argos quoque Pelaſgicum Theſſalia dicitur inter eruptiones Penei & Thermopylas, uſque ad montanum Pindi tractum. Jovem quoque Dodonæum idem Poëta *Il.* 16. *Pelaſgicum* vocat. Hi ſub Peucetio, Japyge & Oenotrio in Italiam colonias deduxerunt, ad ripam Padi, in Calabria & verſus ſinum Tarentinum, ſed ſub Pico dein, Aboriginum Rege, Hetruriam incolere cœperunt. Pauſan. *in Arcad. Nic. Lloydius.*

PELASGIA, Inſul. maris Ægæi. vide *Lesbos*.

PELASGICUS Sinus, vide *Pagaſicus*.

PELASGIOTÆ, populi fuêre Theſſaliæ, quorum provinc. *Pelaſgiotis*, erat inter Pieriam ad Boream, & Theſſaliotidem ad Meridiem, uti & Magneſiam ad Ortum verſus Peneum fluv. Urbes fuêre Lariſſa, Scotuſa, Gonnus, & Atrax.

PELASGIS, Ceres dicta eſt à *Pelaſgo* Dryopæ filio. Palæphat.

PE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PELASGUS, Rex Sicyoniorum 25. annis ferè ante Urb. Cond. 430. Vide quoque *Pelaſgia*. Addo, quòd hunc Templorum quidam repertorem ferunt; Namque *vel* Pelaſgo, *vel Theſſalo*, *vel Eleuthero*, *vel Phoroneo*, *vel Otritæ Amazoni*, *vel Lycaoni*, inventi hujus gloriam tribuit Julius Hyginus *Fab. c.* 225. ſicut *Jano* id adſcribit, Xenon apud Macrobium *Saturnal. l.* 1. *c.* 9. & Q. Fabius *de Aureo ſeculo l.* 1.

Templorum poſitor, templorum ſancte refector.

Contrà *Pelaſgos*, mortalium primos, Saturnum victimis placâſſe humanis, refert Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 16.

PELE, nomen 2. civitatum Theſſaliæ, quarum una Eurypylo, altera Achilli parebat. *Steph.*

PELE, parva inſula quædam. *Steph.*

PELECANUS vel PELICANUS, Hebr. קאת *Kaath*, à *vomitu*, quia conchas jam abſorptas revomit, poſtquam calore ventris apertæ ſunt, ut ex iis eſculenta legat: avis eſt, onocrotalo adeò ſimilis, ut etiam doctiſſimi ambas has non raró confundant. In his Oppianus *Ixeutic.* ubi πελεκίνῳ tribuitur κόλπος, *ſinus* quidam ante pectus dependens, in quem cibum omnem aliquantiſper recondat. Et Bellonius *de Avibus l.* 3. *c.* 2. ubi *Pelicanus*, platea, & onocrotalus, pro eadem ave, ſumuntur. Eadem ab ardea ſolô roſtrô differt, quod in extremo latius habet, & in cochlearis formam. *Geſnerus. Videtur ſanè mihi pelecanus noſter ardearum generi adnumerandus: à quo non tam aliò inſigni, quàm roſtri latitudine, differt.* Item, Albertus, *etiam avem, quam cochleariam vocamus* (i. e. Pelicanum) *ardeam albam eſſe putavit.* Aquatica eſt & longô ſimiliter collô: At quorſum, inquies, in deſertis ponitur, cùm dicitur in Pſalmo 102. *v.* 7. *Similis factus ſum* τῷ Kaath *deſerti.* Et Eſaj. *c.* 34. *v.* 11. *Et poſſidebunt illam* Kaath *& ericius.* Sophon. item *c.* 2. *v.* 14. *Etiam* Kaath, *etiam hericius in tabulatis ejus*: in quibus locis agitur de deſolatione Idumeæ & Aſſyriæ. An aquaticis avibus, quales ſunt *Pelicanus* & ardea, rectè aſſignatur ſedes in locis deſertis & inaquoſis? Sed non omne deſertum inaquoſum eſt, Namque & in Marmaricæ intimis, quæ regio maximè deſerta eſt, ponuntur à *Ptolemæo* Cleartis palus, Lacci palus, Lycomedis palus, & in Arabiæ deſertis, inciderunt Iſraëlitæ, in aquas *Mara*, & fontes *Elim*, Exod. *c.* 15. *v.* 23. 27. Philoſtorgon verò inprimis hanc avem eſſe prodiderunt non pauci, inter quos varii Eccleſiæ veteres Doctores narrant: occidere natos ſuos, eoſque per triduum lugere, deinde ſeipſam roſtrô vulnerare, & ſanguinis ſui aſperſione revocare ad vitam. Epiphan. *Phyſiol. c.* 8. Ἔστι γὰρ ἡ πελεκᾶν φιλότεκνον ὄρνεον παρὰ τὰ ὄρνεα, *Præ omnibus volucribus* pelecanus *prolis eſt amans.* Addit, parvulos à matre nimiis oſculis ſauciatos emori, ſed poſt triduum marem accedere, qui doloris impatiens proprium latus percutiat, & ſanguine inde emanante pullis vitam reſtituat. Idem Euſtathius *d. l.* narrat, niſi quòd apud illum parens pullos occidit, & mater apertô latere eoſdem exſuſcitat. Similiter Auguſtin. in *Pſalm.* 101. Iſidor. *Origin. l.* 12. *c.* 7. Petrus Damian. *l.* 2. *Ep.* 18. Vincentius *in Doctrinal. l.* 16. *c.* 166. Mich. Glycas *Annal. l.* 1. Alii: qui omnes *Pelecanum* nobis exhibent acutô roſtrô ſauciantem pectus aut latus & pullos magnô hiatu effluentem inde ſanguinem excipientes. Sed impoſuit Viris ſanctis, quiſquis primus hanc fabellam mendaciô ſuô adornavit: cùm in Philoſophorum libris, qui de rerum natura ſcripſerunt accuratiùs, tam inſignis miraculi veſtigia nulla ſint. Ut taceam, reſurrectionem eſſe ſupra naturæ vires: & *Pelecanum* non eſſe adunci roſtri, ſed latiſſimi, à quo *platea* illi Latinum nomen, &c. Plura vide apud laudatum ſuprà Bochart. *Hieroz. Part. Poſt. l.* 2. *c.* 24. & 25. adde Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 80. 83. & 84. & quæ infrà potiori jure dicemus de Vulturum φιλοστοργίᾳ, voce *Vultur.*

PELECES, urbs Lybiæ. *Steph.*

PELECUS, Libyæ Urbs, *Steph.*

PELEG, ſive PHALEG, fil. Heber, pater Reu. Gen. *c.* 10. *v.* 25. Linguarum diviſio ſub tempus nativitatis ejus contigiſſe creditur. Ita ſentiunt doctiſſimi interpretes, *Mercerus* & *Pererius*. Nomen igitur *Phaleg* non ex futuro eventu fuit inditum, ſed ex eo, quod jam factum, & præteritum fuerat. Nam quia proximè poſt linguarum diviſionem, Heber genuit filium ſuum primogenitum, idcirco è re illa tam memorabili nomen filio impoſuit. Rectè itaque Flavius Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. Ἐκλήθη δὲ Φάλεγος, inquit, ἐπειδὴ μετὰ τὸν ἀποδασμὸν τῆς οἰκήσεως ἐτέχθη.

PELENARIA, civitas in ſinu Troglodytico, ex Africæ latere non procul à Pindis. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PELENDONES, Hiſpaniæ Tarraconenſ. populi in Caſtella veteri. Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Medina Celi Pineto* eſt. Aliis inter Calagurrim ad Boream & Numantiam ad Auſtrum, ſeu inter Vaſcones & Arevacos. Eorum Urbes fuêre Auguſtobriga, Savia, & Numantia; quanquàm hæc ultima aliis ſub Arevacis. Eorum tractus nunc eſt pars Caſtellæ veteris, verſus fontes Durii & limites Arragoniæ, prope montem Caunum, *Baudrand.*

PELESTINI, populi Umbriæ, inter Eugubium & Tifernum, quorum locus adhuc *Pieſteja*, *R. Vitio*: ubi Publicum oppid. *Piobico*, intra montes, Comitatus. à Caſtro Durantis 7. mill. paſſ. à Tiferno Tiberino 12.

PELETHI & Cerethi, memorantur, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 18. & 1. Paralip. *c.* 18. *v.* 17. ubi *Benajas*, *filius Jejodæ*, dicitur fuiſſe, *ſuper Pelethi & Cerethi.* Per quæ verba ſunt quidam, qui ſanctiſſimum illud Oraculum *Urim & Thummim* denotatum velint. Rabbini, annotante Levi Ben Gerſon *ad* 2. *Sam.* 8. de Synedris ſeu Synedrio Magno, interpretantur; eoſque ajunt dictos *Cerethi*, *quia verba ſua præſcindebant ſeu breviter juſſa pronuntiabant*, *Pelethi autem*, *quia excellebant in factis ſuis.* Alii verò, inter quos Chaldæus Paraphraſtes, de ſatellitibus regiis, ſagittariis & funditoribus has voces capiunt: qui lecti videntur, è Peliſthæis ſub jugum à Davide redactis, inter quos etiam *Cerethitarum* mentio eſt, 1. Sam. *c.* 30. *v.* 14. Ad minimum Sagittarii fuêre periti; à qua peritia *Cerethorum* nomen fortè ortum 1. Sam. *c.* 31. *v.* 3. & 2. Sam. *c.* 1. *v.* 18. (quemadmodum etiam Creta Inſul. à Phœnicibus, qui eò colonias miſerunt, hinc appellata videtur: nota enim apud Veteres *Cydonia ſpicula*, *Cnoſſius arcus*) Et Funditores accurati, *Pelethi* proin dicti, uti Baleares quoque Inſulæ, ob eandem peritiam, à Phœnicibus id nominis fortè nactæ ſunt. Burmannus, *ad* 2. *Sam. c.* 8.

PELETHRONIA Vallis, ad radices Pelei montis. Ibi Æſculapius Draconem Pellæum educâſſe fertur: ad quem accedebant reſponſa petituri. *Lucian. Pauſan.*

PELETHRONII, Lapithæ à *Pelethronio* oppido Pelio monti ſubjecto ſic dicti. Hi primi omnium frænorum uſum inveniſſe dicuntur, & equorum domandorum artem. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 115.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedêre
Impoſiti dorſo; atque equitem docuêre ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Aliter autem Plinius, *l.* 7. *c.* 56. ubi *Pelethronium* virum quendam nominat, qui primus ſtrata equorum, & frænos invenerit. Et, ut videas, inquit *de la Cerda*, nihil in hac re firmum: Lyſias gravis orator, ἐν τῷ λόγῳ ἐπιταφίῳ ita ait, loquens de Amazonibus: Πρῶται δὲ τῶν πάντων ἐφ' ἵππους ἀνέβησαν. Ideoque forſan Pindarus illas εὐίππους vocat *Od.* 8. *Olymp.* Quin Plinius ibidem primam gloriam equitationis Bellerophonti tribuit. Et Ælian. *l.* 9. *Var. Hiſt. c.* 16. viro cuidam Italo, quem ſcribit nominatum fuiſſe Marem, de quo Itali ipſi fabulabantur, fuiſſe anteriore parte hominem, poſteriore equum. Quem vulgi ſermonem ita explicat author: Δοκεῖ δέ μοι πρῶτος ἵππον ἀναβῆναι, καὶ ἐμβαλεῖν αὐτῷ χαλινὸν, εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πιστευθῆναι. Sophocles *in Oedipo Colon.* inventionem fræni Neptuno tribuit, ſaltem in Attica. Ad quam opinionem alluſit Papinius *l.* 6. *Theb. v.* 303.

—— Neptunus equo, (ſi certa priorum
Fama) patet, primus teneris læſiſſe lupatis
Ora, & litoreo domitaſſe in pulvere fertur.

Palæphatus autem *c.* 1. & plerique alii hoc inventum Centauris attribuunt; πρότερον (inquit) γὰρ οὐκ ἠπίσταντο ἐφ' ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἅρμασιν ἐχρῶντο. Hoc placitum Virgilio ubi ſupra, & meritò. Juvant enim ejus ſententiam verſus iſti Manilii *Aſtronomic. l.* 4.

At quibus in biſero Centauri corpore ſors eſt
Naſcendi conceſſa, libet conjungere currus
Ardentes & equos ad mollia ducere fræna.

Nic. Lloydius.

PELEUS, Æaci & Æginæ fil. qui ex Thetide genuit Achillem qui *Pelides* inde dicitur. Caſtiſſimus ſui temporis mortalium fuit. Amatus ab Hippolyta Acaſti uxore, & ad ſtuprum ſollicitatus cùm adduci non potuiſſet, ab eadem, tanquam inſidiator pudicitiæ ſuæ, apud virum accuſatus fuit. Quod edoctus Acaſtus Peleum in ſolitudinem eduxit, nudatumque armis, feris objecit, recedenſque dixiſſe perhibetur; Si innocens es, ſervaberis. Cùm jam à feris periturus eſſet, Dii ipſi gladium à Vulcano fabrefactum, per Mercurium, ſubjecerunt; quô periculum evaſit. Narratur & fabula hôc modô: *Peleus* in Patria, cum Telamone, fratrem Phocum dolô interemit, confugitque ob id Phthiam, ad Eurytum filium Actoris à quo fuit expiatus. Ibi, cùm in venatione Calydonii apri, forte fortunâ Eurytum obvium occidiſſet, rurſus exulavit in Jolco, apud Acaſtum atque ab ipſo purgatur. *Aſtydamia* verò, Acaſti uxor, illicitô hoſpitis amore ſuccenſa, perſuadere eidem conatur conſuetudinum ſtupri. Quô non obtentô, ob continentiam Pelei, calumnias intendit, tanquam pudicitiam ſuam tentâſſet. Maritus à ſe expiato veritus manus inferre, ſecum in Pelion venatum ducit ac ſomno oppreſſum deſtituit, gladiô illius in fimo bubulo abſconditô. *Peleus* expergefactus, non inventô enſe, videt ſibi à Centauris exitium inſtare: ſed ſervatur à Chirone, ab eoque repertum gladium recipit. Quod autem Thetis nupſiſſe dicitur Peleo, illud ad connubium Maris & Terræ pertinet. Nam Πηλεὺς à πηλὸς lutum; quò etiam reſpexêre olim, cùm dicerent; Μὴ δεῖν τὸν Οἰνέα Πηλέα ποιεῖν: *Oenea non convertendum eſſe in Pelea.* Nimirum Οἰνεὺς & Πηλεὺς, heroum nomina, ponuntur pro οἶνος vinum, & πηλὸς lutum: Ut ſententia ſit, cavendum eſſe pincernæ, ne vinum effundat in terram, atque ita lutum faciat, quemadmodum ex Athenæo, Demetrio, Euſtathio, *in Orat. Inſtitut. l.* 4. *c.* 6. retulit Voſſius. Quem vide *de Theologia Gentili*, *l.* 2. *c.* 79. *Nic. Lloydius.* Cœterùm ei, ut & Chironi, Pellæos in Theſſalia ſacrificâſſe hominem, docet Clemens Alexandrinus *Admonit. ad Gentes.* Quemadmodum in Macedonia Æneatæ coluêre Æneam, apud Liv. *l.* 40. *c.* 4. Stagiritæ agitabant ἑορτὴν Ἀριστοτέλειον, in memoriam civis ſui Ariſtotelis, cujus hortatu ac ſuaſu urbem eam inſtauravit Alexander M. Cherſonitæ feſtum inſtituerunt Miltiadi, apud Herodotum *l.* 6. &c. Vide Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progr. Idolol. l.* 1. *c.* 13.

PELIA, Tuſciæ amnis Catoni *in Originibus*: *Paglia* hodie *Leandro* ex Viterbienſi.

PELIALA, urbs Meſopotamiæ, *Ptol.*

PELIAS, *liæ*, fil. Neptuni & Tyrûs, Salmonei Regis filiæ, frater Æſonis, magnam Theſſaliæ partem ditione tenuit. Filium habuit Acaſtum, qui Argonautas comitatus eſt, ſecundùm Apollonium & Valerium. Orpheus nullam de Acaſto mentionem facit. Diodorus quoque *l.* 5. maſculis filiis Peliam caruiſſe ſcribit. Filias habuit *Alceſtin. Amphinomen & Evadnem*, de quibus idem *eôdem librô.* Habuit & *Peloſeam*, de qua Apollonius in

I. Is cum ſortem accepiſſet ſe illius manibus moriturum, quem alterô pede nudô ad ſe venientem vidiſſet, omnibuſque Diis Junone exceptâ ſolemnia fortè ſacra faceret, *Iaſon* ad ſacra feſtinans Junonem Deam ſub vetulæ ſpecie in Anauri ripa invenit. Eam Iaſon humeris acceptam tranſvexit, alterô calceô ſub torrentis cœno relictô, ſicque ad Peliam adiit. Eô viſô rex oraculi admonitus cogitare cœpit, quô pactô illi mortem moliretur. Cumque intelligeret, nullâ eâ tempeſtate rem eſſe majoris periculi, quàm vellus aureum, quod in templo Martis apud Colchos erat, nepoti perſuaſit, ut ad id rapiendum eò proficiſceretur, auxilium opeſque ſuas pollicitus. Quod tamen conſilium tantum abfuit, ut illi ex ſententia ſucceſſerit, ut aureô vellere potitus Iaſon, magna cum gloria in patriam redierit: Pelias autem tandem filiarum ſuarum manibus interfectus eſt, idque inſtinctu Medeæ, quæ integræ ætati ſe illum reſtituturam ſimulabat. Ovid. *Met. l.* 7. Val. Flac. *Argon. l.* 1. *v.* 22.

Æmoniam primis Pelias frænabat ab annis
Jam gravis, & longus populis metus, illius omnes
Ionium quicunque petunt: ille Othryn & Æmum,
Atque imum felix verſabat vomere Olympum.

Nic. Lloydius.

PELIAS, Inſul. circa Drepanum, nunc *Colombana di Trapani Wolfio.*

PELIAS, *adis*, Achillis haſta, quam nemo præter Achillem ob magnitudinem vibrare poterat. Hanc à Pallade decorticatam & politam, à Vulcano cuſpidatam fuiſſe ferunt. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 109.

——— *Nec non oneroſa graviſque*
Pelias haſta poteſt imbellibus eſſe lacertis.

Idem *Ep.* 3. *Heroid. v.* 126.

Tranſeat Hectoreum Pelias haſta latus.

Homer. *Il.* Π. *v.* 854.

Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο,
Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν
Πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς.
Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.

Lloydius.

PELICERIUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PELIGNI, populi in 4. regione Italiæ, Marſis finitimi, quorum caput fuit Sulmo, Ovidii patria, teſte ſeipſô *Ponticor. l.* 4. *eleg.* 14. *v.* 49.

Gens mea Peligni, regioque domeſtica Sulmo.

Marſis fuiſſe conterminos, vel ex hoc Cæſaris patet loco, *Belli Civilis l.* 1. *c.* 15. *Domitius ipſe circiter* 20. *cohortes Albâ ex Marſis & Pelignis, & finitimis regionibus coëgerat.* Samnitibus etiam vicinos fuiſſe Livius teſtatur; *l.* 26. ubi de Annibale: *Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe.* Eos inter Μικρὰ ἔθνη numerat Strabo *l.* 5. Nomen eorum quod attinet, mirum in modum apud Græcos auctores, Diodorum atque Appianum corruptum legitur. Apud priorem *l.* 20. in Xenippi Athenienſis magiſtratu exſcriptores fecêre Παλινίους, & in Phereclis magiſtratu Παλληνεῖς. Apud poſteriorem *Civ. l.* 1. Μαγλῖνοι. Feſtus Pelignos ex Illyrico ortos fuiſſe tradit. A Sabinis verò originem eorum ducit Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 95.

Et tibi cum proavis; miles Peligne, Sabinis
Convenit. ———

Apud hos peſſima vina naſcebantur. Martial. *l.* 1. *epigr.* 27.

Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Uva nec in Tuſcis naſcitur iſta jugis.

Idem *l.* 13. *epigr.* 121. Cujus Lemma *Pelignum*,

Marſica Peligni mittunt turbata coloni,
Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.

Nic. Lloydius.

PELIGNIANUS, Conſul cum Pomponio, an. Urb. Cond. 983.

PELIGNUS Julius, olim Claudio familiaris, cùm privatus converſatione ſcurrarum iners otium oblectaret, ignavi animi & deridiculô corporis juxta deſpiciendus; poſteà Cappadociæ Procurator, Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 49.

PELINÆUS, mons Chii altiſſimus eſt. Ita Strabo *l.* 4. Πελιναῖον ὄρος ὑψηλότατον τῶν ἐν τῇ νήσῳ. Ælian. ſcribit Πελινναῖον, *l.* 16. *de Animal. c.* 39. Ita etiam Pindari Scholiaſtes *Pyth.* 10. Unde Πελινναῖος ὁ Ζεὺς ἐν Χίῳ apud *Heſychium*, & *Phavorinum.* Hinc in Dionyſio pro eo quod vulgò legitur.

Καὶ Χίος ἠλίβατος Πελληναίου ὑπὸ πέζαν.

reſcribendum, ἠλιβάτοιο Πελινναίου. Ita enim legiſſe Avienum docet verſio:

Tumque Chius patulæ proſpectans arva Pelinnæ.

Sub hoc monte vetuſtiſſimæ Chiorum hiſtoriæ referunt, quondam latuiſſe draconem μεγέθει μέγιστον, portentoſæ magnitudinis, qui inſulares aliquandiu territavit ſibilis ſuis donec incendiô abſumeretur. Rem narrat Ælian. ubi ſupra. A dracone tam immani Chii mons, quem diximus, Phœniciô ſermone vocatus eſt פליא נחש *Peli naas*, i. e. *ſtupendi* ſerpentis, Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 9. *Nic. Lloydius.*

PELINNA, urbs Theſſaliæ in Phthiotide, à *Pelina* Ocehalei filio dicta.

PELINNÆUM, oppid. Macedoniæ erat, in finibus Athamanum, Limneæ oppid. proximum, à M. Acilio Conſule Philippo Regi ablatum, Liv. *l.* 6. *dec.* 4.

PELION, Theſſaliæ mons Oſſæ & Olympo attiguus, in ſinum Pelaſgicum incumbens, verticem habens pineto, reliquam partem querneô nemore tectam. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 381.

Pelion Æmoniæ mons eſt obverſus in Auſtros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.

Altum vocat Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 93. 94. *Ingentem* Statius *l.* 1. *Achilleid. v.* 151. Homer. *Il.* β. *v.* 632. 757. Πήλιον εἰνοσίφυλλον appellat. Ornis etiam abundare hunc montem teſtatur Val. Flac. *l.* 1. *v.* 406.

Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.

Hîc Pelium nemus apud Quintil. hodie *Petras* Tzetzæ. Hinc *Pelius* adjectivum. Cicer. *pro Cœlio c.* 8. *ex veteri poëta:*

Utinam ne in nemore Pelio.

Item *Peliacus.* Catullus *Epigr.* 65. *v.* 1.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

Item Thuſciæ mons, apud montem Tuniatum; ex quo Pelia fluv. Item urbs Theſſaliæ, & alia Illyriæ, *Steph. Idem Lloydius.*

PELIUM, oppid. Macedoniæ, in finibus Daſſaretum, à Romanis captum, Liv. *l.* 1. *dec.* 4.

PELLA, colonia & urbs Macedoniæ in Emathia, inter Berrhœam & Lariſſam, natalibus Philippi & Alexandri M. clara. *Jeniza Sophiano.* In Botiæa tractu, *Zuchria* hodie, *Nigro*; ampla, vix 12. mill. paſſ. ab ora Thermaici ſinus in Occaſum, Edeſſam verſus 28. uti à Theſſalonica in Afric. 35. à Pydna in Boream, inter oſtia Erigonis & Ludiæ fluv. Nunc Græcis τὰ παλατίσια, i. e. parva Palaſia; & eſt locus, ſub ditione Beroënſium, ubi quotidiè marmora, & regiarum ædium fundamenta eruuntur. Hîc Regiam Philippi & Alexandri fuiſſe incolæ credunt. *Jenizza* autem; ſeu melius *Janizza* eſt novum oppid. à Turcis primùm excitatum, 8. horis à Berrhœa, Turcis *nova civitas* ſignificans, Critopolus. De ea Lucan. *l.* 10. *v.* 52.

Exigua ſecura fuit Provincia Pella.

Hinc *Pellæus.* Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 168.

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.

Martialis *l.* 9. *epigr.* 44. *v.* 7.

Hoc habuit numen Pellæi menſa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe jacet.

Idem Lloyd.

PELLA, vel PELLE, præclara Palæſtinæ in Cœleſyria, trans Jordanem civitas eſt, Epiſcopalis in tribu Manaſſe & quidem una ex undecim toparchiis Judææ, inter quas ordine ſeptima recenſetur. Sita autem eſt, partim in Decapoleos, partim in Perææ regionum confiniis. Nam ab Auſtro quidem Decapoleos, à Septentrione verò Perææ regionis terminus eſt. Aquis diverſis emanantibus locis hæc civitas dives eſt: eique regio fertilis adjacet, in qua multa caſtella ſunt. Eò omnes Chriſtiani, cùm à Romanis obſideretur Jeruſalem, divinô oraculô moniti, ſe receperunt, Euſeb. *l.* 3. *c.* 5. & 11. *Pella* item in Theſſaliâ & quarta in Achajâ, teſte *Stephan.* qui primam à *Pella* conditore dictam ſcribit, Strab. *l.* 16. Plin. *l.* 4. *c.* 10. &c. *Bunomos* quondam & *Bunomia* dicta, teſte *Herodotô*, *Pellæa gula*, apud Martialem pro Ægyptiacâ Alexandrinâ, ab Alexandro Pellæ Macedoniæ nato, qui Alexandriam condidit *l.* 13. *epigr.* 85.

Princeps Niliaci raperis, Coracine, macelli:
Pellææ prior eſt gloria nulla gulæ.

PELLA, mons Æthiopiæ.

PELLACONTA, fluv. Mediæ ad oram Arabiæ, qui Buram oppidum præterfluit, Plin. *l.* 6. *c.* 26.

PELLÆUS, pagus Babyloniæ, ſeu Chaldææ apud Characem oppid. & Oſtia Tigridis & Teredonem urbem.

PELLAON, Adriatici, ſeu Veneti ſinus oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 19.

PELLANA, ſeu PALLENA Diodoro, *Pellene Polybio*, quæ & *Tripolis*, oppid. Laconicæ in Peloponneſo in Arcadiæ confinio à Plinio *l.* 4. *c.* 6. in ipſa Arcadia ponitur, ubi *Pellanius fons.*

PELLE nudandi holocauſtum ritus, occurrit, Levit. *c.* 1. *v.* 6. *Et nudabit* pelle *holocauſtum & illud fruſtatim concidet.* Nempe poſt victimæ jugulationem ſequebatur excoriatio, & diſſectio. Ut *Il.* α. *v.* 459.

——— καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
Μηρούς τ' ἐξέταμον ———

Vide quoque Dionyſ. Halicarn. *l.* 7. & Apollonium *Argonautic. l.* 1. Quod tamen in holocauſtis non ſemper obſervatum eſt, ut quæ cum ipſa *pelle* in ignem nonnunquam conjiciebantur. Unde Plut. *Sympoſ. l.* 6. *Problem.* 8. de tauro Bubroſti Deæ oblato, Κατακόψαντες αὐτόδορον ὁλοκαυτοῦσιν, *Percuſſum eum cum ipſa pelle in holocauſtum offerunt.* Et Lucianus *de Sacrificiis*, Ἐπὶ πᾶσι δὴ πῦρ ἀνακαύσας, ἐπέθηκε φέρων αὐτῇ δορᾷ τὴν αἶγα, καὶ αὐτοῖς ἐρίοις τὸ πρόβατον, *Igni poſt omnia accenſo, capram cum ipſa pelle allatam, & ovem cum ipſis lanis imponit.* Ita in Sacrificiis pro peccato, juvenci pellis cremabatur una cum carne, ſed extra caſtra Exod. *c.* 29. *v.* 14. Levit. *c.* 4. *v.* 11. 12. & *c.* 8. *v.* 17. ut & pellis vaccæ rufæ, Numer. *c.* 29. *v.* 5. At holocauſti *pellem* ſervari voluit Deus & Sacerdoti dari, Levit. *c.* 7. *v.* 8. unde Sacerdotum fuit, excoriare victimas. Ita tamen, ut iis Levitæ adeſſent, ſi res exigeret, 2 Paralip. *c.* 29. *v.* 34. & *c.* 35. *v.* 11. &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 33. & ſuprà ubi de *Excoriatione*, ac *Holocauſto.*

PELLENÆUS, vide PELINÆUS.

PELLENE, ſeu PELLINA *Stephano*, *Taracha*, & *Tacharo* aliis, incolis *Diacopton*, aliis *Tarſo*, oppid. Achajæ in Peloponneſo, à ſinu Corinth. 60. ſtad. in Auſtrum recedens, inter Phliuntem & Buram. Hujus lanæ nobiles ab antiquis habebantur, ex quibus lacernæ fiebant, quæ in ludis & certaminibus Junoniis victoribus locô præmii dabantur, authore *Juliô Polluce*: Unde proverbiô *Tunica Pellenica*, vel *Pellenæa* apud *Suidam*, de ſplendida veſte dicitur.

PELLES, pro *mantica* ſeu pera viatoria, Italis vulgò *Valliſia*, quòd è *pellibus* conficeretur; Paulus *in l. de Tapetis.* Vide Turneb. *Adverſar. l.* 13. *c.* 3. Pro *tentoriis* paſſim, ut dictum ſuô locô: cujuſmodi *pelles* per decades venundari conſueviſſe, diſcimus ex Treb. Pollione *in Claudio*, *c.* 14. *Herbarum, quantum ſatis eſt, pellium tentoriarum decurias triginta, mulos annuos* &c. Videtur autem decuria una ad tentorium unum ſuffeciſſe, ideoque hôc nume-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

numerô vendi emique ſolitas. Sed & aliæ res multæ per decurias ſimiliter venundatæ apud Auctores occurrunt. Sic decades chartarum, apud Anaſtaſium *in Sylveſtro*: *Chartas decadas centum & quinquaginta*: *aromatum libras* cc. &c. Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Pollionem*. Vide quoque infrà in voce *Pellis*.

PELLETARIUS Jacobus, Cœnomanenſis, Medicus & Mathematicus inſignis, ſcripſit complura, quorum catalogum *in Elogiis* exhibet Anton. Teiſſier *Part*. 1. *Critica* ejus elegans & erudita *in Ciceronem*, *Virgilium* & *Horatium*, lucem nondum vidit. Obiit Pariſiis A. C. 1582. ætat. 65. Vide *Scaligerian*. Sammarth. *Elog*. Voſſium *de Scient. Mathem. p.* 65. la Croix du Maine *Biblioth*. Paſchaſium *Ep. l.* 8. &c.

PELLEX, antiquis propriè ea dicta eſt, *quæ uxorem habenti nupſit*, Feſt. ut *Concubina*, quæ cœlibi viro, ſine nuptiis cohabitat, Freinshemius *Not. ad Curtium l.* 3. *c.* 3. Huic pœnam conſtituit Numa, Lege hâc: *Pellex. aram. Junonis. ne. tangito. ſi. tanget. Junoni. crinibus. demiſſis. agnum fœminam. cædito.* Cujus unius legis reliquias, ex toto Jure Papiriano, extare in libris Juriſconſultorum, apud Paulum aſſerens Jac. Rævardus *l. de Auctoritate Prudentum*, ibi ſic ſcriptum eſſe ait: *Gravius Flaccus in libro de Jure Papiriano ſcribit, Pellicem nunc vulgò vocari, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat. Et hanc legem ſic interpretatur, Pellex aram Junonis ne tangito, i. e. Pellex nulla viro uxorem habenti nubito: ſi nupſerit, crinibus demiſſis, quod triſtitiæ ſignum erat, Junoni agnum fœminam cædito ſive mactato.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5. Unde colligit Gellius *l.* 4. *c.* 3. Pellicem appellatam, probroſamque habitam eam, quæ juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipiove alia matrimonii causâ foret. Junonem autem talis, non Venerem, infeſtam habebat: quia Venus ad quoſvis concubitus, etiam lege vetitos, ſe extendebat, imò Numæ temporibus necdum nomine nota erat Romæ, unde *ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut cœterorum cœleſtium, laus celebrata*, Cincius apud Macrobium *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. Juno verò nuptiarum Præſes cenſebatur. Ovid. *Ep. Hypſipyles*, 6. *Heroid. v.* 43.

Non ego ſum furtim tibi cognita, pronuba Juno
Adſuit. ———— ————

In hujus itaque honorem cùm comere capillos ſolitæ eſſent mulieres, juxta illud Tibulli *l.* 4. *Eleg.* 6. *v.* 3.

Lota tibi eſt hodie, tibi ſe lætiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos:

magnum probrum erat *demiſſis capillis*, ad aram ejus, adſtare, Anton. Thyſius JC. *Notis in Gellium loc. cit.* Et hujus rei rationem adſcribit Voſſius prudentiæ Regis Numæ, qui nullum agnoſceret concubitus Numen, niſi legitimi cui Juno præeſſet. Nam, ut conſtat ex Dionyſii *Antiquitat. l.* 2. nec Romulus, nec Numa, admiſêre Græculorum fabulas, de commerciis Immortalium cum mortalibus, quibus homines ad fœdam poſſent libidinem concitari: Poſteà tamen, lapſis in deteriora moribus, Veneris Romani recepêre nomen. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progr. Idolol. l.* 2. *c.* 27. Nomen quod attinet, dici vult Gellius, quaſi πάλλαξ, *i. e. quaſi* παλλακὶς: ſed ab inuſitato verbo *lacere*, quô Lucretius utitur haud ſemel, propiùs deduxeris. Hinc enim *pellicere*; unde *Pellices*, quæ amatoriis verbis alienos ad ſe pellicerent viros. Et ex eodem fonte *pellacem* Ulyſſem dixit Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 90. & *pellacia* ponti, Lucretius. *l.* 2. *v.* 559. Sunt tamen, qui à *pellendo* dictam *Pellicem* malint, quòd legitimam uxorem, pro virili, à Marito pellat. Tria enim cùm ſint conjunctionis nomina, apud Juris Auctores alioſque, *Uxor*, *Pellex*, *Amica*, horum unicum eſt nomen dignitatis, *Uxor*. αὕτη ἡ ἀμίαντος κοίτη, *Hoc impollutum cubile*, reliqua nomina voluptatis ſunt, ſed cum aliquo tamen diſcrimine. Nam honeſtior *Pellex* eſt, ut quæ propiùs accedat ad uxoris naturam. Eſt enim παλλακὴ פלגש Hebræorum, quaſi *legitimæ conjugis dimidium*, & ut dicunt ipſi, אשא פלג. Balſamon Conciliorum Interpres, Παλλακὴ δέ ἐστιν ἡ νομίμως τινὶ συζῶσα χωρὶς γάμου· ἡ δὲ ἧττον τιμιωτέρα Φίλη λέγεται, *Pellex verò eſt, quæ legitimô alicui cohabitat, abſque nuptiis: at minùs honeſta, Amica dicitur*; quæ & ἐρωμένη Græcis paſſim, vide Deſid. Heraldum *Animadverſionib. Arnob. l.* 4. Voces *Concubina* & Παράκοιτις, modò pro *Amica*, modò pro *Pellice* uſurpari, obſervat Salmaſ. apud Auctores Juris tam Civilis, quam Canonici, *Not. ad Spartian. in Ælio Vero. c.* 5. Sed & *Pellice* honoratior, infrà tamen juſtæ Uxoris dignitatem, occurrit *Uxor penè juſta*, apud Sueton. *Veſpaſ. c.* 3. ut infrà videbimus voce *Uxor*. Apud Athenienſes *Pellices* dictæ ſunt uxores, quæ cives non eſſent: Peregrinarum enim in illa Rep. nuptiæ non erant, non liberi legitimi; ſola civis ſobolem procreabat replebatque liberis civitatem: quæ lex cùm tacitô conſenſu antiquata eſſet ante Periclis tempora, quemadmodum & inſecutis temporibus obſolevit, peſſimô Periclis ipſius exemplô, inſtaurata denuo eſt, poſt exactos Urbe 30. Tyrannos, ab Ariſtophonte Rhetore, Euclide Archonte, his verbis: Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονότα, *Qui matre cive natus non erit, nothus eſto.* Unde è Demoſthene, ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας, docet Athenæus *l.* 13. Τὰς μὲν ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκα ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ᾽ ἡμέραν παλλακείας, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι, ubi luculenter oſtendit, quid diſcriminis fuerit inter Meretricem, Pellicem atque Uxorem. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 2. *tit.* 4. & ſuprà in vocibus, *Concubina* item *Nothus*. Secernebat autem à Concubinis ſeu *Pellicibus* Uxorem, Dotis datio, ut in palliato Plauti *Trinummo*, *Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 64.

Sed ut inops infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,
Me Germanam meam Sororem in Concubinatum tibi
Sic ſine dote dediſſe magis, quàm in Matrimonium.

Eratque Dos certiſſimum nuptiarum legitimarum argumentum, cùm *dotatas eſſe fœminas ad ſubolem procreandam, replendamque liberis civitatem maximè ſit neceſſarium*, ut inquit *Pomponius*. Quare eleganter *Artemidorus* Filiam cum creditore comparat, quæ grandis dotem poſcit: & legitimam fuiſſe Pyrrhi uxorem, Nicodemi ſororem, negat Iſæus ἐν τῷ περὶ τοῦ Πύῤῥου κλήρου, quia ſorori Nicodemus dotem non dixit, non dedit &c. Neque tamen Concubinæ & *Pellices* omnino ἄπροικοι erant: legitimas enim Uxores imitabantur. Unde in modò laudata Iſæi *Orat.* ἐπεὶ καὶ οἱ ἐπὶ παλλακίδι διδόντες τὰ ἑαυτῶν, πάντες πρότερον διομολογοῦνται περὶ τῶν δοθησομένων ταῖς παλλακαῖς. Ita filiæ nothæ, quæ legitimæ uxores civium Athenienſium eſſe non poterant; ſed *Pellices* tantùm, τὰ νοθεῖα, mille illas drachmas, quas è bonis paternis auferebant, ad eum, cui jungebantur, adferebant virum. Hinc Iſæanæ illi Philæ, quam Xenocli Cyprio elocavit Endius, dedit *in quaſi dotem* χιλίας δραχμάς. Vide iterum Petitum *Opere præfat. l.* 6. *tit.* 1. & 2. Apud Perſas, *Pellices* conviviis adhibitas, cum uxoribus intereſſe non liceret, diſcimus ex Plut. *Sympoſiac. l.* 1. *c.* 1. quod de Partho-Perſis quoque habet Juſtin. *l.* 41. *c.* 3. de Græcis C. Nepos *Præfat.* &c. Tribuit autem ſexaginta trecentas Artaxerxi Plut. *in eo c.* 43. totidem Dario Curtius *l.* 3. *c.* 3. ipſique Alexandro, Perſicis moribus corrupto idem *l.* 6. *c.* 6. ut & Diodor. Sic *l.* 17. *c.* 77. qui addit, hunc tantum numerum (Curtius gregem appellat *l.* 6. *c.* 2.) eos ideò affectâſſe, ut ad dierum anni numerum accederent. Cœterùm Ioniam Regi Perſico eas merces ſuppeditâſſe, tradit Maximus Tyr. *Serm.* 33. laudatus Berneggero *ad Juſtin. l.* 10. *c.* 1. Apud Hebræos *Pellices* ſeu פילגשים erant tum ante Legem, ut legimus de Nachore Gen. *c.* 22. *v.* 24. de Abrahamo Gen. *c.* 25. *v.* 6. de Jacobo *c.* 35. *v.* 22. de Eliphazo Gen. *c.* 36. *v.* 12. unde Tertullian. *de Unis Nuptiis ad Uxor. l.* 1. *c.* 2. *Sanè apud Veteres noſtros, ipſoſque Patriarchas, non modò nubere, ſed etiam plurifariam uti matrimoniis fas fuit; erant & Concubinæ*: Tum poſt. Quarum illas quod attinet, de jure Noachidarum, tales nominetenus duntaxat; aut ſaltem dignitatis tantùm minoris (ubi v. g. ancilla eſſet vel generis obſcuri) ratione, ab Uxoribus diſcrepârunt; Jugalis autem contractus nodusque utriuſque idem ipſe fuit. Unde Cetura, quæ in Paralipom. *l.* 1. *c.* 1. *v.* 32. dicitur *Concubina* Abrahami, à Moſe vocatur אשה ſeu *Uxor*; Vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 34. & Tertullian. *de Monogam. c.* 6. Namque tum, in conſenſu ſolùm & concubitu; modò ad vitæ conſuetudinem futuram uterque haberetur, matrimonii ſubſtantia conſiſtebat. Iſtas quod concernit, in univerſum *Pellices* ab Uxoribus dſtinguunt, pactis dotalibus & ſponſaliorum ſolennibus: Hinc ſæpe occurrit illud in *Gemara* utraque, *Uxores fiunt cum pactis dotalibus & ſponſaliorum ſolennibus, Concubinæ neque his neque illis.* &c. Quemadmodum autem, ubi plures uxores, ibi etiam concubinæ plures mixtæve concubinæ & uxores licitæ (ut apud Hebræos & ferè in Oriente alibique apud Mahumedanos) fuêre; ita, ubi unicam duntaxat uxorem ſuperſtitem (ut apud Chriſtianos & civiliores Europæ ante Chriſtum gentes) liceret habere, ibi & unica olim concubina, i. e. ſine ſolennibus præviis uxor, ſed uſu tamen ſatis conjuncta, permiſſa fuit, quam non magis, ac uxorem, repudiare fas erat, cùm ſcil. nomine magis & ſolennibus, quàm re, invicem diſtarent. Juriſconſulti Græci *Baſilic.* Παλλακή ἐστιν ἡ συζῶσά τινι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, νομίμως χωρὶς γάμου, *Concubina eſt, quæ cum aliquo in ædibus cohabitat, ſine matrimonio legitimo*, i. e. ſine formulis Matrimonio præſcriptis. Et veter. apud Harmenopulum *conſtitut. Cæſ.* Concubinatus, qui κοινωνία τῆς παλλακῆς ibi dicitur, nomine γάμου οὐκ εὐπρεποῦς; ſeu *Matrimonii indecori*, deſignatur. Hinc Julius Paulus ſub Alexandro Sev. i. e. antequam in Imperium Romanum Chriſtianiſmus receptus eſt, *Eô tempore*, inquit, *quô quis uxorem habet, Concubinam habere non poteſt*; aliàs licitam, ut uxorem ſine ſolennibus. Neque verò ingenua eô ævô, ſed tantùm ancilla, liberta, libertinave, in concubitatu ita propriè dicto, potuit eſſe, ſine teſtatione manifeſtum hoc faciente; quæ ſi accederet, nullis aliis adhibitis ſolennibus, Ingenua, *Concubinæ* nomine depoſitô, *Uxor* honoris causâ dicebatur. Cœteris, quæ ingenuæ non erant, concubinis; ut inferiore dignitatis notâ, appellatis, & ſolâ animi deſtinatione ſeu affectione æſtimatis, Ulpian. *l.* 3. *ff. de donat. inter virum & uxorem.* Inſtauratum poſteà eſt jus illud, quô nefas erat uxorem ſimul ac concubinam (i. e. alteram cum ſolennibus; ſaltem teſtatione ſatis manifeſta, alteram ſine hac, ſine illis: ſed utramque conjugem) habere, idque tum à Conſtantino M. *l. unic. C. de Concub.* tum à Juſtiniano *Novell.* 18. *c.* 5. & 89. *C.* 12. Etenim velut in diverſa ſub uno tempore conjugia convenire, ad Hebræorum morem, id deputabatur, &c. Vide Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Gentium l.* 5. *c.* 7. & *l. de Succeſſ. in bon. c.* 3. ubi de ſucceſſione liberorum è *Pellicibus* ſuſceptorum multa habet: Apud Gothos Sueonaſque quàm probroſum fuerit ex *Pellice* naſci, videbimus infrà voce *Vilis*: ut de aliis in præſens nil dicam. Addimus ſaltem ex eod. Seldeno ſententiam Salmaſii, quam ſuprà tetigimus, de origine vocis, Eliam Levitam auctorem habere, qui *in Notis ad David. Kimchi Radices, verbo* פלגש, *Concubina*, inquit, *vocatur* Pilegesh, *quod vocabulum compoſitum eſt ex* Pelag Isha, *i. e. uxore dimidiata; & Linguâ Latinâ, ubi quis binas habet uxores, harum altera nuncupatur alteri Pellex.* Quaſi *Pellex*, inquit Seldenus, *Pallaca* aut Παλλακὴ pro *Concubina*, ab Hebræorum jam dicta voce, quod & alii volunt, deducenda eſſet. Et certè *Pellicis* habetur altera notio; quæ ipſam heic Concubinam rectè ſatis denotat, *L. Maſſurius* 144. *ff. de verb. ſignif.* &c. Nec omittendum, Sapientiores Gentilium non latuiſſe, *Pellicatum* rem eſſe turpem & licèt non civilibus Legibus, hone-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtati tamen & rationi repugnantem. Unde non minorem fidei
conjugi datæ curam marito habendam, ac ipſe ab uxore depo-
ſcat, graviter monet Seneca *Ep.* 94. *Scis*, inquiens, *impro-
bum eſſe, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor
uxorum. Scis, ut illi nihil cum adultero, ſic nil ſibi eſſe debere cum
pellice.* Et *Ep.* 95. *in uxorem graviſſimum injuriæ genus Pellicem
eſſe*, dicit. Atque hinc Syræ anûs ſervæ, honeſtatis hanc atque
æquitatis paritatem conſiderantis, apud Plautum *Mercat. Act.* 4.
Sc. 6. *v.* 1. hæc in verba querimonia:

Ecaſtor lege durâ vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miſeræ, quàm viri;
Nam ſi vir ſcortum duxit, clam uxorem ſuam,
id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro,
Uxor viro ſi clam domo eſt egreſſa foràs,
Viro fit cauſa, exigitur matrimoniô.
Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, viro!
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, unô virô,
Qui minùs vir unâ uxore contentus ſiet, &c.

Vide Tob. Pfanner. *Syſtem. Gentil. Purior. c.* 11. §. 24. & ſuprà
voce *Nothus*.

PELLICANUS Conradus, Rubeaci, in Alſatia, natus A.C. 1478.
ex primis fuit, qui linguam Hebraicam (ipſe αὐτοδίδακτος) in lucem
revocârunt: cùm Capnione, qui primus in Germania hanc lin-
guam excolere cœpit, Tubingæ ei incubuit. Poſteà Franciſcano-
rum Baſilienſium Guardianus fuit, ſed ſub exortum Euangelii
Solem cucullâ amandatâ, Chriſtum ſequutus, Theologico ſtudio
plurimum contulit: dein poſt Jacobi Leporini obitum, A. C.
1526. Tigurum evocatus, publicè ibi Theologiam, Græcamque
linguam docuit: & ſuis in omnes Vet. Teſtam. libros Commenta-
riis doctrinam Euangelicam multum promovit. Habentur opera
ejus 7. Volumin. fol. Tiguri impreſſa, A. C. 1537. *Sacrarum li-
terarum peritiſſimus, Interpres, & Hebr. linguæ primus ferè apud
Chriſtianos Profeſſor*, Humfr. *in vita Juelli. Vir candidus, ſincerus,
integer, ab oſtentatione omni alieniſſimus*, Melch. Adami *in ejus vi-
ta*. Obiit Tiguri A. C. 1556. ætat. 78. Pictus eſt ab Holbenio,
imaginique hoc tetraſtichon ſubjunctum legitur:

Bis ſeptem luſtris vixi, & quinque inſuper annos:
Fatidico quare cum Simeone precor:
Nunc in pace tuum Deus ô! dimitte Miniſtrum,
Detur & in Chriſti regna redire tui!

Vide & Anton. Teiſſier *Elogior. Part.* 1. ubi inter alia, ſub initium
ſeculi proximè elapſi, Eccleſiaſticos tam rudes fuiſſe, Pellica-
num dixiſſe ſæpius refert, ut in tota Germania nullum N. Te-
ſtam. Græcum exemplar inveniri potuerit, ſed primum, quod
vidiſſet, ex Italia allatum eſſe.

PELLIDI, populi fuêre Sardiniæ, Liv.

PELLIO Jacobus, vide *Jacobus*.

PELLIPARII, apud Ugutionem, qui *pelles* parant, & vendunt,
Gloſſ. Græc. Latin. Δερματοπῶλαι, Latinis *Pelliones*, quorum memi-
nit Paternus *l. ult. ff. de jure immunit.* & *l.* 1. *Cod. de excuſ. artif. l.* 10.
Alexander item Severus apud Lamprid. *c.* 24. *Habuit in animo ut
exoletos vitaret* —— *Braccariorum* (Scaliger & Salmaſ. legunt
Bractearioram vel *Brattearioram*) *Linteonum* (qui à Linteariis
diſtincti & λίνυφοι dicebantur Græcis) *Vitriariorum* (Palatinus
cod. habet, *Vitriariorum*) Pellionum, *Plauſtrariorum*, *Argenta-
riorum* (qui argentea vaſa cælabant & aliô opere fabricabant)
*Aurificum & cæterarum artium vectigal pulcherrimum, inſtituit,
ex eoque juſſit thermas & quas ipſe fundaverat & ſuperiores populi
uſibus exhiberi* &c. *Vicus Pelliparioram*, memoratur Hieroſoly-
mis apud Wilh. Tyrium *l.* 14. *c.* 18. *Fratres Pelliparii*, in Mo-
naſteriis, quibus pellicearum Monaſticarum cura incumbebat,
in *Statutis* Ordinis Sempringhamenſis *p.* 715. Car. du Freſne
Gloſſar.

PELLIS, an à *pellendo*, quòd externas injurias pellat: an à *pi-
lis*, quòd piloſa: an ab Hebr. פלא, quod in *Niphal* ſignificat *te-
gi*? cæſorum animalium corporibus detracta, primis Parenti-
bus, poſt lapſum, in uſum ceſſit, frigori aliiſque aëris injuriis
expoſito corpori veſtiendo. *Ipſe* enim *Adæ & Uxori ejus tunicas
pelliceas fecit & induit eos*, Gen. *c.* 3. *v.* 21. Sicque Protoparen-
tes noſtros docuit, quô pactô in poſterum nuditati ſuæ, pro-
priô jumentô accerſitæ, utcunque conſulere poſſint. Et qui-
dem, cùm & aliæ Deo veſtiendi rationes ſuppeterent, videtur
tamen hanc prætuliſſe, partim quia commodiſſima, ad aëris in-
clementiam arcendam; partim ut homini, conſpectu *Pellis* mor-
tuo animali detractæ, mortalis ſua conditio ſemper oculis ob-
verſaretur. Proin legimus quoque *Pelliceâ* veſte uſum Eliam 2.
ſeu 4. Regum *c.* 1. *v.* 8. In gentibus etiam antiquitus, Heroum
habitus *Pellis* Leonis fuit, Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 306.

Dat Niſo Mneſtheus Pellem, horrentiſque leonis
Exuvias:

cujus uſus hodieque Turcis ac Mauris pro pallio eſſe dicitur. Ac
Heroinas itidem gaviſas eſſe *Pelle* Tigridis, cognoſcimus ex illo
ejuſdem Poëtæ *l.* 11. *de Camilla*, *v.* 576.

—— —— *Pro magna tegmine pallæ*
Tigridis exuviæ per dorſum à vertice pendent.

Nec aliâ veſte Gymnoſophiſtas, Indorum Philoſophos; Scythas,
Perſas, primos quoque Romanæ Curiæ Senatores, uſos fuiſſe,
deprehendimus, apud Platonem *in Protagora*, Cicer. *l.* 1. *Tuſcul.*
Strabonem *l.* 15. Herodot. *l.* 1. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. &c. Quin mul-
tis pòſt ſeculis, media in Græcia, ſenes ruſticos διφθέρας, ſive *Pelle*
indui conſueviſſe, liquet ex Ariſtophanis *Nubibus Act.* 1. *Sc.* 1.
& Polluce *l.* 4. *c.* 19. *ſect.* 3. unde hi Comicis Διφθερίαι dicti.
Sagum nempe id erat, ſeu exterior veſtis, quæ exomidi injicie-
batur, Βαίτη quoque & *Melote* dicta, è caprarum *pellibus* con-
fieri ſolita, ut docet Varro *de R. R. l.* 2. *c. ult.* *Neque non qua-

dam nationes harum* (i. e. *caprarum*) *pellibus ſunt veſtitæ, ut in
Getulia & in Sardinia. Cujus uſum apud antiquos quoque Græcos
fuiſſe, apparet, quòd in Tragœdiis ſenes ab hac pelle vocantur* Διφθε-
ρίαι, *& in Comœdiis, qui in ruſtico opere morantur.* Imò nec in
ſervis ſolùm hic uſus manſit, ſed & ad Ingenuos tranſiit, qui i-
ſtiuſmodi veſtes adhibuerunt, pluviæ tempore, ut ſcorteas Pæ-
nulas Romani. Proin Laërtius tradit, Anaxagoram profectum
in Olympiam, ſudô ac ſerenô cœlô ſediſſe ἐν δέρματι, quaſi
brevi erupturâ pluviâ, ſicque eveniſſe. Vide Octav. Ferrarium
de Re Veſtiar. l. 4. *Partis* 2. *c.* 21. Ex agninis *pellibus* Germano-
rum rhenones fuiſſe, docet Cæſar *de bello Gall. l.* 4. *c.* 1. & Salluſtius
in Hiſtor. quod nomen accepêre Galli & inde Germani, à Maſſi-
lienſibus: hi à Græcis, quibus ῥῆνες *agni* ſunt, vide Voſſ. *in Ori-
gin.* Hunnos *indumentis operiri linteis vel ex pellibus ſylveſtrium
murium conſarcinatis*, ſcribit Ammian. *l.* 3. idemque de Hunga-
ris narrat Jornandes, *de Reb. Getic. c.* 5. Scytharum magnam
partem *tergis vulpium ac murium* ſuâ quoque ætate operiri, do-
cet Seneca *Ep.* 90. Getas ſimiliter tectos fuiſſe, notum: unde
Reges pelliti Sidonio Apollinari *in Conc. Pellitorum turba ſatellitum*,
eidem *l.* 1. *Ep.* 2. & Ovidius paſſim *in libris Triſtium & l.* 4. *è
Ponto, Ep.* 10. *v.* 2.

—— *Pellitos inter agenda Getas.*

Hodieque omnes pæne Septentrionis incolæ, ſed potiſſimùm Ger-
mani atque Sarmatæ, ſylveſtrium murium pellibus induuntur,
quem luxum reprehendit Helmoldus *Chron. Slavorum l.* 1. *c.* 1.
Pretioſis enim *pellibus* muris Pontici aliiſque, non niſi Senatores
ac Principes uſos eſſe ſuâ ætate, indigitat Acron *ad Horat. l.* 1.
Satyr. 5. Qui mos poſterioribus ſeculis cùm tranſiiſſet ad Roma-
nos Cardinales, in illos ita invehitur Petrus Damianus Oſtienſis
l. 2. *Ep.* 2. *Cùm domeſtici mures noſtris aſpectibus ſordeant, tranſ-
marinorum pelles, quia magnô pretiô coëmuntur, oblectant: Ovium
itaque & agnorum exuviæ diſpiciuntur, Ermelini, Gebelini, Mar-
tores exquiruntur, & Vulpes.* Et paulo pòſt, *Ecce non reclinatur
in vulpeculis Chriſtus, dormit ſub vulpinis pellibus Chriſtianus: Re-
ſpuit animalia Redemtoris mundi vocabulô decorata* &c. Ita quod
neceſſitatis priùs erat, poſteà in luxum verſum eſt. Interim Lap-
pones Bothnienſeſque *pretioſis veſtiri pellibus, non modò ornatus
causâ, ſed & neceſſitatis*, diſcimus ex Olao Magno *Hiſtor. l.* 4. *c.*
4. Porrò & caput *pelle* hædinâ, vel aliâ, contegebant antiqui,
ut hodieque conſuetudo eſt calvis; Atque hinc feſtivè Martial.
l. 11. *ad Phœbum*, iis *caput eſſe calceatum* ait, vide quoque infrà
Pileus. Et pedes, quos, terrâ ex divina comminatione ſpinas ac
tribulos proferente, ipſum jam ſic muniiſſe Adamum veriſimi-
le eſt. Et quidem rudiore ævô crudæ pelles huic uſui inſervie-
bant, ut teſtatur Xenophon *Anabaſ. l.* 3. & Angelus Politianus
Miſcellan. c. 2. Idemque legimus de vulgo Romanorum, cui
Perones, calcei genus peræ ſeu ſacco ſimile per nives & lutum
eunti, in uſu fuêre diu: cùm Senatoribus ac nobilioribus calcei
ex aluta conficerent, molliorique coriô; quos tamen & *Pellis* no-
mine nudô inſigniunt Poëtæ, Martial. *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 31.

Lunata nuſquam Pellis, *& nuſquam toga.*

Horatius *l.* 1. *Satyr.* 6. *v.* 27.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Producebantur enim uſque ad medium crus. Vide Bern. Balduinum
de Calceo c. 2. Nec alius antiquitus menſarum ornatus fuit, quæ,
cùm ſequiori ævô magnificô tapetum apparatu & byſſinis peri-
ſtromatis integerentur, priùs ferarum *pellibus* ſolebant ſterni.
Hinc apud Virgilium *l.* 8. *Æn. v.* 177. Latinus hoſpitem,

—— —— *Villoſi pelle Leonis*
Accipit:

Et uxor ruſtica, apud Juvenalem *Sat.* 6. *v.* 6. thorum ſternit

Frondibus & culmis vicinarumque ferarum
Pellibus.

In iiſdem ſtragulis & cubabant priſci, unde *dormire*, pro *dermi-
re*, à δέρμα i. e. *pellis*. Duces quoque ac Imperatores exercituum,
ut de Ageſilao docet Corn. Nepos *in ejus vita*, *c.* 8. & Tuberone
Cicer. *pro L. Murena*. Ælian. etiam *Var. Hiſtor. l.* 13. *c.* 1. Ἦν δὲ
ἄρα τῇ Ἀταλάντῃ ϛρωμναὶ μὲν αἱ δοραὶ τῶν τεθηραμένων, τροφὴ δὲ τὰ
τούτων κρέα, ποτὸν δὲ τὸ ὕδωρ, *Stratis autem lectôque utebatur ferinis
pellibus, cibô earundem carnibus & aquâ.* Tranſeo à civili ruſtica-
que vita ad bellum, ubi multiplex non minùs *Pellium* utilitas.
Nam loricæ primitus è loro, uti nomen indicat, ſi Varronem
& Veterum alios audimus. Maro *l.* 11. *Æn. de Ornyto*, *v.* 679.

Cui Pellis *latos humeros exemta juvenco*
Pugnatori operit.

Et Silius *l.* 8. *v.* 524.

Pectora pellis obit cæſi è venatibus urſi.

Nec dubium, quin & Ægis primò fuerit è pelle αἰγὸς i. e. *capræ*: cui
poſtea thorax ex annulis ferreis ſucceſſit, donec prælatus ille ex
ſolida lamina. Galeæ itidem primò ex corio muſtelæ domeſticæ,
quæ Græcis γαλῆ, unde γαλέη è canis pelle, unde κυνέη: è lupi-
nis exuviis, unde λυκέη, è muſtelæ ſylveſtris corio, unde ἰκτιδέη
&c. confectæ ſunt: donec & Κυνέης & *Galeæ* vox latiùs extenſa.
Ocreæ quoque primitus è corio fuêre, poſteà demum ex ferro.
Etiam in bello uſi *pelle* hyænæ; ut & pantheræ, ſicut de Evan-
dro Maro habet *Æn. l.* 8. de Polonis Cromerus *Hiſtor. Polon. l.*
1. *Cultui verò* pelles *ſubminiſtrat Panthera, ſive is ſit lupus Cerva-
rius* (Ris *appellatur à noſtratibus*) *maculoſus ventre & pedibus.*
Nec corpora modò *pellibus*, & olim & hodie, tegere in bello
mos, ſed & arma. Ut enim de vaginis enſium taceam, clypeos
quoque & ſcuta coriis fuiſſe veſtitos, legimus apud *Silium* de Sa-
guntinis, apud *Hegeſippum* de Judæis, quos uterque in ſumma
fame ſcutis clypeiſque *Pelles* detraxiſſe refert, ut cibo eſſent,
quando præſidio eſſe non poſſent. Triplicem iſtiuſmodi clypeum
Mezentio adſcribit Virg. *Æn. l.* 10. ἑπταβόειον ſeu ſeptemplicem A-
jaci

jaci Ovid. *Metam. l.* 13. Ut fundas & amenta jaculorum omittam, tentoria è *pellibus* fuiſſe notiſſimum. Quod à Romanis in Vejorum obſidione primò factitatum, contendit Liv. *Decad.* 1. *l.* 5. circa ann. ab Urb. Cond. 327. ut & Florus *l.* 1. *c.* 12. inquiens, *Tunc primùm hiematum ſub pellibus.* Diuque ea conſuetudo retenta: unde ejus mentio, ſub Cæſare, *l.* 3. *de bello Gall. c.* 29. ſub Nerone, apud Tacitum *Annal. l.* 13. ſub Theodoſio, Lat. Pacatô teſte *in Panegyr.* Vide quoque Amm. Marcellin. *l.* 9. & Flav. Vopiſc. *in Aureliano.* Imò militibus officiô negligenter functis pœnæ locô injunctum, *ne tentorium ex pellibus haberent*, Val. Max. *l.* 2. *c.* 7. Quem morem, ut & plura alia à Græcis Romanos mutuatos eſſe, cridibile eſt. Namque de Alexandro M. Curtius *l.* 7. *c.* 8. *Sæpe* Pellibus *tabernaculi allevatis, ut conſpiceret hoſtium ignes:* & Arrian. *l.* 1. *de geſtis ejus, Tentoria militum erant ex* pellibus, *levi materia repleta.* Vide eundem *l.* 3. Quare propter tam multiplicem corii in militari uſum, Druſus, apud Tacitum, *l.* 4. *Annal. c.* 72. Friſiis imperavit, ut tributi locô terga boum præberent: eôdemque fine Boſphori accolæ quotannis Imperatoribus Græcis pependerunt τὰς συντελέιας τῶν βοῶν *tributum boum*, ut eſt apud Georg. Cedrenum in temporibus Juſtiniani M. *p.* 302. &c. Sed & in ſacris *Pelles* adhibitæ: Quamvis enim Gentilibus, quibus mortua omnia videbantur immunda, ſcortea, h. e. e ſcortis ſive pellibus facta, nefas erat inferre Carmentæ ſacello. Ovid. *l.* 1. *Faſt. v.* 629.

Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.

Unde nec Coriariis domicilium olim in Urbe Roma, ſed extra eam erat: Mænades tamen ſive Bacchæ, ut in Græcia nebride, ſive *Pelle* cervinâ; ſic in Thracum orgiis inducbantur pellibus vulpinis; quam ob cauſam Bacchus *Baſſareus*, Bacchæ *Baſſarides*, Thracicô vocabulô, *vulpem* denotante, dicti ſunt ut docet *vetus* Perſii *Interpres.* Et cui ignota in Templis cæſarum ovium pellibus incubandi, ut ſacra ſic ſomnia captarent homines de futuro ſoliciti, ſuperſtitioſa conſuetudo: quam ex veteri in *pellibus* dormiendi more tractam, & apud Romanos uſque ad Gratiani etiam ac Theodoſii Imperatorum tempora, uſitatam fuiſſe, ex Prudentio *in Hamartigenia*, docet Voſſius *de Orig. ac Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 35. Sed hac de re vide ſuprà, in voce *Melota.* Sed & apud Septentrionales gentes, ſcabellis altarium *pelles* urſorum alborum præſertim ſubſterni conſueviſſe, ne pedibus Sacerdotum frigus noceat, infrà videbimus, in *Urſus.* Nec omittendum, quòd ſcribi olim ſolitum fuerit in διφθέραις ſive *pellibus*, ut notus hodieque chartæ Pergamenæ uſus de qua ſic Hieronym. *Ep. ad Chromatium*: *Chartam defuiſſe non puto, Ægyptô miniſtrante commercia. Et ſi alicui Ptolemæus maria clauſiſſet; tamen Rex Attalus membranas à Pergamo miſerat, ut penuria chartæ* Pellibus *penſaretur*: ovillis nempe, ut docet Martianus Capella *l.* 2. Hinc Martial. *l.* 14. *Epigr.* 190.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens.

Et *Epigr.* 184.

Ilias & Priami regnis inimicus Ulyſſes
Multiplici pariter condita Pelle *latent.*

Vide Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 38. & infrà in voce *Pergamena.* Adde è *pellibus* ſcuticas, quibus idcirco è Græco σκύτος nomen; Ut & ex ταυρία Latin. *Taurea*, quam proin Plautus *Aulular. Actu* 4. *Sc.* 1. *v.* 15. *cenſionem bubulam* dixit: & *Moſtellar. Actu* 4. *Sc.* 1. *v.* 16. *caſtigare bubulis exuviis.* Item tapetes ex *pellibus* auro pictis, quibus hodieque, in Italia inprimis, opulentiores parietes veſtiunt, nec marſupia ſolùm, ſed etiam è corio nummos; de quibus Donatus videndus *in illud* Virgilii *Æn. l.* 1. *v.* 372.

Taurino quantum potuit circumdare tergo.

Umbracula inſuper uti videbimus infrà, ubi de Veterum *Umbellis* & *Umbraculis.* Pluraque alia, quæ omnia recenſere longum foret. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 70. & Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſin. l.* 5. *c.* 31. C. Paſchalium inprimis *Coronar. l.* 9. *c.* 23. 24. 25. & 26. ut & hìc paſſim. De *Tentipelliis* infrà in voce hac.

PELLITA Ovis, apud Varronem *de Re Ruſt. l.* 2. *c.* 2. quædam, vidimus ſuprà, in voce *Ovis Pellita.* Apud Pollucem, candyn regium Perſarum pileum, è *pellibus* aliquando adeoque *pellitum* etiam fuiſſe, legimus *l.* 7. *c.* 13. Quemadmodum Ducalis quoque Pileus in Germania hodieque *pellitus* eſt, nullis gemmis, unionibus, lapillis conſpicuus, ſed notulis ſolùm ſive punctulis nigris, velleri ingenitis inſperſus. Velut ad imitationem galerorum militarium, de quibus Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 688. ait,

——— *fulvoſque lupi de pelle galeros*
Tegmen habet capiti ———

Imò Heroas non niſi *pellitos* antiquitas exhibet, uti de Hercule diſcimus ex Euripide *Hercul. Fur. Actu* 1. de Aventino, ex Virgilio *Æn. l.* 8. de Evandro, ex eodem, *l. ſeq.* de Ornito itidem, *l.* 11. *l.* 1. de aliis, aliunde. Unde Sibas, gentem Indicam, ſignum Herculei generis ſervâſſe pelles, quibus amicirentur, adnotavit Strabo *l.* 15. Nempe generoſiſſimæ cujuſque feræ pelles, apud ſummos mortalium fuêre olim in ſummo honore, ut illuſtre argumentum, nunc regiæ, nunc ducalis, ſemper raræ ac heroicæ fortitudinis. Cœterùm illæ à militia & aulis Regum, tranſierunt ad judicia. Quippe in togatis præliis Judex, velut divina manus, litium portenta conficit. Meritò proin hæc quoque ſummæ poteſtatis inſignia cum Judicibus fuerunt communicata, ut hinc ipſi reddantur auguſtiores, ipſaque adeò judicia rata & ſancta. Cujus moris originem aperit è Claudiani hoc verſu,

Mœrent captivæ pellito *Judice Leges*:

Car. Paſchalius *d. l.* ubi hanc in rem plura. Sed & *Pellini ſatellites* apud Sidonium Apollin. *l.* 1. *Ep.* 2. Gothi dicuntur, Protectores Regii corporis; quòd *pellibus* induerentur. Vide Savaronem *ad loc.* &c.

PELLONIA, Dea *pellendorum* hoſtium, Romanis in veneratione, de qua vide Arnob. *adv. gent. l.* 4. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 21. & ex his Jo. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19.

PELLUCIDA quænam, vide infrà *Phengites.* Apud Juſtin. *l.* 38. *c.* 8. ubi de Ptolemæo Phyſcone, *Erat --ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quam fœditatem nimia ſubtilitas* perlucidæ *veſtis augebat* & voce hâc indigitatur illud veſtium genus, quod in Ceo Pamphila excogitavit, *ut fœminas denudaret*, Plin. *l.* 11. *c.* 22. hinc non ſine pudore, viris uſurpandum, *c.* 60. Vide infrà ubi de *Serico*, alibique paſſim: Virum item Cl. *ad Juſtini iſta l.* 41. *c.* 2. *Veſtis--Medus perlucida ac fluida.*

PELODES, Epiri portus, *Pagania Moletio*, & ſinus Suſianæ ad ſinum Perſicum.

PELON, locus Epiſcopalis Syriæ ſub Archiepiſcopo Scythopolis, Tyrius, *l.* 6.

PELOPE, vicus Lydiæ juxta Phrygiam, *Steph.*

PELOPEA, Thyeſtæ filia, quæ à patre gravida facta, inſigni formâ infantulum peperit, quem recenter natum, ne turpitudo ſua palam fieret, feris devorandum in ſylvis reliquit. Evenit autem, Diis ita volentibus, ut paſtor quidam illac iter faciens, in puerum incideret, qui miſericordiâ motus, domum ſuam illum detulit, lacteque caprinô educavit, unde & *Ægiſthus* appellatus eſt. Item Tragœdia de *Pelopea.* Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 92.

Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

PELOPIA, urbs Epheſi, quæ Lycô fluviô alluitur, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

PELOPIDAS, Thebanus, vir clariſſimus, ab inimicis, quibus virtutes ejus invidiæ erant, in exilium ejectus eſt. Cadmæam à Phœbida Spartanorum, quorum factio ipſum patriâ expulerat, occupatam, Olympiad. 99. feliciter recepit, Epaminondæ in omnibus expeditionibus, præliô inprimis Leuctricô & obſidione Spartæ, comes. Legatus ad Artaxerxem, magno apud illum in pretio fuit. Ab Alexandro tandem, Pherarum tyranno, offenſus, cùm Patriæ bellum contra illum ſuaſiſſet, in prælio victor occubuit. An. 390. Urb. Cond. Olymp. 104. Xenoph. *l.* 6. Diodor. Sic *l.* 15. Polyb. *l.* 1. Corn. Nepos & Plut. *in vita ejus.*

PELOPIS, inſula parva, ſeu ſcopulus Argiæ, ante Methanam oppid.

PELOPONNESIA, mulier quædam, quæ quinquies quaternos enixa eſt. A Paulo JCto commemoratur *in l.* 3. *F. Si pars hæredit pet.*

PELOPONNESUS, ampla Græciæ regio, nobiliſſima totius Europæ peninſula, Iſthmô anguſtiſſimô (quem muro Hexamilio circumdedit Emanuel Imperator. cùm Turcas urbi exitium moliri animadverteret; Laonic. *l.* 4. ſub initium ſeculi 15.) Græciæ annexa, inter duo maria, Ægæum & Ionium, platani folio ſimilis (unde Dionyſius.

——— Πέλοπος δ' ἐπὶ νῆσος ὀπηδεῖ
Εἰδομένη πλατάνοιο μυουρίζοντι πετήλῳ.

Idem habent Strabo *l.* 8. & Plin. *l.* 4. *c.* 4.) anguloſis receſſibus duos efficiens ſinus, ab ortu Saronicum, Criſſæum, ſive Corinthiacum ab occaſu 6. milliar. anguſtiis diremptos. Hæc quidem propriè non eſt inſula, ſed χερρόνησος. Sed iſthmi anguſtia efficit, ut non tantùm inſula nominetur, verùm etiam inter inſulas quandoque numeretur, ut à Ptolemæo *l.* 7. *Peloponneſus* autem dicta eſt à *Pelope*, Tantali filio, qui è Phrygiâ coloniam eò deduxit, ibique regnavit, teſte Strabone *l.* 7. (Πέλοπος μὲν ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγομένου λαὸν εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Πελοπόννησον) cùm antè *Plinió & Apollodoró* teſtibus, *Ægiala*, *Apia*, *Argios* & *Pelaſgia* diceretur. *Argos* etiam, teſte Strabone *l.* 8. tota inſula olim vocata (ut multis teſtimoniis ex Homero adductis probat) & quidem *Argos Achaicum*, ut à Theſſalicâ diſtingueretur, quam *Argos Pelaſgicum* vocârunt. Peninſula hæc in 6. regiones diviſa eſt: Ita Mela *l.* 2. *c.* 3. *In Peloponneſo Argolis, Laconice, Meſſenia, Achaja, Elis, Arcadia. Baudrando* lata eſt hæc regio, quæ *Morea* hodie dicitur, à Septentrione in Meridiem 150. mill. paſſ. nempe à Corintho ad Tenarium promontor. Longa 175. mill. paſſ. ab Ortu in Occaſum ſeu à Scyllæo promuntor. ad Cheloniatem, 380. mill. paſſ. à Sicilia in Ortum 70. à parte Occidentali Cretæ in Circuium. Ejus partes olim erant 8. nempe Achaja propria, Arcadia, Argia, Corinthia, Elis, Laconia, Meſſenia & Sicyonia, omnes verſus oram littoralem præter Arcadiam. Nunc partes ſunt quatuor, *Ducatus Clarentiæ*, ubi aliàs Achaja propria, Sicyon & Corinthus. *Belvedera*, olim Elis & Meſſenia; *Saccania*, ſeu Romania minor olim Argia, & *Tzaconia*, ubi Laconia & Arcadia; Tota ſub Turcis à 200. annis, & tempore Mahometis II. Tzaconia aliter *Mainotarum tractus*, ubi Mainotæ, ſui ferè juris, ſub clientela Turcarum. Bellum *Peloponneſiacum* dictum olim, quod hujus regionis incolæ gesſerunt, contra Athenienſes, ab An. 323. Urb. Cond. Olymp. 87. uſque ad An. 350. quô Athenæ captæ. Strab. *l.* 8. Plin. *l.* 4. *c.* 4. Pauſan. *in Att. Thucyd. Xenoph. Diodor. Siculus*, &c. *Nic. Lloyd.* Jam tota ſub Venetis, hodiernô bellô Turcarum ſubtracta jugo.

PELOPONNESI URBES PRÆCIPUÆ.

Argos, *Argo.*	Megalopolis, *Leontari.*
Corinthus, *Coranto*, & *Corto.*	Meſſene, *Moſſeniga.*
Corone, *Coron.*	Methone, *Modon.*
Dyme, *Clarence.*	Nauplia, *Napoli de Romanie.*
Elis, *Belvedere.*	Patræ, *Patras.*
Epidaurus Lymera, *Malvaſia.*	Pylus, *Navarin.*
Leuctrum, *Mayna.*	Sicyon, *Baſilica.* In ruinis jacet

Sparta, *Miſitra.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PELOPS, Tantali, Phrygiæ Regis & Taygetes fil. cujus pater cùm Deos in terris peregrinantes hoſpitiô excepiſſet, ut certô aliquô argumentô divinitatem eorum experiretur, filium ſuum illis epulandum appoſuit; à cujus eſu cùm Dii cæteri abſtinuiſſent, ſola Ceres humerum ejus aſſumpſit. Quem cùm Jupiter deinde ad vitam revocâſſet, eburneum humerum ei reſtituit. Ad quem quidem humerum, poſt ejuſdem Pelopis mortem, varia morborum ſanabantur genera, & multiplicia edebantur miracula. Plin. *l.* 28. *c.* 4. Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 403.

——— Tamen hanc quoque dicitur unus
Fleſſe Pelops; humeroque ſuas ad pectora poſtquam
Deduxit veſtes, ebur oſtendiſſe ſiniſtro.
Concolor hic humerus, naſcendi tempore dextrô,
Corporeuſque fuit: manibus mox caſa paternis
Membra ferunt junxiſſe Deos, aliiſque repertis,
Qui locus eſt juguli medius, ſummique lacerti
Defuit, impoſitum eſt non comparentis in uſum
Partis ebur; factoque Pelops fuit integer illo.

Unde Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 7.

——— Humeroque Pelops inſignis eburnô,
Acer equis. ———

Tibullus *l.* 1. *El.* 4. *v.* 63.

——— Carmina ni ſint,
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

Papinius *l.* 4. *Thebaid. v.* 590.

Truncatuſque Pelops, & ſævo pulvere ſordens.

Pindar. *Od.* 1. *Olymp.* Ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκοσμημένον. *ebore inſignem humerum ornatum.* Et Apollon. *l.* Πελοπήϊα νῶτα. Et Nazianz. *Orat.* 1. *contra Julianum*, Ἐξ ἧς (κρεουργίας) ἐπίσημοι Πελοπίδαι παρὰ τῶν ὤμων καὶ τοῦ ἐλέφαντος. Dio Chryſoſt. *Orat.* 8. Περὶ δὲ τοῦ Πέλοπος ἔλεγον, ὅτι καὶ τὸν ὦμον ἐλεφάντινον ἔχοι. Hic poſteà cùm adoleviſſet, in Elidem ſe contulit, cui id temporis Oenomaus imperabat. Is cùm unicam filiam haberet, nomine Hippodamiam, eamque formoſiſſimam, & regni totius hæredem, iiſque nominibus multis procis ambitam, nulli tamen eam voluit collocare, quòd à genero ſuo ſe interfectum iri intelligeret. Hanc itaque rationem excogitavit, ut procis curule certamen proponeret (habebat enim equos velociſſimos, ex ventorum flatu, procreatos) eamque certaminis legem, ut victor filiæ nuptiis potiretur, victus mortem ſubiret. Cumque jam multos certamine victos neci tradidiſſet, tandem Pelops: amore Hippodamiæ incenſus, cùm equis ſuis parum fideret, Myrtilum, Oenomai aurigam, pecuniâ corrupit, ut axes fragiles currui ſubjungeret. Quô factô, Oenomaus aurigæ perfidiâ, fractô curru collapſus, membriſque omnibus ex ruina colliſis, cùm ſe morti vicinum eſſe animadvertit, Pelopem oravit, ut vicem ſuam ulciſceretur. Cui ille morem gerens, Myrtilum perfidiæ præmium importunius exigentem in mare præcipitavit, quod ab eo Myrtoum vocabatur. Pelops autem uxore & regnô potitus, univerſam Cherſoneſum à nomine ſuo *Peloponneſum* appellavit. Strabo *l.* 8. Catull. *de Achille: Epigr.* 65. *v.* 345.

Troicaque obſedens longinquo mœnia bello,
Perjuri Pelopis vaſtabat tertius hæres.

Propert. *l.* 3. *El.* 18. *v.* 19.

Quidve Clytæmneſtræ, propter quam tota Mycenis
Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus.

Horatius *l.* 1. *Od.* 6. *v.* 8.

Nec ſævam Pelopis domum.

Seneca *Thyeſt. Actu.* 2. *v.* 310.

Argos, & ſævi Pelopis Mycenæ.

Nic. Lloydius. De Pelope plura, Nat. Com. *l.* 7. *c.* 17. & Alexand. Roſſæus *in Myſtag. Poët.*

PELORIS, idem quod *Pelorus.* Item oſtrei genus, à magnitudine ſic dictum, ut ait *Euſtath.* Πελωρὶς λέγεται διὰ τὸ μέγεθος, cum quo congruens Athæneus *l.* 3. ita ſcribit: Πελωρίδες ὠνομάσθησαν παρὰ τὸ πελώριον. Plin. *l.* 32. *c.* 12. inter cancrorum genera numerare videtur. Lucrino in lacu præcipuæ fuêre. Horatius *Serm. l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 32.

Murice Bajanô melior Lucrina Peloris.

PELORUM ſeu PELORUS, unum ex 3. Siciliæ promontoriis, quod in Italiam vergens, Scyllæ adverſum eſt, *Baudrando* in orâ Orientali ubi Borealis incipit, ex adverſo Calabriæ, à qua vix 6. mill. paſſ. in Occidentem, uti 10. à Meſſana in Boream in valle Nemorenſi; ei impoſita turris ſpeculatrix ſeu Pelori dicta, 140. mill. paſſ. à Pachyno in Boream. Ita dictum à *Peloro*, Annibalis gubernatore; quem is in Syriam fugam parans (ut Pomp. Melæ, *l.* 2. *c.* 7. placet) ibi interemit, ſe ab eo proditum ratus, eo quòd procul intuenti continua videbantur eſſe litora, pelaguſque minimè pervium. Huic poſteà, innocentiâ ejus cognitâ, ſtatuam poſuiſſe dicitur. Val. Max. *l.* 9. *c. de Temeritate*, *ex.* 4. Pelorum hunc ab Annibale interfectum arbitratur eô tempore, quô is à Petilia ſolvens in Africam reditum parabat, à ſuis revocatus, ut patriæ periclitanti opem ferret adverſus Scipionem. Quæ ſententia videtur multò veriſimilior. Non enim video, quid ex Africâ Syriam petenti in Siculo freto fuerit negotii; niſi quis hoc prætexat, vi tempeſtatis eò fuiſſe appulſum: quanquam legimus etiam antè Pelorum dictum. *Pelorus* (inquit Bochart *l.* 1. *Chanaan, c.* 28.) articulô additô Græcis vulgò dicitur ὁ Πέλωρος. Quod Pœni ſic acceperunt, quaſi diceretur הובל הראש *hobel-haros*, vel *hobel-horos*, i. e. ad verbum *Gubernator*, ſive *Nauclerus Ducis.* De eo Silius, *l.* 14. *v.* 79.

Celſus arenosâ tollit ſe mole Pelorus.

Dicitur & *Pelorias.* Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 479.

Jamque Peloriaden, Lilybæaque; jamque Pachynon
Luſtrârat. ———

Ita Græci. Polyb. *l.* 1. Τὸ δὲ εἰς τὰς ἄρκτους κεκλιμένον ἀκρωτήριον προσαγορεύεται Πελωριάς. Peloris Dionyſio vocatur, ubi de tribus Siciliæ promuntoriis:

Ἄκρα δὲ οἱ Πάχυνός τε, Πελωρίς τε Λιλύβητε.

Anguſtiori linguâ, ſeu cuſpide in mare excurrit, quàm reliqua duo promuntoria. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 411.

——— Anguſti rareſcent clauſtra Pelori.

Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 706.

Evincitque fretum, Siculique anguſta Pelori.

Dixit ſuprà Pelorum Italiæ objectum fuiſſe. Confirmant id paſſim auctores. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 350.

Dextra ſub Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro.

Statius *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 33.

Brutia Sicanium circumſpicit ora Pelorum.

Dionyſius Orbis deſcriptor:

Ἠνεμόεσσα Πελωρὶς, ἐς Αὐσονίην ὁρόωσα.

Apollonii Scholiaſtes *ad l.* 4. Τῶν τριῶν ἀκρωτηρίων ἀφορᾷ πρὸς Ἰταλίαν ἡ Πελωρὶς. Hodie *Cabo de la torre del faro* vocatur. Vide Cluver. *de Sic. Ant. l.* 1. *c.* 6. *Nic. Lloydius.*

PELORUS, apud Silium, ubi de Ludis Scipionis, *l.* 16. *v.* 355.

Tertius æquatâ currebat fronte Peloro
Caucaſus: ipſe aſper, nec qui cervicis amaret
Adplauſæ blandos ſonitus, clauſumque cruentô
Spumeus admorſu gauderet mandere ferrum.
Ad docilis frani & docilis parere Pelorus
Non unquam effuſum ſinuabat devius axem,
Sed lævô interior ſtringebat tramite metam:

equus eſt Circenſis, ſuô tempore celebris, & quidem funalis ſiniſter, in quo præcipuum victoriæ momentum erat. Hinc licèt utrumque funalem equum in quadriga Iberi agitatoris nominatim commendet Poëta, in certamine tamen obeundo, ubi ſpes victoriæ allubeſcit, cui incumbendum eſt, tum Pelorum ſolum mox alloquitur & animare conatur agitator, ut ex quo potiſſimùm victoria penderet: *v.* 426.

Attonitus tum ſpe tantâ, genitore, Pelore,
Te Zephyrô eductum, nunc nunc oſtendere tempus &c.

A' Peloro Siciliæ promontor. nomen nactus, quemadmodum *Caucaſus*, à monte ſimiliter dictus eſt. Salmaſ. *ad Solin p.* 898.

PELSNICIA, oppid. Poloniæ minoris, ubi Laſocius, loci dominus, circa A. C. 1550. Euangelicam doctrinam annuntiari curavit. Quemadmodum Stadnicius Dubeciæ, aliique alibi. Lætus *Comp. Hiſtor. Univ.*

PELTA, non minùs ac Cetra, breve ſcutum, parma brevius & mobilius. Cetris enim non diſſimiles *Peltas* fuiſſe Eruditi obſervant. Claud. Ælianus *in Tacticis c.* 2. Τούτοις γὰρ πέλτης μικρόν ἐστι καὶ ἐλαφρὸν ὅπλον. *Suidas* & Index *vocum militar.* Πέλτη, μικρά τις ἐστιν ἀσπιδίσκη καὶ κούφη. Iſidor. *Pelta ſcutum breviſſimum.* Formam ejus deſcribit Xenophon apud Jul. Pollucem *Onomaſtic. l.* 1. *c.* 10. *num* 6. πέλτη Ἀμαζονικὴ, ὥς φησι Ξενοφῶν, παρεοικυῖα κιττοῦ πετάλῳ, *Pelta Amazonica, ut Xenophon, inquit, hederæ folio ſimilis eſt.* Prolixius Pierius *Hieroglyph. l.* 42. *Ut circulus deſcriptus lineâ diametrali diſſecetur: pars altera, quantum cubiti manuſque miniſterio deſerviat, relinquatur: altera duobus è lateribus excavetur: ita ut in medio ſpatium ſit inſertando brachio, cujus hoc ſit propugnaculum: extrema ad ſcuti marginem lunentur in cornua. Orbis illi duo hinc inde exempti, inſertandæ ſi opus ſit haſtæ, alter commodus, alter ad inſpectandum inſerviat.* Plinio *l.* 12. *c.* 5. *Foliorum* (ficûs Indicæ) *latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet.* Lutatio Placidio *ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 145. *Scuta Amazonum, quas* Peltas *vocant, in modum Lunæ formata ſunt;* cui ſimilia habet Serv. *ad Æn. l.* 1. *v.* 494. Vide Lipſium *in Analectis ad Milit. Rom. l.* 3. *Dial.* 1, *ubi ex antiquo marmore* Peltæ *iconem exhibet*, & ex illo Blancardum *Notis in Curtium l.* 3. *c.* 2. ac Keuchenium *Not. ad Nepotem mox laudandum.* Amazonum fuêre propriæ, ut præter dicta Sueton. *Nerone c.* 44. docet: *Securibus peltiſque Amazonicis inſtruendi.* Ovid. *Amorum l.* 2. *El.* 14. *v.* 2. Claudian. *de Raptu l.* 2. *v.* 62.

Qualis Amazonidum peltis *exultat ademtis*
Pulchra cohors. ———

Statius *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 131.

Vellet Amazoniâ latus intercludere Peltâ &c.

Vide quoque Smyrnæum *l.* 1. *v.* 147. Imò adeò huic genti amatæ, ut ſepulchrum etiam Reginæ earum Antiopæ hac formâ factum in Græcia terra, tradat Pauſan. *l.* 1. Ad alias inde gentes tranſiêre. Et quidem in Græciam hoc ſcuti genus, amotis vægrandibus clypeis, quales Heroum, Herculis, Achillis, Ajacis, Æneæ, fuiſſe, ex plurimis iis inſculptis rebus, docent *Homerus, Heſiodus, Virgilius*; primus invexit Iphicrates, ut in ejus *Vita* videre eſt, apud Corn. Nepotem, *c.* 1. ad quem vide laudatos Joanni Savaronio *de Peltis* auctores. Etiam apud Romanos earum uſus. Liv. *Dec.* 4. *l.* 1. *Nocte cetratos, quos* Peltatos *vocant, locô opportunô, inter bina caſtra, in inſidiis abdiderat.* Alios. Hinc Silius *Punicorum l.* 2. *v.* 76.

——— lunatis Biſtones armis.

Abbo *de Obſid. Pariſ. Lutet. l.* 1.

Vah! multoſque terunt Danos, plures quoque peltas, &c.

Materia ex ære fuit, ut docet Xenophon Ἀναβάσ. 5. & Polybii *Ecloga de Legation.* cui nonnunquam gemmæ additæ, ornatus causâ. *Gemmatæ* ſic *peltæ* meminit prædictus Silius *l. cit.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum l.* 10. *c.* 10. præter Auctores ſuprà laudatos. Cœterùm Amazonicas cum Thracicis perperam confundere Lipſium, ait Salmaſ. cùm Amazonicæ *peltæ* hederæ folio ſimiles, Thracicæ autem quadratæ fuerint. Namque de his *Suidas*, Πέλται, ἀσπίδια τετράγωνα. Dionyſ. quoque Halicarn. *l.* 2. iſtiuſmodi ſcutum quadrangulum & oblongum, ῥομβοειδὲς σχῆμα

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

σχῆμα vocat: τῇ δ' ἐυωνύμῳ κατέχει πέλτην θρᾳκίαν ἡ δ' ἐϛι ῥαβδοειδεῖ θυρεῷ ϛενωτέρως ἔχοντι τὰς λαγόνας ἐμφερής. Quid autem ῥαβδοειδὲς σχῆμα ſit explicat Pollux, cùm maculas retium iſtiuſmodi σχῆμα efficere tradit. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 20. & *ad Solin. p.* 1016. nec non plura de hôc ſcuti genere, apud J. Lipſium *Analectis ad Militiam d.l.*

PELTÆ, urbs Phrygiæ majoris, *Steph.* Nunc *Pelti* ſeu *Felti. Leuncl.*

PELTENI, Lycaoniæ populi, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

PELTINUS campus, Aſiæ minoris locus, quem Strabo ſuô tempore *Phrygiæ campum* dictum ſcribit, *l.* 13.

PELVA, Pannoniæ oppid. *Anton.*

PELVIS, in ſacris olim adhibita. Livius *l.* 27. *c.* 37. *Tacta de cælo ædes---prodigiumque id ad matronas pertinere Aruſpices quum reſpondiſſent, donoque Divam* (Junonem) *placandam eſſe---donum pelvis aurea facta lataque in Aventinum, puréque & caſtè à matronis ſacrificatum.* Etiam in divinationibus, quod genus Λεκανομαντεία dictum; λεκάνη enim Græcis *pelvis* eſt. Implebant nempe plerumque aquâ, aliquando etiam oleô, vinôque *pelvim*, & ternos lapillos in eam conjicientes, quos orbes ad fundum deſcendentes facerent, obſervabant, uti docet Franc. Roſſæus *Archæologiæ Atticæ l.* 7. *c.* 1. De *pelvibus æneis*, ad excæcandum, olim hodieque in Oriente, adhiberi ſolitis, vide ſuprà in voce *Abacinare*: uti de luſu, nuces in *pelvim* mittentium ſuprà, voce *Nux*. Simile *pelvi* præfericulum fuit, de quo infrà.

PELUS, inſula juxta Chium. Gentile *Peluſius. Steph.* Mons item Tuſciæ apud Catonem.

PELUSIUM, oppid. in extrema Ægypti ora, quæ Caſiotidi contermina eſt, à quo & extremum Nili oſtium, cœteris Orientalius, quô Ægyptus ab Aſia terminatur, *Peluſium*, ſeu *Peluſiacum* vocatur. Nunc *Carabes* Tyrio, Lucan. *l.* 8. *v.* 466.

In vada decurrit Peluſia ſeptimus amnis.

Vicus, *Belbais* hodie, teſte *G. Tyriô*, ſeu *Belves*: ex ejus ruinis crevit Damiata, urbs ei ferè adjacens, in adverſa ripa Nili Peluſiaci. Prope oram littoralem maris Mediterran. 150. mill. ab Alexandria in Ortum, 120. à Memphi in Cæciam, ſub Turcis. *Æliopolis* olim dicta, ab Ælio Principe, qui eam triplici cinxerat murô; *Sabellicus.* Incolæ *Peluſiotæ*, quos Pathruſæos eſſe; ut nonnulli volunt, falſum eſt, cum ob alias cauſas, tum maximè, quia Ezechielis *c.* 30. *v.* 14. & 15. diverſa loca ſunt *Pathros*, & *Sin*, i.e. *Peluſium*, ut rectè interpretatur Hieronym. Nam Peluſio nomen fecit πηλὸς, h. e. *lutum*, Strabo *l. ult.* Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ Πηλούσιον κύκλῳ περικείμενα ἔχει ἕλη ἅ τινες Βάραθρα καλοῦσι, καὶ τέλματα. Et paulò pòſt ὠνόμαϛαι δὲ ἀπὸ τοῦ πηλοῦ. Meritò ergo (inquit Bochart. *l.* 4. *Phaleg, c.* 27.) Peluſium סין *Sin* appellatur à Syris, quibus סין id ipſum eſt, quod Græcis πηλός. Rurſus Ezechiel dicit, *Sin* eſſe מעוז מצרים, h.e. robur Ægypti, quia ex illa parte Ægypti, eſt aditu maxime difficilis. Strabo *l.* 17. Ταύτῃ δὲ καὶ δυσείσβολός ἐϛιν ἡ Αἴγυπτος. Et Diodor. Sic. *l.* 15. Μάλιϛα τὸ Πηλουσιακὸν ϛόμα κατεσκεύασαν, διὰ τὸ κεῖσθαι μὲν αὐτὸ πρῶτον πρὸς τοὺς ἀπὸ Συρίας πορευομένους. Suid. Πηλούσιον, &c. κλεὶς τῆς Αἰγύπτου καὶ εἰσόδου καὶ ἐξόδου. Polyænus *l.* 7. *Stratagem. c.* 9. Καμβύσης Πηλούσιον ἐπολιόρκει, Αἰγύπτιοι κρατερῶς ἀνθίϛαντο, ἀποκλείοντες τῆς Αἰγύπτου τὰς ἐμβολάς. Juxta Peluſium eſt optima lens. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 228.

Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.

Ubi Servius: *Peluſium unum eſt de* 7. *oſtiis Nili, ubi optima lens naſcitur, unde* κατ' ἐξοχὴν *locutus eſt.* Martial. *l.* 13. *epigr.* 9.

Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem.

Auſonius *Idyll.* 12. *Technopægn.*

Et Peluſiaco de ſemine plana teres lens.

Ubi *planam* & *teretem* dicit, quia *duo genera ejus in Ægypto, alterum rotundum, nigriuſque alterum ſuâ figurâ*, uti loquitur Plin. *l.* 18. *c.* 12. Inde Alexandrini σύντροφοι τῷ φακίῳ βρώματι, h. e. *lente plurimum veſcebantur*: ac tota urbs πλήρης φακίνων, plena lenteorum, teſte Cynulcô apud Athenæum, *l.* 4. Bochart. *loc. cit. Lloyd. Peluſia* dicitur apud Jul. Capitolinum *in M. Antonino Philoſ. c.* 23. *Sacra Serapidis à vulgaritate Peluſiæ ſubmovit.* Ita enim omnes libri: etiam princeps editio *Peloſiæ*. Sic itaque eſſet *Peluſia* pro *Peluſium*. Licenter enim Veteres egiſſe notum, in urbium nominibus enumerandis, tum in genere tum in numero, ut τὰ Λούγδουνα, pro *Lugdunum*: *Tyanæ*, pro τὰ Τύανα: & *Megara Megaræ*, pro τὰ Μέγαρα, ac ſimilia. Similiter Πηλιὼν urbs Theſſaliæ & Πηλία, Salmaſ. *ad loc.* Caſaubon. verò, nec reluctante Salmaſiô, apud Capitolin. reponit, *Peluſia*, legitque, *à vulgaritate Peluſia*, i. e. *Peluſiaca.* Urbem enim hanc Ægypti nemo unquam *Peluſiam*, inquit, dixit, omnes *Peluſium*: unde deductum Gentile variè formârunt. *Stephanus*, τὸ ἐθνικὸν Πηλουσιώτης, ὡς Ζεφυριώτης ἀλλὰ καὶ Πηλούσιος καὶ Πηλουσιακὸς, *Gentile Peluſiotes, ut Zephyriotes: etiam Peluſius & Peluſiacus.* Appellat verò hîc *Peluſiam vulgaritatem* Capitolin. cives Peluſiotas, & omnem illam turbam, quæ, Serapææ feſtivitatis causâ, eò ſolebat ex cœtera Ægypto convenire: in quam & mercimonii causâ concurri conſueviſſe, tradit Hieronymus, qui *Peluſiacam lentem*, apud Poëtam. interpretatur, contra Veter. Criticorum ſententiam, *Non quòd ibi genus hoc leguminis gignatur quàm maximè: ſed quòd è Thebaide & omni Ægypto per rivum Nili illuc plurimus deferatur.* Videntur etiam Ludi *Peluſii*, quorum meminit Tertullian. *de Bapt.* magna hominum frequentiâ celebrati. Cùm igitur *Peluſiotæ*, obtentu ſacrorum Serapidis & religionis ludorum, multa flagitia & ſcelera ſoliti eſſent exercere, ut eorum petulantiam coërceret Marcus, ſacra iſta illis ademit. Nam alioqui mirum, ſacra Ægyptiaca, quæ etiam Romæ eſſent permiſſa, urbi Ægyptiacæ adempta fuiſſe. Sed populi hujus perverſam mentem & pravos mores etiam proverbiô notârunt Veteres. Hinc apud Hieronymum ſæpius *Peluſiota*, ſtulti hominis & Marrucini convitium eſt, alluſione factâ non minùs ad mores civium, quàm ad nominis veriverbium. Neque enim Ægyptiaca vox eſt, ſed Græca: παρὰ τὸ πηλὸς, ut docet *Strabo*, ut ſi *Lutetiam* à *luto* dicas. Et digni ſanè fuerunt Peluſiotæ, qui riſum omnibus tollerent, cum ſuo illo Deo mirifico, *crepitu ventris inflati*, quæ, ut idem Hieronymus ſcribit, *Peluſiaca fuit religio, Comm. in Eſaj. l.* 12. *c.* 46. Quò, niſi fallor, Lactantius reſpicit, quando pòſt Ægyptios, ob turpiſſimarum pecudum cultum, reprehenſos, eos etiam quædam *pudenda dictu* tanquam Deos adorare, adjicit, *div. Inſtitut. l.* 5. *c.* 21. Inde iiſdem *cepe* in veneratione, à quo, ut & allio, facilè ad illa tranſitur. Lucian. *Jov. Tragic. Tom. III.* ad peculiares cuique Ægypti regioni urbive cultores tranſiens, Ἰδίᾳ δὲ, ſubjungit, Μεμφίταις μὲν ὁ βοῦς Θεὸς, Πηλουσιώταις δὲ κρόμμυον, *Cœterùm privatim Memphitis quidem bos Deus eſt, Peluſiotis verò cepe.* Unde iterum Hieronym. *adv. Jovinian. l.* 2. *Impelle*, ait, *ſi vales, Peluſiotem, ut manducet cepe.* Et *loco* ſuprà *cit. Ut taceam de formidoloſo & horrido cepe*, &c. Quanquam Voſſ. *de Orig. Idolol. l. III. Part.* 1. *c.* 5. *ſub fin.* de Ægyptiis iſtis credere malit, illos crepitus hos turpes non propriè pro Diis, ſed (ut tota ferè eorum religio ſymbolica fuerit) pro ſignis habuiſſe divinæ potentiæ, quia nimirum & ſervandi, & quando intempeſtivè & pervicaciter nimis retineantur, perdendi hominis habeant poteſtatem. Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. Purior. C.* 1. §. 1. Ad locum Capitolini addit Gruterus, verba illa ita ſe capere, non ut omnino abſtulerit Imperator Peluſiotis omnibus Serapidis ſacra, ſed ab eis excluſerit vulgus promiſcuum, curâ eorum demandatâ Sacerdotibus tantùm ac viris primariis &c.

PELYNTRA, pedum faſciæ, apud Græcos, *Polluci* indigitatæ, ex Æſchyli *Phœniſſis*, à quibuſdam calceamentorum ſpeciebus accenſentur: quemadmodum & Dipodia, qui ſocculi erant lanei, & Autopodia ſex Anaxyrides, quas nonnulli ocreas, alii femoralia ſeu ſubligacula, interpretantur. Vide Ben. Balduinum *de Calceo ant. c.* 20.

PELYSIA, oppid. Hungariæ, Comitatus Pelyſienſis caput, qui inter Danubium ad Ortum, Comitatum Albenſem ad Occaſum & Strigonienſem ad Boream verſûs Budam extenditur, ſub Turcis. A Vaccia 15. mill. paſſ. in Africum Albam regiam verſus 26. & 20. à Buda in Occaſum.

PEMBA, provinc. regni Congiani, in corde quaſi regni.

PEMMA, oppid. in Arabia, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PEMMA, Græcè Πέμμα, quid ſit, A. Gellius docet *l.* 13. *c.* 11. *Nam quæ* πέμματα *Græci aut* τραγήματα, *ea veteres noſtri Bellaria appellârunt.* Propriè tamen aliud πέμμα, aliud τράγημα eſt. *Pemma* compoſitum quid & coctum, unde ei nomen: τράγημα ſimplex, & ſic ſiccatum, ut uvæ paſſæ, caricæ, palmulæ & ſimilia, Salmaſ. ad *Solin. p.* 1323. Vide quoque infrà, in voce *Tragema.*

PEMPHOS, inter veter. Thebanorum in Ægypto Reges V. fil. Athothis II. Fratri Diavii ſucceſſit, dictus *Heraclides*, regnavitque annos. 18. ſucceſſore Tœgur Amachô Momchirô, Eratoſthenes apud Marſhamum *Can. Chron.*

PEMPTE, urbs Ægypti: Inde *præfectura Pemptitis*, *Steph.*

PENA Johannes, Aquis-Sextiis natus, celebris Mathematicus, præter verſionem *Catoptrices*, etiam *Opticam Euclidis* Latinè reddidit, Voſſ. *de Scient. Mathem. p.* 355. reliqua ejus ſcripta enarrat Anton. Teiſſier *Elog. Part. I.* Petri Rami in hac arte præceptor. Obiit A.C. 1558. ætat. 30.

PENAFORTIUS Raimundus. vide *ibi*.

PENATES, Servio in *l.* 2. *Æn. v.* 514. *ſunt omnes Dii, qui domi coluntur*: parvæ icunculæ, quibus vinô & thure frequenter priſci faciebant. Dion. Halicarn. *l.* 1. *Hiſt.* Cicero, *pro Domo ſua.* Cartarius *in imag. Deor.* A *penus* dicti, teſte Tulliô *l.* 2. *de Nat. Deorum*: nempe quia coluntur in *penetralibus*, h. e. *penitis ædibus*, ut Iſidor. ait *extremo l.* 8. Eoque alludere videtur Poëta *Æn. l.* 1. *v.* 708.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.

Atque idcirco *Feſtus penetralia* dicit eſſe *Deorum Penatium ſacraria.* Qui *penates* dici putant, quaſi *penes nos nati*, aut *quorum beneficiô penitus vivamus & ſapiamus*, ut ἐτυμολογίζει Macrob. *l.* 3 *c.* 4. analogiâ ipsâ refelluntur. Nam ut à *magnus* eſt *magnas*, unde *magnates*; à *ſummus*, *ſummas*, unde *ſummates*; ab *optimus*, *optimas*, unde *optimates*: ſic à *penus* eſt *penas*, unde *penates*. *Penas* olim fuiſſe in uſu, cognoſcimus ex eo, quòd Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. ſcribat, ſe in pervetuſta æde ſub Veliâ conſpexiſſe Deorum *Penatium* ſigna, cum inſcriptione ΔΕΝΑΣ: quod ipſe fatetur eſſe PENAS. Porro qui ſint Dii *Penates*, non ſatis convenit; Cùm alii putent eſſe *Neptunum*, & *Apollinem*; alii *Jovem*, *Junonem*, & *Minervam*; alii *Cœlum*, & *Terram*. Hetruſci verò, quemadmodum tradit Arnob. *l.* 3. Deos *Conſentes*, ſive *Complices*, quorum & numerum & nomina, ignota eſſe docent. Et hæc ratio videri poſſit, cur Romanorum *penates* (quos eoſdem eſſe, ac *Samothracas* Caſſius Hemina ſcripſit, teſte Macrobiô *l.* 3. *c.* 4.) dicantur *Samothraces*, idque pro *Samthraces*, ab Ebræo סתר i. e. *occultare*, unde & *Saturnus* dicitur. *M.* inſertum, ut in *ſimpulum*, *ambubaja*, &c. Similitudo vocis *Samthraces* errori præbuit anſam, ut putaretur, Dardanum Deos hoſce ex Samothracia in Phrygiam, Æneam verò ex Phrygiâ in Italiam detuliſſe, quemadmodum ſcribit Varro *l.* 2. *rerum humanarum*, Voſſ. *l.* 1. *de Idolol. c.* 12. Vide Nat. Com. *l.* 4. *Mytholog. c.* 2. *Nic. Lloydius.* Ut & ſuprà in voce *Cabiri.* Roſinus *Penatum* varia recenſens genera, ait quoſdam eſſe totius generis humani, ut Palladа ſummum æthera, Jovem medium & Junonem infimum; Alios cœli, alios cujuſque civitatis, alios cujuſque domus. Quos in Italiam Deos *Penates* Æneas portavit, quorumque templum in octava urbis regione collocatur, quinam ii fuerint, diſcrepant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Auctores. Alii enim volunt, Neptunum & Apollinem illos fuiſſe, quos muros Trojæ extruxiſſe conſtat: Alii Veſtam dicunt, alii alios. Dionyſ. Halicarn. *loc. cit.* refert, ſe vidiſſe Romæ in templo obſcuro & humili, non procul à Foro, ſimulachra Deorum Trojanorum, cum hac inſcript. *Denates* pro *Penates*: fuiſſe autem duos haſtatos Juvenes, ſedentium habitu, admodum antiqui operis; & addit, ſimilia horum ſimulachra, militari habitu, in multis quoque aliis templis conſpici. Lud. Vives Veſtam non tam fuiſſe ex *Penatibus*, quàm *Penatibus* additum focum, & duos illos Juvenes, de quibus Dionyſius, Caſtorem, & Pollucem eſſe contendit; quos tamen negat *Penates* Trojanorum fuiſſe, cùm ſub ipſum bellum Trojanum, raptâ jam Helenâ, primùm vitæ conceſſerint. Vide illum *in Auguſtin. de Civ. Dei l.* 1. *c.* 3. Cui Voſſius, quoad prius aſſentiens, addit: *Hos enim coluêre Romani: & potuêre eos credere Urbis cuſtodes, propter operam nobilem, quam bellô navâſſe Latinô dicebantur*, *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 12. At de *Penatibus* Trojanis ab Ænea advectis, ut Dionyſius ac Livius credi volunt, *ibid.* ait: *Sed vulgarem adversùs opinionem de Æneæ in Italiam adventu multa objici poſſunt: & ut habeamus fidem hoc aſſerentibus, non propterea Æneas in Latium magis, quàm Antenor in terras Euganeas patrios advexerit Penates.* Dictatorem cœteroſque Magiſtratus Romanos, quô die dignitatem quiſque ſuam inibat, ſacra *Penatibus*, & Veſtæ facere conſueviſſe, refert Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 14. An inter occulta ſacra, quæ præter ignem perpetuò ardentem, in Veſtæ delubro, ingenti Religione aſſervabantur, Dii quoque *Penates* fuerint, vide eundem *l.* 2. *c.* 12. Eorum ſacraria Feſto *Penetralia* dicuntur, vide *infrà*. Iiſdem ſomnia ſua Veteres narrabant, Propertius *l.* 2. *El.* 29. &c.

PENAX, Codex Croylandiæ, ſub Joffrido Abbate, MS. *Pulcherrimumque* Penacem *per incendium illud tunc perdidimus, & valde ſumptuoſo de omni genere metalli, pro varietate ſiderum & ſignorum, mirabiliter fabrifactum. Saturnus enim plumbeus, Jupiter autem aureus, Mars verò ferrugineus, Sol de aurichalco, Mercurius Electrinus, Venus de ſtanno, & Luna fuit de argento. Coluri & omnia ſigna Zodiaci, juxta ſuas naturas, ſuas imagines & colores, variis formis & figuris arte fabrili ſortientes, multiplicitate tam gemmarum, quàm metallorum, & tam oculos quàm ingenia intuentium, ſuprà modum ſolicitabant. Non erat tale Nader notum aut nominatum. Rex Franciæ quondam illud* Turketulo *dederat, & ille in ſuo obitu communi Bibliothecæ, tam pro ornamento, quàm pro juniorum documento commendaverat jam igne vorace conſumptum, & in nihil liquefactum.* Ortus vocabuli: Pinax *eſt pugilaris ephemeris, tabula manualis ex pinis facta.* Pinax *etiam dicitur tabula, in qua Philoſophi figuras faciunt in ſuppoſito pulvere*, Vitruv. &c. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.*

PENBROCHIUM, urbs Walliæ Meridionalis in Anglia cum caſtro & portu. Paucis milliarib. à mari Hibern. vix 4. à portu *Milfordhaven*, vix 4. mill. paſſ. ab ora maris Virginii, uti 22. ab Octopitarum promontor. in Eurum. Caput Comitatus cognominis qui verſus Octopitarum promontor. & oram maris Virginii, ubi aliàs Demetæ populi, juxta Cardiganiam & Maridunenſem provinc. ſitus eſt, quibus ad Ortum terminatur.

PENDA, inſula Oceani Æthiopici in ora Zanguebariæ regionis contra Mombaciam urbem & Melindam, media fere inter Magadoxam ad Boream, & Quiloam ad Meridiem.

PENDENIUM, caſtrum munitum Cornubiæ, juxta Volemurthum portum in ora maris Britannici in colle, vix 13. mill. paſſ. à Damnonio promontor. in Cæciam, 28. ab Antiveſtæo promontor. in Ortum.

PENDENS, in *Ceremoniali Epiſc.* idem quod Baldachinum, vide *ſuprà*. Plural. *Pendentes*, apud Arculfum *de Locis ſacris*: *Ornata virgis ferreis*, pendentes, *brachialia, dextroceria, murenæ, monilia, annuli* &c. κρεμαστῆρες Græcis Scriptor. Gallis *Pendans d'oreilles*, vide Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Maximin. c.* 6. uti *de pendentibus ſub edicto Præfectorum*, apud Romanos, h. e. his, qui ſolvendo non erant, boniſque eorum venum expoſitis, edicto Præfectorum ærarii, Caſaubon. *ad Claudium Sueton. c.* 9. At *Pendulæ*, apud Durandum *Ration. l.* 2. *c.* 13. *n.* 4. & *Penduli*, non ſemel in *Monaſtico* Angl. *Tom. III. p.* 313. vittæ ſunt, quæ à Mitra Epiſcoporum dependent: Ἐνώτια Græcè Car. du Freſne *Gloſſ.* De *Pendulo*, Horologii genere, ab ingenioſiſſimo Hugenio, Batavo invento, vide *Hiſt. Societ. Regiæ* in Anglia.

à PENDICE Cedri, inter officia Domus Auguſtæ. Eſt autem *pendix*, Græce τὸ πῆγμα, quod & *pendigo*, unde *pendigines ſtatuarum Arnobio*, τὰ πήγματα, & *appendix*, παράπηγμα. Quidquid igitur arculatum, aut aliarum rerum è cedro compactum erat, hujus curam ſpectabat, qui à *Pendice cedri*, quaſi ἐπὶ τῶ πήγματος, dicebatur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 378.

PENDIGO, apud Arnobium *l.* 6. Vide *Labandago.*

PENEJUS, Nigro *Igliaco*, fluv. Elidis, in mare Ionium labens, inter Araxum & Chelonatem promontor.

PENELEUS, unus eſt ex quinque Bœotorum Ducibus, Homer. *in Catalogo.*

PENELOPE, Icarii filia, Ulyſſis uxor, inexpugnabilis caſtitatis mulier, ac pudicitiæ exemplar, quæ abſente totos viginti annos maritô, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro diſcedenti dederat, ſecundis nuptiis violaret. Cùm autem proci acriùs inſtarent, atque vim illaturi viderentur, tantùm moræ ab illis ſibi pepigit, quantum telæ, quam tum in manibus habebat, abſolvendæ ſufficeret. Quod cûm impetrâſſet, mulier aſtuta, quicquid interdiu texuerat, noctu retexebat, eôque commentô eorum cupiditatem in reditum mariti diſtulit, qui ab illâ mendici habitu hoſpitiô ſuſceptus, procos ad unum omnes interemit, Homer. *Od.* Ovid. *ep.* 1. Bocatius *de claris mul.* Dictam autem volunt *Penelopen*, ab avibus, quæ *Penelopes* dicuntur, ſive *Meleagrides*, cùm anteà *Arne* diceretur, quaſi abjecta & repudiata. Ferunt enim, cùm ab Icario, Peribœâque parentibus eſſet expoſita, ab hoc avium genere fuiſſe educatam. Hujus fabulam diverſimodè ab Homero, aliiſque traditam latè explicat Nat. Comes *l.* 8. *c.* 24. *Difficilis procis* Horat. dicitur, *Car. l.* 3. *Od.* 10. *v.* 11. Propert. *l.* 3. *El.* 12. *v.* 24.

Nec fida, Evadne, nec pia Penelope.

Ælian. *Var. hiſt. l.* 14. *c.* 45. Γυναῖκας τῶν Ἑλλήνων ἐπαινῶ μὲν, Πηνελόπην, Ἀλκῆστιν, καὶ τὴν Πρωτεσιλάου. Hinc *fides Penelopea* apud Ovid. *Triſt. l.* 5. *eleg.* 14. *v.* 36. Martial. pro caſta poſuit *l.* 1. *epigr.* 63. *v. ult.*

——— *Penelope venit, abit Helene.*

Idem *l.* 11. *epigr.* 8. *v.* 5.

Penelope licet eſſe tibi ſub principe Nervâ.

Propertius *l.* 2. *eleg.* 9. *v.* 3.

Penelope potuit bis denos ſalva per annos
Vivere, de multis fœmina digna procis.

Nomen habet à πῆνος, vel πήνη *tela*, & λόπος, i. e. *veſtis*, quaſi è tela veſtem componens. Inde

——— *Vos tenui prægnantem ſtamine fuſum*
Penelope melius, levius torquetis Arachne.

Nic. Lloydius. Ita quidem Poëtæ plerique, ex fide Homeri. At contrà Hiſtoricorum veterum nonnulli, eam impudiciſſimam fuiſſe. & cuivis obvio corporis ſui copiam feciſſe, referunt, Duris Samius *l. de Agathocle*, & *Lyſander* Hiſtoriæ vetuſtiſſimus Scriptor. Tzetzes Scholiaſtes, *domeſticâ turpitudine offenſum Ulyſſem, ad Circen rediiſſe, & à Telemacho filio necatum*, prodit *ad Lycophronis Alexandram*, cui illa dicitur Βασσάρα πορνεύσα, *Baccha ſcortans.* Aliis placet, *Ulyſſem, ob admiſſos procos, cum illa divortiô factô, Lacedæmona conceſſiſſe, inde Mantineam, ibique diem extremum clauſiſſe*, quod relatum à Pauſania *in Arcadicis.* Et Helen. Acron, *ad illud Horatii l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 28. *Sponſi* Penelopes, *nebulones: Penelope*, inquit, *meretrix fuit, quæ amatores ſuos pulchritudine ſuâ luxurioſos reddebat.* Certè argumentum minùs caſti animi fuit, quòd *à procis munera accepit*, Homer. *Od.* σ. *& mariti ſui Ulyſſis interfectori nupſit*, è quo connubio Italus natus, Jul. Hyginus *in fab.* 127. ob quod ipſe Ulyſſes, apud Sabinum *in Epiſt. reſponſ.*

Tot Juvenes inter, tot vina liquentia ſemper,
Heu! mihi, quid credam? pignore caſta manes.

Eodem trahunt, quòd Procorum habitô delectu, ut fortiori valentiorique poſſet concumbere, arcu tentavit ſingulos, ut teſtatur Auctor incertus Priapejorum carminum. Eſt quoque apud Paulum JC. *l.* 3. *ff. ſi pars hæred. petat.* locus varietate Lectionis controverſus, qui huc apprimè facit: *Alioquin tradidêre non leves Auctores, quinquies quaternos enixam Penelopem*; quæ lectio Accurſio placuit, aliis *Peloponenſem*, *Peloponenſiam*, item *Proconneſiam*, ut apud Plin. *l.* 7. *c.* 3. legentibus. Et cui ignota fabula de Pane, ex Mercurii, in hircum verſi, & *Penelopes* parùm caſto commercio prognato. *Eum* certè *ex adulterio ſuſceptum, à Mercurio, matre Penelope*, docet Cicero *de Nat. Deor. l.* 3. Idem habet Jul. Hyginus *fabul. c.* 224. Adde Simonidem *Epigr.* 84. *l.* 4. *Antholog. c.* 12. Theætetum *ibidem loci Epigr.* 85. Auſonium *in Eidyll.* 3. *Moſellâ*, *v.* 174. Herodotum *l.* 2. Lucianum *in Dialogis Deorum*, Gregor. Nazianzenum *Orat.* 1. *in Julian.* &c. Unde Nonnus Panopolita *l.* 24. *Dionyſ. v.* 87. υἱέα Πηνελόπης, *Filium Penelopes.* Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 3. *c.* 2. Inter Zeuxidis opera, *Penelope* eximiè celebratur Plinio *l.* 35. *c.* 9. *Fecit & Penelopen, in qua pinxiſſe videtur mores & athletam. Adeoque ſibi in illo placuit, ut verſum ſubſcriberet, celebrem ex eo, inviſurum aliquem faciliùs, quàm imitaturum.* Cujuſmodi picturas, ἠθικὰς appellatas, atque in iis excelluiſſe Ariſtidem Thebanum, diſcimus ex Cœlio Rhodig. *l.* 29. *c.* 24.

PENESTÆ, populi, Theſſaliæ, *Steph.* Sic Athenis Θῆτες dicti ſunt, ἀπὸ τῆς πενίας, à *paupertate* quod ſervorum aut ſervis conveniens nomen. Apud Theſſalos, Πενέστας appellatos eſſe, non qui genere, ſed fortunâ, ſervi eſſent, quorumque media inter ſervas & liberos conditio, ait Connanus, apud Jo. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide quoque retro *Patronus.*

PENESTIA, regio Illyriæ, Liv. *l.* 43. *c.* 21.

PENEJUS, fluv. Elidis in Peloponneſo, in mare Ionium labens inter Araxum & Chelonatem promuntoria. *Igliaco Nigro.* Siciliæ fluv. *Theocriti Scholiaſtæ.*

PENETALE Monaſterium, Gall. *Peneti*, in minori Britannia Galliæ provinc. conditum dicitur à Samſone, &, Dolenſi Monaſterio ſubjectum, Diœceſi Dolenſi continetur. Meminit loci, Monaſteriô veteri clari, veterrima Samſonis *Vita*, quam in membranis ſcriptam ſe legiſſe, refert Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

PENETRALE Sacrum, cujus mentio apud Æl. Lamprid. *in Antonino Heliog. c.* 6. *Sacra P. R. ſublatis penetralibus* (*ſimulacris* vel cœteris rebus, quæ pro ſimulachris colebantur; quæ *penetralis* & inſpexit & tractavit & loco etiam movit, in Dei Heliogabali templum omnia conferens) *profanavit. Ignem perpetuum extinguere voluit. Nec Romanas tantùm extinguere voluit religiones, ſed per Orbem terræ, unum ſtudens ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur: & in penum Veſtæ, quod ſolæ Virgines ſolique Pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipſe omni contagione morum, cum iis qui ſe polluerunt, &* Penetrale ſacrum *auferre eſt conatus*: Palladium erat, quod *fatale pignus Romani Imp.* vocat Liv. *l.* 26. Vide plura de eo apud Herodian. *l.* 1. *c.* 14. Erant autem iſtiuſmodi Palladia ex ligno, ſed *auro vincta*, ut videre eſt ſuprà, in voce *Palladium.* Alias *Penetralia*, propriè dicta fuêre *Penatum* ſacraria, in penitiſſima ædium parte, *Feſt.* Laxiùs dein vox ſumi & ad quorumvis Deorum templa extendi cœpit; unde Servius *ad Æn. l.* 2. *v.* 484. & *l.* 6. *v.* 71. *Penetralia* exponit *ſecreta templorum.* In ſingu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſingulari non rarò, ut inter alia apud Feſtum Avienum *in deſcript. ora maritima*,

Templum in illa Veneris & Penetral *cavum.*

Ab Adyto & Delubro diſtinguit Dempſterus, aitque, honoratiorum principumque virorum cadavera in *Penetrali* fuiſſe recondita: Sueton. *Aug. c.* 18. *Per idem tempus conditorium & corpus Alexandri M. cùm prolatum è penetrali ſubjeciſſet oculis.* Ibidem & victimas immolatas, Lucian. *l.* 2. *v.* 127.

Ante ipſum Penetrale *Dea, ſemperque calentes*
Mactavêre focos. ——— ———

Pretioſiſſima quoque eodem loci abdi fuiſſe ſolita, ut metus præſentis Numinis ſacrilegos abſterreret, ſuggerit idem Poëta *l.* 5. *v.* 146.

——— *Illa pavens adyti* Penetrale *remoti*
Fatidicum, prima Templorum in parte reſiſtit.

Quippe hic ſimulacra ipſorummet Deorum erecta ſtabant. Claudian. *de Raptu l.* 3. *v.* 112.

——— ——— *Penetralibus amens*
Exilit.

Idem *de Honorii Conſulatu* 4. *v.* 570.

——— ——— *Sic Numina Memphis*
In vulgus præferre ſolet, Penetralibus *exit*
Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infrà
Liniger.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 2. E quibus facilè patet, *Penetral* ſanctiſſimum fuiſſe in Templis locum, & Adyti, quod ipſum intrare ſolis Sacerdotibus fas erat, ſecretiorem partem, unde & Oracula reddita: quamvis cum Adyto non raro confundatur. Unde Rhellicanus interpres vocem Græcam ἄδυτα, apud Cæſ. *Bell. Civ. l.* 3. *c.* 105. *ſecretum & Penetrale ſacrum* reddit. Jul. quoque Firmicus *de errore profan. Relig. in Adytis*, inquit, *habent Idolum Oſiridis ſepultum*: & Seneca *Thyeſte Actu* 4. *Sc.* 1. *v.* 680.

Reſponſa dantur certa, dum ingenti ſonô
Laxantur Adytô Fata, &c. ———

Cùm in Delubro, *ſacrificaturi ſe abluerent*, Iſidor. *l.* 15. *c.* 4. & de futuro ſoliciti, cæſarum ovium pellibus incubantes, ſomnia captarent, qua de re vide ſuprà, in vocibus *Delubrum*, & *Melotæ*. A Diis ad Principum ſecretiora loca denotanda, per licentiam, tranſiit vox, uti notat Servius. *Æn. l.* 2. *v.* 513. Unde Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 175.

Ventum ad Concilii penetrale, *domumque verendam*
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger
Rerum extrema movens, fruſtra conſultat Adraſtus:

voce hâc intimum locum conſilio habendo intelligit. Et Boëthius *de Conſolat. l.* 1. *c.* 4. ubi ait, *Prætereà penetral innocens domus, honeſtiſſimorum cœtus amicorum*, intima arcana domeſticarum rerum per eam deſignat. Originem vocis quod attinet, *Penetrale*, quòd *penetrari* ſoleat raro, dictum notat Agrœtius, apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.*

PENEUS, fluv. Theſſaliæ inter Oſſam & Olympum decurrens, collibus dextrâ lævâque molliter curvis. Ex Pindo monte oritur, & per Tempe in ſinum Pegaſicum influit. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 568.

Eſt nemus Hæmoniæ, prærupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe, per quæ Penêus ab imo
Effuſus Pindo ſpumoſis volvitur undis:
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, ſummaſque aſpergine ſilvas
Impluit, & ſonitu pluſquam vicina fatigat.

Catullus, *Epigr.* 69. *v.* 109.

Quale ferunt Graji Peneum propter amœnum.

Torrens dicitur Senecæ, *Phœniſſ. v.* 67.

Novâ concurrit Theſſalus torrens viâ.

Ἀργυροδίνης Homero, *Il.* β. *v.* 753.

Οὐδ᾽ ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ.

Hujus fluvii ripâ Daphne in laurum fingitur commutata. Unde *Peneia Daphne* apud Ovidium, *l.* 1. *Met. v.* 452. & *Peneia laurus* apud Val. Flaccum *l.* 1. *v.* 386. *Nic. Lloyd.* Hodie *Salampria Sophiano*; *Pezin* verò *Theveto* dicitur. Recipit fluvios Ion, Pamiſſum, Phœnicem, Curalium & Apidanum; dein Lariſſam rigans, 40. mill. paſſ. infra ad Ortum, inter Olympum & Oſſam, prope Theſſalica Tempe in ſinum Thermaicum ſe exonerat, *Baudrand.*

PENGABUM, i. e. quinque aquæ, regnum Indiæ propriæ ſub M. Mogole. Aliter *Laboria*; à quinque fluv. irrigatur. Habet à Septentrione Caſſimeriæ regnum, à Meridie Jenupariam, ab Occidente Multanum. Urbs præcipua Lahorium.

PENIA Henricus, vide *Henricus.*

PENICA, urbs Miſniæ, ab Anneberga 3. leuc. Lipſiam verſus, quot à Chemnitio diſtans; *Penigk.*

PENICULUS & PENICILLUS, vide *Spongia*, it. *Stylus.*

PENIDAS, unus ex amicis Alexandri Magni, qui ſpecie legati miſſus eſt ad Scythas, qui Europam incolunt, nuntiatum, ne Tanaim amnem regionis injuſſu regis tranſirent; ſimul contemplatum locorum ſitum & illos quoque Scythas, qui ſuper Boſporo incolunt, viſum, Curt. *l.* 6. *c.* 6.

PENINÆ Alpes, aliis *Penninæ*, & *Pœninæ* Plinio *l.* 3. *c.* 17. Marcellino *l.* 15. *&c.* ab Hannibalis, Pœnorum ducis, tranſitu dictæ videntur: & ſcribit *Jovius* apud Bardum, qui vicus eſt inter Eporediam & Auguſtam Salaſſorum, ubi vallis arctiſſimè coit, literas cotibus inſculptas oſtendi, tranſitus hujus monumentum. Sed graviſſimi autores aliâ in Italiam viâ Pœnum penetrâſſe tradunt, & *Merula* cenſet, ejus exercitum, in varia agmina diviſum, pluribus locis trajeciſſe. Imo ex Polybio *l.* 3. apparet, Hannibalem per Allobrogum fines, aut Vocontiorum, i. e. per Delphinatum tranſiiſſe, ut ait Sabellic. *Enn.* 5. *l.* 1. Aliis *Penninæ*, quaſi *Pinninæ* dicuntur, à celſi cacuminis eminentia, quod *Penum* incolæ, *Pennum* antiqui, quaſi *Pinnam*, dixêre. Alii à *Pen* Deo ibi culto, quem Jovem fuiſſe, docet Cluverius *l.* 1. *c.* 26. vocis originem arceſſunt. Niſi forte is *Pan* fuit, Veragris *Pen* appellatus. Sunt autem *Penninæ* eæ Alpes, quæ ab Octoduro Auguſtam Prætoriam verſus porriguntur, ſummuſque *Penninus Antonino* is eſt, quem montem Jovis *Mont jou* vocant multi ſuperioris & noſtræ ætatis ſcriptores; & qui hodiernâ appellatione vocatur *Mons S. Bernardi major*, Gall. *Grand S. Bernard. Lazius*, *Pinzgew* interpretatur. Veſtigium nominis veteris, apud Salaſſios eſt, in valle *Pelinna*, quæ Auguſta Prætoriâ ſeu Salaſſorum ad *Penninum* ducit, *Valeſianorum* hanc vallem eſſe opinatur *Rhenanus*, ſed ſitus non patitur: nec ſuffragium impetrat Cluver. *l.* 2. *c.* 6. cùm *Penninos* ad totum Valleſianorum tractum extendit, nimis enim ſic Orientem verſus illos prorogat, quemadmodum *Jovius*, & *Martianus* ad Meridiem nimis. *Pennini* jugi incolas Veragros Livius ponit, *l.* 21. *c.* 38. unde ſententiæ ſuperiùs allatæ fulcimentum non leve. Lipſ. *in Tacit. Hiſtor. l.* 1. *c.* 61. Simlerus *de Alpib.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Novâ & Antiq.* Tſcudus, Livius, &c. Vide quoque in *Pennina.*

PENINIM, vox Hebr. פנינים, Proverb. *c.* 3. *v.* 15. *Eſt pretioſior* τοῖς *Peninim*, *c.* 8. *v.* 11. *Melior eſt ſapientia* τοῖς *Peninim*. *c.* 20. *v.* 15. *Aurum &* Peninim *abunde ſunt, ſed labra erudita ſunt rara ſuppellex*, notat *Margaritas*, Chaldæo, & R. Salomoni *ad l.* Prov. *c.* 8. Et certè ad פנין *penin*, alludit πίννα, *pinna*, conchæ margaritiferæ nomen, in uſu, apud Græcos & Romanos. Vide Athenæum *l.* 3. Plin. *l.* 9. *c.* 35. Alios. Unde πίννινος λίθος, pro *margarita*, in Græca verſione Eſther. *c.* 1. *v.* 6. & πίννινον ἔριον, *pinnina lana*, paſſim pro *lana* ſeu *byſſo*, *quæ ex pinna educitur.* Indidem Veteres πιννικὸν vel pro ipſa *pinna* ſumunt, vel potiùs pro *margarita*: nam ex πίννα vel πίνα, quod animalis nomen eſt, primò fit πινικὸν, i. e. *margarita*, deinde adjectivum πινίκιος, unde πινίκιον κόγχον, apud *Arrianum*, pro *concha margaritifera.* Dein, Jobi *c.* 28. *v.* 15--19. ab argento & auro undecunque allato & gemmarum multis ſpecibus, videmus *Peninim* diſtingui: adeoque hôc nomine omnes *gemmas* ſignificari, quod quidam contendunt, falſum. Sed neque eſt gemmæ certa ſpecies, cùm gemmarum quidem nomina Scriptura in ſingulari numero ſoleat efferre, *Peninim* verò non niſi in plurali uſurpet. Nempe in annulis & in ornatu quotidiano, ferè ſingulæ gemmæ adhibentur; at margaritæ, in torquibus & monilibus, plures conſeri ſolent. quod jam olim in uſu fuiſſe, apud Orientis Populos, teſtantur Scriptores vetuſtiſſimi. *Theophraſtus* de Indis & Rubri maris incolis, Ποιοῦσι δὲ ἐξ αὐτοῦ τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους, *Ex ea* (margarita) *faciunt, pretioſa monilia.* Chares Mitylenæus *Rer. Alex. l.* 7. de Medis & Perſis, Κατασκευάζουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλια, περὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, *Ex iis monilia & armillas adornant, circa manus & pedes.* Quem morem, poſt Lydiam victam Crœſumque, apud eos inoleviſſe, tradit Ammian. *l.* 23. *fin.* Atque hæc cauſa eſt, cur in margaritæ deſcriptione Kimchius, inter cœtera, *margaritam perforari* dicit, *& plures ejus generis lapillos ſimul conſeri*: cujuſmodi conſertas margaritas Auctor *Chron. ſec. Templi*, חוטי ברולח, *fila bedolach*, Romani *filum* aut *linum* aut *lineam*, appellabant. Hieronymi *Vita* Pauli Erem. *Qui unô filô villarum inſuunt prædia*: Pro eo quod Tertullian. *de Hab. mul. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur*, ait. Neque aliud *linea dives*, inter ludorum miſſilia, apud Martialem *l.* 8. *Epigr.* 78. *v.* 7.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

De quo loco vide Turnebum *Adverſar. l.* 29. *c.* 9. & Salmaſ. *in Solin. p.* 921. Eandem verò interpretationem Jobi verba *c.* 28. *v.* 18. *Et extractio ſapientiæ, præ Peninim*, ſcil. *quærenda*: egregiè confirmant. His enim alluditur admodum, quô vel conchæ vel margaritæ è fundo maris extrahuntur. Et conchas quidem Veteres duplici ratione extrahebant: Primò *urinando* & per κολύμβησιν, de qua, præter alios, Iſidorus Characenus agens, circa Inſulam Perſici maris, margaritis fertilem, caſas extrui dicit, *ex quibus ad ulnas viginti in mare proſilientes non niſi duas referre conchas*, nempe quâque manu ſingulas. Addit, in magno verſari periculo, qui margaritas ita venantur, quia ſi in hiantem concham rectâ manum indiderint, illa clauditur protinus & urinatorum digiti ſæpe ſic abſcinduntur, ut cruciatu ſtatim intereant: at qui à latere conchæ manum ſubjiciunt, ῥᾳδίως τοὺς κόγχους ἀπὸ τοῦ λίθου ἀποσπῶσιν, *facilè conchas ex ſaxo extrahunt.* Quò reſpiciens Manilius *Aſtronomic. l.* 5. ubi de Margaritarum urinatore.

Cumque ſuis domibus conchas valloque latentes.
Protrahit immerſas: ait.

Uberiùs de hac piſcandi ratione Lud. Vartomannus *Navigat. l.* 3. *c.* 2. ubi de Inſul. Perſidis ad quam margaritæ leguntur: *Sunt ibi*, inquit, *nonnulli, qui* (margaritarum) *piſcatu victum quæritant. Hi vecti cymbis in mare jactum faciunt prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit ab gemina cymbæ parte, ut, utrimque jactis in profundum lapidibus, conſtabiliri navis, non aliter, quàm ſi in anchoris foret, poſſit. Firmatâ ſuô pondere cymbâ, alius, cui id munus obtigit, in æquor jacit funem ſaxô dependente: In navi media alius, manticâ in pectus tergumque dependente, alligatô pedibus lapide, ſe vibrat in pelagus ſubtuſque aquas urinantium more natat, actuſque in profundum ad paſſus quindenos, tantiſper urinat, donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt margaritæ: collectas mantica indit, lapidemque protinus, quô pedes gravabantur abjicit funique innixus in ſuperiora evadit.* Hector Boëthius, quô locô agit de margaritarum piſcatione, in *Scot.* piſcantes id maximè obſervare refert, ut *primô attractu teſtas conjunctas arctiſſimè detineant, protinus illis alioquin unionem evomituris* &c. Alter conchas expiſcandi modus fuit, *per retia*, olim apud Indos in multo uſu, circa Perimudam inſul. de quo multa Ælian. *l.* 15. *c.* 8. Summa eſt, quô tempore Bactris imperabat Eucratides, Soran, Regii generis vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rum, Perimudam Indiæ urbem & inſulam tenuiſſe, cujus incolæ Ichthyophagi conchas margaritiferas retibus in orbem circa littus expanſis capiant. Has eſſe ϛρομβοειδεῖς, gregatim natare, & æquè, ac apum examina, Regem habere, cùm colore tum magnitudine præſtantem, quô captô cœteras duce orbatas facilè capi, ac proin piſcatores plus operæ in illo capiendo impendere. Vide Plin. *l.* 9. *c.* 38. Solin. *c. de Taprobane*, Alios. Etiam Patrum noſtrorum ævô, à Petro Matyritæ memoriæ traditum eſt, *Dec.* 3. *c.* 2. Novi Orbis Regulos retia & piſcaria, concharumque margaritas gignentium littora pro prædiis habuiſſe &c. Margaritarum verò è conchis extractionem quod attinet, illam quandoque non fieri ſine vi, docet idem Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Craſſeſcunt etiam in ſenecta conchiſque adhæreſcunt, nec iis avelli queunt, niſi limâ, quibus una tantùm & facies & ab ea rotunditas, averſis planities, ob id tympana appellantur.* Quô manifeſtè Job alludere videtur, quum operam, quæ in ſapientiæ comparatione inſumitur, vocat *attractionem l. c.* indigitans, rem eſſe plenam laboris, ſed quæ cùm ſemel ex animi voto ſucceſſit, inſumtæ operæ non pœnitet. Neque id prætereundum, quòd tam in Jobo, quàm in Proverbiis, recenſentur *Peninim*, unà cum auro & gemmis rebuſque pretioſiſſimis. De Margaritis namque Plin. *loc. cit. Principium ergo culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent*: Et margaritas longè pluris aurô æſtimâſſe Perſas & Indos, teſtatur *Chares Mitylenæus.* Quæ tamen certò definiri non poſſunt, cùm non ſit margaritis omnibus idem pretium, atque in iis candor & magnitudo & orbis, & lævor & pondus, pretium immenſum augeant. Unde apud Suetonium Cæſar. *c.* 50. Serviliæ ſexagies ſeſtertium margaritam mercatus eſſe legitur: & centies ſeſtertium ſe cœnaturam, profeſſa eſt Cleopatra. Ut non ſit, quòd miremur rem à CHRISTO traditam, mercatoris etiam opulenti cenſum univerſum abſumi in unius margaritæ coëmtione. Matth. *c.* 13. *v.* 45. 46. Hinc Manilius *l.* 5.

Cenſibus æquantur conchæ, lapidumque nitori
Vis uſquam eſt locuples, oneratur terra profundo, &c.

Neque tamen margarita res rara eſt: unde Salomo *Proverb. c.* 20. *v.* 15. *copiæ Peninim* meminit. Circa ſolam namque inſul. *Baharain*, de qua ſuprà, locorum incolæ, totô Juliô atque Auguſtô menſibus, margaritas ducentis cymbis, quandoque etiam trecentis expiſcantur, pretiumque earum, quæ quotannis inde educuntur, quingenta ducatorum millia ſuperat. Sed & alia Maris Perſici loca, ut *Catipha*, *Julpha*, *Camaron*, margaritis celeberrima ſunt. Sic in Arabiæ & Indiæ littorum pluribus locis πιννικοῦ κολυμβήσεις deſcribunt *Arrian.* & *Ptolemæus.* Sed quæ alii ſparſim habent, *Chares* in unum colligens, margaritas capi dicit, κατὰ τὴν Ἰνδικὴν θάλασσαν, ὡσαύτως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀρμενίαν καὶ Περσικὴν καὶ Σουσιανὴν, καὶ Βαβυλωνίαν, *in mari Indico & juxta Armeniam* (Bochartus ſcribit *Carmaniam*) *& Perſidem & Suſianam & Babyloniam.* Præter quæ loca, multô plura unionibus fœcunda detexerunt recentiorum navigationes: è quibus pauca hæc addemus. Americus, circa ſecundæ navigationis finem, gentis ignotæ in America meminit, à qua 119. unionum marchas ſeu ſelibras, quadraginta circiter ducatis comparaverit. Idem conchas nonnullas memorat, in quarum una 130. margaritas repererit; cùm 20. *ſolùm in una procreari* Veteres crediderint, apud Ælian. *Hiſtor. l.* 10. *c.* 13. Petrus quoque Martyr *Dec.* 3. *c.* 1. Tumaccum Regulum narrat, cùm Hiſpanos tanti facere uniones animadvertiſſet, ſuis ut ad piſcationem ſe accingerent imperâſſe, qui quartô die regreſſi, *libras octunciales unionum duodecim attulerint*, &c. Hactenus itaque apparet, *Peninim* Hebræorum margaritas eſſe. Nec obſtat, quòd *rubere* dicuntur Thren. *c.* 4. *v.* 7. cùm margaritarum *candere* ſit maximè proprium, atque in iis aliis colores non ſolùm infrequentes, ſed & vitioſi ſint. Namque Hebræorum אדם, etſi *rubere* propriè ſignificet, aliter tamen ſumi poteſt, æque ac Latinum *rutilare*, quod ſæpe nihil quicquam quàm *ſplendere* eſt. Unde Philoxeni *Gloſſæ*, λάμπω, *niteo, ſplendeo, rutilo.* Et Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 529.

Arma inter nubem cœli regione ſerenâ
Et cœlo rutilare vident.

Paſſimque in Poëtis, *rutilare* dicuntur Sol & Luna, ſplendoris, non rubedinis, quæ in illis vix apparet, ratione. Quô exemplô ab iiſdem *purpurea* vocantur, quæ ſunt eximii candoris, ut nix & cygni: eo quòd utrique colori, candido & purpureo, id commune eſt, ut admixti luminis habeant multum. Albinovanus *in Mæcenatis obitum*,

Brachia purpureâ candidiora nive.

Horatius ad Venerem *l.* 4. *Od.* 1. *v.* 10. 11.

Pauli, purpureis ales oloribus
Comeſſabere Maximi, &c.

Imò, quod maximoperè huc facit, illud ipſum verbum, quod Hebr. *rubere* eſſe diximus, Arabicè *candere*, ſignificat; hinc illis *Adamo*, de camelo & jumento quovis, eſt *maximè candidus*, &c. Itaque Propheta *l. c.* Nazaræos (quô nomine intelligit Bochartus populi Principes & Magnates) ante captivitatem Babylonicam, in boni habitus argumentum, ſuperâſſe indigitat candoris quaſi lumine, nivem & lac & margaritas; quas etiam à candoris luce & ſplendore nomen habere multi putant, quia μαίρειν & μαρμαίρειν *ſplendere* eſt & μαρμαρυγὴ *ſplendor.* Conferunt autem margaritæ candorem alii cum argento, alii cum piſcium oculis, apud Androſthenem: *Et in candore ipſo*, ait Plin. *loc. cit. magna differentia. Clarior in Rubro Mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimilat --- ſumma laus coloris eſt, exaluminatos videri*, nempe à liquidi aluminis colore, cujus probatio apud eundem eſt, *Ut ſit limpidum, lacteum, ſine offenſis fricantium, cum igniculo quodam coloris*, &c. Plura hanc in rem vide apud Bochart. *Hierozoic. Part. poſter. l.* 5. *c.* 6. & 7. ut & hîc paſſim in vocibus, *Margarita*, *Perla*, *Unio* &c.

PENINSULA, pars Galliæ Belgicæ extrema ad Occidentem & Boream, *la baſſe Bretagne.* Item, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. *Chorſoneſus Straboni*, in ora regni Valentini, in confinib. Cataloniæ vulgò *Peniſcla*, inter Dertuſam ad Boream, & Caſtellanorum oppidum in Auſtr. 6. leucis Valentiam verſus.

PENINSULÆ veter. clariores & majores: Aurea Cherſoneſus, quibuſdam *Sumatra*, inſula Indiæ ulterioris cum Peninſul. Sed revera eſt tantùm ipſa Peninſula, quæ aliter *Malacenſis*; ab Odiaa ſeu Indiæ urbe primaria regni Siami Malaccam uſque, à Septentrione in Meridiem extenſa; Cimbrica, nunc Holſatia & Jutia, *Jutland*; Peloponneſus, omnium maxima; Taurica, *Gazaria*, & *Tartaria minore* Sarmatiæ; Thraciæ, ubi Callipolis & Seſtus.

PENNA, vide infrà *Pinna*, item *Pluma*: uti de inveſtitura *per Pennam cum calamario*, ſuô locô.

PENNA Fidelis, locus Caſtellæ veteris ubi Concilium A. C. 1302, Vulgò *Penna-Fiel.* Hinc nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, quæ ſtirpis Gironiæ & *Pacheco* ramus eſt. Cùm enim ex familia Acunniorum ſeu Acugniarum (*de Cunnas*) Martinus Vaſquezius, in primo conjugio, Tereſiam Gironam uxorem habuiſſet, Alfonſus filius ex ea genitus, à matre *Gironis* aſſumtô nomine, primo ſuo filio Johanni (ex Maria Pacheca) *Pacheci* nomen impoſuit, alteri Petro *Gironis*: à quorum iſto deſcendunt Comites *de Urenna*, Ducum dein Oſſunæ & Marchionum *de Pennafiel* genitores. Ille enim, Magnus Magiſter Ordin. Calatravæ (defunctus A.C. 1466.) ex Iſabella *de las Caſas* Sevilienſi, Johannem ſuſcepit Tellem I. Comitem Urennæ; qui junctâ ſibi Leonorâ Velaſco (Petri Fernandi Caſtellæ Conneſtab. filiâ) Johannem Tellem II. genuit, qui deceſſit A. C. 1558. Pater, ex Maria *de la Cueva* (Franc. Fernandi Ducis Albuquercii filia) Petri Gironis Ducis Oſſunæ: quô & Leonorâ Annâ Guzmanâ (filiâ Johannis Alfonſi Guzmanni Ducis Methymnæ Sidoniæ) natus Johannes Telles Giron Marchio *de Pennafiel* Dux Oſſunæ, junxit ſibi Annam Mariam Velaſcam (filiam Inici Fernandini Velaſci Conneſtabil. Caſtellæ) atque ex ea filium genuit Petrum Gironem Ducem Oſſunæ: cui, ex Catharina Henricia *de Ribera*, nati ſunt, Johannes Telles Giron Dux Oſſunæ; Marchio *de Pennafiel*, maritus Iſabellæ, Chriſtophorô Gomeſiô de Sandoval & Roxas Duce de Uzeda, genitæ, & nominis *Gironii* caput &c. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Europ. Part. I. p.* 70.

PENNA Johannes, vide *Johannes.*

PENNA S. Johannis, vide *Pinna.*

de PENNAFORTE Raymundus, Catalaunus, patriâ Barcinonenſis, ex Regibus Aragoniæ oriundus, Ordinis Prædicatorum tertius Magiſter generalis, Gregorii IX. Pœnitentiarius, *Collectionis Decretalium ſextæ* auctor, floruit A. C. 1230. Congeſſit autem eam ex omnibus compilationibus anterioribus, illique inſuper inſeruit, quæ in anterioribus erant omiſſa; item quæcunque à Gregorio ipſo conſtituta ſunt, quæ is multa ex Jure Civ. hauſit & non conſultus reſpondit: quæ cauſa, quare ejus Conſtitutiones ſæpe ad neminem dirigantur, teſte Jac. Cujaciô *ad c. ult. de ſent. & re judic.* Præterea, ſcripſit *Summam de Caſibus*, quæ typis excuſa eſt Romæ 1603. Obiit A. C. 1275. canonizatus à Clemente VII. A. C. 1601. Vitam ejus Hiſpanicè ſcripſit Salvator Pons, vertit Germanicè & Monachii edidit Ægydius Albertinus A. C. 1602. Plura de illo habes apud Joan. God. Olearium *Abaco Patrolog. p.* 399. *& ſeqq.* Leandrum Albertum in *Vita* ejus, Chiffletium *de Architect. Juris c.* 6. de *Collectione* inprimis ejus, apud Gerhardum van Maſtricht *Hiſtoriâ Juris Eccleſiaſtici* §. 353. *& ſeqq.*

ad PENNAM *Nominatores*, vide ſuprà.

PENNE, oppid. Galliæ Narbonenſis, ad lacum Lemannum, in itinere inter Auguſtam Prætoriam, & Auguſtam Rauracorum occurrens. *Neufville*, ſeu *Villeneuf. Simlero.* Ad lacus caput, mediô inter Tarnadam ſive S. Mauritium, & Viviſcum itinere, ſed huic propius. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq.* Sed Cluverius tradit *Penne lucum*, ita enim *Antonino* dicitur, eſſe Novillam vicum, ad Rhodani ripam, dictumque ſic, quaſi ſacrum Jovi nemus. De *Penno* Veragrorum Deo, vide in *Penina.*

PENNELOCUS, ab Æthico in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, memoratur locaturque inter *Tarnadas* & *Bibiſcum*, à Tarnadis 13. à Bibiſco 9. millibus paſſuum diſtans. *Tabula Peutingeriana Pennolucos* appellat, inter *Viviſcum* ſimiliter & *Tarnias. Simlerus*, qui *Æthicum* Scholiis illuſtravit, *Nûwenſtatt* ad lacum Lemanum forſitàn eſſe ait, qui locus à Noſtris *Villeneuve* & *Villeneuf* dicitur. Nam quod Novavilla, ſeu novum Oppidum linguâ noſtrâ; idem Germanicâ *Nûwenſtat*, ſeu *Novumſtadium*, aut *Novoſtate. Pennelocos* in codicibus *Æthici* nonnullis reperiri aſſerit *Surita.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà.

PENNERANDA, nomen Familiæ illuſtris, in Hiſpania, cum titulo Ducatus. Franciſcô enim *de Zuniga* & *Avellanedâ* Comite *de Miranda* (de cujus progenitoribus vide ſuprà in *Avellaneda & Miranda*) genitus ex Maria *de Bazan* Vicecomite *de Valduerna*, fil. Johannes *de Zuniga*, *Avellaneda* & *Cardenas* Dux *de Penneranda* factus eſt: qui, junctâ ſibi agnatâ Mariâ, Didacum *de Zuniga*, *Avellaneda*, *Bazan & Cardenas*, Ducem *de Penneranda* Comitem *de Miranda* ſuſcepit; quô & Franciſcâ *de Sando* & *Roxas*, nati ſunt Franciſcus Marchio *de Banneſa*, Catharina (uxor Philippi Johannis Balthaſaris Pacheci Ducis *de Eſcalona*) Maria & Johannes. Vide Spenerum *Part.* 2. *p.* 36.

PENNINUS, vulgò *Mont S. Bernard. Simlero.* Aliis *le grand Bernard.* pars eſt Alpium, quæ ab eo *Pennina*, inter Sedunum ad Boream, & Auguſtam Prætoriam ad Meridiem. Vide *Penina.*

PENNOCRUCIUM, oppid. Albionis in Anglia inter Viroconium 23. & Erocetum 12. mill. paſſ. in Staffordia regione ubi nundinæ fiunt equorum, in itinere inter Rutupinum portum & Vallum occurrens, *Antonin. Peneridg Camdeno.*

PENNONES, in *Edicto* Nunonis Sancii Ducis Roſſilionis A. C. 1217. item in *Conſtitut.* quibuſdam Catalanicis, *banna* ſignificant, id eſt, edicta publica ſeu regia; eo quòd hæc interdum appoſitione vexilli, quod *Pennonem* Galli vocant, fiebat: unde *Penuncellus*, vel *Penicellus*, Gall. *Pennonceau*, à *panno* vel *pannuncello* haſtæ, in vexilli in acutum deſinentis ſpeciem, adfixo. Thom. Walſinghamus *in Richardo II. Vexilla & penicellos erigentes.* Infrà, *Deferens ante eum vexillum vel penicellum diſplicatum de armis S. Georgii.* Cujuſmodi vexillum proprium fuit eorum militum, qui *Bacellarii* vocabantur; Banneretis enim quadratum vexillum competebat. Interdum verò etiam Scutiferis *Pennoncellos* deferre jus fuiſſe, ex Froiſſardo diſcimus. Ita verò Bachelariis & Scutiferis *pennones* ſeu *pennoncellos* in militaribus expeditionibus deferre jus erat, ſi vaſſallos complures haberent, qui eorum ſigna atque vexilla ſubſequi tenerentur: ſeu quòd nondum *Banneriam*, uti tum loquebantur, per ætatem erexiſſent: ſeu quòd eum vaſſallorum numerum non haberent, qui ad Bannereti dignitatem obtinendam requirebatur. Erant verò *Pennones* ejuſmodi militum armis ſeu inſignibus ornati, uti idem Froiſſardus docet *Volum.* 4. *c.* 18. & alibi, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PENSILE Sigillum, vide infrà *Sigillum.*

PENSILES Horti, Curtio *l.* 5. *c.* 1. ubi Babylonem deſcribit, memorantur his verbis: *Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum* Penſiles horti *ſunt; ſummam murorum altitudinem æquantes multarumque arborum umbrâ & proceritate amœni. Saxó pilæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt: ſuper pilas lapide quadratô ſolum ſtratum eſt, patiens terræ, quam altam injiciunt; & humoris, quô rigant terras: adeoque validas arbores ſuſtinent moles, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in L. pedum altitudinem emineant, & frugiferæ ſint, ut ſi terrâ ſuâ alerentur. Et cùm vetuſtas non opera ſolùm manu facta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat: hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inviolata durat. Quippe viginti parietes lati ſuſtinent, undecim pedum intervallô diſtantes, ut procul viſentibus ſylvæ montibus ſuis imminere videantur. Syriæ Regem Babylone regnantem, hoc opus eſſe molitum, memoriæ proditum eſt, amore conjugis victum; quæ deſideriô nemorum ſylvarumque in campeſtribus locis virum compulit amœnitatem naturæ genere hujus operis imitari.* De iiſdem Freinshemius *in hunc locum*, ex Diodoro: *Patebant in ſingula latera quatuor jugera: acceſſus verò montoſus erat, habebatque extructiones alias ex aliis aptas, ita ut Theatri aſpectum referrent: ſub extructis autem aſcenſibus ædificatæ erant teſtudines, ſuſtinentes totum viridarii pondus, ſeque invicem ſenſim paululum exſuperantes acceſſu. Fornici autem ſupremo, cujus altitudo erat L. cubitorum, impoſita erat ſuprema Hortorum ſuperficies, ambitui propugnaculorum adæquata. Deinde muri ſumtuosè formati & ſtabiliti craſſitudinem habebant pedum XXII. Egreſſus autem quilibet latitudinem habebat pedum X. Culmina tegebantur lapideis trabibus, longitudine unà cum epibolis pedum XVI. latitudine verò IV. Tabulatum autem trabibus impoſitum, primò quidem ſubſtratum habebat calamum multô bitumine illitum, deincepsque laterem coctum duplicem gypsô colligatum, tertiò ſuper injectum erat tectum plumbeum, ne aggeris humor altiùs penetraret: Super hæc aggeſta erat terræ magna vis, quæ ſufficeret alendis maximarum arborum radicibus. Solum autem adæquatum & complanatum, plenum erat arborum omnis generis. Fornices, lumen excipientes, quòd ſe mutuò excederent, habebant multas & varias Regum diætas: quarum una ſupremam ſuperficiem multis locis inciſam habebat & machinas, ad hauriendas aquas, quibus aquæ magna vis ex flumine ſurſum attollebatur, quod à nemine externo perſpici poterat.* Vide quoque Strabonem *Geogr. l.* 16. *in princ.* Plin. dubitat, an Semiramis, an Cyrus illos condiderit, *l.* 19. *c.* 4. Martial. *Aſſyrium laborem* vocat. *Epigr.* 1. *in Amphitheatrum Cæſaris, v.* 1.

Aſſyrius jactet nec Babylona labor.

Quibus verbis Alciatus, Junius & A. Schottus *Hortos penſiles* Babylonis, in pellicis gratiam à Rege Aſſyrio fabricatos, intelligunt, ut ait Schrevelius *Notis in loc.* Vide quoque Politianum *Miſcellan. l.* 2. & Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 17. *c.* 2. Uti autem *Horti Penſiles* Babylone, ſic *Ambulatio penſilis* Gnidi Soſtrati opus, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 13. Sed & *Aquæductus penſiles*, Roma habuit, ubi non ſubterraneis meatibus, ſed altis molibus ſubſtructis, aquæ invectæ. Frontinus *de Aquæduct. l.* 1. *Ponam, ex quibus locis & à quoto milliario, quantum ſubterraneo rivo, quantum ſubſtructione, quantum opere arcuato, poſt altitudinem cujuſque modulorumque rationem.* Claudianus Numatianus Rutilius *Itinerar. l.* 1. *v.* 97.

Quid loquar aëreo pendentes fornice rivos,
Quà vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potiùs dicam creviſſe in ſidera montes,
Tale Giganteum Græcia laudat opus.

Balneas itidem *penſiles*, quarum primus Sergius Orata auctor fuit, teſte Plinio *l.* 9. *c.* 4. ut mirum ſit, cur Seneca *ſuſpenſuras balneorum* ſuô ævô inventas tradat *Ep.* 90. Vixit autem Orata hic ævô Mithridatis Regis & Cn. Pompeji. Vide quoque Nonium Marcellum *c.* 3. *num.* 24. *Primus balneola ſuſpendit, piſces incluſit;* apud Thom. Dempſterum *Paralipom. in Roſin. l.* 1. *c.* 14. Nec non *Horrea penſilia*, quorum meminit Jun. Columella *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 6. Vitruvio *Horrea ſublimia* dicta, *Architecton. l.* 6. *c.* 9. quibus *Horrea ſubterranea*, Caſſiodorus *l.* 12. *Ep.* 12. *Horrea defoſſa* Plinius opponit, *l.* 18. *c.* 30. Vide iterum Dempſter. *in Roſin. l.* 7. *c.* 38. & ſuprà, in voce *Horreum.* Idem Plinius *Penſilia Theatra* Curionis, deſcribit *l.* 36. *c.* 15. & *Urbem penſilem l.* 36. *c.* 15. *Legitur* & *Penſilis hortus imò verò totum oppidum Ægyptiæ Thebæ, exercitus armatos ſubterducere ſolitis Regibus, nullo oppidanorum ſentiente.* Vide eundem *de Penſilibus Cucumerum hortis, l.* 19. *c.* 5. Apud Recentiores, *Domus penſilis* occurrit, memorata Eucherio *Ep.* ad Philonem Presbyt. *Hoc tamen peto ab ipſo fratre noſtro, ut* domum penſilem, *quam juſſimus fieri, nobis præparet & membranas.* Sic autem, quæ pontibus inædificatæ ſunt, appellavit Auctor *Vitæ* Leobini Epiſcopi Carnot. *num.* 15. uti docet Carol. du Freſne *Gloſſario* &c. Vide & ſuprà *Gynæceum.*

PENSIO, id *quod pro* alicujus rei, ut agri, domûs, *uſu* datur: propriè *merces* inhabitationis ædium alienarum, Græcè ἐνοίκιον, item *pecunia*, quæ ex prædiorum urbanorum locatione percipitur, cùm quæ ex ruſticorum, *merces* appelletur, *l.* 26. & 27. *ff. de pet.* ab ære *pendendo*, *Varr.* ad pecuniariam enim cauſam refertur, ſicut *Reditus* ad alia, Ferret. *tit. de loc. & conducto.* Sed & *præſtationem* notat temporibus & terminis, ut vulgò loquimur, diviſam *l.* 3. *ff. de ann. leg.* 8. §. *ſi annua. ff. de pign. act.* &c. Unde *Penſiones trientes*, pro trientario fœnore, apud Lamprid. in *Alex. c.* 26. & in tabulis ſcribimus, *prima penſio, ſecunda penſio*, aut quæ alia, Paul. *l.* 40. *ff. de reb. cred. Igitur finitô primô menſe primæ penſionis uſuras currere.* Cicer. *pro Q. Roſcio, Falſum ſubornavit teſtem Roſcius, Glunium: cur tam ſerò? cur, quum altera penſio ſolvenda eſſet, non tum quum prima?* Erant autem *Penſionibus* ſolvendis olim Calendæ Juniæ ſolennes, *l.* 9. *ff. qui potior in Pignor.* Item Calendæ Martiæ *l. defunct.* 48. *ff. de uſufr.* Vultejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Apud Aur. Victorem in *Maximiano Herculio*, *Penſio* tributum ſignificat; Ita enim is: *Parte Italiæ invectum tributorum ingens malum: nam cùm omnis eadem functione moderatèque ageret, quô exercitus atque Imperator, qui ſemper aut maximâ parte aderant, ali poſſent,* Penſionis *inducta nova lex, quæ ſanè illorum temporum modeſtia tolerabilis in perniciem ceſſit.* Ubi per *functionem*, intellige annonariam, inquit Salmaſ. per *penſionem*, tributum. Sic in *leg.* 4. *Cod. Theodoſ. penſio glebalis* ab *annonaria functione* diſtinguitur, *tit. de Indulg. deb. Ab omni infra Italiam jugatione, quam munere annonariæ functionis abſolvimus, etiam* glebalem Penſionem *jubet Serenitas noſtra removeri.* Namque olim Italia, cùm ſolam hanc præſtationem agnoſceret, quam *annonariam functionem* modò vidimus fuiſſe appellatam (quæque ad exercitum comitatumque Imperatoris alendum, qui ſemper aut maxima ex parte aderat, conferri conſueverat, hinc *Annonaria* dicta, vide ſuprà in hac voce) poſteà etiam tributô onerata fuit. Salmaſ. *Not. ad Trebellium Pollion. in Trig. Tyrannis. c.* 24. Idem *ad Solin. p.* 275. duplicem fuiſſe olim *penſionem* in uſu addit, ſeu duplex tributum, alterum *capitis*, alterum *ſoli*; quorum hoc pro modo facultatum & prædiorum imponi conſueviſſe, alterum ex æquo pauperes divitesque attinuiſſe docet. Nempe qui agrum habebat, pro illo ager *pendebat*: qui non habebat, nec eô tenebatur. Penſioni verò alteri capitis omnes erant obnoxii, quà dites quà pauperes: Qui nihil omnino in cenſu habebant, invenire tamen cogebantur, unde illam tributi penſionem ſolverent. Unde pauperes in Hiſpania coccum paſſim naſcentibus fruticibus decerpebant, atque inde corradebant, unde tributum capitulare ſive capitationem pendere, uti apud Plinium legimus. Qui eâdem mente alibi dicit, *herbas, quæ in hortis naſcuntur, penſionem eſſe pauperum,* quia ex eo reditu pauperes extundebant, unde cenſum ſolverent. *L.* 19. *c.* 4. *Itaque Hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ; clamore plebis incuſantis apud omnes Principes, donec portorium remiſſum eſt hujus mercis, compertumque non aliter quæſtuoſiùs cenſum haberi, aut tutiùs ac minore Fortunæ jure, cùm credatur penſio ea pauperum. Is in ſolo ſponſor eſt & ſub dio reditus, ſuperficieſque cœli quócunque gaudens.* Strabo de Turditania, Καὶ κηρὸς δὲ ϗ μέλι ϗ πίττα ἐξάγεται ϗ κόκκος πολὺς ϗ μίλτος, *Et verò cera & mel & pix evehitur, nec non multum cocci & minii* &c. De clauſula ſolenni teſtamentorum, *ut tribus penſionibus ſolverentur.* Vide infrà voce *Teſtamentum.*

PENSITATIONES Publicæ, Azoni *in ſumma C. ſi propter publ. penſit. vend. fuer. celeb.* dicuntur *exactiones tributorum* vel veſtium vel auri vel argenti, quæ à certis perſonis debebantur fiſco: etiam ea, quæ ad viarum vel pontium refectionem præſtanda ſunt à poſſidentibus. Breviùs & clariùs: *Penſitationes erant, quæ ſolvebantur Reip.* Joh. Bello. *Etymol.* A *penſitando*, quod propriè denotat non quod ſemel ſolvendum eſt, ſed quod in plures annos debetur: unde *Vectigalium penſitationem* & *Penſiones locationum* dictæ, quòd non ſtatim implentur, ſed ſemper pendent, uniuſque anni ſolutô debitô ſtatim incipit cedere ſequentis anni ſumma & tanquam ſuſpenſa tenetur. Ita & *ſpem præmiorum* dixit Alexander Imperator pro *futurorum annorum præmiis* &c. Joh. Calvin. *Lexico Jurid.* Neque verò ſubditorum ſolùm, ſed & Principum *Penſitationes* notæ, quorum non pauci olim hodieque certum quid *penſitant*, aut ad redimendas injurias, aut ad tutelam comparandam, Principibus potentioribus, ξύμμαχοι φόρου ὑποτελεῖς, ut eſt apud Thucydidem *l.* 1. Quales Hebræorum Reges & vicinarum gentium poſt Antonii tempora, ἐπὶ φόροις τεταγμένοι, ut *Appianus* loquitur vide quoque Joſephum *l.* 15. *Jud. Ant.* & Chryſoſtomum *l.* 2. *de Eleemoſ.* Sic Daci à Domitiano, primo hujus inſtituti auctore, vide infrà *Pharaſmanes*; Perſæ pecuniam annuam ab Juſtiniano accipiebant, qua de re vide Procopium *Perſicorum l.* 2. & *Gotthicorum l.* 4. Id molli vocabulô vocabatur ſtipendium, ad tutandas portas Caſpias. Turcæ Arabas montanos pecuniâ placant &c. Atque hi Principes ſummum quidem Imperium habent in ſuis ditionibus *penſitatio* tamen iſtiuſmodi utpote infirmitatis confeſſio aliquid de dignitate utique delibat, H. Grotius *de Jure Belli & Pacis l.* 1. *c.* 3. §. 22.

PENTACHORDOS, inſtrumentum Muſicum, à Scythis inventum. Ex cruſta enim pelle bubula confectas chordas pulſabant plectrô, quod ex ungula caprina optimum habebatur: Duratque etiamnum plectri uſus in Hiſpania & Pſalterii: cujus ſonum miſcent cum ſono tibiæ, tympani locô; quod idcirco *Tympanum chordatum* vocant, Itali *Tabaſſum.* Scaliger *Poëtices l.* 1. *c.* 48.

PENTACOMTÆ, fuit caſtellum Syriæ Euphratenſis, *Procop.* ſed Guil. Tyrio Epiſcopalis locus ſub Rabba Moabitarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PENTACOSIOMEDIMNI, primum τμῆμα ſeu ordo civium, in Rep. olim Atheniensi, vide ſuprà *Athenæ*, *Medimnus*, & infrà *Theta*.

PENTADACTYLI Lanei, apud Lutatium ad Statium *Theb. l. 6. v. 785.*

——— Verùm ut feſſam ſuper ora reduxit
Fortè manum, & ſummo maculas in vellere vidit.

Ubi de Capaneo ſermo eſt, *Quia laneos*, inquit, *pentadactylos habebant, ſub caſtibus, qui eminebant ſupra brachia:* chirothecæ ſunt, quinque digitos integros tegentes & partem brachii inprominentes, Caſp. Barthius *Animadverſ. ad l.*

PENTADACTYLUS, mons Ægypti ad ſinum Arabicum apud Berenicen urb. *Pentadactylum Ptolem.* inter Berenicen, & Bazium promontor.

PENTADIA, Diaconiſſa Eccleſ. Conſtantinopolit. quòd à Chryſoſtomi partibus ſtaret, accuſata incendii in urbe excitati, cedere hinc voluit, ſed à Chryſoſtomo per *epiſtolam* 94. monita, manſit, Baron. *A. C.* 404.

PENTAGRAMMA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

PENTAPHARMACUM Hadriani, memoratur Æl. Spartian. *in Æl. Vero, c. 5. Hujus voluptates --- multæ feruntur equidem non infames, ſed aliquatenus diffluentes. Nam tetrapharmacum ſeu potiùs* Pentapharmacum, *quô poſtea ſemper Adrianus uſus, ipſe dicitur reperiſſe, h. e. ſumen, phaſianum, pavonem, pernam, cruſtulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Max. non pentapharmacum, ſed tetrapharmacum, appellans.* Ubi rectè abeſt vox *pernam*, veteri editioni Mediolanenſi, ſicque erunt illæ quinque ſpecies, *ſumen, faſianus, pavo, cruſtulata & aprugna*: è quibus in tetrapharmaco Hadriani *pavo* deerat, pro *cruſtulata* autem *cruſtulum* ponitur. Et certè *Cruſtulum* & *Cruſtulatum* & *Cruſtulata* eadem res. Sic *Ocellati* pro *Ocellis*; *Magiſtrati* pro *Magiſtris*, apud Livium; *Terminati* pro *Terminis*, in *L.* apud Frontinum *de Aquæduct.* Similiter *Signatum* pro *Signum*, in *Vita* Antonini Pii &c. Salmaſ. *ad Spartian d. l.*

PENTAPOLIS, regio Cyrenaicæ mari Libyco expoſita, à numero, urbium, quæ ſunt in illa, appellata, ſcil. *Berenice*, *Arſinoë*, *Ptolemais*, *Cyrene*, & *Apollonia*. *Baudrando* Pentapolis fuit Aſiæ minoris regio, in qua 5. Urbes Doridis, Camiros, Cnidus, Cos, Jalyſus & Lindus. Vide Schol. Theocrit. *ad Idyll.* Item regio Palæſtinæ ad lacum Aſphaltiten, in qua Sodoma & Gomorrha, & aliæ urbes tactæ de cœlo. Item urbs Hetruriæ Epiſcopalis Nepitæ, & Sutrio proxima, nunc exciſa: locus apud Montem Roſulum *Straccia cappe* nominatur. Alterius quoque in Italia circa Anconam Pentapolis regio meminit *Nicephorus*, cujus Civitates, Ariminum, Piſaurum, Fanum, Auximum, & Ancona. Hinc *Pentapolitana doctrina* dicta eſt damnabilis hæreſis Sabellii Lybici, quòd is de *Pentapoli*, & hæreſis illa primùm Ptolemaide Pentapolis ſuborta eſſet. Jò. Forbeſius *Inſtructionum Hiſtorico. Theologic. l. 1. c. 2. §. 5.*

PENTAPROTIAS, Græca vox eſt, *quinque Primorum* munus indigitans: quos alibi ſacræ Conſtitutionis *quinque Summates* vocant. Fortè ii ipſi ſunt, qui *Quintum-Viri* appellantur, *l. de cubic. noſtr. Cod. de privil. eor. qui in ſacr. pal. mil. lib.* 12. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Meliùs Πεντάπρωτοι, *Quinqueprimi*, vox municipalis. Cicer. 3. *Orat. in Verrem, c.* 28. *Magiſtratus & Quinqueprimi accitu ejus evocantur* &c.

PENTAPYLON, Jovis Arbitratoris templum, quod in X. Urbis Romæ regione collocat *Victor*. Græcè Πεντάπυλον, à *quinque portis*. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 5.*

PENTATEUCHUS, i. e. quinque volumina, ſic dicta à Græcis pars Scripturæ Canonicæ Vet. Teſt. quinque Libros Moſis, nempe Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, in ſe complectens. In hunc extant: Abarbenel. Rabbi Abraham. Alardi *Pericope Trigloſſometrica* in octav. Magd. A. C. 1618. Alſtedius in octav. Amamæ *Cenſura Vulg. Edit. Pentateuchi*, in quart. Franeker. 1620. Aretii *Commentarii breves*, in octav. Bernæ, 1603. Arnulphi *Veterum in expon. Pentateucho modi* 13. in quart. Pariſ. 1620. Auguſtini *Quæſtiones*. Babingtoni *Annotationes Conſolatoriæ*, Angl. Londini, 1637. Rabbenu Bechai. Beda. Bezæ *Lex Moſaica*, Genevæ 1577. Bonfrerius. Borrhai *Commentarii*, in fol. Baſileæ A. C. 1561. Bravi *Collectanea aurea*, in fol. Compluti 1595. Brentii *Commentar.* Bruno. Bythneri *Clavis linguæ* S. in octav. Cantabrigiæ 1648. Calliæ *Emblemata Sacra*, in ſedec. Heidelberg. 1591. Calvini *Comment.* Capponus. Chaskuni Hebr. Chytræi *Enarratio*, in fol Witeb. 1590. Crommii *Theſes Theol.* Lovanii 1630. Cyrilli *Glaphyra*, 2. tom. fol. Pariſ. 1605. Druſii *in loca difficiliora Comment.* in quart. Franck. 1627. Fagii *Exegeſis*, Iſnæ 1540. Ferus. Galeſinius. Gazæus. Gelli *in loca plur.* Angl. in fol. Londini 1659. Glaſſii πεντὰς χρυσολογίας *Moſaicæ*, in quart. 1652. de Hales. Heerbrandus. Janſenii *Commentaria*, in quart. Lovanii 1641. R. Iſaac ben Arama. Iſidorus. Ben Iſraël, *Concileator*, in quart. 1633. Junii *Explicatio Analyt.* de Lapide. Malvenda. Marbachius Marius, de Marzilla. R. Menachem de Lonzano. Mongeorgius. Morlini *Tropologiæ*, in octav. Saling. 1537. R. Moſes bar Nachman. Nezenii *Exercitationes*, in quart. Lipſ. 1610 de Oleaſtro. Palladii *Comment.* Pagnini *Catena argentea*, Paulutius. Pavonus. Piſcatoris *Quæſtiones*, Purmannus Rabanus. Rabbath Hebr. Ridderus Belg. Rupertus. Samſon. Sarcerius. R. Schem Tof. *Sohar*. R. Simeonis ben Jochai. Steuchi *Annotat.* Strigelius. Talonis *S. hiſtoria*, in quart. Londini. Tanchuma, Hebr. Theodoretus. Theodorus. Toſtatus. Waltherus. Zephyrus. Vide Crowæi *Elench.* Cœterum, Hunc ſolum receperunt Samaritani, reliquis V. T libris omnibus repudiatis. Vide Cl. Suicerum *Theſaurô Eccl.* voce Γραφὴ, item Σαμαρείτης.

PENTATHLUM, Latinè *Quinquertium*, celebre olim apud Græcos exercitationis genus fuit, imò potiùs in omnibus quinque certaminum generibus victricem peritiam denotavit. Jul. Pollux *l. 3. c. 3.* πένταθλος ὁ πέντε ἀγωνιζόμενος, *Pentathlus* (ſive Quinquertio, ita autem vocabatur is, qui *Pentathlô* vicerat) *quinque certaminum generibus decertans.* Erant illa *Curſus*, *Saltus*, *Diſcus*; *Jaculum*, *Lucta*: quæ Simonides hôc verſu complexus eſt, *Ἀνθολογ. l. 1. c. 1.*

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Euſtathius verò *Il.* ψ. hôc ordine recenſet. Ἅλμα, πάλην, δίσκευμα, ἀκόντιον καὶ δρόμον. Scholiaſtæ Pindari autem ac Sophoclis. Ἅλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος καὶ πάλη. In his itaque ſingulis qui pollerent, *Luctatores*, *Pugiles*, *Saltatores*, *Curſores*, *Diſcoboli*: qui in lucta ſimul & pugilatu, *Pancratiaſtæ*, qui verò in omnibus quinque eminebant, *Pentathli* ſeu *Quinquertiones*, appellati ſunt, ut docet *Feſtus*. Etſi *Quinquertiones* apud *Livium Andronicum* Athletas ſignificare ſcribat idem, apud quem etiam *Periodon* viciſſe dicebatur is, qui Pythia, Iſthmia, Nemea unà cum Olympiis viciſſet, nomine à circuitu horum Spectaculorum deſumptô. Fuêre autem in *Pentathlis* tibicines adhibiti, uti docet Plut. *de Muſic.* Porrò Quinquertionis partes quinque hæ erant, i. Τρέχειν στάδιον καὶ δόλιχον, *currere ſtadium & dolichum*, & quidem non curſorum noviſſimos, ſed qui proximi victoriæ, antevertere. 2. διαπαλαίειν, καταπαλαίειν & προσπαλαίειν, *luctari*, *eluctari & adverſarium proſternere*, idque tertiâ vice, ut ſuprà diximus, in voce *Ter.* 3. Πὺξ παίειν καὶ ὦσαι τῇ πληγῇ καὶ προβολέσθαι καὶ ἐλθεῖν ἐναντίον, *pugnis cædere & impellere plagâ; & depellere & contra aſpicere.* 4. Πηδᾶν ſive μήκιστα ἐξάλλεσθαι, *ſalire quàm longiſſimè.* Tandem, δίσκῳ ὑποφέρεσθαι, *diſcô evehi.* De quibus omnibus vide Plut. *Sympoſ.* 2. *de Muſ.* alibique paſſim, Lucianum *de Gymnicis*, Alios. Etſi verò laus Quinquertionis maxima fuit, tamen ſingulæ ejus victoriæ, ſi penſiculatè æſtimentur, minimè adæquârunt eas, quæ ſingulorum Athletarum propriæ erant. Talis enim videbatur minùs εἰς τὴν ἑκάστου ἀκρίβειαν διαπεπονηκέναι, ἀλλὰ πάντων μετρίως ἐφῆφθαι, *in eo elaborâſſe, ut ſingula ſciret, ſed omnia mediocriter attigiſſe.* Interim corona *Pentathlô* parta, rara ac pretioſa erat, Pindar. *Olymp. Od.* 13. Et quidem primò Quinquertio accipiebat palmæ virgam; dein Præconiâ voce renuntiabatur & celebrabatur; tum demum coronâ redimiebatur, quod totum vocabant στεφανηφορίαν, Pauſan. *l.* 5. &c. Atque hinc tralatitiè Πένταθλοι dicti, qui cœteris præſtarent. Sic Democritum quidem Philoſophum *Pentathlon* dictum fuiſſe, quòd in juventute forſan vicerat, ſcribit Diogenes Laërtius in *Vitis*. At *Suidas*, quòd omni artium & doctrinæ genere excultus eſſet. Ariſtides quoque eôdem elogiô inſignit priſcos Athenienſes, quòd virtutibus cœteras omnes Græciæ civitates ſuperarent, vide eum in *Panathen.* & de Regibus Perſicis, εἰς Ῥώμην; ut & de Ageſipoli Xenophontem *Hiſt. Gr. l.* 4. Plura verò hanc in rem, apud Gerh. Jo. Voſſium *de Gymnaſt. c.* 3. §. 36. & 78. Hieron. Mercurialem *de eadem Arte l. 1. c.* 14. Car. Paſchalium *Coronar. l. 6. c.* 23. Alios; nec non quæ infrà dicemus, voce *Quinquertio*. Inter Myronis opera, ex ære celebrantur *Delphici Pentathli Pancratiaſtæ* Plinio *l. 34. c.* 8.

PENTE, fluv. Angliæ, ad quem pagus, *Ithanceſter*, Beda.

PENTE-ATHYRIS, Thebanorum in Ægypto Rex XXXI. poſt Anchunium tyrannum, præfuit annos 16. Aphophe Tanitâ adhuc prævalente, & Moſen fugante in Madianitidem. Eum excepit Stamenemes, vidi ibi.

PENTECOMARCHUS, apud Sim. Dunelmenſem *A. C.* 887. *Perturbatus erat frequenter animô contrà Principes & Pentecomarchos*: ex Græco Πέντε, *quinque*, & Κωμάρχης vel Κωμαρχὸς, *vicorum Præfectus*, nomen dignitatis.

PENTECOSTE, Græcè Πεντηκοστὴ, i. e. *quinquageſima*, ſubintellige *dies*, quòd quinquageſimâ die, poſt 16. menſis *Niſan*, quæ δευτέρα τοῦ Πάσχα, *ſecunda* erat *à Paſcha*, celebraretur, nomen fuit unius ex tribus præcipuis Iſraëlitarum Feſtis. Inſtitutio ejus legitur Levit. *c. 23. v.* 16. & *ſeqq.* *Uſque ad poſterum diem Septimanæ ſeptimæ numeratote quinquaginta dies, tunc offeretis munus novum Jehovæ, & quæ ſequuntur uſque ad v.* 22. Nempe 14. die menſis *Niſan* erat τὸ Πάσχα; die 15. ἡ ἑορτὴ τοῦ Πάσχα ſeu πρώτη τοῦ πάσχα, i. e. *feſtum Paſchatis* ſeu *prima dies Paſchatis*, quam Seniores vocabant πρώτην τῶν σαββάτων, *primam Sabbathorum*, ex Levit. *c. 23. v.* 7. die dein 16. δευτέρα erat τοῦ πάσχα, *ſecunda Paſchatis*, de qua eodem *c. v.* 11. dicitur, *Poſtridie Paſchatis*: vocabaturque prima ac ultima dies iſtiuſmodi Feſtorum, quæ plures durabant dies, *Sabbatum*. Ab hac proin numerati dies quinquaginta ſpatium comprehendebant meſſi deſtinatum; quarum prima & ultima ſacrâ ſolennitate ſic memorabiles erant: nempe δευτέρα τοῦ πάσχα & πεντηκοστὴ, illâ tempus hoc inchoante, hâc terminante. Cùm ergo illuxiſſet ἡ δευτέρα τοῦ πάσχα, *manipulum frugum*, *primitias meſſis ſuæ*, *offerebant* Iſraëlitæ, *v. cit.* ſicut, appropinquante τῇ πεντηκοστῇ *panes agitationis duos*, *v.* 17. Quorum priùs offerebatur, nomine totius Populi, ut ſic in manipulo illô totius terræ ſanctæ fruges ſanctificarentur; neque enim ante hanc oblationem cuiquam metere licebat, teſte Joſephô *Antiqq. Judaic. l. 3. c.* 10. Poſterius non ſolùm fuit oblatio Euchariſtica, ſed & ſignum meſſis finitæ & conſummatæ. Vide Scaligerum *de Emend. temp. l.* 6. Nec omittendum, Iſraëlitas numerâſſe quinquaginta hos dies, per Septimanas, à δευτέρα prædicta denominatos, quæ ratio cur etiam *Feſtum Septimanarum* dicta fuerit *Pentecoſte*: Et quidem hôc modô. Sabbatum primæ hebdomadis vocârunt Δευτερόπρωτον, quia primum erat à δευτέρα ſeu *ſecunda*, Paſchatis: Secundæ Δευτεροδεύτερον: Tertiæ Δευτερότριτον, & ſic conſequenter. Unde facilè intelligimus, quid Lucæ c. 16. *v.* 1. per *Sabbatum* δευτερόπρωτον ſeu *ſecundo primum* ſibi velit Euangeliſta. Conferendo nunc tempus hoc meſſis cum noſtra, deprehendimus apud Cananæos incepiſſe illud circa initia Aprilis, & deſiiſſe circa finem Maji, quô tempore demum Europæa meſſis primordia ducit, Plin. *l. 18. c.* 30. Quod ipſum confirmat teſtis αὐτόπτης Leo Afer, de Ægyptiis loquens, *Deſcr. Afri-*
ca

æ c. 4. Vide Thom. Godwyn. *in libr. cui tit. Moſes and Aaron l.* 3. *c.* 5. In novo Teſtamento dies illa quinquageſima ſeu πεντηκοςὴ longè illuſtrior facta eſt, largiſſimâ illa Spiritus S. in Apoſtolos effuſione, qua de re vide Prophetiam Joëlis *c.* 2. *v.* 28. eventum, Actorum *c.* 2. *v.* 1. & *ſeqq.* Hinc inter Chriſtianorum idem Feſta, quod celebratum olim fuiſſe, per ſeptem dies, auctor eſt Honorius Auguſtodun. *l.* 3. *c.* 147. & 149. Sed & *Pentecoſtes* nomine, totum illud intervallum, à Dominica reſurrectionis ad Feſtum ipſum, venire, apud Græcos Latinoſque Scriptores, paſſim videmus, apud Auguſtin. *Ep.* 80. Tertullian. de *Coron. mil. c.* 3. alibique paſſim. Quô intervallô, ſtantes liturgiis olim interfuiſſe, eô elapſô de geniculis adorâſſe, ait Car. du Freſne, citans in hanc rem Tertullian. S. Hieronym. Ambroſ. *Serm.* 61. Auguſtin. *Ep.* 119. Iſidor. *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 33. Alios. Eôdem *Alleluja* in Eccleſia ubique cantari conſueviſſe. Idem ex Auguſtino *Ep.* 119. *c.* 17. & Scaligerian. *p.* 261. refert &c. Vide quoque infrà *Praxeon liber.* De die *Pentecoſtes*, cujus mentio in Actis *c.* 2. *v.* 1. an in Dominicam inciderit; item de illo, unde 50. dies numerandi factum initium, an Sabbathum fuerit? quædam ut adjiciam ex Bocharto, operæ pretium eſt. Nam ab omnibus Chriſtianis ab ultima uſque antiquitate creditum eſſe, *Pentecoſten* annô Paſſionis in Dominicam incidiſſe, hinc patet; quod, ſi Clementis *Conſtitutiones* excipiamus & Auguſtini Sermonem *de Tempore* 154. quæ ſcripta ſunt ψευδεπίγραφα, nemo citatur, qui id aſſerat, ante Leonem I. qui ad Epiſcopatum Romanum ſubvectus eſt ſeculô quintô plus dimidiô. Sed & ex ipſa Lege, dubium oboritur de vero die *Pentecoſtes.* Ita enim habetur Deuteron. *c.* 16. *v.* 9. *Ex quo cœpit falx in ſegetem immitti, incipe numerare ſeptem hebdomades.* Falx autem in ſegetes immittebatur, poſtridie feſti primi Azymorum, quod vocatur Sabbathum, Levit. *c.* 23. *v.* 15. ut ex demeſſis frugibus offerretur Deo manipulus. At cùm feſtum Azymorum ſequebatur Sabbati dies, manipulus ille frugum non poſtridie ſed perendie videtur oblatus; quia Sabbato non licebat falcem in ſegetes immittere. Quô datô, frugum oblatio & ſeptem hebdomadarum enumeratio in primam feriam, adeoque *Pentecoſte* in eandem inciderit: quâ impletâ deſcendit Spiritus S. in Apoſtolos. Verba enim Actor *c.* 2. *v.* 1. Ἐν τῷ συμπληρῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοςῆς, pro μετὰ τὸ συμπληρωθῆναι, *poſtquam impleti ſunt dies Pentecoſtes*, accipi poſſe, ex Levit. *c.* 12. *v.* 6. & Numer. *c.* 6. *v.* 13. patet: Neque certè perfectè adimpleti fuerunt dies 50. uſque ad ſequentem diem. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. Prior l.* 2. *c.* 50. *ubi de Agno Paſchali*; ſupra etiam aliquid in *Paſchales dies.* Hinc *Pentecoſtarium*, Græcis dicitur liber, continens officium ab ipſo die Paſchatis, uſque ad octavum *Pentecoſtes*, quam Dominicam *omnium Sanctorum* vocant, vide Suicerum *Theſaurô Eccl.* voce Πεντηκοςάριος.

PENTECOSTE Media Μεσοπεντηκοςὴ Græcè, ſolennitas eſt, quæ per dies 8. celebratur, & incipit ab hebdomadis quartæ poſt Paſcha feriâ quartâ, & deſinit in feriam quartam quintæ hebdomadæ: quam poſtea ſequuntur Samaritanæ, cujus etiam hebdomas eſt, officia, Eccleſiæ Græcæ, Cl. Suicerus *Theſauro Eccleſ.* in hac voce.

PENTELE, vicus in Antiochide tribu.

PENTELENSIS, mons Atticæ, apud Hymettum, à Pentheide tribu Athenienſi dictus. *Pentelicus Strab.* & Pauſan. *l.* 1. Hodieque *Pentely* vocatur, inſignis Monaſteriô Abbatiali, quod *Monaſtri tou Pendeli*, Caloceris; *Mendely* verò aut *Medeliy*, corruptè aliis dici, annotat J. Sponius *Itinerar. Part.* 2. *p.* 123. & 124.

PENTELEUM, urbs Peloponneſi, *Plutarch.*

PENTELIA, mons Arcadiæ, ex quo Ladon manat, *Heſych.*

PENTELORES Veſtes, apud Flav. Vopiſc. in *Aureliano*, *c.* 46. *Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, quum antè non niſi rectas purpureas accepiſſent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & uſque ad* pentelores, *quales hodie lineæ ſunt.* Vox hybrida, ex Græc. πέντε i. e. *quinque* & Latin. *lorum*: Quemadmodum Salmaſ. vult *Holoveram* veſtem ſimiliter conflatam eſſe ex Græc. ὅλος & Latin. *verus.* Sic *Epitogium* & *Epirhedium*, bonô etiam purôque ſeculô & cui nihil dum erat admixtum barbariæ uſurpata & *Pſeudoforem* pro *pſeudothyro*, Severus Sulpicius elegans aliàs Scriptor uſurpavit *Dialog.* 3. *c.* 16. &c. Dictæ autem ſunt interulæ ſeu tunicæ dilores, trilores, *Pentelores*, non pro numero aureorum, quibus erant intextæ, ut cenſebat magnus JC. ſed pro numero faſciarum vel inſtitarum & limborum, quibus erant ornatæ. *Lora* enim inſtitutæ ſunt, vel faſciæ, quibus veſtes prætexuntur, quas & *paragaudas* dixêre: nam *lorum* & *paragauda* idem. Unde *paragaudia veſtis* & *lorata*, quam Græci Λωρωτὴν dixêre eadem. A multitudine igitur pannorum, vel faſciarum & lororum (quæ erant in veſtibus ultimæ fimbriæ modò latæ, modò rotundæ modò cirratim dependentes) veſtes *dilores*, *trilores* &c. dictæ ſunt. Et monolores quidem, aut ad ſummum dilores, Veterib. fuiſſe notas, quæ nempe unam vel duas zonas in circuitum haberent prætextas vel adtextas, ex Horatio diſcimus; *l. de Arte*, *v.* 15.

Purpureus latè qui ſplendeat, unus & alter
Adſuitur pannus:

Ubi *pannum* faſciam eſſe vel zonam, quâ veſtis ornabatur, ſuprà diximus. Deinde *trilores* quoque & *pentelores*, creſcente luxu, factæ ſunt. Nondum tamen ſub Gallieno & Aureliano in uſu lineæ loratæ videntur, ſed tunicæ tantùm. Poſt eorum verò tempora lineas & interulas etiam loris multis variegarunt, & frequentiùs quidem quàm tunicas, ita ut & *quinqueroles* fierent. Nam tales fuiſſe lineas ſuô tempore, ſcribit *loc. cit.* Vopiſcus: Hincque idem in *Bonoſo*, *c.* 15. in brevi munerum, quæ Hunilæ novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* meminit, non item tunicarum; ſed Bonoſus ille ſub Aureliano vixit & munera illa ex præcepto Aureliani data. Jam tum igitur Aureliani temporibus lineæ in uſu, ſed dilores ferè tantùm, non etiam *pentelores*, quò jam uſque proceſſerunt Vopiſci ætate. Hodie verò, addit Salmaſ. mulieres non *pentelores* tantùm veſtes geſtant, ſed uſque ad cingulum loratas & zonis ſericis h. e. paragaudis diſtinctas: ita nullâ re aliâ, quàm luxu, Veteres vicimus, vide eum *ad d. l.* & ſuprà ubi de veſtibus *Loratis.*

PENTEPITROPUS, Græce Πενταπίτροπος, in *Vita* S. Auxentii Archimandritæ, *conjux quoque alterius cujuſdam* Pentepitropi, *nomine Coſmia*: unus erat ex V. Procuratoribus, qui Collegium ſimul formabant. Dom. Macer *in Hierolex.*

PENTHALIDÆ, Principes Mitylenæi, dicta à Penthilo, Oreſtis filio, qui cùm petulantiùs ſe gererent, ac circumvagantes in urbe obvios clavis pulſarent, à Megacle quodam, injuriæ ejus impatiente, occiſi ſunt, Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 10.

PENTHECTE Synodus, vide *Quini Sexta.*

PENTHESILEA, Amazonum regina, quæ, teſte Juſtinô *l.* 2. *c.* 4. Otteræ, ſive (ut alii) Orithyræ ſucceſſit in regno: Ejus Trojanô bellô inter fortiſſimos viros, cùm auxilium Priamo adverſus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitêre. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 494.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens. ——

Ubi Servius: *furens, quia ſororem ſuam in venatione confixit, ſimulans ſe cervam ferire.* Cùm Trojanis opem ferret, ab Achille occiſa eſt. *Prima* inquit Plin. *l.* 7. *c.* 56. *ſecurim invenit.* Propert. *l.* 3. *El.* 10. *v.* 13.

Auſa ferox ab equo quondam oppugnare ſagittis,
Mæotis Danaum Pentheſilea rates

Ubi *Auſa*, quia præter ſexum. Ita Virg. de ea, *ubi ſuprà*:

—— *Audetque viris concurrere virgo.*

Ovid. *in Ep. Cydippes* 21. *Heroid. v.* 117.

Non ego conſtiteram ſumptâ peltata ſecure,
Qualis in Iliaco Pentheſilea ſolo.

De Pentheſilea plura vide apud Q. Calabrum *l.* 1. *Nic. Lloydius.*

PENTHEUS, fil. Echionis ex Agave conjuge, filiâ Cadmi, qui cùm Liberi patris ſacra aſpernaretur, irâ numinis, à matre & ſorore in furorem verſis, laceratus eſt. Ἀπὸ τῦ πένθεος, i. e. *à luctu* arceſſit nomen. Unde Theocritus *in Lenis*, ubi hiſtoriam hanc narrat:

Ἐξ ὀρέων πένθημα κὶ ὐ Πενθῆα φέροισαι.

Ovidius à matre & ſororibus cæſum ait, quia aper illis viſus ſit, cùm ſacra ſperneret: ſic enim ille *Metam. l.* 3. *v.* 712.

Prima ſuum miſſo violavit Penthea thyrſô
Mater: Jo, gemina, clamavit, adeſte ſorores:
Ille aper, in noſtris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. ——

Catullus & Perſius in vitulum mutatum prodiderunt. Perſius *Satyr.* 1. *v.* 100.

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo.

Unde fortè Theocritus: *Idyll.* 3.

Μάτηρ μὲν κεφαλὰν μυκήσατο παιδὸς ἑλοῖσα.

Μυκηθμὸς enim propriè τ̃ βοῶν. *Heſych.* Μυκηθμὸς, βοὴ βοῶν. Oppianus Pentheum in taurum commutatum fuiſſe ſcribit. ſorores autem in pardales, *Cyneg.* 4.

Πενθέα μὲν ταύρειον ἐδείξατο, φοίνιον ὄμμα,
Αὐχένα τ' ἤρησε, κέρας δ' ἀνέτειλε μετώπου.
Ταῖσι δὲ γλαυκιόωσαν ἐθήκατο θηρὸς ὀπωπὴν,
Καὶ γένυας θάμβησε, κατέγραψεν δ' ἐπὶ νώτου
Ῥινὸν ὀπωρινοῖσι, κὶ ἀγρια θήκατο φῦλα.
Αἱ δὲ Θεῦ βουλῆσιν ἀμειψάμεναι χρόα καλὸν
Πορδάλιες, Πενθῆα παρὰ σκοπέλοισι δάσαντο.

Ab his tamen diverſus Porphyrio *in Od.* 2. *Horat.* ubi eum fulmine tactum periiſſe ſcribit, non ob Orgiorum contemptum, ſed quòd Liberum patrem cuſtodiâ clauſum teneret. Natal. Comes *l.* 5. *c.* 13. hanc fabulam explicat; & Pentheum laudatum regem fuiſſe veriſimile eſt, qui quòd ebrietatem tollere conaretur, à furioſis ſubditis malè exceptus, & conviciis tum publicis, tum privatis diſcerptus ſit. *Nic. Lloydius.*

PENTHILE, urbs Lesbi, *Stephan.*

PENTHILUS, Arcadiæ & Meſſeniorum Rex, filius Oreſtis; proceſſit in Thraciam uſque, 60. fere pôſt res Troicas annis, Nic. Lloydius *Dictionar. Hiſtor.* Inde Lesbum occupavit, ſub adventum Heraclidarum in Peloponneſum, juxta Chronologiam Herodoti *Vitâ Homeri*, annô poſt caſum Trojæ 120. ſicque is, poſt patrem Oreſtem, ſecundus Æolicæ migrationis auctor fuit. Eôdem verò tempore, quô *Penthilus*, etiam Cleva & Malæus (ipſi quoque de ſtirpe Agamemnonis) trajectione in Aſiam facta, Cumas condiderunt, 20. annis poſt. Strabo *l.* 8. Vide quoque Joh. Marſhamum *Canone Chron. ad Sec. XIII.* & ſuprà ubi de *Æolum migratione.* De occupatione Lesbi ab eo facta. Vellejus, *l.* 1. *c.* 2. *Excluſi* inquit, *ab Heraclidis Oreſtis liberi, jactati variis caſibus, quintô decimô annô ſedem cepêre Lesbum inſulam.* A Smerde ſublatus, quòd ab eo percuſſus & ab uxore ipſius pedibus inſuper tractus eſſet. Videatur Ariſtotel. *l.* 5. *Polit. c.* 10. Ei ſucceſſit fil. Echelatus, vide *ibi.*

PENTHYLUS, fil. Demonoi, qui è Papho naves duodecim in auxilium Xerxis eduxit, quas obortâ tempeſtate amiſit. Ipſe verò captus multa de exercitu Xerxis Græcos edocuit. Herodot. *l.* 7.

PENTRI, populi Samnii: quorum urbs eſt Bovianum, Liv. *l.* 9. *c.* 31.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PENTUMA, locus apud montem Soracte, in Hetruria, Cujus meminit Gregor. M.

PENULA ſeu PÆNULA, *itinerarium* fuit apud Romanos *veſtimentum aut pluviale*, Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo c.* 27. ita enim habet Cod. Palatinus, cùm aliàs *aut pluviæ* legatur: & quidem ut plurimùm ſcorteum. Unde Martial. *l.* 14. *Epigramm.* 130. cujus lemma *Pænula ſcortea*,

Ingrediâre viam cœlô licèt uſque ſerenô,
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Scorteas tamen & pænulas ſeparatim nominat Seneca in *Quæſtion. Natur.* & ad utramvis harum diſcurri ſolitum, cùm plueret aut grandinaret, ſcribit *l.* 4. *c.* 6. Nempe & aliud *Pænularum* genus, ex lana fuit, quas intra urbem uſurpârunt ſub Imperatorib. hyemis præcipuè & frigoris tempore. Martial. idem *Gauſapinas Pænulas* illas appellat, de quibus ait *l.* 14. *Epigr.* 145.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta,
Ut me vel mediâ ſumere meſſe velis.

Hyeme igitur tantùm ſumebantur & frigoris quidem ſolùm cauſâ ſumi conſueviſſe, indicat idem *l.* 6. *Epigr.* 59. *v.* 1

Et dolet, & queritur, ſibi non contingere frigus,
Propter ſexcentas, Baccara, gauſapinas.

Atque de his capiendus Tertullian. in *Apologet. Video & theatra, nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda. Nam ne vel hyeme voluptas impudica ceſſaret, primi Lacedæmonii pænulam ludis excogitârunt*, &c. Gerebant autem in urbe *Pænulas* apud Romanos, frigoris pluviæque gratiâ, Tribuni Pl. non verò Imperatores: Unde Spartian. in *Adriano, c.* 3. cum hic Tribunus Pl. eſſet, omen ſibi factum Imperii ex eo credidiſſe, ait, quòd Pænulas amiſerit, quibus Imperatores qui perpetuam habebant Tribunitiam poteſtatem, nunquam utebantur: *In quo Magiſtratu ad perpetuam Tribunitiam poteſtatem omen ſibi factum aſſerit, quòd penulas amiſerit, quibus uti Tribuni Pl pluviæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam. Unde hodieque Imperatores ſine penulis à togatis videntur.* Nec verò Tribuni ſolùm Pl. ſed etiam Magiſtratus reliqui pluviali tempore, id veſtimenti genus videntur uſurpâſſe. Imò Adriani temporibus jam in promiſcuo uſu erat, etiam Senatoribus, & quum pluviale tempus non eſſet. Rarus tamen earum etiam tunc uſus & non niſi frigoris gratiâ, aut pluviæ, capiebantur *Pænulæ*. Sed has, quibus Tribunos pluviæ tempore uſos ſcribit Spartianus, lacernas fuiſſe veriùs, quàm *pænulas*, pænulaſque pro lacernis ſæpe poni à Scriptoribus, ait Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Sev. loc. cit.* Fuit autem *Pænula* veſtis non Romana, ſed exotica ac peregrina & quidem Lacedæmoniorum inventum, uti viſum ex Tertulliano. Ideo è Græcis antiquis ſoli Dores hujus veſtis meminerunt, unde apud *Heſychium* Rhintonis Tarentini verba, ὅτως ἔχωσα καινὰν Φαινόλαν, à Φαίνω *luceo, appareo.* Erat enim veſtis adſtricta & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret: quod proprium earum eſt veſtium, quæ arctè, non ſolutim, amiciunt. Nec multò aliter Φαινολὶς αὔως, quæ ortu ſuô terras & univerſum hoc patefaciat oculis ſpectantum, apud Sapphonem, Doricam & ipſam. A Græcis uſum ſimul & nomen *Pænulæ* habuerunt Romani, quæ quamvis non eadem penitùs cum Laconica forma videatur fuiſſe, tamen & ipſa preſſiùs amiciebat quàm toga aut pallium. Hinc eam Artemidorus inter veſtes recenſet, quæ θλίψιν & ςενοχωρίαν ſignificant, διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα. Initiô verò *Pænulam* apud Romanos tenuiſſimi tantùm quique geſtabant, puta ſervi aut his conditione proximi, eratque propriè iter facientium veſtis, cujuſmodi *Mulionica pænula* Ciceroni nominatur. Poſteà etiam intra urbem geſtari cœpit, nec, ut antè, à ſervis ſolùm aut ſordidioris conditionis hominibus, ſed etiam Senatores & Magiſtratus ipſos in publicum *pænulatos* prodire non puduit. Imò nec quod dicit Spartian. Imperatores nunquam in pænula viſos eſſe publicè, ſine exceptione verum. Scribit enim Dio de Tiberio *l.* 57. eum in panegyri quadam, pluviâ ingruente, *pænulam* induiſſe. Nec Viris tantùm verùm & Matronis veſtis uſum placuiſſe, Lamprid. docet in *Alex. Sev. c.* 27. *Pænulis intra Urbem frigoris causâ ut Senatores uterentur permiſit* ——— *Matronas tamen intra Urbem* pænulis *uti vetuit, in itinere permiſit* &c. Lana, unde *Pænulæ hyemales* confieri ſolitæ, Appula erat mirô candore & villorum gratiâ commendata; è qua in modum gauſaparum texebantur, unde *gauſapinas* dictas, ex Martiali ſuprà oſtendimus. Ubi & oſtenſum, *Lacernas* cum *Pænulis* non raró apud Scriptores confundi: inter quas tamen hoc diſcrimen, quòd *Pænulæ* ſuprà tunicam tantùm ſumerentur; Lacernæ & ſupra tunicam & ſuprà togam: Lacernæ Pænulæque pluviales, ſed iſtæ in itinere & extra urbem; illæ intra urbem. Unde Spartianum de Adriano loquentem, *Pænulas* pro *Lacernis* dixiſſe, non dubitat Salmaſ. Vide eum & ad hunc Auctorem & *ad Lamprid. loc. cit.* ut & ſuprà in voce, *Pænula.* Macrinum Imp. *Pænulas populo coloris roſei dare paraviſſe*, i. e. *ruſſei*, ut interpretatur idem Vir. doctiſſ. Lampridius modò laudatus, docet in *Antonino Diadumeno, c.* 2. Penulæ *Illyricianæ* meminit Vopiſcus, in *Claudio, c.* 17. &c.

PENULARIUS, vel PENULEUS, nomen proprium, quô filium ſuum inſigniri voluiſſe Macrinum Imperatorem, à *penulis* roſei coloris, quas Populo dare, in honorem Antonini filii ſui. hinc *Antoninianas* dicendas, paraverat, legimus apud Lamprid *d. l.*

PENUS, locus intimus in æde Veſtæ dictus eſt, Roſin. *in Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 10. adeoque idem cum penetrali, de quo *ſuprà.* Lamprid. *in Heliog. c.* 6. *in* Penum *Veſtæ irrupit.* Aliàs πάντα τὸν βίον, omnia ad vitam ſuſtentandam neceſſaria denotat, quæ *Peni* nomine veniunt, quòd intus & penitùs habeantur. Sunt autem illa, Eſculenta & Poculenta, Oleum, Garum, Muria, Mel, Acetum & Hordeum, Ligna & Carbones, Thus & Ceræ: nec injuriâ, *eſt enim omne:* ſcribit Cicero *de Nat. Deor. l.* 2. *quô veſcuntur homines, Penus*: & *Penora*, res neceſſariæ ad victum quotidianum dicuntur. Fabio Planciadæ idem eſt, cum Cellario ſeu Cella penaria, cujus meminêre Sueton. *in Aug. c.* 6. Ulpian. Gregor. Turon. Alii. Verùm inter *Penu* & Cellarium hoc intererat, quòd Cellarium paucorum dierum, *Penu* eſſet temporis longi; ut annotavit Servius *ad illud Virgilii, l.* 1. *Æn. v.* 708.

Curâ penum ſtruere: ———

quod & videtur Scævolæ placuiſſe, apud A. Gellium *l.* 4. *c.* 1. *Pænujarium* antiquum marmor, *Condum promum procuratorem Peni* Plautus *Pſeudolo, Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 44. citante Fulgentiô, habet: quem imitatus eſt proculdubio Paulus Diaconus *in Diſtichis*, quibus D. Benedicti admiranda complexus eſt, *de Geſtis Longobard. l.* 1. *c.* 26.

Cur Prome Conde times ſtillam præbere Lætyti?
Dolia certè fluunt, cur Prome conde times?

Apud Homerum verò *Penuariam* ſeu *Penariam* ancillam, quæ Græcè Ταμία, annotavit Athenæus *Dipnoſophiſt. l.* 1. Cujuſmodi Lyde fuit apud Horatium *l.* 3. *Carm. Ode* 28. *v.* 2. 3.

——— *Prome reconditum*
Lyde ſtrenua, Cæcubum.

Vide Pignorium *Comm. de Servis.*

PEPAGOMENUS Demetrius, vide *Demetrius.*

PEPARETHUS, inſula parva Macedoniæ in mari Ægæo, una Cycladum. *Lemene Nigro; Saraquino Caſtaldo; Opula* aliis, 25. mill. paſſ. in Occaſum à Magneſiæ ora, inter Thermaicum ſinum ad Boream & Pelaſgicum ad Meridiem, uti 90. mill. paſſ. circiter ab Atho monte, Eubœam verſus 45. In tabulis nauticis *Piperi* dicitur, *Baudrand.* Oppidum habet ejuſdem nominis, eſtque olivifera. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 470.

Et Gyaros, nitidaque ferax Peparethos olivæ.

Quondam *Evonus* dicta fuit, ut Plinius tradit. Locus autem Plinii, quem citat auctor, eſt *l.* 4. *c.* 12. ſed pro *Evonum* ſcribendum *Evænum*, i. e. Εὔοινον monet *Bochart.* talis enim erat hæc inſula. Ita habetur in Heraclidis politiis: Αὕτη ἡ νῆσος (inquit) εὔοινός ἐςι, καὶ εὔδενδρος, καὶ σῖτον φέρει. In Philoctete Sophoclis legitur; Εἰς τὴν εὔβοτρυν Πεπάρηθον, *v.* 549. Itaque à verbo פרה *para*, quod *parere*, & *feracem eſſe* ſonat (duplicatis radicalibus) primô *Perpareth* factum, dein *Pepareth*, alterô R. pereunte Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 12. *Nic. Lloydius.*

PEPERINA, Indiæ intra Gangem inſula, *Ptolemæo. Qualpenea, Caſtaldo.*

PEPHNON, urbs Laconiæ, Apollodorus inſulam eſſe ſcribit, *Steph.*

PEPINIUS cognomine *Brevis*, Francorum Rex, Caroli M. pater, filius erat Caroli Martelli, frater Carolomanni: poſt paternæ hæreditatis diviſionem, hôc in Italiam digreſſô, regno inhians, apud Zachariam Papam, tantum effecit, ut is, à Sacramenti religione Gallis ſolutis, Childericum legitimum Regem tonſum, in Monaſterium detruſerit, Pipinô Rege pronuntiatô. Qui coronatus A. C. 752. fratris ſui Grifonis rebellione ſedatâ, Narbonam Saracenis eripuit, Britoneſque Venetiis captis, ſub jugum miſit. Dein à Stephano 2. in Italiam vocatus, Longobardos ſub Aiſtulpho, Romanorum agros aſſiduis bellis vexantes, præliô aggreſſus vicit, & oppreſſit: Exarchatu, ut votô ſe ſolveret, ſedi Romanæ donatô, A. C. 756. ſicque ob ampliſſima hæc beneficia in Romanos Pontifices, & in Eccleſiam collata, auguſtum *Chriſtianiſſimi Regis* titulum ſibi, & ſucceſſoribus ſuis meruit in hodiernum uſque diem. Munſter. *l.* 2. *Coſm.* E ſecunda in Italiam expeditione redux, Saxonibus bellum intulit, Gaifrum vel Waifrum, Aquitaniæ Ducem ſepties vicit, eôque à ſuis occiſô, ditione ejus potitus eſt, A. C. 768. Obiit hydrope, in Fano S. Dionyſii, An. eod. ætat. 54. regni 16. Ex Bertha, vel Bertrada pater Caroli M. ut dictum, Carolomanni Auſtraſiæ Regis & Ægidii Monachi, &c. Vide auctores hiſtoriæ ſecundæ familiæ Gall. Reg. editos à Pithæo, Frehero, & Ducheſnio, Bouchetum, *de Orig. fam. Gall.* Sammart. *l.* 7. *Hiſt. Geneal. Gall.*

PEPINUS Craſſus, ſeu Heriſtellus, Major Domus Gall. filius Anſegiſi, nepos Arnolphi, Epiſcopi Metenſis. In Auſtraſia regnare cœpit, A. C. 687. ſed à Theodorico IV. & Ebroino ejus Majore Domus victus eſt, Martinô collegâ & agnatô occiſô. Dein felicior, ſub Clodoveo III. Childeberto & Dagoberto III. rerum potitus eſt. Vicit ſæpius Bertharium, A. C. 691. Radbodum Friſium, A. C. 707. Wilerum Suevum, A. C. 709. & 712. Obiit A. C. 714. Ex Plectrude Druidis, Campaniæ Ducis Grimoaldi Majoris Domus, & Sylvini Monachi: ex Alpaide verò, pater Caroli Martelli & Childebrandi, qui tertiæ Familiæ ſtirps fuit. Hanc digamiam reprehendens Hubertus Epiſcopus Leodienſis, à Dodone, Alpaidæ fratre, occiſus eſt. Aimoin. *c.* 48. &c. Vide & *Pipinus.*

PEPINUS I. Italiæ Rex, fil. Caroli M. ex Hildegarde, à Patre A. C. 781. Romam deductus, ibi ab Adriano I. baptiſmum & coronam accepit. Hunnos pepulit, illorum regione vaſtatâ, Saracenos in Corſica devicit, Venetos ſuperavit. Obiit A. C. 810. ætat. 33. Pater, ex impare thoro, Bernardi, genitoris Pepini II. qui Bernardum II. ſuſcepit, Herbertum & Pepinum, Comitem Sylvanectenſem. Nithard. *l.* 2. Dupleix & Mezeray, *Hiſt. Gall.*

PEPINUS; Aquitaniæ Rex, fil. Ludovici Pii: odiô Juditæ novercæ contra Patrem rebellis, illum in vincula conjecit. Obiit A. C. 838. Ex Ingeltrude, filia Theodeberti Comitis, pater Pepini, à Carolo Calvo monaſterio S. Medardi, in Sueſſionum urbe, incluſi, A. C. 852. Caroli Archiepiſcopi Moguntini poſt Rabanum Maurum, & duarum filiarum, Sammart. *Hiſt. Geneal. Gall.*

PEPLUM, & indutui fuit & amictui, ut *Varro* loquitur & *Apulejus.* Jul. Pollux *l.* 7. *c.* 3. [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ὡς ἐνδύναι τε καὶ ἐπιβάλλεσθαι: cujus locô vocem ἀμφιβάλλεσθαι uſurpat Lycophron *in Alex.* Inde veteres Græci etiam cœlum πέπλον appellitaverunt, οἷον θεῶν ὀυρανίων περίβλημα ut ait Porphyrius *l. de Nympharum antro.* Servio *Æn. l.* 1. *Peplum propriè eſt palla fœminea picta Minervæ conſcrata, quô nomine hodie multi abutuntur,* ſed de hoc infrà. Pro quocunque Matronali pallio ſumi, certum eſt: erant autem illa prælonga, ac admodum laxa, ut ipſum quoque caput operirent. Sic Rebecca adventantem Iſaacum Sponſum audiens, palliô ſuô citò arreptô, vultum operuit, Geneſ. *c.* 24. *v.* 65. *Acceptô Peplô operuit ſe.* Vide Tertullian. *de vel. Virg. c.* 11. & Ambroſium *l. de Iſaac c.* 2. quibus adde Hieronym. *in c.* 3. *Eſaiæ*, ac Paulin. *in Epithalamio Juliani & Itæ.* Eſſe nuptialem amictum & unà cum capite faciem quoque velâſſe, ait Nyſſenus *Homil.* 12. *in Cant.* Θέριστρον dixêre LXX. quod eſſe *æſtivum peplum* ait *Pollux* ac *Suidas.* Unde Lippomanus Gen, *c.* 38. *v.* 14. ubi de Theriſtro, quod Thamar fornicariam ementiens ſumſit: *Hebrææ*, inquit, *Mulieres Peplum à capite ad talos ferè demiſſum geſtare ſolebant, quô Virgines & faciem, quantum per viæ inſtitionem licebat & corpus totum operiebant; Uxoratæ corpus quoque, demtâ facie. Fornicariæ autem habitum Virginum ementiebantur & ſe totas peplô contegebant, ut fecit Thamar.* Iidem LXX. Ezechielis *c.* 16. *v.* 13. Τριχαπτὸν vocitavêre, quod Hieronym. vertit, *ſubtilia*: Peplum enim hoc valde ſubtile ac tenue erat, interque ea textilia numerandum, quæ Seneca *nebulam & ventum textilem* appellavit. Idem Hieronym. *ad Lætam* ſtatuit pallium hoc pudicitiæ fuiſſe ſignum & humeros texiſſe, & *in Eſaiæ c.* 3. atque *in Hebr. traditionibus*, notat fuiſſe genus Arabici veſtimenti, quô mulieres Arabiæ ac Meſopotamiæ tegerentur. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo ſect.* 6. & infrà in voce *Theriſtrum.* Κατ᾽ ἐξοχὴν Athenis dicebatur ſic, teſte *Suidâ*, *velum Panathenaicæ navis*, quam Athenienſes Minervæ apparabant feſtô Quinquatrium ſive Panathenæorum majorum. De eo Lutatius Placidus *in Thebaid. l.* 10. *Peplum eſt veſtis candida, aureis clavis picta ſine manicis quod ſimulachris fiebat. Sed hoc* Peplum *primùm eſt ab Athenienſibus inſtitutum, quod Matronæ ſuis manibus faciebant & inter triennium (l. quadriennium) Numinibus offerebant.* Intextum erat huic *Peplo*, quod Panathenæis inferri ſolebat, ut Pallas Enceladum alioſque Gigantes interemit, teſte Virgiliô *in Ciri.* Geſta item Ducum Athenienſium, *qui ſtrenuè ſe in bello geſſiſſent*, ut inquit *Servius*: quod vult *Suidas*, cùm, de *Peplo* agens, extremò addit, Καὶ ἐνέγραφον τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ; & Proverb. apud Comicos, Ἄνδρες ἄξιοι τοῦ Πέπλου. Vide Anton. Thyſium *Notis in Gellii Prolegomena*, & ſuprà voce *Panathenæa.* Idem nomen fuit poëmati, quô Heroum tumulos celebravit Ariſtoteles occaſione hinc ſumtâ. Nempe, ut erat Homeri apprimè ſtudioſus, ejus Βοιωτίαν, ubi Principum Græciæ genus, patriam, claſſemque recenſet, ivit illuſtratum editô librô in hanc rem, de quo *Euſtathius* è Porphyrio: Neque tantùm Heroum genealogias, claſſem & geſta; ſed etiam conſcripſerat illorum extremi fati genus, ſupremumque diem, tumulumque fecerat, & tumulo ſuperaddiderat carmen, duobus verſiculis conſtans, atque ita univerſæ illi Hiſtoricæ antiquitati facem præferens, Politicum informabat. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1. Ad *Peplum* Minervæ ut redeam, illi nullius hominis inſerebatur nomen, niſi vitam cum morte commutâſſet, exceptô Antigonô & Demetriô, qui Athenienſium ſcitô Dii habiti ſunt. Inſerebatur autem maxima cum pompa & proſequebantur Athenienſes omnis ordinis, omnis ætatis, omnis ſexûs, neque Athenienſes tantùm, ſed etiam inquilini: & quidem mares cum ligonibus, fœminæ cum hydriis ac umbellis, ex lege: Τοὺς μετοίκους ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιάδια, memoratâ *Harpocrationi*: Unde σκαφηφόροι *Heſychio* Inquilini hi dicti. &c. Vide plura apud eundem Petitum *loc. cit.* Scalig. *ad Cirin.* Caſaubon. *ad Capitolin. in Marco c.* 21. & ſupra in voce *Panathenæa*, uti de equitatu hoſtili *peplis* mulierum impedito, ſuprà voce *Murices.*

PEPO, Græcè πέπων, à verbo πεπαίνεσθαι, i. e. *matureſcere*, cucumeris genus, deſcribitur Plinio *l.* 19. *c.* 5. & *l.* 20. *c.* 2. Eorum nimiô uſu interiiſſe Albertum Imperatorem refert Bucholzerus *Ind. Chronol.* Vide ſuprà in voce *Cerinus*, item *Melopepones.*

PEPUZA, Phrygiæ urbs apud *Calliſtum*, nunc in ruinis, unde *Pepuziani* hæretici dicti: qui Montaniſtarum deliria ſectati, fœminas habebant Epiſcopas & Presbyteras. Vocabant hunc locum Hieroſolymam, quò undique homines confluere voluerunt. Epiphan. *hæreſ.* 49. Auguſtin. *de hæreſ. c.* 27. Euſeb. *Hiſtor. l.* 5. Baron. *A. C.* 172.

PEPYLYCHNUS, Ptolomæo fluv. eſt, quô Macedoniam ab Auſtrali parte terminari ſcribit.

PEQUINENSIS, & PEQUINUM, vide PECHINENSIS, & PECHINUM.

PERA, urbs Piſidiæ. Idem, Theſſaliæ, *Steph.*

PERA, Latinè etiam *Cornu Byzantii*, Græc. *Chryſoceras*, urbs Thraciæ, prope Conſtantinopol. nunc *Galata*, verſus ſuburbium, ubi Latini degunt.

PERA, ſeu *Chrach*, metropolis Arabiæ ſuperioris.

PERA, ſtructura contra fluctuum impetus, tam in mari quàm in fluminibus. A Latino *petra*, vel potius Gall. *Pierre.* Hinc immenſa illa moles, quæ Germuthiæ in Anglia viſitur, ex ingentibus trabibus, maximaque vi ſaxorum, *Pera* dicitur, Spelmannus *Gloſſar. Archæol.* Propriè ex ſaxis, poſtmodum ex quacunque materia *Peræ* fiebant. Hinc *Petaria*, machina bellica, quâ lapides emittebant; aliàs *Petraria*, magni uſus, olim tam in navali, quàm pedeſtri præliô, inprimis in obſidionibus. Hodie grandia illa tormenta ærea, quæ unô exploſu lapidum imbrem eructant in hoſtem, dicuntur *Perrieres*, & *Fowlers* Anglis, i. e. Aucupes, quia unô exploſu, ut in aucupio, ſtragem faciunt multiplicem. *Idem.*

PERA, an à τηρεῖν, aut φέρειν, quod *ſervet* aut *ferat*; an à πέρι, quòd *lata* ſit ac ſinuoſa; an à πάομαι, *paſcor*, quòd ſervet ac cuſtodiat cibum? inter Paſtoris vaſa, Hebr. *Jalkut*, 1. Sam. *c.* 17. *v.* 40. (David) *acceptô baculô ſuô in manu ſua elegit ſibi quinque læves lapides ex valle, quos impoſuit inſtrumento paſtorali, quod habebat, i. e. pera, funda autem ejus* erat *in manu ejus.* A verbo לקט *lakat*, i. e. *colligere*, quòd in ea viaticum, & quidquid neceſſum eſt, Paſtor colligit. Unde eſt quòd Græci Interpretes συλλογὴν reddunt. A voce *Jalkut* Græca lingua mirâ literarum trajectione, θύλακα fecit & θύλακον & θυλάκιον. Pro ילקוט *jalkut*, Arabs habet *michla*, Chaldæus verò & Syrus, *tharmil* aut *tharmal*, quorum illud quidem propriè *peram cibariam* ſonat. Fit enim à *chela*, i. e. *pabulum*, *cibus*, ut Græcum χίλος. Iſtud verò idem eſſe, patet ex Ruth. *c.* 2. *v.* 18. ubi Thargum, *Et protulit ex* tharmila *& dedit ei cibum ſuum*, & fortè Græcæ originis eſt. Nam Græcè ἀρμαλιὰ eſt τροφὴ, *cibus*, *alimentum*, apud Heſiodum, in ἔργ. *v.* 765. in vet. *Epigramm.* apud *Heſychium*, *Suidam*, *Tzetzem*, *Etymologum* &c. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 44. Vide & ſuprà, ubi *de Bucolicis carminibus*, & infrà voce *Sectarius*, ubi de vervece πηροφόρῳ. Apud Rom. Scriptores, *Pera*, ſacculus erat ex aluta, è collo ad lumbos pertinens, Joh. Laurentius JC. *in v.* 1. *Phædri l.* 4. *fab.* 9.

Peras impoſuit Jupiter nobis duas.

Hinc *Pera viatoria*, quâ panem & aliquid obſonii Veteres geſtabant: quemadmodum, poculum viatorium, quô vinum, Martial. *l.* 14. *Epigr.* 81. ubi *Pera* honeſtiorem dominum, quàm Cynicum, petit, cujus mendicata fruſta cogatur ferre, & pulvini officium dormienti præſtare:

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane: Pera, *rogat*,

Namque *Peram* totam ferè Cynicorum ſuppellectilem fuiſſe, docet idem *l.* 4. *Epigr.* 53. *v.* 1.

Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ
Pallados, & templi limina, Coſme, novi:
Cum baculo Peraque *ſenem*, &c.

Unde cùm Hipparchia, nullô procorum ambitu, non opibus, non nobilitate ab intempeſtivo amore Cratetis abſtrahi poſſet, rogatus hic à puellæ parentibus, ut illam à propoſito averteret: poſtquam egit omnia, nec perſuaſit, exurgens omni ſuâ ſupellectile, *baculô* nempe *& Perâ*, ante illius oculos expoſitâ, *hic Sponſus, hæc ejus poſſeſſio, ad hæc delibera*, dixiſſe legitur; apud Diog. Laërtium. Erat autem illa *lupinis* ut plurimum ſolis referta, ut vidimus ſuprà in hac voce. At Viatores, Curſores inprimis ſi longius iter conficere tenerentur, in ipſa *Pera* præter obſonia ac panem ferebant poculum viatorium, ut dictum:) Item Epiſtolas tabellis exaratas, papyrôque deſcriptas, utiterum ex Martiali diſcimus *l.* 3. *Epigr.* 58. munera quoque, Idem *l.* 5. *Epigr.* 94. Qua de re plura, apud Fortun. Licetum *de Lucernis antiqq. l.* 6. *c.* 82. *ubi Lucernam ſervi phalerati Curſoris explicat*, ut & ſuprà in vocibus, *Marſupium* & *Mazyes.* Apud recentiores *Pera*, Monachorum propria eſt, Caſſian. *de Monachis Ægypti. Ultimus eſt habitus eorum pellis caprina, quæ melotes vel* pera *appellatur.* Ita *peram & baculum* Monachis tribuit Palladius *Hiſtor. Lauſiac. c.* 83. In eadem Eccleſia *peras peregrinatorias* benedici à Presbyteris conſueviſſe, obſervat Honorius Auguſtodun. *Gemm. An. l.* 1. *c.* 181. pro quibus benedictionibus oblationes fieri ſolitas, docet ex *Diplomate* Alexandri Pontificis Romani A. C. 1234. ubi iſta habentur, *Idem Sacerdos ſolus habebit ---- oblationes, quæ fiunt pro baptiſmo & pro pera*; Car. du Freſne *Gloſſario*, qui de peregrinantium his *Peris* multa congeſſit *Diſſert. ad Joinvillam* 15. Etiam inter Miniſteria ſacra, *Pera* occurrit, in *Chron.* Moguntino *p.* 384. *Peram ad corporalia filis aureis inſertis miri operis & decoris* &c. Vide & infrà *Pſachnion*, it. *Romeus.* Hinc *Pero*, quod vide. Anglis vox *Pera* aliud longè ſonat, ſtructuram nempe quamvis contra fluctuum impetus, tam in mari, quàm in fluviis, ex Latino *Petra*, Gall. *Pierre.* Uſus enim obtinuit, ut cujuſcunque materiæ ejuſmodi moles ita appellentur, ut illa ad Germuthiam ex ingentibus trabibus maximaque vi ſaxorum conſtructa hodie id nominis habet: quomodo etiam *Peras* vocant ipſa fundamenta, quibus innituntur columnæ, quæ pontes ſuſtinent, ſive ex Saxis fiant ſive ex pilis, tabulis & aggeſtâ terrâ, &c. Vide ſuprà.

PERÆA, Judææ pars ulterior, Ægypto proxima, Plin. *l.* 5. *c.* 14. Regio & toparchia, in tribu Gad ſita, trans fluvium: longitudo ejus eſt à Pella uſque ad Macherunta, latitudo verò à Philadelphia, Arabia, Silbonitide uſque ad Jordanem. Irrigatur autem abunde montanis torrentibus & fontibus aquæ perennis, quoties illi Syriô æſtuante defecerint. Item Syriæ oppidulum, *Steph.* Item regio parva Cariæ maritima contra Rhodum inſulam, *Polyb.* Item oppid. Æolidis Mitylenæorum colonia, Liv. *l.* 57. *c.* 21.

PERÆBE, & PERÆBUS, oppid. fuit Theſſaliæ, *Steph.*

PERÆQUATORES, dicuntur *exactores cenſuum*, quòd æqualiter ab omnibus exigant, ſeu qui tributa ex æquo inter cives partiuntur, Græcis Ἐξισωταὶ, de quibus in *Cod.* Theod. & in *Novell.* Item apud Ennodium *l.* 1. *Ep.* 6. Senatorem *l.* 5. *Ep.* 14. 15. Alios, laudatos Carolo du Freſne *ad Alexiadem p.* 346 Cujacius ait, *Peræquatores* & Inſpectores eſſe: qui cenſus emendent, prædiis inſpectis & adæquatis invicem, ut revelentur, quibus gravius eſt onus adſcriptum; graventur, quæ leviùs cenſita *l.* 10. *Cod. de fund. patr. l.* 22. alibique. Eoſdem penè cum *Inſpectoribus* eſſe, ex Caſſiodoro diſcimus *l.* 10. *Ut ad prædium, de quo querela eſt, diligens Inſpector accedat & rebus moderatâ inquiſitione trutinatis, quidquid gravaminis poteſt habere poſſeſſio,*

ratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rationabiliter abrogetur. Iidem *Cenſitores* dicti, *Gloſſar. Cenſitor.* Ἀπογραφεὺς, Τιμητὴς. *Heſych.* Κηνσίτωρ, ὁ τὴν γῆν μετρῶν quem Ἐξισωτὴν, vocat Naz. *Orat. de Juliano Cenſit.* Cùm enim olim muneris Cenſorii pars eſſet, habere & ordinare cenſus (i. e. deſcribere agros & reliquas fortunas in cenſum deferri ſolitas) poſteà, Cenſoribus ſublatis, miſſi ſunt per provincias, quos *Cenſitores* vocabant, qui modum agrorum, quem quiſque poſſidebat, metiebantur & in tabulas cenſuales referebant, è quibus tributi pro ſua virili cuique præſtandi ratio conſtaret. Hos à dominis deſerta & deſtituta prædia aliis tradere atque ita dominum mutare ſine reliquorum onere conſueviſſe, tradit Cujacius *ad rubr. Cod. de cenſib. & Cenſitor. l.* 11. Idem *Peræquatores* vel Diſcuſſores, ſi incurriſſent culpam negligentiæ vel gratiæ, non ſolùm honorum jacturam, ſed & annonarum in quadruplum mulctam ſubiiſſe, docet *ad l. 7. de tit.* apud Joh. Calv. *Lexic. Jurid.* Vide præterea Sirmondum *ad Ennodium*, Jac. Gotofredum *ad Cod. Theod.* Chopinum *de Dom. tit. 2. num. 5.* &c. Ad hanc *peræquationem* tributorum pertinet quoque locus Gregorii Turon. *l. 9. c. 30. Childebertus verò Rex deſcriptores in Pictavos---juſſit abire----ut ſcilicet populus cenſum, quem tempore Patris reddiderat, factâ ratione innovatura reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant, & ob hoc viduis orphaniſque ac debilibus tributi pondus inſederat. Quòd hi diſcutientes, per ordinem relaxantes pauperes & infirmos illos, quos juſtitiæ conſtitutio tributarios dabat, cenſui publico ſubdiderunt.* Nec omittendi, *Peræquatores victualium rerum in urbe Regia*, memorati Senatori *l. 6. Ep. 6.* qui rebus venalibus pretium ſtatuebant apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PERALDUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PERAMBULATIO, Vide *Terminalia.*

PERANTHUS, pater Callithyiæ, primæ τῶν Ἡρεσίδων, ſeu *Sacerdotum Junonis* Argivæ, Joſepho Patriarchæ σύγχρονος, idem cum Criaſo, quarto Argivorum Rege? Vide *Criaſus.*

PERANTIA, urbs Ætoliæ, *Stephan.*

PERASIPPUS, unus è Legatis, quem Lacedæmonii, violatâ Alexandri ſocietate, ad Darium miſerant, proditâ Damaſcô cum collegis tribus à Parmenione captus, Curt. *l. 3. c. 13.*

PERCA, Vide *Bætis.*

PERCA, piſcis genus, memorati Auſonio in *Moſella*, *v.* 115.

> *Nec te delicias menſarum* perca *ſilebo,*
> *Amnigeros inter piſces dignande, marinis*
> *Solus puniceis facilis concedere mullis.*
> *Nam neque guſtus iners, ſolidoque in corpore partes*
> *Segmentis coëunt, ſed diſſociantur ariſtis.*

Nempe laudem *perca* meretur fluviatilis eximiam, ſed ampliorem marina. Unde errant, qui fluviatili tribuunt, quæcunque ad marinæ laudem attulit cum Philotimo Galenus *de Alim. Fac. l. 3. c. 31.* Rhenanâ tamen nihil ſalubrius, unde Proverb. Belgarum, *geſonder als en baers:* cujus famam ad Xenocratem, qui eam mirè prædicat apud Oribaſium, perveniſſe, non injuriâ miratur *Geſnerus.* Vide Voſſ. *de Idolol. l. 4. c. 22. 24.* & 30. & ſuprà *Cratus.*

PERCE, antiquum nomen Thraciæ, *Stephan.*

PERCEJANA, urbs Hiſpaniæ circa Emeritam Aug. *Antonino.*

PERCENNIUS, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles in Pannonicis legionibus, ſeditionum quæ in Tiberii principatus initia inciderunt, auctor & flabellum. Adventu Druſi Tiberii Fil. ad cæterorum terrorem interfectus.

PERCES, Hiſpan. fluv. ab incolis ſic dictus; aliàs Bætis, *Stephan.* Βαῖτις, ποταμὸς κατὰ Ἰβηρίαν, ὃς Πέρκης λέγεται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Nempe *Perca* factum ex ברכה *berca*, i. e. à *ſtagno.* Quem in *Certem*, aut *Certim* mutârunt ſcribæ *imperiti* in his Livii *l. 28. c. 22. Martius ſuperatô Bæti amne, quem incolæ Certim appellant. Lloyd.*

PERCNOPTERUS, ſeu Gypæetus, degeneris aquilæ genus, vulturinâ ſpecie, cujus mentio Job. *c. 39. v. 33. Pulli ejus ſorbent ſanguinem, &, ubi ſunt cadavera, illic eſt.* Et Matth. *c. 24. v. 28. Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ.* His enim locis *Percnopteron* intelligi, hinc patet, quod inter aves carnivoras cadaver aquila non attigit, teſte *Oppianô*, & *Tzetze*, exceptâ ſolâ hac ſpecie, quæ à Philoſopho deſcribitur κακόβιος καὶ τὰ τεθνῶτα φέρουσα, *mali victus & exanima ferens corpora*, *Hiſtor. l. 9. c. 32.* Unde in Arabum ſcriptis nihil tam frequens, quàm aquilas carne morticinâ veſci: & Leo Africanus diſertè, *Neſir* (i. e. Aquila) *inter volandum adeò excelsè in aërem ſe attollit, ut conſpici nequeat, & ſi quod animal mortuum, ſubitò ſe demittit.* Vide quoque Plin. *l. 10. c. 3.* A quadringentis paraſangis hanc avem cadaver videre, & cùm in illud incidit, ſuper quod oſſifragæ ſunt, recedere, nec reliquias illorum comedere, tradit *Damir* Arabs. Idem, cùm in cadaver incidit & eô repleta eſt, volare non poſſe, donec ſaltuatim progreſſa per gradus in aërem ſe ſuſtulerit, refert. A *Percnoptero* percnon, quæ & *morphnos*, multum differre, ex eodem Plinio conſtat. Illi enim percnos ſeu morphnos, eſt aquila tertii generis, & *Percnopteros* quarti; neque parùm diſcrepant utriuſque deſcriptiones. Quod cum *Suidas* non attenderet, percno id tribuit, quod percnoptero proprium eſt, cùm ait: Μόρφνος εἶδος ἀετοῦ· μόνοι δὲ οὗτοι τῶν ἀετῶν οὐ κυνηγετοῦσιν, νεκροῖς σώμασι τρέφονται, *Morphnus ſpecies aquilæ, ſolæ autem hæ aquilæ non venantur, ſed aluntur cadaveribus.* Pari errore Theophylactus aquilas, de quibus Chriſtus *loc. cit.* habuit pro vulturibus. Præter enim loca citata, Salomon ait Proverb. *c. 30. v. 17. Oculum, qui patrem deridet matriſque diſciplinam ſpernit, hunc effodient corvi vallis & aquilæ pulli comedent.* Nempe in Parentes rebellio tum crimen erat lethale, & damnatorum corpora manebant inſepulta, feriſque & avibus carnivoris expoſita: nec fruſtra eſt, quòd oculi meminit Salomon, cùm in toto corpore pars nulla ſit rapacium avium injuriis tam obvia, &c. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 1. c. 3.* & *Part. poſter. l. 2. c. 2. ſub fin.* Vide & infrà, voce *Racham.*

PERCOPE, civitas juxta Pontum, quæ Trojanis auxilium miſit, Homer. *Il.* λ. *v.* 229.

PERCOSIUS, Trojanorum amicus, omnium longè doctiſſimus ſcientiâ divinandi futura. Cujus filii Adraſtus & Amphius fuêre: quos neque admiranda patris doctrina, neque paterna ſollicitudo à morte ſubtrahere potuit, cùm eos retinere conaretur, ne ad Trojanum bellum, ubi morituri erant, proficiſcerentur.

PERCOTE, quæ & *Percope* olim dicta fuit, urbs littoralis Troadis, *Stephan.* In ora Myſiæ. Val. Flac. *l. 2. v.* 622.

> *Jam juga Percotes, Pariumque infame fragoſis.*
> *Exuperant Pythiamque vadis.*

A Perſarum Rege Themiſtocli in veſtes & ſtragula data. Hinc *Percoſius* nomen gentile. Val. Flac. *l. 3. v.* 10.

> ——— *Primas conjunx Percoſia veſtes*
> *Quas dabat, & picto Clite variaverat auro.*

PERCURSUS, Vide infrà ubi de *Retinendi Judæos jure.*

PERCUSA, Vide *Pertuſa.*

PERCUSSÆ bene veſtes, apud Juvenal. *Sat. 9. v.* 30.

> *Et bene* percuſſas *textoris pectine Galli:*

Concutes & *cucutia* dicebantur olim, & *concutia* (quemadmodum à decutiendo, *decutes togæ*) Græcis κρουστὰ καὶ σπαθητὰ, item πυκνόστημα, *pavidenſes* ſcil. veſtes & bene condenſatæ. Nam *concutere* eſt κρούειν vel σπαθᾶν: unde *concus*, *concutis*, radius erat vel pecten, quô veſtes percutiebantur. Hinc *cruſtæ veſtes* in Cod. Theodoſ. *l. 11. de ſcen.* ubi Imperator Græcô nomine ſic eas Latinos appellâſſe ſcribit: in quibus (à denſitate texturæ, quod bene ſcil. eſſent *percuſſæ*, ita dictis) ſtamen erat coloris cujuſlibet; trama verò ſive ſubtemen, quod pectine ſolidatur, & cum ſtamine connectitur, purpureô colore tinctum. Veſtes autem, in quibus ſtamen ſubtexebatur conchyliô tinctum & ejuſdem infectionis argutô pectine ſolidanda fila decurrebant, eæ dicebantur *Holoveræ*, de quibus ſuô locô. Claud. Salmaſ. *ab Treb. Pollion. in Claudio c. 17.* Vide quoque ſuprà in voce *Cruſtæ.* Aliàs *Percuſſus* vox eſt monetis faciendis peculiaris: uti notat Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Stat. Theb. l. 2. v.* 277.

> ——— *Infauſtas* percuſſum *adamanta figuras.*

Ubi *Lutatius* characteres intelligit maleficos, qualibus ab initio rerum Magices vetitæ ſtudioſi homines mala multa bonis ſibique invicem intulerunt &c.

PERCUSSIO, pœnæ genus, de quo infrà voce *Pœna.*

PERCUTERE menſuram vulgò dicuntur, qui modum canendi præſcribunt. In omnibus enim etiam Veter. choris Meſochori erant, τοῦ χοροῦ κορυφαῖοι Græcis appellati, qui cœteris ad canendum præibant & modum canendi dabant, pede in eam rem pulpitum aut ſolum tundentes: huncque ſic levantes & cum ſono ponentes, æquali ſemper ac perpetuô quôdam tenore, cantici modulationem temperabant ac moderabantur. Quod idem hodieque fit, ſed manu, quâ levatâ poſitâque menſam aut librum feriendo, in Muſicis Symphoniacorum concentibus, unus reliquis unà canentibus modum dat, quod *percutere menſuram* vulgò dicitur. Id autem apud Veteres in Choris pedum ſupploſione fieri conſueviſſe, diſcimus ex *Luciano*, qui de Laconicis choris & tibicine, qui ad chorum ſimul ſtabat & pede terram plaudebat, Καὶ αὐλητὴς μὲν, inquit, ἐν μέσῳ καθήμενος, ἐπαυλεῖ καὶ κτυπεῖ τῷ ποδί· οἱ δὲ κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι, σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται, πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες, *Et tibicen quidem in medio ſedet, & ipſe tibiâ canens ac ſonum edens pede: Reliqui verò ſe invicem ordine ſequentes, figuras omnifarias exhibent ad rythmum incedentes.* Quò autem clarior in theatris eorum ſonus eſſet, qui pede pulpitum percutiebant ad incentivum dandum, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, ad hunc ſolùm uſum factas, Κρουπέζια Græcis, ἀπὸ τοῦ κρούειν καὶ τὰς πέζας, *à pedis plauſu* & *percuſſione.* Imo non ligneas, ſed ferreas quoque ſoleas ad eam rem adhibitas, ex eodem Luciano notum, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c.* 19. & hic paſſim, in vocibus *Crupezia*, *Melochori*, *Pedicula*, *Scabella*, alibique.

PERDA, à PERDO, qui *perdit* vel *perditor*, Græcè φθορεὺς, apud Treb. Pollionem *in Trig. Tyrannis, c. 18. Aureolus---Quietum Macriani filium, quem perdam ſuum eſſe dicebat.* Ubi priùs legebatur *prædam.* Sed Palatinus liber planis & minimè dubioſis literis exaratum præfert, *perdam*; quæ ſcriptura primô aſpectu pæne me in ſtuporem dedit, inquit Salmaſ. propter illius, quam præferebant tam inuſitatæ & inauditæ, tamque mirificæ dictionis, novitatem: Poſtquam verò diligentiùs & attentiùs eam conſiderare cœpi, & probam eſſe vocem Latinamque & bonâ rationе factam comperi & quod magis ad rem facit, etiam hujus loci ſenſui de ſignificatione valde aptam & convenientem. *Perda* namque à *perdo*, ut *Scriba* à *ſcribo:* Sic à convenio, hic *convena*; ab incolo, *incola*, ab advenio, *advena*; à transfugio, *transfuga*, *incola*, à *ſubdico*, Sic *confida*, à confido, qui confidit, in *Gloſſar.* Iſidori; à *ſubdico*, quod eſt ſecundô locô dico, *ſubdica*, ſecundarius vel qui ſecundas agit, &c. Atque hinc à *perda* compoſitum *officiperda*, in Catonis *Diſt.* & Iſidori *Gloſſ.* qui laboris ſui remunerationem non habet: ad verbum, *perda officii*, qui officium nempe ſuum perdit, &c. Dicit ergo *d. l.* Trebellius, ab Aureolo miſſos homines eſſe ad comprehendendum Quietum Macriani filium, quem *perdam ſuum* eſſe dicebat, h. e. *perditorem ſuum*, τὸν ἑαυτοῦ λυμεῶνα ſeu φθορέα: ideo videl. quòd Macrianus ejus pater, & Macrianus item frater, ad perdendum ſe cum magno exercitu veniſſent, quos tamen conflictu habitô vicit per Domitianum, Ducem quondam ſuum. Macrianus enim cum Macriano & Quieto filiis factus Imperator, relictô in Oriente Quietô, cum altero filio Macriano, contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tra Gallienum & Aureolum venit & cum Aureolo in Illyrico congreſſus, victus, interemptus, & quadraginta quinque millibus militum, quos ſecum ducebat, ſpoliatus eſt. Vide Trebellium in *Gallieno* & *Macrianis*. Hinc *perdam* ſuum Quietum eſſe dicebat Aureolus, quòd per eum Patremque ejus & fratrem ejus non ſteterit, quo minùs perderetur: quòdque ex illis fuerit, qui perdere ipſum voluerunt. Apud *Sophoclem:*

> Καὶ τἀμὰ τεύχη, μήτ' ἀγωνάρχαι τινὲς
> Θήσουσ' Ἀχαιοῖς, μήθ' ὁ λυμεὼν ἐμός.

Ubi μηθ' ὁ λυμεὼν ἐμὸς eſt *nec perda meus*, ita vocat Ulyſſem Ajax, &c. Similiter ergo pro *præda*, *perda*, reſtituendum erit, apud Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 191.

> *Intereà Megaleſiacæ ſpectacula mappæ*
> *Idæum ſolenne colunt, ſimiliſque triumpho*
> Perda *caballorum ſedet.*

Hîc enim *perdam caballorum* eleganter Prætorem vocat Satyricus, qui in Circenſium editionem multos curules equos impenderet, ſeu multorum equorum diſpendiô ac deperditione Circenſium Ludorum editionem celebraret: multi enim equi his Ludis frangebantur, notumque quantâ magnificentiâ Ludos celebrare conſueverint, quantiſque ſtudiis & ſumtuum profuſionibus comparandos equos curules ad muneris editionem curaverint Prætores, vel ex unius Symmachi *Epiſtolis*, Salmaſius *ad Pollionem l. c*, Apud recentiores vox *Perda* paſſivè accipitur & *jacturam* notat, Gall. *Perte*. Uſatici Barcinonenſes MS. *c.* 24. 28. *Emendet ei totum damnum & miſſiones &* perdas, *quas ſenior per fallimentum illius fecerit*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PERDICCAS I Macedoniæ Rex per an. 48. juſſit moriturus, filium Argæum, in loco quem elegerat ſibi, oſſa ſua recondere: additô, quamdiu ſucceſſores ſui hîc tumularentur, tamdiu ſceptrum in eorum familia manſurum. Juſtinus *l.* 7. *c.* 2. narrat, in Alexandro M. Regis hujus familiam extinctam eſſe, qui avito tumulo non fuerit illatus: Alexandriæ enim Ægypti ſepeliri voluit.

PERDICCAS II. fil. Alexandri, Peloponneſiacô bellô, Græcis rebus immixtus: Athenienſibus modò favit, modò obſtitit. Regnavit ann. 23. Thucyd. *l.* 3. 4. 6. *&c.* Diod. *l.* 12. *&c.*

PERDICCAS III. fil. Amyntæ tertius, poſt fratres, Alexandrum & Ptolemæum, regnavit ann. 6. Occiſus in prælio, contra Illyrios.

PERDICCAS, Orontæ fil. Macedo, inter comites Alexandri M. qui etiam in regni partem ſucceſſit. Tantâ ſimul audaciâ & fortitudine fuit, ut leænâ præſente, catulos è cubili per vim auferret. Mortuô Alexandrô, ſororem ejus Cleopatram ſibi junxit, rerum ſummam ad ſe tracturus: & multum enim juverat annulus illi ab Alexandro morituro, tanquam *digniſſimo*, traditus. Aggreſſurus poſteà Ptolemæum Lagum, in Ægypto, in tranſitu Nili, per ſeditionem, occiſus eſt. Vide Ælian. ποικίλ. *l.* 12. *c.* 39. Diodor. *l.* 18. 19. Quint. Curt. *l.* 10. &c. Nepot. *Eumene.*

PERDICIA, regio & portus Lyciæ. *Steph.*

PERDITI, apud Arnob. *l.* 2. *Ad extremum temulenti, luxurioſi & perditi:* emphaticum eſt. Nam idcirco ἄσωτοι Græcis dicti, quòd ſpei ſunt deploratæ, aitque Ariſtoteles, ἄσωτον perire, eò quod ejus facultates pereant, *Nicomach. l.* 4. Quò alludens eruditiſſimus Epigrammatarius Martial. *l.* 9. *Epigr.* 84.

> *Dixerat Aſtrologus periturum te citò Cinna,*
> *Nec puto, mentitus dixerat ille tibi.*
> *Nam tu, dum metuis, ne quid poſt fata relinquas,*
> *Hauſiſti patrias luxurioſus opes.*
> *Bis quartum decies nec totô tabuit annô,*
> *Dic mihi, non hoc eſt Cinna perire citò.*

Vide Deſ. Heraldum *ad Arnobii locum.*

PERDIX, venator fuit infando matris Polycaſtes amore correptus, quam & contaminavit. Unde *Perdicis libido* abiit in proverbium, pro efferâ, turpi ac infami. Cæl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 26.

PERDIX, nomen proprium Cauponis cujuſdam Athenis claudi; à quo Proverb. πέρδικος σκέλος, *Perdicis crus.* Vide Schol. *in Ariſtoph. Aves.*

PERDIX, Dædali nepos, quem, cùm ſerræ uſum primus repeͬriſſet, à patruo invidiâ percito ab excelſa quâdam turri ferunt præcipitatum, deorumque miſericordiâ in avem ſui nominis transformatum: quæ etiam nunc ruinæ illius memor, vitat ſublimia, humi nidum conſtruens. Vide Ovid. *l.* 8. *Met.* Hæc poſſunt eſſe hiſtorica; Metamorphoſis verò conficta eſt, ex ſimilitudine ominis; & ad *perdicis* naturam accommodata. Erat hic genitus patre Eupalemô, matre ſorore Dædali, quem divinis poſt mortem honoribus affectum, refert Suidas in voce Πέρδικος ἱερὸν, & ex inde Apoſtolius *in Proverbiis.* Quemadmodum & Ægæus Athenienſium Rex, ſub quo vixerat, Fanum ſuum habuiſſe legitur, apud *Harpocrationem* & eundem Suidam. Æacus quoque, utrique coævus, delubrô ſuô non caruit, ut docet Herodot. *l.* 5. &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de origine & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 13. &c.

PERDIX, præſagus Britannicus vates, prognoſticator inſignis, Claruit ſub Rivallone rege A. M. 3210. ante Chriſti adventum 760. Eſaiâ ſuper Judam & Hieruſalem prophetante.

PERDIX Leucophæa, palmam de guſtu à gulonibus obtinet. Duplex enim *perdicum* genus, *rubræ* & *griſeæ* ſeu *leucophæa*. Quarum illæ pedes & roſtrum habent punicea, & paulo majuſculæ ſunt formæ, montoſis gaudent locis & vineis maximè, hinc *vinearum gallinæ* Germanis: hæ cinerei ſunt coloris & minoris formæ, *Gallinæ ruſticæ* Latinis dictæ; Illarum vox κακκαβίζειν eſt, iſtarum τρίζειν, illæ in Africa olim frequentes, hæ in Bœotia. Et quidem *gallinæ ruſticæ* dictæ ſunt hæ, quòd gallinis formâ ſimiliores eſſent, quàm rubræ. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 65.

> *Ponitur Auſoniis* perdix *rariſſima menſis,*
> *Hanc in lautorum condere ſepe ſoles.*

Idem de Ruſticula, *l.* 13. *Epigr.* 76.

> *Ruſtica ſim, an* perdix, *quid refert, ſi ſapor idem eſt?*
> *Carior eſt perdix, ſic ſapit illa magis.*

Certè gulones hodie noſtri palmam leucophææ perdici tribuunt: at quia rubræ in Italia rariores fortè, hinc & cariores fuêre. Cui tamen contrarium ſuadere videtur Varro, qui *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 9. ſcribit, *gallinas ruſticas in urbe raras eſſe & in ornatibus publicis ſpectandas exhiberi ſimul cum pſittacis & merulis albis atque aliis id genus inuſitatis.* Addit tamen ibidem, Gallinariam Inſul. in mari Tuſco ab iis appellatam & in ſylvis plurimùm degere. Ubi per *Gallinas ruſticas* intellexiſſe omnino videtur Salmaſio, quas vulgò *ſylveſtres Gelinottas* Galli vocant; nam & ſylvas amant, & nomen reſpondet. Vide eum *ad Solinum p.* 149. & ſuprà *Cothurnus*, ac infrà ubi de *Ruſticulis.*

PERDIX Venator, in cavea, memoratur Sirachidæ Eccl. *c.* 11. *v.* 31. Πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, οὕτως καρδία ὑπερηφάνου, καὶ ὡς ὁ κατάσκοπος ἐπιβλέπει πτῶσιν, *Ut* perdix *venator in cavea, ita cor ſuperbi, qui, ut ſpeculator, obſervat caſum.* Senſus eſt, hominem ſuperbum, alterô in ruinam impulſô, ſic in illum inſultare, quomodo *perdix* venator in ſui generis aves quas in laqueum induxit. Ubi Πέρδιξ θηρευτὴς eſt *perdix cicur*, feros perdices ſuis artibus in caveam laqueoſque alliciens. Ariſt. *Hiſt. l.* 9. *c.* 8. Καὶ τῶν περδίκων δ' οἱ τιθασσοὶ τοὺς ἀγρίους πέρδικας ὀχεύουσι καὶ ἐπικορρίζουσι καὶ ὑβρίζουσιν. Ἐπὶ δὲ τὸν θηρευτὴν πέρδικα ὠθεῖται τῶν ἀγρίων ὁ ἡγεμὼν, ἀντιάσας ὡς μαχούμενος, τούτου δ' ἁλόντες ἐν ταῖς πηκταῖς, πάλιν προσέρχεται ἄλλος ἀντιάσας τὸν αὐτὸν τρόπον, *Cicures quoque perdices feros ſubagitant & verberant & contumeliâ afficiunt. Et in venatorem perdicem impetum facit agreſtium dux, contrà congrediens, ut pugnaturus. Eô verò captô in viminea cavea, denuo procedit alter contrà eôdem modô.* Vides utrobique *Perdicem venatorem* & *vimineam caveam*, id enim propriè κάρταλλος, in Sirachide, ut in Philoſopho αἱ πηκταί. *Heſych.* Κάρταλον (l. κάρταλλον) τὸ πλεκτὸν ἀγγεῖον ἐν τοῖς ὀψαρτυτικοῖς κλωβός; quemadmodum eadem cavea Hebr. dicitur כלוב *Club*, & Syr. *Klubia.* Unde, quod fugit Lexicographos, ut apud Jerem. *c.* 5. *v.* 27. *Club*, ita etiam in Græcis Scriptoribus κλουβὸς aut κλωβὸς, vel pro doloſa hac ac deceptrice cavea, vel pro cavea quavis alia paſſim occurrit. Oppian. *in Ixeut.* de ægitho, *Capitur* κλωβῷ, *cui alius pridem captus ad alliciendum voce includitur.* Philoſtorgius *l.* 10. *c.* 11. de Ægyptio pumilione, Ὁ δὲ Αἰγύπτιος οὕτω κατεβραχύνετο, ὥστε μηδ' ἀχαρίστως τοὺς ἐν τοῖς κλουβοῖς πέρδικας ἐκμιμεῖσθαι, καὶ συναθύρειν αὐτῷ πρὸς ἔριν ἐκείνους, *Ægyptius verò ita contrahebatur, ut perdices in caveis incluſos non injucundè imitaretur, qui & ipſi cum eo per luſum contendebant.* Et eundem Nicephorus *l.* 12. *c.* 35. fuiſſe dicit παραπλήσιον πέρδικι &c. Romani caveam iſtiuſmodi, capiendis avibus aptam, *tranſennam* vocitant. Plautus *Bacchid. Act.* 4. *Sc.* 6. *v.* 22.

> *Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit,*
> *Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.*

Et in *Rudente Act.* 4. *Sc.* 7. *v.* 9. 10.

> *O Grippe, Grippe, in ætate hominum plurimæ*
> *Fiant tranſennæ, ubi capiuntur dolis*, &c.

Porrò de *Perdice venatore* etiam alii meminerunt, niſi quòd pro *venatore* Athenæus *l.* 9. θηρεύοντα, *venantem*, vocat: Plin. *l.* 10. *c.* 33. *aucupis indicem*, aut *illicem* potiùs, ut Turnebus *Adverſar. l.* 24. *c.* 38. & Scaliger *in Varr. Ruſt. l.* 3. legendum monent. Euſtathius Antioch. *Perdicem* συμπράττοντα τοῖς θηρευταῖς πρὸς ἄγρας, tales addens è Babylone haberi. Nempe id aucupii genus in Oriente jam olim fuit in uſu. Proinde in Xenoph. *Cyropæd. l.* 1. Cambyſes Cyrum ſic alloquitur. Ὄρνιθες δὲ ἐπεπαίδευντο σοι ὥστε σοὶ μὲν τὰ συμφέροντα ὑπηρετεῖν, τὰς δὲ ὁμοφύλους ὄρνιθας ἐξαπατᾶν, *Aves à te ita edoctæ fuerant, ut & tibi utilia ſubminiſtrarent & aves ejuſdem generis deciperent*, &c. Albertus M. *de Animal. l.* 8. *tr.* 2. *c.* 3. ubi de *cubeth*, i. e. *perdice fœmina*; eam caveâ incluſam ait mares ad ſe allicere: quod ipſum Damir Arabs mari tribuit: *De maris natura h. e. ut aves ſibi ſimiles cantu ſuô alliciat, proinde venatores illum ſecum aſſumunt, ut frequenti cantu ſuô perdices fœminas congreget, quæ ad eum volent.* Sed ad id utrumque ſexum & variô ſucceſſu adhiberi, pluribus docent, Philoſophus, Ælian. & Athenæus ubi ſuprà. Vide de *Perdice* plura apud Bochart. *Hieroz. Part. poſterior. l.* 1. *c.* 12. 13. & 14. Addam ſolùm, Alexandrum Severum, *perdicum pugnâ* eximiè delectatum, ex Æl. Lampridio: *c.* 41. & *Perdicem* ex illis quoque avibus eſſe quæ humanas voces edoceri poſſint. Hinc Papinius Stat. *l.* 2. *Sylv.* 4. *v.* 20.

> ——— *Quique refert jungens iterata vocabula perdix.*

Ad quem locum vide Baptiſtam Pium *Adnotat. l.* 2. *c.* 20. Bernartium, & Caſp. Barthium *Animadverſ. Part. I. p.* 227. Adde, quæ poſt alios notavit, ex Athenæo & Porphyrio Lud. Nonnius *Diætetic. l.* 2. *c.* 27. nec non Joach. Camerarium *Jambis ad Philen adjectis*, & Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 79. 82. 86. 88. & *ſeqq.* uti de *Perdicum ovis* ſuprà aliquid voce *Ova.*

PERDUCERE, lenonium verbum. Juſtinus *l.* 9. *c.* 6. de Pauſania, nobili adoleſcente, *Perductum in convivium ſolutumque merô* &c. Ubi Bongarſius in *MS.* ait legi *productum*, idque verbum ad rem accommodatiſſimum, Ex Plauto & Petronio conſtare. Vide infrà *Producere.* Modius autem *perductum* longè accommodatius eſſe contendit. Hinc enim *Perductores*, Προαγωγεῖς, qui invitas perſonas, uti Lenonis ſcorta, producunt, ut tradit Aſconius *in illud Cic.* 1. *Verr. c.* 12. *Lenonum, perductorum.* In quo lepidè luſit Plautus *Moſtellar. Actu* 3. *Sc.* 2. *v.* 158. Nam cùm ſenex ſenem inſpecturientem ædes ſuas interrogâſſet: *Vin' qui perductet?* reſpondet alter: *Apage iſtum à me perductorem? nihil moror ductarier. Erra-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bo potiùs quàm perductet quiſpiam &c. Vide Torrentium *ad Suetonium Veſpaſ. c.* 22. Pithœum *Adverſar. l.* 2. *c.* 17. & Berneggerum *ad Juſtinum d. l.*

PERDUELLIS, apud antiquos, idem cum hoſte, Feſtus. Unde Cicero *Offic. l.* 1. *c.* 12. *quidem illud etiam*, inquit, *animadverto, quòd qui propriò nomine* Perduellis *eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam mitigante: Hoſtis enim apud Majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Poſteà verò vox arctiùs ſumi cœpit, pro eo, qui hoſtili animô adverſùs Rempublicam vel Principem ſuum animatus eſſet. Unde inter Majeſtatis crimina *Perduellionis* crimen graviſſimum habitum, & ſub illo, tanquam ſub genere ſpecies, comprehenſum eſt. Inter quæ diſcrimen quadruplex Fr. Hotomannus JC. ſtatuit, 1. Majeſtatis crimine ait teneri eos, qui partem aliquam Reip. læſerant, ut ſi quis Duces hoſtium acceptâ pecuniâ liberavit, aut privatus domi ſuæ hoſtium Duces tenuit: aut ſi Magiſtratui quippiam pro ſua poteſtate agenti quis officiebat. *Perduellionis* autem, qui ſummam Reip. labefactare conatus eſt. 2. Majeſtatis in Foro apud ſuum Prætorem pro Tribunali, judiciô certâ lege conſtituto, agebatur, ut patet ex *Verrina* 3. & 7. *Perduellio* verò primis quidem temporibus à Duumviris datâ operâ creatis, pòſt autem à populo Rom. Comitiis Centuriatis in Campo Martio, cognoſcebatur: ut diſcimus ex Cicer. *pro Rabirio* & Val. Max. *l.* 6. *c.* 5. *ex* 3. Majeſtatis crimen non morte, ſed exiliô mulctabatur: *Perduellionis* verò damnatum carnifex, in urbem evocatus, in crucem Martio in campo fixam tollebat, ut Cicer. eâdem *Orat.* docet & Dio *l.* 37. 4. *Majeſtatis imminutæ crimen rei morte obliterabatur. Perduellionis autem memoria etiam poſt mortem damnabatur*, ex Ulpiano *ff. l. ult. de crim. Maj.* Quomodo intelligendus Juſtinianus *Inſtitut.* §. 2. *de publicis judiciis*, cùm ait. *Publica Judicia hæc ſunt: Lex Julia Majeſtatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem vel Remp. aliquid moliti ſunt, ſuum vigorem extendit. Cujus pœnam animæ amiſſionem ſuſtinet, & memoria rei etiam poſt mortem damnatur.* Vide quoque ſuprà *Infelices*. Fuêre autem leges Romanorum de Majeſtatis crimine, Gabinia, Appuleja, Valeria, Cornelia & Julia, de quarum unaquaque vide *ſuis locis*. Et quidem, quòd de *Perduellione* Comitiis Centuriatis judicatum ſit, docet Valerius Max. *loc. cit.* ubi refert, M. Pompilium Tribunum Pl. Tiberiô Gracchô & C. Claudiô Cenſoribus, cùm ob nimis ſeverè geſtam Cenſuram majorem partem Civitatis exaſperâſſent, diem *Perduellionis* ad Populum dixiſſe: quo in judicio primæ Claſſis permultæ Centuriæ Claudium apertè damnârint &c. Idem confirmat Livius *l.* 6. *c.* 15. 16. 17. *ſ.* ubi de judicio M. Manlii Capitolini, Cicero quoque *pro Seſtio* & *alibi* oſtendens, legibus XII. Tabb. ſancitum eſſe, ne de capite civis niſi Comitiis Centuriaris rogaretur. Vide quoque Sigonium *de Judiis Rom. l.* 3. *c.* 5. qui inter alia, nomen *Perduellionis* & crimen & pœnam ſignificare tradit: *Si crimen, quod erat graviſſimum inter crimina, nempe imminutæ Majeſtatis; Si pœnam, quæ erat acerbiſſima, nempe mortis.* Ut in P. Horatio & Cajo Rabirio, quibus crux: in Sp. Caſſio & M. Manlio, quibus ſaxum fuit propoſitum. Hinc factum ut pro phraſibus his, *diem rei capitalis dicere, capitis judicare aut anquirere*, & ſimilibus: *Perduellionem judicare* & *perduellionis actionem intendere*, non rarò dixerint *Livius*, *Cicero*, Alii. Livius tamen etiam, cùm de judicio M. Poſthumii, Cn. Fulvii, Gracchi & Claudii agit, quibus aquâ & igni interdictum, nomen *Perduellionis* uſurpâſſe legitur. Vide præter Auctores retrò laudatos, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim*, Cœl. Sec. Curionem *in Orat. pro Milone*, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *Sect.* 4. *c.* 5. *ubi Cœliam legem, de Perduellionis judicio agentem, explicat* &c.

PEREASLAVIA, oppid. amplum Ucraniæ, in Volhinia inferiori & Palatinatu Kiovenſi, trans Boryſthenem, ad fluv. *Trubicz*, qui 2. milliar. infrà cadit in Boryſthenem. Probè munitum eſt & cultum, 10. milliar. German. à Kiovia in Eurum.

PEREGIA vulgò, *Pereczaz*, ſeu *Beretzaz*, urbs Hungariæ ſuperioris Comitatus Peregienſis, qui verſus Tibiſcum, inter Comitatum Moramaruſienſem ad Ortum, Ungenſem ad Boream, & Ugoghenſem ad Auſtrum ſitus eſt, caput: vix 5. mill. paſſ. à Tibiſco fluv. in Boream, 45. à Caſſovia in Ortum, ubi totidem à Tokæo, ſub Auſtriacis.

PEREGRINA Judicia, vide hîc paſſim, ubi de *Duello*, voce *Judicium*, & *Purgatione Vulgari*.

PAREGRINARIUS, nomen Officii Monaſtici, cujus eſt *peregrinos* excipere; alias *Hoſpitalarius & Hoſpitarius*. Vide Goldaſtum *Rer. Alamann. Tom.* 2. *p.* 189.

PEREGRINATIO, quibus in uſu olim, quibus minùs, dicemus infrà in voce *Peregrinus*: uti de veterum *peregrinantium* ſuperſtitione diximus, voce *Loca*; vide infrà *Tondendi ritus*. In Eccleſia Romana non rarò legitur pœnæ locô indicta. *Canones* S. Patricii apud Warcum, *Qui furatus fuerit pecuniam ab Eccleſia ſancta, ---- illius manus, vel pes circumcidatur aut in carcerem mittatur, aut in* peregrinationem *ejiciatur. & reſtituat duplum & jurabit, quòd non revertetur, donec impleverit pœnitentiam LL.* Henrici I. Regis Angl. *c.* 5. de Sacerdote, qui confeſſionem revelavit: *Omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus* peregrinando *pœniteat* &c. Vide Nangium *in S. Ludovico*, A. C. 1256. alioſque Auctores laudatos Carolo du Freſne *Gloſſar.* qui certâ pecuniâ iſtiuſmodi pœnam redimi conſueviſſe, docet ex magno *Recordo* Leodienſi. In *Jure* verò & *Conſuetud.* Normanniæ *c.* 91. *Peregrinationes ſolennes* dicuntur, *cùm peregrinus acceptâ in Parochiæ ſua licentiâ, cum cruce & aqua benedicta & proceſſione extra Parochiam conducitur, pergens Hieruſalem, Romam vel S. Jacobum, vel in aliam peregrinationem per cruceſignationem*, apud Eund. Quibus ritibus Petr. de Valle Patricius Romanus *peregrinationem* ſuam totô orbe celebrem Neapoli auſpicatus ſit, vide in *Vita* ejus *Itiner.* præmiſſâ: Judicium verò Gregorii Nyſſeni de *Peregrinationibus Hieroſolymam religionis ergò ſuſceptis*, in *Ep.* ejus à. Guil. Morello olim Græcè Pariſiis, poſteà Græcè & Latinè à Molinæo editâ, uti *de Peregrinorum officio* in Eccleſia Rotomag. peculiari ritu, celebrari ſolito, feriâ 2. poſt Paſcha, laudatum *Gloſſarii* Auctorem. Adde dicta in *Palmarii*.

PEREGRINATIO, inter pœnas pœnitentibus, h. e. iis, qui poſt abjurationem hæreſeos Eccleſiæ reconciliati ſunt, ab Inquiſitoribus in Eccleſia Romana irrogari ſolitas. Ad certa videl. loca, quæ viſitare tenentur, cum habitu nigro, & literis Inquiſitoris; requiriturque, ut in teſtimonium veritatis literas teſtimoniales reportent Fratrum Prædicatorum aut aliorum illic commorantium. In *Concilio Biterr.* præſcribitur *peregrinatio ad militiam in Terra ſancta contra Saracenos*: quam ſi quis per ſeipſum obire legitimè impeditus non poterat, ſuis expenſis alium idoneum bellatorem eò mittere cogebatur. Videlibrum *Sententiar. Inquiſit. Tholoſ. fol.* 142. *b. & ſeqq.* ubi de M. Guilielmo Garrici LL. Profeſſore Canaſſonæ, it. ubi *de Bello Sacro*, & Phil. à Limborch, *Hiſtoriâ Inquiſitionis l.* 4. *c.* 32.

PEREGRINUS, apud Antiquos *hoſtis* dicebatur, teſte Cicer. *de Offic. l.* 1. *c.* 12. *Hoſtis apud Majores noſtros is dicebatur, quem nunc* Peregrinum *dicimus*. In Lacedæmoniorum Republica ξενηλασία viguiſſe legitur, & durus in *Peregrinos* eorum Nomothetes Lycurgus, non niſi certis diebus illos, idque ſeveris conditionibus circumciſâ libertate, admiſit, unde apud Ariſtophanem *Pace* διειρωνόξενοι Lacones audiunt: neque ullum peregrinorum præter Tiſamenem Poëtam & fratrem ejus Hegiam in civitatem receperunt. Imò & civibus peregrinandi interdixêre uſu, ne mores eorum peregrinis vitiis contaminarentur: quô fine Iſraëlitis quoque nullum maris portum ut occuparent, Deum concedere voluiſſe, annotavit Fr. Burmannus *in Judic. c.* 23. Vide quoque Cl. Virum *Not. ad Juſtinum l.* 36. *c.* 3. ubi de Judæis, *Caverunt*, ait, *ne cum peregrinis communicarent.* Sunt tamen qui Laconum rigorem non adverſùs quoſvis *Peregrinos*, ſed Barbaros ſolùm, quô nomine vox Ξένοι ſæpe uſurpata, ut teſtis eſt *Herodotus* & *Scholiaſtes Homeri*, valuiſſe contendunt, probantque id Platonis teſtimoniô, apud quem tanti Reſpublica Lacedæmoniorum eſt habita. Apud Athenienſes certè Ξένοι ſeu *Peregrini* tanto in pretio fuêre, ὡς ἀνόσιον καὶ ἐναγῆ δοκεῖν αὐτὸν ὃς ἂν κακώσειε τὸν ξένον, *ut profanus & impius haberetur, qui* Peregrinum *violâſſet*, ut habet Scholiaſtes Euripidis *in Helena*, idque,

——— πρὸς γὰρ Διὸς εἰσὶν ἅπαντες
Ξεῖνοι.
——— *Quia à Jove ſunt omnes*
Peregrini.

Proin nonnullus dolus malus in illa Rep. gravior τῇ Ξεναπάτῃ. Ideo autem in hoc genus hominum proclives Athenienſes, tum ut obedientes ſe præſtarent Legibus Διὸς Ξενίου ſeu Εὐξένου i. e. *Jovis Hoſpitalis* ſeu *Hoſpitis*, qui aram in Cypro quoque habuit, cujus incolæ in Ceraſtas, ob inhoſpitalitatem ſuam verſi finguntur: quique non aliô nomine celebratior fuit, teſte *Plut.* & Virgiliô *Æn. l.* 1. *v.* 735.

Jupiter hoſpitibus nam te dare jura loquuntur:

tum ut gratiam, quam cum Mercurio in Phrygia, à Baucide ac Philemone, acceperat, ſic liberaliter rependens: Tum ut patriarum Legum ſe obſervantes reſtarentur, inter quas erat; Τοὺς ξένους μὴ ἀδικεῖσθαι, *Ulla Injuria Peregrinis ne infertor.* Quod ſi fortè contigiſſet, Judices huic rei deſtinati erant, Προστάται dicti quemadmodum iiſdem ſui erant, qui ſuſtentarent, Πρόξενοι; niſi fortè dicas, hos Inquilinis poſitos, non *Peregrinis* quibuſvis. Namque & in urbe habitare *Peregrinis* licebat, modò artem callerent & τὸ μετοίκιον, viri quidem 12. fœminæ verò 6. drachmas quotannis perſolverent, Iſæus *contra Elpagor*, quod ſi non feciſſent, vendere eos & ad remos dare licebat. Vide Ariſtotelem *Polit. l.* 3. &c. Major adhuc in eadem gente cura fuit τῶν Ἰδιοξένων, qui ἀστράγαλον ſeu συμβολὴν, i. e. *teſſeram hoſpitii*, à Parentibus Majoribuſque per manus traditam, afferebant. Hos Ξενοδόχοι primum ad cœnam invitabant: *Egredientem ilico è navi adduxit ad cœnam.* Terent. *Heautont. Actu* 1, *ſc.* 2. *v.* 8. 9. Dein cùm ad portam ventum, *tum qui recipiebant tum qui recipiebantur, veniebant ad hoſtium, & ponebant pedem in eo & confirmabant, quòd unus non deciperet alium*, Vetus Diction. Domum ingreſſis proferebant ἀσκὸν ξένων, ut Euripides ait *in Electra*, *v.* 511. h. e. *lagenam hoſpitalem*, & prius quàm nomen eorum interrogaretur, propinabant ipſi vinum ὡς τὴν ξενίαν τιμῶντες ἀλλ' οὐ τοὺς ἐν μέρει, ut loquitur *Athenæus*: Ideo autem vinum potiùs, quàm alium huic fini liquorem, adhibebant, quòd eſſet ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν, καὶ θερμαῖνον τὴν ψυχὴν, *conciliaret amicitiam ſtomachum calefaciens*, Idem ibidem. Juxta vinum offerebatur *ſal*, & in nonum diem liberaliter ſuſtentabatur, antequam cauſam adventus rogaretur, Euſtath. *in Homer.* Interim miniſtrabant iis filiæ familiâs, quæ & propriis manibus hoſpitum pedes lavabant. Unde Athenæus, Ποιεῖ δὲ τοῦτο Ὅμηρος καὶ τὰς κόρας καὶ τὰς γυναῖκας λούσας τοὺς ξένους: ἀρχαῖον δὲ τοῦτο ἔθος, *l.* 1. i. e. *Narrat Homerus, & filias & uxores laviſſe Hoſpites ſolitas: priſci enim hoc moris.* Loca in quibus degebant, Ξενῶνες vocabantur; unde Admetus Herculi, cùm tempore luctus acceſſiſſet, quod turpe viſum & indignum ſacris hoſpitum oculis, adeoque regredi vellet, dixiſſe legitur apud Tragicum *in Alceſt.*

Χωρὶς ξενῶνές εἰσιν οἷς σ' εἰσάξουσιν.
Ab altera parte domus cubicula ſunt hoſpitalia, in quæ deduceris.

Iidem, cùm accumbebant, peculiarem videntur habuiſſe menſam, occaſione loci Euripidis, *in Electra*, *ubi de Oreſte*,

——— ——— Ξένια μονοτράπεζά μοι
Παρέσχον οἴκων.

Tandem & ſuæ illis erant in Theatris Κερκίδες ſeu *peculiaria loca* à Sphyromacho primùm inſtituta. Contrà ut gratiam Hoſpes rependeret, *Genio* urbis ſeu loci ſacrificare ſolebat, ſolumque oſculo ſalutabat: Ovid. Met. *l.* 3. *v.* 24.

Cad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Cadmus agit grates peregrinæque oſcula terræ
Fecit & ignotos montes agroſque ſalutat.

Et quamdiu in urbe degebat, τοῖς ἐπιχωρίοις θεοῖς, *Indigenis Diis*, litabat, ut Alexander M. Trojæ, feciſſe legitur: item θεοῖς τοῖς κατὰ στέγας, ut Hercules ait apud *Euripid.* i. e. Penatibus. Sic quum reditum parabat, poſtquam ad limites regionis perventum, iterum, oſculô terræ hoſpitali fixô, Genio valedicebat. Ovidius *Met. l.* 13. *v.* 420.

——————— *Dant oſcula terræ*
Troades.

Nec Hoſpitem abire deſiderantem retinere licebat, ut ex Menelai verbis apud Homer. *Od. o. v.* 74. diſcimus,

Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Abeunti ξεινήια δῶρα ſeu τὰ ξένια, *hoſpitalia munera*, ingerebantur, tum memoriæ ergò, tum ut itineris moleſtiam faciliùs toleraret, &c. Vide quoque infrà voce *Vale*. Qui verò *Peregrini* neminem ex civibus habebant, cujus hoſpitiô exciperentur, patuit illis Πανδοχεῖον publicum, quod ſi hoſpitalitas denegaretur, ad Judices itum. Nec ulla cædes *Peregrini* gravior, quem qui è medio ſuſtuliſſet, nemo poterat περιδέχεσθαι, ſed aquâ & igni illi erat interdictum. Vide Franc Roſſæum, *Archæol. Attic. l.* 6. *c.* 7. & 8. Interim cum *Peregrinis* jus connubii non fuit, ut ſuprà viſum in vocibus *Nuptiæ* & *Pellex*. Nec illis ſaltare in Choro licebat, niſi in Dionyſiis κατ' ἀγρὸς, vide ſuprà voce *Chorea*: nec pueris eorum, Gymnaſia frequentare, in hac voce: nec in Foro vendere aut artem exercere, vide ubi de *Manuariis artibus*; nec mortuum laudare, uti diximus, voce *Parentalia*. Addam ξενικὰς τραπέζας, *hoſpitales menſas*, cum deſtinato in hunc uſum cœnaculo, apud Cretenſes, ut teſtis eſt *Athenæus*; Habitus peregrinorum erat, Pileus, Pænula, Calcei, Perones; inprimis, Baculus, Pera, &c. de quibus *paſſim*. Quòd ſi quis peregrè obiiſſet, eorum cineres urnis impoſiti domum mittebantur Am. mian. *l.* 19. *Poſt incenſum corpus, oſſaque in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandanda portare ſtatuerat pater.* Hinc Ovid. *Triſtium l.* 3. *Eleg.* 3. *v.* 65.

Oſſa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego, non etiam mortuus exul ero.

Sed de hoc ritu dictum ſuprà in voce *Monumentum* & *alibi* paſſim. De *Peregrinis* Hebræorum, vide Seldenum *de Synedriis veter. Ebræorum l.* 2. *c.* 3. & infrà, voce *Proſelytus*: uti de peregrinorum Romæ, in locis publicis, manſione Caſaubon. *ad Julium Suetonii*, *c.* 39. aliquid etiam, ſuprà ubi de *Papia lege*, & infrà ubi de *Porticanis*. Addo ſaltem, apud Vulcatium Gallic. *in Avidio Caſſio*, *c.* 10. vocem denotare, *generis obſcuritatem.* Ita enim is de Pompejano: *Pompejanus gener, & ſenior & peregrinus.* Ubi ſi propriè accipias verba, fuiſſe Pompejanum *peregrinum*, h. e. non civem Romanum, falſum eſt: vel Antonini enim Conſtitutione, cum cœteris omnibus, in Orbe Rom. civis effectus eſt. Firmatur interpretatio ex *Vita* Marci, apud Capitolinum, ubi *grandævus*, *Equitis Rom. filius*, *genere Antiochenſis*, *nec ſatis nobilis*, dicitur. Vide Iſaac. Caſaubonum *ad Vulcatium d. l.* uti & plura ſuprà *Guidones*, *Hoſpes*, ac *Pedepulveroſi*; item infrà ubi de derivatis & compoſitis, ex Græco Ξένος.

PEREGRINUS, Conſul cum Æmiliano, an. Urb. Cond. 99.

PEREGRINUS, Philoſophus gentilis, religionis Chriſtianæ lucri causâ ſimulator, etiam carcerem toleravit, ſed collectâ non parvâ pecuniâ ex eleemoſynis Sanctorum, deſcivit, *ſatus ſibi*, ajens, *in hoſpitalitate Chriſtianorum*, A. C. 78. Euſeb. *Chron.* Item, Vir pius, Gallos, à Sixto miſſus, in fide confirmavit: una cum illo ad mortem raptus, A. C. 130. Platina *in vitis Pontif.*

PEREGRINUS Guilielmus, vide *ibi*.

PEREGRINUS Landenbergius, ab Albeſto Imperatore Underwaldiis præfectus impoſitus, Henricô Melchtaliô duriter habitô, quippe cui oculos eruit, maximâque bonorum parte mulctavit, omnium odium ſibi attraxit: ſolicitatâ dein Bomgartii, Turicolæ, uxoris eximiæ pudicitiâ, à marito in balneo cæſus eſt. Stumpf. *in Chron. Helv.* Underwaldii verò non ipſum Præfectum ſed vicarium ejus cæſum memorant. Quidquid horum ſit, Henrici prædicti filius Arnoldus, paternæ injuriæ occaſione, fœderis Helvetii prima cum duobus ſociis fundamenta jecit, A. C. 1307. Simler. *de Rep. Helvet. &c*

PEREGRINUS Marc. Antoninus, vide *ibi*.

PEREGROSSUS Petrus, vide *Petrus*.

PEREIA, Theſſaliæ regio. *Steph.*

PERENNE auſpicari, dicebatur Romanis, *omnem aquam, quæ ex ſacro oritur, auſpicato tranſiens*, *Feſt.* Vide Joh. Meurſium *Not. ad Lycophr.* & ſuprà, ubi *de Belli indicendi ritu*.

PERENNIS, Præfectus prætorio & Miniſter ſtatus, ſub Commodo Imperatore, auctoritate ſuâ immaniter abuſus: cum tota familia ſua, juſſu Principis, occiſus eſt. Lamprid. *in Comment. c.* 5.

PERENNIUS, præfectus ſub Commodo Imperatore, ejuſque ſatelles crudeliſſimus. Lamprid. Idem cum priore.

PERENOTUS Nicolaus, Burgundus, quantò ortu humili, tantò obſequiis promptior, pervigili induſtriâ artes aulæ, conſiliorum arcana; ſigillum Caroli V. Imperatoris adeptus, functusque per annos viginti eadem filio Antonino, vide infra, reliquit. Hugo Grot. *Hiſtor.*

PERENOTUS Antonius, Cardinalis Granvellanus, Archiepiſcopus Mechlinienſis Veſuntinus: cum Cardinali Lotharingo, totius Chriſtiani orbis turbo. Veſuntione natus ex Nicolao, filio ferrarii fabri, magnâ authoritate & gratiâ apud Carolum V. Imperatorem per an. 20. nobili, vide ſuprà, Patri ſucceſſit, & rerum adminiſtrationi admotus, eloquiô, ingenii promptitudine, linguarum literarumque peritiâ, dexteritate in plurimis Legationib. obeundis, eidem Imperatori ſe probavit, à quo filio Philippo II. commendatus, tantum effecit, ut Belgicæ res conſiliis ſuis, ſicuti Albani armis, regerentur. Hinc illæ turbæ: quibus commotus Rex, illum, primarium Margaretæ Parmenſis conſiliarium, in Hiſpaniam revocavit: dein in Burgundiam legatum, mox Romæ electioni Pii V. intereſſe juſſit; porro Neapolis Vice Regem effecit. Tandem; Luſitaniam occupaturus, ipſi denuo in Hiſpaniam vocato, ſummum illius regni credidit. Obiit Hiſpali. A. C. 1586. ætat 70. P. Jovius *Hiſt. l.* 45. Thuan. *Hiſt.* Bembus *ep. l.* 7. Hugo Grotius *in Annal. Belg. &c.* qui poſtremus de illo: *In eo induſtria, vigilantia, ambitio, luxus, avaritia, bona malaque omnia excellebant.* Item *Ferdinandum Albæ ducem & Antonium Perenotum*, *Atrebatum Antiſtitem patri individuos quondam rerumque maximarum adminiſtros, eôdem honore Philippus II. amplexus eſt.* Et paulo pòſt: *Sed ut Albani ferum ac ſuperbum, ita ſubdolum Perenoti ingenium; dum Principis magnitudini ſtuderet, nihil ultra penſi habentis, totidem gentes, quot utrumque novêre, incuſant · præcipuè Germani, qui Landgravii vincula non aliis imputantes, amborum potentiam inter præcipuas belli cauſas prætulêre*, *l.* 1.

PERERIUS Benedictus Hiſpanus, Valentiâ, oriundus, Jeſuita celebris. Ejus extant *Commentaria ac Diſputationes in Geneſin, de Benedictionibus Patriarcharum. Diſputationes ſelectæ, in capita* 15. *priora Exodi Comm. in Danielem, in Johannis capita* 9. *pr. Diſput. ſelectæ, in Acta Comm. in ad Romanos Diſput. ſelectæ, ut & in* 7. *capp. prima Apocalypſeos.* Quæ Diſputationes omnes unô Volumine ſunt comprehenſæ in fol. Coloniæ 1620. Oper. verò omnia 2. Volum. fol. Coloniæ Agrippinæ, A. C. 1622. Obiit A. C. 1610. *Magni nominis & eruditionis Jeſuita* Montacutio: cui & *Commentaria ejus in Geneſim docta & laborioſa*, vocantur. Guil. Crowæus *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.* At *Pererium*, machinæ jaculatoriæ ſpecies eſt. Vide infra *Petraria*: de Jeſuita autem præfato quoque voce *Benedictus*.

PERES, Hebr. פרס, avis in cenſu immundarum, Levit. *c.* 11. *v.* 13. & Deuteron. *c.* 14. *v.* 12. eſt Græcis & Vulgato *gryphus*, Samaritano *accipiter*, Hebræis *falco cyanopus*, aliis *Perſica avis*, ſed Bocharto *Oſſifraga*, h. e. illa Aquilæ ſpecies, quæ à *frangendis Oſſibus*, apud Romanos, nomen invenit. Cujus meminit inter alios, Lucretius, *l.* 5. *v.* 1077.

Poſtremò genus alituum variæque volucres,
Accipitres atque oſſifragæ &c.

Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 5. ubi aliquid ſuprà, ubi de *Percnoptero*.

PERESLAVIA, urbs Roſtoviæ, provinc. in Moſcov. media ferè inter Jeroſlaviam ad Boream & Moſcuam ad Auſtrum.

PERETA, Inſul. parva, apud Ravennam Urb. ab ea 12. mill. paſſ. diſtans. *Pereum Sigonio.*

PERETUM, Caſtellum Galliæ, vulgò *Peray*, memoratur Orderico Vitali *Hiſtor. l.* 10. ubi caſtella in Cenomanis enumerat, *Majatum*, *Uſtilliacum*, *Blevam*, Pereum, *Montem de Nubo*, *Sonam*, *S. Remigium de Planis*, *Orticoſam*, *Allerias* &c. apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Majatum*.

PEREZIA Jacobus, vide *Jacobus*.

PEREZIUS Antonius, intimus Secretarius Philippi II. Hiſpan. Regis, cùm ſuſpectum ſe Regi & vim ſibi parari ſentiret, profugit in patriam Aragoniam ibique à Philippo ad Juſtitiam Aragonum provocavit: ſed Philippô à Juſtitia, ad XVII. Virale Collegium, cui Juſtitia quotannis rationem reddere tenebatur, appellante, motus illi orti, qui poſtmodum Aragonici Regni privilegia & libertatem à Majoribus acceptam funditus peſſundedêre, circa A. C. 1592. Quâ de re ſic Grotius *Hiſtoriar. l.* 2. *Poſtea quam Regna coiêre & omnis Hiſpania in Philippum ceſſit per Sacrorum* Inquiſitores *patientia* (Aragonum) *primò tentata eſt, & per nova Judiciorum genera, quæ ad aulæ nutum, quàm ad recti normam moremque veterem, aptabantur: maxima in Antonium Pereſium populi miſeratione, quem Scovedanæ quondam necis miniſtrum Philippus, ſubtractâ auctoritate, communi facinori reum ſubdebat & Caſtellâ elapſum in hanc regionem vi regiâ perſequebatur; acer odiô, quòd circa amores pro conciliatore æmulum egiſſet. Iræ tantæ inſtrumenta cum in Leges audacter inſurgerent & fruſtra jus pararetur, armis repugnatum eſt primique motus per vim irriti, mox levi contrà conatu aut diſſimulatione alebantur. Ubi ſidere tumultus cœperat, belli Gallici ſpecie perſuaſa civitas, ut Regis exercitum ſuos per fines* —— *Tum primoribus trucidatis & qui voce aut manu ad libertatem præiverant, expleta ultio* &c.

PERFECTI, dicti à ſeipſis olim Valentini Diſcipuli, uti docet Irenæus *adv. hæreſes Valentini l.* 1. *c.* 1. *Spiritales, qui perfectam cognitionem habent de Deo, ſemetipſos dicunt. Pſychicos autem---nos qui ſumus ab Eccleſia* ——— *Quapropter & intimoratè omnia, quæ vetantur, hi ipſorum* perfecti *operantur: De quibus Scriptura confirmat.* quoniam ea qui faciunt, regnum Dei non hæreditabunt. *Nos quidem* ——— *arguunt quaſi idiotas & nihil ſcientes; ſemetipſos extollunt*, perfectos *vocantes & ſemina electionis.* Item Marcitæ, *ibid. c.* 9. ubi eos ſimiliter ſemetipſos vocare *perfectos* & liberè omnia agere, nullum in ullo timorem habentes, ait. De quorum, aliorumque conſimilium (à Simone Mago ortorum) deteſtabili doctrina vitaque, vide pluribus agentem Joann. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico Theologic. l.* 1. *c.* 37. *l.* 8. *c.* 2. §. 3. & *l.* 14. *c.* 5. §. 5. de perfectione verò victimarum, in Vet. Teſt. requiſita, ſuprà in voce *Integer Bos*.

PERFECTI, qui & *Conſolati*, genus Albigenſium, vide ſuprà *Conſolati*, it. infrà ubi de *Salutandi ritu* inter eos uſitato.

PERFECTISSIMATUS, nomen olim dignitatis non mediocris, cujus meminêre Imperatores *in l.* 1. *Cod. de nat. lib. l.* 11. *Cod. de quæſt.* Dicebantur autem *Perfectiſſimi*, qui judiciô Principis vel ad præſidatum provinciarum quarundam vel ad aliam adminiſtrationem, promoti fuiſſent. Cujuſmodi erant, Præſes Arabiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

l. 4. *C. Theod. de pœn.* & Dalmatiæ à Mariano & Magiſter cenſus 30. *C. de Epiſc. & Cler.* & Primicerii Scriniorum, *l.* 7. *C. de Pal. ſacr. largit. l.* 7. *C. Theod. de privil. eorum qui ſacr. Pal. mil.* & olim Duces, auctore Marcellinô *l.* 21. Cujacius *ad L. de perfectiſſima dignit.* Non enim omnes provinciarum Præſides Clariſſimi fuêre, ſed & *Perfectiſſimi* quidam, prout provinciæ dignitas exigebat. Alciatus ex vetuſtiſſimis monumentis putat, Tarraconenſis tantùm Hiſpaniæ ac Norici Præſides, fuiſſe *Perfectiſſimos*, quod duabus literis deſignatum *V. P.* Sed & Libyæ Proconſuli hunc titulum tribui conſueviſſe, docet Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* ex Auguſtin. *Ep.* 68. Græcè Διασημότατος hic titulus honorarius dicitur, in *Gloſſ. Græco-Lat.* & apud Euſebium *l.* 10. *c.* 6. Vide qui de eo copioſè egerunt, Pancirollum *ad Not. Imp. l.* 1. *c.* 3. Cujacium, Valeſium *ad Ammianum*, Jaç. Gotofredum *ad Cod. Theod. l.* 1. *tit.* 37. & Juſtinian. *l.* 12. *tit.* 32. &c.

PERFICA, & PERTUNDA, has Deas ſtatuerunt antiqui: hanc quidem, quod in cubili præſto eſſet, dum virginalem ſerobem effoderent mariti: illam, quòd voluptates perficeret inoffenſâ dulcedine.

PERFORACULUM, τρύπανον Græcis, à *perforare*, τρυπᾷν, propriè de gemmis. Solinus *c.* 52. *Quartus*, (loquitur de variis adamantum ſpeciebus) *in metallis ferrariis legitur, pondere cæteros antecedens, non tamen & poteſtate: Nam & hi, & qui in cupro deprehenduntur frangi queunt, plerique etiam adamante alterô perforantur: at illi quos primò ſignificavimus, nec ferrô vincuntur, nec igne domantur.* Et Plin. *l.* 37. *c.* 4. de Siderite adamante, *Nam & ictibus frangitur, & aliô adamante* perforari *poteſt, qui è Cypro venit.* Nempe lapis in Cypro fuit, quô adamantes ac reliquæ gemmæ ſcalpebantur, quæque ferro reſiſtebant, hujus lapidis ſculpturæ cedebant: quem proin videntur quidam *adamantem* appellâſſe, à duritie, uti ferrum ipſum ἀδάμας ab eadem ratione dictum eſt. Eôdem alius adamas perforabatur. Quemadmodum Armeniô quoque lapide, non ſolùm ſcalpebantur aliæ gemmæ, ſignaculis faciendis, ſed etiam perforabantur. *Stephanus* de Armeniis, παρέχονται δὲ λίθον τὸν γλύφουσαν καὶ τρυπῶσαν τὰς σφραγῖδας, *Lapidem mittunt, quô gemmæ ſcalpuntur ac perforantur.* Et quidem, quos filo ad monilia inſerere & collô ſuſpendere volebant, eas *perforabant*; quod, uti dictum, Cyprius adamas, & adhuc melius Armenius lapis faciebat. Uti verò τρυπᾷν de gemmis Plinius *perforare* vertit: ſic margaritæ ἀτρύπητοι καὶ τετρυπημέναι, *imperforatæ & perforatæ*, apud *Myrepſum.* De quarum illis, Auctor *vitæ Alexandri*, ἀτρυπήτων μαργαριτῶν ὁρμαθοὺς, *Imperforatarum margaritarum ſacculos* vel *ciſtas.* Malè enim vetus verſio, *monilia*, quaſi legeret ὅρμους: Atque monilia non poſſunt fieri ex margaritis non perforatis. Sed nec benè *extricatæ* iſtiuſmodi margaritæ redduntur; ſic enim Juriſconſultis dicuntur, non quæ pertuſæ nunquam, ſed quæ ex filo ſeu linea, cui intricatæ & inſertæ fuerunt, ſunt extricatæ. Illæ lineæ ſeu filo margaritarum conficiendo, inſerviebant, de quo ſuprà: ſed & tunicis veſtibuſque inſerebantur. Quod tamen Plinii ætate nondum factum, quâ pretioſiſſimæ veſtes auro ſolum intexi & ſegmentis aureis diſtingui ſolebant: in *Hiſtoria* demum *Auguſta* veſtium gemmis ac margaritis conſertarum, mentione occurrente; quas πέπλους καταμαργάρους vocat Conſtantinus Manaſſes,

Χρυσοφόρον, στιλβούσας πέπλους καταμαργάρους.

Sindones μαργαρίτιδας Auctor Peripli Maris Rubri: Ἐν ἑνὶ περονῆται παρ' αὐτῆς τὸ Ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πιννικὸν, φέρονται γὰρ ἐξ αὐτῆς σινδόνες μαργαρίτιδες λεγόμεναι: Ubi *ex pinnico*, i. e. *margarito pertuſo* ſeu perforato, *tunicas margaritides*, h. e. καταμαργάρους, *margaritis conſertas*, fieri conſueviſſe docet. Imò pro ratione *foraminum*, pretium margaritis ſtatui, memorant nonnulli; dicentes, Mercatores earum regionum, in quibus captura margaritarum celebratur, ex ære diverſa habere inſtrumenta, majoribus aut minoribus foraminibus pertuſa, per quæ colentur margaritæ ſicque illis pretium fiat. Nam quæ per inſtrumentum minoribus cavernis *perforatum* tranſmittantur, iis ſuum pretium poni, & pondere, non numerô, venire; quæ per majora, ſuum & his pretium, atque ita deinceps, pro foraminum magnitudine, annonam earum augeri. Viliſſimas addunt omnium eſſe, quæ *perforari* pro parvitate non poſſint &c. Hinc igitur *Perforaculum*, τὸ τρύπανον, quod ſermo corruptus dixit, *furfuraculum. Gloſſæ* Iſidori, *furfuracula, terebræ.* Quæ tamen diverſa; unde & Græci diſtinguunt, τέρετρα & τρύπανα. Hinc reſtituendus Arnobius *l.* 6. *Ex incudibus & malleis nata, tornis raſa, diſcobinata de limis, ſerris, furfuraculis, aſciis ſecta* &c. ubi hactenus lectum nullô ſenſu, *furfuribus faculeis.* Fortean autem *furfuraculum* dixêre, quòd furfures in ſigno perforando faciat, h. e. ſcobem furfuribus ſimilem. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1101. & ſuprà *Cyprius lapis*, it. voce *Peninim.*

PERFORANDI Aurem ritus, apud Hebræos olim alioſque uſitatus, vide ſuprà *Aurem perforandi ritus.*

PERFUNDERE, in *Summula* Raymundi Ordin. Prædicatorum,

Infirmus vel abortivus baptiſmatis undâ
Ter perfundatur, *ne non merſus moriatur*,
Si glaciata ſit hæc, formam teneas modò dictam &c.

eſt aliquem *tingendo* non *mergendo* Baptizare. Car. du Freſne *Gloſſar.* in hac voce, ut & in *Clinicus* & *Superfuſio.*

PERFUSUM Sagulum, apud Trebellium Pollionem *in Trig. Tyr. c.* 30. ubi de Zenobia, *Poſt Odenatum maritum Imperiali ſagulô perfuſô per humeros habitu*; Salmaſio eſt βαπτὴ χλαμύς. *Perfuſam certè purpura veſtem* Latini dicunt τὴν πορφυροβαφῆ. Virgilius:

Perfuſamque *oſtro veſtem* ———

Idem, *l.* 5. *Æn. v.* 111.

——— ——— *Et oſtro*
Perfuſæ *veſtes, argenti aurique talento.*

Sic *perfuſum auro*, τὸ χρυσοβαφὲς: *Perfuſa aurô patina*, apud Anaſtaſium, ſunt quæ Græcis χρυσέμβαφοι. Hinc itaque *Perfuſa veſtis* & *perfuſum ſagulum*, ut Græci βαπτὸν ἱμάτιον appellant. Βαπτὸν autem colorium & variis coloribus pictum veſtimentum, quod aliàs ἄνθινον dicunt. *Heſychius*, ἄνθινον, ἀνθηρὸν, Βαπτόν. Ariſtophanes,

Οὐθ' ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων.

Sic tunicas Gallorum verſicolores, βαπτοὺς χιτῶνας vocat *Diodorus*, *Strabo* βαπτὰς ἐσθῆτας, de Gallorum veſtitu: Περὶ δὲ τοῖς βραχίοσι καὶ τοῖς καρποῖς ψέλια, τὰς ἐσθῆτας βαπτὰς φοροῦσι καὶ χρυσοπάστους. Ubi ſic vocat virgata & verſicoloria eorum ſagula, βαπτὰ, quod ad verbum eſt *perfuſa.* Imperiale ſic ſagulum *perfuſum* Zenobiæ, quæ Didonis habitu ornata erat, tribuit auctor, quòd non ſolùm purpureum eſſet, ut ſunt Imperialia ſagula, ſed etiam pictô limbô variegatum, ut illud, quô Dido apud Poëtam ornatur, *Æn. l.* 4. *v.* 137.

Sidoniam pictô chlamydem circumdata limbô, &c.

Salmaſ. *ad Trebellium d. l.*

PERGA, & PERGE, Pamphyliæ in Piſidia oppid. ab Attalia urbe 70. mill. paſſ. & ora maris Pamphylii in Boream recedens. Verſus Antiochiam Piſidiæ, 35. juxta Cataractem fluv. Hic erat Dianæ templum, de quô Cicer. *Verr.* 3. quæ inde *Pergæa*, teſte Melâ, *l.* 1. *c.* 14. *Pergaſia* verò teſte *Stephanô*, dicebatur. Dionyſ. *v.* 854.

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες
Κώρυκος, Πέργη τε καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις.

Pirgi hodie dicitur *Sophiano. Nic. Lloydius.* Salmaſio non ad Cataracten, ſed ad Ceſtrum fluv. ſita hæc Urbs, 60. ſtadiis à mari per flumen aſcendenti; unde eam maritimam facit *Scylax* & ἐν τῷ παράπλῳ Lyciæ ponit, ut & Aſpendum, in paraplo Pamphyliæ, quæ & ipſa ad Eurymedontem ſita, ſed à mari longiuſculè, flumen aſcendentibus, eôdem, quô Perge, intervallô. *Ptolemæus* utramque hanc urbem ἐν τῇ μεσογείᾳ recenſet, & revera ſunt, ſed maritimæ etiam cenſendæ, propter τὸν ἀνάπλουν, quô è mari per flumen adiri poſſunt. A *Perga* igitur, quæ ad Ceſtrum, Scylax Pamphiliæ παράπλουν auſpicatur & primam in eo urbem ad Ciliciam tendenti numerat Aſpendon &c. Salmaſius *d. l. p.* 780. E quo hoc unum addo, veteres quidem Geographos, Pamphyliæ oram ab Aſpendo auſpicatos Corycum, Pergam & Phaſelidem Lyciæ tribuiſſe: at recentiores hæc eadem oppida Pamphyliæ adſcriptum iviſſe, *Ibid.*

PERGAMA, vide PERGÆA.

PERGAMA, num. plural. arces Trojanæ, quæ quoniam altiſſimæ erant, omnia alta ædificia *Pergama* ſunt appellata, teſte Serviô, *in l.* 1. *Æn. v.* 99. Item locus Cretæ, ubi Lycurgi ſepulchrum. *Plut.*

PERGAMENA Charta, impropriè ſic dicitur, cùm membrana potiùs dicenda: Unde Charta a Membranis ſeparatur, *l.* 9. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* §. *Literæ Inſt. de rer. diviſ.* ac planè, Chartas ſupprimente Ptolemæô, Membranas Pergami repertas Liv. ex Varrone tradit, *l.* 13. *c.* 11. Chartæ enim olim ex papyro confectæ, hodie ex concerptis contuſiſque linteis: Membranæ verò ex pellibus coriove animalium, Pergami primùm paratæ ſunt, unde hodieque illis originis nomen. Joh. Laurentius *in Phædrum l.* 5. *fab.* 5. *v.* 43.

Particulo, nomen Chartis victurum meis.

Ita quoque Iſidorus Orig. *l.* 6. *Pergameni Reges cùm chartâ indigerent, Membranas primi excogitaverunt: Unde & Pergamenarum nomen hucuſque tradente Poſteritate ſibi ſervatum eſt.* Sed hanc opinionem tum *in Originum libris*, tum *in de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 38. eruditè refellit Voſſius. Membranarum enim uſum antiquiſſimum, Græcorum indicat illud, ἀρχαιότερον διφθέραι: & Perſicos Annales in membranis ſcribi ſolitos, ex Cteſia, Diodor. Sic. docet *l.* 2. ac membranaceos fuiſſe libros, quos Eleazarus, Pontifex Judæus, miſit Ptolemæo, teſtatur Joſephus *Antiqq. Judaic. l.* 12. Verius illud, cùm multis ante Attalicos Reges ſeculis, alii in ſcribendo membranis, alii papyrô Ægyptiâ uterentur, ortâ inter Reges Pergamenos & Ægyptios circa Bibliothecas æmulatione, papyrum Ægyptiam fuiſſe à Ptolemæo Epiphane vel alio, ſuppreſſam: eoque ſeu Attalum ſeu Eumenem membranas majori præparâſſe induſtriâ, idque copiâ tantâ & arte, ut inde aliis etiam in terras mitterent, eâque occaſione inde *Pergamenarum* nomen acciperent. Quô ſenſu capiendus B. Hieronymus *Ep. ad Chromatium*, ubi ait: *Chartam defuiſſe non puto, Ægyptô miniſtrante commercia: & ſi alicubi Ptolemæus maria clauſiſſet; tamen Rex Attalus membranas à Pergamo miſerat, ut penuria chartæ pellibus penſaretur. Unde & Pergamenarum nomen ad hunc uſque diem*, &c. Vide quoque Voſſium *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 3. *c.* 70. & ſuprà *Membranæ. Pergamenum cum penna & atramentario* de terra levandi formula, frequens in *Chartis* Sabaudiæ Ducum, apud Guichenonum, quâ indigitatur donatorem ſponte nec coactum donationem ſuam facere, *per Pergamenum* tradendô in manus Notarii, uti videre eſt apud Car. du Freſne *Gloſſar.* vide & ſuprà *Inveſtitura.* Indidem *Pergamenarius*, apud Adalardum in *Stat.* Corbej. *l.* 1. *c.* 1. Officium in Monaſteriis, qui *pergamena* parabat &c.

PERGAMIA, locus Cretæ, ubi Lycurgi ſepulchrum, *Plut.* Plinio *l.* 12. *c.* 4. *Pergamum.*

PERGAMUM, urbs Thraciæ mediterranea *Ptol.*

PERGAMUS, arx ſumma urbis Trojanæ. *Heſych.* Πέργαμος, ἡ ἀκρόπολις Ἰλίου.

PERGAMUS, urbs Throadis, ſeu Myſiæ mediterranea ad Caicum fluv. diu ſub Attalicis regibus fortunata, caput exigui regni quod an. circiter 470. Urb. Cond. ſub Philætero, Lyſimachi Thraciæ Regis ærarii præfecto, inchoatum, ſuccedente ipſi nepote Eumene I. tranſiit ad Attalum I. regem, qui regnavit Ann. 44. Ei Eumenes II. ſucceſſit, per an. 42. Hunc Attalus II. frater ex-

excepit, per an. 41. velut tutor Attali qui improlis defunctus, An. 621. Urb. Cond. populum Romanum hæredem inſtituit. Sic poſteà Romanorum provincia fuit, expugnata à Muſlimo Saracenorum Præfecto, etſi cives crudeli factô ſe ad defenſionem obſtrinxiſſent, A. C. 718. Apud hanc chartæ uſus inventus eſt, quæ nunc quoque vulgò *Pergamena* dicitur; ab Attalo, ut *Ælianus*; vel ab Eumene, ut *Plinius* ait, condita, & Galeni patria. Fuit olim Epiſcopalis ab Archiepiſcopo Epheſino, dein Metropolitana. In hac urbe Æſculapium medicinam exercuiſſe, ibique officinam habuiſſe Lucianus *in Iatromenippo* tradit. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 17. *v.* 1.

Conſilium formæ ſpeculum, dulceſque capillos
Pergameo poſuit dona ſacrata Deo.

Erat Pergami pavimentum, opus Zenodoti præclarum, *Vitruv.* Hic Carpus, Paphylus & Agathonica paſſi, A. C. 170. Euſebius, *l.* 5. *c.* 2. & 3. Hodie *Pergamo*, teſte *Sophianô.* Strab. *l.* 13. Plin. *l.* 5. *c.* 30. *l.* 13. *c.* 11. Juſtin. *l.* 13. *c.* 2. Polyb. *l.* 5. Pancirollus *de mirab.* part. 2. *tit.* 13. *Nic. Lloydius.*

PERGANTIUM, urbs Ligurum. *Steph.* Nunc *Bergançon*, ex adverſo Stœchadibus Inſul. Hucuſque enim Liguria protendebatur. Hodie eſt oppid. cum arce munita, in ora littorali provinc.

PERGASE, vicus in Erechtheide tribu *Steph.*

PERGOLA, olim *Strangoli* dicta, arx eſt in Naxo maris Ægei inſula; apud eam templum eſt ampliſſimum, Baccho erectum, cujus ſtatua marmorea affabrè facta adhuc ibi ſpectatur. *Nat. Met.*

PERGULA, apud Ulpianum *in l. hæres.* §. 2. *de Judic.* ut tradit Cujacius *l.* 11. *Obſerv.* 13. *in fin.* eſt exedra anguſta, in ſuperficie aliqua ædium, ut *Gloſſa* Antiquorum explicant, ὑπερῷον, ἱερία ὀροφὴ, συνοίκημα. Tertullian. *adv. Valent. Cœnacula in ædicularum diſpoſita forma, aliis atque pergulis ſuperſtructis.* In ea plerunque merces venales diſpendebant, & inde *l.* 54. *pen. ff. de his quæ dejec. veſt. effud. Cùm pictor in* pergula *clypeum vel tabulam expoſitam habuiſſet:* ubi etiam *Pergulam* ὑπερῷον *Baſilic.* exponunt. Et in *l. ult. Cod. de excuſ. artiſ.* privilegium hoc Pictoribus datur, ut *pergulas & officinas* in locis publicis obtineant. Unde illud Lucii Sat. apud Lactantium:

Pergula Pictorum, veri nihil, omnia ficta.

At *Budæo* *Pergula* pars eſt domus exporrecta & propendens, ejus generis, quas *Salientes* Artifices noſtri appellant. Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Etiam in geſtationibus & deambulationibus locum habuiſſe *Pergulam*, eôque ſignificatu vocem hanc uſurpâſſe Plinium MS. codicis beneficiô ſe deprehendiſſe, ait Briſſonius. Apud eum ſiquidem *l.* 14. *c.* 1. ubi vulgò legitur, *Subdivales deambulationes umbroſis operculis opacat*, vetus optimæ notæ codex habet, *Subdiales inambulationes umbroſis* pergulis *opacat*, apud Eund. Apud Anaſtaſium in *Gregorio* II. & *Leone* III. apud Guilielmum Biblioth. in *Stephano* VI. trabeculam vox ſignificat, in ædibus ſacris, à qua lychnuchi pendent, ut alia omittam. Inprimis verò celebres ſunt *Pergulæ* Magiſtrales, quæ occurrunt apud Flav. Vopiſcum *in Saturnino*, *c.* 10. *Nam & in Africa, Rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentaverat* Pergulas *Magiſtrales.* Ubi *Pergulas* illas non fuiſſe celebrium Doctorum, ſed Magiſtrorum è trivio, Vir eruditiſſimus Caſaubonus contendit. Sed falli eum ait Salmaſius contraque pertendit, in iſtis *Pergulis* publicè docuiſſe Grammaticæ Rhetoricæque Magiſtros, aliarumque Artium, quæ *Liberales* indigitantur, Profeſſores, etiam qui de publico ſtipendium accipiebant. Quales *Pergulas*, *Publicas Magiſtrationes* & *Publicas cellulas*, dici videmus in *l.* 3. *Cod. Theod. de ſtudiis liberalibus urb. Conſtantinopol.* his verbis: *Univerſos, qui uſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum, in publicis magiſtrationibus cellulisque collectos undecunque diſcipulos circumferre conſueverunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri.* Quibus autem publicè profitendi facultas data non erat, hi, intra domeſticos parietes, ſuis tantùm Diſcipulis privatim vacabant, nec in *Pergulis* publicis docebant. Vide *d. l. eôd. tit.* De Picturæ Profeſſoribus, diximus ſuprà. Mathematici ſimiliter, quibus aliquando etiam profitendi publiceque proponendi Romæ copia conceſſa eſt, in *Pergulis* ſtudia ſua exercebant & reſpondebant: meminitque *Mathematici pergulæ* Suetonius in *Auguſt. c.* 94. *in ſeceſſu Apolloniæ Theagenis Mathematici pergulam comite Agrippâ aſcenderat.* Aſcendebantur enim *Pergulæ*, unde ὑπερῷα apud Vet. *Gloſſarii* Auctorem. Grammatici *Pergulæ* mentio, apud eundem Sueton. *l. de illuſtr. Gramm. c.* 18. ubi de Craſſitio loquens, *Hic*, ait, *initiò circa ſcenam verſatus eſt, dum Mimographos adjuvat: deinde in* Pergula *docuit, donec Commentariô Smyrnæ editô adeò inclaruit, ut hæc de eo ſcriberentur.* Nec verum eſt, quod alter Vir doctiſſimus ſcripſit, pauperes Grammaticos, quibus in ædibus habendæ Scholæ poteſtas non erat, in *Pergula* docuiſſe. *Pergulæ* erant cellæ publicæ, in quibus omnium Artium Doctrinarumque Profeſſores publicè docebant &c. Sed & cellæ Publicæ Meretricum ſic dicebantur, teſte Plautô, *Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 79. *Te ego ipſam culleo cras faciam deportari in Pergulam* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* In Eccleſia Græca Πέργυλον, ex Latin. *Pergula*, itidem dictum eſſe locum aliquem editum, amboni ſimilem, è quo varia promulgari ſolita, docet Cl. Suicerus *Theſaur. Eccleſ.* voce Πέργυλα.

PERGUS, lacus Siciliæ apud Ennam urb. ubi à Plutone raptam eſſe Proſerpinam fabulantur. Claudian. *l.* 3. *de Raptu*, *v.* 112.

Haud procul inde lacus (Pergum dixêre Sicani)
Panditur; & nemorum frondoſô margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis. Admittit in altum
Cernentes oculos, & latè pervius humor
Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus:
Imaque perſpicui prodit ſecreta profundi.

Perguſam vocat Ovidius *Met. l.* 5. *v.* 385.

Haud procul Ennæis lacus eſt à mœnibus altis
Nomine Perguſa. ———

Ita vulgò creditum. Verùm de Perguſa nugæ ſunt, inquit vir doctiſſimus Nic. Heinſius, qui totum locum ſic excudi voluit,

Haud procul Hennæis lacus eſt à mœnibus altæ,
Nomine Pergus, aquæ; non illo plura Cayſtros
Carmina cygnorum labentibus audit in undis.
Silva coronat aquas, cingens latus omne, ſuiſque
Frondibus, ut velo, Phœbeos ſubmovet ignes.
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores;
Perpetuum ver eſt.

Percus dicitur *Jul. Firmico. Lago di Goridan*, hodie, *teſte Laurent. Anania. Nic. Lloydius.*

PERIADA, Urbs Eubœæ, *Strab.*

PERIALLA, antiſtes mulierum apud Delphos vaticinantium; ætate Cleomenis.

PERIANDER, Corinthiorum Rex, unus è 7. Sapientibus; Cypſelo patri in regno ſucceſſit, 38. Olymp. regnavitque ſat diu. Rogatus, cur in tyrannide perſeveraret, cùm eſſet ſapiens, reſpondit: *Et ſponte & invitum cedere, periculoſum.* Crudeliter igitur, & magnâ ſuſpicione agebat, ſtipatus ſemper militibus, otioſos in foro & oſcitantes uſque formidans; Quapropter continuò erat in bellis, navalibus præſertim: Bellicoſus enim erat. Dicitur & Iſthmum perfodere voluiſſe; & uxorem adeò dilexiſſe, ut etiam cum mortua concubuerit. Vide Diog. Laërt. *in ejus vita.* Domeſticis malis afflictus, obiit Olymp. 48. an. regni 44. Voluptatem fluxam, gloriam immortalem eſſe, dixit: neque firmiores excubias benevolentiâ civium eſſe, agnovit, Ariſtot. *Pol. l.* 5. *c.* 12. Euſ. *Chron.* Pater erat duorum filiorum, *Cypſeli* ἄφρονος, *mente capti*, ac proin rebus gerendis inidonei, & *Lycophronis*, à Corcyræis interfecti. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. ad Sec.* XVII. Eum in tyrannide excepit Pſammetichus, quem vide.

PERIANDER, Ambraciæ tyrannus, ab exoleto ſuo occiſus, quod eum inter pocula interrogâſſet, num ex ſe gravidus factus eſſet. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 19.

PERIANDYNI, apud Theophraſtum *Hiſtor. Plantar. l.* 9. *c.* 18, ubi de aconito, Φύεται δὲ πανταχοῦ, καὶ οὐκ ἐν Ἀκόναις μόνον, ἀφ' ὧν ἔχει τὴν προσηγορίαν, αὕτη δ' ἐστὶ κώμη τὶς τῶν Περιανδυνῶν, *Naſcitur autem ubique, neque in Aconis ſolùm, unde ei nomen; eſt hæc autem civitas Periandyniorum.* Lege *Mariandynorum*, nuſquam enim alibi, *Periandyni* hi comparent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 881. ut & ubi de *Mariandynis.*

PERIAPTA, Græca vox Περίαπτα, aliter περιάμματα, à verbo περιάπτω, *appendo*; interdum ἐξαρτήματα, eâdem notione; etiam ἀποτρόπαια, ab ἀποτρέπειν, *amoliri*, unde Latinis *Amoleta*, vulgò *amuleta*: remedia dicuntur, quibus collo annexis Medici Magi morbos fugare conantur. Medici enim Magi cùm triplices ſint, juxta Voſſium: Quidam toti ſint in occultis naturæ proprietatibus indagandis & earum operationibus promovendis; Alii verbis, characteribus & cerimoniis medendi efficaciam tribuant; Alii initô cum Spiritibus commerciô, morbis auxilientur: duo poſteriora Magiæ genera, *Medicina* nomine indigna, imò planè nefaria ſunt. Primum verò Naturâ nititur, quæ Deum Auctorem habet; atque huc περίαπτα quædam quoque pertinent, quæ nempe ob ſympathiam vel antipathiam occultâ proprietate proſunt: Diſcoridi ἀναιτιολόγητα dicta, h. e. *ejuſmodi, ut eorum rationem reddere nequeamus.* Aliqua enim occultam habere facultatem, quâ, de collo pendentia, ubi incaluerint à corpore noſtro, profluvia quædam, nobis neſcientibus, effundant, cutique noſtræ vel ori etiam ac naribus affient, eôque pactô morbis variis proſint, dubium nullum eſt. Nec pro diabolicis ſtatim habenda, quorum rationem ipſi perſpicere non poſſumus; nam nec notum nobis, cur magnes, niſi alliô illitus ſit, ferrum trahat. Cur patinæ aquâ plenæ impoſitus, utcunque millies patinam verſes, quieſcens ſemper frontem verſùs Arcticum vertat polum? &c. Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophiæ c.* 8. §. 12. Unde apud Scriptores etiam valde pios, ut Piſidem & recentiores Medicos Græcos, reperiuntur *Periapta* è lapidibus multa, ſimiliaque alia ἐξαρτήματα, quæ naturalia potiùs, quàm magica remedia, ſunt cenſenda. Vide Pſellum *l. de lapid.* Interim, quia plerumque abuſus acceſſit, & amuleta iſta cum magicorum verborum ſuſurro adhiberi ferè conſuevêre, meritò vanitatem hanc omnium ſeculorum Sapientes damnaverunt. Nota quartanæ ſanatio, per ABRACADABRA chartæ inſcriptum & collo appenſum, apud Q. Serenum Sammonicum, ut alia omittam: cujuſmodi amoleta licèt præſtarent, quod pollicentur; ſatiùs nihilominus fore, ut morbô obeamus, quàm ſic recuperemus ſanitatem, graviter monet Chryſoſtomus. Hinc, apud Æl. Spartian. in *Antonino Caracalla, c.* 5. *Damnati* leguntur, *& qui remedia quartanis tertianiſque collo annexa geſtarent*; ubi mirum alicui videatur, adeò ſeverè in hujuſmodi homines ab eo Principe omnium primo fuiſſe animadverſum, quem curioſis artibus deditiſſimum fuiſſe, teſtibus *Dione* & *Herodianô* conſtat, inquit Salmaſ. At hæſit diu in animis veter. Chriſtianorum etiam hujuſmodi remediorum approbatio & ſtudium. Quam ob cauſam modò laudatus Eccleſiæ Doctor aliique Viri pii & ſancti graviſſimè in eos ſunt invecti, qui more paganicô περίαπτα annecterent: extantque de horum pœnis Canones non pauci in antiquis Patrum Conciliis. In *Homil.* autem 8. *ad Coloſſ.* non dubitat Chryſoſtomus, comparare aliquatenus martyrio hujus vanitatis contemtum: Ἐνόσησε, inquiens, τὸ παιδίον, οὐκ ἐποίησε

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

περίαπτα μαρτύριον αὐτῇ λογίζεται; adeò tum erat in plebis Chriſtianæ animis δυσαπειός hic morbus. Quam ſententiam pluribus idem tractat in 6. earum quas ſcripſit *contra Jud.* Et tamen vigebant Principum Chriſtianorum *LL.* quibus cùm hoc genus, tum aliæ omnes ſpecies vetitarum artium coërcebantur: qua de re multa Amm. Marcellin. *l.* 29. in rebus Valentiniani ac Valentis. *Lib.* autem 19. ſcribit idem, de Conſtantii temporibus: *Si qui remedia quartanæ vel doloris alterius collô geſtaret, ſive per monumentum tranſiſſe veſpere malevolorum argueretur indiciis, ut veneficus pronuntiatus, reus capitis interibat* &c. Salmaſ. *ad Spartian. d. l.* Vide quoque ſuprà, voce *Jaſpis*, item *Abracax*, *Amuleta*, *Galbea*, *Hapſus*.

PERIARCHON, titulus libri cujuſdam Origenis περὶ Ἀρχῶν, *de Principiis*; qui liber, malâ fide à Ruffino in Latinum ſermonem tranſlatus, non paucis impoſuit: donec Hieronymus, novam verſionem orſus, prioris nævos detexit. Damnata autem verſio Ruffini eſt, in Concilio Alexandrino, cui Theophilus Patriarcha præſedit. Dominicus Macer *in Hierolex.*

PERIARCHUS, Lacedæmoniorum navarchus, in bello Corinthiaco Olymp. XCVI. annô ſecundô. Diodor. Sic. *l.* 14. *f.* 441. Cecidit in conflictu navali, ad Phyſcum Cherroneſi.

PERIBARIDES, proprium apud Veteres Ancillarum calceamentum, Balduin. de *Calceo.*

PERIBOEA, Eurymedontis Gigantis filia, ex qua Neptunus Nauſithoum ſuſcepit, Alcinoi patrem. Homer. *Od.* 7.

PERIBOETOS, Græcis Satyrus dictus eſt, Praxitelis manu factus, apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. Græcè περιβόητος, *multorum famâ celebratus.*

PERIBOLUS, Rhodiorum vicus, juxta Byzant. *Rodocinion Gyllio.*

PERIBOLUS, Græcè Περίβολος, dictus olim propriè eſt, certus agri modus, circùm templa vacans, vitibus arboribuſque conſitus & murô clauſus, Deoque, cujus id Templum erat, dicatus & Sacerdotum uſibus proficiens. Περίβολον τοῦ νεὼ, Auctores Græci frequenter dicunt. Ælian. *Hiſtor. l.* 17. *c.* 47. Οὐκοῦν ἐν τῷ νεὼ περιβόλῳ τιθάσους ὄρνιθας πολλοὺς τρέφεσθαί φησι. Latini *Templi conſeptum* vocant. Appulej. *l.* 11. *Ædibuſque conductis intra conſeptum Templi Larem temporarium mihi conſtituo.* Arnob. *l.* 6. *Dairus & Immanandus fratres, in Eleuſino conſepto, quod civitati ſubjectum eſt*; Græcè Clemens habet, Ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου. Locus nempe conſeptus erat & murô clauſus, ſed ſine tecto & ſacer, unde *Sacellum* quoque Latinis. *Feſtus: Sacella dicuntur, loca Diis ſacrata, ſine tecto.* Poſtmodum de ipſo Templo vox uſurpari cœpit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 10. Sed & περίβολος *Straboni* conditorium vocatur Alexandri M. quod in medio fuit Alexandriæ urbis. Qui eximius honor apud antiquos. Sic Forum Antiochiæ, Germanici; Megarenſium, Corœbi; Magneſiorum, Themiſtoclis, alia aliorum mauſoleis ſtatuiſque olim ſuperbiebant. Vide Jo. Kichmannum *de Funer. Rom.* & ſuprà voce *Conditorium.* Apud Scriptores citerioris ævi, vox ambitum ædis itidem notat, maximè ſacræ. Continebat autem Eccleſiæ peribolus *cellulas*, *domos*, *hortulos*, *balnea*, *areas*, *atque porticus*, ut diſcimus ex *Conſtitutione* Theodoſii & Valentin. *de his, qui ad Eccl. confug.* ubi Περίβολος Ἐκκλησιαστικὴ dicitur: intra quos limites his, qui ad templum confugiebant, vitæ immunitas erat, &c. Apud Papiam *Peribolus* eſt *xyſtus* ſeu *porticus*: in Saxon. *Gloſſar.* Ælfrici, *Pagus* ſeu *Comitatus*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Græcos recentiores Περιβόλια, idem ſunt quod παράδεισοι, *vivaria*, Barbarè *brolia*, Gall. *breuils.* Ita enim legimus, apud Luitprandum Cremonenſ. Epiſcopum in *Legat.* ad Nicephorum Phocam Imperator. Conſtantinop. A. C. 968. *In Umbriam* (L. Selymbriam) *qui eſt locus XVIII. M. Conſtantinopoli diſtans, Nicephorus me accerſiri jubet, &c. Et me interrogavit, ſi vos perivolia* (περιβόλια) *i. e. brolia, vel ſi in perivoliis onagros, vel cœtera animalia, haberetis. Cui cùm vos brolia, & in broliis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem, Ducam te, inquit, in noſtrum perivolium, cujus magnitudinem & onagros, i. e. ſylveſtres aſinos te vidiſſe miraberis.* Et paulò pòſt, *Occurrunt mihi commiſti capreis, quos ipſi dicunt, onagri. Sed quæſo, quales onagri? Quales ſunt Cremonæ domeſtici. Color idem, forma eadem, auriti itidem, vocales ſimiliter cùm rudere incipiunt, magnitudo non diſpar, velocitas una, dulces lupis æquè.* Vide Bochart. *Heroiz. Part.* 1. *l.* 3. *c.* 16. & ſuprà *Parcus.*

PERICARPIUM, Græcè περικάρπιον armillæ genus, de quo vide aliquid infrà, voce *Pſellia.*

PERICHORI Agones, Græcè Περίχωροι, dicti ſunt Græcis, qui nec ſacri erant, nec periodici. Scholiaſtes Pindari *ad Iſthmionicas* Ode 11. Οὐ γὰρ ἱερὸν ἀγῶνα νενίκηκεν ὁ Ἀρισταγόρας, ἀλλὰ περιχώρους, *Non enim ſacro in Agone victoriam reportavit Ariſtagoras, ſed in perichoris.* Et paulò pòſt, *in eadem præfat.* Εἰ δὲ παραμιμνήσκεται, ὅτι περιχώρους ἀγῶνας ἐνίκα, παῖς ὤν, οὐ διὰ τοῦτο ἀθλητής. Locus Odæ, quem ſignificat, ita legitur; Ἐκ δὲ περικτιόνων ἑκκαίδεκα Ἀρισταγόραν ἀγλααὶ νῖκαι πάτραν τ' εὐώνυμον ἐστεφάνωσαν πάλᾳ καὶ μεγαλαύχει παγκρατίῳ. Ubi περικτίονες ſunt agones περίχωροι & vicinarum urbium. Inde interpretatus eſt, eum Ariſtagoram, ſedecim victorias retuliſſe è ludis & agonibus vicinorum oppidorum, qui ſacri non erant, ſed ἀργυρῖται & δωρῖται. At in ipſo textu, ſedecim antagoniſtas habuiſſe eundem vult, ex vicinis oppidis, contra quos luctâ & pancratiô coronatus ſit. Et quidem in ſingulis fere Græciæ urbibus certamina celebrabantur, qui non erant *Sacri agones*, ſed in his certabatur, propter aliquod præmium. Sic in Marathone, phialæ argenteæ dabantur victoribus; alibi clypei ærei, ut in Junoniis ludis, qui Argis peragebantur. Unde Ἀσπίδα Ἥρας, *Clypeum Junonis*, viciſſe tales dicti, & agon ipſe Ἀσπὶς ἐν Ἄργει, *Clypeus Argis.* In urbe Pellene, Θεοξένια vel Ἑρμαῖα, quibus munus erat ſeu præmium victoriæ, Læna. Æginæ, Αἰάκεια, qui agon fuit Ἀμφορίτης, quòd amphoræ victoribus donarentur. In aliis certaminibus, tripodes ænei proponebantur; vixque ulla, ut dictum, Græciæ erat urbs, quin aliquod in ea certamen agitaretur, poſitis in medio præmiis, unde omnes illi agones δωρῖται, & ἀργυρῖται & χρηματῖται, vocati. Soli IV. illi celeberrimi Ludi, *ſacri* per Græciam fuêre & *iſelaſtici*, quibus præmium non aliud, præter coronam, propoſitum: hinc φυλλῖται & φύλλινοι appellati. De *Periodicis*, dicemus infrà. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Solin. p.* 849.

PERICLES, fil. Xantippi ex Agariſia, vir clariſſimus Athenienſis, qui Remp. 40. ann. gubernavit; pollebat enim authoritate & eloquentiâ, unde *Olympium* Comici vocârunt, quòd tonare in concionibus, ac fulmen ciere videretur. Zenonis & Anaxagoræ diſciplinæ commiſſus, Philoſophiæ peritiam tantam conſecutus eſt, ut ipſos magiſtros æmulos haberet. Ut gratiam Athenienſium ſibi conciliaret, omnem movit lapidem: Cimonem, quòd ſibi non faveret, per Oſtraciſmum removit, paulò pòſt revocatum: Dux copiarum in Peloponneſo lectus, regionem longè lateque vaſtavit ingenti præliô contra Sicyonios, ad fluv. Nemeam victor. Blanditiis Aſpaſiæ, ſcorti, permotus Samiis in gratiam Mileſiorum, bellum movit: poſtquam in Acarnania quoque res præclaras geſſiſſet. Bellum contra Lacedæmonios ut continuarent, Athenienſibus perſuaſit, ne pace factâ, rationem reddere teneretur: quapropter, fraude cognitâ, muneribus ſuis exutus quidem, ſed brevi iterum pòſt redditus eſt. Habuit in adminiſtratione Reip. adverſarium Thucydidem Meleſium, virum nobilem ac potentem. Suggeſtum aſcenſurus, Diis vota faciebat, ne verbum ſe imprudente aut invitô efflueret, quod ad Remp. minùs pertineret. Vide Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 4. *c.* 10. Quum Sophoclem haberet in magiſtratu collegam, ac ſimul aliquando cum eo navigâſſet, collaudâſſetque Sophocles formam pueri prætereuntis inter graves ſermones: *Non ſolùm*, inquit, *Sophocles, magiſtratum decet manus, ſed etiam oculos habere continentes.* Thucydide quondam vociferante, quòd nimis multa ex publico pro ædificiis erogâſſet: ipſe ad populum dixit; Si ita eis videtur, de ſuo erogaturum, modò ejus nomen inſcribi in operibus paterentur: Reſponderunt, Sumptus omnino fieri debere. Quidam dicunt ab eo inſtitutum, ut declamationes fierent exercitationis causâ, utque extemporalis oratio haberetur. Obiit peſte, Olymp. 87. An. 325. Urb. Cond. Solitus eſt dicere, quoties ſummam rerum capeſſeret; ſe præeſſe hominibus liberis, Græcis, Athenienſibus, &c. Vide Plutarchum, *in ejus vita.* Diod. Sic. *l.* 12. Thuc. *l.* 2. 3. *Nic. Lloydius.*

PERICLES, unus ex iis Ducibus, qui, præliô ad Inſul. Arginuſas commiſſô, à populo Athenienſi publicô ſuppliciô affecti ſunt. Vide Scholia *in Ariſtoph. Ran. Act.* 5. *ſc.* 1.

PERICLIDAS, ex illis Legatis unus, qui octavô Peloponneſiaci belli annô, ad Athenienſes componendæ controverſiæ, à Lacedæmonis miſſi ſunt. Scolia *in Ariſtoph. Equit. p.* 336. *F.*

PERICLITANTES, in Zeryntho, in antrum Hecatæ dicatum, confugere olim ſoliti ſunt, teſte Ariſtophane *in Pace.* Ita autem de hoc antro, Nicandri Scholiaſtes, Τὸ Ζηρύνθιον ἄντρον ἐν Σαμοθράκῃ φασὶν εἶναι Λυκόφρων δὲ φησι, Ζήρυνθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς ὅ ἐστι σπήλαιον τῆς Ἑκάτης, *Zerynthium antrum in Samothracia dicunt eſſe. Lycophron verò ait, Zerinthi hiatus Virginis Canariæ*, i.e. *ſpelunca Hecates.* Hic igitur, ubi Hecatæ & Corybantibus ſacrificâſſent, liberari à *periculis* credebantur. Suidas, Ἐν Σαμοθράκῃ ἦσαν τελεταί τινες, ἃς ἐδόκουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακα κινδύνων τινῶν. Ἦν δὲ ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης, καὶ τὸ Ζήρυνθον ἄντρον, ἢ κύνας ἔθυον. Ἐν κινδύνοις οὖν γενόμενοι ἐπικαλοῦντο τοὺς Δαίμονας ἐπιφανῆναι καὶ ἀλεξῆσαι. Ἐδόκουν δὲ οἱ μυούμενοι ταῦτα; ἐκ τῶν σώζεσθαι καὶ ἐκ τῶν χειμώνων, i. e. *In Samothracia erant ſacra quædam, quæ fieri ſolebant, ad averruncanda pericula. Ibidem erant & Corybantum myſteria & Hecates, & Zerynthium antrum, ubi canes immolabant. Itaque in periculis verſantes invocabant Deorum opem ac præſentiam: & videbantur, qui his vacabant ſacris, è periculis ac tempeſtatibus liberari.* Pertinet huc & Diogenis illud, apud Laërtium, *l.* 6. *in vita ejus, Admirante quôdam in Samothracia donaria, dixit*: πολλῷ ἂν ἦν πλείω, εἰ καὶ οἱ μὴ σωθέντες ἀνετίθησαν, *Longè eſſent plura, ſi &, qui non ſervati ſunt, appendiſſent.* In ſpecie de periclitantibus in mari, vide ſuprà, in voce *Naufragium. Periculum* namque peculiariter de navigatione: nautæ enim, ut ait Q. Smyrnæus, αἰεὶ σχεδὸν εἰσὶν ὀλέθρου, *ſemper exitio ſunt propinqui.* Statius *Thebaid. l.* 6. *v.* 19.

Ceu primùm auſuræ trans alta ignota biremes,
Seu Tyrrhenam hyemem, ſeu ſtagna Ægea laceſſunt:
Tranquillô priùs arma lacu, clavumque leveſque
Explorant remos, atque ipſa pericula *diſcunt.*

Ad quem locum vide *Animadverſiones* Caſp. Barthii.

PERICLYMENUS, Nelei fil. frater Neſtoris & Chronii, Homer. 2. *Od.* Cui à Neptuno avo conceſſum erat, ut in quas viſum eſſet formas ſe poſſet transformare. Teſtatur hoc Euphorion, *in his.*

——— Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον
Ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων Ἐνοσίχθων
Παντοῖ' ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν
Αἰετὸς ἄλλοτε δ' αὖτε πελέσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι.
Μύρμηξ. ἄλλοτε δ' αὖτε μελισσῶν ἀγλαὰ φῦλα.
Ἄλλοτε δεινὸς ὄφις, καὶ ἀμείλιχος, εἶχε δὲ δῶρα
Παντοῖ' οὐκ ὀνομαστὰ, τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσεν
Βουλῇ Ἀθηναίης. ———

Quum igitur Hercules bellum contra Neleum gereret, ipſe in muſcam verſus ab Hercule, conſiliô Palladis, quæ illum prodebat,

bat, clavâ interſectus eſt, quum ille aculeum Herculi, ceu ſolent muſcæ graviores, immiſiſſet. Ovid. *l.* 12. *Met. v.* 556. fabulatur, Periclymenum in Aquilam verſum, ab Hercule, quem plurimum unguibus uncis infeſtabat, ſagitta in ſublimi confoſſum:

> *Mira Periclymeni mors eſt: cui poſſe figuras*
> *Sumere quas vellet, rurſuſque reponere ſumptas,*
> *Neptunus dederat, Nelei ſanguinis auctor,*
> *Vertitur in faciem volucris: quæ fulmina curvis*
> *Ferre ſolet pedibus, Divum gratiſſima Regi.*
> *Viribus uſus avis, pennis, roſtrôque reduncô*
> *Hamatiſque viri laniaverat unguibus ora.*
> *Vertit in hunc nimium certos Tirynthius arcus.*

Hunc inter Argonautas recenſent *Apollonius*, & *Val. Flaccus.* Quorum hic *l.* 1.

> Σὺν δὲ Περικλύμενος Νηλήιος ὦρτο νέεσθαι,
> Πρεσβύτατος παίδων, ὅσσοι Πύλῳ ἐξεγένοντο
> Νηλῆος θείοιο. Ποσειδάων δέ οἱ ἀλκὴν
> Δῶκεν ἀπειρεσίην, ἠδ' ὅττι κεν ἀρήσαιτο
> Μαρνάμενος, τὸ πέλεσθαι ἐνὶ ξυνοχῇ πολέμοιο.

Nic. Lloydius.

PERICLYSIS, Græcè Περίκλυσις, *ora* vel extremitas veſtis & veli & cujuslibet rei, apud Anaſtaſium in *Leone IV. Fecit verò in eadem baſilica ad ſplendorem ſacri Altaris, veſtem holoſericam habentem* Periclyſim *de chryſoclavo*, h. e. περιῤῥοὴν & circumtexturam. Ibidem, *Fecit veſtem ſericam altam ſigillatam cum gammadiis & periclyſi de blattin unam.* Ibidem, *Fecit autem in baſilica beatæ Rufinæ Martyris in ſylva candida veſtem de fundato, habentem in medio crucem &* periclyſim *in circuitu de blattin.* Idem *in Sergio II. Vela alia de fundato, cum* periclyſi *de blattin.* In *Gregorio IV. Præfatus Pontifex fecit in Eccleſia B. Anaſtaſiæ Martyris veſtem de fundato, habentem aquilas &* periclyſim *de olovero.* Et paſſim, apud eundem, ſingulis ferè paginis, *Periclyſin* eô ſenſu reperire eſt, pro *circumtexto* veſtis ſcil. & purpurâ in orbem currente, quam περιῤῥοὴν eleganter vocitavit *Pollux.* Sic περίκλυσιν apud Eunapium, pro *extremo fontis margine* legere licet, ex correctione Salmaſii, in *Vita* Jamblichi: Ὁ δὲ εὐθὺς ἐπιψαύσας τοῦ ὕδατος, ἐτύγχανε δὲ ἐπὶ τῆς κρηπῖδος κατὰ τὴν περίκλυσιν καθήμενος. Sed & περίκλυσις illa in veſtibus, περιήγησις reperitur dicta, quaſi *circumvectatio*, unde περιηγητοὶ χιτῶνες οἱ περιπόρφυροι. Recentiores autem Græci μαργέλλια dixerunt hæc veſtium ornamenta extrema, à Latina voce *margo.* Aliter ῥάμματα & ἀντίπανα, quomodo dicebantur illa lora, vel zonæ, vel limbi, qui ad oras veſtium extremas adſuebantur. Erant autem hæ ornaturæ non tantùm purpureæ vel auratæ, ſed etiam verſicoloriæ. Unde ἑτερόχροα ἐπιβλήματα vocat Balſamo *ad Concil.* quæ ex cocco, byſſo & purpura contexta erant, ſeu inſerta, hinc *Inſertæ* Latinis &c. Sed & *panni, peripodia, prætextus*, ſeu *prætexta, ſcutulæ*, item *paragaudæ*, eadem. Περίνησα porrò Græcis hujuſmodi veſtimenta purpurâ prætexta, ſeu circumtexta, dicuntur: Ὅτι πορφύρα κύκλῳ τὰ τέλη τοῦ ὑφάσματος περιέρχεται νήσου σχῆμα ποιοῦσα τῇ περιῤῥοῇ τοῦ χρώματος, *Quoniam purpura in orbem extremas telæ oras ambit, inſulæ imaginem exhibens, circumfluxu coloris:* quem purpuræ in orbem currentis, ad oras veſtium, circumfluxum, περίκλυσιν quoque ab eadem imagine vocavêre, namque περικλύζειν, *circumluere*, eſt &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. Aurelian. c.* 46. Vide quoque ſuprà, *Limbô circumflua, Chlamys, Lorata veſtis, Mæandri.*

PERICOPA, Græcè Περικοπὴ, i. e. *ſectio*, pars dicitur S. Scripturæ, quæ aliter ἀνάγνωσις & ἀνάγνωσμα Græcis, Latinis quoque *Capitulum*, appellatur. Et quidem, ut ſcripta Euangeliſtarum & Apoſtolorum edita fuerunt, atque in manus Chriſtianorum pervenerunt, ſtatim aut ab iis, quibus prædicationis cura, & Eccleſiæ adminiſtratio mandata fuerat, aut ab aliis viris piis & ſtudioſis, in περικοπὰς, ſive *ſectiones*, diviſa fuerunt, ut commodiùs legi, privatim, ſive publicè, ac faciliùs intelligi poſſent. Idque factum eſt exemplô Judæorum, qui ante Chriſti tempora textum Hebræum & Græcum, in *ſectiones, capita & verſus* diſtinxerunt, uti pluribus oſtendit Cl. Suicerus voce Περικοπὴ, ubi etiam Patres Auditoribus ſuis conſueviſſe multis antè diebus declarare, de quo eſſent tractaturi argumento, ut ii interim Librum ſumerent, &, *Sectione* totâ perlectâ, paratiores venirent ad audiendas conciones, ex Chryſoſtomo docet *Homil.* 3. *de Lazaro Tom. V. p.* 242. Vide quoque infrà *Titulus.*

PERICULI ſui Judices, eleganter *Amm. Marcellino* vocantur Præfecti ejuſmodi, de quibus ſic Jul. Capitolin. in *M. Antonino Philoſ. c.* 11. *Habuit ſecum Præfectos, quorum & auctoritate & periculô ſemper jura dictavit.* Ubi ſermo eſt de Præfectis Urbi & Prætorio; à quibus quòd appellari non licebat, *ſuô periculô* judicare dicebantur: Et quidem Præfectus Prætorio vice ſacra judicavit ſemper; Præfectus Urbi non ſemper. Auctoritate igitur ac periculo ſuorum Præfectorum jura ſemper dictavit Marcus, i. e. Præfectis ſuis poteſtatem abſque provocatione judicandi ſemper, conceſſit. Unde ſcribit Juriſconſultus *lib.* 1. *de appellat.* interdum ab Imperatore ita ſolere judicem dari, ne liceat ab eo provocare, & Divum Marcum ſæpiſſime ſic Judices dediſſe. Alii tamen *Periculum* pro tabella accipientes, è qua ſententiam recitare ſolebant Judices, verba Capitolini ſic legunt: *Præfectos ſecum habuit, quorum auctoritate ex* periculo *ſemper jura dictavit*, ſed eam lectionem multis de cauſis improbat Salmaſ. *Periculum* autem pro *indiculo* vel *tabella* ac *titulo* Latini dixerunt, exemplô Græcorum, qui vocârunt ἔλεγχον. Sic *periculum facere*, ἔλεγχον ποιεῖν ſeu διδόναι, pro *experimentum facere & experire:* hinc ἔλεγχος & *periculum* idem. Inde etiam *elenchi*, genus margaritarum, quos Latini *titulos & titulatos* appellaverunt. Salmaſ. *ad Capitolinum l. c.* & *ad Vopiſc. in Aureliano*, ubi *cippum* vel *columnam* ſeu *ſtelam ſepulchralem*, in qua titulus olim ſepulchri, & quæ cauſa mortis ejus, qui jacebat, inſcribebatur, *Periculum* Auctori *de Viris Illuſtr.* dici monet. Vide quæ hanc in rem Gebhardus *ad Epaminondam C. Nepotis c.* 8. quæque diximus, dicemuſque in vocibus *Crux, Titulus* &c.

PERICULUM Corporis, i. e. fuſtigatio, perjurii pœna; apud Romanos, vide infrà.

PERIDMETUM, Thraciæ oppid.

PERIDROMI, Græcè Περίδρομοι, deambulationes erant, circa latera Ædium ſacrarum apud Græcos, ordinibus columnarum utrinque adjectis, de quibus, vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1218.

PERIEGESIS, Græcè Περιήγησις, Crinagoræ *in Epigramm.* dicitur Ἵστωρ κύκλος, narratio videl. quæ ſingulas provinciæ unius regiones, urbes & loca ordine exſequitur ac deſcribit, nihilque intactum relinquens, minima maxima circumvehitur; cui reſpondent in itinere maritimo οἱ περίπλοι. Unde multi extitiſſe leguntur τῶν Περίπλων καὶ Περιηγήσεων Scriptores. Περιόδους etiam vocaverunt, ut Ἀσίας Περίοδος, liber, quô omnia Aſiæ oppida, flumina, montes & loca memorabilia ordine expoſita continebantur. Epigramma autem præfatum ſic habet,

> Πλοῦς μοι ἐπ' Ἰταλίαν ἐντύνεται, ἐς γὰρ ἑταίρους
> Στέλλομαι, ὧν ἤδη δηρὸν ἄπειμι χρόνον.
> Δίφω δ' ἡγητῆρα περίπλοον, ὅς μ' ἐπὶ νήσους
> Κυκλάδας, ἀρχαίην τ' ἄξει ἐπὶ Σχερίην.
> Σύντι μοι ἄλλα, Μένιππε, λάθευ φίλος, ἵστορα κύκλον
> Γράψας, ὦ πάσης ἴδρι Γεωγραφίης.
> *Navigatio mihi in Italiam paratur; ad amicos enim*
> *Mittor, à quibus jam diu abſum.*
> *Quæro ducem periplum, qui me ad Inſulas*
> *Cycladas, veteremque ducat Scheriam.*
> *Suggere mihi alia, Menippe, Amice, hiſtoricum cyclum.*
> *Scribens, ô omnigenæ perite Geographiæ.*

Ubi ἡγήτορα περίπλοον intelligit Περιηγητὴν, qui per ſingula ducit ac circumvehitur, memorabilia quæque ac viſenda oſtendens & deſcribens. Hinc Περιηγητὴς *Dionyſius.* Sed oræ maritimæ circumductorem verbis illis deſignavit Crinagoras, quia navigare in Italiam parabat: in qua navigatione ac circumvectatione Inſularum, quam facturus erat, rogat Menippum, ut ſibi operam adjutricem navet, conſcriptô itineris periplô, qui omnia memoratu ac viſu digna ordine exponeret, Ἵστορα κύκλον appellans, quem Περίπλουν vel Περιήγησιν propriè appellârunt. Fuit autem hic Menippus Pergamenus, inſignis Geographus, qui, *Periplum interni Maris* tribus libris complexus, non Geographica tantùm, ſed & Hiſtorica, pertractaverat. Uti autem *Periegetæ* Geographi ac Hiſtorici, ſic Poetæ, qui Κύκλον conſtituebant, non minùs ſingula quæque in fabulis narrandis ordine ſuô expoſuerunt, qua de re vide ſuprà ubi de *Cyclo & Cyclicis Scriptoribus*, it. verbô *circumvehi:* plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 849. Aliam notionem vocis vide ſuprà voce *Periclyſis.*

PERIEGETÆ, quinam communiter, dicti, vide ſuprà. Alii ſunt, quorum meminit Plut. de *Pythiæ Oraculis*, Ὑπολαβὼν οὖν ὁ Θέων, ἀλλὰ καὶ νῦν εἶπεν ὦ παῖ δοκοῦμεν ἐπηρείᾳ τινὶ τοὺς Περιηγητὰς ἀφαιρεῖσθαι τὸ οἰκεῖον ἔργον ἴσον οὖν γενέσθαι τὸ τοιοῦτο πρότερον. *At verò ſubjiciebat Theon adoleſcens, videbimur malitiâ quâdam Enarratores ſuô munere defraudare, eos ergo ſine priùs ſua agere.* Nempe ſic vocabantur ii, qui per omnia antiquitatis monumenta, atque inſuper ad donaria, templa, cellas, ſtatuaſque, viſendas, quæque alia hujuſmodi erant, peregre advenientes deducebant, atque ubi quid pleniùs explicandum occurret, iis enarrabant. Cujuſmodi Περιηγηταῖς inprimis olim abundabant ea loca, in quibus χρηστήρια, *Oracula*, non Græcorum ſolùm, ſed Afrorum quoque & Aſianorum, extructa erant atque adornata. Hîc docebant illi advenas, unde hæc vel illa donaria, cuinam dedicata, quâ cauſâ, quibus occaſionibus; quid circa hanc illamque ſtatuam prodigii contigerit: mendaciiſque ut plurimum ineptiſſimis avidos animos referciebant. Unde Lucianus *Philopſeude.* Εἰ γοῦν τις ἀφέλοι τὰ μυθώδη ταῦτα ἐκ τῆς Ἑλλάδος, οὐδὲν ἂν κωλύσῃ λιμῷ τοὺς Περιηγητὰς αὐτῶν διαφθαρῆναι, μηδὲ ἀμισθὶ τῶν ξένων τ' ἀληθὲς ἀκούειν ἐθελησάντων. *Quod ſi quis fabulas auferat è Græcia nihil obſtiterit, quo minùs earum Explanatores fame intereant; cùm nullus ſit hoſpitum, qui gratis veritatem audire vult.* Hinc enim larga illis quotidie ſuppetebant emolumenta, uti apud eundem Delphius quidam Sacerdos pluribus exequitur. Atque hi Περιηγηταὶ, in omnibus argutiis exerciti, dum per omnia ſpectacula conſultores eorumque comites circumducebant nullam non occaſionem captabant aliquid eorum, quorum gratiâ adveniſſent, eliciendi; ſive narrando ſucceſſus eorum, qui talia vel talia à Deo petiiſſent, ſive exempla recitandô ejuſmodi, quibus majorem adhuc ſuperſtitionem ipſis incuterent; ſive aliis artibus illis inſidiando, illoſque circumveniendo: hôcque modô Sacrificulorum in oraculis fraudes atque impoſturas non parùm juvabant. Vide Ant. van Dalen *de Oraculis Diſſertat.* 2.

PERIEGETES Dionyſius, vide *Dionyſius.*

PERIERBIDI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens, *Ptol.*

PERIGORDIUM, vel PERIGURIA, civitas Petrocoriorum primaria, à *Ptolemæo Veſſuna Petrocoriorum* dicta, quod adhuc nomen eſt rotundæ turri, quæ ſatis integra conſpicitur: ſita eſt in meditullio regionis cujus eſt metropolis. Vulgò *Perigueux, Mitel. Merula*

PERILAUS, in Exercitu Macedonico, à Philippo Aridæo miſſus ad Perdiccam & Leonatum cæteroſque Equites extra Babylonem tendentes, de finienda cum copiis pedeſtribus diſcordia armiſque ponendis. Curt. *l.* 10. *c.* 8.

PERILAMPES, quidam Athenis, Periclis ſodalis & amicus, qui alendis pavonibus abundabat, de quo Ariſtoph. *Veſp.* & Plutarch *Pericle.*

PERI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PERILLUS, Athenienſis faber ingenioſiſſimus, qui Phalaridi Agrigentinorum tyranno taurum ex ære fabricavit, cui januam in latere poſuit, ut, quum incluſus reus ſubjectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem emittere videretur: pro quo invento, cùm munus à crudeliſſimo tyranno Phalaride, qui novis hominum tormentis delectabatur, poſtulâſſet, in eo ipſe, ut eam pœnam primus experiretur, includi à tyranno juſſus, ac ſuppoſitis ignibus exuſtus eſt. Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Perillum nemo laudat ſæviorem Phalaride tyrannô, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne ſubditô, & primus eum expertus cruciatum juſtiore ſævitiâ.* Ovid. *in Arte*, *l.* 1. *v.* 653.

Et Phalaris taurô violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.

Hinc *Perilleus*. Idem *in Ibin*, *v.* 437.

Ære Perilleo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente ſono.

Et *Triſt.* *l.* 5. *El.* 1. *v.* 53.

Ipſe Perilleo Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.

Propert. *l.* 2. *El.* 25. *v.* 13.

Nonne fuit ſatius duro ſervire tyranno,
Et gemere in tauro, ſæve Perille, tuo?

Lucianus *Perileam* vocat, non *Perillum*. *Nic. Lloyd.*

PERILLUS, fœnerator, & Juriſperitus. Horat. *Serm.* *l.* 2 *Sat.* 3. *v.* 75.

Putidius multò cerebrum eſt, mihi crede, Perilli
Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.

PERIMACTÆ, vide ſuprà *Magi*.

PERIMEDE, Veneficæ nomen apud Theocritum *Idyl.* 2. Ubi Scholiaſtes ait eandem eſſe, quæ Homero Agamede dicitur,

Ἥ τόσα φάρμακα εἴδει ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

Propert. *l.* 2. *El.* 32. *v.* 25.

——— *Non hic nocturna Cytæis,*
Nec Perimedea gramina lecta manu.

PERIMELE, inſul. maris Ionii, una Echinadum, aſpectu jucunda, ut Ovid. teſtatur *l.* 8. *Met.* ubi Perimelem Nympham Hippodamantis filiam in inſulam converſam deſcribit.

PERIMULA, vulgò *Patana Caſtaldo* ex levi, ut videtur, conjectura, urbs aureæ Cherſoneſi; ex qua *ſinus Perimulus Ptolemæo*.

PERIMULICUS Sinus, pars Oceani Indici. Nunc *Golfo di Siam*, in India ulteriori juxta auream Cherſoneſum. *Sanſo.*

PERINCARI, urbs Indiæ citerioris *Ptol.* *Pelagonga Caſtaldo.*

PERINTHUS, equiſo Polynicis, memoratur Statio *Thebaid.* *l.* 11. *v.* 199.

Protinus Inachii vultus expreſſa Perinthi
Obtulit ———

PERINTHUS, quæ & *Heraclea*, urbs Thraciæ ad Propontidem, inter Byzantium ad Boream 60. & Apros in *Ortum* 48. mill. paſſ. Ejus meminêre *Ptol. Marcellinus* & *Zoſimus*. Hæc olim *Mygdonia* dicta fuit, poſteà verò *Heraclea*, ab *Hercule* ſcil. uti Tzetzes tradit, *Chil.* 3. *num.* 100. Inſtaurata eſt à Samiis Olymp. 44. *Perintheras Antonino* eſt. *Peralia* quoque vocata fuit, ut ſcribit Procopius, de ædificiis Juſtiniani. *Pera* hodie *Volaterrano*; *Rodoſto Bellonio*; *Pantiro Caſtaldo*, *Heraclia Sophiano* & *Nigro* dicitur. Urbs nunc parva Heraclea, cum portu, in ora Propontidis, 60. mill. paſſ. à Byzantio in Africum, 20. à Rhedeſto in Boream, & 48. ab Apris in Ortum; aliàs in Corpialica Thraciæ provinc. *Baudrand.*

PERIODEUTA, Græcè Περιοδευτής, Viſitator eſt, officium Eccleſiaſticum apud Græcos, inſtitutum in Concilio Laodicenſi, pro villis, terris ac caſtellis, in quibus Epiſcopi non erant. Zonaras, *Periodeutæ nominantur, quòd huc illucque continendis in officio fidelibus vagentur.* Iidem in Conſtantinopolitana Synodo *Viſitatores*, à Gregorio Theſſalonic. *Ambulatores*, à Balſamone *Exarchi* dicuntur: quod poſtremum vocabulum hodieque apud Græcos in uſu eſt, qui *Exarchos* vocant, Viſitatores Diœceſium, à Patriarcha miſſos; non quidem ad reformandos mores, ex antiquo inſtituto, ſed ad colligendos nummos decimarum & proventuum Patriarchalium. Dominic. Macer *in Hierolex.* in hac voce, ut & in voce *Curioſus*. Olim verò Περιοδευταὶ Græcis dicebantur, id Medicorum circulatorum genus, quos nunc *Charlattanos* & *Saltimbancos* Galli appellant. In veteri *Inſcr.*

——— *Medicus fora multa ſequutus:*

i. e. circumforaneus Medicus & circulator, περιοδευτής. Vide hîc paſſim, *Circulator*, *Circumforaneus*, *Pharmacopola* &c. At Suicero, ſic Medicus quicunque olim dictus, ac inde Περιοδευταὶ in Eccleſiis, appellati, h. e. *Curatores animarum*, omnium infimi villarum Epiſcopi. *Inſpectores* ſeu *Viſitatores*, qui priùs Χωρεπίσκοποι, hodieque Curati Gallis dicuntur. Vide eum *Theſ. Eccl.* voce Περιοδευτής. Unde περιοδεύειν infima quoque Græcia, pro *ſanare* vel *curare*, dixit, eô modô ſcil. quô curat Περιοδευτής. Epiphanius *de ponder. & menſ.* Ῥαφέντες δὲ καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὐτὴν αὖθις ἀποτελοῦσι, *Collectitiis ſive glutinatoriis medicamentis curati* &c. Ita Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1050. De *Periodeutis* verò Athletis, hîc *infrà*.

PERIODICI Agones, iidem cum ſacris illis IV. Græcorum Agonibus, quos omnes qui viciſſet, περίοδον feciſſe dicebatur & περιοδονίκης, ut & περιοδευτὴς, *Athleta*, appellabatur. Non enim Olympia ſolùm aut Pythia viciſſe oportuit eum, qui *Periodi victor* dici voluit, ſed omnes. *Athenæus*, Ἐνίκησε δὲ καὶ τὴν περίοδον δεκάκις, *Vicit autem periodum decies.* Quæ περίοδος tamen de ſolis quatuor ſacris certaminibus, Pythiis, Iſthmiis, Nemeis & Olympiis dici conſuevit. Cujuſmodi victor & quidem complurics, Milo fuit. Solin. *c.* 1. *Victor ille omnium certaminum, quæ obivit.* Πάντων ἀγώνων, οὓς περιώδευσεν. Cujus victoriæ ita recenſentur, in Olympionicarum ἀναγραφῇ, ad Olympiadem 62. Μίλων Κροτωνιάτης πάλην, ὃς νικᾷ Ὀλύμπια ἑξάκις, Πύθια ἑξάκις, Ἴσθμια δεκάκις, Νέμεα ἐννάκις, *Vicit Olympia ſexies, Pythia ſexies, Iſthmia decies, Nemea novies.* Imò οὐ μόνον τὴν περίοδον νενικηκὼς (ἦν) ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἀγῶνας, *non ſolùm* periodum *vicit, ſed & multos alios agones*, *Plut.* ſcil. περιχώρους, de quibus ſuprà. Romani verò poſteà Imperatores, & alios quoque aliquos agones eôdem jure donaverunt, ut ἱεροὶ ſcil. eſſent ac vocarentur, qui tamen nunquam *periodô* comprehenſi ſunt. Hinc περιοδικοὶ στέφανοι, quos reportaverant ſacrorum hujuſmodi certaminum victores. Scholiaſtes Pindari *ad Iſthmionicas Ode* 11. Διὰ τῆς ᾠδῆς σημαίνεται, ὅτι στεφάνους ἔσχε δεκαέξ, ἀλλ' οὐχὶ περιοδικούς, *Ode hâc ſignificatur, habuiſſe illum coronas ſedecim, ſed minimè periodicas*: & acclamatio, περιοδονίκης, de qua vide infrà verbô *Vivas*. Uti verò περίοδον ἀγώνων, i. e. κύκλον, feciſſe dicebatur, qui quatuor illa certamina ordine vicerat; ita & κύκλον παιδείας confeciſſe dictus olim, qui in orbe & circuitu per omnes ſcientias tranſiverat eaſque perdidicerat. Similiter, qui multa per limina ſalutationes potentiorum manè obibat, περίοδον facere dicebatur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 849. & hîc paſſim, inprimis in vocibus, *Cyclus*, & *Orbis*.

PERIODUS, Græcè Περίοδος, nomen variis libris tributum, qui etiam περιηγήσεις dicebantur. Inde Περίοδοι Ἀποστόλων, libri quibus res ab Apoſtolis geſtæ continebantur per varias orbis regiones, quas *circumvehendo* perluſtrârant. Et in antiquo Codice recenſentur inter Apocrypha Novi Teſt. Περίοδοι Πέτρου, Ἰωάννου, Θωμᾶ, quarum auctor Leucius quidam Charinus memoratur Photio *in Biblioth.* Vide Salmaſ. *Prolegom. ad Solin.* & ſuprà verbo *Circumvehi*, item voce *Periegeſis*. De *Periodo* verò *annorum* duplici, apud Ægyptios, eundem *Exercit. Plin. ad eundem Auctorem p.* 553. uti de *Periodo Juliana*, excogitatâ à Joſepho Scaligero, & ſic à Julio Cæſare, ad cujus annos accommodata eſt, nominatâ, quæ compoſita ex tribus Cyclis in ſe multiplicatis, *Indictionis* videl. *Numeri Aurei*, & *Cycli Solaris*, *cum literis Dominicalibus*, numerum efficit annorum 7980. Scaligerum ipſum *in Canonibus Iſagog.* *Petavium*, *Alios*.

PERIONIUS Joachimus Cormeriô Turonum oriundus, Ariſtotelis aliorumque Scriptorum veterum Interpres Latinus, elegans magis quàm fidus, uti docent Poſſevinus *Appar.* & Jac. Billius *Obſervat. Sacr.* ipſemet complurium ſcriptorum auctor, quorum indicem habes *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 1. cum Ramo de Philoſophia Ariſtotelica acerrimè contendit, obiitque in Monaſterio, in quo à prima infantia verſatus eſt, A. C. 1559. Vide quoque Lambertum *Epiſt.* & Muretum *ad Lambertum*, Thuanum *Hiſtor.* Alios, & ſuprà *Joachimus*.

PERIPATETICI, Philoſophi Athenis, quorum originem ita aſſignat Cicero, *Academicar. Quæſtion.* *l.* 1. *c.* 4. *Platonis autem authoritate*, inquit, *qui varius & multiplex, & copioſus fuit, una & conſentiens duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum & Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cùm Speuſippum, ſororis filium, Plato Philoſophiæ quaſi hæredem reliquiſſet; duos autem præſtantiſſimos ſtudiô, atque doctrinâ Xenocratem Calcedonium, & Ariſtotelem Stagiritem: qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis inſtitutô in Academia, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant, & ſermones habere ſoliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quandam diſciplinæ formulam compoſuerunt, & eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nullâ affirmatione adhibitâ, conſuetudinem diſſerendi reliquerunt.* Eandem Peripateticorum originationem tradit Laërtius *in Ariſtotele*; *Heſychius* quoque: Ἡ δὲ Περιπατητικὴ φιλοσοφία ἐκλήθη, διὰ τὸ ἐν Περιπάτῳ, ἤτοι κήπῳ καταρξαι αὐτῆς Ἀριστοτέλην. Sed Ammonius *in Categor.* auctor eſt, Platonem ipſum docuiſſe ambulantem: atque ab hoc primo Peripatetico, poſt ejus exceſſum, Xenocratis auditores vocatos Peripateticos ex Academia, Ariſtotelis autem Peripateticos ex Lyceo; Tandem Xenocraticos, nomine Peripatetici omiſsò, à loco ſolùm dictos Academicos: & contra Ariſtoteleos, nomine loci præteritô, ab actione ſolùm vocatos Peripateticos. Vide Diog. Laërt. *in Ariſtot.* & Voſſ. *de Philoſ. ſect.* *c.* 17. *Nic. Lloydius.*

PERIPETASMATA, Græca vox, in *Gloſſ.* *Tapetia Babylonici floris varietate conſpicua*: hinc Lucretio *l.* 4. *v.* 1023. *Babylonica* dicta, & Martiali, *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 17. quorum hic:

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Eadem *Aulæa*, & *Attalica* & *belluata*, h. e. belluis variegata, & alibi *Periſtromata* paſſim dicuntur, vide infrà ubi de *Tapetibus*, alibique paſſim: uti de alia longè parietes *peripetaſmatis* ornandi ratione, infrà voce *Priſmata*.

PERIPHANA, Græcè περιφανῆ & ἐκφανῆ, ſimulachra dicebantur, in cælatura, quæ tota & apparentia ex omni parte eminebant; quemadmodum πρόστυπα vocabantur, cùm velut affixæ imagines unum tantùm latus oſtenderent: quorum hoc Galli appellant *en boſſe*, illud *en relief*. Athenæus *l.* 8. Οὗτοι δ' εἶχον ἄνωθεν καθήμενα περιφανῆ τετορευμένα ζῷα, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ ἐν ταῖς γάστραις πρόστυπα ἐπιμελῶς πεπονημένα. *Hi verò* (crateres) *habebant in ſuperiore parte animalia ſic cælata, ut tota conſpicua apparerent: in collo autem & ventre craterum proſtypa adhærebant, dimidiâ tantùm ſui parte expreſſa.* Sic idem alibi τὰ περιφανῆ τοῖς προστύποις opponit: Talis erat caper in vaſe illo nobilitato Veter. carminibus;

Stat caper in phiala docti Myos, anne Myronis.

Uli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ubi in phiala caper expreſſus erat pro emblemate, verùm ità, ut integer & περιφανὴς appareret, non πρόςυπος. Aliter ἔκτυπα quoque iſtuimodi ſimulachra dicta ſunt. Quæ ſimulachra, ſeu *ſigna* aut *ſigilla*, item *Emblemata*, ut Cicero vocat, plerumque poculis immittebantur ac illigabantur, ſicque de pòculis ac vaſis revelli poterant & aliis rurſus illigari. *Actione VII. in Verr. Appoſuit patellam in qua ſigilla erant egregia.* Et paulò pòſt, *Sigillis avulſis reliquum argentum ſine avaritia reddidit.* Uti cruſtæ, quam vocem idem de proſtypis, quibus operiebantur, adhibet, & ipſæ exemptiles erant. Ibidem, *Quæ probârant, iis cruſtæ aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini excuſſis deliciis, cum argento puro, domum revertuntur.* E' quibus videmus, vaſcula pura ſigillis vel emblematis aliunde revulſis plerumque decorari conſueviſſe, &c. Diverſa autem artificia eorum, qui vaſa pura faciebant & eorum qui ſigna hujuſmodi ac ſigilla, vaſculis aureis argenteiſque includenda, cælabant: illi *Vaſcularii*, hi *Cælatores* dicti, item *Toreutæ*, vide hîc paſſim. Porrò, quemadmodum aureæ cælaturæ in vaſis argenteis ſæpe collocabantur, ſic argentea emblemata ac ſigilla aureis ſcyphis non rarò includebantur; quorum hoc factitâſſe Verrem dicit Cicero, de illo habes Senecæ locum &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1046.

PERIPHAS, Theſſalus quidam pater Lapithæ. *Steph.* Item unus ex comitatu Pyrrhi, quem unà cum illo Priami regiam oppugnantem Virgilius inducit, *Æn. l.* 2. Ille Pyreti Centauri victor, celebratur Ovidio *Met. l.* 12. Vide quoque Statium *Theb. l.* 2. *v.* 631. ubi is inter alia de eo,

—— —— —— *Nil indole clarius illâ.*

Sed & Ægypti filium hôc nomine habet Apollodorus *l.* 2. laudatus Caſp. Barthio *Animadverſ. ad Statium d.l.*

PERIPHETES, Vulcani fil. ex Anticlia: *Corynetes*, à *clavæ* uſu nuncupatus, memoratur *Apollodoro*, *Hygino*, *Diodoro*, *Plutarcho*, *Aliis*. Vide quoque in voce *Corynetes.*

PERIPHORETUS, Artemonis cujuſdam cognomen, deliciis adeò effœminati, ut nunquam niſi lecticâ penſili circumlatus, domus ſuæ limen tranſiret, dictus ἀπὸ τοῦ περιφέρεσθαι, quaſi *circumlatilis.*

PERIPHOSIUS, Libyæ inferioris portus. *Ptol.*

PERIPLUS, in itinere maritimo, idem quoque Περιήγησις, in terreſtri. Vide ſuprà, in voce *Periegeſis.*

PERIPODIUM, Græcis περιπόδιον, limbus veſtis dictus eſt, quòd *circa pedes* iret. *Gloſſæ*, *limbus*, πέζα, κύκλος, περιπόδιον. Apud *Ptolemæum* in Virginis aſteriſmo, σύρμα περιπόδιον dicitur. Vide ſuprà in *Periclyſis.*

PERIPOLIS, *Plin. Peripolium Thucyd.* oppid. Brutiorum in finibus Locrenſium, ad Halecem fluv. in ora Calabriæ ulterioris medium inter Leucopetram, & Herculeum promuntor. 18. mill. paſſ. apud Bovam urb. à Rhegio 30. miliiar. *Amendolia* hodiè, teſte *Barriò.* Aliis *Paglioſoli*, pagus vicinus, locô editiore, ultra Bovam ad 3. mill. paſſ. Patria Praxitelis. *Ferrarius.*

PERIPOLTAS, vates fuit ex Theſſalia, qui Ophelrem regem, ſuoſque in Bœotiam populos ducens, familiam multis deinde temporibus nobiliſſimam ex ſe reliquit.

PERIPSEMA, Græcè Περίψημα, 1. Corinth. *c.* 4. *v.* 13. *Factus ſum omnium peripſema*: immunditiеs eſt, res abjectitia, propriè fæx metallica ſeu limatura. Alludit autem Apoſtolus ad priſcum Gentilium ritum, qui, tempore peſtis vel alterius cujuſdam calamitatis epidemicæ, Neptuno hominem offerre, eumque in mare conjiciendo, dicere ſolebant, *Eſto noſtrum peripſema*, h. e. purgamentum ac ſalutaris victima, *Suid.* Vide hîc paſſim, inprimis ſuprà ubi de *Expiatationis feſto* & infrà voce *Piacula.* Eâdem poſteà voce Bonifacius Martyr uſus eſt *Ep.* 74. ad ſignificandum vile ac neglectæ veſtis, calceamenti fortè, genus: *De noſtro quoque vili veſtitu parva hæc direximus tuo cultui, quanquam indigna; tamen petimus accommodanda, h. e. tunicam laneam, ſicut eſt mos apud nos habendi, caligas & peripſemata*, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PERIPTERON, vocatum id genus Ædis eſt, teſte Vitruviô, *l.* 3. *c.* 1. quæ non ſolùm in antico & poſtico, ut templum proſtylon & amphiproſtylon, ſed etiam ad latera, habebat columnarum ordines & deambulationem circa cellam Ædis, h. e. ædem interiorem, in qua Divi ſtabat ſimulachrum. Πτερὰ nempe dicebantur propriè ad latera ædis columnarum ordines ſeu porticus; unde hodieque columnata Templorum latera *Alas* Galli vocant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1218.

PERIRRHEUSA, ignobile oppid. circa Epheſum. Plin. *l.* 3. *c.* 31.

PERISADES, Illyrici populi Strabo, *l.* 7.

PERISCELIS, Gall. *Jartiere*, Germani *Hoſenband*, Ordo Equeſtris in Anglia nobiliſſimus, inſtitutus an inſtauratus ab Eduardo III. qui, cum in chorea regali Comitiſſæ Salisburienſis cruralem faſciam, humi prolapſam, ſuſtuliſſet, riſus ab aulicis, ad eos converſus dixiſſe: *Honny ſoit, qui mal y penſe*, & addidiſſe, eum qui in hanc faſciam cavillatus eſſet, felicem ſe æſtimaturum, illâ ſi dignus judicaretur. Hinc convocatis Proceribus A. C. 1345. vel 1350. ſub auſpiciis S. Georgii, quem tunc Anglia protectorem agnovit, Ordini dediſſe initium, fertur. Equitum numerus fixus eſt, XI. qui à Rege acceperunt inſignia, periſcelidem in ſiniſtro crure, cum lemmate, de quo ſuprà. Poſteà faſcia collo circumligata eſt, quam Henricus V. roſis albis cæruleiſque diſtinxit, Jacobus VI. verò in carduos, occaſione Scotiæ Ord. convertit. Præcipui Europæ Principes huic Ordini inſeri, honori ducunt. Polydor. Virg. *l.* 19. Harpsfeld. *S. XIV. c.* 14. *Hiſt. Eccl.* Walſinghamus *in Eduardo* 3. Ducheſnius *Hiſt. Angl. l.* 15. Froiſſardus *l.* 1. *Camdenus*, *Favinus*, *Tillerus*, *Mezeraus*, *Moferius* &c.

PERISSOCHOREGIA, Magiſtratus nomen, *Curator* fortaſſe *annonæ*, ἀπὸ τῆς περισσείας & χορηγέω, quod eſt *abundantiam fertilitatemque ſuppedito.* Alciat. *in l. periſſochorigiæ, Cod. de frum. Alex. l.* 11. Budæus vocem interpretatur redundantem frumenti elargitionem, *in Annotat. prior.* & in *poſter. l. de frum. Alexandr. cit. periſſochoregiæ nomen penitùs amputetur & teſſeræ deſignentur.* Pyrrho *Periſſochoregia* Magiſtratus eſt annonæ auctæ ſeu augmenti diſtributor, apud Jo. Calvinum *Lexico Jurid.* Dominicus Macer erogationem ſeu donativum, quod inter milites, præter ſolitum ſalarium, diſtribui conſuevit, hâc voce intelligi vult, *in Hierolexic.* Græcè Περισσοχορηγία. Vide quoque infrà, voce *Roga.*

PERISTACIUM, urbs Thraciæ, ad Propontidem; *Periſtaſi*, inter Hexamilium ſeu Lyſimachiam ad Auſtrum, 10. & Myriophytum ad Arctos 12. mill. paſſ.

PERISTEPHANON, Græcè Περὶ ϛεφάνων, h. e. *de Coronis*, titulus eſt libri Hymnorum, in quo de SS. Martyribus agit Prudentius, Poëta Chriſtianus, de quo vide ſuô locô.

PERISTERE, urbs Phœnicum. *Steph.*

PERISTERIDES, inſul. parvæ maris Ægæi Ioniæ adjacentes, ante Smyrnam. *Plin. l.* 5. *c.* 31.

PERISTERIUM, vox recentioris ævi, *ciborium* eſt, in cujus cavo appenſa erat *columba* (quæ Græcis περιϛερὰ) ex qua pyxis S. Euchariſtiam continens pendebat, apud Car du Freſne *Gloſſar.* ex *Teſtam.* Perpetui Epiſcop. quô legat Amalario Presbytero: inter alia, *Periſterium & columbam argenteam, ad Repoſitorium.*

PERISTHENES, urbs Ponti, condita Olymp. 43.

PERISTROMATA, dicti tapetes penſiles. Poſtquam enim tapetæ pedibus, antiquiſſimis temporibus, ſolerent ſubſterni, unde illis nomen Iſidorus invenit, *Origin. l.* 19. *c.* 36. exin & lectis cubitoriis inſterni cœperunt, Jul. Pollux *l.* 6. *c.* 1. Crevit dein luxus, ut in quocunque lautioris convivii apparatu, parietes totos integerent, ut de Adraſti magnificis epulis, quibus Polynicem & Tydeum accepit, Statius Thebaid. *l.* 1. *v.* 518. *& ſeqq.* ait.

—— *Pars oſtro tenues, auroque ſonantes*
Emunire thoros, altoſque inferre tapetas,
Pars teretes levare manu, ac diſponere menſas.

In ſcenam tandem tranſiêre, ut docet Corippus *l.* 2. *Num.* 8. Præcipuus autem in Aſſyria honor, primaque *Periſtromatum* inventio Gentis illius eſt, unde *Babylonica* non rarò vocantur. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen impoſuit.* Et pòſt *ibidem loci*, *Metellus Scipio triclinaria Babylonica ſeſtertium octingentis millibus veniſſe jam tunc, poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies ſeſtertiò nuper ſtetére.* Plautus *in Sticho*, *Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 53.

Tum Pabylonica Periſtromata, *conſutaque Tapetia,*
Advexit minimum bonæ rei, &c.

Intexebantur illis effigies diverſi coloris. *Gloſſarium vetus.* Πολύμιτος, i. e. *Veſtis filis verſicoloribus contexta*, ſive *Babylonicum.* Plin. *locô cit. aurum intexere in eadem Aſia invenit Attalus Rex*, quod in veſtibus quoque uſurpatum, ut alibi oſtendimus, vide quoque infrà *Picta Toga.* Referebant autem inprimis animalia iſta effigies, & quidem horrendæ plerumque ac prodigioſæ naturæ: quò reſpexiſſe videtur Claudian. *l.* 1. *in Entrop. v.* 355. dum ait,

—— —— —— *Videbo*
Jam cochleis junctos homines, & quidquid inane
Nutrit Judaicis quæ pingitur India velis.

Quaſi dicat: Si uſque adeo incredibilia fingere licet, & viliſſimum mancipium Eutropium ad faſtigium Conſulatus evectum credimus, facilè mihi perſuadeo, vivere & in rerum eſſe natura animalia illa, quæ in *Periſtromatis* ſuis, animi oblectandi gratiâ, homines intexunt, tanquam in India nata ſive in longinquis maximè gentibus & à notitia noſtra procul ſemotis. Vide ſuprà *India.* Meminit iſtiuſmodi belluarum Appulejus *Mileſiar. l.* 11. *Ex humeris*, ajens, *dependebant ponè tergum talorum tenus pretioſa chlamyda, quaqua tamen viſeres, colore variô circumnotatis inſignita animalibus; hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei.* Idem docet ipſum nomen, nam Ζωωτὰ, quaſi *belluata*; iſtiuſmodi *Periſtromata* appellantur, à belluis intextis. Plautus *Pſeudolo*, *Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 13.

Ut ne Periſtromata *quidem æquè picta ſint Campana;*
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia &c.

Interdum & veteres hiſtorias adumbrabant. Sic Heroës in *Periſtromatis* depictos, docet Ægidius Maſerius *ad l.* 1. *Val. Flacci*; *v.* 147.

—— —— —— *Acclinisque tapetis*
In mediis vacuo condit caput Hippaſus auro, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſin. l.* 5. *c.* 10. & infrà Tapetes.

PERISTYLIA, in Palæſtris olim partim quadrata erant, partim oblonga; & quidem ſic extructa, uti duorum ſtadiorum haberent ambulationis circuitionem, quod δίαυλον Græcis: ex quibus tres ſimplices porticus diſponebantur, quartaque, quæ ad Meridianas regiones converſa, duplex erat; ut cùm tempeſtates eſſent ventoſæ, non poſſet aſpergo in interiorem pervenire partem. Conſtituebantur autem in tribus illis porticibus exedræ ſpatioſæ habentes ſedes, in quibus Philoſophi, Rhetores, reliquique ſtudiis delectati, ſedentes diſputare poſſent. In duplici verò porticu collocabantur: Ephebæum, Coryceum, Coniſterium, Frigida, Lavatio, Elæotheſium, Frigidarium, Propnigeum, Concamerata Sudatio, Laconicum, Calidaque lavatio. Extrà autem diſponebantur porticus tres, una ex *Periſtylio* euntibus, duæ dextra atque ſiniſtra ſtadiatæ, Græcè Ξυϛοὶ, proximè Hypæthræ ambulationes &c. Vide Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 6. *ubi de Palæſtrarum ædificatione & Xyſtis*, *è Vitru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vio, agit, ſimulque figuram earum in ære exhibet. Interioris itaque *Periſtylii* ambitus, quem Δίαυλον, ut dictum, ob duorum ſtadiorum menſuram, vocatum tradit Vitruvius *l. 5. c. 11.* illi curſûs Athletici ſpeciei, quam *Diaulum* vocabant, inſerviiſſe videtur: Erat verò Diaulus, quòd duplex unô curſu, ſed reflexô, ſtadium conficiebatur. Vide iterum Mercurialem *l. 2. c. 10.* & infrà, ubi de *Templis*, it. Lemmate, *Terrarius turdus.*

PERISTYLUM & Hippodromus, loca Alexandriæ, memorata Auctori *libri* Maccabæor. 3. *c. 5. v. 1. ſ.* ubi belluas (i. e. elephantos) egregiè inſtructas, ὁ ἐλεφαντάρχης Hermon nomine, ἐν τῷ μεγάλῳ Περιςύλῳ διακινῆσαι, *in magno* Periſtylo *excitâſſe*, i. e. exercuiſſe, legitur: unde in ſuburbanum Hippodromum deducti ſunt, ubi Judæi in vinculis horam ſupplicio ſuo deſtinatam expectaverunt. Et quidem Hippodromus notus; *Periſtylum* non item: Significat autem Græce Περίςυλον, *locum columnis cinctum.* Sic Ezech. *c. 40. v. 17.* & *c. 42. v. 3.* περίςυλον pars Templi, & 2. Maccab. *c. 4. v. 46.* pars Regiæ domus, in qua Rex frigus captabat: *Atrium* reddunt Interpretes. Apud Vitruvium *l. 6. c. 9.* in Græcis ædificiis θυρωρεῖον, ſeu *locum inter duas januas*, ſequitur *Periſtylum in tribus partibus habens porticus.* Sed quia domus vix eſt ulla pars, in qua exerceri poſſint tot elephanti, quot in *lib. Maccab.* memorantur, quingenti ſcil. hic *Periſtylum* non videtur eſſe pars domûs, ſed Alexandriæ urbis portio, vel platea, à columnis, quibus ambiebatur, ſic appellata. Cujuſmodi plateam in illa ipſa Urbe his verbis deſcribit Achilles Tatius *init. l. 5.* Στάθμη μὲν κιόνων ὄρθιος ἑκατέρωθεν ἐκ τῶν Ἡλίου πυλῶν ἐς τὰς Σελήνης πύλας. Οὗτοι γὰρ τῆς πόλεως οἱ πυλωροί, ἐν μέσῳ δὲ τῶν κιόνων τῆς πόλεως τὸ πεδίον, ὁδὸς δὲ διὰ τοῦ πεδίου πολλὴ καὶ ἔνδημος ἐπιδημία, *Recta quidem utrinque eſt columnarum ſeries, à portis Solis ad portas Lunæ. Hi enim* (Sol & Luna) *portarum urbis tutelam habent. Et in medio columnarum eſt urbis campus, per quem ampla eſt via & civilis quaſi peregrinatio.* Vult inter columnas illas tam latam fuiſſe plateam, ut pro campo haberi potuerit, in quo deambulatio fuerit peregrinationis ſpecies. Unde vero conſentaneum, amplum hoc intercolumnium, Græcè Περίςυλον dictum, illum ipſum locum fuiſſe, ubi Hermon elephantos ibi ad tempus agitatos, ad Hippodromum duxit; quem à Ptolemæo Lagi conditum refert Strabo *l. 17.* & Epiphan. *de Menſ. & Ponder.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 26.* adde Caſaubon. *ad Suet. Aug. c. 29.*

PERITA, canis nomen Alexandro M. chariſſimi, qui proin ei defuncto, non minùs ac Bucephalo equo, duxit exequias, & urbem illi cognominem condidit, Plut. *c. 107.* Eum ex Indico genere fuiſſe, leonibus congredi ſolitum centumque minis emptum, refert ex Theopompo Jul. Pollux *l. 5. c. 5.*

PERITHEORIUM, locus Epiſcopalis ſub ſede Conſtantinopolitana. *Curopalat.*

PERITHOEDA, vicus in tribu Oeneide. *Steph.*

PERJURIUM, quanto in horrore fuerit Athenienſibus, vel hinc videre eſt, quòd, ſicut virum bonum indigitare volentes, eum vocârunt εὔορκον, i. e. *juratæ fidei tenacem*, Heſiod. in ἔργ. *v. 188.*

Οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὔτε δικαίου.

Et Ariſtophanes *Pluto*,

——— Εἰ δὴ χαίρεις εὐόρκου τρόπον

Ita contrà, hominem ſceleratum, ἐπίορκον i. e. *perjurum*, appellarent. Unde idem Comicus *in Nubibus*, de fulmine Jovis loquens, quod malos potiùs, quàm alios, ferire creditum, ait: Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, *Si feriat perjuros*, quomodo ergo Cleonymus ac Theodorus tam feliciter evadunt? Quare miſera quercus toties ejus ictum ſentit, οὐ γὰρ δρῦς ἐπιορκεῖ, *Certè enim quercus non pejerat.* Ejus execratio, omnibus Juramentis, ſi non expreſsè, tacitè tamen ſemper ineſſe exiſtimata eſt. Unde Plutarchus *Quæſt. Rom.* ubi de Flamine Diali, πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας, *Jusjurandum omne in execrationem* Perjurii *terminatur:* adeoque, præter ejus pœnas forenſes ac expiationes, vindictæ cœleſtes pejerantibus imminere credebantur, ut debitæ, ſive earum invocatio inter jurandum aliqua fuiſſet adjecta, ſive non. Et quidem pœnas *Perjurii* quod attinet, etiam Deos per Stygem pejerantes pœnis ſubjecerunt Poëtarum figmenta. Unde Heſiodo in *Theogon. v. 792.* dicitur fluvius ille,

——— ——— μέγα πῆμα θεοῖσιν,
magnum damnum Diis.

Et Venus apud Appulejum *Metam. l. 6.* ad Pſychen, *Diis etiam ipſique Jovi formidabiles aquas iſtas Stygias* &c. Hinc iterum apud Heſiodum, *ibid. v. 795.* quiſquis Deorum per Stygem perjurus deprehenderetur,

Κεῖται νήυτμος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτὸν
Οὐδέ ποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον
Βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος κλ.
Jacet velut Spiritûs expers, per antrum integrum,
Nec ambroſiæ nec nectaris attingit
Cibum, ſed jacet ſine ſpiritu & mutus &c.

lectis ſcil. in illam pœnam, à Diis deſtinatis. Accedit ibidem etiam poſt annum illum Dei perjuri, è veterno ſuo experrecti, exilium ſive planè excommunicatio, *v. 801.*

Εἰνάετες δὲ Θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων
Οὐδέ ποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται οὐδ' ἐπὶ δαῖτας
Ἐννέα πάντ' ἔτεα· δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις
Εἴρας ἀθανάτων. ——— ———
Per novennium tunc relegatur à Diis immortalibus,
Nec interim conſilio adhibetur aut epulis,
Per totum illud novennium. Decimô autem admiſcetur iterum
Cœtibus immortalium.

ut nempe ſatis ſic purgatus. Vide quoque Servium *ad Æn. l. 6.* Homines quod ſpectat, ut alias Veter. jurandi formulas omittam, in adjurationibus Diſcipulorum Vettii Valentis Aſtrologi *Antholog. l. 4. MS.* apud Seldenum hæc clauſula adjicitur: Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία, μήτε γῆ βατή, μήτε θάλαττα πλωτή, μήτε τέκνων σπορά· τυφλὸς δὲ νοῦς καὶ πεπαιδευμένος ὑπάρχων ἀσχήμονα βίον καὶ ἀνεπίτευκτον ἀγαθῶν ἐπάγοι. Ἐὰν δέ τις καὶ μετὰ θάνατόν ἐστι κακῶν τε καὶ καλῶν ἀμοιβή, κἀκεῖ τῶν ὁμοίων μεταλάβοιεν. *Pejerantibus verò contraria; nec greſſus eorum terra patiatur, nec navigationem mare, prole careant. Cæcus ſit eis animus, &, etiamſi edocti fuerint, vitam ſordidam & bonis indigentem degant. Ac, ſi eſt poſt mortem bonorum malorumque compenſatio, etiam ibi ſimilium participes fiant*, &c. Pœnæ nempe cœlitus perjuris infligendæ expectabantur; quæ non omnino (juxta illud Ciceronis *de LL. l. 2. Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus*) aut rariſſimè eô nomine, ſeculis illis vetuſtioribus, ab hominibus leguntur irrogatæ. Eumenides, Erinnyes, Furiæ (ſic in Theologia Græcanica creditum) quintâ die cujuſlibet menſis Lunaris, *perjuros*, in pœnam quæritabant. Heſiodus, de Diebus infauſtis, *in Ἡμέρ. v. 800.*

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί·
Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τιννυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.
Quintas verò evitato (maximè in conjugiis) *quia difficiles graveſque,*
In Quinta enim ajunt Erinnyas circumambulare,
Ut Juramentum (violatum) *vindicent, quod Eris genuit exitium Perjuris.*

Addit *Joh. Tzetzes*, Heſiodum diſciplinam illam è Melampode, Poëta vetuſtiſſimo, ſumſiſſe, qui etiam ſcripſerit, *perjurii* die Quintâ commiſſi pœnam divinitùs infligendam, fuiſſe intra quinque dies mortem, ſed de die hac Quinta, infrâ ſuô locô. Quam ob cauſam Agamemnon, caſtè apud ſe habitam fuiſſe Briſeida, jurans, cum Tellure ac Sole, Furias teſtes innocentiæ vocat.

——— Ἐριννύες αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
Ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Quoque eo magis homines à crimine tam nefando abſterrerentur, Jovis Ὁρκίου ſtatuam omnium maximè terribilem fecêre, additis in baſi verſibus aliquot, quibus pœnæ in iſtiuſmodi ſceleratos exaggerarentur, vide Pauſan. *in Eliacis.* Graviſſimas verò utcunque pœnas *perjuris* debitas eſſe, & divinitus ab iis exigi ſolitas, receptiſſimum fuit. Unde evenit, ut Diagoras ille Atheos ideo primùm Deos eſſe negaret, Ἀδικηθεὶς ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος, καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος, *Cùm injuriam accepiſſet à quodam pejerante, quem tamen punitum non ſtatim animadvertit.* apud Romanos tamen olim ſaxô Tarpejô dejiciebantur; quod pœnæ genus poſtea tamen mutâſſe, oſtendit Cicero *d. l.* Poſtquam Cenſura eſſe deſiit, extra ordinem vindicari cœptum, docet Anton. Thyſius *in A. Gellium l. 7. c. 18.* Atque ita, quoties per Deos juratum eſſet. Si verò per Principem ejuſque Genium, Venerationem, Salutem, Caput, quis pejerâſſet, *periculum corporis aut Majeſtatis crimen inferri placuit.* Sic Alexander Sev. idque ex Deceſſorum conſtitutionibus, vide *L. 2. Cod. tit. de reb. cred. & Jurejur.* ac Cujacium *Obſervat. l. 2. c. 19.* Unde etiam non modò in Codicem Juſtinianæum, adeoque in Chriſtianiſmum, ſed & in Baſilica ſumtum eſt, *lib. 60. tit. 36.* & in JC. recentiores etiam Orientis. Pœna verò ſpontanei, neque ex calore, per Principis ſalutem &c. juramenti, erat fuſtigatio, quod *periculum corporis* dicebatur. Ulpianus *l. 22. ad Edit. ſi quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit: vel dari ſibi oportere: vel intra certum tempus juraverit ſe ſoluturum, nec ſolvit: Imperator noſter cum Patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere: & ita ei ſuperdici*, προπετῶς μὴ ὄμνυε. Intelligit autem Antoninum Caracallam cum Severo Patre. Verùm horum reſcriptum noluit obtinere Alexander Imp. Mammææ filius, qui ſic conſtituit, *l. 2. C. de rebus creditis: Jurisjurandi contemta religio ſatis Deum ultorem habet. Periculum autem corporis vel Majeſtatis crimen ſecundùm conſtituta Divorum Parentum meorum, etſi, per Principis venerationem, quôdam calore fuerit pejeratum, inferri non placet* &c. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l. 4. tit. 6.* Sed & inolevit tandem, ut hiſce adjectum, *Perjuriis* aliquot forenſibus infamiam irrogari, *l. 41. Cod. tit. de Tranſact.* uti & in Jure Orientis Cæſareo, Lex illa *Eclog.* Leonis & Conſtantini *tit. 28. §. 2.* & Harmenopul. *Prochir. l. 1. tit. 7.* de teſte ſeu litigatore, qui in foro ἐφαπτόμενος τῶν ἁγίων Θεοῦ Εὐαγγελίων καὶ ὀμνύμενος, ἐπίορκος δὲ μετὰ ταῦτα ἀποδεικνύμενος, γλωσσοκοπείσθω, *tactis SS. Dei Euangeliis juraverit, & dein perjurus eſſe probatus fuerit, lingua præciditor*, habet. Apud Athenienſes Deo ſimiliter puniendi relinquebantur *Perjuri.* Apud Mahummedanos, *pejerantes* legibus forenſibus, ex Lege Mahumedica, non occurrunt obnoxii. At verò præſcribitur in Alcorano *Perjurii* pœna, quoad Deum, expiatoria ſingularis, *ut ſcil. perjurus aut decem pauperes Muſulmannos bene paſcat, aut veſtiat eos, aut Muſulmannum captivum redimat, aut, ſi hac præſtando non ſit, per triduum jejunet;* quam, ut expiationem leviculam & ridiculam Mahumedanis exprobrat Cantacuzenus *Orat. 2.* κατὰ τοῦ Μωάμεθ, §. 7. Sed alibi in Alcorano, *Azaor.* 58. Arab. 68. Latin. multô gravior ejuſdem quoad Deum pœna habetur. Apud Hebræos, ſi, qui juraverat *per Deum vivum* Hebr. *Chi alla* (unde *Anchiali* nomen corruptum vult apud Martialem *l. 11. Epigr. 95. v. ult.* Scaliger) perjurus eſſet deprehenſus, eô nomine apud ſuos puniebatur: non item, ſi per Templum, Caput, Cœlum &c. pejerâſſet, licèt etiam in hiſce juramentis violatis pœnæ cœlitus infligendæ expectarentur. Forenſis autem eorum jurandi formula à Moſe Maimonide ſic deſcribitur: *Qui jurat, librum Legis prehendit brachiô ſuô, & ſtans jurat,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

jurat, per nomen Sanctiſſimum, aut Cognomen aut Juramentum aut Execrationem, ex ipſius ore aut ex Judicum ſeu Synedrorum. Sed & addiderunt quandoque feretrum, culleum ſeu utrem inflatum & candelas, quæ ſpiritu cullei emiſſô extinguerentur, non ſine execrationibus in *pejerantem* horrendis, ſive à Synedris ſive à Synedrii miniſtris proferendis, ut terrore ſic, ſi fieri poſſet, perjurium præveniretur. Unde &, ad infamiæ timorem augendum, adhibiti ſæpius, ut in excommunicatione graviſſima ac ſolenniori, buccinarum clangores: Inter Judicum item monita, à circumſtantibus clamari ſolitum eſt illud Moſis ad populum de cœtu Corah, Dathan & Abiram, *Recedite, quæſo, à tabernaculis iſtorum virorum impiorum & nolite tangere quidquam quod eorum eſt* &c. Numer. *c.* 16. *v.* 26. De Juramento ipſo, ſuprà dictum. Cùm autem hoc quadruplex eſſet apud ipſos, *Futile* ſeu *Temerarium*, *Vanum*, *Depoſiti* & *Teſtimonii*: Juramentum *futile* ove femelli aut turturibus, aut columbis, aut ſimilâ, aut caprâ, expiandum erat; idem *falſum* dicebatur, ſi pronuntiatum eſſet in eo aliquid, quod ita ſe non haberet. *Vani* pœna verbera erant. Qui porrò in Juramento *depoſiti* pejerâſſet, is ex ſententia Forenſi, præter rem ipſam, quintam ejus inſuper partem, reſtituebat, ex Levit. *c.* 6. *v.* 5. & ſacrificiô commiſſum expiabat. In Juramento *Teſtimonii* violato, ſacrificium itidem expiatorium adhibebatur. Neque hoc ſolùm, ſed Juramenti ſeu falſi ſeu futilis peccatum adeò grave æſtimârunt, ut præter pœnas memoratas, à Lege præſcriptas, excommunicari protinus voluerint, & jurantem, & ſi, qui id audierat, officio ſuo defuiſſet, etiam illum, Maimonides *tract. Schebnoth c.* 12. §. 9. &c. Sed nec ad juramentum eum, qui ſuſpectus erat, ſeu de quo meritò ſuſpicio orta eſſet, eum pejeraturum, admiſerunt; nec quidem, etiamſi efflagitaret Actor: Connumerabatur autem ſuſpectis, qui antè falsò juraſſet aliquod ex juramentis prædictis, neque talis priùs *ſuſpecti* exuebat nomen, quàm ex ſententia forenſi vapulâſſet & dein publicè pœnitentiam egiſſet. Quæ pœnitentia hoc modo ſe habebat: Adeundus *pejeranti* erat aut Sapiens, ſeu Presbyter; aut, ubi is deerat, tres aliquot ex vulgo, quorum, velut in Juriſdictionis voluntariæ actu, munus habebatur legitimum, cum pœnitentem & abſolutionem petentem abſolvendi. Tum adſtanti, qui abſolvi petebat, dicendum erat, *Juravi & me pœnitet; & conſcius ſum me hucuſque doluiſſe ob hanc rem, nec me voluiſſe jurare, ſi rem ſatis intellexiſſem.* Quibus dictis abſolvebatur &c. Vide fusè de his diſſerentem Joh. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræorum Part.* 2. *c.* 11. Sed nec defuêre media, quibus vel præcaveretur *Perjurium*, ne fieret: vel deprehenderetur, ſi fortè quis *pejerâſſet*. Quo in negotio celebris inprimis Palicorum fons fuit, à quo, qui fideliter jurâſſet, abiiſſe illæſum: qui falsâ jurâſſet conſcientiâ, mox vitam amiſiſſe, narrat Macrob. *Saturnal. l.* 5. *c.* 19. Paulò aliter Ariſtoteles *de admir. audit.* & Stephanus *in Ethnicis* quorum uterque ait, Juramentum ſolitum fuiſſe inſcribi tabellæ: quæ ſi innatâſſet, creditum, verè jurâſſe; falsò autem, ſi mergeretur, ac propterea hominem combuſtum. Diod. verò Siculus contentus eſt dicere, *Pejerantes* repentè ſolitos fuiſſe à Deo puniri, ac nonnullos templô exiiſſe oculis captos: Aliis aliter hac de re ſentientibus. Quæ de ſupplicio inconſtantia facit, ut exiſtimet Voſſius, eos, qui Palicorum fano (antiquitate & veneratione celebri) præeſſent, ad terrorem mentibus incutiendum humanis, ſuperſtitioſâ Siculos opinione impleviſſe, quaſi ea eſſet aquæ divinitas, ut coargueret *Perjuros*: Interim hoc boni conſequutos eſſe, ut, qui criminis ejus ſibi eſſent conſcii, jurare apud Menaida (ita enim & hîc fons, qui aliàs quoque *Palicenus fons*, *Crateres* aut *Stagna Palicorum* dicebatur, eratque in Sicilia juxta Leontinos ac Menas & Palicam civitatem) formidarent: quod etiam ex *Vibio Sequeſtro* cognoſcere eſt. Et fortaſſe juſtum interdum Numen, quod fidem conſervari vult in Gentibus, nec eas prorſus deſtituit, per Angelorum miniſterium, aliorum quidem teſtabatur innocentiam; de aliis autem qui furti crimen (nam id inprimis ibi arguebatur, teſtante Fanniô.

Quòd ſanant ægros, pandunt damnantque nefandô
Perjuros furtô, quos tactô flumine cæcant)

falſis accumularent juramentis, pœnas in omnium ſumebat conſpectu. Vide Gerh. J. Voſſium *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 71. & plura hanc in rem ſuprà, in voce *Jurandi ritus*, nec non aliquid, ubi de *Manus* abſciſſione, it. voce *Siſtrum*. His tamen omnibus inſuper habitis, apud Lacones, Lycurgi licèt legibus imbutos & à virtute aliàs laudatiſſimos, non eam fuiſſe Juramenti religionem, ut *pejerare* magnum crederent crimen, mirum omnino: Si verum eſt, quod de illis Poëta ait,

Οἷσιν οὔτε βωμοὶ, οὔτε πίστις οὔθ᾽ ὅρκος.

Quod confirmat dictum Lyſandri, inclyti ex hac gente Ducis: Ἐξαπατᾷν χρῆναι παῖδας μὲν ἀστραγάλοις, πολεμίους δὲ ὅρκοις, *Pueros quidem aſtragalis, juramentô autem hoſtes decipiendos eſſe.* Nec omittendum, Perjuros Athenis Ἀρδηττὲς vocatos eſſe, à loco Ἀρδηττὸς, in quo pro more Juramenta concipiebantur, *Heſych.* &c.

PERIZOMA, vide infrà *Subligaculum*.

PERKINSIUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

PERLA, vulgare vocabulum, Latin. *Margarita*, item *Unio*. Matth. Paris & Matth. Weſtmonaſter. A. C. 1255. *Et erat quidam lapis pretioſus, qui vulgariter dicitur Perla.* Jac. de Vitriaco *Hiſtor. Orient. l.* 3. *In auro & argento, perlis & pomis ambræ, filis aureis, phylacteriis* &c. Sæpius apud Odoricum de Foro Julio in *Peregrinat. ſua*, Alios. An ex *Perula*, quâ voce infimæ Latinitatis Scriptores margaritas inſigniiſſe, imò quam apud veterem Horatii Interpretem extare vult Iſ. Caſaub. *Perulas* autem Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* dictas cenſet, voce ex Latino deflexâ, quaſi *pilulas* ſeu parvas pilas: unde & *Pirula Iſidoro* rotunda illa naſi extremitas, pro *pilula* dicitur. Vel quaſi *ſphærulas*, i. e. parvas ſphæras, ut idem habet *ad Solin.* atque ita recentiores ſcripſiſſe, hincque *perulas* Gallis uniones vocari, ut Græcis σφαιρία. Bochart. verò *Perlas* mavult deducere à *perna*, pinnæ ſpecie, memoratâ Plin. *l.* 23. *c.* 11. quæ hians in arena defixa ſtare ſolita, velut ſuillo crure, unde illi nomen, margaritifera eſt. *Pandectarius, Perna quid eſt? Eſt lapis margarita.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter l.* 5. *c.* 6. & ſuprà in voce *Peninim*. Quod autem *Perlam* lapidem eſſe dictum, videtur contrariari JCto, qui margaritam eximit ex gemmarum & lapillorum cenſu, *cùm autem* 19. *ſect. Margaritas* & 18. *ſect. de aur. & arg. leg.* Et verò non eſt lapis in terra editus, quomodo gemmæ propriè dictæ; tamen nihil obſtat, quô minùs vocetur lapis in concha editus, quomodo multos alios certum eſt in animalibus naſci. Sic in galli jecinore naſcitur lapis alectorius, in ventriculis & hirundinis & lacerti, chelidonius & ſaurites; in oculis hyænæ & teſtudinis, hyænius & chelonius; in felle porci & hyſtricis, porcinus & Malacenſis; in cerebro draconis, dracontias; & cynædius & ſynodontites, in cerebris piſcium cognominum; lyncurius quoque, ut multi volunt, ex urina lyncis. Si qui igitur margaritam nucleum, callum, verrucam, oſſiculum appellant, ita appellant analogicè propter duritiem ſimilem. Alioquin enim nucleus pomorum aut nucum eſt proprius; callus & verruca in cute naſcuntur; margarita in mediæ conchæ carne: ita tamen, ut oſſis vices ſupplere non poſſit, cùm non ſe eôdem modô habeat in omnibus. In pleriſque ſcil. concharum omnino nulla, in aliis plures numerô procreantur. Ælianus in una concha memorat fuiſſe viginti, Americus centum & triginta. Proinde ex conſenſu Gentium, ſub genere lapidum, non nucleorum aut oſſium, continentur uniones. Ex Hebræis ſaltem Saadias & Aben Ezra definiunt *lapillos rotundos, qui ex aquis educuntur.* Kimchius, *lapidem candidum, rotundum, quem perforant, ut ex pluribus lapidibus conſertis fiat torques* &c. Quid quòd Chaldæi margaritas אבני i. e. *lapides*, ſimpliciter nominant. Hinc in *Targum* Proverb. *c.* 3. *v.* 15. & paſſim, *lapides bonos* legas, pro *Peninim* ſeu margaritis. Quomodo etiam loqui amant Græcorum antiquiſſimi. Theophr. *de Lapidib.* Τῶν σπουδαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος. Et apud Athenæum Androſthenes, Ἐν δὲ ἴδιον, ὃ καλοῦσιν ἐκεῖνοι βερβερί, ἐξ οὗ ἡ μαργαρῖτις λίθος. Unde voce compoſitâ λιθομάργαρον *margarita* recentioribus Græcis dicitur, ut legimus apud Anonymum *de amor. Calimachi & Chryſorroës.* Nec ab hoc loquendi genere abhorrent Romani Poëtæ, Horatius enim *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 80.

——— ——— *niveos virideſque lapillos*,

appellat uniones & ſmaragdos. Ovidius *de Arte l.* 3. *v.* 129.

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Silius Ital. *l.* 12. *v.* 231.

Lucet in aure lapis, rubris advectus ab Indis.

Sic apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 39. *v.* 4. *lapilli Erythræi*: apud Senec. *Hippol. niveus lapis Indici donum maris*, &c. Ex Hiſtoricis etiam ita Curtius *l.* 9. *c.* 1. ubi de filio Sophitis: *Pendebant ex auribus inſignes candore & magnitudine lapilli*; ut alios omittam. De *Perlarum* pretio dictum ſuprà affatim, in voce *Peninim*: unde meritò quis miretur, margaritam inter lapides fuiſſe, Aſſueri pavimento deſtinatos, Eſther. *c.* 1. *v.* 6. Sed cui minùs id probetur, cogitet quantus fuerit Perſarum luxus, quàm profuſæ divitiæ. Cogitet Suſarum hic deſcribi Regiam, quam admirabilem fuiſſe tradunt Ariſtoteles *l. de Mundo* & ex illo Appulejus: ut taceam Ecbatanarum Regiam, Polybio *l.* 5. deſcriptam, & Atoſſæ (quam quidam Eſtheram fuiſſe volunt) χρυσεοστόλους δόμους Æſchylo *Perſ.* memoratos. Quò facit, quòd Androſthenes ſcribit, margaritarum annonam apud Perſas non fuiſſe cariorem, quàm auri. Neque verò deſunt in Hiſtoriis ſimilis luxus exempla. Ut ab Indis incipiamus, in Romanos deſituri: in *Apollonio* Philoſtrati *l.* 2. *c.* 11. deſcribitur Templum Solis in India, in quo τὸ ἔδος αὐτὸ μαργαρίτιδος συγκεῖται ξυμβολικὸν τρόπον ᾧ βάρβαροι πάντες ἐς τὰ ἱερὰ χρῶνται, *Symbolicâ ratione, quâ (ibi) in Templis utuntur omnes Barbari, pavimentum ipſum margaritis ſtratum eſt.* Beli regia Babylone, aurô ſtrata & obducta eſt, Feſtus Avienus *in deſcr. Orbis.* Apud Sabæos & Gerrhæos etiam in privatis ædibus, *fores & parietes & tecta ex ebore, auro, argento gemmiſque intextis & agglutinatis erant diſtincta*, Strab. *l.* 16. In Arabia, ſmaragdum ædificiorum ornamentis includi, Juba auctor eſt, apud Plin. *l.* 37. *c.* 5. ut alios omittam. Romæ Pompejus *Muſæum* habuit ex *margaritis*, Plin. *l.* 37. *c.* 2. Nero, *cubicula viatoria unionibus ſtravit*, teſte eôdem *l.* 37. *c.* 2. In ſacris ædibus, à Baſilio Macedone extructis, columnæ, parietes, gradus, ipſaque etiam pavimenta, aurô, argentô, gemmis & margaritis, fuerunt diſtincta & exornata. Quod in ejus *Vita*, ab Allatio edita, non ſemel tradit ſucceſſorum unus, Conſtantinus Porphyrogennitus. Sic enim *p.* 143. Templum ornatum deſcribit, μαργάρεις τε καὶ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καὶ λίθοις τιμίοις καὶ μαργάροις καταπεποίκιλται καὶ κατεπεπλούτισται, *Adyta templi, aurô & argentô & lapidibus pretioſis & margaritis variata & ditata ſunt.* Ibidem, cancelli, qui altaria ſecludunt ab iis, quæ extra ſunt & quæ surſum ſunt ſuperliminaria &c. & interiora ſedilia, & gradus qui ante illa ſunt, & ſacræ menſæ, ἐξ ἀργύρου πάντα περικεχυμένον ἔχοντα τὸν χρυσὸν καὶ λίθους τιμίους ἐκ μαργαριτῶν ἀμφιεσμένους πολυτελῶν τὴν σύμπηξιν καὶ σύστασιν ἔχουσι. *Omnia ex argento, cui ſuperfuſum aurum, & gemmæ margaritis pretioſiſſimis diſtinctâ, compactionem & conſtructionem habent.* Et *p.* 40. Τὸ μὲν γὰρ ἔδαφος ἅπαν ἐξ ἀργύρου σφυρηλάτου ... κατεσκεύασται, οἱ δὲ ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων τοῖχοι ἄργυρον ἄφθονον καὶ αὐτοὶ ἐπικείμενον ἔχουσι διηνθισμένοι χρυσῷ, τιμίοις τε πεποικιλμένοι λίθοις καὶ μαργάρων λαμπρότητι, *Nam pavimentum omne ex argento malleo ducto----confectum eſt. Dextraque & lævâ parietes multô argentô obducti ſunt, aurô, lapidibus pretioſis & margaritarum ſplendore diſtincti.* Qui tamen Baſilius præ Aſſuero Regulus fuit, &c. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 8. Plura, hic paſſim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PERMESSUS, fluv. Bœotiæ, ex Helicone monte profluens, & in lacum Copaidem apud Haliartim oppid. influens, *Permeſo* adhuc appellatus. Strabo *l.* 8. Pauſan. *in Bœot.* Virg. *Ecl.* 6. *v.* 64.

Tum canit errantem Permeſſi ad flumina Gallum,
Aonas in montes ut duxerit una ſororum;
Utque viro Phœbi Chorus aſſurrexerit omnis.

Ubi *Permeſſi flumina* pro ipſo Permeſſo, phraſi poëticâ, quâ Græci quoque delectati; nam & de hoc ipſo flumine Nicander *in Theriacis:*

——— Παρ' ὕδασι Περμησσοῖο.

Propert. *l.* 2. *El.* 10. *v. ult.*

Nondum etiam Aſcræos nôrunt mea carmina fontes.
Sed modò Permeſſi flumine lavit Amor.

Martialis *Permeſſida* vocat, *l.* 1. *Epigr.* 77. *v.* 11.

Quid tibi cum Cyrrhâ? quid cum Permeſſidos undâ?

Idem *l.* 8. *Epigr.* 70. *v.* 3.

Cùm ſiccare ſacrum largô Permeſſida poſſet
Ore, verecundam maluit eſſe ſitim.

Hic fluvius & Holmius, quia ex Helicone fluunt, ſunt Muſis ſacri, de quibus Heſiod. *in Theogonia*, *v.* 5.

Καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο
Ἢ Ἵππου κρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο.

Nic. Lloydius.

PERMI, populi olim Sarmatiæ Europææ nunc Muſcoviæ, quorum tractus hodie Permia, *Permky*, inter fluv. Duinam ad Occaſum & Obyum ad Ortum in mediterraneis, inter Condoram provinc. & Czeremiſſos populos ſub Moſcoviæ duce. Primaria ejus Urbs ad Kamam fluv. eſt *Permia magna*, verſus Siberiam & Czeremiſſos, Moſcis *Permauveliki.*

PERMUTATIO, antiquiſſimum commercii genus, poſt introducta rerum dominia, maturè inter homines receptum. Virgilius *Ecl.* 4. *v.* 39.

Mutabit merces ———

Ubi Servius, *quia*, inquit, *antiqui res rebus mutabant.* Et *l.* 3. *Georg. v.* 307.

Vellera mutentur ———

Ubi idem, *ingenti*, ait, *pretiô comparentur. Nam apud Majores omne mercimonium in* permutatione *conſtabat, quod & Cajus Homeritô confirmavit exemplô.* Vide Homeri verſus productos, *l.* 1. *ff. de contrah. emptione.* Quorſum etiam Plin. reſpicit, *l.* 33. *c.* 1. *Quantum*, inquiens, *feliciori ævô cum res ipſæ permutabantur inter ſe, ſicut & Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit.* Hinc idem de Seribus, *Ulteriore ipſâ merces propoſitas juxta venalia tolli ab his, ſi placeat permutatio*, *l.* 2. *c.* 22. Mela de iiſdem, *l.* 3. *c.* 7. *Seres interſunt, genus plenum juſtitiæ, ex commercio, quod rebus in ſolitudine relictis abſens peragit.* Et Ammian. *Cum ad coëmenda fila, vel quædam alia, fluvium tranſierunt advenæ, nulla ſermonum vice, propoſitarum rerum pretia ſolis oculis æſtimantur*, *l.* 23. De Sarmatis rurſus Mela, *Vice rerum commercia exercent.* De Germanis Tacitus, *German. c.* 5. *Interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium utuntur.* De Colchis vide Busbequium *Ep. Exotic.* 3. de Lapponibus Olaum Magn. *l.* 4. *c.* 5. de hodiernis quibuſdam Indiæ populis, *Itinerariorum* Scriptores. Quia verò ſæpiſſime contingeret, ut res diſparis naturæ aut uſus, eſſent transferendæ, ne alteruter ejuſmodi *permutatione* læderetur, *neceſſum erat conventione hominum rebus aſſignari aliquam quantitatem, juxta quam res invicem comparari exæquarique poſſent —— ea nomine Pretii venire ſolet*, Puſendorfius *de Officio Hominis c.* 14. §. 1. Vide quoque infrà voce *Pretium*: uti de more ad Permutationem facultatum alterum provocandi, apud Athenienſes, voce *Trierarchus.*

PERNA, conchæ marinæ genus, circa Ponticas Inſulas frequens. Plin. *l.* 32. *c. ult. appellantur & pernæ concharum generis, circa Ponticas Inſulas frequentiſſimæ: ſtant velut ſuillô crure longô in arena defixæ hianteſque. Chron.* Caſinenſe *l.* 3. *c. ult. Coppetella de pernis* 3. Vulgò Gallis *nacre de perles.* Ita verò Latinis dictæ conchæ marinæ, è quibus colliguntur margaritæ ſeu uniones; quos inde *perlas* vocamus, quas *pernulas*, ex Bocharto ſuprà laudato Car. du Freſne: apud quem *Charta* Johannis Archiepiſcopi Capuani A.C. 1301. in Sanctuario Capuano, vox *pernam* pro *perla* habet, *Mitram unam cum ſmalto, auro & argento lapidibus & pernis ornatam.* Unde *impernare* infrà: *Item parvum chirothecarium de ſeta alba cum multis impernatis* &c. Vide ſuprà in vocibus *Peninim*, item *Perla.*

PERNAMBUCI Præfectura, provinc. Braſiliæ, inter Præfecturas Tamaricæ ad Boream, & Seregippæ ad Auſtrum anteà ſub Hollandis, nunc Luſitanis. Extenditur verſus oram per 90. milliar. ſuntque in ea 11. urbes ſeu oppida. Primaria Urbs eſt Pernambucum, in ora maris Borealis. Vide *Olinda.*

PERNAVIA, urbs munita Eſtoniæ, cum portu ad oſtium fluvii cognominis 55. mill. paſſ. à Revalia in meridiem, Rigam verſus 90. circiter, in ora ſinus Rigenſis. Urbs eſt Hanzeatica, cum arce capaci ſub Suecis ab A. C. 1617.

PERNCIACUM, ſeu PERTICIACUM, ſeu PERVIACUM, in *tabulis Peuting. Pernacum*, locus Brabantiæ eſt, *Perweis Simlero.*

PERNE, urbs Thraciæ. *Steph.*

PERNOCTANTES, in templis, rerum futurarum eventum olim ſciſcitabantur, qua de re diximus ſuprà in voce *Melota*, item *Mopſus*: uti de *pernoctibus* Veter. *Lucernis*, in hac voce.

PERO, Nelei filia ex Chloride filiâ Amphionis, ſoror Neſtoris & Periclymeni, eximiâ pulchritudine, quam cùm multi certatim proci uxorem ſibi depoſcerent, Neleus, qui id temporis irreconciliabili odiô ab Hercule diffidebat, negavit ſe cuipiam illam deſponſurum, niſi prius boves Herculis abactos ad ſe adduxiſſet. Quod cùm Bias Amythaonis, & Aglaiæ fil. à fratre Melampode adjutus præſtitiſſet, uxorem eam accepit. Homer. *l.* 12. *Od.*

PERO, à *pera* dictus eſt, quòd peras laxitate *Perones* imitarentur, Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 70. Unde D. Hieronym. apud Hebræos eandem vocem & *Peronem*, & ſacculum ſonare docet, in Gen. *c.* 44. Et ſanè ruſtici ac agricolæ, quibus illi familiares fuêre, ut Servius *in Æn. l.* 7. & Budæus *Annotat. in Pandect.* docent, amplioribus ac laxioribus pedum crurumque integumentis gaudere ſolent. Quæ cauſa, quòd *Peronatum* vocat aratorem Perſius, *Sat.* 5. *v.* 102.

Navim ſi poſcat ſibi peronatus *arator.*

Sic igitur laxa erat illa *Peronum* amplitudo, ut ad mediam ſaltem tibiam ampliter procurrerent; quò ſcil. minùs limô ac lutô aratorum pedes inferioraque tibiarum aſpergerentur, ubi illac gradiendum erat. Ob quam rem altum *Peronem* dixit Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 186.

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet altô
Per glaciem Perone *tegi.*

Sed neque ruſtici ſolùm hôc calceamenti genere uſi ſunt. Nam & Hernici Italiæ populi eoſdem in bellis uſurpâſſe leguntur, apud Virgilium *Æn. l.* 7. *v.* 689.

——— ——— *Veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituêre pedis; crudus tegit altera Pero.

Ubi dextrô ſolùm illos pede *peronatos* fuiſſe docet Poëta, ad imitationem fortè Ætolorum μονοκρηπίδων. Ab his dein ad alios mos traductus: Præfecto Vigilum *Peronum* uſus tribui videtur, apud Paulum JC. *l.* 3. §. 3. *ff. de offic. Prof. Vig.* Plebejos ſimiliter *peronatos* omnes fuiſſe Romæ, ex M. Catonis *fragmento* patet, apud *Feſtum: Qui Magiſtratum Curulem cepiſſet, calceos mulleos, alii uncinatos, cæteri Romani perones* &c. Ubi tres calceamentorum ſpecies aptè diſtinguens, mulleos Patriciis: uncinatos minùs illuſtribus: & *Perones* reliquis Romanis, nempe plebejis, attribuit. Interim peregrinum magis, quàm civile, calceamenti hoc genus Romanis fuit. Nam ut ſileam, quod habet vetus Juvenalis interpres, qui ad hæc, *Sat.* 1. *v.* 111.

Nuper in hanc Urbem pedibus qui venerat albis,

ita ſcribit; *Vel pedules novos in braccis, quos* Perones *dicunt, habens, ut peregrinus.* Id oſtendit Saliſberienſis *in Euthet.* ubi de ſchemate peregrino ſic habet.

Trita tegant frontem pilea, Pero *pedem.*

Favet etiam Phil. Cluverius *German. antiq. l.* 1. ubi & Germanos veteres iſtoc calceamenti genus adhibuiſſe docet, ſimulque iconem *Peronum* in ære exhibet. Sic Gothorum Senatoribus quoque Sidon. Apollinaris eoſdem tribuit, *Carm.* 7. *v.* 455. *& ſeqq.*

——— ——— *Nec tangere poſſunt*
Altatæ ſuram pelles, & poplite nudô
Peronem pauper nodo ſuſpendit equino.

Ubi tamen obſervandum, quòd, cùm Romani ſive calceis, ſive *Peronibus* tibiatim eſſent calceati, Gothi gentilitiô more, nudis cruribus & ſuris, nudôque poplite inceſſerint. Imò & de Medis Parthiſque, quos Romæ vidit, Tertullian. idem teſtatur, *de hab. mul. c.* 7. *In Peronibus*, inquiens, *uniones de luto emergere cupiunt*, &c. Facti erant *Perones* ut plurimum ex crudo corio, ſine ulla arte, unde *puri Calcei* quibuſdam dicti videntur. Vide Salmuthum *in Pancirollum l. rer. deperdit. c. de Fibula.* Imò & ex ſetoſo interdum corio conſtabant. Sic enim Sidonius Apollinaris *l.* 4. *Ep.* 20. *Quorum pedes perone ſetoſô talos adusque vinciebantur.* Quid ergo ſibi vult Tertullian. *l. de Pallio c.* 5. cùm ait: *Magnum inceſſui munimentum ſutrinæ Venereæ proſpexêre, perones effœminatos?* Nonne fœmininum genus, domeſticis rebus, in umbra occupatum, ſoleæ potiùs ſeu crepidæ, quàm craſſi iſtiuſmodi *Perones* decent? Sed, ut curioſum hoc genus eſt & omnia experiri avidum, facilè impulſas hôc geniô credam, ut *Peronibus* etiam uterentur; ſed eorum priùs aſperitate in molliorem elegantiam ſic immutatâ, ut exculti, affabrè conſuti, ornati etiam gemmis, aurôque prætexti & ſuppacti eſſent. Quod idem in crepidis Philoſophorum, & hodie apud nobiliores in Italia fœminas in larvis factitari videmus. Cùm igitur in *Peronibus* illis, non ſecus ac in crepidis, fœminarum luxuriaretur ambitio, ideo merito eos *effœminatorum* epithetô Tertullianus inſignit &c. Vide B. Balduinum *de Calceo c.* 17. De *Peronibus Scoticis*, ſic Hector Boëthius *Hiſtor. Scotor. l.* 14. *p.* 308. *Poſteà* peronum *decem millia paſſim per exercitum projectorum* (inventa) *Calceamenti autem id genus eſt hirſutum, ex corio crudo confectum, quô Scoti, veteri Romanorum more, in expeditionibus atque venatibus, quòd ad curſum celeriorem nihil præſtaret impedimenti, uti conſuevêre.*

PEROE, fons in Bœotia, Pauſan. *l.* 9.

PEROGIA, vulgò PEROUGE, caſtrum Galliæ, memoratum in *literis* Guidonis Comitis Forenſis, datis A.C. 1173. ubi recenſet *Ulfejum Mandamentum S. Symphoriani, caſtrum Perogiam, Antonem & duo caſtella S. Anemundi:* Eſt in pago Forenſi ſuperiore, ab Antone ad Rhodanum 2. leucis diſtans. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Ulfejum.*

PEROKIUS, Renaldus, vide *ibi.*

PERONA, urbs munita Picardiæ, ad Somonam fluv. & intra paludes 8. leuc. ab Ambiano in Ortum, 5. à Cameraco in Meridiem, uti 7. ab Atrebato; fruſtra pluries ab Hiſpanis tentata.

PERONTICUM, Thraciæ urbs. *Ptol. Verdiſo Mercatori.*

PERORSI, populi Æthiopum in fine Mauritaniæ, qui quadrupedum ferarum modô vagi ſunt, & earum viſceribus veſcuntur. Plin. *l.* 6. *c.* 30. *Petorſi Steph.*

PEROZES, Perſarum Rex, Iidegerdi II. ſucceſſit, A.C. 457. Bellô Hunnis Euthalitis, ſeu albis illatô, imprudentiùs copiis intra rupes implicatis, ſub ictu victoris fuit. Qui ipſum liberum dimittere pollicitus eſt hâc lege, ut ſe adoraret, & in poſterum à bello abſtineret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

neret. Perozes, Magorum conſiliô, hoſte rogatô, ut verſùs Orientem ſolem conſiſteret, adoravit non illum, ſed oriens aſtrum. Dimiſſus in regnum rediit: ſed fidei datæ immemor, cum paulò pòſt majoribus copiis Hunnos aggredi in animo haberet, in inſidias pertractus, periit cum exercitu: an. regni 20. Fœderatus erat *Zenonis*. Vide Procop. *l.* 5. *de bello Perſ.* Agathiam. &c. Succeſſit Obalas.

PERP. in nummis Conſtantini M. *Pecunia Romæ percuſſa* eſt, Car. du Freſne *de inf. ævi Numiſm.*

PERPENDICULUM, fabrile inſtrumentum, inter Dædali inventa memoratur Plinio, *l.* 7. *c.* 56. Hinc ad *Perpendiculum* cultellare, apud Vitruvium *l.* 10. *c.* 10. ubi de Hydromylis, *Id autem ad perpendiculum collocatum in cultrum verſatur cum rota pariter. Secundum id tympanum majus, item dentatum, planum eſt collocatum, quô continetur axis*; & apud Frontinum, *ager eminentior ad perpendiculum cultellandus*: eſt rem aliquam ad perpendiculum rectam conſtituere, item planitiem ad perpendiculum libellæ exigere & exæquare. Sic eidem Frontino & *rigor ad perpendiculum æqualiter cultellatur*, cujus longitudo & rectura ad perpendiculum libratur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 691. & ſuprà in voce *Cultellare*. Apud eoſdem Agrimenſores *Perpenſum* Ferramentum dicitur, quod ad perpendiculum ac libram poſitum eſt. Frontinus, *Poſitô deinde ac perpenſô ferramentô*. At *Perpenſus rigor*, qui ad perpendiculum funiculô extentô cultellatur. Auctor incertus *de Fluminis varatione, Perpenſum deinde figes ferramentum, & perpensô comprehensô rigore, ad umbilicum ſoli emiſſum perpendiculum cùm ſuper ſignum ceciderit, percutis gromam, donec comprehenderis ſignum, quod poſuerat trans flumen*. Vide eundem *ibid. p.* 690. infrà quoque aliquid voce *Pertica*.

PERPENNA Hoſtilius Licinianus, Imperator, Decii tempore, ſalutatus: paulò pòſt peſte obiit. Marcus *Perpenna*, Conſul Romanus, Ariſtonicô fil. nothô Eumenis victô; qui Attali regnum teſtamentô legatum Populo Rom. occupaverat, Pergami fatô functus eſt. Liv. *l.* 59. Vell. Paterc. *l.* 2. *c.* 30. Strabo *l.* 13. *&c.*

PERPENNA, vir Romanus, bellô Sertorianô à Pompejo in Hiſpan. victus. Hic cùm partes Marianas ſectaretur, Qu. Sertorium, quocum prius magnâ amicitiâ dimicaverat, inter epulas nihil ſibi timentem interfecit, ut ſolus imperiô in Hiſpania poti-retur. Plut. *in Sertorio*.

PERPENNA Nepos, vide *Marcus*.

PERPERENE, vicus Phrygiæ, in quo Deæ à Paride judicatæ fuerunt. *Strab.* Vide infrà.

PERPERESIA, vicus Aſiæ non procul ab eo loco, quô Deas à Paride judicatas eſſe dicunt. *Perperene* apud *Ferrarium* ex *Strab.*

PERPERUM, vide ſuprà *Hyperpyrum*.

PERPETUENT te Dii, acclamatum, inter alia, Alexandro Severo, apud Æl. Lamprid. *c.* 6. *Auguſte innocens, Dii te ſervent. Dii te nobis dederunt, Dii conſervent, Dii te perpetuent*, &c. Vide ſuprà in voce *Acclamatio* & infrà *Polychronion*. Hinc *Perpetuus Auguſtus*, inter titulos Imperatorum Byzantinorum, circa Leonis M. tempora vel haud multo antè, uti vult Car. du Freſne, primùm obſervatus; quo pro titulo, PIUS FELIX AUGUSTUS, qui per *PF.* ſolebat efferri, PERPETUUS AUGUSTUS, poni cœpit: qui interdum & quidem crebriùs per duplex *PP.* ſcribitur, in ejuſdem Leonis numis aureis hanc Inſcr. præferentibus DN. LEO. PERP. AUG. ut & in Zenonis, Baſiliſci & Phocæ: quæ in Anaſtaſii, Juſtini, Juſtiniani, Tiberii, Heraclii & aliquot aliorum, per duplex *PP.* contrahitur. Enimverò PERPETUITATIS titulus, eidem in *Inſcriptionibus* & numiſmatibus paulo recentioris eſt ævi. In *Inſcr.* ad Urbinum, Conſtantius & Maximinianus PERPETUI CÆSARES; in alia, Romæ, ad arcum Septimii Severi, Valentinianus PERPETUUS AC FELIX SEMPER AUGUSTUS; in alia, circa Brixiam, idem Valentinianus. Valens & Gratianus, PERPETUI PII FELICES SEMPER AUGUSTI dicuntur. Vide Gruterum *Inſcr.* 161. 3. 285. 8. & 1086. 8. Sic apud Marium Mercatorem, *Commonitorium* ejus dicitur oblatum, *piiſſimo Principi Theodoſio ſemper Auguſto*. Atque ita quidem Car. du Freſne *Diſſertat. de Nummis, num.* 37. At numiſma extat Alexandri Sev. quô Jupiter porrigit Imperatori, duobus militibus ſtipatô, globum terræ, cum inſcr. PERPETUITAS AUGUSTI, ut docet Jac. Sponius *Itinerarii Part.* 3. *p.* 204. Vide ſuprà. Sed & Darius, cum Alexandro ad Iſſum conflicturus, ſuos veteris gloriæ Perſarum, Imperiique *perpetuæ*, à Diis immortalibus datæ *poſſeſſionis* admonuiſſe legitur apud Juſtin. *l.* 11. *c.* 9. nec ignotæ *Inſcr.* antiquæ, Romam *Urbem æternam* jactantes. Vide quoque Pſalm. 89. *v.* 36. 37. 38. Dan. *c.* 2. *v.* 44. &c.

PERPETUI Motus ſpecimen, exhibetur ab Athanaſio Kirchero, in Hydraulica machina, ſeu clepſydra, quæ, ubi effluxit inverſa, iterum fluit obverſa, cœlum aquarum aſpergine irrorans, uti docet in *deſcript. Muſæi Kircheriani* Georg. de Sepibus *p.* 3. Idem aliô quoque Inſtrumentô utcunque eum adumbrat. In eo namque motu rarefactionis & condenſationis, ex metu vacui ſublata aut depreſſa aqua, quæ in exteriore canali detinetur, cum deſuper levigato corpore innatante, per annexam chordam, quæ circa cylindrum convoluta, ſuberis leviſſimi innatantis ſuctam per aquam pondere in exteriore circulo per axim indice inſtrudam vel horas vel humidum & ſiccum demonſtrat. Sic ex quibuſdam puteis, qui ad diverſa anni tempora aquâ plus minuſve replentur, fieri poteſt Thermometrum, quod continuô motu quatuor anni tempora diſtinguat; quinimò ad certa diſtincta ſpatia ſonô campanulæ graduum aut anni mutatum tempus ſonorô ſtrepitu accidiſſe commoneat; ſicque in ſphæra vitrea caloris & frigoris gradus diſtinguuntur. Vide Georg. de Sepibus *in Muſeo Kircheriano p.* 53. & ſuprà *Mobile perpetuum*.

PERPETUUS, Conſul cum Corneliano, an. Urb. Cond. 989.

PERPETUUS Carcer, quid pœnæ, & quibus irrogari ſoleat, in Communione Romana diximus voce *Immuratio*. Ei nonnunquam & aliæ pœnitentiæ adjunguntur: aliquando, ut cum veſte cruce ſignata ſtent in porta alicujus templi, tali & tantô tempore juxta decretum *Concilii Biterr. c.* 26. Aliquando, antequam in carcerem detrudantur, publico ſpectaculo exponuntur; induti nimir. veſte cum crucibus, impoſitique ſcalæ, aliquot diebus Dominicis & feſtis, vel etiam traducti in pompa Actionis fidei, ut vocant. Quod ſi è carcere effugiant, aut alias ſibi pœnitentias impoſitas non adimpleant; tanquam *impœnitentes* condemnantur, & ſi denuo in manus Inquiſitorum incidant, niſi ſuppliciter veniam oraverint, ut tales, traduntur brachio ſeculari. Hodie verò, quia antiquæ immurationis jam vix ullus ampliùs uſus ſupereſt, etiam ad triremes damnantur (vel in Monaſterium detruduntur) dummodo debiles aut ſenes non ſint, idque non minùs quàm ad triennium. At qui contumaciter perſiſtunt, & tandem fortaſſe plus metu mortis, quàm amore veritatis, ab erroribus ſuis reſiliunt, ſeu reſilire ſe fingunt & abjurant, ordinariè condemnantur *ad perpetuum carcerem ſtricti muri*, cum vinculis & catenis ferreis, ubi panis doloris in cibum & aqua tribulationis in potum ſolummodo ipſis miniſtretur; juxta decretum *Concilii præfati c.* 23. Vide Franc. Pegnam *Praxi Inquiſitorum*, ut & Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſitionis l.* 4. *c.* 32. nec non hîc paſſim, ubi de *Pœnitentibus*, & *Pœnis iis in dicta Communione imponi ſolitis*. it. ubi *de Redemptione illarum*.

PERPINIANUM, urbs Galliæ Narbonenſ. ab Hiſpania A. C. 1642. revulſa, ſubeſt Galliis. *Papirianum* quibuſd. Vide ibi. Hîc Antipapa Petrus de Luna, dictus Benedictus 12. concilium celebravit, A. C. 1408. Cum arce fortiſſima, ad fluv. *Tet.* 3. leuc. à mari. Sedes Epiſcopalis Elnenſis. Guiled Niem, *l.* 3. *de Schiſm. c.* 37. Surita, *Ind. l.* 3. crevit ex ruinis Ruſcinonis veter. Melius *Perpiniacum*, Guilielmo Nangiacenſi *Perpegniacum*; in *Chron.* Simonis Comitis Montfortii *Parpinianum*; Rorico *Perperaum*, ita enim ait: *Chlodovaeum Pyrenæos montes uſque Perperaum ſubjeciſſe, caſô Alaricô*; Hiſpanis *Perpinnan*, aut *Parpinna*; malè quibuſdam tanquam à Perpenna *Perpennianum* vocatur. Huc ſedes Epiſcopatus tranſlata Elenâ, civitate provinciæ Narbonenſis primæ vel Septimaniæ, in eodem Comitatu Ruſcinonenſi, caputque nunc eſt Comitatus pagique Ruſcinonenſis, A. C. 1068. extructum, à quo tempore pagus is, nunc *Comitatus Ruſcinonenſis*, nunc *Comitatus Parpeniacenſis*, vocitatur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in vocibus *Elena* & *Ruſcino*.

PERPINIANUS Petrus Johannes, è Valentiæ regno, Jeſuita, facundiæ laude illuſtris, primum profectuum ſpecimen Conimbricæ dedit, inde in Italiam transgreſſus M. Anton. Mureti & Aldi Manucii amorem ac admirationem meruit, *Neſtoris Homerici* elogiô ab hoc honoratus. Obiit Pariſiis, A. C. 1567. ætat. vix 40. Opera ejus enarrat accuratè *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part. I.* Vide & Manutium *Epiſt. ad Zerbin.* Ritium *Var. Lect. l.* 15. *c.* 1. &c.

PERPUNCTUM, in *Hiſtor. MS.* Excidii Acconis A. C. 1191. alibique, veſtis eſt militaris coactilis & πιλωτὴ, ut Græci ajunt, lanâ vel goſſypiô farta & acu ſtipata ac *perpuncta*, unde nomen non modò ejuſmodi veſti inditum, ſed & thoraci veſtiario, quô Galli utuntur, quòd ad umbilicum lanâ ſpiſſiori *perpunctâ* & coactili factus ſit: *Pourpoint* namque vocant. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PERRANTHES, mons vel tumulus Epiri, Ambraciæ urbi imminens. Liv. *l.* 38. *c.* 4. nunc *monte di Larta*.

PERRE, ſeu PERRI, urbs erat Syriæ, inter Taurum & Samoſata, à qua 24. mill. paſſ. in Occidentem aberat. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hieropolitano. *Tyrius*.

PERRHÆBE, vicus Theſſaliæ, *Steph.* populi *Perræbi*; qui Lapitharum potentiâ fracti, fugerunt in Ætoliæ montana Pindo monti proxima, quæ regio ab ipſis *Perrhabia* dicta eſt, & Pindus *Perrhabus*. Propert. *l.* 3. *El.* 4. *v.* 33.

Aut cur Perrhabi tremuêre cacumina Pindi.

PERRHÆSIA, urbs Thuſciæ, una ex duodecim, quæ principales vocantur. *Steph.* Fortè. *Peruſia*.

PERRHIDÆ, vicus in Antiochia Thrib. *Steph.*

PERRINUS Johannes, vide *Johannes*.

PERRONA Viromanduorum, Primus ejus loci meminit Fortunatus Presbyter, ante annos circiter 1070. *in vita S. Rhadegundis*, quam manuſcriptam legi: in qua *Perunna villa* appellatur, i. e. vicus *Peronna*. Ajunt Furſeum, natione Scotum, cùm ex inſula Hibernia veniſſet in Gallias, ab Erchinoaldo illuſtri Patricio & Principe (ſic Majorem domûs vocant) honorificè exceptum, quôdam locô nomine Latiniacô donatum, ut ibi Cœnobium ædificaret, quemadmodum fecit, ac *in vico Veromanduorum Perrona* ab eodem ſepultum eſſe, in Baſilica SS. Apoſtolorum, quam ibi conſtruxerat: cujus corpus pòſt annos 4. incorruptum in cultiorem Baſilicam, à ſe & à Leutſinde conjuge ſua conditam, honorificè ob crebras miraſque virtutes Erchinoaldus tranſtulerit. Ita vetus auctor *l. de Vita S. Furſei* refert. Beda *in l.* 3. *Hiſtoria Anglicana*, *c.* 19. ſcribit, Erchinoaldum Majorem domûs Regiæ, quem *Erconvaldum Patricium* vocat, corpus B. Furſei *in villa ſua Perrona*, in Baſilica, quam exſtruendam curaverat, ſepeliri juſſiſſe. Ultanus Furſei & Foillani frater, in vico Veromanduorum *Perronâ*, ad flumen Suminam Monachis Abbas egregius præfuit, & Theodoricô Chlodovei junioris minimô filiô regnante deceſſit. Exiſtimo Erchinoaldum beneficiô Regis *Perronam* poſſediſſe: propterea quòd ibi & palatium habuit, & filium ſuum baptizari juſſit, & Furſei corpus eodem deportandum, ac duas ibi Baſilicas, alteram poſt alte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ram conſtituendas curavit, & primarii loci habitatores è familia
ejus fuerunt: ſed quoniam villa fiſcalis eſſet, morte Erchinoal-
di, cui data fuerat, fiſco eſſe reſtitutam *Perronam*. Certè *Pala-
tium Perronenſis vici* liber *de Vita Furſei* appellat, & Chronicon
Fontanellenſe *Peronam Palatium*: in quo dicuntur A. C. 849.
*menſe Januariô Chlotarius & Carolus Rex ad Peronam Palatium ac-
ceſſiſſe*. Villas autem Regias conſtat à re *Palatia* dici, & Reges
noſtros eò convenire olim conſueviſſe. Cæterùm Cœnobium
Perronenſe ab Erchinoaldo Patricio exſtructum, in quo B. Fur-
ſeus Scotus ſepultus eſt, & cui Ultanus Furſei frater Abbas præ-
fuit, *Scotorum Monaſterium* vulgò olim appellabatur: propterea
quod Scotum Abbatem & multos ejuſdem nationis Monachos,
& Furſeum ac Ultanum auctores cum Erchinoaldo conditoreſ-
que ſuos habuit. Certè Annales Mettenſes in A. C. 690. *Perro-
nam Scotorum Monaſterium* nuncupant; Sermo vetus, de rela-
tione corporum SS. Quintini & Caſſiani, *Peronam Scotorum*, Ri-
gordus & Guillelmus Brito *caſtrum Peronam*. *Perrona* porrò ut in
Veromanduis ſita eſt, Auguſtæ Veromanduorum Epiſcopis olim
ſubjecta extitit; nunc Noviomagi Antiſtitibus, qui eorum in
locum ſucceſſerunt, paret. Vicus eſt in Hamoo proximus Bin-
chio vel Bintio, *Bins*, dictus ſimiliter Perrona, *Perrone*. *Peronam
opidum Veromandenſe* vocat Appendix Chronici Guillermi Nan-
giacenſis, *in A. C.* 1303. Vita Sancti Furſei veterrima, ab An-
drea Cheſnio edita ex parte, *Palatium Perronenſis vici*, nec non
villam Perronam vocat, & *Montem Cygnophii qui Perrona nuncupa-
tur*. In alia Vita S. Furſei quam ſcriptam legi, *Præparabo Mon-
tem Cygnopum, qui Perrona nuncupatur*: item, *deduxerunt ad
Montem Cygnopum*. *Perrona* igitur vel *Perunna*, aliô nomine *Mons
Cygnopus* dicebatur potius quàm *Mons Cygnophii*. Quidam Chro-
nographi *caſtrum Parronam*, & *caſtellum Perronam*, Frodoardus
Perronam, aliàs *Parronam* vocat. Radulfus Veromanduorum Co-
mes, Hugoni de Cleeriis *Peronæ Comes* dicitur. Quod autem
ſuprà dixi, *Perronam Scotorum Monaſterium*, & *Perronam Scoto-
rum* olim nuncupatam eſſe, nemo mirari debet. Nam multa in
Gallia à Scotis Hibernis Monaſteria olim exſtructa ſunt: in pri-
mis Monaſterium Latiniacenſe à Furſeo; à fratre ejus Foillano
Vuſſuenſe vel Foſſenſe in pago Leodicenſi; ab Ultano amborum
germano Cœnobium Perronenſe, S. Furſei tumulô inclytum;
à Sidonio Furſei populari & (ut putant) propinquo in Caletis
Monaſterium S. Sidonii, *S. Saens*; Monaſterium Luxovienſe in Vo-
ſago à Columbano; à Gallo ejus populari ac diſcipulo Monaſte-
rium S. Galli. Monaſteria S. Martini, & S. Pantaleonis in urbe
Colonia Scoti quoque rexêre. Omitto Bobium in Italia à Colum-
bano conditum, & Cœnobium S. Petri in urbe Toringiæ Erfeſ-
fordia, quod *Monaſterium Scotorum* Lambertus Schafnaburgenſis
vocat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PERRONIUS, vide *David*.

PERROTUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

PERSA, & PERSES, qui aliàs *Perſeus*, vide ibi. Sic *Armes*,
de quo Liv. *l.* 26. *c.* 49. *Armen præfuiſſe Punico præſidio deditum-
que Romanis, Antias Valerius, Magonem alii Scriptores tradunt.*
Aliàs *Armeus* vel *Armais*, quod Danao priùs nomen fuiſſe, tra-
dit *Manethon*, apud *Joſephum*; imò & *Arma*. Ἀχιλλεὺς *Achil-
leus*, tyrannidem in Ægypto arripiens, temporibus Diocletiani,
Ἀχίλλης (ut Æoles, unde *Achilles*) *Achillas* vel *Achilla*, interfector
Pompeji. Ναρσῆς, Agathiæ Perſarum Rex; Aurelio Victori, &
Ammiano *Narſeus*, *l.* 23. &c. Reperitur autem genitivus *Perſæ*,
apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 11. *Retulerunt tale prodigium
& Antiochi, & Perſæ bello in eodem apparuiſſe figmento.* Ita enim
Lud. Vives legit. Alii *Perſidis* legunt, pro quô alii *Xerxis*: ſed
membranæ Noricæ *Perſis*, à *Perſes*, quod probat Joh. Frid. Gro-
nov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 15.

PERSA, Oceani ac Tethyos filia, ex qua Sol Æetam fertur ſu-
ſcepiſſe. Hyginus *in fab. poët. præfation.* Item nepos Cephei, de
quo ſuô locô. Item, Perſidis incola. Vide *Perſia*, & nomen Fa-
bulæ Plautinæ.

PERSA, urbs juxta Euphratem & Samoſata.

PERSACRA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

PERSÆ, olim *Chorſari*, Plin. *l.* 6. *c.* 17. *Artæi Herod. Achæ-
menii* Poëtis, *Elymæi Suida*, qui Aſiæ diu imperium tenuerunt,
uſque ad Alexandrum M. *Ferrar.* populi Aſiæ, quorum regio Per-
ſia, regnum amplum inter mare Caſpium ad Boream &, mare In-
dicum ad Meridiem, ubi aliàs Parthorum ſeu Perſarum Imperium,
cujus partes præcipuæ fuêre 5. nempe Aria ad Ortum, Media ad
Occaſum, Parthia ad Boream, Perſis ad Auſtrum & Sogdiana,
quæ Maximè ad Septentrionem extenſa erat inter Jaxartas &
mare Caſpium. *Baudrand.* Vide *Perſia*. Cœterum, Κηφῆνας pri-
mùm dictos eſſe, è *Cepheo* Beli Aſſyrii filio, atque inde Κηφηνίαν
regionem Aſſyriæ, quam *Chaldæi* poſteà nominati tenuerint,
docent, Herodot. *l.* 7. & Steph. in Χαλδαῖοι. Vide ſuprà *Cephe-
nes*, ut & infrà *Perſes*, ac *Perſeus*. Iidem etiam poſt Alexandri
M. ætatem, & dominantibus licèt Parthis, ſuum tamen ſemper
ac peculiarem Regem habuêre, qui humilis agebat, & Partho
addictus obnoxiuſque. Strabo *l.* 15: Καὶ γὰρ εἰ καὶ βασιλεύονται μέ-
χρι νῦν, ἰδίων Βασιλέα ἔχοντες οἱ Πέρσαι, τῇ γε δυνάμει πλεῖστον ἀπο-
λείπονται καὶ τῷ Παρθυαίων προσέχουσι βασιλεῖ. Parebant autem ei,
Perſeidis regio, & Caramania & Suſiane ac reliquæ provinciæ,
in ora maris Indici. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1197. Primùm
dein ex hac gente ſervi apud Romanos fuerunt, Principatu Ale-
xandri Severi, ſi Lampridio fides, qui ejus victoriam de Arta-
xerxe reportatam magnificè extollens, *Tum primùm*, inquit *c.*
55. *Perſæ ſervi apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indignè
ferunt Perſarum Reges, quempiam ſuorum alicui ſervire, acceptis
pretiis reddidit: pretiumque vel iis, qui manu ceperant ſervos, dedit
vel in ærarium contulit.* Fuit autem hic Artaxerxes, qui, devictô
& occiſô Artabanô, Rege Parthorum ultimô, primus antiquum
Perſarum Imperium in Oriente renovavit, imperante Romanis
Alexandrô Mammææ, circa A. C. 226. Et ita quidem Lamprid.
Herodian. verò minimè viciſſe Alexandrum, quin potiùs ab Ar-
taxerxe victum eſſe, totôque eô bellô fuiſſe infeliciſſimum,
tradit. Salmaſ. *ad loc.* Eorum Reges adorari conſueviſſe, diſci-
mus ex Trebellio Pollione, ubi de Zenobia, in *trig. Tyrannis*,
c. 30. *Vixit*, ait, *regali pompâ, more magis Perſicô adorata eſt:
more Perſarum Regum convivata eſt: Imperatorum more Romano-
rum ad conciones galeata proceſſit, cum limbo purpureo* &c.

PERSÆPOLIS, urbs Perſidis, à Perſeo condita, teſte Strab.
l. 15. quam poſteà Alexander ebrius demoliri juſſit. Non longè
ſitam fuiſſe ab Araxe innuit idem Strabo, *ubi ſuprà*: Πρὸς αὐτῇ δὲ
Περσεπόλει, τὸν Ἀράξην διέῤῥει. Subdit, Ἦν δὲ ἡ Περσέπολις ἔχουσα
βασίλεια ἐκπρεπῆ, μάλιστα τῇ πολυτελείᾳ τῶν κειμένων. Deſcribit hanc
urbem Diodorus diligentiſſimè: ejus incendium omnes com-
memorant. Fuerat extructa, ut idem Diodor. Sic. *l.* 1. ait,
ex direptione Thebarum Ægyptiacarum. Combuſta eſt ab Ale-
xandro, hortatu maximè Thaidis, nobilis ſcorti. A. M. 3724.
Miror autem cùm dicat Qu. Curt. Perſæpolim ſemel incenſam,
& dirutam, nunquam poſteà reſurrexiſſe, recenſeri tamen à Pto-
lemæo, non ſecus ac ſi tunc quoque floruiſſet. Qu. Curtii ver-
ba *l.* 5. *c.* 7. ſunt hæc, quæ propter elegantiam adſcripſi: *Hunc
exitum*, ait, *habuit regia totius Orientis, unde tot gentes ante jura
petebant: patria tot regum; unicus quondam Græciæ terror, molita
mille navium claſſem, & exercitus quibus Europa inundata eſt, con-
tabulato mari molibus, perfoſſiſque montibus, in quorum ſpecus fre-
tum immiſſum eſt. Ac ne longâ quidem ætate, quâ excidium ejus ſecu-
ta eſt, reſurrexit. Caſaubon. Nic. Lloyd.* Nunc rudera ejus *Chilmi-
nare*, i. e. 40. columnæ, tot enim ſuperſunt in ruinis. Inter Sci-
raſum & Haſpahamum. In amœniſſima planitie, 1. leuc. circiter
à fluv. *Bradamir*, qui veteribus Araxis. Altitudo, pulchritudo &
firmitas harum columnarum apparent; ex illis, quæ ſuperſunt,
quæ cum reliquarum baſibus omnes in admirationem rapiunt, ut
hoc opus omnem antiquitatem haud dubie ſuperet. Idem confir-
mat inſcriptio in tabula Jaſpidea, cujus characteres ignoti. Omnes
ſunt triangulares, aut pyramidales, vel inſtar obeliſci. Memine-
runt hujus palatii *Arianus*, & Juſtin. *l.* 11. *c.* 14. omnium autem ex-
actiſſimè *Diodorus* an *Ælianus*? Arx univerſa triplici murô cincta
fuit. Sepulchra quoque Regum viſuntur ad latus montis, ad cu-
jus radices Arx jacet. Vide T. Herbertum, Plin. *l.* 6. *c.* 26. Curt.
l. 5. *c.* 6. 7. Diod. Sic. *l.* 17. *c.* 69. 70. Ælian. *l.* 1. *c.* 59. Præcipuè
autem P. de Valle αὐτόπτην, *Itiner. tom.* 2. Sunt tamen, qui *Che-
hil Minara* aliud quiddam eſſe credant, à ruinis priſcæ Perſæpoleos:
cùm hæc fuerit longitud. gr. 91. ſecundùm *Ptolemæum*, & Geo-
graphos; *Chehil Menara* verò gradu 96. Morerius *Dict. Hiſt.*
Salmaſio Urbs hæc *Perſidis* nobiliſſima, in ejus latere Orienta-
li, extremiſque finibus, ubi Carmaniæ contermina eſt, ad A-
raxem fluv. qui mœnia illius alluebat, poſita; Perſarum tum
Regia erat, quum eorum Imperium ad Macedonas tranſtulit
Alexander, cùm Suſa, in Suſiane ſita, vetus fuiſſet Imperii il-
lius metropolis. Poſtquam ab Alexandro diruta eſt, inſtau-
rata poſtmodum à Perſis videri poſſet; inprimis poſtquam
imperium Parthis ademerunt, ſibique reſtituerunt. Namque
Ptolemæus *Perſæpolim*, tanquam adhuc extantem, in Perſide
ponit, & *Tabula Peutingeri* ejuſdem meminit, *Perſæpolis com-
mercium Perſarum*. Sed & Ninum Urbem, tanquam tunc
adhuc extantem, in Aſſyria collocat idem *Ptolemæus*, quam
tamen jam ſub Medorum Imperio nullam ampliùs fuiſſe,
Auctores omnes teſtantur; & nullus præter eum idem re-
fert. Nec obſtat, quòd Ammianus quoque *Marcellin.* *Perſe-
polim*, inter primarias Perſidis Urbes, numerat; habet enim
ille hoc, ut omnia, à *Ptolemæo*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.*
1193. 1202. & 1226.

PERSÆUS, Philoſophus, Antigoni amicus, quem cum Ar-
chelao præſidiariis militibus Acrocorinthi impoſuit. Polyænus, *l.*
6. *in Arato c.* 5. Poſteà proditâ per quatuor fratres Syros Acroco-
rinthô refugiens, Cenchreas ad Antigonum evaſit.

PERSARMENIA, regio inter Perſiam & Armeniam ab utra-
que nomen accipiens.

PERSEA, arbor Ægypti peculiaris. Iſidi ſacra, Galen. *l.* 2.
κατὰ τόπους, & Strabo *l.* 17. illuc ex Æthiopia tranſlata eſt: pro-
bè diſtinguenda à *Perſica*, quam è Perſide in Græciam tranſtuliſ-
ſe *Perſeus* dicitur Nicandro, qui ſic hac de re:

> Σκληρὸ ἀπὸ Περσείης κάρυα βλάστος οἷον ὀρύξει
> Περσεὺς, ἥν ποτε ποσσὶ λιπὼν Κηφηΐδα γαῖαν,
> Αὐχέν' ἀποτμήξας ἅρπῃ γονόεντα Μεδούσης
> Ῥεῖα Μυκηναίῃσιν ἀνηέξησεν ἀρούραις
> Κηφῆος νέα δῶρα.

Hoc enim arboris genus recentioribus *Cirbum* & κέτριον dictum
eſt: quæ mala è Perſide in Græciam migrâſſe, Antiphanes Co-
micus docet apud *Athenæum*.

> Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον,
> Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.
> *Nuper namque ſemen hoc allatum eſt*
> *Athenas, à Rege veniens.*

Perſea verò Ægypti, extra genitale ſuum ſolum aut non naſcitur,
aut ferax non eſt. Unde cùm eam ex Ægypto in Rhodum Inſul.
transferre conati eſſent, vix ac ne vix quidem evincere potue-
runt, ut ibi fructum ferret. Salmaſ. *ad Solin. p.* 606. & *ſeqq.* ubi
de *Perſea* duplici *communi*, ac *Ægyptia*, deque *Perſica* Veterum ac
recentiorum, fusè agit. Ex *Perſea* illa corona, ſignificavit nihil
inter ea omnia, quibus natura hominem donavit, divinius eſſe
ratione, neque quod habeat majorem ad felicitatem impetum.
Fructus enim plantæ hujus cordi, folium linguæ perſimile eſt,
uti teſtatur Plutarchus *de Iſide & Oſir.* Ex eadem ſimulachra
facti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

factitari conſueviſſe, docet Theophraſtus *Hiſtor. Plantar. l.* 4. Vide quoque voce *Perſeus.*

PERSEA. fons circa Mycenas in Peloponneſo. Pauſan. *l.* 2.

PERSEIS, Nympha marina, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. in *Θεογον. v.* 957.

PERSEPHATE, nomen Poëmatis, quod in Sicilia antiquitùs quotannis canebatur Cereri Liberam quæritanti. Cui ſimile apud Theocritum Herculis *in Hylæ deſiderio.* Vide Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtic. l.* 1. *c.* 4.

PERSEPHONE, Jovis & Cereris filia, Latinis *Proſerpina*, quam ab Orco in Sicilia raptam fuiſſe poëtæ fabulantur. Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 591.

> *At neque Perſephone digna eſt prædone maritô.*

Idem *in Ep.* 21. *Heroid. Cydippes, v.* 46.

> *Perſephone noſtras pulſat acerba fores.*

Tibull. *l.* 3. *El.* 5. *v.* 5.

> *At mihi Perſephone nigram denuntiat horam.*

Propert. *l.* 2. *El.* 13. *v.* 25.

> *Sat ſis magna, mei, ſi tres ſint, pompa, libelli,*
> *Quos ego Perſephonæ maxima dona feram.*

Sic dicta quaſi Φερεφόνη, i. e. φέρουσα ἄφενος, *ferens divitias*, quæ ſcil. è terra petantur. Heſych. Vide *Proſerpina. Nic. Lloyd.*

PERSES, Ægei & Medeæ fil. *Stephano*; aliis Perſæo ex Andromeda genitus, *Perſarum* genti nomen dedit, quum priùs Κηφῆνες dicerentur, vide Herodot. *l.* 7. Agatharchides ἔκγονον, i. e. *nepotem*, Perſei vocat, quem plerique Græci Perſarum nominis auctorem fuiſſe volunt. Apollodor. *Biblioth. l.* 2. de Perſeo, Ἐγένοντο δὲ αὐτῷ παῖδες πρὶν μὲν ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα Πέρσην, ὃν παρὰ Κηφεῖ κατέλιπεν. ἀπὸ τούτου δὲ τοὺς Περσῶν βασιλέας λέγεται γενέσθαι, *Fuerunt autem illi liberi, priuſquam in Græciam* Perſes, *quem apud Cepheum reliquerat, veniſſet. Ab hoc verò Perſarum Reges ortos eſſe dicunt.* Hi nempe ſunt, quos Περσείδας βασιλεῖς, *Perſidas Reges*, appellatos tradit idem Herodotus, qui ex Achæmene oriundi, à quo & Ἀχαιμενίδαι tribus: Achæmenes autem ille à Perſa genus traxit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1183. Vide quoque ſuprà *Perſa.*

PERSES, Rex Macedonum, qui ab Æmilio victus, & in acie captus, ductus eſt in triumpho Romam cum filiis, periitque in carcere animi mœrore confectus, vel, ut alii tradunt, vigiliis maceratus. Fingere ſolebat, & mentiebatur ſe ab Achille genus ducere. Livius autem *l.* 45. nothum & ſpurium fuiſſe ſcribit, & invidiâ fratrem Demetrium ac criminatione falsâ de medio ſuſtuliſſe. Propert. *l.* 4. *El.* 12. *v.* 39.

> *Et Perſen proavi ſimulatum pectus Achillis.*

Vel, ut alii legunt,

> *Et Perſem proavo ſtimulantum pectus Achille,*

Silius de Philippo iſtius Perſæ patre,

> *Hic gente egregius, veteriſque ab origine regni,*
> *Æacidum ſceptris proavoque tumebat Achille.*

Vide *Perſeus.*

Alius Solis & Perſæ Nymphæ fil. Rex Tauricæ regionis crudeliſſimus. Alius frater Heſiodi.

PERSES, nomen Philoſophi in Perſia celebris, apud Lutatium *ad Stat. Theb. l.* 6. *v.* 360. *Hujus tractatus ſecretæ Philoſophiæ magna laus Perſis debetur, quòd ea in gente horum ſecretorum primùm ratio habita eſt, velut* Perſes, *ſcilicet ille magnus* (an Magus) *hujus Philoſophiæ auctor.* Ubi de Philoſophia Magica, cujus auctor Zoroaſtres fuit, ſermo eſt: qui *Perſes Magus* κατ' ἐξοχὴν hôc locô appellari videtur. *Chaldæus* enim & *Perſes* eadem huic generi. Poteſt tamen & alius aliquis hiſce deſignari: Quam in rem vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.*

PERSES, jactus quidam teſſerarum. *Heſych.* Πέρσης κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα. Idem cum Συρίῳ κύβῳ Poëtæ: Syrii enim Perſæ. Unde *Æſchylo*, Σύριον ἅρμα, pro Aſſyrio, vel *Perſico*, in tragœdia *Perſæ*: Σύριον θ' ἅρμα διώκων. Ad quem locum Interpres, Ἀντὶ τοῦ Ἀσσύριον, inquit, οἱ γὰρ Πέρσαι τὸ πρότερον Σύριοι ἐκαλοῦντο, *Pro, Aſſyrium. Perſæ enim priùs Syri vocabantur.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1227.

PERSEUM Antrum apud Stat. *l.* 1. *ſub fin.* ubi de Sole,

> ——— *ſeu te roſeum Titana vocari*
> *Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrin*
> *Frugiferum, ſeu* Perſei *ſub rupibus* antri
> *Indignata ſequi torquentem cornua Mitram.*

Antrum dicitur, in quo Perſæ *Solem celi primi inveniſſe dicuntur. Eſt enim in ſpelæo Perſico habitu cum tiara utriſque manibus bovis cornua comprimens, quæ interpretatio ad Lunam ducitur* &c. uti ait Lutatius. Colebant autem in antro Solem Perſæ, ſub *Mithræ* nomine, de quo vide ſuprà; plura verò de antro illo ſeu ſpelæo, apud Lindebrogium *Not. ad Lutatium*, ubi ex *Hieronymo*, *Porphyrio*, *Agathia* varia in eam rem adfert.

PERSEUS, Jovis fil. ex Danaë Acriſii Argivorum regis filiâ, quam Jupiter, commutatus in ſpeciem aurei imbris, vitiavit. Acriſius enim, cum ex Oraculo didiciſſet, futurum aliquando, ut à nepote occideretur, filiam munitiſſimæ turri incluſit. Jupiter itaque Danaës amore captus, cùm alius non pateret aditus, in aureum imbrem verſus, per tegulas turrim ingreſſus eſt, puellæque fruſtra jam arctâ cuſtodiâ ſervatæ ſtuprum intulit. Quo ex concubitu cùm illa gravida effecta eſſet, indignatus Acriſius, filiam unà cum nepotulo arcæ includi juſſit, atque in mare projici, futurum ratus, ut ventis, undiſque obruerentur. Quæ res illi omnino cecidit præter opinionem. Nam arca ad Dauniæ litus delata, & à piſcatore reperta eſt: in qua quum Danaën cum filio inveniſſet, utrumque Pilumno regi obtulit; qui cùm genus & patriam ejus didiciſſet, Danaën quidem uxorem duxit; Perſeum verò Polydectæ, Seriphi Regis ſeu Dictyi, hujus fratri, educandum tradidit, qui poſteà adultus, talaria & falcatum enſem, nomine Harpen, à Mercurio; à Minerva autem Ægidem accepit; quibus fretus expeditionem adverſus Gorgonas ſuſcepit. Erant autem eæ ſorores 3. *Meduſa, Stheno*; & *Euryale*; Æthiopiæ extrema incolentes, angues pro capillis habentes, oculumque unicum, quô viciſſim utentes, quotquot eas aſpiciebant, in ſaxa vertebant. Id veritus Perſeus, à Pallade Ægidem accepit, ex ære fulgentiſſimo, in quo, veluti ſpeculo, effigiem earum impunè intueri poſſet. Adortus itaque Meduſam, cùm & ipſa, & angues ſopiti eſſent, unicô ictu illam interemit, caputque ejus abſciſſum in Ægide collocavit; quô Atlantem Mauritaniæ regem hoſpitiô ipſum excludentem in montem commutavit. Hôc etiam capite Seriphienſibus populis oſtenſô; eos omnes Perſeus mutavit in lapides. Poſt hæc Andromedam, marino monſtro expoſitam, periculô liberavit, liberatamque uxorem duxit; Phineô, ejuſque fautoribus, qui ſponſam ei præripere conabantur, partim occiſis: partim in ſaxa commutatis. Poſtremò cum uxore in Seriphum inſulam reverſus, Acriſium ibi offendit, quem jactu diſci imprudens interfecit. Hyginus tamen *Fab. Poët.* 63. author eſt, Danaën unà cum filio ſuo non in Italiam, ſed in Seriphum inſulam delatum fuiſſe, ibique Polydectæ regi nupſiſſe, ibi cùm Acriſium avum ſuum jactu diſci (ut jam diximus) imprudens interemiſſet, doloriſque impatientiâ extabeſceret, Jovis patris ſui miſeratione, in cœlum tranſlatus eſt. Perſeus habitus eſt Jovis filius, propter raram felicitatem. Suſcepit expeditionem adverſus Gorgonum gentem, cujus regina erat Meduſa. Intulit inde bellum Mauritaniæ, decertavit armis cum Æthiopibus, apud quos nuptias celebravit cum Andromeda Cephei regis filiâ. Poſteà reverſus in Græciam, occupavit regnum Argivorum, devictô Prœtô ſuô patruô, & Polydecte, Seriphi, Inſul. regulô, à quibus multis injuriis erat affectus. Agrò dein Tirynthiô contentus, Mycenas condidit, ubi poſteri ejus per annos 100. regnârunt. Ad extremum conſtituit in Helicone ludum literarium: quô beneficiô tantam conſecutus eſt celebritatem, ut à Poëtis & Mathematicis, laudibus: encomiiſque in cœlum uſque, ut ajunt, evectus, & inter ſidera collocatus ſit. Tantas autem res confecit incredibili celeritate, & verſutiâ ingenii, ideoque fingitur talaribus & gladiô Mercurii, galeá Orci, & clypeô Palladis fuiſſe inſtructus. Nam talaria celeritatem, gladius Mercurii calliditatem, galea Orci conſilium tectum, & clypeus Palladis raram felicitatem ſignificat. Per caput verò Meduſæ, cujus aſpectu omnes convertebantur in ſaxa, ſignificantur immenſæ Gorgonum opes, quibus ille potitus, omnes, quos bellô adortus eſt, ſubegit: nam in Inſulis Occidentalibus, ubi Gorgonum gens habitabat, olim fuerunt maximæ opes totius orbis terrarum, teſte *Platone.* Vide Ovid. *l.* 4. *&* 5. *Metam. Plut. Euſeb.* Nat. Com. *l.* 7. *c.* 12. *&* 18. & Alex, Roſſæum *in Myſtagogo Poët.* Propert. *l.* 2. *El.* 30. *v.* 3.

> *Non ſi Pegaſeo vectêris in aëre dorſô,*
> *Nec tibi ſi Perſei moverit ala pedes.*

Ovid. *l.* 2. *de Arte, v.* 643.

> *Nec ſuus Andromedæ color eſt objectus ab illo,*
> *Mobilis in gemino cui pede penna fuit.*

Unde à Catullo *Carm.* 55. *v.* 25. *Pennipes* dicitur. Idem Ovid. *l.* 3. *Triſt. El.* 8. *v.* 5.

> *Nunc ego jactandas optarem ſumere pennas,*
> *Sive tuas Perſeu, Dædale, ſive tuas.*

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 67.

> ——— *Nunc aerii plantaria vellet*
> *Perſeos* ——— ———

Hinc *Perſeus* adject. Propert. *l.* 3. *El.* 21. *v.* 8.

> *Sectaque Perſeâ Phorcidos ora manu.*

Hinc *Perſea* arbor, quam in Ægyptos Perſeus plantavit, teſte *Callimacho*:

> Καὶ τριτάτη Περσεῖος ἐπώνυμος, ἣς ὁ ὀδάμινον
> Αἰγύπτιοι κατέπηξε, ———

Nicander autem, in Mycenis hanc arborem plantari tradit, *in Alexipharmacis*, hôc pactô.

> Καί τε καταστριφθέντα μετ' ἀργήεντος ἐλαίου,
> Σκληρὰ ἀπὸ Περσείης κάρυα ὄλαπος οἷον ἐρύξει.
> Περσεὺς ἥν ποτε ποσσὶ λιπὼν Κηφηίδα γαῖαν,
> Ἀρχεὶ ἀποτμήξας ἅρπη γοργόεντα Μεδούσης,
> Ῥεῖα Μυκηναίῃσιν ἐνικέξασεν ἀρούρης,
> Κηφῆος νέα δῶρα, μύκης ὅτι κάππεσεν ἅρπης,
> Ἄκρον ὑπὸ πρηῶνα Μελανθίδος, ἔνθα τε νύμφη
> Λαγγείη πόμα κεῖνο Διὸς τεκμήρατο παιδί.

Vide *Acriſius*, *Andromeda*, *Danaë. Nic. Lloyd.* Cœterum, ipſe Aſtronomus inſignis, Helicen invenit, hujuſque rei gratiâ Dæmonas propitiavit; quemadmodum Thales Mileſius, quòd trianguli æquilateri in circulo inſcriptionem reperiſſet, Muſis bovem; Pythagoras, ob inventum à ſe penultimum in primo Elementorum Euclidis theorema, quod eſt de ratione laterum trianguli rectanguli, Hecatomben liberaliter immolavit. Sic Archimedes in ſepulchro ſuo cylindrum inſcribi voluit. Eratoſthenes, inventâ cubi duplicatione, anathematis locô eam in templo ſuſpendit &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Scient. Mathem. cap.* 3. §. 5. Ob hæc & alia in genus humanum merita, Argivos *Perſea* pro Numine veneratos eſſe, præter Athenagoram *in Legatione*, Sidonius indicat *Carm.* 9. ubi varios Deos topicos recenſens, inter alia ait:

> *Argis* Perſea, *Lampſaco Priapum.*

Ejuſdem imaginem in gemma ſculptam, annuloque ſigilli, quô literas in Europam mittendas ſignabat, Alexander M. incluſam geſtavit. Nam, ut ait Alex. ab Alexandro *l.* 2. *c.* 19. & ante illum Plin. *l.* 37. *c.* 6. *Ipſe tamen Alexander devictô Dariô, quas deſtinabat*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bat in Aſiàm literas, *Darii annulô imprimebat*, *quas verò in Europam*, *ſuô*. Suus autem erat, habens imaginem *Perſei* atavi ſui, cujus in honorem Perſeæ quoque frondibus coronari voluit; ut idem teſtatur Plinius, *l.* 15. *c.* 13. *Perſeam quoque plantam eruditiores negaverunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlata*, *ſed à* Perſeo *Memphi ſatam : Et ob id Alexandrum illâ coronari victores ibi conſtituiſſe*, *in honorem Atavi ſui*. Etiam in nummis, imaginem ejus cudi curâſſe, indigitat Plut. *de Fortuna ſeu Virt. Alexandri* Or. 1. *ubi eum cum Diogene in hac verba colloquentem introducit : Nunc ignoſce nobis Diogenes*, *Herculem imitor*, Perſeum *æmulor*, *Bacchique*, *qui Deus auctor mei eſt generis*, *inhærens veſtigiis*, *rurſus in India vincentium Græcorum choros volo ponere*, *& apud montanas agreſteſque trans Caucaſum gentes*, *Bacchi comeſſationum memoriam renovare. Sunt & ibi quidam duræ Philoſophiæ nudatô corpore adſueti*, *viri ſancti & ſuô jure viventes*, *Deo operam dantes*, *Diogenem vilitate rerum ſuperantes*, *nulla perâ indigentes : Non enim recondunt alimentum*, *quod iis terra ſubinde recens ſuggerit*, *potum fluvii*, *folia ab arboribus defluentibus & herba è terra enaſcens lectum. Per me & hi Diogenem cognoſcent*, *& ipſos Diogenes. Oportet etiam me numiſma condere & Barbarica è materia factum Græcanica formâ* Reip. *ſignare.* Vide Fortun. Licetum *l. de Gemmis annularibus c.* 136. ubi Gemmam, in qua imago Perſei cum alis in capite ſculpta, eruditô Commentario proſequitur. Bochartus *Perſem* vel *Perſeum*, interpretatur *Equitem*, quô nomine illum dictum fuiſſe opinatur, poſtquam equitandi artem didiciſſet à Phœnicibus, quos ſecum Cadmus adduxerat. Quò pertinent *talaria*, quorum ope per aërem volitâſſe fertur, hæc enim nihil aliud quàm calcaria erant, quibus equum impellens & ad curſum concitans, avium volatum æmulabatur: *Pegaſus* item, qui nihil aliud fuit, quàm equus freno aſſuetus, vide ibi. *Perſeus* verò, ab Hebr. פרס *Faras*, quod unum eſt ex ſeptem equi in hac lingua nominibus, & primò *Equitem*, dein etiam *Equum*, per catachreſim, ſignificavit. Quemadmodum in illo Poëtæ, *Georg. l.* 3. *v.* 116.

——— Equitem docuêre ſub armis
Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.

Et apud Ennium *Annal. l.* 7.

Denique vi magnâ quadrupes eques atque elephanti
Projiciunt ſeſe.

Quæ ille ſumpſit ex A. Gellio *l.* 18. *c.* 5. Eques autem *paras*, Hebræis dici potuit, à פרשים *calcaribus*, quæ ſunt in pedibus ejus, ut conjectat Aben-Ezra *in Proverb. c.* 23. *v.* 22. ubi *paras* verbum eſt *pungere*; & inde Chaldæis פרש *peras*, *calcar*, *ſtimulus*. Sed & *Pharas* Arabibus equus dicitur, à *rapiendo*, quaſi *terram rapiat velocitate inceſſûs ſui*, ut habet *Damir*. Neque verò incommodè Equus dicitur *rapere terram*. Ita enim Martialis, ad Priſcum, *l.* 12. *Epigr.* 14. *v.* 1.

Parcius utaris, *moneo*, *rapiente veredô.*

Et ad hoc Arabicum *pharas*, alludit Romanum *ferus*, pro *equo*. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 51.

—— Inque feri curvam compagibus alvum

Manilius *l.* 5.

Exagitare feros, *promtumque anteire volantes.*

Unde Centauros *ſemiferos* dici notat *Servius*, tanquam *medios equos* &c. Sed & alludit ad Hebræum פרשים *paraſim*, pro *Equitibus*, nomen *Perſarum*; qui jam inde ab anno quinto equitare didicerunt, ut habetur in *Herodoto :* moris origine à Cyro. Ante quem cum in Perſide equi eſſent rari, quia montoſa regio eſt, is Perſas equis ſic aſſuefecit, ut poſt illius ætatem paulô honeſtioris ſortis ſit nemo abſque equo viſus. Quin legem ſanxit. ut turpe eſſet, ſi quis illorum, quos equis inſtruxerat, uſpiam iret pedes, uti legimus apud Xenoph. *Cyropæd. l.* 1. Unde factum ut, qui ante Cyrum *Cuthai* & *Elymæi* dicebantur, poſt Cyrum, *Perſæ* ſeu *Equites* appellari cœperint, Hinc cùm neque Moſes nec libri Regum, nec Eſaias, nec Jeremias, nec quiſquam eorum, qui Cyri ætatem præceſſerunt, *Perſarum* uſpiam meminerint: in Daniele & Ezechiele, Cyro coævis & in libris Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ & Eſtheræ, qui poſt Cyrum ſcripti ſunt, frequens illorum eſt mentio, Bochart. *Hieroz. Part. I. l.* 2. *c.* 6. Vide quoque infrà. Plin. inter Myronis ex ære, & Parrhaſii Pictoris opera, *Perſea* celebrat, *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 35. *c.* 13.

PERSEUS, ultimus Macedonum Rex ſucceſſit an. Urb. Cond. 575. Philippo Patri: qui cùm eum exhæredaturus eſſet, ut regnum Antigono filio fratris tutoris ſui traderet, Perſeus quid ageretur ſubolfaciens, æmulum occidit. Bello contra Romanos infelix, ingenti ſtrage victus eſt ad Pydnam, éque fuga retractus, à Paulo Æmylio in triumpho Romam ductus eſt. Regnavit ann. 11. Liv. *l.* 40. Juſtin. *l.* 33. Plut. *in vita P. Æmylii.* Vellejus Paterc. *l.* 1. *c.* 9. Eutrop. *l. tempor.* Flor. *l.* 2. *c.* 12. &c. Eò redactum eſſe, ut Faber fieret ferrarius, refert Caſaubonus *Not. ad Jul. Capitolin. in Maximo & Balbino*, *c.* 5. quemadmodum contrà Maximus hic, natus Fabrô ferrariô, ad Imperatoriæ Majeſtatis faſtigium aſcendit; imò & qui ipſe Faber ferrarius fuerat, ut de Mario quodam narrat *Trebellius Pollio*. Uſque adeò

Ῥεῖα θεὸς βριάει. ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.

PERSEUS, de Republ. Lacedæmonior. ſcripſit, auctore Athenæô, *l.* 4.

PERSEUS, Zenonis auditor: *Eos dixit habitos eſſe Deos*, *à quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa : ipſaſque res utiles & ſalutares Deorum eſſe vocabulis nuncupatas : ut ne hoc quidem diceret*, *illa inventa eſſe Deorum*, *ſed ipſa divina*, Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. IV.* ubi *de Idololatriæ vetuſtate* agens, *apud Gentes fœcundam Deorum matrem fuiſſe Utilitatem*, pluribus docet.

PERSEUS, Grammaticus Philoſophus, quem, in rebus Deorum Gentilium, Terentii teſtimoniô utentem, producit Minucius Felix *in Octavio*. Idem cum Lutatii Præceptore, ut videtur, de quo hic *ad Statium* ita; *Sed de his rebus* —— *ex libris ineffabilis doctrinæ* Perſei *præceptoris ſeorſum libellum compoſui.* Vide Barthium *ad Stat. Thebaid. l.* 6. *v.* 360.

PERSIA, quæ *Perſis Ptol.* Plin. *l.* 6. *c.* 25. & Melæ, *l.* 1. *c.* 2. *Farſtan*, & *Farſiſtan* incolis, teſte *Caſtaldô*, Provincia Aſiæ notiſſima atque clariſſima, inter Suſianam ad occaſum, & Carmaniam ad ortum; atque inter Parthiam ad Boream & ſinum Perſicum ad meridiem contenta. *Baudrando* Imperium eſt potentiſſimum, ſub quo comprehenditur Parthorum Imperium. Habet à Septentrione mare Caſpium & Zagatajam regionem, ab Ortu Indiam propriam, ab Occaſu ditionem Turcarum & Arabiam deſertam: à Meridie autem Oceanum Indicum & Sinum Perſicum. Sicque extenditur ab Ortu in Occaſum ab Indo fluvio ad Tigridem. Nunc tota ſub Sophis. Comprehendit has antiquorum provincias, Mediam, Hyrcaniam, Margianam, Aſſyriam, ex parte, Suſianam, Parthiam, Ariam, ad Ortum, Paropaniſum, Chaldæam, Perſiam, Caramaniam, Drangianam, Arachoſiam & Gedroſiam. Nunc autem 18. præcipuæ numerô, nempe *Servan*, *Gilan*, *Dilemon*, *Ayrack*, *Agemi*, ubi aliàs Media; *Tabareſtan* & *Gorgian*, ubi Hyrcania; *Khomus*, aliàs Margiana & Parthia ex parte; *Churdiſtan*; anteâ pars Aſſyriæ; *Choraſan*, aliàs Parthia ex parte; *Yerack*, aliàs Babylonia; *Chuſiſtan* Suſiana; *Farſi* Perſis; *Kherman* & *Siſiſtan*, aliàs Caramania; *Macheran* Gedroſia; *Candahar* Arachoſia; & *Sableſtan* aliàs Drangina, aut circum circa. Totius regionis caput fuit anteà Tabriſium, poſteà Casbinum, Nunc Aſpahamum. Populi *Perſæ:* quos à *Perſeo* tuliſſe nomen affirmat Euſtathius *Il. α.* cùm inquit: Περσεὺς παρονομάζει τοὺς Πέρσας. Quod etymon à Q. Curtio approbatum invenio. Atqui probabilior ſententia Bocharti eſt, qui Perſis nomen ex re fuiſſe ſcribit, i. e. ab equitatu, quô maximè valebant; equitare è teneris annis edocti. *Herodotus*: Παιδεύουσι τοὺς παῖδας τρία μοῦνα· Ἱππεύειν, καὶ ἀληθίζεσθαι. Quâ tamen diſciplinâ primus illos imbuit Cyrus. Anteà enim, ut tradit Xenophon *l.* 1. *Cyrop.* Ἐν Πέρσαις, διὰ τὸ χαλεπὸν εἶναι καὶ τρέφειν ἵππους, καὶ ἱππεύειν, ἐν ὀρεινῇ οὔσῃ τῇ χώρᾳ, καὶ ἰδεῖν ἵππον σπάνιον. At Cyrô ſic providente (ut narrat idem *l.* 4.) Perſæ ex peditibus equites facti, equis deinceps ita aſſueverunt, ut, οὐδεὶς ἄν, inquit, τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἑκὼν ὀφθείη Περσῶν οὐδαμοῦ πεζὸς ἰών. Itaque ex tam repentina mutatione factum, ut hæc regio פרס *Paras*, & incolæ פרסאי *Perſæ* dicerentur, i. e. *equites*. Arabicè enim *Pharas* eſt *equus*, & *Pharis eques*, Ebraicè *Paras*. A Græcis quoque dicti ſunt Κηφῆνες, à ſeipſis Ἀρταῖοι, teſte *Herodotô*. Dicuntur & Ἀχαιμένιοι, à regione *Achæmenia*, ſecundum *Stephanum*. *Suidas* & *Cedrenus Maguſæos* vocant. Perſarum veterum mores fuſè refert Herodot. *l.* 1. Hiſtoria paucis hæc eſt. Sub variis erant Principibus; uſque ad Cyrum, qui ann. 1. Olymp. 55. Urb. Cond. 195. avô ſuô maternô Aſtyage, Rege Medorum pulſô, regni Perſici fundamenta locavit: Anno pòſt 22. captâ Babylone, primus Monarcha: quod imperium duravit an. 229. ſub 13. Regibus. Dariô Ochô ab Alexandro M. ſuperatô, ſub Græcis, Romanis. Parthis regnum hoc eſſe cœpit, donec A. C. 227. Artaxerxes Perſa, excuſſô Artabani Parthorum Regis jugô: ſecundam Perſarum Monarchiam orſus eſt, quæ duravit per ann. 632. uſque ad Jezdegirdem vel Hormiſdam 4. ad Otmaro, Saracenorum Rege occiſum. In horum poteſtate manſit, ann. 418. donec Gelal-edinus Sultanus, Gelaleæ æræ auctor, illis exturbatis, rerum potitus eſt. Succeſſores ejus, à Tartaris, duce Tamerlane, pulſi ſunt, A. C. 1398. cui quatuor Principes, factionis *Arietis nigri* ſucceſſêre. Poſt quos, Uſum-Caſſanes, ex familia Aſembejorum, & factione *Arietis albi*, Jooncham Regem cum fil. Acen-Ali ſuſtulit; regnô potitus, ab A. C. 1469. uſque ad 1478. vel 1485. Quô defunctô miſerè lacerata Perſia, ſed ab Iſmaële Uſuncaſſanis, ex filia, nepote, recreata eſt, qui fortis, prudens & felix, quidquid majores poſſidebant, dominatu complexus eſt. Regnavit autem uſque ad initium præcedentis ſeculi, & ab eo Sophi numerantur. Inter hujus ſucceſſores Schah Abbas, cognomine Magnus, regnum magnoperè auxit, uti inprimis apud P. du Valle, *Itener. tom.* 2. & 3. ubi quidquid de inſigni hac Monarchia ſcitu dignum, exactiſſimè annotatum eſt, videre licet. Religio Perſarum hodierna Mahometana eſt, ſed à Turcica diverſa. Dicunt enim Ali à Mahomete ſucceſſorem deſtinatum fuiſſe, qui honor illi ab Abubekere, Omaro & Oſmane præreptus. Aliter Alcoranum explicant, alios ſanctos, alias Moſcheas habent. Sub finem ſeculi 14. *Sofi* quidam, ex poſteris Ali ſe eſſe jactans, novam attulit doctrinam, miſſumque ſe divinitùs dixit, ut gloriam Ali à tot retro ſeculis ſepultam priſtino ſplendori redderet: Huic in hodiernum uſque diem adhærent, &c. Vide præter hîc paſſim laudatos, *Cluverium*, *Du Val*, *Sanſonem*, *Agathiam*, *Cedrenum*, *Guil. Tyrium*, *Hoitonem*, *Sanutum*, *Bizardum Leunclavium*, *Chalcondylam*, *Paul. Jovium*, *Olearium*, *Thomam Herbertum*, *Paulum Venetum*, *Vinc. Blancum*, *Thevenotum*, *Pouletum*, *Gabr. Chinonem*, *Busbequium*, *Thom. Minadoum*, Marmolii *Africam* &c. Item, Monachum Iſaac, *in explic. Can. Perſ.* Chriſtmann. *Comment. in Alfragam*, *tit. de Cal. Perſ. Scaliger. Petav.* &c. *De regno Perſarum libros tres* ſcripſit Barn. Briſſonius. De Idololatria eorundem veteri Strab. *l.* 15. Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, καὶ Σελήνην καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ. Habuit ex Herodot. *l.* 1. Θύουσι δὲ Ἡλίῳ τε καὶ Σελήνῃ, καὶ Γῇ, καὶ πυρί, καὶ ὕδατι, καὶ Ἀνέμοισι. Perſas plurimùm ſagittis valuiſſe, auctores ſunt Xenophon *l.* 1. *Pæd.* qui loquens de ſtudio Perſarum in Venatione, ait habere illos τόξα παρὰ τὴν φαρέτραν: Procop. *l.* 1. *de bello Perſico*: Πέρσαι σχεδόν τι εἰσὶν ἅπαντες. Meminit etiam jaculorum Perſicorum, & ſagittarum Heliodorus *l.* 6. & 9. *Hiſtor. Æthiop.* & Herodot. *l.* 1. Polyb. *l.* 5. Oppianus *l.* 2. *Halieut.* adjecit, illos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

los excogitâſſe artem adjiciendi venenum ſagittis: Πέρσαι φαρμακτῆρες ὀλέθρια μητίσαντο. S. Ambroſius *l. 6. Hexaëm. Gens Perſarum ferox bellis, valida ſagittis.* Hinc Virg. *Georg. l. 4. v.* 290.

Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget.

Laërtius *l. 5, c. 6.* Ἔκτεινε Περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς.
De Perſis Dionyſius 1056.

Μοῦνοι γὰρ τ' Ἀσίης βασιλεύτατον ἔθνος ἔχουσι,
Μοῦνοι δ' ἄσπετον ὄλβον ἐνὶ μεγάροισιν ἔθεντο,
Ὁππότε Μῃονίην καὶ Σαρδίας ἐξαλάπαξαν.
Χρύσεά τοι κείνων μὲν ἐπὶ χροὶ τεύχεα φωτῶν,
Χρύσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν ἐπὶ στομάτεσσι χαλινά,
Χρυσῷ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἐκοσμήσαντο πέδιλα.
Τόσσος γάρ σφισιν ὄλβος ἀπείριτος.

Hunc Perſicorum armorum apparatum, in prælio ad Iſſum cum Alexandro geſto, deſcribit Q. Curtius *l. 3. Illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant, manicataſque tunicas gemmis etiam adornatas.* Dion. Chryſoſtomus *Orat. 2. de Regno*: Χρυσῶν φαλαρῶν καὶ χαλινῶν, ὁποῖα τοὺς Πέρσας φασὶν ἐπιτηδεύειν. Splendidis hiſce indumentis, poſt victum demum Crœſum, eos conſueviſſe teſtatur Amm. Marcellin. *l. 23. c. 6. Armillis uti, monilibúſque aureis, & gemmis aſſuefacti pòſt Indiam victam & Crœſum.* Nic. *Lloydius.* Addo, quòd ſecundùm Auctorem anonymum *Hiſtor. Orbis Terr.* longitudinem *Perſia* habet à *Derbent*, loco mari Caſpio adjacente, uſque ad *Ardavat*, ad fluv. Indum: latitudinem à freto Ormuziano uſque ad influxum Oxi, in mare Caſpium. Suntque in hoc regno provinciæ celebriores, Caramania, nunc *Chirman.* ad Sinum Perſicum & Fretum Balſoræum: Parthia ſeu *Arac*, Hircania ſeu Corea, ad mare Caſpium, regio fertiliſſima. Media ſeu *Schirvan*, itidem mari Caſpio adſita, Perſis nunc *Farſi*: quò etiam referenda Armenia utraque; Georgia, quô nomine veniunt Albania & Iberia; dein Mengrelia ſeu Colchis, regiones inter Mare Caſpium & Pontum Euxinum fere ſitæ. Regia *Iſpahan* ſeu *Spahwn*, in provinc. *Arac* ſeu Parthia ſita eſt, à qua opibus & ſplendore eſt proxima *Schiras*, veterum Cyropolis. Urbs *Caſwyn* ſeu Arſacia, & Rages vet. in Media jacet; Ibidem eſt Tauriſium ſeu Ecbatana & *Derbent*, ubi Portæ Caucaſeæ Veterum. Idem *Perſiæ* & Parthiæ, ſeu incolarum potiùs, *Perſarum* & Parthorum, non niſi nominis diſcrimen agnoſcit. Vide Plin. *l. 6. c.* 13. & Solinum quoque *c.* 68. Quia verò *locorum intervalla diſtant notabiliter, ideo à Strabone ſub finem l. 15. & Ptolemæo l. 6. c. 4. non immeritò fuêre diſtinctæ; perinde ut & aliàs Geographi unam Germaniam in duas Superiorem & Inferiorem; vel unam Galliam in Cis-Alpinam & Trans-Alpinam, aut unam Hiſpaniam, in Citeriorem & Ulteriorem diſpeſcunt*, Schik. *Tarich. p.* 102. Idem Auctor præfatus, regnum Perſicum ante Muhamedem, quatuor familiis tenuiſſe docet: Quarum prima *Piſdadæorum*; ſecunda *Cajamiorum*, quorum ultimus fuit Darius Codomannus, ab Alexandro M. devictus; tertia *Aſganidarum*; quarta *Choſraworum* appellatione communi, propriâ *Suſanidarum*, fuit. Et quidem Dariô Codomannô à Magno Alexandro ſuperatô, Regnum *Perſarum* ad Græcos pervenit; Poſt Alexandrum, Seleucus inter hæredes ejus, opibus Ptolemæi recuperatâ Babyloniâ, cæſôque Nicatore, Mediæ Præfectô, *Perſidem*, Mediam, Parthos, Bactra aliaſque nationes Imperio ſuo adjunxit; interfectô denique Antigonô in pugna ad Ipſon, Syriæ quoque & reliquæ Aſiæ maximâ parte ad mare potitus eſt. Hinc de eo Sulpicius Severus, *l. 2. c. 26. Primus in Syria poſt Alexandrum Seleucus Rex fuit, ſubjectâ eidem* Perſide *ac Babylone*. & Amm. Marcellin. *l. 14. c. 8. Quam plagam Nicator Seleucus occupatam auxit magnum in modum, cùm poſt Alexandri Macedonis obitum ſucceſſoriô jure regna teneret Perſidis.* Succeſſerunt filius Antiochus Soter & nepos Antiochus Divus in idem magnum Imperium: cujus filii Callinicus & Hierax inteſtinis diſſidiis laborantes Arſaci, ad Parthicam potentiam erigendam, aperuêre feneſtram & otium dedêre. Hôc autem tempore Antiochia Regni metropolis fuit, a Seleuco condita: Unde Hegeſippo *l. 3. c. 5. Perſarum quondam caput*, dicitur: nempe cùm Seleucorum atque Antiochorum regias haberét. & ex Antiochena regia jura Perſæ acciperent. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ. c.* 21. Quamdiu poſteà ſub Parthis *Perſia* fuit, *Parthorum Perſarumque* nomen non raró apud Scriptores promiſcuè ſumtum reperitur, *Perſæque* dicti ſunt· qui propriè Parthi erant: unde Scriptores Græcos Latinoſque, qui ante Alexandri Mammææ, de quo ſuprà, tempora de his rebus ſcripſerunt, cautè legendos monet Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alexandro.* Vide quæ nos in hanc rem ex Gronovio ſuprà attulimus, in voce *Parthia.* Sub *Perſis* manſit Regnum ab A. C. 226. qui fuit 4. annus Imperii Alexandri, uſque ab A. C. 632. (ideoque 406. annos) quô *Jezdegird* Sirois filius ab Othmane, filio *Ophan*, Scenitarum Arabum Amirano, victus eſt atque interfectus. Georgio Monacho dicitur Ἀδεσὴρ & Anaſtaſio quoque *Adeſir*, voce mirum quantum corruptâ. Idem verò Gergius non iſtum ultimum Perſarum Regem facit, ſed Hormiſdam: inter quem & *Adeſir* interponunt alii Reges duos, Sarrabarzam & Varraranem VIII. Salmaſ. ubi ſuprà. Ita ſub Muhammediſmo eſſe cœpit, & quidem ſub Caliphis Saracenorum *Perſia* (diu fuit quô tempore nomen *Perſarum* cum *Saracenorum* confuſum, raró apud Scriptores occurrit) donec circa A. C. 932. decreſcente ſenſim illorum potentiâ, Sultani per provincias rebellare paſſim ac propria Regna condere cœperunt, ita ut omni fere poteſtate ſpoliati Caliphæ, ſolam antiqui nominis Majeſtatem retinerent. Inter præcipuos autem, qui *Perſiæ* invaſêre regnum, filii *Bojæ* ſeu *Pujani* erant, qui genus ducentes à priſcis Perſarum Regibus, adeoque ab ipſo Dario Hyſtaſpidis, genti iterum priſtinum reddidêre decus. Hi variâ fortunâ illud tenuerunt, per annos 127. uſque ad A. C. 1055. quô *Turcæ* (qui circa A. C. 1000. in Perſiam emigrârunt, duce Selgkukô) rerum ſunt potiti, occiſô Mahmudi *Perſiæ* Indiæque Regis filiô & ſucceſſore Maſúdô; hinc igitur *Selghucidæ* regnârunt; hôc ordine: *Togrul-Bekus*, ex Michaële filio Selghuci nepos (qui Maſudum modò dictum vicit occiditque) *Muhammed*; *Olbarſelan* Græcis *Axan*, *Melickshah*, *Mahmud*, *Barkiank* Latinis corruptè *Belgiarok*, *Muhammed* & *Mahmud Abulkaſem*: ſub quo deſtructum fuiſſe Turcarum in Perſia Regnum traditur. Id certum, nullam Turcarum Regum in Perſia mentionem poſt hunc Mahmudum fieri: & quantum in re obſcura conjicere licet, *Chóraſmii* intereà Perſiâ potiti ſunt, quos *Schinguiskan*, primus *Tartarici* Imperii conditor, penitùs evertit circa A. C. 1224. Annô dein 1260. *Ulakukan*, Paulo Veneto *Allau* Rex Perſiæ factus, illud ad familiam ſuam tranſtulit, ex qua aliquot Reges Chriſtianam fidem amplexi Turcas universâ Syriâ & Palæſtinâ expulerunt, teſtibus Haitone Armenô & aliis *Belli Sacri* Scriptoribus. Ultimus horum Regum fuit *Abuzaid Baheder Chan*, qui obiit A. C. 1337. Eô defunctô Regnum à Proceribus dilaceratum in varia regna fuit, præfectô quoque in provincia ſua dominationem invadente. Inter quos potentiſſimus, Europæis Magnus Parthorum Sultanus, *Gempſa*, Arabibus, ut videtur, *Scha Schaſia* dictus, obiit A. C. 1372. Cujus filii cùm Perſiam in quatuor regna *Schirazi*, *Kirmanis*, *Jeſdæ* & *Iſpahanæ*, diviſiſſent, potentiſſimus illorum *Scha-Alanſur*, à Tamerlane ſuperatus eſt, qui univerſum regnum in poteſtatem ſuam redegit. Poſt hujus verò obitum, filiis ejus inter ſe diſcordibus, *Turcomanni* Tartaros ejecerunt circa A. C. 1406. diviſi in factiones duas *Karakionlu* ſeu *Nigrorum Arietum* & *Akionlu* ſeu *Alborum Arietum*; è quorum illis primus Rex Perſiæ fuit *Kara-Iſſuph* ſeu Niger Joſephus, qui Tamerlanis ſucceſſorem evertit. Hanc familiam dejecerunt poſt 50. circiter annos, *Akojunli*, Perſiâ potiti A. C. 1468. primuſque ex his regnavit *Ozun Azebec*, Europæis *Uzum Caſſanus*, Græcis *Caſſanes Longus*, poſt quem ſeptem alii ex eadem familia ordine regnârunt, uſque ad Sultanum Muratum ultimum. Donec circa A. C. 1500. *Sophiani* faſces arripuerunt, in quorum hodieque ſunt manu. Horum conditor fuit *Scach-Sofi*; ſeu, ut à Texeira ſcribitur, *Xeque Safy*, Tamerlani coævus, qui originem ab Ali Muhammedis genero derivans, trigeſimum ab eo ſe numerabat: Ipſius pronepos fuit *Iſmaël Sofi I.* primus hujus familiæ Monarcha, quem excepit *Schach Tamas*; hunc *Schach Iſmaël II.* capitalis Ottomannicæ gentis hoſtis, quem &, cùm in lucem ederetur, pugnum cruore plenum, uterô matris extuliſſe ſcribunt. Vide Buſbequium *Ep.* 3. Poſt eum Rex fuit *Schach Muhammed Chodabende*; tunc *Iſmaël Murſa*, *Schach Abas*, de cujus crudelitate vide Herbertum *Itiner. Perſ. p.* 84. *& ſeqq.* &c. Bella quæ hi Reges gerunt cum M. Mogore, ob provinc. *Candahor*; cum Tartaris Usbequiis, ob *Choraſan* ſuſcipiuntur; cum Turcis, ob Bagdedum & *Irvan* controverſantur: quibus antehac vis Perſica non parùm formidabilis fuit, non tantùm ob potentiam gentis, ejuſque viciniam, ſed etiam ob interjecta vaſtiſſima deſerta, per quæ ob defectum pabuli jumentis neceſſarii duci exercitus ægrè poteſt; Sed minoris eam nunc habent, ex quo, Babylone in poteſtatem redactâ, opes *Perſicas* ſentiunt indies decreſcere. Vide Collectum Volumen Scriptorum de *Rebus Perſicis Francof.* A. C. 1601. Wilh. inprimis Schikhardum *Tarich* ſeu *ſerie Regum Perſ. ab Ardſchir Dabekan ad Jadzigerdem à Caliphis expulſum*, Tubingæ A. C. 1628. alioſque laudatos Auctori anonymo ſæpius dicto *Hiſtor. Orb. Terr. c.* 10. §. 12. *& c.* 11. §. 1. Adde Georg. Hornium *Orb. Imper. cum Not.* L. Joach. Felleri *p.* 420. *& ſeqq.* & quæ infrà dicemus, de *Perſarum Monarchia* cum Urſo, apud Danielem, collatâ, voce *Urſus.*

PERSIA Propria, alias *Perſis*, nunc *Farſi*, provinc. eſt Imperii Perſici verſus Auſtrum, mare Indicum & Os Sinus Perſici, inter Aſpahamum ad Boream & Armuziam ad Auſtrum. Ejus præcipua Urbs *Schiràs.*

PERSIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Ardebilia, *Ardevil.*	Guadela, *Guadel.*
Armuzia, *Ormus.* Nunc ſemidiruta.	Heratum, *ſeu* urbs Roſarum, *Herat.*
Aſpahamum, *Hiſpaham*, Perſiæ nunc Regia.	Lara, *Lar.*
	Mexatum, *Mexat.*
Carmania, *Cherman.*	Paſagarda, *Darabegerd.*
Casbinum, *Casbin.*	Siciſtanum, *Siciſtan.*
Caſſianum, *Caſſian.*	Siraſium, *Sciras.*
Comum, *Com.*	Sumachia, *Scamachie.*
Derbentium, *Derbent.*	Suſa, *Souſter.*
Tabriſium, *Tauris.*	

Reliquarum urbium, oppidorum, pagorum, caſtrorum, aliorumque in amplo hoc regno locorum catalogum, cum diſtantia eorum à ſe invicem, & quæ utique notatu dignâ, exhibet, in præcedentibus jam laudatus, Petrus de Valle, Patricius Romanus, *Itinerarii ſui tomô 2. & 3.*

PERSICA Arbor, vide ſuprà *Perſea.*

PERSICA Avis, non eſt פרס, *Peres*, quæ in cenſu avium immundarum in Levit. *c. 11. v.* 13. ſecundùm locum tenet, ut nonnemo apud *Munſterum* contendit, qui *peres* hîc alludere vult ad Hebræum Perſidis vocabulum, *Paras.* Namque *Perſidis* nomen Moſe recentius eſt, annis circiter noningentis. Cyri ſcil. tempore natum, uti diximus, qui primus populares ſuos equitare docuit; unde qui olim *Cuthæi*, vel *Suſiani* & *Elamitæ* dicti fuerant, poſtmodum *Perſæ*, i. e. *Equites*, dici cœpêre. Nec Moſes prohibuiſſet Hebræis avem Perſidi peculiarem, quæ à Judæa immenſùm diſtat. Interim quandam avem à Perſide nomen habuiſſe, & Περσικὸν ὄρνιν, *Perſicam avem*, Græcis dictam eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

eſſe, ex Ariſtophane *in Avibus* habemus. Per hanc verò Scholiaſtes quoſdam *gallum gallinaceum*, alios *pavonem*, intelligere ſcribit; quarum avium utramque mundam divina Lex pronuntiavit. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 2. c. 5.* & ſuprà *Oſſifraga.*

PERSICA Patera, vide ſuprà *Patera.*

PERSICA Sacra, à *Perſe*, vide Salmaſ. *ad Lamprid. Commod. c. 9.*

PERSICA Tunica, de gemmis, memoratur eidem Lampridio in *Heliogab. c. 23. Uſus eſt aureá omni tunicâ, uſus & purpureá, uſus & de gemmis Perſica, quum gravari ſe diceret onere voluptatis.*

PERSICA Urbs, apud *Stephanum*, Σοῦσα Περσικὴ πόλις, item Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις; non eſt *urbs provinciæ Perſidis*, quam Perſæ ſtrictè ac propriè dicti incolebant, ſed *Urbs Perſici Imperii*, Suſa enim Suſianes provinciæ, quam à Perſide omnes Auctores diſtinguunt, oppidum fuit nobiliſſimum; & Babylon, in Babylonia ſeu Meſopotamia ſita erat: Perſico interim Imperio utraque ſubfuit. Hinc idem diſtinguit inter Περσικὰς πόλεις & πόλεις Περσίδος; quarum hæ ſunt *Perſidis Urbes*, illæ *Perſicæ dominationis.* Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις, μητρόπολις, Σελεύκεια καλουμένη, *Babylon, Perſica Urbs, metropolis, Seleucia dicta.* Idem, Περσέπολις πόλις Περσίδος, *Perſepolis, Perſidis urbs.* Quemadmodum apud Iſidorum Characenum, Παρθικοὶ σταθμοὶ, *manſiones* ſunt *Imperii Parthorum*; at σταθμοὶ Παρθυήνης, *manſiones Parthiæ regionis* propriè ac ſpecialiter ſumtæ, Idem *p.* 1193.

PERSICÆ, Amyclaidæ, Laconicæ, Scythicæ &c. calceorum genera, ipſo nomine Perſas, Amyclæos, Lacones & Scythas, Auctores deſignantia; ita quidem, ut ſingulæ ſpecies ſingulare etiam aliquod ab aliis haberent diſcrimen, vel à colore, vel ab arte ſtructurave petitum. Cujus vel exemplô nec ætas noſtra caret. Gallorum enim, Italorum, Hiſpanorum aliorumque populorum calceamenta qui curioſiùs inſpiciat, alia videbit eâ parte, in quam extremi pedum digiti deſinunt, acuminata eſſe, ita ut roſtrum aliquod rectum repræſentent; alia ſima atque ad inſtar naſi bovini formata: Dein alia offendet hinc inde feneſtrata, alia omnimodè clauſa: alia porrò altè à ſolo ſurgentia, alia verò humilia & ſimplici ſoleâ compacta. Balduin. *de Calceo c.* 20.

PERSICI, vel PERSISCI equi, noſtris traquenariis ſimiles, memorantur Vegetio, *Perſici & staturâ & poſitione à cœteris equorum generibus non plurimum differunt, ſed ſolius ambulaturæ gratiâ diſcernuntur à cœteris: gradus eſt minutus & creber, & qui ſedentem delectet & erigat, nec arte doceatur, ſed natura veluti jure præſtetur.* Idem aliô locô de Parthicis, qui tolutim docebantur: *Prætereà*, inquit, *minutos imitatur greſſus, ut inter aulices ungulas ponat, nam ſi extendere voluerit, offendit in cumulum. Minutim autem equus ambulans commodiùs vehit, & pulchriùs videtur incedere.* Dicti autem *tolutim incedere* ejuſmodi equi, quòd crura altiùs tollerent in currendo & ſubſultim incederent. Quod inventum Parthis tribuit idem Vegetius &c. Vide hic paſſim, inprimis ubi de equis *Aſturconibus* ſeu *Tolutariis* & *Tricenariis.*

PERSICUM Mare, & *Perſicus* ſinus, pars maris Rubri (quod Arabiam Felicem ad ortum alluit) inter Arabiam ad Meridiem, & Carmaniam, Perſidem, & Suſianam ad Boream ingrediens, & alluens, in longitudinem 10000. ſtad. patens ex *Strabone*, at ex recentioribus 225. leucis Hiſpan. inter Teredonem, ſeu oſtia Tigridis ad Occaſum, & Armuziam inſul. ad os illius in Ortum. Mela. *l. 3. c. 8. Perſicus, quà mare accipit, utrinque rectis lateribus grande oſtium, quaſi cervice complectitur: deinde terris in omnem partem vaſtè & æquâ portione cedentibus, magnô littorum orbe pelagus incingens, reddit formam capitis humani.* Ubi non potuit aliô nomine ſinum hunc appellare Mela, atque ab omnibus appellatur. Unum tantùm inveni Theophraſtum, cui ſinus Perſicus etiam vocetur Arabicus. Verba ejus *l. 4. c. 19.* ſic concipienda ſunt: Ἐν Τύλῳ δὲ τῇ νήσῳ (κεῖται δ᾽ αὕτη ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ τῷ μὲν πρὸς ἕω) τοσοῦτον πλῆθος εἶναί φασι δένδρων, ὅτ᾽ ἐνσχύνει ἡ πλημμυρὶς, ὥστ᾽ ἀπωχυρῶσθαι. Et ſanè nulla eſt ratio, cur non æque Arabicus, ac Perſicus nominetur ſinus, cùm portionem ejus majorem cingant Arabes. Ad diſtinctionem tamen alterius Arabici, Perſici ſibi cognomen adſciviſſe videtur, Iſ. Voſſ. *in Melæ loc. cit. Baudrando* Perſicus ſinus, nunc *Mer d'Elcatif*, ſeu *Golfe de Perſe*, & *de Baſſora*; eſtque inter Perſiam ad Boream Arabiamque ad Auſtrum & Occaſum. In eum Tigris influit; eſtque plurimis Inſulis refertus, in parte Meridionali. Conjungitur Oceano Arabico ſeu Indico per fretum Moſandanum, quamvis à multis ſinus Armuzianus credatur etiam ejus pars. Extenditur ad 500. mill. paſſ. ab Euro in Circium, ſed major ejus latitudo, à Septentrione in Boream, vix eſt 150. mill. paſſ.

PERSIDÆ, nomen tribus ſeu familiæ veter. Perſiæ Regum, à *Perſe* gentis auctore. Vide ſuprà *Perſes.*

PERSIS, pars fuit ampla Auſtralis Imperii Perſici, ubi Caramania, quæ ad Ortum, Suſiana, quæ ad Occidentem, & Perſis propria, quæ inter utramque verſus Sinum Perſicum, cujus caput fuit Perſepolis. Item pro tota Perſia. Vide ibi. Salmaſio ſemper à Suſiane diſtinguitur, ipſô quoque *Strabone*, qui tamen Suſianem propemodum partem eſſe Perſidis ſcribit, eas provincias diſtinguente. A parte Carmaniæ; flumen habet Cyrum, à parte Suſianes Choaſpem; cum Suſiane ac Caramania, inter Parthici Imperii provincias non recenſetur Plinio ac Iſidoro *libro* Παρθικῶν σταθμῶν: quia Perſæ, uti ſuprà diximus, etiam ſub Parthorum Imperio, ſuum ſemper habuêre Regem, cui Perſidis regio parebat & Carmania & Suſiane ac reliquæ provinciæ in Indici maris ora. Unde Plinium, *l. 6. c. 25. Parthorum Imperium à Meridie Mari Rubrô terminantem* corrigit Salmaſ. quum eouſque non pertineret, minimè comprehensâ Perſide, & adjunctis regionibus, quæ proprium Regem habebant, licèt tum humilem & Partho obnoxium. Vide eum *ad Solin. p.* 1197. Nec omittendum, quod idem notat, vocem Περσίδος, apud Græcos Scriptores, nunquam aliter, quàm de particulari Parſarum regione, non verò de Perſarum Imperio, uſurpari, *p.* 1193.

PERSIUS, doctiſſimus Romanorum: Cicero *l. 2. de Orat. c. 6. C. Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere ſolebat; Ea quæ ſcriberet, neque ſe ab indoctiſſimis, neque à doctiſſimis legi velle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quàm ipſe de ſe: qui etiam ſcripſit: Perſium non curo legere (hic enim fuit, ut notamus, omnium ferè noſtrorum hominum doctiſſimus) Lælium Decimum volo, quem cognovimus virum bonum, & non illiteratum, ſed nihil ad Perſium.* Hæc Cicero.

PERSIUS Flaccus, Poëta, Volaterris, Hetruriæ oppid. natus, claruit iiſdem ferè temporibus, quibus Domitius Nero Imperium urbis Romæ ſuſcepit. In Grammaticis præceptorem habuit Rhemnium Palæmonem Vincentinum, qui graviſſimas inimicitias dicitur exercuiſſe cum M. Varrone: In Rhetorica Fl. Virginium. Annæum verò Cornutum, qui Philoſophiæ ſtudiô excelluit, magnâ diligentiâ, ſingularique obſervatione coluit. *Sat. 5. v. 36.*

——— Teneros tu ſuſcipis annos
Socraticô Cornute ſinu, &c.

Vide Caſauboni notas ad Perſii vitam à Probo, aut alio vetuſto auctore ſcriptam. Quinctilian. *l. 10. c. 1. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Perſius meruit.* Martial. *l. 4. Epigr. 29. v. 7.*

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in tota Marſus Amazonide.

Nic. Lloyd.

PERSONA, Græcis πρόσωπον, apud horum vetuſtiſſimos, non ἀξίωμα vel ἀξιωματικὸν, *dignitatem*, vel *hominem in dignitate conſtitutum*, ſignificavit, ut quidem voluit Joſ. Scaliger, qui Decanos Aſtrorum πρόσωπα propterea dictos contendit; Sed πρόσωπον ii dixerunt, quod recentiores προσωπεῖον, *perſonam* aut *larvam*, quæ ad ſimilitudinem vultus alicujus efficta eſt. Mœris Atticiſta, πρόσωπα, τὰ τῶν ὑποκριτῶν, Ἀττικοὶ προσωπεῖα Ἕλληνες. *Pollux*, τὸ δὲ πρόσωπον, καὶ προσωπεῖον, ὥσπερ μορμολυκεῖον. Et *ibid.* ὀθόνιον πρόσωπον, *perſona vel larva ex lineis facta.* Hinc & προσωπίδας vocârunt, quibus mulieres vultum tegebant, *Maſques* Galliis. Heſychius, προσωπεῖον, ἡ νῦν καλουμένη τῶν γυναικῶν προσωπίς. Cujuſmodi προσωπίδας purpurei coloris fuiſſe, dicemus infrà, ubi de muliebris capitis *Velo.* Eôdem ſenſu *vultum* uſurpat *Publius Syrus*,

Libido cunctos etiam ſub vultu domat.

Item *aſpectum*,

Grave eſt malum omne, quod ſub aſpectu latet &c.

Vide quoque infra voce *Roſtra.* Inde itaque Decani ſive Dei horoſcopi Veter. πρόσωπα appellati ſunt: & quidem primus Decanus Arietis dicebatur πρόσωπον Ἄρεως, i. e. προσωπεῖον, quòd Martis ſtellam, cui deputatus erat, repræſentaret & exhiberet; ſecundus πρόσωπον ἡλίου, quòd Soli eſſet deputatus: tertius, πρόσωπον Ἀφροδίτης, quòd Veneris ſtellam exhiberet &c. Niſi potiùs ſic dicas appellatos, à variis vultuum & imaginum figuris, quibus pingebantur. Nam aut homo erat, ſecurim tenens aut enſem, & alia hujuſmodi εἰκάσματα. *Pſellus è Teucro*, Δεκανοὶ ποικιλόμορφοι, ὁ μὲν κατέχων πέλεκυν, ὁ δ᾽ εἰς ἄλλο τι ἐσχηματισμένος εἴκασμα. Vide ſuprà ubi *de Decanis hujuſmodi*, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 645. *Perſonæ* inprimis *Scenicæ* notiſſimæ ſunt, quarum primus auctor prædicatur Theſpis, colorem inducens quendam ore fæcibus perunctô, cùm Paſtores anteà pellibus operti, herbarum folia grandiora ob faciem obtendentes, perſonas induiſſent, de quibus vide Jul. Cæſ. Scaligerum *Poetic. l. 1. c.* 13. 14. & 16. & hic paſſim, inprimis ubi de *Mimis*, it. voce *Minutius*, ubi de iis qui *perſonati* Comœdiam egêre primi. Poſtmodum verò pro dignitate, vel homine in dignitate conſtituto vox ſumi cœpit, uti apparet ex *Conſtitutione* Diocletiani & Maxim. In Eccleſia, quando de Trinitate Sacroſancta uſurpari cœperit, diſcimus ex Facundo Hermianenſi *l. 1. c. 3.* Perſonarum *nomen, non niſi cùm Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſariò in uſum prædicationis aſſumtum eſt: ut qui ſemper tres crediti ſunt & vocati, Pater, & Filius & Spiritus S. unô quoque ſimul & communi* Perſonarum *nomine vocarentur. Deinde etiam Subſiſtentiæ dicta ſunt, quoniam Eccleſiæ placuit, ad ſignificandam Trinitatem, & hoc nomen diſtinctioni perſonali tribuere*, Car. du Freſne *Gloſſ.* Secundum Burmannum, *Perſona* vocabulô, à ſcena primitus tranſlatô, in ſacris primus uſus eſt Tertullian. Græcis autem vox πρόσωπον circa hoc Myſterium, uſurpata eſt in Concilio Niceno, imò & antè, in elenchum ψιλοῦ ὀνόματος, *nudi nominis*, Sabellii; atque alterum vocabulum Ὑποστάσεως, quod in Symbolo Athanaſii occurrit, præeunte Scripturâ, Hebr. *c. 1. v. 3.* Ubi Chriſtus Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, *character ſubſiſtentiæ* Patris, q. d. imago ſic Patrem exprimens, quemadmodum id, quod in cera eſt, exprimit formam, quæ in in ſigillo eſt: Ut moroſè nimis Mennonitæ aliique hanc vocem refugiant. Deliravit autem Sabellius, unicam tantùm in divinis eſſe *Perſonam*, quæ propter diverſos effectus, modò Pater, modò Filius, modò Spiritus S. appelletur; qui nuper etiam Serveti fuit error: quemadmodum contra Peratæ, Philoponus, Valentinus Gentilis & ſimiles, in Tritheiſmum relapſi tres quidem *Perſonas*, ſed eſſentiali numerô inter ſe differentes adeoque tres Spiritus æternos ſeu Deos, aſſerere non erubuerunt. Vide eum *Synopſ. Theol. Part. I. l. 1. c. 30.* cui adde Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ὑπόστασις, & quæ ſuprà diximus in eadem. In Eccleſia Romana *Perſonæ* dicuntur Clerici, qui Beneficia Eccleſiaſtica obtinent; quòd, ut quidam putant, *magnam propter officium perſonam ſuſtineant*; ſed maxime ii, qui Beneficia ſeu Eccleſias per Vicarios adminiſtrari curant, dum ipſi potiori redituum parte fruuntur; &, ut ait Joh. Sariſberienſis *Policrat l. 7. c. 17. qui quôcunque modô plura*

ra conquirunt altaria & nolentes ſervire altario, de quo vivunt, perſonatos quoſdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referantur emolumenta. Unde apud eundem *Ep.* 1. *Perſonæ* opponuntur *conductis*, *conductitiis Sacerdotibus*, & *Vicariis.* Hos verò *Juniores*, eorumque miniſteria *Junioratus* appellatos, diſcimus ex *Charta* Baldrici Noviom. Epiſcop. A. C. 1103. apud Vaſſorium *in Noviomo.* Quam in rem vide plura, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi, primum & digniſſimum *Perſonatum* Archidiaconatum eſſe, inter alia, addit:

PERSONA, pro rectore Eccleſiæ, vide Spelmannum *Gloſſar.* & hîc ſuprà.

PERSPICILLA, Optices (de qua ſuprà) beneficiô inventa, ſenes myopeſque non parùm juvant, quod & acutiùs & longiùs iis vident; cùm cujuſque viſui accommodentur. Horum notitiam Veteres habuiſſe, docet Guido Pancirollus JC. *in Novis Repertis tit.* 15. ut & Salmuthus *ſuis ad eum Notis.* Tuentur verò ſe iſtis *Plauti:*

Vitrum cedò, neceſſe eſt conſpicillo mihi.

Quod negant aliter, quam de ſpecillis oculariis, poſſe intelligi. Sed multimodis, ut Voſſius contendit, falluntur. Primùm enim negat is, hæc Plauti eſſe: negat etiam, hæc legi apud Veterum quemquam. Sed Plauti eſt, *Ciſtellariâ Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 92.

Mater pompam me ſpectatum duxit: dum redeo domum,
Conſpicillô conſecutu' ſt clanculum me uſque ad fores.

Ubi *Conſpicilli* nomine locum intelligit, unde quis conſpicere poſſit: Sicut interpretatur *Nonius Marcellus:* qui & ex Plauti *Medico* adducit:

In Conſpicillo adſervabam, pallium obſervabam:

Sive potiùs, ut ἁπλῶς eſt in Voſſii *MSo,*

In Conſpicillo adſervabam pallium:

Ubi non aliter accipere poſſis, quàm illo *Ciſtellariæ loco.* Ita ergo recentioris inventi fuerint: Vide de his Joh. Baptiſtam Portam *Magiæ Natur. l.* 17. *c.* 11. & Levinum Lemnium, *de occultis Naturæ mirac. l.* 4. *c.* 6. quibus adde Gerh. Johannem Voſſium *de Scientiis Mathematicis c.* 24. §. *ultimo.*

PERSPICUA Urbs, apud Amm. Marcellin. *l.* 14. *c.* 8. *Ciliciam verò, quæ Cydnô amne exultat, Tarſus nobilitat, urbs perſpicua; Noblis hanc condidiſſe Perſeus memoratur:* clara eſt, pulchra & conſpicua. Ita enim tum loquebantur. Macrob. de Julia, *l.* 2. *Saturnal. c.* 5. *Profuſi cultus perſpicuique comitatus.* Appulej. de Pſyche, *Cum ſua ſibi* perſpicua *pulchritudine*, i. e. clarâ, ἐνδήλῳ, περιβλέπτῳ. In *Poëmate* Eucheriæ, *roſa perſpicua,*

Perſpicuamque roſam dira cicuta premat.

Ibidem, *perſpicua perdix,*

Triſtis perſpicua ſit cum perdice tavanus,
Junctaque cum corvo pulchra columba cubet, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 772.

PERTA, vulgò PERTE, oppidulum Galliæ, unde *Pertenſi* pago nomen. Vide ibi.

PERTA, oppidum in Galatia, *Ptolem.*

PERTENSIS, cognomen Pagi, apud Gregor. Turonenſ. *de Gloria Confeſſ.* ubi de Avito Abbate Carnutenſi, lege *Perticenſis.* Vide infrà voce *Perticus.*

PERTENSIS Pagus, vulgò *le Partois*, ab oppidulo ejuſdem nominis adjacente flumini Matronæ appellationem traxit. In Præcepto *Ludovici Imper. Auguſti, anno* 19. *imperii domini Ludovici Piiſſimi Aug.* dato, memoratur his verbis: *Audo venerabilis Abbas Monaſterii, cujus vocabulum eſt Ders, quod conſtat eſſe conſtructum in pago Pertenſe ſuper fluvium Ivera, quod olim vocabatur Puteolus, à S. Bercbario Abbate, cujus corpus ibidem requieſcit,* Childericô Rege Francorum *conſtructum.* Hic pagus Campaniæ Gallicæ *Pertiſus* etiam dicitur in Capitulis Caroli Calvi, i. e. *Pertenſis*; *Partenſis* Nithardo in *l.* 1. *pagus Portinſis*, h. e. *Portenſis*, Frodoardo in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis; *Portenſis* quoque in Diviſione Regni Lotharii ſic: *Barrenſe, Portenſe, Salmoringum. Partenſem* quoque Barrenſibus proximum facit Nithardus in libro locoque laudato, cum pagum inter *Bleſenſem* & *utroſque Barrenſes* ponens. Ut appareat *Partenſem pagum* Nithardi, & *Portenſem*, in Capitulis Caroli Calvi ſeu in diviſione Regni Lotharii, unum eundemque eſſe. Fatendum tamen eſt, *pagum Portenſem* in Diviſione Regni Lotharii, & apud Frodoardum non malè pro pago *Porciano* accipi poſſe. Oppidulum, quod pago nomen dedit, Martino Bellajo in *l.* 10. bis *Barte* dicitur, cæteris *Perte*, eſtque oppido S. Deſiderii proximum: quod municipium *Pertam*, vel *Partam* vocari poſſe, docent varia nomina pagi ab ipſo cognominati: quem pagum *Pertenſem*, *Partenſem*, ac *Portenſem* olim promiſcuè nuncupari conſueviſſe, ſuprà docuimus. Valeſ. *Notit. Gall.*

PERTHARIS exul, ſucceſſit in Italia Grimoaldo, Rebelli Alachi, à quo victus fuerat, interceſſione filii Cuniberti, veniam dedit, Cunibertum ſucceſſorem reliquit. A. C. 673. 689. P. Diacon. *l.* 5. *Longob. c.* 33. Vide ſuprà *Bertandus.*

PERTHIA, provinc. parva. Scotiæ meridionalis à Savo fluv. in duas partes ſecta: ibi oppid. præcipuum Perthum, communiter *S. John. Stovvn.* Habet ad Ortum Anguſiam, ad Occaſum Straterniam, ad Meridiem Fiſam provinc. Ab Auſtro Atholia adjacet. Urbs autem Perthium, 12. mill. paſſ. abeſt à Dunkeldino in Auſtrum, 22. à Strevelino in Cæciam, 32. ab Edimburgo in Borean. Synodus hîc habita, quâ Epiſcopi reſtituti, A. C. 1616. cujus hiſtoria paucis hæc: Quia Scotia, ex quo ad Angliæ Regnum vocatus fuit Jacobus, Epiſcopis carebat & hierarchiam Anglorum improbabat Jacobus (qui occultam Anglis ſpem feciſſe dicitur, Epiſcopatus ſibi non improbari) Rex tactus convocavit utramque partem Anglorum, tum qui iis favebant, tum qui eos ſublatos volebant, ac publicâ diſputatione inquiri voluit, *retinendusne an abolendus Epiſcopatus eſſet?* Diſputatum, ſed non ſine præjudicio pro Epiſcopis, ut quorum partes apertè Rex amplectebatur. Hi igitur gratiâ & favore Regis ſuperiores, ſecùs ſentientes non tantùm improbare velut errantes, verùm perſequi etiam, tanquam ſceleratos & Regis Regnique hoſtes, cœpêre: occupatôque Regis animô non deſtiterunt dominationem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, affectare. Sed validior erat Anglia, quam ut tam facilè mutationem admitteret: Quare primùm aggredi viſum Scotos, & habitâ Synodô *Perthenſi* annô præfatô, Epiſcopi, qui jam ferè per 50. annos inde exulârunt, præterditque Rex uniformitatem: cauſatus, niſi Eccleſia Scotica in omnibus Angliæ conformaretur, nunquam Regnorum unionem ſtabilem perpetuamque fore, Hornius *Orb. Imp.*

PERTHIA, *Ptolem*, quibuſdam *la Pergola*, caſtrum ditionis Pontific. in Ducatu Urbinatenſi, 8. mill. paſſ. à Callio in Ortum ad amnem Ceſanam, 13. mill. paſſ. à Foro Sempronii in Meridiem.

PERTICA, apud incertum Agrimenſorem *in Fragm. Si fuerit ergo vallis, quæ conſpectum agentis exſuperet, per ipſam metis ad ferramentum appoſitis erit deſcendendum: cujus, rigoris inceſſum ut à ſe in contraria æquemus, afflicta antè linea Capitulum* perticæ *æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus*: Salmaſio groma eſt, quæ normas habebat & perpendicula pendentia. Convertebantur autem ea ſuper ferramentum fixum. Idem Auctor, *Nam quoties cultellamus ſine linea conſpectum metarum ſæpe excedimus & cùm feſtinantes ex eo loco iterum rigorem conſpicimus, tunc in illa* perticarum *quamvis exigua converſione, non minùs fit diſtenſio.* Habebatque funiculos & pondera. Ibidem, *Et ferramentô primô mutatô omnia indomita perpenſa dirigere; cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus & inter ſe comparata fila tenuêre vias ita perſpicere.* Ubi fila *expenſa ponderibus*, perpendicula, aut, quæ ex gromæ regulâ pendebant. Atque hæc eſt groma, quâ agrorum caſtrorumque metatores utebantur. Auctor *Dirarum*, *v.* 45.

Pertica, quæ noſtros metata eſt impia agellos,

Et apud Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 130.

Abſtulerat patrias Pertica *triſtis oves.*

Unde poſtmodum, pro tota limitatione vel metatione, h. e. territorio, coloniæ limitibus comprehenſo, vox ſumi cœpit, ut mox latiùs dicemus. Alia erat *Pertica*, quâ agros metiebantur, quâque hodie res menſoria peragitur. Sed antiquiores, qui de limitibus ſcripſerunt, *pedum* tantùm meminêre, unde *agri pedatura* paſſim, ὁ ποδισμός: & per *paſſus* menſuram itinerum collegêre: quam ad ad rem *perticæ* aut funiculi nullus uſus. Hinc Columella, omnia menſurarum genera enumerans quibus agrorum arcæ modus tunc enuntiabatur, nuſquam *perticæ* meminit. Sed nec Varro, ubi agrorum menſuras recenſet. Ex quibus apparet, recentiores eſſe Auctores illos, qui *perticam* huic uſui adhibent &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 688. ubi hanc *Perticam*, cum *Decempeda*, non eandem fuiſſe; addit, quippe cui 12. pedes, digitorum 18. aſſignati. Vide quoque ſuprà in *Decempeda.* Hinc *Pertica* & *Pertica regio*, Agrimenſoribus, territorium dicitur, ut indigitatum, in IV. partes diviſum & comprehenſum limitibus maximis Decumanô & Cardine: totum territorium diviſum & aſſignatum. Frontinus, *Solum autem quodcunque coloniæ eſt aſſignatum, id univerſum* Pertica *appellatur.* Aggenus, *Pertica, quatuor regionibus æqualiter diviſa.* Et Sæculus; *Ergo Præfectura illa dicitur, cujus territoriô ager ſumtus finierit perticam illam, tanquam coloniam illam, ubi civis deductus fuerit.* Quod ut meliùs intelligatur, ſciendum eſt, totius Coloniæ territorium diviſum dictum propriè fuiſſe *Perticam.* Quòd ſi ager coloniæ non ſufficeret, vel novi coloni deducendi eſſent, ſumebatur & dicebatur *Præfectura.* Quòd enim veteribus poſſeſſoribus proprietas tantùm adimeretur, non etiam juriſdictio transferretur, ſed in eodem jure, quô priùs fuerat, relinqueretur; quorum priùs fuerat juriſdictio in illis agris, Præfectos eò mittebant juri dicundo, unde & *Præfecturæ* appellatæ. Sic *Perticam* & *Præfecturas* diſtinguit Hyginus, *in Gromatico de limitibus conſtituendis: Quorundam deinde coloniis* Perticæ *fines, h. e. primæ aſſignationis, aliis limitibus, alias præfecturæ continentur.* Ubi *Perticam* interpretatur *primam aſſignationem*, Præfecturas *ſecundam*; vel novis colonis deductis; vel quia ager coloniæ defecerat, idcoque ex vicinis territoriis fuit ſumendus. Cujus rei diagramma exhibet Salmaſ. *ad Solin. p.* 674. ubi plura hanc in rem. Quòd verò *Pertica* Frontino aliiſque, id *regio cancellata* Hygino, i. e. limitata. *Cancellare* enim propriè eſt *delineare* & lineas tranſverſim ac in obliquum ducere. *Lineares* autem limites vocabantur, qui in obliquum erant diſcreti & agros per jugera diviſos coërcebant. Hos & *minores* dicebant: ut ſcribit Servius *ad Georgic. l.* 1. atque inde formam & typum agrorum ſic delineatorum & per centurias diviſorum *Cancellationem* Agrimenſores appellabant, & *Centuriationem* & *Perticam.* Sæculus Flaccus, *Et quamvis una rei ſit forma, alii dicunt* Perticam, *alii Centuriationem, & metationem, alii limitationem, alii cancellationem; alii typum*, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c.* 16. Inde Subſtant. *Perticata*, modus agri *perticam* continens. *Stemanno* eſt terræ portio, quæ latitudine perticam continet; longitudine verò per ſtadium integrum, quod *Quarentenam* dicunt, diſtenditur, h. e. ad 40. perticas, alias *Roda* dicta. Itaque *Perticata* continet in integra ſuperficie 40. perticas, i. e. quartam partem unius acræ, quæ octagies perticam comprehendit, *LL.* Burgorum Scot. *c.* 119. *Perticata terra in Baronia debet menſurari per* 6. *ulnas, quæ faciunt octodecim pedes mediocres —— Pertica terræ in burgo continet* 20. *pedes* &c. Sed & *Perticata* adjectiv. reperitur apud Martialem, cui frons Maſclionis *perticata* dicitur:

Quòd nutantia fronte perticata
Ceſſant pondera Maſclion ſuperbus.

Ubi vulgò *fronte pertinaci:* à *perticis*, ſeu phalangis, quibus one-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ra portabantur. Vide iterum Salmaſ. *ad Lamprid. in Commodo Ant. c.* 13. ut & intra *Porticani*, & *Portingherius*, quas medii ævi voces, ab eadem origine derivant: de *Pertica* vero *tricuſpide*, inter Martyrum tormenta, infra itid. in *Tripaſſalum*. Sed & *Perticæ venatoriæ* occurrunt, apud Plutarchum *Pelopida*, cujus, duodecimque ejus comitum, venatorium habitum ſic deſcribit: *Procedebant brevibus chlamydibus amicti catulos agentes venaticos*, & perticas *tenentes ad feras indagandas, ut ne quis eorum, qui in via occurrerent, ſuſpicaretur, eos aliquid novi moliri.* &c. Vide & hîc intrà.

ad PERTICAS, locus civitatis Ticinenſis, ubi Rodelinda Bertaridi Langobardi uxor Baſilicam S. Dei genitricis opere mirabili condidit. Nomen inde, quod ibi olim *pertica*, i. e. *trabes erectæ ſteterant, quæ ob hanc cauſam juxta morem Longobardorum poni ſolebant. Si quis enim in aliquam partem, aut in bello, aut quomodocunque extinctus fuiſſet, conſanguinei ejus intra ſepulchra ſua perticam figebant, in cujus ſummitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc verſa eſſet, ubi illorum delectus obiſſet. Scilicet ut ſciri poſſet, in quam partem quieſceret.* P. Warnefridus *de Geſtis Longobard. l.* 5. *c.* 34.

PERTICUS, vulgò *le Perche*, provinc. Galliæ, inter Belſiam ad Ortum, Normanniam ad Boream & Cenomanas ad Occidentem ubi aliàs Aulerci Diablintres. Ejus caput eſt Noviodunum, ſeu Novigeneum, *Nogent le Retrou*, *Baudrand. Valeſio Perticus ſaltus*, quem *Nithardus ſaltum Perticam*, *Perticum ſilvam* Vita Betharii Carnutenſis Epiſcopi, *Particum ſaltum* Chronicon Fontanellenſe vocat, nomen *pago Pertico*, vel *Perticenſi* dedit, *le Perche*: cujus incolæ *Perticenſes* vocantur, *les Percherons*. *Pertici ſaltus* meminit Theodulfus hôc verſu, de fonte Sartæ ſcribens, *in Ep. ad Moduinum Auguſtodunenſium Epiſcopum*:

Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

Aimoinus Floriacenſis Monachus, ætate Regis Rotberti antè annos 650. *In Lugdunenſi Galliæ ſilvæ* (inquit) *multæ, ſed eminentior cæteris Perticus.* Idem ſcribit Hugo. Guilielmus Britto, nunc *Perticum*, nunc & *Perticam* appellat. Sic enim *in l.* 3. *Philippidos*,

Pertica Rotroldo gaudet nemoroſa recepto.

I. e. Novigento Rotroldi vel Rotroci. Ordericus quoque modò *Particum* vel *Perticum*, modò *Perticam* nuncupat, *Proceres Partici & Corboniæ* memorans, & *Nogentum in Pertica*. In ſaltu pagoque *Pertica* oritur & Autura. *Saltum Particum*, & *abditiſſimam ſolitudinem ſilvæ quæ Particus dicitur*, vocant *vetera acta* B. Launomari. Durabat adhuc ſilva *Perticus* regni Henrici I. Ann. 1. ante annos 645. Gaufridus enim Vicecomes Caſtridunenſium, qui Abbatiam S. Dionyſii Novigenti fundavit, in ſuis literis datis An. 1. regni Henrici, Chriſti 1032. ita loquitur: *Omnibus hominibus illorum omnes ſaltus meos, exemptô Pertico, ita concedo.* Item: *Et homo illorum* (*Monachorum*) *intra ſaltum Pertici habitet.* Gaufridus Caſtri Moritoniæ Comes, filius Rotroci Comitis, nepos Gaufridi Vicecomitis Caſtri Duni; inter Jogunam fluvium & caſtrum Nogentum, vel Nogiomum Baſilicam Dionyſii Mart. ab avo & patre inchoatam abſolvit; cujus in literis hæc leguntur: *Paſnadium omnium porcorum de ſilva Reſno & de omnibus foreſtis meis do: Perticum verò ad uſum meum & ad uſum Monaſterii S. Dionyſii ita in proprio meo retineo, ut quæcunque fuerint ad uſum Monaſterii neceſſaria, ex eo Monachi faciant, & homo iterum intra ſaltum Pertici habitet. Do etiam totam decimam tam de Pertico, quàm de omnibus ſaltibus meis. Omnes meos ſaltus conſuetudinarios eſſe jubeo uſibus Eccleſiæ, & habitaculis Monachorum, exemptô Perticô, ita concedo, ut &c.* Ex quibus intelligitur: *Perticum ſaltum* circa Novigentum Rotroci, vel Nogentum caſtrum, & circa Jogunam amnem, vel Jogniam, *Huinam* vulgò dictum, fuiſſe adhuc, dominô Odone Palatinô Comite, majore ex parte intactum: quem *ſaltum Perticuli* appellat Urbanus Papa in literis, quibus donationem Gaufridi confirmat. Gaufridus III. Comes Perticenſis in litteris datis A. C. 1205. *in foreſtibus* (inquit) *meis de Belliſmo, Reſno, Mauriſſilva, Pertica, Campo Rotundo, & cæteris Comitatus mei.* In Inventario domus Alentionenſium Comitum A. C. 1313. memorantur *la foreſt du Perche*, & *la foreſt de Reno*, i. e. *ſilva Perticus*, & *ſilva Reſno*: Mauriſilva vulgò vocatur *Mauriſſeure*. In literis datis A. C. 1030. Robertus Comes Pertici *nemorum conſiſtentium in Pertico* meminit, & permittit Monachis St. Dionyſii Novigenti in Carnutibus, *ſummarium unum habere in nemore quod dicitur Perticulum, ad mortuum nemus. Perticulum*, vel *Perticulus* ſilva vel nemus, vocatur *le Bois de Perchet*; ut *Clergerius* obſervat. Wanelo Turonicæ Baſilicæ St. Martini Theſaurarius in literis datis A. C. 1046. *Pertici* ſilvæ mentionem facit hiſce verbis: *Deinde augeo eis* (Sanctimonialibus S. Aviti in pago Dunenſi *S. Avy*) *paſtionem centum porcorum in ſilva mea, quæ vocatur Perticus, & ligna ejuſdem ſilvæ ad calefaciendum ſeu operandum, ubicunque opus fuerit ſibi, abſque ulla calumnia & conſuetudine. Monaſterium S. Aviti de Caſtriduno* vocat Alexander Papa ſuis in literis; & *lucum Pertici datum ei à Wanelone Theſauraria*, St. Martini Turonenſis ſcribit. Avitum hunc *in vaſta Pertici ſolitudine commorantem* vocat vetus ſcriptor libri, *de Vita S. Leobini Carnutenſis Epiſcopi*, ſeu Fortunatus ſeu quis alius: quem & *tunc temporis moratum Eremitam in Pertico*, & à Leobino juvene bis aditum, ac ibidem mortuum ait. Gregorius Turonicus Epiſcopus, *in libro de Gloria Confeſſorum*, ejuſdem meminit his verbis: *Avitus Abbas Carnoteni Pagi, quem Pertenſem vocant, honorificè apud Aurelianenſem urbem humatus eſt: ſuper quem Fideles Chriſtiani Eccleſiam conſtruxerunt: cumque anniverſarius ejus aſſumptionis dies cum ſummo coleretur honore &c.* Legendum eſt omnino emendandumque *Perticenſem*. Erat enim Avitus Abbas & Monaſterium ſuum habebat in ea parte *pagi Perticenſis*, quæ ad *Carnutes* Diœceſimque Carnutinam pertinebat, & ob id non ſuâ ſolùm & propriâ, ſed etiam pagi *Carnoteni* appellatione potuit deſignari. Apparet igitur jam ante A. C. 1080. *Pertici* ac *Perticenſis pagi* nomen notum ac uſitatum atque literis mandatum fuiſſe à ſcriptore Gallo, cujus ſedes ab ipſo pago non longe aberat. Hæc regio 4. ad populos pertinet, quatuorque Diœceſes, ut ait *Samſon*. Partem ejus aliam ſibi vindicant Cenomani, aliam Saji, aliam Aulerci Eburovices, aliamque Carnutes: è quibus Cenomani ſunt provinciæ Lugdunenſis tertiæ; Saji & Eburovices Lugdunenſis ſecundæ; Carnutes Senoniæ ſeu quartæ Lugdunenſis. Errant *Marlianus* & *Samſon*: quorum alter Unellos pro Perticenſibus habet, alter poſterior Aulercos Diablintes, quem alibi refellimus. Sub Sajis ſunt Belliſmum, Moritonium, & Petraria, *la Perriere*, ac Curbio *Corbon*, oppida Regia vel municipia: in Diœceſi Carnutina Novigentum Rotroci; in Cenomanica Ceto, *Ceton*, aliaque loca Pertici Goëti. Ita *Perticum* ſub 3. tantùm Epiſcopatibus eſſe aſſerit *Clergerius*, qui & *Perticum* dividi ait 4 in partes, in agrum Francicum, *terre Françoiſe*; *Perticum majorem*, *le Grand Perche*. qui & propriè *Perticus* dicatur, & Belliſmum, Moritonium, Petrariam ac Novigentum Rotroci contineat, in *Perticum Goëti*, Gulielmo Goëto ita dictum, aliàs *Perticum minorem*, *le Perche Goüet*, vel *Petit Perche*: ubi Alto, *Auton*. Baſochia, *la Bazoche*, Mons Mirabilis, *Mommiral*, Avallocium vel Alogia, *Alvie*, & Brajotum, *Brou*, quinque Baronatus eminent. Quartam *Pertici* partem nuncupari ſcribit dominia diſtracta, *les terres demembreés*: cui parti adſcribantur Caſtellum Novum in Teodemerenſi pago, *Chaſteau Neuf en Timerais*, Senonciæ, *Senonches*, Campus Rotundus, *Champ. Rond.* Fuit olim ſub Comitibus Trecenſibus, dein ad Alenconios pervenit, poſteà regno unitus eſt hîc Comitatus, *Morer.* Vide Ægid. Bry de la Clergerie, *Hiſt. de Perche, &c.*

PERTINACULUM. in *l.* 2. *de Vita Bernardi Abbatis Claravallenſis*, quem Bernardus Abbas Bonæ Vallis, aut ſi codicibus fidem habere malumus, Arnaldus vel Hernaldus compoſuit, *in c.* 6. *Pertinaculi* fit mentio hiſce verbis: *Itaque apud Pertinaculum hinc & inde conveniunt*, Guilielmus videlicet Comes Pictaviæ, Abbas Claræ Vallis Bernardus, & Epiſcopus Carnutenſis, de pace Eccleſiæ Aquitanicæ acturi. *Pertinaculum* velut à pertinacia dictum eſt, ut retinaculum, crepitaculum, miraculum. Mabilio Monachus pius & doctus, qui Bernardi opera ante aliquot annos magna cum cura edidit, *Partiniacum* heic legit; *Partiniacum* quoque vocat Alanus *in compendioſa Vita S. Bernardi c.* 21. alii *Partinacum*. Vulgò *Partenay* dicitur. quod eſt oppidum in agro Pictonico. Legi literas *Hugonis dicti Archiepiſcopi, Militis, domini Partiniaci, Volventi, & Mareventi*, datas, A. C. 1263. Volventum autem (*Vouvant*) & Mareventum *Mervant*, *Partiniaco* proxima ſunt loca. *Partiniacum* & *Partiniacenſe caſtrum*, proximum *Secundiniaco caſtro*, (*Secondigni*) memorant literæ, Philippo apud Francos regnante datæ circa A. C. 1110. *Partenacum* vocant Rigordus in A. C. 1207. & Guilielmus Armoricus. *Valeſius.*

PERTINAX, integrô nomine, *Publius Helvius Pertinax* Imperator Roman. poſt L. Aur. Commodum A. C. 193. Hic patre libertinô Helviô Succeſſô eſt natus, *qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, impoſitum fuiſſe fertur.* Cùm enim Pater coctiliciam in Liguria patriâ (hinc ipſe *Pertinax* Dioni & Zonaræ Λίγυς) tabernam exercens mediocres opes conſequutus eſſet, filium literas curavit docendum, ὅπως ἀποζῇν ἀπ' αὐτῶν, inquit *Dio*, h. e. ut vel docendis literis vel cauſis agendis, rem faceret: Sed hic contra patris voluntatem paternam negotiationem continuare maluit, neque ab iſta ſententia diu potuit removeri. Per literas poſteà & artes militares, dignitates ſummas conſequutus, ab Æmilio Læto Prætorio Præfecto & concubina Commodi Martia, Imperium oblatum ſibi, cùm mortem adferri putáſſet, accepit; milites mox adverſùs ſe datâ Tribuno teſſerâ, *Militemus*, concitavit; leges multas honeſtas tulit, filium non niſi, ubi meruit Cæſarem eſſe voluit: Lætum *ſtultum intimatorem* vocando, milites ulteriùs ſeveritate, offendit: qui cùm Triarius Maternus Imperium acceptare nollet, Soſium Falconem promotum ivêre, quô ut potiri poſſent, impetu factô in *Pertinacem*, eum interfecêre, Jovem ultorem invocantem, menſe tertiô Imperii, annô ætat. 60. De quo ſic Capitolin. *c.* 12. *Fuit ſenex venerabilis, immiſſâ barbâ, reflexô capillô, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulô, ſtaturâ Imperatoriâ, eloquentiâ mediocri, & magis blandus, quàm benignus, nec unquam creditus ſimplex* —— *verbis affabilis, re illiberalis ac propè ſordidus* —— *Imperium & omnia Imperialia ſic horruit, ut ſibi ſemper oſtenderet diſplicere* —— *voluit etiam Imperium deponere atque ad privatam vitam redire. Filios ſuos in Palatio nutriri noluit: Tam parcus ac lucri cupidus, ut apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator* &c. Ei in Imperio ſucceſſit Didius Julianus A. C. 194. Vide quoque in voce *Helvius Pertinax*: uti de nominis *Pertinax* origine & primæva notione intrà aliquid voce *Tenax*.

PERTINAX, equus Commodi Imper. quem ille pelle inauratâ integere ſolebat, quemadmodum equum ſuum *Volucrem* ſagis fucô tinctis cooperire conſueverat Verus Imperator. Meminit ejus Dio *in Pertinace*: Ὕστερον δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον ἵππον ἀπαλλαγέντα τοῦ δρόμου ὑπὸ τοῦ γήρως καὶ ἐν ἀγρῷ ὄντα μετεπέμψατο ὁ Κόμμοδος, καὶ εἰσήγαγεν εἰς τὸν ἱππόδρομον τάς τε ὁπλὰς αὐτοῦ καταχρυσώσας καὶ τὰ νῶτα δέρματι ἐπιχρύσῳ κοσμήσας. Cujuſmodi pelles, quibus equorum inſternebantur terga, *dorſualia* vocat Trebellius Pollio in *Gallieno c.* 8. Alii *Scordiſca*. Salmaſ. *ad Capitolin. in Vero. c.* 6.

PERTINAX Hæreticus, in Theologia Inquiſitorum dicitur, qui credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cujus contrariam ſcit eſſe Catholicam. Taliſque conſummatus *pertinax* eſt. Sunt & alia pertinacium genera, de quibus Simancas videndus *de Catholicis Inſtitution. Tit.* 48. Etiam quilibet Impœnitens hæreticus, poſtquam in arcto carcere aſſervatur, compedibus & catenis conſtrictus, ſæpiuſque de converſione ſua admonitus, poſt moram unius anni, nec pœnitere, nec opiniones ſuas abjurare vult,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

re vult, condemnatur ut *Hæreticus pertinax*, & ut talis traditur Curiæ ſeculari, Cap. *ad abolendam*. §. *Præſenti*, quæ dum Officium ſuum exſequitur, ſi converti fortè vel tum volet, ad pœnitentiam admittendum, Eymericus: nullô modô recipiendum, etiamſi millies converſionem promittat, Pegna cenſet *in Director. Eymerici.* Vide Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l. 4. c. 35.*

PERTUNDA Dea, inter Romanorum nuptiales: ſicut & Virginenſis Dea, Subjugus Deus, Dea Prema, Venus, Priapus; quorum omnium ſimulachra in cubiculum novæ ſponſæ inferri ſolita ſunt, uti docet ex D. Auguſtino *de Civ. Dei* Johan. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 37.*

PERTUSA, urbs Africæ erat, Carthagini finitima. Item oppid. Hiſpaniæ citerioris ad Canadrum fluv. prope Oſcam urbem, hodieque *Pertuſa*, in Oſcam & Montionem, ab Ilerda 50. mill. paſſ. *Antonin. Ferrarius.*

PERVICIACUM, vulgò PERVES, ſeu PERVEZ, Brabantiæ Gallicæ oppidum, ut videtur *Miræo.* Memoratur *Æthico* in itinere a Caſtello Coloniam, ubi illud inter Geminiacum atque Aduacum Tungrorum ponit, à Geminiaco 22. ab Aduaco 14. mill. paſſ. Quædam tamen Æthici exemplaria *Perniciacum*, item *Perticiacum* ſcripta habere, teſtatur *Simlerus* apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PERVIGILIA, dicebantur olim ſacra nocturna, quibus in honorem variorum Numinum pervigiles duci ſolebant noctes. Ita Cereri, Veneri, Fortunæ aliiſque Numinibus *Pervigilia* legimus decreta, apud Livium *l. 23.* Tacitum Annal. *l. 15. c. 44.* &c. Unde de Vitellio Sueton. *in ejus vita c. 10. In Apennini*, inquit, *jugis etiam pervigilium egit.* Inprimis autem Cereris Venerisque *Pervigilia* celebria fuère. Vide Auctorem venuſtiſſimi Poëmatis, cui titul. *Pervigilium Veneris.* Atque hôc tempore abutebantur crebro ad libidinem ac luxum Adoleſcentes: ut patet ex A. Gellio, ubi exemplum filiæ hominis pauperis, in *Pervigilio* iſtiuſmodi vitiatæ, proponit ex Menandro, & qui Latinè vertit Cæcilio *l. 2. c. 23.* Quare de Caligula iterum Sueton. *c. 54. Nec alia*, inquit, *de cauſa videtur eô die quô periit*, Pervigilium *indixiſſe*, *quam ut initium in ſcenam prodeundi licentiâ temporis auſpicaretur.* Vide Ant. Thyſium JC. *Not. in Gellium loc. cit.* Interim nocturna ſacra pauciora Romanis, quos διαπαννυχισμοὺς & *pervigilia* Græcorum magnoperè abominatos eſſe, ex Dionyſio *l. 2.* diſcimus. Vide Caſaubon. *ad Auguſtum Suetonii*, *c. 94.* Gentilium hunc morem ſequuti Hæretici, Floriniani, Carpocratiani, Priſcillianiſtæ, Gnoſtici, Alii, nefandis ſceleribus noctes exegêre, uti pluribus docet Jo. Forbeſius *Inſtructionum Hiſtorico. Theologic. l. 1. c. 37.* alibique. Alia erant *Pervigilia* Chriſtianorum, quæ & ipſa tamen in abuſum ſenſim degeneràſſe, docet Bellarminus *de Eccleſia Triumph. l. 3. c. 17. In profeſtis magnorum dierum conſueverat Eccleſia vigilare & jejunare* —— *Cæterùm, quoniam paulatim, occaſione nocturnarum Vigiliarum, abuſus quidam irrepere cœperant, vel potiùs flagitia non rarò committi: placuit Eccleſiæ nocturnos Conventus & Vigilias propriè dictas intermittere, ac ſolùm in iiſdem diebus celebrare jejunia.* Vide quoque ſuprà in voce, *Nocturni Cœtus.* At de *Pervigiliis puellarum*, ad mediam uſque noctem, in aliquot gentibus, infrà dicemus aliquid, voce *Screona*: de *Pervigiliis Bacchi athletarum*, apud veteres Græcos, voce *Victoria.*

PERVIUM, *Aur.* Victori, quod Ælio Lampridio *in Alexandro Sev. c. 8. tranſitorium* dicitur. *Pervium* enim, quod pertranſiri poteſt. Hinc *perviæ Urbes Marcellino*, quæ in tranſitu occurrunt, & per quas in itinere faciundo tranſeundum eſt, quæque *tranſitoriæ* proin non minùs dici poſſunt, quàm Forum Nervæ, apud Lampridium *d. l.* Contrà Ciceroni *devia oppida* ſunt, quæ extra viam ſita, *Philipp. 2. Stultè Aquinates, ſed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? Qui cùm eſſent devii, obviam ei deſcenderunt.* Salmaſ. *Not. ad Lamprid. loc. cit.*

PERULA, pro *ſperula*, i. e. parva ſphæra, infimæ Latinitati. Vide ſuprà *Perla.*

PERUN, Novogrodienſium idolum, de quo vide ſuprà voce *Fulmen.* Item Boruſſorum, vide infrà *Pruſſia.*

PERUSA, oppid. Pedemontii, cum arce munita, unde Valli nomen, ad radices Alpium, juxta Ciuſonem amnem. Hîc, ob religionem, in incolas ſævitum, A. C. 1561. Vide Thuani *Hiſt.* Legeri *Hiſt. Valdenſ. &c.* Nunc ſub Gallis, ab A. C. 1631. vix 3. milliar. à Pinarolo in Boream.

PERUSIA, antiquiſſima urbs Hetruriæ, hodie Epiſcopalis, à quo ager Peruſinus nomen accepit. Urbis initia *Marius Podianus* hæc commemorat; Noë, inquit, quem antiquitas Janum vocavit, in Italiam, poſt univerſale diluvium profectus & in lævam Tiberis egreſſus, coloniis 12. ſeu pagis hôc ſitu, qui *Umbria* vocatur, conditis, vicum dehinc his in collibus ædificavit ex tuguriis, nomine inditô *Turrenæ Auguſtalis*, ſeu Principalis: Id eſt, locus quem nunc *Burneam* corruptè, pro *Turnea*, ſeu *Turrena* Peruſini nominant: Vallis ſubjecta quæ inter hunc collem & propinquum, in quo dein alia civitatis pars condita interierat, *Vallis Jani* dicta, & nunc corruptè *Vallianum* appellatur. Hæc tantæ urbis initia fuère 251. poſt univerſale diluvium annô: dein 121. Ann. elapſis, magnô incrementô loci, alterô in colle, qui contentus erat, ubi nunc *Mons Solis* dicitur, ædificia quoque conſtruxêre Armenii, Janigeni, Gryphonii cum filiis & nepotibus huc ex Armenia profecti, comiterque ab Armenio Janigeni recepti, à quo collem hunc colendum ſumpsêre, quem domiciliis ædificatum *Peruſiam* dixêre, ſeu *Gryphoniam*, idem enim lingua Scythica ſignificat, ipſamque gentem Peruſinos ſeu Gryphonios ab inſigni *Gryphi*, quod ejus gentis Janigenarum erat, & Peruſini ad hunc uſque diem conſervârunt. Sita autem eſt Peruſia in monte Apennino, majori agri parte fructiferis & amœnis aſſurgente collibus; naturâ loci, urbs & arce, à Paulo III. ibi extructâ, permunita eſt, nobilibus ædificiis nitens, itemque nobili ac largô fonte, qui medium urbis habet. In hac L. Anton. ab Oct. Auguſto obſeſſus, cùm extremâ fame laboraret, coactus eſt deditionem facere. Hinc *Peruſina fames*, Proverb. Lucan. *l. 1. v. 41.*

His, Cæſar, Peruſina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis. —— ——

Baudrando Peruſia, urbs eſt in ea parte Hetruriæ, quæ paret Pontifici Romano, caput agri Peruſini. Arcem habet munitam, eſtque ampla & culta, 1[illegible]. milliar. ab Aſiſio in Occaſum, 28. ab Oropito, ſeu Urbeveto in Boream, Urbinum verſùs 40. Ab ea lacus Traſimenus 9. milliar. inde diſtans, hodie dicitur lacus Peruſinus, *Lago di Perugia*, cujus circuitus eſt 22. milliar. habetque tres inſulas. Peruſinorum 4500. cæſos a Romanis, Publiô Deciô Conſule, ſcripſit Livius *dec. 1. l. 10.* Poſteà arſit Civili bellô, de quô ſuprà: Dein à Totila Gothorum Rege integrum ſeptennium obſeſſa, capta, deſtructa; à Narſete recepta & reparata eſt: Poſtmodum ſub Longobardis fuit, donec à Galliæ Regibus Pontificiæ ſedi donata eſt. Plurimum Guelphorum Gibellinorumque diſſidiis paſſa. Sedes Legati. Vide Plin. *l. 3. c. 5.* Liv. *l. 9. c. 37. 40.* Tacit. *l. 1. Hiſtor. c. 50. Clem. Alexandr.* &c. Hîc Academia quoque celebris. Adde Leandr. Albert. *deſcr. Italiæ.* Incolæ *Peruſini.* Trogus *l. 20. c. 1. Peruſini originem ab Achæis ducunt.* *Straboni Ptolemæo*, ac *Dioni* Περουσία; *Diodoro*, *Appiano*, ac *Procopio* Περυσία; *Stephano* Περράσιον dicitur. Hodie *Perugia* dicitur.

PERUSINUS Ager, vulgò *il Perugino* incolis, tractus eſt Hetruriæ, in ditione Pontificia, inter Tiberim fluvium & Umbriam ad ortum, & Glanim paludem ac agrum Florentinum ad occaſum: ſic dictus à Peruſia ejus urbe primaria.

PERUSINUS Paulus, vide *Paulus.*

PERUVIA, vulgò *le Perou* Gallis, *Peru* Hiſpanis, regio perampla, plurimis auri & argenti fodinis nobilitata, & aliàs regnum potentiſſimum Americæ meridionalis, quæ inde etiam perſæpe dicitur *Peruviana.* Peruvia autem Reges anteà habuit proprios, Incas dictos, per An. 600. nunc autem ſubeſt dominio Hiſpanorum. Vide infrà. Ejus longitudo à ſeptentrione in meridiem eſt circiter 600. leucarum verſùs oram maris Pacifici, latitudo autem 90. circiter ab ortu in occaſum, ſeu à montibus ad mare Pacificum, quanquam in aliquot locis ſit ſtrictior ſeu major. Terminatur à ſeptentrione Præfecturâ Popajani, à meridie regnô Chiles, ab occaſu mari Pacificô ſeu Auſtrinô, ad ortum verò habet regiones pro majori parte incognitas. Dividitur ab Hiſpanis in tres partes ſeu Præfecturas, ſuntque Præfectura Regum, *Audiença de los Reyes*, quæ in medio, ubi urbs Regum, Cuſcum, & Peruvia regio propria, quæ perampla, & à ſeptentrione in meridiem in duas partes ſecta Andibus montibus: Præfectura Quiti ad Boream, *Audiença de Quinto*, ubi provinciæ Quitoa, Quixorum, & Pacamorum: & Præfectura Charcarum, *Audiença de los Charcas*, quæ etiam *de la Plata* dicitur, eſtque verſùs meridiem porrecta, ubi provinciæ Chica, Charcarum & Montana. Totius regionis caput erat Cuſcum aliàs, nunc Civitas Regum ſeu Lima, ubi reſidet Prorex. Primùm detecta fuit A. C. 1525. à Pizarro Hiſpano, qui, diſcordiâ civili colliſis fratribus duobus regionem occupavit, Atabalippâ Rege, contra fidem datam, ſtrangulatô, in id furoris Hiſpanos inſatiabili auri cupiditate agente: ſed dedit mox perfidiæ pœnas Pizarrus, ut ſuô locô videre eſt. Satis civiles ibi populi, Solem adorabant, hôcque majorem quendam Deum, nomine *Pachacamac*. De ea mira narrantur apud omnes auctores, uti de ejus fertilitate, templis, viis publicis, & Imperio ante Hiſpanorum adventum. Tum enim omnis domeſtica ſupellex ex auro, quô domus quoque intectæ erant: nec mirum cùm ſola aurifodina Potocina incredibilem hujus metalli vim Hiſpaniæ Regi quotannis exhibeat. Videatur Linſchot. *in Amer.* Garcilaſſus, Herrera, Acoſta, Marianus, Laëtius, Prudentius Sandavol. *in Vita Caroli V.* Spondan. *A. C. 1525. num. 20.* & alii. Hornio vulgò *Peru*, quod nomen non Regni, ſed piſcatoris priùs erat, è quo cùm Hiſpani primùm in has oras advecti quæſiviſſent Regionis nomen, ille ratus eos nomen ſuum ſcire cupere, reſpondit ſe appellari *Peru*, unde nomen hominis pro nomine Regionis, per errorem, accipientes Hiſpani, ingenti huic Americæ Meridional. tractui, *Peru* appellationem indiderunt. Cujuſmodi error in aliis quoque Novi Orbis regionibus contigit, quibus Hiſpani nomina quæcunque primò obvia, neque intellecta, caſu temereque indiderunt. Sic *Jucatanis* nomen dedêre, ex formula ſciſcitandi incolarum, qui eos non intelligebant, *quid ſui?* Vel potiùs, ipſa vox *Jucatan* illis ſignificabat, *Non capimus vos.* Georg. Hornius *Orb. Polit. p. 544.* & L. Otto Menckenius *Notis ad ipſum.* Verum autem Regni nomen erat *Tahuantiuyo*, quæ vox 4. Orbis plagas deſignat. Conditores Imperii fuerunt *Inga* vel *Inca*, quæ familia duce Mangacoſtâ urbem regiam *Cuſko* conſtruxit, A. C. 1200. Ejus ſucceſſores longe lateque rerum potiti vaſtiſſimum conſtituerunt Imperium, quod incredibilis magnificentiæ urbes & palatia habuit, adeò ut iis ſimile nil unquam habuerit Europa. Guainaca inprimis, qui circa A. C. 1500. rebus præfuit & regnum *Quito* ſubjugavit, univerſum Imperium ſuum admirandis exornavit ſtructuris. Obiit is A. C. 1523. duobus relictis filiis, Guaſgare & Attahu Alpa, quem corruptè *Attabalibam* vocant. Inter quos cùm Pater teſtamentô Imperium ſic diviſiſſet, ut Guaſgari Cuſconicum Regnum, Attahu Alpæ Quitonis cederet; non autem clarè definiiſſet, utri provincia Thomebamba obvenire deberet, magnum inter eos diſſidium exortum, Hiſpanis occaſionem *Peruviæ* invadendæ præbuit, quam recèns detexerat Franc. Pizarrus. Potitus quidem Guaſgari captô atque interfectô ſolus Attahu Alpa imperio fuit, ſed cùm Hiſpanorum inſolentiam ferre non poſſet, innumerabili eos exercitu aggreſſus, à parvis ipſorum copiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſuperatus ac vivus in poteſtatem eorum redactus eſt, ſicque paulò pòſt juſſu Pizarri ſtrangulatus, finem Imperio *Incarum* impoſuit. Nam qui poſt eum regnarunt, *Inca Paulo* & *Mango*, non niſi montanas quaſdam provincias, latronum potiùs quam Regum more, obtinuerunt. Ultimus omnium fuit *Xaires Topa Inca*, qui Philippo II. Hiſpan. Regi ſe ſubjecit, A. C. 1557. Georg. Hornius *Orb. Imp.* Religionem incolarum quod attinet; credunt illi Animæ immortalitatem, Mundumque igni periturum agnoſcunt, quem immanis ſiccitas æſtuſque aeris præceſſura ſint, ut teſtatur Hieron. Benzo *Hiſt. Indiæ Occid. l.* 3. *c.* 20. Sed & Numen aliquod ſummum venerantur, quod iis *Viracochin* communiter, tum etiam *Pachacamach* ſeu *Pachaykakik*, i. e. Creator cœli & terræ, ut & *Uſapu*, i. e. Admirabilis, vocitatur, uti refert Hugo Linſchottanus *Hiſtor. Indiæ Occid. l.* 5. *c.* 3. Et tamen nullum in lingua ſua vocabulum habent, quô Deum propriè exprimere poſſint cœterarum gentium inſtar: quale Latinum *Deus*, Hebræorum *El*: propterea Hiſpani, eò ad prædicandum Evangelium profecti in literis ad Indos perſcriptis non aliâ appellatione, quàm Hiſpanicâ *Dios*, uſi ſunt: quô pactô illud ſunt conſecuti, ut eâdem nunc Americani utantur. Iidem in Templo *Pachumac*, h. e. *Creatoris*, quod in Peruvia extructum, ſic colunt Creatorem, ut nihilominus ſacrificent Diis ſuis: Nempe proclive ſatis eſt iis perſuadere, de ſummo Deo: at non item, haud aliud præter eum Numen eſſe vel coli debere. Tantum in animis eorum inveteratus error valet. Ex Joſ. Acoſta *l.* 5. *c.* 3. Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progr. Idol l.* 2. *c.* 4. Idem Acoſta *rerum Occ. Indiæ l. eod. c. ſeq.* tres ſummos *Peruanis* Deos eſſe tradit, *Viracoche*, Solem & Tonitru: indeque colligit, Trinitatis dogma illis non penitus eſſe incognitum. Sed *Viracoche* quidem, ut dictum, *Creatorem mundi* ſignificat: Sol verò & Tonitru nihil ad S. Trinitatem. Siquidem Sol non Λόγος eſt Dei filius, ſed ille Sol, qui ſub aſpectum cadit: Tonitru quoque, non profectò Spiritus Sanctus, ſed concurſus ille fulminis è nubibus erumpentis & ſoni ex rupta nube maximi, cujus fragore aures illorum percelluntur, Idem Voſſ. de *Idol. l.* 1. *c.* 37. Porrò ſuperiori noſtrôque ſeculô, in eadem gente poſt eorum *Viracocham*, divinus honor Soli, Lunæ, erraticis quinque & cœteris ſtellis, habitus eſt. Hinc præfatus Acoſta *l.* 5. *c.* 2. ex ſtellis *Colca*, quam *Capellam* vocamus, à *Peruanis*: ab Opilionibus ſtellam *Urcuchillay*, i.e. *Arietem diverſicolorem*, nos *Lyram* vocamus: *Catuchillay* item, *Chuquichinchai*, *Chacana*, *Topataca* &c. quorum aliis hoc, aliis aliud munus adjungant, adorari tradit: ut qui nullum uſpiam animal, ſeu quadrupes, ſeu volatile, in terra eſſe credant, cujus ſimulachrum in cœlo non ſplendeat. Vide iterum Voſſium *Op. laud. l.* 2. *c.* 36. *ſub fin.* Sed & mare pro Deo coluêre; quod Numen dixêre *Mammachoca*: Flumina item ac fontes, ut ex eodem Acoſta *l.* 5. *c.* 2. & 4. refert Voſſ. *ejuſd. l. c.* 82. Imò & Iridem veneratos eſſe eamque effinxiſſe cum duobus ab utroque latere ſerpentibus, ex eodem Acoſta docet iterum Voſſ. *l.* 3. *Idolol. c.* 13. Iidem menſe Decembri, qui illis *Rayme* dicitur, & quô Annum ordiuntur, feſtum olim diem ingenti cultu celebrare ſunt ſoliti, *Capatactayme* appellatum, quô ſacra fecêre tribus Solis ſtatuis, quarum primam *Apointi*; alteram *Churiunti*; tertiam *Intiaquacqui* nominaverunt, i. e. *Solem Patrem*, *Solem Filium & Solem Fratrem* &c. Nec omittendum, ut Diabolus opera Dei multis modis æmulatur, apud gentes inprimis illas veri Dei agnitione deſtitutas, & mactationem puerorum in *Peruvia* fuiſſe frequentatam. Ingâ enim ſeu Rege ægrotante vel prælium commiſſurô, præter regios miniſtros, pueri quadrimi, natuque etiam majores mactari conſuevêre, perversâ æmulatione mactationis Iſaaci, à Deo patri ejus Abrahamo imperatæ, vide Dilherrum *Diſſertat. pecul. de Dæmonis Cacozelia*: ut & ſuprà in vocibus *Chuquiſaca* & *Churiunti* &c.

PERUVIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Arequipa, *Arequipa.*	Guamanga, *Guamanga.*
Argentea, *la Plata.*	Guancabilica, *Guancabilica.*
Arica, *Arica.*	Guayaquilum, *S. Jago de Guayaquil.*
Batia, *Baeza.*	Pax, *la Paz.*
Civitas Regum ſeu Lima, *Los Reyes ô Lima.*	Portus Vetus, *Puerto Viejo.*
Cuſcum, *Cuſco.*	Potoſium, *Potoſi.*
Fanum Sanctæ Crucis de Monte, *S. Cruz de la Sierra.*	Quitum, *Saint Franciſco de el Quito.*
Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel.*	Trugillum, *Truxilho.*

PES, ne in limine offendat, cavere juſſit Veterum ſuperſtitio. Mali enim ominis id habebatur, *Si exituro limen inſonuiſſet*, Pes *hæſiſſet*, Plin. *l.* 2. *c.* 7. Vide Plut. *in Demetrio* & *in Gracchis*, Val. Max. *l.* 1. *c.* 4. *de eod. Graccho* &c. Sueton. *in Nerone c.* 19. eodem à Dempſtero refertur: & Cicero *de Divin. l.* 2. aliique notârunt apud maximos Poëtarum, certiſſimum Trojæ evertendæ argumentum inde duci, quòd equus *Æn. l.* 2. *v.* 242.

—— —— *Quater ipſo in limine portæ*
Subſtitit.

Proſerpina quoque egrediente, augurium raptûs fuit, quod, ut ait Claudian. *l.* 2. *v.* 7.

—— —— *Ter cardine verſô*
Præſaga ſonuêre fores. ——

Ovid. *Ep.* 13. *Laodomiæ, v.* 85.

Nunc fateor volui revocare animuſque ferebat,
Subſtitit auſpicii lingua timore mali:
Cùm foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes *tuus offensô limine ſigna dedit.*

Sic Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 3. *v.* 19.

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe Pedem, &c.

Fecêre autem *Pedes* Mercurio ſacros, quemadmodum genua Miſericordiæ conſecrârunt reliquaque hominis membra ſingula ſuis quoque Numinibus attribuerunt, qua de re vide Lil. Gregor. Giraldum *Syntagm.* 1. *Deor. Gentilium* & Hadr. Junium *Animadverſor. l.* 4. *c.* 12. Et primò quidem nudô *Pede* innocentia inceſſit, poſtquam lapſus tribulis ac ſentibus invectis terram aſperavit, cœpit pellibus primò, dein calceis involvi ac tegi; interim in ſacris priſcus retentus eſt ritus, ut vidimus ſuprà, in voce *Nudipedalia*: quemadmodum de faſciis *Pedum*, in voce *Faſcia*, item *Pedule*; de vinculis eorum, in voce Nervus, it. *Pedica* &c. jam actum. Cœterum *Pes dexter* læti ominis habitus. *Petronius*, *Ut movimus dextros greſſus, Servus nobis deſpoliatus procubuit ante pedes.* Et mox, *Retulimus igitur dextros pedes.* Nimirum ſic ſperantes, res è voto ſucceſſuras. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 5.

—— *quid tam* dextrô pede *concipis, ut te*
Conatus non pœniteat, votique peracti &c.

E' quibus videmus, obſervâſſe miſeros homines *dextrum pedem* lævo ſemper, poſt ſtationem quidem aliquam, præponere. Contrà *Pes ſiniſter* malum portendebat. Sueton. *Aug. c.* 92. *Auſpicia quædam & omina pro certiſſimis obſervabat. Si manè ſibi calceus perperam aut ſiniſter præ dextero induceretur, ut dirum.* Unde Ovidius *in Ibin, v.* 99.

Omnibuſque malis pedibuſque *occurrite* lævis.

Quô proin omine conſideratô, ad rem pertinere dicit Seneca, quòd *ſiniſtrum præ dextero pedem*, oſculandum dedit Caligula, *de Benefic. l.* 2. *c.* 12. Vide quoque ſuprà *Dextra*, it. *Melota.* At in pugna, lævum protendi moris erat Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 587.

—— *projectô dum* pede lævô
Aptat ſe pugnæ, ſubit oras haſta per imas.

Cujus rei ratio, quod præcipuè in duellis lævum latus peteretur, uti ex Scholiaſte Æſchyli *ad Septem. Theb.* docet Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 8. *v.* 473. At Hernicos *dextro ſolùm* in pede peronatos fuiſſe in bellis vidimus voce *Pero*, vide & *Ocrea.* De ritibus *Pedes* lavandi, ungendique, item ad oſculum porrigendi, diximus ſuprà paſſim, inprimis in voce *Pedes*, item *Oſculum*, & *Peregrinus*: de more Thebanarum mulierum, ore tectô, *pedibus* per calceos *penè nudis*, certè conſpicuis, inambulandi, vide eundem Barthium *ad Theb. l.* 3. *v.* 230. uti de hominum ἀφροντίςων, *rejectis pedibus* dormiendi, Caſaubon. *ad Aug. Suetonii c.* 78. & de Eunomianis ſuos capite demerſô, *pedibus adſurſum verſis* baptizantibus, infrà voce *Spado.* &c. Ut & hæc addam; Apud Recentiores *Pes* ſeu *pedis abſciſſio*, inter pœnas, non ſemel occurrit *LL.* Guielmi Nothi *c.* 67. *Interdicimus etiam, ne quis occidatur, vel ſuſpendatur pro aliqua culpa, ſed eruantur oculi, abſcindantur pedes vel teſticuli vel manus* &c. Ingulfus *p.* 856. *Sub pœna perditionis dextri ſui pedis*, &c. In Concilio Autiſiod. *can.* 3. *Pedes linei* vel *lignei* occurrunt, *Quicunque votum habuerit, in Eccleſia vigilet* —— *nec ſculptilia aut pede aut homine lineo fieri penitùs præſumat*: ubi Car. du Freſne *ligneo* legit. Ita enim *Indiculus* Paganiarum ſeu Superſtitionum in Conc. Liptinenſi A. C. 743. *De ligneis pedibus vel manibus pagano ritu.* Et Eligius apud Audoënum in *Vita* illius, *l.* 2. *c.* 15. *Pedum ſimilitudines, quos per bivia ponunt, fieri vetate & ubi inveneritis, igni cremate.* Ejuſdem *Homil. Arbores, quas ſacrivos vocant, ſuccidite, plantas ſive ungulas pedum, quos per bivia ponunt, fieri vetate.* Quibus locis perſtringuntur veterum Gallorum magici ritus vel ſuperſtitiones, qui in biviis ac compitis hominum membra *pedeſve* ex ligno (vel lino) conflatos collocabant, exiſtimantes hâc ratione morbos ac ægritudines perſanari. Certè lanas olim ad φαρμακείας fuiſſe adhibitas, teſtatur Scholiaſtes Theocriti *Idyll.* 2. *v.* 2. ut & imagines laneas, Horat. *l.* 1. *Sat.* 8. &c. Vide hanc in rem plura apud Car. du Freſne *Gloſſ.* & quæ nos alibi. De aliis quibuſdam vocis ſignificationibus, pauca mox. Ab homine enim ad menſuram denotandam illa tranſiit, quemadmodum & reliqua ejus vocabula, *Digitus*, *Cubitus*, *Paſſus*, non aliunde deſumpta. E' quibus digitus eſt 4. granorum hordeaceorum; 4. digiti conſtituunt palmum; 4. palmi *Pedem* efficiunt: Cubitus verò ab extimo cubiti, uſque ad longiſſimi digiti extremum, eſt ſeſquipes; paſſus Geometricus 5. pedum. Unde jam Stadium Græcorum oritur, quod eſt 125. paſſuum, Latinorum Milliarium, quod eſt 1000. paſſuum, vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 27. §. 7. Sic Juliano Aſcalonitæ apud Harmenopolum, ἔχει παλαιςὰς δ'. ὁ δὲ παλαιςὴς δακτύλους δ'. ubi *regium* ſeu *Alexandrinum* intelligit: cùm *Italicus* haberet tredecim digitos & trientem. Ita enim Hero *in Iſagoge MS.* quam Salmaſ. penès ſe habuit: Ὁ ποῦς, inquit, ὁ βασιλικὸς καὶ φιλεταίρειος λεγόμενος ἔχει παλαιςὰς δ'. δακτύλους ις'. ὁ δὲ Ἰταλικὸς ποῦς ἔχει δακτύλους ιγ'. γ. Ubi obiter notat Idem, pedem, quem Hero φιλεταίρειον & βασιλικὸν appellat, *Hygino* Agrimenſori *Ptolemaicum* dici: & quem ille Græcus *Italicum* vocat, *Monetalem Hygino* nominari. Ad menſuram hujus *pedis* convenit, quod de ſtatura Maximini retulit Capitolin. *c.* 6. *Erat prætereà (ut refert Cordus, magnitudine tantâ, ut octo pedes digito videretur egreſſus.* Ubi Caſaubon. legit, *ut octo pedes digitis VI. videretur egreſſus*: cùm in *Maximino Jun. c.* 2. dicat Auctor, ſtaturam ejus fuiſſe *pedum octo & prope ſemis.* Et potuit numerus ille VI. facilè abſorberi, ſimilitudine prioris ſyllabæ ſequentis vocabuli *videretur.* Quæ proceritas ne cui mira videatur, Philoſtratus hanc ſtaturam proceri Germani eſſe ait, apud quos qui juſtæ & commodæ ſtaturæ videretur, ſeptem pedes non rarò excederent: cùm proceri & magnæ inter ipſos ſtaturæ vulgò octo pedes longitudinis haberent, longuriones barbari in *Vita* Herodis. De Burgundionibus ſeptipedibus notum iis, qui Sidonium Apollinarem triverunt. Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis. loc. cit.* Vide eundem *ad Solin.* etiam infrà verbô *Podiſmare.* In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

In navibus *Pedem* dixêre Romani profune, quô velum tenditur, imaque veli parte, & Synecdochicè, pro ſinu veli, qui ventô impletur: eâdem tralatione, quâ *pedem menſæ* dicit Ovid. *Metam. l.* 12. *v.* 254. & Plin. *l.* 12. *c.* 1. *pedem vinaceorum* Columella *l.* 12. *c.* 43. *betaceos pedes* Varro *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 2. &c. nempe, quia, ut pes ima corporis pars, ita & id quod dicimus in velo aliiſque. Ita autem Catullus *carm.* 4. *v.* 20.

——— Sive utrumque Jupiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Martinus tamen de Roa Cordubenſis *Singularium l.* 6. *c.* 10. Catullo *Pedem* propriè vult eſſe ſinum ſeu medium veli, quia ejus beneficiô, ubi ventô impletur, ambulant naves, quaſi pedibus, qui ambulantibus ſunt inſtrumentum apud Gerh. Joh. Voſſ. *l.* 2. *Idolol. c. ult.* Imò apud Lycophronem *in Alex. verſ.*

Τράμπις σ' ὀχήσει κ᾽ Φερίκλειοι πόδες.

Meurſius ποδας i. e. *pedes* exponit *remos.* Nonius Marcellus, *Remi ſunt navales pedes.* Vide quoque Artemidorum *l.* 1. *c.* 50. Hinc *Remipedem* navem Auſonius *in Moſella v.* 201. & Callimachus *Epigr.* 6. ἐρέσσων ποσσὶν. Lucilius *Sat. l.* 8.

Verum flumen uti atque ipſo divortio aquarum
Ilignis pedibus cercurum concinit æquis.

Naveſque *ambulare*, dixit Cato *de Re Ruſt. c.* 1. ſcaphas *progredi* Salluſtius, *in* 1. *Hiſtor.* navigia *currere* Poëtæ, vide A. Gell. *l.* 10. *c.* 26. Conſimili tropô καμπύλους ὀδόντας i. e. *incurvos dentes* navis vocat anchoras, idem *Lycophron.* Vide Joh. Meurſium *Comm. in Lycophronem*: *p.* 121. ſicut de *Pedibus* menſæ ſuprà in voce *Pedes.*

PESCENNIA Marcellina, matrona Romana, memoratur Jul. Capitolino in *Maximo* & *Balbino*, *c.* 5. *Attamen militaris Tribunus* (Maximus) *fuit & multos egit numeros & poſtea Præturam, ſumtu Peſcenninæ* (l. Peſcenniæ) *Marcellinæ, quæ illum locô filii ſuſceperat & aluerat.*

PESCENNIANA Domus, apud Æl. Spartian. *in Peſcennio Nigro*, *c.* 12. *Domus ejus hodie Romæ viſitur, in campo Jovis, quæ appellatur* Peſcenniana: *in qua ſimulachrum ejus in trichoro* &c. Ubi tamen Excerpta Spartiani, Palatinus liber & vetus Editio legunt, *Peſcenniani.* Sic apud Euſebium & Hieronymum, *domus Vectiliani* dicitur, quæ aliis auctoribus ferè omnibus eſt *Vectiliana.* Faſti quoque Caſauboniani: Οἶκον Οὐεςιανῦ pro Οὐεκτιλιανῦ habent. *Domus Peſcenniani* itaque erit *domus Peſcennii.* Nam *Peſcennianus* & *Peſcennius* indifferenter enuntiabant, ut *Hermogenes* & *Hermogenianus.* Sic Herodiano *l.* 5. *c.* 4. Διαδεμενιανὸς appellatur, qui vulgò eſt *Diadumenus*; Tzetzæ *Diogenianus* in *Vitis* Philoſophorum citatur, quem vulgò eſſe *Diogenem* nemo ignorat. Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.*

PESCENNIUS, vir Ciceroni perbenevolus; ut ipſe ait, ſcribens Terentiæ uxori *l.* 14. *Fam. ep.* 4. *Peſcennius eſt perbenevolus nobis, quem ſemper ſpero tui fore obſervantem.*

PESCENNIUS Feſtus, Hiſtoricus, apud Lactant. Firm. *de falſ. rel. l.* 1. *c.* 21.

PESCENNIUS Niger, Imperator Roman. cujus vitam ſcripſit Æl. Spartianus. Vide *Niger.*

PESCIA, in Carmine Saliari, agninæ pelles ſunt, ſeu tergus pecuinum, quô pro amiculo Veteres utebantur. Πέσκη enim antiquis *pelles* dictas eſſe, apud *Verrium Flaccum* legitur: unde *paſcua* & *paſcere*, deducit Scaliger *in Originum libris.* Cujuſmodi pellibus ςαλλοφόρυς Mimos Satyroſque olim uſos fuiſſe docet. Idem *Poëtices l.* 1. *c.* 10. & 17. Vide ſupra ubi *de Pellibus.*

PESCLAVIUM, oppid. Rhætiæ, apud Ortum Adduæ fluv. inter Tiranum 15. & Pontem Raſinum 20. mill. paſſ. Curiam verſus; *Puſchlauff*, Ital. *Puſciavo*, in valle Tellina, non obſcurum.

PESENDIÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto gens. *Ptol.*

PESICI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi in ora maris Cantabrici. *Pæſici Ptolem.* quorum urbs Flavionavia, *S. Ander*, in ora, inter Laredum ad Ortum 8. & Santillanam ad Occaſum 5. leuc.

PESINUS, apud Plin. *l.* 5. *c. ult.* Toliſtobogorum præcipua civitas, vide ubi de *Galatis*, & hîc *Peſſinus.*

PESSINUS, *untis*, vulgò *Poſſene Theveto*, urbs Galatiæ in Phrygiæ magnæ confinio cui adſcribitur à *Livio*, ſub Agdiſti monte, in quo Atys tumulatus creditur, teſte Pauſaniâ *in Atticis*, ad confluentes Galli fluv. in Sangarium, vix 50. mill. paſſ. ab Ancyra in Meridiem, uti 30. à Therma, *P. de la Ruë*, hodie locus ignobilis, in tractu *Chiangare*, teſte *Caſtaldô.* Hic Cybele, cujus ſimulachrum auguſtum ibi habebatur, culta eſt, quæ idcirco *Peſſinuntica* dicta fuit, teſte Apulejô. Meminêre ejus Strabo *l.* 12. & Livius *l.* 29. *c.* 10. *Civitatem eô tempore recens religio invaſerat, inventô carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eô annô de cœlo lapidatum inſpectis. Quandocunque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italiâ, vincique poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam advecta eſſet.* Idem ibidem *c.* 11. *Oratores Romani Pergamum ad Regem* (Attalum) *venerunt. Is legatos comiter acceptos, Peſſinuntem in Phrygiam deduxit, ſacrumque his lapidem, quem matrem Deûm eſſe incolæ dicebant, tradidit, & deportare Romam juſſit.* In cujus honorem ludi Megaleſii inſtituti. Fuit autem ſimulachrum à Scipione Naſica, optimô Romanorum judicatô, exceptum. Herodian. *l.* 1. *c.* 11. Αὐτὸ μὲν τὸ ἄγαλμα διοπετὲς, ὥς λέγουσιν· ὄυτε δὲ τὴν ὕλην, ὄυτε τεχνιτῶν ὁτιςὲποίησεν ἐγνωσμένον, ὀυδὲ ψαυσὸν χειρὸς ἀνθρωπίνης. Τοῦτο δὲ πάλαι ἐξ ὀυρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος ἔις τινα τῆς Φρυγίας χῶρον. Πεσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ, τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ ὀυρανοῦ, κ᾽ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι. Quæ ſequuntur, Latinè adſcribam: *Licèt apud alios compertum, pugnam illic Ilum Phryga, Tantalumque Lydum inter ſe conſeruiſſe, ſive de via ortam, ſive potius ob raptum Ganymedis. Cumque diu æquis viribus decertatum foret, ac permulti utrinque cecidiſſent, nomen ex ea clade loco eſſe impoſitum. Hic etiam fama fert Ganymedem, ipſum trahentibus in diverſa germani, atque amatoris manibus, vitâ eſſe orbatum, ſublatumque è medio, pro calamitatis ſolatio, relatâ ad Jovem raptorem fabulâ, divinis fuiſſe honoribus affectum. In hoc, quem diximus, Peſſinunte Phryges olim Orgia colebant, ad ipſum fluvium Gallum, à quo etiam evirati Deæ ſacerdotes cognominantur. Sed ubi res Romana crevit reſponſô acceptô, manſurum imperium, atque ad ſummam auctum iri, ſi Peſſinuntiam Deam ad ſe transferrent: miſſi in Phrygiam legati ſunt petitum Deæ ſimulachrum. Quod quidem facilè conceſſum eſt, conſanguineos ſe dictitantibus, atque oriundos ab Ænea Phryge. Quum itaque navigiô devectum ſimulacrum ad ipſas Tiberis fauces appuliſſet, quibus tum Romani vice portuum utebantur, confeſtim divinâ quâdam vi navigium ſubſtitit, neque ullis Romani popul. certatim trahentis moveri viribus potuit, donec Veſtalis Sacerdos adeſſet. Ea, cùm virginitatem perpetuò ſervandam polluiſſe falsò argueretur, damnationem metuens, ſupplex petiit à populo, ut judicium de ſe Deæ Peſſinuntiæ committerent. Quô impetratô, zonam recinxit, clarè precata, ut ſi intemeratam ſe eſſe, ac virginem Dea ſciret, navim progredi juberet. Quæ ubi dixit, ſtatim alligatam zonam manu ducta navis ſequi cœpit. Ita ſunt pariter Romani manifeſtam numinis divinitatem, atque innocentiam virginis admirati.* Hæc Herodianus. *Nic. Lloyd.* Cœterùm, priùs Phrygiæ urbs fuit. Ammian. *l.* 26. *Valens Peſſinuntia ſigna properè tulit, Phrygiæ quondam, nunc Galatiæ oppidum.* Unde *Peſſinuntia* Dea, cujus ædem Clodium Tribunum Plebis, ei ereptam, Brotigaro è Gallogræcia tradi, Sacerdotemque *Peſſinuntium* munere ſuô privari, Lege juſſiſſe, docet Cicero *pro Sext.* item *de Aruſpicum reſponſis.* Nomen urbi à verbo πεσεῖν, *cadere*, nonnullis deducitur, eò quod in ejus agrum Palladium cœlitus *deciderit* ibique primùm comparuerit, ut refert Herodian. *loc. cit.* Meurſius in *Licophronem*, *verſu*,

Ἐξ ὀυρανοῦ πεσοῦσα κ᾽ θρόνων Διὸς,
Lapſa ex ſalanto patris ſolo Jovis.

Vide etiam Apollodorum *l.* 3. & Voſſium *de Orig. ac progr. Idolol. l.* 2. *c.* 52. ubi de Cybeles ſimulachro, formulam exponit.

PESSIUM, Jazygum Metanaſtarum urbs, *Ptolem.*

PESSULUS, Græcè πάσσαλος, quam vocem ἀπὸ τῶ πεσσῶν nonnulli infeliciter deducunt: nihil enim πεσσοὶ mulie bres commune habent cum *peſſulo*, voce eâ Græcâ à ſimilitudine πεσσῶν fictâ. Sunt autem πεσσοὶ ſaxeæ pilæ partim rotundæ, partim quadratæ, ſed ut plurimùm rotundæ: à qua forma, medicamenta oblonga & rotunda anui immittenda dicta ſunt; quæ ratio quoque appellationis τῶ κολλυρίων Medicinalium &c. Aliter μάγγανον, βάλανος, ὀχεὺς σιδηροῦς: quæ duo tamen poſteriora, ſi accuratiùs perpendantur, non idem planè ſignificant. Βάλανος namque ferrum fuit glandis facie & cavum, quod in foramen feræ, h. e. lignei vectis, immittebatur, & ſic ſeram committebat januæ, ut, niſi extractô eô, removeri ac repelli non poſſet ſera, nec janua aperiri. Ita autem in feræ foramen incidebat βάλανος, ut totus lateret, nec erui inde poſſet vel extrahi, niſi immiſsô aliô ferrô oblongô, quod in cavitatem βαλάνου ita inibat, ut cum evelleret & ſurſum traheret, βαλανάγρα hinc vocitatum. Sicque locum non habuit, niſi in his ſeribus, quæ ſerâ vel vecte ligneô tranſverſô firmabantur: quod fiebat inprimis domus januis, quæ in publicum aperiebantur & Urbium portis. At ὀχεὺς, *ferreus obex*, in foribus thalamorum & cæcorum locum habuit; quibus duo fermè ſingulis additi, ut hodieque moris eſt in ſuperiore parte unus, in inferiore alter. Unde apud Plautum in *Aulular Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 26. *Oſtium intus ambobus occlude peſſulis*; quod de ſera vel vecte ſive repagulo ligneo accipi non poteſt. Nec enim duabus ſeris vel μοχλοῖς januæ muniebantur, licèt apud Polybium legatur *l.* 15. de foribus quibuſdam duplici clauſtrô obſeratis: Συνέβαινε δὲ τὰς θύρας εἶναι δικτυωτὰς διαφανεῖς, ἀποκεκλεισμένας δὲ διττοῖς μοχλοῖς. Sed hoc minimè ſolenne ac perpetuum, ideoque notatum Polybio. Neque eôdem modô, quô vectes lignei, *peſſuli* tales, removebantur. Βαλανάγρα enim ſeu clavis, quâ balani aperiebantur, in βάλανον immiſſa ſurſum trahendo eam eximebat, ut dictum, quod ἀνασπᾶν vocat *Æneas*: at clavis, ad interiora domus membra aperienda pertinens, apud Homer. *Od.* 21. *v.* 47. 537. ἀνακόπτει ὀχῆας, h. e. *ſurſum quatit ac repellit*, quod ἀνακρούειν *Aratus* vocat. Illi unicô tantùm dente prædita, hæc cum tribus erat, vide ſuprà ubi de *Laconica clave.* Cujuſmodi claves quidem non vertebantur ad reducenda & adducenda, quæ intus erant, ferrea verucla & repagula, ut hodie fit; Sed aperiebant ſuccutiendo ac dejiciendo, quod in interiore parte forem cum poſte detinebat vinctam, ferreô peſſulô. Cujuſmodi etiamnum viſuntur quamplurimæ & ſimiliter aperiunt Chartuſianæ; nempe clauſtro immiſſæ ſuccutiunt repagulum, donec ex uncino, cui injectum eſt, exeat, &c. Vide ſuprà in voce *Obices ferrei*: item ubi de *Oppeſſulandi ritu*, *alibi paſſim* & hanc in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 924. & *ſeqq.*

PESTIS, Latio omnem perniciem notat, raró propriam, nec ſcio, an uſquam abſolutô ſenſu *peſtilentiam*, quam ſic tamen hodie omnes vocant, etiam illi, quorum ſcripta inter veteres Auctores pro teſtibus boni Eloquii citantur, verba ſunt Caſp. Barthii *Animadverſion. ad Statium Thebaid. l.* 2. *v.* 282. Cœterùm *Peſtilentiam* omnem Deorum iræ adſcribebant Veteres, jam inde ab Homeri temporibus. Statius iis videtur accedere, qui ventis tribuebant, *Theb. l.* 11. *v.* 274.

Ceu cœlo dimiſſa lues ——— ———

Sic Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 532.

Peſtiferis calidi ſpirârunt flatibus Auſtri.

Vel qui Soli, de quibus videre eſt Clem. *l.* 5. *Strom.* Unde fictio Homerica de Apollinis ſagittis eam inferendi us. Certè vitiatus

aer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

aër pleriſque ſtatuitur. Ipſum autem malum Numinis inſtar colebatur, de quo Barthius præfatus *Superſtitionum Commentariô*. Apud Auguſtin. *Ser.* 24. *de Verbis Apoſt.* Punicum legitur proverb. ridiculum, quod tamen utili ſenſu non caret. *Eſt Peſtis ante oſtium & petit nummum: da ei duos, ut ducat ſe.* Hoc eſt, cùm pauper aliquid à te poſcit; potiùs duplum des, ſi ſapis, quàm nihil, ne inſequatur ultio, totum te rebus tuis eripiens. Vide iterum Barthium *ad Statium d. l.*

PESTUM, vide PÆSTUM.

PESTUM, vulgò PESTH, urbs Hungariæ ad Danubium è regione Budæ, in planitie, ſub Turcis; aliàs munita, caput Comitatus Peſtenſis, qui inter Comitatus Zolnacenſem ad Ortum, Pelyſienſem ad Occaſum, Novigradenſem ad Boream, & Tolnenſem ad Meridiem.

PESURI, populi Luſitaniæ, Plin. *l.* 4. *c.* 21. Quorum tractus *la Comarcadi Covilhan*, teſte *Renſendiô*, apud Tagum & Cudam fluv.

PETA, petentium Dea, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 3. *Putationibus arborum Puta, inquitis, praſtò eſt: rebus petendis Peta.* Et paulò pòſt, *Dicite ôquaſo, ita vobis propitia faveant* Peta, *Puta, Patella* &c.

PETALIA, Eubœæ urbs, *Strabo.*

PETALIÆ, inſulæ quatuor in Euripo Euboico, Plin. *l.* 4. *c.* 12. apud urb. Chalcidem, in aditu ipſius Euripi, è regione Atalantis, ad egreſſum Euripi, *Ferrar.*

PETALISMUS, apud Syracuſanos, ſimile quid erat Oſtraciſmo Athenienſium: niſi quod hic in decennium, ille in quinquennium, exiliô multaret. Nomen ei à Græca voce πέταλον, i. e. *folium*; quòd oleæ folio nomen ejus, quem exulem volebant eſſe, inſcribi ſoleret, vide Plut. *Ariſtide.* Ab eadem origine *Petalium* eſt, nomen præſtantiſſimi è nardo unguenti, de quo Dioſcorides *l.* 1. *c.* 81. Meminit ejus Plautus *Curculione, Actu* 1. *ſc. Flos veteris vini. v.* 5.

Nam omnium unguentûm òdor pra tuo, nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocum & caſia es, tu Petalium.

Latinè *Foliatum* quod vide ſuprà. Hôc aliiſque unguentis utebantur Veteres non tam ad neceſſitatem aut valetudinem, quàm ad voluptatem & conviviorum delitias, vel vino illa miſcendo vel corpori coroniſque inungendis adhibentes: idque à primis Reip. Romanæ temporibus, uſque non ad florentem modò, ſed etiam extremam ejus ætatem, Et quidem de *Petalio* ſeu Foliato inprimis loquitur Martial. *l.* 11. *Epigr.* 28. *v.* 9.

At mea me libram Foliati poſcit amica,
Aut virides gemmas ſardonychaſque pares.

Et *l.* 14. *Epigr.* 110.

Hac licet in gemma, qua ſervat nomina Coſmi,
Luxurioſè bibas, ſi Foliata ſitis, &c.

Vide Thom. Dempſter. *Peralipom. in Roſin. l.* 5. *c.* 30. & infrà in voce *Unguentum.* Sed & *Petalium* ſeu *Petalum*, dicitur in habitu Sacerdotis Summi, apud Hebræos, bractea illa ex auro puro, cui inſculptum erat, *Sanctitas Jehova:* Hæc appoſita erat cum vitta hyacinthina, ſuper ipſam cidarim è regione anterioris ejus partis; ſuper frontem Pontificis Summi, ut auferret iniquitatem rerum ſacrarum, quas conſecrâſſent filii Iſraëlis, &c. Vide Exodi *c.* 28. *v.* 36. 37. 38. & ſuprà *Frontale.* Hinc & πέταλον, *bractea*, ſeu πετταλοποιοὶ ſeu πεταλȣ̃ργοι, i. e. *Bracteatores, l. c.* 1. *C. de excuſ. Artific.* Sic dicti autem erant, qui inter alia ſtatuas Virorum illuſtrium aureis bracteis obducebant. T. Livius 4. *Dec. l.* 10. *Ædem* (Pietatis) *dedicavit M. Acilius Duumvir ſtatuamque auratam, qua prima omnium in Italia ſtatua inaurata eſt, Patri Glabrioni poſuit.* Vide quoque Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. atque iterum Dempſteri *Paralipom. in Roſinum l.* 9. *extr.* &c.

PETALUS, unus ex iis, qui in aula Cephei regis, Perſeo vim inferre conati, ceciderunt. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 115.

Petalus i ridens, Stygiis cane catera, dixit.

PETAMINARTI, apud Salvian. *de Provid. l.* 3. *Equidem, quia longum eſt dicere de omnibus Amphitheatris, ſcilicet odeis, luſoriis, pompis, athletis,* Petaminariis, *pantomimis cateriſque portentis, qua piget dicere, quia piget mala talia vel nôſſe:* Sed *Petamenarii* legendum eſſe, ait Salmaſ. Ita enim Firmicus *l.* 8. *c.* 15. ubi de Delphino oriente in octava parte Capricorni, *Sed Saturni teſtimoniô urinator erit, cum Marte verò & Mercurio Petamenarius, Ephalmator, Petauriſtarius, Orciſcopalarius, aut certè innatâ curſus agilitate perſpicuus.* Quæ nomina periculoſarum, ſed ludicrarum ſimul artium, quales oſtendunt ac profitentur, qui Θαυματοποιοὶ dicuntur. Nempe expreſſit hâc voce Firmicus eos homines, de quibus Manilius ait *l.* 5. *Et viduata volant pennis & in aëre ludunt.* Quod genus erat Θαυματοποιητικῆς τέχνης. *Petamenarios* autem dixit pro πεταμένοις, i. e. *volantibus*, in aëre, & qui, ut Claudian. ait, *de Mallii Conſul. v.* 319.

——— *More avium ſeſe jaculantur in auras.*

Sed & *Petiminarii*, legi poſſet: Eſt autem *petimen Servio* ὕβος, ſeu tuber, in camelis ac tauris Cypriis gibberibus, antiquis Romanis *petumen.* Unde dicti *Petiminarii*, qui ſaltu periculoſô corpus vibrantes, totos plerunque ſe contrahunt, & gibbos faciunt, ut Petauriſtæ, & alii hujuſmodi paraboli ſaltores. Imò emendari debere, apud *Salvian. Athletis, Mimariis, Pantomimis*, pronuntiat idem Salmaſ. *ad Solin. p.* 986. &c.

PETANIUM ſeu *us*, inſula Luſitaniæ, *Perſoguero, J. Mariana*, aliis *Peſegueiro*, in ora Occidentali inter Villam Formoſam & Sinim oppidum.

PETANTIUS Felix, vide *Felix.*

PETAS, nomen Comici ſervi, ſicut Soſias ac Xanthias. Vide Schol. *in Ariſtoph. Acharn.*

PETASIUS, inter Scriptores Chymiſtas, recenſetur *Zoſimo*, ὧν ἐισι Πετάσιος κ̀ Συνήσιος οἱ θαυμάσιοι.

PETASO, an à πετάζω, *dilato*? in delitiis Veter. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 55. cui is *titul.*

Muſteus eſt: propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone *nihil.*

Ubi recentem, ſucci & ſaporis plenum, non fumô duratum ſicumque probat Poëta. Hodie in Europa Weſtphalici commendantur: apud Sinenſes, Kinhoa ſub *Chekiang* præſtantiſſimos præbet, qui totô illô Imperiô maximi æſtimantur. Auctor Anonymus *Sina & Eur. p.* 1157.

PETASUS, pileus Theſſalicus. Sueton. *in Aug. c.* 82. *Dominon niſi* petaſatus *ſub Dio conſpiciebatur.* Erant autem iſtiuſmodi pilei marginati ac arcendo Soli apprimè accommodi, quales noſtrates galeri ſunt: cùm communes pilei margine carerent, ſicut ii, in quibus ſomnum capimus. Æthiopes quoque *Petasô* utebantur marginis adeò ampli, ut decem hominibus inumbrandis par eſſe poſſet, referente Nicol. Godinô *de rebus Abaſſinor. l.* 1. *c.* 12. De Theſſalicis *Petaſis* latè differentem vide Hadr. Junium *Animadverſ. l.* 2. *c.* 6. Mercurium *petaſatum* caduceatumque habet Inſcriptio lucernæ Olybianæ, i. e. ut latronum Deum, coopertum caduceique ſomniferi virtute oculos perſtringentem, Fort. Licetus *de Lucernis antiq. l.* 2. *c.* 12. ſed & *Petaſus* Mercurio ut Deorum nuntio, convenit: propriè enim *Petaſum*, à πετάννυμι, i. e. *extendo*, dictum, pileum fuiſſe viatorium, Solem arcentem, indigitat quoque Plautus *Prologo Amphitruon.* ubi idem, *v.* 143.

Ego has habebo hic uſque in Petaſo *pinnulas,*
Tum meo Patri autem torulus inerit aureus,
Sub Petaſo.

Unde Diſid. Heraldus *ad iſta Arnobii l.* 6. *Cum* petaſo *gnatus Maja, tanquam vias aggredi praparet: Petaſi*, inquit, *& pilei in itinere uſus, cum aliàs raro pileis uterentur.* Vide Juſtum Lipſium *de Amphitheatro c.* 19. A' forma itaque hujus tegminis, per tralationem *Petaſus* dicitur, quod in galeri formam ædificiis ſuperpoſitum, extenſumque eſt, in metæ modum ſe trahens, Plin. *l.* 36. *c.* 13. Item, majus tintinnabulum ad galeri ſeu *Petaſi* ſimilitudinem factum, *Petaſum autem à Varrone* (verba ſunt Hier. Magii *l. de Tintinnabulis c.* 1.) *in tholo hujuſmodi inſtrumentum appellari (ſi memoriâ fideli in depoſito utor) aliquando animadverti: quanquam & in Laconico clypeus areus, per cujus deductionem ac reductionem calor augeri vel minui conſueviſſet, ſic dicitur; ut apud Vitruvium, ubi de Balneo agit, perſpicere licet.* Vide Franc. Swertium *Not. in locum.*

PETAVIUS Dionyſius, Aurelianenſis Gallus, Jeſuita celebris. Emiſit A. C. 1627. libros 13. *de Doctrina Temporum*, quos duobus complexus eſt tomis. Prior octo libris comprehendit τὰ τεχνικὰ temporum, h. e. quæ ad artificioſam Scientiæ compagem pertinent: ut de varia horarum, dierum, menſium, annorumque ratione. Quæ principia ſunt ἐπιϛημονικὰ alterius partis. Poſterior tomus libris quatuor complectitur ea, quæ in ratione Epocharum, atque intervallorum ſunt obſcura, eoque controverſa. His 12. libris accedit decimus tertius, qui ἀποτέλεσμα ſive uſum fructumque ſuperiorum continet librorum: ac Chronicon eſt omnis ævi uſque ad annum 532. quo pax inita eſt inter Romanos ac Perſas. Poſteà Idem fecit *Rationarium temporum*, itidem libris 13. quod ſæpius editum, correctum, auctum. Ejus quoque prodiit *Pſalmorum aliorumque Canticorum in Script. paraphraſis Gracis verſibus*, quæ extat cum interpretatione Latina, 8. Pariſiis A. C. 1617. Voſſio *de Scient. Mathematicis c.* 41. §. 24. *Permulta poſt Scaligerum optimè obſervavit. Sed judicium interponere* difficile *inter eos, quorum uterque praclarè adeò de Chronologia meritus eſt, ut nullis plus hac Scientia debeat.* Vide quoque Gaſſendum in *vita Peireſcii.*

PETAVONIUM, aliàs *Superatiorum* dictum, oppid. Aſturum cis-montanorum in Hiſpania Tarraconenſi, *Ptolem. Venenza* hodie *Ambr. Morali.* Ubi nunc vicus *Vaneça*, in tractu *Tierra Cabrera de Leon*, in regno Legionenſi, in limite Gallæciæ. *Baudrand.*

PETAURISTARII, apud Maternum Firmicum *l.* 8. *c.* 15. *cit.* iidem cum *Petauriſtis*, de quibus mox.

PETAURUM, Græcè πέταυρον vel πέτευρον, tabula ſeu pertica parieti affixa, ad quam veſpere Gallinæ ſe volatu recipiunt, ut pernoctent. Inde pertica vel rota, ad quam Mechanici *crurum laſciviâ culices imitati*, ſaltu ſe ſubjiciebant, propterea dicti Πεταυριϛαὶ: item *Mechanici*, quia in machina vel rota ſe trajiciebant, *Feſtus* cum *Scalig.* Inventores primi Germani, unde *Germani Petauriſta*, Amm. Marcellinus. *Fuit quoque*, ut ait Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 4. *c.* 21. *Petauri ludus admirationis pracipua, cùm per circulos quiſpiam veloci curſu tranſvolat corpore ita libratô, ut non offendat circulum.* Meminit hujus ludi Manilius *Aſtronomic. l.* 5.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, qua validô ſaliunt excuſſa Petaurô,
Alternoſque cient motus, elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur alter.

In quæ verba *Joſ. Scaliger, Rota*, inquit, *in ſublimi poſita à duobus verſabatur, alter supernè, alter infernè nitebatur; Ita fiebat, ut alternis dejecti nunc penderent, nunc erecti ſederent, per eandem rotam etiam corpora contentô ſaltu ſubjecta trajiciebant.* Mercurialis *ligneam* quandam *machinam* fuiſſe vult, *quâ homines rotis quibuſdam in aërem jactabantur:* ut, præter vim nominis, Lucilius indicare videtur, *verſu*

Sicuti Mechanici cùm alto exiliêre petauro. Ani

Et Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 265.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

An magis oblectant, animum jactata Petaurô
Corpora, quique ſolent rectum deſcendere funem.

Martialis item *l.* 11. *Epigr.* 22. *v.* 3.

Quàm rota tranſmiſſo toties impacto Petauro &c.

Unde non cricilaſiæ hoc exercitationis genus aſſimilari vult, ſed potiùs jactationi illi, quæ hodie in juvenili ætate viget, cùm aſſere funibus quatuor ad laquearia ſuſpenſo ibi ſedentes pueri aut puellæ veluti per aërem jactantur, quod *Oſcellarum* appellatione à Veterib. ſignificatum putat, cujuſque meminit Avicenna *princ. quarti tract.* 2. *c.* 13. ubi ad coërcendum ſudorem laudat, ut æger ponatur ſuper inſtrumentum, quô pueri vel Juvenes ſolent in aëre concuti. Et favet huic opinioni, quod *Ælius Stilio* apud *Feſtum* ait, *Petauriſtas* dici propriè Græcè quod ii πρὸς ἀέρα vel πρὸς αὔρας πέτονται, ſive, quòd *ad aërem* vel *ad auras* volent, quam exercitationem etiam in ludis Gymnicis uſurpatam fuiſſe, apud Thracas, Ægyptios, alioſque populos ex Hiſtoricis patet. Nec minùs iſtud indicant Auguſti atque Tiberii Cæſaris nummi, in quibus hunc in modum Oſcellarum ludus repræſentatur, qui licèt ab hodiernis Oſcellis diverſus ſit, quo ad modum, nihilominus reipsâ nequaquam diſtare, ſolidè perſpicitur; quòd in aëre videatur non ſecus Luſores quaſſari ſolitos fuiſſe, atque nunc agunt qui ſimiliter exercentur. Idem raptorium illud machinamentum, quod Cœl. Aurelian. *l.* 5. *Chron. c. ult.* vocat *Macronſparton*, non prorſus abſonum ei, & vel ipſummet *Petaurum*, vel ſaltem ei non diſſimile fuiſſe, contendit. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 8. Nobilis *Petauriſtæ* mentio, apud Varronem *Ep. ad Cæſarem*, *Convocat Ptolemæum Cinædon, Laconicon Petauriſtea, Diona* αὐλοποιόν. Per flammas, accensô Pegmate, librantium ſe, ut populo oblectamentum darent, *Petauriſtarum*, ſuprà laudatus Manilius meminit, *l. eod.*

Membraque per flammas, orbeſque emiſſa flagrantes
Delphinumque ſuô per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis, & in aëre ludunt.

Vide quoque ſuprà in voce *Pegma*: aliquid inſuper infrà, in *Rota.*

PETELIA, Lucanorum metropolis, occurrit apud Samnites, quâ Româ in Græciam pedeſtri itinere itur. Strabo *l.* 6. hodie *Policaſtro. Bondrando* urbs Brutiorum olim, nunc *Policaſtro*, caſtrum parvum in Calabria ulteriore verſus montes, & fontes Tacinæ amnis.

PETELINUS Lucus, apud Romam erat, extra portam Flumentanam. Liv. *l.* 6. *c.* 20. hodie nihil ejus apparet.

PETELLIDES Gnoſius, hiſtorias compoſuiſſe dicitur Hygino in *Poët. Aſtronom.* quô locô de Arctophylace tractat.

PETENISUS, Galatiæ oppid. *Ptolem.*

PETEON, urbs Bœotiæ, *Stephan.*

PETERE, Gladiatorum verbum, cum ferri mucronem in partem aliquam dirigunt. Cicer. de *Oratore, extr. Gladiatores & vitando cautè & petendo vehementer omnia faciunt utiliter ad pugnam & ad adſpectum jucundè.* Ad alia venuſtè tranſlatum. Idem *pro Murena*, *Etenim ſciebam Catilinam non latus aut ventrem ſed caput & collum ſolere petere.* Liv. *l.* 33. *Annibalem unum ſe peti à Romanis non fallebat.* Vide quoque Cicer. *in Clodium*, C. Nepotem *Themiſtocle c.* 2. *Annibale.* Alios. Claudian. *de Bello Getico v.* 99.

Nec tanti nomen ſtirpemque abolere Getarum.
Ut propiùs peterêre *fuit.*

PETERMANNI, apud Lipſium in *Lovan. l.* 2. *c.* 4. homines ſeu ſervi S. *Petri* Lovanienſis.

PETESSONTIUS, *Cedreno* Πετισώνιος, ubi ait, ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Μωσέως Αἰγυπτίων ἐβασίλευσε Πετισώνιος, ὁ καὶ Φαραώ. quod vertitur *in Exerptis Latino Barbaris*, apud Euſebium Scalig. *p.* 51. *In diebus Moſis* Peteſſontius *Pharao regnavit in Ægypto.* An idem cum *Peteſuco* ſive *Tithoë* Plinii, de quo mox? Vide quoque ſuprà *Palmanothes.*

PETESUCUS, Rex Ægypti, qui primus in Heracleopolite nomo ædificavit Labyrinthum, Plin. *l.* 36. *c.* 13. Vide *Peteſſontius.*

PETEUS, Ornei fil. Erechthei Athenienſium Regis nepos, ab Ægeo Athenis pulſus, in Phocide conſenuit. Pater Meneſtei, qui bellô Trojanô, juxta alios inclaruit. Diodor. *l.* 1. Vide quoque Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* VIII. ubi *de Ægyptiorum Coloniis.*

PETHORA, Hebr. פתורה, Bileam Pſeudoprophetæ patria, memorata Joſuæ *c.* 13. *v.* 22. & *c.* 24. *v.* 9. dicta eſt quaſi בית פתורה, i. e. *domus interpretationis*; quia Bileamus, cùm celeberrimus Magus eſſet, Oracula Dæmonum, conſulentibus ibi, reſponſa dabat, & illis obſcura quævis interpretabatur. Sic & Chaldæi בית אולפנא pro *Schola*, vel *Academia* dicunt. Neque verò inſolens fuit ab hac obſcura interpretandi facultate, nomina indere; Unde ea ipſa de cauſa Joſephus, ab Ægyptio Rege, vocatus eſt צפנת פענח, quod eſt ſi interpreteris פותר vel פתרן, i. e. *Interpres.* Quò mirificè facit obſervatio Rabbinorum, qui inter cœtera Joſephi nomina etiam פותר recenſent: Et hoc ipſum nomen in Oriente receptum eſſe, atque in Græcorum Πετρος, propter ſoni affinitatem, tranſiſſe, ſunt qui velint. Certè *Heſychius*, Πέτρος, inquit, Ὁ ἐπιλύων, ὁ ἐπιγινώσκων, & Arator, *Petrus Hebræô* agnoſcens *ſermone notat.* Qui ambo alludunt ad Hebr. פתר, quod Græcis ἐπιλύειν eſt ſeu *explicare, reſolvere, interpretari*, ut Camero oſtendit ad 2. Petri *c.* 1. *v.* 20. quamquam Heinſius in *Nonnum c.* 17. nugas & argutias vocet. Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 2. *c.* 4. *ubi eodem de Bileamo ei ſermo eſt.*

PETIGORES, pars Circaſſiorum; quaſi *Pient Zeorſki*, Polon. i.e. incolæ 5. montium. Sunt juris ſui, ſub Principibus pluri. mis; De nomine Chriſtiani. Eorum regio eſt inter Mæotidem Paludem, Pontum Euxinum, & Colchidem, verſus Tanaim & Verdanum fluvios; tota montibus ſylviſque maximis horrens.

PETILIA, Plinio, *l.* 3. *c.* 10. *Ptolemæo*, ac *Stephano*, Magnæ Græciæ urbs, non procul à Lacinio promuntorio; à Philoctete condita, ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, ut volunt, i. e. *à volando*, quòd ex volatu avium ſumptô auguriô, ibi futuræ urbi locus ſit delectus, inter Siberinam ad Ortum 9. mill. paſſ. & Tabernam ad Occaſum 10. 12. milliar. ab ora Sinus Scyllacei in Boream, uti 6. ab urbe Belcaſtro, quæ ex ejus ruinis crevit, 90. ferè in Cæciam à Policaſtro, urbe Lucaniæ, ſed L. Holſtenio *Petilia* fuit, ubi nunc *Strongoli*, urbs Epiſcopalis Calabriæ. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 402.

Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Πετηλία *Straboni. Nic. Lloyd.* Vide *Petelia.*

PETILIA lex, de Peculatu, commemoratut Franc. Hotomanno, ex Livio *l.* 8. *c.* 54. Auctorem habuit Q. *Petilium* Tribunum Pl. M. Æmiliô Lepidô, C. Flaminiô Nepote Conſulib. ita ſonans: *Vellent, juberent, quæreretur, quæ pecunia capta ablata, coacta ab Rege Antiocho ſit, quique ſub ejus imperio fuerint: quod ejus publicum relatum non eſſet, uti de ea re Ser. Sulpitius Prætor urbanus ad Senatum referret.* Addit Livius, *Omnes Tribus, uti rogas, juſſerunt.* Præter quam Legem, nulla fere de hoc crimine, niſi lex Julia; extat. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 28.

PETILIANI Hæretici, malorum contage non inquinari bonos, nec Miniſtrum impium, Sacramentum ullum validè conferre poſſe, dictitabant. *Gloſſ. in Can. Dominus declaravit* 1. *quæſt.* 1. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide in voce *Petilianus.*

PETILIANUM, oppid. permunitum Hetruriæ, in confinio ditionis Pontificis. Antè proprios habuit Comites è Familia Sfortia, nunc à M. Duce Hetruriæ emptum; vix 5. milliar. à Soana in Ortum, 12. ab Acula in Africum, Orbetellum verſus circiter 30.

PETILIANUS, Pſeudoëpiſcopus Cirrhæ, in Africa, Donatiſtarum errores tuitus, illos, qui ob peccatum ſe occiderent, veros martyres eſſe docuit. Loquax, ſed ingeniô & eruditione mediocri. In celebri illo colloquio, cui Auguſtinus interfuit, A. C. 411. Donatiſtarum caput.

PETILII, Tribuni plebis, qui P. Cornelio Scipioni Africano diem de Repetundis dixerunt.

PETILIUS, ſcriba qui in agro ſuo ſeptem libros Pontificum Latinos totidemque Græcos invenit: ſed poſteà ſeptem Græci à Petilio Prætore Urbano cremati ſunt: Latini magnâ diligentiâ ſervati.

PETILIUS Balbus, vide *Cajus.*

PETILIUS *Cerialis*, legionis nonæ in Britannia legatus; poſteà bellum Germanicum ſub Veſpaſiano adminiſtravit. Agreſti cultu & notitiâ locorum cuſtodias Vitellii elapſus. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 59.

PETILIUS Rufus, Prætorius, qui cupidine conſulatus per Sejanum adipiſcendi, cujus voluntas non niſi ſcelere quærebatur, ſceleratè Titium Sabinum, amicum domûs Germanici, pervertit. Tacitus *l.* 4. *Annal. c.* 68.

PETILIUS Claudius, vide *Claudius.*

PETILIUS Libo, vide *Marcus.*

PETILIUS Spurinus, vide *Quintus.*

PETIMINARII, genus Θαυματοποιῶν, de quibus vide ſuprà, ubi de *Petaminariis.*

PETINA, vide *Ælia.*

PETINA, urbec. Iſtriæ, *Pedena*, Epiſcopalis ſub Patriarcha Aquilejenſi prope fontes Arſiæ fluv. ſub Imperatore, 22. milliar. à Pala in Boream, 30. à Juſtinopoli in Eurum, uti 15. ab Alpibus & confinio German.

PETINEI, & PETINEGI, apud Ditmarum *l. ult. p.* 113. populi ſunt, Græciæ citerioris ævi Πατζινάκαι dicti, de quibus vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Not. ad Alexiadem.*

PETINESCA, ſeu PETINISCA, eſt *Biel*, ſeu *Bienne*, oppid. olim Sequanorum, nunc Helvetiorum, ad lacum Biellenſem, 6. milliar. German. à Friburgo in Boream, Baſileam verſus, 4. à Soloduro in Occidentem Novocaſtrum verſus. *Baudrand.* ex *Cluverio. Guillimanno* eſt oppidul. *Büren*, in ditione Bernenſium; ad Arolam ſitum. *Gaudardo Petineſca*, vel potiùs *Pedineſca* eò loci fuit, ubi hodie eſt viculus *Tribey*, mediô ſcil. Aventicô Salodurum uſque itinere, non procul à Nidovio, inter Arolam, & fluv. Telam; pagoſque *Jens* & *Schwaanden*, quouſque olim per mediam paludem, antiqua illa Romanorum via, (quæ hodieque aliquibus in locis integra apparet, vulgò *der Heyden Weg, der Romer Weg, das hohe Geſtraſſ,*) in linea recta pertingebat. Quod probat ex nomine *Tribey*, quaſi Tripes, ex ruderibus ædificiorum, ruinis veteris cujuſdam arcis, variis numiſmatis ibi repertis, loci commoditate, foſſa ex vicina Arula omnis generis mercibus advehendis opportunâ, &c. Vide Johan. Baptiſt. Plantinum *Helv. Nov. Antiq.*

PETIRGALA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

PETISONIUS, vide PETESSONTIUS.

PETITOR, vide ſuprà *Candidatus.*

PETITUM Paſcha, ſive Paſcha Competentium, dicta olim Dominica Palmarum, quam ob cauſam, vide ſuprà in *Capitilavium.*

PETITUS Samuel, Gallus, ex nobili & antiqua Pariſiis familia, Theol. & LL. Hebrææ ac Græcæ Nemauſi Profeſſor; edidit, *Leges Atticas, cum libro Commentario. Opus Juris*, Literarum & Rei antiquariæ ſtudioſis utiliſſimum, quod inſcripſit Franc. Auguſto Thuano. Prodiit illud Pariſiis An. 1635. in fol. Præterea *Miſcellaneorum libros IX. Eclogas Chronologicas, Variarum Lectionum libros IV. Obſervationum libros III. Poſtremum & poſtumum opus ejus fuit in Joſephum, in duo Volum. diſtinctum.* Cœterùm, ſtatura ipſi erecta & procera fuit, forma venuſta ac veneranda, facies aperta vultuſque hilaris ſemper ac blandus. Veſtitu comptus erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& ad miraculum uſque pingebat characteres Græcos, Hebræos, Latinos. Doctrinam vero ejus omnigenam, facilem, claram, profundam omnibuſque numeris abſolutam propè noverit, qui penitius introſpexerit inexhauſtô labore facta ejus opera, cum Regis privilegio Pariſiis excuſa, ſumtibus Caroli Morelli. Obiit A. C. 1643. ætat. 49. Literatorum decus & ornamentum, pius ille & bonus *Petitus* : à genero ſuo Petro Formico Doctore Medico Monſpelienſi inſigni epitaphiô metricô honoratus. Paul Freherus *Theatro Virorum eruditione claror.*

PETIVERIUS Caſtrum, Ludovicus, cognomine Craſſus Francorum Rex, in literis datis A. C. 1119. inter Prioratus 45. Cluniacenſis Monaſterii in Regno ſuo poſitos, ante annos 600. numerat *Prioratum de Petiveris* : quam *Eccleſiam S. Petri Pituerenſis* in literis A. C. 1130, idem nuncupat; *Eccleſiam de Petuerio* appellat Honorius Papa II. in literis A. C. 1125. *Belſa Pituerienſi* nomen ſuum dedit hic locus, ut Autricum Carnutum *Belſa Carnotenſi*, Caſtellum Dunum, *Belſæ Dunenſi*, ut in Belſa notavi. In literis Leonis Papæ VI. inter villas Eccleſiæ Aurelianenſis S. Crucis *Petuerius* numeratur. In literis Eugenii Papæ III. datis A. C. 1150. *Eccleſia S. Georgii Pivorenſis, caſtrum Piveris*, & *Piverum Vetus* ad Eccleſiam Aurelianenſem pertinere dicuntur. Anaſtaſius Papa *pagi Pitverenſis*, & *caſtri* à quo nomen habet, meminit. *In pago Pituerenſi, tàm in caſtro quàm juxta caſtrum.* In literis Caroli Calvi Franciæ Regis *Pedeverius* vocatur, uti ſuprà *Petuerius* non ſemel, in Hugonis Regis Franciæ tabulis *curtis Peduerius.* Legi litteras Philippi Francorum Regis A. C. 1089. datas, in quibus hæc verba reperi : *In poſſeſſione ſuper vadum Pitueris Eccleſiam unam.* Ludovicus Franciæ Rex, Philippi fil. *Pontem Piveris* memorat, atque Eccleſiam eo in loco ad Cluniacum pertinentem; literæ Joh. Aurelianenſis Epiſcopi, quibus Odo Archidiaconus Maudunenſis ſubſcripſit, *Eccleſiam S. Petri Pitueris.* Incertus Monachus Floricenſis *in libri de Miraculis S. Benedicti, c. 32. Boſonis Villa quadam, S. Patris noſtri* (Benedicti Floriacenſis) *dicitur poſſeſſio, juxta caſtrum quod Petueris vocatur, ſita* : & *in c. 11. Teſcelinum Petuerenſem virum Nobilem* appellat, qui ſub ſe Milites haberet. Variè ergo à variis appellatur, & diverſas accipit terminationes, *Petiveris*, *Pitiveris*, *Pedeverius*, *Peduerius*, *Petuerius*, *Pituerius*, *Petueris*, *Piveris*, *Piverum* : nunc *villa*, aut (quod idem eſt) *curtis* cognominatur; nunc *caſtrum* nobiliore titulô nuncupatur. *Petiveris*, *Pitiveris*, *Pitueris*, aut *Petueris*, vel declinatur ut navis, & turris : vel certè eſt ſextus caſus pluralis à recto *Petiveri*, & declinatur ſicuti Aureliani, Turoni, Pariſii. Hoc caſtrum haud dubiè dictum eſt ab amniculo *Pituere*, cui pontem habet impoſitum ſuprà *vadum Pitueris*, & *Pontem Piveris*, de alio quàm de amne caſtri Pituerenſis accipere non poſſimus. Vulgò dicitur *Putiviers*, & vicus ei proximus *Putiviers le Vieil*, ante An. 520. *Piverum Vetus* Eugenio Pontifici III. ſuprà dictus. *Petiviers*, & *Pitiviers* alii ſcribunt rectiùs : pro quo plerique *Pluviers* mendosè efferunt. Ab eo caſtro nomen accepit *pagus Petiverenſis*, vel *Pituerenſis*, Carolo Calvo aliiſque memoratus, *le Pituerais* : in quo eſt *Joviacum* cum ſua S. Andreæ Eccleſia Baptiſmali, *Joüy en Pituerais* vulgò dictum. Ab eodem caſtro cognominata eſt olim pars Belſæ *Belſa Pituerenſis.* Inter ſex Eccleſiæ Aurelianenſis Archidiaconatus ſecundùm locum tenet *Archidiaconatus Pitiverenſis*, uni Archidiaconatui majori, ſeu Aurelianenſi poſtpoſitus, prælatus cæteris, nimirum Archidiaconatui Belſæ, Archidiaconatui Secaloniæ, Balgentiacenſi, & Solliacenſi. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

PETNELISSUS, vide PEDNELISSUS.

PETORITUM, vehiculum quatuor rotarum : à Τέσσαρες, Πίσυρες, Πέτορες, Oſcè *Petora*, i. e. *quatuor*, Scalig. *in Varronem de Re Ruſt.* & *in Feſtum.* A. Gellius verò *l. 15. c. 30.* vocem hanc Tranſalpinam eſſe dicit, & Gallicæ originis, ex Varrone *rerum Divin. l. 14.* quo in loco hinc, cùm *de Petorrito* (ita ſcribit Gellius) dixiſſet, *Lanceam* quoque, non Latinam, ſed Hiſpanicam vocem eſſe, contendit. Et quidem *Petorritum* Gallicum eſſe, etiam Quintilianus teſtatur, *l. 1. c. 9.* inquiens, *Plurima Gallica valuerunt, ut Rheda &* Petorritum : *quorum alterô Cicero tamen, alterô Horatius utitur.* Horatii locus eſt *l. 1. Sat. 6. v. 105.*

——— *Plures calones atque caballi*
Paſcendi, ducenda Petorrita. ———

Utitur voce Auſonius quoque *Ep. 8. v. 5.*

Cornipedes rapiant infeſta Petorrita *muli.*

Et *Epiſt. 14. v. 15.*

Canteri moneo malè nata Petorrita vites.

Vide Gellium *loc. cit. ubi de voce hac prolixè admodum differit*, &c.

PETORSI, magna & populoſa gens Lybiæ, *Steph.*

PETOSIRIS, Ægyptius Mathematicus inſignis, Plin. *l. 7. c. 49.* Juvenal. *Sat. 6. v. 581.*

——— *Capiendo nulla videtur*
Aptior hora cibi, niſi quam dederit Petoſiris.

PETOVIO, Colonia & urbs Pannoniæ ſuperioris in Stiriâ ad Draum fluv, *Petavium Ptolemæo*, *Petobio Ammiano*, *Pœtovio Appiano* & *Antonino*, vulgò *Pettaw Lazio* & *Rhenano*. *Baudrando* urbs Stiriæ inferioris in ipſo limite Sclavoniæ, ſub Archiepiſcopo tamen Salisburgenſi 9. leuc. à Celeja in Cæciam, totidem à confinio Hungariæ in Occaſum, *Volpia Petavio*, in *vet. inſcr.* apud Card. Barberinum, *C. Julio C. f. Petavione*, &c.

PETRA, Græcè Πέτρα, veteri Græciæ, idem quod *rupes.* Theocritus,

——— πέτρας ἀπόκομμ' ἀτεράμνω.

At Græciæ mediæ idiotiſmus pro quolibet *lapide* uſurpavit, etiam pro cæmentitio & οἰκοδομικῷ. Hinc Paulus Silentiarius ambonem Sanctæ Sophiæ ἕδος πετραῖον dixit, quòd ex *lapide* eſſet constructus,

Πᾶν δὲ τὸ καλλιθέμειλον ἕδος πετραῖον ἐκεῖνο
Ἔνθα σοφῶν ἀνάγουσι θεηγόρα δῖνεα βίβλων.

Idemque paſſim πέτρας appellat, marmora cæſa ac polita, quibus ſtructum illud ædificium &c. Quô fundamentô nixus Salmaſ. verba illa Marci *c. 15. v. 46.* ubi de Crypta Dominica, Καὶ κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας, *Et poſuerunt eum in monumento, quod erat exciſum è petra*; non de rupe interpretatur, ſed de lapide & ſaxo, ex quo ſubterraneas iſtiuſmodi cryptas conſtrui moris erat : atque proin μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας exponit, *monumentum ex lapide cæſo ac polito conſtructum*, quod Lucæ *c. 23. v. 53.* μνῆμα λαξευτὸν propterea dicitur. Certè λαοξόος is propriè, qui lapides polit ac levigat. Vetus *Inſcr.* de Sculptore,

Πραξιτέλους ἦνθεν λαοξόος οὐχὶ χερείων.

Unde Nonnum refellit, qui ex uno lapide cavatum & monolithum Domini ſepulchrum eſſe credidit, ut ex *paraphraſi* hac ejus *ad Joannem* patet.

——— ἔην δ' ἐν γείτονι κήπῳ
Τύμβος ἀδωμήτοιο βαθυνομένης ἀπὸ πέτρης
Γλυπτὸς ὅλος νεότευκτος.

Quod ex aliis Euangeliis ſumſit, cùm nihil tale apud Joannem repériatur. Hinc paulò pòſt λιθώδη χαμεύνην & ὀλίγην χαμεύνην appellat : quaſi ſimilis fuiſſet arcis illis ſive lectulis lapideis ex uno lapide cavatis, in quibus condebantur cadavera, quique ad modulum corporis erant facti &c. Vide præfatum Auctorem *ad Solin. p. 1209.* & 1210. Cæterùm ἐπὶ τῇ πέτρᾳ Dearum ſedes, apud Gentiles, frequens, quòd ibi ſeſe primùm ſpectandas præbuiſſent, conſediſſentque. Sic enim Ceres in Eleuſiniis defatigata incubuiſſe dicebatur, ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ἀγελάστῳ, juxta puteum Callichroum. Delphiſque, in Curia, oſtendebatur *petra*, ſuprà quam Sibylla, ubi à Muſis educata erat, profecta ſederit, teſte Clemente *l. 1. Strom.* Imò & θεὸς ἐκ πέτρας, *Deus è petra*, Mithra Perſarum dictus, in cujus myſteriis hoc Sacramenti uſurpatum, ut mox videbimus. Nempe οἱ τὰ τοῦ Μίθρου μυστήρια παραδιδόντες λέγουσιν ἐκ πέτρας γεγεννῆσθαι αὐτὸν, Juſtin. *adv. Tryphonem*, h. e. qui Mithræ myſteria tradunt, *in lapide de æſtu libidinis eum generatum* dicunt, uti Hieronym. *contra Jovinian.* loquitur. Qua de re ſic Firmicus, *Alterius profani Sacramenti ſignum eſt* Θεὸς ἐκ πέτρας. *Cur hoc ſanctum venerandumque ſecretum ad profanos actus adulteratâ profeſſione transfertis ? Alius eſt lapis, quem Deus in confirmandis fundamentis promiſſæ Jeruſalem miſſurum ſe eſſe promiſit. Chriſtus nobis venerandi lapidis ſignificatione monſtratur. Quid tu ad commaculatas ſuperſtitiones furtivâ fraude venerandi nominis transfers dignitatem ? Lapidem tuum ruina ſequitur* &c. *de Errore profanar. relig.* Sed & memorabile in Eleuſiniis opus; è duobus magnis lapidibus compactum, Πέτρωμα inde dictum, in quo reconditi erant libri Rituales, quibus apertis majoribus myſteriis initiandi ſcripto addiſcebant, quid factô opus : ubi & jusjurandum de maximis quibuſque rebus præſtabatur; Habebat id operculum ſuprà rotundum, intra quod Cereris effigies, quam Sacerdos ſtatô myſteriorum tempore induebat, uti docet Pauſan. in *Arcadicis.* Quô πετρώματι Moſaicæ Legis tabularum inſtar aliquod voluiſſe Simiam Dei exhibere, cenſet Jac. Gothofredus *Exercit. 1. de Eccl.* Vide quoque infrà *ad Petram.*

PETRA, cognomentum Equitum Illuſtrium Romanorum, à Suilio rei Valerio Aſiatico additi, quòd domum ſuam Mneſteris & Poppææ congreſſibus præbuiſſent. Tacit. *l. 11. Annal. c. 4.*

PETRA vel PETRI Hermanus, vide *Hermanus.*

PETRA, urbs Judææ. *Stephanus*, Πέτρα πόλις νῦν τῆς τρίτης Παλαιστίνης, *Petra urbs jam Tertiæ Palæſtinæ*; hanc autem Judæam fuiſſe, ſuprà diximus. Metropolim Palæſtinæ tertiæ faciunt recentes *Notitiæ* Provinciarum Eccleſiaſticarum : Τρίτης Παλαιστίνης Μητρόπολις, Πέτρα, Αὐγουστόπολις, Ἀρίνδηλα, Χαράκμωβα κλ. *Tertiæ Palæſtinæ metropolis* Petræ, *Auguſtopolis* &c. Unde *Petræa*, pars Judææ, apud Plin. *l. 5. c. 14. ubi de Judæa : Pars ejus Syriæ juncta Galilæa vocatur : Arabiæ verò & Ægypto proxima Petræa, aſperis diſperſa montibus.* Sed quòd *Petræam* illam partem Judææ dictam intelligit, ab aſperis ſaxis, quibus montuoſa eſt, fallitur; id enim nominis habet ab urbe *Petra*, quam cùm alii Judææ, alii Arabiæ tribuant, hinc factum, ut illi partem Judææ *Petræam*, iſti Arabiæ, ſic cognominaverint. Vide Salmaſ. *ad Solin.* & in voce *Petra*, *Arabia opp.*

PETRA, ſeu PETRA *deſerti*, Arabiæ oppid. Nabatæorum metropolis, unde ea pars *Petræa* nuncupatur. *Steph.* Dicta fuit demum Cyriacopolis & Mons Regalis, unde hodie *Krach de Montreal.* Olim Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Hieroſolymitano, cùm priùs ſub Alexandrino fuiſſet. Vide Plin. *l. 6. c. 28.* Strab. *l. 16. Ptol.* &c.

PETRA, Urbs Moabitatum, forſan Rabba.

PETRA, oppid. Siciliæ. Πέτρα πόλις, teſte *Ptolemæô.* Oppidani *Diodoro* Πετρῖνοι, unde Ciceroni 3. *Verr. c. 39.* & Plinio *l. 3. c. 8. Petrini, Petrenſes*, verò Solino *c. 11. Stagnum Petrenſium*, inquit, *ſerpentibus noxium eſt, hominibus ſalutare.* Silio *l. 14. v. 249.* hoc oppid. derivativô vocabulô dicitur *Petraa.* Sic enim ille,

Romanos Petræa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidoſique Engyon artus.

Ptolemæus, magnus totius Orbis terrarum, non tantùm Siciliæ, turbator, rectè quidem Petram Engyo ab occaſu oppoſuit, at malè ac perperam utrumque oppidum inter Ennam & Syracuſas locavit. Hodie *Petraglia* vocatur, teſte *Cluveriô*, qui plures *Petras* in hâc inſulâ olim fuiſſe, & etiamnum eſſe affirmat.

PETRA, oppid. Macedoniæ in ora maris Ionii apud Dyrrhachium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

chium, *Lachi*, teſte *Nigrô*. Ejus meminit Lucan. l. *6. v.* 16. *&* 70.

PETRA Abatos, apud Lucan. *l.* 10. *v.* 323.

Hinc Abatos, quam noſtra vocat veneranda vetuſtas,
Petra *patens, primos ſenſit percuſſa tumultus.*

Quibus verbis expreſſit locum Senecæ *Natural. Quæſtion. l.* 4. *c.* 2. *Exiguô ab hac* (i. e. inſul. Phibis) *ſpatiô petra dividitur*, Ἄβατον *Græci vocant: nec illam illi niſi Antiſtites calcant. de illa primùm ſaxa auctum fluminis* (Nili) *ſentiunt*. Sermo eſt de origine Nili, cujus fontem venaſque inter Syenen & Elephantinen Ægyptii conſtituebant in medio duorum eminentium ſaxorum: qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 439. & in voce *Abates*, ut & infrà, in *Phiala*.

PETRA Diviſionis, petra eſt in deſerto Maon, rupes maxima, in qua David cum ſuis à Saulo & exercitu ejus, in modum coronæ cinctus, ob ſubitam & inexpectatam Philiſtinorum irruptionem liberatus eſt.

PETRA Ficta, vulgò *Pierre Fite*, vicus pagi Pariſini; inter Eccleſias ad Monaſterium S. Dionyſii pertinentes, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PETRA Honorii, aliter *Britinorium*, urbs Romandiolæ, 8. milliar. à confinio magni Ducis Hetruriæ, 18. milliar. à Ravenna, 8. à Cæſena in Occaſum, uti 17. à Faventia; ſatis parva, in colle; *Bertinoro*.

PETRA Inciſa, oppid. Palæſtinæ, in ora, inter Cæſaream ad meridiem 10. & Carmelum ad Boream 22. mill. paſſ. Hodie *Caſtel Pelegrino*.

PETRA Inciſa, caſtrum parvum Lugduni, in rupe excelſa, ad Ararim, ſitu munitum, *Pierre enciſe*.

PETRA Lata, vulgò *Pierre Laie*, ſeu *Pierre Lée*, vicus pagi Pariſini, cui nomen petra dedit latitudine notabilis. In decanatu Montis Maurentiaci. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

PETRA Maricorum, *Merulæ Pietra de Merazzi*; vel *di Marici*, oppid. Liguriæ, apud Tanarum fluv. ab Alexandria 3. mill. paſſ. Ticinum verſus ferè 30.

PETRA Oreb, ab Oreb, principe Madianitarum, in tribu Ephraim, circa illam occiſo.

PETRA Pertuſa, vide *Porta Raurica*.

PETRA Sancta, olim *Fanum Feroniæ Brietio*, oppidul. Sub M. Hetruriæ Duce in ora maris Tyrrheni infra fines ditionis Lucenſis, 15. mill. paſſ. à Luca in Occaſum Sarzanam verſus.

PETRA Scelerata, locus Romæ, de quo vide Baronium ad *A. C.* 192. *num.* 4. & 5.

PETRACHUS, *Plut. Petrochous*, mons ſeu montis crepido, Bœotiæ Cheroneæ urbi imminens.

PETRÆ Fons, vide *Petræ Pons*.

PETRÆ Magnæ portus, in ora Marmaricæ, inter Ardanim promontor. & Panormum portum, à Creta, 500. mill. paſſ. in Meridiem haud procul à Catabathmo, *Ptol. Portus magnus*, *Strab.*

PETRÆ Parvæ portus, in ora Marmaricæ ad Occidentem inter Batrachum portum & Antipyrgum. *Ptol.*

PETRÆ Pons, Pons *Petreus*, & Petræ *Fons*. Frodoardus *in Chronico*, ejus loci meminit his verbis: A. C. 938. *Giſlebertus cum Lotharienſibus Hugoni & Heriberto venit in adjutorium contra Regem Ludovicum: caſtrumque Petræpontem vi capiunt.* Caſtrum hoc à ponticulo lapideo nomen videtur accepiſſe, poſitumque eſt ad amniculum in pago Laudunenſi, non longè à Letia, *Lieſſe*, ac *Pierripoint* etiamnum dicitur. Alter eſt *Petræ Pons* in pago Picardiæ Santerienſi, inter Gornacum ad Aronam & Montem Deſiderii: qui nunc in vicum redactus, vulgò *Pierre pont* nuncupatur. Tertius eſt *Petreus Pons* aut *Petræ Pons* in pago Ducatuque Barrenſi. *Petræ Pons* à Frodoardo memoratus, poſteà *Petri Pons* dici occœpit, & ejus incolæ *Petripontenſes*. Certè Guibertus Abbas Novigenti de Vita ſua *Montiacutanos*, *Petripontenſes*, *Feranos*, *Codiciacenſes* junctim commemorans, non alios quàm *caſtri Petræpontis* ab Frodoardo celebrati incolas *Petripontenſium* nomine deſignavit. Alius eſt *Pons Petreus*, Gregorio Turonico Epiſcopo memoratus, in *l.* 5. *c.* 18. Gunthramni & Childeberti Regum colloquiô A. C. 577. habitô nobilis, in confinio Burgundiæ atque Auſtriæ: *Qui ad Pontem quem Petreum vocant conjuncti ſunt, conſalutantes ſe.* Iſte *Pons Petreus*, Noſtris vocatur *Pont pierre*, poſituſque eſt ad flumen Moſam inter caſtella Motam (*la Mote*) & Novum Caſtellum, (*Neuf Chaſtel*) vicus nunc ignobilis in ſilva ac monte Voſago. *Petræ Fons* locus eſt in Sueſſionibus pagoque Vadenſi, hodieque *Pierrefons*, aliàs *Pierrefont* vocatus, à fonte qui è petra vel ſaxo oriebatur, cognomen trahens. In litteris A. C. 1178. datis *dominum Petræ Fontis* reperio ante annos ferè quingentos. *Petrafons* in quodam Polyptycho dicitur, in quo *Prioratus S. Sulpicii de Petra Fonte*, *in Diœceſi Sueſſionenſi* memoratur. Eſt & *Petræ Fons* vel *Petreus Fons*, locus in Sequanis Comitatuque Burgundiæ, *Pierrefontaine*. Had. Valeſ. *in Notit. Gall.*

PETRÆ Sirenum, vide *Sirenuſſæ*.

PETRÆA, nympha, Oceani ac Tethyos filia. Heſiod. *in Theog. v.* 357.

PETRÆA Arabia, eſt Arabia ultra Peluſiacum, quæ ad Mare Rubrum pertinens, ab Ægypto ad intimum receſſum Sinus Arabici pertingit, ubi Elana oppidum & hinc Sinus Elanites. Juxta *Ptolemæum*, ab Occidente Ægypti parte terminatur, i. e. Peluſiacô, ad Septentrionem, Judæâ; ad Meridiem, intimô receſſu Sinus Arabici qui ab Heroum oppido ad Elana procedit, Orientem verſùs. Πετρώδης *Servio* dicitur, à *petris* vel ſaxis; ſed potiùs à *Petra*, oppido & emporio Arabum Nabatæorum, *Petræa* dicta eſt, quæ in nomen poſtmodum ac cenſum conceſſit *Syriæ Palæſtinæ* ſeu Palæſtinæ tertiæ, hincque *Petræa* quoque *Judæa* nominata; quòd *Petra*, quæ priùs Arabiæ tributa fuerat, ſequenti tempori Judææ aſcriberetur. Vide ſupra in voce *Petra* & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin.* paſſim, inprimis *p.* 482.

PETRÆON, urbs Lazica, quæ etiam *Juſtinianea* appellatur à Juſtiniano Imperatore, quod ex ejuſdem Novellis annotavit *Stukius*.

ad PETRAM votum reddere, ſuperſtitionis paganicæ ſpecies fuit, Chriſtianis interdicta. *Indiculus* Paganiarum in Concil. Liptinenſi A. C. 743. *De his quæ faciunt ſuper petras.* Eligius apud Audoënum in ejus *Vita l.* 2. *c.* 15. *Nullus Chriſtianus ad fana vel ad* petras, *vel ad fontes, vel ad arbores* —— *vota reddere præſumat*, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà *Lapis*, & infra *Saxum*, it. ubi de *Saxa lapideſque oleô perfundendi ritu*.

PETRAMALA Guido, vide *Guido*.

PETRARCHA Franciſcus, ſui ſeculi Phœnix, Philoſophus, Orator & Poëta celeberrimus, qui literas humanitatis, poſt longa ſilentia, mortuas ab inferis revocavit; filius Petrarchæ Parentini, ex Brigitta vel Lieta Carrigiana, qui ambo Florentini, è patria, Guelphorum Gibellinorumque diſſidiis pulſi, Aretium commigrârant, editô ibi in lucem filiô hôc, A. C. 1304. Vide ipſummet, *in epiſt. ad Poſterit.* Poſteà Avenionem, ubi tum Pontificum ſedes, delati, filium Carpentoractum miſerunt, Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ vacaturum. Hîc quadrienniô exactô, Monſpelium venit, & Bononiam, quadrienniô rurſus ibi, trienniô hîc ſtudio juris datô, Avenionem inde annô ætatis 22. rediit: in Galliam hinc, & Germaniam excurſione factâ, Romam pervenit, illiuſque moribus accuratè perſpectis, illam *Babylonem* eſſe agnovit: eôdem tempore, quô Brigitta in Papatum acriter declamavit. Vide Petrarch. & Mornæum, *in Myſter. p.* 1074. Avenionem redux, in vicino receſſu, Lauræ innotuit, ſcriptis ejus tantopere celebratæ: Hîc *Bucolicis* ſuis, hîc *libris* 2. *de vita Solitaria*, hic *Africâ*, quod poëma eſt in laudem Scipionis Africani compoſitum, &c. editis. Eôdem dein tempore Romam, Pariſioſque vocatus, ut Laurum utrobique capeſſeret, illam prætulit, ſuaſu Columnæ amici: quò cùm iret, Neapoli à Roberto Bono Rege magnificè exceptus, rogatuſque eſt, ut ipſi Africam ſuam inſcriberet. Romæ exin coronatus, omnibus ſui ſeculi admirationi, Principumque delitium fuit. Archidiaconatum Parmæ favore Dominorum Corregii nactus, varios Epiſcopatus, imo purpuram à Papa, hâc conditione, ut ſibi ſororis pudicitiam proſtitueret, oblatam, quod frater dein, ſed promiſſô fruſtratus feciſſe legitur, magnanimus reſpuit: in mores & vitia, tum in Eccleſia graſſantia, paſſim graviſſimè invectus, ut ejus opera *incaſtrata* ſatis ſuperque: imò fortè magis *caſtrata* teſtantur. Galliæ, poſt obitum Lauræ, pertæſus, rediit in Italiam, à Vicecomite Galeatio intimis conſiliis adhibitus, Petaviique Canonicatum impetravit. Domô poſt hæc, in loco, *Arqua* dicto, emptâ, ibi cum Aſſerigo amico quinquennium degit: à Florentinis, tum miſſô Boccatiô, & paternorum bonorum reſtitutione promiſsâ, fruſtra revocatus. Philoſophicis enim & Poëticis ſuis ſcriptis ibi ad umbilicum perductis, paulò pòſt obiit, A. C. 1374. Vide præter opera ejus, Poggium Florentin. *Hiſt. de avar.* Boccat. *Praf. Geneal. Deor. & alibi.* Volaterran. *l.* 12. *Anthrop.* Jac. Bergom. *l.* 13. *Chron. ſuppl.* Paul. Jov. & Papyr. Maſſon. *in elog.* Trithemium, Bellarminum, *de Script. Eccl. Lil. Giraldum*, *Scaliger. Crinitum*, *Poſſiantium*, *Leandr. Alberti*, *Eraſm. Voſſium*, *Poſſev. Scard.* &c. inprimis Jac. Phil. Thomaſinum, *in Petracha Redivivo*, Grenallium, *le Sage reſolu &c.*

PETRARIA, vide *Pera*.

PETREJA, tertia dicebatur apud Romanos perſona, in Triumpho in eoſdem uſus cum duabus prioribus excogitata, ut populo voluptas, hoſtibus dolor, inde oriretur, Feſtus *l.* 14. Ante currum enim triumphalem, poſt urbium, montium, fluviorum, regionum ſimulacra, poſt ſpolia & exuvias hoſtibus detractas, pòſt Duces catenatos, Tibicines item, Citharœdos, Scutiferos, alioſque exercitus miniſtros, ſequebantur perſonæ tres, quæ totum hoc agmen claudebant. Et primò quidem incedebat aliquis, qui *ineptâ geſticulatione riſum omnibus moveret, hoſtibus illuderet, eoſque virtutis Romanæ & ſuæ temeritatis admoneret*, Liv. *Decad.* 1. *l.* 4. ubi de triumphatis Vejentibus, & Fidenatibus à M. Æmilio, loquitur. Idem picturas quaſdam, quæ *citeriæ* dicebantur, geſtabat, Feſtus *l.* 3. Altera perſona erat Manducus, cujus effigies malis dehiſcentibus & ingentem dentibus ſonum edens, eôdem teſte *l.* 11. Vide quoque Plautum *in Rudente Actu* 2. *Sc.* 2. Tertia *Petreja* fuit, quam mox currus: dein inſequebantur Senatores, Cives redemti & milites *Jo triumphe* clamantes. Vide Jo. Roſin. *Antiquitat. Roman. l.* 10. *c.* 29. cum Thomæ Dempſteri *Paralipom.*

PETREJUS Atinas, Cimbricô bellô primipilus ſub Qu. Catulo, excluſam ab eo legionem ſuam hortatus, Tribunum ſuum dubitantem per caſtra hoſtium erumpere, interfecit, legionemque eduxit: donatus proptereà coronâ gramineâ ob ſervatum exercitum. Plin. *l.* 22. *c.* 6.

PETREJUS, Legatus ſub C. Antonio Conſule Catilinam vicit, & occidit. Legatus Cæſaris in Gallia multa præclara geſſit. Pòſt à Cæſare, cum Pompeji partes ſecutus eſſet, primùm in Hiſpania, iterum deinde in Africa victus cum rege Juba, ſe cum eodem mutuis vulneribus confecit. Cæſar. *l.* 1. *Bell. Civ. c.* 38. 75. 76. Salluſt. *Bell. Catil. c.* 59. Appian. *Bell. Hiſpan.*

PETREJUS, prænomine *Marcus*, in exercitu Cæſaris in Galliâ legionis 8. Centurio, dum Gergoviæ portas exſcindere conabatur, à multitudine oppreſſus, morte ſuâ manipularibus effugium dedit. Cæſar *Comment. l.* 7. *c.* 50. alii libri *Petronius* habent.

PETREJUS Theſſaliæ nobilis fovit Cæſaris partes Cæſar. *l.* 3. *Bell. civ. c.* 35.

PETREJUS Theodorus, vide *Theodorus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PETREJUS Suffridus Leovardiâ Friſius, Græcè Latinéque inſigniter doctus, Hiſtoricus, Poëta, Orator excellens, memoriâ invictâ, diligentiâ indefatigabilis, Erfordiæ primùm, Eobani Heſſi ſucceſſor, docuit, Cardinali dein Granvellano à Bibliotheca & Secretis fuit. Lovanii poſteà Auctores Græcos expoſuit, unde Coloniam vocatus Juris profeſſorem egit, ac Statuum Friſiæ Hiſtoriographus factus, ſcripſit *de antiquitate & origine Friſiorum* primus, ſed non eâ fide ac judiciô, ut, qui eum ſequutus eſt, Ubbo Emmius multùm inde proficeret. Obiit A. C. 1567. ætat. 70. ipſi Gregorio XIII. & Sixto V. magni habitus. Scripta ejus enarrat *in Elogiis* Ant. Teiſſier *part.* 2.

PETREJUS Theodorus, vide *Theodorus.*

PETRENSE Stagnum, ab urbe cognomine dictum: quemadmodum *Geloum*, à Gela urbe, *Agrigentinum*, ab Agrigento &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 126. ubi explicat verba, *Gelonium ſtagnum.*

PETRI Antonius Petrus, vide *Petrus.*

PETRI Filius, ac filia, vide ſuprà *Filius.*

PETRI Johannes, Langendorfenſis, Chalcographus apud Baſilienſes celebris; diligentiâ & dexteritate ſuâ plurimis ad idem ſtudium excitatis, obiit A. C. 1511. à Johanne Frobenio inſcriptione ſepulchrali honoratus. Ejus ex fratre nepos Adamus *Petri*, utriuſque Fœderis libros à Luthero tranſlatos, typis exſcripſit, piorumque deſiderio primus ſatisfecit: Baſileæ. Obiit, A. C. 1527.

PETRI Suffridus, vide ſuprà *Petrejus.*

PETRIANA, *Camdeno Peteril*, oppid. Cumbriæ, apud Carleolum urb. & Itunam fluv.

PETRICOVIA, oppidul. Poloniæ inferioris in Palatinatu Siradienſi, ubi comitia ad lites Nobilium componendas, hybernô tempore. Vix 2. leuc. à Pilcza fluv. 4. à confinio Poloniæ ſuperioris, 2. à Siradia in Ortum, ſatis elegans & cultum, in paludoſo loco A. C. 1640. ferè totum deflagravit. Ibi aliàs palatium fuit regium, ſed vetuſtate collapſum. Hîc varia concilia. Comitiis ibidem celebratis A. C. 1552. Raphaël Leſzezinius, Prætor Radzzejovienſis, qui ad Reformatos tranſierat, gravi oratione ad Regem habitâ, liberrimè mores Præſulum taxavit, quibus causâ proin cadentibus; plurimi ad Euangelicam Religionem ſeceſſerunt. Virgil. Muſæus *de Euangel. Ortu in Polon.* Joch. Bielſchius *Chron. Pol. l.* 5. *p.* 594. Iterum A. C. 1578. Synodô hîc habitâ Eccleſiarum Poloniæ majoris & Lithuaniæ, initus ac confirmatus conſenſus eſt. *Conſ. Eccl. Polon.* Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

PETRIMANNUS Martinus, vide *Martinus.*

PETRINA, Urbs Croatiæ munita in limite Turcico ad Colapim fluv. ſub Auſtriacis. Capta & fortiter recepta.

PETRINUM, oppid. cum arce Campaniæ apud Sinueſſam urbem exciſam. Horat. *Ep.* 5. *l.* 1. *ad Torquatum*, *v.* 4.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas, Sinueſſanumque Petrinum.

Rocha di M. Dragone, teſte *Cruquiô. Petrinum* etiam, inquit *Ferrarius*, oppid. amplum Salentinorum apud Neritum urbem 3. mill. paſſ. diſtans, Aletium verſus 13.

PETROBURGUM, urbs Angliæ epiſcopalis inter Bedfordiam 24. & Lincolniam 40 milliar. Vulgò *Peterborough*, ad Ninum fluv. in Comitatu Northantoniæ, 34. milliar. Angl. à Lincolnia in Meridiem, Huntingdoniam verſùs 13. paulò plus ab ora Oceani German. in Africum. *Baudrand.*

PETROCIA, vulgò PEIRUSSE, vetuſtiſſimum caſtrum Arverniæ ſuperioris, bellô contra Waifarium, Aquitanorum Ducem à Pipino Francorum Rege captum. Eginhardus *Annal. An.* 767.

PETROCORIENSIS Provinc. Aquitaniæ, ſatis ampla irrigua, montoſa quidem & aſpera, fertilis tamen: fontibus ſalubribus abundans, metallorum ferax. Sub Comitibus propriis, uſque ad Carolum VI. ſub quo Duci Aurelianenſi conceſſa, poſteà coronæ unita eſt. Inter Lemovicenſem & Cadurcum provincias ad Ortum, Inguliſmenſem ad Boream; Agennenſem ad meridiem, & Santonenſem ad Occaſum. Ejus Urbes præcipuæ Sarlatum, Bergeracum, & caput, *Petrocorium* ſeu Veſunna, an à Venere ibi culta? quæ ſatis ampla & culta, Epiſcopalis, ad illam fluv. ſedet, 2. leuc. à Burdegala in Cæciam, Lemovicum verſus, 13. a Tutela in Occaſum, 10. ab Inculiſma in Meridiem. Inſcriptionibus, Amphitheatrorum ruderibus &c. antiquitatem teſtatur. A Barbaris ſæpe vaſtata, bellis civilibus quoque gravia paſſa eſt. Cæſar, *l.* 7. *Comm. c.* 75. Plin. *l.* 4. *c.* 19. Ptol. *l.* 2. *c.* 7. Sidon. Apollin. *ep.* 11. *l.* 8. Scalig. *l.* 8. *de Emendat. Tempor.* Boirius, *Antiq. Petrocor.* Joh. Puteanus, *de Epiſcop. Petroc. Morerius.* Vide *Petrocorii.*

PETROCORII, ſeu PETROGORI Plin. *loc. cit.* populi & urbs Galliæ Aquitanicæ. Populi *les Perigourdins*, & regio *Perigord* appellatur; urbs verò quæ Aimoino & aliis poſterioribus Petrogoricum, & Petrogorica, vulgò *Perigieux*, inter Burdigalam 20. & Lemovicos, 12. leuc. quot fermè ab Engoliſmâ. *Ferrar.* Valeſ. de illis hæc habet: Qui Cæſari in *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 75. *Petrocii*, vel potiùs *Petroeii*, i. e. *Petrocorii*, *Straboni* quoque *Petrocorii* dicuntur Πετροκόριοι, adnumerati 14. Gentibus Aquitaniæ Julianæ conterminis, eique ab Auguſto attributis & adjunctis: *Ptolemæo* ſub Cadurcis *Petrocorii*; *Plinio* in Aquitania *Petrogori.* In *veteribus Notitiis* nunc *Petrocorii* & *Petrocorei*; nunc *Petrogorii*, & *Petrogorici*; nonnunquam, *Petragori*, & *Petragorici* nuncupantur; aliis *Petrocori*, *Petrogori*, *Petregori*: vulgò *Perigordins* aut *Perigourdins* appellantur à Noſtris, quaſi Petrocoritani. Quibuſdam videntur *Petrocorii*, à petris ſeu lapidibus nomen accepiſſe. propterea quòd eorum ager eſt lapidoſus. Ego *Petrocorios* nomen eſſe Gallicum Gentis Gallicæ ſeu Celticæ, quæ pòſt Aquitaniæ populis adſcripta ſit, magis crediderim, nihilque ad *petras* in ſummo terræ *corio* naſcentes, vocabulum iſtud pertinuiſſe. *Petricordios* quidam & *Petricordiates* dixêre. Certè Paullinus, qui libros 6. *de Vita S. Martini*, verſibus ſcripſit, & Perpetuo Turonenſi Epiſcopo dedicavit, vocatur *Petricordius* à patria ſua, & in alio vetere codice *Petricordias. Petricordias* declinavêre Noſtri (niſi nos codices iſti dicipiunt) ut Vaſas, Eluſas, Atrebas. In quibuſdam tamen membranis vocatur hic *Paullinus de Petricordia*, h. e. de urbe Petrocoris. *Claudio Ptolemæo Petrocoriorum urbs* eſt *Veſûna*, Οὐέσουνα. In *tabula Peutingeriana* dicitur *Veſonna* ſic. *Mediolano Santonum*, *Condate* (*Cognac*,) *Sarrum*, *Veſonna.* In *Itinerario* Æthici, in itinere à Burgidala Argantomagum occurrit *Veſunna*, inter Aginnum Nitiobrigum & Auguſtoritum Pictonum, ab Aginno 53. ab Auguſtorito 49. millibus paſſuum diſtans. Vetus marmor ibi repertum urbis meminit hiſce verbis: *Tutulæ Aug. Veſunnæ ſecundus Soter D. S. D.* Apud *Magnonem*, qui ſuum cuique Genti caput adjungere conſuevit, iſta legimus: *Petragorius*, *Veſonna.* Hodieque hæc urbs bifariam dividitur in civitatem veterem & novam: vetus unà cum turri veterrima admirandi operis nomen priſcum ſervat, vocaturque *Veſuna* aut *Veſunna*, *Viſune*, ut ait *Scaliger*; quem *Savaro* ſequitur. Addit Scaliger, *Auguſtæ Veſunnæ Petrocoriorum vetuſtiſſimum ſplendorem teſtari adhuc Romanas inſcriptiones, Amphitheatrum, & turrim, quæ ſola nomen Veſunnæ retineat.* In veteri capite Baſilicam Stephani Martyris, quæ major Eccleſia erat, & Epiſcopium ampliſſimum Calviniani everterunt. *A Veſunna Veſunnici* Sidonio dicuntur *ep.* 11. *l.* 8. Veſunnæ incolæ, urbis ad flumen Ellam poſitæ. In *veteribus Notitiis* provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Petrocoriorum* appellatur variis corruptiſque nominibus, ut ſuprà indicavimus, & provinciæ Aquitanicæ 2. civitas ſexta ac ultima nominatur, uti & *in Chronico* Roberti. Sed apud Gervaſium Tiſleberienſem & in recentioribus Notitiis eadem urbs penultimum obtinet locum, Aginno, quod mireris præpoſita. Rectè autem Joſ. Scaliger, *in expoſitione Notitiæ Galliarum*, *civitatem Petrocoriorum* Epiſcopatum Petrocoriorum urbis interpretatur; & *civitatem* nunc *Epiſcopatum*, nunc *pagum* exponit. Quippe in Notitiis *civitas* non modò urbem caput Gentis, aut unum ex capitibus, ſed etiam totum urbis agrum pagumve aut Diæceſin deſignat. Poſteà *Veſunna* nomen vetus depoſuit, & exemplô multarum Galliæ urbium, Gentis cujus erat caput nomine cenſeri maluit, dicique *Petrocori* & *Petrocorii*, vulgò *Perigueus.* Sic Sulpicius Severus *in l.* 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, *Paternum à Petrocoris* Sacerdotio pulſum tradit. Apollinaris Sidonius *Petrogoros in ep.* 6. *l.* 7. appellat. Paullinus Presbyter apud Gregorium *Pegaſium Petrocoriis* præter cæteros Sacerdotes Fide ac religione floruiſſe ætate ſuâ ſcribit. Fortunatus *l.* 4. *Carmine* 8. *Chronopium Epiſcopum civitatis Petrocoricæ* mortuum laudat: quæ urbs ita in priſcis Conciliis appellatur; *urbs Petrecors*, in Geſtis Pippini Francorum Regis; *civitas Petragorica Aimoino*, *Hugoni*, *Roberto*, *Gervaſio*, cæteriſque recentioribus. *Petrocori* nunc duas Diœceſes continent: *Petrocoricam* veterem, *Sarlatenſem* recentiorem, ex Epiſcopatu civitatis Petrocoricæ detractam. *Pagus Petrocoricus*, vulgò dicitur *le Perigord*, quaſi *Petrigordius*, & in ſuperiorem inferioremque dividitur, *Petricordia tellus* Theodulfo dictus. Hunc *Pagum Petrogoricum* appellat *Gregorius*, quem *Geſta Dagoberti* & *Aimoinus* ſequuntur; *Petrocorecum*, & *pagum Petrocoreum Fredegarius*; *Petregoricum*, & *pagum Petrocorrecum Geſta Pippini* Francorum Regis; *territorium Petragoricum Eginhardus*; *Petrocoricum* rectè *veteres rerum Pippini Annales*, Hic pagus ante ann. 300. *Pierregort*, & *Peregort* dicebatur. Ex quibus intelligitur, ut in priſcis Notitiis, ſic à veteribus rerum Francicarum ſcriptoribus nomen Gentis *Petrocoriorum* vel *Petrocororum* variè eſſe corruptum, & nunc *Petrogoros*, nunc *Petragoros*, & *Petregoros* multo ſæpiùs quàm *Petrocoros* eos appellatos fuiſſe. Valeſ. *Notit. Gall.*

PETRODAVA, Daciæ oppid. *Ptol.*

PETROMANTALUM, oppid. Galliæ Celticæ ad Sequanam fluv. à Lutet. Pariſ. ad 22. leuc. Rothomagum verſus, Meulano oppido propinquum, 4. leuc. diſtans. Quibuſdam eſt *Mante*, meliùs *Medunta*; vide ibi. urbs Carnutum ad Sequanam nunc in provinc. Inſul. Franciæ. Suntque qui credant Petromantalum oppid. fuiſſe Velocaſſium, ubi nunc *Magny* oppid. Vulxini Francici, 14. leuc. à Lutetia in Circium. Rothomagum verſus 4. à Medunta in Boream, Giſorium verſus. *Baudrando* Valeſio *in Notit. Gall.* à petra ſeu monte ſaxeo ad quem ſitum eſt, ita dictum: vulgò *Mante.* Robertus Abbas Montis S. Michaëlis *in Chronico*, *Meduntam* vocat, nec non *Medantem*, & *Medantiam*: inter quam & Pacejum *Marcam* ponit, i. e. limitem Franciæ atque Normanniæ: *Medantenſe caſtrum* nuncupant litteræ Philippi I. Francorum Regis. *Meduntam* appellitant & Willelmus Armoricus *in Philippide*, *Samſon*, Remenſis Archiepiſcopus, cæterique recentiores; *Medantam* Ordericus *in l.* 12. *Radulfus de Diceto Mantuam* mendosè; *caſtrum Meduntenſe* Sugerius *in Ludovico Craſſo*; *Medontam Robertus* Comes Mellenti in litteris ſuis; *caſtrum Medantam* Ludovicus Francorum Rex A. C. 1171. Auctor *Chronici Fontanellenſis*, cujus aliquot paginas Andreas Cheſnius edidit in tomo II. Rerum Francic. à Chronico Fontanellenſi Lucæ Acherii planè diverſas, *Petromantalum* non pro *Medunta* ſed pro *Piſtis* accepit, his verbis: *Piſtæ caſtrum, quod olim Petremamulum vocabatur*: ubi legendum *Petremantalum* vel *Petromantalum.* Sed cùm *Æthicus Petromantalum* vel *Petromantalium* nunc inter Rotomagum & Luteciam; nunc inter Cæſaromagum Bellovacorum & Brivam Iſaræ ponat, atque à Rotomago 16. mill. paſſuum diſtare notet, à Lutetia 29. à Cæſaromago 17. à Briva Iſaræ 14. nemo non videt hunc *Petromantali* ſitum nequaquam in Piſtas, ſed in *Meduntam* apprimè convenire. *Meduntenſibus* ſua erat, ut uſitatò utar nomine, Communitas vel Communia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nia. In quibuſdam litteris quas in Chartario Fiſcannenſi legi, hæc reperio. *Actum eſt hoc N. Majore Communitatis Meduntæ. iſtis Paribus, Otone de Ver, Gaufridô Familia, Hubertô de Arnovilla, Bartholomæô Peilecoc.* Unde apparet oppidanis, qui communitatem habebant, *Majorem* ſuum & *Pares* ſeu Scabinos ſuos, h. e. judicem & aſſeſſores fuiſſe. Proxima eſt caſtro *Meduntæ Medunta Villa*, *Mante la Ville*, eô cognomine à *Medunta caſtro* diſtincta, quod olim *Mante la Chaſteau* cognominatum eſſe non dubito: ſicut cognomen docet hujuſce vici ei proximi, qui *Medunte Villa* nuncupatur. Sic Nelfa caſtellum, & Nelfa villa, Gomedus caſtellum, & Gomedus villa, Malliacum caſtellum, Malliacum villa, ac plurima alia loca, alia aliis vicina, & his cognominibus diſtincta occurrunt in Galliis.

PETRONAS, primus fuit, qui infirmos exerceri debere docuit. Poſt quem Prodicus ſive Herodicus, curſibus & luctationibus febrientes tantùm non exanimavit: ambo ab Hippocrate *l. 6. Epidem. ſect. 3. Aphor.* 23. circa hoc dogma vehementer exagitati. *Petronam* verò imitatus poſterioribus ſeculis Aſclepiades, ut hominum aucuparetur favorem, non modò languentibus varias exercitationes, ad voluptatem potiùs, quàm ad ſanitatem ſpectantes, indulſit, verùm etiam (quod elegantiſſimè ſcripſit *Celſus*) cubantis quoque luxuriæ ſubſcripſit: ut non ſine ratione Plinius eum *jucundum curandi modum calluiſſe* prædicaverit. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l. 4. c. 7.*

PETRONIA, familia Romæ nobiliſſima: è qua Marnetini, Septimiani, Turpiliani; Voluſiani, &c. Conſul. aliique viri clariſſimi. Vide infrà.

PETRONIA, uxor Vitellii privati adhuc: quòd eam Dolabella in matrimonium poſteà accepit, non ultima fuit cauſa, cur Dolabella, juſſu Vitellii, occideretur, Tacit. *Hiſt. l. 2. c. 64.*

PETRONIA, fluviolus Latii ad Romam fluens in Tiberim, quem magiſtratus in campo aliquid acturi tranſibant. *Feſtus.*

PETRONIUS, Epiſcopus Bononienſis. Scripſit *de Electione Epiſcoporum.* an potiùs pater ejus? Gennad. *de Vir. Illuſtr.* qui Petronius quoque dictus, præfectus Prætorio fuit, virtute & eloquiô illuſtris. Obiit, ſub Theodoſio & Valentiniano 3. Eucher. Lugdun. *Ep. ad Valerian.* Honorat. Auguſtod. *de Lum. Eccl. &c.*

PETRONIUS, Ægypti præfectus ab Auguſto miſſus Cornelio Gallo ſucceſſit, adverſus Æthiopas bellum geſſit, quibus regina Candace imperabat, virili quidem animô mulier, ſed alterô capta oculô, Strabo *l.* 17.

PETRONIUS, Ælii beneficio ex humili loco ad equeſtrem ordinem pervenerat; mox cùm Ælius Placentiæ, ne in manus hoſtium veniret, gladio incubuiſſet, Petronius quoque, qui morientem juverat, ſuper eum cecidit. Val. Max. *l. 4. c. 7. de Amicitia, ex 5.*

PETRONIUS, pater Veſpaſiani Cæſaris.

PETRONIUS, tribunus legionis à Parthis cum Craſſo interemptus. Polyæn. *l. 7. c.* 41.

PETRONIUS, Syriæ Præfectus, quem Caligula juſſit, ut ſtatuam ſuam, in templo Hieroſolymitano, collocaret. Joſeph. *l. 18. c. 11. Antiq. Jud.*

PETRONIUS, Norici procurator, qui concitis auxiliis & interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur, Tacit. *Hiſt. l. 1. c.* 70.

PETRONIUS, Poëta, cujus aliqua de medicina verſibus conſcripta, ad noſtram ætatem pervenerunt, *Volaterran.*

PETRONIUS, C. aut T. Arbiter, Poëta ſub Nerone, qui Principis ſui vitam ſub exoletorum nominibus deſcripſit. Proconſul Bithyniæ, poſteà Conſul. *Elegantiæ Arbiter*, Tacito dicitur *Annal. l. 16. c.* 18. ubi narrat, ut ſe eruditô luxu perdiderit. Non minus *Nequitiæ Arbitrum* dixeris; ſcriptorem, ut jam alii dixêre, *puriſſimæ impuritatis.* Æmulum nactus Tigellinum, qui voluptatum ſcientiâ ab illo ſuperari ægrè ferebat, conjurationis in Cæſarem accuſatus, & in cuſtodiam conjectus eſt. Ubi, venis inciſis, obiit: librô ſuô propriâ manu obſignatô & ad Neronem miſſô, ſed vaſe 300. ſeſtert. confractô, ne id Imperator ſibi vindicaret, A. C. 66. Hunc quidam Maſſilienſem, quidam Provincialem faciunt, interim certum nobiliſſimam Petroniorum Romæ familiam fuiſſe. De eo judicia veterum ac juniorum accuratè editores collegerunt. Ubi plures *Petronios* invenias. P. Petronium, Rhetorem: Alium Grammaticum. Vide *Petronius Epiſcopus*, alium Afranium: Alium, dictum Indum: alium cognomine Antigenidem, Piſaurô oriundum: C. Petronium Hilarium, ex eâdem urbe: Petronium Apollodorum, Maxim. Pontif. apud Romanos ethnicos, &c. Vide Tacit. *Annal.* Plin. *l. 37. c.* 2. Fulgent. *l. 1. Myth.* Sidon. Apollin. *Car. 9. ad Mag. Felic. & ad Narbon.* Lil. Giraldum, *in vita Poët.* Pet. Pithœum, Binetum, Bellovacen. Janum Douzam, Guirandum, Scaligerum, Lipſium, Bourdelotum, Turnebum, &c. *Notis in. Petron. &c. Nic. Lloydius.*

PETRONIUS, prænomine *Cajus*, eruditô luxu notus & ignaviâ, ad famam & Proconſulatum Bithyniæ, denique conſulatum pervenit. Poſthæc arbiter elegantiæ Neroni aſſumptus, æmulatione Tigellini, amicitiam Scevini objectantis, corruptô ad indicium ſervô ademptâque defenſione & majore parte familiæ in vincula raptâ everſus. Vide Tacit. *l. 16. 18. 19. Annal.* vide ſuprà, & voce *Cajus.*

PETRONIUS Didius Severus, ex Clara Æmilia, pater fuit Didii Juliani, qui poſt Pertinacem Imperium eſt adeptus. Vide Æl. Spartian. in hujus *Vita. c.* 1.

PETRONIUS Diodorus, Medicus, ſcripſit Antilegomena, citatur à Plinio *l. 20. c.* 8.

PETRONIUS Granius, Centurio octavæ legionis ſub Cæſare Gallicô bellô militans, cùm navis ejus, quâ Quæſtor deſignatus in Africam vehebatur, in Scipionis poteſtatem veniſſet, & cæteris interfectis, Quæſtor Scipio incolumitatem polliceretur; reſpondit, Cæſarianis aliis incolumitatem dare, non accipere conſueviſſe: Quô dictô ſe gladiô tranſverberavit, Plut. *in Cæſare.*

PETRONIUS Junior, inter occiſos à Severo Imperatore apud Æl. Spartian. *c.* 13.

PETRONIUS Maximus Conſul. ſub Valentiniano Imperatore binis vicibus; primùm quidem A. C. 433. cum Theodoſio: iterum decennio pòſt, cum Paterno. Unde Tironi Proſpero *in Chronico Pithœano*, *Vir* dicitur *gemini Conſulatus & Patriciæ dignitatis.* Servat memoriam ejus prægrandis nummus æreus, *ad Sidonium* Sirmondo laudatus; cujus antica facies Valentiniani vultum exhibet, cum ſolita *Inſcr.* DN. PLA. VALENTINIANUS. P. F. AUG. altera Petronium Maximum, Senatoriô ſeu potiùs Conſulari habitu in ſella ſedentem, volumen dextrâ, lævâ ſcipionem cum aquila tenentem, nomine hinc inde adſcriptô, PETRONIUS MAXIMUS, V. C. CONS. quô quidem numiſmate eum ſimili penè honore, quô Bonifacium, proſecutus eſt Imperator, quam ille tamen accepti beneficii gratiam malè tandem rependit. Vide Car. du Freſne *Diſſertatione de Inferioris ævi Numiſmatibus num.* 61.

M. PETRONIUS Paſſer, memoratur Varroni *de R. R. l.* 3. Fors hic eſt M. ille *Petronius*, qui Catonem à Cæſare Conſule in carcerem duci juſſum, ſequutus eſt. Quumque Cæſar increparet, quòd ante ſenatus dimiſſionem digrederetur, *Malo*, inquit, *eſſe cum Catone in carcere, quam hìc tecum.*

PETRONIUS Perpenna, Conſtantinianas Thermas in priſtinum ſplendorem reſtituit.

PETRONIUS Priſcus, disjectâ conſpiratione Piſonianâ, in inſulas Ægæi maris à Nerone rejectus, *l. 15. Annal. c.* 71.

PETRONIUS Turpilianus, Conſularis, Conſul fuit Anno urbis 814. Succeſſor Suetonio Paullino legato, in Britanniam à Nerone miſſus; qui non irritatô hoſte neque laceſſitus honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit, Tacit *l. 14. Annal. c.* 39. Huic Nero poſt detectam ac diſſipatam conjurationem Piſonianam triumphale decus tribuit, *l. 15. Annal. c.* 72. Galba ex Hiſpania in urbem veniente tanquam Neronis dux occiſus eſt. Idem *Hiſt. l. 1. c.* 6.

PETROSA, oppidum Pedemontii.

PETROSACA, parva regio Arcadiæ, *Steph.*

PETROSELINUM, quaſi præcipui uſus in condimentis, recentioribus Græcis κοδίμευτον dictum eſt. Vide infrà in voce *Pigmentum* ſeu *Pimentum*, & de *Petroſelino*, plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1268. & *ſeqq.*

PETROSIDIUS, prænomine *Lucius*, aquilifer, qui cùm Ambiorigis magnâ multitudine premeretur, aquilam intra vallum projecit, ipſe pro caſtris fortiſſimè pugnans occiditur, Cæſar *l. 5. comment. c.* 36. à quo mons maximus circa Leodium *Petroſius* appellatur.

PETROSSA, inſula Ciliciæ, *Stephan.*

PETROVARADINUM, oppid. Hungariæ inferioris ad Danubium, in Comitatu Sirmienſi, inter Taurunum ad Ortum, & Sirmium ad Occidentem, 25. mill. paſſ. utrinque, ſub Imperatore.

PETRUS, nomen unius Apoſtoli ex duodecim, à Chriſto Domino ſuo ſic nominati, Joan. *c. 1. v.* 43. qui primus *Simon* dicebatur. Cæterùm de vita & geſtis Sancti Petri, vide Salmeronem *Tom. 12. Tract. 60. p.* 387. Compendium ejus hiſtoriæ hoc eſt: Bethſaidâ oriundus, Simonis nomen habuit, Petrus poſteà dictus, cùm ab Andrea fratre, ad Chriſtum adductus, ad Apoſtolatum vocaretur, Joh. *c. 1. v.* 42. Chriſto, in mari occurſurus, *timuit*, Matth. *c. 4. v.* 30. Illum, veram & unicam Eccleſiæ petram *confeſſus*, Matth. *c. 16. v.* 16. factus eſt unus, ex duodecim fundamentis Eccleſiæ, Epheſ. *c. 2. v.* 20. Apocal. *c. 21. v.* 19. *exiſtente unicô imô Angulari lapide Jeſu Chriſtô*, Epheſ. *c. 2. v.* 20. Objurgans Chriſtum, de imminente ſua paſſione verba facientem, Satanas à mitiſſimo Agno appellatus eſt, & ab ipſo abſcedere juſſus, eodem Matth. teſte *c. 16 v.* 23. Ejus gloriam vidit, cum Jacobo & Johanne, *c. 17. v.* 1. Nihilominus, quæ hominis infirmitas eſt, cùm ſibi relinquitur, Dominum ſuum tertiâ vice abnegavit, Matth. *c. 26. v. 69. & ſeqq.* poſtquam, non expectatô ipſius juſſu, in Malchum gladium ſtrinxiſſet. Ad pœnitentiam admiſſus, Apoſtolatui, quô exciderat, reſtitutus eſt, Joh. *c. 21. v.* 15. Poſt aſcenſionem Chriſti, cujus teſtis erat cum reliquis Apoſtolis, Actor. *c. 1. v.* 13. cum iiſdem Spiritus ſancti donis cumulatiſſimè perfuſus, *c. 2. v.* 14. magnô Zelô concionari, miraculiſque doctrinam Euangelii confirmare cœpit. Concilio I. Hieroſolym. in quo Præſidem agebat Jacobus, Actor. *c. 15. v.* 13. *columna* dictus, juxta Petrum & Johannem, Galat. *c. 2. v.* 9. interfuit. Concreditum dein ſibi *Apoſtolatum Circumciſionis*, Galat. *c. 2. v.* 7. ſicut *Euangelium præputii* Paulo, è tertio cœlo reduci, egregiè obivit, niſi quòd, dum in illorum gratiam cum Gentibus edere renuit, increpitus eſt, Gallat. *c. 2. v. 11. & ſeqq.* à Paulo, Gentium Apoſtolo. Divinas dein Epiſtolas ſuas binas, ad advenas diſperſionis, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam ſcripſit: In quibus Unicum illud animarum noſtrarum λύτρον, *Sanguinem pretioſum agni inculpati, & incontaminati*, CHRISTI, 1. Ep. *c. 1. v.* 19. unicum medium Chriſtum cognoſcendi, *firmiſſimum illum ſermonem, vel lucernam in obſcuro loco ſplendentem*, *&c.* 2. *Ep. c. 1. v.* 19. fidelibus inculcat: de Antichriſti initio, indole, artibus & pœna eoſdem præmonet, 2. *Ep. c. 2. &c.* An Romæ fuerit? deſceptatum jam olim acriter. Saltem non Eccleſiam illam fundâſſe, vel ſub Claudio ibi fuiſſe, ipſa ſeries hiſtoriæ Actuum

Apoſtolicorum collata cum Epiſtola ad Galatas & ad Romanos, evincit: Raptum eum Romam Perſecutione I. ſub Nerone fervente, cum Paulo, aliiſque fidelibus, ex Provinciis martyrióque ibi coronatum, An. 67. Imperii. Neronis A. 13. quidam volunt: poſtquam Eccleſia florentiſſima, vel à Barnaba ſub Tiberio, vel à Spectatoribus Miſſionis Spiritus Sancti domum reducibus, vel ab Andronico & Junia, cognatis Pauli, vel ab Urbano, Coadjutore Pauli in Chriſto, fuiſſet fundata. Paræus, *in* 1. *c. Rom.* Bulling. *in c.* 16. Euſeb. *l.* 2. *c.* 2. Tertullian. *Apol. c.* 5. Oroſ. *l.* 7. *c.* 4. Cum reliquis Apoſtolis & fratribus Domini, *ſororem uxorem circumduxiſſe*, 1. Corinth. *c.* 9. *v.* 5. legitur, cùm Paulus cœlibem egerit vitam. Hæc paulo antè Martyrii coronam nacta eſt, inclamante B. Petrô, O *Conjux, memento Domini*! Vide Auctores Læto, *Compend. hiſt. Univ. p.* 26. citatos, &c.

In *I.* Ejus *Epiſtolam* extant: Alleji *Prælectiones*, Angl. in fol. Londini. Ameſii *Lectiones*, in duodec. Bibliandri *Comm.* in octav. Clementis Alex. ſimiliter. Crellii Sòcin. *Commentar. in c.* 2. Fevardentius. Folengii *Comment.* in octav. 1555. Gerhardus, Hegendorffii *Annotationes*, Baſileæ 1529. Laurentii *Commentarii*, in quart. Amſtelod. 1641. Lutheri *Enarratio*, & Majoris. Pareus. Schlichtingius, Socin. Schotani *Conciones*, in quart. 1644. Franeq. Selnecceri *Comment.* Welleri *Enarratio*, in octav. Lipſiæ, 1567. 1568. Winckelmanni *Comment.* in octav. Gieſſæ, 1608. Vide Crowæi *Elench.*

In *II. Epiſt.* prodierunt: Ameſii *Lectiones*. Bibliander, Fervardentius. Folengius. Gerhardus. Hegendorffius. Laurentius. Lutherus. Medi *Expoſitio c.* 3. Angl. Major. Pococki *in* 2. *Petri*, Saſboldi *Explicatio*. Schlichtingius. Socin. Schotanus. Selneccerus. Wellerus. Winckelmannus. Ibid. De egregio hoc Apoſtolo plura apud Clem. Alexandr. *tractat. de Sermon.* Euſeb. *in Chron. & Hiſtor. &c.* Cœterùm, quoſdam *Epiſtolam* ejus poſteriorem rejeciſſe, docet Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 3. *c.* 24. Contrà *Acta*, item *Apocalypſin* jactârunt alii, quam in nonnullis quoque Palæſtinæ Eccleſiis, quotannis die Paraſceves, legi ſolitam, tradit Sozom. *l.* 7. *c.* 19. de Actis verò vide Euſebium ubi modò, *l.* 3. *c.* 3. Etiam *Euangeliô Petri* uſos eſſe Nazarenos, legas apud Theodoretum *Hær. Fab. l.* 2. *c.* 2. Vide Suicerum *Theſaur. Eccl.*

PETRUS, tertius Imperator Orientis, è Latinis, fil. Petri Cortenæi: Maritus primò, Agnetis Niverniæ, dein Jolandæ Hannonicæ, ſororis Balduini & Henrici Imperatorum. His, ex parte uxoris, ſucceſſit, coronatus A. C. 1217. ſed à Theodoro Comneno, Principe Dyrrachino, per inſidias, in convivio occiſus eſt, A. C. 1218. Ejus primogenitus Philippus, contra Gallos, in prælio ad Bovinas conflixit, in Avenionis dein obſidione, mortuus A. C. 1226. Robertus verò & Balduinus, filii ſequentes, prudentiâ Jolantæ matris, imperium tenuerunt. Pater ejus filius erat quintus Ludovici VI. Craſſi, qui fratri Ludovico Junior. in Orientem comes, obiit A. C. 1182. ætat. 63. *Continuat. Aimonii*, Rogerius Hoveden. Guil. Tyr. *Hiſtor. l.* 21. *c.* 30. *&c.* *Antiſſiodorenſis* quibuſdam hic Imperator dicitur, quòd ſocer ejus Guido Comes Nivernius, Antiſſiodorenſis &c. eſſet.

PETRUS *I.* Arragonum Rex, ſucceſſit A. C. 1094. patri Sanctio I. in obſidione Hueſcæ occiſo. Reparatis viribus, cæcidit Maurorum 40000. eôdem annô, iterumque A. C. 1096. quatuor eorum Reges confœderatos ſuperavit, Hueſcâ captâ. Navarræ quoque Rex fuit, poſt Patrem, qui illam agnato ſuo, Sanctio IV. eripuerat. Obiit A. C. 1104. Succeſſit frater Alphonſus. Roderic. Mariana & Turquet. *Hiſt. Hiſpan.* Cœterùm, cognomen *ab Acinace* habuit. Cùm priùs enim Regnum electivum eſſet, ab Ordinibus is primus impetravit, ut in poſterum ſucceſſivum eſſet ac hæreditarium; atque hinc caput, quod inter leges Aragonum de electione Regis agebat, ſtrictô acinace decidit, inde nomen adeptus. Nihilominus libertati etiam introductâ hæreditariâ ſucceſſione cautum, ut videre eſt, apud Hornium *Orb. Imp.*

PETRUS *II.* excepit A. C. 1196. patrem Alphonſum II. Bellum Regi Navarræ, in gratiam Caſtellani Regis intulit, ſemper ſucceſſu ſecundô rerum uſus. Coronatus Romæ A. C. 1204. ab Innocentio III. cum reliquis Hiſpaniæ Principibus, fœdere contra Mauros initô, præliô contra Mahometem Viridem, Maroci Regem prope *Sierra Morena*, interfuit, A. C. 1212. Albigenſibus, ob puriorem doctrinam, gravia paſſis in Gallia, ſuppetias tulit, in prælio, contra Simonem Montfortium, occiſus, A. C. 1213. Surita *Indic. Reg. Arrag. l.* 1. Mariana, *l.* 11. *&c.*

PETRUS *III.* poſt patrem Jacobum I. regnare cœpit, A. C. 1276. Navarram fruſtra oppugnavit: redux, turbis domeſticis, quas fratres ejus ciebant, exceptus eſt. Maritus Conſtantiæ, filiæ Manfredi Siculi, Carolum Andegav. I. Siciliæ regnò excutere fruſtra itidem conatus, Pontifici dein & Michaëli Palæologo junctus, Veſperis Siculis, quidquid Gallici nominis ibi terrarum uſquam erat, extinxit, ac illò appulſus, Siciliæ Rex coronatus eſt: Carolum Claudum, fil. Caroli Regis cepit, à Martino IV. excommunicatus, Arragoniæ regnô Carolo Valeſio traditô: cujus Pater, Philippus Audax, illud occupaturus, Ruſcinonenſem Comitatum aliaque loca ſub poteſtatem redegit, Petro in prælio occiſo, ſucceſſit in Sicilia fil. Jacobus, in Arragonia Alphonſus. Idem, ut & *Fazell. P. Æmyl.* &c.

PETRUS *IV.* cognomine *Ceremonioſus*, ſucceſſit patri Alphonſo IV. A. C. 1336. *Criminoſus*, potiùs ſecundùm alios, ob ſævitiam, dicendus. Majoricam & Comitatum Ruſcinonenſem Jacobo Regi eripuit, fratremque proprium Ferdinandum occidit. Bella dein plurima ſuſcepit, ſed parum felix. Ambitioſiſſimus porrò, interim literatorum, Aſtrologorum inprimis, Mæcenas: Philoſophici lapidis inveſtigationi intentus, ne ſacris quidem reditibus pepercit. Obiit Barcinone, A. C. 1387. ætat. 75. Surita *l.* 3. *Indic.* Mariana *l.* 15. 16. 17. 18. Hier. Blancus, *de reb. Arrag.*

PETRUS Crudelis, Caſtellæ Rex ſucceſſit patri Alphonſo XI. A. C. 1350. an. ætat. 16. plurium nobilium ſanguine, ſub initium ſtatim regni, madens. Ductam dein Blancam, filiam Petri I. Comit. Borbonii, triduo poſt nuptias, in vincula conjecit, ut eò liberius Mariâ Padillâ potiretur. Etiam Johannam de Caſtro ſibi junctam, brevi iterum repudiavit. Quibus ut & aliis moti Proceres regni, ſub auſpiciis Henrici & Friderici, fratrum ejus, contra ipſum conjurârunt: ſed plurimis illorum, cum Frederico necatis, etiam Blancam Reginam venenô in carcere ſuſtulit: Hinc iterum turbæ, quarum caput Henricus, frater ejus nothus, qui Bertrandi Gueſclini ſuppetiis nixus, Toletô captô totâ ferme Caſtellâ potitus eſt. Petrus, ad deſperationem adactus, ad Maurorum auxilia circumſpexit: tranſiit in Aquitaniam, & ab Anglis in regnum reſtitutus eſt, A. C. 1376. ſed ab Henrico Gallicis opibus adjuto, A. C. 1369. in prælio occiſus, regnare & ſævire deſiit. Princeps crudeliſſimus, qui primariis è nobilitate Hiſpanica ſublatis, ne proximis quidem pepercit. Mariana *Hiſt. Hiſp. l.* 16. *&* 17. Surita *Indic. l.* 13. Froiſſard. *l.* 1. Argentræus *Hiſt. Brit.* Vita Gueſclini &c.

PETRUS Juſtus, ſeu Crudelis, Luſitaniæ Rex poſt Alphonſum IV. patrem, A. C. 1357. cùm eôdem tempore, Petrus IV. Rex Arragoniæ, & Petrus Rex Caſtellæ, ſævitiâ ſuâ Hiſpaniæ graves eſſent. Interim hic Juſtitiæ amans, ſubditos in pace gubernavit, in illos ſolos ſævus, qui patris juſſu, pellicem ejus, Agnetem de Caſtro, è medio ſuſtulerant. Obiit A. C. 1367. Mariana *l.* 17. *c.* 9. Duard. *in Gen. Reg. Portug.*

PETRUS Arragonius, Rex partis Siciliæ, A. C. 1337. poſt patrem Fridericum, fil. Petri III. Arragoniæ Regis, & ſucceſſorem fratris Jacobi I. nullâ re memorabilis. Obiit A. C. 1342. Villani. *l.* 11. *Fazell. Surita*, &c.

PETRUS, dictus *Alemannus*, Rex Hungariæ, nepos ex Sorore S. Stephani, huic ſucceſſit, A. C. 1638. Quòd nimium Germanis faveret, pulſus ab Hungaris, A. C. 1042. reſtitutus eſt, ope Henrici III. Imperatoris A. C. 1044. Tandem à ſubditis, in venatione, captus & viſu orbatus, obiit. Bertius *l.* 2. *rerum Germ.* Bonſin. *Hiſt. Hung.*

PETRUS *I.* Cypri Rex ex familia Luſignana, patri Hugoni ſucceſſit, A. C. 1360. Infideles Salatiâ, aliiſque locis exuit, A. C. 1362. In Franciam dein profectus, hujus Angliæque Reges Avenione permovit, ut præſente Urbanô V. expeditionis ſacræ fidem darent. Paulo pòſt tamen, argentô & copiis contentus domum rediit, & Alexandriam A. C. 1365. captam diripuit, A fratris miniſtris occiſus, A. C. 1369. Filius ejus

PETRUS *II.* qui ob ætatem minorem dictus eſt Petrinus: Obiit A. C. 1382. Stephan. *Hiſt. Cypri.*

PETRUS, Comes Alenconius, quintus fil. S. Ludovici. Obiit Salerni, A. C. 1283. improlis.

PETRUS *I.* Dux Borbonius, fil. I. nepos Roberti, è S. Ludovico nati. Cubicularius Galli, aliiſque maximis muneribus defunctus, poſt varia fortitudinis ſpecimina edita, occiſus eſt in prælio Pictavienſi, A. C. 1356. Ex Iſabella, filia Caroli Valeſii, pater Ludovici II. & ſeptem filiarum.

PETRUS *II.* Dominus de Bello luſu, quartus fil Caroli I. ſucceſſit fratri ſuo, Johanni II. ingeniô & auctoritate florentiſſimus. Maritus Annæ, filiæ Ludovici XI. Regens erat regni, ſub Carolo VIII. Obiit A. C. 1503. Pater Suſannæ, quæ Carolo Conneſtabili Galliæ nupſit.

PETRUS I. Dux Britanniæ, fil. Roberti II. Comitis Druidenſis. Duxit A. C. 1213. Adelheidam, hæredem Guidonis Thuartii, ex Conſtantia filia Conani parvi, Britanniæ Ducis. Obiit in mari, ex Oriente redux. A. C. 1250. ætat. 63. Pater Johannis I. Ruſſi.

PETRUS II. fratri Franciſco II. ſucceſſit, A. C. 1451. Obiit A. C. 1457. ſine liberis. Artus, Comes Richemontius, Conneſtabilis Galliæ, fil. Johannis V. ſucceſſit nepotibus ſuis Franciſco II. & Petro II. ex fratre Johanne VI. Argentræus & Pazius, *Hiſt. Brit.*

PETRUS, cognomine puſillus Carolus Magnus, Comes Sabaudiæ, ſeptimus fil. Thomæ I. Sacris deſtinatus contra animi propenſionem, petiit ab Amadeo fratre, portionem hæreditatis natalibus ſuis dignam: Animô & virtute inclytus. In Angliam tranſiens, Henrico III. à Conſiliis & legationibus fuit, variis ab illo terris donatus. Bonifaciô dein Amadei filiô mortuô A. C. 1263. revocatus, ad ſucceſſionem, excluſis nepotibus ejus ex Thoma Flandriæ Comit. fratre, obiit A. C. 1298. Animoſus, prudens, felix, aliquot acceſſionibus auxit Sabaudiam. Guicheno *Hiſt. Sab.*

PETRUS I. Epiſcopus Alexandrinus, poſt Theonam, A. C. 300. pietate, doctrinâ, conſtantiâ, ſub Diocletiano & Maximiano, probatâ, illuſtris. Depoſitô Meletiô, Epiſcopo Lycopolitanô, ob crimina, ab hoc pulſus, fideles ex exilio per literas ad conſtantiam eſt adhortatus. Redux, captus & capite truncatus eſt. A. C. 310. cum Presbyteris, poſtquam Eccleſiam ſuam Alexandro Presbytero commendâſſet, hortatus ut eam ab Ario diligenter tueretur: quod & hic præſtitit. De Viſione ejus, quâ *Dominus ſciſſam ſibi ab Ario veſtem*, conqueſtus eſt, vide Baron. *in Annal. ſub Dioclet.* P. Oroſ. *l.* 7. *c.* 18. Scripſit *Canones Pœnitentiales*, & tractatum *de divinitate*. Arium excommunicavit, quòd Meletii ſchiſma foveret, &c. Euſeb. *Hiſt. l.* 8. *&* 9. Hermant. *vita S. Athanaſii.*

PETRUS II. comes laborum S. Athanaſii, huic ſucceſſit, A. C. 372. ab Arrianis, Luciô ſurrogatô, paulò pòſt pulſus. Elapſus è vinculis, Romam venit, uſque ad A. C. 377. ubi commora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

moratus, quò in Sedem ſuam rediit. Gregorio Nazianzeno electo Epiſcopo Conſtantinopolitano, gaudium literis teſtatus eſt, paulò poſt tamen Maximo favit. Facilior æquô in hæreticos, Obiit A.C. 380. Gregor. Naz. *Orat.* 24. *& de vita ſua.* Socr. *l.* 4. Sozom. *l.* 6. Theodoret. *l.* 4. Rufin. *l.* 2.

PETRUS III. Vide *Petrus Mongus.*

PETRUS IV. Monothelita, intruſus, ſed pulſus A. C. 649.

PETRUS I. Epiſcopus Antiochenus, Vide *Petrus Fullo.*

PETRUS II. Cardinalis, electionem Nicolai II. plurimum juvit. Ciaccon. *in vit. Pontif.* Et quidem id nomen perpetuum Patriarcharum Antiochenorum, in memoriam primi illius ſedis fundatoris, Macer *in Hierolex.* in voce *Papa*, item in voce *Patriarcha*, ait.

PETRUS, Epiſcopus Hieroſolymitanus, ſucceſſit Johanni A. C. 525. Ingens Zelotes: ſubſcripſit tamen ingratus Edicto Juſtiniani, contra 3. Capitula evulgato. Obiit A. C. 546. Niceph. *in Chron.* Facundus *l.* 1. Euagr. *l.* 4. Vide *Petrus Caſa*, & *Petrus Pala.*

PETRUS, Pſeudoëpiſcopus Conſtantinopolitanus, Monothelita, Pyrrho ſurrogatus A. C. 653. Obiit A. C. 656. Baronius *in Annal.* Vide *Petrus Thomas.*

PETRUS, Archipresbyter Romanus, Schiſmatis auctor, poſt Johannem V. à clero, ſicut Theodorus æmulus ejus, à militibus electus eſt. Cui tamen Canonis electio finem impoſuit. Anaſtaſ. *in vit. Pontif.* Baronius *in Annal.*

PETRUS, Presbyter Eccleſiæ Edeſſanæ. Varia ſcripſit, imprimis *epicedium S. Ephremi.* Gennad. *Catal. Ill. Vir.*

PETRUS Abælardus, Abbas. Opera ejus, & Heloiſæ conjugis ejus Abbatiſſæ, hic enim libro titulus, prodiêre Pariſiis, A. C. 1616. Vide *Abaillardus.*

PETRUS Ægidius, ſcripſit Hiſtoriam Eccleſiar. Valdenſium, ab A. C. 1160. uſque ad A. C. 1643. Gall. Genevæ impreſſam, A C. 1644.

PETRUS Alcionius, uti doctrinâ celebris, ita ebrioſitate infamis. Paul. Jov. *elog. c.* 121.

PETRUS Alexander, Atrebas, Carmelita, ſcripſit complura, ſeculô præteritô. Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Alfonſus, Judæus Hiſpanus, fide Chriſti ſuſceptâ, ſcripſit *contra Judaos:* Item *de Scientia & Philoſophia.* A. C. 1110.

PETRUS de Aliaco, Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis: Compendiô ortus. Docuit Philoſophiam & Theologiam Pariſiis: dein Eleemoſynarius Caroli VI. factus, tandem Infulâ potitus eſt, A.C. 1398. A Rege maximis negotiis, ſchiſmati inprimis, quô tunc Eccleſia miſerè lacerata erat, finiendo adhibitus, magna cum libertate, ſed non æquali ſucceſſu, rem geſſit. In Concil. Piſano, à Johanne XXIV. purpurâ donatus, Conſtantienſi quoque interfuit, Præſes in Seſſ. 3. Obiit Avenione, A. C. 1426. ſcriptis inclytus, quæ tamen nondum in unum opus collecta prodiiſſe, miratur Morerius, *in Diction. Hiſt.* Vide ibidem, & Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5.

PETRUS Amelius, Epiſcopus Semigalliæ, in Ducatu Urbinenſi, *Iter Gregorii 9. Avenione Romam profecti*, deſcripſit. A. C. 1376. Papyr. Maſſonius *in Greg.* 9. &c.

PETRUS de Ancharano, celebris Doctor Bononienſis. Diſcipulus Baldi inſignis, à Patribus Concilii Piſani, contra adverſarios, adhibitus, Roberti inprimis Bavariæ Ducis legatis, acriter obnixus eſt. Scripſit *Comment. in Decretales, & Clementinas:* Item *Conſilia varia.* Obiit Bononiæ: *Juris Canonici ſpeculum & Civilis anchora*, in epitaphio dictus. Forſt. & Fichardus, *in vit. Juriſc.* Pureanus, *Hiſt. Schiſm.* Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Angelius, Vide *Angelius Petrus.*

PETRUS Anglus, Dominicanus, varia edidit, A. C. 1340. Pitſeus *de Script. Angl.*

PETRUS Antonius Cataldus, Profeſſor Bononienſis, Mathematicis ſcriptis inſignem Famam adeptus.

PETRUS Antonius Petri, & *P. A. Ruſticus*, ille JCtus Placentinus, hic Medicus ex eadem urbe, ambo ſcriptis inclaruerunt.

PETRUS Apamæenſis, Eutychianus & Acephalus, in ſedem urbis hujus intruſus, ſanctos Canones rejecit, Præſulum Orthodoxorum nomina eradi juſſit, heterodoxis ſubſtitutis & junctus Severo Antiocheno, in Syriæ Monachos, immaniter ſæviit. Condemnatus, in Synodo Conſtantinopolitana a Mena inſtituta, A.C. 536.

PETRUS Appianus, dictus *Binewiz*, Leiſniciâ Miſnicus, illuſtris Mathematicus, Caroli V. favorem meruit Auctor *Coſmographia*, aliorumque ſcriptorum egregiorum. Obiit Ingolſtadii, ibi Profeſſor, A.C. 1552. Inter Scripta ejus *Opus Cæſareum Aſtronomicum* pro quo 3000. aureos nummos ab Imperatore donô accepit, etiam Equeſtri dignitate ab eo exornatus. Vide Anton. Teiſſier *Elogiis Volum.* 1. at infrà *Philippus Appianus* ubi & alia ejus ſcripta recenſentur.

PETRUS Apollonius Collatius, Presbyter Novarienſis. Scripſit Poëma de obſidione Hieroſolymæ *libris* 4. ſeculô 15. Vide Barth. *Adverſ. l.* 23. *c.* 27. Margarinum Bignium, *in Ind. Chron. Bibl. PP.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. *& de Poët. c.* 5. *&c.* Frigidiuſculus Poëta, & alicubi infelix. Scaliger *de Poët:* Opus ejus Antverpiæ, ab Adriano Vander Burch, Brugenſi, editum. &c.

PETRUS Aponus Patavinus, cognomine Conciliator, Philoſophus & Medicus, inter primos ſui ſeculi, Aſtrologus non ignobilis, à Pontificibus & Italiæ Principibus maximi habitus. In illo ignorantiæ ſeculo, velut ſidus, emicuit: Obiit A. C. 1316. antequam Inquiſitioni ſubjiceretur, quòd Magiæ ſuſpectus inſperitis eſſet. Nihilominus effigies ejus exuſta, & tres librorum ejus, nempe *Heptameron: Elucidarium Necromanticum P. de Abano*, & *Liber experimentorum mirabilium de annulis, ſecundùm* 28. *manſiones Luna*, prohibiti ſunt. Scripſerat inſuper *de diebus Criticis, Conciliatorem differentiarum Philoſ.* &c. & opus Rabbi Abrah. Aben Eſræ vertit. Ejus ſtatuam juſſit Fridericus Urbini Dux inter illuſtrium virorum imagines & ſenatus Patavinus, inter Livii, Alberti & Julii Pauli, cum inſigni elogio, collocari. Vide Bernardin. Scardeonium, *Hiſt. Patav. l.* 2. *c.* 9. Thomaſin. *elog. Ill. Patav.* Naudæum, *Apologia c.* 14. Juſtum *Chron. Med. Vander Linden &c.*

PETRUS Arablæus, Cancellarius Galliæ, ſub Ludovico Hutino, Purpuram à Johanne 22. A. C. 1316. nactus, paulo pòſt obiit.

PETRUS *de Aranda*, Epiſcopus Calaritanus, Aulæ Magiſter Alexandri VI. riſit Indulgentias, carnis eſum licitum credidit, Purgatoriumque inficiatus eſt. An etiam, unicum principium legis Moſaicæ, tria verò Chriſtianæ, aliaque erroneâ ſtatuerit; ſatisfactionem Chriſti, & Inferos negando? fides penes auctores. Depoſitus eſt, & moli Adriani incluſus, A. C. 1500.

PETRUS Arcudius, Prebyter Corcyrenſis, à Clemente VIII. magnis rebus adhibitus: ab equo graviter læſus trienniô poſt, in Collegio Græcorum, Romæ, obiit. Scripſit *de Concordia Eccleſiæ Occidental.* & *Orient.* &c. multaque priſcorum opera vertit. Vide Janum Nic. Erythræum, *in Pinac. I. c.* 125. *&c.*

PETRUS Aretinus, Tuſcus, ingeniô magis, quàm ſtirpe inclytus, Poëta ingenioſus & delicatus, ſed Satyricus, ne maximis quidem Principibus pepercit, *flagellum Principum* dictus: ob quam cauſam à Franciſco I. Carolo V. aliis, magni emptus eſt. Unde ille adeò inſolens factus, ut aureum cuderet nummum, cum inſcriptione: *il divino Aretino:* & in poſtica parte: *I. Principi tributati da' Popoli, tributano il Servidor loro.* Sed aliquoties baculis egregiè demulſus, & æmulum nactus Nic. Francum, paulò remiſſior eſſe cœpit. Opera ejus, inprimis, *Dialogi*, *Epiſtola* & *Diſcurſus*, &c. ob impietatem prohibita. Sub vitæ finem compoſuit, ſub nomine Partenii Etiri, quod ejus Anagramma eſt; *Paraphraſes in Pſalmos Pœnitentiales*, *vitas aliquot SS.* & cætera. Obiit Venetiis. Epitaphium ejus:

Qui giace l'Aretin, Poëta Toſco,
Che d'ognun diſſe malo, fuor che di Dio,
Scuſandoſi col dir' jo no'l conoſco.

Laurentius Craſſus, *elog. Vir. literatorum, Part.* I.

PETRUS Arvernus, Dominicanus, A. C. 1260: diſcipulus Thomæ, ſcripſit *in Ariſtotelem*, Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Aubuſſonus, M. Magiſter Ordin. Melitenſ. & Cardinalis, Gallus. Vide Boſium, Nabaratum, Boiſſatum, & Balduinum, *Hiſtor. Melit. &c.*

PETRUS Aureolus, cognomine *Doctor Facundus*, Picardus. Archiepiſcopus Aquenſis, obiit A.C. 1322. Scripſit *de immacul. Conceptione B. Virginis*, *Breviarium Bibliorum*, *Commentar. in Magiſtrum Sententiar.* Vide Morerium *in Dict. Hiſt.*

PETRUS de Balſamo, Sebuſianus, illuſtribus natalibus ortus; Archiepiſcopus Veſuntinus & Cardinalis, à Duce Sabaudiæ ad Concil. Lateranenſe miſſus: cùm Genevenſem Epiſcopatum vi retinere conaretur, bis à civibus pulſus eſt. Obiit A. C. 1544. Chiflet. *in Veſont.* Morerius *in Dict. Hiſt.*

PETRUS Barinianus, Piſauri natus, Poëta ſeculi præteriti.

PETRUS Bella Pertica, Epiſcopus Antiſſiodorenſis, poſt Petrum Mornæum, ſub Philippo Pulchro, magnis negotiis adhibitus. Obiit Pariſiis, A. C. 1307. *Idem.*

PETRUS Belonius, Doctor Medicus Pariſienſis: *Itinerarium Judaa, Ægypti, Gracia, Arabia*, &c. edidit. Scripſit etiam *de Piſcibus, Avibus*, &c. Idem *Commentar. in Dioſcoridem*, quem cum Theophraſto Gallicè vertit, aliaque egregia. Apud Henricum II. Carolum IX. Cardinalem Turnonium inprimis in magno pretio. Occiſus A. C. 1546. Simler. *in Biblioth. Geſn.*

PETRUS Beneventanus, Notarius Innocentii III. collectionis tertiæ Decretalium auctor. Cùm namque tertiam hanc collectionem adornâſſet Bernardus Compoſtellanus, ex Regiſtris Innocentii, quæ collectio *Romana* eſt: offenſi Romani, quòd uſu judiciorum minùs recepta referret, ab Innocentio impetrârunt, ut Pontificiâ auctoritate aliqua Collectio ederetur. Quare Innocentius Notarium ſuum *Petrum*, annô Pontificatûs 12. qui fuit Chriſti nati 1210. operi præfecit; tumque primùm auctoritate publicâ facta Collectio Juris Pontificii eſt. Superiores enim omnes ſive Decretorum ſive Decretalium Collectiones privatâ ſolùm auctoritate ſcripſerunt & Reſcripta ab illis conſignata negari poterant, niſi à Scriniariis Eccleſiæ Romanæ probarentur. Hanc verò Collectionem Petri Beneventani, quinquenniò pòſt, quarta Collectio ſequuta eſt, ſub eodem Pontifice, circa A. C. 1215. occaſione Concilii Lateranenſis IV. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor, Jur. Eccl. num.* 350. & 351.

PETRUS Berretus, Narbonenſis Carmelita, Clementis VI. Confeſſionarius, A. C. 1350. Scripſit *Placita Theologica*, *Repertorium*, *&c.* Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Bertius, Flander, Lugduni Batavor. docuit, libris Orthodoxam fidem tuitus: dein Apoſtata Pariſios venit, inter Coſmographos regios à Ludovico XIII. numeratus. Obiit, A. C. 1619. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

PETRUS Bertrandus, Senior, Cardinalis & Epiſcopus Auguſtodunenſ. fil. Matthæi, ex Agnete l'Empereur. Primò juri operam dedit, quod diu profeſſus eſt Avenione, Monſpelii, Aureliani & Lutetiæ; Philippo Longo gratus, & Johannæ Burgundicæ, uxoris ejus Cancellarius. Juriſdictionem Eccleſiaſticam ſub Philippo Valeſio magno cum ſucceſſu tuitus: Scripſit *de Origine & uſu Juriſdictionum*, fundavitque Pariſiis Collegium Auguſtodunenſe. Obiit A. C. 1348. Hujus frater Guilielmus, Epiſcopus erat Noviodunenſis, Morerius *in Diction. Hiſt.* Alius

cogno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cognomine *Junior*, prioris ex ſorore nepos, illi in Epiſcopatu Nivernenſi, ſucceſſit, dein Atrebatenſis Præſul factus, purpuram quoque à Clemente VI. accepit. Ad Epiſcopatum Oſtiæ poſtmodum promotus, Carolum IV. Romæ coronavit, Idem. Alius, Mutinenſis, Dominicanus, Concilio Tridentino interfuit, à Paulo III. miſſus; purpuram muneri accepit, à Julio III. Obiit ſub Paulo IV. A. C. 1558. ætat. 57. Ughel. *Italia ſacra. Petramellarius*, &c.

PETRUS Binsfeldius, Lucemburgicus, Canonicus Trevirenſis. Scripſit *Enchiridion Theologiæ Paſtoralis*, &c. Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.*

PETRUS Bleſenſis, Archidiaconus Bathonenſis, in Anglia, inter primos ſui ſeculi. Guilielmi II. Siculi educationi admotus, Henrico quoque II. Angliæ Regi gratus fuit, Cancellarius Præſulum Londinenſium, & Cantuarienſium: ſcripſit nomine Alexandri III. Pontificis ad Suldanum Ægypti. Obiit A. C. 1200. edidit *Epiſtolas*, &c. quæ A. C. 1667. cum eruditis notis, prodierunt. Matthæus Pariſ. *Hiſt. Angl.* Baron. *in Annal. &c.*

PETRUS Blomenvenna, Leodienſis, Carthuſianus, ſcriptis clarus, Obiit A. C. 1536.

PETRUS Boiſtovius, Brito, Orator inſignis, ſcriptis inclytus, Geſner. *in Biblioth.* Obiit A. C. 1566. Pariſiis.

PETRUS de Bonifacis, Nobilis è Provincia, Alchymiæ & Poëſeos peritus. Obiit A. C. 1383. Noſtradamus, *Vit. Poët. Provinc.*

PETRUS Bruniquellus, Epiſcopus Neoſtadienſis, A.C. 1410. Scripſit *hiſtoriam utriuſque Teſtamenti.*

PETRUS Brunus, Carmelita Burdigalenſis, ſcripſit quædam ſeculô præteritô, Lucius *in Biblioth. Carmelit.*

PETRUS Bruſius, ſeu *Bruiſius*, puriorem religionem, per Ann. 20. Toloſæ docuit, A. C. 1150. ob id, perſecutione ſæviente, exuſtus. Ejus tempore Hildegardis Monialis, futuram magnam religionis mutationem prædixit: & Henricus Monachus, Petri diſcipulus majori fervore, poſt Magiſtri obitum, rem aggreſſus, Miſſas pro mortuis, Sanctorum invocationes, Cœlibatum, Peregrinationes, &c. oppugnavit, Pontificumque & Antiſtitum faſtu luxuque damnatô, ferè Galliam totam doctrinâ ſuâ implevit, ut *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus eſſent.* Flacius *in Cat. Teſtium Ver.* Mornæus *in myſter. p.* 683. Bernardus, *l.* 3. *c.* 5. *Ep.* 240. 241. *Sermon.* 66. *in Cant.* Quæ autem hæreſes horrendique errores ipſi affinguntur, facile recidunt in calumniæ auctores.

PETRUS Brutus, Venetus, Epiſcopus Cattari egregium ſcripſit *contra Judæos opus*, A. C. 1490.

PETRUS Bunellus, Toloſanus, eruditione floruit, ſeculô præteritô. Obiit An. ætat. 47. Taurini. Epiſtolas ejus collegit Car. Stephanus. Vide Scævolam Sammart. *elog. l.* 1.

PETRUS Burrus, Brugenſis, Canonicus Ambianus: floruit ſeculô 15. ſcriptis inclytus. Obiit A. C. 1507. ætat. 75. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Calo, Venetus, Dominicanus, ſcripſit *vitam SS.* A. C. 1300. Leander Alb. *de Vir. Ill. Ord. Dominic.*

PETRUS Caniſius, Neomagenſis, Jeſuitarum in Germania primus Provincialis, ſcriptis inter ſuos celebris; interfuit Concilio Tridentino. Obiit Friburgi, in Collegio à ſe fundato, A. C. 1597. ætat. 77.

PETRUS Cantor, ſcripſit *expoſitionem in* 12. *Prophetas minores*, item *Dictionarium Theologicum* &c. Obiit A. C. 1197. Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Capuanus, Cardinalis, à Clemente III. miſſus, Sacerdotum Cœlibatum in Polonia urſit: Et Poloni quidem non ægrè paruêre, at in Bohemia cùm hoc ipſum ageret, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur. Eô tempore & Dani Sacerdotes uxoratos habuerunt. Circa A. C. 1190. 1196. M. Cromerus *l.* 7. *Hiſtor. Polon.*

PETRUS Carbo, Carthuſianus Germanus, ſcriptis clarus. Præteritô ſeculô.

PETRUS Carpentarius, Toloſanus, JC. & Advocatus regius. Scriptis inclytus.

PETRUS de Caſa, Epiſcopus Vaſionenſis, cum Patriarchæ Hieroſolymitani titulo. Scripſit *in Magiſtrum Sententiarum*, *in Politicam Ariſtotelis*, & *Homilias aliquot.* Obiit A. C. 1348. Columbius, *de Epiſcop. Vaſionenſ.*

PETRUS Caſſiodorus, Italus, quòd Papam Antichriſtum eſſe ſcripſiſſet, cum Petro Joh. Bitterenſi Franciſcano, refoſſus & combuſtus eſt. Circa A. C. 1300. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

PETRUS de Caſtello, ſeu *Caſtellanus*, Lingo, ſub Franciſco I. floruit. Humaniorum literarum Pariſiis Profeſſor, poſt Budæum Regiæ Bibliothecæ præfuit. Epiſcopus Aurelianenſis tandem factus, Obiit A. C. 1552. Eloquiô & elegantiorum literarum peritiâ, inter primos ſui ſeculi. Hoſpital. *l.* 1. *&* 6. *Epiſt.* Thuan. *Hiſtor. l.* 3. Scævola Sammart. *elog. l.* 1. *&c.* Vide quoque *Caſtellanus.*

PETRUS Caſtellonovanus, Nobilis & Poëta Provincialis, A. C. 1276. Noſtradamus *de Poët. Provinc.*

PETRUS de Cellis, Gallus, Benedictinus Abbas, & Epiſcopus Carnutenſis. Ejus *libros* 9. *Epiſtolarum*, edidit Sirmondus cum notis. Scripſit etiam *Libr. de Panibus: Moſaici tabernaculi myſticæ expoſitionis libros* 2. Item *de Conſcientia.* Obiit A. C. 1187. Morer. *in Dict. Hiſtor.*

PETRUS Cholinus, Tugio Helvetius, Tiguri Profeſſor, A. C. 1540. quoſdam libros Vet. Teſtamenti vertit, Geſn. *Biblioth.*

PETRUS Chryſologus, Archiepiſcopus Ravennas, poſt Jôhannem, A. C. 433. Ejus ſuperſunt 176. *homiliæ.* Eutychi Monacho, per literas apud illum conqueſto, de Flaviano Conſtantinopol. reſpondit graviter, A. C. 449. Obiit A. C. 450. Vide Henr. Antiſſidior. *l.* 6. *vitæ S. Germ.* Rubeum *Hiſt. Raven.* Ughel. *T.* 2. *Itin. Sacr.* Sixtum Senen. *l.* 4. *Biblioth. Sacr. &c.*

PETRUS Ciaconius, Toletanus, *Varro ſui temporis* dictus; à Gregorio XIII. emendandi Biblia & Scripta Patrum provinciam ſuſcepit; Kalendarium inſuper, cum Chriſtoph. Clavio, correxit: modeſtiâ non minus, quàm vaſtâ eruditione, inclytus. Scripſit, *de ponderibus & menſuris*: Obiit A. C. 1581. Janus Nic. Erythræus, *Part. I. Pinacoth. c.* 112. Andr. Schott. *Vitæ ejus*, Quenſted. *de Patriis illuſtr. Viror.* Alii. Catalogum ſcriptorum ejus, Anton. Teiſſier *in Elogiis* exhibet, *Part. I.*

PETRUS Cirvellus, Arrago, Mathemata Compluti docuit, ſcriptis inclytus, A. C. 1520. Cardinali Ximenio gratus, Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. §. 18. *& c.* 65. §. 7.

PETRUS Cluniacenſis, cognomine Venerabilis, ex familia Comitum S. Mauritii, in Arvernis, proinde & Petrus Mauritius dictus. Generalis ſui Ordinis, A. C. 1122. poſt Hugonem II. cujus diſciplinam, negligentiâ Pontii, unius ex anteceſſoribus, collapſam reſtituit: Petro de Bruis, & Henrico Monacho, purioris doctrinæ egregiis præconibus, obnixus, in Provincia, Occitania & Aquitania. Obiit A. C. 1157. Scripta ejus, cum notis Ducheſnii, prodierunt, A. C. 1614. Vide Bernhard. *Ep.* 277. *&* 283. Henric. Gandav. *c.* 29. Matth. Pariſienſ. &c. Continent 6. *libros epiſtolar. librum contra Judæos*, *alium contra Petrum Bruiſium*; *Sermonem de Transfiguratione*, *Libros* 2. *de miraculis ſui temporis*: *Carmina & Hymnos*: *Statuta Cluniacenſia*, &c.

PETRUS Collumierius, Gallus, Cardinalis & Archiepiſcopus Rotomagenſis: tuba belli ſacri contra Albigenſes, Franciſcanis infenſus, in morte graviter punitus, A. C. 1253.

PETRUS Comeſtor, Trecenſis, SS. literarum notitiâ celebris. Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis, dein Canonicus regular. S. Victoris in eadem Urbe. Obiit A. C. 1198. Scripſit *Hiſtoriam Scholaſticam*, quam Gualterus Hunterus, Anglus poſteà contraxit, &c. Non fuit frater Petri Lombardi & Gratiani, cùm hic Tuſcus, ille Novarienſis eſſet. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 2. *c.* 53. Claud. Hemeræus. *de Academ. Pariſ.* Nicol. Camuſatus, *Antiquit. Trecenſ.* Morerius *in Diction. Hiſtor.*

PETRUS de Corberia, Antipapa Johanni XXII. ſub Nicolai V. nomine oppoſitus, à Ludovico Bavaro Imperatore poſtquam hic Romam cepit, A. C. 1329. Ceſſit poſtmodum. *Villanius*, *Nauclerus*, &c.

PETRUS de Corbolio, Canonicus & Doctor Pariſienſis, Archiepiſcopus poſteà Senonenſis, Obiit A. C. 1222. *Rigord. Alberic. Vincentius Bellovac. Trithemius*, *Antonin. Henricus Gandav.* &c.

PETRUS Cornelius Brederodius, Hagâ Batavus, JCtus muneribus & ſcriptis inclytus. Valer. Andr. *Biblioth. Belg. p.* 731.

PETRUS Cottonus, Gallus Jeſuita, magni inter ſuos nominis, Henrico M. & Ludovico 13. à Confeſſionibus: Inter alia, ex Dæmone locum Scripturæ ſciſcitatus eſt, quô Purgatorium probetur. Vide Lud. Lucium *Hiſt. Jeſuit.* Obiit A. C. 1626. ætat. 63.

PETRUS Craon, intiquus Poëta Gallus, A. C. 1250.

PETRUS Cugnerius, Advocatus general. Parlamenti Pariſini egregiâ Oratione, quæ incipit: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo*, Juriſdictionem Eccleſiaſticam Regum Principumque ſuperioritati præjudicare, oſtendit, coram Philippo Valeſio Rege A. C. 1329. temerariam uſurpationem illam vocans, & in Præſulum mores acriter invectus: Inter hæreticos propterea relatus, Morer. *in Dict. Hiſt.*

PETRUS Cunæus, Fliſſinganus, Medicus & JCtus inſignis, Græcæ inſuper, Orientalium Linguar. & Rabbinicorum arcanorum ſcientiſſimus: Scripſit *de Rep. Hebræorum*, *Sardos venales*, *&c. Animadverſionum libros in Nonni Dionyſiaca*, *Satyram Menippæam*, *Juliani Imper. Cæſares ex Græco verſos*, *Exercitation. Orator. Inaugurationem*, *Commentarium de cauſis Juris & Facti*, *earumque differentiis*, *Item de Pactis deque rebus creditis*: *Orationes varii argumenti* &c. Fuit autem Latinæ Linguæ primùm, ab A. C. 1611. dehinc Politices in Academia Lugduno Batava Profeſſor, exſtinctus A. C. 1638. ætat. 52. ab Adolfo Vorſtio, cujus Patri olim parentaverat, funebri oratione laudatus. P. Freherus *Theatrô Viror. claror.* ubi illum Profeſſionem Politices à Taciti interpretatione orſum adnotat, Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* & Franc. Sweertius *Athenis Belg.*

PETRUS de Dacia, Philoſophus & Aſtronomus, A. C. 1300. Scripſit *de Calculo ſeu Computo.*

PETRUS Damianus, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, ex nobiliſſima familia de Honeſtis, Ravennæ oriundus: Calamô linguâque inſerviit Eccleſiæ. Obiit A. C. 1072. ætat. 66. Opera ejus Lugduni, A. C. 1623. edita: continent *Epiſtolarum libros* 8. *Homilias & vitas SS. Hiſtoriam Legationis in Gallia obitæ*, *Hymnum de gloria Paradiſi, ex verbis Auguſtini conſarcinatum*, &c. Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Lat. c.* 45. Morerius, *Diction. Hiſtor.*

PETRUS Diaconus, Græcus, cum Græcis ex Oriente, ob controverſiam inter Victorem, Concilii Chalcedonenſis defenſorem, & Monachos Scythiæ, contendentes, an dicendum: Aliquem ex Trinitate pro nobis crucifixum eſſe, obortam, Romam venit. A. C. 519. Scripſit *de Incarnatione & gratia Jeſu Chriſti ad Fulgentium* & alios Africæ Præſules: quod Fulgentio occaſionem, de Incarnatione Verbi, ſcriptum inſigne edendi præbuit. Alius, Diaconus Oſtienſis continuavit Chronicon Leonis Oſtienſis, ab A. C. 1086. uſque ad A. C. 1138. Monachus Montis Caſſini factus. Scripſit plurima alia, inprimis *de Ortu & vita SS. Monaſterii Caſſinienſis*, *de Viris Illuſtribus*, *&c.* Floruit ſeculô 12. Alius ſecul. 9. auctor *vitæ Athanaſii*, *Archiepiſcopi Neapo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Neapolitani; Obiit A. C. 872. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 49. Baron. *in Annal.* Poſſevin. *in apparatu*, *&c.*

PETRUS Dreſdenſis, Miſniâ Germanus, puriorem religionem profeſſus, ſeculô 15. patriâ pulſus eſt; hinc in Bohemiam profectus, ibique Euangelium inſigni zelô concionatus, ſcriptis quoque veram fidem defendit; Primus Pragæ, ſub Utraque Specie corpus & ſanguinem Dominicum miniſtrandum eſſe docuit, Æneas Sylv. *c.* 35. *Bonfin.* Johannis Huſſi, cum Jacobo Miſnenſi, Hier. Pragenſi, Johan. Jeſnicio, Stephano Paletio, &c. σύνψγος, A. C. 1410. In Miſniam reverſus, Ludimoderator primùm Miſniæ fuit, dein Chemnicii & Zuiccaviæ: Ubi Hymnos Eccleſiaſticos, ante introitum templi quibuſdam diebus feſtis decantandos, item de natali Chriſti Cantica, in quibus Latinis Germanica mixta, quæ hodie etiam in uſu, compoſuiſſe dicitur. Fabricius, apud *Bucholc.*

PETRUS Durandus, Gallus, Poëta. Morer. *in Dict. Hiſt.*

PETRUS Eremita, Picardus nobilis, multum juvit Expeditionem ſacram, ſecul. 11. dum ex Oriente redux, miſerum ibi Chriſtianorum ſtatum Urbano II. expoſuit, qui in Concilio Claræmontano, in Gallia celebrato A. C. 1096. relatione Viri permotus, ad liberandum Orientem Gallos cohortatus eſt. Interim, reditu in terras illas adornatô, Petrus animos Orientalium præparavit, interfuitque prælio prope Nicæam, in Bithynia commiſſo, A. C. 1096. dein expugnationi Hieroſolymæ, per Godofridum Bullionæum, A. C. 1099. Poſt quæ, in ſtabilienda iis in locis fide, egregiâ porrò operâ navatâ, obiit A. C. 1115. Guil. Tyr. *l.* 1. Philipp. Bergom. *l.* 12. Baron. *in Annal.* Adrianus Morlerius *Antiquit. Ambian.* Primus modum orandi per calculos excogitavit. Polyd. Virg. *l.* 5. *c.* 9. *de Invent. rerum.*

PETRUS Eſpinæus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, eloquens, & eruditus. Purpuræ deſideriô impensè ardens, cùm favore Henrici III. illam nanciſci non poſſet, ratus ab æmulo Eſpernonio ſibi obicem poni, in Ducis Guiſii caſtra tranſiit: quô occiſô in Comitiis Bleſenſibus, captivus detentus A. C. 1588. mortem, S. Malini nepotis beneficiô, effugit. Liberatus poſtmodum, obſtinatiſſimè Ligiſtis adhæſit, Ducis Meduanii intimus; cui Lugdunô ſemel ſervatô, cùm ſecundâ vice reſiſtere civibus fruſtra conaretur, quô minus legitimo Regi ſe dederent, mœrore animi interiit, A. C. 1599. Thuan. *Hiſt. l.* 81. 101. *&* 122. Avila *bell. civ. Gall. &c.*

PETRUS Faber, Præſes Toloſanus, eruditione, probitate & ſcriptis inclytus. Scævola Sammart. *elog. l.* 4.

PETRUS de S. Fide, Carmelita Anglus, ſcripſit *in Epiſtolas Paulinas*, &c. Pitſeus *de Scriptor. Angl.*

PETRUS Flandrinus, Cardinalis, Gallus. Obiit A. C. 1381.

PETRUS Foiſſæus, ſeu Foxius, Cardinalis Archiepiſcopus Arelatenſis & Vicecomes Avenionenſis, adhæſit Benedicto XIII. à quo purpurâ donatus eſt, uſque ad tempus Concilii Conſtantienſis: Interfuit creationi Martini V. & in Arragoniam miſſus, ſchiſmatis ibi extinxit reliquias. Obiit Avenione, A. C. 1464. ætat. 78. Fundator Collegii Foxiani, Toloſæ. Item, alius Cardinalis dictus *Junior*, fil. Gaſtonis IV. ex Eleonora Navarræa, prioris ex fratre nepos. Ingeniô, eruditione & dexteritate agendorum inclytus. Sub Sandæo, JC. celeberrimo Ticini, Juri operâ navatâ, Doctor creatus. Obiit A. C. 1490. Vide Morer. *in Dict. Hiſt.*

PETRUS de Fontibus, Veromanduus floruit ſub S. Ludovico. Scripſit opus *de Juſtitia & Politia*, ſub titulo, *Li livres la Reigne*, A. C. 1270.

PETRUS Forcadellus, Gallus, Mathematum Profeſſor, Pariſiis; maximi ſub Henrico III. nominis. Scripſit plurima, frater Jacobi JCti.

PETRUS Foreſtius, Cardinalis, Epiſcopus Pariſienſis, Archiepiſcopus Rotomagenſis & regni Cancellarius. Jus docuit Aureliani & Andegavi, magnâ nominis famâ: dein Pariſios profectus à Philippo Valeſ. Advocatus Generalis factus eſt, inde Inſulâ purpurâque donatus. Ab Innocentio VI. in Siciliam miſſus, negotiis etiam maximis ſubinde in Gallia adhibitus eſt. Johanne Rege in prælio captô, à ſtatibus regni muneribus exutus ſuis, Burdigalem ſe recepit, inde in Angliam tranſiit, Regis liberationi intentus. Redux; cùm ſibi inſidias ſtrui cerneret, inde in aulam Pontificis, tranſiit, & prope Avenionem ſede ſibi ſelectâ, obiit peſte A. C. 1361. Frizo *Gall. purp.* Curvaſſerius *Hiſtor. Epiſc. Cœnoman.* Froiſſardus, Morerius, *Dicton. Hiſtor.*

PETRUS Fullo, Pſeudo-Epiſcopus Antiochenus. Hic, ex Monaſterio quodam Acœmitarum, ob Eutychianiſmum, exturbatus, Conſtantinopoli aliquandiu magnâ vitæ licentiâ commoratus eſt; favore dein idem ſentientium Procerum in familiam Zenonis, qui Leonis Imperatoris gener erat, irrepſit, eique pietatis externâ ſpecie impoſuit: Illum poſteà Comitem Orientis creatum, Antiochiam, ubi Præfecturæ ſedes, ſequutus, Apollinariſtis ſe junxit, contra Martyrium Epiſcopum cumque Neſtorianiſmi per calumniam accuſatum, ſede deturbavit, ſe ipſô intruſô. Poſtmodùm verò Epiſcopatu motus, nihilominus, gratiâ Zenonis, adhuc in urbe remanſit, Epiſcopô Stephanô ad altare, per ſubornatos, trucidatô. Redditus A. C. 482. à Zenone ſedi, Calendione Antiochenô in exilium pulſô; mox hæreſin prodidit, Hymno qui *Triſagion* dicitur, additô: qui *Crucifixus eſt pro nobis*; ſic cum Valentinianis, Eutychianis, Apollinariſtis & Sabellianis ſe facere oſtendens. Ab Epiſcopis Orientis monitus fruſtra, condemnatus eſt in Synodo Conſtantinopolitana ab Acacio, quamvis amico, &c. Quæ omnia flocci pendens fidelibus moleſtiam faceſſere perrexit, etiam Cypri Inſulam ſuæ juriſdictioni ſubjicere conatus: Dogmata ſua quo fœcundiùs ſpargeret, Xenitam quendam Epiſcopum Hierapolitanum: quamvis ſervum natum, & luſtralibus baptiſmi undis nondum tinctum, creavit. Obiit tandem A. C. 486. Theodoret. *l.* 1. Nicephor. *l.* 15. *&* 16. Baron. in *Annalib.*

PETRUS Fulvius, Picto, Poëta admodum ingenioſus, Sammart. *elog. l.* 2.

PETRUS Galandus, Picardus, Philoſophiam docuit Pariſiis, ſcriptis Latinè & Gallicè editis inclytus. Obiit A. C. 1559.

PETRUS Garnengus, Carmelitarum in Turonibus provincialis, Brito natione, *Hiſtoriam Eccleſ.* edidit, &c. Obiit A. C. 1471.

Poſſevin. *in appar.* Lucius *in Biblioth. Carmelit.*

PETRUS Gentianus, Poëta Gallus, A. C. 1304.

PETRUS Gilkenius, & Gudelinus, Jureconſulti inſignes, ille Ruremondâ, hic Lovaniô oriundus: ſcriptis inclyti. Vide Valer. Andr. *in Biblioth. Belg.*

PETRUS Gillius, Albienſis, Græcè, Latinèque doctiſſimus, Philoſophus, & Philologus inſignis. Miſſus à Franciſco I. literatorum Mæcenate, in Græciam & Aſiam, ut manuſcripta undique probæ notæ conquireret, inde redux à piratis captus & in Africam abductus eſt. Cardinalis poſtmodum Armeniaci curâ & liberalitate dimiſſus, Romæ, ubi Euergetam ſuum ſalutatum advenerat, obiit A. C. 1555. ætat. 65. Edidit *deſcriptionem Boſphori Thracici & urbis Conſtantinopol.* Vertit quoque Latinè *Commentarios, in* 12. *Proph. Theodoreti*, *Hiſtoriam animalium Æliani*, &c. Alia quædam ipſi à domeſtico ſurrepta, ſub adulterino hujus nomine, prodita leguntur. Thuan. *Hiſtor. l.* 16. Geſner *in Biblioth.* Sammart. *l.* 1. *elog.*

PETRUS Gonzales de Mendozâ, Hiſpanus, Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, ſtirpe, doctrinâ, liberalitate, zelô illuſtris, Granatæ expugnationem plurimum juvit, Obiit A. C. 1495. Vertit *Saluſtium*, *Virgilium & Iliadem Homeri.* Albericus *Hiſt. Cardin. t.* 2.

PETRUS Gravina, Poëta Italus, in aula Aragoniæ Principum, qui tum in Sicilia rerum potiti, magni habitus: poſteà favore Magni Capitanei Conſalvi, Canonicatum Neapoli impetravit. Proſpero dein Columnæ adhæſit; ob Epigrammatum conficiendorum dexteritatem, impensè à Sannazario laudatus. Neapoli à Ludovico XII. capta, pleraque ejus ſcripta perierunt. Obiit An. ætat. 74. infortuniô memorabili. Vide Paul. Jov. *elog. c.* 74.

PETRUS Gringorius, Lotharingus, Poëta & Orator, varia edidit, inter quæ: *Les menus propos de mere ſotte*, A. C. 1520.

PETRUS Guilielmus, Cardinalis ab Alexandro III. creatus, Cancellarius fuit & Bibliothecarius Eccleſiæ. Continuavit vitas Paparum Anaſtaſii, à Nicolao I. uſque ad Paſchalem II. A. C. 1071. Onuphr. & Ciaccon. *in vitis Pontificum.*

PETRUS Heinius, Archithalaſſus Reipubl. Belgicæ, debellavit A. C. 1628. Claſſem Argentiferam Hiſpanorum, ad Mantacæum: cui inerant, præter alias merces, argenti partim cuſi, partim in laminas fuſi, onera 46. i. e. tonnæ 300. auri. Bienniô poſt, in conflictu Dunkerkano, victor occubuit.

PETRUS Hiſpanus, magnam famam conſequutus eſt *Summulis Dialect.* quas ex Michaëlis Pſelli Synopſi Organi Ariſtotelici compilavit: poſtmodum Papatum adeptus & Joannis XXII. nomine inſignitus eſt. G. Hornius *Hiſtor. Phil. l.* 6. *c.* 4.

PETRUS Ickanus, Cantuarienſis. Scripſit Pariſiis, A. C. 1274. *Genealogiam Angliæ Regum*, &c. Balæus & Pitſæus, *de Scriptor. Angl.*

PETRUS Johannis, ſeculô 12. ob quædam heterodoxa, poſt mortem refoſſus & exuſtus. *Paul. de Caſtro*, &c.

PETRUS Iterius, Cardinalis, JC. ſui ſeculi excellentiſſimus. Obiit Avenione, A. C. 1367. Onuphr. & Boſquet, *In Innoc.* 6. *&c.*

PETRUS Juſtinianus, Venetus: Scripſit Hiſtoriam patriam, libris 13. A. C. 1570. Alius Genuenſis, Italicè plurima ingenioſè ſcripſit. Raphaël Sopranius *Script. Ligur.*

PETRUS Laſena, Neapolitanus: Scripſit *de iis, quæ in aquis pereunt*, *&c.* Obiit A. C. 1636. Ingenioſiſſimus auctor, Laur. Craſſus, *elog. Viror. liter.*

PETRUS Legionenſis, vide *Anacletus Antipapa.*

PETRUS Leonius, Spoletanus, Aſtrologus & Medicus inſignis: quòd ejus incuriâ Laurentius de Medicis obiiſſet, in puteum præceps datus eſt. Paul. Jov. *elog. c.* 35.

PETRUS Liſetus, Arvernus, primarius Præſes Parlamenti Pariſienſ. Poſteà Abbas S. Victoris. floruit A. C. 1570. editis magnô numerò ſcriptis inclytus.

PETRUS Lombardus, cognomine Magiſter Sententiarum, Novarâ, Longobardiæ oppidô, oriundus, eruditione inclytus. Epiſcopus Pariſienſis fit, A. C. 1160. cedente ipſi Philippô. filiô Ludovici VI. & fratre Ludovici VII. Obiit A. C. 1164. Scripſit *libros* 4. *Sententiarum*, in quos plures Viri eruditi in Communione Romana commentati ſunt, quàm in Petri Apoſtoli Epiſtolas, quem tamen Caput Eccleſiæ ſuæ eſſe volunt. Propoſitio tamen: *Chriſtus ſecundùm quod eſt homo, non eſt aliquod*: improbata à Scholaſticis & condemnata eſt ab Alexandro III. Certè ab hoc tempore, ut loquitur Trithemius, Philoſophia ſecularis, S. Theologiam nutui ſuâ curioſitate fœdare cœpit, & in diverſas ſectas abiit. Edidit præterea *Commentar. in Pſalmos*, *& Epiſt. Paulinas.* Vide Matth. Pariſ. *Hiſt. Angl.* Sixt. Sen. *Bibl. S. l.* 5. *&* 6. *&c.*

PETRUS Loyerus, Andegavenſis, Philoſophus, JCtus, Poëta, Polygloſſus, eruditione omnigenâ & ſcriptis inſignis.

PETRUS Lucius: Carmelita Bruxellenſis; ſcripſit Florentiæ A. C. 1594. ſuam *Bibliothecam Carmeliticam.* Vide de aliis ejus ſcriptis Poſſevin. *in appar.* Alegr. *in Parad. Carmel.*

PETRUS de Luna, vide *Benedictus* XIII.

PETRUS Luxemburgicus, Cardinalis Epiſcopus Metenſis, fil. Guidonis Comitis S. Pauli, ex Mathilde Caſtellionæa. Obiit A. C. 1387. ætat. 18. Morerius *in Diction. Hiſt.*

PETRUS Malombra, Pictor Venetus, literarum non rudis. Obiit A. C. 1618. Eques Rodolfius, *Part.* 2. *vita Pict.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PETRUS de Marca, Archiepiſcopus Pariſienſis. Palo Benearnenſis, Parlamenti hujus Præſes, in exilio mulctandâ puriore Religione, quâ per 50. ann. Principatus hic beatus fuerat, omnem navavit operam. Obiit Pariſiis, A. C. 1662. Auctor *Hiſtoriæ Benearnenſis*, ſcripſit inſuper, *de Concordia Sacerdotii & Imperii*; *de Primatu Lugdunenſi*, *Cataloniam illuſtratam*, *Marcam Hiſpanicam*, &c. Baluzius, *in ejus vita*. Morer. *in Dict. Hiſt.*

PETRUS Martyr, Theologus inſignis, nomine *Vermilius*, natus eſt Florentiæ A. C. 1500. Canonicus primò Regul. S. Auguſtini, Græcam literaturam & Philoſophiam Patavii addidicit: Hebrææ verò & Theologiæ Bononiæ incubuit: tanto cum ſucceſſu, ut, accedente nativâ facundiâ, inter Italiæ Concionatores meritò princeps haberetur. Lectis dein Neapoli, Zvinglii Bucerique ſcriptis, & converſatione uſus Johannis Valeſii JCti Hiſpani, qui in Germania puriorem Religionem edoctus erat, ipſemet nomen Chriſto dedit, & alios etiam, magno cum zelo, ab Idololatria ſeculi abducere ſategit. Accuſatus Romæ, quòd clandeſtinis cœtibus concionaretur, amicorum, Deique inprimis favore, exivit ictum. Interim Neapoli diſcedens, Lucam pervenit, ubi Emanuelem Tremellium, Celſum Martinengum, Paulum Laſicium, & Hieronymum Zanchium, ejuſdem ſalutaris doctrinæ notitiâ imbuit: à quibus plurimi poſtmodum Lucenſium converſi, in Helvetiam habitatum conceſſerunt, & ci vicinam Helvetiam. Cognitô adventu Pauli III. Lucâ, cùm ſymmyſtis ſuis A. C. 1543. diſceſſit, Bernardinô Ochinô, Generali Capucinorum, qui tum veræ Religionis mirum amorem mentitus erat, itineris comite aſſumptô. Pervenit Tigurum, inde Baſileam, poſtmodum Buceri ſuaſu Argentoratum conceſſit, ubi publicè Euangelium docuit. Hîc uxore ductâ, cùm eruditionis ejus fama longe lateque dimanaret, ſub Eduardo VI. cujus tempore Papiſmô abolitô Euangelii lux denuo ſplendere cœpit, Oxonium vocatus ibi, de Cœna Domini, diſputavit, A. C. 1549. cùm eôdem tempore, Mart. Bucerus & Paul. Fagius Cantabrigiam eſſent invitati. Poſt Eduardi mortem, ſævâ ſed brevi Mariæ tyrannide pulſis Orthodoxis, A. C. 1553. Argentinam rediit, hinc Tigurum honorificè vocatus. Interfuit poſtmodum Colloquio Poſſiaceno, A. C. 1561. coram Carolo IX. inter utriuſque partis Theologos habito, & cum Theodoro Beza, Orthodoxiam egregiè tuitus eſt. Scriptis magnô numerô & eruditione operibus inclytus; Obiit in Domino, A. C. 1562. cum in procinctu eſſet reſpondendi Johanni Brentio, qui ipſum, & Bullingerum editô librô laceſſiverat. Beza *in Icon.* Thuan. *Hiſt. l.* 3. Geſner. *in Biblioth.* Simler. *in epitom.* Item alius, cognomine *Anglerius*, Mediolanenſis, Ferdinando Hiſpaniæ Regi à conſiliis fuit, A. C. 1502. Scripſit de Navigatione Oceani libros 30. Paul. Jov. *in elog. c.* 124. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 12. Vaſæus, *Chron. Hiſpan. c.* 4. *Verheiden*, &c. ut plures alios omittam.

PETRUS Matthæi JCtus Lugdunenſis, circa A. C. 1590. privatâ auctoritate collegit ſeptimum Decretalium librum, quem Cardinali Cajetano inſcripſit. Conjecit autem in hunc eôdem librorum numerô & titulorum ſerie, ut in Gregoriana Collectione, Conſtitutiones Pontificum, poſt ſexum, Clementinas & Extravagantes; qui labor, quamvis à nullo Pontificum hactenus approbatus, quibuſdam tamen editionibus Juris Canonici ab iſto tempore adjectus, reperitur, Idem Maſtricht *num.* 407.

PETRUS Mongus, Hæreticus, poſt Timotheum Ælurum, in ſedem Alexandrinam ſe intruſit, A. C. 477. cùm verus Epiſcopus Timotheus Soloſaciolus Canopi ageret. Pulſus à Zenone, hôc ſedi ſuæ redditô, nihilominus in urbe hæſit, Eccleſiæ moleſtus. Reſtitutus dein ab Imperatore, cùm Timotheo defuncto ſurrogatus Johan. Talaida ei non placeret, Henotici acris extitit defenſor. Simulatâ poſteà Concil. Chalcedonenſis obſervatione, Orthodoxis impoſiturus, ſectatorum non paucos amiſit, qui dein Acephalorum ſectam conſtituerunt. Poſt quæ in fideles immaniter ſæviens, civili cuidam belli ſimulachro occaſionem dedit, cui vix extinguendo Zeno fuit. Obiit A. C. 490. Evagrius *l.* 3. Baron. *in Annalibus.*

PETRUS Montaureonus, Pariſienſis, Mathematicus & Poëta, Bibliothecarius Regius, ingens Ariſtotelis admirator, auctor *Commentarii in Euclidis librum X.* ob religionem cùm periclitaretur, Sancerram ſe contulit, ibi præ mœrore mortuus, A. C. 1570. an, ut aliis, fervente civilibus bellis Galliâ interfectus. Bibliotheca ejus inſignis & numeroſa, Auctoribus inprimis Mathematicis Græcis refertiſſima, quos is pleroſque *Notis* illuſtraverat, bienniô poſt mortem ejus Aureliani direpta ac diſſipata eſt. Mich. Hoſpitalius Galliæ Cancellarius ſic de ipſo,

> *Muſæ, veſter honos, & gentis gloria noſtra,*
> *Conceſſit fatis patriâ Montaureus exul* &c.

Cujus poëmatum editorem Pibracum eraſiſſe hunc verſum,

> *Exul ob aſſertum veræ pietatis honorem*,

diſcimus ex libro, cui titul. *Thuana*. Vide Voſſ. *de ſcient. Mathemat. p.* 335. Thuanum *Hiſtor. l.* 52. Teiſſier *Elog. Part. I.*

PETRUS Nannius, Belga, ſcriptis inclaruit. Valer. Andr. *Biblioth. Belg. Paul. Jovius*, &c.

PETRUS de Natalibus, Epiſcopus Equilinus, ſeculô 15. Scripſit *Vitas SS.* Vaſæus, *in Chron. Hiſp. c.* 5. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8. Poſſevin. *in appar.* Geſner. *in Biblioth. &c.*

PETRUS Nogentius, ſcripſit *in Magiſtrum Sententiarum.* A. C. 1204.

PETRUS Nolaſcus, fundator Ordinis Redemptionis Captivorum: odiô Albigenſium, natali Galliâ relictâ, bonis divenditis in Hiſpaniam conceſſit, ibique captivorum ſub Turcico jugo liberationi animum intendit, A. C. 1218. Primus ſui Ordinis Patriarcha; qui quartô votô, Captivos redimendi, ſe ſupra reliquos, adſtringunt. Obiit A. C. 1249. Inter Sanctos relatus ab Alexandro 7. A. C. 1664. Mariana *l.* 12. *c.* 8. Morerius *Dict. Hiſt.*

PETRUS Notarius, è Ducibus Juſtiniani, Cabadem, ac poſt ejus filium Caſroëm ſæpius vicit. Circa A. C. 528. Procop. *de bello Perſ. l.* 1.

PETRUS, Olaus, vide *Olaus.*

PETRUS Opmerus, Amſtelodamus, Auctor *Chronologiæ.* Vide Beyerlinck, Valerii Andr. continuatorem.

PETRUS Oſma. Hiſpanus, docuit Theologiam Salamanticæ, ſeculô 15. Hîc quòd Confeſſionem auricularem, velut inſtitutum humanum, rejiceret, hæreticis accenſitus & à Sixto IV. condemnatus eſt, Geſner. *in Sixto* 4.

PETRUS de Palude, Dominicanus, Doctor Pariſienſis, & Patriarchæ Hieroſolymitani titulô celebris, floruit ſeculô 14. A Johanne XXII. & Benedicto XII. magnis negotiis adhibitus, Philippo quoque Longo & Philippo Valeſio utiliter ſerviit; ab hoc ad Sultanum Ægypti miſſus, ut ille paulò remiſſiùs Chriſtianos haberet. Scripſit *in Magiſtrum Sententiarum. De Cauſis poteſtatis Eccleſiaſtica*, *de Confeſſione*, *Poſtillas in univerſa Biblia*; Homilias, cum titulo: *Theſaurus novus: Chronicon Regum Hieroſolymitanor. Itinerarium Ultramarinum*, cum titulo: *Liber bellorum Domini*, *Commentaria in Pſalmos*, &c. Obiit A. C. 1342. Lutetiæ. Vide Guichenon *in Hiſt. Sebuſiana.*

PETRUS Paparinus, Epiſcopus in Delphinatu, varia edidit. Seculô præteritô.

PETRUS Paſſerinus, Italus, tractatus aliquot Hiſtoricos edidit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 1.

PETRUS Paulus Pariſius, Cardinalis, Neapolitanus gente, Juris Utriuſque Conſultiſſimus, Bononiæ Pataviique docuit. A Paulo III. dein Romam vocatus, purpuram ibi accepit, A. C. 1539. aliquot inſuper Epiſcopatibus auctus. Tridentino Concilio, ex tribus Papæ Legatis unus: interfuturus, Obiit A. C. 1545. Paul. Jovius *Hiſtor. l.* 42. *&c.*

PETRUS Paulus Vergerius, Juſtinopoli oriundus, Philoſophus, JCtus & Orator inſignis, eruditione inter primos ſui ſeculi. Linguarum, Græcæ inprimis, peritiſſimus, diſcipulus Chryſoloræ Patavii varia ſcripſit egregia, primuſque Arriani verſionem edidit. A. C. 1430.

PETRUS Paulus Vergerius, JCtus & Epiſcopus Juſtinopolitanus, eruditione inclytus. Franciſci Spiræ, qui metu humanô impulſus verâ Religione ejuratâ, in calamitatem incidit totô orbe notiſſimam, miſerabilis exempli ſpectator, mitius de Euangelicorum doctrina ſentire incepit. Ob quod ſuis ſuſpectus, & apud Paulum III. accuſatus, poſtquam inprimis Germanicâ legatione defunctus rediiſſet, juſſus eſt hæreticos refutando ſuſpicionem à ſe amoliri. Quod ille dum facere laborat, & Theologorum Orthodoxorum ſcripta accuratius evolvit, victus vi veritatis ipſemet Confeſſor evaſit, & quia omnia in Italia intuta videbat, unà cum fratre, qui ſimiliter Epiſcopus erat, in Rhætiam conceſſit: Scriptis contra Idololatriam Romanam editis inclytus, Obiit Tubingæ, A. C. 1565. Paulus Jovius, *elog. c.* 111. Volaterran. *in anthrop.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5. *&c.*

PETRUS Peregroſſus Mediolanenſis, JCtus celeberrimus, Cardinalis. Obiit ſub Bonifacio VIII.

PETRUS Pictavienſis, Monachus Cluniacenſis. Scripſit *Summam hiſtoricam Bibliæ.*

PETRUS Piſtorius, Trecenſis, Græcè, Latineque doctiſſimus: Lauduni, juventuti erudiendæ intentus, Sammartan. *elog.* Alius, Pictavienſis, ſimiliter eruditione inclytus, ſeculô præteritô.

PETRUS Pithœus, Gallus, de re literaria optimè meritus, inter alia *Capitularia* primus edidit. Cùm enim Joh. Tilius, de reſtituendis Capitularibus ſolicitus, morte peremtus inſtitutum perficere non potuiſſet, paucis ſolùm foliis poſt obitum ejus editis, quibus uſi ſunt recognitores & emendatores Gratiani: Perfecit opus ex pluribus exemplaribus Pithœus, & præteritô ſeculô A. 88. cum *Gloſſario* vocum obſcurarum, in Capitularibus repertarum, Lutetiæ edidit, quod ibidem recuſum eſt A. C. 1603. Licèt enim *Pithæi* nomen editio non præferat, attamen ex Miræo *Bibliothec. Eccl.* & Sirmondo *Præf. ad Capitula Caroli Calvi*, diſcimus, eum edidiſſe & præfationem præmiſiſſe. Sed & ſub ejus nomine citat Juſtellus præfationem iſtam, *in fine præfat, quam codici Con. Eccl. Un.* præmiſit, ubi de Capitularibus adſerit, omnia in iis ferè deſumta eſſe ex Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ & Iſidori Collectione. Vide Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 207. ut & in voce *Pithœus.*.

PETRUS Placæus, Engoliſmenenſis, Advocatus regius, ſub Franciſco I. Scripta varia edidit. In laniena Pariſienſi occiſus, A. C. 1572.

PETRUS Plaonus, vel Plaoutus, Doctor Pariſienſis magni nominis, ſeculô 15. Nomine Univerſitatis Pariſinæ, interfuit Concilio Piſano, A. C. 1409. in cujus ſeſſione 13. rationibus ſolidiſſimis probavit, Eccleſiam ſupra Papam eſſe: addens hanc communem eſſe ſententiam Academiæ Pariſienſis, Toloſanæ, Andegavenſis, & Aurelianenſis, Putean. *Hiſt. Schiſm.*

PETRUS Pontanus, Brugenſis, cœcus & eruditus. Valer. Andr. & Geſner. *in Biblioth.*

PETRUS Puteanus, fil. Claudii, multis ingenii ſui monumentis excellentiſſimis Galliam locupletavit, Anton. Teiſſier *Elog. Part. I.* de quibus aliiſque eum ſpectantibus, Rigaltius conſulendus *Vitâ* illius. Vide ſuprà *Claudius.*

PETRUS Præmonſtratenſis, Auctor Chronici, cui titulus *Biblia pauperum*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 716.

PETRUS Primodæus, Nobilis Andegavenſis. Scripſit *de Academia Gallica.*

PETRUS Raimondus, Poëta provincialis A. C. 1226. Noſtradam. *Poët. Provinc.* Item alius, Carmelitarum Generalis, A. C. 1342. Scripſit *in Magiſtrum Sententiar.*

PETRUS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PETRUS Ramus, vide *Ramus*.

PETRUS Ranzanus, Siculus. Legatus apud Matthiam Corvinum, Condidit *Annales libris* 61. *cum Auctoribus Hungaricis*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6.

PETRUS Richerius Carmelita primùm, dein puriorem religionem amplexus, fidus Euangelii Miniſter, Calvino familiaris, aliquandiu Genevæ docuit, poſtmodum cum aliquot aliis Miniſtris Genevenſibus, plurimiſque è Gallia fidelibus, ſub auſpiciis Nicol. Durandi Villagagnonis, à Gaſpare Colinio, famoſo illo Galliæ Admiralio, in Floridam & Braſiliam miſſus, ut Euangelium illis gentibus annuntiaret, munere ſuô magno cum zelo functus eſt. Sed Villagagnonis perfidiâ tam præclarô opere diſturbatô merſiſque Oceano Vermiliô, Burdô & Bordælô, incolumis elapſus, Genevam rediit, A. C. 1555.

PETRUS Riezius, Poëta Gallus, A. C. 1280. Claud. Fauchetus *l. de Poët.*

PETRUS Rogerius, Arvernus, Poëta. Noſtradam. *de Poët. Provincialib.*

PETRUS de S. Juliano, ſcripſit *de origine Burgundionum, antiquitates Auguſtodunenſes, Cabillonenſes*, &c.

PETRUS Schotus, Canonicus Argentinenſis, Poëta, JCtus, Hiſtoricus, &c. Ingeniô inter primos ſui ſeculi: Scripſit varia. Obiit A. C. 1491. ætat. 31. Trithem. *in Catal.* Pantaleo *l.* 2. *de viris Illuſtrib. German.*

PETRUS Seguierus, Pariſienſis, Præſes Parlamenti: eruditione & prudentiâ inclytus. Pater Petri & Antonii, ſimiliter Præſidum, avus Petri Cancellarii, ex Petro. Sammarth. *elog. l.* 3.

PETRUS Strozzius, Mareſchallus Galliæ, gente Florentinus. Franciſco I. Henrico II. in Italia, Scotiâ alibique egregiè inſerviit. Occiſus in obſidione Theoniſvillæ, A. C. 1558. Pater Philippi.

PETRUS Sutor, Gallus, Carthuſianus. Scripſit *de vitæ Carthuſ. inſtituto: de triplici D. Annæ connubio, &c.* Obiit A. C. 1537.

PETRUS Thomas, Carmelita, Vaſco. Epiſcopus Cypri & Patriarcha Hieroſolymitanus. Obiit A. C. 1366.

PETRUS Turellus, Divionenſis, Mathematicus inſignis, ſub Ludovico XII. & Franciſco I. ſcriptis inclytus.

PETRUS du Val, Epiſcopus in Normannia, Præceptor filiorum Franciſci I. Concilio Tridentino & Colloquio Poſſiaceno interfuit. Scriptis variis inclytus, Obiit A. C. 1564.

PETRUS Valcernæus, Ciſtertienſis. Scripſit *Hiſtoriam Albigenſ.*

PETRUS de Valle, Patritius Romanus, eruditione, peregrinatione in Orientem duodecennali, linguarum plurimarum peritiâ, editô inprimis *Itinerariô* eruditiſſimô, quod quatuor tomis conſtans, Turciæ, Perſiæ, Indiæque res accuratiſſimè exhibet, & in plurimas Europæ jam linguas tranſlatum habetur, illuſtris. Obiit Romæ ante aliquot luſtra.

PETRUS Vallerius, Vernegus, & Vidalius, Poëtæ Provinciales. *Noſtradamus.*

PETRUS Venerabilis, vide *Petrus Cluniacenſis.*

PETRUS Verberius, vide *Petrus Aureolus.*

PETRUS Veronenſis, acer Valdenſium perſecutor: ab Innocentio IV. cum Staniſlao Cracovienſi ſanctis annumeratus eſt, A. C. 1250. Pantal. *in Chronol.*

PETRUS de Vineis, Germanus, Cancellarius Friderici II. Imperatoris, floruit ſeculô 13. Ingeniô, eloquentiâ, eruditione, maximiſque negotiis ſummâ fide adminiſtratis, inclytus, Imperatori in controverſiis, quæ ipſi cum Gregorio IX. de Innoc. IV. intercedebant, magnô zelô ſerviit: Scripſit *de Poteſtate Imperiali, libros* 6. *Epiſtolarum*, &c. *Fulgoſus.* Nihilominus, pecuniâ à Pontifice corrumpi ſe tandem paſſus, per Medicum venenô propinatô, Fridericum tollere conatus eſt. Qui venenô, quod Medicum præguſtare coëgerat, animadverſô, cum lachrymis exclamavit: *Væ mihi, Petrus dimidium animæ meæ capitales mihi inſidias comparavit: in quo in poſterum quieſcam?* Sigon. *l.* 18. Suſpendiô igitur necatô Medicô, miſero Petro oculos erui, & per Italiæ urbes circumduci, juſſit; ſed is capite poſti carceris illiſô ignominiæ ſe ſubduxit, A. C. 1249. Volaterr. *l.* 23. *Anthrop.* Trithem. *de Vir. Illuſtrib. & de Script. Eccleſ. &c.*

PETRUS Viretus, vide *Viretus.*

PETTALO-RUNCHITÆ, Hæretici, qui, quoties orabant, digitum indicem naſo inſerebant, hâc ceremoniâ, omnium rerum judices ſe ac commenſuratores eſſe, indigitantes. Πίτταλος enim, *palus*, menſuræ, ῥύγχος vero *naſus*, judicii ſymbolum eſt. *Perticonaſati* dicuntur aliis, vide de illis pluſcula apud Epiphanium *Hæreſ.* 48. & infra in voce *Taſco-drugitæ*, Macer in *Hierol.* lege *Pattalorynchitæ*, & vide in hac voce.

PETUARIA, *Ptolem.* oppid. Pariſiorum, in Anglia; *Camdeno.* Aliis Beverlacum, oppidulum Eboracenſis provinciæ ad Auſtrum, verſus Albi æſtuarium, 8. ab ora Oceani Britannici in Occidentem, 4. milliar. Angl. ab Hullo portu, in Boream ab Eboraco 20. in Ortum, *Beverley* vulgò.

PETUBASTIS, Rex Ægypti, in ſerie Regum Tanitarum XIV. poſt Suſennem, regnavit ann. 40. Chebrone & Amenophe I. apud Thebaitas imperantibus, Barakô apud Iſraëlitas Siſaram vincente. Ei ſucceſſit Oſorcho, Vide Joh. Marſhamum *Can. Chron.* & ſuprà Amenophis I. it. *Chebron.*

PETULANTIUM Feſtum Græcè τῶν Ὑβριστικῶν, Athenis olim ac Spartæ vigebat, quô Lunæ, ſub *Veneris* nomine, viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili ſacra feciſſe, Philochorus tradit, apud Macrobium *Saturnal. l.* 3. *c.* 8.

PETUSCUM, dicta eſt ea regio Urbis, quam Romulus obverſam poſuit eâ parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare verſus, & quâ molliſſimè adibatur urbs, quum Hetruſcorum agrum à Romano Tiberis diſcluderet, & cæteræ vicinæ civitates colles aliquos haberent oppoſitos. *Feſtus.*

PETZORA, provinc. Moſcoviæ Septentrionalis verſus Waigatium fretum & mare Glaciale, ac inter Condotam, Siberiam & Samojedam provincias. Ibi oppid. præcipuum verſus oram; & fluv. cognomin. qui ſex amplis oſtiis in mare Glaciale evolvitur, juxta oppid. & arcem *Puſtejezero.* Ad utramque fluv. ripam ſunt montes *Ziemnoipojas*, i. e. cingulum terræ.

PEUCÆ & PEUCI, populi incolentes inſul. *Peucen:* ut Rheni populi qui Rhenum accolunt. Perſius, *Sat.* 6. *v.* 47.

——— Locat ingentes Cæſonia Rhenos:

pro *Rhenanis*, *Steph.* Ῥῆνοι. Sic *Iſtrum* accolunt; *Thyani*, apud Vopiſc. *in Aurelian. c.* 22. pro *Thyanæis.* Atque ita apud Treb. Pollionem, in *Claudio c.* 6. legit ex fide Palatini codicis, *Peuci*; ut & ex Zoſimo *Peucæ*, cùm alias *Peucini* præ ſe ferat editio: *Denique Scytharum diverſi populi, Peucini, Trutingi, Auſtrogothi* &c. a *Peuce* ſcil. inſul. quam Danubius facit, Salmaſius *ad loc.* Vide *Peuce* & *Peucini.*

PEUCALEI, populi Indiæ ulterioris Gangaridis finitimi; *Dionyſ.*

PEUCE, inſula Myſiæ inferioris ad oſtia Iſtri fluv. *Barillana*; *Leoni Gorecio, Pizina* verò *Nigro.* Ejus meminit Claudian. *de 4. Conſulat. Honor. v.* 630.

Corporibus premitur Peuce per quinque recurrens
Oſtia. ——— ———

Lucan. *l.* 3. *v.* 202.

——— Sparſamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Iſtri.

Martial. *l.* 7. *epigr.* 83. *v.* 3.

I liber ad Geticam Peucen, Iſtrumque tacentem.

Dionyſius, ubi de Iſtro:

Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.

Valer. Flacc. *l.* 8. *v.* 217.

Inſula Sarmaticæ Peuce ſtat nomine nymphæ;
Torvus ubi & ripâ ſemper metuendus utraque
In freta per ſævos Iſter deſcendit Alanos.

Idem ibidem *v.* 293.

——— ——— Oſtia donec
Danubii, viridumque vident ante oſtia Peucen.

Nic. Lloyd.

Hinc *Peucini* apud Tacit. *Germ. c.* 46. Si autem iidem ſunt cum Baſtarnis, cauſæ non eſt, quin Germani fuerint. Vide *Peucini.*

PEUCE, unum eſt ex 6. oſtiis Iſtri, quod aliter *Sacrum oſtium*; ad Meridiem magis extenſum, *Sanſo, Brietius.*

PEUCELAITÆ, *Dionyſio*, Πευκαλεῖς populi ad Indum fluv. Gandaridis vicini. In qua regione *Cophen* fluv. qui Malamantum & Soaſtum amnes ducens in Indum emittit, ſcaturire Arrianus *l.* 4. *Expedit. Alex.* & *in Indic.* refert: Eſt autem hic Soaſtus, qui *Ptolemæo* Σύαστος, quô locô inter Suaſtum & Indum Gandaras metatur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 993. ut & in voce *Peucelaotis.*

PEUCELAOTIS, Indiæ regio circa Indi fluv. originem, Arrian. *in Indic.* qui ibidem habet *Peuceliotin* urbem. Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Peucolain* vocat oppid. circa Indum.

PEUCERUS Gaſpar, Medicus & Mathematicus Germanus. Budiſſinâ quippe Luſatus, celeberrimus, gener Melanchthonis. Auguſtô Saxoniæ Electore in Reformatos exacerbatô, decennalem toleravit captivitatem, nec dimiſſionem ejus ipſe Maximilianus II. Imperator ab Auguſto obtinere potuit: monuit hunc tamen, *Noſtrum non eſt imperare conſcientiis aut quenquam ad fidem vi cogere.* Inde tandem interceſſione Principis Anhaltini, cujus filiam ſibi junxerat Elector, liberatus, Obiit Deſſaviæ, A. C. 1601. ætat. 78. *Hiſtor. Carcer.* Caſp. Peuceri. Scripſit plurima, *in Elogiis* Teiſſerii enumerata *Part.* 2. inter quæ inprimis opus ejus *de Divinatione* magni æſtimatur, Scaligero præcipuè laudatum, *in Scaliger.* Virum magnum illum fuiſſe, docet Auctor *Bibliogr. Cur.*

PEUCESTES, Macedo, ab Alexandro Magno Ægyptum deditam collegâ Rhodiô Æſchylô cum quatuor millibus militum tueri juſſus, Curt. *l.* 4. *c.* 8.

PEUCESTES, Alexandri Magni clypei gerulus, poſt victoriam Indicam in numero corporis cuſtodum. Satrapes denique Perſidis.

PEUCESTES, Alexandri Magni ſervator. Vide Curtium *l.* 9. *c.* 5.

PEUCETIA, vulgò *Terra di Bari*, Apulia ſic ad alterius differentiam (quæ *Daunia* dicitur) nominata; regio Italiæ in regno Neapolitano, ad oram maritimam, inter Apuliam Dauniam (à qua Aufidô fluviô ſeparatur) ad Occidentem & Japygiam ad Ortum. In qua Barium metropolis. Populi *Peucetiæ* Plinio, *l.* 3. *c.* 21. *Straboni*, & aliis. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 513.

Peucetioſque ſinus, Meſſapiaque arva reliquit.

PEUCINI, populi fuêre Germano-Sarmatici inter Baſtarnas ad Ortum, Venetos ad Boream, Lygios ad Occaſum, & Daciam ad Meridiem, ubi & Bulanes, Avarini, Bieſſi, Piengitæ & Peucini proprii; in eo tractu, ubi nunc Ruſſia nigra. *Sanſone*, & aliis teſtibus.

PEUCOLAUS, conjurationis, contra Alexandrum Magnum in Ariis initæ, particeps Dymno, Curt. *l.* 6. *c.* 9. Alius ejuſdem nominis in Sogdianis cum tribus millibus peditum præſidio relictus, Idem *l.* 7. *c.* 10.

PEUCRON, Mæotidis paludis filius ex auxiliis Perſæ, in bello Colchico occiſus, Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 564.

PEUSIN, ex antiquioribus Reipubl. Athenienſis adminiſtratoribus, qui mille Sagittarios inſtituit urbis præſidium agitaturos, qui ab eo quoque *Peuſini* dicti. Vide Scholia Ariſtophan. *Acharn. p.* 373. E.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PEUSINII, Græcè Πευσίνιοι, corpus fuit Athenis miniſtrorum publicorum ſive lictorum, qui, etiam Τοξόται, item Σκύθαι dicti, coërcendis, qui immodeſtiùs agerent, inſtituti fuerunt. Vide in voce *Peuſin*, & infrà in *Scytha*.

PEUTINGERUS Conradus, Auguſtanus, genere ac ingeniô inclytus, JCtus ac Carolo V. Imperatori à conſiliis, Eraſmi amicus ac literatorum Mæcenas magnificus. Celebris eſt *Tabula*, à Conr. Celte inventa, ejuſque curâ conſervata, edita verò à M. Velſero, *Peutingeriana* ab illo dicta. Obiit A. C. 1547. ætat. 82. Scripſit *Sermones Convivales, in quibus multa de Germaniæ mirandis antiquitatibus*, *De gentium quarundam emigrationibus Epitomen Tract. de Fortun.* Ant. Teiſſier *Elogiis Part. I.* Vide & Melch. Adami *Vit. Juriſcoſſ.* Voſſium, *de Hiſtor. Lat. l. 3. c.* 10. Alios, ut & ſuprà. Addam quæ de Tabula ejus. Merula *præf. Coſmographiæ: Nec ſuis caret mendis*, inquit, *Antonini, vel cujuſcunque cenſendum, Itinerarium, in quo emaculando ſuoque nitori reſtituendo, egregiam poſuerunt operam, cùm alii, tum vel maximè Abrahamus Ortelius, vir monſtris ex terrarum Orbe amoliendis planè natus: & Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus; quô, in hoc argumento, Hiſpania nunquam habuit feliciorem. Hinc factum, quòd majore cum fructu illud uſurpârim; commiſſum cum ampliſſima tabula Itineraria, quæ ductu Johannis Molleri, diligentiſſimi Typographi, auſpiciis Viri nobiliſſimi Marci Velſeri, Duumviri Reip. Auguſtanæ, ex illuſtri* Peutingerorum *Bibliotheca in lucem prodiit. Plus habet illa in receſſu, quam frons pollicetur: Licèt infinita ibi ſint depravata, & turbatiòris ordinis; tamen comparata, cum Antoninianis (quibus & hinc Medicina non ſemel per me petita) nullô negotiô poſſunt corrigi & ad ſua revocari caſtra: quòd non infeliciter à me factum in Gallia, Italiaque, res ipſa docebit. Procurrit hæc tabula ab Occident. Oceano, per Continentis totius longitudinem, ad Orientalem uſque, ſingula notans loca, nec non locorum, induſtriâ ſtupendâ, diſtantias & intervalla. Totum complectitur, quantus eſt, Antoninum: alterumque tantum & amplius adponit, ſi civitates, urbes, oppida, fluvii, aliaque talia, diligenter examinentur; digna certè, quæ ſedulis Doctorum, non Magiſtellulorum, manibus teratur.* Illam *Theodoſianam* vocat Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. ubi eam ſæpius exponit ac corrigit.* In octo eam ſegmenta commodè diſtribui, I. Ab oſtiis Rheni Bonnam uſque. II. Bonnâ uſque ad Marcomannos. III. A Marcomannis ad Sarmatas. IV. A Sarmatis uſque ad Hamaxobios. V. Ab Hamaxobiis ad Roxolanos. VI. à Roxolanis ad Parnacos. VII. A Parnacis ad Paralocas Scythas. VIII. A Paralocis Scythis, uſque ad finem Aſiæ, habet Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. c.* 1. Eam videre eſt, in *Theatro Geogr. Vet.* Bertii, in *Parergo Geogr. Vet.* Ortelii & in *Orbis Antiqui Delineat.* Janſonii. Vide & *Conradus Peutingerus*.

PEXA Veſtis, memoratur Plinio *l. 8. c.* 48. *Iſtriæ ac Liburniæ lanum pilo propiorem quàm lanæ, & ideo* Pexis veſtibus *alienam, & quam ſola Ars ſcutulatô textu commendat in Luſitania.* Ubi *pexas veſtes* fuiſſe, in quibus ob villorum denſitatem, nec ſtamen, nec trama appareret, Eruditis animadverſum. Tales omnes recentes fuêre. Martial. *l. 2. Epigr. 44. v.* 1.

Emi ſeu puerum, togamque pexam.

Unde, in tela aranearum, *pexitatem* à Plinio *l. 11. c.* 24. dici villoſam quandam in ea & lanuginoſam filorum naturam, quæ, in rara earum textura, non perinde appareat, ut in denſa, notavit Turnebus *l. 5. c.* 14. Nam veſtes obſoletæ ac tritæ his contrariæ, in quibus ſcilicet, vellere attritô & defloccatô, filorum textura facilè conſpicua erat: quam ob cauſam hæ *niveæ*, i. e. tenues, dicuntur eidem Poëtæ, *l. 4. Epigr.* 34.

Sordida cùm tibi ſit, verum tamen. Attale dicit,
Quiſquis te niveam dicit habere Togam.

Sed & *veſti pexæ*, aliquando recens, verùm quæ villis careat, opponitur, quales ex lana, de qua ſuprà Plinius, contexebantur, *raſâ* dictâ, uti ſerica utplurimum, quæ ſine villis, & minimè *pexa*, erat. Vide infrà in voce *Raſa*, & Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l. 1. c.* 17. qui *l. 3. c.* 20. Togam *pexam*, vel tunicam *pexam* vult *ſpiſſam* dici, in illo Plauti *Epidic. Act. 2. Sc. 2. v.* 46.

Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium.

A *pexis* iſtiuſmodi togis Candidati (quô nomine poſteriori ævô apud Romanos venerunt honeſtioris ordinis cives, pullatis, ſeu coloratis (i. e. plebejis hominibus, oppoſiti) *Pexati* appellantur, Senecæ *de Beata vita c.* 2. quòd *pexis*, h. e. *candidis* & *recentibus* togis uterentur. Ita enim vocabulum iſtud ſæpiſſime acceptum eſſe, præter dicta, Perſius confirmat, *Sat. 1. v.* 15.

——— ——— *Pexuſque togaque recenti.*

Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c.* 32.

PEXODORUS, Minimus è fratribus Adæ, Cariæ reginæ: ſorore regnô expulsâ, imperium tenuit annos quinque, occupans illud Olymp. 109. An. 4. alias legitur *Pizodorus*.

PEZELIUS Chriſtophorus, Germanus, magni nominis Theologus. Primò Wittembergæ docuit, ſed cùm Formulæ Concordiæ ſubſcribere recuſaret, cum Caſparo Crucigero, Henrico Mollero, Friderico Videbramo, &c. A. C. 1579. primò ſub cuſtodiam miſſus, ab Auguſto Electore mox extra fines dimiſſus eſt. Inde Bremam delatus, ibi docuit. Extant ejus ſcripta *in Geneſin, in Pſalmos Graduum, in 3. priora Capita Joann.* &c. Opera in 7. volum. in 8. Neoſtadii 1597. Obiit A. C. 1604. ætat. 65. Regenvolſcius habet, A. C. 1600. ætat. 81.

PEZZENUM, vel *Banzanum*, hodie *Bolſanum*, municipium Marchiæ Tarviſinæ, in Comitatu Tirolenſi; amne alluitur Sarcâ.

P. F. in notis Antiquorum, *Pius*: *P. FE. publicè fecit* &c.

PFÆDELBACHIUM, locus Germaniæ, in Franconia, ſub proprio Comite, ex Familia Hohenloica. Cujus cùm præcipua diviſio hodie ſit, in *Langenburgicum* & *Waldenburgicum* ramum: in illo Wolfgangus, ex Georgio Friderico fil. primogenito, Comites *in Weickersheim*, in iſto, Eberhardus itidem ex primogenito Georg. Friderico *Pfædelbachios* dedit. Hôc enim (obiit autem is A. C. 1600.) & Dorotheâ Ruthenâ, natus Ludov Eberhardus *Pfædelbachium* nactus eſt. Vide ſuprà, ubi de *Hohenloica Familia*. Addo ſaltem, Friderico Cratoni & Florianæ Ern. natos eſſe Eberhardum Frider. Erneſtum A. C. 1659. Chriſtianum Albertum A. C. 1660. Sylvium Ern. A. C. 1663. Fridericam Florianam A. C. 1664. &c. quorum illi eôdem, quô geniti ſunt, annô obiêre; iſta annum 1665. emortualem habuit: omnes *Comites Hohenloici lineæ Waldenburgicæ in Pfædelbach.* Spener. *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. p.* 164.

PFALZGRAVII, vox medii ævi, Palatii Comites, qui & Majores domus, & præfecti rectoreſque Palatii dicuntur, ut *Eginhartus*, *Jornandes*, *Aimonius* ſcribunt. Speculum Saxon, *l.* 3. *Art.* 53. *qualibet provincia Teutonicæ terræ ſuum habet Palanſgravionatum: quæ antequam à Romanis ſuperabantur, Regna fuerunt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata: attamen illuſtres in vaſallos & vexillorum feudum reſervârunt, quæ ipſis per imperium jam ſublata ſunt.* Vide Cujac. *de feud. p. 16. l. antepenult.* & ſupra *Comites Palatini*.

PFIRIUM, oppid. & Comitatus Germaniæ, in Suntgovia, aliàs *Ferreta*, Gall. *Pfirt*. Quem cum Suntgoja aliiſque terris marito, Alberto Contracto Auſtriæ Archiduci, attulit Joanna, Ulrici poſtremi Pfirtenſium Comitum filia. Eum poſteà Carolo Audaci Burgundiæ Duci, centum aureorum millibus venditum, Sigiſmundus Auſtrius, Friderici III. Imperatoris frater, victô iſtô ab Helvetiis, occiſôque, non redditis nummis recepit. Tranſiit tandem unà cum Alſatia aliiſque pactione Monaſterienſi ad Galliæ Reges, non ſine Baſilienſium Præſulum querela, ad quos *directum*, ut appellant, *dominium* Comitatus hujus hactenus ſpectaverat, ſatisfieri ſibi ob adempta immeritis jura hiſce nuperiſque Imperii Comitiis fruſtra precatos. G. de Roo *l.* 3. Cruſius *Annal. Suev. Part. 3. l. 5. c. 3. p.* 259. Stumpfius *Chron. Helvet. l. 5. c.* 30. Alii, laudati Tob. Pfannero *de præcipuis Germ. Principum gentibus c,* 1. Vide quoque in voce *Ferreta*.

PFORZHEMIUM, oppid. Germaniæ, ſub Principe Bada-Durlacenſi, in ipſa ſylva Martiana, quam Entius amnis, piſcoſus admodum, perfluit, ſitum: dictum quaſi *Orcynhelmium*, à Sylva præfata aliàs Hercynia quam *Orcyniam* appellâſſe veteres Germanos, ex Jul. Cæſare diſcimus. Olim nobili Gymnaſiô, & amplô Eruditorum proventu celebre, jam bellô hôc à Gallis miſerè devaſtatum. Germ. *Pfortzheim*, quaſi *Orcyntheim*. Vide Cl. Ottonem JCtum *Not. ad B. Rhenanum Rer. German. l. 3. p.* 415.

PFULLENDORFIUM, urbs parva Imperialis, in ea parte Sueviæ, quæ Hegovia, *Hegovv*. dicitur, ad fluv. *Cell.* Vide Limnæum Enucl. *l. 4. c.* 45, Itæ Brigantinæ *de Pfullendorf*, mariti Alſatiæ titus Adelbertus vel Albertus *Dives* dictus, Landgravii Alſatiæ titulum primus geſſit: pater Rudolfi, qui ex duobus filiis, Rudolfo quidem minori, Comites ultimos Habſpurgicos, Lauffenburgios & Kyburgios, qui ſeculô 15. defecêre: ex majore autem natu Alberto Sapiente, Rodolfum I. Imperatorem progenuit. Vide in voce *Auſtria*.

P. H. C. in notis antiq. *publicus honor curandus*. &c. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

PHABIRANUM, urbs aliàs Cauchorum, nunc Saxoniæ inferioris munita, Hanzeatica, & emporium celebre, vulgò *Bremen Petro Apiano*, ad Viſurgim fluv. in Friſiæ confinio. A Mercatoribus Bremenſibus, ſemina Chriſtianiſmi in Livonia ſparſa ſunt, A. C. 1160. Crantz. Cromerus *l.* 6. Vide *Brema*.

PHACCUSA, oppid. olim, nunc pagus Ægypti, inter Nilum & ſinum Arabicum, *Strabo*, *Phacuſa Ptolem. Phacuſſa Stephan.*

PHACEE, vel PEKAH, Romeliæ, vel Remaliæ fil. Phaceiâ, in convivio, occiſô, à militibus Rex Iſraëlis proclamatus eſt, A. M. 3276. impietate & injuſtitiâ infamis. Achazum Judæ Reg. 120000. occiſis ſuperavit; ob ſævitiam in Judæos exercitam à Propheta Obed increpitus, captivos ſine lytro remiſit: ab Oſea paulo pòſt occiſus, A. M. 3296. regni 20. Vide 2. Reg. *c. 15. v.* 23. 2. Paral. *c.* 28. Joſeph. *Antiq. Jud. l. 9. c.* 11. 12. 13. Torniel & Salian. *A. M.* 3276. *& ſeqq.* Latinè *aperiens*.

PHACEJA, fil. Menahem, Patri ſucceſſit, vide 2. Reg. *c.* 15. *v.* 23. & in voce *Phacee*. Latinè *aperiens Dominus*.

PHACEOLIS, capitis tegmen, apud Perumaſas, Judicibus peculiare, de quo vide infra in *Pilaticia*.

PHACETIS, ſeu PHACITIS, ſeu etiam *Aphacitis*, memorata Hygino *in Poët. Aſtronom.* vel filia erat Veneris vel Venus ipſa, quæ *Dea Syria* vocatur. *Aphacitis* certè Venus memoratur Euſebio *in vita Conſtantini l. 3. c.* 53. Nam Græcè eſt, Ἄλσος καὶ τέμενος ἐν ἀκρωρείας μέρει τοῦ Λιβάνου ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον, h. e. *Nemus & delubrum in parte verticis montis Libani in Aphacis exſtructum.* Ubi pro *Aphacis* perperam Muſculus, *in fruticeto*: uti Chriſtophorſonus, *inter arbuſta*. Hoc *Aphacitidis* Veneris templum demolitus eſt Conſtantinus M. ut *ibidem* ſcribit Euſeb. Item Socr. *l. 1. c.* 14. ubi dicitur τὸ ἐν Ἀφάκοις τοῦ Λιβάνου ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης. *Templum Veneris in Aphacis, ad montem Libanum.* Et Sozom. *l. 2. c.* 4. cui eſt, ναὸς ὁ ἐν Ἀφάκοις τῆς Ἀφροδίτης περὶ τὸν Λίβανον τὸ ὄρος καὶ Ἄδωνιν τὸν ποταμόν. Quod apud Caſſiodorum in *Tripartita l. 2. c.* 20. ſic redditur, *In Aphacis juxta montem Libanum & Adonim fluvium, Veneris domus.* Similiter Nicephori Interpres *l. 8. c.* 33. *Apud Aphacos, ad Libanum montem, Veneris delubrum*: Ortelioque in *Theſauro Geogr.* obſervatus eſt locus ille Zoſimi *l.* 1. ubi de Zenobia ab Aureliano capta agit: Ἄφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ἡλιουπόλεως τε καὶ Βίβλου, ἐν ᾧ ναὸς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ὁ ναὸς Ἀφροδίτης ἵδρυται, *Aphaca locus eſt, inter Heliopolim & Biblum, ubi Fanum Veneris eſt conſtitutum*, &c. Quia autem in Boëth ſtagno *Phacetis*, filia Veneris, in piſcem transfigurata ſit, quam *Syriam Deam* nominârunt: vel quòd is de ſtagno filiam Veneris ſalvaverit, hinc, inter Meridionalia cœli ſidera Piſcis divinis honoribus cultus, & à Syris in templo *Phacetidis* argentei piſces conſecrati ſunt. Vide Seldenum *de Diis Syris Syntagm.* 2. *c.* 3. Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 36. & in voce *Aphace.*

PHACION, oppid. Theſſaliæ, Thucyd. *l.* 4. Gentile *Phacius Stephanus.*

PHACUSSA, vide PHACCUSA,

PHADAJA, pater Zebida, 2. Reg. *c.* 23. *v.* 36. Filius Jechoniæ, 1. Paral. 3. *v.* 18. Latine *redemptio Domini.*

PHADASSUR, vel PEDAZUR, pater Gamaliel principis tribûs Manaſſe; Numer. *c.* 1. *v.* 10. Latinè, *redemptor fortis*, vel *redimens petra*, vel *redemptio plaſmatinis.*

PHADIZANA, Cappadociæ Caſtellum, *Arriano.*

PHADON, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 44. Latinè *redemptio ejus*, aut Syriacè, *jugum*, vel *juga*, ſcil. boum.

PHÆA, proprium nomen ſuis Cremyoniæ. Vide infrà.

PHÆA, mulier latrocinans, ſæva & laſciva, *ſus Crommyonia* Plutarcho, à loco habitationis, dicta eſt, de qua vide Caſp. Barthium *Not. ad Papinium Statium Theb. l.* 12. *v.* 577. nec non in voce *Crommyon.*

PHÆACIA, inſula maris Ionii Epiro adjacens, quæ & *Corcyra.* Populi *Phæaces*, otio olim, luxuique dediti; unde *Phæacem* pro homine bene curato, ventrique & gulæ addicto uſurpat Horat. *Ep.* 15. *l.* 1. *ad Valam*, *v.* 24.

Pinguis ut inde domum poſſim, Phæaxque reverti.

Phæaces autem ſic dicti ſunt, quaſi *eminentes*, ex Arabicâ linguâ, quâ פאיק *Phaik* dicitur, qui vel opibus, vel dignitate præ cæteris eminet. Unde Poëta eos appellat Ἀγχιθέας, i. e. εὐδαίμονας, ut rectè interpretatur *Heſychius*, poſt veteres Scholiaſtas. Ex quo rerum ſucceſſu factum, ut tandem inſoleſcerent, & nimiô faſtu turgerent. quod ex Ariſtotele colligit idem Heſychius, in Κερκυραῖα, Bochart. *l.* 3. *Chanaan*, *c.* 23. Phæacum regio mirâ pomorum copiâ pollet. Ovidius *Met. l.* 13. *v.* 719.

Proxima Phæacum felicibus obſita pomis
Rura petunt. ——— ———

Juvenal. *Satyr.* 5. *v.* 149.

——— ——— *Illa jubebit*
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore.
Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat.

Propertius *l.* 3. *El.* 1. *v.* 51.

Nec mea Phæacias æquant pomaria ſilvas.

Lege *Phæacas. Nic. Lloydius.*

PHÆAX, Eloquentiſſimus Orator, qui facundiâ ſuâ jam mortem judicum ſententiis dictam effugit, Schol. in Ariſtoph. *Equit.* 364. *B.*

PHÆBIANA, ſeu PHÆNIANÆ, urbs fuit Rhætiæ latè ſumptæ in Vindelicia. Nunc eſt *Babenhauſen*, oppidul. Sueviæ, ad Guntiam fluv. 12. mill. paſſ. à Memminga in Boream. Aliis & meliùs eſt oppid. *Burgaw*, ad Mindelam fluv. Marchionatus ampli caput, in Suevia, ſub Auſtriacis, 18. mill. paſſ. ab Ulma in Ortum, 22. ab Auguſta Vindelicorum in Occidentem. Vide Rhenanum *Rer. German. l.* 3. & ad eum *Notas* Cl. Ottonis JCti.

PHÆCASIA, una Sporadum, inter Helenam ad Occaſum & Pholecandrum ad Ortum.

PHÆCASIA, calceamenti genus, apud Veteres, & quidem *Heſychio*, ὑποδήματος εἶδος γεωργικοῦ, i. e. *ſpecies calceamenti ruſtici*, ut ſimilia fuerint peronibus è craſſo corio rudique Minervâ confectis. Alii crepidis potiùs baxeiſque Philoſophicis; vel ſoccis udonibuſque linteis illa aſſimilant. Certe Seneca *Ep.* 113. *Puto*, inquit, *quædam eſſe, quæ decent phæcaſiatum & palliatum.* I. e. *Philoſophum*, quibus ut peculiare geſtamen erat pallium, ita & *Phæcaſia* ſuum præbuiſſe calceatum videntur. Quod idem *l.* 7. *de Beneficiis c.* 21. declarat apertiùs, è quo loco etiam illud patet, ejuſmodi *Phæcaſia*, quibus Philoſophi utebantur, quatuordecim aſſibus tum conſtitiſſe; *quatuor* enim *denarios* dicit, quorum quilibet, juxta ſupputationem Budæi *de Aſſe l.* 5. trium aſſium & dimidii pretio reſpondet. Ob eandem rem *Plutarchus*, ubi Antonium cultus, contra morem Romanum, Græcanicô ſeu Philoſophicô inſignem denotat, ipſum palliô amictum *Phæcaſiiſque* calceatum, refert his verbis: Ἐν ἱματίῳ καὶ φαικασίοις προ-. Ita ergo cum crepidis in eo convenêre, ut Philoſophis iiſque quibus Græcorum habitus arriſit, uſurparentur. At Appian. *Bell. Civil. l.* 5. *paulò pòſt princip.* Athenienſium Alexandrinorumque Sacerdotibus, de Philoſophis tacens, in communi uſu fuiſſe ſcribit *Phæcaſia*, vocans illa *calceamenta candida*: & Herodian. *Hiſtor l.* 5. *c.* 5. inſanum Antonini commemorans luxum de *Phæcaſiis* omnino videtur locutus, cùm dixit, *Præfecti exercitibus, induti tunicas talares, linteis calceamentis utebantur, quemadmodum Vates in iis regionibus conſueverunt*: Phœnicum intelligens Sacerdotes, apud quos Imperator ille educatus. Soliſque ſacris initiatus fuerat. Sic ruet Heſychii ſententia, contra quem portò facit vocis etymon. Ἀπὸ τοῦ φαικοῦ enim, quod *leve* ac *agile* ſignificat, huic calceamenti generi nomen inditum eſt; quæ notatio calceo agreſti minime convenit. Adde quòd Eratoſthenes in *Mercurio* ἐλαφροῦ epitheton huic etymo convenienter *Phæcaſio* adjunxit:

Πέλμα ποτιράπτεσκεν ἐλαφροῦ φαικασίοιο,
Soleam olim ſuebat tenuis Phæcaſii.

Philoſophis igitur Sacerdotibuſque familiaria fuerint *Phæcaſia*, ſed hôc diſcrimine, ut Sacerdotes candidis & linteis, Philoſophi verò nigris coriaceiſque uterentur, quorum illud ex Appiano ac Herodiano, hoc ex Senecæ *loc. cit.* conſtat, ubi Pythagoricum quendam Philoſophum, phæcaſia à Sutore ementem, introducit. Quoad formam tamen ea inter ſe ſimilia fuiſſe videntur, ut pedes totos tenui obſtragulô contegerent, ſive lineum id eſſet, ſive pelliceum atque adeò propter tenuitatem illam, levem atque agilem pedibus præberent inceſſum. Verbo Sacerdotum *Phæcaſia* videntur iis fuiſſe udonibus affinia, quos Galli *Chauſſons*: Philoſophorum verò ſoccis illis, quos iidem *Eſcarpins* dicunt. Atque ita facilè Philoſophi *Phæcaſia* poterant crepidis ſuis inſerere; quomodo jam aliqui calceolos mulleis inſertos geſtare conſueverunt. Proin, quum apud Juvenalem legimus *Sat.* 3. *v.* 218.

Phæcaſianorum vetera ornamenta Deorum.

notemus cum Turnebo *Adverſar. l.* 10. *c. ult.* pro *phæcaſiatis* Deos vocari *phæcaſianos*; quo modo Tullius pro *miniato* Jovem *minianum* appellavit, *l.* 9. *Ep.* 16. & cogitemus ſignificari *Phæcaſiis* illis calceamenta, quæ Sacerdotum erant propria, ut Deorum iiſque ſacrificantium calceatus invicem reſpondeat. De aliis verò *Phæcaſiis* qualia Philoſophis aliiſque Græcanici cultus ſtudioſis uſurpata dictum, intelligi poſſunt illa Petronii *in Satyr.* quibus nebuloni, Legionarium ſe mentienti, alter acutè objicit: *Age verò in exercitu veſtro* Phæcaſiati *milites ambulant?* Ut hominem mendacii ab ipſius calceatu arguat, ex eo, quòd, more Romanô milites non *Phæcaſiis*, ſed caligis inſtructi incederent, &c. Vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 14. & hìc infrà.

PHÆCASIANI Dii, apud Athenienſes culti, nomen habuerunt à φαικασίας voce ſeu φαικάσια, i. e. *Phæcaſia*, genere calceamenti humili: quales calceos Athenienſes vulgò appellavêre, Κονίποδας, διὰ τὸ πελάζειν τῇ κόνει τῷ πόδι, i. e. *quòd pedes pulveri appropinquare facerent*, ut ait Clem. Alexandrin. *Pæd. l.* 2. *c.* 2. *p.* 152. Non enim ſolùm veſtitæ, ſed & calceatæ Deorum aliquando ſtatuæ fuêre. Quomodo & depingi ſolitæ ſunt, ut ex Juvenalis illo diſcimus, *Sat.* 3. *v.* 217. &c.

Hic aliquid præclarum Euphranoris & Polycleti,
Phæcaſianorum *vetera ornamenta Deorum.*

Franc. Roſſæus *Archæol. Attic. l.* 2. *c.* 6. Vide quoque paulò ſuprà in voce *Phæcaſia.*

PHÆDIMUS, unus filiorum Niobes, apud Apollodorum *l.* 3. & Hyginum *c.* 11.

PHÆDIMUS, unus ex Ducibus Macedonibus, qui Eumenem Antigono prodidêre.

PHÆDIMUS, curſor nobilis. Statius *l.* 6. *Theb. v.* 558.

Et bis Iſthmiacâ victor clamatus arenâ
Phædimus, alipedumque fugâ prægreſſus equorum
Ante Dymas. ——— ———

PHÆDIMUS, Byzantius fuit Elegiographus poëta.

PHÆDO, Philoſophus Arianus, qui, cùm in Concilio Nicæno contra Orthodoxos diſputaret, & quæreret de ſenſu verborum Moſis, ubi *hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum eſſe* docet, Oſius Epiſcopus Cordubenſis, communi Patrum nomine, ita reſpondit: *Illud ad imaginem ô Philoſophe non ad corporum conſtitutionem, ſed ad mentem relatum & expreſſum eſſe, docet ſermo veritatis. Audi ergo & intellige, Deus cùm ſit naturâ bonus, inſculpſit illud ad imaginem & ſimilitudinem, ut bonitatem, ſimplicitatem, puritatem, candorem, probitatem, felicitatem & his ſimilia; quæ Deus eſt per naturam, eadem per ipſius gratiam habere poſſet ab ipſo creatus homo, h. e. ipſius hominis mens. Et, ut pictores periti ſimilitudines imaginum in tabulis non ex uno ſemper colore, ſed ex variis perpetuò depingunt: Sic Deus homini etiam, quem creavit, in animæ intelligentis conditorio, h. e. in mente conceſſit, ut per Virtutes haberet illud, ut ad imaginem & ſimilitudinem fingeretur, cùm in homine abundè conſpiciatur imago per prædictas res divinas, quas Deus in illo repoſuit:* apud Gelaſium Cyzicenum, Act. Concilii Niceni, apud Joann. Ruellium *Hiſtor. Concil. Tom. II. Periodo* 2. *Pericopâ* 4. *Diatribâ* 43. *p.* 157. &c.

PHÆDON Athenienſis, in convivio à 30. Tyrannis necatus. Hujus filiæ virgines erant, quæ, ut virginitatem ſervarent, invicem ſe complexæ in puteum ſe præcipitavêre. Fuit alius hôc nomine Elidenſis, Socratis auditor, ingeniô liberali: qui, (ut quidam ſcripſerunt) ſervivit lenoni, perinde quaſi meritorius puer, quæſtuariumque mancipium. Eum Cebes Socraticus emiſſe dicitur, habuiſſeque in philoſophorum diſciplinis, atque is poſteà illuſtris philoſophus fuit, cujus nomine Plato librum *De immortalitate animæ* dedicavit. Auctor ſectæ Eliacæ, Pliſthenem Elidenſem, ſucceſſorem habuit. Vide Gell. *l.* 2. *c.* 18. Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 11. & Diog. Laërtium *in vitis Philoſoph.*

PHÆDRA, Minois Cretenſium Regis filia, uxor Theſei, quæ amore Hippolyti privigni capta, cùm ipſum adducere non potuiſſet, ut parentum thalamum conſpurcaret, apud patrem eum detulit, tanquam ſtuprum ſibi inferre voluiſſet. Cui delationi temerè fidem adhibens Theſeus, Neptunum invocavit, ut de filio ſupplicium ſumeret. Cujus precibus exauditis, Neptunus Hippolyto in maris litore currum agitanti phocas immiſit, quarum conſpectu territi equi, relictâ viâ, currum per ſaxa & avia traxerunt, Hippolytumque fruſtra retinentem, loriſque implicitum, varias in partes diſtraxerunt. Phædra autem ſuâ ſponte laqueô vitam finivit, *Plut.* Vide Diod. Sic. *l.* 5. & *Hippolytus.* Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 51.

Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phædræ.

Auſonius:

Suaſi quod potui, tu alios modò conſule. Dic quos?
Phædra & Eliſa tibi dent laqueum, aut gladium.

Nic. Lloydius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHÆDRIA, Arcadiæ vicus, apud Pauſan. *l.* 8. Rupes ſic dicta apud Delphos. *Phædriades* Petræ hæ ſunt, Diodoro *l.* 16.

PHÆDRUS, unus ex diſcipulis Platonis, cujus nomine Plato librum edidit, qui inſcribitur *Phædrus.*

PHÆDRUS, Poëta Latinus, libertus Auguſti, gente Thrax, Æſopi fabulas jambicô vertit carmine. Avienus *in Præfat. fabul.* Martialis *Epigr.* 20. *l.* 3. *v.* 5. Nicol. *Rigaltius, epiſt. ad Jac. Auguſt. Thuan.* Nitidiſſimè prodiit An. 1665. Amſtelodami, cum notis eruditis Johannis Laurentii JCti.

PHÆDYMA, Otanis nobilis Perſæ filia, Herodot. *l.* 4.

PHÆMONOE, vel potius *Phemonoë*, virgo prima Delphici Apollinis vates fuiſſe dicitur, carmenque Heroicum inveniſſe. Plin. *l.* 10. *c.* 3. & 8. Strab. *l.* 9. Lucan. *l.* 5. *v.* 126.

Phæmonoën errore vagam, curiſque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.

PHÆNARETE, Socratis mater, obſtetricis munere apud Athenienſes functa. Ejus meminit filius apud Platonem *in Theæteto p.* 149. *tom. I. edit. H. Stephani*, Ὡς ἐγώ εἰμι υἱὸς μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς Φαιναρέτης, *Sum filius obſtetricis valde generoſæ, ferocique præditæ animô, Phænaretes.* Quo de loco perperam reprehenſo ab Athenæo, dixit Voſſ. *in Inſtitut. Oratoriis l.* 2. *c.* 14. *ſect.* 18. Eſt autem Βλοσυρὸς epitheton leonis, apud Heſiodum *in Scuto Herculis v.* 175. & Pollucem *l.* 5. *c.* 2. & Βλοσυρότης propriè *torvitas* eſt: ſed cùm ſic vocari videmus, capiendum de illa oculorum ferocia, quæ in bene natis & idcirco alios præ ſe contemnentibus, relucet. Vide eundem Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 52.

PHÆNARETE, vide AMPHITHEUS.

PHÆNIANA, Rhetiæ urbs, *Ptolem.* Aliô nomine *Phæbiana caſtra.* Vide ibi. Hodiè *Bebenhuſium.* Vide etiam *Febiana*, & ſuprà *Phæbiana.*

PHÆNIAS, Philoſophus Peripateticus, diſcipulus Ariſtotelis. Scripſit Hiſtoriam Tyrannorum, &c. *Diog. Laërt. Athen. Plut. Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 9.

PHÆNINDA, aliis PHENINDA, ludi apud Romanos genus, viris valde accommodatum, ut docet Clem. Alexandrin. *l.* 3. *Pædag. c.* 10. ubi inter alia ait, Οἱδὲ καὶ σφαίρῃ τῇ μικρᾷ παιζόντων τὴν φενίνδα παιδιὰν ἐν ἡλίῳ μάλιστα, *Alii autem parvâ quoque pilâ ludunt eô ludô, quem dicunt* Pheninden, *maximè in Sole.* Unde Mercurialis *de Arte Gymnaſtica l.* 2. *c.* 4. *Tertia*, inquit, *adhuc major ſecundâ, in qua homines inter ſe diſtantes ludebant, & in qua, cùm ſtataria ac motoria pars eſſet, qui manebant, pilam emittebant cum vehementia & concinnitate. Inter has ſpecies adnumerari debere genus illud judico, quod penès Athenæum* (Deipnoſ. *l.* 1. *c.* 11. ἁρπαστὸν & φενίνδα *vocatur: Tum quia à Galeno in libello, de parva pila ludo, ſimul cum aliis, id quoque explicatum habetur: tum quia Clemens Alexandrinus* &c. Quod & à *Polluce* confirmatum, ubi etiam vocatur *Harpaſtum*, innuit; minimum pilæ genus atque ita dictum, quòd ludentium alter alteri eam eriperet. Hujus etenim inventorem extitiſſe Phænæſtium Pædotribam, ſcripſit Jubas Mauruſius; cujus itidem deſcriptionem Antiphanes in hunc modum attulit: Σφαῖραν λαβὼν τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε τὴν δὲ ἔφευγ' ἅμα, τὴν δ' ἐξέκρουσε, τὴν δὲ ἀνέστησε πάλιν κλαγκταῖσι φωναῖς; vocavitque ludum iſtum φενίνδα, ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων, *quia longiùs à luſoribus jaceretur*, qui eam ſibi ipſis ſic mutuò mandabant. Niſi ἐφετίνδα legatur, ut nonnullis placuit ex Euſtathio corrigendum. Vel id nomen nactum eſt hoc ludi genus, à *Phennido* primo inventore, aut ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, i. e. à *decipiendo* quoniam aliò ſimulantes in aliam partem mittunt, decipientes credulum, ſicut memoriæ prodidit *Pollux.* Voſſ. verò *Gymnaſticæ c.* 3. §. 65. *de hoc luſus genere*, inquit, *non multum audeo polliceri. Quanto enim Veteribus notius erat, tanto minus de eo ſibi dicendum putârunt. Hinc tenebræ nobis.* Scaliger hunc ludum maximè laborioſum fuiſſe, ait. Non enim ludebant inconcinnè, ut nunc: ſed numeroſè ac compoſitis intervallis. Cujuſmodi ſphæricam ſeu pilarem ſaltationem Ariſtonicus Cariſtius, Alexandri M. συσφαιριστὴρ, optimè luſiſſe legitur, vide eum *Poëtices l.* 1. *c.* 18. nec non infrà, in voce *Pila.*

PHÆNO, ſeu PHÆNON; *Fenon* Hieronym. *de Loc. Hebr.* caſtrum Iſraelitarum in deſerto, olim urbs, ubi homines ad metalla fodienda damnabantur, unde *Metallum Fenenſe*, inter Zoaram & Petram, in Edom, nunc vicus.

PHÆNODEMUS, qui condidit antiquas hiſtorias, laudatus à Schol. in *Ariſtoph. Crabr.*

PHÆNOMERIDES, mulierum Laconicarum epitheton ab Ibyco primitus excogitatum. *Plut.* Ἡ Λάκαινα Φαινομηρίς. Etiam Peleus ad Euripidem, *in Andromache*, de Spartanis mulieribus verba faciens:

——— Οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη.
Αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους,
Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις
Δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
Κοινὰς ἔχουσι. ——— ———

Hinc eſt, quòd Poëtæ eas *nudas* vocant. Ovid. *Epiſt.* 16. *Heroid. Paridis ad Helen. v.* 149.

More tuæ gentis nitidâ dum nuda paleſtrâ
Ludis & es nudis fœmina mixta viris.

Et Propertius *l.* 3. *El.* 13. *v.* 1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura paleſtræ,
Sed mage virginei tot bona gymnaſii;
Quòd non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.

Nic. Lloydius. Φαινομηρίδες, apud Plut. in *Numa*, quòd incedendo *femora* detegerent. Nempe φαινομηρίδες ipſæ veſtes, quales etiam nunc ſpectamus in picturis Nympharum, quibus brachia detecta, femora quoque apparent. Origo inde, quòd per initia caprinas pelles ad lumbos utrinque Veteres cinxerint, ab humeris nudatas coriô crurum anteriorum; quem amictum in Satyris item notant eruditi. Vide J. C. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 4.

PHÆSANA, oppid. erat Arcadiæ, ad Alpheum, Olympiæ finitimum, Pindar. *Olymp. Od.* 6.

PHÆSTUM, oppid. Cretæ in territorio Matii, nunc in ruinis à multis annis; *Feſto.* Item, oppid. Macedoniæ, Livio, *l.* 36. *c.* 13. in Eſtiotis.

PHÆSULÆ, *Ptolem.* Vide *Feſulæ*, urbs Hetruriæ Epiſcopalis exciſa; in colle, apud Florentiam, inde 2. mill. paſſ. ab Atlante condita, & de filii nomine dicta, ex primis Tuſcorum coloniis.

PHÆTELINUS, aliis *Facellinus*, fluv. Siciliæ, apud Pelorum promuntor. ubi templum erat Dianæ.

PHAETHON, Clymenes Nymphæ & Solis filius fuiſſe dicitur, qui cùm Epapho, Jovis filio, non cederet, ſeque Solis filium eſſe gloriaretur, hunc falsò gloriari inquit Epaphus, teſte Ovidiô, *Met. l.* 1. *v.* 748.

Huic Epaphus, magni genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Jovis: perque urbes juncta parenti
Templa tenet: fuit huic animis æqualis & annis
Sole ſatus Phaëthon, quem quondam magna loquentem,
Nec ſibi cedentem, Phœbôque parente ſuperbum,
Non tulit Inachides: Matrique, ait, omnia demens
Credis; & es tumidus genitoris imagine falſi.
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repreſſit,
Et tulit ad Clymenen Epaphi convitia matrem.

Quæ ſcripta ſunt etiam à Tzetze *Chil.* 4. *Hiſt.* 137. At Pauſan. *in Atticis*, Cephali ſatu natum eſſe ex Aurora Phaëthontem ſcribit: quod etiam teſtatur Heſiodus *in Theogonia*, *v.* 984.

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν,
Αἰθιόπων βασιλῆα καὶ Ἠμαθίωνα ἄνακτα.
Αὐτάρ τοι Κεφάλῳ φυτήσατο φαίδιμον υἱὸν
Ἴφθιμον Φαέθοντα, θεοῖς ἐπιείκελον ἄνδρα.

Fabulati ſunt igitur, Phaëthontem Epaphi contumeliis inflammatum, ut nobilitatem ſui generis univerſis hominibus patefaceret, ad Solem patrem ſuum contendiſſe, & precibus tandem impetrâſſe, ut is jure jurando polliceretur, quicquid Phaëthon popoſciſſet, ſe conceſſurum. Tum verò Phaëthon rogavit, ut currum, luciſque adminiſtrationem ſibi per unum diem concederet: id cùm graviter ferret Sol, neque tamen negare poſſet, quod jurando affirmaverat, multis rationibus conatur filio perſuadere, ne rem tam arduam aggrederetur, quæ multò majorem peritiam & animi conſtantiam requireret. Verùm cùm nihil neque monendo, neque deterrendo, neque rogando, ut à re tanta abſtineret, proficeret, invitus illi currum habenaſque equorum tradidiſſe dicitur, ut luculentiſſimè ſcripſit Ovid. *Mutationum l.* 2. & Lucian. *in Dialogis Deorum.* Cùm igitur acceptum currum, ob metum Scorpionis, retinere intra certam viam Phaëton ignorâſſet, effecit; ut modò terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris conflagraret, regioneſque vel ad cardines mundi inſuetum æſtum ſentirent; modoque tellus Æthiopum graviſſimis, & inſuetis frigoribus premeretur. Id cùm ſenſiſſet Jupiter, veritus ne genus animantium, penitus periret, fulmine cœleſti Phaëthontem de curru dejecit: qui ad ripas Eridani cecidit, ut ait Apollonius *l.* 4. *Argonaut.*

——— Ἐς δ' ἔβαλον μύχατον ῥόον Ἠριδανοῖο
Ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ,
Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο
Λίμνης ἐς προχοὰς πολυβενθέος, ἡ δ' ἔτι νῦν περ
Τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν.

Cicer. *l.* 3. *de Offic. c.* 25. *Phaëthonti filio Sol facturum ſe eſſe dixit, quicquid optâſſet. Optavit, ut in currum tolleretur; Sublatus eſt, atque is antequam conſiſtit, ictu fulminis deflagravit. Quantô melius fuerat, & hoc promiſſum patris non eſſe ſervatum.* Lucretius *l.* 5. *v.* 400. inquit, Solem poſt mortem filii collegiſſe equos, atque ſuetum curſum peregiſſe:

At pater omnipotens, irâ tum percitus acri,
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram: Solque cadenti
Obvius æterna ſuſcepit lampada mundi,
Disjectoſque redegit equos, junxitque trementes,
Inde ſuum per iter recreavit cuncta gubernans.

Fingitur autem Phaëthon, qui dicitur fuiſſe Liguriæ Princeps, Aſtrologiæ peritiſſimus, decidiſſe de curru paterno (inquit *Lucian.*) eò quòd inveſtigavit curſum Solis, præventuſque morte, artem reliquit imperfectam. Ejus verò tempore, nempe A. M. 2530. Euſeb. *in Chron.* de cœlo delapſæ ſunt flammæ, quibus (ut Author. *l. de Mundo* meminit) multæ regiones ad Occidentem exuſtæ ſunt. Hanc ob cauſam, fingitur orbis terrarum, eô currum agente, inflammatus. Fabula autem ad mores relata exprimit imaginem temerarii & ambitioſi Principis, qui gloriâ & regnandi cupiditate incenſus, cogitat ſublimia, & *concipit æthera mente*, uti loquitur Ovid. qui in hâc fabulâ pingendâ poëſeos omnia ornamenta ſingulari quôdam artificiô adhibet. Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 11. *v.* 25.

Terret ambuſtus Phaëton avaras
Spes. ——— ———

Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 1. *v.* 79.

Vitaret cœlum Phaëton, ſi viveret; & quos
Optârat ſtultè, tangere nollet equos.

Hinc *Phaëthontius.* Claudian

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Et Phaëthonteæ perpeſſus damna ruinæ
Eridanus. ——— ———

Martialis *l.* 4. *epigr.* 25. *v.* 1. 2.

Æmula Bajanis Altini litora villis,
Et Phaëthontei conſcia ſylva rogi.

Item *Phaëthontis.* Idem Martial. *ibid. epigr.* 32. *v.* 1.

Et latet, & lucet Phaëthontide condita gutta.

Et *Phaëthontias*, unde *Phaëtontiades* Virgilio, *Ecl.* 6. *v.* 62.

Tum Phaëtontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

I. e. ſorores Phaëthontis, quæ dum extinctum fratrem inſolabiliter lugerent, converſæ ſunt in alnos, vel ut alii volunt, in populos, quarum lachrymæ in Electrum erant converſæ. Dionyſ. *de ſitu Orbis.*

Τοῖς δ' ἐπὶ Πυῤῥηναῖον ὄρος, καὶ δώματα Κελτῶν,
Ἀγχόθι πηγάων καλλιῤῥόου Ἠριδανοῖο,
Οὗ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν ἐρημαίην ἀνὰ νύκτα
Ἡλιάδες κώκυσαν ὀδυρόμεναι Φαέθοντα.
Κεῖθι δὲ Κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι,
Δάκρυ ἀμέργονται χρυσαυγέος ἠλέκτροιο.

Ovidius *Met. l.* 2. *v.* 364.

Inde fluunt lachrymæ: ſtillataque Sole rigeſcunt
De ramis electra novis: quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Idem *Pont. l.* 1. *El.* 2. *v.* 33.

Vos quoque Felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora nova.

Val. Flacc. *l.* 5. *v.* 429.

Flebant populeæ juvenem Phaëthonta ſorores.

Lucanus *l.* 2. *v.* 410. *de Eridano:*

——— *Hunc fabula primum*
Populeâ fluvium ripas umbrâſſe coronâ:
Cumque diem pronum, tranſverſò limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus ruptis penitus tellure peruſtâ,
Hunc habuiſſe pares Phœbeis ignibus undas.

Papinius *Theb. ult. v.* 413.

Sic Hyperionium tepido Phaëthonta ſorores
Fumantem lavere Pado, vix dum ille ſepulchro
Conditus, & flentes ſtabant ad flumina ſylvæ.

Qu. Smyrnæus *l.* 5.

Ἤλεκτρον δ' ἐπὶ τοῖσι διειδέα, τόν ῥά τε φασὶν
Ἔμμεναι ἠελίοιο πανομφαίοιο θυγατρῶν
Δάκρυ. τὸ δὴ Φαέθοντος ὑπὲρ κταμένου χεύαντο,
Μυρόμεναι μεγάλοιο παρὰ ῥόον Ἠριδανοῖο.

Vide Diodor. Sic. prolixè hanc fabulam interpretantem, *l.* 4. *Nic. Lloydius.*

PHAETUSA, Heliadum una, Soror Phaëtontis: fratris interitum deflens, in populum verſa fingitur. Ovid, *Met. l.* 2. *fab.* 2.

PHÆUS, urbs Peloponneſi circa Argiam, Diodor. Sic. *l.* 15.

PHAGITA, à Patrono *Cornelius* denominatus, Sullæ libertus, ut tradit Sueton. *Cæſaris Vitâ, c.* 74. à quo ſe C. Julius Cæſar, cùm ab inquiſitoribus premeretur, duobus talentis redemit. Plut. *Craſſo.*

PHAGO, *onis*, mimus, quô Valer. Aurelianus mirè delectatus eſt. Fuit adeò guloſus, & vorax, ut adhibitus menſæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum unô die comederit, biberitque orcam vini. Flav. Vopiſc. *in Aurelian. c. ult.* Salmaſio non eſt nomen proprium, ſed idem ex Græco, quod *edax* Latinis. Plauti fabula erat *Phago*, Græci φάγον dixêre; Latini ex Græco *Phagonem.* Φάγος autem Græcis & *cibum* & *edonem* ſignificat. Unde in *Vita* Monach. Φάγος ἡμερινὸς, ἄρτος καὶ τύρος καὶ οἶνος. Sic apud Iſidorum, qui *phagonem* quoque pro cibo uſurpari vult, in *Gloſſis.* Sic iidem Græci τὸν πλάνον & *errorem* & *erronem* appellârunt &c. *Polyphagum* maluit dicere Sueton. *in Neron. c.* 37. de ſimili *phagone*, qualis in delitiis Aureliano fuiſſe narratur: *Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptii generis crudam carnem & quidquid daretur mandere aſſueto, concupiſſe vivos homines laniandos abſumendoſve objicere.* Φαγέσωροι Comicis veteribus tales dicti. Φαγόκυρις habetur apud Palladium in *Hiſtor. Lauſ.* quaſi dicas *Magiſtrum comedonem.* *Gemiæ* dicuntur *Lucillio* voce Græcâ; nam γέμος à γέμω, ut βλέπος à βλέπω & ſimilia multa, quæ linguam Atticam docti non ignorant. Inde Γεμίας, pro *comedone.* & qui celocem ſaburrat. Iidem quoque Κατωφαγάδας Græcis. *Gloſſarium* veter. *Cibicida*, καταφαγάς: ubi proin *cibicida* eſt homo guloſus & comedo, à cibo cædendo, non autem ſciſſor vel carptor ciborum, ut nonnulli *ad Martialem* accepêre. Hinc *ſaginam cædere* apud Plautum, *Moſtell. Actu.* 1. *ſc.* 1. *v.* 62. quod hactenus variis Eruditorum expoſitionibus fuit obnoxium, necdum in veram incidit, ita dictum eſt eâdem planè ſenſu. Nec omittendum & Μάκτας ac Μαρσίππους, h. e. *ſaccos*, hujuſmodi phagones quoque Græcis vocitari. Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* Ut de *phagonis* cujuſdam πολυποσίᾳ verbum addam, Maximinum, Jul. Capitolin. *c.* 4. *bibiſſe*, ait, *ſæpe in die vini Capitolinam amphoram* &c. Qui proin bibit unâ die octies & quadragies tantum, quantum unâ cœnâ Auguſtus, etiam cùm ſe liberaliùs invitabat. Nam iſte ſenos ſextantes ſive binos ſextarios non exceſſit, ut ſcribit Suetonius, & conſtat, ex Horatio, Vopiſco in *Tacit.* aliiſque, eum vini modum ſatisfeciſſe in cœnam hominibus, qui non vivebant ut biberent, ſed bibebant ut viverent &c.

PHAGRES, urbs Thraciæ ad Strymonem fluv. ſub monte Pangæa. Gentile *Phagreſius*, & *Phagreſeus.* Steph. ex Thucyd. *l.* 2. *Murus Pierius Herodoto.*

PHAGRORION, quæ & *Phagroriopolis.* Civis *Phagriopolites.* Alex: Polyhiſtor *in Ægyptiacis. Steph.* Cæterùm *Phagroriopolis*, ut videtur, à *phagris* piſcibus nomen habet. Sicut & *Phagroriopolitana* præfectura, & regio ſita in ſinu Arabico ad mare Rubrum. Strab. *l.* 17.

PHAGRUS, piſcis ab Evenitis divinis honoribus affectus eſt, teſte Clem. Alexandrinô *Admonit. ad gentes.* Quemadmodum ab Oxyrynchi in Ægypto incolis, oxyrynchum: ab aliis in eadem gente, cyprinum: ab Elephantinæ incolis, Μαιώτην: ab aliis, alia piſcium genera culta fuiſſe legimus. Voſſ. verò apud Clementem legi vult, pro *Evenitis*, *Syenitis*: cauſamque cultus addit ex Æliano, quia prævertant Nilum atque ita Ægyptios animi pendentes recreent: quia item abſtineant, à piſcium aliis. Vide illum *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 51. Piſcis autem hic, ut illud quoque addam, *ex eod. l. cit. c.* 25. ſat nutrit: de quo Hiceſius apud Athen. *l.* 7. ubi adjicit, eſſe dulcem & adſtringentem; Sed contrà eſt, quia alvum ciet. Diphilus apud eundem fluviatili præfert marinum: Concoctu eſſe difficilem, tradit Simeon Sethi; ut quidem eſt in tralatione Giraldi; illâ etiam, quam Dominicus Monthoſaurus Veronenſis emendavit, &c.

PHAHAT-MOAB, nomen viri Eſdr. *c.* 2. *v.* 6. Latinè *dux Moab*, vel *dux*, ſive *fovea ex patre.*

PHAI, nomen Adar, Regis ſeptimi in Edom. 1. Paral. *c.* 1. *v.* 50. quæ Gen. *c.* 36. *v.* 39. dicitur *Phau.* Latinè *ululans*, aut *gemens*, aut *apparens.*

PHAINIS, una τῶν Ἡρεσίδων, *Sacerdotum Junonis* Argivæ, memorata Joh. Marshamo *Canone Chron. Sec. IX.* ubi de *Danao.*

PHAINUS, ex Elide oriundus, Aſtronomus inſignis, primus Athenis Solſtitium obſervavit ex monte Lycabeto, in quo aſtra ſpeculari ſolebat. Metonis præceptor, qui cùm id ab eo accepiſſet, ἐννεαδεκαετηρίδα compoſuit & publicavit. Hinc Aratus eam *Phaino* adſcribit, qui reverâ ejus Auctor fuit Solſtitiique inventor. Vide & Theophraſtum *libello de ſignificationibus tempeſtatum.* Ejuſdem *Phaini* meminit Vitruvius *l.* 9. *c.* 7. *Quorum inventa ſequuti, ſiderum ortus & occaſus, tempeſtatumque ſignificatus, Eudoxus, Euctemon, Callippus, Meton, Phainus, Hipparchus, Aratus, cæterique ex Aſtrologia parapegmatum diſciplinis invenerunt & eas poſteris explicatas reliquerunt.* Ubi non ordine ætatis eos recenſet: Nam Meton Calippo prior, ut Metone Phainus, fuit. Ab hoc itaque *Phaino*, cujus memoriam diu intermortuam primus ab inferis excitavit Salmaſius, Meton, acceptâ rectâ Solſtitii obſervatione, non ſolùm Enneadecaëterida compoſuit, ſed etiam publicè in Comitio monumentum erexit, quô populus doceretur, quibus anni Lunaris diebus obſervanda eſſent Solſtitia, toto illo decem & novem annorum circuitu: quod Ἡλιοτρόπιον ab ea re dictum eſt. Vide ſuprà in *Heliotropium*, & plura hanc in rem, apud præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 737. *alibique paſſim.*

PHAINUS, nomen Grammatici, apud Scholiaſt. *in Ariſtoph.* ſæpius laudati.

PHALA, in Synodo Colon. A. C. 1280. *c.* 3. *Cappas tunicatas, tunicas*, phalas, *indumenta*, *tabbardos*, *calceos vel caligas non ferunt, niſi B. Benedicti vel B. Auguſtini regulæ congruentes:* veſtis genus eſt. Et etiamnum Belgæ *failles* appellant veſtimentum, quô caput & totum corpus vice pallii fœminæ operiunt. Kylianus, *Falie*, *palla*, *cyclas*, *veſtis muliebris ſpatioſa totum corpus circumdans.* In plurali *Phalæ* ſeu *Falæ*, turres ſunt rotundæ, in ovi ſpeciem Vitruvio; ſic dictæ à Circorum *Phalis*, quæ dividebant Euripum & Metas, conſtructis ad tempus turribus, ut ait Servius *ad Æn. l.* 9. Meminit *Phalarum Circi* quoque Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 589. quas δημιουργήματα ᾠοειδῆ vocat *Dio.* Sed & ita appellabant *turres ligneas*, ad oppugnanda oppida. Papias, *Phalas dicunt ligneas turres.* Vide quoque Guibertum *Hiſtor. Hieroſolym. l.* 7. *c.* 6. Abbonem *de Bellis Pariſiac. p.* 502. 505. 509. 513. 517. Oder. Vitalem *p.* 624. alioſque, laudatos Carolo du Freſne *Gloſſar.* nec non Salmaſ. *ad Solin.* & ſuprà.

PHALACHTHIA, Theſſaliæ urbs, *Ptol.*

PHALACRA, cacumen Idæ montis, ubi cæſa eſt materies, è qua fiebant naves Paridis (quæ ideo Φαλακραῖαι κόραι *Lycophroni* dicuntur) poſt id temporis nudata arboribus à calvitie nomen invenit.

PHALACREUS, vicus Lybiæ. Item Æoli fil. Homer. *Od.* 10.

PHALACRINA, vicus Sabinorum, patria Veſpaſiani & Titi Imperatorum, hodieque *Falacrino*, in ipſo limite Umbriæ, 3. milliar. à lacu Velino; ad radices montis, medius inter Reate ad Ortum, & Interamnam ad Occaſum, teſte *Guibiliô.*

PHALACRIUM, promontor Siciliæ, inter Pelorum & Mylen; *Capo Raſcocolmo*, vide *Falatrium.*

PHALACRON, promuntor. Corcyræ. *Steph.*

PHALÆCUS, fil. Onomarchi, à Patruo Phayllo, Phocenſium dux, in ſuum locum relictus, adjunctô ei Mnaſeâ, Olympiadis centeſimæ ſeptimæ annô primô. Infamatus dein ſacrilegiô cedere ducatu Phocenſium coactus eſt. Diodor. Sic. *l.* 16. *f.* 539. & 540.

PHALÆSIA, urbs Arcadiæ. Pauſan. *l.* 8.

PHALAGNI, oppid. Arabiæ Felicis *Phalbini* Interpretes.

PHALAJAH, nomen viri. Nehem. *c.* 8. *v.* 7. Latinè *miraculum*, ſive *occultum Domini.*

PHALANGÆ, vel *Palanga*, variante ſcripturâ, apud Plinium, *l.* 7. *c.* 56. fuſtes ſunt teretes, ut qui navibus ſupponuntur aut quibus unum onus plures bajulant. Pollux *l.* 7. *c.* 35. §. 9. Τὰ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑποβληθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες, Φάλαγγες καὶ Φαλάγγια. Heſy-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Heſychius, Φαλάγγια ϛρογγύλα ξύλα, ϗ σύμμετρα. *Nonius*, *Palangæ dicuntur fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur, cùm attrahuntur ad pelagus, vel cùm ad litrora ſubducuntur.* Origo vocis fortè Hebraica. Nam פלך *pelec* vel *phelec*, eſt *baculus*, 2. Samuel. *c.* 3. *v.* 29. & Arab. *phalaca*, rotundum eſſe. Itaque Φάλαγγες dici potuêre baculi teretes ebenini, qui ex India & Æthiopia magnô numerô afferebantur quoſque Tyri Mercatores *pelakin* aut *phelakin* appellabant: Φάλαγγας certè appellant Herodotus & Arrianus in *Periplo*. Callixenus apud Athenæum *l.* 5. nominat ἐβένυ κορμὺς, *ebeni ſtipites*: Appulejus *Apolog.* 1. *hebeni baculos.* Vide Bochartum *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 20. Inde *Phalangarii*, οἱ ταῖς δοκοῖς ἀποκρεμῶντες βάρη ϗ πλέιονες ἅμα βαϛάζοντες, *Gloſſ.* & Nonius, *Phalangarios dicimus, qui aliquod onus fuſtibus tranſvehunt.* Salmaſius *ad Lamprid. Commod. c.* 13. Vide quoque ſuprà *Ebenus*, item *Palanga*.

PHALANGES, populi Æthiopiæ, in ora Orientali ad Sinum Barbaricum. Plin. *l.* 6. *c.* 30. Ubi *Phalangis* mons, *Ptol.*

PHALANGITES, ſeu PHALANGIAS, præcipuæ auctoritatis, inter pedites Alex. M. Diodor. Sic. *l.* 18.

PHALANGIUS, fil. Carcini, de quo Scholiaſt. in *Crabron.*

PHALANNA, urbs Perrhæbiæ à *Phalanne* Tyri filiâ. *Hecatæus Hippiam* vocat. *Ephorus Phalannon.* Alia eſt Cretæ, quæ *Phalannæa* dicitur, teſte *Stephanô*.

PHALANTHUS, Lacedæmonius quidam, Tarenti in Italia conditor. Nam cùm in eo bello, quod Lacedæmonii cum Athenienſibus an Meſſeniis? Ariſtodemô Rege geſſerunt, utrinque vires attritæ eſſent, Spartani juventute exhauſti edixerunt, ut virgines quibuſlibet nullô diſcrimine ſui copiam facerent. Sedatis autem bellis, juvenes incertis parentibus nati, cùm & patriæ & ſibi eſſent opprobrio (nam *Partheniatæ* dicebantur) acceptô duce Phalanthô, qui auctor conſilii fuiſſe dicitur, octavô ab Hercule; patriam reliquerunt, delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Tharos Neptuni fil. condiderat, id auxerunt, & priſcô nomine Tarentum appellârunt; Olymp. 19. Pauſan. *in Meſſeniacis* Juſtin. *l.* 3. *c.* 4. Euſeb. *in Chron.* Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 6. *v.* 10.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ubi vetus Commentator: *Phalanthus Lacedæmonius fuit, ejectus patriâ hâc de causâ, quòd abſentibus Lacedæmoniis, eorum filiæ ex ſervis gravidæ pepererant: quos filios tali culpâ genitos, reverſi à bello Lacedæmones, patriâ ejecerunt: quorum dux Phalanthus fuit, qui Tarentinam condidit civitatem; ut fertur, octavus ab Hercule.* Unde Silius *l.* 11. *v.* 16.

Inde Phalantheo levitas animoſa Tarento
Auſonium laxare jugum. ———

Martialis *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 3.

Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quà ſaturat Calabris culta Galeſus aquis.

Et *l.* 5. *epigr.* 39. *v.* 2

Agnâ Galeſi mollior Phalanthini.

Nic. Lloydius.

PHALANTHUS, urbs & mons Arcadiæ; Pauſan. *l.* 8.

PHALANX, Arachnes frater, Atticæ regionis incola, ubi adoleviſſet, artem militarem à Pallade didiciſſe fertur, cùm Arachne ſoror omnia illa diligenter didiciſſet, quæ ſpectant ad telæ conficiendæ & ad ſuendi artificium. At cùm Phalanx rem habuiſſet cum ſorore, fama eſt, ita facti turpitudine commotam eſſe Deam, tamque graviter facinus tuliſſe, ut ambos in ſerpentes viperas verterit. Arachne gravida ex fratre, juſſa eſt à Pallade, non ſine maximo vitæ diſcrimine, parere; quare à filiis corroſa fuit: quod etiam cæteris ejuſdem generis dicitur poſtmodum accidiſſe. Natal. Com. *l.* 6. *c.* 21.

PHALANX, Linguâ Macedonicâ *Legio*. Aliis cuneus fuit militum, quando ſcil. pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie conſerebantur; teſtudo vel armorum connexio, octo hominum millia continebat: agmen confertum, quod Græci Συνασπισμὸν vocant. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl. ex Etymol.* Polyb. *l.* 5. circa 25000. & ad minimum 20000. peditum continuiſſe ſcribit: Sed numerus ſæpe variavit. De illa ſic Curtius *l.* 3. *c.* 2. *Macedonum acies torva ſanè & inculta, clypeis haſtiſque immobiles cuneos, & conſerta robora virorum teget: Ipſi* Phalangem *vocant, peditum ſtabile agmen; Vir viro, armis arma conſerta ſunt: ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicêre. Quod imperatur, omnes exaudiunt*, &c. Ubi ad verba, *immobiles cuneos*, notat Freinshemius, ſic fuiſſe, cùm ſcil. denſarentur, ita ut non poſſet vir in acie ſe convertere, niſi tota acies & *Phalanx* ſimul moveretur, unde *conſerta robora* Auctorem addere: Senſum itaque verborum hunc vult eſſe: *Macedonum acies, quam* Phalanga *nominant, torva & formidabilis, teget clypeis & haſtis robuſtiſſimos viros in phalange confertim firmiterque conſtantes, quia locô & gradu moveri non poſſunt.* Omnium optimè ſtantis in campo ordo & facies cognoſci poterit ex Appiani *Syriacis*, ubi de Antiochi contra Cn. Domitium phalange, *Robur*, inquit, *erat Phalanx XVI. M. Macedonum ornata ex inſtituto Regum priſcorum Alexandri Philippique. Hæc media acies fuit in decem partes diviſa, earum ſingulæ in fronte quinquagenos armatos habebant: à fronte introrſus in duos & triginta ordines patebant acies (in ſingularum partium lateribus duo & viginti)* Phalanx *muri ſpeciem præ ſe ferebat, elephantis inter partes eminentibus, tanquam turribus.* Milites *phalangitæ* ſariſſas habebant, ſicut *Armigeri* & *Corporis Cuſtodes* lanceas, At robur *Phalangis*, adeoque Exercitus univerſi, in utroque erat cornu, dextero ac ſiniſtro, quæ ambo è lectiſſimo conſtabant milite, robore & proceritate corporis eminente, qui *Argyraſpides* dicti, ut vidimus, ideo μεγίϛων ἀνδρῶν *Polyæno* appellantur. &c. Sic apud Lacedæmonios *Mora*, de quâ vide Corn. Nepotem, *l.* 11. *c.* 2. apud Helvetios *Erinaceus*, celebres fuêre: quorum utrumque ordinem certum militum fortiſſimorum deſignavit, illud quidem à Græco μοῖρα, hoc ab erinacei animalis figurâ ac ſimilitudine appellatum. Vide de poſteriore Joſ. Simlerum *deſcript. Helvetiæ*.

PHALARA, civitas à *Phalaro* amne Ithomiæ Minervæ proximo. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Item urbs Theſſaliæ prope Lamiam. *Steph.*

PHALARIS, crudeliſſimus Agrigentinorum tyrannus, qui præter cætera novorum ſuppliciorum inſtrumenta, taurum æneum habuit; Perilli cujuſdam arte fabricatum, in quem immiſſi damnati, igne ſubjectô; bovis mugitum edebant: cujus muneris nomine cùm artifex non leve munus ſperaret, juſſu tyranni in Taurum conjectus primus artis ſpecimen præbuit. Ipſe quoque Phalaris, cùm nimia ejus atrocitas ulterius ferri non poſſet, factô in eum univerſorum civium impetu, correptus ei ipſi tauro, quô alios exuſſerat, incluſus, vivus crematus eſt. Potitus eſt autem Phalaris tyrannide, an. 2. Olymp. 52. ſecundùm alios 30. eaque duravit ann. 16. Superſunt adhuc literæ Abaridis ad hunc, cum reſponſione tyranni: niſi fortè à Luciano hæ ſuppoſitæ, ut Lil. Giraldus *Dial.* 3. *Poët.* retur. Vide quoque Euſeb. *in Chron.* Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 81.

——— *Phalaris licet imperet, ut ſis*
Falſus, & admotô dictet perjuria taurô.

Inde Φαλαρισμὸς pro tyrannide, apud Cicer. *l.* 7. *ad Attic. ep.* 12. *Nic. Lloydius.*

PHALARIS, Tuſciæ urbs *Catoni*, *Phalerium Straboni & Halicarnaſſeo.* Hodie *Falare* vocari ſcribit *Leander*.

PHALARUS, fluv. Bœotiæ, in Cephiſidem lacum influens. Pauſan. *l.* 9.

PHALASARNA, urbs Cretæ. *Steph. Contarini Pineto.*

PHALASIA, promont. Eubææ, inter Oræum Urbem & Dionem promontor. *Ptol.* Φαλασσία *MS. Seldeni.*

PHALCES, priſcus Dux, auxilio veniens Perſæ, contra Aëeten, Colchorum Rex Val. Flac. *l.* 6. *v.* 88. occiſus eſt, ab Argo, Phryxi filio, in conflictu, *v.* 555.

PHALCIDON, Theſſaliæ urbs; de quâ vide Polyænum *l.* 4. *c.* 2. *in Philippo*, *Com.* 18.

PHALEAS, Philoſophus, & legum lator, patriâ Chalcidonenſis, qui omnium bonorum æquationem induxit. Ariſtotel. *l.* 11. *Politic. c.* 7.

PHALEG, vel PELEG, fil. Heber, natus A. M. 1788. cùm pater 35. ageret, cùm eſſet annorum 31. genuit Reu, A. M. 1819. antè Chriſtum 2143. vixitque poſteà 239. annos. Phaleg autem *diviſionem* Hebræi vocant. Dictus igitur Phaleg, quoniam ſecundùm diviſionem habitationum natus eſt, quando in linguas terra diviſa eſt. Hujus temporibus; initium ac originem cœpiſſe regnum Scytharum narratur, ſub rege; nomine *Tanai*. De hoc Phaleg Gen. *c.* 10. *v.* 25. Luc. *c.* 3. *v.* 35. Idem nomen eſt libri inſignis *Samuelis Bocharti*, Sacræ Philologiæ in Gallia illuſtriſſimi ſideris, haud pridem extincti.

PHALEHA, nomen viri. Nehem. *c.* 10. *v.* 24. Latinè *ſciſſura*, vel Syriacè *obſequium*.

PHALEL, nomen viri. Nehem. *c.* 3. *v.* 25. Latinè *cogitans*, *orans*, vel *judicans*.

PHALENUS, Zacynthius, legatorum Artaxerxis, ad victum Cyri Junioris Exercitum, princeps, qui eos arma tradere & ſupplices ante prætorium Regis clementiam experiri juberet.

PHALERÆ, equorum ornamenta, in fronte, *Suidæ*: in maxillis, *Herodoto*: in pectore, *Servio* & *Plinio*. Ἀσπιδίσκους τὴν κόσμησιν τὴν κατὰ μετώπων τῶν ἵππων, *Etymologus* vertit. Conſtantinus exponit, *Scutellam parvam ſplendidam, in pectoribus equorum.* Sed & idem φάλος, *apex* & *conus galeæ*, *ubi* λόφος, *i. e. criſta ligatur*: unde *Phaleræ* videntur dictæ, ornamenta Equitum galeis imponi ſolita, plumarum præcipuè volitantium; de quibus paulò *infrà*. *Herodotus*, ut dictum, circa maxillas, equorum ornamenta ſic vocat. Et *Suidas* quidem, ἀσπιδίσκους dicens, formam ornamenti indigitavit, ſcutum imitantem, ut à naribus ad frontem inter oculos ducta illuſtris lamina dilataretur in fronte, attenuata in imo, ſimilitudine veterum ſcutorum, quæ Virgilius propterea *longa Æn. l.* 8. nominavit. Eas quidam cum Monilibus confundunt, auctoritate Virgilii *Æn. l.* 7. *v.* 278.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

Sed Monile propriè ornamentum muliebre eſt ex gemmis, è collo pendulum, teſte Iſidorô *l.* 19. *c.* 31. unde περιτραχήλιος κόσμος Græcis dicitur. Vide Virgilium *Æn. l.* 7. A frontalibus equorum quoque Plinius diſtinguit, cùm *l.* 37. *c.* 12. de gemma quadam facta ſcribit, *Quondam tantæ magnitudinis fecêre, ut equis Regum in Oriente frontalia, atque pro phaleris penſilia facerent.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 26. Ab equis tranſiêre ad homines, ſicque dicta ſunt, ut innuimus ſuprà, ornamenta Equitum galeis impoſita, plumarum inprimis volitantium; de qualibus Livius agit, Nobiles illas, ob Libertinorum filios ad annuli aurei dignitatem evectos, abjeciſſe monens, *l.* 9. *c. ult.* ubi inter alia ait: *Tantum Flavii Comitia indignationis habuêre, ut plerique Nobilium annulos aureos ac* Phaleras *deponerent.* Vide quoque Plinium *l.* 33. *c.* 1. Unde colligit Licetus, *Phaleras* non tam equorum ornamenta fuiſſe; quàm Equitum, & hominum, in culmine galearum eminentia. Hinc inter munera militaria *Phaleras*, quibus admodum milites gloriabantur, fuiſſe legimus: *Inſcr.* antiqua, *Donis. donato. ab. divo. Trajano. Aug. torquibus. armillis. phaleris. bello. Parthico.* Vide Lipſium *de Milit. Rom. l.* 5. *c.* 17. Earundem in nummis mentio; & legimus apud A. Gellium *l.* 2. *c.* 11. Siccium Dentatum, *Achillem Romanum* cognomina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

minatum, inter alia dona militaria *Phaleris donatum eſſe quinquies vicieſque.* Inprimis Curſores *Phalerati* fuêre. Sueton. *in Nerone c.* 30. *Nunquam carrucis minùs mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque Curſorum.* Vide Laur. Pignorium, & ſuprà in voce *Mazyes.* Datam autem fuiſſe iſtam *Phaleram*, non ad ornatum modò, ſed quòd plumata foret, ad eorum celeritatem indicandam; quô nomine Mercurio, Deorum nuntio velociſſimo, Gentilitas alas ad pileum adpoſuit, docet præfatus Licetus, idque inde oſtendit, quòd Curſorum maximè tabellariorum velocitatem equorum ornamentô propriô inſignivérit Antiquitas; cùm equus, ad curſum à natura inſtitutus, celeritatis hieroglyphicum ſit, ut videre eſt apud Valerian. *Hieroglyph. l.* 4. Vide hac de re prolixè diſſerentem Fortun. Licetum *de Lucernis antiqq. l. 6. c.* 82. *ubi Lucernam ſervi phalerati Curſoris eruditè exponit.* Militares *phaleras* de ipſorummet equorum ornamentis exponit, eaſque vernaculô ſibi ſermone vocat, *Horſetrappings*, Thom. Godwyn. *Anthologiæ Romanæ l* 4. *c. ult.* auctoritate uſus Caroli Sigonii *de Jure Rom. c.* 15. Vide quoque ſuprà *Monile.*

PHALEREUS, Demetrius, Philoſophus, dictus à *Phalero* portu, ſive à *Phalaria* provincia, Phanoſtrati fil. Theophraſti auditor; Athenis præfectus à Caſſandro Macedonum principe, cùm eſſet civis: qui (ut author eſt *Strabo*) non modò popularem non deſtruxit potentiam, ſed etiam meliùs reformavit. Verùm tandem invidia valuit, ut poſt Caſſandri obitum, in Ægyptum fugere coactus ſit, & ejus inimici ſtatuas plures trecentis conflavêre. Hìc poſteà morſu aſpidis periit, cùm multa apud Ptolemæum in calamitoſo otio ſcripſiſſet. Vide & *Demetrius.*

PHALEREUS, quidam, deploratus à medicis vomicæ morbô, cùm mortem in acie quæreret, vulneratô pectore medicinam invenit ex hoſte. Plin. *l.* 7. *c.* 50.

PHALERIUM, vide PHALARIS, & FALERIA.

PHALERON, vicus & navale Atticæ, vide *Phalerus.* Neapolis etiam urbs in Opicis, in quam Parthenope Siren ejecta eſt, ſic vocabatur. Alia eſt Theſſaliæ juxta Oetam, quam *Rhianus Phalaron & Phaleron* vocat. *Steph.* à Romanis deleta, Livio, *l.* 27. *c.* 30. *l.* 35. *c.* 43. *l.* 36. *c.* 29.

PHALERUS, Alconem Patrem habuit ſagittandi, ut ferè omnes Cretenſes, peritiâ celebrem: Qui cùm *Phalerum* infantem adhuc Draco ſpiris implicuiſſet, eâ arte arcum intendit, ut Draconem confixerit, puerô illæsô. *Phalero* poſteà Athenienſes, ut Iaſonis comiti, aram erexerunt.

PHALERUS, portus Athenarum, nunc *porto Leone*, eſtque Urbi conjunctus. *Ortelio* tamen Pyræus portus ſic dicitur, à Leone marmoreo, qui ad littus jacet.

PHALET, fil. Jahaddai. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 27. Item fil. Azmoth, 1. Paral. *c.* 12. *v.* 3. Latinè *liberatio*, ſive *expulſio.*

PHALETH, fil. Jonathan. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 33. Latinè *ruina*, ſive *judicatio.*

PHALGA, vicus medius inter Seleuciam Pieriæ, & Seleuciam Meſopotamiæ. *Steph.*

PHALISCI, qui *Pomiferi* & *Junonicolæ* Ovidio, *l.* 6. *Faſtor. v.* 49. dicti, vide *Faliſci.*

PHALIUS Corinthius, ab Hercule oriundus, Eratoclidæ fil. qui Corcyrenſes colonos habitatum Epidamnum deduxit. Thucyd. *l.* 1. Vide ſuprà *Epidamnum*; it. *Corcyra.*

PHALLICA, apud Athenienſes Bacchi ſacra dicebantur, à Pegaſo Eleutherienſi inſtituta. Quum enim Pegaſus Bacchi imagines ex Eleutheris, civitate Bœotiæ in Atticam regionem portaret, irriſus eſt ab Athenienſibus. Quod Bacchus ægrè ferens, pudenda hominum morbô graviſſimô infeſtavit. Sciſcitantibus autem iis, quô pactô liberari poſſent, reſponſum datum eſt, unicum remedium eſſe; Si cum honore & pompa Bacchum exciperent: quod factum fuit. Ex ea re tum privatim, tum publicè lignea virilia thyrſis alligantes per eam ſolennitatem geſtabant. Vide *Dionyſia*, & hìc infrà.

PHALLOPHORI, Græcè Φαλλοφόροι, Sicyoniis Mimi dicti ſunt, ab imitatione pompæ, quæ Priapo fiebat: Φαλλὸς enim *palum* ſignificat, unde Latin. *phalanges* ligna teretia, quæ ſubducendis navibus deducendiſque ſubdebantur. Oſiridis quoque pompæ iiſdem ſimiles. Erant autem hi Mimi fuligine obliti & agninis pellibus amicti, ibantque cum caniſtris & herbis, ſerpyllo, acantho, violis, hedera, corollis, ſaltabantque in numerum, atque in honorem Bacchi, cujus more victores hederâ coronabantur, ita concinebant,

Τοὶ Βάκχε τάνδε μῶσαν ἀγλαΐζομεν κτλ.

Inde procurrentes obvium quemque ſubſannabant. Eundo namque canebant, cùm Ithyphalli ſtantes pronuntiarent, ebriorum perſonâ & coronati. Qua de re vide plura apud Scaligerum *Poëtic. l.* 1. *c.* 10. & hìc infra.

PHALLU, fil. Ruben, Gen. *c.* 46. *v.* 19. Latinè. *Mirabilis*, aut *occultus.*

PHALLUS, *Heſychio* τὸ ξύλινον αἰδοῖον ἀνδρικὸν, *ligneum virile:* in Oſiridis ac Bacchi ſacris ſolemni pompâ geſtari ſolitum, ut dictum in voce *Phallica:* & paulò hìc infra. Imò unus ex quatuor Laſciviæ Diis, quos, præter Venerem, recenſet Licetus, Priapum, *Phallum*, Bacchum atque Mercurium, à quorum ſacris pueros mulíereſque ſeriò arcet Ariſtoteles *in Politic. l.* 7. *c.* 17. Et quidem de *Phallo* Cœl: Rhodig. *l.* 7. *c.* 16. ex Luciano: *Phallos*, ait, *Græci Dionyſio erigunt, in quibus & tale quiddam portant, viros putà exiguos è ligno effigiatos, magna virilia habentes. Vocantur autem* Neuroſpaſta *hæc. Eſt igitur & hoc in Templo illo: Nam ad dextram ædis partem ſedet exiguus vir ex ære factus, inſigniter peculiatus.* Eorundem Arnob. meminit *contra Gentes l.* 5. *Nec non & Cypriæ Veneris abſtruſa illa initia prætérimus, quorum conditor indicatur Cinaras Rex fuiſſe: in quibus ſumentes ea, certas ſtipes inferunt, ut meretrici, & referunt* Phallos, *propitii Numinis ſigna, donatos.* Priapi hoc epitheton facit Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 2. *c.* 5. *Græcis & Latinis Phallus ac Ithyphallus dicitur Priapus. Et de Phallo in hoc ſenſu habemus hiſtoriam inſignem, apud Herodotum in Euterpe; ubi, cum cœteris Bacchi ſacris è Phœnicia, i. e. è Syria noſtra illos petit.* Ponit autem Herodotus, à Melampo Phœniciæ *Phallum* miſſum eſſe ad Bacchum, ac edocuiſſe modum faciendi ſacra; ut proinde ſimiliter Baccho ac Priapo facerent. Ob quas cauſas Gyraldo *Syntagm.* 8. pro eodem haberi videntur Bacchus, *Phallus*, Priapus: Seldeni tamen ſententiæ accedit Licetus. Hæc uti non uſque adeò ſunt certa, ſic certum contrà; apud Græcos in Liberalibus ſeu Dionyſiis, *Phallum* de pertica pendulum geſtatum fuiſſe, quem qui ferret φαλλοφόρος vocatus: ſicut pompa ipſa φαλλαγωγία ſeu περιφαλλία, & chori canticum, φαλλικὸν ἆσμα. Denotabat autem, ut Plutarchus docet, *Phallus* ille τὸ γόνιμον καὶ τὸ σπερματικὸν, *genitalem ac ſeminalem vim*; quæ vis cùm a Sole partim, partim ab humore, ut idem ait, hinc duplicem Bacchum, unum cœleſtem, i. e. Solem: alterum ſubcœleſtem, i. e. humorem, in quo genere principatum tenet vitigenus liquor, fabulati ſunt Veteres. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de origine ac progr. Idolol. l.* 2. *c.* 14. Et quia Liber hic Græcorum Oſiris fuit Ægyptiorum, ut idem Plut. *l. de Iſid. & Oſir.* teſtatur, hinc non ſolùm Anticlides Iſidem Liberi fecit uxorem, & hederam Ægyptii vocaverunt *chenoſirin*, h. e. *plantam Oſiridos*, ſed & *Phallus* in Oſiridis ſacris, apud Ægyptios, non minùs, quàm in Bacchi ſacris apud Græcos geſtatus eſt. Nimirum utriſque in ſacris ſignum hic generationis erat, eôque ſignificabatur, ab ſemine Dei, h. e. ab humida natura (Nilum autem Oſiridis Bacchique nominibus indigitatum eſſe notum) omnium rerum eſſe originem. Vide prætatum Voſſ. *l. eôd. c.* 74. & Fortun. Licetum *de reconditis Antiquorum lucernis l.* 16. *c.* 61. *ubi lucernam iſtiuſmodi notâ deformem, in honorem vel Bacchi vel Iſidis arſiſſe, conjicit.* Herodot. certè *l.* 2. *c.* 48. & 49. *Quin & alium diem*, inquit, *Bacchofeſtum agunt Ægyptii, ſine porcis, ferè per omnia Græco ſimilem. Sed loco* Phallorum *ſunt ab ipſis excogitatæ ſtatuæ cubitales: è nervo compactæ quas fœminæ circumferunt per pagos* &c. Vide modò memoratum Licetum iterum, *l. eôd. c.* 2. *ubi Lucernam Jovis commentariô illuſtrat.* A. Gellius *l.* 2. *c.* 19. unius ex Nævii Comœdiis meminit, cui *Triphallus* titulus eſt: Baptiſta tamen Pius *Ithyphallus* legit, atque ita quoque MS. regium. Ita & *Triphallus* περὶ ἀῤῥενότητος inſcripta fuit Menippea Varronis, ſimilemque Comœdiam condidit Theocles, Poëta Græcus, teſte Athenæô, *l.* 11. apud Ant. Thyſium *Notis in Gellium*, qui & addit, fuiſſe & feſtum φαλλαγωγίας, in quo cuncti *Phallos* adoraverint & exoſculati ſint: de quo vide etiam Theodoretum *Orat.* 1. *de fide contra Græcos*, ut & infrà aliquid voce *Triphallus.*

PHALMANT, in Arabum ſcriptis, fera in regione *Diſt*, quæ Tartariæ portio eſt, monſtrum maris horrendum, informe, ingens, longum 40. cubitos, ungue & dente minax, coriô impenetrabili, cujus inſidias vix aliter effugere incolas dicunt, quàm conſcenſâ arbore valde procerâ, imò nec ſemper hâc ratione evadere. Addunt enim, accedens ad arborem monſtrum, urinam in altum, quantum poteſt, ejaculari & hominem ſi aſſequatur, exurere velut admotâ face: Aut ſi res non ſucceſſerit, inclinatô capite ad arboris radices, contentâ voce rugire tamdiu, donec grumis ſanguinis ex ore erumpentibus medium crepet. Sed Arabicam hanc eſſe fabellam, docet Bochart. *Hierozoic. Parte poſter. l.* 6. *c.* 13. ubi de pluribus ejuſmodi Arabum feris eruditè diſſerit.

PHALORA, urbs Theſſaliæ, inde *Phalorenſis*, & *Phalorites.* Rhianus *Phaloriam* vocat. *Steph.*

PHALORIAS, urbs Locridis. Civis *Phaloriens. Steph.*

PHALSEBURGUM, ſeu *burgus Palatinus*, urbec. Ducis Lotharingiæ, aliàs munita, in confinio Alſatiæ, ad radices Vogeſi montis, cum titulo Principatus ſub Gallis, ab aliquot annis. 7. leuc. Lotharingicis ab Argentina in Circium, Divodurum verſus, 16. à Nancejo in Ortum.

PHALTI, fil. Radhu, Numer. *c.* 13. *v.* 10. fil. Lais, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 44. Eſt & nomen urbis 2. Sam. *c.* 23. *v.* 26. Latinè *liberatio*, ſive *expulſio.*

PHALTIAS, fil. Ananiæ. 1. Paral. *c.* 3 *v.* 21. Latinè *liberatio*, aut *expulſio Domini.*

PHALTIEL, idem. Fil. Ozan, Numer. *c.* 34. *v.* 36. Princeps tribus Iſſachar, fil. Lais, 2. Sam. *c.* 3. *v.* 15.

PHAMIZON, vicus Amaſeæ, Auſtralior Amiſo, incolæ *Phamizonitæ*, regio *Phamizontis*, quæ & *Neapolis. Steph.*

PHAMIZONIUM, oppid. Cappadociæ ad Irin fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 3.

PHANÆ, promont. Chii, ſic dictum quòd Latona illic apparuerit. *Steph.* Vide Scholiaſt. *in Ariſtoph. Aves. Phanæa* dicitur *Ptolemæo*, *Phaneus mons Vibio. Capo Maſticho Sophiano*, & *Bellonio*, *Panale* verò Favolio, *in ſuo Hodœporico Byzantino.* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 98.

Tmolus & aſſurgit quibus & Rex ipſe Phaneus.

Ubi ſis vide Lud. de la Cerda. *Nic. Lloyd.*

PHANAGORIA, vulgò *Matriga Theveto*, *Mapotrinica*, *Moletio*, urbs olim epiſcopalis Sarmatiæ Aſianæ ad Boſphorum contra Theodoſiam urbem Tauricæ. *Phanagore* Dionyſ. *v.* 552.

Ἠδ' ἐπὶ Φαναγόρη τε καὶ ἔυκτιος Ἑρμώνασσα. Ad Corocondamum lacum, propè Boſporum Cimmerium, vix 6. mill. paſſ. à Corocondama Urbe in Boream, ubi alias Boſphorani populi & nunc Circaſſii. Quid nunc ſit, non conſtat. Corocondama enim eſt *Taman*, & Panticapæum *Pantico*, à quo 15. mill. paſſ. in ortum diſtat, uti 70. à Theodoſia in Cæciam *Baudrand. Nic. Lloyd.*

PHANANITÆ, vide *Arabia ſuperior*, ſeu *Petræa.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHANARÆA, urbs Cappadociæ circa Thermodoontis fluv. fontem. *Strabo*, Plin. *l.* 6. *c.* 3. Non extat.

PHANARENA, urbs Cappadociæ circa Thermodoontis fluv. fontem. *Strabo*, *Plin.* Non extat.

PHANATICI, vide *Fanatici*, it. *Præciſi.*

PHANDANA, urbs Armeniæ majoris *Ptol. Phandalia* Interpretes.

PHANDORÆ, vel PANDORÆ Plin. *l.* 7. *c.* 2. populi Indiæ, in convallibus degentes, candidô in juventute, nigrô in ſenecta capillô.

PHANEAS, nobilis Carthaginenſis, qui bellô Punicô tertiô ad Romanos defecit. Liv. *Epit. l.* 50.

PHANESII, populi in inſulis Oceani Septentrionalibus, qui teſte Solinô *c.* 32. habent aures adeo effuſas, ut totum corpus illis contegant.

PHANETA, Græci apparentem dicunt Deum, quoniam, cùm adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuit. Sol etiam ſic dicitur.

PHANÆUS, vir Halicarnaſſeus, qui cùm diu in amicitia & ſocietate Amaſis, regis Ægypti fuiſſet, tandem accuſatus ex Ægypto ad Perſas transfugit, & Cambyſæ trajicere volenti in Ægyptum adhæſit, ejuſque conſiliô Cambyſes uſus eſt: & cùm viam non ſatis commodam ad trajiciendum comperiret, hic eum docuit per Arabiam iter facere. Herod. *l.* 1.

PHANEUS, mons in Chio inſul. ferax optimi vini. Vide *Phanæ.*

PHANIA, vir quidam fuit, qui, quia falſam de ſe præbuit opinionem, quaſi multarum divitiarum vim domi conſtructam ac reconditam haberet, ejus diſſimulatio abiit in proverbium, *Phaniæ janua.*

PHANIAS, libertus Appii Pulchri, Cicer. *ep.* 1. *Fam. l.* 3.

PHANOCLES, Poëta Græcus, Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 9.

PHANODEMUS, Hiſtoricus, cujus meminit Halicarnaſſ. Dionyſ. *l.* 1. ubi memoriæ mandâſſe eum ſcribit *Attica Antiquitates.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *p.* 399. & Scholia *in Aves.*

PHANODICUS, Deliaca ſcripſit, quorum librum 9. citat Apollonii Scholiaſtes *in l.* 1. Meminit & *Phanodici* Laërtius in *Thalete & Biante.* Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *p.* 400.

PHANOS, Scribæ Judicialis, apud Athenienſes, nomen, litigioſi ac malefici, apud Ariſtoph. *Equit.*

PHANOSTRATUS, Archon Athenis, An. 2. Olymp. 99.

PHANOTEUS, urbs Phocidis. *Steph.*

PHANTASIA, Memphis oriunda, Nicarchi filia, ante Homerum compoſuit *Bellum Trojanum*, & *narrationem de Ulyſſe*; & libros Memphide depoſuiſſe dicitur, quò Homerus profectus, à Phanite ſacrorum Scriba tranſcriptos accepit, eorumque ordinem inſequutus eſt. Photius *Cod.* CXC. ex Ptolemæi Hephæſtionis *l.* 5. Quæ quidem iſtis ſunt germana, quæ de Ægyptiis Homeri natalibus comminiſcitur *Helodorus*, Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec.* XV. ubi de *Heſiodo Poëta.* Vide & ſupra, ubi *de Helena Muſæi fil.*

PHANTASIÆ, propriè ſunt τῆς μανίας, *furoris.* Theophraſtus de ſtrychno, Δίδοται δὲ αὐτῆς ἐὰν μὲν οὕτως ὥστε παίζειν, καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον εἶναι, δραχμὴ σταθμῷ. Ἐὰν δὲ μᾶλλον μαίνεσθαι, καὶ φαντασίας τινὰς φαίνεσθαι, δύο δραχμαί. *Si quis velit facere, ut aliquis ludos præbeat, propinet illi drachmam ſolani; tum joculari inſaniæ genere laborabit & hactenus tantùm, ut formoſus ſibi videatur. At ſi modum duplices, inſaniam majorem feceris & imagines illi conſpicuæ obverſabuntur.* Unde patet, legitimæ inſaniæ ſignum, imaginum eſſe apparitionem & φαντασίας. Hinc Plin. *l.* 21. *c.* 31. de eodem ſtrychno, *Quippe inſaniam facit parvô quoque ſuccô. Quanquam & Græci Auctores in jocum vertêre, drachmæ enim pondere luſum gigni dixerunt ſpecies, vanas imagineſque conſpicuas obverſari demonſtrantes. Duplicatum hunc modum legitimam inſaniam facere*, &c. Nempe, qui duas drachmas ſolani furioſi ſumſit, verè inſanit & imagines videt: quæ φαντασίαι ab illis, quas efficit drachmæ menſurâ potum, non parùm diverſæ ſunt. Opiniones enim iſtæ ſunt falſæ, ſed ridiculæ & joculares, ex imaginatione parùm conſtanti profectæ. Illæ falſæ ſunt imagines & vanæ ſpecies, quas ut mens incurſu inſaniæ ſibi fingit, ita etiam oculis repræſentat: Unde vani pavores & lymphatici oriuntur. Nam & *Lymphaticos* dictos eos putârunt, quos Nympharum ſpecies viſæ in furorem adegiſſent. Feſtus, *Vulgò autem memoriæ proditum eſt, quicunque ſpeciem quandam è fonte, i. e. effigiem Nymphæ viderit, furendi non feciſſe finem; quos Græci* Νυμφολήπτους, *Latini Lymphatos appellant.* Ubi *ſpecies* idem eſt, quod *ſpectrum*, & ab eadem origine. Eô ſenſu & Plinius *ſpecies vanas* dixit, τὰ φαντάσματα, φαντασίας φαινομένας; & rectè quidem ille φαντασίας locô eô Theophraſti (è quo pars hauſta) *conſpicuas imagines & vanas ſpecies obverſantes* interpretatur; ſed malè eas cum Dioſcoridis (è quo altera) ubi de ſtrychno manico, φαντασίας confundit: quæ nihil aliud ſunt, quàm vanæ imaginationes, in illo homine, qui ſe formoſum eſſe ſibi perſuadet, cùm minimè ſit &c. Dicebantur autem φαντασίαι iſtæ φαινόμεναι unô verbô φάσματα, item φαντάσματα, quæ tamen Grammatici ſic diſtinguunt, ut φάσμα ſit veritati ſimillimum, ut cùm ejus formæ, quæ in rerum natura eſt, imago conſpicitur; φάντασμα, extraneæ & inviſitatæ figuræ. Quomodo φαντασίαι accipiendæ, in verſu Orphei,

Παῦσον φαντασίας ψυχρὰς ἐκ πηκτοῦ ἀνάγκης.

I. e. *varias & frivolas imagines, quæ ineptos terrores incutiunt. Stellas tranſcurrentes*, quos Græci διάττοντας ἀστέρας vocant, Apollonii Scholiaſtes quoque φαντασίας ex Muſæo appellat, *ad l.* 4. Τὰς δὲ τοιαύτας φαντασίας ὁ Μουσαῖος ἀναφερομένας φησὶν ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ κατὰ τὸν αἰθέρα ἀποσβέννυσθαι. *Iſtiuſmodi autem* phantaſias *Muſæus ait ex Oceano in ſublime evectas, in aëre extingui.* Epiphanius verò Jaſpin ἀπελαστικὸν εἶναι & ἄκος φαντασιῶν, *abigere phantaſias & remedium phantaſiarum* eſſe, refert. Ubi *Spectra* itidem intelligit & *imagines conſpicuas*, quæ φάσματα alibi vocat; ἐμπούσας & εἴδωλα *Dionyſius.* Hinc φαντασιοκοπεῖσθαι dicti, qui falſis hujuſmodi perſuaſionibus laborant; & φαντασιοκόπος, qui modò hoc, modò aliud ſibi imaginatur & ſemper, quod vult, verum eſſe putat. Catullus *Imaginoſum* ait *Epigr.* 42. *v. extr.*

——— ——— *nec rogate*
Qualis ſit, dolet hæc imaginoſum.

I. e. μαίνεται, φρενιτιᾷ, *imaginibus laborat.* Nec omittendus de Strychni alio genere, quod etiam mentem movet, alius ejuſdem Plinii locus *eôdem c. Halicaccabi radicem bibunt, qui vaticinari Gallanteſque furere, ad confirmandas ſuperſtitiones, aſpici ſe volunt.* Nempe, qui furere gallantes & vaticinari, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſô furore, volebant aſpici, quia id pertinebat ad confirmandas religiones, radicem halicaccabi ſolebant bibere, ut ἔκστασιν inde conciperent & Numine repleti viderentur. Vide de hoc ementito furore Gallorum & ficta vaticinatione ac Gallandi modo, Appulej. *l.* 8. Herbam verò hanc, quam ſumebant ad hoc, ut entheatô ſpiritu pleni viderentur, *Bellonariam* & *Vaticam* appellatam eſſe, alter Appulejus teſtis eſt *in Herbario.* Porrò lymphationes & vani metus, mentibus immitti à Numine aliquo irato credebantur, ἀνάγκαι Græcis quoque dicti. Et ſanè metus ſuper cœtera mentem maximè ſolet alienare & externare: Sic φρενῶν ἔκστασις propriè ἀνάγκη. Hinc Bacchylides γλυκεῖαν ἀνάγκην σευομέναν κυλίκων, eleganter vocat ebrietatem, quæ mentem ſui compotem eſſe non patitur. Et Orpheus vanos metus, qui à Corybantibus fieri putabantur, πηκτὸν ἀνάγκην vocat, *in Thymiamate Corybantum*, verbis ſupra citatis, quibus Corybantem precatur, ut φαντασίας depellat ἐκ πηκτοῦ ἀνάγκης, h. e. *vanos mentis metus ac terrores & inſaniam ex magica aliqua devotione aut Numinis præſentia inflictam.* Πῆξιν enim, Latinè *Defixionem*, Magicæ vanitatis vocabulum eſſe, notum. Et hic Corybantiaſmus eſt, in quo morbo, ad ſimilitudinem prædictorum, phantaſmata & imagines oculis obverſantur, & ſonores ſemper in auribus tinniunt: unde homines inſomniis maximè laborant, &, ſi quando quietem capiunt, apertis id faciunt oculis. Vide Plin. *l.* 11. *c.* 37. & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1086. & *ſeqq.* ut & hîc paſſim. In pingendis autem *Phantaſiis* qui excelluerint, habes infrà voce *Pict.* Aliam verò vocis notionem, in *Pompa.*

PHANTASTICI, Hæretici. Vide *Gajanitæ*, & *Julianus Halicarnaſſenſis.*

PHANTASUS, unus ex tribus Somni famulis, quem Somniis de rebus inanimatis præficiebant olim Poëtæ, infrà *Somnia.*

PHANTIA, urbs Troadis, à Cuman condita. Gentile *Phantæis. Steph.*

PHANUEL, vel PHANUELA Joſepho, qui & *Peniel*, locus extra torrentem Jabboc in finibus Amorrhæorum in Rubenia ſorte, ubi Jacob, qui deinde Iſraël, totâ nocte cum Angelo luctatus eſt. Gen. *c.* 32. *v.* 30. Hæc civitas Gedeonis exercitui panes negavit, cujus turrim deſtruxit Gedeon, & habitatores occidit. Judic. *c.* 8. *v.* 8. Fuit autem contigua Tripoli, ubi mons Libanus deſinit. Item fil. Seſak. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 8. & pater Annæ propheтiſſæ. Luc. *c.* 2. *v.* 36. Latinè *videns Deum* vel *faciem Dei.* Ideoque Strabo *Faciem Dei* vocat, *l.* 16. Τῇ δὲ Τριπόλει συνεχές ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ Πρόσωπον, εἰς ὃ τελευτᾷ ὁ Λίβανος τὸ ὄρος. Item civitas juxta Sichem, in tribu Ephraim. 1. Reg. *c.* 12. *v.* 25. *Nic. Lloydius.* Locus Geneſeos ſic habet: *Jacob vocavit nomen loci illius* Phanuel, *dicens, Vidi Deum facie ad faciem.* Quia videl. in viſibili ſigno tunc ei apparuerat. Unde & Deorum ſuorum ἐπιφανείας ac Θεοφανείας mentiti ſunt Gentiles: ac tandem adulatio hanc Ἐπιφανείας vocem ad Reges Orientis tranſtulit, Seleucidas, Lagidas, Bithynos, Armenos, Parthos & Imperatores Romanos. Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec. III.* ubi de Θεοπτίᾳ. Vide & hîc paſſim, vocibus *Enguium*, *Epiphanes*, *Matres* &c.

PHANUS, fuit quiſpiam, qui quum uxorem haberet adulterii ſuſpectam, atrii fores ſic occluſit, ut non niſi cum ſtridore, ſonituque poſſent aperiri: verùm cùm illa per tegulas adulterum admitteret, vicini per jocum dicebant: *Phani oſtium*; quô proverbiô innuebant, aliquid ſervatum fruſtra.

PHAON, juvenis Lesbius, qui à Venere Alabaſtrum unguenti dicitur accepiſſe, eôque oblitus omnium formoſiſſimus evaſiſſe, eximiâque pulchritudine, cùm aliàs mulieres Mityleneas, tum præcipuè Sappho poëtriam ad ſui amorem allexiſſe. Extat *epiſtola Sapphûs ad Phaonem*, inter Ovidianas, *n.* 15.

PHARA, vel PHURA, famulus Gedeonis. Judic. *c.* 7. *v.* 10. Item urbs 1. Machab. *c.* 9. *v.* 51. Latinè *frugifer*, aut *creſcens*, ſive *vacca.*

PHARA, Africæ propriæ Urbs, à Scipionis militibus incenſa, *Strab.*

PHARACIDES, navarchus Lacedæmonius, Dionyſio ſuperiori contra Himilconem & Carthaginienſes auxilio miſſus, Olymp. 96. an. 1. De eo Polyæn. *l.* 2. *c.* 11. ubi vitioſe legitur *Sarnacides.*

PHARÆ, vel PHERÆ, urbs Cretæ à Miſenis condita, Plin. *l.* 4. *c.* 2. Item urbs Meſſenes, ex qua erant Apharetiadæ: hanc Ariſtomenes, poſt prælium ad Apri Monumentum diripuit, cumque eum cum præda revertentem Anaxander Spartanorum Rex à tergo urgeret, eum denuo fudit ac inſequutus eſt, donec alterâ natium jaculô trajectâ, retrocedere cum præda eſt coactus. Pauſan. *l.* 4. Gentile *Pharaites.* Alia Achajæ. Gentile *Pharei*, vel *Pharais.* Alia Bœotiæ. Gentile *Phareſetis.* Vide *Steph.* PHA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHARAI, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 35. Latinè *hiatus*, ſive *apertio*.

PHARAM, Rex Jerimoth. Joſ. *c.* 10. *v.* 3. Latinè *onager eorum*, vel *ferocitas eorum*, aut *fructificatio matris*, vel *taurus matris*.

PHARAMBARA, Mediæ oppid. *Ptol.*

PHARAMIA urbs Ægypti, in littore maris, non longè à Nili oſtio, *Carabeix* dicto, *G. Tyrius*. Qui & inter Pharamiam & Taphium duas maritimas Ægypti urbes ſcribit primum Nili oſtium, quod Syriam verſus eſt, in mare effundi.

PHARAMUNDUS, A.C. 429. vigeſimus quartus Francorum Rex, à Francia Orientali in Occidentalem ſuam tranſtulit ſedem, legemque tulit, quam Salicam vocant. Munſter. *l.* 2. *Coſmogr.* Vide *Faramundus*.

PHARAN, vel PARAN, FARAN, adhuc in *tabul. recent.* urbs Arabiæ Petrææ, & mons ad ſinum Arabicum in Ægypti confinio, *Ptol.* Latinè *pulchritudo*, ſive *laus*, aut *gloriatio*, vel *propagines*. In intimo receſſu Arabici Sinus urbs eſt, ab Iſmaëlitis condita. Unde *Pharanitis* regio, non longè à Saracenis, *Ptolemæo*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 485. ut & *p.* 487. ubi urbem *Maran*, & incolas *Maranitas*, priùs videri vocatos, addit ex *Diodoro* & *Artemidoro*. *Pharanitis amethyſti*, mentio fit in *Indice* Pliniano *MS. de Amethyſti generibus*, *Amethyſtus*, *ejus genera quinque*, *ſacodion. ſapenus*, *Pharanitis*, *Aphrodites*, *ſphragis*, *ſive anteros ſive pæderos*: ἀπὸ τῶν Φαρανιτῶν, ab urbe hac Pharan, Idem *p.* 566.

PHARAN, deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, invium & inaquoſum, continens à monte Sinai uſque Cadesbarne iter undecim dierum, cujus terra nec arari poteſt, nec ſeri, tota arida & ſterilis & ſqualida eſt, inhabitabilis, hominibus, villis, domibus & caſis carens, ubi nec homines videntur nec beſtiæ, nec aves, imò nec arbores, nec germen aliquod, ſed non niſi rupes & montes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, undique prærupti & præcipites: terrâ autem cœlôque aquarum penuria eſt, jacent arenæ ſteriles, quas ubi vapor ſolis accendit, fervidô ſole exurente veſtigia intolerabilis æſtus exiſtit. Hac Iſraël perrexit tranſiens ex Ægypto, in terram Canaan.

PHARAO Rex Ægypti. *Suidas*: Φαραὼ, ὥτως ἐκαλοῦντο πάντες οἱ βασιλεῖς Αἰγύπτου, ἀπὸ τοῦ πρώτου Φαραώ. *Pharao* autem cognomen erat dignitatis, ut ſcribit Euſebius. Et Joſepho, *in Antiquitatibus*, Pharaonis nomen, ſecundùm Ægyptios ſignificat Regem. Sic enim ille: Ὁ Φαραὼν κατ᾽ Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει. Quum ergo hoc honorificum nomen ſit, malè refertur ad Hebræum פרע *nudare*, quòd auxiliô Dei nudatus fuerit. Iſidor. *l.* 7. *c.* 6. *Pharao nomen eſt non hominis, ſed honoris, ſicut apud nos Auguſti appellantur reges cùm propriis nominibus cenſeantur. Exprimitur autem in Latinum denegans eum, utique Deum, ſive diſſipator ipſius: populi enim Dei fuit afflictor.* Apud Arabes autem, quorum dialectus Ægyptiaca vocabula multa habet admixta, פרעון *pharaon* eſt *crocodilus*, quò Ezechiel alluſiſſe videtur *c.* 29. *v.* 3. 4. *c.* 32. *v.* 2. 3. Bochart. *Hieroz. part. poſter. l.* 5. *c.* 18.

PHARAO, Ægypti Rex, Sarâ Abrahamo ereptâ, tantopere divinitus afflictus eſt, ut eam illibatam, cum muneribus, marito reddere fuerit coactus, A. M. 2014. Gen. *c.* 12. *v.* 16. 19. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 1. *c.* 9. *Pharaothem* appellat, ut videbimus. Alius, cujus ſomnia interpretatus eſt Joſephus, ab ipſo dein ad Præfecturam regni totius evectus. Vide *Joſephus*. Alius, qui Iſraëlitas gravi onere preſſit. Vide *Moſes*, Alius, filiam Salomoni elocavit, 1. Reg. *c.* 3. *v.* 1. *A. M.* 3021. Alius, dictus *Nechao*, vide ibi. Alius, Sedeciæ auxiliaturus, victus à Babyloniis eſt: Gàzam tamen in reditu diripuit. Jerm. *c.* 37. *v.* 5. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 10. *c.* 20. Torniel. A. M. 3444.

PHARAONIS Mare, Turcis Mare Rubrum dicitur, quòd ejus undis abſorptus hic Ægypti Rex. Vide Keuchenium *ad Annibalem Nepotis c.* 2.

PHARAOTHES, Rex Ægypti, Joſepho *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 9. dicitur, qui Abramum, primum extraneorum in Ægyptum advectum hoſpitiô excepit. Artapanus depravatè *Pharethonem* vocat apud Euſebium *Præpar. Euang. l.* 9. *c.* 18. Abulfedæ, Al-Makrizio & Alfhamio dicitur *Tutis*. Marshamus Ameſiſem inferioris Ægypti Regem XV. ac ultimum eorum, quos vetus *Chronicon* XV. γενεὰς vocat, eſſe cenſet, vide ſuprà.

PHARASMANES, Hiberorum Rex, fratri Mithradati â Tiberio conciliatus, cujus & conatus, in obtinenda Armenia, ſtrenuè adjuvit, contra Orodem, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 33.

PHARASMANES, Alanorum Rex, inter amicos Reges Imperii Romani, cui etiam ſtipendia à Romanis videntur ſoluta. Atque hunc vult intelligi Salmaſ. apud Æl. Spartian *c.* 6. *in Hadriano. Cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis ſtipendiis querebatur, cognito negotio pacem compoſuit.* Ubi omnino legendum contendit, *Cum Rege mox Alanorum*: namque & eum invitâſſe dicitur Hadrianus, & invitationem is illam ſuperbè contempſiſſe, neque ſine motu illam Regis querelam fuiſſe, donec pacem cum illo compoſuerit Hadrianus. Vide *Dionem*. Vetus id malum in Romano Imperio, annuis muneribus barbararum gentium pacem redimere, à Domitiano primùm introductum eſt. Namque hic, Decebalum Dacorum Regem cùm armis vincere non poſſet, annui tributi penſitatione ſibi placavit: quod exemplum publicè pernicioſiſſimum retinuêre omnes deinde Principes in utroque Imperio; eatenus tamen exiſtimationi ſuæ conſuluerunt, quatenus penſionem hanc annuam, quæ vere tributum erat, honeſtiore vocabulô *ſtipendium* nominaverunt, Herodian. *l.* 1. *c* 6. συντάξεις. Fuit autem hæc Alanorum gens eadem cum Veterib. Maſſagetis, Salmaſ. *ad loc.* Idem nomen Regi Iberorum fuit, ſub eodem Hadriano, quem in *Excerptis Legat.* è Dione legimus, Romam cum uxore veniſſe, & ab Hadriano liberaliter fuiſſe acceptum. Imò & *Pharaſmanis* Regis Zydritarum, gentis vicinæ Lazis, circa idem tempus, meminit Arrian. in *Euxini Periplo*, quem ad Hadrianum miſit. Ecce Reges tres cognomines, ſub eodem Imperatore. Nec mirum; frequens enim in Oriente olim illud nomen, non Regum ſolùm, ſed & privatorum: ut illius Φαρεσμάνου Κόλχου τὸ γένος, cujus Procopius meminit *Perſic. l.* 1. Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit.*

PHARASTIA, Mediæ urbs, *Ptol.*

PHARATHON, civitas Ephraim in monte Amalech. Judic. *c.* 12. *v.* 15. Latinè *diſſipatio*, vel *ruptura*, aut *denudatio ejus*, vel Syriacè *vindicta ejus*. Hinc fuit Abdon Judex populi Iſraël. Joſeph. *de Bell. Jud.*

PHARATHUS, urbs Galilææ.

PHARAX, Lacedæmoniorum navarchus, ab obſidione Cauni, à Pharnabazo cum magnis copiis adventante urbanis ſubſidio depulſus. Diodor. Sic. *l.* 14.

PHARBÆTHUS, urbs Ægypti. }
PHARBETUS, urbs Eretrienſium. } *Stephan.*
PHARCIDON, urbs Theſſaliæ. }

PHARENSES, populi Aſiæ ad fluv. Melam, in regione Ioniæ. Strab. *l.* 8.

PHARES, fil. Juda ex Thamar nuru ſuâ. A. M. 2314. ſecundùm Torniellum frater Zaræ, pater Heſron & Hamul: Unus ex Progenitoribus CHRISTI. Gen. *c.* 38. *v.* 29. Matth. *c.* 1. *v.* 3. Latinè *diviſio*.

PHARES, fil. Machir ex Maacha uxore. Latinè *eques*, aut *dividens*, ſive *exponens*, vel *declarans*, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 16.

PHARETHON, vide PHARAOTHES.

PHARETRA Creſſa, apud Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 345.

Armaque Amyclæumque canem, Creſſamque faretram.

Et Lycia, apud Papinium *Theb. l.* 6. *v.* 645.

Cætera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris:

pro præſtantiſſima, ab uſu ſagittandi utriuſque gentis. Quales autem Veterum fuerint *pharetræ*, docet pluribus Euſtathius *ad Il. α. v.* 46. ubi de Apolline,

Τόξ᾽ ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,
Ἔκλαγξαν δ᾽ ἄρ᾽ οἰστοὶ ἐπ᾽ ὤμων χωομένοιο,
Αὐτοῦ κινηθέντος.

Arcum humeris geſtans, & utrinque tectam pharetram,
Sonuerunt autem ſagittæ, in humeris irati,
Cùm ipſe incederet.

Ubi nota, *pharetras* Deorum Sagittigerorum ſonô quôdam commendare Poëtas. Vide de eodem Apolline Virg. *Æn. l.* 9. Hinc apud Statium *Theb. l.* 9. *v.* 649. ubi de Phœbo pariter ac Diana,

Occurſuque ſacro pariter jubar arſit utrinque,
Et coiêre arcus & reſpondere pharetræ.

Ad quem locum conſule Caſp. Barthii *Animadverſiones*. Taxi pelle obtegi ſolitas dicemus infrà voce *Taxo*. Vide quoque ſuprà *Cerytos*.

PHARIA, *Ptolemæo*, Plinioque, *l.* 3. *c. ult. Straboni* verò *Pharus*, inſula contra Dalmatiam, & Jaderam, quæ nunc vulgò *Liſna* Illyricô ſermone dicitur. Eſt urbs epiſcopalis in ea cognominis à qua *Pharienſes* populi *Ptol.* Sub Venetis. Panis hîc vinumque optimi ſaporis; prætereà ingens ſardiniarum (quod piſcis exigui, ſed delicati. genus eſt) piſcatio, de qua vide Jac. Sponium *Itinerario Tom. I. p.* 111.

PHARIA Volucris, apud Statium, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 87.

——— *Phariaque exemta volucri*
Cinnama: ———

Phœnix avis eſt, ſic ei dicta, quòd in Ægypti Heliopolim aliquando devolaret. Vide in voce *Phœnix*. At *Pharia* abſolutè, in *Kal.* Ruſtico, menſe Aprili, *Pharia ſacrum*, Iſis eſt: quæ *Pharia* Iſis, apud Minucium Fel. *Octavio* & Εἴσις Φαρία in *veteri*. Inſcr.

ΕΙΣΙΔΙ ΦΑΡΙΑ .... ΕΙΣΙΝ ΤΗΝ ΕΝ ΜΕΝΟΥΘΙ
ΥΠΕΡ ΣΩΤΙΡΙΑΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΥΜΩΝ ΑΥΤΟ
ΚΡΑΤΟΡΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. ———

apud G. Elmenhorſt *Commentar. ad eum.* Utraque nempe à *Pharo*, Inſul. Ægypti, ex adverſo Alexandriæ.

PHARICUM Venenum, apud *Interpretem Nicandri*: Ἱστορεῖ δὲ Πραξαγόρας κληθῆναι αὐτὸ ἀπὸ Φαρικοῦ τινὸς Κρητὸς τοῦ ἐξευρόντος αὐτό. *Narrat autem Praxagoras, vocari illud à Pharico quodam Cretenſi, inventore ſuo*: *Phariacum* dicitur Athenæo *l.* 3. cum *Medico* ſeu *Medea oleo*, quô Medea pellicis coronam delibuerat, ſecundùm nonnullos idem; νάφθα Barbaris, ἐφήμερον etiam dictum *Nicandro*, quòd intra unius diei ſpatium hominem abſumeret: quamvis *ephemeri* vox latiùs pateat. Dictum eſt autem ſic à *Pharis*, urbe Cretæ, cujus civis venenum hoc excogitavit: *Pharicus* enim non proprium, ſed Gentile nomen eſt. Vide de eo Salmaſ. *ad Solin. p.* 241. & *ſeqq.*

PHARII Liquores, apud Statium, *Epicedio in Glauciam Meliorem*, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 161.

Quodque Arabes Phariique, Palæſtinique liquores
Arſuram lavere comam? ———

Salmaſio non cinnama ſunt, *Phariæ volucri exemta*, ut ſuprà dixit; ſed unguentum ex palma Ægyptiaca, quæ ſimilem proximumque myrobalano uſum habebat in unguentis. Vide eum *ad Solin. p.* 400.

PHARIO, fluv. Armeniæ in Tigrim effluens. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

PHARIS, urbs Laconiæ: cives *Pharitæ* Pauſaniæ *l.* 2. vel *Pharietæ Homero*. A' Lacedæmoniis occupata eſt ſub Teledo Rege. Tunc enim Amyclas, *Pharin*, Geranthras, oppida finitima, quæ adhuc ab Achæis tenebantur, bellô aggreſſi ſunt. Quorum adventu territi, *Pharitæ* & Geranthratæ ex pacto è Peloponneſo deceſſerunt. Amyclenſes verò fortiter aliquandiu reſtiterunt. Pauſan. in *Laconicis*.

PHARISÆI, ſecta quædam apud Judæos, orta temporibus belli Punici tertii, cujus ſectæ homines, non modò victu vitæque inſtitutô à reliquo vulgo ſecreti erant, ſed etiam veſte & corporis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cultu, quapropter Phariſæi vocantur, quæ dictio idem Hebræis ſonat, quod Latinis *ſeparati*. *Suidas*, Φαρισαῖοι, οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν, καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων, εἰς τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου, καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Φαρὲς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα γλῶτταν, ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται, ἢ διακοπή. Auctores Sectæ hujus, Hieronymo *in Eſai. c.* 8. fuerunt Sammai & Hillel. Jejunârunt ſecundô & quintô die hebdomadis, à vini & quidquid vitam haberet, eſu abſtinentes. Spinas infrà togis ſuffigebant, ut inter incedendum iis crura compungerentur. Aſſeribus, quibus lapilli inſtrati, incubantes, renes duris ſuccinxerunt funibus, ſeque ipſos caſtrârunt, ut continentiores eſſent: quod quidem non ab omnibus obſervatum eſt. Ultra decimas à Lege injunctas pendebant etiam 30. & 50. partem, ſtatutis ſacrificiis alia ſponte ſupperaddebant, vota exactè ſervantes. Sed ejus generis hominum tanta fuit fatuitas, ut multo plus laborarent probi videri, quàm eſſe; tanta ſuperbia, ut neminem alterius ſectæ virum bonum exiſtimarent, quapropter Chriſtus ubique exagitat eorum vanitatem: Et certè, cùm tanti rigoris non alius ſcopus eſſet, quàm popularis aura, in tantum potentiæ tandem creverunt, ut ultimis Judæorum Regibus formidoloſi evaderent, qui ſæpe illorum miniſteriô uti coacti ſunt. Cœterùm μετεμψύχωσιν crediderunt, & Aſtrologiæ Judiciariæ impensè erant dediti, vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 2. & *de Bell. Jud. l.* 12. *c.* 12. Epiphan. *in panar. l.* 1. *c.* 16. Baron. *in App. Annal. Eccl.* Martinium, in *Phariſæus*, & Funger. in *Phariſæi*. *Nicol. Lloydius.* Vocem quidam derivant ab Hebr. פרש *Parash*, i. e. *expandere*, *explicare*; idque vel ob latitudinem phylacteriorum, vel quòd in compitis bona ſua opera largè deprædicare ſolerent. Alii à פרש, i. e. *exponere*, *explanare*, eò quòd haberentur præcipui Legis expoſitores. Sunt, qui ab eodem verbo, in *Piel* conjugat. quod *dividere*, *ſeparare* ſignificat, illos appellatos aſſerant: quô ſenſu Græcis ἀφωρισμένοι ſunt vocati, Latini eos *Separatiſtas* vocant. Separabant autem ſe & ſecernebant tum ſtudiô Legis, quô reſpectu poterant dici, ἀφωρισμένοι εἰς τὸν νόμον; quò reſpiciens fortè Apoſtolus, qui priùs *Phariſæus* fuerat, vocavit ſe ἀφωρισμένον εἰς Εὐαγγέλιον, *ſeparatum ad Euangelium*, Rom. *c.* 1. *v.* 1. tum ſanctioris vitæ jactantiâ Lucæ *c.* 18. *v.* 11. *Gratias tibi ago Deus, quòd non ſim ut reliqui* &c. Et quidem ſeparabant 1. ſe à commercio popularis vulgi, quod ob ignorantiam ſuam vocant עם הארץ i. e. *populum terræ*: qui Joh. *c.* 7. *v.* 49. vocitatur ὄχλος: 2. ab habitu reliquorum hominum: unde Proverb. *Veſtes populi terræ, conculcatio ſunt Phariſæorum.* 3. A' moribus atque conſuetudinibus uſitatis: ortaque videtur hæc hæreſis ab Antigono Sochæo, qui coætaneo Alexandri M. Simeoni Juſto ſucceſſit, an. 300. circiter ante Natum Chriſtum. Nec certæ alicui Tribui aut familiæ attributi erant, cùm S. Paulus è tribu Benjamin eſſet, Hyrcanus è Tribu Levi, Chryſoſtomus *in c. Matth.* 15. Flav. Joſephus *l.* 13. *c.* 18. &c. Nec in nullis cum reliquis Sectis conveniebant. Notabo hîc ſaltem paucis dogmata, quæ propria habuêre. Primò, quædam Fato, quædam libero arbitrio adſcribebant, Joſeph. *l.* 13. *c.* 9. 2. Angelos credebant ac Spiritus, Actor. *c.* 23. *v.* 8. 3. Reſurrectionis articulo fidem adhibentes, docebant animas impiorum hominum, à corpore ſolutas, ſtatim in Infernum migrare: Piorum verò hominum, per μετεμψύχωσιν quandam, in aliorum itidem piorum corpora tranſire, Joſeph. *de Bello Jud. l.* 2. *c.* 12. Serar. *Trihæreſ. l.* 2. *c.* 3. Druſius *de tribus Sectis l.* 2. *c.* 2. Unde SERVATORIS noſtri ſanctiſſimum corpus, quidam Johannis Baptiſtæ, alii Eliæ, nonnulli Jeremiæ animâ vegetari dixerunt, Matth. *c.* 16. *v.* 14. 4. Traditionum πατροπαραδότων accerimi erant vindices: quod ut meliùs intelligatur, notandum, Judæos duplicem ſtatuiſſe Legem, unam ſcriptam, תורה שבכתב, *Thorah ſchebichtab*: alteram per traditionem communicatam oralem, תורה שבעל פה, *Thorah ſche begnal pe*; utramque hanc dixêre Moſi à Deo in monte Sinai datam, eſſeque poſteriorem prioris explicationem, quam Moſes Joſuæ, Joſua Senioribus, hi Prophetis, Prophetæ Viris Synagogæ Magnæ, per manus tradiderint. Et in hoc præcipuè Religionis articulo, à Sadducæis, omnem traditionem rejicientibus, diverſi erant Phariſæi. Traditiones autem horum præcipuas, ut & ſeptem diverſa *Phariſæorum* genera, (ferax enim ſuperſtitio & fatale Separatiſtis eſt ulterius ſcindi) vide hîc paulò *infrà*: & plura de celebri hac Secta, apud Moſ. Kotſenſem *in præf. l. præcept.* Gorionidem *c.* 29. Thom. Godwyn. tract. *de ritibus Hebræor. Angl. cui tit. Moſes and Aaron l.* 1. *c.* 10. &c. Hodie verò ſecta quidem evanuit, palmarium tamen eorum dogma gliſcit inter pleroſque in Europa Judæos; atque eô nomine plerique eorum Rabbaniſtæ ſeu Phariſæi, diverſi ſunt à Karæis ſeu Scripturariis, quorum rara eſt copia. Vide Fanc. Burmannum *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 39. Hinc *phariſæare*, apud Joſ. Devonium *Troicorum l.* 1.

Si rerum juſtis metimur partibus uſum,
Omne homini commune ſolum: ſed, jura peroſus
Publica, ſacrilegis Naturam barbarus auſis
Contrahit, & proprios Phrygiam phariſæat *in uſus*;

pro dividere, ſegregare, ſeorſim ponere. Vide & Tertullian. *Præſcript. c.* 45. & Radulfum Ardentem *Homil. in Euang.* 98. & 112.

Traditiones Phariſæorum præcipuæ.

I. Cibum nunquam capiebant, priuſquam manus laviſſent. Vide Matth. *c.* 15. *v.* 2. & quidem πυγμῇ, Marci *c.* 7. *v.* 3. quod quidam exponunt *frequenter*, ut πύκα apud Hom. Alii, *accuratè, diligenter*: Nonnulli peculiarem lavandi ritum voce hâc indigitari, contendunt, quem *cubitaliter lavare* vocavit Theophylactus in Marcum *loc. cit.* Sunt quoque qui innui velint hôc vocabulô, illum lavandi morem, quô quis alteram manum in pugnum contractam, in alterius palma probè circumagit ſicque diligentiſſimè illam abluit. Ita autem hunc ritum urgebant, ut, illotis edere manibus, crederent non minus eſſe ſcortatione crimen. Sed & tranſiſſe hanc conſuetudinem ad omnes Judæos, ex *locis cit.* colligere eſt. Vide præter Auctores præfatos, Joh. Buxtorfium *Synag. Judaic. c.* 6. II. Iidem, quoties è Foro redibant, lavabant ſe, Marci *c.* 7. *v.* 4. ἐβαπτίζοντο, i. e. *totum corpus abluebant*, quoniam pollutos ſe fortè populi commerciô exiſtimabant. Quique inter eos rigidioris erant diſciplinæ tenaces, idem ſemper feciſſe, videntur, antequam accumberent. Unde, quòd id non factitâſſet Chriſtus, miratum legimus Phariſæum, Lucæ *c.* 11. *v.* 38. Et huc alluſiſſe quidam volunt Petrum, Joh. *c.* 13. *v.* 9. Ex eodem ritu Hemerobaptiſtarum Secta originem traxit, de qua vide Epiphanium *l.* 1. *tom.* 1. *c.* 17. III. *Lavabant pocula, & ſextarios & æramenta & lectos*, Marci *c.* 7. *v.* 4. 8. IV. Cum *Publicanis & peccatoribus edere*, nolebant, Matth. *c.* 9. *v.* 11. Sic enim ſe judicabant pollui, Lucæ *c.* 7. *v.* 39. Dicebant proin, ut apud Prophetam legimus, לא־תגש־בי, i. e. *ne attingas me*, vide Eſajæ *c.* 65. *v.* 5. Quem morem Samaritani quoque ſervantes, quoties peregrinus quis occurreret, μὴ πρόσψαυσον, exclamâſſe leguntur. Vide Scaligerum *de emendat. Temp. l.* 7. Epiphan. *l.* 1. *Tom.* 1. *c.* 13. &c. V. *Binis vicibus hebdomade jejunabant*, Lucæ *c.* 18. *v.* 12. Lunæ nempe & Jovis diebus: eò quòd Moſes, die Jovis in montem Sinai aſcendens, inde die Lunæ redierit. VI. *Dilatabant phylacteria ſua; & producebant fimbrias palliorum ſuorum*, Matth. *c.* 23. *v.* 5. Vide Hieronym. *in locum*, ubi *Phariſæos* proptereà comparat, cum mulierculis quibuſdam ſui temporis ſuperſtitioſis, quæ religioni ducebant ſecum continuò ferre *parvula Euangelia* & *crucis ligna*, i. e. breves quaſdam ſententias ex Euangelio decerptas & crucis, ut vulgò credebatur, reliquias. In Phylacteriis enim illis Decalogum quidam ſcriptum fuiſſe ajunt, alii 4. Sectiones Legis, de quibus infrà, in voce *Phylacteria*. Simile quid notat Scaliger in illis, qui initium Euangelii Johannîs de collo ſuſpendere ſoliti ſunt, ut docet Scaliger *Trihær. c.* 7. Ejuſdem commatis fuêre A. C. 692. Magiæ quidam addicti, quos *Phylacterios* vocatos legimus.

Septem Phariſæorum genera diverſa, ex Talmud, tract. Suta. c. 3.

I. PHARISÆUS *Sichemita*, qui lucri causâ ſe ſectæ huic addixit: quemadmodum Sichemitæ non aliô fine circumciſionem admiſêre. II. *Phariſæus truncatus*, qui ſic dictus eſt, quòd meditabundus incedens vix pedes humô tollebat, tanquam iis truncatus eſſet. III. *Phariſæus impingens*, quoties in publicum prodibat, oculos habebat clauſos, ne fortè fœminam videret: quô fiebat, ut ſæpe in parietes muroſque ædium caput impingeret, illudque redderet cruentum. IV. *Phariſæus, quid debeo facere, & faciam illud?* Qualis fuiſſe videtur is in Euangelio, qui, ad SERVATOREM noſtrum accedens, dicebat: *Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Lucæ *c.* 18. *v.* 18. Vide quoque *v.* 21. V. *Phariſæus mortarius*, ſic vocatus, quòd inſtar profundi mortarii pileum geſtaret, ſit ut nec hac nec illac circumſpicere, verùm oculos ſolùm humi, & ante ſe per lineam rectam eorum aciem emittere poſſet. VI. *Phariſæus ex amore.* Vocabantur ita, qui ſolius virtutis amore ad Phariſaiſmum ſe applicabant, directè proin *Phariſæis Sichemitis* oppoſiti: vel potiùs ultimo generi. VII. *Phariſæus ex timore*, qui legi ſaltem pœnæ metu obedientiam præſtabat: Tales negativa præcipuè mandata, ſicut priores affirmativa, reſpiciebant.

PHARMACEUTICE, una ex quatuor Medicinæ famulis; medicamentis vel intus adſumtis; vel foris admotis, medetur. Colligit autem ea primùm ex foſſilibus, plantis ac animalibus: & quò an proba ſint conſtet, diſpicit quô ſint ſipore. Dein ea aſſervat in apothecis, vaſis, pyxidibus ſuô locô diſpoſitis. Porrò ea præparat ac corrigit aduſtione, combuſtione, putrefactione, decoctione, deſtillatione, liquefactione, deſpumatione aliiſque. Sic præparata miſcet ad ponderis præſcriptum &c. Egêre de Simplicium natura varii, in his Diſcorides *in Hiſtoria plantarum*; Galenus *l. de Simplicium medicam. Facultatibus*, Avicenna *de Simplicibus* &c. De præparatione, correctione, commixtione, Meſvem vide. Ad eandem Artem Alchymia ſpectat, ſive ut pars, ſive ut miniſtra. Cùm enim duo ſint *Pharmaceuticæ* officia, unum in delectu, alterum in præparatione medicamentorum; ad præparandi modos pertinet, non ſolùm coctio, ſed etiam deſtillatio, & quidquid eleborat Chymicus, ut corpori medeatur. Voſſ. *de Philoſophia c.* 10. §. 12. & 13. Vide & Politianum *Panepiſtemone.*

PHARMACI, dicebantur olim οἱ τὰς πόλεις καθαίροντες, *qui Urbes luſtrabant.* Euſtathius *ad Odyſſ.* χ. Ὅτι δὲ καὶ δι' αἵματος ἦν κάθαρσις, αἱ ἱστορίαι δηλοῦσιν, ὁποία καὶ ἡ τῶν φονέων. οἱ αἵματι νιπτόμενοι καὶ μάλιστα καθάρσιον εἶχον αὐτό. λέγονται δὲ οἱ περὶ τὴν τοιαύτην τέχνην οἱ τὰς πόλεις καθαίροντες Φάρμακοι. Scilicet ſanguine abluebant hi *Pharmaci* eos, qui luſtrabantur. Sic homicida, qui alium caſu fortuitô necaverat, lege Solonis, annum extra fines exulare juſſus, placatô aliquô ex occiſi cognatis, reverti poterat, peractis ſacris & καθάρσει, ſeu *luſtratione*, quæ fiebat per Pharmacos, uti docet Sam. Petitus *Commentar. in LL. Atticas Lib. VII. tit.* 1. *de Sicariis.* Lex inter alia ſic habet, apud Demoſthenem *in Ariſtocratæa*, Τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἐν ἐνιαυτῷ ἀπελθεῖν τακτὴν ὁδὸν, καὶ φεύγειν ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος. ἥκειν δ᾽ καὶ θῦσαι καὶ καθαρθῆναι, *Qui alium caſu fortuitô necâſſit, in annum deportator, donec aliquem è cognatis occiſi placârit, revertitor verò peractis ſacris & luſtrationibus.* Nempe talis deportabatur in annum; intra quod tempus oportebat eum αἰδέσασθαι, *placare*, aliquem cognatum defuncti, quam αἴδεσιν ſequebatur κάθαρσις. Quod etiam obſervabant, cùm dominus occidiſſet ſervum ſuum; quamvis enim nemo ab illo pœnas repeteret, ex his tamen legibus tene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tenebatur ἀπέχεσθαι ὁσίων καὶ ἱερῶν καὶ καθαρθῆναι, *abſtinere à ſacris & luſtrari* &c. Ibidem. Vide quoque infrà *Thargelia.*

PHARMACIÆ, melius *Pharmacias*, parvus ſinus eſt ad Boſporum Thracium in Europa. *Therapia* hodie dicitur, teſte *Gylliô.* In ora Thraciæ, vix 1. milliar. ab ora Bithyniæ in Occaſum, 3. ab ore Boſphori ad Fanum, 8. à Conſtantinopoli in Cæciam *Idem.*

PHARMACOPOLÆ, hodie dicuntur, qui non tantùm ſimplicium medicaminum inſtituram exercent, ſed etiam ex præſcripto Medicorum antidotos miſcent ac remedia conficiunt, longè diverſi proin ab iis, quos *Pharmacopolas* vocavit Antiquitas. Nulli enim olim earum tantùm mercium, quæ ad Medicinam facerent, inſtitores fuêre; verùm Ῥωποπῶλαι, quidquid Medicis, Tinctoribus, Pictoribus & Myrepſis conducebat, habebant promercale. Sed nec ſimplicium medicamentorum videntur propolæ fuiſſe: verùm ipſi miſcebant remedia ac venditabant: contra venena præcipuè ac δηλητήρια opem atque operam ſuam polliciti. Martianus Cappella *l.* 4. *Hæc autem ex arenis anhelantis Libyæ adducitur, quod & capillitium implexum docet & amicitia venenorum, aut fidendum* Pharmacopolam *eſſe Marſicæ nationis.* Cato apud A. Gellium, *Itaque auditis, non auſcultatis, tanquam pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur, verùm ei ſe nemo committit, ſi æger eſt.* Maximus Tyrius *Orat.* 10. Μιμεῖταί τε καὶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης ῥήτορα καὶ σοφιστὴς φιλόσοφον, *Imitatur etiam* Pharmacopola *Medicum, & ſycophanta Rhetorem & Sophiſta Philoſophum.* Quibus ſimile fuit Medicorum Circulatorum genus, quos Græci Περιοδευτὰς appellabant, nunc *Chariattani* & *Saltimbanci* Gallis appellati, de quibus diximus in voce *Periodeuta.* Sed & Theriacorum propolæ, vel, ut vulgus loquitur, *Theriaclatores* iidem cum Veterib. *Pharmacopolis.* Nam Φάρμακα priſcis dicta, herbæ omnes ac ſpecies virtute aliquâ aut potentiâ præditæ, ſive illa juvaret, ſive noceret ac necaret: Quas qui vænales habebant, propriè dicti Φαρμακοπῶλαι. Scholiaſtes Ariſtophanis *in Nubibus*, Φαρμακοπῶλαι κυρίως οἱ τὰ φάρμακα πιπράσκοντες, τά γε λυσιτελοῦντα καὶ τὰ θανάσιμα. Unde ille verſus Poetæ,

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Et Φαρμακώδεις τόποι, *Theophraſto* loca, in quibus plantæ aliquâ facultate Medicâ pollentes naſcerentur. Imò & plantas ipſas Φαρμακώδεις appellat idem, quæ Medicinæ conducerent; Δυνάμεις alibi τὰ φάρμακα vocans. Unde recentiorum τὰ δυναμερὰ, *Droguas* Galli appellant. At *Pharmaca*, compoſita etiam medicamenta: Hinc Græcis *Pharmacopolæ*, qui ſimplicia ac compoſita populo vendebant. Hi in Foro totos dies conſidebant, cùm ſuis vaſculis, pyxidibus & ciſtis, nec niſi ſerò domum revertebantur. Apollonius de Pharmacopola, ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενος καὶ οὐκ ἐξανίστη ἀπὸ τῶν σκευῶν. Φαρμακοτρίβαι quoque appellati, quòd miſcerent ac tererent antidotos: quibus jungit τοὺς Ῥιζοτόμους Theophraſtus *l.* 9. quô nomine dicti ſunt, qui ſimplicia tantùm medicamenta vendebant herbarum ac radicum, quas ipſi conquirebant & colligebant &c. Cœterùm apud Seplaſiarios omnis ὕλη Ἰατρικὴ proſtabat. Inde emebant Medici, quorum munus olim fuit, non ſolùm præſcribere remedia, ſed etiam manu facere. Emplaſtra tamen & collyria jam facta plerique à *Pharmacopolis* mercabantur, qua de re graviter Plinius conqueritur *l.* 34. *c.* 11. Vide ſuprà, ubi de *Medicamentariis.* Id quod hodieque fit; obtinuitque jam paſſim extremis Græciæ temporibus. Olympiodorus *in Gorgiam Platonis*, Ὁ μὲν ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ πημεντάριος διακονεῖ τὰ πρὸς τὴν χρείαν εὐτρεπίζων, *Medicus quidem præcipit, at* Pimentarius *miniſtrat & quibus opus eſt, præparat.* Ubi πημεντάριον vocat, quem nos hodie *Pharmacopolam* vel *Apothecarium*, ut infrà videbimus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1050. *& ſeqq.*

PHARMACOTROPHI, Aſiæ populi Margianis, & Suſianis finitimi, qui ſe venenô alere conſueverunt, unde & nomen illis inditum eſt. Plin. *l.* 6. *c.* 16.

PHARMACUSA, *Bellonio Farmaco, Parmoſa*, Inſul. maris Ægæi, in qua Cæſar à piratis captus, & Attalus occiſus. Vide *Pharmacuſæ.* Sueton. *Cæſ. c.* 4. *Plut. Steph.*

PHARMACUSÆ, duæ inſul. exiles juxta Atticam regionem in mari Salaminiaco; in quarum alterâ Straboni *l.* 9. ſepulchrum Circes viſitur, alia eſt ſupra Miletum, in qua Attalus occiſus eſt. Duplici σ ſcribit *Stephanus.*

PHARMATENUS, fluv. Cappadociæ in Arriani *periplo.*

PHARMICAS, Bithyniæ urbs, Plin. *l.* 5. *c.* 32.

PHARMUTHI, menſis Ægyptiorum, Aprili Romanorum reſpondens, circa cujus diem 25. tempeſtivam fieri meſſem, tradit Theon. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 745. *&* 746.

PHARNABAZUS Cretenſis, Pharnabazi filius, olim Darii & poſteà Artaxerxis ſatrapes. Movit Athenienſibus bellum, Lacedæmoniis verò ſuppetias tulit. Dein Ægyptum ingreſſus per Nili oſtium re infectâ reverſus eſt. Alcibiadem interfecit, &c. Vide Cornel. Nepotem *Lyſandro & alibi. Thucyd. Xenoph. Diod. Sic Plut.* &c.

PHARNABAZUS Perſa, à Dario ultimo, in locum Memnonis ſubſtitutus Curt. *l.* 3. *c.* 8. Vinctus Amphotero & Egilocho traditus, proditâ Chio *l.* 4. *c.* 5.

PHARNACE, Cinnyræ mater. *Heſych.* Κινύρας, Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνάκης παῖς, βασιλεὺς Κυπρίων. Phœnicium verò nomen eſt פרנקא *Pharnace*, quod *dilicias* ſonat. *Bochart.*

PHARNACES, populi Ægypti, qui in oculis geminas pupillas habent; aſpectu quoque nocent. Plin. *l.* 7. *c.* 2. *Haud diſſimile his genus Pharnacum in Æthiopia prodit Damon, quorum ſudor tabem contactis corporibus afferat.*

PHARNACES, Mithridatis, Ponti Regis fil. ſeditione excitus contra Patrem excitatâ, illum eò anguſtiarum redegit, ut ſibi ipſi necem conſciſceret. Dein, quum, ut ait Florus, *l.* 4. *c.* 2. magis diſcordiæ civilis inter Pompejum & Cæſarem fiduciâ, quàm virtutis ſuæ, infeſto in Cappadociam agmine rueret, hunc Cæſar aggreſſus, unô & non totô præliô obtrivit more fulminis, quod unô eôdemque momentô, venit, percuſſit, abſceſſit. Unde eſt illud Suetonii *in Cæſare c.* 37. *Ponticô triumphô inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum*, Veni, Vidi, Vici, *non acta belli ſignificantem, ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam.* Vide quoque Vellej. Paterc. *l.* 2. Flor. *loc. cit. Dion.* &c. Item primus Cappadociæ Rex. Ricciolus *Chron. Reform. l.* 5. *c.* 9. *n.* 5. *Nic. Lloydius.*

PHARNACES, Pharnabazi fil. Satrapes Regis, cujus meminit Ariſtoph. *Avib.* 591.

PHARNACES, nobilis Perſes; frater uxoris Darii ultimi, occubuit in prœlio, ad Granicum amnem, Olymp. centeſimæ dicimæ an. 3.

PHARNACES, librarius T. Pomponii Attici, Cicer. *Epiſt.* 44. *l.* 13. *ad Attic.*

PHARNACH, pater Eliſaphan, principis tribus Zebulon. Numer. *c.* 34. *v.* 25. Latinè *taurus percutiens*, vel *percuſſus*, aut *confuſus*, ſive *fructificatio aromatum.*

PHARNACIA, vel PHARNACEA; regio & urbs Pontica inter Ceraſuntem & Trapezuntem. *Steph. Farnace* adhuc *Theveto*, ſed *Platina Pineto.*

PHARNACIUM; urbs Phrygiæ. *Steph.*

PHARNAS, in *Pharnabazus, Pharnaſpes, Pharnizathres; Tiſſaphernes, Orophernes*; aliiſque Orientis Magnatum nominibus; Chaldaicum eſt, פרנס & *Rectorem* ſeu *Gubernatorem* ſonat. Indidem *Parnaſſo*, ſeu *Parnaſo*, ut libri ſcribunt, nomen eſſe, Caſaubonus *in Perſium* tradit his verbis: *Nugantur Græci Grammatici, Parnaſſum quaſi Larnaſſum fuiſſe dictum, quòd in eo monte diluvii* λάρναξ, *h. e. arca conſtitiſſet. Nos alibi dicebamus, & Bœotiæ & vicinæ Phocidis pleraque loca à Cadmo & aliis Phœnicibus aut Syris fuiſſe condita. Cujus rei etiamſi Plutarchus atque alii Hiſtorici non meminiſſent, appellationes tamen ipſorum manifeſtam fidem facerent. Ab ea origine eſt huic monti nomen:* parnes *Syris eſt* νέμειν *&* parnaſin *paſtores. Inde Parnaſus eſt αἱ νομαὶ. Sic montem dixêre, ubi ſuos greges paſcebant.* Nempe, ut circa montem Heliconem, ubi canit Heſiodus, ſe Poëticâ facultate donatum fuiſſe; in Θεογον. *v.* 23.

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο,
Agnas cùm paſceret ſub Helicone divino.

Nam & Parnaſſum gramine abundare, Medicorum filii docent, à quibus inter graminis ſpecies *Parnaſſium* maximè commendari, legimus apud Dioſcoridem *l.* 4. & Plin. *l.* 24. *c.* 19. &c. Sed & ad Arabes graminis hujus famam deveniſſe, docet Bochart. *Hieroz. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 44.

PHARNUCHUS Aſibenus, vel *Naſibenus*, ut vult Salmaſ. Perſicam hiſtoriam condidit. Author Steph. in Ἀντιόχεια.

PHARNUTIS, fluv. Bithyniæ apud Nicæam urbem, quam præterfluit. *Suid.*

PHAROCANTHARUS, lucernæ ſeu lychnuci genus, de quo & paulo infrà voce *Pharus.*

PHARODENI, vel PHARODINI, Germaniæ populi *Ptol. Mekelburger*, teſte *Gemmâ Friſiô, Suardones* Taciti, *in German. c.* 40. uti placet *Peucero*, ubi nunc Pomerania Occidentalis. vide *Suardones.*

PHAROS, vel PAROS, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 3. Latinè *pulex*, vel *culex*, ſive *fructus tineæ.*

PHAROS, olim Ægypti inſul. oblonga, parvaque, Canopico Nili oſtio objecta; à Menelai nauclero ibi ſepulto dicta, *Ferrar.* dieique unius navigatione (ſi Homero credimus) à continenti dirempta. Sic enim ille: *Odyſſ.* 4. *v.* 453.

Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.)
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

Ad quæ verba Ariſtides, in deſcriptione Ægypti ait: Ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω πιστεῦσαι. Nempe Pharos diſtat ab Alexandria, tantum ſtad. 7. aut, ut alii mill. paſſ. Ariſtides ubi ſuprà. Καί τοι τῆς μὲν ἠπείρου ἀπέχει Φάρος ἑπτὰ μάλιστα σταδίους. Amm. Marcellin. *l.* 22. *Inſula Pharos, ubi Protea cum Phocarum gregibus diverſatum Homerus fabulatur inflatius, à civitatis litore mille paſſibus diſparata.* Vide ſis Palmerium *p.* 487. Habuit hæc inſula, ubi, ob anguſtias loci urbem exſtruere fruſtra conatus Alexander M. magnificentiæ tamen memoriam reliquit, Strabo *l.* 17. turrim ingentem ex candido Marmore, in petra ſitam, 800. talentis à Ptolem. Philadelpho, An. 470. Urb. Cond. 174. Olymp. Soſtrati Cnidii architecti operâ extructam, quæ & ipſa *Pharos* dicta eſt; & inter 7. Orbis miracula recenſetur; in qua noctu accenſæ faces navigantium curſum regebant. A cujus ſimilitudine, cæteræ quoque ſpeculæ, ſimilem in uſum conſtructæ *Phari* vocantur. Vide Martinium, & Fungerum in *Pharos*, ut & Petrum de Valle, *Itiner. tom.* 1. Lucan. *l. ult. v.* 509.

Tunc clauſtrum pelagi cepit Pharon: inſula quondam
In medio ſtetit illa mari, ſub tempore vatis
Proteos, at nunc eſt Pellæis proxima muris.

I. e. Alexandriæ adjacet. Et ante illum Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 287.

Fluctibus ambita fuerant Antiſſa, Pharoſque
Et Phœniſſa Tyros, quarum nunc inſula nulla eſt.

Mela *l.* 2. *c.* 7. *Pharos Alexandriæ nunc ponte conjungitur; olim (ut Homericô carmine proditum eſt) ab iiſdem oris curſu diei totius abducta: &, ſi ita res fuit, videri poteſt conjectantibus in tantum mutatæ cauſas Nilum præbuiſſe, dum limum ſubinde, & præcipuè*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cùm exundaret, litori annectens, auget terras, ſpatiumque augeſcentium in vicina vada promovet. Ubi vir doctus: Pomponii tempore, Pharus non jam amplius ponte, ſed mole continuâ Alexandriæ conjungebatur, idque impenſis Cleopatræ. Fallitur vir magnus ad Euſebium, cùm negat id Cleopatram feciſſe, & Soſtrato Cnidio tribuit. Ita ſeſe res habet. Pharus prius octo ſtadiorum intervallô diſtabat. Sed inſula hæc, ut inquit Cæſar *l.* 3. *de Bello Civ. c.* 112. *à ſuperioribus Ægypti regibus, nempe Ptolemæis, in longitudinem paſſuum* 900. *in mare jactis molibus, anguſtô itinere, & ponte cum oppido conjungitur. Strabo*, & *Joſephus*, ubi agit de 70. Interpretib. vocant, ἑπλαςάδιον χῶμα. Verùm moles iſta non continua, ſed interrupta erat duobus pontibus, quorum unus vicinus erat turri Phariæ, qui etiamnum extat, alter verò propior urbi, & fortior, ut ait Hirtius *de bello Alexandr.* Per hunc præcipuè egreſſus erat in Eunoſti portum, qui eſt is, quô Turcæ privatim utuntur, quemque Chriſtianis ingredi non licet. Cæſar autem fornicem, quô pons iſte ſuſtinebatur, quique etiam erat aquæ ductus Pharitis, lapidibus juſſit oppleri, ne Alexandrinis ex uno in alterum portum aditus pateret. Cleopatra verò fuit, quæ opus abſolvit, & iſthmum perduxit, ſi fides, non *Tzetzæ* tantùm & *Cedreno*, ſed *Amm. Marcellino* & auctori *Faſtorum Siculorum*. Verùm illi omnia miſcent, & uni Cleopatræ tribuunt, quæ Soſtrato Cnidio, quæ Philadelpho & aliis Ptolemæis, erant tribuenda. Ineptè præterea fretum iſtud faciunt 4. mill. paſſ. & Dexiphanem Dexiphanis filium; & illum æqualem Cleopatræ. Unum quod Cleopatra fecit, eſt, quòd ἑπλαςάδιον χῶμα urbi conjunxit, ponte everſô. Turrim verò Phariam eſſe Philadelph. juſſu extructam à Soſtrato Cnidio, vel ipſa inſcriptio luculenter docere poſſet. Inepti ſunt itaque, qui vel Cleopatræ, vel Alexandro M. opus hoc tribuunt, ut faciunt Arabes, & vetus Scholiaſtes *in Lucianum necdum editus*: Verùm rectè is vaſtam hujus turris molem deſcribit, ambitum ei tribuens parem Pyramidibus, altitudinem verò tantam, ut à 100. mill. paſſ. ſit conſpicua. Ait enim, quòd ſit τετράγωνος ςαδιαῖος τὴν πλευρὰν, ἐπὶ πολὺ τοῦ ἀέρος ἀνέχων, ὡς ἀπὸ ρ᾽ ὁρᾶσθαι μιλίων. Hoc ipſum affirmat *Geographus Nubienſis*, qui â curſûs diſtantiâ ignes Phari percipi adfirmat, curſum vocans intervallum centum mill. paſſ. Altitudinem verò Phari idem docet 300. cubitorum. Ridiculum poſſet videri id quod in quorundam legitur itinerariis, tantam molem inſiſtere 4. cancris vitreis. Utrum hoc verum ſit, necne, exploratu difficile eſt, quia Turcæ inferiores Phari partes & angulos præſertim, munimentis ſuis obruerunt, nec Chriſtianis aditus illuc patet. Interim, hoc non eſſe recens commentum colligo ex fragmento vetuſti auctoris *de miraculis mundi*, quod penes me extat, cujus hæc ſunt verba: *Secundum miraculum eſt Pharus Alexandrina, ſuper quatuor cancros vitreos, per paſſus viginti ſub mari fundata. Hoc namque mirum, quomodo tam magni cancri fieri poſſent, vel quomodo deportari & non frangi valerent: qualiter fundamenta ſuperhærere potuerint; & quomodo ſub aquâ cæmentum ſtare valeat, & quare cancri non frangantur, & quare non lubricent deſuper jacta fundamenta. Hanc Pharum Soſtratus Cnidius conſtruxit in Alexandria.* Puto Soſtratum ornatus gratiâ ad baſin Phari, proximè ſuperficiem maris; cancros iſtos addidiſſe tanquam ſi iis tota moles niteretur. Vitreos autem fuiſſe cancros iſtos impoſſibile eſt, ſed proculdubio ex duriſſimo aliquo lapide Æthiopico, qualis eſt Obſidianus, quem vitri generibus annumeratum fuiſſe teſtatur Plin. *l.* 36. *c.* 26. exſecti fuêre. Forſan etiam ex marmore Memphitico, quod & ipſum eſt gemmantis naturæ. Atque hæc quidem omnia unius Soſtrati fuêre opera. Verùm etiam antequam hæc tam vaſta moles exſtrueretur, puto Pharum navibus præluxiſſe. Quin Græcum ſit vocabulum, nullus dubito; ut enim à φαίνω eſt φανὸς, & deinde φανερὸς, ſic quoque à φάω & φάος eſt φαερὸς, & hinc φάρος, tranſlatô accentu in priorem ſyllabam, ut ſemper fit, cùm ex adjectivis fiunt ſubſtantiva. Cæterùm ignes illi, qui in Pharis diſponuntur, quandocunque ex ingenti cernuntur intervallo, coire & corrivari videntur, ac ſtellæ inſtar apparent. Hoc ſæpe incautis & ignaris impoſuit nautis, qui ita coarctatam Phari lucem conſpicati, & Canopum aliamve ſtellam rati in arenæ Marmaricæ curſum ſuum direxêrunt. Statius videtur Lunæ comparare iſtas nocturnas flammas *l.* 3. *Sylv. ult. v.* 101.

Lumina noctivaga tollit Pharos æmula Lunæ.

Sed hoc tantùm verum eſt, ſi è propinquo videantur. Tum enim vix ulla aliquando differentia apparet, inter Lunam, & alterum illud lumen. Hæc clariſſimus *Voſſius*. Pergit: Mirum eſt veteres quoſdam tam religioſos fuiſſe Homeri cultores, ut maluerint rerum naturam & ſitum regionum ad ejus poëſin componere; quàm ipſum erroris arguere, aut ſaltem poëmata ejus ad rei veritatem exigere. Neque quod Tuſcis eſt Dantes, id illis fuit Homerus. Nulla erat ſcientia, quam ex Homero ſolo non exiſtimarent eſſe petendam, ne medicinâ quidem exceptâ, aut chirurgicâ. Quia Homerus ſcripſit, Pharum navigatione diei abeſſe ab Ægypto, ideo ſcil. mutandus fuit Ægypti ſitus naturalis; nullô aliunde petito argumentô, quàm ex aggeſtione limi. Verùm hoc inſigniter confutavit Bochartus, quem vide. Mihi valdè probabilis videtur opinio Eratoſthenis, dicentis, Homero ignota fuiſſe Nili oſtia. Explodit hanc tamen Strabo, non ſequi inquiens, ut ignota fuerint, quia non meminit, nam neque patriæ meminiſſe. Verùm, ut puto, non benè aſſecutus eſt Eratoſthenis mentem Strabo. Eratoſthenes ideo dixit, Homerum ignoráſſe oſtia Nili, non quia eorum nullam facit mentionem, ſed quia Pharum à Nilo diei navigatione abeſſe tradidit, Hoc ut intelligatur, ſciendum eſt: Nilum ab Homero vocari Ægyptum, quod omnes nôrunt. Cùm ergo dicit Pharum ab Ægypto, ſive Nilo, diei navigatione eſſe remotam, manifeſtè intelligit Peluſiacum Nili oſtium. Tantum enim circiter ſpatium unô die percurrere poteſt navis ventô ſecundô, uti ait Homerus, impulſa. Si ergo per Ægyptum intellexit remotiſſimum à Pharo oſtium, clarum eſt eum ignoráſſe cætera Nili oſtia, *Nic. Lloyd. Baudrando Pharos*, nunc *Farion*, fuit in ora maris Mediterran. inſula. Nunc Continens, cum turri ſeu ſpecula & oppid. tenui, ubi commorantur, qui anteà Alexandriæ degere conſueverant, aliquot nempe mercatores & piſcatores, à paucis annis, Alexandriâ ferè deſertâ. Euſtathius in promuntor. inſula Antipharon ſpeculam fuiſſe teſtatur, nunc *Garofalo. Ferrar.*

PHAROS, inſula Illyrici, à Pariis, Olymp. 98. Ann. 4. adjuvante Dionyſiô, colonis repleta, *Leſina* Italis & *Procopio*, *Phara Porphyrogen. Haar* Slavis, ad Ortu in Occidentem ad 60. mill. paſſ. extenſa, 10. mill. paſſ. à Corcyra Melana in Boream, Bratiam inſulam verſus, àqua vix 3. diſtat. Habet Urbem Epiſcopalem cognominem in parte Occidentali 17. mill. paſſ. â Spalato in Meridiem, 60. à Narona in Occidentem, ſub Venetis. *Strabo*, Plin. *l.* 3. *c.* 21. &c.

PHARPAR, PHARPHAR, profundus & amœnus Damaſci fluvius eſt, in tribu Manaſſe, qui in radicibus Libani montis, Damaſco propinquis, emanans, eam urbem interſecat, deinde Antiochiam tendens, ejus mœnia allambit, tandemque mari Mediterraneo commiſcetur, 2. Reg. *c.* 5. *v.* 12.

PHARPARIDES, pars Tauri montis, Plin. *l.* 5. *c.* 27. Lege *Paryadres*, quod vide.

PHARRASII, vide PRASIANA.

PHARRO, clamor militaris Hibernorum: utrum à *Pharaone*, Gandeli ſocero, an ab alia cauſa? Rich. Stanihurſtus de *Reb. Hibern. l.* 1.

PHARSALIA, à PHARSALO oppido, dicitur tota Theſſalia. Lucan. *l.* 1. *v.* 38.

——— *Diros Pharſalia campos*
Impleat. ——— ———

Item Lucani poëma, quod ſcripſit de bello Civili inter Cæſarem & Pompejum:

——— *Pharſalia noſtra* (inquit ipſe)
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.

Nic. Lloydius.

PHARSALOS, hodiè *Farſa*, Theſſaliæ oppid. Epiſcopale ſub Archiepiſcop. Lariſſæo, dein Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, ad Enipeum fluv. Catullus *Argonaut. Epigr.* 65. *v.* 72.

Pharſalon coëunt, Pharſalia tecta frequentant.

Lucan. *l.* 6. *v.* 350.

Emathis æquorei regnum Pharſalos Achillis.

Hinc *Pharſalici campi*, pugnâ inter Cæſarem & Pompejum memorabiles. Hi poſteà Philippici dicti ſunt, ſive à *Philippo rege*, ſive à *Philippis* urbe vicina, *Steph.* Vide *Farſalus*, & *um.*

PHARSAM, Rex Jerimoth, unus ex quinque Regulis, qui Adonizedecho auxiliati, cum illo, in victoris manus pervenerunt. Vide *Adonizedecus.*

PHARSANDATHA, fil. Aman. Eſth. *c.* 9. *v.* 7. Latinè, *revelatio menſtrui*, vel *commotionis ſuæ*, aut *equitis commotio*, ſive *ſtercus menſtruorum*, vel *commotiones ejus.*

PHARSIRIS, apud Strabonem ex Cteſia *l.* 16. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις καὶ μάλιςα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί, καθάπερ τὸν Δαριήκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ Φάρσιριν Παρύσατιν, Ἀταργάτιν δὲ τὴν Ἀθάραν, Δερκετὼ δὲ αὐτὴν Κτησίας καλεῖ. *Mutationes autem nominum, barbarorum maximè, permulta. Sic enim Dariavem Darium; Pharſirim Paryſatin; Atargatim Atharam, Derceto autem Cteſias vocat.* Vide in voce *Paryſatis.*

in PHARSIS Mercurius, reſponſa ad hunc modum dediſſe fertur: *Thure accenſô, ac interrogatô in aurem Deô, ſibi aures obthurant; tunc foràs egreſſis vox prima à quovis obvio prolata, pro oraculo accipitur*, Pauſan. *l.* 7. Adjicit, Τοιαύτη καὶ Αἰγυπτίοις ἑτέρα περὶ τοῦ Ἄπιδος τὸ ἱερὸν μαντεία καθέςηκεν, *Tale apud Ægyptios in Apidis templo celebratur.*

PHARSUASA, fil. Cabadis Perſarum Regis, ob quem ſeductum, Manichæi omnes. unà cum Epiſcopo ſuo Indagaro, libris combuſtis, internecione deleti ſunt, A. C. 524.

PHARUA, nomen viri, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 17. Latinè, *floridus*, aut Syriacè, *volens.*

PHARUDA, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 55. Latinè *ſeparatio*, vel *diſperſio.*

PHARUM, locus in Anglia, poſteà *Strevaeshalch*, & hodie *Withie* dictus. Hîc virginum olim cœnobium, cui S. Hilda præfuit, cujus precibus Synodus hîc habita, A. C. 664. Beda, *Hiſt. l.* 3. *c.* 15.

PHARUS hodiernus, vulgò *Phanarion*, ad os Boſphori Thracii in Pontum Euxinum, in ora Thraciæ, prope Panium promuntor. *P. Gyllius.*

PHARUS, fluv. Ciliciæ. *Suid.*

PHARUS, nomen eſt editarum turrium, ad maris littora vel fluminum ripas, extructarum, ut, ardente in ſublimi face, quà iter dirigant, diſpicere poſſint. Sic *Pharus* apud Stat. *l.* 3. *Sylv.* 5. *v.* 101.

Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia natis
Lumina noctivagæ tollit Pharus *æmula Lunæ;*

præcelſa turris eſt, cum luminibus nocturnis, in Capreis, hanc enim Inſulam hiſce intelligit Poëta: ab Ægyptia Pharo, de qua prolixè dictum, nomen adepta. Vide notata Lipſio *ad Annalem* 4. *Taciti*, Herm. Barbaro *ad Plin. l.* 36. *c.* 12. Dion. Gothofredo *ad Pandectas*, &c. Alia eſt contra Siciliam *Pharus*, quam hodie vocant, celebrata Hug. Falcando *in Tragœdiis Aulæ Sicul.* Sed & hunc uſum habent, ut in alta illa ſpecula naves procul advenientes obſervari poſſint. Eadem hodie multis in locis *Lanternæ* dicuntur. Itali quoque prælucentem in alta puppi magnæ cujuſque navis Lucernam *Phano* appellantes, è Græco verbo nomenclationem hanc derivâſſe videntur, Fortun. Licetus *de Lucernis antiqq. l.* 6. *c.* 98. *ubi Lucernam in capite aſpidis conſtitutam exponit,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ponit, de alta ſpecula Phari è litore navigantibus prælucente. Ad imitationem nempe Alexandrinæ *Phari* turres tales aliis in locis quoque conditas eſſe, teſtatur Plinius *l.* 36. *c.* 12. *Uſus ejus* (nempe Alexandrinæ) *nocturno navium curſui ignes oſtendere ad prænuntianda vada portuſque introitum: ſicut jam tales pluribus locis flagrant, ut Puteolis ac Ravennæ.* Cujuſmodi *Pharos* quinque celebres in Orbe numerat Licetus, *loc. cit.* Sed paulo plures eſſe, hîc *infrà* videbimus. Chriſtiani Scriptores, homines illuſtres hôc titulô notant, Dugalus *contra Claudium Taurin.* Fortunatus *de Vita Martini l.* 1. & *l.* 10. *carm.* 10. Anaſtaſius ſæpiſſimè *in Vitis Pontif.* Alii. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium.* Porrò *Pharus*, apud recentioris ævi Scriptores, *lucerna* eſt ſive lychnuchus orbicularis & circularis cum certo lucernarum aut candelarum numero, cujuſmodi paſſim in Templis viſuntur: ſic dictus, quòd inſtar *Phari* ſit, ejuſque ſpeciem referat, Papias, Anaſtaſius Biblioth. in *Hilario*, *Sylveſtro*, *Hadriano*, *Leone III.* &c. Anonymus Poëta de Pontificibus Eboracenſibus,

Hoc altare farum ſuprà ſuſpenderat altum.

Eâdem notione in fœminino genere occurrit, ſicut turris Alexandrina, unde nomini origo. Inſcriptio *phari* in Eccl. Wilibaldi Eyſtetenſi, apud Gretzerum, in *Epiſcopis Eyſtetenſ. c.* 12.

Hanc Willibaldo Pharum *conſtruxerat almo*
Præſul devotus, Mengoſus, nomine dictus, &c.

Ejuſmodi autem lychnuchorum variæ erant figuræ. Quidam coronæ in ſpeciem efformati erant, unde *Phara coronata* Anaſtaſio in *Sylveſtro*: Alii in crucis vel retis formam erant compoſiti, de quibus fusè agit Car. du Freſne *Deſcr. ædis Sophiæ*: Quidam arborum ſpeciem præferebant, Plin. *l.* 34. *c.* 3. ex quo diſcimus, habuiſſe Veter. *in delubris lychnuchos penſiles aut arborum modò mala ferentium lucernas*, vide ſuprà *Arbor.* Denique ita erant efficti, ut ab iis penderent diſci ſeu canthari, in quibus vel candelæ vel lucernæ erant: Hos *pharocantharos* vocat Anaſtaſius in *Sylv. Leone III. Sixto III.* & *Benedicto III.* Car. du Freſne *Gloſſ.*

Phari quædam in Orbe celebriores,

α. Alexandrina, reliquarum omnium celeberrima ſimul ac antiquiſſima, à qua nomen, vide in *Pharus.* β. Burdigalenſes inter ac Santones, in Oceani litore, iſtiuſmodi turres, vulgò *Lanternas* vocatas, excitavit ad Ludovici Imperatoris exemplum Carolus VI. Galliæ Rex γ. Ad *Civencheu* urbem, in Sinico Imperio *Paocai* mons eſt, in cujus vertice eminet turris Novizonia, navigantibus *Pharum* ac certiſſimum litoris propinquantis ſignum præbens. δ. Genuenſium portui imminet turris editiſſima, patriô nomine itidem *Lanterna.* Sicut rupes eminens, in qua illa eſt, *Co de Fa*, i. e. *Caput Phari*, dicta. Huc aſcendens ſpeculator, poſitis extra turris cacumen ſignis indicat numerum navium eminus adventantium: noctuque magnam ibi Lucernam accendit, navigantibus portûs introitum monſtrantem. ε. Circa Geſſoriacum Caligula Imperator in littore Gallico, ad Oceanum, altiſſimam excitavit turrim, è qua, ut è *Pharo*, noctu, ad regendos navium curſus, faces emicarent. ζ. Laternæ, vide *ſuprà.* η. Ad Meſſanæ portum, in Inſula Siciliæ, celebris eſt, *Phari* nomine, turris. θ. Oſtiæ, portu extructô, excitavit altiſſimam turrim, ad exemplum Alexandrinæ *Phari*, Claudius Imperator. ι. Phaſelus, ab Herode ſubſtructæ turris nomen fuit, quam ſimiliter ad Alexandrinæ *Phari* ſimilitudinem condidit. Vide infrà in voce *Phaſelus.* κ. Puteolanæ turris, eundem uſum præbentis, meminit Plin. *loc. cit.* λ. Ravennæ turris conſimilis, eidem memoratur. μ. Pyramides Ægyptiæ, inter alia, *Phari* quoque uſum habuerunt, illa præſertim, quæ in Arſinoite Nomo, & duæ illæ, quæ in Memphi, undique adnavigantibus conſpicuæ. ν. Rupellæ, conſtituit *Pharum*, Carolus VI. Galliæ Rex ſuprà dictus. ξ. Santones inter ac Burdigalenſes, ab eodem, in Oceani litore, varias excitatas fuiſſe, dictum. ο. ad Scaldis oſtium, celebrem *Pharum* condidit Ludovicus Imperator cujus exemplum Carolum VI. variis in locis imitatum eſſe retro indigitavimus. π. Sluſis in Flandria, ab eodem Carolo extructa eſt, &c. Vide præter Licetum *loc. cit.* Auctorem Anonymum libri, cui titul. *Sina, & Europa*, *c.* 17. Nec omittenda turris admirandi operis, à Ludovico XIV. magnificentiſſimè reſtituta, quæ ſcopulo inſidet, medio in oſtio Garumnæ, *la Tour de Cordan* vulgò dicta. Ubi noctu ignis accenſus Garumnam intrantibus egredientibuſque allucet, ut olim in *Pharo* Alexandr. & poſteà in Urbe Callaicæ Brigantio vel Brigantia, quam *Plin.* & *Ptol. Flaviobrigam*, recentiores *Compoſtellam* vocant: in Morinorum urbe Goſoriaco vel Bononia, factum eſſe novimus, verba ſunt Hadr. Valeſii *Notit. Gall.* in voce *Garumna.*

PHARUSII; vel PHAURUSII, populi Africæ ultra Mauritaniam, Mela *l.* 3. *c.* 10. *Deinde Pharuſii, aliquando, tendente ad Heſperidas Hercule, dites: nunc inculti, & niſi quòd pecore aluntur, admodum inopes*, Plin. *l.* 5. *c.* 8. *Pharuſii quondam Perſæ, comites fuiſſe dicuntur Herculis ad Heſperidas tendentis.* Ubi Salmaſ. legit, *per ſe comites*, & interpretatur, ſuâ ſponte, prorſus ridiculè, inquit Iſac. Voſſ. Vulgatam enim lectionem veram eſſe, apparet ex Salluſtio, qui in Jugurthino, ubi de Herculis exercitu in diverſas oras dilapſo agit, addit, *c.* 18. *Ex eo numero Medi, Perſæ, & Armenii navibus in Africam tranſvecti, proximos noſtro mari locos inhabitavêre: Sed Perſæ intra Oceanum magis, hique alveos navium inverſos pro tuguriis habuêre.* Nempe Perſas iſtuc conceſſiſſe ſcribit, ubi hic Pharuſios deſcribit Pomponius. *Dionyſius:*

Ἄγχι δὲ Μαρμαρίδαι προνενευκότες Αἰγύπτοιο,
Γαίτυλοί τ' ἐφύπερθε. καὶ ἀγχίγυοι Νίγρητες.
Ἑξείης δ' ἐπὶ τοῖς, Φαυρύσιοι.

Vide Strab. *l. ult.* ubi de Mauris. *Nic. Lloydius.*

PHARYBUS, *Ptolem. Helicon* Pauſaniæ, *l.* 9. *Baphyrus* Lycophr. *Baphyrus* Liv. *l.* 44. *c.* 6. fluv. Macedoniæ, in mare Ægæum, ad Dium urbem decurrens, *Faribo* vulgô, qui poſt 70. ſtadia ab ortu ſuo conditur, ac 20. rurſus emergit, Φάριβος *MS. Seldeni.*

PHARYCADON, urbs in Eſtiæorum plaga, quam alluit Peneus fluv. Strabo *l.* 9.

PHARYGE, urbs Locridis, quam Homer. *Il.* β. *v.* 533. *Tarphen* vocat. Hinc Pharygæa, *Steph.*

PHARYGIUM, promontor. Phocidis, *Strab.*

PHARYNGÆ, vicus Phocidis, non longè ab Acrurio monte, Plut. *in Phoc.* Quidam *Pharygæ* legunt.

PHASAELIS, urbs Judææ, *Steph.* ex *Joſepho*: ab Herode M. unà cum Azotho & Jamnia, ſorori ejus Salomæ aſſignata: quam τοπαρχίαν vocat *Joſephus*, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 576. ut & *p.* 1321. ubi ab Herode conditam, addit.

PHASANIA, oppid. Africæ ſupra minorem Syrtim, Plin. *l.* 5. *c.* 5. Populi *Phaſanii.*

PHASCA, urbs Armeniæ majoris, *Ptolem.*

PHASEA, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 49. Latinè, *tranſitus.*

PHASELIS, Moletio *Fionda*, nomen urbis Epiſcopalis Mela, *l.* 1. *c.* 14. *Phaſelis à Mopſo condita, finis Pamphyliæ.* Euſebius à Lacio Lindio fratre Antiphemi, de quo ſuprâ, conditam ait, Olymp. 25. annô 4. quô à fratre Gela in Sicilia condita eſt. Hanc alii Pamphyliæ, alii Lyciæ, alii Cilicum urbem eſſe dixerunt. Hoc mirantur viri eruditi, neque minus iſtud, quòd cum Strabo hanc vocet πόλιν ἀξιόλογον, tribuſque portubus inſtructam, Lucanus tanquam oppidulum deſcribat; ait namque *l.* 8. *v.* 251.

—— *Te primum, parva Phaſelis*
Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,
Exhauſtæque domus populis, majorque carina
Quàm tua turba fuit. ——

Verùm ita ſeſe res habet. Phaſelis à Lyciis olim fuit habitata; Lyciæque attributa fuit primitus. Pamphyliis verô latè oram maritimam tenentibus, Pamphyliæ annumerata fuit urbibus, licèt incolæ eſſent Lycii. Poſtmodum opportunitate ſitûs allecti, & invitati à Cilicibus, ipſi quoque piraticæ ſe applicuerunt, aut ſaltem piratis receptaculo fuêre, deſertâ communi Lyciorum ſocietate, vel ſuâ ſponte, vel ejecti ab illis. Tum Cilicum dicta fuit urbs Phaſelis. Deinceps Publ. Servilius eam evertit. Propter incolarum itaque paucitatem, *parvam* eam vocat Lucanus. Nam, ſi aliter intellexerit, & exiguum oppidulum fuiſſe exiſtimârit Phaſelida, valdè erravit. Siquidem *Aſconius Pædianus*, Corycum, Olympum & Phaſelida, tres magnas Cilicum, appellat urbes, Iſac. Voſſ. *in cit: Melæ loc.* Ejus meminit Dionyſ.

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες,
Κώρυκος, Πέργη τε, καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις·

Incolæ hujus urbis, quia ſolerent piſciculos ſalſos diis ſacrificare, citra ſanguinem, eorum ſordidus tenuiſque ſacrificandi mos abiit in proverbium: *Phaſelitarum ſacrificium*, & *ſacrificium ſine fumo. Plin. Ptolem.* &c. *Nic. Lloyd.* Eorundem vox Σισόη, apud *Heſychium*: Σισόη, κουρὰ ποιὰ, Φασηλῖται, *Siſoë ſpecies tonſuræ; Phaſelitarum* vox. Vide *Siſoë.*

PHASELU, ſeu PHASELUM, FASELLUM, & PHASELIS, oppidum in deſcenſu montis Ephraim, ſitum in campo palmetis conſito, quod Herodes ſenior Aſcalonita, in honorem Phaſeli, fratris ſui, à Parthis necati, condidit, atque ita nominavit, eſtque in tribu Ephraim.

PHASELUS, Hieroſolymæ præfectus ab Antipatro Herodis filio, An. Urb. Cond. 710. *Joſephus.* Item Antipatri ex Cypride fil. Herodis Judææ regis nepos.

PHASELUS, nomen turris 90. cubitos altæ, in edito muri antiqui loco, ſupernè in pilæ modum factæ, ſtupendæ magnitudinis & firmitatis, quam Herodes Aſcalonites, ad ſimilitudinem *Phari*, turris Alexandrinæ, ædificavit atque in honorem *Phaſeli* fratris ſui dedicavit: qui à Parthis captus, cùm nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, colliſô ad ſaxum capite, ſeipſum occidit. Auctor Anonymus *l. cui tit. Sina & Europa c.* 17. Vide quoque in voce *Phaſelu.* Idem inter navium nomina, quarum complura recenſet Nævius, apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 25. *Scaphæ, pontones, acatia, hemiolæ*, Phaſeli, *parones* &c. Vult autem *Phaſelum*, navigium fuiſſe Campanum *Nonius*: Alii navem oblongam eſſe ſcribunt, qualem ſtagnante Nilô Ægyptii uſurpârint. *Straboni* & *Appiano* navigii genus fuit, miſtam habens formam ex oneraria & longa triremi, quod tam remis, quàm velis agi potuerit. Unde Catullus, *Epigr.* 4. *v.* 1. *ſ.*

Phaſelus *ille, quem videtis hoſpites,*
Ait fuiſſe navium celerrimum,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequîſſe præterire, ſive palmulis
Opus foret volare, ſive linteô.

De magnitudine aliquid judicare licet, ex illo Salluſtii, *l.* 3. *Fragm. Et fortè in navigando cohors una, grandi* Phaſelô *vecta, à cœteris deerravit. Marique placidô à duobus prædonum Myoparonibus circumventa.*

PHASELUSSÆ, duæ inſulæ Libyæ prope Sirin fluv. *Steph.*

PHASGA, vel PISGAH, mons Moabitarum, Numer. *c.* 21. *v.* 10. Latinè, *collis, altitudo*, vel *munitio*; in tribu Ruben. Ubi Moyſes, non procul à Nebo monte, obiit. Quia vehementer abruptus, vocatur *exciſus*; ſeu potius vertex ipſe montium Abarim.

PHASIANA, dicta eſt, quæ aliàs, *Cybele, Dindymene, Berecynthia, Peſſinuntia, Mygdonia, Aſporene, Cimmeris, Cybeba*, &c. Fuit autem hoc ei in Colchide epitheton, à fluvio *Phaſide.* Meminit Arianus *in periplo Ponti Euxini*, Εἰσβαλλόντων δὲ εἰς τὸν Φᾶ-

σιν,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

σιν, ἐν ἀριστερᾷ ἵδρυται ἡ Φασιανὴ Θεός. Εἴη δ' ἂν ἀπό γε τοῦ σχήματος τεκμαιρομένῳ, ἡ Ῥέα. Καὶ γὰρ κύμβαλον μετὰ χεῖρας ἔχει, καὶ λέοντας ὑπὸ τῷ θρόνῳ καὶ κάθηται ὥσπερ ἐν τῷ μητρῴῳ Ἀθήνησιν ἡ τοῦ Φειδίου *Intrantibus Phaſin à ſiniſtris* Phaſiana *Dea apparet; quam ex ejus ſpecie atque forma, Rheam eſſe conjicere licet. Manibus enim tenet cymbalum, Leones habet ſub throno ſedetque, ut illa Phidiæ Athenis in æde Matris Deorum.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. Gent. l.* 2. *c.* 52.

PHASIANA, regio circa Phaſim fluv. & Populi *Phaſiani*, Diodor. Sic, *l.* 14. quos ab Ægyptiis oriundos, in Colchidem migrâſſe ſcribit *Strabo.* Hinc *Phaſianæ aves* Plin. *l.* 10. *c.* 48.

PHASIANARIUS, qui *Phaſianos* paſcit. Paulus JCtus *Phaſianarii autem & paſtores anſerum non continentur.* Vide Spiegelium apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Erat autem *Phaſianus*, ſobriis olim Principibus ultimus delitiarum finis, quippe cui per ſe eximiæ raritas pretium addebat. Petronius *Satyric.*

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles ———

Ubi *Phaſianum* primò intelligit verſu, ex Phaſide Colchidis amne, petitum: Inde enim adferebatur, quod ipſum indicat nomen. Agatharchides de Phaſide, apud Athenæum *l.* 9. Πλῆθος δὲ ὀρνίθων τῶν καλουμένων Φασιανῶν φοιτᾷ τροφῆς χάριν πρὸς τὰς ἐμβολὰς τῶν ποταμῶν, *Avium, quos* phaſianos *vocant, magna copia cibi causâ ad fluminis oſtia ſe confert.* Petronius idem alibi,

——— ——— *Jam Phaſidis unda*
Orbata eſt avibus ———

Martialis in *Xeniis*, *l.* 13. *Epigr.* 72.

Argiva primùm ſum tranſportata carinâ,
Antè mihi notum nil niſi Phaſis erat, &c.

Quæ quamvis protrita, Talmudicos tamen latuerunt & Chaldæos Veteris Scripturæ Paraphraſtas. Aliàs non pro *phaſianis* habuiſſent aves illas, quas Auſter advexerat in caſtra Iſraëlitarum, ſi ſciviſſent *phaſianos* ex Septentrione afferri. Non quidem ex ſola Colchide illos peti certum: nam ad Ptolemæum Ægypti Regem ἐκ Μηδείας μετεπέμποντο, *ex Media accerſebantur*, ut teſtatur Athenæus *l. c.* & in provinc. *Ergimul*, Paulus Venetus *l.* 1. *c.* 62. maximos deſcribit faſianos, *caudas habentes longitudinis decem palmarum aut octo.* Sed, ut Colchis & Media, ita etiam *Ergimul* ad Septentriones obverſa eſt. Sed & in eo impegerunt, Jonathan, qui Exodi *c.* 16. *v.* 13. reddit, *Et aſcenderunt phaſiani & cooperuerunt caſtra*: & Rabbi Joſ. Cæcus, qui Pſalm. 105. *v.* 40. *Carnem petierunt, & adduxit phaſianos*, habet, aliique hujus cenſûs, quòd illis non ſuffecit, coturnicibus Iſraëlitas à Deo liberaliter paſtos eſſe, ſed inſuper aves voluêre adjungi, quæ palato maximè arrident. Etiam verò τατύραν, *tatyram*, appellari hanc avem, diſcimus ex *Heſychiô* & Athenæo *l.* 9. poſt Pamphilum Alexandrinum *in Gloſſ.* & Epænetum in *Opſarcytio.* Quò alludit Perſicum phaſiani nomen *tazeru* & Arabicum *tadrug.* Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 14. Vide quoque Guil. Stuckium *ad Arriani Periplum Ponti Eux.* Interpretes Petronianos, Alios, ut & hîc infrà.

PHASIANUM Mare, pars Orientalis eſt Ponti Euxini, verſus oram Colchidis & oſtia Phaſis. Nunc *Mer de Mingrelie*, à provinc. adjacente. *Sanſo*, *Baudrand.*

PHASIANUM, caſtellum Equitum Rhodiorum in Apulia Peucetia.

PHASIANUS, tertiô pulchritudinis locô inter aves memoratus, Statio *Epicedio in Pſittacum Melioris Atedii*, *Sylv.* 4. *l.* 2. *v.* 25.

Pſittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmatâ volucris Junonia caudâ
Vinceret, adſpectu gelidi non Phaſidis ales:

ubi pulchritudinis primas Pſittaco, ſecundas *Pavoni*, tertias *Phaſiano* tribuit. Solon verò inter formoſiſſimas quidem aves ſimiliter *Phaſianum* recenſuit, ſed is gallum addebat gallinaceum, qui cùm pulcherrimus plurimùm ſit, minùs tamen à forma laudari ſolet, quia avis illa uſque adeo vulgaris. Is itaque cùm videret, Crœſum exquiſitum in morem ornatum & ſublimi in ſolio conſidentem, rogatus ecquod pulchrius vidiſſet ſpectaculum, reſpondit apud Laërtium, *l.* 1. *c.* 51. Ἀλεκτρυόνας, φασιανοὺς καὶ ταώς· φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηνται καὶ μυρίῳ καλλίονι, *Gallos gallinaceos*, Phaſianos *atque pavones: naturali enim nitore atque incredibili veſtiuntur ornatu.* Nec de alite hac adſcribere pigebit, quid ſenſerit Gybertus Longolius Ultrajectinus, Chriſtophori Longolii patruus, *eleganti dialogô ſuô de avibus: Phaſianis nunquam quidquam ſpecioſius contemplatus ſum. Valeant omnes Pictores: ipſe Apelles, ſi redivivus foret, varietatem & ſplendorem pennarum plumarumque imitari non poſſet.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 80. Carnem ejus carni gallinarum non cedere, ſapore etiam ſuperare, notat Galenus, unde illum laudatiſſimis avibus, gallinæ, columbæ, perdici, attagenæ, adponit, *de aliment facult. l.* 3. *c.* 19. Imò Averroës & Petrus Aponenſis, ob ſucci quoque ac nutrimenti bonitatem, avium cunctis illum præponunt, pluribuſque ejus temperamentum celebrat Ulyſſes Aldrovandus *Ornithologiæ l.* 13. Non dubium autem, quin non iſta ſolùm, ſed & raritas quoque, majus ejus pretium fecerint. Itaque negat Martialis *in Xeniis*, *l.* 13. *Epigr.* 45. eum ſe poſſe mittere amico,

Si Libycæ nobis volucres, & Phaſidos eſſent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

Sed minùs hoc mirandum in Equite Romano, haut magna in re. Majorem habet admirationem, quòd Capitolinus, *c.* 12. narrat, Pertinacem Imperatorem nunquam hanc avem privatô ediſſe conviviô, vel cuipiam amicorum miſiſſe. Nec Alexander Severus menſis eam imponi ſivit, niſi Kalendis Januariis, Hilariis Matris Deum, Ludis Apollinaribus, Jovis epulo, Saturnalibus & majoribus hujuſmodi feſtis, ut auctor eſt Lamprid. *c.* 37. Imò & de Ptolemæo proditum; non deguſtâſſe unquam *Phaſianum*, ſed velut κειμήλιον ſervâſſe, ut proditum Athenæo *l.* 14. Fuit autem is Ptolemæus VII. cognomine *Phyſcon* ſive Euergetes II. de quo meritò quis miretur, gulæ ſic temperare potuiſſe, qui uſque adeò eſſet incontinens: præſertim cùm non modò haberet *Phaſianos*, è Media apportatos, ſed alios etiam ex ovis, quæ gallinis cortalibus ſubjecerant, excluſos Alexandriæ, idque tantô numerô, ut iis quotidie veſci poſſet, quemadmodum ipſe *l.* 12. *operis ejus, quô viginti quatuor Hiſtoriarum libros* complexus erat, de ſe prodidit. Sed enim nihil æque Regem impulit, ut oſtentationis causâ tantum *Phaſianorum* aleret, quàm quòd miraculi penè locô haberetur, id avis genus naſci & educari in Ægypto. Solum enim illis cœlumque frigidum convenit: quale conſtat eſſe tum Mediæ, unde tranſlati in Ægyptum; tum Colchidos; ubi niſi abundâſſent, non à Phaſide, Colchidis fluvio, *Phaſianorum* iis datum foret nomen: Imò in Europam inde tranſvecti. Notum illud Petronii *d. l.*

Ales Phaſiacis petita Colchis.

Et hoc Martialis *in Xeniis*, *l.* 13. *Epigr.* 72.

Argivâ primum ſum tranſportata carinâ,
Antè mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Coxêre olim, ad majorem gulæ voluptatem, non in aquis, ſed vapore calidô ex aquis penetrante. Hieronym. *Ep. ad Oceanum* 87. *Domum ſuam bene regentem, non ut opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut celatas patinas ſtruat, non ut Phaſidos aves lentis vaporibus coquat, qui ad oſſa perveniant & ſuperficiem carnis non diſſolvant artifici temperamentô.* Cùm Tetraonibus eoſdem confundit Ptolemæus præfatus apud Athenæum, ſed Tetraones, anſerini potius eſſe generis, ex Plinio diſcimus; niſi vox tetraonis ſit antiqua & diverſi generis avibus attributa. Vide iterum Voſſ. *Opere præfatô l.* 3. *c.* 91. qui, ut de ætate quoque aliquid adjiciam, *Phaſianos ac perdices, vivere annis* 16. docet *loc. cit. c.* 79. & hecticâ laborantibus conducere, *c.* 96.

PHASIS, inſula parva, apud fluv. cognominem unde Pavo primum exportatus, *Iſidor.* Ibidem herbæ venenatæ naſcuntur.

PHASIS, urbs Colchidis, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Trapezuntio, *Faſo*, Italis, urbs etiamnum ampla, in regione Mingrelia, ad oſtium Meridiale fluvii cognominis inter Apſarum ad Meridiem 60. mill. paſſ. & Dioſcuriadem ad Boream 110. circiter diſtans.

PHASIS, fluv, celeberrimus, cujus elegans admodum deſcriptio extat apud Arrianum *in Periplo Ponti Euxini.* Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 367.

——— *Phaſimque Lycumque*

Quæ conjunctio ad laudem utriuſque fluvii. Siquidem teſte Strabone *l.* 11. Ποταμοὶ πλείους μὲν εἰσὶν ἐν τῇ χώρᾳ, γνωριμώτατοι δὲ Φᾶσις μὲν καὶ Λύκος. Ut plerique tradunt, Colchorum, ut Plutarchus (ſive quiſque author illius libri) *de Fluminibus & Montibus*; Scythiæ fluvius, eſt. Sic dictus fuit, teſte Euſtath. *in Dionyſ.* à Colchide, cujus filius Colchus fuit. Alii volunt appellatum à *Phaſi* nymphâ in eum converſâ. Ita Stuckius ex Valerio Flacco. Atqui *Phaſidis* hujuſce nemo, quod ſciam, mentionem facit, verſus autem Valerii ſic legendi ſunt: *l.* 5. *v.* 425.

Barbarus in patriis ſectatur montibus Æam
Phaſis amore furens, pavidas jacit illa pharetras
Virgineô turbata metu, diſcurſibus & jam
Deficit, ac volucri victam Deus alligat undâ.

Plutarchus, *ubi ſuprà*, ab initio *Arcturum* fuiſſe nominatum ſcribit; nimirum à ſitu regionis frigidæ verſus Arcturum; ſed poſteà hujuſmodi quôdam caſu Phaſin fuiſſe appellatum. Phaſis enim Solis & Ocyroæ fil. matrem ſuam in adulterio deprehenſam interemit. Furore itaque correptus, ſemetipſum in Arcturum præcipitavit, unde poſteà fluvius *Phaſis* fuit cognominatus. Stuckio videtur hoc nomen ſortitum, vel à claritate limpida, quam Arrianus ei tribuit, quaſi διαφανής, vel (cujus idem teſtis eſt) coloris illius mutabilitate, quod variæ crebræque ſint illius φάσεις, h. e. modò hôc, modò illô colore appareat. *Phaſidis* vocabulum (inquit Bochartus, *l.* 4. *Phaleg. c.* 31.) pro rivo, vel flumine merè Syrum eſt. Sic Pſalmo 42. 2. Syro על פצידא דמויא (*al phaſide demoio*) *ad rivos aquarum.* Procopius, *l.* 2. *de bello Perſico*, ab initio ortûs ſui *Boam* dicit appellari; hodie corruptô vocabulô *Phaſa*, vel *Faſſo* dicitur. Ortum ſuum ducit (ut Plinius *l.* 6. *c.* 4. inquit) in Moſchis, ut *Strabo*, in Armenia, ut *Dionyſius*, à monte Armenio; Verſus ejus hi ſunt:

——— ——— Ἔνθα τε Φᾶσις
Κιρκαίου κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο,
Εὐξείνου ποτὶ χεῦμα θοὴν ἐπερεύγεται ἄχνην,
Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ' οὔρεος, Ἀρμενίοιο.

Apollon. *l.* 2. eum oriri dicit:

——— ——— Ἀμαράντων
Τηλόθεν ἐξ ὀρέων, πεδίοιο ὅθι Κιρκαίοιο.

Amaranta autem (ut *ibidem* Scholiaſtes) vel urbs eſt in Ponto, vel montes Colchici, unde (ſecundùm *Herodotum*) Phaſis delabitur. Quô ignoratô Egeſtratus Epheſius Phaſidis portus ἀμαραντίας, h. e. εὐθαλεῖς, καὶ ἀμαράντους, i. e. *ſemper florentes* reddidit. Amaranta autem eſſe montes Colchorum, Cteſias quoque *l.* 2. prodidit. apud *Stephanus* Amarantos populos dicit eſſe, inter Colchos, *Amarantius* dicitur. Atque hæc de illius ortu, quem ex Armenia duci, inter omnes ferè authores ſatis conſtat. De exitu ejus (inquit *Lud. de la Cerda*) quæſtio aliqua, ſed non incerta. Aliqua, nam Hecatæus Mileſius ſcripſit, in Oceanum influere, ſed non ita incerta; nam certum, influere in Euxinum ex Apollonii Scholiaſte, ex Agathia, ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ex Eratoſthene *l.* 3. *Geogr.* ex aliis. Ergo cum Hecatæus nominat Oceanum, credibile intellexiſſe mediterraneum. Regio, per quam fluit, ſive quæ illi adjacet, *Phaſiana*, & illius incolæ *Phaſiani Diodoro Siculo* dicuntur. Xenophon quoque *l.* 4. à Phaſide 40. mill. paſſ. biduô confectis, obvios ſe habuiſſe dicit in montium verticibus *Chalybas*, *Taochos*, & *Phaſianos*, quos Heraclides, *de politiis*, commendat, ut quam maximè hoſpitales: Φιλόξενοι δ' εἰσὶν, inquit, ὥστε τὰς ναυαγὰς ἐφοδιάζειν, καὶ τρεῖς μνᾶς διδόντας ἀποπλεῖν (malim διδόναι ἀποπλέουσι) *hoſpitum ita ſunt amantes, ut naufragium paſſis viaticum præbeant, & abnavigantibus tres minas largiantur*. Et de iiſdem ſic Agathias *l.* 3. Ἐν γὰρ τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὅσα ὑφ' ἑτέραν βασιλείαν τετάχαται. οὐκ οἶδα ἔγωγε ἄλλο οὕτω κλεινόν που φῦλον καὶ εὔδαιμον, πλούτου τε ὑπερβολῇ, καὶ πλήθει κατηκόων, τόπων τε εὐκαιρίᾳ, καὶ ἀφθονίᾳ τῶν ἐπιτηδείων, καὶ τῇ τῶν ἠθῶν εὐκοσμίᾳ τε καὶ δεξιότητι, *inter nationes, quæ ſub alieno imperio conſtitutæ ſunt* (i. e. extra Romanam ditionem) *nullam equidem aliam vidi ita celebrem atque felicem, tam opum excellentiâ, quàm multitudine ſubditorum, locorum etiam opportunitate, abundantiaque rerum neceſſariarum, ac morum elegantia & dexteritate*, Bochart. *loc. cit.* Hos Hippocrates *l. de aëre, aquis & locis* Φασιανοὺς vocat, vitamque agere dicit in paludibus, domos ligneas, & ex arundinibus in ipſis aquis habere extructas, neque inde multum ad emporia, urbeſque prodire, verùm naviculis quibuſdam ex uno ſigno fabrefactis ſurſum ac deorſum commeare. Aquas habere calidas, & ſtagnantes, à Solo putrefactas, imbribuſque auctas. Regionem illorum calidam, aquoſam ac denſam, imbribus magnis, & impetuoſis obnoxiam. Ob hanc cœli terræque conſtitutionem, & fructus inſalubres, qui ibi naſcuntur, qui nunquam matureſcunt, & incolæ magni, corpulenti, quorum neque juncturæ, neque venæ apparent, colore pallidô, qualis eorum qui morbô Regiô laborant, lingua graviſſimâ ob aërem obſcurum, & humidiſſimum, ad laborem à natura ſegnes. Hinc *aves Phaſiani*, Anglicè *Pheſants*, Martial. *l.* 3. *epigr.* 58. *v.* 16.

Et impiorum Phaſianam Colchorum.

Et *epigr.* 77. *ejuſdem libri. v.* 4.

Nec Libye mittit, nec tibi Phaſis aves.

Et *l.* 13. *epigr.* 72.

Argivâ primùm ſum tranſportata carinâ,
Ante mihi notum nil, niſi Phaſis, erat.

Fluvius hic multis nominibus clariſſimus eſt. Primò urbibus celeberrimis, quibus illius ripæ veſtitæ, atque ornatæ fuerunt. Ut *Tiritace*, *Cygnus*, & quæ (teſte *Pliniô*) in illius faucibus ſita eſt *Phaſis*, *Poliſtonia* hodie, Colchorum (ut *Strabo* tradit) emporium, quod ex alia parte amni præcingitur, ex aliâ lacu, ex aliâ mari, unde biduô triduôve Amiſum, Sinopemque navigatur. Præterea, quæ (ut inquit Plinius *loc. cit.*) maximè inclaruit, Æa 15. mill. paſſ. à mari, ubi Hippus & Cyanus, ſive Cyaneus, vaſti amnes in eum confluunt, quæ urbs Mileſiorum eſt colonia; item Dioſcurias, uti teſtatur *Marcellin.* hucuſque nota. Per hunc fluvium Argonautæ cum Iaſone in Colchos navigârunt ad rapiendum vellus aureum. Unde Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 5.

Multaque perpeſſi claro ſub Iaſone tandem
Contigerant rapidas limoſi Phaſidos undas.

Idem *l.* 4. *Ep.* 10. *ex Ponto, v.* 52.

Et quondam Grajis Phaſi petite viris.

Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 1.

Peliacô quondam prognatæ vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni nâſſe per undas,
Phaſidis ad fluctus, & fines Æetæos.

Val. Flacc. *initio operis, v.* 2.

Fatidicamque ratem; Scythici quæ Phaſidos oras
Auſa ſequi. ——— ———

Hinc proverbium illud natum:

Δὶς Φᾶσιν ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.

Unde Plin. *l.* 26. *c.* 8. *Alvi causâ ad Phaſim navigatur.* Propert. *l.* 1. *El.* 20. *v.* 17.

Namque ferunt olim Pagaſæ navalibus Argon
Egreſſam longè Phaſidos iſſe viam.

Theocritus *in fine Idyllii* 13.

Πεζὸς δ' ἐς Κόλχως τε καὶ ἄξενον ἵκετο Φᾶσιν.

Magnam præterea, ut Euphrates, Nilus, aliique fluvii Phaſis quoque agros fœcundandi vim obtinet. Hinc illud Lucan. *l.* 3. *v.* 271.

Colchorum qui rura ſecat ditiſſima Phaſis.

Admirabilis porrò eſt fluvii hujus profunditas (eſt enim ut inquit Procopius *l.* 2. *de bello Perſico, ſub finem*, ſi quis alius, maximè profundus) Theocritus, *ubi ſupra*;

——— Βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν.

Et Orpheus *in Argonaut.* Φᾶσιν δινήεντα. Val. Flaccus, *l.* 3. *v.* 501.

——— *Finem cùm Phaſidis alti*
Tranſierit Perſis. ——— ———

Deinde ejuſdem latitudo, quam *Procopius* magnam, Xenophon *l.* 4. Ἀναβάσ. circiter 20. paſſ. eſſe dicit: non ſine causâ igitur ab Apollonio εὐρὺς, & εὐρυρέων *l.* 2. dictus fuit. Unde Proverb. *Neque Phaſis mala eluat.* Denique ejuſdem celeritas tanta eſt, teſte Procopiô, *ubi ſuprà*; ut in mare Euxinum prorumpens longè diſtinctus feratur, nuſquam cæteris aquis commixtus, ita, ut ex eo pura bibendi nautis in medio pelago ſit facultas. Hinc optimô jure ab Ovidio & Val. Flacco *rapidus* dicitur. Apollonius *l.* 2.

Φᾶσις δινήεις εὐρὺν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει.

Hinc Marcellinus *l.* 2. tremebundis curſibus cum Colchos dicit attingere. Val. Flacc. *l.* 5. *v.* 179.

Magnus ubi adverſum ſpumanti Phaſis in æquor
Ore ruit. ——— ———

Mirum itaque, ab *Agricola* inter tardos & leniter fluentes fluvios enumerari, & ab *Hippocrate* στασιμώτατον, & ἠπιώτατον ῥέοντα vocari. Æſchylus *in Prometheo ſoluto*, Europæ atque Aſiæ δίδυμον, καὶ μέγαν τέρμονα Phaſin vocat. Frigiditatem ejus haud obſcurè innuit Statius *l.* 12. *Theb. v.* 181.

——— *Non ulla nurus nec alumna nivoſi*
Phaſidis. ——— ———

Idem *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 8.

Ah miſeri, quos noſſe juvat, quid Phaſidis ales.
Diſtet ab hyberna Rhodopes grue ———

Idem *ferum* & *horridum* in Sylvis appellat. Claudianus:

——— *Calcabitur aſper*
Phaſis equo; ——— ———

Vide plura apud Stuckium Scholiis *in Periplum Ponti Euxini. Nic. Lloydius.* Item *Phaſis* fluvius in Taprobane, *Steph.*

PHASMA & PHANTASMA, quomodo differant; Vide ſuprà in voce *Phantaſia*. Contra ea efficax inprimis olim jaſpis credita, vide *Jaſpis*.

PHASPHA, fil. Jether, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 38. Latinè, *diminutio oris*, vel *os diminutum*.

PHASSUR, vel PASHUR; fil. Emmer, Sacerdos Judæus; malè tractatum Jeremiam, in carcerem conjecit: qui nihilominus judicia Dei toti populo, ipſique peculiariter imminentia annuntiare neutiquam ceſſavit, Jerem. *c.* 20. *v.* 1. Filius Melchiæ, Jerem. *c.* 21. *v.* 1. Pater Gedaliæ, Jerem. *c.* 38. *v.* 1. Latinè, *extendens*, vel *multiplicans libertatem*, vel *principatum*, aut *expandens foramen*, vel *albedinem*.

PHASTÆA, urbs in Sacis.

PHATERUNESOS, inſulæ deſertæ nomen circa Thraciæ Cherſoneſum, Plin. *l.* 4. *c.* 11.

PHATMITICUM, Plinio, *l.* 5. *c.* 11. quod φατνικὸν, apud Strabonem ſeu φατνιτικὸν, unum ex Nili oſtiis, per quod Buſiriticus fluv. in quem Bubaſtiacus prope Delta minus dividuus fit; in mare exit. Vide in voce *Phatniticum*.

PHATNITES, nomus Ægypti, Plin.

PHATNITICUM, oſtium Nili, vide *Pathmeticum*, & *Phatmiticum*.

PHATNOMATA, Græcè φατνώματα, dicebantur olim lacunaria, quæ cælata non erant. Iſtiuſmodi enim tecta alias laqueabantur tabulis in varias figuras cælatis, ut in Mæandros, & lacus & πλίνθια & orbes & triangulos & alia, è quibus *Lacunaria* propriè vel *Laquearia* dicebantur, quæ lacubus quadratis erant diſtincta. At quæ cælata non erant, φατνώματα appellata ſunt. *Lexicon ineditum* apud Salmaſ. φατνώματα, σανιδώματα, στέγιδα, ἄγλυφα. Vide eum *ad Solin. p.* 1215.

PHATUEL, pater Joëlis prophetæ, Joël. *c.* 1. *v.* 1. Latinè, *buccella*, *perſuaſio*, vel *dilatio Dei*.

PHATUSÆ, vicus Zoſimo, *l.* 3. *Anatha Marcellini* eſt, qui eum Euphrate flumine circumlui ſcribit. Hîc Gordianus Imperator ſepultus.

PHAU, nomen urbis Adar Regis 7. in Edom, Gen. *c.* 36. *v.* 39. quæ 1. Paral. *c.* 1. *v.* 49. dicitur *Phai*. Latinè *ululans*, *gemens*, aut *apparens*.

PHAUDA, urbs in Sidena planitie poſt Themiſcyram juxta Pontum, Strabo *l.* 12.

PHAVENA, provinc. Armeniæ, *Strab.*

PHAVORINUS, Arelatenſis, Trajani, ac inprimis Adriani tempore floruit. Ἀνδρόγυνος, ut etiam *Suidas*, imò & Philoſtratus *in Vitis Sophiſtarum*, ait; vel juxta alios, Eunuchus. Sanè ſenex quoque imberbis erat, & voce acutâ ac ſtridulâ, ut Eunuchi eſſe ſolent. Interim rerum amatoriarum erat callentiſſimus, uſque adeò, ut in adulterio etiam deprehenſus dicatur; quod & Lucianus *in Eunucho* narrat. Nam etſi nomen ipſum reticeat, tamen cùm patriam & ætatem exprimat, ſatis docet, quem ſignet. Ab Adriano Cæſare aliquando culpatus ob ſermonem, quem defendere optimâ ratione poſſet, ſilere maluit. Reprehendentibus hoc amicis, dicebat, nolle ſibi cum eo negotium eſſe, qui triginta haberet legiones. Autor Spartian. *in Hadriano c.* 15. Interdum tamen cum eo contendit; quæ res pluſquam ſatis erat periculoſa. Nam Adrianus eos, à quibus eruditione vinceretur, odiô tantô proſequebatur, ut pleroſque eorum è medio tolleret, Nota res ex *Xiphilino*, qui memorabilem hiſtoriam refert de architecto Apollodoro, ejuſque cæde. Itaque Phavorinus tria in ſe miranda eſſe dicebat, quod homo Gallus Græcè loqueretur, quod Eunuchus adulterii cauſam ageret, quòd cum Imperatore diſceptaret & viveret. *Philoſtratus.* Multa admodum, eaque & philoſophica, & hiſtorica ſcripſit, de quibus Voſſium ſis adi. *l.* 2. *de Hiſt. Græc. c.* 10. *p.* 212.

PHAURA, inſula parva Atticæ, ante Zoſterem promontor. *Strab.*

PHAUSANIA, urbs Sardiniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Turritano, in ora ad Ortum. Cujus ſedes hodie Emporienſi juncta, inde 60. mill. paſſ. ut à Saſſari recedens; *Terra nova.*

PHAUSGA, urbs Armeniæ majoris; *Ptolem.*

PHAYLLUS, qui in Olympiis curſu vicit, Ὁπλιτοδρόμος, h. e. *armatus decurſor* inſignis ac celeber, quem nominârunt ἐδιωτερον. Alius fuit Athleta victor, Olympiade octavâ. Tertius præmiator ac fur, Scholia *in Ariſtophan. Acharn. p.* 381. *G.* 2. Quin & Quinquertio fuit, de quo Græci *in Epigr.* quod Latinum appoſuimus:

Saltum ad quinque pedes quinquagintaque Phayllus.
Diſcum ad centum egit quinque minus pedibus.

Meminit quoque Ariſtophanes *Crabron. p.* 516. *E.* & fortaſſe illum innuit, quem ajunt teſte Euſtathiô in Dionyſii περιηγητὴν, unius navis Imperatorem fuiſſe, quam Crotoniatæ auxilitatum miſerunt, Græciæ periclitanti, in bello Perſico. Illic *Phaullus* dicitur ter viciſſe Pythia.

PHAYLLUS, Onomarchi Phocenſis frater, qui eô in Theſſalia occiſô, ſummam imperii ſuſcepit, ac, damna accepta corre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ćturus, magnam mercenariorum multitudinem contraxit, mercedes duplicavit, & à ſociis auxilia advocavit, Olympiadis centeſimæ ſextæ annô quartô, ſed annô ſequenti tabe extinćtus eſt.

PHAZAEL, primogenitus filius Antipatri, frater Herodis M. A Patre, qui per infirmitatem Hyrcani creverat, Hieroſolymæ præfećtus eſt, ſapiens & modeſtus. Ab Antigono & Parthis in palatio obſeſſus, Ducem eorum aditurus, ab illo captivus retentus eſt: Ut non tam mortem, quàm ignominiam effugeret, caput petræ illiſit, variis monumentis, ut turre Phaſaëlis & urbe cognomine in valle Jerichuntis conditâ, honoratus à fratre. Dicitur Antigonus ei vulnerato Medicos ſummiſiſſe, qui vulneribus venena inſpergerent. Joſeph. *Antiq. l.* 14. *&* 16. *c.* 9. *l.* 1. *de Bell. Jud.*

PHAZEMONITIS, regio Ponti in Cappadocia, Megalopolis à Pompejo M. nominata, ubi ex *Phazemone* vico Neapolin urbem condidit, teſte *Strabone*, *Phamizonium* Plinio, *l.* 6. *c.* 3. *Phamizon Stephano*, ad Amiſum fluv.

PHEA, vel PHEIA, urbs Elidis, Homer. *Il.* η. *v.* 135.

Φειᾶς παῤ τείχεσιν Ἰαρδάνυ ἀμφὶ ῥέεθρα.

Heſych. Φειὰ, πόλις Θεσσαλίας, lege τ̃ Ἠλείας. *Bochart.* & *Palmer.* Et nunc *Phea*; in ora Chelonitis ſinus, 10. mill. paſſ. ab oſtiis Alphei fluv. in Occaſum verſus Chelonitem promontor. 25. *Baudrand.*

PHEBOL, inſula juxta Arabic. ſinum. *Autor l. de Mundo.*

PHECADUM, oppid. erat mediterraneum Macedoniæ, circa Gomphos. Liv. meminit ejus de bello Pharſal. *l.* 31. *c.* 41.

PHEDAEL, fil. Ammiud, princeps tribûs Nepthali, Numer. *c.* 34. *v.* 28. Latinè *redemptio Dei.*

PHEDIUS, Delphicô oraculô ſapientiſſimus judicatus, atque feliciſſimus, ut qui pro patria occubuiſſet, Plin. *l.* 7. *c.* 46.

PHEGEA, urbs Azaniæ in Arcadia à *Phege* rege Phoronei fratre condita. Priùs vocabatur *Erymanthus*, poſteà *Pſophis*, *Stephan.* Nunc *Dimizana Nigro*, ad Erymanthum fluv. in limite Elidis, 33. mill. paſſ. ab Elide urbe, Argos verſus. *Baudrand.*

PHEGEA, vicus in tribu Ægeide, & *Phegea* alius vicus in tribu Pandionide. Gentile utriuſque *Phegæus*, *Stephan.*

PHEGEUS, pater Alpheſibœæ, qui Alcmæonem, quum juſſu patris matrem occidiſſet, & ob eam rem Furiis agitaretur, purgavit eique Alpheſibœam filiam matrimonio locavit. Ovid. *Met. l.* 9. *Apollodoro*, filia ejus Arſinoë, quæ Alcmæoni juncta fatale monile Eryphiles in domum ſuam recepit, & cum patre ſeque ipſa totam eam infortuniis cædibuſque implevit, *l.* 3. *Phlegeum* vocat Hyginus. Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium Theb. l.* 2. *v.* 303.

PHEGEUS, vide PHLEGELAS.

PHEGIEL, fil. Ocran, princeps tribus Aſer, Numer. *c.* 1. *v.* 13. Latinè *obviatio*, vel *deprecatio Dei.*

PHEGOR, Joſ. *c.* 22. *v.* 17. *An parum nobis eſt cum iniquitate Phegor?* idem Voſſio eſt cum Priapo, aliàs *Baal-Phegor*, quaſi *Priapus Pater* eidem, *de Idolol. l.* 2. *c.* 7. Vide quoque *Baal-peor.* Item mons in regione Moabitarum, ubi is cultus, Numer. *c.* 23. *v.* 28. Vide quoque *Phegor.*

PHEGUS, vicus in tribu Erećtheide: tribulis *Pheguſius*, *Steph.*

PHELDAS, vel PILDASH, fil. Nahor ex Melcha, Gen. *c.* 22. *v.* 22. Latinè *ruina*, aut *judicium trituræ.*

PHELEJA, fil. Elionai filii Naariæ, 1. Paral. *c.* 3. *v.* 24. Latinè, *miraculum Domini.*

PHELELIA, nomen viri, Nehem. *c.* 11. *v.* 12. Latinè, *cogitans*, vel *ornans Dominum*, ſive *judicium Domini.*

PHELES, Tyri Rex, poſt interemptum fratrem Aſerimum, Aſâ adhuc in Juda regnante. Vixit annos 50. regnavit menſes 8. Sublatus ab Ithabalo, quem vide.

PHELESSÆI, populi vicini Umbris, juxta Japygiam. *Steph.*

PHELETH, pater Hon. Numer. *c.* 16. *v.* 1. Latinè *ruina*, ſive *judicatio.*

PHELETHI, nomen populi, ſive legionum quarundam David, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 18.

PHELLEUS, mons Atticæ, & cujuſvis loci habentis ſaxa, & ſuper iis terram pinguem ac olivetis idoneam, *Stephan.* Vide Schol. *in Acharn.*

PHELLIA, fluv. Laconicæ, Pauſan. *l.* 3.

PHELLOE, pagus erat Achajæ, apud Ægiram, *Idem.*

PHELLUS, & ANTIPHELLUS, regiones Lyciæ. *Stephan.* quem ſis vide.

PHELLUS, *Sophiano Fellos*, urbs Lyciæ, prope oram littoralem, 10. mill. paſſ. â Myra in Meridiem, Pataram verſus 15. vix 6. ab Antiphello in Occidentem, 50. à Cauno in Ortum, inter oſtia Xanthi & Limyri fluviorum, *Baudrand.*

PHELLUS, locus in Attica: Item Feſtum, in honorem Bacchi, Athenis inſtitutum. Item oppid. Elidis, apud Olympiam, *Strab.*

PHELONIUM, apud Codinum *de officiis Eccl. Conſtantinop. Ferens conſuetam ſibi tunicalam & phelonium ſupra eam.* Dominico Macro, eſt Caſula Sacerdotalis. Græcè φιλώνιον, à φελόνης, quod *Penula* Latinis. Vide ibi.

PHELTI, nomen viri Nehem. *c.* 12. *v.* 17. Latinè *liberatio*, vel *expulſio.*

PHELTIA, nomen viri, Nehem. *c.* 10. *v.* 22. Filius Banajæ, Ezech. *c.* 11. *v.* 1. Latinè *liberatio*, aut *expulſio Domini.*

PHEMIÆ, urbs Arnæ à *Phemio* Ampycis filio, *Steph.*

PHEMIUS, Homeri præceptor, citharœdus, quem ipſe Homerus inducit Odyſſ. α. cantantem in convivio procorum. Non quòd ille Ithacenſis ἀοιδὸς verè fuerit Homeri magiſter: ſed Poëta, in memoriam ſui præceptoris, adfinxit huic Ithacenſi citharœdo hoc nomen.

PHEMIUS, *de reditu Græcorum à Troja* ſcripſit, *Plutarch.*

PHEMIUS, Ægæi pater, Iſacius *ad Lycophronem*: Φασὶ τ̃ Αἰγέα Φημίυ εἶναι, παῖδα Αἰγέως δὲ Θησέα.

PHEMONOE. prima Apollinis Delphici ſacerdos, teſte Pauſaniâ, quæ carmen heroicum dicitur inveniſſe, in quo carminis genere, oracula edidit. Primus, quem fecit, latinè ſic ſonat verſus:

Et pennas volucres, & apes date mella favoſque.

Euſeb. *in Chron.* Strabo *Geogr. l.* 9. Pauſan. *in Phoc.* Plin. *l.* 10. *c.* 3. Eſt & Phœbados nomen apud Lucanum *l.* 5. *v.* 126. 129. 145. 148. 158. Sunt qui Phœbi filiam dicant fuiſſe. Meminit ejus Heſiodus *in Theogon.*

PHENENNA, vel PENINNA, i. e. *gemma*, ſive *facies noſtra*, altera uxor Elcanæ, 1. Sam. *c.* 1. *v.* 2. Item urbs Azaniæ, Clitoriæ vicina, Boream verſus.

PHENEUM, oppid. Arcadiæ, ubi Moly herba naſcitur. Populi *Pheneatæ*, qui adorant Mercurium quintum. Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 22. ubi de Mercuriis: *Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemiſſe, &c.* Sed antiquiſſimus hic eſt, Ægyptiorum *Thoyth*, ut ipſemet ibidem ait, quem proin cum Mercurio Arcade perperam confundit. Ciceroni præivit Homerus, qui Mercurium Ψυχοπομπὸν Ægyptiorum *Cyllenium* vocat, *Odyſſ.* ω initiô. Certè Ἀργειφόντης Mercurius fuit ille,

——— *quem candida Maja*
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. I.* ubi *de Thoth Mercurio.* Apud eoſdem templum fuit Eleuſinæ Cereris. Pauſan. *in Arcadicis*, *Apud Pheneatas Arcadiæ, templum fuit Cereris*, ἐπίκλησιν Ἐλευσινίας κ̀ ἄγυσι τῇ Θεῷ τελετὴν, τὰ ἐν Ἐλευσῖνι δρώμενα κ̀ παρὰ σφίσι τὰ αὐτὰ φάσκοντες καθεστηκέναι, *cognomine Eleuſinæ & celebrant Deæ ſacrum, uti Eleuſine fieri conſuevit*, &c. Non enim Eleuſine ſolùm, ſed & in aliis quibuſdam Græcis urbibus, Cereris Eleuſinæ templa erećta ſunt & ſacra inſtituta. Salmaſ. *ad Solin. p.* 752.

PHENEUS, oppid. & lacus Arcadiæ in Alpheum defluens, cujus aqua noćturnô tempore pernicioſa, diurnô tempore ſalutaris eſt. *Feneo* hodie, Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 332.

Eſt lacus Arcadiæ (Pheneum dixêre priores)
Ambiguis ſuſpećtus aquis, quas nocte timeto;
Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

PHENGITES, lapis pellucidus, de quo Plinius *l.* 36. *c.* 22. Nerone Principe in Cappadocia repertus *eſt lapis duritiâ marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam quâ parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento* Phengites *appellatus. Hôc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Sejam appellant* ——— *Quare etiam foribus opertis interdiu ibi claritas diurna erat, haud aliô quàm ſpecularium modô, tanquam incluſâ luce, non tranſmiſſâ.* Nempe ex corporibus perfećtè pellucidis, ut quæ omnes colores tranſmittunt, *Phengites* non eſt: qualia ſunt cœlum, & præter terram reliqua elementa, & vitrum & cryſtallus & metallum gypſinum & obſidiarius vel opſianus lapis & ſpecularis & ſelenites, qui hodie *talchus* vocatur; mutuatô à Perſis Arabibuſque nomine: ſed ex iis, quæ ſolâ luce tranſmiſſâ reliquos colores retinent. Quomodo apud *Suidam* cornu eſt διαφανὲς: unde tauro, qui Europam rapuit, tribuit Poëta,

Cornua parva quidem, ſed quæ contendere poſſes
Facta manu, puraque magis pellucida gemmâ.

Quandoque etiam alabaſtrites, quem Plinius *ejuſd. l. c.* 8. probari dicit, *quàm maximè mellei coloris, in vertice maculoſi atque non tranſlucidi.* Quale eſt, quòd de murrhinis, quas *porcellanas* vocamus, tradit *l.* 37. *c.* 2. *His maculæ pingues placent, tranſlucere quidquam aut pallere vitium eſt.* Et *c.* 10. *Morion Indica nigerrimô colore tranſlucet.* Contra quàm Philoſophus, qui ſcribit, τὸ μέλαν μὴ εἶναι διαφανὲς, *nigrum non eſſe pellucidum.* Tamen etiam in *Theophraſto* lapis in Ægypto deſcribitur μέλας διαφανὴς, ὁμοίως τῷ Χίῳ, *niger: pellucidus, ut qui in Chio eſt.* Nempe διαφανεῖς & *tranſlucidos* hujuſmodi lapides vocant Plinius & Theophraſtus, quia lucem tranſmittebant: Sed eoſdem pellucere negavit Philoſophus, quia reliquis coloribus pervii non erant. Idem & de margaritis dici poteſt. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 6. Vide quoque infrà *Specular.*

PHENNESIA Metalla, locus Palæſtinæ, ad quem Chriſtiani damnabantur. Vide *Phano.*

PHENUSTUS, urbs Epiſcopalis ſub ſede Becerræ Arabiæ, *G. Tyrius.*

PHEOS, herba ſpinoſa, Græcè φεώς; aliàs στοιβὴ etiam dićta, quòd foliis ejus veteres Græci uterentur pro ſtipa, quam vaſis fićtilibus componendis interjiciebant: niſi fortè illa στοιβὴ, quæ vaſis fićtilibus interjiciebatur, ex phleo paluſtri ſumeretur, quam cum *pheo*, herba fullonia, malè nonnulli confundunt. *Gnaphalium* quoque appellata eſt. in veter. *Lexico*, γναφάλιον. Vide στοιβὴ, quòd ejus folia tomentis ſervirent inculcandis &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1289.

PHERÆ, vulgo *Cheramidi Sophiano* & aliis, oppid. Meſſeniæ, in ora ſinûs Meſſeniaci, inter Meſſenen ad Boream & Abeam ad Auſtrum, ad radices montis Taygeti, inter confinia Laconiæ ad Ortum, & oſtia Pamiſi fluv. ad Occaſum, 15. mill. paſſ. à Meſſene in Cæciam, vix 10. ab Abæa in Circium *Baudrand.* Item oppid. in Achaja Peloponneſiaca, *Ptolemæo. S. Georgio. Nigro.*

PHERÆ, quod PERÆ adhuc, teſte *Leunclavio*, & *Jenizar*, teſte Nardô, oppid. Theſſaliæ geminum, ad diſtantiam 1. ſtad. in Pelaſgia regione à Pelio monte 180. ſtad. diſtans, teſte *Strabone*, à Pagaſis 90. inter Demetriadem & Pharſalum, apud Bœbeidem lacum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

lacum. Hinc *Phereus* Alexander tyrannus quidam dictus apud Plut. *in Pelopida*, ab uxore ſua Thebe ob pellicatûs ſuſpicionem interfectus eſt, teſte Cicerone *l.* 2. *de Offic. c.* 7. & Valer. Maxim. *l.* 9. *c.* 13. *ex ext.* 3. Ovid. *in Ibin. v.* 321.

> *Inque tuo thalamo jugulatus, more Pheræi,*
> *Qui datus eſt letho conjugis enſe ſuæ.*

Fuit & *Pheræ*, oppid. Atticæ inter Megara & Thebas. *Nic. Lloydius.*

PHERÆ, urbs Magneſiæ, hodie *Jenizar* aut *Sidro*, 90. ſtadiis à Pagaſis in Circium, & 160. a Pelio monte in Occaſum, Briet. Baudrand. vide ſupra.

PHERÆA, Arcadiæ urbs, *Sophiano.*

PHERAULES, vir quidam Perſa, qui ex paupere dives à Cyro factus, deſideriô priſtinæ tranquillitatis affectus, ac moleſtiarum, quas ſibi divitias importâſſe querebatur, multitudine offenſus, omnium bonorum ſuorum poſſeſſionem in Sacam quendam tranſtulit, id ſibi tantùm excipiens, ut ab eo tanquam hoſpes, atque etiam parciùs aleretur. Vide Xenophon. Κύρ. παιδ. *l.* 8.

PHERECLES Archon Athenis, vide *Phericles.*

PHERECLUS, fuit navium architectus, qui naves Paridis ad raptum Helenæ ituri fabricavit. *Coluthus*:

> Ἔνθα τανυπρέμνοιο δαϊζομένης δρυὸς ὕλης
> Ἤριπον, ἃς χεκάκοιο περιφροσύνῃσι Φερέκλου.
> Ὅς ποτε μαργαίνοντι χαριζόμενος Βασιλῆϊ
> Νῆας Ἀλεξάνδρῳ δρυτόμῳ τεκτήνατο χαλκῷ.

PHERECRATES, Athenienſis, poëta Comicus, Olymp. 89. militavit ſub Alexandro M. docuitque fabulas 17. *Suidas. Jul. Pollux.* Alii. Platoni familiarem fuiſſe, refert Athen. *l.* 3. *c.* 13. *&c.* Alius à Deucalione ortus. Cicer. *l.* 1. *Tuſc. Qu. c.* 10. Hujus μυρμηκάνθρωπον laudant Schol. *in Ariſtoph. Veſpas.* Nic. *Lloydius.*

PHERECYDES, Syrius, Pittaci diſcip. Olymp. 55. de quo Apulejus *in Floridis*, *Quin etiam Pherecydes Syrô ex inſula oriundus, qui primus verſuum nexu repudiatô, conſcribere auſus eſt paſſivis verbis, ſolutô locutu, liberâ oratione.* Vixit regnante Serviô Tullô. Cicer. *in Tuſc. Qu. loc. cit. Pherecydes Syrus primùm dixit, animos hominum eſſe ſempiternos; antiquus ſanè; fuit enim meô regnante gentili.* Etiam ætatem inde cognoſcimus, quòd magiſter fuit Pythagoræ, teſte Jamblichô *in ejus vita.* Item quòd Thaletis Mileſii præceptor erat, ut Tzetzes ait, *Chil.* 2. *Hiſt.* 55. ubi & vixiſſe dicitur temporibus prædivitis Crœſi, primuſque inveniſſe eclipſes, ac periodos Lunæ. Primus omnium *de natura & de Diis*, ſcripſit, ut ex Theopompo refert Laërtius, *l.* 1. *c.* 116. Conſtabat autem Θεογονία ejus libris decem. Iis deorum ortum & ſucceſſionem complectebatur, ut eſt apud *Suidam.* Morbô obiit pediculari, teſte Ariſtotele *extremo l.* 5. *de hiſt. Anim.* Divinandi inſuper arte inſtructus, navibus è portu ſolventibus naufragium prædixit: terræ motus prævidit, &c. Vide Laërtium *in ejus vita, loc. cit.* Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 1. Salmaſio duo fuêre *Pherecydes* Syrii, vetuſtiſſimus alter & Thaleti contemporaneus, quem inter VII. Sapientes quidam numerant, expunctô Periandrô. Hic Thaletis præceptor quibuſdam æſtimatus, Theologus fuit, & Θεολογίαν, ænigmaticam illam quidem ac ſymbolicam, ſolutâ oratione ſcripſit; propter quam primus proſam orationem condere inſtituiſſe creditur: phthiriaſi tandem enecatus. Alter æquè Syrius: ſed Aſtrologus, cujus ἡλιοτρόπιον in Inſul. *Syro* adhuc extitiſſe, ſuâ ætate, teſtatur Diogenes Laërtius, σώζεται δὲ, inquiens, καὶ ἡλιοτρόπιον ἐν Σύρῳ τῇ νήσῳ. Quod erat parapegma, quâ ſolſtitia & æquinoctia, nec non ſiderum orientium occidentiumque ſignificationes, per aliquot annorum ambitum, conſignabantur. Hic autem Aſtrologus eôdem fermè ætatis & gloriæ flore cum Pythagora viguit, circa 59. Olympiadem: *Hiſtoricus* inſuper *primus* Euſebio & Clementi Alexandrino, quorum hic eum de Dario Hyſtaſpis ſcripſiſſe, quando in Europam ac Scythiam tranſiit, refert; quod tamen huic *Pherecydi* non convenit, ſed Hiſtorico ſeu Mythiſtorico Athenienſi, quem *ſecundum Hiſtoricum* vocat Hieronymus & ponit ad Olympiadem 81. De quibus omnibus vide pluribus differentem Salmaſ. *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 842. & *ſeqq.* ut & ſuprà, ubi de *Oratione ſoluta*, atque de poſtremo eorum hîc *infrà.*

PHERECYDES, Hiſtoricus Athenienſis. Meminit ejus Germanicus *in Arateis*, ubi de Tauro, & Plejadibus. Admodum antiquum fuiſſe oſtendit Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Nempe vixit Darii Hyſtaſpidæ temporibus. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 445. Alius *Pherecydes*, memoratur Sorano *in Hippocratis vita*, ubi genealogiam Hippocratis dicitur conſignâſſe. Vide Laërt. *l.* 1. *c.* 116. Voſſ. *l.* 4. *c.* 4. *de Hiſt. Græc. p.* 400. *Nic. Lloyd.* Alii Λέριον fuiſſe malunt, ex charactere ejus dicendi Ionico, quô fabulas ſive hiſtorias ſuas compoſuit, uti apparet ex *Fragmentis*, quæ extant, penès veterem Apollonii Scholiaſtem. Fuit autem Leros Ionici generis Inſula. Contexuit Θεογονίαν, an peculiare opus, an titulum omnium ejus operum, quibus fabularem Hiſtoriam complexus eſt? Quouſque autem Mythologiam ſuam perduxerit, incertum. Uſque ad librum duodecimum citatur à Grammaticis: in quo Perſei & Acriſii Danaëſque hiſtoriam tractaverat, ut ex *Scholiis veter.* conſtat, *ad Arganauticωn quartum.* Forſan & ad Troica uſque tempora deſcendit, vel etiam inferiùs &c. Dicendi characterem & genus ſcribendi quod attinet, fuit id ei commune cum Cadmo & Hecatæo, qui Scriptores tres inter primos proſæ orationis & Hiſtoriæ conditores numerantur, *Straboni.* Erat autem horum oratio nihil aliud, quàm metrum lege ſolutum; Rhetores λελυμένην ἑρμηνείαν & διῃρημένην & εἰρομένην vocant, eique opponunt τὴν κατεστραμμένην, qualis Rhetorum fuit, periodis vincta & circumciſa &c. Vide præfatum Salmaſ. *ubi ſuprà.*

PHEREDIENUS, nomen Comici Senis, apud *Ariſtoph.*

PHEREDUS, Athenienſium Rex 25. *Vincentius*: ſed legendum *Pherecles*, teſte *Meurſiô.* Vide ſuprà.

PHERENDATES, Perſa, ab Artaxerxe Ocho, Ægypto, poſt ejectum Nectabenum, præfectus, Olymp. 107. An. 3.

PHERENDIS, oppid. Armeniæ majoris *Ptolem.*

PHERENICE, vide BERENICE.

PHERENICUS, Heracleota, fabuloſa magis quàm hiſtorica cecinit, heroicô carmine, Hamadryadum originem enarrans, Athen. *l.* 3. Teſtis etiam à Tzetze adducitur *Chil.* 7. *Hiſt.* 144.

PHERENICUS Thebanus, popularis ſtatus, contra Oligarchicos, defenſor.

PHEREPHATTA, Proſerpina. Unde ſacrum apud Cyzicenos Φερεφάττια, de quibus *Plut. in Lucullo*, & Appianus in *Mithridaticis.*

PHERETIMA, uxor Batti, Regis Cyrenæi, mater Arceſilai, prudens & magni animi fœmina, quæ poſt caſum filii, opibus Aryadis, Ægypti Satrapæ, regnum recuperavit, Polyæn. *l.* 8. *c.* 47.

Rabbi PHERETZ Cohen, dictus *Raph.* ſcripſit *Mabarechet Elohut*, h. e. Diſpoſitionem divinitatis, illuſtratam poſteà expoſitione Rabbi Juda Chajath. Fuit diſcipulus Rabbi Moſis ex Kotzi, quem vide.

PHERETZEI, populi, de quibus id ſolùm ex Scripturâ conſtat, eos habitâſſe in montanis & ſilveſtribus locis. Hinc agreſte hominum genus fuiſſe colligas, qui cùm procul ab urbibus in ſolis pagis degerent, *Pherezæi* dicti ſunt non immeritò. Hebræi quippe pagos פרזות *pherazoth*, paganos פרזים *Pherazim* vocant.

PHERICLES, Archon Athenis τῶν διὰ βίου, ſeu *perpetuorum*, VIII. poſt Diognetum præfuit ann. 19. quô tempore Pheidon Argivus, undecimus ab Hercule ἐσκεύασε νόμισμα ἀργυροῦν, *fecit nummum argenteum*, vide *Phioron*; & Olympia ab Iphito, Lycurgo & Cleoſthene, inſtaurata ſunt: quæ *vera Olympiadum Epocha* eſt, annô æræ Atticæ 699. cùm *vulgaris prima* ſit demum Iphitea illa XXVIII. quâ Corœbus Eleus ſtadium vicit. Ex Epochis marmor. Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec. XV.* Eum excepit Ariphron, quem vide.

PHERINUM, oppid. Theſſaliæ, *Liv.*

PHERMÆ, mons Ægypti, apud Scetim. Ubi Paulus Eremita vixit. Aliis *Pherme*, ſingulariter.

PHERMESTA, fil. Aman. Eſth. *c.* 9. *v.* 9. Latinè *ruptura fundamenti*, vel *rupturam ponens.*

PHERON, juxta *Herodot.* ſucceſſor Seſoſtris, cæcitati (de cujus cauſa vide ſuprà voce *Amenophis*) remedium ex urina caſtæ cujuſdam paupereulæ reperit, eâque in uxorem ductâ, inter alia, in templo Solis duos obeliſcos poſuit 100. cubitorum longitudine, 8. latitudine, *l.* 2. *c.* 11. Vide & Diodor. Sic *l.* 1. Plinio dicitur *Nunccoreus*, *l.* 36. *c.* 11. ubi *Ejuſdem*, inquit, *remanet & alius Romæ* ——— *ex omnibus unus omnino fractus in molitione.* Nave à Cajo Cæſare importatus, *omnibus quæ unquam in mari viſa ſunt mirabilior.* Idem *ibid. c.* 9. A Sixto V. tandem erectus ante ædem S. Petri: raſus quidem & Hieroglyphicarum expers ſed paternis major. *Africanus* Seſoſtro *Lacharem* ſucceſſiſſe ait, nos *Rhamſen* ex Joh. Marſhamo *Canone Chron. Sec.* XIV. quem vide.

PHERONIA, opp. Sardiniæ, *Ptol.* Aliis *Feronica.*

PHERORA, Herodis Judæorum Regis frater venenô periit.

PHERSEPHONE, eadem quæ *Proſerpina*, de qua Iſacius *in Lycoph.* Περσεφόνη δὲ καὶ Ἶσις, καὶ Γῆ, καὶ Ῥέα, καὶ Ἑστία, καὶ Πάνδωρα, καὶ ἕτερα μύρια ὀνομάζεται. *Tellurem* intelligit, quod clariùs elucet ex Φερσεφονείας etymo, de quo *Heſych.* Φερσεφόνη ἡ τῆς Δήμητρος θυγάτηρ ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τουτέστι τὸν πλοῦτον, διὰ τὸν καρπὸν, ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν. *Nic. Lloydius.*

PHESCENNIUM, vide FESCENNIA & *um.*

PHESDOMMIM, locus, 1. Paral. *c.* 11. *v.* 14. Latinè *portio*, vel *diminutio ſanguinum*, aut *tacentium*, vel *diſſimulantium.*

PHESHUR, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 38. Latinè *extendens*, vel *multiplicans libertatem*, vel *principatum.*

PHESSE, fil. Eſthon. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 12. Latinè *tranſitus*, ſive *claudicatio.*

PHESTI, locus Latii, ab urbe 5. mill. paſſ. ubi Ambarvalia agebantur. *Strabo.*

PHESTUM, *Liv. Pheſtos*, *Ptol. Oiſta Moletio* oppid. Theſſaliæ, in Eſtiotide regione circa Gomphos. In *codice Græco* Ptol. *Phaſtos.*

PHESTUS, Sicyoniorum Rex 22, an: ante Urb. Cond. 490.

PHETHEJA, nomen viri. 1. Paral. *c.* 24. *v.* 16. Latinè *porta Domini*, ſive *aperuit Dominus.*

PHETHRUSIM, fil. Eſraim. Vide Bochart. in Phaleg. *l.* 4. *c.* 27. cujus titulus, *Pathruſæi.*

PHEUGARUM, Cheruſcorum in German. urbs. *Ptol.* vulgò *Halberſtad.* Saxoniæ urbem ejus locô ponunt *Apianus*, & *Irenicus.* Vide *Halberſtadium.*

PHIA, vide PHEA.

PHIALA, apud Plin. *l.* 8. *c.* 46. de Api bove. Memphi eſt locus in Nilo, *quem à figura vocant* Phialam, *omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes, diebus quos habent natales Apis:* Salmaſio *fons ſacer*, eſt, ut Solinus vocat, *c.* 35. ſeu *fons Sacerdotum*, ut idem Plinius, quô poſt ſtatum ævi ſpatium merſus Apis necabatur. Idem *fons Nili* aliis, qui eum inter Syenem & Elephantinem ponunt, in medio duorum eminentium ſaxorum, inter quæ fons ille veluti concluſus *phialæ* ſpeciem retulit. *In qua ora*, inquit Seneca *Natural. Quæſtion. l.* 4. *c.* 2. *ſtipem Sacerdotes*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& aurea dona Præfecti, cùm ſolenne venit ſacrum, jaciunt. Hoc eſt, cùm natales Apis appropinquant, qui feſti & celebres toti Ægypto. *Gurgitem Nili*, vocat Statius, *l. 3. Sylv. 2. v. 115.*

——— aut quo ſe gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis:

quòd locus ille immenſæ profunditatis eſſet. *Herodot.* ὡς δὲ ἀμβυσσοί εἰσιν αἱ πηγαὶ εἰς διάπειραν, ἔφη τοῦτο Ψαμμιτιχον Αἰγύπτου βασιλέα ἀπικέσθαι. *Ariſtoteles*, Καὶ μὲν τὸ βάθος γε οὐκ ἐφικτὸν εἶναι τῷ πειρωμένῳ. Unde Solin. quoque auream pateram, cujus jactu Apis natalem celebrabant Ægyptii, in *Nili ſtatum gurgitem* projici conſueviſſe, dicit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 439. & 440. ut & infrà in voce *Phialus.*

PHIALA, ſive PHIALE, *fons* alter, ex quo Jordanis fluvius, in tribu Manaſſe, ut *Joſeph.* & *Egeſipp.* teſtantur, ducit originem, qui quidem ſitus eſt in regione Trachonitide, non longe à via, quâ à Cæſarea Philippi ſeu Paneade, inter Orientem & Auſtrum, in Thraconitidem aſcenditur. Eſt autem fons hic imperſcrutabilis profunditatis, ac ſemper inter ſua labra cohibet undam perpetuò aquâ plenus, nec unquam deficiens, nec unquam ex uberans. Hic per ſubterraneos meatus labens, dein emerſus, ſtatim alterum facit Jordanis alveum, & cum primo ad Urbem Dan ſe immiſcet. *Baudrandus. Medan*, teſte *Bochardô.*

PHIALA, Græcè φιάλη, quaſi πιάλη, παρὰ τὸ πιεῖν ἅλις παρέχειν, ab eo, *quòd affatim ad bibendum ſuppeditet*, inter poculorum ſpecies Veteribus uſitatas, recenſetur Macrobio *l. 5. Saturnal. c.* 21. ubi Latinâ voce *Pateram* vocat, qua de voce ſuprà dictum. Ejuſdem mentio *leg. 36. ff. de auro & arg. leg. trullas, ſcyphos, modiolos, phialas*, &c. Vide quoque Pollucem *Onomaſtic. l. 6. c.* 16. & Latinos Auctores paſſim, ipsâ voce Græcâ, ut modò oſtenſum, tanquam ſuâ, utentes. Juvenalis hinc *Sat. 5. v.* 39.

Virro tenet phialas

Martial. *l. 3. Epigr.* 41.

Inſerta Phialæ *Mentoris manu ducta*
Lacerta vivit, & timetur argentum.

Idem *l.* 8. *Epigr.* 33. cui titulus *Phiala, v.* 1.

De prætoricia folium mihi, Paulle, corona,
Mittis, & hoc Phialæ *nomen habere jubes*, &c.

Fuit poculum planum ac patens, hinc *Patera* Latinis dictum, teſte Macrobiô, ubi ſuprà, utrinque anſatum, uti docet Pollux *Onomaſt. l. 6. c.* 18. Ἀμφίθετον δὲ φιάλη, ὡς Ὅμηρος, καὶ χρύσεον ἄμφωτον ἀπὸ τοῦ σχήματος, *Phialam verò ancipitem & aureum poculum utrinque anſatum.* Cùm contrà unicam anſam habens, *Cotyliſcus*; item *Ciſſibium*: procerum verò & circa mediam partem compreſſum poculum *Carcheſium* diceretur. Ex auro fuiſſe, modò laudati Pollucis verba indigitant, & confirmat Ælian. *Var. hiſt. l. 1. c.* 32. Εἰς χρυσῆν φιάλην ἐδέξαντο ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ τὸ ὕδωρ. *In auream* Phialam *de manibus ejus exceperunt aquam.* Sed & ex argento fuêre, unde idem *eôd. l. c.* 22. Φιάλαι δύο ἀργυραῖ, *Phialæ duæ argenteæ*: Et Martialis *Epigramm. proximè laudató*, in *Phialam*, tenuis admodum laminæ ſeu bracteæ argenteæ, argutè ac lepidè jocatur. Cælatæ ex auro meminit idem *l. 14. Epigr.* 95.

Quamvis Callaicô rubeam generoſa metallô,
Glorior arte magis, nam Myos iſte labor.

Uſus in ſacrificiis inprimis, dein conviviis, ut vidimus in voce *Patera.* Sed & *Phiala* antiquitus ſponſum à Sponſa donari conſueviſſe, hôcque ritu ſibi è pluribus procis maritum futurum elegiſſe, docet Juſtinus *l. 43. c.* 3. cùm de Phocenſibus Maſſiliam perlatis loquens, ait, *Fortè eô die Rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis* (Athenæus *l.* 13. *Pertam* appellat) *filiæ erat: quam, more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cùm ad nuptias invitati omnes proceſſiſſent, rogantur etiam Græci hoſpites ad convivium. Introducta dein Virgo, cùm juberetur à Patre aquam porrigere* (Athenæus habet, *Phialam* κεκραμένην i. e. *vinô repletam*) *ei, quem virum eligeret, tunc omiſſis omnibus ad Græcos converſa, aquam Proti* (alteri ex Phocenſium Ducibus) *porrigit, qui factus ex hoſpite gener; locum condendæ Urbis à ſocero accepit.* Vide de Odatide, Homartæ Regis filiæ nuptiis, eundem Athenæum *l.* 13. & Anton. Thyſium *Notis in A. Gellium l. 10. c. 16. nec non ſuprà Coëmtio.* Inter præmia quoque caſtrenſia *Phialas* fuiſſe, colligunt quidam ex Polybio *de Mil. Rom.* ubi ait, *Imperator ei, qui hoſtem percuſſerit, haſtam donat; qui verò dejecerit & ſpoliaverit, pediti quidem* Phialam, *equiti phaleras.* Sed pro φιάλην Lipſius, cujus nemo ſatis eruditionem admiretur, ψάλιον i. e. *Armillam*, legit. Cui accedit G. Gualterus *Animadv. ad Tab. Sicil.* CCCC. Nam *Phialæ*, non niſi ſemel in Vopiſco, inter militaria præmia numeratæ, armillæ centies: hæ autem ψέλλια Græcis. Vide Thom. Bartholinum in *de Veterum armillis Schedio, quod cum Olai Wormii de aureo cornu Danico ad Licetum Reſponſione prodiit Amſtelodami A. C.* 1676. &c. Vas ſeu poculum majoris capacitatis ligulâ fuiſſe *Phialam*, docet illud Martialis, *l. 8. Epigr. 33. v.* 27.

Quid tibi cum Phiala, ligulam cùm mittere poſſes?
Mittere cùm poſſes vel cochleare mihi.

Continebat verò *ligula* quartam partem cyathi, Schrevelius in *locum.* De *Phiala*, in Nemeſis ſiniſtra, vide ſuprà; de *Phialis* Argenteis, victoribus datis in Marathone, itidem ſuprà in *Perichori Agones*, uti *de Divinatione ex phialis* ſuprà.

PHIALIA ſeu PHIGALIA Pauſaniæ *l.* 8. ac *Stephano*, *Phigalea*, *Athenæo*, *Phygalæa Polybio*, oppid. Arcadiæ in Peloponneſo, apud Mantineam ac Tegeam, proximas urb. Hanc Lacedæmonii, poſt ſubjugatos Meſſenios, Arcadas bellô adorti, exciderunt, Archonte Athenis Miltiade (iterum) anno 2. Olympiadis 30. quâ Chionis Lacon tertiùm vicit. Pauſan. *l.* 8. Hodie *Davia Nigro*, aliis *Neoſpiti.*

PHIALUS, Arcadum Rex, poſt Bucolionem, Iſthmiô Meſſeniis imperante. Illum excepit Simus. Pauſan. *p.* 461.

PHIALUS, apud Solinum, *c.* 46. appellatur fons Nili, qui aliàs *Phiala*, uti dictum, vide Salmaſium *l. c. p.* 422.

PHIARA, Sagarauſenæ in Cappadocia Urbs, *Ptol.*

PHIBALIS, locus terræ Magaricæ, quidam Atticæ tribuunt, ubi optimæ ficus. Vid. Schol. *in Ariſtoph. Acharn.*

PHIBIONITÆ, Hæretici, Gnoſticorum propago. Epiphan. *Hær.* 62. Theodoret. *l. 1. Hæret. fab.*

PHICARI, populi Indiæ ad *Caucaſum*, montem, ubi Topazius lapis.

PHICARIA, vide FICARIA.

PHICEON, mons Bœotiæ *Steph.* Ubi Sphinx, *Plut.*

PHICOL, Princeps exercitûs Abimelech. Gen. *c. 21. v.* 22. Latinè *omnis lingua*, aut *oris perfectio*, ſive *conſummatio.*

PHICORES, Mæotici populi in Aſia. Mela, *l. 1. c. ult.*

PHIDALIA, uxor Byzantis. Vide Steph. in *Gynæcopolis.*

PHIDALIÆ Sinus, *Suidas*, *Santa copa Petro Gyllio*, vel *Sarantacopa*, ſinus parvus admodum apud Byzantium ad Boſphorum Thracium. *Baudrando* etiam *Mulierum ſinus*, in Thraciam excurrit, ex adverſo Neocaſtri Aſiat. 7. mill. paſſ. à Conſtantinopoli in Boream ex *Gyllio.*

PHIDAMUS, Epicureus, poëta admodum laſcivus.

PHIDIACUM Cælum, Martiali, *l. 4. Epigr.* 39.

Nullum Phidiaci toreuma cœli,

appellatur, quia *toreuticen* Phidias *primus aperuit ac demonſtravit*, uti Plinius habet, quam artem poſteà conſummavit Polycletus. Eſt autem ars Toreutice, quæ toreumata, i. e. vaſa cælata ex argento facit: cujuſmodi toreumata non quidem Phidias fecit; ſed quòd ſigilla & minora ſimulachra ex ære optimè faceret, hôc modô viam ſtravit oſtenditque arti illi, quæ minora iſtiuſmodi ſigna in ſcyphis & poculis argenteis cælaret. Certè Plinius, *l.* 33. *c.* 12. ubi nobiles Artifices enumerat, qui in argento cælando inclaruêre, nuſquam *Phidiam* nominat &c. Vide *infrà.*

PHIDIAS, nobilis ſtatuarius, qui in ebore ſculpendo citra æmulum claruit. Cicer. *de Orat. Phidiæ ſimulachris nihil in eo genere perfectius. Diis tamen* (ut inquit Quinctilianus *l. 12. c.* 10.) *quàm hominibus efficiendis melior.* Inter hujus opera maximè commendata eſt Minervæ ſtatua, quam Athenis Olymp. 87. ex ebore fecit 36 cubitorum altitudine, in cujus clypeo Amazonum pugnam, & Gigantomachiam inſculpſit, in ſoleis verò Centaurorum & Lapitharum certamen. Hanc in Acropoli urbis collocavit: dein pulſus in Elidem venit, ubi occiſus eſt. Proximam commendationem meruit Jupiter Olympius, ab ipſo in exilio factus, & ipſo totus ex ebore, & Romæ in porticibus Octaviæ, Venus. Plin. *l.* 35. *c.* 8. Hic etiam ſtatuam Nemeſis Deæ denûm cubitorum apud Rhamnuntem Atticæ opidum, fecit, quæ in manu mali ramum tenebat, ex quo parva ſurgebat complicatio, ubi teſte *Antigonô*, inſcriptum erat, *Agoracritus Patrius fecit.* Hunc enim diſcipulum ſuum Phidias adeò dilexit, ut nomen ejus operi inſcripſerit. Initiô pictor fuit & Minervæ clypeum Athenis pinxit, Pauſan. in *Eliacis*, Plut. *in Pericle.* Scholiaſtes Ariſtoph. *fab. de Pace.* Plin. *loc. cit. Suid.* Hinc *Phidiacus. Propert. l. 3. El. 8. v.* 26.

Phidiacus ſignô ſe Jupiter ornat eburnô.

Martialis *l. 7. Epigr.* 55.

Phidiaco ſi digna Jovi dare templa paravit,
Has petat à noſtro Piſa ſonante manus.

Ovid. *Pont. l. 4. El. 1. v.* 32.

Bellica Phidiacâ ſtat Dea facta manu.

Stat. *l. 2. Sylv. 2. v.* 65.

Si quid adhuc vacuâ tamen admirabile Piſæ
Phidiacæ raſêre manus.

Nic. Lloydius.

PHIDILE, mulieris nomen, παρὰ τὸ φείδεσθαι, à parcendo. Horat. *l. 3. Od. 23. v.* 1.

Cœlô ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente Lunâ, ruſtica Phidile, &c.

PHIDIPPIDES, Græcè Φειδιππίδης, curſor inſignis, quem biduô Athenis Lacedæmonem perveniſſe, tradit Herodot. *l.* 6. Δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος ἦν ἐν Σπάρτῃ. Malè *Philippides* aliis. Vide *ibi.*

PHIDIPPUS, proprium nomen viri Theſſali. *Homer.*

PHIDITIA, Græcè Φειδίτια, ex Φείδομαι, *parco*, erant convivia publica Lacedæmoniorum, ſub dio, magna cum *parſimonia* ac frugalitatis laude, celebrari ſolita: ad amicitiam inter cives & æqualitatem inter divites pauperesque conſervandam, auctore *Lycurgô*, ut in ejus *Vita* docet Plut. & Juſtin. *l. 3. c.* 3. ubi Berneggerus, ad ea conveniſſe conferentes ſingulos farinæ modium, vini coros octo, caſei quinque minas, ficuum quinque ſemiminas, notat, & *Philitia*, ab amicitia, dicta potiùs fuiſſe ſuſpicatur. Iis ſimilia apud Romanos *Chariſtia* fuêre, apud veteres Chriſtianos Agapæ, de quibus vide ſuprà.

PHIDON, Rex Argivorum, VII. à Temeno, XI. ab Hercule, frater Catani, primi Macedonum Regis, Ponderis & menſuræ auctor fertur: Junctus Piſanis, a quibus adſcitus erat, 8. Olympiada celebraturis, illis præſedit, ac excluſit Elienſes. Euſeb. *in an.* 1217. *Abrahami.* Pauſan. *in Eliacis.* Ejus mentio extat *in Marmore Arundel.* ubi *nummum argenteum in Ægina feciſſe* dicitur, annô Atticô 688. unde *Æginetæ monetam primi percuſſiſſe*, Æliano dicuntur, *Var. Hiſtor. l. 12. c.* 10. ob ſoli ſterilitatem, mercaturam quod facerent & in mari nec otiarentur, ut ait Strabo *l.* 8. εἴτε δημοτικῇ ἢ χυθείσῃ συνοικήσας, *commercii ne auxilea adminiculo?* quærit Jul. Pollux de *Phidone* loquens *l. 9. c.* 6. ubi & aliorum ſententias de *nummi primo auctore* adjicit: quem ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

admodum Plinius *Menſuras & pondera* inventum Palamedis maluiſſe Gellium aſſerere refert, *l. 7. c. 56.*

PHIDON Argivus, qui ibi Tyrannidem tenuit. Ariſtot. *l. 5. Pol. c.* 10. de illo plura Herodot. *l. 6.* Strab. *l.* 8. Pauſan. *l.* 11. Plin. *l. 7. c.* 56. idem cum priore.

PHIDON, Corinthius, legum lator antiquiſſimus, Ariſtot. *l.* 2. *Polit.*

PHIGALEA, vide PHIALIA.

PHIGALEI, populi Peloponneſi, Meſſeniis proximi, vino adeò dediti, ut in cauponis aſſiduè verſentur, domos ſuas cum uxoribus hoſpitibus locantes. Vide Pauſan. *l.* 8.

PHIGAMUS, Cappadociæ fluv. Arrian. *in Periplo.*

PHIGIA, urbs Arabiæ Felicis *Ptolemæo.*

PHIHAHIROTH, locus in quo caſtrametati ſunt Hebræi, revertentes ex Ægypto. Exod. *c. 14. v.* 2. Quarta manſio eorum. Numer. *c. 33. v.* 8. Latinè *os libertatis*, vel *os ſculptum.*

PHILA, è filiabus Antipatri, natu maxima, Cratero pro præmio navatæ contra Græcos operæ, à Patre collocata. Olymp. centeſimæ decimæ quartæ annô tertiô.

PHILA, urbs Macedoniæ, quam Demetrius, Antigoni fil. *Gonatas* cognominatus, juxta Peneum fluv. condidit. *Fello* hodie *Nardo.* Item inſul. parva Libyæ intra Tritonem fluv. in qua Nyſa oppidum, ad quod unicus eſt aditus. Eſt & inſul. parva Galliæ Narbonenſis inter Leronem & Phœnicem, teſte Pliniô, *l. 3. c. 5. Ferrar.*

PHILACE, amator Stratoclis. *Plut.*

PHILADELPHIA, urbs gemina: una Lydiæ, adhuc *Philadelfia* cognominata, urbs olim Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Sardiano, nunc & ipſa metropolis, inter Sardes 28. & Tripolim ſupra 30. mill. paſſ. ac inter Epheſum ad occidentem & Tiberiopolim ad ortum 60. à Thyatira 64. in meridiem ad Tmoli montis radices, terræmotibus vexata. Altera in Cœleſyria, *Amana*, & *Aſtarte* olim *Stephano. Rabbath* Ebræis, teſte D. Hieronymô, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. Gadaræ & Areopoli finitima, in Decapolitana regione à Philadelpho rege condita. Eſt & *Philadelphia* urbs Ciliciæ, Epiſcopalis ſub Metropolit. Seleuc. Plin. *l. 5. c.* 18. *Strabo*, *Ptol.* &c. Cum Polycarpo 12. ex Philadelphia paſſi ſunt, A. C. 167. Euſeb. *l. 4. c.* 15. Prior hodieque nomen ſervat, apud Græcos, quibus 4. in ea Templa à Turcis conceſſa ſunt, nominibus *Panagiæ*, *S. Georgii*, *S. Theodori* & *S. Taxiarchi*, qui eſt Archangelus Michaël, inſignita. Turcæ *Allah ſcheyr*, quaſi *Urbem Dei*, vocant, à ſitus amœnitate. Incolarum circiter 7. millia, quos inter duo Chriſtianorum. Sub Marco Aurelio cuſus nummus æreus, templi Philadelphienſis, in quo Apollo conſpicuus, iconem exhibet, cum *Inſcr.* ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΕΠΙ ΕΥΓΕΝΕΤΟΥ, quòd ab iis cuſus eſſet, cùm Eugenetem Præfectum haberent: de quo ut & plura hac de urbe, vide apud Jac. Sponium *Itiner. Part. I. p.* 350. & *Part.* 3. *p.* 187.

PHILADELPHIA, Ægypti urbs, *Steph.* Altera item Arabiæ *Calliſto*, quæ eadem forſan cum D. Hieron. Philadelphia.

PHILADELPHUS, Rex Ægypti qui Bibliothecam fecit Alexandriæ ferè 50000. librorum continentem. Idem libros Moyſis curavit per 70. Interpretes ex Hebræo in Græcum ſermonem verti. Vide *Ptolemæus II.* Addo hîc, quòd Sacras videns literas, eâ redditas linguâ, quam ipſe aliique intelligerent, fleviſſe legitur, apud Joſephum *Antiqq. Judaic. l. 12. c.* 2. Poſtremò ſororem duxit Arſinoën, anteà Lyſimacho & Ptolemæo Ceranno nuptam: quam quantoperè amârit, argumentô eſt, quòd Deorum cultu illam honorari cupierit. Plinius *l. 34. c.* 14. *Eôdem lapide* (magnete) *Dinocrates Architectus Alexandriæ templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus in ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius & Ptolemæi; qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Lapſus proin Auſonius, qui rem ita narrat, quaſi ad umbilicum perducta fuerit: *Idyllio 10. v.* 311.

Conditor hic forſan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares, quadro qui in faſtigia cono
Surgit & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras:
Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris,
Arſinoën Pharii ſuſpendit in aëre Templi.

Et fortè B. Auguſtin. *de Civ. Dei l. 21. c.* 6. ubi ait, *In quodam templo, lapidibus magneticis in ſolo & in camera, proportione magnitudinis poſitis, ſimulacrum ferreum aëris illius medio, inter utrumque lapidem, ignorantibus, quid ſurſum eſſet ac deorſum, quaſi Numinis poteſtate penderet.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idololatriæ l. 1. c.* 31.

PHILÆ, oppid. Ægypti in Thebaide, an eadem cum Elephanthine? certè *Arabibus & Æthiopibus Phil. eſt elephas*, Bochart. *Geogr. S. l. 4. c.* 26. §. 3. Duplex verò Elephantine, *Thebaidis* & *Æthiopiæ* ſeu *Philæ*, urbs in Δωδεκαχοίνων regione, Plin. *l. 6. c.* 21. & *l. 24. c.* 17. Neque diſſimiles fuerunt urbes vicinæ, *Paulò ſupra catarractum ſunt* Philæ, *communis Æthiopum habitatio, ſtructa inſtar Elephantines, & magnitudine æqualis: templa habet Ægyptia, ubi Accipiter colitur Æthiopicus.* Strabo *l.* 17. ubi & in via à Syene ad *Philas* ducente utrinque poſita eſſe *ſaxa ſphærica* 12. pedes craſſa, *majoribus impoſita*, minoribus ſuppoſita, addit: quæ Regum Elephantinorum & Magnatum fortè monumenta fuêre. Quæ loca, forſan & tempora, reſpexit Heliodorus *Æthiopic. l. 8. Philæ*, inquiens, *urbs ad Nilum ſita eſt paulò ſuprà minores cataractas — Hanc olim Ægyptii profugi cùm occupâſſent & inhabitâſſent, ambiguam fecerunt inter Æthiopes & Ægyptios: illis Æthiopiæ fines ad cataractas promoventibus; his verò etiam* Philas *ſibi vindicantibus, per profugorum ſuorum præoccupationem quaſi haſtâ captas.* Vide Marsham. *Can. Chron. Sec. VII.* Eſt & inſula Ægypti parva, aſpera & undique prærupta. *Ptol.* Lucan. *l. ult. v.* 311.

Rurſus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni clauſtra Philæ. ——— ———

PHILÆNI, fratres Carthaginenſes, qui pro finium ſuorum propagatione ſe vivos ſepeliri ſuſtinuerunt. Nam cùm, inter Carthaginienſes & Cyrenenſes, de finibus controverſia incidiſſet, placuit, ut certô tempore duo viri ex utraque civitate egrederentur, & ubicunque ſibi obvii fierent, ibi utriuſque ditionis termini eſſent. Itaque Carthagine egreſſi Philæni, cùm aliquot paſſuum millia in fines Cyrenenſium proceſſiſſent, indignati adverſarii ſe eſſe præventos, optionem Philænis propoſuerunt, mallentne ad fines ſuos retrocedere, an eo in loco vivi defodi: illiſque reſpondentibus, ſe patriæ ſalutem vitæ anteferre, à Cyrenenſibus, qui viribus ſuperiores erant, vivi ibidem ſunt defoſſi. Quô in locô Carthaginienſes, ne eximia illorum in patriam pietas ullâ temporum injuriâ oblitteraretur, duas illic aras conſtituerunt, quas à fratrum horum nomine, *Philænorum aras*, vocaverunt. Vide Salluſtium *in Bell. Jugurthino. c.* 79. Hæ Strabonis ætate non extiterunt, ut ipſe refert.

PHILÆNI Vicus, & *Philænorum aræ*, *Villanovano Porto Sabia*, *Caſtaldo Licudia*, *Zardo Hernich* oppid. Africæ, in ora Syrtis magnæ, in Cyrenaicæ confinio. *Nain* nunc, *Marmolio*, non *Hernich*, quæ Berenice potiùs. A fratribus Philænis dicta. Vide *Philæni.*

PHILÆTERUS, Rex Bithyniæ, Attalicæ domus progenitor. Unde *pes Philætericus* ſeu *Regius*, qui idem cum *pede Monetali*, apud *Hyginum*, 16. digitos, uncias 13. habuiſſe videtur. Ad eum exigebatur menſura agrorum Bithyniæ regionum, quorum mentio in *Agrariis Tullianis.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 684.

PHILÆUM, German. urbs *Ptol.* ampla & munita Belgii, ad Damſteram amnem, 3. fere leuc. ab ora maris German. quam *Groningen* Friſiæ, vide ibi, interpretantur. Sed *Phleum*, eſt in Græcis codicibus.

PHILAGRIUS, Medicus inſignis, Galeni contemporaneus, natione Epirota. Vide *Suidam.*

PHILAGRUS, Sophiſta Cilix, auditor Lolliani, iracundus maximè. Cæl. Rhodig. *l. 11. c.* 41.

PHILAGUS, Balacrorum Dux, in exercitu Alexandri M. nuper in ſocietatem aſcitorum, Curt. *l. 4. c.* 13.

PHILAIDÆ, vicus in Ægeide, à *Philæo* filio Ajacis, & Lyſides filiæ Coroni Lapithæ. Tribulis *Philaides. Steph.*

PHILALETHÆUS Lucillus, vide *ibi.*

PHILAMMON, fil. Apollinis ex Chione Nympha, clariſſimus carmine & citharâ. Secundus in Pythiis Ludis cantu vicit, pater Tamyris, qui tertius, ex Argiope nympha, avus Muſæi Thebani, Poëtæ Lyrici. Primus verò Chryſothemis fuit, ut diximus. Vide Pauſaniam *in Phocicis.* Cœterùm, nominis veſtigia non obſcura leguntur in *Marmore* Arundeliano. Ἀπὸ τοῦ Ἀμμον ... τη ... ΔΔΔΔΠ. *βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Θησέως.* Ex quo *Ammon* .:. anni 995. (æræ Atticæ) *regnante Athenis Theſeó*, apud Joh. Marshamum, *Canone Chron.*

PHILANDER Guilielmus, Caſtellione ad Sequanam oriundus, Antiquitatum Romanar. peritiſſimus, & in Mathematicis optimè verſatus. Scripſit Romæ, in comitatu Georgii Armeniaci Legati Franſiſci I. *Annotationes in Vitruvium de Architectura*, nec non *Caſtigationes cum Annotationibus in XII. libros Inſtitution. Quintiliani.* Inde verò in Galliam reverſus, in otio inglorio conſenuit, exſtinctus A. C. 1565. ætat. 60. Vide Barthium *adverſar. l. 50. c.* 9. & ſuprà *Guilielmus Philander.*

PHILARCHI, Arabiæ Felicis populi *Strabo.*

PHILARCHUS, Herois nomen, cujus ſacellum Minervæ Pronœæ vicinum Delphis fuiſſe, narrat Pauſan. *l.* 10. ubi, Perſis irruentibus, auxilium Phocenſibus eum tuliſſe, addit. Pictus eſt ab Athenione Maronite, Glaucionis Corinthii diſcipulo, Eleuſine, Plin. *l. 35. c.* 11. Idem Hiſtorico nomen, Plutarcho memorato in *Vita Arati*, & *l. de Iſid. & Oſir.* Æliano item *Hiſtor. Animal. l. 6. c.* 29.

PHILARETUS, nomen viri proprium.

PHILASTRIUS, Epiſcopus Brixianus, interfuit Concilio Aquilejæ celebrato, A. C. 381. cum Ambroſio, Juſto &c. Auguſtino Mediolani innotuit. Doctrinâ & ſanctitate celebris; Scripſit *de Hæreſibus*, librum. Obiit A. C. 387. A Gaudentio ſucceſſore laudatus. Sixtus Sen. *Biblioth. Sanct. l. 5. annot.* 27. Trithem. *de Scriptorib. Eccl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c.* 9.

PHILEAS, Geographus, quàm antiquus fuerit, argumento eſt, quòd memoratur Dicæarcho *in fragmento de Græcia deſcriptione ad Theophraſtum.* Atque idem teſtis adducitur, in Epitome Artemidori Epheſii. Eſtque is qui in Περίπλοις citatur à Stephano in Ἀνδρίᾳ. Meminit hujus Pheleæ quoque Etymologus in Ἀγχυνθῶν. Divulgavit quoque librum *de Aſia.* Macrob. *Saturnal. l. 5. c.* 20. At planè alius eſt beatus Martyr *Phileas*, Epiſcopus Ægyptius, ſub Diocletiano & Maximiano, paſſus, A. C. 302. Auctor egregiæ epiſtolæ, Euſebio *Hiſt. l.* 8. laudatæ, quâ tormentorum genera, quibus fideles excruciari ſoliti, recenſet: de quo Hieronym. *in Scriptoribus illuſtribus*, qui eum in Martyrum laudem quoque librum compoſuiſſe, & diſputationem cum Judice, ad Idolis ſacrificandum invitante, edidiſſe ait, ut & Nicephorus *l. 7. c. 9. Nic. Lloydius.*

PHILEAS, regio Byzantii: Gentile *Phileates.* Alii *Phineam* vocant. *Stephan.*

PHILECIA, oppid. German. *Ptol. Phelicia* Interpretes. Quid nunc ſit, non conſtat.

PHILELPHUS, nomine Franciſcus, omnium ſuæ ætatis poë-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tarum excellentiſſimus, Romam accitus, artis Oratoriæ præcepta ad Ciceronis imitationem quoſdam ingenuos adoleſcentes docuit; inter quos & Alexandrinus Alexander ſe plurimùm profeciſſe teſtatur, *l.* 1. *c.* 23. Vide & *Franciſcus.*

PHILELPHUS Marius, vide *Marius.*

PHILEMON, Coloſſenſis fuiſſe videtur, ad quem D. Paulus *Epiſtolam*, in gratiam Oneſimi ſervi, conſcripſit. Vide *Oneſimus.* In Epiſtolam hanc proſtant: Atterſoll, in fol. Angl. 1618. Brentii *Commentarius*, Inter opera. Crellii Sociniani *Prælectiones.* Danæi *Comm.* A.C. 1579. ut & Feuardentii, Pariſiis 1587. Gentilis *Commentar.* in 4to. Norib 1618. Godeau. Gomari *Explicatio locor. ſelect.* inter opera. Himmelius in fol. Joneſii *Expoſitio*, fol. Londini 1612. 1618. 1635. Paræus, Rollocus in octav. Genevæ, 1602. Sculteti *Obſervationes Gramm. Hiſt. Log. & Theol.* Franc. 1644. Wittebergæ, 1630.

PHILEMON, poëta Comicus, fil. Damonis, ſub Antigono, qui quamvis (ut inquit Quinctilianus *l.* 10. *c.* 1.) pravis ſui temporis judiciis, Menandro ſæpe prælatus, unde hic ad illum dicere ſolitus eſt: *Quæſo, Philemon, bonâ fide dic mihi, cùm me vincis non erubeſcis?* conſenſu tamen omnium meruit ſecundus credi. Scripſit inter alia ἔμπορον: quam in Mercatore Plautus imitatus, ſic loquitur *Prolog. v.* 9. 10.

Græcè hæc vocatur Emporos Philemonis.
Eadem latinè Mercator Marci Accii.

Alius ab hoc teſtis laudatur Plinio *l.* 4. *c.* 13. & *l.* 37. *c.* 2. Videtur fuiſſe Solino non abſimilis. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 401.

PHILEMON, junior, Comici filius, auctor. 54. Comœdiarum. *Suid.* Item alius, aſinum ficus depaſcentem videns, riſu crepuit, etiam Philomedus dictus. An idem cum priore? Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *ex.* 6.

PHILEMON, ruſticus quidam, qui cùm Jovem & Mercurium hoſpitiò excepiſſet ſub paupere tecto, unà cum Baucide uxore in arbores converſus eſt, & domus ejus in templum, ut refert Ovid. *Metam. l.* 8. Fabula hæc docet, hoſpitalitatem & frugalitatem eſſe Deo gratam, & apud Poëtam (cujus nonnulli exiſtimant Philemonem hunc fuiſſe villicum) extant elegantiſſimæ rerum ruſticarum hypotypoſes.

PHILENE, *Oroſ. Phyla Xenoph. Diodor. Sic. Steph.* oppid. Atticæ, inter Athenas & Tanagram, ab Athenis 100. ſtad. apud Stat. *l.* 4. *Thebaid. v.* 102.

——— *Senſit ſcopuloſa Philene,*
Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Pylene alii legunt, oppid. Ætoliæ.

PHILENIS, meretrix, quam Philocrates Poëta Græcus carminibus ſuis laceravit. De hac Martialis *l.* 7. *Epigr.* 66. Lege *Philænis.*

PHILENORIUM, urbs in Arnæa regione Bœotiæ, à *Philenore* Ætolo. Gentile *Philenorius. Steph.*

PHILEPSIUS, traditur non modò pauper fuiſſe, ſed monſtroſus: præterea garrulus: qui tamen fabellis ingenioſè recitandis totam operam navabat, ut vel hâc ratione vitam faciliùs toleraret. Traductus eſt à Platone Comico.

PHILERMOS, nomen imaginis Beatæ Mariæ Virginis, quod magnâ veneratione Melitenſes in Conventuali Eccleſia aſſervant, uti teſtatur Car. Macer *in Hierolex.* his verbis, *Opus divi Lucæ creditur, ac de illa traditur, quòd in Rhodo Inſul. ubi priùs erat in quodam monte non longè ab urbe; cùm quidam juvenis ardens puellæ amore, quâ nullibi frui poterat, propter parentum cuſtodiam, eam admonuiſſet, ut matrem deciperet, ac ſecum hoc Templum devotionis prætextu peteret; dumque ibi Mater oráſſet, ejus filia licentiam poſtularet, ut ſola Altare illud devotè circuiret, ibique ab amante expectaretur; quod ſanè ita factum: Mater, cùm diu in Eccleſia exſpectâſſet, tandem ad poſteriorem Altaris partem accedens filiam in proci amplexibus, ſed unà cum eo extinctam, deprehenderit. Unde imago hæc Beatæ Mariæ & mons ille* Philermos, *i. e. Amoris infelicis, à Græcis appellati ſunt.*

PHILEROS, tabellarius quidam, de quo Cicero *ad Pætum l.* 9. *Ep.* 15. Item urbs Macedoniæ. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

PHILESIUS, cognomen Apollinis. Boccatius *l.* 3. *Phileſia* quoque templa vocat idem Apollini conſecrata, quæ ab oſculo Branchidis, ſive à certamine puerorum *Phileſia* vocari dicit. Græci φιλήσιον *amabilem* dicunt, quia lumen Solis exoriens, amabili veneratione oculorum conſalutamus. *Nic. Lloyd.* Ejus ex ære ſtatua, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8. *Canachus Apollinem nudum, qui* Phileſius *appellatur, in Didymæo* (fecit) *Æginetica æris temperaturâ, cervumque unà ita veſtigiis ſuſpendit* &c. Vide de eo plura apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Thebaid. l.* 8. *v.* 198.

——— *intonſi cludet penetralia Branchi.*

PHILETA, circa Cariam urbs. Porphyrogen.

PHILETÆRUS, Eunuchus, Theſaurarius Lyſimachi, huic, ob Agathoclem fil. occiſum infenſus, Pergamum ſe recepit, tyrannide ibi per an. 20. potitus. Obiit an. 4 0. Urb. Cond. 119. Olymp. Eumenes frater, an ex fratre nepos Eumenes I. quem vide, ei ſucceſſit. Strabo *l.* 13. Juſtin. *l.* 27. *c.* 3. *Pauſanias* &c. Item Athenienſis, Poëta Comicus: fil. Ariſtophanis. 20. fabularum auctor. *Suidas.*

PHILETÆRUS, Cres, Dux Antiochi Hieracis, qui à fratre Seleuco deficiens victus ac poſteà victores dolô aggreſſus fudit. Polyæn. *l.* 4. *c.* 17.

PHILETAS, Grammaticus & Poëta elegiographus ex inſula Co, Philippi & Alex. M. ætate floruit, præceptor Ptolemæi Philadelphi. Scripſit Elegias & Epigrammata; an idem cum Phileta Hiſtorico? vide infra. Suis carminibus celebravit Battidem puellam, quam adamavit; fuiſſe fertur corpore adeo tenui, ut neceſſe fuerit ei plumbum adhibere, ne ventorum flatu raperetur. Ælian. *l.* 10. *Var. Hiſt. c.* 6. & *Athenæus.* Propert. *l.* 2. *El.* 34. *v.* 31.

Tu ſatius memorem Muſis imitêre Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Idem *l.* 3. *el.* 1. *v.* 1.

Callimachi manes & Coi ſacra Philetæ,
In veſtrum quæſo me ſinite ire nemus.

Et *El.* 8. *v.* 43.

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et ceciniſſe modis Coë poëta tuis.

Papinius in epithalamio Stellæ & Violantillæ, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 253.

——— *Hunc ipſe Chorô plaudente Philetas,*
Callimachuſque ſenex Umbroque Propertius antro
Ambiſſent laudare diem. ———

Hinc *Philetæus.* Propert. *l.* 3. *El.* 2. *extr.*

Ora Philetæâ noſtra rigavit aquâ.

Idem *l.* 4. *El.* 6. *v.* 3.

Cera Philetæis certat Romana corymbis.

Nic. Lloydius.

PHILETAS, Hiſtoricus. Ἀττικὰ tradidit literis, quæ Athenæus citat *l.* 11. Item Ἄτακτα, ſive *Indigeſta*, quorum idem meminit *l.* 3. 11. 14. Ex eodem ad Hermen citat hiſtoriam Parthenius, *in Eroticis.* Meminit & Stephanus in Ἰχναις & Φλιοῦς, & Etymologus, in Ἀῷος & alibi. Sitne hic idem cum priore Coo, vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 401. & *c.* 7. *de Poët. Græc. Idem Lloyd.*

PHILETUS, vir quidam, qui à fide Chriſti excidit. 2. Timoth. *c.* 2. *v.* 17. Item Antiochenus epiſcopus, A. C. 219. poſt Aſclepiadem, præfuit uſque ad an. 230. quo Zebenes ei ſurrogatus eſt. Item Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecul. 14. poſt Calixtum.

PHILEUM, civitas Germaniæ in ea regione quæ hodie Friſia vocatur. *Grœningen Apiano.* Vide *Philæum.*

PHILIA, inſula. Vide *Tacompſus.* Item promuntor. Thraciæ ad os Ponti Euxini. *Ptol. Filea* in tabulis recentibus. Ubi *Phinopolis* oppid. *Ptol.* Melæ *l.* 2. *c.* 2. ac Plin. *l.* 3. *c.* 5.

PHILIBERTUS I. *Venator*, Sabaudiæ Dux, ſucceſſit Amadeo Patri an. ætat. 6. ſub tutela Jolantæ Franciciæ, matris: cui Ludovicus XI. Frater, Dux Burgundiæ &c. de adminiſtratione litem moverunt: Unde plurima mala. Obiit nimiô venationis & decurſionum equeſtrium uſu, Lugduni, A. C. 1482. ætat. 17. Carolus frater ei ſucceſſit. *Guicheno.*

PHILIBERTUS II. *Pulcher*, fil. Philippi Comitis Sebuſiani, dein Sabaudiæ Ducis, huic ſucceſſit, A. C. 1497. ætat. 17. Carolum VIII. in Italiam moventem, cum Patre ſequutus, dein jam Dux Ludovicum XII. Mediolanum invaſurum comitatus eſt: in maximis Italiæ turbis pace domi prudenter ſervatâ: Liberalitate inſuper & clementiâ inclytus. In venatione cùm crudos cibos avidiùs ingurgitâſſet, obiit A. C. 1504. ætat. 24. improlis. Guicheno *Hiſt. Sabaud.* Vide quoque *Emanuel Philibertus.*

PHILIBERTUS Naillacus, magnus Melitæ Magiſt. A. C. 1395. Prudentiâ & fortitudine per an. 25. inclytus. Obiit 1421. Boſſius *Hiſt. Melit.*

PHILICUS, Poëta tragicus Græcus, unus ex Pleiade: ſub Ptolemæo Philadelpho. Phaleucis verſibus nomen commôdaſſe fertur, an quia primus inventor, an. quia iſtiuſmodi verſuum genere uti amavit? Voſſ. *de Poët. Gr. c.* 8. Vide alios apud *Suid.*

PHILICUS, inſul. ante Taprobanam.

PHILIDES, quidam equorum nutritor, à quo cum Themiſtocles equum donô poſtulâſſet, paſſuſque eſſet repulſam, minatus eſt, ſe domum ejus continuò ligneum equum facturum. Quô ænigmate ſignificavit ſe propinquorum accuſationes & crimina in eum conjecturum. Plut. *in Them.*

PHILINUS, Archon Athenis, annô 3. Heliogabali, quô Gratus Severianus & Claudius Seleucus Romæ Conſulatum gerebant, vide *Gratus Severianus.*

PHILINUS, Agrigentinus; ſcripſit Hiſtoriam Roman. contra Carthaginenſes: dicitur his nimiùm faviſſe; quod ſi fecit, nullum mirum eſt, cùm Annibalis in bello comes fuerit. Corn. Nepos *in Annibale. c.* 13. Polyb. *l.* 1. Diod. Sic. in *Eclog. l.* 23. & 24.

PHILIPPA Catanenſis, ex lotrice ad ſummam potentiam evecta, univerſum regnum Neapolitanum, pro arbitrio, rexit. ſub Johanna I. quæ ejus inſtinctu etiam maritum ſuum, Andream Hungariæ Regem feneſtrâ ſuſpendit: ſed tandem horribili cum tota familia ſuppliciô affecta meritas dedit pœnas. Georg. Hornius *Orbis Polit. Part.* 3. *p.* 58.

PHILIPPA Geldrica, filia Adolphi Egmontii Ducis uxor Renati Lotharingiæ Ducis ex illo mater 12. liberorum. Obiit A. C. 1547. ætat. 85. Hilario Coſtus, *Elog. fœm. Ill.*

PHILIPPA Pratenſis, fœmina Pariſina, eruditione inſignis, ſub finem ſecul. præteriti.

PHILIPPEI ſeu PHILIPPI, nummi à *Philippo*, patre Alexandri M. primùm cuſi, quorum cùm forma recepta ſemel placuiſſet, retenta ea eſt, ſimul cum appellatione, addita Principis, cujus eſſet, nomenclatura. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 234.

Rettulit acceptos Regale numiſma Philippos.

Prudentius *Periſteph. Hymno* 3. *v.* 101.

Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit, &c.

Hinc legimus apud Trebellium *in Claudio, c.* 14. *Philippeos noſtri vultûs annos centum quinquaginta.* Quod idem de aureis Antonianis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nianis in Valerianeis ſeu Valerianinis & trientibus Saloninianis, ſentit Caſaubonus *l. c.* Apud Vopiſc. in *Aureliano*, *c.* 12. *argenteorum Philippeorum minutulorum*, fit mentio, ut & alibi paſſim apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ; de quorum valore hactenus diſceptatum haud leviter. Sanè Latinis *minuti* fuêre, quæ λεπὶὰ à Græcis; ſed nec hoc ſatis: argenteum nummum fuiſſe τὰ λεπτὰ, non æreum, ut hactenus creditum, docet Salmaſ. Ei igitur *minuti* vel *minutuli* dicuntur apud Auctores præfatos, quos *denarios* Veteres dicebant: qui denarii drachmæ ferè pondus & æſtimationem habebant. Atque, ut Latinis *minuti argentei* pro *denariis*, ſic Græcis τὰ λεπὶὰ ἀργύρια, ἀντὶ τῶ δραχμῶν. Sed & abſolutè *minutos* appellârunt Latini, cùm ſubintelligerent argenteos: ut Græci λεπὶὰ, ſubintelligentes ἀργύρια, &c. Iſtiuſmodi igitur *Philippeorum quinquagenos*, *aureos* verò *Antoninianos diurnos binos*, *æris denarios centum*, ad ſumptus Aureliano deſtinavit Valerianus Aug. *l. c.* Qui etiam paulo poſt eidem, per Præfectum ærarii, ſolvi juſſit, *ad editionem Circenſium aureos Antoninianos trecentos*, *argenteos* Philippeos *minutulos tria millia*, *in ære H. S. quinquagies* &c. Quam ſummam ad miſſilia Conſulum (qualis tum Aurelianus erat) pertinere vult Caſaubonus. Solebant enim Conſules pecuniam in populum ſpargere, auream quidem Imperatores, argenteam verò privati, ut ſuprà diximus. *Æreorum Philippeorum* meminit Fl. Vopiſcus *in Probo*, *c.* 4. *Aureos Antoninianos centum*, *argenteos Aurelianos mille*, *æreos Philippeos decem millia*: Quod annuum videtur fuiſſe ac legitimum Tribunorum ſtipendium, h. e. ducenti & quadraginta aurei, vel, quod idem, viginti aurei menſtrui. Nam hanc ſummam efficiunt, aurei centum, argentei mille, & æreorum decem millia. Per *æreos* autem intelligit ſeſtertios; per *argenteos*, denarios: quorum centum ærei unum aureum reddebant; centum argentei quatuor. Illâ enim tempeſtate *æreos denarios* dictos fuiſſe pro ſeſtertiis, cùm ſuperioribus temporibus *denarii* de argenteis tantùm dicerentur, obſervatum Eruditis. Vide Salmaſ. *ad l.* adde Budæum *de Aſſe l.* 4. Scaligerum, Gronovium, alios Rei Nummariæ Scriptores.

PHILIPPENSES, vide PHILIPPI.

PHILIPPI, crebrò olim appellati Franci, ſi Ingulfo fides, qui ita habet *p.* 910. *Et fortè Leuca dicitur à Leucon, quod in Scythica lingua interpretatur* Philippus. *Unde Magiſter in Iſagogis ſuis* O. M. *l.* 3. *Et niveus Leucon dicit ibi, hunc Leucon fuiſſe Philippum Imper. qui niveus deſcriptus eſt, quia Chriſtianus & Baptiſmô ſuper nivem dealbatus. Et alio in loco, ubi exponit illud, i. e. Phœbum adamâſſe Leucothoën, dicit Deum adamâſſe Chriſtianitatem Regni Franciæ, i. e.* Philipporum, *quum apud Francos nomen* Philippi *frequentiſſimum habeatur, in tantum, ut Rex Henricus, qui modò regnat in Francia, filium ſuum primogenitum Philippum fecit appellari. Beatus enim Chriſti Apoſtolus Philippus, cùm Scythis verbum Dei prædicâſſet & plurimos eorum ad fidem Chriſti convertiſſet, rediens in Aſiam, per Sicambros viam fecit, ac illis Chriſti nomen primus annuntiavit, de quibus exeuntes Franci, ut plures eorum Hierochronographi teſtantur, beatum Philippum Apoſtolum ſuum ſpecialem Protodoctorem & Neoapoſtolum adhuc tenent. Ex his omnibus colligitur, quòd leuca dicitur à Leucon, i. e. menſura terræ Philippicæ, i. e. Philippi vel Philipporum.* Apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui tamen ante Henricum I. Galliæ Regem quô regnante vivebat Ingulfus, *Philippi* nomen in veterib. tabulis vix comparere, adnotat.

PHILIPPI, adhuc vulgò, *Filippo*, colonia & urbs Macedoniæ archiepiſcopalis, condita, an inſtaurata à Philippo Rege in Thraciæ confinio apud montis Pangæi radices, olim *Crenides*, teſte *Diodor. Siculô* apud oram maris Ægæi, olim clara, nunc penè jacens & deſerta. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 824.

Emathiaque iterum madeſient cæde Philippi.

Virgil. *l.* 1. *Georg. v.* 490.

Romanas acies iterum videre Philippi.

Hic *campi Philippici*, ubi inter Cæſarem & Pompejum pugnatum eſt, poſteà verò inter Auguſtum & Caſſium. Populi *Philippenſes*, ad quos è captivitate, epiſtolam ſcripſit B. Paulus, miſſis vitæ ſubſidiis ab illis liberaliter adjutus. Meminit hujus urbis D. Lucas Actor. Ap. *c.* 16. *v.* 12. Ἐκεῖθεν εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐςὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις. *Dates* quoque olim vocabatur, unde proverbium, Δάτος ἀγαθῶν, ob aurifodinam ſcil. non longè ab ea exiſtentem, Appian. *l.* 2. *Bell. Civ.* Vide Liv. *Epit. l.* 109. *ſ.* Plut. in *Cæſare & Pompejo.* Vellejum, *l.* 2. *c.* 70. 86. *Dionem*, Florum *l.* 4. *c.* 5. aliosque ſcriptores. In ſacram ad *Philippenſes* Epiſtolam, prodiêrunt: Brentii *Comm.* Calixtus. Coccejus. Crellii Socin. *Prælectiones.* Dalæi *Conciones*, Gallic. in. 2. Vol. in. 8r. Eraſmi *Comm. Homiliæ* Godeau. Gomari *Explic. locor. difficil.* Hofmanni *Comm.* in 8r. Baſileæ 1541. Martini *Analyſis.* Meelfuhreri *Comm.* in 4to. Norimb. 1628. Muſcul. Oleviani *Notæ.* in 8r. Herbornæ 1588. Quiſtorpius. Schotani *Analyſis & Comm.* Francof. in 4t. 1657. Stevartius. Vaſquez. Velaſquez. Vorſtius. Weinrichii *Explicatio.* in 4. Lipſiæ 1618. Weileri *Enarrat.* in 8. Norimb. 1561. Zanchii *Comm.* Zuinglii *Annotationes.* Vide Crowæi *Elenchum.*

PHILIPPICUS Bardanus, Romanorum Imperator ex familia illuſtriſſima: à Tiberio Abſimaro in exilium pulſus, quod ipſi prædictum erat, hunc ſucceſſorem Imperii fore, ope dein Juſtiniani Junioris revocatus, & exercitui contra Cherſonen urbem miſſo ab Imperatore præfectus eſt. Paulò pòſt Juſtinianô, & filiô ejus Tiberiô ſummotis, ipſe à militibus Imperator ſalutatus, A. C. 711. parum laudabilem ſe præſtitit. In gratiam Monachi cujuſdam Monotheletæ, decreta 6. Concilii Generalis abolere conatus eſt, eôdem tempore, quô Imperium undique incurſionibus Bulgarorum patebat: ſecundô imperii annô ab Anthemio excæcatus, & in carcerem conjectus ſub ann. ſalutis. 713. Zonar. & Theoph. *in Annal.* P. Diac. *l.* 6. *c.* 34.

PHILIPPIDES, Comicus poëta, haud ignobilis; ſub Alexandro M. Olymp. 140. Fil. Phitodis, frater Morſimi, qui quoque ambo Poëtæ: 45. fabulas ſcripſit. Athen. *l.* 15. Jul. Pollux *l.* 9. Lyſimacho familiaris, cùm ex eo quæreret Rex, quidnam optaret? Reſpondit, quidquid tibi placuerit, præter arcana tua. Ætate jam provectâ, quum in certamine poëtarum præter ſpem viciſſet, gaudiô repente mortuus eſt: quod & Diagoræ Rhodio accidit. *Suidas.*

PHILIPPIDES, curſor Athenienſis, eâ nempe tempeſtate, quâ in Græciam Perſarum venit exercitus, unicæ noctis ſpatiô, mille & quinquaginta ſtadia, pedibus confeciſſe perhibetur, ut Lacedæmoniis Perſarum adventum palam faceret, eoſque ut præſtò eſſent, admoneret. Leonic. Thom. *l.* 3. *c.* 9.

PHILIPPINA Welſeria, eleganti ingeniô ac formâ patricia Auguſtana, quam Ferdinandus Archidux, filius Ferdinandi I. Imperatoris ſecundogenitus (cui Pater Eliſabetham primò Anglicam, dein Mariam Scoticam uxorem deſtinaverat) clam eo ſibi ſociavit, ac conjugem, quoad vixit, coluit. Pater ex ea Caroli, cui ægrè ut Burgoviam relinqueret obtinuit, Marchionis hinc Burgoviæ & Andreæ Cardinalis ac Epiſcopi Conſtantienſis. Phil. Jac. Spenerus *in Famil. Auſtriaca.*

PHILIPPINÆ, vulgò les PHILIPPINES, inſulæ Aſiæ, à Philippo II. Rege Hiſpaniæ ſic dictæ, quia ejus auſpiciis habitatæ fuerunt A. C. 1564. Sunt in Oceano Eoo, inter Sinas ad Boream & Moluccas inſulas ad meridiem, quanquam inde longe diſtantes. Earum præcipua & maxima eſt Manilla, *Manilha*, inſula longe ceteris major, & verſùs Boream. Aliæ inſulæ ſunt Mindanoa, *Mindanao*, Paragoja, *Paragoja*, ſeu *Calamianes*, Mindora, *Mindora*, Tandaja, *Tandaya*, ſeu la *Philippine*, Cebua, *Cebu*, ſeu *los Pintados*, Parraja, *Parraja*, Maſbata, *Masbat*, Sabunra, *Sabunra*, Matania, *Matan*, Lubana, *Luban*, Cappula, *Capul*, Abuja, *Abuyo*, Bantonia, *Banton*, Bohalia, *Bohol*, Viridis, *Verde*, Nigrorum, *dos Negoas*, & S. Johannis, *de San Ivan*, & aliæ minores; ſuberantque omnes dominio Hiſpanorum, qui inibi habebant multas arces: Sed à paucis annis Mindanoa inſula ab eis deſecit, uti Paragoja & minores ei adjacentes, & ægre Manillam inſulam ſervant cum aliquot aliis in viciniis. Earum præcipua urbs eſt Manilla in inſula cognomine, ubi Præfectus Hiſpanus commoratur. Jam detectæ fuerant A. C. 1520. a Ferdinando Magellano Luſitano, qui in inſula Cebua occiſus fuit; ſuntque 1200. ad minus, & paucis tantùm milliaribus inter ſe diſtant. Ipſarum autem urbes præcipuæ præter Manillam ſunt Mindanoa, *Midanao* ſeu *Tabouc*, Caceria, *Caceres de Camarintha*, Nova Segovia, *Nueva Segobia* ſeu *Cagajon*, Villa Jeſu, *Villa Jeſu*, ſeu *Cebu* & aliquot aliæ.

PHILIPPISTÆ, à PHILIPPO Melanchthone dicti ſunt. Cœptâ namque *de Ubiquitate corporis Chriſti* inter Euangelicos lite, mox dogmati huic ſe oppoſuit Melanchthon, *meram confuſionem naturarum Eutychianam* id eſſe docens. Verùm eô extinctô, acriùs exarſit lis, & lacerata ab Adverſariis Melanchthonis fama quaſi ad Zuinglianos, uti vocabant, deſeciſſet. Unde novum Schiſma. Qui enim doctrinam illius contra clamores cœterorum tuebantur, *Philippiſtarum* convitiô aſperſi ſunt, & quia horum patrocinium ſuſceperat Academia Wittebergenſis, Flaccianos acerrimos adverſarios experta; Jac. Andreæ palàm contendente, *Omnes Ubiquitati contradicentes Arianos & Mahometanos eſſe.* Inde, cùm hi numerô & auctoritate apud Auguſtum Saxoniæ Electorem prævalerent, gravis in *Philippiſtas*, Caſparum inprimis Peucerum, Melanchthonis generum, (quòd auctor haberetur librorum a Wittenbergenſibus editorum) perſecutio deſæviit. G. Hornius *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſt. ex edit. Leydeckeri p.* 353. & *ſeqq.* Vide etiam ubi de *Peucero* præfato.

PHILIPPOBURGUM, vulgò PHILIPSBURG, arx munitiſſima Germaniæ, ad Rhenum fluvium, quæ antea *Udenheim* dicta. Nomen ſortitur à Philippo Chriſtophoro *de Sœteren* Spirenſi Epiſcopo, ſimulque Archiepiſcopo Trevirenſi; & ſubeſt Regi Franciæ ab A. C. 1644. Diſtat unâ leucâ cum dimidia à Spira in meridiem, uti 4. ab Heidelberga; eſtque intra limites ditionis Epiſcopi Spirenſis, in Palatinatu inferiori. À Cæſare capta bellô nuperô, pace Neomagenſi illi remanſit: Annô verò 1688. inopinatò à Gallicis copiis circumſeſſa, acriterque defenſa quidem aliquandiu, ſed expugnata tandem, hodierno bello occaſionem dedit.

PHILIPPOPOLIS, quæ & *Trimontium*, & *Hadrianopolis Ptolemæo*, qui in re hac deceptus eſt; cùm Hadrianopolis, teſte *Sextô Rufô*, ſit urbs diverſa, de qua ſuô locô: *Poronopolis*, Plinio, *l.* 4. *c.* 11. *Plutarcho*, & *Suidæ*, Calybe *Straboni*, urbs Thraciæ archiepiſcopalis, ad Hebrum fluvium, *Filippopoli* adhuc noſtratibus, *Filibe* Turcis, & *Preſrem*, adhuc fulgens, ubi ſedes Præfecti eſt, inter Sardicam ad occaſum 100. & Hadrianopolim in ortum verſùs Byzantium 56. mill. paſſ. à Philippis 90. in Boream, apud Rhodopen montem. De Philippopoli ſic *in l.* 2. *Itinerarii*,

A Macedum Rege hæc nam cùm ſit ſtructa Philippo,
Jure Philippopolis dicitur illa ſuis.

Vocabatur etiam *Dulonpolis*, & *Pulendena*, *Jornand.* Hic Antiſynodus ab Arrianis, contra Synodum Sardicenſem habita A. C. 349. Theodoret. *l.* 2. *c.* 8. Capta eſt à Friderico I. Barbaroſſa, cum Adrianopoli & Iconio, A. C. 1189. Paulus Æmil. *l.* 6. iterumque ab Amurathe occupata, A. C. 1359. cum Hipſala & Adrianopoli. Laonic. *l.* 1. &c. Eadem, appellatur quoque *Eumolpias Sexto Rufo.* *Baudrando* hæc urbs etiamnum ampla ſub Turcis, quanquam ſine mœnibus, inter montes Hæmum ad Circium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cium, & Rhodopen ad Eurum 40. mill. paſſ. utrinque diſtat. Philippi Cæſaris opus eſt in Beſſica tractu Thraciæ.

PHILIPPOPOLIS, vulgò PHILIPPEVILLE, oppid. permunitum Belgii, in Hannonia, à Maria Hungariæ Regina excitatum A. C. 1555. Subeſt dominio Regis Franciæ pace ad Pyrenæos A. C. 1660. Diſtat 2. leucis Gallicis à Mariæburgo in Boream, uti 6. à Rupe Regia, & 8. à Namurco in Africum.

PHILIPPOPOLIS, ſeu Philippoſtadium, *Philipſtadt*, urbs recens Sueciæ, trina ſtagna, 25. mill. paſſ. à Wenero lacu & à Caroloſtadia in Cæciam diſtans, 50. autem à Mariæſtadia in Boream.

PHILIPPOPOLIS, vulgò *Ciudad del Ré Philipe*, urbs Americæ meridionalis, ab Hiſpanis excitata magnis impenſis in Magellanica regione, ut fretum Magellanicum obſtruerent Anglis & Batavis, idque A. C. 1585. irritò tamen conatu; & paulò pòſt illius urbis incolæ aut occiſi à Barbaris, aut fame necati, omnes malè periêre: ita ut nunc ejus rudera dicta ſint ab Anglis & Batavis *Porto Famine*, ſeu portus famis.

PHILIPPUS, proprium Viri, filii Theſſalii *Homer.*

Macedoniæ et Syriæ Reges, &c.

PHILIPPUS I. Macedoniæ Rex ſextus, Argæi fil. patri ſucceſſit, per annos 35. Ubbo Emmius *l. 5. rer. Chron. p.* 153. Janſſon. *Atlas maj. p.* 39. Tirinus *in Chr. S. c.* 41. Petav. *Part. 2. Ration. tempor. l. 2. c. 14. & l. 9. de doctr. temp. c. 49. ac Paralip. p.* 848. & 867. Picciol. *Chron. Ref. t. 1. l. 3. c. 1. &* 8.

PHILIPPUS II. Amyntæ fil. cui quatuor filii Reges erant, quorum hic natu minimus, Perdiccæ fratri ſucceſſit, Olymp. 105. An. 394. Urb. Cond. præteritô fratris filiô per ætatem ad regnum minus aptô. Alex. Magni pater, rei militaris peritiſſimus, rebuſque geſtis clariſſimus, Macedoniæ regnum, quod anguſtis anteà finibus continebatur, adeò ampliavit, ut centum quinquaginta populi in Macedonum ditione numerarentur. Hic regni rebus ordinatis, Athenienſes ad Methonem fudit, ibi oculô amiſſô, dein pace illis datâ Pœonios Illyrioſque vicit, captâ Lariſsâ. Theſſalos poſteà ſubjugavit, ductâque Olympiade Neoptolemi Moloſſorum Regis filiâ Alexandrum genuit: Byzantium obſidens diſcedere coactus eſt, ut ſe Scythis opponeret, quos aſtutiâ vicit. In reditu cum Triballis rebellibus conflixit, equô confoſſô occidendus, ni à filio protectus fuiſſet. Ad Græciæ dominatum aſpirans, cùm Athenienſes ſibi ſolos obſtare videret, id effecit, ut Amphictyonum ſuffragiis Græcorum Dux legeretur, ad Locros reprimendos. Tum illis, bellô inductô, Thermopylis ſuperatis, duas urbes eripuit, eoſque cum Thebanis ad Chæroneam præliô vicit: Pace denuo Athenienſibus poſt hæc conceſsâ, Olympiadem repudiavit, unde Alexander ex aula ſe ſubduxit. Tandem majora volvens, totius Græciæ Dux contra Perſas declaratus, dum ſe accinxit ad tantæ molis expeditionem, ſummiſſô ab Olympiade pugione, cui *Myrtalis* nomen inſcriptum erat, à Pauſaniâ quodam adoleſcente Ægis fuit interfectus, qui cum de ſtupro per vim ab Attalo illato apud Regem queſtus eſſet, & pro rei indignitate ultionem fruſtra poſtulâſſet, ſeque etiam irrideri animadverteret, iram in Regem convertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice ſumpſit. An. 418. Urb. Cond. 111. Olymp. 24. regni. Natus fuit Pellæ, quæ Macedoniæ civitas eſt, & Regum ſepulchris nobilitata, An. 371. Urb. Cond. Puer quondam bis obſes datus ab Alexandro fratre, primùm Illyriis, deinde Thebanis, conciliandæ pacis gratiâ, illô tempore per triennium in domo Epaminondæ ſummi ducis rudimenta exercuit. Diod. Sic. *l.* 16. 17. Juſtin. *l.* 7. 8. 9. Plut. *in Alex. Pauſanias, Curtius, Arianus, Euſeb.* &c. Hinc *Philippicæ*, Φιλιππικοὶ λόγοι, orationes Demoſthenis *in Philippum regem*, & Ciceronis *in Antonium.* Item *Philippeus*, ſeu *Philippicus*, aut *Philippus* etiam, aureus nummus, cujus frequens apud Plautum mentio eſt. Horat. *l. 2. Ep. 1. v.* 432.

Retulit acceptos, regale numiſma Philippos.

Cœterùm hunc, ut & Alexandrum M. univerſi Macedones divinis honoribus venerati ſunt, teſte Juſtinô *l 24. c. 5. Nunc orbitatem amiſſorum filiorum dolebant, nunc excidia Urbium metuebant, nunc Alexandri*, Philippique *Regum ſuorum nomina, ſicut Numina, in auxilium vocabant.* Sermo eſt de Macedoniæ ſtatu, Gallis in eam irrumpentibus, poſt cladem Ptolemæi Ceruni. Vide Gerb. Joh. Voſſium *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 13. ubi tamen* ὑπερβολικώτερον *aliquando loqui Hiſtoricos notat.* Idem *Philippi* Buracidæ Syracuſis culti meminit *ibid.*

PHILIPPUS III. Alexandri M. frater, Macedonum Rex, Olympiadis juſſu interfectus, aliô nomine *Aridæus.* Vide ibi.

PHILIPPUS IV. patri Caſſandro ſucceſſit An. 456. Urb. Cond, unicumque annum regnavit. Juſtin. *l.* 15. & 16. *Diod. Sic. Euſeb,*

PHILIPPUS V. Demetrii III. fil. Rex Macedoniæ, ſub tutela Antigoni II. dicti Doſonis: qui cum titulo Regis præfuit ann. 12. donec ei Philippus an. ætat. 16. ſucceſſit. Olymp. 139. Urb. Cond. 533. Hic fœdere cum Achæis, contra Ætolos initô, *Sociale* bellum geſſit: ſecundô rerum ſucceſſu uſus, quandiu Attali conſiliis regebatur; hujus dein filiâ corruptâ, ipsôque cum filio venenô ſublatô ab Heraclide Pontico & adulatoribus aulæ in tranſverſum actus, ab Ætolis, Zacynthô & Naupactô amiſſis, victus eſt. Contra Attalum dein, Pergami Regem bellum gerens, Abydenos ad deſperationem adegit. Poſt quæ, bellô indictô à Romanis, in Epiro virtute T. Qu. Flaminii primò, Olymp. 145. dein ſeq. annò in Theſſalia victus pacem petiit: Belli prima origo, quòd cùm videret Annibalem feliciter in Italia res gerentem, Legatum ad eum de ſocietate mitit, qui in reditu à M. Valer. Flacco præfecto claſſis interceptus cum literis, miſſuſque ad Senatum eſt, hinc ſtatim Levinus Conſul contra eum eſt miſſus, qui cùm Regem agentem Apolloniæ, incautum, ſemique-ſopitum nocte intempeſtâ adoriretur: Ille in Macedoniam cum exercitu terreſtri itinere fugit, incenſis priùs, ne hoſtis potiretur, ſuis navibus. Regnum tamen ſervavit, verùm hâc lege, ut quidquid in Græcia obtinuerat, deſereret, filiumque ſecundogenitum Demetrium obſidem Romam mitteret. Quô mortuô, Perſeum, quem ob mores exhæredaturus erat, ſucceſſorem accepit, fatô functus Olymp. 150. regni 42. Polyb. *l.* 16. Juſtin. *l.* 29. 30. *& ſeqq.* Flor. Plutarchus. Inprimis autem Livius *ubi de bello Macedonico.*

PHILIPPUS, Rex partis Syriæ, fil. Antiochi Gryphi, frater alterius Antiochi: regnô inter varios Principes, inteſtinis bellis inter ſe colliſos, tum diſcerptô. Joſeph. *l. 13. c. 21. Philippus,* ſub quo Syriæ regnum defeciſſe dicitur, Olymp. 171.

Viri olim Præclari.

PHILIPPUS, Lyſimachi frater vix adultus, pedes Regem Alexandrum per quingenta ſtadia in regione Naurâ vectum comitatus eſt loricâ indutus atque arma geſtans. Poſt hæc, in ſaltu quodam cum Barbaris conflixit ſtrenuè. Sed poſtquam Barbari in fugam effuſi deſeruêre ſilvas: animus, qui in ardore pugnæ corpus ſuſtentaverat, liquit, ſubitoque ex omnibus membris profuſô ſudore arboris proximæ ſtipiti applicitus exſpiravit. Curt. *l. 8. c.* 2.

PHILIPPUS, filius Antipatri, qui cum fratre Jollâ potum Alexandri M. prægustare ſolitus, in aqua frigida venenum habens, eam prægustatæ potioni regis ſupermiſit. Curt. *l. 6. c.* 10,

PHILIPPUS, Medicus Alex. Magni, Q. Curt. *l. 9. c.* 5. & Plut. *in vita Alex.* Hic gratus eo uſque regi erat, ut cùm Parmenio literas ad Alexandrum dediſſet, quibus eum monebat, ut ab inſidiis Philippi, velut ab hoſte Dario corrupti, ſibi in ægritudine caveret, Alexander exploratam habens Medici fidem, poculum ab ipſo Philippo præparatum hauſerit, & literas Parmenionis eidem legendas tradiderit. *Philippos* etiam Rom. viros claros legimus, inter quos L. *Philippus* Orator, Craſſi adverſarius, Cicer. *l. 3. de Oratore.*

PHILIPPUS, Theſſalorum Dux in exercitu Alexandri Magni. In India, ubi eum Prætorem Alexander Magnus reliquerat, ex vulnere à populo inflicto mortuus. *Curt. l. 10. c.* 1. Meminit quoque Diodorus, in rebus Alexand. M. cujuſdam Philippi, quem Balacri filium facit. *l.* 17.

PHILIPPUS, fil. Herodis M. frater Herodis Antipæ, procurator Gaulonitidis, Ituræ & Trachonitidis conſtitutus à Romanis, apud quos educatus fuerat, Auguſto gratus: etiam partem ditionum Zenodori inſuper nactus eſt. Sapiens & modeſtus: quô ſine prole defunctô, Tiberius ditionem ejus Syriæ junxit. Luc. *c. 3. v.* 1. Joſeph. *Jud. Ant. l. 17. c. 1. & 13. l. 18. c.* 6.

PHILIPPUS, Proconſul, cujus juſſu Polycarpus martyrium ſubiit, ſub Antonino Philoſ. A. C. 167. Euſeb. *l. 4. c.* 15. Item Gortynæ Epiſcopus circa A. C. 175. Item Ægypti Præfectus, cum filia Eugenia & Clem. Alexandrino, paſſus, ſub Septimio Severo, A. C. 208.

D. PHILIPPUS, unus ex Apoſtolis Domini, ex Betſaida oriundus, poſt Petrum, vocatus, Clem. *l. 3. Strom.* is fuiſſe videtur, cui Chriſtus dixit, *Sine mortuos ſepelire mortuos*: primùs Euangelium Samariæ prædicavit: Dein, poſt Chriſti aſcenſionem, Scythiæ provinciis quibuſdam ad fidem converſis, Hierapoli urbe ſuperioris Aſiæ, quam concionibus ſuis quoque dignatus erat, crucifixus & lapidatus eſt, ætat. 87. Imperatoris Claudii 10. Joh. *c. 1. v.* 43. Math. *c. 10. v.* 2. *Hieronym.* Baron. A. C. 31. & 54. Vide quoque Euſeb. *Eccl. Hiſt. l. 3. c.* 31.

PHILIPPUS, genere Cæſarienſis, unus ex ſeptem Diaconis, qui & Euangeliſta cognominabatur, Simonem Magum primò Samariæ, dein divinô monitu Eunuchum reginæ Candaces in via quæ Gazam tendit, baptizavit: Ejus filiæ erant prophetiſſæ, uti legitur in Actis Apoſtolorum, *c. 6. v. 5. c. 8. v.* 29. Euſeb. *Hiſt. l.* 3. Hieronym. *l. 1. contra Jovin.*

PHILIPPUS, Amphipolites Hiſtoricus, fecit libros Rhodiacorum novendecim, & alia. *Suidas.* Item *Philippus*, Caricarum rerum ſcriptori à Strabone laudatus *l.* 14. Is eſt Philippus Thangelienſis, quem in libro de Caribus & Lelegibus citat Athenæus *in Stilpone. l.* 6. Item *Philippus* Megaricus memoratur Laërtio, At difficile eſt dicere, utrum alius, an aliquis iſtorum ſit Philippus iſte, qui ortum Apollinem ex Ægyptio fecit Græcum, multi adeo ejus nominis fuerunt, & eos inter *Philippus* Abucara, cujus *ſcholia* ſunt quæ *in Hephæſtionem* leguntur. *Philippus* item Chalcidenſis Plutarcho memoratur *in Alexandro.* Voſſ. *de Hiſtor. Græc. l.* 3.

PHILIPPUS Pœnus, nobile ſcortum à L. Flaminio in Galliam perductus, in cujus gratiam ille, eductum quendam è carcere in convivio ad ſpectaculum, jugulari juſſit. Liv. *l. 39. c.* 42.

Imperatores Romani.

PHILIPPUS, Roman. Imperator. Gordiano ſucceſſit, qui tam tetrici & triſtis animi fuiſſe dicitur, ut jam tum à quinquennali ætate nullô cujuſdam commentô ad riſum ſolvi potuerit, aut ab inflexæ naturæ torvitate dimoveri, *Sept. Aurelianus.* Marcus Julius inſuper pictus, Arabs cognomine Prætorianæ cohortis, ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſub Gordiano III. præfectus, cum in bello contra Perſas ſequutus eſt, duceque inde in lecticâ occiſô, Imperator proclamari voluit, A.C. 244. Hanc parricidii notam ut elueret, ſalutaribus legibus Remp. ordinavit, & pacis dulcedine ſubditos permulcere conatus eſt. Pace proin cum Sapore Perſar. Rege factâ, Romæ Ludos ſeculares magnificentiſſimè celebravit, An. 248. Urb. Cond. 1000. Chriſtianum fuiſſe refert Euſeb. *l.* 6. *c.* 31. ſed fidem non impetrat à maxima Eruditorum parte: illam tamen non parum ſtabilit Paulus de la Faye Theologus Gallus, exul. Jeſu Chriſti, vir plurimæ lectionis & in Hiſtoriis verſatiſſimus, *Epiſtolâ ad Ven. Pictetum Theologum Genev.* quæ in juſtæ Diſſertationis modum excrevit, & Baſileæ primùm edita, inde in Belgio aliquoties recuſa, non mediocrem plauſum tulit. Occiſus paulò pòſt & ipſe Veronæ A. C. 249. filiuſque ejus cognomine à Patre Cæſar creatus, inter amplexus matris Ottaciliæ Severæ ſimiliter necatus eſt. Jul. Capitolin. *in Vita Gordian.* Aur. Victor. *in Philipp.* Caſſiodor. *in Chron.*

PHILIPPUS, Sueviæ Dux Imperator Occidental. fil. Friderici Barbaroſſæ, fratri Henrico VI. ſucceſſit, cùm Electorum quidam Ottonem Saxoniæ Ducem ei oppoſuiſſent, A. C. 1198. auctore Innocentiô III. qui juraverat: *ſe ablaturum Philippo diadema regium aut amiſſurum inſigne Apoſtolicum.* Urſperg. *in Chron.* Hinc turbæ. Sed is Ottonem ad Spiram vicit, Brunſuigium obſedit, auxiliaribuſque ejus ſuperatis ad fugam in Angliam compulit: pacem tamen petenti, filiam uxorem dedit, hâc lege, ut à titulo & re Imperii, ſe vivo, abſtineret; poſt mortem ſuccederet. Occiſus ab Ottone Vitel-Sabchio, cui, quòd homicidiô ſe polluiſſet, promiſſam fil. Cunigundem dare recuſaverat: hic enim compertô, Imperatorem in brachio utroque venam inciſiſſe, in cubiculum irrumpens illum Bambergæ interemit. A. C. 1208. Crantz. *l.* 7. *c.* 15. 25. 78. Arnold. Lubec. *l.* 6. *c.* 1. 2. Aventin. *l.* 7. &c.

PHILIPPUS Curtenæus, Imperator titularis Conſtantinopolitanus, & Theſſaliæ Regis fil. Balduini II. Imperatoris à Græcis pulſi. Maritus Beatricis, filiæ Caroli I. Neapolit. & Siciliæ Regis, Theſſaliæ regnum Philippo hujus filio, Brunduſii, donavit, A. C. 1274. Obiit An. 1298. Pater Catharinæ, quæ A. C. 1299. nupta Carolo Valeſio, filio minori natu Philippi Audacis Regis Bonifacio 8. Romæ coronata eſt. Horum filia Catharina Valeſia, Philippo Siculo nupſit, filio quarto Caroli II. Claudi: qui primis nuptiis ſibi junxerat Tomaram, hæredem Nicephori, Romaniæ Deſpotæ: dotiſque locô A. C. 1332. titulum Imperatoris Conſtantinopolitani accepit: eorum primogenitus Robertus, Dux Leucadiæ, Imperium fruſtra quærens ſibi vindicare, obiit Neapoli, A. C. 1364. Idem frater ejus *Philippus II.* conatus, obiit. A. C. 1368. Pater *Philippi II.* ex Elizabeta Hungarica: qui admodum juvenis ſimiliter obiit. Sammartan. *Hiſtor. Geneal. Gall.* Ducheſnius, &c.

GALLIÆ REGES.

PHILIPPUS I. Galliæ Rex, vivente Henrico I. Patre, coronatus Rhemis. Ann. ætat. 7. illi ſucceſſit, A. C. 1060. ſub tutela Balduini V. Flandriæ Comitis, qui Adelheidam Henrici ſororem uxorem habebat; magnâ curâ & prudentiâ regnô per Ann. 6. adminiſtratô. Hujus filii poſtmodum à Philippo utcunque defenſi, contra Robertum Friſiæ Comitem qui Flandriam illis ereptum ibat. Cum quo, Rex, cùm arma non ex voto ſuccederent primô impetu, cognatis turpiter deſertis, pacem iniit. Nec magis felix contra Guilielmum Conqueſtorem fuit, cujus potentia ipſi formidoloſa evaſerat. Hinc fons belli inter utramque gentem. Ob ſuperinductam quoque uxori legitimæ Baltadram Montfortiam, quæ uxor erat Fulconis Comitis Andegavenſ. à Papa excommunicatus, ut in gratiam cum Eccleſia rediret, pellicem quidem removit, interim manſit animus in ignaviam & voluptates proclivis. Claromonte tum bellum ſacrum decretum, teſſerâ ab Urbano III. *Deus vult*, datâ, & Chriſtiani ſub Godofredo Bullioneo, ad expeditionem in Orientem ſe accinxerunt, ſed Philippus ingens hoc opus parum juvit. Obiit Meloduni A. C. 1108. regni 47. ætat. 59. Ex Bertha, filius Florentii, Hollandiæ Comitis, pater Ludovici VI. Craſſi, &c. Dupleix, & Mezeray *Hiſt. Gal.*

PHILIPPUS II. Francorum Rex, optimus & bellicoſiſſimus, ob idque *Auguſtus* cognominatus, ſicut A-Deo-datus, quòd parentibus jam ætate provectioribus natus eſſet, ſucceſſit Patri Ludovico Juniori, illô adhuc vivô coronatus: A. C. 1180. Sub initium ſtatim regni, in impios & blaſphemos ſeverus, quorundam ſeditioſos conatus repreſſit: auditô dein, Hieroſolymam à Turcis captam eſſe, ad Saladinum opprimendum, ſequente mox Richardô Anglorum Rege in Aſiam navigavit, ubi Aconem & Ptolemaidem expugnavit, 17000. Saracenorum occiſis, ſed paulò pòſt morbô coactus, rediit. Northmanniam, & Aquitaniam bellò de Anglorum Rege cepit, ab illo reduce victus. Duravit bellum Ann. 5. Poſtea Ingeburge uxore repudiatâ, ut aliam ſuperinduceret, Eccleſiaſticam cenſuram incurrit, quam ut evitaret, promtum præſtitit obſequium. Ob Arcturum dein, Johannis Angliæ Regis ex fratre nepotem, à Johanne Sine-terris, qui Richardo ſucceſſerat, occiſum, bellum Anglis denuo movit: totâ Normanniâ, 270. Ann. poſtquam Rolloni conceſſa fuerat, recuperatâ. Othonem III. Imperatorem & Ferrandum Flandrenſem Anglo auxilium ferentem ingenti prœliô ad Bovinas A. C. 1214. fudit: in quo & Ferrandus captus, & innumera hoſtium millia cæſa ſunt: Poſtquam claſſis ejus navium trecentarum a Ferdinando deſtructa fuiſſet. Fruſtra tandem Regem Angliæ per Ludovicum filium regnô excutere annisus, Obiit A. C. 1223. ætat. 57. regni 43. ſexagintà millibus aureorum ad bellum ſacrum legatis. Ex Iſabella Hannonica, pater Ludovici VIII. & ex Agnete Meranſa Philippi; Bononiæ Comitis. Rigord. *in ejus vita* P. Æmil. *l.* 5. 6. 7. Matth. Pariſ. *in Johanne*, Crantz. *l.* 7. *c.* 35. Guilielmus Brito *in Philipp.* Hic Rex cùm naſceretur, vidit per quietem Adela mater filium ex ſe natum, calicem humano ſanguine Proceribus miſcere, Æmil. *l.* 5. Idem urbem Andegavenſem dirutam reſtituit, & Judæos Franciâ expulit. *Idem.*

PHILIPPUS III. Ducis Ludovici filius, Francorum Rex, A. C. 1270. in Africa, mortuô ibi Patre, ſalutatus eſt, *Audax* cognomine. Poſt quæ, Sarracenis victis, in Galliam redux, patrui Alphonſi Comitis Pictavienſis & Tholoſani hæreditatem adiit, in ordinem redactô Comite Foxiô. Datâ dein Henrici Navarræ Regi filiâ Johannâ filio ſuo Philippo, regnum illud acquiſivit: ſed idem in Caſtella facturus, in gratiam Alphonſi de la Cerda, ſui ex Blanca ſorore nepotis, fruſtra fuit. Ex Iſabella Arragonia, quam tenerrimè amavit, pater Ludovici, venenô ſublati, Philippi Pulchri ſucceſſoris, Caroli Comitis Valeſii & Roberti: hâc amiſsâ A. C. 1271. Mariam, filiam Brabantiæ Ducis ſecundis nuptiis ſibi junxit: quam Broſſius quidam, qui ex infima fæce ad Regis familiaritatem emerſerat, veneni filio propinari apud maritum detulit, ſed ipſemet flagitii convictus, meritas dedit pœnas. Arragoniam tandem, Petrô, qui Siculis veſperis Gallicum nomen in Sicilia extinxerat, excommunicatô, Carolo Valeſio fratri à Martino IV. adjudicatam, vindicaturus, Petrum ad Gerundam vicit & lethaliter vulneravit: ſed peſte pereunte exercitu, & ipſe in reditu Perpiniani deceſſit. A. C. 1285. regni 16. ætat. 48. ſucceſſit filius Philippus Pulcher. Ex Maria, uxore ſecunda, ſuſcepit Ludovicum, caput Comitum Ebroicenſium, Regum Navarræ, Mariam Eduardo I. nuptam & Blancam, Rodolphi Auſtriaci, Bohemiæ Regis uxorem. Vide *Geſta Philippi, quem Audacem cognominant.* Mezeray *Hiſt. Gall.*

PHILIPPUS IV. Pulcher, Francorum Rex, ſucceſſit Patri Philippo III. A. C. 1285. jam Navarræ Rex, per uxorem Johannam, Henrici I. hæredem. Parlamentum Pariſienſe ſedentarium reddidit, juſtitiæ egregius cultor: Eduardum primum ad cauſam dicendam Lutetiam citavit, eôque non comparente, Guiennâ ipſum exuit, & per Johannem Harcurtium, ac Matthæum Montmorantium, Claſſis præfectos, Dorobernium diripuit. Quare Eduardus fœdus iniit cum Adolpho Imperatore, Duce Barenſi & Comite Flandriæ: ſed primô ultra minas non progreſſô, ſecundi ditiones Philippus vaſtavit. Flandrenſes variis prœliis domuit. Vidonem Comitem cum filia cepit, neque Eduardus miſſô in Galliam exercitu ſocerum liberare valuit: ipſe ad Furnas victus memorabili prœliô, A. C. 1296. Pace dein factâ ac matrimoniô firmatâ, Anglo Philippus Aquitaniam reſtituit, Flandriam verò, Vidone denuò captô, occupavit. A Brugenſibus, qui Gallos omnes, ob avaritam Præfecti Jacobi Caſtellionæi Comit. S. Pauli interemerant, laceſſitus, ſub Roberto Comite Arteſiæ & Conneſtabili exercitu illuc miſſô, injuriam ulturus, à Vidonis filiis, clade magnâ ad Curtracum, A. C. 1302. ſuperatus eſt, & 700. aurea calcaria in trophæum ſuſpenſa: Vicit tamen eos poſt ad Fanum Audomari, Arriam & Tornacum, ſed minori clade, tandemque iis pacem dedit. Poſt hæc, à Bonifacio VIII. ob Epiſcopum Apamenſem, propter inſolentiam carceri incluſum, excommunicatus, illi ſcribenti; *Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes*; generosè reſpondit: *Philippus Bonifacio ſalutem modicam, ſive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, ſecus credentes fatuos & dementes reputamus:* Synodôque Pariſiis convocatâ, Papam graviſſimorum criminum convictum condemnavit, eumque per Vilelmum Nogaretum Ananiæ captum, Romam ignominiosè deduci curavit: ubi paulò pòſt indignatione mœrori miſtâ, obiit, *ut canis.* Succeſſor Benedictus XI. Bonifacii acta reſcidit, idemque fecit Clemens V. qui Philippi hortatu, in Concilio Viennenſi Ordinem Templariorum ſuſtulit. Adulteros porro Rex nuruum ſuarum, verendis avulſis, cute nudari, uncôque trahi ac ſuſpendi curavit, illis rejectis. A plebe ob falſam monetam, culpâ Engerani Merinii, Lutetiæ tumultuantem, obſeſſus, ſeditionem oppreſſit. Obiit Rex magnanimus, An. 1314. regni 29. Putean. *contentio inter Philippum Pulchrum & Bonifacium* 8. *Paul Æmil. Gaguinus*, &c. Pater fuit Ludovici Hutini, Philippi Longi Caroliquè Pulchri ſucceſſorum, & Iſabellæ uxoris Eduardi 2. A Bonifacio Pontifice ſacris interdictus, & à Benedicto XI. abſolutus eſt. Vide ſuprà & Annales Franciæ.

PHILIPPUS V. Longus, Franciæ & Navarræ Regens, A. C. 1317. fratri Ludovico Hutino ſucceſſit, cùm uxor ejus prægnans relicta, maſculum quidem, ſed non vitalem, peperiſſet: fruſtra Carolô Valeſiô & Eude IV. Burgund. Duce regnum in Johannam, Hutini filiam transferre conatis. Hæc enim Navarræ regnô contenta, Philippo Comiti Ebroicenſi marito illud, dotis locô, attulit. Sic Philippus regnô potitus, æmulos ſibi conciliavit, paceque cum Scotis initâ, Judæos regnô pepulit. Obiit A. C. 1322. Poëta & Poëtarum Mæcenas. Ei frater Carolus Pulcher, cui dein Philippus Valeſius, excluſô Eduardô Angliæ Rege, Philippi V. ex ſorore, nepote, ſucceſſit. Vide *Gall. Annales.*

PHILIPPUS VI. Valeſius, filius Caroli Valeſii, nepos Philippi IV. Francorum Rex ſuffectus in locum Caroli Pulchri, cui ſine liberis mortuo genere proximus erat, vi legis Salicæ, prælatus Eduardo III. filio Iſabellæ, cui Philippus Pulcher pater erat, An. 1328. Ludovicum Flandriæ Comitem tutatus, eôdem annô ad Montem Caſſellum Flandros ingenti clade afflixit, quâ ceciderunt ferè 20. M. hominum. Domum redux, Jura Eccleſiaſtica tuendo, nomen *Catholici* meruit. Ab Eduardo dein Angliæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Rege Ambiani, ob Aquitaniam, more ſolitô, homagium accepit, præſentibus Navarræ, Majoricæ, & Bohemiæ Regibus. Quô irritatior Anglus, cum Roberto Arteſio, & Imperatore fœdus iniit, Flandris quoque, ſub Jacobo Artevilla cereviſiario, concitatis: A.C. 1338. Cameracô fruſtrà obſeſſô Eduardus, Philippi claſſes 300. navium ad Slucas, 30000. hominum occiſis merſiſque ſuperavit, A.C. 1339. Poſteà A. C. 1346. in Normannia, ad Creſſiacum, eundem majori clade vicit, ubi inter 32000. Gallorum cæſa, Johannes Bohemiæ Rex, & Rex Balearium numerati, ipſe Philippus duobus vulneribus gravis vix evaſit. Poſt hæc Caletum Anglus cepit, quod demum A. C. 1558. poſt Ann. 210. receptum eſt. Intereà, Philippus Comitatu Ruſſinonenſi & Monſpeliô, à Jacobo Balearium Rege acceptô, Campaniâque & Briâ regno unitis, Delphinatu inſuper ab Humberto Principe muneri acceptô, damna accepta quodammodo reparavit. Obiit A.C. 1350. ætat. 57. regni 23. Generoſus & fortis, ſed quòd ſalarium tributum primus inſtituiſſet, Rex legis *Salicæ* ab Anglis dictus eſt. Ex Johanna Burgundica, filia Roberti II. pater Johannis Regis &c. Froiſſard. *Chronol.* Mezeray *Hiſtor. Gallica.*

PHILIPPUS, Primogenitus Ludovici Craſſi, Rex coronatus A C. 1129. equi lapſu interiit, An. 1131. Item cognomine Rudis, fil. Philippi Auguſti, ex Agnete Merania, Comes primò Claromontis, dein Bononienſis & Dammartinus, ob Mathildem uxorem. Pater Johannæ, quæ Scævolæ Caſtilionæo nupſit. Item, Dux Aurelianenſ. filius Philippi VI. ex Blanca, filia poſthuma Caroli Pulchri, nullâ prole ſuſceptâ, obiit, A.C. 1375. Item, fil. Ludovici XIII. frater hodierni Regis, primò Henriettæ Britannicæ, dein filiæ Electoris Palatini Caroli Ludovici maritus.

Hispaniæ Reges.

PHILIPPUS I. Pulcher, Archidux Auſtriæ, fil. Maximiliani I. Imperatoris, ductâ Johannâ, hærede Ferdinandi & Iſabellæ, Hiſpaniæ Rex, clemens & pacificus. Obiit Burgis, A.C. 1506. ætat. 27. An quia in pilæ luſu æſtuans nimis avidè frigidam hauſit? Pater Caroli V. & Ferdinandi Imperatoris ut & quatuor filiarum. Mariana *Hiſtor. Hiſpan.*

PHILIPPUS II. fil. Caroli V. ex Iſabella Luſitanica. Nondum Rex, ſuſcepit ex Maria Johannis III. Luſitaniæ Regis filia Carolum: eâ mortuâ A. C. 1545. Mariam reginam Angliæ duxit, ſed hâc lege, ut tantùm maritus ejus, non verô regni Rex eſſet. Ei Belgium Pater tradidit, A. C. 1555. & paulò pòſt regnum, diademate ipſi Bruxellis impoſitô. Paulum mox IV. quòd ſibi jus regni Neapolitani conferre nollet, per Albanum ſic terruit, ut *ille diſſolvi cuperet.* Induciis quinquennalibus nondum finitis, fœdere cum Anglis initô, Picardiam ingreſſus, Gallos memorabili prælio, ad Fanum Sancti Quintini vicit; Annô ſequente iiſdem ad Gravelingam fractis: unde totâ nobilitate Gallicâ in Flandriæ carceribus detentâ, cùm illi S. Scripturæ lectione tædium diſcuterent, prima Reformationis in Gallia origo. Interim Caletô, Dunkerkâ & Theonis villâ à Galliæ Rege captis, pax tandem Cameracenſis, Galliæ damnoſa admodum, coiit, & Elizabetha filia Henrici II. quæ Carolo filio ejus promiſſa fuerat, ipſi data eſt: Unde hujus indignatio, & aliis quoque accedentibus cauſis, Patris juſſu inflicta mors. Annô quô.

FILIVs ANTE DIeM patrIos InqVIrIt In annos:

Sequutus ipſius Reginæ, non ſine veneni ſuſpicione, obitus. Paulo antè Belgici motus orti, quorum originem, viciſſitudines, ſucceſſum, vide apud Thuan. *Hiſtor. &* Grotium *Annal. Belg.* Quos malum omen anteceſſerat, ingens naufragium claſſis & regiæ ſupellectilis, cùm è Belgio in Hiſpaniam ſe contuliſſet. Lutheraniſmum in Hiſpania crudeliſſimè extirpavit, non tantùm Hiſpali plurimis Confeſſoribus, ſed & Pinciæ, 28. è præcipua nobilitate, ipsô ſpectante, igne conſumptis. In prælio ad Naupactum, per Johannem Auſtrium, feliciter rem contra Turcas geſſit, Luſitaniæ regnum, per Albanum, intra 70. dies occupavit; claſſe ſtupendâ A. C. 1588. contra Angliam infeliciſſimô ſucceſſu emiſſâ: quam tamen calamitatem, in ſpeciem, conſtantiſſimè tulit. In Gallia dein per plures annos Ligam fovit, contra legitimum hæredem, Henricum IV. qui bellum ipſi A. C. 1595. indixit, cui A. C. 1598. finis impoſitus eſt, pace Vervinenſi. Summa, in cubiculo ſuo ſedens tranquillus totum orbem commovit, Imperatoribus & Pontificibus pro lubitu creatis. Obiit phthiriaſi, pediculorum tantâ copiâ ex ægro corpuſculo erumpente, ut *multis manibus circa unum laborantibus, minima tamen pars ſordis eſſet, quæ egerebatur.* A. C. 1598. præfatô. Vide Grotium *in Annal. & Hiſt.* Thuanum, Stradam, &c. Datis prius Filio imperandi præceptis: inter quæ, *Belgicas provinc. ſibi conciliet, & momenta cauſæ Navarræ à peritis probiſque viris examinanda curet.* Ferdinandus enim Catholicus, A. C. 1512. Johanni Labretano Navarræ Regis regnum, prætextu negati tranſitus, & amicitiæ cum Ludovico XII. eripuerat: Et Carolus V. Philippo filio in mandatis quidem dederat, ut Johannam Labretanam, familiæ hæredem, ſibi uxorem jungeret, hâc lege, ut jus ſuum in Navarram Philippo conferret. Sed ſucceſſu id caruit, proin Philippus II. ut dictum monitis ad Filium, quæſtionem ſuæ fidei à Patre ſecretô codicillô commendatam teſtatus eſt, verùm variis occupationibus diſtrictum non potuiſſe illam ſatis diligenter excutere; proin filio mandavit, momenta cauſæ à peritis probiſque hominibus examinanda curaret, &c. Referente Becmannô *Hiſt. Orbis terr. c. 1. de regno Hiſpan ex Thuan. l.* 120. Ex Elizabetha Francica, pater Iſabellæ Claræ Eugeniæ, quæ poſteà Alberto Archiduci nupta Belgium tenuit, & Catharinæ Sabaudiæ Ducis, ex Anna verò Maximiliani II. filia, Philippi III. ſucceſſoris. Cabreta, Mariana, Turquet. *bello Hiſp.* Strada *de bello Belg.* Brantomus, *vita Elizabethæ*, cum jam citatis auctoribus collati.

PHILIPPUS III. Patri ſucceſſit, ex Margareta Auſtriaca, filia Caroli Archiducis & Mariæ Bavaricæ, pater quatuor filiorum, & totidem filiarum: quarum maxima natu Anna, Ludovico XIII. nupſit, A.C. 1615. Maria autem Ferdinandi III. uxor evaſit. Induciis duodecennalibus An. ſeculi hujus 7. initis, Turcarum claſſem, in mari Mediterraneo, Florentinis ac Militenſibus junctus profligavit: cum Sabaudo, pro Mantuano, variâ fortunâ rem geſſit. Barcinonenſem Comitatum horrendô diluviô A.C. 1617. vix non amiſit. Ferdinando II. auxiliis ſummiſſis, Palatinatum per Spinolam occupavit. Obiit A. C. 1621. ætat. 43. regni 23. ſucceſſit fil.

PHILIPPUS IV. qui aulam mox, mulctatis pravis Parentis conſiliariis, reformavit, Caſalim fruſtra obſedit, in Rhætia per Pompejum Plantam, in fideles, immaniter ſæviit. Bellum cum Belgis mortuô Albertô & Iſabellâ, per Ferdinandum fratrem infeliciter continuavit. Principi Rohanio, Reformatorum in Gallia Duci, auxilia pollicitus dicitur; an hinc diſſidii inter coronas ſcintilla, quæ A. C. 1635. in flammam aperti belli erupit, cùm Electorem Trevirenſem, qui Gallicô patrociniô tutum ſe credebat, infeſtaret. Geſtum hoc bellum variâ fortunâ, tandem pace ad Pyrrenæos initâ, A.C. 1660. & conjugiô Ludovici XIV. cum Maria Tereſa filia Philippi, finem accepit: niſi quòd paulò pòſt in Flandriam Galli irruptione factâ, plurimas urbes ſui juris fecerunt: quod tamen pace Aquiſgranenſi quoque compoſitum. Rex prudens, ſed parum fortunatus, amiſit A. C. 1640. Cataloniam, & Luſitaniam: quarum illa tandem recepta, hæc ſub proprio Rege hodieque floret. Paulò pòſt Neapolis ſeditione immani exarſit; quæ & ipſa pacata; alibi quoque cum Fortuna colluctatus, obiit A. C. 1665. Pater Caroli II. nati A. C. 1661. ex Maria Anna, Ferdinandi II. filia.

PHILIPPUS, Navarræ Rex, dictus Bonus & ſapiens, fil. Ludovici, nepos Philippi Audacis Galliæ Regis ductâ Johannâ; filiâ unicâ Ludovici X. Hutini regnum adeptus eſt, A. C. 1329. Huic Alphonſus de la Cerda aliquot provincias, quæ olim ad Navarræ regnum pertinuerant, donavit. Cum vicinis pacem coluit, operâ illis contra Mauros ſæpiſſime latâ. Obiit, aliquot vulneribus in obſidione Algeſiræ, in regno Granatæ acceptis, A. C. 1343. ætat. 42. Pater Caroli Mali ſucceſſoris, *Philippi* Comitis Longavillani, occiſi in prælio A.C. 1363. Ludovici, in Apulia mortui, A. C: 1372. &c. Vide Morerium *in Diction. Hiſt.*

Duces Burgundiæ, Comites Flandriæ, Duces Sabaudiæ, &c.

PHILIPPUS I. ex prima Ducum Burgundiæ familia, qui ex Roberto Roberti Regis filio orti, patrem habuit Eudem IV. matrem Johannam filiam Philippi Longi Regis, ob hanc Comes Arteſiæ quoque. Obiit ante Patrem A. C. 1346. Pater ex Johanna, filia Guilielmi Bononienſis, poſtea Johanni Galliæ Regi nupta, *Philippi* II. qui Avo ſucceſſit, A. C. 1349. Obiitque improlis, A. C. 1361. Sic Burgundia ad coronam rediit. Poſteà Johannes, Rex, *Philippo* filio Turonum Duci, qui in prælio Pictavienſi re fortiſſimè geſtâ *Audacis* elogium meruit, Ducatum Burgundiæ conceſſit, qui I. ex poſteriore familia hôc nomine fuit. Ex Margareta, filia unica Ludovici III. Comitis Flandriæ, Philippi II. Ducis Vidua, Pater Johannis ſucceſſoris. Antonii Brabantiæ Ducis *Philippi*, Nivernii & Rethelii Comitis qui duo in prælio Azincurtiano, obiêrunt, A. C. 1415. &c. A Carolo V. Sapiente, unus ex Caroli VI. filii tutoribus declaratus, viribus Regni uſus eſt, ad Ludovicum ſocerum, contra Gandavenſes auſpiciis Philippi Artevillæ inſurgentes juvandum: rebellibus ad Roſebecum victis, A. C. 1382. Biennio pòſt, mortuô comite, hæres ditionem pacavit. Dein, per Regis infirmitatem, Regens conſtitutus, æmulum nactus eſt Ludovicum Ducem Aurelianenſem fratrem Caroli VI. Unde utriuſque familiæ diſſidium, Regno fatale. Obiit in Hannonia, A. C. 1404. ætat. 63.

PHILIPPUS II. fil. Johannis, juſſu Caroli VII. Galliæ Regis occiſi, *Boni* cognomentum tulit, natus A. C. 1395. Patri ſucceſſit A. C. 1419. Mortem Patris ulturus, Anglis præſto fuit, contra Carolum VI. & VII. poſteà verò, cùm Carolo Duce Aurelianenſi filio Ludovici, reconciliationem iniit. Nihilominus clam infenſus Carolo VII. filium ejus Ludovicum, qui è Gallia ſe ſubduxerat, excepit hoſpitiô. Auctor Ordinis aurei velleris, plurimis munificentiæ ſpeciminibus editis, Belgii 17. provincias fermè omnes ſub Imperio ſuo uniit. Obiit Brugis, A. C. 1467. ætat. 72. Ex Iſabella, filia Johannis Luſitaniæ Regis, pater Caroli Audacis, ſucceſſoris & ultimi Burgundionum Ducis Paradin. *Annal. Burgundiæ.* Jacob. Marchantius, *in Comment. Flandr.* Heuterius, *rebus Burgund.* Golutus, *Petrus de S. Juliano*, &c.

PHILIPPUS Burgundus, Epiſcopus Ultrajectinus ſecul. 16. Legatus hic à Maximiliano I. ad Julium II. interrogantibus, poſt reditum, qui placuiſſet Roma? *Nullum locum magis placere*, reſpondit, *ſi illa ſcelerum fæx*, (*quos* Curtiſanos *vocant*) *procul iſtinc ablegaretur.* Sacrificorum, *Cives Rom. qui veteres nominantur, graves eſſe* dicebat. *Sacrificorum, Epiſcoporum, Cardinalium, Pontificis M. non minus impudentem, ſi quàm impurum luxum ac faſtum ita execrabatur, ut affirmaret, ſe non dubitare, quin gentiles & Pagani, caſtiùs innocentiuſque vixerint, quàm hi qui nunc Chriſtiano orbi religionis leges præſcribunt.* Addebat, *ſe vidiſſe Cardinales quoſdam primi nominis, dum ſacra reliquia populo & præcipuè Germanis noſtris veneranda oſtedenderentur, exertis linguis ac digitis in turpem modum compoſitis, noſtrorum ſimplicitati inſul-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

inſultâſſe. Nihil apud hoc hominum genus, præter aurum, & quæ vel nominari nefas ſit, ſacrum eſſe, &c. Gerardus Noviomagus, *in vita ejus, Margaretæ Auſtriacæ dedicata*, apud Lætum *Compend. Hiſtor. Univerſ.*

PHILIPPUS, Flandriæ Comes, fil. Theodorici Alſati, nepos Theodorici I. Lotharingiæ Ducis Patri ſucceſſit A. C. 1168. Aliquid negotii cum Philippo Auguſto Galliæ Rege habuit, dein pace cum eo factâ, comes ipſi in Orientem fuit: Occiſus in obſidione Acræ, A. C. 1191. Margareta ſoror ei ſucceſſit, uxor Balduini VIII. Marchantius *in Comment. Flandr.*

PHILIPPUS I. Comes Sabaudiæ, fil. Thomæ I. ab Innocentio IV. Archiepiſcopus Lugdunenſis creatus, A. C. 1245. poſteà Amadeô IV. Bonifaciô Rolandô & Petrô mortuis, Comitem Sabaudiæ, excluſis Thomæ fratris filiis, ſe declaravit, ductâ Adelheidâ, filiâ Ottonis II. Burgundiæ Comitis. Obiit hydropicus & improlis, A. C. 1285. Matthæus Pariſ. *Hiſtor. Angl. in Henr.* 3. Paradinus & Guichenonius, *Hiſtor. Sabaud.*

PHILIPPUS II. fil. Thomæ III. princeps Achajæ, Pedemontii, &c. hôc à patruo Amadeo V. ipſi conceſſô. Ductâ Iſabellâ Principe Achajæ & Moreæ, ex illa numeroſam prolem ſuſcepit: Variis exercitus bellis, obiit A. C. 1334. *Iidem.*

PHILIPPUS, Sabaudiæ Dux, fil. quintus Ludovici V. ne ob egregias dotes majoribus natu umbram faceret, à Patre in aulam Caroli VII. Galliæ Regis miſſus, poſteà Comes Sebuſianorum à Patre factus eſt. Dein, cùm paulò acriùs ſe opponeret iis, quos Anna Cypria mater præter meritum evexerat, juſſu Ludovici XI. Regis Galliæ in vincula conjectus, poſtmodum Aquitaniæ Præfecturam accepit, Eques quoque S. Michaëlis factus: Idem à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, qui ad ejus liberationem non parum opis attulerat, eques quoque aurei velleris, & utriuſque Burgundiæ Præfectus creatus eſt, Caroli VII. in expeditione Italica comes, redux Delphinatus præfecturam accepit. Poſt Caroli Joh. Amadei mortem, jam Sabaudiæ Dux A. C. 1496. ætat. 58. pepercit inimicis, Aulam celeberrimam habuit, & peculiarem curam populo, qui ipſum perdidit, A. C. 1497. impendit. Ex Margareta Borbonia, pater Philiberti II. & Ludovicæ, matris Franciſci I. Ex Claudina verò Broſſia, Caroli III. qui Philiberto II. ſucceſſit, *Philippi*, qui caput fuit, familiæ Nemoroſiæ, Genevenſis & Aumaliæ, &c. ut & Philibertæ, quæ Juliano Medicæo, fratri Leonis X. nupta, à Franciſco I. Nemoroſio Ducatu donata eſt, &c. Guich. *Hiſt. Sabaud.*

Viri Principes.
Ex Familia Palatina.

PHILIPPUS, cognomine *Ingenuus*, Ludovici, cognomine *Manſueti*, Electoris, unicus filius, ſub tutela patrui Friderici I. cognomine *Victorioſi*, à quo adoptatus, fuerat, adolevit, quô mortuô ipſi in Electoratu ſucceſſit: habuitque ditionem, viris, opibus ac literis (docti recenſentur, Rod. Agricola, Joh. Capnio, Jo. Dalburgius Epiſcopus Wormatienſis, *Philippi* Cancellarius, Johannes Abbas Spanhemius, Jodocus Gallus, Jacobus Wimphelingius) florentiſſimam, ſed bellum mox Bavaricum creſcentis familiæ remora fuit. Poſtquam enim Georgius cognomine *Dives*, Dux Bavariæ, Ruperto cognomine *Virtuoſo*, filio *Philippi*, unicam filiam Eliſabetham elocâſſet, eam & per eam generum hæredes ſuos ex aſſe teſtamentô ſcripſit, quod Imperator, ut in fraudem agnati Bavari contra leges factum, probare noluit, probante id licèt Pontifice. Hinc duæ priùs, ut res ſine bello perficeretur, ab Imperatore trientes ditionum Georgii, nomine tum dotis, tum prætenſionum, quas ab antiquo adversùs Bavaros habebant Palatini, oblatæ ſunt, ut tertia tantùm pars ad Albertum Ducem Bavariæ perveniret: quas cùm Rupertus recusâſſet, à Maximiliano I. Imperatore ipſe primùm & mox A. C. 1504. pater *Philippus*, quod auxilium ferret, proſcripti ſunt. Hinc omnibus, Chriſtophorô Badenſi exceptô, in Palatinos irruentibus, hiſque ad Ratisbonam acri præliô ſuperatis, Wirtembergenſis Dux Winsbergam, Maulbronnam & alia: Norimbergenſes Altorfium, Heresbrugam: Lauffenam: Ingolſtadium Bavarus: Haſſiæ Landgravius Homburgum, Bickenbachium, Umſtadium: Cæſar autem, quæ ab Imperio oppignorata erant, Palatinæ domui, & Advocatiam provincialem Alſatiæ, iis eripuit: Bipontinô quoque agnatô & Comitibus Leiningenſibus ditiones carpentibus. Donec A. C. 1505. in Comitiis Colonienſibus, ſtratâ priùs apud Imperatorem Patri à Friderico filio viâ, à Friderico Electore Saxon. *Philippus* ad Cæſarem adductus, atque ab eo in gratiam receptus eſt, faſſô A. C. 1518. ut dicitur, ſe Palatinis feciſſe injuriam & reſtitutionem pollicito. Obiit Kal. Martiis A. C. 1508. Pater novem filiorum, inter quos *Philippus* Epiſcopus Friſingenſis ac Naumburgenſis & præter alios Eccleſiarum Præſules, Wolfgangus natu minimus cognomine *Sapiens*, qui Neofori habitavit, Rupertus præfatus tertius natu, & natu maximi Ludovicus III. & Fridericus II. Electores.

PHILIPPUS, cognomine *Bellicoſus*, frater minor natu Ottonis Henrici Electoris, ex Electorali priore familia ultimi, A. C. 1529. contra Solimannum Turcarum Imperatorem defendit Viennam, memorabili fortitudinis ſpecimine. Inde nomine Ferdinandi Regis Romanorum, Wirtenbergico agro præfuit, & Philippo Landgravio, cùm is Ulricum Ducem reſtitutum veniret, A. C. 1534. cum copiis occurrit, ſed amiſsâ globô tormentariô pedis calce captus eſt. A' quo reliquum vitæ in quiete tranſactum. De ſpe nuptiarum regiæ filiæ, & ob hoc itinere in Angliam clandeſtino A. C. 1538. ſuſcepto ac Friderici apud Cæſarem excuſatione, vide Hub. Thom. Leodienſem. Literarum etiam, inter arma, cultor, obiit Heidelbergæ A. C. 1548. egregiô ornatus Epitaphiô. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſt.*

PHILIPPUS, fil. minimus natu Friderici V. Electoris ac Bohemiæ Regis, legioni Equitum Lotharingicorum præfuit, præliôque ad Retelium, quô Turenius Principum captivorum in Gallia cauſam tuitus eſt, cecidit, A. C. 1650. Idem nomen fuit filio minori natu Auguſti, Sultsbacenſis lineæ conditoris: qui natus A. C. 1630. ſub Lotharingiæ Duce prima fecit ſtipendia A. C. 1651. inde ad Succos tranſiit, iiſque in Polonia, Pruſſia, ac Dania fidelem præſtitit operam, conſtitutus Juliæ Gubernator. A. C. 1659. verò in Fionia victus acri præliô, quô præcipuum robur Suecici exercitus periit, mortuô Rege in Germaniam rediit, profectuſque A. C. 1661. Viennam, inde A. C. 1662. Venetias, in mari Ægæo claſſi adfuit. In exercitu dein Cæſareo adversùs Turcam Campi Mareſcallus conſtitutus, A. C. 1664. in conflictu ad Arrabonem prope Gotardi Fanum, eximia fortitudinis ſpicimina edidit, Idem. Item filio Wilhelmi Bavariæ Ducis *Wilhelminæ* lineæ conditoris, Epiſcopo Ratisbonenſi ac Cardinali, qui præmaturô fatô extinctus eſt, A. C. 1598.

PHILIPPUS Ludovicus, fil. maximus natu Wolfgangi Ducis Bipontini, Neoburgicæ lineæ auctor, ditionis hujus adminiſtrationem, Patre vivô ſuſcepit, A. C. 1560. & feliciter geſſit, optimi *Patris familiæ* nomen promeritus. Formulæ Concordiæ ſubſcripſit A. C. 1580. eamque, ut erat Auguſtanæ Confeſſionis apprimè ſtudioſus, in ditionibus ſuis introduxit. Annô dein 1601. ipſius & Maximiliani Ducis Bavariæ auſpiciis, præſentibus præter hos illius filiô Wolfg. Wilhelmô & hujus fratre Albertô, Colloquium Ratisbonenſe, collocutoribus hinc Heilbrunnerô, Ægid. Hunniô, Dav. Rungiô: illinc Albertô Hungerô, Jac. Gretzerô, & Adamô Tannerô, de auctoritate ac perfectione S. Scripturæ, celebratum eſt: actis in publicum emiſſis. Poſt hæc eidem controverſia fuit, cum Johanne Bipontino, nepote, ob adminiſtrationem tutelæ, poſt mortem Friderici IV. agnati A. C. 1610. manſit verò in ſucceſſione Bipontinus. Annô tandem 1614. conſternatus nuntiô de filii Wolfgangi Wilhelmi ad Latinos ritus tranſitu, vitâ exceſſit, ſepultus Lauingæ. Ex Anna Juliacenſi, unde prætenſio ei nata in Ducatus Juliacenſem, Clivenſem & Montanum, pater Wolfgangi Wilhelmi modò memorati, qui Neoburgicam continuavit: Auguſti, qui Sultzbacenſem & Johannis Friderici, qui Hiltpolſteniam lineas condidêre.

PHILIPPUS Wilhelmus, fil. Wolfgangi Wilhelmi præfati unicus, natus A. C. 1615. Parenti mortuo ſucceſſit, A. C. 1653. cum Electore Brandenburgico, ob cauſam Juliacenſem, graves aliquot lites, quibus ad arma etiam deventum, habuit: Suæ Religionis, quam à Patre accepit, acerrimus defenſor, exercitiorum equeſtrium peritiſſimus habetur. Cùm prima ejus uxor Polonica, ob quam in Regis Poloniæ electione ſemel atque iterum conſiderari meruit, ſterilis fuiſſet: ex altera conjuge Haſſa, quæ in mariti gratiam Pontificiis acceſſit, numeroſam ſuſcepit ſobolem, haud pridem Leopoldi I. Imperatoris ſocer factus.

Ludovicus PHILIPPUS, fil. minor natu Friderici IV. Electoris Palatini, fratris Friderici V. fortunæ implicitus & ab Hiſpanis omni ditione exutus eſt. Tum ratio ejus, in Electoratu ad alium transferendo, neglecta, quòd in bello fratri adhærens Legioni præfuiſſet. Inde poſt exilium decennale Regi Sueciæ victori, cum fratre, ſe adjunxit atque in ejus comitatu aliquandiu vixit. Fratre autem extinctô A. C. 1632. à Cancellario Suecico Oxenſtierna adminiſtrationem Electoratûs ſuſcepit; cujus uſus, ob ancipitem belli Fortunam, minimè diuturnus fuit. Unde Metis & Sedani aliquandiu exul, demum pace Monaſterienſi A. C. 1648. in ſua eſt reſtitutus, cùmque controverſia orta eſſet, cum Electore Carolo Ludovico, ea compoſita & in Comitiis Ratisbonæ A. C. 1654. inveſtitura Ducatus Simmerenſis ei collata eſt. Deceſſit Berolini A. C. 1655. ſucceſſore filiô Ludovicô Henricô Mauritiô Franciſcô, qui haud pridem deceſſit improlis, Principatu ad agnatum Electorem devolutô.

Maximilianus PHILIPPUS Hieronymus, filius minor natu Maximiliani Electoris ac Ducis Bavariæ, ex Maria Anna Auſtriaca, frater Electoris hodierni: Natus A. C. 1638. ſuô nomine, ob Landgraviatum Leuchtenbergicum, in Comitiis Ratiſbonenſibus ſubſcribi voluit, A. C. 1654. Vide Spenerum ſuprà laudatum in *Sylloge Geneal.*

Ex Familia Saxonica.

Johannes PHILIPPUS, fil. Friderici Guilielmi Ducis Saxoniæ, Altenburgicæ lineæ conditoris, ex ſecunda ejus conjuge Anna Maria Palatina, cum patrueli Johanne Erneſto Vinarienſi, quòd eô minor eſſet, de ſedis prærogativa controverſiam habuit, diciturque pro Altenburgicis pronuntiatum, A. C. 1607. Vinarienſibus in contrarium proteſtantibus. Inde in conventu fuit Lipſienſi A. C. 1631. demum obiit A. C. 1639. unicâ filiâ Eliſabethâ Sophiâ, uxore Erneſti Ducis Saxoniæ agnati, relictâ. Fratres ejus fuêre Fridericus, qui in prælio ad Nienburgum cecidit, A. C. 1625. Joh. Wilhelmus, qui Saxonicas Electorales copias in Sileſia duxit, & Fridericus Wilhelmus, qui fratrum minimus, ſed eorundem hæres, genuit Fridericum Wilhelmum.

Ex Familia Guelfica.

PHILIPPUS, fil. Alberti Ducis Grubenhagii, Smalcaldico bello adversùs Carolum V. geſto adfuit, numeroſâ ſobole inclytus, E' qua Erneſtus, Princeps pius, conſtans ac fortis ſummuſque *Philippi* Haſſiæ Landgravii amicus, obiit A. C. 1567. reliqui

fratres Wolfgangus & *Philippus*, ille A. C. 1595. hic A. C. 1596. defuncti terminârunt lineam. Et quidem hujus adhuc ſpirantis arces aliquot Henricus Julius Brunſvicenſis familiæ Princeps, ſtatimque eô extinctô reliquam ditionem, excluſis agnatis, occupavit: unde plurimæ lites, de quibus vide Thuanum *l.* 115.

PHILIPPUS Magnus, fil. ſecundò genitus Henrici cognomine *Junioris* Ducis Brunſuicenſis, lineæ Guelferbytanæ, Caroli V. in Smalcaldico bello miles, tum vicinis vexandis miniſter fuit: frater Caroli Victoris majoris natu & Julii. Obiit cum priore in prælio Sivershuſano A. C. 1553. Ultimus verò Julius, inter alios, *Philippum* Sigiſmundum genuit, Epiſcopum Verdenſem (ubi Coadjutorem ſibi deſtinavit Fridericum, poſteà tertium hujus nominis Daniæ Regem) & Oſnabrugenſem, ſpe etiam Mindenſem, ni Pater in conditionibus adimplendis nimiam traxiſſet moram. Vide Thuanum *l.* 83. & 100.

Ex Familia Badensi.

PHILIPPUS, fil. Rudolfi Marchionis Badenſis, Hochbergicæ lineæ; ex Margareta Viennenſi. Cum agnato Chriſtophoro Badenſi pactum hæreditariæ ſucceſſionis renovavit indeque ultimus Hochbergiorum, moriens A. C. 1503. eum hæredem reliquit. Quam ex Margarita Sabauda ſuſceperat, filia Johanna, nupta Ludovico Aurelianenſi Duci Longavillano, attulit ei Comitatum Novocaſtrenſem & prætenſionem in Arauſionenſem Principatum. Vide in voce *Johanna*.

PHILIPPUS, ex filiis Chriſtophori præfati, gratus Carolo V. Imperatori, ejus quoque vicarius fuit. Pater ex Eliſabetha Palatina plurium filiorum, ſed parum vivacium: Frater verò Bernhardi, qui Badenſem lineam coutinuavit, & Erneſti, qui Durlacenſem condidit.

PHILIPPUS, fil. Philiberti, ex Mechtilde Bavarica, nepos Bernardi prædicti fuit; ejus nomine Auguſtanam Confeſſionem, ab avô introductam, Marchionatu ejecêre Bavari. Obiit, ſucceſſore patruele Edoardô Fortunatô.

PHILIPPUS Balthaſar, Hermanni Badenſis Marchionis fil. ex Maria Sidonia Falckenſtenia, frater Caroli Wilhelmi Eugenii, Ferdinandi IV. Romanor. Regis Camerarii.

PHILIPPUS Sigiſmundus, Wilhelmo Marchioni Badenſi, ex priori uxore Catharina Urſula Zolleria, genitus, Eques Melitenſis, ad Orbitellum in Tuſcia cecidit A. C. 1647.

Ex Familia Hassiaca.

PHILIPPUS, Haſſiæ Landgravius, cognomine *Magnanimus*, filius Guilielmi mortui A. C. 1509. ex Anna Megapolitana. A Franciſco Sickingenſi primò infeſtatus; dein A. C. 1525. in ruſticis tumultibus, cùm ſui quieſcerent, proximos Buchovios compreſſit, tum ad Franckenhuſam cladi Muntzeri interfuit, ſuos ad fortitudinem maſculâ oratione cohortatus. Euangelium amplexus A. C. 1526. Monaſteria in Scholas & Xenodochia convertit, unde primordia Academiæ Marpurgenſis: ubi ejus auſpiciis, colloquium, inter Lutherum, Melanchthonem, Zuinglium, Oecolampadium habitum eſt, A. C. 1529. Inter Smalcaldici fœderis primos auctores, Confeſſione cum ſociis Imperatori oblatâ, peculiari fœdere ſibi Tigurinos, Baſilienſes & Argentoratenſes junxit. Ulricum Wirtembergicum, profligatô ad Lauffenam Auſtriacô præfectô Philippô Palatinô, reſtituit, A. C. 1534. Ex hoc, Imperii nomine, Monaſterium urbem ab Anabaptiſtis inſeſſam, oppugnavit. Henricum Brunſvicenſem, urbi cognomini infeſtum, ditione exuit, captumque cum filio A. C. 1545. Zigenheinæ detinuit; &c. Armis dein contra Cæſarem ſumptis, cum Joh. Friderico Saxoniæ Electore victus A. C. 1547. cùm Halam ad Carolum veniſſet, contra fidem datam, ab Albano, juſſu Cæſaris, inſtinctu Granvellani, qui dolô vocum *einig*, & *evig* ei illuſerat, detentus, ſed à Mauritio genero, pulsô Oeniponte Carolô, liberatus eſt, quinquenniô pòſt. Obiit A. C. 1567. Pater Guilielmi, &c. Vide Thuan. *Hiſtor.* Addo, quòd ex Chriſtiana Saxonica filios reliquit quatuor, Wilhelmum, Ludovicum, *Philippum* & Georgium; inter quos provinciam ſic diſpertitus eſt, ut primogenitus ſemiſſem, nempe totum inferiorem Principatum & Comitatûs Ziegenheinii potiora: Secundus Principatum ad Lanum & Comitatum Niddanum (atque ita quartam partem) ex minoribus ille interiorem, hic ſuperiorem partem Comitatus Catimelibocenſis haberent. Ex his Ludovicus & *Philippus*, qui olim obſes fœderis A. C. 1551. apud Regem Franciæ fuerat, Reinfelſamque tenuit, ſterilia conjugia contraxêre.

PHILIPPUS, Wilhelmi, Caſſellanæ lineæ conditoris, de quo ſuprà, ex ſecunda conjuge Juliana Naſſovia, filius, Danicis auſpiciis militans, præliô ad Lutteram cecidit, A. C. 1626. Item filius ſecundò genitus Georgii præfati, habitans Butzbaci, in balneo ambuſtus miſerâ morte interiit, A. C. 1643. nullâ ex Margareta Diepholtia & Chriſtiana Sophia Friſia conjugibus, prole relictâ. Frater Ludovici natu majoris, qui Patri in Principatu Darmſtattino ſucceſſit.

Ex Familia Vandalica.

PHILIPPUS, Dux Megapolitanus, fil. Henrici, ex ſecunda conjuge Helena Palatina, Patri ſucceſſit; ſed improlis ſucceſſionem poſt quinquennium morte ſuâ ad Patrueles transmiſit, A. C. 1557. Fuêre autem illi Joh. Albertus, Ulricus, Georgius, Chriſtophorus & Carolus, filii Alberti cognomine *Formoſi*, qui frater fuerat Henrici memorati.

PHILIPPUS Ludovicus, fil. ſecundò genitus, ex Maria Catharina Luneburgica, Adolfi Frederici Ducis Megapolitani, Suerinenſis familiæ conditoris, defuncti A. C. 1658.

PHILIPPUS I. Pomeraniæ Occidentalis Dux, fil. Georgii, qui Wolgaſtenſem ramum condidit, ex Æmilia Palatina, adjutus à Patruo Barnimo X. cognomine *Pio*, Principe Stettinenſi, qui totô trienniô audiverat Lutherum, in ditione ſua Papatu abolitô formulam adminiſtrationis, per Joh. Bugenhagium conſcriptam, publicari curavit. Cum eodem A. C. 1541. de diviſione Principatûs & Eccleſiaſticorum bonorum tranſegit. Obiit A. C. 1560. Pater ex Maria Saxonica plurium liberorum, è quibus Joh. Fridericus pridem A. C. 1556. Camini Epiſcopus electus Patri ſucceſſit, Barnimi XI. Caſimiri IX. qui ſine prole deceſſêre, & Bogiſlai XIII. qui Barti. ac Erneſti Ludovici, qui Wolgaſti ſede fixâ, familiam propagârunt. Hôc enim natus *Philippus* Julius cognomine *Animoſus*, poſt ſterile cum Agnete Brandenburgica matrimonium, deceſſit A. C. 1625. Illô verò plures geniti, è quibus.

PHILIPPUS II. Patris ſucceſſor, à prudentia ac literis commendatur, fratri Franciſco Epiſcopo Caminenſi, quem à comitate commendant, hicque A. C. 1620. Bogiſlao XIV. familiæ totius Pomeranicæ ultimo, ſucceſſionem reliquit. Vide iterum Spenerum *librô ſæpiùs cit. in Familia Wandalica*, &c. Fuêre quoque *Philippus* Dux Holſatiæ, lineæ Sonderburgicæ, fil. Johannis Junioris auctor rami Glucſpurgii, à prudentia Oeconomica ſingulariter commendatus: Item filius minor natu Franciſci II. Ducis Lawenburgici ex primo matrimonio Margaretæ Pomeranæ, qui Patrem morte ſuâ A. C. 1605. præceſſit. *Philippus* item Ludovicus ex filiis Alexandri Sonderburgici, Auguſtus tandem *Philippus*, Philippi Ludovici frater major natu, qui initiò duarum ſororum Olderburgicarum, poſteà Mariæ Sibyllæ Naſſoviæ maritus, ſub Hollandis ſtipendia egit; ut alios hâc quoque vice omittam.

Comites Principesque Nassovii.

PHILIPPUS, Everhardi Comitis ex uxore Helfenſtenia filius, Catharinam ſibi Hanovicam junxit cumque ea arcem extruxit Solmenſem, unde *Comitum Solmenſium* prima origo. Hôc enim conjugiô natus Otto primus Solmæ Comes fuit.

PHILIPPUS, Johannis Comitis filius ex Machtilda (Werneri Caſtilæ Comitis filia) uxorem habuit Imaginam, Ottone Hannoviæ Comite genitam, atque ex ea ſuſcepit Johannem, Canonicum Argentinenſem, *Philippum*, Burggravium Kiburgi creatum, Ottonem, Getam & Annam, Landgravii Haſſiæ ac Thuringiæ nuptiis illuſtratam. Fuit & *Philippus* Georgii Comitis & Johannæ Banneriæ filius, Præpoſitus Baurenſis. Sed hi ex antiquioribus. *Philippus*, ex filiis Johannis cognomine *Senioris*, è priori ejus conjugio cum Eliſabetha Landgravia Leuchtenbergica inito, natus Dillenburgi A. C. 1566. Heidelbergæ aliquandiu literis operam navavit, inde Lugdunum Batavorum avocatus, maturam Marti indolem militiæ vivis exemplis addiſcendæ commodavit. Primum fortitudinis ſpecimen edidit in expeditione contra Alexandrum Farneſium Antverpiæ imminentem; Præfecturam dein Gorchemii Worcumi & Lovenſtenii oppidorum non longô intervallô ad ripam Vahalis ſitorum & Magiſterium Equitum, unà cum Legionis cura, nactus; annô ætat. 21. aſtu capiendæ Bredæ callidum conſilium primus invenit; annô inde ſequenti in obſidionibus Zutphaniæ, Daventriæ, Hulſtæ, Noviomagi, ſtrenuam Mauritio Principi navavit operam; è quibus ultimam, in præmium laborum, gubernandam & præſidiô ſuô firmandam, accepit. Ductor poſteà 2. legionum Henrico IV. Galliæ Regi à Proceribus Belgii auxilio miſſus, in Rothomago obſidendo fortem operam impendit; Ducem Parmenſem, ad vicum Ranſonium, reliquias recolligentem, Regis impetum alacriter ſequutus, fudit. Hinc domum reverſus, in obſidione Stenvici Mauritio præſtò fuit: cujus ductu ſequente annô Gertrudenbergam cepit, fruſtra Mansfeldiô renitente. In liberanda poſtmodum Covorda & expugnanda Groninga iterum Mauritii comes: expeditionem, his defunctus, in agrum Luciliburgenſem ſuſcepit & junctus Bullonio Duci, terrorem hoſtibus non parvum injecit. Sed paulò pòſt, dum fortiùs, quàm feliciùs, cum Mondragonio dimicaret, vulneratus in hoſtium manus pervenit, à quibus Rhenobergam abductus, ibi ex vulneribus deceſſit, Arnhemii magnificè ſepultus.

PHILIPPUS, fil. Ludovici Henrici Comitis cui Dullenburgum ſedes obtigit, ex Catharina Ludovici Comitis Sayno Witgenſtenii filia defunctâ A. C. 1651. unà cum fratre Adolfo Canonicus Magdeburgenſis, in Aula Electoris Brandenburgici aliquandiu hæſit. Obiit cælebs A. C. 1657. ætat. 27.

PHILIPPUS, fil. Adolfi Comitis Wisbadenſis, ex Margaretha Hannovienſi, primus Comitum Wisbadenſium Lutheri reformationem amplexus eſt. Obiit A. C. 1521. ex Adriana (filia Johannis Baronis Bergæ ad Scaldim) Catharinæ (Comiti Reipolſenaci nuptæ) *Philippi* (qui natus A. C. 1516. non fuit multi ævi) Margaretæ (Valſordiæ Antiſtitis) Adolfi (cui uxor obtigit Franciſca filia Ducis Limburgenſ.) Balthaſaris (qui fratri ſucceſſit) & Annæ Monialis. E quibus Balthaſar, ex filio Johanne *Philippum*, Ludovico nepotem, inter alios, habuit Johannem quartô ætatis annô defunctum.

PHILIPPUS fil. Johannis (qui ex Gerlaco filio nepos Adolfi Imperatoris Weisburgenſem ramum orſus eſt (ex Anna Johannis Comitis Saræpontani filia unicâ, Patri ſucceſſit. Obiit A. C. 1429. Pater ex Catharina Lotharingica (Frederici Ducis filiâ) Margarithæ (Gerhardo Rodemaccero nuptæ) & *Philippi* II. ex Annâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Annâ dein Hohenloicâ, alterâ conjuge, Johannis Comitis Saræpontani & Annæ (cui Georgius Hennebergicus maritus obtigit.)

PHILIPPUS II. ditionibus per annos 63. præfuit uſque ad A. C. 1492. Ex uxore Catharina (filia Emiconis Comitis Leiningenſis) ſuſcepit Johannem, qui ante Patrem mortuus, ex Eliſabetha Ludovici cognomine *Pacifici* Haſſiæ Landgravii filia Ludovicum reliquit, ad quem avitarum ditionum hæreditas & ſucceſſio eſt devoluta.

PHILIPPUS III. præfati Ludovici fil. ex Margaretha (Adolfi Comitis Naſſoviæ Wisbadenſis rami filiâ Patri defuncto A. C. 1523. ſucceſſit. Obiit A. C. 1559. ex priori conjuge Anna (Albertô Comite Mansfeldiô genitâ) Alberti. ex poſteriore Amalia Iſenburgicâ (filia Johannis Comitis) *Philippi* Saræpontani Comitis Annæ Amaliæ (quæ Georgii Seniori Comitis Naſſov. Dillenburgenſi nupſit) & Annæ Amaliæ, Philippo Rhingravio elocatæ, parens. E quibus Albertus, Saræpontanam ditionem, poſt obitum fratris, denuò conjunxit Comitatui Weilburgenſi. Eô, inter alios, genitus Ludovicus, Patris ſucceſſor, numeroſam prolem ex Anna Maria Caſſellana, atque in hac *Philippum* quoque filium habuit.

PHILIPPUS, fil. Joh. Ludovici Comitis Saræpontani defuncti A. C. 1545. Patri ſucceſſit; ſed eô fratreque Adolfô, ſine hæredibus, defunctis, ſtemma Saræpontanum Weilburgenſi, unde avulſum erat, denuo annexum eſt.

PHILIPPUS Guilielmus, maximus natu Guilielmi Principis Arauſionenſis, ex Anna (Maximiliani Buræ & Leerdami Comitis filia) prima ejus conjuge filius, obortis Belgicis turbis, ex Academia Lovanienſi, ſpretis hujus privilegiis, captivus in Hiſpaniam abductus 28 integros annos ibi degit. Tandem inde liberatus Patri in Principatu Arauſionenſi ſucceſſit: uxorem ſibi junxit Eleonoram, Henrici Borbonii Principis Condæi filiam ſed nullâ ex ea prole ſuſceptâ, obiit A. C. 1618. Moderatione animi, affabilitate, alios demerendi ſtudiô, inclytus. Ei ſucceſſit in Principatu frater Mauritius.

PHILIPPUS Wolffgangus, ex filiis Georgii Comit. Naſſoviæ Dillenburgici rami (Johanne Seniore geniti) & Annæ Amaliæ Saræpontanæ. brevis ævi.

Johannes PHILIPPUS, prioris frater, Lutetiæ deceſſit annô ætatis 17. Sedani ſepultus &c. Cyr. Lentulus *Principum Naſſov. Geneal. MS.*

PHILIPPUS Maria, Vicecomes Mediolanenſis, filius Johannis Galeacii, fratri Johanni Mariæ ſucceſſit. A. C. 1412. Obiit A. C. 1446. Junius *Hiſt. Mediol. Duc.* præter jam ſupra memoratos.

Viri Illustres.

PHILIPPUS, Epiſcopus Hieroſolymitanus, poſt Benjaminum, Euſeb. *in Chron. A. C.* 114. Item, Pſeudopapa, poſt Paulum I. pulſus poſteà, Anaſtaſ. *in vit. Pontif.* Item, Epiſcopus Cretenſis, ſcripſit contra Marcionem, ſeculô 2. Hieronym. *de Scriptor. Eccl.* Item, presbyter, Hieronymi diſcipulus. Scripſit *in Hiobum*, &c. Gennad. *Catal Vir. Illuſtr.*

PHILIPPUS, ruſticus, nutritor Alexandri Severi Imperatoris. Occurrit apud Æl. Lamprid. in *Vita* hujus, *c.* 13. *Nutritor Philippus provenit caſu, unus ex ruſticis, quod nomen Patri Alexandri Magni fuit.*

PHILIPPUS, Albertus, Carmelita, Germanus, cognomine de Nuſſia, locô natali; prope Francofurtum. Docuit Theologiam Pariſiis & Coloniæ, ſcripſitque *in Canticum*, *in Magiſtrum Sententiarum*, *Homilias*, &c. Trithem. *de Vir. Ill. &c.*

PHILIPPUS Albinius, Anglus, Mathematicus & Philoſophus inſignis: edidit *Canones Tabularum*, *&c.* Lelandus & Pitſeus, *de Scriptorib. Angl.*

PHILIPPUS Aldegondius, vide *Marnixius.*

PHILIPPUS Alenconius, Cardinalis Archiepiſcopus Rotomagenſis, fuit filius Caroli Magnanimi, Comitis Alenconii qui, frater Philippi Valeſii, obiit in memorabili prælio ad Creſciacum, quô Galli ab Eduardo III. victi. Cum Carolo V. aliquid negotii habuit, lite paulo pòſt compoſitâ. Vicarius Generalis ſtatus Eccleſ. ab Urbano VI. creatus, paulo pòſt ab eodem, ne Clementis VII. partes amplecteretur, verito, dignitatibus ſuis exutus eſt. Sed a Bonifacio IX. reſtitutus, Obiit Romæ, A.C. 1397. Ducheſnius & Auberius *Hiſtor. Cardin.* Morerius, *in Dictionar. Hiſtor.*

PHILIPPUS Appianus Mathematicus inſignis, docuit Ingolſtadii, ſeculô præteritô ſcriptis inclytus. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. §. 23. & *c.* 44. §. 25. Fil. Petri, qui ſcripſit *Coſmographiam* German. *Inſcriptiones Orbis*, *Bavariæ deſcriptionem*, *Antiquitates Europæ*, *Deſcriptionem peregrinationis S. Pauli*, *Inſtrumentum Aſtronomicum repræſentans folium populi*, *Quadrantem Aſtronomicum*, *Inſtrumentum primi Mobilis* &c. Vide *Petrus Appianus.*

PHILIPPUS, Baſtonus, Carmelita Anglus, floruit A. C. 1320. Frater Roberti, ſimiliter Carmelitæ, qui eruditione, pietate, ſcriptis celebres. *Lucius.* Pitſeus. *de Scriptorib. Anglic.*

PHILIPPUS Benitius, fundator Ordinis Annunciatæ, Florentinus. Obiit A. C. 1285. Morerius *in Dictionar. Hiſtor.*

PHILIPPUS Bergomenſis, vide *Jacobus Phil. Foreſtius.*

PHILIPPUS Beroaldus, Bononienſis, eruditione inter primos ſeculi 15. Humaniores literas Pariſiis, Parmæ, alibi docuit. Opera ejus edita Baſileæ, A. C. 1513. Pater *Philippi*, ſub Leone X. Bibliothecæ Vaticanæ præfecti: quem inter illuſtres ſui ſeculi poëtas collocant Lilius Giraldus, & Eraſmus, *in Ciceroniano.* Floridus Sabinus, *Lect. Subciſiv. l.* 2. *c.* 9. *&* 10. Pierius Valerianus, *de infelic. literator. l.* 1. Paul. Jovius, *elog. c.* 51. *& l.* 3. *de vita Leonis* X. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11. Geſner. *in Biblioth.* Poſſevinus *in Appar.*

PHILIPPUS Beverlæus, Anglus, ſcripſit in Philoſophiam Ariſtotelis. Pitſeus, *in append.*

PHILIPPUS Boncompagnus, Cardinal. nepos Gregorii XIII. Venetiis, Henricum III. è Polonia reducem excepit, magnis negotiis adhibitus. Obiit A. C. 1586. ætat. 38. ſub Sixto V.

PHILIPPUS, cognomine *Bonus*, Burgundiæ Dux, ejus Johannis filius, qui ad Monterellum occiſus eſt, & multos in Francia motus excitavit ſub regib. Carolo VI. & VII. vixitque uſque ad imperium Ludovici XI. *Chron. Burgund.* Vide ſuprà.

PHILIPPUS Boſquerius, Franciſcanus, ex Hannonia, obiit, A. C. 1631. Opera ejus in volum. 3. prodierunt. Henr. Willotus, *Athen. Franc.* Valer. Andr. *Biblioth. Belgic.*

PHILIPPUS Braſſerius, hujus popularis; Edidit *Sidera illuſtr. Hannoniæ Script.* A. C. 1637. & *Bibliothecam Hannoniæ*, A. C. 1639.

PHILIPPUS Bromierdus, Dominicanus Anglus, voce ſcriptiſque inclytus. A. C. 1490.

PHILIPPUS Caballolius, Epiſcopus Cavallonenſis, purpuram accepit ab Urbano V. cum Patriarchæ Hieroſolymitani titulo. Ditioni Pontificiæ à Gregorio XI. præfectus, cùm Paparum ſedes Avenio eſſet, Obiit Peruſii, A. C. 1372. Scripſit *de Nugis Curialium*, & *Homilias.* Petrarchæ familiaris. Vide hujus *l.* 2. *ep.* 1. *&* 2. *& l.* 4. *ep.* 95. *&* 96.

PHILIPPUS Chabotius, Baro Brionius, Franciſco I. gratus; ab hoc Admiralius Galliæ & exercituum in Sabaudia ac Pedemontio Dux creatus eſt: cum illo Ticini captus, in tractatu Hiſpalenſi egregiam operam navavit. Maſſiliam ſtrenuè, contra Borbonium Principem tuitus, tandem Burgundiæ præfecturam accepit. Obiit A. C. 1543. Brantomus, *tom.* 1. *Vir. Ill.* Morer. *in Dictionar. Hiſtor.*

PHILIPPUS Chambræus, Cardinalis Bononienſis: gravis & eruditus. Obiit Romæ, A. C. 1550. Thuan. *l.* 3. *Hiſt.* Ducheſn. *Hiſt. Burg. l.* 4. Juſtellus, *Hiſtor. Tur.* Auberius *Hiſt. Card.*

PHILIPPUS Cluverius, Gedanenſis, celebris ſeculi hujus Geographus; *deſcriptione veteris Germaniæ*, *Italiæ*, *Siciliæ & Introductione ad Geographiam*, famam immortalem meruit. Obiit Lugduni Batav. A. C. 1623. ætat. 43.

PHILIPPUS Comminæus, Argentonii Dominus, gente Flander, Hiſtoricus eximius. An. ætat. 8. in Aulam Caroli Audacis tranſiit, mox muneribus variis adhibitus. Dein A. C. 1464. ad Ludovicum XI. Galliæ Regem ſe applicuit, à quo magni æſtimatus, & negotiis graviſſimis admotus, cum Helena Chambæa, ex Comitiva in Andibus familia, conjugium iniit. Variarum linguarum, Gallicæ inprimis, Germanicæ & Hiſpanicæ peritus, Latinæ prorſus rudis; doctus viros amavit, & ut judiciô, ita rerum uſu inſigni præditus fuit, *Hiſtoriam ſui temporis* Gallicè ſcripſit; complexus res geſtas A. 34. ſub Ludovico XI. & Carolo VIII. Dignus Philippus Alexandris, Lipſii judiciô. Hanc poſteà in linguas varias tranſlatam vidimus. Tandem tamen, poſtquam Ludovici Cubicularius, Pictavii Senechallus aliiſque muneribus ampliſſimis functus fuiſſet, proditionis accuſatus, triennium in vinculis fuit: ſed, ab omnibus deſertus, ipſemet ſui apologiſta auctor fuit, ut incolumis dimitteretur. Obiit in Pictonibus, A. C. 1509, ætat. 64. Pater Johannæ, Renato Britoni, Comiti Pentheuriæ, nuptæ. Lipſ. *not. ad l.* 1. *Polit.* Marchantius *Comm. Flandr. l.* 1. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Ducheſnius, *Hiſt. Caſtellion.* *Sleidanus*, &c.

PHILIPPUS Corneus JCtus Peruſianus: Peruſii, Ferrariæ & Piſis publicè docuit, & jura annos propè quinquaginta profeſſus eſt: Nonnullis *de Jure confectis Commentariis*, ferè octogenarius deceſſit A. C. 1460 in urbe patria. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PHILIPPUS Decius, Mediolanenſis, JCtus inſignis, Piſis docuit, ibi conjugiô contractô, dein Ticini Profeſſor fuit. Concilii Piſani defenſor, direptis ædibus, in Galliam ſe recipere coactus, biennium Avarici fuit: Valentiam dein à Ludovico XII. invitatus, Senator Parlamenti ibi factus eſt. In patriam tandem redux, Obiit Senis, A. C. 1535. ætat. 80. Opera ejus ſæpe edita. Paul. Jovius, *elog. c.* 88. Fichard. *in vit. Juriſconſ.* Geſner. *in Biblioth. &c.*

PHILIPPUS Eichſtadius, Epiſcopus hujus in Bavaria urbis, pietate & ſcriptis inclytus, A. C. 1322. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 64. *l.* 3. *c.* 4.

PHILIPPUS Ferrarius, Cardinalis Toloſanus, vel ſecundùm alios, Siculus, floruit A. C. 1394. Ab Urbano VI. variis Legationibus adhibitus, Trithem. *de Vir. Illuſtr.* Alegr. *in Parad. Carmel.* Alius, Geographus doctiſſimus, Alexandriæ oriundus, Profeſſor regius Mathematum Ticini: Edidit A. C. 1605. *Epitomen Geographiæ libris* 4. Dein *Topographiam in Martyrologium Roman.* *Topographiam Poëticam*, &c. Inprimis *Lexicon Geographicum*; quod A. C. 1627. poſt auctoris mortem, qui annô ante obiit, Mediolani editum, à Baudrando Pariſ. ingenti acceſſione auctum, ante paucos annos denuo prodiit.

PHILIPPUS Gezza, Dominicanus Romanus, Cardinalis ab Urbano VI. creatus eſt A. C. 1378. Præſulum ſui ævi doctiſſimus: Scripſit *in Phyſicam Ariſtotelis.* Obiit A. C. 1384. Onuphr. & Ciaccon. *in Urban.* VI.

PHILIPPUS Grevius, Cancellarius Pariſienſis, eruditione claruit. A. C. 1237.

PHILIPPUS Gualterus, Caſtellionæus, Inſulis Flander, Theologus & Poëta, A. C. 1250. Scripſit *Alexandreida*, libris 10. *Flores ſuper Pſalterium*, *Morale dogma Philoſophorum*, *de Mahumeto*, *&c.* Henr. Gandav. *in Catal.* Sixtus Senenſis *in Bibl. Sacr.* Barthius, *Adverſ. l.* 52. *c.* 16. & *c.* 10. *l.* 31. Voſſ. *de Hiſt. Latin. l.* 2. *c.* 59. *& Poët. Lat. c.* 6. Obiit Caſtellione, juxta Epitaphium ejus:

Inſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen,
Perſtrepuit modulis Gallia tota meis.

PHILIPPUS Harvengius, cognomine *ab Eleemoſyna*, Abbas in Hannonia, Ordin. Præmonſtrantium, S. Bernhardi amicus. Scripſit *vitam S. Auguſtini*, *&c. Commentaria in Canticum*, *de Clericorum dignitate*, &c. Quæ omnia Duaci edita, A. C. 1620. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 49. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

PHILIPPUS Huraldus, Cancellarius Galliæ. Fil. poſthumus Rodolphi, Britonis, bellô Neapolitanô occiſi. Poſtquam Pictavii literis vacâſſet, Hiſtoriæ poſtmodum ſe dedit, inde Pariſiis Præſidis Thuani filiâ ductâ, Henrici Andii primò Cancellarius, variiſque Præfecturis ornatus, poſteà Birago ſucceſſit, A. C. 1578. donec A. C. 1588. à Rege mandatô acceptô, domi ſe continuit. Sub Henrico IV. revocatus in Aulam, ibi denuò officiô ſuô functus eſt, uſque ad A. C. 1599. quô obiit ætat. 72. Thuan. *Hiſt. l.* 3. Scævola Sammart. *elog. l.* 4. & *Hiſt. Geneal.* Mezeray. *Hiſt. Gall. &c.*

PHILIPPUS Kersbelius, Gandavenſis, an Siculus? Carmelita, ſcripſit *de Conceptione immaculata B. Virginis*, contra Vincentium de Novo Caſtro, Jacobinum. Obiit Lutetiæ, A. C. 1385.

PHILIPPUS Leidenſis, Hollandus, Jus Canonicum Pariſiis docuit; Principibus ſuis, Epiſcopo Ultrajectino & Gregorio XI. charus. Obiit A. C. 1386. ſcripſit *de Reipubl. cura & ſorte principantis:* quod Joh. Severinus edidit Lugduni Batav. A. C. 1516.

PHILIPPUS Lenoncurtius, Cardinalis Archiepiſcopus Remenſis, ab Henrico III. & IV. ut & Sixto V. in pretio habitus. Obiit A. C. 1592. Marlot. *de Arch. Remenſ. &c.*

PHILIPPUS de Levis, Cardinalis Metropolitanus Eccleſiæ Arelatenſis. Obiit Romæ, A. C. 1475. Saxius *Pontif. Arelat. &c.*

PHILIPPUS Lucemburgicus, Cardinalis magnis negotiis præfuit. Ab Alexandro VI. in Galliam miſſus, ad diſſolvendum matrimonium Ludovici XII. cum Johanna, dein iterum ſub Julio II. eôdem Legatus iit. Præfuit Sedi Atrebatenſi cum magna nominis famâ. Obiit A. C. 1519. ætat. 74. Monumentum ejus inteſtinis bellis disjectum. Nicolaus Vignerius, *Hiſt. Lucemburg.* Corvaſerius, *Hiſt. Epiſcop. Cœnoman.* Frizo *Gall. Purpur.* Ducheſnius & Auberius, *Hiſtor. Cardinal. &c.*

PHILIPPUS Maria, Papiæ dominus, Galeatii Mediolani ducis fil. *Hiſt. Mediolan.*

PHILIPPUS Montanus, & Montcalerius, ille Doctor Pariſ. Eraſmi amicitiâ inclytus: hic Franciſcanus, floruit ſeculô 14. Ambo ſcriptis clari.

PHILIPPUS Mornæus, Vir tam pacis quàm belli artibus clariſſimus, è Pleſſiaca familia. Scriptis publicis, de Eccleſia, optimè meritus, inter quæ *Myſterium Iniquitatis: de Euchariſtia, &c.* qui poſtremus liber, linguâ vernaculâ ſcriptus, cùm, ob ſtyli elegantiam, per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii periculum veriti, paſſim in concionibus in eum invehebantur. Hinc cùm collatione inſtitutâ, Rege præſente ac Proceribus, David Perronius Epiſcopus Ebroicenſis, quædam falsò, quædam verbis truncatis, in illo, ex Patribus & Scholiaſticis allegata, à Mornæo, contenderet, A. C. 1600. hic ſibi à Perronio editionibus caſtratis ac mutatis impoſitum conqueſtus, libellô editô cauſam defendit. Henrico IV. Regi, à quo Salmurio Præfectus datus, chariſſimus fuit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 23. Petr. Matth. *in Henr.* 4. Iſaac. Caſaubonum *in Epiſt. &c.*

PHILIPPUS Nerius, Fundator Presbyterorum Oratorii, in Italia: Florentinus: Orationi adeò intentus, ut ſæpe quadraginta horas in ea continuaret. Obiit A.C. 1595. ætat. 80. Inter Sanctos relatus à Gregorio XV. A. C. 1622. Anton. Galonus, *in ejus vita.*

PHILIPPUS Pariſienſis, priſcus Poëta Gallus, A. C. 1260.

PHILIPPUS Portius, Carnutenſis, Abbas: Henrici Andii gratiâ florens, eum in Poloniam ſequutus eſt, reducemque ad Patrium regnum capeſſendum iterum deduxit. Eô mortuô, in Normanniam ſe recepit, in qua ſub obſequium Henrici IV. redigenda, non parum laboravit. Poëta Gallus inſignis, ſcripſit poëmata varia, quæ unô volumine edita, cum verſione Gallica Pſalmorum Davidis. Modeſtiâ inter primos ſui ſeculi, ut qui Archiepiſcopatum quoque Burdigalenſem recuſare auſus eſt. Obiit A. C. 1606. ætat. 61. Sammart. *elog. l.* 5. *&c.*

PHILIPPUS Ribbetius, Provincialis Carmelitarum, in Catalonia, Obiit A. C. 1391. Scripſit varia. Trithem. *de Vir. Illuſtr.* Luc. *Biblioth. Carmel.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 3. &c.

PHILIPPUS Sidetes, Sidâ Pamphiliæ oriundus, ſub Theodoſio: Chryſoſtomi familiaritate illuſtris. Scripſit *Hiſtoriam Chriſtianam libris* 24. Socrat. *Hiſt. l.* 7. *c.* 27. Niceph. Caliſt. *l.* 14. *c.* 29. Phot. *Cod.* 35. Andr. Schottus, *not. ad Phot.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 20.

PHILIPPUS Strozza, fil. Petri Mareſchallus Galliæ, natus Venetiis, A. C. 1541. ætat. 7. in Galliam miſſus eſt, ut ibi literas & arma tractare diſceret. An. 15. ætatis, ſub Carolo Coſſæo meruit. Dein Caleti expugnationi, &c. interfuit: poſt Andelorii mortem Præfecturâ donatus peditatus Gallici. Ab Henrico III. Sancti Spiritus eques creatus, pauloque poſt, cum claſſe in Luſitaniam, Antonium adjutum miſſus eſt; Ab Hiſpanis, in quorum manus incidit, contra militiæ jura necatus. A.C. 1582. Brantom. *Commentar. l.* 4. Avila, *bell. Civil. Gall.* Mezeræus *Hiſt. Gall.*

PHILIPPUS Villerius, ex nobili familia de Inſula Adami, Gallus, M. Magiſter Ordin. Melitenſis, A.C. 1521. quem honorem ei invidens Andreas Amaratus Luſitanus, Rhodi amittendæ occaſionem præbuit. Cùm enim Solimannus A.C. 1522. illâ fruſtra aliquandiu oppugnatâ, jam re infectâ diſcedere pararet, Amarati Cancellarii & Judæi Medici monitu, in obſidione perrexit. Sic Magiſter, deditionem facere coactus, tanto in honore apud victorem fuit, ut benigniſſimè ab ipſo exceptus, rogaretur ſecum manere. Sed fruſtra, Villerius inde in Cretam, & Siciliam nave, cujus velo unico inſcriptum, *Afflictis ſpes unica rebus*, delatus, Viterbium tandem pervenit, quod oppidum ipſi donatum eſt à Clemente VII. Melitâ dein à Carolo V. Equitibus conceſſâ, illuc profectus, A. C. 1530. Obiit A. C. 1534. ætat. 70. Jacob. Boſſius, Petrus Boiſſatus, & Joh. Balduinus, *Hiſtor. Melit. l.* 18. 19. *& ſeq.* Bellocarius, *l.* 17. Jac. Borbonius, *de Obſidione Rhodi.* Spondan. *in Annalib.*

PHILIPPUS Vitriacenſis, Poëta Gallus, Epiſcopus Meldenſis. *Metamorphoſes Ovidii Gallicè* vertit, in gratiam Johannæ Borboniæ, uxoris Caroli Quinti. Obiit A. C. 1351. Morerius *in Diction. Hiſtor.*

PHILIPPUS Wielanus, nobilis Belga, ampliſſimis ſub Philippo I. muneribus functus; Scripſit *Hiſtoriam Flandriæ*, &c. Obiit A. C. 1519. Vide Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Sander *l.* 3. *de Gand. Scr.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Philipp. Labbeum, *de Phil. &c.*

PHILISCUM, oppid. Parthorum ad Euphratem, non procul à Damaſceno campo, Plin. *l.* 5. *c.* 26.

PHILISCUS, Athenienſium Tyrannus, Olymp. 23. Item cælator egregius, qui Venerem in Octaviæ porticu, item Latonam, Dianam, Muſas novem & Apollinem nudum inſculpſit. Item alius, de quo Dionis epitome *in Pompejo:* Κικέρωνα φυγόντα εἰς Μακεδονίαν Φιλισκός τις ἐξ Ἀθηνῶν αὐτῷ γενόμενος γνώριμος, φιλοσόφοις λόγοις παρεμυθήσατο. *Nic. Lloydius.*

PHILISCUS, Comicus Græcus, auctor fabularum quarundam, *Suid.* Alius, dictus *Agrius*, quia *de Apibus* ſcripſit, ruri ſemper verſatus, Plin. *l.* 11. *c.* 9.

PHILISCUS, ab Artaxerxe Perſarum Rege, miſſus, ad Græcos, de communi inter ſe pace ineunda. Re, propter Thebanos conſentire propoſitis conditionibus nolentes, irritâ, rediit in Aſiam, bis mille mercenariis apud Lacedæmonios relictis, mercede jam perſolutâ. Diodor. Sic. *l.* 15. *f.* 494. *p.* Olymp 102. An. 4.

PHILISTÆI, ſeu PHILISTIIM, ſive PHILISTINI, populi Judæis finitimi, à Meſraim filio Cham progeniti, regionem inferiorem ad mare mediterraneum, quæ rectius *Philiſtina* dicitur, à Caſtro peregrinorum, ſeu Dor aut Cæſarea Palæſtinæ, vel turre Stratonis uſque ad Gazam aut torrentem Ægypti poſſederunt, eſt in tribu Dan. Vide *Phyliſtiim.*

PHILISTIDES, Mallotes nomen Hiſtorici ſeu Geographi, de Geographicum tractavit argumentum, apud Plin. *l.* 4. *c.* 12. de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 169.

PHILISTINÆ Foſſæ, quod alii *Tartarum* vocant, inquit Plin. *l.* 3. *c.* 16. unum ex Padi oſtiis *Foſſena Leandro*, & *C. Fabricio.* Tartari fluvii etiam Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 9. meminit. Nunc *Po grande*, ramus præcipuus Padi, verſus ejus oſtium, in quem influit Tartarus, in loco *la Fuoſa*; idcirco Tartarum oſtium Padi dictum fuit etiam, quod anteà *Porto delle Fornaci*; nunc *Porto Viero*, eò quòd Veneti foſſam perduxerunt ad Portum Vierum, aliquanto magis ad Auſtrum, oſtium verò *Porto delle Fornaci* obturârunt, *Baudrand.*

PHILISTIO, Poëta Mimicus, Tiberii principatu, in Urbe clariſſimus. Ejus meminit Caſſiodor. *l.* 4. *Ep. ult. Mimus etiam, qui nunc tantummodò deriſui habetur, tantâ* Philiſtionis *cautelâ repertus eſt, ut ejus actus poneretur in literis, quatenus mundum curis edacibus æſtuantem latiſſimis ſententiis temperâſſet.* Hieron. *Apol. contra Rufinum quaſi mimum* Philiſtionis *& Lentuli ac Marulli ſtropham eleganti ſermone confictam.* Amm. Marcellin. *l.* 30. *Et Judices patiuntur interdùm doctos ex* Philiſtionis *& Æſopi cavillationibus quàm ex Ariſtidis illius juſti & Catonis diſciplina productos.* Vide quoque Euſebium *Chron.* & in voce *Philiſtion Magneſius.*

PHILISTION, Nicæus, poëta Comicus, Socratis ætate, nimiô riſu mortuus eſt. Euſeb. *in Chron.* Olymp. 196. Ann. 3. Epiphan. *de Manich.* Marcellin. *Chron.* Sidon. Apollin. *l.* 2. *ep.* 2. Item Locrenſis medicus, Gell. *l.* 17. *c.* 11. De priore Martial. *l.* 2. *Epigr.* 41. *v.* 15.

Mimos ridiculi Philiſtionis.

Vide & ſuprà.

PHILISTION, Magneſius, Poëta Conricus, floruit Romæ, poſt Horatium paulo. Inventor Mimorum, juxta *Caſſiodorum.* An idem cum præcedente? Vide ibi. Plurimi certè utrumque diſtinguunt.

PHILISTIUS, Mileſius: Muſicæ primùm operam dedit, evaſitque clariſſimus tibicen. Ad oratoriam demum converſus, auditor fuit Iſocratis. Alius Syracuſanus, hiſtoriographus, propinquus Dionyſii tyranni, poſteà ab hoc in exilium pulſus, quòd illô inſciô Leptinis fratris filiam ſibi junxiſſet. In exilio ſcripſit *res Siculas libris* 12. qui liber à priſcis impensè laudatur. Dein ſub Dionyſio juniore revocatus, claſſe comparatâ illum contra Syracuſanos, à quibus pulſus erat, defenſurus, victoriâ excidit. quare ſibi ipſe necem conſcivit. Diodor. Sic. *l.* 16. Plut. *in Dione.* Joſeph. *l.* 1. *contr. Appion.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 6.

PHILIX, nutrix Domitiani Imperatoris.

PHILLIS, Delius, περὶ αὐλητῶν Athenæo citatur, *l.* 14.

PHILLIS, Thraciæ regio Pangxo monti circumjecta, *Phyllis Stephano* dicitur.

PHILLYRA, mater Chironis Centauri, à qua Chiron *Philyrides* dictus eſt, teſte Serviô *in l.* 3. *Georg.*

PHILO, is fuit, qui ex Proſerpina filia, quam in balneis conſpexerat, ſuſtuliſſe creditur Mercurium, quem cum vellet exponere, conſuluit mathematicum quendam, à quo hoc accepit reſponſum, puerum futurum maximum rerum divinarum interpretem: quô nomine eum ſervavit ac diligenter educavit. Hic Mercurius *Hermes Triſmegiſtus* vulgò vocatur.

PHILO, ſcriptor Eratoſthene antiquior, literis prodidit *navigationem in Æthiopiam*, Strab. *l.* 2. Non dubium autem, quin Antigonus Caryſtius hunc ipſum Philonem ſignet *Hiſtor. Mirab. c.* 160.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

c. 160. At non æque apertum eſt, idemne, an alius *Philo* fingetur à Joſepho *l.* 2. *contra Appionem*: ſaltem *Philo* Biblius eſſe nequit, qui Joſephô junior fuit. Fuit & *Philo* Thebanus, quô Plutarchus teſte utitur, *in Alexandro.* Item *Philo* Metapontinus, tibicen & Poëta. Stephanus in *Μεταπόντιον.* Vitruvius alterius cujuſdam meminit, *in Præfat. l.* 7. Item *Philo*, qui librum ſcripſit *de armamentario Athenis à ſe extructo*, opere planè admirando, quod à Sylla fuiſſe incenſum Plut. teſtatur, *in Sylla*, & Appian. *de bello Mithridatico.* Idem fortè *Philo* eſt, qui de machinis ſcripſit, Tzetzæ memoratus *Chil.* 2. *Hiſt.* 35. Fuit etiam *Philo* Heracleota, cujus *de rebus mirabilibus* librum citavit, Porphyrius *l.* περὶ Στυγὸς; atque inde fortaſſe ſunt miranda illa, quæ de Galli Gallinacei, graculi, & apum amore erga hominem ex Philone prodit Ælian. *l.* 12. *c.* 37. Fuit præterea *Philo* Philoſophus, cujus hiſtoriam Eccleſiaſticam, *in Annalibus ſuis*, laudat Michaël Glycas, Conſtantin. Porphyrog. *de Them. Occ. c.* 9. Voſſ. *de Hiſtor. Græc. l.* 2. 3. 4. Leo Allat. *de Philonibus.* Alius præterea eſt *Philo* Byzantius, qui *de* 7. *orbis miraculis* ſcripſit, quem debemus Viro Cl. Leoni Allatio, qui eundem edidit, ſcholiiſque doctis illuſtravit Romæ, A. C. 1640. *Nic. Lloydius.*

PHILO, Oniæ temporibus, librum *Sapientiæ*, Salomoni tributum, condidit, de quo vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 11. uti de *Philone* auctore libri *de Antiqq. Judaic.* ſuppoſititio *c.* 30.

PHILO, Academicus, Clitomachi diſcipulus, Romæ profitebatur, quò profugerat Mithridaticô bellô, atque à Cicerone cultus eſt.

PHILO, Judæus, Alexandriæ natus, diſciplinisque omnibus eruditus, in noſtra & Græcorum philoſophia benè verſatus, eloquentiæ Platonis adeò æmulator, ut proverbium fuerit: *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat.* In divinis autem legibus & patriis inſtitutis, quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum ſuorum tradidit monimentis, palam eſt, ſeculô 1. Temporibus Caji Cæſaris, quanta acciderent Judæis mala, deſcripſit, ubi & ſuam legationem pro Judæis apud ipſum Imperatorem retulit. Sub Claudio, iterum Romam profectus, cum Chriſtianis ibi contuliſſe, inque horum gratiam tam benignè de S. Marci diſcipulis, quos Alexandriæ habebat, ſenſiſſe creditur. Opera ejus ultimò Pariſiis prodierunt, A. C. 1640. cum verſione Sigiſmundi Gelenii, &c. Dividuntur in 3. partes: quarum 1. *Coſmopoëtica*, 2. *Hiſtorica*, 3. *Juridica*, *ſeu Legalia* continet. Vide plura de eo apud Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 18. *c.* 10. Clem. *l.* 1. *Strom*, Euſeb. *Hiſt. l.* 2. *c.* 18. *l.* 7. *Præp. Euang. & in Chron. An. Chr.* 34. 37. 39. Hieron. *in Catal. Prol. in Marc. &c.* Phot. *Cod.* 103. 104. 105. Epiphan. Auguſtin. Oroſ. Rufinum, Iſidorum, Theodoret. Suidam, Niceph. Trithem. Petavium, & Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 191.

PHILO Carpathius, Epiſcopus ab Epiphanio ordinatus, ſub finem ſeculi 4. Commentatus eſt *in Canticum Canticor.* Vertit Stephanus Salvatius, Suid. *in Lex.* Bellarm. *de Scriptorib. Eccl.* Poſſevin. *in appar.*

PHILO Herennius, Byblius genere, grammaticus tempore Adriani Imperatoris de cujus imperio ſcripſit, & multa alia. Vide *Suid. Sixtum Senenſ. Miræum*: inprimis autem Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 10. Vide & *Herennius.*

PHILO, ſtatuarius, Hephæſtionem expreſſit, *Tatianus.*

PHILOBOEOTUS, mons Bœotiæ in Elaticis campis. Plut. *in Sylla.*

PLILOCALIA, caſtellum in Themiſcyrena, non procul à Tripoli fluvio & caſtello, Plin. *l.* 6. *c.* 4.

PHILOCANDRUS, inſula Cycladum, *Ptolemæo.* Vide *Pholegandrus. Baudrando Policandro*, Inſula parva maris Ægæi, 20. mill. paſſ. à Milo Inſul. in Ortum, 55. à Creta in Boream.

PHILOTHARIS, Pictor nobilis, de cujus tabula, ab Auguſto in Curia, parieti impreſſa, ſic Plin. *l.* 35. *c.* 4. *Idem in Curia, quam in Comitio conſecrabat, duas tabulas impreſſit---Alterius admiratio eſt, puberem filium ſeni patri ſimilem eſſe, ſalvâ ætatis differentiâ, ſupervolante aquila draconem complexâ.* Philochares *hoc ſuum opus eſſe teſtatus eſt. Immenſa, vel unam ſi quis tantùm hanc tabulam æſtimet, potentia artis; cùm propter Philocharem, ignobiliſſimos alioquin Glaucionem filiumque ejus Ariſtippum, Senatus Populuſque Romanus tot ſeculis ſpectet.*

PHILOCHORUS, Athenienſis, vir doctiſſimus & vates tempore Eratoſthenis, extinctus inſidiis Antigoni Macedoniæ regis ob amicitiæ ſuſpicionem cum Ptolemæo rege. Scripſit *Atthidis libros* 17. qui continent res geſtas Athenienſium, & reges, & magiſtratus, uſque ad Antiochum cognominatum *Deum*, aliaque complura, *Suidas.* Ejus ſextum laudant Scholia *in Ariſtoph. Ranas, Act.* 1. *Sc.* 5. Vide ibid. *Act.* 5. *Sc.* 1. Fuit Cycni fil. ἱεροσκόπος.

PHILOCLES, Archon Athenis, Olympiad. 97. An. 1. Item Olymp. 114. Ann. 3.

PHILOCLES, Athenienſis, poëta Tragicus, non ita multo poſt Euripidem, Æſchyli ex ſorore nepos, ab iracundiæ vitio *Bilis* appellatus. Vel etiam Ἁλμίων, ab ἅλμη: ſalſa amarugo. Patrem habuit Philopithem. Facie fuit imprimis fœdâ, capiteque in criſtæ formam acuminatô. Unde *Corydus* dictus. Scripſit *fabulas centum*, reliquitque filios nomine Philippum & Morſimum, & ipſos Poëtas Tragicos, *Suidas.*

PHILOCLES, Carcini fil. de quo Scholiaſt. in Ariſtophan. *Crabr. & Aves.*

PHILOCLES, Ptolemæi Dux, qui Caunum, corruptis annonæ præfectis, redegit in poteſtatem, Polyæn. *l.* 3. *in fine*, *c.* 16. Alii codices habent *Diocles.*

PHILOCLES, Poëta Comicus. Vide de aliis Philocleſi, Scholia *in Ariſtophanis Aves p.* 554. Item *p.* 601. 602.

PHILOCOMMODUS, puerulus, cujus mentio apud Æl. Lamprid. in *Commodo*, *c.* 9. multos à Commodo neci deſtinatos, tabulâ occidendorum arreptâ & evulgatâ, liberavit. Locus Lampridii eſt, *Multos præterea* (Commodus) *paraverat interimere, quod per parvulum quendam proditum eſt, qui tabulam è cubiculo ejecit, in qua occidendorum erant nomina ſcripta.* I. e. *abſtulit* vel *extulit*, ut habet Caſaubonus. Vel, *per feneſtram fortè in locum inferiorem dejecit*, ut vellet Gruterus: niſi aliter doceret Herodianus, quem de puero & tabula occidendorum pluribus agentem omnino vide.

PHILOCRATES, Athenis quidam, qui queſtum avibus exercebat, de quo Ariſtoph. *in Avibus.*

PHILOCRATES, vir Athenienſis, proditionis notâ infamis apud *Demoſthenem.* Alius ejus nominis edidit Θεσσαλικά, quorum *librum* 2. citat Athen. *l.* 6.

PHILOCRENE, Bithyniæ oppidum apud *Gregoram*, circa Nicæam videtur.

PHILOCTEMON, luxurioſus quidam Athenis, qui continuò agitabat convivia. Vide Ariſtophanem *in Crabronibus*, & *Scholiaſtem p.* 520. *E.*

PHILOCTETES. Pæantis fil. comes Herculis, cui idem moriens in Oeta monte mandavit, ne corporis ſui reliquias cuiquam indicaret: idque jurare eum adegit, deditque pro munere pharetram & ſagittas Hydræ felle intinctas. Quare cùm poſteà Delphicô oraculô moniti eſſent Græci, ad evertendam Trojam, ſagittis Herculis opus eſſe, inventus Philoctetes, & de Hercule interrogatus, negavit primum ſe ſcire, quid illi accidiſſet: cùm illi vehementius urgerent, tandem mortuum eſſe confeſſus eſt: cumque illi inſtarent, ut ſepulchrum ejus ſibi indicaret, ne jusjurandum violaret, ictu pedis locum oſtendit. Poſthæc, cum ad bellum Trojanum duceretur, quòd ipſe ſolus Lernæis ſagittis uti poſſet, unius ſagittæ caſu, in pede, quo Herculis tumulum monſtraverat, vulnere penè immedicabili affectus eſt, cujus fœtor, cùm à Græcis ferri non poſſet, in Lemno relictus eſt. Verùm, occiſô Achille, Ulyſſes in Lemnium regreſſus, ad Trojam illum reduxit, ubi & Pariden, ſingulari certamine ab eo provocatus, ſagittis interfecit. Everſâ autem Trojâ, pudore, ne in patriam æger rediret, impeditus, in Calabriam venit, ibique Petiliam condidit, tandem verò operâ Machaonis medici ſanatus eſt. Porro Philoctetem hydrâ morſum ajunt *Sophocles* & *Lycophron.* Theocritus, *in Ara*, addit hoc ei contigiſſe, dum contemplaretur ſepulchrum Troili, ab Achille occiſi, quod in templo Apollinis Thymbræi erat. Vide Ovid. *Metam. l.* 13. Natalem Comit. *l.* 4. *Mythol. c.* 5. &c. Propert. *l.* 2. *El.* 2. *v.* 59.

Tarda Philoctetæ ſanavit crura Machaon.

Ovid. *Triſt. l.* 5. *eleg.* 2. *v.* 13.

Penè decem totis aluit Pæantius annis
Peſtiferum tumido vulnus ab angue datum.

Fabulam narrat Servius, *ad illud Æn. l.* 3. *v.* 402.

Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Argonautam facit Valer. Flac. *l.* 1. *v.* 391.

Tu quoque Phryxæos remo Pæantie Colchos
Bis Lemnon viſure petis, nunc cuſpide patris
Inclytus, Herculeas olim moture ſagittas.

Nic. Lloydius.

PHILOCYNEGUS, Græcè Φιλοκύνηγος, nomen canis venatici, in *vetere Epitaphio*, quod Pergami hodieque extat, in hæc verba:

Τοὔνομα Φιλοκύνηγος ἐμοί, τοῖος γὰρ ὑπάρχων
Θηρσὶν ἐπὶ φοβεροῖς κραιπνὸν ἔθηκα πόδα.

Latinè ſic reddi poteſt:

Philocynegus ego dicor: quô nomine dignus,
Sæpe gradu preſſi non remorante feras.

Vide Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p.* 26. ubi tamen pro πόδα πολὺ habet, quod corruptum videtur.

PHILODEMUS, περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθίων Athenæo memoratur, *l.* 10. Haud ſcio, an alius à Philodemo Epicuro, natione Gadarenſi, qui à Strabone *l.* 16. inter celebres Gadaræ viros memoratur. Is Poëta fuit, vixitque Ciceronis ætate, à quo memoratur, *in Piſonem.* Ubi ſic Aſcon. Pedianus, *Philodemum ſignificat, qui fuit Epicureus, illâ ætate nobiliſſimus, cujus & poëmata ſunt*, Lil. Gyraldus ſuſpicatur eundem, quem nominat Horatius *Serm. l.* 1. *Sat.* 3. *v.* 122. *Gallis hanc Philodemus ait.* Vide Lil. Gyrald. *Dial. de Poëtis.* & Gaſſend. *in vita Epicuri l.* 2. *c.* 6, *Nic. Lloydius.*

PHILODEMUS, Fullo primùm, dein Poëta Comicus; quem *Ariſtophanes* ſæpe ridet, *Athenæo* quoque memoratur.

PHILODOCUS, ſecundus ex illis, quos Lacedæmonii Rhodum, ad ſedandam factionem Athenienſium, quæ ibi recrudeſcebat, miſerunt, Olymp. 97. An. 2.

PHILOGELOS, non puto verum nomen fuit, ſed fictum, nempe ſe ita vocavit, quia librô ſuô ridiculas eſſet narrationes complexus. Unam earum refert Tzetzes *Chil.* 8. *Hiſt.* 250.

PHILOGONUS, Antiochenſis Epiſcopus, A. C. 318. poſt Vitalem, Operam dedit, ut reliquiæ incendii, perſecutione Diocletianæâ excitati, abolerentur, fortiterque Licinii quoque furore toleratô, Confeſſoris nomen meruit. Naſcenti Arianiſmo in ſua diœceſi obnixus ſtrenuè, ab Ario multis injuriis affectus. Obiit A. C. 324. Succeſſit S. Euſtathius. Theodoret. *l.* 1. *c.* 2. & 6. Baron. *in Annal.* Hermantius, *in vita Athanaſii.*

PHILOLAUS, Crotoniates, Pythagoricus quidam philoſophus, cujus tres libros Plato, cùm tenui admodùm eſſet pecuniâ, decem millibus denariûm mercatus eſt, quod pretium à Dione Syracuſano acceperat. Omnia Harmoniâ & Neceſſitate fieri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

fieri docuit, terramque circulariter moveri credidit. Demetrius quoque cum primum de natura rerum ſcripſiſſe refert. Hic cùm aliquem diſcipulorum è vinculis liberare vellet, unum librorum ſuorum Dionyſio tyranno obtulit, quem hic Platoni tradidit, iſte autem illô ad Timæum ſuum conficiendum uſus eſt. Alii addunt, Platonem ab amicis, ejus ſcripta redemiſſe, illum obiiſſe. Diog. Laërt. *l.* 8. Alius Corinthius, qui Thebanis leges dedit, ex familia Bacchiadum, amicus Dioclis, qui Olympia vicit: ſed ubi ille civitatem deſeruit, commotus, ob amorem matris Alcinoæ, Thebas migravit, atque ibi ambo defuncti ſunt. Habitavit igitur ob hujuſmodi cauſam apud Thebanos, legeſque illis deſcripſit, & de aliis quibuſdam, & de ſobole procreanda, quas illi proletarias vocant. Et hoc præcipuè ab illo proviſum, ut numerus hæreditatum conſervetur. Ariſtoteles *l.* 2. *Politic. c. ultimô.*

PHILOLAUS Tarentinus, recenſetur Vitruvio *l.* 9. *c.* 9. *inter eos qui Gnomonica vel Organica quædam reliquerunt*, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 636. Vide ſuprà ubi de *Gnomonice.*

PHILOLOGIA, quæ aliter *Grammatice*; una ex partibus Polymathiæ, cújus reliquæ partes ſunt, Matheſis & Logica. Significat autem Polymathia illum diſciplinarum orbem, quæ ante Philoſophiam addiſci ſolent. Vide Philonem Judæum, Quintilianum *l.* 1. Clementem *in Strom. libris*, Origenem *in Philocalia*, Syneſium *in Dione* &c. Porphyrius de his omnibus apud Joh. Tzetzem *Hiſtor. Chil.* 11. *ſect.* 377.

> Δευτέρως δὲ ἐγκύκλια μαθήματα καλοῦνται.
> Ὁ κύκλος τὸ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων.
> Γραμματικῆς, Ῥητορικῆς, αὐτῆς Φιλοσοφίας,
> Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
> Τῆς ἀριθμητικῆς, μουσικῆς, καὶ τῆς γεωμετρίας,
> Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας.
> Ἐγκύκλια μαθήματα δευτέρως ταῦτα πάντα,
> Ὡς ἔγραψε Πορφύριος κτλ.

> *Secundò autem circulares diſciplinæ vocantur.*
> *Circulus enim concluſio eſt omnium diſciplinarum;*
> *Grammatices, Rhetorices, ipſius Philoſophiæ,*
> *Et quatuor Artium ſub ipſa poſitarum,*
> *Arithmetices, Muſices, Geometriæ,*
> *Et cœlum aſcendentis ipſius Aſtronomiæ,*
> *Circulares diſciplinæ ſecundò hæ omnes ſunt:*
> *Ut ſcripſit Porphyrius* &c.

Diſpeſcitur verò *Philologia* in duas partes, quarum prior continet Artes ſermonis formatrices, Grammaticam, ſcil. Rhetoricen, & Artem Metricam: Poſterior hiſtorias enarrans, Geographiam, Chronographiam, Genealogiam & Hiſtoriam pragmaticam ſive propriè dictam, complectitur: de quibus omnibus accuratè agentem adi Gerh. Joh. Voſſium *lib. de Philol.* Elogium ejus apud Eraſmum *in Origenis vita* tale eſt: *Si quis dicat, Grammatices profeſſionem nihil habere memorabile: ſciat, olim ſenile & arduum fuiſſe negotium. Nec enim à Doctore tantùm expectabatur declinationum, conjugationum & conſtructionum ratio; ſed præter ſermonis elegantiam, præter plurimorum Auctorum lectionem, præter antiquitatis & omnium hiſtoriarum notitiam, requirebatur Poëtices, Rhetorices, Dialectices, Arithmetices & Coſmographiæ Muſiceſque notitia. Minore negotiô tres Juris Doctores abſolveris, quàm unum Grammaticum, qualis fuit Ariſtarchus apud Græcos, apud Latinos Servius ac Donatus.* Eandem omne ponere ſtudiorum fundamentum, pulcrè Fabius *l.* 1. *c.* 4. aſſerit: *Grammatice*: ajens, *plus habet operis, quàm oſtentationis; & niſi ea fundamenta aliarum Artium feliciter jeceris, corruet quidquid ſuperſtruxeris. Nimirum ut ædificare volentibus prior eſt fundamenti cura, proxima autem ſtructuræ; ita etiam ſe res habet in doctrinarum ſtudiis. Fundamentum autem ponit literatura, ſive varia eruditio: quam* Philologiam *dicimus, vel etiam Grammaticen. Quod nomen nunc contemtui eſt, ſed inſipientibus: qui neſciunt plus habere momenti in receſſu, quam promittat in fronte. Alioqui non de hac Arte ſcripſiſſent Ter. Varro & Julius Cæſar: ille diſciplinarum omnium cognitione nulli ſecundus; hic rerum geſtarum magnitudine facilè princeps.* Vide quoque ſuprà *Eruditi*, & infrà *Polymathia.*

PHILOLOGUS, nomen viri, Roman. *c.* 16. *v.* 15.

PHILOMBROTUS, Archon Athenienſis Olymp. 46. cujus annô ſecundô Pediæi Diacrii & Patalii, ſeditionem novam propter æris alieni, quô demerſi erant, magnitudinem, Athenis excitârunt; cui malo, cùm finis nullus appareret, Soloni, civi Athenienſi ſeditio componenda, & Reſpubl. novis legibus conſtringenda, commiſſa eſt, *Plutarch.*

PHILOMEDES Lampreus, Nicanore Piræeo imminente, cùm plebiſcitum feciſſet, ut Athenienſes omnes arma caperent & Phocioni Imperatori parerent, à Phocione id neglectum eſt.

PHILOMEDUS, Phocenſibus, qui à Thebanis ac Theſſalis bellô petebantur, promittens, ſe bellum feliciter confecturum, cùm Dux eſſet creatus, prætextu belli mercenarios collegit, affatimque ſacris pecuniis ad eam rem abuſus, Ducatum belli convertit in Tyrannidem. Polyæn. *l.* 5. *c.* 45. Forte rectiùs legitur *Philomelus.* Vide *ibi. Nic. Lloydius.*

PHILOMELA, Pandionis Athenienſium Regis filia, quam Tereus, Thraciæ Rex, qui Prognem ſororem ejus uxorem duxerat, viſendæ ſororis prætextu, à patre abductam, in itinere violavit, & ne flagitium cuiquam indicaret, linguam ei præcidit, arctiſſimæque cuſtodiæ eam incluſit. Verùm illa (uti erat lanificii peritiſſima) rem omnem, quô geſta erat ordine, in tela depinxit; eamque per famulam ad Prognem miſit: quæ quamvis ſororis injuriâ graviſſimè commota, ultionem tamen in Orgiorum tempus diſtulit, quô tempore magnâ mulierum catervâ comitata, thyrſiſque & pellibus inſtructa, ſororem carceri eripit, & in regiam perducit, ubi communicatô cum illa conſiliô, Itym filium ſuum jugulat, patrique comedendum apponit: illôque epulis tam nefandis jam ſatiatô, ſub finem cœnæ pueri caput in convivium affert. Quô agnitô, Tereus furore percitus, cùm ſtrictô gladiô uxorem inſequitur, in upupam commutatur, etiam nunc criſtam militarem in capite gerentem. Prognè autem in hirundinem, Itys verò in Phaſianum, imò in Phaſſam, φάσσαν. *Servius Danielis.* Philomela denique in Luſciniam, etiam hodie de Terei injuria ſuaviſſimô cantu conquerentem. Quidam hanc fabulam, ad cantûs harmoniam, & ſonorum, qui ex avibus audiuntur, varietatem referunt. Alii ad mores, & dicunt hanc fabulam docere, cohibendos eſſe effrænatos animi motus, quibus homines ad furorem compelluntur: Impetus autem Venereus, & vindictæ cupiditas reddunt homines inſigniter immanes. Ac tyrannus libidinum ſordibus inquinatus, rectè fingitur in upupam commutatus. Vide *Tereus*, Meurſium *de Reg. Athen. ubi de Pandione*, & Ovid. *Metam. l.* 6. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 75.

> *Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ*
> *Muta puella fuit, garrula fertur avis.*

Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 511.

> *Qualis populeâ mœrens Philomela ſub umbrâ.*
> *Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator*
> *Obſervans nidô implumes detraxit, at illa*
> *Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen*
> *Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.*

Vix credas (inquit *Ludovicus de la Cerda*) ut ingenia Poëtarum aſpiraverint ad gloriam hâc comparatione: adeò ſæpè illam advocant. Ab uno Sophocle ſepties aſſumitur, ſemel *in Ajace*, ſemel *in Antigone*, bis *in Trachiniis*, ter *in Electra.* Ab Homero bis *Odyſſ.* 16. & 19. Eam uſurpat Euripides *in Phœniſſis*, Qu. Calaber *l.* 12. & 7. Oppianus 1. *Halieut.* & 5. Moſchus *epitaphio Bionis*, Callimachus *in lavacro Palladis*, Nonnus *Baſſaricôn ſecundo.* Ἀδέσποτος quidam Anthologiæ *librô tertiô.* Uſi ſunt etiam eâdem comparatione Latini, quorum verſus apponam. Catullus *ad Ortalum Epigr.* 66. *v.* 14.

> *Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris*
> *Daulias, aſſumpti fata gemens Ityli.*

Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 481.

> *Quacunque ingreditur, miſeris loca cuncta querelis*
> *Implet, ut amiſſum cùm gemit ales Ityn.*

Et *in Ep.* 15. *Heroid. v.* 151.

> *Quin etiam rami poſitis lugere videntur*
> *Frondibus, & nullæ dulce queruntur aves.*
> *Sola virum non ulta piè mœſtiſſima mater*
> *Concinit, Iſmarium Daulias ales Ityn.*

Pedo Albinovanus *de morte Druſi*:

> *Talis, in umbroſis mitis nunc denique ſylvis,*
> *Deflet Threicium Daulias ales Ityn.*
> *Halcyonum tales, ventoſa per æquora, queſtus*
> *Ad ſurdas tenui voce ſonantur aquas.*

Senec. *in Hercul. Oet. Actu* 1. *v.* 198.

> ——— ——— *Fugit vultus*
> *Philomela ſuos, natumque ſonat*
> *Flebilis Ityn.* ——— ———

Octavia apud eundem ſecum loquens. *Actu* 1. *v.* 6.

> *Repeto aſſuetos jam tibi queſtus*
> *Atque æquoreas vince Halcyonas*
> *Vince & volucres Pandionias.*

Papinius *l.* 9. *Theb. v.* 360. Halcyones tantùm memorat:

> *Fluctivagam ſic ſæpe domum, madidoſque penates.*
> *Halcyone deſerta gemit, cùm pignora ſævus*
> *Auſter, & algentes rapuit Thetis invida nidos.*

Nic. Lloydius. In mortem *Philomelæ* avis, hôc Epitaphiô luſit Lazarus Bonamicus ſeu Alexander Ferrarius, apud Licetum *de Lucernis l.* 2. *c.* 57.

> *Cecropios edocta modos* Philomela *canendo,*
> *Altera quæ Siren, altera Muſa fuit.*
> *Cui volucres circùm mirantes carmina cuncta,*
> *Ceſſêre oblitæ, dum canit illa, ſui:*
> *Continuitque gradum properans tum ſæpe viator;*
> *Conſtitit ipſe ſuô & fiumine Medoacus.*
> *Delinita etiam dulci Proſerpina cantu*
> *Ad Stygios rapuit gaudia noſtra lacus.*
> *At Dominus tantæ volucris perculſus amore,*
> *Huic doctâ erexit digna ſepulchra manu.*

Vide & Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 88. qui & de *Philomela* carmine, vulgò Ovidio tributo, à Grammatico quodam Chriſtiano compoſitum eſſe docet *ibid. c.* 49. cui adde A. Schottum, *l.* 2. *Obſervat. Poëtic. c.* 51.

PHILOMELIUM urbs magnæ Phrygiæ, Strab. *l.* 12. verſus confinia Galatiæ Auſtralis & Fontes Mæandri, 4. mill. paſſ. ab Apamea in Boream, 25. à Peltis in Ortum, Gentile *Philomeleus.*

PHILOMELUS, Phocenſium dux, templum Delphicum occupavit, Locrenſes vicit. Dein, ſociis ejus à Locrenſibus & Thebanis ſuperatis, ipſe à Bœotis, in loco arboribus denſo, circumventus, & in rupe quadam concluſus, obſtrictô exitu, ſe ipſe præcipitem dedit, ne in hoſtium manus veniret, Olymp. 106. An. 3. Et hoc unum erat ex tribus mortis ſacrilegis deſtinatæ generibus. *Philomeli* meminit Juſtinus *l.* 8. *c.* 1. Item Pauſan. *in Phoc.* Diodor. Sic *l.* 16. &c. Apud Polyænum verò *l.* 5. *c.* 45. male appellatur Φιλόμηδος pro Φιλόμηλος. *Nic. Lloydius.*

PHILOMELUS, apud Martialem ponitur, pro ditiſſimo citharœdo, *l.* 4. *epigr.* 5. *v. ult.*

> ——— *Nunquam ſic Philomelus eris.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dem, *l.* 3. *epigr.* 31. *v. ult.*

Plus habuit Didymus; plus Philomelus habet.

PHILOMENES, Paphlagonum Rex, à quo inſequentes principes cognomen ſumpſerunt, Alex. ab Alex. *l.* 1. *c.* 1.

PHILOMOLPHUS, Aſiæ minoris oppid. *Nicetas.*

PHILON Ænian, à Græcis in Aſia ab Alexandro conſtitutis, poſt exceſſum ejus defectionem agitantibus, Dux electus, de quo vide Diodor. Sic. *l.* 18.

PHILON, Medicus nobilis, qui cùm medicamenta quædam ad medendi uſum exquiſitiſſimè concinnaret, & egregias quaſdam Alexipharmacas facultates, eas Deorum manus appellabat, veluti divinas & ſalutares. Cæl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 11.

PHILON Phocenſis, pecunias ſacras adminiſtravit, quarum cùm rationem reddere non poſſet, ſacrilegii damnatus eſt, & ultimis cruciatibus affectus, animam efflavit, Olymp. 108. An. 2.

PHILON, Phricodemi Tyranni filius, Polyæn. *l.* 8. *c.* 46.

PHILONIDES, Alexandri M. curſor, cùm ex Sicyone Elim petebat, illud ſpatium, quod mille & ducentorum erat ſtadiorum, vel, quod idem eſt, centum & ſexaginta milliarium, novem diei horis confeciſſe; cùm verò ex Elide Sicyonem reverteretur, declive licèt iter, ac per hoc brevius, non niſi quindecim horis emetiri potuiſſe, legitur apud Plin. l. 2. *c.* 1. cujus cauſam Auctor iſte hanc reddit, quòd eunti cum Sole iter eſſet, at remeans Solem obvium contrariò præverteret occurſu. Vide quoque de eo Solinum *c.* 1. & *ad hunc* Salmaſ. *p.* 45.

PHILONIDES, Melitenſis quiſpiam, aliis Meliti filius, qui quia erat prægrandi corpore, cæterùm adeò inſulſus & indoctus, ut Phyllius eum è Camelo, Theopompus Aphrodiſius & aſinum & matre aſinâ natum dixerint: Hinc abiit in proverbium, *Indoctior Philonide.*

PHILONIUS, portus Corſicæ, *Ptol. Porto vecchio* hodie *Leandro* & *Nigro.* Aliis *Porto Favone*, Favonii portus. Vide ibi.

PHILONOME, aliis *Polybea*, altera Cycni uxor, poſtquam obiiſſet Proclea, ex qua Tenum & Hemitheam (nonnullis *Leucotheam*) ſuſceperat. Capta Teni ſeu Tenni privigni amore cum de ſtupro compellavit, illumque ſcelus averſatum, apud Patrem, tanquam vim ſibi parantem, accuſavit; qui calumniæ temerè credens, filium ilico arreptum arcæ incluſit ſicque præcipitavit in mare. Sed innocentis juvenis miſertus Neptunus, avus ejus, arcam ad Leucophryn inſulam appulit, ubi Tenus benignè exceptus & pro Rege habitus, ſuo de nomine Inſulam *Tenedon* appellavit. Ex Homeri Scholiaſte *Il.* α. Plut. Ἑλληνικοῖς, Heraclides de *Rebuſpub.* Johannes Meurſius *Notis in Lycophronem*, *ad v.*

Ψυδραῖσι φήμαις λαρνακοφθόρου ῥιφάς,
Variis loquelis alvei diſcrimina.

PHILONOMIA, Nyctini & Arcadiæ filia, dum in venationibus cùm Diana verſaretur, in Martem incidit, qui, ſumptâ paſtoris formâ, gravidam puellam effecit. Ea verò gemellos enixa, patris metu in Erymanthum ejecit infantes, qui Deorum providentiâ illæſi, delati ad cavam quandam quercum dicuntur, ubi cùm lupa quædam luſtra haberet, propriis abjectis in fluentum catulis, infantibus ubera præbuit; quod quidam Telephus paſtor conſpicatus; ſuſceptos pueros educavit, ut ſuos. Et alterum quidem Lycaſtum, alterum verò Parrhaſium appellavit. Hi deinde Arcadiæ regnum ſucceſſione conſecuti ſunt.

PHILONOMUS, & Callias, fratres Catanenſes. Stobæus, ex *Æliano*, refert, flammas incendii ex Ætna erumpentis miraculosè ceſſiſſe duobus filiis in humeros ſublatos parentes ſenes efferentibus. Verba adſcribam: Πρώτῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι φασὶ τὴν Αἴτναν ῥῆναι, ὅτε καὶ Φιλόνομος καὶ Καλλίας οἱ Καταναῖοι τοὺς ἑαυτῶν πατέρας ἀράμενοι, διὰ μέσης τῆς φλογὸς ἐκόμισαν, τῶν ἄλλων χρημάτων καταφρονήσαντες, ἀνθ' ὧν καὶ ἀμοιβῆς ἔτυχον τῆς εἰς τὸ θεῖον. Τὸ γὰρ πῦρ θεόντων αὐτῶν διέστη καθ' ὃ μέρος ἐκεῖνοι παρεγίνοντο.

PHILONUS, pagus in Ægypto inter Nilum & ſinum Arabicum, *Strab.* Pentapoleos regionis vicus in Africâ, *Ptolem.*

PHILOPATOR, cognomen aliquot Ægypti Regum, vide *Ptolemæus.*

PHILOPATOR, Cilicum Regulus, poſt Polemonem; memoratur Tacito, *Annal. l.* 2. *c.* 42. *Per idem tempus, Antiochô Comagenorum, Philopatore Cilicum Regibus defunctis, turbabantur nationes, pleriſque Romanum, aliis regium imperium, cupientibus.* Erat A. C. 17. C. Cæliô, L. Pomponiô Conſulib. Ei ſucceſſerunt Reguli nonnulli obſcuri. Idem *ibid. c.* 78. ubi *Regulos Cilicum* auxilia Piſoni miſiſſe, ait. Vide *Cilicia*, it. *Polemon.*

PHILOPAPPUS, Conſul ſuffectus, principatu Nervæ Trajani, memoratus in *Inſcr.* veteri, cujus adhuc quædam pars ſupereſt, Athenis in Muſæo, ubi ſculptus in marmore currus triumphalis, ſtatuam ejus ferens, præcedentibus iconibus quibuſdam & ſequente Victoriâ, etiamnum viſitur. Ad pedem ſtatuæ legitur,

ΦΙΛΟΠΑΠΠΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΒΗΣΑΙΕΥΣ.

Biſâ enim, Atticæ demô, oriundus erat. Ad dextram,

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΒΑΣΙ
ΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Quamvis enim Biſæ natus, gente tamen Syrus & ex poſteris Antiochi fuiſſe videtur, in cujus honorem *Antiochidi tribui* nomen datum. Ibidem in columella ſemirutâ *Inſcr.* iſta legitur,

C. IVLIVS C. F.
FAB. ANTIO
CHUS PHILO
PAPPUS COS.
FRATER AR
VALIS SVLLE
CTUS INTER
PRÆTORI
OS AB IMP.
CÆSARE
NERVA
TRAIANO
OPTUMO
GERMANICO
DACICO.

Vide Jac Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 2. *p.* 204. & *ſeqq.*

PHILOPHRON, 5000. militum Peluſii, in præſidio collocatorum, contra ingruentes Perſas, Præfectus. Diod. Sic. *l.* 16.

PHILOPOEMEN, Megalopolitanus, Dux Achæorum præſtantiſſimus, Lacedæmonios, & Meſſenios multis cladibus afflixit. Fortis & eruditus, Græcorum ultimus. Fuerat diſcipulus Ecdemi & Diophanti Philoſophi. Primum fortitudinis ſpecimen edidit in expugnatione Patriæ, quam Cleomenes Spartanorum Rex occupaverat. Dein Antigonum Tutorem, Achæorum hyperaſpiſtem ſequutus, in Sparta occupanda, utilem ei navavit operam: Victor poſteà prope Meſſenam, in Peloponneſo, contra Ætolos, Romanorum fœderatos. Paulo poſt, prope Mantineam, Machinidam tyrannum Lacedæmoniorum in pugna interemit. A Nabide hujus ſucceſſore mari victus, mox terrâ refudit cladem: cùm illô ſuperatô Spartam captam mœnibus nudavit, abrogatiſque Lycurgi legibus Spartanos Achæis ſubjecit. Captus Olymp. 149. à Democrate Meſſeniorum tyranno, neci datus eſt. Plutarchus, *in ejus vita. Polyb. Liv. l.* 35. *c.* 25. 27. &c.

PHILOPONUS Johannes, Hæreſiarcha. Grammaticus celebris Alexandrin. A. C. 535. Conſtantinopoli contra Severum & Proclum, fidei hoſtes ſcripſit, ſed in Tritheitarum hæreſin prolapſus, Reſurrectionem ſcriptô negavit, Conciliô quoque Chalcedonenſi rejectô: eadem enim numerò corpora tum reſuſcitatum iri, cum Origine inficiatus eſt: A Leontio Monacho, Ephremo, & Georgio Piſida egregiè refutatus. Phot. *cod.* 21. 43. 55. 75. 215. & 240. *Suid.* Niceph. *l.* 18. *c.* 47. & 48. &c.

PHILOS, Inſul. contra Perſidem non procul à Caſandra. Plin. *l.* 6. *c.* 25. *Baudrando* Inſul. ſinus Perſici, prope Perſidem. Scribitur etiam *Phylos.* Salmaſ. legi vult *Ilas*, quam Arrianus in Nearchi navigatione contra Perſidem memorat, Ἴλας χῶρος ἵνα λιμὴν πρὸ νήσου σμικρῆς καὶ ἐρήμης γίνεται. οὔνομα τῇ νήσῳ Καΐκανδρος. *Ilas locus, ubi portus ante inſulam exiguam & deſertam fit, cui inſulæ nomen Caicandrus.* Ubi *Ilam* χῶρον vocat, non *inſulam*, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1181.

PHILOSOPHA Anicula, φιλόσοφον γραΐδιον, Marcus Antoninus Imperator, ab Avidio Caſſio dictus eſt; apud Vulcatium Gallicanum in *Vita* hujus *c.* 1. Ita enim apud Scriptorem hunc Verus Imperator *Ep. ad Marcum: Avidius Caſſius avidus eſt Imperii---literas noſtras ridet. Te Philoſopham aniculam, me luxurioſum morionem vocat* Ubi non mutandum *Philoſopham* in *Philoſophum*, ut quidam faciunt: magnô enim contemtu ne *Philoſophum* quidem Marcum appellabat Caſſius; ſed *Philoſopham aniculam*, Salmaſ. *ad l.* Fuit autem is Marcus, quem Jul. Capitolin. *c.* 1. *in omni vita philoſophantem virum*, & recentiores Critici *Philoſophum* cognomentô hôc ejus titulis additô appellare conſueverunt. Idem φιλοσοφώτατος dicitur *Nov.* 22. & *Philoſophiæ pleniſſimus*, in *Conſtitut.* quadam Latina. *Philoſophi* enim epigraphen non eſſe veterem & nummi ejus & veter. monumentorum Inſcriptiones liquidè docent adeoque ſapientiſſimus hic Princeps, jam inde à puero per omnem vitam Philoſophatus, cùm ab antiquis Scriptoribus *Philoſophus* legitur appellatus, ἐπιθέτως id omnino, non ἐπωνύμως ſit, & ſic planè, ut Julium virum *fortem*, Auguſtum *felicem*, Caligulam *inſanum* ſæpe dicimus. Unde nec apud Capitolin. aut Victores ambos; nec apud Euſebium ac Hieronymum, ulla hujus cognominis veſtigia. Imò nec adeò multi videntur eſſe anni, cùm invaluit hic error: Nam ex tot Chronicis, quæ vigente, priorum ſeculorum barbarie, hominibus illiteratiſſimis amor rerum veterum expreſſit, pauca melioris notæ invenias, quæ in vita Marci titulum hunc agnoſcânt: ne Robertus quidem à Porta aliter, quàm *Marcum Antonium* (voluit dicere *Antoninum*) hunc nominat. Videtur aliquis ſciolus, ante hos ducentos circiter annos, cùm Xiphilini epitomem deſcriberet, in titulo vitæ Marci de ſuo vocem illam adjeciſſe: quam vocem omnes poſteà Græci Latinique librarii temerè retinuerunt. Sic etiam librorum Marci epigraphen eruditiſſimus Interpres cenſuit corrigendum: & tamen idem ultro παραδιόρθωσιν hanc ſuam lectoribus non dubitat imputare. Simillimum eſt, & quod apud Georgium Monachum obſervabamus: nam cùm ille *Philoſophi* cognomen non magis Marco tribuat, quàm Euſebius; in ora tamen ejus libri hæc verba videntur annotata: Μάρκος Αὐρήλιος ὁ φιλόσοφος; ſed manu ita recente, ut vix annorum quinquaginta vetuſtatem ſcriptura præferat: cùm exemplar regium ante annos minimùm quingentos ſit deſcriptum, Caſaub. *ad Jul. Capitolin. in Marco Anton.*

PHILOSOPHÆ Mulieres, ab Ægidio Menagio, editæ Lugduni A. C. 1690.

PHILOSOPHIA, Pythagoræ γνῶσις τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστί. *Cognitio entium quà entia ſunt:* Platoni μελέτη θανάτου, *Meditatio mortis:* Ariſtoteli τέχνη τεχνῶν καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, *Ars artium & ſcientia ſcientiarum:* Mich. Pſello *Cognitio omnium rerum per cauſas, quatenus homo eas naturæ lumine conſequi poteſt*, ex admiratione origi-

nem traxit, teſte Platone *in Theæteto* & Ariſtotele *Metaphyſ. l.* 2. *c.* 2. Primùm autem exculta eſt à Chaldæis, ſi Ciceroni credimus *de Divinat. l.* 1. à quibus Babylonios & Aſſyrios eam accepiſſe, docet Ariſtoteles ἐν τῷ μαγικῷ & Sotion *in l.* τῆς διαδοχῆς, apud *Laërtium*. Sed ipſi Chaldæi ab Abrahamo edocti videntur, cujus operâ primùm ad Palæſtinos, ſive Cananæos, poſteà etiam ad Ægyptios, *Philoſophia* pervenit. Certè Abrahamum Eupolemus ait apud *Euſebium*, καὶ τὴν Ἀστρολογίαν Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν. *Et Aſtrologiam & Chaldaicam divinandi Artem inveniſſe:* Eundemque cùm fame preſſus in Ægyptum ſeceſſiſſet, à Rege poteſtatem nactum eſſe converſandi cum Ægyptiorum præſtantiſſimis, refert Joſeph. *Jud. Antiqq. l.* 1. *c.* 8. ubi ante Abrahami adventum Ægyptios diſciplinas has ignorâſſe, ideoque ad Græcos deveniſſe, auctor eſt. Ab eodem Judæi ſuam hauſêre *Philoſophiam*, quam poſteriores eorum dixêre, à קבל *recipere*, quia divinitus accepta, eamquque diviſêre in בראשית *Bereſith* & מרבוה *Mercava*, quarum illa agebat de corporibus cœleſtibus ac elementalibus, in qua Salomon excelluit: iſta de Deo ejuſque cultu, cujus admirator ingens fuit Johannes Picus Mirandulanus. Ad Chaldæos ut redeam, ad eoſdem acceſſit Pythagoras, teſte Porphyriô, & Democritus, teſte Ælianô *Var. Hiſt. l.* 4. *c.* 20. Porrò ad Perſas tranſiit *Philoſophia*, auctoribus Magis, qui à Zoroaſtre inſtituti dicuntur, quamvis & Medis, Parthis, Sacis aliiſque vicinis nationibus ſui fuêre Magi, nec pauca à Perſis quoque Græci mutuati ſunt, quæ videl. ad Deos pertinent. Sicut Matheſin à Phœnicibus, Ægyptiis, Chaldæis habuêre. Indos *Philoſophiam* docuêre Gymnoſophiſtæ, quos Democritum quoque adiiſſe, tradit Ælian. *Var. Hiſt. loc. cit.* ut & Pyrrhonem Eleum, Scepticorum patrem, Diogenes. Nec ignobilis fuit Phœnicum *Philoſophia*, quibus à Judæis multa diſcendi occaſio fuit, ſed & traditione nonnulla reſervârunt; Phœnices enim à Sidone, filio Chanaan, nepote Chami, Noachi pronepote, deſcenderunt: habueruntque *Philoſophum* inſignem Sanchoniatonem, qui, Trojanis temporibus antiquior, Gedeonis Iſraelitarum σύγχρονος & familiaris fuiſſe creditur. Imò literas huic genti debere ſe Græci agnoſcunt, & numerandi ſcientiam: traxitque à Phœnicibus originem Thales, hujuſque coævus Pherecydes, Pythagoræ Præceptor, auctor Italicæ ſectæ, ſua ex occultis illorum libris hauſit: Zeno quoque, Stoicorum princeps, inde fuit oriundus. Nec ſua Phrygibus *Philoſophia* defuit, quæ magis cognita eſſet, ſi extaret Democriti λόγος Φρύγιος, Laërtio memoratus *l.* 9. Ex Aſia migravit in Africam, ubi Ægyptiaca *Philoſophia*, de qua jam aliquid ſuprà, floruit, non tam Iſide, Oſiride, Vulcanô, Mercuriô, Herculeauctoribus, ut Ægypti jactant, apud Diod. Siculum, quàm Abrahamô, ut dictum; Facitque ad *Philoſophiæ* hujus commendationem, quòd Moſes in illa dicitur παιδευθῆναι, Actorum *c.* 7. *v.* 22. quodque, priuſquam Græci philoſopharentur, eo proficiſci conſueverunt, ut ibi à Sacerdotibus edocerentur. Præter eam ibi viguit Æthiopica, cujus gentis Doctores Gymnoſophiſtas quoque vocat Hieronymus *in Ezech. l.* 4. *c.* 13. eò nempe ex India profectos: & Lybica, cujus auctor Atlas, multorum judiciô Aſtrologiæ inventor primus & hinc humeris cœlum ferre creditus. Vide Laërtium *in præfat.* Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 8. *c.* 9. Diodor. Sic. *l.* 4. &c. In eadem Orbis parte, ſeculis aliquot poſt Chriſtum natum, ab Arabibus *Philoſophia* magnô niſu exculta, inde cum iis in Hiſpaniam trajecit &c. Ex Europæ Sapientibus antiquis maximè extitêre celebres, Thraces, qui à Zamolxi fuêre edocti: & Celtæ ſive Galli, Druidis ac Semnotheis Magiſtris uſi: Græci porrò, quorum primus Anaxagoras Clazomenius ex Aſia ſcholam tranſtulit Athenas, vide paulo *infrà*, ut de recentioris ævi in Orbe Chriſtiano *Philoſophis* in præſens taceam, Lectorem remittens ad Georg. Hornii *Hiſtoriam Philoſ.* & Gerh. Joh. Voſſ. *opere duplici pertractantem Philoſophiam* & *Philoſophorum Sectas.*

Philosophia Barbarica, et primum quidem in Asia.

Barbarica *Philoſophia* dicitur, quæ extra Italiam & Græciam reſplenduit. Et quidem, Chaldæi antiquiſſimum dicuntur Doctorum genus: diſtincti in Orchenos & Borſippenos, ut alias eorum diviſiones omittam.

Babylonii & Aſſyrii à Chaldæis fuêre edocti.

Judæi *Philoſophiam* ab Abrahamo hauſêre.

Perſæ, Medi, Parthi, Sacæ, à Magis ſunt eruditi.

Indos Philoſophiam docuêre Gymnoſophiſtæ, qui duplices erant: alii *Brachmanes*, alii *Germanes*: interque hos quidam *Hylobii* dicti, quòd in ſylvis degerent.

Phœnices, à Judæis complura didicêre, & Græcis literas, Arithmeticen aliaque tradidêre.

Ægyptii ab Abrahamo inſtituti ſunt. Vide hîc *infrà*.

In Africa.

Ægyptii modò memorati primi hîc *Philoſophiæ* ſtudiô floruêre, magnumque antiquis temporibus Sacerdotum hujus gentis nomen erat, quod Strabonis tempore evanuit. Occultabatur autem *Philoſophia* eorum allegoriis magna ex parte.

Æthiopes, Gymnoſophiſtis quoque Doctoribus uſi ſunt, ad quos Sapientiæ causâ Democritus dicitur profectus

Libyes ab Atlante notitiam ſuam accepêre: Hinc inter barbararum gentium *Philoſophos* reponit Auguſtin. *de Civit. Dei*, *l.* 8. *c.* 9. *Atlanticos* & *Libycos*.

de Augiiis, vide Melam *l.* 1. *c.* 8.

In Europa.

Thraces, edocti à Zamolxi; cui cum Pythagora in μετεμψυχώσει convenit. Cœtera *Philoſophiæ* hujus dogmata, ex Orphei doctrina cognoſci poſſunt.

Celtæ ſeu Galli Druidas habuêre Sapientiæ Magiſtros, qui animarum quidem immortalitatem, interim & μετεμψύχωσιν, docuêre.

Getis Germaniſque mens eadem, Julian. *in Cæſaribus*. Appian. *in Celtico*.

Philosophia Græcanica et quidem priorum Fabulosa.

Mythica hæc ſeu fabuloſa *Philoſophia* veterum fuit Poëtarum, ac præcipuè Homeri, magni Sapientiæ Antiſtitis: à quo multa *Philoſophi* poſteriores didicêre; ſcripſitque Zeno Cittieus, Stoicæ Sectæ ἀρχηγέτης, Homericarum quæſtionum libros 5. Ac Naturæ quidem arcana involvuntur Deorum Dearumque nominibus, & eorum connubiis ac affinitatibus. Ad vitæ inſtitutionem referuntur geſta Heroum. Ad moralem Poëtarum *Philoſophiam* pertinent & quæ commenti de Cocyto, Phlegetonte, Tartaro, ac ſimilibus, per quæ animi perturbationes intelligebant.

Ad utramque *Philoſophiam* quædam ſpectant, ut cùm idem eſt nomen Herois & Numinis. Verùm non cujuſvis eſt fructum aliquem ex Homero carpere, ſed ejus tantùm qui in rerum natura ac virtute jam aliquantum profecit. Vide ſuprà *Fabula*.

Non Fabulosa.

Ejus antiquitùs erant tres Sectæ:

Ionica, quæ cœpit à Thalete Mileſio: è cujus ſucceſſoribus, ut dictum, primus ex Aſia Scholam Athenas tranſtulit Anaxagoras.

Italica, condita à Pythagora.

Eleatica, cujus primus auctor fuit Xenophanes Colophonius: ex hac Epicurea maximè profluxit.

Socratis, cujus *Philoſophia* à Thalete manavit, diſcipuli quinque memorantur, qui novæ eſſent hæreſios Auctores. Hinc enim.

Cyrenaici, ab Ariſtippo orti: quæ ſecta poſteà diviſa eſt in Hegeſiacam, Anniceriam & Theodoriam.

Eliaci, quorum princeps Phædio Elienſis: poſteà *Eretrici* vocati à Menedemo Eretrico.

Megarici, auctore Euclide Megarenſi orti.

Academici, Veteres, quorum Plato primus, mixtam docuit ex Heraclitica Pythagorica & Socratica *Philoſophiam*.

Medii, quorum Auctor Arceſilaus.

Novi, Carneadis auſpiciis orti. Cui triplici Academiæ quidam addunt quartam, à Philone & Charmida: ac quintam, ab Antiocho, Philonis auditore, fundatam. Sequentibus temporibus, qui Platonis inſiſterent veſtigiis, pro Academicis *Platonici* dici maluêre.

Peripateticorum princeps Ariſtoteles fuit. Cynicam ſectam, quintus Socratis diſcipulus, de quibus ſuprà, Antiſthenes inſtituit. Stoicam ſectam orſus eſt Zeno Cittieus. Et hi omnes hactenus recenſiti, dogmatici fuêre, Academicis pleriſque exceptis.

Pyrrhonia ſecta à Pyrrhone eſt condita. Dicti ſunt iidem Σκεπτικοὶ, Ἀπορητικοὶ, Ζητητικοὶ καὶ Ἐφεκτικοὶ, nunquam enim decernebant, dubitabant ſemper, quærebant perpetuò, nec longæ inquiſitionis alius fuit eventus, quàm ἐποχὴ, i. e. *judicii ſuſpenſio ſive aſſenſionis retentio.*

Electiva, à Potamone eſt Alexandrino, & non tam nova cudit dogmata, quàm ex aliis optima quæque excerpſit; Unde hoc *Philoſophandi* genus ferè præſtantiſſimi quique amplexi ſunt, Sotion, Ammonius, Plotinus, Clemens Alexandrinus &c.

Ἀ *Philoſophia* dicti *Philoſophi*, qui ſummo, ut par eſt, in pretio apud Athenienſes fuêre, ut ex his Terentii in *Andria*, *Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 28. conſtat:

Quod plerique omnes faciunt Adoleſcentuli,
Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos.
Horum illi nihil egregiè præter cœtera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.

Factum tamen eſt, ut *Philoſophiam* aliquando docere Legibus ſit interdictum. Sed Critiâ è triginta Tyrannis ferociſſimô dedicatore ſuæ damnationis *Philoſophi* gloriantur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, nonniſi grande aliquod bonum à Critia damnatum, cujus in cœteros odiô Socratis ferocientis Lex fuit: Λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν, *Philoſophiam ne quis doceto.* Ejus meminit Xenophon Ἀπεμνημονευμάτων *l.* 1. Verùm iſta Critiæ Lex, ut & reliqua omnia Tyrannorum reliquorum, poſteà abrogata eſt, iterumque *Philoſophi* Athenis docere cœperunt, ut ex Terentii, qui Alexandrum expreſſit, verbis ſuprà memoratis patet. Repertus eſt tamen & poſt illa Sophocles Sunienſis Amphiclidæ filius, qui Critiæ æmulatus exemplum lege latâ *Philoſophos* Athenis iterum exegit, aut certè vetuit Scholam habere, niſi Senatui Populoque Athenienſi ita videatur: Μηδένα φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ. εἰ δὲ μὴ, θάνατον εἶναι ζημίαν, *Nemo* Philoſophus *Scholam habeto, niſi Senatui Populoque Athenienſi ita videatur: Secus qui faxit, capitale eſto*, apud Laërtium *in Theophraſto*. At nec hæc Lex diu obtinuit, nam alterô poſt ἐπιχειροτονίαν annô abrogata, ipſique adeò Sophocli multa talentorum quinque irrogata eſt, vide Sam. Petitum *Comm. in Leg. Atticas l.* 3. *c. ult.* Romæ quoque (Fanniô Strabone M. Valeriô Meſſalâ Conſulib. Senatus conſultum, an. 3. Olymp. 154. ab Urb. Cond. 592. de Philoſophis & de Rhetoribus Latinis factum eſt, his verbis: *M. Pomponius Prætor. Senatum. conſuluit. quòd. verba. facta. ſunt. de. Philoſophis. &. de. Rhetoribus. de. ea. re. ita. cenſuerunt. uti. M. Pomponius. Prætor. animadverteret. curaret. Q. uti. ei. è. Republica. fide. que. ſua. videretur. uti. Romæ. ne. eſſent.* Aliquot dein pòſt annis id Senatus conſultum Cn. Domitius

us Ænobarbus & L. Licinius Craſſus Cenſores de coërcendis Rhetoribus Latinis ita edixerunt: *Renunciatum. eſt. nobis. eſſe. homines. qui. novum. genus. diſciplinæ. inſtituerunt. ad. quos. Juventus. in. ludum. conveniat. eos. ſibi. nomen. impoſuiſſe. Latinos. Rhetoras. ibi. homines. adoleſcentulos. dies. totos. deſidere. majores. noſtri. quæ. liberos. ſuos. diſcere. &. quos. in ludos. itare. vellent. inſtituerunt. hæc. nova. quæ. præter. conſuetudinem. ac. morem. Majorum. fiunt. ne. que. placent. ne. que. recta. videntur. qua. propter. &. his. qui. eos. ludos. habent. &. his. qui. eo. venire. conſuerunt. viſum. eſt. faciundum. ut. oſtenderemus. iſtam. ſententiam. nobis. non. placere.* Neque illis ſolùm temporibus rudibus, nec dum Græcâ doctrinâ expolitis, *Philoſophi* ex hac urbe pulſi ſunt, verùm etiam Domitianô imperante, Senatusconſultô ejecti atque Urbe & Italiâ interdicti ſunt, quâ tempeſtate Epictetus quoque *Philoſophus* Nicopolim ſeceſſit. A. Gellius, *l.* 15. *c.* 11. Occaſionem hujus rigoris innuit Suetonius *in vita Domit. c.* 10. *Junium Ruſticum* (interemit) *quòd Pæti Thraſeæ & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellâſſetque ſanctiſſimos viros: cujus criminis occaſione* Philoſophos *omnes Urbe Italiaque ſummovit.* Nota quoque eſt Sulpitiæ Poëtriæ Satyra, de Edicto hoc, & pertinent eò, quæ Philoſtratus habet *l.* 7. *de Vita Apollonii Tyanæi*, ubi de Domitiano ſermo eſt. Factum autem id fuiſſe annô 4. Olymp. 216. & an. 3. Olymp. 218. adeoque binis vicibus, notat Euſebius *in Chron.* Porrò & Antiochum è regione ſua *Philoſophos* ejeciſſe, legimus apud Athenæum *l.* 2. & Lyſimachum, apud eundem *l.* 13. Epicureos etiam Meſſenii expulerunt, eôdem teſte, *l.* 12. & Ælianô, *Hiſtor. Var. l.* 9. *c.* 12. De Thebanis, Spartiatis & Argivis ita Tertullian. *in Apologetico, Inde & his à quibuſdam quoque ejecta Philoſophia, à Thebanis dico, à Spartiatis & Argivis, dum ad noſtra contaminantur.* Vide Jac. Oiſelium JCtum, *Notis in Gellium loc. cit.* &c. Inſigne *Philoſophorum* olim, crinem barbamque promittere & palliô uti prælongô. Unde Capitolin. *in Antonino Philoſopho, c.* 2. *Nam duodecimum annum egreſſus habitum* Philoſophi *ſumſit & deinceps tolerantiam, cùm ſtuderet, in pallio & humi cubaret.* Narratque Saresberienſis, *de Nug. Curialium, l.* 8. *c.* 21. Julianum Imperatorem viros congregâſſe, *circa Palatia, qui circumamicti palliô magis habitu, quàm Magiſteriô pendebantur.* Vide quoque inſignem Luciani locum *in Icaro Menippo.* De barba, notum illud Horatii *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 34.

——— ——— ——— Tempore quô me.
Solatus juſſit ſapientem paſcere barbam.

Unde *Barbati Magiſtri* dicti, Perſio *Sat.* 4. *v.* 1.

——— ——— Barbatum hæc crede Magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicuta.

Cynici inprimis in hoc ſuperſtitioſi, quorum princeps Zeno inter ἄτοπα ſua & illud habuit: *Barbam, ſicut vitem, rariſſimè tondendum. Eam autem optimam, quæ maximè prolixa.* Iiſdem pera, baculus, ac pallium tota ſupellex fuit, Vide *ſuprà paſſim*, ut & infrà voce *Sordes*, item verbô *Vexare.* Addam quæ Laurentius JCtus *in Phædri fab.* 6. *l.* 7. *v. ult.* quô in inanem & affectatam Philoſophorum quorundam ſuperbiam invehitur Poëta, cùm ait:

Et, ut putentur ſapere, cœlum vituperant.

addit, *Multi artem Philoſophi habitu ipſô, palliô, barbâ ad pubem uſque porrectâ, crine, vultu ſonituque vocis objurgatoriô, futilem, inanem, & argutiarum plenam & nihil ad vitam tuendam & ordinandam promoventem, mentiuntur, in quibus barbam & pallium ac conſtrictam frontem tantùm quis intueri poteſt, non Philoſophum.* Locus ubi *Philoſophi*, Rhetores, Mathematici, & omnium denique diſciplinarum amatores, diſputando, legendo ac docendo ſe exercebant, erant primæ Gymnaſiorum partes, porticus nempe tres exedris ſpatioſis refertæ: quas non longè ab aliis admodum ſitas fuiſſe, tum ex figura Palæſtræ, quam Hier. Mercurialis exhibet *de Arte Gymnaſtica l.* 1. *c.* 6. ex Vitruvii *l.* 5. *c.* 11. patet, tum ex Proverbio inde nato, *Diſcum quàm* Philoſophum *audire malunt*, in eos qui in eodem Gymnaſio inter *Philoſophos* ſedentes, atque inde, diſcorum crepitus audientes, relictâ Sapientiæ ſcholâ, ad proximum certaminum locum erumpebant. Ideo autem exedræ *Philoſophorum* tam prope reliquis Palæſtræ partibus erant, quòd eſſent illæ veluti Scholæ quædam, ubi poſſent facilimè, poſt animorum exercitationem, corpora ad ſanitatem vel fortitudinem juvenes puerique exercere, ſubindeque lavari. Ita enim Lamprid. Alexandrum Severum, *poſt lectionem operam modò palæſtræ, modò ſphæriſterio, modò curſui, modò luctis dediſſe, mox balneum introiviſſe, c.* 30. refert. Sunt qui & ſecundam Gymnaſiorum partem *Ephebeum* dictam, Juvenum ſtudiis dicatam ſcribant, Vide præfatum Mercurialem, *l. cit. c.* 8. Præmia quod attinet, Jul. Cæſar non tantùm ſervos literatores immani pretiô emit, dein manumiſit: ſed & honorem addidit, omnes liberalium Artium Doctores, quò libentiùs & ipſi Urbem colerent & exteri appeterent, civitate donando. Ab Trajano poſteà, honor & dignatio tanta dicendi Magiſtris & Sapientiæ Profeſſoribus, ut per eum ſpiritum & ſanguinem & patriam recepiſſe ſtudia prædicent Plinius ac Juvenalis. Hadrianus omnes honoravit ac divites effecit: in ſumma familiaritate Epictetum & Heliodorum *Philoſophos* habuit: iiſdem, ut & Grammaticis ac Rhetoribus, Antoninus Pius per omnes etiam provincias, & honores & ſalaria detulit: finivitque numerum, quot quibus in civitatibus exhiberi publicè deberent, in cœteris Artibus, in *Philoſophis* numerum non terminavit, quia rariores reperiebantur, ſed hæreſes ſive diſciplinas elegit, è quibus ſi daretur, omnibus aliquos probarent atque alerent, Stoicos, Platonicos, Epicureos, Peripateticos. Honorum locô præcipuæ immunitates & vacationes munerum fuêre, de quibus *l.* 6. § 8. *ff. de excuſationibus.* Salaria, quæ è fiſco Grammaticis, Rhetoribus ac *Philoſophis* decreta, μυρίας δράχμας, i. e. *decies mille drachmas*, ſtatuunt Lucian. *in Eunucho*, Philoſtratus *in Theodoto*, Capitolin. in *Pio*, (illeà Marco, hic à Pio primùm collatas ſcribens) i. e. Romanæ monetæ ſeſtertia 40. aurei 400. ſunt noſtræ coronati mille, Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* &c. Vide & Jo. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 11. & infrà in voce *Profeſſores.* Nec prætermittendum, *Philoſophos* apud priſcos Auctores non rarò *otioſorum* nomine venire, opponique iis, qui in Republica munus aliquod gerunt. Unde Cicero *de Offic. l.* 1. *c.* 21. *Facilior & tutior, & minùs aliis gravis aut moleſta eſt vita Otioſorum.* Vide quoque Liv. *l.* 2. *c.* 32. Joh. Laurentius *in Phædrum l.* 5. *fab.* 2. *v.* 17.

Quin etiam reſides & ſequentes otium &c.

uti de *Philoſophorum* Sophiſtarumque diſcrimine infrà voce *Sophiſtæ.*

PHILOSOPHIA, apud Iſidorum *vita Monaſtica* dicitur, hanc enim is θείαν φιλοσοφίαν vocat, *l.* 1. *Ep.* 260. Sic Majorianus *Novell. de Sanctimonial. Cum hujuſmodi obſervatio* Philoſophiam *religioſâ mente ſuſcipiens, non cogentis imperiô, ſed ſpontaneâ & maturâ deliberatione cupiatur.* Vide quoque Joh. Saresberienſem, *Policrat. l.* 7. *c.* 21. & *Vitam* S. Nili Junioris. Imò non nomen tantùm, ſed & *Philoſophorum* veſtitum, ritusque in Monaſteria veterum Chriſtianorum tranſiiſſe, diximus ſuprà. Neque verò *vitam* ſolùm Monachorum *auſteram*, ſed & in genere *vitæ ſanctæ ſtudium*, item *Religionem Chriſtianam*, porrò *patientiam*, & tandem *diætam* ſeu *vivendi rationem* vox notat, apud Scriptores Eccleſiaſticos, uti pluribus docet Cl. Suicerus, *Theſ. Eccl.* vocibus Φιλοσοφία, & Φιλόσοφος.

PHILOSOPHUS, inter cognomina Marci Antonini Imperatoris. Vide ſuprà *Philoſopha.* Item dignitas in Eccleſiis Canonicorum, eadem fortè quæ *Magiſtri Scholarum* ſeu Scholaſtici Tab. Brivat. *Ch.* 385. *Signa Canonicorum. S. Mauricii Viennenſis Eccleſiæ, Otmari Decani Roſtanni Archidiaconi, Adalardi* Philoſophi, *Benardi Canonici, Ricardi Præcentoris & aliorum Canonicorum*: apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PHILOSTEPHANUS, Cyrenæus, hiſtoricus, Callimachi familiaris, floruit ſub Ptolemæo Philadelpho. Scripſit *de fluviis, rebus Epyroticis, Cypriis* &c. Vide Athen. *l.* 7. & 8. Plut. *in Lycurgo.* Clem. *l.* 1. *Strom.* Poſſev. *in appar.* Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 15.

PHILOSTORGIUS, Cappadox, Fil. Carterii ex Eulampia, ſub Valentiniano & Valente natus, A. C. 367. ſub Theodoſio Juniore, *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros edidit* 12. pro 12. literis, quas habemus in nomine ejus; Opus antiquitatis multa egregia referans. Stylô uſus fuit ſatis eleganti, ſed undique erga Aetianæ ſeu Eunomianæ ſectæ homines amorem, erga Catholicos, Athanaſium inprimis, odium prodidit. Poëticum magis quàm hiſtoricum ejus ſtylum eſſe, Photius judicat, qui eum in epitomen redegit, à Jac. Godofredo editam. Nicephorus Calixtus; ex hoc Philoſtorgio, quem *Deo inviſum* vocat, multa in Hiſtoriam ſuam tranſtulit. Eidem liber *contra Porphyrium* attribuitur. Phot. *cod.* 40. Godofr. *in notis & Proleg. &c.* Vide plura de eo apud Voſſium *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 20. *Nic. Lloydius.*

PHILOSTRATUS, Athenienſis quidam Leno, & cultus in veſtitu nimium ſtudioſus. Ariſtoph. *Equit.* 1. Vide Scholia *p.* 350. F.

PHILOSTRATUS Lemnius, temporibus Severi Imperatoris ejuſque uxoris Juliæ, epiſtolarum magiſter, ut ipſe planè monſtrat, *in vita Apollonii Tyanei*: ſcripſit *vitas Sophiſtarum ad Severum, de vita Apollonii libros* 8. Juliæ hortatu, prætereà *Heroica*, quæ hodie extant, *Dictionarium*, &c.

PHILOSTRATUS, hujus pater Athenis docuit Neronis, an Veſpaſiani & Titi tempore: ſcripſit *Panegyricos* plures ac *declamationes* oratoribus valde probatas, compluraque alia, quæ è *Suida* commemorantur.

PHILOSTRATUS, tertius, ſuperioris fil. docuit Athenis; Sub Macrino & Heliogabalo. Scripſit *Panathenaicum, Trojam, paraphraſin Homerici clypei.* Iconas huic multi referunt. Ejus nominis & quartus fuit, Ægyptius, Philoſophus & Sophiſta. *Suid.* Phot. *cod.* 44. 150. 211. Vide Voſſ. *l.* 2. *c.* 15 *de Hiſt. Gr. p.* 224. *&c.*

PHILOTAS, Parmenionis fil. conjurationis in Regem inſimulatus, cum tormentis impar eſſet, crimen faſſus, & ab exercitu, ſignô datô, more patriô lapidibus obrutus eſt. Curt. *l.* 6. *c.* 11.

PHILOTAS Angæus, tertium locum, inter Chiliarchas, præmium fortitudinis ab Alexandro Magno, cùm in Satrapene moraretur, tulit, teſte militum turbâ. Curt. *l.* 5. *c.* 2. Forſan is eſt, quem Diodorus ſcribit, *l.* 17. fuiſſe Cadmeæ præfectum: atque eidem attributam Phrygiam Helleſponto adjacentem, *l.* 8.

PHILOTAS, è Puerorum nobilium cohorte Alexandri Magni, conjurationis Hermolao in regem particeps. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

PHILOTAS, unus ex comitibus Alexandri Magni, cui poſt ejus mortem Ciliciæ regnum ſorte obtigit. Curt. *l.* 10. *c.* 10.

PHILOTERA, mater Milonis, percuſſoris Deidamiæ, à filio interfecta. Polyæn. *l.* 8. *c.* 52.

PHILOTERA, urbs juxta Troglodyticam à Satyro condita, Apollodorus *Philoteridem* vocat. Eſt etiam *Philotera* Cœleſyriæ. Vide *Stephan.*

PHILOTERIS, civitas in litore ſinus Arabici, aliàs *Arſinoë* dicta. *Steph.*

PHILOTESIA, Græcè Φιλοτησία, Ariſtophanis Scholiaſti *in Acharn. p.* 300. φιάλη dicta eſt ἡ διδομένη ἐν τοῖς συμποσίοις, *phiala, quæ dabatur in conviviis.* Heſychio πρόποσίς τις μετὰ τὸ δεῖπνον ὑπὲρ φιλίας, *Propinatio quædam poſt cœnam amicitiæ ergò.* Quem morem egregiè deſcribit Cicero *Tuſc. Quæſt. l.* 1. ubi de Theramene, *Qui cùm conjectus in carcerem triginta juſſu tyrannorum venenum ut ſitiens obbibiſſet, reliquum ſic è poculo ejecit, ut id reſonaret. Quô ſonitu redditô ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ —— Græci enim in conviviis ſolent nominare, cui poculum tradituri ſint.* Vide Stuckium *Antiqq. Convival.* & infra Poculum, it. *Propoſis*, ac ubi de *Vino.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHILOTIMUS, Ciceronis libertus, ut ipſe ſcribit *l.* 3. *ep.* 9. *ad Appium* Vide & *P. Catienus.*

PHILOTIS, ancilla apud Romanos, quæ, quum poſt urbem captam, ſedatô Gallicô motu reſpublica vix ſtatum ſuum tueretur, & Fidenates opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfeciſſent ſibi Poſthumium Livium Dictatorem, mandatiſque ad Senatum miſſis poſtulâſſent, ut ſi vellent reliquias ſuæ civitatis manere, familias ſibi & virgines dederent, Patribus in ancipiti deliberatione ſuſpenſis, pollicita eſt ſe cum cæteris ancillis ſub nomine dominarum ad hoſtes ituram. Habitu itaque matrum familias, & virginum ſumptô, hoſtibus, cum proſequentium lachrymis in ſignum doloris, traditæ ſunt; quæ cùm à Livio in caſtris diſtributæ eſſent, viros plurimô vinô provocârunt, diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes, quibus ſopitis, ex arbore caprifico, quæ caſtris proxima, ſignum Romanis dederunt, qui cùm repentinâ incurſione Fidenates profligâſſent, Senatus beneficii memor, Philotin cum cæteris ancillis manumitti juſſit, dotem ex publico eis fecit; & matronalem habitum geſtare conceſſit, diemque ipſum novas *Caprotinas* nuncupavit, ab illa *caprifico*, ex qua ſignum victoriæ ceperant & *Caprotina* culta Juno, & ſacrificium annuâ ſolennitate celebratum, in quo lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti adhibitum fuit. *Plut. Varro,* Ovid. *l.* 2. *de Arte Amandi: v.* 257.

> *Porrige & ancillæ, quâ pœnas luce pependit*
> *Luſa maritali Gallica veſte manus.*

Nic. Lloydius. Vide & Polyæn. *l.* 8. *c.* 30.

PHILOXENUS, Alexandri M. per Ioniam, præfectus. Polyæn. *l.* 6. *c.* 49.

PHILOXENUS, Athenis quidam mollis & aliorum pellex. Vide Schol. *in Ariſtoph. Veſpas.*

PHILOXENUS, Cythereus, Poëta Dithyrambicus, floruit Olympiade 95. qui cùm Dionyſii pellicem Galateam deperiret, tum rivalem in Lapidicinas amovit tyrannus. Illinc Philoxenus aufugiens carmen edidit, in quo fingit Dionyſium cum Galatea pecudes paſcere & inter paſcendum citharam pulſare. Dionyſium autem Cyclopem vocat, non ſolum quòd in amanda Galatea cum Cyclope conveniret Homerico, ſed & eum ridet, quòd viſu eſſet hebetiore. Vide infra, *Philoxenus, Poëta lyr.*

PHILOXENUS, Philoſophus, qui gruis collum ſibi exoptabat, quò diutiùs ciborum & poculorum ſapore oblectaretur. Ariſtot. *Ethic. l.* 3. *c.* 9.

PHILOXENUS, tibicen Ionius inſignis, de quo Polyæn. *l.* 6. *c.* 10.

PHILOXENUS, Grammaticus Alexandrinus, Romæ ſcripſit *de monoſyllabis verbis, de Helleniſmo, de genere linguarum,* & alia. *Suidas.*

PHILOXENUS, Eretrienſis, pictor, Nicomachi diſcipulus, cujus tabula nullis poſtponenda Caſſandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idem pinxit & Laſciviam, in qua tres Sileni commeſſabantur. Hic præceptoris celeritatem aſſecutus, breviores etiamnum quaſdam picturæ vias, & compendiarias invenit. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

PHILOXENUS, Cytherius, poëta Lyricus, ſcripſit Lyricô carmine *Æacidarum genealogiam.* Hic, cùm aliquando apud Dionyſium tyrannum ageret, tragœdiaſque ejus, in quibus ille ambitioſiſſimus erat, minimè laudaret, conjectus eſt in Latomias; Inde extractus poſt aliquod tempus, cùm iterum juberetur poëma ejus approbare; totum perlegi audiit; quô factô promptè ſurgens, *ad Latomias rurſus,* reſpondit, indeque Tarentum aufugit. Dionyſio verò eum per literas revocare conanti, reſpondit hoc tantum monoſyllabon, *Non,* ſæpius iteratum. *Suidas.* A *Philoxeno* Cytherio dithyrambos eſſe inventos, putavit Pindari Scholiaſtes. Sed hâc parte magis fidem meretur Herodotus, *in Clio.* Is Arionem Leſbium ſive Methymnæum, fabulâ de vectore Delphino nobilem, primum fuiſſe ait, qui Corinthi docuerit dithyrambos. Atque idem etiam proditum ab Ariſtotele, ut teſtis eſt Proclus, *Chreſtomathiâ.* Sanè Philoxenus hic multò poſt Herodotum vixit; nempe Platonis temporibus. Nam & is Syracuſanorum tyranno Dionyſio juniori familiaris fuit, ut Pauſanias, *in Atticis,* ait. Sed idem ab eo eſt interemptus, poſtquam eum figuratè deriſerat *in Cyclope ſuo,* ſive de *amoribus Cyclopis & Galateæ.* Meminére Athenæus *l.* 1. Ælian. *Var. l.* 12. *c.* 44. *&* 47. Idem *convivium* ſcripſit, unde quædam adducit Athenæus, *l.* 1. 4. *&* 14. Cujuſmodi ejus dictio, & ingenium fuerit, Iſ. Caſaubonus dicet, *Animadverſionum in Athenæum l.* 4. *c.* 11. Nempe planè ad laſciviam & nugas comparata.

PHILOXENUS, Conſul cum Probo, An. Urb. Cond. 1278.

PHILOZOE, uxor Tlepolemi, generoſa & mariti amans heroina, quæ cùm reliquis ſociorum triſtem viri caſum ad Trojam didiciſſet, ingenti luctu primùm confuſa; dein memoriæ & honori conjugis certamina inſtituit, in queis pueri certarent, & victores populi albæ frondibus coronarentur: apud Polyænum legitur *Philoxo. l.* 1. *c.* 13.

PHILTRA, quibus in amorem per vim inducuntur homines, ἀνάγκαι quoque & καταναγκαι Græcis dicta, ut ex *Syneſio* diſcimus, qui καταναγκας & καταδέσμους in amatoriis memorat. Unde & herba, cujus ad amatoria uſus, Plinio, *l.* 27. *c.* 8. *catanance* appellatur, quâ ad amorum veneficia Theſſalas mulieres uti ait *Dioſcorides.* Quô nomine cemos herba quibuſdam venit, quam in amatoriis pollere notum; alii leontopodium ſic vocârunt, quod & ipſum εἰς τὰ φίλτρα εὔχρηστον, in amatoriis iſtiuſmodi ἀνάγκαις utile, judicat idem *Dioſcorides,* &c. Vide ſuprà *Anancæum, Catanance, Cemos* &c. Sunt nempe in *Philtrorum* generibus, τὰ ἄψυχα, ſeu *inanima,* ut *trochi, pili, ungues & tæniæ;* τὰ ζωόφυτα, ſeu *plantanimalia, radiculæ, herbæ, ſurculi* &c. & τὰ ζῶα, *animalia, ſauræ, motacillæ, pulli equini;* quos Lævius in *Apologia Apuleji,* quibus pleraque philtra deſcripſit, *Hinnientium dulcedinem* appellat. Verſus illi ſic habent,

> *Antiphates illud quærito,*
> *Philtra omnia undique irruunt,*
> *Trochus, pili, ungues, tænia,*
> *Radiculæ herbæ, ſurculi,*
> *Sauri, illices bicodulæ; Hin——*
> *nientium dulcedines.*

Ubi *trochus* τροχὸς eſt, rota veneficarum, aliô nomine *rhombus* dicta, quam in hiſce adhibitam nemo ignorat. Quemadmodum *pilorum* & *unguium* uſtrinam, ad φίλτρον, iiſdem uſurpatam, notum. De *capillis,* habes Appulejum *l.* 3. Unguium præſegmina quoque adhibita novimus. *Sauræ* porrò, h. e. *lacertæ,* in amatoriis veneficiis multus uſus, ut oſtendit Theocriti φαρμακεύτρια. dabantur autem illæ in potu,

> Σαύραντοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.

Bicodulas idem *Lævius* elegantur appellat ἴυγγας, aviculas veneficarum, quòd caudæ aſſiduâ vibratione quadantenus duplicem eam faciant, ſicque duas videantur caudas habere. *Hinnientium* tandem *dulcedinem* hippomanes vocat, quòd ab equa ſtatim, ac natus eſt pullus, rapiatur ac devoretur. Contra quæ omnia *Antipathes* quærendum eſſe monet. Sic autem vocant Græci, quidquid adverſùs effaſcinationes & amoris faciendi artes Magicas potenter efficax eſt; idem quod ἀλεξιφάρμακον, nam φίλτρα ſunt φαρμακεῖαι. Propriè autem ſic appellatum eſt moly illud nominatiſſimum, quô Mercurius Ulyſſem munivit, adverſùs Circes effaſcinationes &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 942. & 943. & infrà *Pompilo* quoque. Vendebant autem *Philtra,* quæ & *Agogima* & *Chariteſia* itidem, Magi. Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 610.

> *Hic Magicos adfert cantus, hic Theſſala vendit*
> Philtra, *quibus valeat mentem vexare mariti.*

Unde Arnobius *adv. Gent. l.* 1. *Quis enim hos neſciat* (Magos intelligens) *aut imminentia ſtudia prænoſcere —— aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut uxoribus & liberis alienis —— inconceſſi amoris flammas & funales immittere cupiditates.* Cujus rei memorabile exemplum habes apud Hieronymum *de Vita Hilarionis,* ubi de juvene quodam Gazenſi, qui Memphim profectus, *ut Magicis artibus armatus rediret ad virginem* (quam deperibat) *poſt annum doctus ab Æſculapii vatibus venit —— & ſubter limen domus puellæ tormenta quædem verborum & portentoſas figuras ſculptas in æris Cyprii lamina defodit* &c. Facit huc vetus *Inſcr.*

> QVI. ME. VOLENT. VALETE. MATRONÆ.
> MATRESQUE. FAMILIAS. VIXI. ET. VLTRA.
> VITAM. NIHIL. CREDIDI. ME. VENTRI.
> ALUMNÆ. ADDIXI. QVOS. POTVI. PELLEXI.
> FILTRIS. ET. ASTV. VIRO. HVMATO. NON.
> VIDVA. FVI. NEC. MARITÆ. NOMEN. ADEPTA.
> QVÆSO. NE. INVIDETE.

apud G. Elmenhorſt *ad Arnob. d. l.*

PHILUMENE, pro Ariſtide moritur. Narrat enim hic, qui Hadriani Imperatoris ferè æqualis fuit, in *Sacrarum quinta,* ſe, cùm periculosè ægrotaret, oraculô monitum, Ὅτι ἡ Φιλουμένη ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς καὶ σῶμα ἀντὶ σώματος ἀντέδωκε τὰ αὐτῆς ἀντὶ τῶν ἐμῶν, *Philumenam animam pro anima, corpus pro corpore, ſua pro meis, permutationis locô dediſſe.* Moritur ergo *Philumene,* convaleſcit Ariſtides. Erat hæc filia Callitychæ nutricis quondam Ariſtidis vel collactaneæ: nam editi libri modò τροφὸν, modò σύντροφον, nominant. Sed & jam antè *Philumenæ* frater Hermeas, pro eodem Ariſtide graviſſimè laborante, mortem viſus obiiſſe, ut ipſe narrat. Veterum nempe perſuaſio, ut Caſaubonus oſtendit *ad quartum Suetonii,* hæc fuit, poſſe alicujus produci fata, ſi ejus vicem ſubiret alter, velut hoſtia ſuccidanea: qua de re diximus ſuprà voce *Fata.* Idem luſciniæ nomen, cujus epitaphium habes ſuprà, voce *Luſcinia.*

PHILYLLIUS, à pleriſque creditur auctor *Jamborum, de urbibus,* ut cognoſcimus ex Athenæo, *l.* 3. 4. 9. Alius fuit veteris Comœdiæ poëta, Athenæo, *l.* 14. & Polluci, *l.* 7. memoratus.

PHILYRA, filia Oceani, ex qua Saturnus in equum converſus, Chironem Centaurum dicitur ſuſcepiſſe, qui à matre *Philyrides,* & *Philyrejus* dicebatur. Hanc fabulam ad Medicinæ & Chirurgiæ artem refert Natal. Comes, *Mythol. l.* 4. *c.* 12. Scribitur autem hoc nomen, & ejus derivativa ſimplici *l;* poëtæ tamen ſuô jure, ut primam ſyllabam extendant, geminant hanc conſonantem.

PHILYRA, pro Lindavia, apud Germanos Poëtas. Vide ibi.

PHILYRA, Auctori *Etymologici,* φυτὸν ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπυρῷ ὅμοιον, ἐξ οὗ τοὺς στεφάνους πλέκουσι, *planta* eſt *habens corticem papyraceum, frumento ſimilem ex quo coronas plectunt.* Flexibilis enim, διὰ τὸ γλισχρὸν ἔχειν τὴν ὑγρότητα, *quòd viſcoſam humiditatem habet,* uti loquitur Theophr. *de Plant. l.* 1. Certè materia eſt tam tenuis, tamque teres, ut ex ea quoque libri compingerentur, uti diſcimus ex *Q. Septimio Romano.* poſt *Dictym Cretenſem* & Martiano Capella *l.* 2. Unde Domitianum, eorum nomina, quos conjurationis ſuſpectos habebat, ſcripſiſſe *in tabella philyracea duplici,* ait *Xiphilinus.* Itaque & in fila tenuabatur, quibus, ut filô, flores interiùs vincirentur; nec flores tantùm, ſed & herbæ, & folia, & ramuli, unde coronæ conſtabant. Plin. *l.* 16. *c.* 14. *Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, ex quibus vincula tiliæ vocantur, tenuiſſima earum* philyræ, *coronarum lemniſcis antiquôque honore celebres.* Ubi membranam tiliaceam, eidem uſui apud Romanos cum philyræ apud Ægyptios & Græcos deſtinatam, *philyram* quoque vocat: cujus locô elephantorum ſetas adhibuiſſe Indos, teſtis eſt Solin. *l.* 55. Horatius *l.* 1. *od.* 38. *v.* 1.

> *Perſicos odi puer apparatus.*
> *Diſplicent nexæ* philyrâ *coronæ.*

Scirpus

Scirpos hujuſmodi minutiſſima vincula, vocat Tertullian. *de Coron. mil.* &c. Erant autem *philyræ* primùm ſimplices, h. e. nullâ arte fucatæ aut diſſimulatæ: poſteà in dies creſcente luxu, bracteatas illas fecit primus P. Claudius Pulcher, apud eundem Plinium *l.* 21. *c.* 3. idque meritò, cùm Craſſus ipſa folia coronarum primus aurô argentôque imitatus ſit. *Philyris* porrò acceſſerunt lemniſci, i. e. faſciolæ quædam anguſtæ, quibus jam in coronam coacti flores involverentur, de quibus, vide ſuprà, & plura hanc in rem apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 2. *c.* 12. Sed & *philyram* arborem fuiſſe, cujus cortex idoneus conficiendis ciſtis aliiſque ϰ̀ ὅλως χρήσιμος πρὸς τὰ πολυτελῆ τ̃ ἔργων, *& prorſus utilis ad ſumptuoſiſſima quæque opera*, legas apud *Theophraſtum*, laudatum eidem.

PHILYRES, populi juxta Pontum. Dionyſ. *v.* 766.

Μάκρωνες, Φίλυρές τε, ϰ̀ οἱ μόσυνας ἔχουσι
Δουράτέης. ——— ———

Val. Flac. *l.* 5. *v.* 151.

Moſſynichi: vos & ſtabulis Macrones ab altis,
Byzereſque vagi, Philyræque à nomine dicta
Litora. ——— ———

Nic. Lloydius.

PHIMUS, Græcè Φιμὸς, inter organa κυβευτικὰ recenſetur *Etymol. Mag.* Φιμοὶ κυβευτικὰ ὄργανα. Φιμός ἐστιν ὁ καλούμενος κημὸς εἰς ὃν ἐνέβαλλοντο ἀστράγαλοι. Φιμῶν etiam meminit *Æſchines* inter aleatoria inſtrumenta. Diphilus apud *Harpocrationem*,

——— ἕλκεις Φιμὸν ὡς ἂν ἐμβάλῃ.

Scripta quoque manu exemplaria ita apud Horatium legunt, *l.* 2. *Sat.* 7. *v.* 17.

Mitteret in phimum *talos.*

Nempe Φιμὸς idem erat quod κημὸς, per quem calculi ſolebant in judiciales urnas & teſſerarios pyrgos immiti. Aliter ψηφοβόλιον: utrumque proin à pyrgo diverſum. Veteres enim, licèt aliquando ad improbi jactus cavendam fallaciam ſolô pyrgô (de quo ſuô locô) uterentur, nonnunquam tamen ad majorem, ſi fortè, cautionem & pſephobolô & pyrgô. Ned enim manu teſſeras in pyrgum mittebant, ſed in pſephobolum priùs, dein per pſephobolum ſeu *phimum* in pyrgum fundebant, ut ſic magis ars & fallacia ingenioſi ac improbi aleatoris in jactando vitaretur. Itaque idem planè factitatum in luſoriis pyrgis, quod in judicialibus urnis. Nec enim manu ſuâ Judices calculos, quibus ſuffragia ferebant, in urnam conjicere conſueverant, ſed per vaſculum oblongum vimine contextum eos dimittebant. In cadiſcum, quaſi per colum vel infundibulum. Καδδίσκος dicebatur urna, in quam immittebantur calculi; κημὸς, vaſculum, per quod immitebantur, ut ex *Heſychio* & *Polluce* manifeſtum eſt. Ad eundem planè modum in re teſſeraria pyrgus, in quem teſſeræ mittebantur, urnæ vicem obtinebat, & in parte alveoli reſidebat, crebris intus gradibus exſculptis, per quos teſſeræ reſultantes ſaltitanteſque in tabulam effunderentur. Vaſculum autem illud, per quod in pyrgum teſſeræ conjiciebantur, κημὸς etiam vocabatur, ad ſimilitudinem illius κημοῦ, per quem calculi in judiciales urnas ſolebant immitti. Uterque porrò, ſicut Φιμὸς, ita & ἠθμὸς dicebatur, quaſi infundibulum, quòd ſimilis utriuſque, tum Judicialis tum teſſerarii *phimi*, figura eſſet, & infundibulum uterque referret: nam in ſummo latus erat, imo ſtrictus & anguſtus. Unde Grammatici *camum* vocant χωνοειδὲς πλέγμα ϰ̀ ἠθμοειδές, &c. Cœterùm plerique, ut dictum jam, camum illum vel *phimum* vel infundibulum in jactandis teſſeris non uſurpabant, ſed ſolô pyrgô utebantur, & videtur ſolùm ad jactandi commoditatem uſitatus fuiſſe camus: ut enim latô & hianti ore patebat, faciliùs teſſeras recipiebat, quæ inde quaſi per infundibulum in pyrgum cadebant, mox è pyrgo concuſſæ & agitatæ ſuper tabulam mittebantur. Verùm nimia etiam fortaſſe in hoc moroſitas; Ideo ſolum pyrgum multi adhibebant ad teſſeras mittendas. Sed & *phimum* & camum & pyrgum & pſephobolum non pauci confundunt. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo. c.* 13.

PHINA, Macedoniæ oppid. ad oram Heracleam. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

PHINEES, fil. Eleazari. Ingenti pro gloriâ Dei Zelô actus, Zambri Principe tribus Simeonis, cum Cosbi filia Madainitici Regis interfectô, impetravit à Deo, ad juſtitiam ipſi factum hoc imputante, ut Pontificatus in Eleazari familia perpetuò maneret, ipſe poſtmodum eô functus: Numer. *c.* 25. *v.* 6. 7. 8. Torniel. *A. M.* 2583. 2594. Filius item Heli ſacerdotis. 1. Sam. *c.* 1. *v.* 3. Latinè *aſpectus*, aut *facies confidentiæ*, vel *protectionis.* Vide *Ophni* quoque.

PHINEIDÆ, nomen familiæ ſeu tribus, cui *Phineus* originem dedit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1182.

PHINEUM, locus Ponti, à *Phineo* conditus. *Stephan.*

PHINEUS, Agenoris fil. *Hellanico: Heſiodo* verò Phœnicis & Caſſiopeæ, Agenoris nepos, frater Cilicis, Dorycli & Atamini. Hic Rex Arcadiæ, vel, ut alii, Thraciæ, vel, ut rurſus alii, Paphlagoniæ, uxorem duxit Cleopatram (quam quidam Schenobœam vocant) ex qua genuit Orythum & Crambum, ut *Sophocles*, ut alii, Mariandynum & Thynum; vel, ut rurſus alii, Palæmonem & Phinea: quibus, mortuâ priore conjuge, Harpalycen, Calais & Zethæ ſororem, novercam ſuperinduxit; quamvis Flaccus Valerius non Harpalycen, ſed Cleopatram Boreadum ſororem vocet, cui etiam Apollonii Scholiaſtes ſubſcribit, qui *l.* 1. dicit, Phineum Cleopatram Boreæ & Orithyiæ filiam uxorem duxiſſe ſecundam verò Idæam, Dardani filiam, novercam ſuperinduxiſſe: cujus ſuaſu filios ſuos ex Cleopatra ſuſceptos excæcavit. Quapropter & ipſe excæcatus eſt à Diis, & Harpyiæ contra eum miſſæ, quæ cibos & menſam ejus turpiſſimè œdarent. Poſteà verò devenientibus ad ea loca Argonautis, à Calai & Zethe, fratribus alatis, rurſus ad Strophadas inſulas fugatæ ſunt. At Orpheus, Phineum, inſanientem uxoriis philtris, dejeciſſe è ſcopulo duos filios autumat, quare à Zete & Calai, ut durius exilium perpeteretur, in Biſtoniam ablegatum & ab aliis luce privatum aſſerit. Poſtremò occiſus eſt ab Hercule, cùm is in ſolitudine liberos Phinei offendiſſet excæcatos, comperiſſetque eos calumniis novercæ ejectos fuiſſe. Apollonius *l.* 2. *Argonaut.*

Ἔνθα δ' ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεὺς,
Ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματ' ἀνέτλη,
Εἵνεκα μαντοσύνης, τήν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε
Λητοΐδης, οὐδ' ὅσσον ὀπίζετο ϰ̀ Διὸς αὐτοῦ,
Χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι.
Τῷ ϰ̀ οἱ γῆρας μὲν ἐπὶ δηναιὸν ἴαλλεν.
Ἐκ δ' ἕλετ' ὀφθαλμῶν γλυκερὸν φάος, οὐδὲ γάνυσθαι
Εἴα ἀπειρεσίοισιν, ὅσα οἱ αἰεὶ
Θέσφατα πευθόμενοι περιναιέται οἴκαδ' ἄγειρον.

Propert. *l.* 3. *El.* 4. *v.* 41.

Aut Alcmaoniæ furiæ, aut jejunia Phinei.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 210.

——— *Strophades Grajô ſtant nomine dictæ*
Inſulæ, Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineia poſtquam
Clauſa domus, menſaſque metu liquêre priores.

Val. Flaccus *l.* 4. *v.* 423.

Poſtera non caſſæ Minyis Aurora retexit
Noctis iter; nova cuncta vident; Thynnææque juxta
Litora, fatidici panus horrentia Phinei,
Dura Deûm, ſummoque lues urgebat in ævo.
Quippe nec extorrem tantùm, nec lucis egentem,
Inſuper Harpyiæ Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant; ipſoque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, & tales pro crimine pœnas
Perpetitur, ſpes una ſeni, quòd pellere ſævam
Quondam fata luem dederant Aquilone creatis.

Statius *l.* 8. *Theb. v.* 255.

Qualis, poſt longa Phineus jejunia pœna,
Nil ſtridere domi volucres ut ſenſit abactas,
(Nec dum tota fides) hilaris menſaſque toroſque
Nec *turbata feris tractavit pocula pennis.*

Nic. Lloydius. Ejus verò regnum Joppen fuiſſe. Mela innuit, *l.* 1. *c.* 11. *Et Joppe, ante diluvium, ut ferunt, condita, ubi Cepheum regnâſſe eô ſignô incolæ affirmant, quòd titulum ejus fratriſque* Phinei *veteres quadam aræ cum religione plurima retinent.* Et Conon ſcribit apud Photium *in Excerptis, fratres fuiſſe duos, Cepheum &* Phineuma, *& Cephei Regnum fuiſſe in regione, quæ poſtmodum quidem Phœnicia, tum verò Jopia dicta fuerat, à Joppe maritima urbe ſic appellata. Imperii autem limites erant à noſtro mari, uſque ad Arabes, Rubri Maris accolas.* Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 564.

PHINICE, in *veter. Notit. provinciarum Romanarum*, pro *Phœnice.*

PHINNI, vide FENNI.

PHINON, civitas Idumæorum. Gen. *c.* 36. *v.* 41. Latinè *gemma*, ſive *aſpiciens*, aut *os æternitatis*, vel *os filii*: aut ex Hebr. & Syro *os piſcis*, ab *ore*, ſcil. non ab *oſſe.*

PHINON, una manſionum Iſraëliticarum in deſerto, Numer. *c.* 33. *v.* 43. Vide *Phaëno.*

PHINOPOLIS, urbs Ponti à *Phineo dicta. Steph. Phinopoli* adhuc *Sophiano*, ſeu *Flipoli* aliis, apud Philiam promontor. urbs Thraciæ maritima haud procul ab ore Ponti, inde paulò ſuprà 5. mill. paſſ. recedens. Ex Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Ferrarius.*

PHINTA, Meſſeniorum Rex poſt Sybotam, quô tempore Telecius Spartanorum Rex à Meſſeniis occiſus eſt: Polymeſtor verò apud Arcades regnavit. Eum excepit Antiochus. Pauſan. *Meſſeniacis.*

PHINTHIA, Siciliæ fons, in quem, ut *Apion* refert, nihil immergi poteſt, ſed omnia fluitant, Plin. *l.* 31. *c.* 2. Φιντιὰς *Diodoro.* Unde Phalaridi *in epp.* opidani ſunt Φιντιεῖς. Item amicus Damonis cujuſdam, ut in *Plutarcho* invenimus. Quanquam apud Val. Max. *l.* 4. *c.* 7. *exemp. ext.* 1. & Cicer. *l.* 3. *de Off. c.* 10. *Pythias* dicitur.

PHINTIAS, vide PINTHIAS.

PHINTONIS, ſeu PHINTON Capellæ, inſul. inter Sardiniam & Corſicam. Plin. *l.* 3. *c.* 6. *Ptol. Iſola roſa Ortelio, Iſle de Figo Pineto.*

PHIOPS, Rex Memphitarum XX. poſt Metu-Suphim, *cœpit ſexennis, regnavit ad annos uſque* C. Syncellus *p.* 58. Idem cum Apappo Maximo Thebanorum Rege, cui regno tum Memphiticum acceſſiſſe videtur. An idem *Cheops* vel Χαίαψ *Herodoti; Chemmis Diodoro, ab infuſcata fortè facie*, cui uterque pyramidem maximam attribuit, quam Manetho à Suphide extructam tradit? Sanè & ſerior *Phiopis* ætas, & regni tum amplitudo, tum diuturnitas, tanto operi ſatius convenire videtur. Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec. HI.* Vide quoque *Apappus Maximus.*

PHIRÆSI, Scandiæ inſul. populi *Ptol. Franci Turnebo*, cujus opinionem rejecit F. Hotoman. *in Francogallia*, & meritò quidem, utà verò alienam.

PHIRRICUS, vide CLAUDIUS.

PHIRSTIMUS, Perſidis fluv. in Sinum Perſicum influens, inter Sitiogagum, quô Paſagardas 7. diebus navigatur, & Granium, qui per Suſianam fluit. Plin. *l.* 6. *c.* 23. Vide *Phryitimas.*

PHISCON Mons, urbec. longa Hetruriæ, *Monte Fiaſcone.* in provinc. Patrimonii: 10. mill. paſſ. ab Orvieto in Meridiem Romam verſus 50. circiter. Dicitur & *Mons Phiſcon.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHISERA, oppid. ſeu pagus Corſicæ, in ora Occidentali. *Ptol. Figari.* Vide *Fiſera.*

PHISON, vel PISON, i. e. *oris mutatio,* ſive *multitudo,* ſive *extenſio*, fluvius è Paradiſo fluens. Gen. *c.* 2. *v.* 11. qui ab Euſeb. & Hieronymo *in Qu. Hebr.* dicitur *Ganges. Heſych.* Φείσων ποταμὸς Παραδείσου ὁ ἑρμηνεύεται σόμα κόρης, παρὰ δὲ Ἕλλησι Γάγγης. Alcimus Avitus,

Quartus dehinc Phiſon, quem nominat India Gangen. Fortè *Phaſis* hodie. *Baudr. Becmanno, Phiſon* & *Gichon*, ſunt alvei Euphratis & Tigridis, in quos ſcinduntur, antequam Oceanum inerant: & *Phiſon* fortè Naharmalca hodiernus, Gichon verò Naharſares, in *Hiſtor. Orbis Terr. c.* 3. *Hydrogr.*

PHITERNUS, meliùs *Tifernus*, fluv. Italiæ, nunc *Fortore* Magino, in mare Adriaticum ſe exonerat. Vide *Tifernus.*

PHITHOM i. e. *buccella eorum*, aut *oris conſummatio*, ſive *perſuaſio*, vel *dilatatio eorum*, urbs quam ædificârunt filii Iſraëlis Pharaoni regi Ægyptiorum. Exod. *c.* 1. *v.* 11.

PHITON, fil. Micha. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 35.

PHITTACIDES, fœminarum calcei, apud Jul. Pollucem, *Onomaſt. l.* 7. *c.* 22. & Balduinum *de Calceo*, *c.* 20.

PHIUS, Memphitarum Rex XVIII. poſt Othoem, ante Metu-Suphidem, quem vide ſuprà.

PHLA, inſul. parva in palude Tritonide. Vide Herodot. *l.* 4.

PHLADIRTINGA, oppidul. Hollandiæ, 2. leuc. à Delphis in Meridiem, totidem à Roterodamo in Occidentem Brilam verſus. Aliàs permunitum, nunc abſorptis ſimul cum arce mœnibus, voragine Moſæ fluv. qui latè ripas & littora adedit, ſuccedaneam operam addente mari, tantùm tenuis pagus & piſcatorum ſedes eſt; *Vlaerdingen.*

PHLANATES, populi Illyrici, qui & *Flanates*, à quibus *ſinus Flanaticus*. Plin. *l.* 3. *c.* 19.

PHLANON, urbs & portus juxta Abſyrtum inſulam poſt Aloum. *Stephan.*

PHLEBOTOMIA, vide hîc paſſim, vocibus *Baleſtra*, & *Vena*; nec non ubi de *Militaribus pœnis* & *Minuendi Sanguinis ritu.*

PHLEGELAS, ultra Hydaſpen Indiæ Rex, qui popularibus ſuis colere agros, ut aſſueverant, juſſis, Alexandro adventanti cum donis occurrit; nihil quod imperaret detrectans. Curt. *l.* 9. *c.* 1. à Diodoro vocatur Φηγεὺς *Phegeus*, *l.* 17. *f.* 611.

PHLEGETHON, fluv. infernalis flammis æſtuantibus rapidus, ab *urendo* ſic dictus; quam etymologiam poëtæ paſſim innuunt. Author *Culicis*,

Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis.

Silius, *l.* 13. *v.* 564.

——— *Exundantibus urit*
Ripas ſævus aquis Plegethon.

Idem *ibidem*, *v.* 836.

Ardenti Phlegethonte natas fornacibus atris.

Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 523.

Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit.

Seneca, *in Thyeſte*, Actu. 5. *v.* 1018.

Phlegethon arenas igneus totas agens.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 550.

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis.
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.

Hinc *Phlegethonteus*. Claudian. *l.* 1. *de Raptu*, *v.* 88.

Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ.

Et *Phlegethontis*. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 544.

——— *Sparſumque caput Phlegethontide lymphâ.*

Nic. Lloydius.

PHLEGIA, Bœotiæ Urbs, *Steph.* apud Cephiſſum fluv.

PHLEGIAS, unus è Cyzicenis, qui, raptâ face piceâ, decurrit arce in Minyas, Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 125.

PHLEGON Trallianus, libertus Auguſti (nonnulli Adriani, *cujus hiſtoriam* edidit, dicunt) *hiſtoriam* ſcripſit *Olympiadum libris* 16. uſque ad Olymp. 229. *De Faſtis Romanorum libros* 2. Item *de nominibus locorum urbis Romæ*, & *epitomen Olympionicorum libris duobus.* Ejus *fragmentum* ſolùm *de hiſtoria Olympiadum*, ut & de tractatu, *de Longævis*, ſupereſt: etiam initium libri *de Mirabilibus* amiſſum, Suidas, Phot. *cod.* 97. Item viri Sancti nomen. Roman. *c.* 16. *v.* 14. *Nic. Lloydius.* Cœterùm, priorem Libertum omnino fuiſſe Hadriani, clariſſimè patet ex Æl. Spartiano in hujus *Vita c.* 16. *Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ ſuæ ſcriptos à ſe, libertis ſuis literatis dederit, jubens ut eos ſuis nominibus publicarent: Nam Phlegontis libri Adriani eſſe dicuntur.* Et Vopiſco in *Saturnino*, *c.* 7. *Adriani epiſtolam ex libris* Phlegontis, *liberti ejus, proditam* &c. Igitur Hadriani is, non Auguſti, Libertus fuit, ut temerè quoſdam ex Veterib. ſenſiſſe judicat *Suidas.* Error ex eo, quòd in libris ſuis ſe ſimpliciter vocat Καίσαρος ἀπελεύθερον. Vide Photii *Bibl. tm.* 97. Caſaubon. *ad Spartian.* Plures autem libros cùm ſcripſerit *Phlegon*, dubium an illos omnes Hadriani fuiſſe, intelligat Spartianus. Videtur libros tantùm, quos de Vita ſua ſcripſerat Hadrianus, ſub nomine *Phlegontis*, publicâſſe. At inter opera Phlegontis, quæ recenſentur à Suida, nulli ſunt libri *de Vita Hadriani*: quod fortè hinc factum, quia licèt nomine Phlegontis hi libri publicati eſſent, fama tamen erat conſtans, ab Hadrino eos ſcriptos eſſe ideoque ab eruditis paſſim Adriani., h. e. auctoris nomine, citabantur. Certè *libros Hadriani de vita ſua* Spartianus ſuprà jam citavit. Quòd verò Auguſti hic libertus non fuerit, etiam hinc diſcimus, quòd Olympiades ſuas deduxit uſque ad ducenteſimam nonam, quæ incidit in tempora Hadriani, & ſæpius in libris ſuis Hadriani meminit, operumque publicorum ab Hadriano vel ædificatorum, vel inſtauratorum, uti ex *Stephano* diſcimus, ubi ait, Ὀλύμπιον τόπος ἐν Δήλῳ ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ νέας, Ἀθήνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πεντεκαιδεκάτῳ, *Olympium, locus in Delo, quem extruentes Athenienſes, ſumtibus Hadriani, novas Athenas Hadrianas appellârunt, ut ſcribit Phlegon Olymp.* 15. &c. Vide Salmaſ. *ad eundem Spartian.*

PHLEGON, unus ex equis Solis, ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod eſt *urere*, dictus. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 154.

Intereà volucres Pyroeis, Eous, & Æthon.
Solis equi, quartuſque Phlegon.

PHLEGRA, urbs Macedoniæ, in qua Gigantes olim cum cœleſtibus conflixêre, & ab Hercule extincti erant. Hanc Eudoxis poſteà *Pallenen* dictam ſcribit, *Steph.* Silius *l.* 12. *v.* 143.

Tradunt, Herculeâ proſtratos mole Gigantes
Tellurem injectam quatere, & ſpiramine anhelô
Torreri latè campos, quotieſque minatur
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cœlum.

Ubi loquitur de *Phlegræo Campo*, qui eſt in Campania juxta Cumas. De quo vide Cluverium *Ital. Ant. p.* 1144. Hinc *Phlegræus.* Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 151.

— *Prius cecini plectrô graviore Gigantes.*
Sparſaque Phlegræis victricia fulgura campis.

Propertius, *l.* 3. *El.* 10. *v.* 37.

Iſſent Phlegræô melius tua funera campô.

Poëtæ fabulâ hâc in comparationibus ſuis plerumque utuntur. Lucan. *l.* 7. *v.* 145.

Non aliter Phlegrâ, rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus enſis:
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuſpis,
Spiculaque extensô Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenæa Iovi mutavit fulmina Cyclops.

Statius, *Theb. l.* 2. *v.* 595.

Non aliter (Geticæ ſi fas eſt credere Phlegræ)
Armatum immenſis Briareus ſtetit æthera contra,
Hinc Phœbi pharetras, hinc torva Palladis angues.
Inde Pelethroniam præfixâ cuſpide pinum
Martis, ac hinc laſſô mutata Pyracmone temnens
Fulmina, cùm toto ne quicquam obnixus Olympo
Tot queritur ceſſare manus.

Idem, *l.* 1. *Achilleidos*, *v.* 484.

Sic cùm palantes Phlegræa in caſtra coirent
Cælicolæ, jamque Odryſiam Gradivus in haſtam
Surgeret, & Lybicos Tritonia tolleret angues,
Ingentemque manu curvavit Delius arcum,
Stabat anhela metu ſolum Natura Tonantem
Reſpiciens, quando illi hyemes, tonitruſque vocaret,
Nubibus, igniferam qui fulmina poſceret Ætnam.

Silius, *l.* 9. *v.* 304.

Tollitur immenſus deſerta ad ſidera clamor,
Phlegræis quantas effundit ad æthera voces
Terrigenûm campis exercitus, aut ſator ævi
Quantâ Cyclopas nova fulmina voce popoſcit
Jupiter, exſtructis vidit cùm montibus ire
Magnanimos raptum cœleſtia regna Gigantes.

Et *l. ult. v.* 652.

Qualis odoratis deſcendens Liber ab Indis,
Egit pampineos frænatâ tigride currus:
Aut cùm Phlegræis, confectâ mole Gigantum
Inceſſit, campis tangens Tirynthius aſtra.

Val. Flac. *l.* 6. *v.* 168.

——— *Tremebundaque pulſu*
Natat humus; quatit ut ſævo cùm fulmine Phlegram
Jupiter, atque imis Typhœa verberat arvis.

Atque hæc poëtæ. *Theagenes* verò & *Eudoxus*, qui ad hiſtoricam fidem pugnam hanc reducere conantur; Pallenen, inquiunt, quæ veteri nomine Phlegra vocabatur, homines tenuerunt, quibus immanitas & ſuperbia morum, Gigantum cognomen peperit. In hos, ineunte prælium Hercule, fulmina de cœlo miſſa ſunt, donec ii fugere coacti ſunt, & ingenti victoriâ ſuperati. Ex hac re rumor in vulgus ortus, ut Gigantes moverint bellum Diis. Id autem ideo fictum eſt, quoniam ea regio tota ſulphure plurimô ſcatet. Hinc fit, ut ventorum impulſu excitetur paſſim ignis, qui, cùm exitum è cavernis natura expetat, dum luctatur aſſiduè, terram tandem quatit, & commovet, exuritque frequenter; unde & nomen ſortitur, φλέγω enim Græcè *exurere, ardereque* ſignificat *Nic. Lloydius.*

PHLEGRÆI Campi, vide *Forum Vulcani.*

PHLEGYAS, Martis fil. Rex Lapitharum in Theſſalia, pater Ixionis, & Coronidis Nymphæ, quam cùm ab Apolline vitiatam ſenſiſſet, confeſtim irâ percitus templum ejus Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus, ipſum ſagittis interfectum ad inferos detruſit, ubi hâc pœnâ afficitur, ut ſub ingenti ſaxo ruinam minitante ſedens, ſemper illud caſurum ſuſpicetur ac timeat. Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 713.

——— *Phlegyam ſubter cava ſaxa jacentem*
Æternô premit accubitu. ———

PHLEGYÆ, populi inſulani Theſſaliæ, à *Phlegya* Ixionis patre, cognominati. Hi, cùm ſacrilegi eſſent, Deoſque & homines ſpernerent, ab irato Neptuno, immiſſô diluviô, ſubmerſi ſunt. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 618.

——— *Phlegyaſque miſerrimus omnes*
Admonet. ———

PHLEGYAS, urbs Bœotiæ, à *Phlegya* Martis & Chryſes filio. *Stephan.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHLEOS, ſeu PHLÆUM, Græcè φλεὼς, herba paluſtris ſine ſpinis, è qua veſtes & retia texebantur, Iones φλοῦν dicebant. Unde φλοίνη ἐσθὴς Herodoto *l.* 3. Et φλοίναι σπυρίδες ac ψίαθοι *Euripidi*, & φλοίιναι ἡνίαι, *Polluci.* Ad vitilia certè & nexus, utilem eſſe, ſcribit Theophraſtus *l.* 4. *c.* 11. ubi ἀνθήλην quoque illis h. e. *lanuginoſam paniculam*, ad tectoria inducenda, adhibitam fuiſſe, addit. Galenus etiam, qui *in Lexico Hippocratis* notat, *Phleum* verbaſco, h. e. phlomo, ſimile eſſe & papyraceum, idem textum fictilibus oleariis circumponi, ut hodie buticulæ vitreæ circumtextô vimine muniuntur, ſcribit. Φλεὼς, φλομῶδές τι ἐστὶ τοῦτο καὶ παπυρῶδες φυτὸν, ὅπερ καὶ πλεκόμενον περιτίθεται τοῖς ἐλαιηροῖς κεραμίοις. Sed panicula ejus alium quoque uſum habuit: Unde quòd ſtipa eſſet, amphoris vaſiſque fictilibus componendis, ne frangerentur, interponi ſolita, στοιβὴ quoque dicta eſt. Tomentis porrò inculcandis inſerviebat farciendiſque toris, uti typhæ & aliorum paluſtrium lanugo. Quod *tomentum Circenſe* dicebatur, quia in Circo væniebat; non quia in Circenſibus ſibi id ſubſternebant, ut cenſebat Turnebus. Verbô, ex cortice hujus herbæ tegetes, vela, veſtes, funes aliaque vitilia texebantur; detractô cortice medulla interior candelis faciendis ſerviebat, cerâ circumdatâ: panicula verò uſibus adhibita, quos diximus. Vide ſuprà ubi de *Papyro*, & infrà ubi de *Scirpo*, ſcirpo enim Græcis φλεώς eſt: it. voce *Pliathium.*

PHLIÆ, nomen urbis, apud Diodor. Sic. *l.* 14. ubi, adductis ſuis peltaſtis, plures trecentis cecidit Iphicrates.

PHLIAS, Argonauta, Bacchi filius. Val. Flac. *l.* 1. *Argonaut. v.* 411.

Et quem fama genus non eſt mentita Lyæi
Phlias, immiſſus patrios de vertice crines.

Apollonius *l.* 1.

Φλείας δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Ἀραιθυρέηθεν ἵκανεν.

Ubi *Schol.* Πόλις Πελοποννήσου ἡ Ἀραιθυρέα, ἐν ὁρίοις τῆς Σικυῶνος κειμένη, ἡ νῦν ὀνομαζομένη Φλιοῦσα ἀπὸ Φλιοῦντος τοῦ Διονύσου, καὶ Χθονοφύλης, καὶ αὐτὸς δὲ Διόνυσος Φλυεὺς ὠνομάζετο ἀπὸ τοῦ φλύειν τὸν οἶνον, ὅ ἐστιν εὐθηνεῖν. *Nic. Lloydius.*

PHLIUS, *untis*, à *Phliante* conditore, teſte Pauſaniâ, *l.* 2. oppid. Peloponneſi geminum: Unum in Sicyonia regione, prius *Arantia*, & *Arethyræa*, teſte *Strabone. Yri Sophiano*, *Rupela Laonico*, *Phoica Pineto*, à Corintho 30. ſtad. in occidentem, à litore 20. ad fontes Aſopi fluv. 12 mill. paſſ. ab ora Sinus Corinthiaci in Meridiem, 18. à Corintho in Occaſum. Alterum in Elide, teſte Pliniô *l.* 4. *c.* 5. à Cyllene 15. mill. paſſ. à litore 2. ab Olympia 63. Quid ſit, non conſtat *Baudrando*, niſi forſan Pylus Eliaca, vide ibi. Populi *Phliaſii Xenophonti* fide & fortitudine clari. Hîc Axiothea Phliaſia, cum Laſthenia Mantinea, diſcipula Platonis, habitu virili induta, in Auditorium veniebat, ex *Laërtio Ferrar.*

PHLIUS, oppid. Argiæ, in ora Sinus Argolici, 25. mill. paſſ. à Nauplia in Ortum.

PHLOEA, Dea, Proſerpina ſcil. ut quidam volunt, quibus favet *Heſych.* Φλοιὰν, τὴν Κόρην τὴν θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες. Nempe ut Latinis *Liber* Bacchus, *Libera* Proſerpina: Sic Græcis *Liber* Φλοιὸς, *Proſerpina* Φλοιά. De Libero indicant verba *Plutarchi*: Ἔνιοι δὲ θύουσι Διονύσῳ τῷ Φλοιῷ. *Nic. Lloyd.*

PHLOGITES, gemma *intra ſe quaſi flammas, æſtuantes oſtentans*, de qua vide Solin. *c.* 37.

PHLOGIUS, Herculis comes, expeditione in Amazonas, ab eo relictus, Argonautis ſe juxta Sinopen adjunxit. Val. Flac. *l.* 5. *v.* 114.

PHLORYJA, Mauritanæ Cæſarienſ. oppid. *Ptol.*

PHLYACOGRAPHIA, eadem cum Ἱλαρῳδία ſeu Ἱλαροτραγῳδία, Mimilogiæ ſpecies; cujus cùm variæ fuerint ſpecies ac nomina, apud varias gentes, Lacones Δεικηλιστὰς vocabant, qui populari & vili ſermone hortorum furem imitabantur in hoc ludicro, aut Medicum externum, præcepta ſuis ægrotis dantem. *Athenæus* eoſdem φαλλοφόρους à Sicyoniis vocari ait, ab aliis αὐτοκαβδάλους, quòd ludicra non præmeditata ex tempore funderent, riſus captandi gratiâ: ab Italis magnæ Græciæ, φλύακας. Rhinton Tarentinus Φλυακογράφος, τὰ τραγικὰ μεταρρυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον, *Phlyacographus*, *tragicum argumentum in riſum vertens*: qui quidem hujus hilarotragœdiæ auctor *Suidæ* dicitur. Idem alibi φλύακας κιναίδους interpretatur. Et ſanè Κιναιδολογία continebat imitationem converſationis & morum, quibus id hominum genus inſigne erat. Primum autem κιναιδολογεῖν auſpicatum eſſe Sotadem, ait *Strabo*, & poſt eum, Alexandrum Ætolum, pedeſtri utrumque ſermone: hos ſequuti ſunt Lyſis & Simus, unde Σιμῳδοὶ & Λυσιῳδοὶ, de quibus Athenæus *l.* 15. qui Σιμῳδοὺς eoſdem cum Ἱλαρῳδοῖς facit, adeoque φλυακογράφοις. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Solin. p.* 108. & *hic paſſim.* Non omnis tamen φλυακογραφία mimus fuit, nam Rhintonica fabula à mimo diſtabat, quæ etiam φλυακογραφία dicebatur; fuit autem illa propior ac ſimilior Atellanæ. Nam Latina Atellana à Græca Satyrica eô tantùm differebat, quòd in Satyrica Satyrorum ferè perſonæ inducebantur, aut aliæ æquè ridiculæ: in Atellanis Oſcæ, ut Maccus. Rhintonica autem eſt Ἱλαροτραγῳδία vel Ἱλαρῳδία; at quid aliud eſt Satyricum drama? Proprior verò mimo Magodia fuit, quæ uti Ἱλαρῳδία minùs gravis ac ſevera, quàm Tragœdia, ſic ipſa Comœdiâ fuit laſcivior obſcœniorque, *Ibidem.* Ἀ φλυάζειν, *nugari*: φλύαξ, *nugator* & γελοιαστὴς &c.

PHLYEIS, populi in Cecropide tribu. *Steph.*

PHLYGADIA, mons Illyrico & Adriæ obverſus. *Strabo. Filez Lazio.* Inde, cùm altus ſit, mare Adriaticum conſpicitur.

PHLYGONIUM, urbs Phocidis. *Steph.*

PHLYJA, in Attica municipium, tribus Cecropidis ſecundum, vel Ptolemaidis; *Heſychio.* Hinc tribulis iſtius Municipii *Phlyeus*; apud Ariſtoph. *Veſp.* 445.

PHOBETOR, Somni fil. ſic dictus ἀπὸ τοῦ φοβεῖν, quod eſt *perterrefacere. Icelos* autem Superis dicitur, quia omnium animantium formam inducere poſſet. Eſt enim ἴκελος *ſimilis.* Ovid *Met. l.* 11. *v.* 640.

Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus.
Nominat. ———

PHOCA, inter minora cete, talia enim *Phoca*, *delphin*, *hippopotamus*; ſicut majora *Priſtis*, *orca*, *balæna.* E quibus *phoca* & hippopotamus pilos, pedeſque & collum habent: at balenæ & delphini corium glabrum & pinnæ pro pedibus & pro collo fiſtula in fronte, quâ de ſuperiore parte trahunt aërem. Anxiè itaque quærunt Interpretes, cur in his Poëtæ *Od.* δ. *v.* 404.

Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης,

phocæ dicantur νέποδες, *ſine pedibus*, cùm phocas eſſe quadrupedes nemo neſciat. Neque Poëtam id latuiſſe, arguit verſus ſequens, quô deſcribitur πολιῆς ἁλὸς ἐξαναδῦσαι, *è cano mari egreſſæ*, in proximum littus, pedibus nempe inſiſtentes, quibus piſces qui carent, in terram haud quaquam migrant. Proinde aliis νέποδες in loco ſunt νηξίποδες, *pedibus nantes*, tanquam à νέω, *nato.* Aliis νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης ſunt *nepotes* ſeu *liberi pulcræ Haloſydnæ*; quia quâdam dialectô νέπος eſt ἀπόγονος, unde Romanum *nepos.* Vide Apollonium *Argonaut. l.* 4. *v.* 1748. Theocritum *in Encom. Ptol. Idyll.* 17. Euſtathium in *Odyſſ.* ε. Rurſus aliis νέποδες hîc idem, quod ἰχθύες, quomodo piſces dici volunt, quia plerique carent uſu pedum. Bocharto verò *phocæ* ideo νέποδες videntur appellari, non quòd nullos omnino, ſed quòd valde exiguos habent pedes. Ita in avibus cypſeli ἄποδες dicti ſunt, à brevitate pedum. Eſt autem *Phoca* ſive *Boca*, nomen ortum à *boatu*, ut ſcribit *Feſtus*: è cetis enim boant aut mugiunt *phoca* & balæna, quam *Rondeletius* tam magnô & contentô ſonô mugire tradit, ut ab iis audiri poſſit, qui binis leucis abſunt: cùm alia verè ac propriè gemant, ut delphin &c. Habent porrò *phocæ*, ut & reliqua omnia cete propriè dicta, lac & mammas, Philoſ. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 20. Τὰ κήτη, οἷον δελφὶς καὶ φώκη καὶ φάλαινα, μαστοὺς ἔχει καὶ γάλα. Unde Oppianus *Halieutic. l.* 1.

Ναὶ μὴν καὶ φώκη κομέει γένος οὔτι χέρειον,
Καὶ γὰρ τῇ μαζοί τε, καὶ ἐν μαζοῖσι γάλακτος
Εἰσὶ ῥοαί.

Nec minor eſt, quem phoca pio ſub vectore verſat,
Prolis amor, mammaſque pares, & lactis in illis
Flumen habet.

Quo de prolis amore, ita Latinè habet locus Philoſtrati *Apollon. l.* 2. *c.* 7. *Balænas & phocas & reliqua vivipara quomodo non admiremur? Cùm phoca, quam Ægis ad venationes incluſam vidi, mortuum catulum, quem in carcere pepererat, ita luxerit, ut per triduum à cibis abſtinuerit, licèt omnium belluarum voraciſſima.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 7. Fabuloſum verò quod de *phocis* Arabes ſcribunt, atque inter illos inprimis Alkazuinius, qui *phocæ* caput ſpinis & ſpiculis armatum deſcribit, quibus non ſolùm configat obvios, ſed & naves ita incendat, ut inter medias aquas tanquam fulmine percuſſæ ardeant ac conſumantur: ita ut contra hanc peſtem non aliud ſit remedium, quàm ipſius *phocæ* pellis, quâ latera navium obtegi ſit neceſſe. Quamvis enim apud Plutarchum, *Sympoſ. l.* 5. *quæſt.* 9. οὐ δοκοῦσιν ἐπιθιγγάνειν οἱ κεραυνοὶ τοῦ φώκης τοῦ δέρματος, οὐδὲ τῆς ὑαίνης, *Fulmina neque phocæ neque hyanæ pellem putentur attingere*: unde eſt, quòd *illis velorum ſummitates nautæ obducunt*, Ibid. *l.* 4. *quæſt.* 2. tamen, præter Alkazuinium, nemo alius eſt, qui phocæ pellem opponat phocæ ſpiculis, quæ nulla ſunt, ut illi teſtantur, qui belluam ſæpius viderunt. Quod verò modò dictum, de pellibus *phocarum* confirmatur etiam à Plinio, *l.* 2. *c.* 55. *Ad fulminum ictus pavidi, altiores ſpecus tutiſſimos putant, aut tabernacula è pellibus belluarum, quas vitulos marinos appellant quoniam hoc ſolùm animal ex marinis non percutiant.* Hinc de Auguſto Suetonius, *c.* 9. *Tonitrua & fulgura paulo infirmiùs expaveſcebat; ut ſemper & ubique vituli marini pellem circumferret pro remedio.* Vide eundem Bochart. *Part. poſt. l.* 6. *c.* 15. cui adde Voſſ. *de Idololatria*, *l.* 4. *c.* 19. & 22.

PHOCÆ, inſul. parvæ Cretæ ante Sommonium promontorium jacentes. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

PHOCÆA, urbs Æolidis in ora, inter Cumam ad Boream & Smyrnam ad meridiem, à quâ 25. mill. paſſ. recedit, apud oſtia Hermi fluv. epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Smyrnenſi. *Baudrando* hodie *Fochia vecchia*, in ora maris Ægæi, etiamnum urbs munita, & emporium, cum portu capaci amplo, cui adjacet altera Phocea, *Fochia nova.* Media eſt inter Cumam & Smyrnam, & 10. mill. paſſ. ab oſtiis Hermi fluv. abeſt. *Phocis* Melæ, *l.* 2. *c.* 3. Athenienſium colonia. Meminit ejus Lucanus *l.* 3. *v.* 340.

Et poſt tralatas exuſtæ Phocidis arces.

Item *Phocæa* alia, oppidum Cariæ, juxta Mycalen montem Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Phocenſes* Ioniæ populi patrium ſolum communi conſiliô relinquentes, ſe non reverſuros jurejurandô, additis devotionibus, & exſecrationibus, polliciti ſunt, & in Galliam profecti Maſſiliam urbem condiderunt, ut authores ſunt Herodot. *l.* 1. Juſtin. *l.* 43. *& ſeqq.* Ammian. Marcellin. *l.* 15. & Strabo, *l.* 4. Hinc ortum adagium eſt: *Phocenſium exſecratio*, de jurejurando multis vinculis aſtricto, uti Horat. meminit *Epod.* 16. à quo *Phocæi* dicuntur. *Phocenſes* quoque, Phocidis in Græcia populi de quibus rem ſcitu dignam feciſſe narrat *Plutarch.* Hi enim in prælium contra Theſſalos exeuntes, mulieres & liberos in unum locum congeſtos, ubi ipſi à Theſſalis victi eſſent, & interfecti, comburendos illico mandârunt iis, quos ad cuſtodiam reliquerant

rant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rant: quod conſilium & mandatum etiam mulieres ipſæ approbârunt, licèt non adimpletum fuerit, victoriâ adverſus Theſſalos reportatâ. Ex eâ deliberatione natum eſt proverbium: *Phocenſium deſperatio*, de ſtulto & inſano conſilio. *Phocæi*, etiam & *Phocenſes* dicuntur, & *Phocaici*, populi Æolidis in Aſia, & Phocidis in Græcia, qui & *Cyrrhæi* & *Caſtalii* quoque apud poëtas dicuntur. *Nic. Lloydius.* Addo, quòd Cl. Sponio *Foja vecchia* dicitur hodie, celebris illa Veter. *Phocæa*, ad vici tenuis exiguitatem nunc redacta, 20. mill. paſſ. Smyrnâ diſtans. Nomen ei à *phocis*, quarum ibi captura ingens. Unde in nummo ab Philippo Imperatore & ab incolis cuſo, canis expreſſus viſitur & *phoca*, cum *Inſcr.* ΦΩΚΑΙΕΩΝ. Sed & alium nummum, in cujus una parte caput turritum, cum voce ΦΩΚΕΑ, in altera cymba, ſupra quam duæ ſtellæ, pileique Caſtoris & Pollucis, cum *Inſcr.* ΦΩΚΑΙΕΩΝ, exhibet idem Jac. Sponius *Itin. Græciæ Part.* 3. *p.* 188. ubi gloriam illorum nauticam, quippe qui primi mercaturam per mare exercuiſſe & colonias in locis exteris deduxiſſe leguntur, hôc hieroglyphicô indigitari, addit.

PHOCÆNA, vide infrà *Thurſio.*

PHOCARIA, inſul. maris Ægæi ex adverſo Atticæ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

PHOCARUM Inſula, in ſinu Arabico. *Strabò.* Sunt & tres Inſulæ in ſinu eodem, Jeracum, Phocarum, & Chelonon. *Idem.*

PHOCAS, Romanorum Imperator, vel potius tyrannus Orientis, ex centurione, A. C. 602. De quo Sanctus quidam Monachus, cum Deo diſceptans, cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorem, reſponſi locô accepit, deteriorem alium inveniri potuiſſe nullum, & hoc meruiſſe hominum flagitia. Coronatus à Patriarcha Cyriaco, in templo Conſtantinopoli vicino; dein Urbem intravit, Mauritiô Imperatore cum filiis ſuis occiſô. Mox Imperatricem filiaſque ſimiliter ſuſtulit, cum dictum eſſet, ſupereſſe Mauritii filium Theodorum nomine, A. C. 607. Clementiæ dein laudem affectans, ut Nicephorus ait, *l.* 18. *c.* 38. & *ſeqq.* vel potiùs, ut Cedrenus, *in Annal.* hæreticus, crudelis, ſanguinarius, ipſô vultu furorem præ ſe ferens paulò pòſt omnis generis ſceleribus animum laxavit, matronis pro arbitrio illudens, maritis ignominiæ impatientibus occiſis. Eô tempore, Choſroës, Perſarum Rex mortem Mauritii amici ulturus, Syriam, Palæſtinam, Phœniciam, Armeniam, Cappadociam ſubitò occupavit, Chalcedonem uſque excurſione factâ: cùm ab altera parte Avares, Dalmatiæ plurimique alii Europam vaſtarent. Intereà pergens ſævire Phocas, præcipuos Procerum neci dedit, plurimis in exilium ejectis, qui Heraclio juncti, ejus copias disjecerunt. Photinus quoque, cujus uxorem rapuerat, ipſum in Palatio oppreſſum pullâque indutum veſte ad Heraclium deduxit: qui eum graviter primò objurgatum, manibus pedibus & genitalibus truncatis, tandem A. C. 610. capite plecti juſſit. Hic Phocas Bonifacio 3. petenti, titulum *Univerſalis* conceſſit, atque ſedem Romanam caput omnium Eccleſiarum conſtituit: terribili Dracone, cum ſerpentum immani caterva, in Tiberi viſo. Aimoin. *l.* 4. *c.* 4. Platina *in Bonif.* Sigebert. *in Chron.* Hoſpin. *de orig. temp.* Gregor. *in Epiſt.* Hiſt. Miſc. *l.* 17. *Theoph. Zonaras*, &c.

PHOCAS, vide *Nicephorus II.*

PHOCAS, Grammaticus, qui *de Nomine & Verbo* ſcripſit.

PHOCE, oppid. Bœotiæ.

PHOCEAS; agri Leontini in Sicilia oppid. *Thucyd.*

PHOCENSES, populi Hetruriæ, quorum oppid. *Foceſchio*, inter Florentiam, Lucam, & Piſas ſitum, apud lacum cognominem, à Luca 20. mill. paſſ. Alios ab Andronico in ordinem coactos, A. C. 1336. &c. vide in *Phocæa*, & *Phocæi.*

PHOCEUS, Oleni Lelegis filius exul, Cyzici miniſter interior, in conflictu nocturno, à Telamone occiſus. Val. Flac. *l.* 3. *v.* 204.

PHOCHERET, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 57. Latinè *oris exterminatio*, vel *conciſio.*

PHOCI, gens Ichthyophagis vicina. *Agatharchides.*

PHOCIAS, Theſſaliæ fluv. *Vibius.* *Phœnix* legit *Simlerus.*

PHOCIDES, Athenienſis, vicit Stadium, Olympiade centeſimâ quartâ, ab Arcadibus & Piſæis actâ.

PHOCION, Athenienſis, vir clarus, cognomento *Bonus*, diſcipulus *Platonis* & *Xenocratis*, ſemper pauper, cùm ditiſſimus eſſe poſſet, propter frequentes ei delatos honores. Hic neque ridere, neque lachrymare ab ullo unquam eſt viſus. Et in concione, cùm quis dixiſſet, *Cogitabundus videris, ô Phocion: Rectè*, inquit, *conjectas: Cogito enim, ſi qua valeo in his brevitate uti, quæ apud Athenienſes dicturus ſum.* Hic cùm legati Philippi Macedonum regis, contra bellum, pro patria, feliciter geſſerat, ingentia munera offerrent, hortarenturque, ut ea acciperet (quamvis enim ipſe facilè his careret, liberis tamen ejus eſſe neceſſaria, quibus difficile foret in ſumma paupertate ad paternam gloriam pervenire) *Si mei*. inquit, *ſimiles erunt, idem hic agellus alet eos, qui me ad hanc dignitatem perduxit: ſi diſſimiles, nolo meis impenſis illorum ali, augerique luxuriam.* Plutarch. *in Phocione.* Idem ab Alexandro Magno tentatus, generosè reſtitit. Tandem Pireæô, eô Archonte, ab hoſtibus occupatô, An. 436. Urb. Cond. capitis, quaſi conjurationis conſcius, damnatus & morte An. ætat. 80. affectus, prohibitus eſt à liberis ſepeliri. Nam inimici ejus edixerunt, ut cadaver Atticis finibus exportaretur. Conopio verò quidam, curandis funeribus quæſtum facere ſolitus, mercede acceptâ, in Eleuſinam deportavit cadaver, ibique igne, ex agro Megarico ſumptô, id concremavit. Mulier dein quædam, cum ancillis aliquot, Cenotaphion ibidem conſtituit, atque Diis manibus umbræque Phocionis parentavit: cineres autem collectos gremiôque reconditos, intra domeſticos comportavit Lares, ac tellure defoſſos ſepelivit. Nec multò pòſt ejus reliquiæ inventæ reſipiſcentibus Athenienſibus, publicis ſumptibus tumulatæ ſunt. Vide quoque Corn. Nep. *in Phocione.*

PHOCION, Peripateticus Hiſpanus, ſcripſit librum *Cornucopiæ*, multæ variæque doctrinæ refertiſſimum, Gellius, *l.* 1. *c.* 8.

PHOCIS, regio Achajæ, inter Bœotiam & Ætoliam ad Occidentem in qua Delphi urbs, & Parnaſſus mons cum Helicone. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 313.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis.

Dionyſ. *v.* 437.

Τῷ δ᾽ ἐπὶ Φωκὶς ἄρουρα πρὸς ἀντολίην τε καὶ ἠῶ,
Ἑλκομένη βορέην δὲ, κατὰ στόμα Θερμοπυλάων
Παρνασσοῦ νεφόεντος ὑπὸ πτυχί.

Hujus incolæ, à Philomelo incitati, diripuerunt Delphicum templum & Locrenſes vicerunt, Olymp. 106. Unde bellum ſacrum: quô Phocenſes, licèt Athenienſibus & Spartanis juncti, à Thebanis & Locrenſibus ſuperati ſunt. Philomelus, de rupe in præceps iit, poſt quem Onomarchus, poſtquam Thebanis aliquandiu fortiter reſtitiſſet, à militibus ſuis in mare præcipitatus eſt, ſicque ſimiliter uno ex tribus mortis ſacrilegis deſtinatæ generibus periit. Hujus filius Phalacus, hoſtes quidem vicit, tandem verò occiſus, bello finem dedit, Olymp. 108. Urbes cum Phocidis deſtructæ, & incolæ ad vitam rureſtrem damnati ſunt. Strabo *l.* 9. Plin. *l.* 4. *c.* 3. Diod. Sic. *l.* 16. Pauſan. *in Phocic.* *Juſtin. Oroſ.* &c. *Nic. Lloydius.*

PHOCLIS, Arachoſiæ urbs, *Ptolem.*

PHOCRA, mons Mauritaniæ Tingitanæ, *Ptol.* Vulgò *Gebelelhadich*, i. e. mons ferreus.

PHOCUS, Phocionis fil. qui cum paternas opes prodigô luxu dilapidâſſet, Athenienſibus uſque adeò inviſus factus eſt, ut occurrentes omnes diffamatorem ſui generis nuncuparent.

PHOCUS, filius Æaci. Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 668.

Excipit Æacides illos in limine Phocus.

PHOCUSA, inſula una Sporadum, Plin. *l.* 4. *c.* 12.

PHOCUSÆ, duæ inſul. in Ægyptio pelago, *Ptolem.*

PHOCYLIDES, Mileſius, Poëta Græcus, floruit An. 4. Olymp. 60. Stylus ejus purus, mores probi, lectio ad bene loquendum & vivendum utilis: teſte *Euſebiô*, ſed alius ab eo, cujus carmen hodie habemus, hic enim multo recentior eſt, & quidem Judæus Alexandrinus, ſi non potiùs Chriſtianus, quòd ex Reſurrectionis dogmate ipſi perſpecto colligere eſt: *Suid.* Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 4. *p.* 22. Faber *Epit. vitarum Poët. Græcor.*

PHODA, oppid. Arabiæ Felicis. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

PHOEBADIUS, aliis Phibadius, Sœbadius, Fitadius, vulgò S. Fiarius, Epiſcopus Aginnenſis, ſanctitate & doctrinâ eminens, ſecul. 4. confeſſionem Fidei ab Arianis Syrmii publicatam, refutavit ſcriptô egregiô. Vide *Bibliothec. Patrum.* Dein in Concilio Ariminenſi cum Servatio Tungro, A. C. 359. Orthodoxiam tuitus eſt. Interim ei ab Arianis impoſitum, & ille pacis amore abreptus, Confeſſioni in ſpeciem orthodoxæ, ſed quæ venenum ſinu fovebat, ſubſcripſit. Verùm errore cognitô, quæ feciſſet, retractavit. Vixit adhuc A. C. 392. ſcripſit quoque alia quædam, cùm Hieron. *de Script. Eccl. c.* 108. ſolius ſcripti ſupra laudati meminerit: ſed illa periêrunt. Sulpic, Sever. *Hiſt. Sacra l.* 2. Ambroſ. *ep.* 70. *&c.*

PHOEBÆA Palus, æſtuarium Argiæ regionis, Pauſan. *l.* 2. ad Sinum Saronicum, quæ & *Saronis.*

PHOEBAS, *adis*, Phœbi ſacerdos, quæ divinô correpta furore, conſulentibus ex tripode oracula edebat, *Sidon.* Sagas hinc exponit *Phœbadas*, Scriptor *veteris Onomaſtici*, i. e. divinatrices, vide infrà, in voce *Saga.*

PHOEBATIS, Macedoniæ urbs, *Polyb.*

PHOEBE, eadem quæ Diana & Luna, à fratre *Phœbo* ſic dicta. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 11.

Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe.

PHOEBE, & *Elaira*, Leucippi filiæ. Stephanus in *Aphydnis*. Item fæmina quædam, de quâ Paulus *c.* 16. ad Roman. *v.* 1. Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν οὖσαν διάκονον τῆς Ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς.

PHOEBE, Inſul. parva Propontidis, vel ſcopulus potiùs, Plin. *l.* 5. *c. ult.*

PHOEBI, Mauritaniæ Tingitanæ promuntor. *Ptolem.* Nunc *Cabo de Gomera*, juxta mare Ibericum, 14. leuc. Hiſpanic. in Eurum ab Abyla monte, & freto Herculeo: nunc in regno Fezzæ & provinc. Errifis, juxta urbem Gomeram, *Baudrand.*

PHOEBIA, oppid. Sicyoniorum, *Stephan.*

PHOEBIDAS, Polyæno *Phœbiadas*, *l.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Lacedæmonius, ab Ephoris auxilio Amyntæ, adverſùs Olynthios & Thracas, miſſus, Diodor. Sic. *l.* 15. *f.* 467. Occupavit Cadmiam Bœotorum: Erumpens ex Theſpiis contra Bœotos quingentis ſuorum amiſſis concidit, multis adverſis vulneribus, Olymp. 100. An. 4.

PHOEBIGENA, cognomen Æſculapii, à patre *Phœbo.* Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 773.

Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

PHOEBUS, idem qui *Apollo*, ſive *Sol.* Jovis & Latonæ fil. eôdem partu cum Diana editus, divinationis & Muſicæ Deus à Poëtis habitus, & Medicinæ repertor. Sic dictus juxta *Cornificium*, ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, h. e. *quod vi feratur*, ut & Macrob. refert *Saturn. l.* 1. *c.* 17. Plerique nominatum putant à ſpecie & nitore, nonnulli à ſordibus, à quibus is purgat. Nam φοιβᾶν eſt *purgare*, & φοῖβον τὸ καθαρὸν, & φοιβοῖκός τις ὢν ὁ φοιβητίοις χρώμενος ὅ ἐστι καθαροῖς. Alii Phœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Phœbum quaſi Φώβιον appellant, i. e. *à luce*, & *vita*, vel potiùs quaſi Φαόβιον. *Didymus ex Heſiodo*, ἀπὸ τῆς Φοίβης, *puritate*, & *luce*. Fungerus *in Etymol. Nic. Lloyd.*

PHOEBUS, libertus Veſpaniani adhuc privati: poſteà Imperatori ab admiſſionibus.

PHOEDINUS, à Nicocreonte tyranno ob pulchritudinem Aretaphiles uxoris, occiſus, *Plut.*

PHOEMOS, lacus Arcadiæ, Ovid. *l.* 15. *Metam.*

PHOENEBITIS, Panopolitanæ præfecturæ vicus, *Suid.* Valentini hæretici patria.

PHOENICÆUM, mons Peloponneſi, Corintho imminens, *Steph.* Incolæ *Phœnicæi.*

PHOENICE, regio Syriæ maritima, inter reliquam Syriam ad Boream, Eleutheriô fluv. diſterminante, & Palæſtinam ad Meridiem, Chorſeô fluv. ab ea diviſa; Miſerè terræmotu afflicta eſt, A. C. 446. cùm paulò ante Simeon Monachus, flagellô arreptô, columnarum, quæ in foro erant, compluribus percuſſis, clamâſſet: *State firmiter, brevi namque ſaltandum vobis erit*, Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* Hîc Tripolis, Byblos, Tyrus & Sidon, urbes quondam claræ. Populi *Phœnices*, apud Poëtas *Pygmalionæi*, & *Agenoridæ*, quos Joſephus, *l.* 1. Ἀρχαιολ. *contra Apion.* author eſt inveniſſe Græcas literas. Sanè Lucanus, *l.* 3. *v.* 220.

Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi
Muſarum rudibus vocem ſignare figuris.

Phœnices, inter alia, de nimio cauponandi ſtudio apud *Pindarum* notantur. Unde adagium, *Phœnicum more*, de compenſatione quæ fieri ſolet de manu in manum; quod fit, ubi res eſt cum homine incertæ fidei, Sic enim caupones faciunt, manu dantes ſimul & recipientes. Fuêre & aſtuti ac inſidioſi, ut adagium ab illis prodierit apud Diogen. & Suidam: *Phœnicum pacta*, in vafros & aſtutos, quales fuêre Phœnices, qui hoſpitiô terræ per diem & noctem impetratô, juſſi abire, reſponderunt, illum diem & noctem nondum præteriiſſe. Phœnices primi mercaturam exercuiſſe feruntur, uti ex Sophocle legitur. Dionyſ. *v.* 904.

Οἱ μὲν ἐπ' ἠπείρῳ, τοίπερ Σύριοι καλέονται,
Οἱ δ' ἀλὸς ἐγγὺς ἐόντες ἐπωνυμίην Φοίνικες,
Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν,
Οἳ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο,
Καὶ βαθὺν οὐρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσαντο.

Herculi coturnicem immolabant, quòd nidore illius is vitæ redditus fabuloſè referatur, apud Athen. *l.* 9. Unde *coturnix Herculem*, Proverbium apud *Zenodotum*. Abundabat hæc regio murice, gypſô, gentianâ, liliis, myrtis, & circa Orontem myrrhâ; oſtrô maximè Tyriô nobilis, *Ferrar.* Nunc ſecundô locô (inquit Bochart.) ſe offerunt Phœnicum navigationes, qui paulò pòſt ætatem Moſis à Joſua & Iſraëlitis è patrio ſolo pulſi, primò in Phœnices litora, mox per totum mare Mediterraneum cœperunt ſe diffundere, & in multis Europæ, Aſiæ, & Africæ locis colonias diſſeminare. Partem in Africam conceſſiſſe colligere eſt, ex Procopii *Vandalicis*, ubi meminit columnarum in Africa Tingitana erectarum cum Phœnicia inſcriptione: ΗΜΕΙΣ ΕΣΜΕΝ ΟΙ ΦΥΓΟΝΤΕΣ ΑΠΟ ΠΡΟΣΩΠΟΥ ΙΗΣΟΥ ΤΟΥ ΛΗΣΤΟΥ ΥΙΟΥ ΝΑΥΗ, H. e. *Nos ii ſumus qui fugerunt à facie Joſuæ latronis filii Nave.* Phœnices ſcripſerant, ut fas eſt conjectare אנו בורחים מפני יהושע איש התפ בן נון. Iidem navibus pugnare, regiô jure uti, vicinos ſubjugare, &c. alios docuerunt: in omni exercitiorum genere dexterrimi. Strabo, *l.* 16. Plin. *l.* 5. *c.* 12. Joſeph. *in Antiq.* Cluver. *l.* 5. *intr. Geogr. Phœnicum* porrò vel *Phœniciæ* nomen, ſit licèt pervulgatum, obſcuræ tamen eſt originis, & perincertæ. Sunt qui ἀπὸ τῶν φοινίκων. à palmarum copia *Phœniciam* dictam volunt; alii à colore Rubri maris, unde ſcil. in Syriæ litora migraverint primi Phœnices; alii à purpuræ colore puniceo, cujus Tyri magnus proventus; alii παρὰ τὸ φόνος, à *cædibus* quibus fuerint olim impensè dediti; alii à *Phœnice* Tyrio, cujus in poëtarum fabulis multa mentio. Plerique recentiorum nomen Hebræum eſſe putant, à Græcis interpolatum, quod quidem *Scaliger* פנחס *Pinchas*, *Fullerus* פנק *Paneck*, alii פנג *Pannag*, ſcribi volunt, nullis authoribus freti: Cùm Hebræus ſcriptor vetuſtus nullus extet, qui Phœniciam vel Phœnices his nominibus appellaverit. His igitur omiſſis, Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 1. *Phœnicum* vocabulum Græcum eſſe non diffitetur; ſed quomodo Græcæ ſunt tot populorum, urbium, fluminum nomenclaturæ, quas ex Hebræa lingua deſumptas Græci ad ſuæ typum ſic effinxerunt, ut viderentur apud ſe natæ. Ità ex *Moph* fecêre *Memphin*; ex *Boſra*, *Byrſam*; ex torrente *Jabboc*, *Jobacchum*; ex torrentibus *Kedron*, & *Kiſon*, torrentes τῶν κέδρων, καὶ τῶν κιττῶν, i. e. *cedrorum*, & *picarum*. Eâ planè ratione *Phœnicum* vocem à Græcis effictam fuiſſe putat vir magnus ad inſtar Hebraicarum בני ענק *phene Anak*, ac ſi *filios Anak*, vel *Anacæos* dixeris. Item Φοίνικες, γένος τι Ἀθήνησιν, teſte *Heſychiô*. Vide Meurſ. *Attic. Lect.* p. 311. *Nic. Lloydius.* Phœnicia *Baudrando* aliàs pars erat Syriæ: Duplexque fuit, Propria, ubi Tripolis, Botrys, Biblus, Berytus & Sidon: & Phœnicia Libani, ſeu Damaſcus, Heliopolis, Abyla Lyſamæ, & Cæſarea Paneas. Cœterùm, Philoſophia quoque gentis magni olim nominis fuit, quam à vicinis Hebræis hauſiſſe videntur, quamvis & traditione non pauca reſervârunt: A' Sidone, filio Chananan nepote Chami, Noachi pronepote orti. Sacerdotum operâ in Hiſtoria ſcribenda uſi leguntur, apud Joſephum contra *Apion. l.* 1. qui & quædam ex Tyriorum Annalibus citat. De Theologia illorum, Phœniciâ linguâ ſcripſit *Sanchuniathon Berytius*. qui, antiquior temporibus Trojanis, quippe circa tempora Gideonis Iſraëlitarum Judicis, cum quo amicitiam coluiſſe dicitur, florens. Vide Porphyrium Tyrium, *l.* 4. *contra Chriſt.* & ex eo Euſebium Pamphil. *Præp. Evangel. l.* 1. Iiſdem multa Græci debent, namque literas ab iis per Cadmum accepêre, unde φοινίκια γράμματα, i. e. *Phœniciæ litera.* Vide Voſſ. de *Arte Gramm. l.* 1. *c.* 10. Arithmeticen quoque, ut & alia. *Phœnix* etiam Ochus fuit, ut eſt apud Laërtium *in præfat.* & Thales, qui Ionicam Philoſophiam condidit, à *Phœnicibus* traxit originem, ſive cum patre Neleo inde Miletum commigrârit, atque ibi civis adſcitus fuerit, ut nonnullis proditum eſſe notat *Laërtius*: Sive Mileti ortus fuit ſed è Phœnicia oriundus, ut alii malunt. Imò & Pherecydes, Pythagoræ præceptor, qui Thaletis fuit æqualis & auctor ſectæ Italicæ, ſua hauſit ex occultis *Phœnicum* libris, ut ex *Suida* diſcimus: nec deſunt, qui putent dici Syrum, ut *Strabo* eum vocat, non à Syra Cycladum una: Sed Syriâ regione Aſiæ inclytâ, cujus pars *Phœnice.* Etiam oriundus inde Zeno, princeps Stoïcorum, cùm Citium, Cypri oppidum, ubi is natus, Phœnicas habuerit incolas, Laërtius *in Zenone*; quam ob cauſam non rarò *Phœnix*, *Pœnus*, *Pœnulus*, dictus eſt, teſte *Suidâ*, & de eodem Cicero *de Finibus*, *l.* 4. *c.* 20. *Tuus ille Pœnulus*, ait, (*ſcis enim*, *Cittiæos*, *clientes tuos è Phœnicia oriundos*) *verba verſare cœpit.* Phœnices etiam ex eadem Secta poſteà, Antipater Sidonius, Diogenis Babylonii auditor ac ſucceſſor; & Antipater Tyrius, Catonis Uticenſis Præceptor. Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophorum Sectis*, *c.* 1. *à* §. 24. *uſque ad finem.*

PHOENICE, inſula parva maris Ægæi, Sigæo promuntor. objecta: & oppid. Epiri mediterraneum inter Antigoniam & Hecatompedum, *Polyb.* Liv. *l.* 29. *c.* 12. *Ptolem.*

PHOENICEUS Color, in equis, Latinis appellatur, à colore palmitis palmei, qui φοῖνιξ Græcè, aliàs *ſpadix* & *badius.* Nam & σπάδιξ, termes palmæ Græcis. Sed & φοῖνιξ hic color iiſdem, & equus φοῖνιξ Homero, *Il.* ψ. *v.* 454.

Οἱ τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν.

Ab eo non paulum diverſus alius color, *puniceus* Latinis, Græcis itidem φοῖνιξ, ſed & φοινικοῦς dictus: quos duos colores ex homonymia vocabuli omnes ferè antiqui Scriptores confundunt, cùm tantoperè diſtent. Quis enim vidit *punicos* equos ſive coccineos, nativô ac ſuô colore? At *Phœniceos* ſive ſpadices, quos *Badios* vel *Bajos* vocamus, paſſim videre eſt. A. Gellius, ſive Phavorinus, apud A. Gellium utrumque eundem faciens, *Nam Phœniceus*, inquit, *l.* 2. *c.* 26. *quem tu Græcè* Φοινικοῦν *dixiſti, noſter eſt, & rutilus, & ſpadix phœnicei συνώνυμος, qui factus Græcè noſter eſt, exuberantiam ſplendoremque ſignificat ruboris, quales ſunt fructus palmæ arboris, Sole non admodum incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen eſt.* Σπάδικα *enim Dores vocant avulſum è palma termitem cum fructu.* Sed uti malè miſcet utrumque; ſic utrumque à colore fructus palmæ nondum maturi dictum malè ſcribit. Certè Libanius, in comparatione palmæ arboris & mali, palmulam nondum maturam *phœnicei* coloris eſſe dicit; h. e. ſpadicis: maturam verò non unius coloris exiſtere. Nam aliæ *puniceæ* fiunt, aliæ ſuccinæ, aliæ purpureæ, aliæ etiam candidæ. Nempe *phœniceum* neque diluti coloris eſt, neque nimiùm ſaturi: at *puniceum*, coloris rubri vegetiſſimi & exuperantiſſimi, i. e. ὀξυτάτου, vel Gelliô teſte, qui tamen de *Phœniceo* hoc tradit, quod unicè puniceo competit, *l.* 3. *c.* 9. de equo Sejano: *Eum equum fuiſſe dicunt magnitudine inviſitatâ, cervice arduâ, colore phœniceô, floreâ & comanti jubâ.* Quem colorem ſub finem capitis explicans, *Hunc equum*, inquit, *Gabius Baſſus vidiſſe Argis refert haud credibili pulchritudine, vigoreque & colore exſuperantiſſimô, quem colorem nos, ſicut dixi, Phœniceum dicimus* &c. Niſi dicas, cùm in omnibus coloribus ſuus ſit vigor & exſuperantia, adeoque & equorum phœniceus color alius dilutior, alius ſaturatior, quem *Badium obſcurum* Galli dicunt, hunc intellexiſſe Gellium, ſed (ut patet ex gradibus rubri coloris, quos percenſuit) omnino intelligit is colorem, vigore & exuperantiâ rubri coloris omnibus præſtantem, h. e. *puniceum*, quô colore nullus unquam equus natus aut viſus eſt, niſi pictus fuerit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1329. & *ſeqq.* Colori *Phœniceo* admodum ſimilis eſt is, quem *caſtanatum* iidem Galli appellant; qui in capillis præcipuè obtinet, qui rufi coloris, non nimiùm preſſi, nec nimis ſaturi ſunt &c.

PHOENICIA, vide PHOENICE. Item nomen totius illius terræ ſpatii, quod à fluv. Eleuthero, juxta mare Mediterraneum, Peluſiam uſque ſe olim extenderat: poſteà verò limites contractiores facti ſunt.

PHOENICIARCHÆ, ſicut *Aſiarchæ*, *Lyſiarchæ*; vide ſuprà.

PHOENICIUM Mare, vulgò *Mer de Sourie*, ſic in S. Scripturis dictum eſt *Mare magnum*; eſtque pars maris Mediterranei ad Ortum, maximè extenſa, verſus ora Syriæ & Phœniciæ.

PHOENICON, apud *Strabonem*, Jerichuntis vallis, in quo balſametum, ſeu potius palmetum, in valle Jerichuntis; in quo regia & hortus balſami; nam Φοινικὼν ille διάρρυτος erat καὶ μεστὸς κατοικιῶν *plenus ædificiis.* Joſeph. *l.* 17. *c.* 15. de Archelao Rege: Ἀνοικοδομεῖ δὲ καὶ τὸ ἐν Ἱεριχοῦντι βασίλειον ἐκπρεπῶς, *Inſtaurat autem & Regiam Hierichuntinæ vallis magnificè.* Hanc enim verbis hiſce intelligi patet inde, quòd ibidem meminit τοῦ πεδίου φοίνιξιν πεφυτευμένου, *planitiei palmis conſitæ.* Theophraſtus eam αὐλῶνα vocat. Juſtinus vallem eſſe dicit, *l.* 36. *c.* 3. *quæ continuis montibus velut murô quôdam ad inſtar caſtrorum clauditur.* Additque, *in ea ſylva eſt ubertate & amœnitate inſignis, ſiquidem palmetô & opobalſamô diſtinguitur.* Quæ ſylva omninò ὁ Φοινικὼν eſt *Strabonis*, 100. ſtadia h. e. 300. jugera longus, in quo hortus balſami duplex, quorum alter viginti πλέθρα (h. e. 10. jugera) alter non paulo pauciora, continebat, *Theophraſtô* teſte. Et quidem horum major ſenos balſami congios quotannis reddebat, cùm minor vix ſingulis annis ſingulos congios impleret: quod ideo addo, quia Plinius, minorem hortum conferens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cum majore, quem 20. jugerum eſſe vult, eum tantùm pauciorum jugerum fuiſſe, ſcribit, *l.* 12. *c.* 25. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 582. & 583.

PHOENICONIS Come, Græcè Φοινικὼν κώμη, h. e. *phœnicon vicus*, ſeu palmetum, non, ut alii malè legunt, Φοινίκων κώμη, *Phœnicum oppidum*, apud *Ptolemæum*, tractus eſt terræ in Arabia Felice, quem vetuſtis temporibus Saraceni incolebant, Φοινικὼν dictus Procopio, *Perſic. l.* 1. ubi de Saracenis propriô nomine ſic apud Veteres dictis, Ταύτην δὲ τὴν ἠϊόνα εὐθὺς μὲν ὅρους τῆς Παλαιστίνης ὑπερβάντι Σαρακηνοὶ ἔχουσιν, οἱ ἐν τῷ Φοινικῶνι ἐκ παλαιοῦ ἵδρυνται, ἐστὶ δὲ ὁ Φοινικὼν ἐν τῇ μεσογείᾳ εἰς χώραν κατατείνων πολλὴν, ἔνθα δὴ τὸ παράπαν ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ φοίνικες μόνοι φύονται. *Hoc verò littus* (Arabici ſinus, ubi urbs Elana) *ſtatim à Syriæ Palæſtinæ finibus, Saraceni tenent, in* Phœnicone *ab antiquo habitantes. Eſt autem Phœnicon tractus terræ in mediterraneis ſeſe longè lateque extendens, ubi præter palmas nihil omnino naſcitur.* Nempe qui propriè *Saraceni* dicti ſunt Veteribus hîc ſedes habuêre. *Eratoſthenes* apud *Strabonem* Scenitas Arabes hîc collocat, ita enim hujus de Arabia Felici verba Latinè habent: *Tenent autem illam primi quidem, poſt Syros Judæoſque, homines ruri operam dantes; poſt quos terra arenoſa eſt & ſterilis, palmas habens perpaucas & ſpinas & puteos effoſſos, quemadmodum etiam Gedroſia. Incolunt verò illam Scenitæ Arabes camelorum paſtores.* Sed vetuſtiſſimi, qui nomen Saracenorum ignorâſſe videntur, Σκηνίτας Ἄραβας vocavêre, qui exin *Saraceni* appellati ſunt: unde cum Scenitis Arabibus Saracenos non pauci confundunt; namque & ipſi Scenitæ & Nomades. At *Ptol.* & *Marcianus* eos, licèt vicinos, diſtinguunt: & Saracenos collocant circa montana Arabiæ Felicis *in Phœnicone* ſeu *Phœniconis Come*, haud longè à Scenitis Arabibus, qui ibidem degebant, inter Felicem Arabiam Deſertamque; unde & *Saraceni* & *Scenitæ Arabes*, quorum ſpecies quædam illi fuêre, iidem appellati. A' Poſideo, quod in intimo receſſu Sinus Arabici, φοινικῶνα locum maritimum, palmis conſitum, ſtatim porrigi, *Strabo* ex *Artemidoro* & *Diodorus* affirmant; qui idem omnino cum *Phœnicone*, quem priſcis Saracenis habitatum ait *Procopius*, eſſe videtur: ut & cum *Ptolemæi Phœniconis come*, licèt in ejus ſitu diſſentiat. Φοινικὼν enim *Diodori* & *Artemidori* inter Elaniten Sinum & Heroopoliticum, unde non procul Σαρακηνὴν παρήκειν tradit *Ptol.* ab Occidente montium Melanorum, versùs Ægyptum; qui montes à ſinu juxta Pharan quaſi ad Judæam protenduntur: at Φοινικὼν κώμη eidem *Ptolemæo* ponitur in ora maritima, quæ μετὰ τὸ ὅριον τὸ ἐν τῷ Ἐλανίτῃ κόλπῳ, *Poſt Elaniten ſinum*, incipit, nec longè ab illa ora Saracenos ſtatuit. Quæ ſunt Auctorum diſſentientium exerrationes. Sic Ἀιλακώμην ibidem *Ptol.* recenſet non ſuô locô, & diverſam facit ab oppid. Elana, quum Ἄιλανον, Ἔλανα & Λαίνα eandem urbem vocent Auctores. Mentio porrò hujus Φοινικῶνος, in Agatharchidis *Excerptis* &c. ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 484. & 487.

PHOENICOPASTELLUM, vide ſuprà *Paſtellum.*

PHOENICOPTERUS, apud Juvenalem, *Sat.* 11. *v.* 139.

Et Scythicæ volucres & phonicopterus *ingens*:

avis eſt magnitudine ciconiæ, viſu pulchra & colore decora purpureô, hincque ab *alis puniceis* ſic dicta, in Africa abundans, cujus roſtrum tam prolixum & incurvum, ut niſi totô capite in aquam (in qua perpetuo degit) immerſa, bibere nequeat, vetus Scholiaſt. *ad loc.* Hinc periphraſis ejus, apud Martialem, ubi de Villa Fauſtini, *l.* 3. *Epigr.* 58. *v.* 13. *Hic* &c.

Argutus anſer gemmeique pavones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis.

Linguâ inprimis guloſis placuit. Idem, *l.* 13. *Epigr.* 71. cui titulus *Phœnicopterus.*

Dat mihi penna rubens nomen ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit. quid ſi garrula lingua foret?

Pennæ verò dentiſcalpiis adhibitæ ſunt. Idem, *l.* 3. *Epigr.* 82. *v.* 8.

Stat exoletus, ſuggeritque inſtanti
Pennas rubentes, cuſpides lentiſci.

Et *l.* 14. *Epigr.* 22.

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

PHOENICUS, urbs Cretæ, & inſula juxta Lyciam. Eſt & *Phœnicus* ſtagnum, Thucyd. *l.* 8.

PHOENICUS, mons Bœotiæ, Thebis imminens, *Strab.* Item Lyciæ, qui & *Olympus*, cum oppid. cognomine. Liv. *l.* 36. *c.* 45. *l.* 37. *c.* 16.

PHOENICUS, portus Cretæ, in parte Auſtral. territorii Cydoniæ, Nunc *Fenichia*, 25. mill. paſſ. in Ortum, à promuntor. *Criumetopon* dicto. Item, inſula parva Lyciæ, *Stephan.* & portus Siciliæ, *Ptolem.* Vide *Neuſtathmos.*

PHOENICUSA, *Ptolem. Phœnicodes, Fazello Felicur*, & *Fenicuſa*, una Æoliarum. à Lipara 10. mill. paſſ. in Occaſum totidem circuitu patens, Ericuſam verſus 5. milliar. *Straboni* tamen inter Ericuſam 10. & Didymen 30. milliar. diſtat.

PHONICUSSÆ, duæ inſulæ in Lybico ſinu juxta Carthaginem. Eſt etiam civitas Phœnicum in Syria, *Steph.*

PHOENIX, Agenoris filius, Cadmi frater, qui Phœnicibus imperavit, à quo *Phœnicia*, ut quidam volunt. Frater fuit Cadmi, Cilicis & Europæ, quam Jupiter rapuit. Solinus tamen Cilicem facit Phœnicis filium, *c.* 38. quemadmodum Europam ejuſdem filiam fuiſſe, nonnulli Veteres prodidêre. *Apollodorus*, Τινὲς δὲ Εὐρώπην οὐκ Ἀγήνορος, ἀλλὰ Φοίνικος λέγουσι, *quidam Europam non Agenoris, ſed Phœnicis, filiam eſſe dicunt.* Sed cùm Europæ fratres Cadmus & Cilix fuerint, qui Europam Phœnice genitam volunt, etiam Cadmo & Cilici patrem eum aſſignare oportet. Apud Hyginum *in Aſtronom.* Euripides Cepheum, Æthiopum Regem, Andromedæ patrem, filium eidem Phœnici tribuit, quem Belo adſcribit Apollodorus, *Biblioth. l.* 2. Certè Cephea & Phinea fratres fuiſſe, plerique tradiderunt, at Phinea Phœnice prodidit *Heſiodus*: Sic apud *Scholiaſtem Apollonii*, Phœnici ex Caſſiopæa Arabe, Cilicem, Phineum & Doryclum, natos eſſe, tradunt *Aſclepiades*, *Antimachus & Pherecydes.* Hellanicus verò Agenoris ipſius filium ſcripſerat eſſe Phinea: ita *Phœnix* frater fuerit Cephei, ut & Phineus. Certè inter procos Andromedæ, Cephei filiæ, non ſolùm Phinea, fratrem ipſius Cephei, ſed etiam *Phœnicem* numerat *Conon*, nec tamen ullâ ipſis conſanguinitate junctum eum memorat: Ut in fabulis veritas ſibi nunquam conſtat. Secundùm Phœnicum ſententiam, Cephus & Phineus fratres, *Phœnicis* filii, & Cepheus in Phœnice regnavit &c. Quòd autem ab hoc *Phœnice* regioni nomen, non placet Salmaſio: qui Φοίνικας, *Phœnices*, à Græcis dictos vult, à colore tincturæ, quæ ibi primùm fuit reperta. Φόνος enim *cædes*, unde φοίνιος, *cruentus*, *ſanguineus*, & hinc *ruber* ſeu *puniceus.* Verbum inde φοινίσσω, *cruento*, *ſanguine inficio.* Homerus,

——— Φοινίσσετο δ' αἵματι γαῖα.

Et hinc, *rubrô colore inficio*: à quo demum φοῖνιξ, quod idem cum φοίνιος. Atque ab hac ei origine Græci veteres, eam Syriæ partem, in qua purpura optima tingebatur, Φοινίκην videntur appellâſſe, & Φοίνικας, Tyri & Sidonis incolas, unde præſtantiſſima purpura Tyria, quæ & *Sarrana* Latinis, quia *Sar* olim Tyrus. Eoſdem Φοινοὺς dixerunt, unde *Pœni*, quos *Sarrâ oriundos*, h. e. Tyrô, ſcribit *Ennius. Servius*, *Pœni*, κατ' ἀντίστοιχον Φοινοὶ, & *Gloſſæ*, *Pœni*, Ἄφροι, Φοίνικες &c. Ut igitur Λίβυας & Μαύρους à colore vultus, quòd nigri eſſent, Græci appellavêre (Λίβυς enim antiquâ Græcâ linguâ *niger* eſt, ut & Μαυρὸς) ſic à colore tincturæ, *Phœnices*; non verò à *Phœnice* Agenoris filio, ut in talibus fingere ſæpe ſolent. In cujuſmodi commentis priſcos imitantur etiam recentiores Græculi, qui Αἱμιμοντον, vocabulum merè Romanum, ab *Æmo monte* factum, ipſi ab Αἱμιμόντῳ quodam, qui primus in illis locis regnârit, arceſſunt &c. Vide Salmaſ. *Ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 1331.

PHOENIX, Amyntoris fil. præceptor Achillis, qui cùm matris ſuæ hortatu cum patris concubina rem habuiſſet, diris impetitus à patre, relictâ Hellade, in Theſſaliam ſeſe contulit, ad Peleum regem, qui illi Dolopum procurationem commiſit, filiumque Achillem in diſciplinam tradidit, quem etiam ad bellum Trojanum comitatus eſt, ut ipſe narrat apud Homer. *Il.* 9. Hic oculis tandem captus eſt. Ovid. *in Ibin*, *v.* 259.

Id quod Amyntorides videas, trepiduſque miniſter
Pertentes baculo luminis orbus iter.

PHOENIX, Cretæ inſul. urbs *Ptolem. S. Niqueta Nigro*, urbs item & mons non procul à Rhodo. *Baudrando* hodiè *Nichita*, oppidul. Cretæ in ora Auſtrali in provinc. Cydoniæ, vix 5. mill. paſſ. à *Sfachia* oppid. in Ortum, & 30. à Cydonia in Meridiem ad radices montium. Licèt aliis ſit *Penice*, pagus ejuſdem tractus, 18. mill. paſſ. à Nichita in Occidentem. Item Licyæ portus, Ægypti vicus, Siciliæ oppid. Theſſaliæ & Achajæ fluv. Mons Cariæ, in ora, contra Rhodum, inter Gnidum ad Occaſum, & Caunum ad Ortum, cum caſtro & fluv. cognomine. *Moletio Anconitan* vulgò, à Dædala oppido & monte 1500. ſtad. Plin. *l.* 4. *c.* 8. *Strabo*, *Ptol.*

PHOENIX, avis Arabica, ſolitaria, aquilæ magnitudine, auri fulgore circa collum, cætera purpurea, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus. Vide Plin. *l.* 10. *c.* 2. & Horapollinem *p.* 96. Vivere ſecundum alios proditur annis 340. juxta alios 600. ſecundùm alios denique 1460. Maximè vulgatum, quingentos annos vivere. Seneca, *Ep.* 42. *Nam ille alter fortaſſe* (ſapiens) *tanquam Phœnix, ſemel annô quingenteſimô naſcitur.* Ipſe ſe reſeminat. Ovid. *Metam. l.* 15. *v.* 392.

Una eſt quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales,
Aſſyrii Phœnica vocant, &c.
Hæc ubi quinque ſuæ complevit ſecula vitæ, &c.

Quæ ſi vera ſint, præclaram imaginem Reſurrectionis hæc avis omnino præbet. Et verò argumenta Reſurrectionis, ab ea, non pauci Patrum ducere ſolent. Ut Tertullian. *de Reſurrect. c.* 23. Ambroſ. *de fide Reſurrect.* itemque *l.* 6. *in Hexam. c.* 23. Zeno Veronenſis *de Reſurrect.* & alii. Sed & non pauci profanorum auctorum addicunt, ut Plin. *l.* 10. *c.* 2. Tacitus, *loc. jam citando* Dio, *l.* 57. Victor, *in Epit. de Claudio*, Mela, *l.* 3. *c.* 8. &c. qui & viſam quandoque hanc avem tradunt, & ejus deſcriptionem exhibent. Dubitat Gregor. Nazianzen. *Orat.* 37. quæ de Spiritu S. eſt, itemque Origen. *contra Celſum*, *l.* 4. Sed & B. Maximus planè negat, *l. ad Petrum Illuſtrem apud Photium p.* 306. *Nic. Lloydius.* Vide Donati Marcelli *diſputatiunculam de hac avi*, *ad l.* 6. *An. Taciti*, *c.* 33. & Petrum de Valle, *Itiner.* Addo, quòd inter mundanæ converſionis, (quales octonæ ſtatuuntur, pro octonis cœli orbibus, ſeptenis quidem Planetarum, uno autem ſtellarum fixarum) prodigia (quale inter alia fuit ſonus tubæ acutus ac lugubris, clarô ac ſerenô cœlô, omnium cum horrore, auditus, tempore Sullæ, Plut. *in eo*) etiam *Phœnicis* conſpectus habitus eſt. Plin. *l.* 10. *c.* 2. *Cum hujus alitis vita, magni converſionem anni fieri*, *prodidit Manilius*, *iterumque ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eôdem reverti.* Solin. *c.* 36. *Cum hujus vitæ magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter Auctores.* Orus Apollo, *l.* 2. *c.* 57. Ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον βουλόμενοι σημῆναι Φοίνικα τὸ ὄρνεον ζωγραφοῦσιν· ἐπεί- ος γὰρ ὅτι γίνεται, ἀποκατάστασις γίνεται πραγμάτων, *Inſtaurationem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſecula, volentes indicare* (Ægyptii) *Phœnicem avem pingunt: hic enim dum naſcitur, rerum viciſſitudo fit & innovatio.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 2. *c.* 47. In Xenſia quoque hodie Sinici Imperii provinc. urbs eſt *Fung Ciang*, quod nomen illi à *Phœnice* ave, ſi-

ve illa, quam Sinæ maximæ felicitatis putant & non niſi rariſſimè videre ajunt: *Fung* enim avis, *Ciang* felicitas. Pingunt illam mirâ colorum varietate inſignem, ac prædicant miris modis, ſemper ſolam, neque unquam, niſi fauſtiſſimô totius Imperii omine conſpici, affirmantes, tapetes quoque veſteſque pretioſiores ejus icone exornant, Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, *c.* 37. Sed de ave hac commento occaſionem præbuit ambiguitas vocis φοῖνιξ, quæ & *palmam* arborem, & *phœnicem* avem (ſi aliqua eſt) ſignificat, in verſione LXX. Pſalmo 91. *v.* 3. & Jobi *c.* 29. *v.* 8. quo utroque in loco tamen *palmam* indigitari, accuratè Bochartus probat. Inprimis autem hinc nata fabula, quòd palmæ quandam ſpeciem ferunt mortuam ex ſe renaſci. Plin. *l.* 13. *c.* 4. *In meridiano orbe præcipuam in palma obtinent nobilitatem Syagri, proximamque margarides. Una earum arbor in Chora eſſe traditur, una & Syagrorum. Mirumque de ea accepimus, cum* phœnice *ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, mori ac renaſci ex ſeipſa, eratque, cùm hæc proderem, fertilis.* Ubi *Chora* fortè eſt caſtrum *Chor*, in Armuzii Regni finibus, ad promontor. *Sfacalath*, quod à Syagris dactylis Veteres *Syagrum* dixêre. Quòd ab incolis autem creditum, ibi palmam ex ſe renaſci, in cauſa loci fertilitas eſt, ex qua factum aliquando, ut ex cadente ſurculo vel palmula, altera palma in prope deficientis locum pullulaverit. Unde ad cognominem avem tranſlata tandem fabula eſt, ut ſæpe ex leviſſima occaſione portenta narrationum naſci videmus. Quod enim attinet *phœnicem* in Ægypto viſum Paulô Fabiô, L. Vitelliô Conſulib. item alium Romam allatum an. Urb. Cond. 800. Claudii Principis Cenſurâ, ut Tacitus refert, *Annal. l.* 6. *c.* 28. Dion. *l.* 57. Aur. Victor *Epitom.* ubi *de Claudio*, *Suidas* &c. de hoc poſteriore, Plinius habet, *falſum hunc phœnicem eſſe, nemo dubitavit*, *l.* 10. *c.* 2. de priore Tacitus, *Nonnulis falſum* phœnicem, *neque Arabum è terris credidere, nihilque uſurpaviſſe ex his, quæ vetus memoria firmavit.* Quam ob cauſam tota de *phœnice* fabula jure meritò Plinio fuit ſuſpecta: *Ferunt*, inquit, *ante omnes nobilem in Arabia phœnicem, haudſcio an fabuloſè.* Et haud dubiè convivis ſe ridendum propinavit Heliogabalus, cùm iis *phœnicem* promiſit, *vel pro eo libras auri mille, ut in prætorio eam dimitteret*, i. e. in urbana villa, ut rectè interpretatur Vir magnus *ad Lamprid. c.* 23. Nec eô fuit ſapientior Æthiopiæ Rex, qui in literis ad Romanum Pontificem, *phœnicem* in ſuo regno naſci jactavit. Quamvis multô antè idem ſcripſerint Philoſtorgius, *l.* 3. &, qui eum ſequitur, Nicephorus, *Hiſtor. l.* 9. *c.* 19. Sed & Clemens VIII. quem, ſeculô tam oculatô, Hibernis in Elizabetham Reginam rebellibus, A. C. 1599. pro magno munere miſiſſe *phœnicis* plumam, ſcribit Camdenus *in Hibern. p.* 783. ſine dubio deceptus eſt. Quòd verò Scaliger, *Exercitat.* 233. in mediterraneis Indiæ reperiri *phœnicem*, incolis *ſemenda* dictum, ait, ut etiam legere eſt in Nic. Nontii *Navigat.* & apud Cardanum *de Subtil. l.* 10. quibus accedunt Arabes aliquot ſcriptores, ſecùndum quos *Semendal avis Indica eſt, quæ in igne non comburitur:* ipſum nomen retegit hanc fabulam & perſonatæ avi larvam detrahit. Quis enim eſt qui non videat *Semendal*, vel, ut alii ſcribunt, *Semenda*, eſſe ſalamandram, quam in igne vivere, conſtans fama fuit apud Veteres. Quin Zoroaſter in *Geoponicis*, *l.* 15. eam igne ſcribit generari. Imò, ut aliquô pactô excuſes illorum ſimplicitatem, qui lacerti ſpeciem in avibus cenſuerunt, è Græcis Phile, ſalamandræ alas, quibus in ignem involet, hôc verſu aſcribit:

> Καὶ δέρμα λιτὸν, καὶ πτερῶν ἔχει σκέπην,
> *Tenuemque pellem & tegmen alarum hæc habet.*

Et paulò pòſt:

> Τὸ πῦρ γὰρ αὐτὴ οὐ φοβεῖ τὸ παμφάγον,
> Ἐφίπταται δὲ καὶ διώκει τὴν ζέσιν.
> *Flammas vorantes omnia ipſa non timet,*
> *Quaque ardet ignis, maximè involat & ruit*, &c.

Nec omittendæ hîc rationes, quibus Andr. Schottus *Heptaëm. Diatr.* 13. fabulam de *phœnice*, præter dicta, hôc modô refellit. 1. Quòd tam parùm ii ſibi conſtent, qui illam tradunt, ut nihil habeant, in quo poſſis tutò pedem figere. 2. Quòd nemo ſit, qui profiteatur verum *phœnicem* à ſe eſſe viſum. 3. Quòd Deus in *illis* Jobi *capp.* in quibus majeſtatem & potentiam ſuam commendat ex Naturæ operibus, hoc non fuiſſet omiſſurus, quod præ cœteris eſſet inſigne. 4. Quòd nec Paulus, de reſurrectione mortuorum fusè diſputans, 1. Corinth. *c.* 15. rationem tam obviam prætериſſet intactam, præſertim apud Corinthios, quibus notiſſimum erat, quidquid de hac ave jactatur. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 5. Totum igitur hoc de *phœnice* ſymbolicum eſt. Et quidem Clemens, *l.* 6. *Strom.* Ὁ ὡροσκόπος, inquit, ὡρολόγιόν τε μετὰ χεῖρα καὶ φοίνικα ἀστρολογίας ἔχων σύμβολα, *Horoſcopus in manu habens aſtrologiæ ſymbola, horologium & phœnicem:* Apud Ægyptios videl. quorum tota ſapientia in ſymbolis conſiſtebat, *phœnix* Aſtrologiæ fuit hieroglyphicum, quia ejus vitâ fieri credebatur magni anni converſio, ut dictum. Hinc in Hori *Hieroglyph.* Ἡλίου ἐστὶν ὁ φοίνιξ σύμβολον, *Phœnix eſt Solis ſymbolum.* Et Joh. Gazæus in *Ecphr.* poſtquam hanc avem docuit renaſci è ſuo cinere & tanquam orbe decurſô perpetuò redire, *Hoc*, inquit, *Solis circulare ſignum eſt*, Ἡλίου τόδε σῆμα περίδρομον, ut alia omittam. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 547. & *ſeqq.*

PHOENIX, Græcè Φοῖνιξ, inſtrumentum Muſicum, cithara, apud Herodotum, *Muſâ* 2. Καὶ ὄρυες τῶν τὰ κέρεα τοῖσι φοίνιξιν οἱ πήχεες ποιεῦνται. Quem locum peſſimè intelligunt Interpretes, qui de *Phœnicibus* populis accipiunt, aut de *palmis*. Φοῖνιξ hîc cithara eſt ſeu inſtrumentum Muſicum, quod πήχεις, h. e. ἀγκῶνας, cubita, habuiſſe, conſtat ex *Athenæo*. Fiebant autem illa ex cornu orygis, uti docet Herodotus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 223. & ſuprà, ubi de Oryge.

PHOENIX Redivivus, vide ſuprà *Metallica Planta*.

PHOENUS, mons Normanniæ, apud Bajocenſem urbem, vulgò *Criſmaio*; Item, *Mont de Bayeux*.

PHOETIÆ, urbs Acarnaniæ, à *Phoëtio* filio Alcmeonis, filii Amphiarai, Polyb. *l.* 4. Dicitur quoque *Phoëtium*, *Steph.*

PHOGOR, quæ & *Beelphegor*, villa Judææ, apud Bethlehem, pòſt *Phagora*, *Hieronymo*. Item, Mons in terra Moab, ſic dictus ob immenſam celſitudinem; *Hieronymo Agri ſpecula* nominatur.

PHOGOR, vide *Baal Peor*.

PHOLEGANDRUS, inſula una Sporadum. *Philocandrus*, *Ptolem.* & *Heſychio*. *Phlegandrus* eſt Punicè פלך גונדרי *Phelec-gundari*, h. e. *tractus lapidoſus*. Rectè Bochartum, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14. ſic conjectâſſe, doceant hæc Strabonis, *l.* 10. quæ inde deſcripſit *Stephanus*: Φολέγανδρος, ἣν Ἄρατος σιδηρείην ὀνομάζει διὰ τὴν τραχύτητα. Arati verſus ſic ſe habet:

> Ὦ Λητοῖ σὺ μένεις γε σιδηρείῃ Φολεγάνδρῳ.

PHOLLATHI, nomen viri, 1. Paral. *c.* 26. *v.* 5. Latinè *opus meum*.

PHOLLIS ſeu FOLLIS, Græce Φόλλις, ſeu potiùs φόλις, unde per *l.* unicum ſcribendum, ut in Euſebii *Hiſt. l.* 10. *c.* 6. verbum eſt originis Hebraicæ: פלס *pheles* enim idem illis, quod שקל, *ponderare*, atque ut ab hoc fit *ſiclus* vel *ſicel*, vox πολύσημος, ſic ab illo φόλις, *Pholis* vel *Folis*, vox itidem latiſſimæ ſignificationis. Sed pro minutæ pecuniæ genere, non Latini ſolùm & Græci accipiunt, verùm & Hebræi, ut docent Critici Judæi, atque Arabes etiam: imò omnium minimæ pecuniæ genus *Folles* fuiſſe, hinc patet, quòd apud Calculones follis idem erat, quod apud Arithmeticos μονάς. Non dabatur ſectio monadis, nec follis: ac viginti quatuor folles ærei, de his enim hactenus, unum denarium argenteum, qui *milliarenſis* dicebatur, efficiebant; duodecim autem miliarenſes aureum unum: quô pactô ducenti octoginta octo folles inerant in uno nomiſmate. Nempe ſub Juſtiniano & poſt Juſtinianum Imperatorem, nam ante ipſum diverſa follium ratio fuit. Sub Conſtantino atque etiam antè, *Folles* dicebantur ſeſtertii: unde *Heſychius* quadrantem eſſe dixit, τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως, intelligens *quadrantem* de duabus drachmis, quarum octo in uncia, ſeſtertium autem æreum uncialem fuiſſe, ſicut & follem, conſentiunt Auctores. Sed non ſemper pro æreo nummo *follis* uſurpatus eſt, verùm etiam ſummam aliquam vel auri vel argenti vel æreæ pecuniæ deſignabat. Ut *Follis*, quem pendebant Senatores, in Senatoribus primæ claſſis octo auri libras ſignificat; in mediocribus, quatuor; in infimis verò, duas. quæ ſummæ *Folles* dicebantur & *follem pendere* dicebatur, qui octo auri libras, qui quatuor, qui duas pendebat. *Gloſſæ Nomicæ*, Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις διαφόρους ἔχων ποσότητας. ἀπὸ γὰρ δύο χρυσίου λιτρῶν ἀρχόμενος, εἰς ὀκτὼ προάγει κατὰ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν εὐπορίαν τῶν ἀπαιτουμένων. Nam, ut ſaccus auri, ſporta auri, ſic *follis* auri, de certa auri quantitate dicebatur: *Follis* enim & *ſaccus* & *marſupium* idem. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 74. *v.* 5.

> *Cùm Scorpus una quindecim graves hora*
> *Ferventis auri victor auferat ſaccos*, &c.

Salmaſ. *ad Lamprid. Heliogab. c.* 22. Vide quoque ſuprà, in voce *Follis*. Non omittendum tamen hîc paucis indigitare, quòd *Pholem*, ſub Theodoſio Juniore tributum mulorum, ab eo Conſtantinopoli conſtitutum, quòd his ſibi in bello opus eſſe diceret, referat Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PHOLOE, equa jugalis, in curru Admeti, apud Statium, *l.* 6. *Theb. v.* 461.

> *Nominibuſque ciet* Pholoën *Admetus & Irin*,
> *Funalemque Thoën.*

E quo loco diſcimus, non *quadrigis*, ſed *trigis*, contendiſſe Argivos: unum enim modò funalem equum, Thoëm videl. duobus jugalibus, quales reliqui erant, jungit Poëta. Et habet trigarum in curuli certamine mentionem *vetus Inſcr.* quâ Dioclis agitatoris palmæ numerantur. Sed hac de re infrà dicendi locus erit.

PHOLOE, *Nigro Xiria*, mons Peloponneſi, in Arcadia, ſylvoſus, nivoſus, & excelſus, Piſæ Olympiæ proximus. Hujus meminit Ovid. *l.* 2. *Faſtor. v.* 273.

> *Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides undæ.*

Statius, *l.* 3. *Theb. v.* 604.

> *Unus ut ſylvis Pholoës habitator opacæ.*

Sidonius Apollinaris:

> *Paſſim per Pholoën jacet nivoſam.*

Lucan. *l.* 3. *v.* 197.

> ——— *Tunc linquitur Æmus*
> *Thracius, & populum Pholoë mentita biformem*,

Inde *Pholoëticus*. Sidon. *in Paneg. Majoriano*:

> ——— *Non ſic Pholoëtica monſtra*
> *Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Evan*
> *Miſcuit.* ———

Eſt etiam famulæ cujuſdam textricis nomen. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 285.

> *Olli ſerva datur, operum haud ignara Minervæ,*
> *Creſſa genus Pholoë, geminique ſub ubere nati.*

Nic. Lloydius.

PHOLOE, mons Theſſaliæ, proximus Othry, ubi Hercules centaurum aggreſſus eſt.

PHOLON, oppidum fuit Arcadiæ, à Pholo centauro dictum. *Steph.*

PHOLOUS, urbs Arcadiæ, à *Pholo* Centauro, *Stephan.*

PHOLUS, unus ex Centauris, Ixionis ex Nube fil. qui Herculem ad Pirithoi nuptias euntem hoſpitiô excepit, eoque in tumultu, qui inter Lapithas & Centauros ejuſdem in nuptiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

exortus eſt, occubuit. Ovidius. Virg. *Georg. l. 2. v.* 455.

——— ——— Illè furentes
Centauros letho domuit, Rhœtumque Pholumque.

Papinius, *l. 2. Theb. v.* 563.

Qualis in adverſos Lapithas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus.

Claudian. *præfat. ad nupt. Hon. & Mar. v.* 14.

——— Quæ flectere Rhœton,
Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum?

Theocritus, *Idyll.* 7.

Ἀρά γε πα τοιόνδε Φόλῳ κατὰ λάϊνον ἄντρον
Κρητῆρ Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χείρων,

Nic. Lloydius.

PHON, urbs Archiepiſcopalis Aſiæ, *G. Tyrio.* Nunc quid ſit, ignoratur.

PHONASCI, dicti ſunt Moderatores vocis & Magiſtri, qui eam intorquere, mittere, lenire, exaſperare docebant & ſupplantare; memorati Suetonio *in Nerone, c.* 25. *Neque quicquam seriò jocôque egit, niſi adſtante* Phonaſcô, *qui moneret, parceret arteriis & ſudarium ad os applicaret.* Hos eoſdem quidam eſſe volunt, cum iis quos Tertullian. *de Pall.* vocat *primos vocis Edomatores, c. ult.* Sed *Phonaſco* pueros olim dediſſe operam, non eſt veroſimile, inter prima illa rudimenta literarum, niſi ſi qui Cantores Tragici vellent eſſe, aut Comœdi. Soli quippe Cantores, Præcones, & ſi fortè etiam Oratores, *Phonaſco* vocem ſuam & formandam & exercendam dabant. Quinimo *Phonaſcus* etiam *Vocalis* dicebatur & *Cantor. Gloſſæ*, φωνασκὸς, *Vocalis.* Nam vocalis eſt, qui voce ſcitè canit. *Eædem*, φωνασκητὴς, *Vocipararius.* Is erat Magiſter formandæ vocis, & πλάττειν φωνὴν dicebatur. Unde & πλάσμα vox quæ πλάσιν accepit, & quæ bene formata eſt. Quô ſenſu *plaſma* apud Quintilian. *l.* 1. *c.* 8. accipitur & apud Perſium hôc, *Sat.* 1. *v.* 17.

——— Liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris.

I. e. quum liquidam & εὔπλαστον vocem, per læve guttur, eliquaveris, ut alibi loquitur, *v.* 35.

——— Vatum & plorabile ſi quid
Eliquat & tenerô ſupplantat verba palatô.

Quintilian. *l.* 11. *c.* 3. *Sed ut communiter &* Phonaſcis *& Oratoribus neceſſaria eſt exercitatio, quâ omnia convaleſcunt: ita curæ non idem genus.* Ubi *Phonaſcus* eſt Cantor & qui ad cantandum vocem ſibi parat. Sed pueris, qui primis literarum elementis imbuebantur, nihil cum *Phonaſco.* Itaque *primus Edomator vocis* apud Tertullian. *edomare vocem*, vel, ut alii legunt, *enodare*, ſeu nodos vocis ſolvere rectè dicatur, præſertim in pueris id ætatis, adhuc balbutientibus, & infractâ voce dimidiata verba vix exprimentibus. Martianus Capella *de Gramm. Demonſtrabat etiam quendam gratiſſimum guſtum veſpere multô olivôque elaboratum, quô depulſâ vocis inſuaviſſimâ duritate, canoros etiam fieri poſſe memorabat.* Idem paulò ſuprà: *Nam ex eodem ſcalprum primò vibranti monſtrabat acumine, quô dicebat, circumcidi infantibus vitia poſſe linguarum*, &c. Salmaſius *ad Tertull. l. c.* Vide quoque Joh. Baptiſtam. *Comm. Epiſt.* Sidonii Apollinaris *ad Agric. l.* 1, Budæum *in l. Athletas ff. de his qui not. inf.* Alios:

PHONASCIA Ars, *Theophraſto* memorata. Cùm enim duo inprimis hominum genera vocis exercitationi operam dederint, Hiſtrionicæ Profeſſores, & Medicorum Gymnaſtici, ſub iis Præcones, Choriſtæ, Tragœdiarum aliarumque fabularum recitatores, nec non vocibus certantes, comprehendi ſoliti ſunt, quos vociferationibus exerceri conſueviſſe, ait Plato *in Ione*, & Ariſtoteles *Problem.* 11. & 19. ubi legimus, Phrynici, nec non antiquioribus temporibus, Tragœdias, Comœdias, dithyrambos atque leges ipſas cantu recitari conſueviſſe: ob quod vocis exercitatio tantæ fuit exiſtimationis, ut, ſicut Athleticæ, ita publicæ vociferationis certamina, à Cœlio Aureliano *Chron. l.* 5. *c. ult.* ſub *Modulationis agoniſticæ* nomine intellecta, propoſitis victori præmiis, inſtituerentur. Quem morem uſque ad Galeni tempora perdurâſſe, ex eo conjici poteſt, quòd is *l.* 7. *de Medicam. compoſ.* multa medicamenta recenſet, quibus antiqui Medici in iis, qui voce certaturi erant, tum ante, tum poſt certamen utebantur: ſimulque narrat, tempore ſuô *Phonaſcos* omnes, Citharœdos ſcil. Præcones, nec non Tragœdiam ac Comœdiam perſonatos repræſentantes, qui magnô vocis exercitiô utebantur, ſi quando eam contendendo oblæſiſſent, balneis multis & cibis levibus, atque laxantibus uti fuiſſe ſolitos. Ex quibus cuivis intelligere eſt, non modò Hiſtrionicam profeſſos voce & cantu ſimpliciter, verùm etiam altâ voce uſos, atque iis interdum uniformibus, interdum variis ac mutatis, velut in Tragœdia ad mœroris calamitatiſque magnitudinem augendam factum olim, ſcribit Ariſtoteles 19. *particul. Probl.* 6. Hinc occaſio infibulationi Adoleſcentum, ut à Venere arcerentur, exercitationi vocis damnoſa. Hos itaque qui docebant, *Phonaſci* ſunt appellati, voce Græcâ, à *vocis exercitio* deſumtâ: Videntur autem hæc exercitia ferbuiſſe, apud Græcos ac Romanos, in ea parte Theatri, quæ *Odeum* dicta eſt, quò Poëmata, priuſquam recitarentur in Theatro, deferri, indeque certamina Muſica ſpectari ſolebant. Suetonius enim *c.* 12. Neronem, Muſicum certamen inſtituiſſe, Domitianumque Odeum, ubi præter Citharœdos, Chorocithariſtæ atque Pſallocithariſtæ certarent, excitaviſſe, notat: Quanquam alibi quoque, & præſertim in Gymnaſiorum exedris, veteres vociferationibus certâſſe veriſimile eſt; cùm ad formandas excolendaſque voces, alios in concavis locis, alios prope maris littora, ut de Demoſthene fertur, vociferari, legere, cantare conſueviſſe legamus. Et quidem Demoſthenem, cùm lingua ob ſpiritûs imbecillitatem hæſitaret, *Neoptolemo hiſtrioni decem millia drachmarum numerâſſe, ut eum unô ſpiritu verſuu periodos proferre faceret*, auctor eſt Plutarchus *in X. Orat.* Et exercebantur hæ vociferationes, vel ut in Choris, in Sophiſtarum ac aliorum ad hoc inſtitutis certaminibus, in dithyrambis τοὺς ἀντιστρόφους ſuperarent; vel ut in Scena ac Theatro quiſque munere ſuô cum laude fungeretur. Cœterùm an eôdem tempore id exercitationis genus & ad Hiſtrionicum & ad Medicum uſum tractum fuerit, non uſque adeò certum. Interim, cùm certum ſit, Corn. Celſum *l.* 1. *c.* 8. inter exercitationes imbecilli ſtomacho conferentes, claram lectionem commendâſſe: Similiter Cœl. Aurelianum *l.* 1. *Chro. c.* 1. & *l.* 2. *c.* 6. in dolore capitis vocis exercitium, *anaphoneſin* Græcis vocatum, probâſſe, nec non in vocis amputatione & aliis morbis exercitium idem adhibitô Præceptore adminiſtrandum conſueviſſe, videtur ætate illâ vocis exercitatio in Medicorum Gymnaſtica locum habuiſſe, atque ipſos Gymnaſtas vocem exercendi modos, tempora & regulas jam calluiſſe: tametſi poſteà Plutarchi atque Antylli temporibus majus ceperit incrementum. Nempe quando plurimis jam experimentis comprobatum erat, exercitationem vocis ritè initam, non modò ad ejus conſervationem & ad aliquorum morborum curationem, ſed etiam ad bonam valetudinem tuendam, ut ait Plut. *de tuend. val.* ad corporis item robur efficaciſſimam eſſe, utpote quæ thoracem ac vocalia inſtrumenta perbellè exerceat, naturalem calorem excitet, partibuſque maximè vitalibus & præcipuis vim internam vigoremque firmum ac genuinum inferat: ob quæ fortaſſe refert Galenus *Meth.* 4. Theſſalum illum, ætate Neronis, ut ſcribit Plin. *l.* 29. *c.* 1. magnâ exiſtimatione habitum, & à ſe ipſo *Iatronicem* appellatum, eam etiam curandis malignis ulceribus adhibuiſſe. Modus quô id fiebat, talis à Cœl. Aureliano *c. de Furore*, proditur: *quòd principia leni voce promebantur, narratio verò & demonſtrationes extentâ atque majore, tum epilogus demiſſâ ac indulgenti.* Antyllus eum ſic deſcribit, *Cùm alvus dejecerat, primò leviter fricabantur, ac præcipuè inferiores partes facieſque ſpongiâ aut madefiebat aut abluebatur: dein priùs ſenſim, ac per intervalla mediocria loqui incipiebant, nonnunquam priùs deambulabant; pòſt verò ad vociferationem accedebant, in qua doctrinæ expertes ea dicebant, quorum meminerant, quæ clara & multas lenitatis & aſperitatis mutationes habere videbantur. Sin autem verſus ſciebant, jambicos dicebant, & tertius locus Elegiæ dabatur; quartus modulis & numeris, atque in his omnibus præſtantius judicabatur memoriâ recitare, quàm legere, & ut* admonuit Plutarchus *de tuenda valet. mediocribus potiùs, quam nimis commotis vociferationibus & jurgioſis clamoribus uti: inprimis vociferabantur, vocem quàm graviſſimis fieri ſonis poterat, producendo, tum ad acutiſſimos eam redigendo: deinde cùm non multum in acuto ſono permanſum foret, retro viciſſim reflectebant, paulatim vocem diminuendo, donec ad graviſſimam, à qua ductum initium erat, reverterentur.* Agebant verò ea tam accumbentes, quàm ſedentes & ſtantes, ut propterea loca ampla hujuſmodi *Phonaſciæ* minimè neceſſaria judicaverit Socrates. Quò pertinet, quod Plin. refert, *l.* 34. *c.* 18. *Neronem Principem laminâ pectori impoſitâ, ſub ea cantica exclamatam, alendis vocibus demonſtrâſſe rationem.* Sic facilè occurri poterit ſciſcitanti, cur in hoc exercitationis genere, quartô locô, numeros moduloſque dicamus obtinuiſſe, cùm Plato non uno in loco, Gymnaſticæ ac Muſicæ, non diverſas solùm, ſed & contrarias rationes eſſe, contendat. Prout enim rhythmis, melodiis harmoniiſque conſtat Muſica, omnino alia à Gymnaſtica eſt, & animorum ſolatio tantùm impenditur: Quatenus verò voce utitur, ejuſque varias flexiones, quæ non ſine aliquo labore corporis eduntur, requirit, meritò in Gymnaſtica obtinet: ſed de his jam ſuprà non pauca dicta ſunt. Addam ſaltem, nec gemitum, nec riſum propterea Athletas dedecere. Unde Ariſtoteles jure improbat, qui pueris lege ploratus prohibent, *Polit. l.* 5. *c. ult.* utpote quibus capitis excrementa non parum exinaniuntur: Ciceroque *Tuſc. quæſt. l.* 2. *Athletas inter exercendum, ingemiſcere conſueviſſe*; memoriæ mandavit. Et riſu corpora noſtra non leviter agitantur atque exercentur, quô motu quoſdam inſigniter adjutos fuiſſe, docet experientia. Vide Hier. Mercurialem *de Gymnaſtica Arte l.* 3. *c.* 7. ut & infrà ubi de *Voce.*

PHONURGIA Nova, quâ per prodigioſos ſonorum effectus & proprietates, nec non per machinas ſonô animatas, reciprocô correſponſu, de quacunque re occulta, manifeſta, tum inter domeſticos parietes, tum foris in diſſitis regionum locis, ſermocinatio inſtitui poteſt: prodiit, Auctore Athan. Kircherô Campidonæ 1673. *in fol.*

PHORA, Armeniæ majoris urbs, *Ptolem.*

PHORAGA, Ariæ urbs *Ibidem.*

PHORANIUS Theodorus, vide *Theodorus.*

PHORAPHAL, Rex Babylonis, *Joſeph.* Aliis *Phul* dicitur.

PHORATHA, fil. Aman. Eſth. *c.* 9. *v.* 8. Latinè *fructificatio*, ſive *multiplicator*, aut *ſortilegus.*

PHORBÆ, urbs Achæorum in Theſſalia. Gentile *Phorbantius, Steph.*

PHORBÆA, Græcè φορβειά, item φορβεία & φορβειά, variè enim vox ſcribitur, capiſtrum eſt, quô tibicines olim os ſibi obligabant & ſubſtringebant buccas, ne ultra juſtum modum inflarentur & turpiculum os redderent, tum ut violentia nimii ſpiritus cohiberetur: Marſyâ auctore, vide ſuprà voce *Capiſtrum.*

PHORBANTIA, inſula Siciliæ ante Drepanum urbem. *Lavenſo Fazello.*

PHORBANTIUM, mons Trœzenis, *Steph.*

PHORBAS, fil. Priami & Epitheſiæ, Staſippi Mygdoniæ regis filiæ, inter fratres natu maximus, adeò ut Priami frater potiùs, quàm filius videretur. Quam ob cauſam cùm pater eum, veluti emeritum, à prælio juberet abſtinere, illô tamen invitô, non

non ſemel in pugnam deſcendit, & poſt multa egregia facinora, favente Mercuriô, edita, tandem à Menelao eſt obtruncatus. Hujus imagine aſſumptâ, Somnus Deus Palinurum decepit. Virg. *Æneid. l. 5. v.* 842.

——— Puppique Deus conſedit in altâ
Phorbanti ſimilis, fuditque has ore querelas.

Servio dicitur fuiſſe Triopæ filius, pater Ilionei Trojani, comitis Æneæ. Alius paſtor Polybi Corinthiorum regis. Alius cujus meminit Ovid. *Metam. l.* 11. *v.* 414.

——— Nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

PHORBAS, Argivorum Rex, ſextus; aliis quintus poſt Criaſum fratrem, A. M. 2466. Regnavit ann. 35. Rhodum Inſulam à ſerpentum immani multitudine liberam reddidit. Anno ante Urb. Cond. ferè 830. Euſeb. *in Chronicis.* Illi ſucceſſit Triopas, quem vide.

PHORBAS, Archon Athenis τ͂ διὰ βίȣ V. excepit Thirſippum, circa tempora Rehabeami Regis præfuit annos 31. ſucceſſore Megacle quem vide.

PHORBIAS, nomen proprium viri Opuntii, cujus equum *ad gregariam Venerem duraſſe in annos* 40. Solinus ait, *c.* 47.

PHORCA, palus Latii in Marſis, ab urbe Roma 500. ſtadiis, *Iſacius.* Vide *Fucinus lacus.*

PHORCUS, ſive PHORCYS, Ponti ac Terræ filius. Heſiod. *in Theogon. v.* 237.

Αὖτις δ᾽ αὖ Θαύμαντα μέγαν κ̀ ἀγήνορα Φόρκυν,
Γαίῃ μισγόμενος, κ̀ Κητὼ καλλιπάρῃον.

Varro tamen Theſeæ, alii *Thooſæ* legunt, Nymphæ ac Neptuni filium fuiſſe ſcribit, qui filias habuit Phorcynidas ſcil. & Gorgonas, Meduſam, Schenonem & Euryalen, de quib. Pindarus Pythiis. Item Thooſam, quæ cum Neptuno conjuncta Cyclopem peperit Polyphemum. *Ovid. Varro, Heſiodus*, Homer. *l.* 1. *Odyſſ. v.* 68.

Ἀλλὰ Ποσειδάων γαιήοχος ἀσκελὲς αἰὲν
Κύκλωπος κεχόλωται, ὃν ὀφθαλμȣ̃ ἀλάωσεν
Ἀντίθεον Πολύφημον, ὅȣ κράτος ἐςὶ μέγιςον
Πᾶσιν Κυκλώπεσσι. Θόωσα δέ μιν τέκε Νύμφη,
Φόρκυνος θυγάτηρ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος.

Genuit etiam ſerpentem, qui mala Heſperidum tuebatur, ut ait Heſiodus *Θεογον. v.* 333.

Κητὼ δ᾽ ὁπλότατον Φόρκυϊ φιλότητι μιγεῖσα
Γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης
Πείρασιν, ἐν μεγάλοις παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει.

Genuit & Scyllam ex Hecate, ut ſenſit Acuſilaus. Apollonius *l.* 4.

Ἠὲ παρὰ Σκύλλης ςυγερὸν κευθμῶνα νέεσθαι
Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκυϊ
Νυκτιπόλος θ᾽ Ἑκάτη, τήν τε κλείȣσι Κράταιιν.

Fuit autem, ſi ad Hiſtoriam ſpectemus, Sardiniæ atque Corſicæ Rex, qui ab Atlante navali præliô ſuperatus, in ea pugna ſubmerſus ſit, neque uſpiam poſteà inventus, quare creditus fuit, ſe in Deorum marinorum numerum recepiſſe. Vide Palæphatum, *c.* 32. Περὶ τ͂ τȣ̃ Φόρκυνος θυγατέρων, ubi Poëtarum fabulam refutat, Phorcynem ſcil. 3. filias, quæ inter ſe unum duntaxat oculum habentes, illô viciſſim utebantur, habuiſſe. *Nic. Lloydius.*

PHORCYNUS, portus Ithacæ, Inſul. ubi Nympharum antrum.

PHORIAMI, locus Elidis inter Parthenum inſidiis aptus, utpote in anguſto ſitus, *Stephan.*

PHORICA, urbs Arcadiæ, *Idem.*

PHORISTÆ, Aſiæ populi.

PHORMIO, Crotoniata dux, bellô navali Lacedæmonios vicit. Item dux Athenienſium, poſt Calliam, in bello Peloponneſiaco, Polyæn. *l.* 3. *c.* 4. de quo Scholia, *in Ariſtoph. Equit.* Dux Athenienſium, rei nauticæ peritiſſimus, feliciſſimè aliquoties res mari geſſit; in prælio duplici contra Lacedæmonios navali 57. naves victor depreſſit. Diodor. Sic. *l.* 12. Thucyd. *l.* 2.

PHORMIO, Archon Athenis, Olymp. 96. An. 1.

PHORMIO, philoſophus; Thucyd. *l.* 2. Peripateticus, Cicer. *l.* 2. *de Orat. c.* 18. *Cùm*, inquit, *Annibal Carthagine expulſus, Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, & ad Phormionem audiendum, propterea quòd ejus nomen erat magnâ apud omnes gloriâ, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ——— locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de Imperatoris officio, ac de omni re militari. Tum cùm cæteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Annibale, quidnam ipſe de illo philoſopho judicaret. Hic Pœnus non optimè Græcè, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpè vidiſſe, ſed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem.*

PHORMIS Arcas, equam ære fuſam Olympiæ dedicavit, cui hippomanes cùm ineſſet, equi incitabantur ad rabiem haud ſecus, ac ſi viva ſpiranſque eſſet, & Veneris odorem cupitum illis de longinquo afflaret, Pauſanias *de Arcad.* Unde *Theocritus*,

Ἱππομανὲς φυτὸν ἐςι παρ᾽ Ἀρκάσιν.

Ubi eleganter equæ hujus effigiem, cui poteſtas illa equos mares ad rabiem incendendi inerat, ἱππομανὲς φυτὸν vocat, quia ex ære fuſa: apud Arcades autem locat, quòd Elei, apud quos eſſet, Arcadibus vicini, ipſeque, qui dedicaverat, Arcas eſſet. Meminit & Plin. *l.* 28. *c.* 11. *Hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut affuſum æris mixturæ in effigiem equæ Olympicæ, admotos mares equos ad rabiem coitus agat.* Magicâ verò arte hanc vim ei additam, tradit Pauſanias, Δῆλα κ̀ ἄλλα ἐς τιμὴν ἀνδρὸς μάγȣ σοφίᾳ γενέσθαι συμβαίνοντα τῷ ἵππῳ. Inſcriptio ipſa ſic habuit, Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακȣ́σιος, *Phormis dedicavit Arcas Mænalius, jam verò Syracuſius.* Ex Arcadia namque in Siciliam migravit hic *Phormis*, tempore Gelonis, Dinomenis filii, Hieronis fratris, qui obiit Olympiade 76. relictô fratri regnô, ſub quo etiam aliquandiu in Sicilia vixit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 490.

PHORMISIUS, homo inquietus, comam alens, aſpectu terribilis, craſſus & prolixâ barbâ. Traducitur à Comicis, ob munerum avaritiam. Vide Schol. *in Ranas Act.* 4. *Sc.* 1. Quibuſdam ibidem eſt ſervi nomen.

PHORMIUM, vicus Fori Julii, ſupra quem fons eſt mirabilis, in quo lignum dejectum, lapideô cortice obducitur, & virgulta foliaque immerſa lapideſcunt.

PHORMUS, Syracuſanus Comicus, Geloni tyranno familiaris, cujus ſtudiis præfuerat, docuit fabulas ſeptem, quas commemorat *Athenæus*, novumque veſtimenti genus in ſcenam introduxit. Vide Olympiad. 72, Ariſtotel. *de Art. Poët. Lil. Girald.* & Voſſium, *de Poët. Græc. c.* 5.

PHORNACIS, Bæticæ urbs in Turdetanis, *Ptol.* Verſus montes Marianos, nunc *Alhama*, oppid. Vandalitiæ, in Extremaduræ confinio, 9. leuc. à Corduba in Boream verſus Aquas Lupias, *Baudrand.*

PHOROBRENTARIUM, urbs Libyæ, *Stephan.*

PHORONEUS, fil. Inachi fluv. I. Argivorum Rex, qui initiô diſperſos populos in urbem coëgit, quam appellavit *Argos Phoronicon.* Primus Leges Judiciaque conſtituit; cum Telchinibus & Caryatis bellum geſſit annô regni 18. ſub eo Ogygium diluvium contigit annô 51. Anticlidi *antiquiſſimus Græciæ Rex*; apud Plinium, *l.* 7. *c.* 56. Acuſilao *primus homo*, apud Clem. *l.* 1. *Strom.* & Poëtæ Phoronidis, πατὴρ θνητῶν ἀνθρώπων, *pater mortalium:* ante quem nihil Ἕλλησιν ἱςορηθῆναι, *in Hiſtoriis Græcis contineri*, ait Syncellus, *p.* 68. Unde Res Argivas longè Atticis vetuſtiores docet Marshamus, mox laudandus, ac ex hoc capite Sicyoniorum quoque Regum laterculum Euſebianum rejicit, utpote minime Phoronei temporibus antiquiorem, & ab hoc rerum Græcarum ducit exordium, Seculô VI. circa tempora Iſaaci Patriarchæ. Regnavit An. 60. uſque ad A. M. 2307. quô Apis ſucceſſit. Spartus ejus fil. Spartam condidit. Euſeb. *in Chron.* Salian. *in Annal.* Alii Apim verò hunc in Argivorum Regum ſerie rejiciunt *Pauſanias & Hyginus:* itaque *Phoroneo* ſufficiunt *Argum*, quem vide; ut & plura hanc in rem apud Johann. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* VI. Hinc *Phoronis* & *Phoroneius.*

PHORONIS, Φορωνὶς, pars Cycli Epici, ſicut *Æthiopis* Αἰθιοπὶς, *Reditus Græcorum* νόςος Ἑλλήνων, & multa prætereà alia poëmata; quæ omnia, velut in choro homines, vel in corona flores, decenter invicem juncta, ſeriem totius mythologiæ, à Mundi principio, ad Troica uſque tempora, exhibebant. Vide ſuprà ubi *de Cyclo Epico.*

PHORONTIS, Aſiæ minoris oppid. in Cariæ finibus, circa Ioniam; Plin. *l.* 5. *c.* 29.

PHORTZEMUM, urbs Marchionatus Durlatenſis, ad Entium fluvium, ubi Nagoltium recipit, in Suevia, 2. leuc. à Durlaco in Ortum, 7. ab Heydelberga in Meridiem, uti 6. à Spira, & 8. ab Haguenoa in Ortum, *Phorca* quibuſdam. Vide *Orcynium* & *Pfortzhemium.*

PHORUM, portus in Attica, Pſyttaliæ inſulæ oppoſitus, *Strabo.*

PHORUNNA, urbs Thraciæ, *Stephan.* ex *Strab.*

PHOSECH, fil. Jephlat, 1. Paral. *c.* 7. *v.* 33. Latinè *fragmentum tuum, ſive diminutio tua.*

PHOSPHORIA, Græcè Φωσφόρια, feſtum Veneri ſeu Lucifero ſacrum, apud *Plut.* de quo vide *infrà* aliquid voce *Venus.*

PHOSPHORION, corruptè pro *Boſphorion*, portus Byzantiis ut indicat Steph. in Βόσπορος.

PHOSPHORUS, equus Circô nobilis, funalis ſiniſter, cujuſmodi equos præcipui honoris ac meriti in quadrijugis curribus, & Circo deſtinatis fuiſſe, ſuprà diximus. Laudatus inſigni *Epigrammate* 35. juſſu Auguſti, ab Auſonio, qui, juſta ei faciens, apud Inferos, ſi quadriga jungatur ex equis Heroum olim celeberrimis, honoratiſſimum locum illi deberi aſſerit, ſcil. qui ſiniſter erat funi gerendo:

Pegaſus hinc dexter currant tibi, lævus Arion,
Funis ſed quartum det tibi Caſtor equum &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 899.

PHOSPHORUS, Latinè *Lucifer*, Stella Veneris. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 21. *v.* 1. *Phoſphore redde diem.* Vide *Lucifer.*

PHOSTONIA, una ex inſulis Halcyoniis, *Suidas.*

PHOTAGOGICA, Græcè Φωταγωγικὰ in Eccleſia Græca *preces* dicuntur *pro illuminatione*, cujuſmodi ex Horologio Græcorum exhibet *Meurſius*; ex Paracletice verò & Triodio Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* in hac voce.

PHOTINÆON, urbs Theſſaliæ, *Stephan.*

PHOTINUS, Lugdunenſis Epiſcopus Polycarpi diſcipulus, religionis causâ ſuppliciô affectus, A. C. 169. ætatis ſuæ 80. aliis 90. Euſeb. *l.* 5. *c.* 2. *Hiſt. Eccleſ.* Item Hæreticus, Epiſcop. Smyrnii, A. C. 355. Ingeniô, doctrinâ, eloquiô pollens; primis functionis ſuæ annis egregiè docuit, poſtmodum non contentus renovare errores Sabellii, Pauli Samoſateni, Cerinthi & Ebionis, divinam Chriſti naturam negavit, tum demum Chriſtum incepiſſe docens, cùm in Jordane baptizatus Spiritum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sanctum acciperet. Damnatus in variis Synodis, ab ipſis quoque Arianis Syrmii A. C. 357. congregatis rejectus eſt. Tandem ſede motus, ſcripſit contra Gentiles, &c. Photinianorum ſeu Socinianorum caput. Epiphan. *Hær.* 73. Theodoret. *Hær. fab. l.* 2. Tripart. *Hiſt. l.* 5. *c.* 5. Sulpic. Sev. *l.* 2. *Baron.*

PHOTINX, Græcè φωτὶγξ, genus tibiæ, quæ πλαγίαυλος dicebatur: πλαγιαύλης & φωτιγγίςης idem. Latinè *Plagiaula*; quô pactô legendum in *Gloſſ. cap. de Spectac.* ubi corruptè ſcriptum *Plagiola*, φοτιγγίςη, pro φωτιγγίςης. Alexandrinum fuiſſe inventum, è loto exenterata, illiſque patriâ ſic voce dictam eſſe, notat Scaliger, *Poëtices l.* 1. *c.* 20. Meminit ejus Euripides tum alibi, tum in *Bacchis*, his verbis,

> Ἐν Φρυγίαις βοαῖς ἐνοπαῖσι τε
> Λώτος ὅταν εὐκέλαδος
> Ἱερὸς ἱερὰ
> Παίγματα βρέμῃ &c.

Vide & Athenæum, *l.* 4. nec non hîc paſſim, inprimis infrà, ubi de *Tibiis.*

PHOTIUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſtirpe, divitiis, rerum uſu, & eruditione illuſtris. Summis in Aula honoribus defunctus, etiam ad Patriarchatum, utpote S. Tharaſii ex ſorore nepos aſpiravit: pulſôque à Barda Ignatiô, licèt Eunuchus & Laïcus, ejus in locum ſubſtitutus eſt, A. C. 858. quem ut tueretur, Synodô 320. Præſulum, cui Zacharias & Rodoaldus; Legati Nicolai I. intererant, celebratâ, Ignatium condemnavit. Excommunicatus propterea à Papa, alterô Conciliô hunc viciſſim anathemate feriit, in amicos cognatoſque Ignatii immaniter ſæviens. A Baſilio Macedone poſteà, reſtitutô Ignatiô, pulſus, & Conciliô habitô condemnatus: poſt obitum Ignatii A. C. 878. mirô ſtratagemate uſus, in gratiam Baſilii, & ſedem denuò irrepſit. Contexuit enim commentitiam genealogiam, quâ oſtendere niſus eſt, Baſilium à Tiridate Armeniæ Rege deſcendere, illi impoſitô nomine *Beclas*, ex initialibus literis nominis ejus, uxoris Eudoxiæ, & Conſtantini, Leonis, Alexandri ac Stephani filiorum, conſtante: Characteribus Alexandrinis, in pervetuſta papyro. Tum inter rariſſimos libros in Bibliotheca hôc commentô repoſitô, curavit id per Theophanem, Bibliothecarium, amicum ſuum; Imperatori oſtendi. Quod cùm nemo explicare poſſet accerſitus Photius, Baſilio fictitios natales evolvit, ſic ſede iterum potitus: ſed ſub Leone Philoſopho Baſilii filio, A. C. 886. denuo deturbatus eſt. Interim, ſi non de Eccleſia, ſaltem de literis plurimum meruit. Scripſit *Bibliothecam*, ab Andrea Schotto, verſam: ubi ad examen vocat Auctores 280. quorum fragmenta apud ipſum extant. Fecit hoc fratris Tharaſii ſuaſu, dum ab Imperatore in Aſſyriam miſſus, ibi aliquandiu ſubſiſtere neceſſe habuit. Edidit quoque *Epiſt.* 248. *Nomocanonem, titulis* 14. *Acta* 7. *Conciliorum General. in compendium contracta*, &c. Nicetas *in vita Ignatii* Anaſtaſ. *in vit. Pontif.* Zonaras, *Annal. tom.* 3. Voſſ. *de Hiſtor. Græc. l.* 2. *c.* 25. &c. *Lloyd.* Fuerat autem is priùs, ut addam iſta, Protoſpatharius dignitate, ut refert *Cedrenus*: Imperatori à ſecretis, teſte *Nicetâ*: vixit ſub Imperatorib. Michaële III. & Ludovico II. Multæ ei cum Pontificibus Romanis lites, quare durior in eum Baronius, qui ubique eum inſectatur & proſcindit, ut videre eſt in *Annal.* ejus, ab A. C. 858. uſque ad 886. Vir multæ lectionis, quod ejus *Bibliotheca*; quam Μυριόβιβλον inſcripſit, ſatis ſuperque teſtatur. Bellarmino *de Script. Eccl. Vir magnæ eruditionis* dicitur, *ſed majoris nequitiæ.* Defendit tamen eum contra utrumque Cardinalem Rich. Montacutius *Episc. Norvicenſis in Anglia*, qui Epiſtolas ejus edidit Græcè & Latinè Londini A. C. 1651. &c. Adſcribitur ei, præter memorata, *Etymologicum Græcum* MS. quod penès Marquardum Gudium aſſervatur, uti diſcimus ex Ezech. Spanhemio *Diſſertat. de Numiſm. antiq.* 4. *p.* 458. *edit. poſter. Amſtelod.* Nec non liber *de Spiritus S. proceſſione*, & alius, quô probare nititur, *Spiritum S. à ſolo Patre procedere*, quos MSS. citat Blondellus in *Johanna Papiſſa*, quique poſteà Londini prodierunt. Sed hos Mareſius ſpurietatis poſtulat, in *Johanna Pap. reſtit. p.* 47. Ejuſdem nomine laudat Fr. Turrianus, *Lexicon*, *Quæſtiones ad Amphilochium*, *Commentarios in Epiſt.* ſimiliter adhuc ἀνεκδότους, &c. *Nomocanon* ejus, qui quaſi compendium eſt totius Juris Canonici Græci, tanti à Græcis fit, ut omnibus eum Collectionibus præmittere ſoleant, etiam ipſi Codici Canonum: diviſus in XIV. titulos, quorum quilibet diverſa iterum capita habet. Hunc congeſſit, ex plurimis Canonibus Conciliorum, Patriarcharum Epiſcoporum & Patrum; ſubjectis LL. Imperatorum Eccleſiaſticis, ad eoſdem titulos & capita pertinentibus: rationem compilationis reddit in Prologo, qui diu deſideratus, tandem ex MS. Bibliothecæ Oxonienſis in lucem protractus eſt à Juſtello fil. in *Bibl. Jur. Can. vet.* ex cujus fine collectum cognoſcimus A. M. ſecundùm Græcos 6391. qui eſt æræ Chriſtianæ 883. Sed de hoc opere vide ſuprà in voce *Nomocanon Photii*, & plura hanc in rem apud Joh. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccl. num.* 238. & *ſeqq.*

PHOVIBAGINA, Trocmorum in Galatia oppid. *Ptolem.*

PHOXUS, Phocæenſium Dux, à quo Lampſacum condita, Polyæn. *l.* 8. *c.* 37.

PHOXUS, Chalcidis tyrannus, à nobilitate & plebe, conjunctis viribus, ejectus, Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 4.

PHRAANZA Georgius, vide *Georgius.*

PHRAASPA, urbs Mediæ, *Stephan.*

PHRAATES I. Parthorum Rex IV. patri Priapatio ſucceſſit, Mardos domuit; nec multo pòſt deceſſit, multis filiis relictis, quibus tamen præteritis, fratri potiſſimùm Mithridati, inſignis virtutis viro reliquit imperium: plus regio quàm patrio, deberi nomini ratus, potiuſque patriæ, quàm liberis, conſulendum. Juſtin. *l.* 41. *c.* 6.

PHRAATES II. patri Mithridati præfato ſucceſſit, à Scythis ſuperbo reſponsô offenſis, fraude ac proditione militum Græcorum, quos in exercitu habebat, victus cæſuſque. Juſtin. *l.* 42. *c.* 1. Vide quoque de contentione ejus cum Romanis de finibus, Plut. *Pompejo.* Eum excepit patruus Artabanus, quem vide.

PHRAATES III. filius Orodis, Parthorum Rex XI. fratri Pacoro ſucceſſit, occiſus à fil. Phraatace, quem ex pellice genuerat. Demetrium II. Nicanorem, Syriæ Regem apud ſe captivum, filiam ſuam Rhodoginen uxorem ſumere coëgit: Romanis captivos & vexilla Craſſo erepta reddidit. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 3. Sanſovinus, *l.* 2. *Chron.* ſequutus Trogum Pompejum & Juſtinum, quatuor hujus nominis habet: Hieron. Bardius verò *in Chron.* duos tantùm recenſet. Vide quoque Ricciol. *Chron. Ref. T. I. l.* 5. *c.* 9. *Nic. Lloydius.* Ex ſerie autem hac Parthiæ Regum jam res liquet. Ei ſucceſſit Artabanus II. Huic.

PHRAATES IV. Parthorum Rex, quô expulſô ob tyrannidem, Tiridates regnum occupavit. Quô tamen rurſus dejectô reſtitutus Phraates ab Auguſto fuit. Juſtinus, *l.* 42. *c.* 5. Dio, *l.* 54. Horat. *l.* 2. *Od.* 2. *v.* 17.

> *Redditum Cyri ſolio Phraaten,*
> *Diſſidens plebi, numerô beatorum*
> *Eximit virtus.* ———

Idem, *l.* 1. *Ep.* 12. *v.* 26.

> ——— *Jus, imperiumque Phraates*
> *Cæſaris accepit genibus minor.* ———

Filium cognominem habuit, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 31. Vide *infrà.*

PHRAATES alius, poſt hunc, Patris interfector, maritus matris, brevi regnô pulſus facinorum odiô. Vide Joſeph. *l.* 18. *Jud. Ant.* & Tacitum, *Annal. l.* 6. *c.* 32. nec non infrà voce *Phrahate.*

PHRADA, urbs Drangianæ, quam Alexand. M. poſteà *Prophthaſiam* vocari voluit, *Stephan.*

PHRADATES, quadraginta quadrigas, magnô Caſpianorum agmine, in exercitu Darii, qui ad Arbella cæſus eſt, ductavit: fuit Satrapes Tapurorum, ac poſteà in fidem ab Alexandro receptus: ob crudelitatem in carcerem conjectus eſt.

PHRAGANDÆ, populi Thraciæ videntur, apud Livium, *l.* 26. *c.* 25.

PHRAGMON, ſtatuarius & pictor egregius.

PHRAHATES, Phraatis fil. per Sinnacen & Abdum, ſplendidiſſimos Parthorum, à Tiberio, contra Artabanum, poſtulatus Rex. Sed apud Suriam, dum omiſſô cultu Romanô, cui per tot annos inſueverat, inſtituta Parthorum ſumit, patriis moribus impar morbô abſumptus eſt, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 31. 32.

PHRAHATES, ſatrapa Parthus, validiſſimam præfecturam obtinens, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 42.

PHRANGI, populi Italiæ, prope Alpes *Parthenio Phocænſi, Steph.*

PHRANICATES, Parthorum Imperator, qui cum Ventidio apud Trapezunta decertavit, Strabo, *l.* 16.

PHRAORTES, Rex Medorum II. cognomine *Artines*, ſucceſſit patri Dejoci cognomine *Arſaci*, annô Nabon. 92. uti pater verſùs Occidentem, ita is verſùs Orientem, regnum dilatavit; Perſas ſubegit, aliaſque Aſiæ gentes: in obſidione Ninives occiſus, An. 119. Urb. Cond. regni 22. Olymp. 36. Ei ſucceſſit Cyaxares fil. cognomine *Aſtibaras.* Herodot. *l.* 1. *c.* 102. *Diodor. Sic.* &c.

PHRAORTES, Rex Indorum, ad quem Apollonius Tyaneus pervenit: quem cùm de victu interrogaret, reſpondit: *Tantum vini bibo, quantùm Soli ſacriſico; quæ autem venando acquiro, paſcuntur alii, mihi ſat fuerit ipſa exercitatio. Cibus mihi olera & palmarum fructus, multa mihi quoque ex arboribus naſcentia, quæ manus hæ plantaverunt.* Philoſtratus *in vit. Apollonii.*

PHRASAORTES, vide *Madates.*

PHRASICLIDES, Archon Athenis, Olymp. 102. An. 2.

PHRATAPHERNES, præfectus Maſſagetis & Dahis, regionum confiniô adjunctis, miſit ad Alexandrum, qui facturum imperata pollicerentur, Curt. *l.* 8. *c.* 1.

PHRATAPHERNES, Satrapa, poſt Darii, mortem profugit in Hyrcaniam, ſeque Alexandro dedidit, Curt. *l.* 6. *c.* 4.

PHRATRICA, Græcè Φρατρικὰ, dicebantur in Rep. Athenienſium convivia, à tribulibus vel ſocietatis ejuſdem conſortibus, amicitiæ mutuæ conſervandæ augendæque celebrari ſolita. Inſtituta hâc fini à Solone, ut & alia quædam, de quibus ita Athenæus, *Dipnoſ. l.* 5. Τῶν δὲ νῦν δείπνων προνοοῦντες οἱ Νομοθέται, τὰ φυλετικὰ δεῖπνα, καὶ τὰ δημοτικὰ προσέταξαν· ἔτι δὲ τοὺς θιάσους καὶ τὰ φρατρικὰ κτλ. i. e. *Conviviorum autem, quæ nunc florent, curam non exiguam habentes Legumlatores, mandârunt haberi convivia Phyletica* (pro Tribubus) *Demotica* (pro vulgo) *Porro Thiaſos* (pro Collegiis, ſic Philoſophi Magiſtris ſuis defunctis parentabant) *&* *Phratrica* (pro τὰς φρατρίας) &c. Rationem inſtituti idem reddit, dicens vinum ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν εἶναι, *animos attrahendi atque conciliandi vim habere.* Nomen à φρατρία, quæ vox an à φρέατος, ut *Euſtathius* vult: an à πατριᾶ, ut *Suidas*; an à φρέαρ, *puteus*, quòd ex eodem puteo haurirent, originem traxerit, non liquet: Interim aliàs Τριττὺς dicta, tertia erat pars Tribus, triginta γένη ſeu cognationes ſub ſe continens: Latinè *Fraternitatem* dixeris, cui qui præerat, Τριττύαρχος appellatus eſt, ſicut Φυλοβασιλεὺς Tribum moderabatur. Cicero *Curiales* vocat τοὺς φράτορας Athenienſium. Conveniebant hi diebus feſtis, in certo loco, cui *Phratrion* nomen, teſte Euſtathiô, *Il.* β. *&* ι. ac Polluce, *l.* 3. *c.* 4. (ubi liberi eorum in τῶν φρατόρων album ſolenni ritu referebantur) φρατρίζειν, i. e. εἰς φρατρίαν συνιέναι dixerunt. Vide quoque de Jove Φρατρίῳ, voce *Jupiter.* Nec γένη illa ſeu τριακάδες illæ Fraternitarum harum ſanguine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

guine ſolum junctos complectebantur, ſed ſocietatis potiùs vinculô civili colligatos eorundemque jurium ac privilegiorum participes: σύστημα κοινωνικὸν, item κοινωνίαν Grammatici vocant. Qui verò *Phratricum* iſtiuſmodi epulum dabat, dicebatur ἑστιάζειν τοὺς φράτορας, Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ l.* 1. *c.* 5. & ſuprà in voce *Demarchi*, *Lexiarchicum*, *Liberi*, &c.

PHRAZI, Bactrianæ urbs, *Ptolem.*

PHREARRHI, vicus Athenis in tribu Leontide, à *Phrearrho* inſigni heroë Athenis, *Stephan.*

PHREAS Johannes, vide *Johannes.*

PHREATA, Garſauriæ in Cappadocia oppid. *Ptolem.*

PHREATTYS, locus Atticæ, unde unum ex X. Athenienſium Tribunalibus τὸ ἐν Φρεαττοῖ, de quo aliquid diximus ſupra, voce *Dicaſteria.*

PHREGENA, vide FREGENÆ.

PHRENITIS, ſapientiæ morbus, Plinio, *l.* 7. *c.* 51. cui & *fimbriarum curam & veſtium plicaturas* tribuit. Eidem κροκυδισμὸν Galenus aſcribit, *in Medico*; Ubi κροκυδισμὸς, eſt à verbo κροκυδίζειν, quod *Pollux* exponit ἐκλέγειν τὸ τραχὺ τοῦ ἐρίου, *aſperiores floccos extrahere*; κροκύδες enim flocci ſunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 398. Hinc *Phrenetici*, quos non ſentire damna corporis, docent nos Medicorum filii. Unde de inſanis illis & phreneticis Gallis, Cybeles Sacerdotibus, Statius, *Theb. l.* 10. *v.* 170.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferrô
Scire vetat ——

PHRETES, populi Libyci, *Stephan.*

PHRIAPITUS, Rex Parthorum tertius, memoratur Livio, *l.* 41. *c.* 5. ubi libri præferunt *Panpatius*, vel *Phriapatius*, vel *Fricipatius*, pro *Phriapitus*, quod & uni è majoribus Arſacidarum nomen fuiſſe, diſcimus ex Arriani *Parthicis* apud Photium, ubi Arſacem & Teridatem fratres Arſacidas, τοῦ υἱοῦ Ἀρσάκου τοῦ Φριαπίτου ἀπογόνους, *Phriapiti, Arſace geniti, nepotes*, Phereclem, ab Antiocho cognomine *Deo* Macedoniæ præfectum, quòd alteri fratrum execrabilem vim iviſſet illatum, è medio ſuſtuliſſe, atque, re cum quinque aliis commununicatâ, gentem Macedonum ad defectionem impuliſſe, & in patria ſua imperiô arreptô, ad magnam amplitudinem fuiſſe provectos, refert. Niſi malis legere *Parapitus*: nam *Parapita* Perſicum mulieris nomen, apud Xenophontem, qui filium fuiſſe ait Pharnabazo ἐκ τῆς Παραπίτας, *Hiſtor. l.* 4. Vide Jo. Frid. Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 10.

PHRICION, mons Locridis ſupra Thermopylas, cujus incolæ, Æoles & Phricanes dicuntur, cùm *Phricies* potiùs dicendum eſſet; dictus eſt à *Phricio* Centauro, quem occidit Hercules: olim *Crios* dicebatur. Eſt & Lariſſa *Phriconis* cognominata, vel *Phricontis.* Incolæ *Phricones*, *Stephan.*

PHRICODEMUS, Oeantiorum tyrannus, Polyæn. *l.* 8. *c.* 46.

PHRISUM, in *Chron.* Caſinenſi *l.* 3. *c.* 58. *Planetam purpuream, cum* phriſo *& cum aquila è margaritis contexta*, ornamentum eſt in veſtibus, quod Itali *Freggio*, *Guarnimento & Ornamento* vocant, Dominic. Macer *Hierolex.* Aliàs *Friſum*, uti ex Leone Oſtienſi, *l.* 2. *c.* 61. docet Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi fimbriam ſeu laciniam, Gall. *Frange*, hâc voce denotari, eamque ex *Phrygiam* corruptam eſſe, addit. Vide hîc paſſim.

PHRITIGERNUS, Rex Gothorum Occidentalium ſeculô 6. Valentis opem contra Athalaricum Gothorum Oriental. Regem imploravit, per Wlphilum Epiſcopum Arianum, qui characteres excogitavit, Bibliaque in linguam ſuam tranſtulit: quam ut facilius obtineret, cum pleraque ſubditorum parte Arianiſmum & ipſe amplexus eſt. Amm. Marcellin. *l.* 18. Hieron. *in Chron.*

PHRIXA, oppid. fuit Thiphyliæ, poſteà *Phaſtus*, *Steph.* 50. ſtadiis ab Olympia· Hinc *Phrixæus.*

PHRIXUS, portus Sarmatiæ Aſiaticæ apud fauces Boſphori Cimmerii, *Steph.* Flumen Argiæ, inter Temenium & Lernam in mare fluens, Pauſan. *l.* 2. oppid. Lyciæ, *Stephano.*

PHRONIMA, filia Etearchi Regis Cretæ, quæ ſuaſu novercæ in aquas à patre juſſa eſt præcipitari, Themiſone quodam ſceleris miniſtrô, Herodot. *l.* 4.

PHRONTIS, Phryxi fil. ex Chalciope Æëtæ filio.

PHRONTISTÆ Fidei, apud Euanthum Abbatem *Ep. contra eos qui ſanguin. animal immundum eſſe judicant: Nam in Chriſti nomine* Phrentiſtæ fidei *Chriſtianæ effecti & ſanguinem comedendum Chriſtianos apertè docemus & a ſanguinis opera declinare omnes hortamur.* Ubi edidit Caniſius, *Nam in Chriſti nomine frontis & fidei Chriſtianæ effecti*: qui fortè putavit acutè dici, non fidei tantùm, ſed *& frontis Chriſtianæ effectos*, qui frontem chriſmate & crucis ſignô notati eſſent. Sed in unica illa membrana, unde libellus editus eſt, ut ipſe in margine notavit, habetur, *frontiſte fidei.* Unde Euanthus ſine dubio ſcripſit: *in Chriſti nomine* Phrontiſtæ fidei *Chriſtianæ effecti*, ut reponit Gronovius. Græcè φροντισταί. Quod nomen optimè convenit ſive univerſis Chriſtianis, qui unum habent Magiſtrum Chriſtum & legem ejus meditari ac commentari debent die ac nocte: ſive Aſcetis & Monachis, quos videtur præ cœteris intelligere Auctor, quorum & κατ' ἐξοχὴν *Studium* dicitur. Hieronymus, in *Vita* S. Hilarionis: *Nec dum enim tunc Monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam Monachum, ante S. Hilarionem, in Syria noverat. Ille fundator & eruditor hujus converſationis & ſtudii in hac provincia fuit.* Euagrius *de VIII. vitiis*, Gennadiô interprete: *Ac denique omnem, ut dici ſolet, machinam movet, quô Monachus cellâ relictâ ſtudium fugiat.* Ubi perperam Vir doctus, *ſtadium*, exiſtimat legendum eſſe. Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ. c.* 5. Hinc *Phrontiſterium*, pro *Monaſterio.* *Acta* Philææ & Philoromi, Rufinô interprete, *num.* 8. *Jam immolavit in Phrontiſterio.* Ἀγνευτήριά τε καὶ Παρθενῶνας καὶ Φροντιστήρια,

apud Gregorium Naz. *Orat.* 3. *quæ prima eſt in Julian.* Τὰ τῶν Ἀσκητῶν Φροντιστήρια, Palladio, in *Vita* Chryſoſtomi *p.* 96. *edit. Emerici Bigotii.* Ψυχῶν Φροντιστήρια, Theophylacto, *in Inſtitut. Reg. c.* 10. Sic Perdiccas Epheſius *de Them. Hieroſ.* καὶ δέκα Φροντιστήρια παρθένων ἰσαρίθμων: Sic Autor *Vitæ* S. Nili Junioris, *p.* 112. Alii, quos laudat C. du Freſne *Gloſſar.* item *Notis ad Cinnamum p.* 430.

PHRUDIS, Galliæ Belgicæ fluv. *Ptolem. Some Becano*, *Sambri* verò *Canali.* Sed hic in Moſam defertur, ille in Oceanum Britannicum *Ferrar. Baudrando* Phrudis *Breſle* fluv. eſt parvus, qui Caletes ab Ambianis ſeparat, ut & Normanniam à Picardia. Oritur ſupra Albamalam; & aliquot auctus rivulis, in Oceanum Britannicum ſe exonerat, paulò infrà Argum oppid. 6. leuc. ab Abbavillâ in Occidentem, uti & 12. ab Ambiano.

PHRUDIUS, ſeu FRAUDIUS, apud Juſtinum, *l.* 42. *c.* 3. auriga Caſtoris, l. *Rhecius*, & vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 193.

PHRUGUNDIONES, Sarmatiæ Europææ gens, *Ptol.*

PHRURI, Scythica gens Sericæ vicina. *Dionyſ.*

Καὶ Τόχαροι, Φροῦροί τε, καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.

Ubi aliqui Φρῦνοι. *Nic. Lloydius.*

PHRURIUM, promontor. Cypri. inter Zephyrium promuntor. ad Occaſum, & Curium, urbem ad Ortum, *Capo Bianco Mercatori.* Item Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.* Nunc *Golcondâ* quibuſdam.

PHRURON, Thebanorum in Ægypto vetus Rex, qui & *Nilus.* Vide *Nilus.*

PHRUSINO, vide FRUSINO.

PHRYGES, fluv. Aſiæ, Phrygiam magnam à Caria dividens, Pauſan. *l.* 2.

PHRYGETRUM, vide *Nuptiæ.*

PHRYGIA, regio Aſiæ minoris gemina: *Magna Ptolemæo*, ſeu *Major Xenophonti*, Livio, *l.* 37. *c.* 56. *l.* 38. *c.* 39. & aliis, quæ & *Pacatiana* in *Libr. Notit.* & *Concil.* dicitur, & *Salutaris*; in qua Synnada, & Laodicea metropoles, tota mediterranea. *Germian Caſtaldo*, *Durgat* verò Turcis, teſte Leunclaviô; Galatiæ, Pamphyliæ, Lydiæ, Cariæque confinis. Altera *Minor*, quæ Epictetos, teſte *Strabone*, dicta eſt & Helleſpontiaca, & Troas *Ptolemæo*, Myſia verò Plinio, *l.* 5. *c.* 32. *Sarcum*, vel *Sacrum Caſtaldo*, in qua urbes Alexandria, & Dardanum in ora, & intus Ilium, ſive Troja. *Baudrando Phrygia magna*, regio ampla eſt, inter Bithyniam ad Boream, Galatiam ad Ortum, Pamphyliam & Lydiam ad Meridiem & Myſiam ad Occaſum, quâ ſeparatur à *Phrygia parva.* Tota nunc ſub Turcis eſt. Ejus Metropoles Synnada, Laodicea, & Hierapolis; extenditurque per 230. leuc. à Circio in Eurum, nempe à Bithynia, ad confinium Pamphyliæ, ſed non æquè lata. Plin. *l.* 5. *c.* 32. *Strab. Ptol. Cluver.* Populi *Phryges.* Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 617.

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma. —— ——

Vel à Phrygia Cecropis filia, vel à Phryge fluvio. Antiquitas eos *Bryges* appellavit, uti docet Herodotus, *in Polyhymnia*: qui addit, ſic dictos eſſe, priuſquam tranſmigrâſſent in Aſiam. Strabo habet Βρίγες, & Βρίγους. *Brigantes* eoſdem nominari ab *Herodiano* tradidit *Stephanus.* Item locus inter Bœotiam & Atticam, *Stephan.* Porrò *Phryges* barbari ac ſervili ingeniô eſſe feruntur, qui ſolis verberibus in officiis continentur, unde Proverbium: *Phryx verberatus melior*, teſte *Suidâ*, quod & Cicero habet *in Orat. pro L. Flacco*, *c.* 27. ubi ait, *Phrygem* plagis meliorem fieri ſolere. Illud quoque: *Serò ſapiunt Phryges*: non ſolùm ab Andronico, ſed etiam à Tullio, *in l.* 7. *epiſt. Famil.* 16. uſurpatur in eos, quos ſerò pœnitet malè ſeu ſtultè factorum. Phrygum Cannacas Rex, qui & *Cannacus* & *Annacus Stephan.* cùm ſupra 300. annos vixiſſet, conſultum oraculum quando moriturus eſſet, reſpondit, *mortuo Cannacâ, omnia peritura.* Quapropter omnes flere & orare, tantùm ut malum Deus averteret. Unde adagium, *Cannacæ more plorare*, apud Zenod. de gravi luctu. *Nic. Lloydius.* Sed & Phrygia onagris abundat; ut & Lycaonia, Arcadia, India, & Mauritania, ubi velociſſimi, *Ferrar.* In eadem totam civitatem cum piis combuſtam eſſe, ſub Diocletiano Imperatore habet Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* ex Euſeb. *l.* 8. *c.* 6. *&* 12. Cœterùm, habuêre & *Phryges* Philoſophiam ſuam, quæ magis eſſet cognita, ſi extaret Democriti λόγος Φρύγιος, Laërtio memoratus *l.* 9. Interim de eorum Theologia videſis *Diodorum Siculum ac Euſebium.* Præcipuum eorum Numen Cybele, unde è buxo tibiæ, in illius ſacris adhiberi ſolitæ, eorum inventum. Jul. Firmicus *de errore profanar. Relig. in Sacris* Phrygiis, *quæ Matris Deûm dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur & in media arbore ſimulachrum Juvenis ſubligatur.* Hinc *Phrygia buxi*, apud Barclajum *Euphorm.* Iidem veſtium acu pictarum primi feruntur auctores, quæ cauſa quòd iſtiuſmodi artifices *Phrygiones* fuerint vocati, Plin. *l.* 8. *c.* 48. Titinnius apud *Nonium*,

Phrygio fui primò benéque id opus ſcivi;
Reliqui acus aciaſque hero atque heræ noſtræ.

Verùm gens adeò effœminata, ut *Phrygiæ* propterea dicti ſint, quemadmodum Antigonum Judæum *Antigonam*, apud Joſephum *Antiqq. Jud.* ab Antonio dictum legimus: & qui è communione Romana Johannem VIII. virum fuiſſe malunt, illum, quôd à maſcula Nicolai deceſſoris fortitudine deſciviſſet, fœminam fuiſſe dictum credi volunt. Et habitu id teſtati, mitram quippe capite geſtantes, quod non niſi ab effœminatis factum, Servius teſtatur *ad Æn. l.* 4. *&* 9. In Muſica *Phrygius* modus, Hyagnidis Phrygis inventum, gravis erat ac vehemens: & ut Doricus inſpirabat hominibus animum bellicum, ita is ciebat religionem ſeu ſuperſtitionem potiùs. Caſſiodoro verò *Variarum l.* 2. *Ep.* 40. *ad Boëthium*, *Phrygius pugnas excitabat & votum furoris inflammabat.* Certè animos mirum in modum concitabat, unde Muſicam hanc, ut & Dithyrambicam, neque pueris ne-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

que fœminis convenire judicat Voſſius: Socratis exemplô, apud Platonem *de Rep.* tibiam propterea improbantis; ut quæ animos accendat, præſertim in fœminis, quæ iis uſæ ad furorem concitandum in Orgiis Bacchi & ſacris Magnæ Matris: ubi idcirco & tympanis & cymbalis locus fuit. Hinc lyra Pythagoræ magis placuit, ac Græcis, cujus apud illos in conviviis uſus: Latinis aliter judicantibus. Non innotuit autem hic modus Græcis, ut nec Lydius, priùs quàm utraque gens cum Pelope in Peloponneſum deſcendit, Athenæus, *l.* 14. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gymnaſtica*, ſeu potiùs *de* 4. *Artib. Popular. c.* 4. *paſſim.* Ex *Phrygio* & Dorico cantu, quæ conſtat Muſica, *Phrygiodora*, per ſyncopen *Phrygdora*, corruptè *Fridgora*, ab Ekkehardo *in vita Notkeri*, *c.* 9. dicta eſt, quæ in Eccleſia Græca obtinuit, Occidentanæ, quæ cantus eſt Eccleſiæ Latinæ, oppoſita, de qua ſuô locô. Vide quoque paulo *infrà*. Cœterùm Salmaſio videntur Recentiores, ex *Phrygia magna* duas provincias feciſſe, *primam* ſeu *Pacatianam*, & *ſecundam* ſeu *Salutarem*; quæ utraque ſub *Anatoliæ* provinc. à *Ptolemæo* collocatur, & à Præſidibus regebatur, vicario Aſianæ Diœceſ. ſubjecta: at quæ *Phrygia minor* olim dicta eſt, Troadem appellare maluiſſe, cujus incolas Thracenſium Themati poſteriores vindicârunt, cùm olim una ex provinciis fuiſſet, quæ Proconſularem Aſiam conſtituebant; Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 803. *& ſeqq.*

PHRYGIA, locus Oetæ montis, ubi combuſtus Hercules, ἀπὸ τοῦ πεφρύχθαι ἐκεῖ τὸν Ἡρακλέα. Item, locus inter Bœotiam & Atticam, ſic dictus propter φρύγανα, quibus oppletus eſſet; dicuntur autem φρύγανα Græcis, item φρύγια, *cremia*, *fomites*, ligna arida, vel aſſulæ combuſtæ, quibus ignis foveretur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 180. & 864.

PHRYGIONES, οἱ βελονοποικιλταὶ, *acupictores*, dicti Veterib. quos hodie Galli *Brodeurs* vocant, ſicut iiſdem *opus phrygionicum* dicitur *ouvrage en broderie.* Hi variis argumentis veſtes, pulvinaria, ſtragula, ſoliaria & cœtera id genus depingebant. Varro apud *Nonium*, *Phrygio*; *qui pulvinar poterat pingere, ſoliar defigebat.* Uti legi vult Salmaſius, ex vetere ſcriptura, quæ habet, *devigebat.* Proprium namque *Phrygionis*, & ejus, qui acu pingit, *defigere.* Græci κεντεῖν & καττασίζειν de iiſdem dicunt. *Heſych.* Καττάσικτον ποικίλον καὶ Σώφρων κεντήματά φησι. *Pollux*, ὁ δὲ κατάστικτος χιτὼν ἐστὶν ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα. Κεντητὰ etiam opera appellabant, quæ hâc arte laborata & acu picta erant. Epictetus *Enchir.* Ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γίνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν. Ubi hôc, quô diximus, genere laboratum calceum ſeu acupictilem ſive acupunctilem dixeris, κεντητὸν vocat, & facit pretioſiorem auratô & purpureô. Inde & πολυκέντητον. Idem *Heſych.* Πολύκεστον, πολυκέντητον, ἐξ οὗ τὸ ποικίλον δηλοῖ. *Defigere* igitur pulvinar, *defigere* veſtem dicitur Phrygio, dum eam vel illud acu pingit: Ad verbum Græcis διακεντεῖν τὴν χιτῶνα, eôdem ſenſu. *Heſych.* iterum, Κεστὸν ἱμάντα, τὸν ποικίλον ἱμάντα, ἢ χιτῶνα ποικίλον ἢ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἱμάντα καὶ ὁ διακεκεντημένος χιτών. Sic hodie à *punctis*, *Contrapunctores* Galli vocant. Iidem *Plumarii* quoque Veterib. dicebantur: qui *Plumarios textores* junctim appellabant Textores, qui acu lintea variabant, atque *acu texere* dicebantur. *Heſych.* Βελονοποικιλτής, ὁ τῇ ῥαφίδι ὕφη ποιῶν καὶ ζωγραφῶν. *Acu pictor, qui acu texturas facit & pingit.* Artem enim plumariam τὴν ποικιλτικὴν τέχνην, texturæ ſpeciem Veteres pronuntiabant, ſed de hac vide plura infrà. A Babyloniis, periſtromata pingentibus ita ſeparat Tertullianus, ut Phrygibus inſuendi artem, Babyloniis intexendi tribuat. Sic enim is *de Hab. Mul. Age nunc, ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonii intexerent.* Et ſanè Babylonii ſtragulis veſtibus, quas pingebant, diverſos colores intexebant; ſed ars tamen hæc eorum pingendi tota acu peragebatur, quare non minùs *inſuere*, quàm *intexere*, dici poſſent. Nota illa Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 17.

—— Babylonica picta ſuperbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Hinc ῥαπτὰ Græcis tapetia Babyloniô opere picta. *Xenophon*, Ὑποτιθέντων δὲ τῶν θεραπόντων ῥαπτὰ, ἐφ᾽ ὧν καθίζουσι οἱ Πέρσαι μαλακῶς. *Conſuta tapetia* vocat Plautus, *in Sticho*, *Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 54.

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia
Advexit nimiùm bona rei.

Conſuta, ῥαπτὰ, κεντητὰ, ῥαπιδοποικιλτά. Ῥαπιδοποιοὶ namque Græcis etiam, οἱ ποικιλταὶ, *qui acu faciunt*, ut de Phrygibus dicit Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Heſych.* Ῥαπιδοποιὸν, τὸν ποικιλτὴν Δωριεῖς: dicebant & Ῥαφιδευτὴν, &c. *Inſuere* igitur non minùs proprium Babylonicorum plumariorum, quàm *intexere*: quemadmodum è contrario *intexere* non minùs de Phrygibus ſeu *Phrygionibus* dici queat. Nam & hi veſtibus, quas acu pingebant ac variabant, aurum inſuendo & diverſicoloria fila intexendo, *Plumariorum* quoque ſibi Textorum nomen vindicârunt. Sed etſi utrique acu uterentur, diverſum tamen *Phrygionum*, & eorum, qui *Babylonica* variabant Plumariorum, fuiſſe artificium & in diverſis operibus artem eam exercuiſſe, certum eſt. *Phrygio* enim non ipſe pulvinar aut veſtem faciebat, ſed jam factum accipiebat, ut variis operibus eam exornaret & picturis elegantibus variegaret. Plautus, *Menach. Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 72.

Pallam illam, quam dederam dudum, ad Phrygionem *ut deferas,*
Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ volo:

non ſolùm pallam ſuam vult reconcinnari & quæ in ea corrupta erant ac læſa ſarciri, ſed etiam alia quædam adjici ornamenta picturaſque ad eas, quas jam habebat, acu *Phrygionis* factas. At Babylonicorum Plumarius, diverſos colores picturæ intexendo, uno ſimul in opere eâdemque operâ, totum Babylonicum acu pertexebat ac conficiebat. Præterea, quòd in pulvinari aut veſte pinxerat *Phrygio*, id opus ita expreſſum in veſte extabat, ut extra corpus veſtis emineret & quâ parte inſutum aurum, aut colores acu intexti eſſent, eâ parte veſtis aſperior ac rigidior reddebatur. Babylonicus verò Plumarius adeò unitum atque æquabiliter pictum totum opus ſuum dabat, atque adeò omnia exæquabat, ut figura figuram non ſuperſcanderet, ſed lævis & plana ubique totius contexti facies appareret, licèt pluribus coloribus intexta variiſque picturis diſtincta eſſet. Nonius, *Tapete, tegmen unice pictum de coloribus variis:* ψιλὴν intelligit ſive Babylonicum, quod nihil inæquale habebat, ſed omnia unitè picta & merâ æquabilitate expreſſa, homines, belluas, gryphes & alia id genus, quibus variari ſolebant; quod etiam hodieque videre eſt, in noſtris tapetibus & aulæis, quæ acu pinguntur. Cœterùm præter hos *Phrygiones* Plumarioſque fuêre & Polymitarii, de quibus ſuô locô. Vide etiam infrà *Pingere veſtes.*

PHRYGISCI Equi, apud Vegetium, *l.* 3. ſicut & *Daciſci*, in *lib. Notit.* pro *Phrygibus* & *Dacis*; *Tertiô locô* Phrygiſcos *non minùs velocitate, quàm continuatione curſûs, invictos.* Sic *Hunniſci equi*, apud eundem Vegetium, *Franciſci*, apud Æthicum in *Coſmogr.* Similiter *Threciſcas* legitur, apud Jul. Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 3. *Quid vis Threciſce? nunquid delectat luctari poſt curſum.* Ubi Salmaſ. *Threciſcum*, ait, ὑποκοριστικῶς, *quâ formâ ſæpius utuntur Scriptores, in nationibus appellandis.*

PHRYGIUM, non rarò Mitra dicitur, *Phrygum* geſtamen, aliter quoque *Phrygius amictus.* Maro, *l.* 3. *Æn. v.* 545.

Et caput ante aras Phrygiô velatus amictu:

quem Giraldus *Syntagm.* 17. *Hiſt. Deorum*, de titulo Romano accipit; Fulgentiuſque *ad Chalcidium* ait, fuiſſe pallium, quô Sacerdotes ad ſacrificium accedentes caput velabant. Sed paulo meliùs antiquus Juvenalis Interpres, ad illud *Sat.* 6. *v.* 516.

—— Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ:

oſtendit, *Phrygium* fuiſſe tiaram ſeu galeam Sacerdotis, quæ per malas veniens mento ſubligaretur. Unde lux Valerio Flacco, *l.* 6. *v.* 700.

Subligat extremâ patriam cervice tiaram.

Nec non Senecæ, cujus illa ſunt, *in Thyeſte*, *Actu* 4. *v.* 662.

—— Hóc Phrygius locô
Fixus tiaras Pelopis.

Nempe adjectiva vox eſt, ſed abſolutè ſine ſubſtantivo poſita, ut in Re Veſtiaria fieri amat. Subintelligitur autem *pileum* vel *lorum*, vel aliquid tale. Vetuſtiores enim *Phrygiam mitram*, & *Phrygiam tiaram* dicebant, quod poſteriores abſolutè *Phrygium.* Cujus amictus iconem exhibet: ſub myſtico Attidis ornatu, in Veterum aliquot nummis conſpicuam; Pignorius in *Magnæ Matris Deûm ac Attidis initiis*, & ex illo Anſ. Solerius *de Pileo ſect.* 11. Hodie in Pontificis Romani habitu *Phrygium* quoque, quod Iſidorus, *Orig. l.* 19. *c.* 31. interpretatur, *pileum caput protegentem.* Quam notionem ex ipſis Græcis illuſtrat Eugubinus, *ad fin. l.* 1. *contra Vallam.* Car. du Freſne *Phrygium*, apud recentiores Auctores, ſumitur pro præcipuo capitis Pontificii ornamento, quod hodie triplici coronâ inſigne eſt, vulgoque *Regnum* appellatur Scriptoribus, quô in ſolennibus ceremoniis Pontifex Roman. utitur, quodque à Conſtantino M. Sylveſtro Pontifici conceſſum ajunt. *Frigium* dicitur, in *Ep.* Calliſti II. *ad Steph. Camerar. Et frigii quidem coronæ capiti noſtro impoſitâ, gaudentes exultanteſque per viam ſacram, ad Lateranenſe palatium uſque, ſolenni ritu nos proſecuti ſunt.* Sic Sugerius in *Ludovico VI.* Rege, de Alexandro Pontif. *Cumque Turonis apud S. Martinum, ut mos eſt Romanis, frigium ferens, Letare Hieruſalem celebrâſſet.* Et infrà, de Calliſto II. *Ibique more Romanô ſeipſos preparantes, multô & mirabili ornatu, circumdantes capiti ejus frigium, ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulô aureô circumcinnatum, imponant.* Joh. Sariſberienſis *Policrat. l.* 8. *c.* 23. de Hadriano Pontif. *Spinoſam*, dicit, *Cathedram Romani Pontificis, in tantum acutiſſimis uſquequaque conſertam aculeis, tantaque molis, ut robuſtiſſimos premat, terat & comminuat humeros Coronam & Phrygium clara meritò videri, quoniam ignea ſunt* &c. E qua *Phrygii* Pontificii deſcriptione collegit Car. du Freſne, ſimilis fuiſſe figuræ, quâ Conſtantini M. *Camelaucium*, de quo pluribus agit *Diſſertat.* 24. *ad Joinvillam p.* 291. Idem verò magni muneris locô ſubinde & alios geſtare permiſerunt Pontifices, ut de B. Anſelmo Luc. & S. Malachia, habet Baronius *A. C.* 1085. Aliique.

PHRYGIUS, ex Neſei poſteris, amore Pieriæ, ſeditionem & diſſidium cum Mileſiis Myuntem incolentibus compoſuit. Polyæn. *l.* 8. *c.* 35.

PHRYITIMAS, ſeu PHRISTIMUS, flumen Perſiæ, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1181.

PHRYNA, meretrix apud Athenas, de qua Athen. *l.* 13. & Quintilian. *l.* 2. *c.* 15. *Et Phrynen non Hyperides actione, quanquam admirabili, ſed conſpectu corporis, quod illa ſpecioſiſſimum alioqui deductâ nudaverat tunicâ, putant periculô liberatam.* Athenæus, *loc. cit.* ex ſexto κωμῳδουμένων Herodoti refert duas fuiſſe *Phrynas*, quarum una à Rhetoribus dicta ſit Σηστὸς, ἀπὸ τοῦ σήθειν, quia amatores ſuos quaſi cribrô cerneret, & fortunis excuteret. Altera Theſpiaca, adeò opulenta, ut Thebarum ſe mœnia inſtauraturam ſponderet, dummodo hoc aſcribere vellent Thebani: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΕΝ ΚΑΤΕΣΚΑΨΕΝ, ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ Η ΕΤΑΙΡΑ.

PHRYNICHI, fuerunt quatuor. Unus inſignis poëta, fil. Polyphradmonis. Alter Choroclis fil. actor Tragicus. Tertius Poëta Comicus. Quartus dux Athenienſis, collega Aſtyochi. Scholia *in Ariſtoph. Aves* 576. *D.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHRYNICHUS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ decimæ annô quartô.

PHRYNICHUS, Dux Athenienſium, cujus auſpiciis victi Athenienſes admodùm ipſi infenſi erant, tanquam Proditori. Addunt Scholia *in Ariſtoph. Ran. Act.* 2. *Sc.* 6. in eum cùm multi Comicorum ac Tragicorum indignè inveherentur, infamiâ notatos illos omnes fuiſſe.

PHRYNICHUS, Samiorum Dux, jamjam urbem Athenienſibus proditurus, cùm in clara ſuſpicione haberetur, & res ad manifeſtum indicium ſpectaret; ipſe antevertit, quidque futurum eſſet, civibus aperuit. Polyæn, *l.* 3. *c.* 6.

PHRYNICHUS, Athenienſis, Olymp. 67. Tragicus, Melanthæ fil. Theſpidis diſcipulus, qui primus vultum fœmineum protulit in ſcenam, & tetrametrum reperit, filium habuit Polyphragmonem, poëtam & ipſum Tragicum: docuit tragœdias novem. Alter item Athenienſis, Comicus, Olymp. 86. inter ſecundos antiquæ Comœdiæ, qui docuit fabulam unam. *Jul. Pollux, Suid. &c.* Alius Bithynicus Sophiſta. qui ſcripſit *de Atticis dictionibus* à Nunneſio editis. Alius, Orator, tempore Antonini & Commodi Imperatorum, Auctor *Apparatus Oratorii*, libb. 36. Phot. *Bibl. Cod.* 158. Suidas, libb. 47. Alii, 74. habent. Item Lacedæmoniorum proditor, quem vetus Comœdia notavit, de quo extat proverbium: *Phrynichi lucta.*

PHRYNICHUS, Eunomidæ fil. ob inconcinnitatem Comœdiarum, & ob introductos in ſingulis onera ac ſarcinas geſtantes traductus. Vide Scholia in Ariſtoph. *Ranas Act.* 1. *Sc.* 1. Vide *in Veſp.* 414. E. 2. *Phrynichi* cujuſdam quadraginta viris Athenis adulantis, ad conciliandam potentiam meminit Ariſtotel. *l.* 5. *Politic. c.* 6. Thucyd. *l.* 8.

PHRYNON, *nontis*, cum Pittaco, ob Sigeum, ſingulari certamine congreſſus & ab eo reti, quod ſub ſcuto occultaverat, involutus, mortem oppetiit, & ſic adverſario victoriam conceſſit. Vide Polyæn. *l.* 1. *c.* 25.

PHRYNIS Mitylenæus, Poëta & Citharœdus, à Terpandro ſecundus. Terpander enim antiquiſſimus νόμων κιθαρῳδικῶν ποιητής, nomos ſuos verſibus Heroicis compoſuit, quibus modulos addebat. Idem quoque de Homeri verſibus fecit: primuſque adeò *citharœdicorum nomorum*, i.e. *carminum*, fuit auctor; Verſibus enim conſtabant νόμοι κιθαρῳδικοὶ & νόμοι etiam αὐλητικοὶ, ac qui eorum auctores extitêre, Poëtas etiam fuiſſe, certum eſt. Poſt Terpandrum *Phrynis* aliquid circa rationem κιθαρῳδικῶν νόμων immutavit; non tamen omnia: nam τὸ ἑξάμετρον τῷ λελυμένῳ conjunxit, & numerum auxit chordarum. Donec Timotheus totam eam immutavit, & ad numeros lege ſolutos dithyramborum deflexit, Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino Pio, c.* 7.

PHRYNONDAS, hoſpes Athenienſis: homo verſutus, maleficus inpoſtor, ſummus rerum malarum artifex, adeò ut quoties inſigniter malum accipi volebant antiqui, *Phrynondam* appellarent. Vide Proverb. *Phrynondas alter*, apud Eraſmum, *in Adag.*

PHRYX, gentile à *Phrygia* deductum; cujus fœmininum eſt *Phrygia*. Virgil. *Æn. l.* 9. *v.* 80. Item fluv. Phrygiæ minoris, *Phrygius Strab.* & *Hyllus*: A quo regio nomen accepit. Græcè ὁ Φρύγιος recentiori ævô, juxta *Strabonem* (qui eum priùs *Hyllum* appellatum eſſe, ait) dictus eſt, quòd inter τὰ Φρύγια, h. e. φρύγανα, inter *cremialia arbuſta & fruticeta* curſum ageret. In Hermum cadit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 864. & ſuprà, voce *Phrygia.*

PHRYXA, vide PHRIXA.

PHRYXÆUM Mare, quod Eubœam ad Meridiem circa Caphareum promuntorium alluit.

PHRYXI Oraculum, apud Albanos, ubi Arietis immolatio vetita, Strabo, *l.* 11.

PHRYXUS, meliùs *Phrixus*, Athamas Æoli fil. frater Cretheos, patruus Æſonis & Peliæ; ex *Nephele* uxore *Phryxum* & *Hellen* ſuſtulit: poſteà verò *Nephele* in nubem converſâ, *Inonem* Cadmi filiam duxit. Ea, cùm more novercarum privignos odiſſet, Æolicis fœminis perſuadebat, ſemina terræ mandanda torrerent: terra autem toſta, ſementis grana ſuſpiciens, infecunda permanſit, & magna proinde penuria ſubſecuta eſt. Qua de re ad Apollinem miſſi, qui oraculum ſciſcitarentur & ab Inone muneribus corrupti, nunciarunt, oraculum poſcere, ut *Phryxus*, & *Helle* mactarentur, quod; etſi Athamas diu facere recuſavit, neceſſitate tamen compellente Phryxum & Hellen ante aram mactandos conſtituit: verùm *Nephale*, mater eorum, nube ſuâ ad eos devecta, ut fugerent præcepit, tradiditque arietem lanam auream habentem, quô pontum eâ parte, quâ anguſtior eſt, transfretarent. Sed Helle, muliebri pavore perculſa, in mare decidit atque undis ſubmerſa ponto nomen indidit. Phryxus verò, Colchos ſe contulit atque ibi arietem, Mercurii conſiliô, Jovi Phryxio ſacrificavit, Æetæque regis filiam duxit uxorem, quam alii *Chalciopen*, alii *Jophoſſam*, alii *Eveniam* appellant. Pherecydes ei cognomen *Chalciopæ* & *Ophiuſæ* fuiſſe ſcribit. Ex eâ Phryxus quatuor ſuſtulit liberos *Argum*, *Phrontim*, *Melana*, & *Cithiſoron*, quem Ephorus *Cithorum* appellat, addit quintum *Presbonem* Epimenides. Vellus autem aureum in templo ſuſpendit, quod poſteà Iaſon Medeæ arte adjutus abſtulit. Aries verò inter ſidera locatus, priſtinam effigiem tenuit, qui à *Phrixo*, *Phrixeus* appellatus. Fabulæ occaſio, quià Phryxus, cùm ipſi cum noverca non conveniret, cum theſauris paternis, nave cui *Arietis* inſigne, Colchos ſe recepit. *Apollodor. Hygin.* Ovid. *Metam. l.* 7. Apollon. *l.* 2.

> Ἀτρεκέως δηκέω πῦ ἀκύετε ᾗ πάρος αὐτοὶ
> Φρίξον, ὅςις π'ολιέθρον ἀνήλυθεν Αἰήταο
> Κριῦ ἐπεμβεβαώς, τ' ῥα χρύσειον ἔθηκεν
> Ἑρμείας, *&c.*

Ovidius, *in Ep. Leandri, Heroid.* 18. *v.* 137.

> *Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,*
> *Vixque manet portu tuta carina ſuô.*
> *Hoc mare, cùm primum de virgine nomina merſâ*
> *Quæ tenet, eſt nactum, tale fuiſſe puto.*
> *Eſt ſatis amiſſâ locus hic infamis ab Helle:*
> *Utque mihi parcat, nomine crimen habet.*
> *Invideo Phrixo; quem per freta triſtia tutum*
> *Aurea lanigerô vellere vexit ovis.*

Manilius, *l.* 4. *Aſtronomicon:*

> ——— *Teſtis tibi laniger ipſe,*
> *Cùm vitreum findens auratô vellere pontum,*
> *Orbatumque ſuâ Phrixum per fata ſorore,*
> *Phaſidos ad ripas & Colchida regna revexit.*

Columella, *l.* 10.

> *Mox ubi Nubigenæ Phrixi nec portitor Helles.*

Statius, *Theb. l.* 5. *v.* 475.

> *Gentibus, æquorei redierunt vellera Phrixi.*

Martialis, *l.* 8. *epigr.* 28. *v.* 19.

> *Non Athamantheo potius me mirer in auro,*
> *Æolium dones ſi mihi Phrixe pecus.*

Idem, *ibidem epigr.* 51. *v.* 9.

> *Stat caper Æoliô Thebani vellere Phrixi*
> *Cultus: ab hoc mallet vecta fuiſſe ſoror.*

Vide Natal. Comit. *l.* 6. *c.* 9. *Nic. Lloydius.* De templo, an in ejus, an in Leucothoes ſive Inus, an potiùs in Helles honorem, extructo; deque theſauris illius ter ablatis, vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 24. Ab eodem nomen habuêre *Phryxianæ* Veſtes, Græcis αἱ ἀκρόμαλλοι, quas & *pexas* dixêre, vide ibi.

PHTHAS, Vulcanus dictus eſt, quatenus ſine mendacio peragit omnia, & artificioſè ſimul cum veritate. Gyrald. *Syntag.* 13.

PHTHELCON, oppid. Theſſaliæ, ad Sinum Pagaſicum, inter Demetriadem & Thebas Phthiotidis; *Fiteleo.*

PHTHEMBUTIS, Ægypti Nomus, *Ptolem.*

PHTHENOTES: Ægypti Nomus, *Idem.*

PHTHERIGIUS, mons Syriæ, Rhoſo urbi imminens, in ora, ubi Piapis fluvius exoneratur.

PHTHIA, urbs Theſſaliæ: patria Achillis, unde *Phthius* dicitur ab Horatio, *l.* 4. *Carmin. Od.* 6. *v.* 3.

> ——— *Trojæ prope victor altæ*
> *Phthius Achilles.*

Ejus meminit Ovid. *Metam. l.* 13. *v.* 156.

> *Quis locus Ajaci? Phthiam hac Scyronve ferantur.*

Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 288.

> *Cùm domus Aſſaraci Phthiam, claraſque Mycenas*
> *Servitiô premeret.* ——— ———

Item portus Marmaricæ, *Ptolem.* Plin. *l.* 4. *c.* 7. *Strab. Porto del Patriarcha*, teſte *Moletiô. Nic. Lloydius.*

PHTHINOPOLIS, Plinio *l.* 4. *c.* 11. *l.* 5. *c.* 32. *Phinopolis.* Vide ibi.

PHTHINTHIA, oppid. ſeu pagus Siciliæ mediterran. in ora Auſtrali ad fluv. cognominem, inter Camarinam, & Terram novam in mare influentem. *Drilo*, teſte *Nigrô.*

PHTHIOTIS, una ex 4. Theſſaliæ partibus, *Strabo. Phthia Polybio*, in qua Thebæ, metropol. vulgò *Ziton.* Hinc *Phthius*, & *Phthieus.*

PHTHIRA, Cariæ mons, *Stephan.*

PHTHIRIASIS, Sullam ſuſtulit: de quo Plin. *l.* 7. *c.* 43. *Age, non exitus vitæ ejus omnium proſcriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente ſe ipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente.* Plutarchus in *Sylla* plures alios memorat, qui eôdem genere mortis occubuerunt: nempe Acaſtum Peliæ filium, Alcmanem Poëtam, Pherecydem Theologum, Olynthium Calliſthenem in vinculis, Mutium Juriſconſultum & Ennium illum, qui in Sicilia bellum ſervile moverat. Quibus multi noſtrorum Antiochum Epiphanem & Herodem Agrippam accenſent; quia viventium corpus à vermibus legitur fuiſſe conſumtum, 2. Maccab. *c.* 9. *v.* 9. & Actor. *c.* 12. *v.* 23. ubi nomine *vermium* pediculos intelligi volunt. Sed in Actorum loco hos omnino refellit vetuſtiſſimus ille Bezæ codex, qui ſic habet, Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, οὕτως ἐξέψυξεν, *Et à vermibus eroſus adhuc vivus exanimatus eſt:* Quod de veris vermibus rectè dicitur, qui erodere ſæpius non ſolent, niſi mortuos; ſed fruſtra obſervaretur, adderenturque illa, ἔτι ζῶν, *adhuc vivus*, ſi res eſſet de pediculis: hi enim vivis, non mortuis, infeſti ſunt. Quin morituri hominis corpus deſerunt, ut obſervat Philoſophus ἐν τοῖς Ζωικοῖς, quæ hodie non extant: citantur autem ipſa ejus verba ab Apollonio, *Mirabil. c.* 27. Nempe, ut aſſerit Alexander Aphrodiſæus, *l.* 2. *Probl.* 30. pediculi tepore quôdam & succô ſanguineô eôque dulci opus habent, quibus cùm deſtituantur in mortuis corporibus, facilè illa deſerunt, ut meliora loca quærant. Scaliger quoque *Exercitat.* 246. tradit, tanquam in publicis noſocomiis rem notiſſimam: *ubi è miſeris illis moritur aliquis, confeſtim è veteri hoſpitio, ſcil. cadavere, demigrare hos hoſpites.* Vide quoque Ambroſium Leonem Nolanum, *Probl.* 225. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 18. & Hug. Grotium, *Hiſtor. Belgic.* ubi de obitu Philippi II. Hiſpaniæ Regis, qui ſimili mortis genere ex hac vita migravit.

PHTHIROPHAGI, populi Sarmatiæ Aſianæ in Corocondama peninſula teſte *Strabone* ad Euxinum mare.

PHTHIUS, Achæi fil. Hellenis pater, ex Chryſippe Iri filiâ, Stephanus *de urbe Hellade Theſſal.* ἐκτίσθη ὑπὸ Ἕλληνος, οὐ τοῦ Δευκαλίωνος, ἀλλὰ τοῦ Φθίου καὶ Χρυσίππης τῆς Ἴρου, *Condita eſt ab Hellene, non Deucalionis, ſed* Phthii *& Chryſippæ, Irô genitæ, filio.* Hinc *Phthia* regio, quam eandem eſſe cum *Hellade* & *Achaja* quidam tradiderunt, ut *Strabo* refert, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PHTHONTIS, Ægypti vicus, *Ptolem.*

PHTHURIS, Æthiopiæ oppid. unum ex iis, quæ C. Petronius, quum ab Auguſto Ægypto præfectus eſſet, expugnavit, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PHTHUTH, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. extra Herculis columnas, in Oceanum Atlanticum influens, inter Solis montem & Phut oppid. *Tenſiſt Caſtaldo*, *Fez Varrerio. Sanſoni* oritur ex Atlante; dein inter provincias Marochiam & Haſcoram fluens, ut & inter Duccalam & Heam, in regno Marochio, aliquot auctus fluv. paulò intra Azafiam in Oceanum Atlanticum influit.

PHUA, Hebr. פוה Fil. Iſſaſchar, Gen. *c.* 46. *v.* 13. Latinè *hîc*, adverbium loci, aut *os*, *oris*.

PHUA, Hebr. פועה. Nomen obſtetricis cujuſdam Hebræorum, Exod. *c.* 1. *v.* 15. Latinè *gemens*, *ululans*, vel *apparens*.

PHUCARI, ſeu PHYCARI, populi Indici Caucaſi incolæ. Plin. *l.* 37. *c.* 8. de Callaina gemma, *Naſcitur poſt averſa Indiæ, apud incolas Caucaſi montis* Phycaros *ac Aſdatas, amplitudine conſpicuâ.* Idem tamen eoſdem, circa Mæotim ponit, *l.* 6. *c.* 7. Hinc priorem locum corruptum judicat Salmaſ. & pro *Phycaros*, *Tocharos* legi debere cenſet, ac pro *Aſdatas*, *Sacas* & *Dahas*; qui populi omnino poſt averſa Indiæ habitant, ad ſiniſtram Caucaſi & Paropamiſi. Vide eum *Exercit. Plinian. ad Solin. p.* 795.

PHUCARUM, ſeu PHUCARIUM, φύκαρον vel φυκάριον, infimæ Græciæ, fucus mulierum eſt; à voce priſca φῦκος, quâ nonnulli algam marinam puniceam intelligunt, eamque à fœminis ad fucum genis indendum adhibitam eſſe exiſtimant. Sed hos *Dioſcorides* reprehendit, qui algam marinam φῦκος θαλάσσιον vocat, cognomine hôc additô, ut illam à radice illa herbæ in terra naſcentis, quæ & ipſa φῦκος dicta eſt & mulieribus hâc fini adhibita, diſcriminet: φῦκος φοινικοῦν, ὅπερ ἔδοξαν εἶναι, ᾧ αἱ γυναῖκες χρῶνται, ὅλος ἐκείνου ῥίζιν, ὁμωνύμως δὲ καλουμένου φύκους. Radicem ergo eôdem nomine, *fucum* mulierum eſſe ait. Sed quænam illa radix, an anchuſa? Ita omnino videtur. Hujus enim radice ad eam rem abuſas olim mulieres fuiſſe, docet *Heſych.* ἄγχουσα, ῥίζα ᾗ φυκοῦνται τὰ γύναια. Et, ἀγχουσίζεται, ἐντρίβεται τὰς παρειὰς οἱονεὶ φυκάρῳ. Sic, ut citeriores Græci φύκαρον, ita & ἔγχουσαν, dixerunt de eadem re. Idem *Heſych.* Ἔγχουσα ῥίζα τις, ᾗ παρειὰς ἐρυθραίνουσιν αἱ γυναῖκες. Sanguineô namque colore anchuſæ radix tingit; hinc eâ factititius ille rubor, quem genis ſuis priſcæ mulieres inlinebant, parari conſuevit. Tertullian. *de cultu Fœmin. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt.* Quæ fuligo ex ſtibio erat, cujus nigrô pulvere ſupercilia circumducebant & in arcum formabant ſicque oculorum ſpatium veluti producebant ac extendebant mulieres. Ion in *Omphale*,

Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.

Ut rubor, ex anchuſæ radice, quam φῦκος quoque fuiſſe appellatam, docet *Pollux*, Τὸ πρόσωπον περιχρίει, ἐπεντρίβει, καλλιγραφεῖ, φύκει προσάγει, *fucô rutilat*, &c. Vetuſtiſſimi tamen Græcorum φῦκος mulierum & ἄγχουσαν diſtinguunt. Idem *Pollux*, ἴσως δ' ἂν τοῖς κόσμοις προσήκοι, καὶ τὸ ἔντριμμα, ψιμμύθιον, ἔγχουσα, φῦκος. Ubi ἔγχουσαν & φῦκος in ornatu muliebri, velut diſtincta proponit; ut & Ariſtophanes in alteris Θεσμοφοριαζούσαις, quarum fragmentum extat apud Clementem Alexandr. & Pollucem, in quo recenſet Poëta pleraque cultûs & ornatûs muliebris genera ac nomina. Verſus habes, ex emendatione Salmaſii, *locô mox citandô.* Eundem tamen etiam illis uſum præſtabat anchuſæ radix: Et ſanè par utriuſque color, tum anchuſæ, tum *fuci*, nec diſpar in medicina vis, unde alterum pro altero ſubſtituebatur. *Galenus*, Ἀντὶ φύκους ἄγχουσα: quod utique non de fuco marino intelligendum, ſed de illo fuco Syriacæ radiculæ, cujus Auctores præfati meminêre. Alexis tamen in *Comœdia* Ἰσοστασίῳ mentionem παιδέρωτος facit, quô ruborem buccarum conciliabant, quæ ex pallido vultus erant candore. Sed nihil aliud hic παιδέρως, quàm unguentum ex radice anchuſæ aut ex radicula Syriaca, quæ *fucus* dicebatur, compoſitum, uti ſuprà diximus, in voce *Paderos.* Verùm quænam illa radicula fuerit, non explicat *Dioſcorides*, aut quiſquam Veterum alius. Videtur tamen Salmaſio colligi poſſe ex Theophraſto, genus quoddam radiculæ ex Syria advehi ſolitæ fuiſſe, quâ unguenta colorari ſolebant, ut & anchuſæ radice. Ea radicula per excellentiam vocabatur χρῶμα, item ἄνθος, & cum epitheto ἄνθος Συριακὸν, *color Syriacus*, ad diſcrimen anchuſæ, quæ ἄνθος Ἀχαϊκὸν, *color Achaicus* ſeu *Græcus* dicebatur, & nonnunquam φῦκος, Theophr. *de Odor.* quam de cinnabari non bene exponit Plin. *l.* 13. *c.* 1. & alibi cum ſtruthio confundit: meliori jure cum rubia commiſcendam. Utrumque enim φῦκος, tàm marinum, quô lanæ tingebantur, quàm terreſtre, ex Syria ca hac radicula, quô genas fucabant mulieres, rubrum fuit ac puniceum &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1160. *& ſeqq.* ut & ſuprà, in voce *Fucus*:

PHUL, Rex Ninives, ſecundùm alios Præfectus Aſſyriorum, regnare incepit, A. M. 3238. Hujus amicitiam Menahem Iſraëlis Rex magnâ auri vi ſibi conciliavit. Obiit A. M. 3285. ſucceſſit Theglatphalaſar, 2. Reg. *c.* 15. *v.* 19. Latinè *ruina*, vel *faba*. Marshamo, cùm neque in Hiſtoria ſacra, neque in Ægyptiorum monumentis, reperiatur ulla *Aſſyriorum* mentio, antequam deſiiſſet in Aſia Ægyptiorum imperium, poſtea annô Templi 232. ann. 28. initium Æræ Nabon. primus in Cis-Euphratenſibus regionibus, inclaruit hic *Aſſyriorum Rex*, 2. Regum *c.* 15. *v.* 19. an. idem cum Teglat-Phul-Aſare, an diverſus? Vide eum *Canone Chron. Sec. XVII.*

PHULASSAR, Babylon. Rex, qui Joſepho *Tadaphaſſar.* Olymp. 1.

PHULBELOCHUS, Rex Babyloniorum, an. ante Urb. Cond. ferè 70.

PHUNDUSII, *Ptol.* populi Germaniæ quorum urbs *Ripen*, in Cimbrica Cherſoneſo à Sleſvico Urbe, 14. leuc. in Circium. *Ferrar.*

PHUNON, civitas quondam Principum Edom, dein viculus, ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur. Hic caſtrametati ſunt filii Iſraël profecti de Salmona, Numer. *c.* 33. Latinè, *gemma*, ſive *aſpiciens.* Hebr. פונן vel *Phinon* פינן, Patribus *Phano*, & *Phennen* & *Fenon* & *Metallo-fenon* ſcribunt; atque inde *Phaneſia* vel *Phenneſia metalla.* Sic apud Euſebium, *Hiſtor. l.* 8. *c.* 13. Sylvano Eccleſiarum circa Gazam Epiſcopo & aliis undequadraginta caput amputatum eſt, κατὰ τὰ ἐν Φαινοῖ χαλκοῦ μέταλλα, *ad æris metalla, quæ in Phano.* Et in Athanaſii *Ep. ad Solitarios*, narratur Eutychius εἰς μέταλλον ἀποσταλῆναι καὶ μέταλλον οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τοῦ Φαινῶ, *ad metallum fuiſſe miſſus, neque ſolùm ad metallum, ſed & ad metallum Phano.* Sic apud Epiphanium in *Meletianis*, Meletius & alii multi in exilium acti ſunt, ὑπερορισθέντες ἐν τοῖς Φαινησίοις μετάλλοις, *ad Phaneſia metalla relegati.* Theodoretum item, *Hiſtor. l.* 4. *c.* 19. Τοῖς Φεννησίοις καὶ Προκοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις, *Ad Phenneſia & Proconneſia metalla damnabantur.* Nec multo pòſt de quodam Damaſi Diacono, Τοῖς κατὰ Φέννης παρεδόθη μετάλλοις· ἔστι δὲ ταῦτα τοῦ χαλκοῦ. *Ad Phennes metalla damnatus eſt, quæ ſunt æris metalla.* Ita etiam Nicephorus Calliſtus, *l.* 11. *c.* 28. Sed diſertiſſimè Hieronymus in *Locis*; FENON, *caſtra filiorum Iſraëlis in deſerto. Fuit autem quondam civitas Principum Edom, nunc viculus in deſerto, ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur, inter civitatem Petram & Zoaram.* Item, DEDAN *eſt in quarto milliari à Metallo-feno contra Aquilonem.* Hic itaque Idumææ locus æris fodinis olim valde inſignis, ſuppliciis proſcriptorum, Chriſtianorum inprimis, ſub Imperatoribus Gentilibus, inſerviit; in quo Moſis tempore ſumtum videtur æs, ex quo *ſerpens æneus* fuit conflatus. Licèt enim, in quo præciſè loco erectus fuerit illuſtris hic CHRISTI typus, Scriptor ſacer non dicat; inde tamen profectos Iſraëlitas narrat caſtra poſuiſſe in *Oboth*, Numer. *c.* 21. *v.* 10. Unde omnino ſequitur, *Phunon* locum illum fuiſſe, nam hinc profecti caſtra in *Oboth* metati dicuntur, Numer. *c.* 33, *v.* 43. Neque id fortaſſe ſine myſterio: Sic enim ſignificari potuit, corpus, quod Chriſtus aſſumſit, non aliunde fuiſſe allatum, ſed ibi natum & formatum, ubi in carne manifeſtatus eſt. Tandem verò defeciſſe ſeu potiùs neglecta fuiſſe hæc metalla, colligitur ex illis Ariſteæ *in Hiſtor. de LXX. Interpretibus*, Ἐλέγετο δὲ καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκᾶ καὶ σιδηρᾶ συνίστασθαι πρότερον. ἐκλέλειπται δὲ ταῦτα, καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι, *Narrabatur etiam ex Arabiæ montibus* (Judææ) *vicinis, priùs metalla æris & ferri fuiſſe eruta: ſed ea defeciſſe* (i. e. neglecta fuiſſe, ut ex ſequentib. conſtat) *quô tempore Perſæ rerum potiebantur.* S. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 13.

PHUPHENA, Armeniæ minoris urbs, *Ptolem. Euſpæna Antonino*, teſte Simlerô.

PHURNITA, urbs Libyæ, *Steph.*

PHUSCA, ſeu PHYSCUS *Diod.* & *Strab.* urbs Cariæ maritima *Fieſco Moletio*, inter Lorymam ad Occaſum & Caunum ad Ortum.

PHUTH, fil. Cham, Gen. *c.* 10. *v.* 6. Inde *Phuthæi*, Mauritaniæ populi Joſepho, *l.* 1. *c.* 6. qui fluv. ibi cognominem habet, hodie *Tenſiſt.* Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 4. *c.* 32.

PHUTHI, fil. Sobal, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 53. Latinè, *ſeducens*, aut *buccella*, ſive *latitudo.*

PHUTIEL, i. e. *pinguedo Dei*, nomen viri, Exod. *c.* 6. *v.* 25.

PHUTIPHAR, Hebr. פוטיפר. Eunuchus Pharaonis, herus Joſephi, Gen. *c.* 37. *v.* 36. Latinè *ſaginatus taurus*, vel *pinguedinis fructificatio.*

PHUTIPHAR, Hebr. פוטיפרע, Nomen ſacerdotis Heliopoleos, ſoceri Joſephi, Gen. *c.* 41. *v.* 45. Latinè *pinguedinem diſſipans*, vel *pinguedinis denudatio*, aut Syriacè, *pinguedinis vindicta.*

PHYA, mulier Attica, procera & formoſa, quam Piſiſtratus, cùm tertiùm eſſet Athenas occupaturus, Palladis armis ornatam, ante ſe in curru collocavit, atque opinionem populo injecit, tanquam à Minerva reduceretur. Vide Herodot. *l.* 1. & Polyæn. *l.* 1. *c.* 21. *n.* 1.

PHYCOCLE, urbs Æmiliæ maritima Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Ravennate, inde 15. mill. paſſ. Arminum verſus 20. ubi ſal coquitur ingenſque illius proventus eſt in tota Æmilia: urbs ob aëris inſalubritatem à paucis habitata. *Cervia* vulgò dicitur.

PHYCUS, *untis*, promontor. Cyrenaicæ apud Cyrenen urbem inde introrſum ad 12. milliar. diſtantem. Eſt etiam caſtrum, quod *Niger* ſcribit ab Italis nautis *Cabo de Carena*, & à Barbaris *Baxaſen* dici. Lucan. *l.* 9. *v.* 40.

—— *Sævas merium Phycunta rapinas*
Sparſit. —— ——

Baudrando Phycus, promont. & portus, nunc *Capo di Cairoan*, 12. mill. paſſ. diſtat à Cyrene in Boream, 225. à Creta in Meridiem verſus Syrtim majorem, 50. circiter ab Alexandria in Occaſum.

PHYCUSSÆ, inſulæ Libyæ: ſic dictæ, quòd plenæ ſint *fucis*, i. e. algis. Inſulares *Phycuſſai*, aut *Phycuſſii*, *Steph.*

PHYDASARCHIDA, apud Solin. *c.* 55. perperam legitur, pro *Paſargada*, quô nomine Anaximenes Περσῶν στρατόπεδον ſignificari volebat, apud *Stephanum*, quòd ibi Medi & Aſtyages à Perſis victi eſſent Cyrô Duce: id eſſet Hebr. *Paſigedud*, i. e. *Perſarum exercitus.* Sed & à voce Hebr. *Gader* vox poſſet deduci, quæ ſeptum vel περίφραγμα denotat, quaſi *Parſigader*, i. e. Περσῶν χάραξ, quô vocabulô *exercitum vallo incluſum* vel *caſtra* deſignari notum. Unde multis urbibus ac locis nomen hæſit, in quibus aliquando exercitus caſtra eſſent metati. In Phrygia urbs Χάραξ, ubi Alexander caſtra habuit: Item Σεσώστριος χάραξ, multis locis impoſitum nomen, ubi Seſoſtris caſtra fuerat metatus &c. Vide ſuprà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

prà in voce *Charax*. Similiter in Europa multis urbibus *Caſtrorum* nomen factum, ab eadem cauſa, quæ hodieque id retinent nomen. Eſt autem *Phylaſarchida*, ut omnes libri meliores apud Solinum legunt, pro Πασαργάδαι vel Πασαργάδας, urbs Perſidis, in qua Cyri ſepulchrum. In libris Plinii, quem Solinus ſequitur, *Fraſſargida* aut *Aſargida*, itidem mendoſè eſt ſcriptum. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1202. *&* 1203. ut & in voce *Paſargadæ*.

PHYGADUM Inſula, i. e. *exulum*, in Sinu Arabiæ. *Strabo.*

PHYGELA, oppid. Pannoniæ à *fugitivis* conditum, ac ſic dictum Plin. *l.* 5. *c.* 29.

PHYGELLUS, vir quidam, de quo B. Paulus 2. Timoth. *c.* 1. *v.* 15.

PHYLA, Atticæ regionis caſtellum, Tanagriæ finitimum, *Trogus.*

PHYLACE, oppid. Theſſaliæ in Epiri, ſeu Moloſſidis (quæ eſt regio Epiri) confinio a *Phylaco* Deionis filio conditum. In hoc Proteſilaus regnavit, unde ipſe *Phylacides* dictus. Ejus meminit Lucan. *l.* 6. *v.* 351.

——— Prima Rhoetëia litora pinu
Quæ tetigit Phylace, Pteleoſque & Dorion ira
Flebile Pieridum. ——— ———

Phylace etiam Pauſan. *l.* 8. *extr.* & *Apollod.* locus & Peloponneſi in Arcadia, unde Alpheus fluv. oritur. *Phylace* quoque Hermopolitana, urbs Ægypti ad Nilum, *Beniſuaif Zeiglero*, cui etiam *Phylace Thebaica* eſt in eadem regione quam *Munia* dici idem ait. Item *Phylace* Macedoniæ oppid. in Pieria regione inter Lariſſam & Pellam. Plin. *l.* 4. *c.* 9. *extr. Ptolem. Baudrando* quid ſit hodie, non conſtat. *Interpres Theocriti* ait, non procul eſſe à monte Othri. Sedet ad fontes Milis fluv. 35. mill. paſſ. à Lariſſa in Circium, 60. à Pella in Meridiem.

PHYLACENSII, Bithyniæ populi *Ptolem.*

PHYLACON Come, Græcè Φυλάκων κώμη, in Peutingeri *tabula*, ubi deſcribitur iter à Copto Berenicen uſque, omnium quæ interjacent Manſionum nominibus expreſſis, *A Copto Bernicide portum Phœnice.* XXII. *Affrodites.* XXIIII. *Didymos.* XX. *Compaſin.* XXV. *Dios.* XXII. *Xeron.* XXIIII. *Philacon.* XXIIII. *Apollonos.* XXIIII. *Cabau.* XXVII. *Cenon nidroma.* XXIIII. *Phenicide portum* XXII. In *veter. Itinerario*, *Palacro* corruptè, pro *Philacon*, Græcè Φυλάκων ſubintellige κώμη, quòd ibi ſcil. præſidium excubaret: nomen manſionis eſt, cujus, ut & aliarum hìc memoratarum, apud Geographos nulla mentio. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1184.

PHYLACTERIA, Græcè φυλακτήρια, memorata Matth. *c.* 23. *v.* 5. Πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν, *Dilatant enim phylacteria ſua, & producunt fimbrias palliorum ſuorum: Epiphanio* videntur fuiſſe limbi ſive faſciæ, quibus prætexerentur veſtes; *Bezæ* verò laminæ aut membranulæ; *Burmanno* capſulæ quædam, quas hodieetiamnum Judæi corio incluſas partim fronti alligant, partim brachio, inſcriptis quatuor, quas vocant פרשיות, i. e. *lectionibus ſacris*. Idem addit, Græcos, novô nomine novæ rei quæſitô, vocâſſe φυλακτήρια, à *conſervando*: Erat enim hic ritus, (quem poſteà ſuis ſuperſtitionibus contaminârunt Judæi) à Domino conſtitutus, ut eſſet velut μνημόσυνον legis & beneficiorum, quæ Deus in eos contulerat, *Annotat. in Nov. Teſtam. loc. cit.* Duplicis autem fuêre generis, una fronti alligabantur, altera brachio ſiniſtro introrſum cor verſus: utrorumque inſtitutio habetur Exodi *c.* 13. *v.* 9. *Ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam: & in monimentum inter oculos tuos:* & *v.* 16. *Quod erit pro ſigno ad manum tuam, & pro frontalibus inter oculos tuos.* Vide quoque Deuteron. *c.* 6. *v.* 8. Geſtabant illa omnes Judæi, ne Chriſtô quidem ipſô, SERVATORE noſtrô, exceptô, ut ex Hiſtoria Evangelica colligere eſt: Sadducæi quoque ac Phariſæi, niſi quòd hi, ut majorem ſibi ſanctitatis opinionem conciliarent, *Phylacteria* ultra cubitum extenderent, Sadducæi verò in vola manus ea tenerent. Scripta erant in *Phylacteriis* illis, quæ membranacea fortè fuêre, X præcepta Decalogi; ſecundùm *Chryſoſtomum* ac *Hieronymum*: Secundum alios, & quidem pleroſque 4. hæ ſectiones Legis: quarum *prima* incipiens, ab Exodi *c.* 13. *v.* 2. *Conſecra mihi omne primogenitum* &c. deſinebat *in v.* 10. *Secunda* incipiebat à *v.* 11. *Item erit, quum introduxerit* &c. & terminabatur *v.* 16. *Tertiæ* initium erat, *Audi Iſraël*, Deut. *c.* 6. *v.* 4. finis autem *v.* 9. *Quarta* inchoans, à Deuteronomii *c.* 11. *v.* 13. *Erit itaque, ſi ſeriò auſcultaveris* &c. pergebat uſque ad finem *v.* 21. Cùm itaque has membranas fronti affigebant, faciebant illas pro ſectionum numero quadruplices: vel ſi unica erat membrana, dabant operam, ut longitudo cujuſque ſectionis columnam impleret. Quum manui brachioque: omnes 4. ſectiones, una in membrana, quatuor columnis diſtinctæ continebantur. Ingruente perſequutione, quum palam *Phylacteria* ferre non auderent, manum obvolvebant filo rubro, quod in memoriam eis ſanguinem fœderis perpetuo refricaret. Vocem מטפות, *Metaphoth*, quòd attinet, quâ Moſes *Phylacteria* hæc appellavit, videtur illa per antiphraſin ſic dicta, ab נטף, i. e. *Incedere*, erant enim alligata, nec moveri poterant aut locum mutare. Unde LXX. reddunt, ἀσάλευτα, i. e. *immobilia ornamenta*. Rabbini vocant *Thephillim* i. e. *Ornamenta precatoria*: Alii *Pittacia* appellant & *Pittaciola*, &c. Hieronymus *in Matth. c.* 23. Vide Moſen Kotſenſem *præc. affirm.* 22. Maimon. *in Thephillim c.* 4. *ſect.* 8. Scaligerum, *Trihæreſ. p.* 258. Munſterum, *de præc. affirmat.* Thom. Godwynum, *de ritibus Hebræorum, l.* 1. *c.* 10. &c. Cl. inprimis Buxtorfium, *Synagoga Judaica c.* 9. Abuſus *Phylacteriorum* talium fuit, non tantùm cùm oſtentationis causâ largiùs extenderentur à Phariſæis, ſed & cùm iiſdem, velut amuletis, de collo ſuſpenſis vel ædium poſtibus affixis vim ineſſe crediderunt, à periculis ſe immunes præſtandi. Quos proin D. Hieronymus comparare ſolitus fuit, cum ſuperſtitioſis quibuſdam ſui temporis mulierculis, quæ eôdem fine *Parvula Euangelia* & *Crucis ligna* ſecum circumtulerunt. Eâdem ſuperſtitione hodieque nonnulli, pro amuletis, ex collo ſuſpendunt, inſcriptum præſertim Euangelium ſecundùm Johannem: quod jam olim damnatum Antiochenâ Synodô, expreſſô quoque nomine φυλακτηρίων. Etiam Φυλακτήριοι ſeu *Phylacterii*, Magi quidam, ob ſimilem ſuperſtitionem, dicti, condemnati leguntur circa A. C. 692. Vide iterum Scaligerum, *Trihæreſ. c.* 7. Concil. V. *can.* 61. Jac. Gotofredum, *ad l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Maleficis*, ut & ſuprà, in vocibus *Brevia*, *Ligatura*, *Mazuza*, *Periapta* &c. infrà Urſus. Apud recentiores manſit vox, pro arculis reliquias SS. ſervantibus, ſuper quibus jurari conſueviſſe, docet Dudo, *de moribus Normann. l.* 3. Item pro vaſculis, quibus incluſæ reliquiæ de collo ſuſpendebantur, τὰ φυλακτήρια, ut ait Theophanes ann. 31. Copronymi, *p.* 357. De quibus vide Car. du Freſne, *Diſſertatione* 26. *ad Joinvillam*, *p.* 310. ut & ſuprà aliquid, ubi de nummis *Helenianis*, & *Inveſtitura*; Jo. Caſp. Suicerum, in vocibus Φυλακτήρια & Φυλακτήριοι, nec non ſuprà in voce *Encolpium*. Addam ſolùm, Iſidis φυλακτήριον, quod illa ſibi fingebatur περιάπτεσθαι, ſignificâſſe Φωνὴ ἀληθής, *Vox vera*, legi apud Plut. *de Iſ. & Oſir.* Vide quoque infrà *Veritas*.

PHYLACTERIUM, vaſculum eſt de argento, vel auro, vel cryſtallo, vel ebore, &c. in quo Sanctorum cineres, vel reliquiæ reconduntur. Cùm enim Elnidius fideles *Cinericios* vocaret; quod cineres ſervabant, ſtatutum fuit in Eccleſia, ut honorificè in pretioſis vaſculis ſervarentur. A φυλάττειν. Vide Durand. *Ration. l.* 3. *n.* 26. Sumitur quoque pro munimine magico adverſus ægritudines, infortunia, dæmones, quod ductum à Judæorum ſuperſtitione, qui Decalogo inſcripta *Phylacteria*, veluti Numina tutelaria, deferebant. Hujuſmodi munimina prohibita fuerunt in Concilio Ratisbonenſi A. C. 742. præſente Karlomannô Duce & Principe Francorum habitô. Vide Hieron. *in Matth. c.* 23. & Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

PHYLÆ, ſeu PHILÆ, inſula Ægypti parva, quam totam urbe ipsâ ferè occupari tradit *Ariſtides* αὐτόπτης, ex adverſo Syenes eſt; ſi Plinio fides habenda, cui tamen omnes Geographi contrariantur. *Strabo* enim dicit à Syene curru iter ſeceiſſe, Philas verſùs, per 100. ſtadia, deinde in inſulam trajeciſſe in navigio, quod πάκτων tum vocabatur. Idem ſupra noviſſimum cataracten ponit, cùm Syene infrà eſſet. Sic Ariſtides adverſô flumine à Syene in inſul. Philas navigâſſe ſe narrat, quô pactô non erit ex adverſo Syenes hæc inſula. Fortè mnemonicô errore lapſus, pro *Philis*, Elephantinem accepit Plinius &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 437. ut & *p. ſeq.* ubi ex *Itinerario* Antonini docet, *Phylas* non minùs, ac Syenen, in Arabico latere ſeu in orientali parte Nili eſſe, qui ambas quidem amplectebantur, ſed ita ut Arabiæ eſſent viciniores, vide etiam *Philæ*.

PHYLARCHI, Græca vox *Duces optionum* notat, i. e. eorum, qui fœderatis auxilia ferunt. Sic Julianus, *Novell.* 102. Φύλαρχον interpretatur, Saracenorum Ducem, quos ex fœderatis fuiſſe conſtat: Procopius, *de Bello Perſ. l.* 1. Οὐδεὶς δὲ οὔτε Ῥωμαίων στρατιωτῶν ἄρχων, οὓς Δοῦκας καλοῦσιν, οὐδὲ Σαρακηνῶν τῶν Ῥωμαίοις ἐνσπόνδων, οἳ Φύλαρχοι ἐπικαλοῦνται. *Nemo eorum, neque qui Romanis militibus præſunt, Duces appellati: neque Saracenorum, Romanis fœderatorum, quos* Phylarchos *vocitant.* Ubi *Volaterranus* perperam legit χιλίαρχοι. Idem paulo pòſt: Καὶ αὐτὸν Βασιλεὺς Φύλαρχον τῶν ἐν Παλαιστίνῃ κατέστησε. *Atque ipſum Imperator* Phylarchum *Saracenorum, qui in Palæſtina, conſtituit.* Sic Theod. Anagnoſtes, *l.* 2. Ἀλαμουνδάρου τοῦ Φυλάρχου Σαρακηνῶν, *Alamundari* Phylarchi *Saracenorum.* Hôc nomine itaque peculiariter Saracenorum, Romanis militantium, Duces inſigniti ſunt, eò quòd εἰς φυλὰς, ſeu *Tribus diviſi eſſent XII.* ut apud eundem Procopium videre eſt, *l. cit. c.* 17. 19. 20. Hinc Julianus Anteceſſor, *Conſtitut.* 95. *Neque* Phylarchum, *i. e. Saracenorum Ducem.* Et Marcellinus Comes *Quindecim millia Saracenorum ab Alamundaro, cum Chabo & Heſido* Phylarchis, *limites Euphrateſiæ ingreſſi ſunt.* Vide Henr. Valeſ. *ad Ammian. l.* 24. Fabrotum, *Gloſſ. ad Conſtantinum Manaſſen*, *Lexic. Jurid.* Car. du Freſne *Gloſſ.* Alios. Athenienſis Φυλοβασιλεῖς dicti ſunt, qui tribum moderabantur ſicut Τριττύαρχοι, qui fraternitatem, ut vidimus ſuprà in *Phratrica*.

De PHYLARCHIS Hebræorum infrà, voce *Tribus.*

PHYLE, vicus in Oeneide tribu. *Steph.*

PHYLEUS, unus è ducibus Græcorum, qui ad Trojam navigârunt. *Homer.*

PHYLISTUM, populi Palæſtinæ hinc fortè dictæ; in Ægypti confinio quorum Urbes Gaza, Aſcalo, Azotus, Jamnia & Anthedon. *Philiſthim* etiam dicuntur. Vide ibi.

PHYLITÆ, gens Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

PHYLLA, uxor Demetrii Poliorcetæ, ex qua Stratonicen, Seleuci uxorem, ſuſcepit.

PHYLLA, Græcè φύλλα, i. e. *folia*, dicebantur olim faſciolæ, quæ è mitra ſeu capitis muliebris redimiculo dependebant; florum inſtar, Onuphrius *de vocibus Eccleſ.* apud Anſelmum Solerium; *de Pileo ſect.* 6. Vide ſuprà *Mithra*. Ab eadem voce *Phyllobolia* vocata eſt apud Athenienſes conſuetudo floribus foliiſque tumulos (in funeribus) ſpargendi, ut Polyxenæ factum legimus, apud Euripidem, myrti foliis, *Electr. v.* 512.

——— Θύμβῳ δ' ἀμφέθηκε μυρσίνας,
——— *Sepulchro circumpoſuit myrtos.*

Idem moris in Italia obtinuiſſe, videtur indigitare Varro, *de Lingua Lat. l.* 6. *Sepulchrum ferunt frondes. Minut. Felix* item dicens, *Coronas etiam ſepulchris denegatis*, &c. Et paulo pòſt, *Addunt nunc etiam lanam.* Sed & ſequiori ævô, apud Græcos, *Phyllobolia* adhibita eſt, cùm quis in publicis ludis victoriam reportâſſet; nec in eos ſolùm, ſed & in Parentes illorum, inter alia publicæ lætitiæ ſigna, flores foliaque conjici conſueverunt. Vide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Franc. Roſſæum, *Archæol. Att. l.5.c.32.* In eadem Athenienſium Rep. foliis quoque, ſicut & fabis, calculorum vice, in ſuffragiis ferendis uſi ſunt. Ita enim Pollux, *l.8. c.5.* Φύλλοις δὲ ἐψηφίζοντο οἱ κατὰ δήμους δικάζοντες, οἷς ἐπίγραφον, εἴ τις ὡς παρέγγραπτος ἐκρίνετο. Hinc οἱ ἐκφυλλοφορηθέντες, qui popularium ſuffragiis damnati. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas* & infrà, in voce *Suffragium.*

PHYLLALIA, regio Arcadiæ, quæ aliàs *Phylos*, Lutatio *ad Statium, Theb. l. 4. v. 45.* Theſſaliæ locum ſic nominant *Stephanus* & Strabo, *l. 9.* Vide Caſp. Barthii *Animadverſ. ad d. l.*

PHYLLEIUS, mons, urbs, & regio Pireſiæ in Macedonia. Apollonius, *l. 1. Argon.*

PHYLLIDAS, ſcriba Archiæ, Polemarchi Thebani, qui operam dabat conjuratis; has partes ſuſcepit, ut ad polemarchos epulari & indulgere Genio, & litare Veneri cogitantes, matronas quaſdam nobiles & formoſas perduceret.

PHYLLINÆ Agones, Græcè φυλλίναι ἀγῶνες, apud *Pollucem*, ubi malè nonnulli legunt, φυλλῖται, dicti ſunt, teſte *Heſychiô*, Agones ſacri, ἐν οἷς μὴ ἐτίθετο ἀργύριον, ἀλλὰ στέφανοι μόνοι, *in quibus non argentum, ſed ſerta ſolùm proponebantur*, Φυλλίνης, nempe à Φύλλον *folium*, ut μυῤῥίνης, à μύρον, *unguentum.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 711.* ut & ſuprà, voce *Folium*, item ubi de *Certaminibus, Ludiſque Gymnicis.* Iis oppoſiti agones ἀργυρῖται ſeu δωρῖται, de quibus itidem hìc paſſim.

PHYLLIS, Muſicus, nuptialia quædam carmina feciſſe videtur, ex Schol. in *Ranas. Act. V. Sc. 2.*

PHYLLIS, Lycurgi, Thracum Regis filia, quæ Demophoonta, Theſei filium, ex Trojano bello redeuntem, hoſpitiô lectôque excepit, acceptâ prius ab eo fide, ut domi compoſitis rebus ſeſe uxorem duceret. Profectus itaque Demophoon, cùm ultra ſtatutum tempus variis diſtrictus negotiis in patria detineretur, Phyllis & amoris impatientiâ, & doloris impulſu, quòd ſe ſpretam crederet, laqueô vitam finivit, & converſa eſt in arborem amygdalum ſine foliis. Poſteà reverſus Demophoon re cognitâ, amplexus eſt truncum, qui, velut ſponſi ſentiens adventum, folia emiſit. Unde etiam *phylla* dicta ſunt folia, à *Phyllide* ſcil. quæ anteà *petala* dicebantur. Item puellæ ruſticæ nomen apud Virg. *in Eclog. 3. v. 78.*

Phyllida amo ante alias.

Item *Phyllis*, nutrix Domitiani Imperatoris Sueton. *in Vita Dom. c. 17. Cadaver ejus populari ſandapilâ per veſpillones exportatum, Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo Latina via funeravit.*

PHYLLIS, amnis Bithyniæ, à quo *Phylli*, & *Phyllienſes*, dicuntur *Strab.* ac *Stephano.* Item regio Thraciæ apud Pangæum montem. Herodot. *l. 7.*

PHYLLOS, regio Arcadiæ. Sed apud *Strab.* oppid. Theſſaliæ, Lariſſæ propinquum, ubi erat fanum Apollinis, Mideæ oppido vicinum, Statius, *Theb. l. 4. v. 45.*

Aptior armentis Midea, pecoroſaque Phyllos.

PHYSA, piſcis anemodicticus, mediterranei Maris, maximè illius plagæ, quâ Nilus in mare devolvitur, incola; totus ſphæricus in globum à natura decircinatus: ventum ſpirantem extra cubiculum, ubi aſſervatur, ingenitâ quâdam vi indicat. Georg. de Sepibus, *in Muſæo Collegii Romani Societat. Jeſu p. 23.* Vide quoque *Hirundo Marina.*

PHYSCÆ, Mygdonidis in Macedonia urbs. *Ptol.*

PHYSCE, Mœſiæ inferioris oppid. *Ptol. Choſabet Nigro.*

PHYSCELLA, Macedoniæ urbs ad Mecybernæum ſinum. Mela, *l. 2. c. 3.* Plin. *l. 4. c. 10.*

PHYSCIA, urbs Lyciæ in alto monte. *Steph.*

PHYSCON, cognomen unius ex Ptolemæis, non ἀπὸ τοῦ φυσᾷν, ut quidam volunt, ſed à φύσκη, *venter*, unde φύσκων, *ventrioſus.* Fortè etiam ſic appellatus eſt, quòd ad libidinem propenſioris naturæ eſſet. Φύσκη enim propriè *botulus* eſt, παχὺ ἔντερον, quod farciebatur, *Suidas*, Φύσκη, τὸ παχὺ ἔντερον, εἰς ὃ ἐμβάλλεται ἄλευρα καὶ κρέα, καὶ μάττουσιν ἐξ οὗ γίνεται ὁ ἀλλᾶς. A cujus ſimilitudine pars etiam illa, quâ viri ſunt, ita vocata eſt. Unde *botuli exteriores*, apud Tertullian. *adv. Pſychicos pro inguinibus: Quomodo enim protegam caſtitatem & ſobrietatem, ſine taxatione adverſariorum. Quinam iſti ſint, ſemel nominabo, exteriores & interiores botuli Pſychicorum.* Fuiſſe autem Ptolemæum hunc luxu perditum, diximus in *Ptolemæo VII.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1242.*

PHYSCOS, oppid. Cariæ in ora contra Rhodum. *Strabo.* Item portus & fluv. Rhodi. *Steph. Gadara* nunc, teſte *Orteliô.* Eſt & mons Magnæ Græciæ apud Crotonam urbem. *Theocr.* denique oppid. Locridis à Phyſco Ætolo conditum. *Steph.*

PHYSETERES, Græcè φυσητῆρες, ceti genus, quod Oceano Gallico vindicat Plinius, qui Indici Oceani proprias facit priſtes & balænas, *l.9.c.4. Maximum animal in Indico mari Priſtis & Balæna eſt: in Gallico Oceano Phyſeter.* Sed & in mari Indico *Phyſeteres* reperiri, teſtes ſunt Strabo & *Arrianus*, ex *Nearchi* relatione, quorum is φυσητῆρας plane nominat *Indica Cete, l. 15.* Imò *Priſtes* & *Phyſeteres*, quod ad nomen attinet, idem ſignificant. Nam πρῆστις Græcis à πρῆσαι, h. e. φυσῆσαι, *à flando*, deducitur: unde δάκρυ ἀναπρήσας, quod Grammatici exponunt ἀναφυσήσας, & πρηστήρ, *vehemens ventus & turbo*, ſive *procella.* Arrianus *in Indicis* de cetis hujuſmodi, Καὶ λέγει Νέαρχος, ὁπότε ἀπὸ Κυΐζων παρέπλεον ὑπὸ τὴν ἕω ὀφθῆναι ὕδωρ ἄνω ἀναφυσώμενον τῆς θαλάττης, οἷάπερ ἐκ πρηστήρων βίῃ ἀναφερόμενον: vidiſſe ſe ait ingentem vim aquæ in altum, tanquam præſterum violentiâ, exſufflatum. Inde igitur πρήστεις appellatæ, quæ cum *phyſeteribus* eædem. Quòd enim πρίστεις ſcribitur, quaſi ἀπὸ τοῦ πρίζειν, *à ſcindendis fluctibus*, vitium ſcripturæ eſt, ut πριών, pro πρηών, *mons excelſus*, & πλίξαι, pro πλῆξαι, unde πληχάδες. Recta ſcriptio apud Oppianum occurrit, ubi πρήστεις legas &c. Adeoque ſi Priſtis in Indico mari, etiam ibi Phyſeter, quia idem ſunt: quemadmodum è converſo, ſi Phyſeter in Gallico Oceano & Hiſpanico, etiam priſtes ibi verſari credendum eſt. Hos *enormes ultra molem ingentium columnarum, ſuper antennas ſe navium extollere*, Solinus ait; *c. 55.* quibus verbis non ſatis expreſſit Plinianum illud, *In Gallico Oceano* Phyſeter, *ingentis columnæ modo, ſe attollens, altiorque navium velis diluviem quandam eructans.* Non dicit Plinius, *Phyſeterem* ultra morem ingentium columnarum ſe attollere, ſed inſtar ingentium columnarum: quum ſe attollit, inſtar ingentis columnæ facere. Sed nec Plinius ipſe Græca, quæ vertere voluit, ſatis fideliter reddidit. Ita enim leguntur apud Strabonem, *d. l.* Καὶ φυσητήρων, ὧν ἀναφυσησάντων φαίνεταί τις νεφώδης ὄψις κίονος τοῖς πόῤῥωθεν ἀφορῶσι; nimboſam illam alluviem, quam in altum ſufflando eructant Phyſeteres, ſimilem videri ait, à longè aſpicientibus, columnæ cuidam nebuloſæ. Adeoque non ipſi *Phyſeteres* modo ingentis columnæ ſe attollunt ſuprà vela & antennas navium, ſed aqua maris, quam in altum ejaculantur, altior abit navium velis ac ingentis columnæ inſtar reddit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1012. & 1013.* adde M. Anton. Delrium, *Not. ad Hippolytum Senecæ v. 1030.* ubi de voce *Phyſeter*, & 1049. ubi de voce *Piſtrix* quædam habet non protrita.

PHYSICA, Latinè *Scientia Naturalis*, partim ex naturalibus exemplis, vel præter naturam evenientibus, ut ſunt prodigia & monſtra: partim ex iis, quæ ex Arte contingunt, ut Mechanica: nata eſt. Exemplorum enim collectio conſtituit hiſtoriam Naturæ, unde ad ipſam ejus ſcientiam via ſtrata. Conducit illa ad pietatem dum viam docet ad agnoſcendum ex rebus viſibilibus Deum, unde *Plato* ejus contemplatione permotus, Καλλιεργὸν Deum vocavit, quòd Mundum compagem cœli & terræ adeò ſtupendam produxerit, ut obſervat Plinio, *l. de Mundo.* Deinde ad præſidium hujus vitæ plurimum prodeſt, in Medicina, Agricultura, cœteriſque Artibus. Primus *Phyſicu* ſcripſit Alcmæon Crotoniata, ut auctor eſt Clem. Alexandrinus, *l. 1. Strom.* Accedebant autem ad *Phyſices* ſtudium Veter. poſt navatam Mathematicis Artibus operam, & inde ad reliquas Philoſophiæ partes ſe conferentes, totam ſic Encyclopædiam abſolvebant. Duravitque hujus maximè inter Græcos ſtudium, uſque ad Socratis tempora, qui eâ abrogatâ Ethicam inprimis exerceri voluit, hinc Philoſophiam è cœlo in terram deduxiſſe dictus. Et quidem is junior adhuc incredibili Naturalis Scientiæ deſideriô arſit, ut de ſe apud Platonem; *l. de Anima* teſtatur: Senior verò factus eam, ut dubiam, incertam, mutilam repudiavit, Euſebius, *Præpar. l. 1. c. 5.* & Lactantius, *l. 3. c. 21.* Quæ tamen non ita intelligi vult Hornius, quaſi totam illam Philoſophiæ partem rejeciſſet: ſed *vidit*, inquit, *prudentiſſimus Vir, quantum argutiarum ei adjunctum eſſet intemperie otioſorum Sophiſtarum: quàm temerè & abſurdè etiam de abſtruſiſſimis pronuntiârint. Hæc rejecit, & ad utiliora animum applicuit.* Xenophon tamen, *in de dictis ac factis Socratis*, negat Socratem de Cœli atque Naturæ cauſis rationibuſque unquam diſputaviſſe. Sed & Cynici *Phyſicen* averſati ſunt, ſolam Moralem Philoſophiam curantes: Proin quæ Socratem alii dixiſſe ajunt, cùm à naturalibus homines ad moralia avocaret, id Diocles Diogeni Cynico aſcribit,

Δεῖ ζητεῖν,
Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,
Quærere oportet,
Quid domibus noſtris rective malive geratur.

Cyrenaici item, quos vide. Idem ab Eſſenis, quod Sectæ inter Judæos nomen, factitatum; quos Rationalem Philoſophiæ partem, tanquam non neceſſariam; Naturalem, ut altiorem; illam Sophiſtis, hanc otioſis hominibus relinquendam judicâſſe, deque Deo, Creatione, Virtutibus diſputâſſe, docet Euſeb. *Præpar. l. 8. c. 4.* ubi addit: *Hujuſmodi homines. ſine Græca doctrina, Moſaica Philoſophia effecit.* Pervenit verò *Phyſices* ad eam gentem ſtudium, ſecundùm Fullerum, *Miſcell. l. 3. c. 7.* demum poſt CHRISTUM natum: Sed refellit eum Druſius, in *Exodum, c. 46.* oſtendens jam ſub ſecundo Templo Philoſophiam in Judæa fuiſſe. Nam, quemadmodum, quum Judæi ab Aſſyriis aliquoties in peregrinas terras traducerentur, converſatione Magorum, varia ab iis hauſerunt, traductaque in ipſam Judæam Aſſyriorum coloniâ, cum gentis ſuperſtitione Philoſophia quoque invecta eſt, quæ poſtmodum apud Samaritanos hæſit: ita poſteà, cum Imperio Græco, ipſa quoque Græca Philoſophia in Judæam propagata eſt, quanquam pauciores initio ſectatores invenerit: Manſeruntque aliquandiu opinionum divortia. Tum itaque *Phyſici* Philoſophi, ſub Templo ſecundo, à curioſa veritatis indagatione, חכמי מחקר vocati ſunt, quorum erat συζητεῖν, *diſquirere*, rationes in utramque partem ad veritatis inquiſitionem conferendo. Hinc *Phyſica*, חקירה Judæis: putantque nonnulli eò alludi, 1. Corinth. *c. 1. v. 20.* Ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; *ubi diſquiſitor ſeculi hujus?* Camero verò ſtatuit, non intelligi voce Hebrææ, de qua ſuprà, eos qui *Phyſici* erant, ſed Theologos Judæorum, qui myſticè & allegoricè ſcripturas fuerint interpretati. Vide Georg. Hornium *Hiſtoriæ Philoſ. l. 4. c. 2.* Verùm genuinum *Phyſicæ* ſtudium, antiquius longè etiam ſecundô Templô fuiſſe, vel unicum probaverit Salomonis exemplum, qui, ut peritiſſimus erat rerum inprimis Phyſicarum, acutiſſimas quæſtiones cum Tyriis & Æthiopiæ Regina pertractaviſſe, & *à Cedro uſque ad Hyſſopum* ſcripſiſſe, in ſacris legitur. Vide de *Phyſica contemplativa* Voſſium, *de Philoſoph. c. 5. de Operativa*, & quidem de *Agricultura, Arte plantandi, Paſtione, Venatione, Medicina* &c. Eundem, *c. 6. & ſeqq.* Apud Scriptores recentiores Medicinam hôc nomine venire, paſſim videmus. Unde Egidius Corbolienſis *MS. de virtutib. Medicam.*

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quo Peſſulanus niſi Mons auctore niteret,
Jam dudum Phyſicæ *laus ecclipſata fuiſſet,*
Qui vetulo canos profert de pectore ſenſus,
Ricardus, ſenior quàm plus ætate ſenili.

Monſpelium enim ſeu Mons Peſſulanus jam olim Medicinæ laude effloruit, qua de re vide præter Ranchinum, Gariellum *de Epiſcop. Magalonenſ. p.* 155. Idem de Salerno, *l.* 3.

Fons Fiſicæ, *pugil eucraſiæ. cultrix Medicinæ.*

Namque & huic Urbi inſignem famam eadem Ars conciliavit; ut vel ſola *Schola Salernitana* abundè docet, &c. Hinc *Phyſicus*, pro *Medico*, apud Lamb. Ardenſem *p.* 117. Rigordum in *Prologo Hiſtor.* alioſque quamplurimos, laudatos Carolo du Freſne *Gloſſar.* Imò hodieque, in Civitatibus inprimis Imperialibus, *Phyſicum Urbis*, pro *Poliatro*, paſſim ſumi, notiſſimum.

PHYSICUS, cognomen Archelai Phil. quem vide.

PHYSICUS Jupiter, antiquis aër, *Theon.*

PHYSIOGNOMIA, ars conjecturalis, ex corporis aſpectu, de interna animi diſpoſitione, futuro inſuper eventu, præſagia capiendi. Cujus fundamentum eſt animæ corporiſque fœdus, unde fit, ut animi mores ſequantur temperamentum corporis, ſicut librô integrô demonſtrat Galenus: idem docet Ariſtoteles φυσιογνωμικῶν initiô, & *c.* 4. Vide quoque Caſſium Iatroſophiſtam *Problem. II.* Sed conjecturalis eſt, ut dictum, quippe ſolùm dicit, quid plurimum, non quid ſemper contingat: Et cùm rectè de inclinatione pronuntiatur, tamen fit ſubinde, ut diſciplinâ ac conſuetudine, quæ in naturam tranſit, inclinatio animi, quæ temperamentum ſequi ſolet, corrigatur: exemplô illuſtri Socratis, de quo Cicero, *de Fato, c.* 5. ita: *Socratem nonne legimus quemadmodum notârit Zopyrus* φυσιογνώμων, *qui ſe profitebatur hominum mores naturaſque ex corpore, vultu, fronte pernoſcere? Stupidum eſſe Socratem dixit & bardum, quòd jugula concava non haberet, obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat; addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe.* Videndus quoque idem, *Tuſcul.* 4. Partem Artis Chiromantiam eſſe, Coclitis ſententia eſt, quatenus ex manus conſtitutione colligit, de univerſi corporis natura, & variis animi inclinationibus; qua de ſcripsêre Galenus, Raſis, Avicenna: imò agnoſcit eam quoque Ariſtoteles, *de Hiſt. Animal. l.* 1. *c.* 15. *ſect.* 10. *Problem.* 49. quibus locis, ex brevioribus & longioribus lineis colligit de brevitate ac longitudine vitæ. At pars *Phyſiognomiæ* non eſt, imò nec ſcientia: ſed vanum quoddam ac ſuperſtitioſum divinandi genus. Metopoſcopiam quoque nonnulli huc referunt, ex ſola facie vel potiùs fronte judicantem: Ophthalmoſcopiam, ex ſolo oculorum aſpectu &c. Vetus admodum eſt exque Oriente in alias orbis partes traducta: colliguntque χειρομαντείας ætatem nonnulli, ex verbis Hiobi, *c.* 37. *v.* 7. vulgatæ verſionis: *Qui ſignat in manu omnia opera eorum*, ſed in Hebræo nihil hujus legitur. Interim certum eſt multi jam ævi eſſe: cùm enim deprehendiſſent Veteres cœli in hæc inferiora actiones, reliquum erat, ut convenientiam inferiorum cum ſuperioribus oſtenderent. Priſcum enim illud: *Inferius eſt, ſicut ſuperius.* Igitur hominem parvum Mundum ſtatuentes, ſingulas ejus partes ad cœleſtia, ut ſic dicam, lineamenta revocârunt. Interim orta tam altis initiis hæc Ars, longô temporis intervallô, aut planè omiſſa aut ludicrè Circulatoribus vaniſſimis corrupta eſt: ut non immeritò tale Syſtema Keckermannus inter deſiderata utiliſſima referat, *Phyſic. l.* 4. *c.* 1. Floruerunt & Ægyptii olim hâc laude, unde *Adamantius*: Αἰγυπτίοις μὲν, inquit, τοῖς πᾶσιν ἔπεισι κοινὰ σημεῖα, ἐξ ὧν τὸ γένος ἅπαν φυσιογνωμονεῖται. Extant in illa Ariſtoteles, ut dictum: Adamantius, & Polemo, quorum ille iſtum duobus libris preſsè ſequutus eſt. Theophraſtum quoque hujus Artis fuiſſe peritum, ex *Characteribus Ethicis* apparet. Vide Voſſ. *de Philoſophia, c.* 5. §. 43. & *ſeqq.* A. Gellium, *l.* 1. *c.* 9. *cum Notis Antonii Thyſii JCti.* &c. Hodie Impoſtores quidam, quos Germani *Zingaros*, Itali *Cilices* vocant, eâ ſe Arte inprimis, ſed vanè jactant, Georg. Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 5. *c.* 9.

PHYTÆUM, urbs Ætoliæ. *Steph.* Gentile *Phytæus.*

PHYTALMIUS, Neptunus à Træzeniis ſic dictus, à quibus extra muros templum Neptuno erectum fuerat, quòd eorum precibus motus non amplius aquam ſalſam frugibus inſpergeret. *Heſych.* idem cognomen Jovi tribuit, qui è poëtis *hominum ſator atque Deorum* vocari ſolet. Eſt autem φύειν idem quod *ſerere*, ſeu *plantare.* Alii verò à pinu, ei ſacrâ, cognominis hujus originem arceſſunt, idcirco, quia pinus, picea, abies, maritimæ rei plurimùm conveniant. Vide Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices l.* 1. *c.* 26. *ubi de Iſthmiis.*

PHYTEUM, Elidis urbs. Gentile *Phyteates. Steph.*

PHYTON, dux Reginorum contra Dionyſium. Diodor. Sic. *l.* 14. 451. *f.* alii ſcribunt *Phœton.* Hic deditâ Rhegiô, altiſſimo tormento, juſſu Dionyſii, alligatus eſt, ejuſque filius mari ſubmerſus. Cùm hoc ipſi à quodam miniſtro Dionyſii indicaretur, reſpondit, unô die feliciorem illum eſſe ſe. Poſt hæc circumductus eſt per urbem flagris & omni cruciatu exagitatus, comitante præcone, qui proclamaret, inſolito ſupplicio ideò à Dionyſio addictum eſſe, quòd civitati bellum contra ſe movere perſuaſiſſet. Poſthæc, cùm Dionyſius animadverteret quoſdam milites, ejus miſericordiâ commotos, ſpectare tumultum, & vereretur, ne ab iis eriperetur, juſſit eum cum omnibus cognatis ſubmergi in mari.

PHYTONIA, Tyrrheni maris inſul. Mela, *l.* 2. *c.* 7.

PHYTUS, vide PROPHYTUS.

PHYXIUM, Elidis in Peloponneſo urbs. *Polyb.*

PHYXIUS Jupiter, quòd fugientibus auxilietur, & ad quem confugiant ii, quibus eo loci periculum immineat, dictus.

PHYZANIA, Africæ regio. *Ptol.*

PIACULA fieri admiſſorum, devotâ aliquâ animante, aut aliâ re cum exſecrationibus interpoſitâ, ut peccatores pœnam evaderent, vetus Gentilium perſuaſio fuit, in qua veſtigium aliquod ſacræ veritatis, ut in aliis nonnullis, haud leviter conſpicuum. Eam in rem ſæpe homines immolatos, finibus ſubmotos, in furens pelagus naufragii tempore conjectos, conſecratos Diis inferis legimus. Item hoſtias, in quarum capita derivarentur pœnæ, cæſas. Nec non facta alia negotia, aut Ludos; aut Templa, Sacrificia & multa hoc genus, quibus portentorum omniumque dirorum effectus arcebantur. Vide elegantem librum Jul. Obſequentis, neque non Livii Hiſtoriam paſſim. Et multa hoc genus collegit in *Superſtitionum Commentariis* C. Barthius. Sic portentum triſte erat infans Archemorus, in facie totius exercitus à ſerpente peremtus, & *Piaculum* debebant, ob cæſum Nemeæi Jovis famulum ſerpentem, Græci, apud Statium, *Theb. l.* 6. *v.* 87.

——— *quæ crimina cæſi*
Anguis & infauſti cremet atra piacula *belli?*

Ad quem *loc.* Luctatius, *Ut expientur bellatores*, inquit, *ne infeliciter militent.* Petita autem plerunque ab Oraculis, cædibus inprimis patratis, *piacula* ſunt. Unde apud eundem, *Theb. l.* 1. *v.* 569. ubi de ſacro ſerpente, Pythii fani cuſtode, ab Apolline peremto,

——— *nova deinde* piacula *cædis*
exquirens, noſtri tecta haud opulenta Crotopi
Attigit ——— ———

Superſtitione ſcil. veteri, quæ etiam belluarum cædem expiandam putabat, perſuaſionem adhuc ſervantibus Mahometanis; uti ſuprà diximus ſuô locô. Vide de *Piacularibus Sacrificiis* genti Horatiæ apud Romanos traditis, Livium, *l.* 1. *c.* 26. & plura hanc in rem hîc paſſim, inprimis ubi de *Expiationis feſto. Veterum Luſtrationibus, Purificationibus* &c. Hinc *piacula*, pro pœnis, apud Statium iterum, *d. l. v.* 236. de Oedipo excæcato,

——— *Æterna* piacula *ſolvit.*

Et verbum *piaculo*, apud Catonem, *c.* 141. *Mars pater te hiſce ſuovitaurilibus piaculo.* Et mox, *Mars pater te hôc porcô piaculo.* i. e. propitium reddo &c. De *Piaminibus* populo diviſis, in Ludis Secularibus, vide infrà ubi de iis.

PIACULARIS, porta Romæ appellata, ob quædam *piacula*, quæ ibi fieri ſolebant.

PIACUS, urbs Siciliæ. Cives *Piaceni. Steph.*

PIADA, Sericæ urbs. *Ptol. Peim Mercatori.*

PIADA, pedes eſt in ludo latrunculorum Perſis; ſicut *rocha*; quæ Gallis *rocca* eſt, infimæ nempe Latinitatis vocabulum, pro *rupe.* Quæ non magis Perſica ſunt, quàm ipſius ludi appellatio, quem *Zatreng*, ex Græco Ζατρίκιον, nuncupârunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1130. ubi Perſas à Græcis multa vocabula mutuò accepiſſe docet, ut & infrà voce *Zatricium.*

PIÆ Memoriæ, vide *Bonæ Memoriæ.*

PIALA, Cappadociæ in Ponto Galatico urbs. *Ptol.*

PIALÆ, Scythiæ populi qui cum Parthis ex æquo vivunt ac degunt. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

PIALIA, urbs Theſſaliæ ſuper Cercetium montem *Steph.*

PIALIA, Græcè, Εὐσέβεια, agon ſacer, in Hadriani Imperatoris honorem Puteolis ab Antonino Pio conſtitutus. Artemidorus, *l.* 1. *c.* 28. Οἶδά τινα σταδιέα, ὃς μέλλων ἀγωνίζεσθαι Εὐσέβεια τὰ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἀχθέντα ὑπὸ βασιλέως Ἀντωνίνου ἐπὶ τῷ πατρὶ Ἀδριανῷ ἔδοξε τυφλὸς γεγονέναι. *Novi quendam curſorem, qui* Pialibus, *quæ in Italia agebantur ab Imperatore Antonino, in patris Adriani honorem, certaturus, viſus eſt ſibi cæcus factus.* Mentio agonis in *vetere Inſcr. Græca*, ubi nobilis Agoniſta & palmarum quamplurimarum, ludos, unde præmia reportârat, enumerans viciſſe ait, ΕΥϹΕΒΕΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙϹ. ΔΙϹ. *Pialia. Puteolis. bis.* Idem agon in ſaxo Melphæ eruto, & *ſacrum certamen* nominatur & *Iſelaſticum*: *Inſcr.* ſic habet:

IMP. CÆSARI.
DIVI. HADRIANI. FIL.
DIVI. TRAIANI.
PARTHICI. NEPOTI.
DIVI. NERVÆ. PRONEP.
T. ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AUG. PIO.
PONTIF. MAX. TRIB. POT.
IMP. II. COS. III. P. P.
CONSTITUTORI. SACRI
CERTAMINIS. SELASTICI (vitioſè ſculptum, pro ISELASTICI, ut *Caſaubono* placet: *Salmaſ.* verò, non ſculptoris hoc vitium fuiſſe, ſed pronuntiandi ſcribendique uſum docet)
SOCII. LICTORES. POPULARES
DENUNTIATORES. PUTEOLANI.

Iſelaſticus itaque fuit hic agon Puteolanus, quô nomine celeberrimis Græciæ certaminibus adæquatus eſt. Sola enim Iſelaſtica olim fuêre, Olympia, Nemea, Pythia, Iſthmia: & in omnibus quidem ſacris certaminibus qui coronabantur, *Hieronicæ*; non tamen omnia ſacra certamina Iſelaſtica fuêre. In his enim qui vicerant; præter honorem εἰσελασίας (quô in urbem patriam magnâ pompâ & ſpecie hieronicâ invehebatur) perpetuum ſtatutum vectigal è publico percipiebant. Vide ſuprà, ubi de certaminibus *Iſelaſticis.* Quinquennale porrò certamen *Pialia* fuêre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ut docet Spartian. in *Hadriano*, *c. ult. Templum denique ei* (Adriano) *pro ſepulchro apud Puteolos conſtituit & quinquennale certamen & Flamines, & Sodales & multa alia quæ ad honorem quaſi Numinis pertinerent.* Cur autem non Α'δριάνεια potiùs dictum ſit certamen illud, ab ejus nomine, cujus honori dicabatur, quàm Εὐσέϐεια, de conſtitutoris nomine, miratur Vir θαυμάσιος. Sic enim quinquennalem agonem in honorem Auguſti, inſtitutum Neapoli; Σεϐαστὰ appellârunt: Sic Α'ντινόεια Hadrianus in Antinoo appellavit: imò ſic ſemper in omnibus obſervatum, ut nomen ejus ferrent illa ludicra, cujus memoriæ & honori conſecrabantur. Vide cum omnino *Notas ad Spartian. loc. cit.* & infrà voce *Pii.*

PIANUS & PIARIUS, nomina Romana à *Pius* deducta; & quidem *Pianum*, amici nomen, cui Vopiſcus Hiſtoriam ſuam dedicaverit, fuiſſe, probat Salmaſ. ex vetere Editione & Cod. Palatino. Cùm enim vulgò legatur apud Vopiſcum, *in Divo Aureliano*, *c. 1. Parui ipſe quidem præceptis*: vetus editio & codex præfatus habent, *Parum ipſe, qui me præceptis*, item *Parrumi piane præceptis.* Ubi fortè ſcribendum, inquit Salmaſ. *parui Valeriani præceptis, accepi libros Græcos* &c. Sed propiùs ad ſcripturam veterem eſſet, ſi legeretur: *Paruimi Piane, præceptis.* Sanè ad amicum aliquem hunc Auctorem ſcripſiſſe librum ſuum, etiam inde probari poteſt, quòd ad finem vitæ prædictæ ſcribitur: *Et quæritur quidem quæ res malos Principes faciat. Jam primùm, mi Amice, licentia: deinde rerum copia.* Ita enim in veteri libro legitur. Sic in *Vita* Probi, *c. 1.* Celſinum alloquitur: *Quorſum hæc pertineant, mi Celſine, fortaſſe requiris.* Quæ omnia confirmandæ huic conjecturæ ſatis apta ſunt. Salmaſ. *ad Vopiſcum, loc. cit.*

PIARENSII, Myſiæ inferioris gens. *Ptol.*

PIASTÆ, populi juxta Pontum. *Steph.*

PIASTUS, civis Cruſvicenſis, ſe patremque agriculturâ apumque curâ cùm aliquandiu ſuſtentâſſet, poſt Popielum, Princeps à Polonis conſtitutus eſt, A. C. 842. Virtute & auctoritate ſuâ Rempubl. non parum anteà turbatam in integrum reſtituit: regiâ Cruſvicziâ Gnieznam tranſlatâ, Obiit A. C. 861. ætat. 120. Cromerus, *Hiſtor. Polon. l. 2.* Pater Ziemoviti; qui militaris diſciplinæ auctor, Bohemos Caſſubioſque devicit, & amiſſas Popieli ignaviâ provincias recuperavit. Huic Leſcus fil. fuit, adverſus quem Henricus Auceps Miſnenſem ac Brandenburgenſem Marchias conſtituit: Pater Ziemomiſli, quô genitus Miciſlaus, ductâ Boleſlai, Bohemiæ Ducis filiâ Dambrovicâ Chriſtianâ, iiſdem ipſe ſacris initiatus, gentem ſuam primus ad fidem, A. C. 965. perduxit. Hujus fil. Boleſlaus Chrobri, primus genti *Regium* titulum intulit, an ab Ottone III. Imperatore delatum, (an ſponte à Miciſlao fil. ſumtum, ſub Conrado II?) Hujus conſtitutioni militem defenſioni regni, intra breve tempus, ſemper paratum attribuunt. Succeſſêre Miciſlaus & Otto filii, quorum hic ab illo pulſus, à Conrado II. reſtitutus, dein à milite cæſus eſt: illi Maſovia ademta à Maſlao pocillatore, & Moravia à Bohemis. Ei ex Rixa Palatina natus Caſimirus, è Cluniacenſi monaſterio in thronum revocatus eſt, *Petri nummô* tum Pontifici conceſſô. Hic Maſlai victor extitit, ſed Henrico III. factus eſt tributarius. Pater Boleſlai Audacis, qui bellicâ laude clarus, Henricum IV. civili bellô occupatum cernens, regium diadema iterum ſumſit; Sed in tyrannum degenerans, diriſque à Pontifice devotus, A. C. 1081. dicitur ipſe ſibi manus intuliſſe. Ejus frater Vladiſlaus Hermannus, reverentiâ potius Imperii, quàm Pontificis interdictô, regiô nomine abſtinens, *Princeps* voluit dici. Pater hic fuit Boleſlai Crivouſti, qui ad Vratiſlaviam, *in Canum campo* ab Henrico V. Imperatore victus eſt, Polonis victoriam ſuæ genti adſcribentibus, qui eum 46. acie decreviſſe, ſemper victorem, ſcribunt, niſi quòd ultimô bellô adverſus Ruſſos circumventus eſt, ignaviâ Scarbimiri Palatini Cracovienſ. cui ob id *pellis leporina, fuſus & colus* à Boleſlao miſſa; qui proin voluntariô ſuſpendiô periit, poſteritate ejus Caſtellanis ſuis poſtpoſitâ. Obiit A. C. 1139. eôdem cum Alexandro M. temperamentô præditus. Pater Vladiſlai, (qui à fratribus pulſus, Conradum Glogoviæ, Boleſlaum verò & Mieciſlaum Sileſiæ inferioris ac ſuperioris Duces reliquit) Miciſlai, qui quartâ vice regnô potitus, obiit A. C. 1202. pater Vladiſlai ſputatoris, cujus fil. Primiſlaus, mortuus A. C. 1257. Præmiſlaum poſtumum ſucceſſorem habuit, qui excuſſô Imperii obſequiô A. C. 1295. regium diadema denuo aſſumpſit, ἄπαις mortuus: primus argenteæ monetæ in Polonia auctor creditus, cùm anteà monetâ coreaceâ Poloni uterentur,) & Caſimiri. Hic à Patre, cujus quintus erat filius, in teſtamento præteritus, quia currus à 4. rotis geſtetur, ipſe autem in medio currus ſeſſurus & ad ſummum faſtigium perventurus eſſet: Princeps optimus, niſi quòd in molliorem ſexum pronior, legibus Remp. inſtruxit. Mortuus A. C. 1194. Ei ſucceſſit fil. Leſcus, quô à Suantopulco Duce Pomerelliæ occiſô, A. C. 1227. regnô potitus eſt fil. Boleſlaus Pudicus, qui vitâ exceſſit A. C. 1279. ἄτεκνος; E Patrui ejus Conradi poſteris Vladiſlaus Locticus, diadema ſumſit, A. C. 1320. cùm Ludovicus Bavarus Imperator à Pontifice proſcriptus, & domi impeditus eſſet. Hic mortuus A. C. 1333. ſucceſſorem habuit filium ex Hedvige Caliſienſi Caſimirum M. qui optimus Rex, ſi libidinem excipias, regnum inſigniter excoluit, & Academia Cracovienſi A. C. 1364. inſtitutâ exornavit: tandemque A. C. in *Piaſtea* familia, qui Polonis imperâſſet, ultimus, vivendi finem fecit. Succeſſit ex Carolo Roberto Hungariæ Rege filius Ludovicus, ſcriptus à Caſimiro hæres. Plura vide apud Spener. *Syllog. Geneal. Hiſtor.* Cæterùm continuata eſt *Piaſtorum* familia, à Principibus Mazovianis, & utriuſque Sileſiæ Ducibus, his imprimis, quorum poſtremus Georgius Wilhelmus, Eccleſiarum Reformatarum illis in regionibus unicum, poſt Deum, columen, Obiit A. C. 1675. ætat. 15. poſtquam ann. 900. *Piaſtea* ſtirps floruiſſet.

PIASUS, Pelaſgorum Dux. *Strabo*, *l. 13.*

PIBRACUS Guido, Tholoſanus. Vide *Guido.* Conſule quoque Carolum Paſchalem, *in ejus vita.* Sammart. *elog. l. 3.* Thuan. *in Hiſt. &c.*

PICA, inter aves, quæ humanam imitantur vocem. Plin. *l. 10. c. 42. Picarum certo generi expreſſior loquacitas, quàm Pſittaco, ſed minor nobilitas, quia non è longinquo venit: ut Pſittacus, quem imittit India.* Verùm ut ibidem legas: *Addiſcere alias ſermonis humani ſpecies negant poſſe, quàm quæ ex genere earum ſunt, quæ glandibus veſcantur: & inter eas faciliùs, quibus quini ſunt digiti pedibus. ac ne eas quidem ipſas niſi primis duobus vitæ annis.* Ubi fallitur, ſecundùm Voſſium, Plinius, cùm picis quinos tribuit digitos; quippe duntaxat iis quatuor ſunt: Magiſque deceptus Appulejus, cùm iſta à Plinio de Pſittacis putaret prolata. Solinus quoque *c. 55.* hac in re erravit. Quid verò ales hæc non imitari diſcat, cùm exprimat etiam tubarum cantum? Qua de re illuſtre exemplum ſuggerit Plutarchus, *in compar. aquatil. & terreſtr.* atque inde Petr. Victorius, *Variar. Lect. l. 9. c. 14.* Rectè itaque Ovidius, *Metam. l. 5. v. 299.*

> ——— *Imitantes omnia* Picæ.

planeque falluntur, putantes ſermonem ſolùm imitari humanum, Gerh. Joh. Voſſius, *de orig. ac progr. Idolol. l. 3. c. 89. ubi de Avium loquela prolixè agit.* De Auguſti *Pica*, ut re notiſſima, jubet nos ſilere *Pauſanias*; Alcimedon fuit de Heroibus unus, cujus filiam, nomine *Phyllonem*, vitiatam ab Hercule Phigalii memorant: à Patre verò ſtatim à puerperio in proximum montem feris expoſitam, unà cum puero: Ibi vagientem infantem cùm *Pica* imitaretur, ad avis vocem, quòd puerilem eſſe credidiſſet, Herculem fortè illac iter habentem converſum, puellam & ex ſe genitum puerum agnoviſſe, amboſque vinculis liberâſſe, de rei eventu autem fontem proximum Κίσσαν, i. e. *Picam* eſſe nuncupatum. Nidi hujus generis avium induſtriam vehementer admiratur, & facundè deſcribit Aldrovandus Medicus Bonon. Vide Auctorem Anonymum *Siræ & Europæ*, *c. 37.* Digna proin Poëtarum verſibus & Epitaphiô, quod è Græco verſum à Sabæo, *l. 5. p. 631.* Auctorem ejus Archiam vetuſtum, & avis tumulo inſcriptum docente, his verbis:

> *Antè ego Paſtores mulcebam carmine, & illos,*
> *Qui fallunt piſces falce ſecantque nemus.*
> *Sæpe etiam reboans veluti reſonabilis Echo*
> *Mordacem effinxi gutture* Pica *ſonum.*
> *Nunc me terra tegit, nec ſum magis æmula vocis;*
> *Lingua etenim me, & vox, vitaque deſeruit.*

Vide Licetum, *de Lucernis Antiquorum l. 2. c. 57. ubi de aliarum quoque avium Epitaphiis pluribus agit*: ut & infrà aliquid, ubi de *Pſittaco.* Hinc *Pies* ſeu *Freres pies*, dicti in Eccleſia Romana quidam Religioſi ac Monachi, quòd, inſtar *picarum*, albis & nigris veſtibus ſimul induerentur. Mentio eorum apud Thom. Walſinghamum, *p. 124. In quodam veteri Cœmeterio, quod fuerat quondam Fratrum, quos* Freres Pies *veteres appellabant.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Et notum illud de Eraſmo,

> *Bis corvus, ter* pica *fui, bis cannabe vinctus* &c.

PICA, Inſula *Ilha de Pico*, in Atlantico mari, 15. milliar. Longitud. nomen habet à monte *Pico*, qui altitudine montem Pico Carnariæ ſuperare dicitur. In inſula Tercera ſerenô cœlô conſpici facillimè poteſt, & ut vix unô milliari diſtare videatur, cùm ferè 25. milliar. diſtantia computetur: nam in extremitate inſulæ, Fayal verſus ſitus eſt mons: Ejus vertex ultra nubes tendit, cùm mons nubibus cœli & Horizonte tectus ſit. Forma huic inſulæ ideò magna, quia fructifera eſt, lignum fert copioſè: cedrum nempe ac pretioſum illud, quod *Teixo* vocant. Hîc naves fabricantur, ob ligni copiam: regiô edictô cavetur, ne quis illud violet, cùm miniſtri regii duntaxat illud ſecandi curam habeant. *Metel.* Una eſt ex Tertiariis, ſeu Aſſoribus, prope Fayalis & S. Georgii Inſul. Extenditur ab Ortu in Occaſum, ad 45. mill. paſſ. ſuntque tantùm aliquot caſtra & pagi in ea, ſub Luſitanis. P. du Val, *Baudrandus.*

PICA ſeu PICCA, apud Guil. Brittonem, *Philippidos*, *l. 2. p. 115.*

> ——— *Sub eiſque ſecare minarius inſtat*
> *Celtibus & picis imi fundamina muri.*

Ex Gall. *Pic* eſt, unidens ligo, quô terra atteritur & foditur. *Upupa* Plauto, *in Capt. Actu. 5. ſc. 4. v. 5.* ubi de ſervo in lapidicinas dato,

> *Nam ubi illò adveni, quaſi patriciis pueris aut monedulæ,*
> *Aut anates aut coturnices dantur, qui cum luſitent,*
> *Itidem hæc mihi advenienti upupa, qui me delectet, data eſt.*

Ubi *upupa*, ὄρυξ exponitur *Gloſſarii* Auctori: non eâ quidem planè formâ, nec idem inſtrumentum cum *ama*, nam latior hæc & ad terram fodiendam, unde σκαφίον πλατὺ exponitur à Grammaticis; illa ad eruendos lapides & acuta, neque male referens upupæ caput cum roſtro. Sed & nomen etiam *upupæ* vel *opopa* Gallos retinere contendit Salmaſ. *hoüe* vocando inſtrumentum illud ὀρυκτικὸν, vide eum ad Treb. Pollionem, in *Claudio*, *c. 14.* A' voce hac *Pica* (pro qua *Pico* habet Epiſtola Arnoldi Archiepiſcop. Narbonenſis *de parta victoria contra Mauros A. C. 1212.*) quibuſdam videntur dictæ ſariſſæ ſeu longiores peditum haſtæ, quæ Gall. *picques*: at cùm alia prorſus ſit picarum ſeu ſariſſarum forma, non arridet aliis hæc ſententia. *Turnebus Picas* Gallorum, quaſi *ſpicas* appellatas putat; & reverà *ſpicarum* prorſus ſpecies referunt. Octav. Ferrarius à *ſpiculum* deducit, vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

PICA Braſiliæ, aliis *Abbas ſuperbus*, *Ramphaſtus*, *rhinoceros avis*, volucris Indica ingentis roſtri, quippe quod duos excedit palmos, & quà corpori unitur ſeu capiti, in craſſitie 4. uncias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

uncias ſuperat, in latitudinem verò 7. hinc curviuſculum plurimiſque denticulis acutiſſimis in ſerræ morem hincinde prominulis conſpicuum: colore eſt glaucescente, antidotum optimum adversùs omnia venena. Monarchis proin Principibuſque Indis ſolis conceſſa, à quibus maximi theſauri locô interque munera habetur, quibus ſe mutuò Principes excolere conſuevêre. Georgius de Sepibus, *Deſcr. Muſæi Kircheriani p.* 32.

PICARDI, à Picardo Belga ſic dicti, Adamitarum errores incruſtabant, A.C. 1414. ſi vera referunt Auctores. Idem nomen, per convitium, tributum fuit Valdenſibus, an ex eo, quia Petrus Valdus, cùm Lugduni tutò vivere ampliùs non poſſet, in Picardiam longum pòſt ſe diſcipulorum agmen trahens, conceſſerat, illâ ferme totâ in ſuas partes pertractâ, circa A.C. 1170. Reinerius *in Bibl. &c.* & hinc illis ex Huſſitis, qui à Calixtinis ſeceſſione factâ, omiſſis bellis, tantùm intenti fuerunt puritati doctrinæ propagandæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ arctioribus vinculis aſtringendæ & conſervandæ. A. C. 1457. Qui *Fratrum* nomine notiſſimi, A.C. 1508. cùm proſcripti eſſent, Varadienſi Epiſcopô decretum extorquente, hic veſicam paulò pòſt levaturus, miſerè ſcrotô ad paxillum currùs alliſô, periit, aliiſque perſecutoribus repentè extinctis, in proverbium abiit: *Quem vivere piget, Picardos aggrediatur.* Johann. Comen. *in Annal. Fratr.* In hos, Lutherus, adhuc Pontificus, graviter invectus eſt, *tom.* 1. *Wittemberg. in* 1. *præc.* Vide Æn. Sylv. *c.* 42. *Boh.* Dubrav. *l.* 26.

PICARDIA, Galliæ Belgicæ provincia, una ex regni maximis, nitidiſſimis, cultiſſimis & populoſis admodum urbibus nobilis, quarum caput eſt Ambianum ad Samonam fluv. *Annal. Gall.* Huic nomen à teli genere, quod *Piques* vocant, cujus uſus apud illos primùm inventus ſit. Valeſius inde libentiùs deducit, quòd vinô aut levi convitiô facilè ad iracundiam concitentur: pungi enim *ſe piquer*, & rixam *une pique* Gallis notat, qui & Flandrenſes propterea Εἰρωνικῶς *Flamans*, quaſi flammatô corde & irâ facilè ardeſcentes, vocant. Tractus ob fertilitatem *Pariſiorum horreum* dicitur: vinum non fert, quæ tamen hominum potiùs, quàm agri pigrities. *Ortel. Merula.* In confinio Belgii, inter Campaniam ad Ortum, Hannoniam Arteſiamque ad Boream, mare Britannicum, & Normanniam ad Occaſum, & Inſulam Franciæ ad Meridiem ſita eſt, continetque majorem partem provinc. Belgicæ II. Nunc ejus partes ſunt ſeptem: Comitatus nempe Bononienſis, Ponticum *le Pontieu*, Ambianenſis ager, Sanguiterſa *la Sancerre*, Veromanduenſis ager, Tiraſcia, & Recuperata ditio. Cùm antea partes ejus eſſent etiam tractus Bellovacenſis, Noviomenſis, Laudunenſis, & Valeſia; ſed nunc ſunt ſub Præfectura Inſul. Franciæ. A paucis annis Præfectura generali Picardiæ adjuncta fuit Arteſia, anteà pars Belgii. Erant aliàs in illa regione Ambiani, Sueſſiones ex parte, Geſſoriacus, pagus Oromanſaci, & Veromandui. Ducheſn. *Antiq. Gall.* Joh. Surhovius, *Picard. Belg. deſcr.* Adr. Morlerius *Hiſt. Ambian.* Cœterùm circa nominis originem hæſitans Car. du Freſne, duo potiùs iſta inveſtigat, primùm quis ex antiquioribus Scriptoribus *Picardiæ* nomen huic provinciæ attribuerit; alterum an propriam anteà nomenclaturam habuerit, priuſquam ita indigitaretur. Quorum prius quod attinet, Nicolaum demum de Braja, qui circa A. C. 1200. vixit, *Picardiæ* meminiſſe conſtat, adeoque his tum primùm temporibus hoc nomen invaluiſſe, veroſimile eſt. Ita autem ille, in *Vita* Ludovici VIII.

At Comes egregius & Martius ille Philippus,
Boloniæ patris imitans pia geſta Philippi,
Gloria Picardis, *Comitem ſed Flandria luget.*

Matth. Paris poſt eum, ſub A. C. 1229. *Qui enim ſeminarium tumultuoſi certaminis moverunt, erant de partibus conterminis Flandriæ, quos vulgariter* Picardos *nominamus.* In *Charta* dein Simonis Cardinal. Legati Apoſtolici A. C. 1266. mentio occurrit 4. Nationum Academiæ Pariſienſis, Franciæ, *Picardiæ*, Normanniæ & Angliæ; cùm in antiquoribus ejuſdem Academiæ Tabulis, Nationum tantùm in genere mentio fiat, earum nominibus non expreſſis. Quoad poſterius, ante tempus præfatum peculiari appellatione regio hæc, ſi cum iis, quibus hodie porrigitur, tractuum ſpatiis ſpectetur, nullibi inſignita occurrit; ſed ſui quique tractus à primariis Urbibus, vel ab ipſis Comitatibus, denominationem accipiebant. Unde *Pagi Ambianenſis* meminit Dudo *de Act. Normannor. l.* 3. *Pontivi, Ambianenſis & Beluacenſis*, Sugerius in *Ludov.* VI. *Ambianenſes, Cortejenſes & Pontivos* memorat *Chron.* vernaculum Flandriæ: *Communiarum Corbeji Ambianenſium, Beluacorum & Compendii, Atrebatæ* &c. mentionem facit *Rigordus* &c. Sed & qui huic provinciæ regendæ præficiebantur, ſeriùs ſeſe *Picardiæ gubernatores* inſcripſerunt. Primus *Picardiæ Proregem* ſe dixit Carolus Dux Montinovencius, circa A. C. 1319. Poſt quem Eduardus *de Beaujeu*, Franciæ Mareſcallus, in Computo vetere, A. C. 1350. dicitur *Capitaine pour le Roy és parties de Picardie, de Boulogne & de Calais.* Comes inde Inculiſmenſis Franciæ Conſtabularius, *Lieutenant pour le Roy es parties de Picardie, d'Artois & de Bolenois*, A. C. 1351. Quos qui excepêre, demum *Gouverneurs & Lieutenans vel Capitaines* vel *Souverains Gouverneurs pour le Roy au pays de Picardie*, inſcribuntur &c. Nec omittendum, in Academia Pariſienſi ex IV. Nationibus, quibus Facultas Artium componitur, ſecundam eſſe *Picardicam*, quæ in duas partes diviſa bis quinque diœceſes continet: Prior quidem, Beluacenſem, Ambianenſem, Noviomenſem, Atrebatenſem & Morinenſem; Poſterior verò, Cameracenſem, Laudunenſem, Tornacenſem, Leodienſem & Trajectenſem. Vide Hiſtoriam Academiæ Pariſienſis *Tom. III. p.* 559. infrà in voce *Poheri*, & plura in hanc rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PAGI MAJORES FINIBUS PICARDIÆ INCLUSI.

Ambianenſis, *l'Amienois.*	Morinenſis vel Tarvennenſis.
Bellovacenſis, *le Beauvaiſis.*	Noviomagenſis, *le Noyonois.*
Bononienſis, *le Boulonois.*	Silvanectenſis, *le Senliſien.*
Laudunenſis, *le Laonois.*	Sueſſionicus, *le Soiſſonnois.*

Veromandenſis, *le Vermandois.*

quo cuilibet minores pagi attribuuntur; de quibus vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PICARDIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Abbavilla, *Abbeville.*	Fanum S. Quintini, *S. Quentin.*
Ambianum, *Amiens.*	Fara; *la Fere.*
Ardra, *Ardres.*	Guiſia, *Guiſe.*
Bononia, *Boulogne.*	Hamum, *Ham.*
Caletum, *Calais.*	Monſtrolium, *Monſtreuil.*
Capella, *la Capelle.*	Perona, *Perone.*
Caſtelletum, *le Catelet.*	Roia ſeu Rodium, *Roye.*
Corbeja, *Corbie.*	Rua, ſeu Fanum S. Spiritus, *Rüe.* Vide & *Picardi.*
Dulendium, *Dourlens.*	

PICATI, apud Feſtum leguntur dicti, *quorum pedes formati ſunt in ſpeciem ſphingum, quòd eas Dorii* phicas *vocant.* Sic pro *ſphinge Heſiodus in Theogon. v.* 326. Φικὰ dixit, & *Lycophron* Φίκειον τέρας; *phiceum monſtrum.* In quos locos Scholiaſtæ, Φίκειον nominari monent montem, quem Sphinx incolebat: quod ipſum tradunt Apollodorus, *Biblioth. l.* 3. & Plut. *quòd bruta rat. ut.* probatque Bochartus in *Chanaan. l.* 1. *c.* 16. vocem merè eſſe Phœniciam. Φικὰ in *ficam* Romani mutâſſe videntur iis, qui Faunos hinc *ficarios* dictos eſſe contendunt: ſed Fauno caprinos pedes, non leoninos, ſicut Sphingi adeoque non *ficatos* ſeu *picatos* affinxêre fabularum Architecti. De Faunis res notiſſima; de Sphinge ſic Eurip. apud Ælianum, *l.* 12. *c.* 7.

Οὐρὰν δ' ὑπειλὰσ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν,
Caudam remulcens ad leoninos pedes.

Et Auſonius *in Gripho ternarii,*

Terruit Aoniam, volucris, leo, virgo triformis.
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella, &c.

Aliunde ergo illud Faunorum epithon, de quo Bochartum vide *Hierozoici part. poſter. l.* 6. *c.* 6. & ſuprà *ſuô locô.*

PICATUM Vinum, vide infrà *Recentatum.*

PICCOLOMINEUS Alexander Senenſis, Linguarum eruditarum, Philoſophiæ, Medicinæ, Juris, ac Theologiæ apprimè peritus: probitate inſuper ac largitate in pauperes, literatos præſertim, inclytus, deſtinatus Præſulatui patriæ Eccleſiæ, obiit A.C. 1588. ætat 70. Scripſit varia, quorum indicem conficit in *Elogiis* Antonius Teiſſier, *Part. I.* unde in Philoſophia præcipuè ac Mathematicis excelluiſſe, diſcimus. Etiam Poëſin tam exactè calluit, ut inter primos Comicos Italos illum ponere non dubitet Trajanus Boccalini. Vide *Theatr. d'huom. Lett. Part.* 1. Thevetum *vit. Hominum illuſtr.* Imperialem *Muſæô Hiſtor.* Voſſium *de Scient. Mathem. p.* 302. &c. ut & infrà *Picolomineus.*

de PICE caſtri nomen, de quo vide infrà voce *Poheri.*

PICEA, arbor, quæ *picem* plurimam fundit, Græcè πίτυκα, *arbor feralis* Plinio, *& funebri indiciô ad fores poſita ac rogis virens, l.* 16. *c.* 10. poſteà tamen *& in domos recepta, tonſili facilitate.* Ibid. Uſus varii, *Materies præcipua trabibus* (abieti) *è diverſo piceæ ad fiſſiles ſcandulas, cupaſque & pauca alia ſecamenta*, Ibid. Ejuſdem Φλοιὸς, ſeu ſumma ſuperficies corticis, ad multa utilis Medicis: in qua flos reſinæ reperitur; de cujus colligendæ modo, dicemus infrà. Porrò *flammis ac lumini ſacrorum* etiam *grata eſt*, Plinius, *l. c.* Inde enim luſtrales faces, quas Claudianus luculenter deſcribit, 6. *Conſulatu Honorii, v.* 324.

Luſtralem ſic triſte facem, cui lumen odorum
Sulphur cæruleo, nigroque in lumine fumat;
Circum membra rotat &c.

Sed & foliis ejus ac frondibus Iſthmionicæ coronati, ſecundùm quoſdam: pinea ſerta aliis iis tribuentibus, uti infrà videbimus. Opobalſami arbores, formam iis ſimilem habere, niſi quòd ſint humiles magis, & in vinearum modum excolantur, ait Strabo, *l.* 16. & Juſtin. *l.* 36. *c.* 3. Vide plura de hac arbore, apud Plin. ubi ſuprà, Salmaſ. *ad Solin. p.* 502. & *ſeqq.* nec non infrà in voce *Tæda*, it. *Reſina.*

PICELEO, oppid. amplum Ducatus Mediolanenſis in Cremonenſi territorio & limite Laudenſis tractus & Cremenſis, cum arce munita, ad Adduam, medium inter Cremonam & Laudem Pompejam, 5. tantùm milliar. à confinio ditionis Parmenſis; *Puighitone.* Crevit ex ruinis Fori Jutuntorum.

PICENDACA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

PICENI, populi Italiæ, è Sabinorum agro profecti, quoniam ductu auſpiciôque *Pici* iter ingreſſi erant (quam avem Marti ſacram credidêre veteres) hinc *Picenorum* nomen deinde nacti, ut ait, *Strabo*, regionem hanc prius incoluêre Pelaſgi. Huic *Marchiæ Anconitanæ* nomen, à Longobardis, ortum, qui poſt exceſſum Narſetis, Italiâ totâ occupatâ, Romani imperii funditus extirpandi conſilium cœperunt, & magiſtratuum veterum formas novis turbârunt inſtitutis. Ita ſuam dominationem in ſenas diviſêre præfecturas. Quaternæ *Ducatus* appellabantur, erantque Beneventanus, Spoletinus, Forojulienſis & Taurinus: binæ *Marchionatus*, nimirum Anconitanus & Taruiſinus. Picenum itaque Longobardi *Marchiam* dixêre, & *Anconitanam*, ab Ancone oppido quòd in eo, tanquam nobiliſſimo præcipuoque univerſæ, Marchiones ſedem ac domicilium habere ſolebant. Regioni hujus limites ſunt, ad Orientem, Præcutini populi, cum Truen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Truento amne; ad Meridiem Sabini, Vilumbri, Umbri Ducatus Spoletini gentes cum Apennino; ad Septentrionem, ſinus Adriaticus; ad Occaſum, Gallia Togata, nunc *Romanula*, cum Iſauro amne. Urbes habet præcipuas, Piſaurum, Fanum Fortunæ, Senam Gallicam, Urbinum, Camerinum, Aſculum, ipſamque Anconam à Syracuſanis, Dionyſii tyrannidem fugientibus conditam. In hac Picena regione lapidibus pluit, qui ſtrages illas indicabant facturas, quas Italiæ intulit Annibal: *Tit. Liv. l.* 1. Vide *Picenum*.

PICENTES, populi Piceni, Vid. *Picenum*, & populi regni Neapolitani vide *Picentini*. Addo hîc, quòd *Picentes*. Diomedem pro Numine coluiſſe, ex Hiſtoriis diſcimus: Quemadmodum eidem apud oſtium Timaci nemus ac templum ſacrum fuit, Strab. *l.* 5. qui ibidem quoque refert, apud Venetos album equum ei ſacrificari fuiſſe ſolitum. Scylax Caryandenſis *in Periplo*, Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνη ἐστὶν Ὀμβρικά. καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἀγκὼν ἐστι. τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην εὐεργετηθὲν ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ, *Poſt Daunitas gens eſt Umbrorum: inque ea eſt Ancon Urbs. Hæc verò gens colit Diomedem, cui ille bene fecit, ac ibidem ejus eſt fanum.* Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 40.

PICENTIA, Picentinorum oppid. quod caput Gentis fuit, teſte Strabone, *l.* 5. Τῶν δὲ Πικεντίνων ὑπῆρχε μητρόπολις Πικεντία. Sil. *l.* 8. *v.* 578.

——— Nunc ſeſe oſtendere miles
Leucoſiæ è ſcopulis, nunc quem Picentia Pæſto
Miſit. ———

Mela, *l.* 2. *c.* 4. *Pæſtum oppidum, Silerus amnis, Picentia. Picentum Stephano* dicitur. *Vicentiam* hodie vocari tradit *Leander*. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *c.* 6. Vide *Picentini*.

PICENTINI, populi diviſi fuêre à Lucanis Silarô fluviô, fueruntque ubi nunc pars Borealis Principatus citerioris, in regno Neapolitano, juxta ſinum Salernitanum. *Brietius* autem credit Surrentum, Vicum Æquenſem, Maſſam, & Stabias non fuiſſe aliàs Picentinorum urbes, ſed Campaniæ, ut etiam ſunt hodie.

Urbes Picentinorum hodie exstantes:

Amalphis, *Amalfi*, archiepiſcopalis.
Caprea, inſula cum urbe epiſcopali ſub Archiepiſcopo Amalphitano, *Capri*. Urbs parva.
Cava, *la Cava*, vulgò, epiſcopalis recens ſub Archiepiſcopo Salernitano.
Lyctera, *Lectere*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Amalphitano, parva.
Maſſa Lubrenſis, *Maſſa di Sorrento*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Surrentino.
Minor, *Minori*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Amalphitano, parva.
Nucera, *Nocera de Pagani*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano.
Ravellum, quaſi Rebellum, *Ravello*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Amalphitano. Sedes juncta Scalenſi, parva.
Salernum, *Salerno*, archiepiſcopalis, Principatus citerioris caput, olim Academia.
Sarnus, *Sarno*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano.
Scalæ, *Scale*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Amalphitano.
Stabiæ, *Caſtel à mar di Stabia*, quaſi Stabiæ novæ, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Surrentino.
Surrentum, *Sorrento*, archiepiſcopalis.
Vicus Æquenſis, *Vico di Sorrento*, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Surrentino, parva.
Interiêre Pompeji, Stabiæ, & Æqua.

PICENUM, Picentium regio, qui Umbris & Sabinis ab ortu Solis proximi fuerunt. Dicitur & *Picenus ager*, vocabulô adjectivô: quod etiam in aliis rebus ad hoc ſolum pertinentibus uſurpârunt veteres Romani. Horat. *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 272.

——— Picenis excerpens ſemina pomis.

Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 73.
Signinum, Sytiumque pyrum, de corbibus iiſdem
Æmula Picenus & odoris mala recentis.

Martial. *l.* 1. *Epigr.* 44. *v.* 8.
Nec de Picenis venit oliva cadis.

Auſon. *Ep.* 3. *v.* 1.
Qualis Picenæ populator turdus olivæ
Clunes opimat cereas.

Plutarcho ac *Ptolemæo*, gens ipſa dicitur, Πικηνοί, regio verò Appiano, *Civil. l.* 1. Πικηνίς, quæ Polybio, *l.* 2. & Straboni, *l.* 5. eſt Πικεντίνη, quô vocabulô gentilitiô Romani quoque uſi ſunt. Polybio, *l.* 3. ac Dioni, *l.* 63. gens dicitur ad ſuperum mare, ut omnibus pariter Latinis, Πικέντες. *Stephano* verò corruptè Πικίαντες. Regio verò eorundem eidem τὸ Πικεντικόν. Ὀμβρικοί, inquit, ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ τὸν Ἀδριανὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικεντικοῦ. De origine gentis ita, Plin. *l.* 3. *c.* 13. *Orti ſunt à Sabinis, votô verè ſacrô.* Et Strab. *l.* 5. Ἔστι δὲ παλαιότατον ἔθνος οἱ Σαβῖνοι, οἱ καὶ αὐτόχθονες. Τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται. Et eôdem librô poſteà: Ἔστι δ' ἡ Πικεντίνη μετὰ τὰς τῶν Ὀμβρικῶν πόλεις, τὰς μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ἀγκῶνος. ὥρμηνται δ' ἐκ τῆς Σαβίνης οἱ Πικεντῖνοι, δρυοκολάπτου τὴν ὁδὸν ἡγησαμένου τοῖς ἀρχηγέταις, ἀφ' οὗ τὸ ὄνομα. Πῖκον γὰρ τὸν ὄρνιν τοῦτον ὀνομάζουσι, καὶ νομίζουσιν Ἄρεος ἱερόν. *Feſtus*: *Picena regio, in qua eſt Aſculum: dicta quòd Sabini, quum Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum picus conſederit*: Forſan, à ſimilitudine vocabuli *Picentium*. Latinis occaſio nata fabulam de pico ave fingendi. Quam tamen longè aliter conſtruxit, lepidiuſque adornavit Silius, non à volucre; ſed ab homine, nomen, originemque gentis deducens. Sic enim ille, *l.* 8. *v.* 425. ſ.

Et qui Picenæ ſtimulat telluris alumnos,
Horridus & ſquamis & equinâ Curio criſtâ
Pars belli quàm magna venit! ———

v. 431.
Heic & quos paſcunt ſcopuloſæ rura Numanæ;
Et queis litoreæ fumant altaria Cupræ,
Quiſque Truentinas ſervant cum flumine turres,
Cernere erat. ——— ———

v. 437.
Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice, nec Libyco, ſtatque humectata Vomano
Hadria, & inclemens hirſuti ſignifer Aſcli.
Vepicus quondam, nomen memorabile ab alto
Saturno, fatui genitor, quem carmine Circe
Exutum formæ volitare per æthera juſſit,
Et ſparſit plumis croceum fugientis honorem.

De ubertate regionis ita tradit Strabo, *l.* 5. Οἰκοῦσι δ' οἱ Πικεντῖνοι ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἀρξάμενοι μέχρι τῶν πεδίων καὶ τῆς θαλάττης, ἐπὶ μῆκος ἔχοντες ηὐξημένην μᾶλλον ἢ πλάτος τὴν χώραν, ἀγαθὴν πρὸς ἅπαντα, βελτίω δὲ τοῖς ξυλίνοις καρποῖς ἢ σιτικοῖς. Liv. *l.* 22. *c.* 9. *Hannibal in agrum Picenum divertit iter, non copiâ ſolùm omnis generis frugum abundantem, ſed refertum prædâ.* De incolarum frequentiâ Plin. *l.* 3. *c.* 13. *Quinta regio Piceni eſt; quondam uberrimæ multitudinis CCCLX. millia Picentium in fidem populo Romano venêre.* Plura vide apud Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 11. De *Piceno* doctiſſimus *Ferrar.* iſta habet. *Picenum*, regio Italiæ, quæ hôc tempore *la Marca d'Ancona* nominatur, ab Eſi fluvio, qui ab Umbria ad occaſum ſeparat, à Truento fluvio ad ortum, qui illam ab Aprutio dividit, (quanquam Picenum ultra Truentum apud *Plinium* & *Ptolemæum* extenditur) ad auſtrum Apenninô monte, qui ab Umbris & Sabinis ſeparat, ad Boream mari Hadriaticô terminata. Marshamo, ab Aterno ad Æſem amnem porrigitur, *Canone Chron. Sec.* XVII. vide ibi: Urbes hâc tempeſtate claræ, Ancon, Græca Colonia, Firmum, Macerata, & Aſculum. Populi *Piceni Plinio*, *Picentes Straboni & Livio*. Silius, *l.* 8. *v.* 425.

Et qui Picenæ ſtimulat telluris alumnos.

Picenum à pica, quæ vexillo Sabinorum cùm Aſculum proficiſcerentur inſedit, dictum putat *Feſtus*. Vide ſuprà. *Nic. Lloydius.* Secundùm *Baudrandum*, *Picenum*, vulgò creditur *la Marche d'Ancone*, provincia ditionis Pontificiæ, in Italia; ſed reverà complectitur etiam partem Aprutii ulterioris, cum majori parte Marchiæ Anconitanæ; cujus pars occidentalis aliàs erat in Umbria, ubi urbes Æſium, Camerinum; & nunc ejus præcipua urbs eſt Ancon in ora maris Adriatici. Apud Magnonem *de Not. Jurid.* duplicis *Piceni* mentio fit, *Annonarii* & *Urbicarii*. Ita enim is

PIC. *Piceno.*
PIC. ANN. *Piceno annonario.*
PIC. URB. *Piceno urbicario.*

Non quòd duplex provincia eſſet, ſed quòd pars ejus, urbi Romæ propinqua & intra terminos urbicæ Juriſdictionis erat concluſa; altera verò pars extra urbici territorii fines reperiebatur. Sic Tuſciam *urbicariam* & *annonariam* reperimus: Non verò Campaniam, aut Samnium, Apuliam, Lucaniam aut Calabriam &c. quia cùm hæ regiones longiùs eſſent poſitæ, quàm ut terminis urbanæ Præfecturæ cognitionem coërcentibus comprehendi quirent, eô ipſô Italiæ accenſebantur inter regiones annonarias ſicque opus non habebant nominibus hujuſmodi diſtinctivis, ſicut *Picenum* & *Tuſcia*. Dicebantur autem omnes Italiæ regiones *annonariæ*, ab annonaria functione, quam ad exercitum comitatumque Imperatoris alendum, qui ſemper aut maximâ parte aderat, conferre conſueverant; quô onere antiquitus urbicariæ provinciæ liberæ fuêre, verùm poſteà, cùm & hæ idem functionis munus obirent, manſit tamen reliquis cognomen *annonariarum* eximium, ut hôc appellationis diſcerniculô ab urbicariis diſtinguerentur. Quia itaque partium Tuſciæ, ut & *Piceni*, una urbicaria, altera annonaria erat, quamvis adeò vicinæ, ut una magis, quàm duæ provinciæ, cenſeri poſſent, nunquam tamen ab uno eodemque Judice adminiſtratæ fuerunt, neque *Picenum* annonarium cum urbicario unquam eundem Conſularem habuit, ſed potiùs Flaminiæ junctum, ab uno eodemque Præſide regebatur. Unde eſt, quòd Trebellius in *Trig. Tyrannis*, *c.* 24. provincias Italiæ enumerans, *Picenum* ſeparatim non nominet, ſed cum Flaminia. Sic enim is: *Totius Italiæ, i. e. Calabriæ, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Bruttiorum, Apuliæ, Etruriæ atque Umbriæ*, Piceni & *Flaminiæ, omniſque annonariæ regionis*. Ita enim diſtingui vult, in verbis Trebellii, Salmaſ. Adeoque, ubicunque legeris Correctorem aut Conſularem *Piceni* & Flaminiæ, ſemper de *Piceno annonario* accipe. Quemadmodum in infinitis locis, ubi *veteres Inſcr.* habent mentionem Conſularis *Piceni & Flaminiæ*, quem etiam *Correctorem* nuncupat, &c. Salmaſ. *ad Treb. Pollionem l. c.*

Urbes hujus temporis Piceni:

Æſium, *Ieſi*, Epiſcopalis, *aliàs in Umbria*.
* Ancon, *Ancona*, portus & emporium.
* Aſculum, *Aſcoli*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Firmano.
* Auximum, *Oſimo*, Epiſcopalis.
* Camerinum, *Camerino*: Epiſcopalis, in Umbriæ confinio, aliàs in Umbria.
Cingulum, *Cingoli*, olim Epiſcopalis.
Cupra Montana. Vide Ripa.

Fabria-

Fabrianum, *Fabriano*, oppid. ex maximis Italiæ, aliàs in Umbria.
* Firmum, *Fermo*, Archiepiſcopalis.
* Lauretum, *Loreto*, Epiſcopalis recens.
* Macerata, ſic vulgò, Epiſcopalis (& academia) ſub Archiepiſcopo Firmano.
Recinetum, *Recanati*, Epiſcopalis: ſedes juncta Lauretanæ.
Ripa Tranſona, Epiſcopalis recens ſub Archiepiſcopo Firmano.
Septempeda, *S. Severino*, Epiſcopalis ſub Archiepiſco Firmano.
Tollentinum, *Tollentino*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Firmano. Sedes juncta Maceratenſi.
Interiêre Helvia Ricina, Potentia, & Numana.

PICHNAMAZ, nomen officii ſacri apud hodiernos Perſas, cui *Iman* apud Turcas reſpondet, vide ſuprà *Muſluni*.

PICILE, pro POECILE, apud Æl. Spartian. in *Hadriano*, *c.* 26. *Tiburtinam villam mirè exædificavit, ita ut in ea & provinciarum & locorum celeberrima nomina inſcriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum*, Picilen, *Tempe vocaret.* Ita enim Veteres ſcriptum habent, & editio Mediolanenſis ſervavit: cùm aliàs legatur *Pœcilen.* Nec aliter illâ ætate ſcribebant, *picile*, ποικίλη. Sic *Miræ Sidonio Apollinari* ſunt Μοῖραι & *Hecatombion* ἑκατόμβοιον. Sic Auſonio, *Epigr.* 138. *v. ult. Solicismus* σολοικισμὸς: quod non verſus gratiâ ab illo uſurpatum eſt, ſed quia uſitatiſſima in illa ætate ſcribendi ratio ſic ferebat. Nunquam enim aliter ſcriptum invenitur, in vetuſtiſſimo libro *Rhetorices ad Herennium*, qui in Puteanorum aſſervatur Bibliotheca. In eodem *Synaliphe* ubique occurrit, pro *ſynalœphe.* Sic *metici* pro *metœci*, μέτοικοι, apud *Sidonium Apollinarem* & apud Frontinum *de coloniis: Cimiterion*, in *vetuſtis Martyrologiis*, κοιμητήριον; & quod magis mireris, *Aulidus* pro *aulœdus*, apud *Capellam*, & *melidia* pro *melodia*: *Tragidi* pro *Tragœdis*, in *Gloſſ. Idipus*, in vetere Epigramm. pro *Oedipus*, de Sphinge:

Hæc fecit thalamos Idipum conſcendere matris,
Ut prolem inceſtam mutua dextra necet.

Inomaus quoque in veterib. libris, apud *Caſſiodorum*, pro *Oenomaus*, Salmaſ. *ad loc. cit.* & *ad Solin.* Fuit autem *pœcile* locus celebris Athenis, de quo in voce hac.

PICIS Mons, mons Italiæ, ad fontes Sontii & Natiſonis. Jornandes *de rebus Gothicis*; *Attila* primâ adgreſſione Aquilejenſium obſedit civitatem: cujus ab oriente muros Natiſo amnis, fluens à monte Picis, elambit. Vulgò *M. di Venzone.*

PICKENGUAM Osbertus, vide *Osbertus.*

PICNESII, Myſiæ ſuperioris populi *Ptol. Erſech Caſtaldo.*

PICO, ſeu PICUS, mons in inſula Taneriffa, in mare Atlantico montium omnium, quos ſol videt, eminentiſſimus creditur, expreſſiſſimè in medio mari, ad milliaria 60. conſpicuus: quem niſi Juliô & Auguſtô menſe conſcendere nulli cuiquam licitum eſt, cæteris etiam menſibus omnibus nive obſitus eſt; licèt in ſubjectis inſulis locisque finitimis aliis, nullô unquam tempore appareat. Ad illum conſcendendum & exuperandum triduô integrô opus eſt; ex quo, ſummâ parte plano, & æquabili, circum adjacentes inſulæ cœlô ſerenô & tranquillô exiſtente, undiquaque expreſſè deſpici & numerari poſſunt, licet illarum quædam ad 50. milliar. inde diſſitæ ſint. Menſibus geminis adeundo monti commodis, inibi lapis ſulphureus eruitur devolviturque, mittitur poſtmodum in Hiſpaniam, *Metel.* Hujus, ab Anglis quibuſdam mercatoribus, ad ſummum uſque faſtigium, in quo ſclopetis aliquot exploſis, M. Britanniæ Regis ſanitati vinô litârunt, conſcenſi, deſcriptionem lectu digniſſimam, vide in Hiſt. *Societatis regiæ Londinenſis.* Eſt & mons in Inſula *Pica*, vide *ibi.*

PICOLMAYUS, fluv. Paraguariæ. Oritur in Peruvia, prope urbem Argenteam, *de la Plata:* & poſt longum curſum, auctus aliis fluviis in flumen Argenteum ſe exonerat.

PICOLOMINEUS Jacobus, vide *Jacobus.*

PICQUINIUM, oppid. Picardiæ, ad Somonam fluv. 2. leuc. infra Ambianum in Occaſum, Abbavillam verſus.

PICRA, ſtagnum Africæ in Marmarica regione apud Hammonis oraculum, cis illud 100. ſtad. qua Alex. Magnus cùm ad illud oraculum conſulendum, pergeret, tranſiiſſe fertur. *Diod. Siculus.*

PICRIS, Græca vox πικρὶς, *lactuca agreſtis*, Exodi *c.* 12. *v.* 8. in Vulgata, *Et edent carnes nocte illâ aſſas ipſi & azymos panes cum lactucis agreſtibus*; ubi Vaticana tranſlatio habet, *Et azyma ſuper picrides comedent*: S. Cyprianus *cum picridibus*, legit. Sermo ibi de cœna Paſchali: in Hebræo *meror*; cujus pluralis numerus *merorim* eſt, quod nomen videtur generale eſſe, ad omnes herbas amaras, quarum in Paſchate uſus fuit; Sed ſingulare מרור *meror*, ad certam ſpeciem reſtringitur, ut Græcum hoc πικρὶς, ab amaritudine ſimiliter factum. Sumitur autem πικρὶς aliquando pro lactucæ ſpecie, quæ reliquis amarior eſt. Plin. *l.* 19. *c.* 8. *Peſſimum autem lactucæ genus cum exprobratione amaritudinis appellavêre picrida.* Ariſtoteles, *Hiſtor. l.* 9. *c.* 6. Ὁ δὲ δράκων ὅταν ὀπωρίζῃ, τὸν ὀπὸν τ̃ πικρίδος ἐκροφεῖ: quod idem Plinius reddit, *l.* 8. *c.* 27. *Draco vernam nauſeam ſylveſtris lactucæ ſuccô reſtinguit*; ubi ſylveſtris lactuca *picris* eſt. Neque aliter Ælian. *l.* 6. *c.* 4. Οἱ δράκοντες, ὅταν ὀπώρας μέλλωσι γεύεσθαι, τ̃ πικρίδος καλυμένης ῥοφῦσι τὸν ὀπὸν. Unde Apulejus, *Herbarii c.* 30. cui *titul. de Lactuca ſylv. Græcis* θρίδαξ ἀγρία *dicitur* ——— *aliquibus* πικρὶς. Quod ſequutus Hieronymus, *in Exodo & Numeris*, Græca ἐπὶ πικρίδων, reddidit, *cum lactucis ſylveſtribus.* Sed & πικρὶς, eſt *ſylveſtre intubum*, *Dioſcorides*, Σέρις ἀγρία ϗ ἥμερος, ὧν ἡ μὲν ἀγρία πικρὶς, ἡ ϗ κιχώριον καλυμένη *Intubum vel ſylveſtre vel ſativum eſt: ſylveſtre eſt picris, quæ etiam cichorium dicitur.* Ætio utrùmque cichorium *intubi* nomen habet, ſed ſolùm agreſte πικρὶς vocatur: Σέρις ἢ κιχώριον, ὑπόπικρόν ἐστι λάχανον, ϗ μᾶλλον τὸ ἄγριον, ὅπερ ϗ πικρὶς προσαγορεύεται, τισὶ δὲ κιχώριον, *Intubum ſive cichorium, ſubamarum eſt olus, agreſte imprimis, quod & picris dicitur, quibuſdam etiam cichorium.* *Suidas*, Σέρις εἶδος λαχάνων, τὰ παρ' ἡμῖν σέρικα λεγόμενα. αἱ πικρίδες παρ' ἄλλοις ἢ μᾶλλον, τ' ἀληθέστερον εἰπεῖν, Μακεδόνισια; *Seres* (intuba) *genus oleris; quod apud nos ſerica vocatur, ab aliis* picrides, *vel ut veriùs dicamus, Macedonica* (à loco ubi illius magna copia) Et his omnibus longè antiquior Theophraſtus, *Hiſtor. l.* 7. *c.* 11. *picridem* inter τὰ κιχωριώδη ponit. Florum enim ſpecies percurrens, Ὡσαύτως δὲ, ait, ϗ ἡ πικρὶς, καὶ γὰρ αὕτη τῷ ἦρι ἀνθεῖ, *Similiter & picris, nam & ipſa vere floret.* Et paulò poſt, Τῇ γεύσει δὲ πικρὰ, διὸ καὶ τοὔνομα εἴληφε, *Guſtu amara eſt, unde illi nomen.* Unde Plin. *l.* 21. *c.* 17. *Amara aphace, & quæ* picris *nominatur, & ipſa totô annô florens: nomen ei amaritudo impoſuit.* Itaque tam in intubis, quàm in lactucis, quæ reliquis amarior eſt, *picris* vocatur. Niſi quis *lactucæ ſylveſtris* & *intubi ſylveſtris* nomine velit unum idemque ſignificari. Quâ mente videri poſſit hæc ſcripſiſſe *Neophytus.* Σέρις τὸ κιχώριον, ἤτοι τὸ ἄγριον μαρούλιον, ὃ καὶ πικρομάρουλον λέγεται καὶ πικρὶς, *Seris* (intubum) *cichorium aut lactuca ſylveſtris, quæ & picromarulum* (amara lactuca) *dicitur & picris.* Quæ vox μάρουλον ſeu μαρούλιον, recentioris Græciæ eſt; deflexa ex μαιούλιον, quomodo lactucas vocaverat ſuperior ætas, quia Majô maximè menſe vigent &c. E' quibus omnibus patet, quid ſit πικρὶς Græc. ſeu *meror* Hebr. quod idem eſt. Nempe cùm in eodem loco חזרת, *chazareth*, propriè lactucam ſativam ſonet, & עולשין *ulſin*, ſativa intuba, מרור *meror*, ut Græcum πικρὶς, ab utroque in eo differt, quòd non niſi *ſylveſtrem lactucam* ſignificat, aut verò *ſylveſtre intubum.* Ea enim ſic appellari conſuevêre ſpeciali nomine, ratione amaritudinis quæ in illis major, quàm in ſativis. Cui illuſtrandæ faciunt illa ex Abenbitare, Scriptore Arabe, petita, *Meruria eſt intubi ſylveſtris ſpecies maximè amari. In libro Albavi* (cujus auctor eſt Serapio) *meruria eſt lactucæ ſpecies in qua eſt amaritudo & unde fluit lac.* Et certè lactucæ has ſylveſtris notas eſſe, diſcimus ex *Dioſcoride*, Πικρὰ δὲ πρὸς τῇ γεύσει. ὡμοίωται δὲ κατὰ πᾶσαν τὴν δύναμιν μήκωνι ὅθεν καὶ τ̃ ὀπὸν αὐτ̃ ἔνιοι μιγνῦσι τῷ μηκωνίῳ, *Guſtu amara eſt; papaveri ſimiles vires habet: ideoque lac ejus quidam papaveri miſcent.* Et *Theophraſto*, qui multo antè deſcripſerat hoc lactucæ genus; *Hiſtor. l.* 7. *c.* 4. ὀπώδης σφόδρα, lactiferum valde. Ita in *Plinio* lactucæ ſylveſtris ſpecies una eſt, *quæ meconis vocatur à copia lactis ſoporiferi.* Addit, *olim in Italia hoc ſolum genus fuiſſe, & ideo lactucæ nomen adeptum.* Ita ex Appuleji *Herbario* ἀνεκδότῳ hæc citat Salmaſ. *Lactuca alba* μηκωνὶς *vocatur, à copia lactis ſoporiferi* &c. Uti verò omnia in Agno Paſchali myſtica erant, ſic herbæ amaræ, cum quibus Agnum comedi oportuit, *picris* inprimis, ſignificârunt, *omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem pati*, 2. Timoth. *c.* 3. *v.* 12 ut, *per communionem paſſionum illius, conformes fiamus morti ejus* Philipp. *c.* 3. *v.* 10. eôdem enim tendentibus idem iter eſt proſequendum: & ſpinea corona nobis cum Chriſto ferenda eſt, ut ſuccedat corona gloriæ, juxta illud, *Si ſuſtinemus, etiam cum illo regnabimus.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. & Salmaſ. *Exercitat. Plinianis. p.* 829. 830. & 1269. Sed & Virgilius *picrim*, inter herbas coronarias refert, buphthalmo eam ſocians, eamque *floridam* vocat *Cul.*

Buphthalmuſque virens & ſemper florida picris.

Qua de re vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 3. *c.* 17.

PICTA, item PICTAVINA & PICTAVENSIS, Gall. *Pice*, moneta Comitum olim *Pictavenſium*, omnium ferè monetarum minima, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi in *Tabulario* Angeriacenſi *Pictavenſes brunos*; item *Pictavenſes maſculos*, i.e. *Mallias Pictavinas*, Gall. *Mailles Poitevines* occurrere, inſuper adnotat. Vide quoque ſuprà voce *Mallia.*

PICTA Toga, veſtis Etruſca fuit, purpurei coloris, aurô diſtincta, à Triumphantibus olim ſolita geri, *quam*, ut ait Florus, *ſubactis XII. Thuſciæ populis Tarquinius Priſcus Romam tranſtulit*, id quod etiam Dionyſius, *l.* 3. *Antiquit.* confirmat: Macrobius tamen, *l.* 1. *Saturn. c.* 6. Plin. *l.* 9. *c.* 39. id non Priſco, ſed Tullo Hoſtilio tribuunt. Vocabatur autem *Picta*, quòd in ea figuræ ita fingerentur, ut ea ſpecies ad picturæ ſimilitudinem accederet. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. Cujuſmodi acu pictarum imagines nonnullas deſcribunt *Homerus*, *Virgilius*, *Catullus.* Niſi hinc dictam malis, quòd purpura ita eſſet intexta, ut aliqua imago aut palma in ea picta videretur. Quare nonnunquam ea *Palmata* & aliquando *Purpurea* fuit appellata, de qua quidem egregiè ſcripſit Juvenalis, *Satyr.* 10. *v.* 36.

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis & pictæ *Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa Togæ. ———

Et Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 16. *c.* 10. *Pictam Togam privatus habuit primus & propriam Gordianus ſenior, quum antè ex Capitolio acciperent Imperatores vel ex palatio.* Quippe, ut tradit Liv. *l.* 10. *c.* 7. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 40. & Stephanus Vinardus, *in fine Herculis ſui*, olim conſuetudo, de qua etiam ſuprà aliquid innui, ut Triumphantes in Toga picta purpurea inveherentur in Capitolium. Hinc Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 1. *v.* 11.

I comes & magnos illæſa merere triumphos,
Palmataque Ducem, ſed citò, redde Togæ.

Vopiſcus, *in Probo*, *c.* 7. *Te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata* &c. Vide Hieron. Boſſium, *de Toga Rom. c.* 16. Togam *pictam* aureis ſtellis diſtinctam fuiſſe, quæ autem palmarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

iconibus eſſet illuſtris, *palmatam* fuiſſe dictam, Iſidorus docet, *l.* 18. *c.* 2. Color iis purpureus, aurô intertextô, teſte Dionyſiô Halicarnaſſæô, *l.* 5. *p.* 314. quod vel ſtellas exprimebat, ut ſuprà dictum, & *Appianus* inſuper confirmat, vel Triumphantis res geſtas gentilitiumque ſtemma. Auſonius *in Gratiar. Act. Palmatam tibi miſi, in qua Divus Parens Conſtantius intextus eſt, hæc eſt* picta, *ut dicitur*, Veſtis, *non aurô magis ſuô quàm tuis verbis.* Eandem *clavatam* fuiſſe dictam, à clavis aureis, quibus diſtinguebatur, diſcimus ex Feſto, *l.* 14. in dict. *Picta.* Quando cœperit hoc geſtamen, *Verrius Flaccus* apud *Sextum Pompejum*, nos edocet, *Picta*, inquiens, *Toga quæ nunc dicitur, purpurea antè vocitata eſt eaque erat ſine pictura: Ejus rei argumentum eſt pictura in æde Vertumni & Conſi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papyrius Curſor triumphantes ita picti ſunt.* Itaque Toga triumphalis antiquitus tantùm purpurea fuit, pòſt *Picta* in uſum venit; natas autem has ex Homericis pictarum veſtium imaginibus, docet. Sed nec triumphantium modò ea toga fuit, verùm & Conſulum & Prætorum: & quidem illorum, quoties Magiſtratum inirent ipſis Kalendis Januariis, idque ſub Imperatorib. cùm liberâ Republ. tantùm in prætexta eſſent. Lamprid. de Alexandro, *c.* 40. *Prætextam & pictam Togam nunquam niſi Conſul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo ſumtam alii quoque accipiebant aut Prætores aut Conſules.* Præter Gordianum, duobus tributum, ut *Pictâ togâ* quanquam privati uterentur, Paulo Æmilio Perſei Regis Macedonici ultimi victori & Pompejo, legimus apud Aur. Victorem, *de Viris illuſtr.* Vellejum, *l.* 2. ac Dionem, *l.* 37. Crebrior dein, poſt Gordianum, ejus uſus ac mentio apud Scriptores. Auſonius, *Idyllio* 4.

Ut Præfecturam duplicem, ſellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia Conſul
Induerer, Faſtiſque meis prælatus haberer.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l.* 2. *c.* 8. & 9. ut & ſuprà in voce *Palmata*, ac infrà in voce *Triumphalis.* Inter Senatus Rom. præcipua dona, quibus amicos colebat Reges, fuiſſe Togas *pictas*, & tunicas palmatas, Livius paſſim aliique teſtantur. Quò reſpiciens Tacitus, *cognitis*, inquit, *l.* 4. *Annal. c.* 26. *Ptolemæi per id bellum ſtudiis, repetitus ex vetuſto mos, miſſuſque è Senatoribus, qui ſcipionem eburnum.* Togam pictam, *antiqua Patrum munera daret, Regemque & ſocium atque amicum appellaret.* Nec omittendum iſtiuſmodi Togæ *puram* opponi, ut docet Jac. Gutherius, *de Vet. Jure Pontif. l.* 1. *c.* 28. Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 10. *c.* 29. A' Toga ad veſtes *pictas* in genere tranſeo, quarum inventores Phrygas fuiſſe, innuit Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe, unde Triumphales natæ; acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati ſunt.* Uſus in Aſſyria frequens, Babylone præſertim, teſte eôdem paulò pòſt: *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit.* Qua de cauſa, Βαβυλώνιον πρόϐλημα, i. e. *Babylonicis coloribus variegatam veſtem*, hæreditariô jure obveniſſe Craſſo, refert Plutarchus, *in M. Catonis vita*; Sed de his vide iterum Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 35. & ſuprà in voce *Phryges, Phrygiones* &c.

PICTACIUM, Epiſtola eſt brevis & modica, vel ſchedula de membrana exciſa, vel illa particula corii, quæ ſoleæ repeciatæ inſuta eſt, à *pingo:* an meliùs à barbaro *pittance*, quod Anglis hodieque rem exiguam denotat. Latinis *Breve.* Hincmaro non ſemel *Pitacium*, & *Pitaciolum* dicitur. Vide infrà *in Pitanciaria*, item *Pittacium.*

PICTÆ, diverſorium Latii, in via Latina, ab urbe 30. mill. paſſ. apud Anton. *in Itinerario.*

PICTANCIA, apud Vincentium Belvac. *l.* 32. *c.* 49. *Aquam etiam puram frequentiùs bibebant & quandoque pro magna* pictancia *mixtam vel acetô vel lacte, nullâ de vino factâ mentione.* Cæſarium item, *l.* 8. *c.* 94. *Dum* —— *à celleraria per totum conventum pictancia, i. e. ova frixa dividerentur* —— *inviſibilem ei pictanciam miſit,* —— *quòd omnibus diebus vitæ ſuæ* pictantiis *omnibus carere vellet:* Portio eſt monachica, in eſculentis, ad valorem unius *pictæ*, lautior pulmentis, quæ ex oleribus erant; cùm *Pictanciæ* eſſent de piſcibus. Apud Uldalricum, *Conſuetud. Cluniac. l.* 2. *c.* 35. alibique paſſim *Pitancia* dicitur, quod ad Gallicum *Pite* magis accedit. Unde impingere ait Car. du Freſne, qui à *Pietate*; vel à *pitiſſando*, vel etiam à *pittacio*, deducunt vocem, ita ut Canonicis & Præbendariis, uti olim militibus, ſecundùm porrecta illis pittacia, erogarentur ſpecies annonariæ, panis, vinum, lardum, caro &c. vel quòd in tabella ſeu pittacio deſcriberetur, quam quiſque ſportulam & portionem eſſet ſuſcepturus. Iſtiuſmodi *pitancias* ſingulis Monachis diſtribuendi munus qui habebat, *Pictanciarius* dictus eſt. *Charta* A. C. 1292. *Idem Abbas aſſignavit pitanciariæ certos reditus ad ſummam* 8. *librarum &* 14. *ſolidorum* & 2. *denariorum, talimodô diſponendam, videlicet quòd* Pitantiarius *miniſtret inde Conventui ſingulis annis in anniverſario ſuo vinum, piſcem & ſpecies: ſcilicet cuilibet de Conventu unam caritatem integram boni vini & unum ferculum boni piſcis & ſpecies, per viſum Subprioris*, &c. apud Ingulfum, memoratum Car. du Freſne *Gloſſ.*

PICTAVI, qui *Pictones* Cæſari, *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 4. Plinio, *l.* 4. *c.* 19. ac *Straboni* populi Galliæ Aquitan. cum titulo Comitatus, & urbs epiſcopalis ſub archiepiſcopo Bituricenſi & Academia: Cum regni titulo à Gothis, quos Clodoveus exegit hinc, ut & totâ Aquitaniâ. *Merula.* Olim enim ſub Romanis erat provincia ſub Aquitaniæ nomine: à Vandalis poſtmodum, Hunnis, Alemannis, duce Croccô vaſtata eſt ſeculô 5. urbe Pictaviô direptâ. Sub Honorio Imperatore à Romanis Wiſigothis eſt ceſſa, qui ut modò dictum, à Chlodoveo A. C. 510. inde exacti ſunt. A Caroli M. temporibus comites habuit, quales Abbo, Ricuinus, Renaldus, duo Bernardi, duo Ranulfi, duo Ebleſii, & decem, quibus Guilielmi nomen, quorum ultimi filia Eleonora, uxor primò Ludovici Junioris Regis, dein ab hoc repudiata, Henrico II. Duci Normanniæ, poſteà Angliæ Regi nupſit, Guiennâ cum Normanniâ dotis locô illi allatâ. Horum filiô Johanne ſine Terris, ob feloniæ crimen ditionibus A. C. 1204. exutô, poſteà Alphonſo filio Ludovici VIII. aliiſque Regum filiis apennagii locô conceſſa eſt, ſubinde ab Anglis denuo infeſtata, donec iis totô regnô exactis à Carolo VII. regno eſt innexa, A. C. 1436. Bellis civilibus, præteritô ſeculô Princeps Condæus, Reformatorum Dux, rerum hîc potitus eſt, vide Petr. Rogerium, *Picton. deſcript.* Joh. Beſlium, *Geneal. des Comt. de Poict. Annales Aquitaniæ, Hiſtor. Pictav.* Froiſſardum, Ducheſnium, Thuanum, *Hiſtor. &c.* Gall. *Poictou.* Ejus capita duo, Auguſtoritum, quod poſteà à gente *Pictavi* cognominari occæpit, inter 6. provinciæ Aquitanicæ ſecundæ civitates penultimum olim locum, dein habitâ ratione dignitatis ac potentiæ, primas poſt Burdigalem nactum. Vide infrà in *Pictavium:* & Limonum, quam urbem hodie fatetur ſe ignorare *Hadr. Valeſius.* Ager *Pictonum*, Pictavenſem olim epiſcopatum tantùm continebat, nunc tres Epiſcopatus complectitur, Pictavenſem veterem, Malliacenſem & Lucionenſem recentiores, ex Monaſteriis factos, imminutô Pictavenſi. Incolæ *Poitevins: Froiſſardo, Marolio*, aliiſque *Petaux*, ſic ut Bituriges Cubi *Bidaux*, quos utroſque cum Normannis, Picardis, Genuenſibuſque conjungunt, atque à lanceariis cataphractis equitibuſque diſtinguunt, pediteſque faciunt. Nempe milites variarum gentium, ex quibus lecti erant, nominibus deſignari ſolebant. Vide infrà quoque in *Pictavienſis Provincia.*

PICTAVIENSIS Petrus, vide *Petrus.*

PICTAVIENSIS Provinc. ampla aliàs pars Aquitaniæ, extenditur pro majori parte ab Ortu in Occaſum, habet ab Ortu Turonenſem provinc. & Marchiam, à Septentrione Ducatum Andegavenſem & Britanniam minorem. Ab Occaſu Oceanum Aquitanicum, & à Meridie, Santonenſem & Engoliſmenſem provinc. Ejus primaria eſt Pictavium.

PAGI HAC PROVINCIA COMPREHENSI.

Arbatilicus, *Arbauge.*	Niortenſis, *le Niortois.*
Caſtellairaldenſis, *le Chaſtelreaudois.*	Ratiatenſis, *le pays & Duché de Rez.*
Lauſdunenſis, *le Lodunois.*	Tefalgicus.
Lucionenſis, *le Luſſonois.*	Toarcenſis, *Toüarcois.*
Madalgicus, *le Mauge.*	Vaſtinenſis *Gaſtinois*, à ſqualore & ſilvis ſuis cognominatus.
Mirebellenſis, *le Mirebalais.*	

URBES, OPPIDA AC CASTELLA CELEBRIORA.

Aſper mons, *Aſpremont.*	Metulium caſtrum, *Melle.*
Auguſtoritum Pictonum, vel Pictavium, vide ibi.	Mirabellum, *Mirebeau.*
Auriniacum.	Mons acutus, *Montagu.*
Bellus Viſus, *Beauvoir ſur mer.*	Monſcontorius, *Monconour.*
Calviniacum, *Chauvigny.*	Mons Morillonis, *Monmorillon.*
Caſtanetum, *Chaſtaigneraye.*	Moritonia, *Mortagne.*
Caſtrum Heraldi, *Chaſtelleraud.*	Mortuum Mare, *Mortemar.*
Caſtrum Toarcis, Toüars.	Niortium, *Niort.*
Duracium, idem	Parthenæum, *Parthenay.*
Fontenæum, *Fontenay.*	Pictavium, caput provinciæ, *Poictiers.*
Ganachia, *la Ganache.*	Ricolocus, *Richelieu.*
Gentiacum, *Genſay.*	Rupes ad Ionem, *Roche ſur Ion.*
Liciniacum, *Luſignan.*	Secundiniacum *Secondigni.*
Lodunum, *Loudun.*	Taifalia *Tifauge.*
Luciacum, *Luſſal.*	Tremolia *Trimouille.*
Luſſonia, *Luçon.*	Turris Talemundi, *Talmond.*
Malleacum, *Maillezais.*	Volventum, *Vouvant.*
Maxentii Fanum, *S. Maixent.*	

PICTAVIUM, Gallicè *Poitiers.* Ad Clanim fluv. 30. leuc. à Mediolano Santonum in Cæciam, 35. à Biturico, Pictonum caput. Civitas ampliſſimi eſt circuitus, ſed non æquè culta. Ridiculè quibuſdam à Pictis, qui è Scythia advenêre, condita, dictaque: antequam enim hi in Britannia ſedes fixiſſent, jam magni nominis Pictavium erat: potiùs Gallorum opus videtur. Hîc vetus caſtrum, à Romanis ſine dubio conditum, qui & Amphitheatrum aliaque inſignia ædificia hîc extruxêre. Parlamenti Pariſienſis ſedes fuit, ſub Carolo VII. qui celebris hîc Academiæ auctor eſt, A. C. 1451. fundatæ, cujus elogium apud *Scaligerum* vide. In provinc. Pictavienſi ſuperiori, ſeu mediterranea. Prætertiô ſeculô Urbs in Reformatorum fuit poteſtate, donec capta eſt à Mareſcallo S. Andreano, A. C. 1562. Iterum, ſed fruſtrà obſeſſa eſt ab Admirali Colinio, illam duce Guiſiô defendente. Obſidionem *Libergius* prolixè deſcripſit. Eccleſiam Pictavienſem S. Martialis fundâſſe creditur: quæ Præſules inter alios clariſſimos habuit S. Hilarium, Juſtinum, Maxentium, Gelaſium, Anthemium, Pientium, Emmeranum, Venantium Fortunatum, &c. Cathedralis Eccleſia D. Petro ſacrata eſt. Dimidiâ leucâ ab urbe, in itinere Biturigas ducente lapis viſitur, quadratus, 25. pedes largus, latus 17. quatuor aliis lapidibus innixus, de quo multa incolæ fabulantur, ipſi inſcriptum hoc diſtichon:

Hic lapis ingentem ſuperat gravitate Coloſſum,
Ponderis & grandi ſidera mole petit.

Strabo, *l.* 4. Ptolem. *Geogr.* Cæſar. *Comm.* Amm. Marcellin. *l.* 16. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. 5. *&c.* Petrus Roger. *Pict. deſcr.* Scævola Sammart. *Elogium Pictavii.* Joh. Beſlius, *des Eveſque de Poict.* Sincerus, *Itiner. Gall.* Ducheſnius &c. Hîc Concilium habitum, A. C. 589. quô Baſina & Chrodieldis, Lubovejæ Abbatiſſæ obſecundare recuſantes, excommunicatæ ſunt. Gregor. Turonenſ. *l.* 10. *c.* 8. A. C. 1010. 1029. 1075. contra Berengarium, &c. Vide Morerium, *Diction. Hiſtor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PICTI, populi Britanniæ ſecundæ, h. e. Scotiæ, quorum regio Deucaledonia *Marcellino*, ſed aliis Laudonia regio putatur. Hi hodie linguâ Scoticâ *Phictiaid*, teſte *Lhuydô* vocantur. Eorum meminit Mamertinus *in ſuo Panegyrico*. Claudian. *de vict. Stiliconis*,

Perlegit exſangues Picto moriente figuras.

Hos è Scythia in Britanniam profectos, ac in Scotiâ conſediſſe autor eſt *Beda*; Alii è Dania adveniſſe dicunt, ſic à *pictura*, quâ utebantur, dictos; quibus Scoti ſucceſſère. Ubi hodiè Scotia cis Tavum fluv. ſeu meridionalis, verſus Angliam. Boëthius, Buchan. Leſlæus, *Hiſt. Scot.* Matth. Paris, Ducheſnius, &c. *Hiſt. M. Britanniæ.* Camden. *deſcr. M. Brit. &c.* Et quidem *Camdenus* eos veros ac genuinos Britannos eſſe contendit, eo quòd vocula *Brit* linguâ Cambricâ *hominem picturatum* ſignificet. Sed ratio iſta ab aliis invertitur, dicentibus *Pictos* Scotoſque vel ideo ex Scythia eſſe oriundos, quia fuêre *picti* ſeu *picturati*. Namque Virgilio Geloni & Agathyrſi *picti* vocantur, quæ utraque gens Scythica eſt, vide Taubmann. *ad Virgil. p.* 178. & 569. Quanquam in America quoque, ſi Mexicanos excipias, pleræque gentes picturatæ ſunt. In *Kangigu* certè viri mulicreſque faciem ac totum corpus pingebant imaginibus leonum, draconum, aviumque, quæ aboleri non poterant: nec alius in Florida Virginiaque mos receptus eſt, vide Hornium, *Arc. Noæ p.* 459. &c. Populi verò hi, eô tempore, quô Romanô Imperiô à Barbaris infeſtatô, Romanæ legiones è Britannia ſunt evocatæ, Scotis juncti, Britanniam Meridionalem omnem ferrô & igne devaſtare cœperunt: quibus cùm Vortigernus Rex par neutiquam eſſet, miſſis in Germaniam legatis Saxones in Britanniam vocavit, ſicque tertiæ Regni Anglici periodo occaſionem præbuit. Tandem colliſi cum Scotis *Picti* poſtquam diuturna cum illis bella geſſiſſent, à Scotis deleti, eorumque & nomen & Regnum in Britannia extinctum eſt, circa A. C. 839. à quo univerſa Britannia Septentrionalis *Scotia* appellata eſt. Occaſio ultimi belli canis fuit, quem *Picti* Scotis eripuerant; qui verò cum primis Scotos ad illud concitavit, Zenetus fuit eorum Rex: cujus fratrem, *Alpinum* nomine, cùm Picti occidiſſent, ille ſubditos timore perculſos ad ultionem ſumendam, hoc commentô inſtigavit. Convocavit omnes Regni Proceres & benignè hoſpitiô conviviôque exceptos in Palatii cubicula, ſomnum capturos, dimiſit. Cùm noctu omnia ſilerent, in ſingula cubicula immiſit viros cum baculo ex putri ligno noctiluco in manu, & veſte ex corio piſcium non deſquamato indutos. Hi ingreſſi cubicula, cornu bovis loco buccinæ inflant, Regique parendum clamitant: *Pictos* ſcelerum brevi pœnas daturos, victoriam ingentem Scotos expectare, nuncios ſe à Deo miſſos. Non difficile fuit ſomnolentis imponere, cùm neque venientes neque abeuntes videre poſſent; nam veſtem noctilucam pallio involverunt, cùm abirent, baculumque ſub eodem abſconderunt. Ubi dies illuxit, ad conſilia ventum eſt, & nemine fucum agnoſcente, conſenſum in bellum, pugnatumque feliciter ac triumphatum. Refert hiſtoriam ex Buchanano Scottus in Θαυματουργίᾳ *Phyſica* & ex hoc Morhofius in *Principe Medico* apud L. Joach. Fellerum, *Notis in Horn. Orbem Imper.* Vide quoque B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov. Antiqq. l.* 1. *tit. Scoti & Picti*, *ac Actacotti in Britanniam*, cum *Notis* Cl. Ottonis JCti, *p.* 225. & *ſeqq.*

PICTIACA Sylva, in territorio Aurelianenſi. Vide *Pitiacus.*

PICTICUM Fretum, inter Orcades & partem Septentrionalis Scotiæ; *Pichtlandt Fyrth*, vide *Fretum Picticum.*

PICTICUS Murus, in Anglia Boreali, vide *Murus Picticus.*

PICTIONES, apud *Papiam* dicuntur, *Qui vincuntur in Pictoris certamine.* Hodieque Gallis *Peintereaux* dicuntur, Artis pictoriæ minùs gnari. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PICTOMACHARIUS, apud Firmicum, *Mathem. l.* 8. *c.* 8. fortè corruptè pro *Pyctomachus*, vide ubi de *Pugilatu.*

PICTONES, vide PICTAVI.

PICTONUM Promontor. Aquitaniæ, hodie *Talmond.* oppid. 8. leuc. à Luciona in Occaſum in ora Oceani Aquitanici, 18. leuc. ab oſtio Lingeris in Meridiem.

PICTOR, cum Cælatore domeſtico conjungitur Juvenali, *Sat.* 9. *v.* 145.

Sit mihi præterea curvus cælator, & alter
Qui multas facies pingat citò. ———

Ergo, cùm ſervitiis Picturâ interdictum apud Græcos, Romani ſervis ſuis ut ſibi haberent permiſerunt, uſui lucroque Patrisfamiliâs & familiarum. Plin. *l.* 35. *c.* 10. Marcianus, *l.* 17. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. l. Pictoris inſtrumento legato ceræ, colores, ſimiliaque horum legato cedunt.* Jul. Paulus *l.* 3. *Sent. Inſtrumento Pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vaſa debebuntur.* In quibus *ceræ* & *cauteria*, ad Encauſticen referenda, cujus præter *Varronem, Vitruvium, Plinium, Flaccum, Statium, Appulejum, Auſonium, Prudentium*, ita meminit, Ovid. *Faſtor. l.* 3. *v.* 831.

Quique moves cælum, tabulamque coloribus uris,
Quique facis doctâ mollia ſaxa manu:

Ubi pro *cælum* alii *cæſtrum* legunt, ſubmonente Pliniô, *l.* 35. *c.* 11. *extr. Encauſtô pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat: cerâ & in ebore ceſtrô, i. e. vericulô.* Idem Auctor, *ibid. Lala Cyzicena perpetua Virgo, M. Varronis juventa, Romæ & penicillô pinxit, & ceſtrô in ebore imagines mulierum maximè.* Sed pro vulgata lectione Servius ſtat, *ad illud Æn. l.* 1. *v.* 644.

——— *Cælataque in auro*
Fortia facta Patrum, ———

Laur. Pignorius *de Servis.* Interim, utcunque Romani putare ſoliti ſunt, infra ſuam dignitatem eſſe, ſi pingerent, picturas tamen excellentium Artificum magno habuêre in pretio, ut quos tabulis publicè propoſitis Arti præcipuè dignationem feciſſe, Plinius dicit; *l.* 35. *c.* 4. qui *c.* 11. quoque *ejuſdem libri* ubi de L. Æmilio Paulo, & Metrodoro Philoſopho ac *Pictore*, ei ſermo, idem pluribus confirmat. Sed & id arguit Fabii cognomentum *Pictoris*, cui ab Artis hujus amore ac peritia, id hæſiſſe diximus alibi. Apud Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ *Pictores* nulli, quippe quibus Artis hujus uſum prohibitum fuiſſe, colligas ex Tertulliano, *de Idolol.* Unde Clemens Alex. *Protreptico*, interprete Hervetô, *nobis eſt apertè vetitum*, inquit, ἀπατηλὸν ὁρίζεσθαι τέχνην, *fallacem artem exercere*; *Non facies enim, ait Propheta, cujuſvis rei ſimilitudinem.* Idem de Judæis habet Origenes, *contra Celſum*, *l.* 4. Hinc in Eccleſia Chriſtiana, ſeculô demum V. *Picturæ Hiſtoricæ* locum habere cœperunt: qua de re vide Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico. Theologic. l.* 7. *c.* 9. §. 10. De *Pictoribus* Mahometanorum Turcarum Perſarumque, vide P. de Valle & Jo. Bapt. Tavernier *Itiner. Turciæ & Perſ.* Alius à *Pictore* eſt, *Pigmentarius*, cujus meminit, de condiendis corporibus defunctis, differens D. Gregorius, *l.* 4. *Dial. Nam illuſtris vir Stephanus, quem bene nôſti, de ſemetipſo mihi narrare conſueverat; quia in Conſtantinopolitana Urbe pro quadam cauſa demoratus, moleſtiâ corporis ſuperveniente, defunctus eſt. Cumque Medicus atque* Pigmentarius *ad aperiendum eum atque condiendum eſſet quæſitus* &c, Nempe *Pigmentarius* hìc eſt Aromatarius ac Myropola, qui pretioſis unguentis cadavera illinens, à putredine ea conſervare ſategit. Plura infrà in voce *Pictura.*

PICTORES QUIDAM CELEBRIORES EX VOSSIO;

GRÆCI.

QUI VIXERE ANTE BELLUM PERSICUM. OLYMP. 70.

α. Ardices Corinthius cum Telephane Sicyonio primi exercuêre Artem ſine ullo etiamnum colore, jam tamen ſpargentes lineas intus, Plin. *l.* 35. *c.* 3. β. Bularchus, Romuli ætate vixit: tabulam, in qua erat Magnetum prælium, à Candaule Rege aurô repenſam fuiſſe, tradit Idem, *eôd. l. c.* 8. γ. Charmas, unus ex iis, qui monochromata pinxerunt, *Ibid.* δ. Cimon Cleonæus, catagrapha invenit, i. e. obliquas imagines, & variè formare vultus, reſpicientes, ſuſpicientes deſpicienteſque: articulis etiam membra diſtinxit, prætereaque in veſte & rugas & ſinus invenit, Idem, *ibid.* ε. Cleanthes Corinthius, cum Philocle Ægyptio linearem Picturam invenit, Plin. *l.* 35. *c.* 3. Strabo refert picturas ejus in templo Alphæorum, unam item Aregontis itidem Corinthii, *l.* 6. ζ. Cleophantus ſimiliter Corinthius primus picturam invenit colorare teſtâ, ut ferunt, tritâ: Claruit ætate Anci Marcii Romani Regis, & Tarquinii Priſci Romani Regis patrem, fugientem à Corintho Cypſelli Tyranni crudelitatem, Romam ſequutus eſt, Plinius iterum, *l.* 35. *c.* 3. η. Dinias, monochromata pinxit. θ. Eumarus Athenienſis, primus marem fœminamque diſcrevit, figuras omnes imitari auſus; cujus inventa poſtmodum excoluit Cimon Cleonæus. Idem, *l.* 35. *c.* 8. ι. Hygiænon, unus ex iis, qui monochromata pinxerunt: Hos autem idem Auctor ibidem conjicit, ante etiam Bularchum, quem circa Romuli tempora vixiſſe diximus, floruiſſe. Duo enim deviceſimâ Olympiade interiit Candaules, aut, ut quidam tradunt, eôdem annô quô Romulus, manifeſtâ jam claritate Artis ac abſolutione. κ. Telephanes Sicyonius, Ardici Corinthio junctus, artem primus exercuit: ſine ullo, ut dictum, colore; Ideo & quos pingerent adſcribere inſtitutum, Plin. ſæpius, *cit. l.* 35. *c.* 3. Sed antiquiſſima hæc multum habere incerti, fatetur Voſſius, *de* 4. *Artibus Popul. c.* 5. *ubi de Graphice*: quem proin ad alteram *Pictorum* ætatem, quæ incipit à bello Perſico ſeu Olym. 70. tranſeuntem ſequemur.

A' BELLO PERSICO SEU OLYMP. 70.

α. Panæus, Phidiæ frater floruit Olymp. 83. à Timagora Chalcidenſi Pythiis ſuperatus: quod primum Picturæ fuit certamen publicè inſtitutum. Plin. *l.* 35. *c.* 9. β. Phidias prioris frater, *Pictor* quoque priùs. γ. Polygnotus Thaſius, claruit circa Olympiad. 90. inventis ſuis multùm à poſteris celebratus. *Primus mulieres lucidâ veſte pinxit, capita earum mitris diverſicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Siquidem inſtituit os adoperire, dentes oſtendere, vultum ab antiquo rigore variare.* Plin. *ibid.* ubi & addit, hunc, cùm mercede pinxiſſet Pater Mycon, gratuitò Athenis pinxiſſe porticum, dictam Ποικίλην, ac proptereà Amphictyones hoſpitia ei gratuita decreviſſe. Conjungit eundem cum Timanthe ac Parrhaſio Dionyſius Halicarn. *de Demoſth. acumine*: cum Zeuxide & Euphranore Philoſtratus, *in vita Apollonii*, *l.* 2. *c.* 9. δ. Timagoras Chalcidenſis Panæi victor, &c.

AB OLYMPIADE 93.

α. Andocydes, Xeuxidis æqualis, pinxit Thebanorum victoriam, duce Charone ad Platæas. Maximè verò laudati piſces ab eo picti, Plut. *Sympoſ. l.* 4. *quæſt.* 2. β. Apelles, æqualis Ariſtidis, quidquid vel antè, vel ſuâ ætate *Pictorum* fuit, Venere exſuperavit: unde nec ab alio, quàm Apelle, pingi voluit Alexander M. Vide Plin. *l.* 35. *c.* 4. Unde & Plut. *de Fort. Alex. l.* 2. duos eſſe dixit Alexandros, unum Philippi, ἀνίκητον: alterum Apellis ἀμίμητον. Pinxit autem Venerem ἀναδυομένην, ad exemplum Campaſpes, pellicis Alexandri, Plin. *l.* 35. *c.* 10. vel Phrynes, conventibus Eleuſiniis aut Neptuni feriis nudæ, ac capillô paſſô, mare ingredientis, Athen. *l.* 13. Idem pinxit, quæ pingi non poſſunt, tonitrua, fulgetra, fulguraque, *Bronten*, *Aſteropen*, *Ceraunobolon* appellans: Nec ipſe ſolùm pinxit, ſed & de Arte hac ſcripſit. γ. Apollodorus, Athenienſis, floruit Olymp. 93. quâ Athenæ à Lyſandro captæ. Hic *primus ſpecies exprimere inſtituit, primuſque gloriam penicillo jure contulit*, Plin. *l.* 35. *c.* 9. *Colorum miſturas & umbræ uſum primus reperit*, Plut. *Belli' ne an pace Athenienſes illuſtr.* δ. Ariſtides, Thebanus, Olymp. 112. *omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci* ἤθη: *item perturbationes, durior paulo in coloribus*, Plin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

l. 35. *c.* 10. Idem ad συμμετρίαν præivit. Pinxit hic inter alia, op-
pidô captô ad matris, morientis è vulnere, mammam adre-
pentem infantem, ubi *intelligitur ſentire mater, & timere, ne e-*
mortuô lacte ſanguinem infans bibat. Id. Etiam nonnullis primus
docuiſſe creditur Ἐγκαυστικὴν, ſive *Artem ceris pingendi picturamque*
inurendi, Idem, *l. eôd. c.* 11. à Praxitele poſteà conſummatam
ε. Cliton, primùs docuiſſe mores, & varios referre oculorum
obtutus, dicitur Xenophonti, Ἀπομνημ. *l.* 3. adeoque inventum
Ariſtidis, circa ἤθη & συμμετρίαν auxit. ζ. Colores Tejus, victus
à Timanthe Cithnio, in ea tabula, quâ, circa Iphigeniæ mortem,
triſtitiæ gradus in Calchante, Ulyſſe, Menelao & Agamemnone
Patre, expreſſit, Quintilian. *l.* 2. *c.* 13. η. Euphranor Iſthmius
clarus Olymp. 104. primus ſcribitur expreſſiſſe dignitates Heroum,
& uſurpâſſe ſymmetriam, Plin. *l.* 35. *c.* 11. Vide quoque Fa-
bium, *l.* 12. *c.* 12. Jovem ex Homero finxit: cum Polycleto
miſcetur, in *Hiſt. Miſcella Pauli Diaconi*, *l.* 10. Zeuxidi & Po-
lygnoto jungitur, ab Olympiodoro, *Meteorologicῶn*, *l.* 1. ubi tres
hos umbras pulchrè expreſſiſſe, nec non τὸ εἰσέχον καὶ ἐξέχον, *quod*
intus ſe recipit & quod eminet, tradit. Idem literis quoque libriſque
editis Artem illuſtravit. θ. Eupompus, Præceptor Pamphili, qui
Apellis fuit Magiſter. Ab hoc eſt, quòd duobus Picturæ generibus,
Helladico & Ionico ſeu Aſiatico, acceſſit tertium, Helladico in
Atticum & Sicyonium diviſo, quod ſic dictum, quia Euphranor
Sicyonius, Plin. *l.* 35. *c.* 10. ι. Lyſippus, primo faber ærarius,
audendi rationem cepit, Eupompi *Pictoris* reſponſô: Hic enim in-
terrogatus, quem ſequeretur antecedentium, commonſtratâ ho-
minum multitudine dixit, *Naturam ipſam imitandam, non Artifi-*
cem, Plin. *l.* 35. *c.* 8. Æginam pinxit, *c.* 11. κ. Melanthius, cum
Pamphilo, à cura commendatus, Fabio. λ. Nicias, de quo Plin.
l. 35. *c.* 5. *Idem* (Auguſtus) *in Curia quoque, quam in Comitio conſe-*
crabat, duas tabulas impreſſit parieti: Nemeam ſedentem ſupra Leo-
nem, palmigeram ipſam, adſtante cum baculo ſene, cujus ſuprà caput
tabula bigæ dependet. Nicias ſcripſit ſe inuſſiſſe: tali enim uſus eſt verbô.
Soliti enim Encauſtæ picturis adſcribere, hic vel hic Ἐνέκαυσε. μ.
Pamphilus, Præceptor Apellis, diſcipulus Eupompi, primus in
Pictura omnibus literis eruditus fuit, Plin. A' cura eum unà cum
Melanthio, celebrat Fabius, *l.* 12. *c.* 10. Idem non pinxiſſe ſolùm
Encauſticâ ſed etiam docuiſſe traditur Pauſiam Sicyonium, Plin. *l.*
35. *c.* 11. Scriptis quoque Artem illuſtravit. ν. Parrhaſius Atheni-
enſis, vel ut alii Epheſius, ſymmetriam meliùs prioribus obſerva-
vit: *lineas ſubtiliùs examinavit*, Quintil. *l.* 12. *c.* 2. *Ita circumſcri-*
pſit omnia, ut eum Legumlatorem, vocent, quia Deorum, atque He-
roum effigies, quales ab ipſo ſunt traditæ, cœteri tanquam ita neceſſe ſit
ſequantur, Idem. Cum Scopa, nobili ſtatuario, jungitur Hora-
tio, *l.* 4. *Od.* 8. *v.* 6. Cum Apelle, Diodoro Siculo, *l.* 26. Pinxit
inter cœtera Ulyſſis furorem, Plut. *Quomodo Poëm. aud.*? Cum
Timanthe certavit, in Ajace victus, Plin. *l.* 35. *c.* 10. Zeuxidis æqua-
lis. ξ. Pauſias Sicyonius, diſcipulus Pamphili, primus in Encauſtica
celebris. Vide de eo Plin. *l.* 35. *c.* 11. Horatius, *l.* 2. *Sat.* 7. *v.* 95.
Pauſiaca torpes inſane tabellâ. ο. Protogenes, æqualis Apellis, à cu-
ra commendatur. Ejus cognoſcendi causâ Apelles, cùm Rhodum
navigâſſet, *per ſubtilem Protogenis lineam longè ſubtiliorem ducendo*,
ei innotuit, Plin. *l.* 35. *c.* 13. De illo Petronius Arbiter, *Protoge-*
nis, inquit, *rudimenta, cum ipſius Naturæ veritate certantia, non*
ſine quodam horrore tractavi. Idem de Arte quoque ſcripſit. π. So-
crates Philoſophus, filius Statuarii, initiô & ipſe *Pictor* fuit, pri-
muſque ſymmetriam dedit Picturæ, vel potiùs ab Apollodoro in-
ventam, inſigniter auxit; aliunde mox plus gloriæ adeptus. Xe-
nophon, Ἀπομνημ. *l.* 3. ρ. Theon Samius, concipiendis viſioni-
bus, quas φαντασίας vocant, celebris fuit, teſte Quintilianô, *l.*
12. *c.* 10. σ. Timanthes, unus è Zeuxidis æqualibus Iphigeniâ ſuâ
inclaruit, de qua præter Plin. *l.* 35. *c.* 10. ita Quintil. *l.* 2. *c.* 13. *Ti-*
manthes Cithnius, in ea tabula, qua Colotem Tejum vicit: cùm in
Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Ulyſſem,
addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat Ars efficere, mœrorem;
conſumtis affectibus, non reperiens, quô dignè modô Patris vultum poſ-
ſet exprimere, velavit ejus caput, &c. Ab illo Sami magnis ſuffra-
giis in Ajace ſuperatus Protogenes, *Herois nomine ſe moleſtè ferre a-*
jebat, quòd iterum ab indigno victus eſſet, apud Plin. *l.* 35. *c.* 10. τ.
Zeuxis Heracleotes, circa Olymp. 95. *audentem jam aliquid penicil-*
lum ad magnam gloriam perduxit, teſte Eôdem. Interim in eo
vincebatur à Polygnoto, quòd hujus imagines eſſent ἠθικαὶ, Ari-
ſtotel. *Pol. c.* 6. Interim, *in Penelope mores finxiſſe* viſus eſt Plin.
l. 35. *c.* 9. De Helenæ ſimulachro ab eo Crotoniatis picto, elegan-
ter Cicer. *de Invent. l.* 2. Notum etiam ex M. Seneca, *l.* 10. *Con-*
tr. 5. & Plin. *l.* 35. *c.* 10. de uvis ab eo pictis ad quas aves advola-
rent. *Luminum umbrarumque rationem inveniſſe*, ait Quintil. *l.* 12.
c. 10. Idem plus membris corporis dedit, id amplius idque augu-
guſtius ratus, atque ut exiſtimant, Homerum ſequutus, cui va-
lidiſſima quæque forma etiam in fœminis placet., apud Eund.
Opera ſua (ſed cùm jam arte ſuâ magnas parâſſet opes) donare
quàm vendere maluit, ut Alcmenam Agrigentinis, Pana Arche-
lao, &c. Æquales ejus fuêre Timanthes, Androcydes, Eupom-
pus & Parrhaſius, *Pictores* itidem inſignes.

ROMANI ALIIQUE.

α. C. Fabius ædem Salutis pinxit, inde *Pictoris* cognomine fa-
miliæ illatô. Vide infrà *ſuô locô*. Præter hunc in iſta gente pauci Ar-
tis hujus peritiâ excelluêre, non ingenii defectu, quàm quòd ei
non tantus apud Romanos quàm apud Græcos fuit honos. Ad-
dantur, β. Hadrianus Imperator. qui, Xiphilini verbis, καὶ ἔπλασ-
σε καὶ ἔγραφε, & ſtatuas fecit & tabulas pinxit, nempe cùm nondum
Imperii ſpes eſſet ulla. γ. Marcus Antoninus Philoſophus, tra-
dente Jul. Capitolinô, *operam pingendo ſub Mag. Diogneto*, dedit
δ. Pacuvius Poëta, *Pictor* inſignis, *clariorem eam Artem Romæ fecit*
gloria ſcenæ: proximeque (poſt Fabium Pictorem) *celebrata eſt in*
Foro Boario, æde Herculis (ejus) *pictura*, Plin. *l.* 35. *c.* 4. Ab ejus ve-
rò ætate, qui claruit An. Urb. Cond. 600. paulo ante tertium bel-
lum Punicum, ad ſuam uſque ætatem, h. e. ſpatio 200. ann. ne-
gat Idem, quenquam honeſtiorem pinxiſſe civem. Excipitur ta-
men ab eo Q. Pedius, qui Conſulatum geſſit an. 711. ε. Turpilius,
Eques Rom. è Venetia, Plinii ævô inter Pictores inclaruit, lævâ
pingens, quod de nullo antè memoratum. Ejus opera Veronæ
extare Plinius refert, *loc. cit.*

RECENTIORIS ÆVI PICTORES.

α. Albertus Durerus, Germanus, natus Noribergæ A. C. 1471.
liberâ manu circulum ducere, & centrum exactè figere potuiſſe di-
citur. Vide de eo in voce *Durerus*. β. Andreas Mantineus, jungi-
tur Michaëli Angelo Bonaratæ & Bacio Bandinello, à Lamberto
Lombardo *in vita Bonaratæ*, ubi tres hos Heroas veneratum ſe eſſe
ſcribit, *propterea, quòd abſolutiorem intelligentiam, exactiuſque*
judicium, in horum quàm reliquorum operibus exiſtimabat ab iis depre-
hendi poſſe, quorum ſeniores & religioſiores oculi id, magis, quàm ma-
nus facilitatem eamque (quam prius dixerat) *Venerem, & colorum*
lenocinia ſpectarent. γ. Antonius Corregienſis Titianus, vide mox
Titianus. δ. Antonius Sartorius, unus ex illis, qui ſuperiori ſeculô,
Picturâ iterum, poſt multorum ſeculorum decurſum, caput exe-
rente, gloriam meruêre, quales præter eum Raphaël Urbinus,
Mich. Angelus Bonarata, Anton. Corregienſis Titianus, Seb.
Venetus Juliuſque, Romanus. ξ. Bacius Bandinellus Florentinus,
cum Bonarata & Matineo, conjunctus, à Lamb. Lombardo *in*
vita Reginaldi Poli. ε. Bonarata, vide hîc infrà, *Mich. Angelus Bo-*
narata. η. Johannes Holbenius, Auguſtanus, civis Baſilienſis,
ſui ſeculi Apelles. Vide in voce *Holbenius*. θ. Julius Romanus unus
ex ſex *Picturæ* in Italia Inſtauratoribus, paulo ſuprà enumeratis. ι.
Michaël Angelus Bonarata, Florentinus, obiit Romæ an. ætat.
88. De cujus cum Apelle comparatione, vide inſignem locum,
apud Lamb. Lombardum Leodicenſem, celebrem magnique ju-
dicii pictorem, qui cum Reginaldo Polo in Italiam profectus, vi-
tam ejus eleganter exaravit, ab Hub. Goltzio editam, in qua de ple-
riſque ſecundioris Famæ *Pictoribus* judicium tulit. κ. Raphaël Ur-
binus ex Graphices Pingendique Artis Reſtauratoribus, cui præ-
fatus Lamb. Lombardus tribuebat χάριτα ſive Venerem, quam uni
ſibi reſervabat Apelles, cùm aliis paria vel etiam majora eſſe para-
tum ſe agnoſcere. λ. Titianus Antoninus, Corregienſis, Vene-
tus, magnâ itidem inter primos in Italia Picturæ vindices claruit
Famâ. In quo idem Lamb. Lombardus, extollebat *amœnitatem,*
vivacitatemque, res ipſas naturales ſimilitudine adeò indiſcretâ repræ-
ſentantem, ut vel acerrimo oculorum ſenſui aſpectu primô imponerent.
Idem apud Eund. *denſâ umbrarum opacitate & quaſi inamœnâ*
quâdam nocte repudiatâ, lætam, nitidam atque oculis naturâ lucis
amantibus gratiſſimam, ac proinde perfectiſſimam, colorum adden-
dorum rationem excogitavit: in qua omnibus præcellere exiſtimatur,
&c.

PICTOR, cognomentum C. Fabii filii; qui an. Urb. Cond. 550.
ut ait Plin. *l.* 35. *c.* 4. ædem Salutis pinxit, indeque cognomen hoc
familiæ primus intulit. Pater fuit C. Fabii, qui anno 585. nem-
pe 35. annis, poſt pictam à Patre ædem Salutis, cum Q. Ogul-
nio Gallo Conſul fuit. Errorem Viri docti duos quos diximus,
& præterea alios duos Fabios *Pictores*, confundentis abunde re-
futavit Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 1. *c.* 3. Petrus Gregorius Tolo-
ſanus *Syntaxeos Artis Mirabilis l.* 31. *c.* 1. ait, *Fabio id datum eſ-*
ſe laudi, quòd eam ædem pinxerit: & hoc proditum eſſe à Mar-
co Cic. Tuſcul. Quæſt. 1. At contrarium potius dicit. Ita enim
is, *An cenſemus*, inquit, *ſi Fabio nobiliſſimo homini laudi datum*
eſſet, quòd pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos
aut Parrhaſios. Cauſam mox, cur Romani ab hac Arte non
fuerint celebrati, addens, non fuiſſe ingeniorum defectum,
ſed quod non Arti huic, ut apud Græcos, ſic apud Romanos
etiam, ſuus foret honor. Proximum ab hoc Fabio pingendi
arte apud eoſdem clarum, Pacuvium Poëtam habet Plin. *lo-*
cô. cit.

PICTOR Georgius, vide *Georgius*.

PICTOR Servius, vide *ibi*.

PICTURA, ſeu PINGENDI *Ars*, aliàs *Graphice*, ex Græco,
definitur *Socrati*, εἰκασία τῶν ὁρωμένων, *Imitatio ſeu repræſentatio eo-*
rum, quæ videntur; quam definitionem cum Plaſtice communem
habet. Horat. *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 8.

——— *Argilla quidvis imitaberis uda.*

Ducit in tabula penicillô lineas & colores addit, ut homines, be-
ſtias, plantas, ædificia ac aliàs res exprimat: quantique habita
ſit à Græcis, inde liquet, quòd ingenui ſolùm pueri Diagraphicen
in buxo diſcerent, adeoque graphis, quâ in pingendo opus, ſervis
eſſet interdicta, contrariô apud Romanos obtinente, ut in voce
Pictor oſtendimus. Habet initia ſua à Natura, inſitum namque
nobis imitari: & quia magnam ex imitatione capimus volu-
ptatem, hinc Arti incrementa, Philoſtr. *de Vita Apollonii, l.* 2.
c. 10. Item alter, *in præf. bipartiti Iconum operis.* Simili proin cum
Poëſi origine gaudet, cum qua aliàs quoque ingens ei affinitas,
unde *Picturam eſſe tacentem Poëſin: Poëſin autem loquentem Pictu-*
ram, à Simonide dictum, apud Plut. *l. de aud. Poëtis.* Iliacis
temporibus nondum fuiſſe hanc Artem, Plin. *l.* 35. *c.* 4. At
Homerus *Il.* σ. *v.* 483. & *ſeqq.* narrat, ut Vulcanus in Achil-
lis clypeo artificioſe cælârit cælum, ſidera & terras: Heſiodus
quoque de cælatura Herculei clypei multa habet: & quid aliud
Cælatura, quàm *Pictura* quædam, voce eâ paulò laxiùs acce-
ptâ, utcunque cælo, non penicillô, fiat. Quod ſi objiciatur,
hæc non ſine errore Poëtarum dici, vetuſtiori de ævo, tan-
quam de ſuo loquentium, refellunt tamen hanc ſententiam, quæ
de Dædalo narrat Apollodorus, *Biblioth. l.* 3. ubi fuiſſe eum ait,
πρῶτον ἀγαλμάτων εὑρετὴν, *primum repertorem imaginum ac ſimu-*
lachrorum: Vixit verò is jam ante Argonauticam expeditionem.
Imò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Imò antiquiores eo ſtatuas, utpote Telchinis inventoribus, facit Diod. Siculus, *Biblioth. l.* 5. Sed quid de eo dicemus, quod, ut Flavius Joſephus, *Antiqq. l.* 3. *c.* 4. & 9. imo Moſes ipſe Exodi *c.* 36. *v.* 1. narrat, Deus Beſelcëlem & Ooliabum deſignavit Tabernaculi Architectos, in quo opus Sculpturâ ac Cælaturâ: velut in Cherubim effigiandis, atque aliis? Quid quòd ipſe Tara Abrahæ Patriarchæ parens, dicitur fuiſſe Ἀγαλματοποιὸς, i. e. *Statuarius*? Seruchus quoque, filius Ragau, ſive Rehu, Abrahami proavus, primus Statuas collocâſſe viris fortibus putatur, qua de re vide Voſſ. *de Idolol. Gent. l.* 3. *c.* 46. ex Cedreno, Chronico Euſebii & Euſeb. *Panarii l.* 1. Ita verò Artes hæ affines ſunt, ut vulgatus Interpres 1. Regum *c.* 6. *v.* 32. dicat: *Sculpſit in eis picturam:* ubi Hebræa ſonant, *Cælavit in eis, cælaturas Cherubim:* nec veriſimile eſt ſculpturâ *Picturam* multô fuiſſe poſteriorem, vel Cælaturâ. Ægyptii apud Plin. *l.* 35. *c.* 3. ſex millibus annorum apud ipſos inventam, priuſquam in Græciam tranſiret, affirmant, vanâ prædicatione, ut palam eſt: Græci alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes umbrâ hominis lineis circumductâ. Poſteà & intus lineas ſparſêre, ſine ullo etiamnum colore, ut de Ardice Corinthio & Telephane Sicyonio ſuprà diximus. Hinc deventum, ad *Picturam* μονοχρώματον, ſive quæ ſingulis fiat coloribus, primuſque eas colorare teſtâ, ut ferunt, tritâ invenit Cleophantus Corinthius. *Tandem ſe Ars ipſa diſtinxit*, verba ſunt Plinii, *l.* 35. *c.* 3. *& invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice ſeſe excitante. Deinde adjectus eſt ſplendor: alius hic quàm lumen: quem, quia inter hoc & umbram eſſet, appellaverunt tonon: commiſſuras verò colorum & tranſitus, harmogem.* De ejuſdem Artis natura progreſſuque Philoſtratus, *l.* 2. *de vita Apollon. c.* 10. Καὶ τὸ ἓν χρῶμα, inquit, ἤρκησε τοῖς γε ἀρχαιοτέροις τῶν Γραφέων· καὶ προϊοῦσα, τεττάρων· εἶτα πλειόνων ἥψατο, *Quippe & unus color veteribus illis Pictoribus ſuffecit, & procedente Arte, quatuor erant ſatis: inde paulatim plures, pluresque adhibiti.* Hodie decem colores palmarios habent, quos recenſet Cæſar Bullingerus, *de Pictura, l.* 2. & *Scalptura, l.* 3. Addit idem Philoſtratus, & abſque ullo colore *Picturam* eſſe, ut ſi cretâ ſolùm duxeris lineamenta Indi ſive Æthiopis, quem non aliter concipias, quàm nigrum; ſi ſimas videas nares, genas eminentes, capillorum cincinnos & quandam ſtuporis imaginem oculis circumfuſam: quæ *Pictura* quantô ſimplicior, tantô ſine dubio antiquior fuit. Sed ſerò admodum hæc Ars à Græcis ipſis in Liberalium eſt Artium numerum recepta; factumque id primò auctoritate Pamphili Macedonis, qui Apellis Præceptor fuit, ut docet Plin. *l.* 35. *c.* 10. A quo tempore, non Sicyone ſolùm, ſed & in tota Græcia, pueri ingenui Diagraphicen h. e. Picturam in buxo ut dictum doceri cœperunt, perpetuô interdictô, ne ſervitia illam addiſcerent. Unde patet, quod utcunque *Pictura* demum Philippi Magni temporibus majori in honore cœperit eſſe, tamen anteà quoque in pretio fuiſſe dicatur: quod ex Thaletis verbis cognoſcere eſt, apud *Stobæum*; ubi ille Ionicæ ſectæ conditor conqueritur, pueros primùm tradi Pædotribis, Harmonico, & Pictori: adultiorem verò ætatem Arithmetico & Geometræ, &c. Utilitatem Artis plurima loquuntur, ut enim voluptatis ſolùm cauſa inventam eſſe ſint qui dicant, nimis abjectè de illa omnino ſentiunt. Quod enim Poëſis calamô, hoc penicillô *Pictura* exprimit. Itaque verſus Homeri, quibus effinxit Jovem, ut Phidiæ ad ſculpendum, ſic Euphranori ad pingendum, præbuêre Archetypon. Ut hac parte etiam verum ſit illud Horatii *in Arte*, *v.* 361:

Ut Pictura, *Poëſis erit.* ——

Imò eſt, in quo magnam Poëſeos partem ſuperet *Pictura*: ut eo, quòd oculis corporis, non animi ſolùm, aliquid repræſentet. Quæ enim magis animùm irritent, *v.* 181. *ib.*

Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus & quæ
Ipſe ſibi tradet ſpectatur.

Nec hoc ſaltem, ſed etiam paria Hiſtoriæ facit; res quoque geſtas ad poſteros tranſmittendo. Unde Salluſtius, *c.* 4. *bell. Jugurtin. Sæpe*, inquit, *audivi Q. Maximum Publ. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere, cùm Majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad Virtutem accendi.* Ad hæc cùm *Pictura* conſtet luce & umbrâ; ac Artis opus umbram luci immittere, aut lucem umbrâ obſcurare, ſatis liquet, *Pictura* etiam mediocri cognitione judicium acui in luminibus, coloribus & umbris dignoſcendis, quæ res multum confert & in Naturæ ſcientia & in Vita civili. At abuſus cavendus, qualis eſt, ſi illa pingantur, unde corrumpuntur mores, Quare Chærea apud Terentium, *Eunucho*, *Actu* 3. *Sc.* 5. *v.* 36.

—— *Dum apparatur, Virgo in conclavi ſedet,*
Suſpectans tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura hæc, Jovem
Quô pactô Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum,
Egoque quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat
Jam olim ille ludum &c.

Quem ad locum ſic Donatus, *Philoſophicè*, inquit, *nunc Terentius demonſtravit, quam cladem moribus hominum & civitatibus adferant pigmenta Poëtarum, cùm ſcelerum exempla adferunt peccaturis* Vide quoque Propertium, *l.* 2. *Eleg.* 6. Achillem Tacitum, *de Clitophontis & Leucippes amoribus*, *l.* 1. Jure proin Thebis lege prohibitum fuit, ne quid obſcœni pingeretur, vel fingeretur, multâ adversùs eam peccantibus irrogatâ, Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 4. *c.* 4. Nempe in picturis comparatum, ut in Mimis, quos campſe ob cauſam arcuiſſe Maſſilienſes, teſtis eſt Val. Max. *l.* 2. *c.* 6. *ex* 7. Ut verò Ars hæc utilitatis habet plurimum, ita difficultatis non minus, multarum quippe diſciplinarum auxiliô egens. A Geometria enim lineam ac ſymmetriam accipit; imò Pamphilus Macedo ſine Arithmetica ac Geometria, quibus ille primus Pictorum excultus fuit, negavit hanc Artem perfici poſſe. Ab Optica capit lumen ac umbram, quorum hæc facit receſſum & diſtantiam: illud ut quid emineat ſive ut propiùs abeſſe videatur, præſtat: quæ abunde elucent ex Amulii Minerva, Plin. *l.* 35. *c.* 10. Apellis Hercule averſo, *l.* 36. *c.* 5. ex Bupalo & Anthermo in Chio, de quibus Lucian. *in Dea Syria*, &c. Vide quoque Tzetzen, *Chil.* 11. *hiſtor.* 381. ac præcipuè *l.* 8. *c.* 191. ubi hæc illuſtrat Phidiæ & Alcamenis exemplô. Præterea Naturæ ſcientia in Pictore requiritur, quam ob cauſam in Protogenis rudimentis laudat *Arbiter*, quòd *ſic cum Naturæ veritate certarent, ut non ſine quodam horrore tractarentur:* Idcirco & Anatome plurimum ei confert: cujus gnarus humani corporis proportionem in ſingulis membris exactiùs ſervabit, cumque non eadem in omnibus ſit proportio, faciliùs pulchriorem diſcernet, nec enim in uno omnia ſunt præſtantiſſima. Ideo Zeuxis Helenam Crotoniatis picturus ex ingenti multitudine Virginum de publicô conſilio unum in locum conductarum, quinque delegiſſe, ut ex ſingulis, quod ſpecioſiſſimum foret, excerperet, legitur apud Cicer. *de Invent. l.* 2. Nec ſufficit formam nôſſe hominis, ſed & nôſſe convenit illam mutorum animantium, plantarum, omnium denique quæ Orbis continet. Naturæ proin ignoratione peccavit Nicon, vel juxta alios Apelles Epheſius, cui cùm cætera equum ſcientiſſimè pinxiſſet, unum hoc jure objectum quòd utrique palpebræ appoſuiſſet cilia, cùm inferior iis careat, Ælian. *de Anim. l.* 4. *c.* 50. A Phyſiognomia inſuper & Morum Scientia *Pictura* ſumit mores & affectus: imò & in Veteribus hiſtoriis rectè pingendis multum accurata Antiquitatis conducit notitia. E quibus ſimul elucet, quanta Artis hujus tum nobilitas ac dignitas ſit, de qua ſic Cardanus, *de Subtil. l.* 17. *Eſt.* Picturâ *Mechanicarum omnium Artium ſubtiliſſima, eadem verò & nobiliſſima. Nam quidquid Plaſtice, aut Sculptura conatur, mirabiliùs Pictura fingit, addit umbras & colores & Opticen ſibi jungit, novis etiam additis quibuſdam inventionibus. Nam Pictorem omnia neceſſe eſt ſcire, quoniam omnia imitatur. Eſt Philoſophus, Pictor, Architectus & diſſectionis Artifex*, &c. Partes *Picturæ* quatuor, ſicut Oratoriæ Facultatis commodè conſtitui poſſunt, Inventio videlicet ſive argumentum & materies: Οἰκονομία ſive Diſpoſitio, ac ſimul Συμμετρία, quæ & Ἀναλογία & Ἁρμονία appellatur: Color, h. e. tum lumen & umbra, tum ſplendor ac opacitas: ac denique Motus ſive geſtus, qui quaſi vitam quandam inſpirat. Affinia ei ſunt, Sculptura quæ facit imagines in ligno prominentes: Statuaria, quæ idem præſtat in lapide ac metallo: Cælatura, quæ in ligno, lapide metallove, imagines facit cavas: Chymice ſeu Fuſoria, quæ imaginem è metallo aliave materia fundit: & Plaſtice, quæ ex argilla, gypſo vel ſimili materie, imagines facit: Quibus omnibus nobilior *Pictura* eſt, teſte Cardanô *loc. cit.* Et quidem, quod Statuariam inprimis attinet, licèt ſtatuæ eô picturis præſtent, quòd durent magis pluraque in ſecula propagent hominis decus: longè tamen artificiô vincuntur; uti & ſplendore ac pulchritudine. Ut de lumine, umbra, diſcrimine rari ac denſi, aliiſque nil dicam, de quibus vide diſſerentem Balthaſarem Caſtilionæum, *Com. l.* 2. *de Curiali ſeu Aulico.* Michaël tamen Angelus Bonarata Sculpturam *Picturâ* difficiliorem judicavit, eò quod in ſtatua ſint diverſi magis aſpectus pleni anaglyphi, quam ſententiam quoque probat Cæſar Bullingerus, *de Pictura & Statuaria l.* 2. *c.* 7. judicium ſuum ſuſpendente Lud. Demontioſiô, *Comm. de Sculptura & Pictura Antiqq.* Quibus incrementis olim *Pictura* adoleverit; vide ſuprà in voce *Pictor*: Saltem hic addo, apud Græcos, præcipuum *Picturæ* tempus fuiſſe, ab Olymp. 93. quâ Athenæ à Lyſandro captæ ſunt; ejuſque ipſius ἀκμὴν, Apellis ac æqualium ætate; Nec enim eorum, qui poſteà ſequuti, Artem quiſquam provexit: imò fuêre, qui deteriora ſequuti, *Picturam* ad humiliora revocarent, inque iſtiuſmodi etiam laudem invenirent, qualem Pyreicum fuiſſe, memorat Plin. *l.* 35. *c.* 10. *qui tonſtrinas ſutrinaſque pinxit & aſellos & obſonia ac ſimilia, Rhuparographos propterea dictus:* Item Calliclem & Calacem; Antiphilum quoque, utrôque valentem genere, *qui* (verba Plinii ſunt) *jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitûs pinxit. Unde hoc genus picturæ Grylli dicti.* Abſolutam jam in Italia Picturam fuiſſe idem docet, circa tempora Tarquinii Priſci, *l.* 35. *c.* 3. ac à ſervis ac peregrinis exercitam. A Pacuvii enim ætate, uſque ad ſuam, negat quenquam pinxiſſe honeſtiorem civem, ut ſuprà viſum. Poſt multorum ſeculorum decurſum, in Italia primùm, Avorum ævô, *Pictura* iterum caput extulit: Præcipuam verò ſuperiori ſeculô palmam meruêre ſex iſti, Raphaël Urbinas, Mich. Angelus Bonarata, Antonius, Corregienſis Titianus, Seb. Venetus, Julius Romanus & Anton. Sartorius, de quibus dictum. At quamvis hi *Pictoribus*, qui, Atavorum ævô florentes, multùm ab antiquis receſſerant, longiùs artem provexerint, nondum tamen ad priſcum decus perduxêre: cujus rei cauſas eruditè exponit Lamb. Lombardus Leodicenſis, *in vita Reginaldi Poli.* De iis qui in hac Arte celebres, egimus retrò. Eorum qui eam ſcriptis ſuis illuſtrârunt, catalogum hìc atteximus: Plura qui volet, adeat Gerh. Joh. Voſſium, *de* 4. *Artibus Popular. toto c.* 5. & *de Philoſophia*, *c.* 16. §. 1. & 2. ex veterib. Plinium, *l.* 35. *c.* 12. *priorib.* Vide quoque hìc voce *Megalographia*, it. *Parergon*, *Pingere de Muſivo*, *Pingere veſtes*, *Rhopographi* &c.

AUCTORES, QUI DE PICTURA SEU GRAPHICE SCRIPSERUNT, EX VOSSIO.

Albertus Leo Baptiſta, Italus, A.C. 1540. libros 3. de *Pictura* reliquit.

Anaximenes ſcripſit, *de Picturis antiquis*, teſte Fulgentiô, *Mythol. fab. de Actæone.* Periit.

Antigoni, *de Pictura*, meminit

nit Plin. *l.* 35. *c.* 10. περὶ πινάκων ſeu *de tabulis.* Laërtius, *in Chryſippo*; quæ interierunt.

Apelles, *de Arte ſua* ad Perſeum ſcripſit, Plin. *l.* 35. *c.* 10. qui liber periit.

Ariſtodemus, Plin. æqualis, *Hiſtoriam Pictorum*, & *Picturæ amantium civitatum ac Regum* perduxit ad ſuam ætatem, vide Philoſtratum, *præf. Icon.* In deperditis.

Artemon, περὶ ζωγράφων ſcripſit, apud Harpocrationem in Πολύγνωτος. Periit.

Atticus, *de Imaginibus* volumen edidiſſe legitur, apud Plin. *l.* 35. *c.* 11.

Calliſtratus.

Callixenus, in lucem dedit, Ζωγράφων τε καὶ Ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφὴν, *Pictorum & Statuariorum deſcriptionem*, unde librum ſuum 10. excerpſit Sopater, teſte *Photiô.*

Democritus, *de Pictura* ſcripſit, *Laërtius.*

Demontioſius Ludovicus, edidit *libros* 2. *de Veterum Sculptura Cælatura, gemmarum Scalptura ac Pictura.*

Durerus Albertus, *de* Συμμετρίᾳ ſcripſit ſeculô præteritô.

Duris περὶ ζωγραφίας, i. e. *de Pictura*, citatur à Diog. Laërtio, *in vita Thaletis.*

Euphranor.

Felibien, ſcripſit *des Entretiens ſur les vies & ſur les ouvrages des plus excellens Peintres*, in 4. Pariſiis.

Gauricus Pomponius *de Scalptura.*

Hegeſander, *de Statuis* ac *Imaginibus* ſeu *Picturis* ſcripſiſſe dicitur Athenæo, *l.* 5.

Hypſicratis, περὶ πινάκων, *de tabulis*, apud Laërtium in *Chryſippo* mentio. Interiit.

Jamblichus, περὶ ἀγαλμάτων *de Imaginibus*, librum elucubravit, Philopono refutatum: teſte *Photiô.*

Juba, Mauritaniæ Rex ſcripſit περὶ Γραφικῆς, teſte *Harpocratione* & *Photiô*: Ex ejuſdem libris περὶ ζωγράφων, i. e. *Pictoribus* octavi, meminit Idem Harpocration in voce Παῤῥάσιος.

Iunius Franciſcus, 3. *libros de Pictura* reliquit, multijugæ lectionis ac bonæ frugis.

Lombardus Lamb. Leodicenſis *in vita Reginaldi Poli*, de plerisque prioris ævi celebrioribus Pictoribus, Raph. Urbinate, Bonarata, Titiano &c. judicium tulit.

Melanthius Pictor, περὶ Ζωγραφικῆς, i. e. *de Pictura* memoratur Laërtio, *in vita Polemonis.*

Pamphilius Pictor, περὶ Γραφικῆς καὶ Ζωγράφων ἐνδόξων, *de Pictura* & *Pictoribus*, laudatur *Suidæ.*

Paſiteles, *quinque volum. Nobilium operum in toto Orbe*, ſcripſit, teſte Pliniô, *l.* 36. *c.* 5. cum Praxitele eum confundit Cæſar Bullingerus, *de Pictura l.* 2.

Philoſtratus *de Iconibus.*

Polemon, teſtante Athenæô, *l.* 13. ſcripſit, περὶ ζωγράφων πρὸς Ἀντίγονον, *de Pictoribus ad Antigonum.* Idem libros περὶ πινάκων, i. e. *de tabulis*, reliquiſſe legitur, apud Laërtium, in *Chryſippo* & Athenæum, *l.* 11. *ac* 13.

Porphyrius, περὶ ἀγαλμάτων, i. e. *de Simulachris*, egit: vide Stobæum, *in Eclogis Phyſ. c.* 25. Sed is non tam de Arte, quàm de cultu, ſcripſit.

Protogenes Pictor, condidit libros 2. περὶ Γραφικῆς καὶ σχημάτων, *de Pictura & figuris*, teſte *Suidâ.* Sed hi injuriâ temporum deperditi ſunt.

Rodolfius, ſcripſit *Vitas Pictorum.*

Theophanes περὶ Γραφικῆς, i. e. *de Arte Pingendi*, laudatur Laërtio *in Ariſtippo.* Sed hoc opus, ut & plurima alia, temporis ſpolium eſt.

Varro, ex Latinis, *imagines præſtantium Virorum* ſuis quoque libris complexus legitur, apud toties memoratum Plin. *l.* 35. *c.* 11. ubi ait: *Imaginum amore flagrâſſe quondam, teſtes ſunt* & *Atticus ille Ciceronis, editô de his volumine, & M. Varro, benigniſſimô inventô, inſertis voluminum ſuorum fœcunditati, non nominibus tantùm* 700. *illuſtrium: ſed & aliquô modô imaginibus, non paſſus intercidere figuras: aut vetuſtatem ævi contra homines valere; inventione muneris etiam Diis invidioſus* &c. Ut alios omittam.

PICUENTUM, Hiſtriæ urbs mediterranea. *Ptol. Pinguento Leandro*: in monte, apud ortum Nauporti fluv.

PICUMNUS, Deus, qui in ſacris Romanis adhibebatur. Æmilius Macer *in Theogonia.*

PICUS, Rex Latinorum, Saturni fil. Fauni pater ſucceſſit patri, An. 2747. primus Aboriginum Rex per an. 37. Latini regis avus, auguriorum peritiſſimus, qui à Circe adamatus, cùm ſpretô ejus conjugiô, Carmentem Nympham duxiſſet uxorem, ab irata Dea, virgâ percuſſus fertur, & mutatus in avem ſui nominis. Quod idcirco fingi creditur, quoniam primus hâc ave uſus eſt auſpiciis, de quo ſatis prolixè Ovidius, *Met. l.* 14. quam fabulam Virgilius in tres verſus optime contraxit, *l.* 7. *Æn. v.* 188.

——— Lævâque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percuſſum virgâ, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Feſtus: *Picus rex picô ave utebatur, ut Verrius ait, ob augurium, à quo ſic dictus.* Vide Dion. Halicarn. *Hiſt. Rom. l.* 1. Aurel. Victor. *de Orig. gentis Rom.* Voſſio verò commentum de *Pico* Rege & Augure non aliunde promanavit, quàm quòd in Matiena, Sabinorum oppido, vetuſtiſſimum fuerit Martis oraculum, ubi *picus* avis, qui *Martius* dicitur, in columna lignea oracula dabat, haud aliter ac apud Dodonæos columba ſacræ inſidens quercui vaticinari ſolita, ex *Dionyſio.* Vide eum *de Idolol. l.* 1. *c.* 12. uti *de pici Martii robore*, & cur δρυοκολάπτης vel δενδροκολάπτης vocetur, ac quandoque etiam πελεκᾶς, *l.* 3. *c.* 80. *de ejus calliditate* in iis, quæ ad victum pertinent, *c.* 82. *de Sermone* item, *c.* 89. Idem piſcis delicati, circa Verbanum Leriumque lacum, dicti *pis* vel *pico*, à *picken*, i. e. pungere ſeu cædere, quòd è medio ſquamarum eminentes habeat clavos, hinc *cyprinus clavatus* Rondeletio appellatus, meminit *l.* 4. *c.* 31.

PICUS Johannes, Mirandulæ & Concordiæ Princeps, fil. Johannis Franciſci; Phœnix ingeniorum dictus, & *Monſtrum ſine vitio*, Scaliger. Anno ætat. 24. defendit Romæ theſes 900. Dialectico-Theologico-Mathematico-Magico-Cabaliſtico-Phyſicas, magno cum plauſu. Quas cum æmuli ejus ſuſpectas reddere conarentur, Innocentius VIII. illis examinatis, 13. earum rejecit. Has editâ apologiâ tuitus, inter alia memorat, unum ex Cenſoribus interrogatum, quid Cabala eſſet? reſpondiſſe, hæreticum eſſe peſſimum, qui ſcripſerit contra Jeſum Chriſtum. Obiit A. C. 1494. ætat. 31. prout ipſi Lucius Bellantius Senenſis prædixerat, Florentiæ eôdem die, quô Carolus VIII. urbem intraverat. Nepos ejus Joh. Franciſcus opera patrui Baſileæ edidit, *Heptapli* titulô: Continent illa *Concluſiones* 900. *Apologiam, de Ente & Uno: De Hominis dignitate Regulas* 12. *Comment. in Pſal.* 15. *De Chriſti regno & Vanitate mundi: Expoſitionem Orationis Domin. Epiſtolas; in Apologiam, Diſp. l.* 12. *In Platonis Conviv. l.* 3. *Elogia*: Paulus Jovius, *Elog. c.* 39. *Naudæus, Phil. Beroaldus, Marſilius Ficinus*, &c.

PICUS Johannes Franciſcus, Princeps Mirandulæ, fil. Galeacii, nepos prioris, ſtudiis ſimiliter ſe dedit. Sed Scholiaſticis nimium addictus, non ſatis Latinus eſt: occiſus à Galeoto, ex fratre Ludovico, nepote, noctu unà cum filio Alberto. A. C. 1533. Opera ejus, cum Patrui ſcriptis edita; Ubi agit *de ſtudio divinæ & humanæ Philoſophiæ, l.* 2. *De morte Chriſti & propria cogitanda, libris* 3. *De Uno & Ente*, &c. Paul. Jov. *in elog. c.* 7. Poſſevin. *in appar.* Spondanus *in Annal.* Vide & *Johannes Franciſcus.*

PICUS Johannes, Pariſienſis Carthuſianus. Commentatus eſt *in Canticum.* Edidit Jodocus Badius, A. C. 1524. Petr. *Bibl. Carthuſ.* Vide & *Johannes.*

PIDA, Ponti Galatici urbs in Cappadocia. *Ptol.*

PIDE, oppidum Æthiopiæ ad ſinum Rubri maris, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PIDIBOTAS, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *ibid.*

PIDORUS, urbs circa Athon montem, *Herodot.*

PIDOSUS, Inſula parva Cariæ, apud Halicarnaſſum urb. Nunc fortè *Iſola di S. Pietro.* Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Ferrar.*

PIDUS, vulgò *le Py*, fluviolus Galliæ, rivus Frodoardo dictus, ſicut & Arna. Ita enim is *in Chron. ad A. C.* 949. *Quædam Eccleſia in honore S. Mariæ dicata, ſuper Arnam rivum, claris illuſtratur miraculis & ſanitatum præſidiis. Item altera Eccleſia, in ipſius honore, ſuper* Pidum *rivolum ſita, penè ſimili reſplendet nitela.* Et *Pidus* quidem ſeu rivulus, ſeu amniculus, in codice Remenſis Monaſterii S. Remigii ante annos 700. ſcripto vocatur *Pit*, ſeu *Pitus*: atque inter villas ad illud Cœnobium pertinentes, numeratur *Sanctus Martinus ſuper Pit.* Alluit autem hic *Pidus* ſeu *Pitus* vicos Summum Pidum *Somme-Py*, alias *Sompi* & *Soupi*, ad caput ipſius poſitum; vicum S. Mariæ ad Pidum cum Eccleſia ejus Frodoardo modò memorata, *Saincte Marie à Py*; Sancti Sulpitii ſeu ad S. Sulpitium, *Saint Supplice*, aliàs *Saint Soupplé*, & vicum à Patrono loci Sanctum Martinum ſuper Pidum nuncupatum, *S. Martin*: ac in Supiam effluit, de quo vide *ſuô locô.* Hadrian. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Supia.*

PIDYTES, vir Percoſius ab Ulyſſe interemptus in bello Trojano, Homer. *Il.* 7.

PIENGITÆ, Europæa gens, *Ptolem.*

PIENTIA, olim Corſinianorum, urbs agri Senenſis, in colle, patria Æneæ Sylvii, poſteà *Pii II.* illic patre exulante nati, à quo dicta & Epiſcopalis effecta eſt, ſub Archiepiſcopo Senenſi. Parva ſed culta, 6. mill. paſſ. à Monte Policiano in Occidentem, uti 10. à confinio ditionis Pontific. 13. à Cluſio, 25. à Sena in Eurum.

PIEPHIGI, Daciæ populi, *Ptolem.*

PIERA, Peloponneſi fons, inter Elidem & Olympiam, Pauſan. *l.* 5.

PIERES, Macedoniæ populi circa Dardanos, Plin. *l.* 4. *c.* 10.

PIERIA, Pythæ, viri inter Mileſios clariſſimi, filia, cujus cum Phrygio conflatus amor, diſſidium, inter Mileſios Myunta incolentes & Nelei poſteros, compoſuit. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 35.

PIERIA, regio gemina; Una Macedoniæ, cum oppido cognomine, inter Axium & Peneum flumina, *Veria Nigro.* Altera Syriæ cum monte in Caſſiotide regione qui *Monte Nero* dici videtur *Ortelio*, ex *Guil. Tyrio.* Regio autem Pieria in ora, inter Ciliciam & Phœnicen ſita eſt, ubi Seleucia urbs præcipua cognomentô *Pieria.* Picem habet Naricæ, Indicæ, Idææ, & Illyricæ comparandam.

PIERIS, apud Plin. *loc. cit.* urbs Macedoniæ, quæ *Pieria* aliàs; item mons Theſſaliæ, qui aliàs *Pierius.* Sic Græci & Πιερίδα & Πιερίαν montem appellant, ut apud *Strabonem* videre eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 152.

PIERIUS, Presbyter Alexandrinus, ſub Diocletiano Imperatore & Theone Epiſcopo floruit. Eloquens diſputator, concionator inſignis, propterea parvus Origenes dictus. Scripſit 12. libros *de Eccleſiæ priſcis ceremoniis*, ſed Spiritum Sanctum, Patre Filiôque inferiorem eum feciſſe, refert Photius, *Cod.* 119. Etiam *in Hoſeam* commentatus eſt, &c. Martyris Pamphili præceptor. Euſeb. *Hiſt. l.* 7. Hieron. *in Catal. c.* 76. Nicephor. *Hiſt. l.* 6. *c.* 35. Item, Johannes *Pierius* Valerianus, Bolzanô Venetiæ oppidô oriundus, ſui doctiſſimus ſeculi. Scripſit *Hieroglyphica, Comment. in Virgilium* &c. Obiit Patavii, A. C. 1550. ætat. 82. Geſner. *in Biblioth.* & Anton. Teiſſier *Elog. Part. I.* & *II.* Ejus curæ educationem Hippolyti, Alexandri & Catharinæ de Medicis, poſtmodum Galliæ Reginæ, commiſerat patruus eorum Clemens VII. Imperialis *Muſæo Hiſtor.*

Item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Item Johan. *Pierius*, Toletanus, Poëta & Orator excellens, Compluti docuit. Obiit A. C. 1540. ætat. 33. Opmer. *in Chronol. Orbis Univerſ. p.* 486.

PIERIUS, mons Theſſaliæ, Muſis ſacer. In hoc monte quidam Muſas natas volunt, atque inde *Pieridas* appellatas, quanquam alii à *Pieria* regione & alii à *Pieri* filiabus, quas cantu vicerunt, dictas malunt: qui & *Pierus Feſto* & Pauſaniæ, *l.* 9. in Macedoniæ confin. apud montem Olympum, ubi oppid. ejuſdem nominis, Pheris proximum, de quo Plin. *l.* 4. *c.* 8. cum lacu cognomine, teſte Pauſan. *l.* 9.

PIERIUS Sinus, mare Thraciæ juxta Pangæum montem, ubi Oeſyme & Chryſopolis urbes, *Thucyd.*

PIERUS, Macedo quidam prædives, qui ex Eurippe uxore 9. ſuſcepit filias, quæ Muſas ad certamen cantus provocare auſæ, & ab illis ſuperatæ in totidem picas mutatæ ſunt; unde poſteà Muſæ earum nomen, veluti tropheum uſurpantes, *Pierides* vocabantur.

PIERUS, fluv. Achajæ in Peloponneſo, Pheras oppidum alluens. Et Plin. *l.* 4. *c.* 8. oppid. Theſſaliæ cum monte, & Pauſan. *l.* 7. mons Macedoniæ cum lacu, qui tamen teſte *Æliano*, eſt in Theſſalia.

PIETAS, Dea ab antiquis culta, cujus ſacellum ab Attilio dicatum, in quo habitâſſe dicitur ea, quæ uberibus patrem in carcere aluit. Cicer. *l.* 1. *de Nat. Deorum*, *Pietas*, inquit, *juſtitia eſt adversùs Deos & cultus erga Majores aut ſanguine conjunctos. Hanc ut Deos cœteros colebant Romani. Ædem ei conſecravit*, *M. Acilius Glabrio Duumvir; in foro Olitorio, eô locô, quô quondam mulier habitaverat, quæ Matrem ſuam incluſam carceri mammis ſuis clam aluerat, ob quod factum immunitas ipſi conceſſa fuit.* Ita ferè *Feſtus*, niſi quòd pro Matre Patrem ponit, cum tamen reliqui Scriptores, qui hujus hiſtoriæ meminerunt, omnes Matrem carceri incluſam fuiſſe, non Patrem, ſcribant. Livius, *l.* 40. *c.* 34. Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. Plin. *l.* 7. *c.* 36. *Pietatis exempla infinita quidem totó Orbe extitêre, ſed Romæ unum, cui comparari cuncta non poſſint. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera ſupplicii causâ, carcere incluſam Matrem, cùm impetrâſſet aditum à janitore, ſemper excuſſa, ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt uberibus ſuis alens eam: quô miraculô Matri ſalus donata filiæ pietate eſt, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem conſecratus eſt Deæ, C. Quintio M. Attilio Coſſ. templô Pietatis extructô in illius carceris ſede, ubi nunc Marcelli theatrum eſt.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 18. Habitum ejus ſic deſcribit Papinius, *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 3.

Huc vittata comam, niveôque inſignis amictu,
Qualis adhuc præſens, nullaque expulſa nocentum
Fraude, rudes populos, atque aurea regna colebas,
Mitibus exſequiis ades. ——

Idem eam ſolitariâ Cœli parte ſecretim reſidentem facit, quippe diſcordantium Deorum cœtu offenſam, *v.* 457. & 462. *l.* 11. *Theb.* quanquam aliàs cœlo gratiſſimam ibidem eam conſtituat, *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 1.

Summa Deûm Pietas, *cujus gratiſſima cælo,*
Rara profanatas inſpectant Numina terras &c.

Sed pro Miſericordia ac Clementia vox non rarò occurrit, uti pluribus docet Caſp. Barthius, *ad Claudian. IV. Conſulatu Honorii*, *v.* 113. Vide quoque ſuprà.

PIETAS Julia, vide *Julia*, it. *Pola.*

PIFLI, inter nomina ignominioſa, quibus Albigenſes olim aſperſi. Eckbertus Schonaugienſis contra *Catharos*, *Serm.* 1. *Hos noſtra Germania Catharos, Flandria* Piphles, *Galli Texerant, ab uſu texendi appellant.* Et *Chron.* Abbatis S. Medardi *A. C.* 1236. *Hæreticorum maxima multitudo, quos quidam vocabant Bulgaros, alii* Piflos, *per diverſas civitates & caſtella Franciæ* &c. Origo incerta: Interim etiamnum *Pifres* vocari Gallis homines guloſos, quique largioribus epulis indulgent, docet Car. du Freſne *Gloſſar.* à quo tamen crimine Albigenſes, varii Scriptores abſolvunt.

PIGACIÆ, apud Ordericum Vitalem, *roſtra calceorum* & aculei, ſcorpionum caudas referentes, cujuſmodi roſtratorum calceorum repertorem, Fulconem Andium Comitem fuiſſe tradit his verbis, *l.* 8. *Qui cùm pedes haberet deformes, inſtituit ſibi fieri longos & in ſummitate acutiſſimos ſubtalares, ita ut operiret pedes & celaret eorum tubera, quæ vulgò vocantur Uniones. Inſolitus inde mos in Occiduum proceſſit orbem, levibuſque & novitatum amatoribus vehementer placuit. Unde ſutores in calceamentis quaſi caudas ſcorpionum, quas vulgò* Pigacias *appellant, fecêre, idque genus calceamenti penè cuncti, divites & egeni, expetiêre.* Προάλματα πεδίλων hujuſmodi calceorum roſtra dicuntur Annæ Comnenæ, ad cujus *Alexiadem* vide quæ adnotavit Car. du Freſne, ut & infrà voce *Poulainia*, item ubi de *Roſtris calceorum* & *Uncinatis Calceis.*

PIGELASUS, urbs Cariæ, *Stephan.*

PIGMENTARIUS, vide hîc infrà *Pigmentum.*

PIGMENTUM, Græcis recentioribus πήμεντον, item πιμεντον, quemadmodum & *pimentum* legimus in veter. libro *Excerptorum* Apicii, ubi ſic habet, *Brevis pimentorum, quæ in domo eſſe debent, ut condimentis nihil deſit:* non unâ occurrit notione. In his enim *Excerptis*, non ſolùm aromaticæ & exoticæ omnes ſpecies, quæ condimentis ſerviunt, hôc nomine deſignantur, ſed etiam omne genus herbarum ac ſeminum condimentariorum. Unde *Pigmentarius*, apud Martianum, *l.* 3. §. 1. *ff. ad l. Corn. de Sicar.* Græcis Πημεντάριος, qui omnia vendebat, quæ Medicinæ conducerent, quòd inter ea etiam *pigmenta*, i. e. χρώματα, locum haberent: à qua una merce, quaſi nobiliori & magis pretioſâ, appellatus eſt. Genus etiam herbæ condimentariæ *pigmentum* hodie Galli vocant. Ita & Græci recentiores petroſelinum, quaſi præcipui uſus in condimentis, appellavêre κοδίμεντον, i. e. *condimentum.* At Plinii ætas *pigmenta* tantùm de coloribus poſuit, *l.* 36. *c.* 22. *Auctoribus curæ fuêre lapides quoque mortariorum medicinalium tantùm, & ad* pigmenta *pertinentium.* Ubi *mortaria ad pigmenta pertinentia* ſunt ζωγράφων θυῖαι. Sequenti verò ævô pro herbis ac ſpeciebus quibuſcunque medicinalibus vocem uſurpari cœpiſſe, etiam diſcimus ex Materno Firmico, *l.* 8. *c.* 17. *Marſi erunt, vel qui venenis ex herbarum* pigmentis *confectis ſalutaria ſoleant hominibus remedia comparare:* ubi *venena ex herbarum pigmentis facta*, appellat σύνθετα φάρμακα. Atque hinc *Pigmentarius*, pro pharmacopola, apud Eund. Aliàs ſic quoque dixêre τὺς Μυρεψὺς. *Gloſſæ*, *Pigmentarius*, Μυροπώλης, Φαρμακοπώλης, Μυρεψός: Sed & pharmacopolam, ſic vocant *Perſii Gloſſæ*, *per ſcombros ſignificat ſalſamentarios, per thus Pigmentarios.* Quô ſenſu *pigmentum* propriè eſt, quod *droguam* Galli vocant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1052. ut & ſuprà in voce *Pharmacopola.* Citimi ævi Scriptoribus vox notat, *potionem ex melle & vino & diverſis ſpeciebus confectam, ſuavem & odoriferam*, ut apud Joh. de Janua. Catholic. Parvum: *Nectar, dulcis liquor, vel vinum pigmentatum. Vinum Cypricum, pigmentatum & clarificatum*, apud Lambertum Ardenſem, *p.* 119. Cujuſmodi potionem ſtatis diebus datam olim fuiſſe, docet Petrus Venerab. *in Statutis Ordinis Cluniac. c.* 52. *Statutum eſt, ut ab omni mellis & ſpecierum cum vino confectione, quod vulgari nomine* Pigmentum *vocatur, Cœna Domini tantùm exceptâ, quâ die mel abſque ſpeciebus vinô miſtum antiquitas permiſit, omnes Cluniacenſis Ordinis Fratres abſtineant.* Sic Udalricus, *Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 52. *Et pigmentum, ad cujus tamen propinationem ſcilla non ſonatur.* Et *l.* 3. *c.* 21, *Quoties pigmentum datur, ipſe modiolis infundit.* Quem morem improbans Bernardus, *de Vita & Mor. Religioſorum*, *c.* 8. *Quale eſt autem*, inquit, *illud, quod nonnulla Monaſteria ex more obſervare dicuntur, in magnis videlicet feſtis vina delibuta melle,* pigmentorum *reſperſa pulveribus, in Conventu bibere &c.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & de *Pigmentis* ac *Arte Pigmentaria* plura, apud Beroaldum ad *Appulejum.*

PIGNORA, capere, inter coërcitionis lenioris genera, apud Romanos, vide ſuprà *Direptio*, intrà *Repreſſalia*, it. *Senatores*, *Strategi*, *Vadium*, *Vale.*

PIGRES, Halicarnaſſeus, frater Artemiſiæ, uxoris Mauſoli, *Suidas.*

PIGRES, & Mattyas, Pœonum fratrum nomina, apud *Herodotum.*

PIGRES, Græcè Πίγρης, in antiquis *Arriani* codicib. legitur pro Τίγρης, qui aliter Τίγρις, celebris Perſiæ fluvius, quam ſcripturam in Palatinis exemplaribus multis locis ſe reperiſſe, Salmaſ. tradit. Teſtatur idem *Euſtathius*, & præterea apud *Julianum* quoque ſic ſcribi. An igitur Πίγρις aut Πίγρης, ſecundùm hanc ſcripturam, Armeniacum aut Medicum potiùs nomen, quàm Τίγρις? Sed Τίγρις animal illarum regionum, à velocitate ac impetu nomen, ut apparet, idem habuit. An Πίγρης & Πίγρις diverſa dicemus eſſe nomina & flumina? Herodotus enim, *l.* 5. tres fluvios hôc nomine, diverſis ex locis originem habentes, memorat, Πρῶτος μὲν Πίγρης, μετὰ δὲ δευτερός τε καὶ τρίτος ὠύτως ὀνομαζόμενος, οὐκ ὠυτὸς ἐὼν ποταμὸς, οὐδὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ῥέων, *Primus quidem* Pigres, *poſt eum ſecundus & tertius eodem quidem nomine inſigniti, non tamen idem fluvius, nec ex eodem fonte promanant.* Ubi enumerat amnes Herodotus, qui per Armeniam iter facientibus & Suſa contendentibus tranſeundi ſunt. Et quidem ex Cilicia venienti & intranti Armeniam majorem, primùm occurrere dicit fluvium Euphratem, νηυσὶ περητὸν, qui Ciliciam ab Armenia ſeparat; deinde tres fluvios ſimiliter νηυσὶ περητὺς, h. e. *navigabiles*, in Armenia ipſa, tranſeundos eôdem nomine, Πίγρητας namque vocari, qui per Armeniam fluunt, è diverſis orti fontibus. Primum ait oriri ἐξ Ἀρμενίων ſuperioris Armeniæ nempe, alterum atque ultimum ex Matienis, qui populi ſunt Mediæ, majori Armeniæ ab oriente conterminæ. Alibi verò locis duobus, idem auctor τοῦ Τίγριος meminit & Τίγριν non Πίγρητα, vocat. E quibus tribus Armeniæ fluminib. quibus nomen idem Πίγρης, videntur exiſtimâſſe Veteres quidam, Πίγρητα illum primum, qui ἐξ Ἀρμενίων oritur, eundem eſſe fluvium, qui occultô meatu ſubter Taurum montem in Aſſyriam tranſiit, & Τίγρις ibi vocatur. Alii prorſus diſtinguunt; atque hi ſunt, qui Tigrim non arceſſunt longiùs, quàm è latere Tauri meridionali. Utut ſit idem flumen, quod ex Armenia in Aſſyriam ſubter Taurum per ſpecus labitur, non idem certè nomen Πίγρης & Τίγρης. Fortean idem amnis *Pigres* vocatus fuerit, dum per Armeniam fluit; ubi in Aſſyriam tranſit ſubterraneô meatu ſub Tauro factô, & concitari incipit, *Tigris* nomen aſſumit à celeritate, à qua & ſagittam & animal omnium velociſſimum Medi ſic vocant: atque inde eſt, quòd *Pigretum* vocant, qui *Tigris* eſt, Arrianus & Julianus. Vide quæ hanc in rem eruditè congeſſit Salmaſ. *ad Solin. p.* 694. & 695.

PIGRI, infames Athenis, vide ſuprà *Manuariæ Artes*, it. *Opifices*, *Otia.*

PIGRUM Mare, pars maris Arctoi, ſeu Caledonium mare, ſupra Scotiam, in Boream extenſum, verſus Schetlandicas Inſulas & Iſlandiam.

PIHACHIROTH, locus Ægypti circa mare Rubrum.

PII, Imperatores dicti, ab Antonino Pio, ut planum id facit Juſtinianus, *in §. nobis autem Nov. ut lib. de cœtero.* Fuit autem Antoninus Bojonius ſic appellatus à Senatu, ob ſingularem animi pietatem ac pacis ſtudium: cujus vox illa celebris eſt, *Malle ſe unum ſervare civem, quàm mille hoſtes perdere.* Sed audiendus omnino Jul. Capitolin. in *Vita* ejus, *c.* 2. *Pius cognominatus eſt à Senatu, vel quòd Socerum feſſâ jam ætate manu, præſente Senatu,*

leva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

levaverit: (quod quidem non ſatis magna pietatis eſt argumentum, quum impius ſit magis, qui iſta non faciat, quàm pius, *qui debitum reddat) vel quòd eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi juſſerat, reſervavit: vel quòd Adriano, contra omnium ſtudia, poſt mortem infinitos atque immenſos honores decrevit: vel quòd, quum ſe Adrianus interimere vellet, ingenti cuſtodiâ & diligentiâ fecit, ne id poſſet admittere; vel quòd verè naturâ clementiſſimus & nihil temporibus ſuis aſperum fecit.* E quibus omnibus illam potiſſimùm rationem probat Caſaubonus, *quòd Adriano contra omnium ſtudia* &c. Magnis enim laboribus *Pio* conſtitit, ut hæc poſtrema pietatis officia Parenti ſuo præſtaret, cujus memoriam Senatus damnare cupiit. Cui proin ſtudio cùm pietatis nomen neceſſariò prætenderet, namque & *Pialia* vocavit agones quinquennales Hadriani memoriæ dicatos, uti ſuprà diximus, inde videtur illi partum *Pii* cognomen. *Pauſanias* tamen PIUM, à pietate in Deum ſcribit eſſe nuncupatum: Marcus verò *Ep.* ad Fauſtinam, ob clementiam ſic appellatum mavult, *Clementia patrem tuum inprimis* Pii *nomine ornavit.* Et certè Romani, quem laudatum volebant à clementia, *Pium* vocabant. Vulcat. Gallicanus *in Avidio Caſſio, c.* 13. *Hanc Marci clementiam Senatus his acclamationibus proſequutus eſt: Antonine Pie, Dii te ſervent: Antonine clemens, Dii te ſervent.* Vide Caſaubon. *ad Capitolin. l. c.* aitque Themiſtius Euphrades, *Orat.* 9. Auguſtos appellatos, Ἐυσεβεῖς, i. e. φιλανθρώπους. Vide Deſid. Heraldum, *ad Arnobium l.* 1. Ut igitur Antoninus Latinè *Pius*, ita Græcè Ἐυσεβὴς dictus eſt, quæ duo velut diverſa refert Johannes Gazenſis περὶ Ἀρχαιολ. cùm inquit, Πίος ὁ κληθεὶς Ἐυσεβής, cùm Ἐυσεβὴς ſit *Pius*, unde & Ἐυσέβεια agon, *Pialia.* Salmaſ. *ad eund.* Ob eandem cauſam, ad Deum ipſum quoque appellatio tranſlata Arnob. *adv. Gentes l.* 7. *Deos aliquis credit pios, mites, beneficos.* Et Lactant. *l.* 4. *c.* 11. *Sed tamen, quoniam clemens eſt & pius erga ſuos.* Qua de re ſic Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 10. *c.* 1. *Pietas quoque propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci* Εὐσέβειαν *vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus miſericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror eveniſſe, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque ſibi vel pro ſacrificiis, vel præ ſacrificiis placere teſtatur. Ex qua loquendi conſuetudine factum eſt, ut & Deus ipſe dicatur* pius: *quem ſanè Græci nullô ſui ſermonis uſu* ἐυσεβεῖν *vocant: quamvis* ἐυσέβειαν *pro miſericordia illorum etiam vulgus uſurpet. Unde in quibuſdam Scripturarum locis, ut diſtinctio certior appareret, non* ἐυσέβειαν, *quod ex bono cultu, ſed* θεοσέβειαν, *quod ex Dei cultu, compoſitum reſonat, dicere maluerunt.* Ubi quod de Græcorum uſu ait, de genuino & antiquo intelligendum: poſtmodum enim, uti ἐυσέβειαν pro *miſericordia* uſurpare, ſic & Deum ἐυσεβῆ nonnunquam, Latinam appellationem ita exprimentes, dicere non refugerunt, uti videre eſt apud eundem Themiſtium, *Orat.* 5. Οὐδεὶς γὰρ ἐν ταῖς ἐπικλήσεσι τοῦ θεοῦ τὸν νικητὴν, ἤτοι θριαμβευτὴν ἀνακαλεῖται, ἢ τὸν Γερμανικὸν, ἢ τὸν Σκυθικὸν, ἀλλὰ τὸν φιλάνθρωπον, καὶ τὸν ἐυσεβῆ καὶ τὸν σωτῆρα. Ergò Deus heic ἐυσεβὴς eſt *pius* & φιλάνθρωπος, quâ voce *pium* etiam hîc exprimere voluit Themiſtius, Deſid Heraldus *ad Arnobii loc.*

PII Fratres, & ſimpliciter Pii, Græcè Εὐσεβεῖς, dicti ſunt apud Catanenſes Amphinomus & Anapius, qui, Ætnâ ignes evomente, parentes ſuos humeris ſublatos ſervârunt, Strabo, *l.* 6. His honores in patria habitos, uſque ad tempora ſua, i. e. Antonini Philoſophi refert Pauſanias, *l.* 10. Certè ſepulchri locum *Campum Piorum* appellatum, docet Solinus, *c.* 11. ubi tamen Syracuſanos quoque hanc pietatis gloriam ſibi vindicâſſe, & *Emantium* ac *Critonem* illos nominâſſe, Catanenſem tamen regionem cauſam dediſſe facto, addit. Statuas item illis erectas, Claudianus *eleganti epigrammate* decoravit. Iiſdem Catanenſes nummos ſignârunt. Cujuſmodi denarius, in honorem Sexti Pompeji percuſſus, & omnes illius titulos ferens, MAG. PIUS. IMP. ITER. PRÆF. ORÆ MARIT. ET CLAS. EX S. C. unâ parte habet Sexti caput affabrè factum cum *urceolo* & *lituo*, Pontificatûs & Auguratûs inſignibus: alterâ inter *Piorum* ſtatuas eſt Neptunus nudus, dextrô pede roſtro navis inſiſtens, dextrâque manu apluſtre tenens, apud Joh. Marſhamum, *Canone Chron. Sec. XVI.*

PIKUS Johannes, vide *Johannes.*

PILA, nomen loci, Sophon. *c.* 1. *v.* 11. Latinè *contuſio*, vel *mortariolum.*

PILA, digna viſa eſt, de qua Medici & Philoſophi differerent, Galenus *in l. ea de re conſcr.* Cœl. Aurelianus, *Tardar. paſſ. l.* 3. *c.* 6. & *l.* 4. *c.* 7. &c. Laudatiſſimum certè exercitationis genus ſemper habitum & utrôque Jure receptum. Canonicô quidem, ut diſertè patet ex *C. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric.* & Jure Civ. paſſim. Ulpian. *l.* 11. *ff. ad leg. Aquil. Si cùm pila quidam luderent, vehementius quis pilâ percuſsâ in Tonſoris manus eam dejecerit, & ſic ſervi, quem Tonſor habebat, gula ſit præciſa, adjectô cultellô, in quocunque eorum culpa ſit, lege Aquiliâ Mela ſcribit teneri.* Vide quoque Alfenum JC. *Digeſtorum, l.* 2. &c. Hinc eâ ludendi Artem, Σφαιριστικὴν Græcis dictam, quamvis damnaretur à Mileſiis, eò quòd Athletæ, in coronariis certaminibus ſæpe præmium adepti, cenſerent, ejus luſum ad nullum eorum certaminum quidquam conferre, auctore Euſtathiô *Od.* θ. & proin inter ſacros agones, ut quæ valetudini ſolùm conduceret, nullô locô haberetur: Athenienſes tamen tanti fecêre, ut Alexandrum Caryſtium Sphæriſtam civitate donaverint ac ſtatuam etiam in ejus honorem conſtituerint, teſte Eôdem, *ibid.* Ludum hunc primus inveniſſe dicitur Pythus, ut eſt apud Plinium, *l.* 7. *c.* 56. quem Chifletianus codex *Picum* vocat. Agallis Corcyræa Grammatica Nauſicaam ejus inventricem facit, apud *Athenæum:* Hippaſus Lacedæmoniis, Dicæarchus Sicyoniis, reperti hujus gloriam vindicârunt, ex quo fit, ut certi quidquam proferre nequeamus, & eô magis, quòd Timocratis Laconis, aliorumque de hoc ludo Commentaria non ampliùs ſuperſunt, quibus fortaſſis & tantæ varietatis rationem intelligere & incognita prope ludendi *Pilâ* genera certiùs proferre poſſemus. Voſſius tamen in Pytho ſiſtit, *in de* 4. *Artibus Popular. c.* 3. §. 59. De utilitate ejus ac effectibus, agit prolixè Hieron. Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 5. *c.* 4. Et leguntur delectati hôc exercitii genere viri cujuſque ævi eminentiſſimi. Ex Philoſophis quidem, Architas Tarentinus, qui *Pilâ* etiam cum ſervis ſuis luſiſſe legitur, apud Athenæum, *Dipnoſ. l.* 12. *c.* 6. Socrates, cum pueris, apud Val. Max. *l.* 8. *c.* 8. *ex. ext.* 1. Ælianum, *Hiſtor. Var. l.* 12. *c.* 15. &c. Lycon Troadenſis, qui ab aliis *Glycon* vocatur, apud Diog. Laërtium, *l.* 5. Ipſe Sidonius Apollinaris, de ſe id fatetur, *l.* 1. *Epigr.* 2. & de Scævola ſcriptum reliquit Val. Max. *loco cit. ex.* 2. *Scævola autem eorum quietæ remiſſionis certiſſimus teſtis: optimè* Pilâ *luſiſſe dicitur.* Ex viris Principibus, Auguſtus Cæſar, apud Suetonium, *c.* 83. M. Antoninus Philoſophus, apud Capitolin. *c.* 4. Domitian. Aug. indignus qui cum iis conferatur, apud Sueton. *c.* 21. inter Græcos, Alexander M. apud Plutarchum, cum quo ludere ſolitus eſt Alexander Caryſtius, de quo paulo ſuprà. Et facit huc, quòd Hierophilo Medico poſita legitur ſtatua, prope quam, inter alia Gymnaſticæ inſtrumenta, etiam *Pila* fuit. Locus, ubi hoc exercitium fervebat, Σφαιριστήριον dictus, ſeptima fuit è denis Gymnaſii partibus, ubi variæ exercitationes, & præſertim cuncta *Pilæ* exercitia, quæ plurima extitiſſe infrà videbitur, frequentiùs quàm alibi peragebantur. Nec tantùm in publicis Gymnaſiis locus hic fuit, à Coryceo ſeparatus, ut Mercurialis demonſtrat, ſed & in particularibus hortiſque, ut locuples teſtis eſt, Plin. Jun. *l.* 2. *Ep.* 17. ubi villas ſuas, Laurentium & Tuſcos diſcribens, in utriſque Sphæriſterium ponit, quod plura exercitationis genera pluresque circulos caperet. Modos loquendi huic ludo peculiares, recenſet Jul. Pollux, *Onomaſt. l.* 9. *c.* 7. σφαῖραν παίζειν, σφαῖραν ῥίπτειν, σφαῖραν βάλλειν, ἀφεῖναι, πέμπειν, προσπέμπειν, ἐκπέμπειν, *ludere pilâ, pilam jacere, mittere, emittere, dimittere, contramittere, in adverſum jacere, expellere* (unde, *expulſim ludere*, apud Varronem & Nonium) &c. Victorem ludi Græcos Βασιλέα, victum Ὄνον, i. e. illum *Regem*, iſtum *Aſinum*, appellitâſſe, patet ex *Theateto Platonis*, vide quoque Euſtathium, *Il.* θ. *ubi varias ejus ſpecies Veteribus uſitatas*, οὐρανίαν, ἀπόῤῥαξιν, ἐπίσκυρον, φαινίνδαν, *de quibus infrà, recenſet:* Item Hier. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 2. *c.* 4. & 5. Voſſ. *de* 4. *Artibus Popul. ubi ſuprà*, Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 1. &c. ut & infrà in voce *Polla*, it. *Pollio, Sphæriſterium, Spariſtica* &c. Luſores *Pilarum* ſub Geminis naſci, *tantâ velocitate, ut aves ſuperare videantur*, Jul. Firmicus Maternus, *Matheſeon l.* 8. *c.* 8. ait. Manilius de iis ſic, *Aſtronomic. l.* 5.

Septima pars leporem tollit, quô ſidere natis
Vix alas Natura negat, volucreſque meatus;
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille pilam celeri fugientem prendere plantâ
Et pedibus prenſare manus.

Concinnitatem *Pilâ* ludentium, & lætitiam Spectatorum ex tali ludo partam, apud Athenæum, *Dipnoſophiſt. l.* 1. *c.* 11. vetus quidam Poëta eleganter expreſſit, vide ibi, & quæ Caſaubonus *ad locum.* Meminit quoque ludi Horatius *paſſim*, inter alia, *in Arte Poëtica, v.* 379.

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis,
Indoctuſque Pilæ, *diſcivi, trochive quieſcit.*

Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 31. *v.* 7.

Non Pila, *non follis.* ——— ———

Ovidius, *Triſtium l.* 3. *Eleg.* 12. *v.* 19.

Luſus equo nunc eſt, levibus nunc luditur armis;
Nunc Pilâ, *nunc celeri vertitur orbe trochus,* &c.

PILÆ VARIA GENERA ET LUDENDI MODI.

APUD GRÆCOS.

α. Ἀπόῤῥαξις & οὐρανία, *Polluci* ſuprà laudato inter parvæ Pilæ ludos recenſentur: Quarum illa fuit, cùm Pilam non mitterent in tectum, ſed fortiter terræ incutiebant, ὥστε ἀποκρουομένην ἀλλεσθαι πάλιν, *ut repercuſſa rurſus ſaliret*, Euſtath. *in Od.* θ. De iſta vide hîc *infrà.* β. Corycus, *Galeno, Oribaſio*, & *Gerb. J. Voſſio*; diverſum quid à *Pila* fuit, unde in ædium culminibus poni ſolebat: Mercuriali tamen *loc. cit.* vel *Pila*, vel *Pila* quid ſimile fuit: Quomodô ludus hic perageretur, deſcribit apud *Oribaſium* Antyllus, ubi ipſum ſphæricum aut ſaltem rotundum ex materia coriacea extitiſſe indigitat. De hoc Proverb. Πρὸς κώρυκον γυμνάζεσθαι; quô certaminis genere in Theſſalia Apulejus certavit. Adnumerat hanc exercitationem inter veloces Paulus, *Chron. l.* 5. *c. ult.* eamque, Κωρυκομαχίαν Græcis dictam, ad diminuendam polyſarciam commendat, Hippocratem, *c.* 2. *de Diæta* imitatus Cælius Aurelianus. Antyllus muſculorum corpus reddere, roburque afferre & prætereà univerſo corpori aptari, nec non ob plagas, quas infligit, omnibus viſceribus idoneam judicat. In Elephantiacis quoque Κωρυκοβολίας laudat Aretæus. Sed qui debili vexantur pectore, verbera ejus, citra periculum, non excipiunt. γ. Ἐπίσκυρος, genus ludi erat, ᾧ ἐχρῶντο οἱ παίζοντες κατὰ πλήθη, *quô utebantur catervatim ludentes*, Euſtathius ubi ſuprà. δ. *Pila inanis*, Κενὴ σφαῖρα, videtur, ex Antylli verbis, quemadmodum & cœteræ, ex corio conſuta, ab aliis tamen in hoc diverſa, quòd illæ vel plumâ, vel aliâ materiâ; hæc ſolô ventô ſive aëre plena eſſet, tantæque magnitudinis, ut eâ difficulter lude-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

luderetur. Hæc æquè exercebat corpus, ac motoria, in qua curſu opus: Interim quia nec facilis nec apta, proin omittendum omnino ejus uſum, ex Antylli ſententia, valetudinem curantibus conſulit Oribaſius, *Collect. l. 6. c. 3. ε. Pila magna*, *Μεγάλη σφαῖρα*, duos ludendi modos, non ſolùm ex ipſius *Pilæ* magnitudine, verùm etiam ex manuum figura, à reliquis *Pilæ* ludis diverſos, effecit: Quorum unus erat ludentium *magnâ*; alius *majore*: in quo tamen conveniebant, quòd ſicut in *Pilæ* parvæ ſpeciebus, luſores ſummas manus ſemper humeris humiliores, ita in hac ſemper capite altiores tenerent, quandoque etiam ſummis pedibus ambularent, ut manus attollerent altiùs; quandoque ſaltarent, cùm ſcil. *Pila*: ſuper eos ferebatur, in qua projicienda vehementer brachia agitabantur. Et primam quidem ſpeciem totum corpus firmare, capitique inprimis & partibus ſuperioribus juvamenti multum adferre, ſtatuit *Antyllus*: in Priapiſmo commendavit Alex. Trallian. *l. 9. c. ult.* Secundam, dum utrâque manu ob magnitudinem emittitur, brachia quidem firmare, ſed nimis duras inferre plagas, & immodicâ defatigatione ludentes afficere, creditum. ζ. *Pila* parva, *Σφαῖρα μικρὰ*, tres ſpecies diverſas habuit, quarum prima erat: *Parva admodum*, in qua corpore maximè elatò ludebant, & colludentes manus manibus proximè admovebant. Reddere credebatur carnem ſolidam, brachiis, dorſo ac pullulantibus coſtis utilis: cumque in ludo crura multùm laborarent ad acquirendum robur non parum apta credebatur. Altera *Majuſcula*, quâ cubitis ludendo immiſcebant, nec corporibus hærebant mutuò, nec annuebant, ſed variis modis movebantur & propter varios *Pilæ* jactus, huc atque illuc digrediebantur. Reputabatur hæc *Pilæ* ſpecies omnium præſtantiſſima, quòd corpus ſanum ac promtum ad motus cum robore conjunctos præſtaret, aſpectum firmaret, neque caput repleret. Tertia *Major* etiam ſecundâ, in qua homines inter ſe diſtantes ludebant, & cùm ſtataria ac motoria pars eſſet, qui manebant, pilam emittebant cum vehementia ac concinnitate. Judicabatur hæc oculos ac brachia juvare, ſpinæ propter inflexiones, quæ currendo fiebant, commodum afferre, cruraque propter curſum miris modis firmare. Referri poteſt haſce inter ſpecies id genus ludi, quod ab Athenæo, *Dipnos. l. 1. c. 11.* Ἁρπαστὸν & Φενίνδα dicitur: vide ſuprà in voce *Phæninda*. η. Urania, Græcè Οὐρανία, inter *Pilæ* quoque parvæ ludos collocatur à *Polluce*, cùm ſcil. ſeſe reclinantes *Pilam* in cœlum jaciebant, antequam terram attingeret, illam excepturi; Aporraxi proin oppoſita, de quâ *ſuprà*.

A P U D   L A T I N O S.

θ. Follis, in hac gente erat *Pila* magna, ex aluta confecta, ſoloque aëre; quæ vel *Major* brachiiſque impelli ſolita, & ſimpliciter *Pila*: interdum *Pila velox* dicta. Cujuſmodi exercitationem in Gordiani Imperatoris nummis videre eſt, è quibus conficitur unumquemque luſorum propriam habuiſſe *Pilam* eumque ludum in ſacrificiis Pythiis apud Apolloniatas fuiſſe adhibitum: vel *Minor*, quæ pugnis jaciebatur, inde *Follis pugillaris* dictus: aliquando & *Folliculus*, Suetonius in *Auguſto*, *c.* 83. quem hôc Pilæ ludô vehementer fuiſſe delectatum, narrat, Fiebat hæc exercitatio in ſolo pulverulento mitiorique ætati apta erat, Græcis penitùs ignota. Et prior quidem, brachiis impelli ſolita, judicabatur dorſum inprimis atque brachia firmare, Epilepticis commendata à Cæl. Aureliano, *Chron. l. 1. c. 4.* Poſterior, magis prodeſſe credita. Ambo tamen Folles viſceribus conducere, calculos à renibus & veſica extrudere, coxas & crura imbecillia confirmare, omnique ætati convenire æſtimabantur. Martial. *l. 14. Epigr. 47. Folle decet pueros ludere, folle ſenes.* ι. Trigonalis *pila*, parva erat, nuncupata vel à loco, ubi ludebatur, qui triangularis; vel potiùs à ludentium numero, figura, ſitu. *Pila* quoque ſimpliciter Martiali vocatur, *l. 7. Epigr. 31. ad Attic. v. 7.* Ejus icon, in nummis M. Aurelii Antonini, apud Byzantinos excuſis: in ſacrificiis Apollinis Pythii Actiaci quoque adhiberi conſueviſſe, memoriæ proditum eſt. Præter effectus, quos cum prioribus communes habuit, peculiariter oculos exagitare exercereque hæc *Pila* credita eſt, dum eos intendere ſemper, & modò huc modò illuc, convertere neceſſarium fuit: lippientibus propterea damnoſa, ut & debili ſtomachô laborantibus. Colicis exercitationem hanc mirè commendat Cælius Aurelianus, *Chron. l. 4. c. 7.* Plura vide infrà in voce *Trigonalis Pila*. κ. Paganica, ſic dicta, quòd vulgaris admodùm, & in villis *pagiſque* vocatis, vel in pagis urbium ſeu vicis utplurimum in uſu eſſet. Pila fuit ex corio plumâ repleto, Trigonali latior, non ita tamen, ut Follis, laxa, ſed durior, & proin tractatu non admodum facilis. Etiam in Gymnaſiis ejus exercitationem viguiſſe, docet Martialis, *loc. cit.* Hæc itaque, quòd ob latitudinem ac duritiem difficultate non careret, ruſticis potiùs, & duris corporibus, quam urbanis, conveniebat: Negatque hodie permittendum valetudinariis, ſenibus atque pueris, ut hôc exercitii genere utantur, Hier. Mercurialis, *de Arte Gymn. l. 5. c. 4.* Vide ſuprà plura in voce *Paganica*. λ. Harpaſtum, Græcè Ἁρπαστὸν, pila fuit, quam ludentium alter alteri eripiebat: magnitudo in incerto, rotundum fuiſſe *Athenæus* dictat. Parvam pilam vocat *Galenus*, ſimiliſque videtur hic ludus illi, quem hodie *à calce* nuncupant Itali; niſi quòd *Pila*, quâ illi calce ludunt, major eſt. In pulverulento ſolo, ut Folliculus, olim hæc *Pila* ludebatur, fuitque exercitatio talis perardua, & non niſi validioribus hominibus conveniens. Judicabatur autem illa attenuare, excrementa exinanire, calorem augere, robur efficere: præcipuè autem brachia humeroſque confirmare. Contrà magnoperè lædebat, qui vel caput debile & collum infirmum haberent, vel quibus in thorace vitium aliquod, aut quibus renes lumbique nimium calidi, &c. In eo convenire omnia prædicta exercitiorum genera, cenſuit Avicenna, *l. 1. fen.* 3. *doc.* 2. *c.* 2. quòd fortes efficerent, promtioreſque ad motum; ſicque vitales actiones roborarent. Vide præter Auctores ſuprà indigitatos, Galenum, *de tuenda val. l. 2. c.* 8. Paulum, *l. 1. c.* 18. *Corn. Celſum*, &c.

PILA, memorata Sext. Propertio *l. 4. Eleg. 12. v. 19.*

Aut ſi quis poſitâ Judex ſedet Æacus urnâ,
In meâ ſortita judicet oſſa pilâ:

quid ſit, diſceptatur. Locus indubiè difficillimus, & eſt altum tot Interpretibus ſilentium; tetigit Car. Sigonius, *de Judic. l. 2. c. 12.* ſed nemo, quid *Pila ſortita* eſſet, hactenus expoſuit. Joh. Paſſeratius, *Sortiri pilam*, inquit, *eſt ſorte educere ex urna nomen Judicis in pila ſcriptum.* Plut. *in Lycurgo* commemorat *Pilas exiguas è ſurfure, quibus conjectis in vas tanquam ſortitione fabarum admittebatur, vel excludebatur aliquis è conviviis Lacedæmoniorum.* Sed hæc nihil ad Judicum tribunalia. Dempſterus exiſtimat, *Pilas* eſſe apud Propertium, globulos quoſdam, quibus nomina Judicum inſcripta, adductus maxime auctoritate Aſconii Pediani *in Manilianam*, ubi habet: *Quartô die adeſſe omnes in poſterum juberentur, ac coram accuſatore ac reo* Pilæ, *in quibus nomina Judicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſterâ die ſortitio Judicum fieret, unius & octoginta, qui numerus cùm ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent.* Ita enim rectiſſimè locus is hactenus excuſus, falſique ſunt, qui pro *Pilis*, reponunt *libellos*, aut *tabellas*, Fr. Polletus, *Fori Romani Hiſtor. l. 5. c. 7.* Vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l. 9.* In plurali *Pilæ*, auctore Feſtô, dictæ ſunt viriles & muliebres capitum effigies ex lana, quæ Compitalibus, in compitis, olim ſuſpendi ſolebant, quòd hunc diem feſtum eſſe Deorum inferorum, quos vocant *Lares*, putarent: quibus tot *Pilæ*, quot capita ſervorum; tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent & eſſent his *Pilis* ac ſimulachris contenti. Hinc Schrevelius *ad Martialem*, *l. 2. Epigr. 43. v. 6.* notat, indigitare Poëtam, *viliores eſſe veſtes ſuas, quam quibus induantur Pilæ compitales, quas ad effigiem humanam factas Diis Inferis ſuſpendi mos, in compitis:* addens, *hiſce imaginibus nullius pretii veſtes circumponi conſueviſſe; & proin alibi à Poëta* pannoſas *appellari.* Ab harum poſteà *Pilarum* ſimilitudine prodierunt effigies illæ ſtramentitiæ, quibus objectis tauri feræque in Spectaculis irritabantur. *Scalig.* Vide quoque Raderum *ad Martialem, locò proximè allegatô*, nec non infrà ubi de *Pila prima*.

PILA, apici obeliſci, in Campo Martio, addita à Manilio Mathematico, cujus vertice umbra colligeretur in ipſa pila, occurrit apud Plin. *l. 36. c. 10. Ei* (obeliſco) *qui eſt in Campo Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum, ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, ſtratò lapide ad obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Brumæ confectæ die horâ ſextâ*, h. e. cui par umbra meridiana die Brumæ) *paulatimque per regulas* (*quæ ſunt ex ære incluſæ*) *ſingulis diebus decreſceret ac rurſus augeſceret, digna cognitu res & ingeniô fœcundô Mathematici. Apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in ipſa, alias enormiter ejaculante apice* &c. Quam ſolertiam ſubtiliter & prolixè expoſuerunt Orontius Fineus *de Horologiis*, *l.* 2. & Zieglerus: Πόλος exponitur Salmaſio, ad ſimilitudinem πόλου γνωμονικοῦ, in quo gnomon erectus æquinoctia & ſolſtitia ſignificat ex umbrarum ratione: & profectò πόλος eſt *pila*, atque inde nomen. Quomodo autem id molitus ſit Manilius, an *pilam* ſic impoſuerit, ut extaret tota humani corporis ſimilitudine: an inſecuerit & demiſſam exſculpto lapidi conjunxerit: an de lapide reſecuerit, quantum altitudo pilæ fuit additura, dubitant Eruditi. Ultimum certè parùm probabile judicat *Dalechampius*, cùm obeliſcos ob religionem ſacros haberet Antiquitas. Hodie obeliſcus is confractus viſitur in Campi Martii cella vinaria, ex adverſo domus Chriſtophori Nardini. Vide Luc. Faunum, *c. 13. l.* 4. Pompon. Lætum *Antiqq.* Ligorium, Onuphriumque, *Delineat. Rom. Vet.* Alios: quibus adde præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 639; & de umbrarum per quoſvis menſes longitudinibus, Palladium *de RR.* De *Pilis* porrò *Sciothericis* Veter. infrà, in voce *Polus*, *alibique paſſim.*

PILA, apud *Lucretium*, de *Luna*, vide infrà *Polla*, ut & ſuprà *Globus*.

PILA, monetæ cujuſvis pars averſa, Gallic. *la Pile.* Occurrit vox in *veteri Charta*, apud Argentræum, *Hiſtor. Britann. l. 1. p.* 95, ubi de parvis denariis, qui tum currebant in Anglia, loquens, *in hac moneta alba duas herminas circa crucem, & in* pila *tres inſculptas fuiſſe* Ratio vocis, quòd in pleriſque monetis Francicis effictа eſſet templi ſpecies, columnis, quas vulgò *pilas* ac *pilaria* vocant, ſuſtentati, uti obſervat Car. du Freſne *Notis ad Joinvillam.* De cujuſmodi pilis vide ſuprà aliquid voce *Columna*. Moneo hic ſaltem, damnationes iis capitales ac proſcriptiones incidi olim ſolitas. C. Nepos, *Alcibiade*, *c.* 4. *Audivit--- Eumolpidas ſacerdotes à populo coactos, ut ſe devoverent, ejuſque devotionis, quò teſtatior eſſet memoria, exemplum, in pila lapidea inciſum eſſe poſitum in publico.* Unde ϛηλίτης, *infamiâ publicè notatus:* & ϛηλιτευθῆναι dicti, quorum *bona* erant *publicata*. Sed & mulctas irrogatas illis inſculpi conſueviſſe, ex Diodoro diſcas, ubi de Philomelo, Locrorum victore, *l.* 16. vide quoque infrà *Stelâ*. Pro taberna quoque ſumitur in verſu,

Ludum laudo pilæ, plus laudo pocula pilæ &c.

apud eundem Car. du Freſne, *Gloſſar.*

PILA Prima, apud Martialem, *l. 10. Epigr. 86. v.* 3.

Sed qui primus erat luſor, cùm floruit ætas,
Nunc poſtquam deſiit ludere, prima pila *eſt.*

Propriè eſt *pila* illa, quæ prima objicitur tauris iratis, quam cornibus diſcerpunt lacerantque. Idem, *l. 2. Epigr. 43. v. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

At me quæ paſſa eſt furiati cornua tauri,
Noluerit dici quàm pila prima *ſuam.*

Erant autem illæ imagines ſeu *pilæ*, quibus proritabantur ad pugnandum tauri, ex fœno ſeu fœneæ. Unde *fœnei homines*, apud Ciceronem, *in Cornel.* & *fœnei Imperatores*, apud Spartianum, *Peſcennio Nigro*, *c.* 12. Vide ſuprà voce *Fœnei*, ubi plura hanc in rem, it. *Pilæ*. Meminit earundem *pilarum*, idem Martialis *in Spectaculis*, *Epigr.* 19. *v.* 1.

Qui modò per totam, flammis ſtimulatus, arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas &c.

Ubi notat Commentator, pilas haſce, ad effigiem humanam, è pannis purpureis fœnô ſtramineve ſuffertis, quô colore tauros maximè efferari notum, fieri conſueviſſe. Vide Senecam, *l.* 3. *de Ira*, *c.* 30. Nec omittendum, in *veterib. Gloſſis*, iſtiuſmodi pilas *taurarias* vocari, & exponi Ταυροκαθάπτας, uti ſcribendum in illis Gloſſis, ait Salmaſ. Sed hac de voce vide infrà.

PILÆ Æoliæ, vide ſuprà *Æoliæ Pilæ*.

PILAMALLEUS, genus exercitationis haud ita pridem in Italia, in regno Neapolitano, inventum, unde in Europæ univerſas penè regiones tranſiit. In eo primò brachia & dorſum exercentur, quando *malleis* ligneis *Pilam* ligneam quàm longiſſimè expellere conantur: Dein ex ambulatione, quæ hoc exercitium perpetuò comitatur, ea ferè commoda hauriuntur, quæ ambulantes homines percipiunt, ut his rationibus, licèt antiquum non ſit, inter Gymnaſticas exercitationes minimè contemni mereatur. Quanquam aliquis Antiquos etiam hôc ludi genere non omnino caruiſſe forſitan contendat, cùm apud Avicennam, inter cœtera exercitamenta, unum nominetur, quod virgis retortis dictis *alſulegian*, cum pila magna, aut parva lignea efficiebatur, quas conditiones apprimè *Pilamalleo* convenire, nemo non videt. Interim à Trocho Veterum multum diverſum eſt. Vide Hier. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 9. *ſub finem.* Cœterùm, quòd ex magnis ſit ac vehementibus exercitationibus, facile eſt, & à labore, qui in ipſo ſuſtinetur, & ab ejus natura conjicere. A labore, quoniam ſudor, defatigatio, rubor faciei, ſpirationis magnitudo, ut plurimum in exercentibus oboriuntur; Ex natura verô ejus, quia cùm & deambulatio ferè continua ac reflexa, & brachiorum jactatio, dorſive totius obnixio quædam adhibeantur, indubitatam fidem faciunt, nequaquam abſque violentia, aut magnitudine hujuſcemodi exercitationem conſiſtere: & idcirco probabile ſit, ipſam calorem nativum augere, excrementa evacuare, ſomnos profundos generare, & concoquendis cibis, atque crudis humoribus multum conferre. At caput ab eadem repleri certum, quando Galenus id vitii magnis exercitationibus adſcribendum judicavit. Particulares ejus effectus quod attinet, videtur præcipuè brachia atque dorſum exercere, ſecundò crura: & propterea illis omnibus congruere, qui membra iſta confirmare ſtudent, quique multitudinem ciborum perbellè conficere, ſuccos utiles per univerſum corpus diſtribuere, & ſuperfluitatem, tam per ſudorem, quàm per ſecretam difflationem, exinanire contendunt. At valetudinariis ac debilibus, illis item quibus capita malè affecta ſunt, aut aliquô pactô imbecillia, minimè conducit. Etiam qui dorſô non admodum valent, quique renes calidos urinaſque acres habent, ex talibus motibus ſummoperè offenduntur, ſicut quoque exercitatio hæc nocet, ubi partes inferiores inflammationem aut tumorem aliquem pati ſolent, &c. Vide plura apud Eundem, *Op. eôd. l.* 6. *c.* 7.

PILANI, in exercitu Romano dicti ſunt, qui aliàs *Velites*, erantque militum natu minimi. Eorum arma gladius, parma, *Pila*; adornabantur prætereà & ſimplici caſſide, cui lupi pellis impoſita aut ejuſmodi aliquid, quod integumentum pariter inſigneque erat, ut in prælio ſuos quique Principes, ſtrenuè aut ignaviter ſe gerentes, latere non poſſent. Habebat autem Pili telum ligneum longitudinem plerumque bicubitalem, craſſitudinem digitalem; ſpiculum erat unius ſpithamæ ſive palmi majoris eò uſque attenuatum & acutum, ut mox primum poſt jactum neceſſariò flecteretur eſſetque ad remittendum inhabile. Polybius, *l.* 6. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 10. Livius quoque exactè hoc Romanorum militum proprium geſtamen deſcribit, de obſidione Sagunti loquens, *Dec.* 3. *l.* 1. & Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 5. Honorem caſtrenſem *Pili* nomine ſignificatum eſſe, docet, Plin. *l.* 22. *c.* 6. *Primum pilum capeſſens ſub Catulo*, h. e. *primam militiam.* Imò pro militia Romana uſurpavit Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 94. Unde Val. Flaccus, *Argonaut. l.* 6. *v.* 402.

Romanas veluti ſæviſſima cùm legiones
Tiſiphone, Regeſque movet, quorum agmina Pilis,
Atque aquilis utrinque micant.

Et more Romanô ad alios traductô, Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 110.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Pilaque ſævâ manu.

Virgilius quoque, *Æn. l.* 7. *v.* 664.

Pila *manu ſævoſque gerunt in bella dolones.*

Emiſſum id, ineundi certaminis ſignum fuit, ubi in acie diſpoſitus miles ſtetiſſet; quemadmodum indicendi belli occaſio rituſque ab haſta in hoſtium fines librata, deſumi ſolebat. Dionyſ. Halicarn. *locô cit. Ex pilis defixis ante tentoria, tela hæc ſunt Romanorum, quæ primô congreſſu ejaculantur, oblonga haſtilia, craſſamento, quod manum compleat, tripedaneis veruculis ferreis, utrinque in rectum præfixa, mediocribus jaculis, cum ferro ſuo paria. Ex his inquam* Pilis *circa ſumma verucula emicabant flammæ.* Sic Livius, *Dec.* 1. *l.* 9. *Vadunt in prælium urgentes Signiferos, & ne mora in concurſu* Pilis *emittendis ſtringendiſque inde gladiis foret*, Pila, *velut ſigno dato, abjiciunt, ſtrictiſque gladiis curſu in hoſtes feruntur.* Vide quoque Claudian. *in Ruffin. l.* 2. Lucanum, *Pharſal. l.* 2. *v.* 460. Plautum *in Curculione Sc. Argentariis.* Nec omittendum, lapſæ Reip. temporibus, idem fuiſſe *Pilum* ac *Spiculum*, ut teſtis eſt Fl. Ren. Vegetius, *l.* 2. *c.* 15. *Item bina miſſilia, unum majus, ferrô triangulô, unciarum novem, haſtili pedum quinque ac ſemis, quod* Pilum *vocabant, nunc* Spiculum *dicitur, ad cujus ictum præcipuè exercebantur milites.* Fortè & eâdem ſignificatione, *l.* 1. *c.* 20. *Ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt*, quæ reperiuntur ad verbum, apud Modeſtum, *lib. de vocabulis militar. ad Tacitum Aug.* &c. Redeo ad *Pilanos*, quorum meminit Ovidius, *Faſtor. l.* 3. *v.* 129.

——— ——— *Totidem* Pilanus *habebat.*

Hos, ſi cum Velitibus pro iiſdem ſumantur, ſequebantur Haſtati. Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 10. *c.* 10. Thom. Godwynus *Pilanos* interpretatur Triarios, iiſque *Pilum* attribuit, his motus rationibus. 1. Quia prima Triariorum centuria *Primum pilum* appellata ſit, ejuſque Centuria *Primipilus* ac *Primus centurio*: Secunda *ſecundum pilum*, cujus Centurio *Secundipilus* &c. 2. Quia Principes, qui Triarios præcedebant, *Antepilani* dicti legantur. Vide cum, *Anthol. Rom. l.* 4. *c.* 2. Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l.* 5. *c.* 15. Lipſium, *de Mil. Rom. l.* 2. *dial.* 1. &c.

PILARIUS Scarabæus, qui pedibus fimum ſubigit & in *pilas* cogit, quas & pedibus volutat, *βυλλαρὸς* Græcis. Soli apud Ægyptios ſacer, & propter hunc ſcarabæi omnes in Deos relati fuêre, Plin. *l.* 30. *c.* 11. Ideò autem id ab iis factum, quòd Solem velut imitans *pilam*, h. e. σφαιροειδὲς σχῆμα, ab oriente in occidentem aſſiduè volutet, vide *Orum Apollinem* & *Porphyrium*. Βυλλαρὸς autem hic ſcarabæus dictus eſt, à verbo βύλλειν, quod idem eſt ac νάσσειν, & fullonum proprium, quorum eſt *pedibus argutari* & *addenſare*: unde & *fullo* ſcarabæi genus quoddam apud Plinium, *albis guttis*, licèt alium à *pilario* faciat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 438. & ſuprà *Fullo*.

PILATA Cohors, apud Martialem, *l.* 10. *Epigr.* 48. *v.* 1.

Nunciat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Et pilata *redit, jamque ſubitque* cohors:

Gronovio eſt cohors Prætorianorum militum, *pilis* armatorum, quæ ad Palatium illô die excubias egerat: jamque redibat in caſtra prætoriana, alterô illius vices excipiente. Sed de Iſiacis Sacerdotibus hic ſermo eſt, qui primâ diei horâ Deæ ſuæ templum aperiebant (quod *Apertio* vocabatur) & eam ſalutabant (quod dicebant *Exercitationem* & *Salutationem*) Pòſt totum diem ſtipem emendicabant. Inde ad octavam redibant, & Deam componebant atque templum claudebant. Unde *Et pilata* nonnulli exponunt, *pilis*, gladiis, cultris armata. Sed Scriverius à Scaligero monitus, reſtituit, *Atque pilata*, i. e. *depilata*, vulſa, calva: Tales enim Iſiaci, apud eundem Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 29. Vide Salmuth *ad Pancirollum*, *c. de Byſſo*.

PILATI Acta, Epiphanio *Hær.* 50. obiter memorata aliiſque Veterib. Caſaubono, non ſunt ab ipſo *Pilato*, ſed ejus juſſu Hieroſolymis confecta. Veteres enim Romani diligentiâ ſingulari uſi ſunt, ut non ſolùm rerum omnium memorabilium, quæ in Urbe factæ eſſent, aut caſu eveniſſent, memoria extaret, quò ſpectabant Acta Senatus & Acta diurna Populi, quæ ſummâ curâ, ut doctis obſervatum, & conficiebantur Romæ & cuſtodiebantur: Sed & in provinciis, ab earum Præſidibus & Cæſarum Procuratoribus, ſi quid dignum memoratu contigiſſet, non ſolùm per literas moneretur, ſed & in Acta referretur, & ad Imperatores tranſmitteretur, cujuſmodi proin fuiſſe videntur *Pilati Acta*, de rebus Domini noſtri, confecta & ad Tiberium Imperatorem miſſa, non neceſſariò ab ipſo Præſide, ſed ejus juſſu ac ſollicitudine. Itaque Juſtinus, qui primus omnium hujus Hiſtoriæ, ut Caſaubonus vult, meminit in *Apolog.* 2. neque Epiſtolæ neque Actorum Pilati faciens mentionem, ſolùm meminit τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων Ἄκτων, *Actorum quæ facta ſunt ſub Pontio Pilato*, i. e. cùm Pontius Pilatus Judææ eſſet Procuratot. Et iterum, ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων Ἄκτων μαθεῖν δύνασθε, *poteſtis cognoſcere ex Actis, confectis ſub Pontio Pilato.* Sed & Pilatum ipſum de Chriſto ad Tiberium ſcripſiſſe, admodum vero ſimile eſt. Tertullian. namque, *Apologet. adv. Gentes*, *c.* 21. *Ea omnia*, ait, *ſuper Chriſto Pilatus & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit.* Et Euſebius, *Hiſtor. Eccleſ. l.* 2. *c.* 2. *Cùm admiranda Servatoris noſtri reſurrectio, ejuſdemque in cœlum aſcenſio, omnium penè ſermonibus jam pervulgata eſſet, quoniam vetus hæc erat conſuetudo provinciarum Rectoribus, ut, quidquid novi apud ipſos contigiſſet, Imperatori nuntiarent, ne quid ipſos lateret: Pilatus, de reſurrectione Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univerſam Palæſtinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejuſdem miracula ſe auditu accepiſſe ſignificans & qualiter ad vitam denuo revocatus à pleriſque Deus haberetur* Unde Tiberii de CHRISTO exiſtimatio, de qua Euſebius, *l. c.* nec non Tertullian. *Apologet. c.* 5. apud quem Tiberius *annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina Chriſtum, quod illic veritatem illius divinitatis revelârat, detuliſſe ad Senatum, cum prærogativa ſuffragii ſui*, legitur. An verò vel Epiſtola Pilati vel Acta evulgata fuerint ſic, ut in manibus hominum verſarentur, dubitat Caſaubonus veriuſque judicat, notitiam hujus rei perveniſſe ad Chriſtianos, per aliquem ex Cæſaris Miniſtris, qui ad Chriſtum converſus, quæ ipſe ſcrinia tractans Auguſtorum comperiſſet, fidelibus narraverit. Certè Euſebius, cùm hiſtoriam ſuam ſcribebat, neque epiſtolam neque Acta Pilati vidiſſe, neque aliud de ea re notâſſe, videtur, niſi quod apud Juſtinum legerat, & è Tertulliano cognoverat: aliàs ipſam Epiſtolam vel Acta, ut erat ſummæ Vir diligentiæ ac curioſitatis, in ſuos Commentarios proculdubio relaturus. Nec Cedrenus quidem aut Zonaras, qui tot ſeculis poſt Euſebium ſcripſerunt, ullam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ullam aliam ejus Hiſtoriæ cognitionem habuère, niſi quam ab Euſebio acceperant, cujus verba leviter immutata deſcribunt. Producebant quidem olim errori ſuo tuendo Acta Hæretici Teſſaresdecatitæ; ſed quæ nemo cordatus dubitavit eſſe falſa: unde de iis ſic Epiphanius: Ἀπὸ τῶν Ἄκτων δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦντες εὑρηκέναι τὴν ἀκρίβειαν, *Glorian*tes *ſe accuratam veritatem inveniſſe ex Actis Pilati, ſcilicet* &c. Vide Caſaubon. *Exercitat. XVI.* §. *ult.* Alii verò non dubitant, prodiiſſe quidem hæc Acta, ſed Quartodecimanorum ſeu Teſſaresdecatitarum modò dictorum atque Maximi Tyranni fraude corrupta, multum auctoritatis fideique deperdidiſſe. Vide Sulpicium Severum, *l.* 2. & Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 4. §. 5. plura vero hanc in rem apud Anton. van Dalen erudítiſſ. ejus *de Oraculis Diſſertat. I.*

PILATICIA, dicuntur Codino judiciaria capitum tegmina, ſeu tiaræ Judicum peculiares, olim apud Perſas uſitatæ, ad quos ritus à Medis fluxit. Ita enim is, *c.* 6. *num.* 46. *Cùm Perſarum gens parva eſſet, & vitam Paſtoritiam ageret Cyrus, relictis Perſarum moribus, utebatur ritu & conſuetudine Medorum, utpote gentis magnæ ac magnificæ. Horum verò Judices ferebant epilorica ſeu ſuperulas & in capite lineum tegmen*, Phaccolidem *appellatum. Ex quolibet phaceolio pendebat à ſiniſtra parte margellium, ſive fimbria ex margella, alteram auremejus, quigeſtabat, obtegens, Quâ ſignificabatur, aurem quidem retectam accuſatoribus dari; tectam verò autem accuſatis, ſed abſentibus, reſervari. Ex collo Judicum pendebant in ſericis filis margellia, cum fimbria. Longitudo erat ſpithamâ minor, latitudo unius palmæ. Quæ Rex Medorum ferebat, ſimiliter & Judices. Quemadmodum igitur olim exercituum Duces ferebant torques, qui erant honoris indices, ſic &* Pilaticia *honorem Judicum manifeſtabant.* Apud Anſelm. Solerium *de Pileo Sect.* 9.

Pontius PILATUS, Judææ procurator à Romanis conſtitutus, qui Chriſtum morti adjudicavit. Vide Matth. *c.* 26. & 27. & reliquos quoque Euangeliſtas confer. Tacitus, *Annal. l.* 15. *c.* 44. *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberiô imperitante, per procuratorem, Pontium Pilatum, ſuppliciô affectus erat.* Hic poſtmodum in Samaritanos crudeliſſimè ſæviit, omnibus fermè neci traditis. propterea à Vitellio, Syriæ præſide, apud quem ſuperſtites graviter conqueſti erant, Romam citatus eſt, ut coram Imperatore cauſam diceret. Sub Caligula dein in exilium pulſus, bienniô poſt, prope Viennam in Delphinatu, ſibi ipſi necem conſcivit. Vide porrò Euſeb. *in Chron.* Oroſ. *l.* 7. Caſſiodor. *in Chron.* Nicephor. *l.* 2. Baron. *in Annal.* A *Pilato*, mons quidam Lucernæ urbi Helveticæ imminens, nomen habet, aliàs *Mons fractus:* è quo tempeſtatum indicia certiſſima petunt Lucernates, Simler. *Comm. de Alpibus.* Geſnerus eum deſcripſit. In hoc laculus quoque eſt, *Pilati lacus* dictus, ſitus in loco paludoſo ſolitario, collibus, à quibus liqueſcentes nives defluunt, undique cincto, ac ſylvis circumdato, ne à quoquam irritetur. Vulgo enim perſuaſum eſt, toti regioni ex tempeſtatibus & inundatione periculum imminere, ſi quidquam de induſtria injiciatur. Sed ridet hæc Geſnerus *in deſcr. ejus p.* 52. Interim famæ auctoritatem conciliat vicinorum rigor, qui montem conſcendentibus ſolicitè injungunt, ne paludem turbent. Vadian. *in Pompon. Melam.* De eo Paulus Eremita, *Deſcr. Helvet. Mirum*, inquit, *quod de eo lacu vulgus nugatur, ſed nec fidem meretur, nec habet.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq. &c.*

PILAVIA, arx munita Pruſſiæ Ducalis ad tranſitum ex mari Baltico in Habum ſinum, & Köningsbergam, ubi portus commodus naves excipit; 7. milliar. ab hac in Occaſum ſub Electore Brandeburgico. Capta à Suecis A. C. 1626. ſed reddita.

PILEATI, ex Longobardis quidam, ſicut reliqui *Capillati*, dicti ſunt: illos Sacerdotes, hos ſeculares vocabant. Vide Jornand. *de rebus Goth. c.* 11. & ſuprà in voce *Capillati.* Adde locum illius: *Philoſophos habuêre* (Gothi) *quos Zarabos, Tereos,* & Pileatos *appellârunt, ex quibus Reges & Sacerdotes conſtituerunt:* interque hos *Zeutam, Diceneum, Zamolxen* nominat: plura apud B. Rhenanum, *Rer. German. l.* 1. & *Notis Cl.* Ottonis JCti ad verba, *Gotthi multis annis Romanorum provincias, Honorio Principe, vexaverunt, p.* 188.

PILEATI Fratres, apud Catullum, *Epigr.* 38. *v.* 1. 2.

Salax taberna, voſque contubernales,
A pileatis *nova* Fratribus *pila:*

Caſtor & Pollux ſunt, quibus *Pilea* Veteres affinxêre, Philo, περὶ ἀρετῶν. Hinc & Appulejus, *Mileſ.* 10. *Junonem quidem Caſtor & Pollux, quorum capita caſſides aratæ ſtellarum apicibus inſignes contegebant.* Cur iis attributa, docet Feſtus, *Pilea Caſtori & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerant, quibus* pileatis *pugnare mos eſt.* Dimidiati ovi formâ fuiſſe, patet ex Lycophrone *in Alexandra*,

Ὧν ὀστράκου στρόβιλος ἐστεμμένος
Κόρσην σκεπάσει, ῥῦμα φοινίου δορός.
Quorum rotundæ teſtulæ caſus tholus,
Munimen ictus hoſtici, caput teget.

Et quidem Caſtoris pileum ſtrophiô circumdatum erat, unde Tuſculani, quod in pulvinari imponebant, *Caſtoris ſtroppum* appellari ſoliti ſunt: ut docet Feſtus in *Stroppus.* Vide Meurſium, *Commentar. in Lycophron.* Apud Romanos, quibus aliàs *Pileus* erat nota ac teſſera libertatis, ſervis concedi ſolita, cùm libertate donarentur: Servi contumaces Solerio *Pileati* proſtabant venales, ut ex Cœlio Sabino prodit A. Gellius, *l.* 7. *c.* 4. ubi habet: *Pileatos ſervos, venum ſolitos ire, quorum nomine venditor nihil præſtaret, Cœlius Sabinus Juriſperitus ſcriptum reliquit: Cujus rei cauſam eſſe ait, quòd hujuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent, ut emptores errare ac capi non poſſent, neque lex vendundi opperienda eſſet.* Quod paulò pòſt illuſtrat exemplô priſci moris, quô *mancipia jure belli capta coronis induta venibant.* In quæ verba Anton. Thyſius JC. *Si hôc inſigni*, inquit, *venderentur ſervi, venditor vitium aut morbum non præſtabat; vel quia hôc ſignô liberali ingeniô, fide & animô ſine vitio eſſe credebantur; vel quia ſive boni, ſive mali eſſent, venditor ita vendebat emptoris periculô. Cœteri ſervi apertô capite venibant, & tantùm concedebatur pileus, cùm libertate donarentur.* Unde non contumaces ſolùm ſervos, quod Solerius *de Pileo* contendit, ut dictum, ſed & alios, ſub pileo venum expoſitos fuiſſe patet. Sed & *Pileati* ſervi dicti ſunt, qui Domini funus antecedebant; teſtamentô nempe ejus manumiſſi. Hinc Juſtinianus Imperator: *Qui Domini*, inquit, *funus* Pileati *antecedunt, ſi hoc ex voluntate fiat vel Teſtatoris, vel hæredis, fiant ilico cives Romani.* Et Dion. Halicarn. *l.* 8. *Equidem ſcio quoſdam: qui Teſtamentô omnes ſuos ſervos manumiſerunt, ut poſt mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales proſequerentur pileati.* Ad quem ritum reſpiciens Livius tradit, *l.* 30. *c.* 43. & 45. *Q. Terentium Culleonem, qui à Scipione ſervitiô erat exemptus, adeò amicum Corneliæ familiæ fuiſſe, ut* Pileatus, *ſicut in triumpho ierat, in funere quoque ante Lectum iverit Scipionis.* Sic Plutarchus, *Tito Flaminio triumphanti, civium Rom. duo millia affuiſſe Pileata*: Diodorus quoque *Pruſiam R. Legatis Rom. Pileatum occurriſſe*, refert; quorum hic ſimul album fuiſſe Pileum illum, quem ſervi accipiebant, docet. Nerone occiſô, totam plebem *Pileatam* diſcurriſſe, Suetonius, *c. ult.* ac *Victor* teſtes ſunt. Jornandi, *de Reb. Get. c.* 5. *Pileati* dicti ſunt apud Gothos potiſſimum, *qui inter eos generoſi extabant, ex quibus eis & Reges & Sacerdotes ordinabantur.* Idem, *c.* 11. *Elegit namque ex eis, tunc nobiliſſimos prudentiores viros, quos Theologiam inſtruens, Numina quædam & ſacella venerari ſuaſit, nomen illis* Pileatorum *contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos aliô nomine nuncupamus, litabant.* Adde Rodericum Toletanum, *de Rebus Hiſpan. l.* 1. *c.* 15. Gentis nomen facit Aur. Victor Schotti *in Trajano: Primus autem ſolus etiam vires Romanas trans Iſtrum propagavit, domitis in provincia Dacorum* Pileatis *Saciſque nationibus* &c. Πιλοφόρους vocat Xiphilinus è Dione; ut & Petrus Patricius *in Excerptis de Legat.* ubi de Dacis, *p.* 24. Δεκέβαλος πρὸς Τραϊανὸν πρέσβεις ἔπεμψε πιλοφόρους. οὗτοι γάρ εἰσι παρ' αὐτοῖς τιμιώτεροι, *Decebalus ad Trajanum Legatos miſit.* Pileatos: *hi enim apud illos honoratiores.* Atque eô quidem verbô uſus videtur Paulinus, *Carm. de Niceta Daciæ Epiſcopo*, ad deſignandos præcipuos è Getarum aut Dacorum horum gente;

Et Getæ currunt, & uterque Dacus
Qui colit terræ mediô, vel ille
Divites multô bove Pileatus
. . . . *Accola ripæ;* &c.

Gualterus Tervann. in *Vita* Caroli Comitis Flandr. C. S. Wilhelmum Nothum Angliæ Regem *Pileati* cognomentô donatum fuiſſe, ait: an quòd Normannici Duces à veterib. iſtis *Pileatis* Gothis genus ducerent, an quòd ille *pileô* caput operire ſoleret, incertum; Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque infrà *Piligeri.* Aliò ſenſu vox ſumitur, in proverb. Gallorum, *Pileatus natus eſt*: ibi enim membrana vel pellicula, quâ interdum pueri caput involuti naſcuntur, quamque *Pileum naturalem* vocant, intelligitur; quô operimentô nati felices fore creduntur, unde Gal. *Ils ſont nez coëffez.* De cujuſmodi pileo Æl. Lamprid. in *Diadumeno, c.* 4. *Solent pueri pileô inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt & advocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hôc juvari dicuntur.* Erat enim hoc unum è plurimis amuletorum ac phylacteriorum generibus, quæ olim, curioſarum Artium peritis uſurpata legimus. Cujus ſuperſtitionis mentionem fieri apud Balſamonem, in *Comment. ſuper Canones*, obſervavit Fridericus Lindenbrogius: & narrat is Auctor de Proto quodam è clero hiſtoriam, qui accuſatus, quòd his artibus eſſet deditus, poſteà deprehenſus eſt habere in ſinu pileum hujuſmodi, à muliere quadam acceptum, quæ hanc illi vim ineſſe affirmârat, ut omnium ora, qui adversùs geſtantem dicere parati eſſent, obturaret, vide Balſamonem *ad Can.* 61. *Concil. in Trull* Nec hodieque omnia ſuperſtitionis hujus abolita veſtigia, obſtetricibus non rarò pilea hæc rapientibus & ad maleficia ſervantibus vendentibuſque, Caſaubon. *ad Lamprid. l. c.* Hujuſmodi pilei Antoninus Diadumenus *diadema tenue* habuit, *ſed ita forte; ut rumpi non potuerit, viris inter ſe tendentibus, ſpecie nervi ſagittarii:* unde ei *Diademati* nomen, *Ibid.* Vide quoque infra.

PILENTUM, quaſi *benè pilatum*, vel *quia piloſis pellibus contegebatur.* Servio *ad illud Virgilii l.* 8. *Æn. v.* 666.

Pilentis *matres in mollibus:*

fuerunt *vehicula, ſicuti nunc Baſternas videmus. Erant autem tunc Veneti coloris, non, ut nunc ſunt, ruſſati, quibus niſi caſtæ Matronæ uti non poterant.* Recipiebant autem ſeſe ad Baſternas Matronæ, poſtquam Julia & Agrippina Augg. ut & Magiſtratus uſum carpenti ſibi vindicârunt. D. Hieronym. *ad Euſtoch. Præcedit caveas Baſternarum ordo ſemivirorum.* Earundem meminit antiquus Epigrammatographus *Collect. Pithœi* 1. *edit. Lugdun.*

Aurea Matronas claudit Baſterna pudicas,
Quæ radians patulum geſtat utrumque latus.
Hanc geminus portat duplici ſub robore Burdo,
Provehit & medicô pendula ſepta gradu.

Ubi *duplex robur* Baſternatum amites ſunt, ut vocat Palladius, *l.* 7. *tit.* 2. aſſeres videl. ſeu perticæ aucupalibus ſimiles, quarum *Feſtus* & idem Palladius, *tit.* 12. meminerunt. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Diſtinguitur certè à carpento, apud Æl. Lamprid. *in Heliogab. c.* 4. *Sed Semiamirica facta ſunt Senatuſconſulta ridicula, de legibus matronalibus, quæ quô veſtitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret: quæ pilentô, quæ equô ſagmariô, quæ aſinô veheretur, quæ carpentô mu-*

lari. Honoratius namque *pilentum* olim. Livius ad ann. Urb. Cond. 359. *l.* 5. *c.* 25. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis* habitum: *ut* pilentô *ad ſacra ludoſque, carpentis feſto profeſtoſque uterentur*. Treb. Pollio *in XXX. Tyrann.* de Zenobia *c.* 30. *Uſa vehiculô carpentariô, rarò* pilentô, *equô ſæpius*. Sed & vocabula hæc, & eorum uſus, variè mutârunt in Rep. ſæpeque ab Auctoribus confunduntur, Salmaſ. *ad loc.*

PILEOLUM, & *us*, capitis tegmen eſt arctè illud ambiens, ſine margine, ægrotantibus inprimis ac ſomnum capientibus in uſu. Fiebat plerumque è lana, & Lecticariorum quoque erat, quali uſum S. Bernardum, eôque in Hiſpaniam tranſmiſſô edita eſſe miracula, credi vult *liber vitæ ejus* 4. *c.* 4. Sed & Sacerdotum erat, unde notat Scortia, *l.* 3. *de Miſſa c.* 4. Gregorium XIII. ægrè diſpenſâſſe, cum Nicienſi Epiſcopo, ut, exceptô Sacrô Canone poſſet eſſe opertus *Pileolô*, reliqui ſacrificii tempore: Imò piorum olim fidelium in genere, quos ad recitationem Euangelii *Pileolum* deponere conſueviſſe, colligit Solerius ex Hildeberto, qui veniens ad ritum recitandi ſuper ſacrum Euangelii, *in Opere metr. de ſacrificio* Miſſæ ait,

Plebs baculos ponit, ſtat retegitque caput.

Pontifex Rom. *Pileolô* purpureô ordinariè utitur, quod *Camelaucum* vocant. Etymologo derivatum, παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *à prohibendo calore*. Hoc Bedæ dicitur eſſe *Pileus* in modum parvulæ caſſidis, extenſus ſupra ſummitatem capitis. Meminit ejus Anaſtaſius, *in Conſtantino Papa*, ubi magnificum ejus Conſtantinopolim ingreſſum deſcribens, *Pontifex*, ait, *& ejus Primates, cum ſellaribus Imperialibus, ſellis & frænis inauratis, ſimul & mappulis, ingreſſi ſunt Civitatem: Apoſtolicus Pontifex cum Camelauco, ut ſolitus eſt Romæ procedere.* Iiſdem tegminibus Imperatores quoque uſos fuiſſe, docet Conſtantinus Prophyrogenitus, *in Chorogr.* Rubrô Cardinales utuntur; quali Wilhelmum Scotorum Regem ab Innocentio III. donatum eſſe, narrat Hector Boëthus. Epiſcoporum viridis eſt galerus, hunc enim cum *Pileolo* non rarò confundi, notum. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo*, *paſſim*.

PILETUS Urſus puer delicatus Urſi, illuſtris inter Romanos viri, cui epicedium ſcripſit Papinius Statius, *l.* 2. *Sylv.* 6. Poſſedit hic Urſus prædia per totum Imperium Roman. ſparſa: qualis fingitur ille apud Petronium, *cujus familia poſſit Carthaginem capere*. Vide Caſp. Barthium *ad loc.*

PILEUS, vel *um*, Græcè ὁ πῖλος, τὸ πιλίον, ex πίλος, ex *pelle* hoſtiæ, unde fiebant, *Iſidor.* quòd ex *pilis*, *Voſſio* propriè capitis virilis tegmen, ſine margine, cùm Petaſi contrà marginati eſſent. Hos ex ovium pellibus denſos ac villoſos fuiſſe, innuit Athenæus, *Dipnoſ. l.* 5. Sed ut paulò accuratiores ſimus, *Pilei* hiſtoriam ab origine arceſſemus. Primo homini Innocentia pro *Pileo* fuit, quâ cùm ſe exuiſſet, Satanæ ſuaſu, præter alia calamitatum genera, caput habere cœpit injuriis variis obnoxium, unde *Pilei* genita neceſſitas. Et quidem Natura ipſa comam capiti, velut calanticam, circumpoſuit, ut ei non decori modò, ſed & tutamini eſſet hic *galerus naturalis*, ut eam vocat Chryſoſtom. *Hom.* 11. *ad pop.* Imò non rarò caput infantis ex utero prodeuntis *Pileô naturali*, ut vocant, ſeu pelliculâ quâdam obvolutum & quaſi galeatum, in lucem prodit; exemplô Diadumeni Imperatoris, qui hujuſmodi *Pileô* tectus in lucem eſt editus, indeque nomen adeptus, ut *in eo* ſcribit Lamprid. *c.* 4. Ferdin. item Davali, quem eôdem modô genitum eſſe, notat P. Jovius, *l.* 1. quod optimi ominis locô eſſe ſolet; & proin antiquâ ſuperſtitione Cauſidicis venditum fuiſſe, modò memoratus Lamprid. docet: *Solent deinde*, inquiens, *pueri Pileô inſigniri naturali, quod Obſtetrices rapiunt & Advocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hôc juvari dicuntur.* In ſinu autem gerebant Cauſidici id pilei, quod proin ἐγκόλπιον ἔνδυμα Balſamoni dicitur *ad can.* 61. Concilii Trullani. Vide Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ἐγκόλπιος & ſuprà *Pileati*. Sed & folia capiti inumbrando erant, vide ſuprà. Ars dein acceſſit: & primùm quidem inter Chriſtianos capitis tegmen, utrique commune ſexui, ſacrum fuit, velamen nempe impoſitum capiti infantis baptizati, quod Græci *Galeam* vocârunt: geſtatum à Neophytis per octiduum à Baptiſmo, ut colligitur ex Auguſtin. *Serm.* 160. *de tempor. c.* 2. Cujus adhuc meminit Ivo Carnutenſis, qui ſeculô 12. ineunte floruit: poſteà enim in deſuetudinem abiiſſe videtur. Provectioris ætatis, in utroque ſexu, diſtincta tegmina, & *Pilea Virorum*, *Mitræ fœminarum* fuêre, Servius *ad Æn. l.* 9. *v.* 616.

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Quam ob cauſam de fœminei capitis integumentis, ſuprà actum, in voce *Fœmina*. Viros quod attinet, Romani licèt *Pileum* libertatis haberent inſigne, ut plurimum tamen apertô capite inceſſerunt, ut ex nummis veteribuſque ſtatuis perſpicuum eſt: Hinc gratiſſimum Julio Cæſari fuit, jus Laureæ geſtandæ, ad calvitium occultandum; quâ non opus erat, ſi *Pilei* fuiſſent in uſu. In ſacris tamen, ludis, Saturnalibus, peregrinatione, militia, grandi luctu, damnatione, ægritudine, tempeſtatibus, ſenio, capita tegebant, ut Lipſius monſtrat *de Amphitheatro c.* 19. & 20. Sed laciniam Togæ capiti injiciendo, quô ſenſu accipiendum, cùm Conſule adventante, *equô deſilire*, *caputque aperire* moris fuiſſe, legimus. Quamvis & hæc contectio capitis Palliolô adhibitô quandoque facta eſt: Quemadmodum de Claudio ægro, *c.* 2. ſcribit Suetonius, *caput illum Palliolô texiſſe, cùm ludum Gladiatorium memoriæ Matris ederet.* Pileô tamen uſum Tarquinium conſtat, quòd cum ipſi de capite abreptum, & in caput repoſitum ab Aquila refert Dionyſ. Halicarn. *l.* 3. Neronem item, de quo Sueton. *c.* 26. *Poſt crepuſculum ſtatim arreptô* Pileô, *vel galerô*, *popinas inibat.* Interim præcipuus ejus in manumiſſionibus fuit uſus. Unde in morte Neronis, *plebem pileatam* per totam Urbem diſcurriſſe, Auctor eſt Sueton. *c.* 57. & eadem de re *Aur. Victor.* Omnis, inquit, Roma adeò interitu Neronis exultavit, ut plebs *induta* Pileis *manumiſſionum*, *tanquam ſævo Domino exemta*, *triumpharet*. Quidam galerô vel linteô caput obducebant: nonnullis *Pileus* Theſſalicus ſive Petaſus in uſu erat; Ita enim de Auguſto Sueton. *c.* 82. *Domi non niſi petaſatus ſub Dio ſpatiabatur.* In militia ex pellibus imponebant, quos *Pannonios* vocat Vegetius, *l.* 1. *c.* 20. ex pellibus nimirum ovium villoſis, ut ex *Athenæo* ſuprà dictum. Reliqui pilei è lana plerumque confiebant; aliàs è lacernis cæſis concinnabantur, ut pilei quadrati hodie variis in locis, quod ex *Papinio* & *Martiali* ſcribit Pierius, *l.* 40. *c. de Pileo*, Pleniùs verò Magius, *Miſcell. l.* 3. *c.* 7. &c. Græci, quamvis & ipſi nudis ut plurimum capitibus, tamen & ipſi aliquando iiſdem de cauſis, quibus Romani, *Pileos* ſumſêre. Quod quantumvis neget universè Polydorus *de Invent. rer. l.* 3. *c.* 18. affirmat tamen rectè Brodæus, *Miſcell. l.* 8. *c.* 17. Namque & Ulyſſem pileatum plerique exhibent, & Hippocratis imago pileata viſitur: Caſtores item ſolitos fuiſſe pingi cum pileis, ſuprà diximus, in voce *Pileati*: Nec ullum latent *Pilei* Theſſalici, & Macedonici & Athenienſium Crobyli. Tiaræ paſſim tegebant Perſarum capita, quare Cimonem navibus aliquot Perſicis interceptis, *tiaris* impoſitis, hoſtem fefelliſſe, refert Diod. Siculus, *l.* 11. Parthi ex uſu patrio proceſſêre *pileati*, unde epitheton hoc illis tribuit Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 72. *v.* 5. & in nummis, quos *Goltzius* exhibet, Romano Imperatori ob recepta ab hac gente ſigna, ſupplex Parthia, *Pileum* demiſſè porrigit. Inter Scythas, ſolos honoratos *Pilei* uſum habuiſſe, docet Lucian. *de Scyth.* & Dionyſ. Trajanus, ubi de Decebalo. Garamantis *Pileus* fuit ex dimidio ovo ſtruthionis, in æquas partes diſſiſſo, Lucian. *in Dipſade*: quâ formâ viſitur *Pileus*, in nummo Gordiani Imperatoris apud Pierium, *loc. cit.* Æthiopum petaſus tam latè patuit, ut decem hominibus inumbrandis par eſſet, Nic. Codinus, *de rebus Abaſſinor. c.* 12. Sinenſium *Pileos* deſcribit Trigaultius *de Sinica expedit. l.* 1. *c.* 7. & 8. Moſcorum nobilium Sigiſm. Herberſtenius, cùm ait: *Veſtes habent oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, quâ pœnulas Barbaricas confectas videmus, ſolidoſque ex officina geſtant.* Turcæ ſuum *Turbantem* vocant, quô & Perſæ hodierni, & Tartari, ſed diverſi coloris utuntur, vide *infrà*: ut alias Gentes ſiccô præteream pede. Et hic vulgaris caput integendi mos fuit: At Imperatores Romani in bello, & ubi operiri capita mos erat, *Pileis* Laconicis tecti erant, quos deſcribit Syneſius, *Orat. de Regno*, ubi & Carinum Imperatorem laneo *Pileô* ornatum introducit. Conſtantinopolitani Imperatores in uſu communi *Pileum* adhibebant, Codinus *de Offic. Conſtantinop. c.* 6. *num.* 18. quem in ſolemnitatibus mutabant Crinoniâ, ac Tetraphyllô; aliis item, de quibus idem, *c.* 6. *num.* 36. Perſarum Reges Tiaram gerebant rectum, diademate cumulatum, Xenoph. *Cyri Pæd. l.* 8. Dio Pruſæus, *Orat.* 14. Nudum Diadema capita cinxit, Tyrrheni Regis apud Virgilium, *Æn. l.* 11. Syphacis apud Sil. *l.* 16. Julii, apud Sueton. *in eo*, *c.* 79. Sed & Candys, ac Cidaris Perſicis Regibus in uſu fuêre: quod poſterius Regibus quoque Armeniorum ac Ponti, Plut. *in Pompeio*; Ægypti quoque atque Æthiopiæ fuit uſitatum. Diod. Siculus, *l.* 4. Ruſſorum Autocrator, vulgò *M. Moſcoviæ Dux*, Pileô *Schapka* dictô inſignis eſt, quem *gemmis ornatum, aureis item laminis, quaſi quibuſdam ſpirulis ſubinde ſe vibrantibus, mirè concinnatum eſſe*, tradit Sigiſm. Baro *de rebus Moſcovit.* &c. Fuêre & peculiares *Pilei*, Magnatibus Proceribuſque Imperiorum ac Regnorum primariis. In Imperio Conſtantinopol. Andronico, cùm creatus eſſet Imperator, detractum eſſe pullum & acutum *Pileum*, quô anteà utebatur, & rubram mitram capiti fuiſſe impoſitam Nicephorus auctor eſt, *l. de Alexii Comneni imperio num.* 18. Biretum acuminatum, Proceribus ætate provectioribus ſericô tectis, in uſu fuiſſe: adoleſcentibus capite nudô agentibus, refert Nic. Gregoras, *l.* 11. *in fine*; qui Andronicum Palæologum omnibus conceſſiſſe *Pileos*, prout cuique liberet, Latinos, Myſios, Triballicos, Syrios, Phœnicios, narrat *ibid.* Vide quoque Codinum *de Offic. Eccleſ. & Aula Conſtantinopol. præſertim c.* 3. & 4. *ubi de tegminibus Capitis Magnatum Aulicorumque diſtinctè ac prolixè agit.* De Judicum *Pilaticiis* dictum *ſuprà*. Apud Sinas, peculiarem Magiſtratibus omnibus *Pileum* ſic deſcribit Nicol. Trigaultius, *Expedit Sin. l.* 1. *c.* 6. *Omnes Magiſtratus, ſive Philoſophici, ſive Militares, infimi juxtà ac ſummi, eôdem Pileô inſigniuntur; Is eſt è velo nigro & utrinque duas velut alas habet; ferè ſupra aures, ovatæ figuræ; quæ ita adhærent Pileo, ut tamen facilè excidant. Hôc ajunt modô ſe ad modeſtè rectèque incedendum cogi; & à capite leviter inflectendo prohiberi*, &c. Et quia perantiqui moris eſt, ut Doctoribus certus quidam habitus ſit: Hinc Pallium Philoſophicum Athenis celebre, Photius *Cod.* 80. Corona item, quæ ab Initiatore Myſta ſolebat imponi: Ariſtoph. *in Nubibus*, Philoſtratus, *de Vita Sophiſt. l.* 2. Lucian. *in Eunucho* &c. Doctoralis inprimis *Pilei*, ſeu *Bireti*, ut vocat Bertachinus, conceſſio inſignis, quem hic ſignum ait eſſe victoriæ ac gratiæ, nec non Sacerdotii & ſuperioritatis; additô in vertice haſpô ſeu floccô, pro Doctorum varietate, coloris diverſi. Theologorum enim *Pileus* nigri, ut indigitetur, Mundo illos mortuos: Juriſperitorum rubri, eò quod adſint Principibus ac Regibus terræ: Medicorum verò ac Philoſophorum violacei aut cœrulei, apud Germanos, coloris eſt, ut moneantur oculos ſuos non declinare in terram, ut docent Middendorpius *de Academiis*, *l.* 1. & Maxim. Sandæus *in Theolog. Juridic. Comm.* 50. Apud Italos verò, Doctoralis *Pilei* color ſemper niger eſt: floccum tamen pro variis variant; quem porro hortenſi mutaviſſe Genevenſes, docet *in Calvini vita*, Laingæus, *c.* 7. Origo hujus *Pilei* non incommodè ab oleaſtro Olympionicarum arceſſitur. Vide Hadr. Junium, *Animadv. l.* 5. *c.* 2. Forma non eadem apud omnes. Rotundum ſuô tempore fuiſſe, notat Petrarcha, *de Remed. l.* 1. *dial.* 12. non ſignata tamen natione. Apud ſuos Cadomenſes eâdem figurâ eſſe, ſcribit Petrus Lenaudiere, *tr. de Privilegiis Doctor. part.* 1. *quæſt.* 3. videturque eandem formam innuere Signorellus de Homodeis *Conſilio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtilo. 23. n. 7. cùm Doctoris *Pileum* vocat *Diadema*, quod figuræ ſemicircularis fuit & rotunditatem ſapuit. Forma quadrata non paucis in locis eminet: Italis olim uſitata, teſte Pancirollô, *Var. lect. Juris*, *l.* 1. *c.* 23. & Sinenſibus etiamnum, ut docet Trigaultius, *Expedit. Sin. l.* 1. *c.* 18. cujuſmodi *Pilei* iconem exhibet Kircherus in *Chinæ illuſt.* &c. De *Pileis* ſeu tegminibus capitis, quibus in ſacris Ethnici, Hebræi, Chriſtiani uſi, ut quædam ſubjiciam: Obſervat Sueton. *l. de gen. veſtim.* apud Romanos, triplex fuiſſe Sacerdotum ac ſacrorum hominum proprium *Pileorum* genus, *Apicem*, *Tutulum*, *Galerum*. In ſpecie Flaminibus Dialibus *Albogalerus* uſui fuit. De *Phrygio* vide ſuprà. Summus Sacerdos Syriæ Deæ, qui ſolus purpuratus erat, aureô Tiarâ uſus proditur, à Luciano, *l. de Dea Syria*. Sacerdotes Perſarum, quoties ſacrificabant, geſtare fuiſſe ſolitos Tiaras, & utrinque filtraceas Infulas dependentes, refert Strabo, *l.* 15. Apud Hebræos *Pileum* Sacerdotalem, quem tamen Pontificibus quoque communem ſtatuit, ſalvis appendicibus, ſoli Pontifici propriis) ſic deſcribit Hieron. *Ep. ad Fabiolam*, *Quartum genus eſt veſtimenti rotundum Pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite; hoc Græci & noſtri* Τιάραν, *nonnulli* Galerum *vocant*, Hebræi *Miznepſeth*. *Non habet acumen in ſummo, non totum uſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vittâ conſtrictum eſt, ut non facilè labatur ex capite. Eſt autem byſſinum & ſic fabrè opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia appareant.* Vide quoque Joſeph. *Antiqq. l.* 3. *c.* 8. & Riberam, in *Zach.* 3. *n.* 14. De Cidari Pontificia, idem Joſephus *ibid.* inquit, *Pileô, quali cæteri Sacerdotes, utebatur; ſuper quem extabat alius conſutilis, ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos* Daccharus; *apud Græcos* Hyoſcyamus *appellatur*, (quam poſtquam prolixè deſcripſit, addit) *Ejuſmodi corona, ab occipitio, circum tempora utraque procedebat: Nam frontem iſti calyculi non ambiebant; Sed ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.* Cujuſmodi *Pilei* icon, ex *Villalpando* repræſentatur, apud *Solerium*. Itaque Joſephus coronulas ſoli Pontificiæ Cidari tribuit; Lyranus tamen, *in Exod. c.* 39. eas in Sacerdotali quoque agnoſcit, non aureas tamen, ſed byſſinas, quod probare conatur, *ex v.* 25. Vide ipſum *caput*. Apud Chriſtianos quoque, iis qui ſacra tractant, *Pileus* peculiaris; inprimis in Communione Romana, ubi eminet Pontifex Coronâ aureâ triplici ſuper Mitram: uſuarium capitis tegmen *Camelaucum*: Cardinalibus *Pileus* & Galerus ruber conceſſus eſt, quorum ille, in quo crux ſupernè extat, non minùs ac in Pileo Clericorum, id habet privilegii; ut ſi alicui reo, dum ad ſupplicium deducitur, ſuper caput ab obvio Cardinali imponatur, liber dimiſſus ſupplicium effugiat: Epiſcoporum peculiare capitis tegmen eſt, viridis Galerus ac Mitra bicornis. Reliquo Clero communis eſt *Pileus*, quem etiam Epiſcopi extra ſolemnitates uſurpant: Alicubi tamen non Clerus univerſus, ſed ſoli Sacerdotes, aut qui in Clero eminent, jam inſigniti ſacrô ordine, *Pileô* utuntur. Sic in Eccleſia Metropolitana Lugdunenſi, nulli conceditur uſus *Pilei*, præterquam è prima nobilitate Canonicis (*Comites* paſſim audiunt) qui jam Subdiaconatu ſunt initiati: cui affine, quòd apud Gothos olim ſoli Sacerdotes, omnibus Laicis excluſis, pileati fuêre, ut docet Jornandes *de Rebus Goth. num.* 35. Nec forma *Pilei* Clericalis ubique eadem eſt: Apud Moſcos, & in oris Septentrionalibus, oblongos *Pileos* Clerici geſtant, ex caſtorum pilis, colore griſeô, Sigiſm. Baro Herberſtenius, ubi *ſuprà*. Alicubi rotundi ſunt, Barboſa *allegat.* 9. Alibi paſſim forma quadrata in uſu eſt, quam à Regibus Perſarum Armeniorum ac Medorum, ad Chriſtianos Clericos, derivatam eſſe, affirmat Pancirollus, *Var. Lect. Juris l.* 1. *c.* 21. Monaſticis cœtibus permultis commune tegmen *Cucullus* eſt ſeu *Cuculla*, quæ duo tamen diſtinguit Auctor, *Vita S. Deicoli c.* 2. Apud Abaſſinos etiam ſolius Cuculli geſtatione Monachos internoſci, Codinus refert, *l.* 1. *c.* 34. E' lino confici ſolitum, habet Hieronym. *ad Heliod.* è lana, Sozom. *l.* 3. *c.* 13. Forma κωνοειδὴς eſt, unde *capitis tegmen acuminatum* dicitur Nicephoro, *l.* 9. *c.* 14. &c. Ne mortui planè prætereantur, verbô indigitandum, capita eorum *Sudariô* fuiſſe obvelata, ut ex Hiſtor. Euangelica Joh. *c.* 11. *v.* 44. & *c.* 20. *v.* 7. patet. Sanctorum imagines paſſim exhibentur capitibus umbellâ radiante opertis & velut ſcutô fulgente contectis: Quod Joſ. Scaliger *in Catalecta Virgilii*, *p.* 475. approbante Henr. Salmuthô, *in Notis ad Pancirolli vet. deperdita, c. de fibula*, contendit aliud non eſſe, quàm πηνίσκον, ſive umbellam lunatam, capitibus ſtatuarum impoſitam apud Ethnicos, ne avium ſtercoribus inquinarentur; quod damnum ſibi à corvis imprecabatur Horatianus Priapus. Et favet ſententiæ Ariſtophanis, *in Avibus* locus, ubi Scholiaſtes ita expreſſit hanc vocem. Lazius tamen, *Comm. Reip. Rom. l.* 9. *c.* 19. appoſuiſſe ait Ethnicos ſtatuarum capitibus iſtiuſmodi circulum, ſpecie dimidiæ Sphæræ, tanquam coronam: *formatam* aliquando *in ſpeciem Solis*, quam in Maximiani Cæſ. ſtatua Antiochiæ obſervavit Marcellin. *l.* 25. *ſub fin.* Videturque huc alludere Vellejus Paterculus, cùm de Octavio Cæſ. ſcribit, *l.* 2. *c.* 59. *Cui adventanti Romam, immanis Amicorum occurrit frequentia. Et cùm intraret Urbem, Solis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter circumdatuſque in colorem arcus, velut coronam tanti mox Viri capiti imponens, conſpectus eſt.* Hinc itaque ritum in Roman. communion. uſitatum arceſſens, adjicit Lazius: *Quamobrem in hodiernum diem Sanctorum imagines cum tali ſemicirculo & pinguntur & ſculpuntur.* Hoc pictos deceat Sanctos, at verorum, qui in cœlis triumphant, *Pileus* gloria eſt. Plura de his. Vide hîc paſſim, ubi de *Circulis Sanctor.* voce Nimbus, alibique; ſeu inprimis apud Anſelm. Solerium, *tract. de Pileo*, *ubi etiam ex ære lectori exhibet varia Pileorum*, *de quibus diximus*, *genera*. A' *Pileo* Proverb. *ad Pileum vocare* celebre eſt, quod ut eô meliùs intelligatur, de *Pilei* apud Romanos præcipuo uſu; vel ut ſuperpondii locô, quædam ſuperaddam. *Pileum* priſcis inſigne fuiſſe ſpectatæ virtutis, ut inde mox fluxerit Magiſtros Doctoreſque *Pileô* exornandi, monet Eraſmus *in Chiliad.* Eundem notam fuiſſe ſuperioritatis ac poteſtatis; victoriæ item &c. alii docent: Sed inprimis ſymbolum libertatis fuiſſe, vulgatiſſimum eſt, & fusè comprobatum à Bodino, *de Republ. l.* 1. *c.* 5. ac Pancirollo, *Var. Lect. Juris, l.* 2. *c.* 220. Hinc quoties libertatis expreſſio vel profeſſio facienda erat, *Pileum* adhibitum legimus. Sic Henricus II. Galliæ Rex publicô ſcriptô, quô rationem reddebat initi abs ſe fœderis contra Carolum V. cum Mauritio Saxone aliiſque Proteſtantibus Germaniæ Principibus, præſcripſit in fronte *Pileum* inter duos pugiones, teſte Spondanô, *in Annal. Gall. ad A. C.* 1552. *num.* 6. ſignificans, hôc fœdere Germaniæ libertatem quæri. Quod imitatione Veterum factum: Namque & Brutus, Tyrannidis excuſſor, in veterib. nummis *Pileum* manu præfert, atque in variis Cæſarum nummis, Mulier cum *Pileo*, emblema libertatis eſt, Pancirollus, *Var. lect. Jur. l.* 1. *c.* 17. & Pierius, *l.* 40. *c. de Pileo*. Cujus rei cauſa, quòd nobilitatis ac poteſtatis ſignum *Pileus* haberetur, Libertas autem poteſtate definitur. Sunt etiam, qui ad Noachum auctorem id referant: ab eo quippe ſub Jani nomine, apud Latium regnante, Latinos ajunt *Pileô* poſt diluvium donatos, in ſymbolum libertatis à tot malis, ut ſcribit Maxim. Sandæus, *Theol. Jurid. Comm.* 50. Itaque *vocare ſervos ad Pileum*, ut loquitur Seneca, *Ep.* 47. Liv. *l.* 34. Sueton. *c.* 4. *in Tiberio*, aliique, eſt vocare eos ad libertatem. Quam antequam mancipia acciperent, radebantur. Ita apud Plaut. *in Amphitr. Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 306. *Soſia*, *Ut ego hodie raſô capite calvus capiam pileum.* Plut. T. *Q. Flaminio*, Καθάπερ ἔθος ἐϛὶ τοῖς οἰκέταις ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλὰς καὶ πιλία φορεῖν, *Sicut mos eſt ſervis, quando in libertatem aſſeruntur, radere capita & pilea geſtare.* Hinc Pruſiam Regem, ut ſe Romanorum profiteretur libertum, Legatis eorum raſô capite ac Pileatum occurriſſe, diximus ſuprà. Cur verò raderentur, oſtendit Nonius, *Qui*, inquiens, *liberi fiebant, eâ causâ calvi erant, quòd tempeſtatem ſervitutis videbantur effugere, ut naufragiô liberati ſolent.* Qui enim è naufragio emerſerant, radi conſueviſſe, docet Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 81.

——— *Gaudent ibi vertice raſô.*
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Vide quoque Lucian. *in Hermotimo* & Artemidorum, *l.* 1. *c.* 23. Sic ergo raſis imponebatur *Pileus*; quem in Feroniæ, Libertorum Deæ, templo accipiebant, album fuiſſe *Diodorus* ſcribit, ubi de Pruſia ei ſermo. Vide Servium *ad Æn. l.* 8. nec non ſuprà de *Inveſtitura*. In ſpecie tandem, inter Gladiatorum præmia, *Pileus* quoque fuit: Qui enim ſemel victores, non tamen à ludo immunes fiebant, Palmam; qui ad tempus vacationem impetrabant, Miſſionem; qui planè à cruentis his ſpectaculis vacare jubebantur, Rudem: qui tandem immunitate hâc, unà cum libertate ac jure civitatis Romanæ donabantur, *Pileum* accipiebant. Tertullian. *de Spectaculis c.* 21. *Qui inſigniori cuique homicida leonem poſcit, idem Gladiatori atroci petat rudem &* Pileum *præmium conferat*, Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 10. ut & hanc in rem plura, ſuprà voce *Caput*, &c.

Varia apud varios Pileorum genera.

α. Abacot, vide ſuprà in hac voce. β. Albogalerus, Flaminibus Dialibus in uſu erat, ex pelle hoſtiæ albæ Jovi cæſæ confieri ſolitus, teſte Feſtô ac A. Gelliô, *l.* 10. *c.* 15. Cujus icon ex Phil. Rubenii *Electorum l.* 2. *c.* 25. exhibetur apud Solerium. γ. Apex, Sacerdotum inſigne apud veteres Romanos, duplex fuit, Flaminum alter; alter Pontificum, imò aliorum item Sacerdotum. Sutilis erat ex pellibus ovillis, *Iſidor.* δ. Apiculum, filum quô Flamines velatum apicem gerebant, *Feſt. Servio* verò, quô Flamines velatum gerebant caput; æſtivô nempe tempore, cùm pileum ferre non poſſent. ε. Bardocucullus, cucullus fuit craſſus & rupicibus ac petronibus accommodatus; qui non tantùm caput tegebat, ſed & pænulæ attexebatur, corpus ulterius tegenti. Martialis, *Epigr.* 93. l. 1. ζ. Biretum Doctorum, ſuprà deſcriptum: Tartarorum viride eſt, capiti æquale, rotundum, quod pretioſæ pellis faſcia ambit. Martinius, *de bello Tartar.* Dictum vulgò *Turbant*. η. Camelaucum, uſuarium Pontificis Romani capitis tegmen, de quo ſuprà in *Pileolum*. A' Monialibus quoque uſurpatum legitur apud *S. Ephremum*. θ. Candys, *Pileus* Regum Perſicorum pellitus, Pollux, *l.* 7. *c.* 13. ι. Caputium, vide *Cuculla*. κ. Cauſia, Macedonum *Pileus*, Poll. *l.* 10. *c.* 36. πιλίδιον Demoſtheni *Orat. de Legat. malè obita*. Huic Diadema Reges imponebant, Plut. *in Demetrio*. λ. Chaſdium, Græcè χάσδιον ſeu χασίδιον, pileus ultra capitis peripheriam nihil in ſublime efferens: qualis καταῖτυξ in militia Homerica, *Il.* κ. Ei φαλόκωλον opponitur. Vide Meurſium in hac voce, & Suicerum in Χάσδιον. μ. Cidaris, idem quod Diadema, Budæo *in Pandectas* & Pancirollo, *Var. l.* 1. *c.* 9. Genus erat *Pilei* è pilis contexti, Poll. ubi *ſuprà*. De Cidari Summi Sacerdotis Hebræorum dictum. ν. Clericalis *Pileus*, ſuprà deſcriptus eſt; modò trium, modò 4. coſtarum, exhibetur, apud Solerium, *ſect.* 14. ξ. Cornutus *Pileus* fuit Sacerdotum Ethnicorum, Silius, *l.* 15, cornuta Bacchi mitra: hodieque mitra Epiſcopalis bicornis eſt. ο. Crinonia, pileus Imperatorum Græcorum in ſolemnitatibus, cui à ſpecie lilii nomen, *Codinus*. π. Crobylus, Athenienſium *Pileus*, cauſiæ ac tiaræ non abſimilis. Apud Thucyd. *l.* 1. & Lucian. *in Navig.* ſonat plexum crinium, deſinentem in acumen. Apud Aſterium, *Homil. in Feſtum Cal.* pro fœminei capitis tegmine accipitur. ρ. Cuculla ſeu Cucullus, *Pileus* Monachalis eſt acuminatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& κωνοειδὴς: quô etiam Moniales uſas fuiſſe S. Athanaſius docet *de Virgin.* hodieque inter Moſchos id obtinere, narrat Sigiſmundus Baro. Propriè autem tegmen fuit capitis infantilis, ut Solerius docet, cuſa, vide ibi it. *Cuphia* σ. Cyrbaſia, Græcè Κυρβασία, faſtigatus in coni formam *Pileus*, ſeu Apex Saliorum, Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. aliàs *Pileus Epiroticus* ſeu *Albanus*. Vide paulo ſuprà in *Apex*. τ. Diadema, erat textile aureum, cum lapillis & margaritis, poſitum ad Imperatoris frontem, & pone revinctum, cerebrum verſùs, Curopalates *de officiis Aulæ Conſtantinop.* Multiplicabatur id pro numero regnorum, Herodian. *l.* 6. υ. Ducalis *Pileus*, vide ſuprà. φ. Galerus, vide ſuprà *in hac voce*. χ. Incantati *Pilei* Sereniani Ducis, Imperium affectantis, meminit Ammian. *l.* 4. ψ. Juſtinianæi, *Pileorum* genus erant, Imperatorib. Conſtantinopolitanis uſurpari ſolitum: à Juſtiniano, qui primus iis uſus, vide Codinum *in Supplem.* ω. Laconici *Pilei*, quibus Imperatores Romani in bello uſi, deſcribuntur à Syneſio, *Orat. de regno*. αα. Mitra, vide ſuprà *ſuô locô*. ββ. Oblongus ex caſtorum pilis *Pileus*, Sacerdotum in Moſcovia, deſcribitur à Sigiſm. Barone. γγ. Ex Ovo dimidio ſtruthionis Garamantæ *Pileum* ſibi adaptârunt olim, ut ſuprà diximus. δδ. Pannonii *Pilei* ex pellibus, à militibus Romanis adhibiti ſunt, Vegetius, *l.* 1. *c.* 20. de *Pileis* è pelle canina, ignaviæ ſymbolo dictum ſuprà in *Canina effigies*. εε. Petaſus, vide ſuprà *in hac voce*. ζζ. Phaceolium, Græcis recentioribus, quaſi *faſcia complicata*, vocatur Turcarum Turbans. ηη. Phrygium, item Phrygius amictus, vide ſuprà *ſuô locô*. θθ. Quadratos *Pileos*, à Regibus Perſarum, Armeniorum ac Medorum, ad Clericos Chriſtianos, Doctores item, deveniſſe, affirmat *Pancirollus*. ιι. Schapka, *Pileus* M. Moſcoviæ Ducis. Vide *ſuprà*. κκ. Stemma, idem quod Diadema, Curopalates, *de Officiis Aulæ Conſtantinopol.* λλ. Stroppus, Caſtoris *pileus* ſtrophiô circumdatus, vide ſuprà in voce *Pileati*. μμ. Tetraphyllum, ex *Pileis* fuit, quibus Imperatores Conſtantinopolitani, in ſolemnitatibus, ſunt uſi: A' *quatuor foliis* dictum, Gretſerus in Codinum, *l.* 3. *Comm. c.* 1. §. 88. νν. Tiara, vide infrà *ſuô locô*. ξξ. Tropæuchia, ex tegminibus Imperatorii capitis, in Imperio Conſtantinop. à *tropæo*, nomen adepta ſunt. οο. Tupha, Tiaras rectus, Regibus Perſicis peculiaris, ob *typhum*, quem ingenerat, ſic dictus, Zonaras in *Baſilio Imp.* ππ. Turbans, an à *Corybantibus* Græcorum, *Pileus* eſt, Turcarum, albô: Tartarorum, viridi: Perſarum, rubrô colore inſignis. Satis accedit ad Tiaram vulgarem Perſicum, & pluribus deſcribetur infrà, *ſuô locô*. ρρ. Tutulus, *Pileus* lanatus, metæ figurâ, à Sacerdote ſacrificante, apud Romanos, ex Numæ inſtituto adhibitus. Fulgentius *de vocibus antiqq.* Vide quoque infrà, *ſuô locô*. σσ. Tutupia, itidem infrà, ττ. Umbella, ſimiliter: in qua voce Imperatoris & Procerum Conſtantinopol. capitis tegmina ad infimos uſque recenſentur.

PILEUS, inſigne domus, in urbe Siciliæ Catana, cujus inhabitatores *hominum peſſimi*, dicuntur Taiſnierio apud Thom. Fazellum, *de Rebus Sic. l.* 1. *c.* 1. *Tritum*, *inquit*, *Taiſnierius in Chiromantia ſua, eſt proverbium, inter totius orbis homines Inſulares eſſe peſſimos: inter Inſulares, Siculos: inter Siculos Catanæos: Catanæ in larga platea peſſimos eſſe cives: inter illius plateæ habitatores, eſſe peſſimos eos, qui domum quandam, quæ* Pilei *gerit inſigne, inhabitant.*

PILEUS Modicenſis, dictus à loco natali, in territorio Mediolanenſi, JCtus celebris, ſcripſit A. C. 1200. *de Origine judiciorum*: quod opus correxit & auxit Juſtinus Goblerus, Baſileæ impreſſum Alia quoque eidem attribuuntur. Trithem. *in Catal.* Geſner. *in Biblioth.*

PILEUS Supportationis, Anglic. *Cap. of Maintenance.* Julius Papa hujuſmodi *Pileum* cum gladio miſit Henrico VIII. Angliæ Regi, A. C. 1514. *Pilei Regii* mentio fit in prima coronatione Richardi I. apud Hovedenum, *l.* 43. cùm ait: Deinde venerunt Godofredus de Luci portans *Pileum Regium* & Johannes Mareſcallus juxta eum, portans duo calcaria aurea, magna ponderoſa, Spelmannus *Gloſſar.*

PILGRINUS, Bethavenſis & Laureacenſis Epiſcopus juſſu Geiſæ, Hungariæ Regis Ugros convertit, A. C. 966. Aventinus, *l.* 5.

PILICREPI, inter Gymnaſiorum Miniſtros, dicebantur, qui ſphæris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur. Quidquid alii dicant, qui per *Pilicrepos* luſores pilæ, utpote obſtrepentes ſpectantium auribus, intelligendos putant, malè Martialis & Statii loca interpretantes. Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnaſtica*, *l.* 1. *c.* 12. Præter illos *Alipili* erant, qui, ut refert Seneca, *Ep.* 56. ad vellendos, ab aliquibus corporis partibus & præſertim alis, pilos adhibebantur: niſi velimus, ut docti quidam Viri cenſuerunt, *Pedicrepos* & *Alipedos* apud eum legere, quaſi in Gymnaſiis eſſent, qui à pediculis homines purgarent, & inter occidendum magnâ voce ſingulos enumerarent: quod tamen Mercurialis *dictô locô* non probat &c. Vide C. Barthium *ad Stat. l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 57.

PILIGERI, ſeu PILEATI, Græcè πιλοφόροι, ex Barbaris ferè ſemper tonſi erant, ſicut contrà *Mitrati* ſeu οἱ μιτροφόροι, intonſi. Hinc Hieronym. in *Vita* Malchi, Iſmaëlitas, qui Scenitæ ſunt Arabes, intonſum crinem habere & vittâ caput redimitum tradit. Et Herodot. de Babyloniis, *l.* 1. Κομῶντες δὲ, inquit, τὰς κεφαλὰς, μίτρῃσιν ἀναδέονται, μεμυρισμένοι πᾶν τὸ σῶμα, *Comati autem capita mitris redimita habent, unguentis totô corpore delibuti.* Idem de Caſſiis, *l.* 7. de Indis, *Arrianus*, de Brachmanis *Philoſtratus*, referunt. Nempe *pilea* & *mitræ* diverſa; & mitræ quidem faſciæ fuerunt, quibus caput religabatur: pilea verò capitis integumenta rotunda, in galeæ modum facta; unde *galeri* dicti &c. Latini tamen etiam *mitram* pro *pileo* poſuerunt, ut *mitra phrygia* Virgilio, *l.* 9. *Æn. v.* 617. *pileum Phrygium* dicitur, quam *tiaram* etiam appellârunt. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 566. ut & ſuprà, voce *Pileati*.

PILLERIUS, dignitas inter Equites Melitenſes, quæ vulgò *Piliere*, Gall. *Pilier*, ex Latino *pila*, i. e. *columna*. Cùm enim Nationes VIII. hunc Ordinem componant, primus in qualibet illarum *Pillerius* eſt, & quaſi columna ſuæ Linguæ ſeu Nationis, ut videre eſt, apud Dominic. Macrum *Hierolex.*

PILLORIA, æ, *Cowello Pillorium*, aliàs *Colliſtrigium*: à Gallic. *Pil.* Eſt ſupplicii machina ad ludibrium magis, quàm pœnam, quô quis ſuper pegmate conſtitutus, comprehenſoque inter fauces duarum tabularum ideo cavatarum collô, ſpectaculum populo præbetur deridendum. An à græco πύλη & ὁράω, quod delinquens quaſi per januam emiſſô capite proſpiceret? An à Gallic. *Pilleur*, depeculator, Cujuſmodi ſunt Piſtores, cui hominum generi puniendo hoc ſupplicii primò inſtitutum eſt. Hi enim ſuis in pane fallaciis Remp. depeculantur; à quo & ipſa ſua nequitia *Pilleurie* dicta fuit, quaſi depeculatio: Et ſic vox propriè ad naturam delicti ſpectat, non ad ſupplicii inſtrumentum, quòd ſuô vocabulô *Colliſtrigium* nuncupant. Suadere id videtur Statutum de Piſtoribus, ubi dicitur: *Subeat judicium Pilloriæ.* Vide Spelmannum *Gloſſar.* Car. du Freſne vocis originem arceſſit potiùs, à *pila* iterum i. e. columna, ad quam alligabantur rei. Idem enim inquit, *pilorium* cum *poſtello*, ſeu columna lignea, Concilio Bituric. *A. C.* 1336. *can.* 12. *Item* pilorium *ſeu poſtellum, in cœmiteriis & locis ſacris affigunt & apponunt.* Vide eum *Gloſſar.* & in *Conſtantinop. Chriſtiana*, ubi *de Milio aureo*. Apud eundem, *Ferrarius* Italos *gogna* appellare ſupplicii genus, quô noxii injectâ bojæ ſive numellæ cervice, in ſuggeſtu, omnium ſibilis ac ludibrio exponuntur, Vide illum quoque voce *Berlina*; ut & ſuprà aliquid in *Numella*.

PILOPACA, legit Cluſius, *in antiquis inſcriptionibus*, dicitque ſignificare fluvium Caſtellæ veteris, in Hiſpan. vulgò *Piſverga* dictum.

PILORUM uſtrina, à veneficis ſtrigibus ad philtra uſurpata, vide infrà, voce *Pilus*.

PILOSI, Græcè τριχιῶντες, occurrunt Eſajæ, *c.* 13. *v.* 22. & *c.* 34. *v.* 14. ex Aquilæ verſione, qui ita vocem Hebr. שעיר exponit. *Hieronymo* ſunt *Satyri* vel *Incubones*: unde ſumta vox *Satyrorum*, in nuperis verſionibus, atque eò libentiùs uſurpatur, quòd ſpecies, qualem Poëtæ deſcribunt, ab hircina non abludit, neque ipſa Satyri vox ab Hebr. *Sabir*. Et certè à שער, *pilo* Hebræis שעיר eſt *hircus*, animal hirſutiſſimum: quemadmodum Græcè τράγον dici volunt, ἀπὸ τῆς τραχύτητος, *à pilorum aſperitate*. Sed & nomine שעירים, idola vel dæmones appellari videas. Levit. *c.* 17. *v.* 7. & 2. Chronic. *c.* 11. *v.* 15. qua de re diximus ſuprà, voce *Hircipili*. Nempe Diabolus hirci ſpecie ſe præbere conſpiciendum amat. Unde in Jamblichi *Babylonicis*, τράγυ τι φάσμα ἐρᾷ Σιμωνίδος, *Hirci ſpectrum aliquod deperit Simonidem.* Et apud Philoſtr. *Vitâ* Apollonii, *l.* 6. *c.* 13. *Venerat in vicum* (Æthiopiæ prope Nili cataractas) *decimô jam antè menſe Satyri ſpectrum* (i. e. Diabolus, Satyri ſpecie) *furens erga mulieres, jamque duas illarum interfeciſſe ferebatur, quas videbatur maximè amare.* Idem judicium de Silvanis, Faunis & Gallorum Druſiis, de quibus Auguſtin. agit *de Civ. Dei*, *l.* 15. *c.* 23. &c. Itaque, cùm שעירים locis præfatis prædicitur fore, ut in deſolatis urbibus *hirci* ſaltent & clament alter ad alterum, *ſpectra* intelligas potiùs quàm veros hircos: quæ eadem mens illis fuit, qui pro *hircis* vel *dæmonia* vel *piloſos*, explicant; aut *Satyros*, i. e. Satyrorum ſpecie Dæmones apparentes. Ullos enim aut jam extare aut unquam in rerum natura extitiſſe, homines iſtiuſmodi *Piloſos* ſeu Satyros, falſum eſt. Nec enim aſſenſum meretur magnus Scriptor, qui Satyrum introducit Antonium in eremo rogantem, ut pro ſe communem Deum deprecetur &c. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 7. Vide etiam in voce *Satyrus*; it. ſuprà ubi de *Faunis ficariis*, & voce *Hircipili*.

PILOSITÆ, ab Origeniſtis appellati ſunt Orthodoxi, quòd in die Judicii omnes homines, cum iiſdem priſtinis ſuis *pilis*, reſurrecturos eſſe profiterentur, Hieronym. *Ep.* 61. *ad Pammach.*

PILOSUS Comes, apud Guil. Britonem *Philippidos*, *l.* 10. ubi de prælio Bovinenſi, *v.* 407.

Et Comitem, quem Teutonici dixêre Piloſum:

Apud Germanos, idem eſt cum *Comite Sylvarum* ſeu *Sylveſtri*. De quo eodem *Chronicon* Flandriæ, *c.* 15. *& un Comte d'Alemaigne, qu'on appelloit le Comte Pelu.* Quô locô Sauvagius, contra *MSS.* fidem reſtituit, ex Mejero, *Le Comte Palatin du Rhin*, ut & *c.* 21. ubi inter Electores Seculares Imperatorum primus poſt Eccleſiaſticos, recenſetur, quem Comitem *le Pelu du Rhin*, i. e. *Piloſus Rheni*, Palatinum Rheni eſſe conſtat. Caſparus Barthius *ad Britonis d. l.* *Raugraffen*, ait, *non Rauchgraffen intelligimus, aſperarum regionum Dominum, non ipſum hirſutum, aut pilis obſitum.* Vide quoque *Comes Hirſutus* ſuprà.

PILSENUM, ſeu PILSNA, urbs Bohemiæ ad fluv. Miſam, probè munita & ampla, 9. milliar. German. à Praga in Occidentem, 6. à limite Palatinatus ſuperioris, 11. ab Egra, verſus ortum hybernum. Expugnata eſt, à Manſteldio, A. C. 1618. cùm olim ab Huſſitis fruſtra eſſet tentata.

PILSNA, urbs Poloniæ ſuperioris in Palatinatu Sandomirienſi, caput territorii adjacentis, prope Viſtulam fluv. aliquot milliar. ſuprà Sandomiriam, vulgò *Pilſno*. Hîc Boleſlaus Bohemus Ottonem II. Imperatorem A. C. 976. gravi clade affecit.

PILUM, Tyrrheni inventum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. proprium Romanorum olim militum geſtamen, exactè deſcribitur à Polybio *Hiſtor. l.* 6. interprete Cl. Iſaacô Caſaubonô, his verbis: *Sunt è Pilis quædam craſſa, quædam tenuia, & è ſolidioribus, quæ rotunda ſunt, palmarem habent dimetientem, quæ quadrata, latus; tenuia ſi binis mediocribus ſunt ſimilia*, &c. Et paulò pòſt, *Iſtorum omnium haſtile*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

haſtile tres ferè cubitos longum eſt, aptatur ſingulis telum ferreum, hamatum, paris longitudinis cum ipſis lignis, cujus nexum adeò formant validè, ad media uſque ligna religantes, & crebris fibulis configentes, ut non antè nexus inter utendum laxetur, quàm ferrum frangatur, etſi craſſum in fundo, &, quâ parte ligno committitur, digitum unum cum dimidio, uſque adeò magnâ cautione proſpiciunt huic adnexioni. Vide quoque Livium, *Decad.* 3. *l.* 1. & Halicarnaſ. *l.* 5. Sed hæc omnia non ſatisfecerunt animo ſagaciſſimo & perſpicaciſſimo Joſ. Scaligeri, cujus ultimum in terris conatum ajunt fuiſſe veram, ipſius judiciô, hujus teli delineationem. At curâ eâ ſuperſederi poſſe faciunt nummi veteres, qui telum perſpicuè exhibent ſpectandum. Ex illis unus, quem Jac. Gutherius proponit *de Jure Pontificali vet. Rom. l.* 3. *c.* 16. laudatus Caſp. Barthio, *ad Stat. l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 99. Meminit eorum Lucanus, *Pharſal. l.* 3. *v.* 598.

Pila *ſed in medium venêre trementia pectus.*

Et, *l.* 8. *v.* 597.

Septimius, qui proh! Superûm pudor, arma ſatelles
Regia geſtabat, poſito deformia pilo.

Corippus item, *l.* 4. *v.* 24[illegible].

Ingens excubitus protectorumque phalanges
Fulgebant rutilò pilis *ſplendentibus aurô.*

Ubi inaurari ea conſueviſſe, etiam ultimô ævô, obſervat Barthius, *ad Stat. Thebaid. l.* 8. *v.* 405. Alii. De lauro pinniſque *pilis* additis, cùm læta nuntianda eſſent vel triſtia, vide infrà ubi de *Pinnatis Literis.* Reliqua ſuprà, voce *Pilani*, uti de παλτοῖς ſeu *pilis* veterum Perſarum, in *Sibyna.*

PILUMNUS, Jovis filius, ejus Apuliæ partis, quæ poſteà Daunia dicta eſt, Rex, qui Danaën Acriſii filiam ad Apulum litus unà cum Perſeo filio delatam, uxorem duxit, & Danaum ex ea ſuſcepit Turni patrem. Servius *Picumnum*, & *Pilumnum* fratres fuiſſe ait, quorum ille ſtercorandorum agrorum uſum invenerit, unde & *Sterculinus* eſt: Pilumnus verò *pilandi* frumenti rationem, unde & *pilum* ab ipſo nomen volunt accepiſſe. *Lloyd.* Nonius Marcellus *Pilumnum* & Picumnum Deos vocat, Præſides auſpiciis conjugalibus, citatque Varronem, *de Vita Pop. Rom. l.* 2. cujus hæc ſunt: *Natus ſi erat vitalis ac ſublatus ab Obſtetrice, ſtatuebant in terra, ut auſpicaretur rectus, Diiſque conjugalibus,* Pilumno *& Picumno, in ædibus lectus ſternebatur.* Idem *Varro*, inter 3. Deos cuſtodes Puerperæ ſtatim poſt partum adhibitos Silvanumque ab ingreſſu nocturno arcentes, *Pilumnum* ac Picumnum ponit; quod propterea factum, quoniam Silvani & Fauni, quos vulgò *Incubos* vocabant, improbi quondam fuerant mulierculis ac earum concubitui inhiabant, unde ne Sylvanus per noctem ingrederetur, & jacentem vexaret, hi adhibiti. Ita enim ex eo Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 6. *c.* 9. *Mulieri fœtæ poſt partum tres cuſtodes commemorat* (Varro) *adhiberi, ne Sylvanus per noctem ingrediatur & vexet: Eorumque cuſtodum ſignificandorum causâ tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſteà pilô, tertiò deverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, Deus Sylvanus prohibeatur introire: quia, inquit, neque arbores cæduntur, atque putantur, ſine ferro: neque far conficitur ſine pilo; neque fruges coacervantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupati Dii, Intercidona à ſecuris interciſione:* Pilumnus, *à pilo: Deverra à ſcopis, quibus Diis cuſtodibus contra vim Dei Sylvani fœta conſervatur.* Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. & Thom. Bartholinum, *de Puerperio Veter.* adde Gerh. Jo. Voſſium, *de Idolol. l.* 1. *c.* 40. ubi multa de his Rutulorum Diis, avo avunculoque aut patruo magno Turni, quos à quibuſdam pro Dioſcuris quoque habitos, addit.

PILUS, à PELLE, cui inhæret, an à Græco πίλος, de quo ſuprà, an à πτίλον, i. e. *pluma*, an à φύλλον, *folium* &c. vilitate ſuâ in proverbium abiit, apud Latinos, *Pili non facio*, Cicer. *ad Fratrem*, & Græcos, Ἄξιος τριχὸς, *dignus pilô*, in hominem nihili, Eraſm. *Adagior. Chil.* 1. *Cent.* 8. *Adag.* 4. hinc Romuli nepotibus curatè evulſus, vide ſuprà ubi de *Alipilis.* Domino verò noſtro digna res providentiâ viſa, Matth. *c.* 10. *v.* 30. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. *Veſtri autem etiam capitis pili in numerato ſunt.* Sed & ad *pilum*, funditorum dexteritas olim explorata. Ita enim in Benjaminitarum exercitu ſeptingenti viri, fundâ miſiſſe lapidem *ad pilum*, ſine erratione, leguntur, Judicum *c.* 20. *v.* 16. Quomodo apud Smyrnæum, *l.* 4. in ſagittario certamine pro ſcopo ſtatuit Agamemnon galeam ſetis equinis inſignem, præmium illi daturus,

——— ὅς κέρσειεν ἀπὸ τρίχας ὀξέϊ χαλκῷ.

Nec ita pridem in Perſide Scamachiæ Prorex ſemel atque iterum ictu ſagittæ medium ſecuit *pilum* ſex magnorum paſſuum intervallô diſtantem, teſte oculatô Oleariô, *Itin. Perſic. l.* 4. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 10. Etiam in *Diſveſtitionibus* recentiori ævô *pilus* adhibitus: Fiebant enim illæ *projectô pilô veſtimenti*; quaſi, qui ſe *diſveſtiebat de re aliqua*, h. e. poſſeſſione ejus ſeſe exuebat, veſtes revera deponeret. Cujus ritus meminit Hincmarus Laudun. *Ep. ad Remenſem, Tomô II. Opp.* Hincmari Remenſ. Archiepiſcopi: *Poteſtis* ——— *interrogare, curea, quæ nunc repetit, nullô cogente* ——— *per* pilum *veſtimenti ſui à ſe terrâ tenus ejectum, non tantùm dereliquit* &c. & Godofredus Dux Brabantiæ in vetere *Charta*, apud Miræum *Diplomat. Belgic. c.* 65. *Quadraginta ergo ſolidos, quos de horreo ſupradictæ villæ annuatim tollendos exiſtimabam* ——— *projectô à me* pilô *pallii mei, juxta morem Nobilium werpivi*, ut alia omittam. At nimium iis tributum, quibus in philtra uti, qua de re aliquid ſuprà attigimus. Sed & aliàs *pilos* ſuburere ſoliti Veteres vel metu, ut Dionyſius Tyrannus apud Tullium, *l.* 2. *Offic. c.* 7. & Commodus Imperator apud Lamprid. *c.* 17. vel delitiarum causâ, ut Auguſtus apud Sueton. & Otto apud Tacitum. *Uſtriculas* Tertullian. mulieres, quarum opera in hanc rem adhibita, vocat, *l. de Pallio*, vide infrà: & plura *de pilis*, animalium inprimis, apud Plin. *l.* 11. *c.* 39. hominum, apud Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 91. 95. & *l.* 4. *c.* 45. & 87.

PILUS Eliaca, vide *Pylus Eliaca.*

PIMENTARIUS, & PIMENTUM, Græcis recentioribus Πημεντάριος, & πήμεντον, vide ſuprà *Pigmentarius*, & *Pigmentum.*

PIMENTELLIA, celebris in Portugallia Familia, ex Gallæcia eò profecta. In qua inprimis Vaſco Martinus *Pimentel* præcipuô honoris gradu, apud Alfonſum III. Portugalliæ Regem viguit, ſed eô inimicorum odiô dejectus eſt. Filius ejus Alfonſus, nepos Joh. Alfonſus, ac pronepos Rodericus, cognomine *Bonus*, bellicâ virtute extitêre illuſtres. Quô ultimô genitus eſt Joh. Alfonſus, cui Henricus III. Rex Caſtellæ Beneventum (*Benavente*) cum titulo *Comitis* conceſſit. Hic Rodericum Alfonſum genuit, Joh. Alfonſi, in quo *Comit. de Mayorga* titulus cœpit, atque Alfonſi, patrem, Alfonſus ex minori filio Petro Dn. *de Villafaſila*, avus extitit Bernardini primi Marchionis *de Tabara* & reliquorum, (de quibus vide infrà in voce *Tabara*) ſatoris. Major Alfonſi filius Rodericus Alfonſus genuit Ludovicum Marchionem *de Villa franca*, cujus filia Maria *Pimentellia* nomen & Villam Francam Toletanis intulit atque Alfonſum Comitem *de Benavente*; quô natus Antonius Alfonſus, reliquorum Comitum ſator, & Petrus, Philippi II. gratiâ *Marchio de Viana* in Gallæcia creatus ac novæ lineæ autor extitit. Comites *Pimentellios* quod attinet, eorum ſic habet ſeries: Alfonſus *Pimentel* Comes Benevantanus, ex Maria (filia Didaci Fernandini *de Quinnones*) pater fuit Roderici Alfonſi *Pimentel. Comitis de Benav.* quô & Mariâ Pachecâ genitus Alfonſus *Pimentel Comes de Benavente*, junxit ſibi Annam *de Velaſco & Herrera*, atque ex ea ſuſcepit Antonium Alfonſum *Pimentellium* Comitem Beneventanum; maritum Ludovicæ Henriciæ Gironæ, & ex ea patrem Joh. Alfonſi *Pimentellii* Comitis Benev. cui Catharina Quinnonia Comes *de Luna*, peperit Antonium Alfonſum *Pimentellium* Comitem Lunæ & Beneventi: Patrem ex Maria Pontia *de Leon.* Joh. Alfonſi *Pimentellii* Comitis *de Mayorga*, Roderici Alfonſi *Pimentellii*, Claudii *de Quinnones*, Ludovici *Pimentellii* &c. qui hoc ſeculô floruêre. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 2. *p.* 83.

PIMENTUM, in *Excerptis* Apicii, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurelian. c.* 4. Vide ſuprà in *Pigmentum.*

PILUS Martinus, vide *ibi.*

PIMOLISA, caſtellum Ponticæ regionis intra Halyn, à quo regio *Pimoliſena*, *Steph.* quæ fortè *Pimolitis*, *Strab.*

PIMPILIM, in Bengala longum piper, quod ibi tantùm naſcitur, vocatur hodie, à Barbaris *Pipeli*, è qua voce Græcorum πέπερι manâſſe certum eſt: quemadmodum iidem ex *Zengebil* Indorum *Zingiber* fecerunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1026. & 1072. ut & infrà, in voce *Piper.*

PIMPLA, mons Macedoniæ in Theſſaliæ confinio, Olympo vicinus, Muſis ſacer, qui *Pimpleus Catullo* dicitur; ubi & fons ejuſdem nominis, unde Muſæ *Pimpleæ* & *Pimpleides* dicuntur. Horat. *l.* 1. *Od.* 26. *v.* 8.

Necte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis. ———

Statius, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 26.

Excludat Pimplea ſitim, nec conſcia detur
Pirene. ——— ———

Nic. Lloydius.

PIMPLA, locus Phocidis, apud Parnaſſum, Muſis ſacer, *Pauſan.*

PIMPLEA, Græcè Πιμπληΐς, apud Apollonium Rhodium, ubi de Orpheo,

——— ——— Τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.
——— *Quem quondam ipſa*
Calliope Thraci fertur congreſſa
Oeagro prope ſpeculam Pimpleam peperiſſe,

aliis mons Thraciæ, aliis fons, aliis locus juxta Pieriam eſſe videtur. Πίπλαν & Πίπλειαν Græci plerique ſcribunt, unde *Pipletes Vates* Orpheus dicitur Appulejo, *l.* 2. *Sic in modum ſuperbi juvenis Aonis* (Penthei ſcil.) *vel Muſæi vatis Pipletis laceratus atque diſcerptus domô protrurbor.* Et *Pipleides Muſæ*, apud Varronem, *de L. L. l.* 6. Certè in antiquis Strabonis exemplaribus Πίπλαν & Πίπλειαν ſcriptum extare, notârunt Eruditi. *Heſych.* Πιπλίαι αἱ Μοῦσαι ἐν τῷ Μακεδονικῷ Ὀλύμπῳ, ἀπὸ κρήνης Πιπλίας, *Pipleæ Muſæ, in Macedonico Olympo, à fonte Piplea* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 159. Vide quoque Brodæum *ad Oppianum, Cyneget. l.* 2. *p.* 63.

PIMPRANA, urbs circa Indi fluv. partes ſuperiores, *Arian. in Indic.*

du PIN Johannes, vide *Johannes.*

PINACES, Πίνακες, dicti ſunt Theoni, qui aliis παραπήγματα. Vide ſuprà in *Parapegma*, & Cl. Suicerum, voce Πίναξ.

PINACHES, Paſtorum in Ægypto Rex XII. Oſocheris ſucceſſor, præfuit annos 9. dum Amoſis in Thebaide regnaret, & Samgar apud Iſraëlitas occideret 600. Philiſtæos: apud Græcos verò Hercules res gereret. Eum in regno excepit Suſennes. Joh. Marshamus, *Canone Chron.* ex Manethone.

PINACOTHECA Imaginum illuſtrium, doctrinæ vel ingenii laude, Virorum, nomen libri à Jano Nicio Erythræo haud pridem editi, de quo ipſe ſic ad Lectorem: *Eorum tantùm imagines in hanc* Pinacothecam *intuli, qui, meâ ætate, memoriâ digni extiterunt, quique me vivô fatô functi ſunt ſuô; neque tamen omnium imagines ſum complexus, ſed eorum tantùm, qui mihi vel amicitiâ conjuncti,* vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vel auditione & famâ noti fuêre: eos autem, de quibus tacui, iratos non vereor, quòd ſe fuiſſe neglectos querantur; quoniam mortui omnino neſciunt iraſci: quanquam neglecti non ſunt dicendi ii, quorum ego ſcripta non legerim, quoſque ne natos quidem noverim. Prodiit Coloniæ Agrippinæ A. C. 1645. A' *Pinacothecis* Romanorum, quæ ad inſaniam uſque olim receptæ. Ut enim in Atrio Tablinum, in quo ſervabantur codices rerum in Magiſtratu geſtarum: Armaria, quæ imagines Majorum continerent, ſic *Pinacotheca* erant, ubi tabulas pictas, aliaque aſſervari mos erat. Vitruvius, *l. 6. c.* 7. ipſarum rationem, in ædium metatione, non ſemel ſibi habendam conſtituit: improbavitque Plin. *l.* 35. *c.* 2. nimium earum ſtudium, quod in illis inſtruendis ac referciendis paſſim ponebant. Et quidem tabulas pictas curavêre Pictores, quos familiares fuiſſe Romanis ſuprà diximus. Erat & Officinator à ſtatuis, cujuſmodi legitur fuiſſe Eutyches neſcio quis Auguſtorum Libertus, & Hermeros Tib. Claudii Cæſaris ſervus Theamidianus ab Marmoribus Magiſter, qui faciunt ut credant Eruditi, apud Cæſares ſaltem, non *Pinacothecas* modò, ſed & Agalmatothecas, ita liceat appellare, in delitiis fuiſſe; privati enim his Atria referſerant ſua. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

PINAMUS, urbs Ægypti, *Stephan.*

PINARA, urbs Lyciæ mediterranea valde amœna, Epiſcopalis ſub Archiepiſc. Myrenſi, adhuc *Pinara* vulgò. Populi *Pinaritæ* Plinio, *l. 5. c.* 23. ad montem Caſium. Apud *Stephanum Artymneſos* vocatur, qui addit omnia rotunda linguâ Lyciorum *Pinara* dici.

PINARA, inſula maris Ægæi, Plin. *l. 4. c.* 12. Ionii, *Ferrario*, apud Echinades. Cum Virgil. ait, *l.* 8. *Æn. v.* 270.

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Videtur potiùs familiæ.

PINARIOLUM, urbs Pedemontis, cum arce permunita, ad Chriſonem amnem, & radices Alpium. Anteà Sabaudici Juris, ſed ab A. C. 1631. Gallis paret. In ipſo Delphinatus limite, 12. milliar. Pedemont. ab Auguſta Taurinorum in Afric. 19. à Seguſio in Meridiem, Salutias verſus 10.

PINARIUS, vide *Titus.*

PINARIUS, & POTITIUS, Arcadiæ duo ſenes, quibus, qualiter coli vellet, oſtendit Hercules, ſcilicet ut manè & veſperi ei ſacrificaretur. Perfectô itaque matutinô ſacrificiô, cùm circa Solis occaſum eſſent ſacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius poſteà extis comeſis. Unde iratus Hercules ſtatuit, ut Pinariorum familia tantùm miniſtra eſſet, epulantibus Potitiis & complentibus ſacra, unde & *Pinarii* dicti ſunt, ἀπὸ τῆς πεινῆς i. e. *à fame.* Nam ſenem illum Pinarium, conſtat aliô nomine nuncupatum, Servius. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 269.

——— *Primuſque Potitius auctor,*
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

PINARIUS Natta, in Jul. Montanum, *ortus* & *occaſus* ſubinde inſerentem, quum quidam illum audiendum negâſſet: *At ego*, inquit, *paratus ſum illum audire ab ortu uſque ad occaſum.* Senec. *ep.* 122.

M. PINARIUS Poſca, Prætor, An. Urb. Cond. 572. Sardiniam tenuit, Corſos in Corſica domuit, 2. millibus eorum in acie cæſis, quâ clade compulſi illi obſides dederunt, & ceræ centum millia pondo. In Sardinia ſimiliter, contra Iluenſes, ſecunda prælia fecit. Idem cùm legem Annalem ferret, diſſuaſor M. Servilius: *Dic mihi*, inquit, *M. Pinari, num ſi contra te dixero mihi maledicturus, ut cæteris feciſti? Ut ſementem feceris*, inquit, *ita metes*, Cicer. *l. 2. de Orat. c.* 65. ubi perperam *Ruſca* legitur.

PINARIUS Ruffus, vide *Lucius.* It. *Publius.*

PINARIUS Valens, Præfectus Prætorio, patruus Maximi Imperatoris fuit. Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino, c.* 5. *Pueritiam omnem* (Maximus) *in domo patrui* Pinarii *fecit, quem ſtatim ad Præfecturam Prætorii ſubvexit, ubi factus eſt Imperator.* Ubi Palat. & princeps editio: *in domo patris Pinarii.* Sed patrem & *Maximum* itidem, non *Pinarium*, priùs Auctor vocavit, Salmaſ. *ad loc.*

PINARIUS, fluv. juxta Iſſum urb. inter Ciliciam & Syriam, *Steph.* Ejus meminit *Dionyſ. Periegetes*, uti videre eſt, *in his:*

Καὶ τῷ μὲν πλεόνων ποταμῶν ἐπιμίσγεται ὕδωρ
Τηλόθεν ἐρχομένων, Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο,
Κύδνου τε σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰόντος.

De ſinu Iſſico ſeu mari Cilicio loquitur. *Nic. Lloydius.*

PINAROPOEI, Græci Πιναροποιοὶ, *Epiphanio* dicuntur, *limpidatores & politores gemmarum*, οἱ σμῆκται λίθων καὶ στιλβωταὶ, lapidum tritores, qui attritu limæ vel arenæ vel rotæ vel alterius lapidis ſcobe gemmas poliunt & nitorem dant. Metaphorâ ex palæſtris deſumtâ, ubi nitidi & politi εὐπινεῖς & ἐμπινεῖς & πιναροὶ dicebantur, ab oleo, quô perfuſi niteſcebant. *Gloſſæ, politus*, εὐπινής. Unde εὐπίνεια, *nitor ac politura*: quod in oratione aliiſque omnibus rebus locum habuit: εὐπινείας χάριν, *elegantiæ ac nitoris gratiâ*; εὐπίνεια σανιδώματος, apud *Agatharchidem*, *lævor tabulæ ad unguem raſæ ac complanatæ*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim, inprimis p.* 1105. & ſuprà *Palæſtrici.*

PINCERNA, miniſter pocula menſæ ingerens: qualis Ganymedes, à Diis raptus, fertur Jovi pocula miniſtrâſſe. Unde Auſonius, *Technopægniô, v.* 19. *de Hiſtoriis.*

Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.

Seneca, *Ep.* 47. *Alius vini miniſter, in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur. Nec poteſt effugere pueritiam, ſed retrahitur. Jamque militari habitu glaber, diſtrictis pilis, aut penitus evulſis, totâ nocte pervigilat: quam inter ebrietatem Domini & libidinem dividit.* Iidem *ad cyathos* dicti. Sueton. *in Cæſare, c.* 49. *Sed C. Memmius etiam ad Cyathum & vinum Nicodemi ſtetiſſe objecit.* Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 44.

Nec puer Iliacus formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos. ——— ———

Propertius, *l. 4. Eleg. 9. v.* 9.

Lygdamus ad cyathos. ———

Ad eos Plautus reſpexit *in Menæchmis, Actu 2. ſc. 2. v.* 29.

Non ſcis quis ego ſim? qui tibi ſæpiſſimè
Cyatiſſo, apud nos quando potas.

Dicebant autem convivæ identidem *Pincernæ*, πίνειν κίρνα, i. e. *miſce, vel tempera vinum, ut bibam*, unde voci origo, teſte Budæô, *de Aſſe, l.* 5. Præterea moris erat, cùm ſurgerent à menſa, ut *Pincernæ* reliquias menſæ darent, quemadmodum Athenæus docet, *librô extremô*: Ἔθος δὲ ἦν ἀναστᾶσι τοῦ δείπνου, καὶ σπείσασι, τὸ λοιπὸν τοῦ ἀκράτου τῷ διδόντι παιδὶ ἐκπιεῖν διδόναι, *Mos erat, ut, cùm ſurgerent à menſa, cumque libâſſent, vini reliquum puero illi darent, qui bibere miniſtrâſſet.* Qui idem, *l.* 10. auctor eſt, honeſtum id olim miniſterium fuiſſe, dum ait, *non ſolùm apud Græcos ſed & Romanos morem fuiſſe, ut nobiliſſimi Juvenes in conviviis & ſacris publicis id munus obirent.* Apud Perſas quoque *Pincernas* in pretio fuiſſe, ex Herodoto, *l.* 3. diſcimus ubi refert, *filium Prexaſpis fuiſſe Cambyſis Pincernam*, & addit, τιμὴ δὲ καὶ αὕτη οὐ σμικρή. Et Regni *Pincerna* Neemiæ, qui Xerxi miniſtrabat, meminit Joſeph. *Ant. Jud. l. 2. c.* 1. præter ipſum ſacrum Neemiæ librum, quem vide, *c. 1. v.* 11. Adhibebant verò Regii hi Pocillatores eâ in re magnam curam & diligentiam, ut aptiſſimè decentiſſimeque vinum funderent, Regibuſque propinarent; Phialam tribus ſummis digitis ita offerentes, ut facillimè prehendi poſſet, quod Xenophon tradit, παιδ. Κύρ. *l.* 1. Οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι καὶ καθαρῶς ἐγχέουσι, καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προσφέρουσιν, ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν. Tit. Popma *de Operis ſervorum.* Iconem *Pincernæ* ex ære exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis*: De *Pincerna* Regis Pharaonis, elegantem habes Hiſtoriam, Gen. *c.* 40. *v.* 1. de Vulcano in convivio Deorum *Pincernam* agente, vide Homer. *Il. α. ſub finem* & Euſtathium παρεκβολ. *in locum*: de Hebe, Hercule, Ganymede Jovi pocula miniſtrantibus, Poëtas paſſim. In Imperio Rom. Bohemiæ Rex *Pincerna* Imperatoris eſt, *des Romiſchen Reichs Ertzcredentzer oder Schenck*, proindeque in celebratione Imperiali Curiæ primum poculum Imperatori porrigit, non tamen ſub corona Imperiali, niſi liberâ voluntate, vide Conſtitut. Ruperti apud *Goldaſt.* Potus is vinum eſt aquâ permixtum, Aur. Bullæ, *c.* 27. quod potiùs eſt ex conſuetudine gentis & Medicorum conſiliô derivare, quàm cum Noldenio ex præcepto Salomonis, Proverb. *c. ult. v.* 4. De poculo autem primùm Rex ipſe libat, ut ſic Imperatori fides fiat, nihil ſubeſſe mali, unde etiam *der Credentzbecher* vocatur &c. Vide Limnæum Enucleatum, *l. 2. c.* 7. Strauchium *Diſſert. Exoter.* 2. *n.* 14. &c. ut & hîc in voce *Buticularius*, item *Miniſter vini*, *Pocillator*, & *Protopincerna.* Hinc *Pincernatus*, dignitas Eccleſiaſtica, cujus meminit Albertus Argentin. *A. C.* 1349. *Joannem de Liechtenberg, qui & in Argentinenſi Eccleſia Præpoſituram, Decanatum, Cantoriam &* Pincernatum *ſimul tenebat*, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

PINCIA, vide PINTIA.

PINCIACUM, oppid. Galliæ in finibus Carnutum, ad Sequanam, caput pagi Pinciacenſis; vulgò *Poiſſy.* A Pincio dictum eſt, ſicut Sollemniacum, à Sollemne, Lucilliacum, à Lucillio, Lucaniacum, à Lucano, &c. Plura vide apud Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

PINCIANA Porta, quæ & *Collatina.*

PINCIANÆ Aquæ, quæ & *Egeſtanæ* in Sicilia apud Egeſtam urbem; hodie non extant.

PINCIUS Mons, collis Romæ, inter portam Salariam & Flaminiam extenſus, olim extra urbem, à *Pincio* Senatore dictus, apud quem ſacra ædes Trinitatis, *Salluſtianus* etiam dictus, & *Collis hortulorum.* Vulgò adhuc *Monte Pincio.*

PINCZOVIA, oppid. minoris Poloniæ, ubi Nicolaus Oleſnicius, loci dominus, circa A. C. 1550. religionem Euangelicam doceri juſſit, Epiſcopis fruſtra obnitentibus eumque apud Regem accuſantibus. Scholam hîc poſteà celebrem aperuit Fr. Stancarus, cùm adhuc errores, quos ſinu fovebat, abſconderet: Gregoriuſque Orſacius primus Rector conſtitutus eſt, circa A. C. 1553. poſtmodum verò, Synodis tum hîc, tum Sendomiriæ & Vladiſlaviæ habitis, quibus Johan. à Laſco intererat, Stancari hæreſis condemnata eſt: quod repetitum in celebri Synodo Xianzenſi, A. C. 1560. Laſicius *de geſtis Fratr. l. 5. & 7.* Salomon Neigeb. *l. 8. p.* 477. Lætus *Comp. Hiſt. Univ.*

PINDARUS, Poëta Thebanus, Lyricorum apud Græcos princeps, Æſchylo Tragico æqualis, Olymp. 75. Diſcipulus Laſi Hermionei & Myrtidis, quæ Corinnæ hera fuit. Scripſit linguâ Doricâ innumera, ſed nobis ſuperſunt, *Olympia, Pythia, Nemea,* & *Iſthmia*, quæ nunc ſola extant. Fertur inprimis ſublimis verborumque & ſententiarum copiâ, unde & inimitabilem eſſe affirmat Horatius, *l. 4. Ode* 2. Lacedæmonii in reliquam Bœotiam ſævientes, Thebis in Pindari gratiam pepercerunt. Huic etiam tantum tribuit Alexander M. ut cum Thebas everteret, ac in omnes ſine diſcrimine ſæviret, An. 130. poſt Pindari mortem, unius Pindari penatibus, familiæque parci juſſerit. De morte ejus tradit Val. Max. *l. 9. c. 12. ex ext.* 7. quòd in gremio pueri amati expirârit. *Stephan. Byzantius* eum non Thebis, ſed in loco obſcuro, cui Cynocephalos nomen, mortuum tradit, annô ætat. 55. ut *Suid.* vult, an obiit grandior natu? Verum de Pindaro, cæteriſque Græcis ac Latinis Poëtis, quorum ſcripta extant, nos alibi plura, *LLoydius.* Vide Euſeb. *in Chron.* Thom. Mag.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Mag. *in vita Pind. Suid. Plin. Voſſ. Lilium Giraldum*, *Fabrum*, &c. *Nic. Lloydius.*

PINDARUS, Thebanus, Auctor *poëmatis*, *de expugnatione Trojæ*: Baſileæ alibique editi. Barthius *Adverſ. l.* 19. *c.* 12. *l.* 23. *c.* 9. *l.* 39. *c.* 13. & *l.* 59. *c.* 1. *l.* 58. *c.* 14. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11. *p.* 819.

PINDARUS, Epheſiorum tyrannus, qui Epheſo in captivitatis diſcrimine verſanti à Crœſo avunculo ſuo juſſus diſcedere, ſucceſſit in Peloponneſum cum parte ſubſtantiæ, Paſidi cuidam tum filii tutelâ, tum bonorum curâ delegatâ. Ælian. ποικίλ. *l.* 3. *c.* 16.

PINDASUS, mons Troadis, ex quo Cetius fluv. oritur, Pergamum urbem præterfluens, Plin. *l.* 5. *c.* 30.

PINDENISSUS, oppid. Ciliciæ in Syriæ confinio ad Amanum montem, quod M. Cicero Imperator cùm eſſet, oppugnavit, nomenque ex eo oppido ſibi dari, ſicut à *Numantia* dictâ dictus eſt *Numantinus* Scipio exoptavit. Cicer. ad *M. Cœlium*: *Oppugnavi quinque & viginti diebus, aggeribus, vineis, turribus, oppidum Pindeniſſum munitiſſimum, tantis operibus, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit niſi nomen oppidi.* Ptol. Πεδνηλισσὸν, *Steph.* autem Πεδνηλισσὸν vocat. *Polybius* quoque, quem per omnia ſequitur *Strabo*, Πεδνηλισσεῖς hujus oppidi incolas vocat.

PINDUS, vulgò *Mezzovo Sophiano* & *Laonico*, mons Macedoniæ (inter illam & Ætoliam, ac inter Epirum & Theſſaliam) ingens, Ætolos ab Acarnanibus dividens. Ex quo Inachus & Æas, teſte *Strabone*, & Peneus, teſte Ovidiô, *l.* 1. *Met. v.* 569. 570. flumina effluunt. Vide Strab. *l.* 9. Propertius *Perrhæbum* vocat, *l.* 3. *eleg.* 4. *v.* 33.

Aut cur Perrhæbi tremuêre cacumina Pindi.

Perrhæbos autem numerat in populis Ætoliæ Plin. *l.* 4. *c.* 1. Seneca Tragœdus, *Hercul. Oet. Actu* 2. *v.* 493.

Quâ celſus aſtris inſerit Pindus caput.

Idem in Medea *Actu.* 3. *v.* 384. *nivalem* vocat, & alibi *ingentem*

Pindi nivalis vertice, aut Nyſæ jugis.

Virgil. *Eccl. ult. v.* 11.

Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi.

Lucan. *l.* 1. *v.* 674.

——— *Qualis vertice Pindi*
Odonis Ogygiô decurrit plena Lyæô.

Ubi alii *Edonis*. *Nic. Lloydius. Baudrando* mons Epiri, Theſſaliæ aliis. Excurrit ab Acrocerauniis jugis ad Thermopylas, & ex medio ſui brachium emittit, quod Parnaſſum facit, & deſinit in Heliconem. Videtur à *Livio Lincos* dici. Item Ciliciæ fluv. in ſinum Iſſicum ſe exonerans, *Strab.*

PINEA Corona, Panis olim fuit. Silius Ital. *l.* 13. *v.* 331.

Cingit acuta comas & opacat tempora pinus;
Ac parva erumpunt rubicundâ cornua fronte.

Quæ proin καλὸς ςέφανος, *pulchra corona*, dicitur Philoſtrato, *in Imagin.* Hinc & hircus ei offerendus apud Longum eâdem arbore coronatur. An διὰ τὸ ὄριον καὶ μεγαλοπρεπὲς τῦ φυτῦ, ut ait Phurnutus *in Pane*, quòd hæc arbor *præ ſe fert neſcio quid montani & magnifici*? Vide fabulam de *Pinu* virgine à Pane ſimul Boreaque adamata, apud Conſtantinum Cæſ. *l.* 11. *c.* 21. & Julianum *ad Jamblich.* Bacchi item, & Neptuni, ob cauſas Plutarcho dictas, *Sympoſ. l.* 5. *Probl.* 3. Quorum proin huic cùm Ludi Iſthmici ſacri eſſent, victorum in iis corona *pinea* quoque fuit poſterioribus temporibus, cùm prioribus apiô eſſent coronati, vide quæ de Diogene Cynico Iſthmionica narrat Dion Chryſoſtomus, *de Iſthm. Orat.* 9. Sed & Cybelæ Cererique arborem hanc dilectam fuiſſe, dicemus infrà. Porrò, in celebri illo fiſtulæ judicio, quod apud Epheſios in antro quodam Panis, ubi de virginitate alicujus dubitabatur, fiebat, ſi virgo reperta eſſet, de qua ambigebatur, dulcis quidam primò ſonus audiri, mox antri valvæ ſponte recludi, inde ipſa virgo aſpici cœpit, ἐςεφανωμένη τὴν κεφαλὴν πίτυος κόμαις, *cincta caput pineis frondibus*, uti apud Achillem Tatium Dianæ refert Sacerdos, *l.* 8. Certè Virgilio hujus arboris *odores* ſunt *caſti*, in *Ciri*: & Ovidio ipſamet *pura* dicitur, *Faſtor. l.* 2. *v.* 28. ubi de piaminibus quibuſdam ſeu februis, quibus *pinea virga* adhibita eſt. Hinc & apud Callimachum, *Hymnô in Dian.* 21. ubi de ſacro Dictynnæ fieri ſolito, legimus,

——— τὸ δὲ ςέφος ἤματι κείνῳ
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος ———
——— *Sertum verò die illâ*
Aut pinus eſt aut lentiſcus &c.

Vide hanc in rem plura apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 27. & 28.

PINELLUS Joh. Vincentius, Neapolitanus, Tito Pomponio à Thuano comparatus, in Philoſophia, Jure ac Mathematicis, adhuc juvenis excelluit, à præcipuis ſui temporis eruditis in pretio habitus, *ornamentum Italiæ* ac *Oraculum literati orbis*, cuidam illorum jure dictus. *Veneti* cognomen ex amore, quô in hanc Remp. ferebatur, nactus: Obiit A. C. 1601. ætat. 68. Patavii, ubi per 41. annos commoratus fuerat. Bibliothecam reliquit inſtructiſſimam, cujus meliora manuſcripta quô ſtrategemate ſibi vindicaverint, vide apud Paul. Gualdum, *Vitâ Pinelli.* Ejus aliquod MSCr. exſtare in Bibliotheca Ambroſiana, docet Mich. Gueſtin. *degli Scritt. Liguri*, apud Teiſſerium in *Elogiis*, *Part.* 2.

PINELUM, urbecula munita Portugalliæ, in confinio regni Legion. ad amnem cognomin. 4. leuc. à Durio fluv. in Meridiem, Guardam verſùs 6.

PINEPTIMI Oſtium, ſicut Athribis ſeu Atribiticum, quod alii Διόλκον vocant, ψευδόςομα. Nili eſt, de quo ſic Salmaſ. *ad Solin.* *Eſt & tertium Delta, ubi Bubaſtiacus amnis findit ſe in alia duo diverticula, quorum alterum per Athribin urbem effunditur in mare, alterum per oſtium* Pineptimi *dictum*; *p.* 477.

PINETUM, *ſylva* PINORUM in Æmylia apud Ravennam urbem inter illam & Cerviam occurrens. *La pineda* vulgò dicitur.

PINETUS, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Callaicorum, inter Bracaram & Aſturicam, *Antonin. Baudrando* oppid. Callaicorum Braccariorum. Hodiè *Peneda*; eſtque vicus Portugalliæ, juxta fontes fluv. *Mourilho*, in provincia inter Durium & Minium, 12. leucis, à Bracara in Ortum, vix 2. à Confinio Gallæciæ in Meridiem, & 30. circiter ab Aſturica in Occident.

PINEY, nomen illuſtris Familiæ, quæ Lucenburgenſis ſeu Luxemburgicæ ramus eſt. In hac enim Petrus Lucenburgius Comes *de Converſan*, *de Brienne & de S. Paul*, cum tres præcipuè filios habuiſſet, Ludovicum, Theobaldum & Jacobum. Ille Comes *de S. Paul* & Conneſtabilis Franciæ, denuo πολύπαις, ex filio Petro avus fuit Mariæ, quæ Comitatus *de Soiſſons*, *S. Paul. Marie* & alia, Borbonio marito attulit; ex alio filio Antonio Comite *de Roucy & de Brienne* poſteritas maſcula in plures gradùs duravit & demum A. C. 1613. in Franciſco Duce *de Lucenbourg & de Piney* Principe *de Tingry* (filio Franciſci Ducis *de Lucenburg & Piney* & Dianæ Lotharingicæ) finita eſt. Huic ex Magdalena Montmorencia (quæ obiit A. C. 1615.) natæ ſunt Carola Margaretha, Ducilla Lucenburgica & Pinæa, & Lætitia: quarum hæc nupſit Henrico *de Levis* Ducis *de Ventadour*; illa primis nuptiis uxor fuit Leonis Albretani, defuncti A. C. 1630. alteris juncta eſt Carolo Henrico Claræmontano Comiti *de Tonnerre & Tallart* indeque Duci *de Lucenburg & Piney*, Principi *de Tingry*; cui peperit Magdalenam Bonam Thereſiam unicam familiæ hæredem; cui maritus obtigit Franciſcus Henricus Montmorencius, Comes *de Bouteville* & ab ipſa Dux *de Piney & Luxenbourg*. Vide Philipp. Jacobum Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europeæ Part.* 2. *p.* 92. & *Parte* 3. *p.* 81.

PINGENDI Ars, vide ſuprà *Pictura*, it. infrà aliquid verbô *Ponere.*

PINGERE de Muſivo, apud Anaſtaſium in *Vitis* Pontificum, eſt *decorare ex Muſivo*, in *Leon. IV. picturâ Muſivi decorare*, in *Bened. III. ornare in Muſivo*, in *S. Hilario*, *Muſivô depingere*, alibi. Recentioribus Græcis μυσιῦν & διὰ μυσίων καλλωπίζειν. Hinc *pictus de muſivo*, apud Æl. Spartian. *in Pſcennio Nigro*, *c.* 6. *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de Muſivo, inter Commodi amiciſſimos, videmus ſacra Iſidis ferentem.* Quid autem ſit *pingere de Muſivo*, fusè docent Joſ. Scaliger *ad Manilium*, & Iſ. Caſaubonus *ad Sueton.* Vide ſuprà, ubi de *Muſivo.* Repetam hîc pauca de diſcrimine Artis pavimenti, uti *Lucillius* vocat, & Artis *Muſivô pingendi*, quas quidam confundunt ſine ratione. Quamvis enim idem utrumque opus eſſet & teſſellatione utrumque contexeretur, nunquam tamen pavimenta de muſivo picta, aut ſola de muſivo ſtrata occurrunt. Semper cameris & apſidibus, aſſignatur muſivum, ut ſolo pavimentum. Quam differentiam *Codinus* religiosè obſervat, cùm eòdem opere ſola, parietes & cameræ decorarentur; quod in ſolo ponitur πάτωσιν, quod in parietibus, ὀρθομαρμάρωσιν, in cameris verò & pendentibus, μυσιώσιν, appellans. Similiter apud *Anaſtaſium* laudatum reperias; *apſidas muſivô decoratas, pavimenta autem marmoreis exemplis ſtrata*, neque uſquam aliter. Quamvis pavimentorum opus eâdem ratione & formâ componeretur, quô muſiva, ex parvis variiſque teſſellis aut lapidum ſecturis, quibus diverſæ formæ & figuræ exprimebantur, ut dictum. Salmaſ. *ad loc. cit.* plura ſuprà voce *Pavimentum.*

PINGERE Rapa, vide infrà *Rapa.*

PINGERE Veſtes coloribus, dixit *Servius* de veſtibus acupictilibus, quarum uſus apud Romanas matronas tùm eſſe cœpit, cùm purpureis iis eſſet interdictum. Erat autem Matronarum habitus, ante Imperium Cæſarum purpureus & auratus, quem proin à Libertinarum ordine abdicat Ovid. *de Arte Amandi*, *l.* 3. *v.* 169.

Quid de veſte loquar? Non jam ſegmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Niſi in luctu, quò depoſitâ purpurâ cœruleas ſumebant. Sub Imperatoribus vero jam inde à Julio Cæſare purpuræ uſus privatis interdictus; *Nam his primus lecticarum uſum & conchyliatæ veſtis & margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Donec Nero eum penitùs ſuſtulit, apud Suetonium in *Vita* utriuſque, *c.* 43. quod ſub aliis deinceps Imperatoribus tenuit, uſque ad Aurelianum, quem iterum permiſiſſe ſcribit Vopiſcus, *c.* 46. ut matronæ tunicas purpureas & cœteras veſtes haberent. A Cæſare itaque ad hunc uſque Aurelianum varii coloris veſtes gerebant, quas *coloreas* idem vocat Auctor, *ibid.* quæque & acu vel pectine pluribus eſſent intextæ coloribus (ποίκιλα ἱμάτια Græcis & ποικιλόχρωμα) ſed talares atque inſtitis ornatæ, ut à Libertinabus & iis quæ corpore quæſtum faciebant, diſcernerentur; quæ inſtitæ verſicoloriæ erant & ex diverſis inter ſe mixtis coloribus ut plurimum textæ. *Pingebant* autem veſtes, ac formas variarum rerum, animalium inprimis; in iis acu exprimebant tum Phrygiones, tum Babylonii, communi nomine *Plumarii*, Græcè Ποικιλταί, appellati, ſed ita ut Phrygiones veſtes ab aliis factas varibus operibus ornarent & picturis variegarent, Babylonicorum verò Plumarii, diverſos colores picturæ intexendo, uno ſimul in opere eâdemque operâ, totum Babylonicum acu pertexerent & conficerent. Adde quòd id, quod in pulvinari aut veſte *pinxerant* Phrygiones, ita expreſſum in veſte extaret, ut extra veſtem emineret; & quâ parte inſutum aurum aut colores acu intexti eſſent, eâ parte veſtis aſperior rigidiorque redderetur: Babylonici verò Plumarii unitum ac æquabiliter *pictum* totum ſuum opus darent omniaque ſic exæquarent, ut lævis ac plana ubique totius contexti facies appareret, licèt pluribus coloribus intexta variiſque figuris di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtincta eſſet. Uti verò utrique hi acu, ſic Polymitarii pectine *pingebant*, tantô artificiô & induſtriâ, ut majore ferme varietate eorum opera diſtinguerentur, quàm quæ acu Babylonicâ aut Phrygiâ *picta* eſſent. Unde non dubitat pronuntiare Martialis, *l.* 14. Babyloniam acum Ægyptiaco pectini (inde enim Polymitarii primitùs orti) cedere debere, quod hoc ejus Epigramma 150. teſtatur, cui lemma, *Cubicularia polymita.*

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa eſt
Pectine Niliacô jam Babylonis acus.

Sed de his omnibus plura vide ſuis locis.

PINGIANUM, urbs provinc. Xamſiæ, in Imperio Sinarum, perampla & probè culta, juxta fluvium Fuenum, in planitie fertiliſſima; ſub qua 33. Urbes.

PINGIVA, urbec. munita Queicheæ provinc. in confinio Suchuenſis provinc. Imperii Sinici. M. Martinius *Atl. Sin.*

PINGLEANUM, urbs quarta Xenſiæ provinc. Sinicæ, ad radices montium, prope fluvium *King*. Cui ſubſunt novem urbes minores, Martinius, *ibid.*

PINGLUM, ſeu *o*, urbs ampla Quanſiæ provinc. Sinicæ quarta. Ad fluv. *Ly*, intra colles; ſub qua 7. Urbes. Idem.

PINGUE Candidum, apud Plinium, *l.* 37. *c.* 6. ubi de Sardonyche gemma, *Sardonyches olim, ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt, velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroque tralucido, taleſque Indicas eſſe tradunt* —— *hi quidem duo reliquas omnes, quæ non traluceant, cæcas appellantes, quæ nunc nomen abſtulêre.* Indigitare vult, Indicas Sardonyches olim, quæ candorem in rubro habebant, & utrumque tralucidum, omnium optimas judicatas: at ſuô ævô cæcas illas Sardonyches, ac minimè tranſlucentes, in pretio eſſe, & nomen ſibi ſolis Sardonychum vindicâſſe. Pergit, *Nullô Sardarum veſtigiô Arabicæ ſunt. cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigrâ aut cœruleum imitante & ungue minium incretum* candico pingui, *nec ſine quadam ſpe purpuræ in minium tranſeunte.* Ubi *candidum pingue* vocat, craſſiùs nitens, cui *candorem gracilem & liquidum* paulò pòſt opponit. Sic Idem *pinguem lucem* alibi vocat, & *pingues carbunculos*, qui pinguiùs lucebant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 558. ut & ſuprà voce *Medulla*, it. *Obeſi*, & infrà *Plena luna.*

PINGUS, fluvius Myſiæ ſuperioris. Plin. *l.* 3. *c.* 26. in Danubium ſe exonerans.

PINITUS, Epiſcopus Cnoſſius, in Creta inſula. Floruit ſeculô 2. Ad Dionyſium Corinthium ſcripſiſſe tractatum quendam dicitur; Hieron. *de Script. Eccleſ.*

PINIUS & PINNIUS, nomen Romanum: In veterib. *Inſcr.* habetur *L. Pinnius Celer* & *Lucius Pinnius Celſus.* Etiam cognomen, apud Capitolin. *in Opilio Macrino, c.* 4. *Verba denique Aurelii Victoris, cui* Pinnio *cognomen erat.* Ita Palat. cùm vulgò legatur, *qui Primo cognomen erat.* Regius codex, *cui Pinio*, præfert. Nimirum in Inſcriptionibus Gruterianis decem ampliùs occurrunt Aurelii Victores, qui ipſimet ſubinde aliud adhuc ſibi adſumebant agnomen. Quemadmodum in Epigrammatis Orbis Rom. occurrit, *Aurelius Victor Augentius, Aurelius Victor Frontinus.* Alius itaque hic ab Aurelio Victore, cujus opuſculum *de vitis Auguſtorum* elegantiſſimum publicavit Andreas Schottus. Vide Caſaubon. Gruterum & Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.*

PINKENIACUM, ſeu PINQUINIACUM, locus Galliæ ad fluv. Suminam, non longè ab urbe Ambianis, Vicedominatûs ejus Eccleſiæ titulô inſignis, vulgò *Piquigny.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PINNA, urbs Epiſcopalis Veſtinorum in Italia, qui Prægutiis finitimi magis ſunt Orientales. Populi *Pinnenſes*, Plin. *l.* 5. *c.* 12. Ejus meminit Silius, *l.* 8. *v.* 518.

Quæ Fiſcelle tuas arces, Pinnamque virentem.

PINNA, caſtrum in finibus Nitiobrigum, à firmis pinnatiſque muris dictum, vulgò *Penne d'Agennois.* A Simone Comite Montis Fortis ad deditionem compulſum eſt, A.C. 1211. Hoc munitiſſimum reddiderat Richardus Angliæ Rex, puteumque in eo fodi curaverat, cùm quaſi caput & clavis eſſet totius territorii Aginnenſis. Item caſtrum fortiſſimum olim in pago Albigenſi, &c. ſimiliter à pinnis murorum appellatum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PINNA, Hebr. סכפיר, an per ſermonis compendium, quaſi סכה חפיר *ſpina foſſaria*, quia his quaſi *ſpinis* aquam *fodit* piſcis & ſulcat? Græcis πτερύγιον, ab *alarum* ſimilitudine. Ut enim pulſu aëris feruntur alæ & ferunt, ita promovent piſces, ſectâ & pulsâ aquâ *pinnulis*, adeoque his volant, ſi qui latiores habent, ut apud Oppianum, *Halieutic. l.* 1. *v.* 428.

Τευθίδες, ἰρήκων τε γένος, βυθίη τε χελιδών.

Etiam *concha margaritifera*, apud Græcos & Romanos. *Iſid.* Characenus in Parthiæ perieget. apud Athenæum, *l.* 13. Φασὶ δὲ, ὅταν βρονταὶ συνεχεῖς ὦσι καὶ ὄμβρων ἐκχύσεις, τότε μᾶλλον τὴν πίνναν κύειν, καὶ πλείστην γίγνεσθαι μαργαρίτην καὶ εὐμεγέθη, *Ajunt autem, cùm tonitrua continua ſunt & imbrium effuſiones, tum maximè* pinnam *concipere & plurimam generari margaritam & ampliorem.* Plin. *l.* 9. *c.* 35. *In Acarnania, quæ vocatur* pinna, *margaritas gignit.* Fortè ex Hebr. פנין *penin*, de quo ſuprà in *Peninim.* Hinc πίννινος λίθος, *pinninus lapis*, pro margarita, in verſione Græca Eſther. *c.* 1. *v.* 6. ut πίννινον ἔριον, *pinnina lana*, qua de infrà. Et Græci alicujus Interpretis verbum πίνωσις, *margarita* redditur, Proverb. *c.* 25. *v.* 12. Indidem Veteres πινικὸν vel pro ipſa *pinna* ſumunt, vel potiùs pro margarita; Ptol. *l.* 6. *c.* 7. Σύαγρος ἄκρα Σαχαλιτῶν ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ ἐν ᾧ κολύμβησις πιννικοῦ, *Syagrus arx Sachalitarum, in Sachalite ſinu, in quo piſcatio* pinici. Et *l.* 7. *c.* 1. Κομάρια ἄκρα καὶ πόλις Καρέων ἐν κόλπῳ ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ, *Comaria arx & urbs Careorum, in ſinu Colcho* (hodie *Cochin*) in quo piſcatio *pinici.* Arrianus *in Periplo maris Erythræi*, de Apologo & Ommana Perſici maris Emporiis: Εἰσφέρεται δὲ ἀπὸ ἑκατέρων τῶν ἐμπορίων εἴς τε Βαρύγαζαν καὶ εἰς Ἀραβίαν, πινικὸν πολύ, *Aſſertur ab utroque emporio in Barygazam & Arabiam multum pinicum*, &c. Unde in *Arriano* concha non dicitur πινικὸν, ſed πινίκιον κόγχον. cùm de ſinu Perſico ſcribit, Πλεῖσται κολυμβήσεις εἰσὶν τοῦ πινικίου κόγχου, *Multæ* (ibi) *ſunt piſcationes piniciæ conchæ.* Itaque ex πίννα vel πίνα, quod animalis nomen eſt primò fit πινικὸν, i. e. *margarita*, deinde adjectivum, πινίκιος, unde πινίκιον κόγχον, *concha pinicia* ſeu *margaritifera*, &c. Quòd verò non in *pinna*, ſed ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις πλὴν ἐλάττονι, *in oſtreo quodam pinnis proximo, niſi quòd minus eſt*, margaritas concipi ſcribit *Theophraſtus*, non adverſatur dictis. Jam enim alii obſervârunt, oſtreum hoc *pinnæ* ſimile ſed minùs eſſe pernam pinnæ ſpeciem, quam hiantem ait Plin. *l.* 32. *c.* 11. in arena ſtare defixam, velut ſuillô crure, unde illi *pernæ* nomen. A' quo *perlæ* vulgare vocabulum. Tandem tamen *perna* & *pinna*, tam pro margarita, quàm pro oſtreo, uſurpari cœptum. Pandectarius, *Perna quid eſt? Eſt lapis margarita.* Item *Hager allulu* Arab. *ſive alba margarita vel perna eſt, quæ in oſtreis reperitur.* Et rurſus, *Pina Græcè piſcis, in quo margarita generatur: interdum pro ipſa margarita dicitur.* Ubi obiter nota, *pinam* ſcribi pro *pinna.* Nam verè Pandectarium ita ſcripſiſſe, docet literarum ordo. Sic in Arriano & Ptolemæo conſtanter legitur, πινικὸν pro πιννικὸν, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroiz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 6. & hic paſſim inprimis infrà in voce *Pinnicum*, ubi oſtendemus, non margaritarum ſolùm fœtu, ſed & lanâ ſeu vellere, *Pinnam* pretioſam eſſe. Non omittendum tamen, quod legimus, de *Pinna*, apud Plin. *l.* 9. *c.* 42. *Concharum generis & pinna eſt. Naſcitur in limoſis, ſubrecta ſemper, nec unquam ſine comite, quem pinnoterem vocant, alii pinnophylacem. is eſt ſquilla parva: alibi cancer dapis aſſectator. Pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus præbens. Aſſultant illi protinus, & ubi licentiâ audacia crevit, implent eam. Hoc tempus ſpeculatus index morſu levi ſignificat, illa ore compreſſô, quidquid incluſit, exanimat partemque ſocio tribuit* &c.

PINNACELLA, in ſummis trichoris domuum nobilium, vulgò dicuntur Gallis, in modum bandi vel vexilli ductæ ex ære laminæ verſatiles, cognoſcendo flatui ventoque ſpiranti; unde *Gyrouëtas* etiam vocant, à *gyrandi* ſignificatione. Quibus reſpondent Græcorum ἀκρωτήρια, h. e. *faſtigiorum ornamenta*: namque *pinnacella* eſt ἀκρωτήριον. Sic Andronicus Cyrreſtes, qui octonarium ventorum numerum & partitionem inſtituit, turrim marmoream Athenis collocâſſe legitur octogonon, & in ſingulis lateribus ſingulorum ventorum imagines exſculptas contra ſuos cujuſque flatus deſignâſſe, ſupra turrim autem poſuiſſe metam ex marmore, cui Triton æneus impoſitus ad omnem venti auram verſatilis, virgam manu tenens, ac porrigens indicabat, quis ventus flaret. Ad quod exemplum hodie in ſummis ædium faſtigiis & Templorum obeliſcis gallus gallinaceus ex ære imponitur, qui, ſemper roſtrum contra ventum flantem converſum habens, hôc eum modô indicat. Nam caudam ejus latiorem ventus, qui flat, verberans & impellens, roſtrum avis adversùm ſe conſiſtere cogit. Sed & ad ornatum ac inſigne *Pinnacella* addi ſolent; quemadmodum olim Victoriolæ & Deorum ſimulachra apud Romanos, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1245. & 1246.

PINNÆ, in avibus, extimæ pennæ ſunt, ſicut intimæ plumæ. Appulejus, *in Floridis*, *Color pſittaco viridis & intimis plumulis & extimis pinnulis*: ad quem locum vide Salmaſ. *Exercit. Plin. p.* 1014. E' cujuſmodi *pinnis* Muſas coronam habuiſſe, docet Pauſan. *l.* 9. Quippe memorant, Acheloi filias, ſuaſu Junonis auſas eſſe Muſas provocare in certamen cantus. At Muſas victrices victis *pinnas* ex alis convulſas & in ſpeciem coronæ coactas, ſuis capitibus impoſuiſſe, argumentum victoriæ & quodammodo in ſpeciem tropæi. Sed & Aſopico Orchomenio filio Cleodami Stadii curſori & victori, è *pinnis* dat coronam Pind. *Ol. Od.* 14.

Ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
Πτεροῖσι χαίταν.

Aliàs *pinnæ* avium, ſuper alia ornamenta, galeis addi conſuevêre, uti de galea Annibali miſſâ, à gentibus Oceani, refert Silius Italicus, *l.* 2. Imitatione veterum Ægypti Regum, qui modò arborem, modò redolentia unguenta, augendo decori, honori, fortè & ſuperſtitioni, geſtâſſe leguntur. Cujus generis ferè ſunt illa κράνη καὶ πτερὰ βαφαῖς κοσμούμενα, *galeæ & pinnæ coloribus tinctæ*, quas habuiſſe in manibus Achæorum mulieres, ut earum aſpectu milites ad pugnam incitarent, ait in *Philopœmene* Plut. Inprimis criſta gladiatorum, qui *Samnites* dicebantur, *pinna* vocata eſt: quibus proin Retiarii oppoſiti, *Pinnirapi* ſunt appellati, quòd acutam hanc galeæ ſummitatem *rapere* niterentur, Voſſ. *Etymol.* Sed & *pinnæ phœnicopteri*, ructantibus apud Romanos ori indebantur, quò ſtomachum repletum ſic provocarent ad vomitum hi gulones, Sueton. *Claudio*, *c.* 33. Unde Martial. *l.* 3. *Epigr.* 82. *in Zoilum*, *v.* 8.

Stat exoletus, ſuggeritque ructanti
Pinnas *rubentes, cuſpideſque lentiſci* &c.

De *pinnis* Curſorum, dicemus infrà voce *Pinna*; Piſcium, ubi de *Piſcibus carentibus ſquammis* ſeu *pinnis.* Plura verò hanc in rem vide apud Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 18. *l.* 6. *c.* 20. & *l.* 10. *c.* 16.

PINNÆ Murorum, apud Statium, *Theb. l.* 7. *v.* 449.

—— *fortuito ductæ quater aggere pinnæ:*

Scholiaſti veteri *faſtigia murorum* ſunt; *pinnum* enim antiquos acutum dixiſſe, auctor eſt Iſidor. *l.* 11. *c.* 1. Servio *eminentiæ murorum*, *ad Æn. l.* 4. Græcè πτερὰ, & πτερώματα. Quidquid enim extremum eſt aut ſummum in aliqua re, ſic illi appellârunt.

larunt. Hinc in corona caſtrenſi apud Romanos *pinnæ* effigiatæ ſunt, in rotunditate videl. laminæ coronariæ, ut hôc pactô indigitaretur, geſtorem talis coronæ primum omnium obſeſſæ urbis murum aſcendiſſe. Pro ipſis dein muris *pinnæ* ſumi cœpêre, ut apud Statium, *d. l.* & Virgilium, *l. 7. Æn. v.* 158.

—— primaſque in littore ſedes
Caſtrorum in morem pinnis *atque aggere cingit.*

Etiam pro valido muri fundamento. *Ammianus; propugnaculis inſiſtebant & pinnis.* Unde *conſepire pinnis*, Græcè ἐριγκῶσαι, apud Appulejum, *Apologet. extr. Si Philoſophiæ honorem, qui mihi ſalute meâ antiquior eſt, nuſquam minui, imò contra ubique conſeptum pinnis tenui* &c. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin.* ubi de ſeptis, quibus Gentiles aras ſuas includebant, *p.* 142.

PINNATÆ Literæ, dicebantur olim infauſtæ rei nuntiæ, ſicut *Laureatæ* felicia omnia referebant. Ut res lætas enim & benè geſtas nuntiaturi, non ſolùm cum tabellis laureatis, ſed etiam ſummis haſtis laurô veſtitis veniebant: ſic è contrario, qui res turbidas & improſperas, aut novos motus, in provinciis excitatos aut bellum nuntiabant, rei triſtis indicium, *pinnis* in ſummo haſtarum lancearumque fixis, præferebant. Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 149.

—— Tanquam è diverſis partibus orbis,
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pinnâ.

Ad quæ verba vetus Scholiaſtes, *Anteà*, inquit, *ſi quid nuntiabant Conſules in Urbem, per epiſtolas nunciabant: ſi victoria nuntiabantur, laurus in epiſtola figebatur: ſi autem aliquid adverſi*, pinna *figebatur.* Idem tradit Servius, *l.* 9. *Æn. v.* 473. *ad illud,*

—— Pinnata per urbem
Nuncia fama ruit:

Quidam volunt ideo hic famam pinnatam à Poëta inductam, quæ tumultum & res adverſas nuntiet, ut illud tangere videretur; quòd, qui bellum nuntiaret, pinnatas literas *diceretur adferre.* Ubi non audiendus Vir doctus, qui literas illas ideò *pinnatas* dictas fuiſſe vult, quòd tantâ celeritate deferrentur, ut *Pinnas* habere & volare crederentur: cùm ſic dicerentur, quòd ferrentur à militibus, qui *pinnas* in ſummo haſtarum fixas gerebant, in rei malè geſtæ aut belli imminentis, ſignum, hinc ipſi πτεροφόροι, *pinnigeri* dicti: Iſtiuſmodi *pinnarum* quoque meminit Statius, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 88.

—— Quæ laurus ab Arcto.
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Iſtri,
Quid Rheni vexilla ferant, quantum ultimus orbis
Ceſſerit, & refluô circumſona gurgite Thule.
Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaque fumosâ ſignatur lancea pinnâ.

Significans, ex omnibus locis felices nuntios Domitiano adveniſſe, nullum triſtem. Quare autem laureatas haſtas gererent aut laureatas adferrent, qui victorias & res ſecundas nuntiabant, in promtu cauſa eſt: cur verò *pinnis* ſignatas lanceas præferrent, cùm adverſa haberent nuntianda, nihil aliud fortè in cauſa fuit, quàm magnæ cujuſdam & præcipitis celeritatis argumentum; quòd longè majori feſtinatione ſcil. opus eſſet, in perferendis triſtium caſuum eventibus, quàm in ſucceſſibus proſperis nuntiandis. Nam in his nuntiorum tarditas nihil poterat adferre periculi, in illis mora non erat libera, ſed duplicata ferè celeritas requirebatur, ut quamprimum impendenti malo poſſet occurri. Hinc itaque nunciis & literis publicis deſtinati olim milites, ſi quod novi accidiſſet, quòd minùs eſſet proſperum, & ſtatim ad cognitionem Principis deferri oporteret, in ſignum feſtinationis & præcipitandi curſus, *pinnas* in ſummis haſtis figebant: quô ſignô admoniti, qui curſui publico præpoſiti erant, intelligerent, non eſſe ceſſandum, ſed rebus cœteris omiſſis hos quamprimùm abſolvendos & quaſi velocitate *pinnatâ* dimittendos, qui ejuſmodi ſignum gerebant. Nigræ verò fuiſſe *pinnæ* illæ videntur, ad rei triſtis indicium, unde *fumoſam pinnam* vocat Statius, niſi quis *famosâ* legere malit, &c. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Severo, c.* 58. Vide etiam infrà, in *Pterophori.*

PINNICUM ſeu PINNINUM, Græcè Πιννικὸν ſeu Πίννινον, aliquando *pro margarita*, ut vidimus ſuprà, in voce *Pinna*: nonnunquam pro *lanugine*, quà *pinnæ* comant, quamque *vellus marinum* vocat Tertullian. *de Pallio, c.* 3. Græci etiam πίννινον ἔριον & πιννικὸν dicunt. Unde πιννινότριχα πρόβατα apud Conſtantinum, *de Thematibus*, oves, quæ marino velleri ſimilem lanam habent: Καὶ ἕτερα χρυσίζοντα ἔχοντα τοὺς μαλλοὺς οἱονεὶ πιννινότριχας χίλια, ὁποῖον φημίζουσι τὸ χρυσοῦν δέρας ἐκεῖνο τὸ περιβόητον. Nam hujus *pinnici* velleris color aureus: unde & puellæ crinibus ſuis illud immiſcebant, ut magis flavi parerent. Piſides *de pinna*,

Πίννη δὲ ποιεῖ καὶ τριχῶν βλάστην ξένην.
Ὡς ἐξ ἀραχνῶν συμφυῶν τῶν ἐγκάτων.
Ἧς ἡ φεραυγὴς καὶ χλιδῶσα λεπτότης,
Ξανθοῖσι πλοχμοῖς ἐνδεθεῖσα παρθένων
Σπαργῶντας αὐταῖς μαστροπεύει νυμφίους.
Pinna autem facit etiam pilorum germen mirabile:
Ac ſi ex aranearum viſceribus produceret:
Cujus lucida & delitioſa tenuitas,
Flavis cincinnis illigata virginum,
Prurientes in eas conciliat procos.

Nebatur autem ut lana, & ex ea veſtes conficiebantur. Idem Arrianus, quem ſuprà in *Pinna* laudavimus: Ἐν ἑνὶ τόπῳ ἐριονεῖται παρ' αἰγιαλὸν τῆς Ἡλιοδώρου συλλεγόμενον Πιννικόν. Φέρονται γὰρ ἐξ αὐτῆς ἐσθῆτες σινδόνες ἀσεργυρίτιδες λεγόμεναι, ubi ἐριονεῖσθαι eſt *in lanæ modum neri.* Vide quoque Procopium *de ædificiis Juſtiniani.* Sed & ad ellychnia fuiſſe adhibitam Talmudici docent, *tract. de Sabbatho, c.* 2. *Lucernas die Sabbathi non accendunt cedri muſcô, nec ſtupâ lini, neque* τῷ *calch* ſeu *colcha*, quod Bochartus interpretatur *pinnicum.* Marſupium quoque ingens cum aſſitis è *pinna* fimbriis nobilem quendam Virum ſibi oſtendiſſe, teſtatur Caſaubonus, *in Athenæum, l.* 3. *c.* 11. &c. Cur autem *pinna* & aurea ejus lana, Talmudidis כלך *calch* vel כולכא *colcha* nuncupetur, hanc adfert rationem Vir magnus, quòd apud Colchos, ad Orientalem Oceanum habitantes (à Colchis illis πολυθρυλλήτοις diverſos) hodie *Cochin*, multa ſit *pinnici* piſcatio. Ptol. *l.* 1. *c.* 7. in deſcript. Indiæ intra Gangem, Καρέων ἐν κόλπῳ Κολχικῷ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ, *Careorum regio in ſinu Colchico, in quo* pinnici *piſcatio.* Arrianus, *in Periplo*, Ἄλλη παρήκει χώρα &c. ἡ Παραλία λεγομένη, πρὸς αὐτὸν τὸν Νότον, ἐν ᾗ καὶ κολύμβησις ἐστὶν, ὑπὸ τὸν βασιλέα Πανδίονα, πιννικοῦ, καὶ πόλις ἡ λεγομένη Κόλχοι, *Alia ſequitur regio ad Auſtrum ſpectans Paralia* (ſeu littorea) *dicta, in qua pinnici eſt piſcatio ſub Rege Pandione, & urbs Colchi dicta.* Et paulò pòſt de Comari (hodie *Comorini*) regione Colchis proxima, Ἀπὸ δὲ τοῦ Κομαρεὶ ἐκτείνουσα χώρα μέχρι Κόλχων, ἐν ᾗ κολύμβησις τοῦ πιννικοῦ ἐστὶν, ἀπὸ δὲ κατακρισίμων κατεργάζεται, *A Comari regio quædam ad Colchos uſque porrigitur, in qua margaritarum* (ſeu *pinnici*) *eſt piſcatio, cui capite damnati operam navant*, &c. Muſcoſum hoc porrò lanoſumque *pinnæ* capillitium; quod Græci ἔριον, Latini *vellus* & *lanam* appellant, doctiſſimis hujus ævi hominibus *byſſum* placuit appellari, atque etiam nunc *byſſum marinum* vocare non deſinunt, decepti locô Ariſtotelis, *Hiſtor. l.* 5. *c.* 15. ubi βυσσὸς potiùs βυθὸς, i. e. *fundus maris*, qui ferè pinnarum naturalis locus eſt. Nec byſſus lana eſt, ſicut *pinnicum*, ſed linum, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit.* qui ſic habet integer. *Nam & de mari vellera, quô muſcoſæ lanoſitatis lautiores* (princeps editio *plautiores* præfert, i. e. πλατύτεραι, quales pinnæ & omnes margaritiferæ, quæque diptychæ ſunt) *comant.* De hac autem lana *pinnæ* Græci vetuſtiores nihil ſcripsêre, nec ejus meminêre ulli; ante Jubam & Androſthenem, qui pares aut ſuppares certè fuerunt. De ea ſaltem apud Cteſiam nihil extabat, nec apud eos, qui ſcripſerunt de rebus Alexandri, quos *Strabo* & *Diodorus* diligenter evolverant. Talmudici verò doctores, qui Babylone degebant, de mercibus Indiæ ſui temporis potuerunt citiùs edoceri, quàm Græci. Unde & margaritæ, in Græcia diu ignotæ, à Jobo & Salomone diſertis verbis celebrantur: atque ipſum nomen *peninim* videtur ex *pinna* factum; tranſlatô conchæ nomine ad gemmam in eo incluſam. Sam. Bochartus, *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c. c.* 45. E quo & pauca hæc addenda: Et hoc eſt, quòd *pinnam* hirſutam & villoſam deſcribunt priſci Auctores. Androſthenes in παράπλῳ Indiæ, apud Athenæum, *l.* 1. *c.* 13. ubi de concha margaritifera, Indis *Berberi*, Οὐ διέγλυπται δὲ, ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει καὶ δασύ, *Non eſt ſculpta, ſed lævem habet teſtam & hirſutam*, i. e. villoſam quidem, ſed minimè ſtriatam aut inæqualem, aut ſcrabam aſperamque, ut vulgaria oſtrea. Unde Plinius quoque, *l.* 9. *c.* 35. *hirſutam echinorum modô*, nempe marinorum, qui Ariſtoteli βρύττιοι, vocat (à quibus bryttis villoſis dici βρυττίνην ἀμοργὸν, i. e. *bryttinam byſſum*, in Cratini *Malthacis* rectè conjicit Salmaſ. quamvis aliter accipiat *Heſychius*) atque cum his pinnam confert, qui etiam ob id ipſum conchas quaſdam *crinitas*, ac *criſpas* eſſe dixerat, *c.* 33. &c.

PINON, Daciæ oppid. *Ptolem. Phiſtona. Nigro.*

PINPENELLUS, monetæ minutioris Francicæ genus, in *Charta* Philippi Auguſti A. C. 1218. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PINSCUM, urbs Poleſiæ, ampla & culta, ad amnem Pinam, ubi in Pripetium cadit, 19. milliar. German. à Breſtia in Ortum. Sed à Coſaccis capta, poſteà igne vaſtata eſt; *Pinsk*, in Polonia.

PINSIUM, Palatium Romæ eſt ad Collatinam portam, quæ & ob id *Pinſiana porta* dicta eſt. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 16.

PINSORES, vide infrà *Piſtores*, à *pinſendo* dicti. Antiquitus enim cùm nullus adhuc dum molarum uſus eſſet, früges torrebant, atque in pilam conjiciebant pinſendas, id quod tunc molendi erat genus, Servius, *ad Virg. Æn. l.* 1. *v.* 183. Poſteà verò molarum uſus demum à Mylante quodam inventus eſt, ut ex Stephano diſcimus, in voce Μυλαντία. Vide Joh. Meurſium, *Comm. in Lycophronem, verſu*

Μυληφάτου χιλοῖο, δαιδαλευτρίαι:
Adorearum ritè pilumnas opuræ:

PINTHIAS, meliùs PHINTHIAS, apud *Hyginum*, ubi corruptè *Pythias* vulgò habetur, Damonis amicus; quod proin & apud Val. Maximum, *l.* 4. *c.* 7. *ex. ext.* 1. reponendum: Nomen enim Siculum Φιντίας, & fœmininum Φιντὶς. A verbo φιλεῖσθαι, φιλτὸς *amabilis*, unde & φίλτρον *amatorium*, atque hinc proprium nomen Φιλτίας, pro quo Siculi dicebant Φιντίας, ut φίντατος, pro φίλτατος &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 111. & hiſtoriam egregii hujus amicorum paris, in *Damon* & *Pythias.*

PINTIA, oppid. geminum: Unum Hiſpaniæ Tarraconenſis in Vaccæis & regno Caſtellæ veteris *Penafiel Hieronymo Suritæ*, apud Durium fluv. inter Valliſoletum & Arandam 9. leuc. ſed *Cluſio* & *Marianæ* ipſa urbs Valliſoletum eſſe videtur, vulgò *Vallodolid*, urbs ampla, præclara, & Caſtellæ veter. conventus juridicus, ad Piſoracum fluv. qui paulò pòſt in Durium cadit: Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Toletano, Academiâ inſignis, & fuit perſæpe Regum Hiſpaniæ ſedes. In ipſo limite Legionis, 7. leucis à Palentia in Meridiem, Abulam verſus, 15. ſuprà Senticam in Ortum. Ibi obiit A. C. 1506. die 20. Maji Chriſtoph. Columbus, & A. C. 1560. è præcipua nobilitate, ſpectante Rege ipſô, Philippô II. viginti octo viri, ob religionem exuſti ſunt: cùm eodem tempore, & paulo antè Hiſpali, ubi Eccleſia occulta erat, ab A. C. 1555. in plurimos eadem flamma ſæviiſſet, Thuan. *Hiſt. l.* 23. Lætus *Comp.* Alterum in Sicilia exci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſum, in ora Auſtrali, inter Thermas & Selinuntem; ubi adhuc veſtigia durant, teſte *Fazellô*.

PINTIA Nova, urbs Jucataniæ, verſûs oram Sinus Honduræ, ſatis culta, ſub Hiſpan. *nuova Vailadolid*.

PINTIA Nova, ſeu *Comayagua*, urbs Honduræ primaria media ferè inter mare Boreale & Auſtr. in limite Guatimalæ provinc. Haud pridem excitata ab Hiſpanis. Epiſcopalis ab A. C. 1588. ſub Archiepiſcopo Mexicano. In nova Hiſpania.

PINTIA Nova, ſeu *Fanum S. Johannis de Salis fodinis*, urbecula Peruviæ, in provincia Pacamorum, ad radices Andium montium, ſub Hiſpanis.

PINTIA Nova, dicta fuit Guayangarum, urbs ampla, communiùs *Mechoacan*, provinc. cognominis caput in nova Hiſpania. Vide *Mechoacanum*.

PINTIANUS Ferdin. Nonius, Pintiâ Hiſpanus, ex illuſtri Guzmanorum ſtirpe, Bononiæ ſub Philip. Beroaldo Græcis literis operam dedit. Inde reverſus, in Hiſpaniam primus linguæ hujus uſum attulit; Ximenii pòſt Cardinal. gratiâ adjutus, eam publicè in Academia Toletana, Alcalæ de Henares, docuit; ut & in Salmanticenſi poſt hæc, totius Hiſpaniæ celeberrimâ. Scripſit *Commentarios in Plinium*, *Melam & Senecam*, *populares ſuos*, quorum primus inſignitè laudatur Sepulvedæ & Adriano Junio. Cœterùm cœlebs, & aquæ potor, nullô Medicinæ uſu, octuagenariô major, obiit A. C. 1552. Quenſtedius *de Patriis Illuſtr.* Vir. & Anton. Teiſſier, *Elog. Part.* 1. quorum ille, hæc ſolùm verba ſepulchro inſcribi voluiſſe, *Mors maximum vitæ bonum eſt*, memorat.

PINTON, inſula inter Sardiniam & Corſicam.

PINUS, Numæ fil. à quo *Pinarios* Herculis ſacerdotes ortos vult *Plutarchus*.

PINUS, Cybelæ ſacra, propter Attidem vel Atym, puerum formoſum, qui ipſi in delitiis erat; ſub illa caſtratum jacentemque, quam hiſtoriam fusè narrat Servius, *ad Æn. l. 9. v.* 116. vel in eam converſum, ut fabulatur Ovid. *Met. l.* 10. Ita autem ipſa Cybele, apud Virgilium, *loc. cit. v.* 85.

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos.

Ubi Servius modò dictus: *Pinus*, inquit, *in tutela Matris Deûm eſt*: Et, in *v.* 116. *Mater magna inſtituit, ut quotannis in ſacris ſuis plangeretur*, Pinumque *arborem, ſub qua jacuerat, tutelæ ſuæ adſcripſit, & effecit, ut cultores ſui viriles partes ſibi amputarent, qui Archigalli appellantur.* Arnobius, *contra Gent. l.* 5. *Quid ſibi vult illa* Pinus, *quam ſemper ſtatis diebus in Deum Matris intermittitis ſanctuario? Nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus infelix adolecentulus intulit & Genitrix Divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit.* Meminit ejuſdem Claudian. *de Rapt. l.* 1. *v.* 201.

Hîc ſedes auguſta Deæ, templique colendi,
Religioſa ſilex, crebris quam Pinus *obumbrat*
Frondibus. ——— ———

Statuebatur ergo in ſacris Cybeles & Attidis *Pinus*, in memoriam ejus, ſub qua ſe Attin caſtraverat: ramique ejus coronabantur, quòd ſic Cybele arborem honorâſſet. Stipes porrò ejus velabatur lanâ, quòd Cybele exanimati Attidis pectus lanâ, ad teporem ei conciliandum, velâſſet, unde *lanata* Arnobio dicta, *l. c.* ubi tamen alii *pauſata* legunt, ut vidimus. Sicque ea in medio continens ſimulachrum Attidis, ac lanis circumvoluta coroniſque ornata violaceis in ſacris prædictis geſtabatur; Quem ritum δενδροφορίαν dixêre, teſte Strabone, *l.* 10. & qui geſtabant, *Dendrophoros*, ut, *l.* 12. *de pagan. ſacrif. & templ.* Item, *l.* 1. *de Centonariis & Dendroph. in Cod. Theod.* Vide ſuprà in ea voce. In geſtatione autem planctu & ululatu ei pectus ſuum illidebant Galli. Statius, *Theb. l.* 10. *v.* 170. & *ſeqq.*

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferrô
Scire vetat: quatit ille ſacras in pectora Pinus,
Sanguineoſque rotat crines. ———

Eidem & abſciſſa virilia illiſiſſe ſeu imagini Attidis, quæ in pinu, docent Acta Symphoriani Martyr. *In cujus* (Matris Berecynthiæ) *ſacris exciſas corporis vires caſtrati Adoleſcentes infauſtæ imagini exultantes illidunt.* Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 279.

Cymbala ferre licet, pectuſque illidere Pinu
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Cædebatur ea *Pinus* ex luco pineo Cybelæ ſacro, de quo Dea ipſa, *Æneid. l.* 9. ut viſum, & Prudentius, *in Martyre Rom. v.* 196.

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem.
Per triſte vulnus, perque ſectum dedecus,
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ:
Per multa Matris ſacra plorandus ſpado, &c.

Vide Gerh. Jo. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 1. *c.* 20. & *l.* 2. *c.* 53. Thom. item Dempſter. *in Antiqq. Roſini*, *l.* 2. *c.* 4. Sed & Cerori dilecta *pinus*. Tradit enim *Stephanus*, hanc arborem primùm natam eſſe, apud Miletum Cariæ urbem, &, propter ſtirpis antiquitatem, ramum pinus ſacris Cereris adhibitum, in voce Μίλητος. Pani item, & Neptuno, cui apud Iſthmum templum fuiſſe ἄλσει πιτυώδει συνηρεφὲς, ὅπου τὸν ἀγῶνα καὶ Ἰσθμίων Κορίνθιοι συνετέλουν, *lucô pineô contectum, ubi certamen Iſthmiorum Corinthii peragebant*, refert Strabo, *l.* 8. Vide ſuprà ubi de *Pinea corona*. Cœterùm *Pinum* dat magnô numerô Polonia, Germania, eamque maritimam, montanam, ſylveſtrem, *Matthiolô* ſylveſtrem tantùm ac hortenſem agnoſcente; quarum iſta altiùs aſſurgit per culturam, craſſior evadit, inferiùs ſtolonibus caret, ſuperiuſque ramoſiſſima eſt: folium ipſi tenue, longum, durum, aculeatum, binis ex apice inſtar capillamenti prodeuntibus. Ex illa naves confici ſolitas, indicat illud, quòd *nautica* dicta eſt Virgilio, *Ecl.* 4. *v.* 38.

Cedet & ipſe mari vector; nec nautica Pinus
Mutabit merces. ——— ———

Hinc naves Æneæ ad dominum ſuum, *Æn. l.* 10. *v.* 230.

Nos ſumus Idææ ſacro de vertice Pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, claſſis tua ——

Ad claves etiam electam Veteribus, Virgilius docet, *l.* 3. *Æn. v.* 669. ubi de Polyphemo,

Trunca manum pinus *regit & veſtigia firmat:*

& Statius, *Theb. l.* 2. *v.* 619. ubi de Chromide Cadmæo,

Pinea nodoſa quaſſabat robora clavâ.

Ubi bene addit, *nodoſæ*. Nam *pinus alioquin non apta talibus ob infirmitatem*, Scholiaſt. At nodoſa ejus ligna duriſſima ac durabiliſſima. Imò & Inferis ſacris adhibitam atque inter ferales arbores cenſitam, diſcimus ex eodem, *l.* 4. *v.* 459.

——— *tibi Rector Averni*
Quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras
Pineus ——— ———

Quia facilè ardet (reſinoſa enim eſt) quia gravem flammam habet, quia odorem magnum facit, quia cupreſſui ſimilis eſt, ut ait Scholiaſtes vetus. Adde, quia poma ejus per fraudem cadentia interimunt, ut loquitur Servius, *in Æn. l.* 2. ubi & in tutela Fraudum atque Inſidiarum eam collocat. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium, d. l.* uti de eadem ad ſaccharum condiendum infrà, ubi de eo: it. in Virginum inprimis rogis uſurpatâ, infra itidem voce *Rogus*. Nux ejus, *Strobilus* dicta, quæ magna eſt, ſquamâ liqueſcente compacta, nucleô candidô, longiuſculô & dulci, membranâ involutô, Auguſtæ Vindelicorum inſigne eſt, viridis nempe *ſtrobilus*, *in ſcuto rubro & candido*: qua de re vide M. Welſerum *de inſignibus Auguſtæ Vindel.* Impoſitus is eſt columnæ capitulo, cujusicunculam quidam turritam fingunt, quô Cybelem olim hîc cultam innuere videntur; alii tamen Coloniæ aut Provinciæ illam eſſe imaginem, malunt. Vide quoque Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 4. & infrà voce *Strobilus*: it. voce *Poma*, ubi quæſtionem, *An pinea nux pomum ſit*, lepidè deciſam habes. Attidem cum *Pinu* Inſcriptiones antiquas ſæpè exhibere, Voſſius habet, *l.* 1. *c.* 20. *cit.* &c.

PINYTHUS, Cretenſium Epiſcoporum clariſſimus, A. C. 176. Cnoſis ſedit. Item nobilis Grammaticus Romæ unà cum Epaphrodito liberto Neronis.

PINZON, Thraciæ oppid. *Procopius*.

PION, unus ex Herculis poſteris, Pioniæ, quod oppidulum eſt Myſiæ, juxta Caycum, conditor: è cujus ſepulchro, quoties oppidi incolæ ei ſacrificabant, fumum exiiſſe narrat Pauſan. in Bœoticis, cùm ait: *Exin proxima ſunt Oedipi filiorum ſepulchra. Ad ea, quæ fiunt ſacra, etſi ipſe non ſpectavi, narrantibus tamen fidem habui: Ajunt enim Thebani & aliis ex iis, qui Heroës vocantur, & Oedipi filiis inferias à ſe mitti. His certè dum adolent, cùm flammam, tum emiſſum ex ea fumum, in duas partes diſcedere. Id ego ut crederem, facilè me adduxit, quod in Myſia, quæ ſupra Caycum eſt, vidi. Eſt ibi modica Urbs*, Pionia *appellata: cujus conditorem* Pionem, *de poſteris Herculis unum, perhibent. Huic cùm parentant, ſponte fumus è ſepulchro exilit: hoc ipſe, dum accideret, vidi.* Fumum hunc Cardanus, *de Subtil. l.* 18. vel dolò malò excitatum eſſe, vel ſub ara ſuppoſitô canali ad ſepulchrum tendente, atque in canalis origine, bitumine aut ſtyrace, aut thure, ve alia, quàm quæ in altari adolebatur; vel aquarum exemplò, è tumulo erupiſſe, contendit. Licetus verò veriſimilius exiſtimat, eum prodiiſſe de lucerna quapiam ſubterranea admirabili, quæ multos per annos anteà exardeſcens, tunc quà data cauſa, extincta, fumum denſiorem uberioremque, ut in Lucernarum extinctu ſolet, exhalaverit per ſepulchri rimas, ad apertum aërem. Conſuetum enim vetuſtioribus, viris Nobilibus inprimis Principibuſque, qualis *Pion* oppidi conditor Herculiſque tradux, morem fuiſſe, ut in ſuis monumentis Lucernas, abſque novi fomitis adjectione per multa etiam ſecula ardentes, haberent, notum eſt, *de Lucernis Antiqq. l.* 1. *c.* 19. ſub cujus finem addit: *At quæ ratio aptior, ſi dicamus, è Pionis tumulo fumum halare de Lucerna ſub eo accenſa? Non quidem de fomite Lucernæ, verùm de materia, tempore ſacrificii Aræ impoſita, quam propinqua lucernæ flamma reſolverit in fumum? Vel etiam, quidni materies illa, flammam in Lucerna detinens, tenuem ac exilem ſui halitum emiſerit, qui ſpectaretur tunc ab hominibus, aciem viſus acriùs intendentibus, in actu ſacrificii, ad Aræ partes.*

PION, mons Ioniæ apud Epheſum, in quo S. Timotheus Epiſcopus à populo lapidatus, ſepultus fuiſſe dicitur.

PIONIA, *Straboni*, *Pioniæ* Plinio, *l.* 5. *c.* 30. & Pauſan. *l.* 9. oppid. Æolidis ad Caicum fluv. populi *Pionitæ* Plinio, *ibid.*

PIOR, Monachus inſignis, cùm de domo patris ad philoſophiam converſionis exiret, promiſit denuo, nullum ſe propinquorum fore viſurum. Poſt 50. verò annos, cùm ſoror ejus ipſum videre vellet, non ceſſabat donec eum inſpiceret: quam dum Epiſcopus loci jam grandævam propterea videret affligi, ſcripſit præſulibus eremi, ut Piorem mitterent. Ille autem obediens, & quendam aſſumens, venit ad patriam. Cumque ad januam domûs ſuæ acceſſiſſet, adventumque ſuum nunciâſſet, veniente germanâ, clauſis oculis dixit: *Ecce ego ſum Pior, quantum vis, ô ſoror, aſpectu ſatiare.* Tum illa, gratiis actis, Deum laudavit. At ille, oratione facta, rediit in eremum. Is verò ambulans comedebat; cur autem id faceret, à quodam interrogatus, ita reſpondit: *Non, inquit, volo veluti neceſſariâ uti cibô, ſed tanquam extraneum aliquid agere.* Pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pro qua re ab alio rogatus, ait; *Nedum comedo, anima voluptatem ſentiat corporalem.*

PIPA, Gallieni, Imperatoris concubina, Salonini ex eo mater. Trebellius Pollio in *Gallienis, c.* 3. *Tam variæ item opiniones ſunt de Salonini nomine, ut, qui ſe veriùs putant dicere, à matre ſua Salonina appellatum eſſe dicant, quam is perditè dilexerit,* Piparam *nomine, Barbarorum Regis filiam.* Ubi quam *Piparam* vocat, *Pipam Victor* uterque nominat, filiam Attali Germanorum Regis, *Aurelius Victor Schotti*; alter Marcomannorum: tutiùs *Trebellius, Barbarorum.* Sic librô ſequente appellat *mulierem Barbaram,* non uxorem Gallieni: quæ tamen pro uxore habita & Auguſta, ſed non creditæ ſunt nuptiæ, quas civis Romanus cum peregrina contraxiſſet. Videtur quidem Saloninam *Aur. Victor,* ſeu uxorem Gallieni, diverſam facere ab ejus concubina, quæ *Pipa* nomen habuit & barbari Regis fuit filia, cùm ait: *Inter hæc ipſe popinas ganeaſque obiens lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat, expoſitus Saloninæ conjugi atque amori flagitioſo filiæ Attali Germanorum Regis Pipæ nomine.* Sed docet Salmaſ. deeſſe vocem unam *Aurelio,* quam ex Hiſtorica fide aliorumque Scriptorum auctoritate, ſic reſtituit: *Expoſitus Saloninæ conjugis atque concubinæ amori flagitioſo, filiæ Attali Germanorum Regis, Pipæ nomine.* Atque ita planè habet vulgarius Victor, qui, ab illo altero Victore mutuatus, mutatis aliquot verbis, nonnullis etiam additis, ita ſcripſit: *Amori diverſo pellicum deditus, Saloninæ conjugis & concubinæ, quam per pactionem, conceſſâ parte ſuperioris Pannoniæ, à Patre Marcomannorum Rege matrimonii ſpecie ſuſceperat,* Pipam *nomine.* Vide Salmaſ. *ad loc.*

PIPA, vide ſuprà *Clericus pipa.*

PIPARIA Salonina, eadem cum *Pipâ.*

PIPATA, aucupii genus Gallis, de quo vide ſuprà *Noctua.*

PIPER, Græcè Πέπερι, arbor in India naſcens, cujus quidem hodie notiſſimus fructus, olim verò admodum placuit ſolâ ſuâ amaritudine, & *pondere emptus* eſt, *ut aurum & argentum,* Plin. *l.* 12. *c.* 7. Ob quam aromatis hujus raritatem ac pretium, per excellentiam, vox hæc pro quibuſvis aromaticis ſpeciebus uſurpata eſt, Auguſtino, *de Morib. Manichæorum, l.* 2. *c.* 13. Hieronymo item, qui *Ep. ad Euagrium, Omne,* inquit, *quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos,* pipere *pretioſius eſt.* Hinc Theodulfus, *l.* 1. *Carm. p.* 148.

> *Hem quantum ſcelus eſt animæ præponere corpus,*
> *Et rem mortalem non moribundæ tibi.*
> *Ancillam dominæ,* piperi *præferre cicutam.*
> *Plumbum auro, gemmis ſordida ſaxa bonis,* &c.

In *Codice Epiſt.* Bonifacii Archiep. Mogunt. *Ep.* 5. 146. & 148. thuri jungitur cinnamomo, coſto incenſoque, quæ omnia vice *Eulogiarum* mitti ſolita. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Optimus ejus proventus eſt in littore Malabarico, deinde in Regno *Java,* præſertim in provinc. Bantamenſi: prætereà creſcit abunde in Jambienſi Sumatræ tractu, Bont. *de Medic. Indic. l.* 1. *p.* 27. apud Auctorem Anonymum *Hiſtor. Geogr. & Civ. Orbis Terr. c.* 10. *de Commerciis.* Ejus exactam notitiam non accepêre Veteres qui tria ejus genera, τὸ μέλαν, τὸ μακρὸν καὶ τὸ λευκὸν, *nigrum longum & album,* in una arbore naſci crediderunt. Qui error ex eo ortus, quòd non admodum diſſimiles ſint plantæ, quæ piper longum & quæ nigrum producunt, licèt quidam tradant, hanc cum illa non plus ſimilitudinis habere, quàm fabam cum ovo. Candida autem piperis arbor tam parvô diſcrimine diſtat ab ea, quæ nigrum fert piper, ut à ſolis indigenis queat internoſci: ut proin non mirum ſit, Veteribus indiſcretas haberi. Solus eorum *Theophraſtus* diſertè hæc genera diſtinxit & nigrum piper à longo diſcrevit. At *Dioſcorides* & alii ex longo pipere rotundum piper candidum, nigrumque fieri tempore & maturitate, tradunt. Quod ſi verum eſſet, pipere longô nigrum, utpote perfectum maturumque, validius eſſet cenſendum ac potentius: cùm tamen contrarium obtinere *Theophraſtus* doceat. Hodie in Bengala *longum piper,* quòd ibi tantùm gignitur, *Pimpilim* appellari ſuperiùs diximus in voce hac, ubi etiam origo Græci vocabuli πέπερι indigitata. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1019. & *ſeqq.* ut & *p.* 1186. & 1187. ubi *Piper* Κοττοναρικὸν, ex Cottonara regione in Becaren emporium monoxylis lintribus convehi conſueviſſe, docet ex Solino, *c.* 54. ſuprà quoque *Cubeba.* Hodie autem Cottonara *Calecutium* eſt, ubi piper optimum plurimumque &c. Hinc *Piperarii.* in vetere *Charta,* Gall. *Peuriers,* vel *Poivriers* olim Pariſienſibus, quos poſteà *Eſpiciers,* ſeu *Speciarios* dixêrunt, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Hos *Piper* cœteraſque merces ſuas malorum præcipuè Poëtarum chartis involvere habuiſſe in more, dicemus infrà, voce *Poëta.* De *Pipere* peculiariter id refert, Horatius, *Epiſtol. l.* 2. *in fine* & Martialis, ubi librum ſuum admonet, ne fiat *piperis thuriſque cucullus, l.* 3. *Epigr.* 2. *v.* 5. At *Piper le dé,* Gallis hodie idem quod Græcis olim κακουργεῖν τὸν κύβον, i. e. *improbâ manu talos teſſeraſque jacere,* eâ videl. fallaciâ atque arte, ut, quô quis vellet punctô eas cadere, conſiſterent. Quam in rem eſt illud Martialis, *de Turricula, l.* 14. *Epigr.* 16.

> *Quærit compoſitos manus imbroba mittere talos,*
> *Si per me mittit, nil niſi vota facit.*

Nempe, ut hujuſmodi fraudi occurreretur, pyrgus ſeu turricula excogitata eſt, in qua, antequam inde effunderentur in tabulam, priùs concutiebantur probè tali teſſeræque, unde κύβοι, & διάσειστοι ἀστράγαλοι apud Græcos. Nonnulli inſuper Pſephobolum adhibebant, uti infrà dicemus pluribus, in his vocibus, vide quoque ſuprà voce *Phimus.*

PIPERIS Granum, ob mordacitatem & acredinem, cognominatus eſt, Ekkehardo Juniori *de Caſibus S. Galli* teſte, Notkerus, de quo vide ſuô locô. German. *Pfefferkorn.*

de PIPERNO Renaldus, vide *Renaldus.*

PIPIMISIUM, villa ſeu vicus Galliæ, in pago Briegio; hodie *Poinſy,* ad Matronam fluv. 2. aut 3. mill. paſſ. à civitate Meldorum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PIPINUS, Galliæ Rex, Carolinorum Auctor, Caroli M. pater, Franciæ regnum virtute adeptus, cum ex regio genere natus non eſſet, ob ignaviam ſcil. ejus, qui tum regnabat. Hic Leoni inſidens olim depingebatur, atque ſculpebatur, ut in fronte Eccleſiæ Pariſiacæ cernitur, eò quòd in curte Ferrarienſis cœnobii Leonem occiderat, Monachus Sancti Gall. *l.* 2. *rerum Caroli Magni, c.* 23. Sic in palatio, antequam conflagraret, factum è lapide Caroli Magni patrem pueri videre meminimus, inquit Hadr. Valeſ. in *Ferrariæ.* Conditor fuit ſecundæ familiæ Regum Francorum (quæ tamen non ab eo, ſed à filio ejus Carolo M. denominata, *Carolovingorum* ſeu *Carolinorum* accepit nomen) præcipuumque Pontificiæ poteſtatis jecit fundamentum. Ravennenſi Exarchatu Pontificiæ ſedi donatô, cujus rei teſtis eſt marmorea Romæ tabula hodieque conſpicua: PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. VIAM. APERUIT. ET. EXARCHATUM. RAVENNÆ. CUM. AMPLISSIMIS. &c. Cætera enim delata. Quæ donatio poſtmodum à Carolo M. non modò confirmata, ſed amplis etiam Regni Longobardici acceſſionibus adaucta eſt, ſic tamen ut jura Majeſtatis ac poteſtatem eligendi Pontificis ſibi reſervaret, *quibus rebus,* inquit Bodinus, *non modò libenter Pontifex annuit, ſed etiam ut* Pipinus *Imperatorem ſe appellaret, penè perſuaſit.* Intereà certum, liberalitatem hanc *Pipini* Carolique Imperio Romano quod in Occidente feliciter iterum emerſerat, maximopere fuiſſe damnoſam, quippe quæ anſam Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis dedit, non ſolùm ſupremum terrarum ſuarum jus obtinendi, ſed ad univerſi etiam Orbis dominium aſpirandi. Vide Fellerum, *Not. ad Georg. Hornium, Orb. Imp.* & ſuprà voce *Pepinus.*

PIPINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

PIPIO, Græcè πίπος avis pullus: ſicut ex βαμβαλος *bambalio,* ex ἄρδαλος *ardalio* ſeu *ardelio,* ex λίνυφος *linyphio,* orta. Apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 41. *pipiones,* palumbini ſunt pulli, ut *pulliceni,* gallinacei & pavonini: *Nam aviaria inſtituerat pavorum ——— maximè palumborum, quos habuiſſe ad viginti millia dicitur: & ne eorum paſtus gravaret annonam, ſervos habuit vectigales, qui eos ex ovis ac pullicenis ac* pipionibus *alerent.* Sic Matth. Salvatico *ſunt pulli columbarum, & eſt nomen,* inquit, *formatum à proprio ſono animalis,* &c. Turturini pulli ita vocantur in veterib. *Gloſſ. Pipiones,* τρυγονίοσαι. Galli in ſuo idiomate vocem retinent, ſed pro ipſis uſurpant columbis: *pipiones* enim *pijons* dicunt, extritâ mediâ literâ quod illis ſolenne eſt in omnibus vocibus, quas mutuantur de Latino. Nec omittendum, etiam minores grues *pipiones* dici, Plinio, ubi alii malè *vipiones* legunt. Salmaſius *ad loc. cit.* Imò & accipiter *pipio* ac inprimis *pipiunculus* dicitur. Joh. de Janua, *Pipio, reſonare, clamare, accipitrum eſt vel pullorum columbarum.* In *Gloſſis* Pithœanis, *Acceptor tirunculus qui ſcilicet pipit.* Ubi legendum *Pipiunculus Gloſſ.* Reg. *cod.* 1013. habent, *Piunculus.* E quibus in *Gloſſ.* Græco-Latinis Κεγχρὶς εἶδος ἱέρακος μικροῦ, *Titiunculus,* emendat Car. du Freſne legique jubet *Pipiunculus.* Sed & *Pipio,* moneta minutior Hiſpanica, in *Charta* Alfonſi Regis Romani & Regis Caſtellæ A. C. 1258. apud Perardum, item apud Covarruviam, *de veterib. Numiſmatis Hiſpan. c.* 5. *num.* 5.

PIPLA, & PIPLEIDES: item PIPLETES, vide ſuprà *Pimplea.*

PIQUECHINI, apud Guil. Brittonem, *Philipp. l.* 7.

> *At per plana jacent Ribaldi cum* Piquechinis,
> *Et qui res propter venales caſtra ſequuntur:*

Carolo du Freſne videntur dicti quidam, ex infima lixarum calonumque fæce, à curandis canibus, vel potiùs à venatorum miniſtris equitibus, qui canes venaticos ad venationem educunt ac propellunt, quaſi *Pique-chiens:* vide eum *Gloſſar.*

PIRA, pomorum generali appellatione comprehenſa, ab iis in ſpecie dictis, quæ ex μηλέα arbore, ſejunguntur. Virgilio *Georgic. l.* 2. *v.* 87. ubi de Horto Alcinoi,

> *Pomaque & Alcinoi ſylvæ: nec ſurculus idem*
> *Cruſtumiis Syriiſque* pyris *gravibuſque volemis.*

Quæ quomodo condenda, vide Plin. *l.* 15. *c.* 17. condienda, Salmaſ. *ad Solin. p.* 466. Idem Plinius memorat vinum ex iis confectum, *l.* 14. *c.* 16. cujus etiam mentio apud Hieronym. contra *Jovin. l.* 2. ubi *Piraticum* vocat, Galli hodie *poiré* vocant. Sed & ea, objectis inutilibus, in merum ſuccum rediguntur, quem cogunt incraſſeſcere: unde *maſſæ fruſta,* apud Statium, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 18.

> *Et maſſis Amerina non peruſtis,*
> *Et muſtaceus, & latente palmâ*
> *Prægnantes caryotides cadebant*
> *Non tantis* &c.

Vide Caſp. Barthium *ad h. l.* & *Adverſar. l.* 24. *c.* 7. plura verò hanc in rem infrà in voce *Pyra.*

PIRÆA, civitas inſignis, *Amiſus* olim dicta, teſte Strab. *l.* 12. Mileſii eam condiderunt priùs: deinde Cappadocus princeps, ut refert *Theopompus:* poſteà, ab Athenocle & Athenienſibus habitata fuit, & *Piræa* nuncupata.

PIRÆEUS, ſive PIRÆUS, ſeu meliùs *Pyræus,* nunc *Porto di Setine,* ab urbe adjacente, vel *porto Leone,* à Leone marmo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

reo ibi ad litus ſito ad oſtia Cephiſi fluvii, portus Athenarum, 400. navium capax, à Themiſtocle, murô 2. mill. paſſ. urbi conjunctus. Catullus, *Epigr. 65. v. 74.*

——— Curvis è litoribus Piræi.

Propertius, *l. 3. El. 20 v. 23.*

Inde ubi Piræi capient me litora portûs.

Portus Piræei tutiſſimus fuit, unde Stat. *l. 12. Theb. v. 615.*

——— Trepidis ſtabilem Piræa nautis.

Ovidius, *Faſtor. l. 4. v. 563.*

Sunion expoſitum, Piræaque tuta receſſu
Liquit. ——— ———

Idem, *Met. l. 6. v. 446.*

Cecropios intrat, Piræaque litora tangit.

Scylax Caryandenſis; Ὁ δὲ Πειραιεὺς λιμένας ἔχει γ. Ubi Iſaac. Voſſius: *Omnes fermè arbitrantur, Piræeum ideo triplicem dictum, quòd tres portus comprehenderet; nimirum ipſum Piræeum, Phalerum, & Munychiam. Verùm quâ ratione Phalerus, & Munychia, Piræei portus dici mereatur, equidem non video; & prorſus omni id ratione caret. Nam quamvis unô murorum clauſtrô ſepti eſſent, diverſi tamen erant portus, maximôque à ſe invicem diſtabant ſpatiô. Sed disertè docet* Pauſanias, *l. 1. poſt initium*, jam antequam Themiſtocles Phalerum & Munychiam, Piræeo junxiſſet, tres habuiſſe portus; Θεμιστοκλῆς δὲ ὡς ἦρξε (τοῖσι γὰρ πλέουσιν ἐπιτηδειότερος ὁ Πειραιεὺς ἐφαίνετο οἱ προσκεῖσθαι, καὶ λιμένας τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἔχειν τοῦ Φαληροῦ) τοῦτο σφίσιν ἐπίνειον εἶναι κατεσκευάζετο. *Nullus itaque dubito, quin ideo triplex dictus ſit Piræeus, quòd tres diverſæ ſtationes in eo eſſent. Et ſanè, ex his tribus ſtationibus, unam Piræei nomine fuiſſe inſignitam, facilè mihi perſuadeo. Alteram dictam fuiſſe* Κανθάρου, *videtur innuere Heſychius*: Κανθάρου, λιμὴν οὕτω καλεῖται ἐν Πειραιεῖ. *Tertia appellata* eſt Ζέα, *Heſych.* Ζέα, ἡ Ἑκάτη παρὰ Ἀθηναίοις, καὶ εἷς τῶν ἐν Πειραιεῖ λιμένων ἀπὸ τοῦ καρποῦ, τῆς ζειᾶς. Ἔχει δ' ὁ Πειραιεὺς λιμένας τρεῖς κλειστούς. *Ubi rectè* κλειστοὺς *appellat tres hoſce portus, ſive ſtationes; ſeptô namque Munychia continebantur. Ideo Munychiam Rhodiorum urbi comparat*, Strab. *l. 9.* Τὸ μὲν παλαιὸν ἐτετείχιστο καὶ συνῴκιστο ἡ Μουνυχία, παραπλησίως ὥσπερ ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις προσειληφυῖα τῷ περιβόλῳ τὸν Πειραιᾶ, καὶ τοὺς λιμένας πλήρεις νεωρίων. Iſ. Voſſius. *Nic. Lloydius.* Leo præfatus, eximii operis Venetias tranſlatus eſt A. C. 1693. perdomitæ Peloponneſi monumentum.

PIRAICA, regio Oropiorum, in Attica, olim Athenienſibus ſubditorum, *Thucyd.* Nunc nomen & memoria periit.

PIRANUM, oppid. Iſtriæ, poſt Attilæ vaſtationem excitatum.

PIRARIOLUM, oppid. agri Tarviſini.

PIRATA, pro milite maritimo, *ἀπὸ τοῦ πειρᾶν*, i. e. tranſire, vel pervagari. Aſſer Menevens *Epiſt. in vita Alfredi: Rex*, inquit, *Alfredus juſſit cymbas & galeas, i. e. longas naves fabricari per regnum, ut navali præliô hoſtibus adventantibus obviaret. Impoſitiſque* piratis *in illis, vias maris cuſtodiendas permiſit.* Hôc ſenſu *Archipirata*, præfectus eſt nautarum, ſeu Admiralius, ut hodie dicitur. Sic in Charta regis Edgari, A. C. 971. confectâ, teſtium unus, Martuſin *Archipiratam* ſe vocat. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

PIRATÆ, Græcè Πειραταὶ, populi nomen *Ptolemæo*, qui urbes eorum tam maritimas, quam mediterraneas, recenſens, in eorum regione Nitrias quoque emporium collocat, à quo non longè Muzirim emporium, quod proin non expetendum cenſet. Plin. *propter vicinos*, inquiens, *piratas, qui obtinent locum nomine Nitrias.* Quæ eadem loca velut vicina refert Auctor *Peripli*, Κατὰ τὴν λεγομένην Χερσόνησον καθ' οὓς τόπους εἰσὶ πειραταὶ καὶ μετ' ταύτην λευκὴ νῆσος, εἶτα Νιτρία καὶ Τυνδὶς τὰ πρῶτα ἐμπόρια τῆς Λιμυρικῆς καὶ μετὰ ταῦτα Μούζιρις καὶ Νελκύνδα, αἱ νῦν πράσσουσαι. *Juxta Cherſoneſum dictam ubi locorum* Piratæ *ſunt: poſt eum verò Leuce inſula; dein Nitria & Tyndis, prima emporia Limyrices, poſteà Muſiris & Nelcyndas, quæ jam negotiationis laude florent.* An ex eo illis nomen, quod *piraticam* exercerent? Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1185. & 1186.

PIRATICA, olim dedecori non erat, ſed virtutis indicium habebatur. Virg. *Æn. l. 9. v. 609.*

Omne ævum ferrô teritur: verſaque juvencûm
Terga fatigamus haſtâ: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Caniciem galeâ premimus, ſemperque recentes
Convectare juvat prædas & vivere raptô.

Et certè *Piratarum* potentiam ac inſolentiam, ex incuſtoditis maribus, portubus ac Inſulis, ortum habuiſſe, notat Plut. *in Pompejo*, cùm ait: *Piratarum potenia primùm ex Cilicia erupit, originemque habuit audacem & occultam; animos verò & confidentiam bellô Mithridaticô ceperunt, obſequiis regiis accommodantes ſeſe. Deinde dum bellis civilibus Romani ante portas Urbis concurrunt, vacuum cuſtodibus Mare ſenſim illexit illos & incitavit: ut non jam navigantibus modò eſſent infeſti, ſed Inſulas & oppida maritima vaſtarent. Jam pecunioſi etiam, natalibus clari, viri prudentiâ præcellere habiti: naves prædatorias conſcendebant, & ſocietati nomina dabant, quaſi ea res laudem adderet & gloriam. Ad hæc erant* his *multis locis navalia, portus* Piratici *& ſpeculæ munitæ, Pharique, Claſſes incurſitabant, non ſolùm dilecta militum Claſſiariorum & ſociorum navalium Juventute, Gubernatorum arte, navium pernicitate & agilitate ad munus ſuum inſtructæ, verùm etiam ſupra eorum terrorem invidioſus ſtimulabat faſtus: Auratis ſtylidibus, purpureis cortinis, remis inargentatis, quaſi ſceleribus geſtiebant gloriabanturque. Tibiæ cantus compotationeſque per omnia littora, Principum in captivitatem raptus, Urbium redemptiones captarum, ſuggillatio erant Romani Imperii. Erant navigia prædatoria ſupra mille, capta ab illis oppida quadringenta. Inviolata & intacta ante id fana adorti expilârunt, Clarium, Didymæum, Samothracium, Telluris Hermione templum, Æſculapii Epidauri: in Iſthmo, Tænaro, Calauriæ Neptuni, Apollinis in Actio, & Leucade. Junonis Sami, Argis, in Leucadio, Peregrina ſacra illa quæ peraguntur in Olympo, faciebant, myſteria quædam peragebant arcana, quorum Solis Mithrem dicunt, etiam hâc memoriâ manſêre primùm ab illis monſtrata. Majorem in modum Romanis inſultantes, etiam vias illorum excurſione facti infeſtabant & villas maritimas exſcindebant. Corripuerunt aliquando etiam duos Prætores, Sextilium & Bellinum prætextatos, accenſoſque & Lictores cum illis ipſis abduxêre. Capta fuit Antonii viri triumphalis filia, rus proficiſcens & grandi pecuniâ redemta.* Nempe loquitur de bello *Piratico*, à Pompejo confecto, cujus paucis hæc eſt Hiſtoria: Dum Populus Romanus domi ſeditionibus & Cimbricô bellô laboraret, *Piratæ* maria latrociniis vexabant, à M. Antonio Prætore, quem Byzantii adjuverunt, in Ciliciam profligati. Inde cùm majore iterum mole convaleſcerent, ut per Mediterraneum Mare paſſim latrocinarentur à P. Servilio Proconſule per quinquennium in Cilicia variè afflicti ſunt. Pergamenon etiam Archipirata, qui Ciliciam prædabatur, à L. Metello Prætore & mari & terrâ profligatus eſt. Sed cùm ipſorum potentiam per tot annos tres etiam Imperatores frangere non poſſent, *bellum Piraticum* lege Gabiniâ Pompejo permiſſum eſt, ut Inſulas, oras maritimas & Continentem, ad 500. à littore ſtadia, exercitus, claſſes Populi Romani in poteſtate extraordinariô Imperiô haberet: Quam rem is per 15. Legatos aggreſſus, intra 40. diem, ne unicâ quidem nave amiſſâ, feliciter confecit, *ſingularique conſiliô proſpexit, ut maritimum genus à conſpectu maris longè remotum, mediterraneis agris quaſi obligaretur.* Vide L. Ann. Florum, *Hiſt. Rom. l. 3. c. 6.* Aliter Piratarum originem repetit Thucydides, *l. 1. Græci*, ajens, *olim, & Barbarorum quicunque in continente maritimi erant, quique Inſulas incolebant, ubi cœperunt crebriùs alii ad alios navibus tranſire, ad latrocinium converſi ſunt, Ducibus non tenuiſſimis, tum ſui quæſtûs tum infirmorum victûs gratiâ. Atque adorti Urbes murô vacantes, vicatimque habitantes, diripiebant ac maximam victus partem hinc comparârunt, quòd illud opus nondum pudori eſſet, quinimo gloriam quandam afferret; Quod declarant quidam etiam nunc in Continente, quibus decori eſt hoc bene exercere tum vetuſtiſſimi Poëtæ, apud quos illi ultro citroque navigantes interrogantur, num Latrones ſint? Quæ res declarat, nec interrogatos operis pudere, nec eos, quî ſcire ſtudent, exprobrare. Et in Mediterraneis etiam locis homines mutuò prædantur: & adhuc pleraque in Græcia vetuſtus mos colitur ut apud Locros, qui vocantur Ozolæ, & Ætolos & Acarnanas & hanc ipſam Continentem. Quin etiam arma ferre apud hos ex veteri latrocinio permanſit.* Additque poſt pauca, *Hanc publicam fuiſſe vivendi rationem apud Græcos.* Vide quæ de Phocenſibus Juſtinus, *l. 43. c. 3.* de Ulyſſe Homerus *Od.* ψ. de Proculo Vopiſcus, *c. 12.* de Thracibus Herodotus *in Terpſichore*: de Hiſpanis Italiſque *Lacerda*: de Germanis Tacitus, *de Mor. Germ.* de Danis Albertus Crantzius, *Hiſtor. Vand. l. 1. p. 7.* de Scotis Leſlæus *Rer. Scot. l. 1.* de Laconibus antiquis Plut. *in Apophtheg. Lac.* & Xenoph. *in Cyr.* de Tartaris Sigiſm. Heberſtenius, *Commentar. Rerum Moſcovitic.* annotârunt: ut & ſuprà, ubi *de Diodoro Tryphone*, piratici dominatus apud Cilices primo auctore. Quò ipſa Latronum etymologia pertinet, quæ paſſim obvia, & verba Demoſthenis, *Olynth. 2. Latronum vocabulum habet quandam notam fortitudinis, ſiquidem hoſtes ſpoliant.* Mercurium, utpote latrocinantium Deum, præ aliis coluiſſe, docet Herodotus, *l. cit. c. 6. & 7.* Navigia illorum propria Myoparones erant quæ formâ mixtâ ex nave oneraria & longa triremi, accommodata fuêre & expedita ad celeritatem, ſive remis utendum eſſet, ſive velis, hodie *Galeones* vocant: *Lembos* quoque appellârunt, Achilles Tatius *de amoribus Clitophontis ac Leucipp. l. 3.* Curtius, *l. 4.* Heliodorus, *Hiſtor. Æthiop. l. 1.* &c. Sed & veloces, lenunculi, liburnicæ, πλοῖα λῃστρικὰ καὶ λῃστρίδες νῆες Raderus *ad Curtium, l. 4. c. 5.* Vide ſuprà *ſuis locis.* De vocis etymo Scholiaſtes, *Ajace*, Πεῖρα, inquit, Ἀττικῶς δόλος καὶ τέχνη· ὅθεν καὶ πειραταὶ, οἱ κατὰ θάλατταν κακοῦργοι, *Atticè* πεῖρα, *dolus & fraus eſt, unde* piratæ, *qui maleficiis ſuis mare infeſtum reddunt.* Apud recentioris ævi Scriptores non rarò *pirata* occurrit, pro *nauta* vel *milite maritimo*, uti retro diximus. Plura *de Piratica* vide apud Olaum Wormium, *ad Monum. Triſtadenſe*, ubi in gratiam veterum Daniæ Regum, qui in hac arte ſe, aliarum more gentium, exercere ſoliti erant, materiam hanc prolixè perſequutus, inter alia ait; *Piratica, olim honeſta ac licita erat, atque in ea crebrò ſe Reges ipſi aut eorum liberi exercebant, aſcitis famoſioribus athletis, corporis robore & virtute præſtantibus, Conſtabat autem* Piratica *hac certis legibus* &c. Vide quoque infrà *Rapina.*

PIRCKHEIMERUS Bilibaldus, Norimbergenſis, fil. Johannis (Patricii Norici, JCti & Alberti Bavariæ Ducis ac Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ Conſiliarii) viribus corporis ita robuſtus, ut juvenis luctâ, jactu, curſu omnes æquales ſuperârit, ſaltu verò equos altiſſimos ex facili tranſilierit. Juri & Græcæ literaturæ per triennium Patavii ac Ticini operam dedit; inſuper Theologiam, Matheſin, Hiſtoriam & Medicinam ita excoluit, ut in omni hoc ſtudiorum genere cum quovis paria facere haud difficulter potuerit. Reverſus in patriam, Senator lectus eſt A. C. 1596. multaſque mox ad varios Principes Legationes cum gloria obivit. Exin bellô inter Maximilianum I. & Helvetios exortô A. C. 1500. militum copias à Senatu Imperatori miſſas ad eum perduxit, illôque finitô, Patriæ priſtino in loco fideliter conſulendo & Legationes creberrimas ad eundem & nepotem ejus Carolum V. alioſque Principes dexterrimè obeundo plurimùm profuit. Poſt quæ, dimiſſione ex Senatu ægrè impetratâ, totum ſe ſtudiis immerſit, libros optimos quoſque magnô numerô & pretiô collegit, manuſcripta & numiſmata congeſſit, hincque ſtatuarum antiquarum & imaginum intelligen-

genti*ſſ*imus, cum Germaniæ Apelle Alb. Durero intimam & pene quotidianam coluit amicitiam. Inde denuo in Senatum vocatus, Coloniamque ad Cæſarem A. C. 1512. & conventus alios plurimos miſſus, negotia Patriæ ſuæ feliciſſimè expediit, Orator conſummatus, & audientium quorumcunque admirationem meritus. Obiit A. C. 1530. ætat. 60. familiæ ſuæ ultimus, inter plurimos alios, Joh. Franciſci Pici Mirandulæ, Comitis Hermanni Novæ Aquilæ, Comitis Joh. Baronis Schwartzenbergii, & Ulrici Comitis Helienſtenii, amicitiâ inclytus. *Scripſit, Apologiam ſeu Laudem Podagræ, Deſcriptionem Germaniæ ſuperioris & inferioris, Opera Politica, Hiſtorica, Philologica & Epiſtolica in fol. Xenophontem* inſuper, *Ptolemæum, Plutarchum* & *Nazianzenum* Latinè vertit. Melch. Adami *Vitis Juriſconſult.* Paul. Freherus, *Theatro.* Alii.

PIRENE, fons ad radicem Acrocorinthi, Muſis ſacer, cujus aqua ſuaviſſima eſt ad potandum, teſte *Strabone*, Statius, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 26.

Excludat Pimplea ſitim: nec conſcia detur
Pirene. ——— ———

Caballinus fons dicitur Perſio *in Prologo*, *v.* 1. qui *pallidam* quoque ibidem, *v.* 4. vocat. Statius *in Genethliaco Lucani*, *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 1.

Lucani proprium diem frequentes,
Quiſquis collibus Iſthmiæ Dionis
Doctô pectora concitatus æſtrô.
Pendentis bibit ungulæ liquorem.

Idem *Theb. l.* 4. *v.* 59.

It comes Inoas Ephyre ſolata querelas,
Cenchreæque manus: vatum quà conſcius amnis
Gorgoneô percuſſus equô. ———

Ubi Lactantii vetus interpres: *equô Pegaſô, cujus ungulâ percuſſus locus, fontem effudit, qui Hippocrene dicitur: hôc enim fonte qui labra proluerit, poëta fiet.* Similem errorem vides eruditi Grammatici, ei, quem in Perſii Scholiaſte notat magnus Caſaubonus. Quia enim ſciebat, fontem Muſis dicatum Hippocrenem dictum, falsò pro Pirene Hippocrenen hîc hariolatur. Hujus fontis aqua διαυγὴς, καὶ πότιμος dicitur *Straboni*, *Pauſaniæ* quoque πιεῖν ἡδὺς, & apud *Athenæum*, *omnium leviſſima.* Quòd igitur *pallidam Pirenen* vocat Satyricus, vel ad fabulam referendum, & luctum Pirenæ matris Cenchriæ, ex cujus lachrymis fontem hunc manâſſe fabulantur, auctore Pauſaniâ, *l.* 2. vel ad pallorem, quem ſibi etiam ſtudiô, & arte interdum conciliabant iſti famæ negotiatores poëtæ. *Nic. Lloyd.* Vide de hoc fonte inprimis, quæ notat Iſ. Caſaubonus *ad Prologum Perſianum*, Joann. item Paſſeratius, *Lect. ad Propertium*, *l.* 3. *Eleg.* 3. quibus adde Johann. Caſparum Barthium, *Superſtitionum Commentariô*, & *Animadverſ. ad Statium*, *Theb. l.* 4. *v.* 60. Pauſanias aliam quoque fonti huic originem aſcribi refert, *Pirenem* nimir. nympham, dum filium Cenchriam lugeret, per imprudentiam occiſum à Diana, tantum lachrymarum profudiſſe, ut in fontem ſui vocabuli converſa fuerit, *l.* 2. Additque, eum excultum ſpectari candidô marmore, exciſis in id cellulis, è quibus, tanquam è ſpelæis quibuſdam, in patulum & ſubdialem alveum cadat aqua, guſtu admodum ſuavis &c.

PIRESIA, Theſſaliæ civitas, olim *Aſterion* dicta, teſte *Stephanô*, cujus meminit Orpheus *in Argonaut.*

PIRIDES, inſulæ in mari Ægæo, *Antonin.*

PIRINA, Siciliæ oppidum, *Idem.*

PIRITHOUS, Ixionis fil. non ex Nube, quemadmodum Centauri, ſed ex legitima uxore, famâ Theſei motus, ejus fortitudinis periculum facere conſtituit. Proin armentis ipſi abactis eum in ſe concitavit: mox Viri virtute compertâ, illi firmiſſimô amicitiæ fœdere conjunctus, ejus etiam ope Centauros, qui ſibi Hippodamen ſponſam præripere conabantur, ſuperavit. Mortuâ verò Hippodame, ita illi cum Theſeo convenit, ut uxorem, niſi ex Jove natam, nullam ducerent: & cùm jam Theſeus ejus ope Helenam Jovis & Ledæ filiam rapuiſſet, nec alia eô tempore noſceretur, quæ Jovis eſſet, præter Proſerpinam, Plutonis conjugem, ad rapiendam illam ſimul profecti ſunt ad inferos. Verùm Pirithous, primô impetu, à Cerbero interfectus eſt: cui cùm Theſeus opem ferre conaretur, ab eo in catenis eſt ſervatus, donec Hercules ab Euryſtheo ad inferos miſſus eum liberavit. Fuit autem, ſecundùm hiſtoriam, Proſerpina, filia Aidonei, Moloſſorum Regis, à cujus cane Cerbero Pirithous diſcerptus eſt. Vide Plutarch. *in Theſeo. Ovid.* &c. Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 7. *v. ult.*

Nec Lethæa valet Theſeus abrumpere charo
Vincula Pirithoo. ——— ———

Theſei & Pirithoi amicitia in proverbium jampridem abiit. Auctorum itaque hâc in re teſtimoniis ſuperſedebimus, hoc tantùm impræſentiarum annotantes, ſcil. horum disjunctionem monſtroſiſſimis ingeniis adſcribi. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 23. *v.* 3.

Te fingente nefas Pyladen odiſſet Oreſtes,
Theſea Pirithoi deſtituiſſet amor.

Claudian. *l.* 1. *in Rufin. v.* 107.

Talem progenies hominum ſi priſca tuliſſet,
Pirithoum fugeret Theſeus, offenſus Oreſtem
Desereret Pylades, odiſſet Caſtora Pollux.

Auſon. *in Pont. Paulinum*, *ep.* 24. *v.* 34.

Impie, Pirithoo disjungere Theſea poſſis,
Euryalumque ſuo ſocium ſecernere Niſo:
Te ſuadente fugam, Pylades liquiſſet Oreſten,
Nec cuſtodiſſet Siculus vadimonia Damon.

Nic. Lloydius.

D. PIRMINIUS, ex Augia majore, Germaniæ inſula, o-

mnes venenatas effugavit beſtias, adeò ut in hodiernum uſque diem in eâ non inveniantur, & illatæ non maneant, aut moriantur. Munſter. *l.* 3. *Coſmograph.*

PIRNA, oppidulum Miſniæ, ad Albim fluv. vix 3. milliar. German. ſupra Dreſdam in Meridiem, ubi pax inter Ferdinandum II. Imperatorem, & Saxoniæ Electorem, cui ſubeſt, init., 3. leuc. à limite Bohemiæ. Hic, ut & Dreſdæ Saxoniæ Elector, Proteſtantibus Bohemiâ, totâque ditione Auſtriacâ pulſis, perfugium præbuit, A. C. 1628. aliis in Poloniam delatis. Apol. Fratr. *contra Samuel Martin.* Captum eſt & ferè exciſum, à Banirio Suecici exercitus duce, circa A. C. 1640.

de PIRO Henricus, vide *Henricus.*

PIROBORIDAVA, Myſiæ inferioris oppidum, *Ptolemæo. Brailano*, teſte *Nigrô*, ad Danubium in Moldaviæ confinio; ſed levi conjecturâ, *Ferrarius.*

PIRUM, Daciæ urbs, *Ptolem. Megies*, ſeu *Megeſwar Lazio*, in Tranſylvania; ſed ſitus non congruit.

PIRUM Tortum, vicus Auſtriæ inferioris ad Danubium, *Cluver.* 6. leuc. ſupra Viennam in Occaſum, *Pixendorf.*

PIRUS, Lambraſi fil. Thracum princeps, profectus ad bellum Trojanum à Thoante, Ætolorum rege interficitur, Homer. *Il.* 4.

PIRUSTÆ, Ptolemæo *in quinta Europæ tabula*; *Piruſæ*: in extrema Dalmatiæ parte, verſus Macedoniam eaſdem ponere videtur. Strabo autem, *l.* 7. *Piruſcas* vocat & in inferiori Pannonia locat. Plinius *Pyræos* appellare videtur, *l.* 3. *c.* 22. *Albenaſi* fortè *Vigenereo. Tiruſtas* verò gentem Daſſaretiorum, qui Illyricis ſunt finitimi, refert Livius, *l.* 45. *c.* 26. Ubi neſcio an *Tirauſtas* dicat, pro *Pirauſtas.*

PISA, urbs Peloponneſi ad Alpheum fluv. & mont. Piſæum, de quô *Plut.* Regio *Piſatis* dicitur *Straboni.* Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 180.

Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ

Hinc *Piſæus*, nomen gentile. Ovid *Amor. l.* 3. *El.* 2. *v.* 15.

Ah quàm penè Pelops Piſæo concidit axe.

Piſæ Milo tyrannus, cùm ſubditos variis tormentis affeciſſet; ab eis in mare demerſus eſt. Ovid. *in Ibin*, *v.* 325.

Utque Milo, ſub quo cruciata eſt Piſa tyranno;
Vivus in occultas præcipiteris aquas.

Sic dictam volunt, vel à *Piſo* Apharei filio, vel à *Piſâ* filia Endymionis, *Stephan.*

PISÆ, pluralis numeri Tuſciæ oppidum, inter Arnum & Auſerem amnes, à *Piſæis* conditum, Elidis populis, Strabone teſte, *l.* 5. qui Neſtorem ad Ilium ſecuti, in reditu tempeſtate disjecti, alii quidem Metapontum, alii litus Tyrrhenum tenuerint; ubi à nomine relictæ patriæ, Piſas condiderunt: in ſolo frumenti & vini generoſiſſimi fœcundo. Sedes hodie Ordin. Equeſtr. S. Stephani, qui ibi in templo huic dicato, magnâ cum pompa, ſtatis temporibus conveniunt. Templum cathedrale nititur columnis ex marmore 72. portæque ejus ex ære; quæ ex templo Salomonico huc tranſlatæ finguntur: turris inclinata, Palatium, Curia, Hortus Medicus, & Collegium; viſu digna hic conſpiciuntur. *Piſſa* duplici *ſſ.* habent *Ptol.* & *Lycophron. Baudrando* urbs ampla eſt, cum arce permunita, aliàs ſui juris & potens Reſpubl, quæ Sardiniam è manibus Saracenorum vindicavit, Carthaginem domuit, & egregiam Chriſtianis Orientalibus navavit operam. Capta à Galeatio, A. C. 1390. expugnata à Florentinis, reſtituta libertati, A. C. 1494. per Carolum VIII. Gallorum Regem demum A. C. 1509. ad Magnum Hetruriæ Ducem devoluta eſt, 6. milliar. ab oſtiis Arni, Ibi Academia inſtituta A. C. 1309. & Concilium celebratum, A. C. 1409. Nunc parum populoſa eſt. Alpheas vocat Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 179.

Hos parere jubent Alpheæ ab origine Piſæ.

Claudian. *de bello Gildonico*, *v.* 483.

——— *Nec Alpheæ capiant navalia Piſæ.*

Rutilius, *l.* 1. *v.* 573.

Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas.

Ejus meminit Lucanus, *l.* 2. *v.* 401.

Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ.

Quia jam ſuprà Concilii alicujus hîc celebrati mentio facta eſt; paulo prolixior hiſtoria non abs re erit. Concilium 1. ab Innocentio II. hîc habituro, A. C. 1134. cui Præſules ex Gallia, Germania & Italia intererant: quô Anacletus Antipapa excommunicatus eſt, & contra Schiſmaticos varia ordinata. Iterum A. C. 1409. cum diuturnô & horribili ſchiſmate Eccleſia laboraret. Gregoriô XII. Romæ, & Benedictô XIII. Avenione ſedente. Gregorius enim, in electione ad Unionem juramentô adſtrictus, cùm poſteà ne audire quidem de concordia vellet: Paſquillô exprobrante, *Abſolutionem à juramento, à Diabolo ei factam eſſe*, Theodor. à Niem, *tract.* 6. *Labyr. c.* 29. Sorbona inſuper decreviſſet, Eccleſiam Gallicam nullô jure obſtrictam eſſe, ut Papæ pecunias pendat, niſi in tribus cauſis, Monſtrel. *l.* 1. *c.* 67. Aliique ad remedia clamarent, Cardinales ſeceſſione factâ, hîc Conciliô 180. Epiſcoporum 300. Abbatum, 282. Theologor. &c. celebratô, utrôque Papâ depoſitô, tertium in theatrum produxêre Alexandrum V. Quô brevi defunctô Johannes XXIV. ſe fraude obtruſit. Tertium A. C. 1511. à Ludovico XII. Galliæ Rege hîc indictum, indeque Mediolanum & Lugdunum tranſlatum eſt, in quo contra Julium II. at qualem hominem, de emendando Eccleſiæ ſtatu actum: nummô aureô à Ludovico Neapoli cuſô, cum elogio: *Perdam Babylonis nomen*, Thuan. *Hiſt. l.* 1. *p.* 11. *edit. Gen.* Acta Concilii Piſani, edita in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

4to. A. C. 1612. Plura de Urbe, vide apud Leandr. Albert. *deſcr. Ital.* Addo, quòd inventa hic, poſt auguſtiſſimi Templi, quòd hôc ſeculô miſerandô incendiô conflagravit, ruinam memorabilis lucerna, bitumine plena & calens adhuc, de qua vide Jac. Mancini Politiani *Literas* ad Licetum, & hunc *de Lucernis Antiqq. l.* 1. *c.* 16. & *l.* 3. *c.* 14. Ab eadem urbe, *Piſanorum Liberator*, Ludovicus XI. Galliarum Rex appellatus eſt, uti ex aureo ejus nummo docet Car. du Freſne, voce *Moneta.*

PISÆUS Jupiter, dicebatur ſimulachrum Jovis apud Piſatas culti, quod ex ebore à Phidia factum, inter VII. Veterum miracula locum habuit. Πίσης Ζῆνα, *Piſa Jovem* vocat Philo apud Galenum *in deſcr. medicamenti ſui anodyni*, quod ab ipſo Φιλώνειον dictum eſt:

> Δραχμὴν καὶ ῥίζης ψευδωνύμου, ἣν ἀνέθρεψε
> Χῶρος, ὁ τ Πίσης Ζῆνα λοχευσάμενος.
> *Et drachmam radicis falsò dictæ, quam aluit*
> *Regio, quæ* Piſæ Jovem *formavit.*

Quæ verba Galenus explicans, de Cretica nardo accipi videtur velle; quia Creta Jovem occuluit: Sed omnino de India intelligenda docet Salmaſ. Ebur enim, ex quo Jupiter hic factus, India mittit, quæ proin Philoni *locus* ſeu *regio* dicitur, quæ fabricaverit vel formaverit *Piſæum Jovem.* Eadem quoque educavit ῥίζαν ψευδώνυμον, *nardum*, quæ cùm revera ſit *radix*, falsò tamen nomine νάρδου στάχυς, h. e. *nardi ſpica* Græcis nuncupatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1061. *ubi de nardo pluribus agit*, & plura de famigeratiſſima hac ſtatua, apud P. Fabrum, *Agoniſtic. p.* 356. & Jo. Paſſeratium *ad Propertium*, *l.* 3. *Eleg.* 9.

PISANA Chriſtina, vide *Chriſtina.*

PISANDER, fil. Bellerophontis, quem in Solymo bello cecidiſſe Homerus ait, *Il.* 9.

PISANDER, Camireus. (Camirus autem Rhodi civitas eſt) Eumolpi tempore poëta, ut nonnullis placet, antiquior Heſiodô.

PISANDER, homo procerus, & timidus, & *Camelus*, & *Agaſo* dictus. De eo vide *Suid.* & *Scholiaſt.* Ariſtophan. *in Aves.*

PISANDER, Lycaonius ſub Alexandro, Mammeæ verſificator, ſcripſit *variam hiſtoriam, libris ſex, de Jovis & Junonis nuptiis*, *Suidas.*

PISANDER, Neſtoris fil. *Suidas.* Et unus procorum Penelopes. Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 91.

> *Quid tibi Piſandrum, Polybumque Medontaque dirum,*
> *Eurymachique avidas, Antinoique manus.*

PISANDER, Poëta Cræcus Olympiade 33. *libris duobus res geſtas Herculis* proſequutus eſt. Alia attribuuntur, quæ potius Ariſtæus ſibi vindicet. *Suid.* Pauſan. *in Arcad.* Hygin. *in poët. Aſtron.* Cenſorin. *in fragm. c.* 9. Fulgentius, *l.* 1. *Mythologiæ &c. Nic. Lloydius.*

PISANI, pro præſtita Lothario Saxoni, contra Rogerium Normannum, ope, nil niſi, *Legum Romanarum Pandectarum* volumen, priſcis admodum literis exaratum, & inter rudera quædam, repertum, petierunt, A. C. 1137. Eorum urbs Piſæ, vide *ibi.*

PISANIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

PISANUM, caſtrum validis foſſis & turribus cinctum, quod in occidua civitatis Hieroſolymæ parte à Chriſtianis, Piſarum Italiæ oppidi incolis, tempore, quô terræ ſanctæ tenebant dominium, conſtructum eſt, ubi primùm Piſani, deinde Saraceni, nunc verò Turcæ à terræ ſanctæ peregrinis accipiunt tributum.

PISANUS Alfonſus, & Franc. Turrianus Jeſuitæ, ediderunt LXXX. *Canones Nicænos*, ex Arabico tranſlatos; quos ſpurios tamen eſſe & ſuppoſititios, exceptis XX. docet Gerh. von Maſtricht JCtus, *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 26. & 69. Vide quoque ſuprà, voce *Nicæa.*

PISANUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

PISANUS Tractus, pars Hetruriæ, inter agros Florentinum & Senenſem ad Ortum, ditionem Lucenſem ad Boream, & mare Tyrrhenum ad Occaſum. Nunc ſub Hetruriæ M. Duce. Ibi Piſæ, tractus caput, Liburnus portus & emporium, *Livorno*, & *Volaterræ* in mediterran.

PISAON, in Pelagonia eſt. Gentile *Piſæus*, *Stephan.* Inter Jolcum & Sepiadem promontor. in ora maritima.

PISAURUS, Piceni fluv. à quo *Piſſaurum* civitas Umbriæ ei ſuperpoſita nominata eſt, antiquiſſima Roman. Colonia. Deſtructa à Totila, à Belliſario reparata eſt. Subfuit dein Malateſtis, Sfortiis, Riveriis, donec ad ſedem Pontificiam pervenit. Sita eſt in planitie, & flumine *Fogliâ* interluitur. Munita, cum arce, quæ olim Ducum ſedes. Hodie *Peſaro* dicitur, *Servius* verò ſcribit, Piſaurum dictum, quòd illis *aurum penſatum* ſit. Nam cum Camillus Gallos interemiſſet, aurumque quod Galli à Roma acceperant pro Capitolio non everſo, recepiſſet, & ſigna civitati appendiſſet, civitati nomen dedit, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Urbs hæc cœli gravitate vehementer laborat, præcipuè menſibus æſtivis, ut adeò pauciſſimi hîc mortales annos 50. ſuperare, nec multi ad eam ætatem pervenire ſoleant; quamobrem æſtuante aëre, potiſſimeque ſub Canicula, tot abſumuntur pueri, ut abſque ingenti dolore commemorari nequeat. Nunc Ducatus Urbini eſt, in ditione Pontific. in ora maris Adriatici ampla & elegans, media inter Senogalliam ad Ortum & Ariminum ad Occidentem, *Baudrand.* Hîc ſuperbum viſitur palatium, *Poggio Imperiale* dictum, quod Conſtantius loci quondam dominus extruxerat. Vide præter jam laudatos, Livium, *l.* 33. & 41. Procop. *l.* 3. Agathiam, Sabellicum, Leandr. Albertum *deſcr. Ital. &c.* Vibius Sequeſter *in Catalogo fluminum: Piſaurus, qui & Iſaurus, ut Lucanus, à quo civitas Piſaurum, de qua Catullus*, *Epigr.* 82. *v.* 3.

> ——— *Moribundâ ſede, Piſauri.*

Lucani locus eſt, *l.* 2. *v.* 406.

> *Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro.*

Alii *Iſapis. Lloyd.* Coloniam verò olim Græcam fuiſſe, docet Joh. Marshamus ex nummo ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ, *in Canone Chronico Sec.* XVII.

PISCA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolem.*

PISCARIA, urbecula probè munita Italiæ, ſub Venetis, ad lacum Benacum, ubi Mincius ex eo effluit, in agro Veronenſi, in ipſo limite agri Brixiani & Ducatus Mantuani, 15. milliar. à Verona in Occidentem Brixiam verſùs 25. *Peſchiera.* Vide *Ardelica.*

PISCARIÆ Ora, tractus Indiæ citerioris in ora Sinus Gangetici, inter Negapatanum ad Boream; & promontor. Comorinum ad Auſtrum, è regione Ceylani Inſul. ſub Principe Maduræ. Ibi unionum maxima piſcatio.

PISCARII ſeu de PESCARA, nomen illuſtris Familiæ in Italia, quæ ſtirpis Avaleæ ſeu Davaleæ in Hiſpania ramus eſt. Cùm enim Ruiſius Lopezius *Davalos* Conneſtabilis Caſtelliæ ac primus Comes *de Ribadeo*, qui ſeculô XV. floruit, tres uxores habuiſſet, ex tertio & ultimo ejus matrimonio natus eſt inprimis ante reliquos Inicus, qui meritis in Alfonſum Regem Neapolis illuſtris Comes *de Montedoriſio* & Camerarius Regni ſedem fortunæ in Italia collocavit, ductâ Antonia Aquinate Marchione *de Peſcara*: è quorum liberis Alfonſus I. Marchio Piſcarius ſeu *de Peſcara*, unà cùm filio Fernando Franciſco *d'Avalos & Aquino*, rebus geſtis bellicis inſignem gloriam ſibi acquiſivêre. Alter Martinus, & poſt eum tertius Rodericus Comites *de Montedoriſio*, & hic Marchio *del Baſto* fuêre, ſed improles. Quartus Inicus Marchio *del Baſto* ſeu *Vaſti*, reliquos Marchiones Vaſti & Piſcarii atque Principes *de Monteſarchio* genuit. Et quidem *Piſcariorum* iſta ſeries eſt: Bernardus Caſpar *de Aquino* Marchio *de Peſcara*, pater fuit, ex Beatrice Cajetana, Antoniæ ſeu Antonellæ Aquinatis præfatæ, quæ juncta Inico *Davalos* Comiti *de Montedoriſio*, genuit inter alios Inicum *Davalos & Aquino*, Marchionem *del Baſto*: qui maritus Lauræ de S. Severino (Roberti Principis Salernitani filiæ) pater ex ea fuit Alfonſi *Davalos & Aquino* Marchionis *de Peſcara & Baſto*; cui nupta Maria Aragonia (Alfonſi II. Regis Neapolitan. ex filio Ferdinando neptis) genuit Alfonſum, an Ferdinandum Franciſcum *Davalos & Aquino* Marchiones *de Peſcara.* Huic Iſabella Gonzaga juncta, mater ex eo fuit Alfonſi *Davalos & Aquino*, Marchionis *de Peſcara.* Quô & Laviniâ Roboreâ (filiâ Guidobaldi Roborei Ducis Urbini, qui obiit A. C. 1574.) geniti ſunt Ferdinandus Franciſcus; Iſabella (quæ fratri ſucceſſit & ex marito Inico *Davalos* propiore ſobrino genuit Cæſarem, Carolum, Franciſcam & Lucretiam Davalos) Catharina & Maria, omnes *nominis Davalos & Aquino*, *Marchiones de Peſcara & de Baſto* &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilitatis Europ. Parte* 3. *p.* 64.

PISCATOR Johannes, Scholæ Sigenenſis Naſſoviorum Profeſſor Theologiæ cujus *in Nov. Teſtam. Methodici* extant *Commentarii.* Obiit Argentinæ A. C. 1646. Item in Schola Naſſovica Herbornenſi Profeſſor Theologiæ celeberrimus, vertit Germanicè Biblia. Scripſit *Expoſitionem ſelectorum dictorum V. T. cum Analyſi, Quæſtiones in Octateuchum: Theſes Exegeticas in* 5. *priora capita Geneſ. In Utrumque Teſtam.* 3. *Vol. fol.* &c. Obiit Herbornæ A. C. 1625. ætat. 80. Andr. Regenvolſcius, *in Syſtem. Hiſt. Chron. Eccl. Slavonicarum.* Vide & Paul. Freherum, *Theatro Viror. eruditione claror.* nec non aliquid ſuprà, voce *Johannes.*

PISCATORII Ludi, peragi Romæ ſoliti 7. Id. Junii, *fiebant trans Tiberim quotannis*, ut *Feſtus* ſcribit, *à Prætore urbano, pro Piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum pervenit, ſed ferè in aream Volcani, quòd id genus piſciculorum vivorum daretur ei Deo, pro animis humanis.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 10. In campo, Ovidio, *Faſtor. l.* 6. *v.* 235.

> *Tertia poſt Nonas removêre Lycaona Phœbe*
> *Fertur: & à tergo non habet Urſa metum.*
> *Tunc ego me memini ludos in gramine Campi*
> *Aſpicere: & didici lubrice Tybri, tuos.*
> *Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt,*
> *Quique tegunt parvis æra recurva cibis*, &c.

Aliàs Pan, *Piſcatorum* quoque Numen fuit: unde in Græcorum *Epigramm.* nihil frequentius, quàm facta huic Deo ab iſtiuſmodi hominum genere vota, de quibus & *Zoſimus Thaſius* alicubi, πρὸς νηῷ Πανὸς ἔθεντο λίνα, *ad templum Panis ſuſpenderunt retia*, felicis nempe capturæ causâ. Apud Romanos *Piſcatores* ſervi erant, qui piſcabantur, memorati Scævolæ, *leg.* 27. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Marciano *leg.* 65. *ff. de eleg.* 3. Ciceroni *Officiorum*, *l.* 3. &c. Hinc Valerianus Imperator apud Treb. Pollionem, *c.* 14. Zoſimioni, Procuratori Syriæ, ſcribens, inter cœtera, quæ vult dari Claudio tunc Tribuno, memorat *Venatores qui obſequantur duos, Carpentarium unum, curam Prætorii unum, aquarium unum*, Piſcatorem, *unum*, *Dulciarium unum.* Eorum teſſera arundo fuit, Ovid. *Metam. l.* 14. *v.* 651.

> *Miles erat gladiô*, Piſcator *arundine ſumtâ.*

Etiam *Piſcatui* Præpoſitos habebant, quando togati illi Xerxes montium perfoſſores & populatores marium, Magiſtris & Nomenclatoribus, in piſcium gratiam, carere noluerunt. Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 30. *v.* 22.

> *Natat ad Magiſtrum delicata muræna:*
> *Nomenclator mugilem citat notum,*
> *Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.*

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & ſuprà *Halieuticum* boletar: uti de *Piſcariis* Legib. Athenienſium ſuprà voce *Opſonomi.* De Venatione *Piſcaria* ſuperſunt Ἁλιευτικὰ Oppiani, ſed ante eum multi de ea alii ſcripſêre: in his Leonides Byzantius Metrodori Byzantii, viri *Piſcatoriæ* rei intelligentiſſimi, filius, quem & ipſum de re *Piſcatoria* ſcripſiſſe, auctor eſt Ælianus *de Animal. l.* 17. *c. ult.* Meminit & ejus *ejuſdem Oper. l.* 12. *c.* 42. Item *l.* 2. *c.* 6. ubi hiſtoriolam affert, de Delphino & puero: item *l. ejuſdem c.* 50. ubi quiddam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quiddam narrat de interitu miſeri hominis, qui paſtinacam piſcem eſſet ſuffuratus. Quod ex eodem Leonide memorat Michaël Apoſtolius, *Cent.* 19. *Prov.* 61. Etiam Tzetzes, *Chil.* 4. *Hiſtor.* 128. quatuor iſtos conjungit, Ælianum, Oppianum, Leonidem & Timotheum Gazæum, quos Animalium ait Hiſtoriam ſcripſiſſe Gerh. Joh. Voſſius *de Philoſophia c.* 7. §. 9. De margaritarum, ſuprà voce *Margaritarii*; de mugilum *Piſcatione*, quam homines initâ cum delphinis ſocietate obeunt, vide Plin. *l.* 9. *c.* 8.

PISCATRIX Avis, apud Sinenſes celebris: anſere minor eſt, corvo haud abſimilis, collô prælongô roſtrôque aquilinô in extremitate admodum incurvô, quæ piſces capere, ut lepores canis, docetur. Nempe collum ejus annulô ferreô ita coarctant, ut majores piſces eô exceptos deglutire non valeat, quos proin piſcator ſibi ſumit. Grandiuſculos, quos laxitas non capit, roſtrô arreptos elevat, piſcatorique, ut occurrat, cum ſtrepitu oſtendit. Capiunt autem ſex aut plurium librarum piſces hujuſmodi aves, de quibus certum quoddam tributum piſcatores Imperatori pendunt. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, *c.* 37.

PISCENÆ, Galliæ Narbonenſis oppidum, *Ptolem. Peſenas Joh. Poldo. Baudrando* urbs lepida & culta Occitaniæ, ubi ſæpè comitia provinciæ. Ad Araurarim fluv. in colle 3. leuc. ab Agatha in Boream, uti vix 4. ab ora maris Mediterranei 9. à Montepeſſulano in Occidentem. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PISCES, olim *Dii*, & Θεοπάιδων nomine digni, ab iis habiti ſunt, quorum Deus eſt venter, διὰ τὸ πολύτιμον. Luxus enim præcipua olim pars, in *piſcium* delectu, unde eſt quòd ex omnibus obſoniis piſcis ſolus id obtinuit, ut per excellentiam appellaretur ὄψον, & lurcones φίλοψοι, item ὀψοφάγοι. Indidem & ἀκτάζειν, eſt *indulgere genio, lautè & oppiparè epulari*, quia piſces ἐπ' ἀκτῆς, in littore. Itaque hoc genus hominum hîc fuêre maximè profuſi: adeò ut Cato queſtus ſit, etiam vulgò Romæ *piſcem* pluris venire quàm bovem. Et Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 25.

——— *Potuit fortaſſe minoris*
Piſcator, quàm piſcis *emi.*

Quod ipſum leve videtur, præ eorum prodigo luxu, à quibus impenſæ leguntur integra latifundia in unius mulli pretium, vide Plut. *Sympoſ. l.* 4. *quæſt.* 4. Athenæum, *l.* 7. & 8. Plin. *l.* 9. *c.* 17. Senecam, *Epiſt.* 96. & *Natur. Quæſt. l.* 3. *c.* 17. Macrobium, *Saturnal. l.* 3. *c.* 16. Juvenalem, Alios. Etiam hodieque totô Oriente *piſces* carni præferri, notat Bellonius, *Obſervat. ſuarum l.* 1. *c.* 72. Contrà Syri olim à *piſcium* eſu abſtinuêre, quòd Venerem crederent, Typhonis metu, in mare proſilientem, aut in figura piſcis, aut piſcium tergô exceptam, periculô ſe exemiſſe, ut dictum: Unde Phœnicum Aſtarte (ſic illi Venerem vocabant, alii *Dercen* ſcribunt & *Derceto* & *Atergatin*) ſuperiora mulieris habuit, inferiora piſcis, apud Diodorum, *l.* 2. Lucianumque *in Dea Syria.* Quæ tamen ſuperſtitio Nehemiâ recentior eſt, utpote cum hujus temporibus Tyriis nondum religio fuerit, piſces venales Hieroſolymam deferre, quos poſteà ne attingere quidem fas fuit. Halucinantur itaque, qui idolo *Dagon*, quod Azoti colebatur, eandem figuram cum Aſtarte tribuunt Hebræi, conjecturam facientes ex nomine, quia *Dagon* deduci videtur ex voce דג *dag*, quæ *piſcem* notat, adeoque hæc duo Numina confundunt. Namque præterquam, quòd recentiorem Aſtartes cultum eſſe diximus, planum eſt ex Theologia Phœnicum, apud *Philonem Byblium*, Dagonem fratrem, & Aſtartem uxorem Saturni habitos eſſe. Ibidem Dagon Græcè redditur Σίτων, *Frumentarius*, quia דגן *dagon*, Hebræis eſt frumentum. Et additur cauſa nominis, quia εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, *invenit frumentum & aratrum*: unde Ζεὺς ἀρότριος; Itaque nomen non à forma habuit, ſed ab inventione frugum. Ita *Philo* ex *Sanchoniathone*, qui, *Euſebiô* teſte, Phœnicum hiſtoriam ſcripſit, ante Trojani belli tempora, nempe circa Jephtæ Judicis Hebræorum ætatem. Quidni tam vetuſto Scriptori de gente ſua plus fidei habeatur, quàm Hebræorum Magiſtris heri & hodie natis, quique adeò ſibi non conſtant: Dagoni quippe figuram hominis tribuit R. Levi, R. Selomo figuram piſcis, R. David ex utroque mixtam. Seniores certè non modò manuum volas, ſed & ἴχνη τῶν ποδῶν, *veſtigia pedum*, ideo in limen cecidiſſe dicunt. Etiam Theodoretus Philiſtæos idolum inveniſſe ſcribit τῶν ἄκρων πάντων ἐστερημένον, *extremis omnibus partibus*, i. e. tàm manibus, quàm pedibus, *privatum & mutilatum.* Quod quidem Græci de ſuo addiderunt, ſed id nunquam addituri, ſi Dagonem credidiſſent in piſcem deſiiſſe. Sam. Bochart *Hieroz. Parte prior*, *l.* 1. *c.* 6. plura infrà in voce *Piſcis.*

PISCES carentes ſquamis vel pinnis, in Lege, pro immundis habiti, Levit. *c.* 11. *v.* 9. 10. Imò & ſquamoſis Judæi חפו עריר *cantharum* rejiciunt, quia ſtercore veſcitur & verſatur in luto, planè ut terreſtris cantharus, quamvis cœtera diſſimilis. Etiam apud Romanos non niſi ſquamoſos piſces pollucere fas erat: *Pollucitum* autem ſignificabant ſacrificium vel ſacrum epulum in Deorum honorem inſtitutum. Legem ex Caſſio Hemina ita citat Plin. *l.* 32. *c.* 2. *Numa conſtituit, ut piſces, qui ſquamoſi non eſſent, ne pollucerent.* Eam verò his verbis latam fuiſſe, putat *Scaliger*, PISCES QUEI SQUAMOSEI NON SUNT NEI POLLUCETO, SQUAMOSOS OMNEIS PRÆTER SCARUM POLLUCETO. Quam exceptionem ex *Feſto* petit, qui in verbo *Pollucere*, in iis, quæ licet pollucere, recenſet *piſces, quibus eſt ſquama præter ſcarum.* Nempe ſcarum ex ſquamoſis ſolùm exceperunt Veteres ut ſumtibus parcerent, quia ob raritatem magnô venibat. Sed verè obſervat Voſſius, hanc exceptionem Numâ multò fuiſſe recentiorem, quia ſcarus Romanis non niſi ſerò fuit cognitus. Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 16. *Octavius, Præfectus claſſis, ſciens ſcarum adeò Italicis littoribus ignotum, ut nec nomen Latinum ejus piſcis habeamus, incredibilem ſcarorum multitudinem, in variis navibus huc advectam inter Oſtiam & Campaniæ littus in mare ſparſit, miròque ac novò exemplò piſces in mari, tanquam in terra fruges aliquas, ſeminavit.* Qui Octavius quis fuerit, indicat Plin. *l.* 9. *c.* 17. *Scarus*, inquiens, *promontorium Troadis Lecton ſponte nunquam tranſit. Inde advectos Tiberio Claudio Principe, Optatus* (Macrobio *Octavius*) *è Libertis ejus, Præfectus Claſſis, inter Oſtienſem & Campaniæ oram ſparſos diſſeminavit.* Et quidem de veteri ſcarorum patria Plinio convenit cum Ennio, è cujus *Phageſiis* hæc citat Appulejus, *Apolog.* 1.

Scarum præterii, cerebrum Jovi' pæne ſupremi,
Hectoris ad patriam hic capitur, magnuſque bonuſque

Unde in his Archeſtrati, apud Athenæum, *l.* 7.

Καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὸν μέγαν ὄπτα.
Ingentemque ſcarum ad littus Carthaginis aſſa:

legi jubet Bochartus Χαλκηδόνι. Nec enim Troadi vicina erat Carthago, ſed Chalcedon, in Ponti faucibus, cui oppoſita erat Byzantium &c. Vide eum ubi ſuprà, uti de *Piſcibus* Arabum *fabuloſis*, ſcil. *Liuba* (imò *Leviathan*) quem *Behemoth* quoque & *Balaboth* appellari ſcribunt; *Thalb*, *Zamur*, aliiſque, partim magnitudine, partim figurâ aliâque ratione prodigioſis, *ibid. part. poſter. l.* 6. *c.* 15. Hoc unum addo, de vera *piſcium* magnitudine, compertiſſimum eſſe, tam ex maritimarum rerum Annalibus, quàm ex eorum relatione, qui ad balænarum piſcationem quotidie ſe conferunt, majores illos cetos plerumque 50. raro admodum 100. pedum magnitudinem excedere, uti jam viſum ſuprà quoque voce *Cete.*

PISCES Terreni, vide infrà *Terrena.*

PISCIACUM, vulgò POISSY, oppid. inſulæ Franciæ, ad Sequanam, 5. leuc. à Lutetia in Cæciam Rothomagum verſus. Natalibus S. Ludovici, Francor. Regis clarum, 1. leuc. infrà confluentes Oeſiæ in Sequanam. Vide *Poſſiacum.*

PISCINA, locus propriè in quo *piſces.* Et quidem *Piſcinæ* quales veteribus recentioribuſque Romanis fuerint, indicat Varro *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 3. *Quis* (Majorum noſtrorum) *habebat* Piſcinam, *niſi dulcem & in ea duntaxat ſqualos ac mugiles piſces? Quis contrà nunc Rhinton non dicit ſuâ nihil intereſſe, utrum iis piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis?* Ubi oſtendit, tandem etiam mugiles & lupos ſorduiſſe Romanis, ac vix laudatas fuiſſe *Piſcinas*, niſi quæ piſces haberent marinos. Tum ſubdit, *Non Philippus, cùm ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet & ei è tuò flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtâſſet & expuiſſet dixit: Peream, ni Piſcem putavi eſſe?* Hinc ſubjungit, *Sic noſtra ætas inquam, luxuria Piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit. Non propter hoc appellati Sergius Orata & L. Muræna? Quis enim propter nobilitatem ignorat* Piſcinas *Philippi, Hortenſii, Luculli?* Qua de re Columella quoque, *l.* 8. *c.* 16. *Jam enim*, inquit, *celebres erant deliciæ popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria, quorum ſtudioſiſſimi, velut antè devictarum gentium, Numantinus & Iſauricus, ita Sergius Orata & Licinius Muræna, captorum piſcium lætabantur vocabulis.* Vide ſi voles, fuſiùs iſta enarrantes, Valerium Max. *l.* 9. *c.* 1. & Macrobium, *Saturnal. l.* 3. *c.* 15. Et quanti luxûs argumentum eſt, quòd multi tantas opes ſibi pararint è vivariis? Qui verò hâc parte & quando præiverint cœteris, Plin. docet, *l.* 9. *c.* 54. De oſtreis, tribuit hoc inventum C. Sergio Oratæ, de quo *ſuô locô.* Nunc verba modò Plinii afferam, *Oſtrearum*, inquit, *vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi Oratoris, ante Marſicum bellum* (circa annum Urb. Cond. 666.) *nec gulæ causâ, ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens: ut qui primus penſiles invenit balineas, ita magonizatas villas ſubinde vendendo.* Poſteà ſubdit, *c. ſeq. Murænarum vivarium privatim excogitavit C. Hirrius* (alii *Hirtius*) *ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numerô murænarum mutuò appendit. Nam permutare quidem pretiô noluit aliâve merce.* Hinc ſubjungit, *c.* 56. *Cochlearum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus, in Tarquinienſi, paulo ante civile bellum, quod cum Pompejo M. geſtum eſt, diſtinctis quidem generibus earum.* De quo diſcrimine in ſequentibus exponit. Vide Gerh. Joh, Voſſium *de or. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 23. Varro *Piſcinarum* loculatarum meminit, *l. de Re Ruſt.* 3. *c. ult. Sic hi loculatas habent Piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant piſces, quos, perinde ut ſacri ſint, ac ſanctiores quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Varro, ad tibicinem Græcum, gregatim veniſſe dicebas ad extremum littus atque aram, quòd eos capere auderet nemo.* Vide quoque ſuprà in vocibus *Hirrius*, *Muræna*, &c. Tralatitiè *Piſcina*, ſolium balnei, Auguſtino *de Dialect. c.* 5. Piſcina *dicitur in balneis, in qua piſcium nihil ſit, cùm nihil piſcium ſimile habeat: videtur tamen à piſcibus dicta propter aquam, ubi piſcibus vita eſt.* A ſolio tamen videtur diſtinguere vetus Interpres Alexandri Iatroſophiſtæ, *Paſſion. de Balneo l.* 1. *Et ſic ſtet aliquandiu in ſolio ac poſt modicum deſcendat in piſcinam.* Ubi Gloſſæ *MSS. Solium balneorum vocant* piſcinam, *vel quodlibet in quo continetur aqua.* Salmaſio *Piſcina*, apud Romanos, illa fuit pars balnei, quæ Græcis δεξαμενὴ dicta eſt. Tres enim cùm eſſent apud Veteres Balneorum cellæ, οἶκοι ſeu οἰκήματα Græcis, *Frigidaria, Tepidaria & Caldaria*, per has omnes ex *piſcina*, quæ etiam κολυμβήθρα Græcè aqua defluebat, & de frigidaria primùm in tepidariam, deinde ex tepidaria in caldariam influebat, Galenus, *Meth. Met. l.* 1. ubi tribus balnei œcis prædictis diſertè contradiſtinguit τὴν δεξαμενὴν, ſive *piſcinam.* Latinis itaque hæc pars *Piſcina*, quæ ſemper calidariis opponitur. Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 30. *Atque ita unctus lavabatur, ut caldaria vel nunquam vel rarò, Piſcinâ ſemper uteretur.* Lucianus tres κολυμβήθρας ſeu *piſcinas* fuiſſe refert, in frigidaria balneorum Hippiæ: Καὶ μέσος οἶος ὕψει τε ὑψηλότατος καὶ φαιδρότατος, ψυχροῦ ὕδατος ἔχων τρεῖς κολυμβήθρας, *Et medius œcus tum altitudine celſiſſimus, tum lumine ſplendidiſſimus, frigidæ habens tres piſcinas.* At in tepidaria & caldaria tres alveos ponit, ſeu πυέ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

λες, i. e. ſolia balnearia, in quæ deſcendebant loturi & in quibus
ſedebant : qui alvei in tepidariis tantùm & caldariis cellis ſeu
œcis locum habebant, ut in frigidariis *Piſcinæ*. Dictæ autem hæ
ſunt κολυμβήθραι, quod in frigidariis natabant. ſicuti in tepidariis
& calidariis ſedebant, in ſolio lavantes &c. Salmaſ. *ad Vopiſc.*
in Carino, c. 17. Anton. Heliogabalus *momentarias de roſato & roſis*
piſcinas exhibuiſſe & bibiſſe cum omnibus ſuis, caldaria de nardo exhi-
bens, legitur apud Lamprid. *c.* 24. Idem apud *eund.* abſintbiatô &
roſalô & conditô & ejuscemodi vinorum generibus *piſcinas* ali-
quando temperavit & ex iis quoque bibit, populô, qui unà lava-
bant, ad bibendum invitatô. Locus eſt, *Conditô piſcinas & ſolia*
temperavit & roſatô atque abſinthiô vulgus ad bibendum invitavit:
& ipſe cum populo tantum bibit, ut in piſcina eum bibiſſe intelligere-
tur, viſô quod unus bibiſſet. Quæ ultima verba cùm ita fuerint in-
tricata, ut pedem ſuum ex hoc loco vix poſſe extricare, fateatur
Caſaubon. eorum ſenſum ſic explanat Salmaſ. Heliogabalus,
inquit, ex illo vino, quô *Piſcina* temperata erat tantum bibit, ut
viſô, quòd is unus bibiſſet, intelligeretur tamen in piſcina eum
bibiſſe, ex decremento ſcil. piſcinæ, vel Solii balnearis, quod cùm
vinô plenum eſſet, poſtquam unus Heliogabalus bibiſſet, omnes-
que eum ſolùm bibiſſe animadvertiſſent, ſenſum ejus non adime-
bat piſcinæ capacitas, ſed ita in ea vinum decreſcebat, ut facilè in-
telligeretur, non tam plenam eſſe, quàm erat, priusquam bibiſ-
ſet. Multum ſanè ſic oportuit eum vini hauſiſſe, qui cùm in piſci-
na biberet, & ex piſcina, ita eam poterat deplere, & deminuere bi-
bendo, ut ſpeciem aliquatenus exhauſtæ præberet, &c. Vide eum
ad l. Aliquando verò idem luxuriæ monſtrum vinum non adhi-
bebat, ſed aquam inficiebat unguentô nobili aut crocô, unde in
præcedentibus Lamprid. citatus, *hic non niſi unguentô nobili aut crocô*
piſcinis infectis natavit, &c. Apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ *Pi-*
ſcina ſignificat locum, in quo manus Sacerdotes lavant & ubi ab-
lutione Sacerdotis Miſſam celebrantis injiciuntur, apud Duran-
dum, *Rat. l.* 1. *c.* 1. *n.* 39. aliosque laudatos Car. du Freſne *Gloſſ.*
In Ciſtercienſium *Rituali*, voce hâc notari ſacrarium, in quod
projiciantur res ſacræ, uſu jam detritæ, habes apud Dominic.
Macrum, ex verbis *c.* 22. *Sacriſta ſuper piſcinam comburit ejusque*
cineres in eam projicit. Cujus frater Carolus κάπνον ἅγιον, i. e. *fumum*
ſanctum, eum locum Græcis dici, quòd in eum res ſacræ *combu-*
ſtæ & in cineres redactæ conjiciantur, addit. Vide utrumque *Hie-*
rolex. voce *Piſcina* : ut & hîc paſſim, vocibus *Ciſterna*, *Faviſſa*,
Theſaurus, adde Cl. Suicerum *Theſauro Eccl.* ubi vocem Κολυμ-
βήθρας, de Baptiſmo, frequenter occurrere apud Scriptores Ec-
cleſiaſticos obſervat &c. Simile quid erant *Ciſternæ* & *Theſauri*, in
Templis Veterum, uti videre eſt in his vocibus.

PISCINARIUS, Vide *Johannes Wier*, ſic enim is nonnullis
dictus eſt.

PISCIOTA, oppid. Lucaniæ, *Buxentum*, Plin. *l.* 3. *c.* 5.

PISCIS, de Chriſto, vide ſuprà *Ichthys*.

PISCIS, Græcis dictus Νότιος, i. e. *Auſtralis*, ut & Hygino *in*
Poët. Aſtron. & Ciceroni *in Arateis*; Germanici Interpreti *Magnus*,
qui de eo ſic ſcribit, *Piſcis magnus, cujus nepotes dicuntur* Piſces,
qui in circulo Zodiaco conſtituti ſunt, dicitur in aſtra collocatus, eò
quòd decidens in Boëth ſtagno Phacetis, filia Veneris, in Piſcem *ſit*
transfigurata, quam Syriam Deam nominaverunt. Subjungit de-
in, *Quidam autem dicunt, quòd de ſtagno filiam Veneris ſervaverit.*
Unde hucusque hodie Piſces argenteos Syri in templo ſacraverunt. Ubi
quàm ridiculum, inquit Voſſius, ac jocoſum, quòd ait hujus
Piſcis illos Zodiaci *Piſces* eſſe nepotes. A' quo paulùm abit Hy-
ginus, cùm filios facit. Sic enim de hoc Auſtrali *Piſce* ſcribit:
Eratoſthenes autem ex eo piſce natos hos eſſe dicit. Non minùs in
Meridionalibus ſideribus, ac Canis, honore cultus eſt divinô.
Voſſ. *Idolol. l.* 2. *c.* 36. Sic inter Zodiaci ſigna, *Piſces* duo, à
Veterib. dicuntur Dii Syri. Germanicus *in Arateis*.

——— ——— *Et Syriæ duo numina* Piſces.

Quæ Numina ſunt Venus & Cupido. Hyginus *Poëtic. Aſtronom.*
c. 30. *Diogenetes Erythræus ait, quôdam tempore Venerem cum Cupidine*
ad flumen Euphratem veniſſe, & eôdem locô repentè Typhona giganta
apparuiſſe: Venerem autem cum filio in flumen ſe projeciſſe: & ita fi-
guram piſcium formâ mutâſſe: quô pactô periculo eſſe liberatos. Itaque
poſteà Syros, qui his locis ſunt proximi, deſtitiſſe piſces eſitare, quòd
venerantur eos capere: ne ſimili cauſâ aut Deorum præſidia impugnare,
aut eos ipſos captare videantur. Aliter tamen ex Nigidio Germa-
nici Interpres, qui ait hos eſſe *Piſces*, qui ex Euphrate evolverunt
ingens ovum illud, unde, cùm columba ei inſediſſet, poſt aliquot
dies, nata eſt Dea Syria, quæ dicitur Venus: eoque Syros *Piſci-*
um & columbarum eſu abſtinere. Quia verò ab eo tempore Sy-
ri capturam piſcium averſati; hinc Poëta incertus Ἀνθολ, *l.* 6.
Tit. περὶ Ἀλιέων, rete ſuum Syriæ Deæ dicâſſe, ait: Sed

Ἀγνὸν ἀπ' ἰχθυβόλου θήρης,
Purum à venatione Piſces capiente.

Qui verò piſces eſitarent, tumorem à Dea iis immitti credebant.
Unde Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 43. *v.* 7.

Juro per Syrios tibi tumores.

Et Perſius, *Sat.* 5. *v.* 187.

Incuſſère Deos inflantes corpora. ———

Ideoque, ſi fortè aliquando incontinentiâ ducti piſces comediſ-
ſent, ſaccô operti ac in ſterquilinio ſedentes, Deam placabant,
ut membrorum hunc tumorem averteret, quemadmodum di-
ſertè Menander ait apud Porphyrium, *de Abſtin. Animal. l.* 4. vi-
de quoque Plut. *de Superſtit.* Atque hinc timidos Syros appellat
Ovid. *Faſtor. l.* 2. *v.* 473.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere menſis,
Ne violent timidi piſcibus ora Syri.

Vide Jac. Ouzelium, *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 178. &
179. Adde Scaligerum *ad Manilium*, Salmaſ. *in Polyhiſtora*, Voſſ.
Oper. cit. ſuprà in vocibus *Atergatis*, ac *Phacetis*: Derceto quoque
quam à morte *Piſcis* figurâ à Syris cultam fuiſſe, idem Voſſ. la-
tè oſtendit, *l.* 1. *c.* 23. Imò & alios *Piſces* ab eadem gente fuiſ-
ſe pro Diis habitos, docet Xenoph. *Expedit Cyri. l.* 1. ubi ait,
Chalum amnem fuiſſe plenum piſcium magnorum & manſue-
torum, οὓς Σύριοι θεοὺς ἐνόμιζον, *Quos Syri pro Diis habebant.* De
Ægyptiis idem docet Strabo, *l.* 17. ubi Lepidotum & Oxyryn-
chum ab univerſis Ægyptiis: Latum verò, Nili incolam, à ſo-
lis Latopolitanis: ut Φάγρον à Syenitis *Clemens Alexand.* coli
ſcribit. Cauſam cultûs ſuggerente Æliano, quia prævertant Ni-
lum, atque Ægyptios animi pendentes recreent: & quia ab aliis
Piſcium abſtineant, *de Animal. l.* 10. *c.* 19. De Anguillæ vene-
ratione teſtis Herodotus eſt *in Euterpe*, ob quem cultum lepidè
in Lycone Comœdia Ægyptios riſit Antiphanes, apud Athenæum,
l. 7. De Crocodili honoribus, multa Voſſius, *Opere cit. l.* 3. *c.*
74. Syrorum Ægyptiorumque exemplum ſecutos Lydos, indi-
gitare videtur Varro, *de Re Ruſt. l.* 3. *c. ult.* *Sic hi loculatas ha-*
bent Piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant Piſces, quos, proinde ut
ſacri ſint, ac ſanctiores quàm illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Var-
ro ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas, ad extremum littus,
atque aram, quòd eos capere audebat nemo. De Syrophœnicibus
Clemens Alex. *Admonit. ad Gentes*, τοὺς ἰχθῦς inquit, οὕτω σέβουσι,
περιττῶς, ὡς Ἠλεῖοι τὸν Δία. De Troglodytis, Plin. *l.* 9. *c.* 10. *Tro-*
glodytæ cornigeras (teſtudines) *habent* ——— *ad quos adnatant,*
ut ſacras, adorant, &c. Sed non ſi ſancti crederentur, eò ha-
bebantur pro Diis, ait Voſſius, *Opere eod. l.* 4. *c.* 51. Taceo de ſide-
ribus, præter ſuprà memoratos, annumeratos à Veteribus &
divinis honoribus excultos, Delphinum, Cetum, qui Germani-
co *Bellua Ponti*, Hydram, de quibus Idem, *l.* 3. *c.* 36. Nerei-
des item ac Tritones, inter Numina habitos, *l.* 4. *c.* 5. de qui-
bus omnibus, præter Auctorem hunc ſæpius laudatum, vide Plin.
l. 9. *c.* 4. & 5. Item, *l.* 36. *c.* 5. Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 13. *c.*
21. Pauſaniam *in Bœoticis*, Alex. Neapolitanum, *Genial. Die-*
rum, *l.* 3. *c.* 8. Vinc. Chartarium Regienſem *de Deorum Imag.*
quem Latinè reddidit Ant. Verderius Rondeletius, *de Piſc. mar.*
l. 16. *c.* 20. 21. 22. Geſnerum *in Hiſt. Aquatilium c. de Homini-*
bus marinis, & altero de Nereidibus alioque de Tritonibus, &c.
De Sirenibus vide iterum Voſſ. *l.* 3. *c.* 99. Cœterùm, Homerus
de iis agens, qui temporibus vixiſſent Trojanis, licèt Ilium fo-
ret prope Helleſpontum, ubi piſcatio nobilis, nullos tamen in-
ducit *Piſcibus* veſcentes, ne homines quidem Inſulares, uti Itha-
cenſes: imò ne molles quidem Phæaces illos. Unde *Eubulus*
Comicus rogat,

Ἰχθὺν δ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε ποῦ
Τινὰ τῶν Ἀχαιῶν;
Homerus ubinam quenquam Achivorum refert
Ediſſe Piſces?

Quod factum ideo Voſſius vult, quia præcipuæ eſſent *Piſcium* de-
litiæ, quibus animus frangi ſolet. Saltem de ſociis Menelai ac
Ulyſſis *Odyſſ.* μ. piſcationi ſe dediſſe refert, ſed cauſam in fa-
mem rejicit. Veteres etiam Romani, quos *caſcos* dicebat *Enni-*
us, *Piſcibus* abſtinuerunt. Atque inde eſt, quòd Deam Carnam,
carnis ac vitalium præſidem, non piſcibus, ſed fabaceâ ac lari-
dô placabant. Ovid. *Faſtor. l.* 6. *v.* 170.

Priſca Dea eſt, aliturque cibis, quibus antè ſolebat,
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat,
Oſtreaque in conchis tuta fuêre ſuis.

Recentioribus verò in delitiis fuêre, unde eos porro ac cepis, vili
& plebejo cibo oppoſuit Horatius, *l.* 1. *Ep.* 12. *ad Iccium. v.* 20.
Imò magnum quoque delitiarum in illis diſcrimen. Tandem enim
ſorduêre etiam mugiles & lupi ac vix Piſcinæ laudabantur, niſi
quæ marinos haberent *Piſces*, vide Varronem, *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 2.
& Columellam, *l.* 8. *c.* 16. ut & ſuprà ubi de *Piſcinis*. Eodem
pertinet Catonis querimonia, apud Plut. *Sympoſ. l.* 4. *Problem.*
4. *Pluris venire piſcem, quàm bovem*; Nempe *Piſcibus* luxum me-
tiebantur, unde & ganeorum Proverb. Σήμερον ἀκτάσωμεν, *Ho-*
die littoriſemus. Et tolerabile fuiſſet illud ſtudium, niſi peregri-
nis lautitiis ingluviem exſatiandam duxiſſent, ut *in Sat.* Varro
oſtendit, quando è lucrino lacu conchylia, è Benaco anguillas,
aloſas è Tiberi; aſellos Peſſinunte, Rhodô acipenſerem, rhom-
bos Ravennâ, accerſebant. Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 94.

Atque ita defecit noſtrum mare, dum gula ſævit
Retibus aſſiduis, penitus ſcrutante macellô
Proxima, nec patimur Tyrrhenum creſcere Piſcem.

Et quantum illud, quòd Apicius *in ſociorum garo necari mullos præ-*
cellens putavit atque è jecore eorum alecem excogitare provocavit.
Quòd *Aſinius Celer, hôc piſce prodigus, Cajô Principe, unum mer-*
catus eſt octo millibus nummum? Plin. *l.* 9. *c.* 17. Quod Horten-
ſius *murænam exanimatam flevit?* & *Antonia Druſa murænæ, quam*
diligebat, inaures addidit: cujus propter Famam nonnulli Baulos vi-
dere concupiverunt, *eôd. l. c.* 55. Et quidem Scaro, inter ſaxati-
les, imò in *Piſcibus* univerſis, primæ datæ ſunt: quem hono-
rem tamen ſeriùs adeptus eſt, cùm priùs penes Acipenſerem
eſſet, nempe ignotô adhuc Scarô Romanis, qui è Siculo vel
Carpathio mari advehebatur. Unde Plinius, *l.* 9. *c.* 17. *Scarus*
principalis hodie, ſed hac de re *infrà* aliquid dicetur, in voce *Sca-*
rus. Inter littorales Mullus magni habitus; de quo placet afferre
Senecæ locum è *l.* 3. *Natural. Quæſt. c.* 17. *Quanto incredibili-*
ora ſunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur aut vincit? In
cubili natant piſces & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur
in menſam. Parùm videtur recens mullus, niſi qui in conviva ma-
nu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſervatur morienti-
um color, quem in multas mutationes mors luctante Spiritu vertit.
Alios necant in garo & condiunt vivos &c. Plura, præter Auctores
jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

jam laudatos, vide apud Plinium, *totô librô* 9. & Voſſ. *de Orig. ac progr. Idolol. l.* 4. *capp. prior.* 51. Auctorem item Anonymum *Sinæ & Europæ*, *c.* 42. E quo hoc ſaltem adjicio: In *Chekiang* ſub *Hangcheu* montem eſſe *Cienking*, prope *Changhoa*, in quo lacus 200. jugerum ob aureolos *Piſces* celebris, de quibus diximus ſuprà, in voce *Aureoli*. Notitiam Dominorum ſuorum habere dicuntur, id quod confirmatur auctoritate Plinii, qui non ſolùm quoſdam *eorum conſuetudine in vivariis ad cibum congregari cùm plauſu, ſed etiam in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen venire, quoſdam ſingulos*, refert, *l.* 10. *c.* 70. Unde Cicero *ad Attic. l.* 2. *Ep.* 1. *Noſtri Principes digitô ſe cœlum putant attingere, ſi mulli barbati in Piſcinis ſint, qui ad manum accedant*: ac Lucianus *de Dea Syr.* Οὗτοι δὲ (Piſces indigitat) καὶ ὀνόματα ἔχουσι καὶ ἔρχονται δὲ κεκλημένοι, *Hi & nomina habent atque iis vocati adveniunt.* Quid quòd *Simonis* nomine Delphini gaudere crediti ſunt, qua de re vide Cæſ. Scaligerum *in Ariſtot. Hiſtor. Animal. l.* 2. *c.* 16. *ſect.* 118. A gula luxus ad veſtitum tranſiit conchyliis, purpuris ac margaritis eò ſervientibus. Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parùm ſcilicèt fuerat, in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite totoque corpore, à fœminis juxta viriſque geſtarentur.* Ac poſt aliqua multa, *Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis* (margaritas) *addunt: Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt.* Imò ad ædificia eorumque partes & domeſtica inſtrumenta. Nam ut de Ichthyophagis nil dicam, quorum ædificiis extruendis Cetacea inſerviebant, Strabo, *l.* 15. quod & de Arabibus refert, Plin. *l.* 9. *c.* 3. Romanis ac Græcis materiam præſtiterunt *Piſces*, præcipuè ad lectos, repoſitoria & ſimilia. Idem, *l.* 9. *c.* 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire Carbilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuria inſtrumenta ingenii.* Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 67. *v.* 5.

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti.

Hodieque ex conchis margaritiferis cochlearia fiunt ac pocula &c. De uſibus *Piſcium* aliis, in re Medica, Militari, Civili, Judiciaria: abuſibus item in Philtris & rebus Magicis, vide Auctores præfatos, Voſſium inprimis, *l.* 4. *Idolol. c.* 49. Quouſque *Piſcium* quibuſdam duret vita, docet Plin. *l.* 9. *c.* 53. *Ævi piſcium memorandum nuper exemplum accepimus. Pauſilypum villa eſt Campaniæ, haud procul Neapoli: in ea in Cæſaris piſcinis à Polliono Vedio conjectum piſcem, ſexageſimum poſt annum, exſpirâſſe, ſcribit Seneca, duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere etiam tum viventibus.* Sed magis id, quod de Lucio piſce retulit Conr. Celtes, primus Germaniæ Poëta laureatus, & ex eo Conr. Geſnerus *præf. operis de Piſcibus*, perſcripſit ad Ferdinandum I. Imperatorem, Cæſari nempe Maximiliano I. circa A. C. 1497. in ſtagno circa *Hailprun*, captum fuiſſe lucium piſcem, cum annulo ex ære Cyprio in branchiis ſub cute, parte ſui ſplendente, cui inſcriptum: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς ταύτῃ λίμνῃ πανὸπρωτος ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φεδερίκου β΄. τὰς χεῖρας, ἐν τῇ ε. ἡμέρᾳ τοῦ Ὀκτωβρίου ασλ. *Sum piſcis ille primus omnium huic ſtagno impoſitus, manibus Imperatoris Frederici II. die* 5. *Octobr. A. C.* 1230. Iſtiuſmodi autem annulis ſeu Inauribus ornatos ſubinde fuiſſe piſces non modò ex Plinio ſuprà vidimus, ſed & Ælianus *Hiſt. Anim. l.* 12. *c.* 30. docet, cùm inquit: *Sunt &* Piſces *in templo Jovis Labradæi, ubi fons nitidus, monilibus & aureis Inauribus ornati*; quos anguillas fuiſſe, innuit, Plin. *l.* 32. *c.* 2. & Athenæus, *ſub initium l.* 8. Vide quoque Caſp. Bartholinum *de Inauribus Veter.* Nec omittendum, Ægyptiis *Piſces* hieroglyphicum odii, item laſciviæ fuiſſe. Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annul. in explic. Gemmæ* 9. Maris quoque Imperii ſymbolum, unde poſt infelicem contra Pompejanos Auguſti pugnam, *Piſcem* ultro è mari ad pedes ejus ſalientem, Siciliam brevi in poteſtate ejus fore, indigitâſſe, legimus apud *Xiphilinum*: & Servius, *Deliadis l.* 6. ſcribit; Athenienſibus in Delo ſacrificantibus, lavandis manibus aquam haurientem puerum urnam demerſiſſe, ac cùm è phiala ſimul cum aqua *Piſces* effudiſſet, oraculum redditum fuiſſe, Maris fore Dominos:

Vince mari, jam Terra tua eſt.

Vide Nic. Cauſinum *de Symbolica Ægypt. Sap. l.* 8. *& alibi.* De *Piſcium ſideris* nota, apud Græcos Latinoſque, adi Salmaſ. *ad Solin. p.* 1237. ubi Capricornum quoque cum cauda *piſcis* involuta in Veterib. monumentis; aliquando tamen cum recta cauda piſcis pingi, ut in *annulo* Gorlæi 85. & 87. adnotat. Nec omittendum *Piſcium* coquendorum ſingulare artificium, quod occurrit apud Æl. Lamprid. *c.* 24. ubi de Heliogabalo, *Piſces*, inquit, *ſemper quaſi in marina aqua cum colore ſuo coctos conditurâ venetâ comedit.* Nempe piſces ei ſic coqui parârunt, ut non aliò colore menſis inferrentur, quàm quô eſſent vivi, cùm in aquis maris verſarentur atque hanc vocat Lampridius *condituram Venetam*: ſic dictam à colore Veneto, qui idem eſt vel adfinis admodum colori maris ſeu τῷ θαλασσοειδεῖ. Idem verò luxuriæ prodigium, *ad mare piſcem nunquam comedit: in longiſſimis à mari locis omnia marina ſemper exhibuit: murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis ruſticos pavit*, *Ibid.* De *Piſcibus volantibus*, vide ſuprà *Croceus*, *Loligo*, *Lucerna*, de inveſtitura per *Piſces* ſuô locô; de nominibus *à piſcibus* deſumtis, itidem ſuprà ubi de *Orata Sergio*: de nominibus eorum pro ætatis ratione variantibus infrà, voce *Thynnius*. Adde quæ de *Foro*, *Opſonomis Vendendi jure*.

Pisces a Veteribus pro Diis habiti, ex Vossio.

Anguilla, apud Ægyptios divinô cultu honora eſt teſte, Herodotô *in Eut.* ut ſuprà dictum. Eaſdem in Labradii Jovis fonte *monilibus aureiſque Inauribus* fuiſſe exornatas, è Plinio, *l.*32.*c.*2. oſtenſum: *aureis argenteiſque*: refert Athenæus, *Diphoſ. l.* 8.

Carpa, *Caſſiodoro* dicitur Lepidotus, quem ab univerſa Ægypto cultum eſſe retro diximus. *Cyprinum* alii vocant.

Cetus, ut & ſiderum alia, in Deorum numero fuit. Vide Voſſ. *Idolol. l.* 2. *c.* 36.

Crocodilus, Ægyptiorum Deus, vide *ſuô locô*.

Cyprinus, vide hîc paulo ſuprà *Carpa*.

Delphinus, in ſiderum, atque adeò Deorum numero antiquis quoque fuit.

Hydra, ſimiliter.

Latus, piſcis in Nilo genus, à Latopolitanis civibus pro Numine habitus eſt.

Lepidotus, ab Ægyptiis univerſis cultus eſt. Vide hîc ſuprà *Carpa*.

Lucius, frequens in Nilo admodum, *Oxyrynchi* nomine, non ab Oxyrynchitis modò, ſed & à reliquæ Ægypti incolis, divinis honoribus eſt affectus.

Oxyrynchus, vide hîc paulò ſupra *Lucius*, ita enim eum interpretatur Petr. Bellonius *c.* 13. *Hadriano* tamen *Junio* eſt Rajarum genus, quod βάτος ὀξύῤῥυγχος vocavit.

Phagrus, Græcè Φάγρος, ab Evenitis cultus eſt: ſicut ab Elephantinæ incolis *Piſcis* Μαιώτης, Clem. Alexandr. *Admonit ad Gentes*, & Ælian. *de Animal. l.* 10. *c.* 19. Sed pro *Evenitis* apud Clementem reponi vult *Syenitis* Voſſius.

Teſtudo, Troglodytis culta, teſte Pliniô, *l.* 9. *c.* 10. *Troglodytæ cornigeras habent* (Teſtudines) *ut in lyra, annexis cornibus latis, ſed mobilibus: quorum, in natando, remigiô ſe adjuvant. Celtium genus id vocatur eximiæ teſtudinis, ſed raræ. Namque ſcopuli præacuti Chelonophagos terrent. Troglodytæ autem, ad quos adnatant, ut ſacras adorant.*

Tritones ac Nereides. Numina olim marina, nil aliud quàm *Piſces* ſunt, humanam formam imitantes. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 9. & de Semipiſce ac Semimuliere in Friſia capta A. C. 1403. Voſſ. *d. l. l.* 4. *c.* 51.

PISCURI, Aſiæ populi inter Dahas, *Strabo.*

PISDADÆI, nomen primæ in Perſia familiæ regnatricis, ante Muhammedanos, *Hornio.* Vide *Perſia.*

PISENOR, Centaurus, Ixionis, & Nubis filius.

PISEUS, Rex Tuſciæ, An. ante Urb. Cond. 260. æneam tubam inveniſſe dicitur.

PISIAS, Argivorum dux, æqualis Epaminondæ, apud *Xenoph.*

PISIAS, unus ex Hermocopidis, perverſiſſimis mortalium. Vide Ariſtoph. Schol. *Aves.* 577.

PISIDA, fluv. Tartariæ deſertæ Moſcoviæ ditionem à Tartaris dividit, & in mare Glaciale ſe exonerat.

PISIDÆ, anteà *Solymi* vocati à *Solymo* Jovis & Chaldenæ filio, dein *Piſidæ*, à *Piſida.* Populus eſt barbarus juxta Aſpendum & Ciliciam habitans, *Stephan.*

PISIDES Georgius, vide *Georgius.*

PISIDIA, vulgò *Verſacgeli*, ſeu *Verſacili*, Turcis, *Leuncl.* à Verſaco, urbe primaria ſedeque Præfecti, quæ olim Antiochia Piſidiæ, Aſiæ region. Bithyniæ Iſauriæ, & Pamphyliæ finitima, cujus oppida enumerantur, *Selga*, *Salagaſſum*, *Petneliſſum*, *Adadata*, *Brias*, *Grenna*, & alia nonnulla. Populi *Piſidæ*, de quibus Livius, *l.* 38. *c.* 15. ubi de expeditione Manlii in Piſidiam & vicina loca: *Inde agrum Saglaſſenum, uberem fertilemque omni genere frugum ventum eſt. Colunt Piſidæ longè optimi bello regionis ejus.* Cœterùm, regio hæc in *Laterculo provinciarum* Geographiæ Ptolemæi adjuncto, in quo provinciæ Aſiæ majoris recenſentur, ſub Pamphylia, unà cum Iſauria, comprehenditur: Παμφυλία, ἐν ᾗ Πισιδία καὶ Ἰσαυρία. Quarum proin duarum Ptolemæus non meminit, in enaratione partium ſeu provinciarum Aſiæ X, ſolâ Pamphyliæ mentione factâ. Sub juriſdictione Proconſulis non erat, ſed Diœceſeos Vicario ſuberat, qui inſuper Pamphyliam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Lycaoniam & Phrygiam utramque regebat, uti patet ex *Notitia* Arcadii: interim peculiarem habebat Præſidem, uti pluribus oſtendit Salmaſ. *ad Solin. p.* 803. & *ſeqq.*

PISIDIUM, oppid. Aſiæ minoris maritimum, haud procul Seleuciâ, *Diod. Poſitium* legit *Holſtenius.*

PISIDON, portus in Africa propria, *Ptolem. Moarat Marmolio.* Meliùs *Piſida*, nunc *Zoara Sanſoni*: eſtque urbs regni Tripolitani, in ora maris Mediterranei permunita, haud pridem tamen direpta ab Equitibus Melitenis, cum portu capaci, 180. mill. paſſ. à Tripoli nova in Occidentem verſus Syrtim minorem.

PISILE, quaſi *Penſile*, vox recentioris ævi, vide ſuprà *Gynæceum.*

PISILIS, Cariæ oppid. inter, Calbin fluv. & Caunum urbem, *Strabo.*

PISINATES, Umbriæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

PISINDA, Africæ Propriæ, & Pamphyliæ urbs. *Ptol.*

PISINGARA, Armeniæ minoris. oppid. *Ptol.*

PISINOE, una Sirenum.

PISINUS, vide PESSINUS.

PISIS, urbs & mons Armeniæ vel Suſianæ. Civis *Piſideus.* A *Piſidia* fit enim *Piſideus*, *Steph.*

PISISTRATI, inſulæ tres ſunt Ioniæ probe Epheſum, apud Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Anthine*, *Myonneſos*, & *Diarrheuſa.* Nunc ex Epheſo nominantur, *Ferrarius.*

PISISTRATUS, Hippocratis fil. Athenienſis tyrannus, clarus genere, eloquentiâ verò tantâ, ut eâ deliniti Athenienſes, libertate, quâ nihil carius habebant, ſe ſponte exuerent, illiuſque facundiæ ſanctitatem Solonis, qui Numen fuerat civitatis, poſthaberent. Alii rem hôc modô narrant. Piſiſtratus in Salamina Inſula occupanda re fortiter feliciterque geſtâ, majora agitare cœpit. Mentitus igitur, ſibi inſidias ſtrui, corporis cuſtodes ſibi permitti petiit, quod factum: Horum ope Acropoli potitus eſt. Unde poſteà pul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pulſus, per Phyam, Minervæ habitu indutam eam recuperavit. Secundò pulſus, in exilio ann. 11. fuit; ſed tertiâ vice reſtitutus, imperium porro quietum tenuit, per ann. 18. Obiit Olymp. 73. Urb. Cond. 128. Succeſſerunt ei Hippias & Hipparchus filii. Artes liberales maximè fovit. Bibliothecam primus Athenis publicavit, quàm Xerxes urbe potitus ad Perſas tranſtulit. Eam deinde multis pòſt annis Seleucus Nicanor reſtituendam curavit. A. Gell. *l.* 6. *c.* 17. & *l.* 17. *c.* 21. Plutarch. *in Solone.* Herodot. *Clio. Thucyd. Euſeb. Trogus.* Floruit tempore Servii Tulli Roman. Regis. Videndus omnino Meurſii *Piſiſtratus. Nic. Lloyd.*

PISISTRATUS, Orchomeniorum Rex, cùm nobilitatem odiô inſectaretur, plebis ſtudioſus erat, quare in Senatu eum necare decreverunt. Diſcerptum igitur intra ſinus condunt, ac ſolum emundant. Plebeia dehinc multitudo, conceptâ ſuſpicione, in curiam advolat. Regis autem filius ætate minor, nomine Teleſimachus; conſpirationis conſcius, ex curia turbam extraxit. Patrem enim ſupra mortalem ſpeciem ad Piſæum montem magnâ velocitate deferri commentus eſt, eâque fraude plebem obduxit. Plut. *Paral.*

PISISTRATUS, Lariſſæus hiſtoricus, *Suidas.* Item Neſtoris & Eurydices fil. Homer. *Odyſſ.* 3.

PISITHEUS, Græcè Πεισίθεος, unus ex Medicis Fauſtinæ Imperatricis, quæ in *Epiſt.* ſua ad Marcum maritum, apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Caſſio, *c.* 10. *Soteridam*, inquit, *Medicum in Formianum ut dimittas, rogo: ego autem* Piſitheo *nihil credo, qui puellæ Virgini curationem neſcit adhibere.*

PISO, Aquitanus, de quo Cæſ. *l.* 4. *Bell. Gall.* 12.

PISO, prænomine *Cajus*, Calpurniô genere ortus ac multas inſigneſque familias paternâ nobilitate complexus, facundus, largitor adverſus amicos, ignotis quoque comi ſermone & congreſſu: Corpore procerô, decorâ facie. Sed haud moribus gravis, voluptatibuſque deditus conjurationem adverſus Neronem cœptavit, Siliô Nervâ & Atticô Veſtino Conſulib. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 48.

PISO, Conſul cum Juliano, annô Imperii Marci, & vitæ Commodi XV. quibus Conſulib. hic in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos aſſumtus eſt, XIII. Calendas Invictas, apud Lampridium in *Vita* ejus, *c.* 12. Item, Macriani Dux, ab hoc ad interficiendum Valentem miſſus, ubi eum providum futurorum imperare, cognovit, in Theſſaliam conceſſit, atque illic paucis ſibi conſentientibus ſumſit Imperium, *Theſſalicuſque* appellatus, interemtus eſt: vir ſummæ ſanctitatis & temporibus ſuis *Frugi* dictus, & qui ex illa *Piſonum* familia ducere originem diceretur, cui ſe nobilitandi cauſa Cicero ſociaverat, (cùm ſcil. Tulliam filiam deſpondit C. Piſoni L. F. Frugi) Hic omnibus Principibus acceptiſſimus fuit. Ipſe Valens cognomine *Superior* (inter XXX. Tyrannos XIX.) qui ad eum percuſſores miſiſſe perhibetur, dixiſſe fertur, non ſibi apud Deos Inferos conſtare rationem, quòd, quamvis hoſtem ſuum, *Piſonem* tamen juſſiſſet occidi, virum cui ſimilem Romana Reſp. tunc non haberet. Ei Senatus, quum nuntiatum eſſet, *Piſonem* à Valente interemptum, ipſumque mox Valentem à ſuis occiſum, divinos honores, ſtatuam inter triumphales & currus quadrijugos decrevit. Quæ omnia facta ſub Gallieno & Valeriano Imperatorib. & Salonino Gallieni fil. Trebellius Pollio *in Triginta Tyrannis*, *c.* 21.

L. PISO, Caſſii Conſularis Legatus, geſtô in urbe ſummô Magiſtratu, Urb. Cond. IↃC. XLII. ab Helvetiis cæſus eſt.

PISO Cæſonianus, vide *Lucius.*

PISO Licinianus, M. Craſſi & Scriboniæ fil. à Galba adoptatus; ab Othone verò trucidatus. (Vide Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 43.) in foribus templi Veſtæ, miniſtris Sulpiciô Florô & Statiô Murcô.

PISO, prænomine *Lucius*, citerioris Hiſpaniæ Prætor, quem Corneliô Coſſô, Aſiniô Agrippâ Conſulib. quidam agreſtis, nationis Termeſtinæ, pace incurioſum, ex improviſo, in itinere adortus, unô vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, poſtquam ſaltuoſos locos attigerat, dimiſſô equô, per derupta & avia ſequentes fruſtratus, neque diu fefellit, nam prehenſô ductôque per proximos pagos equô, cujus foret cognitum, & repertus cùm tormentis edere conſcios adigeretur; voce magnâ, ſermone patriô, fruſtra ſe interrogari, clamitavit, adſiſterent ſocii ac ſpectarent: nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret, idemque cùm poſtero ad quæſtionem retraheretur, eô niſu proripuit ſe cuſtodibus ſaxoque caput adflixit, ut ſtatim exanimaretur. Sed *Piſo* Termeſtinorum dolô cæſus habetur; qui pecunias è publico interceptas, acriùs, quàm ut tolerarent barbari, cogebat, Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 45.

PISO, prænomine *Lucius*, conſularis, cum aliis duobus vectigalibus publicis à Nerone præpoſitus, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 18. juſſu Muciani interfectus in Africa, *Hiſt. l.* 4. *c.* 48. 49.

L. PISO, Patre Cenſoriô natus, triumphale decus in Thracia meritus, *Urbis cuſtos*, ebrietati deditus, majorem partem noctis in convivio exigebat, uſque in horam ſextam ferè dormiebat. Officium tamen ſuum, quô tutela urbis continebatur, diligentiſſimè adminiſtravit. Quod rarum in tanta claritudine generis, octogeſimô ætatis annô, fatô obiit Cn. Domitiô & Camillô Scribonianô Conſulib. Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 10. Seneca, *Ep.* 84. Hujus Pater *L. Piſo* quoque dictus ſocer C. Cæſaris, qui cenſor cum Appio Claudio annô urbis DCCIIII.

PISO, cui quidam *Publii*, quidam Lucii prænomen tribuunt, cùm dictus ſit *M. Piſo*, conſul cum M. Meſſala anno Urb. Cond. 693. Fuit hic orator ille, qui Cicerone natu major & triumfalis, bienniô tamen ſerius conſulatum aſſecutus eſt. De quo vide Ciceronem *in Bruto* & Aſconium Pedianum *in Oration. contra L. Piſonem.* Vide infrà.

PISO Marcus, vide *Pupius.*

PISO Vopiſcus, vide *Cajus.*

PISONA, vulgo POSCHING, pagus Vindeliciæ in Bavaria, inter Straubingam & Decheldorpium in Ortum apud Danubium aliis *Piſonium*, vulgò *Weſchel.*

PISONES, nobiles Romani, ex Numæ Pompilii familia, ſic dicti, vel à *piſo*, ut à *lente*, *Lentuli*; vel à *pinſendo*, uti Plinius cenſet, *l.* 18. *c.* 3. cum quo auctor *Panegyrici ad Piſonem* facit, quando ſcribit:

——— *Nam quid memorare neceſſe eſt,*
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?
Claraque Piſonis tulerit cognomina prima,
Fumida calloſâ cùm pinſeret hordea dextrâ?

Fuit autem Calpurniæ gentis cognomen. Ex hac familia *Piſo* L. Calpurnius, cognomine *Frugi*, Tribunus Plebis, Conſul, & Cenſor: floruit ab Urb. Cond. 600. uſque ad an. 640. Ann. 605. Cenſorinô & Maniliô Conſulib. Legem tulit Tribunus, *de Pecuniis repetundis.* Conſul fuit cum Poſthumio Abino. An. 606. Secundô Bellô Pecuniô: cum Pop. Læna, An. 615. cum Fulvio Flacco A. 619. cum Minutio Scævola, A. 621. Cenſor tandem cum Metello Balearico fuit. JCtus, Orator inſuper, & Hiſtoricus inſignis. Ejus meminit Cicero *in Bruto*, *l.* 2. *de off. &c.* ſed majori cum elogio, Plin. *Hiſt. nat. l.* 2. *c.* 53. Adde A. Gell. *l.* 11. *c.* 14. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 6. Anton. Auguſtinum *de Legibus*. C. Calpurnius *Piſo*, Conſul cùm M. Attilio Glabrione An. 687. Urb. Cond. tulit Legem Calpurniam *de ambitu.* Vide Ciceron. *in Bruto*: qui ibidem Marci quoque *Piſonis* meminit, Græcè doctiſſimi, & in cauſa veſtalium ſummam gloriam meriti. *Piſonis*, qui de Mario ſcripſit, mentionem injicit *Plut.* L. Calpurnius *Piſo*, cum Corn. Lentulo Conſul erat, A. 753. Urb. Cond. quô Christus natus eſt. *Piſo* alius à Galba adoptatus, juſſu Ottonis, necatus eſt, A. C. 69. &c. Vide quoque Caſſiodor. *in Faſt. Conſul.* Patin. *de fam. Rom.* Hinc *Piſonianus.* ut *Piſonianum vitium*, i. e. mira libido loquendi; quô vitiô laboravit L. Piſo. B. Hieronymus *ad Oceanum: Primùm ſpinoſulus noſter obmutuit: deinde Piſonianô vitiô, cùm loqui neſciret, tacere non potuit.* vide ſuprà.

PISONIANUS, Dux celebris, à Probo Imperatore inſtitutus. Ita enim Fl. Vopiſcus in *Probo*, *c.* 22. *Multa manu ſuâ fecit, duces præclariſſimos inſtituit. Nam ex ejus diſciplina Carus, Diocletianus, Conſtantius, Aſclepiodorus, Annibalianus, Leonides, Cecropius,* Piſonianus, *Herennianus, Gaudioſus, Urſinianus, Herculius, Maximianus & cœteri, quos Patres noſtri mirati ſunt & de quibus nonnulli boni Principes extiterunt, inſtituti ſunt.*

PISONIS Villa, prope Bajas, quam ferunt Neronem ſæpius animi gratâ adiiſſe. Tacit. *Ann. l.* 1. hodie *Truglio.*

PISONIUM, meliùs POSONIUM, quod vide ut & *Flexum.*

PISONOS, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

PISORACA, fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis per Vaccæos, in Durium fluens, apud Septimaneam oppid. Valliſoletô Urbe & Edoniâ oppid. rigatis, Hiſpan. *Piſuerga.*

PISOSTUM, vulgò PESON, Caſtellum Galliæ ad ripam Liderici flum. inter Fractam Vallem & Vindocinum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PISPIRI, mons Ægypti, *Palladio mons S. Antonii*, aliàs in territorio *Alexandrino.*

PISSÆUM, ab *Orpheo* recenſetur promontorium, inter ea loca, per quæ iter faciebant Argonautæ. Meliùs legitur *Peſſæum.*

PISSANTINI, populi in Macedonia. *Polyb.*

PISSIRUS, vel PISTIRUS. Thraciæ urbs. *Herod.*

PISTÆ, locus ubi Carolus Calvus Concilium habuit. A. C. 864. An ad Sequanam, an in Normannia? *Blondello eſt Poſes.* Vide *tabul. Geogr. in edit. Concil.* Cellotium *not. ad Concil. Duacenſe*, & Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PISTAS, vide PISCIACUM.

PISTICE, in *Gloſſis* Arabico-Latinis, *Piſtice*, *genus aromatis*, ponitur: cùm quaſi proprium nomen eſſet cujuſdam aromatis, ἐπιθετικῶς attribui poſſit omnibus, quæ adulterata non ſunt. Πιϛικὸς enim *verum germanumque* notat, τὸ ἀληθῆ. Theopompus apud Athenæum,

Χώρει σὺ δεῦρο Θηρικλέες πιϛικὸν τέκνον,
Cedò tu huc Thericlis vera proles.

Pro quo hoc derivativum πιϛικὸν non infima tantùm, ſed & melior Græcia, dixit; πιϛικὴ γυνὴ καὶ οἰκουρὸς *Artemidoro.* Sic vetus Auctor, qui Geographiam verſibus compoſuit, ac Nicomedi Regi dedicavit, πιϛικῶς, pro *fideliter*, poſuit,

Οὕτω λελυμένην λέξιν ἀναλαβεῖν ταχὺ
Οὐκ ἔϛι, τῷ μέτρῳ δὲ περιειλημμένην
Ἔϛιν καταχεῖν εὐκόπως καὶ πιϛικῶς.

Unde colligitur haud difficulter, quid *piſtica nardus* ſit, cujus in Euangelio Marc. *c.* 14. *v.* 3. mentio. Nempe ibi μύρον νάρδου πιϛικῆς, *unguentum* eſt *ex vera nardo*: cujuſmodi *nardus Indica* eſt, ex qua maximi pretii unguentum fiebat. Quia autem hæc ſola ex reliquis eô nomine herbis ſpicata eſt, hinc factum, ut Interpres Bibliorum πιϛικὴν νάρδον, vertat *ſpicatum nardum.* Opponitur verò hæc πιϛικὴ nardus pſeudonardo herbæ ubique naſcenti, quâ & adulterari ſolebat, Pliniò teſte, *l.* 12. *c.* 12. *Item ſua radice permixta ponderis causâ & gummi, ſpumaque argenti aut ſtibio, cyperive radice.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1065. ut & *ſuprà paſſim*, inprimis in voce *Nardus.* Apud Recentiores inde *piſticus Scriptor*, i. fidelis ac verax. Vide Adelelmum Sagienſ. Epiſcop. in *Mirac. S. Opportunæ*, *n.* 2. alioſque, laudatos Car. du Freſne *Gloſſario*: & *Piſtus*, genus aromatis, in *Gloſſis cit.* corruptè pro *Piſtice.*

PISTILLUM, ante thalamum alligatum, inter Græcorum ritus nuptiales, vide ſuprà *Colus.*

PISTIRUM, Thraciæ emporium, *Steph.*

PISTOR & Coquus, idem apud Veteres, auctore Feſtô: nam Coci initio dicti, qui faciebant panem & coquebant primùm ſub cinere in foco, poſtea in furno. Cato de pane, *c.* 70. *In foco calido ſub teſta*

teſta coquito leniter. Seneca ad Lucillium, *Ep.* 90. *Farinam aquâ ſparſit, & aſſiduâ tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primò cinis calidus & fervens teſta percoxit.* Poſteà diſcernit munia, & Coqui dici cœperunt, qui non ſolùm *officium ſciebant*, i.e. *uſitatos cibos præparabant, verùm etiam qui artificium & urbanas menſas & lautiora convivia inſtruebant*; Ulpian. *l.* 20. *ad Sabinum: Piſtores* autem, qui in pane conficiendo occupabantur. Hi quaſi *Pinſores* dicti. quòd ante inventum molarum uſum far *pinſerent*, i.e. *tunderent pilis*, vide infra in voce *Piſtrinum*: vel molis truſatilibus frangerent. Varro, *Taphemenippo: Nec Piſtorem ullum nôſſent, niſi eum qui in piſtrino pinſeret farinam.* Servius, *ad Æneid. l.* 1. *Quia apud Majores noſtros molarum non erat uſus, frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi.* Itaque non panem tantùm faciebant, ſed etiam farinam, ut dictum, molis frangebant. Pomponius Comicus, *cùm neque molis molui, neque palmis pinſui.* Euſeb. *in Chron. Paulus ad molas manuarius* Piſtorem *ſe locavit.* Utrumque conjunxit Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 16. *v.* 4.

> *A* Piſtore, *Cipere, non recedis,*
> *Et panem facis & facis farinam.*

Poſteà *Piſtores* proprie, Ἀρτοποιοὶ dicti, Latin. *Panari* quoque, teſte Arnobiô, *l.* 2. In *Gloſſ.* Ἀρτοπώλης & recentiori ævô *Panetarii*, ut vidimus ſupra. Cujuſmodi *Piſtoris* meminit Varro περὶ ἐδεσμάτων, *Si quantum opera ſumpſiſti, ut tuus* Piſtor *bonum faceret panem, ejus duodecimam Philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jam pridem eſſes factus. Nunc illum qui nôrunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centuſſi.* Sybariticum verò poſſit videri illud quod narrat Clearchus Solenſis, apud Athenæum, *l.* 12. Piſtorem, *neſcio cujus, cum tunica chiridota & ore ſudario obvoluto, juſſum eſſe farinæ maſſam tractare; ne videl. ſudor ſtillans influeret, aut ſubactam farinam halitu afflaret.* Panis conficiendi rationem apud Plinium habes, *l.* 18. *c.* 11. ubi de *Piſtoribus* multa. Cœterùm *Piſtores* ſequi expeditionem, prohibuit Peſcennius Niger, buccellatô jubens milites & omnes reliquos contentos eſſe, apud Æl. Spartian. *c.* 10. quod etiam ab Avidio Caſſio priùs factum, refert Volcatius Gallicanus in *Vita* ejus, *c.* 5. Fuit autem buccellatum ξηρὸς ἄρτος, quô plurimùm alebantur milites: panem verò toſtum lautioribus *Piſtores* coquere conſueviſſe, dixit *Attejus Capito.* Sed & eorum alii *Dulciarii*, alii *Lactarii*: de illis Appulejus, *Mileſ.* 10. *Hic panes, cruſtula, lucunculos, hamos, laterculos & ſcitamenta mellita complura.* Martialis quoque, *l.* 14. *Epigr.* 220.

> *Mille tibi dulces operum manus iſta figuras*
> *Extruit: huic uni parca laborat apis.*

De iſtis Lamprid. *Elagabalo c.* 27. *Dulciarios & Lactarios tales habuit, ut, quæcunque Coqui de diverſis eduliis exhibuiſſent, vel Structores vel Pomarii; illi modò de dulciis, modò de lactariis, exhiberent. Placentariorum* inſuper meminit Jul. Paulus, *l.* 3. *Sent.* & *Piſtoris* aſſeclas fuiſſe, innuit Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 32. *v.* 8.

> *Hinc* Piſtor *fatuas facit placentas*, &c.

Libarii & *Cruſtularii* occurrunt apud Senecam, *Ep.* 56. *Scriblitarii*, apud Afranium Nonio citatum in *Lucuns* &c. Genera autem piſtorii operis *Piſtrinarum opera* Plin. appellat, *l.* 8. *c.* 9. quæ & varii operis & formæ fuêre, uti modò vidimus. *Cælaturas* idem Plin. vocat *l.* 19. *c.* 4. *E frugibus quoque quoddam alimentum ſibi excogitâſſe luxuriam ſuperque piſtrinarum operibus & cælaturis vivere.* Præcipuum verò panis fuit, ſic dictus, *quòd primò figuras faciebant mulieres in panificiô Panis*; Varro *de L. L. l.* 4. Collegii *Piſtorum*, in *Pandectis* & *Codice*, mentio: Erant autem ſub cura Patronorum ac Præfecti Annonæ; qui penſum & munditiem panis exigebant. Caſſiodorus *in form. Præf. Annonæ, Per officinas* Piſtorum *diſcurris, penſum & munditiam exigis.* De iiſdem Imperatores poſteà, cùm & ii ad honores erepſiſſent, Gratianus, Valentinianus & Theodoſius ſtatuerunt, *Piſtores, utpote ſuos, & omnes breviter, qui ſubſunt Comiti Horreorum, ad nullam dignitatem eſſe aſpiraturos, & ſi quam aliqui fuerint aſſecuti, hâc exuendos, omne ſpeciale impetratum penitùs conquieſcendum, eoque ipſos ad antiquum ſtatum & conſortium eſſe revocandos, & pro ipſa dignitate impetrata mulctandos in viginti libris auri, Cod. in tit. de Piſtor.* Interim, ut indefeſſam poſſent faciendo pani operam navare, à tutelis & curis etiam collegarum fuêre immunes, *l. ult. ff. de excuſ. Tut.* Imò, ut jucundius labor procederet, habuêre & *Piſtores*, quod canerent ad molam: ἱμαῖον Græci vocabant, ut eſt apud Ariſtophanem *in Atticis* & Callimachum *in Hecale.* Fuit autem ἱμαλὸς Dorienſibus menſuræ genus: ἱμᾷν quoque ſignificabat *trahere & haurire*, apud *Athenæum* & *Ariſtotelem.* Sed & in *Theſmophoriis* Ariſtophanis eſt, quod fœminæ pinſentes cantillarent. Vide Scalig. *Poëtic. l.* 1. *c.* 55. Ut & hoc addam: Antiquitus qui in Piſtrino far mortariis impoſitum tundere cogebantur ſervi, ne farina fortè veſcerentur, pauſicape ſolebant impediri. Hadr. Turnebus, *Adverſar. l.* 2. *c.* 13. Qui verò ſuis in pane fallaciis Remp. depecularentur, ſequenti ævô, *Piſtores*, colliſtrigiô ſeu *Pilloriæ* ſuppliciô puniebantur, juxta Statutum: *Subeat judicium Pilloriæ*: Super pegmate nimirum conſtituti, comprehenſô inter fauces duarum tabularum hâc fini excavatarum collô, ſpectaculi gratiâ populo propinabantur deridendi. Vide in voce *Pilloria*; & de *Piſtoribus* plura, apud Laur. Pignorium *de Servis*, ac Tit. Popmam *de Operis Serv.* item ſuprà in voce *Mola*, *Panetaria*; ubi de *Magni Piſtoris*, ſub Franciæ Regibus, dignitate; aliiſque, ac infra in voce *Piſtrinum*, it. *Seliginarii.* Addo, per contemptum Chriſtianos olim *Piſtorum* nomine à Gentilibus fuiſſe indigitatos. Ita enim Cæcilius apud Minutium, *Quid ad hæc, ait, audet Octavius, homo Plautinæ proſapiæ, & piſtorum præcipuus, ita poſtremus Philoſophorum.* Ubi piſtrinenſis militiæ probrum in Octavium torquet, ob religionis Chriſtianæ ſimplicitatem, cujus ſequaces magna pars erant idiotæ & opifices, ut *Piſtores*, Sutores, & id genus alii: quâ de re vide aliquid voce *Agreſtes*, it. ubi *de Sellulariis Opificibus.*

PISTOR, Jupiter dictus eſt, quòd Romanos, quô tempore à Gallis obſeſſi, propter famem, de deditione cogitabant, in ſomnis admonuiſſet, ut ex omni fremento quod habebant, panes facerent, eoſque in hoſtium caſtra jacerent. Ita enim futurum, ut deſperatâ victoriâ Galli animis conciderent, atque ipſi ſuperatis hoſtibus obſidione liberarentur. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 391.

> *Eſſe Ceres viſa eſt; jaciunt Cerealia dona,*
> *Jacta ſuper galeas longaque ſcuta ſonant.*
> *Poſſe fame vinci ſpes excidit, hoſte repulſô*
> *Candida Piſtori ponitur ara Jovi.*

PISTORIA, ſeu PISTORIUM Plinio, *l.* 3. *c.* 5. *Ad Piſtores Antonino*; urbs Hetruriæ Epiſcopalis ad montis Appennini radices, ferè media inter Florentiam ad Ortum & Lucam ad Occaſum; hodie *Piſtoia.* Celebris clade Catilinæ, Nigrorum & Alborum diſſidiis, Cancellariorum item & Panzadicorum turbis. Hîc altare in templo S. Jacobi argentô obductum, cum 20. ex eodem metallo lychnuchis; In templo Humilitatis, Leonis 10. Clementis 7. Coſmi & Alexandri ſtatuæ; & magnifica admodùm ædificia: Unde *Piſtoia la bene ſtrutta*, vulgò dicitur. Leand. Alb. *deſcr. Italiæ.* In agro Florentino, ad amnem Stellam; vix. 12. mill. paſſ. ab agro Bononienſi, & ditione Pontificia. Patria Clement. IX. è gente Roſpiglioſa.

PISTORIUS, Johannes, vide *ibi.*

PISTORIUS Petrus, vide *Petrus.*

PISTRENSIS Villa, pagus Pannoniæ inferioris ad Danubium, patria Sozomeni, à Sirmio urbe 26. mill. paſſ. teſte *Ammianô*, diſtans in ortum, contra Petrovaradinum, quaſi medius inter Bononiam & Taurinum. *Biſtricz.* teſte Laziô.

PISTRINUM, locus in quo farina olim *pinſebatur*, i.e. *contundebatur* ſeu *comminuebatur in pila*, ut ante Molarum inventum uſum fieri ſolebat. Erant autem *Pilæ* vaſa concava, in quæ antiqui ſiccata frumenta immittebant ſicque pinſebant. Servius, *ad Æn. l.* 1. *v.* 184.

> *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxô.*

Torrebantur, inquit, *fruges in Pilis, & pinſebantur, neque molebantur.* Poſteà, mutatâ re, manſit *Piſtrini* nomen etiam illi loco, in quo molis ſervorum jumentorumque operâ circumactis fruges comminuebantur. Ejus elegans deſcriptio apud Appulejum eſt, *Metam. l.* 9. *Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage variâ; nec die tantùm, verùm perpeti etiam nocte, prorſus inſtabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.* Achmes, *Oneir. c.* 195. Μύλωνα, ἀλήθοντα ὄνῳ δυνατῷ, *Piſtrinum in quo aſinus robuſtus moleret.* In jumentorum dein locum mali ſervi, in *Piſtrinum* detruſi, molis adjudicabantur. Terentius, *Andriâ, Actu* 1. *Sc.* 2. *v.* 28.

> *Verberibus cæſum te Dave in* Piſtrinum *dedam uſque ad necem.*

Qui & ipſi *Aſinorum* nomine veniebant, ſicut Molæ *præſepia* dicta ſunt: Unde in MS. codice Plautino titulus concipiebatur, *Plauti Aſini Amphitryo*, vide Joh. Meurſium, *Critic. Exercit. part.* 1. *c.* 9. Certum autem ex A. Gellio, *l.* 3. *c.* 3. Plautum, in *Piſtrino*, quaſdam è Comœdiis ſuis ſcripſiſſe: & ſervilibus addictum fuiſſe operibus, locus eſt apud ipſum *in Curculione, Actu* 2. *Scen.* 1. *v.* 10.

> *Paves, paraſitus quia non rediit Cariâ,*
> *Afferre argentum credo, nam ſi non ferat,*
> *Tormentô non retineri potuit ferreô:*
> *Quin reciperet ſe huc ſeſſum ad præſepim ſuam.*

Quales verò hi, *Piſtrini* habitatores, idem Apulejus ſuprà laudatus, explicare pergit: *Homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum ſciſſili centunculô magis inumbrati; quàm obtecti; nonnulli exiguô tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti, frontes literati, & capillum ſemiraſi, & pedes annulati.* Ubi *Piſtrinarios* ſemiraſos fuiſſe indicat, quemadmodum de Uſtoribus, *Catullus* ſcribit; cùm fugitivi penitùs raſi eſſent. Neque ſolùm in Aſinariis molis operam obibant hi ſervi, ſed & in aquariis: ubi cùm non aderat aquæ vis, viros ac mulieres in *Piſtrinum* conjectos eſſe, perſpicuum eſt. Lucas, *c.* 17. *v.* 35. Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ μία παραληφθήσεται κτλ. *Duæ erunt molentes ſimul, una accipietur* &c. Idem confirmatur ex iis, quæ narrat Auctor *Hiſt. Miſcellæ*, de *Piſtrino*, quod Theodoſius Imperator Romæ ſuſtulit, mancipibus ſuppliciô affectis, *l.* 13. quod & Cedrenus tangit. Nec defuit *Piſtrino* ſeu Molæ ſuum apud Gentiles, Numen, ſuuſque Deus tutelaris. Jul. Pollux, *Onomaſt. l.* 7. *c.* 33. *tit.* 8. Μυλωθρός, μύλων, μύλη, πρεμυλαία Θεὸς καὶ εὔνοσος, *Molitor, mola, Piſtrinum, Dea molaris & benevola.* Imò & *Promylius* Deus ſemper ante *Piſtrina* ſeu Molas collocabatur, *ob ſuavem alimoniam*, Suidas in voce Πρεμύλιος Θεός. Vide Tiraquellum *Comment. ad Al. Neap. l.* 3. *Genial. dier. c.* 11. Thom. Dempſter. in Roſin. *l.* 1. *c.* 15. Laur. Pignorium *de Servis*, ut & ſuprà in voce *Molarum uſus*; Item *in Pauſicape* & *Piſtor.*

PISTRIS, nomen navis apud Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 116. Ubi alii legunt, *Priſtis.*

PISUTHNI, meminit Polyæn. *l.* 3. *in Pachete, c.* 2.

PISYE, urbs Cariæ. Dicitur & *Pitye*, *Capiton Pityuſſam* vocat. *Steph.*

PITANCIA, potio cibi in Monaſteriis, apud Cæſarium, *l.* 8. *c.* 10. Vide ſuprà *Pictancia*, & *Pitanciaria* hic infra.

PITANCIARIA, à Gallico *Pitance*, obſonium cujuſcunque generis, carnis, piſcium &c. exceptis, ut quidam volunt, pane & vinô. Meliùs de iſtis portiunculis intelligitur, quæ viri im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

diſtribuuntur, ſic ut propriè idem ſit, quod rei cujuſvis portiuncula, vel pars exigua, aliàs *Pictacium* & *Pitaciolum*. Hinc & *Pite* Gallis pro minima nummi portiuncula; quadrante ſcil. vel hemiobulô. Unde *Pitanciarius*, in Monaſteriis Collegiisque dictus eſt, qui ſuam cuique eduliorum portionem ſubminiſtrat: cujus officium *Pitanciaria* vocitatur. Vide Henric. Spelmann. *Gloſſar. Archaol.*

PITANE, urbs Æolidis in Aſia, non procul à Caïci fluv. oſtio, duobus portubus, cujus incolæ *Pitanæi* & *Pitanicæ* nominantur. *Baudrando* Urbs Myſiæ majoris verſus oram maris Ægæi, 60. mill. paſſ. circiter ab Æolide. Fama eſt apud Pitanam lateres inventos eſſe, qui ſuper aquas innatarent, quod & de aliis locis traditum eſt, ut Maſſiæ in Bætica, Plin. *l.* 35. *c.* 14. Ovid. *Met. l.* 7. v. 357.

Æoliam Pitaneora à lævâ parte reliquit.

Item *Pitane* oppid Laconicæ mediterran. ad Eurotam fluv. & oppid Macedoniæ maritim. in orientali. Pitane urbs à Pelaſgis capta, illis ſervire coacta fuit, donec ab Erythæis liberata, in priſtinam libertatem vindicata eſt. Hinc adagium: *Pitane ſum*, de iis, qui redacti ad extremam calamitatem, rurſus ad priorem fortunam reſtituti ſunt, apud *Zenodotum*. Troadis quoque oppidum. Item fluv. Laconicæ Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Strab. Ptolem.* &c.

PITANUS, Corſicæ fluv. unus ex tribus majoribus, in ora occidentali inter Fiſeram oppid & Marianum promuntor. *Ptol. Talabo Caſtaldo.* Aliis Titianus, in parte Occidentali cum ora ſeu ſinu cognomine. Nunc *fiuminale d' Ornano*: portus verò *Golfo di Talabo.*

PITAON, Cariæ urbs, à *Pitao* Phryge, Midæ amico dicta Gentile *Pitaeis. Steph.*

PITARA, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid *Plin.*

PITEA, Vide *Lampſacus.*

PITHARIA, apud Vinc. Belvacenſem, idem quod Hollandis vulgò, *tonne d'or.* Ita autem is *l.* 31. *c.* 144. *Ubi eſt theſaurus ſuus, & dicitur quòd ibi ſunt* 10. pithariæ *plena aurô depuratô* &c. Græcis πίθος, πιθάριον, *dolium*, *doliolum*, unde *Pitharia* & *thonna*, namque & hæc *dolium* notat. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PITHAULES, apud Flav. Vopiſcum *in Carino*, *c.* 19. *Centum ſalpiſtas unô crepitu concinentes & centum camptaulas, choraulas centum, etiam* pithaulas *centum, pantomimos & gymnicos mille* &c. Ubi Palatinus liber ſcriptum habet, *Pythaulas*, atque ita paſſim ac ſemper hoc nomen, ubicunque ejus mentio occurrit in Veterib. libris, reperitur ſcriptum. Quæ ſcriptura vel unicè facit ad eorum opinionem confutandam, ſummorum alioqui viorum, qui *Pithaules* dicendum cenſent & ἀπὸ τῶν πίθων, *à doliis*, hanc vocem deducunt: quaſi ulli unquam cogniti fuerint, doliares aut doliis cantantes tibicines. Quod enim Senecæ locum, quô nituntur, attinet, *Natur. Quæſtion. l.* 6. *c.* 19. *Quomodo in dolio cantantis vox per totum cum quadam diſcuſſione percurrit ac reſonat & tam leviter mota, tamen circuit; non ſine tactu ejus tumultuque, quo incluſa eſt.* Ubi veteres omnes libri habent, *Quomodo cùm in dolio cauſatur, vox illa per totum* &c. Omnino ſcribendum, *Quomodo cùm in dolio cantatur, vox illa* &c. Sed retineatur licèt vulgata lectio, nulli tamen inde doliorum tibicines exſculpentur. Eô enim loci nulla apud Senecam tibiarum mentio, & ſine tibiis quoque in dolio cantari poteſt: De eo potiùs, qui ſimpliciter in dolio cantat, ore ſuper os dolii poſitô, accipienda illa Senecæ. Narrat enim ibi & oſtendit, ex ſententia Metrodori Chii, quæ cauſa faciat terræmotus. Sic enim ajebat Metrodorus, vaſtas ſub terra ſpeluncas habere aërem ſuum; aërem illum, ſimul ac aliô ſupernè incidente percuſſus eſſet, agitari ſolere, haud aliter quàm inania dolia inditô clamore ſonant. Si quis enim in dolio cantet, per totum vocem illam cum quadam diſcuſſione percurrere conſueviſſe ac reſonare & quamvis leviter motam tumultuari tamen intus & cum bombo circumire. Sic motum fieri conabatur oſtendere Chius ille Philoſophus, Tibicinum verò doliariorum nulla ibi vola nec veſtigium. Sed neque ille Propertii verſus illis favet, è *l.* 4. *El.* 6. *v.* 7.

—— —— *Carmenque recentibus aris*
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.

Sed, præterquam quòd *Cadi* hîc de urbe Lydiæ accipiendi, magnô errore πίθους & κάδους illi confuderunt, *dolia* & *cados*. Namque & formâ differebant, & cadi ex ligno, dolia verò, i. e. πίθοι, fictilia erant. Unde Proverb. apud Græcos, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν. Nec certè quis videat, quis uſus potuerit eſſe hujusmodi ingentium ac fictilium vaſorum, qualia fuiſſe dolia liquet, ad canendum tibiis. Etiam in eo graviſſimè erratum, quòd *Pithaulem*, quem ἀπὸ τῶν πίθων deducunt, aut omnino eundem eſſe cum aſcaule aut parùm differre putârunt: quaſi parùm interfuerit inter ἀσκὸν, *utrem* & πίθον *dolium.* &c. *Pithaules* ergo omnino *Pythaules* ſcribendus eſt, nec ἀπὸ τῶν πίθων, ſed ἀπὸ τῶν πυθίων dictus; qui Pythia ſcil. cantabat & pythicas tibias inflabat: quemadmodum σπονδαύλης vocitatus eſt, qui ſpondiacas tibias, inter libationes & ſacrificia Deorum, inflabat. Salmaſ. *ad loc. cit.* Plurá proin hanc in rem, Vide infrà ſuô locô, ubi de *Pythaulis*, interim *Pithaulicæ* tibiæ expreſſius meminit Varro apud Nonium *in Ramices: Priusquam in Orcheſtra* Pithaules *inflet tibias, domi ſua ramices rumpit.* Quippe iis locus etiam in theatro erat, teſte Senecâ, *Ep.* 76. ubi de theatro Neapolitano, *Et hôc*, inquit, *ingenti ſtudiô, quis ſit Pithaules bonus, judicatur. Habet tibicen quoque Græcus & Præco concurſum, quare Pithaulicam*, etiam Diomedi memoratam *l.* 3. Caſpar. Bartholinus ait fuiſſe, quum in cadis impares tibiæ animatæ hominis ſpiritu, foraminum varietate aut regularum motu, ſonitum edidêre, *de Tibiis Vett. l.* 3. *c.* 7. Carini verò *Pithaulas* ſuprà indigitatos Donatus fuiſſe putat dictos à πείθω, *perſuadeo*, ac interpretatur Tibicines, qui tibiæ ſingulari ſpecie concinuerint, ita ut mulcerent aures & quaſi audientes perſuaderent, ac in ſuam velut ſententiam pertraherent, apud Eund.

Pitheci, Græcè Πίθηκοι, linguâ Etruſcâ, Ἄριμοι dicti, Strabo, *l.* 13. unde *Pithecuſa* & Ἄριμα eadem quæ Latinis *Inarime*, ſeu *Enaria*: *Enaria* namque eadem dicta, quòd ab *Enariis*, i. e. ſimiis, quas πιθήκους Græci vocant, incolatur: *enaris* enim ſimius, i. e. *ſine naribus*, & propterea etiam ſimius dictus, quòd *ſimus*. Ovid. *l.* 14. *Met. v.* 95.

—— *naresque à fronte reſimas*
Contudit & rugis peraravit anilibus ora.

Ubi de Cercopibus loquitur, in ſimias mutatis, & in Pithecuſam Inſulam miſſis, quæ ab illis ſic dicta. Servius *in l.* 9. *Æn. v.* 716. *Inarime, nunc Enaria dicitur, & ſæpe fulgoribus petitur, ob hoc, quòd Typhœum premit & quia in eam ad contumeliam ſimiæ miſſæ ſunt, quas Græcorum linguâ* ἀῤῥίνας, *id eſt, enarias, dicunt, ob quam cauſam Pithecuſam etiam vocitant*, &c. Fortè ſcribendum, *quas Etruſcorum linguâ arimos dicunt*, ex Strabone *d. l.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 97.

Pithecium, apud Plautum, *Mil. Actu* 4. *ſc.* 1. *v.* 42.

—— Pithecium, *præ illa & ſpinturnicium:*

Græcà vox, πιθήκιον eſt, quæ, ſicut πίθηκος *ſimia*, de homine & muliere deformi ſæpe uſurpata. Sic *ſpinturnicium* eſt τὸ σφιγγίον, genus ſimiæ turpiculâ facie. Alibi *cluninum pecus*, quod idem de puella deformi dixit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 377. & *infrà paſſim.*

PITHECON-COLPOS, i. e. *Simiarum ſinus*, portus in Libya juxta Carthaginem: Gentile *Pitheococolpites. Steph.*

PITHECUSA, inſula Campano litori adjacens, non procul à Neapoli, à Virgilio *l.* 9. *Æn. v.* 716. *Inarime* dicta, à quibusdam etiam *Ænaria* à ſtatione navium Æneæ. Dicta Pithecuſa (ut Ovid. *l.* 12. *Met.* fabulatur) à Cercopibus, teterrimo hominum genere, quorum fraudem, perjuriumque exoſus Jupiter, in ſimias eos commutavit. Græci verò ſimias πιθήκους vocant. Verùm hanc nominis rationem; tanquam fabuloſam, rejicit Plin. *l.* 3. *c.* 6. docetque Pithecuſas, non à ſimiis appellatas, ſed à figlinis doliariorum, dolia enim Græci πίθους vocant. Habet autem hæc inſula in vertice oppid. ejusdem nominis. Vide *Ænaria. Nic. Lloydius.* Plinii verò ſententiam, de etymo vocis, rejicit Salmaſius ex eo, quòd ἀπὸ τῶν πίθων dicenda fuiſſet Πιθοῦσσα potiùs. Jam verò ut Ἐριχοῦσσα, ἀπὸ τῶν ἐρίκων; Σειρηνοῦσσαι, ἀπὸ τῶν Σειρηνῶν: Φοινικοῦσσα, ἀπὸ τῶν Φοινίκων, ſic omnino Πιθηκοῦσσα, ἀπὸ τῶν πιθήκων, quod contractum ex Πιθηκόεσσα, Vide eum *d. l.* Inſulam hanc Typhoëo ingeſtam narrant Græci. *Scholiaſtes Apollonii*, τὴν Πιθηκοῦσσαν αὐτῷ περιῤῥιφῆναι νῆσον Φερεκύδης ἐν τῇ Θεολογίᾳ ἱστορεῖ, *Pithecuſam inſul. ei ſuperjectam eſſe, narrat in ſua Theologia Pherecydes.* Quod de Inarime tradit Poëta, quæ eadem eſt cum Enaris; ſic Enaria & Pithecuſa eadem. Ex Plinio certè, Inarimen eſſe Enarien, conſtat. Sed hic longè vetuſtiorum, quàm Plinius eſt, Latinorum Scriptorum error, qui ex Homerico εἰν Ἀρίμοις, fecerunt unicam vocem *Enarimen* aut *Inarimen*, & ſimilitudine vocabuli ducti, eandem putârunt eſſe cum ea quæ *Enariæ* Latinè vocabatur Inſul. Tyrrheni maris. Quem errorem adjuvit, quòd fabula de Typhœo à quibusdam huic Inſulæ Enariæ attribueretur, quam Homerus εἰν Ἀρίμοις ponit. Non primus quoque Virgilius huic culpæ affinis, ſed ab antiquis hauſit: neque dum ſit Plinius reprehendendus, quòd *Inarimen*, poſt tot idoneos, dixerit. Sic. *Liv. Inarimen* vocavit, quæ Homero ſunt τὰ Ἄριμα &c. Idem *ibid.*

PITHECUSSÆ, inſul. 3. parvæ Africæ, ubi ſimiæ pro Diis colebantur. *Diodor. Sic.*

PITHNISSA, vel *Pitniſſa*, urbs Lycaoniæ. *Steph.*

PITHO, dea flexanima, illa dicendi præſes, quam *Ennius Suadam. Quintilan. perſuadendi ideam*, Horatius *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 38. *Suadelam*, & *Cicer. de Clar. Orator. c.* 15. *leporem* vocat. Colebatur & Diana cognomine *Pitho* Corinthi: Item una ex Atlantidibus.

PITHOEGIA Sacra, celebrabantur Athenis die 11. menſis Antheſterionis: memorata Scholiaſti Ariſtophanis *ad Acharnenſes*, Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς ὅλην τὴν ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην· κατὰ μέρος δὲ Πιθοιγίαν, Χόας, Χύτρους, *Ait autem Apollodorus, Antheſteria vocari communiter totum feſtum, Libero Patri ſacrum: Sigillatim verò*, Pithœgiam, *Choas*, *Chytros.* Unde colligitur, partem fuiſſe Dionyſiorum κατ᾽ ἀγροὺς ſeu Antheſteriorum. Meminit quoque Plut. *Sympoſ. l.* 3. *quæſt.* 7. Τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς κατάρχονται, Πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες, *Novum vinum Athenis undecimò die Antheſterionis* (Februarii) *bibere incipiunt*, Pithœgiam *diem vocantes.* Eô nempe dolia relinebant, unde feſto dieique nomen, quaſi πίθων ἀνοιγή. Poſtridie Χοαὶ ſequebantur, die nempe 12. ſicut Chytri die 13. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l.* 1. *tit.* 1. *p.* 43. Apud Anglos feſto huic reſpondere S. Martini feſtum, *S. Martins day*, docet Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

PITHOEUS, Petrus, Trecenſis. Diſcipulus Turnebi & Cujacii, brevi Magiſtros æquavit: ab Henrico III. magnis muneribus adhibitus, poſtmodum multum momenti attulit, ad Lutetiam ſub obſequium legitimi ſui Regis, Henriri IV. redigendam. Inde peſte ſæviente egreſſus, Nongentiaci ad Sequanam obiit, A. C. 1596. Kal. Nov. qui dies ipſi natalis fuerat. Plurimos edidit libros, *Varro ſui temporis* non immeritò dictus. Joſias Mercerus vitam ejus deſcripſit, in fronte Conſuetudinum Trecenſium, quod opus à Pithæo conditum eſt. Sammart. *Elog. l.* 4. Papyr. Maſſon. *in Elog. part.* 2. Anton. Teiſſier. *Elog. Part.* 2. ubi annô ætat. 24.

Adver-

Adverſaria ſua adeo magni æſtimata ab Eruditis, edidiſſe, ac novô facum honore publicè elatum eſſe, addit, & indicem ſcriptorum illis exhibet, Paul. Freherus *Theatrô Viror. eruditione claror.* Alii. Fratrem habuit Franciſcum, Advocatum Pariſin. eruditione ſimiliter inclytum. Vide *ibid.*

PITHOLAI Promontor. circa Arabici ſinûs fretum in Æthiopia *Strab.*

PITHOLAUS, cum Lycophrone, Pheræorum tyrannidem obtinuit, occiſô per dolum affine Alexandrô: ſed à Philippo Macedone ejectus, Olymp. 107. an. 1.

PITHOLAUS, Commodi Imperatoris educator, *Galen.* & in aula Inſtitutor, quem perſtringere videtur Lamprid. *in Commodo*, *c.* 1. cùm ait: *Habuit literatorem Græcum, Oneſicritum, Latinum, Capellam Antiſtium: Orator ei Attejus Sanctus fuit. Sed tot diſciplinarum Magiſtri nihil ei profuerunt. Tantum valet aut ingenii vis, aut eorum, qui in aula Inſtitutores habentur.* Idem paulò pòſt, *Auſpicium crudelitatis apud Centumcellas dedit annô ætatis XII. Nam, quum tepidiùs fortè lotus eſſet, balneatorem in fornacem conjici juſſit: quando à Pædagogo, cui hoc juſſum fuerat, vervecina pellis in fornace conſumta eſt, ut fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret.* Ubi *Pitholatum* itidem indigitari, contendit Caſaubonus, ex Galeno περὶ τοῦ προγινώσκειν, vide eum *ad Lamprid. d. l.*

PITHOLEON, Rhodius, poëta trivialis & abjectus, qui cùm in confinio utriuſque linguæ natus eſſet, confuſô ſermone epigrammata quædam futilia conſcripſit, in quibus perquam ridiculè Græca Latinis miſcuit, cujus meminit Horatius, *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 21.

PITHON, Crateæ fil., Macedo, inter corporis cuſtodes Alexandri M. Vide *Python.*

PITHONIS, locus Aſiæ in campis apertis, ubi ciconiæ primô adventus ſui tempore congregantur, Plin. *l.* 10. *c.* 23. Mira ibi narrantur. Vide *Pithonoſcome.*

PITHONOBASTÆ, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

PITHONOSCOME, locus Aſiæ in campis apertis, ubi Ciconiæ primô adventûs ſui tempore congregantur, & eam quæ ultimò advenerit, lancinant univerſæ, atque ita abeunt. Plin. *l.* 10. *c.* 23.

PITHOS, vicus in tribu Cecropide, ἀπὸ τῶν πίθων, à vaſis ſeu doliis quæ illic fiunt. *Steph.*

PITHUERIUM, *Pluviers*, urbs Belſiæ, quibuſdam *Pithiviers*, ad *Oeuf* amnem, in aurelianenſi tractu, media inter Milliacum Cæciam, & Aurelias in Africum.

PITIACUS & PICTIACA *ſylva*, nunc *Cella S. Aviti*, locus in territorio Aurelianenſ. ubi eremus vaſta, & Cœnobium S. Aviti. *Ferrar.* Forſan *Patay* oppidul. *Baudrand.*

PITINUM, Umbrorum mediterraneum oppid. *Ptol.* Ubi Novanus fluv. ſolſtitiô æſtivô fervens, ſiccatur in Bruma. *Plin.* *Baudrando* urbs fuit Epiſcopalis Valeriæ, non longè ab Amiterno. Nomen & veſtigia ſuperſunt. 2. mill. paſſ. & paulò plus à civitate Aquila, in Aprutio, in loco *Torre di Pitino* teſte *L. Holſteniô.*

PITISCUS Bartholomæus, Grunbergâ Sileſius, vico Schlaunâ oriundus, Grunbergæ adlaterali, Theologus inſignis, Friderico IV. Electori Palatino à concionibus; Obiit A. C. 1613. ætat. 52. Ejus extant, *In Pſalmos Idea concionum*, in 4to Francof. A. C. 1608. 1616. 1620. *In Eſajam Conciones* &c. *Fuit doctrina profunda, ingenii acris & perſpicacis: ipſemet vitæ ſuæ cenſor, ne in aliorum incurreret voculas: in docendo ac ſcribendo methodi ſummè obſervans; adeò ut abſque ordine nihil dici, nihil diſci, rectè ſtatueret. Et, quæ Concionatori apprimè eſt neceſſaria, tantâ uſus eſt ſemper perſpicuitate, tamque dextrâ ad Auditorum uſum omnia applicandi felicitate, ut illâ quidem laudem ipſe ſummam apud omnes invenerit: in hac verò pares habuerit perpaucos*, Melch. Adami in *Vita* ejus, & Paulus Freherus *Theatrô Virorum eruditione Claror.* nec non, ſuprà *Bartholomæus Pitiſcus.*

PITNISSA, Lycaoniæ oppid. *Steph.*

PITORNIUS, Latii fluv. per lacum Fucinum impermixtus tranſiens; *Juvencus*, ſeu *Invectus* Plinio, ut quidam falsò ſcribunt, cùm *invectus* ibi participium ſit, non nomen fluvii.

PITTACIUM, Græcè πιττάκιον, πίτταξ, *index* vel *titulus pice illitus*, ut affigi poſſit & applicari: cujuſmodi amphoris & doliis olim affigi mos, vini patriam & ætatem indicantia, uti diximus ſuô locô. Etiam indices libris adfixi, qui nomen Auctoris præferrent, πιττάκια dicebantur & σύλλαβοι. Gloſſæ porrò, πιττάκιον, *brevis*, *pittacium.* Hygenus *de limit. conſtit. Deinde ex decuriis, antequam ſortes tollant ſingulorum nomina in* pittaciis *& in ſorticulis & id ipſi ſortientur, ut ſciant quis primô aut quotôcunque locô exeant.* In *Cod. Theodoſ. tit. de erogatione mill. ann.* Pittacia dicuntur, *breves ſpecierum annonariarum, militibus erogandarum*, *l.* 11. *Suſceptor, antequam diurnum Pittacium authenticum ab actuariis ſuſceperit, non eroget; quòd ſi abſque* pittacio *fuerit erogatio, id quod expenſum eſt, damnis ejus potiùs ſubputetur.* Vide *leg.* 13. *eòd. tit. & leg.* 16. Nam ſecundùm ea *pittacia* militibus erogabantur ſpecies annonariæ, ut panis, vinum, acetum, lardum, caro vervecina, capitum & alia ejuſcemodi, Salmaſ. *ad Lamprid.* *locum hunc in Alex. Sever. c.* 21. *Perlegebat cuncta pittacia.* Ubi Caſaubonus, *id eſt, breves*, inquit, *ut modò dixit. Sed* Pittacia *dicuntur pice vel malthâ illitæ breves tabellæ, in quibus elogia ſcribebantur & id genus alia, quæ paucis verbis poſſunt comprehendi. Ut illa Polybiana pittacia, de quibus ad Suetonium notare aliquid meminimus, l.* 2. *Vox eſt origine Græcâ:* πιττάκιον *enim* ἀπὸ τῆς πίττας (ſeu πίσσας pice) *uſu verò Romanorum & Syrorum quoque: Nam in Targumim* פיטקין πιττάκια *poſitum pro epiſtolis. Iſidorus: Pittacium epiſtola brevis & modica.* Hactenus Caſaubonus. Notavit nempe is *in Auguſtum Suetonii*, *c.* 89. magnorum Virorum olim morem, *pittacium*, in quo gnoma aliqua ſcripta, mittendi iis, quibus conſilium daturi erant. Sic enim Auguſtus *præcepta & exempla publicè vel privatim ſalubria* (quæ in evolvendis Auctoribus excerpſerat) *aut ad domeſticos aut ad exercituum provinciarum Rectores, aut ad urbis Magiſtratus plerumque mittebat: prout quique monitione indigerent.* Maximè autem ſic dicta ſcheda ſeu epiſtola, quæ in quadrum eſſet complicata, ut obſervat Euſtathius, *ad Hom.* Διὰ τὸ τετραγωνίζεσθαι πλυσσόμενον, ὁμοίως πῶς τῷ τῆς χύτης πίττης σχηματισμῷ, &c. In Eccleſia Chriſtiana *pittacia* Ἀρχιερατικὰ, *Archiepiſcopalia* dicta; item Πατριαρχικὰ, *Patriarchalia*, memorantur Balſamoni *ad can.* 17. *Apoſtol.* & in Concilio Florent. *ſect.* 3. *c.* 3. *p.* 45. Nempe Græci προβαθμίους vocant, qui primi ſunt in ordine, & προσβαθμίους, qui ultimi, priore nempe aut ultimô locô, ordinati; ut priores tempore, priores etiam ſint honore: quod jus (πρωγενεσίαν appellant) obtinuit in Clericorum ordinibus, imò ex Juſtiniani conſtitutione, in Primatibus ipſis. Unde *pittacia* ordinatis data, cum diei ac menſis adſcriptione, quæ antiquitatem ordinationis oſtenderet, ut docet idem Balſamon *in Syn. Carthag. ad can.* 92. Alia vocis notio apud *Celſum*, qui ſplenia & emplaſtra, fronti ad capitis dolorem leniendum, illini ſolita, *pittacia* vocat, à ſimilitudine ſcil. *pittaciorum*: ad quorum inſtar quia & fruſtula ſagi militaris ſericei erant efficta, hinc & *Pittaciola*, item *Pittacia*, apud nonnullos Auctores, dictæ ſunt virgæ ſagorum, quæ *virgata* inde Poëtis. Monachus Sangall. *l.* 1. *c.* 36. ubi de ſagis virgatis Freſonicis ac curtulis, Carolum M. ſic loquentem introducit: *Quid proſunt illa putaciola (l. pittaciola) in lecto non poſſum eis cooperiri, cavallicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad neceſſaria naturæ ſecedens, tibiarum congelatione deficio.* Willh. Britto *Philipp. l.* 2.

Sic percuſſa patet, ſic interciſa minutis
Pictaciis *pendet, dum demolitur eandem*
Tunſio crebra nimis clava mucronis & haſtæ.

Apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hincque à *pictacio* Salmaſius *peciam*, Gall. *piece* arceſſit: cui favet Joh. de Janua: *Pictacium*, ajens, *dicitur illa corii particula, quæ ſoleæ repeciatæ inſuta eſt, & dicitur à pingo: quia ſicut partes picturæ diſtinctè in pavimento ſunt, ſic apparent pictacia in calciamento: unde pictaciatus; id eſt, repeciatus*, apud eundem *Gloſſarii* Auctorem. Vide hic paſſim. Quia verò *Pittacia* ſeu elenchi longioris formæ erant, hinc & margaritarum genus oblongum ab iis nomen accepit, ut videbimus infrà, voce *Unio.*

PITTACUS, Philoſophus Mitylenæus, unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, qui ex Lesbo tyrannum Melanchrum depulit, exortôque deinde inter Athenienſes, Mitylenæoſque bellô, Phrynonem Olympionicem celebrem, hoſtium ducem ad ſingulare certamen provocavit, retique quod occultè ſecum attulerat, implicitum facilè ſuperavit, qua ex pugnâ Retiariorum, & Mirmillonum factiones originem ſumpſiſſe putantur. Hôc factô commoti Mitylenæi tyrannidem ei tradiderunt: quâ tamen paulò pòſt ſponte ſe abdicavit. Obiit An. ætat. 70. Olymp. 52. Diog. Laërtius, *in ejus vita.* Hujus illud: *Providere oportet, ne caſus veniant; ſi fortè venerint æquô animô tolerare.* Fuit alius *Pittacus* legiſlator (Phavorinus & Demetrius *in Homonymis*) qui minor eſt appellatus, & 600. verſibus leges ſuas complexus eſt. Ælian. *l.* 7. *c.* 4. *de Var. hiſt.* *Pittacum* quendam commemorat, qui de mola piſtrina encomium conſcripſit, ut in parvo argumento vim dicendi oſtentaret.

PITTACUS, nepos Pori, Indorum Regis. Vide Polyænum. *l.* 4. *c.* 3 *n.* 21.

PITTALUS, Medicus Athenienſis, qui diſcipulos reliquit. Vide Schol. in Ariſtoph. *Acharn.* 4. 5. *p.* 420. *F.* 2. *& in Crabrones.*

PITTHEA, oppid. Peloponneſi apud Trœzena, vel ipſa Trœzen in ora Argiæ. Plut. Hinc *Pittheus.* Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 296.

Eſt prope Pittheam tumulus Trœzena ſine ullis
Arduus arboribus. ——— ———

PITTHEUS, Theſei avus maternus, qui Trœzene regnavit, de quo Plut. *in Theſeo.* Hic primus Rhetoricam docuiſſe, & de ea ſcripſiſſe dicitur, Pauſan. *in Corinth.* quod tamen ſimile vero non eſt. Nummum ejus Fulvius Urſinus exhibet. Vide Voſſ. quoque *de Reth. Nat. & conſt. c.* 9. Hinc *Pittheis*, patronymicum fœmininum, quô poëtæ utuntur pro Æthrâ Pitthei filiâ matre Theſei. Ovid. *in Ep. Ariad. Theſeo. v.* 131.

Nec pater eſt Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius. ——— ———

Nic. Lloydius.

PITUANIUS, prænomine *Lucius*, Mathematicus, imperante Tiberiô, ſaxô Tarpejô dejectus. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 32.

PITULANI, Umbriæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

PITULUM, Latii oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

PITYÆA, urbs inter Parium & Priapum. *Steph.* Apollon. *Argonaut. l.* 1.

——— Ζηλείην τε παρήμειβον Πιτύειαν.

Ubi *Schol.* Ἡ Λάμψακος τὸ πρότερον Πιτύεια προσηγορεύετο, ἤν τι ἐς Πιτύαν ὀνομάζουσι, τινὲς δὲ φασιν ὅτι Φρίξος γινόμενος ἐνταῦθα θησαυρὸν ἔθηκε, καὶ ἀπὸ τούτου ἡ πόλις ὠνομάσθη. Θρᾷκες γὰρ τὸν Θησαυρὸν Πιτύην λέγουσι.

PITYASSUS, Piſidiæ urbs. *Strabo.*

PITYNDA, Metropolis Indiæ intra Gangem. *Ptol.* Seu *Pytindra*, in ora ſinûs Gangici nunc forſan *Narſingapatan*, in regno Golcondæ.

PITYODES, *Straboni Pityuſa*, *Stephano Pityuſæ*, Inſul. parva Propontidis, ad Hyrium promontor. in Helleſponto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PITYONESUS, inſul. parva Peloponneſi contra Epidaurum. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Schilla in tabulis recentiorib.* in Sinu Saronico, 6. mili. paſſ. à littore, ab Ægina Inſul. 17.

PITYS, i.e. *pinus*, Puella erat, quam Pan & Boreas rivales amabant: Illa Panis amore magis afficiebatur, unde æmulatione motus, puellam in petras impulit ac neci tradidit. Terra miſerta cladem, plantam puellæ cognominem produxit, quæ arbor nunc quidem Pana germine ſuô coronat: Flet autem ubi Boream afflantem percipit. Auctor *Geoponicon. l.* 11. *c.* 11.

PITYUS, oppid Sarmatiæ Aſiaticæ apud fines Colchidis, ad mare Euxinum in finibus Heniochorum, terminus quondam Imperii Romani; Plin. *l.* 6. *c.* 4. à Dioſcuriade, urbe Colchorum extrema 360. ſtad. in Occaſum. Ab Heniochis direptum. Item fluv. ejuſdem nominis, Plin. *ibid.*

PITYUSA, inſul. parva ſinûs Argolici ante Hermionem. Sunt & *Pityuſæ*, inſulæ duæ in mari Iberico, anguſtô fretô inter ſe diviſæ, quarum major Ebuſus, minor Ophiuſa. Ita *Strabo*. Idem & *Ptolemæus* docet. Pomponius quoque Mela, *l.* 2. *c.* 7. idem ſentire videtur, licet Pityuſas utramque communi appellatione dici non moneat. At Plinio, *l.* 3. *c.* 5. longè alia mens, qui utrique huic inſulæ nomen Ebuſus convenire ait; & Colubrariam ſive Ophiuſam aliam facit à Pityuſis. Longè falluntur, qui Plinium Straboni & Ptolemæo conciliare quærunt. *Diodor. Siculus* eoſdem cum Plinio ſequi autores videtur, Πιτύουσαν enim agnoſcit unam magnam inſulam, in quâ urbs ſit quæ appellatur Ἐρεσὸς: niſi ejus codex ſic corrigendus & legendum Ἐβυσὸς. Idem *Diodorus* annotat Pityuſam à copia τῶν πιτύων, quas illa inſula fert, nomen inveniſſe. Plinius à frutice pineo. *Caſaub. Nic. Lloyd.* Baudrando Inſulæ duæ ſunt in mari Mediterraneo inter Balearem majorem ad Ortum & promontor. Dianium Sinumque Sucronenſem ad Occaſum. Vulgò *las Islas de Yviça*, pendentque à regno Majoricæ: earum major & quæ ad Boream Ebuſus, *Yviça*, caſtrum habet cognom. cum tribus villis & ſalis fodinis. Minor, quæ Ophiuſa *La Formentera*, ad Auſtrum extenſa, ob ſerpentes deſerta eſt, parvique circuitus.

PIUS, cognomen Antonini Imperatoris de quo ſuprà, voce *Pii.*

PIUS I. Aquilejâ oriundus, poſt Hyginum Epiſcopus Romanus A. C. 156. Paſcha celebrari juſſit, Dominicâ poſt 14. d. menſis Martii. Martyrii coronam accepit, A. C. 165. Anicetô ſucceſſore. Scripſit *duas epiſtolas ad Juſtum Viennenſem.* Genebr. *Chron. l.* 3. Ciacconius, Platina, Ducheſnius &c. *in vit. Pontif.*

PIUS II. priùs Æneas Sylvius Bartholomæus Piccolominæus, Senenſis. Mater ejus Victoria de Fortiguetra parituram ſe filium mitratum ſomnians, id in familiæ ignominiam fore interpretata eſt, cùm in degradatione Clericorum mitra chartacea illis imponi ſoleat: Aliud Fata voluêre. Cum cura educatus, ad ſtudia animum applicuit, ingeniô & eruditione inclytus. Ætatis an. 26. in Concilio Baſilienſi, à Secretis fuit Dominico primùm Capranico Cardinali, dein aliis quoque Præſulibus, inprimis Cardinali Albergato, à quo in Scotiam miſſus eſt, Redux à Concilio Referendarii, Abbreviatoris, Cancellarii, & Agentis Generalis muneribus auctus, Argentinæ, Francofurti, Conſtantiæ, in Sabaudia & Rhætia, res ejus curavit: Præpoſitus hinc Eccleſiæ Cellegialis S. Laurentii, quæ Mediolani eſt, factus. Interim plurima edidit opera, in quibus, quàm honeſtè de Concilio ſenſerit, ſatis oſtendit: Eugeniô IV. pro meritis paſſim notatô. Secretarius dein Felicis V. & Friderici poſtmodum III. Imperatoris, ab hoc Poëticâ laurô donatus eſt, variis legationibus Romæ, Mediolani, Neapoli, in Bohemia &c. defunctus. A Nicolao V. poſt hæc magnis negotiis in Auſtria, Hungaria, Moravia, Bohemia & Sileſia adhibitus, jam Epiſcopus Senenſis, Ratisbonæ & Francofurti in Comitiis, de bello Sacro, præclarè diſſeruit. A Calixto III. Cardinalis creatus, A. C. 1456. ei tandem ſucceſſit, A. C. 1458. Pii II. nomine ſumtô. Tum ſtatim ad Chriſtianos Principes contra Turcas uniendos animum applicuit, Conciliô Mantuam indictô, A. C. 1459. poſtquam Ferdinando fil. notho Alphonſi, contra familiam Andegavenſem, regnum Neapolitanum, confirmâſſet: unde Bellum. Eccleſiæ hoſtibus pro virili obnixus, variis terris auxit dominium. In difficilimis etiam rebus intrepidus; animô in ſacrum bellum tam promtô fuit, ut ipſemet copiarum, quas jam paratas habuerat, Dux eſſe voluerit. Sed dum Anconâ ſolvere parat, morte præventus, obiit A. C. 1464. ætat 58. Sedis 6. Opera ejus Baſileæ edita, A. C. 1571. in quibus quod Pontifex quædam retractâſſet, ſcommate notatus eſt: *Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* Non dubitant eruditi, quin & ipſe auctor ſit Commentariorum, qui ſub nomine Johan. Gobelini Perſonæ, qui ei à ſecretis erat, prodierunt. Vide *Joh. Aretinum*, Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 7. Onuphrium, Ciacconium, Lud. Jacob. *in Bibl. Pontif.* Joh. Antonium Campenum *in ejus vita*: hancque in frontiſpicio operum ejus &c. Crebrò in ore Pontifex hic habuit: *Sacerdotibus magnâ ratione ereptas nuptias, majori reſtituendas videri.* Joh. Baleus *in vita ejus.* Succeſſit Paulus *II.*

PIUS III. dictus Franciſcus Todeſchinus, Pii II. ex ſorore nepos, ſucceſſit ſpurciſſimo Alexandro IV. A. C. 1503. non ſine veneni ſuſpicione paulo poſt mortuus, die poſt electionem 26. in epiſtolis Marſilii Ficini, Philelphi, Sabellici &c. notiſſimus. Succeſſit Julius II. Ciacconius, Victorellus, Ducheſnius, *in ejus vita.*

PIUS IV. Mediolanenſis, nomine Joh. Angelus Mediguinus ſeu Medicis, frater Marchionis Mariniani, ſucceſſit Paulo IV. A. C. 1559. Natus feſtô Paſchatis, electus Papa feſtô nativitatis & coronatus feſtô 3. Regum, 18. hominibus in turba obtritis, plurimisque læſis: Initiô clementem, ſed non Carafis ſe exhibuit: Cardinali Caraffâ in mole Adriani carnificis manu ſtrangulatô, & fratre ejus, Palliani Principe, capite plexô, in carcere. Melitâ à Turcis obſeſſâ non parum ſolicitus; Concilium Tridenti an. ſeculi præteriti 61. Proteſtantes Germaniæ Principes ad illud per literas & Legatos invitando, reſtauravit: ſed diplomata non reſignata, cum acri reſponſo, Legatis remiſſa ſunt. Thuan. *l.* 23. *&* 28. Quod & à Rege Daniæ factum: Elizabetha autem Legatum ex Belgio in Angliam tranſiturum aditu arcuit. Sic inchoatô à ſolis Communioni Romanæ addictis Conciliô, Carolus 9. calicis uſum in cœna Domini, poſtulavit obnixè, opponente ſe acriter Cardinali S. Angeli. Idem Bavariæ Dux Albertus expoſcens, obtinere non potuit: nec ipſe Imperator Ferdinandus I. Iidem Principes petebant inſuper, ut conjugium Clericis permitteretur. Sed & hoc negatum. Tandem ſolutum Concilium A. C. 1563. in quo nihil correctum, ſed vetera mala publicâ auctoritate inveſtita ſunt: Synodusque à Germanis ſpreta, à Gallis non admiſſa eſt, dicente Claudiô Eſpenſæô, *in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ.* Et Claudiô Sanctiô: *in Synodo Tridentina, plus nobis quam Spiritui S. tributum eſſe.* Lætus, *Compend Hiſt. Univ.* Finitô Conciliô Papa, ſpectualis variisque oblectamentis intentus, conjuratione Accoltii vix non periit. Obiit tandem A. C. 1565. ex nimio Veneris uſu, ut vulgò dictum ſit, *Eum per eandem partem animam profudiſſe, per quam accepiſſet.* Vide porrò Thuan. *Hiſt. l.* 36. 38. 39. Jac Revium *in Hiſtor. Pontif.* Succeſſit Pius V. de quo ſuô locô. Addo hîc, quòd *Pius IV.* idem ad emendationem Gratiani animum applicans, hanc in rem ſelegit Cardinales & undique accerſitos Viros doctiſſimos, qui Auctorem hunc ex fontibus reſtituerent. Quibus *Pius* V. ejus ſucceſſor aliquot alios addidit; opus autem perfectum demum eſt ſub Gregorio XIII. & evulgatum ab eo, A. C. 1582. Pontificatûs ejus XI. ut indicat Præfatio Decreto præmiſſa. Viri ſub Pio utroque ad hoc opus ſelecti, recenſentur Anton. Auguſtino *in fin. l.* 1. *de Emend. Gratiani in Not. p.* 342. Vide quoque Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Juris Eccl. n.* 392. & 393.

PIUS V. dictus Michaël Giſlerius, ſucceſſit Pio IV. A. C. 1566. Inquiſitionis acerrimus propugnator: Inquiſitor generalis, olim ſub Paulo IV. Inquiſitionis auctore. Captos Julium Zoanetum, Petrum Carneſecam, aliosque, ob leves hæreſeos ſuſpiciones, exuſſit: nec minùs Aonium Palearium, quòd dixiſſet: *Inquiſitionem eſſe ſicam in literatos diſtrictam.* Meretrices urbe excedere juſſit, *Catechiſmum, Breviarium* & *Miſſale*, à Concilio ipſi injunctum, edidit. Elizabetham Reginam excommunicavit; Carolum IX. contra proteſtantes pecuniâ juvit: Cæſarem, ut pacis conditiones cum Turca rumperet, hortatus, *fidem aut juramentum infideli non eſſe ſervandum*, dixit. Philippo II. ut Carolum fil. qui Belgis favere viſus erat, tolleret, auctor fuit, patratô factô gratias Patri egit, donô inſuper miſſô, roſâ & gladiô. Armis, Regi huic & Venetis junctis, præliô contra Turcas, ad Naupactum, victoriam juvit, A. C. 1571. cùm annô antè Coſmum Magnum Hetruriæ Ducem creâſſet, non permittente Maximilianô II. ut illum Regem crearet, imo interminante, *ſi Pontifex ulteriùs jura Imperii invaderet:* tandem tamen, ad interceſſionem Principum, Franciſco C. F. titulum Magni Ducis, ſed ut Imperii beneficiario, confirmante, Bodinus *de Rep. l.* 1. *c.* 9. Thuanus, *Hiſtor. l.* 60. *&* 62. Caraffis tandem reſtitutis in bonorum poſſeſſionem, & Ordine Humiliatorum abolitô, ad Inquiſitionem tribunalis Pontificiô majoris vocatus, obiit A. C. 1572. beatis annumeratus A. C. 1672. à Clemente X. Ducheſnius, Pap. Maſſonius, Thom. Moniotus &c. *in ejus vita.* Anton. Sen. Gazæus & Louvetus, *de Vir. Ill. Ordin. Prædic.* Victorel. *addit. ad Ciaccon.* Carolus Jacob. *Biblioth. Pontif. &c.* Eum excepit Gregorius XIII.

PIUS, Metellus ſic dictus quòd à Furio Tribuno reditum exoravit. Antoninus quoque Imperator *Pius* dictus eſt, quòd animum à belli ferocitate alienum haberet, *malletque vivum*, ut ajebat, *civem* ſervare, quàm 1000. hoſtes trucidare. Dio. Alex. *l.* 1. *c.* 9.

PIUS, epitheton, ut videtur, urbis Toletanæ, apud Iſidorum Pacenſem Epiſcop. *Chron. ar.* 685. *Hîc crebra Concilia clarente Eugeniô urbis Regiæ Metropolitanô Epiſcopô Toletô pio —— recollegit.* E quo ſanè loco dubium videtur, quòd aliàs aſſerit Antonius Auguſtinus *de Numiſmat. Dial.* 7. Inſcriptionem, quæ in averſa complurium nummorum Hiſpaniæ Gothicorum Regum conſpicitur ac legitur, TOLETO PIUS, vocem poſtremam ad Principem, cujus eſt, ſpectare, ut in Leovigildi Regis numiſmate TOLETO JUSTUS. Sed & ejusmodi Regum Hiſpanicorum Gothicos nummos cum hac voce, PIUS, adjecta, urbium aliarum nominibus, recenſet Ambroſius Morales *totô lib.* 12. ubi quaſdam profert, cum inſcr. TOLETO JUSTUS, ELBORA JUSTUS, *c.* 4. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PIX, Græcè πίσσα multi uſus in Vita, uti videre eſt hîc paſſim. *In Lampadibus* veterum vide ſuprà. Ad naves *Incerandas.* Quam ob cauſam lege hâc Athenienſium, Μὴ ἐξάγειν ξύλα καὶ πίτταν, vetitum legimus, aliò *exportare ligna & picem*, apud Scholiaſten Ariſtoph, *Equitibus.* Ne videl. hoſtes ad naves fabricandas iis uterentur, qua de re Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Att. l.* 5. *tit.* 5. Inſuper in condiendis muſtis Veteribus adhibita, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 711. diximusque voce *Cadus.* Vide quoque infrà *Recentatum*; & evellendis delicatiorum athletarumque pilis, uti diximus ubi de *Alipilis*, nec non voce *Calipilarius.* Porrò in ſuppliciis uſitatam, dicemus infrà ubi de *Tunica Moleſta* &c. de ejus in malthando uſu, vide ſuprà verbo *Malthare*, nec non ubi de navium *Inceramentis*, alibique, it. voce *Pittacium.* Non autem unô conſuevit modô colligi. Urebantur radices piceæ & terebinthi, ad eam cogendam; aliter verò colligebatur ea ex codice & ramis, qua de re idem Salmaſ. prolixè agit *ibid. p.* 502. & *ſeqq.* Plurimam autem *picem Picea arbor*, inde κατ' ἐξοχὴν dicta, fundit, Græcis πεύκη, quippe quæ inter ea genera arborum, teſte Theohpraſtô, ſit maximè ἔνδαδος, i. e. *reſinoſa.* Vide infrà voce Reſina it. *Tæda*: uti de *Picifero fonte* in inſul. Zacyntho, unde optima pix juncturis navigiorum ſtipandis infrà voce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

voce *Zacynthus*: & *de divinatione ex Pice*, ubi de *Divinatione*, it. *Pyromantia*. A' *pice* verò Italiam, quaſi *Picеariam*, dictam eſſe, vidimus ſuprà in *Italia*.

PIXIS, apud Thwroczium, in *Hunniade*, *c.* 46. machinæ bellicæ ſpecies eſt, German. *Bichſen*, ut ait Marqu. Freherus apud Car. du Freſne, ubi ſupra.

PIZARRUS Franciſcus, Hiſpanus Peruviam detexit & occupavit. Hunc expoſititium fuiſſe dicunt, & ad fores templi cujuſdam, omnium miſericordiæ, ab impudica matre, objectum: dein cùm à Capitaneo Conſalvo Pizarro pro filio agnitus eſſet, in pago Truxillo porcos cuſtodiiſſe. Horum unô perditô, cùm ad patrem reverti timeret, Hiſpalim primò, dein in Indias aufugit. Huic Didacus Almagrus, à natali pago dictus, itidem genere tam vili, ut quis pater ejus eſſet, nunquam ſciri potuerit, ſe junxit: qui duo in Peruvianum regnum irrumpentes, A. C. 1525. in Atabalipam Regem, ſubditoſque ejus primò, dein, cùm de immenſâ prædâ diſſidium oriretur, in ſeipſos immaniter ſævierunt. Et Ferdinandus quidem, frater Pizarræ, Almagrum; hujus verò filius Franciſcum Pizarram viciſſim è medio ſuſtulit. Conſalvus tertius Pizarræ frater, utriuſque necem ultus, tam inſolens evaſit, ut Carolus V. Petrum Gaſcam, JCtum in Peruviam mittere coactus fuerit, qui malis mederetur. A. C. 1546. Mariana, *l.* 26. Thuan. *l.* 1. Sandoval. *in Carolo* 5. *&c.* Vide & *Franciſcus*.

PIZODORUS, vide PEXODORUS.

PK. in nummis Juſtiniani, *percuſſa Carthagine*, Car. du Freſne notat.

PL. in Criſpi. *percuſſa Lugduni*. Idem.

P. L. in notis antiquorum, *Publii Libertus*, P. M. *Principi militiæ*: item *Pontifex Maximus*, &c. denotat. Fr. Gouldmannus.

PLACA, moneta, quæ in *Statuto* Henrici VI. Angliæ Regis data Pariſiis d. 26. Nov. 1426. quatuor majoribus *plancis*, ſeu *albis* æſtimatur: vulgò *Plaque*. Car. du Freſne *Gloſſ.*

PLACÆUS Petrus, vide *Placæus*.

PLACAS, vel PLACUSIUS, Ciliciæ mons, *Heſych.*

PLACE, urbs Helleſponti, civis *Placius*, Gentile *Placianus*. *Steph.*

PLACENTA, an à *placo*, quòd eâ ſolerent Antiqui Deos *placare*; an à *placeo*? Græcè πλακόεις, an à πλὰξ, κὸς, quòd in tabulam extenderetur? Certè, ſicut ditiores hoſtiis animalium Deorum numina ſibi propitia reddere ſatagebant, ita egenos, *Placentis* hâc fini uſos eſſe, conſtat è Luciano, *in ſuo Dial. de Sacrificiis*. Hinc & in ſacris legimus, *Placentas* ab Ethnicis, & eorum ſuaſu ab Hebræis Idololatris, Lunæ oblatas, quam *Reginam cœli* vocabant. Unde apud Jeremiam Deus ait, *c.* 7. *v.* 17. & 18. *An minimè vides, quid iſti faciant in civitatibus Jehuda; etiam in plateis Jeruſchalaimorum. Filii colligunt ligna, eorumque Patres accendunt ignem, ac fœmina depſunt maſſam; ad faciendum popana* (Vulgatus habet *Placentas*) *rebus cœleſtibus* (Vulgatus, *Reginæ cœli*) *& libandum libamina Diis alienis, ut irritent me.* Vide Fortun. Licetum *de Lucernis*, *l.* 6. *c.* 2. ubi Jovis Lucernam eruditè interpretatur, uti de *Placentas in fontem Irus projiciendi ratione*, quæ πηγομαντείας Veter. ſpecies, ſuprà voce *Fons*. Eſt autem Placenta, idem quod *dulcium*. *Gloſſæ*, *Dulcium*, πλακοῦντα: unde *Dulciarii*, qui placentas, vel dulcia conficiunt, iidem cum *Placentariis*, quorum meminit *Gloſſ.* πλακουντάριοι, *dulciarii*, *placentarii*: & Palladius, *in Hiſtor. Lauſ. c.* 6. Ἐν τούτῳ τῷ ὄρει καὶ ἰατροὶ διάγουσι καὶ πλακουντάριοι. Ex Græco πλακόεις & πλακοῦς, ut dictum, ſubintellige ἄρτος: quemadmodum τυρόεις & τυροῦς, eôdem ſubſtantivô ſubintellectô. Vide ſuprà in *Dulcium*: nec non *Copta*, *Lucunter*, *Macarones*, *Muſtacea*, *Nicolai panes*, *Nuptiæ*, *Panchreſtum*, & infrà *Popa*, *Pyramus*, *Quadra*, ubi de more in quatuor fruſta eas ſecandi; *Reverſatus panis*, qui inter *placentam* panemque medius; *Samia*, *Strues*, *Torta*, *Turunda*, *Venatorius ludus*, *Vermis*, ubi placentas è lumbricis habes; *Victima*, *Victoria*, *Umbilicus*. Addam ſaltem, vocem *Placentarius*, ſcurram, ſannionem, facetum hominem, denotare, apud Petrum Damianum, *l.* 6. *c.* 33. cujuſmodi homines Gallis *Plaiſanteurs*, vel *Plaiſantins* appellari, docet Car. du Freſne *Gloſſ.*

PLACENTIA, vulgò PIACENZA, colonia & urbs antiquiſſima, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Bononienſi in Gallia Togata circa finem Æmiliæ apud Padum fluv. non longè Trebiam fluv. excipientem; ampla & populoſa, utpote in qua 25000. civium, Farneſiorum hodie Principum in Ducatu Parmenſi, inter Mediolanum & Parmam. Hìc Cælius à Cinna & Mario obſeſſus, cum Petronio, cui ſe interficiendum præbuit, interiit. *Liv.* Ejus in agro ſalſi ſunt fontes, è quibus ſal candiſſimum excoquitur: & ferri fodinæ, ubi *Ferraria*. Silius, *l.* 8. *v.* 59.

Certavit Mutinæ quaſſata Placentia bello. Baudrando, urbs aliàs Anamahorum, in Gallia Ciſpadana nunc Ducatus Placentini caput, ſub Parmæ Duce. Arcem habet probe munitam, & 1. milliar. à Pado diſtat, 18. milliar. ſuprà Cremonam in Occaſum, Papiam verſus. Hinc *tractus ſeu Ducatus Placentinus*: Qui habet ab Ortu Ducatum Parmenſem, à Septentrione & Occaſu Ducatum Mediolanenſem, à Meridie ſeparatur ab ditione Genuenſi Apenninô. Pendent ab eo etiam 4. caſtra trans Padum, ad Boream, Laudem Pompejam verſus. Hìc quoque Concil. A. C. 1095. quô de Praxeda, ab Henrico III. repudiata, & de Bertrada ac Philippo I. Gall. Rege, auxiliis item Alexio Comneno ſummittendis actum. Item A. C. 1132. ubi Anacletus excommunicatus. Vide Leand. Alb. *deſcr. Ital.* Humbert. Locatium, *de Placentia*.

PLACENTIA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Luſitaniæ confinio inter Salamanticam ad Boream, & Emeritam ad Auſtrum 22. leuc. *Baudrando* Urbs Vettonum in Luſitania, nunc Extremaduræ, in regno Legionenſi. Aliàs *Deobriga*, ſeu crevit ex ejus ruinis. In planitie fertiliſſima, vulgò *la Vera de Placentia* 12. leuc. à Cauria in Ortum, Toletum verſus 25. circiter.

PLACENTIA, urbs Caſtellæ veteris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tolerano. In colle ſita, cum arce. Item Urbs tractus Armeniaci, in Gall. Item, in agro Ruteno, ejuſdem regni.

PLACENTIA, Arx novæ Franciæ, in ora Orientali Inſul. Terræ novæ, recens à Francis extructa, cum portu adjacente & oppidulo.

PLACENTINUM, veſtis muliebris ſpecies, in *Regula* Tertianorum Ordinis Franciſcani, *c.* 3. apud eundem.

PLACENTINUS, JCtus nobilis, Italus. Monſpeſſuli Jus civile publicè profeſſus eſt, circa A. C. 1200. *Argumentaque in Inſtitutiones & Codicem* ſcripſit Pratejus apud Calvin. *Lexic. Jurid.* Idem nomen appellativè ſumitur, in *Gloſſis* Græco-*Latin.* MS. Germani Pariſ. & Græc. ἀρεστὸς, in editis *Placivus*, pro quo Goldaſtus *placitus* reſtituit, explicatur. Et certè etiamnum joculatores *plaiſantins* Galli appellant. Sed an hâc notione vox accipienda ſit, in *Capitular. de cauſis Regni Ital, c.* 15. & in *L.* Longobard. *l.* 3. *tit.* 34. *Non eſt noſtra voluntas, ut homines placentini, per eorum præceptum de curte Palatii noſtri illos, aldiones, recipiant*, jure controverti ait Car. du Freſne *Gloſſ.*

PLACENTINUS, Johannes, vide *Johannes*.

PLACIA, Myſiæ oppid. juxta Cyzicum, Mileſiorum oppid. Plin. *l.* 5. *c. ult.*

PLACIADÆ, Atticæ municipium, *Suidas*. Apud cujus incolas moris erat, adulteros punire graviter, impactis in pudendam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis eſſe dicuntur. Quòd ſi raphani fortaſſe non fuiſſent ad manum, ſtelæô utebantur, i. e. ligonis lignô.

PLACIDIA Galla, filia Theodoſii M. Soror Honorii & Arcadii; captâ ab Alarico Româ, hujus captiva, Oroſ. *l.* 7. vel Ataulphi ſucceſſoris evaſit, huicque nupta, tantum egregiis moribus apud maritum valuit, ut ipſum ab Imperio vaſtando averteret. Sic exceſſit is Italiâ Barcinoneque A. C. 415. occiſus eſt. Remiſſa ad Honorium Placidia, Conſtantio, Conſuli & Patritio denuo nupſit, A. C. 417. quô brevi mortuô, educationi filii Valentiniani III. intenta fuit. Ingeniô & pietate ſingulari prædita, variaſque vitæ hujus viciſſitudines, inprimis filiô adhuc minorenni, experta: Obiit A. C. 449. Ravennæ ſepulta. Nummus ejus coronam cœlitùs ei demiſſam, cum imagine pueri in ulnis, repræſentat. Proſper, Idacius, Iſidor. *in Chron.* Olympiod. *apud Phot. Hiſtoria Miſcell*, &c.

PLACIDIA, virgo, Valentiniani III. Imperatoris & Eudoxiæ filia, quæ repudiatis opibus, nulli rei præterquam ſaluti ſtudebat. Hujus mater, cùm Maximo infenſa, Genſericum Romam vocâſſet, ab illo cum duabus filiabus in Africam abducta, & Eudoxia quidem junior Hunerico deſponſata eſt, Placidia verò Conſtantinopolim remiſſa, Senatori Olybrio nupſit.

PLACIDIANUS, Conſul cum An. Tacito an. Urb. Cond. 1125.

PLACIDUS, aliô nomine *Julius*, cohortis tribunus, Vitellium Imperator. latebrâ pudendâ Palatii protraxit, vinctum tergum pone manus. Tacit. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 85.

PLACILLA, Theodoſii Magni Imperatoris uxor: non regni faſtigiis elata eſt, ſed potius amore ſuccenſa divinô. Repente ergo, ut venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non ſervis, non aliis miniſtris utens, ſed per ſeipſam agens, & ad eorum habitacula veniens, dans unicuique quod opus haberet. Sic etiam per Eccleſiarum xenodochia diſcurrens, ſuis manibus miniſtravit infirmis, ollas eorum tergens, jus guſtans, efferens cochlearia, panem frangens, ciboſque adminiſtrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ ſervis & ancillis mos eſt ſolenniter operari. Illis autem, qui ei talia nitebantur prohibere, dicebat: Aurum diſtribuere, imperii eſt opus: Ego autem, pro ipſo imperio, hoc opus offero bona mihi omnia conferenti. Nam viro ſuo ſæpe dicere erat ſolita, *Oportet te ſemper, marite, cogitare, quid pridem fueris, quid modo ſis: Hæc ſi ſemper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, ſed imperium, quod ſuſcepiſti, legitimè gubernabis, & harum rerum placabis authorem.* Theodoret. *Eccl. Hiſt. l.* 9. *c.* 31. Item filia Arcadii Imperatoris pietate ſimiliter inclyta.

PLACITA Principum, pro Conſtitutionibus, *v.* 1. §. *ait Prætor ff. de poſtul.* Interdum pro Conventu Procerum Regni vel Imperii, qui & *Curia* dicitur. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Sic Car. du Freſne *Placita*, dicti ſunt Conventus publici totius Regni Ordinum, quibus Reges ipſi præerant; & in quibus de arduis Regni negotiis & imminentibus bellis tractabatur. *Annales* Francorum Bertiniani A. C. 763. *Pipinus Rex habuit* placitum *ſuum Nivernis*. Ita A. C. 764. 765. 766. Annô verò ſequ. *Synodum feciſſe* dicitur *cum omnibus Francis in campo*. Bis autem quotannis iſtiuſmodi tenebantur Placita: unum, *quando ordinabatur Status totius Regni, ad anni vertentis ſpatium —— in quo placito generalitas univerſorum majorum tam Clericorum, quàm Laicorum, conveniebat*, &c. Hincmarus *de Ordine Palatii*, *c.* 2. Cùm itaque omnes Regni vaſſalli ad ea *Placita* convenirent, hinc *Generalia Placita* ea appellata ſunt. Sic Dagobertus Rex *convocatis filiis omnibuſque totius Regni Primatibus* 10. *Kal. Junias in Palatio Bigargio* placitum generale *inſtituiſſe* legitur, in Geſtis Dagoberti *c.* 40. Sic alii. Unde Poëta Saxonicus *de Geſtis Caroli M. l.* 1. *ann.* 777.

—— *Conventum* Placiti generalis *habere*
Cum Ducibus ſe velle ſuis denuntiat illic.

Quid autem in iſtiuſmodi conventibus actum, facilè colligere eſt, ex *Placito* Cariſiacenſi, *c.* 8. ubi *Francos pro lege tenenda Capitula Regum ſuorum, & in generali placito conſervanda judicâſſe*, legimus. Vide Capitulare VI. A. C. 803. *c.* 2. 5. Simeonem Dunelmenſem & Radulfum de Diceto A. C. 1014. Suenonem item in *Hiſtor. Danica*, *c.* 1. memoratos Carolo du Freſne in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Gloſſar. Adde Georg. Hornium, *Orb. Imp.* qui ex *Placitis* his Ge-*neralibus*, quæ & *Regalia* dicta, in *Mirac.* S. Urſmari *c.* 1. a-pud Reginonem A. C. 956. ipſe *Comitia* vocat, (quâ notione vocem, præter vulgarem uſum, Capitolinus quoque adhibuit in *Marco Antonino*, *c.* 10.) de Statibus Galliæ Regni ingenioſè judicium fert, docetque ex Hottomanno, *c.* 17. *Francogall.* eorum aucto-ritatem ſub Hugone Capeto primùm imminui cœpiſſe. Cùm enim hic, Capetinæ familiæ, hodieque feliciter regnantis con-ditor, videret, Regna, quæ nimiùm indulgent Comitiis, ple-rumque ad Ariſtocratiam delabi, paulatim Comitiorum jura enervâſſe, Hottomanno dicitur. Sed ſi credimus Philippo Co-minæo, qui non potuit non eſſe rerum Gallicarum peritiſſimus, eorum auctoritas uſque ad tempora Ludovici XI. integra ſtetit. Ita autem Cominæus, *Comment. l.* 9. *Primus omnium Ludovi-cus pro ſuo arbitratu pecuniam imperavit, ſine conſenſu Populi. Ut verò voluntate Principum ſibi liceret exigere pecuniam per ipſorum di-tiones, promittebat eis penſiones annuas. Magnum ille profectò vul-nus inflixit Galliæ, quod non facile curabitur, ſuæque & Succeſſo-rum ſaluti malè conſuluit. Nam priorum Regum nemo Galliam ſic afflixerat, ut ipſe*, &c. Ut alia loca omittam, ex quibus, ma-gnam adhuc Galliæ libertatem & ſatis arctam Regum potentiam fuiſſe, uſque ad præfati Regis principatum, clarè patet. Quibus verò artibus id fecerit Ludovicus, idem docet. *Haud dubie vero multum imminuta fuit poteſtas Ordinum inter bella Anglica, cùm ingentibus prœliis præcipuæ familiæ extinguerentur, remanentibus illis ſolùm, qui vocantur Principes Sanguinis, quibus cùm agnatum ſit jus ſuccedendi in Regnum, non præſumuntur quidquam, quod ad diminutionem poteſtatis Regiæ ſpectat, affectare vel conſentire vel-le. Succeſſerunt in Comitiorum locum velut ludibria quædam, XII. Pares & Parlamenta &c.* Vide ipſum Hornium, *edit.* 2. *cum No-tis Felleri*, *p.* 232. &c. Interdum vero etiam *Placita generalia* ap-pellata ſunt. Dominorum feudalium Judicia, quòd ad ea vaſſal-li omnes convenire tenerentur: aliis *Curiæ generales*, Gall. *Plaits generaux*, de quibus prolixè agit idem *Gloſſarii* Auctor & ſuprà a-liquid diximus. Ut de loco aliquid addatur, tenebantur *Placita*, in *locis apertis*, *publicis & ſub dio*, Sim. Dunelmenſis A. C. 1070. id-que in *campo*, *ſub arboribus* (quercu, ulmo vel olea) *ante portas caſtrorum*, *ante Templa*, *in plateis* &c. ut videre eſt apud Auctores laudato *Gloſſarii* Auctori citatos. Interdum tamen & in *ædibus* ac *lo-cis opertis*, propter aëris incommoda, maximè Placita majora. *Ca-pitula* Caroli C. *tit.* 39. *c.* 12. *Domus verò ſicut in Capitulis Avi & Patris noſtri continetur, à Comite, in loco, ubi mallum tenere debet, conſtruatur, quatenus propter calorem Solis & pluvium publica u-tilitas non remaneat: minora verò placita Comes ſive intra ſuam po-teſtatem, vel ubi impetrare potuerit, exceptô in Eccleſia & porticibus, atque adeò atriô Eccleſiæ, & manſione Presbyteri habent*, &c. Porrò jejuni Judices *Placita* tenere, jubentur in *Capitul.* Caroli M. alibi-que paſſim. Unde Theodulfus, *Carm. l.* 1. *v.* 400.

Crapula vitetur ſemper, plus tempore eôdem,
Quô pia Juſtitiæ lora regenda manent:
Nam qui ſe nimis epulis ſomnôque ſepelit,
Corporis atque animæ vim ſibi demit hebes.
Cùm venit ad cauſas nudatus acumine ſenſus,
Marcidus & ſegnis & ſine mente ſedet, &c.

Dominicis tandem diebus *Placita* teneri prohibentur, in *Capitul.* Caroli M. *l.* 2. *c.* 7. & in *Capit.* Compendienſi A. C. 868. &c. Plura hanc in rem vide apud ſæpius laudatum Car. du Freſne *Gloſſ.* ſuprà quoque aliquid voce *Malbergium*, item *Mallus.*

PLACUISSE Senatui, olim dicebantur, quæ Senatus cenſue-rat, *leg.* 21. §. *item placere*, *ff. de pet. hæred.* Etiam in Juriſpruden-tiam libris *placere* dicuntur, quæ Prudentûm auctoritate recepta, inducta conſtitutave ſunt, *l.* 4. *ff. de pactis*, *l.* 1. *ff. de jure codicillo-rum*, Briſſonius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Neque ulla vox magis ad Regum Principumve palatum. Unde etiam *Pla-citi* vocem, de qua modò pluribus actum, deducit à *placendo*, Eduardus Cokus, *ad Littletonem ſect.* 10. quia inquit, *bene placi-tare ſuper omnia placet.* At Guillimannus *de Rebus Helvet. l.* 1. *c.* 9. Aliique à Germanico *plats*, i. e. *campus*, quòd in campo ple-rumque *Placita* haberentur, vocabuli originem arceſſit. Sed Ca-ſanova iterum ad priorem notationem relapſus, *Placita* ejuſmo-di Conventus appellari contendit, quòd in iis Leges conderentur eæque promulgarentur hâc formulâ, quæ habetur in prologo Le-gis Salicæ (quam in tribus mallis à Quatuor-Viris conditam eſſe, certum eſt, vide in voce *Salica*) *Placuit atque convenit inter Francos* &c. Inprimis tempore primæ Regum in Gallia familiæ, quô in rebus magni momenti populi aſſenſus omnino neceſſarius erat: Unde in ſolennibus Inaugurationum Regum ſuorum ceremoniis, quæſtionem haberi ad Populum, *Num vellet Regem regnare*; ac reſpondere Populum conſueviſſe, *Laudamus*, *Volumus*, *Fiat*, le-gimus. Vide Georg. Hornium, *cum Notis Felleri*, *orb. Imper. p.* 210.

PLADARÆI, populi Septentrionales. *Steph.*

PLAGA, apud Statium, *Thebaid. l.* 11. *v.* 5.

Componit dextrâ victor concuſſa plagarum
Juppiter, & vultu cœlumque diemque reducit:

ſpatium eſt ætheris, Zona cœleſtis. Sic Varro *lege Maniâ.*

Nos mirantes, quòd ſerenô lumine
Tonuiſſet, oculis cœli rimari plagas.

Et Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 227.

——— *in medio dirimit* plaga *Solis iniqui.*

Vide, ſi placet, *Nonium*, ut & ſuô locô, ubi de *Zonis cœleſtibus.* Vox in cœlum è terra tranſlata, in qua *Plaga*, item *Plagia*, oram, æſtuarium, vel etiam campum planum denotat, Italis hodieque *Piaggia* vel *Spiagia.* Servius *in Virgil. Statio eſt, quam* Plagiam *dicunt.* Aliàs *plaga*, vulnus eſt, idemque cum verbere. Virgilius, ubi de tauro pugna ſuperato, *Georgic. l.* 3. *v.* 225.

Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris.

Sed ita priorem productam habet. Apud Judæos celebris olim *plagarum pœna* fuit, quà ſe ab iis, Euangelii causâ, quinquies af-fectum eſſe, refert Paulus 2. Corinth. *c.* 11. *v.* 24. Vide infrà, ubi de *Verberum pœna.*

PLAGEREUM, locus Siciliæ inter Agrigentum & Syracuſas. *Antonin.*

PLAGIA, Liguriæ portus, 15. mill. paſſ. à Vintimilio, Ni-cæam verſus. *Antonin.*

PLAGIARIA, Hiſpan. urbs, inter Olyſſiponem & Emeritam *Antonin. Nueſtra Sennora de Betove* nunc, ad 2. leuc. circa fines Ex-tremaduræ.

PLAGIARIUS, is eſt, qui ſine vi, dolo malo, ſciens abducit homines liberos & ingenuos, venditque pro ſervis, aut ſuppri-mit: Vel is eſt, qui alienos ſervos abducit ſine vi & plerumque ſine furto, fugam perſuadet ac fugitivos celat. *Grammatici*, Ἀν-δραποδιστὴς, ὀ μόνον ὁ τοὺς ἐλευθέρους ἀπάγων εἰς δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν εἰς ἑαυτόν. Dictus an ἀπὸ τοῦ πλαγίου, i. e. *ab obliquo*, quòd ſtrophis ſuis obliquis trahat inque ſervitu-tem abducat liberum hominem: An, quòd qui hujus criminis convictus eſſet, lege Flaviâ, (vel Fabiâ) *plagis* damnaretur: quæ proin etiam *Plagiaria* dicta eſt. At apud Athenienſes crimen capi-tale erat, ex lege *Xenophonti* memorata: Ἐάν τις φανερὸς γένηται ἀνδραποδιζόμενος, τούτῳ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, *Plagiarii manifeſti morte luunto.* Scribebatur autem adverſùs tales, Ἐλευθεροπρασίου δίκη, teſte Polluce, *l.* 3. *c.* 7. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 5. Idem apud Hebræos obtinuiſſe, ex Sacris di-ſcimus, vide Exodi *c.* 21. *v.* 16. & Deuteronomii *c.* 24. *v.* 7. & quidem eò gravius id apud Iſraëlitas crimen fuit, quod *Pla-giarii* inter eos, ſi quos furati eſſent, illos, ne res pateſieret, in alienas regiones deportarent, ſicque & Populum Dei, quantum in ipſis, erat, minuerent, & Iſraëlitam à vera religione aliena-rent. Cui peccato obnoxii, Joſeph fratres, cum Iſmaëlitis ven-didiſſe leguntur, in poſtremis Geneſeos *capp.* De Romanis ut a-liquid addam, Paulus JC. *ad legem Fabiam* cit. ſi quis civem Rom. ingenuum, libertinum, ſervumque alienum celâſſet, vendidiſ-ſet, vinxiſſet, comparaviſſet: criminis pœnam, in humiliori-bus metallum aut crucem; in honeſtioribus, jacturam dimidiæ partis bonorum & relegationem: Si ſervus ſciente dominô alium ſervum ſubtraxiſſet, vendidiſſet, celaviſſet, in ipſum dominum a-nimadverſum; ſi dominô neſciente feciſſet, ad metallum damna-tum fuiſſe, docet. Poſteà exaſperata pœna, & ob plagium liberi ho-minis, ſervus aut libertinus, ſtatim beſtiis objecti ſunt, ex L. Conſtantini, de qua vide Pithœum, *Not. ad coll. LL. Moſaic.* man-ſitque ſub Diocletiano quoque ac Juſtiniano capitalis pœna: quam tamen ſenſim conſuetudo mitigavit, Leonis Cæſaris poſteà lege firmatâ, quâ ſanxit, ne poſthac ob plagium mors infligeretur: ſed ut, qui alienum ſervum abduxiſſe deprehenſus eſſet, eundem e-juſdemque pretium & ita duplum domino reſtitueret &c. Quam in rem vide plura apud Rivetum, *Commentar. in Exodum, l. cit.* adde Tit. Popmam *de Operis Servor.* ubi in Tabernis, ut alios hominum vili-ſſimos, hujuſmodi *Plagiarios ſervos* habitâſſe, docet. Adde ſaltem, Latinis proprium de iis verbum *ſollicitare* fuiſſe. Philoxeni *Gloſſæ*, *ſollicitare* πλαγιάζειν. Nempe blandis & mellitis verbis ſervos alienos ſolicitabant & ad ſe alliciebant, unde quoque ψυχαγωγοὶ di-cti. In Gloſſis, *Plagiarius*, ψυχαγωγός. Vide quoque Heſychium, Clementem, *l.* 1. *Strom.* Alios, & in hanc rem plura, apud Deſid. Heraldum, *Animadverſionib. ad Arnob. adv. Gentes*, *l.* 2.

PLAGIAULA, in *Gloſſis MS. ydraules*, *hydraula*, *fotineſtes*, *pla-giaula*, apud Salmaſ. qui legi vult, ὑδραύλης, *hydraula*: φωτιγγίστης, *plagiaula.* Φῶτιγξ enim tibiæ genus, quæ πλαγίαυλος dicebatur, unde πλαγιαύλης & φωτιγγίστης idem. *Servius* Græcorum πλαγί-αυλον Latinis eſſe *vaſcam tibiam* obſervat *in l.* 11. *Æn. v.* 737. I-dem *curvam tibiam* Virgilio, *loc. cit.* & Symphoniacorum tibiam eandem eſſe, *obliquam* item *tibiam* Plinii, ait, & Midæ Phrygis inventum facit, alii Pani tribuunt. *Theocritus*,

Ὡς εὗρεν πλαγίαυλον ὁ Πὰν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνη.

Pollux ex loto & apud Lybias primùm factam ſcribit: Αὐλῶν δὲ ὑ-δη, πλάγιος, λώτινος, Λιβύων τὸ εὕρημα· πλαγίαυλον δὲ αὐτὸν Λίβυες καλοῦσι. Unde & λώτινοι αὐλοὶ iidem, & λωτὸς, pro *tibia* Græ-cis Latiniſque Poëtis. Ovidius, *Remedior. v.* 753.

Enervant animos citharæ, lotuſque, lyraque.

Sic *Plagiaulos* diverſa fuerit à Phrygia tibia, quæ tamen & ipſa quo-que curva nonnullis, ſeu obliqua, & Græcè ἔλυμος dicebatur, item κέρας, quòd ad orificium cornu repandum additum haberet, ſimi-le tubarum κώδωνι, ut habet *Pollux.* Eſt autem κώδων propriè cymbalum, vel parva potiùs ex ære nola: unde & tubarum orifi-cia, quà ſpiritus emittitur, quòd eam referant formam, ſenſim-que ſeſe in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperian-tur, κώδωνες quoque appellati. Tibiis itaque Phrygiis, quæ ex buxo aut etiam ex oſſibus fiebant, hujuſmodi κώδωνες ex cornu facti addebantur, ad inſtar tubæ, ut clariùs & acutiùs inſonarent, quemadmodum hodieque tibiæ habent, quas Galli *altibuxia* vo-cant; cœteræ verò tibiæ his carebant & eâ parte ſimiles erant illi generi fiſtularum, quas *dulces* iidem appellant. *Plagiaulos* autem, i. e. Libyca tibia, codonem itidem ex cornu habebat; ſed incur-va erat, Phrygia recta. Quam ob cauſam, *tibiam*, quam *aduncô cornu* inſignem Ovidius ait, *l.* 3. *Met. v.* 533. in ſacris Bacchi, de plagiaulo accipi par eſt. Virg. *l.* 11. *v.* 737.

Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Utramque tibiam, plagiaulon & Phrygiam, implexas in antiquis monumentis viſere eſt, ubi ſacra Deûm Matris inſculpta haben-tur, & utramque quidem cum codonibus. *Pollux*, Κέρας δὲ ἑκα-τέροις τοῖς αὐλοῖς πρόσεστι, καὶ αὐλεῖται τῇ Φρυγίᾳ Θεῷ. Vide Salmaſ. ad

ad Solin. p. 123. & ſuprà voce *Photinx*, ut & hanc in rem plura apud *Athenæum*, *l.* 4.

PLAGULÆ, in charta ſunt, quæ *folia* hodie vocamus, Gall. *fueilles*. Ita enim Plinius, *l.* 13. *c.* 12. ubi de chartæ conficiendæ ratione, (vide ſupra) *Siccantur Sole plagulæ & inter ſe junguntur.* Nempe primò papyrum, quod cæpæ inſtar tunicas habebat multas, diſpeſcebatur in tenues philyras, iis acu à ſe invicem ſeparatis, ita ut ſuô quæque ordine detraherentur. Dein philuræ acu ſic ſeparatæ ad modum cratis ſternebantur ſuper tabulam ſive aſſerem ligneum, madentem turbidâ Nili aquâ: eâ aquâ contexebant & conglutinabant *plagulas*, quod *contexere biblos* vocat Lucanus, *l.* 3. *v.* 222.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat. ——— ———

Plagularum namque una ſtaminis, altera ſubteminis inſtar ſe habebat. *Plagulæ* ita contextæ imponebantur prælo, ut humor exprimeretur; quô expreſſô Soli, ut magis ſiccarentur, exponebantur. Siccatæ digerebantur in ſcapum; qui ſummum erat philurarum 20. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 37. Et hic erat legitimus *plagularum* numerus, quas Plinii ætate ſcapus, quem nos *volumen*, Galli *manum papyri* vocant, continebat. At inferiori ævô denas tantùm in ſingulis ſcapis poni ſolitas invenimus: Hinc *chartæ decades*, in *Vita* Sylveſtri apud Anaſtaſium, pro chartæ ſcapis, quòd plures ſcilicet ſcapus tunc non haberet. In quolibet verò ſcapo, *plagularum* prima adnotatum præferebat, quô Comite largitionum, ſub quo erant Chartariæ quô tempore & à quo præparata fuiſſet illa charta: quemadmodum hodieque chartæ lintеariæ noſtræ ſolent aliquô charactere inſigniri, ex quo ſciri poteſt, qui eas confecerit. Sed hôc diſcrimine, quòd, licèt in ſcapum componantur *plagulæ*, non prima tantùm, ut olim, ſed omnes characterem eundem ac notam in medio formatam exhibeant, quæ vix apparet & quidem ejuſdem cum charta coloris, ſic facta eſt, ut nec ſcribenti officiat nec legentem impediat: cùm contrà apud Veteres ſcheda illa prima, quæ protocollon habebat, ſcribendo prorſus eſſet inutilis, qua de re ſuprà, ubi de *Papyro*. In genere autem *Plagula* quodvis linteum textile eſt, ex ſtamine & ſubtemine conſtans. *Nonius plagulam* lectuariam, *ſindonem* interpretatur. Cujuſmodi *plagularum textilium* meminit Livius, *l.* 39. *c.* 6. *Luxuriæ*, inquiens, *peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt, ii primùm lectos æratos, veſtem ſtragulam pretioſam*, plagulas *& alia textilia*, ——— *Romam advexerunt.* Ubi *plagulæ*, auctore Turnebô, *Adverſar. l.* 1. *c.* 25. vela ſunt & textilia, quibus lecticæ & lecti intendebantur, aut involvebantut, ut apud Tranquillum, *in Tito*, *c.* 10. *Lectica dimotis plagulis.* Budæus verò *in prior. Annotat.* per *plagulas* & *ſtragulam*, tapetia ſeu aulæa intelligit. Vide Godelevium, *ad Livium*, *d. l.* Hinc ad Chartas vox tranſlata; vide & Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3.

PLAMUS, urbs Cariæ, *Steph.*

PLANA Sylva, *Plaine Seve*, vicus Galliæ, non procul à S. Walario in Planis, *S. Valeri les Plains*, in Nortmannia, in regione Caletorum Diœceſique Rotomagenſi. Sic Orderico, *l.* 10. S. Remigius *de Planis* memoratur, *S. Remy du Plain*, locus in Cenomanis, à *planitie* agri ſui haud dubiè nominatus, ut loca priora. Magna villa in *Planis*, vulgò *Maineville les Plains*, ſimiliter vicus eſt, S. Walarico *in Planis* proximus, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *S. Walaricus in Planis.*

PLANÆ, inſtrumenti fabrilis genus, quarum in inteſtinis operibus locus, ſicut dolabrarum in aliis. Vide ſuprà ubi de *Inteſtin. opere.*

PLANARIA, inſul. ultra Corſicam, à ſpecie ſic dicta, quod æqualis freto exiſtat, ideoque navigii fallax. Plinius, *l.* 3. *c.* 6. Eadem cum *Planaſia.*

PLANARIA ſeu PLANASIA, una ex Inſulis Fortunatis, circuitu CCC. apud *Seboſum*, laudatum Salmaſio, *ad Solin. p.* 1298. Sic dicta, à ſpecie, quòd *plana* eſſet. Inſularum enim aliæ *altæ* ſunt, aliæ *planæ*: Græci ὑπτίας vocant, ϗ ταπεινάς. Idem *p.* 96.

PLANASIA. inſul. parva maris Tyrrheni inter Iluam & Corſicam, *Baudrando* verſus partem Auſtr. Inſul. Ilvæ, à qua vix 6. aut 7. milliar. in Meridiem diſtat. Tota in planitie, ſub Magno Hetruriæ Duce 30. mill. paſſ. à Corſica in Ortum. Item *Planaſia*, inſul. Galliæ Narbonenſis teſte *Strab.* poſt Stœchadas, quæ S. *Marguerite Dalechampio* dicitur, in ora Provinciæ, olim *Lera*. Hîc Agrippa, Auguſti nepos, Tiberii juſſu eſt necatus. Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 31. Vide *Lera*. Item oppid. ejuſdem Galliæ ad Rhodanum fluv. *Strabo. Pont S. Eſprit*, teſte Jo. Poldô, inter Vivarium 4. & Avenionem ad Auſtrum 8. leuc.

PLANCA, nomen Hyllidis ſeu promontor. Diomedis, vel potiùs rupis, juxta Tragurium, apud Auctorem *Vitæ* S. Johannis Traguríenſis, ſic dictæ, à ſuperficie ejus *plana*. *Feſto* namque *Planæ, tabulæ planæ.* Vide Plin. *l.* 8. *c.* 43. & Auctores recentiores. Car. du Freſne *Gloſſar.* laudatos, è quibus *Charta* libertatum urbis Teneræmundæ, *c.* 20. apud Lindanum, *Quicunque per vim fœminam violaverit, & ſuper hoc veritate coram Scabinis convincatur, ei collum aſſere. qui vulgò nominatur* Plancke, *debet abſcindi.*

PLANCINA nupta Gn. Piſoni, palam læta morte Germanici, cùm Piſo caderet, precibus Liviæ defenſa erat. Poſt ejus mortem petita veneficii criminibus, ſuâ manu, ſera magis quàm immerita ſupplicia perſolvit. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 26. Ser. Galbâ, L. Sullâ Conſulib.

PLANCIUS, Romanus quidam, qui, teſte Euſebiô, cùm Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

PLANCTÆ, inſulæ maris Euxini, apud os, quæ & *Cyaneæ*. Herodot. *l.* 4. Ἔπλεε ἐπὶ τὰς Κυανέας καλευμένας, τὰς πρότεροι Πλαγκτὰς Ἕλληνές φασιν εἶναι. *Scylax Caryand.* Αὗται δὲ αἱ Κυανέαι, ἃς λέγουσιν οἱ Ποιηταὶ Πλαγκτὰς πάλαι εἶναι, ϗ διὰ τούτων πρώτην ναῦν περάσαι τὴν Ἀργὼ, ἥτις εἰς Κόλχους τὸν Ἰάσονα ἤγαγεν. Strabo, *l.* 3. ταῖς δὲ Κυανέαις ἐποίησε παραπλησίως τὰς Πλαγκτάς. De Homero loquitur, cujus verſus ex *Od.* μ', *v.* 59. heic apponam,

Ἔνθεν μὲν γὰρ πέτραι ἐπηρεφέες, προτὶ δ' αὐτὰς
Κῦμα μέγα ῥοχθεῖ κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης.
Πλαγκτὰς δή τοι τάς γε Θεοὶ μάκαρες καλέουσι.
Τῇ μὲν δ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, οὐδὲ πέλειαι
Τρήρωνες, ταί τ' ἀμβροσίην Διῒ πατρὶ φέρουσιν.
Ἀλλά τε ϗ τῶν αἰεὶ ἀφαιρεῖται λὶς πέτρη,
Ἀλλ' ἄλλην ἐνίησι πατὴρ ἐναρίθμιον εἶναι.
Τῇ δ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν ἥτις ἵκηται,
Ἀλλά θ' ὁμοῦ πίνακάς τε νεῶν ϗ σώματα φωτῶν
Κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι, πυρός τ' ὀλοοῖο θύελλαι.
Οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντόπορος νηῦς.
Ἀργὼ πασιμέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα,
Καὶ νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
Ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων.

Nic. Lloydius.

PLANCTU, dilectorum aut agnatorum hominum, magis affici umbras mortuorum, quàm omnibus aliis, licèt ſumtuoſis officiis, Gentilibus olim creditum. Statius, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 90.

——— *nec quòd tibi Setia canos*
Reſtinxit cineres, gremio nec lubricus oſſa
Quòd vallavit onyx, Miſeris acceptius umbris,
Quàm gemitus ———

Vide multis locis Auſonii *Parentalia* & *Profeſſores*, nimiùm quidem ad Gentilium mores & leges facti Poëtæ. Eô fine pectora nudabant, ut illa inter gemitus ac lamenta contunderent. Idem Statius, *l.* 5. *Sylv.* 5. *Epicedio in Filium*, *v.* 13.

——— *Huc patres, & apertô pectore matres*
Conveniant. ———

In cujuſmodi corporum contuſionibus mirifica fuit Idololatrarum ſtultitia, quam, non bene fecerunt, qui ſub prima Eccleſia ſunt æmulati, vide hac de re pluribus Barthium, *in Superſtitionum Commentario.* Neque verò pectus ſolùm ſed & faciem nonnunquam *plangentes* percutiebant. Idem Poëta, *ibid. v.* 11.

——— ——— *Cernite fletus,*
Liventeſque genas, & credite planctibus ———

& humeros, *Seneca mox laudandus.* Brachia item lacerabant. Firmicus *de Errore Superſtitionum*, *Tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſerant cicatrices.* M. Florus *Declam.* X. *Mulier, quæ ſanguinantes ad Judices porrigit lacertos, quæ ſciſſô laniatôque vultu magnô dolore cogitur.* Claudian. *de Raptu*, *l.* 2. *v.* 248.

——— *planctuque lacertos*
Verberat ———

Statius iterum, *Theb. l.* 12. *v.* 109.

——— *manant lacera ora cruentis*
Unguibus & molles planctu *crevêre lacerti.*

Item, *l.* 2. *ſylv.* 1. *v.* 23.

Teque Patrum gemitus ſuperantem & brachia matrum.

Ad quem locum vide *Animadverſ. Caſp. Barthii*, plura verò hanc in rem, apud eundem, *ad Claudian. d. l* apud Farnabium item Gronoviumque, *Not. ad Troades Senecæ*, *Actu* 1. ubi Hectorem plangentium habitum pluribus deſcribit Tragicus, *v.* 83.

Hec. Fida caſus noſtri comites.
Solvite crinem, per colla fluant
Mœſta capilli tepido Trojæ
Pulvere turpes, paret exertos
Turba lacertos, veſte remiſſâ
Subſtringe ſinus, uteroque tenus
Pateant artus, cui conjugio
Pectora velas captive pudor?
Cingat tunicas palla ſolutas.
Vacet ad crebi verbera planctus
Furibunda manus, placet hic habitus.

& quæ ſeqq. Nempe primùm crinem nodô ſolvebant; & cinere adſpergebant: tum pectus nudabant & humeros: & veſtem non manu, ſed chordâ vel faſciâ aliquâ, ſupra uterum nectebant, ne eâ decidentes patefierent quæ natura operuit. Sic uterò tenus nudæ ejulabant, & unguibus, palmis, pugnis in ſeipſas ſæviebant &c. Factum id autem à Matribus præcipuè, quas veluti Præficas cœteri ſequebantur: cùm Præficas aliàs, quæ elevatâ manu modum luctus, & *planctus* ſignum darent dictando & conficiendo luctui conductas fuiſſe, notum ſit ex Varrone *de L. L.* Idque tantâ violentiâ, ut pectora contuſione planctuque inflammata, mors fuerit nonnunquam conſecuta. Idem Barthius, *ad Statium*, *Theb. l.* 3. *v.* 126. &c. Vide quoque ſuprà ubi de *Luctu*, & *Lugentium* ceremoniis. Propriè verò *Planctus* ſonum undarum cautibus illiſarum notat. Lucanus, *l.* 6. *v.* 690.

Quòd ſtrident ululantque feræ, quòd ſibilat anguis,
Exprimit, & planctus *alliſæ cautibus undæ,*
Silvarumque ſonum, fractæque tonitrua nubis &c.

PLANCUS Lucius Munatius, Roman. ex familia antiquiſſima. Condidit, an reparavit Lugdunum, cùm Proconſul in Galliis eſſet, An. 711. Urb. Cond. Annô pòſt Conſul cum M. Æmilio Lepido fuit. Statua ejus Baſileæ in Curia, cum egregia inſcriptione, cernitur. Vide Plut. *in Annibale*, & in voce *Munatius.*

PLANCUS, adulandi artifex, in magna apud Fulviam Antonii gratia, de cujus adulatoriis moribus vide ſis Appianum, *libro tertio Civil.*

PLANCUS, vide MUNATIUS.

PLANELLI, apud Cencium Camerar. *in Ceremoniali MS.* ubi de

proceſſione, in Feſto Purificationis, *cumque venerit* (Papa) *ad portam dictæ Eccleſiæ* (S. Mariæ Major.) *exuit* planellos *& nudis pedibus vadit cum aliis in proceſſione:* crepidæ ſunt, Italis *Pianelle* dictæ, Dominico Macro *in Hierolex.*

PLANESIA, Inſul. circa Carthaginem, cujus *Strabo* meminit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 96.

PLANETA, tunica ſeu veſtis ſacra, oras ſparſas habens de qua vide Hieron. *in Epit. Nepotiani*, *ad Heliodor. tom. l.* 25. Matth. Pariſ. *in Henrico* 3. *p.* 683. & Henricum Spelmann. *Gloſſar. Archæologico, &c.* Dicta à πλάνη, quòd circum *errans* totum ambiat corpus; quales eſſe ait Baronius antiquiores veſtes quæ in Eccleſiis aſſervantur: quæ nempe rotundæ ac per totum clauſæ unô circumjectu totum corpus involvebant & utrumque ſimul brachium ita, ut niſi à lateribus utrôque pariter brachiô ſublevari non poſſent. Quare alii *Planetas* dictas exiſtimârunt, quòd ejus extrema ora hinc inde in brachia ſcapulaſque rejecta errabunda deflueret. Quam ob cauſam plures eandem veſtem *Caſulam* dixêre, elegantiâ quæ ejus ævi propria fuit. Iſidor. *l.* 19. *c.* 28. *Caſula eſt cuculla, à caſa, quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa.* Adjicitque Græcè *Planetas* dictas, *quia horis errantibus evagantur, ut & ſtellæ Planetæ; quæ vagæ ſuô errore motuque diſcurrunt.* Ubi pro *horis* legendum *oris*, monet *Ferrarius*, i. e. limbô & extremâ parte. Sic & ſacri Gloſſographi, *Planetam* veſtem laxam interpretantur circa humeros, quæ errantibus oris evagatur. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. Parte* 1. *l.* 1. *c.* 36. & 37. item *l.* 3. *c.* 6. ubi formam iſtuſmodi veſtis Patavii videri, docet: *Parte* quoque 2. *l.* 2. *c.* 7. ubi veſtem hanc veter. ſacrificalem pænulam eſſe, non togam, hâc ſcil. breviorem & anguſtiorem, cum Baronio & Jo. Baptiſta Donio, contendit. Etiam verò aliis, quàm Sacerdotibus, adſcribit Joh. Diaconus *Vita* Gregorii M. *l.* 4. *c.* 83. pariterque inter ſeculares veſtes reponit Iſidorus, *in Regula c.* 13. & Caſſianus *de Habitu Mon. l.* 1. *c.* 7. De *Planeta B. Petri*, quæ creditur Antiochiâ delata: & in Eccleſia S. Genovefæ Pariſ. olim aſſervata, ſcripsêre Hildebertus Cenom, & Hugo Monach. Cluniac. in *Vita* Hugonis Abbat. *Planeta cum tintinnabulis*, meminit *Charta* Benedicti VIII. *Obtulit planetam purpuream optimam aureis liſtis* 12. *ſigna habentibus in circuitu*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. Vide quoque ſuprà, *Caſula.*

PLANETÆ, ſtellæ *erraticæ* multis, *Nigidio Errones* dicti, apud A. Gellium, *l.* 14. *c.* 1. quinque antiquis tantùm fuêre, à Veterib. Aſtrologis, in tres ſectas, Chaldaicam, Ægyptiacam & Græcam diviſis, pro Numinibus culti: quod factum, antequam fixæ quoque in Deorum numerum adſciſcerentur, hinc colligitur; quòd cum Sole Lunaque, ſolos eorum ſunt nominibus dignati, qui *Majorum Gentium Dii*, ſeu *Selecti* dicebantur. Dicti *Arato* πέντε ἀστέρες, i.e. *Quinque ſtellæ*, ut & Propertio, *l.* 4. *Eleg.* 1. ac Tullio quoque *de Nat. Deor. l.* 1. nunc *quinque ſtellæ vagæ*, nunc *quinque errantia ſidera.* Vide quoque Hyginum, *in Poët. Aſtronom.* Jul. Firmicum, *l.* 1. *c.* 4. & Macrobium, *in Somn. Scip. l.* 1. *c.* 6. 19. & 21. ubi ad diſcrimen harum & cœlo infixarum ſtellarum, Solem Lunamqne vocat *Lumina*, ut Græci φῶτα, nempe, κατ' ἐξοχὴν, tanquam φωστῆρας μεγάλους prout vocant LXX. Gen: *c.* 1. *v.* 16. Pythagorei, quia Proſerpina, eſt Luna; propterea vocitârunt *Canes Proſerpinæ*, ut ait Clemens, *l.* 5. *Strom.* Ægyptiis habebantur velut Ῥαβδοφόροι, ſive *Lictores.* Sed Δωδεκατημόρια habita pro Diis Conſiliariis, ut vetus annotavit Scholiaſtes, *in Argonaut. Apollonii*, *l.* 4. In quinque autem his primò divinos honores videtur obtinuiſſe Venus, ſive

Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ,
Heſperus ætheriô longè pulcherrimus orbe.

Homer. *Il.* χ. *v.* 318. Qua de re vide Voſſ. *de Or. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 31. qui ab illa ad Mercurium tranſit, *c.* 32. hincque ad Martem, Jovem, Saturnum, *c.* 33. & 34. His poſteà accenſiti quoque Sol & Luna, numeruſque ſeptenarius *Planetarum* viguit per multa ſecula, quibus quidquid in rebus humanis ageretur, obnoxium fecit Antiquitas. Ut autem viderentur nunc hunc, nunc illum effectum producere, pro vario ſcilicet eorum ſitu, ideo variæ ad libidinem & abſque ullo in natura fundamento dignitates excogitatæ & *Planetis* attributæ ſunt, Aſtrologis vocatæ, *Domus*, *Exaltatio*, *Triplicitas*, *Terminus*, *Facies*, de quibus vide Jac. Oiſelium JCtum, *Notis in A. Gellium*, *l.* 14. *c.* 1. uti de præfecturæ VII. metallorum, it. VII. lineamentorum frontis, ſuprà vocibus *Lamina*, it. *Metopoſcopi.* Seculô noſtrô, teleſcopii ſeu Batavi tubi beneficiô, plures adhuc reperti ſunt, qui Veterum ſcientiam quidem, non tamen conjecturam, planè fugerunt. Apud Gellium enim *locô cit. miratum* Phavorinum *fuiſſe* legimus, *id cuiquam pro percepto liquere, ſtellas iſtas, quas à Chaldæis & Babyloniis ſive Ægyptiis obſervatas ferunt* (*Planetas* videl.) *non eſſe plures, quàm vulgò dicerentur. Poſſe enim fieri exiſtimabat, ut & alii quidam* Planetes *pari poteſtate eſſent, ſine quibus recta atque perpetua obſervatio perfici non quiret; neque tamen cernere homines poſſint, propter exſuperantiam vel ſplendoris vel altitudinis.* Galilæus itaque primùm animadvertit quatuor *Planetas*, qui certis temporibus periodum ſuam circa Jovem abſolvunt, unde & *Jovis Satellites* dicti: à Galilæo verò *Medicæa ſidera*, in honorem domus Medicææ, appellati. Poſteà à nobiliſſ. Hugenio *Planeta* quidam prope Saturnum detectus, qui inſtar Lunæ 16. Dierum ſpatiô Saturnum circumiret, periodumque abſolveret: (Voſſius habet, *ſtellas duas, quæ ſemper Saturno, velut individui comites, adſiſtant.* Idem pergens, *Nec deſunt*, ait, *quibus maculæ illæ circa Solem, niſi Soli potiùs inſint, moveri ſolitæ, nihil aliud videantur, quàm ſtellæ Solem circumeuntes*, Borboniorum ſiderum *nomine à Joh. Tarde Gallo inſignitæ, ſub fin. c.* 34. *libri & Op. præfati*) Ita ut hodie duodecim numerô *Planetæ* computentur. Idem Hugenius & Saturnum annulô circumvinctum eſſe primus vidit. Hos itaque cùm ignoraret vetuſtas, non mirum, cur & elogiis ſuis & divinitatis opinione caruerint. At otioſos illos fuiſſe, antequam detegerentur, nemo dixerit: quin *Planetarum*, circa quos volvuntur, viribus aut obſuêre, aut etiam opem tulêre, variaſque in eorum operationibus mutationes induxêre pro majori ſcil. vel minori ad eos acceſſu, vel ab iis diſceſſu, qua de re tamen Veterum nemo cogitavit. Unde & J. B. Morinus, qui veter. Chaldæorum & Ægyptiorum Aſtrologiam falſitatis plenam fuiſſe convincere conatur, quædam de viribus & effectibus quatuor Jovis Satellitum edidit: de Lunula verò circa Saturnum ſimiliter ſiluit, utpote quam ipſemet unà cum Veterib. ignoraret. Vide de hoc ſcripto ejus, judicium Gaſſendi & Maridati, apud Oiſelium ſuprà *cit. loc.* Addit Voſſius, ubi *ſuprà*, propter novos hos *Planetas*, novorum orbium conſtitutione opus non eſſe, cùm propriè non circa terram, ſed ſuprà eam moveantur. Sed de his plura, vide apud Aſtronomos recentiores. A ſeptem verò *Planetis*, antiquitus notis, ſingulis Hebdomadis diebus appellatio indita: cujus rei diſquiſitionem iniit Plutarchus; unà miſcens ſcriptum, περὶ ἥλων τάξεως, *de clavorum ordine*, i. e. de clavis annalibus, Idibus Sept. Romæ in ædium ſacrarum pariete, ad annos dinumerandos, pangi antiquitus ſolitis, (qua de re. Vide Jac. Durantium, *Variar. Lect. l.* 1. *c.* 5.) ante ſcilicet annorum à Conſulum nominibus numerandorum morem. Hic rationem Sabbathi ſeu Septimi diei apud Judæos quietis, ex honore Saturno habito; juxta nonnullos ait deduci. Quibus accedit Damis Aſſyrius, qui de rebus Apollonii Thyanei, cui ſocius erat, ſcribens, tradidit Iarcham Principem Brachmanum ei dediſſe δακτυλίους ἑπτὰ τῶν ἑπτὰ ἐπωνύμους ἀστέρων, οὓς φορεῖν τὸν Ἀπόλλωνια κατὰ ἕνα πρὸς τὰ ὀνόματα τῶν ἡμερῶν. *Septem annulos ſeptem ſtellis cognomines; eorumque ſingulos, ſecundùm dierum nomina, Apollonium geſtâſſe.* Imò, in vetuſto Apollinis Oraculo, legitur, ex Porphyrio apud Euſebium, *Præp. Euan. l.* 5. *c.* 14.

Κλῄζειν Ἑρμῆν ἠδ' Ἥλιον καὶ τὰ ταῦτα,
Ἡμέρῃ Ἡλίου, Μήνην δ' ὅτε τῆσδε παρείη
Ἡμέρῃ, ἠδὲ Κρόνον ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην.
Invoca Mercurium & pariter Solem
Die Solis. Lunam itidem, cùm ejuſdem aderit
Dies & ſimili modô Saturnum & Venerem.

Unde, ait Joſ. Scaliger, *Prolegom. ad l. de Emend. tempor. demonſtratur, quòd vetuſtiſſima ſit appellatio dierum à Planetis etiam apud Græcos*, quod Dioni, *l.* 37. (qui Ægyptiorum id, paulo ante ætatem ſuam, inventum facit) non fuit viſum. Addit Joſephus hic, vulgus crediſſe, *Planetas* apparere die ſuô; nempe omni die Martis ipſum *Planetam* ſui videndi poteſtatem facere, & ſic de reliquis: *Idque*, inquit, *planè Orpheus deſignavit in* Ἔργοις καὶ Ἡμέραις, *Operibus & Diebus*,

Πρῶτα μὲν εἰ πρώτῳ ἐνὶ ἤματι φαίνεται Ἄρης,
Μήνη δ' εἰς τ' Ἄρην ἐπιτέλλεται, ἴσχεο ἔργων:

ubi tamen alii aliter legunt. Ulteriùs, à Scriptore veteri Græco nondum edito, Zoroaſtris & Hyſtaſpis Scholæ Chaldaicæ ac Ægyptiacæ inventum hoc tribuitur, apud Andr. Rivetum *Diſſertat. de orig. Sabbatica* 5. Fuit autem Zoroaſter Magus nonnullis Abrahæ ipſi coætaneus; Euſeb. in *Chron.* aliis eum ſexcentis annis ante Xerxis tranſitum collocantibus, i. e. ſub Hebræorum Regni initia: & Hyſtaſpis, ut auctoris ac prophetæ Magique vetuſtiſſimi, mentio eſt apud Clementem, *l.* 5. *Strom.* Juſtinum, *Apolog.* 2. Alios. Darii Patrem eundem fuiſſe, vult Amm. Marcellin. *Hiſtor. l.* 3. Eòdem faciunt, quæ in Oraculo è Porphyrio modò citato ſequuntur,

Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις ἃς εὗρε ὄχ' Μάγων ἄριστος
Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλεύς, ὃν πάντες ἴσασιν.
Invocationibus arcanis, quas invenit Magorum præſtantiſſimus
Septiſonæ Rex, quem omnes nôrunt.

Deſignari autem ab Oraculo intelligere ſe, qui præſentes fuêre, dixerunt, Hoſtanem ſeu Oſtanem, qui inter veteres Magos eousque familiam duxit, ut *Hoſtanæ* apud Perſas dicti ſint ipſi Magi, teſte Suidâ in Ὀστᾶναι. Hic τῆς ἑπταφθόγγου nempe συμφωνίας, *Concentus ſeptiſoni* (quô nomine ars ſideralis, ob Veter. de orbium VII. cœleſtium harmonia opinionem, ſatis indicatur) vel τῆς αὐδῆς, λέξεως ſeu τελετῆς ἑπταφθόγγου, *vocis*, *orationis* ſeu *ſacri ſermonis rituſve Septiſoni*, Rex, præfectus ſeu Moderator, Auctor, Præceptorque ſummus (quâ notione etiam Latinis nonnunquam *Rex* uſurpatur) ritus nempe ἀστροθύταις, ſeu *aſtrorum ſacrificulis* ſolennis, ſepties Deos illos cœleſtes ſive *Planetas* verbis arcanis invocandi, dicitur: Septies, ſive ipſorum ſpectes per ſingulorum dies numerum, ſive ritus ejuſmodi ſolennis ſeptemplicem cuilibet repetitionem. Nam & ea videtur fuiſſe in Oſtanis diſciplina hac Magica: quod elicitur ex *verſu ſeq.*

Καὶ σφόδρα καὶ καθ' ἕκαστον ἀεὶ Θεὸν ἑπτακιφώνῳ.
Et valde & ſingulatim ſemper Deum ſeptemplici voce.

Unde palàm eſt, morem iſtum denominationis dierum à Planetis, ab Oraculo, ſeculis etiam ipſô vetuſtioribus ac Magorum primariorum ævo tribui. Invocabantur autem velut Dii, ut dictum: Unde etiam feriæ ſeu dies ſeptimanæ, apud Aſtrologos diu poſteà ἡμερῶν τῶν Θεῶν, *dierum Deorum*, nomen retinuêre. Nec prætermittenda eſt hæreſis illa vetuſta, quæ dixit, *Nomina dierum Solis, Lunæ, Martis* &c. *à Deo ita poſita ab origine Mundi, non hominum vanâ præſumtione nuncupata eſſe*, ut refert Philaſtrius *de Hæreſ. num.* 111. qui dum ejuſmodi falſitatem deteſtatur, originem intereà hujus denominationis Hermeti Ægyptio tribuit. E quibus liquet, licèt momentum ſeu annus ſeu ſeculum ritus hujus in abdito ſit, per Gentes tamen tum Orientis tum Occidentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dentis eum antiquiſſimis jam temporibus viguiſſe, adeoque temerè nimis ſcripſiſſe aliquos, *Diei Solis, Lunæ* &c. *nuſquam in antiquis Auctoribus apparere veſtigia*, Phil. Beroald. *Chron. l.* 1. *c.* 4. Quin nec deſunt in Magiſtris priſcis, qui illud Decalogi: *Memento diei Sabbathi, ut ſanctifices eum*, ſic ſeorſim intelligi velint, ut etiam tunc temporis velut monitum haberetur, ne numerarent dies hebdomadis more eorum, qui *Planetarum* nomina iis indiderant, ſed quemlibet ipſius *Sabbati* vocamine denotarent: quemadmodum cùm dicunt, *primâ Sabbati, ſecundâ Sabbati*; *tertiâ Sabbati*, pro *die Solis, die Lunæ, die Martis*, &c. Neque verò ſolùm vetuſta admodum hæc dierum denominatio, ſed ipſe quoque *Planetarum* in diebus denominandis ordo, quô etiamnum utimur, pervetuſtus eſt. Præter enim ea, quæ jam dicta ſunt, in Oratione ſacra Pythagoræ tributa, apud Jamblichum de *Vita* ejus, *c.* 28. monitum reperitur, Ἀφροδίτῃ τῇ θυσιάζειν τῇ ἕκτῃ, *Veneri ſacrificandum eſſe ſextâ.* Niſi fortè hoc non de ſexta hebdomadici Orbis, ſed de ſexta menſis ineuntis, intelligendum. Cœterùm egregium eſt ad hanc rem, quod legitur apud Vettium Valentem Antiochenum, Aſtrologum priſcum: qui de Heptazono, & die Sabbatica ſeu Hebdomadico Orbe agens, ab intima antiquitate ipſum, quô tamdiu uſi ſumus, ordinem Planetarum manâſſe haud parùm confirmat. Caput ex Ἀνθολογιῶν ſeu *Floridorum* ejus MS. unum & alterum integrum exhibet Seldenus *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſciplin. Ebr. l.* 3. *c.* 20. Hauſiſſe autem ſe diſciplinam ſuam Aſtrologicam Valens fatetur, ex Auctoribus vetuſtiſſimis, Petoſiride, Necepſone, Abramo, quem τὸν Θαυμάσιον nuncupat, Hermippo, Timæo, Critodemo, Scitho, Apollinario, aliis, qui interiêre omnes. Similia apud Petr. Alex. in *Iſagoge apoteleſm.* habentur: qui de diebus Deorum, uti vocat ille, ſeptem, eorumque dominio horario, ex vetuſtiſſima origine in uſu, fusè loquitur: coævus is creditur Theodoſio & Gratiano, ſicut Vettius Valens Conſtantino M. Quam rem totam à Valente, Petroque modò dictis, ut & aliis, de denominatione ejuſmodi tam menſium quàm dierum, ſuccinctè complecti videtur Herodotus, dum priſcos Ægyptiorum mores ediſſerens, *Euterp.* Καὶ, inquit, τὰ δὲ ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστιν ἐξευρημένα· μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη Θεῶν ὅτευ ἐστὶ καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει καὶ ὅκως τελευτήσει καὶ ὁκοῖός τις ἔσται καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐν ποιήσει γενόμενοι ἐχρήσαντο, *Alia etiam ſunt ab Ægyptiis excogitata; quis menſis dieſve cujuſque Deorum ſit & quô quis die genitus qualia ſortietur & quam mortem obibit & qualis exiſtet. Quibus rebus ii, qui in Græcis in Poëſi verſabantur, uſi ſunt*, &c. Quin & ordo ſeu ſeries illa Planetarum in diebus deſignandis eadem eſt Judæis vetuſtis & antiquitiſſima habita, tametſi non ſit eadem eorum omnibus ordinis illius in Orbe Hebdomadico nominibus aptandis diſpoſitio. Etenim in iis ſunt, qui ab ipſis rerum initiis ordinem retinentes primum diem Mercurio, ſecundùm Jovi, tertium Veneri, quartum Saturno, quintum Soli, ſextum Lunæ, & Marti ſeptimum, aſſignant; adeò ut à rerum origine diebus putatis, Mars ſeptimum, non Saturnus, ut vulgò, ſortiretur, & Sol ſextum, non primum. Interim non ſolùm ordinem eundem ipſum, quem hodieque retinemus, obſervari ab iis videmus; verùm etiam vetuſtiſſimam dierum, juxta Planetarum apud Gentiles numerum, dinumerationem ipſis Judæis habitam. Reliquis verò, quod ordinem dierum attinet, ſemper primus Soli tribuitur, poſtremus Saturno, cœteris intervenientibus, non aliter, atque juxta morem hodiernum. Seu, ut in Auſonio, *Eclogar. de nominibus. ſeptem dier. v. ult.*

Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt,
Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.

Neque alius fuit Veter. ordo. At verò Nic. de Cuſa Cardin. *In Reparat. Cal. Septem*, inquit, *dierum numerô apud omnes nomina revolvuntur, licèt de prima ſeptimanæ die ac dierum nomine diverſitas ſit. Chriſtianorum ſeptimanæ initium eſt à die Dominico; Græcorum ac Alexandri à die Lunæ, Jeſnargit* (Jeſdegird) *à die Martis, Nabugodonoſor à die Mercurii, Ethnicorum à die Jovis, Elhigeræ à die Veneris, Hebræorum à die Sabbati.* Ubi palàm negat, initium ſeptimanæ idem omnibus eſſe, utcunque in univerſum periodum dierum ſeptenariam omnibus in uſu eſſe fateatur. Sed perperam hæc tradita: namque ut Chriſtianis tam orientis quàm Occidentis initium Septimanæ eſt dies Dominicus ſeu Solis (unde & dixêre Græci Chriſtiani annum Ἑβδομαδικῶς κανονίζειν, *Hebdomadicè ordinare*, pro eo, quod eſt à die Solis incipere) ita pariter reliquis. Dies autem, quos habet ille alios, velut pro variis Septimanæ initiis, dies ſunt Epocharum Chronologicarum ſeu dies alii atque alii in ſeptimana, i. e. feriæ aliæ, à quibus anni ſolùm putantur, neque ad orbis Hebdomadici initium ſpectant: ut alia prætercam. Sequitur paucis, de ordinis in orbe dierum Hebdomadico *Planetarii* ratione: quæ triplex fermè apud Veteres occurrit. Prima ex proportione Muſica petita; ex horarum præfecturis ſecunda; tertia ex alternatione quadam Planetarum luminibus vicinorum. Et quidem, primam quod attinet, cùm in hebdomade ſic diſponantur Planetæ, ut Sole diem primum occupante, Lunâque proximum, bini in ea orbium ſerie, quæ vulgò agnoſcitur & Ptolemaica eſt, ſemper itidem prætermittantur, quartuſque ab antecedente repetito in dierum denominatione ſequatur, i. e. ut ſaltus in quartum quemque Planetarum fiat, fuêre qui juxta harmoniam, quæ *diateſſaron* dicitur, ordinem Planetarum illum intermiſſum exiſtimârint primùm inſtitutum adeoque Muſicum eſſe voluerint. Ratio ſecunda apud Vettium Valentem *l. c.* habetur. Diſtributis enim, ſecundùm vulgarem orbium ſeriem continuam, diei cujuslibet 24. horis inæqualibus (ſcil. diei naturalis 12. totidemque noctis) adeò ut Planeta, cui dies cognominis, primam ſortiatur horam, cœteraſque cœteri ſuô deinceps ordine in orbem redeuntes, is qui horæ proximi perpetuò diei primæ præfectus eſt, eidem etiam diei nomen tribuit, quod putanti manifeſtum eſt. Atque hæc poſterior ratio eruditis Viris magis placet, Tertia ratio apud Bedam, *de Tempor. ratione, c.* 6. habetur, ubi ait: *Hæc erat ſtultitia Gentilium, falsâ ratiocinatione ſubnixa, qui quaſi jure primam diem Soli, quia maximum eſt luminare; ſecundam Lunæ, quia ſecundum luminare eſt, ſe conſecrare putabant* (&c) *de inordinata alternatione tertiæ diei primam à Sole Stellam, quartæ primam à Luna, quintæ ſecundam à Sole, ſextæ ſecundam à Luna, ſeptimæ à Sole præponebant.* Atque ita hac de re Veteres. Recentiorum autem qui diſſident, inſtar omnium erit Joſ. Scaliger. Hic non horas in cauſa fuiſſe opinatur appellationis dierum (quâ horarum uſum recentiorem facit) ſed potiùs dies, horarum. Cauſam autem cur dies cognomines Planetarum non ſequantur ordinem & ſitum ſiderum eorum, ſed binis prætermiſſis, quartum ſemper in dierum denominatione ſit ſidus proximum, pluribus ediſſerit *de Emend. Temp. l.* 1. *p.* 8. Verùm nec ejus ſententia omnibus arridet, videturque hic ordo manâſſe à ſimpliciori multò origine, eaque quidem alternationi illi, de qua Beda, proximante. Nimirum advertendum eſt, inter Planetas ſeu in Heptazono, longè primariam ſemper obtinuiſſe dignitatem Solem & Lunam, quod tam ex Sacris, quàm ex profanis Scriptoribus clariſſimum eſt. Hinc proin dies Hebdomadis primus Soli, velut ſiderum Regi & ob dignitatem ſecundam, ſecundus Lunæ, aſſignatus omnino videtur. Quô poſitô, videtur intervallum, non magnitudinis quidem ſeu ſpatii, ſed numeri, quô bini hi Planetæ primarii in Heptazono invicem disjungerentur, velut prototypum fuiſſe, cœteris in Heptazoni cyclo ſequentibus. Adeò, ut quemadmodum & quoniam Luna Solem binis intermediis, nempe Venere & Mercuriô, prætermiſſis, in Hebdomadicæ denominationis initio ſequebatur, ita etiam atque ideo parili, in revertente Heptazoni cyclo, intervallô numeri diſtaret tertius à Luna. Unde tertium diem ſortitus eſt Mars, & ſimili ſemper intervallô deinceps dies ſuos reliqui quatuor. Atque etiam hinc fortè ratio aliqua eſt petenda, cur Sol, Phœbus, Apollo (quæ eadem eſſe nomina nemo ignorat) Ἑβδομαγέτας Veterib. dictus eſt, quoniam ſcil. τῆς Ἑβδόμης eſſet ἡγέτης, ſeu *ſeptenarii* tam in Planetis, quà Cœlum tenent, quàm in hebdomadica dierum denominatione; *Princeps.* Æſchylus in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις.

Καλῶς ἔχει τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασι
Τὰς δ' Ἑβδόμας ὁ σεμνὸς Ἑβδομαγέτας
Ἄναξ Ἀπόλλων εἵλετο ———
Bene ſe habent reliqua in ſex portis.
Septimam verò venerandus Hebdomagetes
Rex Apollo elegit. ———

Vide quoque Proclum *in Timæum Plat. l.* 3. *p.* 200. &c. Lunam ei addit Sextus Empiricus *adverſ. Mathem. l.* 5. Rationi de ordine cœterorum Planetarum adductæ ſimilis ferme ratio eſt, quæ habetur in aliquot Eccleſiæ Chriſtianæ nominibus dierum, qui ex nulla ſui ratione ea ſortita ſunt, ſed tantùm è ſolennitatis primariæ, è qua pendent, denominationis imitatione quadam ſeu reſpectu. *Quadrageſima* e. g. nomen inditur primo diei Dominico, à quo jejunium ſic indictum auſpicantur nonnulli; hujus gratiâ ſeu imitatione, dies Dominici retrò putati dicuntur, *Quinquageſima, Sexageſima, Septuageſima*, nulla numerorum in his nominibus denotatorum ratione habitâ, ſed reſpectu ſolùm habitô ad *Quadrageſimæ* nomen, quod ſonô & ſimilitudine quâdam, non re omnino, cœtera nomina imitantur. Sic ferè *Feriarum* nomen à feriis revera primariis ad alios dies, qui nec revera feriæ, tranſlatum, &c. Plura in hanc rem vide apud magnum Seldenum ſuprà laudatum *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Hebr. l.* 3. *c.* 19. 20. & 21.

PLANETÆ, *Herodot.* & Plinio, vide *Plancta.*

PLANETARII, apud Auguſtinum, *Confeſſ. l.* 4. Divini. Vide ſuprà.

PLANGENSES, Umbriæ gens Plin. *l.* 3. *c.* 14.

PLANIPES, mimus fuit pedarius. Ut enim opponebantur, Senator Curulis & pedarius: ita Mimus, qui in Orcheſtram ingrediebatur, & is, qui *Planipes* dictus; quia non in Orcheſtra ageret, ſed in *plano* & humili loco; unde ei id nomen. Verius hoc, quàm quod Diomedes ſcripſit, *l.* 3. *cap. de Poëm. gener.* Mimos omnes *Planipedes* fuiſſe dictos, quia *planis pedibus*, h. e. *nudis*, intrarent in proſcenium. Aliud enim *plani pedes*, aliud nudi. Atque ex his ſatis liquet, *Gazam*, cùm avem otum κόβαλον vel κόβαλον *Heſychio* ac *Suidæ*, *avem paraſitam Plinio*, βωμολόχον & κόλακα Ariſtophani, *Equit.* μιμητὴν ſeu *alitem imitatricem* Ariſtoteli, *Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 12. appellatam, *Planipedem* dixit, attendiſſe ad Mimos in Orcheſtra ſaltantes, vel etiam *Planipedes* ſaltantes in podio. Quare & aliter eas mox ait ἀντορχεῖσθαι, i. e. *ſaltantes imitari*: quod fortaſſe non incommodè reddas *redamtruare*, ſecundùm illud Lucilli *de Saliis.*

Præſul ut amtruat, inde & vulgus redamtruat olli.

Valde igitur ratio fugit *Aldrovandum*, quando *Planipes*, ut *Gaza* reddit vocem μιμητὴς, apud Ariſtotelem, *loc. cit.* de Oto loquentem, accepit, quomodo anas, anſer, olor, dicuntur *Planipedes*, ſeu Græcè στεγανόποδες; quia membrana illis pedum digitos στέγει, nec aquam ſinit perfluere. Hæc Gerb. Joh. Voſſius, *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 83. Salmaſ. verò Diomedi aſtipulatur & Mimos ſic dictos ait quibuſdam, quòd *planis pedibus* agerent, i. e. non ſoccati, ut Comici, nec cothurnati, ut Tragici auctores: Aliis ab humilitate argumenti & perſonarum vilitate. Certè mimi centunculis amicti. *Appulejus*; *Num ex eo argumentarêre, uti me conſuêſſe Tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crocotâ, mimi centunculô.* Unde *mimica vilitas* in proverbium abiit. At *Planipedes* à *Fabulonibus*, h. e. fabularum actoribus, eruditè diſtinguit Macrob. *l.* 2. *c.* 1. *Hæc nobis literata lætitia & docta cavillatio vicem planipedis aut fabulonis impudica & prætextata verba*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

jacientis, ad pudôrem ac modeſtiam verſus imitata. Licèt enim *Fabula* nomen generale ſit, propriè tamen mimus differt à fabula ſeu dramate. Fabula namque eſt comprehenſio rei geſtæ ſeu quaſi geſtæ, cum quadam œconomia narrationis, explicatis quæ implicata ſunt, ad certum exitum tendens, lætiorem, ut Comœdia, triſtiorem, ut Tragœdia. At Mimus nec λύσιν habet plerumque nec exitum. Cicero *pro Cælio, Mimi ergo eſt jam exitus, non fabula: in quo cùm clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* Ut alia, quibus differunt, plura omittam. Sed & in imitando diverſitas: In cœtero fabularum genere, certus erat modus imitandi & honeſti decorique habebatur ratio; *Planipes* quodcunque & quomodocunque imitaretur, ſuas partes agebat: ſicque Mimus propriè erat vel turpis turpior imitatio. Unde ἐθελοντὰς eos, Thebani, alii αὐτοκαβδάλους, Itali φλύακας, vocabant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 109. & ſuprà ubi de *Mimis.*

PLANITIES Libani, ſubter montem Hermon, in tribu Aſer, apud Jeſaj. *c.* 10. *v.* 34.

PLANITIES Orbis extantiores variè dividi poſſunt: Sunt enim illarum complures aptæ culturæ & ſylvarum varietate refertæ; ſunt arenoſæ, ſunt petroſæ & ericoſæ; quæ & *Deſerta* vocantur, quorum nonnulla ad ingentem ſeſe amplitudinem extendunt. *Planities*, licèt feraces, incolarum tamen inertiâ vel defectu Agricolarum deſtitutas nobis cum primis exhibent Polonia, Moſcovia, Ruſſia, ingentibus ſylvarum receſſibus veſtitas. Arenoſis & ſabuli opertis congerie, præ omnibus Mundi regionibus, Africa ſqualet: Petroſis Arabia; Ericoſis tum Germania, tum reliquæ Orbis partes. Frugiferæ *Planities*, in agros, hortos, ſylvas dividuntur. Sylvarum varietas inſignis eſt, tum loci, tum climatis ratione. In Germania Sylva Hercinia, Nigra ſylva, Speſſartus, quercetis, fagetis, pinetis, juniperetis, abietum inſuper, laricum, æſculorum ſimiliumque fœturâ ſpectabiles: In Gallia & Italia, caſtanearum florent ſylvæ: Africa palmetis abundat & ad Promontor. Viride, integræ pomorum citreorum ſylvæ; Ceilanum cinnamomi ſylvas alit: Bandanas Moluccaſque Inſulas nuces moſcatæ, cedri Libanum exornant. Sunt & immenſi terrarum tractus, omni hominum cultu & habitatione deſtituti: Cujuſmodi ſunt Deſerta Tartariæ, quæ *Mongul* & *Lop* vulgò dicuntur, quorumque hoc putatur eſſe Deſertum illud arenoſum, quod non procul à muris Sinenſibus, in formam faſciæ inexploratæ adhuc longitudinis, ex Auſtro in Boream extenditur, quodque ex Tartaria in Chinam ultro citroque commeantibus Mercatoribus tranſeundum eſt; locus ad terrorem omnem ſqualidus. Sunt & in America tum Septentrionali, tum Auſtrali vaſtiſſimæ *Planities* deſertæ, quarum quæ inter regnum Paraguajæ & Chili interjacet a viatoribus *Pampas* vocata, potiorem obtinet locum. Occurrit hoc deſertum, deſcendentibus ex Andibus ſive montibus *Cordilleiras*, haud procul ab Urbe Mendoza, Oceani inſtar longè lateque exporrectum, minimè tamen infrugiferum: Siquidem ſine ullis arenæ veſtigiis totum herbis à natura conſitum eſt & ab animalibus omnis generis incolitur, nec fluminibus, nec lacubus deſtitutum. Ingrediuntur id haud ſecus, ac qui Oceanum ſubeunt, nauticâ pyxide homines inſtructi, quàm in *Planitiei* terminum, qui dicitur *los buenos ayeres* eamque primam Paraguajæ urbem, ad flum. Januarium ſitam, conſtanti lege dirigunt: Eſſeda habentes lignea, quæ, multorum hominum capacia, dum à bobus trahuntur, ſimul herbarum graminumque conculcatione ſemitam deplanant, iterque aperiunt, in quo conficiendo rarò trimeſtre, ut plurimum quadrimeſtre temporis ſpatium, impenditur; Quantum in Auſtrum porrigatur deſertum, inexploratum eſt: Nonnulli ſunt, qui uſque ad Fretum Magellanicum id excurcere velint, Athanaſ. Kircherus, *Mund. Subterr. l.* 2. *c.* 12. Huic ſimilis eſt *Planities* ſeu Deſertum *Benaſcali*, in Arabia deſerta. Quemadmodum in Africa, famoſum eſt *Deſertum Biledulgerid.* Vide Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. c.* 7. §. 9. & ſuprà aliquid voce *Placita.*

de PLANO cognoſcere, interloqui, diſquirere, apud Jureconſ. eſt, *ex æquo & plano loco cognoſcere*, ut Cicero *pro Cæcina*, & *l.* 3. *Epiſtol. ad Appium & de Orat. l.* 3. loquitur: i. e. non pro tribunali, ſed in via, in tranſitu, cùm vel lavandi aut geſtandi, aut ludorum gratiâ, Magiſtratus prodiit, *l.* 7. *ff. de manu vind. §. ſervi autem Inſtit. de Libertin.* Cùm pro tribunali cognoſcere, ſit ex loco ſuperiore, non *ex plano*, cognoſcere. Quæ duo proin, *pro tribunali* & *de plano*, adverſa iidem faciunt, ut *in l.* 1. *§. abolitio, ff. de Turpil. Abolitio privatim a Præſidibus poſtulari & impetrari ſolet. Item, pro tribunali, non de plano.* Et *in l.* 18. *ff. de quæſtion. Cuſtodiæ non ſolùm pro tribunali, ſed de* plano *audiri poſſunt.* Idem *ex l. §. ſi cauſa, ff. de bon. poſſ.* & *l.* 2. *§. dies, ff. ſi quis ordo in poſſ.* clarè patet. Meminit formulæ Seneca quoque *de Clem. l.* 1. *c.* 5. *Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, melius in tribunali, quàm in plano, conſpicitur.* Sueton. item *in Tiberio, c.* 33. *Et ſi quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat, Judiceſque aut è plano, aut è Quæſitoris tribunali, legum & religionis & noxiæ, de qua cognoſcerent, admonebat.* Hinc *in l.* 11. *§. proſcribere,* 3. *ff. de inſt. act. Unde de plano rectè legi poſſint:* quæ verba his olim notis ſcripta, V. D. P. R. L. P. Valerius Probus teſtis eſt. Auſonius *in Grat. act. Has ego literas, quas in omnibus pilis ac porticibus, unde de* plano *legi poſſunt, inſtar edicti pendere mandavero.* Sic enim olim Leges ac Edicta proponebantur, ut ab omnibus tranſeuntibus poſſent legi. Briſſonius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* In *Epiſtolis* Clementis V. Pontif. Romani & Johannis XXII. itidem Pontificis *Inquirere ſine ſtrepitu ac figura judicii ac indagine*, redditur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PLANTA Metallica, vide ſuprà *Metallica planta.*

PLANTINUS Chriſtophorus, poſt Manucios, Frobenios, Stephanos & Oporinos, Typographus de Re litteraria optimè meritus, inter alia novâ editione Bibliorum, ſub auſpiciis Philippi II. Hiſpan. Regem juxta exemplar Complutenſe, ſed majori curâ elegantiâque adornatâ, inclaruit; è quo tamen labore quantum is gloriæ, tantum damni, ſenſit, fortunis inde provolutus. Eruditionis intereà nomen potiùs, quàm rem habuiſſe, imò & Latinè ignorâſſe Balzacus refert, quem tamen nævum quomodo celaverit in amico Lipſius, vide in *Elogiis* Teiſſerii *Part.* 2. Obiit Antverpiæ A. C. ætat. 75. inſigni Bibliothecâ rectâ. Ludov. Jacob. *Traitté de Biblioth.*

PLANTA Pompejus, vide *Pompejus.*

PLANUDES Maximus, Monachus, unus ex conſervatoribus Græcæ linguæ. Tranſtulit Græcè libellum, *de moribus regendis*, qui *Cato* inſcribitur. Convertit & in eandem linguam *opera D. Auguſtini*, annis aliquot ante Conſtantinopolim captam. Dicitur & *fabulas: quæ Æſopi nomine circumferuntur*, collegiſſe. E Latino certè in Græcum tranſtulit *Ovidii Metamorphoſes*, & *Heroidas, Macrobii Saturnalia, & Somnium Scipionis* Collegit & libros 7. *Epigrammatum Græcorum*, qui extant. Mortuus eſt antequam Conſtantinopolis à Turcis capta eſt. Vide ſuprà in voce *Maximus Planudes.*

PLANUS Cantus, *in Extrav. comm. de vita & honeſt. Cleric. c. unic. Adeò ut interdum Antiphonarii & Gradualis fundamenta deſpiciant; ignorant, ſuper quo ædificent, tonos neſciunt, quos non diſcernunt, imò confundunt: cum earum multitudine notarum, aſcenſiones pudicè deſcenſioneſque temperatè* plani cantus, *quibus toni ipſi ſecernuntur, ab invicem offuſcantur:* Carolo Macro eſt, *Cantus firmus*, ut vocant, Eccleſiaſticus ſive Gregorianus, contradiſtinctus cantui figurato, *in Hierolex.*

PLAONUS Petrus, vide *Petrus.*

PLARÆI, Epiri populi, *Stephan.*

PLARASSA, urbs Cariæ, *Idem.*

PLASMA, Græcè πλάσμα, vox dicta eſt à Phonaſcis, quæ ſic eliquata & mollis eſſet, ut per omnes ſonos intentioneſque poſſet variari, uti diſcimus ex Quintiliano, *l.* 1. *c.* 8. (al. 14.) Eôdem ſenſu apud Perſium, *Sat.* 1. *v.* 15. occurrit, *in his verbis,*

Scilicet hæc populo, pexuſque togâque recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,
Sede legens celſa liquido cum plaſmate *guttur*
Mobile collueris, patranti fractus ocello,
Heic, neque more probô videas, neque voce ſerenâ
Ingentes trepidare Titos ———

Ubi quod *liquidô plaſmate guttur colluere*, dicit paulò infrà, *eliquare & tenerô palatô verba ſupplantare:* at malè Vir eruditiſſimus, qui *plaſma* ibi accepit, pro medicamenti genere, leniendis faucibus facto. Nempe πλάσις in Muſica eſt, *varietas ſoni*, ut apud Theophraſtum videre eſt, & Phonaſci εὔπλαστον φωνὴν vocabant, *facilem tractabilemque*, & quæ per omnes intentionum ac remiſſionumque numeros flecti ducique poſſet; ut contra ἄπλαστον, *rigidam* & *monotonon*, quæ variari verſarique non poterat. Plut. *in Cicerone*, Ἡ φωνὴ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὴ ἄπλαστος. Sic μετὰ πλάσματος αὐλεῖν, apud eundem Theophraſtum, eſt πολυκάμπτως αὐλεῖν & πολυτρόπως, *multâ varietate ſoni tibiâ canere*; cui contrarium ἀπλάστως αὐλεῖν, *ſine ullo ſonorum flexu ac varietate*; cujuſmodi cantus Veterum fuit, cum ſimplex adhuc Muſice in theatris vigeret, uſque ad Antigenidis ætatem, de quo idem ubi de tempeſtiva arundinum ad tibias cæſione, Τὴν δὲ τομὴν ὡραίαν πρὸ Ἀντιγενίδου μὲν ἡνίκ' ηὔλουν ἀπλάστως, ὑπ' Ἀρκτοῦρον Βοηδρομιῶνος μηνὸς, quæ Plin. *l.* 16. *c.* 36. ſic reddit, *Cædi ſolebant tempeſtiva, uſque ad Antigenidem, cùm adhuc ſimplici Muſicâ uterentur, ſub Arcturo.* Ergo ante Antigenidem ἀπλάστως αὐλεῖν ſolebant & *ſimplici Muſicâ uti.* Addit *Theophraſtus*, Τὸν γὰρ οὕτω τμηθέντα συχνοῖς μὲν ἔτεσιν ὕστερον γίνεσθαι χρήσιμον, τὸν προκαταυλήσεως δεῖσθαι πολλῆς. συμμύειν δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττῶν, ὃ πρὸς τὴν διακτορίαν εἶναι χρήσιμον. Vertit Plin. *Sic præparatæ aliquot poſt annos utiles eſſe incipiebant: tunc quoque multâ domandæ exercitatione & canere tibiæ ipſæ edocendæ, comprimentibus ſe lingulis, quod erat illis theatrorum moribus utilius.* Ubi τὴν διακτορίαν non expreſſit, quæ vox quid ſignificet, ex ſequentibus intelligere eſt: Ἐπειδὴ δὲ εἰς τὴν πλάσιν μετέβησαν, ἡ τομὴ μετεκινήθη, *Poſtquam varietas acceſſit & cantûs quoque luxuria, cædi ante ſolſtitia cœpta.* Videlicet, uti πλάσις eſt *varietas flexuſque ſonorum* & luxuria cantus, ſic Διακτορία contrarium eſt, *elata* nempe, *clara ſimplexque pronuntiatio*, ἀπαγγελία: ut ſolent nuntii, quos διακτόρους Græci appellant, qui res non ſolùm ſimpliciter & apertè narrant, ut geſtæ ſunt, ſed etiam clarâ elatâque voce. Niſi forte Διατορίαν apud Theophr. reponere melius. Eſt autem Διάτορον, *rectum, ſonorum, clarum.* Et quidem in tibiarum & aſſæ vocis cantu, qui καμπὰς ſeu flexus affectant ac minuritiones, vocem ſubmittere coguntur, ut eam cum ſpiritu poſſint per varios ſonorum flexus diſpenſare: contrà qui διατόρως & elatè canere volunt, effuſô largiùs ſpiritu tot flexibus laſcivire, tamque variè voce ludere ac luxuriari nequeunt &c. Ad hanc πλάσιν autem non tantùm foraminum numerus conferebat, ſed & lingularum ratio. Quò pluribus enim cavis aperta eſſet tibia, eò & plures animæ flexus dum inſpirabatur, poterat recipere & majorem ſonorum varietatem reddere: quemadmodum & cithara, quò pluribus eſt inſtructa chordis, eò plura ſonorum numerorumque diſcrimina pluresque vocum flexus admiſerit. Unde & Timotheum Mileſium ferre non potuerunt Lacedæmonii, cùm undecim pro ſeptem chordis citharam intendiſſet, & condemnârunt eô nomine, quòd veterem Muſicam corrumperet τὴν πολυφωνίαν εἰσάγων, *varietatem ſonorum introducens.* Sic igitur, cùm à ſimplicitate veteris Muſicæ (in qua tibiæ paucis foraminibus erant apertæ, & dextra quidem Phrygia unô ſolùm, ſiniſtra duobus) receſſerunt, τὸ ποικίλον, καὶ τὸ πολύτροπον καὶ πολυκαμπὲς in omni inſtrumentorum genere, adeo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

deoque & in tibiis, conſectati ſunt: quod *Pollux* Diodoro Thebano, *Athenæus* & *Pauſanias* Pronomo ex eadem gente, *Theophraſtus* verò indidem oriundo Antigenidæ tribuit, qui πολύτρητον κάλαμον, *multiforatilem tibiam*, ut Appulejus reddit, excogitavit primus. Præter numerum verò foraminum, etiam lingulas ad flectendos in tibiis ſonos facere, conſtat ex eodem *Theophraſto*. Apertiores ad id aptiores: antiquitus compreſſiores fiebant, cùm ſoni non flectebantur &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 120. & *ſeqq.* nec non ſuprà, ubi de *Phonaſcis* & *Phonaſcia*.

PLASTÆ, Græcè Πλάσαι, Latinè *Fictores* dicebantur, qui ex argilla ſtatuas, & ſigna faciebant, ſicut qui ex ære *Statuarii* fuſores; qui ex marmore, *Sculptores* Γλυφεῖς; qui ſigilla ex argento in vaſis exprimebant, *Cælatores* Τορευταὶ; qui ex argento cruſtas cælatas argenteis ſcyphis inducebant, *Cruſtarii* &c. Ars ipſa *Plaſtice*, de qua jam.

PLASTICE, Græcè Πλαστικὴ, Ars fingendi ex argilla, gypſo, cera, aliave materia: unde ſimilitudine petitâ de mollibus ac cereis puerorum ingeniis, Horatius, *l.* 2. *Epiſt.* 2. *v.* 8.

——— *Argillâ quidvis imitaberis udâ.*

A Galeno, una cum Graphice ſeu Picturâ, Artibus Liberalibus adnumeratur *in Exhortat. ad perdiſcendas Artes*, cùm poſt recenſitas, Medicinam, Rhetoricam, Muſicam, Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomicam, Grammaticam ac Legum peritiam, addit: Πρόσθες εἰ βούλει ταύταις Πλαστικήν τε καὶ Γραφικήν. εἰ γὰρ καὶ διὰ τῶν χειρῶν ἐνεργοῦσιν, ἀλλ' οὐκ ἰσχύος νεανικῆς δεῖται τὸ ἔργον αὐτῶν, *Adde his, ſi voles, fingendi pingendique artificium: quanquam enim ambo manuariâ conſtent operâ, neutrius tamen exercitatio eget robore juvenili.* Aliis tamen ſola Liberalis eſt Graphice, quæ in tabula penicillô lineas ducit & colores addit, utrique tamen commune, quod de Graphice dicebat Socrates, eam εἰκασίαν εἶναι τῶν ὁρωμένων, *eſſe imitationem ſeu repræſentationem eorum quæ videntur.* Differt autem *Plaſtice*, à Sculptura, quæ facit imagines in ligno prominentes: Statuariâ, quæ idem præſtat in lapide & metallo: Cælaturâ, quæ in ligno, lapide, metallove, imagines facit cavas, ut in annulis ſignatoriis: Fuſoriâ, quæ imaginem è metallo aliave materia fundit, &c. Illa enim prominentes, ſed ex humore cælatis infuſo, imagines efficit. Itaque propriè *Plaſtice* de Arte dicitur, quâ figuli ex argilla vel luto fingunt. Unde laxè admodùm voce hâc utitur Philoſtratus *in Præfat. Iconum*, ubi etiam ad *Plaſticen* revocat Sculpturam in ære, λυγδίνῳ ſive alabaſtro, Pario lapide vel ebore. Quamvis verum ſit, ſtatuas non æneas modò, de quibus Plinius, *l.* 34. *c.* 4. 5. 6. *ſ.* aut marmoreas, de quibus Idem *l.* 36. *c.* 5. 6. 7. ſed etiam, antiquiſſimis nimirum temporibus, figlinas fuiſſe, quibus Idem, *l.* 35. *c.* 12. impendit. Ut verò Cælatura difficilior Sculpturâ eſt, ſic utrâque operoſior eſt *Plaſtice*. Qua de re ſic Cardanus *de Subtil. l.* 17, *Difficilius non paulo eſt cælare, quam ſculpere. Nam qui ſculpunt, quod vident, agunt: qui cælant, aliud vident aliud agunt; & dum vident, non agunt, dum agunt: non vident*, &c. Et poſteà *Plaſtice verò pura omnium eſt difficilima præter Picturam: nec tamen illâ inferior, niſi à Sculptura juvetur. Nam quidquid difficultatis habet, qui cælat, id totum, & præter id & materiæ diſpoſitionem & ſcientiam temperamenti ignis & multorum caſuum periculum, imò innumerabilium, qui fingit, habet. Ex cælatis enim priùs figuris, finguntur humore priùs infuſô ſtatuæ. Quamobrem qui non rectè cælaverit, quomodo rectè finget?* Antiquitatem Artis innuit Euſebius *in Chron.* Epiphanius item, *Panarii l.* 1. juxta quos ambos Thara, Pater Abrahami fuit πηλουργὸς καὶ πλάστης, *Imaginum ex luto fictor*: Abrahamque ejus Deos accendiſſe fertur. Imò Seruch jam Abrahami avus, narrante *Cedrenô*, πρῶτος τοὺς πράξαντάς τι ἀνδρεῖον ἀρετῆς καὶ μνήμης ἄξιον ἀνδριᾶσι στηλῶν ἐτίμησε, *Primus eos, qui memorabile aliquid ex virtute egiſſent, ſtatuis honoravit*: quas primis ſeculis fictiles fuiſſe certum eſt. Sed ab ipſis mundi incunabulis coævam *Plaſticen* arguit, quòd ipſe Deus; *hominem de pulvere terræ finxit*, Geneſ. *c.* 2. *v.* 7. ipſeque proin ſe *Plaſtæ* ſeu Figulo comparat, Jerem. *c.* 18. *v.* 2. 3. 4. 5. 6. hincque ὁ Πλάσας, nos verò πλάσμα ejus dicimur, Romanor. *c.* 9. *v.* 20. unde ſimul magna Arti dignatio. Ex creta primus Dibutades Sicyonius, Corinthi, ubi artem exercuit, fingere docuit primuſque perſonas tegularum extremis impoſuit imbricibus, Pliniô teſte, *l.* 35. *c.* 12. Lyſiſtratus verò, itidem Sicyonius, Lyſippi Statuarii frater, primus ſtatuas è gypſo finxit crevitque res in tantum, ut nulla ſigna ſtatuæve ſine argilla fierent, apud eund *ibid.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *l. de* 4. *Artibus Popular. c.* 5. §. 1. 22. 23. Item *de Philoſophia*, *c.* 16. §. 32. 33. ut & ſuprà, in voce *Pictura*. Adde Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 14. *c.* 37. & Plin. inprimis *l.* 35. *c.* 12. *ubi de Plaſtices primis inventoribus, de ſimulachris fictilibus variis ac pretiis eorum, prolixè agit.* Hinc *Plaſtæ* faſtigia templorum, apud Plinium, *d. l.* Vide infrà *Tegulæ*.

Celebres quidam Plaſtæ, ex Plinio.

α. Arceſilaus, L. Luculli familiaris, Venerem Genitricem in Foro Cæſaris fecit. Eidem à Lucullo HS. LX. ſignum Felicitatis locatum, cui mors utriuſque invidit. Ejus proplaſmata pluris venire ſolita Artificibus ipſis, quàm aliorum opera, tradit *M. Varro*. β. Chalcoſthenes, cruda opera Athenis fecit, ubi locus ab officina ejus *Ceramicus* dictus eſt. γ. Damophilus, inter laudatiſſimos *Plaſtas*, qui ſimul & Pictor: Hic unà cum Gorgaſo Cereris ædem Romæ ad Circum Max. utrôque genere artis excoluit, verſibus inſcriptis Græcè, quibus ſignificabatur, à dextra opera Damophili eſſe, à parte læva Gorgaſi. Ante quam ædem Tuſcanica omnia in ædibus fuiſſe, auctor eſt *Varro*. δ. Dibutades, Corinthi, filiæ operâ ex argilla ſimilitudines fingere primus invenit. Illa enim capta amore juvenis, hôc abeunte peregrè, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumſcripſit: quibus Pater impreſſâ argillâ typum fecit & eum cæteris fictilibus induratum igni propoſuit; Hic ſervatus in Nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret. Ejuſdem inventum eſt, rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere, &c. ε. Eucherus Corinthius & Eugrammus, Demaratum Tarquinii Priſci Regis patrem, Corinthô profugum, comitati, primi Italiæ *Plaſticen* tradiderunt. ζ. Eugrammus, vide hîc *Eucherus*. η. Gorgaſus. *Plaſtes* ac Pictor laudatiſſimus. Vide paulò ſuprà *Damophilus* θ. Lyſiſtratus, hominis imaginem gypſô è facie primus omnium expreſſit, ceráque in eam formam gypſi infuſâ emendare inſtituit. ι. Paſiteles *Plaſticen* matrem Statuariæ, Scalpturæ & Cælaturæ eſſe dicens, cùm in his omnibus ſummus eſſet, nihil tamen unquam fecit, antequam finxit. κ. Poſis Varronis ætate, fecit Romæ uvas; Item piſces, ut non eſſet adſpectu diſcernere à veris. Varronis familiaris. λ. Rhœcus & Theodorus in Samo primi omnium, ut nonnullis placet, *Plaſticen* invenerunt; multò ante Battiadas Corinthô pulſos. μ. Turianus à Fregellis accitus eſt, cui locaret, Tarquinius Priſcus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilis is fuit & ideo miniari ſolitus; fictiles quoque in faſtigio templi ejus quadrigæ. Idem Herculem fecit; qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet, Plin. *loc. cit*, Cæterùm Samia in eſculentis etiam Plinii ævô laudata: in calicibus Aretina: Surrentum quoque, Aſta, Pollentia, in Italia; Saguntum in Hiſpania, in Aſia Pergamus famam hâc arte meruêre. Habuêre & Tralles ſua opera, & Mutina; Cois tamen laus maxima. A luxu porro quanta figlinis auctoritas contigerit; Vide ipſum Auctorem.

PLATA, ſeu *Provincia de Rio de la Plata*, Provincia Peruviæ, in America meridionali, anteà *Chuquiſaca* dicta, ingentibus excelſiſque rupibus ſepta, innumeris irrigatur fluviis, à meridie Chinâ terminatur, Chilienſes Occiduum latus tenent, ſeptentrionem Braſilia & Charchantes claudunt, oriens oceanô finitur. Ipſe *Platanus* fluvius, incolis *Paranaguazu*, è maximis totius mundi, in Charchantibus ortus, magnis Mæandris effectis, prope Ningatam, in Patana ſeſe exonerat. Americus Veſputius primus mortalium ad hujus *Argyrei*, ſive *Plata* fluvii portum delatus eſt, *Metel.* Vide *Argentea*. Item urbs Americæ Meridionalis in provinc. *de los Charcas*, cum Archiepiſcopatu à Paulo V. fundato. Ampla, opulenta & argenti venis inclyta: unde & nomen illi. Vide Morerium *Dictionario Hiſtorico*. A voce Hiſpan. *Plata*, i. e. *argenteum metallum*; quæ etiam vox apud Latinos Scriptores recentioris ævi occurrit, pro *auro argentoque infecto*, in laminis adhuc exiſtente, neque dum in vaſa aut monetam conflato. *Lateres aureos & argenteos* vocat Varro *de Vita Pop. Rom. l.* 3. apud *Nonium*: πλίνθους χρυσοῦς, *Herodotus*, ubi de Crœſo &c. Sed & *Plata* in genere, *laminam metallumque* quodvis notat; in laminas deductum, unde quidquid planum eſt, etiamnum Germani Gallique *plat* dicunt. Maximè verò ſic Galli appellabant arma ex laminis ferreis confecta, cujuſmodi habuiſſe Sarmatas, ſcribit Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 79. *Squaoſas veſtes ferri* vocat Alb. Aquenſis, *l.* 3. *c.* 63. imitatus Virgilianum illud, *l.* 9. *Æn. v.* 707.

Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro &c.

Vide infrà. Et præſertim chirothecas ferreas eôdem modô factas, uti videre eſt apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PLATÆA, Inſul. Africæ, à Cyrenæis poſſeſſa & condita, ad quam ab Heſperidibus, Orientem verſùs, agrum Cyrenenſium σιλφιοφόρον, i. e. *laſerpiciferum*, *Theophraſtus*: ab ore Syrtis majoris porrigi, tradit Herodot. *l.* 4. Παρήκει δὲ ἀπὸ Πλατέης νήσου μέχρι τοῦ στόματος τῆς Σύρτιος τὸ σίλφιον. Vide voce *Platea*, it. hîc infrà.

PLATÆA, inſul. maris Ægæi, una Sporadum, ab Aſtypalæa 60. mill. paſſ. *Placeda* vulgò. Item inſula Cyrenaicæ ante Cyrenen, Herodot. *l.* 4. Vide ſuprà. Cujus cives *Plateenſes*, & regio *Plataica* dicitur, teſte *Stephanô*. Cæterùm à *Plateis* Bœotiæ, quas Homer. ſingular. numerô Πλάταια vocavit, *Il.* β. *v.* 504. ſimiliter *Plateis*, vel *Plataatis*. *Nic. Lloyd.*

PLATÆÆ, *arum*, civitas Bœotiæ, templô Jovis Liberatoris celebris, ſub Cithærone monte, non longè à Thebis, *Steph.* Dicta à *latitudine* remorum. Non procul ab hac urbe Pauſanias & Ariſtides Mardonium, Xerxis ducem & conſobrinum, ſuperaverunt, Olympiad. 75. Sub initium belli Peloponneſiaci a Thebanis capta eſt, quibus perfidiâ incolarum occiſis, ab illis deſtructa eſt. Idem paſſa eſt à Lacedæmoniis. Thucyd. *l.* 2. Pauſan. *in Bœot. Strabo.*

PLATÆÆ, inſulæ tres parvæ ante Troadem urbem Myſiæ apud Aſcanias.

PLATAGE, inſul. inter Eubœam & Andrum, quondam, *Patage*, nunc *Amorgos* appellatur, Plin. *l.* 4. *v.* 12. Vide *Mergo*.

PLATAMODES, locus Peloponneſi à Coryphaſio 120. ſtadiis diſtans, *Strab.*

PLATANÆUS, Bithyniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

PLATANISTUS, Peloponneſi promontor. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Eſt & Arcadiæ fluv. *Steph.* Et Æolidis promontor *Plin.* Item Pamphyliæ aut Ciliciæ maritimus locus *Straboni*.

PLATANIUS, Bœotiæ flumen, Pauſan. *in Bœotic.*

PLATANUS, urbs Phœniciæ, *Steph.* Mediterranea inter Antiochiam magnam 25. & Laodiceam 40. mill. paſſ. *Antonin.*

PLATANUS, umbræ gratiâ Romanis ex Orbe alieno petita eſt. Qua de re Plin. *l.* 12. *c.* 1. *Platanus*, inquit, *hæc eſt per mare Ionium in Diomedis Inſulam ejuſdem tumuli gratiâ primùm, invecta, inde in Siciliam tranſgreſſa atque inter primas donata Italiæ: & jam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Dionyſius prior Siciliæ Tyrannus, Rhegium in urbem tranſtulit eas, domui ſuæ umbraculum, ubi poſteà factum Gymnaſium: nec potuiſſe in amplitudinem adoleſcere, & raras fuiſſe in Italia, nominatim in Adria apud Auctore*

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

res invenitur. Hoc actum circa captæ Urbis ætatem: tantumque poſteà honoris increvit, ut merô infuſô enutriantur: compertum id maximè prodeſſe radicibus docuimusque etiam arbores vina potare. Celebratæ ſunt primùm in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum 36. Nunc eſt clara in Lycia gelidi fontis ſociâ amœnitate itineri appoſita, domicilii modô cava 80. atque unius pedum ſpecu, nemoroſô vertice & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens umbris: ac ne quid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxea intus crepidinis corona muſcoſos complexa pumices ſtat digna miraculô: L. Mutianus ter Cos. & nuper provinciæ ejus Legatus prodendum etiam poſteris putavit, epulatum intra eam ſe cum duodevicesimo comite largè ipſâ toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem, quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium aurô cubuiſſe in eadem. Aliud exemplum Caji Principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata laxisque ramorum trabibus ſcamna patula & in ea epulati, cùm ipſe pars eſſet umbræ 15. convivarum ac miniſterii capace triclinio, quem nidum ille appellavit: Eſt Gortynæ in Inſul. Creta juxta fontem Platanus *una inſignis utriuſque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens* &c. Et paulo poſt, *Inde in Italiam quoque ac ſuburbana ſua Claudio Principe Marcelli Eſernini libertus, ſed qui ſe potentiæ causâ Cæſaris libertis adoptâſſet, ſpado Theſſalicus prædives, & meritò quoque dici poſſet is Dionyſius, transtulit id genus: Durantque etiam in Italia portenta terrarum, præter illa ſcilicet quæ ipſa excogitavit Italia.* In eundem luxum, quippe *non alia major arboris commendatio eſt, quàm Solem æſtate arcere, hyeme admittere*, Idem *ibid.* facundè invehitur. Horatius, *l. 2. Carm. Od. 15. v. 4.*

——— ——— Plantanusque *cælebs*
Evincet ulmos.

Juvenalis quoque, *Sat. 1. v. 12.*

Frontonis Platani, *convulſaque marmora clamant.* &c.

Quod autem de vino dicit Plinius, Hortenſii inventum eſt, quem in Tuſculano *Platanos* habuiſſe, easque vinô irrigare conſueviſſe, refert P. Ramus *in Cicerone.* Vide præterea Phædrùm Platonis, de *platano Socratis.* Sed ante hos omnes, Xerxes in Lydia *Platanum* inſignem, monili aureô donaviſſe & cuſtodiendam uni ex immortalibus mandaviſſe, legitur apud *Herodot.* Vide quoque *Ælian.* Nec potantibus autem ſolùm epulantibusque, ſed & ſacrificantibus, ob umbram, placuiſſe, diſcimus ex Homero, *Il. β. v. 307.*

Ἕρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας
Καλῇ ὑπὸ πλατανίςῳ.
Integras Immortalibus (Diis) *faciemus hecatombas,*
Pulchra ſub Plantaniſto.

Qui primus ejus uſus ſine dubio fuit, in luxum poſteà mortalium vanitate verſus. Vide quæ in Horatii *locum* Chabotius & in Plinium Dalechampius pluribus ſunt commentati: aliquid etiam infrà voce *Xyſti.* Folio *Platani* Peloponneſum aſſimiliari à *Solino*, dicemus infrà, voce *Receſſus.*

PLATE, inſula ante Troadem, Plin. *l. 5. c. 31.*

PLATEA, Latinum nomen pelecani avis, quô vel ſolô, falſi arguitur id, quod non pauci Auctores de eo memoriæ prodiderunt, occidere nempe eum natos ſuos eoſque per triduum lugere, deinde ſe ipſum roſtrô vulnerare & aſperſione ſui ſanguinis revocare ad vitam. Unde Epiphanii Phyſiologus, *c. 8.* Ἐςι γ᾽ ἡ πελεκᾶν φιλότεκνον ὄρνεον παρὰ πάντα τὰ ὄρνεα, *Præ omnibus volucribus pelecanus eſt prolis amans.* Addit, parvulos à matre nimiis oſculis ſauciatos emori, ſed poſt triduum matrem accedere, qui doloris impatiens κολαφίζει τὴν ἰδίαν πλευρὰν καὶ ὀπὰς αὐτῇ ἐμποιεῖ καὶ καταῤῥεῖ αἷμα, ἐπιςάζων ἐπὶ τὰς πληγὰς τῶν τεθνηκότων νεοσσῶν καὶ οὕτως ζωοποιοῦνται, *Proprium latus percutit, & terebrat, emanatque ſanguis, quem ſuper mortuorum vulnera inſtillat & illis ſic vita reſtituitur.* Idem fermè ſcribunt Euſtathius *in Hexaëmero*, Auguſtin. *in Pſalmum* 101. Gregorius ad Philoſophos provocans, Iſidor. *Origin. l. 12. c. 7.* Pſeudo-Hieronym. *l. de Cereo Paſchali*, Petrus Damianus, *l. 2. Epiſt.* 18. Vincentius in *Doctrinali, l. 16. c. 166.* Michaël Glycas, *Annalium l. 1.* atque alii ſine numero. E quo fonte quoque error Pictorum ſcaturiit, qui pelecanum nobis exhibent acutô roſtrô ſauciantem pectus aut latus & pullos magnô hiatu effluentem inde ſanguinem excipientes. Sed, ut alia omittam, non eſt adunci, verum latiſſimi roſtri, hæc avis inde etiam apud Latinos nomen adepta, à Græco πλατὺς: quare impoſuit Viris ſanctis, quisquis primus hanc fabellam mendaciô ſuô adornavit. Vide ſuprà in voce *Pelecanus.* Aliàs *Platea*, via latior eſt fereque militaris, quæ prætoria conſulariſque dicitur, apud Bartholum, *in l. qui ſellam ff. de ſervitut. ruſt. præd.* Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* In his Placita olim conventusque omnium totius Regni Ordinum nonnunquam haberi conſueviſſe, diximus ſuprà. *Plateas* Palatii magnâ luxuriâ ſtraviſſe Heliogabalum, legimus apud Ælium Lamprid. in *Vita* ejus, *c. 24. Stravit & ſaxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis* plateas *in Palatio, quas Antoninianas vocavit, quæ ſaxa usque ad noſtram memoriam manſerunt, ſed nuper eruta & exſecta ſunt* &c. Apud Gregorium Turon. *Hiſtor. l. 2. c. 31.* ubi de Baptiſmi Chlodovei ſolemnibus, *Velis depictis adumbrantur* plateæ *Eccleſiæ, curtinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur* &c. *Plateas Eccleſiæ*, porticus interiores interpretatur Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, ubi de *Vicis* & *Viis*: *uti* de *Presbyteris plateæ* apud Hebræos, infrà voce *Presbyter.*

PLATEA, inſula in mari Ægæo, quæ & *Paros*, & *Minois* dicitur. Item inſul. Libyæ. Gentile *Plateates*, & *Plateites.* Steph.

PLATEIS, inſula juxta Lyciam, Idem.

PLATERUS Thomas, Sedunus, Eccleſiæ, Scholæ, R. P. Q. Baſil. Seminario pari fide & dexteritate præfuit, annos plus minus 38. Obiit A. C. 1582. octogenariô major, pater Felicis & Thomæ, de quibus infrà.

PLATERUS Felix, prioris fil. Archiater Baſilienſis, per Ann. 57. Academiæ per Annos 43. Medicinæ Profeſſor celeberrimus, ſextùm Rector. Natus eſt Baſileæ A. C. 1536. quô ipſô annô Eraſmus Roterod. ibidem mortalitatem explevit: ad Medicinam animô applicatô, tantum profecit, ut non ſolùm Patriæ ſalutaris, ſed & Chriſtianiſſimæ Catharinæ, magni Henrici IV. Galliæ Regis ſorori unicæ, Saxonicis item, Lotharingicis, Brandenburgicis, & Wirtenbergicis Principibus gratiſſimus fuerit. Extant ejus *de partium corporis humani ſtructura & uſu libri 3. tabulis explicati & Iconibus illuſtrati, in fol. Baſileæ per Ambr. Frobenium,* A. C. 1583. *de Febribus, Praxis Medica,* quæ omnium manibus teritur, &c. Obiit A. C. 1614. ætat. 77.

PLATERUS Thomas, Felicis frater; itidem celebris in Baſilienſi Academia Medicinæ poſt eum Profeſſor. Pater alterius *Felicis*, qui natus A. C. 1605. ſimiliter Baſilienſis Archiater famigeratiſſimus, Logicam primò, dein Phyſicen in Academia Patria, ultra 20. annos magna cum fide docuit; Poſteà in ampliſſimum Reipublicæ Senatum allectus, prudentiæ, pietatis, animique à ſeculi ſordibus abhorrentis, clariſſima edidit ſpecimina: Poſt Patrui hic *Praxin* illuſtri acceſſione locupletatam, aliosque egregios ingenii fœtus ad prælum paratos, obiit ſexagenariô major, A. C. 1671. *Platerorum* gloriæ S.

Stat Pietas invicta Polo, ſed dedita cunctis
Fama triumphali vos vehit axe plagis.

Ejus ex Felice fil. nepos, Franciſcus eſt, Artium ac Medicinæ itidem Doctor, qui, natus A. C. 1645. dignum ſe nominis & gloriæ Majorum hæredem exhibet, Summis pariter imisque, quibus dextre ac feliciter Medicinam facit, gratus. Edidit denuo *Obſervationum Felicis Plateri Sen. libros tres, totidem Praxeos ejus tractatibus reſpondentes*; poſtquam binis jam vicibus in publicum prodiiſſent: cum *Felicis Plateri Junior.* Patris ſui *Selectiorum Obſervationum Mantiſſa, Baſileæ, A. C.* 1680.

Et ſic clara legens magni veſtigia Patris,
Porrò Felices reddere pergit Avos.

Muſæum *Platerianum* à Felice Seniore collectum, juxta varios rerum naturalium gradus pulcherrimô ordine diſpoſitum, continet præter lapidum, mineralium, concharum, ſeminum genera penè innumera, herbas vivas in octo Librorum volumina mirabili induſtriâ digeſtas, & icones variorum piſcium, avium ac quadrupedum aliquot libris ad vivum depictas, etiam partes quaſdam animalium notâ aliquâ inſignes, corpora ſceleta, aliaque ad rem medicam ſpectantia, denique exotica, multa etiam ab Indis petita, toreumata resque alias mirô artificiô elaboratas.

PLATIÆ, inſulæ parvæ Creticæ ante Sammonium promont. Plin. *l. 4. c. 12.* In ora Orientali Cretæ, nunc forſan *Dielaſſa* & *Cardes.*

PLATINA, Veronenſis, homo doctus, & antiquitatum ſtudioſus; ſcripſit de vita & moribus Pontificum Romanor. usque ad Paulum II. Prænomen ei Bartholomæus fuit. Romæ floruit, ubi à Paulo IV. male habitus & in carcerem quadrimeſtrem conjectus; ſub Sixto II. Bibliothecæ Vaticanæ præfuit. Obiit ibidem peſte, A. C. 1481. ætat. 60. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 7.* Geſner. *in Biblioth.* Paul. Jov. *in elog. c. 9.* Leander Albert. *in deſcript. Veronæ.* Volaterran. *anthrop. l.* 21. Bergom. *in ſupplem. Chron.*

PLATINA, vulgò *Piadena*, pagus agri Cremonenſis in via inter Cremonam & Mantuam, mediô ferè itinere, Bapt. Platinæ, vitarum Pontificum ſcriptoris, Patria. *Lloyd.*

PLATO, Philoſophus inſignis, ſectæ Academicæ princeps, Ariſtonis & Parectoniæ fil. ex humerorum *latitudine* ſic dictus, cùm antea ex avi nomine *Ariſtocles* vocaretur. Hic adhuc adoleſcens palæſtrâ ſe exercuit; picturæ operam dedit, Tragœdiasque & poëmata quædam conſcripſit. Poſt hæc ad Socratem ſe contulit, ſub quo brevi tantum in philoſophia profecit, ut non immeritò *divinus Plato*, & *Philoſophorum Homerus* fuerit appellatus. Etiam Megaram ſe, ut Euclidem; Cyrenem, ut Theodorum Mathematicum; in M. quoque Græciam, ut Philolaum & Eurytum, Pythagoricos, ſibi conciliaret, contulit. Vide infra. Is quod ad Dialecticam pertinet, primus res ipſas diſtinxit, quô modô plurimas, quas habuêre antiqui, dubitationes, ſuſtulit. Fuit varius, multiplex, ac tantæ eloquentiæ, ut Jovem (ſi Græcè voluiſſet) Platonicè loquuturum philoſophi dicerent. Peccat autem eô, (inquit) Voſſius quòd multùm gaudet metaphoris, iisque non verecundis, ſed audacibus, & planè poëticis, atque φορτικαῖς: Philoſophiæ ſiquidem magis convenit dictio propria, aut tralationes receptæ, & uſitatæ. Ad poëticam autem dictionem prope accedere Platonem, non Ariſtotelis modò judicium eſt, ſed & Dionyſii Halicarneſſenſis. Imò in dialogis ſuis poëticè magis loquitur, quàm Comœdia facit, ut multos ſenſiſſe, teſtis eſt Cicero *in Bruto.* Athenis, uti diximus, primùm Socrati dedit operam; deinde cùm licuit per ætatem, in Italiàm profectus eſt, ut Pythagoreos audiret, ubi Philolai Crotoniatæ librum, de ſecta Pythagorea, centum minis etiam in rei familias difficultate mercatus eſt, ex quibus multa in ſuum Timæum tranſtulit. In Ægyptum deinde properans, oleum ſecum mercaturæ gratiâ vexit, ut viatico ſuppeditaret, ubi libros Moſis legiſſe creditur. Etiam in Indiam cogitaverat, ut ibi cum Gymnoſophiſtis colloqueretur, ſed Aſiaticis bellis inhibitus eſt. Athenas reverſus eſt, in Academia docuit: Phyſicam quidem, ſecundùm Heracliti: Logicam, Pythagoræ; Ethicam verò juxta Socratis mentem: Philoſophiâ ſic à tribus excellentiſſimis Græciæ Philoſophis mutuatâ. Conſiſtebat autem illa in *Dialogis* 10. in quibus ſub Socratis, & Timæi, ſuam: ſub Gorgiæ verò & Protagoræ nominibus, aliorum ſententiam exponit. Credidit in unum Deum, cui tamen Dæmones & Heroas aſſociat: & dolet Tertullianus *tractat. de anima*, omnes hæreticos è dialogis ejus de

de Republ. & Ideis ſubſidia errorum mutuatos eſſe, *hæretica Idearum ſacramenta*, illas propterea vocans; additque *in Ideis Platonicis Gnoſticorum hæretica ſemina relucere.* Fatendum tamen, primos Eccleſiæ Patres ferè omnes Platonicos fuiſſe, hujuſque Philoſophiam reliquis omnibus antetuliſſe. Scribit quoque Auguſtin. *l.* 7. *Confeſſ.* libris ejus utiliter ſe ad intelligentiam variarum veritatum Orthodoxarum uſum fuiſſe, ibique fermè totum Euangelii Johannis initium ſe reperiſſe. Imò Juſtinus Martyr, Clemens Alexandr. Euſebius, alii, ipſum de Trinitate aliquam quoque notitiam habuiſſe crediderunt, &c. & *Moſes Atticus*, à Numenio Pythagorico, dictus eſt. Clem. *l.* 1. *Strom.* Ter in Siciliam navigavit, primùm Ætnæ flagrantis viſendæ gratiâ, ut Apulejus ait: Reverſus, apud Æginam captus eſt à piratis, ac minis 30. venundatus; deinde à Nicete Cyrenæo redemptus. Iterum rediit, ſub juniore Dionyſio, ſpe liberandi Siciliam. Sed paulo poſt, expulſô Dione, & ipſe ſuſpectus remigravit. Tertiò cùm maximè nollet, rogatus ab Archyta, ut Dionem tyranno reconciliaret, iter ingreſſus, ab eodem Dionyſio obviam procedente, quadrigis exceptus eſt. Demum in ſuſpicionem veniens, vix rogante, & ſpondente pro eo Archytâ, dimiſſus. An. ætat, 81. placidiſſimô deceſſit obitu, die natali, Olymp. 108. ante Chriſtum Natum 347. vel 348. ut *Cicero* & *Seneca* tradunt, ut *Laërt.* verò, in nuptiis diſcumbens. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 4. *v.* 3.

Pythagoram, Anytique reum, doctumque Platona.

Plin. eum *ſapientiæ antiſtitem* vocat. *Sublimis apex philoſophorum & columen* dicitur Arnobio, *adverſus Gent. l.* 1. Quin & Cicero philoſophorum aliquem laudans, *ſemper*, inquit, *excipio Platonem.* Cùm parvulus aliquando dormiret, apes, facundiæ omen, in labellis ejus conſederunt. *Philoſophorum quis dubitet Platonem eſſe præcipuum, ſive acumine differendi, ſive eloquendi facultate divinâ quâdam & Homericâ? Multum enim ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit: ut mihi non hominis ingeniô, ſed quôdam Delphicô videatur oraculô inſtructus.* Ita de eo Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. Vide Beſſarionem quoque *in Calumn. Plat.* Marſilium Fic. *in Phil. Plat.* Voſſ. *de Sectis Phil. c.* 12. *Meurſium, &c. Lloyd.*

PLATO, alter Athenienſis, poëta priſcæ Comœdiæ, tempore Ariſtophanis, cujus fabulas *Pollux*, *Suidas* & *Athenæus* commemorant. Item alius Poëta. Tres item alios Diog. Laërt. recenſet: unum Rhodium Philoſophum, diſcipulum Panætii: alium Peripateticum, de ludo Ariſtotelis: tertium Praxiphanis diſcipulum. Vide Laërt. *in Plat. l.* 3. Athen. *l.* 4. 6. 7. 10. Jul. Pollucem, *l.* 6. *c.* 33. *l.* 7. *c.* 29. *l.* 10. *c.* 24. *&c.* Alius denique Martyr, qui, pro fide Chriſtianâ, imperante Maximinianô, paſſus eſt, paternamque hæreditatem, dum viveret, pauperibus eſt largitus.

PLATO Athenienſis, qui ſupplementum militum, peditum quinque millia, equites mille Alexandro M. in Mediam adduxit, Curt. *l.* 5. *c.* 7.

PLATO, Caſtellum in Amurgo, ſeu Mergo, Inſula.

PLATOMA, nomen apud hodiernos Græcos octo partium, ſeu regionum, in quas Urbs Athenarum diviſa eſt. Harum I. *Placa* dicitur. II. *Sotiras tou Cotaki.* III. *Monocaluſtis.* IV. *Roumbi.* V. *Boreas Platoma*, verſùs Boreale Urbis latus. VI. *Pſiri Platoma.* VII. *Gerlada.* VIII. *Agioi Colymboi* ſeu *Olympoi*, Eleuſinem Templumque Theſei verſùs, uti habet Jac. Sponius *Itinerar. Part.* 2. *p.* 247. & 248. Aliàs *Platoma*, apud medii ævi Scriptores, idem cum *Platonia*, de qua jam.

PLATONIÆ, vel PLATUNIÆ, ita enim apud *Agrimenſoriæ* Auctores, ubi habent: *Termini ſunt majores, qui juxta flumina poſiti ſunt, menſales vocantur. Alii baſes eos dicunt, alii autem tetrametra, quibus conſtant menſulæ, quæ trapedia vocantur —— & in modum* platumæ *eos poſuimus, ut qui neſciunt, miliarios eos putent*; legi jubet Salmaſ. Græcis enim πλατῶνες & πλατωνίαι ſunt; ſuntque marmora in tabulas diſſecta: Hæc enim cùm majoris ſint pretii, quàm cœteri lapides, non quadrata, ſed in tabulas diſſecta vulgô in opus mitti ſolent. Meminit *Platoniarum* Anaſtaſius de *Vitis* Pontificum: *Hic ſacer Antiſtes per ipſas columnas lilios poni fecit & ſuper ipſos lilios ex metallis marmoreis* platonias *poſuit, diverſiſque picturis miræ magnitudinis opus ornavit.* Idem *in Sixto III. Cancellos argenteos ſupra* platonias *porphyreticas penſan. libras trecentas.* Item paulò pòſt, *Hic fecit* platoniam *in cimeterio Calixti via Appia, ubi nomina Epiſcoporum & Martyrum ſcripſit, cum memoriis.* Vide eundem *in Liberio* & *Damaſo*: Adonem Viennenſem in *Chron.* Hieronym. Rubeum *in Hiſtor. Ravenn.* Alios. *Platoma*, pro *Platonia* dicit Ordericus Vitalis, *l.* 1. *p.* 357. ut & Sim. Dunelmenſis ac Rogerus A. C. 749. *Placoma* editur apud Adonem in *Martyrol.* in *Damaſo* Pontific. ſed perperam; unde quidam legendum putârunt *placoton*, ut Baronius A. C. 384. *n.* 17. & ex eo Cæſar Bulengerus, qui *platonias* fuiſſe cenſet, loca marmorum cruſtis inducta aut pavimenta teſſellatis emblematis & inſertis variata, quæ Græci πλακωτὰ vocant: Sed etſi πλακωτὸν ex marmoribus ſit confectum, *platonia* ab eo aliud quid eſt denotatque quamvis marmoream tabulam: *Platen* in *Chron.* Markano Leowoldi Northowii A. C. 1222. Namque ibi Goldaſtus *platonias* interpretatur, docetque Germanos vocare *platten*, lapides cæſos in formam orbicularem aut quadratam: Vide Octav. Ferrarium *in Orig. Ital.* voce *Piaſtra*, Claud. Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Antonino Pio*, *c.* 9. & Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà in voce *Platycerotes.*

PLATONICI, poſt ſæpius variatam Academiam, (cui omnium ſententiâ triplici, Veteri, Mediæ ac Novæ, quidam quartam ac quintam addunt, qua de re ſuprà in voce *Academia*) pro *Academicis*, ſubſequenti ævô, dici maluêre, qui Platonis dogmatibus inſiſterent Philoſophi. Ac creditur hoc nomen Alexandriæ cœpiſſe, ubi, reſuſcitata primò vetus Academia fuit; quòd *Academici* nomen antiquum eſſet maximeque Arceſilæ ſectatoribus tribui ſoleret: ipſi autem Platonis exemplô certa quædam dogmata tuerentur. Tales è Latinis fuêre *Appulejus* & *Chalcidius*; quorum ille memoratus Auguſtino, *de Civ. Dei, l.* 8. *c.* 12. de *dogmate Platonis*: iſte *Commentarium in Timæum*, ſcripſit. E Græcis verò, præter eos, qui vel Judaicam Religionem amplexi ut Philo; vel Chriſtianam: maximum nomen eſt Plotini, Porphyrii, Jamblichi & Procli. Ac Plotinus quidem Lycopoli natus, civitate Ægypti, qui floruit ſub Gallieno Cæſare ac deinceps, cùm alia tum 54. libros reliquit, in Enneadas diviſos: diſcipulus Ammonii, Amelii Præceptor. Porphyrius Amelii, ut & Plotini, diſcipulus, temporibus vixit Aureliani, ac pervenit uſque ad tempora Diocletiani, gente Tyrius & patriâ linguâ *Malchus* dictus; de quo multa ac præclara L. Holſtenius. Jamblichus diſcipulus fuit Porphyrii, ac temporibus claruit Conſtantini M. liberorumque ejus atque etiam Juliani. Natus fuit Chalcide Syriæ: ejuſque *de vita Pythagoræ* volumen, & *duas ad Philoſophiam Orationes Protrepticas*, primus Græcè evulgavit Joh. Arcerius Friſius. Ejuſdem ſectator optimus Syrianus fuit Alexandrinus, qui vixit circa A. C. 470. inque totum Homerum, & *l.* 4. *in Remp. Platonis*, ſcripſit, teſte Suida. Proclus, Syriani hujus diſcipulus, claruit A. C. 500. Præceptori ſucceſſit in Schola, uti ipſi Marinus. Extant ejus *ſex libri de Philoſophia Platonica*, qui Hamburgi primùm prodiêre A. C. 1618. Item ſuperſunt *Commentarii in Timæum* & *libros de Rep.* Scripſit quoque *de Orphei, Pythagoræ ac Platonis conſenſu in Oraculis l.* 10. aliaque *Suidæ* non indicta. Ex quo etiam cognoſcimus, quàm Chriſtianis fuerit infeſtus: ut qui pòſt, à Porphyrico ſecundus, *adverſùs Chriſtianos* libros ediderit. Maximus quoque Tyrius *Platonicus* fuit; quem Commodi Principatu vixiſſe, teſtis eſt *Suidas.* Illum primus Latinè reddidit Coſmus Pactius, Florentiæ natus amitâ Leonis X. Præſul Cathedralis in patria Civitat. Eccleſiæ. Quam tamen verſionem innumeris locis expurgavit Dan. Heinſius, & Commentariô illuſtravit. Nec Alcinous prætereundus, cujus extat *Epitome Philoſophiæ Platonicæ*, verſa à Ficino, emendata ac inſigni Commentariô illuſtrata à Jac. Carpentario Claromontano Bellovacenſi. Quando vixerit, incertum. Euſebius *de Præp. Euangel. l.* 11. bonam hujus opuſculi partem citat, ſub Didymi nomine, qui ex Alcinoo locum illum fortè deſcripſit. Etiam Proavorum ævô fuêre duo præſtantes Platonici, Beſſario Cardinal. & Gemiſtus Pletho: Quorum is *libros* 4. *adverſùs calumniatorem Platonis*, (ita vocat *Georgium Trapezuntium*) edidit, ab Aldo avo evulgatos: hujus extat liber *de differentia inter Platonem & Ariſtotelem*, Latinè editus, Baſileæ, aliàs Græcè evulgatus: in quo oſtendere conatur, ſemper Principatum inter duos hos Philoſophos obtinuiſſe Platonem, nunquam verò Ariſtotelem, uſque ad tempora Avenrois. Latinorum, qui circa ea tempora vixerint: nullus operam magis laudabilem Platoni & ejus Philoſophiæ impendit, quàm Marſilius Ficinus, qui vertit Platonem, vertit item Plotinum, quem etiam inſigni Commentariô illuſtravit. Sed & Jamblichum de Myſteriis Ægyptiorum, Pſeudo-Dionyſium Areopagitam, aliorumque *Platonicorum* ſcripta Latinè reddidit. Hodie non ullibi major *Platonicæ* Philoſophiæ, quàm in M. Britanniæ Academiis, dignitas auctoritaſque eſt. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophorum Sectis, c.* 16. & Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſ. l.* 7. *c.* 8. ubi eos pleraque cum Pythagoreis communia habuiſſe, præcipuè inambulationibus delectatos fuiſſe, utriuſque ſexus Auditores habuiſſe, per Dialogos diſſeruiſſe ac obſcuram docendi Methodum adhibuiſſe, contendit. Idem *l.* 5. *c.* 4. ex nimia Philoſophiæ hujus inter Chriſtianos æſtimatione graviſſimos in Eccleſiam errores irrepſiſſe, eruditè oſtendit. Namque & Juſtinus Martyr, nimiâ *Platonicorum* reverentiâ adductus, Socratem μετὰ τοῦ λόγου vixiſſe, *Apolog. ad Anton.* & ἀπὸ μέρους Chriſtum agnoviſſe *Apol. ad Senat.* dictitavit: & Dionyſius Areopagita (utamur enim nomine receptô) non aliunde tot Angelorum claſſes, quam ex *Platonicorum* myrotheciis, depromſit: ut de Mediatoribus aliis præter unicum noſtrum παράκλητον JESUM CHRISTUM, de Angelis geminis cujuſque noſtrum Cuſtodibus, aliiſque nil addam.

PLATONICI JUNIORES EX VOSSIO.

Philo Judæus.	Chalcidius.
Plotinus.	Jamblichus.
Porphyrius.	Proclus.
Alcinous.	Beſſario Cardinalis,
Appulejus.	Gemiſtus Pletho.
Marſilius Ficinus.	

PLATOS, portus in Inſula Mergo.

PLATTA, apud Honorium Auguſtodun. *Gemmâ Animæ, l.* 1. *c.* 196. tonſura Clericalis eſt quæ fit ab aure ad aurem, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vox Germanis hodieque in uſu: Vide hîc ubi de *Capillis, Corona, Radendi more, Tonſura*, &c.

PLATYCEROTES, à *latitudine cornuum* dicti, *Ariſtoteli* πρόκας, hodiernis Græcis *platoniæ*, Varroni inter capreas recenſentur, *Feræ pecudes, ut capreoli damæque —— ut in Samothrace caprearum, quas* platycerotas *vocant.* Alii inter cervos malunt ponere, unde *cervi palmati* vocantur apud Capitolin. *in Gordianis, c.* 3. Et ſanè, ut major capreâ *platyceros*, ita & minor cervô: *damas* vulgò Galli impropriè vocant. Cervorum generi Plinius vindicat, ut & ſubulones ſeu orygas, *l.* 11. *c.* 37. *de Cervis, Sparſit hæc in ramos, ut cervorum: aliis ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis: aliorum fudit in palmas, digitoſque emiſit ex iis, unde* Platycerotas *vocant.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 223. & 224.

PLATYOPHTHALMON, Græcè Πλατυόφθαλμον inter ſtibii appellationes, apud *Dioſcoridem*, Τοῦτο ἔνιοι πλατυόφθαλμον, οἱ δὲ κάρβασον ἐκάλεσαν, *Hoc nonnulli* platyophthalmon, *carbaſum alii*,

dixêre. Sic dictum, à *dilatandis* ac porrigendis oculis. Nam nigrô ejus pulvere ſupercilia olim circumducebant & in arcum formabant, ſicque oculorum ſpatium veluti producebant ac extendebant mulieres: Ion in *Omphale*,

> Καὶ τὴν μέλαιναν σίμμιν ὀμματογράφον.
> *Et nigrum ſtibium oculos pingens.*

Unde ὑπογράμματα *Heſych.* σιμμίσματα oculorum interpretatur. *Pollux*, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραφὰς ἡμικυκλίων περιάγει, *Oculos ſuppingit, ſupercilia denigrat, in acrum format ac circumducit.* E quibus patet, apud Tertullianum, *de Cultu Fœminarum*, ubi ait, *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant; oculos fuligine porrigunt:* perperam repoſitum eſſe à Correctoribus, *oculos fuligine collinunt.* Fuligo enim illa à ſtibio πλατυοφθάλμῳ, quâ oculi dilatantur ac porriguntur, uti diximus. De quo eodem nigro ſtibii pulvere accipienda hæc ejuſdem, *in libro de Habitu mul. Et illum nigrum pulverem, quô oculorum exordia producuntur.* Ubi quod priori locô *porrigere*, jam *producere*, dicit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1148.

PLATYPHYLLOS, Græcè πλατύφυλλος, arbor poſt haliphlœon omnium peſſima in ædificiis, teſte *Theophraſtô*; malè à nonnullis æſculus cenſetur, quæ *quòd eſt omnibus principiis temperata, habet in ædificiis magnas utilitates*, uti aſſerit *Vitruvius* apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 508.

PLAUDERE, cum ſonitu verberare eſt. Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 85. de Aurigis & Equis,

> *Circumſtant properi aurigæ, manibuſque laceſſunt*
> *Pectora plauſa cavis* ———

Auctor *Ceiris*,

> *Non Libyco molles plauduntur pectine telæ* &c.

Præcipuè avium alis, *Æn. l.* 5. *v.* 515.

> *Jam vacuô lætam cœlô ſpeculatus, & alis*
> Plaudentem *nigrâ figit ſub nube columbam.*

Et Papinius Statius, *Theb. l.* 3. *v.* 505.

> ——— *vides curſus ut nulla ſerenos*
> *Ales agat? liquidòque polum complexa meatu*
> *Pendeat? aut fugiens placabile* plauſerit *omen.*

Hinc enim alarum *plauſum* vel maximè obſervabant Veteres in auſpiciis, uti videre eſt apud Propertium, *l.* 4. *Eleg.* 1. Inde vox tranſlata eſt ad Ludos Olympicos, in quibus victori primò dabatur virga è palma, hanc ſequebatur ἐπεγερμὸς, *incitamentum* ſive *adhortatio*; ſuccedebat conjectus florum & foliorum; pòſt addebatur κρότος, *plauſus*, quod νικητήρια κροτεῖν dicebant; tum demum imponebatur corona. Circenſes item, & Theatra, Spectacula tandem quæcunque, in quibus Imperatores apud Romanos, non minùs ac victores, *plauſu* & fauſtis acclamationibus excipi conſueviſſe, edocet Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 34. *v.* 5.

> *Quæque ſonant plenô voceſque, manuſque theatrô,*
> *Cùm populus ſubiti Cæſaris ora videt.*

Cujuſmodi *plauſus* ad numerum fieri ſolitos, diſcimus ex Corippo, ubi is de Theatricis plauſibus ita, *l.* 2.

> *Excutiunt plauſus, ſtudiorum gaudia ſurgunt,*
> *Alterniſque ſibi reſpondent agmina dictis,*
> *Emittunt dextras pariter, pariterque reponunt.*

Ῥυθμικὰς ἐκβοήσεις hinc Græci dixêre, quarum aliquot genera habes apud Sueton. *Nerone, c.* 20. *Quinque ampliùs millia è plebe robuſtiſſimæ juventutis undique elegit, qui diviſi in factiones* plauſuum *genera condiſcerent* (bombos & imbrices & teſtas *vocabant*) ad quem locum Caſaubonum vide: plura verò hanc in rem, apud Tertullian. *de Spectaculis, c.* 25. Rittershuſium *Sacr. Lectionum, l.* 3. *c.* 22. & ſuprà ubi *de Acclamandi Ritu*, & voce *Grande Sophos*, item *Orarium* ac *Sophos*: uti de verbo *Plaudite*, quô Hiſtriones claudere fabulas ſuas ſolebant, Caſaubon. eundem *ad Auguſtum Suetonii, c.* 99. nec non ſuprà itidem verbô *Dixi.* Propriè verò *Plaudere* Textorum eſt cum licium denſius inculcant & cum plauſu collidunt, quod Græcè σπαθᾷν, item κροτεῖν, dicitur. Vide infrà *Textor.*

PLAVIA, urbs Voigtlandiæ, in Miſnia; *Plawen.* Ad Elſteram fluv. media fere inter Cygneam ad Cæciam & Curiam ad Africum. Sub Electore Saxoniæ, 4. milliar. German. à confinio Bohemiæ.

PLAVIA, oppid. Ducatus Megapolitani, ad lacum cognominem ubi ex eo Elda effluit, 6. milliar. German. à Guſtrovia in Merid. 10. à Domitio in Ortum uti ab Havelberga in Boream.

de PLAVIA, German. *de Plawen*, cognomen Familiæ illuſtris in Germania *Ruthenicæ* ſeu *Reuſſen*, qui jam pluribus à ſeculis Advocati (*Voigte*) S. Romani Imperii, nec non *de Weida, de Plawen, de Gera, de Grez, de Gleisberg* &c. cognominati ſunt. Vide hîc paſſim, inprimis infrà, ubi de Familia *Ruthenica*, ut & in voce *Plavia.*

PLAVIS, fluv. Venetiæ, vide *Anaſſus.* Ex altis montibus decurrit, juxta Belunum urbem cœli inclementiâ laborantem; *la Piave.*

PLAUSTRARII, occurrunt apud Æl. Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 24. *Braccariorum, Linteonum, Vitriariorum, Pellionum,* Plauſtrariorum, *Argentariorum, Aurificum & cœterarum artium vectigal pulcherrimum inſtituit: ex eoque juſſit thermas, & quas ipſe fundaverat & ſuperiores populi uſibus exhiberi* &c. Sed Palat. Codex habet *Clauſtrariorum*, quod mavult *Gruterus*: Apparet enim, inquit, vectigali iſtô oneraſſe artes minùs neceſſarias. Sanè *Clauſtrarios* ſub Heliogabalo proveniſſe, patet ex *Vita* ejus, *c.* 12.

PLAUSTRUM, currus quatuor rotis conſtans, Car. du Freſne *Gloſſar.* Sic verò ab imperitis vocari, teſtatur *Valerius Probus*; *Ploſtra legendum putavit, licèt uſus Plauſtra obtineat.* Unde lepida illa apud Sueton. fabella, *c.* 22. ubi, cùm Veſpaſianus moneretur à Floro, ut diceret *Plauſtra*, non *Ploſtra*, poſtridie illum *Flaurum*, non *Florum*, ſalutavit Imperator. Hoc à bobus trahi ſolitum, legimus paſſim in ſacris, & à binis quidem. Sic Numer. *c.* 7. *v.* 3. *Et adduxerunt oblationem ſuam coram Domino 6. plauſtra camerata & duodecim boves, qui ſcil. bijuges ſingula plauſtra traherent.* Gerſonitis duo *plauſtra* & quatuor boves & Meraritis quatuor *plauſtra* cum octo bobus, hanc ob cauſam dantur, *v.* 7. & 8. Et 1. Sam. *c.* 6. *v.* 7. *Facite* plauſtrum *novum & accipite duas juvencas fœtas, quibus nunquam impoſitum ſit jugum, ut eas jungatis illi plauſtro.* Et 2. Sam. *c.* 6. *v.* 3. 6. *Impoſuerunt arcam Dei plauſtro novo* &c, *Et boves in arca hæſerunt.* Sæpe etiam proiani: Smyrnæus, *l.* 6.

> Ὡς δ᾽ ὅθ᾽ ὑπὸ ζεύγλῃσι βόες μέγα κεκμηῶτες
> Δουρατέην ἐρύσωσι πρόσω μεμαῶτες ἀπήνην.
> *Ut cùm boves ſub jugo valde laborantes*
> *Ligneum porrò nitendo* plauſtrum *trahunt.*

Vetera Epigrammata, in amnis concreti deſcriptione:

> *Quà ratis egit iter, junctô bove* plauſtra *trahuntur.*

Item,

> Plauſtra *boves ducunt, quà remis acta carina eſt.*

Hujuſmodi plauſtrô Cybele, Mater Deûm, è Phrygia, naviadvecta, Romamque vecta eſt,

> *Ipſa ſedens* plauſtro *portâ eſt invecta Capenâ,*
> *Sparguntur juncta flore recente boves.*

Putantur autem primi boves plauſtro junxiſſe, Bacchus & Ceres: Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 1. *v.* 41.

> *Illi etiam tauros primi docuiſſe feruntur*
> *Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam,* &c.

Hebræis hinc *plauſtrum* tale, ut & Syris אגלה *agala* vocatur, Arab. *Egela* non à rotunditate, ut volunt, ſed quia illud trahunt עגלים *agalim*, i. e. *vituli* ſeu *boves.* Quod his verbis docet Alcamus, *Egela, plauſtrum quod trahunt boves.* Unde vocem hanc Græci Interpretes ἅμαξαν conſtanter reddunt, i. e. *plauſtrum*, cui *junguntur boves.* Quamvis enim ἅμαξα ſumatur latiùs ſæpe, id tamen propriè ſonat, ut ἅρμα *mularem currum.* Vetus aliquis Scholiaſtes in *Phavorino*, Ζεῦξαι, τὸ τὰς βόας εἰς ἅμαξαν ἄξαι, ἢ ἡμιόνους εἰς ἅρμα. Inde dicti *Hamoxobii* Scythæ, qui pro domibus plauſtra boum habitant: & ὀκτάποδες, quotquot domini ſunt δύο βοῶν καὶ ἁμάξης μιᾶς, *boum duorum & plauſtri unius*, ita Lucianus *in Scytha.* Budini quoque gens Scythica, ſi Veteribus credimus, παρὰ τὸ δινεύειν ἐπάνω ἁμαξῶν ὑπὸ βοῶν ἐλαυνομένων, *quia circumeunt vecti plauſtris à bobus actis*, apud *Steph.* ex *Parmenione Byzantio.* Cujuſmodi *plauſtra* Scythica paſſim Ovid. deſcribit: ut *Triſt. l.* 3. *Eleg.* 10. *v.* 34.

> *Ducunt Sarmatici barbara* plauſtra *boves.*

Et *Eleg.* 12. *v.* 30.

> *Stridula Sauromates plauſtra bubulcus agit:*

Et *de Ponto, l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 9.

> *Ipſe vides, onerata ferox ut ducat Iazyx*
> *Per medias Iſtri* plauſtra *bubulcus aquas* &c.

Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 32. Vide quoque infrà in voce *Ploſtellum.* Apud Indos, magnis præditas frondibus arbores, in *plauſtris* deportari, & ex eis aves manſuetas excuti, inter quas canoriſſimum orionem &c. narrat Clitarchus apud Strabonem, *l.* 15. Scythas verò etiam pro domibus *plauſtris* uſos fuiſſe, *ſcoriis imbrium hyemiſque causâ tectis*, legas apud Juſtin. *l.* 2. *c.* 2. Vide ubi nos de *Hamaxobiis*; de Annibale verò, *plauſtris* naves integras, deque Alexandro, navium partes ſic ſtructas, ut commodè jungi poſſent, per terram tranſvehentibus, Livium, *l.* 28. *c.* 11, & Curtium, *l.* 8. *c.* 10.

PLAUTIA Herculanilla, triumphali patre nata, Claudio Imperatori nupſit, cum qua divortium ille fecit, ob libidinem, probra & homicidii in virum ſuſpicionem. Ex hac Claudiam ſuſcepit & Druſum, quem puberem amiſit, pyrô per luſum in ſublime jactatô, & hiatu oris exceptô ſtrangulatum, cui & filiam Sejani deſponderat.

PLAUTIA Lex, à P. Plautio Tribuno Plebis lata, adjuvante Q. Lutatiô Catulô, Coſ. cum M. Æmilio Lepido, ann. Urb. Cond. 675. hæc videtur habuiſſe capita, *Is, cujus hæc quæſtio erit, de ejus capite quærito, qui adversùs Remp. conjuraverit, inſidias Senatui fecerit, Magiſtratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut ſeditionis cauſâ loca ſuperiora occupaverit, alienaſque ædes ſaxis, ignibus aut ferrô aggreſſus ſit, deque iis quotidie quærito. Itemque de ejus capite quærito, qui poſſeſſorem è fundo hominibus armatis dejecerit dolô malô, aut armatis objectis, ut inde profugeret, cauſam attulerit: prohibetoque, ne prædium, unde dejectus poſſeſſor ſit, uſu capiatur, Eis damnatis aqua & igni interdicito.* Collegit ea *Carolus Sigonius*, ex judiciis hâc lege factis, quorum memoria extat apud Suetonium, Salluſtium, *Orat. contra Ciceron.* Dionem, *l.* 39. *Ciceronem*, alios: Additque eâ judicia de vi omnia facta eſſe, uſque ad Cæſarem Dictatorem, multaque capita Legis de Sicariis & de Majeſtate, illâ fuiſſe comprehenſa. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 27.

PLAUTIANUS, Conſul cum Geta Cæſare, A. Urb. Cond. 955. ex humili loco, ad ſummam fortunam, ſub Severo Imperatore evectus. Romæ præfectus, Antonino Imperatoris filio, ſuam filiam, datô ei, quantum reginis 50. ſatis fuiſſet, elocavit; ſævus & ſuperbus, Chriſtianorum acerrimus hoſtis, illos circa Ann. inprimis 203. & 204. immaniter exagitavit, V. perſecutionis auctor; Juſſu tandem Antonini, cui inſidias ſtruxerat, in palatio, occiſus eſt, filiô filiâque in Liparam Inſulam relegatis, ubi plurima paſſi, tandem Antoninô mandante, necì quoque ſunt dati. *Dio*, Herodian. *l.* 3. *c.* 10. 11. 12. & Spartian. *in Severo & Caracalla*, Euſeb. *Hiſt. l.* 5.

PLAUTILLUS, ſocer Albini Imperatoris memoratur in *Epiſt.* Marci Imperatoris, quam *Clodii Albini Vitæ* inſeruit Jul. Capitolin. *c.* 10. *M. Aurelius Antoninus Præfectis ſuis ſalutem. Albino ex familia Ceio-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Cejoniorum, *Afro quidem homine, ſed non multa ex Afris habenti*, Plautilli *genero, duas cohortes, alares regendas dedit* &c.

PLAUTIUS, ſeu *L. Plotius*, Gallus, primus Rhetoricam Romæ docuit: Craſſi tempore, Olymp. 173. Hieronym. *in Chron.* Sueton. *de clar. Rhet. c.* 2. Cicer. *epiſt. ad Titin.* ſe tum infantem fuiſſe refert. Fabius *l.* 2. *c.* 4. *Plautius* Sylvanus, Conſul An. 752. Urb. Cond.

PLAUTIUS, Romanus quidam, quum ob uxoris obitum dolore incredibili torqueretur, mortemque appeteret, in rogum ſe conjecit, quem rogatum, calceatumque corpori uxoris junxerunt amici. Val. Max. *l.* 4. *c.* 6. *de amore conjugali*, *ex* 3. Item Poëta Comicus, Varro apud Gellium, *l.* 3. *c.* 3.

PLAUTIUS JC. cujus ſententiæ aliquot in libris Juriſconſultor. laudantur. Ad eum *Notas* ſcripſiſſe Neratium, apparet *ex leg.* 5. *ff. de ſerv. pr. ruſt.* ut & Javolenum, quod ex compluribus Pandectarum locis apparet maximè ex inſcr. *l.* 38. *ff. de verb. ſign.* quæ hunc titulum præfert: *Scripſerant ad hunc* Plautium *Sextus quidem Pomponius libros ſeptem, Julius verò Paulus libros octodecim, quemadmodum propè innumeris Pandectarum locis planum fit.* Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.*

PLAUTIUS, Poëta Comicus, cujus Comœdiæ quòd inſcriptæ eſſent PLAUTI, pro *Plautinis* pleræque habitæ ſunt, quum *Plautianæ* eſſent. A. Gellius, *l.* 3. *c.* 3. *In eodem libro Varronis id quoque ſcriptum eſt*, Plautium *fuiſſe quendam Comœdiarum Scriptorem, cujus quoniam fabulæ Plauti inſcriptæ forent, acceptas quaſi Plautinas, quum eſſent non à Plauto Plautinæ, ſed à Plautio Plautianæ.* Sic *Cœli* pro *Cœlii* etiam in proſa Veteres ſcripſerunt, unde cùm Cœlius quidam Mantuanus, conſumtis opibus ac prædiis divenditis, ſolum ſepulturæ locum tribus ulnis latum excepiſſet, data Virgilio eſt occaſio ludendi in ambiguo vocis *Cœli* eo ænigmate, quo crucem Grammaticis ſe fixiſſe profeſſus eſt, &c.

PLAUTIUS, pronomine *Aulus*, primus Conſularium, provinciam fecit Britanniam. Tacit. *Agric. c.* 14.

PLAUTIUS Decianus, vide *Cajus.*

PLAUTIUS Hypſæus, vide *Marcus.*

PLAUTIUS Lateranus, famoſus Meſſalinæ adulter; ob id ordine motus, ſed ab ipſo Principe Claudio Senatui redditus. Tacit. *l.* 33. *Annal. c.* 11. Conjuravit in Neronem. Conſul deſignatus, amore in Rempubl. Siliô Nervâ & Atticô Veſtinô Conſulib. ideoque capite multatus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 49. 60. Vide de eo quoque Arrianum Epicteti, *l.* 1. *c.* 1.

PLAUTIUS Proculus, vide *Cajus*; it. *Publius.*

PLAUTIUS Sylvanus, prænomine *Tiberius*, Prætor incertis cauſis Aproniam conjugem in præceps jecit; tractuſque ad Cæſarem ab L. Apronio ſocero, turbatâ mente reſpondit, tanquam ipſe ſomnô gravis atque eo ignarus, & uxor ſponte mortem ſumpſiſſet. Non contanter Tiberius pergit in domum, viſit cubiculum; in quo reluctantis & impulſæ veſtigia cernebantur. Refert ad Senatum, datiſque judicibus *Urgulania*, Sylvani avia, pugionem nepoti miſit, quod perinde creditum, quaſi Principis monitu, ob amicitiam Auguſtæ cum Urgulania. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 22. decimô Tiberii Imperatoris annô.

PLAUTIUS Varus, Præturâ functus, perverſor ſub Vitellio Dolabellæ in Aquitaniam ab Othone ſepoſiti. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 63.

PLAUTIUS Venox, *Cajus*, it. *Lucius.*

PLAUTUS M. Accius, poëta Comicus, patriâ Sarſinas, *Plotus* ab initio, teſte *Feſtô*, appellatus à pedum *planitie*, quos *Plotos* Umbri vocant. Vixit Pacuvii, Attiique ætate, nempe extremis aliquot annis belli Punici 2. ſive Annibalici, ac proximis 17. Nec enim poſſum aſſentire B. Hieronymo *in Chronicis*, qui ſic ſcribit ad ann. 1. Olym. 146. *Plautus ex Umbria Sarſinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias piſtorem ſe locaverat. Ibi quoties ab opere vacâſſet, ſcribere fabulas ſolitus, ac vendere.* Is annus erat Urb. Cond. 555. quô Conſules erant Serv. Sulpic. Galba Max. & C. Aurelius Cotta. Id ab Hieronymo ex *Tranquillo* exſcriptum ait Scaliger, *in Animadv.* Sed difficulter credo ita ſcripſiſſe *Tranquillum.* Nam ann. poſt 13. ſuperfuiſſe ex Cicerone cognoſcimus, qui auctor eſt *in Bruto*, mortuum An. Urb. Cond. 570. P. Claudiô Pulchrô, & L. Portiô Licinô, Conſulib. i. e. Olymp. 149. annô 1. Voſſ. *de Poët. Lat. c.* 1. Idem Cicero *urbanô, ingenioſô & facetô genere jocandi refertum eum* ſcripſit. Et Varro ex Ælii Stilonis ſententia, *Muſas*, dixit, *Plautinô ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui voluiſſent.* Hinc *Plautinus.* Horat. *in Arte*, *v.* 270.

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavêre ſales, &c.

Vide inſuper Cicer. *l.* 1. *de Offic. & l.* 3. *de Orat.* Horat. *l.* 2. *ep.* 1. *v.* 58. Hieron. *in Chron.* Lil. Giraldum & Crinitum, *de vit. Poët.* A. Gell. *l.* 3. *c.* 3. Ubi ex Varrone hos de Plauto verſus refert:

Poſtquam eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget, Scena eſt deſerta,
Deinde riſus, Ludus, jocuſque & numeri
Innumeri ſimul omnes collachrymârunt.

Nic. *Lloydius.*

PLAUTUS Elianus, Pontifex, qui reſtitutum, juſſu Veſpaſiani, Capitolium, luſtratâ Suovetaurilibus areâ & ſuper ceſpitem redditis extis, conſecravit, Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 53.

PLAUTUS, vide *Rubellius.*

PLC. in nummis Conſtantii Chlori *percuſſa Lugduni* notat, Car. du Freſne, *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

PLEBANI, in Communione Romana dicuntur *Paræci*, Curiones, Sacerdotes, qui *plebi* præſunt. Italis *Piovani.* Hinc *Plebanatus*, dignitas, vel diſtrictus Curionis. A *plebe*, quô nomine in eadem communione inſigniuntur omnes illi, qui nullum in Clero (ut ajunt) ordinem adepti ſunt, iidem & Laici dicti. Ugutio, *Plebes collectio hominum, item Eccleſia Baptiſmalis. Et propriè Plebs hominum, Plebes Eccleſiarum.* Sed & *diœceſin*, parœciam, diſtrictum Epiſcopi vel Sacerdotis ipſum vox notat, unde in Concilio Carthagin. VI. *can.* 2. *Fauſtinus* dicitur *Epiſcopus plebis Potentinæ provinciæ Italiæ.* Item *Eccleſiam parochialem*, Ital. *Pleve*, in *Charta* Angilrami Archiepiſcopi Viennenſis *Tom. XII. Spicilegii* Acheriani. Imò ipſam Eccleſiam *Cathedralem* atque Epiſcopalem, in *Charta* Caroli C. pro Eccleſia Pariſ. alibique. Decimas tandem Eccleſiaſticas, quæ ad *Plebanos*, vel ad *Plebanas* Eccleſias pertinent, apud Petr. Damianum, *l.* 4. *Ep.* 12. Vide quoque ſuprà *Altare*, & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PLEBEJA Caſſis, apud Lucan. *l.* 7. *v.* 586.

Illic Plebejâ *contectus* caſſide *vultus*,
Ignotuſque hoſti, quod ferrum Brute tenebras!

eſt, *quæ inſigni caret*, Græcè ἄφαλος: de cujuſmodi caſſidibus vide ſuprà, voce *Caſſis.*

PLEBEJI, altera & ignobilior pars Populi Romani. Poſtquam enim in Tribus ac Curiam Populum diviſiſſet Romulus, ipſe poſteà eundem in Patricios ac *Plebejos* diſtribuit, horum nomine, *obſcuros, egenos, humiles*, Græcè Δημοτικοὺς, ut Dionyſ. *l.* 2. comprehendens. Imitatione Reip. Athenienſis, ubi ex Cecropis inſtituto præter Eupatridas, & Geomoros, etiam Δημιουργοὶ, i. e. *Opifices*: & ex Solonis conſilio præter Pentacoſiomedimnos, Equites ac Zeugitas, etiam Thetæ erant, ſeu Proletarii. Hos itaque, ab omni adminiſtratione Reip. immunes, quippe qui talium imperiti eſſent, nec eis propter inopiam vacaret, agros colere, pecora alere, exercere quæſtuoſa opificia, ne ſeditiones orirentur, juſſit Romulus, ut ibidem *Dionyſ.* habet: qui & hoc inter utrumque ordinem diſcrimen fuiſſe addit, quòd quoties Patricii convocarentur à Regibus, præco quemque ſuô ac paternô appellârit nomine: *Plebejos* verò miniſtri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contraxerint. Interim ut utroſque arctiori vinculô colligaret, commendavit idem Rex Patriciis *Plebejos*, optione cuique è vulgo datâ, ut, quem vellet, Patronum ſibi legeret, qui ei de jure reſponderet, abſentis non minùs ac præſentis curam gereret, faceretque quidquid pro filiis Parentes ſolent: Athenienſium iterum Theſſalorumque veſtigiis inſiſtens, qua de re diximus abunde ſuprà, in vocibus *Cliens* ac *Patronus.* Exactis poſteà Regibus, alia diviſio Populi inſtituta, iſque in tres ordines, Senatorium, Equeſtrem, & Popularem diſtributus eſt, ut ex Livio patet, *l.* 26. ubi ait: *Conſenſum Senatûs Equeſter ordo eſt ſequutus, equeſtris ordinis Plebs.* Hinc Auſonius, *in Gripho, Edyll.* 11. *v.* 78.

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, *Senatu.*

Et tum *de Plebe* fuerunt omnes ii, qui neque Senatores neque Equites erant: referebanturque in eum cenſum, tum Patricii quoque, qui in Senatum nondum lecti eſſent, neque Equeſtrem Cenſum haberent; tum Equites, qui patrimonium conſumſiſſent, vel quibus propter flagitia equi publici & annuli aurei adempti eſſent. *Plebejus* verò, qui Patriciis opponebatur, ſi minus haberet C. D. ∞. de populo erat: ſi C. D. ∞. haberet, equumque publicum obtinuiſſet, annulôque uteretur, quanquam *plebeji* generis eſſet, erat tamen Eques: & ſi ex Equite in Senatum (quod poſterioribus annis factum, ut videbimus) à Cenſoribus lectus eſſet, Senator. Sic itaque, ut Patriciorum, ita & *Plebejorum*, tres erant ordines: Cives Romani Patricii ac *Plebeji* Senatores; cives Romani Patricii & *Plebeji* Equites cives Romani Patricii & *Plebeji* de *Plebe.* Hi autem ultimi ſi propter flagitia aliqua à Cenſoribus notarentur, ærarii fiebant, & in Cæritum tabulas compingebantur. Porrò & in ſpectandis ludis ſeparatas *Plebejos* ſedes habuiſſe, notum: Eoſdem, quòd tunicati incederent, *Popellum tunicatum* vocavit Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 65. & cùm omnes cives Romani tunicâ uterentur, hîc id diſcriminis obſervatum eſt, ut Senatores Equiteſque tunicam clavatam, *Plebs* verò rectam ac ſine clavis geſtaret. Color veſtium pullus erat, cùm contrà divites, præſertim Senatores, Equites ac Magiſtratus, candidis togis uterentur: Interim, cùm ſolennitas privata, aut feſtum publicitùs indictum perageretur, totam Civitatem veſtibus inceſſiſſe candidis, docet Porphyrio ad illud Horatii, *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 60.

Ille repotia, Natales, alioſque dierum
Feſtos albatus celebret,

Imò in ludis Amphitheatralibus Scenicíſque idem obtinuiſſe, innuit Martial. *l.* 4. *Epigr.* 2. Nec omittendum, de quo jam alibi, *Plebejis* cum Patriciis connubii communionem nullam primitus fuiſſe, ut tum lex XII. Tabular. quæ à Dionyſio, *l. cit.* recitatur, tum Oratio C. Canulei Tribuni Plebis apud Livium, *l.* 4. *ab initio* teſtatur. Et iſta ſic fuêre, uſque ad annum Urb. Cond. 259. quô, Conſulib. Virginio Tricoſtô Cælimontanô, T. Vetuſio vel Veturiô Geminô Cicurinô, bellô cum Volſcis & Æquis fervente, potentiorum hactenus injuriis irritata *Plebs*, auctore Sicciô, ex caſtris & Urbe in montem urbi vicinum, qui poſteà *ſacer* dictus fuit, ſeceſſit, neque priùs inde revocari potuit, quàm Patres per Legatos ei debitorum levationem & nexorum ſolutionem obtuliſſent, eique inſuper Tribunatum Plebis item Æ diles Plebis permiſiſſent, quô factô, ſublatâ diſcordiâ, in urbem *Plebs* rediit, creatique primùm Tribuni plebis quinque ſunt, annô ab Urb. Cond. 260. Sp. Caſſiô Viſcellinô II. Aul. Poſthumiô Auruncô II. Conſulib. Vide Dionyſ. *l.* 6. Quod factum Comitiis Curiatis, uſque ad legem Voleronis latam, quâ *Plebeji* Magiſtratus Tributis Comitiis legi cœpere, Carere autem hi Magiſtratus auſpiciis dicebantur, quòd in Comitiis non captarentur auſpicia, non adhiberentur Augures, Pullariive, quemadmodum in Magiſtratibus majoribus fieri ſolebat, adeoque auſpicia ſoli Patricii tenerent, Sigonius *de antiquo jure Civ. Rom. l.* 1. *c.* 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Sed nec hìc res ſtetit; verùm procedente tempore, per Tribunos ſuos, plurima alia dignitatum ac honorum ornamenta: ut, Sacrorum quorundam curationem, Magiſtratus Curules, Conſulatum, Dictaturam, præturam &c. Patriciis *Plebs* extorſit. Jus quoque imaginum ad ſe tranſtulit, pervicitque, poſt ingentes contentiones, anno Urb. Cond. 309. ut connubia inter Patricios ac *Plebejos* communia eſſent, teſte Liviô, *l.* 4. Vide plura apud Joh. Roſinum, *Antiqq. Rom. paſſim*, ut & ſuprà in voce *Patricii.* In Athenienſium Rep. Theſeus, quanquam τοῖς πολίταις τὰ ἴσα νέμειν, *Omnibus civibus jus idem eſſe*, Lege juſſit, ſolis tamen ingenuis Nobilibus Sacerdotia, Magiſtratus & legum rerumque ſanctorum ac divinarum interpretationem conceſſit, ut videre eſt apud Plut. *in Vita ejus.* Poſt cum Solon, cenſu civium actô, civibusque univerſis in 4. ordines ſuprà memoratos diviſis, Thetis ſive Proletariis, nullum Magiſtratum gerere permiſit, ne tamen omnium omnino partium Reip. expertes eſſent, eos cum cœteris in concione ſuffragia ſua ferre voluit, atque inter Judices allegi τοὺς θῆτας συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν: quod quanquam primô locô leve videretur, maximæ tamen auctoritatis fuit, quippe penès illos omnium ferè rerum arbitrium erat, & è Magiſtratibus ad Judices provocatio dabatur. Vide Plut. *in Solone.* Mutavit autem & hoc jus poſt Solonis tempora: Nam cùm difficilimis temporibus, bellô adverſus Perſas *Plebs* ègregiam navâſſet libertati aſſerendæ operam, elata tam proſperis ſucceſſibus, ab ipſisque animum ducens, inſtigantibus prætereà ſeditioſis Demagogis ac Oratoribus, ivit ſuô Pſephismate, quod vim Legis obtinuit, ſublatum diſcrimen, quod erat inter Proletarios, cœterosque cives, & nullô diſcrimine omnes ad Magiſtratus capeſſendos admiſſi ſunt ut Ariſtoteles habet, *Poëtic. l.* 2. *ſub. fin.* Scripſit autem Pſephisma vir cordatiſſimus Ariſtides ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ; ubi domum è bello adverſus Perſas Athenienſes redierunt, Plut. *in Ariſtide.* Quô pactô *Plebi* jus factum eſt Magiſtratum quemlibet capeſſendi; interim tanta fuit ejus modeſtia, ut Optimatibus volens ceſſerit ultro, nec Magiſtratus illos geſſerit, penès quos rei ſumma erat publicæ, Xenoph. *de Rep. Athenienſ.* Etiam hoc notandum; Proletarios illos & capite cenſos, primis temporibus non militâſſe, ut patet ex *Harpocratione*, *Auctore Etymol.* &c. Hinc Ariſtoteles, *Polit. l.* 5. *c.* 3. divitibus, qui militârunt ἐκ καταλόγου ſacramentô rogati, opponit *Plebem*: quare cùm terreſtri prælió omnes penè, qui militabant, divites, à Lacedæmoniis occiſi eſſent, facilè ivit in contraria *Plebs* & immutatus eſt Reip. ſtatus. Aliquando tamen accidiſſe ut militaverint, colligitur ex Antiphonte κατὰ Φιλίνου, ſed evocati fortè fuêre ſive pro milite, aut tumultuarii, non ſacramentô rogati. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 3. & *l.* 8. *tit.* 1. ut & *infrà.* Sed & non niſi argenteis annulis, ſicut Senatores Equitesque aureis, ſervi verò ferreis, uſi leguntur. Poſtquam enim ſecundô bellô Punicô Equites aurum in annulis uſurpare cœperunt, peculiare id Ordinis hujus ornamentum in poſterum erat, quô à *Plebe* diſtinguebantur. Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Annuli diſtinxêre alterum ordinem à plebe, ſicut tunica ab annulis Senatum tantùm.* Unde hallucinatur *Iſidorus*, liberis omnibus annulum aureum tribuens, libertinis autem argenteum: Namque *apud antiquos Romanos*, ut habet Dio, *l.* 48. *non modò liberto, ſed nec ingenuo quidem ulli aureô annulô uti licebat, niſi Senator eſſet aut Eques*: οὐδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ᾽ οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρῳ γένει τραφέντων δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν Βουλευτῶν καὶ τῶν Ἱππέων χρῆσθαι ἐξῆν. Quod ipſum etiam inde claret, quòd Plutarchus narrat, Cornuti ſervos, cùm herum ſuum occultâſſent, *plebeji* hominis cadaver ad rogum extuliſſe eique annulum induiſſe aureum, ne Marii ſatellites, à quibus ille ad necem conquirebatur, alium pro Cornuto exportari ſuſpicarentur. Item, quòd Appianus Ἐμφυλ. *l.* 2. refert, Tribunos Plebis ob cædem Clodii tumultuantes, cum armata multitudine irruiſſe in Forum & obvios quosque trucidâſſe, ac præſertim eos ὅσοι ταῖς ἐσθῆσιν ἢ σφραγῖσι ἀπὸ χρυσοῦ διέφερον. *Qui veſtitu annulisque aureis ab aliis diſtabant.* Sed nec de argenteo annulo, quem Libertini geſtârint, ut *Iſidorus* affirmat, quidquam apud probatæ fidei Scriptores occurrit. *Plebs* potiùs eo uſa videtur: Plinius enim fœminas *plebejas*, compedes ſibi (ita annulos appellat) ex argento feciſſe aſſerit, *l.* 33. *c.* 12.. *Argentum ſuccedit aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat.* Quòd ſi autem ſequiori ſexui in uſu annulus ex argento, quid ni eosdem etiam à potiori uſurpatos cenſeamus &c. Licèt verò Equeſtris Ordinis inſigne ſic eſſet annulus aureus: interdum tamen factum, ut etiam è *plebe* aliqui eô à Magiſtratibus donarentur. Cicer. 3. *Verrin. c.* 80. *Sæpe noſtri Imperatores ſuperatis hoſtibus, optimè Rep. geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donârunt*: quod quà formulâ verborum fieri conſueverit, ibid. mox ſequitur. Hinc legimus in veteri Inſcript. quæ decimô ab Ebora lapide

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRO. JUN.
HAST. LEG. II. AUG. TORQ.
AUR. ET. AN. DUPL. OB. VIRT.
DONATO. JUN. VERECUN.
DA. FLAM. PERP. MUN. EBOR.
MATER. P. C.

Poſteà verò ſub Auguſto, & qui eum ſequuti Principibus, annulorum increbreſcente uſu non cùm *Plebe* ſolùm, ſed & cum Libertinis Libertisque, aurei annuli uſus communicatus eſt, nec quidquam antiquius habebant ſervi, quàm ut ſimul ac manumiſſi eſſent, de jure hoc impetrando cogitarent, &c. Quam in rem vide quæ accuratè congeſſit Joa. Kirchmannus *de Annulis*, *c.* 15. & 16. ut & quæ ſuprà diximus paſſim, in voce *Annulus.* De *Plebis* in Chriſtianorum Templis loco, vide aliquid ſuprà, voce *Narthex*, it. *Navis*; uti quædam alia, infrà ubi de *Proletariis*, it. voce *Populus.*

PLEBEJI Ludi momorati A. Gellio *l.* 2. *c.* 24. *Poſt id Senatusconſultum lex Fannia lata eſt, quæ ludis Romanis, item ludis* Plebejis *& Saturnalibus & aliis quibusdam diebus in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit*: narrante Aſconiô Pædianô *in primam Cic. in Verr.* exactis Regibus, pro libertate Plebis inſtituti ſunt, vel etiam pro ejus reconciliatione, poſt ſeceſſionem in montem Aventinum. Hos Ædiles Plebis edebant, 17. Kal. Novembr. & quidem per triduum, in Circo, ut ex *Livio*, *Varrone Veteribusque Faſtis* docemur. Atque in his ludis obſervabatur, ut quoties inſtaurarentur, ab Ædilibus ludorum cauſâ epulum daretur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 20. & Alex. ab Alex. *Genial. dierum l.* 6. *c.* 19.

PLEBEJUM Fatum, apud Juvenalem, *l. cit.* ſuprà, voce *Delphini* dicitur, de quo plebejæ mulieres Aſtrologos in Circo conſulebant: Nempe crepido vel margo vel pulvinus aut etiam ſeptum è ligno factum; per medii Circi longitudinem porrigebatur, circa quod equi ſepties currebant; Lydus κρηπῖδα, Latini *Euripum*, item *Spinam* dixère, & *Intermetium.* In hoc Euripo ſeu intermedio, quod erat diviſum turribus ſive falis, quibus numerus curriculorum indicaretur, ut & delphinis ad eundem finem factis; mediocres ac de plebe fœminæ, ſpatium utrinque metarum luſtrantes, viles & triviales ac è Circo Aſtrologos conſulebant: cùm divitibus reſponſa darent conducti ex Phrygia Augures, inſignes Mathematici & Auſpices, qui publica fulgura condebant, ut *in præcedd.* Satyricus dixit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 912.

PLEBISCITUM eſt, quod Plebs plebejô Magiſtratu interrogante (veluti Tribunô) conſtituebat: quod factum Comitiis Tributis. *Omnia enim Plebiſcita, omnes rogationes, quibus de Pace ad populum ferebatur* (bellum enim lege Centuriatâ indici ſolebat) *& quibus ſuperioribus temporibus aliquis legibus ſolvebatur, quâcunque id ratione fieret, item quibus per populum Triumphus decernebatur, publicæ quæſtiones conſtituebantur, aut Civitas aliquibus dabatur, Comitiis Tributis ferebantur*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 16. His verò Tribunitiis rogationibus initiò pars tantùm civium, non populus, adſtringebatur. Primi L. Valerius & M. Horatius Conſules, legem Centuriatis Comitiis tulerunt; ut, quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret, quod factum an. Urb. Cond. 304. ſeceſſione in Aventinum ſecundâ. Idem confirmatum annô 367. à Q. Hortenſio Dictatore: Unde *Plebiſcita lege Hortenſiâ latâ non minus valere, quàm leges, cœpiſſe*, ait Juſtinianus, Anton. Thyſius JC. *Not. in Gellium loc. cit.* Exempla iſtiusmodi rogationum duo affert Roſinus, de Pace & ſolvendo legibus. Quòd de pace ad Populum Tributis Comitiis latum, ſit, docet Livius, *l.* 30. *c.* 40. ubi ſcribit: M. Attilium & Q. Minutium Trib. Pl. ad populum tuliſſe, *Vellent juberentne Senatum decernere, ut cum Carthaginenſibus pax fieret. & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitum deportare juberent.* Idem, *l.* 24. Q. Martium Regem & Catinum Labeonem Tribunos Plebis ad Plebem tuliſſe refert, *Vellent juberentne cum Rege Philippo pacem eſſe*: quæ rogatio in Capitolio ad Plebem lata eſt, omnesque V. & XXX. Tribus, uti rogatæ, juſſerunt. Quod ad rogationes attinet, quibus aliquis legibus ſolveretur, idem ſuperioribus temporibus obſervatum: Ætate enim Ciceronis Senatum eam ſibi auctoritatem arripuiſſe, eâque lege Corneliâ rurſus privatum fuiſſe, habet Aſconius *in argum. Or. pro C. Cornelio*, Fuêre autem talia *Plebiſcita*, æde Cereris aſſervata, quod ut fieret, Ædiles Pl. curare jubebantur. Quare Pomponius JC. *ff. tit. de Orig. Jur.* eos ſcribit *ob hanc cauſam potiſſimùm creatos fuiſſe*, Joh. Roſin. *l.* 7. *c.* 24. Apud Athenienſes; quanquam magna eſſet Senatûs Quingentorum auctoritas, non tamen jus faciebat, quod ultra annum vigeret: Similiter Senatusconſulta ſeu Pſephiſmata, quæ in concione populi non promulgabantur, jus non faciebant, niſi in eum tantùm, quô facta erant, annum: Si autem Populi accederet calculus, auctoritas Pſephiſmatis, non in unum tantùm erat annum: Τὰ γὰρ ὑπὸ τοῦ δήμου γινόμενα καὶ πλείονα ἔμενε χρόνον. Unde non licebat temerè tabulam, in qua inciſum erat Pſephiſma, revellere ex lege Plutarcho *in Pericle* memorata, Μὴ καθελεῖν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἐτύγχανε. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 2. *tit.* 2. *de Senatusconſultis & Plebiſcitis*, ut & ſuprà in voce *Lex.*

PLEBS, opid. agri Tarviſini.

PLECTILIS Corona, apud Plautum *Bacch. Actu.* 1. *Sc.* 1. *v.* 37.

Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corona plectilis:

à *plectendo* dicta eſt. Cujusmodi coronæ Græcis ſunt ςέφανοι πλεκτοὶ, *Æſchylo* ἀνθηπλεκτα; Homero *Il. X. v.* 469. πλεκτὴ ἀναδέσμη. Propriè autem florales coronæ *plecti* dicebantur, i. e. *in orbem formari.* Unde πλέκειν τὸν αἰῶνα, *plectere ſeculum*, eleganter de Deo *Herodotus.* Atque ad harum coronarum ſimilitudinem factæ quoque ſunt *Zonæ plectiles*, qualis illa, quam ſibi Hippias Sophiſta Perſicis conſimilem fecit, apud Platonem *in eo.* Meminit *coronæ plectilis* Artemidorus quoque, ubi recenſet *plectilem ſeu plicatilem* ſupellectilem, *lina, retia, ſportas, nubeculas ſeu velamina, caniſtra, corbes, calathos, vittas, monilia aurea, torques & coronas*, *l.* 4. *c.* 6. Pollux item, ubi varia in mundo muliebri πλεκτὰ enarrat; μαχαίρας, πυλεῶνας, κάλυκας, ςρόφιον, ὀπισθοσφενδόνην, *l.* 5. *c.* 16. σφενδόνην, ἀναδῆμα, κάλαμον, καλαμίδα, ἔντροπον, Ars ipſa πλεκτικὴ dicta, inter antiquiſſimas memoratur Platoni *de LL. l.* 3. Sed & Diademata πλεκτὰ fuiſſe, alibi diximus. Vide Paſchalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 13. & ſuprà ubi de *Paſtili Corona*, ac infrà ubi, de *Tonſili*, quæ plectili nexilique opponitur. Apud recentioris ævi Scriptores, occurrit vox *plecta* ex Græco facta, de calice duas anſas habente, apud Ugutionem. Aliter vocem uſurpat Jac. de Ceſſolis *de Ludo Scacc. Loricam habuit*

buit in corpore, plectos *in pectore ferreas*, *ocreas in tibiis*; apud Henr. Spelmann. in *Gloſſar.* Ubi *plecta* idem quod aliàs *plata*, Vide etiam infrà *Plocamos.*

PLECTILIS Sella, apud Gregorium M. *in Regiſt. l.* 10. *Ep.* 22. *Cognoſcat gloria veſtra mandâſſe nos Anthemio Subdiacono, ut aliquas* ſellas plectiles *nobis dirigere ſtudeat*: Sella eſt, quæ plicari poteſt, Dom. Macer in *Hierolex.*

PLECTRUDIS, uxor Pipini Craſſi ſeu Heriſtelli, Majoris Domus, ingeniô & animi robore inſignis. Poſt mortem mariti, A. C. 714. regno ipſa, nomine Theobaldi nepotis præfuit, & verita fortitudinem & ingentem animum Caroli Martelli, quem Pipinus ex Alpaida ſuſceperat, captivum cum Coloniæ detinuit. Sed Galli muliebre imperium pertæſi, Plectrudis amicis è medio ſublatis, A. C. 715. Ragenfredum Majorem Domus elegerunt, fœdere cum Radbodo, Friſiæ Duce initiô. Intereà & Car. Martellus feliciter elapſus eſt, quod Plectruden longè pejus habuit. Obiit paulò pòſt. Gregor. Turonenſ. *in app. c.* 10. *&* 105. Adeo *in Chron. Aimomius*, *Tilletus*, *Dupleix*, &c.

PLECTRUM, Græcè πλῆκτρον, pecten eſt, ſive radiolus, quô citharam pulſabant, à verbo πλήσσειν, i. e. *percutere.* Pulſabant nempe alterâ manu, alterâ premebant nervos certis intervallis. Primus Demopœctus Sicyonius *plectri* officium ad ſolam manum tranſtulit: quod alii Epigono Ambraciotæ aſcribunt. Sic unguibus & digitorum ſummitate etiam nunc citharæ nervos temperant: Cujus autem chordæ ferreæ, aut ex orichalco ſunt, pennâ modulantur. Sed & digitalia argentea induerunt, quorum extrema pennarum muniebantur cuſpidibus. Lyram verò non *plectri* percuſſione, ſed ſetarum intentarum attritu tangebant. In Monochordis, uti vulgus vocat, ordine digeſta *plectra* ſubſilientia reddunt ſonos. Additæ deinde plectris corvinarum pennarum cuſpides, ex æreis filis expreſſiorem eliciunt harmoniam: à cujuſmodi mucronibus *Spineta* nomen. In pentachordo, Scythæ ex cruſta pelle bubula confectas chordas pulſabant *plectrô*, quod ex ungula caprina optimum habebatur. Et durat hodieque plectri uſus in Hiſpania, ac Pſalterii &c. Qua de re vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poëtic. l.* 1. *c.* 48. & aliquid ſuprà, voce *Pecten*, it. *Pentachordos.* Martial. *l.* 14. *Epigr.* 167. cujus titul. *Plectra*,

Fervida ne tritô tibi pollice puſtula ſurgat.
Exornent docilem garrula plectra *lyram.*

PLECUSA, ancillæ nomen, Martial. *l.* 2. *Epigr.* 66. *v.* 4.
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.

PLEGERIUM, Indiæ oppid. ad Choaſpen fluv. *Strabo.*

PLEGIUS, apud Guil. Brittonem, *Philippidos l.* 1.

A' Duce ſufficiens ſit Regi cautio, miſſis
Obſidibus, plegiis, *juramentôque receptô* &c.

vox eſt citimæ ætatis, & fidejuſſorem notat, Gallis *Plege*; unde *Plegium*, vadimonium. Et *Francum Plegium*, in quo eſſe dicebatur, qui in Decenna erat ſeu decem hominum Collegio, quos ſibi invicem *plegios* ac fidejuſſores capitales erga Regem, de damno ab eorum quolibet illato reſarciendo, olim in Anglia fuiſſe, diximus, voce *Friborga.* Inquiſitio autem, an omnes, qui duodecimum annum attigerunt, & ultrà, in Decenna aliqua eſſent, ut *Plegium* ſuum haberent, bis quotannis à Vicecomite fiebat, ſemel poſt Paſcha & iterum poſt feſtum S. Michaëlis. Ad quos conventus omnes convenire tenebantur, niſi ſpeciali privilegiô quis eximeretur, quod *quietum eſſe de franco plegio* appellatur in *Monaſtico* Angl. *Tom. I. p.* 310. Hodie verò ſtatur juramentô cujuſque, qui annum duodecimum implevit &c. Vide Bractonum, *Tract. de Coron. l.* 3. *c.* 10. §. 1. *Fleta* Auctorem, *l.* 2. *c.* 52. Carolum du Freſne *Gloſſario*, ubi multa hanc in rem, Alios.

PLEGRA, Galatiæ civitas, Ptol. *l.* 5. *c.* 6.

PLEJAS, & PLEJADES, Latinè *Vergiliæ* dicuntur, à verni temporis ſignificatione, quô navigatio incipit, quemadmodum Græcis ἀπὸ τῦ πλεῖν, hoc eſt, *à navigando*, Πλειάδες nominantur, ut quidam volunt. Plejadum enim ortus vernus navigationis tempus indicavit. Ovid. *Faſter. l.* 5. *v.* 165.

Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis
Navita, *&c.*

Poëtæ filias faciunt Atlantis, ex Plejone Nympha, ideoque *Atlantidas* Virgilius dixit, earumque nomina finxerunt, *Electram*, *Alcinoën*, *Celæno*, *Meropen*, *Steropen*, *Taygetam*, *Majam.* Valde autem inter ſe conſtipatæ ſunt hæ ſtellæ. Unde *glomerabile ſidus* Manilius vocat, *l.* 4. Propert. *l.* 3. *El.* 5. *v.* 35.

Plejadum denſo cur coit igne chorus.

Ubi alii *ſpiſſo.* Seneca, *in Medea*, *v* 96.

Et denſi latitant Plejadum greges.

Hæ tempeſtatem concitare ſolent. Horat. *l.* 4. *Od.* 14. *v.* 20.

Indomitas prope qualis undas
Exercet Auſter, Plejadum chorô
Scindente nubes.

Propert. *l.* 2. *El.* 16. *v.* 51.

Non hæc Plejades faciunt nec aquoſus Orion.

Statius, *l.* 9. *Theb. v.* 460.

——— *Cum Plejadas haurit* (tempeſtas)
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.

Lucan. *l.* 8. *v.* 852.

Ibit & imbriferâ ſiccas cum Plejade Thebas.

Claudianus:

——— *Madidâque cadente*
Plejade. ——— ———

Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 120.

——— *Neque enim violentior exit*
Amnis humô, quum Taurum aut Plejadas hauſit aquoſas.

Idem primam ſyllabam corripuit, *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 95.

Hac per & Ægæas hyemes, Pliadumque nivoſum
Sydus, & Oleniis dignum petiiſſe ſub aſtris.

Val. Flacc. *l.* 5. *v.* 415.

——— *Denſæque ſequuntur*
Plejades, & madidis rorantes crinibus ignes.

Pherecydes has tradit 7. ſorores fuiſſe, Lycurgi filias ex Naxô inſul. Liberi patris nutrices, ab Jove inter ſidera relatas, ne vim ab Orione paterentur. Reliqui Atlantis filias faciunt. Ovid. *l.* 4. *v.* 169.

Plejades incipiunt humeros relevare paternos,
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.
Seu quòd in amplexum ſex hinc venêre Deorum:
Nam Steropen Marti concubuiſſe ferunt;
Neptuno Alcynoën, &, te formoſa, Celæno:
Majan, & Electram, Taygetamque Jovi:
Septima mortali Merope tibi, Siſyphe, nupſit:
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.

Vide Natal. Comit. *l.* 4. *c.* 7. Nomen quoque ſeptem Poëtarum in Græcia fuit, ſub Ptolemæo Philadelpho, quorum Lycophron obſcuriſſimus, *Alexandram*, poëma edidit. *Nic. Lloydius.* Sic ſeculô præteritô *Plejas* Poëtarum in Gallia dicta, Morer. *in Dictionar. Hiſt.*

PLEIONE, Nympha Oceani & Thetyos fil. uxor Atlantis, ex quâ *Plejadas* ſuſcepit. Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 81.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleïone, cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama eſt, Pleiadaſque parit.

PLEMMYRIUM, fluv. Siciliæ agrum Syracuſanum, per quem labitur, crebris rigans inundationibus, unde & nomen accepiſſe videtur ἀπὸ τῦ πλημμυρεῖν, quod eſt *exundare.* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 692

Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra
Plemmyrium undoſum: nomen dixêre priores
Ortygiam. ——— ———

Steph. caſtellum Siciliæ vocat, alii promuntorium faciunt, *Maſſa Olivieri Fazello*, apud Anapi fluv. oſtium: ubi *Plemmyria* inſula parva, *Iſola di San Martiano*, à Syracuſis vix 3. mill. paſſ. ab oſtio Anapi 2. *Ferrar.*

PLEMMIDICUS Sagax, inſignis Britannorum vates ac Philoſophus (*Plemmidium Lil. Gyraldus* appellat;) ex Druidum religione vetuſta.

PLEMOCHOE, vide infrà *September.*

PLENA Luna, hodieque variis gentibus dicitur mulier habitior & plenô vultu inſignis, Græcis αὐξοσέληνος. Macedonius de Meretricula quadam, cujus plenior habitus in maciem abierat ſenectute, morbô, aliiſque cauſis, τὸ αὐξοσέληνον in ea defeciſſe dicit, in *Epigrammate* Græco, quod *ſuis ad Solinum Exercitationibus* inſeruit Salmaſius:

Τὴν ποτὲ βακχεύουσαν ἐν εἴδει θηλυτεράων,
Τὴν χρυσεοκροτάλῳ σειομένην σπατάλῃ,
Γῆρας ἔχει καὶ νοῦσος ἀμείλιχος, οἱ δὲ φιληταὶ
Οἵ ποτε τριλλίστως ἀντίον ἐρχόμενοι,
Νῦν μέγα πεφρίκασι, τὸ δ' αὐξοσέληνον ἐκεῖνο
Ἐξέλιπεν, συνόδου μηκέτι γινομένης.

Illam quæ olim bacchabatur in genere fœminarum,
Aureâ inſignitam ſpatale,
Senium habet & morbus immitis, amatores verò
Qui quondam ſupplices occurrebant,
Jam magnopere horrent. Plena *enim* Luna *illa*
Defecit, congreſſus cùm amplius nullus fiat.

Ubi αὐξοσέληνον, appellat *bonam* & *plenam* puellæ *habitudinem*, quam Galli iterum *Embonpoint* vocant; Terentius *bonam naturam*, in *Eunucho*, *Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 25.

Tametſi bona eſt natura, reddunt curaturâ junceas.

Ubi Donatus *plenam* & *pinguem* interpretatur; & *junceas*, tenues ac pallidas. *Plenos* certè Latini, de pinguibus & craſſis paſſim dicunt,

Turgida, ſi plena eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur,
In gracili macies crimen habere poteſt.

Sic & *plenum filum*, pro craſſo,

——— *Pleno velamina filo.*

Et apud Spartian. *in Adrian. c.* 10. *plena barba*, infrà. Inde ergo & *plenilunium* τὸ αὐξοσέληνον, bonus & plenus ſive pinguis habitus in puella. Vide Salmaſium *ad Solinum*, *p.* 767. ubi de αὐξοσελήνῳ Lapide, ut & infrà in voce *Selenitis.*

PLENARIUS, nomen libri Eccleſiaſtici in Communione Romana vide ſuprà *Miſſalis.*

PLENIBERBES, Græcis πληρογένειοι & ὁλογένειοι (ut *maliberbes* in *Gloſſ. veter.* κακογένειοι) dicti ſunt, qui *plenam* alerent *barbam. Plenâ* autem *barbâ* eſſe dicitur, qui ad plenum barbatus eſt, qualem Græci ἀδροπώγωνα vocant, ut prima illis barba dicitur ὁ πρωτογενειάζων. Meminit *plenæ barbæ* Æl. Spartian. in *Hadriano Cæſ. c.* 10. ubi nullum eum Tribunum, niſi *plenâ barbâ* feciſſe, memorat. Per quæ verba non tantùm annos ſpectâſſe Hadrianum in Tribunis deligendis, ſed etiam famæ integritatem, putant nonnulli. Inter quos Caſaubonus, *In faciendo Tribuno*, inquit, *duo præcipuè ſpectabat Hadrianus, ætatis maturitatem & famæ integritatem. Ad utrumque poteſt referri, quod hîc de plena barba dicitur. Nam & impudici adoleſcentes ſtudioſiſſimè cùm pſilothris, tum volſellis, depilabantur* ——— *Sed & ſtaturæ rationem habuiſſe Hadrianum, narrat Doſitheus.* Salmaſio verò, ut ad ætatem ſolùm hæc *plena barba* referatur, placet: ut eos tantùm Tribunos feciſſe Hadrianum exiſtimemus, qui id

ætatis eſſent, quæ plena barba mentum operire conſuevit: idque apertè indicat Valerianus in quadam ſua Epiſtola, apud Vopiſcum, quâ excuſat ſe, *quòd contra Hadriani conſtitutionem Tribunum imberbem fecerit.* Non tamen præcisè Hadrianum in Tribunis faciendis ſemper plenam barbam exegiſſe, ſi ejus ætatis eſſent & prudentiæ, quæ Tribunatui par eſſe poſſet, colligitur ex ſeqq. *Aut ejus ætatis quæ prudentiâ & annis Tribunatus robur impleret.* Niſi fortè hæc ita intelligenda ſint, ut dicatur Hadrianus neminem Tribunum feciſſe, juniorem *pleniberbe* & multis hunc honorem commiſiſſe ævi maturis & prudentiâ firmatis. Vide Salmaſ. *ad loc.* Sed Hadriani hanc Legem non diu obtinuiſſe, ex Valeriani Auguſti ad Mulv. Gallicanum *Epiſt. cit.* patet. Contrà *Pleniberbes*, h. e. eos, qui barbam alerent, averſabantur olim Antiochenſes & Syri, ut docet vet. Juliani *Miſopogon.* Hinc cum Verus barbam prope barbaricè ſolitus eſſet dimittere, & ab Hadriano omnes fere Romani Imperatores *pleniberbes* eſſent; qui tamen molliores erant inter illos, ii in gratiam Antiochenſium barbam poſuêre. Dio de Caracallo, Ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐτρύφα ὥστε καὶ τὸ γένειον πάνυ ψιλίζεσθαι. Similiter Heliogabalus, ut idem ſcribit, ἐψιλίζετο ὥστε καὶ ἐκ τούτου γυναικίζειν. Quibus tamen contrarius Macrinus, cùm ſeveritatis famam affectaret alterque Marcus haberi vellet, in oculis Antiochenſium γένειον ἤσκει, uti legimus apud Herodianum, *l. 5. c. 2.* &c. Plura vide ſuprà, ubi de *Barba.*

PLENILUNIUM, Nuptiali celebritati aptiſſimum olim habitum, non verò deſinens aut incipiens Luna; ſive cùm *in damno* erat aut *incremento*, ut loquitur S. Valerianus, *Serm. de Diſciplina:* Eôdem & Græci nundinas ſuas celebrabant, frequentabantque publicos conſeſſus, ut conſtat ex Scholiaſte Thucydidis, *l. 1. ſub fin. ubi de fuga Periclis & querela Megarenſium:* Lacedæmonii quoque copias educebant, cum Athenienſes novi lunium exſpectarent, ut diximus ſuprà in hac voce. Nuptias autem tunc potiſſimùm curabant, ſive *quòd inde boni ominis nonnihil ex plena Lunæ facie auſpicarentur:* Sive, *ut frequenti jam & advenis refertâ civitate in conſpectu amplæ multitudinis, celebriores nobilioreſque haberentur nuptiæ.* Quam conſuetudinem abunde probant Menander Anaxandrideſque Comici, Hephæſtion, Demetrius Phalereus, laudati à Bern. Martino, *Var. Lect. l. 1. c. 14.* quibus addi poſſunt, Pindarus *in Iſthmiis* & Euripides *in Iphigenia, in Aulide,* ubi Agamemnon interrogatus, quando vellet filiæ ſuæ celebrari nuptias, uxori Clytemneſtræ reſpondit,

> Ὅταν σελήνης εὐτυχὴς ἔλθοι κύκλος,
> *Quando Lunæ fortunatus venerit circulus.*

Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l. 5. c. 37.* & ſuprà in voce *Luna.*

PLENUM, in coloribus, idem quod *adſtrictum, amarum, auſterum, meracum, preſſum, ſaturum, triſte* &c. quas voces vide hîc paſſim. In Teſſera, latus illud, quod ſex puncta habebat, ſic dictum legimus: uti contrà *vacuum* illud, in quo unitas tantùm erat notata, vel unicum punctum. Unde in parœmia Græc. ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι, quam quidam imperitè verterunt, *aut ter ſex aut tres tali;* cùm debuiſſent, *aut ter ſex aut tria puncta:* τρεῖς κύβοι, ſeu *tria puncta*, ſunt tria latera teſſerarum vacua, quæ tota tria latera tria tantùm puncta exhibent; at τρὶς ἓξ κύβοι, *ter ſex puncta*, ſunt tria latera *plena* in tribus teſſeris, quæ ter ſex uniones oſtendunt. *Heſychius,* Οἴνη ἡ ἄμπελος καὶ κυβευτικὸς βόλος, ὁ κενὸς καὶ ἀντικείμενος τῷ ἕξ, ubi οἴνη *unionem* ſignificat, τὴν μονάδα. Hunc κενὸν βόλον vocabant *jactum vacuum;* cui contrarius erat ὁ ἕξ, quem πλήρη, *plenum* dicebant. Corruptè tamen hodie apud *Heſychium* excuſum eſt, ὁ κενὸς καὶ ἀντικείμενος τὴν ἕξω &c. Ad meliorem proverbii hujus intelligentiam, obſervant eruditi ex Zenobio, antiquos tribus teſſeris uſos eſſe; hic enim id colligit ex proverbio illo antiquo, in quo explicando dicit, τρὶς ἓξ κύβους victori aſſignari, τρεῖς κύβους victo. Et notat idem in voce κύβος homonymiam eſſe: Namque & teſſeram ea Græcis ſignificabat & teſſeræ punctum ſeu unionem. Τρεῖς κύβοι itaque in verbis illis non ſunt tres teſſeræ, ſed tres uniones, ſeu tria puncta: τρὶς ἓξ κύβοι, ter ſex puncta vel ter ſex uniones, ut diximus, quæ qui in teſſerarum jactu adferebat, feliciſſimè jecerat: nec enim plus poterat afferre, ideoque facilè is vincebat omnes & omnia auferebat in luſu, quem πλειστοβολίνδα vocabant: qui plura namque puncta attuliſſet, abibat victor; at cui tria tantùm puncta ceciderunt, infeliciſſimum jactum faciebat certiſſimeque perdebat, non erat enim qui poſſet inferius punctum adducere, &c. Vide hanc in rem plura, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo, c. ult.*

PLERÆI, gens circa Dalmatiam, *Strab.*

PLEROMI & PLEROSIMI, Numeri militares, qui ſacramentum ſuum πληροῦσι ſeu *complent*, ut eſt apud Scholiaſtem Juliani Anteceſſoris. Vide Jac. Gotofredum, *ad Leg. 1. Cod. Theod. de Domeſtic.*

PLESCOVIA, urbs ampla Moſcoviæ verſus Livoniam, caput Ducatus cognominis Ruſſis *Pskouwa*, juxta fluv. *Veliki reca*, 40. mill. paſſ. à confinio Livoniæ in Ortum, 60. à lacu Peiba in Eurum; Murô cincta eſt; à Baſilio Duce proditione Sacerdotum occupata, A. C. 1509. Obſeſſa dein & capta eſt à Stephano Poloniæ Rege A. C. 1581. Iterum à Guſtavo Adolpho A. C. 1615. qui mox Moſco auri vim magnam pendenti pacem conceſſit. In quatuor partes, ſingulas murô cinctas, dividitur. Caput *Ducatus Pleſcovienſis*, qui maximè ad Occaſum extenditur, inter Ingram ad Boream, Livoniam ad Occaſum, Lutbuaniam ad Meridiem, & Ducatum Novogardiæ magnæ ad Ortum, cùm anteà eſſet ſui juris, à Joanne Baſilide A. C. 1509. occupatus eſt.

PLESIMACHUS, ſcripſit νόστους, hoc eſt, reditum Græcorum in patriam. Plut. *de Flum.*

PLESSURA, fluv. ad quem Rhætorum Curia, oppid. elegans, ſitum eſt.

PLESTINA, lacus, vide *Traſumenus.*

PLESTINIA, oppid. Marſorum in Italia, *Plin.*

PLESTORUS, Thracum Deus, ſed incertum utrum naturalis, an animalis. Huic Perſa Oeobazus ſacrificatus, Herod. *l. 9.* Οἰόβαζον ἐκφεύγοντα ἐς τὴν Θρηΐκην, Θρήϊκες Ἀψίνθιοι λαβόντες ἔθυσαν Πλειστώρῳ ἐπιχωρίῳ θεῷ τρόπῳ τῷ σφετέρῳ.

PLETAURI, populi Luſitaniæ, *Strabo. Nic. Lloyd.*

PLETHRUM, Græcè πλέθρον, ſexta pars ſtadii, ſeu jugeri pars dimidia, Latinis *Actus quadratus*, Bæticis *Arapennis*, vide ſuprà. Hinc ἐκπλεθρίζειν, *ecplethriſſare*, exercitationis genus, cùm in plethro quis prorſum retrorſumque viciſſim, idque ſæpe in utramque partem, ſine flexu curſitans, unoquôque curſu breve quiddam de ſpatio demebat, donec in fine illius in medio ſt[illegible]ſſet, apud Avicennam, *l. 1. Fen. 3. doc. 2. c. 2.* & Galenum, *de tuenda Valet. c. 10.*

PLETZKA, ſeu PLÆZCA, caſtrum Germaniæ in ditione Anhaltina, cum titulo Principatus ſub proprio Principe, ex Familia Anhaltina. Conditor rami hujus fuit Auguſtus, ex filiis Joachimi Erneſti, & ad ſummam ætatem vitam produxit, mortuus A. C. 1653. Superfuêre ex Sibylla Solmenſi (filia Johannis Georgii Comitis quæ A. C. 1618. ducta A. C. 1659. obiit) præter filias Johannam, Sophiam, Eliſabetham A. C. 1618. 1627. 1630. genitas, filii Erneſtus Gottlieb, Lebrecht, Immanuël, in lucem editi A. C. 1620. 22. 31. Quorum ille brevi Patris fata ſequutus eſt, iſte Princeps cordatiſſimus Cœthenſi ramo ſucceſſit & Cœthenam ſedem tranſtulit, ſed ſine prole ex Sophia Eleonora Urſula (filia Henrici Volrathi Comitis Stolbergii) mortuus eſt A. C. 1669. Hic, Colonellus Suecicus, dein Candiam etiam adverſùs Turcas cum aliis defendit: redux inde mundo valedixit A. C. 1670. gravidâ relictâ viduâ Annâ Eleonorâ (filiâ Henrici Comitis Stolbergii) quæ enixa eſt A. C. 1671. Emanuëlem Lebrechtum, ſolum rami hujus hæredem, vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Aſcanio-Anhaltina,* & in *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p. 57.*

PLEUMOSII, populi Belgii, Nerviis finitimi, quorum regio magna ex parte Flandria eſt, teſte *Becanô;* in qua Hypræ, Furnæ, & Dixmuda urbes, ſeu, teſte *Hubertô Leodiô*, ubi Gortryck, urbs ad Legiam fluv. à Tornaco 5. leuc. Gandavum verſus 8. *Baudrando* populi fuêre Galliæ Belgicæ in Morinis, inter Nervios, Atrebates & Gordunos, ubi nunc urbes Tornacum, Inſulæ & origiacum, majorque pars Diœceſis Tornacenſis, in Flandria Gallicana.

PLEURON, fil. Ætoli frater Calydonis, à quibus nominatæ Ætoliæ paternæ urbes, *Pleuron* & *Calydon*, uti docet Apollodorus, *l. 1.* Utriuſque mater Pronœa fuit, Phorbi filia. Ipſe verò *Pleuron* Agenorem genuit, cujus fil. Parthaon avus erat Tydei. Monumentum ejus Heroicum memorat Pauſanias, *l. 3.*

PLEURON, ſeu PLEURONE *Ptolem.* & Pauſan. *l. 10.* oppid. Ætoliæ mediterraneum ad Evenum fluv. proximum Calydoni. *Meleagria* cognominatum Statio, & *Pleuronia Straboni*, nunc *Bozichiſtran, Sangallo*, in MS. Bibliothecæ Barberinæ. Cujus meminit Ovid. *l. 7. Met. v. 382.*

> *Adjacet his Pleuron, in quâ trepidantibus alis*
> *Ophias effugit natorum vulnera Combe.*

Statius, *l. 8. Theb. v. 484.*

> ——— *Nunc torva Pylenes*
> *Agmina, nunc mœſta fundens Pleuronis alumnos.*

Nic. Lloyd. Martia dicitur eidem Statio, *Theb. l. 2. v. 727.* quia Mars ibi cultus olim & poſteri ejus regioni vicinæ dominati ſunt. Subdita Aracyntho, Acarnaniæ nobili monti, celebris olim & potens. Veterem & recentem *Strabo* ſuô ævô iſtam illi ſuccedentem, hôc nomine urbes, commemorat, *l. 10.*

PLEXAURE, Nympha, Oceani & Tethyos filia Heſiod. *in Theogon. v. 39.*

PLEXILIS Corona, vide *Iſis*, it. *Lana.*

PLG. in nummis Conſtantii Chlori. Vide *PLC.*

PLICATILIS Corona, vide ſuprà *Plectilis.*

PLICHADES, Græcis Πλιχάδες, dicitur totum id, quod inter ſcrotum & collum veſicæ patet, quæ ſumma pars eſt aperturæ femorum crurumque. *Pollux*, τὰ μέν τοι μεταξὺ ποδήματος καὶ ὀρχέων πλιχάδες καλοῦνται, à verbo πλίσσειν, quod eſt crura aperire ac divaricare. Unde πλὶξ, τὸ βῆμα, *greſſus*, & πλιχὰς, μηρῶν διάβασις, *femorum diductio.* Stractis apud *Pollucem*,

> ——— τὰ θυγάτρια
> Περὶ τὴν λεκάνην ἅπαντα περιπεπλιγμένα.
> ——— *filiolæ*
> *Circa pelvim omnes varitus ſtabant.*

h. e. διασχόντα τὰ σκέλη, ut idem exponit. Inde ἀμφιπλὶξ, *varicus*, apud *Sophoclem* de Draconibus,

> ——— θηρὸν ἀμφιπλὶξ εἰληφότε &c.

Itaque πλίσσειν, apud Pollucem reponit Cl. Salmaſ. omneſque codices vitioſos judicat, qui πλήσσειν præferunt. Inde ἀποπλίξασθαι *Ariſtophani, fugere, concitatô curſu vel ingenti gradu*, quod *Theophraſtus*, dixit, διαράμενον φεύγειν, h. e. διασχόντα τὰ σκέλη, διαπλίξαντα, *varicatis curibus aufugere.* Ut ille apud Ovid. *l. 3. Art. Am. v 304.*

> ——— *ingentes varicatque gradus* &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 946.*

PLIMUTHUM, oppid. munitum Angliæ, in Pevoniæ Comitatu cum portu capaci, ad oſtia fluv. *Tamer*, in limite Cornubiæ. Haud pridem fruſtrà obſeſſum, 30. milliar. Angl. ab Exonia in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in Occidentem verſus Damnonium promontor. Emporium eſt celebre.

PLIMUTHUM Novum, oppid. Novæ Angliæ, in confinio Novæ Hollandiæ, cum portu in ora littorali maris Borealis. In hâc Coloniâ non contemnendus eſt Americanorum recens converſorum numerus, qui à reliquis ſuæ gentis ut diſtinguerentur, *Orantium* ſeu *Precantium* nomen adſcivêre. Loca, ubi cœtus illorum numeroſiores, ſunt *Marshippan*, *Saconet*, Promontor. *Cap Cod.* Inſul. *Namukli*, Inſul. D. Marthæ &c. Hi verò omnes ante Anglorum adventum adeò in rebus divinis erant rudes; ut ne nomen quidem Dei in ſua lingua haberent ullum. Unde in precibus jam ac concionibus ſuis, Deum *Jeova*, vel *God*, vel *Lord* Anglicis nominibus compellant. Creſceus Matherius *Epiſt. ad Joh. Leuſden*, *Baſtonio ſcriptâ.* 1687. Vide etiam ſuprà *Cottonus Johannes fil.*

PLINIUS Secundus Veronenſis, dictus Senior, temporibus Veſpaſiani & Titi vixit, quorum negotia adminiſtrabat: noctibus verò & ſucceſſivis (ut ipſe inquit) temporibus, opus *De rerum naturâ libris* 27. conſcripſit, ubi multa falſa, ex aliorum relatione accepta, unus omnium parciſſimus temporis. Idem *Neronis* quoque *Hiſtoriam*, *vitam Pomponii Secundi*, *de bellis Germanorum*, aliaque ſcripſit. Periit in horrendo montis Veſuvii incendio, A. C. 79. dum ejus cauſam indagare vellet. Vide omnino Plin. Juniorem, *l.* 3. *ep.* 5. *&* *l.* 6. *ep.* 16. in quibus omnis vitæ ejus ratio exponitur. Videndus quoque Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 1. *c.* 29. Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 69. *l.* 13. *c.* 20. *l.* 15. *c.* 53. Hieronym. *in Chron.* Budæus, Turnebus, Lipſius, &c. *in Plin. &c.* Fuit alter *Plinius* C. Cæcilius Secundus; Novocomenſis, ex prioris ſorore natus, & ab avunculo in nomen & cætera jura adoptatus; diſcipulus Quintiliani, eloquentiâ, virtute, & ſanctitate vitæ ac morum, aut maximus ipſe, aut inter maximos ſui ſeculi viros fuit. Floruit ſub Trajano, cujus & *Panegyricum*, opus inſigne ſcripſit. Habemus ejus *Epiſtolarum libros*, veriſſimum Atticæ eloquentiæ exemplum, ex quibus vita ejus & mores diſci poſſunt. Ampliſſimis muneribus defunctus, Præfecturam quoque Bithyniæ geſſit, in qua Chriſtianorum moribus exploratis, non pepercit illis ſolùm, ſed & eos per Epiſt. Trajano commendavit, cui hic injuſtum reddi ſit reſponſum, Tertull. *in apolog. Vitæ hominum illuſtrium*, illi vulgò tributæ, Aurelii Victoris ſunt. Euſeb. *in Chron. & Hiſt.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 29. Geſner. *in Biblioth. &c.* Martial. *l.* 10. *Epigr.* 19. *v.* 14. de *Plinio*:

Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum ſtudet auribus virorum,
Hoc quod ſecula poſterique poſſint,
Arpinis quoque comparare chartis.

Malè autem hos confundit Hieronymus, *Chron. Euſebiano*, *Num.* 2125. & ex duobus Pliniis unum nobis, quantum in ſe fuit, concinnavit. Id quod dignum animadverſione ſuâ exiſtimavit Scaliger, quem ibi, ſi lubet, vide. *Nic. Lloyd.*

PLINTHINE, oppid. Marmaricæ ad fines Ægypti, & Alexandriæ finitimum, *Steph. Torre de gl' Arabi Moletio.*

PLINTHION ſive *Lacunar*, ad horas inveniendas, à Scopa Syracuſio factum primitus eſt. Vitruvius, *l.* 9. *c.* 9. ubi de variis Horologiorum formis ac inventoribus, *Arachnen Eudoxus Aſtrologus: nonnulli dicunt Apollonium. Plinthion ſive Lacunar, quod etiam in Circo Flaminio eſt poſitum, Scopas Syracuſius: πρὸς τὰ ἱςορούμενα Parmenion: πρὸς πᾶν κλίμα, Theodoſius & Andreas.* Ubi *Plinthion* illud in Circo Flaminio Romæ poſitum fuiſſe, obſervat. Horologium enim è Sicilia Romam primùm deportatum eſt, eôdemque penè tempore id inventum Sicilia vidit & Roma, Salmaſ. *ad Solin. p.* 626.

PLISIANAX, vide *Cleandridas.*

PLISTARCHIA, oppid. Cariæ, quod & *Heracleum* quoque dicebatur, teſte *Stephanô.*

PLISTARCHUS, Leonidæ fil. ex Euryſthenidarum familia, in regno Spartano, Cleombroto I. Leonidæ genero, ſucceſſit: ſub tutela Pauſaniæ Cleombroti filio, Pliſtoanactis Regis, qui *Pliſtarcho* ſucceſſit poſt regnum unius anni, patri. Herodot. *l.* 9.

PLISTHANUS, Philoſophus Eliacus, ſucceſſit Phædoni, & ſucceſſorem nactus eſt Menedemum, Diog. Laërt. in *Phæd. l.* 1.

PLISTHENES, Pelopis ex Hippodamia fil. qui cùm juvenis moreretur, Agamemnonem & Menelaum filios ſuos parvulos Atreo fratri commendavit, qui eos ſuſcepit, filiorumque locô educavit; & ob id Atrei filii habiti *Atridæ* vocabantur. *Nic. Lloydius.* Marshamus *Pliſthenem* Atrei filium facit, & ante Agamemnonem fil. ſuum Mycenis regnâſſe, veriſimile judicat, *Canone Chron. ad Sec.* XI. ubi *de Regibus Argivis.*

PLISTOANAX, Pauſaniæ fil. Lacedæmoniorum dux cujus res geſtas vide, apud *Thucydidem.* Succeſſit in regno Pliſtarcho Euryſthænidæ, de quo ſuprà, collega Archidani ſeu Archelai, Agidis & Ageſilai Proclidarum. Regnavit annos 68. ſucceſſore filiô Pauſaniâ.

PLISTOBOLINDA, nomen luſus, de quo aliquid paulo ſuprà, voce *Plenum*, infra *Puncta.*

PLISTONICUS, vel PLISTONICES, author de quo *Athenæus.* Item Apionis cujuſdam cognomen, qui non multô tempore Pliniô ſuperior fuit, ut ipſe ultimô volumine teſtatur.

PLISTUS, fluv. Phocidis Parnaſſum montem circumfluens, ac in ſinum Corinthiacum apud Cirrham oppid. labens. Ejus meminit Strab. *l.* 9. Ubi ſis Caſaubonum adi.

PLITANIÆ, inſulæ ante Troadem, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

PLM. in nummis Conſtantini M. *percuſſa Lugduni* notat. M Monetarii index eſt, Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmat.*

PLN. in Conſtantii Chlori, idem notat, Idem *ibid.*

PLOASMEL, caſtrum Galliæ, memoratum in *Lit.* Eugenii Pontificis, datis A. C. 1145. *In Epiſcopatu Aletenſi Eccleſiam S. Martini de caſtello Goſcelini & caſtrum Ploaſmel*, vulgò *Ploermel* nuncupatur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Caſtrum Goccelini.*

PLOCAMOS, Græcè πλόκαμος, plecta ſertave capillorum eſt; nam & πλεκτὴ eſt *funiculus*, ἀπὸ τοῦ πλέκειν. *Heſych.* πλεκτὴ, σειρά; etiam *plectas* infimæ ætatis Auctores dixêre. Πλοκάμους tamen Græci Grammatici longè aliter exponunt, de globis ſcil. nodiſque crinium invicem implexis & intortis, quos & βοστρύχους vocabant. *Heſych.* Πλόκαμοι, κόνδυλοι τριχῶν πεπλεγμένοι, *Nodi ſunt crinium implexi & calamiſtrô intorti*; atque in unum corymbium congeſtæ comæ; quidquid enim in nodum extuberat, κόνδυλον Græci vocant. Vide ſuprà in voce *Nodus*; & infrà in *Stropus.* Unde & Poëtæ fumi convolutiones, πλοκάμους appellant. *Pollux*, πλόκαμοι. πλοκαμίς, ἀφ' ὧν καὶ αἱ τοῦ καπνοῦ περιστροφαὶ, παρὰ τοῖς ποιηταῖς πλόκαμοι. Interim nihil prohibet & ſpiras ſertaſque plexas crinium ac convolutas ita vocari. Ἐμπλοκὴ, omnem ornatum capitis muliebris ſignificat; qui in complicandis & flectendis capillis conſiſtit. Aliud enim ἐκτενισμένη κόμη, aliud πεπλεγμένη. *Artemidorus*, Πλέκεσθαι δὲ γυναιξὶ μόναις συμφέρει, καὶ ἀνδρῶν τοῖς ἔθος ἔχουσι, *Flecti ſolis mulieribus convenit, & viris iis, quibus id in more poſitum.* Unde mulierum crines πλοκάδας *Pherecrates* appellat, & πλόκος, idem quod πλόκαμος, propriè de crine muliebri. Idem & βόστρυχος. *Heſych.* βόστρυχοι, πλόκαμοι. Ita vocabant autem, quòd *multos flexus & ſpiras haberet.* Idem βοστρυχιδῆ, πολυκαμπῆ. Qui in botryonem unum vel corymbium collectus eſſet, βότρυν appellavêre. Agathias, *in Epigr.*

——— καὶ τὸ πρόσωπον,
Πλῆξε, καὶ εὐπλέκτου βότρυν ἔρηξε κόμης.

Vide ſuprà *Botronatus* &c. Idem comendi genus etiam Σπατάλιον dixêre, de qua voce infrà dicemus. Sic Clemens *in Canonibus*, οὐκ ἔξεστί σοι τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ ποιεῖν εἰς ἓν, ὅ ἐστι σπατάλιον; ἢ ἀπόχυμα ἢ μεμερισμένην τηρεῖν. Ubi tres modos tangit comendæ comæ; primum quô crinis colligebatur & in unum ſive nodum ſive corymbium conſtringebatur, dictum Σπατάλιον; alterum, quô capillus effuſus abſque nodo & ligatura per humeros ſpargebatur, cui ornatui Ἀπόχυμα nomen erat; Tertium, quô coma dividua ac diſcriminata ſervabatur, non implexa & inflexa, ut in ſpatalio; nec effuſa, ut in apochymate: quem crinem ἐκτενισμένον & μεμερισμένον Græci vocant, ac τῷ πεπλεγμένῳ opponunt. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 761. & *ſeqq.* Apud *Strabonem*, ubi de Ægypti rebus, Πλόκινα ſeu Διαπλόκινα, dicta ſunt navigia Nili è papyro texta. *Papyraceas naves.* Plin. *l.* 6. *c.* 22. vocat, vide ſuprà in hac voce.

PLOCUM, vulgò PLOCZKO, urbs Poloniæ inferioris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi, ad Viſtulam, cum arce; 14. leuc. à Varſavia in Occaſum, Toruniam verſus 9. uti 10. à Lancicia in Cæciam. Caput Palatinatus cognominis quem, mortuô Januſiô Mazoviæ Duce, Johannes Albertus Poloniæ Rex, regno incorporavit, unà cum Mazovia Ducali cujus tum pars fuit, A. C 1501. Cromerus, *l.* 10.

PLOENA, Wagriæ in Holſatia urbs, cum arce ſplendida, inter geminum lacum; nec longè hinc arx Ranzoviana; 4. leuc. à Chilonio in Meridiem Lubecam verſus 6. Sub proprio Principe è gente Ducum Holſatiæ. Cùm enim Joannes frater Friderici II. Daniæ Regis, Dux Holſatiæ, & Sonderburgicæ lineæ conditor, in Sleſvicenſi Ducatu quædam nactus, numeroſam ſuſcepiſſet ſobolem, filiorum ejus minimus natu Joachimus Erneſtus *Plœnenſis* ſeu Arnſpeckii rami auctor extitit, de cujus in Oldenburgicum Comitatum jure aliquid poſteà dicemus. Natus is A. C. 1595. ex Agnete Hedvige Anhaltina, Dorotheam Auguſtam Holſatam (Johannes Adolfi Ducis Holſatiæ filiam) ſibi junxit, A. C. 1633. atque ex ea genuit Joannem Adolfum 1634. Auguſtum 1635. Erneſtinam 1636. Joah. Erneſtum 1637. Georg. Bernardum, A. C. 1639. Agnetem Hedvigem A. C. 1640. Carolum Henricum A. C. 1642. & Sophiam Eleonoram A. C. 1644. è quibus Carolus Henricus obiit A. C. 1655. & Sophia Eleonora nupta eſt Wolfgango Julio Comiti Hohenloico. Joannes verò Adolfus, in Italia, Belgio, Hungaria, fortitudinis militaris documenta edidit, demus Brunſuicenſis Campi Mareſcallus expeditioni in Alſatiam A. C. 1674. nec non ſequenti Trevirenſi expugnationi atque Crequii Mareſcalli cladi interfuit, victoriæ præcipuum inſtrumentum, poſteà Danicæ militiæ præfectus; uxorem ſibi ſociavit, poſt Luiſam Amœnam patruelem, Dorotheam Sophiam Brunſuicenſem. Auguſtus, à juventute militiam ſectatus, Magdeburgo præfectus eſt ab Electore Brandeburgico & Generalis exercitus partem in Alſatia eôdem annô duxit: pater ex Elizabetha Carola Anhaltina Joachimi Friderici Chriſtiani Caroli & filiarum. Joachimus Erneſtus, Hiſpanorum miles, præliô ad Seneffam à Gallis captus eôdem annô 1674. ad Romanas partes tranſiit. Georgius tandem Bernardus, Batavis operâ addictâ, cum Rabenhauptio, Groningam maſculè defendit, inde Daniæ Regi in expeditione comes fuit & haud pridem mortuus eſt. Phil. Jacobus Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Familia Oldenburgo Danica.* Cœterùm Joachimus præfatus, familiæ *Plœnenſis* conditor, cùm ſupervixiſſet Antonio Gunthero Oldenburgicorum Comitum ultimo, gradu ei quàm reliqui competitores propior, Daniæ Regi, qui cum Holſatiæ Gotorfienſis proſapiæ Principe hæreditatem diviſerat ita, ut Regi Oldenburgum, Duci Delmenhorſtum cederet, controverſiam movit: Feudorum jura & firmatam ſibi à Cæſaribus, Maximiliano II. A. C. 1570. Ferdinando III. A. C. 1642. & Leopoldo A. C. 1664. ſucceſſionis ſpem commemorans, iſtorum aviditatem incuſabat, qui deſtinatam ſibi legibus uſuque majorum hæreditatem, in ſeſe vertiſſent; Illis pacta cum defuncto Comite inita A. C. 1649. ipſius Imperatoris adprobatu legitimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

timum robur adepta, & Comitatus olim, ut vocant, *allodiales* Anno demum 1531. à Carolo V. Antonio Oldenburgico *in feudum oblatos* regerentibus, qualibus etiam agnatos arceri longô uſu receptum ſit. Obtulêre tamen, quibus litium moras moleſtiaſque redimerent, ſpreta à Duce, ſecundum quem, re delatâ ad Cæſaris aulam, lis data eſt. Eidem poſteà cum Rege convenit, conditionibus non niſi fortè paciſcentibus notis. Vide Tob. Pfannerum *de Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus, c.* 11. *de Gente Holſat.*

PLORANTES, Vide ſuprà *Excommunicatio.*

PLORATORIUM, in *Vita B. Collectæ* 6. *Martii*, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.* ſudariolum eſt, ad lacrymas tergendas.

PLOSTELLUM, in Talmudico *Tractatu de Sabbatho, c.* 5. *in Miſna, Arietes* (die Sabbathi) *non egrediuntur cum* ploſtello *ſub cauda ſua*; & *ibidem in Gemara, Non egrediuntur arietes cum* ploſtello, *ne caudam ſuàm inflectant:* Definitur *in Gloſſa ad eum loc. parva rheda quam caudæ* (ovium arietumque) *ſupponunt, quia caput caudæ illorum arietum eſt latum inſtar agniculi: neque habet oſſa, ſed pinguedinem & denſitatem & gravitatem: & cùm humum verrit, laceratur ac corrumpitur. Proinde* ploſtellum *ipſis aptant, quod poſt eos volvitur, cùm ambulant & cauda illis alligatur.* Nempe in Syria Ægypto Arabiaque oves ſunt, habentes τὰς ὀρὰς μακρὰς, τριπήχεων οὐκ ἐλάσσονας, τὰς εἴ τις ἐπήει σφι ἀπέλκειν, ἕλκεα ἂν ἔχοιεν ἀνατριβομένων πρὸς τῇ γῇ τῶν οὐρέων, *longas caudas, tricubitalibus non minores: quas trahere ſi permitterent, ulcera contraherent, dum caudæ ad terram attererentur.* Itaque ἅπας τις τῶν ποιμένων ἐπίσταται ξυλουργεῖν ἐς τοσοῦτο, ἁμαξίδας γὰρ ποιεῦντες, ὑποδέουσι αὐτὰς τῇσι οὐρῇσι, ἑνὸς ἑκάστου κτήνεος τὴν οὐρὴν ἐπὶ ἁμαξίδα ἑκάστην καταδέοντες, *Unuſquiſque paſtorum hactenus arte fabrili doctus eſt, ut* ploſtella *faciant, quæ illarum caudis ſubligent, ſingulas ovium caudas ſingulis ploſtellis devincientes.* uti habet Herodot. *l.* 3. *c.* 115. Vide quoque Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 10. *c.* 4. & quæ ſuprà ex Bocharto annotavimus, de *Ovium cauda.*

PLOSTELLUM Pœnicum, apud Varronem *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 52. tanquam à *Pœnis* inventum, qui ex Chananæa venerant, plauſtrum erat rotis inſtructum, quô ad triturandum olim in Hiſpania citeriore alibique utebantur. Factum id fuit ex aſſibus ſeu aſſeribus dentatis, cum orbiculis, i. e. rotulis, ut idem addit; in eo autem ſedit aliquis, atque agitavit, quæ trahebant jumenta. Meminit eorundem Hieronymus *in Eſaiam, c.* 25. *Sunt carpenta ferrata, rotis per medium in ſerrarum modum ſe volventibus; quæ ſtipulam conterunt & comminuunt in paleas.* Et *c.* 28. *Quæ* (plauſtrorum rotæ) *in ſerrarum ſimilitudinem ferreæ circumaguntur & trahuntur ſuper demeſſas ſegetes.* Item, *Triticum, de quo efficitur pànis: rotis ferreis teritur & omnis ejus ſtipula comminuitur in paleas.* Sic Cyrillus *in Eſaiam c.* 45. poſtquam in Ægypto triticum dixit boum ungulis triturari, *Alibi*, ait, ἁμάξαις χρώμενοι καὶ τροχοῖς πρισηροειδέσι αὐτὸ δὴ τοῦτο μεμελετήκασι κατορθοῦν, *Plauſtris & rotis ſerratis utentes id ipſum præſtant.* Ab Eſaia namque ſæpe ad hujuſmodi plauſtra alluſum eſt, ſi Interpretes ſequimur. Ita enim habet Græca Editio, Eſaiæ *c.* 25. *v.* 10. Καταπατηθήσεται ἡ Μωαβῖτις, ὃν τρόπον πατοῦσιν ἅλωνα ἐν ἁμάξαις. Et Romana, *Triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro.* Et Eſaiæ *c.* 28. *v.* 27. Οὐδὲ τροχὸς ἁμάξης περιάξει ἐπὶ τὸ κύμινον, ubi Romana, *Neque rota plauſtri ſuper cuminum circumibit.* Et de pane, *v.* 28. *Neque vexabit eum rota plauſtri.* Et Eſaiæ *c.* 41. *v.* 15. Ἐποίησά σε, ὡς τροχοὺς ἁμάξης ἀλοῶντας. Et Vulgata, *Ego poſui te, quaſi plauſtrum triturans.* Neque multo aliter Syra ac Arabica. Sed, utut omnes hos locos, qui citati ſunt, præſtare difficile ſit, certum tamen eſt de his plauſtris agi, *c.* 28. *v.* 27. & 28. Et quidem, cùm grana quævis baculô olim excuterentur, uti conſtat ex Judicum *c.* 6. *v.* 11. & Ruthæ *c.* 2. *v.* 17. ætate Eſaiæ jam diſtinctio hæc in uſu fuit, ut debiliora ſemina baculô more priſcô excuterentur, *panis* verò, id eſt, triticum, rotâ plauſtri contereretur. Ita enim Eſaj. *d. l. Nam non tribulâ trituratur melanthium, aut rota plauſtri ſuper cyminum verſatur, ſed baculô excutitur melanthium, & cyminum virga. Panis verò comminuitur quia non in perpetuum pergit triturare ipſum, ubi quaſſit rota plauſtri ſui, equitibus ſuis non comminuit ipſum* &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 32. Quomodò verò ab hoc *Ploſtello* differat tribuli genus, quod πιεστήριον Græci, h.e. *preſſorium inſtrumentum*, Hebræi מורג *morag*, appellaverunt, ut videre eſt Eſaiæ *c.* 41. *v.* 15. dicetur infrà ubi de *Tribulo.*

PLOTÆ, inſul. duæ maris Ionii, quæ & *Strophades* Plinio, *l.* 4. *c.* 12. *Straboni* ac *Apollonio* dicuntur, vulgò *Strivali.* Vide *Strophades.*

PLOTÆ, Æoliæ inſulæ ſic dictæ, Dionyſ. *in Periegeſi:*

> Τὴν δὲ μετ' Αἰόλου εἰσὶ περίδρομοι εἰν ἁλὶ νῆσοι,
> Ἑπτὰ δὲ οἱ ταίγ' εἰσὶν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταὶ,
> Οὕνεκα μέσσον ἔχουσι περίπλοον ἀμφιέλικτον.

Plote quidem una ab Homero nominatur, *Od.* κ', quô nomine eum Æoli inſulam appellâſſe, teſtatur *Euſtathius:* videtur tamen is unus eſſe ex locis ab Homero nominatis, quorum certum ſitum non citiùs invenias, quàm ſutorem qui utres conſuit, quibus venti, in Ulyſſis gratiam, ab Æolo incluſi, ut facetè apud Strabonem jocatur Eratoſthenes. *Montanus. Nic. Lloyd.*

PLOTÆ Murænæ, Græcè πλωταὶ antiquitus, poſteà ἐξορμιστῶνες, Latinè *Flutæ*, ex edentulorum genere fuêre, & ex Siculo gurgite ubi capiebantur optimæ, Procerum Romanorum vivariis inferebantur Macrob. *l.* 3. *c.* 15. *Accerſebantur autem murænæ ad piſcinas noſtræ urbis abuſque freto Siculo, illic enim optimæ eſſe creduntur, tam hercules quàm anguillæ, & utræque ex illo locô Græcè* πλωταὶ *vocantur, Latinè flutæ, quòd in ſummo ſupernantes æquore, Sole torrefactæ, curvare ſe poſſe & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu ſunt.* Præ virium nempe imbecillitate, ubi cutem Sole torrefecerunt, peſſùm redire amplius non poſſunt, nec fundum maris repetere, ſed in ſummo mari, velut exanimes, feruntur. Qua de causâ & ἐξορμιστῶνες poſtmodum Græcis dictæ, quàm vocem Latinam fecit Caſſiodorus, mox laudandus. Ἐξορμίζεσθαι enim dicuntur, qui oram ſolvunt & altum capeſſunt, ut navigent; ſicut contra ὁρμίζονται naves, quæ ſtant in portu. Eâdem ratione πλωταὶ &c. Vide plura ſuprà, ubi de *Muranis*, nec non voce *Myrus.* Ita autem Caſſiodori locus habet: *Exormiſton quoque inter piſces regium genus, compar muranis corpore, colore diſtans, naribus ſetoſis, coloſtreâ delicatudine præditum, oleoſô ac ſuavi liquore coagulatum, appetibilis grataque pinguedo, cùm ſpumis fluctuantibus inter aëris confinia cœperit enatare, neſcit ad cubilia redire, quæ deſerit: credo, aut immemor reverſionis, aut teneritudine ſummâ mollitus nequit undis elevantibus contrariâ obluctatione demergere: fertur velut corpus exanime, nullis niſibus periculum, nullâ arte devitans & hinc viribus deſtitutus, redire non creditur, quia nec fugere poſſe ſentitur. Hic planè tanta dulcedinis eſſe dignoſcitur, ut ei nemo piſcium comparetur* &c.

PLOTHIA, vicus in tribu Ægeide. *Steph.*

PLOTI, *Feſto* qui planis ſunt pedibus, οἱ πλατύποδες; iidem & *plauti.* Unde apud Tertull. *de Pallio* Salmaſ. *Plautiores conchæ* legi jubet, pro *lautiores c.* 3. ubi de pinnarum vellere, atque intelligi voce hâc pinnas πλατυτέρας, quales ſunt omnes margaritiferæ conchæ & quæ diptychæ ſunt, latiùs enim patent. *Plotus* autem & *Plautus* Latinè idem, quod πλατὺς & ex Græco venit. Nam Æoles πλοτὺς dicebant, ut βροχὺς, pro βραχύς: inde Latinum, *plotus*, quod & *plautus* dicebatur, ut ὀρείχαλκον, *aurichalcum; clodo & claudo, cotes & cautes. Feſto* certè *plauti canes, quorum aures languidæ ſunt & flaccidæ, & latiùs videntur patere.* Iſidorus, *plautis auribus, gracili corpore*, de canibus. *Ploti* etiam eidem Feſto, &c. At dimidiatæ ſoleæ, quæ *ſemiplotia* dicebantur, non à *plotis* pedibus, aut quo planius pedes ponerentur, appellatæ, ſed à *plotiis* ſandaliis, quæ Græcè βλαύτια. Nam *plotia* ſunt βλαύτια & *ſemiplotia* ἡμιβλαύτια. Hujuſmodi autem *plautiores* & patentiores conchas, de quibus *l. c.* κοίλας Græci vocant, Iſidorus *Concharum diverſa ſunt genera, inter quas & margaritiferæ, quæ & cœcæ dicuntur, quia in eis pretioſus calculus ſolidatur:* Quaſi ſcil. à cœlo hauriant rorem illum, qui conſtrictus & coagulatus pretioſum calculum format. Sed ratio etymi falſa & inepta; Ita namque dicebantur omnes plautiores & latiores conchæ. Galenus in *Lexico*, χήμην χηραμίδα τὴν κοιλοτέραν ἢ μύακα καλοῦ- κόγχην καὶ μείζονα. *Erotianus*, χηραμίδα τὴν κοίλην μων. Salmaſ. *Not. ad Tertull. loc.* Vide quoque ſuprà, ubi egimus de voce *Plauſtrum*, & hîc in *Ploum.*

PLOTINA, Trajani Cæſaris conjux, ſanctitate, probitate, & omnibus, quæ in muliebrem ſexum cadunt, virtutibus ornata. Primâ vice palatium ingreſſa, profeſſa eſt promptam ſe eſſe egredi, quam primùm fuerit juſſa. Dein auditô, tributorum onere preſſas provincias gemere, maritum monuit, minime id è re & gloria imperii eſſe. Ut Adrianus adoptaretur, operam dedit, qui grati animi teſtandi ergò, Nemauſi, Plotinæ acceptâ morte, templum, palatium & amphitheatrum, cujus rudera ſuperſunt, in ejus honorem extruxit. Dion & Spartian. *in Adriano.* Angelon. *Hiſt. Aug.*

PLOTINOPOLIS, Thraciæ urbs, *Ptolem. Ploudin Nigro.*

PLOTINUS, Philoſophus Platonicus, *Ægyptius* natione, è civitate Lyco, diſcipulus Ammonii, Philoſophi Chriſtiani, præceptor Porphyrii, Galieni, Taciti & Probi temporibus. Sub Philippo, Romæ docuit, non Idololatras modò, ſed & Chriſtianos habens auditores, à quorum religione non multùm abhorrere creditus eſt. Civitatem conditurus, ad Platonis ideam, Galieni Imperatoris opem imploravit, ſed hic à Conſiliariis ſuis eſt abſterritus. Fuit corpore gracili, tenui valetudine, morboque ſacro obnoxius, *Suidas.* Scripſit *de rebus Philoſophicis libros* 54. *in Enneadas ſex diſtributos*, quos Latinè interpretatus eſt Marſilius Ficinus. Porphyrius illum quoque contra Gnoſticos ſcripſiſſe addit. Doctrinam ejus idem modo laudatus Ficinus egregiè explicuit. Obiit, A.C. 270. ætat. 66. Amelii præceptor: tantâ virtutis veneratione ſuperſtitibus relictâ, ut aræ paſſim ipſi, veluti Deo, extruerentur. Porphyrius, *in vita ejus*, Draconem ſub morientis lectulo viſum refert; quod de familiari, ut vocant, Genio ei tribuendo, occaſionem præbuiſſe videtur. Luculentum ejus encomium apud Firmicum legere eſt, *l.* 1. *Matheſeos c.* 3. qui etiam mira admodum de Plotini morte narrat.

PLOTIAS Criſpinus, quem *Aretalogum* fuiſſe cognominatum, quòd garrula ſcripſerit carmina, *Porphyrius* eſt Author. Hic Stoicam ſectam profeſſus, atque idem poëta fuit; ſed cujus verſus numerô forent multi, levis verò ponderis. Cùm in aliis locis ejus meminit Horatius, tum *Sat.* 1. *l.* 1. *v. ult.*

> ——— *Ne me Criſpini ſcrinia lippi*
> *Compilâſſe putes, verbum non amplius addam.*

PLOTIUS Firmus, è manipularibus, dein vigilibus præpoſitus à militibus, poſt cædem Galbæ, alter Præfectus Prætorii lectus, Tacitus *Hiſt. l.* 1. *c.* 46.

PLOTIUS Gallus, patriâ Lugdunenſis, dicendi præceptor, Romæ profitebatur, à quo ſe Cicero *l. de Oratore*, unà cum Quinto fratre Latinas literas edoctum fuiſſe teſtatur; à Tranquillo autem inter Rhetores ponitur, *c.* 2.

PLOTIUS Griphus, à Cæſare Veſpaſiano, in Senatorum ordinem additus ac legioni præpoſitus, Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 52. In hunc Tertio Juliano ablata Prætura collata eſt, *Hiſt. l.* 4. *c.* 39.

PLO-

PLOTIUS Grippus, nomen Romanni illuſtris Viri, ad quem extat Papinii Statii *Riſus Satur. l.* 4. *Sylv.* 9. ubi *Animadv.* Barthii vide.

PLOTIUS, prænomine *Marcus*, centurio Cæſaris, in colloquio ad Apſum fluvium, à Pompejanis vulneratus. Cæſ. *l.* 3. *de Bello Civ. c.* 19.

PLOTIUS Tucca, ut eum vocat Cornutus, vetus Perſii interpres, qui de Tucetis loquens Galliæ Ciſalpinæ, prius ait dictum *Tucetam*, poſteà verò appellatum eſſe *Tuccam*. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 40.

Plotius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque
Occurrunt: animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.

L. PLOTIUS, poëta, qui, teſte *Tulliô*, carus fuit C. Mario, quia geſta ſua ab eo celebrari poſſe arbitraretur. Vide & *Lucius*.

PLOTUS, vide PLAUTUS.

PLOUM, in *veterib. Gloſſis, quod habet duas rotas*, aratrum; cujuſmodi fuit, quod Galli *plaurati* aut *plammorati* vocabant, ut auctor eſt Plinius, *l.* 18 *c.* 18. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PLOXIMUM, Italis Tranſpadanis olim dicebatur capſum: Unde Catullus, *Epigr.* 98. *v.* 6. *Gingivas ploximi habet veteris.* Origine Græcâ, à πλέξις enim τρῶξις, πλέξιμον, ut à τρώξιμον; ex πλέξιμον autem *ploximum* fecêre Latini. Et quidem πλέγμα ejuſmodi carrorum & ciſiorum capſum Græci vocant, *Heſychius, Euſtathius*, Alii, qui & πείρινθα. Υ'περτερίην quoque Homerus, *Od.* ζ. *v.* 70. quod interpretantur Grammatici τὸ πλέγμα καὶ τὸ πῆγμα τῆς ἁμάξης; *Sirpeas* Latini aliàs. Ovid. *l.* 6. *Faſtor. v.* 680.

——— *Et in plauſtro ſirpea lata fuit.*

Ubi malè in vulgatis, *ſcirpea* &c. Vide ſuprà *Capſi*, & infrà *Sirpi*.

PLUBIUM, Sardiniæ oppid. *Ptol. Soſſari Nigro. Baudrando* eſt in ora Boreali contra Corſicam. Nunc *S. Reparata*, vicus, 25. mill. paſſ. à Turritana urbe in Septentrionem.

PLUITALIA, *Ptolem. Pluvialia* verò Plinio, *l.* 6. *c.* 32. una ex inſulis Fortunatis, quam *Bacchius Iſola del ferro* vocari ſcribit. *Lanzerotta* verò *Nigro* dicitur. Eſt Occidentalior aliis Canariis, 16. leuc. à Palma Inſula in Meridiem, 6. à Gomera. Circuitus 7. leuc. Hiſpanic. circiter. *Iſla de Hierro*, Hiſpanis.

PLUMA, in avibus aliud, aliud penna. Fridericus II. Imperator *de Arte Venandi, l.* 1. *c.* 45. *Nam* plumas *dicimus, quæ habent cannulas in radice, & coſtam procedentem, per medium gibboſitatis, uſque ad ultimum earum. Hæ plumæ naſcuntur per totum corpus, & cooperiunt cutem: ſed* pennas *dicimus, quæ habent majores cannulas, radices ſibi & ſimiliter coſtam protenſam per medium piloſitatis uſque ad ſummum. Hæ ſunt majores plumis, & multo magis ſunt ad ſuſtinendum volucrem in aëre, quàm ad cooperimentum cutis*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Quæ tamen non rarò confundi videas. Inde non unus humano generi uſus. Certè *Plumæ*, galeas ac petaſos militum, poſtquam ſetis ex cauda equina, (unde Ι'ππουρις dicta) uti deſierunt, ornare jam olim cœpêre; unde πλέρινον φύλλον *Polybius* vocat. Et quidem, è tribus Carum inventis, primô locô ab Herodoto *in Clio* memoratur, quòd galeis criſtas illigârint: quod non ad ornatum modò, ſed terrorem etiam factum fuiſſe, notum eſt. Vide ſuprà paſſim, inprimis ubi *Gallo gallinaceo Manucodiata, Pavone.* Prætereà hodieque *Plumarum* uſus in culcitis eſt, ac cervicalibus, quam conſuetudinem itidem multi jam ævi eſſe, diſcimus ex Plinio. Ita enim is, *l.* 10. *c.* 22. *Candidorum* (anſerum) *alterum vectigal* in Pluma *eſt. Velluntur quibuſdam locis bis annô. Rurſus plumigeri veſtiuntur; molliorque, quæ corpori quàm proxima, & è Germania laudatiſſima. Candidi ibi, verùm minores, Ganzæ vocantur. Pretium plumæ eorum in libras denarii quini. Et inde crimina plerumque auxiliorum præfectis, à vigilii ſtatione ad hæc aucupia dimiſſis cohortibus totis. Eoque delitiæ proceſſêre, ut ſine hoc inſtrumento durare jam ne virorum quidem cervices poſſint.* Sed ulteriùs longè Heliogabali provecta luxuries eſt, qui non niſi ſubalaribus perdicum pennis culcitras farciri voluit. At ex *plumis*, ſeu *plumos lectos* Anglis ſuis interdixiſſe Henricum V. Regem ſcribit Gobelinus, *Commentar. Pii II. Pontif. Rom. l.* 6. additque, animum ei fuiſſe, ſi totum Franciæ Regnum occupâſſet, vini uſum auferre, omneſque vineas aratrô vertere, nihil tantopere hominum vires, quàm *plumas* & vinum, enervare ratô. Iſtiuſmodi verò lectos ſeu pulvinaria, *Plumacia* dicit *Papias*, eò quòd *plumis* impleantur. Neque aliâ notione uſurpavit Gotefridus Viterbienſis, *Chron. Part.* 9.

Ultimus Aſſyriæ Rex nomine Sardanapala
Fecerat ex pluma plumacia, clauſus in aula,
Facta ſuis digitis culcitra prima fuit &c.

Sed magis admirationem meretur is *Plumarum* uſus, qui apud Gentes totô à nobis Atlanticô diviſas obtinet. Hæ plumulas minutas Pſittaci aliarumque avium diſcolorum, forcipe ad id præparatô extrahunt, apteque ſociant, prout exigit opus id, quod paratur. Nunc enim pileos, perizomata, veſtes; nunc aulæa, tapetiaque; nunc clypeorum & enſium ornamenta, inde concinnant, imò & imagines, aptè adeo unumquodque referentes, ut ſubinde illa exſuperent, quæ penicillô habemus expreſſa. Ad quod licèt variarum avium plumulæ ſint idoneæ, facilè tamen principem merentur locum, exiguæ illæ in tractu Mexicano, haud apibus majores, & harum inſtar, rore ex floribus collectô viventes gliriumque inſtar totam dormientes hyemem: quarum plumulæ vel ſolæ operi ſufficere plumatili creduntur. Et quidem ejus generis, aliarumque avium diſcolorum plumulæ, divendi in America nundinarum tempore ſolent: imò opes multorum in iis ſolis ſitæ ſunt: qua de re vide plura apud Ulyſſem Aldrovandum, *Ornitholog. tom.* 2. *l.* 9. *p.* 856. compluriaque id generis conſpicere eſt, in Amſtelodamenſium Urbe. De Sinenſibus quoque; avium diverſicolorum pulcherrimarum, quas Quangſia in *Queilin* habet, plumas pulchrô amœniſſimôque ad aſpectum colore, pannis ſericis intertexere, refert Auctor Anon. *Sinæ & Eur. c.* 37. Exiſtimant autem eruditi quidam, nec Antiquis artem hanc penitùs ignotam fuiſſe, dictoſque *Plumarios*, qui ex plumis veſtes texerent: ita apud Nonium vocari Varroni *Cat.* ſive *de liberis educandis*: item Vitruvio, *l.* 6. *c.* 7. Sed omnino adſentiendum, per Textores *plumarios*, intelligentibus eos, qui acu veſtes, ad modum *plumarum*, pingerent. Sic *plumatiles* veſtes πεποικιλμέναι, ac ſimiliter Publ. Syro *Plumatum aureum Babylonicum*, quòd aurum purpuraque acu inſuerentur tapetibus Babylonicis: Item Vopiſco, *in Carino*, *c.* 20. tunicæ *micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles*: quem in locum multa præclarè de hac Arte Salmaſ. ὁ πάνυ annotavit, Gerh. Joh. Voſſius, *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 97. Anton. Thyſius JC. *Notis in A. Gellium, l.* 2. *c.* 6. *ubi verſus citatur* 770. *ex Æneid.* 10.

——— ——— *Quem pellis ahenis*
In Plumam *ſquamis aurô conſerta tegebat:*

In ſimilitudinem, inquit, *plumæ. Plumæ autem propriè erant in veſtibus, notæ rotundæ ex auro vel purpura, inſtar plumarum, intertextæ ac variatæ. Ita & laminæ rotundæ vel circuli ferrei, plumæ dicebantur. Sed propriè de veſtibus: hinc & Plumarii dicti. De Arte plumandi ita Turnebus, l.* 11. *c.* 21. *Species quædam propriè eſt acu pingendi, cùm clavi, aut patagia, aut ſegmenta, aut ſcutulæ, aut teſſellæ ſic aliæ aliis in veſte ſuperaſſuuntur, ut plumam avium referant: unde & Plumariorum & plumandi nomen ortum eſt, per ſimilitudinem traductum, aut cùm, ſine aſſumento, acu pingendo plumæ avium referuntur. Quinetiam ad Artem textoriam vel inſertiones laminarum refertur. Servius, Pluma eſt armatura, ubi in laminam ſe indit. Conjungit hic Poëta ſquamas cum plumis* &c. Meminit *Plumatilis* veſtis Plautus, ubi varia muliebrium veſtimentorum nomina conglomerat, *Epidic. Act.* 2. *Sc.* 2. 49.

Cumatile aut Plumatile, *cerinum aut melinum, gerræ maximæ.*

In quæ verba Octav. Ferrarius *de Re Veſtiar. l.* 3. *c.* 20. *An veſtis*, inquit, *confici poſſit ex plumis, haud ſcio. Veriſimilius eſt, clavis diſtinctam fuiſſe opere Phrygionis, qui plumarum formam referrent, unde opus Plumarium.* Ubi, quod haud ſcire ſe profitetur, ex Americanis ſuprà memoratis, edoceri potuit: Ipſe manicam, cui frigoris arcendi causâ manus hybernô tempore inſeri ſolent, ex *Plumis* ſcitiſſimè confectam, operâ Pellionis Baſilienſis, non ſine voluptate haud pridem vidi. Sed de opere *Plumario* infrà pluribus agetur. Hic verò non omittendus *plumarum* in bello uſus, quarum adultarum fœdô nidore Ambraciotæ Romanos, urbem obſidentes & cuniculô occultô acto acriùs imminentes, non parùm morati ſunt, uti pluribus exponit Liv. *l.* 38. *c.* 7. Vide quoque ſuprà in voce *Dolium*: ut & aliquid, ubi de *Paganica pila*, it. voce *Pila*, nec non infrà in *Tufa*.

PLUMACIUM, apud Anaſtaſium Biblioth. *in Sergio, In quo interiùs* plumacium *ex holoſerico ſuperpoſitum*: Dominico Macro pulvinar ex *plumis* eſt. Aliis opus *Plumariorum* arte, de quâ infrà, factum. Sed Ambroſius, *l.* 5. *c.* 27. ubi de Hygini exilio agens, ſenem hunc abſque pulvinari ac veſte non fuiſſe expellendum ait, hâc ipſâ voce utitur, *Ne ſine veſte, ſine plumacio, pateretur extrudi ſenem.* Vide ſuprà, ut & in voce *Plumella*.

PLUMARIA Ars, Veterib. celebrata, *Jac. Cujacio, Bulengero, aliis*, cenſetur ſic vocata, eò quod Artifices iſtiuſmodi primitùs veſtimenta ex avium conficerent *plumis*. Prudentius, *Hamartig. v.* 294.

——— *Hunc videas laſcivas præpete curſu*
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis

Corripus, *l.* 2.

——— ——— *Sedemque paternam*
Conſtructam plumis, pulchriſque tapetibus altam.

Et Seneca, *Ep.* 91. *Non avium plumæ in uſum veſtis conſervantur.* Varro, *Nulla, quæ non didicit pingere, poteſt judicare, quid ſit bene pictum à Plumario* &c. Cujuſmodi texturæ Philoctetes primus inventor fuiſſe traditur, qui in Inſula Lemno diu verſatus in ſumma rerum inopia, avium, quas configebat, carnibus veſcebatur, & plumis induebatur. Q. Smyrnæus, *l.* 9. *v.* 356.

——— ——— Α'μφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
Οἰωνῶν πτερὰ πολλὰ περὶ λεχέεσσι κέχυντο
Α'λλα δὲ οἱ συνέραπτο περὶ χροΐ · χείματος ἄλκαρ
Λευγαλέ8 ———

——— ——— *Plurima circùm*
Pluma avium ſtrata in thalamis hinc inde jacebat
Pars conſuta grave à pallenti corpore frigus
Arcebat. ———

Accius Poëta Tragicus in *Philoctete*, apud Cenſorinum *de Die Nat. c.* 28.

Pro veſte pennis membra textis contegit.

Item apud Varr. *de L. L. l.* 5.

——— ——— *Ingemiſcimus,*
Quòd hæc pennigero, non armigero in corpore
Tela exercemus.

Quem Acci locum citat Cicero, *Ep.* 33. *l.* 7. & ad priorem ſic idem alludit, *de Finib. l.* 5. *Philoctetes, ut apud Accium eſt, pennarum contextu corpori tegumenta faciebat.* Hanc induſtriam poſteà imitati ſunt aucupes, teſte Plutarchô, *de fortit. Alex. l.* 1. Πτερωτοῖς ἀμπισχόντες χιτωνίσκοις, ἀγρεῖς ἐπιχειροῦντες ὀρνίθων, *Plumeis integuntur veſtibus, cùm avium venationes aggrediuntur*: ut videl. aves hâc ſpecie deluſæ incautiùs accederent. Tandem res ceſſit in luxum; ut videre eſt in Prudentii aliorumque verbis ſuprà adductis. Et verò vix quidquam eſt hôc artificiô mirabilius, quod multis abhinc ſeculis intermortuum Americanorum operâ

incipit reviviſcere, uti dictum. Vide Fullerum ex Corteſio & aliis, *Miſcellan. l. 1. c. 20.* An verò harum veſtium artifices à Vulgato Interprete deſignantur, quoties *Plumariorum* aut *Plumarii operis* in Exodo meminit? Ita definiunt modò dictus Fullerus & Scaliger in *Varron.* Bochartus *Plumarii* vocem putat patere latiùs; cùm reſpondeat Hebræis רקם & חשב, quarum prior *Acupictorem* propriè ſignificat, poſterior Polymitarium, neutra Plumarum textorem. Et ſi *Plumarius* is ſit, qui aulæa aut veſtes texit ex plumis, cur Exodi, *c. 35. v. 35.* opera ejus texi dicuntur, non de pluma, ſed de *hyacintho ac purpura, coccoque & byſſo?* Cui ſimile eſt, quòd Exodi, *c. 39. v. 23.* *fit Aaron cingulum de byſſo retorta, hyacintho, purpura ac vermiculo bis tincto, arte plumariâ.* Ut artem hanc verſatam fuiſſe palàm ſit in textura byſſi, purpuræ &c. non plumarum. Cur ergo *Plumaria* dicta? Quia, ut Turnebus, *Adverſar. l. 11. c. 21.* ait, ſpecies quædam eſt ſolerter acu pingendi, cùm clavi, aut patagia, aut ſegmenta aut ſcutulæ aut teſſellæ, ac aliæ aliis in veſte ſuperaſſuuntur, ut avium *plumam* referant &c. aut, cùm ſine aſſumento acupingendo *plumæ* avium referuntur; cujuſmodi opus *cumatile* aut *plumatile* Plauto dicitur, ut vidimus &c. Interim non rejicienda Fulleri ſententia videtur, *Miſcell. Sacror. l. 1. c. 20.* Artem *plumariam* circa ipſas avium plumas primitus verſatam eſſe, inde verò Polymitariam & Acupictoriam occaſionem ſimul ac nomen hauſiſſe. Hoc certum, poſtmodum *Plumariam* artem eam appellatam fuiſſe, quam Ποικιλτικὴν vocabant, ac dictos *Plumarios*, qui *plumas*, atque adeò alias florum v. g. animalium, hominumque figuras, aut acu pingebant aut arte textoriâ exprimebant in ſerico: ſed & *plumas* imitatione itidem verarum plumarum, vocârunt Veter. notas ex auro vel purpura rotundas, quibus veſtes intexebantur & variebantur, quaſque etiam *clavos* dixerunt, & *oculos.* Unde *veſtes purpurâ oculare*, apud Tertullian. *de Pudic.* & Hebræi quoque maculas in veſtibus rotundas, acu *Plumarii* intextas, *ocellos* appellavêre; qua de re vide infrà, in voce *Plumatum.* Pronuntiârunt verò artem hanc ποικιλτικὴν Texturæ ſpeciem Veter. Pollux, ποικιλτὴν δὲ Αἰσχίνης Τιμάρχου κατηγορῶν εἶπεν· ἔστι δὲ τοῦτο ὑφαντικὸν εἶδος. Inde *Plumarii textores.* Firmicus, *Faciens Linteones, aut tunicarum Textores plumarios.* Linteones in tela texebant, *Plumarii* textores acu lintea variabant, qui & *texere* dicebantur, non pectine, ſed *acu.* Hinc *Plumariorum Textrina*, apud Vitruvium, *l. 6. c. 7.* Indidem & *plumare* pro texere poſitum Adhelmo *de laudibus Virginit.*

Candida pòſt ſequitur cum binis martyra ſertis:
Integritas nitidam, nec non & paſſio rubram
Plumabant pariter mactâ virtute coronam.

In veter. Schedis MSS. *rapiô lintea texere*, pro acu pingere, reperit Salmaſ. *Aliqua nobiliſſima mulierum duo tenuia lintea palladiis artibus unius in telæ volumine rapiô delicatiore texuerat.* Ubi *rapium delicatius*, eſt acus delicatior, à verbo ῥάπτω, ῥαπεὺς & ῥαπεῖον &c. Erant verò *Plumarii* duûm generum, ut jam ſuprà indigitatum, Phrygiones nempe & Babylonicorum pictores: Namque & hi, qui Babylonica periſtromata variis coloribus intextis pingebant (quam Artem Babylonem maximè celebraviſſe & nomen impoſuiſſe, refert Plin. *l. 8. c. 48.*) *Plumariorum* nomine venêre. Quos dum à Phrygibus ita ſeparat Tertullianus, ut Phrygibus *inſuendi* artem, Babyloniis *intexendi* tribuat, corrigitur à Salmaſio, ut vidimus ſuprà, ubi de *Phrygionibus.* Verum autem inter utroſque diſcrimen quodnam fuerit, dictum ibid. Diverſi ab utriuſque fuêre Polymitarii, qui pectine, quod hi acu, effecêre: interim & ad illos tandem *Plumariorum* nomen ſeſe extendit. Cùm enim *plumare* nihil aliud eſſet, quàm plures notas in modum plumæ factas veſtibus cum pictura intexere, aut acu addere: poſteà id verbi de quacunque variegatione cœptum eſt uſurpari. Inde *Plumarii* dicti, οἱ ποικιλταὶ, cujuſcunque illi generis eſſent, & quôcunque modô variare ſcirent veſtes ac pingere: quod idem verbo quoque *virgare* contigit. Hoc namque cùm propriè ſignificet, virgis in longum latumque tranſverſim poſitis variare ac maculis quadratis, operi reticulato ſimilibus, aliquid diſtinguere, quô genere ſolebant Gallorum veſtes ornari: non dubitârunt Auctores, quamlibetcunque macularum varietatem exprimere volentes, eam hôc verbô uſurpativè deſignare. Sed de hac voce infrà. Vide Salmaſ. *ad Vopiſcum in Carino, c. 20.* *Jam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyrô & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.* Ubi *plumandi* verbô utitur, quod *operi plumario operam dare* denotat. Longè aliô ſenſu idem adhibet, in *Carm. de Sodoma* Cyprianus, an Tertullianus?

Viderit Eridanus ſi qua illic populus albet,
Aut ſi quis plumat *ſenio modulatior ales.*

Hîc enim de avibus in ſenſu proprio uſurpatur, pro *plumis veſtire.* Nonius, *Pilare dictum eſt, ut plumare, pilis veſtiri.* Gellius, *l. 2. c. 29.* *pullis jamjam plumantibus.* Et *l. 9. c. 4.* *Corporibus hirtis & avium ritu plumantibus.* Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ. c. 22.*

PLUMATUM Babylonicum, apud *Publ. Syrum*, ubi de pavone ait,

Plumato *amictus aureo Babylonico.*

quibuſdam idem eſt cum *purpureo.* Quia in *Periplo* Arrianus purpuræ meminit, ex Apologo Babylonis urbe, ad Euphratis oſtium. Et τὸν Βαβυλώνιον κόκκον laudat Philoſtratus, *Ep. 28. ad mulier.* Proinde *Pallium Sinar* ſeu *Babylonicum*, Joſ. *c. 7. v. 21.* Rabbi Chaninæ eſt *pallium ex purpura Babylonica*; & Hieronymo *coccineum*, Bochartus verò per *plumatum* intelligit *varium.* Quia, ut ex Plinio patet, *colores diverſos pictura intexere Babylon maximè celebravit & nomen impoſuit.* Eò nos ducunt hæc Æliani de pavone, *l. 5. c. 21.* Δεικνὺς φιλοπόνως τὸ τῆς πτερώσεως πολύμορφον ὑπὲρ τὴν τῶν Μήδων ἐσθῆτα, καὶ τὰ τῶν Περσῶν ποικίλματα, *Ambitiosè oſtentans pennarum ſpeciem multiformem, ſupra Medorum veſtem & Perſarum varios colores.* Unde Antiphon, *Orat. de pavonibus contra Eraſiſtr.* quem citant Athenæus, *l. 9.* & Ælian. *cit. loc.* pavones, verô nomine, i. e. ταῶνας, nunquam appellat, ſed ſolùm ὄρνεις ποικίλους, *aves varias*; quaſi hôc ipſô ab aliis maximè diſtinguantur. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 1. c. 20.* Atque ſic paſſim, *plumatæ veſtes*, & *plumatiles*, & *plumata Babylonica*, quæ pluribus *plumis*, h. e. notis ex auro vel purpura rotundis & in modum plumarum factis, quibus veſtes intertexebantur & acu variabantur, ſparſæ erant. Nonio, *veſtis plumatilis eſt clavata, aut ex clavis facta.* Theodoretus in 2. Reg. *Quæſt.* 28. καρπωτὸν vocat: כתנת פסים ὁ μὲν Ἀκύλας χιτῶνα καρπωτὸν ἡρμήνευσεν ἀντὶ τοῦ καρποὺς συνυφασμένους ἔχοντα, οἱ νῦν δὲ αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικὸν, *Aquilas quidem tunicam carpotam interpretatus eſt, tanquam fructus habentem, quod hodie* Plumaricum *vocant* &c. Nempe *plumas*, ut dictum, iſtiuſmodi notas in veſtibus vocârunt. Sic laminas rotundas vel circulos ferreos, & quibus loricæ ſuccudebantur, *plumas* etiam dixerunt, quòd plumarum referrent ſimilitudinem, & *ſquamas*, quòd ſquamarum. Unde *plumata lorica*, ex laminis ferreis in modum *plumæ* confertæ. Virg. *Æn. l. 11. v. 770.*

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenô
In plumam *ſquamis aurô conſerta tegebat.*

Ubi *ahenis in plumam ſquamis*, i. e. æreis bracteis in plumarum aut ſquamarum ſimilitudinem. Ad quem locum Servius ex Salluſtio, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Tales *loricæ plumatæ*, de quibus Juſtinus, *l. 41. c. 2.* ubi de Parthis, *Munimentum ipſis, equiſque loricæ* plumatæ *ſunt; quæ utrumque toto corpore tegunt.* Et Amm. Marcellin. de iiſdem, *l. 24.* *Romani hoſtem undique laminis ferreis, in modum* plumæ *tenuis, contectum* &c. *laceſſebant.* Quomodo de Sarmatis & Quadis idem habet, *l. 17.* *Loricæ ex cornibus raſis & levigatis*, plumarum *in ſpeciem, indumentis inexa.* Unde lux Statio, *Theb. l. 4. v. 268.*

——— ——— *aſpera plumis*
Terga, Cydonæâ corythos arundine pulſat.

Et, *l. 11. v. 543.*

——— *altè enſem germani in corpore preſſit,*
Quà malè jam plumis *imas tegit inguina thorax.*

Sam. Bochart. *Hieroz. part. prior. l. 1. c. 3.* Vide quoque infrà in *Plumeum.* Quæ verò in veſtibus *plumæ*, σημεῖα Græcis, Latinis *notæ* & *ſigna* dicta: Unde χρυσόσημος veſtis & πορφυρόσημος, *aureis purpureiſque notis inſignita*; ut contrà ἄσημος, quæ nihil auri & purpuræ intextum haberet. Virg. *l. 1. Æn. v. 652.*

——— *pallam ſignis auroque rigentem.*

h. e. *ſignis aureis aſperam*, χρυσόσημον. Ovid. *l. 6. Met. v. 577.*

Purpureaſque notas filis intexuit albis.

Quintilian. *l. 8. c. 5.* *Porrò ut adfert lumen clavus purpura locô inſertus, ita neminem dedeceat intertexta notis pluribus veſtis.* Clavos autem etiam Latini vocabant, ut Græci ἥλους, à figura. Variis enim figuris, quà rotundis, quà quadratis, Veterum luxuria luſit in veſtibus aurô purpurâve illudendis: quarum quæ rotundæ erant inque circulum flexæ, *plumas* propriè, ut dictum vocitârunt Latini & fortaſsè etiam *clavos*; namque & horum capita rotunda. Unde ἀσπιδίσκοι Græcis. Dixerunt & *oculos*: Hinc *veſtes purpurâ oculare*, apud Tertullian. *de Pudic.* *Sed enim pleroſque Interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in veſtibus purpurâ oculandis ſæpiſſimè evenire eſt.* Purpurâ clavare veſtem, & purpurâ oculare, idem erat. Hebræis quoque maculæ in veſtibus rotundæ, Plumarii intextæ acu, *ocelli.* Hinc verbum שבץ *veſtem oculare*, Et *opere plumariô oculos veſti intexere.* Et השבץ *quod oculatum eſt* & *oculis intextum*: Palas annulorum & illos veſtium ocellos eodem nomine apellârunt. Sic Græci σφραγῖδας & de annulorum palis & de veſtium ſignis ſive clavis dixerunt. *Heſychius*, σφραγίδες, αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων καὶ τὰ τῶν ἱματίων σημεῖα. Σφραγὶς eſt gemma ipſa, *pala* autem pars annuli, quæ gemmam cohibet, *palea* quoque & *paleta* dicta. Hæc rotunda erat & cava: unde & veſtium clavi rotundi ita dicebantur à figura. Sed & κέγχρους rotundas iſtiuſmodi macularum in acupictis formas, Græcis appellari conſueviſſe, diximus ex *Athenæo.* Quô nomine etiam inſignivêre poculorum emblemata, & ſigna, quibus aſperantur, quòd *milio* ſimillima eſſent, &c. Fiebant porrò & intexebantur veſtibus etiam quadrati clavi: quos Salaminii κύβους vocârunt, à teſſerarum forma, teſte *Heſych.* *teſſeras* quoque Latini; recentiores Græci ταβλία vel ταυλία, h. e. *tabulas*, ita enim & teſſeras dicebant. *Tabulas* tamen infimæ Latinitatis auctores appellârunt etiam orbiculos illos ligneos vel eboreos, h. e. calculos; quibus in tabula luditur. Sic *tabula* & ταβλία in veſtibus, rotundi clavi fuerint. Anaſtaſius in *Leone III.* alibique paſſim iſtiuſmodi tabularum & orbiculorum, quibus veſtes aut vela clavabantur, meminit. Ταβλία χρυσᾶ & πορφυρᾶ, pro *clavis aureis & purpureis*, in Faſtis Græcis. *Plumas* Latini, ut non ſemel dictum: & hinc Græci recentiores Πλουμία, de qua voce mox dicetur. A' *plumis* illis igitur, h. e. clavis, quibus veſtes interxebantur, *Plumarum opus* & *Plumarii* Textores dicti, non ſolùm qui clavos veſtibus inſuerent ſeu intexerent, ſed & qui quôcunque genere picturæ, quibuſcunque coloribus & figuris variatas veſtes, acu pingerent. Unde, quod obiter noto, *clavata* veſtis non eadem cum *picta* fuit. Clavata enim, unius formæ clavos, aureos aut purpureos ſuis locis inſertos & inſutos habuit: picta verò diverſis coloribus intexta fuit, ac varias rerum animaliumque formas acu impreſſas oſtendit; cujus differentiæ exemplum in Toga picta & Tunica palmata Romanorum; quæ cûm utraque veſtis eſſet purpurea ac triumphalis, altera nempe Toga, picta fuit, ποικίλον περιβόλαιον & ποι-

ποικίλη ἐσθὴς, Dionyſio, *l.* 3. altera; nempe Tunica, aurô clavata fuit, eidem χρυσόσημος ſemper dicta. Poſteà verò, cùm ſub Imperatorib. & tunicæ triumphales pingi eſſent cœptæ, & à picturæ genere, ſeu argumento (quod palmas ſcil. intextas haberent, cùm priùs à clavorum latitudine *clavatæ* dicerentur) *palmatæ* appellarentur, confundi hæc nomina inceperunt, & pictæ quoque Togæ paſſim *palmatæ* dictæ, apud medii inprimis ævi Scriptores, qui non aliter eas, quam *Togas palmatas*, vocare conſueverunt. Vide Salmaſ. *ad Vopiſ. loc. cit.* & de virgatis veſtibus, namque & ſic aliquando *plumatæ* dici fuerunt ſolitæ (quamvis *virga* & *pluma* veſtium multùm differrent) infrà.

PLUMBARIA, inſula parva Hiſpaniæ Tarraconenſ. in ora orientali, apud Ferrariam promontor. *Plumbariam* quoque invenio apud *Ptolem.* ſed in Sardoo mari. *Lloyd.*

PLUMBATA, apud Gauterium Cancellarium *de Bellis Antiochenis*, *p.* 453. *Telis, ſagittis,* plumbatis *ferratis & crebris gladiorum ictibus reinvadendo acerrimè percuſſerunt:* Briſſonio jaculi genus eſt, in modum ſagittæ pennis inſtructum, quod Veteres *Sipontinô teſte*, *Manobarbalum* vocabant, planè peregrinô vocabulô, à quo milites, qui *plumbatis* utebantur, *Manobarbali* ſunt appellati: Idem ex Auctore *libelli de Rebus bellicis*, qui *Notitiæ Imp. Rom.* ſubjunctus eſt, *Plumbatæ* duo genera fuiſſe docet: unum, cujus ligno ferrum ad formam venabuli aptatum inſigebatur fiſtulâ ejuſdem ferri parumper extensâ, ſupra quam modicô interjectô ſpatiô, plumbo adhærentes aculei, velut tribuli, emergebant, quæ *plumbata tribulata* appellabatur; Alterum *mamillatum*, cujuſmodi plumbata benè extenſa & directa virga accipiebat in extremitate ſui rotundum & in acumen deductum ferrum, ſimilibus locis, quibus ſuperior in tribulata, plumbo & pennis adhærentibus. Vide Vegetium, *l.* 1. *c.* 17. & *l.* 2. *c.* 15. Car. du Freſne *Plumbata*, in re militari, clavæ ſunt plumbô, quò graviores exiſtant, munitæ, Gallis *Plommées*, in *Gloſſar.* Vide & infrà, *Plumbi verbera.*

PLUMBATORES, dicti ſunt, qui *plumbeas bullas* Pontificum diplomatis appendunt, Veſtr. Octavianus, *Introduct. in Rom. aul. act. l.* 1. *c.* 3. & ex eo Herm. Hugo *de prim. ſcrib. orig. c.* 31. *p.* 192. Quid *Bulla* propriè, notum: hinc ad diplomata Imperatorum, ab Imperatoribus ad Papalia, tranſlata vox: quæ *Bullæ* dicta, à ſigillo, quô munita erant, quod, quia bullam, Græce πομφόλυγα, referebant, hoc nomen aſſumſit: Sigillum enim ceræ protuberanti, inſtar orbiculi vel umbilici, imprimebatur. Aut potiùs, ut Salmaſius cenſet, *de Subſign. Teſt. c.* 32. *p.* 325. quia *bullæ* formam haberent & eôdem modô dependerent è chartis, ut illæ ex pectore prætextatorum, apud Romanos, quibus in more fuit poſitum, bullam auream ſuſpendere in pectore puerorum & triumphantium, qua de re vide Aſconium *in* 3. *Verrin.* Inde *bullare*, Græcè βουλλεύειν, i. e. *ſignare*, Doctores *bullati*, ἀβούλλωτα &c. Quadruplices autem bullas fuiſſe, diximus in voce *Bulla:* è quibus ultima *plumbea* erat, Græcè μολυβδόβουλλον, quâ Imperatores muniebant literas, ad Deſpotum, Patriarcham, Sebaſtocratorem & Cæſarem; ad hos enim ſcripſiſſe, διὰ μολυβδίνης βούλλης, ait *Codinus.* Ab Imperatoribus res fuit delata ad Patriarchas, ut diſcimus ex Sanctis quorundam Patriarcharum, quæ extant, *Tomo I. Juris Græco-Rom.* alibique, qui præter ceream praſinam (rubrâ enim ſoli Imperatores utebantur) etiam plumbeam adhibebant: quæ ſola poſteà Pontificibus Romanis placuit, à quibus Venetorum Ducibus ejuſdem uſum conceſſum eſſe, Alexandro ſedente, ait Sabellicus, *l.* 7. *Decad.* paulò aliter rem referente Obbone vetere Hiſtoricô, *qui*, apud eundem, *duplici Venetos Principes ad eam diem ſignandi formâ uſos fuiſſe, ut publica monumenta plumbô: epiſtolas ac reliquos libellos cerâ, communirent; ſed tum primùm Alexandrô auctore receptum eſſe, ut in his quoque plumbô illi uterentur*, ſcribit. Duplex autem Pontificum hoc μολυβδόβουλλον ſeu *plumbea bulla* eſt, *ſimplex*, ubi ab una tantùm parte ſignum impreſſum, & δίπτυχος, ubi ab utraque, quæ poſterior in cera δίκηριον fuit dicta, annotante Salmaſiô, ubi ſuprà. Hic itaque bullandi mos Pontificibus, ut ante coronationem ſubſcribant, *Datum annô I. die tertiô* e. g. ſuſcepti à nobis officii Apoſtolatus, ſigillentque tum non niſi bullâ ſimplice, i. e. tali, quæ habet tantùm ab una parte DD. Petri & Pauli imagines, in plumbo, ex altera verò parte plana eſt: poſt coronationem autem, ſcribant, *Datum Annô Pontificatus noſtri*, & duplici utantur bullâ, cum prædictis videl. imaginibus ab una & nomine Pontificis, ab altera parte, vide Gregor. Tholoſanum, *Syntagm. Juris Univerſ. l.* 15. *c.* 3. *n.* 24. *& ſeqq.* Atque hanc qui appendunt, *Plumbatores.* Cœterùm, non appenditur, niſi magni momenti diplomatibus; breve verò Apoſtolicum, quod eſt diploma vel reſcriptum Papæ vel Pœnitentiarii magni ſcriptura exigua, in parvis conceſſa negotiis in papyro, eam non habet: ſed in cera rubra imprimitur annulus Piſcatoris, ut refert idem, *l.* 17. *c.* 15. *num.* 13. De origine hujus Bullæ Pontificiæ ex Polydoro Virgilio, *l.* 8. *de Inventor. rer. c.* 2. Auctor *Apologiæ antiq. Academiæ Oxon. l.* 1. *num.* 114. *p.* 62. *Conſtat Agathonem, quô ſedente magna ſedi Romanæ facta eſt honoris acceſſio, in cera annulô impreſſiſſe ſigilla, verùm poſteà, cùm Romanus Pontifex, multa irrogaret privilegia, ut diplomata diuturniora forent. placuit Stephano III. atque dein Hadriano I. tabulas Apoſtolicas plumbô obſignari. Fuit is annus Salutis* 772. *cùm ipſe Hadrianus factus eſt Pontifex, nam antiquius non reperitur ſigillum plumbeum.* Vide Gerh. von Maſtricht JCtum, *Hiſtor. Juris Pontific. num.* 407. & ſuprà ubi de *Bullis Pontificiis.*

PLUMBEA Selibra, apud Martialem, *l.* 1. *Epigr.* 100. *v.* 14.

Et ſeptem veteres tui ſodales
Conſtemus tibi plumbeâ ſelibrâ:

Farnabio notat *aneæ monetæ duos teruncios*, ſed ineptè, judice Gronoviô, quia teruncius Romanis fuit nummus argenteus. Duodecim itaque aſſes hîc vult intelligi: namque æs Martialis tempore conſtabat ſemunciâ æris, ita ut ex libra æris fuerint 24. aſſes. Salmaſio *Plumbeam monetam* Poëta hîc non uno in loco vilia æris nomiſmata appellat, quibus plumbi multum admixtum. Uti enim aurum argentô, argentumque ære, ſic æs *plumbô* adulterabatur, ac miſcebatur etiam publicè. Inde quadrantes æreos idem Martialis quoque, *l.* 10. *Epigr.* 74. vocat *plumbeos*, *v.* 4.

——— ——— *Togatulos inter*
Centum merebor plumbeos *die totô:*

per contemtum nempe, quia plurimum iis admixtum *plumbi;* quô ſenſu alibi *nigram monetam* dixit, & *l. c. ſelibram plumbeam;* i. e. ſex ſeſtertios nummos æreos, ut ipſe explicat, *ad vet. Rationale Imp.* ubi eos falli docet, qui *plumbeos* hos Martialis *nummos* accipiunt, pro nummis ex plumbo, & diſcrimen faciunt quadrantis ex ære fuſi, & plumbei cuſi. Quaſi, inquit, non aurei, argentei æreique nummi funderentur ſimul & cuderentur; unde illa *ære, argentô, aurô, flando, feriundo.* Cujuſmodi metallorum mixturas publicè privatimque prohibuit Tacitus Imperator, pœnâ capitis propoſitâ, & bonorum proſcriptione. Ita enim de eo Flav. Vopiſcus, *c.* 9. *In eadem oratione cavit, ut ſi quis argento publicè privatimque æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, ſi quis æri* plumbum, *capital eſſet cum bonorum proſcriptione.* E quibus obiter noto ſtellionatus pœnam capitalem fuiſſe. Heic namque propriè ſtellionatûs crimen obtinet, in adulterandis ſcil. metallis & miſcendis. Veteres Grammatici, *Imponere, per fraudem aliquid facere aliquando dicitur. Unde impoſtura vocatur, cùm argentum vel aurum viliori metallô adulteratur, & qui hoc facit, impoſtor vocatur. Impoſtura & Stellionatus idem.* Salmaſ. *ad d. l.* Pignorius verò, nummos aliquot veter. Romæ alibique erutos, *plumbeos* verè omnes, ſibi oblatos memorat, illoſque averſos & adverſos exhibet ſpectandos in tabella, operi *de Servis* ſuo inſertâ. Vide quoque Lipſium, *l.* 6. *de Aſſeclis.* Et meminit hujuſmodi nummorum etiam Plautus, *Caſina*, *Actu* 2. *Sc.* 3. *v.* 40.

Cui homini hodie peculî nummus non eſt plumbeus.

Item, *Trinummô Actu* 4. *Sc.* 2. *v.* 120.

Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.

Et, *Moſtellariâ*, *Actu* 4. *Sc.* 2. *v.* 11.

SER. *Tace ſis Faber, qui cudere ſoles* plumbeos
Nummos &c.

PLUMBI Fratres, ſeu *de Plumbo*, in Aula Pontificis quinam dicti, vide ſuprà, ubi *de Bullis Pontificiis*, item voce *Inalphabeti.*

PLUMBI Verbera, *in l.* 7. *de exactionib. in Cod. Theodoſ.* pœnæ genus, quod *plumbatô*, h. e. flagellô, cujus lora plumbeis globulis in extremo inſtructa erant, infligebatur. Idem cum *Plumbatarum verberibus*, de quibus *in l.* 2. *de exact. tribut. l.* 10. *C.* alibique paſſim. Unde *l. un. C. de his qui potentiorum nomine*, præcipiunt Imperatores eos, qui in potentiores litem tranſtulerint, *plumbô adfectos*, relegari &c. Vox & ſupplicii genus frequens, inprimis in *Vitis* Sanctorum. Ambroſius *de Paſſione Gervaſii & Protaſii*, *Tunc indignatus Comes Aſtacius, juſſit eum tamdiu de* plumbatis *contundi, quandiu exhalaret ſpiritum.* In *libello Paſſionis Valeriani, Tiburtii & Maximi Martyrum*, *Igitur cùm perveniſſet ad Almachum, quòd Maximus cornicularius, cum ſuis omnibus eſſet factus Chriſtianus, juſſit eum tamdiu* plumbatis *tundi, quamdiu ſpiritum redderet* &c. Nobilibus tantùm irrogari conſueviſſe, ſicut equuleus plebejis, ex Prudentio colligitur, qui, de S. Romani Martyrio agens, cùm in eum equuleus paratus fuiſſet, hoſtes, comperto Nobilem eum eſſe, illô remotô, plumbatis fuiſſe uſos, ait, *v.* 114.

Jubet amoveri noxialem ſtipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum;
Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,
Plumbôque cervix verberata extuberet.
Perſona quæque competenter plectitor:
Magnique refert, vilis, an ſit nobilis.
Gradu reorum forma tormentis datur.

At ſuppliciô hôc mulctare nefas ingenuos homines, ab eoque omnem Curialem ordinem exemtum fuiſſe, docet *Cod. Theodoſ. l.* 80. *de Decur. l.* 4. & 7. *de exact. l.* 54. *de Hæret.* & *l.* 3. *de Quæſt.* Qua de re vide Macros Fratres *in Hierolex.* Auctoreſque laudatos Briſſonio *de Verbor. ſignif.* ſed inprimis Meurſium, *in Gloſſar*, voce Πλουμβάτον, & Jac. Gothofredum, *ad l.* 2. *Cod. modò laudati de Quæſt.* nec non ſuprà in voce *Catomidiari*, ac infrà, ubi de *Pœna theatrali.*

PLUMBINUM, vulgò PIOMBINO, oppid. amplum & munitum Hetruriæ, in agro Senenſi, in ora maris Tyrrheni, ſub proprio Principe, è gente Ludoviſia. Cum præſidio tamen Hiſpanicô Medium ferè inter Orbetellum in Eurum, & Liburnum in Circium 50. milliar. utrinque, uti à Senis, 10. ab Ilva Inſul. quæ ſub eodem Principe. Crevit autem Plumbinum ex ruinis Populonii. Fons hîc inſignis, è quo canalibus quinis, ad littus latices dulces ducuntur, in uſum nautarum.

à PLUMBO Villicus, in *veter. Inſcr.* Vide infrà voce *Villicus.*

PLUMBUM, Græcè μόλυβδος, à Midacrito inventum, primumque è Caſſiteride Inſul. apportatum, Plin. *l.* 7. *c.* 56. aliud album, aliud nigrum eſt. De illo idem, *l.* 34. *c.* 17. *Album incoquitur æreis operibus Galliarum inventô, ita ut vix diſcerni queat ab argento ——— Dein verò & argentum incoquere ſimili modô cœpêre equorum maximè ornamentis* &c. Ejus experimentum *in charta eſt, ut liquefactum pondere, non calore, videatur rupiſſe.* De iſto *ibid.* *Nigrô plumbô ad fiſtulas laminaſque utimur.* Genera,

Jovetanum, *Caprarienſe*, *Oleaſtrenſe* &c. Vide totum caput, ut & ſequens, ubi de *Plumbi* vario uſu, in Medicina præſertim; è quibus illud ſolùm depromere placuit, quòd viſa in quiete venerea ſponte erumpentia his laminis Calvum Oratorem cohibuiſſe: & Neronem laminâ pectori impoſitâ, ſub ea cantica exclamâſſe ſicque alendis vocibus demonſtraviſſe rationem, tradit. Præterea in re nummaria, in obſignando, in ſuppliciis, ejus uſus, uti jam vidimus. Sed &, cùm *in palmarum foliis primò ſcriptitatum eſſet; deinde quarundam arborum libris: Poſteà publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta*, Idem Plin. *l.* 13. *c.* 11. Ubi *volumina* impropriè dixit, pro *laminis*: ut magis propriè eas vocat, *l.* 34. *c.* 18. *Chartam plumbeam* appellat Sueton. *in Nerone*, *c.* 20. ubi Caſaubonum vide; & Joſephus *contra Apion. l.* 1. ubi ex eo memorat, ut Bocchoris Ægypti Rex Judæos leprâ ac depetigine laborantes juſſerit εἰς μολυβδίνας χάρτας ἐνδήσαντας, *plumbeis chartis involutos*, in mare dare præcipites. Scriptum autem in *plumbo*, ſtylô ferreô, Jobi *c.* 19. *v.* 23. 24. quomodo Heſiodi ἔργων καὶ ἡμερῶν exaratorum, meminit Pauſanias, *in Bœoticis*: At quia flexile plumbum, poſteà æs in ſcribendo placuit magis; Quam in rem vide Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 35. Manſit tamen alius in ſcribendo ejus uſus: *Plumbum* enim quô præducebantur lineæ, memoratur in veteri *Epigramm.*

Τὸν χροχόεντα μόλυβδον, ὃς ἀτραπὸν οἶδε χαράσσειν,
Ὀρθὰ παραξύων ἰθυτενῆ κανόνα.
Orbiculare plumbum, *quod ſemitam novit ſculpere*,
Rectà radens in rectum extenſam regulam.

Nempe non ſtylô ſolùm ferreô, ſed & *plumbô*, lineas olim præducere ſoliti ſunt, ſcripturam directuras. Hinc in alio *Epigr.*

Καὶ κανόνα τροχαλοῖο κυβερνητῆρα μολύβδου.
Et regulam rotundi directricem plumbi.

Item in alio,

Καὶ μολίβῳ χραστῆρι κανὼν τύπον ὀρθὸν ὀπάζων.
Et plumbô *colorante regula viam rectam exhibens.*

Canon enim ſive regula appoſita *plumbum* dirigebat, ad rectas lineas præducendas, quibus ſcriptura inſiſteret. Catullus, *Epigr.* 22. *v.* 8.

——— ——— *membrana*
Directa plumbô & pumice omnia æquata.

I. e. *plumbô directa ad regulam.* Rotundum autem *plumbum* illud fuiſſe, teſtantur Epigrammata citata, in quibus τροχόεις & τροχαλὸς appellatur. Sic κυκλοτερὴς dicitur, in alio, Κυκλοτερὴς μόλιβος σημάντωρ σελίδων πλευρῆς. Et γυρὸς, in alio, Γυρὸς κυανέης σημάντωρ γραμμῆς. Tenuis videl. è plumbo lamina fuit & in rotundum formata. Latini *præductale* dixerunt, à *præducendis* lineis, Græci recentiores παράγραφον, &c. Vide infrà *Præductal.* Porrò gymnaſticæ ſaltationis genus unum fuit, quô non ſolùm manibus pondúſcula, *halteres* dictos, habebant, ſed & graviora pondera ex plumbo, interdum in manibus, nonnunquam ſupra humeros, aliquando & ſupra caput, imò & in pedibus quandoque, geſtaverunt, ut meliùs exercerentur: quemadmodum videre eſt ex vetuſtæ tabulæ pictura, in qua ſaltantes appoſitiſſimè repræſentantur, ab Hier. Mercuriali Operi ſuo *de Arte Gymn.* inſertâ, *l.* 2. *c.* 11. Vide quoque ſuprà, in *Ceſtus*. Imò & *catapirater plumbus*, quô maris altitudo tentari conſuevit (unde & vocis originem arceſſit *Iſidorus*, quaſi *pilumbum*, quòd *pilis* ex hoc metallo primùm factis id tentatum fuerit, dici aſſerens;) occurrit apud *Lucillium*, qua de re vide ſuprà, voce *Catapirater*. Ut alia omittam. Cœterùm celebre Plinii tempore in Bætica Antoninanum & Santarenſe metallum fuit: *laborioſiùs in Hiſpania erutum totaſque per Gallias, ſed in Britannia ſummo terræ corio adeò largè, ut lex ultro diceretur, ne plus certô modô fieret*, *l.* 34. & 7. *citat.* Hodie ex Suecia magna ejus vis affertur, Auctor Anon. *Orbis Terr. de Commerciis.* Pomoria quoque Orcadum maxima, ejus fodinis celebris eſt. India, uti nec æs, ſic nec *plumbum habet, gemmiſque ſuis & margaritis hæc permutat*, Plin. *ibid.* &c. de *Plumbi* verò *Tyrii* monopolio, à Pythocle, in bonum Athenienſum excogitato, aliquid ſuprà, voce *Monopolium.*

PLUMELLA, apud Gregorium Turon. *de Vitis SS. c.* 8. *Nil autem ſuper eam, cùm quieſceret, ſternebat: niſi tantùm cum veſtimento, quô indutus erat, decumbebat, nec alios habens tapetes,* plumellas, *aut ſtragula, quò hæc operiretur:* Culcitra plumea eſt, ſeu plumis farta, Dominico Macro, *in Hierolex.* Aliàs *Plumacium*, Papiæ: item *Plumeus lectus*, Gobelino *Commentar. Pii II. l.* 6. ubi Henricum V. Angliæ Regem *plumeos lectos* Anglis interdixiſſe: animum etiam ei fuiſſe, ſi Regnum Franciæ totum obtinuiſſet, omnes vineas aratrô vertere, ut qui nihil tantoperè enervare hominum vires, quàm *plumas* & vina putârit, refert &c. Vide quoque infrà, ubi de *Pulvillis plumeis.*

PLUMEUM Opus, apud Dudonem, *l.* 3. *de Moribus*, & *Act. Normannor. p.* 153. *Biſſoſque niveas purpureaſque aurô intextas plumeôque mirabilis artificii holoſerica commiſit*: Græcis recentioribus πλουμίον eſt ſeu πλουμουμίον. Nam *pluma* πλουμίον, ut *fibla* φιβλίον, *lectica*, λεκτίκιον: uti igitur *pluma* Latinis clavus, ſic πλουμίον Græcis eſt. Notus Procopii locus *de Ædific. Juſtiniani*, *l.* 3. Χιτὼν ἐκ μετάξης ἐγκαλλωπίσμασι χρυσοῖς πανταχόθεν ὡραϊσμένος, ἃ δὴ νενομίκασι πλουμία καλεῖν, *Tunica ſericea ornamentis aureis undique variegata, quæ judicârunt* plumea *appellanda.* Ubi clavos aureos intelligi dubium non eſt. *Gloſſæ Baſilic.* πλουμία, ποικιλτὰ ὑφάσματα, *Plumea, variegatæ telæ.* Ad quæ verba, notat Salmaſ. πλουμίον propriè non eſſe ipſum ποικιλτὸν ὕφασμα, ſed ποίκιλμα τοῦ ὑφάσματος, non *ipſam telam pictam*, ſed *picturam telæ.* *Faſti Græci*, σιχάριν ἄσπρον, παραγαύδιν καὶ αὐτὸν ἔχοντα χρυσᾶ πλουμία βασιλικά: *& tunicam albam, paragaudiam, quæ & ipſa habeat clavos aureos regios intextos.* Ubi Salmaſ. obiter obſervat, ταυλίον & πλουμίον confundi & utrumque pro eodem accipi: Nam ταυλία χρυσᾶ βασιλικὰ in præcedd. & πλουμία χρυσᾶ βασιλικὰ idem omnino ſignificant, clavos ſcil. aureos, quibus Imperatoriæ chlamydes tunicæque inoculabantur. Sed & ipſum ὕφασμα *plumeum* ſeu πλουμίον dictum: Unde & πλουμιστὸν cum eo idem facit Car. du Freſne. Niſi potiùs dicas, πλουμιστὸν telam eſſe, πλουμουμίῳ variegatam. Ita certè capienda vox, apud Anonymum de Locis Hieroſolymit. *c.* 1. *extremo*, Καὶ ἡ ἁγία τράπεζα ἔνι σκεπασμένη μέταξα πλουμιστή, *Et ſancta menſa tecta eſt umbraculô, opere plumariô contextô.* Quod nempe ποικίλον καὶ ζωγραφητὸν vetus Græcia dixiſſet, hoc recens & barbara, πλουμιστὸν καὶ ἐξομπλωτὸν quoque dixit, vocibus è Latio mutuatis. Quemadmodum enim à *plumis* Latini *plumare* fecerunt, pro variare & pingere: Ita citimæ ætatis Græci πλουμίζειν ἀπὸ τοῦ πλουμίου deduxerunt & pro ποικίλλειν, *pingere* ſeu *variare*, uſurpârunt. Sic *Euſtathius*, ἐξομπλωτὰ & πλουμιστὰ, eadem facit, veſtes ſcil. variis exemplis & argumentis figuratas & ornatas. Ἐξόμπλον enim dicebant, quod Latini *exemplum.* *Heſych.* ἐξόμπλον ἴσον. Hinc ἐξομπλωτὸν, *exemplatum*, & variis figuris deſcriptum ac depictum. Sic ἐξομπλωτὰ τζουκία, apud *Nicetam* in codice barbarico, *tapetes exemplati & figurati*, pro quo in Græco eſt ἀλλογενεῖ τάπητες, vide ſuprà in voce *Exemplum.* Πλουμιστὸν itaque idem, quod veſtis *picta* ſeu *plumata*, i. e. plumariô opere facta &c. Salmaſius, *l. c.*

PLUMEUM Tomentum, exſculpere conantur nonnulli, ex illo Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 162. cui tit. *Fœnum.*

Fraudatâ tumeat facilis tibi culcita plumâ,
Non venit ad duros pallida cura toros.

Et Hadr. Junius *tomentum Lingonicum* (*Leuconicum* appellatum ipſi, quaſi à candoris præſtantia, quæ tamen ratio Gronovio non ſatisfacit, etſi fere ita MS.) apud Plinium, putat eſſe *farturam plumeam*, Nebriſſenſem ſequutus. Et Barthius, *Adverſar. l.* 11. *c.* 18. ait, tam fuiſſe frequentia Veter. tomenta *plumea*, ut *Plumariorum* peculiare nomen eſſet, qui plumariis operibus conficiendis victitabant. Sed *plumea tomenta*, ignorata Veteribus; nec *Plumarii* tomenta ſtipabant, nec denique plumaria illa opera ex avium fuêre plumis, uti viſum. *Gloſſarium*, *Tomentum* κνάφαλον, quod nempe à γναφεῦσι depectebatur. Nempe hoc veniebat nomine fartum, quod ex materia cæſa, raſa, tonſa, conficiebatur: qualis nec fœni nec plumæ; unde & à *tondeo* vocis originem Eruditi arceſſunt. Hinc *lana tonſa*, i. e. raſa noviſſimô ſui purgamentô, ut Plin. habet, *l.* 29. *c.* 2. tomentum Lingonicum, *tonſæ arundines*, tomentum Circenſe. Clarè Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 57. *v.* 9.

Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Conſtringatque tuos purpura pexa toros.

Nam quod ille *tomentum* in genere dicit lanam brevem forcipibus deſectam aut in poliendo à fullone de pannis rudibus aut interpellatis detractam, quâ infarcirentur culcitæ: hoc Lingonicum eſt, Galliarum inventum, ut atteſtatur Plin. *l.* 34. *c.* 17. ſed hac de re plura infrà, ubi de *Tomento.* In *l. c.* itaque Martialis, primò pro *facilis* Gronovius *fragilis* legi jubet, cum de toris inſeſſis, atque incumbendo depreſſis, proprium verbum ſit, *frangi.* Sic ille, *l.* 2. *Epigr.* 59. *v.* 3.

Frange toros, pete vina.

Et alibi, *l.* 4. *Epigr.* 8. *v.* 6.

Imperat extructos frangere nona toros.

Auſon. *Epiſt.* 2. *v.* 15.

Gramineos nunc frango toros: virideſque per herbas
Lubrica ſubſtratis veſtigia libro lapillis.

Quomodo etiam ſcribendum, apud Claudian. *in laude Serenæ*, *v.* 91.

——— *Si placido ceſſiſſent lumina ſomno,*
Purpura fulgebat violæ fractura cubile
Gramineum, vernatque tori regalis imago.

i. e. præbitura ſe ad fragendum in cubilis vicem, parata frangi ut cubile, &c. Hinc ergo *fragilis culcita*, quæ facilè cedit ac deprimitur. Ut Statius, *in Tiburtino Vopiſci*, *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 72.

Huc illuc fragili proſternit pectora muſcô.

I. e. facili, cedenti, qui frangitur ab illabente & inclinatur. Dein pro *pluma*, docet legendum *mulâ.* Quomodo enim fragilem iſtam culcitam jubeat tumere *fraudatâ plumâ*: verbum namque *fraudatâ* ultimô caſu accipi lex verſûs imperat, nec cæſuram hic agnoſcimus. Veram autem hanc lectionem ſuppeditavit pervetuſtus membraneus codex Thuanæus, in quo planè exaratum:

Fraudatâ tumeat fragilis tibi culcita mulâ.

Cùm altera illa, *pluma*, ex præcedenti diſticho ſit repetita. Mularum certà cibus fœnum. Heſiodus, Ἔργ. *v.* 604.

Χόρτον δ' ἐσκομίσαι, καὶ συρφετὸν, ὄφρα τοι εἴη
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν.

Dum ergo in culcitam inditur fœnum: ſubtrahitur id mulabus, quæ ſic videntur pabulô ſuô privari. Prorſus ita Horatius, *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 124.

——— ——— *Ungor olivô*
Non quô fraudatis immundus Natta lucernis &c.

Fœneum itaque torum commendat Poëta, qui præcipuè fragilis, quia facilimè deſtruitur, nec fractus ſemel reſurgit eoque ſtatim durus eſt. Quid plumam deſideras aut Lingonicum tomentum. Mulâ imô fraudatâ torus tibi fragilis tumeat; (h. e. fragilis torus ex fœno mulæ, cujus alioqui pabulum foret, averſo atque interverſo) duritiem ejus hoc certè compenſat lucrum, quòd eum pallidæ curæ fugiunt. Seneca, *Hippolyto*, *Actu* 2. *v.* 319.

——— *Cer-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

——— *Certior ſomnus premit*
Secura durô membra verſantem torô &c.

Vide Gronov. *Obſervation l. 4. c. 22.*

PLURIUM, vulgò PLURS, pagus ingens & opulentus Rhætorum apud Clavennam oppid. in Inſubrum confinio à Clavenna 4. mill. paſſ. ad oppidi modum excultus. Huc vicini pagi omnes conveniebant olim, utpote Præfecti, quem *Poteſtatem* iis in locis vocare mos, ſedem, ubi ei ſummum ac merum, Rhætorum nomine, imperium in ſubjectos. Sed vicus caſu montis imminentis Ann. 1618. cum omnibus incolis horribiliter oppreſſus eſt:

Heu tot divitias, tot opes, faſtigia montis
In vallem injiciens obruit una dies!

Ibi è ſaxo lebetes tornô ad coquinæ uſum cavati, venenum injectum rejicere dicuntur, unde per totam Italiam expetiti. Dan. Heremita *Helv. deſcr.*

PLUSIUS Jupiter, i. e. dives, colebatur hôc cognomine à Græcis, cujus templum fuit apud Lacedæmonios.

PLUTARCHUS Chæronenſis, Philoſophus, Hiſtoricus & Orator, floruit ſub Nerva, Trajano & Adriano Imperatorib. Diſcipul. Ammonii fuit primùm, dein in Græcia & Ægypto, eruditos adiit, ubique exactiſſimè omnibus annotatis. Exin Romam profectus, magno ibi in pretio fuit. Nam & Trajano innotuit, cui libros Apophthegmatum dedicavit vir eruditiſſimus, & ab eo etiam in Illyricum miſſus eſt Conſulari poteſtate, ſcriptumque omnibus Illyricis magiſtratibus, ut abſque eo nihil agerent. Reverſus in patriam, ibi obiit, poſtquam Prætor vel Archon Cheroneæ fuiſſet: ſub Antonino Pio. Scripſit quoque vitas virorum, apud Roman. & Græcos illuſtrium, &c. Elogia ejus apud veteres permulta habemus. Quale quod Tauro, apud *Agellium*, dicatur *vir doctiſſimus*, ac *prudentiſſimus*; & ipſi Agellio, *homo in diſciplinis gravi authoritate.* Himerio Sophiſtæ Bithyno, *in laudatione filii Rufini,* θειότατος· Eunapio, *præfatione operis de vitis Sophiſtarum*, θεσπέσιος item τῆς φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη καὶ λύρα. Fertur quoque Theodorus Gaza rogatus, ſi neceſſe foret libros in mare dare præcipites, quem poſtremò eſſet demerſurus, reſpondiſſe, Plutarchum. Plura de eo apud Rualdum & Voſſium videnda, *l. 2. de Hiſtor. Græc. c. 10.* De moribus ſuis ipſâ ſcripſit ipſe, *l. de ſuperſtitione*: Ἔγωγ᾽ οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ, μήτε γεγονέναι, τὸ παράπαν, μηδὲ εἶναι Πλούταρχον, ἢ λέγειν ὅτι Πλούταρχός ἐστιν ἄνθρωπος ἀβέβαιος, εὐμετάβολος, εὐχερὴς πρὸς ὀργήν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικός, μικρόλυπος. Fuit & Plutarchus Jun. Item alius à ſecretis Juſtiniano Imper. hujus vitam condidit. Joh. Rualdus, *in vita Plut.* Photius, *cod.* 245. 259. 169. Voſſ. *l. 2. c. 10. de Hiſt. Græc.* De variis Plutarchis vide Jonſium, *de Script. hiſt. philoſoph. l. 3. c. 6. Nic. Lloydius.*

PLUTEI, auctore Vegetiô, *l. 4. c. 15.* machinæ fuêre mobiles & ambulatoriæ, ex tabulis, vimine aut coriô conſtratæ, triniſque rotulis adigi ſolitæ, ad muros, quarum una in medio, duæ in capitibus apponebantur ita, ut in quamcunque partem quis vellet, more carpentorum admoveri potuerint. *Hos*, inquit, *obſidentes applicant muris eorumque munitione protecti, ſagittis ſive fundis, vel miſſilibus defenſores omnes de propugnaculis oppidi exturbant, ut ſcalis aſcendendis facilior præſtetur aſcenſio.* Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l. 10. c. 16.* Aliàs *Pluteus*, pars lecti, Græce ἀνακλιντήριον, ad quam pulvinum ponebant, ſuſtinendo capiti; In iſta enim parte lecti, eminentem pluteum ex aſſeribus compactum erigebant; cui ſimile quid hodieque fieri videmus, ſed hos *pluteos* nos *doſſualia* vel *doſſuaria* vocamus, quòd ad ea dorſum applicemus & acclinemus: Cùm verò duo ſint lecti latera, *ſpondæ* Latinis, ἐνηλάται Græcis, harum altera *interior*, altera *exterior* dicta eſt. Interior, quæ propiùs parietem erat & ea eminenti etiam *pluteô* munita, ſed non tam altô, quàm ille, qui ad lecti caput. Hinc *Pluteus* propriè dicebatur illa interior ſponda. *Iſidor. Sponda exterior pars lecti, pluteus autem interior.* Sic enim lectos in cubiculo collocabant Veteres, ut parieti propiùs admoverentur, nec in medio eſſent poſiti, quod etiamnum ſolemus. Sic illa pars, quæ parietem ſpectabat, & *pluteô* muniebatur & *interior ſponda* vocabatur. Ad *pluteum* mulieres cubabant, viri autem in priore ſponda, quæ & *exterior*, quæque pluteô carebat. Poëta, de utraque,

Et preſſus prior eſt interiorque torus.

Marcellus, *Fæcula, quâ infectores utuntur, ſi ſpondam lecti priorem, quâ vir cubat, perunxeris & ſpondæ medio inligaveris, dolores capitis remediabis.* Ubi *prior ſponda*, eadem eſt cum exteriore. *Artemidorus*, τῶν δὲ ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔσω ἰδίως τὴν γυναῖκα, τὸ δὲ ἔξω τὸν ἄνδρα, *ſpondarum autem interior quidem uxorem, exterior verò virum*, ſcil. continet: Sic enim apud eum legendum. Hodie viceverſâ ſcriptum eſt: τὸ μὲν ἔξω τὴν γυναῖκα, quod ferri non poteſt. Pueri quoque cinædi, nam & hi mulierum locô ſceleratis, ad pluteum cubabant & in parte tori interiore. Martialis, *l. 3. Epigr. 91. v. 9.*

Exciduntque ſenem, ſpondæ qui parte jacebat:
Namque puer pluteô *vindice tutus erat.*

Ubi vides, *pluteum* partem tori interiorem dici, ut priorem, *ſpondam.* Atque hinc Dolabella Cæſarem, *pellicem Reginæ*, *ſpondam interiorem Regiæ lecticæ*, vocabat. Neque verò in lectis cubicularibus ſolùm, ſed etiam in tricliniaribus, *ſpondæ* ac *plutei* dicebantur, ſed contrariô planè modô. Nam *ſponda*, pars interior lecti tricliniaris vocabatur, quæ & menſæ admovebatur, exterior verò *pluteus.* Hinc puellæ & pueri, qui in deliciis, *interiores* accumbere dicebantur, cùm in gremio amatorum ſuorum jacerent, nec pluteum tangerent. Scipio Africanus de Sulpicio Gallo: *qui in conviviis adoleſcentulus cum amatore, cum chiridota tunica, interior accubuerit.* Juvenalis, *Sat. 2. v. 120.*

——— ——— *Ingens*
Cœna: ſed & jacuit gremio nova nupta mariti.

Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Ælio Vero, c. 5.* Vide quoque ſuprà, in *Anacliterium*: uti aliam vocis notionem, *in Baſilica.* De *Pluteis* ſeu capſis librorum, habes aliquid voce *Capſa*, it. *Taberna*; de *Pluteo* vero à Samiis pro Junone culto apud Arnob. *l. 6.* & Clem. Alexandrinum, ubi σανίδα vocat.

PLUTIA, Siciliæ urbs, Cicero *in Verrem. Plaza Aretio.* Gemina, nova & vetus, optimè habitata, ab Enna 12. mill. paſſ. in Auſtrum.

PLUTIUM, urbs Tyrrhenorum. Gentile *Plutinus*, *Steph.*

PLUTO, Saturni filius, ex Ope conjuge, frater Jovis & Neptuni, qui cùm ad regni diviſionem veniſſent, Plutoni, qui natu minimus erat, & *Ageſilaus* vocabatur, pars Occidentis obtigit, ſecus inferum mare: Jovi plaga Orientalis; Neptuno inſulæ. Hinc datus eſt locus fabulæ, Jovi imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum obtigiſſe. Quam fabulam ad diviſionem Orbis, à Noaho, inter tres hujus filios factam ingenioſè applicat, Joh. Gerhard. Voſſ. *l. 1. de Orig. & progr. Idololatr. c.* 18. 19. Tribuuntur illi quatuor equi furvi, & claves manibus geſtare fingitur, ut indigitetur, claves mortis in ejus manu eſſe, & per quatuor hominis ætates currum illius volvi. Diodor. Sicul. *l. 4. Biblioth.* Vincentius Cartarius *de Imag. Deorum, &c.* Ἀπὸ τοῦ πλούτου nomen arceſſit. Quare *Dis* quoque vocatur. Docet id Cicer. *l. 2. de Nat. Deor. c.* 26. his verbis: *Terrena res omnis atque natura, Diti patri eſt dedicata, qui dives, ut apud Græcos* Πλούτων, *quòd recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Potius autem *Pluto*, à verbo פלט *palat*, h. e. *eripuit, prædatus eſt, cuſtodivit.* Nam in terra tutò latent, & reconduntur omnia. Cur Proſerpinam rapuiſſe dicitur, vide in *Proſerpina.* Dicitur *Pluto* divitiarum dominus, quia in terra, opes & metalla latent, unde effodiuntur. Vocabatur & *Orcus* ab הרכוש *hartus*, ſive רכיש, i. e. *facultates, opes, divitiæ.* Inde *Richeſſes* Gallis. Dux item *Erebi*, i. e. ערב *hereb*, ſcil. *veſpera*, quod ſub terra omnia tenebroſa, & ſine luce ſint. *Nic. Lloydius.* Inter ſepulchrorum, quæ hinc inde Romæ occurrunt, monumenta priſca, quæ collegit Georg. Fabricius Chemnicenſis *in ſua Roma, c. 21.* Pluto quoque eſt quadrigis vectus, qui raptam Proſerpinam amplexu tenet, exanimi ſimilem, ſupra quam volat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alatô pileô ac caduceô &c. In tumulo apud S. Sylveſtrum. Voſſius *Plutonis* nomine Chamum, unum ex tribus Noachi filiis, cultum fuiſſe exiſtimat, inde occaſione ortâ, quòd is verſùs Occidentem habitaverit, cùm Japhetus Inſulas, Semus verò Orientem tenens, is Neptunus, hic Jupiter crederetur, *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 18.* Et quidem Sanchoniathon quoque Saturni (i. e. Noahi) filium *Plutonem* facit: ſed addit, ante Parentem fatis conceſſiſſe, fuiſſeque ab eo conſecratum, quod poſtremum Noahi integritate foret indignum. Nempe Saturno attribuit, quod non niſi à poſteris *Plutonis* factum eſt. Eodem facit, quòd *Mortis* ei datum nomen, idem Auctor ait: Nempe, ut diſcimus ex Diod. Sicul. *l. 5.* ideo hoc factum, quia *funerum & ſepulturæ ac parentationis oſtendiſſe ritus fertur*: at Græci ab Orientalibus funerandi ritus acceperunt. Et hæc ſanè Orientis *Plutoni*, qui vetuſtior, apprimè conveniunt. Alius Græcanicus fuit, Proſerpinæ raptu celebris, cujus ætas ſic indagari poteſt. Proſerpina, quam is rapuit, filia erat Heroinæ, quæ populum Atticum frumenti ſationem docuit, ac ab *Euſebio* ad Joſuæ tempora refertur. Sed vel duos Græciæ *Plutones* ſtatuere eſt neceſſe; geminum item raptum Proſerpinæ (& ſolent Poëtæ hiſtorias temporum diverſorum in unum commiſcere) vel ſtatuendum, Aidoneum illum unâ ſolùm ætate vixiſſe ante tempus Trojanum. Fuit enim Aidoneus Moloſſorum Rex ac Theſea tenuit captivum, donec ab Hercule liberaretur, ut refert Plut. *in Theſeo*: cui ſententiæ quoque Euſebius in *Can. Chron.* favet. Similiter Cyrillus *penè initiô l. 1. contra Julian. deſertorem.* *Centeſimô*, inquit, *& nonageſimô quintô annô, poſt Moſen, ferunt fuiſſe Proſerpinam virginem, raptam ab Ædoneo*, i. e. *Orco*, *Rege Moloſſorum.* Voſſ. *c. ſeq.* Septentrionalibus Gentibus præcipuè cultum fuiſſe hoc Numen, dictum in voce *Herthus*, item in *Nox.* De Gallis Helvetiiſque *Cæſarem* adi.

Varia Plutonis apud Auctores cognomina.

Altor, dictus eſt, quòd ex terra alantur omnia.

Dis, quòd terrena vis, ut ait Cicero, *loc. cit.* ac natura omnis ipſi dicata putaretur. Aliis tamen ſic appellatus videtur, per ἀντίφρασιν, quòd *minime dives* ſit. Mortui enim omnibus hujus terræ bonis deſtituti ſunt.

Februus, vocatus eſt à purgationibus & luſtrationibus funerum.

Mouth ſive Mors Phœnicibus nuncupatus eſt, quòd is funerandi rationem mortales docuerit.

Orcus, ædem habuit Romæ in 10. Urbis regione. Idem *Ageſilaus* dictus eſt, Athen. *l. 3.* quia πάντας ἄγει λαοὺς, *omnes agit populos*: Omnibus enim moriendum.

Pluto, à Græco πλοῦτος, i. e. *divitiæ*, quas Veteres ſolis terris deputari credebant.

Rufor, appellatus eſt, quòd rurſus cuncta eôdem revolvantur.

Summanus, quaſi *ſummus Manium*: Hujus ſimulacrum fictile in faſtigio templi Jovis O. M. fuit, quod cùm ictum eſſet, nec uſquam caput ejus inveniretur, Haruſpices in Tiberi deprehenderunt. Habuit ſacellum in regione 8. & ædem in reg. 11. quam vovit Titus Tatius Rex, apud Varronem, *l. 4. de LL.*

PLUTONIUM, locus Phrygiæ magnæ, apud Hierapolim,
ubi ſpiracula Ditis, *Strab.*

PLUTUS, à Græcis fingitur divitiarum Deus, quem in ad-
ventu claudum eſſe volunt, receſſu alatum: hoc nimirum in-
nuentes, quod ſerius quidem opes contrahantur, partæ autem,
niſi frugaliter diſpenſes, velociſſimè dilabantur. Eundem & cæ-
cum faciunt, & judicii expertem, propterea quòd indigniſſimum
quemque opibus affluere videamus, probos autem in re tenuiſ-
ſima verſari. Hujus domicilium conſtituit Poſidonius, in ſub-
terraneis Hiſpaniæ locis, eò quod regio ea metallorum fœcun-
ditate reliquis antecellat. Vide Ariſtoph. *in Pluto* Vincent. Car-
tarium *de Imag. Deor.*

PLUVIA quotidiana, totorum fere quinque menſium, Æthio-
piæ incumbit quotannis, obſervantibus Geographis. Cujus cau-
ſa in montibus Æthiopicis ſita videtur, *quos & maximè eos, qui
inter Æquatorem & Tropicum hybernum collocati, Auſtralem Æthi-
opiam triplici velut catenâ in Orientem, Meridiem & Occidentem de-
ductâ diſtendunt, ſagax natura in circuitum connexos eâ ratione diſ-
poſuit & coordinavit, ut veluti cava ſpecula, Soli Borealia ſigna
ſubeunti ſubjecta, radios aptè exciperent. Quibus receptis, cùm horum
radiorum unione vis Solis vaporum elevativa mirè roboretur, ac pro-
inde mox ingens vaporum ac nubium vis, illa quidem ex ſubjectis
partibus elevata; hæc verò Septentrionalibus ventis Eteſiis aſpiran-
tibus, in vaſtiſſima illa montium Amphitheatra impulſa congregetur;
fit ut ſimul ac Sol meridiano vicinus circulo cava montium radiis
ſuis dictò modô percuſſerit, nubes jam aquis fœtæ calore reflexô ele-
ventur, ac quaquaverſum diſſipatæ, tandem frigore altiſſimorum
montium jugis inſidente, ex pugna illa caloris inferiùs, frigoris ſupe-
riùs urgentis, in imbres copioſiſſimos, vel potiùs ob nubium gravida-
rum ad terram vicinitatem, in nimborum quaſi rivos, ad præfixum
Naturæ finem conſequendum, reſolvantur.* Athanaſ. Kircherus,
Oed. Ægypt. Synt. 1. *c.* 7. Idem aliis Zonæ Torridæ partibus
contingere, obſervatum: ubi *Pluviam*, in Junio incipientem
trimeſtre integrum perdurare, tempuſque illud *Pauſe càl* inco-
lis: quaſi dicas, *pluvium tempus* vel *menſem pluvium*, appellari,
ſcribit *la Valle*. Fit autem id ſingulari Dei providentiâ, qui hôc
pactô immoderatum climatis æſtum temperans, ſolum omnium
rerum fertile, contra Veterum opinionem, ac mirâ florum fru-
ctuumque varietate ſupra modum jucundum reddit. Ipſa pluvia,
non ſicut noſtris in regionibus, mirè animantibus hominibuſ-
que grata eſt, & *Hyems regionis* quoque populis illis nonnunquam
vocatur, Goæ tamen, die 22. MaI, adeoque citiùs, quàm in
tractibus magis Septentrionem versùs vergentibus, fœcunda hæc
tempeſtas ingruere ſolet; Quæ cauſa, quòd Perſæ in Faſtis ſuis
initium ejus figunt die 15. menſis tertii *Cordad* dicti, quæ cum
tertia Junii noſtri convenit. Vide plura in hanc rem egregia,
apud præfatum Petr. de Valle *Itinerarii tom.* 4. Cœterùm de *Plu-
via* in genere, præter Meteorologicos Scriptores, conſule Voſ-
ſium *de Or. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 12. Romanos *Pluviæ* tempore
Pænulam geſtâſſe, ex *Ferrario* diximus ſuprà in voce *Pænula*. Vi-
de quoque hîc paulo infrà.

PLUVIALE, inter veſtes Epiſcopales. Formula degradatio-
nis Archiepiſcopi. Pontifex degradator indutus amictu, albâ,
cingulô, ſtolâ & *pluviali* rubeis, ac mitrâ ſimplici, baculum
paſtoralem ſiniſtrâ tenens, aſcendit ad locum prædictum, &
ibidem ſedebit in faldiſtorio: apud Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*
Vide & hîc infrà.

PLUVIALE Veſtimentum, occurrit apud Æl. Lamprid. *in
Alexandro Severo, c.* 27. *Pænulis intra urbem causâ frigoris ut ſenes
uterentur permiſit, quum id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut*
pluviale *fuiſſet.* A *pluvia*, quòd non niſi hôc tempore geſtare-
tur; ut *itinerarium*, ab itinere. Vet. Scholiaſtes Juvenalis *ad illud,
Sat.* 9. *v.* 28.

——— ——— *pingues aliquando lacernas*,

in alio pingues, ut oſtendat groſſas, ac per hoc pluviales, *quæ muni-
ant à pluvia, non quæ ornent*, &c. Nempe ad *pluviam* lacernæ
habebantur, ſupra togam injici ſolitæ. Hinc in officiis faciendis
& ſalutationibus matutinis obeundis, togatos ſequebantur ver-
na cum lacernis, quas ſupra togam accipiebant, ſi fortè plue-
ret. Martialis meminit hujus moris, *l.* 12. *Epigr.* 26. *v.* 11.

——— *ſubitæ cùm cadit imber aquæ.*
Nec venit ablatis clamatus verna lacernis.

Eâdem fini, Ludorum quoque tempore, lacernas ſupra togam
habebant: Pliniuſque intendi pretia lacernarum ſcribit, ex nu-
bilo Virgiliarum occaſu, quòd pluvioſam hyemem futuram ſi-
gnificarent. Ac Tiberius, referente *Dione*, ὑετοῦ ἐν πανηγύρει τινὶ
γενομένου ἐπενέδυ φαιλὸν μανδύην, h. e. *pluviâ in panegyri ingruente ſu-
pra togam induit lacernam* &c. Etiam Pænulæ partim itinerariæ,
partim *pluviales*, fuêre, quibus extra urbem tantùm & in iti-
nere utebantur. *Lucillius*,

Pænula; ſi quæris, cantherius, ſervus ſegeſtro,
Utilior mihi quam ſapiens.

*Varro, Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, pænula in
imbri.* Ut plurimum ſcorteæ. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 130.

Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas, &c.

Tribunos Plebis hinc pænulas pluviæ tempore ferre conſueviſſe,
tradit Spartian. in *Hadriano, c.* 3. Sed nec ſolùm illi, verùm etiam
reliqui Magiſtratus id feciſſe videntur: imò Hadriani temporibus
pænulæ jam erant in promiſcuo uſu, etiam Senatoribus, & cùm
pluviale tempus non eſſet. Rarus tamen earum etiam tum uſus
& non niſi frigoris causâ aut pluviæ capiebantur, A quibus a-
liud quoddam Pænularum diſtinctum genus fuit, ex lana, quas
intra Urbem uſurpârunt ſub Imperatoribus, hyemis præcipuè
tempore & frigoris, quas *gauſapinas* appellat Martialis, *l.* 14. *E-
pigr.* 145. 147. ſed de Pænulis plura ſuô locô, ut & de Lacernis, quæ,
cùm antiquitus *pluviales* ac itinerariæ ſolùm eſſent, poſteà quoque,
apud Senatores, Equites ac plebem ipſam, paſſim & omni tem-
pore, adhiberi cœperunt, vide Salmaſ. *ad Spartian.* & *Lamprid.
loc. cit.* Hinc *Pluviale*, ſubſtantivè & per ſe poſitum, genus veſtis
deſignat pinguis & villoſæ pluvialique tempeſtate geri aptæ. *Plu-
vium* dicitur in *Capitulis* Caroli M. veſtis, quæ totum hominem
operit & à pluvia defendit. *Pallium pluviale*, vocatur Johanni Mo-
nacho in *Vita* Odonis Abbatis Cluniacenſ. *l.* 2. *Cappa* dicitur in *Vita*
Leonis IX. *c.* 8. At *Pluvialis*, veſtis fuit Epiſcopi, quam ſic deſcri-
bit Durandus, *Rationalis, l.* 3. *c.* 1. *num.* 13. *Pluviale vel cappa, ha-
bet caputium, prolixa eſt uſque ad pedes in interiore parte fimbriis ador-
nata, quam non niſi in majoribus feſtivitatibus induunt.* Ejuſdem
meminit *Memoriale* Cencii Camerarii, de Pontificis inauguratio-
ne, *Prior Diaconorum ipſum de* Pluviali *rubeo ammantat, & eidem
electo nomen imponit.* Nempe hæc veſtis à *pluvia* quidem no-
men habuit, ſed non uſum veſtimenti *pluvialis*, cujus imitatio-
ne factâ ſicque appellata eſt. Hinc Concil. Budenſe A. C. 1279.
c. 19. *Præterea ſtatuimus, quod Archiepiſcopi, Epiſcopi mitrati, cum
ſuperpelliceis, ſtolis & cappis ſeu pluvialibus, Symbolo adſint* &c.
Vide & *Pluviale*. Non ſumi autem hanc veſtem cum Manipulo,
nec in Matutino etiam maximè ſolenni, niſi tempore nonæ lecti-
onis ab Hebdomadario dicendæ, qui unà cum duobus Præcentori-
bus illâ ornetur: cùm verò ipſe Epiſcopus officium dirigit, nonam
lectionem in cappa conſueta eum recitare, exceptâ Nocte Domi-
nicæ Nativitatis, in qua *Pluviali* utatur, ad dicendam orationem,
in fine Matutini: Jejuniorum denique tempore, *Pluviali* rubri
coloris uti Papam, aliaque huc pertinentia, habes apud Macrum
Hierolex. Vide & Oct. Ferrarium, *de Re Veſtiar. Part.* 1. *l.* 1.
c. 39.

PLUVIALIA, vide PLUITALIA.

PLUVIARIA, ſeu PLUVIALIA, nomen Inſulæ, apud Pli-
nium, *l.* 6. *c.* 32. quam Πλουίταλαν vocat *Ptol.* ubi Fortunatas
Inſulas ſex his nominibus recenſet, Ἀπρόσιτος νῆσος, Ἥρας νῆσος,
Πλουίταλα, Κασπειρία, Κινιερία, Κυναρία. Sed Πλουϊταλία legen-
dum. Fortunatis nempe eam accenſet *Ptol.* ut & *Juba*, qui eaſ-
dem ſex itidem numerô eſſe tradidit, *Ombrion, duas Junonias, Ca-
prariam, Nivariam & Canariam*: ubi Pluvialium *Ombrion* vocat
ab ὄμβρος, *imber.* At *Statius Seboſus*, eidem *Plinio* memoratus,
Pluvialiam, unà cum Capraria & Junonia, à Fortunatis ſepa-
ravit. Ita enim is, *Junoniam abeſſe à Gadibus DCCL. tradit. Ab
ea tantundem ad occaſum verſùs* Pluvialiam, *Caprariamque. Ab
his CCL. Fortunatas, contra lævam Mauritaniæ VIII. M. paſſuum
Oram Solis vocari in convalle à convexitate & Planariam à ſpecie
convallis circuitu CCC. M. paſſuum.* E quibus apparet, Seboſum
duas tantùm Inſulas Fortunatas agnoviſſe, unam in valle ſitam
& à convexitate appellatam, *Soliam*, quòd *ſolii*, i. e. alvei bal-
nearis figuram exprimeret; alteram, à ſpecie plana ac ſupina,
Planaſiam. Qua de re vide Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1297. &
1298. Nomen autem *Pluvialiæ*, à *pluviarum* multitudine, quam
ob cauſam ὀμβρίον ſubintellige νῆσον eam *Juba* vocavit, uti dixi-
mus.

PLUVIUS, Jupiter dictus eſt, quòd Athenis eſſet ſimula-
chrum à Jove pluviam precantis. Tibullus, *l.* 1. *El.* 7. *v.* 25.

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

De Ægypto loquitur, quæ, teſte *Claudianô*:

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

PLYNEÆ, inſula Nili, *Stephan.*

PLYNTÆ, Græcè Πλύνται, Fullones dicti, ὑπὸ τοῦ πλύνειν, à
lavando. Tria enim cùm ſint Fullonis munera, in poliendis ve-
ſtimentis, primum eſt τὸ πλύνειν, i. e. *lavare*; alterum, τὸ συμ-
πατῆσαι, i. e. *conculcare* & *denſare*; tertium, τὸ κνάπτειν, i. e.
polire & *pectere.* Lavabat autem & tergebat nitrô, cretâ, cimo-
liâ & ſimilibus. Hinc Martial. *l.* 10. *Epigr.* 11. *v.* 6.

Et lotam ut minimum terque quaterque togam.

Ubi obſoletam & diu habitam intelligit, utpote quæ ter ad fullo-
nem jam miſſa ſit maculis eluendis. Et *Petronius*, *Veſtimenta
accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam
Tyria ſine dubio, ſed jam ſemel lota.* Lipſius legebat, *ſed haud
ſemel lota*, ut dibapha intelligat. Prorſum abſurdè, quod tamen
alii omnes ſequuntur. Tyria ſunt dibapha, nec enim aliter illi
purpura tingebatur: ſed & omnes commodiores purpuras eô
ævô ſic tingi moris fuiſſe, *Plinius* notat At potiùs ille diſpen-
ſator, Tyria quidem fuiſſe veſtimenta, quæ perdidit. ſed jam
ſemel lota, h. e. minimè nova, verùm jam ſemel *Plyntæ* ſeu Ful-
loni data, ad lavandum, ſordeſque tollendas. Salmaſ. *ad Solin.
p.* 291.

PLYNTERIA, feſtum apud Athenienſes, *Suidas.* Vide Ca-
ſtellanum, *de feſtis Græcorum p.* 217. Hôc feſtô Minervæ ſimula-
chrum *lavabatur*, unde nomen, ac publicè privatimque opera
dabatur, ne inchoatô feſtô, necdum peractô, quidquam aggre-
derentur; id enim infauſtum habebatur, Xenophon. *de reditu
Alcib.* quemadmodum apud Romanos, motis necdum ancilibus,
eadem ſuperſtitio obtinuit: niſi quòd *Plynteriorum* dies unus
ſaltem erat infauſtus, ancilia ſemel mota ante 30. diem non
condebantur, Polyb. *l.* 23. Celebrantur autem *Plynteria* d. 24.
Thargelionis, ſecundum Petitum, vel 25. ſecundùm alios. Vi-
de Roſſæum, *Archæol. Attica l.* 2. *c.* 10. uti de more Gentilium
ſimulachra Numinum lavandi, hic non unô locô: inprimis ſuprà
voce *Pecten.*

PLYNUS, urbs Libyæ: Atlanti proxima. Hic Atlas natus
creditur, *Herodot.*

PLYSENUM, Thraciæ oppid. *Procopius.*

PNE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PNEBEBIS, urbs Ægypti, Gentile *Pnebebites*, *Steph.*

PNEVENTIA, Piceni oppid. *Strabo.*

PNEUMA, in genere *flatus*, Græca vox eſt, πνεῦμα. Henricus Monach. Altiſſiodorenſis de *Vita* S. Germani, *l.* 6. *p.* 65.

Pneumata *ventorum tempeſtatumque tumorem.*

In ſpecie, *cantum* notat, aliàs *jubilum* dictum, quo non voces, ſed vocum tonus longiùs cantando diducitur ac protrahitur. Hugo à S. Victore *in Speculo*, *l.* 1. *c.* 7. *Unde Alleluya modicum eſt in ſermone, multum in pneumate.* In fine antiphonarum cani ſolitum, uti legimus in *Statutis* Cluniacenſ. Petri Venerabilis, *c.* 67. Per aphæreſin *Neuma*, *æ*, de quo ſic Beletus *Divin. Offic. c.* 59. *Hic etiam notandum, quod ſemel diximus, Neuma fœminei generis abſque* P. *accipi pro jubilo: pro Spiritu autem Sancto dicitur Græcè Pneuma, Pneumatis.* Interim vox e Græco nomine πνεῦμα omnino deducta eſt; unde rectè quidam *neuma* dixerunt neutrô genere, pro *Pneuma*. Hinc *Neumaticus*, *modulator dulcis*. Crebriùs tamen in fœminino genere reperitur, atque etiam *Neupma* alicubi dicitur; unde forte *le droit di neutme* ſeu *mortuarii*, apud Britannos, Aremoricæ incolas, quod Parochis penſitari ſolet, pro cantu Eccleſiaſtico, in obitu alicujus Parochiani. Quando verò cantari, quando omitti debeat *Pneuma* ſeu *Neuma*, ex ſequentib. diſcimus. *Ordinarius MS.* Eccleſiæ Rotomagenſis, *In hebdomade iſta nullum neupma dicatur, in fine antiphonæ.* Udalricus *Conſuetud. Cluniacenſ. l.* 1. *c.* 11. *Poſt Alleluja, quadam melodia neumatum cantatur, quod Sequentiam quidam appellant.* *Uſus* antiqui Ordinis Ciſtercienſ. *c.* 56. *In fine verò Reſponſionum & verſuum; ad omnes Miſſas totum neuma dicatur. ad omnes diſſonantias evitandas.* Infrà, *Idem alleluja cum ſuo neumate integro tractatur.* Rupertus *de Divinis Officiis*, *l.* 2. *c.* 2. *Offerendæ gravis & grandiſonus imitatur cantus, quæ neumis diſtenta frequentibus & ſuis fœcunda verſibus, quantumvis longâ jubilatione non valet ſatis exprimere, quod ſignificat.* Belethus, *c.* 21. *Nota interim, non debere in feſto B. Mariæ annuntiationis, ſequentiam, quam etiam Proſam eſſe appellatam diximus, cantari, etiam causâ devotionis, nec unquam niſi canatur Alleluja* &c. A proſa tamen diſtingui videtur, apud Udalricum, *l.* 1. *c.* 13. *Plures ſtatuuntur ad proſam concinendam, quibus chorus per neumas reſpondet*, &c. Myſtica hujuſmodi cantus ſignificatio indigitatur, apud *Ordinarium* laudatum *l. c.* *Per neupma ſignificatur ſuſpiratio animæ redemtæ ad cœleſtem patriam.* Alcuinum item *de Div. Officiis*, *c.* 33. *Solet enim auctor Antiphonarii aut diſtinctione cantus, aut diſtinctione ordinis varium affectum monſtrare Sanctorum: Sicut de Johanne Symmyſta fecit, per neumam circa intellectum verborum, ſapientiæ & intellectus, in Reſponſorio. in medio Eccleſiæ*, &c. Sed & *Neuma*, in Muſica, dicebantur notæ, quas *Muſicales* hodie appellant: unde *neumare*, eſt notas verbis Muſicis decantandis ſuperaddere. Anonymus Interpres Hugonis Reutlingenſis Sacerdotis *in Floribus Muſicæ: Antiphonarium & Graduale collegit, dictavit & neumavit, ſeu notavit.* Mox, *Omiſſis clavibus & lineis, quæ in neuma ſeu nota Muſicali requiriuntur.* Vide Guil. Monachum & Johannem Mon. *in libb. de Muſica*, laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & ſuprà ubi de Muſicis *Notis*.

PNEUMATICI, vide *Macedoniani*.

PNEUMATOMACHI, Hæretici dicti ſunt, errantes circa articulum de *Spiritu S.* inter quos Simoniani ἐνεργείας, & Samoſateniani χάριτος tantùm hoc nomen eſſe voluerunt. Inprimis verò ſic appellatos legimus, qui Arianæ hæreſeos partem alteram, quæ eſt de FILIO, rejicientes, alteram de SPIRITU S. mordicus retinuerunt, ejus Deitatem & conſubſtantialitatem cum Patre & Filio inficiati: quos proin *Semiarianos* appellat Auguſtinus, *Hær.* 52. aliâ notione hanc vocem uſurpante Epiphaniô. Unde Ariani Χριστομάχοι, hi verò Πνευματομάχοι vocitati ſunt. In qua hæreſi maximè eminuit Macedonius Epiſcopus Conſtantinop. qui relictis Arianorum Eudoxianorumque partibus, propriam hanc ſibi ſectam condidit, circa A. C. 360. Spiritum S. creaturam eſſe, cum Ario, apertè aſſerens, uti refert Theodoretus, *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 6. damnatus Conciliô Conſtantinopolitan. II. principatu Theodoſii Senioris celebratô A. C. 381. in quo conditô Symbolô, Patres profitentur ſe credere εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, τὸ Κύριον; τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν, *in Spiritum Sanctum Dominum, vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio ſimul adorandum & ſimul glorificandum, loquutum per Prophetas.* In quam ſententiam Epiſcopi quoque in Concilio Romano congregati, Confeſſionem Fidei Synodicam ediderunt, in qua anathema dicunt Sabellianis, Arianis & Eunomianis, Macedonianis & omnibus *Pneumatomachis*, Photinianis ac Apollinariſtis: ſub Damaſo Papa, uti iterum apud Theodoretum videre eſt, *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 9. Adde contra eoſdem Athanaſium, Baſilium M. Gregorium Nazianz. Ambroſium, Epiphanium, Auguſtinum, Didymum Alex. & Paſchalium, laudatos Jo. Forbeſio *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 2. §. 9. & *ſeqq.* Præteritô ſeculô ſepultam jam dudum hæreſin, unà cum aliis, ex orco revocavit Michaël Servetus Hiſpanus, quem ſecuti Valentinus Gentilis, Georg Blandrata, Fr. Davidis, Fauſtus Socinus, alii, Spiritûs S. non divinitatem modò, ſed & perſonam abnegârunt. Nec longô intervallo Socinianos ſequuntur Anabaptiſtæ plurimi, uti docet Fr. Burmannus *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 1. *c.* 35. Vide quoque Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* in hac voce. De Græcorum verò circa profeſſionem Spiritus S. à reliqua Eccleſia diſſenſu, vide infrà.

PNIGEUS, vicus in Ægypto, prope Phœnicum portum, è regione Pedoniæ inſul. juxta Paratonium, *Strab. l.* 16.

PNUPS, Æthiopiæ vicus circa Nilum, *Ptolem.*

PNYX, forum, ſive locus judicii Athenis: ſic dictus παρὰ τὸ πυκνὸν, i. e. *à denſitate ædium*; per vicos olim conjunctarum, *Steph.* Locus erat juxta Acropolim ædificatus, antiquæ ſimplicitatis uſu, non ad poſterioris Theatri ſplendorem, idemque forte cum veteri Foro, in quo olim conveniebatur, juxta Pandemi Veneris ædem, ἰόντων Ἀθήνησιν εἰς τὴν Ἀκρόπολιν ἀπὸ τοῦ θεάτρου, *euntibus Athenis ad Acropolim à theatro*, ut adnotat Pauſan. *Atticis*, qui Veneris prædictæ ſacellum ibi collocat. Et certè ideo ſic dictam Venerem hanc vult Apollodorus, *l.* περὶ Θεῶν, quòd πᾶς ὁ δῆμος, *totus populus antiquitùs ibi convenerit.* Hîc itaque Magiſtratus χειροτονητοὶ Populi creabantur ſuffragiis, referentibus ad Populum Theſmothetis, Pollux, *l.* 8. *c.* 9. aliaque ad publicam rem ſpectantia peragebantur antiquitus: Poſteà verò deſitum, & Comitia in Bacchi θεάτρῳ haberi cœpêre, niſi cùm eligendus eſſet Magiſtratus, eôdem teſte: Αὖθις δὲ τὰς μὲν ἄλλας ἐν τῷ Διονυσιακῷ θεάτρῳ, μόνας δὲ τὰς Ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πνυκί. Quò quoque verba *Heſychii* referenda, Πνύξ, τόπος, Ἀθήνησι, ἐν ᾧ αἱ Ἐκκλησίαι πάλαι μὲν ἤγοντο πᾶσαι, νῦν δὲ ἅπαξ, ὅταν Στρατηγὸν χειροτονῶσι, *Pnyx, locus Athenis, in quo conciones olim omnes habebantur, nunc verò tum ſolùm, cum Strategus Populi ſuffragiis eligendus eſt.* Vide Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas*, *l.* 3. *tit.* 2.

POBLICIUS, vide *Ancus*.

POBLICIUS, prænomine *Marcus*, Cn. Pompeji Magni in Hiſpania legatus pro prætore, ut eſt in argenteo denario: ut videri poſſit hôc nomine extraordinarium imperium ornari ſolitum fuiſſe, apud Romanos, cùm abſente magiſtratu, cui provincia decreta erat, ejus magiſtratus legatus aliquò mitteretur cum imperio ad rem gerendam.

POCHAJUM, caſtellum Hungariæ, ſitu & arte munitiſſimum, à Clemente Athanaſio, poſt Caſtaldi è Regno diſceſſum, Iſabellæ Reginæ juſſu, ſcalis admotis captum eſt, A. C. 1553. Jac. Aug. Thuanus, *Hiſtor. l.* 13.

POCILLATOR Appulejo, Suetonio, *Cæſ. c.* 49. *ad Cyathum & Vinum*, Juvenali, *Sat.* 13. *v.* 44. *ad Cyathos* in vet. Epitaphio, *à Potione:* Item, à *Lagena*, vel *Laguna*: Gallis *LL. Salic. Tit.* 11. *edit. Baſil. Scantio*, Germanis *Schenck*, Græcis Οἰνοχόος, dicebatur Romanis ſervus, qui epulantibus vinum miniſtrabat. Meminit muneris Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 709.

Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſis, onerent & pocula ponant:

Quod de Infertoribus ac *Pocillatoribus* accipiendum. Martialis quoque, ubi de Alexi Virgiliano, *l.* 8. *Epigr.* 56. *v.* 13.

Adſtabat Domini menſis pulcherrimus ille,
Marmoreâ fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roſeis Carcheſia labris

Eundem *Miniſtratorem* dictum eſſe, ex antiquis marmoribus patet, in quibus nominantur *Amaranthus Auguſti Miniſtrator Turrianus. Eraſtus & Anſio Cæſaris Miniſtratores.* Hinc Petronius, *Vinum Dominicum Miniſtratoris gratiâ eſt.* Quô habitu autem munus obierint, Seneca indigitat, *Ep.* 47. *Alius*, inquiens, *vini Miniſter in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur*: & Appulejus Senecam explicans, *Metam. l.* 2. ubi *Pueros calamiſtratos, pulchrè induſiatos, gemmas formatas in pocula vini vetuſti frequenter offerentes*, notavit. Nimirum hic muliebris fuit ornatus, induſiatum eſſe & calamiſtratum quempiam. Idem Seneca Piſtores ac *Miniſtratores* conjungit *Epiſt.* 95. nec ſanè temerè, cùm & in *Notit. Imperii*, ſub diſpoſitione Viri Spectabil. Comitis Caſtrenſis, Miniſteriales Dominici recenſeantur, ad quos indicandos, inter Comitis inſignia, Menſa panaria, & Vinaria aliquot vaſa conſpiciuntur. Literati autem erant & formoſi *Pocillatores* plerique è ſecta beatiorum hominum, qui pueris formâ inſignibus non Triclinium modò, ſed & Coquinam referſerant. Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 66. *v.* 5. ubi de Theopompo, puero formâ conſpicuo,

Quis potiùs cyathos, aut quis cryſtalla tenebit?
Quæ ſapient meliùs mixta Falerna manu?

Unde & Philo, ubi de Tricliniorum luxu, *l. de Vita Contempl. Miniſtrantibus formoſis mancipiis, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quàm ad exhilarandos aſpectu convivis oculos. Ex his minores pueri Pincernas agunt, grandiores aquam afferunt.* &c. Vide quoque Chryſologum, *Serm.* 261. Et exhibet iſtiuſmodi *Pocillatores* ex icunculis æreis antiqui operis Pignorius, quæ in conſpectum dant, quidquid modò præfatus Philo, de accurato capillitio & tunicarum præcinctione, diſſeruit. Sed & non rarò Eunuchi *Pocillatores* fuêre. Tacitus, *Annal. l.* 4. *c.* 8. *Id* (venenum) *Druſo datum per Lygdum Spadonem, ut octo poſt annos cognitum eſt.* Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & ſuprà in voce *Pincerna*, nec non infrà *à Potione*.

POCOCKUS Eduardus, Oxonienſis Anglus, S. T. D. Linguæ Hebraicæ ac Arabicæ; in qua, ſupra reliquos hujus ævi, eminet, Profeſſor. Ejus extant, *Porta Moſis, In* 2. *Petri, in* 2. *&* 3. *Johannis Notæ, in Judæ item* &c. *Eximius Vir, nec ſine honorifica modeſtiæ candoris ac literaturæ omnis præfatione nominandus*, Dickenſonus *Delphi Phœnicizantes*.

POCULUM, primò vola fuit, quod Diogenes non erubuit didiciſſe, à quodam, quem cavâ manu exceptam aquam ori admovere vidit, abjectô hinc vaſculo ſuô potoriô, tanquam ſupellectile non neceſſariâ, ejus ſimplicitatem in poſterum imitaturus. Verùm commoditas arte factis *Poculis* uti ſuaſit, luxu poſtmodum, ut in aliis, ita & hîc, in immenſum procedente. Et prima quidem omnium ex terra Samia fictilia fuiſſe videntur, neque in pauperiorum tantùm ædibus, ſed & in opulentiorum conviviis, adeoque etiam Deorum immortalium fanis, ac ſacrificiis ſolemnibus. Vide Val. Max. *l.* 4. *c.* 3. *tit.* 7. Senec. *Ep.* 95. *in fin.* & *l.* 1. *de Benefic. c.* 6. Tertullian. *Apologet. c.* 25.

Cice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ciceronem, *Paradoxo* 1. Plin. *l.* 35. *c.* 12. &c. de Romanis: Jul. Pollucem, *l.* 10. *c.* 19. de Græcis, loquentes. Unde Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 39.

Fictilia antiquus primùm ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

Et hæc κώνῳ ſive pice liquefacta, ne æſtivô tempore exudaret liquor infuſus, obducta fuiſſe, indicat Alexander Aphrodiſæus *in Problem.* Item cerâ, ut indicat Theocriteum hoc *in Thyrſide*,

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ,
Et profundum poculum oblitum dulci cerâ.

Ubi virum eruditum τὸ κεκλυσμένον idem eſſe, quod κεκηρογραφημένον, contendentem, refellit Voſſius, ex *Athenæo* oſtendens, pretioſiora fuiſſe vaſa ceris picta, quàm ut ea haberent in Sicilia ruſtici, idque jam Theocriti ætate, qui Ptolemæi Lagidæ & filii ejus Philadelphi temporibus claruit. Poſt hæc reperiuntur *Pocula* è fago facta, vel ad minimum è ligno, quibus jam Homericos Heroas uſos fuiſſe, ex *Odyſſea* jam pridem docuit Fulv. Urſinus, *Append. ad Triclinium.* Hinc Ovid. *l.* 8. *Met. v.* 669.

——— ——— *Fabricataque fagô*
Pocula. ——— ———

Et *Faſtor. l.* 5. *v.* 522.

Terra rubens crater, Pocula *fagus erat.*

Vide quoque Virg. *Ecl.* 3. Senecam, *Hercule Oeteo, Act.* 2. *chorô*, Tibullum, *l.* 1. *Eleg.* 10. Oleagina pocula, memorantur, *l.* 50. *ff. de leg.* 3. Hederacea, Plin. *l.* 16. *c.* 35. ubi hederæ eam naturam docet eſſe, ut in iſtiuſmodi vaſis vina transfluant, remanente aquâ, ſi aquâ fuerint miſta: Græci Κισσύβια vocant. Meminit eorundem Euripides *Andromedâ.* Vel ſimpliciter ex ligno erant, qualia pocula *Scalas* dicta fuiſſe, ſuggerit Iſidor. *l.* 20. *c.* 5. & P. Diaconus, *de geſtis Longobard. l.* 1. *c.* 27. è quo liquet, etiam poſteriori ævô, ligneorum uſum viguiſſe. Erant & è cornibus bovinis *Pocula* efficta, antiquiſſimis jam temporibus, ut docet Ambroſ. *l. de Elia & Jejunio c.* 17. Xenoph. *Expedit. Cyri, l.* 6. Athenæus, *Dipnoſ. l.* 11. &c. Unde Nicandri Scholiaſtes τὸ κεράσαι, ἀπὸ τοῦ κέρατος, dictum vult: quod Nonnus confirmat, *Dionyſ. l.* 12.

Καὶ βοέοις ἀρύοντο κεράεσιν ἀντὶ κυπέλλων
Μήπω φαινομένων, ὅθεν ὕστερον ἐξέτι κείνου
Θέσκελον οὔνομα τοῦτο κεραννυμένῳ πέλεν οἴνῳ.

Et taurinis cornibus propterea Bacchus effictus, Joh. Meurſius *Notis in Lycophr.* Ad quem ritum *Pindarus* quoque alluſit, ajens:

Ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο;
Ex argenteis cornibus bibentes laſciviebant.

Æſchylus item *in Perrhœbis*, ἀργυρηλάτοις κέρασι, *argentô ductili factis cornibus:* ac Sophocles *in Pandora*, πιόντι χρύσεον κέρας, *cùm ebiberit aureum cornu.* Nempe aurô & argentô poſteriorum ſeculorum luxus priſcam conſuetudinem exprimere gaudebat: retuliſſe autem buccinæ oblongæ formam, i. e. naturalem cornuum bovinorum ſpeciem docet Ambroſ. *loc. cit.* Veſtigium veteris ritus apud Homer. *Il.* θ. *v.* 169.

Οἶνον τ' ἐγκεράσασα πιεῖν,
Vinumque cornu miſcens ad bibendum.

De Indis inprimis vide Cteſiam, apud Photium *in Biblioth.* de Tartaris hodiernis P. de Valle, *Itiner. tom.* 3. & cui ignotum cornu aureum Chriſtiani V. Daniæ Regis ac cornu mirabile, quod in aula Oldenburgica à multis jam ſeculis aſſervatum eſt. Quartò, vitrum *Poculorum* materia eſſe cœpit. *Ariſtoph.*

Ἔπινε μὲν ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων,
Biberat hic quidem è vitreis poculis.

In delitiis olim hodieque non ſpernendis, Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 38. & nepotibus præſertim in uſu, uti diſcimus ex Juvenali, *Sat.* 2. *v.* 95.

——— ——— *Vitreô bibit ille Priapô.*

Neque verò vitrum iſtud tale erat, quod leviſſimô caſu frangeretur, ſed flecti plicarique poterat, auctore Pliniô, *l.* 36. *c.* 26. qua de re vide Cæl. Rhodiginum, *Antiqq. lect. l.* 27. *c.* 27. Jan. Douzam *Comm. in Petron.* & Petr. Crinitum *Honeſta diſcipl. l.* 23. *c.* 4. quibus adde Joh. Saliſberienſem *Polycrat. l.* 4. *c.* 5. Vitrea verò pocula ſulfure maltabantur fracta. Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 48.

——— *Ruptô poſcentem ſulphura vitrô*, &c.

Exin cryſtallus in poculis, aliaque ſupellectile laudari cœpit. Juvenal. idem, *Sat. ſeq. v.* 155.

Grandia tolluntur cryſtallina.

Et nota Vedii crudelitas, qui cùm unus è ſervis cryſtallinum fregiſſet, rapi eum juſſit, nec vulgari periturum morte, murænis objici, apud Senec. *de Ira l.* 3. *c.* 40. Vide ſuprà in vôce *Acenteta*, alibique. Porrò Murrhina vaſa, & præcipuè *Pocula*, adhibita luxurioſorum conviviis fuiſſe, idem docet *Ep.* 119. in quibus obſervatum, ut calenti vino convenirent, docente Martiali *l.* 14. *Epigr.* 113. Vide itidem ſuprà. Electrina *Pocula* Magnatibus in pretio habita, memorat Trebellius Pollio, *c.* 14. cum de Quieto Tyranno refert, illum *Electridem pateram, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem hiſtoriam contineret, ſignis brevibus & minutulis, Pontifici propinâſſe.* Sic apud Lamprid. *in Alex. Helena dicitur Minerva Lindiæ calicem ex electro conſecrâſſe.* Unde Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 38.

——— ——— *Ipſe capaces*
Heliadum cruſtas & inæquales Beryllos,
Virgo tenet phialas, tibi non committitur aurum.

Ex argento *Pocula* creſcens luxus effigiavit, ſed magnô nepotum à continentioribus diſcrimine, ut qui, emblematis ingenioſis cælatum argentum habere gaudentes, totos quandoque cenſus in iſtiuſmodi ſculpturas effunderent, vide Plin. *l.* 33. *c.* 11. Mentio & in antiquis marmoribus, *Anthus ad argentum Pot. L. Cæſaris.* Item *Vibiæ. Succeſſæ. Liviæ. Aug. ſer. ab. argento Potorio* &c. Inde jocosè apud Athenæum *magnum poculum puteus argenteus* dicitur, *Dipnoſ. l.* 11. ut clarum ſit, etiam Græcis, id in uſu fuiſſe. Vide Melam JCtum apud Ulpian. *l.* 7. *ff. de in rem verſo:* Quid verò in iſtiuſmodi *Poculis* cælari fuerit ſolitum, innuit *Virg. Æn. l.* 1. *v.* 644.

Ingens argentum menſis cælataque in auro,
Fortia facta Patrum.

Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 76.

Argentum vetus & ſtantem extra Pocula *caprum.*

Alii: dicebanturque nobilium iſta Artificum emblemata propriô nomine *formæ.* Vide *ſuô locô.* Nonò, aurea ſupellex recepta, & præprimis *Pocula.* Cicero *in Verr.* 4. *Exponit multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos eſt Regibus, & maximè in Syria, gemmis diſtincta erant clariſſimis.* Hæc & ipſa cælabantur, licèt non tantô tamque elaboratô artificiô, quemadmodum argentea: Unde Plinius *cælaturâ auri nullum Artificem inclaruiſſe*, ſcribit. Inſculpebantur iis inprimis gentilitia Familiæ inſignia. Vide Plin. *l.* 37. *c.* 2. Corrippum, *l.* 3. *num.* 1. Scævolam JCtum, *leg.* 36. *ff. de auro arg. leg.* Iſidor. *l.* 20. *c.* 4. Silium Ital. *l.* 10. Statium, *l.* 1. *Theb. v.* 540. &c. Sed, ut dictum, non ſufficit luxui purum in hos uſus aurum, inſerebantur & gemmæ, unde *Pocula gemmata*, Luct. Placido, *ad Statium, Theb. l.* 1. *v.* 150. & *gemmâ bibere* dicti, Hieronymo *Ep. ad Macharium*, Cyprianô, *l.* 2. *Epiſt.* 2. Appulejo, *Mileſ. l.* 2. Plinio, *præfat. ad l.* 33. ubi inter alia, *ſmaragdis*, inquit, *teximus calices* &c. Popert. *l.* 3. *El.* 4. *v.* 4.

Non bibit è gemma divite noſtra ſitis.

Ovidius, *Metam. l.* 8. *v.* 572.

In gemma poſuêre merum.

Vide hic ubi de *Auro Vinctis, Chryſendetis, Poculis Gemmatis* &c. Etiam ex conchis margaritiferis, ut & cochlearia, lanculæque, olim hodieque factitantur. Sunt autem conchæ iſtiuſmodi, in qua naſcuntur margaritæ, ex earum genere, quas Græci διθύρας vocant, & κοίλας; cluſiles nempe, adapertiles, atque intus concavæ, ita ut dimidiatæ formam lancis vel diſci ſatis bellè referant. A qua figura etiam videntur μάργαρα dictæ. Vox enim Græciæ vetus eſt μάργαρον, pro *lance*; Unde μαργαρίσκος ὁ πινακίσκος, apud *Heſychium.* Salmaſ. *ad Solin. p.* 1123. Nec defuêre barbari, quibus oſſa capitis humani pro *Poculis* eſſent. quod in more poſitum Scythis fuiſſe antiquis, teſtatur Strabo, *l.* 7. ut & Herodotus, *Muſâ* 4. ubi *non de omnium*, ſed *de inimiciſſimorum capitibus* id factum fuiſſe, docet. De Ungaris Bonfinius, *Rer. Ungar. Dec.* 1. *l.* 1. de Scordiſcis Amm. Marcellinus, *l.* 2. de Avaribus, Hunnis, Gepidiſque P. Varnefridus, *de geſtis Longob. l.* 1. *c.* 27. ubi de Albonio: de quibuſdam ad Septentrionem populis, Plin. *l.* 7. *c.* 2. de Eſſedonibus, Solinus Polyhiſtor. *c.* 19. de priſcis Celtis, Silius Ital. *l.* 13. idem tradunt. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. l.* 5. *c.* 30. Addo *Pocula* ex ære & ſtanno, quorum illa interdum quoque ſtanno obduci fuiſſe ſolita, Voſſius habet *de or. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 92. quia, monente Pliniô, *l.* 34. *c.* 17. *ſtannum illitum æneis vaſis, ſaporem faciat gratiorem & compeſcat æruginis virus.* Ut autem *Poculorum* materia non una eademque, ſic forma diverſiſſima, fuit. Panda quædam, quædam anguſta, alia oblonga, nonnulla in navigii ſpeciem efficta; Erant quæ duos haberent fundos; nec deerant, quæ tympanum referrent, parva & cava ſine fundo & auribus, quæ mollia & viris parùm convenientia: unde à Demoſthene exprobrata Midiæ, & ſolis Cybeles Sacerdotibus congruebant. Vide Plin. *l.* 33. *c.* 11. Quædam porrò anſulis carebant, alia anſata erant, nonnulla unâ tantùm parte aurita, Pollux. *Onom. l.* 6. *c.* 18. Erat autem anſularum harum is uſus, ut, qui propinaret aut porrigeret, unam earum manu teneret, alteram verò is, cui poculum tradebatur, arriperet. Virgilius, *Ecl.* 6. *v.* 17.

Et gravis attritâ pendebat cantharus anſâ.

Conſule Fulvium *in Append. p.* 170. J. Lipſium, Hier. Mercurialem, Guil. Stuckium, *Antiqq. Convival. l.* 3. *c.* 6. alios. Species *Poculorum* varias enumerat Athenæus, *l.* 11. Jul. Pollux, *l.* 6. *c.* 16. Iſidor. *l.* 20. *c.* 5. Macrob. *Saturnal. l.* 5. *c.* 31. Euſtathius, *in Homerum* paſſim, Juriſconſultus, *leg.* 36. *ff. de auro & arg. leg.* &c. Vide etiam hic *infrà.* Utebantur verò Veteres, in conviviis, *Poculis* primò minutioribus, dein grandioribus: & quoties hilariùs ſeſe invitare vellent, hunc ſolemnem obſervabant morem, ut à ſummo biberent ad imum, qua de re infrà dicetur, in voce *Potus.* Vide Roſin. *Antiqq. Rom. cum Paralipom. Dempſteri præfati locô cit.* Ampla autem admodum erant Heroum *Pocula*, uti Herculei inprimis ſcyphi exemplô patet, quô à Sole donô acceptô Oceanum tranſmiſiſſe dicitur. De illo Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 531.

Huic pretium palmæ, gemini cratera ferebant
Herculeum juvenes ———

Vide & reliqua, in quibus, quæ huic poculo inſculpta, pluribus docet. Sed & id hinc diſcimus, quòd Regum potationes ex iis commendaverint antiquitus *Pocula.* Unde apud Plautum quoque *Amphitruone, Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 104.

——— *Quid Amphitruone à Thelebois datum eſt?*
Pterela Rex, qui potitare ſolitus eſt, patera aurea.

Circumdabantur verò *Pocula* in dexterum communiter latus, religionis ergô. Critias apud Athenæum, *l.* 10.

Καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια καὶ προκαλεῖσθαι
Ἐξονομακλήδην, ᾧ προπίνειν ἐθέλει.

Quod tamen contrà Spartanos uſu habuiſſe, ut nunc Germanos, quibus multis locis obſervatur in circulum ad lævam potionum tela

tela dirigere, ex eodem diſcimus, ubi κυκλεῖν κύαθον hunc morem vocat. Qua de re vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Theb. l. 4. v.* 761. uti de *Pocula coronandi*, iiſque *flores nonnunquam indendi*, more, Tertullian. *de Cor. Mil.* Propertium, *l.* 2. *Eleg.* 2. Carol. Paſchalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 2. alioſque complures. Nec omittendum hic, quòd *Poculis Binis*, honoris ergò, bibendi ritus, apud Melam occurrit, de Scythis, *l.* 2. *c.* 1. *Ut quiſque plures interemerit, ita apud eos habetur* Et paulò poſt, *Inter epulas, quot quiſque interfecerit, referre, lætiſſima & frequentiſſima mentio: biniſque poculis qui plurimos retulêre, perpotatis interjugatim, is honos præcipuus eſt.* Senſus eſt, lætiſſimam eſſe inter epulas mentionem apud eam gentem, narrare numerum à ſe interfectorum, præcipuumque honorem ei, qui plures cædes à ſe factas retuliſſet, haberi, ut non bina tantùm pocula perpotaret, ut quidam exponunt, ſed duóbus poculis junctis & combinatis ſimul biberet. Quod σύνδυο κύλικας ἔχειν vocat Herodotus, quem Pomponius vertit. Is enim ſic de iiſdem, Ὅσοι δὲ ἂν αὐτῶν καὶ κάρτα πολλοὺς ἄνδρας ἀνῃρηκότες ἔωσι, οὗτοι δὲ σύνδυο κύλικας ἔχοντες πίνουσιν ὁμοῦ, *Quotquot verò eorum inſignem hoſtium numerum occidiſſent, junctis bibunt.* Sunt autem σύνδυο, *jugata* & *juncta inter ſe*: nam duo jugum faciunt. Sic *Appulejo*, *conſponſæ factionis jugum.* Et Græcis ζεῦγος, de *duobus*, & ζυγὴν, recentiores pariter, pro *pari*, dixêre: ut ζυγὴ *inaurium*. apud Conſtantinum *de Adminiſtr. Imper.* & ζυγὴ incedere dicuntur, *qui bini incedunt*, quod antiquis Græcis σύνδυο. Itaque *bina pocula interjugata*, h. e. juncta pariter ac combinata perpotabant, qui plures occiderant &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 192.

Varia Poculorum genera, apud varios.

α. Ἀγαθοῦ Δαίμονος dicebatur *Poculum*, τὸ μετὰ ἄρσιν τραπεζῶν προσφερόμενον, *quod ſublatis menſis inferri ſolebat*, Euſtath. *Il.* τ. ut inde bono Genio libaretur. β. Ἄλεισον, Homer. *Il* λ. quod μὴ λεῖον, ſed aſperum cælaturis erat. γ. Ἀμαλθείας κέρας, Euſt. *Il.* ν. δ. Apyroti, dicebantur ſcyphi, qui non calidæ, ſed frigidæ ſolùm aquæ capaces erant. Ita enim quidam legunt, apud Plinium, *l.* 36. *c.* 26. pro *Pieroti.* ε. Carcheſium, *Poculum* procerum & circa mediam partem compreſſum, anſatum mediocriter, anſis à ſummo ad imum pertingentibus, Macrob. *Saturn. l.* 5. *c.* 21. ζ. Chryſendera, Græcis dicebantur, aurô ſolidô facta, admixtiſque gemmîs decorata, Hadrian. Turnebus, *Adverſar. l.* 14. *c.* 3. η. Ciborium, inter vaſa potoria reponit *Heſychius*: in modum foliorum colocaſiorum factum, Porphyrius *in Horat. l.* 2. *ode* 7. Ægyptiis in uſu. Vide de his quoque Strabonem, *l.* 17. ubi Alexandriam iſtiuſmodi foliis pro vaſis paſſim per officinas uti ait, & ſuprà ubi de *Nymphææ foliis.* θ. Ciſſybium, poculum erat hederaceum, unâ tantùm parte auritum, Macrob. *loco cit.* Vide quoque Athenæum, *l.* 11. ι. Clemmateres, à Græc. χλέμμυς, i. e. *operimentum teſtudinis*, eadem cum Tympanis κ. Cothon. vide ſuprà. λ. Cotyliſcus, *Poculum* nominabatur, unicam habens anſam. Pollux, *Onom. l.* 6. *v.* 18. μ. Cyathus, continebat ſextarii partem duodecimam ν. Cymbium, à forma navis, quam referebat, nomen accepit, Varro de *Vita Pop. Rom. l.* 1. Simariſto *exiguum* & *cavum*: Dorotheo *altum* & *auribus carens*: Ptolemæo Ariſtonici filio *gibboſum*, Didymo *oblongum* & *anguſtum*: *cyatho ſimile* Eratoſtheni. ξ. Ἐνιαυτὸς Euſt. *Il.* ν. ο. Hamapus, vide ſuprà. π. Herculanei ſcyphi: præ aliis memorabiles, inventore Hercule. Macrob. ubi *ſuprà*: Bœotiis in præcipuo fuêre uſu. Hôc poculi genere maria trajeciſſe Hercules dicitur, & Alexander M. *nondum epotô Herculis ſcyphô, repentè velut telô confixus, ingemuit*, Curtius, *l.* 10. *c.* 4. Meminit Tullius *Verr.* 6. *duorum Poculorum Herculeorum*, manu *Mentoris ſummô artificiô factorum.* Servius, *ad Æn.* 8. Herculem in ſacris magnô poculô ligneô uſum, quod, ne carie conſumeretur, pice fuerit oblitum, ſcribit. Vide quoque Euſtathium in *Odyſſ.* ι. ρ. Ludovici IX. Galliæ Regis poculum, in Cimeliarcho Sandionyſiano aſſervatum, coloris ſubfuſci atque è pretioſiore lapide confectum, agathæ ſpeciem præſe fert. Carolo du Freſne unum ex mardrinis poculis, quorum in Aula Gallica olim frequens uſus, adeoque ex murrinis Veterib. illis adeò nobilitatis eſſe videtur. Vide eum in voce *Mazer.* & ſuprà *Madrinarius.* σ. *Magida*, vide itidem ſuprà. τ. Neſtoreum poculum, apud *Homerum* & *Athenæum*, duos habebat fundos. υ. Ὠιδὸς vide ſuprà *Lyra.* φ. Ὠὸν, Ovum memoratur Euſtath. *Od.* ο. Παρθένιος, dicebatur ſcyphus περικεκυρτωμένα ἔχων τὰ ὠτάρια. Id. *ibid.* χ. Paſtorale, ex hederaceo ligno, idem cum Ciſſybio. Vide Eundem *ibid.* ψ. Patera, *Poculum* plenum ac patens. ω. Phiala, poculum anceps, utrinque anſatum, apud Jul. Pollucem, *Onomaſt. l.* 6. *c.* 18. αα. *Plecta*, vide *Plectilis corona.* ββ. *Poculum* Nephriticum, vide ſuprà. γγ Pſycter, Græc. ψυκτὴρ, Euſtath. *Il.* ι. δδ. Pteroti calices Græcis, quaſi *pinnati* aut *alati* dicti ſunt, qui anſas utrinque alarum in ſpeciem protenſas haberent. Cujuſmodi modicos duos, ex vitro, HS. ſex millibus, Neronis Principatu fuiſſe venditos, refert Plin. *l.* 36. *c.* 26. Ubi tamen alii legunt, *Apyroti*, ut dictum. εε. Puteus argenteus, memoratur Athenæo, *l.* 11. ζζ. Rhyta, Græcè ῥυτὰ: Pocula erant Heroum, in cornuum formam confecta, διατετρυπημένα, ἐξ ὧν κρουνίζοντες λεπτῶς κάτωθεν ἔπινον, Euſtath. *Il.* ψ. ηη. Scalæ, appellabantur *Pocula* ex ligno, Iſidor. *l.* 20. *c.* 5. Vide quoque Paulum Varnefridum Diaconum, *de Longob. l.* 1. *c.* 27. θθ. Scyphus, Græcorum in uſu, Pollux, *l.* 6. *c.* 16. Latinis quoque uſurpata vox, Sueton. *Nerone c.* 47. Plin. *calicem* vocat, *l.* 37. *c.* 2. De Herculaneis ſcyphis, *ſuprà.* ιι. Silenus, Græcè Σιληνὸς, *Poculum* erat auribus carens. Euſtath. *Odyſſ.* ε. κκ. Solis nomine inſigne *Poculum*, memoratur eidem *Odyſſ.* ι. *p.* 1682. ubi ait *Pocula* ex auro ingentia Ἡλίου πλοῖα, *Solis navigia*, appellata Græcis fuiſſe λλ. Stateres, iidem cum Tympanis. μμ. Tabala, vide infrà *Tabaita.* νν. Tantali *Poculum*, vide infrà *Tantalus.* ξξ. Trulla, *calix aureus* Interpr. Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 108. Helen. Acron. *ad Hor. l.* 2. *Sat.* 3. *deformis calix* ac *ruſticanus* &c. οο. Tympana, à formâ dicebantur, *Pocula* parva & cava, ſine fundo ac auribus, quibus ſoli Cybeles Sacerdotes, uti conſueverant. Plin. *l.* 33. *c.* 11. ππ. Vatinii ſutoris poculi vitrei, quod quatuor roſtris, inſtar naſorum, portendebatur, mentio eſt apud Tacitum, *Annal. l.* 15. Juvenalem, *Sat.* 5. *v.* 47. & Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 96. quorum hic:

Vilia ſutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, ſed naſus longior ille fuit &c.

ρρ. Viator, vide infrà in hac voce.

POCULUM Euchariſticum, cujus in S. Cœna uſum DOMINUS inſtituit, è Poculo Hebræorum Paſchali originem habuit, uti Burmannus docet, infrà laudandus: de cujus formâ *Ritualia* judæorum poſſunt conſuli. Incerta enim, quæ Veteres de illo poculo tradunt, ἄμφωτον illud, i. e. *binis anſis inſtructum* fuiſſe, dicentes. Materiam quod ſpectat, uſam eſſe veterem Eccleſiam omne genus vaſis. ligneis, vitreis, argenteis, ac creſcente ſacrorum pompâ, aureis gemmatiſque, notum. Hoc itaque, *accepit* Chriſtus in manus, quod non ſine ſolenni ritu à Judæis, in Cœna Paſchali, fieri conſuevit, ut peculiarem ſuper eo benedictionem pronuntiarent. Et *benedixit*: ubi uſus videtur Chriſtus partim communi formulâ; partim eandem ad præſens inſtitutum accommodâſſe: & pro verbis, *hic eſt fructus vitis, ſanguis uvarum*, verba illa, *hic eſt ſanguis meus* &c. ſuppoſuiſſe, pateraque illâ circumlata ſanguinem N. Teſt. dedicâſſe. Cùm verò numerentur apud Judæos quatuor Pocula Paſchalia, quorum tertium appellabatur *Poculum benedictionis*, ſicut ultimum *Poculum hymni*, quô Paſcha claudi ſolebat; DOMINUM in Novi Fœderis ſymbolum tertium illud poculum conſecrâſſe, colligitur ex Lucæ *c.* 22. *v.* 20. Eôque prægustatô *tradidit* Diſcipulis, *ut omnes ex eo biberent*, Matth. *c.* 26. *v.* 27. Quæ traditio poſtmodum à Diacono ſæpe fiebat, qui *ſanguinem Chriſti miniſtrare* hinc dicebatur. Illud autem accipiebant Fideles primùm ſimpliciter ac convivantium in morem: tum venerabundi, & corpore inclinatô. Dein à Sacerdote fidelium ori admovebatur, donec augeſcente ſuperſtitione, fiſtulæ argenteæ adhibitæ ſunt, ne quid de ſanguine Chriſti periret. Quô eôdem conſiliô, ſeculô XII. abraſæ Sacerdotum barbæ &c. uti videre eſt apud Franc. Burmannum, *Synopſi Theol. Chriſtianæ Part. poſter. l.* 7. *c.* 10. §. 33. & *ſeqq.* plura, voce *Calix.*

POCULUM Gemmatum, crebrò occurrit apud Veteres. Nempe pocula aurea maximè olim gemmis inſigniebantur, hinc Λιθόκολλα & λιθοκόλλητα dicta. *Menander.*

Χρυσοῦν ἐπόρισας, εἴθε λιθοκόλλητον ἦν,
Καλὸν γὰρ ἦν.

Item διάλιθα, Latinè *Gemmata pocula*; à quibus *Gemmea* probè diſtinguenda. Gemmeum enim poculum ex una gemma fiebat in poculum cavatâ, ut apud Poëtam,

Hic gemmâ bibat.

Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 49. *v.* 1.

Cùm potes amethyſtino trientes.

I. e. *poculô ex amethyſto gemma factô.* At *Gemmatum*, κατάλιθον, aureum totum & gemmis intextum; unde & *aurum gemmatum* dicebatur. Vix enim alia pocula, quàm aurea, gemmis ornabant. Et quia viridis color optimè cum auro convenit, gemmas viridantes inoculandis poculis ut plurimùm adhibebant. Idem Poëta, *l.* 9. *Epigr.* 60. *v.* 17.

Et virides picto gemmas numeravit in auro.

Inter quas *ſmaragdus* principatum tenet. Plin. *l.* 33. *in Præfat. Nec hoc fuit ſatis, turbâ gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſâ tenere Indiam juvat, & aurum jam acceſſio eſt.* Martialis iterum, ſub lemmate, *Calices gemmati*; *l.* 14. *Epigr.* 109.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice, quot digitos exuit iſte calix.

Et *alibi*, *l.* 12. *Epigr.* 15. *v.* 3.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Jupiter.

Ubi *Scythicas ſmaragdos* (primæ inter ſmaragdos notæ) indigitat, quibus poculum illud textum erat. Sequitur enim, *v.* 6.

Hæc ſunt pocula, quæ decent Tonantem.

Præter ſmaragdum verò, & *beryllus*, quia viridis, ad hunc uſum tranſlata. Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 38.

——— *& inæquales beryllô*
Vino tenet phialas.

i. e. *beryllô textas*, & per hoc inæquales, aſperitate & extuberantiâ gemmarum. Beryllos autem optimos viriditatem puri maris imitari Plin. dicit, *l.* 37. *c.* 5. *Callais* porrò etiam ex viridibus gemmis & ſmaragdo ſimilis, in ornamentis aureorum poculorum plurima. Solin. *c.* 20. *de Callaide*, vel *Callaica gemma*, *Honore & pretiô ad ſmaragdos, viret pallidum, nihil jucundius aurum decet.* Hoc eſt, aurum poculorum; quod *aurum gemmatum* propriè vocatum eſſe, diximus. Sic de *Topazio*, *Agatharchides*, ἡδεῖαν ἐν χρυσῷ θεωρίαν ἀποδιδοὺς, *Pulchrum in auro aſpectum præbens.* Similis nempe topazius callaidi; illa hyalini ſeu vitrei, hæc Callaici ſeu Veneti, coloris. Sed frequentiſſimi Bactriani ſmaragdi (quibus ſecundas tribuit *Plinius*) qui in arena flantibus Eteſiis inveniebantur, ad hanc rem Veterib. adhibiti. *Theophraſtus* proin: enumeratis aliquot Græciæ locis, in quibus gemmæ reperiebantur, ad ultimum addit: Καὶ ἐν Κύπρῳ ἥτε σμάραγδος καὶ ἡ Ἴασπις· οἷς δὲ εἰς τὰ λιθοκόλλητα χρῶνται, ἐκ τῆς Βακτριανῆς εἰσὶ πρὸς τῇ ἐρήμῳ, συλλέγουσι δ' αὐτὰς ὑπὸ τοὺς Ἐτησίας ἱππεῖς ἐξιόντες· τότε γὰρ ἐμφανεῖς γίνονται, κινουμένης τῆς ἄμμου, διὰ τὸ μέγεθος τῶν πνευμάτων· εἰσὶ δὲ μικροὶ καὶ οὐ μεγάλοι· *Et in Cypro, tum ſmaragdus, tum jaſpis. Quibus verò*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

verò ad gemmata pocula utuntur, ex Bactris ſunt, prope deſertum: Quos colligunt flantibus Eteſiis, equites egreſſi. Tunc enim tellure apertâ nitent, quia iis ventis maximè arenæ moventur. Sunt verò parvi, neutiquam magni. Ob quod ipſum in hunc maximè uſum ſumebantur. Ut de Chalcedoniis ſmaragdis quoque idem ſcribit, Εὑρίσκονται δὲ σπανίως μέγεθος ἔχουσαι σφραγῖδος διὸ πρὸς κόλλησιν αὐτῇ χρῶνται χρυσῷ, *Inveniuntur rarò eâ magnitudine, ut* σφραγὶς, i. e. *gemma annularis inde fieri poſſit, hinc auro intexuntur.* Sic itaque & Bactriani, quia minores erant, quàm ut gemmis annulorum uſui eſſe poſſent, εἰς τὰ λιθόκολλα convertebantur ſeu *ad pocula aurea inſignienda* &c. At Taprobanes incolæ, omnifarias gemmas hâc fini uſurpabant. Solin. *c.* 53. *Mirantur aurum & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum.* Pro quibus in priore ἐκδόσει ſcripſerat, *Aurum mirantur & pocula gemmis igniculant.* Ubi eleganter *igniculata gemmis pocula*, ſunt gemmarum igniculis inſignita. *Ignes* namque & *igniculi gemmarum.* Veteribus de ſplendore ac luce, quam fundunt gemmæ paſſim. Plin. *igniculis amethyſti. l.* 37. *c.* 9. De Scythicis ſmaragdis, vide *ſuprà.* Claudianus:

—— —— Quis miſcuit ignes
Sidonii rubrique maris?

Manilius, *l* 3.

Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes &c.

Sive autem gemmæ auro intexerentur, ſive aureæ cælaturæ immitterentur argento, *Emblemata* iſta vocabantur, vide hîc paſſim, inprimis & de onyche gemma, ſuprà voce *Onychites*, & pluta hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 197. 240. & 1122.

POCULUM Ὑμνήσεως, vide ſuprà *Convivia*, item *Poculum Euchariſtic.*

POCUTIA, regiunc. Ruſſiæ nigræ in parte Auſtrali inter fontes Tiræ fluv. & Carpates montes. Ibi tantùm tria oppida, Halicia, Zidacovia & Coloma; In limite Tranſylvaniæ & Moldaviæ. Ibi etiam eſt Sniatinum, oppid. amplum, in Pruthi ſiniſtro margine.

PODAGER, Latinis qui *podagrâ* laborat, Græcè ποδαγρός. Claudian. *Epigr.* 42. *v. ult.*

—— Stare nequit podager.

In lemmate *Ænigmatum* Sympoſii, *Miles potager*, pro *podager*, ubi vulgò legitur, *Miles Podagricus*, qui ſic deſcribitur.

Bellipotens olim ſævis metuendus in armis,
Sex pedes habui, quos nunquam nemo negavit.
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit.

Hinc apud Salmaſ. *ad Lamprid. in Heliogab. c,* 29. *Habuit & hanc conſuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luſcos, & item octo podagroſos, octo ſurdos*, legi jubet Palatinus codex, *octo podagros.* Vopiſcus tamen *in Saturnino* disertè *podagroſos* habet, *c.* 7. *Podagroſi, quod agant habent*, &c.

PODAGRA Diana ſic dicta, Clem. *in Protrept.* Ἔστι δὲ καὶ Ποδάγρας ἄλλης Ἀρτέμιδος ἐν τῇ Λακωνικῇ ἱερὸν.

PODAGRÆ, Græcè ποδάγραι, aliàs ὀρύγματα & ποδοκλάσαι, foveæ dicebantur olim Græcis, quæ non ferarum ſolùm, ſed & hoſtium capiendorum causâ, fiebant. Suid. in ποδάγρα, Τάφρους ὤρυξε καὶ ποδάγρας ὑφῆκεν ὡς θηρίοις τοῖς πολεμίοις. Curius Fortunatianus, *Leno, quâ parte venturos ad ſe adoleſcentes ſciebat, nocte foveam fecit occultam & Juvenes perierunt.* Vide Rigaltium, *Notis in Phædrum, l.* 1. *f.* 17. *v.* 8.

Ovis jacentem in fovea conſpexit lupum.

Quid ποδοκάκκη & ποδοστράβη, diximus ſuprà, in voce *Pes.*

PODALIA, urbs Lydiæ, *Stephan.* Baudrando oppid. erat Lyciæ, in Miliadæ tractu verſus confinia Phrygiæ, ad fontes Xanthi fluv. 70. mill. paſſ. à Lymira in Circium.

PODALIRIUS, Æſculapii fil. ob inſignem medicinæ peritiam è Cretâ Inſula unà cum fratre Machaone ad bellum Trojanum evocatus. Item Italus quidam. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 394.

—— —— Podalirius. Alſum
Paſtorem, primôque acie per tela ruentem
Enſe ſequens nudo ſuper imminet.

PODANDUS, oppid. Ciliciæ erat, apud Tarſum, in mediterraneis inter Fauſtinopolim 26. & Alexandriam ad Amanum montem 108. mill. paſſ. ab Ægis 21. *Ferrar.*

PODARGE, una Harpyiarum, *à pedum velocitate* nomen habens, ex qua Zephyrus ventus Xanthum & Balium, Achillis equos, progenuit. Homer. *Il.* 16.

PODARGI, Thraciæ populi; *Stephan.*

PODARGUS, Hectoris auriga, *Homer. Il.* ψ. *v.* 295.

PODERIS, Græcè ποδήρης, dicta eſt linea ſacrificantium veſtis, quod *talaris* eſſet. Non enim ſolùm in Ægyptiis olim ſacris præcipuus lineæ veſtis uſus fuit, ſed & in Latina Eccleſia, præter amictum lineum ſuperiorem, quo in ſacra Pſalmodia Sacerdotes atque ipſis ſacris Miniſtri utuntur, prima veſtium ſacrificalium linea tunica talaris induitur. *Fuiſſe* antiquitùs *ſtrictam & corpori adhærentem*, tradit Hieron. *ad Fabiolam, eamque ſimilem militum Camiſiis.* Rabanus Maurus, *Secundum indumentum eſt linea tunica quæ Græcè dicitur Poderis. Heſychius*, Ποδήρης τὸ μέχρι τῶν ποδῶν, ἱμάτιον. Hanc *Iſidor. Camiſiam* vulgò dici ait, quòd nempe ſimilis, ut modò ex *Hieronymo* diximus, vel eadem olim omnino fuerit cum tunicis lineis interioribus, quas *Camiſias* appellamus, dictas à *Camis*, eôdem Iſidorô auctore, i. e. ſtratis noſtris, in quibus dormimus. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. Part. I. l.* 3. *c.* 5. Valerian. Pierius, *l.* 40. *Hieroglyph.* etiam *Subuculam* vult dictam. Eucherio, *Sacerdotalis eſt linea corpori penitùs adſtricta, eademque talaris*, ἀπὸ τῶν ποδῶν: *quæ & Subucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ veſtimentis aliis ſubjiciebatur, doctrinam ſacratiorem intelligi veteres Theologi tradiderunt*: Exodô, *Et fecerunt veſtimentum poderem ſub umbone, opus textile, totum Hyacinthinum.* Vide quoque Hieronym *in Levit. c.* 8. Iſtiuſmodi *Podere* indutus CHRISTUS comparuit Johanni, Apocalypſ. *c.* 1. *v.* 13. in quæ verba Lyranus, *Eſt autem Poderis*, inquit, *veſtis Sacerdotalis linea, quæ communiter dicitur alba*, &c. Vide quoque Fortun. Licetum *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 83. *ubi Lucernam, in qua Virgo Veſtalis* Podere *ſuper nudo & ſupra Poderem veſte exteriore induta erudito Comm. illuſtrat.* Sed & Reginarum olim in Scena, iſtiuſmodi ſyrmata ac *poderes* erant: cujuſmodi Iberas uti lolitas ſcribunt, nunc tota Aſia & Europa univerſa. Purpureus his fuit color, albô ad cubitum diſtinctus lætis, infelicibus atra palla &c. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poëtic. l.* 1. *c.* 16. Virginum porrò, ut de Thamare Davidis filia, 2. Sam. *c.* 13. *v.* 18. & Juvenum nobilium, ut de Joſepho Gen. *c.* 37. *v.* 32. 33. legimus, quô utrôque locô vocem Hebræam Interpretes Græci modò ποικίλον χιτῶνα, modò ἀστραγαλωτὸν, modò χειροδωτὸν, Vulgatus *talarem tunicam*, reddidit. Nempe tunicis hujuſmodi talaribus ſubſuebantur panni vel inſtitæ verſicolores, una pluresque uſque ad *talos* deſcendentes, quales matronarum quoque Romanarum fuiſſe, ex *Horatio* diſcimus, cùm Libertinarum veſtes nec talares eſſent, nec per extimum circuitum haberent inſtitas, ſeu πέζας, ut Græci vocant, quibus proin πεζεφόροι χιτὼν idem cum *podore* eſt ſeu *tunica talari.* Quia porrò talares tunicæ plerunque & manicatæ erant, unde Cicer. *Orat.* 2. *in Catil. cum talaribus & manicatis tunicis*; & proin manicas ſimiliter variis & picturatis limbis variegatas ac picturatas habebant, hinc & χειροδωτὸν & ἀστραγαλωτὸν de eodem veſtis genere dixerunt, & τὸν ποικίλον χιτῶνα intellexerunt Interpretes, *tunicam coloriam* vet. Auctori appellatam &c. Vide Salmaſ. *ad Aurelian. Fl. Vopiſci. c.* 46.

PODIA Circi, utrinque fuêre, ad duo maxima ejus latera; carceribus unum è minimis lateribus; & metis ultimis, quæ circumagebantur, alterum, occupantibus. Quò modo *Podium* utrinque per longitudinem Circi, à carceribus vel primis metis ad ultimas porrigebatur: linea verò alba, unde certamen quadrigis oriebatur, haud longè ab Oſtiis, in utrumque Podium carceribus producta fuit. Quam quòd cum *Podio* confundunt nonnulli, non parùm hallucinantur. Namque etiam in Amphitheatro podium; in ſolo verò Circo hæc linea fuit. Habebat autem Podium cancellos, quibus etiam tum cinctus fuit Circus, cùm Euripis adhuc & foſſis, quos Nero ſuſtulit, circumcluſus eſſet: ut ex Ovidio diſcimus, *l.* 3. *Amor. El.* 2. *v.* 63.

Si pendent tibi crura, potes ſi fortè juvabit,
Cancellis primos inſeruiſſe pedes,

Spectabat nempe illa in ſubſelliis podio proximis, & poterat crura pendula ſuſtinere, immiſſis in cancellos podii pedibus. Neque verò ſolùm ad *Podium* ſpectatores erant, ſed per totum porticus ſpatium, quæ in circuitu Circi fuit ædificata: Tres namque porticus triſtegæ Circum cingebant, in ſpeciem amphitheatri, totumque latus, ubi carceres erant, abſque ædificiis & porticu fuit, ſub divo expoſitum &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 917. & 918. In Theatris *Podium*, inter pulpitum & proſcenium, hoc depreſſius, illô (quod pedes quinque altum erat) altius fuit: poſt Cæſaris dictaturam, Imperatoris proprius locus, ſicut Conſulibus proſcenia & pulpitum Oratoribus provinciarum ac Legatis ſerviebat. Quibus tamen in locis Principes interdum cum illis, quàm è *Podio*, ſpectare maluerunt. J. C. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 21. plura verò hanc in rem vide apud Vitruvii Interpretes, ac *Bern. Baldum* inprimis. J. Lipſium *de Amphitheatro* & Hier. Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l.* 3. *c.* 4. ubi *Podium cum columellis, & in medio ſuggeſtum Imperatoris*, inter alias Amphitheatri Titiani partes, æri inciſum habet: adde Caſaubon. *ad Aug. Suetonii, c.* 43. & *ſeqq.* ubi honeſtiſſimum ſpectandi locum in Theatro *ad podium*, in Circo *ad Euripum*, fuiſſe, inter alia docet. Apud recentioris hinc ævi Scriptores vox in genere ſignificat quamvis rem, cui innitimur, unde *appodiare* Ugutioni, quod Galli dicunt *s'appuyer* etiamnum. In *Uſibus* antiqq. Ordinis Ciſterc. apud Car. du Freſne, in ſpecie, pars formæ eſt monachicæ, cui Monachi, quum procumbunt, inniti ſolent. Gallis Scriptoribus frequenter collem montemque notat, vulgò *Puy*, Occitanis & Arvernis *Poy, peu*, vel *puech.* Theodulfus Aurelian. *Paran. ad Judices.*

Hinc Magalona habuit lævam, Sextancio dextram,
Hic ſcabris podiis *cingitur, illa mari* &c.

Atque hinc Urbi Anicienſi, in Arvernis, nomen, quòd ſupra *podium* extructa, aliiſque nonnullis, de quibus en iſta, ex Hadr. Valeſio *Notit. Galliæ.*

VARIA IN GALLIA LOCA, PODII NOMINE INSIGNITA.

Alvari *Podium*, vel potiùs *Podium* Alvari, *Pech Alvari*: cum enim Galli Narbonenſes ac Aquitani *Podii* nomine ſæpe montem deſignarent, vocem hanc nunc *puis*, nunc *pech*, & *lepuech*, nunc & *pic*, ut hodieque Bigerrones, nuncupare conſueverunt.

Podium Cæſaris, *Pui de Serre.*

Podium Caninum, *Puy Chenin.*

Podium Celſum, *Peckcelſis*, caſtrum in Diœceſi Albienſi: *Podium Celſis* & *Podium Celiquenum*, corruptè apud Catellum dictum.

Podium Guilelmi, *Puy Guillaume*, caſtrum ad flumen Elaver.

Podium Laurentii, *Puy Laurent*, caſtrum nobile memoratum Petro Monacho *de bello Albig. c.* 62. Unde nobili Familiæ nomen.

Podium Magenfridi vel Manfredi, *Puy Manfroy.*

Podium Nauterium, *Pi Nautier*, prope Carcaſſonem, Guilielmo de Podio Laurentii non indictum.

Podium Nortmanni, *Puy Norman.*

Podium Siccum, *Puy ſec.*

Podium, Soricarium, *Puy Salguier* incolis, caſtrum, in territorio Biterrenſi, Petr. Albigenſis, *c.* 27.

Podium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Podium in Vellavis, ſeu ſimpliciter *Podium*, caput gentis & Epiſcopi ſedes, vulgò *Puy en Velais*; In altiſſimo enim monte Urbs hæc poſita eſt. *Podium* Witaldi, *Puy Viaut* &c. quæ omnia oppida ac caſtra in Gallia Narbonenſi & in Aquitania, fuêre. Vide quoque *Podium* & *Podiolenum*.

PODIANUS Proſper, vide *Proſper*.

PODIEBRADIA, arx Bohemiæ, à Podiebradio Rege nomen ſortita, ubi plurimi Taboritarum, in gratiam Rokyzanæ, cujus conſiliis Rex auſcultabat, captivi detenti, A. C. 1468. Camerar. *in Hiſt. Fr. Bohem. &c.*

PODIEBRADIUS Georgius, Bohemiæ, poſt Ladiſlaum, Rex. Natus A. C. 1420. ſpecimen futuræ virtutis edidit in prælio apud Thaboritas. A. C. 1438. Gubernator Bohemiæ electus, aſtu occupavit Pragam, A. C. 1441. Paraſito interroganti, cur Huſſitis potius adhæreret, quàm receptos ritus ſequeretur, prudenter reſpondit: *Mihi perſuaſa eſt mea religio, ſi tuam ſequar, homines fortè fallam, animæ meæ contrarius. Deum qui corda inſpicit, nequeo fallere, &c.* Rex declaratus, A. C. 1458. Papam, & hujus inſtinctu, Matthiam Corvinum Hungariæ Regem, quem ad id faſtigii promoverat, infeſtos ſenſit. In Rokyzanæ, Fatribus ſuccenſentis, gratiam, his durum ſe præbuit: donec Matthias Dolanſcius decennali carcere conſtanter toleratô, per quietem vidit, *occidere Lunam, deinde Solem*: Poſtridie enim Rokyzanæ morte auditâ, de Regis quoque morte conjecit, quæ contigit A. C. 1471. Filii ejus Principes Monſterbergenſes facti ſunt, ipſi autem Vladiſlaus, Caſimiri Poloniæ Regis filius, ſucceſſit. Bucholc. *Ind. Chron. Latus*, &c. Ex ejus progenitoribus Gerhardus Comes de *Nidda* & *Berneck*, Boſconis fil. Cunſtadium in Bohemia condidit, à quo poſteri titulum acceperunt. Hujus pronepos Boſco dein *Podiebradii* ſibi ſumpſit nomen ac iterum pronepotem habuit Georgium Regem, ex Victorino de *Cunſtad* & *Podiebrad*, Comite de *Berneck Nidda* & *Glaz*, ac Anna de *Wartenberg*, genitum. Cujus filii, Victorinus & Hinco, Munſterbergenſes, Oelſnenſes, & Volavienſes Duces creati ſunt: è quibus Principatibus, poſtquam Munſterbergenſis alienatus fuiſſet, cum hujus titulo Oelſnenſis & Bernſtadius ad poſteros tranſiêre: quorum ultimi è maſculis Henricus Wenceſlaus, A. C. 1639. & Carolus Fridericus A. C. 1647. obiêre, hæreditate ad Sylvium Ducem Wirtemburgicum Eliſabethæ Mariæ, Carolô Fridericô genitæ, maritum tranſlata, vide ſuprà in *Munſterberga*.

de PODIO Raimundus, vide *Raimundus*.

PODIOLENUM, in Arauſionenſi Diœceſi, ab urbe Arauſione non multùm abeſt, à Caderoſſa minùs, Prioratum habet St. Johannis Baptiſtæ titulô illuſtrem, ac Cluniaco ſubjectum. Dictum à ſitu, quòd in *podio* ſeu monte Rhodano imminente poſitum ſit. Ita enim olim montem Galli dixêre, unde tot locis *Podii* nomen, quæ in celſis montibus poſita. Ex Podio dein Podiolum & hinc *Podiolenum*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PODISMARE Agrum, apud Jun. Nipſum, *Omnem trigonum unâ ratione* podiſmare, *Orthogonium ut puta, Oxygonium & amblygonium*, eſt *podiſmum* ac menſuram areæ vel embadi colligere. *Podiſmus* nempe idem quod *pedatura*, eſt Græcè ποδισμὸς. Licèt enim hodie funibus & catenis, quas *Perticas* vocant, res menſoria peragatur; Veteres etiam *funiculos*, τὰ χοινία ad eum uſum nominent, ut & *perticas* ac *decempedas*: Antiquiſſimi tamen, qui de limitibus ſcripſerunt, *pedum* tantùm meminêre. Unde, *tot pedes jugerum habere, tot pedum eſſe centuriam, tot pedibus inter ſe diſtare terminos*, hincque agri pedaturam paſſim τὸν ποδισμὸν dixêre. Atque hinc *podiſmatus ager*, in *Laterculo* veteri. Iidem itinerum menſuram per *paſſus* collegêre; unde *millia paſſuum*, quæ & *milliaria* unicâ voce & *milliarii* lapides, qui ponebantur in ſingula millia; ut lapides *centuriales* defigi ſolebant diſtantes à ſe ped. IICCCC. qui *centuriæ podiſmus* eſt. Uti proin ποδίζειν, erat *menſuram per pedes colligere*, ſic βηματίζειν, *per paſſus metiri* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 686. & 688. & ſuprà voce *Pedatura*. Sed ποδισμὸς ſaltationis ſpecies eſt, apud Scaligerum, *l.* 1. *Poëtic. c.* 18.

PODIUM Andegavenſe, oppidum Galliæ, *le Puy en Anjou*, ſic dictum ad differentiam alterius in Velaunis. Eſt in limite provinc. Pictavienſis; Aliter *le Puy Noſtre Dame*; prope amnem *le Thoue*, 3. leuc. à Salmurio, in Meridiem 8. ab Andegavo in Eurum. De plurimis aliis in Gallia *Podiis*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà. *Podia Circi.*

PODLASSIA, vide POLACCHIA.

PODOCE, Indiæ intra Gangem urbs & emporium, *Ptolem. Pedephetan* vocat *Niger*.

PODOCTYPI, Græcè Ποδοκτύποι, qui & Ποδοψόφοι, vide ſuprà *Pedicularii* ſeu *Pedarii*.

PODOLIA, Poloniæ regio ampla, ad Orientem & Meridiem, Lithuaniæ, & Ruſſiæ contermina. Agrô tam fertilis eſt, ut ejus gramen perticam 3. diebus ſupercreſcendo contegat, & aratrum in locis graminoſis derelictum paulo pluribus ſepiat & cooperiat. Mellis quoque ibi maxima copia. Podolicam & Ruſſicam nobilitatem, cum Polonica omni jure exæquavit Vladiſlaus Rex, A. C. 1434. ſed Podolica à Tartaris ferè cæſa eſt, unà cum Michaële Buciacio, Palatino Provinciæ, Ruſſiæ columine, A. C. 1438. cùm anteà hic patriam à Suitrigellone ſtrenuè vindicâſſet, confirmatus cereô nomine regis ſibi tranſmiſſô, ex quo juſſus erat lumen quærere, ſi errare nollet. Vide Cromer. *Hiſt. Polon. l.* 16. 18. 19. 21. *&c. Baudrando* pars eſt Lithuaniæ latè ſumptæ, Habet à Septentrione Volhiniam, à Meridie Moldaviam, ab Occidente Ruſſiam Nigram. Duplex eſt, *Superior*, quæ ad Occidentem ubi Caminiecum & Barium; *Inferiorque*, ad Ortum, ubi Braclavia urbs. Ibi arces plurimæ & oppida notæ minoris. Sed peſſimè à Tartaris Coſaciſque eſt haud pridem habita.

PODUCE, apud *Ptolem.* urbs Taprobanæ.

POEAN, pater Philoctetis, qui ab eo *Pœantiades*, & *Pœantius* dicitur.

POEANTHE, inſula parva Ponti Euxini juxta Phaſidis oſtium, ut eam deſcribit *Orpheus*. Hanc Sigiſmundus Herberſteinius *Satabella* vocat, *in ſuis commentariis Moſcoviticis*.

POECILA petra, Ciliciæ oppid. maritimum *Strab. Paxoli Mercatori*.

POECILASIUM, urbs Cretæ, *Ptol.* vulgò *Pentalo*.

POECILE, porticus clara Athenis, quam Polygnotus Thaſius gratuitò pinxit, cùm partem ejus Mycon mercede pingeret, in qua Stoici philoſophabantur, Plin. *l.* 35. *c.* 9. Latinè *varia*, ſive *variegata*. In hac autem porticu Zeno diſcipulos docebat, unde *Stoica* ſecta nomen accepit; & philoſophi Stoici nuncupati, qui anteà Zenonii ab ipſo doctore appellabantur, ϛοὰ enim Græcè *porticus* dicitur. Fuit & in Elide porticus *Pœcile*, quæ à *Plinio Heptaphonos* appellatur, quoniam *ſepties eadem vox* in eâ reddebatur. *Nic. Lloyd.*

POEDICULI, Italiæ populi *Strabo*, ubi Japygia: Τινὲς δὲ αὐτῶν Ποίδικλοι λέγονται, μάλιϛα οἱ Πευκέτιοι. Apud *Appian.* Ποδίκλες pro Ποιδίκλες, Val. Max. *l.* 7. *Ex Apulia quoque & Fidiculis.* Ubi *Pediculis* legendum, docet Cluverius. *Idem Lloyd.*

POEDICUM, *Ptolem. Lazio Peckfelde*, oppid. Carinthiæ, 3. leuc. à Villaco in Eurum.

POEEESSA, urbs in Ceo. Civis *Pœeëſſius*, *Stephan.*

POEMANDRIA, vide TANAGRA.

POEMANI, Arduennæ ſylvæ incolæ, ubi nunc vicus *Pœmon* eſſe aſſeritur.

POEMANIUM, urbs ſive caſtellum. Eſt etiam parva regio Cyzici. *Steph.* Alii *Pœmœnion* habent.

POEMATA, vide *Carmina*, it. *Poëſis*.

POEMEN, mons Ponticæ regionis, à quo Parthenius profluit per mediam Amaſtrim. Incolæ *Pœmenii*. Eſt etiam mons Macedoniæ *Pœmenium*, cujus incolæ ſimiliter *Pœmenii*, *Steph.*

POEMENIS, canis fœmina, ex eorum canum numero, qui Actæonem lacerârunt: ita dicta, quòd in ſervandis gregibus *paſtoris* quodammodo officio fungeretur, Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 215.

POENA, & *Beneficium*, pro Diis habitos apud quoſdam Æthiopiæ populos legimus: Sunt qui non ab Æthiopibus, ſed ab Aſſyriis & Perſis hos cultos fuiſſe aſſerunt; illam quòd malorum, hunc quòd bonorum largitorem eſſe opinantur, Alex. ab Alex. *l.* 18. *c.* 11. Stat. *Theb. l.* 8. *v.* 25. de aula Plutonis.

——— *multiſonas exercet* Pœna *catenas.*

Ubi Scholiaſtes *Dea*, inquit, *punitionum, cruciatuum*; Furiarum parens Val. Flacco ſtatuitur, uti oſtendit Barthius, *Adverſar. l.* 21. *c.* 21. Certè à Furiis diſtinguit Lucianus *Necyom.* Arrianus, *Diſſertat. l.* 2. *c.* 20. Tragici ſæpe & Statius idem, *Theb. l.* 12. quippe ampliore harum munere &c. Fuit autem *Pœna* tres ob cauſas, ſecundùm veteres Philoſophos, infligi reis ſolita: nempe vel caſtigandi atque emendandi gratiâ, ut is, qui fortuitò deliquit, attentior fiat correctiorque, quam Νυθεσίαν, vel Κόλασιν, vel Παραίνεσιν dixêre: Vel animadvertendi gratia, quum dignitas auctoritaſque ejus, in quem peccatum eſt, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſio contemtum ejus pariat & honorem levet, quæ Τιμωρία eſt appellata: vel vindicandi gratiâ, quæ Παράδειγμα Græcis nuncupata eſt; quum pœnitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut cœteri ſimilibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Plato tamen in Georgia, medium *Pœnæ* genus omittens, *Convenit*, inquit, *omnem, qui punitur, ab eo qui rectè punit, aut meliorem fieri, atque utilitatem percipere: aut exemplum omnibus aliis eſſe, ut alii, videntes alium pati, metuentes meliores exiſtant.* Similis locus eſt apud eundem, *in Protagora*: Cujus ſententia quomodo cum priori concilietur, vide A. Gellium, *l.* 6. *c.* 14. cui adde, ſi placet, Senec. *de Ira l.* 1. *c.* 15. *de Clem. l.* 1. *c.* 22. de Lactantium *de Ira Dei*, *c.* 18. Apud Romanos, ante æs aut argentum ſignatum, ob delicta, *pœna* graviſſima erat duarum ovium & triginta boum, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 28. Ad hos dein à Græcis plurima ſuppliciorum genera tranſiêre, quippe quos non Equulei ſolùm, ut *in Tuſcul. Quæſt.* Cicero habet, ſed machinarum pænè omnium, ad homines torquendos, excogitatarum fuiſſe Auctores, diſcimus ex Vitruvio, Oribaſio, Herone, Pappo, Bitone & Athenæo: quarum nonnulla genera infrà ex Petito *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 4. *tit.* 9. Interim ne duplex reis irrogaretur *Pœna*, hâc Lege, cujus *in Leptinea* meminit Demoſthenes conſtitutum eſt: Μηδὲν τίμημα ὑπάρχειν ἐπὶ κρίσει πλέον ἢ ἕν, ὁπότερον ἂν τὸ Δικαϛήριον τιμήσῃ, παθεῖν ἢ ἀποτίσαι, ἀμφότερα δὲ μὴ ἐξέϛω. Iidem lege aliâ, de qua Plato *Apolog.* veniam dabant iis, qui inviti aut per ignorantiam minima admiſerant, neque illos in jus vocabant, ſed officii admonebant. In Conſultorem verò ac Reum idem ſtatuebant: Τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον. Nam, ut eſt *in vet. Mimo*,

Bis peccat, qui peccanti conſilium accommodat.

Draco verò omnia crimina morte multavit, ſed mitigavit rigorem Solon, & pro delictorum ratione, *Pœnam* applicuit. Apud Hebræos, quæ genera fuerint *Pœnarum*, præcipuè capitalium, vide quoque hîc *infrà*: adde quæ dicta retro, verbô *Condemnare*, quæque infrà dicemus ubi de *Sella Equul.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Poenarum varia apud Romanos genera.

α. In *Antliam* damnatio, ſervile *Pœnæ* genus fuit, cùm è profundo puteo aquam haurire cogebantur. β. ad *Beſtias*, cùm reis, qui inde *Beſtiarii* dicti, in feris certandum erat. Alexand. ab Alex. *l.* 3. *c.* 5. A. Gell. *l.* 5. *c.* 14. Horum ducentos ab uno Leone ſtratos, Cicero refert *pro Seſtio.* Ad Chriſtianos crebrò ſupplicium tranſlatum, vidimus ſuprà. γ. *Cenſio haſtaria*, militaris pœna fuit, vide ſuprà in voce *Miles.* δ. *Carcer*, duas habebat partes, Robur & Tullianum, in quorum illo præcipitabantur, in hoc ſtrangulabantur malefici. ε. *Codex*, ligneus ſtipes, quem alligati ſervi, qui deliquerant, trahebant, cuique inſidebant vincti Hadrian. Turnebus *Adverſ. l.* 23. *c.* 21. ζ. *Crux*, ſervile ſupplicium, vide *ſuprà.* η. *Culeus*, Parricidii pœna. Vide Modeſtum *Digeſt. l.* 48. *ad l. Pomp. de Parricid.* θ. *Decimatio*, Legionum pœna. ι. Defoſſio, Veſtalium erat. κ *Dejectio* è rupe Tarpeja, per Carnificem facta, prægreſſâ verberatione, liberis hominibus, proditionis perduellioniſque reis irrogabatur, Appianus *Bellor. Civil. l.* 3. Eandem tamen in ſervis furti manifeſti convictis, juſſu Xvirorum obtinuiſſe, monet A. Gellius, *l.* 11. *c.* 18. λ. *Deportatio*, ſeu *Lata fuga*, erat capitis diminutio maxima, cùm quis perpetuò multabatur exiliô: Ei opponebatur Relegatio, quæ temporarium ſolùm exilium indixit. μ. *Diminutio capitis*, triplex erat, Minima, cùm ex ſuperiore ac nobiliore Tribu, in inferiorem & obſcuriorem, detrudebantur, vel in Ærarios referebantur, qui omnia alia jura civium Romanor. præter quàm tributi, & æris conferendi, amiſerunt. Sigonius, *de Jure Rom. l.* 1. *c.* 17. Vide quoque A. Gellium, *l.* 4. *c.* 12. Media, exilium, ſed ſine libertatis jactura, infligebat; his verbis ſolennibus: *Tibi aqua & igni interdico.* Quam cum Proſcriptione hominum eandem facit Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 17. Maxima erat Deportatio, ν. *Dimiſſio* ignominioſa, pœna militaris. ξ. *Eculeus*, vide *ſuprà.* ο. *Ergaſtulum*, ſervilis pœna erat, quâ etiam ſine auctoritate publica ab offenſo domino ſervus poterat affici. π. *Fidiculæ*, vide *ſuprà.* ρ. *Fraudatio* ſtipendii, pœna militaris. σ. *Furca*, ſupplicium ſervile, vide *ſuô locô.* τ. *Fuſtis*, ingerebatur militibus & cuſtodibus negligentibus. υ. ad *Gladium* damnari dicebatur, qui Gladiatoriam cogebatur exercere. *Ad gladii ludum deputationem*, vocat Capitolin. Vide Lipſium, *Saturnal. l.* 2. *c.* 3. φ. ſub *Jugum* mittebantur hoſtes devicti. χ. *Lamina*, vide *ſupra.* ψ. de *Lapide* emti, dicebantur ii qui cùm de rupe vel ſaxo Tarpejo dejiciendi erant, gratiam impetrârunt, ſed non ſine perpetuæ ignominiæ nota. ω. *Lignum*, vide *Nervus.* αα. ad *Ludum* damnabantur, qui in arena cogebantur decertare: poterantque evadere & rude, cùm contra ad Gladium damnati certiſſimæ deſtinati eſſent neci. ββ. *Mala manſio*, quibuſdam idem cum Puteo, aliis cum Arca: nonnullis cum Nervo. Sed ad eam reus, ut de eo quæſtio haberetur, extenſum fuiſſe, docet Ulpianus, *l.* 30. *ad Edictum*, *Si hominem* &c. γγ. ad *Metalla* damnabantur ſervi, & ſub Gentilibus Imperatorib. non rarò Chriſtiani. δδ. *Miſſio Sanguinis*, pœna militaris. εε. *Nervus*, vide *ſuô locô.* ζζ. *Nex*, cujus genera: Percuſſio ſecuri facta, Strangulatio, Culeus &c. ηη. *Numella*, vinculum fuit, quò conſtricti nuere capiteque demiſſò eſſe cogebantur. Turnebus *loc. cit.* θθ. *Patibulum*, minor pœna quàm crux ſuſpenſos illicô exanimabat. ιι. *Percuſſio*, ſecuri facta, adhibebatur verberatione, quæ virgis fiebat, præmiſſâ. Liv. *l.* 2. & 26. κκ. *Piſtrinum*, vide *ſuprà.* λλ. *Præcipitatio*, fiebat in ea parte Carceris, quæ robur dicebatur. μμ. *Proſcriptio*, erat vel bonorum, cùm quis ſolvendo non erat: vel hominum, eadem cum Diminutione capitis media. Vide infrà *ſuô locô.* νν. *Puteus*, apud Plautum *Aulul. Act.* 2. *ſc.* 5. *v.* 20. coquorum furacitatem coërcuit. ξξ. *Relegatio*, exilium erat temporarium: Ei Deportatio oppoſita fuit. οο. *Scalæ Gemoniæ*, è quibus rei in Tiberim dabantur in præceps. Cœl. tamen Rhodig. *l.* 10. *c.* 5. hîc comburi reos ſolitos fuiſſe, docet, adeoque cum Tunica idem *Pœnæ* genus facit ππ. Σχοινισμὸς, fortè idem cum Fidiculis. ρρ. *Servitus.* σσ. *Stigmatici*, Inſcriptique, ſervi erant fugitivi. Iidem *Literati* nuncupati ſunt. ττ. *Strangulatio*, laqueô fiebat, in Tertulliano: Vide Cicer. *in Vatinium.* υυ. Supplicium more Majorum, idem cum Furca. φφ. *Talio*, vide A. Gellium, *l.* 16. *c.* 10. χχ. *Taxillata* flagra, ſeu Scorpiones. Vide *ſupra.* ψψ. in *Tiberim* dejectio: è ſcalis Gemoniis fiebat. ωω. *Tranſlatione* & quaſi tranſplantatione, puniebantur bellô ſuperatæ gentes. ααα. *Tunica*, acerbum ſupplicii genus, cùm illâ ignita induti comburebantur vivi. Unde Seneca, *Cogita illam tunicam alimentis igneam & illitam & intextam*, *Ep.* 14. βββ. *Verberatio*, partim virgis, partim fuſtibus infligebatur. Vide infrà *ſuô locô.* γγγ. *Virgæ*, *Ungulæ*, vide infrà. Sed omnibus enumerandis quis par ſit: Liceat adhuc nominâſſe *Amputationem manuum*, aliorumque membrorum; *Collumbar*, à *collo*, quod ei innectebatur, dictum; *Crurifragium*, *Excæcationem*, *Talifragium*; *Theatralem pœnam*, de qua mox: & ex Militaribus, de quibus aliquid ſuprà, *Ceſpitis* vel *Decempedæ geſtationem*, *Seſſiones*, *Stationeſque ignominioſas*, de quibus Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 24. &c.

Poenarum genera apud Athenienses usitata.

α. *Ærarii* fiebant, qui ſolvendo non erant. His, niſi debitum expunxiſſent ſuum, non licebat πολιτεύεσθαι. i. e. *Rempublicam gerere.* Neque enim in concione ſuffragium ferebant, aut in Judices legebantur, neque quidquam pro concione dicebant. Quod ſi inſuper haberent, rapiebantur ad Undecimviros capitales. Propterea ignominioſi erant, quæ pœna ad hæredes quoque tranſiit. At, multâ ſolutâ, eorum nomina expuncta ſunt ex tabella, à Magiſtratu Quæſtoribus traditâ, & ab his in Acropoli aſſervatâ. β. *Carcer* perpetuus, inter *Pœnas* fuit, teſte Platone *in Apolog.* detinebanturque in eo rei vinculis conſtricti, ut de eodem Socrate Plato *in Phædone* refert. Etiam in carcere erant, ſi multa eſſet irrogata, quouſque eam numerâſſent, Idem *in Apolog.* γ. *Exilium* decennale, potentiorum fuit pœna. Vide hîc paulo infrà *Oſtraciſmus* δ. *Infamia* irrogabatur Ærariis, eorumque hæredibus, donec ſatisfeciſſent &c. Fuerunt autem Infames ſeu ἄτιμοι trium generum, Οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἠτιμῶντο, nimirum illi, qui ſua bona poſſidebant, nec tamen in quibuſdam capitibus idem cum cœteris civibus jus habebant. Et hæc erat Capitis diminutio minima, vide Ulpianum in *Mid.* Οἱ δὲ τὰ δύο, qui, cùm in Ærarios eſſent relati, omnibus exciderunt civitatis juribus, ſacris pariter & profanis, bonaque eorum publicabantur, quouſque tandem nomina ſua expunxiſſent. Hæc media fuit Diminutio capitis. Οἱ δὲ, ὁλόκληρον, qui, quamvis in bonis ſuis eſſent, omnibus tamen civitatis juribus unà cùm liberis poſteriſque ſuis exciderunt. Ex hæc erat Capitis diminutio maxima. *Inſcriptio*, vide ſuprà. ε. *Nervus* ſeu lignum, quò pedes vinciebantur. Græcè Ποδοκάκκη, quaſi Ποδοκατοχή. ζ. *Oſtraciſmus*, decennale fuit exilium, potentioribus injungi ſolitum, non Athenis tantùm, ſed etiam in ſubditis civitatibus, Ariſtot. *Polit. l.* 3. *c.* 13. Intra dies itaque decem ab urbe excedere & annos totidem abeſſe cogebantur ii, quos ſex millibus ſuffragium ferentibus, aut majore numerô, à pluribus damnari contigiſſet. Percipiebant nihilominus totô hôc tempore bonorum ſuorum fructus, interim exulem recipere nemini licebat. Auctorem hujus *Pœnæ* ſunt, qui Theſeum faciant, eundemque primum eâ affectum. Alii circa tempora demum Piſiſtrati inventum, & Hipparchum ejus cognatum eam primum omnium ſubiiſſe, volunt. Quidam Hippiam: nonnulli Lyſonis filium Achillem Oſtraciſmi auctorem laudant. Ultimus illorum pertulit Hyperbolus, Plut. *in Ariſtide.* η. Πανσικάτη, machina fuit, quæ inſerebatur collo, ne manus ori admoveri poſſent. Pollux, *l.* 7. *c.* 4. θ. Πεντεσύριγγον ξύλον, non collo ſolùm inſerebatur, ſed etiam pedes manuſque impediebat. ι. Ποδοκάκκη ſeu Nervus pedes tantùm arctabat. *Heſych. Harpocratio* &c. κ. Ποδοστράβη, vinculum ſeu quæſtionis genus erat, quò pedes luxabantur. *Grammatici.* Adde & manus, ut ex Ulpiano diſcimus *ad Timocrateam.* λ. ad *Remum* quoque rei nonnunquam damnabantur. Et hi ἄτιμοι, *infames* erant, ac capite minuti; cùm reliqui remiges, qui ad remum mercede conducebantur, θῆτες quidem, ſeu Proletarii, non tamen infames, eſſent. Hôc *Pœnæ* genere etiam hoſtes bellô captos, ab Athenienſibus, ſolitos fuiſſe affici, auctore Philocle, narrat Plut. *in Lyſandro.* Hunc enim ſuaſiſſe refert, ut captis hoſtibus dexter abſcinderetur pollex, quò haſtam quidem ferre non poſſent, at remum agitare valerent. μ. *Supplicium capitale*, ex lege Draconis ſanguine ſcripta, omnibus criminibus adhibebatur, rigorem minuente Solone. Solebat autem illud de damnatis non ſumi, ante ſupremam diei tempeſtatem, i. e. Solem occaſum: ut colligitur ex verbis Stobæi, *Serm.* 1. Καὶ τριῶν ἡμερῶν αὐτῷ δοθεισῶν, τῇ πρώτῃ ἔπιεν καὶ οὐ προσέμεινε τῆς τρίτης ἡμέρας τὴν ἐσχάτην ὥραν παρατηρεῖν, ἡ ἐστιν ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν: Contrarium planè apud Hebræos obtinente, &c.

Genera Poenarum apud Hebræos usitata, ex Thom. Godwyno.

α. ad *Beſtias* damnare, à Romanis didicerunt. Quod pœnæ genus irrogatum legitur Paulo Apoſt. 1. Corinth. *c.* 15. *v.* 32. β. *Carcer*, pœnæ genus erat non capitalis, comprehendens ſub ſe Nervum, Arcam, Malam manſionem &c. E quo ſi reus evaſiſſet, cuſtodem idem ſupplicium, quod is ſubiturus erat, manebat, 1. Reg. *c.* 20. *v.* 39. γ. *Combuſtio*, Lapidatione mitior, ſed Decollatione ac Suffocatione atrocior habita, duplex erat; *Combuſtio corporis*, quæ fiebat lignô; & *Combuſtio animæ*, quæ liquefacti plumbi in os infuſione peragi ſolita, priori erat frequentior. δ. *Crux*, à Romanis mutuata, vide *ſuô locô.* ε. *Cuſtodia* libera, cùm rei interdiu, levioribus onerati vinculis, ad opus emittebantur, ſub noctem, in carcerem redituri. Horum unuſquiſque militem habebat cuſtodem, qui eâdem catenâ cum reo vinctus erat, ſiniſtrâ ejus hujus dextræ alligatâ. Quemadmodum de Paulo legimus Actorum *c. ult. v.* 16. Sed an id inter Hebræos quoque in uſu fuerit, ut Druſius contendit in 2. Tim. 1. 18. dubitat *Godwynus.* ζ. *Decollatio*, combuſtione levior, ſed Strangulatione gravior, irrogabatur homicidis, & Idololatris. η. Exciſio, vide infrà, *Pœna Exciſionis.* θ. Flagellatio, fiebat vel Virgis vel Flagellis, quarum hæc gravior. Cædebantur autem rei quadragenis plagis, in Judicis conſpectu, Deuteron. *c.* 25. *v.* 2. Vide quæ de Paulo ac Sila referuntur, Actor. *c.* 16. *v.* 22. quæque diximus ſuprà, *ſuô locô.* Nonnunquum, cùm ſceleris ratio id requirebat, ἀστραγαλωταὶ μάστιγες, i. e. *Flagra taxillata*, in ſacris *Scorpiones* dicta, adhibebantur. ι. Καταποντισμὸς, ſeu *Dejectio in mare*, peregrinum *Pœnæ* genus fuit: hoc tamen peculiare Hebræis, quod ei, cui hôc modô pereundum erat, mola aſinaria de colle ſuſpendebatur, ut ſic demergeretur. Vide Hieronym. *in Matth. c.* 18. *v.* 6. κ. *Lapidatio* graviſſimum Pœnæ genus judicatum, quô pactô fuerit peracta, & quibus irrogata, vide *ſuprà.* λ. *Libera Cuſtodia.* Vide hîc paulo ſuprà, in voce *Cuſtodia.* μ. *Reſtitutio*, obtinebat in iis, qui aliena bona injuſtè ad ſe traxiſſent, vide Exodi, *c.* 22. *v.* 1. ſ. Reſtituebatur autem ablatum, vel *ſecundùm idem*, vel *ſecundùm æquale*, vel *ſecundùm poſſibile*, ν. *Serrâ diſſectio*, apud Romanos ac Hebræos uſitata, Eſaiæ Prophetæ à Manaſſe Rege irrogata creditur. Vide Hebræor. *c.* 11. *v.* 37. ξ. *Suffocatio*, inter 4. pœnarum capitalium genti peculiarium genera, mitiſſima, ſic fiebat: Immergebatur reus fimo cruribus tenus, & fune cervici injectô, utrinque ſtantes lictores illum contorquebant, donec ſpiritus intercluderetur. Irrogabatur plagiariis, Pſeudoprophetis, Adulteris, iis qui Parentes percuſſiſſent, vel Sacerdotis filiam polluiſſent: Senioribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

buſitem, qui Synedrio contradixiſſent, o. *Talio* erat vel *identitatis* ſeu *Pythagorica*, vel *ſimilitudinis* ſeu *analogica:* Illâ oculus pro oculo; hâc pretium oculi, rependebatur. Targum Jonath. Deut. *c.* 19. *v.* 21. Vide Rabbi Solomonem *ibid.* π. *Tympaniſmus*, à Græcis mutuatus, memoratur Hebr. *c.* 11. *v.* 35. Vide quoque 2. Maccab. *c.* 6. *v.* 19. Junius *in Jeremiæ c.* 29. *v.* 26. etiam meminit alius *Pœnæ* generis, Hebræis צינק *Tſinok* dicti, quod quidam cum *Navicula ſugentis*, Plut. *in Artax.* iden faciunt; aliis nil niſi funes, quibus reorum manus colligatæ, eâ voce indigitari contendentibus.

POENA Exciſionis, divinitus ſceleratorum quibuſdam expectanda, Hebr. כרת (*Extinctionem* dixiſſet *Cicero*) appellatur, Helleniſtis ἐξολόθρευτον, i. e. *perditio*, triplexque ſtatuitur, Magiſtris, qui è ſacro ſermone triginta ſex enumerant crimina, quorum ſcienter & ultro commiſſorum nullum eſſe, quod non exciſione, niſi remiſſum fuerit, ſeorſim & per ſe ſit puniendum, aſſerunt. R. Bechai *in Biur. bathorah, fol.* 149. *col.* 1. *Exciſiones, quæ in Lege occurrunt, tripartitò diſtribuuntur. Eſt genus exciſionis quâ exſcinditur corpus: eſt itidem Exciſionis genus, quâ ſola Anima exciditur.* (Et in Platonica Philoſophia, memorantur ψυχαὶ καθαιρούμεναι; *Animæ ſublatæ* ſeu *extinctæ*. Proclus *in Theolog. Platonic. l.* 6. *c.* 10.) *& genus Exciſionis, quâ tam anima, quàm corpus, exciditur.* Quemadmodum in Valentinianorum dogmatibus, apud Epiphanium, *Hær.* 31 dicitur, τὸ τῶν ἀνθρώπων τάγμα ὑλικὸν ἀπόλλυσθαι ἅμα σὺν ψυχῇ καὶ σώματι. *Ordinem hominum materialem ſimul cum anima & corpore perire.* Et quidem primi generis *pœnam* ajunt eſſe præmaturam mortem, ſeu quæ בחצי ימיר, *antequam dies ſeu tempus vitæ aliàs expectandum abſolvatur*, accidit: quam volunt deſignari in ſacris literis, ubi dicitur, *excidetur homo ille è medio populi ſui*, aut phraſis de Exciſione ſimilis uſurpatur, qualis ſexies in Lege occurrit. Nam tot iis ſcelera enumerantur, quibus ſignatiùs hujuſmodi pœna præſcribitur. Videlicet I. *Qui conſuluerit Ob & Iideoni*, Levit. *c.* 20. *v.* 6. II. *Qui mactaverit extrà*, Levit. *c.* 17. *v.* 4. III. *Qui obtulerit extrà*, *v.* 9. IV. *Qui oleum confecerit* contra Legem, Exod. *c.* 30. *v.* 33. V. *Qui confecerit ſuffimentum*, contra Legem, *v.* 38. VI. *Qui oleum unctionis effuderit*, contra Legem, *Ibid. v.* 33. Generis ſecundi exciſionem vigeſies ſepties (ad ſcelerum, quibus disertè præſcribitur, numerum) denuntiari, in Lege, obſervant. Quindecies, ubi concubitus inceſti prohibentur, adjectô, & *excidentur animæ ſic facientes è populi ſui medio*; Levit, *c.* 29. ubi *populum ſuum*, pro cœteris, quæ futurô non exciſæ gaudent ſeculô, animabus ſumunt. XV. autem in eis *Cerithoth* ſeu exciſiones ponunt, non XXVI. juxta concubituum ibi deſignatorum numerum, quia undecim in ipſa enumeratione veluti planè redundant. Nam quindecim, id eſt, priores ſeptem & decimus ſextus cum ſeqq. (demtis decimô octavô, 25. & 26.) omnes reliquos continent, ut Seldenus docet *de Jure N. & G. l.* 5. *c.* 1. & 10. Qui reſtant duodecim huic pœnæ, ex diſertis Legis verbis, obnoxii, eis ſunt: I. *Qui profanat Sabbathum*, Exodi, *c.* 31. *v.* 14. II. *Immundus qui comederit Sanctum*, Levit. *c.* 7. *v.* 20. III. *Qui in templum ingreditur immundus*, Numer. *c.* 19. *v.* 13. IV. *Qui comedit adipem*, Levit. *c.* 7. *v.* 25. V. *Qui comederit ſanguinem*, Ibid. *v.* 21. & *c.* 17. *v.* 10. & 14. VI. *Qui comederit ſacrificii reſiduum die tertiô*, Ibid. *c.* 19. *v.* 8. VII. *Qui comederit reſiduum ſacrificii extra locum ſuum*, Ibid. *v.* 7. VIII. *Qui comederit fermentum in Paſchate.* IX. *Qui comederit quid in die expiationum*, Levit *c.* 23. *v.* 29. X. *Qui opus aliquod fecerit die expiationum*, Ibid. *c.* 23. *v.* 30. XI. *Qui Paſcha non obſervârit*, Numer. *c.* 19. *v.* 13. XII. *Maſculus, qui non circumciſus*, Geneſ. *c.* 17. *v.* 14. Tres cœteri, quibus triginta ſex conficiuntur & ad genus attinent, ſunt: I. *Blaſphemus*, Numer. *c.* 15. *v.* 30. & 31. II. *Cultus extranei reus ſeu Idololatra*, Ibid. III. *Qui ex ſemine ſuo dederit Molocho.* Levit. *c.* 18. *v.* 21. & *c.* 20. 5. Alterô enim locô Anima, alterô ipſe, qui Molocho ſemen dederit, excidendus. Id autem, quod habetur Numer. *cit. c. v.* 31. *Excidendo excidetur anima illa, iniquitas ejus ſuper eam*, nuncupant Hebræorum Doctores כרת חמור, *Exciſionem graviorem*, quæ tum animæ, tum corporis ſit, itidem כרת כפור *Exciſionem duplicem.* Adeò, ut ex ſecundo exciſionis genere, ipſam planè velint eſſe deſinere animam, corpore ante tempus ſuum moriendi aliàs naturale minimè ſublatô; ex genere verò tertio, tam vitam ante tempus aliàs naturalem cœlitus præripi, quàm Animam ampliùs non omnino eſſe: atque inde pro Juſtitiæ ſeu iniquitatis modo ſive immortalem ſive mortalem animam pronuntient. Sed pœnas etiam qualeſcunque, cum immortalitate leviores, quàm animæ exciſionem decernunt: ſicut intereà etiam ipſas animas interdum mortales eſſe exiſtiment & perire. Et disertè Magiſtris celeberrimis aliis Exciſio animæ generatim dicitur, *pœna*, quâ impius *excidit ob impietatem ſuam & deſtruitur, veluti brutum*, &c. Quæ Tacito olim videtur ſuboluiſſe, cùm ille de Hebræis, *Hiſtor. l.* 5. *c.* 5. *Augendæ*, inquit, *multitudini conſulitur. Nam & necare quenquam ex agnatis* (Lipſius legit *gnatis* & de liberis neci non exponendis intelligit) *nefas*; *Animaſque aut præliô aut ſuppliciis peremtorum æternas putant. Hinc generandi amor & moriendi contemtus.* Edidicerat namque is forſan eos exiſtimâſſe (nonnullos ſaltem eorum nec obſcuri nominis) animas aliàs æternas, aliàs non item. At ſaniores inter illos utrorumque reſurrectionem juſtorum & iniquorum crediditſe, patet ex Actorum Apoſtol. *c.* 24. *v.* 15. ubi Paulus de Phariſæorum aliorumque ſui temporis Hebræorum ſenſentia, *Confiteor*, ait ——— *ſpem habens in Deum, quam & ipſi hi exſpectant, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum.* Nec ſanè ita rarum eſt omnium, ſive juſtorum, ſive injuſtorum, reſurrectionem & judicium apud Magiſtros ſupponi, juxta illud R. Eliezeris Kapernaitæ, *Pirke Aboth*, *c.* 4. *Qui nati ſunt, morientur, qui mortui ſunt, reviviſcent; qui reviviſcent, judicabuntur*, &c. Vide Joh. Seldenum, *de Jur. Nat. & Gent. juxta Diſcipl. Hebr. l.* 7. *c.* 9.

POENA Mutorum, apud Anglos, vide ſuprà *Mutorum pœna.*

POENA Theatralis, ſeu potiùs *Pœna* Legis Theatralis, indigitatur apud Æl. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 18. ubi ait: *Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis* (ſeu ſui juris) *eſſent, catamidiari in amphitheatro & dimitti juſſit.* Nempe jam olim Lege fuerat cautum, ne liceret decoctoribus ſedere in ſpectaculis inter ſui ordinis homines, uti diſcimus ex Suetonii *Auguſto*, *c* 40. Hadrianus, inſuper *catamidiari* in amphitheatro voluit, i. e. *deridere & per ludibrium traduci*; qui mos Veterum ſontes & pœnis addictos, ad exemplum traduci per amphitheatrum, notus. Salmaſ. verò *catomidiari* mavult legere, i. e. *catomis cædi*, à κατωμίδιον voce Græca quæ κατ' ὤμων ſignificat. Τὸ κάτωμον autem vel τὰ κάτωμα, pars eſt ſub collo inter ſcapulas, quod Latini *interſcapulum* vel *interſcaplium* & *conſcaplium* appellant, h. e. συνωμίαν: Sicque aliquis *catomo* aut *catomis cædi* dicebatur, cui catomum aut catoma cædebantur, quemadmodum *capite cædi*, illi dicitur, cui caput cæditur. *Catomidiari* itaque, non ſimpliciter eſt *verberari*, ſed *ſcapulis verberari*, adeoque decoctores bonorum ſuorum Hadrianus in Amphitheatro, hôc pœnæ genere affici & dimitti, juſſit: Fuſtibus aut virgis caſtigatos poſſumus, imò debemus, intelligere, niſi malimus plumbatis, quarum ictibus cervices & terga contundi moris fuit, ſed poſteriorum tantùm Imperatorum ævô. Sic, *l.* 40. *Cod de Decurion.* principales vel decuriones pecuniæ publicæ decoctores, plumbatarum ictibus ſubjici jubentur. Vide Salmaſ. *ad Spart. l. c.* & hîc *paſſim*, verbô *Catomidiari*, ubi de *Plumbi verberibus*, & voce *Traduciani*.

POENÆ Canonicæ, vide voce *Indulgentia*; item hîc paſſim, inprimis paulò pòſt, ubi de *Pœnitentibus*.

POENI, h. e. *Carthaginenſes*, quaſi *Phœni* dicti, qui à *Phœnicibus* orti fuêre, ut ait Servius in illud Virgilii, *Æn. l.* 1. *v.* 306.

——— Ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deô. ———

Derivativum diphthongum *œ*, in *u* mutat, ut *Punicus*. Virgil. *ibid. v.* 342.

Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem.

Hinc *malum Punicum*; unde Cratetis dictum, apud *Laërt. Sicut omnibus malis Punicis ineſt aliquod granum putre: ſic nemo eſt, qui omni prorſus vitiô careat.* Et *Punica fides* pro fallaci, ab ejus gentis peculiari perfidia in proverbium abiit. Hinc *Puniceus* aliud adjectivum, Ovid. *in Ibin*, *de M. Regulo*, *v.* 281.

Vel quæ qui redimi Romanos turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipſe feras.

Puniceum etiam & *Punicum* dicitur, quod colorem rubentem habet. Ipſe enim color ille *Punicus*, ſive *Puniceus* appellatur, qui Græcis Φοινίκεος eſt. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 76.

——— Cùm primùm craſtina cœlô
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit.

Hinc *Punicare* verbum, pro *Puniceum colorem trahere*, ſeu *habere*, apud Apul. *princ. l.* 3. *Met. Commodum Punicantibus phaleris Aurora roſeum quatiens lacertum cœlum inequitabat.* Item *Punicanus* adjectivum aliud apud Cicer. legitur *in orat. pro Murena*, *c.* 36. *Punicani lectuli*, quibus Carthaginenſes uti ſolebant. *Nic. Lloyd.*

POENICUM ſeu POENICIUM ploſtellum; apud Varronem, *l.* 1. *RR. c.* 52. de quo ſuprà, in voce *Ploſtellum*, idem quod *Punicum* eſt. Sic in *veter. Inſcr.* BELLO POENICIO, i. e. *punicô. Pœni* nempe, è Phœnicia oriundi, unde *Sarrâ*, h. e. Tyrô eos arceſſit *Ennius*; *Phœnices* autem non Φοίνικες modò, ſed & Φοινοὶ, à Græcis dicti ſunt; Unde *Pœni.* Servius, in *l.* 1. *Æn.* κατ' ἀντίστοιχον Φοινοί: imò planè Φοινοὶ, ut Φοινίκιον, *pœniceum.* Gloſſæ, *Pœni*, Ἄφροι, Φοίνικες: Inde Φοῖνιξ διάλεκτος, *lingua punica*, apud Apſyrtum. Unde autem Phœnices appellationem traxerint, ſuprà dicitur: à colore videl. tincturæ, quæ ibi primùm reperta. Objici tamen poteſt, quòd *purpureum* à *puniceo*, diſtet; purpureô autem Tyros & Phœnice laudata. Tibullus, *l.* 2. *El.* 3. *v.* 62.

Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Ubi Africæ, in qua *Pœni*, proprium facit *puniceum*, & Tyri, quam *Phœnices* incolebant, *purpureum:* Quorum illud, coccinum eſt ex cocco Africæ. Plinius de cocco, *l.* 16. *c.* 8. *Gignitur & in Galatia, Africa, Piſidia.* Sed *puniceum* in purpura cernitur, præcipuè Tyriâ ac rubente. Plinius, *Tyrio laus ſumma in colore ſanguinis concreti*; qui ſanguinis color Φοῖνιξ vel Φοίνιος propriè. Apud Poëtam *vellera Tyrios incocta rubores*, leguntur, & Homero *purpureus ſanguis* dicitur, idemque *terra rubet ſanguine*,

——— φοινίσσετο δ' αἵματι γαῖα.

Heſychius quoque Φοινικοῦν interpretatur αἱματῶδες, *ſanguineum*, & *Pollux* de Tyria purpura φοινίσσεσθαι dicit & φοίνισσαν βαφὴν vocat: Idem de excellenti purpuræ colore, quæ radiis Solis percuſſa ſplendorem nitoremque cocci acquirit, Καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐτὴν ἐκφοινισσομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρὸς &c. E' quibus patet, nomen inde omnino inveniſſe Φοίνικας, qui antiquitus Φοινοὶ etiam, atque *Pœnos* à *Phœnicibus* neutiquam fuiſſe diverſos. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1331. Ipſe Solinus idem confirmat, *c.* 27. ubi de Carthagine, *Eliſſa mulier extruxit domo Phœnix & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. Mox ſermone verſô in verbum Punicum* (id eſt, jam depravatum Phœnicibus aliquantum temporis in Africa commorantibus) *& hæc Eliſſa & illa Carthago dicta eſt.*

POENINA Caſtra ; *Lazio Pintzgaw*, & *Pyntzgaw*, locus Norici, in territorio Salisburgenſi.

POENINA Vallis, *Æg. Tſchudo Val Pellina*, vallis Alpibus Pœninis ſubjecta. In *Veter. Inſcr. marmorea*. Vide *Penninus*.

POENINÆ Alpes, ſeu *Penninæ*; *Pœnæ Ptolemæo*; *Pœninus mons Livio*. Hodie *M. Maggiore de St. Bernardo*, *Groſſ St. Bernhartsberg*, Germanis, vel etiam *Monte di Giove Leandro*, mons qui Allobroges & Centrones à Salaſſis, h. e. Gall. Narbonenſ. in qua Sabaudia, ab Italia ſeparat. *Baudrando* extenduntur inter Summum Pennninum *le grand St. Bernard*, & Adulam montem, *le mont St. Gothard*, ex quo Rhodanus, Rhenus, Ticinus & Arola ſcaturiunt, inter Lepontios & Sedunos populos. In hoc monte, ob terræ defectum, mortuorum corpora glacie condi, ad cœnobium D. Bernardi, teſtis eſt Dan. Heremita *deſcr. Helv*: Vide *Penninus*.

POENITENTES, memorati Auguſtino, *Ep.* 108. *Quòd autem dicitur Petrum egiſſe pœnitentiam, cavendum eſt, ne ita putetur egiſſe, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè* Pœnitentes *vocantur*, alibique ſunt quibus ob crimina publica imponebatur *Pœnitentia publica*. Non enim ſemper, in antiquis maximè ac barbaricis *LL.* mortis pœnâ, ſed multâ, pro modo delicti, expiata legimus crimina: ita tamen, ut, qui ea admiſiſſent, à judicibus amandarentur ad Epiſcopos, qui *pœnitentiam* iis imperarent ac indicerent, *pro differentia peccatorum*, ut eſt in Concilio Carthag. III. *c.* 31. &c. In numero eorum etiam erant rei, pro quibus intercedebant Epiſcopi, quibus licebat pro iis causâ cognitâ veniam à Judicibus poſtulare: tum enim iis *Canonica* ab Eccleſia imponebatur *Pœnitentia*, quam illi ultro ſe obituros ſpondebant, veniam aliàs non conſecuturi. Epiſcoporum autem interceſſio etiam obtinuit pro reis, qui ad Eccleſias confugiebant; licèt enim Eccleſiæ immunitas à pœna legibus inflicta tutaretur, à ſatisfactione tamen non eximebat erga eos, quos offenderant vel eorum agnatos: neque eorum tutelam aggrediebatur Eccleſia, niſi publicâ *pœnitentia* crimen ſe ſuum expiaturos ſpopondiſſent. Cujuſmodi reorum, qui ad Eccleſiam, velut ad aſylum, conveniebant, infinitum fuiſſe numerum, ex Auctoribus abunde conſtat. Crimina, ob quæ *pœnitentia* ipſis indicebatur, ut ſileam contra Chriſtianam fidem & Conciliorum Canones admiſſa delicta (ſpeciatim enim habuiſſe *pœnas* illas *Canonicas* in iis potiſſimùm locum, qui in Barbarorum incurſionibus, de rebus Idolis ſacrificatis comederant ac in aliis hujuſmodi peccaverant, docet *Epiſtola Canonica* Gregorio Neocæs. aliàs *Thaumaturgo*, tributa) fuêre varia. Potiſſimùm ſpectabat eos, qui intra gradus cognationis vetitas nuptias contraxerant, ſeu auctoritate Eccleſ. ſepararentur, ut in tertio gradu; ſive non ut in quarto, ex *Capitulis* Synodalibus Pipini Regis *c.* 1. Reginone, *l.* 2. *c.* 213. & Burchardo, *l.* 17. *c.* 10. Etiam illi publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur, qui vel dignitatis aut natalium prærogativâ ac auctoritate à pœnis Lege decretis ſe ſubtrahebant, vel à patria extorres in alias migrabant regiones aut aliorum Principum ditiones, vel tandem qui in ſolo ipſomet natali ex ſolita criminum impunitate, vel dominorum largiori indulgentiâ, ſeu potiùs impotentiâ ea perpetrarent. Nam cùm olim, ex recepta prædiorum feudalium lege, ſuâ quiſque gauderet juris dicendi facultate, vix erat, qui in ejuſmodi prædiorum dominos animadverteret. Unde crebriùs excommunicatos ab Epiſcopis legimus, qui, quod Leges ipſæ minimè poterant, Eccleſiaſticâ ferulâ eos à tam frequentibus delictis gravioribus coërcerent, à qua non abſolvebantur, niſi poſt publicam peractam pœnitentiam. E' quibus liquet, cur tantus olim ejuſmodi *Pœnitentium* numerus ad Eccleſiarum veſtibula, porticus & nartheces ſtetiſſe legatur. Quippe hi, donec impoſitam ſibi pœnitentiam adimplêſſent, arcebantur ab ingreſſu Eccleſiæ & in loco *Pœnitentium* conſiſtebant, ut eſt apud Abbonem Monach. *Serm.* 3. Johannem Epiſcop. Abrincenſem, Alios, quos laudat Leo Allatius *Diſſertat. de Narthece*. Quod quidem intelligendum, cùm ſacra peragebatur liturgia ſeu potiùs ſacra ipſa myſteria: nam eatenus, ut & Catechumeni, in Eccleſia ipſa ſtabant divinaſque lectiones auditu percipiebant & unà cum iis excedebant cùm dimittebantur. In Templo verò ſiniſtram ad partem ſecedebant, cùm fideles alii ad dextram ſtarent, ut colligere eſt ex Ditmaro, *l.* 6. *p.* 81. Imponebatur porrò *Pœnitentia* & ſuſcipiebatur citiùs tardiùs, pro rei exigentia & quidam minùs diutiùs in *Pœnitentiæ* exercitiis, perſiſtebant. Ritus varii erant. Namque ut celebres illos gradus IV. omittam, de quibus aliquid, ubi de *Indulgentiis*, voce *Myſterium* ſuprà, & hîc paſſim plura; ad Clericatum alioſque Ordines Eccleſ. promoveri *Pœnitentes* vetantur, in Concil. Carthagin. IV. *can.* 68. aliiſque; Matrimonium contrahere prohibentur, Concilio Arelat. II. At in Wormacienſi A. C. 868. *can.* 30. 37. ſi uxores habeant, ab uxoribus non ſeparantur: ſi verò non habuerint uxores & ſe continere non voluerint, legitimas accipere in conjugium fœminas non vetantur, *ne in fornicationis incidant voraginem*. Nullam præterea dignitatem obire poterant, ex Concil. Ticin. *c.* 5. Sed &, ſi militares eſſent, arma deponere cogebantur. Comas quoque jubebantur deponere & veſtimenta mutare, in Concil. Agathenſi, *can.* 15. Vehiculorum porrò uſu iis interdictum, Concil. Wormacienſi A. C. 868. &c. Redimi autem *Pœnitentiæ* ſequiori ævô variis modis ſolebant: Interdum eleemoſynâ ac erogatione bonorum in uſus pauperum vel Eccleſiarum, atque adeò prædiorum, ipſorum, unde Petrus Damianus, *Ep.* apud Baronium, A. C. 1055. *Non ignoras, quia, cùm à pœnitentibus terras accipimus, juxta menſuram muneris, ei de quantitate pœnitentiæ relaxamus*. Quæ verò pecuniæ in pauperes erogatione redimebantur, vel quæ imponebantur, *Pœnitentiæ deargentatæ* nuncupantur à Guigone in *Vita* S. Hugonis Epiſcopi Gratianop. *num.* 20. & Hilario in *Pœnitentiali*. Interdum flagellationibus, palmatis (de quibus vide ſuprà, in hac voce) Pſalmorum recitationibus. Quam in rem liceat afferre locum Petri Damiani, *l.* 1. *Ep.* 19. de quodam Dominico, Monacho ſuo: *Centum autem annorum pœnitentia, ſicut ipſô Auctore didicimus, ſic expletur. Porrò cùm tria ſcoparum millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant; decem autem Pſalmorum modulatio, ut ſæpe probatum eſt, mille ſcopas admittat, dum* 150. *pſalmis conſtare Pſalterium non ambigitur,* 5. *annorum pœnitentia in unius Pſalterii diſciplina rectè ſupputantibus invenitur. Sed ſive quinque vicies ducas, ſive* 20. *quinquies, centum faciunt: Conſequitur ergo, ut qui* 20. *pſalteria cum diſciplina decantat,* 100. *annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat*. Et mox, de eodem Dominico: *Hanc autem centum annorum pœnitentiam —— facilè* 6. *diebus ex more conſummat*. Atque infrà teſtatur, illius exemplô, ejuſmodi faciendæ diſciplinæ morem adeò in Italia adoleviſſe, *ut non modò viri, ſed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent*, &c. Vide hac de re prolixè agentem Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *Hierolex.* quibus adde Andr. Rivetum, *Summâ Controv. Tract. II. Quæſt.* 12. Jo. Forbeſium, *Inſtruct. Hiſt. Theolog. l. XII.* Jo. Caſp. Suicerum, *Theſaur. Eccl. paſſim*, &c, qui peculiarem hunc in rem librum edidit, cum titul. *Hiſtoria Pœnitentiæ Publicæ*, Cl. Sirmondum: ut & ſuprà, *Abſolutoriæ*, *Abſtinentes*, *Confeſſio*, *Lapis*, *Pax*, infrà *Reconciliatio*. De Hæreticis verò, qui *Pœnitentiæ* neceſſitatem impugnatum ivêre; quique contrà *Pœnitentibus* nullum veniæ ſupereſſe locum contenderunt, ſuprà in vocibus, *Impeccabiles*, item. *Implacabiles*.

POENITENTES Hæretici, dicuntur in Eccleſia Romana, qui à Judice Eccleſiaſtico moniti errorem abjurârunt & ad arbitrium Epiſcopi aut Inquiſitoris ſatisfactionem congruam exhibuerunt. Hi ſi ſponte veniant, aut intra tempus gratiæ, non citati aut vocati nominatim, nec ſpecialiter inquiſiti, mitiùs tractantur & occultâ quandoque *pœnitentiâ* abſolvuntur: poſtquàm tamen *abjuraverint* errores & ad implendam pœnitentiam ſibi injunctam *bona ſua* omnia Inquiſitori *obligaverint*. Vide *Concil. Biterr. c.* 5. Pœnitentiæ autem ab Inquiſitoribus pro arbitrio illis imponuntur, *ſalutares* dictæ. Cumque communis Hæreticorum pœna ſit bonorum omnium confiſcatio, illa ſponte venientibus & ultro antequam accuſentur, confeſſis *remitti* ſolet: at, poſtquam delati & in carcerem conjecti ſunt, demum confitentibus, aut in ſententia ſua perſiſtentibus, eadem gratia non contingit, imò, in Hiſpania præſertim, tantus adhibetur rigor, ut Inquiſitio Fiſco addicat, non tantum bona condemnatorum, ſed & omnia ab ipſis adminiſtrata, licèt certum ſit, ea aliorum eſſe. *Pœnitentiæ* porrò, quas Dominicus impoſuit ſponte venientibus, ut illos Eccleſiæ reconciliaret, colligi poſſunt ex *Formulis* ipſius, apud Bzovium A. C. 1215. §. 13. Vide quoque *Concil. Tarracon.* Videl. *Jejunia*, *orationes*, *eelemoſynæ*, *frequens Sacramenti uſus & Peregrinationes ad loca quædam*: atque hæ ſtrictè *ſalutares* dicuntur. Aliæ ſunt honorariæ, & cum infamia ſuſtinentium conjunctæ; quòd *diſcalceati in trauis & camiſia* debeant eſſe in proceſſionibus, quòd ſtent præ foribus Eccleſiæ, *cum candela accenſa* in manu, tempore miſſæ ſolennis in die feſtivo, præviô campanæ ſonô. Præter quas etiam in uſu eſt hodie, *Relegatio*, *Fuſtigatio*, *Mulcta pecuniaria*, *Geſtatio crucium in veſtibus*, tandem ſi non ſponte converſi videntur, *Immuratio*, aut hujus locô, damnatio *ad triremes*. Talibus porrò, ut & filiis ac nepotibus eorum, ad officia publica aditus præcluditur, & argenti, auri, pretioſarum veſtium ac ornamentorum uſus interdicitur. Vide Phil. à Limborch, *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 1. *c.* 10. *l.* 3. *c.* 5. & *l.* 4. *c.* 32. uti *de Pœnitentibus relapſis*, infrà voce *Pelapſi*.

POENITENTES Mulieres, in ſpecie, dicuntur in Eccleſia Romana quas anteactæ vitæ laſcivioris *pœnitet*, quæque in Monaſterio ſeſe, agendæ pœnitentiæ causâ, recludunt, Gall. *Repenties*, in *vetere Charta* Philippi Regis A. C. 1312. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Idem olim in Græca Eccleſ. obtinuit, ubi fœminæ hujuſmodi ſimili phrontiſteriô includebantur, quod *Μετάνοιαν*, *Pœnitentiam*, proin appellabant olim Byzantini, quibus carcer hôc nomine ſeu Monaſterium Conſtantinopoli duplex erat, alterum ad freti littus dextrum, à Juſtiniano & Theodora extructum; alterum, τῆς Νέας Μετανοίας, *Novæ Pœnitentiæ*, dictum. Vide de illo Procopium, *de Ædific. l.* 1. *c.* 9. de iſto Theophanem, *p.* 250. de utroque Car. du Freſne *Conſtantinop. Chriſt.*

de POENITENTIA S. Dominici, vocantur ibid. viri fœminæque, qui in vita laicali, ſub directione Dominicanorum, vivunt, etiam habitu modeſtiore utentes. Ibidem *de Pœnitentia S. Franciſci*, qui & *Continentes* ut vidimus: Item *de Pœnitentia Jeſu Chriſti*, Fratrum Ordo, apud Maſſiliam inſtitutus, A. C. 1260, *Idem*.

POENITENTIALE, ſeu *is*, liber ejuſdem Eccleſiæ, ea, quæ ad *pœnitentiam* imponendam, & *pœnitentem* reconciliandum, ſpectant, continens. Cujuſmodi libri varii proſtant & laudantur paſſim à Scriptoribus, atque inprimis *Pœnitentialis Romanus*, *Pœnitentiales Bedæ Presbyteri*, *Pœnitentialis Gregorii III. Halitgarii* porrò Epiſcop. Camerac. *Theodori* Archiepiſc. Cantuar. cujus indicem *Spelmannus*, fragmenta verò nuper edidit *Jac. Petitus*, Aliorum, de quibus vide Car. du Freſne *d. l.* His apud Græcos ſimilia fuere Ἐπιτίμια, quæ inter opera Baſilii M. ſunt edita, & ſub titul. *Nomocanonis* haud pridem publicata, à Bapt. Cotelerio *Monum. Eccl. Græcæ Tom. I.* aliaque Joanni Antiocheno, ab eodem edito, *c.* 1. memorata: quibus id nominis impoſitum, quòd Ἐπιτίμια comprehenderent, de qua voce Cl. Suicerus, *Pœnæ omnes*, inquit, *in pœnitentiam impoſitæ Græcis ab annis nongentis & ampliùs generali nomine ἐπιτίμια dicuntur, quorum ſpecies eſt μετάνοια. Hinc in omnibus eorum Euchologiis & Pœnitentialibus leguntur, preces ſuper eos, quorum pœnitentia ſolvitur*, Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐπιτιμίων λυομένων, voce Ἐπιτίμιον. Complures hujuſmodi *Pœni-*

ten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tentiales collegit ediditque Jo. Morinus, *libris de Pœnitentia*, quem vide.

POENITENTIALES, dicuntur in Romana communione, præter eos, qui *Samarrâ* induti ad mortem ducuntur, *Sambeniti*, ac prima vinctorum claſſis, qui ſtatim poſt *Pueros doctrinæ*, in pompa Actionis Fidei, incedunt, levioribus cenſuris notati, cum candelis extinctis, reſtibus collo inſertis, lupatis ligneis, tiaris papyraceis, palliis ſpoliati &c. Hi omnes in publicum ſic ſpectaculum producti; poſt executionem primorum, ad ſolitos Inquiſitionis carceres reducuntur, & die ſequente producuntur in auditorio Inquiſitorum, ac, ut injunctas ſibi *pœnitentias* humiliter adimpleant, admonentur, ſchedâ cuique datâ, quâ illæ continentur, injunctôque æternô, quæ cum illis acta, ſilentiô. Idem, *l.* 4. *c.* 41. Vide quoque aliquid ſuprà, ubi de *Linteo infami*.

POENITENTIALES Pſalmi, dicuntur communiter ſeptem iſti, VI. XXXII. XXXVIII. LI. CII. CXXX. & CXLIII. quòd de *pœnitentia* inprimis agunt: jam in uſu ante Auguſtinum, qui in extremis verſans illos ſibi prælegi voluit. Eos poſteà in Communione Romana quadrageſimali tempore recitari juſſit Innocentius III. ſed ad Chorum tantùm id officii reſtrinxit Pius V. qui ſolummodò quâlibet Feriâ VI. Quadrageſimali illos cani voluit, quòd die eô Adam peccaverit, & ſecundus Adam Chriſtus pretioſô ſuô ſanguine lapſos redemerit. Idem hos *Pſalmos* in Choro vel extra recitantibus, quinquaginta indulgentiæ dies erogavit, ut ex *Bulla* ejus, *in principio Breviarii* appoſitâ, videre eſt. Qua de re vide Macros Fratres *in Hierolex*. In eos proſtant, Alcuini *Commentaria*, *in* 8. *Pariſ.* 1568. de Alliaco, *Meditationes*; Dan. Arcularii *Ennarratio in* 8*t. Marpurgi* 1595. Petri Aretini *Pentito ſive Paraphraſis*, *Italicè* 12. *Lugduni* 1548. Paul. Atavantius. L. Backmeiſteri *Explicatio*, *in* 8*t. Roſtochii* 1600. 1605. Frid. Balduini *Commentarii*, *cum textu triplici*, *Hebr. Gr. Latin. in* 8*t. Witebergæ* 1599. Lud. Berus, *Baſileæ* 1551. Frid. Beurhuſii *Analyſis Latino-Germ. in* 8*t. Northuſii* 1589. & *Erphordiæ*. Jac. Bourgheſii *Meditationes*, *Duaci* 1579. Dom. Buchii *Expoſitio*. Gabr. Buratellus, *Venetiis*. Jo. Capnionis (aliàs *Reuchlini*) *Commentariolus*, *in* 8*t. Tubingæ* 1512. Andr. Croquetii *Sermones Gall. Duaci* 1579. J. Fiſcheri *Commentarii inter opera Latin. in fol. Wirceburg.* 1579. & *Angl. in fol. Londini* 1557. Oſw. Fiſcheri, *Expoſitio*, *Ingolſtadii*, 1505. Sim. Gedicci *Enarratio brevis*, *in* 8*t. Lipſiæ* 1595. Jo. Gerſonis *Expoſitio*, ut & Gregorii M. inter opera ejus, Balth. Hilcemeri, *Analyſis Logica & Rhetorica Expoſitio*, *in fol. Auguſtæ Vindelic* 1616. Innocentii III. *Commentarii*, *inter Opera illius*. Chriſt. Iſchurii *Ecphraſis & Enarratio*, *Colon*. Guil. Lapidani *Meditationes*, *in* 8*t. Lovanii* 1530. Lindani *Faſciculus Pœnit. in* 8. *Colon.* 1610. Martini Mageri *Paraphraſis trilinguis metrica Hebr. Gr. Lat. diverſô carminum genere expreſſa*, *Francofurti* 1624. Georg. Maieri *Enarratio*, *in* 8*t. Witebergæ* 1565. Petri Montani *Commentarii*, *in* 12. *Antwerpiæ* 1569. Franc. Montmorencii *Pietas victrix*, *expreſſa Lyricè*, *in* 8*t. Antverpiæ* 1639. Jo. Neovillæi *Commentarii*, *Pariſiis* 1556. Chriſtoph. Pelargi *Explicationes*, *Francof. Marchionum* 1607. Guil. Pepini ſimiliter, *in* 8*t. Venetiis* 1573. 1587. *Colon.* Franc. Petrarcha. Jo. del Rio. Andr. Riveti *Suſpiria*, *inter Opera Tom. II.* Nonnii Marcellii Sajæ, *Paraphraſis Precatoria*, *Pariſ.* 1558. Hier. Savanarolæ *Meditationes*, *Wittebergæ* 1523. Adami Siberii *Lemmata ac Notæ*, *in* 8*t. Lipſiæ*; 1574. 1588. Archib. Simſoni *Expoſitio Angl. in* 4. *Londini* 1638. Georg. Stampelii *Explicatio gemina*, *in* 8*t. Francof. March.* 1611. Godofr. Stironis *Paraphraſis Angl. Antverpiæ*. Chriſtoph. Warſievicius, Didaci de la Vega. *Conciones Veſpertinæ*, *in* 8*t. Venetiis* 1602. & Lugduni 1600. Maphæus Vegius. Nic. Viti *Diſcurſus Venetiis*. Jo. Lud. Vives. Gaſp. Ulenburgius, *Coloniæ*. Georg. Wicelii *Expoſitio Lipſiæ* &c. Vide Crowæum *in Elencho Scriptorum S. Scripturæ*.

POENITENTIARIUS, nomen eſt dignitatis, in eadem communione, in Eccleſiis Cathedralibus inſtitutæ, in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 24. *c.* 8. & *ſeſſ.* 14. *c.* 7. Sic autem dicitur, penès quem facultas eſt *caſus Epiſcopis*, ut vocant, *reſervatos* abſolvendi. Sed & ante Concilium hoc fuiſſe *Pœnitentiarios*, qui interdum ab Epiſcopis per villas & oppida in Quadrageſima fuerint deſtinati, ut imbecilles, impotentes & pauperes à caſibus, qui *Majoribus* reſervari ſoliti, abſolverent, probatum it Car. du Freſne ex Concilio Arelatenſi A. C. 1260. *can.* 16. & *Charta* Everardi Epiſcopi Ambianenſis, A. C. 1218. quâ in ſua Eccleſia tres perſonatus erexit, Præcentoriam, Magiſteriam Scholarum & *Pœnitentiariam*: *Pœnitentiarius verò locô noſtri Confeſſiones audiet, de quacunque parte diœceſis ad ipſum referantur, exceptis Confeſſionibus Curatorum noſtrorum & Magnatum & Baronum, quas nobis reſervamus: Ad illum etiam, tanquam ad illum quem poſt nos in officio hoc proximum eſſe volumus, dubitationes ſi quæ emergent, in foro Pœnitentiali, jubemus reportari, Pœnitentias injunctas ab aliis Confeſſoribus relaxare poterit, aut mutare, prout ſecundùm Deum viderit expedire.* Idem Socratem addit, *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 19. ſcribere, regnante Deciô, in ſingulis Eccleſ. ordinatum Presbyterum, qui *pœnitentiæ* præeſſet, atque tum primùm inſtitutos Confeſſarios, colligi poſſe, contra Baronium, *ad A. C.* 255. *n.* 9. ut & ſuprà vidimus, ubi de *Confitendi ritu*, in Eccleſ. vetere Latina, & Græca, hodiernaque Romana uſitato. In quarum media Nectarius Epiſcop. Conſtantinopolit. Ambroſii σύγχρονος, privatam confeſſionem, τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας Πρεσβυτέρῳ, i. e. *Presbytero Pœnitentiario*, ob ingens ſcandalum à *Pœnitentiario* quodam datum, abolevit, ſequentibus eum omnibus ferè Epiſcopis Orientis, uti oſtendimus ibidem &c. In ſpecie verò *Pœnitentiarii Eccleſiæ Romanæ* ex Pontificiis Officialibus ſunt. Ex Presbyteris enim Eccleſiæ Romanæ quoſdam, auctore Anaſtaſiô Bibliothecariô conſtituit Simplicius Papa, ſuper *pœnitentes*, qui iis præeſſent & eorum exomologeſes ſeu confeſſiones audirent: *Hic conſtituit ad ſanctos, Petrum, Paulum & Laurentium, hebdomadas, ut Presbyteri ibidem manerent, propter pœnitentes & Baptiſmum* &c. Horum primus hodie *Magnus Pœnitentiarius* dicitur, quâ dignitate unus è Cardinalibus fungitur, de cujus officio pluribus agit Octav. Veſtrius, *de Judiciis Aulæ Rom. l.* 1. Guil. Britto de ejuſmodi Officiali, *l.* 12.

Dic Jacobo Papæ, vice qui delicta reorum
Audit, & abſolvit confeſſos ritè reatus. &c.

apud Car. du Freſne ubi ſuprà. Vide quoque Dom. Macrum, *in Hierolex*.

POENIUS, Græcè Ποίνιος, Dianæ ſervus, ἱερόδουλος, τῆς Ἀρτέμιδος πρόπολος, unà cum Demetrio, ultimam manum ædificationi Templi Dianæ Epheſinæ, quam Chreſiphon inſtituerat, impoſuit, Vitruvius, *l.* 7. *in Proœm.* Cui conſentanea habet *Strabo*, qui Demetrium vel *Pœnium*, additô ordine columnarum aut pronaô, Templum illud ampliâſſe, ex *Artemidoro*, refert. Idem *Pœnius*, Mileſii quoque Apollinis ædem ſymmetriis Ionicis inſtituiſſe, cum Daphni Mileſio, traditur, apud eundem *Vitruvium*. Ubi intelligitur templum Apollinis Didymæi, quod in Mileſiorum agro cùm eſſet, à Xerxe combuſtum, ſed poſteà à Mileſiis refectum eſt, operi præfectis *Pœniô* & Daphni. Ita Pœnius, qui Templum Dianæ Epheſinæ perfecit, poſt expeditionem Xerxi in Græciam ſumptam, vixerit eôdem fermè ævô, quo Scopas, qui 36. columnas in ea æde cælâſſe dicitur; atque ſic ſumma manus illi impoſita paulò antequam ab Heroſtrato ignibus data eſt, ut pluribus docet *ad Solin.* Salmaſ. *pag.* 81.

POENIUS Poſtumus, Præfectus caſtrorum, in Britannia, ſecundæ Legionis, cognitis Quartadecimanorum Viceſimanorumque proſperis rebus, quia pari gloriâ Legionem ſuam fraudaverat abnueratque contra ritum militiæ, juſſu ducis ſeipſum gladiô tranſegit, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 37.

POEONIA, quæ & *Peapolis*, vide *Herbipolis*.

POEONIA, vide PÆONIA: pars Macedoniæ, à Pœone, Endymionis filio, dicta.

POESIS, Simonidi *Pictura tacens*, Verulamio *genus eſt doctrinæ plerunque adſtrictum*, *rebus ſolutum & licentioſum*; ideoque ab eo ad Phantaſiam refertur, quæ iniqua & illicita prorſus rerum conjugia & divortia comminiſci ac machinari ſolet. Cùm autem varie conſiderari poſſit, illam quatenus eſt *Hiſtoriæ imitatio ad placitum*, idem diſtinguit in *Narrativam*, *Dramaticam* ac *Parabolicam*. Quarum prima fundamentô prorſus nobili excitata videtur, quòd ad dignitatem humanæ naturæ inprimis ſpectat, adeoque *Heroica* appellari poteſt. Cùm enim Mundus ſenſibilis Animâ rationali dignitate ſit inferior, videtur *Poëſis* hæc humanæ naturæ largiri, quæ Hiſtoria denegat; atque animo umbris rerum utcunque ſatisfacere, cùm ſolida haberi non poſſunt. Ex ea namque firmum ſumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illuſtrem, ordinem magis perfectum, & varietatem magis pulchram, Animæ humanæ complacere: quàm in Natura ipſa, poſt lapſum, reperire ullô modô poſſit. *Dramatica*, quæ theatrum habet pro mundo, in Rebuſp. modernis pro re ludicra habetur, niſi fortè nimium trahat è Satyra; at Antiquis curæ fuit, ut animos hominum ad Virtutem inſtitueret: Quinetiam magnis Philoſophis, veluti animorum plectrum quoddam cenſebatur. Hominum enim animos, cùm congregati ſunt, magis quàm cùm ſoli, affectibus ac impreſſionibus patere, Naturæ quoddam ſecretum eſt. *Parabolica*, inter reliquas eminens, tanquam res ſacra atque auguſta meritò ſemper habita eſt, ut cujus opera Religio ipſa uſa eſt, & commercia divinorum cum humanis exercentur. Eôdem quoque doctrinæ genere Sapientia olim tradita: Nam cùm rationis humanæ inventa & concluſiones tum novæ adhuc & inſuetæ eſſent, vix illam ſubtilitatem capiebant ingenia humana, niſi propiùs eæ ad ſenſum per hujuſmodi ſimulachra & exempla deducerentur. Quare omnia apud illos fabularum omnigenarum & parabolarum, & ænigmatum & ſimilitudinum plena fuerunt. Hinc teſſeræ Pythagoricæ, ænigmata Sphingis, Æſopi fabulæ & ſimilia. Quinetiam apophthegmata veterum Sapientium ferè per ſimilitudines rem demonſtrabant. Unde Menenius Agrippa, apud Romanos, gentem eô ſeculô minimè literatam, ſeditionem fabulâ repreſſit. Vide Franciſc. Baconem à Verulamio, *de Augm. Scientiar. l.* 2. *c.* 13. Hinc tam latè *Poëſis*, quàm Philoſophia, patebat: ut enim hæc vel Naturam docet, vel format mores; ita illa fabulis vel Naturæ primis temporibus involvebat arcana, vel vitæ tum privatæ tum publicæ rationem tradebat: *prima* proin *Philoſophia Straboni* dicta. Quæ cauſa, quòd Horatius, *l.* 1 *Ep.* 1. *v.* 1. 2. 3. dicere neutiquam dubitet, moralem ac civilem vitam meliùs ab Homero doceri, quàm Crantore & Chryſippo. Sanè Poëtas eſſe morum ac vitæ Magiſtros, non modò Pythagoræorum, ſed etiam Ariſtoxeni Muſici ſententia fuit: Ipſe Plato moriens Sophronis mimos capiti ſubjectos habuiſſe legitur. Nec aliter differre *Poëſis* ab Hiſtoria vel Philoſophia videtur, niſi quòd Philoſophia doceat præceptis, Hiſtoria exemplis veris, ipſa verò fictis: quippe quæ naſcitur ex imitatione actionum, ſive vilium ut in Comœdia & Satyris; ſive præſtantium ut in Epicis & Tragœdia, qua de re vide Voſſ. *de Philoſophia*, *c.* 4. §. 5. & fuſiùs *de nat. ac conſtitutione Poëticæ*, cui adde Julium Cæſ. Scaligerum, *de Poëtic.* &c. Interim Ars hæc, apud Romanos Martis illos pullos, principiò contemtui habita eſt. Quocirca minimè mirari oportet, ſi M. Fulvio Nobiliori vitio datum eſt, quòd is, Conſul cùm eſſet, in Ætoliam provinciam Q. Ennium ſecum duxiſſet. Factum tamen poſteà, ut Principes quoque viri, auctô imperiô, domi foriſque pace partâ, ad hanc ſtudiorum partem animum inclinârint, ſummôque cultu atque honore illos habuerint, qui carmine abſolvendô viderentur excellere, Crinitus, *Præfat. libri de Poëtis*. Fuêre

autem

autem mox à primò bello Punico, *Poëſeos* Latinæ licèt rudia quædam initia, ut ex iis fabulis, quas Livius Andronicus & haud longè poſt eum Cn. Nævius populo dediſſe leguntur, conſtat. Illuſtre dein incrementum cœpit bellô Punicô ſecundô. Unde Porcius Licinius, poſt bellum hoc floruit, apud A. Gellum, *l.* 17. *c.* 21. ait,

> *Pœnicô bellô ſecundô Muſa pinnatô gradu*
> *Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.*

Quò etiam reſpexit Horatius, ubi de Populo Romano, *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 161.

> *Serus enim Græcis admovit acumina chartis,*
> *Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit,*
> *Quid Sophocles & Theſpis & Æſchylus utile ferrent*, &c.

At apud Græcos, imò & alios, *Poëſis* prior oratione ſolutâ & Poëtæ antiquiores fuêre Hiſtoricis ac Πεζολόγοις. Vide ſuprà, ubi *de Oratione Soluta.*

POETA, per excellentiam dictus Homerus, Athenæo, *l.* 1. Dicæarcho in *Vita* Græciæ, Juſtiniano, *Inſtitut. de Jur. G. Nat.* Harpocrationi in *Homerida*, Heſychio, Quintiliano, *Inſtitut. Orator. l.* 8. *c.* 5. Senecæ, *Ep.* 58. Aliis: cujus rei cauſam habes apud Euſtathium, *Il.* 1. Item Ariſtophanes, Suidæ in *Miltiade*, τῷ δὲ ἐν Μαραθῶνι τροπαίῳ μέμνηται ὁ Ποιητὴς, quô nomine illum omnino notari Corn. docet Probus in *eodem.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 463. ubi hæc verba,

> ——— ——— *innuba Manto.*

eruditô Commentariô illuſtrat. Aliàs quid communiter vox indigitet, ex prædictis liquere poteſt. Origo ejus non à *fingendo*, ut putârunt, quia fictis uteretur *Poëta*, ſed à *faciendo* verſu, ducenda. Simul enim cum ipſa natura humana extitit vis hæc numeroſa, quâ verſus clauduntur. Certè & infans priùs canit, quàm loquatur; & pleroſque eorum non aliter ſomnum captare videmus. Poſteà quum majore ſpiritu res novas veteribus inventis addidiſſent illi, qui hâc gloriâ inferiores numeroſè mediditarentur ſimplices narrationes, *Verſificatores* tantùm dicti ſunt, hi autem Poëtæ: quare ſoli illi Muſarum tutelam vindicant atque patrocinium, quarum ſpiritu, quæ alios lateant, ab ipſis inveniantur. Dictus hic *Pierius calor* Papinio, *Theb. l.* 1. *v.* 3. Δῖος οἶστρος ἀερόφοιτος *Orpheo*, i. e. Muſicus furor & adflatus ad verſus pangendos, ſine quo nemo Poëta bonus: eſtque quæpiam exhilarans mentem ebrietatis divinæ ſpecies, quâ emoti ſordidâ illâ quiete & paupere quôdam mentis paſtu, procedunt in liberiores epulas & choreas velut cœleſtes ingrediuntur, animô ſeſe ipſum exſultationibus ſuis vix capiente: qua de re vide Senecam, *de Tranquill. c.* 7. Hôc pactô inſpirati non tam loquuntur, quàm *eructant* carmina, ut & Regius Pſalmographus de divinis ſuis odis ſermocinatur, uti nimirum omni curâ excelſior diviniorque virtus, elaboret intus mox expellendos verſus. Diſtinguitur autem hic furor re & nomine ab aliis. *Re*, quia ad carmina tantum, utileſque vitæ inſtructiones, laudes virtutum, vituperia vitiorum, dari cenſetur, quibus duobus velut capitibus conſtabat antiqua & primigenia Poëſis. *Nomine* autem Protreptici, quod inſtiget vi ſuâ metra in numeros, quibus præ cœteris omnibus facultatibus Poëtica utitur. Quam in rem pluribus præclarè differit Caſp. Barthius, *Animadv. ad Statium d. l.* Cœterùm in Pythicis Ludis *Poëtarum* inprimis certamina vigebant. Unde Soſiclem Coronæum Pythicis viciſſe; Philemonem quoque Comicum & Alexin coronatos animam exhalâſſe: porrò Polum Tragœdum, paulò ante finem vitæ, intra quatuor dies, octo decertâſſe tragœdias, refert Plut. *Symp. l.* 2. *alibique.* Et hæc dicebantur ἐπινίκια ᾄσματα, quæ omnibus admirationem excitarent. Nec verò ſua tantùm ſcripta Poëtæ deferebant ad certamen, verùm & aliena, uti Quintilian. auctor eſt, *l.* 10. & vidimus ſuprà voce *Emendator*, & dicemus infrà, ubi de Rhapſodis. Præmium erat corona ex hedera, quam ſic deſcribit Plin. *l.* 16. *c.* 34. *Alicui & ſemen nigrum, alii crocatum, cujus coronis* Poëtæ *utuntur foliis minùs nigris; quam quidam Dionyſiam, alii Bacchicam vocant, maximè inter nigras corymbis.* Item lauro & myrto, uti docet Paſchalius multis, *Coron. l.* 5. *c.* 12. & *l.* 7. *c.* 18. Vide quoque ſuprà *Pancharis.* In aliis præmiis numerabantur τιμαὶ, δωρεαὶ, γέρα, προλιμήσεις, χάριτες, σιτήσεις, σιληρέσιον καὶ σύσσιτον εἶναι, πορφύρα, προεδρία, χαλκοῦν ἱστάναι, ἀτέλεια, χρήματα, *honores, dona, honoraria, honorum prærogativa, gratia, annona, frumentatio, convivandi jus, purpura, honor primi ſubſellii, anea ſtatua, immunitas, pecunia*, Pollux, *l.* 8. Sed & poſterioribus temporibus, *Poëtæ*, Rhetores, aliarumque Profeſſionum viri cœteris excellentiores, in Agone Capitolino, quem Domitianus Imperator inſtituerat, ab ipſo Imperatore coronati fuerunt. Fuêre autem Agones hi quinquennales primùm celebrati, die 22. ejus & Sergii Corn. Dolabellæ Conſulatu, exemplô ludorum Olympicorum; In quibus Statius, cùm, poſt incredibilem totius Urbis expectationem, Thebaidem tandem ſuam recitâſſet, ſe ſpretô, alios coronari vidit ac indoluit: id quod non uno in loco ipſe conqueritur. Neque fortè aliunde laureatorum *Poëtarum* origo. Nam & ipſi antiquitus ab ipſis Cæſaribus Germanis coronabantur magnoque in pretio habiti ſemper, apud Italos & Germanos, qui id honoris virtute eſſent conſequuti. Sed in veteribus illis Agonibus, qui vicerant, coronâ & ramô lemniſcatô, aut torque involutis, donabantur: Qui ſecundi erant, coronas quidem inpetrabant, palmaſque, ſed ſine lemniſcis. Quod ex Auſonio patet, *Epiſt.* 20. *v.* 5.

> *Et quæ jam dudum tibi palma Poëtica pollet,*
> *Lemniſcô ornata eſt, quô mea palma caret.*

Meliùs Sidonius,

> *Hic mox præcipit æquus Imperator,*
> *Palmis ſerica, torquibus coronas,*
> *Conjungi & meritum remunerari:*

Ubi coronis torques & palmis ſerica, h. e. ſericatos lemniſcos conjungit. Pro ratione tamen meritorum poſteà præmia amplificata ſunt, Joſ. Scaliger, *Auſonian. lect. l.* 1. *c.* 10. Hodie in Imperio Romano Germanico, laurea confertur ab iis, quos, Comitivæ dignitate auctos, ſpeciali hôc privilegiô Imperator eſt dignatus: ſed quòd nonnunquam iis datur, qui minus meruêre, factum ut Lipſius alicubi, *in Ep.* dicat: *Multi laurigeri, pauci Phœbi.* Antiquitas *Poëtis*, qui in Bacchi erant tutela, mitras attribuit *ut cohiberentur vini vapores, ne caput peterent*, Euſeb. Cæſar. *Præp. Euang. l.* 2. *c.* 2. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim*; etiam infrà voce *Se*, it, *Seceſſus*: de Poëtis verò omnium ætatum, habes judicium Scaligeri, *in Hypercritico*: de *Poëtis Cyclicis, Epicis*, aliiſque eorum differentiis, agimus hîc paſſim ſuis locis. Addam hoc unum, *Poëtarum* Scripta, Amatoria præcipuè, à populo olim ſolita cantari ſaltarique. Inde Ovid. *l.* 2. *Triſt. v.* 519. gloriatur, carmina ſua populo cantata ſaltataque fuiſſe, etiam ſe ſuperſtite: Et apud Horatium, Callimachi Epigramma, cujus concluſio eſt.

> Κωμὸς ἔρως τεῖος δὲ, τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν
> Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμεν' ὑπερπέταται:

quendam cantâſſe legimus: Ita enim is, *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 107.

> *Cantat, & apponit: meus eſt amor huic ſimilis, nam*
> *Tranſvolat in medio poſita: & fugientia captat.*

Hinc apud eundem Κύκλος Ἐπικὸς, *patulus* dicitur *orbis*: (Qui fabulas omnes Græciæ, à Mundi principio uſque ad Trojæ everſionem & Ithaci reditum continebat, ex variis Poëtis congregatus;) quòd carmina eô comprehenſa vulgaria haberentur, utpote triviali monetâ percuſſa & omnium manibus tererentur &c. Vide *ſuprà*. Inprimis verò Euphorionis poëmata Romæ grata olim & paſſim à parum ſobriis cantata. Unde *Cantores Euphoriani*, memorati Ciceroni, 3. *Tuſcul.* Hodieque extat Parthenii liber, quo mirabiles amantium caſus recenſet, miſſus ad Cornelium, de quo in *Auguſto* Suetonius. Vide *ad hujus Tiberium* Caſaub. *Animadv. c.* 70. At Chriſtiani veteres non Tragœdias ſolùm Comœdiaſque, ſed & cætera omnia *Poëtarum* ſcripta, quòd ea ad ſolidam doctrinam conferre nihil exiſtimarent; præterea laſciviâ ac turpitudine ſcaterent; denique fabuloſa idololatriæ promptuarium eſſe crederent; aſpernabantur damnabantque. Quô nomine Tertullianus Ludimagiſtros cœteroſque Profeſſores literarum rejicit, utpote *affines multimodæ idololatriæ, l. de Idolol.* & *agoniſticam ſcenam* exſibilat, *de Spectac.* Vide quoque Origenem *contra Celſum, l.* 3. ubi Τὰ ἄσεμνα τῆς κωμῳδίας καὶ τοὺς ἀκολάστους τῶν ἰάμβων procul abeſſe jubet, laudatum Heraldo, *ad Arnobium, l.* 3. ut & infrà, *Politici verſus*: ubi Ποιητὴν & Πολιτικὸν ſibi opponi, apud medii ævi Grammaticos videbimus, aliumque Ποιητικὸν & πολιτικὸν λόγον fuiſſe appellatum. Longè infrà *Poëtæ* dignitatem Verſificator eſt, de quo ſuô locô; utpote ſermonis quidem ac metri, obſervator, ſed citra ſpiritum, & vim Poëtæ intrinſecam, uti jam ſuprà innuimus. Et talium, *malorumque* adeò *Poëtarum* carmina piperis, Scombrorum, thuris aliarumque hujuſmodi mercium involucris apud Græcos olim Latinoſque deſtinari conſueviſſe dicimus hîc paſſim. A' cujuſmodi contemtu & irriſione eleganter ſcripta libera erant, inde *nec ſcombros metuentia, nec thus*, dicta Perſio, *Sat.* 1. *v.* 45.

POETILIUS C. F. Conſ. cum L. Papirio Sp. F. C. annô 2. Olympiadis 113. quorum tempore Alexandriam Ægypti conditam eſſe ſcribit Solinus, *c.* 35. cùm plerique omnes id factum tradant Olympiade præcedente: Meminit quoque *Pœtilii* Tribuni Pl. A. Gellius, *l.* 4. *c.* 18. *Pœtilii quidam Tribuni Plebis à Marco, ut ajunt, Catone inimico Scipionis comparati in eum atque immiſſi deſiderabant in Senatu inſtantiſſimè, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque quæ in eo bello capta erat, rationem redderet.* Ubi *Pœtilii* habet, in numero plurativo, pro *Pœtilius* eâdem figurâ quâ apud Platonem, οὐ γὰρ Πέλοπες, οὐδὲ Κάδμοι; & apud Virgilium, in ænigmate illo πολυθρυλλήτῳ, *Dic quibus in terris* &c. *Regum* prò *Regis*, h. e. *Ajacis.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 476. & 1222.

POETOVIO, vide PETOVIO, & PETAVIUM.

POETUS, Lucas, vide *Lucas.*

POEUS, pars Pindi, è quo Peneus fluv. *Strab.*

POGESA, monetæ Gallicæ minutioris ſpecies, memorata in *Charta* Capituli Lactorat, A. C. 1273. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi cum *Picta*, de qua ſuprà, & *Pojojeſſa* Aragonenſi, ejuſdem valoris fuiſſe, ex *Adverſariis* Nobiliſſ. Peyreſcii refert.

POGESANIA, provinc. Pruſſiæ, ad Occid. Paſſariæ ripam. Urbs primaria *Hollandia*, *Metel.*

POGGIUM Bonitii, oppid. agri Florentini, *Poggibonzi*: 10. milliar. à Florentia in Merid. Senas verſus 12. circiter, ad amnem Elſam.

POGGIUS Bracciolinus, vel Brandolinus, vulgò Poggius Florentinus, natus in pago Terra Nova, territorii Aretini. Fuit à Secretis Eugenio IV. & Nicolao V. quô officiô ſub octo Pontificibus ſe defunctum eſſe ipſe ſcribit. Annô ætat. 72. Florentiam revocatus eſt, ut Patriæ Reipubl. eandem operam præſtaret. Eruditione inſigni fuit, Græcè inprimis & Latinè doctiſſimus, Emanuëlis Chryſoloræ olim diſcipulus: Beſſarioni quoque familiaris extitit. Ob ſales & faciles jocos gratus omnibus, niſi quòd Satyricus magis quibuſdam videretur: Invectus in Laur. Vallum eſt acriter. Scripſit varia, ut de *varietate fortunæ* Epiſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Epiſtolarum libros duos, in quarum illa, quam ad Leonhardum Aretinum ſcripſerat, de Hieronymo Pragenſi, cum Johan. Huſſo, in Concilio Conſtantienſi, uſtulato ob religionem, magnificè ſentit. Porrò *Hiſtoriam Florentinam*, quæ parum laudis habet: canente Actiô Sincerô:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hoſtem,
Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus.

Alia quoque quædam etiam minus probata, edidit, plurimoſque auctores è Græco tranſtulit. Conſtantiæ, Conciliô durante, incidit in opera Quintiliani & Aſconii: ibidem deſcripſit libros Ciceronis, de Finibus & Legibus, qui nondum in Italia prius viſi erant. Obiit A. C. 1459. ætat. 80. Alibi filii illius Jacobi meminimus, alterius item, qui Leonis X. familiaritatem meruit. Paul. Jov. *in elog. c.* 10. Raphaël Volaterran. *l.* 21. Phil. Bergomenſis, *in ſuppl. Chron. A. C.* 1416. Hugolin. Verrinus, *l.* 2. *Ital. Illuſtr.* Eraſm. *in Ciceron.* Geſner. *in Biblioth.* Poſſevin. *in appar.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5. Paul. Freherus, *Theatrô Virorum eruditione clarorum*, Alii.

POGLA, Pamphyliæ urbs. *Ptol.*

POGOARGAS, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. *Plin.*

POGON, Trœzeniorum portus in Pelopon. *Strabo.*

POGONIÆ, cometarum ſpecies, *quibus inferiori ex parte, in ſpeciem barbæ longæ, promittitur juba*, Plin. *l.* 2. *c.* 25.

POGWISD, i.e. Aura, inter Sarmatiæ Europææ veter. incolarum Numina, vide infrà *Sarmatia*.

POHERI, memorati Wilh. Britoni in *Philippid. l.* 10. *p.* 221.

Pontivii Comitem comitantur in arma Poheri.

Et, *l.* 11. *p.* 233.

Stant contra oppoſitis Thomas Gallericus armis
Gamachioſque Vimoſque ciens, Robertigenæque,
Pontivuſque Comes, Drocenſis, atque Poheros.

Poëtis Gallis paſſim *Poihiers*, populi fuêre in Belgio, quorum nomenclatura patuit tam latè, ut Golutus, *in Hiſt. Sequanica, l.* 10. *c.* 81. & 109. ſcribat, Duces Burgundiæ, qui complures etiam Germaniæ inferioris tractus poſſedêre. Heraldos ſeu Fæciales, habuiſſe, quorum alii *Poihieri* (ſeu *Pohers*) alii *Ripuarii* (ſeu *Ruyers*) appellabantur; *Poheros* verò fæciales, intra Franciam, & Ripuarios intra Germaniam, ſuum obiiſſe munus. Sed appellationis rationem non reddit, quæ non alia eſt, quàm quòd Ducum ejuſmodi Burgundicorum modernorum dominia partim in Franciis, partim in German. provinciis protenderentur, i.e. in provinciis, quæ aut Gallicâ, aut Germanicâ linguâ utebantur: cùm *Ripuariorum* nomine, eæ quæ Rheno conterminæ erant; *Poherorum*, quæ versùs Franciam excurrebant, intelligerentur. Unde omnino colligitur, *Poherorum* nomen generale fuiſſe, pluresque comprehendiſſe populos. Eorundem mentio eſt in *veteri Ceremoniali* Gallico *MS.* ubi agitur de Torneamentis, ad quorum evocationem in hæc verba facta proclamatio deſcribitur: *Or oyez Seigneurs Chevaliers que je vous fais à ſçavoir le grand digne pardon d'armes & le grand digne tournoyement de par les François, de par les Vermandiſiens & Beauvaiſiens*, de par les Poihiers *& Corbeans, de par les Arthiſiens & les Flamans, de par les Champenois & les Normans, de par les Angevins, Poitevins & Tourangeaux, de par les Bretons & Manceaux, par les Rives & Hasbegnons, & de par tous autres Chevaliers, qui accordez ſi ſont* &c. In quo tamen loco *Poherorum* nomen haud tam latè patet, ſatiſque innuitur, vicinos fuiſſe Corbejenſibus atque Bellovacenſibus proindeque eos eſſe, qui Caſtro Piciacenſi, *Caſtrum de Pice* appellato Orderico Vitali, *l.* 10. Gall. *Poix* (unde etiam iis nomen) vicinum incoluêre tractum: quod prorſus firmant antiqui Fæcialium libri, quos *Provinciales* dicunt, quòd Nobilium nomina & inſignia ſecundùm provincias digeſta contineant. Quippe ſub *Poherorum* titulo, ſeu *Poihiers*, recenſentur vulgò Domini *de Pequigny, de Rivery, de Siſſolieu, le Vicomte des Queſnes, de Rambures, d'Araines*, aliæque familiæ nobiles, quæ in eo tractu, qui Ambianum inter & Comitatum Pontivenſem interjacet, atque adeò in Vinemacenſi pago, ſedes ſuas habebant. Ita ergo à caſtro *de Poix* dicti ſunt *Poheri*, ſicut Ordericus Vitalis *Braiheros* vocavit, *l.* 12. qui Normanniæ tractum Bellovacis conterminum, vulgò *le Pays de Bray* vocatum, incolunt. Sed & ultra Somonam id nominis obtinuiſſe hinc patet, quòd in Tabulario Eccleſiæ Canonicorum Vineacurtenſis mentio fit menſurarum frumentariarum, *Seſtiers Pohiers* dictarum, ut in Eccleſiæ Ambianenſis Chartarum Inventario *du muy Pohier* ſeu *modii Poheri*. Car. du Freſne *Gloſſar.* qui,

——— *nullis perdita ruſcis*
Jamdudum, nullis dubitavit crura rubetis
Scindere,

dum gentem hanc viris doctis hactenus vel ignoratam penitùs, vel ſaltem prætermiſſam, erueret ex ævi tenebris & in apricum produceret.

POICILE, vide POECILE.

POLA, Iſtriæ munita civitas (ubi *Polaticus ſinus*, qui & *Flanaticus*. Vulgò *Il Carnero*, quòd ibi nautæ periclitentur, & *Polaticum Promuntorium*, de quo *Steph.*) quondam à Colchis condita, ſed poſteà facta Colonia Romanorum. Mela, *l.* 2. *c.* 3. *Pietas Julia* Plinio, *l.* 3. *c.* 19. in deſcriptione Iſtriæ. Fuit (inquit Bochart. *in Phaleg. c.* 31.) in Iſtriæ & Italiæ confiniis *Pola* urbs à Colchis exulibus condita, quod ipſum Polæ nomen ſignificâſſe teſtantur hæc Callimachi, apud Strab. *l.* 1. & 5.

Ἄψυρον ἐκτίσαντο τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ᾽ ὀνόμηνε Πόλας.

Nempe פלה *pala* in *Piel* Hebræis & Syris eſt *ſeparare, auferre, amovere*. Inde *Pol* Colchis *exulem*, vel *exilium* ſonabat. Cum portu capaci, ſub Venetis, 60. mill. paſſ. à Tergeſte in Meridiem, Anconam verſus 96. circiter. *Nic. Lloydius.* Una eſt ex antiquiſſimis Iſtriæ urbibus, ſed hodie parùm culta, ut quæ vix octingentos habet incolas. Eò mittunt Veneti Præfectum quotannis, cum titulo *Com.tis*. Viſitur ibi hodieque *Inſcr.* in honorem Severi Imperatoris facta, in qua *Reſpublica Polenſis* vocatur; Item alia eidem Imperatori ſacra: Amphitheatrum porrò, dictum *Orlandinum*, quaſi domus Orlandi: Arcus Triumphalis, vulgò appellatus *la Porta dorata* cum *Inſcr.* & Epitaphium vetus, de quibus omnibus vide Jac. Sponium, *Itinerar. Dalmatia, Part. I. p.* 80. & *Part.* 3. *p.* 67. & *ſeqq.*

POLACCHIA, ſeu PODLASSIA, provinc. parva Poloniæ inter Mazoviam ad Occaſum, & Lithuaniam ac Polefiam ad Ortum. A ſeptentrione extenditur in Meridiem. Ejus primaria urbs eſt Bielka.

POLÆNUS, inter amicos Hadriani Imperatoris, poſteà ejus juſſu neci traditus. Æl. Spartian. *in Hadriano, c.* 15. *Facilè de Amicis, quidquid inſuſurrabatur, audivit, atque ideo propè cunctos vel amiciſſimos vel eos quos ſummis honoribus evexit, poſteà ut hoſtium locô habuit, ut Tatianum & Nepotem & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem priùs conſcium Imperii ad egeſtatem perduxit:* Polænum *& Marcellum ad mortem voluntariam adegit* &c. Et ita quidem habent Palatinus Codex & editio Mediolanenſis, cùm vulgò legatur *Polyænum*. Sed nomen hoc non eſt Romanum, verùm Græcum purum. Fortè & pro *Polænum* legendum *Pollienum* vel *Pullienum*, vel etiam *Pollenium*, quæ omnia nomina Romanis fuêre in uſu. *Pollius* & *Pulius*: hinc *Pollienus* & *Pullienus*. Mentio eſt in veterib. Inſcr. *M. Pullieni Priſci*, & *Marci Pollenii Sabini*. Tamen & *Polyænus* retineri poteſt, cùm Eudæmonem etiam hîc habeamus, Salmaſ. *ad loc.*

POLANUS, nomen Chriſtianorum in Terra Sancta natorum, mediô ævô; ſicut, qui adventitii erant & recèns eò delati, *Fiernaldi* communiter dicebantur, vide ſuprà, voce *Filius Arnaldi*, & infrà in *Polinus*.

POLANUS à Polansdorff Amandus, Theologus Baſilienſis, ſolidâ eruditione inclytus, A. C. 1561. natus Oppaviæ Sileſiorum, familiâ nobili, in Academia Baſil. docuit, ſcriptis & familiaritate cum Beza, Toſſano, Sohnio, Stuckio, Pareo, Pitiſco, aliis Theologis celeberrimis, immortale nomen adeptus. Extant ejus, *Exegeſis Analyt. Vaticiniorum V. T. de Chriſto, Comm. in Pſ.* 14. 15. 16. 22. *Jeremiam, Ezechielem, Danielem: Partitiones, Theſes & Analyſes in Hoſeam & Malachiam, ad Coloſſ.* &c. *Syntagma item in Fol.* &c. Obiit Baſileæ An. 1610. ætat. 49. De hoc Melchior Adami *in vitis Theol. Germ.* ita inter alia: *Illuſtres in hoc fuerunt vera pietas & eruditio; Valuit ingeniô juxtà ac judiciô: ſcientiâ linguarum principum & Eccleſiaſticæ antiquitatis.* Vide quoque Paul. Freherum *Theatrô Viror. claror.*

POLARIS Stella, poſt captam à Muhammede Conſtantinopolim, ſeſe occultâſſe nonnullis dicitur: quemadmodum Hyginus *Poët. Aſtronom. ubi de Tauro*, & Avienus, *in Arateis*, ſtellam Pleiadum ſeptimam, nomine Electram, poſt Trojæ excidium, nolle ampliùs conſpici, quia Dardanus, gentis Trojanæ conditor, natus fuerit ex illa, fabulantur. Sed *nihil hôc commentô vanius*, inquit Voſſius, quippe ſi minutam unam exceperis, quæ inter Polum & minorem Urſam interjacet, illa ipſa in cauda minoris Urſæ, uti olim ætate Hipparchi & Ptolemæi, ita hodieque maximè eſt Polo vicina, & ſimiliter *Polaris* vocitatur. Vide eum *de origine & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 30. Movet de ſtella *Polari*, quæ & *Poli* quandoque nomine venit, Auctor Anonymus, *Hiſt. Orbis Terr. Geograph. & Civ. c.* 1. §. 17. quæſtionem: *An in Sphæra recta, ſeu in iſtis regionibus, quæ directè ſita ſunt ſub Æquatore, uterque Polus, ſeu utraque ſtella Polaris conſpici poſſit?* quod ex materia de refractionibus Geographi quidam ſuſpicati ſunt. Sed ſatisfactum iis eſt, à diligentiſſimo Mandelslovio, *Itinerar. c.* 13. *p.* 151. ubi refert, ſe Polum Arcticum, non niſi poſt. 6. grad. cis Æquatorem: Antarcticum verò poſt 8. demum grad. trans Æquatorem vidiſſe. Idem ſenſit Joh. Leërius, *in Navigat. Americ.* ubi ait: *Non modò ſub Æquinoctiali Polus uterque non apparet, quod plerique arbitrantur: ſed neuter, niſi duobus immenſis ultro citroque gradibus*, citante Keckermannô, *Syſtem. Aſtronom. Part. I. c.* 2. Neque minùs nobilis eſt obſervatio de *Polis* hiſce, terras iis ſubjacentes noctem diemque ſex menſium habere, quam & Veteres non obſcuris teſtimoniis firmârunt. Unde, præter alios, Plinius, *l.* 2. *c.* 75. cùm de variis lucis incrementis egiſſet, *Haud dubiè*, inquit, *repromittunt id, quod cogit ratio credi; Solſtitii diebus accedente Sole propiùs verticem Mundi, anguſtô lucis ambitu ſubjecta terræ continuos dies habere ſenis menſibus, noctesque è diverſo ad Brumam remoto. Quod fieri in inſula Thule, Pythias Maſſilienſis ſcripſit, ſex dierum navigatione in Septentrionem à Britannia diſtante: Quidam verò & in Mona* &c. Sed de utraque harum falſum id eſſe, certum eſt. De ſemeſtri verò nocte, aſſenſum non præbet præfatus Auctor creditque potiùs, ſi quis ſub *Polo* ipſo viveret, eum perpetua in luce verſaturum, ſi non ſplendidâ, ſaltem dubiâ, & non omnino nullâ, quæ eò magis augeatur, quô Sol à Tropicis ad Æquatorem accedat propiùs: Cujus rei rationes exponit *loc. cit.* Idem, *c.* 4. §. 8. ex Kirchero, qui primus animadvertit, adjicit. Eſſe in regionibus hiſce ſubpolaribus, ingentes voragines, quibus mare ſub *Polo* Arctico abſorbeatur, ſub Antarctico autem ſeu Auſtrali iterum emergat, idque ex eo potiſſimùm colligi, quia maria ſubpolaria ob rapiditatem ſuperari non poſſint. Ita Anglos in oris Gronlandicis jamdudum ab incolis monitos eſſe, ne ulteriùs progrederentur, ſi ſe ſalvos naveſque velint, eſſe enim mare *Polum* verſùs uſque adeò æſtuoſum, ut naves illud ingreſſæ nullâ humanâ induſtriâ retroagi poſſint; & nautas ad Spitzbergam tendere ſolitos narrare nullam navem, quæ ultra 28. gradus progreſſa ſit, rediiſſe, lintreſque ſuorum paulò incautiùs ibi divagatos nunquam ampliùs comparuiſſe: Contrà ex relationibus, *de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Invento freto Meræo ſeu *le Maire*, conſtare, nautas poſt 60. gradus lateris Auſtralis ob contrarietatem fluctuum, ulteriùs progredi non potuiſſe, Herreram item, *in Hiſtor. Americæ Auſtral.* docere, claſſem Regiam Hiſpan. ad detegendas novas Terras emiſſam, non potuiſſe ſuperare gradum 70. ob aquarum, etiam aëre ſilente, obviam ruentium rapiditatem &c. Vide ipſum Kircherum, *Itinere Ecſtaticô* 2. *Dial.* 1. & *Mund. Subterr. l.* 3. *c.* 2.

POLATÆ, populi Albaniæ verſus montem Nigrum & lacum Scodræ, ubi aliàs urbs epiſcopalis nunc in ruderibus jacens; *Pulati.*

POLATICUM, promontor. in Iſtria, hodie *punta del Promontore*, *Magino*: in mare Adriaticum maximè excurrit, 6. milliar. à Pola in Ortum.

POLATICUS Sinus, *il Quarnero.* Vide *Pola.*

POLAVIUS Georgius, vide *Georgius.*

POLEDRUS, pro *Pulitrus*, recentioribus *pullus equinus*. Ital. *Poledro*, *puledro & poltro*: è qua voce Landinus *ad Dantem*, ignavos *poltrones* dictos putat. Galli *Poutre* dicunt. In *LL.* Salicis *Poledrus* occurrit; in *LL.* Viſigothorum *Pulletrus anniculus*: unde *pullitras* vel *pultras* equulas vocant Galli. Varro *Pullitras*, dixit in genere gallinaceo, eaſque opponit vetulis gallinis, *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 9. *Et ea, quæ ſubjicias vetulis potiùs, quàm pullitris.* Unde ad equorum ſobolem facta tranſlatio, Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 41.

POLEMANNUS Johannes, vide *Johannes.*

POLEMARCHUS, apud Athenienſes dictus eſt qui belli præfectus erat, & aderat regibus, ut Pauſanias indicat, *l.* 1. cum ſcribit Erechtheum regem Ione Zuthi filiô in bello Eleuſinio Polemarchô uſum eſſe. Munus ejus tempore pacis fuit jus inter cives peregrinos dicere. *Jul. Pollux.*

POLEMARCHUS, major. Lyſiæ Oratoris Frater.

POLEMIUS, Conſul cum Urſo, an. Urb. Cond. 1090.

POLEMIUS, Hæreſiarcha, erroribus ſuis ex Apollinaris operibus, A. C. 373. hauſtis; inter alia docuit, in Chriſto, ex Verbo & Carne, mixtionem factam eſſe. Theodoret. *l.* 4. *de hær. fab.* Epiphan. *hær.* 77. & 78. Diſcipuli ejus *Polemiani* dicti; aliquando cum Apollinariſtis confunduntur.

POLEMNIACUM, oppid. aut caſtrum potius in Sequanis, vulgò *Poligny*, ad amniculum, qui in Dubim effluit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

POLEMON, Rex Lyciæ, A. C. 55.

POLEMON, Zenonis Rhetoris fil. ad regnum Ponti, conceſſu Antonii & Auguſti, pervenit. Dio *in actis anni* 729. Uxorem habuit Pythodorin, prudentiæ aliarumque virtutum nomine laudatam. Appianus *Polemonem* habet Ciliciæ Regulum. Poſtquam enim gens hæc latrociniis adſueta, ab Iſaurico & Pompejo domita eſt, Flor. *l.* 3. *c.* 6. aliquandiu per Proconſules recta, ab Antonio tandem Regem impetravit *Polemonem*, vide Appianum præfatum, *Civ. l.* 5. Ei ſucceſſit, an immediatè, non liquet, Philopator, quem vide. Cœterùm, Zenonis hic filius urbem ſuam ampliavit ornavitque & cùm priùs *Dioſpolis* vocaretur, in gratiam Auguſti Διοκαισάρειαν, compoſito ex *Jove* & *Cæſare* nomine appellavit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 828. qui & *de Polemoniaco Ponto*, ſub Pontica olim diœceſi comprehenſo nonnulla, *p.* 807.

POLEMON, minimus frater Amyntæ & Simmiæ, amiciſſimus Philotæ, & ideò cùm Philotas torqueretur, profugit: quem tamen deſertum à comitibus & hæſitantem inter revertendi fugiendique conſilium occupârunt ac vinctum reduxerunt. Deprecantibus exercitu & amicis Alexandrum, abſolutus eſt. Curt. *l.* 7. *c.* 1. & 2.

POLEMON, Philoſophus Athenienſis, Academicus, Philoſtrati fil. qui cum in juventute petulans eſſet, & aliquando ebrius & coronatus, Xenocratis ſcholam ingreſſus fuiſſet, ejus oratione, quæ tunc de pudicitia erat, adeò mores immutavit, tantumque in philoſophia profecit, ut Xenocrati in Scholâ ſuccederet. Probitate, lenitate animi & conſtantiâ inclytus: à furioſò cane aliquando læſus, colorem quidem vultus mutavit, tumoreque vulneris per totam urbem diſperſô, quid contigiſſet, rogavit. Obiit Olymp. 127. ſenex admodum. Diogenes, *l.* 4. *in Polemone*, eum multa ſcripſiſſe teſtatur; *Suidas* verò nihil ſcriptum reliquiſſe aſſerit. Horat. *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 254.

——— *Facieſne quod olim*
Mutatus Polemo. ———

Vide etiam Euſeb. *in Chron.*

POLEMON, cognomento *Helladicus*, genere Ilienſis, Hiſtoricus nobiliſſimus, æqualis Ariſtophanis Grammatici, Panætii diſcipulus. Scripſit *de origine civitatum*, *Phocidis*, *Ponti*, *Laconiæ geographiam*, & *de curſu ſolis libros tres.* *Suidas.* Item ἐπωνύμως τῶν δήμων καὶ φυλῶν. Vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.* Alius è Laodicea Cariæ, qui Smyrnæ vixit, æqualis Herodis Attici, ſub Adriano Imperatore, ad quem legatus quandoque Smyrnæorum miſſus, ab eo honorificè exceptus eſt. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 119. & 404.

POLEMON, Sophiſta & Orator, ſub Trajano. Dicax admodum; morti vicinus rogavit amicos, ut quàm citiſſimè ſepeliretur, ne Sol ſuo funeri inſultaret. Podagrâ vexatus cùm mortem optâſſet, & ob id reprehenſus eſſet: *aliud mihi date corpus*, reſpondit, *& libenter vobiſcum manebo.* Scripſit quædam, Philoſtr. *in vit. Soph.* *Suid.* Item, fil. Euergetæ, Hiſtoricus Græcus *deſcriptionem terræ* edidit, &c. *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 18. Geſner. *in Biblioth.*

POLEMON, Sophiſta celebris, ſub Hadriano Imperatore cujus *vitam* deſcripſit Philoſtratus, in qua, inter alia, de Antonino Aſiæ Proconſule, qui poſtmodum Hadriano ſucceſſit, Pii nomine condecoratus, lepidam hanc narrat hiſtoriam moderationis & clementiæ Antonini indicem. Regebat Aſiam proconſule Antoninus; Smyrnam venit, ædes *Polemonis*, quia non aliæ meliores Smyrnæ, ut nec alius melior ipſô Polemone vir, abſentiâ domini tum vacuas hoſpitium ſuum facit. Redit peregrè eadem illâ nocte Polemon; ædes occupatas reperit, nec à quo conſiderans, nec quomodo. Quiritatus tumultuatur ante januam, indignum facinus clamitat, ſe domus ſuæ ingreſſu prohiberi arcerique. Quid multa? cogit Proconſulem multâ jam nocte aliud ſibi hoſpitium quærere ac domô faceſſere. Reſcivit hoc Hadrianus, ἠρώτα δ' ὑπὲρ αὐτῶν οὐδὲν ὡς μὴ ἀνιαθέροιτο, ita vulgò legitur, nullô ſenſu: reponit Salmaſius, ὡς μὴ ἀναθέροιτο, *interrogavit nihil hac de re, ne in flammas rediret Antoninus* iraque ejus reviviſceret. Sed Polemoni metuens Imperator & cogitans, quæ poſt ſe eventura eſſent, cùm quamlibet mites & æquales probaſque naturas incitare conſueverint & inſtigare, ſuique oblivisci cogere mali Principum conſiliarii, ut Polemonem in gratiam cum filio reponeret; hanc viam ingreſſus eſt: Teſtamenti tabulis, quibus hæredem Imperator inſtituebat Antoninum, indidit, hujus ſibi conſilii ac mentis auctorem fuiſſe Polemonem, ut hôc modô facilius ei veniam impertiret, cui beneficium relicti Imperii debere ſeſciret Antoninus. Verba Philoſtrati ſic legit ac diſtinguit Salmaſius, Ὅθεν ἐν ταῖς ὑπὲρ τῆς βασιλείας διαθήκαις, καὶ Πολέμων ὁ σοφιστὴς, ἔφη, ξύμβουλος τῆς δωρεᾶς ἐμοὶ ταύτης ἐγένετο· τῷ καὶ χάριν ὡς εὐεργέτῃ πράττειν τὴν συγγνώμην ἐκ περιουσίας ἑτοιμάζων, h. e. *illâ re, quâ gratiam promereri faciebat, ut auctorem beneficii, veniam illi præparans ex abundanti*, &c. Quæ tamen narratio an in omnibus fidem mereatur, meritò dubitat Vir Cl. Quid enim opus teſtamentô fuit, quô hæres Imperatoris inſtitueretur Antoninus, qui ab Hadriano adoptatus, in certam ſpem fiduciamque futuræ ſucceſſionis, ſtatim poſt exceſſum Hadriani, adoptionis meritô, non teſtamenti jure, Reip. regimen accepit? Sed & hoc quidam de Hadriano ſcriptum reliquerunt, non adoptione adſcitum ad Imperium, ſed Plotinæ Trajani conjugis favore id aſſequutum, quæ Viri teſtamentô hæredem Regni inſtitutum ſimulârit, ut narrat Aurelius Victor Schotti, Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino*, *c.* 3.

POLEMONIUM, Cappadociæ urbs. *Ptol.* in ora Ponti. *Vatiza Nigro*, aliis *Leona*, inter Amitum, ac Trapezuntem. Portum habet cognominem, teſte *Stephanô.*

POLENA, vide infra *Poulania.*

POLENDOS, inſul. maris Ægæi, parva & deſerta ad Cherſoneſum Thraciæ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

POLENTA, Græcè παλυντὴ, Æol. παλυντά, erat farina ſubtiliter molita, ad inſtar cineris, quæ quomodo præparari conſueverit, exponit Plin. *l.* 18. *c.* 7. Nempe non ſimpliciter hordei farina fuit, ſed ex hordeo toſto priùs, deinde ſubtiliter fracto & molito fiebat, rebus etiam aliis mixtis. Hæc carnibus aſpergebatur, unde ἠλφιτωμένα κρέα, *polentâ aſperſæ carnes*; ἄλφιτα enim λευκὰ *polentam* Græci vocant, (Atque hinc vocis origo: παλύνειν namque idem, quod πάσσειν eſt, *conſpergere*) ut & aliis cibis, moris etiam. Unde Sullæ crudelitas Attici Scurræ mimicô hoc trochaicô eleganter tacta eſt, cùm is ait,

Συκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.
Sylla morum eſt polentâ *ſparſum*:

indigitans cum albâ corporis cute, & ſub candido vultu, cruentum & ſanguinarium animum tegere. Certè non aliunde, quàm ex hoc verſu, didiciſſe videtur *Plutarchus*, quali colore fuerit Sulla. Nam τραχὺ illud ἐρύθημα, λευκότητι καταμεμιγμένον, quod in ejus facie efflorüiſſe ſcribit, planè convenit cum moris illitis polentâ. Ita Neronem quidam, ob ſimilem crudelitatem, πηλὸν αἵματι πεφυρμένον appellavit, ut notum. Sed & *polentâ*, in urbium condendarum ſitu delineando, Veteres uſos fuiſſe, legimus. Sic in delineando ſitu Alexandriæ, cùm creta non eſſet ad manum, Græci tradunt, ἀλφίτοις eum deſcriptum eſſe, οὐκ ἔχοντες δὲ λευκὴν γῆν, ἀλφίτοις διέγραφον. Quod Curtius *polentam*, vertit, *l.* 4. *c.* 8. *Fama eſt, cùm Rex futuris urbis muris polentam, ut Macedonum mos eſt, deſtinâſſet, avium greges advolâſſe & polentâ paſtas eſſe:* ὄρνιθες δὲ καταπτάντες τὰ ἄλφιτα εὐθὺς διήρπασαν. Ubi notat, morem Macedonum, polentâ urbium condendarum ſitum delineantium, quod alibi non occurrit. Arianus, ad hanc rem ſumtum tradit, ὅσα ἐν τεύχεσιν ἄλφιτα οἱ στρατιῶται ἐκόμιζον, *quantum polenta in armis milites ferebant*, &c. Quod autem ex hordeo toſto *polentam* confici dixit Plinius, admonet nos veteris moris, quô tam far, quàm hordeum priùs torrebant, quàm molebant, priſci. Unde Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 183.

Et torrere parant flammis & frangere ſaxô.

Nec ullum ibi ὕστερον πρότερον, ut vulgò ſibi perſuadent. Et Ovidius, *in Faſtis*; quia priùs *Bis toſti farris fruſta grandia*, dixit de pane, ac tandem coquebatur torrebatur, dein demum molebatur, *Toſtam polentam* vocat Idem, panis. Sic *far bis toſtum*, panis eſt. *Toſtam polentam* vocat Idem, *l.* 5. *Met. v.* 450. quia ex hordeo priùs toſto, dein molito, ut dictum, facta: Ita enim in Cyceonis potione, quam anus Attica Cereri propinavit,

——— *lymphamque roganti*
Dulce dedit toſtâ, quod coxerat antè polentâ.

Ubi cyceonem intelligit, qui potus erat farina vel polenta mixtus: *adoris potionem* appellat Arnobius, *in eadem hiſtoria*, de Baubo, quæ hoſpitiô Cererem excepit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 327. & 328. *alibique paſſim.*

POLENTIA, vel POLLENTIA, vulgò POLENZO, urbs Liguriæ apud Tanarum fluv. cujus rudera inter Tanarum & Braidam oppid. latè ſparſa cernuntur; manet caſtrum exiguum, ad ripam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ripam Tanari, ab Alba Pompeja 7. mill. paſſ. à Claraſcò & Braida 2. Hîc Stilicho feliciter adverſus Viſigothos pugnavit. Claudian. *Bell. Getic. v.* 635.

O celebranda mihi cunctis Pollentia ſeclis!

Hinc *Polentinus* adjectivum Statius, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 63.

Seu Polentinos merſiſſent flumina ſaltus.

Polentia altera, in Piceno, *M. Melone*, oppid. amplum in colle inter Maceratam & Septempedam 10. mill. paſſ. Populi *Polentini* Plinio, *l.* 3. *c.* 13. *Pamphilus* ſcribit illam prorſus interiiſſe. *Polentia* item, *Polentia Ptolemæo* oppid. Balearis majoris non obſcurum apud Alcudiam urb. hinc 5. mill. paſſ. in Boream. Licèt Moletius ipſam Alcudiam eſſe putet. Nunc *Puglienza*, in parte Orientali Inſul. versùs Minoricam.

POLENTINA Plebs, vulgò *Polenta*, pagus Æmiliæ inter Ravennam urbem 24. mill. paſſ. & Apennini montis radices Bretinorio urbi finitimus teſte *Hieronymó Rubeó*.

POLEPTICA, in vetere Collectione *Chronicorum* ex Thoromacho, *Arianus utrâque linguâ eruditus benigniter tributa urbium plurimarum relaxavit*: Polepticis *publicis incenſis*, *plurimos a tributis liberos fecit*. Pro *Polyptica*. Sic enim ſcribebant, ut *megalinæ pelles*, apud vetuſtum Auctorem, pro *mygalinis*. Et *Hippo diarretus*, pro *diarrhytus*. *Cenocephali*, in *vetere tabula* Peutingerorum, pro *Cynocephali*. Sunt autem *Polyptica* idem quod ſyngraphæ & chartæ publicæ: Hodieque laterculum & indicem *poliarium* vocant Galli, quaſi *polypticarium*, &c. Vide infrà in voce *Polypticha*.

POLESIA, aliter *Palatinatus Breſtienſis*, eſt pars magni Ducatus Lithuaniæ ad Auſtrum, verſus Ruſſiam nigram & Volhiniam ſuperiorem. Extenditur ab Ortu in Occaſum. Primaria ejus Urbs eſt Breſtia.

POLESII, civitas quædam, & cives ſimiliter. *Steph.*

POLETES, internuncius Epidauriorum ad Illyricos, de quo Alexand. ab Alexandro, *l.* 4. *c.* 10.

POLETO, fluv. Mauritaniæ Cæſarienſis.

POLETUS, vide ſuprà *Letus*.

POLEUR, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptolem.*

POLHEMIA, German. *von Polheim*, Familia inter Auſtriæ illuſtriores, cujus auctor Pilgrinus traditur, qui floruit circa A. C. 1073. Inter hujus poſteros Albertus III. extinctus A. C. 1253. quatuor reliquit filios, Alberonem, Henricum, Ortolphum, Philippum & Weicardum, totidem linearum conditores. Prima in *Steinhauſſ*, *Wartenburg*, *Schernſtein* & *Lachſendorf*, defecit in Martino Abbate Crembs monaſterii, A. C. 1391. Secunda in *Rechberg*, *Schernſtein* & *Steinhauſſ*, A. C. 1454. in Wolfgango: Tertia in *Seiſſenburg*, & quinta adhuc maturiùs, intra paucos gradus. In quarta, Philippus pater fuit Godfridi & Werneri: à quorum illo numeroſa progenies eorum, qui in *Tegernbach*, *Lucelburg*, *Parz*, *Ottenſchlag* & *Steinhauſſ*, habitârunt, vel adhuc habitant. Ab iſto, iterum duæ lineæ, *Libnizia*, quæ *Metſchiis* aucta titulis (poſteà alteri quoque lineæ conceſſis) in Gaudentio, ſuperiori ſeculô defecit, hæredibus Kuntingiis & Gleiniziis: & *Wartenburgia*. Hanc quod attinet, in Cyriaci liberis ſuperiori ſeculô iterum duæ ortæ ſunt lineæ, in *Wartenberg*, *Schopfenſtein* & *Puchheim*: quarum media deſiit A. C. 1582. Ultima, niſi Johannes Cyriacus ſuperſit, itidem maſculis diſtituitur. Ex prima oriundus eſt Wolfgangus Carolus, qui exilii ſedem Binnighemii, prope Baſileam, fixit: pater, ex Eliſabetha Mærſpergia (filia Hieronymi Liber. Baron.) Wolfgangi Sigiſmundi (qui natus A. C. 1631. deceſſit A. C. 1653.) & Mariæ Eliſabethæ (quæ genita A. C. 1633. nupſit Wolfgango Baroni *de Hohenfeld* &c.) Dnn. *de Polheim & Wartenburg* &c. *in Binningen*: Inde aliorſum ſede tranſlatâ, haud pridem obiit. Progonologiam ejus habes, apud Phil. Jac. Spenerum, *Theatro Nobil. Europ. Part. I. p.* 148. qui & probationes illuſtris hujus Familiæ exhibet *Part.* 2. ex ramo Wartenburgico Lineæ *Pucheimenſis*, *p.* 27. *Parzenſis*, *p.* 56. & *Schopfenſteniæ*, *p.* 87. Vide quoque cum *Arte Herald. Tom.* 2.

POLI, vide infrà *Polographia*.

POLIA Gemma, Græcè πολιὰ, à *canitie*, cui ſimilis erat, dicta eſt. Nam πολιοὶ, *cani*, & πολιὰ, *canities*, ſenectus. De ea Plin. *l.* 37. *c.* 11. *Polia caniciem quandam inducit ſardio*, *eandem rariorem nigro ſpartopolios*. Nempe radicem vel fundum habet colore ſardii vel ſardæ gemmæ, i. e. rubrum cui inducta eſt canities quædam. Eandem porrò caniciem, ſed rariorem, non rubrô, ſed nigrô, inductam & impoſitam habet, ideoque σπαρτοπόλιος appellatur, i. e. *canis ſparſa*: Græci enim σπαρτοπολίους appellant homines, qui non penitùs ſunt canô capite, ſed *quibus intermixti cum nigris cani*, qui caput aſperſum canis habent. Aliter μιξοπόλιοι, Heſychio ὀλιγοπόλιοι. Sic in perſonis Tragicis ſenex fuit, qui dicebatur λευκὸς, qui totus erat canus. *Pollux*, ὁ δὲ λευκὸς ἀνὴρ πᾶς μὲν ἐςὶ πολιός. At σπαρτοπόλιος, mixtos habebat nigros canis. *Idem* ὅγε μὴν σπαρτοπόλιος, δηλοῖ τὴν τῶν πολιῶν φύσιν. Inducta itaque canities nigræ aut rubræ gemmæ, quæ in ſummitate canitiem habet inſperſam; quemadmodum in Sardonyche unguis humani color, velut carni, h. e. rubro impoſitus intelligitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 765. & *ſeqq.* alibique, ubi Medicum quendam Italum, κοϱσοειδῆ, πολιὰν & σπαρτοπόλιον gemmas, de lapide Caryſtio, ex quo mantelia texebantur, quæ igni non abſumerentur, accipiendas contendentem, refellit.

POLIANUS, Macedoniæ mons circa Epirum. *Steph.*

POLIARIUM, vide POLEPTICI.

POLIAS, Minerva dicta eſt, quaſi urbana, quòd ea delectaretur urbibus, ab differentiam ejus, quæ extra muros ædes ſacras habebat. Lucianus, *in Lapithis*: Ὤμοκα κατὰ τ̃ Πολιάδος μὴ εἰλη φέναι, i. e. *Juravi per Poliaden*, *me non cepiſſe*.

POLICASTRUM, quibuſdam *Palæcaſtrum* urbec. Epiſcopalis regni Neapolitani in Principatu citeriore in ora ſinus Lai, qui hinc *Golfo di Policaſtro* dicitur. 55. mill. paſſ. in Eurum, 17. à promontor. Palinuri in Ortum. verſus confinium Baſilicatæ 8. circiter.

POLICHIUS, Martinus, vide ibi.

POLICHNA, urbs Troadis, *Bilenos* Turcis, *Leuncl.* Civis *Polichnæus*. Eſt & urbs Cretæ. Civis *Polichnites*, *Steph.*

POLICHNION, vulgò, *Hieron Romeliai*, teſte *Gylliô*; Fanum Europæ Byzantinorum. *Strab.* & *Polyb.* apud Byzantium urbem.

POLICHNIUM, meliùs *Polinium*, oppid aliàs munitum Comitatus Burgundiæ, 3. leuc. à Salinis in Africum, 7. à Dola in Meridiem, Genevam verſus.

POLIENTES, apud Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt, & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: imò verò etiam ignibus. Noviſſimô ſui purgamentó, quippe ahenis* polientium *extracta in uſum tomenti veniunt*: Sunt οἱ Κναφεῖς, *Fullones*. Pro *ahenis* verò legit, *ineis* Salmaſius; Sunt autem ineæ, fullonum inſtrumenta, quæ ex ſpina vulgari concinnabantur, extrahendis veſtium craſſioribus & inæqualioribus floccis. Et quidem, cùm primum lanarum purgamentum ſit, quùm carminantur; noviſſimum eſt, quum in veſte ipſa carpuntur & depectuntur erinaceô fullonis, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 391. & *ſeqq.* ut & ſuprà, ubi de *Fullonibus*. A' verbo *polire*, quod Fullonum propriè, Græcè κνάπτειν, quod *polire* & *pectere* ſignificat, & tertium eſt ultimumque Fullonum munus. Primò namque lavabant, ſeu tergebant; dein conculcabant ſeu denſabant; tertiò *poliebant* & pectebant, i. e. pexitatem in ſubtemine excitabant: unde diverſa eorum nomina. Πλύνται, Νάκται & Κναφεῖς; indeque κνάφος, inſtrumentum, quô veſtes poliebant, ex ſpinis factum. *Heſych.* Κνάφοι ἄκανθαι, αἷς κνάπτεται τὰ ἱμάτια. Ad quod etiam cute erinacei utebantur, ut ex *Plinio* diſcimus. Cùm autem non ſolùm vetera veſtimenta interpolaret fullo, ſed etiam novi panni à textore ad eum deferrentur poliendi ac pectendi: *polire*, propriè de novis; *interpolire*, de veteribus dicebatur. Hinc *interpolis veſtis*, ἡ ἐπίγναφος, *iterum polita*; & inde *interpolare*, ἐπιγνάπτειν. Ex floccis lanæ verò qui inter pectenda & polienda veſtimenta deraſi fuerant, tomentum olim fieri conſueviſſe, alibi dicemus. Ad lintea *polienda* conchæ Veneriæ adhibitæ. Vide ſuprà, ubi de iis, & aliquid de eximio ſilis Attici poliendo uſu, voce Ochra. A' veſtibus, *poliendi* vocabulum ad parietes traductum eſt. Vitruvius, *l.* 7. *c.* 3. *Sed & baculorum ſubactionibus fundatæ ſoliditates, marmoriſque candore firmô levigatæ, coloribus cum* politionibus *inductis*, *nitidos expriment ſplendores*. Ubi *politiones* ſunt, Græcis λειώματα, à verbo λειῶσαι; unde *liare* fecerunt Latini, quod eſt tectoria inducere, & *polire*. Sic *Liacula*, ſunt politiones ſive inductiones e pictura in parietibus, Græc. λειώματα, quæ vel ἀκραιέςερα, *meracioris & ſaturi coloris*, vel ὑδαρέςερα, *dilutioris*, apud *Theophraſtum*. *Politionis miniaceæ*, λειώματος ex minio, item *politionis cyaneæ*, λειώματος ex cyano, meminit idem. Vide ſuprà in voce *Liaculum*. Inde porrò ad agros. Ennius,

Raſtros dentifrabres capſit agri poliendi.

Dicebatur autem propriè ager *poliri*, cùm occabatur raſtris vel crate: Et hæc velut ſumma manus erat, quæ agro exercendo imponebatur. Unde *politiones agrorum*, & *politor*, qui agrum colendum conducebat pro certa parte, *ff. de Socio*: *Si agrum politori damus*. Columella *politionem* hanc ita expreſſit, *l.* 10.

Verùm ubi jam puro diſcrimine pectita tellus,
Depoſito ſqualore nitens ſua ſemina poſcit.

Tum nempe *pecti*, *radi*, *poliri* tellus dicebatur, cùm occabatur. Uti enim in veſtimentis apud Fullonem curandis, tum ea poliri dicebant, cùm pectine vel ſpinâ fulloniâ radebantur, quod ultimum erat polientium & fullonum experimentum: Ita in agri cultura manus ultima politio, quæ occatione vel raſtris fiebat, ſacris Occatori Deo factis, de quo retro diximus. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 202. 391. 488. 515. &c. De *politura* verò gemmarum lapidumque, vide infrà in voce *Smiris*, *it. Tritores Lapidum*: eboris ligníque aliquid voce *Squartia*.

POLIEUM, urbs Italiæ, quæ prius *Siris* dicebatur. *Steph.*

POLIEUS *Jupiter*, i. e. civilis, vel urbis Præſes aut cuſtos, ab Athenienſibus cultus.

POLIMATRIUM, civitas Italiæ in D. Petri, quod vocant, patrimonio. *Blondus.*

POLIMEN, apud Arnobium, *adv. Gent. l.* 7. quid ſit, dicemus infrà lemna, *Sus alba*.

POLINIACENSIS Pagus quibuſdam eſt S. *Pauli* oppid. Arteſiæ, caput comitatus perampli, medium ferè inter Atrebates ad Ortum, & Monaſteriolum ad Occaſum 5. leuc. uti ab Aria in Meridiem à Tervanna, 8. autem à Fano S. Audomari. Dicitur melius *Fanum S. Pauli*.

POLINIACUM, urbec. provinc. Barianæ, regni Neapolitani in ora maris Adriatici epiſcopalis ſub Arhiepiſcopo Barenſi, 18. milliar. à Bario in Ortum, Monopolim verſus 5. Dicitur & *Pulinianum*. Sita in edita ac prærupta rupe, ſub qua cavernæ plurimæ, in quas undæ magnô impetu irrumpentes, levique curſu rurſum exeuntes, perjucundos quoſdam ſonos edunt.

POLINUS, vox memorata Monacho Florentino *de Expugn. Accon.*

Martis Idus ſeptimo noſtros ſervientes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ut herbas colligerent, foràs incedentes,
A Polino *proditos longè diſcurrentes,*
Saraceni capiunt in dolis latentes.

Idem fortè cum *Pullano*, apud Sugerium, in *Vita* Ludovici VII. Regis Franciæ, quô nomine veniebant apud Chriſtianos, in regno Hieroſolymitano ii, qui *de Patre Francigena & Matre Syriana, vel de patre Syriano & matre Francigena generati erant.* Vide infrà in voce *Pullani.*

POLION, locus in Lesbo.

POLIPTICI, non ſunt chirographa, vel apochæ, ut Alciatus tradit, *Parerg. l.* 3. ſed rationes publicæ, *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de diſcuſſ. leg.* 13. *C. Theodoſ. de ind. deb.* & *ideo in leg.* 2. *Cod. de diſc. ratiociniis publicis, i. polipticis: hic autem plerumque ſcribi ſolet.* Ubi tamen, ſi origo ſpectetur, *Polyptychis* ſcribendum: namque vox inde ſumpta, quòd iſtiuſmodi chartæ publicæ πολλὰς ἀποκλείσεις οἷον πτυχὰς, habeant; quâ formâ & *Diptycha* dicuntur, *lib.* 1. *C. Theod. de exp. jud.* & *in act.* 14. Chalcedon. Concilii; in quintæ item Synodi, *act.* 4. *Suid.* Διπτύχια δύο περιβόλαια ἔχοντα, ὡς τὰ μὲν ὑπεσφῶσθαι, τὸ δὲ ὑποβεβλῆσθαι. Adnotata verò in his *Polipticis* ſeu *Polyptychis* omnia, quæ ad rationes publicas ſpectant: Quod Vegetius docet his verbis, *l.* 2. *c.* 19. *Totius legionis ratio, ſive obſequiorum ſive militarium numerorum, ſive pecuniæ, quotidie aſcribitur actus, majore prope diligentiâ, quàm res annonaria vel civilis* Polipticis *annotatur.* Sic enim eum locum caſtigavit Cujacius, *Obſervat. l.* 4. *c.* 27. pro eo, quod vulgò *Polipticis libris* legebatur. Eâdem voce utitur Caſſiodorus, *Var. l.* 5. *Ut omnibus à te ſolicitâ atque æquabili indagatione compertis, Poliptici jubeantur aſcribi* Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jur.* Sic *Puletica* pro *Polyptychis* etiam Galli dicunt, teſte Salmaſiô Epiſtolas Amatorias: ad quem uſum apud Veteres duplices tripliceſque tabellæ habebantur. De triplicibus Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 6.

Tunc triplices noſtros non vilia dona putabis,
Cùm ſe venturam ſcribet amica tibi.

De duplicibus Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 12. *v.* 27. ubi queritur, inanes ſuas tabellas rediiſſe, amicâ non promittente:

——— *Vos re duplices pro nomine ſenſi.*

Sic diptycha Interpreti Juvenalis: *Quamvis*, inquit, *ille dives cinædus* ——— *tuum conſpexerit & cupiditate blandis te epiſtolis & diptychis ſolicet, nihil tamen accipies, niſi ſtellas bene poſitas in geneſi habueris, quæ tibi hoc præſtent.* Eundem uſum videntur Veteribus quoque præſtitiſſe *Polyptycha*: Sed hæc alibi fuſiùs. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano, c.* 7. & infrà ſuô locô.

POLIS, urbs Ægypti, civis, *Polites*, & *Polieus*, quô nomine Jupiter illic colitur. Fœmininum *Polias. Steph.*

POLIS, urbs, Græcè πόλις, in Epitaphio, quod habetur apud Ughellum, *Tom. VII. Ital. ſacr. p.* 894.

Hos rea mors habuit, Reatina Polis *ſepelivit.*

Eandem vocem adhibet Bondelmontius, *in Deſcript. Conſtantinop. Tertiaque quarta columnarum quaſi in medio Polis ſunt poſita.* Vide ibi *Notas* Car. du Freſne, ut & Eundem in *Gloſſar.* Sic in Latium citimum tranſlata vox, *urbem* in genere notat: apud Græcos verò Scriptores Πόλις, ſine adjectione, de Alexandria Ægypti, per excellentiam, effertur; ſicut Ἄστυ, de urbe Athenarum, & *Urbs*, apud Latinos, de urbe Roma. Frid. Hildebrandus *ad C. Nepotis Themiſtoclem* &c. Hinc fortè *politanæ plateæ*, apud Adamnanum *de Locis Sanctis, l.* 1. *c.* 1. *Camelorum & equorum* ——— *numeroſitas* ——— *per illas* politanas *plateas ſtercorum abominationes propriorum paſſim ſternit.* Ubi quidam *MSS.* habent *politarias*, Gretzerus *politas* legendum cenſet, h. e. elegantes: Carolo du Freſne ſunt *urbicæ plateæ*, tanquam ex πόλις nomine efficto &c.

POLISMA, civitas Troadis ad ripas Simoëntis. Strabo, *l.* 13.

POLITES, Priami fil. ex Hecuba, quem Pyrrhus captâ urbe in conſpectu patris interfecit. Virg. *Æn. l.* 2.

POLITIA, urbs Achajæ. *Steph.*

POLITIANUS, Angelus, reſtaurator in Italia bonarum Literarum, ſcripſit plurima, quorum catalogus extat *in Elogiis* Teiſſerii, *Part. I. p.* 78. mœrore ex Petri de Medicis, infelicitate conceptô, an obſcœnô furore, ut quidam ſcribunt, extinctus, A. C. 1553. ætat. 40. Voſſ. de *Poëtis Lat. c.* 7. Elogium viri habes apud Barthium, *in Adverſar. l.* 47. *c.* 5. Vide & *Angelus Politianus.* It. *Joh. Maria.*

POLITICE, *Polybio* φιλοσοφία ἐκ παραδειγμάτων, h. e. *Hiſtoria ſub exemplis*, filia proin Hiſtoriæ eſt, & docet imperium in alios. Duo autem Hiſtoriarum genera maximè *Politice* conducunt: Unum, quod varias Reſp. & gentium variarum leges ac jura narrat; quomodo Ariſtoteles Alexandro, iter in Perſiam ſuſcipienti, varias Reſp. deſcripſit, ac Theophraſtus poſteà leges collegit: Alterum, quô res geſtæ exponuntur, non quidem quod ad eventus ſolos, ſed accuratè additis cauſis & modô, quô ſingula contigerunt: Quemadmodum de Severo Imperatore quoties de rebus magnis conſilium capere vellet, in conſilium etiam Hiſtoricos adhibuiſſe, ut cognoſceret, quid in ſimili negotio Imperatores ac Duces alii fecerint, legimus. Sed & multum tum ad privatos mores, tum ad rem publicè gerendam, conferunt Imperatorum vitæ: quales, quas Plutarchus ac Corn. Nepos ſcripſêre. Nec ſatis eſt, antiqua nôſſe tempora, verùm quæ & noſtrô Patrumque ævô geſta ſunt, pernôſſe expedit &c. Quantoperè verò ad rectè imperandum *Politice* conferat, Senatus Romanus, cùm Tacitum Imperatorem eligeret, agnovit: *Neminem aut juſtiùs, quàm gravem virum; aut prudentiùs, quàm doctum, imperare poſſe*, dicens: Meritò domina ac regina artium ſcientiarumque proin judicata, ut cujus finis ſit, quemadmodum *Cicero* ait, *Ut cùm florens ac proſpera privatorum ſalus, beata civium vita; tum opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta Reſp. ſit.* Sed præterea Grammatico conducit in Poëtis, Hiſtoricis, Oratoribus, in quibus multa adeò ſunt ad civilem vitam pertinentia: Oratori, in curia, foro, legationibus prodeſt: Poëtam, Epicum inprimis ac Tragicum, qui argumentum civile tractant, juvat; Ut de Hiſtoria, quæ nihil aliud, quam φιλοσοφία πολιτικὴ per exempla; de Juriſprudentia, quæ civilis facultatis pars eſt, nil dicam: Addam ſaltem non parum utilitatis Theologo quoque *Politicam* conferre; Ita enim is meliùs intelliget, quæ ad *Politiam* Moſaicam pertinent, quæque de Davidis & aliorum Regum inſtitutis referuntur. Origo Artis ex Rerumpublicarum origine dependet, quæ cùm ex vicis primùm ortæ ſint, uti vici ex familiis, familiæ ex natura, quæ liberos procreandi amorem hominibus inſevit, apparet ipsâ naturâ civilem hanc Scientiam ſubnixam eſſe. Quô ordine addiſcenda, Pythagoras docuit, qui eam ex omni Philoſophia poſtremò voluit diſci: quod conſilium etiam B. Auguſtin. probat, *l.* 2. *de Ord. ad Zenobium*, ubi ſub fin. ait: *Quòd Pythagoræ mentionem feciſti, neſcio, quô illô divinô ordine occultô tibi in mentem veniſſe credo. Res enim multùm neceſſaria mihi prorſus exciderat, quam in illo viro mirari, & penè quotidianis, ut ſcis, efferre laudibus ſoleo; quòd regendæ Reip. diſciplinam ſuis auditoribus ultimam tradebat, jam doctis, jam perfectis, jam ſapientibus, jam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollet committere niſi virum, qui & in regendo penè divinè ſcopulos evitaret, &, ſi omnia defeciſſent, ipſe illius fluctibus quaſi ſcopulus fieret.* De ſolo enim Sapiente veriſſimè dici poteſt,

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit;

Et cætera, quæ in hanc ſententiam verſibus dici poſſunt. Partes Politicæ duæ ſunt, Civilis, quæ de adminiſtratione Reip. & Militaris, ſive Στρατηγικὴ ſeu *Imperatoria*, quæ de belli gerendi ratione agit: de qua utraque Tullius, *Unde faciliùs*, quærit, *quàm ex Annalium monumentis, aut res bellica omnis, aut omnis Reip. diſciplina cognoſcetur?* Prior, Jamblicho *in vita Pythagoræ*, in Νομοθετικὴν, quæ facit, ne mali fiamus; & Δικαστικὴν, quæ, ut ex malis reddamur boni, iterum diſpeſcitur. Unde duo hæc munera, Legiſlatoris & Judicis boni, in Principe, quoque exigit Manuel Palæologus Aug. *in præc. educat. Regiæ, ad Johannem fil. tit.* 51. Et quidem, præcepta de adminiſtranda Rep. optimè hauriuntur, ex Platonis, *de Rep.* ac *Legibus* libris; ut &, ex *Politicis* Ariſtotelis. Sex enim Ciceronis, *de Rep.* libri periêre, vixque eorum quidquam ſupereſt, præter ſomnium Scipionis: è quo tamen ſatis conjectare licet, quantum eruditionis & induſtriæ univerſo operi impenderit. Ad eandem *Politices* partem pertinet Παιδαγωγικὴ ſive *Cura puerilis inſtitutionis*; quam Græcorum pleroſque, Spartiatis exceptis, penè neglexiſſe, *Xenophon* teſtis eſt: Item Ἱερατικὴ, ſeu *Cura Religionis*, cui proſpicere Rerumpublicarum Rectores omnino tenentur. De re bellica, circa quam poſteriorem *Politices* partem occupari diximus, legendus Onoſander, quem Joach. Camerarius tranſtulit, Vegetius item aliique, quos edidit P. Scriverius. Eòdem pertinent Scriptores Tactici, ut Æneas, *in Comment.* quorum epitomen Theſſalus Cineas conſeruit, primùm à Caſaubono divulgatam; qui & Æliani Τακτικὰ editurus erat, niſi mors prævêniſſet: Item qui de Strategematibus ſcripſêre, ut è Latinis Frontinus, è Græcis Polyænus, qui Imperatoris Antonini & Veri temporibus vixit, ac venuſtâ dictione 8. libros condidit, *de Strategematis Græcorum, Romanorum, Barbarorum.* Sic Modeſtus, *de vocabulis rei Militaris*, ad Tacitum Aug. Hero junior *Belopœica, ſive de machinis bellicis*, opus reliquit. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophia, c.* 19. *totô.* Hodie Sinenſes inprimis *Politices* laude florere dicuntur, quos proin ſcribit Lombardus, *tam præclarè de Republica commentari, ut, ſi ab Inferis remearet Plato, alium deſideraturus quàm Sinenſem non foret.* Primus verò, qui eam corrupit, jam Kainus fuit, qui, cùm impias manus fraternô ſanguine imbuiſſet, conſcientiâ admiſſi facinoris agitatus, ſecuritati ſuæ, exædificatâ & contra vim munitâ urbe, proſpexit, peſſimis quibuſque in conſortium accitis. Veſtigia ejus inſigniter preſſit Nimrodus, & ſeculô præteritô Machiavellus, utriuſque exemplum imitatus, *Politicam* tradidit, in qua à pietate prudentiam, ab honeſtate utilitatem, fruſtra divellere ſatagens, pro illa verſutiam, pro iſta emolumenti umbram mox evanituram, Principibus obtrudere anniſus eſt. Vide Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſoph. paſſim*, & qui *de Scientia cit.* ſcripſêre.

POLITICEORGAS, Aſiæ propriæ regio apud Plin. *l.* 5. *c.* 29. quæ poſteà *Aphrodiſias.* Pontianus *Politice*, & *Orgas* diviſim legit, duaſque ac diverſas regiones facit.

POLITICI nomen, in Gallia, primùm in odium tractum, circa A. C. 1568. quô quinam fuerint inſigniti, patet ex *Epiſtola* Ludovici Principis Condæi ad Regem, è qua, (ubi Princeps in Carolum Cardinal. Lotharingum omnem turbarum cauſam rejicit) inter alia iſta habet Thuanus: *Lotharingi* ——— *ex vetere Regum Francorum ſtirpe ortos ſe jactitantes, etiam jus in Andegavenſi & Provinciæ Comitatu vendicant, eòque nomine cùm nihil non audeant, ſi qui ſunt, qui ipſorum conatibus ambitioſis ſeſe opponant, eos calumniis impetunt & novô nec uſitatô nomine* Politicos *vocant, eoque cunctos, & ſectariis pernicioſiores ac periculoſiores eſſe ajunt, & factionibus qui Majorum religionem amplectuntur, ſed à turbis & factionibus, & proinde à Lotharingorum partibus alieni ſunt, hoc eſt, inter proceres Carolum Cardin. Borbonium, Michaëlem Hoſpitalium Cancellarium, Momoranſios Equitum Tribunos, involvunt.* Tunc primùm Politici nomen in odium tractum, in monumentis rerum noſtrarum video, in quod poſteà Concionatores, graſſante licentiâ, ſupra modum debacchati ſunt, Optimates pacis, quâ religio & ſecuritas publica continentur, ſtudioſos eô notantes. Poſteà, A. C. videl. 1574. *Politicorum* & *Malecontentorum* nomina ſibi ſumpſerunt ii, qui Alen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Alenconii partibus, & factioni erant addicti: erat is Frater minimus natu Caroli IX. Franciſcus nomine. Qui poſt diſceſſum novi Poloniæ Regis Henrici, fratris ſui, occaſione hâc injuriæ vindicandæ & ambitioni exſatiandæ, vel cum Regni exitio, uſurus, cum Ludovico Naſſovio primùm conſilia communicavit: inde Proteſtantium patrocinium ſuſcepit. Acceſſêre frequenter Montmorantiorum adhortationes, qui cùm ſe ſcirent, à Regina apud Regem in odium adduci, periculô ſuô territi, Alenconium in periculi partem adducere conabantur. Hi de quietis publicæ perturbationibus, Edictorum regiorum violatione & prava Reip. adminiſtratione vulgò ac palàm querebantur, eamque convocatis Regni Comitiis corrigi & emendari petebant, *Politicorum & Malecontentorum* nomine factioni impoſitô, cujus præcipui incentores erant Guilielmus Montmorantius, Thoræus & Henricus Turrius Turraniæ Vice-Comes: quô autem ſucceſſu, exponit idem Thuanus accuratè, *Hiſtoriar. l.* 57. Vide quoque eum, *l. ſeq. ad A. C.* 1575. ubi de Fœdere inter Catholicos, qui vulgò *Malecontenti* atque aliô nomine *Politici* dicebantur, & Proteſtantes, Damvillæ auſpiciis, titulô *Unionis*, inito, in conventu Nemauſum indicto, agit: quô novæ Reip. omnibus ſuis numeris abſolutæ atque à reliquo Regni corpore omnino ſeparatæ forma, quantum ad Religionem, juriſdictionem civilem, publicos Magiſtratus, militiæ diſciplinam, commercii libertatem, vectigalium impoſitionem, reique pecuniariæ diſpenſationem, conſtituta eſt. Subſcripſêre Damvilla Catholicorum & Paulinus Vicecomes ac Lomanius Terrida, Proteſtantium nomine, ſed minimè votis ſucceſſus reſpondit, uti *ibidem* videre eſt. Sed & *Politici* & *Malecontenti*, horum ſine dubio imitatione, dici amaverunt, in Belgio, qui nuper Regi reconciliati Ordinum partes deſeruêre: cujuſmodi hominum magna vis, in Flandria & Atrebatibus, conjunctis cum Prorege Farneſio viribus, Gurtracum ceperunt A. C. 1580. De quibus vide eundem, *l.* 71. At *Politici*, qui aliàs *Arnaldiſtæ*, ſic dicti ab Arnaldo Brixiano, Hæretici fuêre quibuſdam, *quorum*, ait du Freſne, *hæreſis ſub Innocentio III. Pontif. vulgari cœpta, damnata verò ab eodem Pontifice in Concilio Lateranenſi, ab obitu Cæleſtini Pontificis invaleſcere rurſum cœpit.* Sed alii mitiùs de hoc Arnoldo Clericis ingrata ſuô tempore canente, ſentiunt. Vide ſuô locô.

POLITICI Verſus, peculiare carminis genus, quod in recentiorum Græcorum libris frequenter occurrit. Abludunt autem non multum verſus hi ab eo verſuum genere, quos *Dithyrambicos* dixêre Veteres: Ut enim ii nullum numerorum, nullam carminum recurrentium certam legem habebant, quod docet *Ariſtoteles*, ſed numeris lege ſolutis ferebantur, ut ait *Horatius*: Ita & *Politici* minimè ad exactam metri formam conſcripti ſunt. Syllabarum enim certô numerô, qui vix ultra quindecim excurrit, crebriſque metaphoris, ὀνομάτων διπλώσεσι, & συνθέτοις ὀνόμασι, conſtant: quæ omnia Dithyrambicis adſcribunt Auctores, vide Demetrium Phaleræum ſeu Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* περὶ ἑρμηνείας *p.* 39. 44. & Jul. C. Scaligerum, *in lib. Poëtic.* niſi potiùs dicamus eos ſimiles eſſe veterib. Sibyllinis, quos longos fuiſſe aſſeverant *Cicero* ac *Varro*. Verſus *Politicos* Heroicis adſcribit Scholiaſtes Hephæſtionis, *p.* 91. quô locô ſeptem genera carminum Heroicorum recenſet, in quibus *Politicum* poſtremum, ſic ei definitur, Πολιτικὸν δὲ τὸ ἄνευ πάθους ἢ τρόπου πεπονημένον, veluti inquit, ἵππους τε ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα; Moxque addit, λογοειδῆ fuiſſe appellatum, quòd videl. ſolutæ orationis ſpeciem magis, quàm ſtrictæ præ ſe ferat, quod & alibi innuit his verbis, λογοειδὴς δέ ἐστιν ὁ πεζότερος τῇ συνθέσει, quomodo *verſum pedeſtrem* dixit Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus, *l.* 5. *c.* 3. aut quomodo Commodianum ſcripſiſſe, ait Gennadius *de Scriptoribus Eccleſ. quaſi verſu.* Unde conſtat, πολιτικοῦ vocem pro *ſoluta oratione*, præcipuè apud Græcos medii ævi Grammaticos, intelligendam, ut apud Phrynichum, in brevi illa, quam conſcripſit, Ἀττικῶν ὀνομάτων συλλογῇ, in qua duobus locis ποιητικὸν πολιτικῷ opponit: Ait enim, ἐρεύγεσθαι, ποιητής, ἀλλ' ὁ πολιτικὸς ἐρυγγάνειν λεγέτω, *Poëta* ἐρεύγεσθαι, *Politicus* ἐρυγγάνειν *dicat.* Et alibi, μεσονύκτιον, ποιητικὸν, οὐ πολιτικὸν, *Poëticum eſt* μεσονύκτιον, *non politicum.* Ejuſmodi eſt Λεξικὸν τοῦ πολιτικοῦ λόγου, quod laudat Photius in *Biblioth. cod.* 148. quodque ſubſequitur aliud, Ποιητικὰς λέξεις continens. Cur autem pedeſtris oratio, πολιτικῆς nomen fuerit adepta, non adeò clarum eſt. Epiſcopus Monſpel. *ad Pſellum* tales verſus ſic dictos vult, quaſi *politos*; uti fortè *politos ſermones* dixit Victor Uticenſis *de Perſecut. Wandalor. l.* 3. *p.* 42. Alii πολιτικὴν orationem eô ſenſu accipiendam volunt, quô apud Rhetores ſumpta legitur: è quibus Hermogenes tradit, *Orator. l.* 2. alios Πολιτικοὺς, alios Σοφιστὰς dictos, ac utroſque phraſi fuiſſe uſos diverſâ: Φράσιν quippe πολιτικὴν eam dici, quæ ſecluſa erat ab ornatiſſimo illo dicendi modo, quem Σοφιστικὸν vocabant: Sophiſtæ namque ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἐσοφίζοντο, οὐκ ἐν τοῖς νοήμασιν, inquit *Xenophon.* Unde ſi quæ in eorum ſermone δεινότης, erat ſolùm apparens, non revera talis. Sed & *Politici* ejuſmodi verſus fortè nuncupantur, quaſi *civiles* ac *populares*, quorum nempe in colloquiis familiaribus vulgò uſus erat. Sic enim πολιτικὸν interpretatur Cicero, *de Finibus, l.* 5. ac longè popularior eſt oratio pedeſtris ac ſoluta, vel ſaltem pedeſtri proxima, quàm ſtricta. Unde Veteres Comicos, dum quotidianum ſermonem voluerunt imitari, conſultò à rigida proſodiæ lege receſſiſſe, obſervat Terentianus Maurus:

Sed qui pedeſtres fabulas ſoccô premunt,
Ut, quæ loquuntur, ſumpta de via putes,
Vitiant jambon tractibus ſpondaicis,
Et in ſecundo & cæteris æquè locis:
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metro peccant, arte, non inſcitiâ,
Ne ſint ſonora verba conſuetudinis,
Paulumque rurſus à ſolutis differant.

Quibus conſentanea ſcribunt Hephæſtion, Cicero, Priſcianus, Ruffinus, *de Metris l.* 1. Et ſane hocce Comicorum ſcribendi genus potiſſimùm inventum fuit, quod ad mores informandos aptius magiſque idoneum inveniretur: hinc ἠθικὸς λόγος Græcis, Latinè *morata oratio*; in quo Terentius, & in ſermonibus Plautus excelluit, teſte Varrone apud Nonium. In utroque autem ſcribendi genere, Terentii nim. Plautique, *non qualiacunque, ſed grandia, pulchra & elaborata verba*, obſervare eſt, quod de ethica dictione Sidonius, *l.* 8. *Epiſt.* 11. quæ quidem omnia etiam Politicis verſibus conveniunt. Grandibus enim & compoſitis ferme ſemper farciuntur, ut ſunt, quibus Hiſtoriam ſuam contexuit Conſtantinus Manaſſes: atque hi quidem, ut cœterorum ejuſmodi Scriptorum, obſervante Martinô Cruſiô, *Turcogr. p.* 193. *quindenis ſyllabis conſtant, ex duobus jambicis dimetris verſiculis. priore catalecticô, poſteriore catalecticô Anacreonticô: in quibus potiùs tonorum (ut aptè & leniter inter metiendum cadant) quàm quantitatis ſyllabarum, ratio habetur.* Iſtiuſmodi complura Poëmata ſervat Bibliotheca Regia Pariſienſis, quorum indicem contexuit Phil. Labbeus, *in Nov. Biblioth. p.* 132. & *ſeqq.* ubi inter alia præcipuè laudatur Joh. Tzetzis *Liber de Verſibus Politicis.* Nec ſaltem *Politicis*, ſed & rhythmicis verſibus, Græcobarbarô idiomate, aliquot ſcripta extant, ut *Hiſtoria Apollonii Tyrii* edita Venetiis; Βατραχομυομαχία Demetrii Zeni in *Turcogr.* Cruſii & ejuſdem *Alexander Macedo* edit. Venetiis A. C. 1529. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Leo Allatius de hoc Verſuum genere ita diſſerit, *Diatr. de Simeonum ſcriptis: Verſus* Politici *ut plurimum Jambicis & Anacreonticis conſtant: ita tamen, ut nullâ quantitatis ſyllabarum, quod accuratiſſimè Veteres obſervabant, ratio habeatur; tantùm earum numerus, declinationeſque accentuum attendantur. Quæ ratio fingendorum carminum non nunc primùm in ea natione, ſed multa abhinc ſecula, laboris fortè pertæſâ ante & barbarie omnia occupante (adde quoque ſimilium rerum ignorantiam) in uſu fuiſſe comperitur, ut videmus in Photii Patriarchæ, Chriſtophori Primi à ſecretis, Conſtantini Anagnoſtæ, Manuelis Imper. & aliorum Hemijambis, ſive Anacreonticis, Pſelli, Metaphraſtæ, Manaſſæ, Philippi Solitarii, Manuelis Philæ, Tzetzæ jambis &* politicis: *quò tamen recentiores, & negligentiores in illis fuêre. Et quemadmodum Anacreontici non omnes eôdem ſyllabarum ac pedum numerô concluduntur: ita & hi nunc pluribus, nunc paucioribus ſyllabis, ad eorum tamen normam, componuntur. In Jambicis aliter factum eſt; Nam Veteres ratione pedum longiorum aut contractiorum, nunc ſyllabis auctiores, nunc imminutiores, dictos verſus fecerint licèt, ſemper numerum obſervârunt: recentiores, ſyllabas tantùm, eaſque duodecim, religioſè ſervant. Quod item ſervatum eſt in* Politicis, *in quibus ſyllabas quindecim nunquam excedunt: & ſi quæ ultra videntur, eas per aphæreſin ſive ſynalœphen decurtant & abſumunt; quod magis in Græcorum recenti vulgato ſermone, ut & in Italorum, apud quos ſimiles hiatus, ad numerum ſyllabarum retinendum. reſtringuntur, conſpicitur.* Politici *ideo dicti, quod communes omnium ſunt uſuique eorum accommodati: ſic quoque ſcorta & meretrices* ——— *non aliò additô, ſed ſolummodò* πολιτικῶν *nomine innoteſcunt. Meri Trochaici ſunt: quemadmodum enim illi ſeptem pedibus & ſyllabô conſtant: ita & hi: niſi quòd Antiquorum ſimiles verſus, ratione pedum longiorum, quindecim ſyllabas aliquando excedunt,* Politici *nunquam, ut de Jambicis dictum eſt. Et quemadmodum antiquorum duobus membris integrantur, mediique inciduntur, ita & hi, qui nuncupantur Politici*, apud Eund. Vide quoque Scaligerum ſuprà laudatum *Poët. l.* 2. *c.* 29. & ſuprà in voce *Bellematica organa*, it. *Balliſtia*, ac infrà *Rhythmus.*

POLITIUM, oppid. Siciliæ amplum, apud montem Nebrodidem, à Petra 6. mill. paſſ. à Nicoſia 24. Panormum verſus 46. apud ortum Himeræ fluv. Item, oppid. Marrucinorum, in Aprutio; *Polizzi.*

POLITORION, urbs Latinorum, quam Martius Rex Romam tranſtulit. *Steph.* Ubi nunc *Polini* pagus, *Volaterr.*

POLITURA, ἡ γνάψις, ſeu *Politura Ars.* Vide ſuprà in voce *Polientes.*

POLIUM, *Steph. Polieum*, prius *Siris*, vide ibi.

POLIUM, Græcè πολιὸν, uti ſaliunca, veſtibus olim odoris gratiâ interponi conſuevit. Plin. *l.* 21. *c.* 7. *Saliunca* ——— *tantæ ſuavitatis, ut metallum eſſe cœperit. Veſtibus interponi eam gratiſſimum, ſicut apud Græcos polion herbam, inclutam Muſæi & Heſiodi laudibus, ad omnia utilem prædicantium.* Et certè, *polium* veſtibus interjici, ad tineas enecandas, Theophraſtus auctor eſt. Verùm herbam illam, Muſæi ac Heſiodi carminibus inclytam, non πολιὸν, ſed τριπόλιον eſſe docet Salmaſ. ex Theophraſto, *Hiſtor. Plantar. l.* 9. *c.* 21. ubi inter herbas Magicâ poteſtate præditas, quæ corporibus domibuſque amuleta præſtent adverſùs faſcinum, hæc herba recenſetur: quod neutiquam in *Polium* convenit; quod quidem & ipſum contra venena & ſerpentes ingenitâ vi valet & odoris gravitate, ſed magicam nullam virtutem habet. Sic idem Plinius aliô locô antirrhini virtutem *polio* vindicat, quod ibi quoque pro *tripolio* accepit, & Muſæum iterum Heſiodumque hujus ſententiæ auctores facit, *l.* 21. *c.* 20. *Poliô Muſæus & Heſiodus perungi jubent dignationis gloriæque avidos.* Fortè error hinc ortus, quòd diverſæ herbæ eôdem nomine, accentu tantùm mutatô, fuerint vocitatæ. Πολιὸν, cum accentu in ultima, idem quod *incanum*, nomen herbæ eſt, ſic appellatæ, quòd caniciei ſimilem habeat capillaturam: at πόλιον, quando prima acuitur, herbam ſignificat, quæ ἀπὸ τοῦ πολεῖν dicta eſt, à *verſando*, quòd ſcil. floris colorem in die ſæpius mutet; aliqui eam τριπόλιον etiam dixêre, quod ter colorem mutet. Quæ nominum ſimilitudo, vel αὐτότης potiùs,

Plinium fefellit. At pollum, quod veſtimentis interjicitur, ſicut ſaliunca, eſt πολιὸν, non τριπόλιον, nec colores mutat &c. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 1067. & 1068.

POLLA Argentaria, Lucani uxor, mulier doctiſſima, quæ juvit maritum in emendandis tribus primis libris Pharſaliæ. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 1.

Hac caſtæ titulum decuſque Pollæ,
Jucunda dabis allocutione.

Idem *l.* 2. *Sylv.* 7. *Genethl. Lucani, v.* 81. Calliopem ſic introducit, in laudem Pollæ, canentem:

Nec ſolùm dabo carminum nitorem:
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, daretque Juno.

Huic Statio poſt mariti obitum, poſtcà nupſiſſe dicitur; unde Sidon. Apollinaris, *Carm.* 23. inquit, *Argentaria Polla dat Poëtas.* Vide Martial. *l.* 7. *epigr.* 20. Sirmondum, *notis in Sidon.* & in voce *Lucianus. Nic. Lloyd.* Sed nugari, qui *Pollam* dant Statio, docet Barthius, ut qui Claudiam ſuam ſatis clarè celebrârit. Vide eum *Adverſariorum, l.* 160. *c.* 4. & *Animadverſion. ad Papinium Statium paſſim*, inprimis *ad Epiſt. l.* 2. *Sylv.* 1. ubi hæc habentur: *Excludit volumen Genethliacon Lucani*, *quod* Polla Argentaria, *clariſſima uxorum, cùm hunc diem fortè conſecraremus, imputari ſibi voluit.* In quo loco *clariſſima uxorum* dicitur, i. e. exemplum conjugis, etiam defunctum maritum diligentis ac honorantis: de quo *Polla* in defunctum Lucanum amore ac cultu, Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 22. qui *Reginam* vocat *l.* 10. *Epigr.* 64. reſpectu Lucani, Regis Poëtarum ævi ſui &c. Aliàs *Polla*, Veteribus pro *pila*, ex Æol. πόλλα, pro πάλλα. Vide ſuprà in voce *Pila*, & hic infrà, in *Pollio.*

POLLARDUS, monetæ adulterinæ, in Anglia, ſpecies; abolita ab Eduardo Rege circa A. C. 1301. memoratur Th. Walſinghamo & Henr. Knyghtono *ad ann. hunc.*

POLLENS, cognomen Herculis, vide ſuprà *Deſanaus.*

POLLENTIA, potentiæ Dea, à Romanis culta.

POLLENTIA, oppid. in majore Balearium inſul. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide *Pollentia.* Fuit altera *Polentia* juxta Alpes inclyta lanarum nobilitate. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani.* Columella, *l.* 7. *c.* 2. *Sunt etiam ſuâpte naturâ pretiô commendabiles colores pullus atque fuſcus: quos præbent in Italiâ Pollentia, in Bæticâ Corduba.* Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 598.

——— *Fuſcique ferax Pollentia villi.*

Martial. *l.* 14. *epigr.* 157. cui Lemma, *Lanæ Pollentinæ:*

Non tantùm pullo lugentes vellere lanas:
Sed ſolet & calices hæc dare terra ſuos.

POLLEX, à POLLENDO, quòd vi & poteſtate inter cœteros digitos polleat; Græcis proin ἀντίχειρ, quaſi *manus altera* dictus; apud Antiquos multum venerationis habuit: Minervæ unà cum reliquis digitis conſecratus. Significabant autem diverſô ejus geſtu varios animi motus. Nam & primore digitô in erectum *pollicem* reſidente Deos ſalutabant; hodieque erectô manus *pollice* Mahometanorum pueri ſymbolum ſuum recitant, antequam circumcidantur, ut infrà videbimus, ubi de *Symbolo Apoſtol.* & laudem favoremque junctus ſignabat, Plin. *l.* 28. *c.* 2. & Horat. *Ep.* 18. *l.* 1. *v.* 65.

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit Pollice *ludum.*

Et laudandos amatoſque, *Pollice* exertô oſtendebant, ut alios indice extenſô. Claudian. *de* 6. *Honorii Conſul. v.* 574.

——— *Gaudet metuens ac* Pollice *monſtrat.*

Quò etiam facit Martialis *illud*, *l.* 12. *Epigr.* 99. *v.* 8.

Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli Pollice *nec rogata ſurgit.*

Contrà inverſus, denegati favoris, averſique animi indicium certiſſimum fuit, annotante id Vet. Scholiaſte Juvenalis *ad Sat.* 3. *v.* 36. *Pollice verſô*, i. e. *Fortunâ mutatâ.* Ipſe Juvenalis, *ibid.*

Munera nunc edunt & verſô pollice vulgus,
Cùm libet, occidunt populariter.

Hinc Prudentius, *in Symmachum, l.* 2. *v.* 1096.

Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delitias ait eſſe ſuas, pectuſque jacentis
Virgo modeſta jubet converſô Pollice *rumpi.*

Sed & ſublatus preſſuſque apud Græcos ſignum fuit ſubmiſſionis, quâ victus victoriam alteri ceſſit, juxta illud Græcum, Αἶρε δάκτυλον, quod Latini dixerunt, *Herbam porrige*, Angl. hodie *Give the bucklers:* Quemadmodum demiſſio manus, in Pugilatu, Pancratio, aut cæſtuum ludo, argumentum quoque apud nonnullos erat diffidentis ſuis viribus ſeque victum agnoſcentis: quod cùm Lacedæmoniis turpe eſſet viſum, interdixêre ſuis, ne foris, ubi illa demiſſio obtineret, in prædictis exercitiorum generibus certarent, Voſſ. *de* 4. *Artibus Popular. c.* 3. §. 88. & 89. Verùm in bello præcipuus *Pollicis* uſus, unde apud Romanos, quibus is læſus eſſet, à belli laboribus immunes erant. Quod cùm illi, qui militiam detrectabant, facerent ſponte, graviter in illos animadverſum eſt. Auguſtus certè Equiti cuidam Romano qui duobus filiis ſuis *Pollices* abſciderat, ne militare cogerentur, acriter ut decebat iratus, omnia ejus bona Fiſco addixit; & ante eum Senatus, bellô durante Italicô, ad perpetuos carceres damnavit C. Vatinium, omniaque ejus bona ſimiliter publicavit, quòd ille ſibi ipſi ſiniſtræ manus abſcidiſſet *Pollicem*, ut ab expeditione hac eſſet immunis. Dictos tales *Murcos, Murcidoſque* fuiſſe, docet Roſinus, *Antiqq. l.* 2. *c.* 19. & facit eò Amm. Marcellini locus, *l.* 5. *Ad militandum omnis ætas aptiſſima eſt, & pari pectoris robore ſenecio ad procinctum ducitur, & adultus gelu duratis artubus & labore aſſiduô, multa contempturus & formidanda, nec eorum aliquando quiſpiam, ut in Italia, munus Martium pertimeſcens,* Pollicem *ſibi præcidit, quos joculariter Murcos appellabant.* Sed & abſcindebatur in pœnam, ne utilis quiſpiam armis ferendis eſſet. Hinc captis hoſtibus, *Pollices* ab Athenienſibus, auctore *Philocle*, abſcindi olim ſolitos fuiſſe, ὅπως δόρυ μὲν φέρειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνωσι, *ut haſtam quidem ferre nequirent, remos tamen agitare poſſent*, narrat Plut. in *Lyſandro.* De iiſdem Tullius, *de Offic. l.* 3. *c.* 11. *Duriùs Athenienſes, qui ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe pollebant,* Pollices *præciderentur.* De Murcis, conſtitutio eſt in veter. Saxon. *Lege, c.* 13. talis: *Pollex totus abſciſſus* CCCLX. *ſol. ſi dimidius,* CLXXX. *ſi minimus, ſi totus, ut ſupra, ſi index,* CLXXX. *& per ſingula membra tertia pars mulctæ componatur, medius & medicus, uterque ſol.* CXX. *& per membra eorum, ut de cœteris dictum eſt, pollex pedis medietate pollicis manus componatur; tres articuli medietate, compoſitionis medii & medici digitorum componantur; minimus articulus, medietate unius de tribus articulis componantur.* Itaque apparet, ſolemne fuiſſe, metu militiæ, digitis amputatis mutilos ſe facere conſueviſſe & ob id, ſecundùm varium digitorum in bellis obeundis uſum, pœnas detruncantibus ſe ſtatutas etiam varias; majores minoreſve. Altera & hinc ſimilis conſtitutio, in antiqua extat Bajuvariorum *L. c.* 3. *n.* 11. cujus hæc ſententia eſt.

1. *Si quis alicujus pollicem abſciderit, cum* XII. *ſol. componat.*
2. *Et ſi proximum à pollice vel minimum abſciderit, cum* IX. *Sol. componat, unum ſic & alium ſic.*
3. *Illos medianos duos digitos, cum* X. *ſolid. componat, unum cum quinque ſolid. & alium cum* V.
4. *Et ſi non fuerint abſciſſi, & eſt mancus, ſtat rectus, ut non poſſit plicare, hoc impedimentum eſt ad arma bajulare, major eſt compoſitio, quam de abſciſſo, tertiam partem ſupra addet; ad* XII. *adde* IIII. *fiunt* XVI. *ad* IX. *adde tres, fiunt* XII. *ad* V. *adde duos & tremiſſim, fiunt* VII. *ſol. & tremiſſis: Sic eum debes judicare & ſic componere.*

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum loc. cit.* Præterea in fœderibus firmandis *Pollicis* apud Antiquos fuit uſus. Tacitus enim duos Reges barbaros, ut eò arctiùs fœdus jungerent, conſertis dextris pollices conſtrinxiſſe, &, ex illis ita colligatis fortiter, ſanguinem prolicuiſſe mutuoque hauſiſſe, *l.* 12. *Annal. c.* 47. auctor eſt. Sed & apud Lacedæmonios, mordendo puerorum *Pollicem*, petulantiam illorum coërcuiſſe Pædagogos, legimus. apud Mich. de Montagne, *in libro cui tit. fecit Eſſais, c.* 26. De ejuſdem in ſacrificiis uſu, ſuprà voce *Culter.* Quia verò *pollicis* tanta æſtimatio, hinc pro integra manu non rarò. Papinius, *Theb. l.* 11. *v.* 401.

——— *opus ipſa novârat*
Mæoniis Argia modis, & pollice *doctô*
Stamina purpureæ ſociaverat aurea telæ.

Et Horatius de lyra, quàm ſanè non ſolô pollice feriebat, *l.* 4. *Carm. Od.* 6. *v.* 25.

Lesbium ſervate pedem, meique
Pollicis ictum.

In textrina tamen aut netrina ejus præcipuus uſus, Caſp. Barthius *ad Statium, d. l.* Nec omittendum, *Pollice* quoque annulos olim geſtari conſueviſſe, licèt hunc digitum prætererit Plinius *l.* 33. *c.* 1. ut non obſcurè indicat Jul. Capitolin. qui Maximinum Cæſarem *c.* 6. narrat fuiſſe *pollice tam vaſtô, ut uxoris dextrocheriô pro annulo uteretur.* Vide ſuprà. Quid verò ſit, *ſub pollice S. Mauritii Chriſto militare*, in *Tabular.* Eccleſiæ Viennenſis, ubi menſæ Fratrum, *ſub pollice S. Mauritii militantium, ſita in pago Viennenſi*, mentio fit, quærit Car. du Freſne in *Gloſſar.* De *pollice*, menſuræ genere, vide *Statuta* Roberti III. Scotiæ Regis ſuprà, & de ſanguine arietis, *pollici manus dextræ & pollici pedis dextri* Sacerdotis initiandi imponi ſolito in V. T. infrà voce *Sacerdos:* uti de inveſtitura per *dextrum pollicem*, & de litera T. ſub *pollice* ſiniſtræ manus furibus in Anglia inuri ſolitâ, infrà lit. *T.*

POLLIA, Tribus, una ex XXXV. Tribubus urbis Romæ, à loco aliquo, cujus & nomen & memoria interciderit, nomen accepiſſe, *Sigonio* & *Onuphrio* videtur. Meminit ejus Liv. *l.* 8. *c.* 37. *Tribus omnes, præter* Polliam, *antiquârunt legem in Tuſculanos latam.* Et *l.* 39. *Cùm ad tribum* Polliam *ventum eſt, in qua M. Livii nomen erat, & Præco cunctaretur citare ipſum Cenſorem, Cita, inquit Nero, M. Livium.* Cujus utriuſque hiſtoriæ, ut & Tribus Polliæ, mentionem quoque facit Val. Max. *l.* 9. *c.* 10. *ex* 1. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Romanar. l.* 8. *c.* 15. *ubi de Tributis Comitiis* ac *Tribubus.*

POLLINCTOR, vel POLLICTOR, qui *pollincit*, vel *pollingit*, Græcè Ἐνταφιαστὴς, Νεκροκόμος, Σοροπηγὸς, Νεκροφόρος, *Peroto*, quaſi *pollutor*, à polluendo: *Fulgentio*, quaſi *pollutorum unctor:* Turnebo, *l.* 28. *Adverſar. c.* 31. quaſi *pellis unctor*, eò quòd mortuorum cadavera id genus hominum fragrantibus unguentis inungeret: aliis, nomen accepit à panibus ex *polline* factis in funebri epulo; Namque & *Pollinctum* ſeu *Polluctum*, cœna feralis dicta eſt, quæ gentili modô in rogum delata cum corpore cremabatur, teſte *Alex. ab Alexandrô.* Fuiſſe autem cadavera, poſtquam per intervalla conclamata eſſent, atque à propinquis & affinibus abluta calidâ aquâ, unguentis inſuper inuncta, diximus ſuprà, docetque Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 218.

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis & unguunt. Memi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Meminit apud Romanos *Pollinctoris* ſervi Ulpianus, *leg. 5. ff. de Inſtitor. Act. Si Libitinarius, quos Græci* Νεκροθάπτας *vocant, ſervum* Pollinctorem *habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit.* Varro *in Sat. Mutuum muli ſcabunt, ſive* περὶ ἀφορισμοῦ. *Itaque plures dies inter Medici diſceſſum & adventum* Pollinctoris *interfuerunt.* Plautus *Pœnulo, Prolog. v. 59. ſ.*

> *Carthaginienſes fratres duo fuerunt,*
> *Eorum alter vicit, alter eſt mortuus:*
> *Propterea apud vos dico confidentiùs,*
> *Quia mihi* Pollinctor *dixit, qui eum* pollinxerat.

Vide eundem *Aſinar. Act. 5. ſc. 2. v. 61.* & Martialem, *l. 10. Epigr. 97. v. 3.* Ejuſdem moris mentionem quoque facit Arnob. *contra Gentes l. 1.* Apulejus *in Hermagora*, Muretus, *Var. Lect. l. 3. c. 19.* Joh. Meurſius & Joh. Kirchmannus *de Funeribus Rom.* Cujus originem ab Ægyptiis eſſe, *ſuprà* dictum. In antiqq. Codd. *Pollictor* eſt, i. e. *Pellictor*, ſeu *Perligator* Salmaſio *ad Vopiſc. Aureliano, c. 4.* Græcè ὁ σιροπλόκος; σειρὰς enim hi τελαμῶνας & tænias illas vocârunt; quibus mortui olim à capite ad pedes vinciebantur, quod munus *Pollinctorum* ſeu Σειροπλόκων erat. Sed & κειρίαι dicebantur; cùm caput ipſum ſudariô ſeu linteô ligaretur, quod ὀθόνην vocat *Lucianus.* σουδάριον in Euangelio Joh. *c. 20. v. 7.* appellatur. Hinc itaque σιροπλοκεῖν, *pollingere* dictum, ex σιρὰ, quod pro σειρὰ ubique in *Gloſſis. Pollingo,* περιστέλλω νεκρὸν σιροπλοκῶ· ἐνταφιάζω. Soſipater, *pollingo,* σιροπλοκῶ: pro quo apud Chariſium & Priſcianum hodie ſine ratione legitur σοροπλοκῶ. Meminit hujus ritus Metrodorus, in *Epigramm.* nondum edito, de funeris ſumtu,

> Ἐκ δὲ τριηκόντων κοσμήσατε σῆμα ταλάντων
> Ῥέζειε δ' ἐδαίω Ζηνὶ θυηπολίην.
> Διοσῶν ἐς δὲ πύρην κ' ἀλφῖτα κ' τελαμῶνας,
> Εἰκαίην δοιῶν σῶμα χάριν λαβέτω.

Eſt & elegans Epigramma Lucillii, quod extat in edita *Anthologia* Planudis, ubi Medicus & *Pollinctor* de compacto ſic egerunt, ut Medicus ægros omnes ſuæ curæ commiſſos occideret. & *Pollinctori* amico traderet polligendos: *Pollinctor* viciſſim faſcias ſeu τελαμῶνας, quas furabatur de pollinctione mortuorum, Medico mitteret dono, ad alliganda eorum; quos curabat, vulnera &c. Johannes Epiſcopus Conſtantinopolit. apud Auctorem incertum *de Orthogr.* faſcias illas *Pollinctorum* vocat *cunabula*, cùm ſcribit, Lazarum in monumento cunabulis involutum: quemadmodum è contrario κειρίας, quæ propriè mortuorum involucra erant, etiam prò incunabulis & faſciolis, quibus alligantur infantes, uſurpatas legimus. *Moſchopulus:* Κειρία ὁ τῶν νηπίων δεσμὸς· ἤγουν ἡ κοινῶς φασκία κ' ᾗ δεσμοῦσι τοὺς νεκρούς, i. e. Κειρία, infantum vinculum, ſeu communiter faſcia; etiam quâ vinciunt mortuos. Κηρίας ſcribit *Heſychius* & ἀπὸ τοῦ κηρὸς, i. e. *à morte,* deducit, quaſi dicas *mortuales faſcias:* Κηρίαι, inquiens ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα. Eôdem nempe prorſus modô infantes & demortui faſciis ligabantur: an ut hôc pactô indigitaretur, quantum ſimilitudinis haberet finis vitæ, cum vitæ initiis? Namque & mori incipimus, cùm naſcimur; & dies mortis æternæ vitæ natalis eſt. *Artemidorus,* Οἱ ἀποθανόντες ἐσχισμένοις ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν ὡς τὰ βρέφη κ' χαμαὶ τίθενται, *Defuncti laceris involvuntur pannis, ſicut infantes, & humi deponuntur.* Ubi ῥάκη ſeu *panni* ſunt præſecta in longum fruſta cujuſlibet materiæ textilis; & *pannus* pro faſcia vel inſtita. Inde *pannos infantiæ* dixit Auctor Incertus, de quo ſuprà, τοὺς δεσμοὺς τῶν νηπίων. Neque verò ſolùm apud Græcos, ut Vir quidam eruditus ſcripſit, ſed etiam apud Romanos, licèt cadavera demortuorum comburerent, in more fuiſſe, ut *Pollinctores* ea vittis tæniiſque mortualibus aptarent & involverent, oſtendimus ſuprà. Quæ autem ad *pollincturam* pertinebant, à Libitinariis, in templo Libitinæ, fuiſſe vendita, docet Tit. Popma *de Operis Serv.* &c. Vide quoque hìc paſſim.

POLLIO, in *Gloſſ.* ὁ παλλοράψος, qui *pollas,* i. e. pilas, conficit. Sic enim Appulejus *de Deo Socr. Sive illa proprio, ſeu perpeti candore, ut Chaldæi arbitrantur parte luminis compos, parte alterâ caſſa fulgoris, pro circumverſione oris diſcoloris multijugâ pollæ ſpeciem ſuæ variat.* Seu, ut Salmaſ. legit, *multijuga* polla, *pro circumverſione oris diſcoloris, ſpeciem ſui variat.* Ubi de Luna, quam pilam eſſe cenſebant Chaldæi, parte fulgidam, parte obſcuram, ἡμίπυρον: quæ proin circa centrum ſuum verti neceſſe habeat, ut faciem ſuam variet. Quò facit id, quod Lucretius ait de Luna, *l. 5. v. 724.*

> *Inde minutatim retro contorquet, & aufert*
> *Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï*
> *Ut Babylonica Chaldæûm doctrina fatetur* &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 754.*

POLLIO, prænomine *Annius*, cum filio Viniciano, majeſtatis apud Tiberium poſtulatus. Sed cùm Cæſar eorum cauſam, ut ipſe cum Senatu noſceret, diſtuliſſet, evaſerunt. Tacit. *l. 6. Annal. c. 9.* Ille eſt Pollio, qui poſteà in Neronem conjuravit, amicorum ejus præcipuus, *l. 15. c. 56.* Gener Bareæ Sorani, maritus Serviliæ.

POLLIO, vide *Aſinius*, it. *Claudius.*

POLLIO Julius, Prætoriæ cohortis tribunus, ſub Nerone, Tacit. *l. 13. Annal. c. 15.* qui poſteà Præfectus Prætorio, ſub Othone.

POLLIO, prænomine *Vedius*, inter amicos Auguſti luxu infamis, nam piſcinam habebat refertam murænis, quem piſcem ille non ad delicias paraverat, ſed ad pœnas. Humanâ enim carne eas alebat. Servi domeſticique, ſi quid deliquerant, dabantur ad hos piſces. Fors fuit, ut cœnaret apud eum Auguſtus, puer qui ad cyathos erat, dum porrigit potum, cryſtallinum fregit precii grandioris & ſimul fracta ejus vita. Jubetur ab immiti domino murænis objici in piſcinam. Puer accidit ad Cæſaris pedes; non vitam ſed aliam mortem petit, neu piſcibus eſca ſit in terrâ. Obſtupuit inauditam ſævitiam Cæſar, dimitti puerum jubet, ſimul adſerri ad ſe quicquid in domo cryſtallinorum: allata frangi comminuique & abjici in piſcinam. Idem teſtamentô Cæſari legavit Pauſilypum; & ex ejus dirutâ domo facta Romæ porticus, quæ *Liviæ* dicta.

POLLIO, Grammaticus, inter Præceptores M. Antonini Philoſophi memoratur Jul. Capitolino in *Vita* hujus, *c. 2. Uſus prætereà Grammaticis, Græcô, Alexandrô: quotidianis Latinis, Troſiô Aprô &* Pollione, *& Eutychiô Proculô Siccenſi.* Ad quæ verba Salmaſ. *Pollio,* inquit, *iſte Latinus Grammaticus, vereor nè hinc tantùm notus ſit, aliàs verò ignoratiſſimus ſit omnium hominum, ut quem nec notum habeant veteres membranæ, quæ* & Polono *legunt. Atque ut mei animi ſententiam explicem, ſuſpicor, nec fruſtra, corruptum latere nomen urbis, ex qua fuerit Troſius Aper, ut duos tantùm heîc habeamus Latinos Marci Grammaticos; Troſium Aprum & Eutychium Proculum Siccenſem. Troſii verò Apri patriam celant & diſſimulant illa verba,* & Polono. *an* Polano, *ex urbe Pola? Id quidem pro vero non affirmem, ſed minimè dubito, quin patriam hujus Grammatici prodiderit Capitolinus, non minùs quàm & ſequentis Eutychii Proculi, quem Siccenſem eſſe ſignificavit* &c. Meminit *Pollionis* Conſulis Lamprid. in *Commodo, c. 2.* quem dicit, *Pollione & Aprô* Conſulib. *triumphâſſe cum Patre.* Et paulo pôſt, *c. 11. 12. Nominatum inter Cæſares,* eundem ait, *quartô. Id. Oct. Pudente &* Pollione *Conſulib.* annô nempe Imperatoris Marci & vitæ Commodi ſextô, Caſaubon. *ad loc.*

POLLIS, Lacedæmoniorum Claſſis in Naxo præfectus, Diodor. Sic *l. 15.* Polyæn. *l. 3. c. 11. in Chabria, comm. 11.*

POLLIUS Felix, inter Statii amicos, cui is *Sylvam 2. libri 2.* ſacram fecit, cum lemmate, *Surrentina Villa Pollii Felicis:* Vide ibi *Animadverſiones* Caſp. Barthii, alioſque Statii Commentatores.

POLLUCTUM, ſacrificium vel ſacrum epulum, in Deorum honorem inſtitutum, Jovis Dapalis, Herculis inprimis, aliorumve. Cato, *Jovi Dapali culignam vini quantam vis polluceto.* Varro, *Profanatum, quod in ſacrario polluctum. Atque Herculi decuma data eſt ab eo, quòd in ſacrificio quodam fanatur.* —— *Id dicitur* Polluctum, *quod à porriciendo eſt fictum, cùm enim ex mercibus libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tum polluctum eſt.* Vide & Feſtum, & Scaligerum *ad eum.* Hinc *pollucere merces* dicti Mercatores, quando de mercibus ἀπαρχὰς & libamenta Diis offerebant, Hadr. Turnebus, *Adverſar. l. 28. c. 31.* In cujuſmodi ſacrificiis ſeu conviviis ne modus excederetur, cautum lege hâc. *Piſces quei ſquamoſei non ſunt, nei polluceto, ſquamoſos omneis præter ſcarum polluceto,* de qua vide ſuprà aliquid, voce *Piſces.* Dictum autem *polluceo,* quaſi *porrò luceo* ob copiam luminum & lucem ſacrificiorum, Græcè ἀπολύω. Inde *polluctus,* libatus ſeu cumulatus, largiter acceptus, uti videre eſt apud Camerarium *ad Plautinum illud, Polluctus virgis.* Vide quoque Caſaubon. *ad Julium Suetonii, c. 48.* ubi in alio Plauti loco, *Non ego polluctâ pago,* vocem interpretatur, *communis & omnibus expoſita* &c.

POLLUERE Jejunium, apud Nigidium: *Nos ipſi jentaculis levibus jejunia polluimus;* i. e. ad verbum, *dejejunavimus,* vel jentavimus. Unde Gall. *dejeuſner,* pro *jentare.* Jejunat enim, qui totum diem immorſus & jejunus perſtat: at qui manè cibum ſumit, is ampliùs jejunus dici non poteſt. Jejunium igitur ſolvit, i. e. Græcè διανηστίζεται, vel ἀπονηστίζεται, *dejejunat:* quemadmodum jejunium ſolviſſe Proſerpinam, dixit Ovidius, quæ apud Inferos ſeptem grana mali punici contigerat, *Metam. l. 5. v. 534.*

> *Non ita Fata volunt, quoniam jejunia Virgo*
> *Solverat.* —— ——

Sic *polluere famem,* dixit eleganter Symmachus, *Ep. 7. l. 1. Sed mihi honeſtæ multitudinis nulla vitatio eſt. Et ſi bis tantô plures, quàm ſcribis, affluerint, bonam frugem feceris, nec deerit, quô famem polluant. Nam comitibus veſtris, utpote ſobriis, ſaginæ cadendæ cura poſterior eſt.* Utrumque nempe idem, quod *famem imminuere* & *non integram ſervare.* Inde *fames integra* Ciceroni, *integram famem ad cœnam afferam,* h. e. non imminutam, nec pollutam, ſed intactam & intemeratam. Vide Salmaſ. *ad Tacitum Vopiſci, c. 11.* Metaphorâ à virginibus deſumtâ, quæ ſtuprô *pollui* propriè dicuntur. Æl. Lamprid. *in Commodo, c. 11. Deorum templa* polluit *ſtupris & humanô ſanguine.* Sic & *pollutam* Moſes appellat illam, quæ ſecundi viri thoro adhæſit, Connanus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Contrà ἄχραντα μυστήρια, item ἄχραντον ſimpliciter, h. e. *impollutam,* appellari non rarò κατ' ἐξοχὴν Græcæ Eccleſiæ Scriptoribus S. Euchariſtiam, docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Immundis;* ubi de illo hominum genere, qui inter, Græcos, perſonas & loca *polluta* purgarent certas res circumferendo, voce *Magi.*

POLLUPICE, Liguriæ civitas inter vada Sabatia, & Albingaunum. *Finale Simlero.*

POLLUSTINI, Latii populi non procul ab Albano monte. Plin. *l. 3. c. 5.*

POLLUTIA, filia L. Veteris, conjux Rubellii Plauti, à Nerone, mariti cæde poſteà adjecta, Tacit. *l. 16. Annal. c. 10.* & 11.

POLLUX, Jovis & Ledæ fil. frater Caſtoris, qui, cùm immortalis eſſet (utpote eôdem ovô cum Helena prognatus) à Jove fertur petiiſſe, ut ſibi cum fratre jam vitâ functo immortali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

talitatem ſuam partiri liceret: qua re impetratâ, alternis vicibus mori dicuntur, & reviviſcere. Cui fabulæ occaſionem dedit *Geminorum* ſigni natura, quorum alterô oriente, alter occidit. Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 121.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque reditque viam toties. ———

Ubi *alternâ morte* ſumpſit vel à Pindaro, *Od.* 10. *Nem.*

Μεταμειβόμενοι δ᾽ ἐνναλ.
λὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Διὶ νέμονται, τὰν δ᾽ ὑπὸ κεύθεσι γαίης.

Vel ab Homer. *Odyſſ.* 11. *v.* 302.

Ἄλλοτε μὲν ζώουσ᾽ ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Τεθνᾶσι. ——— ———

Græcè Πολυδεύκης dicitur, quoniam vivus fuit εὐεργετικώτατος; & poſt mortem in Deorum numerum receptus unà cum fratre nautas ſervet & ſoſpitet. Δεῦκος γὰρ τὸ γλυκὺ, inquit *Etymologus*. Vide *Caſtor.*

Jul. POLLUX, Naucratita, Grammaticus ſub Commodo Imperatore præcipiebat Athenis. Deceſſit annos natus 58. Scripſit ad Commodum *Onomaſticon libris* 10. ſcripſit & alia quædam, quæ non extant. *Suid.* Vide *Julius Pollux.*

POLOCSKA & POLOCIUM, urbs Lithuaniæ, olim caput Ducatus cognominis nunc Palatinatus. Ampla, probè munita cum duplici arce, juxta fluvios Divinam & Polottam. Capta à Moſcis, qui eam tantis machinis oppugnaverant, ut XLM. ruſticorum in illis trahendis occuparentur, & crudeliter tractata, A. C. 1563. ſed fortiter à Stephano Rege recepta A. C. 1579. haud pridem iterum à Moſcis expugnata, ſed & recuperata.

POLOGRAPHIA, Græcè Πολογραφία inter opera Aſtronomica Democriti, recenſetur à Laërtio in *Vita* ejus: quâ voce intelligitur deſcriptio πόλων καὶ ἀναλημμάτων σκιοθηρικῶν, *polorum & analemmatum ſciothericorum.* Nempe veteres Græci Πόλον primitus dixêre cœlum ipſum, non *cœli axem*, vel axis extremam partem, ut recentiores Mathematici accepêre. E qua antiqua notione, tota capitis rotunditas ſic appellata eſt, uti legimus apud *Pollucem*; quemadmodum idem ab eadem figura κόγχον appellavêre, Latinè *teſtam*, item σκάφιον. Ad quod inſtar factum vas illud Veterum Gnomonicum, quô gnomen erectus oſtendebat ſolſtitium & æquinoctium, quod & Πόλος appellabatur. Fortè & eadem forma fuerit Horologiorum, quæ σκάφια dicta ſunt: nam πόλος & σκάφιον, quantum ad formam, idem, ac utrumque hemiſphærii inſtar reddebat, in cujus concavæ partis medio erigi gnomonem ſolitum, docet *Martianus Capella.* Sic *Beroſus* Horologium, quod ipſe invenit, ex hemicyclio fecerat, quod erat ex quadrato cavatum. Vitruvius quoque memorat, *l.* 10. *c.* 9. Ariſtarchum Samium ſcaphen ſeu hemiſphærium reperiſſe, h. e. horologium eâ formâ. Et hæc vulgaris erat forma omnium apud Veteres Horologiorum vaſorum. Unde non mirum, veteres Grammaticos notâſſe, Πόλον & Ὡρολόγιον rem eandem eſſe: Sed nec mirum, quoſdam Veteres πόλον appellâſſe, horologii ipſius σκάφην, vel ἡμισφαίριον. Diſcum certè vel miſſorium, in quo XII. ſigna fuêre cælata, vetus *Epigrammatum* Poeta ἀργύρεον πόλον appellavit, *Anthologia l.* 4. Εἰς μινσώριον ἔχον τὰ δώδεκα ζῶα. Verùm alia apud vetuſtiores vocis Πόλος notio, quibus idem ſignificavit, quod *Heliotropium*, machinam, è qua non horæ captabantur, ſed in qua, ante Horologia inventa, oſtendebantur ἡλίου τροπαὶ, *converſiones Solis.* Cujuſmodi Heliotropia ad formam Πόλου videntur eſſe facta, in quibus & γνώμων ſeu umbilicus æneus fuit, quô τροπαὶ oſtendebantur, ut in Sciotheris Anaximandri, quæ is Lacedæmone conſtituit, ad deſignanda ſolſtitia & æquinoctia: in illis enim ὁ γνώμων τὰς τροπάς τε καὶ τὰς ἰσημερίας ἐσήμαινε. Itaque Ἡλιοτρόπιον nil aliud erat, quàm machinamentum denotandis, ut dictum, ſolſtitiis, ex polo & gnomone factum: lineas inſuper habens, quibus umbræ diſcernebantur. Ad quod inſtar, quia Horologia poſtmodum concinnata ſunt, hinc & Πόλον, de Horologiis Sciothericis Poëtæ dixerunt. Sic Metrodorus, *l. Epigr.* Ἀριθμητικῶν, vas horologii, in quo gnomon erectus ſtabat, πόλον vocat his verſibus,

Γνωμονικῶν Διόδωρε Μεγακλέος, εἰπέ μοι ὥρην
Ἡνίκ᾽ ἀπ᾽ ἀντολίης πόλον ἥλατο χρύσεα κῆλα
Ἠελίου, τοῦ δή τοι ὅσον τρία πεμπτὰ δρόμοιο
Τετράκι τόσσον ἔπειτα μεθ᾽ ἑσπερίην ἅλα λείπει.

Primus verò gnomonis inventor, ut quidam volunt, Anaximander fuit, qui eô in ſciotheris, hemiſphærii ſeu poli ſpeciem habentibus, erectô, æquinoctia ſolùm & ſolſtitia deſignavit, horarum uſu adhuc tum ignoratô. Solis autem Mathematicis & Aſtronomis machinæ iſtæ inſerviebant, nullius planè uſus in vita civili, niſi quatenus populus ex iis diſcebat, quando futuri eſſent Solſtitiorum Æquinoctiorumque dies: quod & ipſum ſciri quia non parvi momenti eſt in rebus Ruſticis procurandis, ideo publicis in locis Urbium ponebantur ejuſmodi vaſa, ut populus id inde ediſceret. Uti ille apud Ariſtophanem, in Γηρυτάδῃ dici ſibi poſtulabat, ex Heliotropio ſeu *Polo* Metonis, πόστην ἥλιος τέτραπται, *quota dies numeranda eſſet à Solſtitio confecto.* Cœterùm ad partes diei obſervandas, tempuſque prandii aut cœnæ ſtatum cognoſcendum, aut cujuſcunque negotii, cui tempore condictô eſſet occurrendum, aliâ methodô, nondum horarum diſciplinâ repertâ, utebantur: ex umbra videlicet, quam pedibus metiebantur, rei gerendæ tempora venabantur, uti infrà dicemus. Forma harum machinarum quæ fuerit, non adeò liquet. Diximus antè, ſcaphen aut ſcaphium dictum vas rotundum & cavum, in cujus medio fundo ſtilus erigebatur, ad horas monſtrandas, atque id etiam *Polum* quoſdam appellâſſe. Πόλος tamen rectiùs de parte protumida ac rotunda caperetur, quàm de concava; quemadmodum *hemiſpharium* Architectis dicitur, non ſupini ac inverſi hæmiſphærii figura, ſed quæ inſtar habet illius, quod ſupra nos eſt. aliàs quod jacet ac reſupinatum eſt, ſcaphæ magis vel diſci ſimilitudinem obtinet. Præterea æquè bene in extuberante hemiſphærii facie horæ monſtrari potuerunt. Unde fortè πόλοι Veterum, qui æquinoctia oſtendebant, hâc formâ erant; cùm Herologia Neotericorum hemiſphæriô inverſô, hoc eſt, ſcaphæ ſimilia, &c. Uti autem inſtrumenta ejuſmodi, *Sciatherica* & *Heliotropia*, à fine & effecto, *Poli*, à forma, ſic *Analemmata* eadem appellata ſunt, à ſubjecto: quia videl. in ſuggeſtibus lapideis & columnis, ſeu *ſaxeis pilis*, ut Curtius vocat, *l.* 5. *c.* 1. quæ modô quadratæ, modò rotundæ erant, publico aſpectui exponebantur; uti in parapegmatis, canon ortus & occaſus ſiderum ſpectandus populo præbebatur. Quæ ambo primus cùm conjunxiſſet Meton, hinc totam machinam cum Gnomonico analemmate & Aſtronomico parapegmate, quoque Πόλον appellârunt ac Ἡλιοτρόπιον. Cujuſmodi machinam in Syria Inſul. etiam Pherecydes inſtituit, ut alibi diximus. Vide hanc in rem plura, apud Salmaſ. in *Exercitat. Plinian. ad Solin. p.* 633. *& ſeqq.* ut & ſuprà, in vocibus, *Analemma*, *Heliotropium*, item infrà, ubi de *Sciothericis vaſis*, & *Umbræ uſu.*

POLONGA, locus Samogitiæ ad mare Balticum inter Heligaviam Curlandiæ & Memelium Pruſſiæ, à quo 3. leuc in Boream diſtat; *Polangen.*

POLONIA, quæ à *planitie terræ* (quam ipſi vernaculè etiamnum *Pole* vocant) nomen habet, vaſta regio eſt, quæ Schleſiæ ad Occaſum proxima eſt, Hungaris, Lithuanis & Prutenis conterminà. Dividitur in Majorem & Minorem. Major dicitur, quæ Septentrionem aſpicit: hanc Varta fluv. interſecat, habetque *Gneſcam*, *Poſnaviamque* inſigniora loca. Minorem vocant, quæ ad Meridiem vergit, habetque nobilem urbem Cracoviam, ad caput Viſtulæ, quæ regionem dividit, ſitam: reliquæ civitates parùm nitidæ. Sclavorum gens eſt, à quibus in Bohemia per Czechum, in Polonia verò per Lechum regna fundata ſunt, A. C. 600. Scythicæque originis, ſed clariſſima tamen, & humanitate longe à Sarmatarum veterum aſperitate aliena, multâque comitate in hoſpites. Obtinuit primùm dignitatem regiam A. C. 1001. ab Ottone tertio Romano Imperatore primuſque Polonorum rex, fuit Boleſlaus Chabri, fil. Miciſlai, de quo infra. Hiſtoria paucis hæc. Lechus, de quo ſupra, primus Poloniæ Rex dicitur, cujus poſteritas per ann. ferè 100. regnavit, uſque ad A. C. 700. Cromer. *l.* 1. Hâc extinctâ XII. Palatini præfuerunt, quibus ad tyrannidem prolapſis Cracus Dux creatus eſt. Hôc nati Cracus, Lechus & Venda, quæ poſt fratres clavum tenuit, A. C. 730. Idem *l.* 2. Hâc mortuâ rurſus XII. Palatini conſtituti ſunt, A. C. 760. Dein tres Leſci ſucceſſivè imperârunt, quorum poſtremi fil. Popielus regiam Cracoviâ Gnieznam, inde Cruſzviciam tranſtulit, A. C. 810. Hujus filiô Popielô II. à muribus corroſô, ſecutum Interregnum, A. C. 823. Piaſtus dein Princeps gentis evaſit. A. C. 842. qui Gnieznam ſedem regni iterum tranſtulit. Hujus poſteri regnârunt uſque ad Caſimirum M. quô A. C. 1370. extinctô, regnum è Piaſtea familia, ad Ludovicum Hungariæ Regem Caſimiri ex ſorore nepotem, tranſiit. Huic Sigiſmundus gener ſucceſſit, quem Hedvigis, Ludovici præfati minimæ natu fil. maritus Jagielo, Vladiſlaus poſt Baptiſmum, vocatus, excepit, A. C. 1386. Huic Vladiſlaus fil. ſucceſſit, A. C. 1434. qui Hungariæ quoque Rex creatus, præliô ad Varnam, contra Turcas, occubuit, A. C. 1444. Subſtitutus ei in Polonia frater Caſimirus, cui fil. Johannes Albertus ſucceſſit, A. C. 1492. Hunc fratres Alexander & Sigiſmundus excepêre: cui ultimo extincto A. C. 1548. ſucceſſit fil. Sigiſmundus Auguſtus, qui ex Jagellonica familia ultimus, obiit A. C. 1572. Huic ſurrogatus eſt Henricus, Caroli IX. Galliæ Regis frater, A. C. 1573. poſt quem Stephanus Batorius electus eſt, maritus Annæ Jagellonicæ, A. C. 1576. quô mortuô A. C. 1586. Sigiſmundus Suecus, Sigiſmundi Auguſti è ſorore Catharina nepos, regno admotus eſt: pater Vladiſlai, qui ſucceſſit A. C. 1629. Hunc frater Caſimirus poſteà, è Sigiſmundi Sueci familia poſtremus excepit. Poſt quem Michael Viſnevicius à Proceribus electus eſt, cui A. C. 1674. mortuo, ſurrogatus eſt Johannes Czarnecius, priùs exercituum regni ſummus Dux, qui fortiter hôc tempore contra Turcas rem gerit. Primus Polonorum Ducum religionem Chriſtianam ſuſcepit Miziſlaus, qui cœcus natus, ſeptimô ætatis annô viſum miraculosè receperat, A. C. 965. Hic Gnieznenſem & Cracovienſem Epiſcopos inſtituit, Cromerus, *l.* 3. Huſſi dein doctrina, non per Sileſiam ſolùm & Germaniam, ſed etiam Poloniam longè latèque ſparſa eſt, ſeculô 15. Hinc ſub Jagellone, Cracoviæ cum Huſſitis Diſputatio eſt inſtituta, A. C. 1431. eô ſucceſſu, ut templum S. Crucis his conceſſum ſit, ad ſacra vernaculô ſermone obeunda, plurimique ex Polonica nobilitate, inprimis Corybutus Regis patruelis Bohemis acceſſerint. Sic Euangelium in regno in ditione inprimis Abrahami Zbanſcii florere inſigniter cœpit, ſed & mox Andream Bninium Epiſcopum Poznanienſem gravem ſenſit adverſarium. Cromer. *l.* 21. Academia poſt hæc Cracovienſis, adhærens Concilio Baſilienſi, Legato Pontificis A. C. 1448. nihil honoris exhibuit, & Caſimirus Rex A. C. 1460. reſtitit Pontifici, pro arbitrio Epiſcopatus diſtribuere volenti. Seculô dein 16. ſatis florentes in regno Eccleſiæ fuerunt, neque hactenus penitus extinctæ. Vide infrà in *Polonia major* & *minor*. Ex maceria domos fermè omnes componunt, pleraſque lutô linunt. Plaga regionis paluſtris eſt & nemoroſa. Potus genti cereviſia. Vini rariſſimus uſus, nec vineæ culturæ cognita. Equitatu in bello maximè præſtat. Ager frumenti ferax: multa ferarum venatio. Melle abundat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

undat, habet & ſalis copiam, qui ex terra eruitur. Habet & æris fodinas in jugis montium, nec non ſulfuris. Sub regno Poloniæ continentur Lithuania, Samogitia, Maſſovia, Volhinia, Podolia, & Ruſſia, quæ Meridionalis dicitur. *Cromerus*, *Bonfinius*, *Munſterus*. *Ferrario* tres regni metropoles ſunt, Gneſna Poloniæ majoris Archiepiſcopalis, ſub qua 12. urbes Epiſcopales Riga, Archiepiſcopalis Livoniæ, ſub qua 7. Epiſcopatus & Leopolis Ruſſiæ Archiepiſcopalis, ſub qua quatuor urbes Epiſcopales. Baudrando, *in inſigni opere Geographico*, Gallis *Polonia* dicitur *la Pologne*, *Polonia* Hiſpanis & Italis, regnum eſt peramplum Europæ, ubi alias Germano-Sarmatia cum parte orientali Germaniæ, prope Viſtulam fluvium. Terminatur à Septentrione mari Balticô, Livoniâ, & Moſcoviâ ſeu Ruſſiâ Albâ, à qua etiam terminatur ab ortu, ab Occaſu Germaniâ, & à meridie Hungariâ, Tranſylvaniâ, & Moldaviâ. Divitur autem in duas partes, nempe in Poloniæ Regnum proprium, *le Royaume de Pologne*, & magnum Ducatum Lithuaniæ, *le grand Duché de Lithuanie*. Poloniæ regni partes ſunt Polonia ſuperior ſeu parva, *la petite Pologne*, cujus caput Cracovia, totius regni primaria; Polonia inferior ſeu magna, *la grande Pologne*, cujus caput Poſnania; Mazovia, *la Mazovie*, cujus caput Vvarſavia, regia ſedes, Cujavia, *la Cujavie*, ubi Vladiſlavia; Pruſſia, *la Pruſſie*, cujus primaria Gedanum; & Ruſſia Nigra, *la Ruſſie Noire*, ubi Leopolis. Magni Ducatus Lithuaniæ partes ſunt Lithuania propria, *la Lithuanie*, cujus caput eſt Vvilna; Volhinia, *la Volhinie*, ubi Luceoria; Podolia, *la Podolie*, ubi Camenecium; Poleſia, *la Poleſie*, ubi Breſtia, & Samogitia, *la Samogitie*, ubi Mednichia: Sed ab A. C. 1386. Lithuania cum ſuis partibus Poloniæ adjecta eſt per Jagellonem Ducem, qui poſtea Vladiſlaus dictus fuit. Dividitur etiam aliter Polonia in triginta quatuor Palatinatus, & in octoginta ſeptem Caſtellanias; ſed prior diviſio communior eſt. Addo, quòd aliam quoque ejus etymologiam tradit Cromerus, qui putat, & quaſi *po Leck*, i. e. *poſteros Lechi*, vocitatos eſſe; Sic enim *&* *Polackos* dici Hungaris *Lengel*, quaſi *Lechel*, à Lecho. Quoad ſitum, extenditur cum adjacentibus ſibi provinciis, in longum, à 38. grad. ad 54. ab Occaſu æſtivo versùs Ortum hibernum ampliùs, quàm per 240. milliar. Germanica: In latum verò, à montibus Carpathiis, usque ad mare Balthicum 200. milliar. admodum. Limites ſunt, à Septentrione Curlandia, Samogitia, Livonia: ab Ortu Boryſthenes, quà Lithuania à Ruſſia diſtinguitur: ab Auſtro, Tyras amnis, quô à Moldovia; & Carpathii montes, quibus ab Hungaria ſecernitur: ab Occaſu ſunt Sileſia, Moravia Marchia & Pomerania. De naturali ejus conſtitutione, ita Stàrovolſcius *Deſcr. Poloniæ p. 9. & ſeqq. Regio tota ferè plana & aprica eſt, niſi quà ad fines Hungariæ accedit, montana ac ſylveſtris. Quò longius autem inde recedit, eò leniùs declivis eſt, magis culta & meliore glebâ. Niſi quòd in meditullio minoris Poloniæ Calvus mons ſupereminet, in quo monaſterium eſt S. Crucis nomine lignôque, in quo Salvator noſter pependit, celebre: reliqui colles ferè in toto Regno ſunt potiùs, quàm montes. Sylveſtris ſanè fuit ſuperioribus temporibus pleraque omnis Polonia, non modò Lithuania, ſed nunc ubique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis abundans. Et quamvis cœli intemperie nimiùm laborat, pomoria nihilominus non infrequentia & fructuoſa paſſim habet; in quibus pyrorum, malorum, ceraſorum, prunorum, perſicorum & nucum bonitas, varietasque certat cum Hungaricis & Italicis. Sunt & vites pluribus in locis, quarum uvæ eſui quidem non inſuaves ſunt, præſertim ſi æſtas & auctumnus temperiem ſuam ſervant, ſed vinum inde expreſſum acerbius ubi defæcatum eſt. Neque negat ſolum caſtaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, crocum, aniſum, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis & alias hortenſes Italiæ delitias, palatinariumque lenocinia. Nec metalla foſſiliaque deſunt plumbi, ferri, æris, cupri, argenti & auri. Avium quoque & altilium magnam habet copiam, itemque jumentorum omnis generis & ferarum; cervorum videl. aprorum, urſorum, leporum, ſciurorum, dorcadum, leporum, onagrorum, biſontium, caprarum, urorum, pantherarum, mardurum, vulpium, roſomacorum, lutrium & caſtorum: Similiter piſcium diverſorum, quotquot nominari poſſunt; Nam fluviis, lacubus, piſcinis atque ſtagnis ſupra modum abundat.* Periodos regni tredecim mutationibus incluſit Piſtorius *Tom. I. Scr. Pol.* Breviùs Auctor anonymus *Hiſtor. Orb. Terr.* *Primam* deſumit à Lecho, Reip. *Polonicæ* conditore, poſt quem modò deſpoticè, modò Ariſtocraticè gubernata eſt; usque ad A. C. 830. *Secundam* à Piaſto, usque ad A. C. 1370. quâ periodô durante, memorabile fuit, quòd Miecislaus I. Piaſti abnepos, primus gentem ab Chriſtum perduxit; quòdque ejus fil. Boleslaus Chrobrius primus Regis titulum accepit, ab Ottone III. Imperatore A. C. 1001. è quo quidam colligunt, *Poloniam* tum Imperio Romano tributariam fuiſſe. *Tertiam* à Caſimiro I. Boleslai prædicti nepote, cujus Principatu Sedi Romanæ *Polonia* ſe ſubmiſit; cui tum præerat Benedictus IX. Tum enim hic in ſingula capita obolum quotannis, ad lucernam in æde D. Petri Romæ pepetuò alendam & raſuram capitis Monachalem, faſciam item Equitibus lineam candidam, ſtolæ in modum, cùm feſta peragerentur ſolennia, imperavit, Cromer. *de orig. & r. g. Polon. l. 4.* *Quartam* orditur à Caſimiri I. filio Boleslao cognomine *Audace*, quâ Regia dignitas iterum ceſſavit. ipſôque Regnô excedente, Vladislaus frater in *Principis* titulo acquievit: donec priſtinum ſplendorem reduxit Primislaus, circa A. C. 1295. qui in hunc usque diem conſervatus eſt, niſi quòd ſucceſſor ejus Vladislaus Locticus *Hæredis Regni Poloniæ* nomen potiùs uſurpavit. Ultimus familiæ hujus fuit Caſimirus M. Sequitur periodus Jagellonica, à Jagellone Magnæ Lithuaniæ Duce in Baptiſmo Vladislai nomen adepto, inchoata. Hic Hedvigis Ludovici Hungariæ Regis, quem Caſimirus hæredem conſtituerat, amorem meritus, Chriſtianam Religionem aſſumſit & Lithuaniam *Poloniæ* univit: regnâruntque ejus poſteri usque ad A. C. 1573 quô Sigiſmundus Aug. ſine prole deceſſit. Ab illo tempore *Poloni* variis è locis Reges ſibi arceſſivêre, Henricum Valeſium è Gallia; quô clam ſe in avitum regnum Galliæ recipiente, Stephanum Bathorium Tranſylvan. Principem, eâ lege, ut Annam, Sigiſmundi Aug. ſororem licèt tum jam ſexagenariam duceret, elegerunt A. C. 1575. Succeſſit A. C. 1586. Sigiſmundus Johannis Sueciæ Rex è Catharina Jagellonica filius: quem A. C. 1632. Vladiſlaus filius excepit, qui obiit A. C. 1648. poſt ſceptrum delatum fratri Joh. Caſimiro: qui regnô ceſſit A. C. 1668. Aliam poſt hunc periodum exorſus eſt Michaël Wiſnovecius iterum *Polonus*, qui electus eſt Rex A. C. 1669. Sed A. C. 1675. defunctus, ſucceſſorem accepit Johannem Sobieſcium, Exercituum ſummum Ducem, itidem Polonum, qui Regno feliciter præeſt. Incrementa Regni hæc fuêre: Lithuania ei, ut dictum, unita eſt à Jagellone, Pruſſiam Sigiſmundi I. parens Caſimirus, domitis Equitibus Teutonicis, ſibi ſubjecit; cujus partem poſteà Sigiſmundus Alberto Brandeb. in feudum conceſſit, quô tamen nexu hodiernus Elector Brandeburg. abſolutus eſt transactione Welavienſi A. C. 1657. Livoniam Sigiſmundus Aug. Teutonicô in illa ordine extinctô, *Poloniæ* ſociavit; Gothardô Kettlero verò poſtremo Ordinis Magiſtro Curlandiæ & Semigalliæ provincias Ducatûs, ſed fiduciariò, titulô commiſit. Versùs Orientem, quidquid regionis inter Panaſtum ſeu Tyram, Hippanimque & Boryſthenem fluv. continetur, id totum uſque ad littora ipſa Ponti Euxini, ex pactis Solimanni Turcarum imperatoris juris Polonici cenſeri, tradit *Piaſecius*. Sed & ultra Tyram; Meridiem versùs, Moldavia eſt *Poloniæ* regno quoque ſocialis, verùm Turcis tributaria. In Daniam, tempore Boleſlai Cruoviſti A. C. 1124. penetrâſſe quoque Polonos, eáque potitos fuiſſe, auctor eſt Cromerus, *l. 5.* Sed rem hanc Danici Annales penitùs ignorant. Hungariæ juncta *Polonia* eſt, cùm, extinctis Piaſti poſteris, ad Ludovicum Hungariæ Regem deferretur regnum A. C. 1370. ſed moriente eô divinæ iterum, Mariâ Ludovici filiâ Hungariam, & Hedwige Poloniam obtinente. Iterum tamen ſub filiô Jagellonis Vladiſlao coiêre, quanquàm refragante Elizabethâ Alb. Regis conjuge, quæ etiam hujus poſthumum Ladiſlaum vix dum quadrimeſtrem coronari curavit: ſed cùm Vladiſlaus pugnâ Varnenſi cæderetur, ſingulæ iterum ſeorſim Reges ſibi conſtituere cœpère. Jura Regis Poloniæ hæc ferè: Ut præſit Regno, ſummô contentus dignitatis gradu & cenſu Fiſci ſui à primordiis Regni præfinitô, quem minuere augereve lege prohibetur, ut, in publicis functionibus, omnes in Republ. Magiſtratuum officiorumque titulos ſolus conferat; Ut non niſi ejus favore adeantur Epiſcopatus opulentiores, aliique Eccleſiaſticar. dignitatum gradus, in quo Regiæ auctoritatis nervus conſiſtit. Studia enim eorum, quos Rex promovet, ſibi mancipat, ſicque ſuavi flexu animos omnium illuc aſpirantium ad partes ſuas inclinat. Interim tributa nulla imponit, abſque unanimi Ordinum conſenſu: nec niſi atrociora crimina & cauſas quaſdam graviores in Comitiis Regni generalibus cognoſcit, exque ſententia Senatorum decernit: reliquâ omni poteſtate de criminibus cognoſcendi, pœnas irrogandi, controverſias civiles decidendi, penès Judices cujuſvis provinciæ reſidente. Nihil item ei in vitam facultateſque Nobilium poteſtatis eſt, nec ullum eorum, licèt manifeſtè reum, præter pauciſſimos caſus, vel niſi jure convictum, detinere aut vinculis coërcere poteſt. Horum enim ampliſſima jura: Namque è Nobilitate quivis, jam à Miecislao I. in eligendo Rege jus ſuffragii habet; Imò univerſi aliquando contra Regem Senatumque coëunt, indictô *Rokoſſ*, famosô in unum concurrendi ſymbolô, qua de re vide infrà, in voce *Rokoſſ*. Populi jus hodie ſtatutis Caſimiri, Vladiſlai & Sigiſmundorum ferè nititur, quorum defectu, ad Jus Saxonicum recurri ſolet: cujus tanta olim apud Polonos fuit auctoritas, ut non ſine gravibus impenſis ad Magdeburgenſe tribunal appellarent, Sed ſuſtulit morem hunc A. C. 1356. Caſimirus M. conſtitutô hâc fini ſupremô in arce Cracovienſi tribunali: Præter quod duo alia erexit Stephanus Rex. A. C. 1578. Petricoviæ unum, Lublini alterum, in quorum illo Palatinatuum majoris Poloniæ ac Pruſſiæ; in iſto minoris Poloniæ ac Ruſſiæ, lites pertractantur. Quid porrò genti cum Suecis, cum Ruſſis, cum Turcis interceſſerit negotii: quid cum Auſtriacis hactenus controverſatum? quid damni interni dederint motus Confœderatorum, Coſaccorum, Lubomirſcianorum, aliaque huc ſpectantia, Vide apud præfatum Auctorem *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. ac Civil. c. 8. in cujus §. 1. omnes rerum Polonicarum Scriptores recenſet.*

PARTES POLONIÆ, EX SIMONE STAROVOLSCIO:

I. *Polonia major*, 8. Satrapiis comprehenſa: quæ ſunt *Poſnanienſis*, *Caliſienſis*, *Lencicienſis*, *Breſtenſis*, *Junivladislavienſis*, quæ utraque aliàs *Cujavia*, *Siradienſis*, *Ravenſis*, *Terra Vielunenſis*. II. *Polonia minor*, cujus tres Satrapiæ: *Cracovienſis*, *Sendomirienſis*, *Lublinenſis*. III. *Lithuania*, ubi Palatinatus itidem 3. *Vilnenſis*, *Trocenſis*, *Breſcianenſis*. IV. *Ruſſia Rubra*, in qua 7. Satrapiæ, *Ruſſia*, *Podolia*, *Volhinia*, *Belza*, *Braslavia*, *Kiovia*, *Terra Cholmenſis* ac *Halicienſis*. V. *Ruſſia Alba*, continens ſex Satrapias, vel Palatinatus: qui ſunt *Novogrodenſis* (cœteris populoſior, in Novogrodenſem ac Slonimenſem diſtrictum diviſus.) *Mciſlavienſis*, *Vitepcenſis*, *Mindenſis*, *Polocenſis*, *Smolencenſis*. VI. *Boruſſia* ſeu *Pruſſia*, de qua vide *ſuô locô*. VII. *Pomerania ulter.* ſeu *Pomerellia*, diviſa in 7. Territoria: quorum nomina, *Sluchovienſe*, *Tucholienſe*, *Suecenſe*, *Derſavienſe*, *Zucovienſe*, *Puſcenſe Mirachovienſe*: quibus etiam *Craina* & *Caſſubia* adjunguntur. VIII. *Maſovia*, quatuor Satrapiis diſtinguitur, quæ vocantur, *Plocenſis*, *Podlachica*, *Maſovia*, peculiariter ſic dicta, & *Terra Dobrinenſis*. Nomen à Maslao ſeu Maſo, Miecislai Regis olim Pincerna. Vide Thuanum, *Hiſtor. l. 56.* IX. *Samogitia*. X. *Livoniæ* quædam partes Lithuaniæ conterminæ: reliquum enim Suecus, Moſcus, & Curlandiæ ac Semigalliæ Duces poſſident. Harum omnium Provincia-

rum potiore. Urbes ſunt *Poſnanium* & *Gneſna*, in majori Polonia; In minori, *Cracovia*, quæ ſedes Regia, *Lublinum*, & famoſa Arianizantium Socinianorum receptaculô *Racovia*. In Lithuania, metropolis eſt *Vilna*: in Ruſſia Rubra, *Leopolis*: in Alba, *Smolencum* & *Kiovia*: Maſoviæ primaria Urbs *Warſavia* eſt, etiam quandoque Regis ſedes, & Polonorum clade celebris, tempore Joh. Caſimiri, Regis iis à Sueciæ Rege, & Electore Brandeb. illatâ. Vide illarum quamque *ſuô locô*.

Poloniæ urbes præcipuæ:

Bielska, *Bielsk*, Polachiæ.
Braclavia, *Braclavv*, Podoliæ.
Braſlavia, *Braslavv*, Lithuaniæ.
Breſtia, *Breſſici*, Poleſiæ.
Caliſia, *Kaliſch*, Poloniæ inferioris.
Camenecium, *Kameniek*, Podoliæ.
Chelma, *Chelm*, Ruſſiæ nigræ.
Cracovia, *Crakovv*, Poloniæ ſuperioris.
Elbinga, *Elbing*, Pruſſiæ Regiæ.
Gedanum, *Dantzick*, Pruſſiæ Regiæ.
Gneſna, *Gneſna*, Poloniæ inferioris.
Kiovia, *Kiovv*, Volhiniæ.
Lancicia, *Lencici*, Poloniæ inferioris.
Leopolis, *Lvvovv*, Ruſſiæ Nigræ.
Lublinum, *Lublin*,, Poloniæ inferioris.
Luceoria, *Lucko*, Volhiniæ.
Mariæburgum, *Maryenburg*, Pruſſiæ Ducalis.
Mciſlavia, *Mcislavv*, Lithuaniæ.
Mednichia, *Medniki*, Samogitiæ.
Minſcum, *Minsk*, Lithuaniæ.
Novogroda, *Novogrodek*, Lithuaniæ.
Plocum, *Ploczko*, Mazoviæ.
Polocska, *Poloczk*, Lithuaniæ.
Poſnania, *Poſnan*, Poloniæ inferioris.
Premiſlia, *Przemyſl*, Ruſſiæ Nigræ.
Regiomons, *Koningsberg*, Pruſſiæ.
Sandomiria, *Sandomirz*, Poloniæ ſuperioris.
Siradia, *Sirad*, Poloniæ inferioris.
Torunia, *Thorn*, Pruſſiæ Regiæ.
Troca, *Troki*, Lithuaniæ.
Varſavia, *Warzavv*, Mazoviæ.
Vilna, *Wilna*, Lithuaniæ.
Vitepſcia, *Witepſck*, Lithuaniæ.
Vladiſlavia, *Wladiſlavv*, Cujaviæ.

POLONIA major, ſeu inferior, Gall. *la grande Pologne*, pars eſt ampla regni Poloniæ, in ejus occidua parte, quà in Boream tendit, Pomerellia & Pomerania, quà in occaſum prona eſt, Electoratu Brandeburgicô & Sileſiâ terminatur. Meridionales ejus fines Sileſiam & minorem Poloniam reſpiciunt, Orientalesque Mazoviæ contigui ſunt: Sunt autem in ea ſeptem Palatinatus. In hac Nobilitas Poznaniæ congregata, ſeculô 15. reſtitutionem Calicis in Cœna Domini acriter urſit, ab Epiſcopo Poznanienſi eluſa. Poſteà Fratribus qui Bohemiâ tum pulſi, quamplurimi Poznaniam, Curmicum, & Szamotuliam appulêre, Andreas Comes à Gorka, Caſtellanus Poznanienſis, ſacra publicè Poznaniæ adminiſtrandi poteſtatem dedit, A. C. 1547. cui cœtui, poſt varias perſecutiones; Paſtor obtigit A. C. 1550 Georgius Iſraël, & patronus inſignis Jacobus Oſtrorogius Comes, A. C. 1568. extinctus: poſtquam Confeſſionem fidei, nomine Eccleſiarum, Regi obtuliſſet, A. C. 1564. Hæ poſteà quò majori vinculô cum Lithuanicis unirentur, Conſenſus in Synodo Petricovienſi, A. C. 1578. initus eſt, & Synodô Vladiſlavienſi A. C. 1583. confirmatus. Quæ ſequuta vide apud Lætum, *Epit. Hiſt. Univ. &c.*

POLONIA Minor, ſeu Superior, Gall. *la petite Pologne*, pars eſt regni Poloniæ, ſic dicta, ut à majori diſcernatur. A meridie montibus Hungaricis, ab occaſu Sileſiæ, à ſeptentrione majori Poloniæ, & ab ortu Podlachiæ & Ruſſiæ Rubræ finitima eſt; comprehenditque Palatinatus Cracovienſem, Sandomirienſem, & Lublinenſem. In hac Nicolaus Oleſznicius primus videtur puriorem cultum promoviſſe, conceſſô Euangelicis ſacris locô in oppido ſuo Pinczovia, A. C. 1550. quod idem mox Pelniciæ ſuæ Laſocius fecit: Dubetiæ Stadnicius, alii alibi; poſteà cùm in Comitiis Petricoviæ habitis, A. C. 1552. Epiſcopi causâ cecidiſſent, plurimi è primaria quoque nobilitate à Latinis ſeceſſerunt. Sed Eccleſiæ quies turbata non parum à Stancaro eſt, cujus hæreſis Synodis Sendomiriæ, Vladiſlaviæ, Pinczoviæ habitis, eſt condemnata: inprimis celebri illâ Xianzenſi A. C. 1560. Blandrata, poſt Stancarum, non minores turbas dedit, Socini venenô Poloniæ illatô, circa A. C. 1563. Conſenſus poſteà Confeſſionis Bohemicæ, Auguſtanæ & Helvetiæ Sendomiriæ initus eſt, A. C. 1570. & A. C. 1573. cùm de eligendo novo Rege ageretur, religioni cautum eſt, procurante id Johanne Firlejô Palatinô Cracovienſi, Virô zeli plenô. Poſt quæ Smalcius Eccleſiis gravis fuit in Synodo Lublinenſi A. C. 1612. in ſocietatem recipi poſtulans, rejectus. Academiæ Cracovienſi cum Jeſuitis ingens contentio exarſit, A. C. 1626. Varia dein Euangelicis templa adempta. Vide Lætum, *Hiſtor. Univ.* Plura de Polonia, vide apud Volaterranum, Munſterum, Mercatorem, Ortelium, Merulam, Maginum, Bertium, Cluverium, Nicolaum & Guil. Sanſonem, Brietium, Du Val &c. *in oper. Geogr.* Alex. Gaguinum Veronenſem, *Sarmatiæ Eur. deſcript.* Andr. Cellarium, *Novâ deſcr. Polon.* Sanſovinum, *Chron. l. 2.* Ricciolum, *Chron. Reform.* Matth Michovium *de Sarmatia, & in Chron. Polon.* Martin. Cromerum, *Hiſt. Polon.* Eraſmum Stellam, *deſcr. Boruſſiæ*, Davidem Chytræum, *de Ruſſorum ac Tartar relig.* Phil. Callimachum, *Hiſt. Polon. contra Turcas.* Solom. Neigebaur. *Hiſt Polon.* Volumen Hiſtoricorum Polon. Baron. *Annal.* Bzovium, Spond. Rainaldum *Contin. Annal. Eccl.* Thuanum *Hiſtor.* Mar. Croviecium *in l. admon. ad Sig. Auguſtum.* Ioach Bielſcium *Chron. Polon.* Virg. Muſæum *de Euangelii in Pol. origine & progreſſu.* Payen, Rupiſortium &c. *Itin. Pol.* Davity, *Deſcr. Pol.* Fulſtinum, *Hiſt. Pol.* Morer. *Dict. Hiſt.* Lætum, *Comp. Hiſt. Univ. &c:* Simon Starovolſius Elogia edidit *Centum illuſtr. Poloniæ Scriptorum.*

POLONUS Martinus, Vide *Martinus.*

POLPOCH, ſerpens in Jucitana, Novæ Hiſpaniæ conterminâ, à ſibilo ſic dictus, & ore mordere, & caudæ aculeô pungere, legitur apud Jo. Euſebium Nierenberg, *Hiſtor. Natur. l. 2. c. 48.* Notat quoque, ex Arabum fide, rem Græcis Romanisque Scriptoribus prætermiſſam Bochartus, ſerpentes alios, non modò acutam, ſed & aculeatam habere linguam, aut verò roſtrum & naſum; alios, ſcorpionum inſtar, etiam caudâ ferire; alios geminô aculeô ex utraque parte pungere: in quorum poſtremorum numero *Polpoch* eſt, item *Dultaraphina*, apud Alcamum, *ſerpentis* itidem *genus, geminô aculeô, quorum unus in naſo eſt, alter in cauda.* Sic in Auſtrali America, apud Chiribichenſes, aſpidum, quæ ſcorpionum inſtar feriant caudâ, meminit P. Martyr, *de Novo Orbe, Dec. 8. c. 7.* & 8. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. I. c. 4.* Eundem arbores ſcandere, ſeque, capite caudam complexum, acontiæ inſtar in viatores ſæpe ejaculari, Voſſius addit, *de Idolol. l. 4. c. 37.*

POLTYMBRIA, Civitas Thraciæ, *Steph.*

POLUS, hiſtrio in Græcia illuſtris, qui geſtis, & vocis claritudine, & venuſtate cæteris anteibat. Egit Tragœdias Poëtarum: Athenis etiam Electram Sophoclis poëtæ urnam cum Oreſtis oſſibus geſtantem, quem actum ſcitè adeò ac doctè obſolvit, ut imagines rerum verbis exprimens, ſpectatores ad fletum & lachrymas compulerit.

POLUS, Agrigentinus Sophiſta, Gorgiæ auditor, primus in oratione inveniſſe dicitur paria & antitheta, & ſimiliter deſinentia, quod minimè verum, ſed jam inventis ſæpe uſum fuiſſe conſtat. Hæc *Philoſtratus. Suidas* ſcribit, eum *genealogiam* eorum, qui ad Trojam profecti ſunt, ſcripſiſſe, ſimul & navium catalogum.

POLUS Renaldus, Vide Renaldus.

POLUS, Vide ſuprà POLOGRAPHIA.

POLUSCA, Liv. *l. 2. c. 39. Halycarnaſſeo Polus*, oppid. fuit Latii, olim Volſcorum caput. Populi *Polluſtini* Plin. *l. 3. c. 5.* Interiit prorſus.

POLYÆGOS, una Sporadum Plin. *l. 4. c. 12. Ptol.* à Caprarum multitudine. 70. mill. paſſ. à Delo in Meridiem *Sophiano Policandro.* Nigro *Falconara.* Melius *Polaguſa. Ferrar.*

POLYANDER Johannes, Metenſis, fil. Johannis Eccleſiaſtæ Embdani, ex patritia Gandavenſium familia *van der Kerckhoven* oriundi, Genevæ Theod. Bezæ & Ant. Faji auditor A. C. 1588. ibidem Antoniô Sadeële Theologô eximiô familiariter uſus eſt. Inde Dordracum vocatus, Eccleſiæ illius Paſtoratum ann. 20. egit, ibidemque Logicam ac Ethicam aliquandiu extra ordinem docuit. Tandem Lugduni Batavor. Theologiæ Profeſſor conſtitutus, ibi obiit A. C. 1640. ætat. 72. Edidit *Concertationes Anti-Socinianas, De exiſtentia eſſentiali Jeſu Chriſti, Syntagmata Exercitationum Theologicar.* Vide *Vitas Profeſſorum Leydenſ.*

POLYANDRIUM ſeu *Polyandrum*, Græce Πολυάνδριον, propriè *cœmeterium*, h. e. ut habetur in *Gloſſis Græcis MSS. Reg. monumentum, ſepulμνῆμα, τάφος, ἐν ᾧ πολλοὶ ἄνδρες κεῖνται*, chrum, *ubi complures viri ſunt ſiti.* Theodulfus Epiſc. Aurelianenſis *in Capitular. c. 9. Antiquus, in his regionibus, in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, Cæmeteria ſive Polyandria facta ſunt* Vide Alcuinum, *Poëm. 238.* Abuſivè, & quidem ſæpiùs apud inferioris ævi Scriptores, monumentum ſeu *ſepulchrum unius hominis.* Hinc in *Vita S. Sulpitii Pii* Epiſcopi Bituricenſis, *Cui ſcil. prudenti viro etſi natura debita mortis extinxit corpuſculum, fulget tamen viventium virorum polyandrô.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros *in Hierolex.* Hæc in Templis neutiquam extruenda eſſe, ſed in atrio, aut porticu, aut in exhedris Eccleſiæ, præcipitur. *Can. præcipiendum eſt 13. quæſt. 2.* Imò planè extra Urbem releganda, ſuadent Politici &c. Plura vide ſuprà ubi de *Cœmeteriis*, alibique paſſim: ut & veterem *Inſcr.* apud Gev. Elmenhorſtium, *Obſervationibus Arnobian. l. 6. p. 177.* & 176.

POLYANDUS, urbs Cataoniæ, in Armenia minore *Ptol.* Sed Interpretes habent *Padyandus.*

POLYANI, à POLYANO quodam dicti ſunt Pindi accolæ. Strab. *l. 7.*

POLYANTHUS, Cyrenæus, librum reliquit *de ortu Aſclepiadarum.* Sext. Emp. *l. 3. Adv. Mathem. c. 12.*

POLYANUS, mons Macedoniæ, in confinio Epiri, Pindo monti majori finitimus. *Strab.*

POLYARA, urbs Cariæ. Civis *Polyareus. Steph.*

POLYARCHUS, frater major Eryxùs, viduæ reginæ Cyrenenſis, qui Lanachum tutorem, pro tyranno ſe gerentem confodit. Polyæn. *l. 8. c. 41.*

POLYBIANUM, *Lazio*, *Leybnicz*, oppid. Stiriæ, ad fluv. Muram, medium inter Græcium & Pœtovionem 4. leuc.

POLYBIDAS, Ageſipolidi, ad Olynthum mortuo, ſubſtitutus Dux, res ibi præclarè geſſit, Olynthios obſidione clauſit, & tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& tandem ſub poteſtatem Lacedæmoniorum redegit. Olymp. 100. An. 1.

POLYBIUS, Rex Corinthiorum, qui, cùm liberis careret, Oedipum Laii patris juſſu in ſylva expoſitum, & à paſtore inventum pro ſuo educavit. Lege *Polybus*.

POLYBIUS, è Megalopoli civitate Arcadiæ, fil. Lycortæ, qui caput fuit Reip. Achæorum, præceptor Scipionis Africani: cui, Lælioque Romæ innotuit, poſt Patrem, à Rep. patria Legatus ad Ptolemæum Epiphanem, indeque ad Conſul. Romanum, in Theſſalia res gerentem: occaſione hinc in Urbem proficiſcendi captatâ. Hic ſcripſit *Romanam hiſtoriam libris quadraginta.* Incipit à fuga Cleomenis Spartiatæ, & Perſei Philippi Macedonum regis, poſthàc Romam attingit, ab initiô primi belli Punici, uſque ad finem Macedonici, per ann. 53. Horum duo primi, præliminares tantum, Romam à Gallis captam ſuccinctè narrant. Sed pars pleraque aut tota periit, aut mutilata ad nos pervenit cum fraude generis humani: Neque aliud nobis reſtat, quàm 5. priores libri, cum epitome 12. ſeq. fortè à M. Bruto facta, qui Polybii lectionem ipſi Ciceroni antetulit. Nicolaus V. primus Polybium edidit, qui dein auctior prodidit, editione imprimis Caſauboni, qui illum egregiis notis inſuper illuſtravit. *Recta & ſalutaria ubique ejus monita: & quem ego* (Lipſii verba ſunt) *hæc magis Principibus commendatum velim, quod anxiâ in eum inquiſitione non opus, ſed ſenſus ſuos aperit & revelat ipſe.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 1. *c.* 19. Item vates Corinthius, qui filio Trojam proficiſcenti, & multis aliis mortem prædixit. *Cicero.*

POLYBIUS, Medicus, gener, diſcipulus & ſucceſſor Hippocratis. Scripta ejus hodieque habentur. Juſtus *in Chron.* Vander Linden *de Script. Med.*

POLYBIUS, Auguſti libertus, cujus teſtamentum, unà cum Hilarione ſcripſit. Sueton. *Aug. c.* 101.

POLYBOEA, Dea. *Heſych.* Πολύβοια, θεός τις, ὑπ᾽ ἐνίων Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη, nempe à βόω, ſive βόσκω, *paſco*, ut idem ſit ac Homeri Πουλυβότειρα, aut Παμβῶτις γῆ, quod apud Sophoclem *in Philoctete*. Ac fortaſſe ſimiliter Heracleenſes, matrem ejus Cererem dixêre Παμβώτανον, licet apud *Heſychium* nunc legatur: Πάμπανον, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ. Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 60.

POLYBOTUS, urbs Phrygiæ magnæ. *Liber Concil.*

POLYBUS, Ægypti Rex, *Alcandræ maritus, qui excepit Menelaum* apud Homer. *Od.* δ. Africano & Euſeb. *Thuoris* eſt. Ita Syncellus. *Sub Thuori captum eſt Ilium.* Sed IV. ſeculorum ſpatiô ab Ilio capto *diſtat* Thuoris, Thebanorum in Ægypto Regum omnium quorum ſuperſunt nomina, poſtremus. Et Herodotus non Thebanum Regem, ſed Memphitem dicit excepiſſe Menelaum, *Proteum* nomine, qui inter Seſoſtrim & Rhamſen Reges Thebanos collocatur, *l.* 2. *c.* 113. 115. 119. ubi multa hanc in rem, ex Sacerdotum placitis; ex fide Hiſtorica tradit, nullum fuiſſe in Ægyptum Græcis aditum, nullum commercium, ante Pſammitichi I. tempora: tunc enim Iones quidam & Cares πρῶτοι ἐν Αἰγύπτῳ ἀλλόγλωσσοι κατοικίσθησαν, *primi eorum, qui eſſent diverſa linguæ Ægyptum incoluerunt.* Quod quidem in dubium vocat, quidquid de Menelai in Ægyptum adventu decantari ſolet. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XXV. XVI.

POLYBUS, Sicyoniorum Rex, ann. ante Urb. Cond. 550. Item Auctor antiquus, qui ſcripſit de ſemine humano. Et unus ex procis Penelopes. Ovid. *Ep.* 1. *Heroid. v.* 19.

> *Quid tibi Piſandrum, Polybumque, Medontaque, Dirum, &c,*

POLYCANDELUM, Græcè πολυκάνδηλον, vox hybrida, candelabrum eſt multis luminibus inſtructum. Anaſtaſius in Leone. III. *Obtulit* Polycandelum *porphyreticum, pendentem in pergula, ante confeſſionem, in catenulis aureis.* Ubi vel *Polycandelum*, à maſculino *Polycandelus* eſt, vel *pendentem* in *pendens* mutandum. Acta S. Eliæ Junioris, p. 190. Καὶ ἔπλεπον ὅτι ἐκρέμασαν οἱ χριστιανοὶ πολυκάνδηλον μέγα ἄνωθεν τῆς κεφαλῆς τοῦ ἐσταυρωμένου ἔξαπτον, *Et videbant, Chriſtianos Polycandelum ingens ſupra caput crucifixi ſuſpendiſſe* &c. Anonymus *de Locis SS. p.* 83. καὶ κρέμεται πολυκάνδηλον, *& pendet polycandelum.* Car. du Freſne *Gloſſar.* & *in Deſcr. Ædis Sophianæ*, ubi docet *num.* 48. Græcis recentioribus vocem hanc originem ſuam debere. Iſtiusmodi *Polycandelorum* celebre inprimis eſt candelabrum Baſilicæ Vaticanæ, in forma crucis, ab Adriano Papa oblatum, in quo 1370. candelæ ponebantur, quodque is juſſerat quatuor in anno vicibus accendi, in feſtivitatibus Nativitatis Domini, Paſchæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, atque in die anniverſaria electionis ſuæ, Baron. *ad A.C.* 795. & Anaſtaſius *in eodem*, apud Dominic. Macrum *Hierolex.*

POLYCAON, Lelegis fil. cum uxore Meſſena, divinis honoribus affectus eſt, à Meſſeniis: qui item Triopæ filiæ, Phorbantis nepti, ut qui primi apud eos regnârunt, eandem venerationem detulêre. Ut alios omittam, de quibus vide Pauſaniam *in Meſſeniacis*, & ex hoc Gerh. Jo. Voſſium, *de orig. & progr. Idolol l.* 1. *c.* 13.

POLYCARPUS, Smyrnenſis epiſcopus A. C. 91. Johannis Euangeliſtæ diſcipulus, Eccleſias totius Aſiæ doctrinâ ſuâ inſtruxit, exemplôque confirmavit. Romam profectus, ut cum Aniceto Epiſcopo de celebratione Paſchatis conferret, varios in itinere Valentini & Marcionis fraudibus irretitos convertit: Huicque Romæ; cùm in eum fortè incideret, ab illo interrogatus, an non ſe nôſſet, reſpondit, *Omnino: Primogenitum te Diaboli agnoſco.* Redux in Aſiam, pro Chriſtiana fide palam, & ſpectante populô in amphitheatro combuſtus eſt, teſte Volaterranô, A.C. 167. Vid. Euſeb. *Eccl. Hiſt. l.* 4. *c.* 5. *& in Chron.* A. C. 157. & 167. Hieronym. *in Catal. c.* 17. Iren. *l.* 3. *adv. hær. c.* 3. Tertullian. *de præſcr. c.* 32. Socr. *l.* 5. *c.* 21. Phot. *cod.* 126. Jac. Uſſerium, *in edit epiſt. Polycarpi &c.*

POLYCARPUS, nomen inditum Collectioni Gregorii Presbyteri, qui floruit circa ſeculum XII. & *Collectionem Canonum* à ſe editam ita vocari voluit, fortè quia in multas particulas eſt diſcerpta; an potiùs, quia multiplicem ejus utilitatem ac fructum hôc elogiô indigitatum ivit. Manuſcriptam illam citant, ex Bibliotheca Vaticana, Romani Emendatores Gratiani *in Indiculo*: Antonius item Auguſtinus, qui in *Dialogis* ejus meminit. De eodem Gregorio & Bern. Papienſi; auctore porrò libri *Populeti*, hæc notat Blondellus *Prolegom. ad Pſeudo-Iſidorum vapul. c.* 18. *p.* 99. *in fin. Gregorius Presbyter ſimilem collectionem publicavit, quam* Polycarpum *nominavit; ut & Bernardus Papienſis & Auctor libri Populeti: Sed hæc ad manus non ſunt, nec quô tempore vixêre Auctores, nobis compertum eſt.* Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 274.

POLYCARPUS Lyſerus, Pater & filius, Vide ſupra *Lyſerus*.

POLYCASTE, Neſtoris filia.

POLYCHARMUS, cælator eximius; qui Venerem lavantem ſeſe ac Dædalum aſtantem inſculpſit marmore. Plin. *l.* 36. *c.* 5.

POLYCHRONION, Græcè Πολυχρόνιον, i. e. *multos annos*, in diuturnæ vitæ ac Imperii omen, acclamatum olim Imperatoribus Patriarchisque Græcis, non ſine genuflexione. Auguſtin. *de Verbo Dom. Serm.* 30. *c.* 3. *Exhibes aliquam ſolennitatem amicis, audis ibi & bene optantibus tibi, Multos annos vivas.* Leo III. Ep. 4. *Reverſus eſt ad murum Civitatis Conſtantinopolitanæ, & cœpit cum eis foris muros vocibus magnis laudare* (εὐφημεῖν) *ac dicere, Conſtantinum Magnum Imp. Multos annos.* Πολλὰ ἔτη τῶν Βασιλέων, item Προσθήκην ἡμερῶν, *Complures annos Impp.* Item *Acceſſionem dierum*, exponit Synodus VIII. *act.* 1. & Theophylactus Bulgar. *Inſtit. Reg. part.* 2. *c.* 14. *Cod.* 2023. De eodem ritu haſce Formulas exhibet Codex ſcriptus Biblioth. Reg. apud Car. du Freſne. ubi verba Latinè ſic habent: *Ut fauſtâ perpetuitatis acclamatione proſequantur Imperatores & Patriarcham in ſumma Æde, Feſtô Nativitatis Chriſti, Feſtô Luminum & in magna Paraſceve.* Πολυχρόνιον ποιήσαι κλ. *Ad multos annos conſerva ô Deus invictum & ſanctum Imperium eorum. Diuturnum fac ô Deus, à Deo cornatum, à Deo conſtitutum, à Deo glorioſum redditum invictum & ſanctum Imperium eorum. Dominum & Pontificem noſtrum cuſtodi Domine multos annos, ô Domine. Ter in menſam dictum eſt ſic,* Εἰς τὸ πολυχρόνιον. *Ad multos annos Vita, Pax, Sanitas. Proſperè agere & vincere fac inimicos invictorum & ſanctorum noſtrorum Imperatorum, ad multos annos Vita, Sanitas & Salus, ſanctiſſimi noſtri Domini Univerſalis Patriarchæ* &c. Eódem ſpectat *Inſcr.* illa in nummo aureo Conſtantini Copronymi, C. LEON PAMULΘ, i. e. ut interpretatur Car. du Freſne, *Conſtantinus Leoni Perpetuo Auguſto multos annos.* Ritûs origo à Votis publicis: nuncupari, ſuſcipi & ſolvi ſolitis, pro ſalute Principis, jam à tempore Auguſti, ut Imperatorii nummi non pauci præferunt. Quæ cùm primitus quinquennalia ſeu decennalia tantùm eſſent, h. e. ſingulis quinquennalia ſeu decenniis repeterentur: procedente tempore factum eſt, ut non felicia duntaxat, ſed & multa voverentur decennalia, ut in Conſtantini M. nummo, in quo deſcriptum legitur, VOTIS MULTIS X. & in alio, VOTIS. V. MULTIS X. rurſum in alio, X. MULT. XX. Unde crebræ ejuſmodi fluxêre formulæ ab in ſubſequentium imperatorum nummis, cùm populi vota ſua ad ſolam Quinquenniorum aut Decenniorum felicitatem coërcere recuſantes, ſi non pro æternitate, ſaltem pro vitæ & Imperii diuturnitate, vota ſua, nuncuparent. Nazarius. *Verùm quid agimus vicenis aut jam tricenis annis circumſcribendo, quæ jam æterna ſentimus. Ampliora ſunt merita Principum, quàm optata Votorum, quinimò in immenſum felicis curſus Imperii, nec humanorum terminos curent, qui ſemper divina meditantur.* Et Corippus *de Laudibus Juſtini, l.* 4.

> *Hinc veſter primus feliciter excipit annus,*
> VOTAque PLURA *tuis celebret Nova Roma triumphis.*

Cujuſmodi adprecationes cùm poſtmodum deſiiſſent adſcribi nummis, poſt Theodoſii familiam extinctam: tametſi in Majoriani numiſmate legatur, VOTIS MULTIS; & in alio argenteo Juſtiniani, VOT MULTHTI; ut in nummis Baduelæ Italiæ Regis, FLOREAS vel FLUREAS: Πολυχρόνιον illud acclamari cœpiſſe videtur, quoque tamen non nuperum eſſe ex Copronymi laudato nummo apparet &c. Vide hanc in rem plura apud præfatum Carol. du Freſne, *Diſſertatione de Numiſmatibus inferioris ævi num.* 40. *& ſeqq.* nec non *ad Alexiadem*, *p.* 251. ut & hìc paſſim, ubi *de Acclamandi ritu*, formulâ *Perpetuent te Dii, Votis, Votivis nummis* &c. Addam ſaltem, ad Domeſticum pertinuiſſe, acclamatione hâc ad Imperatorem defungi, ut & ad Patriarcham, notari Macro *in Hierolexico.* Vide quoque infra *Protopſaltes.* Cl. verò Suicerus ſic de illa, Πολυχρόνιον *eſt imprecatio vitæ diuturnæ, quæ fiebant Imperatori Conſtantinopol.* ——— *Ita autem dicebatur à prima voce formula, quæ erat* Πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ Θεὸς τὴν ἁγίαν βασιλείαν σου εἰς πολλὰ ἔτη ----- *Sed hæc in Liturgia duntaxat & ſalutatione aliqua ſolenni* ——— *at in proceſſibus & acclamationibus ſimpliciter dicebant,* Πολλὰ ἔτη, *in Theſauro Eccl.* voce Πολυχρόνιον. Latiùs poſtmodum illam extenſam eſſe, diſcimus ex Odone de Diogilo, *l.* 3. *Polychronias eorum ſuſcipit, ſed vilipendit: ſic enim vocantur reverentiæ, quas non ſolùm Regibus, ſed etiam quibuslibet ſuis majoribus exhibent, caput & corpus ſubmiſſiùs inclinantes, vel fixis in terram genibus vel etiam ſe totô corpore proſternentes* &c. Πολυχρονίζειν τὸν βασιλέα vel τὸν Πατριάρχην, ſic illis acclamare, Græci dixêre, ex *MS. cit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

POLYCHRONIUS, Epiſcopus Apameæ, A. C. 420. Frater Theodori Mopſveſtii, & diſcipulus Diodori Tarſenſis. An auctor *Commentar. in Danielem?* An idem cum Epiſcopo Hieroſolymitano? cujus Actorum meminit Nicolaus I. in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem. Sed hæc ſuppoſititia judicat Baronius. A. C. 431. Geſner. *in Biblioth.*

POLYCLEA, Soror & uxor Æati, ex quibus Theſſalus natus. De hujus fœminæ ingenio Plut. & Polyæn. *l.* 8. *c.* 44.

POLYCLES, Athenienſis, ex conjuratis, qui Heraclidem, Demetrii præfectum, urbe ejicere affectabant. Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

POLYCLES, Cyrenenſis, vicit ſtadium, Olymp. centeſimâ octavâ.

POLYCLETUS, Libertus Neronis ad componendas Paullini & Claſſiciani diſcordias miſſus. Verùm cùm ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis Oceanum tranſmiſiſſet, & militibus quoque Romanis terribilis incederet; hoſtibus irriſui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 39. Meminit quoque ejus *Hiſt. l.* 1. *c.* 37.

POLYCLETUS, ſtatuarius eximius, diligentiâ ac decore ſupra cæteros facilè vincens, uti loquitur Quinctilian. *l.* 12. *c.* 10. Nam ex ære ſigna fecit ſcriptorum præconiô nobilitata. Cum primis fecit aſtragalizontes, h. e. talis ludentes, quô opere nullum abſolutius judicant. Fuit Sidonius, ac diſcipulus Ageladis. Duas eôdem argumentô ſtatuas fecit: alteram arte ſuâ, alteram verò de vulgi opinione, quam de ſententia cujuſvis prætereuntis cælaverat. Quibus perfectis turbam admittit, ac primùm ſua oſtenſa magnopere laudatur: altera deinde non æquè. *Atqui, ſcitote*, inquit, *quod hanc quam tantopere laudatis, ego feci: quam verò vituperatis, vos feciſtis.* Ælian. *de Var. hiſt. l.* 14. *c.* 8. Vide Plin. *l.* 34. *c.* 2. & 8. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 217. *Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.* Hinc *Polyclyteus* adjectiv. Stat. *l.* 2 *Sylv.* 2. *v.* 66.

—— Quod ab arte Myronis,
Aut Polycleteo juſſum eſt quod vivere cœlo.

Idem, *l.* 4. *Sylv.* 6. *v.* 28.

Quod Polycleteis viſum eſt ſpirare caminis.

Nic. Lloydius. Toreuticen à Phidia inventam, conſummâſſe, dicitur Plinio, qua de re vide hic ubi de *Cælatura*, ut & in voce *Toreutice.*

POLYCLITUS, Lariſſæus Hiſtoricus, cujus meminerunt Athen. *l.* 12. Jul. Pollux, *in Onom. l.* 2. *c.* 4. *tmem.* 21. Ælian. *l.* 16. *c.* 41. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 405. Geſner. *in Biblioth.*

POLYCRATES, Olymp. 62. Sami Tyrannus, opibus & felicitate apud hiſtoricos inclytus, qui, quoad vixit, non tam fortunæ alumnus dici potuit, quàm partus. Nam aliquando, ut aliquid infortunii habuiſſe videretur, annulum projecit, in mare, quem tamen cocus ejus redinvenit in piſce. Sed mors infamis & ærumnoſa docuit neminem ante obitum meritò dici poſſe felicem. Ad poſtremum enim, à Perſarum Satrapa Oronte dolô captus & crucifixus. Olymp. 64. Thucyd. *l.* 1. Strabo, *l.* 14. Herodot. *l.* 3 Euſeb. *Chron.* Fuit & hôc antiquior alius. Item Epheſiorum præſul octavus ex parentibus Epiſcopis prognatus, tempore Severi Imperatoris. In Synodo Epiſcoporum Aſiæ, Paſcha celebrandum d. 14. Lunæ, ſtatuit, literis hac de re ad Victorem Epiſcopum Roman. qui Aſiaticos excommunicârat, ſatis acriter ſcriptis, Hieronym. *de Scr. Eccl.* Euſeb. *Hiſt. l.* 5. *c.* 9. & 13. Cœterùm, hiſtoriam de gemma *Polycratis*, ita referunt Cicero, *l.* 5. de *Finib. c.* 30. Strabo, *l.* 14. & Val. Max. *l.* 6. *c.* 9. *ex ext.* 5. ut gemmæ quod fuerit genus, divinandum nobis relinquant. Sed diſertè Plin. *l.* 37. *c.* 1. *Sardonychem eam gemmam fuiſſe conſtat: oſtenduntque Romæ, ſi credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Auguſtæ donô incluſam & noviſſimum prope locum tot prælatis obtinentem.* Et Solin. *c.* 33. *de Arabia*, *Ex iſtius litoris ſinu*, Polycrati Regi *advecta ſardonyx gemma, prima in orbe noſtro luxuriæ excitavit facem.* Neuter verè, quia Herodotus, qui librum de ea re ab ipſo Polycrate ſcriptum conſuluerat, ſmaragdum fuiſſe refert; operæ pretium eſt ipſum afferre locum, quamvis paulo prolixiorem, ex *libro* ejus 3. *Erat ei gemma ſignatoria ſmaragdus, quam geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samii Telecle geniti. Hanc ubi abjiciendam ſtatuit, ita abjicere libuit. Quinquaginta remorum navem conſcendit: eam debinc viros, quibus illam inſtruxerat, in pelagus educere jubet. Et poſtquam ab Inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum, iis, qui una navigabant, inſpectantibus, abjecit in pelagus: hôc actô navigavit. Reverſo domum, cùm ex jactura afficeretur, quintô ſextôve, quam hæc acta ſunt, die, hoc ei caſu advenit. Piſcator quidam captum à ſe piſcem, grandem ſanè & pulcrum, putavit dignum, quô* Polycratem *donaret. Eum ad fores quum attuliſſet, dixit ſe in conſpectum Polycratis ire velle: à juniore permiſſus, donans Polycrati piſcem, Rex, inquit, hunc ego, quem cepi, piſcem, etſi operis manuariis vitam tolero, tamen non judicavi ferendum eum à me eſſe in forum, ſed te tuâque potentiâ dignum; eum itaque offero tibi donoque. His verbis iſte delectatus, ita reſpondit: Tu verô probè, nec factô ſolô, ſed etiam ratione, apud me iniiſti gratiam, ad cœnamque te vocatum volo. Quæ magni faciens piſcator domum abiit. Piſcem Miniſtri reſcindentes, offendunt in ejus alvo ſigillum* Polycratis; *quod ubi viderunt ſumſeruntque, ad Polycratem lætabundi quam celerrimè pertulerunt* &c. Hinc Tzetzes, *Chiliad.* 7. *Hiſtor.* 121.

Ὁ Πολυκράτης τοιγαροῦν δεινῶς ἐπτοημένος,
Ὃν εἶχε πολυτίμητον δακτύλιον σμαράγδου,
Ὃν τεχνικῶς ἐσφράγισεν ὁ Δακτυλιογλύφος,
Θεόδωρος ὁ Σάμιος υἱὸς τοῦ Τηλεκλέους,
Ἐμβὰς εἰς σκάφος, ἔρριψεν εἰς μέσος τοῦ πελάγους.
Polycrates itaque vehementer perculſus,
Quem habuit pretioſiſſimum annulum è ſmaragdo.
Quem ingenioſè ſignavit Annularius,
Theodorus Samius filius Teleclis,
Conſcenſô navigiô, projecit in medium pelagi, &c.

Sed nec in eo verum dixit Solin. quòd gemmam eam *Polycratis primam in Orbe Rom. luxuriæ facem excitaviſſe*, refert ex Plinio, *Proœm. l.* 33. & *c.* 1. *de auro & annulis.* De externis enim ibi, non de Romanis, loquitur *Plinius:* nec ex annulo illo vel gemma excitatam luxuriæ facem in Orbe Romano dicit, imò nec in externis, ſed plurimam apud Græcos jam tum fuiſſe gemmarum auctoritatem, circa *Polycratis* tempora. Et diſertim, *l.* 37. *c.* 1. tradit, victoriam Ponticam M. Pompeji primùm ad margaritas gemmaſque mores Urbis inclinâſſe. Vide omnino *Proœmium*, ſuprà dictum, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 557. Ad hoc factum autem Polycratis alluſiſſe Nero videtur, qui, *ut conſultô Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit, quaſi eô demum obiturus, ac nihil cogitans de ætate Galbæ, tantâ fiduciâ non modò ſenectam, ſed etiam perpetuam ſingularemque concepit felicitatem, ut, amiſſis naufragiô pretioſiſſimis rebus, non dubitaverit inter ſuos dicere, piſces eas ſibi relaturos eſſe*, teſte Suetoniô *in Eo*, *c.* 40. Simili planè modô, Arnolphum, Lotharingiæ Principem annulum, quem in Moſellam fluv. abjecerat, in piſcis ventre aliquando pòſt recuperâſſe, hincque de impetrata à Deo peccatorum venia benè ominatum eſſe, auctor eſt Petrus Damianus, *Ep.* 5. *c.* 10. *Bibl. Patr. Tom. III.* Nec multum abludit hiſtoria de Florentio, ſartore Hipponenſi, homine religioſo & paupere, qui piſcem grandem in littore palpitantem apprehendit, cumque trecentis follibus vendidit: in cujus itidem ventre annulum aureum coquus invenit, ut pluribus narrat Auguſtinus *de Civ. Dei*, *l.* 22. *c.* 8. &c. Uti autem *Polycrati* annulus, ſupra omnem ſpem redditus, nuntius fuit ſummæ calamitatis imminentis: ita Eduardo III. Angliæ Regi annulum, quem pauperi olim eleemoſynæ locô obtulerat, redditum, mortis omen feciſſe, refert Joh. Kirchmann. *de Annulis*, *c.* 21 quem vide omnino.

POLYCRATES, poſt ſuperatum, ad Platæas, Mardonium, vulgante rumore, ſub ejus tentorio ingentem theſaurum eſſe defoſſum, locum iſtum pecuniâ redemit & diu multumque perſcrutatus eſt terram. Cum nihil reperiſſet, miſit Delphos, Apollinem ſciſcitatum, ubi reperire poſſet. Ferunt Apollinem reſpondiſſe, *Omnem lapidem move*, quod poſteà in proverbium abiit. Polycrates autem iſte fuit Athenienſis. Vide Scholia *in Ariſtophanis Equites*, *p.* 233. *D.*

POLYCRETA vel POLYCRITA, Puella Naxia, à Diogneto Erythræorum duce capta & locô uxoris habita. Mileſiis quôdam tempore vinô & ſomnô demerſis, miſit tabellas plumbeas, placentæ inſertas, ad fratres, quibus monebat, ut ſepultos vinô ac ſomnô opprimerent: Diognetum verò ſibi donum exemit ab exitio: Polyæn. *l.* 8. *c.* 36.

POLYCRITA, nobilis mulier è Naxo inſula, quæ inſperatô gaudiô penè exanimata ultimum ſpiritum emiſit. Plut. *de claris mulieribus*, & Ariſtotel. apud Gellium, *l.* 3. *c.* 15.

POLYCRITUS, Mendæus, nomen ſibi peperit hiſtoriâ Dionyſii Tyranni, Laërtius, *l.* 2. *c.* 63. Idem videtur eſſe, quem res Siculas carmine Heroicô panxiſſe narrat Ariſt. *l. de Mirab.* At fortaſſe alius eſt, cujus meminit Plut. *in Alexandro*, tres enim hujus nominis urbes erant, in Sicilia, Thracia & Ægypto. Plin. *l.* 23. *c.* 2.

POLYDAMAS, nobilis Trojanus, Antenoris & Theanûs ſororis Hecubæ fil. qui, quamvis Lycaſten Priami filiam ex concubina ſuſceptam, uxorem duxiſſet, cum Antenore tamen patre ſuo urbem Trojanam dicitur Græcis prodidiſſe. Item Panthei fil. Homer. *Il.* 12. Perſius, *Sat.* 1. *v.* 4.

Me mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint. —— ——

Ubi ingenioſiſſimè poëta duos verſus *Iliad.* χ. *v.* 100. (errant qui alterum horum aliunde petant) hôc unicô expreſſit,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Et ſtatim, *v.* 105.

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας Ἑλκεσιπέπλους.

Sic M. Tullius utrumque Homeri verſum uſurpat, *ep.* 5. *ad Attic. l.* 2. & Ep. 1. *l.* 7. *Aliter ſenſero?* Αἰδέομαι *non Pompejum modò*, ſed Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Quis? Tu ipſe ſcilicet, laudator & ſcriptorum & factorum meorum.* Vide & *ep.* 16. *l.* 8. *Polydamas* & Ciceroni & Perſio eſt alterius Catonis, aut ipſius virtutis nomen. Ineptè nimis quod argutatur de ea voce antiquus Scholiaſtes. Is Latina voce exprimit *multinuba*, quia ſcil. δάμαρ, eſt *conjux*, & multitudinem uxorum putat Neroni exprobrari. Quid putidius hôc commentô? etſi non defuerunt qui probarent; Præterea falſiſſimum eſt, Polydamantem deſcribi à Poëtâ, garrulum & ineptum. At quot locis ejus virtutem prædicat? velut *Iliad.* μ. *v.* 88.

Οἱ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.

Componit eum cum Hectore, & quidem honeſtiſſimô elogiô adjectô, cùm Hectoris nudum nomen poſuiſſet: ut quem locô depreſſerat poſteriùs nominans, virtutis teſtimoniô attolleret. Poſteà vocat ἀμώμητον, & conſilium illius laudat, *v.* 109.

Βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμωμήτοιο πίθοντο.

Alibi πεπνυμένον *prudentem. Iliad.* Σ. *v.* 249.

Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ' ἀγορεύειν.

POLYDAMAS, Pancratiaſtes, æmulatus Herculem, leonem, in Olympo monte, inermis ſuperavit, taurum ingentem apprehenſis extremis pedibus retrò tenebat, currum agitatum ſeſe opponendo alterâ manu comprehenſum ex curſu retrahebat, in equoſque inſilebat, dejectô aurigâ. Accerſitus à Dario, Artaxerxis magni filio, ter apud eum ex provocatione victor fuit. Poſtremò pòſt cœnam in caverna, cùm ſaxum in vertice ruinam mina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

minaretur, diffugientibus convivis, confiſus ipſe viribus ſuis, ac manibus poſſe illud ſuſtinere putans, oppreſſus eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 49. Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *ex.* 10. Pauſan. *l.* 6. *Nic. Lloydius.*

POLYDAMAS, Prætorum unus Alexandri M. intimus Parmenionis, per quem & hunc ſuſtulit. Curt. *l.* 4. *c.* 15.

POLYDECTES fil. Eunomi, Spartæ Rex, è ſtirpe Proclidarum, patri ſucceſſit, quô tempore ex Agidis Labotes adhuc regnabat. Sub his pax fuit. Ei ſucceſſit frater Lycurgus, quô per menſes aliquot regnante natus eſt *Polydectæ* fil. poſthumus Charillus. Pauſan. *Laconicis.*

POLYDECTES, Magnetis fil. Rex Seriphi inſulæ. Hic Perſeum Jovis & Danaës filium educavit, cujus tandem ingenium veritus, audaciamque & felicitatem, ſub prætextu æternæ gloriæ, illum ad ſuperandam Gorgonem Meduſam impulit: quâ devictâ redeunti Perſeo cum ſemper detraheret, converſus eſt ab illo in ſilicem, monſtratô capite Meduſæ. Ovid. *Met. l.* 5. Alii apud *Dictyn*, ſororem hujus, Danaën cum Perſeo, hoſpitatam eſſe tradunt. Vide *Danaë & Perſeus.*

POLYDEUCEA, Laconicæ fons ad Therapnem urb. Vide Strab. *l.* 9.

POLYDICE, mulier quædam, quæ Pterelam patrem, Thebarum regem, Creonti prodidit, & occidi ſuaſit. *Servius.*

POLYDORA, Nympha Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theog.* Item inſula juxta Cyzicum. *Steph.* Vide infrà.

POLYDORA, Inſul. parva Propontidis, juxta Cyzicum. Plin. *l.* 5. *c. ult. Diod. Sic. Steph.* Incolæ *Polydorenſes*, & *Polydorei.*

POLYDORI Tumulus, locus Thraciæ, apud Ænon urb. ubi is à Rege Thraciæ, cui à Priamo Patre commendatus erat, occiſus eſt. Virg. hinc, *l.* 3. *v.* 18.

Æneadaſque meo nomen de nomine fingo.

Ubi Servius: *modò Ænum intelligit* &c. Sed urbem is *Ænum*, Αἶνον, cum urbe *Ænea*, à qua *Æneadæ*, confundit. Illa ante Æneam diu condita, contra Cherſoneſum Thracicam, in Melane ſinu, ad oſtia Hebri fluminis, ſita fuit; iſta in Cherſoneſo, cui nomen Pallena, ab Ænea condita eſt. Et quidem illa in propinquo habebat *Polydori tumulum*, à Polymneſtore, qui eam Cherſoneſum obtinebat, occiſi, uti ex Euripide docet Salmaſ, *ad Solin. p.* 163. & 164. Vide quoque ſuprà, ubi de his urbibus.

POLYDORUS, Lacedæmoniorum Rex, qui civibus ſuis cum Meſſeniis viginti annorum bellô implicitis, tandem rei finem ut imponeret, & Meſſenios ad prœlium eliceret, ſimulavit cum Theopompo, alterius familiæ Rege ſimultatem: à cujus regreſſu egreſſi Meſſenii, à fronte & à tergo circumventi, vi ſubacti ſunt. Fuit autem is filius Alcamenis, ex Euryſthenidis decimus: à Polemarcho quodam viro audaci occiſus. Ei mortuo Lacedæmonii præ cunctis aliis Regibus honores eximios tribuerunt: erat enim Spartanis omnibus æquè charus, ob ſpectatam virtutem, ſummam comitatem & juſtitiam. Et quidem decretum, ut Magiſtratus inſtrumenta publica *Polydori* imagine ſignarent. Ejuſdem domus de uxore publicè empta, Βοώνητα dicta, quod boves pretium fuêre, uſu nummi à Lycurgo veritô. Etiam heroicis honoribus cultum, docet nummus æneus ΛΑΚΕΔ αιμονίων, in quo ΠΟΛΥΔΩΡΟΥ Regis caput laureatum; averſâ parte, Eques haſtatus hoſti proſtrato inſultans, Pauſan. *Lacon.* Goltzius *Gr. Tab.* XI. Alii. Nec omittendum, illô regnante Lacedæmonios in Italiam Coloniam deduxiſſe Crotonem, alteramque Locros ad Zephyr. promontor. Illi ſucceſſit fil. Eurycrates præfatus quem vide.

POLYDORUS, fil. Alcamenæ, pater Eurycratis, Lacedæmonius, Heracides. Herodot. *l.* 7. idem cum priore.

POLYDORUS, frater Iaſonis Pheræi, qui, ſecundùm quoſdam, ut Dux Theſſalorum Principatum Græciæ affectantium & Pheræorum Dominus fieret, fratrem dolô occidit, Ann. 3. Olym. 102. Præfuit autem Theſſalis annum ſaltem unum: à Fratre Alexandro viciſſim venenô ſublatus.

POLYDORUS, Rhodius, cælator nobilis, qui ex uno lapide fecit Laocoontem & liberos, nexuſque mirabiles. Plin. *l.* 34. *c.* 8. *& l.* 36. *c.* 5.

POLYDORUS, Priami fil. ex Hecuba, quem pater initiô belli Trojani incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere educandum tradidit Polymneſtori Thraciæ regi, antiquo hoſpiti, amico & genero ſuo. Sed ille deletâ Trojâ, cæteriſque Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in litore ſpatiantem telis aggreditur, & fruſtrà fidem Deorum hominumque implorantem, occidit, cæſoque tumulum injecit, cui poſteà myrtus increvit, ſanguineis guttis diſtillans. Quod cùm mater Hecuba intellexiſſet, ſimulavit ſe ingens adhuc auri pondus velle illi ſecretò indicare, quod pro filio acciperet. Quod avarus rex verum exiſtimans, mox ad Hecubam profectus illius unguibus occæcatus eſt. Extat tamen & alia de Polydoro opinio, nempe Græcos per Thraciam venientes hunc cepiſſe; Priamum autem redimentem filium, Græcis pro eo dediſſe urbem, quæ poſteà ab eventu *Antandros* dicta eſt: quâ acceptâ illos tamen nihilominus Polydorum lapidibus obruiſſe, Servius, *in Æn. l.* 3. Hinc *Polydoreus*, Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 629.

En Polydoreo manantem ſanguine terram.

Item *Polydorus* alius, Priami filius ex Laothoë Altai Lelegum regis filia: quem Achilles cum fratre Lycaone in bello Trojano interemit.

POLYDORUS Virgilius ſeu Vergilius, Urbinas, vixit ſeculô 15. & 16. Eruditione famam meritus. Edidit A. C. 1499. *de Inventoribus rerum libros* 8. Dein in Angliam profectus, ut ibi denarium S. Petri colligeret, gratiâ Principum Anglicorum potitus eſt, & Archidiaconatu auctus. Tractatum *de prodigiis* publici juris fecit, Londini, A. C. 1526. Dein, ultimam manum Hiſtoriæ Anglicæ impoſuit, eamque Henrico VIII. inſcripſit, A. C. 1533. libris 26. Scripſit etiam *proverbia*, &c Obiit A. C. 1555. Paul. Jov. *in Elog. c.* 135. Henr. Savilius, *in edit. Scriptor. Angl.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 1?. *p.* 678. *Nic. Lloydius.*

POLYELEUS, Græcè Πολυέλεος, recitatur in Eccleſia Græca, cùm aliæ ſunt ſolennitates, quàm Chriſto & B. Virgini dicatæ, eſtque Pſalmus 135. cujus initium, Αἰνεῖτε τὸ ὄνομα Κυρίου. Sic autem dictus eſt, quòd eôdem tempore canitur Pſalmus 136. in cujus ſingulis verſibus repetuntur verba, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* In omni Paraſceve *Polyeleum* cani, habes in *Typico* Sabæ. Vide Meurſium *Gloſſar.*

POLYEUCTES, Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt Theophylactum. A. C. 956. Conſtantino Porphyrogennetæ acriter obnixus; Nicephorum Phocam, qui, uxori ſuæ ſuperſtiti adhuc, aliam ſuperinduxerat, ex Eccleſia ejecit, idemque Johannem Zimiſcem à ſacris arcuit, quòd Nicephorum occidiſſet. Obiit A. C. 970. Curopalates, & Baronius, *in Annalibus.* Item Poëta Comicus, Athen. *l.* 10.

POLYGAMIA, apud Hebræos olim multo in uſu. Quamvis enim non defuêre, qui ex ipſa lege etiam binas uxores Iſraëlitam ſimul retinere poſſe, fas non putarent; unde Rabbi Ammi, *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth. c.* ?. *fol.* 65. *Quiſquis uxori uxorem ſuperinduxerit, oportet eum priorem divortiô ejicere cum dote.* Alii item ex illa de binis ſororibus idem probare vellent: præ Hæreticis tamen hi habiti ſunt à reliquis, qui communiter ſtatuerunt, tot unicuique licere uxores ducere, quod collibitum eſſet. Hinc illud, de univerſis, præter Regem & Pontificem, inter eos receptum, *Ducere cuique licet quotcunque pro libitu uxores, modò habeat unde alantur*, Alpheſius, *part.* 2. *fol.* Et Maimonides, *Hal. Iſnoth. c.* 14. *Licet homini ducere quot voluerit uxores; etiam centum; idque ſive ſimul, ſive alteram poſt alteram. Neque impedire poteſt eum uxor ejus* (quam antè habuerit) *modò ſcilicet ei ſuppetat, quô ſingulis victum, veſtitum ac debitum conjugale præſtet.* Ne tamen deeſſet certus numerus finiſque, quô præſcriptô quamplurimis, quæ numeroſam uxorum catervam ſequerentur, incommodis domeſticis, viri degerent immunes, ideo ita monebant Sapientes, quaternarium numerum à nemine, præter Regem, excedendum: ratione numeri è tempeſtiva debiti conjugalis præſtatione petitâ. Ubi tamen iterum varias Magiſtri exceptiones habent, quas vide apud Seldenum, *Uxor. Ebraic. l.* 1. *c.* 9. Duravitque hic *Polygamiæ* uſus in ea gente, abſque ullis ſive interdictis ſive temperamentis, à Principibus Chriſtianis adjectis, uſque ad tempora Theodoſii, Arcadii & Honorii A. A. A. quorum reſcriptô, ad Infantium Orientis Comitem dato, *l.* 7. *C. de Judæis & Cœlicolis*, ſancitum eſt, ne deinceps (annus erat Chriſti 393.) quis *Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineret, nec ſecundùm Legem ſuam nuptias ſortiretur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniret.* Vide Dionyſ. ibi Gothofredum. Unde illud in Synopſi Βασιλικῶν, *l.* 1. *tit.* περὶ Ἰουδαίων, Κατὰ τοὺς κοινοὺς Ἰουδαῖοι γαμείτωσαν νόμους, *Juxta leges communes Judæi matrimonia contrahant.* Certè vicenniô circiter antè Valentinianus Aug. (ſi Socrati fides) legem tulerat, ὥστε ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ δύο νομίμως ἔχειν γυναῖκας, *Ut cuilibet pro lubitu fas eſſet duas habere uxores.* Ipſe nempe Juſtinam Severæ ſuperinduxerat; quod ne contra legem facere videretur, eam ita novari voluit, tum Chriſtianiſmi de nuptiis ſcita, tum mores Majorum nimiùm impugnans. Ita ſcil. Socrates, qui ſub annum poſt Valentinianum hunc 60. ſcripſit. Quin & legem hanc de binis ſimul uxoribus, προστίθησι, inquit, κατὰ πόλεις, *ſingulis in civitatibus promulgavit*, &c. quod tamen, velut fabulam, pluribus refellit Baronius, *Annal. Tom.* 4. *ann.* 370. §. 125. Hodie verò, apud Europæos Judæos, veluti, qui in Italia ac Germania degunt, infœcundæ uxori alia, prolis gratiâ, idque non ſine Pontificis Rom. indultu, interdum ſuperinducitur, ut patet ex Rabbi Leonis Mutinenſis, Venetiis Archiſynagogi, de Moribus Hebræorum libello, ſeu *Hiſtoria degli Riti Hebraici.* Neque verò ſolùm apud Hebræos, ſed & alibi in Oriente olim hodieque apud varias gentes, eadem conſuetudo viget. In Occidente non item: Nam ne quis binas eôdem tempore uxores haberet, Cecropem Athenienſium Regem memoriæ proditum eſt conſtituiſſe, vide ſis P. Fabrum, *Semeſtr. l.* 2. *c.* 1. Et raræ ſatis binæ ſimul in Occidente nuptiæ ſunt; licet poſt Cecropem pſephiſma occurrat, Διὰ τὸ λειπανδρεῖν, συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, γαμεῖν μὲν τὴν ἀστὴν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. *Ne homines deficerent atque ut multitudo creſceret, unam uxorem civem & legitimam ducendam, liberos verò etiam ex alia ſuſcipiendos.* Sed rara quidem apud Græcos aut Romanos plurium ſimul ſeu legitimarum ſeu juſtarum uxorum exempla. Vide ſuprà quoque *Helvius Cinna.* Apud Barbaros autem ſeu gentes alias frequenter *Polygamia* reperta. Tacitus de Germanis, *c.* 18. *Severa illis matrimonia: nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope ſoli Barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem, pluribus nuptiis ambiuntur.* Vide præfatum Seldenum, *de Jure Nat. ac Gent. juxta diſc. Ebræor. l.* 5. *c.* 6. Inprimis verò inter Muhammedanos Orientales & Africanos pluralitas uxorum etiamnum juris locum obtinet, ubi tamen & numerum quaternarium, de quo ſuprà, obſervant Eruditi. Mahumedes in Alcorano, *Azoarâ* 4. *in Lat.* 8. *Accipiatis pro libitu uxores ſive binas, ſive trinas, ſive quaternas. Quòd ſi timueritis, ne poſſitis æquô jure agere, etiam & unicam, aut ex eis, in quas veſtrarum dextrarum poteſtas eſt* (ex ancillis) *Hoc inſtitutum mihi eſt, ut non iniquè agatis.* Ubi concubinatum ſeu potiùs *contubernium ancillarum permittit, utpote quibuſcum ex jure nuptiæ iniri nequeunt.* At verò Mahumedi ipſi uxores, ut ajunt alii, fuêre undecim; ut alii, quatuordecim: quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mirum non eſt. cùm non ſolùm quotcunque vellet ipſe, ſed & qualescunque etiam conſanguineas, ſibi inter privilegia ſeu jura ſibi ſingularia haberet (ſi ipſi fides) indultas, *Azoarâ Arab.* 33. &c. Vide in hanc rem plura apud prælaudatum Seldenum, *Uxor. Ebraic. paſſim* alibique, ſupra ubi de *Conjugiis immodiciis.* Adde Cl. Suicerum in hac voce; ubi τριγαμίαν apud Scriptores Eccleſiaſt: non rarò πολυγαμίας quoque nomine venire, inter alia, obſervat.

POLYGAMISTÆ, Hæretici, qui licere cuique tot uxores, quot vellent, ducere ſtatuerunt. Horum auctor Bernardinus Ochinus erat, qui Generalis primò Capucinorum, dein veræ religionis profeſſionem aliquandiu mentitus, tandem in varios errores prolapſus eſt. Seculô præteritô.

POLYGIUS, Mercurius dictus eſt, cui Herculem clavam conſecrâſſe, eamque paulo poſt iterum pullulâſſe, quòd eſſet ex oleaſtro, refert Pauſan. *l.* 2.

POLYGNOTUS, patriâ Thaſius, floruit Olymp. 93. pictor antiquiſſimus. Quintil. *l.* 12. *c.* 10. & Plin. *l.* 33. *c.* 13. *&* *l.* 34. *c.* 8. *&* *l.* 35. *c.* 6. 9. *&* 11. Videndi quoque ſunt Plutarch. *in Cimone,* Pauſan. *l.* 10. & Ælian. *l.* 4. *Var. Hiſt. c.* 3. Item Statuarius inſignis, Plin. *l.* 34. *c.* 11.

POLYGRAPHIA, ſive Artificium linguarum, quô cùm omnibus totius Mundi Populis & linguis unusquisque licèt non aliâ, quàm maternâ linguâ instructus, correſpondere poſſe demonſtratur, cum multis aliis ad Steganographiam Tritthemianam pertinentibus arcanis; nomen eſt libri, Auctore Athanaſiô Kircherô, editi A. C. 1663.

POLYHISTOR, Apion ſic dictus, Gell. *l.* 5. *c.* 14. Item *Polyhiſtor* hiſtoricus à Plinio reponitur inter eos, è quibus contexuit librum octavum. Poterat idem videri ac Alexander Polyhiſtor; ſed apertè ab eo Plinius ipſe *l.* 9. *c.* 35. diſtinguit. Vide *Alexander Polyhiſtor.*

POLYHISTOR, nomen emendatæ ac à ſe recognitæ editioni operis ſui à Solino impoſitum, cùm prioris *Collectanea rerum memorabilium* titulus fuerit, quem obliterari cum aliis, quæ improbavit; in ſecundis curis, placuiſſe dicit Auctor. Scriptores tamen ex Veterib. qui Solini teſtimoniô utuntur, ſæpius eum ex *Collectaneis* citant, raro ex *Polyhiſtore.* Priſcianus ferè ſemper in *Memorabilibus,* ſemel tantùm in *Collectaneis* vel *Polyhiſtore.* Diugilus Grammaticus, cujus excerpta ex Solino & Plinio in membranis extant, Solinum in *Collectaneis* ſemper laudat: Variantque libri veteres Solini, in quorum aliquo ſic legitur: SOLINI COLLECTANEA, vel POLYHISTOR vel MEMORABILIA. Sed dubium non eſt, quin Inſcriptio, quam Exemplaria, ex recentata & recognita editione, ita fermè concipiunt, C. JULII SOLINI POLYHISTOR AB IPSO EDITUS ET RECOGNITUS, ab ipſo Auctore operi fuerit præfixa: cùm priorem editionem, priusquam ſummam manum accepiſſet, interceptam & proditam veriùs, quàm ab ſe editam, intelligi voluerit. Præter Solinum verò, qui titulum ſimilem operi ſuo indiderit, nemo occurrit: multos *Polyhiſtores* cognominatos fuiſſe, conſtat, quorum aliquot memoravimus, in hac voce. Adde, *C. Julium Hyginum Polyhiſtorem,* uti in *Epit. Chronic.* vocatur. Eſt autem liber Πολυΐστωρ, idem quod Πανδέκτης, Salmaſ. *ad Solin. p.* 4.

POLYHYMNIA, Muſarum una. Aliqui *Polymneiam* vocant, à *magnitudine memoriæ* ſcilicet, Hiſtoriæ, an Rhetoricæ præſtita? Pingitur coronam ex margaritis conſtantem, & candidam geſtans: manu dexterâ ad perorandum exertâ, cum volumine in læva, cui inſcriptum. *Suadere.* Plutarch. *in Sympoſ.* Balduin. *Iconol.* Horat. *Od.* 1. *l.* 1. *v. extr.*

——— Si neque tibias.
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia.
Lesboum refugit tendere barbiton.

Ovid. *l.* 5. *Faſtor. v.* 9.

Diſſenſêre Deæ, quarum Polyhymnia cœpit.

Nic. Loyd.

POLYIDIUS, Medicus, qui Glaucum Minois filium mortuum ad vitam revocavit porrectâ herbâ, cujus uſum didicerat à Dracone, quem viderat draconi cuidam mortuo herbam illam porrexiſſe, eumque illius herbæ operâ ad vitam revocâſſe. Palæphatus, c. 27. Apollodor. *l.* 3. Fuit quoque *Polyidus,* qui *de arte machinali* ſcripſit, teſte Vitruviô Pollione, *præfat. l.* 7. Apud Cenſorinum quoque, *fragmenti c.* 9. quidam *Polyidus* inter Muſicos Olymp. 95. memoratur; Ubi perperam *Pondos* legit Carrio. Vide quoque Pauſan. *in Attic.* Clem. *l.* 1. *Strom.* Hygin. *Fab.* 136. *&* 251.

POLYIDUS, Poëta Dithyrambicus, prætereà Pictor ac Muſicus inſignis, floruit Olymp. 95.

POLYMARTIUM, urbs Hetruriæ olim Epiſcopalis, nunc caſtrum cum Ducatus titulo in ditione Pontificia, 14. mill. paſſ. ſupra civitatem Caſtellanam in Circium Orivetum verſus, medium inter Viterbium & Hortam, in provinc. Patrimonii, *Bomarzo.*

POLYMATHIA, Voſſio viam ad Philoſophiam parat. Cùm enim tria faciat diſciplinarum genera, primum earum eſſe dicit, quæ pertinent ad Πολυμάθειαν: Alterum, quæ pars ſunt Philoſophiæ, ſtudiorum Reginæ: Tertium, hujus comitum ac inſtrumentorum; cujusmodi utraque Eloquentia eſt. Et primum quidem, quod Græcis Προπαιδείας vel προπαιδευμάτων nomine cenſetur, quia latè admodum patet, etiam Πολυμαθείας vel Πολυμαθοσύνης, Latinis *Variæ eruditionis,* nomen obtinet: Prætereà Ἐγκυκλοπαιδεία nuncupatur: Artesque ipſæ, Ἐγκύκλιοι vel τῶν ἐλευθέρων, ſicut Latinis *Artes liberales* dicuntur; quas ante Philoſophiam, ſicut πρὸ τῶν μεγάλων μυστηρίων τὰ μικρὰ, *ante majora myſteria minora* tradi oportere, docet Pythagoras apud Stobæum, *Serm.* 41. Unde *Polymathiam* ſeu Encyclopædiam, *proœmium & veſtibulum Sapientiæ,* Philo vocat Judæus eamque *famulam* appellans cum Agar confert, Saræ ancillâ, *l.* περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. Nec obſtat Heracliti illud, Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει, *Varia eruditio mentem non docet:* Item, quòd Cynici iſtiusmodi Artes rejicerent, apud Laërtium *in Heraclito,* & *extremo. l.* 6. Stoici quoque & Epicurei ipſeque Seneca idem facerent: Omnes enim iſti non aliud voluêre, quàm *hiſce diſciplinis inhærendum non eſſe.* Nec Sanctorum Patrum illi, qui ſecularia reprehenderunt ſtudia, damnârunt alios, quàm qui in iis modum non tenerent; quique ea, cùm veræ Sapientiæ famulari deberent, ſupra ipſam dominam efferrent: ut Gentiles faciebant, & plerique Chriſtianorum; qui ex Philologis ac Philoſophis in Eccleſiam recepti, ſic prima ſtudia miſcebant ſacro, ut Chriſtianam religionem corrumperent magis, quàm ornarent. Cœteroquin ſatis videbant, eruditionem inter humana bona primum tenere locum, de quo Nazianz. *Orat. in laudem S. Baſilii.* Imo quantum Chriſtianis ex *Polymathia* accedat, non ignoravit Julianus, qui evertendæ Religioni noſtræ facilem eſſe viam arbitrabatur, ſi iis politioris literaturæ Scriptores non prælegerentur in Scholis, ut videre eſt, apud eundem Nazianz. *Invectiva* I. *in Julian.* Socratem, *l.* 3. *c.* 12. & 16. ac Sozomenum, *in Tripart. l.* 6. *c.* 37. Amm. quoque Marcellin. gemino in loco *l.* vide *l.* 22. atque iterum 25. narrat, ut prohibuerit callidus Imperator, ne quis Chriſtianus doceret Grammaticen vel Rhetoricen. Sunt autem partes *Polymathiæ* tres, Philologia, quæ aliter *Grammatice* vocatur, Matheſis & Logice: quarum prima verſatur circa Sermonis curam & Hiſtoriam; in ſecunda & tertia quid tractetur, ſatis notum. Et ſtyli quidem curam tum liberi, tum ligati, ad *Polymathiam* pertinere, Philo indicat, *loc. cit.* Fabius item, *l.* 1. *c.* 16. & Photius *in Biblioth.* ubi Helladii Lexicon ait utile eſſe, ad πολυμάθειαν, quia continet, μαρτυρίας τε ῥητόρων τε καὶ τῶν εἰς ποιητικὴν μέγα κλέος ἐχόντων, *teſtimonia Oratorum & eorum, qui è Poëſi magnam gloriam retulêre:* Sed prætereà Dialecticen & Matheſin eódem pertinere, oſtendit idem Judæus ἐν προπαιδεύμασι illas numerans: ut & Quintilian. *l.* 1. Clemens in Στρωματέων libris, Origenes *in Philocalia,* Syneſius *in Dione,* Alii. Imò & eadem Porphyrio mens, qui ita apud Joh. Tzetzen, *Hiſtor. Chil.* 11. *ſect.* 377. hac de re loquitur.

Δευτέρως δὲ ἐγκύκλια μαθήματα καλοῦντες
Ὁ κύκλος τὸ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων,
Γραμματικῆς, Ῥητορικῆς, αὐτῆς Φιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
Τῆς ἀριθμούσης κτλ.

Vide ſuprà in voce *Philologia.* In uno abit, quòd Ἐγκυκλίων nomine complectitur ipſam Philoſophiam; nempe ut apicem eorum. Sed hanc Seneca quoque excludit, *Ep.* 89. Plura vide apud præfatum Voſſ. *l. de Philologia, de Scientiis, Mathem. Hiſtor c.* 1. & 3.

POLYMECHANOSTATICA, & POLYMESOSTATICA, inter Statices partes, de qua infrà.

POLYMEDIA, Troadis oppid. Helleſponto adjacens, Plin. *l.* 5. *c.* 30.

POLYMENES, ab Alexandro Magno, clauſtra Nili fluminis, deditâ Ægyptô, cum 30. triremibus tueri juſſus, Curt. l. 4. *c.* 8.

POLYMESTOR, in Arcadiæ Regno Æginetæ patri ſucceſſit; quô tempore, Lacedæmoniis contra Tegeatas exeuntibus, non viri ſolum, ſed etiam fœminæ, ſumptis armis, Lacedæmonios præliô fuderunt, Regemque eorum Charillum ipſum ceperunt vivum Eum excepit Æchmis. Vide Pauſan. *p.* 461.

POLYMESTOR, Mileſius puer, cùm à matre locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicrô leporem conſecutus eſt, & ob id ſtatim productus à gregis domino Olympiade 46. victor in ſtadio meruit coronari.

POLYMITARII, quibuſdam iidem cum *Plumariis,* dicti ſunt qui *polymita* conficiebant; à varietate τῶν μίτων *filorum* nomen adepta, verſicolor enim his ſubtemen fuit: *Variantia licia* vocat Treb. Poll. *in Triginta Tyrannis, c.* 14. ſibi de Macrianorum familia ſpeciale hoc narrat, quod *in ea hodieque ſint tunicæ & limbi & penulæ matronales, quæ Alexandri* (Macedonis) *effigiem de liciis variantibus monſtrent.* Quæ verba τὸ πολύμιτον Græcorum inſignitè exprimunt: *Multis enim liciis contexere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit;* inquit Plin. *l.* 8. *c.* 48. Et certè non minùs, quæ acu picta erant & variata Plumarum arte, *Polymita* dixêre. Hinc *Veteres Gloſſæ Babylonicum* πολύμιτον exponunt; cùm ſatis conſtet, quæ propriè *Babylonica* vocarentur, non polymitô texturæ genere, ſed acu, fieri ſolita. Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 17.

------ ——— Babylonica picta ſuperbe
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Plumatum Babylonicum Gloſſæ, Babylonicum, ψιλὴ πολύμιτος. *Plumarium* veter. *Gloſſæ,* τὸν ψιλοτάπιον interpretantur: *Polymitumque opus* aut *plumarium* vocat *Publius Syrus,* apud *Petronium.* Sed & Græci indiſcriminatim ponit vetus Bibliorum *Interpres.* Sed & Græci ποικίλλειν, ut Latini *variare,* de utroque genere dixêre &c. Accuratè verò loquendo, *Polymitarii* diſtinctum Artificum fuêre à Phrygionibus Plumariisque genus, Alexandriæ primum (ubi ars eorum reperta) orti, ut ex Plinio modò diximus, unde etiam *Alexandrina* dicebantur, quæ ad eum modum texta erant. Hi non *acu* operabantur, ut Phrygiones & Plumarii Babylonici, de quibus abunde ſuprà, ſed *pectine.* In tela namque & textoriis inſtrumentis artem ſuam exercebant, ac per hoc verè & propriè *texebant:* tantô tamen artificiô ac induſtriâ, ut majore fermè varietate opera eorum diſtinguerentur, quàm quæ acu Babyloniâ aut Phrygiâ eſſent picta. Hinc non dubitat pronuntiare Martialis, Babyloniam acum debere concedere Ægyptiaco pectini, quod hoc ejus *Epigr.* 150. *l.* 14. teſtatur, cui lemma impoſitum, *Cubicularia Polymita:*

Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa eſt
Pectine Niliacô jam Babylonis acus.

Unde certum; hujuſmodi Alexandrina polymita, tam varia olim texi conſueviſſe: tamque variis coloribus & picturis intexi, quàm ipſa acupictilia ſolebant: & in his enim belluarum, hominum, avium aliarumque rerum formæ exprimebantur. *Alexandrinorum* hinc *belluatorum* meminit Plautus, hæc de quibus loquimur, polymita intelligens: in *Pſeudolo*, *Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 14.

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Mentio *Alexandrini veli*, apud Anaſtaſium, duodecim phaſianos intextos habentis, in *Gregorio IV. Imò verò & in diaconia beati Georgii Martyris fecit velum Alexandrinum habens phaſianos duodecim & velum ante januas lineum plumatum unum.* Ubi notandum *velum plumatum* diſtingui ab *Alexandrino*, quod erat *polymitum*; quod & alii ſolent, quoties hac in re accuratè & propriè loqui amant. Nam *polymitorum* textores, connexione ſtaminis ad ſubtemen, varietate plurimorum liciorum intercurrente, in tela ipſa texturaque quaſcunque vellent figuras exprimebant & fingebant: At Plumarii acu hoc idem facientes, diverſis animalium rerumque formis tapetia pingebant. Utriuſque operis Artifices etiam hodieque videntur ac habentur; *Tapetiarios* vulgò vocamus, &c. Sed & ad *polymitum* opus referri poſſunt, *hexamita* veſtimenta tapetiaque, quorum apud Veteres occurrit non rara mentio. Apud Nicetam: βλατία χρυσᾶ κ̀ ἑξάμιτα κ̀ ἕτερα βλατία ποικίλα κ̀ κεντητὰ, ubi τὰ ποικίλα *varia* & κεντητὰ *acu picta*. diſertè diſtinguit ἀπὸ τῶν ἑξαμίτων, *ab hexamitis*; ut quæ & ipſa in tela de liciis variantibus texebantur: Sed de his vide ſuô locô. *Polymita* porrò Iſidorus *in Origin. multicoloria* interpretatur: *Polymitum*, inquit, *textus multorum colorum eſt.* Ita ſanè erat, & quô plurium erat liciorum textus, eô quoque plures habebat colores. Quia verò & qui acu pingebant, plurimis etiam filis utebantur & varios veſtibus intexebant colores, inde factum, ut & *polymitum* quoque vulgò opus eorum vocaretur, ut ſuprà viſum. Unde, præter ſuperiùs allata, *Babylonicum veteres Gloſſæ* ψιλὴν πολύμιτον, interpretantur, h. e. *pſilam plumariò opere variatam. Heſychius* etiam ποικιλτικὴν τέχνην, *artem plumariam*, quæ acu faciebat, πολυμιταρικὴν exponit, &c. Imò & *plumare*, quod initio nihil aliud erat, quàm plures notas in modum plumæ factas veſtibus cum pictura intexere aut acu addere, poſteà de quacunque variatione ſimiliter cœptum eſt uſurpari. *Plumariique* tractu temporis vocati ſunt οἱ Ποικιλταὶ, cujuſcunque illi generis eſſent & quôcunque modô variare ſcirent veſtes ac pingere. Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſcum in Carino*, *c. ult.* & ſuprà paſſim.

POLYMNESTOR, Thracum tyrannus. Vide *Polydorus*, & Euripidem *in Hecuba*. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 435.

——— ——— *Capit impius enſem*
Rex Thracum, juguloque ſui demiſit alumni.

Propert. *l.* 3. *El.* 12. *v.* 57.

Et ſcelus acceptô Thracis Polymneſtoris aurô.

POLYMNESTUS, Mileti fil. poëta Colophonius, *carmen Orthium* vel, ut alii vocent, *Orthrium*, conſcripſit: item quod ab eo *Polymneſtium* dictum eſt. *Sminthia* quoque in Rhodo cecinit, ut ex *Athenæo* videre eſt. Ob fœditatem reprehenſus, ab Ariſtophane *in Equitibus*: imo & *Cratino* memoratus, ut *Suidas* docet, adhæc *Alcmani* & *Pindaro*. Atque ex his antiquitatem ejus cognoſcimus. Celebrant quoque eum *Plutarchus* & Pauſan. *l.* 1. Nomen non inſcitum, ſignificat enim *multis ambitus*, ut Homero πολυμνήστη, ea, cujus multi ſint, aut fuerint, μνηστῆρες, h. e. *proci*. Voſſ. *de Poët. Græc. p.* 94.

POLYMYXI Lychni, vide *Lychnus*. it. *Polycandelum*.

POLYNICES, fil. Oedipi, Thebanorum Regis, ex nefando Jocaſtæ matris concubitu, frater Eteoclis, quibus pater, ſponte in exilium proficiſcens, regnum eâ lege reliquerat, ut alternis annis regnarent. Verùm cùm Eteocles, cui utpote natu majori Polynices priores regnandi vices conceſſit, fratri ſuo regnô cedere recuſaret, ille Argos ſeſe contulit ad Adraſtum regem, qui filiam ſuam nomine Argiam uxorem illi deſpondit, contractiſque quàm maximis potuit viribus, unà cum Tydeo, altero genero, Thebanis bellum intulit, cujus is fuit exitus, ut duo fratres ſingulari certamine congreſſi, mutuis vulneribus caderent. Quinetiam cadaveribus rogo impoſitis, flamma dicitur ſe diviſiſſe, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Statius *in Thebaide*.

POLYPERCON; Prætor Alexandri Magni, & in ejus exercitu peregrini militis dux. Poſt mortem Alexandri, ab Antipatro ægroto & moribundo ſummam rerum accepit. Vide *Polyſperchon*.

POLYPHAGUS, vide ſupra *Phago*.

POLYPHEMUS, inter Cyclopas omnes, qui centum fuiſſe memorantur, viribus corporis formæque magnitudine præſtantiſſimus fuit; quibus verò parentibus ortus fuerit, nondum conſtat. Apollonius, *Argon. l.* 1. illum Neptunô & Europâ Tityi filiâ natum fuiſſe tradit, *in his carminibus:*

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανε,
Τὸν ῥα Ποσειδάωνι ποδωκειέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
Κεῖνος ἀνὴρ κ̀ πόντυ ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, ὐδὲ θοὺς βάπτειν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Andron verò. *Tejus* & *Poſidonius* Polyphemum patre Elatâ ac matre Stilbe Nymphâ natum fuiſſe memorant. Conon, *in Heracleâ*, Elaſi & Amymones eum filium fuiſſe ſcribit. Homerus autem *Odyſſ.* 1. Neptuni & Thooſæ filium facit. Hunc in ſpelunca habitare ſolitum, & oves in Sicilia cuſtodire, magis notum eſt, quàm ut indigeat explicatione, cùm in eadem Tragœdia etiam id ſcribat Euripides & Homer. *in Odyſſæa*. Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 49. *v.* 6.

Paſcentem Siculas aut Polyphemon oves.

Hic Galateam Nympham fertur adamâſſe, Acim verò puerum, quem ſibi illa præferebat, ſaxô interemiſſe: Ulyſſem quoque vi tempeſtatis in Siciliam delatum antro ſuo incluſit, quatuorque ex comitibus ejus devoravit; reliquos eôdem mortis genere perempturus, niſi prævertens Ulyſſes vinô nigrô eum inebriâſſet, altôque ſopore obrutô aduſtô ſtipite oculum eruiſſet. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 618.

——— *Domus ſanie dapibuſque cruentis,*
Intus opaca, ingens. ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera. ——— ——— ———
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atrô.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora noſtro
Prenſa manu magnâ medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque aſperſa natarent
Limina: vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud impunè quidem; nec talia paſſus Ulyſſès,
Oblituſve ſui eſt Ithacus diſcrimine tantô.
Nam ſimul expletus dapibus, vinôque ſepultus
Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſum, ſaniem eructans, ac fruſta cruento
Per ſomnum commiſta mero: nos magna precati
Numina, ſortitique vices, unà undique circum
Fundimur: & telô lumen terebramus acutô,
Ingens quod torva ſolum ſub fronte latebat
Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis inſtar.

Ubi ex his verbis:

——— *Jacuitque per antrum Immenſum*;

Auctores colligunt magnitudinem Cyclopis, utpote qui totum antrum occupâſſet. Ad quam pertinent Lucilii verſus, apud Crinitum:

Multa hominum portenta in Homero verſificata
Monſtra patent: quorum imprimis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes. ——— ———

Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 198.

Hæc, & plura ferox (Polyphemus) me luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudeleſque manus, & inanem luminis orbem,
Membraque, & humanô concretam ſanguine barbam.
Mors erat ante oculos; mentique hærebat imago
Temporis illius, quô vidi bina meorum
Ter quater affligi ſociorum corpora terræ,
Quæ ſuper ipſe jacens, hirſuti more leonis
Viſceraque & carnes, obliſiſque oſſa medullis,
Semianimeſque artus avidam condebat in alvum.

Homer. *Odyſſ.* 9. *v.* 311.

Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥςε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ' ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε δεῦε δὲ γαῖαν.
Τὺς δὲ διαμελεϊςὶ ταμὼν ὠπλίσατο δόρπον,
Ἤσθιε δ' ὥςε λέων ὀρεσίτροφος, ὐδ' ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε, σάρκας τε κ̀ ὀςέα μυελόεντα.

Multi, inquit *Servius*, Polyphemum dicunt unum habuiſſe oculum, alii duos, alii tres, ſed totum fabuloſum eſt. Nam hic vir prudentiſſimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuiſſe dicitur, i. e. juxta cerebrum, quia prudentiâ plus videbat. Verùm Ulyſſes eum aſtutiâ ſuperavit, & ob hoc eum excœcâſſe fingitur. Vide Hygin. *Fab.* 125. &c. *Nic. Lloydius.*

POLYPHIDES, in Sicyoniorum Regum laterculo Rex XXIV. ſed nemini vetuſtiorum Græcorum, ne *Pauſaniæ* quidem, in ſuo horum Regum catalogo agnoſcitur. Fingunt, Trojam illius tempore captam eſſe. Apud Homerum verò nullus eſt è Sicyone dux contra Trojam, quippe urbe illâ tum ſub ditione Agamemnonis exiſtente. Quô, aliiſque argumentis Sicyoniorum illam Regum vetuſtatem ſuſpectam meritò habet Joh. Marshamus, Προπαρ. *Can. Chron.* Vide quoque infrà voce *Sicyon*

POLYPHILUS, nomen adſcititium Franciſci Columnæ, qui *Hypnerotomachiam* ſcripſit, ſeculô 15. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9.

POLYPHONTES, Rex quidam, qui fratrem interfecit, quòd intellexiſſet ab eo ſibi parari inſidias, *Gell.*

POLYPHRADMON, nepos Polyphradmonis, Pater Phrynichi, ob carminum præſtantiam & ſuavitatem *Apis* dictus. Vide Scholiaſt. *in Aves Ariſtoph.* Vixit 70. Olympiad. & tragœdias compoſuit, *Suidas.*

POLYPODUSA, inſula Cnidia. Gentile *Polypoduſæus*, *Steph.*

POLYPOETES, fil. Pirithoi & Hippodamiæ, Homer. *Il.* 12.

POLYPTICA ſeu POLYPTICHA, meliùs *Polyptycha*, libri multorum foliorum, Græcè πολύπτυχα. Cùm enim chartæ & chartacei libri olim in unum volumen conrotularentur; libri contrà ex membrana, ex multiplicibus tabellis & foliis conſtruebantur, haud ſecus ac noſtri hodie libri ſolent, qui ex multis conſtant foliis, aliis ſuper alia ſtructis & inter ſe compactis. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 184. cujus lemma, *Homerus in membranis.*

Ilias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ilias & Priami regnis inimicus Ulyſſes,
Multiplici pariter condita pelle latent.

Etem, *Epigr.* 186. *cujus inſcriptio: Virgilius in membrana:*

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem,
Ipſius vultus prima tabella gerit.

Prima tabella, τὸ πρῶτον πτυχίον, *primum folium.* Hinc *Iſidorus* folia librorum dicta eſſe ſcribit, *quòd ex follibus fierent, i. e. ex pellibus, quæ de occiſis animalibus detrahi ſolent.* Sic & pugillares componi ſolebant, ex pluribus tabellis: unde δίπτυχα, quæ ex duplici conſtabant; Latini etiam *duplices* dixêre: & *triplices*, quæ ex tribus: *quintuplices*, quæ ex quinque, ſic πολύπτυχα, quæ ex plùribus. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 3. de pugillaribus citreis:

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis opus.

Pugillares igitur illi citrei ex multis ſectilibus tabellis, h. e. foliis ligneis ſeu πτυχίοις compacti erant, eâdem planè formâ, quâ & pugillares deletitii noſtri, quibus hodie utimur: nec alia forma eſt noſtrorum hodie librorum de charta; qui omnes πολύπτυχα hinc dici poſſunt &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo, c.* 3. In ſpecie verò *Polyptycha* dici cœperunt libri commentarii, in quos redigebantur ſeu regerebantur Acta publica atque adeò domeſtica quævis: maximè verò ita dicti libri Cenſuales, in quibus deſcripti quotquot cenſuales ac tributarii erant, ipſaque ſoluti ratio exarabatur, in *l.* 2. *Cod. Theod. de Diſcuſſor. l.* 13. *Eod. de Indulgent. debitor.* apud Senatorem, *l.* 5. *Ep.* 14. & 39. ut & *in LL. Viſigoth*, *l.* 12. *tit.* 2. §. 13. Hinc apud Marculfum, *Formul. l.* 1. *c.* 19. *Præcipientes ergo jubemus, ut ſi memoratus ille de capite ſuo benè ingenuus eſſe videtur & in* Polyptycho *cenſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare* &c. I. e. ſi in hujuſmodi fiſci ſeu publici libro tanquam debitor notatus talis non ſit. Similiter apud Gregorium, *Regiſt. l.* 7. *c.* 40. *notitia ejuſdem donationis non erat de Polypticis charaxata:* vox volumen Inſtrumentorum publicorum denotat. Eâdem notione *Polypticos* ſumunt *Gloſſæ* veteres *ad Cod. Theodoſ.* &c. Etiam libri Commentarii privati ſic dicebantur, in quos vel Eccleſiarum, vel privatorum bona regerebantur, Chartæque ipſæ donationum, emptionum & ſimiles deſcribebantur, Johan. Diaconus in *vita* Gregorii M. *c.* 24. *l.* 1. *Cunctorum patrimoniorum prædiorumque reditus ex Gelaſiano* Polyptycho ——— *adaravit.* Fulcuinus de Geſtis Abbat. Lobienſium: *Reditus villarum noſtrarum deſcribere juſſit, quod* Polyptychum *vocant*, &c. Corruptè pro *Polyptychum* occurrit interdum *Polegium*, *Poleticum*, ut apud Baldricum *Chron. Camarac. Polepticum.* Vide ſuprà in hac voce: *Politicum* &c. Unde *poullié* apud Gallos, pro regeſto & catalogo Eccleſiarum ſeu Beneficiorum cujuſcunque Epiſcopatus, cùm nihil aliud ſit, quàm *Polyptychum* Eccleſiaſticum, in quo bona Eccleſiaſtica eorumque Chartæ continentur: *Puleticum*, apud Marculfum, *loc. cit.* & *Puletum* A' qua voce Salmaſius, *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 7. *les Poulets* Gallorum deducit, epiſtolas ſcil. amatorias iis ſic dictas, quod & diptychis & polypticis olim amaſias ſolicitatas legamus. Sed hanc vocem ab Italia manâſſe, ubi epiſtolas ſuas ad amaſias pullorum gallinorum alvô mittebant interdum incluſas amatores, quò ſic parentes cuſtodeſque fallerent, affirmat. Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque Macros Fratres, *in Hierolex.* & hîc paſſim.

POLYPUS, piſcis, an amphibium magis? de quo ſic Plin. *l.* 9. *c.* 29. *Polyporum multa genera: terreni majores, quàm pelagii: omnes brachiis, ut pedibus ac manibus utuntur: cauda verò, quæ eſt biſulca & acuta, in coitu. Eſt polypis fiſtula in dorſo quâ tranſmittunt mare: eamque modò in dextram partem modò in ſiniſtram, transferunt. Natant obliqui in caput, quod prædurum eſt, ſufflatione viventibus. Cæterùm per brachia velut acetabulis diſperſis, hauſtu quôdam adhærescunt, tenent ſupini, ut avelli non queant. ---- Soli mollium in ſiccum exeunt ---- Colorem mutat ad ſimilitudinem loci & maximè in metu* &c. Ubi inter mollia reponit, ſquamis enim & cute caret, interim cirri illi dati, quibus quantum valeat, docet idem, *c. ſeq.* *Nullum eſſe atrocius animal, ad conficiendum hominem in aqua*, inquiens: *luctari enim complexu, & ſorbere acetabulis, ac numeroſô ſuctu detrahere, cùm in naufragos urinanteſque impetum cepit.* Vide quoque Ælian. *de Animal. l.* 8. *c.* 11. Accedit magnitudo, quæ tanta nonnunquam, ut cetis adæquari poſſit, vide Plin. *ibid.* Solertia item ingens, de qua idem nonnulla, ut & Voſſ. *de Idol. l.* 4. *c.* 14. qui tamen cum ſquatina coloris immutationem communem eum habere, *c.* 5. & ultra biennium non vivere, *c.* 3. docet. Caro difficilis concoctu, elixi præſtant. In Thaſo & Caria optimi habebantur, Athen. *l.* 7. Corcyra etiam multos & magnos alebat, *Ibid.* ubi & ex hoc piſce immodicè comeſto in morbum lethalem incidiſſe ὀψοφάγον illum Philoxenum, narrat: quemadmodum crudô guſtatô obiiſſe Diogenem, *Laërtius* in *Diogen.* refert. A' capite inprimis, qui ex ſomniis divinabant, abſtinuiſſe Plut. ait, *Sympoſiac. l.* 8. *quæſt.* 10. ut quod turbida ea faciat &c. Plura apud Voſſium, *d. l. paſſim*, Auctorem *Sinæ & Eur. c.* 41. Alios. Hinc *Polypi*, homines rapaces. Plautus, *Aulular. Actu.* 2. *ſc.* 2. *v.* 21.

Ego iſtos novi polypos, *qui ubi quid tetigerint, tenent* &c.

POLYREN, urbs Cretæ, quòd habeat *multas oves*, quas ῥῆνας vocant, *Stephanus.*

POLYRIS, tunica interior, apud Torrigium, *de Cryptis Vaticanis*, an idem veſtis genus cum *eſophoro* & *hypocamiſo*, an potiùs cum *podere?* Macri Fratres *Hierolex.*

POLYSPERCHON, ex ducibus Alexandri Magni, fortitudine inclytus: tutor Principum, mortuô Alexandrô, ab Antipatro conſtitutus. Libertatem hîc reſtituit Græciæ urbibus, & in Macedonia potens, Herculem, fil. Alexandri eò vocatum, neci dedit: Poſteà in prælio occiſus, cùm jam antè filium perdidiſſet. Curt. *l.* 4. 5. *& ſeqq.* Diod. Sic. *l.* 18. & 20. Juſtin. *l.* 13.

POLYSTAURIUM, Græcè πολυςαύριον, veſtis eſt Patriarchalis à *multis* intertexta *crucibus* ſic appellata: quam in Eccleſiiis ſuis geſtandi privilegium etiam Cæſareæ Cappadoc. Epheſi, Theſſalonicæ & Corinthi Exarchis conceſſum eſſe, habet Zonaras, *ad can.* 17. Concilii Chalcedonenſ. Dicebatur quoque Φαινόλιον. Vide Meurſium *Gloſſar.* & hîc etiam, in vocibus *Caſula*, *Gammadium* & *Stauracinus.*

POLYSTEPHANUS, Hiſtoricus, inter alios laudatur à Scholiaſte Apollonii, *in l.* 1. & Gellio, *l.* 9. *c.* 4. qui eum reponit inter Græcos ſcriptores non parvæ authoritatis: ſed quorum libri contineant res inauditas, & fidem penitus excedentes. Item *Polyſtephanus* olim dicebatur Tibur, Italiæ urbs, *Steph.* Vide *Præneſte.*

POLYSTRATUS, miles Macedo, qui confoſſum, ſed tamen ſpirantem adhuc Darium, in valle quadam fortè reperit, Curt. *l.* 5. *c.* 13.

POLYTELIA, oppid. Meſopotamiæ

POLYTHEIA, ex Oriente in reliquas Orbis partes tranſiit. Vide ſuprà voce *Dii*, item *Idololatria* &c.

POLYTIMETUS, Scythiæ intra Imaum fluv. *Ptol.* Sogdianæ fluv. apud Qu. Curtium, *l.* 6. *c.* 4. *l.* 7. *c.* 10. *Amo* dicitur *Nigro.*

POLYTROPUS, à Lacedæmoniis miſſus dux adversùs Arcades, cum mille civibus, quingentis Argivis & Bœotiis exſulibus. Sed apud Orchomenum Arcadum à Pycomede occiſus eſt. Diod. Sic, *l.* 15.

POLYXELUS, Comicus Græcus, cujus *fabulas* enumerat *Suidas.*

POLYXENA, Priami filia formoſiſſima ex Hecuba conjuge, quam Pyrrhus Achillis filius, Trojâ captâ, ad patris tumulum jugulavit. Ferunt enim Achillem, cùm ad Trojam bellum gereret, Polyxenam forte in mœnibus conſpectam adamâſſe, eamque uxorem ſibi poſtulâſſe. Quod cùm Priamus annuiſſet, placuit, ut in Thymbræi Apollinis templum convenirent, pacis nuptiarumque fœdera inituri. Verùm cum id reſciviſſet Paris, poſt Apollinis ſimulacrum ſeſe occultavit, Achillemque nil tale opinantem ſagittâ interfecit. Captâ deinde Trojâ, cùm & Polyxena viva in hoſtium manus perveniſſet, Achillis umbra Græcorum proceribus in ſomnis apparuit, præcipiens, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu erat interfectus, inferias ſibi mitteretur, cujus crudelitatis Pyrrhus miniſtrum ſe præbuit. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 448.

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Propert. *l.* 2. *El.* 13. *v.* 37.

Nec minus hæc noſtri noteſcet fama ſepulchri,
Quam fuerant Phthii buſta cruenta viri.

Hinc *Polyxenius.* Catullus, *in Nupt. Pel. & Thet. v.* 368.

Alta Polyxeniâ madefient cæde ſepulchra.

Nic. Lloydius.

POLYXENUS, inter Græcorum duces numeratur ab Homero. *Il.* 2.

POLYXENUS, Athenienſis, cum quendam juvenem humanâ ſpecie auguſtiorem conſpexiſſet impudicè, amiſſô viſu cæcus factus eſt, Plut. *in Paral.*

POLYXO, *xûs*, mulier ex Lemno inſula Apollinis vates, quæ Lemniaci ſceleris dux & hortatrix fuit. Nam cùm Lemni mulieres, ob ſpretam Venerem, hircum olerent, maritique ex Thracia uxores ſibi eam ob cauſam aſciſcerent, Polyxûs inſtinctu omnem virilem ſexum interemerunt, ſolâ Hypſipyle exceptâ, quæ Thoanti patri ſuo pepercit, Statius, *l.* 5. *Theb.* Nempe, Nutrix illa Hypſipyles fuit, cujus parentes ignoti: De illa ſic Apollonius, *Argonautic. l.* 2.

Tunc etiam vates Phœbo dilecta, Polyxo,
Non patriam, non certa genus ———
Sæpe imis ſe condit aquis, cunctataque paulùm
Surgit, ut auditas referat in gurgite voces &c.

Alia hôc nomine, mater Acterionis, memoratur Callimacho, in *Cereris Hymno.* Caſp. Barthius, *ad Statium d. l.*

POLYZELUS, Archon Athenis, Olymp. 103. An. 2. Item Poëta Græcus.

POLYZELUS Rhodius, celebratur in Solone. Scripſit inter alia etiam Rhodiaca, quæ citat Athen. *l.* 8. Meminit ejus quoque Jul. Pollux, *l.* 10. *c.* 21. & *l.* 15. *c.* 21. Plut. *in Sol.* Hyginus in *Poëtic. Aſtronom. Fab.* 14. ubi de Ophiucho tractat. Vide quoque Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 406. Item alius Meſſenius, Olymp. 50. hiſtoriographus, Ibyci poëtæ pater, ut videtur, *Suid.* in Ἴβυκος.

POM, in notis Antiqq. *Pompejus.*

POMA, in genere dicuntur omnes fructus, qui ex arbore eſui apti proveniunt, ſive molles, ſive duri: *Pomorumque appellatione nuces & ficus & uvæ duracinæ & purpureæ, & quæ ejuſdem generis ſunt, quas non vini causâ habemus, continentur*, *l.* 205. *ff. de verb. ſign.* Palladius, *in Epigr.* de Nuce.

Arbuteas frondes vaſtæ nucis occupat umbra,
Pomaque *ſub duplici cortice tuta refert.*

Idem de Ficubus,

Se quoque miratur pingui grandeſcere ſuccô,
Et ſolitum gaudent vincere poma *modum* &c.

Hinc Eraſmus *contra Vallam*, *Eleg. l.* 4. *c.* 28. *Vides, nuces etiam* poma *dici.* Nam & Martialis, *in Xeniis*, *l.* 12. *Epigr.* 25. nuces pineas *poma Cybeles* vocat. Indidem Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 6. Caſcelli JC. urbanum hoc refert: *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiato-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

gladiatorum munus ederet, obtinuerat, ut Ædiles edicerent, ne quis in harenam niſi pomum *miſiſſe vellet. Fortè in diebus Caſcellus conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: Si in Vatinium miſeris, pomum eſt.* Ficum tamen, tanquam non pomum, à pomis ſecerni, apud idoneos Auctores, idem teſtis eſt, *l.* 3. *c.* 20. annotante Briſſoniô. Sed & Macrobius ac Servius poma & nuces diſtinguunt, & *poma* vocant, quæ molli teguntur cortice, *nuces*, quæ duriore. In ſpecie verò *Poma* eadem cum *Malis*: quorum ſpecies quædam à mellis ſapore, *Melimela* alia *Mattiana*, quæ ſe demiratum Romæ narrat *Athenæus*, & à Mattio inventore denominata putat Plin. *l.* 23. *c.* 6. Sunt & *Appiana*, *Claudiana*, *Geſtiana*, *Manliana*, *Quiriana*, ab auctoribus & heris dicta; à patria item *Camerina*, *Græcula*, *Perſica*, *Sentina*; à colore *Melapia*, *Roſea*; à figura, *Epirotica*, ſive *Orbiculata*; ab effigie mammarum, *Orthomaſtica* &c. Quædam & genera, *alia ſapore, alia magnitudine, alia monſtro exquiſita, pauperibus interdicta*, refert Plin. *loc. cit.* it. *l.* 19. *c.* 4. Et quidem, *Pomiferæ arbores, aliæque mitioribus ſuccis, voluptatem primæ cibis attulerunt, & neceſſario alimento delicias immiſcere docuerunt.* Idem, *Proœm. l.* 16. Unde & Reges Φιλομήλους, i. e. *pomorum amatores*, fuiſſe legimus, Philippum Macedonem & Alexandrum M. & de Alexandro Imperatore ſcripſit Lamprid. *c.* 37. *pomis* impensè fuiſſe deditum, ita ut ſecundæ menſæ ſæpe ei ponerentur. Unde jocus, *Non ſecundam menſam Alexandrum habere, ſed ſecundùm.* Sed & amoris ſignum *poma*, apud Virg. *Ecl.* 3. *v.* 64.

Malô me Galatea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices & ſe cupit antè videri.

Hinc Veneris ſtatua, apud Sicyonios, altera manu pomum, alterâ papaver, numeroſam ſcil. ſobolem ex amore, geſtans, videbitur. At illud funeſtum, quòd *pomi* intempeſtivô eſu Adamus ſeipſum & poſteritatem univerſam involvit, quod ficus Indica videtur fuiſſe multis, quo de fructu arboreque pluribus agit Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, *c.* 36. Porrò è *pomis* vinum confici, notum, quod *Pomata*, item *Pomacium*, recentioris ævi Scriptoribus, Vaſconibus *Pomada*, Gallis *Cidre* dici, notat Car. du Freſne *Gloſſar.* Acidi nempe ſaporis & ſucci vinoſi *pomis*, quæ & *uvida* hinc dicta, à quibus proin veteres quoſdam Chriſtianos in ſtationibus jejuniorum, abſtinuiſſe, *ne quid vinoſitatis vel ederent, vel potarent*, ait Tertull. *contra Pſych.* Vide Caſaub. *ad Auguſtum Suetonii*, *c.* 77. & infrà voce *Xerophagia*. Placuêre & in coronas, ut infrà videbimus. Etiam ex iis caſtella compoſuiſſe Gallienum Imperatorem refert Treb. Pollio in *Vita* ejus, *c.* 16. additque, *Ficos virides & poma ex arboribus recentia ſemper alienis menſibus præbuiſſe* &c. Vide plura hanc in rem, apud Plinium paſſim, inprimis, *l.* 15. *c.* 4. & 28. Auctorem Anonymum ſuprà *cit. l.* Alios. Addam hoc unum, *ad primitias pomorum, hæc vetera eſſe, dixiſſe* Veteres, *alia nova optâſſe*, ex eodem, *l.* 28. *c.* 2. Ut & de *pomis Alcinoi*, Virgilio memoratis *Georgic. l.* 2. μῆλα fuiſſe, ex arbore μηλέα, uti ex Homerico hoc verſu, *Od.* η. *v.* 120.

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,

docet Salmaſius, *ad Solin. p.* 598. qui & *Poma paradiſi*, dici hodie puma quædam prædulcia, an ab excellenti odore, an quòd ex longinquis & incognitis locis veniant, habet *ibidem*, *p.* 1054. &c. Vide quoque infrà *Succus*.

POMALE, à POMI ſimilitudine, Gallis eſt enſis capulus, ſed clauſula; ita enim & Græci modò μῆλον, modò κατακλεῖδα vocant, dicuntque κατακλείειν τὸ ξίφος de enſe, cui capulus additur. Vetus Interpres Nicandri in *Alexipharmacis*, ad illud,

——— μύκης ὅτι κάππεσεν ἅρπης.

Μύκης, inquit, κυρίως τὸ ἄκρον τοῦ ξίφους, τὸ κατακλεῖον τὴν θήκην, *Fungus propriè extremitas eſt enſis, operculum claudens.* Μύκητα enim iidem Græci vocant enſis capulum, quòd *fungi* formam referat. Hinc *clauſula* pro anſa, apud Appulejum de ſtrigili in *Florid.* &c. Erant autem hæc *Pomalia*, Gallis *Pommeaux*, apud Veteres tenuioribus è cornu: unde apud Eurip. *Phœniſſis* μελάνδετον gladium Scholiaſtes interpretatur, habentem μέλαιναν λαβὴν κερατίνην, *nigrum capulum corneum*; Baſilius *in Grammat.* Κερόκωπον ξίφος, τὸ ἀπὸ κέρατος ἔχον τὴν κώπην, ἤτοι τὴν λαβήν. Honeſtioribus ex ebore: quod & appellatione τοῦ cornu poteſt intelligi, ex Oppiani quidem ſententia. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 11.

——— *Atque enſem collô ſuſpendit eburnum.*

At Plinius ſuâ ætate ſcribit, *l.* 33. *c.* 12. *militibus faſtiditos etiam eburneos capulos & argentô cælatos habuiſſe.* Sed & ex auro & gemmis capulos legas, Caſaubonus, *ad Spartian. Hadr. c.* 10. Spatham autem eburneô capulô clauſam Græci ἐλεφαντόκωπον σπάθην, item ἐλεφαντόδετον vocant: quâ tamen voce etiam inſigniebantur, quæ capulum eboreis clavis fixum haberent. Apud Eurip. *in Palamede* κώπην χρυσόκολλον habemus, *capulum aurô vinctum*; quomodo & Virg. dixit, *Æn. l.* 4. *v.* 261.

——— *Atque illi ſtellatus jaſpide fulva*
Enſis erat, &c. ———

Capuli itaque enſium aurô, argentô, ebore, ære vincti reperiuntur, apud priſcos, i. e. clavis aureis, æreis confixi, vel etiam aurati & argentati: Item aurei & gemmei, at Hadrianus Cæſar, gregarii planè militis incedens habitu, *capulô vix eburneô ſpatham clauſit*, i. e. clauſam geſtavit: genere loquendi non eleganti, nec invenuſto: cui planè par & ſimile illud apud Jul. Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 3. *Uſus eſt argenteâ loricâ --- fecit & ſpathas argenteas* &c. i. e. factis uſus eſt. Salmaſ. *ad Spartian. l. c.* Enſis ſui *pomali* ſeu capulô, literas obſignâſſe Carolum M. apud Hiſtoricos legimus, &c. Vide quoque ſuprà ubi de enſium *Capulis*: uti de vaſe πυξομήλῳ in Eccleſ. Romana itidem à *pomi* figura dicto, infrà voce *Pyxis*.

POMARIA arx Lombardiæ Ciſpadanæ.

POMARII, memorantur Æl. Lampridio, in *Heliogab. c.* 27. *Dulciarios & Lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis edulibus exhibuiſſent, vel Structores vel* Pomarii, *illi modò de dulciis modò de lactariis exhiberent.*

POMARIUS, Hercules dictus, quòd apud Bœotos illi malis ſacra fieri mos eſſet. Vide proverb. *Pomarius Hercules.*

POMELLATI Equi, *Pomelies*, Gallis dicuntur, qui Latinis olim *ſcutulati*: à ſcutulis ſeu virgis, quibus diſtincti ſunt. Iſidor. *Scutulatus vocatus, propter orbes, quos habet.* Sic Strabo ῥαβδωτούς, *virgatos* facit hinnuleos, qui ſparſam albô pellem habent; cujuſmodi hinnulorum maculis ſimiles eſſe etiam dicit camelopardalium maculas, quas ſimiliter appellat ῥαβδωτούς, *l.* 16. Sed hæ maculæ oblongæ ac ſegmentis ſimiles: potiùs huc quadrent maculæ orbiculares & oculeæ pardi, quæ & *oculi* Plinio, *l.* 8. *c.* 17. dicuntur, Solino, *c.* 27. *orbiculi* & *oculati circuli*. Ὀπώρας quoque vocat mellitiſſimus Oppianus Κυνηγ. *l.* 3. & σφραγῖδας, *l.* 1. quô nomine in veſtibus dici rotundas notas ſive clavos acu textos ſuprà diximus. Idem ὀπωρινὰς vocavit, quòd fructuum, qui autumnô proveniunt, *pomorum* inprimis, orbicularem figuram referant, Κυνηγ. *l.* 4. *de pardis*,

——— Κατέγραψεν δ' ἐπὶ νώτου
Ῥινὸν ὀπωρινοῖσι.

Unde omninò Gallorum *pomellatum*, quâ voce indigitant, quidquid hujuſcemodi orbiculis pictum eſt ac veluti pomulis variatum. Propriè verò *virgata* & *ſcutulata* Gallorum ſaga Veter. quæ pluribus virgis h. e. viis tranſverſim decuſſatimque ductis erant diſtincta, unde multæ in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus ac reticulatis operibus apparent. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 20. Interim ſicut de plumato ſeu plumario opere ſuprà diximus, ita, *virgatum* & *ſcutulatum*, quibuſlibet etiam maculis variatum priſci dixêre, &c.

POMERANIA, Wandalica regio ad mare Balticum ſita, ſic dicta à Pomeſano, Vidunti primi Boruſſiorum Regis filio, *Pomeſania* primò, *Metel.* à primis verò cultoribus patriâ linguâ, h. e. Wandalicâ, *Pamorzi* appellata eſt, ab indigenis inhabitata & propriis dominis gubernata; alienis autem nunquam ſubjecta fuit. A Boleſlao Polono ad fidem Chriſti, cum Caſſubia, compulſa eſt, A. C. 1120. eſt ubique fertilis, aquis irrigua, ſtagnis abundans, navibus pervia, dives agris, paſcuis, pomis, lignis, rivis, montibus, venatione, pecore, piſcibus, frumentô, butyrô, melle, cerâ, & aliis ſimilibus rebus. Eſt quoque optimè culta civitatibus, oppidis, arcibus & vicis; nec ullus eſt locus in ea vacuus, aut incultus, niſi quem aut lacus, aut montes occupant. Uſa eſt ante ſuſceptum Chriſtianiſmum linguâ Wandalicâ, moribuſque propriis vixit, donec Romano Imperio ſubacta eſt. Tunc enim unà cum religione, Saxonicam linguam amplexa eſt, quam in hunc uſque diem retinet, *Munſterus*. Olim ſub propriis Ducibus, quorum familiæ origo à Miſtevone Vandalorum Rege arceſſitur: Hujus, inter alios, filius Bogiſlaus, pater fuit Suantibori: qui à Bela Ungaro, auſpiciis Micislai Poloniæ Regis victus, & ad fidem adductus, mox in libertatem & gentiliſmum ſe vindicavit. Ejus filii Wratiſlaus & Ratiborus Citeriorem, Suantopulcus verò & Boguſlaus, Ulteriorem Pomeraniam ſortiti ſunt: quorum poſteriorum ſtirpe extinctâ in Meſtovino, A. C. 1295. partem ditionis Crucigeri occupârunt, A. C. 1313. reliquâ cis Stolpam ab agnatis vindicatâ. E prioribus Ratisbori linea, in Bartholomæo A. C. 1224. deleta eſt, Wratiſlaus verò familiam diutiùs propagavit, ab Ottone Bambergenſi baptizatus. Pater Caſimiri & Bogiſlai II. qui à Friderico Barbaroſſa, A. C. 1181. duces creati ſunt, datâ in Imperio ſeſſione. E Caſimiri ſtirpe ultimus Caſimirus III. Obiit A. C. 1271. Bogiſlaus genuit Bogiſlaum III. & Barnimum I. qui mortuus A. C. 1287. per filium Ottonem & Bogiſlaum, Stettinenſem & Wolgaſtenſem ramum ſevit. Otto Stetinum nactus eſt, pater Barnimi M. qui, in caſum deficientis prolis, Brandeburgicis ſucceſſionem addixiſſe dicitur: cujus poſteris in Ottone III. A. C. 1464. extinctis, acre propterea bellum, inter agnatos Wolgaſtenſis rami, ortum eſt. Bogiſlaus IV. Wolgaſtum tenuit, pater Wartiſlai IV. qui præter Wartiſlaum V. progenuit Bogiſlaum V. cui Pomerania Orientalis & Barnimum IV. cui Occidentalis ceſſit. *Prioris* poſteritas deſiit in Erico I. A. C. 1459. cujus ex ſorore nepos Chriſtophorus Comes Palatinus Rheni, poſt avunculum, Septentrionalium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ rex electus eſt. *Poſterior*, conditor arcis Wolgaſtanæ, cum Barnimo III. à Carolo IV. *Venatoris Imperatorii* dignitate exornatus eſt. Mortuus A. C. 1365. reliquit Bogiſlaum ἄπαιδα, & Wartiſlaum VI. Cum cujus poſteris A. C. 1471. Albertus Brandeburgicus convenit, ut Stetinenſem Ducatum à ſe in feudum acciperent. Cumque iterum Bogiſlaus X. homagium negaret, ad arma rurſus, ſed res denuò compoſita eſt, connubiô Margaretæ Brandeburgicæ. Hic, è Palæſtina redux, Wittebergæ Lutherum audiit: Extinctus A. C. 1523. Ex filiis ejus Georgius, cum Brandeburgicis iterum tranſegit, A. C. 1528. ut quoties homagium ducibus præſtaretur, ſimul juramentô ſucceſſio in caſum futurum firmaretur. Alter Barnimus, per Bugenhagium, in ditionem Euangelicam doctrinam induxit. Ei ſucceſſit A. C. 1573. ex fratris filio Philippo, natus Joh. Fridericus, qui abſque maſcula prole obiit, A. C. 1600. ut & fratres ejus Barnimus V. A. C. 1603. & Caſimirus IX. A. C. 1605. Duo ſupererant Philippi filii, Bogiſlaus XIII. qui A. C. 1606. defecit & Ern. Ludovicus, quorum ille, Philippum II. genuit, mortuum A. C. 1618. Franciſcum, & Bogiſlaum XIV. qui ultimus familiæ, totius Pomeraniæ dominus, à Cæſareanis miſerè expilatus eſt, A. C. 1627. receptô dein in ditiones Guſtavi Adolphi exercitu, A. C. 1630. Obiit A. C. 1637. Cujus ſucceſſio cùm, ex antiquo pacto, ad Brandeburgicos deferenda fuiſſet, pace Monaſterienſi ita diſpoſitum eſt, ut Marchiones Ulteriori, cum aliis quibuſdam *Æquivalentiæ* nomine, contenti, Citeriorem Pomeraniam cum Rugia Suecis relinquerent: ſed hodiernô bellô rurſus Elector Brandeburgicus jus antiquum perſequitur. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllog. General. Hiſt.* Baudrando Pomerania, *Pommern*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

incolis, *Pomeranie* Gallis, provincia Germaniæ, ad mare Balticum, Ducatus titulô nobilis ab A. C. 1182. eſt in circulo Saxoniæ ſuperioris. Terminatur à ſeptentrione mari Balticô, ab oriente Pruſſiâ, à meridie Marchiâ Brandeburgicâ, & ab occidente Ducatu Megalopolitanô. Anteà Duces habuit proprios; ſed mortuô Bugoſlaô ultimô Duce, Pomerania bipartita fuit pace Monaſterienſi & Oſnabrugenſi; Pomerania enim citerior ſeu cis Oderam fluvium conceſſa fuit Suecis, cum tribus oſtiis Oderæ, & *Dam*, & *Golnow* oppidis trans Oderam, & Rugia inſula in mari Baltico. Pomerania verò ulterior ſeu inter Oderam & Pruſſiam conceſſa fuit Electori Brandeburgico. Pomerania autem dividitur in decem partes, ſuntque Ducatus Stetinenſis, *Herzogthumb Stetin*, Principatus Rugiæ, *Furſtenthumb Rugen*, Dominium Barthenſe, *Herrſchafft Bardt*, Dominium Wolgaſtenſe, *Herrſchafft Wolgaſt*, & Comitatus Gutzovienſis, *Grafſchafft Gutzkou*, in citeriori, & ſub Dominio Suecorum: Ducatus verò Pomeraniæ, *Herzogthumb Pommern*, Ducatus Caſſubiæ, *Herzogthumb Caſſuben*, & Ducatus Vandaliæ, *Herzogthumb Venden*, in ulteriori, ſub Electore Brandeburgico; ut etiam Dominium Buthovii, *Herrſchafft Butow*, & Dominium Lavemburgi, *Herrſchafft Lowenborch*, quæ duo ipſi conceſſa fuêre à Rege & regno Poloniæ. Totius autem provinciæ caput eſt Stetinum, *Stetin*, ad Oderam. Vide de Pruſſiorum, *Pomeranorum* & Livoniorum in loca Burgundionum, Tornigorum, Miſnorum & Heſſorum migratione, B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov. Antiq. l.* 1. cum *Notis* Ottonis JCti. *p.* 183. adde Althamerum, *in Tacit. p.* 527. Schrot. *Part.* 1. ac inprimis Joh. Micrælium *Chron. Pomerania.*

POMERANIÆ URBES:

Anclamum, *Anclam*: Suecis ſubeſt.
Bardum, *Bardt*, Suecis ſubeſt.
Butovium, *Butow*, Brandeburgico ſubeſt.
Caminum, *Camin*, Brandeburgico.
Colberga, *Colberg*, Brandeburgico.
Golnovia, *Golnow*, Suecis.
Griphiſvaldia, *Gripſwalde*, Suecis.
Gutzovium, *Gutzkow*, Suecis.
Lavemburgum, *Lowenborch*, Brandeburgico.
Stetinum, *Stetin*, Suecis.
Sunda, *Stralzund*, Suecis.
Treptovia, *Treptow*, Brandeburgico.
Volgaſtia, *Wolgaſt*, Suecis.
Vollinum, *Wollin*, Suecis.
Uſedomia, *Uſedom*, Suecis.

POMERELLIA, regiuncula Pruſſiæ regiæ, in Viſtulam fluv. ad Ortum, & Pomeraniam ad Occaſum, ubi urbes Conitza & Slochova.

POMERIOLA, vulgò *Pomereaulx*, pagus agri Cameracenſis.

POMERIOLA, oppidum regni Legion. à Legione 3. leuc. *Manzanilla*, vel *Manzera*. Item oppid. Hiſpaniæ Bæticæ inter Hiſpalim 7. & Eleplam 4. leucis.

POMERIUM, quaſi *poſt murum*, ut auctor eſt *Varro*, quia Veteres *mœrum murum* dixêre: vel, ut *Feſtus*, quaſi *promurum*, i. e. *proximum muro*, apud A. Gellium, *l.* 13. *c.* 14. ex Augurum libris definitur, *locus intra agrum effatum, per totius Urbis circuitum, ponè muros regionibus certis determinatus, qui faciat finem urbani auſpicii* &c. Clariùs ex antiquo ritu condendorum ac circumſcribendorum oppidorum dignoſcitur: quem his verbis deſcribit Varro, *de L. L. l.* 4. *Oppida condebant in Latio, Etruſcô ritu multa, id eſt, junctis bobus, taurô & vaccâ interiore aratrô circumagebant ſulcum: hoc faciebant Religionis causâ die auſpicatô, ut foſſâ & murô eſſent munita. Terram, unde exſcalpſerant, Foſſam vocabant: & introrſum factum, Murum. Poſteà, quod fiebat orbis, Urbs: Principium, quod erat poſt murum*, Pomerium *dictum, ejuſque ambitu auſpicia Urbana finiuntur.* Cum quo conſentit Plutarchus, eôdem ritu conditam eſſe Romam, docens *in Romulo*, cùm ait: *Romulus, poſtquam Remum unà cum nutriciis ſuis in Remonia ſepelivit, condidit Urbem; ad quod accivit Hetruſcos, qui velut in myſteriis, ut quidque faciendum erat, ceremoniis quibuſdam & ſcriptis præſcripſerunt docueruntque. Comitio foſſa eſt rotunda circumducta: In eam primitias detulerunt omnium, quâ de more, ut bonis, naturâ utebantur ut neceſſariis. Poſtremò, ex quâ quiſque advenerat regione, ejus terra portiunculam collatam eò conjecerunt & commiſcuerunt: Foſſam hanc eôdem, quô cœlum, nomine, vocaverunt Mundum. Hinc Urbe, ſicut circulô, centrum circumſcripsêre. Conditor aratro æreum vomerem adjungit, junctiſque bobus, mare & fœmina, ipſe circùm lineamenta profundum inducit ſulcum. Sequentium munus eſt, ut excitatas ab aratro glebas introvertant, nec ullam ſinant extra ferri. Ita mœnia lineæ definiunt, idque eliſis aliquot literis* Pomerium *dicitur, quaſi poſt, vel ponè mœnia. Ubi portam deſignare viſum eſt, vomere exemptô atque aratrô ſublatô, ſpatium relinquunt. Unde totum habent murum, præter portas, ſacrum.* Vide quoque Dionyſ. *l.* 1. Livius, de Servio Tullo loquens, *l.* 1. *c.* 44. indicat, *Pomerium* locum fuiſſe, tam intra, quàm extra Urbis murum, quem Antiqui in condendis urbibus auguratò conſecrârint neque in eo ullum ædificium paſſi fuerint. Inde factum, ut quotieſcunque Roma amplior fieret, *Pomerium* prolatum eſſe diceretur. Jus autem ejus proferendi neminem habuiſſe, exceptô eô, qui Populum Romanum agrô de hoſtibus captô auxiſſet, docet A. Gellius, *loc. cit.* Vide Joh. Roſinum, *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 3. Antiquiſſimum urbis Romæ *Pomerium*, Palatini montis radicibus terminabatur, & proin Romulus ſolum Palatium *Pomerio* incluſit. Sic enim ille apud Liv. *l.* 1. *c.* 12. *Jupiter*, inquit, *tuis juſſus avibus hîc in Palatino prima Urbis fundamenta jeci.* Poſteà pro incrementis Reip. ulteriùs prolatum eſt, & ſex editos colles complexùm, Capitolinum, Quirinalem, Cœlium, Eſquilinum, Viminalem, quique primò dicendus erat, Palatinum. Solus Aventinus diu extra *Pomerium* manſit, quem tamen Ancus Martius, cùm ab ea parte Urbem non ſatis munitam animadverteret, muris foſſâque communivit atque ædificiis occupavit. Quando verò & à quibus Regibus incrementum id factum, docent Antiquitatum Rom. Scriptores, Onuphrius inprimis Panvinius *Reip. Rom. Comm. l.* 1. & Donatus, *in Roma Vet. & Nov. l.* 1. *c.* 5. Servium Tullum Livius, *l.* 1. *c.* 44. tres colles, Viminalem, Quirinalem & Eſquilias, Urbi addidiſſe refert: Sulla quoque *Pomerium* protulit, Auctore Tacitô, *Annal. l.* 12. *c.* 24. juxta eam urbis partem, ut videtur Onuphrio, quæ eſt verſùs hortos Salluſtianos, portaſque Collinam & Viminalem: Julius dein narrante Dione Caſſiô, *l.* 43. ſed ſilentibus Dionyſiô, Tacitô & Suetoniô; quorum primus Cæſarem & Sullam omittit, alter Sullæ ſolùm & Auguſti ac Claudii meminit; ultimus non tam Urbem auxiſſe, quàm augere voluiſſe Cæſarem, indicat. Claudium quod attinet. Aventinum is montem intra *Pomerii* fines recipiens, Urbem ſic verè *ἑπτάλοφον* ſeu *ſepticollem* fecit: idque poſt Britanniam Romano Imperio adjectam. Extat de eo *vetus Inſcr.* apud Gruterum, *Ti. Claudius. Druſi. F. Caiſar. Aug. Germanicus. Pont. Max. Trib. Pot. VIIII. Imp. XVI. Coſſ. IIII. Cenſor. P. P. auctis. Populi. Romani. finibus. Pomerium. ampliavit. terminavitque.* Vide præter Auctores præfatos, A. Gellium, *l.* 13. *c.* 14. ut & infrà ubi de *Ponto Polemoniaco.*

POMERIUM, oppid. regni Valentiæ, *Mancanera.*

POMERIUS, Vide *Julius Pomerius.* Hunc confundit *Trithemius*, aliique cum Juliano Toletano, cui etiam hoc nomen fuit. Sed ille 5. ſeculô, hic demum ſub finem ſeptimi floruit. Gennad. *de Script. Illuſtr. Iſid.* Vide & *Julianus.*

POMESANIA, tractus Pruſſiæ Ducalis aliquot leucis ab Elbinga in Auſtrum, uti à Mariæburgo, ſub Electore Brandeburgico, ubi oppid. Salfelda, Lipſtadium & Oſterodia.

POMETIA, urbs olim Italiæ, Latinorum colonia, juxta Pontinam paludem. A Romanis deleta, quòd ad Auruncos defeciſſet. Liv. *l.* 2. *dec.* 1.

POMETINA, una ex 35. tribubus populi Romani.

ex POMIS corona, Autummo olim texta. Horat. *Epod. Ode* 2. *v.* 17.

Vel cùm decorum mitibus pomis *caput*
Autumnus arvis extulit,

Quò digitum intendit Silius Italic. *l.* 14. *v.* 589.

Temporaque Autumni latis florentia donis
Fœdavit. ———

Etiam ipſi Inſitores Autumno vota ſolvebant, iſtiuſmodi coronâ redimiti. Propertius de Vertumno, *l.* 4. *El.* 2. *v.* 17.

Inſitor hic ſolvit pomosâ *vota* coronâ:
Cùm pyrus invito ſtipite mala tulit.

Sed & Baccho è *pomis* coronam tribuit Philetas, in hiſce verſibus,

Μᾶλα φέρων κόλποισι τὰ οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῖσα
Δῶρα Διονύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων.

Cujuſmodi coronæ *cyliſtæ* ſive *encyliſtæ* vocabantur, quod non ſolùm formâ eſſent circulari, ſed & in eas non niſi res orbiculares ac velut ad volubilitatem rotundatæ, admitterentur. Quippe hinc tota corona fiebat firmior ac ſolidior & proinde volubilis, *verſatilis*, rotatilis. Appulejus, *Metamorph. l.* 11. *Individuo nexu corona totis floribus, totiſque constructa pomis adhærebat.* Vide de Car. Paſchal. *Coronar. l.* 1. *c.* 13. *l.* 4. *c.* 1. & ſuprà, ubi de *Encyliſtiis Coroniis*: uti *de menſis pomorum*, *voce Cana*, it. *Poma* & *Menſæ ſecundæ.*

POMONA, Nympha Latialis, hortorum Dea: quam cùm Vertumnus miſere deperiret, in alias atque alias identidem ſeſe formas tranſmutavit, ut ſaltem amatæ conſpectu frui poſſet. Tandem in anum converſus multis argumentis ei perſuadere conatur, ut Vertumno nubat. Verùm cùm nihil aliud, quàm operam ſe ludere animadverteret, priſtinâ reſumptâ formâ non admodùm invitæ vim intulit, nuptiiſque ejus eſt potitus. Picus quoque Latinorum rex eam adamavit, propter quod Circe conjux illum in avem ſui nominis tranſmutavit. Inde *Pomonalis*, Flamen Pomonæ Deæ. Alex. ab Alexand. *l.* 6. *c.* 12. *Poſt aliquot verò tempeſtates, auctâ civitate quum augeri ſacerdotia oporteret*, 15. *Flamines conſtituti fuêre, qui omnes à Diis, quibus ſacra faciebant, cognomenta ſortiti ſunt, quorum primus Dialis, ultimus Pomonalis.* Ejus meminit Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 623.

Rege ſub hoc Pomona fuit: quâ nulla Latinas
Inter Hamadryades coluit ſolertius hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtûs,
Unde tenet nomen. ———

POMONA, inſula Orchadum primaria, cum urbe cognomine, vulgò *Kirkwal*; inſula verò *Mainland* dicitur, ab Ortu in Occaſum extenſa ad 22. mill. paſſ. In ea ſunt 8. caſtra cum urbecula primaria Carcoviaca *Kirkwal*, in parte Boreali Inſulæ, vixque 15. mill. paſſ. diſtat ob ora Scotiæ in Septentrionem *Baudrand.*

POMONA, locus Latii, in agro Solonio, in via Oſtienſi, media inter Romam & Oſtiam, utrinque ſuprà 8. mill. paſſ. à Pomona Dea pomorum.

POMPA, in Baptiſmatis ſolemnibus; *Abrenuntias Satanæ & pompis ejus*; ambitionem, jactantiamque denotat. Propriè, ſolennis proceſſio apud Veteres ſic dicta eſt. Vide Jo. Meurſium, in Πομπὴ, i. e. deductio ſeu tranſvectio, quæ per publicas Urbis vias honoris ergo fiebat, uti in triumphis, Supplicationibus, Funeribus, Nuptiis. Sic Gallienum decennia celebrâſſe novô genere ludorum, novâ ſpecie *pomparum* &c. narrans Trebellius Pollio: *Jam primum*, inquit, *c.* 8. *inter togatos patres & equeſtrem ordinem, albatos milites & omni populô præeunte, ſervis etiam propè omnium & mulieribus cum cereis & facibus & lampadibus præcedentibus*

tibus, Capitolium petiit. Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni boves, cornibus aurô jugatis & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte 200. præceſſerunt, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ; mille ducenti gladiatores pompaliter *ornati, cum auratis veſtibus matronarum, manſuetæ feræ diverſi generis ducentæ ornatu quammaximô affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere hiſtrionum, pugiles ſacculis, non veritate, pugillantes. Cyclopea etiam luſerunt omnes apenarii* —— *Omnes via ludis ſtrepituque & plauſibus perſonabant, ipſe medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres, omnibus Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Haſtæ auratæ altrinſecus quingentæ, vexilla centena; & præterea, quæ Collegiorum erant, dracones & ſigna templorum omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes ſimulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Perſæ: ita ut non minùs quàm ducenti ſingulis globis ducerentur. Hâc* pompâ *homo ineptus eludere ſe credidit Populum Rom.* Speciatim & maximè propriè de *Pompa* Circenſi, quam Tertullianus, *de Spectaculis, c. 7. Simulachrorum* dicit fuiſſe *ſeriem, Imaginum agmen, currus, thenſas, armamaxas, ſedes, coronas, & exuvias.* Primò namque præferebantur *ſimulachra* Deorum, quibus ſuccedebant *Imagines* virorum benè de Rep. meritorum: Sequebantur *currus*, juxta Virg. *l. 1. Æn. v. 20.*

—— —— *Hîc illius arma,*
Hîc currus fuit.

Quos excipiebant Inſignia, ita enim Godwynus *Thenſas* interpretatur, funium quorundam ope geſtata, quos attingere nefas erat. Sequebantur *Harmamaxæ*: & quidem Currus inanes erant, Thenſæ ſecundùm quoſdam ſimulachra vehebant, in Harmamaxis homines erant, vel potiùs totum Imaginum agmen. Has excipiebant *Sedes* Magiſtratuum Curules, *Coronæ* & *Exuviæ*, i. e. Spolia hoſtibus ademta: quæ tria poſtrema in Supplicationibus inprimis ac Gratiarum actionibus publicis, pro victoria impetrata, erant in uſu. Solebant enim Romani in iſtiuſmodi *Pompis*, ubi ad certum Circi locum perventum erat, in honorem Victoris licet abſentis, currum ſtatuere, coronis ſpoliisque hoſtium, inſignem, uti docet Iſaac. Caſaubon. *in Sueton. Jul. c. 76.* In *Pompæ* Cerealis apparatu Ovum primùm numeratum eſſe, ſcribit Macrob. *l. 7. Saturnal. c. 16.* quò fortè Terræ, quam ſub Cereris ſchemate cultum ibant, rotunditatem indigitare voluerunt. Quælibet enim *Pompa* Dei alicujus honori litabat: quemadmodum Circenſis, ut ad eam redeam, in Solis vergebat honorem, quâ fini ingentis ſtaturæ equi in ea deducebantur. Præter memorata, nobiles quoque Matronas carpentis ſuis vectas, *Pompæ* fuiſſe partem, Sueton. docet *in Claudio, c. 11.* Illâ procedente, favor, ſtudia & ſponſiones uniuſcujuſque oſtendebantur, quorum unus huic, alter illi factioni favebat. Ovid. *Amor. l. 3. El. 2. v. 43.*

Sed jam Pompa *venit; linguiſque animiſque favete,*
Tempus adeſt plauſus: aurea Pompa venit.

Et de Arte, l. 1. v. 147.

At cùm Pompa *frequens certantibus ibit ephebis,*
Tu Veneri dominæ plaude favente manu &c.

Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l. 5. c. 5.* Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. ſect. 3. c. 1.* ut & hîc paſſim ubi de Feſtis Sacriſque Gentilium, voce item *Deſignatores*, ac *Nigrigeruli* & *Proceſſio* uti de *Pompa Megabyzi*, inter Apellis opera Plinio memorata, *l. 35. c. 10.* ſuprà *Megabyzi*; de more in *Pompis* inprimis munera exhibendi Principibus, voce *Munus.* Addo ſaltem, has quoque Gentilium *pompas*, in renuntiatione Baptiſmali, olim intellectas. Hinc inter alia, quæ Chriſtianis apud Minucium Fel. objicit Cæcilius: *Non ſpectanda*, inquit, *viſitis, non pompis intereſtis.* E quibus verbis conjici poſſe, quò tempore uſitari cœperit inter Chriſtianos uſus & formula *renuntiandi Satanæ, ſeculo & pompis ejus*, obſervat Deſid. Heraldus. Hinc *Pompalis*, apud. Jul. Capitolin. *in Gordianis, c. 6. Erat longitudine Romanâ, canitie decorâ &* pompali *vultu.* Item *Pompaticum*, quod ad *pompam* oſtenſionemque facit. Græcè *Φαντασιώδης.* Unde *carrum pompaticum*, & *pompabilis ornatus*, eſt Φαντασιώδης· Φαντάζειν enim *oſtendere* eſt. Heſychius, Φαντάσαι, δεῖξαι· Φαντάζει, φαίνει. Unde Φαντασία, quâ voce etiam in Actis, *c. 25. v. 23.* uti novimus ſacrum Scriptorem, *oſtenſio*, Gall. *monſtre, parade.* Sic Græci ἐξόδους μετὰ πολλῆς Φαντασίας, fieri dicunt, qui *cum multa pompa paratuque* fiunt. Vide ſuprà in voce *Albati*, item *Oſtendere*, *Oſtenſionales*, & quæ hanc in rem adfert Cl. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c. 33.* At *pompare*, apud Aur. Caſſiodorum, Paulum Diac. alios, idem quod *traducere per Amphitheatri arenam* Suetonio, *in Veſpaſiano, c. 8.* adnotante Th. Marcilio. Vide infrà in hac voce. Indidem ἐπιπομπευτικὰ carmina, de quibus ſuprà voce *Epipompeutica*, item *Lyra.*

POMPÆI Dii, qui & *Averrunci*, vide *Emiſſarii.*

POMPEJA, Sexti Pompeji ex Scribonia, filia; deſponſa Marcello, pignus pacis cum Triumviris initæ: ſed non deducta, nupſit poſteà Scribonio Liboni.

POMPEJA, uxor tertia Jul. Cæſaris, filia Pompeji. Hanc mortuâ Calpurniâ Cæſar ſibi junxit, mox repudiatam, ob adulterii cum Clodio, inter Bonæ Deæ ſacra, ſuſpicionem. *Non enim culpâ ſolùm, ſed & culpæ ſuſpicione Cæſaris uxorem vacare debere*, dixit: Sueton. & Plut. *in Julio.*

POMPEJA Lex, de Judiciis, lata à Cn. Pompejo M. Conſule ſine Collega, *Ne reum in judiciô laudare liceret*, memoratur Plut. *in ejus vita* & *Cat. Utic.* Vide quoque Val. Max. *l. 6. c. 2. ex. 5.* Alia, eodem Auctore III. Conſule cum Q. Cæcilio Metello Pio Scipione anno Urb. Cond. 701. voluit, *Ne cujus abſentis in Magiſtratuum Comitiis ratio haberetur, unô Cæſare exceptô.* Dio, *l. 40.* Plut. in *Pompejo* & *Cæſare* &c. Alia, *Ut de iis, qui à ſecundo ſuo Conſulatu ad hunc uſque diem ob rem judicandam pecunias cepiſſent, quæſtio conſtitueretur*, reperitur, apud Appianum, *Bell. Civ. l.* [illegible] Idem II. Conſul cum M. Licinio Craſſo II. tulit annô 698. *Ut ampliſſimo ex cenſu, ex centuriis, aliter quàm anteà lecti Judices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aureliâ lege communicata erant judicia, Senatoriô ſcil. Equeſtri & Tribunis, Ærariis res judicarent.* Item, *ut quinque & ſeptuaginta Judices cauſas cognoſcerent*: Cujus legis meminit Cicer. *in Piſonem*: vide quoque *in eandem* Aſconium. Alia ab eodem III. Conſule cum Q. Cæcilio Metello Pio rogata eſt annô 701. *Ut ſibi Hiſpania provincia in alterum quinquennium prorogaretur.* Dio, *l. 38.* & Plut. *in vit. ejus.* Eôdem annô idem legem tulit de vi, quâ nominatim cædem in Appia via factam & incendium Curiæ & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit, & pœnam graviorem ac formam judicii breviorem: Capita ejus collegit Hotomannus. Vide quoque Aſconium, *in Milon.* Dionem, *l. 40.* Cicer. *de Finibus, l. 4.* & *ad Atticum, l. 10. Ep. 4.* Cæſarem *de bello Civ. l. 3.* &c. Eôdem annô idem de ambitu legem tulit, de qua iterum *Dio* videndus. Sed & legis ab eo I. Conſul. cum M. Craſſo an. Urb. Cond. 683. latæ meminit Plut. quâ voluit, *Ut ad Tribunos Pl. provocandi jus eſſet, omniaque, quæ Tribunis Pleb. ademerat Sylla, illis reſtituerentur.* Vide quoque Aſconium, *in Verrin. 1. & 2.* ut & Cæſ. *de bello Civ. l. 1.* quibus adde Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

POMPEJA Macrina, uxor Argolici, à Tiberio in exilium miſſa, Tacit. *Annal. l. 6. c. 18.*

POMPEJA Paullina, filia Pompeji Paullini, Conſularis & vectigalibus præfecti, uxor L. Annæi Senecæ.

POMPEJA Plautina, Imperatrix optima, quæ Julianum Imperatorem maritum ſuum divertit, ab extorquenda populo pecunia, & colligendo fiſco. *Sextus Aurel.* Item Cn. Pompeji filia, & neptis Syllæ, uxor Julii Cæſ. quæ ab eo repudiata fuit, quòd veniſſet in ſuſpicionem adulterii cum Clodio commiſſi inter ſacra Bonæ Deæ. Vide ſuprà.

POMPEJA Porticus, memorata Propertio, *l. 3. El. 32. v.* [illegible] 12. Ovidio, *l. 1. Art. am. v. 67.* Martiali, *l. 11. Epigr. 48.* & Catullo, *Epigr. 56. ad Camerinum*, ubi *v. 6. Magni ambulatio* vocatur, deambulationi inſerviebat: quam iis, qui penè aſſidui in ſtudiis, ſenibus item atque aliis naturæ imbecillioris & proin vehementium exercitationum impatientibus, apprimè convenire, Gymnaſticæ Rei Scriptores, tradunt. Vide quoque Senec. *Ep. 15.* & Voſſ. *de 4. Artib. Popul. c. 3. §. 93.* nec non infrà, voce *Porticus.*

POMPEJA Tropæa, locus Hiſpaniæ in Galliæ Narbonenſis confinio ad Pyrenæi montis radices, apud Templum Veneris, à Narbone 36. mill paſſ. in Auſtrum.

POMPEJACUM, caſtrum pagi Aginnenſis, ubi S. Vincentius paſſus dicitur; cujus ſepulcrum ibi ſtanneis tegulis, à Leontio Burdigalenſi Epiſcopo tectum oſtenditur. A Pompejo aliquo denominatum: dicitur quoque *Paſſio S. Vincentii.* Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l. 7. c. 35. l. de gloria Mart. &c.* Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

POMPEJANA Domus, occurrit apud Jul. Capitolin. *in Gordianis, c. 2.* ubi de Gordiano ſeniore ſeu primo, *Romæ*, ait, *Pompejanam domum poſſidens, in provinciis tantum terrarum habens quantum nemo privatus.* Item apud Plutarchum in *Vita* Pompeji, & Sueton. *l. 3. c. 15.* edit. Caſaub. ut & *libro de illuſtr. Grammaticis.* Eadem & *Roſtrata* dicta, ut in ſequentib. docet Capitolin. haud dubiè, propter faſtigium vel ornamentum aliquod, roſtri formâ Magni ædibus, conceſſu Senatus ac Populi Romani affixum, navalium ejus victoriarum monumentum Philippi temporibus eam fiſcum invaſiſſe, idem refert Capitol. *ibid.* Vide quoque infrà *Roſtrata.*

POMPEJANUM, villa Ciceronis prope Nolam, à Neapoli 12. mill. paſſ. Locus hodie *Pomigliano*, teſte *Ambroſiô Leone. Blondo* autem *S. Maria Nuntiata*, vel *Anontiata.*

POMPEJANUS, Equitis Romani fil. genere Antiochenſis, Conſul Roman. M. Antonini Pii gener, cujus meminit ipſe Marcus in oratione ſua, apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Caſſio, c. 12. Habetis igitur P. C. pro gratulatione victoriæ, generum meum, Conſulem* Pompejanum *dico; cujus ætas olim remuneranda fuerat Conſulatu, niſi viri fortes intervenissent, quibus reddi debuit, quod à Rep. debebatur.* In præcedentib. *peregrinus* dicitur, i. e. genere obſcurus, *non ſatis nobilis*, ut habetur in *Vita* Marci. Vide infrà. Sub Commodo poſtmodum interfectus eſt, ſimul cum aliis non paucis, Idem in *ſeqq. c. 4. Datum negotium peragendæ necis* (Commodi ſcil.) *Claudio Pompejano propinquo, qui ingreſſus ad Commodum diſtrictô gladiô cùm poteſtatem faciendi habuiſſet, in hæc verba prorumpens, Hunc tibi pugionem Senatus mittit: detexit facinus fatuus nec implevit, multis cum eo participantibus cauſam. Poſt hæc interfecti ſunt,* Pompejanus *primò & Quadratus, dein* &c. Uxor ejus Lucilla fuit, Commodi ſoror, quæ priùs Vero nupſerat & hâc ipsâ conſpiratione detectâ, in exilium relegata Capreas, dein occiſa eſt, teſte *Dione.* His parentibus genitus fil. eſt *Pompejanus*, de quo ſic Æl. Spartian. in *Antonino Carac. c. 3. Occidit etiam* Pompejanum, *Marci nepotem ex filia natum & ex* Pompejano, *cui nupta fuerat Lucilla, poſt mortem Veri Imperatoris, quem & Conſulem hic fecerat & omnibus bellis præpoſuerat, quæ graviſſima tunc fuerunt.* Vide Caſaubon. *ad loc.* ubi Lampridium refellit ex Dione, Claudium *Pompejanum*, hujus occiſi patrem, poſt necem Commodi ſibi viſum: imò ex ipſo Lampridio, in *Juliano, c. 8.* Cl. *Pompejanum* è ſeceſſu Taraconenſi à Juliano ad participatum Imperii, quòd gener Imperatoris fuiſſet, evocatum, dicentibus. Si enim à Dione viſus eſt poſt Commodum occiſum; ſi à Juliano ad conſortium Imperii vocatus: non igitur ſub Commodo necatus eſt, ut ſuprà Lamprid. narravit, &c. Memoratur & *Pompejanus* Conſul Julio Capitolino in *Gordianis, c. 23. Finitâ igitur ſolicitudine in Africa Gordianô jam iterum & Papinianô Conſulib.* ubi pro Papiniano legendum eſſe *Pompejano* docent ex Faſtis, Codice Palatino, & membranis libroque clariſſ. Puteani Caſaubonus, & *Gruterus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

POMPEJANUS, in *vetere Inſcr. in Pompejano victor*; nomen equi, quò agitator vicit. Licèt enim quadrigis certaverint in Circenſibus, ab uno tamen, ſiniſtro ſcil. funali, victoria pendebat: quæ cauſa, quòd tum alibi, tum in *Inſcriptionibus antiquis*, unius potiſſimùm mentio fiat, per quem totus currus intelligitur. Sic *Inſcr. Cùm Fortunatus factionis Venetæ in victore Tuſco victor.* Et, *in Abigejo victor eminuit.* Item, in *Bubalo vicit.* &c. Vide ſuprà *Paſſerinus.*

POMPEJANUS Ælianus, juvenis Quæſtorius, tanquam flagitiorum Fabiani in ſubdendo teſtamento gnarus, Italiâ & Hiſpaniâ, in qua ortus erat, prohibitus eſt tempore Neronis, Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 41.

POMPEJANUS Jupiter, coloſſus fuit Jovis eximiæ magnitudinis, ſic à theatro Pompeji, cui vicinus ſtabat, dictus, teſte Pliniô, *l.* 34. *c.* 7. ubi *Moles*, inquit, *excogitatas vidimus ſtatuarum, quas Coloſſos vocant, turibus pares. Talis in campo Martio, Jupiter à Claudio Cæſare dicatus, qui ideo vocatur* Pompejanus, *à vicinitate theatri*, Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. Sic *Marianus* Jupiter, à Mario, qui ei templum condidit, nomen traxiſſe legitur, ut Idem docet *ibidem.*

POMPEJANUS Lupercus, Conſul cum Attico Attiliano, An. Urb. Cond. 881. Alius Conſul cum Lolliano Avito, An. Urb. Cond. 961. Vide & *Claudius.*

POMPEJI, ſeu POMPEJUM *Salluſtio*, Senecæ, *l. 6. Natur. Quæſt. c.* 1. ac Tacito, *l.* 15. *Annal. c.* 22. colonia & oppid. Campaniæ in ora apud Sarnum fluv. Stabias urbem & Veſuvium montem, ubi nunc *Caſtel à mare di Stabia*, teſte *Collenutiô*, à Neapoli 18. mill. paſſ. Salernum verſus, ab Hercule conditum, cùm boves Geryonis abduceret, teſte Solinô, *c.* 8. *Baudrando*, hodie *Torre del Anunciata:* in ora Sinus Neapolitani ad oſtia Sarni fluv. Dicitur & *Pompejanum:* 10. mill. paſſ. à confinio Princip. citeriore; Lucæ tamen Holſtenio *Pompeji* fuêre, ubi nunc maxima viſuntur rudera, locô, qui *Civita* vulgò, ubi Ambroſius Nolanus Stabias fuiſſe credidit. Hinc *Pompejanus*, Stat. *Sylv. l.* 1. *Carm.* 2. *v.* 265.

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

POMPEJI Columna, uti vulgò vocatur, in oſtio Maris Nigri ſeu Ponti Euxini, in una ex Cyaneis rupibus, è marmore vix 12. pedes alta, & proin in Altaris potiùs uſum extructa, deſcribitur Jac. Sponio, *Itinerar. Archipelagi, p.* 229. & *ſeqq.* ubi & iconem ejus exhibet. Inſcriptio baſeos, in honorem Auguſti facta, ſic habet.

CÆSARI AUGUSTO
E. CL. ANNIDIUS
L. F. CLA. FRONTO.

POMPEJI Tumulus, apud Æl. Spartian. in *Hadriano*, *c.* 14. *Sed in monte Caſio, quum videndi Solis ortûs gratiâ nocte aſcendiſſet. imbre ortô fulmen decidens hoſtiam & victimarium ſacrificanti afflavit. Peragratâ Arabiâ Peluſium venit &* Pompeji tumulum *magnificentiùs extruxit.* Fuit in monte Caſio, quem Κάσιον πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ & Κάσιον πρὸς τῷ Πηλουσίῳ, vocat *Strabo*, ad differentiam alterius Caſii, qui in Seleucia prope Antiochiam, vide in hac voce. *Dio*, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ διεφθαρμένον ἀνῳκοδόμησεν, *Et tumulum ejus deſtructum reparavit.* Plura Appianus Ἐμφυλ. *l.* 2. qui de illo verſu in Pompejum,

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου.

diſſentit à Dione Caſaubon. ad *Spartian. loc. cit.*

POMPEJI Villa, locus Campaniæ apud Avernum lacum, *Magnarello* hodie, ab Hercule conditus, cùm boves Geryonis abduceret. Sed hic locus *Pompeji* eſt, de quo prius. *Ferrarius.*

POMPEJOPOLIS, Metropolis Navarræ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Burgenſi. Vulgò *Pampelone:* à Pompejo fundata, Vaſconum caput. Hanc Carolus M. in Hiſpaniam tranſiens, captam mœnibus nudavit, A. C. 778. Ejus & Aragoniæ, primus Rex Abarca factus eſt, A. C. 895. Vaſæus, *in Chron.* Sub Hiſpanis hodie, à quo Navarræ regnum Johanni Albretano Regi ereptum eſt. Cum arce à Philippo II. extructa. Prudentius Sandovalius, *de Epiſcop. Pompejop.* Garibay, *l.* 22. *& ſeqq.* Strabo, *l.* 3. Mariamma, *l.* 3. *& ſeqq.* Marca. *Hiſt. Bearn.* Oihenart. *Notit. utriuſque Vaſconiæ*, Favin. *Hiſt. Nav. &c.* Hîc Concilium A. C. 1032. 1355. 1459. læſuſque in obſidione Ignatius Lojola, Jeſuitici Ordinis auctor. Vide *Pampilone.*

POMPEJOPOLIS, urbs gemina; Una Ciliciæ maritima, prius *Soli*, dein à Pompejo, victis piratis, nomen accepit. Epiſcopalis poſtmodùm facta, ſub Archiepiſcopo Seleucienſi, nunc exciſa & in vicum redacta; *Poleſoli* dicta, inter Sebaſten & Lamum ad Occidentem, & Tarſum ad Ortum. Altera in Paphlagonia, priùs Eupatoria, poſteà devictô Mithridate à *Pompejo M.* ſic appellata, & ipſa everſa. Fuit hæc olim Metropolitæ ſedes, ſub Patriarcha Conſtantinop. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Ptol.* Solin. *c.* 46. Pomp. Mela, *l.* 1. *c.* 13. &c. Prior *Trajanopolis* etiam dicta, ibi enim Trajanus obiiſſe fertur.

Qu. POMPEJUS, primus ex hac familia, Conſul, contra Numantinos miſſus, ab eiſque ſuperatus, turpem & ignominioſam pacem fecit, Florus, *l.* 2. *c.* 18. Hujus fil. ſive nepos, Cn. Pompejus Strabo, Magni Pompeji pater, Novocomum coloniam deduxit; in bello ſociali Imperator creatus, de Picentibus triumphavit, vir admodum duræ diſciplinæ. Cùm ei non prorogaretur magiſtratus, Cinnæ ſe hoſtem profeſſus, tandem cruentô cum illo præliô, in urbis conſpectu, conflixit. Peſte dein per utrumque exercitum graſſante, & ipſe obiit: cujus ablati voluptas jacturâ civium penſata eſt. In ejus cadaver ſævierunt cives, ipſe verò nihil unquam, niſi in rem ſuam egiſſe, dicitur. Plut. *in Pompejo.* Vellej. Paterculus, *l.* 2. qui plures Pompejorum familias fuiſſe ſcribit. Vide & *Cajus.*

Cn. POMPEJUS, prioris ex Lucilia fil. qui ex rerum geſtarum magnitudine, *Magni* cognomen invenit. Natus An. 648. Urb. Cond. eôdem tempore, quô Cicero, ut hic teſtatur *de Orat.* ad Eloquentiæ culmen pervenire cùm poſſet, militarem gloriam prætulit: Impensè laudatus à Vellejo Paterculo, *l.* 2. *c.* 29. Quamprimum togam virilem ſumpſit, meruit ſub Patre. Dein annô ætat. 23. cum legionibus tribus propriô ære conductis, L. Syllæ partes ſecutus eſt, ab eoque ad ulciſcendos inimicos in Africam miſſus, Siciliam recepit, Domitium primùm expugnavit, deinde & Jarbam regem cepit, de quo triumphavit ante legitimam ætatem, An. 673. Urb. Cond. Quare ab exercitu Syllæ *Magnus* eſt ſalutatus. Syllâ paulò pòſt mortuô, Lepidum Româ cedere coëgit, quòd acta Sullæ reſcindere vellet, arma capientem, junctus Catulo vicit. Inde contra Sertorium in Hiſpaniam profectus, Metelli copiis ſeſe conjungens eum cum tota factione ſuſtulit: iterum triumphô potitus, paulo ante Conſulatum: quô durante Tribunis Pleb. poteſtatem ademptam reddidit. Mox delectus Imperator ad bellum Piraticum, tribus menſibus id confecit. Dein ſucceſſor L. Lucullo miſſus, de Mithridate triumphavit. Tigranem Armeniæ regem ei ad genua procumbentem in regnum reſtituit. Inde Medos, Iberos, Albanos, Colchos, Heniochos, Achæos, Parthos & Judæos debellavit, captô eorum rege Ariſtobulô. Romam reverſus, incredibili omnium lætitiâ exceptus eſt, inprimis quòd dimiſſis copiis, contrà omnium opinionem, urbem intrâſſet: Triumphum autem egit magnificentiſſimum, maximâ, ab omni hominum memoriâ, prædâ ærario illatâ: Ad apicem felicitatis evectus, Europâ, Aſiâ & Africâ triumphatis. Poſt hæc Cæſaris, cujus potentiam jam ſubvereri inceperat, filiâ Juliâ ductâ, cum illo Craſſoque Triumviratum iniit, ſed minimè diuturnum inter æmulos. Extinctâ dein cum filiolo uxore Julii Cæſaris filiâ, Corneliam Scipionis filiam, à P. Craſſo M. filio viduam relictam uxorem duxit. Neapoli demum acutiſſimâ febre correptus, parum abſuit à morte, quæ ſi contigiſſet, melius cum eo actum fuiſſet, ob inſequentis belli civilis calamitatem. Cùm enim Hiſpaniam ſibi curâſſet, Cæſar autem arma ponere juberetur, hic Rubicone trajectô, Romam venit, unde profectus Pompejus, in Siciliam primò, dein in Hiſpaniam tandem in Macedoniam fugerat, cum immenſo exercitu. Mox Pharſalicâ pugnâ à Cæſare inſequente, copiis longè inferiore, ſuperatus, in Ægyptum fugiens, regis perfidiâ, conſiliô Theodoti præceptoris, ab Achilla præfecto interfectus eſt. A. C. 706. Urb. Cond. pridie diei natalis, Vellej. Paterc. *Hiſt. l.* 2. Plut. *in Pomp.* Florus, *l.* 4. *Appianus*, *Dion*, *Eutrop. Euſeb. Oroſ.* &c. Filios reliquit Cn. & Sext. Pompejos: quorum ille apud Mundam Hiſpaniæ urbem terreſtri, hic apud Siciliam navali præliô ſuperatus fuit. Vide infrà. Lucan. *l.* 1. *v.* 129.

——— *Alter* (Pompejus) *vergentibus annis*
In ſenium longoque togæ tranquillior uſu
Dedidicit jam pace ducem: famæque petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plauſuque ſui gaudere theatri.
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunæ: ſtat magni nominis umbra.

Pompejo M. Adrianus Imperator in Ægypto, appoſitô verſu:

Oſſa viri magni tenui quàm clauſa ſepulchro!

parentavit, A. C. 132. Æl. Spartian. *in vita ejus*, *c.* 14. *&c.* Nic. *Lloyd.* Addo, quòd primus Theatrum Romæ manſurum extruxit, lapide quadratô, ad exemplum ejus, quod Mitylenis viderat bellô Mithridaticô, ut refert Corn. Tacitus, *l.* 14. *Annal. c.* 20. De quo ſic Tertullian. *l. de Spectac. Pompejus Magnus ſolô theatrô ſuô minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ Cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edictô populum vocans, non Theatrum, ſed Veneris templum, nuncupavit, cui ſubjecimus, inquit, gradus ſpectaculorum: ita damnatum & damnandum opus Templi titulô prætexuit & diſciplinam ſuperſtitione illuſit.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 4. Idem Romæ primus Triumphali currui elephantos junxit, Plin. *l.* 8. *c.* 2. quem dein ſequutus eſt Cajus Cæſar, Gallico Triumpho, Sueton. *c.* 37. Claudius, apud eundem, *c.* 11. Domitius, Allobrogibus Arverniſque ſuperatis, apud eundem, *in Nerone*, *c.* 2. Gordianus III. apud Jul. Capitolin. *c.* 27. & Aurelianus, apud Zonaram, *Annal.* 3. *Tom.* nec non Alexander Severus, apud Æl. Lampridium. Unde patet, falli Sidonium, qui Cæcilium Metellum bellô Punicô victorem Elephantis triumphâſſe ſcribit: Neque enim ille currui ſubjecit aut jugo, ſed *duxit*, *populoque Rom. oſtentavit*, ut videre eſt ex Seneca, *de Brev. vitæ*, *c.* 13. &c. Bacchum tamen Pompejo præiviſſe poſt Indos devictos, Diod. Siculus habet, *Biblioth. l.* 4. Tulit autem in Triumpho, victo Mithridate, hebenum, teſte C. Solin. Polyhiſtore, *c.* 55. Idem *tranſtulit vaſa ex auro & gemmis abacorum novem*, Plin. *l.* 37. *c.* 2. *eademque victoria*, pergit Auctor, *primùm in urbem murrhina induxit, primuſque ſex pocula ex eo triumpho Jovi Capitolino dedicavit, quæ protinus ad hominum uſum tranſiere*, &c. Vide præfatum Roſinum, *Antiqq. Rom. paſſim.* & Dempſter. in *Paralipom. in Roſin. l.* 10. *c.* 29. *Antiquit.* In annulo *Pompeii* ſculptum fuiſſe Leonem Plut. *in vit.* tradit, qui & forſan in ſcuto ejus: Ita autem ille, *Cæſar veniens eum, qui caput Pompeji ſibi obtulit, ut deteſtabilem averſatus eſt, Annulum ejus accipiens illachrymavit: Inſculptus Leo erat enſem tenens.* Idque ad imitationem Agamemnonis, quem ſimili emblemate fuiſſe delectatum, docet Pauſan. *in Eliacis prior.* Unde pergit Plut. *alibi: Cæteri tergiverſantem Pompejum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pejum increpabant irritabantque omnes, Agamemnonem & Regem Regum appellantes, quaſi nolentem deponere Imperium, &c. *in Caſ.* Vide Fortun. Licetum *de Gemmis Annularibus Schem.* 48. *c.* 146. Vide & *Cneus.*

Cn. POMPEJUS, filius Pompeji M. juvenis incredibili vigore & militari penitus ingeniô, ingenti comparatô exercitu, paternis amicis undique auxilia ei ſummittentibus, prælio ad Mundam, prope *Ronda Vieja* hodie, in regno Granatæ, Cæſarem eò adegit, ut de victoria deſperans, jam ſibi mortem conſciturus eſſet. Poſt tamen, hôc, ſuorum monitu, redintegrante prælium victus, in fuga periit. Frater ejus *Sextus* junior fugâ elapſus eſt, animô inquietô & ultionem ſpirante. Hic ſervis piratisque collectis, Siciliâ potitus: poſtmodum cum Auguſto & M. Antonio pacem iniit: quos cùm in nave ſua conviviô excepiſſet, *in Carinis*, ſe illos excepiſſe jocatus; quod nomen Pompejanis ædibus erat tum ab Antonio Romæ poſſeſſis; acceſſit quidam ab amicis, eum ſubmonens, ut utrôque, quod facilè poterat, ſublatô, ſe Dominum Orbis faceret: Sed is noluit, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplô, tenax. Renovatô dein bellô, mari victus, ad Antonium ſe recepit, inde in Aſiam tranſiit, ubi Titius eum captum Miletum deduxit, dein Antonii & Planci Syriæ Præſidis juſſu, occidit. Vellej. Paterc. *l.* 2. Florus *l.* 4. Dion *Hiſt. R.* Hirtius vel Opius, *Bell. Hiſpan.* Plutarch. *in vita Cæſ. & Antonii, &c.*

Sext. POMPEJUS, cum Apulejo Conſul; dein Aſiæ proconſul, comite Valer. Max. à quo paſſim plenâ manu laudatur. Vocat ibidem clariſſimum & diſertiſſimum virum. Nec diſſentit Ovidius, qui vitam illi ſuam fortunasque non unô locô refert acceptas, ut *l.* 4. *de Pont. Eleg.* 1. & 4. 5. ut appareat hunc Sextum amicum unicè fuiſſe Muſis ſtudiisque. Hujus pater Sext Pompejus, Hiſpaniæ citerioris princeps, quum horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus dolore podagræ, merſit in triticum ſeſe ſuper genua, levatusque ſanatis pedibus mirabili modô, hôc poſteà remediô uſus eſt, Plin. *l.* 22. *c.* 25. Vide & *Sextus.*

Qu POMPEJUS *Rufus*, Syllæ è filia nepos, Tribunus Plebis cum T. Numantio Planco adverſiſſimus Miloni; in cujus cauſa dixerat paucis poſt diebus quàm Clodius eſſet occiſus; *Milo dedit, quem in Curia cremaretis: Ego dabo, quem in Capitolio ſepeliatis.* Idem Milonem ad ſe venientem in hortos, aſpiciens, miſit nuntium, ne veniret.

Qu. POMPEJUS Bithynicus, ſummô ſtudiô dicens, multâque doctrinâ, incredibilique labore atque induſtriâ. Hujus actio non ſatis commendabat orationem; in hac enim ſatis erat copiæ, in illa leporis parum, Cicero, *in Bruto.* Feſtus quoque de eodem ſic ait: *Pompejus Bithynicus è ſuppellectili regia ſignum ephebi mitram tenentis, arenamque tuentis, exercitationis gratiâ, more Græcorum, Romam portavit, & in Capitolio poſuit.*

M. POMPEJUS, Theophanis Mitylenæi, amicitiâ Pompeji Magni & ſcriptione hiſtoriæ celebris, filius, inter primos Tiberii amicos cenſebatur, in cujus tamen ſobolem quantam ſævitiam Tiberius tandem exercuerit, narrat Tacitus, *Annal. l.* 6. *c.* 14. Ex hujus poſteris fuit Balbinus Imperator ut docet Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino, c.* 7. *Familiæ vetuſtiſſimæ, ut ipſe dicebat, à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompejum civitatem meruerat, quum eſſet ſuæ patriæ nobiliſſimus idemque hiſtoriæ ſcriptor.*

POMPEJUS, tribunus militum, detectâ conjuratione Piſonianâ, exutus tribunatu, quaſi Principem non quidem odiſſet, ſed tamen exiſtimaretur, Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 71.

POMPEJUS Columna, Cardinalis Filius Hieronymi, nepos Proſperi, Ducis celeberrimi, & Johannis ſimiliter Cardinalis. Occiſô patre in ſeditione, à Proſpero fratre tutore ſuo: traditus eſt viris eruditis, qui ipſum in liberalibus artibus inſtituerent. Sed ad arma inclinatior, diu in bello meruit, donec, Tutoris juſſu, Eccleſiaſticam vitam amplecteretur, ut Johannis patrui beneficiis frui poſſet. Fecit id ægrè, & Epiſcopatu, aliquotque Abbatiis vix ornatus, ab Hiſpano quodam ad duellum provocatus comparuit: ſed impeditus ab accurrentibus amicis, quo minus certamine penitus defungeretur, ex indignatione ſacerdotalem tunicam in fruſta diſcerpſit. Poſt hæc vanô de Julii II. obitu rumore ſparſô, coactô juvenum globô, Capitolium occupavit, hinc beneficiis ſuis orbatus, quæ agnato ejus conceſſa ſunt. Reconciliatus tamen cum Julio, ab hoc per literas ad ſe vocatus eſt: ſed cùm Epiſcopi titulus in iis non adeſſet, in furorem actus, illas recuſavit recipere. A Leone dein X. purpurâ donatus, ſubſcripſit electioni Adriani VI. contra Julium de Medicis, quem oderat; quorum contentio, etiam poſt Adriani mortem, per bimeſtre electionis dilatæ cauſa fuit. Unde Epigramma;

Ecce iterum è ſummo dejectam culmine Romam
Pompeji & Julii mens furioſa premit.
Brute pium, Photine pium nunc tingite ferrum,
Quid ſervâſſe juvat, ſi peritura fuit?

Lite dein compoſitâ, ex familia Medicea Clemens VII. emerſit: quæ poſtmodum, ita recruduit, ut hinc Roma bis caperetur, ſemel ab ipſo Cardinali, juncto Hugoni Moncadæ; dein à Conneſtabili Borbonio, A. C. 1526. &. 1527. Tandem Vice Rex Neapolis factus. Obiit A. C. 1532. ætat. 53. Mæcenas literatorum: liberalis & magnanimus. Scripſit opus, *in laudem Fœminei Sexus.* Paul. Jov. *in vita Column.* Guiccard. *l.* 10. Auberius, *Hiſt. Cardin.*

POMPEJUS Gallus, vide *Cajus.*

POMPEJUS Feſtus, vide *Feſtus.*

POMPEJUS Lenæus, Pompeji M. libertus, Grammaticus inſignis, qui *de herbis & plantis* ſcripſit, *Commentariosque Mithridatis de Medicina* Latinè vertit. Plin. *l.* 25. *c.* 2.

POMPEJUS Longinus, Prætoriæ cohortis tribunus gratiâ Galbæ conſtitutus; ideò, oriente ſeditione, Prætorianorum manibus coërcitus exarmatusque eſt, Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 31.

POMPEJUS Macula, de quo ſic Macrob. *Saturn. l.* 2. *c.* 2. Fauſtus Sullæ filius, quum ſoror ejus eôdem tempore duos mœchos haberet; Fulvium Fullonis filium, & Pompejum Maculam; *Miror*, inquit, *ſororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.*

POMPEJUS Paullinus, vectigalibus publicis à Nerone præpoſitus Tacit. *l.* 16. *Annal.* c. 18. Vide & *Paullinus.*

POMPEJUS Planta, auctor belli, inter Ottonem & Vitellium geſti, Lipſ. *in.* 2. *Tac.* Item, Nobilis Rhætus, qui patriæ ſuæ, & popularium proditor, Philippo III. Hiſpanorum Regi in Laniena Volturenorum, operam ſuam vendidit, immaniter in fideles ſæviens. *Hiſt. Rhætica.*

POMPEJUS Propinquus, Belgicæ Procurator; Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 12. à Vitellio interfectus, *c.* 58.

POMPEJUS Saturninus, eruditione & ſcriptis inclytus: de quibus vide Plin. *l.* 1. *ep.* 16.

POMPEJUS Silvanus, conſularis legatus in Mœſico exercitu, ſenex dives. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 86.

POMPEJUS Strabo, vide *Cneus.*

POMPEJUS Urbicus, illuſtris Eques Romanus, ob adulterium cum Meſſallina juſſu Claudii ſupplicio ſubjectus, Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 35.

POMPELON, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis Vaſconum ſeu Navarræ metropolis, & conventus juridicus, à Pompejo M. condita, & *Pompejopolis* dicta, teſte *Strabone.* Vulgò *Pampelona*, A. C. 735. unà cum Jacca, Viroveſca, &c. victis Mauris, ab Alphonſo Rege recepta, ſedet ad Argam fluv. 20. leuc. Gallic. à Bajona in Meridiem, 16. à Calaguri in Cæciam, 39. à Cæſarauguſta in Boream. Permunita, cum arce validâ à Philippo II. Rege extructa, ſub Hiſpanis, ex quo Navarram occupavit Ferdinandus Aragoniæ Rex. Quibuſdam *Martua* dicta fuit. Populi *Pompelonenſes*, Plin. *l.* 3. *c.* 3.

POMPELON Nova, urbs novæ Granatæ, versùs montes, recens ab Hiſpanis extructa, in America.

POMPILIANA Curia, memoratur Fl. Vopiſco in *Divo Aureliano, c.* 41. *Quum die tertiò Non. Febr. Senatus ampliſſimus in Curiam* Pompilianam *conveniſſet, Aurelius Gordianus Conſ. dixit* &c. Et *Tacito, c.* 3. *Die Sept. Cal. Octobris cùm in Curiam* Pompilianam *ordo ampliſſimus conſediſſet* &c.

POMPILIUS, ſecundus Romanorum Rex, qui & *Numa*, dictus eſt. Hinc *Pompilius* adjectivum; ut *Pompilius ſanguis* apud Horat. *de Arte, v.* 292. Vide *Numa.*

POMPILIUS, Theophraſti Peripatetici ſervus, qui poſteà inter illuſtres philoſophos eſt habitus, Gellius, *l.* 2. *c.* 18.

POMPILIUS Andronicus, Syrus, Grammaticus celebris; docuit Romæ, Jul. Cæſaris præceptor. Hunc quoque Cicero, jam Prætor, frequentare ſolitus eſt. Dicitur tandem Cumas ſe recepiſſe, & inopiâ preſſum, Annales ſuos vendidiſſe. Sueton. *in illuſtr. Gramm. c.* 8.

POMPILIUS Volſus, vide *Lucius.*

POMPILUS, fabulante Apolloniô, apud Athenæum, *l.* 7. *c.* 7. nauta fuit vel piſcator Icarius, in piſcem ſui nominis converſus: quod commentum ex mira piſcis hujus erga navigantes affectione originem traxiſſe, docet Voſſ. *de or. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 48. Eundem *Nautilum* proin quoque vocat Plin. *l.* 9. *c.* 29. quem locum vidimus ſuprà, in hac voce. Itaque hi magno uſui nautis ſunt, cùm quaſi navium cuſtodes ac ſervatores, eas comitentur, non quidem in portum usque, quod Nicol. Leonicenus, *Varior. l.* 3. *c.* 9. refert; ſed donec terram à longinquo præſentiant: Proin quò propiùs ad littus acceditur, eò ſegniùs comitantur. Qua de re ſic Ælian. *de Animal. l.* 2 *c.* 15. *Pompili, piſces pelagii, omnium maximè piſcium, quos auditione accepimus, in ima ſede maris verſari ſolent: ſive ipſi terram malè oderunt, ſive hæc illorum odiô tenetur. Hi autem ſic circa naves altum ſecantes, tanquam amicas, concurſant easque huc illuc ſaltantes ſtipant. Et homines quidem, qui nave vehuntur, quantum à terra abſint, prorſus ignorant & ipſi etiam nautæ à terra aberrare ſolent. At* Pompili, *tanquam ſagaciſſimi canes, qui propinquam præſentiunt prædam, ſic terram non longè abeſſe antè multo ſentiunt, idcirco non tantò ampliùs ſtudiò navium tenentur, longiùs eas ut perſequi comitando velint. Sed quaſi ſignô ad abeundum ſublatô, frequentes in altum redeunt. Unde nautæ continentem, tametſi non facibus, eum adſecuti ſed à* Pompilis *eruditi, propinquam eſſe ſentiunt.* Quæ verſu ſic reddit Interpres Oppiani, *de Piſcibus, l.* 1.

Pompilus *his habitat petris, hunc latus honorat*
Navita: quòd ſocium nautis ſe Pompilus *offert,*
Nomen habet: gaudet celeres per marmora euntes
Aſſociare rates. curſum ventumque ſequuntur,
Saltantes circùm celſæ latera alta carinæ;
Nonnulli puppim & curvæ moderamina navis
Prendunt: aſt illi collectô examine multô
Pendent à prora, dicas non ſponte ſecutos,
Invitosque trahi, nec poſſe obſiſtere contrà,
Tantô veliferæ navis rapiuntur amore,
Et velùti Regem vel cinctum temporâ ſertô
Victorem textis ramis & fronde virentem
Provecti Patres, & primô flore Juventus
Stipant: circum denſi latique feruntur,
Donec Victorem ſub ſplendida tecta reducunt:
Sic iſti ad terram navem comitantur ovantes,
Connexi circùm denſi: ſed littora poſtquam
Aſpiciunt: odium terræ immortale recondunt,
Extemplò celeres, veluti de carcere, piſces
Erumpunt: ſaltu navem curſuque relinquunt.
Dant certum nautis ſignum, quod terra propinqua eſt &c.

Vide eundem *cod. librô*, ubi de Nautilo, quem tamen à *Pompilo* diſtinguit, ei ſermo eſt, à quo navigandi occaſionem primam hominibus datam eſſe, contendit: Ovidium porrò *in Halieuticis*, Plin. *l.* 32. *c. ult.* Voſſ. *de Idolol Gent. l.* 4. *c.* 32. 48. 49. quorum ultimô, *Pompilum* ad philtra quoque utilem habitum, dictumque ἱερὸν ἰχθὺν i. e. *ſacrum piſcem*, ex Athenæo *l.* 7. & Nic. Leoniceno, *Varior. l.* 3. *c.* 9. docet. Fortun. tandem Licetum, *l. de Gemmis Annul. c.* 169.

POMPILIUS Volſus, vide *Lucius.*

POMPISCUS Arcas, Dux plenus conſilii & manu promptus, de quo Polyæn. *l.* 5. *c.* 33.

POMPO, Civis è Curibus, oppido Sabinorum, Pater Numæ Pompilii.

POMPONATIUS Petrus, Mantuanus, Ariſtotelis ſectator inſignis, docuit Bononiæ & alibi, Pauli Jovii præceptor. Cum Ariſtotele & Averroë, Animarum mortalitatem aſſeruit: Reprehenſus, reſpondit, ſe hoc dogma ut Philoſophum defendere; ut Chriſtianum verò improbare. Sed propriè horum neuter fuit, verùm juventutis corruptor. Scripſit; *de Fato*, & *de incantationum occulta poteſtate.* Obiit ſtranguriæ cruciatibus tortus A. C. 1512. ætat. 63. Paul Jov. *in Elog. doct. c.* 71. Ricciol. *Chron. reform.* Paul. Freherus *Theatrô Virorum claror.* Alii.

POMPONIA, nomen matris Scipionis; alii *Pompejam* vocant.

POMPONIA Græcina, Soror vel filia Pomponii Græcini, qui conſul ſub Auguſto; & ad quem Elegia Ovidii *l.* 4. *de Ponto.* Plautio nupta, Chriſtianiſmi, ſive ut tunc confundebatur, Judaiſmi accuſata, ac mariti judicio permiſſa eſt. Is priſcô inſtitutô propinquis coràm de capite famaque conjugis cognovit & inſontem nunciavit. Nerone ſecundùm L. Piſone Conſulib. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 32. Longa huic Pomponiæ ætas & continua triſtitia fuit. Nam, poſt *Juliam* Druſi filiam, dolô Meſſalinæ, interfectam, per quadraginta annos, non cultu niſi lugubri, non animô niſi mœſtô egit, idque illi imperitante Claudiô impune mox ad gloriam vertit.

POMPONIANA, inſul. Galliæ Narbonenſis una Stœchadum, ante Maſſiliam ſita. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Porſecros, Sanſoni. Honorato Boucheo* eſt *Porquerelles*, altera Inſula ei adjacens ad Occaſum Telonem verſus. Vide *Stœchades. Valeſio* eſt trium Stœchadum maxima, aliàs *Meſe* dicta Græcè Μέση, quod inter Proten & Hypæam medium locum obtineret. Ita enim Plinius, qui unus & ſolus Stœchadum numerum, ſitum & nomina optimè diligentiſſimèque deſignavit *loc. cit. Tres Stœchades à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem, quas item nominant ſingulis vocabulis, Proten* & *Meſen, quæ &* Pomponiana *vocatur, tertia Hypæa.* Sic autem nuncupata eſt à *Pomponio* aliquo, quam hodièque appellationem, ſed truncam atque corruptam omnino, ſervat, cùm dicitur *la Pomegues.* Sæpe tamen, cùm *Pomponiana* ſit Stœchadum maxima, ex proprio unius nomine communi omnium circumjacentium appellatione factâ, Stœchades in communi *Pomponianæ*, vulgò *Pomegues*, vel *les Pomegues* vocantur: quemadmodum Radis aliæque Sinûs Aquitanici Inſulæ circumjacentes, ab Olarione, proxima Inſula omnium maxima, *Inſulæ Olarionenſes*, vel *Vliarenſes* appellari ſolent vulgò *les Isles d'Oleron:* & Lero ac Lerinus, aliæque Inſulæ, 11. vocantur *Inſulæ S. Margaritæ*, vulgò *les Iſles de S. Marguerite*, à maxima earum Lerone ſive Inſul. S. Margaritæ: 4. item Inſulæ in mari Britannico, à Sene, *Sein*, quæ earum maxima eſt, *Inſulæ Senenſes*, vulgò *les Seins*. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Stœchades.*

POMPONII, à Numæ Fil. fluxerunt, quanquam plebeji: cognominibus Mathone, Atticô, Muſâ, Molone, Flaccô & Vitulô diſtincti. Summos Romæ honores adepti fuerunt. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuiſſe ſcribant majorumque gentium Patricios exiſtimant eos fuiſſe, ex qua gente fuit Fauſtulus Romuli educator. Duplex fortè etiam Pomponiorum gens fuit.

POMPONIUS, tribunus plebis, cùm T. Manlio Patricio diem, urgentibus Serviliô Ahalâ & L. Gemutio Conſulib. dixiſſet, à Filio ejus T. Manlio, poſteà Torquato dicto, ad ſecretum coloquium vocatus, & gladiô ſtrictô terrore coactus eſt dimittere accuſationem ac jurare, ſe Patris ipſius cauſa nunquam conſilium plebis habiturum.

POMPONIUS JCtus celebris, floruit ſub Alexandro Severo ſi fides habenda Lampridio, apud quem, *c.* 68. in Imperatoris hujus conſilio dicuntur fuiſſe, *Fabius Sabinus Sabini inſignis viri filius-Domitius Ulpianus --- Julius Paulus juris peritiſſimus, Claudius Venatus orator ampliſſimus:* Pomponius *legum peritiſſimus, Alphenus* &c. Sed, ut bene obſervavit Caſaubonus, multi hìc inter Alexandri conſiliarios nominantur Juris conſulti, qui ætate longè anteceſſerunt, ut nemini obſcurum eſſe poteſt, qui in Pandectarum lectione paulô diligentiùs fuerit verſatus: Quæ cauſa eſt, quòd Jac. Cujacius multis ſuorum ſcriptorum locis, Lampridii fidem & hìc diligentiam deſideret. Sed abſolvunt Lampridium culpæ veteres membranæ Regiæ Bibliothecæ & Puteani: quæ, prætermiſſis, qui in vulgatis libris poſt Claud. Venatum recenſentur, Venato ſtatim Catilium Severum ſubjungunt, miſſis compluribus iſtis, quos inter ambos vulgares editiones interjiciunt. Neque tamen omnes illi ſubdititii ſunt ac adulterini; multi enim in hoc albo continentur Alexandro æquales, quorum nomina recenſuiſſe hìc Lampridium, dubium non eſt. *Pomponius* interim νόθιυς: namque licèt non conſtet de illius ætate accuratè, antiquiorem tamen Alexandri principatu fuiſſe, certum eſt, cùm Ulpianus, Paulus, Marcianus, non ut æqualis hujus meminerint, ſed ut multo vetuſtioris. Ipſe *Pomponius* librô ſingulari, cui titulum fecerat *Enchiridium*, priorum Juriſperitorum ſucceſſionem ultra Salvium Julianum non perſequitur. Vide præfatum Iſac. Caſaubon. *Notis ad h. l.*

L. POMPONIUS, Bononienſis, Atellanarum ſcriptor; quem Solinus *c.* 4. ait, quod mirum, nunquam ructâſſe. Olymp. 173. Vide & *Lucius.*

Cn. POMPONIUS, orator, patronus acer, acerbuſque dicendo, & lateribus pugnans. Cicer. *in Oratore.* Julius item *Pomponius* ſecundus, tempore Quinctiliani, *l.* 10. *c.* 1. inter Tragicos longè princeps. Plin. *l.* 14. *c.* 4. eum cœnam C. Principi Germanici filio dediſſe ait; in qua vinum 160. annorum fuit.

POMPONIUS Ælianus, vide *Lucius.*

POMPONIUS Atticus, nobilis eques Roman. excellenti ingeniô, amicus Ciceroni imprimis fuit. Qui poſtquam vidit Cinnæ tumultu Remp. eſſe turbatam, ſeceſſit Athenas, ubi longô tempore moratus, & civitatem, & omnium gratiam moribus elegantiſſimis promeruit, linguamque ita probè didicit, ut *Attici* nomen adſequeretur. Rebus Romæ pacatis, redux, à patruo Q. Cæcilio hæres ſcriptus eſt. Ciceroni familiaris, datâ ei ſorore amicitiam ſtrinxit arctius, Hortenſiô ſimul comprehenſô. Bello Civili, inter Cæſarem & Pompejum, Antonium item & Brutum ita ſe geſſit, ut utrinque probaretur: & affinitatem ejus Agrippa quæreret. Honores oblatos conſtanter renuit, ſtudiis intentus: non aliis ſervis, niſi qui anagnoſtæ quoque eſſent, uſus. Condidit *Annales, Elogia virorum M. verſus aliaque* tum Græcè tum Latinè. Humanitate, divitiiſque præditus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab urbe pulſum opibus juvit, & Brutum ab urbe fugientem minis 100. proſecutus eſt. Erat alioqui graviſſimus, ut quæ religioſè polliceretur, præſtare niteretur. Mendacium, nec ipſe dicebat, nec pati poterat. Cicer. *in Bruto, & Epiſt.* Plin. *l.* 35. *c.* 2. *&c.* Plut. & Cornelius Nepos *in ejus vita.* Seneca, *ep.* 21. *Nomen Attici perire Ciceronis epiſtolæ non ſinent. Nihil illi profuiſſet gener Agrippa, & Tiberius progener, & Druſus Cæſar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, ni Cicero illum aperuiſſet. Nic. Lloydius.*

POMPONIUS Baſſus, Conſul cum Aurelio Fuſco, an. Urb. Cond. 1010.

POMPONIUS Bellievræus, Cancellarius Galliæ: fil. Claudii, primarii Præſidis Curiæ ſummæ Gratianopol. ex Ludovica Faya, Lugdunenſi. Poſtquam Toloſæ & Patavii literis vacâſſet, Senator Curiæ Camberiacenſis, urbe tum à Gallis captâ, conſtitutus; mox negotiis in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia maximis, imprimis Verbinii, ubi pax tum fervebat, adhibitus; eques dein ab Henrico M. creatus eſt, A. C. 1599. Literatus, & Literatorum fautor: Interfuit collationi Petronianæ, A. C. 1600. Obiit A. C. 1607. ætat. 78. A Thuano, Pap. Maſſonio, Scævola Sammartano pro funere laudatus. Ex Maria Pruneria, pater Nicolai, primarii Præſidis Parlamenti Pariſienſis, avus Pomponii ſimiliter Præſidis, Alberti & Claudii, Archiepiſcoporum Lugdunenſium.

POMPONIUS Flaccus, A. 772. Mœſiam provinciam adminiſtravit; poſteà Syriæ à Tiberio ſub initio principatûs præpoſitus, quòd noctem continuumque biduum epulando potandoque ſecum conſumpſiſſet. Sueton. *in Tiber. c.* 42. Vide & *Lucius.*

POMPONIUS Gauricus, Neapolitanus, Aſtrologi Paulo III. chariſſimi, Lucæ, frater. Poëta, plurima ſcripſit *poëmata.* Item de *Architectura*, & *Phyſiognomia*, libros edidit, ut & *vitas Poëtarum Græcorum:* Alchimiæ quoque, nec ſine ſucceſſu, vacâſſe dicitur. Diſparuit tandem, an occiſus à nobilis cujuſdam fœminæ, quam ille deperibat, cognatis? Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 75.

POMPONIUS Januarius, Conſul cum Maxim. Aug. an. Urb. Cond. 1040.

POMPONIUS Labeo, Mœſiæ præfuerat; dein malè adminiſtratæ provinciæ atque aliorum criminum poſtulatus, prohibitus eſt Cæſaris domô: Ille per abruptas venas ſanguinem effudit; æmulataque eſt conjux Paxæa, Paullô Fabiô, L. Vitelliô Conſulib. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 29.

POMPONIUS Lætus Julius, Neapolitanus; fil. nothus Principis Salernitani. Floruit cum Platina & Callimacho, ſub Pio II. non æquè ſub Paulo II. æſtimatus: contra quem conjurationis initæ particeps, Venetias profugit. Reverſus poſteà Romam, ut Philoſophus vixit, nullâ Religionis curâ habitâ. Edidit *epitomen vitæ Cæſarum, à morte Gordiani, uſque ad Juſtinum III.* ſcripſit de *Mahomete* quoque, *de Magiſtratibus Roman.* Obiit An. ætat. 70. ſub Alexandro VI. in extrema inopia. Sabellicus, qui diſcipulus ejus fuerat, *in vita illius.* Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 40. Eraſm. *in Cicer.* Angelus Polit. *in Miſcell. c.* 73. Lilius Giraldus, *in Hiſt. Poët. dial.* 4. Pierius Valerian. *l.* 2. *de infel. liter.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

POMPONIUS Matho, vide Marcus.

POMPONIUS Mela, Hiſpanus, Mellariâ oriundus, ubi nunc *Bejar de Melena*, in regno Granatenſi, ſeculô 1. inſigni opere *de ſitu orbis* clariſſimus, Alphonſus Garcia Motamorus, *de doctis Hiſp. viris.*

POMPONIUS Nepos, vide *Quintus.*

POMPONIUS Rufus, Hiſtoricus. Val. M. *l.* 4. *c.* 4. Item Conſul cum Cn. Pompejo Liciniano. Jul. *Pomponius* Sabinus, Interpres Virgilii. An idem cum Pomponio Læto? Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 717.

POMPONIUS Secundus, prænomine *Publius*, Conſul An. 782. Urb. Cond. iterum ſub Cajo A. C. 794. Scriptor *Tragœdiarum*, cujus vita à Plinio deſcripta, *l.* 14. *c.* 4. Quintil. *l.* 8. *c.* 3. *l.* 10. *c.* 1. Ter. Maurus, *in Contin.* Voſſ. *de Poët. Latin. c.* 3.

POMPONIUS Sextus, Juriſconſultus, ex Pandectarum libris notiſſimus, cum Ulpiano, & Paulo, diſcipulus Papiani, Alexandro Severo à Conſiliis, multum ſub imperio ejus valuit. Scripſit complura, in Codice & Pandectis ſæpe laudata. Vide Forſter. *Hiſt. Juris Civ. l.* 2. *c.* 79. Nic. Henelium, *de veterib. Juriſc.* Geſner. *in Biblioth.* Lamprid. *in Alexandro Severo, c.* 68.

POMPONIUS Silvanus, proconſul Africæ, à Provincialibus accu-

accuſatus, ſed abſolutus, ſenectutem orbem ac pecunioſam ultra eorum vitam produxit, qui ipſi periculum faceſſerent. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 52.

POMPONIUS Strabo, vide *Cneus.*

POMPONIUS Victorinus, Conſul cum Aur. Probo Aug. An. Urb. Cond. 1034.

POMPTINA Palus, Vide *Pontina.*

POMPTINA Tribus, cum Popilia, in quas tum ii cives, qui agrum *Pomptinum* ſortiti erant, tum alii novi cives, qui indies civitate Romanâ donabantur, conjecti ſunt, reliquis Tribubus addita eſt A. C. 315. vigeſimô ſextô locô inter illas recenſita. Dicta eſt ab agro præfato, de quo multa Livius, *l.* 6. *c.* 5. 6. *Sext. Pomp. Feſtus Pontinam* eam appellat, & ab urbe *Pontia* ſic dictam ſcribit, quæ in Volſcis prope Terracinas fuit: *Carolus* tamen *Sigonius* apud *Feſtum* legit, *Pomptinam* Tribum, appellatam eſſe a *Pometia* Urbe. Meminit ejus præter Feſtum & Livium, Cicero *l.* 4. *Ep.* 15. *ad Attic. Tribus habet Pomptinam, Velinam & Maciam:* & Cælius ad Ciceronem, *l.* 8. *Ep. ad Fam. L. F. Pomp. Annalis* ubi per *Pomp* tribum *Pomptinam* vult intelligi Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15.

POMPTINUS, prænomine *Cajus*, Allobroges, poſt Catilinæ conjurationem rebellantes, domuit, A. C. 694. uſque ad A. C. 699. triumphum tamen non egit.

POMPUS, Arcadum Rex, ſucceſſit Simo, Sybotâ apud Meſſenios regnante. Eum excepit Ægineta. Pauſan. *Arcad.*

POMUM Aureum, inter miniſteria & ornamenta ſacra. Hariulfus, *l.* 3. *c.* 10. *Lampades argenteæ ſex poma aurea* 30. *calices aurei cum pateris* 2. &c. Et *l.* 3. *c.* 3. *Cruces majores* 5. *& minores* 8. poma *altarium* 21. *è quibus tria ſunt aurea, reliqua argentea.* Item *poma gunfanonum* 7. *ex argento auroque parata.* Apud Bernardum Monach. occurrit *pomum ceræ quod per totam noctem ardeat*, in Conſuetud. Cluniac. *MSS. c.* 10. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* De *Pomo*, quod imperatores & Reges geſtant, vide quoque ſupra, in voce *Palla.* Addam hoc unum, quod *Pomum* hoc *Imperiale* globuſque aureus, Caroli V. Cæſaris donô, inſignibus Palatinis, illatus eſt A. C. 1544. cùm Fridericus III. Ludovico fratri in Electorali munere ſucceſſiſſet, uti refert Phil. Jac. Spenerus, *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Palatino-Bavarica.*

PON. M, in notis Antiqq. *Pontifex Maximus.*

POMETUS Mauritius, Vide *Mauritius.*

PONDERANDI ritus, olim in uſu, in ægritudine liberorum, indigitatur in *Vita* Erminoldi Abbatis, *l.* 2. *num.* 3. *Dominus ſancto ſuo quaſi privilegium ſpeciale conceſſit, quòd pueri ægrotantes, ad ejus, ut fieri ſolet*, ponderati *ſepulchrum, continuo ejus meritis convaleſcunt.* Nempe id moris fuit, in Communione Rom. qui etiam hodieque in Belgio obtinet, ut ægros pueros ad Sanctorum feretra vel ſepulchra appenderent & *pondus* triticô, panibus, aliâve re, quam offerre Deo aut Sanctis volebant, exæquarent, additâ ſummâ auri argentive. Ibidem occurrit pluries & in *Miraculis* S. Ludgeri Epiſcopi Mimigard. *num.* 41. Vide quoque Wolphgangum Presbyterum *de Mirac.* S. Walpurgis *n.* 4. ubi *librare* pro *ponderare* uſurpat, Henric. Rebdorffenſem *A. C.* 1361. & qui, de obligationibus ceræ ad corporis *pondus* agit non ſemel Anonymus *de Mirac.* S. Thomæ Cantuar. editus à Stapletono, *c.* 23. 63. 73. Sic recitat Metellus in *Quirinal.* miraculum de quodam, qui *panibus & caſeolis ibi ſe penſans*, hos poſtea *diſtribuebat egenis.* Sed de miraculis, fides ſit penès auctores, nobis ſufficit ritum indicâſſe. Idem Metellus *ibid.*

Jura tamen tenet hac ſpecialia,
Quòd puerilia corpora morbida,
Si fuerint ibi cum prece ſedula
Penſa ſolo. ſequitur reparatio.

Apud Car. du Freſne *Gloſſar.* De ritu *pondus* ſuum quotannis, publicô feſtô, exigendi Magni Indiæ Monarchæ, *Magni* vulgò *Mogolis*, memoratu digna ſunt, quæ habet Joh. Bapt. Tavernier, *Itiner. Ind.* De Turca captivo, ſextuplum corporis ſui *pondus* bis in auro, ter in argento, ſemel in margaritis, pro libertate, nequicquam offerente, Vide Thuanum *Hiſtor.* Sed & in conviviis Veter. appoſitos piſces & volucres, & glires *ponderari* conſueviſſe, hâcque frui trutinas convivantibus præſtô fuiſſe, dicemus infrâ, voce *Trutina.* Vide quoque mox dicenda in Pondus.

PONDO, acceſſio vel vocis *Libra*, partiumque aſſis, notans *ponderales* intelligi: vel numeri, omiſſâ mentione Libræ, non corpora numerata, ſed *pondera* & quidem Librarum, denotari indicans. Semper autem ſingulare eſt, ſemper caſus ablativi: Ut enim omnia μονόπτωτα priùs integra fuerunt, ita videntur antiqui dixiſſe *Pondus, pondi, pondo*, licèt neutrô genere, ut *Vulgus*, *Rudus*; & *Ponder*, ſive maſculinô, ut *Later*, ſive neutrô genere; ut *Juger*: quas duas terminationes & inclinationes ita miſcuit faſtidium poſteriorum, ut prioris Genitivum & Dativum abolerent, alterius Nominativum & Accuſativum, facerentque *Pondus, ponderis* &c. ſed duplici Ablativô, *Pondo* & *pondere*, quæ duo etiam uſu diſtinxêre. Modò autem adjicitur vox *Pondo* Libræ & partibus aſſis, ubi quoniam adhibentur eædem ad metiendum & partiendum, (ſic jugerum agri & loca: ſic pes, ſic hæreditas, ſic nummi, ſic uſuræ, ſic tempora dividebantur) ad tollendam ambiguitatam, indicat eas Libras, ſelibras, uncias &c. intelligi, quibus pondera examinantur: modò ſine mentione, ut dictum, partium aſſis ſeu Libræ, cum ſolo numero, vox invenitur, oſtendens poſitô numerô deſignari pondera, quæ ſingula ſunt librarum. Plautus *Pſeudolo*, *Actu.* 3. *ſc.* 2. *v.* 27. *Eo laſerpetii Libram pondo diluunt: ubi Libra pondo* nihil aliud eſt, quam *libra pendendo* vel *ad pendendum.* Idem *Rudente*, *Actu.* 4. *ſc.* 2. *v.* 8. 9. —— *Neque piſcium ullam unciam hodie* Pondo *accepi.* Item *Menæchmis*, *Actu.* 3. *ſc.* 3. *v.* 3.

Atque huic ut addas auri tu Pondo *unciam.*

Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 16. *Plinius Secundus temporibus ſuis negat facilè mullum repertum, qui duas* Pondo *libras excederet* &c. *A pendo:* vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 1. 6. & *alibi paſſim*; nec non ſupra voce *Pecunia.* In recentioris ævi Tabulis *Pondo* ferè ſemper argenti libram dici; uti *Libram*, de libra aurea, obſervat Car. du Freſne ex *Chartis* Dagoberti Regis & Ludovici I. Imperatoris apud Doubletum *p.* 661. & 736.

PONDUS, quod grave eſt, ita dictum, quia in ſtatera libratum *pendet*; hinc & *penſum.* magni in omnibus rebus momenti eſt. Unde *in Pondere, numero ac menſura* Deum omnia feciſſe, Sapiens ait: *c.* 11. *v.* 21. & Statice, Græce Στατικὴ, quæ aliàs Ἰσοῤῥοπικὴ ſeu Κεντροβαρικὴ Latinè *Ponderum Doctrina*, vel *Æquiponderantium*, vel *de Ponderis centro*, tanto apud Eruditos in pretio eſt. Vide Archimedis *libros* Ἰσοῤῥοπικῶν, & Simonem Stevinum *libris* 6. *de Statice ſeu Iſorropice*, ut & infra *ſuô locô*: adde in *Mechanice* jam dicta. Et quidem *Pondera* publica, in Capitolio, apud Romanos, aſſervari conſueverunt, ut & menſuræ publicæ: ſicut teſtatur antiquæ menſuræ inſcriptio à doctis publicata in hæc verba, IMP. CÆSARE. VESPAS. VI. COS. T. CÆS. AUG. F. III. I. MENSURÆ. EXACTÆ. IN CAPITOLIO. Ad quas menſuras *ponderaque*, tanquam ad Lydium lapidem, exigebantur privatorum pondera & menſuræ: quod cùm difficile eſſet, multique ex libidine *pondera* & menſuras ſibi componerent, inſtituit Valentinianus per regiones Urbis univerſas pondera, ut *l.* 27. ſcribit Ammianus. Poſteà moris fuit, ut acceptas ab Imperatore menſuras ponderaque ſervarent vel Papa vel Senatus. Extat hinc Juſtiniani pragmatica ſanctio, cujus *cap.* 18. jubentur dari vel ſuſcipi ſpecies vel pecuniæ, *in illis menſuris*, inquit, *vel ponderibus, quæ beatiſſimo Papæ vel ampliſſimo Senatui noſtra pietas in præſenti contradidit.* Atque hæ menſuræ *Capitolinæ* dicebantur vel *urbanæ menſuræ* aut *Italicæ* etiam: aliis majores, quarum vulgò uſus ſaltem in certis rebus etiam Romæ, nedum in provinciis, &c. Hinc de amphora Capitolina Fannius *in Carm. de ponder. & menſuris.*

Amphora fit Cubus: quam ne violare liceret,
Sacravêre Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Caſaubon. *ad Jul. Capitolin. in Maximinis, c.* 4. *Ponderum* verò nomina à Siculis accepiſſe Romanos, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 650. Vide *infrà.* In nummis antiquitus ſolum attendi *pondus* ſolitum, diximus ſuprà, ubi de *Nummo* & *Pecunia.* Nec omittendum, quòd Deos ſuos & Heroas ad *pondus* non rarò laudant Poëtæ, uti pluribus docet Caſp. Barthius *ad Claudian.* item *ad Stat. Thebaid. l.* 4. *v.* 796. alibique paſſim. Atque hinc eſt, quod *pondus Olympi* vocat Principem Romanum, olim conſecrandum, Calpurnius, *Eclogâ.* 4.

Ab Jove principium, ſi quis canat æthera, ſumat,
Si quis Atlantiaci miratur pondus Olympi.

Sed hac de re jam ſuprà aliquid voce *Numen:* Vide quoque *Interpendium.* Addemus variarum gentium *pondera*, ex Georg. Agricola *de Ponderibus.*

Pondera Romana.

α. Libra, continet uncias 12. dicitur etiam *As* ſeu *Aſſis*, & *Pondo*: Hinc *Bilibris*, *Trilibris* &c Item *Aſſipondium*, *Dupondius* &c. Ejus nota *l'* vulgò *lib.* Dupondii *l'*. *l'* *β.* Uncia, Libræ ſeu Aſſis pars duodecima, *Varroni* ab uno, notatur ſic —— noſtris Medicis ſic, ℥. Inde ortum Seſcuncia, ex ſeſqui & uncia. Antiquis ƨ. apud *Scribonium Largum* ſic ∽, & ejus ſemiſſis ſic *s.* Unciæ partes hæ, *Semuncia*, i. e. Unciæ dimidium, cujus ſignum ε. *Duella* & *binæ ſextulæ*, Unciæ pars tertia, quæ notatur hôc ſignô *v.* & *G. Sicilicus* & *Sicilicum*, Unciæ pars quarta: notari ſolita ſic ɔ. *Sextula*, pars Unciæ ſexta, cujus ſignum J. *Scriptulum* ſeu *Scrupulum*, Unciæ pars 24. Antiquis ɪ. vulgò ſic notata ℈. *Simplium*, Scriptuli dimidium. Præterea dividitur Uncia, in Denarios ſeptem. Vide hîc infrà. *γ.* Denarius, ſeptima Unciæ pars, mediocris fuit: Antiquus gravior, drachmam Atticam & dimidiam pendens; Fuit etiam levior poſt Claudium percuſſus, Atticæ drachmæ par. Sed mediocri Auctores maximè utuntur. Ejus dimidium Quinarius, ſeu Victoriatus. Quadrans & Sextans apud Celſum reperiuntur. *δ.* *Sextans*, , ſexta pars Aſſis, unciæ 2. Ejus nota ═══ & Celſo Z. *ε.* Quadrans, unciæ tres. Ejus nota X. *ζ.* Triens, unciæ quatuor: notatur ═══ ═══ *η.* Quincunx, unciæ quinque, not. ═══-═══ *θ.* Semis & Semiſſis, dimidium Aſſis, ſeu unciæ ſeu, ejus ſignum eſt *S.* etiam apud Græcos. In libra quoque, dicitur *Selibra.* *ι.* Septunx, ſignum habet *V.* *κ.* Bes vel Beſſis, bis triens, unciæ octo, ſignatur ita, —— *S* —— *λ.* Dodrans, quaſi *demtô quadrante*, unciæ 9. denotatur hôc modô *S* ═══ —— *μ.* Dextans, unciæ 10. cujus nota *S* ═══ ═══ *ν.* Deunx X. &. Fannio *Decuncis* X. quod deſit uncia, unciæ undecim, hanc notam habet *S.* ═══--═══.

Pondera Græcorum, quibus illa primus Pythagoras intulit: & quidem I Atticorum.

α. Τὸ Τάλαντον, *Talentum*, duplex fuit: *Majus*, 80. minarum, & *Minus* 60. Eô Latini tantùm utuntur, cùm de rebus Græcis ſcribunt aut Græca transferunt. *b.* ἡ Μνᾶ, *Mina*, major fuit 100. drachmarum; minor 75. quæ planè abolita eſt. Qui Latina de Græcis vertunt, pro *Mina* ſubſtituunt *Libram*, quamvis drachmis quatuor Libra levior ſit. *c.* ἡ Δραχμὴ, *Drachma* habet obolos 6. Alexarchus apud Athenæum vocat ἀργυρίδα, erat tamen aurea quoque, *d.* ὁ Ὀβολὸς, *obolus*, habet chalcos ſex, unde τὸ ἡμιωβόλιον, διωβόλιον, &c. *e.* ὁ Χαλκοῦς, *Æreolum* & *Æreolus*, qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

quibusdam habet minuta 7. *f.* τὸ Λεπτὸν, *Minutum*, *Senecæ Minuta*. Pondus eſt minimum & indiviſum. Cleopatra porro ſecavit drachmam in γράμματα ſeu ſcrupula 3. Obolum in ſesquilupinum, & in ſiliquas tres: Attici tamen γράμματος voce aut nunquam aut raro utuntur pro pondere. Nummus certè non fuit, quamvis nullum fermè genus *Ponderis* Græcis Latiniſque, quô non aut numiſma aut ſumma quædam rei pecuniariæ ſignificetur.

II. Medicorum.

α. Μνᾶ ἰατρικὴ, *Mina Medica*, unciarum eſt 16. Alexandrina 20. Nota ejus μν. *b.* ἡ Λίτρα, *Libra*, nomen & *Pondus* à Romanis acceptum, habet uncias 12. drachmas 96. Notatur hôc modô ſic Λι. λ. *c.* ἡ Οὐγγία, *Uncia*, pondus & vox Roman. drachmas habet 8. Ejus ſignum eſt, Γοχ. *d.* ἡ Δραχμὴ καὶ ἡ Ὁλκὴ, *Drachma*, ſcrupulorum eſt 312. Ejus notæ ſunt Δ. & λο pro Ὁλκῇ. Alexandrina gravior fuit, ita ut 5. earum octo Atticas vel Medicas drachmas efficerent. Interpretes Græci & Latini, Drachmam pro Denario, & viciſſim ſubſtituunt. *e.* τὸ Γράμμα, *Scrupulum*, eſt duorum obolorum, Junioribus in uſu. Ejus enim loco Veteres habuêre διώβολον: Signum eſt Γρχ vel γρχ. *f.* ὁ Ὀβολὸς, *Obolus*, habet ſiliquas 3. *g.* τὸ Κεράτιον, *Siliqua*, quatuor σιτάρια habet. Signatur ſic κε. *h.* Χαλκοῦς, notam habet, χα. *i.* τὸ Ἀσσάριον cum *Pondus* eſt, duas continet drachmas: Τετρασσάριον Ἰταλικὸν, Uncia eſt. Στατὴρ, idem quod Ἀσσάριον ponderat: Δυπόντιον verò Semuncia, par Aſſi lege Papyrianâ percuſſo, qui *Varroni Aſſarius*. *k.* τὸ Ἑξάγιον, *Sextula* eſt Romana: pro quo Στάγιον habet *Nicandri Interpres*, ex ς. notâ numeri ſenarii & ἅγιον coalitum. Nota χ. *l.* Sunt apud Medicos prætereà θέρμος, *lupinus*: Ὄροβος, *ervi granum*: Φακὴ, *lens*: Σιτάρτιον, *frumenti granum* quibus non tam pondera, quàm moles, deſignant. Δεσμίδιον & δεσμίδιον χειρόλαβες, *Faſciculus* Largo, *Manipulus* Celſo, quantum manus complexu ſumitur, in Medicorum quoque Libris frequens eſt.

III. Hippiatrorum seu Veterinariorum.

α. Μνᾶ, *Mina*, unciæ 15. *b.* ἡ Λίτρα, *Libra*, eſt drachmarum 90. *c.* ἡ Οὐγγία. *Uncia*, habet drachmas ſeptem & dimidiam. *d.* ἡ Δραχμὴ, *Drachma*, ſimpulorum eſt 3. *e.* Δηνάριον, continet ſcrupula 4. *f.* τὸ Γράμμα, *Scriptulum* eſt *Scrupulum* habet 2. Obolos.

Pondera externa.

α. Talenta varia ſunt, quæ cùm reverà ſint pondera, non numiſmata, ponentur hic non incommodè. Itaque Talentum *Æginæum*, Atticas drachmas 10000. continet, Æginæarum verò 6000. *Ægyptium*, pendit libras 80. *Babylonium*, fuit 7000. drachmarum Atticarum. *Byzantinum*, apud Vitruv. *l.* 10. librarum 120. *Corinthium* Æginæo par, A. Gell. *l.* 1. *c.* 8. *Euboicum*, fuit 4000. drachmarum Atticar. *Siculum* Talentem duplex fuit: *Vetus*, 24. minarum; *Novum*, minarum 12. *Syrium*, mille quingentarum drachmarum Atticarum fuit, *Thracium*, idem cum Byzantino, *Heſychius* quoque Talenta habet varia, unum librarum 100. Aliud 125. Tertium 165. Quartum, quadringentarum. Quintum: Mille centum quinquaginta. Sed cujus iſta Reipublicæ fuerint, ex eo non liquet. Vide quoque infrà ſuô locô, in voce *Talentum*. Mina Ptolemaica, continuit uncias octodecim γ. Drachma Ægyptia, pependit Obolum. Χ ςατὴρ Αἰγύπτιος eſt apud Scriptores Hippiatricos.

Hebræorum Pondera.

α. *Ciccar* Sanctuarii, ſeu majus Talentum, continuit minas Hebræas 100. Romanas libras 250. β. *Ciccar* Congregationis, dimidium Sancti fuit. γ. *Maneh*, Mina, pendebat Siclos 60. Romanas libras duas & ſemiſſem. δ. *Shekel*, Siclus Sanctuarii, *Gerah* 20. pendit, unciæ Romanæ ſemiſſem. LXX. vertunt 2. *drachmas*. ε. *Gerah*, Obolus, obolum faciebat Atticum, & ejus partem quintam.

Pondera Arabum.

Apud Arabes Pondera partim Romanis, partim verò Græcis reſpondent: Quorum appellationes Agricola ex eorum Interpretibus collegit ſequentes α. *Manes*, i. e. *Mina*, duplex fuit: Una, quæ *Alialica*, *Alanthalica*, *Ægyptia* & *Baſaria* dicta eſt, Medicorum Græcor. 16. unciarum. Alia, quam *Romanam* appellant, eſt, revera Alexandrina, 20. unciarum β. Rotulus, Libra Romana, quam in 12. uncias dividunt. γ. *Sacros* Uncia, ſextarius ſemuncia. δ. *Aureus*, eſt Romanus denarius, quem etiam vocant *Annius* & *Andanakus*: ac aliquando ponunt pro Drachma. ε. *Drachmi*, *Alki* & *Obliginat*, unciæ pars octava. ζ. *Garma* & *Kermet*, Scrupulum eſt. *Onolſoat & Onolum*, Obolus: *Danic* & *Danich*. Lupinus grana 8. *Kirat*, Siliqua, dimidium Lupini. *Keſtuff*. Æreolum, continet grana 2. Recentioris ævi *Pondera* vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PONERE, apud Statium, *Theb. l.* 2. *v.* 82.

Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Biſtones, aut mediæ ponunt *convallibus Oſſæ:*

conviviorum & menſarum verbum eſt. Hinc mox, *v.* 88.

——— *feſtaſque reponere menſas.*

Hæ enim ablatiles erant Veteribus, nec *ponebantur*, niſi tempore convivii parati, uti ſuprà diximus, in voce *Menſa*. Aliàs, *Ponere*, pro *dicere* vel *ſcribere*, ſicut Græcum διαχωρίζειν, *ſuô quoque locô rem ponere ac digerere*, unde *Digeſta*. Hinc *ponere lucrum*, apud Perſium, *Sat.* 1. *v.* 70. eſt lucrum deſcribere vel deſcriptionem lucri facere:

——— ——— *Et ponere lucrum*
Artifices.

Juvenalis. *Sat.* 1 *v.* 155.

Pone *Tigellinum; tæda lucebit in illa,*
Qua ſtantes ardent. ———

Etiam Pictores Fictoreſque *ponere* dicebantur imagines ac ſtatuas, quas pingebant fingebantque. Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 8. *v.* 7.

Hic ære, ac liquidis ille coloribus.
Sollers nunc hominem ponere, *nunc Deum.*

Ovidius, *l.* 3. *de Arte; v.* 401.

Si Venerem Cous nunquam poſuiſſet Apelles,
Nunc etiam æquoreis illa lateret aquis.

Uti ſcriptum in optimis membranis, reperit Salmaſ. cùm vulgò legatur, *pinxiſſet*. γράφειν nempe tam de Pictoribus, quàm de Scriptoribus, dicitur, & γράμμα non ſolùm, quidquid ſcriptum, ſed etiam quidquid pictum eſt. Hinc & *ponere* de utriſque. Sed & *ponere*, pro *induere* nonnunquam ſumitur, unde *ponere veſtem*. Græcorum more, i. e. θέσθαι καὶ βάλλειν, *induere*. Sic apud *Thucydidem*, θέντες τὰ ὅπλα, *Ponentes arma*, i. e. ὁπλιζόμενοι, *cùm armarentur*. Cui contrarium eſt *exponere veſtem* pro *deponere* ac *exuere*. Græci recentiores βάλλειν ἐσθῆτα, *veſtem induere* dicunt; βάλλειν ποδόρτια, βάλλειν ἱμάτιον, paſſim apud Achmetem in *Onirocrit.* & alios: quam Galli hodieque locutionem retinent, nam *mittere veſtem* eôdem ſignificatu ponunt. Hinc itaque apud Tertullian. *de Pallio, c.* 5. in verbis illis, *quod* (Pallium) *Cratetis more nusquam veſtiendo componitur*; cùm vetus editio habeat: *quod Cratetis moram nuſquam veſtiendo componitur*: pro *componitur* legi jubens Salmaſius, *cùm ponitur*, totum hunc locum ita edendum curavit: *At enim pallio nihil expeditius, etſi duplex, quod Cratetis, mora nuſquam veſtiendo, cùm ponitur: quippe tota molitio ejus* &c. Quaſi diceret, moram nullam in pallio veſtiendo intervenire, cum induitur: nullâ enim opus arte aut artifice ad rugas reformandas, ſi quæ deſtructæ ſint, ut in toga. Adeoque *cùm ponitur* exponit cùm induitur. Vide omnino *Notas* ejus *ad l. c.*

PONEROPOLIS, urbs Thraciæ ſub Rhodope monte ſita, deinde *Philippopolis*, ab inſtauratore, & proſtremò *Trimontium* à ſitu dicta. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Latinè *Improborum urbs*, dicta inde, quòd Philippus 2000 hominum, qui ob improbitatem malè audiebant, calumniatores, falſos teſtes, & cauſidicos ibi collocaverit, ut docet Theopompus, *Philippic. Rer. l.* 13. Sic Δούλων πόλις, *Servorum urbs*, apud Soſicratem, *Rerum Critic. l.* 1. &c. Thom. Dempſter. *ad Roſin. l.* 1. *c.* 2.

PONGIBAUTUM. oppidul. Averniæ, *Metel.*

PONS, an ex *pendeo*, quod velut in aëre *pendeat*; an ex *pontus*; an ex *pono*, quia ad tranſeundum *ponitur*? propriè & communiter flumina jungit; atque è ligno, lapide, navibus, cadaveribus quoque nonnunquam, factus legitur. Eum ſternendi facilis olim apud Romanos ratio fuit, ut in quo milites non ſecus atque alia in re bellica ſubinde exercebantur, cùm in Iſtro & Rheno, tum in Euphrate; qua de re ſic Suidas in voce Ζεῦγμα: *Latæ naves ſunt, quibus jungitur fluvius. Recedunt autem ſurſum nonnihil ſupra eum locum, quem juncturi ſunt datôque ſignô unam primò navem demittunt, quæ ſecundô flumine juxta ſuam ripam feratur. Quæ ubi ad locum* Ponte *jungendum pervenerit ſtoream ſaxis plenam, in flumen conjiciunt, funi alligatam inſtar ancoræ: quô devincta navis in ripa conſiſtit, tabulis & juncturis, quarum rerum copiam vehit ſubitò uſque ad excenſum conſtrata. Deinde aliam paulatim ab ea demittunt & mox aliam donec in adverſam ripam perduxerint juncturam. Navis verò ea, quæ ad hoſtes accedit, etiam turres habet, & portam, & Sagittarios & catapultam fert.* Sinenſes, quorum induſtriæ vix quidquam reliquus Orbis ſimile habet, non flumina ſolùm, ſed & montes *Pontibus* jungunt, ſicque totum Regnum commodè pervium faciunt. Ad urbem *Hanchung* inprimis, opus iſtiuſmodi ſtupendum viſitur: Inter quam & Metropolim Imperii cùm iter eſſet devium admodum & flexuoſum, ob montium altitudinem aſperitatemque, & vallium profundas voragines; ſub exitum Cinæ familiæ, à Changleango Lieupangi Imperatoris fidelisſimo ac prudentiſſimo Duce montium hæ aſperitates, ac præcipitia omnia æquata ſunt, ut hoſtes fugientes anteverteret. Incredibili itaque celeritate ingentique opere omnes hi montes in plana deducti, qua in re multa centena hominum millia, totumque excercitum ſuum deſudare juſſit, ſingulis turmis certâ operis parte aſſignatâ, quam perficerent viamque planam redderent, exurgentibus utrinque quaſi ad perpendiculum parietibus è monte factis, adeoque altis, ut in cœlum attolli viderentur, vixque via ipſa lumen ab alto allapſum admitteret. Alicubi dein ligneis trabibus, aſſeribuſque ſtratis, de monte ad montem *Pontes* ſtruxit, intra ipſas montium rupiumque commiſſuras exterebratis exſculptiſque foraminibus, quibus trabes impoſitæ ſuſtentarentur. Præcipuè ubi torrentes ex montibus delapſi quaſi viam ſternebant, quorum ſemitam ſæpe ſequutus eſt. Alibi, ubi valles latiores, columnæ adhibitæ: Atque hujuſcemodi *Pontibus* tertia ferè viæ pars conſtat tantâ ſubinde per intervalla altitudine, ut fundum voraginis abſque horrore vix auſis inſpicere. Viæ latitudo 4. Equites capit, & ſubinde reficitur pro iter facientium commodo: quâ de cauſa certis intervallis vici tabernæque diſpoſitæ ſunt. Ne verò viatoribus per præcipitia forte ex *Pontibus* dilabendi aliquod immineat periculum, addita ſunt utrinque podia, fulcraque lignea aut ferrea. Longitudo *Pontis* eſt ab urbe præfata, uſque ad Metropolitanæ eam partem, quæ ſpectat ad Occaſum, ubi 30. circiter ſtadiis ab Urbe diſtat ejus finis. Sic ergo cùm prius vix ſufficerent itineri 2000. ſtadiorum

finis. Sic ergo cùm prius vix ſufficerent itineri 2000. ſtadiorum, jam octingenta ſolùm ſuperanda. Vocant autem *Pontem* cum Sinenſes *Cientao*, i.e. *fulcrorum viam*. Sic ad Urbem *Changte*, pons eſt ex monte ad montem à Natura ipſa protenſus. In provinc. *Suchuen*, Chingtæ metropolis regio partim plana, partim montibus extuberans, per tridui iter ſupra centum lapideis *pontibus* ſtructis, tota ex facili permeatur, &c. Sed nec hunc *Pontium* uſum Romanis fuiſſe ignotum, docent *Pontes milliarii*, ſeu *tabellarii*, de quibus ſic *vetus Inſcr. Viam. Fecei. ab Regio. ad Capuam. & in. ea. via. pontes omnes. meiliarios. tabeliarioſque poſei vei.* Ubi Gualterus *Pontes Milliarios* interpretatur columellas, numerô milliarium inſignitas: *tabellarios*, lapides, minori, quàm milliaria, intervallô diſtantes, poſitoſque ut illis adjuti viatores commodiùs equos inſilirent; Gronov. verò, qui miratur meritò *Pontes* eſſe columnas, & *tabellas* lapides, intelligit è tabulis ſeu aſſeribus *Pontes* mille pedum longitudine, quibus opus erat propter vias voraginibus torrentibuſque interruptas, *de Pecun. vet. l. 1. c. 3.* Apud Hebræos quoque vias, præſertim ad Civitates Refugii ducentes, ut magis permeabiles eſſent, *Pontibus* ſubinde junctas fuiſſe, notavimus ſuprà, ubi de *Aſylis*. Ut alios *Pontium* uſus, ut in quibus Principes quandoque ad colloquia conveniſſe: Romanos in Comitiis ſuffragia tuliſſe, unde Proverb. *de Ponte dejicere*, ortum &c. legimus, in præſens tacitus prætercam. Vide Auctorem *Sinæ & Eur.* (qui Adamus fuit Preyelius) *c. 26. cui titul. Pontes*, ut & *infrà*. Inde *Ponticulus*, *Ponticus ſtratus*, *Pontonaria*, *Pontones* de quorum unoquoque ſuô locô.

PONTES QUIDAM CELEBRIORES, EX EODEM.
IN EUROPA.

α. Alcantara, & Segovia, nobiliſſimis in Hiſpania, ubi 700. *Pontes* numerantur, ſuperbiunt. β. Anienem fluv. quatuor jungunt *Pontes*: 1. *Manolus* vulgò dictus, primùm ab Antonino Pio factus; dein à Mammea Alexandri matre reſtitutus ac marmore ſumtuosè eſt exornatus. 2. Paulò inferiùs viam Nomentanam jungit. 3. Succedit infra, in via Salaria, 3. ab Urbe milliar. à Narſete, victis Gothis, conſtructus. 4. Tiburi, quam Romæ, propinquior: ubi moles rotunda, & præclarum in marmore *Pontis* T. Plautii Silvani elogium. γ. Aureliæ in Gallia, Ligeris *Ponte* ſtratus eſt lapideô, per mediam Inſulam, in quo Johannæ Darciæ virginis monumentum. δ. Bajarum medium intervallum & Puteolanas moles 3600. ferè paſſuum, *Ponte* conjunxit Caligula, contractis undique onerariis navibus & ordine duplici ad anchoras collocatis, perjectôque aggere terrenô, ac directô in Appiæ viæ formam. Hinc in nummo hujus Imperatoris æreo, *C. Cæſar. Aug. Germ. P. M. T. P.* in una parte: in altera, *Terrâ marique victor*, ob molem hanc factam, legitur. ε. Cæſar Rhenum ponte junxit diebus 10. ζ. Caligula, vide hîc paulo ſuprà. η. & θ. Conſtantinus M. annô Imperii ſui 10. circa Coloniam Agrippinam, Rheno *Pontem* impoſuit, non tam, ut Francos coërceret, quàm ut gloriam Imperio ac reverentiam limiti conciliaret. In cujus medio præcelſa turris, & transmittebat ſubſidiarios in Duitium. *Operis ac molis immanitate ſtupendum* vocat *Brœlmannus*. Fuit autem ex lapide. ι. Dreſdæ, *Pons* inſignis Albim Saxoniæ jungit, par Londinenſi. κ. Hiſpania, 150. fluvios, & in iis 700. *Pontes*, in quibus nobiliſſimi Segoviæ & Alcantaræ, habere fertur. λ. Iſara, in finibus Allobrogum, *Ponte* unô die factô, à Planco Imperatore ſtratus eſt. μ. Iſtrum, *Ponte* lapideô vinxit Trajanus Imperator, cujus pilæ 20. è lapide ſecto & quadrato, altitudine 150. pedum, latitudine 60. inter ſe 170. pedes diſtabant fornicibus devinctæ. *Sabellico* craſſities in ſingulis pilis erat 60. pedum: Ipſe *Pons* ſtadia habuit 7. pedes 230. Ejus poſteà ſuperiora Adrianus dirui juſſit, an æmulatione in optimum Principem, an Barbarorum metu? vide *Dionem*. ν. Ligeris, Aureliæ *Ponte* lapideô junctus eſt, in quo Puellæ Aurelianenſis, quæ Galliam ſub Carolo VI. ab Anglis tantùm non oppreſſam dicitur liberâſſe, ſtatua cernitur. ξ. Londini, in Anglia ſuprà Tameſim *Pons* eſt adeò latus, ut hinc inde exædificatis domibus habitetur. Numerantur in eo 20. concamerationes ac pilæ. ο. Muldava, fluv. Bohemiæ, apud Pragam, *Pontem* habet longum cubitos 872. latum ad excipiendos quatuor currus ſimul procedentes, totus è quadrato ſaxo; quô vix alius in Europa celebrior. Habet ſedecim fornices ampliſſimos. π. ſupra Narem, prætergreſſis Narniam, apparent à dextris admirandi *Pontis* fornices, qui duos præcelſos & abruptos montes, ſubter labente flumine conjungere ſolebat. Factum ab Auguſto *Procopius* memorat: ſuperſuntque etiamnum ex lapide quadrato prægrandi reliquiæ. ρ. Praga, vide hîc *ſuprà*, ubi de Iſtro. σ. Rhenus, à Jul. Cæſare *Ponte* 10. dierum ſpatiô junctus eſt, quem ipſe prolixè deſcribit, *l. 4. Bell. Gall. c. 7. l. 6. c. 9.* Iterum à Conſtantino M. Vide *ſuprà*. τ. Segovia, unum ex pulcherrimis Hiſpaniæ *Pontibus* habet, ut & Alcantara. υ. Severinum oppid. eſt in Valachiæ & Tranſylvaniæ confinio, prope quod magnificas *Pontis* à Trajano extructi reliquias etiamnum conſpici *Paulus Jovius* tradit. φ. Tiberinus *Pons* haud procul Ocriculô conſpicuus fuit, ubi hodieque prægrandes quædam pilæ ſuperſunt, quibus is ſuſtinebatur. Fuit unus quaternorum è numero, quos Octavianus Auguſtus Viâ Flaminiâ perinſignes & magnificos ædificavit. χ. Trajanus apud Dionem, lapideum ſuper Iſtrum *Pontem* feciſſe legitur, qui cùm pulcherrima alia Principis ejus extent opera, ipſe tamen reliqua omnia facilè ſuperavit. Auxit operis difficultatem flumen magnum ac vorticoſum, funduſque ipſe infidus ac limoſus: cùm nec avertere ejus curſum ullô mediô licuerit. Pilas habuit è lapide ſecto ac quadrato 20. ipſe à citeriore ripa ad ulteriorem ſtadiorum 7. Vide quæ ſuprà hîc dicta: ubi de *Moldava* & *Severino*.

IN SINIS.

α. *Chanceu* Urbs, pontem longiſſimum navibus 130. incumbentem habet: quarum una ſic comparata eſt, ut facilè aperiatur claudaturque pro navium tranſitu, ubi portorium ſolverint. β. *Changcheu* Urbs, *Pontem* habet, totum ex ſecto lapide ad 36. altiſſimos & maximos porrectum arcus tantæ latitudinis, ut utrinque ædiculas cum Inſtitorum tabernis ſuſtineat. γ. *Changte* urbs, cavernam ingentem propè habet, ante quam pons eſt ex monte ad montem ab ipſa Natura protenſus. δ. Prope *Chegan*, ad ripam, *Fi* pons eſt, de monte ſimiliter ad montem, unicô extructus arcu, *Pons volans* incolis dictus, cujus longitudo 40. eſt Sinenſium perticarum, h. e. 400. cubitorum, altitudo 50. ε. Sub *Chingcheu*, ad *Queitung*, eſt magnificus lapideus *Pons*, in multos diviſus arcus, & ad 100. perticas extenſus, totus ex ſecto lapide. ζ. Chingta, vide *ſuprà*. η. *Cinan*, metropolis Xantungiæ, *Pontes* lapideos numerat non paucos, in quibus *Pehoa* pluribus eſt fornicibus arcuatus, qui Inſulam cognominem in lacu *Taming* jungit. θ. Focheum, Metropolis Fokienæ, *Pontem* habet ſuperbiſſimum, ſuprà maris ſinum, cujus longitudo 150. perticarum, latitudo ſeſquiperticæ: totus ex albo conſtans lapide, ſuprà 100. altiſſimis arcubus inſignis eſt, hinc inde cancellis ac podiis, debitis intervallis, ſupra lapideas baſes, ex lapide eleganti opere cælatis leonibus, ornatus. ι. *Gangni*, civitas Kiangſiæ, *Ponte*, qui *côſequii & obedientiæ* dicitur, ſuperba eſt. Conſtat ex lapide; multis arcubus fornicibuſque diſtinctus, è quo diriſſimorum Parentum filia vidua, quæ illum extruxit, cùm abſolutum vidiſſet, ſe in aquas præcipitem dedit. κ. *Hanchung* Urbs, ſtupendi operis habet pontem, de quo *ſuprà*. λ. Sub Janpinga urbe, in *Xa* pons eſt tectô coopertus, planè magnificus, in quo multæ tabernæ. μ. Kienninga Urbs ſimiliter ſupra *Min* fluv. velociſſimum *Pontem* habet tectô coopertum & Inſtitorum tabernis refertum: Cujus pilæ omnes ex ſecto lapide altiſſimæ, reliqua ex ligno. ν. ad Lipingam, in Queichea provinc. pons eſt *Tienſem*, quaſi *è cœlo factus*, qui ex uno conſtans lapide, torrentem *Tanki* jungit: latus 2. perticas, longus 20. ξ. *Loyang*, pons eſt in urbe *Civencheu*, cui nullus par, nullus ſecundus in orbe, quà patet univerſus. Longitud. 360. perticarum, Latitud. ſeſquiperticæ eſt; extruxit Urbis Præfectus Gajiang, ſuper fluv. vehementiſſimum ac altiſſimum *Loyang*. Totus ex eodem ſecto nigricanteque eſt lapide, nullum habens arcum ſeu fornicem, ſed pilis ſupra 300. quarum omnes maximi navigii habentes figuram, utrinque in angulum deſinunt acutum, ut minùs adſilientis aquæ vim ſentiant. In ſuprema lapidum coagmentatione à pila ad pilam 5. iique æquales lapides ſpatium, quod in latum eſt, occupant: quorum quivis ad 18. longus eſt paſſus communes, & 2. omnino latus ac totidem altus; ſicque ſimiles omnino & æquales ibi ingentes illæ lapideæ, ut ſic dicam, trabes, ſunt 1400. Ne verò tranſeuntes è *Ponte* labantur, podia ex eodem lapide utrinque cum leonibus, qui baſibus inſiſtunt ſuis, adſtructa ſunt ſimiliaque plura ornamenta addita. ο. Ad *Picie* Occidental. partem ſupra profundiſſimam vallem, craſſiſſimis ferreis catenis annulos aliquot ita hamis unciſque ex utraque parte montium firmârunt, ut ſuperimpoſitis aſſeribus *Pontem* injecerint Sinenſes, qui, cùm plures ſimul tranſeunt, titubat, non abſque tranſeuntium, ob ſubjecta præcipitia, horrore. π. *Sigan*, Metropolis Xenſiæ *Pontes* habet 3. ſupra *Guei* fluvium, omnes pluribus iiſque altiſſimis arcubus conſtantes cum podiis, ferreis trabibus, leonum ſtatuis ſimilibuſque ornamentis, ad ſoliditatem ſimul operis & ſplendorem. ρ. *Sincheu* civitas Nankingæ, *Pontem* habet, aquis innatantem, ex 35. magnis conſtantem navibus, quas ingentes è ferro catenæ vinctas tenent, &c.

PONS ad Icaunam, vulgò *Pont ſur Yonne*, oppid. Galliæ, in Vaſtinienſi tractu, ad Icaunam, & limite Campaniæ, 3. leucis infra Senones in Boream Lutetiam verſùs.

PONS ad Sequanam, *Pont ſur Seyne*, oppid. eſt Galliæ, in Campania provincia, ad Sequanam flumen, decem leucis à Trecis diſtans in Circium Lutetiam verſùs.

PONS Ælii, oppid. Angliæ in Northumbria, inter Novum caſtrum, & Morpetum. *Ponteland*, teſte *Camdenô*.

PONS Ælius, *Ponte di S. Angelo*, unus ex pontibus Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum tranſitur.

PONS Æmilius, qui primùm ſublicius, poſteà lapideus, *Marmorato* nunc. Juvenal. *Sat. 6. v. 32.*

Cùm tibi vicinum ſe præbeat Æmilius pons.

PONS Altus, locus Becco Monaſterio, in Northmannia proximus. Vulgò accolis *Pont Autou*.

PONS Archiepiſcopi, *Puente del Arcobiſpo*, oppid. Hiſpaniæ, in Caſtella nova, cum ponte ad Tagum fluvium, 15. leuc. Hiſpanicis infra Toletum in occaſum Talaveram verſùs.

PONS Arcuenſis, ſeu Pons Arcus, i. e. fornicis, *le Pont de l' Arche*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, ad Sequanam fluvium, cum arce munita, tribus leucis ſupra Rothomagum in Auſtrum, Ebroicum verſùs. Non procul à Sequanæ, & hinc Auturæ, inde Indellæ Confluentibus. Apud Valeſinghamium *Pont de la Arche Cueroiſe* nominatur, i.e. *Pons arcus currentis*, ibi enim Sequana parvam Inſulam facit, & arcus ab uno ponte per Inſulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Niſi ſi mavis *Pontem Arcus Quadrati* interpretari, i.e. arcuum quadratorum: quippe pons ille non rectus, ſed curvus & obliquus eſt: qualem Fregellæ in Campania felice habent, ab eo *Pons curvus* dictæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PONS Audomari, *Pont-Audemer*, urbs parva Galliæ, in Normannia provincia, ad Rillam fluvium, 2. leucis ab ejus oſtiis, & 10. à Rothomago in occaſum, Cadomum verſùs. Sic dicta, quòd Audomarus, vir Francus ibi Riſelam parvô ponte junxerit, locumque poſſederit. Cluverio *Breviodurum* Æthici videtur. Oppidani ejus & municipes, qui communitate fruebantur, non leges ſolùm, ſed etiam reditus quoſdam, annulum quoque ad ſignandas literas, & judices, nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multaſque alias res olim communes habuêre. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PONS Aufidi, *Antonin.* in Apulia, à Venuſia 18. mill. paſſ. ab Equotutico 69. Hodie non exſtat.

PONS Aurelius, *P. Victori Ponte Rotto*, pons Romæ disjectus, inter Ælium, & Sublicium ſeu Ceſtium. *Ferrar. Baudrando* dirutus eſt, cujus vix viſuntur veſtigia. Ideo caret nomine.

PONS Aureoli, *Pontirolo*, pagus Inſubriæ ad Adduam fluvium, inter illum & Brembum, ubi Aureolus interfectus à Claudiano Imperatore, à Bergomo 13. mill. paſſ. à Mediolano 26. Ita enim Trebellius Pollio, *in Trig. Tyrannis*, *c.* 11. *Hunc eundem Aureolum Claudius, interfectô jam Gallienô, apud eum pontem interemit qui nunc* pons Aureoli *nuncupatur, atque illic tyrannum, ſepulchrô humiliore donavit.* Additque, *extat etiam epigramma Græcum in hanc formam,*

Donat ſepulchro victor poſt multa Tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum.
Munere proſequitur mortali & jure ſuperſtes
Vivere quem vellet, ſi pateretur amor.
Militis egregii vitam qui jure negavit
Omnibus indignis & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis ultima ſervans,
Et pontem Aureoli *dedicat & tumulum.*

Quos ille, inſulſos certè admodum & ineptos, à Grammatico quodam, qui ita ex Græco illos tranſtulerat, ſe accepiſſe, ait. Ipſum verò Epigramma in veter. Inſcriptionum volumine, invenit Caſaubonus: quod, ut deſcriptum eſt è lapide, qui eſt in agro Mediolanenſi, ita habet.

ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΑΥΡΕΟΛΩ ΜΕΤΑ ΔΗΙΟΝ ΑΡΕΑ ΚΑΙϹΑΡ
ΤΑ ΚΤΕΡΕΑ ΘΝΗΤΩΝ ΩϹ ΘΕΜΙϹ ΕΝΔΙΔΟϹΙ
ΤΩ ΓΑΡ ΚΑΙ ΖΩΗΝ. ΑΛΛ' ΟΥΚ ΕΘ ΕΛΗϹΕ ΦΡΟΝΗΜΑ
ΠΑϹΙΝ ΕΠΙΡΗΤΟΙϹ ΤΟΝ ϹΤΡΑΤΟΝ ΑΝΤΙΒΙΟΝ
ΚΕΙΝΟϹ ΔΕ ΟΙΚΤΙΡΜΩΝ ΚΑΙ ΣΩΜΑΤΟϹ ΕϹΧΑΤ' ΟΠΙΖΩΝ
ΑΥΡΕΟΛΟΥ ΓΕΦΥΡΑΝ ϹΤΗϹΑΤΟ ΤΗΝ ΔΕ ΤΑΦΗΝ.

Atque ita quidem *Trebellius*: Aurelius verò Victor Aureolum non occiſum, ſed victum eo loci, neque à Claudio, ſed à Gallieno, ſcribit: *Aureolum*, inquiens, *c.* 33. *Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen eſt, fuſum acie, Mediolanum coëgit.* Vide Caſaubon. ad *l. c.* ſed & Salmaſ. qui, inter alia hanc in rem præclara, Græca iſta ſic vertit:

Claudius Aureolo, poſt Martia prælia, Cæſar
Humana ut lex eſt, debita juſta dedit.
Huic vitam & voluit: diris infenſa tyrannis
Militis haud potuit mens generoſa pati.
Hinc pius, atque ſuô cineres dignatus honore,
Aureoli pontem condidit & tumulum, &c.

PONS Axonæ, Cæſari: *Comment*, *l.* 2. *c.* 5. memoratus, de quo vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PONS Beli, fluvii: quem, eô locô, qui inter Ptolemaidem & pontem interjacet, A. C. 1190. in ejuſdem urbis obſidione Fredericus, Frederici Suevi Imperatoris, filius, cùm Germanis defendendum ſuſcepit: Venetis & Genuenſibus ad Ptolemaidis Orientem, Flandris autem, Hollandis & Friſiis ad ejus Septentrionem ſtationem habentibus. Herold. *cont. bel. ſacr. l.* 2. *c.* 7. eſt in tribu Aſer.

PONS Bellovicinus, vulgò *Pont Beauvoiſin*, oppid. Galliæ, in Delphinatu, ad Gieram fluvium, cujus oppidi minor pars, quæ trans pontem, eſt juris Sabaudici. Vix 2. leucis diſtat à Rhodano fluvio in meridiem, Gratianopolim verſùs 6. circiter.

PONS Cæſaris, ad quem Ludovicus XIII. Gall. Rex Matris Reginæ copias in fugam conjecit, A. C. 1619.

PONS Candidus, *Caſſiod. Condiniani Jornandi*, pons erat Ravennæ proximus, ad 3. mill. paſſ. diſtans.

PONS Caſtellanus, oppid. Umbriæ, quod origine Joannes Pontanus, vir omni diſciplinarum genere præſtantiſſimus, illuſtravit.

PONS Centeſimus, pons & oppid. Umbriæ, ad Tiniam fluvium, inter Fulginium 5. & Nuceriam 7. mill. paſſ.

PONS Centinus, *Ponte Centino*, locus Italiæ, ſeu potiùs diverſorium ſine ponte in agro Orivetano, & in ditione Pontificia, atque in confinio agri Senenſis. 5. milliaribus diſtat ab Acula in Boream Radicofanum verſùs.

PONS Ceſtius, *P. Victori Ponte di S. Bartholomeo*, Romæ, ad inſulam Lycaoniam, quô in regionem Tranſtyberinam tranſitur.

PONS Cuppis factus, occurrit apud Jul. Capitolin. in *Maximinis*, *c.* 27. *Ponte itaque cuppis factô Maximinus fluvium tranſmiſit & de proximo Aquilejam obſidere cœpit.* Ubi gloſſam in margine appoſitam habuit codex antiquus, *id eſt, navibus.* Sed falſus eſt: *Cupæ* enim quidem navis etiam genus ſunt, ſed non in hoc loco, ubi grandia vaſa vinaria ſignificant, quorum uſus in pontibus contexendis & tumultuariis tabulatis extruendis fuit: ut apud Dionem in *Nerone*, Ἐν μὲν τῷ μέσῳ ϗ ἐπὶ τῷ ὕδατι τά τε σκεύη τὰ οἰνηρὰ τὰ ξύλινα τὰ μεγάλα προκαθεῖτο ϗ ἐπ' αὐτῶν σανίδες ἐπεπήγεισαν. Quæ σκεύη οἰνηρὰ, ξύλινα, μεγάλα, vaſa vinaria, lignea, ingentia Dionis, *cupas* hîc appellat Capitolin. Gallis hodieque cuves, Salmaſ. *ad Capitolin. l. c.* Vide quoque ſuprà, in voce *Cupa*. De *Ponte ex Funibus*, vide ſuprà *Funes*: *ex Utribus*, vide eundem, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1266. & 1267. ut & infrà.

PONS Epiſcopi, *Pont l'Eveſque*, oppid. Galliæ in Normannia provincia, ad Tuccam fluvium, 3. leucis infrà Lexovium in Boream verſùs Portum Gratiæ, & duabus leucis ab ora maris Britannici diſtans.

PONS Elaveris, vulgò *Pont Alier*, locus Galliæ Elaverim: unde nobili familiæ nomen.

PONS Eræ, *Ponte à Era*, oppidulum Hetruriæ, in agro Piſano, ad Eram fluvium, qui paulò infrà in Arnum ſe exonerat. 16. milliaribus diſtat à Piſis in ortum Florentiam verſùs.

PONS Fabricatus, *Pont Faverge*, locus Galliæ, ad Supiam fluv. *Suippe*, inter Albam Ripam *Auberive*, & Cellam *Celle*. Hadr. Valeſ. in *Supia*.

PONS Fabricius, *Ponte Giudeo*, quòd Hebræi Romæ ibi habitent. *Ferrar. Baudrand. Ponte de quattro capi* hodie dicitur ab omnibus.

PONS Fellæ, *Pontafella*, oppidulum Germaniæ, in Carinthia ſuperiori, intra Alpes, ad Fellam amnem, & in ipſo limite Italiæ, ſub dominio Epiſcopi Bambergenſis, 6. milliaribus Germanicis diſtat ab Utino in Boream. Ibi ordinarius tranſitus ex Italia in Germaniam, Viennam verſùs.

PONS Ferri, *Ammiano* in Syria, ſuper Oronte, ab Antiochia 7. mill. paſſ.

PONS Gardonis, *le Pont du Gard*, pons Galliæ admirandi operis, à Romanis exſtructus, ad Gardonem fluvium, in Occitania, inter Avenionem ad ortum & Nemauſum in occaſum.

PONS Janiculenſis, *P. Victori Ponte Siſto*, & *Ponte Rotto*, Romæ, à Sixto IV. inſtauratus. Vide *Aurelius*.

PONS Inferni, vulgò *die Teuffelsbrugg*, in monte S. Gothardi, ſuprà Sillinium, pagum Uraniorum, juxta Urſam fluv. prope Urſarium vicum. Hujus meminit Platina *in Pio ſecundo*. Vide Simler. *de Alpibus*.

PONS Longus, in Pariſiis atque Sueſſionibus, à longitudine nomen habet. Gall. *Pont long*.

PONS Longus, *Antonin.* in Apulia, à Siponto 30. mill. paſſ.

PONS Lucanus, *Guil. Tyrio* ſuper Aniene, apud Tibur urbem, opus Trajani Cæſaris. De quo carmen:

Pons ſuperabatur Lucanus, Plautius olim.

hodiè *Ponte Lucano*, unô milliari diſtat à Tibure Romam verſùs.

PONS Mammolus, *Ponte Mamolo*, apud Romam in via Tiburtina, *Mammaus* potius, à Mammæa matre Alexandri Severi dictus. De quo *libro* 3. *Itinerarii:*

Tandem pons alius dictus de matre Severi
Mammaus feſſos Romanam ducit in urbem.

diſtat ab urbe Roma 6. mill. paſſ. in ortum.

PONS Manſuetinus, *Antonin. Babolza*, teſte *Laziô*, oppid. Pannoniæ, inter Poſſegam 6. & Zigetum in Cæciam 4. leucis, à Sopianis 25. mill. paſſ.

PONS Milvius, *P. Victori Ponte Molle*, urbis Romæ extra portam Flaminiam, ab urbis ingreſſu 2. fermè mill. paſſ. diſtans. Ibi Conſtantinus Magnus Magnentium devicit.

PONS Muræ, vulgò *Pruck an der Muer*, urbs Germaniæ, ad Muram fluvium, in Stiria ſuperiori, 5. leucis à Græcio in Circium Lintium verſùs.

PONS Naumachiarius, ab Auguſto extructus, & poſtquam concrematus eſſet, *ex larice in Rhætia cæſa*, *à Tiberio refectus*, memoratur Plinio, *l.* 16. *c.* 39. Vide Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 13. ubi agit *de Navigatione ac Piſcatione.*

PONS Nevius, ſeu Neviæ, *Antonin. Ponferrada*, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Gallæcia, inter Auſtricam 14. & Villam Francam Gallæciæ in occaſum 5. leucis, *Ferrar. Baudrando* hodie *Puente de Neyra* dicitur; & 2. leucis diſtat à Luco Auguſti in meridiem; ad amnem Neyram, 17. leucis ab oppido *Ponferrada* in Circium.

PONS Nomentanus, *P. Victori Ponte Lamentano*, in via Nomentana ſuper Aniene in Sabinis: per quem in ipſos Sabinos ibatur.

PONS Novus, vulgò *le Pont neuf*, pons Lutetiæ, ad Sequanam fluvium, ab Henrico IV. Rege Galliæ extructus, & totius Europæ ſuperbiſſimus.

PONS Palatinus, *P. Victori* qui & Senatorius, in urbe Roma, *Ponte S. Maria*, apud montem Palatinum, dicitur etiam *Ponte rotto*, quia ſemidirutus jacet.

PONS Petreus, *Pierrepont*, vel potiùs *Pontpierre*, vicus eſt non ignobilis, in ſylva ac monte Voſago, poſitus ad flumen Moſam, inter caſtella Motam, *la Mote* & Novum Caſtellum *Neuf-Chaſtel.* Ejus meminit Greg. Turonenſis, *l.* 5. *c.* 18. Nobilis eſt Guntchramni & Childeberti Regum colloquiô, A. C. 557. habitô, in confinio Burgundiæ atque Auſtriæ. Hadr. Valeſ. in voce *Petra Pons.*

PONS Quadratus, in Pariſiis, pagoque Briegio, non procul Latiniaco: *Pontquarré.*

PONS Reginæ, vulgò *Puente la Reyne*, oppid. Hiſpaniæ, in Navarræ regno, ad Argam fluvium, 4. leucis à Pompelone Calagurim verſùs.

PONS Remigii, vulgò *Pont de Remy*, oppid. Galliæ, in Picardia provincia, ad Somonam fluvium, 2. leucis ſupra Abbavillam Ambianos verſùs. In dextra ripa vicum habet & pontem Suminæ impoſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

impoſitum: in capite verò pontis ſeu in ſiniſtra fluminis ripa, caſtellum. A S. Remigio loci Patrono, Monſtrelet. *l.* 1. *c.* 246. & *l.* 2. *c.* 120. Nunc pleriſque *Pontdormy* dicitur, qui locus olim nobili familiæ inter Picardos nomen dedit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PONS Rivi alti, ſeu *Rialtinus*, vulgò *Ponte de Rialto*, pons magnificus Venetiarum, anteà Sublicius; ſed A. C. 1591. ex lapide Iſtriano ductus, majorem canalem jungit; eſtque unius arcus tantùm.

PONS Sai, pons lapideus eſt, Ligeri impoſitus, longus 1000. mill. paſſ. à vico adjacente cognominatus, hodie *Pont de Sé.* Quidam in numero plurali *Pontes Sai* vocant, *le Ponts de Sé*, propterea quòd ibi inſulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, ita ut non unus, ſed plures pontes dici poſſe videantur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PONS S. Maxentiæ, vulgò *Pont S. Maixence*, oppid. Galliæ, ad Oeſiam fluvium, 3. leucis à Sylvanecto in Boream diſtat, in provincia Inſulæ Franciæ, & in Valeſiæ tractu.

PONS S. Nicolai, vulgò *le Pont de S. Nicolas*, pons eſt Galliæ perantiquus & miræ ſtructuræ, a Romanis excitatus ſupra Gardonem fluvium, in Occitania, 2. leucis à Ponte Gardonis diſtans, totidem à Nemauſo, & una ab Ucetia.

PONS S. Spiritus, vulgò *Pont S. Eſprit*, urbs Galliæ, in Occitania regione, cum arce permunita & ponte ad Rhodanum fluvium, 7. leuc. ſuprà Avenionem in Boream, Vivarium versùs 3. circiter.

PONS Saravi, vulgò *Sarbrück*, ſeu *Sarbrick*, oppid. nobile Germaniæ, ad Saravum fluv. ſub proprio Comite, in limite Palatinatus, 4. leucis à Bipontio in occaſum Metas versùs, & 10. ab altero in Boream. Fluvius præfatus apud Auguſtam Trevirorum in Moſellam effluit, à *ponte* ibi ſuper eum ſtructo, nominatum. Urbs verò caput Comitatûs eſt cognominis ſub Comite è Familia Naſſovica. Ex Ludovico enim Comite Naſſovio, mortuo A. C. 1627. nati Wilhelmus Ludovicus *Pontem Saravi*: Johannes Wisbadam cum Itsſtenio, & Erneſtus Caſimirus Weilburgum, nacti, totidem lineas dedêre. Genuit præfatus autem Wilhelmus Ludovicus, qui obiit A. C 1640. ex Anna Amelia Badenſi, Gratonem natum A. C. 1621. denatum A. C. 1642. Joh. Ludovicum qui natus A. C. 1625. maritus Dorotheæ Catharinæ Palatinæ, habitat in *Otweiller*: Guſtavum Adolfum, natum A. C. 1632. qui, ductâ uxore Eleonorâ Clarâ Hohenloicâ, ſedem habet in *Ponte* Saravi; Volradum, qui natus A. C. 1635. habitat in *Uſingen*: Annam Julianam uxorem Friderici Comitatus Palatini in *Zweibruik*: Carolam, uxorem Ludovici Eberhardi Comitis Leiningenſis, & Annam Sibyllam, uxorem Aug. Philippi Ducis Holſatiæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Saravus*, & Phil. Jac. Spenerum *in Theatro Nobilit. Europea*, ubi de *Naſſovica Familia* & hic infrà.

PONS Sarnix, *Antonin. Sarbruck*, oppid. Germaniæ ſuperioris, ſic à ponte nominatum, inter Alſatiam & Lotharingiam, ad Sartam fluvium, inter Cæſaream Lutram, & Metas 8. leucis. Aliis eſt Pons Saravi, *Kauffmans Sarbruck* Germanis, *Sarebourg* Gallis, urbs Lotharingiæ, aliàs Imperialis & libera, nunc Gallici juris, ad Saravum fluvium, ad radices Vogeſi montis, 8. leucis ab Argentorato in occaſum diſtans Mediomatrices versùs, & 6. à Marſalio in ortum; eſtque ſatis parva.

PONS Scaldis, *Antonin. Condet*, oppid. Belgii: ab ipſo ponte nominatur, ad Scaldem fluvium, in Hannonia, à Valencenis urbe 2. leucis Tornacum versùs. Aliis eſt ipſa urbs Valencenæ. *Sanſoni* eſt locus Belgii, in Nerviis, hodie *Eſcaupont*, pagus Hanoniæ, ad Scaldim fluvium, una leuca ſuprà Condæum in meridiem, Valencenas versùs 2.

PONS Sociorum, *Antonin.* in Pannonia, à Manſuetino 25. mill. paſſ. totidem à Sopianis, Aquincum versùs.

PONS Sorgiæ, ſeu *Sulcæ*, vulgò *Pont de Sorgue*, oppid. Galliæ, in provincia & Comitatu Venuſſino, ad Sorgiam fluvium, medium ferè inter Arauſionem ad Boream & Avenionem ad Meridiem.

PONS Sturæ, vulgò *Ponte Stura*, oppid. Italiæ, in Ducatu Montisferrati, aliàs munitum, ad Padum fluvium, ubi recipit Sturam, 3. milliaribus ſupra Caſalem, & unô à Tridino diſtans.

PONS Sublicius, *P. Victori* vide *Sublicius pons*, & *Pons Æmilius.*

PONS Sulgæ, vel *Sorgæ*, Galliæ locus, apud Hadr. Valeſ. in voce *Pons altus.*

PONS Tiluri, *Antonin.* in Dalmatia, à Salonis 16. mill. paſſ.

PONS Timavi, *Antonin.* ſuper Timavo fluvio, in Carnis, ab Aquileja 7. mill. paſſ.

PONS Tirenſis, *Cicer.* in Latio erat inter Arpinum & Minturnas, ſuper Liri.

PONS Trajani, *Dion.* in Myſia ſuperiori, ad Danubium, apud Severinum urbem. Ubi adhuc durant veſtigia. Alter in Hiſpania Luſitanica, *Alcantara*, oppid. ſuper Tago fluvio, non obſcurum, in Extremadura regione, à Placentia urbe 8. leuc. in auſtrum, Emeritam versùs 9. *Ferrar. Baudrando Pons Trajani*, aliter Norba Cæſarea, *Alcantara*, urbs aliàs Luſitaniæ, hodie Eſtremaduræ provinciæ, à qua ordo militaris nomen ſumpſit, 18. leucis diſtat à Placentia in occaſum, & 12. ab Emerita in Boream; eſtque parva, ſed munita, in limite Portugalliæ. Vide *Norba Cæſarea.*

PONS Tremens, in via S. Gothardi montis, in aſcenſus, quâ Italiam ſpectat, medio, unde ad cacumen uſque nil niſi nuda rupes, cum nivibus & glacie multa: dictus, quòd aſcendentes, periculô viſô, tremant. Joh. Bapt. Platinus *Helv. Nov. antiq.*

PONS Vaticanus, *P. Victori* ſuper Tiberi Romæ exciſus: apparent veſtigia apud Xenodochium S. Spiritus, à quo denominabatur.

PONT de Vaux, nomen illuſtris Familiæ in Burgundiæ Comitatu, cum titulo Comitatus primùm, inde Ducatûs, ramus Stirpis Gorrevodiæ, de qua vide ſuprà, in hac voce.

PONS Velius, vulgò *Pont de Veſle*, oppid. Galliæ, in Breſſia provincia, ad Velium amnem, una leuca à Matiſcone & ab Arari in ortum.

PONS Vetus, vulgò *Ponte Vedra*, oppid. Hiſpaniæ, in Gallæcia, ad amnem *Loriz*, 4. leucis ab ora Oceani in ortum, & 8. à Compoſtella in meridiem.

PONS Urſionis, locus in Normanniæ Britanniæque confinio, *Pont Orſon.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide infrà.

PONS Urſonis, vulgò *Ponterſon*, oppid. Galliæ, in Normannia, & in confinio Britanniæ minoris, ad Lerram fluvium, *Coveſnon*, qui paulò infrà cadit in mare Britannicum, medium inter Abrincas ad ortum, & Dolam ad occaſum, duabus leucis à Monte ſancti Michaëlis.

de PONTAC Arnulphus, vide *Arnulphus.*

PONTANUS Joh. Jovius, vel Jovianus, Umber, optimus Ciceronis imitator. Patre in ſeditione populari amiſſô, Neapolim conceſſit, ubi Præceptor Alphonſi junioris Regis Neapolitani primò, dein eidem à ſecretis & conſiliis fuit. Scripſit *hiſtoriam bellorum Ferdinandi* I. (cujus tamen gratiâ excidit, quòd Carolum victorem laudâſſet) *cum Johanne Andegavenſe*, aliaque egregia proſâ verſuque. Obiit A. C. 1505. ætat. 78. Hoc ſibi Epitaphium fieri voluit: *Sum Johannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Muſæ, ſuſpexerunt viri probi, honeſtaverunt Reges, Domini. Scis jam quis ſim, aut quis potius fuerim. Ego verò te hoſpes, noſcere in tenebris nequeo: Sed, te ipſum ut noſcas, rogo.* Felinus Sandeus, *Epit. de Regib. Sicil.* Eraſmus, *in Ciceron.* Giraldus, *dial.* 1. *de Poët.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* Leander Alb. *deſcript. Ital.* Anton. Teiſſier *Elog. Part.* 1. *p.* 83. ubi ſcriptorum ejus ſeriem enarrat.

PONTANUS Joh. Iſacius, vide *ibi.*

PONTANUS Lud. Spoletinus, J.U.D. Protonotarius Pontificius, inſigni eruditione, memoriâ divinâ, atque eloquentiâ admirabili præditus: ab Aragoniæ Rege ad Concil. Baſilienſe miſſus, obiit Baſileæ, A. C. 1439. ab Ænea Sylvio, epicediô inſigni ornatus: in cujus ſcriptis etiam ſpecimina divinæ Pontani mentis, quæ per biennium in Concilio edidit, reperiuntur. Urſtis. *Hiſt. Baſil.* Vide Forſter. *Hiſt. Jur. Civ. l.* 3. *c.* 33. Geſner. *in Biblioth.* infrà *Ludovicus.*

PONTANUS Petrus, vide *ibi.*

PONTANUS Rogerius, Carmelita, ſcripſit *de mirabilibus.*

PONTARLUM, oppid. Comitatus Burgundiæ, in confinio Helvetiorum, ad radices Juraſſi, prope fontes Dubii fluv. 9. leucis à Veſontione in Meridiem.

PONTES, vulgò PONS, locus Galliæ, in Santonibus ad amnem in Carantonem influentem, cujus meminit Guilielmus de Nangiaco *his verbis*: *Dominum Regnandum de Pontibus, ad Regem in Villam de Columberiis, diſtantem à Pontibus* 1. *leucâ veniſſe, & publicè, coram Baronibus Regis, feciſſe homagium Comiti Pictavenſi A. C.* 1242. Vide iterum Valeſ. in voce *Pontes Icaunæ.*

PONTES, & PONTACUM, oppid. Belgii in Picardia, *Antonin.* Vide *Ponticum.*

PONTES, nunc *Paunton Camdeno*, pagus Albionis in Anglia ad Thameſin fluv. inter Londinium & Oxonium: vel *Reading*, pagus vicinus, teſte *Lhuydô.* Aliis *Colbrock*, pagus apud Buckingham oppid. indigitatur, oppid. agri Buckinghamienſis in confinio Middleſexiæ: *Paunton* verò eſt *Ad pontem* in agro Lincolnienſi.

PONTES, Caſtellum Daciæ in Danubii ripa contra Theodoram oppid. Vide Procop. *de ædificiis Juſtin.*

PONTES, in Campo Martio, Romæ, tumultuariè extruebantur, cum Comitia erant indicta, ut per eos in Ovile ſeu Septum Centuriæ irent, ſuffragia ibi ſua laturæ. Erant itaque viæ anguſtæ ſeu menſæ potiùs, præſertim poſt legem Mariam, quæ *Pontium* ſimilitudinem haberent: numero 35. pro numero Tribuum, ſi Tributa, 193. verò, pro ratione Centuriarum, ſi Centuriata Comitia eſſent. Quod ideo inſtitutum, ut per ſuum ſingulæ *Pontem* ſuffragium ferrent, neve, ſi ponte unicô omnes Tribus Centuriæve tranſire cogerentur, moræ vel confuſioni locus eſſet. Erant autem iis impoſitæ duæ ciſtæ oblongæ, una in capite *Pontis*, altera in fine, quibus cuſtodiendis certi homines in Comitiis præerant, qui Pliniô teſte, *l.* 33. *c.* 2. *Nongenti* ſunt appellati. Sortitione igitur inter Tribus & Centurias de prærogativa factâ, Magiſtratus in Tribunali ſedens, per Præconem, Prærogativam Centuriam ad ſuffragium vocabat: quæ de loco, in quo conſtiterat, per *Pontem* ſuum diſcedebat in Ovile, ibique ſuffragium ferebat; ſequentibus dein reliquis, qualibet per ſuum pontem. Stabant autem in *Pontis* initio Diribitores, qui tabellas ſingulis miniſtrabant; quarum unam Ovile ingreſſuri, in alteram ciſtam, à Rogatoribus propoſitam, conjicerent: donec, totius Centuriæ tabellis collectis, educerentur ſuffragia, cui rei Cuſtodes adhibebantur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14. & *l.* 8. *c.* 2. Hinc patet facilè, quô ſenſu accipiendum ſit Proverb. *de Ponte dejicere*; nempe *ſuffragii jure privare, ad ſuffragium non admittere*, denotat: Unde *Pontes* hos, in Campo, non ſuper aquam extructos, eoſque de illis deturbatos, *Non ut periclitarentur tales de vita, ſed ne ſuffragarentur in Comitiis*, ait Joh. Saxonius, *in Orat. pro Roſcio.*

PONTES Ambianorum, *Æthico* inter Ambianos & Geſoriacum, *Cluverio* eſt *Pont à Selane*, ad oſtium Altejæ fluv. aliàs *Pont Aſſelane*, qui ait, magnam partem veterum Ambianorum finium, inter Suminam & Altejam flumina ab hiſce Pontibus nomen accepiſſe, ac dici hodieque *le Pontieu*, ſeu Pagum *Pontivum.*

PONTES Cæſaris, oppid. Galliæ ad Ligerim, cum ponte prælongo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

longo, aliàs munitum: Vix 1. leuc. ab Andegavo; *Pont de Ce*; quibuſdam *Pons Cæſaris*.

PONTES Icaunæ, Gall. *Pons ſur Yonne*, oppid. Gall. à multitudine pontium Icaunæ impoſitorum. Sunt & *Pontes* in Santonibus, eandem ob rationem ſic dicti, ad amnem in Carantonum influentem. Vide Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

PONTES Oeni, vulgò *Oeting* oppid. Vindeliciæ ad Oenum fluv. in Bavaria.

PONTES Sequanæ, Gall. *Pons ſur Seines*, olim à numero pontium ibi Sequanæ impoſitorum. *Ad duodecim Pontes*, hodie oppidulum eſt ad Sequanam jam Albâ auctum; continens duas inſulas, quas ibi Sequana continet, & 10. vel etiam 12. pontes hodieque habet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Sic *Ad Duos Pontes*, oppid. eſt Marchiæ titulô illuſtre, ad Saravum amnem. Gall. *Deux ponts.* Similiter *Tres Fontes* & *Septem Fontes*, monaſteria Abbatiis clara, alterum in Ducatu Barrenſi, alterum in Epiſcopatu Auguſtodunenſi ad Ligerim, prope Burbonem Aſelli, à fontium numero nomen accepêre. *Idem.*

PONTES Terſenini, vulgò *Schœſtern*, pagus Vindeliciæ in Bavaria inter Ambram & Parthanum, teſte *Simlerô*.

PONTESIUM, oppid. Galliæ, vulgò *Pontoyſe*. Vide *Pontiſara*.

PONTHUS Thiardus, Epiſcopus Cabillonenſis, eruditione & linguarum peritiâ inſignis. Poëta Gallus, Mathematicæ quoque; dein Philoſophiæ Platoninæ, tandem Theologiæ ſe dedit. Ronſardo, Portio, Perronio familiaris. A Carolo IX. & Henrico III. magni æſtimatus. Scripſit varia: *Diſcurſum de die & Anno*, *Manticen*, *Univerſum*, *Ephemerides octavæ ſphæræ*, *de Cœleſtibus Aſteriſmis &c.* Obiit A. C. 1605. Scævola Sammart. *l.* 5. *Elog.* Thuan. *Hiſt.* Morerius, *in Diction. Hiſt.*

PONTIA, empta ingentibus donis, à Sagitta Tribuno, ad adulterium, & maritum omittendum, hâc lege, ut vacua in Octavii Sagittæ donum nuberet. Diverſam à marito pacti pœnituit, quare Sagitta ſpretus, nocte unâ ad deſiderium leniendum impetratâ, atque libidine expletâ, in cubiculo ferro tranſverberavit nihil tale metuentem; Ipſe dein à Patre Pontiæ accuſatus, & condemnatus eſt. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 44.

PONTIA, notiſſimâ crudelitate mater. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 638.

Nos utinam vani! ſed clamat Pontia: feci,
Confiteor, puerìſque meis aconita paravi.

Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 34. *v. ult.*

O *mater, quâ nec Pontia deterior.*

PONTIA, inſul. gemina: una maris Tyrrheni in ſinu Formiano, ſeu paulo ſuprà illum, contra Tarracinam urbem Latii, cum urbe, olim Colonia eôdem annô; quô Sueſſa teſte Leviô, *l.* 9. *c.* 28. deducta, in quam cives Romani damnati deportabantur. Vulgò *Porce*, non longè à Palmaria in ſinu Cajetano, in qua turtures & coturnices, cùm ad Italiam veniunt, primâ volaturâ requieſcendi causâ, paucos dies morantur, *Varro. Pontia* plurali numero, apud Plin. *l.* 3. *c.* 6. legitur. Altera in eodem mari ante Veliam urb. Lucaniæ, cum Iſacia, vel Iſcia. *Baudrando Pontia*, hodie *Ponza*, inſul. provinc. Terræ laboris, anteà incolis vacua, ſed à paucis annis exculta, cum vico & turri, ſub dominio utili Ducis Parmæ, 12. mill. paſſ. à Circejo promontor. in Meridiem, uti 20. à Terracina.

PONTIANUS, Roman. Epiſcopus 17. A. C. 231. Ab Alexandro Severo, apud quem falsò delatus erat, relegatus in Sardiniam: A Maximino verò ejus ſucceſſore verberibus adeò dedolatus ut animam efflaret, A. C. 235. Euſeb. *in Chron. & Hiſt. l.* 6. Anaſtaſ. *in vit. Pontif.* Baron. *in Annal.* Alius Conſul, An. Urb. Cond. 960.

PONTICA Provinc. Aſiæ Minoris terminus à Septentrione, ut Agrippa & Miſſi Theodoſiani ſtatuerunt, adeoque Aſiæ propriè ſic dictæ, cujus duas partes idem Agrippa fecit, *Citeriorem* & *Ulteriorem*, ambitu comprehenſa non eſt: longè majoribus terminis Aſiam circumſcribente *Strabone*, qui eô nomine intelligi voluit, quidquid intra Ponticum, Ægeum & Cilicium maria concludebatur, ad inſtar Peninſulæ, *l.* 11. Verùm ille Geographicè ſitum terrarum & marium rationem magis ſequitur, quàm Politicam diſpoſitionem provinciarum, quæ aliud ſuadebat. Is itaque *Ponticam provinc.* Aſiæ nomine involvit, quæ *Diæceſim Ponticam* poſteà fecit, ab Aſiana diverſam, quâ Galatia, Paphlagonia & Cappadocia, Armenia minor & Pontus Polemoniacus comprehendebatur. Sed & Auguſti temporibus Bithynia, Propontis & *Pontica* pars prætoria fuit provincia, ab Aſiæ ſpeciali appellatione ſeparata &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 807.

PONTICA Terra, apud *Zoſimum Panopolitam*, in confectione admirabilis illius tincturæ, quàm Ὕδωρ ἄθικτον vocabant, Τὰ δὲ ὕδατα τοῦ καταλόγου ἐξίσου καὶ γῆ Ποντικὴ, καὶ Ἀττικὴ καὶ Ἀρμένιον καὶ βοτανῶν δηλονότι τοῦ κρόκου καὶ τοῦ ἐλυδρίου τὸ διπλοῦν: Sinopis eſt vel Pontica rubrica, de qua vide infrâ in *Sinopis*.

PONTICÆ, apud Solinum & Plinium, *l.* 37. *c.* 2. gemmæ ſunt, à patria ſic dictæ, genere diverſô. *Quippe alia aureas, aliæ ſanguineas habent ſtellas & ea quidem inter ſacras habentur: nam quæ oſtentationi potiùs, quàm uſui deliguntur, non guttis aſperſæ ſunt, ſed longis colorum ductibus liniuntur*, Solin. *c.* 13. Nempe, quæ aureas aut ſanguineas habebant ſtellas, amuleti vice geſtabantur: reliquæ, quæ ad ornatum tantùm & oſtentationem habebantur, lineis erant diſtinctæ, non guttis ſtellatæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 187.

PONTICO, vel PONTIGO, villa regia Auſtraſiorum Regum fuit, ſub Merovingis ac Carolovingis etiam, Synodis Epiſcoporum, inprimis A. C. 876. celeberrima. Vulgò *Pontio.* Ad flumen Ornam, in Pago Pertenſi, non procul à Victoriaco Incenſo. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PONTICON, Poëmatis de Maritimis rebus, à Julio Solino compoſiti, titulus, cujus fragmenta ſuperſunt. C. Barth. *Animadverſion. ad Stat. l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 188. Vide de eo Salmaſ. *Prolegom. in Solin.*

PONTICULUS, ſtructura ſuprà tumulum demortui, in *ponticuli* ſpeciem. *Lex Sal. tit.* 57. §. 3. *Si quis ariſtatonem, h. e. ſtaplum ſuper mortuum miſſum capulaverit, aut mandualem, quod eſt ſtructura, ſive ſelave, qui eſt* ponticulus, *ſic ut more antiquorum faciendum fuit* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PONTICUM, vulgò *le Ponthieu*, regiuncula Picardiæ, aliis Comitatus Pontivenſis. Extenditur verſus oſtia Somonæ fluvii; ubi Abbavilla, Pons Remigii, Monſtrolium, Rua & Crotojum; Eſtque inter Quantiam fluvium & Bononiæ Comitatum ad Boream: Normanniam ad Meridiem & Ambianenſem tractum ad Ortum. *Pontus*, ſeu *Pontinia* quibuſdam. Hic tractus Anglici juris factus eſt, cùm Eduardus primus, Angliæ Rex, uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi, Caſtellæ Regis, filiam, ex Joanna Conjuge, quæ filia erat Simonis, Pontium Comitis: Sed poſteà incolæ, inſtigante Guidone ſancti Pauli Comite, præſidiarios quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbârunt, Regique Francorum Carolo V. ſe dediderunt. Nomen habet à Pontium multitudine. *Merula*, *Metel. Baudrand.* Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* hunc pagum non à Pontibus, ſed *Pontiu* olim dictum vult, quod Gallicum nomen eſt, ſicut *Tellau*, & *Vitman.* Vide ibi.

PONTICUM Mare, vide *Euxinum.* Hoc cæteris dulcius, & natantia in Propontidem ejicit. Macrob. *l.* 7. *Saturn. c.* 12.

PONTICUS, annorum ferè 15. puer, martyrium paſſus eſt.

PONTICUS, poëta Roman. Propertio æqualis, qui ſic ad eum ſcribit, *eleg.* 7. *l.* 1. *v.* 1.

Cùm tibi Cadmeæ dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ triſtia militiæ:

Idem non dubitat eum cum Homero componere. Continuò enim ſubjungit; *v.* 3.

Atque ita ſim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum bellum modò ceciniſſe, ſed etiam amores, cognoſcimus, *ex l. ejuſdem eleg.* 9. Ovidio etiam conjunctiſſimus fuit, ut oſtendit iſtoc *l.* 4. *Triſt. El.* 10. *v.* 47.

Ponticus heroo, Battus quoque clarus Iambô,
Dulcia convictus membra fuêre mei.

PONTICUS Stratus, ſeu *Pontilis ſtratus*, apud *Vegetium*, tabulatum dicitur, quò ſtabuli pavimentum conſtratum eſt. Unde Græcia recentior ποντιλῶσαι verbum finxit, pro *ponte ſternere*, vel pontilem ſtratum facere. *Mauricius*, ποντιλῶσαι ἤγουν καταστρῶσαι. Eadem ποντίλον vel ποντίλιον dixit *pontilem ſtratum*, ſeu *pontem.* Nam & *pontem* pro hujuſmodi ſtratu ſeu tabulato poſuêre. *Gloſſæ*, Ποντίλιον, *pontem.* Uti Plin. *l.* 6. *c.* 29. ubi de Arabibus Aſcitis, *Arabes*, inquit, *Aſcitæ appellati, quoniam bubulos utres binos ſternentes ponte, piraticam exercent ſagittis venenatis.* Vocans *pontem* tabulas junctas & utribus ſuperſtratas. Quod *cantabulatas crates* Solinus appellat, *c.* 56. Inde poſteà ποντίλα uſurpârunt, pro quibuſlibet tabulatis, quamvis non ad ſpeciem pontis ſtrata eſſent, ſed ſuſpenſa. Leo *in Tacticis*, ἢ ποντίλα, ἤτοι ξύλα κρεμάμενα &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1266. & 1267.

PONTICUS Valerius, vide *Valerius.*

PONTICUS Virunius, vel *Virunnius*, Treviſanus. Compoſuit, A. C. 1490. *epitomen Hiſtoriæ Anglicæ* in gratiam familiæ Badoeriorum, qui, Veneti tum, Anglicæ originis erant. Item *Commentarios in Statium, Claudianum*, &c. Plura alia quoque proſâ verſuque ſcripſit. Trithem. *in Cat.* Philipp. Bergom. *l.* 16. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *l.* 3. *c.* 8. *de Hiſt. Lat.*

PONTIFEX, nomen maximi fuit apud Romanos Sacerdotii, cujus poteſtas ampliſſima: qua de ultimam Numæ inſtitutionum ſonare, tradit Dio, *l.* 2. Dictus non à *Ponte faciendo*, quemadmodum Varro tradit *de L. L.* inquiens: *Pontifices ego à ponte arbitror dictos. Nam ab iis ſublicius eſt factus primùm; & ſæpe reſtitutus, quum ideo ſacra & uls & cis Tiberim non mediocriritu fiant.* Nondum enim tum pons fuit ullus, qui refici potuerit, demumque poſt Numæ tempora ab Anco Martio pons primùm Tiberi eſt impoſitus. Sed fortè à vetuſtiſſima ſacrorum ratione, quæ ad pontes fierent: quod tamen eâdem ratione refellitur, ut annotavit Sabellicus, *l.* 3. *Enn.* 2. Potiùs autem, à *poſſe* & *facere*, ut Q. Scævola apud præfatum Varronem contendit, *Pontifex i- nim eſt, qui poteſt facere*; i. e. *ſacrificare*, *l.* 4. Horum quatuor primitus à Numa inſtituti (quorum princeps Martius fuit, Marci filius, Vir Patricius) & è Patriciis electi, numerum ordinemque retinuerunt, uſque ad annum Urb. Cond. 454. quò, Q. Appulejô Panſâ & M. Valeriô Corvô V. Conſulib. Q. & Cn. Ogulnii Tribuni Pleb. legem tulerunt, ut numerus Augurum & Pontificum augeretur, & pars eorum ex plebe eſſet. Sic octo Pontificum numerus factus eſt, qui uſque ad L. Sullæ Felicis Dictaturam manſit. Tum is, inter multa, quæ aut abrogavit, aut addidit, *Pontificum* quoque Augurumque collegium ampliavit, ut eſſent 15. Pontifices, & totidem Augurus, Florus, *Epit.* 89. Ex quo Sullæ inſtituto duplex *Pontificum* ordo factus eſt: Primi enim octo & duo deinceps, qui in eorum locum cooptati ſunt, *Pontifices majores* appellati; reliqui verò ſeptem, *minores Pontifices* dicti ſunt, quorum paſſim & apud veteres Scriptores & in vetuſtis Epigrammatib. mentio fit. Univerſus illorum cœtus, *Collegium* vocatus eſt, ut ex Cicer. *Or. ad Pontif. pro Domo ac de Haruſpic. reſp.* & ex *antiquis Inſcript.* colligere eſt. A' Collegio itaque *Pontificum* primorum ſucceſſores cooptari ſoliti ſunt, uſque ad ann. Urb. Cond. circiter 450. Non enim Comitiis à Populo creabantur, donec Cn. Domitius Cn. F. Ahenobarbus Tribun. Pl. *Pontificibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cibus offenſior, quod alium, quàm ſe, in locum Patris ſui cooptâſſent, lege latâ, jus Sacerdotum ſubrogandorum à Collegiis ad Populum tranſtulit, ut Cicer. *in Rullum*, & Tranquillus *in Nerone, c.* 2. tradunt. Quam cùm L. Sulla Dictator, plebi parùm æquus, abrogâſſet: reſtituit M. Tulliô Cicerone; M. Antoniô Conſulib. Tit. Labienus Tribun. Pleb. teſte Dione *l.* 37. Poſteà tamen, ſub Auguſto, iterum abrogatâ lege Domitiâ, Collegiorum primò, deinde Romanorum Principum arbitriô, *Pontifices* & reliqui Sacerdotes, cooptari cœperunt. De muneribus ac dignitate verò *Pontificum*, ita Dionyſ. *l.* 2. *Pontifices*, inquit, *de omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus judicant, tam inter Magiſtratus ſacrificos, quàm inter privatos homines; novasque leges de ſacris arbitratu ſuô condunt: & Magiſtratus, penès quos ceremoniæ ſunt ac ſacrificia, Sacerdotesque omnes examinant: Miniſtros quoque ſacrorum in officio continent, ne quid contra ſolennes faciant ritus, à profano etiam & imperito vulgo conſuluntur de cultu Deorum ac Geniorum, aliisque religionibus, quod ſi quem animadvertant, præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui vel Populo. Id genus Doctores, ſive ſacri Doctores, ſive ſacrarum legum Conſulti, ſive ſacrorum Cuſtodes rectè dicendi ſunt: ego Hierophantas noſtris appellari dixerim.* Vide quoque Ciceronem, *Orat. pro Domo*, ubi inter alia, *omnis Reip. dignitatem, omnium ſalutem, vitam, libertatem, aras, focos, Deos, Penates, bona, fortunas, domicilia, eorum ſapientiæ, fidei poteſtatique commiſſa ac credita eſſe*, ait. Et paulo pòſt ad Lentulum, unum ex *Pontificibus*, *ad quos Epulones Jovis O. M. ſi quid eſt prætermiſſum, aut commiſſum, afferunt: quorum de ſententia illa eadem renovata, atque inſtaurata celebrantur*, &c. Iisdem, ſicut Magiſtratibus quibuſdam Patriciis, Conſulibus, Prætoribus, Dictatoribus & Interregibus, jus fuiſſe, Populum ad Curiata Comitia vocandi, ex eo patet, quòd Flaminum inaugurandorum cauſâ Comitia iſtiuſmodi indici ſolerent, idque ad *Pontificum* pertineret officium. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 4. Nec defuêre ipſis Lictores, & faſces, Lictoris inſignia, qua de re ſic Gutherius, *l. de vet jure Pontificio: De Lictoribus Seneca Pater, Non ſine cauſa*, inquit, „*Sacerdoti Lictor apparet. His tamen publici ſolùm Sacerdotes utebantur cum Veſtalibus, ut Pontifices, Augures, Quindecimviri, Flamines. Namque Livia, quum Auguſti ſacerdos Senatus conſultô conſtituta eſt, decretum*, Ῥαβδούχῳ χρῆσθαι ἐν ταῖς ἱερουργίαις, *ut Lictore in ſacrificio uti poſſet, nihil ad veterum ſacrorum rationem facit, quæ, ut cætera, adulatione mutata eſt ac depravata. Lictor Pontificum in antiquis Inſcr. eſt Apparitor. Fragmentum marmoris in via Appia, Apparitori. Pontificum. Parmulario. Iidem Pontificum Calatores dicti*, ἐκβιβασταὶ ἱερέων, *qui & Comitia calabant & à Pontificibus ſacra facturis præmittebantur, ut ſicubi viderent Artifices adſidentes, opus ſuum prohiberent, ne Deorum attaminarent ceremonias.* Vide Fortunium Licetum *de Lucernis, l.* 6. *c.* 102. *ubi Lucernam Sepulchralem Sacerdotis, lictorem habentis, explicat.* Duravit autem *Pontificum* Collegium, uſque ad Theodoſii Senioris tempora, quibus, Religione Chriſtianâ omnia jam obtinente, Imperatoribuſque antiquæ ſuperſtitioni adverſantibus, unô edictô Sacerdotum omnium reditus fiſco applicati ſunt, ut *Zoſimus* docet. Omnium ſupremus unus erat, qui & *Maximus* dicebatur, quo de vide hîc *infrà*, & plura in hanc rem, apud A. Gellium *paſſim*, & Joh. Roſin. *l.* 3. *c.* 22. A' *Pontificibus* dicta *Pontificum* ſeu *Pontificia cœna*, in Proverb. abiit, de lauta ſupra modum ac magnifica, ut apud Horatium, *l.* 2. *Carm. Od.* 14. *v. ult* aliosque videre eſt; Angl. *à feaſt for en Abbot*: Pro qua *Cœna adjicialis* quoque, nonnunquam dicitur. Lipſius tamen *Adjicialem* legi & intelligi eam vult, quam *in aditu honoris* quivis Magiſtratus exhibere ſolebat, *de magnit. Rom. l.* 4. *c.* 9. Meminit cœnæ *Pontificiæ* Metelli Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 13. ubi, poſtquam ordine enumerâſſet eos, qui accubuiſſent, pergit: Cœna hæc fuit; *Ante cœnam echinos, oſtreas crudas, quantum vellent, peloridas, ſpondylos, turdum, aſparagos: ſubtus galinam altilem, patinam oſtrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum ſpondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines. aprugnos, altilia ex farina involuta, murices & purpuras. In Cœna ſumina, ſinciput aprugnum, patinam piſcium, patinam ſuminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amyium, panes Picentes.* Quod cùm jam ſeculo 4. Damaſus Romæ Epiſcopus imitari inciperet, unde Amm. Marcellin. *l.* 29. *Adepti* (nempe Pontificatum) *feliciſſimi ſunt, eorumque convivia regales ſuperant menſas*; Prætextatus Præf. Urbis, *ludens*, inquit Hieron. *ad Pammachium*, dicere ſolebat ad Damaſcum, *Facite me Romæ Urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus*, &c.

PONTIFEX Aquarum, memoratur Servio *ad Æn. l.* 12. *Juturna fons eſt in Italia ſaluberrimus* —— *Huic per* Aquarum Pontificem *ſacrificari ſolet. Cui Lutatius primus Templum in Campo Martio fecit. Nam & Juturnias Ferias celebrant, qui artificium aquæ exercent* &c. denotatque ſummum Aquarum Inſpectorem. Unde *Pontificum* nomen longè amplius patuiſſe, quàm vulgo notum ſit, & *Pontificium*, quodlibet officium, quamlibet poteſtatem, deſignâſſe, docet Juretus, *Notis ad Symmachum ſuum, l.* 7. *Ep.* 27. Vide quoque Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Stat. l.* 4. *Sylv.* 5. *v.* 35. Ὑδάτων Ἐπιστάτην hujuſmodi Magiſtratum nominatum fuiſſe Athenis, dicemus infrà, voce *Puteus*.

PONTIFEX Maximus, apud eoſdem Romanos, dicebatur unus ille, qui reliquorum ſupremus erat, à Numa itidem inſtitutus, *cui*, ut Dionyſ. *l.* 2. tradit, *maximarum rerum, quæ ad ſacra & Religionem pertinent, curam judiciumque commiſit, eumque vindicem eſſe juſſit contumaciæ privatorum & Magiſtratuum.* De ejus creatione ſic Liv. *l.* 1. *c.* 20. *Minoribus creatis, Numa Pontificem deinde Maximum, Numam Marcium, Marci Filium ex Patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ Templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumtus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit, ut eſſet, quò conſultum plebs veniret, ne quid divini juris, negligendo patrios ritus peregrinoſque adſciſcendo, turbaretur. Nec cœleſtes modò ceremonias, ſed juſta quoque funebria placandoſque Manes, ut idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliôve quô viſô miſſa ſuſciperentur atque curarentur.* Feſtus eundem ait *Judicem atque arbitrum rerum divinarum humanarumque fuiſſe*. Idem hiſtoriæ ſcribendæ munus habuit impoſitum, uti diſcimus ex *Tacito* Fl. Vopiſci, *c.* 1. Quod M. Tullius confirmat *de Oratore, l.* 2. *c.* 12. *Erat initiò hiſtoria nihil aliud, niſi Annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Romanar. iiſque ad Mutium Pontificem Max. res omnes ſingulorum mandabat literis* Pontifex Maximus, *referabatque in album & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet Populo cognoſcendi: iique etiam nunc Annales maxime nominantur.* Vide Caſaubon. & Salmas. *Notis ad Vopiſcum, d. l.* &c. Creabatur is ex Collegio *Pontificum*, non quidem Collegarum cooptatione, ut in cœteris Sacerdotiis mos erat, ſed Populi Comitiis Tributis; ut idem Livius docet. Multô etiam tempore non niſi ex Patribus creatus eſt, donec poſtremò omnibus honoribus Plebi communicatis *Pontifex M.* quoque ex Plebe primus creatus eſt. T. Coruncanus. Poſt quem multi tam Patricii, quàm Plebeji, id faſtigii adepti ſunt, uſque ad Jul. Cæſarem. Quô mortuô, in ejus locum, *Pontificatum M.* per vim invaſit Lepidus, poſt cujus obitum Sacerdotium id ſuſcepit Auguſtus, quod vivô Lepidô, licèt oblatum ſibi conſtanter rejecerat, teſte Suetoniô, *c.* 11. Decens autem viſum fuerat, eum, qui totius Imperii poſſeſſionem eſſet adeptus, ipſam quoque ſupremam rerum divinarum auctoritatem, quæ hôc munere continebatur, habere. Quare, poſt Auguſtum, omnes Romani principes ſeu Imperatores *Pontificatum Max.* vel ſuſceperunt, vel ſe *Pontifices Magnos* appellari, paſſi ſunt: ut Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, Valens & Gratianus: qui Chriſtianæ Religioni addicti, quanquam à munere abhorrerent, ejus tamen titulum elogiis ſuis adſcriptum non ſunt aſpernati. Donec, qui ultimò hîc nominatus eſt, Gratianus, edictô propoſitô, *Pontificem ſe Maximum* appellari vetuit: quô factô ea Sacerdotii dignitas in Imperatoribus eſt extincta. Zoſim. *l.* 4. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 22. Sed renuiſſe quidem ſtolam Pontificalem, ſibi à Pontificibus Ethnicis ex more oblatam, non verò ipſum titulum aut munus Pontificatus Gratianum, ex Zoſimo colligas. Imò titulum iſtum adhuc diu poſt Gratianum manſiſſe Imperatorib. Chriſtianis, patet ex *Inſcr.* Juſtinopoli Iſtriæ repertâ, & à Cl. Grutero prolatâ, *p.* 164. *num.* 5. in qua Juſtinus Senior, qui imperare cœpit A. C. 518. diſertè *Pontifex Maximus* appellatur, literis hiſce PONT. MAX. Quare non parùm erravit qui in gratiam Epiſcopi Romani titulum hunc rejeciſſe Gratianum volunt: utpote ſine quo etiam pro Chriſtianæ Eccleſiæ capite, Chriſtianos Imperatores ſeſe geſſiſſe, clarum eſt ex *Cod.* Theodoſiano, Juſtinianus, *Novellis* &c. Ant. van Dalen *de Oraculis, Diſſertatione* 1. *p.* 251. & *ſeqq.* ubi varia in hanc rem. Sedes *Pontificis M.* regia, eique Flamines quoque, & ipſe Rex ſacrorum ſubjectus fuit, Idem Roſinus *alibi.* Tranſiit poſteà ab Imperatorib. hic titulus ad cujuſlibet Eccleſiæ Epiſcopos, quos moris fuit vetuſti & in multa tempora durantis, appellari vulgò *Pontifices ſummos, Summos Antiſtites, Summos Sacerdotes, Maximos Pontifices* &c. Anacletus, *Ep.* 2. *Unde liquet, quòd ſummi Sacerdotes, i. e. Epiſcopi, à Deo ſunt judicandi.* Paulinus, *Ep. ad Romanianum, inter Auguſtini* 36. *Tunc verò ſibi ſummus Chriſti Pontifex Auguſtinus videbitur.* Eucherius *ad Saloninum, Cùm te illic beatiſſimi Hilarii, tunc Inſulani tyronis, ſed jam nunc ſummi Pontificis doctrina formaret.* Neque id ab initio tantùm, ſed recentiori ævô. Sidonius Apollinaris vix unquam aliter: *Ep.* 11. *l.* 4. *de Mamerco & Claudiano fratr.*

Nam de Pontificis *tenore ſummi,*
Ille inſignia ſumſit, hic laborem.

Idem *l.* 7. *Ep.* 5. *Bituricas decretô civium petitus advenis, cauſa fuit evocationis titubans Eccleſiæ ſtatus, quæ nuper* ſummô *viduata* Pontifice, *utriusque profeſſionis ordinibus ambiendi Sacerdotis quodam claſſicum cecinit.* Et *l.* 8. *Ep.* 15. Ananum vocat *Maximum conſummatiſſimumque Pontificem.* De Hattone Mogontiacæ Eccleſiæ Antiſtite, Witikindus, *Geſtorum Saxonic. l.* 1. *Summus* ait, *Pontifex mittitur ad ſedandam tam ingentem diſcordiam.* Sic Theganus *de Geſtis Ludovici Imperator. Jamdudum illa peſſima conſuetudo erat, ut ex viliſſimis ſervis ſummi Pontifices fierent.* Et quidem id tituli quid ſignificaret, docet Optat. Milevitanus, *l.* 1. qui, *Apices & Principes omnium* Epiſcopos vocat. Ignatius item *ad Trallian.* cùm inquit, Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ᾽ ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἀνθρώπῳ κρατεῖν, *Quid eſt Epiſcopus, niſi is qui prætergreſſus eſt omne imperium & poteſtatem, quique omnibus imperat, quantum quidem homo imperare poteſt.* Tandem verò titulum hunc, ut & *Papæ* ac *Apoſtoli*, Romæ Epiſcopus ſoli ſibi vindicavit, neque in tota hodie communione Latina alius *Pontificis M.* titulô inſignitur, quàm qui Romæ ſedem ſuam habet Præſul: cujus inſigne Cidaris *Pontificia* eſt, ut dicitur *in præfat. ad opus de attributis Romani Pontif.* cui titul. eſt, *Corona aurea ſupra mitram.* Continet illa triplicem coronam, ſupra ſimplicem Epiſcoporum mitram, inventum, ut plerîſque viſum; Bonifacii VIII. Vide Anton. Mazaronium *l. de* 3. *Pontific. coronis*, & Carol. Paſchal. *de Coronis, l.* 9. *c.* 14. ac *l.* 4. *c.* 21. infra *Triregnum.* Alii tamen à Paulo II. geſtamen hoc primùm inductum; nonnulli, antiquius quidem, ſed ab eo, cùm exoleviſſet, fuiſſe revocatum, contendunt. Vide Jacobum Cardin. Papienſem *Comm. de rebus Pauli II. l.* 2. Sed his miſſis, integumentum Pontificii capitis quaſi uſuarium eſt Camelaucus, quo de vide præter alios Anſelm. Solerium *de Pileo, ſect.* 13. & ſuprà in voce *Pileus.* Calceamen-

cæmenta *Pontificum* non ſemper eadem fuere: Primi caligis ſeu ſandaliis Apoſtolicis leguntur uſi: à quorum craſſitie ac ruditate, ad linteos udones ſe tranſtulerunt, donô, ut quidam volunt, Conſtantini M. Poſtremò ſandalia purpurea, crucis aureæ ornamentô inſignita, adhibere cœperunt. Vide Ben. Balduinum *de Calceo, c.* 27. *ubi ideam Sandaliorum Pontificum Sylveſtri I. Martini I. Honorii I. ex Angelo Rocca ultima editio præbet ſpectandem*, ut & infrà: de Jure *Pontifices Rom.* eligendi, diximus alibi. De *Pontifice ſummo* Hebræorum, cujus non niſi umbra ad Romanos quædam ſparſa eſt, Vide infrà in voce *Pontificalis Dignitas*, item *Sacerdos ſummus*. Commentaria *Juris Pontificii* veterum Romanorum, ſcripſit Labeo Antiſtius, quem librum citat Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. & 8. Vide quoque Feſtum, & Anton. Thyſium JCtum, *Not. in A. Gellium l.* 1. *c.* 12. Sed nec ſolis intra Gentiles Romanis ſui fuêre *Pontifices Summi* aut Summi Sacerdotes, uti ex *Inſcript.* imò Tertulliano, manifeſtè patet. In Gruteri *Theſauro p.* 327. *Primi Sacerdotis* nomine venit in *Inſcr.* L. Aurelius victor Collegii videl. ſive corporis Sacerdotum Auguſtalium. In alia apud eundem Græca *p. præc.* Onias quidam vocatur ΑΡΧΙΕΡΕΥϹ ΚΑΙ ΠΡΟΦΗΤΗϹ. Vide quoque *p.* 313. 10. 448. 1. & 1024. 3. Apud Jac. Sponium, *Itinerar. tom.* 2. *p.* 482. Herodes Atticus in ſimili *Inſcr.* ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ dicitur ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, nullâ mentione licet factâ Collegii, Ordinis, urbis aut regionis: ſicut & Diocles ille, cujus mentio fit in alia *Inſcr. tom.* 1. *p.* 416. Contrà in fragmento per eundem deſcripto Eleuſine, habemus ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΑΧΑΙΩΝ, *Achajæ Pontificem ſummum*: & in alia, Thyatiræ, Marcus Aurel. Diadochus vocitatur ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ *Pontifex Aſiæ* (minoris) *Templorum, quæ ſunt Pergami*, & *Pontifex eódem tempore Patriæ ſuæ*: additurque, eum Thyatiræ & Pergami alios creâſſe Pontifices, quibus ſine dubio alii Civitatum harum Sacerdotes erant. Ut præteream *Pontifices totius Xyſti*, *Archiereas* it. *Synhodi* (Deorum) & *Auguſtorum*, quorum mentio apud Gruterum iterum *p.* 1013. Hoc tamen notandum, hos quidem ΑΡΧΙΕΡΕΑΣ ſimpliciter, ſolum verò Pontificem Max. Romanorum, ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΜΕΓΙϹΤΟΝ Græcis conſtanter dici conſueviſſe. Unde in alia *Inſcr.* quam Sponius exhibet *tom.* 1. *p.* 400. quæ Latinè leguntur, IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. PONTIFEX. MAX. &c. Græcè ibidem ſic verſa (in eadem columna) ſequuntur: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ. Julianus verò, eandem dignitatem innuens, ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΜΕΓΑΝ ſe dicit, *Ep.* 49. *ad Arſacium* Ἀρχιερεά Γαλατίας &c. Vide iterum Anton. van Dalen *de Oraculis, Diſſertatione* 1. *p.* 170. & *ſeqq.*

PONTIFICALES Ceremoniæ, in inauguratione Pontificis Romani hæ ſunt: Cùm in Synodo Romana ſub Stephano. IV. celebrata ſtatutum ſit, non poſſe eligi in Pontificem, qui Presbyter, aut ad minus Diaconus non ſit; ſi occurrerit, Diaconum novum in Papam conſecrari (ut aliquando accidit) obſervari ſolent ceremoniæ ſequentes. Nimirum, Papa tunc comparet ad ordinationem, indutus amictu, manipulô, cingulô, pluviali & mitrâ in capite; quæ deponitur, quando Epiſcopus ordinans facit impoſitionem manus, ſtans ipſe, & Papâ in throno ſedente: qui tamen erigetur, quando ab Epiſcopo ſtolam accepturus eſt. Mitrâ tamen coopertus ac ſedens, librum Euangeliorum tangit. Si in Sacerdotem eſſet conſecrandus, vide ſuprà *Presbyter*: Si in Subdiaconum, vide *Subdiaconus.* Si in Epiſcopum; tunc ſolitæ exhortationes atque interrogationes omittuntur, atque conſecrans, dum litaniæ dicuntur, Papæ benedicens, ſtare debet ſine baculo & genuflexi duo Aſſiſtentes. Dum ponitur illi ſuper humeros liber, ſedet in throno ſine mitra Pontifex, ordinans verò ſtat: quod & in unctione capitis ac manus obſervatur, nec baculum in manu tenet; ſed tantùm annulum, quem dum illi Epiſcopus ponit, oſculatur Papæ manum. Quô impoſitô, accedunt Cardinales ad illius pedis, manus & faciei oſculum, ac idem facit Epiſcopus ordinans, à quo, tempore Offertorii, ſtans Epiſcopus, recipit faculas, panem & vinum, ſine mitra, & manum offerentis Pontificis oſculatur, Papâ in throno ſedente; qui tandem à Cardinal. Diacono accipit pallium, cum conſueta verborum formula, &c. Vide Chriſtophorum in *Ceremoniali.* Sed ante omnia ſtatim ac Pontifex electus eſt, in Cathedra collocatur, & ponitur annulus piſcatoris in digito, novôque nomine ſibi aſſumtô, confeſtim primus Diaconus Cardinalis illum populo divulgat. Electus verò in Pontificem, depoſitis Cardinalitiis indumentis, induitur veſte candidâ laneâ vel ſericâ, juxta temporis exigentiam, ac caligis ejusdem coloris, cum calceamentis rubris, in quibus acupictæ ſunt aureæ cruces. Præcingitur cingulô rubeô aureis floccis, atque biretô, rochetô, amictu, albâ, cingulô ornatur & ſtolâ ad collum pendente, ſi ſit Sacerdos, ſeu ad ſiniſtrum humerum, ſi ſit Diaconus: ſi autem nullum habeat ordinem, ſtola non ponitur. Mox in ſede poſitus, à Cardinalibus croceis indutus adoratur, denuo oſculando ejus pedem, manum & genam; defertur illi intereà pluviale, mitraque pretioſa (de quo tegminis genere ſuprà) Sic indutus ad ſedendum ponitur Cappellæ Altare, ubi iterum, ut ſuprà, poſt aliam adorationem, Cardinales eum oſculantur. Tunc patefactis Conclavis valvis, ubique lætitiæ ſonitus acclamationum, campanarum, tormentorumque bellicorum auditur. Atque ſic in ſede collocatus, proceſſionaliter, præcedente Vaticanæ Baſilicæ clerô, concomitantibus Cardinalibus indutis rochetô & cappâ magnâ, ad eandem Baſilicam S. Petri defertur, populoque conclamanti benedicit; tandem ſuper Altare majus deponitur ibique ſacrum Collegium denuo illum publicè ordinatèque adorat, & ſinguli ternam adorationem, ut ſuprà, complent. Interim Purpuratorum Decanus genu flexô inſonat *Te Deum*, quô à Muſicorum Choro expletô Decanus ſuper Pontificem nonnullas preces recitat, poſt quas Papa ſolenniter populo benedicit. In die autem Coronationi deſtinato, dum Papa ad Vaticanam Baſilicam defertur, Ceremoniarum Magiſter immediatè Pontificem antecedens, defert in manibus duas oblongas arundines, in quarum unius vertice ſtuppa habetur, in alterius culmine parva candela, quâ ſtuppam accendens, dicit: *Beatiſſime Pater, ſic tranſit gloria mundi*; eamque ceremoniam ter repetit. Ciacconius tamen in *Vita* Benedict. XII. aliàs XIII. Antipapæ, aliam quandam ceremoniam antiquitus uſitatam refert; in coronationis actu Pontifici hæc verba dici conſueviſſe ajens, *Pater Sancte, non videbis dies Petri.* Sed eam nec in Canonibus, nec in pervetuſtis Ceremonialibus reperiri, contendunt Macri Fratres. Uſus verò ſpargendi ad Lateranum monetas, in Pontificis inauguratione, antiquus eſt, ut idem probatum eunt, ex Baronio, *ad A. C.* 867. *num.* 143. & 144. Plura hanc in rem facientia, vide apud præfatos Fratres, Dominicum & Carolum Macros *Hierolex.* in voce *Papa.*

PONTIFICALIA, Epiſcopalia ornamenta. veſtimenta. *Chronicon* Montiſſereni A. C. 1222. *Quod etiam ſuis viribus majus tentare auſus eſt, videlicet ut ei* Pontificalibus *uti Papa permitteret.* Nam & Epiſcopos olim *Pontifices*, imò *Pontifices* ſeu *Sacerdotes ſummos*, dici conſueviſſe, docet & Car. du Freſne ex *LL.* Wiſigothorum, Longobardorum, *Capitul.* Caroli M. *veter. Formulis* & Baronio ad A. C. 397. *num.* 61. In ſpecie ſic dicuntur, quibus ipſe Pontifex Romanus utitur, de quibus aliquid ſuperiùs; addemus hic quædam alia. Indumenta Bonifacii VIII. cujus ſepulchrum detectum eſt A. C. 1605. talia erant; ut inter alia refert Joh. Mucantius, apud Torrigium *p.* 373. *Vidi*, inquit, *dictum corpus integrum conſervatum in dicta capſa lignea, in qua fuerat ſepultum per* 302. *annos: facies tantùm ejus aliquantulum conſumta erat, ita ut nec nares, nec labia, ſed tantùm mentum appareret* & *dentes. Habebat in capite mitram albam admodum parvam*, &, *ut conjecturare potui, ex tela bombacina; corpus indutum erat omnibus pon*tificalibus *indumentis, i. e. caligis, ſandaliis ex tela aurea, in ſummitate acutis, ſine cruce, rochettô longô albô, ſtolâ, cingulô, dalmaticâ tunicellâ, planetâ amplâ ſericeâ coloris nigri, phanone & palliô, quod conſumtum erat: ſed plumbum apparebat & pendebat ferè uſque ad pedes, ſpinulæ tres gemmatæ, manus ejus chirothecis albis acu factis & margaritis ornatæ erant & annulum pretioſum digitô geſtabat, atque zaphirum valoris* (*ut dixerunt aliqui*) 30. *ſcutorum* &c. Quoad reliqua Papæ indumenta, vide hic paſſim, in vocibus *Birrus, Camelaucium, Campagi, Cappa, Cingulum, Crocea, Epignonation, Mandyas, Orale, Pedules* &c. & de his omnibus fuſe agentes Macros Fratres in *Hierolex.* Non induitur autem Pontifex ſandaliis, ſubcinctoriô, chirothecis & fanone, die Veneris ſanctô. De *Pontificali* ornatu Sacerdotis Summi Hebræorum, dicemus *infrà.*

PONTIFICALIS Dignitas, in V. Teſtam. certæ familiæ fuit adligata. Et quidem primus Hebræorum Pontifex fuit, ex tribu Levi, frater Moſis: cujus duo filii *Eleaſar* & *Ithamar*, binas conſtituerunt familias Sacerdotales, quarum prior tantùm *Pontificalis* fuit. Numer. *c.* 20. *v.* 28. *Et exuens Moſes Aaronem veſtibus ipſius, induit eis Eleazarem filium ipſius. Et mortuus eſt Aaron ibi in vertice montis.* Turbata autem poſteà ſucceſſio hæc videtur, cùm Heli Pontifex Ithamarides fuiſſe credatur. Sed poſteri ejus Pontificatu rurſus exciderunt, Salomonis tempore, per Abjatharem: eôque amotô, ad veterem ſtirpem honor iſte poſtliminiò rediit, per Zadocum Eleazaridem, 1. Regum, *c.* 2. *v.* 26. Poſt captivitatem dein Babylonicam, iterum hîc aliquid turbatum, cùm, *Ducum* extinctô nomine, qui priùs præfuerant, *Pontificatus* non quidem ad aliam familiam tranſlatus, ſed cum Principatu primùm, exin cum Regno, præter divinam inſtitutionem, conjunctus eſt. Liberatô enim ab Antiochi tyrannide populô, Alcimôque mortuô, populus ſui juris factus. Judæ Maccabæo, filio Mathatiæ Sacerdotis, è ſtatione ſeu claſſe Sacerdotali Joaribi, 1. Chronic. *c.* 24. *v.* 7. & 1. Maccab. *c.* 2. *v.* 1. *Pontificatum* tradidit; quô cùm per quadriennium functus eſſet, fortiter vendicans jura patria, infelici in prælio cecidit, Pontifex idem & Princeps. Ei ſucceſſit Jonathas primò, inde Simon, ambo fratres ejus: poſteà Simonis filius Joh. Hyrcanus, idem ſimul Pontifex & Ethnarcha; cujus fil. Ariſtobulus, miſſô Principis nomine, Regium uſurpavit, Aſmonæorum Principum, qui omnes Principes ſimul Pontificeſque fuêre (quod poſterius illorum munus legitimum planè fuit, non interruptâ per eos legitimâ Pontificum ſucceſſione) ultimus. Exceperunt itaque Principes Maccabæos, ejuſdem familiæ Reges, qui *Pontificatum* cum Regno retinuerunt, uſque ad Hyrcanum Alexandri Jannæi Regis ex Alexandra, filium; cui Pompejus, à fratre Ariſtobulo pulſo, Pontificatum & Ethnarchiam reddidit. Sed paulo pôſt, ab Herode, Aſmonæi ſtirpitus ſublati ſunt, poſtquam Pontificatus & Principatus in eorum domo hæſiſſet per 130. circiter annos. Franc. Burmannus, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 38. Cæterùm, ut quædam hîc, de *Pontificali* apud Hebræos dignitate ac prærogativa, adſpergam, *Pontifex* Max. eorum extra Synedrium Magnum judicari non potuit, uti legitur in Miſna, *tit. Sanhedrin, c.* 1. quod ad capitales cauſas nonnulli reſtringunt, dictitantes, in pecuniariis cum Triumvirali (ſeu, ut volunt aliqui, Vigintiuniusvirali) foro, ut privatum quemlibet, ſed non ſine temperamentis aliquot, ſubfuiſſe: Inter quæ illud inprimis erat, quòd pro lubitu Procuratorem (quem אנטלר *Entolor* vocabant) ipſi conſtituere licebat; neque ipſe in jus vocatus ſe ſiſtere cogebatur, ut alia omittam. Interim tanta ejus apud omnes fuit ſanctitatis opinio, ut ab actionibus quibuſcunque in eum inſtituendis judiciiſque ferendis abſtinentiores eſſent, neque temerè is à quoquam in jus raperetur. Hinc nec ad juramenta forenſia aliave præſtanda adigebatur, niſi Regi Iſraëlis in jus vocato

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cato teſtimonium ejus prodeſſe poſſet: quemadmodum de Flamine apud Romanos Diali idem in uſu fuiſſe, legimus apud Gellium *l.* 10. *c.* 15. Neque alii conſtituebant *Pontificem*, quàm Synedri LXXI. quorum etiam ſolorum erat controverſias, circa *Pontificum* ſucceſſionem obortas, decidere. Eundem autem, ſi ritè conſtituendus eſſet, ajunt debuiſſe eſſe *præſtantiorem cunctis fratribus ſuis Sacerdotibus in decore, in viribus, in divitiis, in ſapientia & in vultu*, Maimonid. *Halach. Celi hammikdash, c.* 5. §. 1. Et habebat Vicarium סגן *Segen* vocitatum, ſub cujus poteſtate, quantum ad functiones præſtandas, cœteri omnes Sacerdotes ſuberant: quippe & ipſe habebat binos aut plures *Cathicolos*, qui vicarii ejus erant, ſicut is Pontificis. Quos omnes ſimiliter Synedrium M. conſtituebat; quod etiam ſimul creabat *Amarcalos* minimùm ſeptem, i. e. Oſtiarios atrii Templi, quod nec aperire fas erat, niſi cuncti ſimul adeſſent. Sed & his ſuberant tres minimùm rerum ſacrarum Quæſtores, Hebr. dicti גיזברין. Vide Seldenum *de Synedriis Veter. Hebr. l.* 3. *c.* 8. Nec omittendus ritus, quô ſacra diſciplina à Synedrii M. delegatis aliquot Pontifici Max. paulo ante feſtum Expiationum, menſe *Tiſri*, ſequiori ævô, quotannis tradi ſolebat. Stante nempe Templô primô, qui in *Pontificatum* ſucceſſêre, Viri erant adeò doctrinâ ac pietate præſtantes, ut ſuum ſatis, absque Synedrorum ope, plerumque munus præſtare edocti eſſent. Sub Templo autem ſecundo, cùm ſeptiduô ante Feſtum præſatum, ex more vetuſtiſſimo, Pontifex, ut tanto ſacrificio in univerſi Populi expiationem peragendo, quotidianâ conſeutudine, magis idoneus redderetur, ſe à domo ſua & uxore ſeparatus, in Templi Conclave פלהדרין dictum, receperat (quoniam tum ſæpe ſacrorum imperiti eò dignitatis evehebantur) mos erat, ut Synedri aliquot à Synedrio M. delegati, dierum illorum quôlibet ei prælegerent totum munus ejus, in die illo magno expediendum, quemadmodum in Levitico præſcriptum eſt. Etiam imperabant ipſi, ut lectione ipſe aſſueſceret iteraretque, ne quid rituum inſciens fortè prætermitteret, rituumque formulas eum docebant: Nam & eô die omnigena ſacrificia ab ipſo ſolo offerenda erant. Manè dein diei Paraſceves, conſtituebant eum in porta Templi Orientali, & tranſire faciebant coram illo juvencos, arietes, agnos, ut inde mactandi formularum memoriam firmaret. Eôdem die tradebatur Senioribus aliquot è Sacerdotibus, qui thymiamatis eum edocerent ritum, ſed non ſine juramento, de thymiamate in Sancto Sanctorum ritè offerendo, ab eo præſtito Senioribus, à Synedrio delegatis, &c. Deducebatur autem è domo ſua in Templum ſplendidiſſimâ pompâ annuâ, comitante Synedrô M. ſimul cum Rege & Sacerdotum choro, & quidem ſeptem diebus ante edictum Expiationis feſtum, apparari ſolebant, in domo illius urbana, ſellæ *Patri Synedrii & Principi & Pontifici Max. & Segeni, & Regi, & præter has ſeptuaginta argenteæ ſeptuaginta Synedris. Et qui natu major ex Sacerdotibus erat, aſſurgens ſermocinabatur coram eo* &c. ſalubria ei de inſtante officio monita ingerens, promittente Pontifice, cuncta ſe præſtiturum ritè: quô factô Rex eum ſermone demulcebat mitiore, nec ſine magnis promiſſis, poſtquam è Templo eſſet reverſus. Proclamabatur dein, *Pontifex Max. jam ad Conclave ſuum in Templo.* Tum primò, *ibant ante eum ex Regibus Iſraëlis oriundi, quoniam quisque ut Pontifici propior erat, locô incedebat honoratiore.* Et poſt eos, omnes ex Regibus domûs *Davidicæ* ——— præcone exclamante ante eos, *Tribuite honorem domui Davidicæ.* Sequebatur familia Levi, nec ſine præconio parili, *& primores eorum cuncti veſtibus induebantur hyacinthinis, ex ſerico, & Sacerdotes candidis etiam ex ſerico* ואחריהם, *& poſt eos Cantores & poſt eos, inſtrumenta Muſica pulſantes, & poſt eos tibicines & poſt eos Janitores, & poſt eos ſuffituum curatores, eôdemque ordine aulæorum textores, Cuſtodes templi, Quæſtores, Bibliothecæ Præfecti & poſt eos omnes Artifices ſacri, & poſt eos Septuaginta Synedri, & poſt eos centum Sacerdotes, manibus habentes virgas argenteas, ut viam faciliorem redderent. & poſt eos Pontifex Maximus, & poſt eum omnes Presbyteri generis Sacerdotalis bini.* Ut quidem, apud Seldenum præfatum *c.* 11. §. 7. tradit Salomon Ben. Wirga, in *Sepher Sephat Jehuda fol.* 45. 1. & 2. in verſione Georgii Gentii *p.* 282. &c. Plura infrà in *Sacerdos ſummus* it. voce *Sanctuarium.*

PONTIFICIUM, titulus honorarius, quo Pontifex ſeu Epiſcopus compellabatur olim, Avitus Viennenſis, *Ep.* 15. *Probatæ ſummæque pietatis eſt, ut de cauſis ad* Pontificium *veſtrum pertinentibus, meum quoque conſilium conſulendum eſſe ducatis.* Occurrit non ſemel in *Epiſtolis* Nicoli I. Johannes VIII. & aliorum; item in *Actis* Synodi Romanæ, A. C. 853. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Macros Fratres, *Hierolex.* & ſupra in voce *Pontifex Aquarum.*

PONTIFICIA Ditio, ſeu *Status Eccleſiæ*, *Stato della Chieſa* Italis, *l' Eſtat d' Egliſe* Gallis, pars eſt Italiæ, à ſeptentrione in meridiem protenſa per 240. milliaria, nempe à caſtro *Francolino* in Ferrarienſi Ducatu Terracinam usque. Ejus autem major latitudo nempe à Centumcellis Anconam uſque eſt 120. milliarium. Sed multò minor eſt in aliis locis, præſertim in Romandiola, ubi valde reſtringitur, inter Hetruriam & mare Adriaticum; ſubeſtque dominio Romani Pontificis. Terminatur hæc ditio à meridie mari Tyrrhenô, ab ortu regnô Neapolitanô, ab occaſu Hetruriâ & Ducatu Mutinenſi, à ſeptentrione autem mari Adriaticô & dominiô Venetô. Ejus partes ſeu provinciæ ſunt Campania Romana, *la Campagna di Roma*, provincia Patrimonii S. Petri, *la provincia del Patrimonio di S. Pietro*, Sabina, *la Sabina*, Ager Orvietanus, *il territorio d' Orvieto*, Ager Peruſinus, *il territorio di Perugia*, Umbria, ſeu Ducatus Spoletanus, *l' Ombria*, Marchia Anconitana, *la Marca d' Ancona*, territorium Civitatis Caſtelli, *il territorio di Città di Caſtello*, Ducatus Urbinas, *il Ducato di Urbino*, Romandiola, *la Romagna*, Ager Bononienſis, *il Bologneſe*, & Ducatus Ferrarienſis. *il Ducato di Ferrara*, Subſunt etiam dominio Romani Pontificis Avenio & Comitatus Vindaſcinus in Gallia; *le Comtat Venaiſſin*, uti Beneventum in regno Neapolitano, cum ejus territorio alias peramplo, ut liquet ex diplomate Clementis VI. Pontificis Romani A. C. 1350. ſed nunc ab Hiſpanis valde reſtringitur. Totius ditionis Pontificiæ urbs præcipua eſt Roma, *Roma*, quæ Italiæ caput. Crevit autem maximè hæc ditio liberalitate Francorum Regum Pipini & ejus filii Caroli Magni, & donatione Ludovici Pii ejus nepotis. Sub Clemente VIII. Pontifice Romano, Ducatus Ferrarienſis rediit ad ditionem Pontificiam, uti etiam Ducatus Urbinas ſub Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano; deficiente maſculâ prole.

Pontificiæ ditionis urbes præcipuæ.

Ancona, *Ancona.*	Macerata, *Macerata.*
Ariminùm, *Rimini.*	Orvietum, *Orvieto.*
Aſculum, *Aſcoli.*	Peruſia, *Perugia.*
Bononia, *Bologna.*	Piſaurum, *Peſaro.*
Camerinum, *Camerino.*	Ravenna, *Ravenna.*
Faventia, *Faenza.*	Reate, *Rieti.*
Ferraria, *Ferrare.*	Roma, *Roma.*
Firmum, *Fermo.*	Spoletum, *Spoleto.*
Forum Livii, *Forli.*	Tifernum, *Citta di Caſtello.*
Fulginium, *Foligno.*	Viterbium, *Viterbo.*
Imola, *Imola*	Urbinum, *Urbino.*

PONTII de Leon, illuſtris Hiſpaniæ Familia, in Bætica provinc. floret. Initiô A. C. 1430. Petro *Pontio* Leonenſi, ex Dominis de *Marchena*, Comitis Metellini ſeu *Medellin* titulus datus; dein ille in Civitatem Arcuenſem (*de Arcos*) translatus eſt A. C. 1445. Ejus filiorum primus Johannes genuit Rodericum & Emanuelem, quorum ille Marchio *de Cadiz* creatus eſt, dein Dux *de Cadiz*, tum *de Arcos*: pater Franciſcæ, Ludovico *Pontio de Leon* Dn. de *Villagarſia* & Marchioni *de Zara* (filio Petri & Ludovici, Rodericô primô, ut dictum eſt, Comite nati, nepoti) nuptæ. In horum liberis Franciſcus poſteritatem habuit, in oppido *Xerez de la Frontera*: ſed major Rodericus Dux *de Arcos*, Marchio *de Zara* & Comes *de Caſares* ac reliquorum, in quos illi tituli propagati ſunt, fuit ſator. Iſte (Emanuel, Johannis alter filius) *Comes de Baylen* à Rege appellatus eſt; ſed A.C. 1618. ultimus ex ejus poſteris Petrus Comes *Baylen* improlis deceſſit: Unde ob ſucceſſionem controverſiæ ortæ. Reliquorum ſeries ita habet. Petrus *Ponce* ſeu *Pontius de Leon*, Dominus *de Villagarſia*, pater fuit ex Leonora (filia Laurentii Suarezii *de Figueroa*) Ludovici *Ponce de Leon*, Marchionis, *de Zara*: quô & Franciſcâ agnatâ genitus Rodericus *Pontius de Leon*, Dux *de Orcos*, Mariam ſibi junxit Gironam (Johanne Telleziô Girone, Comite Urenæ, defunctô A.C. 1528. genitam) atque ex ea ſuſcepit Ludovicum Chriſtophorum *Ponce de Leon* Ducem *de Arcos*, maritum Mariæ Toletanæ (filiæ Laurentii Suarezii *Figueroa* Comitis *de Feria*) & ex ea patrem Roderici I. *Ponce de Leon* Ducis *de Arcos*; cujus, ex ex Tereſia *Zuniga*, filius Ludovicus *Pontius de Leon* Marchio *de Zara*, è conjuge Victoria Toletana Columna (filia Petri *de Toledo Oſorio* Marchionis *de Villafranca*, Ducis *de Fernandina*) ſuſcepit Rodericum II. *Pontium de Leon*, Ducem *de Arcos* & Fratres. A.C. 1622. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part.* 2. *p.* 73. & *in Ind.*

PONTINA, melius. *Pomptina*, Volſcorum palus juxta Forum Appii; haud longè à Tarracina, diſtat ab urbe 25. mill. paſſ. quam Plin. *l.* 3. *c.* 5. non longè fuiſſe, à Circeis dicit, quem locum 24. urbium fuiſſe Mutianus ter Conſul prodidit. Lucan. *l.* 3. *v.* 85.

Et quà Pontinas via dividit uda paludes.

Martialis, *l.* 10. *epigr.* 74. *v.* 10.

Nec quæ paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi ſpectat uva Setini.

Idem, *l.* 13. *epigr.* 112.

Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia campos.

Exſiccata eſt à Corn. Cethego Conſule, cui ea provincia obvenerat, agerque ex ea factus, Liv. *Epit. l.* 46. Inſequentibus deinde ſeculis, iterum exſiccata à Theodorico Gothorum rege, ut ex ejus inſcriptione in eo loco cernitur. Latrunculorum autem fuiſſe ſedem Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 305. oſtendit:

Interdum & ferrô ſubitus graſſator agit rem;
Armatô quoties tuta cuſtode tenentur
Et Pontina palus & Gallinaria pinus.

Alii in Latio conſtituunt, quorum ſententiâ à Virgilio, *l.* 7. *Æn. v.* 801. *Satura palus* dicitur, ut putat ex Hermolao, *Erythræus.* Hodie *Auſente palude* vocari, ſcribit *Leander Albertus. Baudrando αὐτόπτῃ* erat palus Latii, ſeu Campaniæ Romanæ, hodie *Paludi Pontine*, quæ non exſiccata eſt, & vix exſiccari poteſt, propter amplitudinem ejus & plures amnes, in eam influentes. Extenditur enim inter Neptunium, Norbam, Sermonetam, Setiam, Privernam, Terracinam & oram maris Tyrrheni, & in eam fluunt Aſtura, Nymphæus, Ufens, Amaſenus, aliique minores. Per hanc tamen Trajanus viam ſaxô ſtravit ingenti ſumptu, cujus adhuc reliquiæ viſuntur. *Nic. Lloydius.*

PONTINIACUM, pagus Galliæ cum cœnobio, in Diœceſ. Antiſſiodorenſi. Item oppid. Britanniæ minoris 8. leucis in Occaſum à Rhedonis, 4. à Joſſelino; *Pontigny.*

PONTINUS, vir fortiſſimus, laborum, periculorum, conſiliorum Ciceronis ſocius, ut ipſe teſtatur *de Provinc. Conſul. Modò ille meorum laborum, periculorum & conſiliorum ſocius Cn. Pontinus fortiſſimus ortum repentè bellum Allobrogum atque hâc ſceleratâ conjuratione excitatum, præliis fregit, eoſque domuit, qui laceſſierunt, at eâ victoriâ contentus, Republicâ metu liberatâ, quievit.* Vide *Pomptinus.*

PON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PONTINUS Aquila, cùm eſſet Tribunus plebis, triumphanti Cæſari, prætervectoque unus è collegis non aſſurrexit. Unde Cæſar indignatus: *Repete ergo*, inquit, *à me Aquila Rempublicam tribunus.* Et per aliquot dies nihil cuiquam pollicitus eſt, niſi ſub exceptione: *Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.* Conjuravit cum Bruto & Caſſio in Cæſaris necem, fuitque unus ex percuſſorum numero. Periit in conflictu Mutinenſi, Bruti Legatus. Sueton. *in Cæſare. c.* 78. Cicer. *ep. fam. l.* 10. Dio, *l.* 46.

PONTINUS, mons Argiæ, cum fluv. cognom. in Eraſinum labente, Pauſan. *l.* 2.

PONTIOPOLIS, vide *Fanum S. Pontii Tomeriarum.*

PONTISARA, ſeu *Pons ad Oeſiam*, *Pontoiſe*, urbs inſulæ Franciæ, in Vexino Francico in clivo, ad Oeſiam fluv. 6. leucis à Lutetia, in Circium, Rothomagum verſus.

PONTIUS, Vide *Claudius.*

PONTIUS, D. Cypriani Diaconus, & comes individuus, uſque ad ultimum ſupplicii diem, exilium cum ipſo ſuſtinuit, egregiô de ipſius vitâ & exitu volumine relictô. Hieron. *de Script. Eccleſ.* Honor. Auguſtod. *de lum. Eccl.* Item Martyr, in Gallia. Idem.

PONTIUS Aufidianus, Romanus civis, qui ubi reſcivit filiam ſuam à Fannio Saturnino pædagogo corruptam, utrumque morte punivit, Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *ex.* 3.

PONTIUS Fregellanus, ſtuprorum Albucillæ miniſter, decretô Senatûs amiſit ordinem Gn. Acerroniô, C. Pontiô Conſulib. Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 48.

PONTIUS Nicolaus, Vide *Nicolaus.*

PONTIUS Nigrinus, vide *Cajus.*

PONTIUS Teleſinus, prænomine *Lucius*, Philoſophus atque inſignis vir, collega in conſulatu C. Suetonii: ob artes egregias exulavit ſub Nerone.

PONTIVUS Pagus, *le Pontieu*, memoratus *in append. Chronici* Fredegarii, quum Ebroinum dicit, perſequentem Theodoricum Francorum Regem vel potiùs Leudeſium, Majorem Domus cjus, *Criſcecum villam in Pontio*, veniſſe: *Pontiva provinc.* Alcuino *de vita Rithaſii:* magna pars eſt veterum Ambianorum, inter Suminam & Altejam amnes jacens, Comitatûſque appellatione veteri nobilis. Unde rectè & Ludovicus & Carolus Franc. Reges *in Capitulis* ſuis pagum hunc cum Ambianenſi conjungunt. Minùs rectè ſuſpicatur *Cluverius*, à *Pontibus* in Æthici *Itiner.* memoratis & oſtio Atejæ proximis, nomen ei datum; quum nomen *Pontivi* pagi vel *Pontiu* Gallicum ſit, uti *Tellau* & *Vitmau*, atque à Pontibus, *Pontinus*, vel *Pontanus* potiùs, quàm *Pontivus* fieret. In eo Haimonem Ducem, ſedem habuiſſe, diſcimus ex *lib. de Vita S. Jodoci* & *B. Furſei*, unde colligere eſt, idem huic pago, quod Campaniæ Gallicæ contigiſſe, ut de Ducatu poſteà Comitatus fieret. Hodie corruptè *Ponticum* dicitur, quod vide, & plura de eo, apud Hadr. Vales. *Notit Gall.* in voce *Pontivus pagus.*

PONTONARIA, in Monaſteriis, præpoſitura ſeu officium fuit, cui *pontaticorum* ſeu *pontagiorum* (uti recentior ætas vectigalia in *pontium* tranſitu exigi ſolita appellavit) recipiendorum cura incumbebat. Ejus meminit Innocentius *III. l.* 13. *Ep.* 55. apud C. du Freſne *in Gloſſar.* & Macros in *Hierolex.*

PONTONES, locus Galliæ. à pontonibus nomen habens, proximus aquis Tarbellicis, ad fluv. Aturrum, vulgô *Ponton.* Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

PONTONES, apud Cæſarem, *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 29. genus Gallicarum navium, quæ cum onerariis eædem, vide Goveanum, *Var. Lection. c.* 26. Meminit earum Iſidorus quoque, *l.* 19. *c.* 1. cui *Pontonia* dicuntur, *navigia fluminalia tarda ac gravia, quæ non niſi remigiô progredi poſſint*, &c. Præſertim autem earum uſus fuit, in trajiciendis fluminibus. Paulus *in l.* 38. *ff. de ſervit, ruſt. præd. Diverſum, ſi* pontonibus *trajiciatur*; Et infrà. *Quia via conſummari ſolet, vel usque ad civitatem, vel uſque ad viam publicam, vel uſque ad flumen, in quo* pontonibus *trajiciatur*, Spiegelius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Cujuſmodi navigia hodie *Bacs* Gallis appellantur, quæ pontis vicem præbent, &c. Sed aliud vox ſonat apud Baudovin. in *Vita* S Radegundis, *c.* 10. ubi de miraculoſo vini augmento ſic dicitur: *Ubi vinum novum advenit, quod cellarium implevit, ſe tonella ſatisfeciſſe credidit; antè* pontones *& tonnæ defecerunt, quàm hæc, quæ beata in omnibus fecit voluntatem.* Hic enim *Ponto* dolii ſpecies eſt, fortè ex Gall. *Bonçon.* Car du Freſne *Gloſſar.* & Macri Fratres *Hierolex.*

PONTREMULUM, pernobile ac opulentum oppid. Thuſciæ, in radicibus Apennini.

PONTUS, regio Aſiæ minoris à *Ponto* Rege ſic dicta, ab Occidente Haly fluviô, ab Oriente Colchide clauſa: à Meridie minori Armeniâ, à Septentrione mari Euxinô terminata, *Strabo.* Ptolemæus verò, *l.* 5. paulo aliter: *Pontus*, inquit, *ab occaſu ore Ponti, & Thraciô & Boſporô, à Meridie regione, quæ propriè Aſia dicitur: à Septentrione parte maris Euxini terminatur.* Eſt autem hæc regio in qua floruit Gamba Epiſcopus A. C. 175. & Eccleſia inſigniter, ſub Diocletiano, cum aliis, preſſa fuit, venenorum in primis ferax, unde & fabula de Medeæ veneficiis locum videtur arripuiſſe. Virgil. *Ecl.* 8. *v.* 95.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipſe dedit Mœris; naſcuntur plurima Ponto.

Veneni quoque Pontici, & herbarum Ovidius quoque meminit. Seneca *in Herc. Oet. Actu* 2. *v.* 465.

Quas Pontus herbas generat aut quas Theſſala.
Sub rupe Pindus? — —

Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 58.

— *Viroſaque Pontus*
Caſtorea. — —

Hinc *Ponticus.* Ovid. *de Nuce*, *v.* 165.

Sic, ubi detracta eſt à te tibi cauſa pericli,
Quod ſupereſt, tutum, Pontice Caſtor, habes.

PONTUS, vide *Ponticum.* Item pagus Geldriæ, *Pont*, apud Geldriam urbem. Item, fluv. Macedoniæ, Sintiam urbem alluens, haud longè ab Heraclea urbe, quæ *Sintica* dicitur, *Steph.* Item, regio Europæ, pars Myſiæ inferior. itidem ad mare Euxinum. Ovid. *l. de Ponto.*

PONTUS, totum illud mare quod à palude Mœotide uſque in Tenedum protenditur: Sed ubi primum ſe arctat, à Tenedo incipiens, à caſu *Helles* vocatur *Helleſpontus*; ubi ſe expandit, *Propontis*, ubi iterum arctatur *Thracius Boſporus*, ubi autem latè diffunditur Pontus Euxinus; qui curvatus in figuram Scythici arcûs committitur oſtio Mæotidis paludis, idque oſtium *Cimmerius Boſporus* vocatur. Figuratè autem pro quovis mari ponitur.

PONTUS item mare multiplex, *Ptolem. Galaticus*, qui Paphlagoniam alluit; *Polemoniacus*, qui qui partem Cappadociæ, poſt Themiſcyram, in qua Polemonium urbs. *Cappadocius*, qui reliquam Cappadociæ oram, in qua Ceraſus & Trapezus, quæ regiones *Juſtiniano Hellenopontus.* Vel tres ſunt Cappadociæ partes.

PONTUS Cappadocius, *Ptolemæo* eſt pars Cappadociæ verſus Colchidem. Arrianus *in Periplo maris Euxini*, vocat eam Thiannicam, cùm ſcribit Ophim fluvium Thiannicam regionem à Colchide dividere. Olim ſub Regibus, quarum primus Mithridates I. fuit, quem vide *Nicol. Lloyd.*

PONTUS Euxinus, vide *Axenus. Mare Cimmerium* vocat *Oroſius*, *Caucaſeum* Apollonius, *l.* 4. *Mare Ponticum* nominant Horat. *l.* 3. *Carm Od.* 24. *v.* 4. & Plut. *in Pompejo & Eumenide*; *Ptol. mare Boreale*, & *l.* 4. ἀξιοθέατον, i. e. *maximè ſpectatu dignum* vocat. Pontum hunc veteres arcui Scythico comparârunt. Manilius, *l.* 4.

Euxinus Scythicos Pontus ſinuatus in arcus.

Dionyſius.

Ἐκ τοῦ δ' ἂν καὶ Πόντον ἴδοις διθάλασσον ἐόντα,
Τόρνῳ ἐειδόμενον περιηγέος ἄμματι τόξου.

Strabo: Εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Retro curvatus magnô litorum flexu in cornua utrinque porrigitur, ac ſi planè arcus Scythici forma.* Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 727.

Atque hâc Europam curvis anfractibus angit,
Hâc Aſiam, Scythicum ſpecie ſinuatus in arcum.

Lucanus, *l.* 8. *v.* 178.

Boſporon, & Scythiæ curvantem litora Pontum.
Spectamus. — —

Color illius albus eſt, unde Theocr. *in Dioſcuris.*

Ἀργὼ καὶ νιφόεντος ἀτυρτηρὸν στόμα Πόντου.

Quærit Ariſtoteles *in Problem.* Cur mare Ponticum candidius ſit, quàm mare Ægæum? Reſpondit, hoc ideo accidere, quòd lacus omnes mari ſint candidiores; jam verò Pontus, teſte Naſone, *l.* 4. *Ep.* 10. *ex Ponto*, *v.* 61.

— *Stagno ſimilis, pigraque paludi eſt.*

Quod itaque ab Appiano, & hodie à nautis *mare Nigrum* dicitur, non ad illius colorem, vel profunditatem, ſed cœli conditionem referendum eſt; unde *Pomp.* Pontum hunc ait eſſe nebuloſum, cui aſtipulatur Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 729.

Illic umbroſa ſemper ſtant æquore nubes.

Et *Apollonius*, Ἠερόεν στόμα Πόντου. Hujus aquam dulcem eſſe innuit Strabo, *l.* 1. Διὸ καὶ γλυκυτάτην εἶναι τὴν Ποντικήν. Ejus dulcedinis rationem aſſignant, cum eodem Strabone, ſcriptores omnes, concurſum ſcilicet plurimorum in Pontum ingredientium fluminum. Nec tamen exiſtimandum ὅλον δι' ὅλον, ut ita loquar, mare hoc dulce eſſe, ſed partem tantùm ejus ſupernam, infernam autem ſalſam. Ovid. *l.* 4. *Ep.* 10. *ex Pont. v.* 59.

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere ſuas.

v. 63.

Innatat unda freto dulcis, leviorque marina eſt;
Quæ proprium mixto de ſale pontus habet.

Baudrando Pontus Euxinus, vulgò *mer Noire*, ſeu *mer Majeur* Gallis, *mare Maggiore* Italis, Germanis *Schvvartz zée*, Græcis *Mauro Thalaſſa*, Turcis *Caradeniſi*, & Ruſſis *Zorno More*, eſt inter Mœſiam inferiorem & Thraciam ad occaſum, Aſiam minorem ad meridiem, Colchidem ad ortum, & Sarmatiam Europæam, & Sarmatiam Aſiaticam ad Boream. Ei jungitur palus Mæotis per Boſphorum Cimmerium ad Boream, uti & Propontis per Boſphorum Thracium ad auſtrum. Ejus autem partes ſunt mare Caucaſeum verſùs Sarmatiam, & mare Phaſianum verſùs Colchidem, uti etiam Carcinites ſinus: Et ejus major longitudo ab ortu in occaſum eſt 900. mill. paſſ. latitudo autem à ſeptentrione in meridiem eſt 300. mill. paſſ. circiter; vixque 400. mill. paſſ. diſtat ab ora proximiori maris Caſpii in occaſum, teſte Guil. Sanſone.

PONTUS Polemoniacus, acceſſit Imperio Romano ſub Nerone, unde huic pomœrio addendi jus quæſitum. Flav. Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 21. *Pomœrio autem nemini Principum licet addere, niſi ei qui agri Barbarici aliquâ parte Romanam Rempublicam locupletaverit. Addidit autem Auguſtus, addidit Trajanus, addidit Nero, ſub quo* Pontus Polemoniacus *& Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ.* Eſt autem pomœrium, *locus intra agrum effatum per totius Urbis circuitum, ponè muros regionibus certis determinatus, qui finem faciebat Romani auſpicii*, apud Gellium, *l.* 13. *c.* 14. Hoc, inquit Vopiſcus, nemini mutare aut ampliare licuit, niſi parte aliquâ Barbarici agri Imperio adjectâ. Unde in præcedentibus, Aurelianum quidem, *muros urbis Romæ dilatâſſe, nec tamen pomœrio addidiſſe*, ait, utpote qui nihil ex ſolo Barbarico Reip. adquiſivit: Nempe pomœrii terminos non niſi Augurum conſiliô (quorum erat effari determinareque fines, intra quos in Urbe auguria captarentur atque agerentur) moveri fas erat, idque ab illis ſolùm, ut dictum, qui Imperium auxiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

auxiſſent. ita ergo Aurelianus muros urbis dilatavit ut ambitus ille, quô urbem ampliavit, minimè intra pomœrii antiqui fines in agendo urbano augurio obſervaretur. Quemadmodum mons Aventinus, quæ pars urbis nec longinqua nec infrequens erat, diu extra pomœrium fuit, quòd in eo monte cùm auſpicâſſet Remus, irritas aves habuerit, donec à Claudio receptus tandem & intra pomerii fines obſervari cœptus. Similiter Antoninum Caracallam, ſub quo urbem ampliatam eſſe *acceſſione viæ Novæ* ſcribit *Victor*, pomœrium novis regionibus terminâſſe atque ampliâſſe, non dicunt Auctores. *Pontô* ergo *Polemoniacô* Rom. Imperio additô, pomœrio addidit Nero, cujus moris etiam Tacitus meminit *l.* 12. *Annal. c.* 23. *Pomerium auxit Cæſar more priſcô: quô iis, qui protulère Imperium, etiam terminos Urbis propagare datur.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. l.c.*

POP. in notis Antiquis *Populus*.

POPÆ, Miniſtri ſacrorum apud Romanos, qui hoſtias victimaſque ligabant, ac cultrum, aquam molamque parabant, & reliqua ſacris neceſſaria laureatique & ſuccincti, atque ad ilia uſque nudi eas ante aras deductas feriebant. Unde Sueton. *Calig. c.* 32. (vide ſuprà *Livius*) *Admotâ altaribus victimâ ſuccinctus* Poparum *habitu cultrarium mactavit.* Et Spartian. *Getâ, c.* 3. *Percuſſit hoſtiam Popa.* Non enim victimam jugulabat ipſe Sacerdos, ſed *Popa*, ſeu Victimarius, qui victimæ adſtans, ſubinde dicebat, *Agon'?* id eſt, *Agone?* Seneca, *Controv.* 11. *l.* 2. *Filius cervicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde reſpiciat ad patrem, & dicat,* Agon', *quod fieri ſolet victimis.* Unde Agonali Feſto nomen, uti quidem videtur Ovidio, *Faſtor. l.* 1. Sic & apud Iſraëlitas Levitæ Paſchales agnos jugulabant, ſanguinem verò ſpargebant Sacerdotes, 2. Paralipom. *c.* 30. *v.* 17. & *c.* 35. *v.* 10. 11. *Popâ* verò victimam jugulante, alius vaſe ſanguinem excipiebat, quod Atticis σφάγιον dictum, Homero, *Od.* γ. *v.* 444. ἄμνιον, Latinis *patera* &c. Quia autem *Popæ* hoſtiarum viſceribus probè ſe curabant, hinc guloſi habiti, & *Popa venter* Perſio, *Sat.* 6. *v.* 74. dictus eſt popino ſeu helluo. Eorundem fraudes, quibus non raro factum, ut victimis mactatis modò cor, modò caput extorum, aut neſcio quid aliud deeſſet, ad *Athen.* obſervavit Caſaubon. pluribus; Vide quoque Cicer. *de Divin l.* 2. & Hadr. Turneb. *Adverſar. l.* 18. *c.* 5. & *l.* 30. *c.* 7. nec non infrà, voce *Victimarii.* Vocis originem quidam *ex popina* per ſyncopen; alii *ex Papa*; nonnulli ex voce Græca πόποι, quæ Dryopum linguâ *Dæmones Deoſque* notat; quidam ex πέπτω, i. e. *coquo*; vel πόπανον, i. e. *placenta*, quæ cum bove immolabatur, arceſſunt, ut præter Auctores laudatos, videre eſt apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 31. &c. Græcè Θύτης, quô nomine Julianum Imperatorem velut *ſacricolam*, per contemtum, notatum eſſe ab Antiochenis, docet Amm. Marcellin. *l.* 22. idem ſui quoque tribuit *Pierius.* Vide & infra *Sus alba.*

POPAJANA, vulgo *le Popayan*, regio ampla Americæ meridionalis, in Terra firma, versùs montes. Dicitur ab Hiſpanis *Governacion de Popayan*; eſtque inter mare Auſtrinum ad occaſum, Peruviam ad auſtrum, regnum novum Granatæ ad ortum, & Gubernium Carthagenæ novæ ad Boream; eſtque à ſeptentrione in meridiem extenſa. Ejus caput eſt Popajanum, *Popajan.* Aliæ urbes ſunt Fanum ſanctæ Fidei de Antiquaria, *Santa Fé d' Antequera*, Caramanta, *Caramanta*, Arma, *Arma*, Fanum ſanctæ Annæ de Anzerma, *Santa Anna de Anzerma*, Cartago, *Cartagena*, Calium, *Cali*, Amaguera, *Amaguer*, Timana, *Timana*, Paſtum, *Paſto*, & Agreda, *Agreda*, ſub Hiſpanis.

POPAJANUM, vulgò *Popayan*, urbs Americæ meridionalis, provinciæ cognominis caput, & Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo ſanctæ Fidei, juxta fluvium ſanctæ Marthæ & versùs ejus fontes in mediterraneis, 140. mill. paſſ. ab ora maris Auſtrini in ortum.

POPANIUM, urbs Tyrrhenorum. Ariſtot. *in Mirabilibus.*

POPELLUS Tunicatus, apud Horatium, *l.* 1. *Ep.* 7. *ad Mæcenatem, v.* 65.

Vilia vendentem tunicato *ſcruta* popello:

eſt quæ *tunicata plebs*, Auctori *de Cauſis corr. eloq. c.* 7. alibi *pullata turba*; quòd, qui de infima plebe erant, tunicas ſine togis, & quidem pulli coloris, geſtarent. Quemadmodum *tunicatam* Carthaginenſium *juventutem Ennius* dixit. *Varroni* laudatus, apud *Nonium*, quòd nec Pœni pallium ſupra tunicam haberent amictui. Ita enim in Plauti *Pænulo, Actu.* 5. *ſc.* 2. *v.* 16. ſervus, advenientem Hannonem tunicatum conſpicatus,

Sed quænam illac, ait, *avis eſt, quæ huc cum tunicis*
advenit?
Numnam ita balneis circumductus pallio?
Facies quidem adepol Punica eſt.

Aſſimilans eum homini, qui pallium in balneis amiſerit, & cum ſola tunica domum ſe recipiat &c. Sed & in municipiis vulgò tunicati Romani, qua de re nos ſuô locô. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio.*

POPERINGA, urbecula Flandriæ, inter Hypras ad Ortum & Caſletum ad Occaſum, 2. leuc. ad amnem cognominem ſub Hiſpanis.

POPFINGA, vel *Bopfinga*, urbecula Imperialis, in ea parte Sueviæ, quæ *Rieſſ* dicitur, ad fluv. *Eger.*

POPIELUS, Poloniæ Rex, poſt patrem, Leſcum IV. A.C. 816. Obiit quinquenniô pôſt, relictô Filiô cognomine, qui à muribus cum tota familia, ob ſævitiam, devoratus legitur. Ei à Polonis Piaſtus ſurrogatus eſt, A. C. 842. Cromer. *Hiſt. Polon.*

POPILII, à *Pompiliis* diverſi leguntur; quorum princeps *M. Popilius*: qui cùm Conſul eſſet, eôdemque tempore ſacrificium publicum cum lænâ faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione nunciatâ, ut erat lænâ amictus, ita venit in concionem, ſeditionemque cùm authoritate, tum oratione ſedavit, Cicer. *in Bruto, c.* 14. Hic etiam 2. Conſul cum M. Fabio Ambuſto factus, Tiburtes bellô vicit, agris eorum vaſtatis. Duabus quoque aliis vicibus Conſul fuit; ſæpiuſque circa An. 404. Urb. Cond. Gallos fudit, abſente per morbum Corn. Scipione Collegâ. Livius, *l.* 9. *c.* 21. *l.* 7. *c.* 12. 16. 17. 23. Val. Max. *l* 7. *c.* 8. *ex* 9. Vellej. Paterculus, *l.* 1. *c.* 10. &c.

POPILIUS, legatus ad Antiochum, qui Ptolemæum Regem amicum populo Romano obſederat, miſſus nunciatum ut à ſociis populi Romani abſtineret, cunctantem verò reſponſumq; differentem virgâ circumſcripſit, ne ultra ſpatium illud differendo exiret: ex quo territus Antiochus bellum omiſit. Liv. *l.* 45. *c.* 12. & Val. Max. *l.* 6. *c.* 4. *ex.* 3.

M. POPILIUS, à Numantinis, cum quibus pacem factam irritam cenſuerat, cum exercitu fuſus, fugatuſque eſt, Liv. *Epit. l.* 55. Hic deinde, ob rem ſuâ culpâ malè geſtam, in exilium eſt actus. Vide & *Marcus.*

C. POPILIUS Lænas, Ciceronem occidit, patronum ſuum in cauſa capitis, Val. Max. *l.* 5. *c.* 3. *ex* 4. Vide *Cajus* It. *Publius.*

POPILLIA, aliter POPLILIA, POBLILIA, PUBLILIA, una ex tribubus veteris Romæ, unde nomen acceperit, non adeò liquet. Apud *Feſtum* quidem, ubi de ea loquitur, ſic legendum cenſet Joſ. Scaliger, *Popillia una triginta quinque Tribuum, tot enim fuerunt, dicta à Popillia felici nomine. A quo & Tribus Pinaria, à ſororis ejus nomine.* In quæ verba Scaliger, *Non dubium eſt*, inquit, *Feſtum ita ſcripſiſſe. Nam quid manifeſtius, quàm à Popillia fœmina dictam eſſe tribum; cujus nomen auſpicatiſſimum habebatur ac bona ſcæva, ut tunc loquebantur.* De eodem *P. Diaconus*, *Popillia*, ait, *Tribus a progenitrice traxit nomen.* Carolus verò Sigonius, an à loco, an à viro dicta fuerit, dubitat. Onuphrius à loco, qui fortè in Volſcis prope Pontinam fuerit, nomen accepiſſe, contendit. Undecunque autem appellata ſit, Tribus certè fuit, cujus præter Livium, *l.* 7. *c.* 16. & Feſtum, meminit Val. Max. *l.* 9. *c.* 10. *ex* 1. his verbis: *Quam ob cauſam* Popillia *Tribus, in qua plurimum poſteà in civitatem recepti potuerunt, neminem unquam Candidatum Pollia Tribus Magiſtratum fecit.* Vide Roſin. *Antiqq. l.* 6. *c.* 15.

POPINA, an ex POPA; an ex POPANUM, quòd ibi popana venum exponantur aut recondantur; an ex *coquina*; an potiùs à πίνω, i. e. *bibo?* in ædibus Principis fuit, uti legimus apud Jul. Capitolin. *in Vero, c.* 4. *Siquidem tantæ luxuriæ fuiſſe dicitur, ut etiam, poſteaquam de Syria rediit,* popinam *domi inſtitueret, ad quam poſt convivium Marci divertebat, miniſtrantibus ſibi omni genere turpium perſonarum.* Alias in viis, è quibus dapes propè crudas nonnunquam immoderatæ ingluviei helluones rapuiſſe, docet Sueton. apud quem, *c.* 13. Vitellius, *homo non profundæ modò, ſed intempeſtivæ quoque ac ſordidæ gulæ, ne in ſacrificio quidem unquam, aut itinere ullo, temperavit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus & farra penè rapta è foco mandere, circaque viarum popinas fumantia obſonia.* Cujuſmodi ventres ferit illud Simonidis, quod tandem in proverbium ceſſit,

Ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλὰ καταισθίει,
Nondum immolata ſacra ſæpe devorat.

Proinde in Heſiodo, inter alia præcepta, quæ ad mores pertinent, hoc quoque habetur *in Oper. v.* 746.

Μηδ' ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων ἀνελόντα
Ἔσθειν.
Neque ab ollis nondum ſacrificatis (cibum) *rapiens*
Comedito, &c.

Bochartus, *Hieroz. Part. I. l.* 2. *c.* 50. Vide quoque infra *Semicocta.* Erant autem *Popinæ*, ut & fornices, ſub Ædilium cura, & proptereà *loca Ædilem metuentia* dicuntur Senecæ, *de Vita Beat. c.* 7. Vide Lipſium, *ad Tacit Annal. l.* 2. *Excurſ. ult.* Hinc *Popinarius*, qualem ſe inter alia pinxiſſe Heliogabalum, refert in ejus *Vita, c.* 30. Æl. Lamprid. *Pinxit ſe ut Cupediarium, ut Seplaſiarium, ut* Popinarium, *ut Tabernarium, ut Lenonem idque totum domi ſemper exercuit*, i. e. omnia, ſeu omnes illas artes, Caſaubonus *ad l.* Contra *Popinarios* verò ſententiam dixit Alexander Sever. Imperator apud Eund. *c.* 49. *Quum enim Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupâſſent, contra* Popinarii *dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe ut quomodocunque illic Deus colatur, quam* Popinariis *dedatur*, &c.

POPLES, quod *poſt plicetur*, ſeu curvetur, Græcè καμπὴ, it. ἰγνύον, & ἰγνύη, poſterior genu pars, cum genu non raro confunditur, quod proin ſuprà vide. Adde hîc ſaltem; *poplite nudô cruribuſque ac ſuris* incedere, in gentilitio more Gothos olim habuiſſe, ut ſuprà innuimus voce *Pero.* Quod Arnobius in Romanis velut luxus indicium, carpit, *adv. Gentes l.* 2. *cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique aliô cultu vigorem virilitatis & exponere & in habitum fœminarum delitiaſque molliri.* Ad quem *loc.* Heraldus Varronis in *Meleagris* iſta laudat, *Non modò ſuris apertis, ſed penè natibus apertis, ambulans.*

POPLICANI ſeu POPULICANI, item, POBLICANI ac PUBLICANI, Hæretici, è Manichæorum ſecta orti, qui Græcis Παυλικιανοὶ, Latinis Scriptoribus *Pauliciani*: ſic appellati à *Paulo* Samoſateno, hæreſeos auctore; ſive à *Paulo* & Johanne, ut obſervavit Car. du Freſne *ad Alexiad. p.* 421. *Poplicani, Hiſtor. Vezeliac. l.* 4. *p.* 644. qui *Pauliani*, apud Liberatum Diac. *c.* 2. & eundem Auctorem *Prædeſtinati.* Ita porrò Franci Manichæos appellârunt, qui Franciæ Regnum aliquandiu, maximè in Aurelianenſi provincia, ſub Roberto Rege erroribus ſuis coinquinârunt, de quibus *Geſta* Synodi Aurelianenſis. A. C. 1017. edita *Tom. II. Spicilegii* Acheriani & *Excerpta* ex Tabulario S. Petri Carnot. edita à Labeo, *Tom. II. Miſcellan. p.* 562. Eadem poſteà appellatio Valdenſibus aſperſa, quòd quædam è Manichæorum doctrina, quædam ex Origenis erroribus, plurima etiam de ſuo confinxiſſe dicerentur, ut legimus, in Magno *Chron.* Belgico, A. C. 1208. Certè duo illos principia agnoviſſe ſcribit Ermengardus contra *Valdenſes, c.* 2. à quo tamen crimine eos fuiſſe immunes, alii tradiderunt. Crebra autem *Populicano-*

canorum mentio eſt, apud Albericum in *Chron. MS* A. C. 1148. in *Chron.* Vezeliacenſi apud Labeum, *Bibl. tom. I.* A. C. 1167. 1181. & 1198. in *Chron.* S. Mariani Antiſſiodor. A. C. 1181. & 1198. in M. *Chron.* Belgico A. C. 1147. & 1197. ex eodem Alberico, ut & apud alios Scriptores, quos laudat Car. du Freſne *Not. ad Villhard. p.* 342. ubi etiam de *Publicanis*, quorum iidem Scriptores meminêre. Radulfus Coggeshalenſis in *Chron.* MS. *Temporibus Ludovici Regis Francor. qui genuit Philippum, cùm error quorundam hæreticorum, qui vulgò appellantur* Publicani, *per plures provincias Galliæ diſſerperet* &c. Sed & eorundem crebra eſt mentio, apud Scriptores expeditionum Hieroſolymitanar. à quibus inter gentes, quæ Saracenis ac Perſis erant conterminæ, recenſentur, quâ voce ſine dubio Manichæi ibi locorum habitantes veniunt intelligendi, de quibus Cedrenus *p.* 541. 542. 546. 665. Vide Tudebodum, Robertum Monachum, Baldricum Dolenſem, Henr. Huntindon. &c. paſſim, quos prædictus Auctor citat *Gloſſ.* qui addit, Hugonem Plagonem vernaculum W. Tyrii Interpretem, vocem *hæretici*, *l.* 2. *c.* 13. vertere *Popelican.* De *Populicanis* Galliæ vide quoque Concil. Lateranenſe III. A. C. 1197. *can.* 27. ut & infrà *Populicani.*

POPPÆA Sabina, Poppæi Sabini filia, cunctas ætatis ſuæ fœminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam reliquit filiæ, quæ ſcortum Neronis. Hanc genuit ex priore Marito Tito Ollio. Poſt nupta Scipioni & à Meſſallina ſubverſa. Tacit. *l.* 11. *Annal. initio.*

POPPÆA Sabina, Titô Olliô Quæſtoriô patre nata, ſumptô nomine ab avo Poppæo Sabino Conſule & Triumphatore, nupſit Rufo Criſpino, equiti Romano ex illo filii mater; dein corrupta ab Ottone, qui poſtmodum Imperator evaſit, hujus uxor aliquandiu fuit: donec, Ottone coram Nerone illam ſæpius mirum in modum laudante, illius hic cupidine inflammatus eſt: quod videns adultera, effecit apud Neronem, ut Otto, ſub ſpecie Præfecturæ Luſitanicæ, removeretur, quô factô, Neronis uxor fuit, quam duodecimô die, poſt divortium Octaviæ, in matrimonium accepit. Hanc dilexit unicè filiâ ex illa ſuſceptâ, Memmiô Regulô & Vergiliô Rufô Conſulib. & tamen ipſam quoque ictu calcis occidit, quòd ſe ex aurigatione ſerò reverſum gravida & ægra convitiis inceſſerat. Huic Poppææ omnia alia fuêre, præter honeſtum animum: ſermo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præferebat, & laſciviâ tamen utebatur: famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens. Delicata, magnifica, & elegantiæ uſque adeo ſtudioſa, ut quotidie aſininô lacte ſuæ formæ mederetur. Vide Sueton. *in Nerone & Ottone.* Luxu ſupra modum diffluebat autore Plin. *l.* 28. *c.* 12. & *l.* 33. *c.* 11. in hæc verba, *Noſtrâ ætate Poppæa conjux Neronis principis delicatioribus jumentis ſuis ſoleas ex auro quoque induere ſolebat.* Adde Tacit. *l.* 13. 14. 15. 16. *Annal.* Dion. & Xiphilin. *in Nerone.* Ejus uterum Senatum Romanum commendâſſe Diis, refert Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 23. qui mos in hodiernis Aulis etiamnum viget. Namque Gentiles quoque non pro ſe modò, ſed & pro aliis, Deos adire ſoliti: inprimis verò Reip. Principique propitios faventeſque Deos precibus ſuis efficere conabantur, uti pluribus videre eſt apud Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 16. §. 19. & hîc paſſim.

POPPÆUS Sabinus, modicus originis principum amicitiâ Conſulatum ac triumphale decus adeptus; maximiſque provinciis per 24. annos impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotiis, neque ſupra erat. C. Ceſtiô & M. Serviliô Conſulib. fine anni ſuâ ſponte non fatô conceſſit vitâ, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 39. Vide & *Cajus.*

POPPÆUS Sylvanus, Conſularis, ſex millium Dalmatarum recentem delectum, Veſpaſiani partibus adduxit. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 50. dein pecuniis à privatis accipiendis præpoſitus. *Ibid. l.* 4. *c.* 47.

POPPÆUS Vopiſcus, ab Othone Collega Verginio in conſulatu deſtinatus, prætextu veteris amicitiæ, plerique Viennenſium honori datum interpretabantur. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 77. *Rhenan. Pompejus* legit putatque nomen ſcriptoris, ineptè. Cùm *Poppæus* iſte *Vopiſcus*, cognomine *Sylvanus T. Virginio* fortè *Ruffo* fuerit Collega, auctore Frontinô *de Aquaductibus.*

POPPEA, Gall. POUPEE, pupa, pupæ icon. Lambertus Ardenſis, *p.* 167. *Inter puellas puerilibus locis & choreis & his ſimilibus ludis &* poppeis, *ſæpius juvenilem applicabat animum. Veteres Gloſſæ, puppæ,* πλάγγονες, αἱ τῶν παίδων νύμφαι. Joh. de Janua, *Pupæ dicuntur quædam ſtatunculæ, quas virgines ſolent facere in modum filiarum, & veſtibus obvolvere; quas, poſtquam ad annos nubiles veniebant, & pubilibus abrenuntiabant, quaſi ſub poteſtate Veneris porrò futuræ, Veneri ſacrificabant.* Unde Perſius, *Sat.* 2. *v.* 69.

Dicite Pontifices, in ſacro quid facit aurum,
Nempe hoc quod Veneri donantur à Virgine pupæ.

Vide de *pupis* vel *puppis*, Deſider. Heraldum, *Adverſar. l.* 1. *c.* 8.

POPPYSMA, vide infrà ubi de *Popyſmis fulgetras adorandi more.*

POPULARES, urbana multitudo, populus ſeu plebs, quibus opponuntur militares, *in l.* 1. *D. de Offic. Præf. Urb. in l.* 7. *Cod. Theodoſ. de Annonis civ.* &c. Hinc Jul. Capitolin. *in Marco Antonino, c.* 17. *Et eô quidem tempore, quô peſtilentia gravis multa millia & popularium & militum interemerat.* Sicque ſæpe apud optimos Latinæ linguæ Scriptores. Ulpianus de officio Præfecti Urbi: *Debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere, ad tuendam* popularium *quietem.* Non enim *Popularia* ibi debent intelligi, ut doctiſſimi viri expoſuerunt: ſed *populares*, ut apud Capitolin. pro *turba populi.* Æl. quoque Spartian. *in Peſcennio, c.* 3. *Nec ſibi neque Peſcennio longum Imperium deberi, ſed Severo, qui magis eſſet odio habendus à Senatoribus, militibus, provincialibus, popularibus.* Ubi Senatores, milites, provinciales, populares, totum Imperium Roman. comprehendunt. Senatores & Populares, h. e. Senatus & Populus Romæ duntaxat, unde & *Senatores Urbis* dicebantur, & *Populares*, apud iſtos Auctores, populum Romanum, h. e. urbis Romæ mœnibus incluſum, debes intelligere; provinciales, omnes extra Romam populos. Sic igitur Imperium Romanum dividere liceat, in *Senatores, Populares, Militares* & *Provinciales*; per *Senatores* autem, Proceres & Nobilitatem intelligebant: per *Populares* verò, infimam & minutam plebem, Salmaſius, *ad loc.* quam λεπτὸν δῆμον, in *Gloſſ. Græco-Latin. minutum populum*, in *Fragm.* Petronii: *populum* ſimpliciter, apud Æl. Spartian. dici videmus. Ita enim hic, *in Didio Juliano, c.* 4. *Multa enim, quæ Commodus ſtatuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum favorem* populi, *reſtituit.* Ad quæ verba Caſaubon. *Cave*, inquit, *accipere vocem* populi, *in propria notione, h. e. pro univerſo populo Romano: plebem enim hic & è populo viliſſimum quemque ac perditiſſimum ſignificat*, &c. Unde *Popularitas*, virtus Principum, quâ *populum* ſibi benevolum faventemque reddunt, in Pompejo M. olim inprimis celebrata, apud *Plut. Lucanum, Ciceronem.* Unde Statius, *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 69.

Et gratum Popularitate *Magnum.*

Vide de hac voce Thom. Dempſter. *Antiquit. Collectan. l.* 1. *c.* 16. & ſuprà *Communes* ut & infrà *ſenſus communis*, it. *videre.* Item ſpectaculorum editio, in *l.* 2. *Cod. Theod. de Offic. Rect. prov.* quæ *populi favor* & *applauſus*, dicitur, *in l.* 1. & 3. *eod. Cod. de Spectac.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Quò ſpectat, quod de Marco Antonino habet Jul. Capitolin. in *Vita* ejus, *c.* 2. *Abſens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditiſſimos editores. Fuit enim populo hic ſermo, quum ſuſtuliſſet ad bellum gladiatores, quòd populum ſublatis voluptatibus vellet cogere ad Philoſophiam*; ubi *Populi voluptates* ſpectacula communiter dici conſuevisse, notat idem Caſaub. Sed & *Popularis*, in Republ. Romana factionis nomen Optimatibus oppoſitæ, dicebaturque is, qui civibus ſeditioſis ac res novas molientibus adhæret Reipublicæque eſſet incommodus. Quæ duo factionum genera etſi ſemper in Rep. eſſent, tamen maximè poſt Appii Cæci Cenſuram, exarſiſſe videntur, teſte Liviô, *l.* 9. *Dec.* 1. *ſub fin.* Hic enim cùm ſcripſiſſet de Appio Cenſore, & quomodo is primus Senatum Libertinorum filiis inquinâſſet, & quomodo Nobiles id ægrè tuliſſent, hæc verba ſubjungit: *Ex eo tempore in duas partes diſceſſit civitas: aliud integer Populus, fautor & cultor bonorum, aliud forenſis factio tenebat; donec Q. Fabius Cenſor, ſimul concordiæ causâ, ſimul, ne humilimorum in manu Comitia eſſent, omnem Forenſem turbam excretam in quatuor Tribus conjecit, urbanaſque eas appellavit.* Quibus ex verbis, aliquô modo, quinam Optimates, quique *Populares* dicti fuerint, intelligi poteſt: Sed longè clarius, ex Cicer. *Orat. pro Sextio, c.* 45. *Duo genera in hac civitate ſemper fuerunt eorum, qui verſari in Rep. atque in ea ſeſe excellentiùs gerere ſtuduerunt, quibus ex generibus alteri ſe* Populares, *alteri Optimates & haberi & eſſe voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant,* Populares: *qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur.* Et paulò pòſt, *Omnes Optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec naturâ improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti* &c. ex quocunque demum civium ordine eſſent: *Populares* ergo, qui propter metum, delictorum ſuorum conſcii, novos motus converſioneſque Reip. quærunt, & propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis civium ac ſeditione paſcuntur, aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendiô, quàm ſuô deflagrare malunt, ſive illi Patricii, ſive Plebeji, ſive Senatores, ſive Equites, ſive de Populo ſint. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 18. *cum Paralipom.* Thomæ Dempſteri, Georg. Merulam, *in Orat. pro Ligario* &c. Aliam notionem vocis ſuprà, *Juvenes*: uti de verſibus *popularibus* ſuprà, *Politici verſus.*

POPULARIA, ſacra erant, quæ ab omnibus civibus fiebant, nec erant privatarum familiarum, ſed omnium communia, ut à Diis impetrarentur quæ ſpectabant ad communem populi ſalutem.

POPULETUM, Cataloniæ monaſterium, ubi ſepulchra Regum Aragoniæ. Vix 1. leuc. à monte Albo, 6. à Tarracone in Boream. Ilerdam verſus. *Poblet.*

POPULETUM, nomen libri, cujus meminit Blondellus, *Prolegom. ad Pſeudo Iſidorum vapul. c.* 18. *p.* 99. *in fin. Gregorius Presbyter ſimilem Collectionem* (juris Canon. qualem nimirum Deuſdedit & Ivo) *publicavit, quam Polycarpum nominavit; ut & Bernardus Papienſis, & Auctor libri* Populeti: *Sed hæc ad manus non ſunt, nec quô tempore vixêre Auctores, nobis compertum eſt*: apud Gerb. von Maſtricht, *Hiſt. Juris Eccl. num.* 275.

POPULI plurimi à nobis deſcripti ſunt: in quibus aliquot ita ab aliorum conſuetudine recedunt, ut non inter homines, ſed inter feras cenſendi videantur. In iis nonnullos uti prodigioſos hîc ſubjicere libuit.

POPULI PRODIGIOSI MONSTRUOSIVE, EX PLINIO, *l.* 6. & 7. ET ALIIS SCRIPTORIBUS.

Abarimi, (Abarimon nomen eſt regionis montis Imai) populi Scythiæ, qui plantas adverſas habentes curſu velociſſimi ſunt, Pliniô, *l.* 7. *c.* 2. auctore.

Androgyni, populi Africæ, utrôque ſexu præditi, dextrâ parte viriles, læva fœminei.

Anthropophagi, populi humanâ carne veſcentes, non ſolùm in Aſia & Africa multis in locis reperiuntur, ſed, quod mirum eſt, etiam in Italia fuêre; veluti Læſtrygones apud Formias, & Cyclopes apud Ætnam montem Siciliæ.

Arimaſpi, populi Scythiæ unô oculô conſtantes in medio frontis: de quibus plura apud *Herodot.* trans mare Hyrcanum inter Maſſagetas & Sacas incolentes, teſte *Strabone.*

Arimphæi, populi Scythiæ ſive Sarmatiæ Aſianæ, in montibus Riphæis, calvi & ſimas nares habentes.

Aſia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Artabatitæ, populi Scythiæ vagi veluti quadrupedes: de quibus Plin. *l.* 6, *c.* 30.

Aſtomi, populi Indiæ apud Gangis fluvii ortum montes incolentes, qui ore carentes, ut nomine ipſô declaratur, foramen habent exiguum, per quod reſpirant & cibum leviſſimum capiant, potiùs florum odore vitam degentes. Plin. *l.* 7. *c.* 2. & Strab. *l.* 15.

Bithiæ, Populi Scythiæ, quorum fœminæ duas habent in oculo puppillas; de quibus Ælian. *in ſua hiſtoria.*

Blenæ, *Claudiano*, Bleptæ Melæ, *l.* 1. *c.* 4. & 8. Blemmyes *Strab.* & Plin. *l.* 5. *c.* 8. populi Æthiopiæ apud Nilum, qui oculos in pectore habuiſſe feruntur.

Budini, ſunt populi Sarmatiæ oculis cæſiis, pediculos edentes.

Cabri, ſunt populi Germaniæ quos Tacitus corpore duriſſimô fuiſſe & ſtrictis artubus ſcribit, *l. de morib. German. c.* 30.

Candei, ſunt populi Troglodyticæ, qui Ophiophagi dicuntur, quòd ſolùm ſerpentibus veſcantur, teſte Pliniô, *l.* 6. *c.* 29.

Centauri, ſunt populi Theſſaliæ ab omnibus ſcriptoribus, præſertim Poëtis, memorati; quorum pars ſuperior hominem, inferior equum referebat.

Choromandæ, ſunt populi Indiæ, quos Plin. *l.* 7. *c.* 2. ſine voce ſtridentes eſſe, corpore hirtos, oculos glaucos habere denteſque caninos ſcribit.

Cimmerii, ſunt populi Sarmatiæ, quos in perpetua caligine verſari ferunt. Horum meminit Ovid. *l.* 11. *Met. v.* 592.

Cyclopes, ſunt populi Siciliæ in monte Ætna, Vulcani miniſtri, quos unô oculô tantùm præditos, anthropophagos fuiſſe ferunt.

Cynamolgi Plinio, & Cynocephali, ſunt populi Æthiopiæ capita habentes canina. Vide Plin. *l.* 6. *c.* 30.

Dardani ſunt populi Myſiæ, quorum fœminæ in viros mutatæ leguntur, auctore *Saxone Grammaticô.*

Enotocœti, ſunt populi Africæ, quibus aures ad pedes uſque demittuntur; de quibus Strabo, *l.* 17.

Faneſii, ſunt populi Oceani Septentrionalis, in inſula Baſiliæ, qui aures tam patentes habent, ut tota iis corpora contegant. Plin. *l.* 4. *c.* 13.

Gigantes, multis in locis reperti, ab omnibus ſcriptoribus memorantur, immoderatæ ſeu monſtruoſæ magnitudinis, uti apud Plin. *l.* 7. *c.* 16. ſed & noſtrâ tempeſtate in novo orbe inventi ſunt in ea regione, quæ in auſtrum vergit. Hos in Theſſalia ab Hercule extinctos refert Strabo, *l.* 7.

Gymnites, ſunt populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, in quavis corporis parte nudi vagantes, ſic a nuditate dicti, De quibus Plinius, *l.* 6. *c.* 30.

Helluſii, ſunt populi Germaniæ Septentrionales quos Tacit. *in German. c.* 46. ſolô vultu homines, reliquâ parte corporis feris ſimiles eſſe refert.

Himantopodes, Indiæ populi, quos ſerpendô incedere *Plin. loc. cit.* ſcribit.

Hippocentauri, ſunt populi Theſſaliæ, quorum meminit *Plinius* cum aliis. Vide *Centauri.*

Hippopodes, ſunt populi Baſiliæ inſulæ Septentrionalis, ſic dicti quod pedes equinos habeant; Plin. *l.* 4. *c.* 13.

Monoculi, populi, qui unô oculô præditi ſunt, memorantur; ſed ubi gentium ſint, haud docent.

Monomeri, ſunt populi Septentrionales, qui unô crure velociter incedunt, ab Aulo Gellio referuntur, *l.* 9. *c.* 4.

Monoſceli, verò populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, qui unô crure ſaltuatim perniciſſimè moventur, plantam patentem habentes; unde & Sciopodes dicuntur, teſte Pliniô, *l.* 7. *c.* 2.

Nigræ, ſunt populi Æthiopiæ, Regem monoculum habere dicuntur ex Plinio, *loc. cit.*

Niſicaſtes, & *Niſitæ*, ſunt populi Æthiopiæ apud oram maris, ternis aut quaternis oculis præditi, memorantur à Plinio, *l.* 6. *c.* 30.

Ocypodes, ſunt populi Africæ adeo veloces, ut curſu equos ſuperent, teſte Strabone, *l.* 15.

Olabi, & *Syrbothæ*, ſunt populi Libyæ, quos Plin. *loc. cit.* octonûm cubitorum altitudine conſtare ſcribit.

Orientis populos intimos, alios ſine ore, alios ſine naribus, foramen unum, quô reſpirent, potum calamis, & grana avenæ in cibum trahant, habentes, alios ſine labris, alios ſine lingua, & pro ſermone nutibus utentes, Plin. *locô eôdem* memorat.

Oxiones, ſunt populi Germaniæ, quos Tacit. *German. c.* 46. facie tantùm hominibus, caterùm feris ſimiles eſſe refert.

Pandoræ, ſunt populi Indiæ, quibus Plinius in juventute caneſcere, in ſenecta verò nigreſcere capillos, *l.* 7, *c.* 2. teſtatur.

Paramedeſiæ, ſunt populi Aſiæ, Bactrianis proximi, prorſus agreſtes, ab eodem memorantur.

Pharnaces, ſive *Pharmaces*, ſunt populi Æthiopiæ quorum viri tabem ſudore adferunt, fœminæ vel ipſô viſu nocent, ut Plin. *l.* 7. *c.* 2. ſcribit.

Ptœmbari, populi ſunt Africæ, qui canem pro Rege habent, ut idem Plin. *l.* 6. *c.* 30. tradit.

Pygmæi, ſunt populi Indiæ, orientalis cubitales, cum gruibus bellum gerentes, teſte Pliniô, *l.* 7. *c.* 2. cum *Strabone*, Mela, *l.* 3. *c.* 8. & aliis: qui & alibi reperiri feruntur.

Satyri, multis in locis, ſed præcipuè in montibus Indiæ qui non aliô quàm formâ hominem referant, corpore totô hirti ac villoſi, perniciſſimi in Cartadulorum regione, Plinio, *eôdem locô.*

Sciopodes, ſunt populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, qui tam latas plantas habent, ut illarum umbrâ ſe ab æſtu & ſolis ardore tueantur; unde nomen aſſecuti ſunt. Plin. *l.* 7. *c.* 2.

Struthopodes, ſunt populi Indiæ, quorum viri cubitales, fœminæ plantas habent minimas, quaſi ſtruthionum.

Syrbothæ, ſunt populi Æthiopiæ, octonum cubitorum magnitudine conſtantes, ut Plin. *l.* 6. *c.* 30. refert.

Tentyritæ, populi Ægypti, qui ſolô olfactu & adſpectu crocodilos fugare feruntur.

Troglodytæ, populi Æthiopiæ, qui in ſpeluncis degunt, ab omni hominum commercio abhorrentes, ut Pin. *loc. cit.* refert, curſu velociſſimi.

POPULI Magiſter, vide ſuprà *Magiſter.*

POPULICANI, Latinis Scriptoribus, qui Græcè Παυλικιανοί, à *Paulo* Samoſateno Manichæorum hæreſeos inſtauratore, Callinices filio, dicti, *Manichæi* appellantur Cedreno *Epit Hiſtor.* minimè confundendi cum *Paulianiſtis*, à Paulo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopo id nomen nactis, uti docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* voce Παυλιανισαί. Vide ſuprà *Poplicani.*

POPULIFUGIA, feſta erant, quæ Romæ menſe Juniô celebrabantur, uti docent Varro, *l.* 5. *de LL.* & Macrob. *l.* 3. *c.* 3. Sunt autem ideo dicta, quòd eô die repentinô tumultu fugeret popul. Roman. in bello Gallorum cum Romanis. Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 491.

Eſt locus, antiqui Capreæ dixêre paludem:
Fortè tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit; & removent ſubeuntia nubila cœlum:
Et gravis effuſis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther,
Fit fuga, &c.

POPULONIA, Juno dicta eſt, quòd ex maris & fœminæ conjunctione, cui præeſſe credebatur, novi ſubinde populi creentur

POPULONIA, & *Fulgora*, nomina Dearum apud Senecam, in *l. de Superſtitione*, quæ adhibebantur, ne populationes & fulgura fierent.

POPULONIA, ſeu *Populonium* Plin. *l.* 3. *c.* 5. & *Straboni*, *Populonium Ptolemæo*, & *Stephano*, urbs Hetruriæ in ora maris Tyrrheni, contra Ilvam inſul. 10. mill. paſſ. diſtantem. Excisâ à Niceta, Duce Imperatoris Conſtantinop. Bernardo, Caroli M nepote, Italiæ dominante. Hic & Genſericus Wandalorum Rex à Baſilio, Leonis Imperator. Duce, ſuperatus eſt. *Ferrar.* Direpta quoque eſt à Solimanno. A. C. 1552. Meminit *Populoniæ* Virg. *Æn.* l. 10. *v.* 172.

Sexcentos illi dederat Populonia mater.

Baudrando Populonium promontor. nunc *Capo Campana*, prope Populonii rudera, in ora maris Tyrrheni contra Ilvam inſulam, à qua 12. mill. paſſ. in Boream abeſt, uti 5. à Plumbino in Occaſum.

POPULUM, oppid Aprutii, ubi ligneô ponte tranſitur Aternus fluv.

POPULUS, aliquando à Plebe diſtinguitur, & tum univerſos cives ſignificatu ſuô comprehendit, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. Hinc à Capitone Plebiſcitum definitur, *Lex, quam Plebs, non Populus, accipit.* Aliquando deſignat certum aliquem civium Romanor. ordinem, eorum videl, qui ſive Senatoriô, ſive Equeſtri, ſive Plebejô locô nati eſſent, à Cenſoribus tamen neque in Equeſtrem Senatorium, neque in Ordinem fuêre relati. Et hic *Popularis*, de *Populo*, item *de Plebe* Ordo; quoque vocabatur, pertinebantque ad eum Patricii, qui nec in Senatum lecti eſſent, nec Equeſtrem cenſum haberent; tum Equites, qui Patrimonium conſumſiſſent, vel quibus, propter flagitia, equi publici & annuli aurei ademti eſſent; tum Plebeji, i. e. inferioris fortunæ hominibus nati, qui Patriciis opponebantur. Hi enim, ſi minus haberent CD ∞ de *Populo* erant: Sin CD ∞ haberent, equumque publicum obtinuiſſent annulôque uterentur, inter Equites; & ſi in Senatum lecti, inter Senatores locum, non minùs ac Patricii, habere poterant. Interim quemadmodum ex *Populari* ordine, in Equeſtrem Senatorumque pro cenſûs ratione, aſſurgere poterant; ita &, ſi propter flagitia aliqua à Cenſoribus notarentur, etiam de ſuo ordine deturbari & in Ærarios ac Cæritum tabulas referri poterant, ut dictum ſuprà, in voce *Plebeji*, & apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 17. Juvenalis, nomine *Orcheſtræ* ac *Populi*, diſcrimen horum ordinum indigitare videtur, *Sat.* 3. *v.* 177.

Æquales habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram & Populum. ———

Ubi reſpicit diverſa Theatri loca, in quo Senatores Orcheſtram; (Equites gradus 14.) Cuneum *Populus*, unde & *Popularia*, implebat: Hincque *inter Cuneos recidere* Proverbiô dicimus, de homine plebejo ac infimi ordinis. Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 8. Quoties autem univerſus *Populus*, ſuffragiorum ferendorum gratiâ, conveniebat, Comitia dicebantur, quæ triplicia fuiſſe, Curiata, Centuriata & Tributa, notum eſt. In ejus voluntate concilianda, quantum operæ Petitores ſeu Candidati poſuerint, hinc patet, quod Petitor quemque civium nomine ſuô appellare, imò Patris, Fratris vel Patroni nomine honorare; prenſare ac rogare, congiaria item illi dare, prandia præbere, gladiatores exhibere, loca parare, pecunias dividere &c. neceſſe habuerit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 7. *c.* 8. Ipſos quandoque Principes, quos in Theatrum aut Circum venientes *Populus* lætô clamore excipiebat, *Populum* viciſſim non ſalutâſſe modò, ſed & fœdiſſimô adulationis genere ſe ei ſubmiſiſſe, legimus: quod tamen ante Neronem nullus factitavit. Is certè, ut notatum Tacito, *Annal. l.* 16. *c.* 4. *flexus genu cœtum illum manu veneratus, Judicum ſententias operiebatur fictô pavore.* Quod enim Suetonio de *Claudio c.* 12. proditum eſt, *Spectacula edentes, voce ac manu veneratus eſt*, ad Magiſtratus, qui Ludorum commiſſionibus præerant, ſpectat. Claudian. *de* 6. *Honorii Conſul. v.* 611. venerationem hanc *Populo* exhibitam ab Imperatore eleganter expoſuit.

O quantum Populo *ſecreti Numinis addit.*
Imperii præſens ſpecies! quantamque rependit.
Majeſtas alterna vicem, cùm regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 5. Curiam & *Populum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

purgari olim conſueviſſe, cùm excerptum ex bovis utero vitulum comburerent, & ex illius cinere, additô equi ſanguine & fabarum ſtipulis, ſuffimen facerent, tradit Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l. 5. c. 16.* Vide quoque ſuprà voce *Palilia.* Nec omittendum, accuſatos apud Senatum reos ſedere ſub Patrono: ſed inſtitutâ ad *Populum* provocatione, ſuprà eundem collocari conſueviſſe, ut Declamator ille apud Senecam docet, *l. 3. Controv. 17.* de Popilio Lenate Ciceronis interfectore, *Impius es, ingratus es, audeo dicere parricida, reſpice Forum; hic ſub Cicerone ſediſti, reſpice Roſtra, hic ſupra Ciceronem ſediſti.* De diviſione *Populi* Rom. in Patricios & Plebejos: Item in Senatores, Equites & *Populum* ſeu Plebem: In Centurias porrò, Curias & Tribus; ut & de diſtributione *Populi* Athenienſis, primò in Eupatridas, Geomoros, & Demiurgos: dein in Pentacoſiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas vel Proletarios, diximus paſſim *ſuis locis.* De juribus Populi in utraque hac Republ. vide iterum ſuprà in voce *Plebeji.* Addam aliquid de *Populi* coronatione. Non enim ſinguli tantùm victoriæ & fortitudinis præmia coronas nacti ſunt, verùm etiam interdum tota cohors, *Populus*, publici Ordines, univerſi, totæ urbes. Liv. *l. 21. Rhodiorum* populus *coronâ virtutis ergò donatus eſt.* Sic populus Romanus, ſi ejus auſpiciis bellum geſtum, patratumque fuerat, coronam victricem capite geſtâſſe legitur apud Liv. *l. 10.* Unde Gellius, *Verba*, inquit, *l. 7. c. 4. hac ſunt Catonis, ut* populus *ſuâ operâ potiùs ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſtâ coronatus veniat.* Ut de variis Feſtis nihil addam, in quibus idem factitatum. Vide hanc in rem plura, apud Car. Paſchal. *Coronar. l. 7. c. 6.* & *l. 8. c. 4.* nec non ſupra voce *Multitudo* uti de diſcrimine vocum *Populus* & *Gens*, ſuprà in hac voce.

POPULUS Alba, Herculi olim ſacra, quòd is eam, in Theſprotide ad amnem Acherontem primùm inventam, ſecum in Græciam detuliſſet, Pauſan. *l. 5*: Idem ex ea coronam ſibi fecit, ut teſtatur Olympionicus, *l. de Plantis*, manſitque poſteà conſuetudo, ut in ſacris Sacerdotes iiſdem ſertis coronarentur. Sed & ut *Theocriti Enarrator* ſcribit, Victoribus præmia in publicis agonibus ex *populeis* parari ramis conſuevêre. Ex alba porrò *populo* duntaxat, neque ex ulla alia arbore, ad uſum ſacrorum Olympii Jovis, ligna cædi patrium fuiſſe Eleis ritum, idem Pauſanias præfatus *loc. cit.* tradit, quem honorem arbori Herculis cauſâ habitum veriſimile eſt. Eadem Stagiris in Muſæo renaſcens, Imperii revireſcentis fuit omen: Quemadmodum Nuceriæ ulmus in luco Junonis, amputatô cacumine, quoniam in aram ipſam procumbebat, reſtituta ſponte, ita ut protinus floreret, Majeſtatem populi Romani, Cimbricis cladibus veſtatam, feliciter reſurrecturam, portendit: quod & in Philippis factum ſalice prociduâ, & procumbente, Plin. *l. 16. c. 32.* Nec omittendum, *Populi*, myrti & aloës foliis ſtipatos, Pythagoræos humi mandatos olim fuiſſe, quomodo & M. Catonem voluiſſe humari, docet Alexand. ab Alex. *l. 3. c. 2.* Apud Novum Murum (qui locus inter Smyrnam & Cumas Æolicas medius eſt) ad Herodoti uſque tempora, annis ſexcentis triginta, & ampliùs, locum fuiſſe oſtenſum, in quo Homerus ſedens carmina ſua legenda exhibuerit, & magna habitus fuerit in veneratione: memoratumque, *Populum* arborem ab ejus adventu in eodem loco enatam, ipſe ſcribit Herodotus in *Vita Homeri.* Succum arboris in electrum indureſcere, contendit Thom. Dempſter. *in Roſin. Paralipom. l. 5. c. 30.* qua de re vide ſuprà. Funeris, Temporis, Candoris ac Religionis hieroglyphicum, arborem facit Pierius. Ad ejus in coronis uſum ut redeam, exemplô Herculis etiam cœteri Heroes illâ fronde redimiti geſtiêrunt, uti de Teucro docet Horat. *Carm. l. 2. Od. 3.* Athletæ item, teſte Artemidorô, *l. 2. c. 25.* Amantes porrò, apud Lucian. *de Imag.* fortaſſe διὰ τὸ εὐμηκές τε καὶ ὄρθιον, *propter longitudinem & rectitudinem.* Convivæ tandem in publica lætitia: uti de Euandri convivis cùm Cacus ab Hercule extinctus eſſet, legimus, apud Virg. *Æn. l. 8. v. 276.*

> *Dixerat, Herculeâ bicolor cùm* populus *umbra*
> *Velavitque comas, foliiſque innexa pependit.*

Quem quoque Saliorum habitum fuiſſe, *ibidem* legas. Sed & per iſtiuſmodi coronam juravit Hercules, apud Val. Flaccum, *Argonautic. l. 6.* &c. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l. 2. c. 11.* & *l. 4. c. 2.* uti de *Populea Virga*, in puerperiis olim depactâ, infrà ubi de *Virgis Natalitiis.*

POPULUS Commodianus, idem cum Populo Romano, ſic enim eum vocari juſſit Commodus Imperator apud Æl. Lamprid. *c. 15. Commodianum etiam Populum Romanum dixit, quô ſæpiſſime præſente gladiator pugnavit* ——— *Urbem incendi juſſerat, utpote coloniam ſuam.* Ita namque dici Romam voluit, juſſitque, *Dio.* Hinc *Populus ſuus*, in præcedente *c. 12.* Tertiò meditans de profectione, à Senatu & *Populo ſuo retentus eſt.* Atque ita loquebantur, qui Acta tum conficiebant. Caſaubonus *ad l.* Similiter *Commodianum annum, Commodum menſem, Commodium diem* &c. apud eundem habes.

POPYSMIS fulgetras adorandi mos, memoratur Plinio, *l. 28. c. 2. Fulgetras popyſmis adorare, conſenſus gentium eſt. Incendia inter epulas nominata, aquis ſub menſis profuſis abominamur.* Ubi *popyſmis* exponit *Dalechampius, tenuibus ſibilis ore emiſſis*, ex Alexandro Neapol. *l. 5. c. 13.* vel, *leviter comploſis manibus cavis*, velut ad deliniendum Jovem iratum, ex Turnebo, *Adverſar. l. 4. c. 15.* Manus certè cavæ comploſæ *popyſmum* efficiunt, quæ vox ad ſoni hujus expreſſionem fictitia eſt. Meminit moris Ariſtophanes quoque in *Veſpis*, κἂν ἀστράψω, ποππύζουσι, &c. Pinxit poppyzonta equum retinentem Nealces ut infrà videbimus voce *Spuma.*

PORATA, vulgò *Prut Peucero*, fluv. Sarmatiæ Europææ per Moldaviam in Iſtrum influens, qui *Poritus* à *Ptolemæo* videtur appellari, nec ſitus repugnat, *Ferrarius.* Etiam *Sorata Baudrando*, Græcis Pyrethos, Romanis Hieraſſus, fluv. Daciæ. Ortus in Ruſſia Nigra, per Moldaviam, auctus aliquot fluviis & rigatis Jaſſiô aliiſque urbibus, inibi in Iſtrum ſe exonerat. Vide *Hieraſſus.*

PORCA, prima Cereri mactata legitur, apud Ovid. *Met. l. 15. v. 111. & ſeqq.*

> *Longiùs inde nefas abiit, & prima putatur*
> *Hoſtia ſus meruiſſe mori: quia ſemina pando*
> *Eruerit roſtrô, ſpemque interceperit anni.*

Quemadmodum ſimilem ob cauſam caper Baccho immolari conſuevit. Eidem Cereri *Porca* mactabatur, ab eo, *qui mortuo juſta non feciſſet, i.e. glebam non objeciſſet; quod mos erat eis facere priùs, quàm novas fruges guſtarent*, teſte Cicer. *de Legg. l. 2.* ubi *Dempſterus* reſcribi vult, *i.e. glebam in os jeciſſet*: Non enim gleba hæc terræ cadaveri ſolùm abjecto imponi, ſed & ipſi ori, ſolebat, ut Horatius quoque confirmare videtur, *l. 1. Od. 28. v. 23.*

> *At tu nauta vaga ne parce malignus arena,*
> *Oſſibus & capiti inhumato*
> *Particulam dare.* ———

Vide quoque infrà *Præcidanea porca.* Eâdem cauſâ fœdera Romanos percuſſiſſe, notum ex Livio, *l. 1. c. 24.* aliiſque. Idem in nuptiis factitatum fuiſſe, docet Varro, *de Re Ruſt. l. 2. c. 4. Nuptiarum initiô antiqui Reges ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus, primùm* Porcam *immolant. Priſci quoque Latini & etiam Græci in Italia, idem feciſſe videntur. Nam & noſtræ mulieres, maximè Nutrices, naturam, qua fœminæ ſunt, in Virginibus appellant porcam, & Græcè* χοῖρον, *ſignificantes dignum eſſe inſigni nuptiarum.* Vide quæ hanc in rem habet Voſſ. *de Or. & progr. Idolol. l. 4. c. 36.* Sed &, quia in ſalute familiarum ſalus conſiſtit publica, eò quotannis 4. Non. Februar. in compitis, (unde *Compitalibus* nomen) Laribus publicum fuiſſe factum ſacrum *Porcâ*, velut hoſtiâ luſtrali, Propertius indigitat, *l. 4. Eleg. 1. v. 23.*

> *Parva ſaginati luſtrabant compita porci;*

quem Larium cultum unà cum domeſtico in foco, junxit M. Cato *de Re R. c. 5.* apud præfatum Voſſium, *de Idolol. l. 1. c. 11. ſuo fin.* Sed & *cædere Sylvano Porcum*, Juvenalis dixit, *Sat. 6. v. 447.* Ut alia omittam. Ad communem uſum tranſeo: Ut ſapidiores haberentur, caſtrabantur *Porci*, ac nomen tum mutabant. Ut enim priùs *Verres*, ita poſteà dicti ſunt *Majales*, à Dea Maja, cui ſacrificari ſolebant. Fuit autem Maja eadem, quæ Ops ſive Tellus, magna omnium Mater. Nec verò Porci ſolùm, ſed & *Porcæ* caſtrabantur: à quo more ſive Gyges Lydorum Rex ut *Heſychius Illuſtris*, ac *Suidas* tradunt; ſive Andramytes, Crœſi frater, ut *Athenæus* prodidit, exemplum petiit fœminas caſtrandi; quò florenti ſemper ætate iis uteretur. Neque ſuilla tanto in pretio ſolùm erat, quia ſaporis eſſet delicati: ſed & quia, ſi iſta variè condiatur, varios habeat ſapores. Qua de re Plin. *l. 8. c. 51. Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ; quinquaginta prope ſapores, cùm cæteris ſinguli.* Quod non ignoravit hoſpes Chalcidenſis, qui T. Quinctio Flaminio variam ſtupente venationem, reſpondit, *Condimentis varietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis, ex manſueto ſue factam*; apud Livium, *l. 35. c. 49.* quod idem legas apud Plut. *in Flaminio* & *Apophthem.* Nullum verò majus gulæ argumentum *Porcô* Trojanô; quem ita, Macrobiô, *Saturn. l. 2. c. 9.* teſte, dixerunt, quia ſic foret *aliis animalibus gravidus; ut ille equus Trojanus armatis fuit*: quanquam non ſolùm animalibus, ſed etiam aliis cupediis, farciretur. Ut ille, de quo *Athen. l. 9.* in quo turdi, & aliæ aviculæ, item vulvæ conciſæ, ovorum vitelli & ilicia: qui cùm exenteratus & variè adeò repletus foret; non tamen apparebat corpore ejus ullum ſignum jugulationis vel apertionis. Prætereà, cùm integer apponeretur, dimidiâ tamen ſui parte erat elixus, altera autem aſſatus. At à ſuilla Judæi, ut & à leporina, quæ utraque tantopere Romanis in delitiis, abſtinere divinitus juſſi ſunt; Cujus rei triplex ratio fuit. Una eſt, quòd animal hoc nec humanis abſtineat carnibus, qua de cauſa & Ægyptios ab ea Ælian. abſtinuiſſe judicat, *de Animal. l. 10. c. 16.* Altera, quod cœnô ſe volutare gaudeat: quæ duæ cauſæ mores reſpiciunt. Tertia ad naturam pertinet, quia in Judæa, ut & in aliis quibuſdam Orientis terris, item Ægypto, eſus ſuillæ conciliaret lepram, ac vitiligines, ut eſt apud Plut. *in Sympoſiac. l. 4. quæſt. 5.* atque idem fortè Ægyptios, ut ab ea ſibi temperarent, movit. Sed & hi cultus ergò eam adverſabantur: nempe quia ſus roſtrô humum fodiendo ſemina terræ commiſſa adoperit, ne ab avibus devorentur. Sanè & Cretenſibus, ſus culta. Athen. *l. 9.* ἱερὸν ἐστι ζῶον παρὰ Κρησί, *ſacrum eſt hoc animal Cretenſibus.* Et paulo poſt. διὸ πάντες τὸ ζῶον τοῦτο περίσεπτον ἡγοῦνται, additque Cretenſes proin porcinâ abſtinere. Præter utramque autem modò memoratam gentem, Gallogræcos quoque Peſſinunta incolentes, ſuillam averſatos fuiſſe, docet Pauſan. *in Atticis*: Arabes Scenitas, Solinus, *c. 46.* hodiernoſque Muhammedanos conſtat ex Azoara 33. & 34. in quo tamen à Turcis abeunt Perſæ. Sed neque Sinenſes eâ veſci ex Pereira diſcimus & aliis, qui res Sinicas ſignârunt. Denique & de Tartaris idem proditur, vide Voſſ. iterum, ubi ſuprà, *l. 3. c. 66.* ut & infrà, voce *Sus.* it. *Porc.* Inter ſigna militaria *Porci* quoque apud Romanos effigies fuit. Feſtus, *l. 12. Porci effigies, inter militaria ſigna quintum locum obtinebat, quia confectô bellô, inter quos pax fieret, cæſâ porcâ fœdus firmari ſolebat.* Nempe de privatarum Legionum ſignis intelligendum. Omnes enim ſub ſola aquila educebantur. Vide Lipſium, *Mil. Rom.* Hadr. Junium, *Adverſar. l. 3. c. 2.* & Dempſter. *Paralipom, in Roſinum, l. 10.* Etiam *Porcinum* caput à militibus dici conſuevit, qui *Cuneus* aliter dicebatur, multitudo nempe peditum, quæ juncta cum acie primùm anguſtior, deinde latior proceſſit & adverſariorum ordines rupit, cùm à pluribus in unum locum tela mitterentur. Typum ejus habet Ælian. *l. de inſtruendis aciebus* &c. Vide Roſin *l. 10. c. 14.* ut & infrà.

PORCA,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PORCA, terrà eſt elata inter duos ſulcos; unde *Imporcitor* Deus, qui tertiæ præerat arationi. Poſtquam enim tum Græci, tum Romani, primò araſſent terram, ſeu *proſcidiſſent*; dein eam *redarabant* ſeu iterabant; quod Græci διπολεῖν dixerunt; tertiò jactô ſemine arabant, quod cùm fiebat, boves lirare dicebantur. Tunc enim tabellis additis ad vomerem, ſimul & ſatum frumentum operiebant in *porcis* ſeu liris & ſulcabant foſſas, quò pluvia aqua delaberetur. Unde Flamen Cerealis, ſacrum Cereri ac Telluri faciens, Divos agricolas hôc ordine invocabat, *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor*, *Sator ſeu Inſitor* &c. Et quidem Liratio ſeu Imporcatio & Tertiatio ejuſdem operis apud Varronem, *l.* 1. *RR. c.* 29. è quo hæc deſumpta, & Plinium, *l.* 18. *c.* 20. Columella diſtinguit, ſed ita, ut poſt jactam ſementem utrumque factitatum oſtendat: quæ ſic conciliat Salmaſius, ut dicat, alios diverſô opere utrumque feciſſe, alios conjunctô & unô. Tertiabant, cùm tertiò arabant poſt jactum ſemen, quod ut ſimul etiam in liras ſeu porcas redigeretur, cratem vel tabulam ad vomerem quidam adjungebant; Alii ſeorſim tertiatione factâ, cratem illam ſeu tabellam, per ſatum ducebant, ut in liras redigerent. Quod autem Columella, *l.* 1. *c.* 4. *ſatum in liras redigere* dixit, alibi vocat *ſemen imporcare*. Etenim *lira* & *porca*, idem: *Liras autem Ruſtici vocant eaſdem porcas, cùm ſic aratum eſt, ut inter duos latiùs diſtantes ſulcos medius cumulus ſiccam ſedem frumentis præbeat.* Idem vult *Nonius*, quum *porcas* eſſe dicit *ſigna ſulcorum, quæ ultra ſe jaci ſemina prohibeant: porcere enim eſſe prohibere.* Unde voci origo. Sedem namque ſiccam ſeminibus præbebant, aquâ per ſulcos delabente, quos ſulcos ſive lacunas & ſtrias *liras* alii nominant. Fiebant autem *porcæ* ſeu liræ, non priuſquam ſemen jactaretur, ut quidam volunt, ſed eôdem opere & operâ terra in porcam ſeu liram, revocabatur ac redigebatur aratrô, & ſemen imporcabatur, i. e. porcis vel liris condebatur: uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 724. *& ſeqq.* Apud *Papiam*, quod eminet, *porca*, quod verò defoſſum eſt, *lira* dicitur. Agrimenſoribus, vox notat partem agri, latam pedes 30. uti videre eſt, apud Car. du Freſne *in Gloſſario*.

PORCELLANÆ, nomen fictilium pretioſiſſimorum, quæ è Sinis adferri ſolent. De quibus ita M. Martinius. *Provinciæ Kiangſiæ urbem* Jaucheu *comendat elaboratio ac copia ſcutellarum Chinenſium, quas* Porcellanas, *incertum unde petitò nomine, vulgò vocant: Quæ nullibi in toto Regno fiunt præſtantiores, quàm in pago Feuleang Civitatis; Licèt enim alibi terram, ex qua fortè confici poſſint, habeant, nullô modô tamen ad eas accedunt, quæ in hoc pago fiunt: Imò, quod admiratione dignum, terram, ex qua eas efformant, non ex hujus provinciæ ſolo hauriunt, ſed ex Kiagnan provinc. urbe Hoeicheu advectam accipiunt, neque ibi, licèt tanta illis adſit terræ copia, ullô modô effingere illas queunt, ut proinde ſint, qui aquarum temperaturæ id aſcribant. Coloris varii ſunt, licèt omnes ex ſubtiliſſima illa argilla ac aliquantulum diaphanâ conſtent. Quæ colore illinuntur croceô, variiſque draconum figuris inſignitæ ſunt, regio deſtinantur Palatio; Pro vulgo fiunt rubræ, luteæ ac cœruleô colore, ad quem effingendum glaſtum à Sinis adhiberi ſolet, quod ibi magnâ reperitur copiâ, præcipuéque in Auſtralibus provinciis, quô etiam ad tingendas veſtes utuntur, Quàm verò rara ac præclara hìc fiant vaſa, longum eſſet referre; nullam eſſe formam, nullum florem figuramque certum eſt, quam non ex argilla ſua fingant. Quanta verò vaſorum horum ſit copia, facilè quiſvis colligit ex ea, quam quotidie in Europa noſtra videmus. At mirandum, unde hic increbuerit rumor, ex ovorum teſtis aut contuſis conchulis marinis præparari hanc materiam, idque ex relatione quorundam, centum annorum ſpatiô repoſitam ab Avis pro ſucceſſuris nepotibus. Planè rerum ignaris ridicula hæc ſunt & merè commentitia; Namque omnia ex terra, quæ ad hunc pagum de urbe vicina Hoeicheu advehitur, figlinâ Arte fiunt. Terra autem illa non pinguis, ut creta eſt, ſed veluti arenula perlucida, quam macerant, & adſperſâ aquâ in maſſam cogunt. Quin & ex fractis vaſculis denuo fruſta comminuunt, atque iterum nova vaſa efformant, ſed quæ ad priorum nitorem aut pulchritudinem non æquè accedant. Quod præterea hæc vaſcula commendat, eſt quòd edulìorum etiam ferventium vim innoxia patiantur; imò quod magis mirandum, fruſta inter ſe claviculis æreis filôque conſuta liquorem continent, nec tranſmittunt: Cujus ſutoriæ periti totam paſſim Sinam obambulant, qui ad foraminula efformanda ſubtiliſſimum adhibent terebellum, cujus cuſpis ex adamante eſt; quali hyalô ſculptores in Europa ferè utuntur; aut illi potiùs, qui apud Mediolanenſes cryſtallum montanum perforant. Per flumen Po arena* Porcellanæ *navicu*lis devehitur. Idem *alibi*, in Chekiang, ejuſdem regni provinc. *vaſa lutea, ſed è paulo craſſiori, quàm Porcellana terra, ad plebejorum uſum, fieri tradit* &c. E quibus facilè liquet, quid ſtatuendum de Veter. ſententia, qui ad conchas Cytheriacas ſeu Venerias iſta traxerunt, de quibus & Voſſius: *Sunt eadem*, inquit, *ac il*læ, *quas nunc dicimus* Porcellanas, *à porcello, ut Græci etiam eas vocant* χοιρίνας, *quia* χοῖρος (porcus) *&* χοιρίον (porcellus) *id in muliere ſit, quò mulier eſt. Cauſa eſt vocabuli, quia partem illam referant*, *de Idolol. l.* 4. *c.* 35. Niſi malis, *Porcellanarum* nomine & terram illam ſeu fictilia ex ea pretioſa, & concharum hoc genus, venire, quæ proin confundenda neutiquam; ob ſimilitudinem unius appellatione, ut in multis fit, ad alterum tranſeunte. Murrhina Veterum *porcellanea* noſtra eſſe, Salmaſii ſententia eſt, poſt Scaligerum, *l. de Subtilitate*, & *Baronium*, uti vidimus ſuprà ubi de *Murrhinis*: à qua tamen longè ſe abeſſe profitetur eruditus Barthius, *Animadverſion. ad Stat. l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 57.

—— *hic pocula magno*
Prima duci, murrhaſque graves, cryſtallaque portat
Candidiore manu ——

In forma idolorum Chinæ, *porcellanea vaſa*, in Muſæo Kircheriano Romæ, aſſervari, docet Georg. de Sepibus *in Deſcript. ejus, p.* 34. Vide quoque ſuprà, voce *Cha*.

PORCELLI Lactentes, Eduſæ ac Potinnæ, olim oblati, vide ſuprà *Cuba*. Iidem Pyhagoræ non ſpreti, voce *Caro*. Qui quòd manè in Foro Lacedæmone venales proſtarent, ὀρθραγορίσκους hinc ibi dictos eſſe, videbimus infrà, ubi de *Porco marino*.

PORCELLIUS, Poëta Neapolitanus, floruit Romæ; ſeculô 14. præter meritum, à Friderico Urbini Duce magni habitus. Lil. Girald. *Dial.* 1. *de Poët. ſui ævi*, de hoc ſcribit: *Porcelli in verſu naturam potiùs, quàm induſtriam laudaverim.* Vide quoque Volaterr. *in anthrop.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 1.

PORCELLUS Trojanus, vide ſuprà. *Porca*, & infrà *Sus*.

PORCHETUS Salvaticus, Genuenſis, floruit A. C. 1315. Carthuſianus, ſcripſit egregium contra Judæos opus, quô non ex S. Scripturis ſolùm, ſed & ex Talmudiſtarum & Cabaliſtarum libris, veritatem Religionis Chriſtianæ demonſtrat. Editum Pariſiis A. C. 1520. Idem ſcripſiſſe dicitur, *de Entibus & Unis*: in Bibliothec. Jacobinorum Genuæ. Barthol. Paſchetus, *de Genua*. Auguſtin. Juſtinian. *Annal. Genuenſ.* ad A. C. 1299. Auguſtin. Schiaffinus, *Hiſt. Eccleſ. Gen.* Geſner. *in Biblioth.* Raphaël Sopranius, *Script. Ligur.*

PORCI, ſolis hominum Ægyptiis, ad agrorum cultum adhibiti ſunt. Nempe, ut apud Ælian. *Hiſtor. Anim. l.* 10. *c.* 16. refert Eudoxus, τοῦ σίτου σπαρέντος, ἐπάγουσι τὰς ἀγέλας αὐτῶν, αἱ δὲ πατοῦσι τὸν σπόρον καὶ εἰς ὑγρὰν τὴν γῆν ὠθοῦσι, ἵνα μένῃ ἔμβιος, καὶ μὴ ὑπὸ τῶν ὀρνίθων ἀναλωθῇ, *Poſtquam ſementem fecerunt, eorum inducunt greges, qui frumenti ſemen proculcant & in humidam terram propellunt ut vivum maneat, nec ab avibus abſumatur.* Quod ipſum Plutarchus uberiùs exponit, *Sympoſ. l.* 4. *c.* 5. Contrà, reliquis mortalibus *porcus* odioſus eſt, tanquam frugibus & vitibus infeſtum animal. Hinc *Odyſſ. σ. v.* 29. Irus Ulyſſi minatur, ſe pugnis omnes ejus dentes excuſſurum,

—— σύος ὣς ληϊβοτείρης.
Ut ſuis ſegetem depaſcentis.

Nam, ut ait *vetus Scholiaſtes*, Ἐὰν εὑρεθῇ σῦς ἀλλότριον σπόριμον πεδίον βοσκομένη, ἐξοδοντίζεται, *Si reperiatur ſus aliorum ſata depaſcens, dentes ei avelluntur.* Quam legem apud Salaminios invaluiſſe, ſcribit Ælian. *l.* 5. *c.* 45. Atque ob id ipſum Athenienſes, in Cereris myſteriis, ſues mactabant, Idem, *l.* 10. *c.* 16. Quin, ſi Veteribus credimus, hæc victimarum omnium fuit antiquiſſima. Ovid. *Faſtor. l.* 1. *v.* 349.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas meritâ cæde nocentis opes.
Nam ſata vere novô teneris lactentia ſuccis,
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Idque ex doctrina Pythagoræ, quem idem ſic loquentem introducit, *Met. l.* 15. *v.* 111.

—— —— *Prima putatur.*
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtrô, ſpemque interceperit anni.

Qui ſacrificandi ritus à Græcis poſteà ad Romanos tranſiit, qui *præcidaneam porcam dicebant, quam immolare erant ſoliti, antequam novam frugem præciderent*, in *Feſto*. Vide quoque Gellium, *l.* 4. *c.* 6. Sed nec Cereri ſolùm, verùm etiam Baccho ſues immolabantur, quia uti ſegetes, ità & vites ab illis perduntur ac vaſtantur. Unde Ariſtophanis Scholiaſtes, *in Ranis, Actu* 1. *Sc.* 7. Χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο, ὡς λυμαντικοὶ τῶν Θεῶν δωρημάτων, *Sues Cereri & Baccho immolabantur, ut qui utriuſque Dei dona deperdunt.* Apud Ægyptios, etiam Lunæ. Hinc Ælian. *de Animal. l. & c. cit.* poſtquam dixiſſet ſuem nec ſuis fœtibus devorando parcere, ac ſubdidiſſet, propterea hoc animal Ægyptiis utpote Πάμβορον καὶ μυσαρὸν abominationi eſſe, pergit, Πεπιστεύκασι Αἰγύπτιοι τὴν ὗν καὶ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ ἐχθίστην εἶναι· ὅταν δὲ πανηγυρίζωσι τὴν σελήνην, θύουσιν αὐτῇ ἅπαξ τοῦ ἔτους ὗν, ἄλλοτε δὲ οὔτε ἐκείνῃ, οὔτε ἄλλῳ τῶν Θεῶν κλ. *Credunt Ægyptii* porcum *Soli & Lunæ inimiciſſimum eſſe: cùm verò Feſtum Lunæ agunt, quotannis ſemel ei porcum immolant, aliàs nec illi, nec ulli alii Deorum* &c. Auctor tamen *Hiſtoriæ Barlaami* inter Numina quoque Ægyptiorum *porcum* recenſet. In quo graviter eum errare licèt dicat Jac. Ouzelius, *Animadverſ. ad Munucium Fel.* excuſari fortè poterit ex iis, quæ de uſu porcorum in agricultura apud Ægyptios antè diximus, ob quam cauſam & boves vaccaſque variis gentibus cultas notum. Ut de fero ſue ſeu apro hìc nihil dicam, vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 29. Ex eadem cauſa, cui & aliæ acceſſerunt, factum, ut à *porcina* Gentes non paucæ abſtinerent. Et quidem, quandiu ſtetit Judæorum Reſp. nulli in Judæa porci ne fuêre quidem. Hinc Patriarcharum opus camelis, aſinis, bobus, ovibus & capris conſtitiſſe, cùm identidem memoret Moſes, ſuum, quos habuerint cum reliquo pecore, non meminit uſpiam. Et, cùm è vicinis gentibus armenta & greges ſæpe abegerint Iſraëlitæ, ſues in præda bellica nuſquam cenſentur, ſive nulli fuerint, aut nullô locô habiti. David quoque Rex legitur alios habuiſſe præfectos *ſuper boves*, alios *ſuper camelos*, alios ſuper *oves & capras*, ſed de ſubulcis nulla mentio eſt. Unde Porphyrius, *l. de Abſtinentia à cæde animalium*, ullos in Judæa naſci *porcos*, diſertè negat. Neque obſcurum, cur tantopere ab hoc animali abſtinuerint Judæi, cùm, quod non niſi mortuum aliis prodeſt, ne mortuum quidem ulli uſui Judæis eſſe potuerit, utpote quod, nec ad ſacrificia, nec ad eſum adhiberi, Lex illis permiſit, tanquam *immundum*, Levitic. *c.* 11. *v.* 7. & Deuteron. *c.* 14. *v.* 8. Vide hac de re præclara, apud laudatum ſuprà Bochart. *Part. eâd. l.* 2. *c.* 57. Præter Judæos verò

etiam è vicinis populis, nonnulli æmuli eorum, à *porcina* abhorrebant: Arabes, Plin. *l.* 8. *c.* 52. Saraceni, Hieronymus, *in Jovinian. l.* 2. *c.* 6. Phœnices, Herodian. *l.* 5. *c.* 21. Ægyptii, Herodot. *l.* 2. *c.* 47. Barcææ mulieres, in Africa Cyrenaica. Id. *l.* 4. *c.* 186. Æthiopes, *Porphyrius*: Indi, Ælian. *l.* 16. *c.* 37. &c. Vide Eundem ibidem pluribus, ut & ſuprà. Apud Romanos verò ex inſtituto Aureliani Imperatoris *porcinam* populo diſtribui conſueviſſe, indicat Vopiſc. in *ejus Vita*, *c.* 35. *Nam & porcinam carnem populo Rom. diſtribuit, quæ hodieque dividitur*: & gratis quidem, ut *Victor* Schotti docet; fuitque tum inſtitutus Præfectus dividundæ porcinæ, cujus Zoſimus meminit, *l.* 2. Λουκιανὸς τοῦ χοιρείου κρέως ἦν χορηγὸς, ὁ τὸ δημόσιον ἐπεδίδου τῷ Ῥωμαίων δήμῳ, *Lucianus ſuillæ carnis erat Præfectus, quæ publicè dabatur Populo Romano.* Alii erant *Porcinarii urbis Romæ*, quorum mentio, *in l.* 1. *Cod. de Suar. & Suſc. l.* 10. Vide quoque Symmachum, *l.* 1. *Ep.* 13. & Joh. Calvin. *Lexic. Jur.* uti de *Porcorum* cibo intrà voce *Siliquæ*, ſtabulo *Sudes*.

PORCIA, filia Catonis Uticenſis, uxor Bruti, excelſi animi fœmina. Didicit Philoſophiam, elegantioribus animum literis imbuit, ſupra ſexum fortis. Maritô conjurationem contra Cæſarem meditante, ipſa ſe in femore graviter læſit, ut ipſi palam faceret, ſe ad quævis perferenda ſatis firmi animi eſſe. Mortuo Bruto ſupervivere nolens impedita eſt à ſuis, ſed tandem ardentibus prunis in os ingeſtis mortem invenit. Plut. *in Bruto.* Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 16. & *l.* 4. *c.* 6. *ex.* 5. Boccatius, *de Claris Mul. c.* 80.

PORCIA Gens, in Catonum & Liciniorum familias diſtincta, Tuſculô oriunda.

S. PORCIANI oppid. in diœceſi Arvernorum, pagoque Burbonenſi, vulgò *S. Porcain*: dictum à S. Porciano Abbate, qui ibi floruit ſub Theodorico Chlodovei filio. Inter Vernolium & Varennas, ad fluvium Cicaulam *Siolle*, patria Durandi à *S. Porciano.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PORCIFERA, fluv. Liguriæ, ex Apennino, in mare Liguſticum, apud Genuam, per vallem 10. mill. paſſ. decurrens; *Porcevera*, *Leandr.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Porcobera* etiam in tabula antiqua ænea.

PORCILIÆ, oppidum agri Tarviſini.

PORCINUM Caput, vide ſuprà *Caput.*

PORCINUS Venter, vide ſuprà *Lucanicus.*

PORCIUS, gentis Romanæ nomen, ex qua Catones fuerunt. Appellatio à *porcis* eſt. Sunt enim plura populi Romani, ab utroque pecore, majore juxta atque minore petita; de quo Varro *de R. R. l.* 2. *c.* 1. Celebris *Porcia* Catonis filia, Bruti uxor cum doctrinâ ac fide, tum conſtantiâ ac fortitudine exitûs. Quippe quæ ne marito ſuperviveret, ardentes favillas hauſit ore, ſeque è vitâ ejecit. De qua Dio, *l.* 43. & Val. Max. *l.* 4. *c.* 6. *ex* 5. & Plut. *in Bruto.* Vide ſupra.

PORCIUS Cato, vide *Cato.* Jtem *Lucius* & *Marcus.*

PORCIUS Cenſorinus, vide *Lucius.*

PORCIUS Feſtus, Præſes Palæſtinæ & Judææ, Actor. *c.* 24. *v.* 28.

M. PORCIUS Latro, Orator celebris, Senecæ familiaris, magni nominis. An Cordubenſis patriâ? Febre quartanâ moleſtâ & diuturnâ correptus, ſibi ipſi necem intulit, A. 750. Urb. Cond. Ipſi quidem Declamatio contra Catilinam tribuitur, ſed tantô Virô digna non eſt. Senec. *in præf. Contr. & l.* 1. Voſſ. *de Rhet. nat. c.* 15. *&c.*

PORCIUS Licinius, Poëta Latinus, ſub initium ſecundi belli Punici, An. 536. Urb. Cond. A. Gell. *l.* 17. *c. ult.* hos ejus verſus refert:

Punicô bellô ſecundô Muſa pinnatô gradu
Intulit ſe bellicoſam Romuli in gentem feram.

An idem, qui Conſul fuit? Vide *Licinius.* It. *Lucius.*

PORCIUS Septimius, Rhætiæ procurator, incorruptæ erga Vitellium fidei, Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 5. Rectiùs tamen legerim ex Vaticano & Veneto *Septiminus*, ne uni duarum familiarum nomina addantur.

PORCUS Marinus, Græcis ὕαινα, item ὗς, *Archeſtrato* ψαμμίτις ὀρυκτὴς,

Ἐν δ᾽ Αἴνῳ δὲ καὶ τῷ Πόντῳ τὴν ὗν ἀγόρευε
Ἥν καλέουσί τινες θνητῶν ψαμμίτιν ὀρυκτήν,

Foſſor arenarius dicitur. Cujus epitheti rationem *Iſidorus* reddit, cùm ait, *Porci marini, qui vulgò vocantur Sulli, qui, dum eſcam quærunt, more ſuis terram ſub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & niſi roſtrum arenis immergant, paſtum non colligunt.* Nempe piſcis hic roſtro in arena fodit ac rimatur, veluti porcus. *Sullus* autem, pro *Suillus*, quoque dictus eſt. *Dracontius*,

Præcidit Sullus vim cujuſcunque veneni.

Orthragoriſcum appellatum eſſe Lacedæmoniis, Plin. ait, *l.* 32. *c.* 2. *Apion maximum piſcem tradit eſſe* porcum, *quem Lacedæmonii Orthragoriſcum vocant: grunnire eum, cùm capiatur.* Sed Lacedæmonii ita vocârunt non *porcum* piſcem, ſed lactentem porculum, quòd tales manè in foro venales proſtarent, *Heſychius*, Ὀρθραγορίσκοι, χοιρίδιον μικρόν. Apud *Athenæum* in Laconum inſtitutis, θύουσι δὲ καὶ τοὺς γαλαθηνοὺς ὀρθραγορίσκους &c. Hodie *Marſuinum* Galli vocant; quaſi *maris ſuem.* Jul. Scaliger hunc piſcem cum delphine confundit: ſed Veteres diſtinguunt, quod etiam Salmaſ. probat *ad Solin. p.* 536.

PORDOSELENE, inſula juxta Lesbum cum urbe cognomine. Aliqui ut civiliùs loquantur, *Poroſelenen* dicunt, *Steph.*

POREDORAX, unus ex 40. Galatis ſeu Gallis, quos Mithradates, in ſe conjuratos cùm comprehendiſſet, jugulari atque inſepultos abjici juſſit: à puella Pergamena, quam amaverat, contemtô Regis interdictô vitæque diſcrimine, ſepulturæ traditus eſt. Plut. *de Virtut. Mulierum*, *c.* 23.

POREUS, pagus cum cœnobio Picardiæ, ad Somonam fluv. inter Ambianos & oram.

PORINA, fluv. Peloponneſi, apud Cyllenen, Achajorum & Pheneatum terminus, Pauſan. *l.* 8. Nomen ab ipſa urbe etiam hodie recipit.

PORINUS Silenus, Πώρινος Σειληνὸς, apud Plut. in *Vita Andocidis*, ſimulachrum eſt Sileni, ex *Poro* marmore facti, quod, *tophi* levitate præditum, cætera Pario ſimile erat, uti *Theophraſtus* docet. Ex eo multa Veter. opera fiebant, quæ πώρινα dicebantur, ut Πάρια, quæ ex Pario marmore. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 183. & 1101. ubi arenâ, quæ ex *Poro* lapide fiebat, marmora poliri conſueviſſe, ex Plinio docet, *l.* 36. *c.* 6. ſimulque Cardanum eô gemmas quoque antiquitus ſculptas fuiſſe contendentem, refellit.

PORNÆ, apud Juſtinianum, *tit. de Conſulibus in Nov. §. ac primus quid*, juxta interpretationem *Haloandri*, ſunt ludi Scenici, ſic dicti, à productione *meretricum* in ſcenam, & commemorantur inter ſpectacula, quaſi Floralia, quæ per meretrices & perditiſſimorum hominum genera celebrabantur &c. Qui locus indicat, turpiſſima illa ſpectacula tardè fuiſſe ſublata. Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Græcis autem πόρνη, *meretrix.* Vide Cl. Suicer. *Theſ. Eccl.* voce Πορνεία.

PORNOPIONI Apollini ſacra facere dicuntur Bœotii, ne culicibus provincia obnoxia reddatur. Lege *Parnopioni.*

POROLISSUM, fluv. Sarmatiæ Europææ; *Ptolem.*

POROSELENE, inſul. maris Ægæi, cum oppido cognom. apud Lesbum.

PORPHYRA, Græcè *Purpura* (de qua voce infrà) locus Conſtantinopoli, ubi Imperatorum Græcorum Auguſtæ puerperiô ſolebant defungi, unde *Porphyrogenitorum* illuſtre cognomen, ſecundùm Auctorem Anonymum, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* *Palatium purpureum*, à Conſtantino M. ædificatum eô fine, qui dictus eſt, Luitprando, *l.* 1. *c.* 2. Aliis tamen filii Imperatorum ſic cognominati fuêre, quia ſtatim geniti *in purpura* colligebantur, quibus favere videtur Zonaras de Conſtantino Duca Imperatore agens, ſed prior ſententia doctioribus arridet magis. Idem Luitprandus, *in Legat. Inaudita res eſt*, inquit, *ut porphyrogenita, h. e. in purpura nati filia, in purpura nata, gentibus miſceatur.* Infrà, *Sed Chriſtophorus, ajunt, non Porphyrogenitus fuit.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Not. ad Alexiadem*, ut & Macros Fratres *Hierolex.* nec non infrà *Porphyrius*, *Porphyrogeniti* &c. Ad quam vocem alludens Nicenus *contra Judæos*, Eccleſiam Chriſti *Porphyram* appellat & Chriſtianos *Porphyrogenitos*, quia purpureô ſanguine Agni immaculati ſunt redempti. *Iidem*, Quò pertinet illud tralatitium de Eccleſia, *Sanguine fundata* &c.

PORPHYREUM, Poſtello *Cayſa*, Rawolfio *Hayphe*, urbs Phœnicis, apud oram littoralem & Carmeli radicem. Populi *Porphyreonii* & *onitæ*, *Steph.*

PORPHYRION, Gigas vaſtiſſimus, unus ex iis, qui ſuperis bellum intulerunt. Horat. *l.* 3. *Carmin. Od.* 4. *v.* 54.

Aut quid minaci Porphyrion ſtatu, &c.

Claudianus, *in Gigantomachia*, *v.* 34.

—— *Te Delphica laurus*
Stringat Porphyrion, Cirrhæaque templa teneto.

PORPHYRION, urbs Phœniciæ, ad Carmeli montis radices, *Steph.* Item vetus Horatii Commentator.

PORPHYRIONE, inſula in Propontide ante Cyzicum, Plin. *l.* 5. *c. ult. Iſola di Chizico* hodie.

PORPHYRIS, inſula in ſinu Laconico, à purpura, vel porphyrite lapide. Hæc & *Cythera*, ab urbe, Veneris natalibus clara. Hodie *Cerigo.* Sub Venetis. Eam Sinan Cigalis Archipelagi ſpeculam vocare ſolitus eſt. Davity *de Rep. Ven. Part.* 3. *p.* 190.

PORPHYRITE, oppid. Arabiæ prope Ægyptum. *Steph.* in Thebaide eſt, *Euſeb.*

PORPHYRITES, marmoris genus, candidis punctis in rubro lucentibus inſigne. Plin. *l.* 36. *c.* 7. *Rubet porphyrites in eadem Ægypto, ex eo candidis intervenientibus punctis, Leucoſtictos vocatur.* Salmaſ. *Leptopſephos*, ex Græco λεπτόψηφος, legit Paulus Silentiarius,

—— πολὺς δ᾽ εὐπήχεϊ Νείλῳ
Φορτίδα πιλήσας ποταμήτιδα λᾶας ἀνίσχων
Πορφύρεος, λεπτοῖσι πεπασμένος ἀστράσι λάμπει.

Ubi λεπτοὺς ἀστέρας, *exiles ſtellulas* vocat in *Porphyrite* lapide candida illa puncta, quæ rubro interlucent, quas alii λεπτὰς ψήφους, unde λεπτόψηφος ipſe lapis appellatus. Sidonius *furfures* vocat, *Ep.* 1. *l.* 2. *Neque per ſcopulos Æthiopicos & abrupta purpura genuinô fucata conchyliô ſparſum mihi ſaxa furfureum mentiuntur.* Quæ *ſaxa fucata genuinô purpuræ conchyliô, ſparſum furfurem mentientia*, Porphyretica omnino ſunt. Fiebant ex hoc lapide, ut & Acathe, columnæ; ſicut ex onyche pavimenta. Lucanus, *l.* 10. *v.* 115.

—— *ſtabatque ſibi non ſegnis Achates,*
Purpureuſque lapis, totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Eundem pulchrè deſcribit Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, *v.* 148.

Heic Lybicus, Phrygiuſque, heic dura Laconum
Saxa virent: hîc flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupeſque nitent queis purpura ſæpe
Oebalis & Tyrii moderator livet aheni.

Hinc *Porphyreticum marmor*, apud Æl. Lamprid. in *Alexandro Sev. c.* 25. *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, h. e. porphy-*

porphyretico & Lacedæmonio primus inſtituit, Palatio exornatô hôc genere marmorandi. Non quòd Alexander primus marmorationem inſtituerit ex duobus marmoribus: jam Claudii enim ac Neronis temporibus notum illud inventum, ut docet Plin. *l.* 36. *c.* 1. & Seneca, *Ep.* 86. qui Alexandrina marmora cruſtis Numidicis ſolita temporibus ſuis diſtingui refert: Sed quia novum illud quoddam genus fuit è *Porphyretico* & Lacedæmonio, Caſaubonus, *ad l.* Porticus *porphyreticæ* meminit Flav. Vopiſcus *in Probo*, *c.* 2. *Uſus etiam eſt regeſtis ſcribarum porticus* Porphyreticæ, *actis etiam Senatus, ac Populi.* Heliogabalus verò etiam plateas in palatio ſaxis Lacedæmoniis ac *Porphyreticis* ſtravit, quas *Antoninianas* vocavit, quæ ſaxa ad ſuam uſque ætatem manſiſſe, ſed eruta dein atque exſecta eſſe, narrat Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 24. Ut non mirum ſit, quòd Λάρνακος πορφυρᾶς, i. e. *arca Porphyretici marmoris*, in qua corpus Juliani repoſitum, mentionem facit *Cedrenus.* Et in *Ceremonialibus* Eccleſiæ Romanæ *Porphyretica rota* frequenter occurrit: lapis ſcil. rotundus, in pavimento Baſilicæ Lateranenſis poſitus, in quo Pontifex varias olim functiones peragebat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim* & *Lamprid. d. l.* necnon Macros Fratres *Hierolex.* & infrà, ubi de *Rota Porphyretica.*

PORPHYRIUS, philoſophus Tyrius, clarâ ortus proſapiâ, à puero uſus præceptore Longinô, virô doctiſſimô. Sub finem ſeculi 3. Priùs *Malchus* vocabatur, deinde ob veſtem regiam purpuream, quâ ob nobilitatem utebatur, *Porphyrius* à Sophiſta Longino, qui ejus in Rhetoricis Præceptor erat, dictus eſt. Romam poſteà profectus Plotinum audivit, unà cum Origene & Amelio condiſcipulis. Inde in Siciliam navigans, apud Lilybæum morbô correptus, à Plotino magiſtro, qui eò ſe contulerat, & præſenti & philoſophicâ oratione recreatus eſt, adeò ut ſtatim convaluerit; moxque Romam ſimul repetens, ibidem obiit, ſub finem Imperii Diocletiani, ut videtur quibuſdam, relictis operibus, in quibus contraria & pugnantia inter ſe videtur aſſerere. Cauſa putanda eſt, quod, quæ priùs probaverat, ea poſteà retractaverit. Eum Chriſtianum primò fuiſſe, ſcribunt Auguſtin. *l.* 10. *de Civ. Dei*, *c.* 26. 27. *Socrates*, alii; poſteà verò, quòd correctionis impatiens eſſet, deſciviſſe. Lactantius, *l.* 5. *c.* 2. & 4. duorum meminit Philoſophorum, qui contra Chriſtianos ſcripſerint, quorum prior ſine dubio hic Porphyrius fuit. Vide infrà. Deſcribit eum, velut ſub velo Philoſophi omnibus vitiis coopertum, avarum ſimul ac luxurioſum, quique opibus ſuis ipſos Judices corruptos habuerit in poteſtate. Ejus opera ſunt, *de Divinis nominibus liber unus. De Principiis, duo. De Materia*, 6. *De Anima*, 5. *De Animalium abſtinentia*, 4. *De Cognoſcendo ſeipſum*, 4. *Quòd una fuerit Platonis Ariſtoteliſque ſecta*, *libb.* 7. *In Hiſtoriam Juliani Chaldæi Philoſophi, libri quatuor. Contra Chriſtianos, libri quindecim. Vitæ Philoſophorum In Dialecticam Iſagoge*, aliaque complura. Floruit Aureliani Cæſaris temporibus, uſque ad Tacitum & Probum Imperatores *Suidas.* Adverſus autem libros, quos contra nos edidit, Methodius, Euſebius, & Apollinaris 30. voluminibus apologiam edidêre, Hieronymus. Vide illum *in præf. Catal. Script. Eccleſ.* Cyrill. *l.* 1. *contr. Julian. Theodoret. Suidam*, *Scaligerum*, Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 243. Et Jonſium, *de Script. Hiſt. Phil. l.* 3. *c.* 15. Plura quoque legi poſſunt apud Eunapium, qui vitam Porphyrii à nemine editam primus literis mandavit, & Cl. Virum L. Holſtenium, *tract. de vita & ſcript. Porphyrii*, quæ olim combuſta, Theodoſii M. juſſu A. C. 448. eſſe, patet ex Actis Concil. Epheſini. *Nic. Lloydius.*

PORPHYRIUS, Epiſcopus Gazenſis, A. C. 400. ab Ethnicis gravia paſſus, patienter illa tulit. Cùm poſteà impetrâſſet, ab Arcadio Imperatore, ut Marnæ idolejum celeberrimum Gazæ deſtrueretur, neque id à miniſtris Cæſareis pecuniâ corruptis effectui daretur, Conſtantinopolim profectus, quod petebat, obtinuit. Morer. *Diction. Hiſt.*

PORPHYRIUS, Pſeudo Epiſcopus Antiochenus, vitiis infamis, poſt S. Flavianum, A. C. 404. ſe intruſit: ſævus dein in incolas, militibus pecuniâ corruptis, illos ad ſacra ſua coëgit. Obiit A. C. 408. ſurrogatô ei Alexandrô. Theodoret. *l.* 5. Baronius *in Annalib.* Item auctor Panegyrici Conſtantini, verſibus conſtantis; Scripſit in exilio, unde revocatus eſt. Prodiit hoc ſcriptum, A. C. 1595. Hieron. *in Chron.* Fulgent. *Mythol. l.* 2. Beda *de arte metri.* Rabanus Maur. *Prol. l. de laud. S. Crucis.* Baron. *A. C.* 325. *n.* 90. 2. *edit.*

PORPHYRIUS, cognomen Clodii Albini Imperatoris de quo ſic Jul. Capitolin. *c.* 5. *Quum pueri ejus familiæ ruſſulis faſciolis colligarentur, quòd fortè lotæ atque udæ eſſent ruſſulæ faſciolæ, quas mater prægnans paraverat purpureâ matris illigatus eſt faſciâ unde illi jocô nutricis etiam* Porphyrii *nomen inditum eſt. Quæ atque alia, ſigna futuri Imperii fuêre.* Nempe color purpureus quoquô modô infanti admotus, ſpem faciebat regiæ fortunæ: quia πορφύρα ſeu *purpura* Imperii erat ſymbolum, & propria Imperatorum, ut notum ex Hiſtoria & *Codice.* Unde inſtitutum poſteà ab Imperatoribus Conſtantinopol. ut Auguſtæ liberos non parerent, niſi πορφύρᾳ, *in purpura*; quem morem Nicetas Choniates aperit, *l.* 5. & Luithprandus, *l.* 1. *c.* 1. Indidem eſt, quòd apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ inter omina Imperii, quæ frequentiſſima ibi, ſemper ferè purpureum quiddam invenitur. Vide in *Diadumeno*; *c.* 3. ſic Aureliano, *c.* 4. omen Imperii fecerunt crepundia purpurea, &c. Apud Hieremiam Prophetam Lamentationum, *c.* 4. *v.* 5. οἱ τιθηνούμενοι ἐπὶ κόκκων, non de regiis infantibus dicitur, ſed de iis, qui in ſummis deliciis educantur. Vetus tamen Interpres vertit, *qui nutriebantur in croceis*; quod poteſt referri ad exquiſitiorem ciborum paratum. Nam & à colore cibum commendari, diſcimus ex Ariſtophane, *in Equitibus*, ubi ἔτνος εὔχρων: ſed refellit id Hebraica veritas. Sic in Antipatri *Epigramm.*

Ἡ καὶ ἔτ' ἐκ βρέφεος κοιμωμένη Ἀντιοδημὶς

Πορφυρέων Παφίης νοσσὶς ἐπὶ κροκίδων:

Etiam moris infantibus fuit, appendere σήμονα κόκκινον, *filum purpureum*, ut narrat Chryſoſtomus, *Homil.* 13. *in* 1. *Cor.* ſed ejus rei præter ornatum alia fuit cauſa, quam lege apud ſanctiſſimum illum Virum. Caſaubon. *ad l. c.* Vide quoque ſuprà in voce *Porphyra.*

PORPHYROGENITI, ſeu PORPHYRETICI, apud Conſtantinopolitanos olim dicti ſunt, Imperatorum ac Regum liberi, quaſi *in purpura* ſeu Patre Imperatore vel Rege, *nati*; quos *in Imperio natos*, interpretatur *Chunradus Urſpergenſis.* Latinis *Purpurati.* Senator, *l.* 11. *Ep.* 1. *Placidiam mundi opinione celebratam — purpurato filio* (Valentiniano) *ſtuduiſſe percipimus.* Sic apud Eund. *l.* 8. *Ep.* 5. *purpuratam infantiam*, filium vocat Athalaricus Rex, Quòd ſcil. in *purpura* nati atque adeò faſciis purpureis inligati ac circumvoluti, ſic offerri Imperatrici conſueverint. Iidem ἐν ἁλουργίδι τραφέντες dicuntur, apud Libanium in προσφωνητικῷ, quem Juliano inſcripſit, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque quæ diximus paulò ſuprà, ut & infrà in phraſi *Purpuram adorare.*

PORPHYRUSSA, inſula. Vide *Porphyris*, & *Cythera.*

PORRACEUM, πράσινον, Græcis in ſupremo viriditatis gradu ponitur; vocant enim illi πράσινον χρῶμα καὶ πρασοειδὲς eum colorem qui ad plenum & ſaturè ac *meracè viridis*, ſeu qui auſteri viroris eſt. Unde πράσινος λίθος, de ſmaragdo præſtantiſſimo propriè. Et Plinio chryſopraſus chryſoberyllo viridior dicitur, quòd *ex auro & porraceo mixtam lucem trahat.* Reliqua verò χλωρὸν ἰῶδες, σμαραγδίζον, ἰσατῶδες, remiſſiùs viridia ſunt, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1106. Vide infrà *Porum*; unde voci origo, it. voce *Praſina.*

PORRETA Margarita, vide *Margarita.*

PORRETANI, ſectatores Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis, de quo Otto Friſing. *l. de geſtis Friderici*, *c.* 46. 47. & alii apud Baronium, *A. C.* 1147. Beſlium & Sammarthanos. Ebrardus Bethun. *contra Valdenſes*, *c.* 1. *Ne ſimus Nominales in hoc, ſed potiùs Porretani.* De Gilberto eodem, Alanus de Inſulis *Anticlaud. l.* 4.

Illic caſtra tenet & eadem miles in arte
Gilbertus ſaltu fallaci tranſilit artem.

Vide *Metalogicum* Joh. Sariſberienſis, *l.* 2. *c.* 17. citatum Car. du Freſne *Gloſſar.*

PORRETANUS Guilielmus, Epiſcopus Pictavienſis de *Trinitate* perperam ſenſit, vide *Abælardus* ſuprà.

PORRICERE, apud Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 238.

—— —— *Extaque ſalſos*
Porriciam *in fluctus.* ——

eſt *exta Diis dare*, Varrò *de R. R. l.* 1. *c.* 29. verbum ſacrificale, quaſi *porrò iceo*, *jacio.* Vel antiquum eſt pro *Porrigere*, unde *Exta porrecta*, apud eundem. Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 2. *Ex diſciplina Aruſpicum, ex præcepto Pontificum verbum hoc ſolemne ſacrificantibus eſt; ſicut Veranius ex libro primo Pictoris ita diſſertationem hujus verbi exſecutus eſt; exta porriciunto: diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebant.* Vide Briſſonium, *Formul. l.* 1. *p.* 27. & infrà *Proſicia.*

PORRIMA, ſoror, ſive comes Carmentæ matris Euandri. Ovid. *l.* 1. *Faſtor. v.* 633.

Porrima placantur, Poſtvertaque ſive Sorores,
Sive fugæ comites, Manali nympha, tuæ.

PORRUM, inter hortenſia, deſcribitur Plinio, *l.* 19. *c.* 6. ubi is inter alia, *ſectivo auctoritatem dediſſe principem Neronem, vocis gratiâ, ex olea, ſtatis menſium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem veſcendo*, refert. *Voci namque ſplendorem afferre*, dicit idem, *l.* 20. *c.* 6. Vide quoque Palladium, *c.* 24. *Febr.* At planè Ægyptiis olim pro Numine: quibus proin, ut Juvenalis obſervat *Satyr.* 15. *v.* 9.

Porrum *& cepe nefas violentô frangere morſu.*

Hi nimirum fuêre, qui, ut Prudentius canit *contra Symmachum*, *l.* 2. *v.* 464.

—— *Quadriviis brevioribus ire parati*
Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis,
Porrum *& cepe, Deos imponere nubibus auſi,*
Alliaque —— *cœli ſuper aſtra locare.*

Unde etiam irridendi Aſclepiadis, qui, iſta damnans, pari ſtultitiâ æquales Deos coleret, materiem ſumens, apud Eund. περὶ στεφάν. *Hymnô* 14. *v.* 259. Romanus Martyr ait:

Adpone porris *religioſas arulas,*
Venerare acerbum cepe, mordax allium,
Fuliginoſi thure placantur Lares,
Et reſpuuntur conſecrata holuſcula?
At unde major eſſe majeſtas focis,
Quàm nata in hortis ſarculatis, creditur?
Si Numen ollis, Numen & porris *ineſt*, &c.

Vide Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theolog. Gentil. purior. c.* 1. §. 1. Ex *porris* juſculum confectum, *Porrectum* dicitur, in *Mirac.* S. Galterii Abbatis Pontiſarenſis, *num.* 26. Gall. *Porrée*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & ſuccô ejus ad trium denariorum argenteorum pondus hauſtô, Melam equeſtris ordinis reum ex procuratione, Tiberio principe, accerſitum, confeſtim exſpirâſſe ſine cruciatu, legas apud Plinium ſuprà laudatum, *l.* 19. *c.* 6.

PORSENA, Rex Hetruſcorum, cujus regni caput Chiſium, hodie *Chiuſi*, in Tuſcia, erat. Hic pro reſtitutione Tarquiniorum Romanis bellum intulit; cumque jam ex Janiculo in urbem irrueret, Horatii Coclitis virtute retardatus eſt, donec pons à tergo ſolveretur. Poſt hæc, cùm urbem obſidione cinxiſſet, A. C. 247. Urb. Cond. nihilque ſe proficere intelligeret, acceptis obſidibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dibus, ad ſua ſe recepit, incredibili Romanorum virtute perterritus, cujus ſpecimen viderat in Clælia virgine & Q. Mutio, qui ſolus caſtra hoſtium ingreſſus, unum ex purpuratis per errorem pro rege occidit, ſtatimque captus, cùm Porſena exquiſitiſſima illi ſupplicia comminaretur, dextram in focum injecit, nullâque vultus mutatione exuſſit, partim, ut à dextrâ ſuâ, quæ in cæde aberrans purpuratum ſatellitem pro rege occiderat, pœnam ſumeret. Plura apud Livium, *l. 2. c. 9. 10. 11. 13. 25. Plutarchum*, Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 5.* Flor. *l. 1. c. 10. Eutrop. Oroſ.* &c. Horatius, *in Epod. Od. 16. v. 4.*

Minacis aut Etruſci Porſena manus.

Martialis, *l. 1. Epigr. 22. v. 5.*

Urere quam potuit contemptô Mucius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Virgilius mediam dictionis hujus ſyllabam conſonante licenter geminatâ extendit. *Æn. l. 8. v. 646.*

Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obſidione premebat,
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

PORSENNA Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus.*

PORSICA, *Stephano Perſa*, oppid. fuit Meſopotamiæ ad Euphratem apud Samoſata, unà cum illis exciſum.

PORTA, præter commune ſignificatum, recentiori ævô, munus ipſum *Portarii* Monaſtici nonnunquam denotat, ſeu quod ad portæ officium pertinet, apud Adalardum in *Statutis* Corbejenſibus, *p.* 8. 19. & Hariulfum *Chron.* Centul. *l. 3. c. 19.* Tribus quoque vel urbis regio ſic vocatur apud Mediolanenſes ac Italos. Sigonius, *de Regno Ital. l. 6. Mediolanenſium civium alios in tribubus urbis, quas illi* Portas *vocabant & agri pagis, quos Plebes nominabant, Capitaneos* (Otto I.) *conſtituit.* Liber inſcriptus *Flos florum: Iſtô tempore, & per longa tempora antè Archiepiſcopus Mediolani erat dominus ſpiritualis & temporalis Mediolani & regebatur civitas per Conſules datos per Archiepiſcopum, quibus enſem ipſe dabat, cùm regere inciperet: aliquando per Capitaneos factos per Archiepiſcopum, in qualibet* porta *ſpecialis parentela regebat.* Mox addit, unicuique *Portæ* ſive regioni fuiſſe vexilla propria, quorum colores & figuras deſcribit. Sic *Sunima Portæ* meminit vetus *Charta* apud Camillum Peregrinum *in Diſſertat. Italica de notione hujus vocis.* Vide quoque Falconem Beneventanum, *p.* 209. 229. & Ottonem Morenam, *Hiſtor. Rer. Laudenſium paſſim.* Cœterùm *Portæ urbium*, quô pactô à priſcis Conditoribus deſignari fuerint ſolitæ, docet Plut. *in Romulo*; ubi poſtquam dixit, conditorem aratrô æreô vomere adjunctô, junctiſque bobus, mare & fœminâ, circa lineamenta, ab Hetruſcis Sacerdotibus, certis quibuſdam ceremoniis adhibitis, facta, profundum induxiſſe ſulcum, ſicque mœnia fuiſſe definita; pergit: *Ubi* Portam *deſignare viſum eſt, vomere exemptô atque aratrô ſublatô, ſpatium reliquit.* Additque, *Unde totum habent murum, præter portas, ſacrum. Nam eas ſi ducerent ſacras, religioſum eſſet neceſſaria ac impura in Urbem recipere & exportare.* Sic M. Cato *in fragm. Captatô*, inquit, *augurio, qui urbem novam condebat, taurô & vaccâ arabat, ubi arâſſet, murum faciebat: ubi Portam volebat eſſe, aratrum tollebat &* Portam *vocabat.* Neque ſolùm Urbes, ſed & Caſtra, apud Romanos præſertim, ſuas habuêre portas, eaſque ut plurimùm quatuor, de quibus hîc paulò infrà. Quâ verò ratione *Portæ* olim claudi atque aperiri conſueverint, diximus ſuprà in voce *Balanus*, alibique paſſim. At apertæ ſponte, ingentis alioqui moliminis, inter peſſimi ominis portenta olim habebantur. Cujuſmodi quid Thebis accidiſſe, memorat Cicero, *de Divinat. l. 2.* Sic enim Deos è loco diſcedere creditum. Virg. *l. 2. Æn. v. 351.*

Exceſſêre omnes adytis ariſque relictis
DI, quibus Imperium hoc ſteterat ———

Papinius Statius, *Theb. l. 8. v. 173.*

——— *& per tentoria ſermo*
Unus, abiſſe Deos, delapſaque Numina caſtris &c.

Sed & vocem auditam, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc*, in Templo Hieroſolymitano, ante ſummum ejus excidium, memorat Joſeph. *Haloſeos l. 6. c. 31.* ubi *Portam Orientalem* interioris Templi, æneam firmiſſimamque & à viginti aliàs hominibus ægrè claudi ſe paſſam, ſponte ſe aperuiſſe, addit. Porrò *ad Portas*, ut & omnia alia loca frequentiora, Genethliaci aliique Circulatores & Agyrtæ, ſtipes olim Conſultoribus excutiebant. Unde πυλαϊκὴ ὀχλαγωγία apud *Plutarchum*, ubi Pyrrhus Lyſimacho ſomnium ſibi interpretanti dicit, ὅτι ταῦτα μέν ἐστι πυλαϊκῆς ὀχλαγωγίας, καὶ ἀσοφίαν ἔχοντα πολλήν. Vide Deſ. Heraldum, *ad Arnobium, l. 1.* Etiam in *Portis* Urbium, apud Iſraëlitas, locum judicii fuiſſe, ex Sacris diſcimus. In earum verò tranſitibus exigi aliquid ſolitum, pluribus docet Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macri Fratres *Hierolex.* in voce *Portaticum.* In Templis Græcorum, ut de iis etiam verbum addam, quæ circa ſecul. VI. Orientales Monachi in tres partes dividere cœperunt, Ἱερατεῖον, Ναὸν, & Νάρθηκα; Sanctuarium ſeu τὸ Ἱερατεῖον à Templo Ναῷ tabulatô aliquô, aut etiam murô, dividebatur, in quo erant *portæ*, ab iis *Sanctæ* dictæ, ut Ναὸς à Narthece, in quo ſimiliter *portæ* erant, *Speciosæ*, ὡραῖαι, appellatæ &c. Vide Morinum, *de Adminiſtrat.* Pœnit. *l. 6. c. 1.* & plura ſuprà ubi de *Oſtiariis*, item in vocibus, *Fores*, *Janitor*, *Janua*, *Janus*, &c. De *Portis* privatorum id unicum adſpergo, antiquis temporibus etiam illas raro patuiſſe; tum apud Græcos, tum apud Romanos. Unde veteres Græci de homine φιλοξένῳ, ejus januas totô poſte ſemper apertas fuiſſe, dicebant, οὐδέποτε ἴσχει ἡ θύρα. Et Martialis Proculi humanitatem erga hoſpites laudans, *l. 1. Epigr. 7. v. 14.* ait,

Nulla magis totô janua poſte patet &c.

PORTÆ CASTRORUM, APUD ROMANOS.

I. Prætoria, prima erat, aliàs quoque *Quæſtoria* dicta: quæ vel Orientem Solem ſpectare, vel è conſpectu hoſtium dirigi ſolebat: ut ſi quando ad arma conclamatum foret, ſine tumultu extra caſtra contrahi multitudo, & explicari ordines ſignaque educi poſſent. Etenim ubi acie decernendum erat, illinc cohortes educi & copiæ admoveri ſolebant. Ibidem & militum ſtatio copioſa inſtructaque ad ſubitos conatus erat: Quas ob cauſas quoque *Principalis* nuncupata eſt. II. Decumana, altera fuit à tergo Caſtrorum, ſic dicta, quòd ampla eſſet ac patens: ex qua deſertores & facinoroſi, in quos jure militari animadvertendum erat, educebantur pœnis coërcendi. III. Principalis tertia erat; ex qua Principes ac ſummi Duces velut ex poſtico, ſi quando opus eſſet, ſuis laborantibus opem ferebant, ordines tendebant & milites educebant. Ad hanc via quoque quæ ferebat, *Principalis* dicta eſt. IV. Quintana, quarta fuit, poſt Prætorium: Per quam commeatus in caſtra convehi & rerum utenſilium copia venalis exponi; inde etiam merces, ad uſum militaris multitudinis, quæque bello uſui eſſent, importari & exportari ſolebant. Vide Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l. 1. c. 12.* His quatuor *Portis* addit Hadr. Turnebus, *Adverſar. l. 30. c. 24.* Extraordinariam, prope quam tetenderint Extraordinarii, ex Livio, *l. 40. c. 27.* Idem duas Principales fuiſſe, dextram & ſiniſtram, à *Principalibus* nomen adeptas, contendit ex eodem Livio, *l. cit.* Vide Roſin. *Antiqq. l. 10. c. 12.*

PORTÆ ALIÆ CELEBRES, APUD SCRIPTORES.

α. *Porta Argentea* Baſilicæ S. Petri Romæ, apud Anaſtaſium in *Sergio* II. & Paulum Diacon. *Chron. Caſin. l. 4.* β. *Porta Aurea* Conſtantinopoli, Græcè πύλη χρυσῆ, de qua copioſè egit Car. du Freſne *ad Willharduinum num.* 129. & *in Conſtantinopoli Chriſt.* Romæ, apud Ottonem Friſingenſem *de Geſtis Frider. l. 2. c. 22.* & Guntherum, *Ligur. l. 4.* Hieroſolymis, in *Geſtis* Franc. expugn. Hieroſ. *p.* 572. Theſſalonicæ, apud Joh. Cameniatam, *de Excid. Theſſalon. c. 24.* Ravennæ &c. Dictæ autem ſunt in Civitatibus majoribus *Portæ aureæ*, portæ præcipuæ, per quas ſolennis ingreſſus vel proceſſus fieri ſolebat. γ. *Porta S. Baſilii*, memoratur in *Expedit.* Aſiat. Friderici I. Imperator. *p.* 64. eſtque anguſtia itineris cujuſmodi Hiſpani *Portus*, Græci τὰ στενὰ, item πύλας, Latini veteres Clauſtra montium, recentiores *Clauſuras* vocant. Quomodo vocem uſurpant, inter alios, frequentiſſimè Albertus Aquenſis, *l. 1. c. 8. l. 3. c. 5.* & *l. 10. c. 38.* ac Raim. Montanerius, *c.* 207. δ. *Portæ Eccleſiarum*, reliquiis Sanctorum conſecratæ vel non conſecratæ, occurrunt apud Longobard. *l. 1. tit. 9.* §. 30. & in *Capitul.* Caroli M. *l. 4. c. 13.* ε. *Porta Guidonea*, fuit una ex quinque portis Vaticanæ Baſilicæ, ubi nunc eſt *Porta Sancta*: Sic dicta, quia ibi Guidones reſidebant. Sic autem vocabantur Clerici à Carolo M. inſtituti ad ducendos peregrinos, in viſitatione ſacrorum ejuſdem Urbis locorum, uti quidem habent Dominic. & Carolus Macri fratres *Hierolex.* ζ. *Porta Hiſpaniæ*, apud Rogerum Hovedenum, *p.* 560. i. e. *aditus anguſtus.* η. *Porta Judicii*, una ex quinque portis Vaticanæ Baſilicæ, fuit ſic appellata, quod per eam mortui tantum inferrentur. θ. *Porta Levatura*, pons ſublicius ad portas urbium, *Hiſtor. Cortuſior. l. 6. c. 5.* ι. *Porta Populoſa*, in Jure Hungar. domus habens juſtam integramque familiam, *Alb. Molnarus.* κ. *Porta Ravenniana*, una ex S. Vaticanæ Baſilicæ portis Ravennates ſeu Tranſtiberinos ſpectans. λ. *Porta Regia*, ſeu abſolutè *Regia*, vide infrà. μ. *Porta Romana*, ſecunda ex quinque Vaticanæ Baſilicæ portis, quòd cives utriuſque ſexus per eam egrederentur, nomen adepta. ν. *Porta Ruſſia*, apud Rogerum, *de Deſtruct. Hungar. c. 14.* i. e. anguſtia, vide ſuprà. ξ. *Porta* S. Baſilii & *Porta* Hiſpaniæ. ο. *Porta Sancta*, porta eſt Vaticanæ Baſilicæ ubi priùs *Porta Guidonea*, &c. π. *Porta Speciosa*, in Templo Hieroſolymitano cujus mentio in Actis Apoſtolis. *c. 3. v. 22.* *Porta Veritatis*, in Ægypto vide infrà *Veritas*, & ſuprà *Ctenaria.*

PORTA, in Oriente, Aulam denotat cujuſcunque Principis: Sic à Georgianorum Regina, ad *Portam* ſuam, invitatum ſe refert P. de Valle, *Itiner. tom. 3.* Κατ' ἐξοχὴν *Portam* Ottomannicam ſeu Turcarum Imperatoris aulam ſignificat. Imo & *Limen* portæ pro Aula ſumitur: quod tutiſſimum Aſylum, Perſis proin *Aſtanè i Doulèt*, i. e. Limen Beatitudinis vocatur. Cui ſimile illud: *Adlimina Apoſtolorum*, quibus verbis Romæ, modò Petri Baſilica, modò Aula Pontificis indigitatur. Idem, *tom. 2:*

PORTA Auguſta, Hiſpaniæ Tarraconenſis in Vaccæis oppid. *Torquemada* Taraphæ.

PORTA Capena, vulgò *di S. Sebaſtiano*, unde via Appia. Ejus meminit Ovid. *Faſt. l. 6. v. 191.*

Lux eadem Marti feſta eſt; quem proſpicit extra
Appoſitum Tectæ porta Capena viæ.

Martialis, *l. 3. Epigr. 47. v. 1.*

Capena grandi porta quà pluit gutta.

Juvenalis, *Satyr. 3. v. 11.*

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

PORTA Carmentalis, à Carmenta, quam Romani uti Deam templô illi extructô coluêre, nominata eſt, ad radices montis Capitolini, verſùs Tiberim, nunc non extat. Virg. *Æn. l. 8. v. 338.*

——— ——— *Monſtrat & aram,*
Et Garmentalem Romanô nomine portam.

Quæ & *Carmentis* ab Ovid. dicitur, *l. 2. Faſt. v. 201.*

Carmentis porta dextro eſt via proxima Jano:
Ire per hanc noli, quiſquis es; omen habet.

PORTA

PORTA, Joh. Baptiſta, vide *ibi*.

PORTA Mauritius, vide *Mauritius*.

PORTA Philippus, Carnutenſis, excellens Poëta Gallus, Henrici III. in itinere Polonico comes, ac cum illo reverſus, ejus gratiâ inſigniter floruit. Carminis unius pretium à Duce Gaudioſiæ tulit Abbatiam prædivitem; Bibliothecam inſignem collegit, ſplendidè vixit, ſed cultûs negligentior fuit, Obiit A. C. 1606. æt. 61. Vide Perroniana, Sammarth. & Anton. Teiſſier. *Elog. Part.* 2. ubi ſcripta ejus enarrat.

PORTACRA, Tauricæ Cherſoneſi urbs, *Ptolem.*

PORTÆ URBIS ROMÆ:

Agonenſis quæ & Collina, & Quirinalis, poſtremò Salaria, *Porta Salara*. Unde via Salaria incipit.

Aurelia, apud molem Hadriani, ſed hodie non exſtat. Inde via Aurelia per Hetruriam Centumcellas ducens.

Capena, vide ſuprà.

Carmentalis, vide ſuprà.

Cœliomontana, quæ & Aſinaria, *di S. Giovanni*: unde via Valeria & Tuſculana, quæ & Campana *Ciceroni*.

Collatina, poſteà Pinciana, vulgò etiam *Pinciana*: unde via Collatina. Meminit illius Ovid. *l.* 2. *Faſtor. v.* 785.

Accipit arata juvenem Collatia porta.

Hinc Collatinus, nomen viri: De quo Ovid. *ibidem. v.* 787.

Hoſtis, ut hoſpes, init penetralia Collatina

Collina. Vide *Agonenſis*. De ea Ovid. *in Faſtor. l.* 4. *v.* 871.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet. ——— ———

Eſquilina, & Exquilina, *Maggiore*: unde via Præneſtina, & Gabina.

Feneſtralis porta, *Plutarch.* in cæde Tarquinii nominari cœpit, ſic dicta, quòd Tanaquil uxor Tarquinii per feneſtram allocuta populum Romanum placârit: ubi tamen ea fuerit nemo docet. De illa Ovid. *l.* 6. *Faſtor. v.* 577.

Nocte domum parvâ ſolita eſt intrare feneſtrâ:
Unde Feneſtralis nomina porta tenet.

Ferentina, quæ & Latina, vulgò *Porta Latina*: unde via Latina.

Ficulnenſis, quæ & Viminalis, *di S. Agneſe*: unde via Nomentana, *Porta Pia* nunc.

Flumentana, vulgò *Porta del popolo*: unde Flaminia via, & Caſſiana, & Claudia, *Ferrar. Baudrando* erat prope Tiberim fluvium, versùs Carmentalem portam & pontem ſanctæ Mariæ, teſte *Famianô Nardinô*.

Fontinalis, poſteà Septimiana, *Settimiana*.

Gabuſa, vulgò *di San Lorenzo*: unde via Præneſtina, & Gabina, & Tiburtina. Vide *Eſquilina*.

Janiculenſis, vulgò *di S. Pancratio*: unde via Vitellia.

Latina, vide *Ferentina*.

Navalis, quæ & Portuenſis, *di Ripa*: unde via Portuenſis. *Porta Porteſe* dicitur, prope Ripam, ad Tiberim.

Oſtienſis, quæ & Trigemina, *di S. Paolo*: unde via Oſtienſis, & Laurentina.

Pandana, olim Saturnia, & ſemper aperta: quæ nunc non exſtat. An eadem cum porta Capitolii, quod *Nardinus* pluribus probare nititur.

Pinciana, vide *Collatina*.

Portuenſis, vide *Navalis*.

Quirinalis, vide *Eſquilina*.

Ratumena, à Ratumena auriga, qui per eam in Capitolium ingreſſus eſt, ut Plinius, *l.* 8. *c.* 42. teſtatur.

Salaria, vide *Oſtienſis*. Trigemina apud Plautum, *in Captivis Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 22.

Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet.

Ferrar. Baudrando hodie *Porta Salara*, aliàs Agonenſis & Collina dicta fuit. Vide ibi. Sed valde diſtat ab Oſtienſi.

Triumphalis, vulgò *di S. Pietro nel Vaticano*: unde via Triumphalis, inter Aureliam & Claudiam, hodie non exſtat.

Viminalis, vide *Ficulnenſis*, ſeu *Figulnenſis*.

PORTÆ Albaniæ, *Ptol.* Vide *Caucaſiæ portæ*.

PORTÆ Amani, Plin. *l.* 5. *c.* 27. quæ Pylæ Amanicæ *Ptol.* Pylæ Amanides *Straboni*, & Portæ Ciliciæ *Bogras*, à Pagris urbe, vulgò dictæ, per quas ex Cilicia in Syriam tranſitur, ab Iſſo urbe 270. ſtadiis, teſte *Xenophonte*, diſtantes

PORTÆ Caſpiæ, Plin. *l.* 5. *c.* 27. *l.* 6. *c.* 13. (Vide *Caſpiæ*) ab Ecbatanis 20. mill. paſſ. apud eundem, ubi numerus depravatus videtur. A portis Caſpiis (quarum tranſitus anguſtus eſt, & valde difficilis ob magnam ſerpentum copiam & liquorem ſalis ex cautibus corrivatum, impedientemque tranſitum, niſi fiat hyeme) Cyrus fluvius (unde Caſpium mare incipit appellari) 700. mill. paſſ. abeſt: Indus verò 1960. ſtadiis, teſte Pliniô, *l.* 6. *c.* 15. ubi & Bactra 3700. ſtadiis diſtare continetur.

PORTÆ Caucaſiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 11. Vide *Caucaſiæ*.

PORTÆ Ciliciæ, *Strab.* Vide *Portæ Amani*.

PORTÆ Ferreæ, ſeu porta Ferrea. *Derbent*, & *Demircapi*, urbs Albaniæ in Aſia ad Caſpium mare. Vide *Portæ Caucaſiæ*.

PORTÆ Mediæ, *Strab.* ad Zagrum montem, per quas ex Media in Parthiam tranſitus eſt.

PORTÆ, ſeu *a Raurica*, jugum in monte Jura, apud Birſæ caput: Saxum eſt ingens, citeriorem vallem, quam Grandem & Monaſter. vocant, ab ulteriore, quæ ad B. Himmerii vallem, atque Burgundiam minor. ſeu Aventicenſem pagum ducit, velut de induſtria dirimens. Hunc obiecm ante multa ſecula humana pervicit induſtria, ingenti eâ rupe in ampliſſimam portæ magnitudinem pertractâ, Caſpiarum ad inſtar in Aſiâ portarum, 6. milliar. Baſileâ, in ditione Epiſcopi. Vulgò *Pierreport*, aut *Pierrepertus*. Quidam id operis Cæſari adſcribunt, aliis aliter ſentientibus. Inſcriptio ſupra portam petræ variè legitur. *Munſterus* eam ſic refert:

Numinis Auguſti via ducta per ardua montis
Feliciter petram ſcindens in margine fontis. Vel,
Nimis anguſti, &c.
Fecit iter, &c.

Petrus Pithœus autem verba ſic legi poſſe exiſtimavit: *Numini Auguſtorum via facta per Q. Ur. Pater.* V. II. *vir. Col. Helvet.* Et huic quidem Guillimannus, *de reb. Helvet. p.* 38. illi verò *Merula* adſtipulatur. Chr. Urſtiſius, *Epit. Hiſt. Baſil.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq.*

PORTARIUS, Eckehardo *de Caſibus S. Galli*, *c.* 10. *p.* 82. *Portanarius*, Levoldo Northovio in *Chron.* Markano *p.* 15. Italis *Portenajo*: nomen eſt Officii Monaſtici, qui *Portæ* Monaſterii curam gerit, *Janitor* aliàs, ſeu *Oſtiarius*, Odo *de combuſt. S. Martini*, *Ita ut feminis ad hauriendam, quò aquam & ad diſcurrendum voluerint*, Portarii *non reſiſtant*. Quod munus viris ætate maturis & vitæ inculpatæ ut plurimùm committebatur: adeò ut inter potiora Monaſterii nomina haberetur, interdumque in Abbates *Portarii* eligerentur, ut eſt in *Chron.* Monaſterii *de Fontanis*, *c.* 10. Ad id tamen ſufficere *ſapientem* & *honeſtum famulum* contendebant Cluniacenſes, apud Petr. Venerabilem, *l.* 1. *Ep.* 28. Vide quæ de officio hoc & muniis congeſſerunt, Virgilius Diaconus *in Regula Orient. c.* 26. Iſidorus *in Regul. c.* 19. Adalardus *in Statutis Corbejens. l.* 1. *c.* 4. Chrodogangus, *in Regul. Canonic. c.* 12. Aliique, laudati Carolo du Freſne *Gloſſar.* Apud Hebræos *Portarii* iſtiuſmodi ſeu Oſtiarii Atrii Templi fuêre minimùm ſeptem, אמרכלין *Amarcoli*, dicti; quibus aperire, niſi omnes ſimul adeſſent, non licebat, erantque; ſubditi Cathicolis, qui Segenis Vicarii erant, Joh. Seldenus, *de Synedriis veter. Hebr. l. III. c.* 8. §. 6. Hinc *Portaria* in Sanctimonialium Monaſteriis, quæ idem munus obibat, debebatque eſſe *ætate matura*, Concil. Cabillon. II. *c.* 64. Aliàs *Portaria*, eſt Portarii vel Oſtiarii Officium Palatinum, de quo *LL.* Alfonſinæ ſeu Partidæ *part.* 2. *tit.* 9. *leg.* 14. Item *Portaria domus*, ædicula *Portarii* Monaſtici, apud Laur. Leodienſem *in Epiſc. Virodunenſibus*. Aliter *Portarii* ſumuntur, apud Mich. del Molino *in Repertor. Foror. Aragoniæ*, ubi Executores ſunt regiæ Juriſdictionis, quorum numerus XII. eſt in Regno iſto, *Portarii* ſeu *Officiales Prælatorum*, in Concil. Palentino A. C. 1322. &c. Vide ſupra *Azemblarius*, & plura in hanc rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & Cubicularium, ſive potiùs Delatorem, *Portarii* vox denotat, *l.* 5. *Decretal. tit.* 35. *c.* 14. *Canonicorum aſſenſu per* Portarium *Regis extorto*, apud Macros Fratres *Hierolex.* Vide quoque ſuprà, in *Janitor* & *Oſtiarius*. Adde hîc paucis aliquot *Portariorum* genera, ex Car. du Freſne præfato.

PORTARIORUM ALIQUOT GENERA IN MONASTERIIS.

Portarius Clauſtri, in *l. Ordinis* S. Victoris Pariſienſis MS. *c.* 15. unus eſt ex converſis fratribus, cui incumbit *clauſtra obſervare jugiter, ne quis extraneus ingrediatur, aut intrò inſpiciat* &c.

Portarius Exterior ſive Curiæ, memoratur ibidem, ubi ad id officii eligi jubetur unus itidem ex converſis fratribus, probatus moribus, affabilis &c.

Portarius Pauperum, cuſtodiebat portam, ad quam pulſabant pauperes eleemoſynam petentes. *Tabular.* Conchenſis Abb. in Ruthenis Chart. 312. ubi *Portarius Pauperum* à *Portario* diſtinguitur. Etiam *Subportarii* meminit *Liber Uſuum* Ordinis Ciſtercienſis, *cap.* 84.

PORTATORIUM, in Eccleſia Rom. machina dicitur, cujus in Palmarum feſto uſus. Macri Fratres *Hierolex. In proceſſione hujus diei ſuper humeros duorum Sacerdotum machina, in qua triumphaliter poſitum erat ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, deferri ſolebat, ad denotandum Chriſti triumphum*, *Lanfrancus*, *c.* 11. *S.* 4. *ſive liber Euangelior. Hodie præparatur quoddam* portatorium *honeſtiſſimè, in quo intromittitur S. Euangelium, quod intelligitur Chriſtus. Alcuin. de div. Offic. Et inferiùs, quòd machina, in qua erat liber Euangeliorum. à Diaconibus ferebatur* &c.

PORTGREVIUS, & PORTGRAVIUS, eſt portus præfectus, apud ſcriptores medii ævi: Imo & oppidorum etiam urbiumque præfecti, præſertim maritimarum, vel portu aliquô inſignium ſic dicti ſunt. His ſucceſſêre Majores & Balivi in Anglia, à Normannis Regibus appellatione impoſitâ, vel potius Aquitanicis. Londinum enim Balivos non accepit, ante annum primum Richardi I. circa A. C. 1190. Majorem verò non ante decimum Regis Johannis, circa A. C. 1210. cùm prius eſſet ſub *Portgreſiorum* regimine. Henricus Spelmannus *Gloſſar. Archæol.*

PORTHMIA, vicus ad oſtium Mæotidis paludis, *Steph.*

PORTHMOS, id ipſum eſt quod nos fretum dicimus; unde apud Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 266. *Porthmeus* pro Portitore ponitur,

——— *Tetrumque novitius horret*
Porthmea. ———

Eſt & oppid. Eubœæ, Plin. *l.* 3. *c.* 5. & *l.* 4. *c.* 12. *Portimo* vel *Portmo* in ora, apud Eretriam.

PORTIA, filia Catonis. Vide *Porcius*. Hæc, auditâ morte Bruti mariti apud Philippos interfecti, ſibi mortem intulit. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 42.

Conjugis audîſſet fatum quum Portia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes avidò bibit ore favillas;
I nunc & ferrum turba moleſta nega.

PORTIANUS Pagus, nunc *la Comté de Porcean*, i. e. *Comitatus Portianus*, nunc abſolutè *Porcean*, idque ſæpius quàm *Porcien*, Galliæ portio eſt, inter Laudunenſem pagum & Sueſſionicum intercepta, cujus fit mentio in *Capitulis* Caroli Calvi. Inter Vongenſem & Remenſem, *in præc.* D. Ludovici A. de diviſione Regni inter filios collocatur, ac nunc pago Reiteſtino, *le Retelois* continetur: Archejæ enim, quas in pago *Porcenſi* Frodoardus in *Chron.* locat, (ita enim *Portianum* appellat pagum) ſunt omnino *Arc* vel *Arche* ad Moſam, inter Macerias & Carolivillam, in pago Reiteſtenſi: qui locus aut vicus Principatus titulô nunc inſignis eſt; à quo Dux Nivernenſis & Reiteſtenſis, *Princeps Archenſis*, in nummis ſuis, cognominabatur. Ejus caput eſt Caſtrum *Portianum*, à pago nomen adeptus, quòd modò *Chaſteau-Porcean* & *Chaſteau-Porcien*, modò *Chaſtel en Porcean* dicitur. Ab eodem pago oppidula quædam: videl. Calvus mons in Portiano, *Chaumont en Porcean*; & Aſclejum in Portiano, *Eſcly en Porcean*, nomen ſuum habent. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Caſtrum Portianum.*

PORTICANI, memorati in Concilio Lateran. I. A. C. 1122. *can.* 12. *Illam verò pravam* Porticanorum *conſuetudinem, quæ hactenus ibi fuit* ——— *removendam cenſemus: ut* Porticanorum *habitatorum ſine hæredibus morientium bona, contra morientium deliberationem, minimè pervadantur: ita tamen, ut* Porticani *in Romanæ Eccleſiæ & noſtra noſtrorumque ſucceſſorum obedientia & fidelitate permaneant:* Quinam ſic dicti ſint, minimè perſpicuum eſt. Quidam hôc nomine *Portuenſes* indigitatos volunt; quoniam Calixtus II. ſub quo Concilium habitum, de *Porticanis*, tanquam de ſubjectis dominio temporali Eccleſiæ Romanæ decernit: & videntur hi qui in Portu Romano habitabant, *Porticani* appellati, ſicut Africanos, Illyricanos, Arauſicanos, Anglicanos &c. novimus appellari, Afros, Illyrios, Arauſionenſes, Anglos. Narrat autem Anaſtaſius in *Vita* Leonis IV. Pontificem hunc Corſis exulibus incolendam Portuenſem civitatem donâſſe, cùm circa S. Petri Baſilicam abſolviſſet Civitatem Leoninam, in cujus Curatorem ac Præfectum annonæ jus exercebat Præfectus Urbis Romæ; cujus munus erat, Portum Claudii ad oſtia Tiberina reparare, curam mercium quæ ibi exponebantur gerere, atque omnes ab injuriis vindicare. Etiam verò Præfectus Urbis facultates publicabat eorum, qui offenſam contrahebant, propter operas portuenſes, ut ex Ambroſii *Epiſt.* ad Euſebium Epiſcopum Bononienſem liquet: quin etiam bona eorum vindicabat, qui ſine liberis decederent, & illis qui ab inteſtato ac ſine hærede moriebantur, ſuccedebat in Civitate Leonina, quod jus Calixtus præfatus abolevit A. C. 1123. bullâ datâ Albæ 5. Id. Jul. Indictione 1. Pontific. V. Unde in portu quoque ſuper bonis Publicanorum, cùm ſibi quoque idem jus aſſereret, in Concilio Lateranenſi, vetitum fuiſſe videtur ſub Calixto, qui Præfecto Urbis erat infeſtus &c. Aliis à *porticu* dicti ſunt, qui proin *can.* 12. Concilii Lateran. loqui de his volunt, qui Romæ porticus habitabant. Romæ ſiquidem, ante Barbarorum vaſtationes & incendia, ingentes aderant *porticus*, ubi peregrini recipiebantur, quorum aliquæ erant à Baſilica Petri, uſque ad Molem Hadrianam, Sigoniô referente *Hiſtor. Ital. A. C.* 1145. Aliæ verò à Baſilica S. Pauli, uſque ad portam Urbis, ut colligitur ex Procopio, *de Bello Goth. l.* 2. & Aretin. *de Bello Ital. l.* 1. In his itaque porticibus habitantes, *Porticani* videntur iis dicti, quorum numerum non fuiſſe exiguum, è cæde illorum, à Romanis in ipſa porticu factâ, ſub Eugenio III. elicitur, Sigonio, *de Bello Ital. l.* 11. *A. C.* 1145. memoratâ: Et certè in Diplomatis & Conſtitutionibus Pontificiis tam Prædeceſſorum, quàm Succeſſorum, Calixti II. oſtienſem Portum habitantes, nunquam *Porticani*, ſed *Portuenſes* perpetuò, appellantur: quod ſatis firmô indiciô eſt, diverſos illos à *Porticanis* fuiſſe. Nonnulli verò hôc nomine inſignitos volunt peregrinos & cruceſignatos, Hieroſolymam & ad D. Jac. Compoſtellanum, ſive cruceſignatos ad Hiſpanicum bellum contra Agarenos iter facientes: quorum ſive in itinere, ſive in reditu morientium bonis hôc canone conſultum fuerit. Hos autem dictos *Porticanos* ajunt, quaſi *Perticanos*, quòd eos per urbis loca deducentes Guidones, perticam viatoriam geſtarent. Macri fratres, ipſos Guidones ſive Bordinatos potiùs *Porticanos* nominatos volunt; hoc enim Clericorum Collegium ſeu Scholam Carolus M. in Civitate Leonina fundavit, inter alia his verbis: *Conſtituimus etiam, ut ipſa dicta Eccleſia in circuitu ipſius totum prædium, ubi ſita eſſe videtur, in integrum, cum terminis, à primo latere porticu majore pergente juxta Vaticanum* &c. Quæ porticus ab Adriani Mole, uſque ab Baſilicam Petri protendebatur; ſub qua latentes Gothos, inde ex inſidiis ad Molem modò dictam invadendam erupiſſe, refert Blondus, *Dec.* 1. *l.* 4. deſtructa poſtmodùm, ſub Gregorio VII. ab Imperatore Henrico, unà cum illa, quæ à trigemina Oſtienſi porta ad S. Pauli uſque vias contegebat. Ad hanc itaque porticum cùm Guidonum ſeu Bordinatorum Collegium unà cum eorum templo S. Salvatoris pertingeret, *S. Salvatoris de Bordonia* ſive *in Bordonia* & *S. Salvatoris in Porticu* & *de Porticu* appellabatur, quæ hodie *S. Jacobi Coxacaballi* dicitur. Neque verò ipſi ſolùm Guidones hîc habitabant, ſed cùm vaſtiſſimum ſpatium in Civitate Leonina, ex prædicto Imperatoris privilegio, poſſiderent, variiſque in eorum ædibus peregrini habitarent, hos omnes à contermina porticu nomen accepiſſe, & tanquam ultramontanos Henrico Imperatori contra Calixtum II. adhæſiſſe, credibile eſt. Hinc Calixtus, poſt initam cum Cæſare pacem, ut in fide Pontificum in poſterum permanerent, *can.* hôc 12. Concilii Lateranenſis decrevit. Inſuper, quia porticani Clerici Guidones omnes hujuſmodi advenas ſepeliendi jus habebant vi privilegii à Carolo M. indulti, hinc ipſi peregrinorum (qui, quia apud ipſos habitabant, *porticanorum* nomine quoque ſunt comprehenſi) ſine hæredibus morientium bona, tempore ſchiſmatis, uſurpabant, cui conſuetudini obviàm itum fuit dictô canone. Sed & iidem *Porticani* dici potuêre à *portando* & ferendo mortuos, quos *Portitores* vocatos eſſe Latinis, diſcimus ex illo Virgilii *Æn. l.* 6. *v.* 298. ubi de Charonte, circa mortuorum curam occupato:

Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat
Terribili ſqualore Charon ———

Ut alias eorum conjecturas omittam. Iiſdem tamen Joh. Suarezii Vaſionenſis Epiſcopi ſententia magnoperè probatur, qui Calixti decretum de militibus accipiunt, quorum mentio fit *can.* P. *principalis diſt.* 63. quæ eſt Pelagii Pontif. Epiſtola, ubi ſic habetur: P. *principalis devotiſſimorum militum, qui in Civitate Centumcellenſi conſiſtunt* &c. Vide illos in *Hierolex.*

PORTICANUS, Præſtorum, Indicæ gentis Rex. Hic, urbe ab Alexandro Magno expugnatâ, in arcem confugit ac legatos de conditione deditionis miſit ad regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderunt, per quarum ruinas Macedones evasêre in arcem: quâ captâ, Porticanus cum paucis repugnans occiditur, Curt. *l.* 9. *c.* 8.

PORTICATIO, ſtructura porticuum, in circuitu monumentorum ædificata, apud Macrum, *l. funeris* 37 *D. de Relig. & ſumptib. fun. l.* 11. *tit.* 7. *Itaque ſi amplum* (monumentum) *ædificari Teſtator juſſerit, veluti in circuitu porticationes, eos ſumptus in cauſa non eſſe.* Sepulchra enim Magnatum porticibus includi conſueviſſe, docet Plinius, *Ep.* 85. *l.* 10. *tit.* de Dione, *Id autem, in quo dicuntur ſepulti filii ejus & uxor Dionis, in area collocatum, quæ porticibus includitur*; ad Trajanum Imp. Atque ab his monumentorum *Porticationibus*, Clerici præfati *Porticanorum* nomen quibuſdam videntur indepti. Macri Fratres in voce *Porticani.*

PORTICUS, oppid. Romanulæ inter aſperrima juga. Mille ab eo paſſuum intervallô locus eſt, quem *Infernum* vocant accolæ, ubi terra gravis & nigrans cum ſpecu quaternorum ferè pedum latitudine, flammam, ſi accenſo ſulphure ignis admoveatur, emittente, quâ ligna quoque, ſi ponas viridia, deflagrant, extinguitur autem pannô laneô ſuperinjectô.

PORTICUS, Romæ plures fuêre: in his *Liviæ*, & *Octaviæ*, ab Auguſto ædificatæ. Una in via ſacra juxta templum Pacis, cujus meminit Ovid. *l.* 6. *Faſt. v.* 639.

Diſce tamen veniens ætas: ubi Livia nunc eſt
Porticus, immenſa tecta fuêre domus.

Eadem *Claudia* dicta. Martialis, *l. de Spectac. Epigr.* 2. *v.* 9.

Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Altera *Octavia*, gemina: una à *Cn. Octavio* in Circo Flaminio: altera ab Auguſto in *Octaviæ* ſororis honorem apud theatrum Marcelli, conſtructa. Tertia *Pompeja*, à *Cn. Pompejo* exædificata. Ovid. *l.* 1. *de Art. Am. v.* 67.

Tu modò Pompeja lentus ſpatiare ſub umbrâ,
Cùm Sol Herculei terga Leonis habet.

Propertius, *l.* 2. *eleg.* 32. *v.* 11.

Scilicet umbroſis ſordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Durat Porticus *Septimii Severi*, apud Fanum S. Angeli in Piſcina, & Porticus *Metelli*, apud viam ſacram & Forum, ubi nunc ædes D. Laurentii in Miranda. Sic & Porticus integra ante Pantheon, Veteribus dicta *Prothyrion.*

PORTICUS, etiam in Gymnaſiis, Templis, Theatris, à Veteribus extructæ ſunt. Primæ namque Gymnaſiorum partes Porticus fuêre exedris ſive cubilibus apertis plenæ, in quibus Philoſophi & Rhetores, Mathematici item, imò omnium Diſciplinarum cultores, diſputando, legendo, ac docendo exercebantur: Quas non longè ab aliis Gymnaſiorum partibus ſitas fuiſſe, conjicere eſt tum ex ipſa figura, quam Mercurialis exhibet *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 6. tum ex Proverb. inde nato, *Diſcum, quàm Philoſophum, audire mavult:* quod in eos dicebatur, qui in eodem Gymnaſio inter Philoſophos ſedentes, auditô diſcorum crepitu, relictâ Sapientiæ Scholâ, ad proximum certaminum locum erumpebant. Ibidem & Medicorum fuêre ſcholæ. Vitruvius, *l.* 5. *c.* 11. *Conſtituantur in tribus Porticibus exhedræ ſpatioſæ habentes ſedes, in quibus Philoſophi Rhetoreſque ac reliqui qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Cujuſmodi ἐξέδρας etiam Cicero in villa ſua Tuſculana habuit: Sic enim is ad M. Fabium Gallum, *l.* 7. *Ep.* 23. *Exhedria quædam mihi nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculani: ea volebam tabulis exornari.* Pleniùs de *Porticibus* Gymnaſiorum, ita præfatus Mercurialis, *l.* 1. *c.* 6. cùm inquit, *In Palæſtris periſtylia quadrata ſive oblonga, ita ſunt facienda, uti duorum ſtadiorum habeant ambulationis circumitionem, quod Græci vocant* δίαυλον, *ex quibus tres* Porticus *ſimplices diſponantur, quartaque ad Meridianas regiones ſit converſa, duplex, ut, cùm tempeſtates ventoſæ ſunt, non poſſit aſpergo in interiorem partem pervenire.* Et paulò pòſt, *In duplici autem Porticu* (nam tres illæ ſimplices Philoſophis ſerviêre, ut viſum) *collocentur hæc membra, Ephebæum in medio* (ubi nempe puberes exercebant corpus) *ſub dextro Coryceum, deinde proximè Coniſterium; à Coniſterio in verſura Porticus frigida lavatio; ad ſiniſtram Ephebæi Elæotheſium, proximè autem elæotheſium Frigidarium, ab eoque iter in Propnigæum, in verſura porticus.* Iterum poſt quædam Interjecta, *In Palæſtra periſtylia ita debent perfectè eſſe diſtributa: Extra autem diſponantur* Porticus *tres, una ex periſtylio exeuntibus, duæ dextra & ſiniſtra ſtadiatæ. Ex quibus una, quæ ſpectaverit ad Septentrionem perficiatur duplex ampliſſimâ latitudine, altera ſimplex ita facta, ut in partibus,*

bus, quæ fuerint circa parietes & quæ erunt ad columnas, margines habeant, uti ſemitas non minùs pedum denum, mediumque excavatum, uti gradus bini ſint in deſcenſu ſeſquipedali à marginibus ad planitiem, quæ planities ſit ne minus lata pedum 12. *Ita qui veſtiti ambulaverint circùm in marginibus, non impedientur ab cunctis ſe exercentibus. Hæc autem* Porticus *apud Græcos* ξυςὸς *appellatur, quòd Athletæ per hyberna tempora in tectis ſtadiis exercentur. Proximè autem Xyſtum & duplicem Porticum, deſignentur hypæthræ ambulationes, quas Græci* παραδρομίδας, *noſtri Xyſta appellant, in quas per hyemem ex xyſto ſerenô cælô Athletæ prodeuntes exercentur*, &c. Addit tandem, *Facienda autem xyſta ſic videntur*, ut ſint *inter duas porticus ſylvæ aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes ibique ex opere ſignino ſtationes.* E quibus patet, *Porticus* in Gymnaſiis, partim Philoſophorum exercitationibus, partim deambulationibus fuiſſe deſtinatas: quorum illud adeò frequens, ut Stoicis nomen à *Porticu*, ubi docuit Zeno, hæſerit, quaſi *Porticenſes* vel *Porticanos* dicas. Ad quam porticum alludens Tertullianus, *in præſcr. adv. Hæret.* ait: *Noſtram inſtitutionem de porticu Salomonis eſſe.* Sed & ante Philoſophos hoſce, nomen id poſſedêre, *οἱ διατρίβοντες ἐν αὐτῇ* (loquitur de *Porticu* varia ſeu ποικίλῃ, de qua paulo infrà) ποιηταὶ, *Poëtæ, qui iſtic loci verſarentur*, ut ait Laërtius *in Zenone.* Vide Voſſ. *de Sectis Philoſ. c.* 19. §. 2. Præterea omnibus vel ſaltem plerisque Templis, *Porticus* ſua erat, in quibus peregrini pauperesque morari ſoliti, ut videre eſt ſuô locô, Thom. Dempſterus, *in Roſin. l.* 1. *c.* 6. ubi inter alia de Fano Quirini: de quo ſic Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 1. *v.* 9.

Vicini pete Porticum *Quirini*:

Sic mentio eſt apud Vopiſc. in *Vita* Aureliani, *c.* 48. *porticuum* Templi Solis: *Argumentô eſt, quòd in porticibus templi Solis fiſcalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, ſed pretiô.* Vetus lapis Puteolanus, ÆDEM. CUM. PORTICIBUS. A. SOLO. SUA. PECUNIA. FECIT. &c. Et cui ignota *Porticus Salomonis*, Actor. *c.* 3. *v.* 11. quam paulo antè *Porticui* Stoicorum à Tertulliano opponi vidimus. In Theatris ſimiliter *Porticus* conſtruebantur; qua de re ſic M. Pollio Vitruvius, *Architect. l.* 5. *c.* 9. *in limine. Poſt ſcenam*, inquit, *porticus ſunt conſtituendæ, uti cùm imbres repentini ludos interpellaverint, habeat Populus, quò ſe recipiat ex theatro, Choragiaque laxamentum habeant, ad chorum parandum, uti ſunt porticus Pompejanæ*: Præter alias quamplurimas, quarum mentio jam facta *ſuô locô.* Harum autem cùm Pompejana fuerit celeberrima ſolaque Vitruvio memorata, pauca de ea adjicere liceat. Fuit illa ante Curiam Pompeji & malè à nonnullis cum Pompeji confunditur Theatro, quod conſtat ex Sexto Rufo prope Circum Flaminium fuiſſe, h. e. in nona regione. Meminit ejus quoque Plin. *l.* 35. *c.* 9. *Hujus tabula eſt in* Porticu *Pompeji, quæ ante Curiam ejus fuerat.* Ambulationibus deſtinata, Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 1. *ubi de Porticibus celebrioribus Urbis, v.* 11.

Turbam non habet otioſiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.

In vicinia nemus habebat, & arbores denſas: Unde *Pompeja umbra* pro eadem, apud eundem Poëtam, *Epigr.* 48. *l. cit. v.* 3.

Cur nec Pompeja lentus ſpaciatur in umbra?

Imò nemus duplex: Unde idem, *l.* 2. *Epigr.* 14. *v.* 9.

Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompeji dona nemuſque duplex &c.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum, l.* 5. *c.* 4. Sed & meminit vetus ſaxum, *Porticus, ante thermas Vaſienſes ædificatæ.* Ante domos quoque & inſulas Nero *porticus* extrui Romæ curavit. Suetonius *in eo, c.* 16. *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, & ut ante inſulas ac domos* porticus *eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur: eaſque ſumtu ſuô extruxit.* De porticibus monumentorum diximus aliquid ſuprà. Apud Athenienſes celeberrima *Porticus* erat, quam ποικίλην, i. e. *Variam*, dixêre, cujus cauſam ſuggerit Laërtius *in Zenone, c.* 5. Ἐν τῇ ποικίλῃ ςοᾷ τῇ καὶ Πεισιανακτείῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου ποικίλῃ, *In porticu Varia, quæ & Πεισιανάκτειος dicebatur; Varia autem à Polygnoti pictura.* Hic Zeno docuit, unde ſectæ nomen, ut diximus: Ibidem fortium Virorum ſtatuæ erigebantur, honori & imitationi, ut diſcimus ex Corn. Nepote, qui ſic in *Miltiade, c.* 6. *Huic qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ* Poecile *vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur iſque hortaretur milites præliumque committeret*, &c. In his enim *porticibus* res bello geſtæ Ducum Imperatorumque, ad memoriam earum æternitati conſecrandam, pingebantur, qui uſus tum aliàs Romæ quoque, tum ſub Imperatoribus potiſſimùm recentioribus magnopere viguit. De *porticu*, in qua res Severi depictæ fuerant, dicemus infrà. Capitolin. de Maximino, *c.* 12. *Juſſit*, inquit, *tabulas pingi, ita ut erat bellum geſtum & ante Curiam proponi, ut facta ejus pictura loqueretur.* Sic ludorum magnificentiam in *porticibus* depingebant, ne memoria intercideret, ut ſcribit Vopiſc. in *Commodo, c.* 11. Hinc idem in Carino, *c.* 19. *Memorabile maximè & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus.* Vide quoque Baſilium, *Homil. in Pſ.* 61. Præterea, cùm milites æſtate in campo, hyeme verò (ſed pluviali tempore) ſub tecto, exercerentur; *Porticus* ad rem hanc ſtruebantur, & tegulis vel ſcandulis tegebantur, aut, ſi hæc abeſſent, ulvâ aut cannis. Vegetius, *l.* 2. *c.* 23. *Miſſilia quoque vel plumbatas jugi perpetuôque exercitiô dirigere cogebantur uſque adeò, ut tempore hyemis de tegulis, vel ſcandulis; quæ ſi deeſſent, certè de cannis ulva vel culmo &* porticus *tegerentur ad equites & quædam velut baſilica ad pedites.* Neque verò in *Porticibus* ſolùm exercebantur milites, ſed *porticus* nonnunquam habebant virides & flexilibus atque inter ſe curvatis arboribus conſtructas, ſub quibus illi delicati ac otioſi omniſque jam exercitii militaris expertes, æſtum vitabant ac deambulabant. Cujuſmodi vitiorum delinimenta corrector diſciplinæ labentis Hadrianus Imperator diruiſſe legitur, apud Æl. Spartian. *c.* 10. *Triclinia de caſtris &* porticus *& cryptas & topia diruit.* In Monaſteriis *Porticus*, locus fuit, ubi advenæ excipiebantur: *Locutorium*, forte etiam *Clauſtrum* ipſum, S. Stephanus *in Reg. Grandimontenſium, c.* 51. *Quoties autem, oportuerit vos exire in* Porticum, *causâ loquendi cum veſtris viſitatoribus, lætam faciem eis prætendite, & cum gaudio eos ſuſcipite* &c. Metandis verò *porticibus* decempedam nominat Horatius, *Carm. l.* 2. *Od.* 15. *v.* 14.

——— *nulla decempedis*
Metata privatis, opacam
Porticus *excipiebat Arcton.*

Nempe apud caſcos illos Romanos, quum ædium privatarum magnificentia nondum publicorum mœnium ſumtum ſuperabat, ut gromis & decempedis perducenda eſſet ac dirigenda ejus longitudo. Sic Plinium ſanis ſtructionibus rem abſolvere, videmus in *Epiſt.* Tumque in ſolis porticibus publicis metandis grumæ locum uſumque habuêre. Ubi verò porticus privatorum & xyſti ampliores majoreſque facti ſunt, quàm publici, tum privatis decempedis ad eas degrumandas locus factus eſt, Salmaſ. *ad Solin p.* 682. & 683. Vide quoque Vitruvium cum Interprete Guil. Philandro, Alios, & ſuprà ubi de *Porticanis.* Unicum addam è Suetonio locum, è quo longiſſimas illas fabricari conſueviſſe patet, *Calig. c.* 50. *Magnâ parte noctis vigiliæ cubandique tædiô, nunc torô reſidens, nunc per* longiſſimas porticus *vagus invocare identidem atque expectare lucem conſueverat*, &c. ad quem *locum* vide Caſaubonum, uti de more plebis Romanæ, ſi quid palàm profiteri non auderet, in parietibus, *porticibus*, ſtatuarum baſibus ſcribendi, eundem *ad Julium, c.* 80. ſicut de *Porticibus* Templorum apud Cl. Suicerum voce Ἔμβολος, ab ἐμβάλλω, quòd per eas ingreſſus pateat.

PORTICUS QUÆDAM, PRÆTER JAM MEMORATAS.

Porticus Curva, apud Æl. Spartian. in *Peſcennio Nigro, c.* 6. *Hunc in Commodianis hortis, in* porticu curva, *pictum de Muſivo inter Commodi amiciſſimos, videmus* &c. Salmaſio eſt *porticus* concamerata: cujus camera muſivô pictos habebat Commodum Commodique amicos, ſacra Iſidis ferentes. *Curvaturæ* enim *arcuaturæ* & *concamerationes* & *volutæ*, pro eodem.

Porticus Eumenia, vide ſuprà.

Porticus Gordiani, de qua ſic Jul. Capitolin. in *Vita* Imperator. hujus: *c.* 32. *Inſtituerat porticum in Campo Martio ſub colle, pedum mille, ita ut ab altera parte æquè mille pedum porticus fieret atque inter eas pateret ſpatium quingentorum: cujus ſpatii hinc atque inde viridaria eſſent, laurô, myrtô & buxô frequentata; medium verò lithoſtrotum brevibus columnis altrinſecus poſitis & ſigillis, per pedes mille: quod eſſet deambulatorium, ita ut in capite baſilica eſſet pedum quingentorum &c.*

Porticus, Μάκρων Græcis Conſtantinopoli vide ſuprà *Macrona.*

Porticus Margaritaria, in VIII. Regione memoratur P. *Victori.* Vide infrà voce *Unio.*

Porticus Ptolemæa, vide infrà *Ptolemæus.*

Porticus Salomonis, vide infrà itidem lemmate *Templi mons.*

Porticus Sancta, ædis ſacræ propylæum, in porticus formam extructum, in quo conſiſtebant Catechumeni & Pœnitentes. Occurrit apud Gregorium Turon. *l.* 5. *c.* 49. *Sed & (Leudaſtes) in adulteriis ſæpe intra Sanctam porticum deprehenſus eſt.* Cæſarium Heyſterbach. *l.* 6. *c.* 5. *Publicè pœnitentibus ita erat paratus, ut frequenter cum illis in porticu ſedens, chartulas legens, conſolationem impenderet, orationum ſuffragia ſcribi faceret* &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque *Deſcript.* Ædis Sophianæ.

Porticus Severi, de qua ſic Æl. Spartian. *c.* 21. in *Vita* ejus, *Extat ſanè Romæ Severi porticus, geſta ejus* (in parietibus depicta, vide ſuprà) *exprimens, à filio* (Antonino Caracalla) *quantum plurimi docent, ſtructa.* Et in *Caracall. c.* 9. *Reliquit &* porticum, *Patris nomine, quæ geſta illius contineret & triumphos & bella.* Vide Caſaubonum, Gruterum & Salmaſium, *ad loc.*

Porticus Stabuli, memoratur Flav. Vopiſco *in Carino, c.* 19. ubi ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis, à Carino & Numeriano, *in Palatio circa porticum ſtabuli pictos* ſe vidiſſe, refert: non *porticus* ſtabulo illi vicina, ſed revera porticus ſtabulo Palatino addita & ante ipſum ſtabulum ædificata fuit, ſecundum Salmaſ. Celebrioribus enim ædificiis *porticus* additas fuiſſe, diximus ſuprà.

Porticus Statilii, quibuſdam apud Vopiſcum *l. c.* legendum videtur: ſed aſſenſum non impetrant.

Porticus Tectæ. Vide infrà voce *Xyſti.*

Porticus Triſtegæ, vide infrà.

Porticus Viridis, occurrit apud Firmicum: *Vel qui buxeas arbores tondens in belluas fingat, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciat*, &c. Sub his delitiari milites conſueviſſe, retrò viſum.

Porticus Zeuxippi infrà *Zeuxippi porticus.* Vide quoque infrà *Trichila*: uti de alio porticus genere; voce *Triforium.*

PORTICUS Triſtegæ, per ambitum Circi Romani ædificatæ

Jul. Cæſarem auctorem habuêre. Nempe Tarquinius Priſcus primus circa arenam extruere cœpit καθέδρας ὑποστέγους, *ſubſellia tecta*, cùm anteà Populus ſpectaret in tabulatis fortuitô opere ſtructis quæ furcis ſuſtinebantur. Quod opus cùm reliquiſſet imperfectum, adjecit aliquid Tarquinius Superbus, qui etiam foros publicâ impenſâ faciendos curavit, ut vidimus ſuprà, voce *Forus*. Ultimam tandem manum Cæſar impoſuit, per totum ambitum Circi *porticibus* ædificatis. A' quo tempore tres *Porticus Triſtega* Circum Maximum cingebant, in ſpeciem Amphitheatri, ſolô latere, ubi carceres erant, exceptô, quod abſque ædificiis ac porticu fuit, & divo expoſitum. In inferiore autem *porticuum* parte ſedilia ſuêre lapidea, uti in ſuperiore lignea: quæ, ut minus ſpatii perderetur, perpetuâ rectura videntur diſpoſita, nullis interciſa viis tranſverſariis, ut in Theatro: quos proin ordines longos ſubſelliorum in Circo *limites* Tertullian. *lineas* Ovidius vocat, quia limites perpetuô rigore incedunt; cùm in Theatro *cardines* & *cunei* dicerentur quia per cuneos diviſa &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 918. & *ſeqq.* Vide quoque ſuprà ubi de *Circo*.

PORTIFORIUM, nomen libri Eccleſ. apud Ingulfum, *p.* 907. *Reſtituit Monaſterio unum* Portiforium *de uſu noſtræ Eccleſiæ & unum Miſſale* &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

PORTINGHERIUS, ſive PERTICHERIUS, miniſter Eccleſiaſticus apud Hiſpanos, ſic dictus à *pertica*, quam geſtat in functionibus ſuis, uti Romani Curſores & Sodalitatum Mandatarii ferre ſolent. Ita *Porticanos*, quaſi *Perticanos*, quibuſdam appellatos ſuprà vidimus Guidones ſeu Bordinatos Romanos, quòd peregrinos per urbem deducentes, *perticam viatoriam*, laſſitudini ſolandæ, ferrent. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* ut & hîc in voce *Bardariota*, item *Primivirgius*.

PORTINARII, in Tuſcia dicuntur Beneficiarii, qui unà cum Canonicis tenentur officiare in Foro; quòd *portionem* menſæ Capitularis participent, ut idem habet. *Portio* autem, medietatem totius ſignificat, *argum. ex. cap. ſtatuto de Decim. in 6. in ff. de verb. ſign. nom. filior. §. portionis ff. de uſufr. etiam.* Papiæ, *pondus 6. uncias habens*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Præbenda*.

PORTISCULUS, vide infrà, *Reſcripti ad flagrum.*

PORTITOR Urſæ, apud Statium, *Thebaid. l. 1. v.* 693.

> *Languet hyperboreæ glacialis* portitor *Urſæ:*

Bootes dicitur. Ita enim Gloſſographus, *jam dieſcit. Deficit Solis adventu Bootes, qui videtur quodammodo portare Urſam.* At potiùs ad Arctophylacis etymon alludit Papinius. Higinus in *Aſtronom. Poëtico, c.* 4. *Arctophylax è facto Urſam ſequens intelligitur, & Arctum ſervans Arctophylax eſt nuncupatus.* Vide de ſitu Arctophylacis ſive Bootæ *Sphæram* Aratæam & Manilium, *l.* 1. de *Portitoris* verò voce, notata Joanni Savaroni *ad Sidonium*, *l.* 6. *Ep.* 4. & Joanni Paſſeratio, *ad Propert. p.* 696. Aliàs *Porthmea* ſignat, ita enim Charontem appellat *Petronius*. Ut apud Val. Flaccum, *l. 1. v.* 785.

> ——— *neque enim antè leves niger avehit umbras.*
> Portitor, *& cunctæ primis ſtans faucibus* Orci &c.

Alia vocis notio in *veter. Gloſſis*, ubi *Portitor*, τελώνης· *Portitorium*, τελωνεῖον· cujuſmodi hominum quæſtus odioſos vocat Cicer. *de Offic. l.* 1. Nempe Publicani ſeu Publici Redemptores, Græcis Δημοσιῶναι, ut honeſtioris erant apud Romanos Ordinis, & Equeſtris ut plurimùm, dicebantur, qui publicum aliquod redimebant, ut viceſimas hæreditatum & viceſimas libertatum, quique cœtera hujuſmodi vectigalia conducebant & portoria. Hi dein præficiebant alios minoris notæ, ſeu decimæ colligendæ, qui hinc Δεκατηλόγοι, ſeu viceſimæ qui Εἰκοστηλόγοι ſeu *portoriis* exigendis, qui *Portitores* inde appellati, & Τελῶναι communi nomine. Quamvis enim & Publicani illi magni nonnunquam Τελῶναι appellarentur, magis tamen id nominis dabatur iis, qui in portoriis & teloniis ſedebant, ad exigenda & colligenda portoria, Græcis etiam Ἐλλιμενισταὶ dicti. Cujuſmodi homines, etiamſi illis determinata fuit exactio, & conſtitutum, quantum accipere deberent, nihilominus ut rem ſuam facerent, plus ſæpe, quam licitum lege iis erat, exigebant. Unde inter ἐπονειδίστους βίους, *probroſas ac turpes profeſſiones*, *Pollux* omne genus iſtorum *Portitorum* recenſet, Εἰκοστηλόγους, Δεκατηλόγους, Πεντηκοστηλόγους, Ἐλλιμενιστάς. Atque tales in Euangelio Τελωνῶν nomine venire, quod proin *Portitores* potiùs, quam *Publicanos*, reddendum eſſe, docet Clar. Suicerus *Theſaurô Eccl.* voce Τελώνης. Vide quoque Suidam in eadem, Chryſoſtomus παρὰ τὸ μὴ ἀπογινώσκειν *Tom.* VIII. *p.* 74. item *Homil. III. de Pœnitentia*, alibique paſſim, Aſterium *in Bibliotheca* Photii, *Cod.* 271. Theophanem, *Homil.* 15. Alios, nec non infrà voce *Publica*, item ubi de *Publicanis*.

PORTIUS, vide PORCIUS.

PORTIUS Licinius, vetus poëta, ſcriptor epigrammatum. Gellius, *l. 17. c.* 21. *Portius autem Licinius ſerius Poëticam Romæ cœpiſſe dicit in his verſibus:*

> *Pœnicô bellô ſecundô, Muſa pinnatô gradu*
> *Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.*

Etſi enim rudia quædam initia Poëſeos Latinæ fuerint, mox à primo bello Punico, ut ex iis fabulis, quas Livius Andronicus, & haud longè pòſt eum Cn. Nævius populo dediſſe conſtat, videtur tamen hic Portius vel Porcius Licinius, ob illuſtre incrementum, quod mox ſumpſerit bellô Punicô ſecundô, eô præſertim tempore ejus initium ſtatuere. Quò etiam reſpexit Horat. *l. 2. ep. 1. v.* 161. ubi de Populo Romano ſcribit:

> *Serus enim Græcis admovit acumina chartis,*
> *Et poſt Punica bella quietus, quærere cœpit,*
> *Quid Sophocles, quid Theſpis, & Æſchylus utile ferrent.*

Hujus *Licinii* meminit idem Gellius, *l. 19. c.* 9. ubi quoſdam ejus verſus producit. Nobili proſapiâ apud Romanos ortum putat Gyraldus, *de Hiſt. Poët. Dial.* 10. Torrentius verò *Comment. ad Horat.* Libertum à Porciorum aliquo manumiſſum. Vide & *Licinius. Nic. Lloyd.*

PORTIUS Philippus, vide *ibi*.

PORTIUS Simon, Neapolitanus, interpres Ariſtotelis tam eruditus, ut *magnus* hinc diceretur *Peripateticus*: à Pomponatio Præceptore ſuo, de mortalitate animæ, errorem hauſit. Geſnero hinc *Porcius* appellatus. Obiit A. C. 1554. ætat. 57. Ejus opera habes *in Elogiis* Teiſſerii, *Part.* 1. & 2.

PORTOCARRERO, nomen Familiæ illuſtris in Hiſpania; in qua Alfonſus Fernandus Dn. *de Moguer* fuit & ſucceſſores filium Martinum ac nepotem Petrum habuit. Hujus autem filia Maria Johanni Pacheco Gironi nupta, hæreditatem & nomen genti iſti intulit: inprimis Johannis filius Petrus, cognomine *Surdus*, cognomine illô uſus eſt inque hujus liberis Johannes Marchio Villæ novæ ſive *de Villanneva del Freſno*, quos titulos hæredes huc uſque habent. Prætereà Johannis frater Garſias *Lopez Portocarrero* Dn. *de Alcala del Almeda* fuit, quam eandem ejus filius Petrus cum titulo *Marchionis* obtinuit, ſed poſteà per filiam ad Girones tranſmiſit. Mariæ porrò prædictæ amita & Petri ſoror Franciſca vocabatur, quæ Ægidio Boccanigræ, Alfonſi filio, Ægidii Genuenſis, qui Admiralis Caſtiliæ factus fuit, nepoti, Palmæ domino, nupſit, unde liberi quoque *Portocarrerium* nomen adſcivêre. Ejus pronepos Ludovicus Fernandus *Portocarrerus*, Comes Palmæ creatus eſt & dignitatem ad poſteros tranſmiſit, fratre hujus Fridericô Mauriciô *Portocarrero* etiam poſteros habente. Præter quam Martini poſteritatem, alius Alfonſi Dn. *de Moguer* filius Alfonſus Rodericum ſuſcepit, qui *Comitis Metellini* dignitate auctus, eam ſuis poſt ſe reliquit, vide ſuprà in voce *Medellino*. Ludovici verò Fernandi modò dicti linea ſic habet: Martinus *Fernandez Portocarrero Boccanigra* Comes Palmæ ex Maria (filia Fernandi *de Valaſco*) genuit Ludovicum Fernandum *Portocarrerum* Dn. *de Palma*; maritum Franciſcæ Manriciæ & ex ea genitorem Ludovici Fernandi *Portocarrer* Comitis *de Palma*: quô & Leonorâ Gironâ *de la Vega*, genitus Ludovicus Fernandus II. *Portocarrerus* Comes *de Palma*, junxit ſibi Luiſam Manriciam, atque ex ea ſuſcepit Ludovicum Antoninum *Portocarrerum* Comitem *de Palma*; Patrem ex Franciſca Mendozia Ludovici Andreæ & Ludovicæ Antoniæ, quarum hæc Roderico primò *Mexiæ Carrillo* Marchioni *de Guardia*; dein Johanni *de Mendoza & Luna* Marchioni *de Montes Claros* nupſit. Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. 2. p.* 32. Vide quoque infrà, in voce *Villa Nova del Freſno*.

PORTONARIUS, vide ſuprà *Portarius*.

PORTOSPANA, Carmaniæ urbs *Ptol. Ortoſpana Ammiano*.

de PORTU Gallo Hugo, vide *Hugo*.

PORTUENSES, vide PORTICANI.

PORTUENSIS Via, quæ ab urbe ad Oſtiam ducebat, vel ut *Ferrarius*, ad Portum Romanum.

PORTUENSIS Porta, una è Romanis portis, de qua ac ſimilibus Alex. ab Alexand. *l. 4. c.* 16.

PORTUGALLIA, Regnum hæreditarium Europæ, in parte Occidua Hiſpan. exiguum, ſed fertilitate & opulentiâ vix ulli ſecundum. Diu olim ſub Mauris, quibus partim à Ferdinando Caſtellæ & Legionis Rege, A. C. 1052. partim ab Henrico ereptum eſt, qui Tereſiâ, filiâ nothâ Alphonſi VI. Caſtellani ductâ, illud Rex in pace obtinuit. Inter hujus ſuceſſores, Sebaſtianus, qui avo ſuo Johanni III. ſucceſſerat, A. C. 1557. Africam primò ingreſſus, A. C. 1574. ſecundâ expeditione illuc ſuſceptâ, in prælio à Mauris, ad *Alcazer* commiſſo, occiſus eſt, A. C. 1578. ætat. 25. regni 22. Hunc excepit Henricus Cardinal. filius quintus Emanuëlis Regis, obiitque A. C. 1580. Hujus frater major natu, Ludovicus Bejæ Dux ſuſceperat ex Jolanta, impare conjuge, Antonium, qui titulum Regis ſumpſit, An. eôdem; Sed Philippi II. armis victus ad Alcantaram, in Gallia exul, Pariſiis obiit. A. C. 1595. Sic Hiſpanicum jugum tulit Portugallia, uſque ad A. C. 1640. quô ſub Philippo IV. Hiſpaniar. Rege Luſitani excuſſô jugô tam gravi, Ducem Bragantiæ Johannem IV. Regem elegerunt; cui Alphonſus VI. fil. ſucceſſit, quô in Inſulam Terceram deportatô, Frater, Petrus, regnum hodie adminiſtrat. Titulis his uti ſolent Portugalliæ Reges: *Rex Luſitaniæ, Algarbiæ, citra & ultra Africa maria, Dominus Guineæ, Navigationis & Commercii Æthiopici, Arabici, Perſici, & Indici*, Anton. Vaſconcellos, *Anacepl. Reg. Luſitan.* Godofredus, Coneſtagius, Duardus, Viperanus, Eduardus Nugnez, &c. *Hiſt. Portug.* Damian. Goëzius, *de Oliſipp.* Mariana Turq. &c. *Hiſt. Hiſp.* Sammart. *Geneal. famil. Gall.* Auctores *Hiſp. Ill. Volum. 1. &c. Baudrando Portugallia*, vulgò *Portugal* Hiſpanis & Gallis, *Portogallo* Italis, regnum eſt Europæ in parte occidentali Hiſpaniæ, ubi aliàs major pars Luſitaniæ cum parte Callaicorum. Anteà ſub Philippo ſecundo, ut dictum, adjectum fuerat reliquæ Hiſpaniæ poſt obitum Henrici Regis. Sed iterum A. C. 1640. ab ea ſeparatum eſt, & Regem proprium, cui etiamnum ſubeſt, admiſit. Terminatur ab occidente Oceanô Atlanticô, ut etiam à meridie ex parte Algarbiæ, quæ ei annexa eſt, à ſeptentrione Gallæciâ, & ab oriente regnô Legionis, Extremadurâ, & Vandalitiâ. Portugalliæ partes ſeu provinciæ ſunt quinque, nempe provincia inter Durium & Minium, *Entre Douro è Minho*, Tranſmontana, *Tra los montes*, Extremadura, *Eſtremadura Porteghesa*, Beira, *Beira*, & provincia inter Tagum & Anam, *Alentejo*, ſeu *Entre Tejo è Guadiana*. Totius regni caput eſt Oliſippo, *Lisboa*, quæ etiam ſedes regia, ad Tagum fluvium. Subſunt etiam Regi Portugalliæ Algarbiæ regnum, *Reyno do Algarve*, in Hiſpania, Braſilia, *le Breſil*, regio ampla Americæ meridionalis, in quatuordecim præfecturas diviſa,

diviſà, Azores inſulæ; *les Iſles Azores*, in Oceano Atlantico, ubi Madera inſula, & inſulæ Capitis Viridis, *les Iſles du Cap. Verd.* Habet prætereà Rex Portugalliæ plurimas arces in ora regni Congi, in Æthiopia inferiori, uti Fanum S. Pauli Loandæ, in ora Angolæ, & inſulas S. Thomæ; Anniboni, Ferdinandi Pai, & Principis, in mari Guineæ. Poſſidet etiam in ora orientali Africæ arces Sofalam, Mozambicum, Monbaziam, & alias Zanguebariæ regionis. In India verò orientali habet Goam urbem amplam cum annexis in ora Malabariæ, uti Baſemum, Damanum, Onorium, Mangaloram, & Barceloram, cum plurimis arcibus in illa ora, Dium arcem & inſulam parvam in ora regni Guzaratarum, atque Amacaum in ora provinciæ Cantoniæ, in Imperio Sinarum, cum aliquot locis in ora occidentali ſinus Gangetici. Inſignia regni quinque ſcutulæ, eò quòd Alphonſus, Mauris victis quinque regulorum ſignis potitus ſit, A. C. 1139. qui idem Ulyſſibonam per ſacræ militiæ ſocios recepit. Initium regni quidam volunt à populo quodam Luſitaniæ *Gali*, vernacule *Galos* aut *Galoſes*, Portus civitatis conditore; quam Mauris ereptam Caſtellæ Rex Comitatus caput conſtituerit, cujus primi Comites *Portus Gali*, dicti, qui dein Duces, tandem Reges effecti. *Metellus*, *Merula*. Vide quoque in voce *Luſitania*, & infrà in *Portus Cale*. Voſſio Nomen ei non à *Gallis*, ut quidam volunt, ſed à *Gallaciæ portu*; Galæci autem priùs *Calaici* dicebantur, ut vel notum è triumpho Bruti, qui à Callaicis devictis *Calaici* nomen eſt indeptus. Hæc Voſſii conjectura eſt. Alii à *Cale* ſive *Calle* oppido, quod Antoninus in *Itiner.* Bracaram dicere notat, ſitum ad oſtium Durii fluminis, *Portugalliæ* vocem derivare malunt, ut Andr. Reſendius, *Epiſt. ad Kebedium*, Oſorius *in vita Emanuelis Regis*, Jac. Menetius *in Antiqq. Luſitan.* Duard. Nonius, *Cenſur, in Texeiram* &c. Illud conſtat inter omnes jam anno à C. N. 500. in uſu fuiſſe *Portucalenſe* nomen. Ita Concilio Tertio Toletano, interfuiſſe Conſtantius legitur, Epiſcopus *Porticalenſis*, A. C. 584. Quarto Anciulphus *Porticalenſis* A. C. 634. Imò & ante quingenteſimum id nomen fuiſſe in uſu, ex Idacio patet, qui *in Chron. & Faſtis Conſular.* ſcribit, *Rechiarium ad locum, qui* Portucale *appellatur, profugum Regi Cheuderico adductum fuiſſe.* Paulatim dein id extenſum eſt, ut *Portucalia*, ſive *Portugallia* tandem regnum evaſerit. Vide Voſſ. *de Idololatria l. 1. c.* 34. Cum veteri Luſitania malè confunditur, cùm hæc ad ortum, illa ad Septentrionem latior ſit. Luſitania enim terminabatur ad Boream fluvio Duriô & aliô minori, qui hodie, *Thormis*, in ripa dextra habens Salamanticam, ductaque ad faciendum limitem Orientalem ab hujus fonte per Solerium montem ſaltumque Manlianum ad Anam, ubi Caſtra quondam Vitelliana, lineâ Anæque porrò progreſſu per Emeritam Auguſtam ad Mare: *Portugallia* verò versùs boream excurrit ſupra confluentes Minium Aviamque ad oppid. uſque Ribadaniam, in Aviæ ripa poſitam, quâ parte Galliciam ſpectat ductâque in Ortum lineâ ad Mirandam uſque ad Durium collocatam; inde verò Meridiem versùs rectô ferè progreſſu factô ad oſtia Anæ fluvii, quô latere Caſtiliæ, Extremaduræ & Andaluſiæ eſt confinis. Interim, quemadmodum Hiſpaniæ partes veteres Geographi fecêre tres, Tarraconenſem, Bæticam & Luſitaniam: Ita diviſionem ejus hodiernam tria Regna efficiunt, *Portugallia*, Caſtilia & Aragonia, quam & Philippus II. ſubjectâ jam *Portugalliâ*, tribus galeis ſcuto ſuo impoſitis exprimere amavit, cùm anteà 2. tantum uſus fuiſſet. Vide Merulam *Coſmogr. part*, 2, *c.* 11. & 26. Numerantur in hoc regno urbes 18. oppida 800. vici 15000. Poſt primariam, Olyſſiponem, præ reliquis eminent Braga ſeu Bracara, Conimbrica & Ebora, urbes ſedibus Archiepiſcopalibus celebres. Initia Regni ab Henrico Lotharingiæ Comite communiter peti ſolent, qui ductâ Thereſâ Alphonſi VI. Caſtellæ Regis filiâ, mortuô Socerô ſine maſcula prole, magnam *Portugalliæ* partem accepit & ad poſteros propagavit. Veſontione autem is civitate Burgundiæ, Lotharingiæ olim attributâ natus erat, unde error eorum, qui Conſtantinopolitanum (quaſi *Byzantium* pro *Biſuntino*) fuiſſe contendunt. Incrementa Regno filius Henrici dedit Alphonſus I. qui & primus Regis titulum uſurpâſſe creditur, circa A. C. 1139. & fuſis quinque Saracenorum Regibus Regni inſignia quinque Scutorum crucis formâ diſpoſitorum, & 5. punctulis ſigillatim inſcriptorum, denotandis 5. devictis Regibus & 30. denariis, quibus SERVATOR. olim venditus, inſtituit. Singulis enim ſcutis 30. denarii tum inſcripti erant, donec à Johanne II. inſtitutum, ut unicuique quini tantùm inſcriberentur, & pro explendo numero tricenario ipſa Scuta connumerarentur, Souſa *Proœm.* 2, §. 2. & *Append. c.* 3. Secuti dein Reges tempori noſtro propiores, Johannes II. & Emanuel, potentiam *Portugallicam*, per Africam ac Aſiam, longè lateque propagârunt. Quod poſt Sebaſtiani cladem in Africa, ad noſtram uſque ætatem actum, diximus *ſuô locô*. Populi *Portugalli*, quibus maximam partem detectorum Africæ Aſiæque tractuum deberi, oſtendit Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terrarum Geogr. & Civil. qui de hoc Regno paſſim, Parte inprimis 2. c. 2. totô prolixè agit: ubi ſimul §. ultim. Catalogum Scriptorum de rebus ejus Lectori avido exhibet.* De Regum ſucceſſione, ita Spenerus *in Ind. Theatri Nobilitat. part.* 1. *Regnum hoc fundavit ex Burgundiæ Ducum, atque ita etiam Regum Galliæ Capetinorum nobilitate, oriundus Alfonſus,* 1139. *in cujus maſcula progenie, duravit, uſque ad Ferdinandum, qui A. C.* 1383. *obiit. Cùm verò hujus gener Johannes, Rex Caſtiliæ coronam ſibi vindicaret*, 1385. *electus eſt adversùs ipſum ab indigenis Johannes, Ferdinandi nothus frater: cujus poſteri ſceptrum tenuêre, donec Sebaſtiani morte iterum res eò rediit, ut maſculus legitimus nullus ſupereſſet. Itaque inter plures Diadematis procos prævaluit Rex Hiſpaniæ Philippus II. Verùm ſub nepote ejus* 1640. *Luſitani, Caſtellanorum Imperii pertæſi ex Bragantinis, (qui, præterquam quòd ex notho Johannis Regis eorum ſtirps deſcendit, per fœminam quoque ad Emanuelem Regem ortum ſuum referebant) Johannem Regem eſſe juſſerunt, qui etiam, contradicentibus quamvis Hiſpanis, thronum retinuit & poſteris tranſmiſit.* Idem Sebaſtiani Regis progenitores, *p.* 131. Johannis IV. verò *p.* 119. repræſentat, Et *Part.* 2. *in Indice* familias, quæ ex naturalibus liberis horum Regum prodierunt, tres præcipuas eſſe ait: Primam ſcil. deſcendiſſe à Dionyſio *Dn. de Ciſuentes* & deinde *Alba de Tormes*. Petri Regis ex Agnete de Caſtro filio; unde Domini de *Torres Villar* & *Dompardo*. Item *de Colmenerajo* orti: Secundam Bragantinam, de qua dictum: Tertiam ab Alfonſo, tertio Ferdinandi filio; unde Comites *de Faro*, *Odemira* atque *Vimiero*, cognomine, *de Faro & Norogna*, deſcenderint. Vide hic paſſim.

PORTUGALLIÆ URBES PRÆCIPUÆ:

Beja, *Beja.*	Guardia, *Guarda.*
Braccara, *Braga.*	Miranda, *Miranda de Douro.*
Bragantia, *Braganza.*	Oliſippo, *Lisbona.*
Conimbrica, *Coimbra.*	Portus, *Porto.*
Eluas, *Eluas.*	Portus alacris, *Portalegre.*
Ebora, *Evora.*	Viſeum, *Viſeu.*

PORTULANUS, qui & PORTUNARIUS, portuum maris vel fluminum, eôque nomine navium, quæ in ſtatione ſunt, præſes: quod officium hodieque ſub eodem vacabulo; in utraque Sicilia, viget. Ejus ſit mentio in *Statuto* Honorii IV. pro Regni Neapolitani incolis, A. C. 1285. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Deſcriptionem habes apud Petrum de Vineis *l.* 2. *Ep.* 36. Vide quoque ſuprà *Limenarchus*. Item nomen libri, Italis *Portolano*, quô nomine iis indigitatur *libro, do veſone deſcritti porti del mare*, h. e. *liber in quo deſcripti ſunt portus maris*, qui Gallicè etiam habetur editus. Vide *Turco-Græciam* Cruſii *p.* 525. & plura infrà.

PORTUMNALIA, 16. Kal. Sept. celebrari à Romanis ſolita, dicta ſunt, teſte Varrone *de L. L. l.* 5. à *Portumno*, cui eô die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ ſunt. *Hadrian. Turnebus* addit, rem divinam fieri conſueviſſe ad pontem Æmilium, ubi ejus ædes fuerit. Fuit autem *Portumnus*, Deus marinus, portubus præfectus; Græcis *Palæmon*, Latinis aliter *Portunus* aut *Portumnus* dictus: cui duæ fuêre Romæ ædes, utraque in II. Urbis region. altera rotunda ad Pontem Æmilium, qua de dictum: altera inter Apollinem Cœliſpicem & Herculem Olivarium. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 13. Vide quoque in voce *Portunalia*; it. infrà *Priapus*.

PORTUNALIA, inter 4. Græciæ celeberrima certamina numerantur, in honorem Palæmonis, quem Latini *Portunum* vocant, quæ & *Iſthmia* dicebantur ab *Iſthmo* Peloponneſiaco, ubi celebrata ſunt. Vide ſuprà.

PORTUNATA, inſul. Illyrici ſive Liburniæ, Plin. *l.* 3. *c.* 21. *Vegia*, teſte *Merulâ*. Sed Vegia aliàs *Caricta* fuit. Proin non benè, quid ſit, conſtat, *Baudrand.*

PORTUNUS, Deus maris, à PORTUBUS quibus præſidere putabatur, nomen habens. Servius, *in illud Virg. Æn. l.* 5. *v.* 241.

Et pater ipſe manu magnâ Portunus euntem
Impulit. —— ——

Erat verò Inûs filius. Ino autem *Leucothoë* ſeu *Matuta* dicta eſt. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 545.

Leucothoë Grajis, Matuta vocabere noſtris,
In portus nato jus erit omne tuo.

Vide *Palæmon. Nic. Lloyd.* Item, dæmonis genus apud Anglos. Vide ſuprà Neptunus.

PORTUS, litoralis Maris pars, quæ navium ſtationi ſit idonea vocatur Geographis. De quibus in genere notant, *Portus Reales* vocari, quorum talis ſitus, ut nullô ventô infeſtari queant: quales Ricciolus enumerat *Portus* Meſſanæ, Carthagenæ, Tolonis, Melitæ, Raguſæ, Harvichii &c. Illos verò, quos omni tempore ingredi liceat, Italis dici *Porti d'entrata*: ubi tempus affluxûs expectandum, *Porti di Marea*. Iidem juxta *Portus* ordinariè requirunt Navale pro fabricandis inſtaurandiſque navibus: Pharos item ſeu turres, in ſignum *Portus* vicini aut ad ſcopulos declinandos, &c. *Portus* antiquorum deſcripſit olim *libris* 10. Timoſthenes Archithalaſſus Ptolemæi II. ſed qui interierunt: E recentioribus in iis enarrandis occupati fuêre Dudlæus, *l.* 3. Funerius *l.* 2. Ricciolus, *l.* 10. *c.* 9. & 10. quem in *Portubus* Maris Mediterranei Regionumque extra Europam ſe ſequutum eſſe, profitetur Auctor *Hiſtoriæ Orbis Terrarum Geogr. ac Civ. Part.* 1. *c.* 3. *toto* De *Portubus non legitimis*, qui aliter *Stationes* & *Plagiæ*, dicemus infrà aliquid, voce *Refugia*; uti de *Portubus minoribus* ſeu potiùs trajectibus, in *Portu* majori, voce *Scala*. Cœterùm apud Gentiles olim *portibus* præfuit Priapus, hinc Λιμενίτης, Λιμενορμίτης, λιμένων Δαίμων, πόρου φύλαξ, Ὁρμοδότηρ, Ἐνορμίτης, Poetis paſſim appellatus, ut infrà videbimus, ubi de eo, vide & *Portumnalia* ſuprà. Aliam notionem vocis vide ſuprà in *Porta*, it. ubi de *Clauſtris montium*, ut & paulo infrà.

PORTUS MARIS ALBI ET MARIS GLACIALIS CELEBRIORES.

α. In Mari Albo, celebres ſunt *Portus* & Emporia Archangeli ſeu S. Michaëlis, & S. Nicolai, ad oſtia fluv. Dwnæ: quorum detectio Richardo Chancellero Anglo debetur, A. C. 1560. β. In extrema Lappia *Portus* Colæ ad fluvium cognominem memoratur crebrò, *in Itiner.* 3. Belgarum ad N. Zemblam, *p.* 49. & *ſeqq.* Atque hinc propè abeſt litoralis tractus *Kegor* & in eo Portus *Ooſterhaven*, Furnerio *Generalis piſcium apotheca* dictus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Maris Balthici.

Mare Balthicum *Portus* ſuſtinet: in Suecia, ad Holmiam, Calmariam & Neapolim ſeu *Nykoping*; In Livonia, ad Rigam, in Sinu Livonico, juxta oſtium fluvii Dunæ, Revaliam, in Sinu Finnico & Narvam ad oſtium fluvii cognominis. In Pruſſia Ducali ad Memeliam, Pillaviam, indeque Regium Montem: in Regia, ad Elbingam & Dantiſcum: In Pomerania Electorali ad Colbergam; in Suecica, ad Stetinum, Stralſundam & Rugam apud oſtium Panti, tantopere Brachelio celebratam, quô Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem cum in Germanicum iret bellum, duxiſſe docet *Hiſtor. l.* 4. In Ducatu Megapolitano, Wiſmaria & Roſtochium *Portus* habent celebres. Denique Lubeca ad Travam. Quibus addit præfatus Auctor Kiloniam, Ekelnfordam, Flensburgum ex Holſatia, & Hafniam ex *Dania*, ad Oreſundam.

Norvegiæ, Holsatiæ, Belgii, Galliæ et Hispaniæ.

α. In Norvegia, celebris *Portu* eſt Berga. β. In Holſatia, Huſum, Tonninga, Fridericopolis: Sic Hamburgo Albis & Bremæ Viſurgis navium acceſſum reddunt commodum. γ. In Friſia Orientali Emda *Portum* habet celeberrimum. δ. Belgium, & quidem Fœderatum, habet è Weſtfriſiæ regione Teſſeliam & Vliam, *Texel* & *Vlieland*; Hollandia, Hornæ, Enckhuſæ, Amſtelodami, Rotterodami, imprimis Brielæ & ab altero latere Inſul. *Helvoets Sluys*, Item Gœream. In Seelandia, Vliſſingam & Middelburgum: In Flandria, Sluſas, &c. Anverpiæ, Oſtendæ, Neoporti, navium ſtationes habet commodas: Dunkerkæ item & Gravelingæ, quæ Gallici jam juris ſunt. ε. Galliæ portus ſunt ad Caletum, Dieppam, Portum Gratiæ, S. Maclovii, S. Brioci *S. Brieux*, Brivatum *Breſt*, totius Galliæ optimus, adeoque ſecurus, ut appelletur vulgò *la Chambre:* Nannetes, Rupellam, Bajonam. ζ. Hiſpaniæ *Portus*, in ora Cantabrica ſunt, *Portus S. Sebaſtiani*, vulgò *Laredo*, quò Carolus V. poſt abdicatum Imperium, exceptus eſt, A. C. 1556. S. Andreæ, *Villa Vieioſa*, *Corunna:* & ab altero latere Gades, S. Lucæ ad oſtium fluvii Bætis. η. In Portugallia, oſtium fluv. Palmæ eſt *Setubal*, ad Tagi oſtium Olyſippo, & ante eam Caſcalis ſeu *Caſcais:* Item *Porto*, ſeu *Port à port*, ad oſtium Durii fluv.

Portus Insulani Magnæ Britanniæ et Hiberniæ.

α. In Anglia, primùm ipsô nomine celebres ſunt Quinqueportus, vulgo *the Cinqueports*, loca in Cantio & Suſſexia, ad fretum Britannicum ſita. Nomina ſunt, *Haſtings*, *Winchelſey*, *Rye*, *Rumney*, *Hyde*, *Dover*, *Sandvvich*, *Seaford:* Plura enim eorum hodie, quàm 5. Quibus addi poteſt apertum litus Cantii, quod *Dovvnes* & *Dunes* vocant. Reliquos *Portus* in plaga Orientali præbent *Neucaſtle*, Hulla, *Lyn*, *Tarmouh*, *Ipſvvich*, *Harwich*, *Colcheſter* &c. in Meridiano latere occurrunt ad *Chicheſter*; *Portſmouth*, Inſul. Vectim, *Falmouth*, *Weymouth*, *Pleymouth* &c. β. In Hibernico Mari, eſt *Portus* Briſtoliæ ad Avonam & prope oſtium Sabrinæ. In Comitatu Penbrocenſi *Milfordshaven*. Eſtque hoc in Angliæ *Portubus* memorabile, quòd ſingulæ nationes, vitandarum litium causâ: Belgæ *Sandvvich*; Galli ac Veneti, *Dover* Hiſpani *Pleymouth*, Hiberni Segeſtriam *Sieſter* petant. γ. In Scotia, *Portus* ſunt, *Lith*. prope Edinburgum, Portus item S. Andreæ, *Montroſſ*, *Aberdon*. δ. In Hibernia, Dublinum, *Waxford*, *Bearhaven*, *Crookehaven* &c. Hitlandia, Orcadum extrema, celebris eſt ſtatione navium Belgicar. capturæ Harengarum incumbentium, ubi ad 14. Junii usque hærent, Locus *Barcies Ree* vocatur.

Portus Maris Mediterranei,

α. In Hiſpania Malaga, Carthagena, *Alicante*, Barcino: Sed Carthagena præcellit. β. In Gallia, Maſſilia. ubi tanta ſecuritas navium, ut nulla unquam ibi dicatur periiſſe: Tolonium, ubi triremium ſtatio. & Antipolis *Antibes*, ad Inſulam S. Margaritæ. γ. In Italia eſt Villa Franca, ad Sabaudiæ Ducatum; Finalis ad Ducatum Mediolanenſem pertinens: Genua, in cujus *Portu* præter 5. aut 6. *Galea*, aliæ 25. ſemper in promptu ſunt. In Ducatu Florentino eſt *Portus* Liburnus, *Livorno*, commerciis variarum gentium celeberrimus. Romanum territorium habet Archæopolim *Città Vecchià*, ſed aëre inſalubri nocentem: quæ cauſa, quòd Pontiam Inſulam ab altero latere Romæ ſitam, Pontificiæ claſſi commodiorem judicent. Vetus *Portus* Oſtienſis, in oſtio Tiberis conditus & magnificè olim ab Imperatoribus excultus, Pontificis juſſu deſtructus eſt, ne Turcis contra ipſam Romam caſtelli locô inſerviret. Regnum Neapolitanum *Portus* habet ad Cajetam, ad Neapolim, & ad fretum Mamertinum, ubi Rhegium *Reggio:* in Sinu Tarentino eſt *Taranto:* in Mari Adriatico commendant Anconam, Ravennam, Venetias &c. δ. In Turcico Imperio *Portus* extant: In Europa, Raguſæ: tum *Porto Navarino* in Morea, *Porto Lione*, Athenis, Portus Theſſalonicenſis, Portus *di Salonichi*, Portus Conſtantinopolitanus, tantæ ad ipſas ripas profunditatis, ut naves M. D. doliorum capiat, fundi prætereà nitidi, & hinc ab urbe, iſthinc à colle, in quo Galata, munitus. In Aſia, habet Abydum, alteram Dardanellorum, quò Chriſtianorum naves appellere oportet, ac Præfecto 100. aureos ſolvere, antequam Conſtantinopolim petant. In Aſia minore Smyrnæ Portus eſt, non magnæ quidem profunditatis, interim commerciis frequentiſſimus: ut & Syriæ portus *Alexandretta*, unde merces Aleppum transferuntur. Reliqui ſunt: Tripolitanus *Tripoli di Soria*, Berytinus *Baruti*, Sidonius *Saido*, Joppenſis *Jaffa*. Ad Ægyptum eſt *Portus* Peluſii ſeu Damiatæ, tum Alexandriæ, ubi Gallicarum, Venetarum, Genuenſium & Raguſearum navium diſtinctæ ſtationes ſunt. In Barbaria ſunt, *Portus* Tripolitanus, Tunetanus, qui unà cum Biſertæ portu ſucceſſit in locum priſci portus Carthaginenſis; *Portus* Algeriæ, Oranenſis, & qui nunc Anglorum eſt, ad Fretum Gibraltar Portus Tingitanus *Tanger*. ε. Inſulæ quoque Maris Mediterranei ſuis *Portubus* inſignes ſunt: Tales enim, in Corſica, *Portus* S. Bonifacii, Calvi & S. Florentii *di S. Florenzo:* in Sardinia, *Portus* Calaritanus *di Cagliare:* Melitæ *Portus*, duabus oblongis terræ cuſpidibus incluſus & caſtro S. Elmi munitus eſt. Inſulæ Veneti juris *Portus* habent *Corfu*, Portum *Sidari* & Portum *Teno:* Cephalonia Portum *Argoſtoli:* & Zacynthus Portum *Chieto* & *Portum S. Nicolai*. In Candia, commoditatem *Portuum* agnovêre Turcæ, unde tantô eam conatu ſunt aggreſſi. Cùm enim priùs claſſem ſuam quotannis Conſtantinopolim reducere cogerentur, Inſulâ jam occupatâ non tutam ſolùm navibus ſtationem: ſed etiam fabricandis inſtruendiſque triremibus ampliſſimam commoditatem nacti ſunt. Ex numero iſtorum indicamus Retinum, Caneam, Candiam, Spinam Longam, Carabuſam & Sudam. E' Candiæ regione eſt *Standia*, locus itidem navium receptioni commodus: in Cypro, *Portum* nobiliorem habet Famaguſta.

Portus Asiæ notiores.

α. In Mari Rubro, prope Fretum ejus Portus *Aden* & in intimo receſſu illius *Suez*, antiquis *Heroum Portus*. β. In Sinu Perſico *Ormuz*, & 250. leucis inde ſitus *Portus Diu*. γ. In Malabarico littore *Portubus* inſignes ſunt, Goa, Calicutum & Cochinum. δ. In Inſula *Ceylon*, *Portus Columbo*. ε. In Coromandelico littore, *Portus Palicatta*. ζ. In Cherſoneſo aurea *Malacca*, totius Orientis navigiis frequentata. η. In India Orientali Belgarum clariſſimus *Portus* eſt Batavia, in Inſul. Java majore ubi & alium videre eſt Bantamenſem. θ. In Luconia, famam habet *Portus di Manilla*. ι. Regni Sinenſis *Portus* nobiliores ſunt, *Macao* & *Portus Liampo*. κ. In Regno Japaniæ, *Meaco*. λ. In Mari Caſpio *Portum Mirkiſchlack* commendat Olearius *Itiner. Perſ.* cui adjungi poteſt ad oſtium Volgæ celebre Emporium *Aſtracan:* regni cognominis caput.

Portus Africæ.

In Orientalis Africæ litore *Portus* eſt Moſambici, quò Portugallorum naves Indicæ curſum dirigere amant. Præbet & *Cap. Bonæ Spei* celebrem ſtationem commeantibus in Indiam navibus.

Portus Americæ.

α. In Continenti Americæ Septentrionalis eſt *Portus* Nominis Dei *Nombre de Dios*, Portus Veræ Crucis *Vera Cruz*, & S. Johannis de Ulloa, omnium præſtantiſſimus, in quem merces ex Nova Hiſpania & Philippinis collectæ devehuntur, ut inde per Pahamam in Hiſpaniam transferantur: Ab altero latere eſt Portus Nativitatis *Port. Natividad*, & Portus Aquæ Pulchræ *Aquapulco*. β. America Auſtralis habet Portum *Carthagena*, in quo mercium ex Peruvia ſupellex colligitur, in Hiſpaniam poſtmodum exportanda. γ. In Braſilia ſunt portus *Phernambuco*, *Todos los Sanctos* ſeu Omnium Sanctorum, *Portus* Securus *Port. Seguro*, &c. Omnium totius Americæ celeberrimus eſt, *Portus* Inſulæ Cubæ *Havana* vocatus & veluti clavis Americæ habitus, in quo omnes Hiſpanorum claſſes colliguntur, & Menſe Septembri in Hiſpaniam ſolvunt. δ. Inter Azores, Angra Terceræ urbs primaria ex Canariis Teneriffa quoque *Portus* ſuos habent: Poſterioris *S. Crucis* dictus eſt &c. de quibus omnibus plura ſuô locô.

PORTUS, Hiſpanicè *Puertos*, propriè clauſtra Pyrenæorum montium, ſeu fauces, alias *Porta*. Turpinus, *Hiſtoria Caroli M. c.* 11. *Tunc Aigolandus fugiens tranſmeavit* portus *Aſerros & venit uſque Pampilonam*. Et c. 21. *dum Carolus portus cum* 20. *millibus Chriſtianorum tranſiret*. Ibique paſſim. Sebaſtianus Salmanticenſis Episcop. in *Hiſtor. Ita ut ne unus Caldeorum intra Pyrenaos* portus *remaneret*, &c. Guil. Britto, *Philip. l.* 1.

Uſque ſub Hiſpanos fines, portuſque remotos,

Nonnullis etiam *Gradus* dicuntur, Vide in hac voce. Sed & in genere, *Portus* anguſtias montis notant, Nangius in *Philippo III. Intereà Comes Athrebati, qui, ut diximus, juxta introitum* Portuum *cum valida manu peditum & equitum ſe tenebat*, portus *Cyſereos evitando*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Not. ad Alexiadem*, p. 301. qui vocem hanc apud Recentiores, non rarò *reditus* & prædiorum commoda, adeoque idem quod Gall. *Raports* & *Revenus* dicitur, quoque ſignificare docet. Atque hoc modô capiendus Guntherus, *Ligur. l.* 8.

Vectigal, portus, *cudendæ jura monetæ,*
Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes &c.

PORTUS Æmilius, fil. Franciſci, de quo mox: Profeſſor Græcus Heidelbergæ, varia ingenii excellentis monumenta edidit, vide Jul. Cæſ. Capacium & Laur. Craſſum, *Vit. Poëtarum Græcorum*.

PORTUS Franciſcus, Cretenſis, Græciæ ſuæ decus, educatus in Familia Renatæ, filiæ Ludovici XII. & Herculi Duci Ferrar. nuptæ, in hac urbe Græca docuit. Inde Genevam, ob religionem, delatus, idem illic munus obiit, extinctus A. C. 1581. æt. 70. à Beza inſigni epitaphiô honoratus. Vide Joſ. Scaligerum *Epiſt.* 430. *Sca-*

430. *Scaligerana*, Anton. *Teiſſier*, *Elog. Part.* 1. ubi ſcripta ejus enarrat, *Alios.*

PORTUS, vulgò PORTO, urbs Hetruriæ, in provincia Patrimonii S. Petri, in ditione Pontificia, 12. milliaribus à Roma diſtat in meridiem, & unò fere ab ora maris Tyrrheni. Portum habuit aliàs ſuperbiſſimum, à Claudio exſtructum, & à Trajano reparatum, cujus vix viſuntur veſtigia. Urbs ipſa diruta jacet, ægrè à quatuor aut ſex incolis habitata propter aëris inclementiam.

PORTUS Abucini, quatuor Civitatibus provinc. max. Sequanorum & tribus caſtris ultimo loco ſubjicitur, *in Veter. Notit.* Ad Lacum Lemanum, inter Coloniam Equeſtrem, & Lauſanam, vulgò *Bouchillon.* An *Buſſigny* vicus, ad fluv. Venogiam, *la Venoge*. prope Lauſanam. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PORTUS Acaxutla, vulgò *Puerto de Acaxutla*. portus eſt amplus Americæ ſeptentrionalis, in nova Hiſpania, & in Guatimala provincia, in ora maris Auſtrini, prope oppid. Trinitatis, ſub Hiſpanis.

PORTUS Alacris, vulgò *Portalegre*, urbs munita Portugalliæ, aliàs Amæa, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bracarenſi, in provincia inter Tagum & Anam dicta, in confinio Eſtremaduræ Legionenſis, ad fontes fluvii Caiæ. 9. leuc. Hiſpanicis diſtat ab Eluis in Boream, & 5. à Valentia Alcantaræ in occaſum.

PORTUS Auguſti. *Antonin. Procop. Caſſiod.* qui & Romanus, *Porto*, urbs Hetruriæ prorſus exciſa, apud oſtia Tiberis, contra Oſtiam urbem etiam extinctam 2. mill. paſſ. diſtantem, ab urbe Roma 16. mill. paſſ. in meridiem. Manet epiſcopatus, unus è ſex qui Cardinalibus antiquioribus conferuntur. Erat & portus Auguſti in ora Galliæ Narbonenſis, ad oſtia Rhodani fluvii, ab Arelato 38. mill. paſſ. diſtans ex *Itinerario* Antonini.

PORTUS Bajocenſis, vulgò *port en Beſſin*, portus Galliæ, in Normannia, & in ora maris Britannici, prope Bajocas urbem, à qua vix unâ leucâ diſtat in Boream.

PORTUS Ballii, hodie *Portbail*, ad Oceanum: in pago Conſtantino Galliæ, emporiô olim celebris. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PORTUS Belus, vulgò *Porto Belo*, urbs novæ Americæ meridionalis, in ora maris Borealis, cum portu capaciſſimo & duplici arce. 18. leucis diſtat à Panama in ſeptentrionem; eſtque in provincia Terræ firmæ, & crevit ex ruinis Onomatheopolis. Subeſt Hiſpanis, & nuper capta & direpta fuit ab Anglis.

PORTUS Bufaletius, oppid. agri Tarviſini.

PORTUS Calenſis, *Portugallo*, (unde nomen regno Luſitanorum) & *Porto*, ac *C. Puerto*, urbs Luſitaniæ, ad oſtia Durii fluvii, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bracarenſi, inde 8. leucis, ab Ulyſſipone 47. in Boream, ſic à Cale pago proximo denominata. *Ferrar. Baudrando*, *Portus* Cale, *Porto*, ſeu *Ciudad. de Puerto*, Belgis *Port à Port*, urbs eſt ampla & emporium celebre Hiſpaniæ, in regno Luſitaniæ, prope oſtia Durii fluvii, & vix una leuca diſtans ab ora Oceani Atlantici, in provincia inter Durium & Minium dicta. 7. leuc. diſtat à Bracara in meridiem, & 12. à Lameca in occaſum.

PORTUS Corcagiæ, vugò *Corkshaven*, portus eſt Hiberniæ, in Momonia provincia & Corcagienſi Comitatu, in ora maris Verginii. Ampliſſimus eſt, & veriùs æſtuarium, 12. mill. paſſ. diſtans à Corcagia urbe in meridiem.

PORTUS Corvi; vulgò *Puerto del Cuervo*, portus eſt cum caſtro in parte orientali inſulæ Corvi, unius ex Tertiariis inſulis, & prope Florum inſulam, ſub Luſitanis.

PORTUS Crematus, vulgò *Puerto Quemado*, portus Americæ meridionalis, in provincia Terræ firmæ, & in ora maris Auſtrini, in limite Popayani, prope promontorium, cum caſtro recenti, ſub Hiſpanis.

PORTUS Delphini, vulgò *Portofino*, oppidulum Italiæ, cum arce in ora orientali Liguriæ, & portu tantiſper capaci, ſub dominio Reipublicæ Genuenſis. 20. milliaribus diſtat à Genua in ortum, Rapallum verſùs 3.

PORTUS Deſideratus, vulgo *Port deſiré*; portus Americæ meridionalis, in Magellanica regione, inter oſtium Argentei fluvii ad Boream, & terram Ignium ad meridiem.

PORTUS Dianæ, vulgò *Stagno di Diana*, portus eſt Italiæ, in ora orientali Corſicæ inſulæ, cum ſtagno adjacente. Parvus eſt, & patim arenâ obductus, prope Aleriæ urbis rudera.

PORTUS Dives, vulgò *Puerto Ricco*, ſeu Fanum Sancti Joannis de Portu divite, S. *Juan de Puerto Ricco*, urbs epiſcopalis Americæ ſeptentrionalis, munita, cum arce duplici & portu capaciſſimo in parte Boreali inſulæ cognominis, in mari Boreali. Capta fuit & vaſtata ab Anglis A. C. 1595. & iterum à Batavis A. C. 1615. Subeſt autem dominio Hiſpanorum; & dicituretiam Fanum S. Joannis de portu divite. Vide ibi.

PORTUS Divitis inſula, vulgò *Iſla de Puerto Ricco*, inſula ampla Americæ ſeptentrionalis in mari Boreali. Dicitur aliter *Iſla de S. Juan de Puerto Ricco*, incolis *Boriquen*. Detecta fuit ab Hiſpanis A. C. 1493. & ab ipſis exculta A. C. 1510. Ejus longitudo ab ortu in occaſum eſt 30. leucar. Hiſpanicarum, latitudo verò 20. circiter.

PORTUS Equorum, vulgò *Puerto de Cavallos*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in Hondura provincia novæ Hiſpaniæ, & in ora maris Borealis ſinuſque Honduræ. Capax eſt admodum; ibique aliàs fuit Fanum S. Joannis de portu Equorum dictum, nunc dirutum. 35. leuc. Hiſpanic. diſtat à Pintia nova ſeu Comajagua in Boream.

PORTUS Ericis, *Antonin. Lerice*, oppid. in ora Liguriæ extrema, ad portum Lunæ, ultra portum Veneris 3. mill. paſſ.

PORTUS Famis, vulgò *Porto Famine*, portus Americæ meridionalis, in ora Boreali freti Magellanici, ſic dictus, quia aliàs ibi excitata fuerat urbs Philippopolis, cujus incolæ fame necati perierunt. Vide *Philippopolis.*

PORTUS Formoſus, *Beauport* Gallis, *Bahia hermoſa* Luſitanis, *Moſſel Bay* Belgis, portus eſt Africæ, in Cafreria regione maximè ad auſtrum, inter ſinum ſanctæ Catharinæ ad occaſum & ſinum ſancti Franciſci in ortum, 90. leucis Luſitanicis circiter diſtans à promontorio Bonæ Spei in ortum.

PORTUS Formoſus, *Puerto hermoſo*, portus Americæ ſeptentrionalis, in parte meridionali Hiſpaniolæ inſulæ ſeu Dominici, cum caſtro. Extenditur ad aliquot milliaria, & 18. leucis Hiſpanicis diſtat à Dominicopoli in occaſum.

PORTUS Franciſci Draci, *Puerto di Franciſco Drac*, portus eſt maximus Americæ ſeptentrionalis, in parte occidentali Californiæ inſulæ, ubi ad Boream tendit verſùs promontorium Mendocinum. Sic dicitur, quòd illuc appulerit celebris ille Argonauta Franciſcus Dracus Anglus, dum orbem terrarum circumnavigaret. eſtque forſan in illo tractu nova Albion regio, de qua tanta controverſia fuit inter ſcriptores, ut credere eſt ex plurimis argumentis.

PORTUS Gori, vulgò *Porto de Goro*, Portus Italiæ, in Ducatu Ferrarienſi, ſeu melius unum ex quatuor oſtiis Padi fluvii, ubi per foſſam Carbonariam, *Podi Ariano* dictam, in mare Adriaticum cadit; & 10. mill. paſſ. diſtat ab oſtio rami præcipui Padi ſeu portus Vierii in meridiem, ſub dominio Summi Pontificis. Ei adjacet tantum turris parva ad ejus tutelam.

PORTUS Gratiæ, vulgò *le Havre de Grace*, oppidum munitiſſimum Galliæ, cum arce inſtructiſſima & portu, in Normannia, & ad oſtium Sequanæ fluvii, 18. leucis infra Rothomagum in Circium, & 15. à Cadomo in Cæciam, 10. autem à Lexovio in Boream; eſtque in ora maris Britannici. Cum arce muniſſima. Franciſcus I. autem urbem munire cæpit, contra Anglorum potentiam: in quorum manus tamen pervenit bellô civili, ſed recepta, A. C. 1563. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 34.

PORTUS Hannibalis, Melius *Villanova*, teſte Vaſconcellô, (ſed Floriano & Taraphæ eſt *Albor*, oppid. vicinum, ubi plura ſunt vetuſtatis veſtigia) oppid. Luſitaniæ maritimum, apud Sacrum promontorium, à Lacobrica 2. leucis.

PORTUS Herculis, *Val. Max. Villa Franca*, portus cum arce Liguriæ, inter portum Monœci & Nicæam urbem, à qua 2. mill. paſſ. in ortum recedit. *Baudrando* nunc *Monacho* dicitur ab omnibus, eſtque oppidum munitum cum arce & portu capaci, 6. milliarib. à Nicæa in ortum diſtans, verſùs Albium Intemelium totidem. Vide *Herculis Monœci portus*: & *Portus Monœci.*

PORTUS Herculis alter, *Strab. Antonin.* portus cum oppido in ora Hetruriæ, ad montem Argentarium, apud Coſas urbem exciſam, à Centumcellis 40. mill. paſſ. diſtans, (in medio Graviſcæ) *Porto Ercole*, ſub Hiſpanis.

PORTUS Herculis item, Plin. *l. 3. c. 5. le Formicole*, portus Brutiorum, in ora Calabriæ ulterioris, apud Tropeam urbem, ab ea 5. mill. paſſ. in ortum Nicoteram verſùs. Aliis eſt Tropea

PORTUS Leonum, vulgò *Puerto de los Leones*, portus eſt Americæ meridionalis, in parte orientali Magellanicæ regionis prope oſtium fluvii *Deſaguadero* dicti; & 60. leucis Hiſpanicis à portu Deſiderato in Boream diſtans.

PORTUS Longus, *Porto Longone*, arx munita Italiæ in Hetruria & Ilua inſula, paucis adhinc annis ab Hiſpanis exſtructa è regione Plumbini, à quo 12. mill. paſſ. diſtat in meridiem, 54. ab Urbatello in occaſum, & totidem à Liburno in meridiem.

PORTUS Ludovici, vulgò *le Port Louis*, oppid. munitum Galliæ, in Britannia minori, aliàs Blabia dictum, *Blavet*, ad oſtia fluvii Blabiæ. Portu gaudet capaci. 10. leucis diſtat à Dariorigo Venetorum in occaſum, & 15. à Coriſopito in ortum, in ora Oceani Aquitanici.

PORTUS Lunæ, *Strab. Golfo della Spezzia*, portus Liguriæ maximus, in Hetruriæ confinio, apud oſtia Macræ. Ejus meminit Qu. Ennius apud Perſ. *Sat.* 6. v. 9.

Luna portum eſt operæ, cognoſcere cives.

PORTUS Magdalenæ, vulgò *Puerto de la Madalena*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in ora meridionali Californiæ inſulæ, & ſatis frequentatur ab Hiſpanis, dum ex Acapulco in Philippinas inſulas tendunt.

PORTUS Magnus, tergeminus. Plin. *l. 5. c. 2. Ptol.* unus Hiſpaniæ Bæticæ; *Almeria*, urbs epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Granatenſi, inde 19. leucis recedens, ſic ab Almarico Gothorum Rege conditore, ſeu inſtauratore, nominata, teſte *Marianâ.* Sunt qui Almeriam Abdaram veterem dictam putant: ſed Abdara nunc *Adra* dicitur; ab Almeria (quæ illi in epiſcopali ſede ſubrogata eſt) 7. leucis in occaſum recedens. Hæc ab Hiſpanis anno ſalutis 1147. ejectis Mauris, recuperata eſt. Alter, in Mauritania Cæſarienſi, *Marzaquivir*, ſub Hiſpanis, apud Quizam ſeu Auranum urbem, ſub eiſdem, inter illam ad ortum & Sigam ad occidentem. Tertius; Albionis, in ora Angliæ auſtrali, contra Vectim inſulam, *Portſmouth*, teſte *Lhuydo*, apud Hamptonam, & portum Hammonis, vulgò *Port Hammon.* Erat & Portus Magnus, teſte *Strabone*, in Bœotia, inter Aulidem & Oropum.

PORTUS Magnus *Camdeno* & aliis eſt *Porteſmouth*, oppid. Angliæ meridionalis, cum portu capaci in ora maris Britannici & Hantoniæ provinciæ, prope portum *Southampton* dictum, & contra Vectim inſulam.

PORTUS Mauritius, *Porto Moriſo*. oppid. oræ Liguſticæ, inter Albingaunum ad ortum 19. & Tabiam oppid. ad occaſum 22. mill. paſſ. Oneliæ oppido propinquum, 2. milliar. diſtans. *Baudrando*, oppid. eſt Italiæ, in ora occidentali Liguriæ, ſatis cultum & lepidum, in colle, prope Oneliam, & medium inter Savonam, ad Cæciam, & Nicæam ad occaſum, 36. mill. paſſ. utrinque diſtans, ſed portu caret, ſubeſtque dominio Reipublicæ Genuenſis.

PORTUS, Meneſthei, *Strab. Ptol. Porte di S. Maria*, oppid. amplum Hiſpaniæ Bæticæ, in ora, inter Cæſarianam & Fanum Luciferi, urbes proximas, à Cæſariana 2. leucis, contra Gades inſulam proximam, à Fano Luciferi 6. in ortum Cæſarianam versùs, ab Hiſpali. 15.

PORTUS Milfordia, vulgò *Milford haven*, portus Angliæ, in Vallia, & in Comitatu Penbrochienſi, in ora maris Virginii. Extenditur ad aliquot milliaria, prope Penbrochium.

PORTUS Monachi, *Muncken haven* Danis, *Port de Munck* Gallis, portus eſt Americæ, ſeu meliùs Terræ Arcticæ, in nova Dania, ſic dictus à Monacho Dano, dum illas partes luſtraret hiſce ultimis temporibus.

PORTUS Monœci. *Strab. Ptol.* Herclemannicus *Antonino*, *Monaco*, oppidum oræ Liguſticæ, cum arce in ſcopulo firmiſſima, inter Albintemelium ad ortum 10. & Nicæam ad occaſum 7. mill. paſſ. Hujus meminit Lucanus, *l.* 1. *v.* 405.

Quaque ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Urget rupe cavâ pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: ſolus ſua litora turbat
Circius & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Ubi pro eodem *Portum* Monœci & Herculis ſumit. Vide *Monœcus.*

PORTUS Naonis, oppid. agri Tarviſini. In Foro Julio; quod juxta eum Carinthia Carniolaque emptionis titulô, ab Ulrico Carinthio, ultimo Carinthiæ Duce, Ottocarus Bohemiæ Rex comparavit, A. C. 1271, ſive ut alii, ſcriptus ab eo hæres crevit. Quô devictô à Rodolfo I. Imperatore una cum Auſtria, aliiſque regionibus, in Albertum hujus filium tranſiit. Vide Bertium *Rerum Germanic. Commentar. l.* 1. Alios, laudatos Pfannero *de præc. Germaniæ Principum gentibus c.* 1.

PORTUS Navonius, *Antonin. Porto Navon*, Corſicæ in ora, inter Portum Syracuſanum & Philonium. Vide *Navonius*, ſeu *Favonius.*

PORTUS Novus, vulgò *Port neuf*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in nova Francia, & in parte Boreali fluvii S. Laurentii, prope ejus oſtium.

PORTUS Olivula, ſeu etiam Oliva quibuſdam, vulgò *le port de Villefranche*, portus eſt Galliæ Narbonenſis, in Comitatu Nicænſi, prope Nicæam urbem, cujus propriè portus eſt, & Villam-francam oppidum, ſub dominio Ducis Sabaudiæ, in ora maris Mediterranei; eſtque admodum capax.

PORTUS Oreſtis, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Porto Ravaglioſo*, in ora Brutiorum, ad oſtia Metauri fluvii, à Tauriano 3. mill. paſſ.

PORTUS Oſtium, vulgò *Porteſmouth*, oppid. eſt Angliæ, in Hantonia provincia & in inſula *Portſey* dicta, cum arce & portu capaciſſimo in ora maris Brittannici. Alias autem eſt Portus magnus, teſte *Camdenô.*

PORTUS Pacis, vulgò *Puerto de la Paz*, portus Americæ ſeptentrionalis, in parte Boreali Hiſpaniolæ inſulæ, è regione Teſtudinis inſulæ, ubi aliquot coloniæ Francorum à paucis annis.

PORTUS Paulæ, vulgò *Porto di Paula*, portus eſt ditionis Pontificiæ, in Campania Romana, & in ora maris Tyrrheni, prope Circejum montem, cui lacus ſanctæ Mariæ jungitur. Portus ille duo millia navium recipere poteſt, & viſuntur circumquaque Romani portus veſtigia. Sed quotidie arenâ oppletur.

PORTUS Primarius, vulgò *Porto di Primaro*, portus Italiæ, in ditione Pontificia & Ducatu Ferrarienſi, ubi ramus minor Padi, dictus Padus Argentanus ſeu Padus Primarius, *Po di Primaro*, in mare Adriaticum ſe exonerat. Ei adjacet turris Gregoriana ad ejus tutelam, & caſtrum Primarium dictum.

PORTUS Regius, vulgò *Puerto Real*, portus eſt Hiſpaniæ, in Vandalitia provincia & in ora contra Gades inſulam. Dictus fuit aliàs Gaditanus portus.

PORTUS Regius, vulgò *Puerto Real*, portus Americæ ſeptentrionalis, in Tabaſca provincia novæ Hiſpaniæ, in ora ſinus Mexicani & in limite Jucataniæ, juxta urbem beatæ Mariæ de Victoria.

PORTUS Regius, vulgò *Port Royal*: portus Americæ ſeptentrionalis, in nova Francia, & in Acadia provincia, cum oppido Francorum, alias capto ab Anglis, ſed poſteà Francis reſtituto pace Bredanâ A. C. 1667. eſtque in intimo receſſu ſinus Gallici, cum portu capaciſſimo.

PORTUS Regius, vulgò *Port Royal*, portus Americæ in parte Boreali Floridæ, prope Virginiam, ubi aliàs Fortalitium fuit Francorum.

PORTUS Romanus, *Martyrol.* (Vide *Portus Auguſti*) à Claudio Imperatore ædificatus, & à Trajano inſtauratus, ſed à Saracenis ſolo æquatus.

PORTUS Romatinus, Plin *l.* 3. *c.* 18. *Porto Gruaro*, oppidum amplum Carnorum, ad Romatium fluvium, apud Concordiam urbem excifum, ab ea 2. mill. paſſ. diſtans, ſedes Epiſcopi Concordienſis, à Venetis 45. milliar. Aquilejam versùs ſupra 30. ab Utino 28.

PORTUS Sanctus, Inſula in mari Atlantico, diſtat à Sacro promontorio ferè millar. ſexcentis, à Madera 40. & niſi nubes cœlum obumbrârint, altera alteram videt. Parva admodum eſt, utpote, quæ 25. tantum milliar. circuitu patet. Circa A.C. 1427. à nautis detectoribus, qui periculosâ ac dubiâ ejus navigatione emensâ, & ſuperatâ, hunc locum ſic vocari in rei memoriam voluêre. Profert hæc inſula innumeras fruges. Cuniculis inprimis ſcatet: colligitur ibi ſanguis draconis, qui lacryma eſt arboris: ſtatô enim anni tempore incolæ arbores ferrô ſauciant, quæ ita inciſæ annô ſequenti gummam emittunt per inciſiones, quæ decocta in ahenis, & defæcata, ſanguis efficitur, quem dicunt *Sanguinem Draconis*: arbor è qua fluit, fructum, ceraſi inſtar, producit menſe Martiô, guſtu eximium. Portu caret inſula; ſtationem verò habet ſatis commodam. *Metel. Baudrando*, *Ilha de Puerto Santo*, inſula eſt Oceani Atlantici, prope Maderam inſulam, à qua 8. mill. paſſ. tantum diſtat in Cæciam. Circuitus eſt 8. leucarum; ſubeſtque dominio Luſitanorum, à quibus detecta fuit A. C. 1428. Sed nullam habet arcem.

PORTUS S. Antonii, vulgò *Puerto de Sant Antoino*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in regione novæ Gallæciæ, in nova Hiſpania, & in Xaliſca provincia, in ora maris Pacifici ſeu Auſtrini.

PORTUS S. Joannis, vulgò *Puerto de San Juan*, portus Americæ ſeptentrionalis, in Nicaragua provincia novæ Hiſpaniæ, in ora maris Borealis, & ad oſtia fluvii *Deſaguadero* dicti.

PORTUS Sanctæ Mariæ, vulgò *Puerto de S. Maria*, oppid. Hiſpaniæ, in Vandalitia, in ora Oceani. Vide *portus Meneſthei.*

PORTUS Sanctæ Mariæ, *Port de Sainte Marie*, oppid. Galliæ, in Aquitania & Aginnenſi tractu, ad Garumnam fluvium, 3. leuc. infrà Aginnum in Circium Burdegalam versùs.

PORTUS Santonum, *Ptol. la Rochelle*, urbs aliàs munitiſſima Aquitaniæ, in ora. Vide *Rupella.*

PORTUS S. Petri, vulgò *Puerto de San Pedro*, portus Americæ meridionalis, in Urvagia provincia Paraguajæ, ad oſtia fluvii Magni, in ora, inter Braſiliam & fluvium Argenteum.

PORTUS S. Stephani, vulgò *Porto S. Stephano*, portus eſt Thuſciæ, in ora maris Tyrrheni, & in Senenſi agro, ad radices montis Argentarii, ſub dominio Hiſpanorum, cum caſtro munito. 7. milliaribus diſtat ab Urbatello in occaſum, & totidem à Telamone in meridiem.

PORTUS Securus, vulgò *Puerto Seguro*, urbs Americæ meridionalis, in Braſilia auſtrali, versùs oram maris Braſilici, ſub Luſitanis. Ab ea provincia adjacens dicitur *Capitania de Puerto Seguro*, Præfectura portus Securi, inter Præfecturam inſularum ad Boream, & Præfecturam Spiritus Sancti ad meridiem.

PORTUS Shepeus, vulgò *Shepe haven*, portus ampliſſimus Hiberniæ, ſeu veriùs æſtuarium in Hibernia & in Comitatu Dungalenſi versùs Boream.

PORTUS Vaſci, vulgò *Puerto Guaſco*, portus Americæ meridionalis, cum oppido in parte Boreali regni Ciles versùs Boream & Peruviam, atque in ora maris Pacifici, ſub Hiſpanis.

PORTUS Velinus, *Virg. Porto di Caſtel l' à mare*, in Lucania, apud Veliam urbem extinctam. Cujus meminit Virg. *l.* 6. *v.* 366.

Injice, (namque potes) portuſque require Velinos.

PORTUS Veneris, vulgò *Port Vendres*, portus capaciſſimus Galliæ Narbonenſis, in Comitatu Ruſcinonenſi, & in ora maris Mediterranei, prope Caucoliberim & juxta Aphrodiſium promuntorium, ubi aliàs Veneris Fanum. Ei adjacet in clivo arx S. Elmi dicta; eſtque in ipſo limite Hiſpaniæ & Cataloniæ provinc 17. mill. paſſ. diſtat à Perpiniano in Eurum.

PORTUS Veneris, *Antonin. Ptol. Porto Venere*, oppid. cum arce oræ Liguſticæ, contra Palmariam inſulam, apud os portus Lunenſis, ex adverſo Ericis in ortum, 3. mill. paſſ. inde diſtans, à Genua 60. in ortum Lunam ſeu Sarzanam versùs. Hic Theſaurus Linguæ Latinæ habet portum Veneris pro promontor Veneris, *Capo de Creuz.*

PORTUS Vetus, vulgò *Puerto Viejo*, portus Americæ meridionalis, cum urbe cognomine, in Peruviæ regno & in Quitoa regione, juxta oram maris Pacifici. 180. mill. paſſ. diſtat à Quitoa urbe in occaſum, & 220. à Fano S. Michaëlis in Boream, ſub dominio Hiſpanorum.

PORTUS Vetus, vulgò *Porto vecchio*, portus Italiæ cum oppido cognomine in ora orientali Corſicæ versùs auſtrum, cum ſinu capaci; aliàſque oppidum Aliſta dictum fuit, teſte *Brietiô.* 15. mill. paſſ. diſtat à Bonifacio in Boream.

PORTUS Vierius, vulgò *Porto Viera*, portus eſt Italiæ, in ditione Veneta, & in limite ditionis Venetæ, ubi ramus Padi fluvii præcipuus, *Po grande*, ſeu *Po di Venetia* dictus, in mare Adriaticum ſe exonerat, 10. mill. paſſ. à portu Gori diſtans in Boream Venetias versùs,

PORTUS Ulyſſis in Sicilia, Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Lognina*, teſte Fazello cum Aretio, inter Acim opp. & Catinam urbem, apud Engyum, nunc ſaxis ex Ætna monte injectis oppletus. Vide *Odyſſia.*

PORTUS Volane, anteà Olana, vulgò *Porto di Volana*, portus eſt ditionis Pontificiæ, in Ducatu Ferrarienſi, cum caſtro cognomine, ubi Volane alter ramus minor Padi fluvii, vulgo *Po di Volana* dictus in mare Adriaticum ſe exonerat; eſtque medius inter portum Vierium ad Boream & portum Primarium ad Meridiem, 40. milliar. à Ferraria diſtans in ortum, & 11. à Comaclo in Boream.

Portus à veteribus memorati præter jam dictos:

Argous, *Porto Ferraro* vel *Ferraio*, Iluæ inſulæ.
Bonus portus, *Porto Bo*, Sarmatiæ.
Brigantinus, *Porta della Corunna*, Gallæciæ.
Brivates, *Breſt*, Britanniæ, in Gallia, oppidum & portus.
Cenchreæ, *Porto di Cenchres*, Peloponneſi
Creſa, *Porto Malfetan*, Cariæ.
Cyphanta, *Porto delle Botte*, Peloponneſi, *Ferrar. Baudrando* verò Cyphanta, portus nunc *Stilo* dicitur, in ora ſinus Argolici,
Delphini portus, *Porto Fin*, Liguriæ.
Edron, *Porte di Chioza*, Venetiæ.
Elææ, *Porto Parga*, Epiri apud Nicopolim.
Jamnetorum, *Porto di Zania*, Palæſtinæ.
Icius portus, *Calais*, Galliæ Belgicæ oppid. *Ferrar. Baudrando* Icius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Icius portus, nunc eſt *Viſſen*, caſtrum Comitatus Bononienſis, ad fretum Gallicum, 3. leucis à Caleto in occaſum.

Illicitanus, *Porto di Alicante*, Hiſpaniæ Tarraconenſis.

Liburnus, & Ligurnus, & Labro, *Livorno*, Thuſciæ oppid. & portus.

Libyſſonis, *Porto di Torre*, Sardiniæ.

Manarmanis portus, *Marna*, Friſiæ oppid.

Medoacus, *Porto di Molamoco*, Venetiæ.

Minoa, *Altamura*, Cretæ, & Peloponneſi.

Moſcha, *Porto di Meſchat*, Arabiæ Felicis.

Myſocaras, *Aman*, Mauritaniæ Tingitanæ oppid. & portus.

Nauſtathmus, *Porto Bonandrea*, Cyrenaicæ.

Novus portus, *New Haven*, Albionis.

Odyſſia. ſive Ulyſſis portus, *Porto di Pali*, Siciliæ.

Oncheſmus, *Porto Santi quaranta*, Epiri, *Ferrario*. *Baudrando* verò Oncheſmus portus, nunc *Orchino* dicitur.

Panormus Epiri, *Porto Raguſeo*, Macedoniæ *Macri*, Atticæ *Porto Rafei*, & Marmaricæ *Porto Salonef.*

Philonius, *Porto Filon*, Corſicæ. Aliis *Porto Vecchio*.

Phœnicus, *Porto di Noti*, Siciliæ. Aliis *Falconara*.

Piſidon, *Porto Zoara*, Africæ.

Rhizus, *Riſſo*, Cappadociæ oppid. & portus.

Ruſibis ſeu Rurubis, *Azamor*, Mauritaniæ Tingitanæ oppid. & portus.

Saliocanus, *Morlay*, Britanniæ in Gallia oppid. & portus,

Saliocanus, ſeu meliùs Staliocanus, portus in Britannia minori, Nunc eſt *S. Paul de Leon*, ſeu *Leondoul*, urbs in ora Boreali.

Schœnus, *Porto Scheno*, Peloponneſi.

Selinus, *Porto Alberto*, Marmaricæ.

Seſippi portus, *Porto Serifo*, Arabiæ.

Siut, *Porto Entigraſſo*, Africæ.

Sybota, *Porto Sivita*, Epiri.

Syracuſanus, *Sant. Bonifacio*, Corſicæ oppid. ſecundum *Ferrarium*. Syracuſanus portus aliis eſt *Golfo di S. Amanza*.

Trajanus, *Porto Frangozo*, Thuſciæ. Aliis *Peſcara*.

Tretos, *Lar*, Arabiæ Felicis.

Trulla, *Porto Sel*, Arabiæ Felicis.

Ulyſſis portus. Vide *Odyſſia*.

PORUS, affluentiæ Deus, dum ſomnô in Horto Jovis premeretur, è Penia ſeu Paupertate Cupidinem genuit, uti habet *Platonis* commentum, ſub quo equidem multum veri latet. Nam lapſus Adami non obſcura hîc apparent veſtigia, ut & in aliis Gentilium Philoſophorum figmentis. Certe Heſiodus *Mulierem* humano generi curas graves machinatam eſſe, ait *Op. & Dier. l.* 1. Idem Prometheum, per quem Commentator ejus Spondanus *Adamum* intelligit, Jovem voluiſſe decipere, ſicque ſibi mala attraxiſſe, tradit, *Ibid.* Empedocles *fugam* à Deo atque errorem, apud Plotinum, inculcat, *Ennead. IV.* 8. 1. & 5. Ut alia omittam. Huc itaque Heſiodi ejuſdem de Pandora fabulam Origenes quoque refert, ut & Platonis de Cupidine, in horto Jovis, ex *Poro* & Penia ſuſcepto figmentum, ita cum hiſtoria de lapſu Adami contendit, ut Jovis hortum nonnihil Paradiſo ſimile habere, inſidiatricem Peniam ſerpentem, *Porum* per ejus inſidias deceptum hominem circumventum, Cupidinem verò inde ortum, miſeram hominis poſt lapſum conditionem, deſideriorum undis indeſinenter jactari, fortè referre, animadvertat. Vide eum contra *Celſum, l.* 4. *num.* 15. & 16. Platonem *Sympoſ.* & Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 7. §. *ult.* ut *& in Append.* Fuit & *Porus*, Indiæ Rex de cujus duplici ad Auguſtum legatione, Vide ex Oroſio, Euſebiô, Strabone, Dione, Caſaubonum *ad Auguſtum Tranquilli, c.* 12. uti de *Poro* lapide cujus arenâ in poliendis gemmis Veteres uſi, infrà aliquid voce *Smiris*: it. *Tophicii lapides*.

PORUS Babylonis Rex, Vide ſupra *Chinzirus*.

PORUS, Indiæ Rex miræ proceritatis, & animi verè regii, Alexandro M. fortiter reſtitit, ſed præliô difficili victus, in victoris poteſtatem pervenit. Interrogatus, qui haberi vellet; *regiè* reſpondit: quod reſponſum Alexander admiratus, illum in regnum reſtituit. Tandem ſuorum dolô interfectus eſt. *Plut. c.* 107. Claudian.

Tradita captivo ſpatioſior India Poro.

Vide Curt. *l.* 8. *c.* 14. Arian. *c.* 5.

PORUS Cyrenenſis, Olymp. 105. ſtadii victor.

PORUS Malieus Olymp. 106. ſtadii victor.

POSCA, vinum acidum aquæ mixtum, in *Gloſſis Græco-Latin.* ὀξύκρατον, occurrit apud Plautum, *Mil. Glorioſ. Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 23. Sueton. *Vitell. c.* 12. Plin. *l.* 20. *c.* 4. Scribonium Largum, *c.* 46. 104. *Marcellum Empiricum*, *Celſum*, *Apitium*, Appulejum *de Herb.* paſſim. At *Ugutioni* & *Johanni de Janua*, *Puſca* (i.e. *Poſca*) *& puſcula dicitur quædam commixtio aquæ & vini, ubi plus aquæ adhibetur* &c. Quomodo *Poſca* ſeu *Puſca* non ſemper fuerit, quod ὀξύκρατον vocant, ſed commixtio aquæ ac vini; atque ſic accipienda videtur vox in Regula Magiſtri, *c.* 27. *Qui ſitit, fiducialiter indicet: Poſt hanc vocem qui fuerit ſitiens, mox de menſa ſua reſpondeat, Benedic. Statim temperata in uno vaſe puſca calida aut ſi voluerint fratres, cum jutta, quæ ſemper amplius propter ſitientes fieri debet, in pulmentariis fortioribus* &c. Quod verò mirantur quidam, Aſiaticum Vitellii Imperatoris apud Suetonium Libertum Puteolis *poſcam* vendidiſſe, quaſi hujuſmodi potus in Medicum tantùm uſum adhiberetur: negat id admirationem mereri Hieronymus Mercurialis, *Variarum Lectionum l.* 3. *c. ultimô*, quoniam vinum acidum aquæ mixtum pro vili plebecula venale extitiſſe, rationi conſentaneum ſit, atque id *poſcam* fuiſſe appellatum. Moxque addit, ſicut *eſcam* pro cibis ita poſcam pro potibus eſſe olim uſurpatam, ſe inveniſſe, & Barbarum notâſſe, in antiquiſſimis Feſti codicibus & in Ferentini vetuſto monumento, *Poſculenta*, pro *Foculentis* legi. Et ſanè in *Gloſſis* Græco-Latin. pro quavis potione uſurpatur: πόσις, *poſca*, *potus*, *potio*. Nec probabile eſt, ad potionem Monarchorum Ὀξύκρατον datum, Car. du Freſnè *Gloſſar.* Vide & *Onomaſticon* Roſweidi ad *Vitas* Patrum.

POSCIMUS imperioſè, *poſtulamus* jure, *petimus* precariò, *rogamus* per amicitiam, *obſecramus* per ſacra, *flagitamus* multô verborum ſtrepitu, Joh. Calvin. *Lexic Jurid.* Vide infrà, ubi de *Precibus*.

POSEGA, urbs Sclavoniæ, ad Oriawam fluv. aliàs *Picentina*, 8. mill. paſſ. à Savo fluv. in Boream, 30. à Grandiſchia in Ortum. Caput Comitatus Poſegenſis, qui inter Dravum ad Boream, Savum ad Auſtrum, Comitatum Valkonienſem ad Ortum, & Zagrabienſem ad Occaſum eſt. Sub Turcis. Ibi aliàs Breuci populi.

POSIDEON, menſis Græcorum, Latinis *December*. Ποσειδεὼν Græcis, à Ποσειδῶν i. e. *Neptunus*, cui Kalendæ hujus menſis ſacræ; ut Caſaubonus docet, *in Theophraſt.* unde & Ποσειδῶνος ἡμέρα dies illa appellata eſt. Ejus die quintô, celebrabantur Athenis Dionyſia τὰ κατ' ἀγρὸς ſeu Λήναια, dicta ἀπὸ τῆς λήνης, i. e. *torculari*, quô feſtô lætitiæ apprimè litabant. Unde Ἐπιλήνια χαίρειν, apud Oppianum, Κυνηγ. α. *v.* 127. Die 16. Ἀλῶα habebantur, in honorem Cereris, &c. Vide Samuel. Petitum, *Comment. in LL. Atticas, l.* 1. *tit.* 1. & Franc. Roſſæum, *Archæol. Attica l.* 2. *c.* 20. Hinc *Poſidonia*, à certamine Neptuni, & Palladis vocitata ſunt, quæ Kalendar. Roman. ad 4. diem Menſis hujus refert. Vide Johann. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 4.

POSIDEUM, Græcè Ποσείδειον, canalis ſeu alveus, ex tribus, quibus Alexandria adibatur, unus, cui à *Neptuno* nomen. Solinus, *c.* 32. *Alexandria, inſidioſô acceſſu aditur, fallacibus vadis, cacô mari, tribuſque tantùm canalibus admittit navigantes, Tegano*, Poſideo, *Tafro*. Ubi quos *canales*, Plinius *alveos* vocat, *l.* 5. *c.* 31. de eadem urbe agens. Cùm enim tres portus Alexandria haberet, uti *Strabo* teſtatur, totidem quoque canales erant, quibus ad eam mari accedebatur. Primus dicebatur μέγας λιμὴν, *portus magnus*, in quo ποσείδειον, quòd templum ibi in ancone ſive aggere, medium in portum prominente, Neptuni eſſet: Secundus Εὐνόςυ λιμὴν, quaſi dixeris, *Boni adventus*, ubi canalis Στεγανὸς; Tertius Κιβωτὸς vocabatur, & foſſilis erat, ubi alveus Τάφρος, i.e. *Foſſa*: quemadmodum hodieque multis in locis maritimis portus *Foſſas* vocari notum. Salmaſius, *ad d. l.*

POSIDIPPUS, Medicus Veri Imperatoris, cujus mentio apud Jul. Capitolin. in *Marco*, *c.* 15. *Nemo eſt Principum, quem non gravis fama perſtringat, uſque adeò ut etiam Marcus in ſermonem venerit, quòd Verum ſuſtulerit per Medicum* Poſidippum, *qui ei intempeſtivè ſanguinem dicitur emiſiſſe.*

POSIDIPPUS Caſſandreus, Comicus, docuit annô tertiô poſt Menandri mortem, cujus fabulas 30. commemorat *Suidas*, *Lil. Girald.* Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 407. Alius, qui librum ſcripſit *de Cnido*, *Clementi*, Tzetzi *Chil.* 7. *Hiſt.* 144. *Arnobio* memoratus. Quædam *epigrammata* ejus in Anthologia leguntur: Ac ſeu hujus, ſeu alterius meminit quoque Stephanus in Βάρις, & ſemel iterumque in Ζέλεια; Item *Athenæus*, *Stobæus* &c.

POSIDIUM, quod *Arſinoë*, *Ptol. Suez*, vulgò oppid. Ægypti ad intimum ſinus Arabici receſſum. Emporium celebre, in quo ſolebant merces Aſiaticas exponere, ut inde per Cayrum & Alexandriam Venetias perferri poſſent. 15. mill. paſſ. ab Arſinoë in Boream, & ab eo æſtus maris ad 4. mill. paſſ. recedit, *Baudrand*. Ibi Ariſton *Neptuno* Pelagio aram conſtituit, unde loco nomen. Fuit autem is à Ptolemæo miſſus, ad explorandum Arabicum Sinum, uſque ad Oceanum Indicum, uti refert *Diod. Siculus*.

POSIDIUM, promontor. *Capo Fagona Theveto*, promontor. Bithyniæ ad Propontidem in ſinu Olbiano. *Fanum Neptuni* Melæ, *l.* 1. *c.* 19. Alterum, promontor. Phthiotidis ad ſinum Pagaſicum inter Demetriadem & Lariſſam ad Meridiem, *Selaſſis Theveto*, aliis *Capo Paſſara* dicitur. Tertium, promontor. Cariæ apud Miletum in Ioniæ confin. cum oppido cognomine, olim Apollinis oraculô clarum *Capo di Melaxo*. Item portus Epiri, meliùs promontor. Corcyræ inſul. obverſum, apud Buthrotum urbem, *Capo Riſotto* ex tabulis recentiorib. *Baudrando* ad fauces Buthroti Sinus, nunc *Capo Strovili*; eſtque Buthroto obverſum.

POSIDON, Græcum *Neptuni* nomen, quod ex Græca lingua explicare Grammatici fruſtra conantur, inquit Bochartus, *l.* 1. *Phaleg*, *c.* 1. cùm Africum eſſe doceat Herodotus, *in Euterpe*. Verba ſunt: Οὐδαμοὶ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς Ποσειδέωνος ὄνομα ἐκτηνται, εἰμὴ Λίβυες, καὶ τιμέουσι τὸν θεὸν τοῦτον αἰεί. Nempe Ποσειδὼν, aut Ποσειδὰν eſt Punicum פשיטן *Peſitan*, quod *latum* & *expanſum* ſonat. Ubi Scheva primæ ſyllabæ eſt expreſſum per *o* breve, ut in *Sodoma* & *Solomone*. T. & D. permutata ſunt ut in Τῆτες, & Τῆδες, & κίταρις & κίδαρις ex Chaldæo כתרא *Cithra*. Itaque Ποσειδὼν & *Japhet* planè ſunt ſynonyma: utrumque verò à latitudine: quod apprimè quadrat Neptuno maris Deo, de quo *Phornutus*: Ἐυρύστερνος, *latô pectore vocatur Neptunus, ob maris latitudinem, quemadmodum dictum eſt*, ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης. Dicitur quoque eandem ob cauſam, εὐρυκρείων καὶ εὐρύοψ, *latè imperans*, ac *latiſonans*. *Nic. Lloydius.*

POSIDONIA, urbs Lucaniæ, aliàs *Neptunia*, colonia Græcorum à Dorienſibus conſtituta, Solin. *c.* 8. Sybaritæ autem condiderunt mœnia ad mare, Strabo, *l.* 5. Romanis coloniâ an. Urb. Cond. 380. deductâ, *Peſtus* vocata, quam vocem vide. Populi *Poſidoniatæ*, & *Poſidoniates ſinus* pro *Peſtano*. In nummis legimus, ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.

POSIDONIUM, (POSIDONIA *Stephano*) promuntor. Brutiorum ad Columnam Rheginam ex adverſo Pelori promontor. Siciliæ, *Capo di Volpe*; ſed hoc *Canis* aliis dicitur.

POSIDONIUS, philoſophus Apamienſis, diſcipulus & ſucceſſor Panætii (Strabo, *l.* 14.) ſed Rhodius exiſtimatus, quia Rhodi vixit ac philoſophatus eſt. Hic cùm aliquando morbô articulari laborâſſet graviſſimè, fertur ſæpe dixiſſe (erat enim Stoicus) *Nihil agis dolor; quamvis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum.* Venit Romam Marcelli tempore, ſcripſitque multa, inprimis *Hiſtoriam* quâ Polybium continuavit, quam quidam Poſſidonio Alexandrino vindicant: Sed tempus non convenit. Ut videre eſt ex *Cicerone*, qui Poſſidonii fuit diſcipulus, *Strabone*, &c. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 24. *p.* 154. *de Phil. Sect. c.* 19. §. 12. *Nic. Lloydius.*

POSIDONIUS, Olbiopolita, hiſtoricus, qui *Atticas hiſtorias libris* 4. ſcripſit: Item *Libycam libris* 11. Item *de regione Tyria*; adhæc *de Oceano*, & aliis, quæ juxta eum ſunt, atque alia nonnulla. *Suidas.*

POSIDONIUS, meliùs *Poſſidius*, Africæ Præſul, Auguſtini contubernalis, *cujus* etiam *vitam* ſcripſit; præterea *homiliarum libros* 7. *Epiſtolarum totidem*, aliarumque rerum complures. Iſidor. & Sigebert. *de Ill. Scr.* Item nomen viri. 2. Machab. *c.* 14. *v.* 19.

POSIDONIUS Epheſius, inter nobiles Toreutas, apud Plin. *l.* 33. *c.* 12.

POSITI, dicebantur apud Romanos mortui, qui ad fores erant collocati, verſi in publicum pedibus, donec efferrentur, quem ritum πρόθεσιν dixêre Græci. *Gloſſæ*, εἶδος νεκροῦ. Vide ſuprà ubi de *Cadaverum cura* & verbô *Collocare.* Hinc legimus apud Plin. *l.* 21. *c.* 3. ubi de coronis: *Inde illa XII. Tabularum lex, Qui coronam parit, ipſe pecuniave ejus, virtutiſque ergò duitur ei, ut ipſi mortuo parentique ejus, dum poſitus eſcit foriſve ferretur, ſine fraude ſiet impoſita.* Ubi coronam virtute partam & ei qui peperiſſet & ejus parenti ſine fraude eſſe impoſitam Lex jubet, & dum foris effertur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 122. & ſuprà ubi de *Funeribus Mortuiſque.* Sed & *poſitus Sol*, de Sole occidente, apud Statium eſt, *Theb. l.* 6. *v.* 236.

——— putres jam Mulciber ibat
In cineres. inſtant flammis, multôque ſoporant
Imbre rogum, poſitô *donec cum Sole labores*
Exhauſti ———

Nempe occaſum, *ſomnum* & *cubitum*, dixêre Poëtæ: *Poſitum* autem *eſſe*, eſt ſe ſomno dediſſe, ex Virgilio, *l.* 4. *Æn. v.* 527.

——— pecudes pictæque volucres,
——— ſomnô poſitæ *ſub nocte ſilenti.*
Lenibant curas & corda oblita laborum &c.

de voce Poſitura, vide ſuprà aliquid ubi de *Interpungendi more*; de *Poſta* paulò infrà.

POSNANIA, urbs Poloniæ inferioris comitatus cognominis caput, ad Wartam fluv. cum arce elegante, eſtque inter colles. 8. leuc. Polonic. à Gneſna in Occaſum, Francofurtum ad Oderam verſus, 20. millar. Germanic. ab Uratislavia in Boream, uti 50. à Cracovia. Probe culta in planitie, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. Hic Andreas Bninius Epiſcopus quinque Sacerdotes Bohemos publicè cremavit, qui in Abrahami Zbancii ditione, hujus juſſu, Euangelium prædicaverant, circa A. C. 1438. Sed poſteà, nobilitas majoris Poloniæ, ſub finem ſeculi XV. reſtitutionem calicis, hîc congregata, vehementer urſit: Matthias quoque Syonius, occultè mediâ nocte, magno cum profectu ibidem docuit, circa A. C. 1540. Exin Eccleſiæ Poſnanienſi A. C. 1550. Paſtor datus eſt à Bohemis Georgius Iſraël, Isbinciô Epiſcopô fruſtra obnitente; conceſſitque ſacris ædes ſuas in ſuburbio Jac. Comes Oſtrorogius, quô Mæcenate Eccleſia uſa eſt, uſque ad A. C. 1568. Interfuit Synodo Vlodislavienſi Staniſlaus Comes à Gorka Palatinus Poſnanienſis, A. C. 1583. Sub Sigiſmundo dein Rege tum hîc, tum Vilnæ, Euangelicis minæ intentatæ, unde commoti Proceres Thorunii Synodô A. C. 1595. celebratâ, Syncretiſmum inter Confeſſiones Auguſtanam, Helveticam & Bohemicam renovârunt, gravaminaque libellô comprehenſa ad Regem tranſmiſerunt, qui illis ſatisfecit. Sed hôc ipsô irritatiores adverſarii, furore ſtudioſorum accenſô, templum Euangelicorum exuſſerunt. quô poſteà reparatô, denuo privati illô ſunt A. C. 1636. ſicque Eccleſia Oſtrorogana, quæ prima in Majore Polonia Euangelium ſuſceperat, poſt annos 86. diſſipata eſt. Lætus *Compend. Hiſt. Univ.*

POSONIUM, Germanicè *Presburg*, urbs primaria Hungariæ ſuperioris ad Danubium, cum arce in colle, 8. leuc. à Vienna in Ortum, Neoſelium verſus totidem; 1. à confinio Auſtriæ ſuperioris & 8. à Comara in Circium, uti 7. ab Arrabone. Comitatus cognominis caput, qui inter Moraviam eſt ad Boream, Auſtriam ad Occaſum, Danubium ad Meridiem & Comitatus Tranſchinienſem & Nitrienſem ad Ortum. Capta urbs à Betleemo Gabore, A. C. 1619. ſed reddita. Aliàs quoque *Piſonium* & *Flexum*: Hungaris *Poſon* Auctor *Itin. Germ. l.* 5.

Hîc ubi Poſonium conſurgit mœnibus altis.
Limes Teutonicis, Hungariciſque Viris.

Vide de urbe hac pluribus *Cluver. Ortel. Sanſonem* &c. Miſſus huc à Clemente V. legatus, ut Hungaros, Carolo Martello, filio Caroli II. Neapolitani Regis, ſe ſubjicere nolentes ad obſequium reduceret, Concilium ibi habuit, A. C. 1309. Rainald. *Annal.* Fumæus *Hiſt. Hung.* Euangelica religio ab A. C. 1674. hinc planè exulat, paſtoribus pulſis, &c.

POSSESSOR, Epiſcopus Afer celebris admodùm. Ab Arianis Africâ expulſus, A. C. 517. Conſtantinopolim ſe recepit, indeque Hormiſdam Epiſcopum Romanum de Monachis Scythiæ monuit, qui Fauſto Rejenſi adhærere, contra Auguſtinum, dicebantur. Qui cum in reſponſoriis in Monachos acrius inveheretur, unus horum, ſcriptâ apologiâ, Poſſeſſorem Pelagianiſmi reum peregit. Baron. *in Annal.*

POSSESSOR. Græcè Κτήτωρ, dicebatur olim Conſtantinopoli, qui domum in urbe extruxiſſet, Gall. *Proprietaire.* Liberatus Diaconus, *c.* 20. *Habens autem conſentaneos aliquantos ex Clero, &* Poſſeſſores *civitatis & corporatos & milites* &c. Κτήτορας eos duobus in locis vocat *Chronicon* Alexandrinum, qui ex eo, quòd domos in urbe poſſiderent, jure panum civilium & gradilium gaudebant, uti pluribus docet Car. du Freſne in ſua *Conſtantinop. Heſychio* κτήτορες hi κτισαὶ h. e. *conditores*, dicuntur. Hinc Κτητορικὸν δίκαιον, apud Pachymerem, *l.* 8. *c.* 21. *extremo*, jus quod alicui competit in Manaſterio aliquo vel eccleſia à ſe vel deceſſoribus condita, quod vulgò *Jus Patronatus* dicitur. Vide ſuprà in *Panis Gradilis* & *Patronatus*, ut & Joh. Bapt. Cotelerium *ad Tom. I. Monum. Gr. Eccl. p.* 750. Κτητορικῶν Τυπικῶν mentionem habes infrà voce *Typicum.* In genere pro *Divite* accipitur vox hac, in *Cod.* Juſtin. *l. defenſores ita præcipimus. Defenſor. Civit.* apud Macros Fratres *Hierolex.*

POSSEVINUS Antonius, Jeſuita Mantuanus, A. Gregorio XIII, in Poloniam eſt miſſus, ad Regem illum cum Moſcis conciliandum: inde Romam redux, cùm in Henrico IV. ad Romanam communionem pertrahendo multum ſudaret, paulò poſt Urbe pulſus eſt. Obiit A. C. 1611. ætat. 78. Scripſit *Bibliothecam & apparatum ſacrum*, &c. Phil. Alegambes, *in Bibl. Scr. Societ.* J. Spondus *A. C.* 1594. *n.* 1. Paul. Freherus *Theatrô Viror. eruditione clarorum.* Vide & Antonius.

POSSIACUM, vulgò *Poiſſi*, Latinè *Piſciacum*; urbs Inſulæ Galliæ, celebris natalibus S. Ludovici, Monaſteriô Monialium, ex illuſtriſſimis Galliæ familiis, & Colloquio de Religione, inter Cardinalem Lotharingum & Theodorum Bezam, Theologum Genevenſ. inſtituto, A. C. 1561. Cujus hiſtoria ſic paucis habet. Coram Carolo IX. Rege, matre ejus Catharina, Principibus ſanguinis, Epiſcopis, Cardinalibus, Conſiliariis ſtatus, Proceribuſque plurimis utriuſque religionis, ut & Theologis Reformatis, inter quos Theodor. Beza, Auguſtin. Marloratus, Joh. Malo & Joh. Spina, Petrus Martyr, Joh. Viretus, Franciſcus Morellus, &c. E quibus præcipue Beza & Martyr partes ſuſtinuêre: Hoſpitalius Cancellarius oratione primùm habitâ, de utilitate & neceſſitate Colloquii diſſeruit. Tum Beza, poſtquam calumniam Cardinalis, Lotharingi Oecolampadio impactam diluiſſet, flexis genibus Confeſſionem Fidei auguſtiſſimam fuſâ oratione edidit, Eccleſiâ ab Anabaptiſtis & Libertinis vindicatâ. Dein Tranſubſtantiationem cum Conſubſtantiatione refutavit, Confeſſionemque ſcriptô comprehenſam Regi obtulit: In diſputationis æſtu cùm dixiſſet, *licet omnes fideles in S. Cœna participent corpori & Sanguini* CHRISTI, *tamen ſi ad ſpatium loci reſpiciatur, Corpus Chriſti tantum abeſſe à pane & vino quantum cœlum à terra:* cum indignatione adverſariorum auditus eſt, abpoſcente Card. Turnoniô, ut Colloquium, cui impar erat, rumperetur. Poſt aliquot dies admiſſis rurſus Proteſtantibus, Beza Lotharingo reſpondit, ac de Eccleſia, notiſque ejus diſſeruit. Porro diſputatum de Cœna Domini & Vocatione Miniſtrorum. Hîc cum Lotharingo non ſuccederet, Eccleſias Gallicas & Germanicas commiſſurus, ſuaſit, ut Auguſtanæ Confeſſioni Reformati ſubſcriberent: Interrogatus, an idem facere paratus eſſet, tacuit. Tandem Cardinalis Ferrar. Nuntius Pontific: cum Jac. Layneo, Hiſpan. Generali Jeſuitarum adveniens, acriter increpitâ Reginâ, quod in colloquium conſenſiſſet, imperioſum Collationi finem impoſuit. Cœterum vide *Piſciacum.*

POSSIDIUS, vide POSIDONIUS *Epiſcopus.*

POSSIS Magneſius, Amazonum hiſtoriam condidit, Athen. *l.* 7. Idem *l.* 12. teſtimonium petit ex eo *in tertio de Magnetibus*, unde etiam conſignâſſe res patrias cognoſcimus.

POSTA in *Charta* Honori III. A. C. 1232. apud Ughellum in *Epiſcopis Senogall. Nec non de ripa & portu, ſeu & aliis ſupradictæ civitatis vectigalibus, ſiliquatico, pedagio, menſuratico, & de aliis* poſtis *& poſterulis civitatis ipſius, exceptâ* poſta *S. Angeli, cujus veſtri in integrum ſunt proventus*: Statio, loci ſitus, *poſitio* eſt, Italis *Poſta*, Gallis *Poſte.* Unde orta vox iiſdem *Poſtes*, German. *Poſten*, pro veredariis, qui veredis ſeu equis curſoribus certas locorum *poſitiones*, ſtationes &, ut olim appellabant, mutationes, emetiebantur. Aliud quid vox ſonat, in Concilio Ravennenſi A. C. 1317. *can.* 15. ubi *poſtarum libri* aliquoties mentio fit: Ibi enim paginam denotat, unde quidam vocem *Poſtilla* originem ſuam arceſſere volunt, Car. du Freſne *Gloſſar.* Ut de priore vocis notione aliquid addam: Jus *Poſtarum* ſeu Curſuum publicorum inſtituendorum, in Imperio, inter Imperatoris Reſervata eſt, unde duci cuidam, generales per Belgium, & Italiam *poſtas* conſtituere paranti A. C. 1579. ſeverè ab Imperatore id interdictum. Hodie ibidem duo ſunt *Poſtarum Præfecti*; unus per Imperium poſtas dirigens, Germanicè *der General Poſtmeiſter in Heiligen Reich* (quod munus feudi titulô Imperator Comiti *de Taxis* contulit) alter, per hæreditarias provincias (quæ functio eâdem jure collata eſt Baroni *von Paar*, Germanis *Oberſter Erb-Land-Poſtmeiſter*) Inter quos acriter diſputatum ante annos aliquot, ad utrum, Aulâ Cæſareâ in urbe Imperiali, *e. g.* Ratisbonæ, exiſtente, receptio ſeu collectio & tranſmiſſio epiſtolarum, cum annexis emolumentis, pertineat? & pro Barone Decretum prodiit A. C. 1640. d. 4. Aug. Ratisbonæ, ut Regiæ & Archiducalis Aulæ, per Hungariam, Bohemiam, Auſtriam &c. præfecto. Vide Hornigk *de Poſtarum Jure*, & ſuprà paſſim, ubi de *Curſoribus*, *Curſu publico* &c. Sub Imperatorib. Conſtantinopolit. ὁ Λογοθέτης τοῦ Δρόμου *Præfecti Poſtarum* munere functus eſt, de quo vide aliquid ſuprà voce *Logotheta. In Aula Francica*

κατ' ἐξοχὴν Veredarius olim vocabatur, ut infrà in hac voce videbimus.

POSTCOMES, in Charta Odonis II. Comitis Carnotenſis & Trecenſis, apud Sammarthanos *in Abbatibus vallis ſecretæ*, ubi ſubſcripsêre, *Saſunaso Seneſcallus meus*, *Iſembardus* Poſtcomes, *Odo Vicecomes*, *Hezelinus Miles* &c. qui *vices Comitis* agit, ſed à Vicecomite diſtinguitur. Car. du Freſne.

POSTCOMMUNIO, vel *poſt Communionem*, in Eccleſia Romana eidem Antiphona eſt, quæ poſt Communionem, in ſignum, quòd communicatio expleta ſit, concinitur; olim dicta *ultima oratio ad complendum*, ut teſtatur Walafridus Strabo *de Rebus Eccleſ. c* 2. Dominico Macro ſic appellantur Miſſæ preces, quæ à celebrante, poſt Communionem; recitantur & in aliquibus pervetuſtis *Ritualibus*, *complenda* dicuntur, in *Sacramentario* S. Gregorii *ad complendam*, in *vita* S. Bercharii *completa*, Vide eum in *Hierolex*.

POSTE notare, apud Statium *Theb. l.* 8. *v.* 10.

Nec dum illum aut trunca luſtraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvô Proſerpina poſte *notârat*:

eſt in omnium notitiam producere. Ut apud Martialem proſtantes libri, *poſtibus ſcripti* dicuntur *l.* 1. *Epigr.* 118. *v.* 11.

Scriptis poſtibus *hinc & inde totis*,
Omnes ut citò perlegas Poëtas.

Nempe, *Aſſerunt Poëtæ*, ut ait Lutatius, *Mortuorum capita Furiarum lampade luſtrari*, *& eorum nomina à Proſerpina in Inferorum* poſte *conſcribi*. Queadmodum aliter Virgilius, *abſciſſione crinis*, Proſerpinam moribundos gregi defunctorum aſciſcere, ſcribit, *fine l.* 4. Vide Barthium, *Animadverſ. ad Statium*, *d. l.* & quæ ſupra diximus de *Mazuzis* Hebræorum; item voce Mortui, ut & hîc intrà in voce *Poſtis*.

POSTELLUS, vide *Guilielmus Poſtellus*: plura autem apud Auton. Teiſſier *Elog. Part.* 2. ubi inprimis de ſcriptis & deliriis ejus.

POSTERI Dies, Kalendarum, Nonarum, Iduum, Veteribus infauſti atque atri habebantur; etiam *Poſterum* Diem nundinarum quidam obſervabant, ut de Auguſto ſcribit Sueton. *c.* 92. Hinc *Poſteri dies*, pro atris ac infauſtis. *Nonius*, *Atri dies dicuntur*, *quos nunc nefaſtos vel* poſteros *vocant*. Ubi male *improſperos* Viri docti corrigunt. Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 16. *Dies autem poſtridianus ad omnia Majores noſtri cavendos putârunt*, *quos etiam atros velut infauſtâ appellatione damnârunt. Eoſdem tamen nonnulli communes, velut ad emendationes nominis, vocitaverunt.* Dixerunt autem *communes*, quaſi neque bonos neque malos, ad vitandam nominis δυσφημίαν, cum tamen eos malos eſſe intelligerent. Sic *communes Dii*, qui utriſque partibus favent, ut contra *proprii*, qui nobis ſolis propitii ſunt, quos & *noſtros* dicimus:

Vadimus immixti Danais haud Numine noſtro &c.

Meminit *poſteri Kalendarum diei*, Flav. Vopiſc. *in Tacito*, *c.* 11. *Legit ſanè ſenex minutulas literas ad ſtuporem*: *nec unquam noctem intermiſit*, *qua non aliquid vel legeret vel ſcriberet præter* poſterum *Calendarum diem*. Vide Salmaſ. *ad h. l.* & infra voce *Tempus*.

POSTERIORES appellantur, qui ultra trinepotes ſunt & omnes reliqui deſcendentes, *l. ult.* §. *Parentes*, *ff. de gradib.* & ad fin. quos & *minores* Latinis dici Servius ſcribit *ad Æn. l.* 8. Maligna proin illa Caligulæ fuit interpretatio, quâ *poſterorum* nomen ad filios coarctabat, negans ultra hunc gradum debere *poſteros* intelligi, quemadmodum in ejus *Vita* Suetonius ſcribit, *c.* 38. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Idem nomen fuit librorum Labeonis JCti qui qui poſt mortem ejus editi ſunt: unde *Poſteriores* Labeonis libri ſæpe in Pandectis laudantur. Vide A. Gellium *l.* 13. *c.* 10. & Briſſonium apud Calvinum, *l. c.*

POSTERULA ſeu POSTERNA, idem quod *Poſtica*, poſterior porta vel portula, Ital. *Poſtierla*. Severo Sulpicio *Pſeudothyrum*, *Dial.* 3. *c.* 16. quemadmodum Galli *Fauſſes portes* vocant portulas ad urbis muros, quæ ferè ſemper clauſæ manent, nec aperiuntur, niſi ingruente aliquâ neceſſitate, cujuſmodi ſunt, quæ *portellæ* dicuntur in *Gloſſis Græco-Latin.* παραπύλιον *portella*. Ammian, *l.* 30. *Viator quidam ad citeriora feſtinans*, *cùm bivium armató milite vidiſſet oppletum*, *per* poſterulam *tramitem medium ſequatentem fructetis & ſentibus vitabundus excedens*, *in Armenios incidit feſſos* &c. Ubi tamen pro anguſta ſemita videtur ſumenda vox, cùm in campis *portellæ* fingi non poſſint. Caſſianus *de Inſtitut. Cœnobior. l.* 5. *c.* 11, *Quantalibet urbs ſublimitate murorum & clauſarum portarum firmitate muniatur*, poſterulæ *unius quamvis parviſſimæ proditione vaſtabitur*, &c. Θυρίδας & παράθυρα, quoque Græcis dici, adnotat Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, *c.* 19. Galli *Poſternes* dicunt, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, in *Poſtica*, & *Poſticium*.

POSTH. in notis Antiqq. *Poſthumius*, vel *Poſthumus*.

POSTHUMI, quinam dicendi, hâc lege definierunt Decemviri: *Utſi qua mulier poſt viri mortem in decem proximis menſibus pareret*: *qui quave ex ea naſcerentur*, *ſuus ſuave in Viri familia hæres eſſet*. Ratio legis, ut ſobolem illam ex nuptiis verè natam & mariti eſſe conſtaret, neve aut proles aliqua notha facilè ſupponi poſſet, aut impudicis mulieribus liberum eſſet ſua ſemper adulteria tegere, obtentu matrimonii. Vide A. Gellium, *l.* 3. *c.* 16. Ulpian. *leg.* 3. § 4. *ff. de ſuis & legit.* Julianum *leg.* 6. & *leg.* 7. *eodem.* &c. Ex illa fluxiſſe videtur formula illa Aquiliana inſtituendi *Poſthumi* hæredis: *Si quis mihi nepos poſt mortem meam in decem menſibus proximis natus erit* &c Cum qua etiam convenit *Varronis* teſtamentum: *Si quis mihi filius*, *unus pluresve in* 10. *menſibus gignantur*, *ii ſi erunt* ὄνοι λύρας, *exheredes ſunto*. Roſin. *l.* 8. *p.* 793. Ideò autem Ὄνοι λύρας, i. e. *Aſini ad lyram* dicti, quia homines decimò menſe dierum nati, inepti & obtuſi ingenii habebantur, *Quòd ſi quis undecimô menſe κατ' Ἀριςοτέλη natus eſt* (ita enim ulterius habent Varronis verba) *Accio idem quod Titio*, *jus eſto apud me*, apud Gellium *loc. cit.* Ubi ſenſum horum verborum, *juxta Ariſtotelem*, hunc nonnulli eſſe volunt: *Si decimò menſe nati Aſini ad lyram*, *inepti*, *inſulſi*, *quia meos negare poſſum*, *exhæredes ſunto*; *Si quis undecimô*, *quia planè mei non ſunt*, *licèt Ariſtoteles putârit*, *undecimô gigni poſſe*. In Gallia tamen undecim menſium partum, in Illuſtriſſima familia, legitimum pronuntiâſſe hôc ſeculô Judices, accepimus: fortè ex eodem fundamento, quô apud Homerum, *Od.* λ. *v.* 247. puella ex Neptuno gravida, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ i. e. *circumvolutô annô*, peperiſſe dicitur, quia *Neptuno Majeſtatique ejus conveniret*, *ut longiori tempore fœtus ex eo grandeſcerent*, Gell. *ibidem loci*. Potiùs autem *Poſtumus*, quàm *Poſthumus* ſcribendum, ex antiquis monumentis conſtat; Unde & in manuſcriptis Horatii, *Poſtume* quoque pro *Poſthume*, reperitur. Neque enim ita dictus videtur, quaſi *poſt humatum* Patrem natus, ſed tanquam poſtremus. Hinc & *Poſtumi* vocabulô liberos ante Patris etiam obitum natos intellexerunt Antiqui: & quoque illi, qui poſt mortem Patris naſcuntur, *poſtremò editi*, non *poſt humatum Patrem*, intelliguntur, quantum ad generationem Patris attinet. Anton. Thyſius JCtus in *A. Gellium l.* 2. *c.* 16. Vide etiam Canterum *Novar. l.* 2. *c.* 10. Parrhaſium, *Ep.* 34. & Voſſ. *l.* 4. *Art. Gramm. c.* 25.

POSTHUMIA, virgo Veſtalis, de inceſto cauſam dixit, criminì obnoxia ob ſuſpicionem cultûs elegantioris, ingeniumque liberius, quàm virginem deceret. Tandem Pontificis maximi ſententiâ abſoluta, qui eam abſtinere jocis, colique ſanctè potiùs, quàm ſcitè juſſit. Volaterr. *ex Plutarcho*.

POSTHUMIA, Servi Sulpitii uxor, cujus ſæpe meminit Cicero, *Epiſt. l.* 4.

POSTHUMIANUS, Vide Rufius.

POSTHUMIUS I. ad Imperium à Gallis vocatus, Principatu Gallieni. Treb. Pollio in *Gallienis*, *c.* 4. *Galli*, *quibus inſitum eſt leves ac degenerantes à civitate Romana*, *& luxurioſos Principes ferre non poſſe*, Poſthumium *ad Imperium vocârunt* —— *contra hunc Theodorus exercitum duxit* &c. ſeu potiùs, Gallienus ipſe, in quo bello Gallienus ſagittâ ictus eſt. Præfuit per annos ſeptem talemque ſe præbuit, ut Gallias inſtauraverit, quum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret; quemadmodum & antequam imperâſſet, in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vita ita gravis erat, ut Saloninum filium ſuum eidem Gallienus, quaſi cuſtodi vitæ, & morum actuumque Imperialium inſtitutori, crediderit. Tandem tamen, *quum graviſſimè ſe regeret*, *more illô quô Galli rerum novarum ſemper ſunt cupidi*, *Lollianô agente*, *interemtus eſt*. Vide Trebellium præfatum in ejus *Vita*. Pater fuit *Poſthumii* cognomine *Junioris*.

POSTHUMIUS II. cognomine *Junior*, prioris fil. à Valeriano Tribunatu Vocontiorum ornatus; à patre poſteà *Cæſar*, ac deinceps *Auguſtus* appellatus, ſed & cum Patre interemtus eſt; quum Lollianus, in locum *Poſthumii* ſurrogatus, delatum ſibi à Gallis ſumſiſſet Imperium. *Fuit in declamationibus ita diſertus*, *ut ejus controverſiæ Quintiliano dicantur inſertæ*, Idem *in vita Poſthumii Jun. c.* 4.

POSTHUMIUS Albinus, miſſus contra Jugurtham, ab eoque corruptus aurô, patriam magnô damnô affecit. Idem de Vaccæis ac Luſitanis triumphavit, *Livius*. Vide *Lucius* it *Marcus*.

POSTHUMIUS Cominius Auruncus, Conſul cum T. Largio Flavio, An. Urb. Cond. 253. Iterum cum Sp. Caſſio Viſcellino An. Urb. Cond. 261.

POSTHUMIUS Ebutius Helva, Conſul cum M. Fabio Vibullano, An. Urb. Cond. 313.

POSTHUMIUS Regillus, Vide *Lucius*, *& Marcus*.

POSTHUMIUS Severus, unus inter Nobiles Romanos, juſſu Severi Imperatoris necatos. Æl. Spartian. *in Severo*, *c.* 12. & 13. *Poſt hæc de ſua clementia diſſeruit*, *quum crudeliſſimus fuerit & Senatores infra ſcriptos occiderit. Occidit autem ſine cauſæ dictione hos nobiles*, *Mummium Secundinum*, *Aſellium Claudianum* —— *Antoninum Balbum*, Poſthumium Severum, *Sergium Luſtralem* &c. Vide quoque infrà *Poſtumius*.

POSTHUMIUS Tubero, Magiſter Equitum Æmilii Mamerci Dictatoris, in prima Dictatura contra Volſcos: mox in eodem bello à Qu. Cincinnato Conſule ejus genero Dictator dictus, de eis triumphavit: quam victoriam funeſtavit mors filii, viri magnâ virtute: quem quòd injuſſu ſuô, occaſione rei benè gerendæ, pugnam iniiſſet, ſecuri percuſſit; Liv. *l.* 4. *c.* 22. *S.*

A. POSTHUMIUS, Tubertus cognom. Conſul, An. 251. Urb. Cond. Urbem, victis Sabinis, ingreſſus, myrteum in capite ſertum geſtans, Ovationi occaſionen præbuit. Dein creatus eſt Dictator in bello Latinorum, quod Tarquinii fuga excitavit, confugientis ad generum ſuum Manlium, ducem Tuſculanorum. Itaque An. 251. Urb. Cond. collatis ſignis ad lacum Regillum, cùm victoria utrinque nutaret, Magiſter equitum Romanis equis frænos detrahi juſſit, ut irrevocabili impetu ferrentur in hoſtes: ubi tandem aciem Latinorum Romani fudêre. In eo prælio viſi ſunt 2. juvenes acriter pugnare, quos poſt pugnam ad præmia quæſitos, Dictator reperire non potuit. Ratus itaque eos Caſtorem & Pollucem, eis communi titulô templum dedicavit. Hic unô ex filiis amiſsô, cùm regni ſpe excidiſſet Tarquinius, Cumas ſe recepit. Cæl. Rhodig. *ex Livio. l.* 2. *c.* 19. 20. 21. 26. Vide & *Publius*.

L. POSTHUMIUS, poſt Cannenſem pugnam Conſul in Galliam profectus, à Bojis cum exercitu profligatus, ne caperetur, magnô ſtudiô cadere in prælio contendit. Cujus inventi caput præcidentes barbari, ovantes in templo obtulerunt, idque ſacrum vas erat, in quo in ſolennibus libarent, Liv. *l.* 22.

SP. POSTHUMIUS, ac T. Veturius Conſules apud Furcas Caudinas, deductô in locum iniquum exercitu, cum nulla evadendis ſpes eſſet, fœdere cum Samnitibus factô, & 600. equitibus Romanis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

obſidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes ſub jugum mitterentur; iidemque auctore Poſthumiô, qui in Senatu ſuaſerat, ut eorum deditione, quorum culpâ tam turpe fœdus ictum erat, publica fides liberaretur, cum 2. Tribunis plebis, & omnibus qui fœdus ſpoponderant, dediti Samnitibus non ſunt recepti, Liv. Vide & Spurius.

POSTHUMUS, qui & *Sylvius*, Æneæ fil. ex Laviniâ, quæ mortuo Æneâ Aſcanii timens inſidias, confugit ad ſylvas, & illic Sylvium enixa eſt, qui *Poſthumus*, quod patre mortuô natus eſſet, dictus eſt. Aſcanius autem, quoniam ſine liberis periit, Sylvio, qui & ipſe Aſcanius dictus eſt, ſuum reliquit imperium. Vide *Sylvius*. Plura de hâc voce ſis conſule Fungerum in *Poſthumus*.

POSTUMUS M. Caſſius Latienus, Gallus, vir fuit bellô fortiſſimus, atque in pace conſtantiſſimus, in omni quoque vita gravis, uſque adeo, ut Saloninum filium ſuum eidem Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ, morum & actuum Imperialium inſtitutori. Sed ut plerique aſſerunt (quod ejus non convenit moribus) poſteà fidem fregit, & occiſô Salonio, cum Albino, cujus curæ commiſſus erat, An. 260. ſumpſit Imperium. Ut autem veriùs plerique tradiderunt, cùm Galli vehementiſſimè Gallienum odiſſent, puerum autem apud ſe imperare ferre non poſſent, eum, qui commiſſam regebat provinciam, Imperatorem appellârunt, miſſiſque militibus adoleſcentem interfecerunt. Sic omnibus Gallis acceptiſſimus, Gallias per An. 10. inſtauravit, ſubmotis omnibus Germanicis gentibus. Sed cùm ſe graviſſimè, gereret, Lolliani opera interemptus eſt, cum fil. Cajo Junio Caſtio Latieno Poſthumio, Cæſ. & Auguſto. Trebell. Poll. *de* 30. *Tyrann. c.* 3. *Aur. Vict. Oroſ.* &c. Vide *Julius*.

POSTIA, Italiæ civitas à Samnitibus obſeſſa, Lænate & Rutilio Conſulibus,

POSTICA & POSTICUM, in *Gloſſ.* παραθύρα κατόπιν οἴκυ: Item *Poſticium*, παραθύρα, παραθύριον. Aliæ *Gloſſæ* παραθύρα, *poſticum*, h. e. porta quæ in averſa parte ædium eſt, quam Græci ὀπισθόθυρον vocant; Aliquando tamen *Poſtica*, quamlibet parvam portulam notat; Sic enim in urbibus portulas, quæ juxta portas ſunt poſitæ, Gall. *guicheta*, Latini *poſticas* & *poſterulas* appellârunt, Vide ſuprà in voce *Poſterula*. In Amphitheatris quoque *poſtica* memorantur *Ammiano*, *l.* 28. & Vopiſco in *Probo*, *c.* 19. portulæ nempe, quæ à cavis ſubterraneis (in quibus beſtiæ aſſervabantur) in arenam ferebant & è quibus in arenam feræ ſolebant emitti. Ita enim Ammian. *loc. cit. Amphitheatrales feræ diffractis tandem ſolutæ poſticis*, & Vopiſcus *l. c. Addidit aliâ die in Amphitheatro unâ miſſione centum jubatos leones, qui rugitibus ſuis tonitrua excitabant: qui omnes è poſticis* (ita legi jubet Salmaſ. cùm aliàs legeretur, *contificiis*) *interemti ſunt*, Ubi probè notandum, differentiam ſtatui inter cavos illos ſubterraneos Amphitheatrales, è quibus per *poſticas* beſtiæ in arenam inducebantur, & caveas, in quibus feræ detinebantur. Sic enim addit, *non magnum præbentes ſpectaculum cùm occidebantur, neque enim erat beſtiarum impetus, qui eſſe è cavea egredientibus ſolet*. Indigitans, non magnum nec gratum fuiſſe ſpactaculum eorum leonum, qui è *poſticis* occidendi in arenam immittebantur, quòd non tantô impetu ex ſpecubus his ſubterraneis egrederentur, ut è caveis ſolent. Non ſolùm igitur caveæ ferreæ continendis ac concludendis feris in amphitheatro habebantur, ſed etiam cavi ſpeluncæque hypogææ ad hanc rem factæ. Et caveæ quidem ex regulis ferreis contextæ erant & ad lucem expoſitæ in medio amphitheatro; cavi autem & ſpecus illi ſubterranei tenebroſi planè erant: unde non mirum, ſi feræ, in his ſpecubus detentæ, minore inde cum impetu exirent exilirentque, quàm quæ in caveis habebantur. Tenebris enim ac pædore domitæ, languidiores & quaſi manſuetiores efficiebantur: at è caveis exeuntium major vis & impetus, namque & major feritas, erat. Luce enim ipsâ efferabantur & beſtiarii ipſius fortaſſe conſpectu, adversùs quem emittebantur, fortaſſe etiam irritabantur, ut majore cum ferocia & impetu exilirent, &c. Salmaſ. *ad loc.*

POSTICIUM, idem cum *Poſtica:* niſi quòd maximè in Monaſteriis vox uſurpatur pro portula, per quam inducuntur, quæ ad victum Monachorum vel Sanctimonialium, reſque alias, neceſſaria ſunt. Hinc *Poſticiaria*, quæ curam *poſticii* habet, in Sanſtimonialium Monaſteriis. In *Reg.* S. Cæſariæ, *Per* poſticiarias *det, & illa nomine illius tranſmittant*. Item *Poſticiarius*; in Monaſteriis Virorum &c. Car. du. Freſne *Gloſſar.* & Macri Fratres in *Hierolex.* quibus adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 1217. ubi de *Poſticio* ſeu Ὀπισθοδόμῳ *Templorum Gentilium*, & quæ ſuprà dicta, voce *Opiſthodomus*. Adde hîc ſaltem in *Poſtico* Ædium ſacrarum leges Ædium ſcribi ſolitas, quæ inter alia continebant, utrum Ædes illæ eſſent Templa, nec ne, ut obſervat Scaliger ex Varrone *de L. L. l.* 4. Vide ſuprà voce *Ædes*.

POSTILLA, apud Scriptores recentioris ævi, explicatio marginalis alicujus verbi, in textu S. Scripturæ obſcuri; an à *poſta*, quod paginam notare ſuprà diximus. an quaſi *poſt illa verba*, quòd hæc ſubinde efferrent Magiſtri, qui notas ejuſmodi marginales & perpetuas in S. Biblia ſuis diſcipulis dictabant. Nicol. Trivettus in *Chron.* A. C. 1228. de Stephano Archiepiſcopo Cantuariens. *Hic ſuper Bibliam* poſtillas *fecit & eam per capitula, quibus nunc utuntur moderni, diſtinxit*. Idem A. C. 1238. de Alexandro Ceſtr. Æpiſcopo *Super Pſalterium* poſtillas *ſcripſit*, &c. Macri Fratres *Hierolex.* & Car. du Freſne *Gloſſar.* Henrico verò Altingio ſynonyma hæc ſunt, *Textus & Lectiones Dominicales, Euangelia Dominicalia, Poſtillæ & codex earum Homiliarius:* dicique *Poſtillas* ait voce barbarâ, ex *poſt* & *illa*, quia multi textus avelluntur à præcedentibus, quibuſcum cohærent, & in quibus alia commemorantur, quæ dixit ac fecit JESUS. *Poſt illa* igitur, hoc illud dixit. Quam ob orationem, in editionibus Dominicalibus Pontificiis ubique, inquit, additur, *in illo tempore*; quod in quibuſdam tantùm textus originalis habet. Hinc Euangelia illa, verbum certô tempore prædicabile: quod apud eos contradiſtinguitur Verbo omni tempore prædicabili, &c. Vide eum *Problem. Nov. Loc. II. Problem.* 29. ubi hanc in rem plura habet, ut & infrà aliquid, voce *Prælectio*. À *Poſtilla* vel *Poſtillare* verbo hinc orto, deducit du Freſne verbum *Apoſtiller*, Practicis Gallis familiare, quô denotare volunt, ſcriptum aliquod notulis dilucidare atque illuſtrare. Indidem *Poſtillator*, qui poſtillam ad Textum interpunxit, quorum primus fuit Hugo Cardinalis, qui floruit A. C. 1240. Domin. Macer. *Hierolex. cit.*

POSTIS, Græcè Παραςὰς, à *poſitu* nomen habet, Hunc in oſtio Templi, dedicaturum, dum verba præibat, manu tenuiſſe, illique eam ſic impoſuiſſe ut tum certò indicaret ædem ſic uſibus ſacris addicendam, tum in eoſdem, ex autoritate publica, dedicaret, diſcimus ex Livio *Dec.* 1. *l.* 2, ubi in Jovis ædibus, in Capitolio, dedicandis, *Poſtem tenuiſſe* legitur Horatius Pulvillus Conſul, *inter precationem*, ſeu *inter nuncupationem ſolennium verborum*, ut habet Val. Max. *l.* 5. *c.* 10. §. 1. Vide de hoc ritu Ciceronem quoque, *Orat. pro domo ſua*, Alios; & de *Poſtibus* ædium novarum, etiam privatarum, Mazuzis, apud Hebræos, ornari ſolitis, ſuprà in hac voce; uti *de ritu poſtes faſciculô Hyſſopi aſpergendi*, apud eoſdem, ubi de *Hyſſopo*: plura verò hanc in rem, apud Alexandrum Neapolit. *Genial. Dier. l.* 6. *c.* 14. Scaligerum *in Conjectaneis*, & Jo. Seldenum *de Synedriis veter. Hebræorum*, *l.* 3. *c.* 14. §. 6. Porrò, in feſtivitatibus, rebuſque lætis quà publicis, quà privatis, coronis redimiebantur ædium *poſtes*, frondibuſque. Statius, *l.* 4. *Sylv.* 8. *v.* 38.

Protinus ingenti non venit nuncia curſu
Littera, quæ feſtos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, poſteſque *ornare juberet.*

Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 79.

Ornentur poſtes *& grandi janua laurô* &c.

Qua de re vide Deſid. Heraldum *ad Martialem*, *l.* 8. *Epigr.* 65. & Caſp. Barthium *ad Statium d. l.* Etiam illuſtriorum hoſpitum inſignia *poſtibus* præfigebantur, uti videre eſt ſuprà, ubi de *Inſignibus*. Sed & Veteres, domuum *poſtes*, in quibus quis graviter decumbebat, ramis lauri additis ſignare ſolebant, ut Apollinem ſic deprecarentur, fortè & peterent à tranſeuntibus auxilium. Idem Statius, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 163.

——— ——— *nunc anxius omnibus aris*
Illachrymat, ſignatque fores & pectore terget
Limina.

Vide *Epigramma* Diogenis Laërtii in Bionem Atheum, & Joh. Meurſium *ad Heſychii Illuſtrii Tabulam*, *p.* 134. ut & hîc paſſim ubi de *Foribus*. *Janua*, in voce *Paraſtades* & ubi de phraſi *Poſte notare*. Addam ſaltem, *Poſtis* voce, non ratò trabes ſaxaque januæ aut portæ, aliquando ipſas valvas, fores, januas, notari, apud Poëtas, uti pluribus docet Barthius præfatus *ad Statium*, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 64. Sed nec omittendi *poſtes ex ebore* memorati Plinio *l.* 8. *c.* 10. Vide ſuprà *Ebur*.

POSTLIMINIUM, Vide ſuprà, voce *Eumenides*

POSTNATUS, nomen filii, qui poſt primogenitum natus eſt, i.e. ſecundi. Hodie ex nova occaſione *Poſtnati* dicuntur, in Scotia, qui nati ſunt, poſt tranſlationem coronæ Angliæ, ad Jacobum Regem, cùm hac ipsâ diſtinctione fiant omnium jurium Anglicanorum participes. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

POSTOINA, ſeu PISTOINA, Corn. Scheppero *Adelſperg*, oppid. Japodum in Carinthia, in monte, inter Tergeſtum & Labacum 30. mill. paſſ.

POSTROPÆA, locus Calabriæ, cujus meminit *Stephanus Byzantius*, ut habet *Barrius*, qui urbem *Tropeam* hodie dictam interpretatur. Urbs Druſiorum in ora Calabriæ ulterioris apud Vaticanum promontor. in fine Sinus Hipponiatis, contra Amantiam. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhegino, à Nicotera 8. mill. paſſ. in Occaſum, ab Hipponio 12. in Auſtrum. *Ferrar.*

POSTSIGNANI, Vide infrà.

POSTVERTA, Dea apud Romanos, una ex Carmentibus, quæ partui fœminarum præſidebat. Vide Gell. *l.* 16. *c.* 16. De ea ſic Varro apud Gellium, *loc. cit.* ubi poſtquam de fœtu dixerat, capite infimô nixum, ſurſum pedibus elatis eſſe, pergit: *Quando igitur contra naturam fortè converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent ægriuſque tunc mulieres enituntur; Hujus periculi deprecandi gratiâ aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus, quorum una* Poſtverta *nominata eſt, Proſa altera, à recti perverſique partus poteſtate ac nomine.* Ubi quam *Proſam* vocat, alii *Porrimam*, item *Antevortam* dicunt. Mentio *Poſtvertæ* in lapide vet. apud Lingones reperto, ſub capite Mercurii & mulieris: *Deo Mercurio. & Poſtverte. C. Antius. Titi. filius. ex voto*, apud Gruterum *Inſcript. p.* 50. Et fortè eundem lapidem exhibet Petavius *in veter. Nummorum Gnoriſm.* ubi incuriâ Sculptorum, pro *Poſtverte* irrepſit *Roſmerte*. Aliô tamen ſenſu atque Varro, ſcribit Ovidius *in Faſtis*, *l.* 1. *v.* 633.

Porrima placantur, Poſtvertaque, ſive ſorores,
Sive fugæ comites, Manali diva, tua.
Altera, quod porrò fuerat, ceciniſſe putatur,
Altera venturum poſtmodo quidquid erat.

Sic Macrobius, *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. ubi de Jano, *Qui & præterita*, ait, *nôſſet & futura proſpiceret, ſicut Antevorta & Poſtverta, divinitatis ſcil. aptiſſimæ comites, apud Roman. coluntur*, Jac. Oiſelius *Notis in Gell. l. cit.* Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. & Thom. Bartholin. *de Puerperio Veterum.*

POSTULATIO, in Communione Romana dicitur unanimis petitio,

petitio, quâ is, qui ſecundùm Canones vel ad Clerum, vel ad dignitatem Eccleſiaſticam, etiam regularem, aſſumi non poteſt, ex diſpenſatione tamen & gratia, causâ cognitâ, à Superiori admittitur. Quod cùm adverſetur juri communi, ideò concordi omnium calculô fieri debet, *cap. 3. & 4. de poſtul. prælat. extr.* adeò ut ſi concurrat *poſtulatio* cum electione, duplò major debeat eſſe poſtulantium, *cap. bona eod.* in eo tamen differunt, quòd *poſtulatio* ex mera libertate ſuperioris pendeat, *cap. 5. eod.* &c. A' *poſtulando:* Dicitur autem *poſtulari* in genere, qui communi Cleri & Populi decretô ad Epiſcopatum eligitur, apud Gregor. M. *l. 5. Ind. 2. Ep.* 51. 52. 89. & *l.* 11. *Ep.* 14. alibique; Maximè verò *poſtulari* dicebantur, qui ex aliena parochia erant, cùm id non liceret, niſi ex *ceſſione*, ut loquitur idem, *l. 4. Ep.* 19. i. e. licentiâ ſui Epiſcopi. Is enim invaluerat mos, ut Epiſcopi ex alienis Eccleſiis non aſſumerentur, ut eſt in *Decretali* Cæleſtini Pontif. *c.* 18. & apud Nicolaum Pontif. *Ep.* 54. è quibus Johannes VIII. Pontifex pro Eccleſia Heduenſi, in Tabulario ejuſdem Eccleſiæ: *Decernimus*, inquit, *& regulariter ordinamus, ut deinceps nemo Regum vel aliqua perſona vobis ſuperponere vel ordinare, aut ſucceſſoribus veſtris præſumat, niſi ex filiis ipſius Eccleſiæ, ſecundùm ſcripta Canonum, quem Clerus elegerit & populus proclamaverit ſi in ea dignus reperiri potuit. Quòd ſi in ea, quod fortè accidere non credimus, inventus non fuerit, unanimi eorum conſiliô tam Cleri, quàm Populi, de aliis digniſſimus expetatur.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Poſtulati* Adminiſtratores &c. At *Poſtulatitii*, Gladiatorum genus, vide ſuprà.

POSTULIO, vox ſacrorum, apud Veteres Romanos, pro *poſtulatio*, Arnob. *adv. Gent. l.* 4. *In ceremoniis veſtris rebuſque divinis* poſtulionibus *locus eſt, & piaculi dicitur contracta eſſe commiſſio, ſi per imprudentiæ lapſum, aut in verbo quiſpiam, aut ſimpuvio, deerrârit.* Ubi *poſtulionibus locum eſſe* dicit, quum ob oſtentum vel errorem in ceremoniis commiſſum piaculumque ſacra inſtaurari & piaculum expiari, Dii *poſtulare* credebantur. Quomodo rei aſperitatem vocis lenitate conabantur mitigare. Varro ex emendatione Scaligeri, A' *Procilio relatum, in eo loco debiſſe terram, & ex Senatusconſulto ad Aruſpices relatum, eſſe reſponſum, Deum Manium* poſtulionem *poſtulare, civem fortiſſimum eò demitti.* Cicero *de Aruſpic. reſp.* vocem communem retinet. *De ea re ſcriptum eſt,* poſtulationes *decretas eſſe Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, Diis cæleſtibus.* Vide G. Elmenhorſtium & Deſid. Heraldum, *ad Arnob. d. l.*

POSTUMIA Via gemina, Una circa Hoſtiliam oppid. ad Padum, inter Ferrariam & Mantuam, Tacit. *l. 3. Hiſt. c.* 21. Altera in Liguria, inter Genuam & Dertonam, *Via Coſtuma*, nunc, per Runcum, Volam, Arquatam, Seravallem & Novas ducens. *Vet. Inſcr. Aug. Juſtinianus.*

POSTUMIUS Albinus, prænomine *Aulus*, cum L. Licinio Lucullo Conſul fuit, ab anno Urb. Cond. 611. Literatum illum & diſertum fuiſſe ſcribit Cicer. *in Bruto.* Res Romanas oratione Græcâ ſcriptitâſſe, dicitur A. Gellio, *l. 11. c.* 8. in cujus hiſtoriæ principio, cùm veniam peteret, ſi quid iis in libris parùm compoſitè aut minùs eleganter ſcriptum foret, reprehenſus eſt à Catone. *Tibi*, inquiente, *oro te, quis perpulit, ut id committeres, quòd priùs, quàm faceres, peteres ut ignoſceretur.* Quæ eadem iiſdem ferè verbis ex Gellio Macrobius repetit *in princ. Saturnal.* Addidit Plut. *in Catone. veniam ei debuiſſe dari, ſi Amphictyonum decretô id ſcripſiſſet.* Interim non ſine aliorum exemplo id *Poſtumius* fecit. Namque C. Julius Senator, apud Florum, *Epit. Liv. l.* 53. & Cn. Aufidius, apud Cicer. *Tuſculan.* 5. idem factitâſſe leguntur. L. Lucullus quoque bellum Marſicum Græcè ſcripſit, apud Plut. *in ejus vita* & Cicer. *ad Attic. l. 1. Ep.* 16. Ipſe etiam Cicero, de Conſulatu ſuo, ut & Pomp. Atticus de eodem, hâc linguâ ſcripſêre, ut ex Cicerone liquet, vide Jac. Oiſelium, *Notis in A. Gellium, loco cit.*

POSTUMIUS Tubertus, Dictator, bellô Fidenati an. Urb. Cond. 312. A. *Poſtumium* filium ſuum, quòd non ſuô juſſu, ſed ſponte præſidio progreſſus hoſtes fuderat, victorem ſecuri feriri juſſit, ut docet Val. Max. *l. 2. c. 7. ex.* 6. Idem tradit Diod. Siculus, *l.* 12. & A. Gellius, *l. 17. c.* 21. ubi eum *Olum Poſtumium* Tu*bertum* vocat, & *l. 1. c.* 13. ubi *Poſtumiana* & *Manliana* imperia conjungit. Ab hac tamen ſententia abit Livius, qui Manlio ſolùm Torquato id inexorabilis ſeveritatis exemplum tribuit, quòd *Manliana imperia* dicantur, non *Poſtumiana*, quamvis *Poſtumius* ante Manlium vixerit, *l.* 4. Interim non diffitetur Livius, ita etiam alios Hiſtoricos retuliſſe, ideoque noluiſſe tacitum præterire Poſtumium, *Ibid.*

POSTUMIUS Tyrrhenus, qui piraticam duodecim lembis exercuerat, tanquam amicus Syracuſas accedens, à Timoleonte comprehenſus & ſuppliciô affectus eſt. Olymp. 110. An. 2. Diodor. Sic. *l.* 16. Vide quoque ſuprà *Poſthumius.*

POSTUMUS, Sylvius dictus eſt, poſtrema Æneæ proles, de quo ſic Virgil. *Æn. l. 6. v.* 760.

Ille vides, purâ Juvenis qui nititur haſtâ,
Proxima ſorte tenet lucis loca: Primus ad auras
Ætherias Italô commiſtus ſanguine ſurget
Silvius, Albanum nomen, tua Poſtuma *proles.*

In quæ verba Cæſellius Vindex, apud A. Gellium, *l. 2. c.* 16. *Poſtuma*, inquit, *proles non eum ſignificat, qui Patre mortuô, ſed qui poſtremô locô natus eſt, ſicuti Silvius; qui Æneâ jam ſene, tardô ſerôque partu eſt editus.* Unde etiam ſubjicit Poëta:

Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux
Educet ſylvis. ———

Vide & ſuprà in voce *Poſthumi.* Huic Aſcanius, ſine liberis defunctus, reliquit imperium: ab eoque omnes poſt illum Reges Albani *Sylvii* appellati ſunt. Liv. *l. 1. c.* 3.

POSTUMUS, ab avidis novarum rerum Gallis, imperante Gallienô, ad Imperium vocatus & poſt ſeptennium interemtus eſt, de quo vide ſuprà, in *Poſthumius.* Ita autem Salmaſ. legi vult, eò quòd omnes libri *Poſtumus* præ ſe ferant. Sic Zonaras & Zoſimus Ποςῦμος habent, Victor itidem & Eutropius. Nummi præterea, IMP. C. POSTUMUS. P. F. AUG. Caſaubonus tamen *Inſcriptionem* ſuggerit, in qua C. CASSIVS. POSTVMIUS. LABIENUS. vocatur. Vide utrumque *ad Trebellium Pollionem in XXX. Tyr. c.* 2. & 3. & de voce *Poſtumus*, plura apud A. Gellium, *l. 2. c.* 16. Vide & *Poſthumus.*

POSTVORSA, vel POSTVORTA Dea, dicebatur apud Romanos, quæ *præpoſteris* partubus præſidebat; uti *Proſa*, quæ rectis. *Prorſus* autem Veteres dicebant, pro *provorſus*, i. e. *antevorſus*, cui contrarium *poſtvorſus* ſeu *poſtvortus.* Vide ſuprà *Poſtverta.*

POSTUS Albus, locus Hiſpaniæ Bæticæ 12. mill. paſſ. à Mellaria, *Antonin.* Forſan meliùs *Portus Albus*, *Simler.*

POT. in notis Antiqq. *Poteſtas.*

POTA, Dea potûs; ut *Victa* victûs. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 412.

POTAMENIA, Origenis diſcipula, formoſiſſima fœminarum & martyrum. Etenim, inquit Euſeb. *l. 5. c. 6. hiſt.* in noſtram uſque memoriam ab incolis loci perennis virtutum Potameniæ fama celebratur, quòd immenſos & innumeros agones, primò pro virginitate & pudicitia deſudaverit: deinde etiam pro martyrio exquiſita, atque inaudita tormenta pertulerit: atque ad ultimum unà cum venerabili matre Marcella ignis ſuppliciô conſummata eſt: Et carnificem Baſilidem in tormentis exiſtens ad Chriſti confeſſionem & fidem convertit, qui & ipſe quoque maryriô coronatus eſt.

POTAMIDES. Græcè Ποταμίδες, nymphæ fluviorum præſides, apud Lutatium *ad Statium, Thebaid. l. 4. v.* 254. *Omnes Nymfas, aut Oreadas, aut* Potamidas, *aut Dryadas, aut Napæas, dicit.* Poëta habet, *fluviis dicata Numina.* Earundem meminit Scholiaſtes priſcus Poëtæ *in Il. v. ipſô initio*, ubi de Concilio Deorum ait Homerus.

Οὔτέ τις ἦν ποταμῶν ἀπέην ———

Vide plura de illis apud Barthium, *Commentar. de Superſtitionibus.*

POTAMON, Alexandrinus, Philoſophus, ſub Auguſto. Caput Sectæ Electivæ. Scripſit varia. Diogen. Laërt. *in Præf. Phil. vit. Suidas*, Voſſ. *de Sect. Phil. c.* 21.

POTAMON, Lesbius vel Mitylenæus, Rhetor, ſub Tiberio: Fil. Lesbonactis, Philoſophi ſcriptis inclyti. Hunc Imperator hiſce literis tuitus eſt: *Potamonem, Lesbonactis filium, ſi quis offendere, eique incommodare auſus fuerit, conſideret ſecum, an mecum bellum gerere valeat.* Docuit Romæ, ubi *elogium* edidit *Tiberii, cum hiſtoria Alexandri M. de limitibus Samiorum libro, Panegyrico Bruti, & tractatu, de Oratore perfecto.* Strabo, *l.* 13. *Heſych. Suidas*, Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 2. c.* 7. Geſner. *in Biblioth.* Poſſevin. *in appar. &c.*

POTAMOSACUM, *Stephano Sacon.* fluv. & inſula Æolidis.

POTAMUS, Epiſcopus Arianus Oliſipponenſis, ſeculô 14. à fide defecit, ut à Conſtantino Imperatore agrum quendam obtineret. Dein Urſacio & Valenti junctus, divinitate CHRISTI negatâ, literas hac de re undiquaque miſit, ab Oſio Cordubenſi refutatus. Quod agrè ferens effecit apud Imperatorem, ut hic Syrmium vocaretur. Agrum dein ſuum, apoſtaſiæ præmium, viſurus, linguâ ejus divinitùs percuſsâ antequam illuc perveniret, obiit. Marcellin. *libell.* Hilar. *adv. Arrian.* Baron. *in Annal.* Hermant. *vita Athanaſ. l. 8. c.* 2.

POTAMUS, oppid. Atticæ, Plin. *l. 4. c.* 7. *Harpocration* verò Ποταμὸς, δῆμος τῆς Λεοντίδος, οὗ ὁ δημότης Ποτάμιος, *Strabo.*

POTAMUS, Thraciæ fluv. Marcianopolim urbem interluens, Jornand. *Fium de Marciopoli.*

POTANDI, matrimonii nomine, ritus, indigitatur in *Statuto* Synodali Nicolai Epiſcopi Andegavenſis A. C. 1277. *c.* 3. *Intelleximus nonnullos volentes & intendentes matrimonium ad invicem contrahere, nomine matrimonii potare, & per hoc credentes ſe ad invicem matrimonium contraxiſſe, carnaliter ſe commiſcent. Verùm cùm per hoc nullum matrimonium contrahatur, & ob hoc, quoniam plures jam fuerint decepti, vobis firmiter injungimus, quod per prædicta hujuſmodi matrimonium, nec ſponſalia contrahantur.* Unde Proverb. apud Gallos vulgare, *Boire & manger, coucher enſemble, c'eſt mariage ce me ſemble:* è quo ſeculi abuſum diſcere liceat. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quæ Seldenus de eo conjugii genere, quod ſolô uſu contrahitur, apud priſcos, qui ante Noahum vixerunt, recentioreſque nonnunquam vigente, habet in *Uxor. Hebr.* Item *de Jure N. & Gent. ſecundùm diſcipl. Hebr.* De *potandi poſt ſecundam menſam* more, mentionem inicit Æl. Lamprid *in Severo, c.* 39. *Quum amicos militares habuiſſet, ut uſum Trajani, quem ille poſt ſecundam menſam potandi uſque ad quinque pocula inſtituerat, reſervaret, unum tantùm poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem brevius, niſi ſi quis, quod licebat, majus habere poſtulâſſet*, &c. More nempe Græcanicô: qui honori Deorum & Regum ac Principum pocula conſecrabant & bibebant. Caſaubon. *ad l.* Plura hîc paſſim.

POTARIUS, officium in Scancionaria Regia, vulgò Gall. *le Potier*, cui poculorum, quæ iidem *pots* à potione vocant, cura incumbit. *Ordinatio* Hoſpitii S. Ludovici Regis Franciæ A. C. 1261. *Potariùs pro ſervitio potorum 2. ſol. per diem*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

POTENTATUS, in *l. 13. ff. de ritu nupt. l. 1. Cod. de gener. abol. C. de teſtibus;* Papiæ eſt, *auctoritas judicialis in civitate Gloſſ. Græco-Latin.* δυναςία: Vox Livio, *l.* 20. Cæſari *de bello Gall. l. 1. c.* 31.

c. 31. Arnobio, l. 1. Aliis paſſim, adhibita. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* &c.

POTENTIA, Picenorum urbs, *Ptol. S. Maria di Loretto, Ferrar. Baudrando* urbs fuit Piceni exciſa, cujus veſtigia apparent ultra dextram fluvii cognominis ripam, nomenque ſupereſt in Abbatia proxima, *S. Maria ad pedem Potentiæ*, ubi veteris pontis arcus lapideus & veteris ſepulturæ moles latericia, ut & pavimentum ſub terra Muſivi operis. Locus ille mille paſſ. & paulo amplius à Recinetenſi portu diſtat. Ex *Luc. Holſtenio.* Item oppidum Lucanorum mediterr. *Ptolem. Potenza Leandro.*

POTENTIA, titulus honorarius, quô Michaëlem Imperatorem Conſtantinopol. compellat Nicolaus Papa, *Ep.* 8. Paſſim enim *Potentes*, pro Proceribus, Primoribus. Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 78.

> —— *Seu quos monet exul & hæſit*
> *Triſtibus aucta fides, ſeu quis mutare* Potentes
> *Præcipuum* ——

Et apud eundem, *l.* 5. *v.* 733. *Inachidæ potentes.* Sic *Dii maris potentes*, apud Virgilium, *l.* 4. *Æn. v.* 528. &c.

POTENTIANA, German. *Theten.* Hungar. *Adom*, oppid. Pannoniæ inferioris ab Danubio inter Budam urbem. 2. milliar. & Altinium oppid. 12. in Eurum.

POTESTAS, pro Regno, apud eundem Statium, *Theb. l.* 8. *v.* 262.

> —— *alto caſtrorum ex aggere Adraſtus*
> *Lætificos tenui captabat corde tumultus,*
> *Quanquam æger ſeniô, ſed agit miſeranda* Poteſtas
> *Invigilare malis* ——

Hinc *Poteſtas*, Rex, Princeps, ſupremus loci Magiſtratus, in, *l.* 31. *Cod. Theodoſ. de Epiſc.* Unde Poſſidius in *Vita* S. Auguſtini, *c.* 14. *Non defuerunt, qui dicerent, non fuiſſe Epiſcopos apud* Poteſtatem, *quæ cauſam audivit.* Græcè Ἐξουσία, Roman. *c.* 13. *v.* 1. Οὐκ ἔστιν ἐξουσία, εἰμὴ ἀπὸ Θεοῦ, *Non eſt* Poteſtas, *niſi à Deo.* Item *Judex*, apud Flav. Vopiſc. in *Saturnino*, *c.* 9. *Ut primùm Ægyptii magnam poteſtatem ad ſe veniſſe viderunt, ſtatim clamaverunt, Saturnine Auguſte, Dii te ſervent.* Sic *magna Poteſtas* & *magnus Judex*: item *celſæ Poteſtates* & *celſi Judices*, iidem, Salmaſ. *ad loc.* Hinc pro Domino alicujus loci, *le Signeur du lieu*, occurrit non ſemel, cujus etiam, ut & *Poteſtatis* Judicis, villa, pagus, diſtrictus, eôdem nomine non raro venit. Gall. *Seigneurie* dicunt. Poſteà, in Italia præſertim, nomine hôc appellatus, ſupremus Civitatum liberarum Magiſtratus, qui aliunde, quàm ex ipſiſmet civitatibus electus, ſummô jure civibus, in rebus bellicis perinde ac civilibus, imperabat, per annum, uti diſcimus ex Raderico *de Rebus geſtis Friderici I. Imp. c.* 6. Thoma Archidiacano, *in Hiſtor. Salonit. c.* 34. Aliis. Hinc Guntherus, *Ligurini l.* 9.

> *Inde per Etruſcas Legatos deſtinat urbes,*
> *Campanaſque domos, & quas in littore curvo*
> *Æquorei lavat unda ſalis: qui debita fiſco*
> *Jura vetuſta petant, per quos ſtatuantur in omni*
> *Urbe Magiſtratus & civica quæque* Poteſtas, &c.

Ital. *Podeſtà.* De quo Magiſtratu iſta habet Franc. Sanſovinus *in Famil. Martinengha*, *p.* 299. *Omnis civitas, quæ erat libera, & ſub regimine Magiſtratus ſui eligebat pro Capite Regiminis* Poteſtatem, *qui eſſet extraneus, ſcientiâ variarum rerum inſtructus, belli peritus ac bellicoſus. Hic pro arbitrio habebat & Vicarium & ſuum delegatum, qui Jureconſultus eſſet: circa illum erant tres Accenſi & Officiales, cum lictoribus vigintiquinque, qui, velut Prætoriana cohors, juſtitiæ exercendæ, illi præſtò fuêre. Ulteriùs ſex illi miniſtrabant ſatellites & totidem pueri* &c. *Sedebat autem in Magiſtratu annum integrum; habebatque ſalarium amplum ſatis, quod ipſi tribus vicibus ſolvebatur: Primâ, poſt primum trimeſtre exactum; alterâ finitis ſex menſibus & tertiâ, cùm liberabatur à functione, quæ finem accipiebat quintô decimô die poſt Præturæ ſeu Magiſtratus annum.* Sacramentum, quô adſtringebatur *Poteſtas*, extat apud Corium in *Hiſtor. Mediolan.* Formula literarum, quibus *Poteſtati* nuntiabatur electio, ſic habet, apud Rollandinum, *in Summa Notar. Militi probatæ fidei & examinatæ virtutis Dom. Cornelio de Solario. R. de villa Poteſtas. Conſilium & Commune Bononiæ, Salutem & proſperos ad vota ſucceſſus. Licèt in altitudine libertatis naturaliter conditio ſuſpiret humana, quia tamen utplurimum, examine rationis omiſſô, in præcipitium perverſæ labitur voluntatis, datum eſt, ut vinculis diſciplinæ reſtrictæ, ſub jugo dominii, obedientiæ collum ponat & ut homo præferatur hominibus, ad motus illicitos loris juſtitiæ refrænandos. Hinc eſt quòd hodie plus ſolitô, propter corruptas affectiones hominum, & invaleſcentes nequitias perverſorum, nihil poteſt populo eſſe beatius, nihilque majus, quàm bonô duce praviô bene duci. Cùm igitur hujus rei ſolicitudinem multam providerimus noſtro regimini dignum præferre Rectorem, per brevium ſolennitatem, juxta municipalis obſervantias Legis noſtræ, in viros fideliſſimos & prudentiſſimos electionis auctoritas ſorte venit, qui virtuoſos Italiæ viros & hujus dignos officiô prælaturæ ſolicitâ examinatione quærentes, tandem conſideratis Virtutibus, quas in vobis affluenter adeſſe prædicat opinio celebris & communis, perſonam veſtram ad Kal. Februarii proximè venturi, ad unum annum nobis & civitati noſtræ in* Poteſtatem, *Rectorem & Dominum electione concordi & unanimi præfecerunt. Quapropter cùm ex ipſa electione ſit per omnem modum mirabiliùs ſatisfactum affectionibus cordis noſtri: eo quòd ſcimus vos adeò Virum doctum, ut ſciatis æquâ librâ ponere judicium in pondere, & juſtitiam in menſura, & in vindictam facinorum juſtitiæ vibrare gladium temporalem, prudentiam & dominationem veſtram inſtanter multis precibus exoramus, quatenus regiminis noſtri locum & officium, quod vobis eâ cordis affectione, quâ nulla major, offerimus, ſi placet, cum ſalario duorum mill. libr. & cum illis conditionibus, quas tam ea, quæ vobis in publica forma per latorem præſentium mittimus, quàm alia Communis noſtri ſtatuta declarant, hilariter & libenter admittatis, ſociati quatuor Judicibus, duobus Militibus, & duobus Notariis, viris duntaxat talibus, quorum fide ac prudentiâ honor veſter glorioſus appareat. Venientes itaque* 15. *diebus ante Kalendas Februarii, veſtram & veſtrorum prædictorum in civitate noſtra præſentiam habeamus. Itaque ſi aſſentiendum duxeritis, vel non duxeritis votis noſtris, in tertium diem, poſt harum præſentationem, reſponſum latori præſentium per inſtrumentum publicum certum detis.* Sequuntur Literæ ejuſdem tenoris, ſub breviori forma, Reſponſiva de acceptatione electionis & admiſſione regiminis & Reſponſiva, quâ ſe excuſat electus & electioni renuntiat. Vide *Geſta Innocentii* III. *p.* 143. Petrum de Vineis, *l.* 2. *Ep.* 1. *l.* 3. *Ep.* 63. alibi, Hieronymum della Corte, *Hiſtor. Veron. l.* 4. *p.* 223. & Thomam Archidiaconum, *l. c.* è quo pauca hæc ſubjiciam: *Tertiâ die* (poſtquam adveniſſet Poteſtas) *fecit coadunari univerſum populum civitatis & factâ Curiâ primò expediverunt ſe nuntii exponentes ſuæ legationis proceſſum & exitum, oſtendentes —— Poſthac autem ſurgens Garganus* (hoc enim *poteſtati* nomen) *ut erat eloquens Vir, multum lepidè concionatus eſt & præſtitô ſui regiminis juramentô, fecit univerſam multitudinem, tàm Nobilium, quàm Popularium, vinculo ſacramenti adſtringi, ut eſſent ſuis præceptis obedientes —— Tunc ordinavit Curiam, ſtatuens Judices, Camerarios, Præcones. Totum namque regimen ad exemplar Italicarum urbium, quæ per poteſtatum regimina gubernantur, ordinavit.* Cujuſmodi verò eſſet *Poteſtatis* Sacramentum, diximus ſupra, apud Corium inveniri &c. Sed & in Francia obtinuiſſe dignitatem hanc, maximè in Comitatu Provinciæ, ex Scriptoribus Rerum Gallicarum patet, apud quos paſſim mentio *Poteſtatum* Arelatenſis Urbis, antequam idem Comitatus ad Carolum I. perveniſſet, qui eorum locô Vicarios (*Viguiers*) inſtituit: item *Poteſtatum* Maſſiliæ & Avenionis. In *Charta* A. C. 1225. *Spinus de Sorezina Dei gratiâ Poteſtas Maſſiliæ & Avenionis.* In alia A. C. 1240. Comes Galterius Vicarius General. Imperatoris in Regno Arelatenſi & Viennenſi, recepiſſe ſe ab Imperatore dicit in mandatis, *ut Poteſtariam Avenionis ſuſciperet*; quemadmodùm de Friderico Imperatore narrat Radericus, *l. d. ei ab omnibus in Italia adjudicatum atque recognitum eſſe, in ſingulis civitatibus Poteſtates, Conſules, cæteroſque Magiſtratus, aſſenſu Populi per ipſum creari debere* &c. Imò & *Poteſtatis* titulô donabatur olim, Legatus ſeu Magiſtratus, qui pro Venetis Conſtantinop. commorabatur, apud Imperatores Conſtantinopolitan. ut ex Acropolita, *c.* 85. docet Car. du Freſne: ſed is poſtmodum *Bajulus* dictus eſt, manſitque *Poteſtatis* dignitas & nomenclatura Genuenſium in eadem Urbe Legato, uti habet Pachymeres, *l.* 2. *c.* 32. Nicephorus Gregoras, *l.* 4. *ſect.* 9. & Codinus *de Officiis*, *c.* 7. *n.* 6. Vide Meurſium in ποτεστάτος & Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & *in Hiſtoria Franco Byzantina.* Hinc *Poteſtaria*, officium Tribuni Pleb. ſeu Capitanei urbis in Rebuspublicis Italiæ, quod vulgari ſermone *il Podeſtà* appellatur, *Extrav. comm. de majorit. & obed. cap. unico*, alibique paſſim, Macri Fratres *Hierolex.*

POTESTATES, Græcè Δυνάμεις, inter Angelorum nomina. In ſecunda Angelicæ Hïerarchiæ claſſe à nonnullis collocantur, quorum officium ſit, curare ne à cauſis inferioribus aut aliunde confundatur perturbeturque Virtutum actio: quod fieri dicunt impediendo contrarias cauſas & inferiores per debitam ſubjectionem ſubordinando, ut idoneæ fiant recipiendæ motionis, quam iis volunt imprimere Virtutes, quas in eodem ordine ſupra Poteſtates locant. Alii dicunt, *Poteſtatum* munus id eſſe, ut Dæmonibus obſiſtant eorumque potentiam compeſcant, ne tantum in homines invehantur eoſque ne ultra vires ad peccatum ſolicitent. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Anton. le Grand *Inſtitut. Philoſ. Part.* 3. *Artic.* 6. Sed S. Scriptura nil niſi *Poteſtates* inter Angelorum nomina recenſet, vel elogia potiùs, ut infrà videbimus, ubi de *Virtutibus.* Tertullianus in *Scorpiaco*, *Poteſtatum Janitricum* meminit, ut & *Poteſtatum à ſecretis*: *Quas mihi poteſtates janitrices adfirmas juxta Romanam ſuperſtitionem, Carnam quandam & Forum Limentinum, quas à cancellis ordinas poteſtates?* Ubi *Cancellarios* (quorum nomen ejus ævô uſitatum fuit de his miniſtris, qui cancellos ſervabant) indigitans, eos, alludendo ad ſuperſtitionem veterum Romanorum, qui Carnam, Forculum & Limentinum oſtiorum Deos habuêre eoſque cardinibus, foribus & liminibus præſidere exiſtimavêre, eleganter his nominibus appellavit. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 16. In genere verò *Poteſtates*, pro quibuſvis muneribus, accipi, diſcimus ex Ælio Lamprid. in *Alexandro Sev. c.* 49. quem *poteſtatum mercimonium* ſuſtuliſſe, his verbis refert: *Honores juris gladii* (ut ſunt Præſidatus Provinciarum, interdum & Legationes) *nunquam vendi paſſus eſt, dicens, Neceſſe eſt ut, qui emit, vendat. Ego non patior mercatores* poteſtatum, *quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim punire illum hominem, qui emit & vendit* &c.

POTHEGA, vide ſuprà *Apotheca.*

POTHEREUS, fluv. Cretæ, inter Gnoſſon & Gortynam fluens, *Vitruv.*

POTHINUS, & *Achillas*, Pompeji, ex acie Pharſalica ad Ptolemæum Ægypti regem fugientis, interfectores fuerunt. Lucan. *l.* 8. *v.* 483.

> *Auſus Pompejum letho donare Pothinus.*

POTHO, Presbyter Prumienſis, in diœceſi Trevirenſi. Scripſit A. C. 1152. libros 6. *de Domo Dei*, & unum *de magna domo ſapientia.* Prodierunt A. C. 1532. Bellarm. *de Script. Eccl.* Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

POTHOS, Græcè Πόθος, quæ vox *deſiderium* appellativè notat, inter Samothracum Deos, memoratur Plinio, *l.* 36. *c.* 5. *Is* (Scopas) *fecit* (ex marmore) *Venerem & Pothon & Phaëthontem*,

tem, qui Samothracia ſanctiſſimis ceremoniis coluntur. Item nomen herbæ & floris coronarii, cujus duas ſpecies, unam hyacintho ſimilem; alteram, quæ decolor eſt, in ſepulchris olim uſitatam, memorat Theophraſtus, *de Plantis*, *l. 6. c. 7.* Hincque ipſius coronæ inde factæ, quæ enim ex uno flore fiunt coronæ, ejus floris, unde conſtant, nomen ſortiebantur. Car. Paſchal. *Coronar. l. 2. c. 14.*

POTICARA, urbs Perſiæ, *Ptolem.*

POTIDÆA, Macedoniæ urbs, olim *Caſſandria*, Plin. *l. 4. c. 10.* Ad Iſthmum Pallenes, Corinthiorum colonia, Athenienſibus fœderata, & vectigalis. Cùm defeciſſet, longâ obſidione domita eſt & vacuefacta, Schol. *in Equit.*

POTIDANIA, urbs Ætoliæ, *Stephan.*

POTIER, nomen illuſtris in Gallia Familiæ, in qua Renatus *Potier* Comes *de Treſmes* Marchio *de Geſures*, ex Margaretha Luxenburgica (filia Franciſci Ducis *de Luxemburg & Piney*, Principis *de Tingry*) genuit Franciſcum *Potier* Marchionem *de Geſures*, defunctum A. C. 1643 fratrem Franciſci itidem, & Leonis Marchionum ſimiliter *de Geſures*, aliorumque utriuſque ſexus, uti videre eſt apud Phil. Jac. Spenerum, *Theatró Nobil. Eur. Parte 2. p. 104.* Vide quoque eum, Arte *Herald. Tom. 2.*

POTII, apud Juſtinum, *l. 2. extr.* in *MS.* optimæ notæ, ubi codex editus *nuntios* præfert: *Scribit prætereà Xerxi, quoſcunque ad ſe nuntios miſiſſet, interficeret.* Germanis hodieque *Pothen*, legati, nuntii; ut quorum in lingua multa vocabula Perſica eruditi deprehendunt. Vide Bongarſium, *ad l.* & Camdenum, *præfat. Geogr. Brit.*

POTINA, ſeu POTINNA, Dea apud Romanos, quæ potum infantibus miniſtrare credebatur. Eduſam enim & *Potinam* Præſides habitas fuiſſe puerorum, Varro ait apud Nonium Marcellum, *de Propr. Serm. c. 2.* *Cùm pro cibo & potione initiarent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſæ, & à potione Potinæ nutrici.* Pleniùs Thom. Bartholin. *l. de Puerperio Veter.* *Finitâ ablactatione*, inquit, *epulæ inſtructæ, & pro ciborum auſpicio Eduſæ, potionis* Potinnæ *ſacra fiebant, porcellis lactentibus & pane furfuraceô, ubi ſimul Cubæ initiabantur; ſicut apud Chriſtianos farre. Exportari denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœperunt, quod diverſum fuit ab ali.* Vide quoque Auguſtin. *de Civ. Dei, l. 4. c. 2.* ubi pro *Educa*, ex veterib. Codicib. *Edulica* reponit *Vives.*

à POTIONE, in *veter. Epitaphio* dictus reperitur, qui Juvenali, *Sat. 13. v. 44. ad Cyathos*, Horatio, *l. 1. Carmin. Od. 29. v. 8.* & Suetonio, *in Julio, c. 49. ad Cyathum*, & *Vinum*, communiter *Pincerna*, item *Pocillator* vocitatus eſt. Ita autem habet Epitaphium illud, *Ti. Claud. Aug. Lib. Gratio. Liviæ. Aug. ſer. a Potione. S. T. T. L.* Hic nempe vinum prægustabat: Qualis Alexis ille Virgilianus apud Martialem, *l. 8. Epigr. 56. v. 13.*

Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille,
Marmoreâ fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roſeis Carcheſia labris &c.

Idem & *à Lagena* ſeu *Laguna* fuit; ut antiqui marmoris elogium docet: *M. Ulpio. Aug. Lib. Phædimo. Divi. Trajani. Aug. à. Potione. item. à. Laguna. &. Tricliniarch. Lictori. proximo. &. à. comment. beneficiorum* &c. apud Laurent. Pignorium, *Comm. de Servis.*

POTIPASON, urbs Epiſcopalis Africæ. *Synod. V. Conſtantin.*

POTIPHAR, Joſephi Patriarchæ Dominus. Πετεφρὴς *Joſepho* dicitur.

POTITIUS, vide PINARIUS. Hæc gens in 12. familias diviſa, ob ſacra vulgata, omnis interiit, circa An. Urb. Cond. 445. Quô pactô verò penes hos, ut & Pinarios, multis ſeculis duraverit cura ſacrorum Herculis, *Potitiis* ſolis extorum dape veſcentibus (à quibus Pinarii arcebantur) diximus ex Dionyſio Halicarn. *l. 1.* Livio, *l. 1. c. 7.* & Servio, *in Æn. 8.* ſuprà, in voce *Pinarii.* Addit Livius, *Potitios*, qui ab Euandro edocti Antiſtites ſacri ejus per multas ætates fuerant, poſtquam tradidiſſent ſervis publicis ſolemne familiæ miniſterium, ad unum omnes interiiſſe, annô ab Urb. Cond. 461. M. Valeriô Max. P. Deciô Mure Conſulib. in Cenſura Appii Claudii, cui poſteà *Cæci* cognomentum fuit. Sic enim in illius anni hiſtoria ſcribit: *Eôdem Appiô auctore* Potitia *gens, cujus, ad aram Maximam, Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi causâ ſolemnia ejus ſacri docuerat.* Traditur *inde dictu mirabile, & quod demovendis ſtatu ſuô ſacris religionem facere poſſet: Cùm 12. familiæ eâ tempeſtate* Potitiorum *eſſent, puberes ad triginta; omnes intra annum, cum ſtirpe, extinctos: nec nomen tantùm* Potitiorum *interiiſſe, ſed Cenſorem etiam Appium memori Deûm irâ poſt aliquot annos luminibus captum.* Vide eum, *l. 9. c. 29.* ut & Val. Max. *l. 1. c. 1. ex. 17.*

POTITUS Valerius, vide *Valerius.*

POTIVA, Dea, quam veteres *à potando* dixerunt.

POTNIADES, Deæ dictæ fuerunt, furorem facientes, hoc eſt, μανιοποιοί. Non procul verò à Potniis, Bœotiæ urbe, puteum fuiſſe legimus, ex quo ſi aqua hauſta fuiſſet ab equis indigenis, furore agitabantur. Unde Dearum nomen.

POTNIÆ, oppid. geminum: unum Bœotiæ, Thebis proximum, ubi *Potnius fons*, teſte *Æliano*. Ibi Glaucus ab equis dilaceratus traditur. Alterum in Magneſia, teſte Pliniô, *l. 4. c. 9.* in Macedoniæ & Theſſaliæ confin. Neutrum perdurat. Apud Potniam autem paſcua eſſe, in quibus aſini in rabiem vertantur, ſcribit Plin. *l. 25. c. 8.* A Potnia verò *Potniaus*, & *Potnias.* Virg. *Georg. l. 3. v. 267.*

——— *Quô tempore Glauci*
Potniades malis membra abſumpſêre quadrigæ.

Vide *Glaucus.*

à POTORIO argento, nomen fuit miniſterii apud Romanos: de quo ſic legerunt viri docti; *Oſſa. Vibiæ. Succeſſæ. Liviæ. Aug. ſer. ab. argento. potorio.* &c; quemadmodum & Præpoſitus auro gemmato memoratur: de quo Juvenalis, *Sat. 5. v. 39.*

——— *Tibi non committitur aurum,*
Vel, ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungueſque obſervet acutos.

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & ſuprà *ab Argento.*

POTOSIUM, urbs ampla Peruviæ, ad radices Potoſii montis. In parte Auſtrali in regione *de los Charcas*, 18. leuc. Hiſpanic. ab Argentea in Occaſum, verſus Aulagam ſeu Parium lacum 8. & Aricam ad mare Pacificum 80. circiter, à Cuſco urbe 160. in Meridiem, 360. leuc. ab urbe Boni aëris in Occaſum. Urbs perculta, indies creſcit, licèt in arido ſolo ſita. Ei adjacet mons cognominis ubi argentifodinæ præſtantiſſimæ, detectæ A. C. 1544. ſub Hiſpanis quæ ſingulis diebus ſuprà XXX. M. Philippicûm olim dederunt, ſed à paucis annis ſenſim deficiunt.

POTTENDORFFIA Familia illuſtris Auſtriæ, cum titulo Baronatus: in qua celebris eſt Baro *Pottendorffius*, qui Fridericum cognomine *Bellicoſum*, ultimum Auſtriæ Ducem, quòd uxorem ſuam adulteriô polluiſſet, in venatione, fune ad id paratô, equô detractum interfecit: ut refert ex indigenarum relatu Criſtoph. Forſtnerus, *Not. ad Annal. Taciti, l. 5.* Cùm aliàs vulgò creditum ſit, Belam Hungariæ Regem ex Dalmatico exilio in Regnum reverſum, in tranſitu per Auſtriam, Fridericum obtruncâſſe. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p. 146.*

POTTERUS Franciſcus, Anglus. Scripſit *Explicationem numeri Beſtiæ 666.* quâ tum veram ejus exponendi rationem oſtendit, tum Characteres exquiſitiſſimos, quibus Antichriſtus, omniſque ejus Hierarchia ad vivum depingitur, ſolidè eruit. Latio donatus liber, à Joh. Schônauero, Baſil. prodiit ibi A. C. 1656.

à POTU abſtinere, vel *à potu & carne abſtinere*, pœna Regiis miniſterialibus, indicta, in levioribus delictis, in *Capitular.* de Villis, *c. 16.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

POTUA, Dea potui præfecta, memoratur Arnobio, *l. 3.* vide & infrà *Victa.*

POTULATENSII, *Ptol.* populi Daciæ, quorum urbs *Lippa*, teſte *Laziô*, eſt, à Cenadio urbe 8. leucis in ortum, à Temeſuaria totidem paulove plus in Boream, urbs pulchra.

POTUS, ut & cibus, apud Priſcos, moderatus erat & neceſſitati attemperatus, poſteà in luxum vertit. Ita autem ea de re, Hier. Mercurialis, *Variar. lect. l. 1. c. 22.* *Variis*, inquit, *menſuris antiquos potâſſe, non me latet: ſed & eis tres potiſſimùm obſervare ſoleo, Sextantem, Deuncem & Trientem, quarum duas rariùs, tertiam frequentiùs & à pluribus in quotidiano victu uſurpatam puto. Sextante temperatos, & valetudinarios; Deunce intemperantes & bibaces potâſſe, valde veroſimile eſt. Nam Suetonius, Auguſtum Cæſ. ſextante bibiſſe, cumque ſexies tantùm in conviviis publicis admoviſſe, eſt Auctor, c. 77.* Martialis item de ſeipſo & Cinna, *l. 12. Epigr. 28.*

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem,
Et quereris, quòd non Cinna bibamus idem.

Vide eundem de luſco Bibone, *ad Aulum.* E quibus conjicere licet, Deuncem ſive undecim unciarum calicem, ebrioſorum: in communi verò uſu fuiſſe craterem quinque paulo plus minuſve unciarum, appellatum *Trientem.* Unde & Propertius, *l. 3. Epigr. 9. v. 29.*

Cùm fuerit multis exacta trientibus hora.

Et Perſ. *Sat. 3. v. 100.* Martialis *plur. in locis*, Trientium faciunt mentionem. Fuit autem triens quarta ſextarii pars: ſicut Sextarius ea *Potûs* menſura fuiſſe videtur, quam in cœna quotidie ſumebant, quamque in 4. Trientes dividebant. Quanquam & hoc certum, nullam quandoque in bibendo ſervatam fuiſſe menſuræ rationem, quemadmodum invitat Martialis Cajum Proculum, *l. 11. Epigr. 37. v. ult.*

Quincunces & ſex cyathos beſſemque bibamus,
Caius ut fiat Julius & Proculus.

Et quemadmodum in conviviis publicis factitatum, rationi conſentaneum eſt: in quibus refert Alex. Trallianus, *l. 1. Problem.* inſtitutum fuiſſe, ut contrariis poculis uterentur, in principio minutis, in fine amplioribus: cujus rei rationem vide apud eundem, & Mercurialem, *loc. cit.* qui cornibus *potare* Veteres ſolitos eſſe *ibid.* tradit. Idem eoſdem frigidam & calidam potâſſe, vina ſæpius aquâ temperâſſe, eaque nonnunquam nive aut in puteo aut aliâ ratione refrigerâſſe, docet *eôd. l. c. 8. & 18.* Vide quoque Plutarchum *in Sympoſiacis* & Lipſium, *Elector. c. 4.* Varias poculorum appellationes ac genera, habes apud Non. Marcellum, *c. de gener. Pocul.* Cœl. Rhodig. *l. 27. c. 27.* alios, ut & ſuprà in voce *Poculum.* Cœterùm in conviviis, talis aſtragaliſque ſorte miſſis; vel etiam ſolâ coronæ impoſitione electus dictuſque eſt Sympoſiarcha, quem alii *Regem* aut *Magiſtrum convivii*, Varro *Modimperatorem* appellat, qui, quantum bibendum, præſcriberet, Plut. *Sympoſ. l. 1. quæſt. 4.* Cato *de Sen.* Cicer. in *Verrem* & ſuprà *ſuô locô.* Cumque paulo hilariùs ſeſe invitare vellent, à ſummo bibebant ad imum: Habuerunt quoque in more, ut Divo alicui libarent, h. e. ex patera leviter vini aliquid defunderent, vel in menſam, vel in terram, vel in alium quoque locum pro re nata; utque in Dominæ aut Amicæ honorem cyathum ebiberent, eamque nomine ſuô vocarent: quod quâ verborum formâ fuerit factum, ex Plauti intelligimus *Sticho, Actu 5. ſc. 4. v. 27.*

Bene nos, bene vos, bene noſtrum etiam Stephanium.

Ita enim loquebantur conciſè, pro *Bene vos vivere precor*, *bene valere* &c. Quin & illud uſurpabant, ut in honorem Amici Amicæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

micæve tot haurirent cyathos, quot in eo nomine literæ eſſent; quo de more ſuprà. Vide quoque J. Lipſium, *Antiqq. Lect. l.* 3. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. &c. De Diis, quorum inter *potandum* mentionem fieri ſolitam, diximus, ita Franc. Luiſinus *Parerg. c.* 7. *l.* 1. *ad illud Pindari Iſthm. Od.* σ.

——— ——— Εἴη δὲ τρίτον
Σωτῆρι πορσαίνοντας Ὀλυμπίῳ.
——— ——— *Contingat autem tertium*
Servatori propinantes Olympio:

Ritum fuiſſe, ait, *Antiquis, ut in conviviis primum poculum in Jovis Olympii laudem ſumerent, alterum in Heroum, tertium in Jovis Servatoris.* Quod in ſecundis menſis factitatum fuiſſe, innuit Virg. Georg. *l.* 2. *v.* 101.

Non ego te menſis & Dîs accepta ſecundis
Tranſieram Rhodia, & tumidis Bumaſte racemis.

Boni Genii & Jovis Servatoris, meminit Athenæus, *l.* 15. *c.* 20. quæ pocula aut eadem fuiſſe, aut ſaltem unà illata, ex eodem & *Polluce*: ſemper ἀγαθῦ δαίμονος poculô cœnam fuiſſe finitam, ex Euſtath. *Od. l.* 17. Scholiaſte Ariſtophanis *in Equit.* Chriſt. Vega *de Arte Med. l.* 2. *Sect.* 4. tradit *Dempſterus.* Quò reſpicere videtur & Seneca, *Thyeſte*, *Actu* 5. *Sc.* 1. *v.* 914.

Ne parce potu, reſtat etiam nunc cruor
Tot hoſtiarum, veteris hunc Bacchi color
Abſcondit, hôc hac menſa claudatur ſcyphô.

Franc. Roſſæus, *Archaeol. Att. l.* 6. *c.* 4. docet, ad primum poculum vini κεκερασμένε, i. e. *aqua diluti*, quod fuerit illatum, meminiſſe Veteres Διὸς Σωτῆρος, *Jovis Servatoris* ſeu *Pluvii*, eò quòd pluviâ fortè ſub Dio epulantibus ſuperveniente poculis temperatis, ſalutarem vini uſum homines didiciſſent. Huic addiſſe vult poculum Διὸς Ὀλυμπίε, i. e. *Jovis Olympii*, ſi Victoris epulum fuiſſet: Item Ὡραίε γάμε, in feſtivitate nuptiali. Nec tamen diffitetur ipſe, Sophoclem tertium poculum Jovi Servatori aſſignâſſe, ſicut de Pindaro diximus. Habent autem ſic ejus verba,

——— ——— Καὶ Διὸς Σωτῆρος
Σπονδὴ τρίτε κρατῆρος.

Cœnâ finitâ, pergit idem, cùm ἄκρατον, ſeu *meracum* inferebatur, πρόπομα dictum eſt, i. e. ſeu *Promulſis*, ſeu *guſtatio*: Cratere dein magnô repletô, Sympoſiarcha Bono Genio ſeu Bono Deo, Inventori tam boni liquoris (Baccho videl.) libabat cœteriſque guſtandum propinabat, quod vocarunt ἐπιρρόφεῖν ἀγαθῦ Δαίμονος. Faciebant enim id ſaltem ſorbillandô & quaſi Religionis ergò primoribus tantùm labris guſtandô. Unde apud *Heſychium* Ἀγαθοδαιμονιςαὶ ſumuntur pro Ὀλιγοποτιςαὶ. Dum autem bibebant, inclamare ſolebant, Ὦ δαίμων ἀγαθέ. Nihilominus ſub epuli initium id factum eſſe, alios ſtatuere, fatetur: ſed nititur is auctoritate Euſtath. *Il.* τ. ubi ait, ἦν τι ποτήριον, ἀγαθῦ Δαίμονος λεγόμενον, τὸ μετὰ ἄρσιν τραπεζῶν προσφερόμενον. Qui idem *in Od.* ρ. inquit, Τῷ μὲν ἀκράτῳ ἐν δείπνοις, ἀγαθὸς ἐπιφωνεῖται Δαίμων, ἐπὶ Διονύσῳ τῷ εὑρηκότι· τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον πρώτῳ κράματι, Σωτὴρ Ζεὺς ἐπιλέγεται, διὰ τὸν ὄμβριον Δία. Ultimum certè poculum Mercurii erat, quod libabant mox cubitum ituri. Homerus, *Od* η. *v.* 137.

Σπένδοντας δεπάεσσιν ἐΰσκόπῳ Ἀργειφόντῃ,
Ὧ πυμάτῳ σπένδεσκον.
Libantes poculis ſpeculatori Argicida, i. e. Mercurio,
Cui ultimo libabant.

Quia nempe is, ut Athenæus, Ὕπνε προςάτης, i. e. *Somni præſes*, credebatur: Sunt tamen qui Διὸς τελείε id fuiſſe, contendant. Vide præfatum Roſſæum *loc. cit.* Fuiſſe id circumlatum cum imagine mortis, ut diſceſſuri convivæ caducæ ſortis & humanæ fragilitatis admonerentur: eidem abſinthium immixtum, ne dulcedo nimium ſeduxiſſe videretur, aut tantùm voluptati, neglectâ naturalis neceſſitatis regulâ, convivæ crederentur indulſiſſe, tradit iterum Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. quod ſi non de omnibus priſcis, ſaltem de Ægyptiis, Scriptores referunt. Plura vide ſuprà in voce *Bibendi*, item *Convivandi ritus.* Addam ſaltem, *Potum è galea*, militarem, & velut contemtum deliciarum, paſſim nobis ingeri à Poëtis. Statius, *l.* 3. *v.* 663.

Hoſtilem Iſmenon galeis Dircenque bibemus.

Pedo *in Obitum Mæcenatis*,

Bacche coloratos poſtquam devicerit Indos,
Potâſti galeâ dulce juvante merum &c.

De more Romanorum *potationes liberaliores talorum inſititiis luſionibus diffindendi*, vide Caſaubon. *ad Auguſt. Suetonii*, *c.* 71.

POUGESIA, vide ſuprà *Pogeſia.*

POVISIA, Scriptor. Britann. *Powis*, & *Poweſland*, regio Cambriæ ſeu Walliæ, teſte *Lhuydô*; in qua Sabrina fluvius ex Plynlimone monte oritur.

POULAINIA & POULEANA, calceamenti cuſpis acuta, quæ in antiquis Principum imaginibus conſpicitur, ſic dicta, quòd inſtar unguis pulli in acumen deſineret, Dominic. Macer. *Hierolex.* de cujuſmodi roſtris calceorum fusè agit Car. du Freſne *ad Alexiadem*, *p.* 302. In neglectum tandem apud Magnates abiiſſe, docet Martinus de Boſco Galteri, in *Vita* Mariæ de Malliaco, *num.* 36. *In illis diebus nobiles & potentes illam ſotularium acutiam longiſſimam, quam* Poulainiam *vocabant* (Anna Comnena ποδῶν προάλματα) *penitùs contempſerunt.* Ab illis uſus iſtiuſmodi calceorum cùm tranſiiſſet ad Eccleſiaſticos, his eô interdictum eſt Conciliô Andegavenſi A. C. 1365. *can.* 13. *Prohibemus, ne Clerici in noſtra provincia utantur brevibus veſtibus, vel ſotularibus* de polena, *nec capucia botonata in publico deferant.* Imò uſum eorum planè ſublatum ab Carolo VI. Rege Franc. tradit Continuator Nangii ad annum præfatum extremum: *Sotulares habebant, in quibus roſtra longiſſima, in parte anteriore, ad modum unius cornu in longum: alii in obliquum, ut Griffones habent retro & naturaliter pro unguibus gerunt, ipſi communiter deportabant, quæ quidem roſtra* Pouleanas *Gallicè nominabant. Et quia res erat valde turpis, & quaſi contra procreationem naturalium membrorum circa pedes quin imo abuſus naturæ videbatur, ideo Dom. Rex Franciæ Carolus fecit per Præcones Pariſiis proclamari publicè, ne aliquis quincunque eſſet, qui auderet talia deportare: & etiam quòd neque artifices ſub magna pœna de cætero tales calceos, & ſed neque ocreas ſic punctatas facere præſumerent, nec vendere cuicunque: nam ſimili modô Dominus Papa Urbanus Quintus in Romana Curia inhibuerat valde ſtrictè.* Ubi quod de turpitudine calceorum hujuſmodi ait, confirmatur à Guil. Paradino, *Hiſtor. Lugdun. l.* 3. *c.* 5. ubi vulgus hominum roſtrum dimidium pedem, digniores ditioreſque pedem integrum, Principes verò ac Magnates viros duos pedes longum, in calceis, geſſiſſe: & abolitô horum uſu, alios ſucceſſiſſe, *Bees de cane* Gallic. dictos, roſtrum quatuor aut quinque digitorum præferentes; tandem crepidas in uſum veniſſe adeò largas, in apice, ut integri pedis menſuram excederent, memorat, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui *Poulanne*, ſpeciem fuiſſe pellis, ibidem obſervat, ex veter. *Regeſto* feudorum Comitis Claromontenſis &c. Vide quoque infrà *Repandi calcei* it. voce *Roſtra.*

POUVATANIA, vulgò POWHATAN, regio Americæ ſeptentrionalis, in Virginia versùs Boream, ubi aliquot coloniæ Anglorum & Hibernorum à paucis ann. versùs partem Occidentalem ſinus Cheſapeaci.

POUVATANUS, vulgò POWHATAN, fluv. Americæ ſeptentrionalis, in Virginia, quam bifariàm ferè ſecat, & deinde in Oceanum ſe exonerat, prope Cheſapeacum ſinum. Et adjacet Jacobipolis, Anglorum colonia; eſtque navigabilis per 20. mill. paſſ.

POUVISIA, vulgò POWIS incolis, *Powiſland* Anglis regio fuit Angliæ, in Wallia, & antiquitùs Reges habuit proprios, tempore Roderici Magni A. C. 870. Sub ea erat regio *Powis*, terraque omnis Vagæ Sabrinæque fluminibus interjecta. Ab Auſtro & Occaſu hyemali, Walliâ auſtrali, fluminibuſque Vagâ & Tiviô, ac aliis terminis incluſa fuit, ab Arcto Guinetiâ ſeu Venedotiâ, & ab ortu Angliæ confiniis à Ceſtria uſque ad Vagam paulò ſupra Herefordiam terminabatur; & poſteà in Pouviſiam Vadociam, *Vadoc*, Pouviſiam inter Vagam & Sabrinam fluvios, & Pouviſiam Venvidiam, *Wenwinwyn*, diviſa fuit; ejuſque primaria urbs erat *Mathrawal*, à qua etiam dicta fuit aliquando ipſa regio, teſte *Joanne Speedô*; ibique ſunt nunc Comitatus Radnoria, Herefordia, Montgomerienſis, & pars occidentalis Salopienſis, teſte *Hunfredô Lhuydô.*

PP. eam Byzantinorum monetam deſignat, quam Græci Ὑπέρπυρον, Latini *Perperum* vocârunt. Aurea autem ea fuit ſicque appellata eſt, quòd ex auro eximiè rutilo & recocto eſſet confecta, quod pluribus docet Carol. du Freſne *Diſſertat. de Impp. Conſtantinopolit. nummis.* Meminit monetæ Guil. Tyrius, *l.* 18. *c.* 22. *Viginti duo millia hyperperorum & tria millia marcarum argenti examinatiſſimi ——— dicebatur eſſe largitus.* Unde meritò Robertum Cænalem, *l. de Ponderibus & Menſuris*, Hyperpereum nummum eſſe, qualis apud Gallos eſt Groſſus Mediolanenſis, ſcribentem, reprehendit modò laudatus Auctor. Vide ejuſdem *Hiſtoriam Byzantinam*, ut & ſuprà in voce *Hyperperi.* Eædem literæ in notis Antiqq. ſignificant, *Pater Patriæ*, it. *Pater Patratus.*

PQ. in notis Antiqq. *poſtquam* &c.

PR. in nummis Conſtantii Chlori, Conſtantini M. Licinii & Conſtantii, *percuſſa Roma*, notat. Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus.*

P.R. in notis Antiquorum, *Populus Romanus.* PR. *Prætor.* PR. PR. *Præfectus Prætorio.* PRÆ. PRÆS. *Præfectus præſidii.* PRÆ. URB. *Præfectus Urbis.* PRÆF. VIGIL. *Præfectus Vigilum.* PR. PER. *Prætor peregrinus.* PR. S. *Prætoris ſententia.* PRID. K. vel KAL. *pridie Kalendas.* PRIN. IUVENT. *Princeps Juventutis.* PROCOS. *Proconſul.* PRON. *Pronepos*, vel *proneptis.* PRS. *Præſes.* PRSS. *Præſides* vel *Prætores* &c. notat. Franc. Gouldmannus ubi ſuprà.

PRAASPA, & PRASPA, *Steph. Dion. Phraata Appiano Alexandrino*, urbs erat Mediæ quondam regia, Praaſpa *Stephano* in Atropatia, qui etiam Phraaſpan habet.

PRACES, vel PRACIÆ, populi ſic dicti à *Prace*, qui relictâ Epirô Latoniam inhabitavit, *Stephan.*

PRACNUS, urbs Illyriæ, *Idem.*

PRACTICI, Medicorum genus, vide *Medici.*

PRACTIUM, Homer. *Il.* β. *v.* 835. *Strab.* oppid. fuit Myſiæ, in Aſia, ad Helleſpontum, cum fluvio cognomine inter Abydum & Lampſacum urbes fluente, teſte *Strabone.* Unum ex iis quæ Trojanis auxilia miſerunt, ut apud *Homerum.* Vide Strab. *l.* 13. *Heſych.* πράκτιον, πόλις Τροίας.

PRADES, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ Cordubenſis Stirpis ramus eſt. Vide ſuprà *de Corduba.*

PRÆBENDA, prò *præbitione*, Græcè Παροχὴ in *Gloſſ.* ſicut *offerenda* pro *oblatione*, & *inferenda*, pro *illatione*, in *Capitulis* Caroli M. Salmaſio, *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 37. vox medii ævi eſt; orta ex plurali neutro *Præbenda*, quâ Latini uſi ſunt pro annonis militaribus, Plautus in *Perſa*, *Actu*, 1. *ſc.* 3. *v.* 80. Liv. *l.* 2. *bell. Pun.* A. Gellius, *l.* 15. *c.* 4. & Ulpianus, *in l.* 19. *D. de Teſtibus.* Quâ eâdem notione *Præbendas* dixit poſteà Senator, *l.* 5. *Ep.* 42. Hinc *Præbendæ* dictæ cibi & potus portiones diurnæ, quæ Monachis, Canonicis aliiſve quibusvis dantur ac *præbentur*, in *Addit.* 3. ad *Capitul. c.* 112. apud Hugonem Abbatem Cluniac. in *Epiſt.* ad Alfonſum Regem Hiſpaniæ, Alioſque, quos citatos vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Poſteà nomen *Præbendæ* manſit Canonicorum & aliorum Clericorum beneficiis, ut vocant. Dimiſſâ enim domicilii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

domicilii menſæque communione, reditus; commoda atque proventus, ut & ipſa prædia Eccleſiaſtica, diviſerunt in portiones, quas *Præbendas* appellârunt, ſubſtitutis, ingenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentô, mercede conductis honorariis Pſaltis, qui quotidianum pſalmodiæ laborem, in Choro, ipſorum vice perferrent. Lindwodus, *Præbenda differt à Canonia; nam Canonia eſt jus ſpirituale, quod aliquis aſſequitur in Eccleſia per receptionem in fratrem & aſſignationem ſtalli in choro & loci in capitulo.* Præbenda *verò, eſt jus recipiendi certos proventus pro meritis in Eccleſia, competens percipienti ex divino officio, cui inſiſtit & naſcitur ex Canonia, tanquam filia à matre.* Leonius Poëta Gallicus, qui floruit circa A. C. 1154. *Epiſt. ad Adrianum Pontif.*

Non peto Præbendas, *nec honores Eccleſiarum* &c.

Has ſequenti tempore Epiſcopi, ut Clericorum in ſuis Eccleſiis numerum augerent, in duas interdum diviſerunt, quæ inde *Semipræbendæ* dictæ ſunt (quòd beneficia eſſent dimidium ſolùm fructuum percipientia) quæ quidem *Præbendarum* ſectio inhibita fuit in Gallia, in Concilio Turonenſi A. C. 1163. *c.* 1. & apud Neubrigenſem *l.* 2. *c.* 15. quod refertur in *cap. Majoribus* 8. *de Præbend. & dignit ext.* Majores tamen ex illis dividi poſſe, ſi Eccleſiæ Romanæ id poſtulaverit utilitas, ſanxit Innocentius III. Pontifex *cap. Vocante eôd. tit.* Circa reſignationem venditionemque earum, Vide *Tom.* 2. *Spicilegii* Acheriani *p.* 601. 602. & Mich. Scotum, *Menſa Philoſ. l.* 4. *c.* 28. Præter *Præbendam* autem, *Corpus Præbendæ* etiam occurrit apud Auctores, quod quid ſit, docet *Charta* Bartholomæi Epiſcopi Pariſienſis A. C. 1226. *Videlicet, quòd Canonicus nihil percipiat, de corpore Præbendæ ſuæ, niſi Presbyteri reſidentiam perfecerit: & ſi ſemel perfecerit, oportet iterum perficere, antequam iteratò percipiat præbendæ ſuæ fructum* Corpus *autem* Præbendæ *eſt quod percipitur præter diſtributiones quotidianas, quæ illis ſolis dantur, qui perſonaliter & præſentialiter interſunt.* De *Præbendis puerilibus*, quæ Puerorum chori ſunt, & occurrunt in *Monument.* Paderborn. *p.* 135. Vide infrà, in voce *Puer.* Hinc *Præbendarius*, qui *præbendam* ſuſcipit. Ebrardus in *Græciſmo*, *c.* 9.

Præbitor eſt, qui dat præbendas: ſuſcipiens has
Præbendarius *eſt, ſicut Legiſta docet nos.*

Ratbertus *de Caſibus S. Galli, c.* 16. *Univerſæ familiæ præbendariis, id eſt, centum ſeptuaginta viris, cùm nunquam ante ſe, niſi avenâ paſcerentur, pura de ſpelta dederat grana.* Neque alii ſunt, quos Galli olim *Prouvoires* vocabant, quàm *Præbendarii* Presbyteri, Unde etiamnum Lutetiæ Pariſiorum platea, S. Euſtachii ædi proxima nomen *de ruë des Prouvoires*, ſeu, ut hodie efferunt, *des prouveres*, retineat, quòd in ea iſtius Parochiæ præbendarii Presbyteri commanerent, quæ *ruë des Preſtres* dicitur, in Parochia S. Severini &c. Etiam *Præbendaria*, educanda in Monaſterio Monialium, ſeu convictrix. Engelhard. *c.* 17. *Filia cujuſdam carnalis erat dæmonium habens, cui locum Pater impetraverat Monaſterio* præbendariæ, *non ſororis; ſed à ſororibus ſequeſtratum & hoc prece, non pretiô, factum*, apud Dominic. Macrum *Hierolex.* Plura in hanc rem vide apud C. du Freſne *Gloſſar.*

PRÆCANTATIO, apud Solinum. *c.* 27. ubi de heliotropio gemma, *Etiam illud poſſe dicitur, ut herbâ ejusdem quod eſt nominis mixtâ &* præcantationibus *legitimis conſecratâ, eum, à quocunque geſtabitur, ſubtrahat viſibus obviorum*: apud Plinium, *l.* 37. *c.* 2. eadem de re, *Præcantio*, Græcè ἐπῳδὴ eſt; unde *præcantationibus conſecrata* eſt ταῖς ἐπαοιδαῖς τετελεσμένη. Nunquam enim ſine carminibus & *præcantionibus* hæ conſecrationes fiebant. Unde *Spartian. factis carminibus & conſecratione.* Vide ſuprà in his vocibus, alibique paſſim.

PRÆCELLENTISSIMUS, titulus vulgò tribui ſolitus Regibus Franciæ, à Gregorio M. *Pontifice*, locis indicatis Car. du Freſne *Diſſertat.* 23. *ad Joinvillam*, in Conventu apud Andelaum A. C. 587. à Fortunato in *Vita* S. Germani Pariſ. Baudovinia in *Vita* S. Radegundis *c.* 6. 18. in *Capitulari* Saxonum. A. C. 797. *in Capitul.* 6. A. C. 819. *c.* 8. in *Formula* 9. 38. ex Baluſianis, Idem. Sic *Præcellentia*, eorundem titulus honorarius eſt, in *Ep.* 40. inter Francicas *Tom. I. Hiſtor, Franc.* alibique.

PRÆCENTOR, Iſidoro *Origin. l.* 7. *c.* 11. qui *vocem præmittit in cantu*; primus Cantorum in Eccleſia, qui Cantoribus præeſt: dignitas Eccleſiaſtica, in Communione Romana in Cathedralibus Eccleſiis, vulgò Gallis *Prechantre.* Honorius Auguſtodun. *l.* 1. *c.* 17. Præcentor, *qui cantantes voce & manu incitat, & ſervus, qui boves ſtimulô minans dulci voce bobus jubilat.* Idem, *c.* 74. Præcentores, *qui chorum utrinque regunt, ſunt duces, qui agmina ad pugnam inſtruunt*, Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Idem *Archicantor* dicitur, Bedæ, *l.* 4. *c.* 18. & *Archiparaphoniſta in Ord. Rom.* quaſi *primus acclamator*, quia ad ipſum pertinebat Miſſæ introitum intonare, quod incipiebat per ſignum egreſſionis Papæ è Sacrario; Is enim ad januam attendens, cùm Pontifex egrederetur, ſtatim reliquis Miniſtris altâ voce, *Accedite* dicebat; quæ praxis in Andegavenſi Galliæ Eccleſia adhuc durat, ubi *Præcentor* ante introitum, eôdem verbô ingreſſum Choro denuntiat, & in aliquibus feſtivitatibus proceſſionaliter aquam pro ſacrificio ex ſacriſtia defert in vaſculo abſcondito, ſub velo ab humeris pendente, præcedente Subdiaconô, ſicut præfatus *Ordo* præſcribit. Dominic. Macer in voce *Archiparaphoniſta.* Apud Hincmarum Remenſem *Epiſt.* ad Carolum M. de Vi ta S. Dionyſii, apud Mabillonium, *Præcentor Palatii* Regii, i.e. Cantor ſeu *Armarius* obit, quod Præcentor in Eccleſiis Cathedralibus: de quo officio multa habet Udalricus *Conſuet. Cluniac. l.* 3. *c.* 10. & *Monaſtic.* Angl. *Tom. I. p.* 299. Quem vero locum *Præcentor* tenuerit, diſcimus ex *Charta* Evrardi Ambianenſis Epiſc. A. C. 1218. quâ *Præcentoriam* (ita dignitatem *Præcentoris* vocabant, Arnulph. Lexovienſis *Ep.*) erigit in ſua Eccleſia: *Præcentor proximum ſtallum poſt Decanum, Cantor proximum ſtallum poſt Præcentorem, habebunt.* Præcentor *in ſuperiori ſtallo Canonicos inſtallabit, Cantor in inferiori. Uterque dabit regimen duarum ſcholarum cantus. Juriſdictio puerorum communis erit utrique* —— Præcentor *audiet à Pueris id quod debent cantare* —— Præcentor *& Cantor ſimul regent chorum in Nativitate Domini, in Epiphania, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pentecoſte* &c. Item, *Præcentor Chorum reget in Synodo: prima dies eſt* Præcentoris, *ſecunda Cantoris.* Præcentor *officium anni prænuntiabit & in iis omnibus ſi alter abſens fuerit, ille qui præſens erit, ſupplebit defectum.* Vide præterea *Statuta* Eccleſiæ Leichfeldenſis in *Monaſtico* Anglic. *Tom.* 3. *p.* 241. & plura hanc in rem apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Origo dignitatis inde: Poſtquam Eccleſiaſticum cantum, introductis jam Antiphonis ac Reſponſoriis multiplicatum, ordinavit Gregorius M; inſtitutô certô tempore, horiſque, quas vocant, Canonicis, populus paulatim à Muſica, ut quæ jam operoſior facta erat, ac Latinâ linguâ conſtabat, excluſus; ſicque conſtituti certi homines ſunt, quibus Cantorum officium imponeretur, Franc. Burmannus, *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 2. *l.* 17. §. 11. At *Præcentor Tabularum*, officium eſt, qui *tabulis officialibus* præerat, apud Ingulfum. Dicuntur autem *Tabulæ Officiales* Leoni Oſtienſi, *l.* 3. *c.* 22. tabulæ in Monaſteriis, continentes ſeriem Miniſtrorum & Officialium, qui per hebdomadem publicis functionibus deputantur, quæ in Capitulo ſeu Exedra ad communem omnium notitiam, exponuntur. Harum cura *Præcentori* huic, ſeu, ut idem vocat, *Tabulario* incumbit. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide & infrà, in voce *Tabula.*

PRÆCEPTORES, ſicut & Medici, in Servorum honoratiorum numero Romanis fuêre: de quibus utriſque Paul. Oroſius, *l.* 7. *c.* 2. *Adeo dira*, inquit, *Romanos fames conſecuta eſt, ut Cæſar Laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias exceptis Medicis &* Præceptoribus *trudi Urbe præceperit*, apud Laur. Pignorium *de Servis.* Eorundem uſum cùm apprimè neceſſarium agnoſceret C. Caſſius, factum eſt, ut crederet, *hæredi quandoque remittendum eſſe proprii ſervi manumittendi neceſſitatem*, *l.* 25. *ff. de Fideicomm. libert.* quod tamen receptum non eſt. Docuêre autem & pueros & puellas. Hieronym. *Magiſtrum pueri tui, de quo dignatus es ſcribere, quem plagiatorem ejus eſſe non dubium eſt, ſæpe Euagrius Presbyter, dum Antiochiæ adhuc eſſem, me præſente corripuit; Cui ille reſpondit, ego nihil timeo, dicit ſe à Domino ſuo fuiſſe dimiſſum.* De puellis inprimis inſigne extat teſtimonium Juliani JC. *l.* 4. *ff. ubi Pupillus educari deb. Is à cognatis & propinquis puellæ perductus ad Magiſtratum, juſſus eſt alimenta pupillæ & mercedes, ut liberalibus artibus inſtitueretur,* Præceptoribus *dare.* Martialis *l.* 9. *Epigr.* 70.

Quid tibi nobiſcum eſt, ludi ſcelerate Magiſter?
Inviſum pueris, virginibuſque caput.

Vide quoque Sueton. *de Ill. Gramm.* Neque verò ſervis ipſis defuit Magiſter ſive *Præceptor* familiaris: de quo antiquus cippus Tibure, *D. M. Tib. Claudio. Aug. Lib. Hermeti. M. Pueror. dom. Auguſt.* apud Pignor. *lib. cit.* Sed & ipſi Philoſophi, à *præcipiendo*, ſive docendo, *Præceptores* olim dicti. Quintilian. *l.* 3. *c.* 1. *Pomeridianis ſcholis Ariſtoteles præcipere artem Oratoriam cœpit.* Quod ortum ſine dubio à more eorum priſco, quô ſic docebant, ut ſimul præciperent: quemadmodum ex illo celebri αὐτὸς ἔφα, & *dixit, juſſit*, apparet. In quo ſignificatu *Præceptoris* appellationem uſurpavit A. Gellius, *l.* 1. *c.* 13. cùm ait: *Si tali* Præceptori *ratio reddenda ſit, nihil faciendum eſſe monuerunt aliter, quàm præceptum eſt.* Vide Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſ. l.* 7. *c.* 1. Officium *Præceptoris* graphicè deſcribit Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 229.

—— *Vos ſævas imponite leges,*
Ut Præceptori *verborum regula conſtet,*
Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitoſque ſuos: ut fortè rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Aceſtes vixerit annos.
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas:
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut ſi quis cerâ vultum facit. ——

Vide quoque ſuprà in vocibus *Magiſter*, *Pædagogus*, &c. Porrò *Præceptor*, apud Guil. Tyrium, *l.* 20. *c.* 31. de Aſſaſſinis: *Magiſtrum ſolum ſibi præficere & eligere* Præceptorem —— *quem ſenem vocant*: Dominum notat, Principem ſeu ſupremum Magiſtratum. Eundem vocat Vincentius Beluac. *l.* 31. *c.* 93. *Aſſaſſinorum Præceptorem Vetulum de Montanis.* Vide quoque Jacobum de Vitriaco, *l.* 3. Apud Hieroſolymitanos & Templarios Milites, *Præceptores* olim dicti ſunt, domorum, quas in provinciis poſſidebant, Procuratores, quos hodie *Commendatores* vulgò dicunt, Idem *in Hiſtor. Hieroſolym. c.* 65. Hinc *Præceptoria*, prædia iis aſſignata, Gall. *Commanderies.* Vide *Monaſtic.* Anglic. *Tom.* 2. *p.* 564. & *ſeqq.* Apud Walafridum Strabonem *de Rebus Eccl. c.* 31. *Præceptores Palatii* occurrunt, qui iidem cum Comitibus Palatii. Ita enim is: *Quemadmodum ſunt in palatiis* Præceptores *vel Comites Palatii, qui ſecularium cauſas ventilant* &c. Extatque ejuſdem Auctoris carmen, *ad Thomam Præceptorem Palatii*, *Tom.* 6. *antiqq. Lection.* Caniſii, *p.* 630. Unde & apud Hincmarum Remenſem, *l. c.* pro *Præcentor Palatii*, MSS. quidam Codices *Præceptor* præferunt, Car. du Freſne ubi ſuprà.

PRÆCEPTORIÆ Literæ in Jure Canonico dicuntur eæ, quibus præcipitur à Pontifice, ut vacans alicui conferatur beneficium. Earum formulam recitat Franc. Florens in *Decret.* Greg. IX. *p.* 73. 74. laudatus eidem.

PRÆCEPTUM, ſive PRÆCEPTIO, pro ſcriptura vel inſtrumento, in Lomb. *l.* 2. *tit.* 12. *Si Guaſtaldus aliquid per donationem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

acquiſierit, ſit illi ſtabile, ſi per præceptionem *indulgentia Regis hoc illi fuerit confirmatum.* Aymo *l. 5. tit. 36. Richildis Compendium ad Ludovicum veniens, attulit ei* Præceptum, *per quod pater ſuus illi Regnum ante mortem ſuam tradiderit,* Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Sic *Præceptum Imperiale, in l. 3. Cod. Theodoſ. de Inceſt. nupt. l. 2. de Operib. publ.* i.e. Diploma Imperiale. Vide quoque Auctores, quos magnô numero hanc in rem laudat Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud quem ejuſmodi *Præceptorum* formulam ſic deſcribit *Papias: Præcepta, mundiburdia Magnatum & Poteſtatum ſecularium ſunt tantummodo. Propriè autem Regum vel Principum* præcepta *ſignum certum non habent in exordio: ſed quod facere collibuerit, vel literam quamlibet circundatam ſerpentibus, vel quodlibet aliud. Solet autem prima linea* præceptorum *longis & æqualibus literis figurari. Interim --- hujuſmodi eſt: In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis HE. gratiâ Dei Imperator Auguſtus: Poſt hæc introducetur perſona Imperatoris loquentis, reddentiſque cauſam quâ inductus voluerit illud ſtatuere, dicens, Regiæ competere poteſtati* (alii *pietati) ut talium virorum quibus ipſe rogatus ſit, non debeat contemnere preces, vel aliam quam voluerit cauſam. Poſt hæc, quòd loco vel homini illi ſuâ auctoritate concedat. In fine erit locandum, Ut quicunque contra illius præcepti decretionem fecerit, mille auri optimi libras vel tale quid, quod inſtituere Imperator voluerit, perſolvat, medietatem Regi & medietatem loco vel homini. Poſt hæc adjiciendum eſt, quòd Imperator propriâ manu ſubſcripſerit. & propriô ſigillô ſignari juſſerit. In fine Monagramma eſt ponendum, in quo nomen Imperatoris & Imperatoris Auguſti & Dei gratiâ connexum habeatur, vel alia, quæ Imperatorem deceant: Signum Domini Ottonis Sereniſſimi Imperatoris. Poſt hæc ſic: Henr. Cancellar. Ureg Vercellenſis Epiſcop. recognovi. Factum annô Dominicæ Incarnationis M. Indictione VI. annô verò ejus Imperatoris regni XII. Actum Romæ feliciter.* Vide & ſuprà Indiculus.

PRÆCESSOR & PRÆDECESSOR, qualiter differant, Vide *Gl. c. 1. de renunt. in 6.*

PRÆCIA, Romana mulier, venuſtate formæ nulli ſecunda, quæ ſuâ pulchritudine Cethegum ſibi adeò devinxit, ut nihil ab eo probaretur, niſi quod illa juſſiſſet. Plut. *in Lucullo.*

PRÆCIÆ, ſive PRÆCLAMITATORES, dicebantur, qui à Flaminibus ſolebant *præmitti*, ut Opificibus denuntiarent, manus abſtinendas eſſe ab opere, ne, ſi vidiſſet Sacerdos facientem opus, ſacra polluerentur. Hos à Flaminum Lictoribus, diſtinguit Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 3. c. 31.* Vide quoque aliquid hanc in rem ſuprà in voce *Pontifex. Præclamitatores,* apud *Feſtum:* ubi tamen Scaliger legi vult, *Præciæ,* metatores &c.

PRÆCIDANEA Porca, quæ Cereri ante meſſem mactari ſolebat dici conſuevit. Sext. Pomp. *Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur. Item porca quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet, i. e. glebam non in os jeciſſet: quod mos erat iis facere, priuſquam novas fruges præciderent.* Formulam ſacrificii hujus iſtam exhibet Cato, *de Re Ruſt. c. 134. Priuſquam meſſem facias, porcam præcidaneam, porcam fœminam, priuſquam hæ fruges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vinô, Jano, Jovi, Junoni præfato. Priuſquam porcam fœminam immolabis, Jano ſtruem commoveto ſic: Jane Pater, te hâc ſtrue commovenda bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo familiæque meæ mactus hoc ferctô. Ferctum Jovi moveto & mactato, ſic: Jupiter te hoc ferctô obmovendo bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi liberiſque meis, domo familiæque meæ mactus hôc ferctô. Poſteà Jano vinum dato ſic: Jane Pater, uti te ſtrue commovendâ bonas preces bene precatus ſum, ejuſdem rei ergo macte vinô inferio, eſto. Poſtea Jovi ſic: Jupiter, macte ferctô eſto. macte vinô inferio, eſto. Poſtea porcam Præcidaneam immolato: ubi exta porrecta erunt, ita Jano ſtruem commoveto mactatoque item uti priùs obmoveras. Jovi item ferctum obmoveto, mactatoque, uti priùs feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti priùs datum fuit ob ſtruem obmovendam & ferctum libandum, poſtea Cereri exta, & vinum dato.* Ubi *mactus* perpetuò legendum eſſe, diſcimus ex Arnob. *contra Gentes, l. 7.* & verbum *inferio* uſurpari fuiſſe ſolitum, monet Trebatius, *ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promtum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus excipiatur humanis.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim, l. præſertim 4. c. 17.* Imitabatur autem *Præcidanea* hæc hoſtia, ut rectè *Scaliger* Græcorum προτέλεια: *Præcidariam* quidem appellari vult Mar. Victorinus, *l. Art. Gramm.* ſed utrumque rectè dici, monet Anton. Thyſius, *Not. in Gellium, l. 4. c. 6. Præcidaneæ hoſtiæ dicuntur, quæ ante ſacrificia ſolennia pridie læduntur.* Idem Gellius *ſub fin. c.* feriarum quoque *Præcidanearum* meminit, quæ reſpondentes Græcorum ἡμέραι προτελείων, ut iterum docet Scaliger *ad Feſtum*, à *præcedendo* nomen accepiſſe videntur &c. Quod ſi *Præcidaneis* hoſtiis litatum non eſſet, aliæ poſt eaſdem ductæ cædebantur, quæ quòd prioribus jam cæſis, luendi piaculi gratiâ ſubderentur & in earum locum ſuccederent, *Succidaneæ* ſunt appellatæ. Quo alludens Plautus, *in Epidic. Actu 2. ſc. 2. v. 37.* lepidè, *Meum,* ait, *tergum ſtultitiâ tuâ ſubdes ſuccidaneum.* Vide etiam Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l. 2. ſect. 2. c. 19.* & ſuprà *Feriæ.*

PRÆCINCTORIUM, veſtis in Communione Romana Sacerdotalis, quæ aliàs *Cingulum* ſeu *Subcinctorium*, uti Cardininalis Bona ſentit, quâ voce Honorius utitur, *l. 1. c. 206.* Addit, ſolùm Romanum Pontificem eô uti, cùm ſolenniter celebrat, eſſeque inſtar parvi cujuſdam manipuli, è ſiniſtro latere pendens: illudque videri, quod Græci ἐπιγονάτιον vocant, formæ quadrangularis palmi & dimidii ex utroque latere, quod è zona appenſum geſtatur & ſolis Epiſcopis ratione dignitatis permittitur. In vetere Miſſa ab Illyrico edita, oratio habetur *ad Præcinctorium*, cùm illud ſcil. induit Epiſcopus, ſacra facturus: *Præcinge me Domine virtute & pone immaculatam viam meam,* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* At *Præcinctura*, exactio, teloneum, vectigal eſt *Eidem* ex *Charta* Otheboldi Abbatis Gandenſis & Ducheſnio in *Hiſt. Limburg.* Apud veteres Scriptores *Præcincti* & *Cincti*, milites dicti reperiuntur. *Petronius.*

Qui pelago credit, magnô ſe fœnore tollit.
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur aurô:

Propter pecuniam, quam in zona geſtabant milites. Hinc apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Caſſio*, milites modò *cinctos*, modò *præcinctos*, vocari videmus, Salmaſius *ad eum, c. 1.*

PRÆCIPITARIA, ſeu PRÆCIPITATORIA, machina poliorcetica, muros præcipitans, arieti Veteri analoga, apud Matth. Pariſ. A. C. 1242.

PRÆCIPITIUM, in Concilio Bracarenſi. A. C. 539. *c. 16.* ipſa *præcipitatio:* præſertim cùm pœnam illam notat, quâ reus ſententiâ Judicis de excelſo aliquo loco præcipitatur, olim recepta, ut obſervatur à Petro Fabro, *Semeſtr. l. 1. c. 18.* qui falſum eſſe ait, quod tradit Auguſtinus, *tract. 11. in 3. c. Euangel. Johannis*, hocce ſupplicii genus Veterib. inauditum eſſe: *Quandò poteſtates Romanæ talia ſupplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines?* Infrà, *Poteſtates Romanæ nunquam talibus ſuppliciis uſæ ſunt.* Certè apud Hebræos, in lapidationis ſupplicio, *præceps* primò reus de tumulo eminente dabatur: & notâ apud veteres Romanos Rupes, ſeu Saxum Tarpejum, è quo non paucos *præcipitatos* reperias. Imò & in illa parte carceris, quæ communiter *Robur*, Plauto *in Pœnulo, Actu 5. ſc. 3. v. 53. Robuſtus Codex*, item *Ibid. Act. 5. ſc. 6. v. 8. Cuſtodia lignea*, Horatio *l. 2. Carm. Od. 13. v. 17. Italum Robur*, dicta, reus de ſtipite quodam humi defixo præcipitatus, cervicem frangebat. Quò Tullius alludens, *Quare*, inquit, *fregeris ne in carcere cervices illi ipſi Vectio.* Alex. Roſſæus, *Antholog. Hiſtor. Rom.* &c. Poſterioribus dein ſeculis idem ſupplicii genus continuatum eſſe, diſcimus ex Orderico Vitali *l. 12. p. 885.* Wilhelmo Malmesburienſi *l. 5. p. 155.* Auctore *Geſtorum* Ludovici VII. *c. 3.* Gaufr. Villharduino *num. 163.* Joh. Cinnamo, *l. 6. num. 2. p. 129.* Pachymere, *l. 9, c. 29.* Aliis. Quò etiam ſpectat *Charta* Henrici Ducis Brabantiæ, pro Communia Bruxellenſi A.C. 1229. *Qui falsè menſuravit, præcipitabitur.* Neque verò ſolùm *præcipitatos* ab aliis legimus, ſed etiàm à ſeipſis in præceps actos non paucos, inprimis qui lectô Platonis Phædone, opimam de felici Animæ poſt hanc vitam ſpem conceperant, apud priſcos legimus: id quod *in præcipitia jactari*, dixit Julius Firmicus, *l. 3. c. 5.* &c. Atque hôc modô infelicem vitam Judam proditorem clauſiſſe, ex Pricæo, docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* voce Ἀπάγχομαι, ubi de ſupplicii hoc genere apud veteres Hebræos, Græcos & Romanos non infrequenti, varia.

PRÆCISI Phanatici, quorum mentio apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo, c. 7. Jactavit autem caput inter* præciſos *phanaticos:* Galli ſunt Cybeles Sacerdotes, ἐκτομίαι, quos ſeipſos caſtrâſſe & *præcidiſſe* genitalia, notum. Iidem *phanatici* dicuntur Ulpiano, *l. prim. de Ædilit. Edicto, ſi ſervus inter fanaticos non ſemper caput jactaret, & aliqua profatus eſſet.* Erant enim capillati. *Vetus Lapis*, CAPILLATUS A' MATRE MAGNA. Hos *præciſos* ſeu quod idem ſonat, *Gallos* (hæc enim vox Aſiatica τὸν ἀπόκοπον notat, neque à Galliæ populis, ut quidam volunt, manavit) imitatus Heliogabalus, ſimiliter ſeipſum *præciſum* reddidit. Ita enim pergit Auctor præfatus; *& genitalia ſibi devinxit & omnia fecit, quæ Galli facere ſolent:* ubi pro *devinxit* legi vult Salmaſius *defixit*, i. e. refixit & avulſit. Demetebant enim ſibi & abſcindebant res illas Galli, quod ſimiliter Heliogabalum feciſſe, innuit heic Auctor, & diſertè ſcribit *Aurelius Victor, in Epit. c. 23. Abſciſſis genitalibus Matri ſe magnæ ſacravit.* Vide ſuprà in voce *Cybele*, item *Galli*, Sacerdotes.

PRÆCLAMITATORES, Vide ſuprà *Præciæ.*

PRÆCLAVIUM, dixêre Veteres *prætextum* ſeu *prætextam*, extremitatem nempe veſtis in ſe replicatam & corrotundatam contortamque, ſupra quam limbi vel faſciæ purpureæ vel clavi adſuebantur, quibus prætexebatur veſtis. Afranius *Homine: Tertiam diem præclavium unum texere.* Idem *Fratriis, mea nutrix ſurge, ſi vis, profer purpuram,* præclavium *contextus.* Græci παράσημον dixêre, quod Latini vertunt verbô *Præclavium*; nam *clavus* eſt σημεῖον: Ut autem παρυφὴν, *prætextum* verterunt, ſic *præclavium* παράσημον. *Heſychius*, Τάμεια τὰ ἐν ταῖς τῶν ἱματίων παράσημα Λάκωνες; *Tάμεια Lacones dicebant, quæ cæteris σημεῖα,* h. e. *præclavia* ſeu *prætexta*, quæ ad oras veſtium adſui ſolebant. Hinc etiam Græci παράσημα ἀρχῆς & παράσημα βασιλικὰ vocant, quæ liceat appellare: *præclavia* ſeu *prætexta* Imperii & præclavia ſeu prætexta regia. Incertum ergo eſt, quid ſibi voluerit *Nonius*, qui *præclavium* fuiſſe dixit partem veſtis, quæ ante clavum texebatur: Nimirum ſequutus eſt ſimpliciter verbi compoſitionem quaſi manu ducentem ad illam notionem. Meliùs *Gloſſarum* Auctor: παρυφὴ, *prætexta. Fe-præclavæ, hoc præclavium.* Nam & *prætexere clavis* dicebant. Feſtus, *Recinium omne veſtimentum quadratum, ii qui duodecim interpretati ſunt, eſſe dixerunt, vel togam, quâ mulieres utebantur, prætextam clavô purpureô.* Unicâ voce poſſet aliquis dicere, *præclavatam* vel *præclavam veſtem*, ut *auroclavas* & *auroclavatas* dixêre paſſim Recentiores τὰς χρυσοσήμους. Cùm igitur clavus nihil ſit aliud, quàm πορφύρα ὑφασμένη, *præclavus* vel *præclavium* meritò παρυφὴ appellatur. *Circumtextum* idem ſignificabat. Varro interpretatur *purpuram circùm* &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. Aurelian. c. 46.* Vide etiam ſuprà in *Periclyſis.*

PRÆCO, multiplici in uſu Romæ fuit. In auctionibus enim ad haſtam ſtabant, unde Cicer. *Philipp. 2. Bona C. Pompeji, voci acerbiſſimæ ſubjecta Præconis:* & pretia oblata nuntiabant: In concionibus, audientiam faciebant: in Commitiis Magiſtratuum, tri-

bus

bus ad ſuffragia incunda ciebant, & eos, qui deſignati erant, renuntiabant: in legibus ferendis, ſubjiciente Scribâ, leges populo recitabant: in Judiciis & Quæſtionibus, Judices, reos, accuſatores, & teſtes citabant, ut ex Antiquorum ſcriptis patet. Liberos autem illos fuiſſe, exemplo Sext. eſt ille Nævius, de quo Cicero *pro Quintio. Legebantur à Conſulibus, ex civium Rom. numero, corumque multæ erant; decuriæ.* Ita Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. ult.* Sub Regibus, ſoli Patricii, per *Præconem*, qui quemque ſuô ac paternô nomine appellare ſolebat, convocabantur: Plebejos verò Miniſtri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contrahebant, teſte Dionyſ. Halicarnaſſeô, *l.* 2. Poſteà verò, quemvis civem nominatim citâſſe illos, docent hæc Val. Maximi *l.* 2. *c.* 9. *ex* 6. ubi ait: *Ut eſt ad Poliam ventum Tribum*, Præco *lectô nomine Salinatoris citandum nec ne ſibi eſſet, hæſitavit.* Comitatus verò *Præconem* is eſt, qui *Buccinator nominum* appellabatur, *l. ult. de jure immun.* de quo Romæ viâ Salariâ vetus Inſcr. *L. Voluſio. Urbano. Nomenclatori. Prætorio. Papias. ſervos. publicus. buccinator. nominum*: apud Laur. Pignorium, *Comm. de ſervis*, ubi fuiſſe *Præcones* familiares, perſuadere conatur, ex antiquis lapidib. Romæ, *C. Rulli Præconis Venulejæ. Ↄ. L. Truperæ* &c. Narbonæ, *Uſinio. Præconi. Antiopæ.* ut & exemplô Thaltybii & Eurybati Homericorum, *Iliad. α.* De illorum uſu ſic Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 98.

Ille tamen faciem prius inſpicit, & trepidat, ne
Suppoſitus venias, ac falsô nomine poſcas.
Agnitus accipies: jubet à Præcone *vocari*
Ipſos Trojugenas, nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum. —— ——

Et Horatius, ubi de Vultejo Mena, *Præcone*, *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 63.

—— *Vultejum manè Philippus*
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat. —— ——

Lucillius *Scrutarium* dixiſſet, apud A. Gell. *l.* 3. *c.* 14.

Quidni? & ſcruta quidem ut vendat, Scrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Dicacitatem iſtiuſmodi hominum, in illis mancipiis jumentiſve, quæ promtos non invenirent emptores, egregiè depingit Appulejus, *Metamorph. l.* 8. Vide quoque Joh. Frider. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 10. Ut plurimùm certè ſcurras fuiſſe, diſcas ex Martiali *l.* 4. *Epigr.* 5. Interim ars ad invidiam uſque fructuoſa fuit, unde idem ad Lupum, de filio ejus *l.* 5. *Epigr.* 48. *v.* 10.

Si duri puer ingenI videtur,
Præconem *facias vel Architectum.*

& *l.* 6. *Epigr.* 8. Senem quendam, præteritis 10. Poëtis, 7. Cauſidicis, 4. Tribunis, 2. Prætoribus, *Prætori* Eulogo filiam elocâſſe refert, vide etiam ſuprà *Curiones* At *Præco*, apud Recentiores, Prætor ſeu Judex Urbanus, *Major*, Gallis *Maire*, Germanis *Maier*; Vide *Speculum* Saxon. *l.* 3. *artic.* 61. §. 3. Cujuſmodi Judices ex liberis hominibus, quos *Proprietarios* vocabant, eligi conſueviſſe, habes *ibid. l.* 1. *art.* 2. §. 5. Hinc *Præconatus*, idem cum *Majoratu*, in *Tabula* S. Bertini *Ch.* 109. alibique, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Alii ab utriſque erant *Præcones*, in Ludis Græcorum ſacris, Κήρυκες & Δημοκήρυκες dicti, qui, quam quiſque victoriam retuliſſet, altâ voce enuntiabant, poſtquam juſſiſſent εὐφημεῖν ταῖς πανηγύρεσι *fauſta omnia toti celebritati precari*: hæ enim primæ eorum voces erant. Eligebantur ad hoc munus primæ & optimæ notæ homines, namque καν τις ἐγγένηται προδότης, inquit Ariſt. *de Rhet. Orat.* 1. τῦτον ὖ ςεφανῦν κελεύεις, ὔδὲ κηρύττειν. *Si quis fuerit proditor, hunc neque coronari jubes neque renuntiari.* Renuntiatio autem illa victorum meridianô fiebat tempore, ut conjicere licet ex Philoſtrato, *Vita Appollonii*, *l.* 6. ubi Athletas in porticu ait expectare μεσημβρινὸν κήρυγμα, *meridianum præconium*: nempe poſtquam omne matutinum tempus certaminibus conſumtum eſſet. Tunc itaque, qui victor fuiſſet, dicebatur *tradere Præconi, quod clamaret*, ut de Alcibiade *Euripides* cecinit, referente Plutarchô: ſicque demum publicô decretô coronam accipiebat, Demoſth. *Orat. de Cor.* Et quidem quos municipia coronabant, earum coronarum præconia fiebant in ipſis municipiis: at quos Populus Athenienſis juſſiſſet coronari, hi in Theatro Bacchi proclamabantur. Iterum, cùm Senatus coronavit, in Curia proclamatio fiebat; ſin civitas, in Pnyce. Qui verò à *Præcone* renuntiatus non eſſet, ἀκήρυκτος dicebatur, & inglorius abibat. Erant porrò *Præcones* hi aureâ coronâ redimiti: ſicut & illi, quos jura Legationis complectebantur, quòd Legato comites & miniſtri aderant, ac proin ſancti quoque erant & inviolabiles, ut & per quos hoſtibus induciæ mittebantur, de quibus dictum in voce *Heraldus.* Quô pactô à vulgaribus *Præconibus*, per urbem clamantibus, quos ἀςυβοώτας dicebant, diſtinguebantur. Erat ergo munus magnæ omnino dignitatis: unde Neronem, cùm hujuſmodi certamina decertaret, *Præconem* adhibuiſſe Claud. Ruſum virum Conſularem, legimus apud *Dionem.* Cauſa inſtituti muneris fuit; ne quis ſe ipſe victorem proclamaret, quod ἀμούσως καὶ παρανόμως, *inciviliter & contra legem*, Timotheus quidam Milehus fecit, apud Plut, περὶ τῦ ἑαυ. ἐπαιν. Poëtis tamen, qui in Muſicis certaminibus viciſſent, id licuiſſe, docet Ariſtides περὶ τῦ παραφθέγ. &c. Quam in rem vide plura, apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 6. *c.* 13. ut & ſuprà, voce *Euthymius* In eorum locum tubas poſtmodum ſucceſſiſſe dicemus infrà voce *Tuba.* Sed & *Præcones* inter Symbola Eleuſiniorum Sacrorum fuêre. Vide ubi de Sacris hiſce: uti *de Præconibus Hebreorum* aliquid ſuprà, ubi de *Occupatione*; de *Præconum* in funeribus, apud Græcos uſu, voce *Oſſa.* Hinc *Præconium*, Græcè ἀνακήρυξις ſeu ἀνάῤῥησις, apud Sueton. *Nerone*, *c.* 25. ubi & *Præconii* formulam exhibet, & *præconiô* quoque certatum fuiſſe, in Ludis Olympicis, docet Caſaubonus. Sed & *Præconium*, recentori ævô varium. Vide de ἀναῤῥήσει Imperatorum Cl. Suicerum, *Theſ. Eccl.* voce Βασιλεύς, de ordinandorum in Eccleſia, voce Ἀνάῤῥησις; de mortuorum, quorum nomina è Diptychis recitabantur, in Δίπτυχα: de Synodorum, cùm promulgabantur, in Ἀνακήρυξις &c. Hodie vero *Præconiſatio*, Gallicè *Preconiſation*, dicitur in Eccleſia Romana, relatio Cardinalis Protectoris, facta Pontifici & Cardinalibus, in pleno Conſiſtorio, de eo, quem Galliæ Rex nominaverit ad Beneficium aliquod vacans obtinendum, neceſſariis dotibus ad illud capeſſendum inſtructo. Vide Maſſacum, *tr. Gall. de Jure Eccleſ. c.* 4.

PRÆCONIUS, L. Ælius Stilo ob id cognominatus, quod præco purpura latiore tunicæ uſus fuerit, Plin. *l.* 33. *c.* 1. Ubi alii *Præconinus.*

PRÆCONIUS Valerius, Vide *Valerius.*

PRÆCONNESUS, Inſula in quam Nicephorus Patriarcha imaginum defenſor, à Leone Armenio Imperatore relegatus eſt. Lætus, Comp. *Hiſt. Univ.*

PRÆCOPIA, urbs Tauricæ Cherſoneſi, à veteribus Græcis *Eupatoria*, Pompejopolis, ſacer lucus. Dromon, vel Curſus Achillis ſeu Græcida; Heracleus vel Heraclea appellata, *Mercat. Metel.* Hinc

PRÆCOPENSE Regnum, aliàs quoque *Crimenſe*, Tartarorum, quod circa A. C. 1400. ortum ſuum cepit: tum enim expeditione Tamerlanis in Tartariam Deſthenſem ſeu Occidentalem factâ, everſôque Ticktamiſchô Tartariæ deſertæ Imperatore, Occidentalis Tartaria in duo Regna diviſa eſt, & Crimenſes ſeu *Præcopenſes* Tartari, Rege ſibi peculiari electô, Zavolhenſibus ampliùs ſubeſſe noluêre. Fuit autem is è Familia Kireorum; ex qua oriundus Azi Kirai, Scicachmeth Zar filium Tick-Tamiſchi ex Taurica ſeu Crimea expulit, ſeque contra eum, Regem Tartarorum appellavit: A quo tempore Crimenſes perpetuis excurſionibus Lithuaniam, Poloniam, Ruſſiamque infeſtârunt. Sed à Selimo Turcarum Imperatore tributarii facti A. C. 1584. hodieque Turcicum Imperium agnoſcunt. Vide præ aliis, Joh. Baptiſtam Tavernier, *Relat. du Serrail.* Cùm verò ſic *Præcopenſibus* Tartaris ſucceſſit rebellio contra Zavolhenſes, aliæ quoque Hordæ defecerunt & ſingulæ proprios ſibi Reges creaverunt, unde Regna, Caſanenſe, Aſtracanenſe & Najagenſe, originem accepêre, de quibus ſuprà. Vide Georg. Hornium, *Orb. Imper. p.* 435. *& ſeqq.* nec non voce *Precopia.*

PRÆDA, in publicis belli actibus Populi Romani fuit, cujus diſpenſandæ arbitrium aliquod Imperatoribus belli quidem concedebatur, ita tamen ut rationes reddere tenerentur, ne in Peculatus crimen inciderent. Sic Scipionem Africanum ſeniorem, à Pœtilio Tribuno Pleb. ut pecuniæ Antiochenæ prædæque eô bellô captæ rationem redderet, appellatum, *exſurrexiſſe, & prolatô è ſinu togæ librô. rationes in eo ſcriptas eſſe dixiſſe: mox, ut palam recitaretur & ad Ærarium deferretur, juſſum, diſcidiſſe coràm ſuis manibus & concerpſiſſe*, legimus apud A. Gellium, *l.* 4. *c.* 18. Et quidem Romani Diis ſuis, ut Apollini, Herculi, Jovi Feretrio, decimam de *Præda* ſacraverunt, quod & Græci fecêre Carthaginenſeſque: imitatione haud dubiè Hebræorum, apud quos jam Abrahamus de ſpoliis, quæ à quinque Regibus acceperat, decimam Deo dedit, Gen. *c.* 14. *v.* 20. Unde divinitùs jus *Prædæ*, inter naturales terminos, probatum eſſe, perſpicuum eſt. Hæc cùm jure Gentium capientis eſſet, lege civili publica facta eſt: non tantùm apud Romanos, ut dictum, ſed & apud Græcos, Spartianoſque inprimis, ubi publici officii nomen fuiſſe, Λαφυροπῶλαι, i. e. *Prædæ venditores*, indicat Plut. *in Lyſandro*: Trojanos item, Perſas, Afros, Francos veteres alioſque. Imo non ſolùm rationem ejus apud Romanos belli Duces reddebant, ſed & qui ſanctiſſimi eorum eſſe aut credi volebant, ne attingebant quidem eam, ſed ſive pecunia erat in *Præda*, eam jubebant à Quæſtore Populi Rom. percipi; ſive res aliæ eas per haſtam venundari: ubi redactam pecuniam *Manubiarum* nomine ſignificatam, Favorinus apud Gellium ſenſit. Vide ſuprà in hac voce. Hæc pecunia per Quæſtorem in Ærarium deferebatur, priùs tamen, ſi res triumphi eſſet, oſtentata publicè. Vide Liv. *l.* 4. de C. Valerio Conſule, *c.* 53. Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 40. de Pompejo, Ciceronem de ſeipſo *l.* 2. *Ep.* 7. *ad Salluſtium* &c. Atque id antiquis ac melioribus temporibus fuit maximè uſurpatum, quo Plautus reſpiciens ſic ait *in Bacchidib. Actu* 4. *ſc.* 9. *v. ult.*

Nunc hanc prædam omnem jam ad Quæſtorem deferam.

Et de hominibus captivis ſimiliter *in Captiv. Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 32.

Quos erui de præda, de Quæſtoribus.

Sed alii ſine Quæſtore *Prædam* ipſi vendebant & referebant in Ærarium, ut à Tarquinio Rege jam olim victis Sabinis, & à Romulio ac Veturio Conſulib. factitatum legimus, apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. & 3. unde toties occurrit, quantum Ducum quiſque ex triumphis Italicis, Africanis, Aſiaticis, Gallicis, Hiſpanicis in Ærarium per ſe, aut Quæſtorem retulerit. Præter Deos autem (quibus vel res ipſæ datæ, ut ſpolia, quæ Romulus Jovi Feretrio ſuſpendit; vel redacta inde pecunia, ut ex Pometinis manubiis Superbus templum Jovis in monte Tarpejo conſtruxit, apud eund. Vide quoque paulo *ſupra*) Militibus *prædam* dare priſcis Romanis ambitioſum videbatur: uti Sextus, Tarquinii Superbi fil. ſed Gabiis profugus, prædam militi dilargitus dicitur ut eô modô potentiam ſibi conciliaret, Appiuſque Claudius in Senatu ſimilem largitionem arguit, ut novam, prodigam, inconſultam, Liv. *l.* 5. Interim & hic ipſe ſtipendiorum ratione dividi illam militi volebat, ſi illud obtinere non poſſet, ut redacta inde pecunia in Ærarium deferretur, *loc. cit.* quem dividendi ordinem accuratè explicat Polybius, *l.* 10. Interdum verò non ipſa præda, ſed redacta inde pecunia ejus locô militibus donabatur, idque inprimis in Triumpho: ubi ſimplex Pediti, Centurioni du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

duplex, Equiti triplex; Interdum ſimplex Pediti, Equiti duplex; Aliàs ſimplex Pediti, duplex Centurioni, Tribuno & Equiti quadruplex dabatur: Vide Sueton. *Caſ. c.* 38. & Appianum, *Civil. l.* 2. Meritorum étiam ſæpe ratio habita: Sicut Marcius, quòd fortiter feciſſet, ex præda Coriolana donatus eſt à Poſthumio: Utrôvis modo fieret diviſio, licebat Imperatori ἐξαίρετον, h. e. præcipuum ſibi accipere, quantum vellet: i. e. quantum arbitraretur æquum: quod & aliis interdum virtutis ergò conceſſum eſſe, docet Eurip. *Troadibus:* Aſcanius item apud Virg. *l. 9. Æn. v.* 270.

—— *Ipſum illum clypeum criſtaſque rubentes*
Excipiam ſorti. ——

Sic Pauſaniæ, poſt in Platæis prælium, eximia data, mulieres, equos, camelos, narrat *Herodotus*: Eôdem modô Ocriſiam Corniculanam præcipuam accepit Tullius Rex ut alios præteream. Et hanc Imperatoris portionem ſunt qui potiùs ſignificatam volunt *Manubiarum* nomine, quos inter eſt *Aſconius Pedianus.* Laudatiores tamen, qui jus ſuum remittentes nihil de præda ceperunt, qualis Valerius Publicola, Fabricius, M. Porcius Cato in Hiſpanienſi victoria, apud Livium *l.* 4. & Plut. *in Catone:* ad quam laudem proximè acceſſerunt, qui *prædam* delibârunt modicè, ut Pompejus à Catone laudatur, apud Lucanum, *l.* 9. ubi de ipſo *v.* 197.

—— —— *Plura retentis*
Intulit.

Porrò interdum & abſentium habita ratio, ut captô Anxure conſtituit Fabius Ambuſtus, Liv, *l.* 4. interdum quorundam quamvis præſentium non habita, ut Minutiani exercitus Dictatore Cincinnatô. Quod autem jus vetere Rep. Imperatores habuêre, id poſt occupatam Remp. ad Magiſtros militum delatum eſſe, ex Codice Juſtin. apparet, Sed & jam olim diviſio hæc ſæpe in calumniam patuit, quaſi eâ ratione Duces privatam gratiam captarent, quô nomine accuſati Servilius, Coriolanus, Camillus, quaſi amicis & clientibus de publico largientes: qui tamen ipſi contrà publicô ſe tuebantur bonô, Dionyſ. *l.* 4. Aliquando verò diripienda *Præda* militi conceſſa eſt, aut in populatione, aut poſt prælium, oppidive expugnationem, quod antiquis ſeculis rarius, nec tamen exemplis caruit. Nam Sueſſam Tarquinius, Militi diripiendam dedit: caſtra Æquorum Q. Servilius Dictator: Vejos urbem Camillus: caſtra Volſcorum Conſul Servilius. Permiſit quoque direptionem L. Valerius in agro Æquorum, Q. Fabius fuſis Volſcis captaque Ecetrâ, mox alii ſæpe. Vide quæ de Paulo Conſule qui Perſeum: de Lucullo, qui Tigranem vicerat, Liv. habet *l.* 16. & Appianus *Mithrid.* Neque verò militi ſolùm de *Præda* datum, ſed & his, qui tributum ad bellum contulerant, tantundem nonnunquam redditum: Luſi quoque interdum ex manubiis inſtructi ſunt. Socii inſuper in *Præda* partem recepti, ut de Latinis docet Liv. *l.* 4. Sic in bellô, quod Ætoli gerebant, adjutoribus Romanis, Ætolis quidem Urbes & agri, Romanis autem captivi & res mobiles ceſſerunt: Demetrius quoque, poſt victoriam de Ptolemæo, partem prædæ Athenienſibus dedit. De ſubditis, exemplum eſt in populo Hebræo, apud quem pars *Prædæ* dimidia cedebat his, qui fuerant in procinctu, Numer. *c.* 31. *v.* 27. 47. 1. Sam. *c.* 30. *v.* 22. &c. In bellis civilibus plus indulgeri cœpit militi. Namque à Sullano milite Æquulanum direptum legas: & Cæſar, poſt pugnam Pharſalicam caſtra Pompejana militi permiſit, cum hoc dicto, apud Lucan. *l.* 7. *v.* 738.

—— *Supereſt pro ſanguine merces,*
Quam monſtrare meum eſt, nec enim donare vocabo,
Quæ ſibi quiſque dabit.

Bruti & Caſſii caſtra diripuerunt Octaviani & Antoniani milites. Bellô civili aliô, Flaviani ad Cremonam ducti, quanquam inſtabat nox, Coloniam divitem feſtinabant impetu capere; veriti alioqui, ne opes Cremonenſium in ſinu Præfectorum Legatorumque eſſent, gnari ſcil. ut Tacitus ait, *Hiſtor. l.* 3. *c.* 19. *Expugnatæ Urbis prædam ad militem, deditæ ad Ducem pertinere.* Quod langueſcente diſciplinâ eò libentiùs conceſſum militi, ne manente periculô, omiſſis hoſtibus, præda manus impediret, quod plurimas ſæpe victorias corrupit. Vide Tacitum, *Annal. l.* 13. & 14. Erant verò quædam tam exigua, ut publicari digna non eſſent quæ ubique ſolebant capientes ſequi, Populi conceſſu. Talia vetere Rep. haſta, haſtile, ligna, pabulum, uter, follis, facula & ſi quid minoris eſſet nummi argentei; unde has exceptiones ſacramento militari (quô militi imperatum, *ne quid tolleret in exercitu decemque mill. p. prope, quod pluris ſit nummi argentei, aut ſi ſuſtuliſſet, ad Conſulem proferret, aut triduô proximô profiteretur*) additas apud A. Gellium *l.* 16. *c.* 4. legimus. Cui non diſſimile eſt, quod nautis etiam ſtipendiô militantibus hodiè conceditur. Galli *deſpoliationem*, aut *pilagium* vocant, & eô comprehendunt veſtem, aurum quoque & argentum, intra 10. ſcutatos. Alibi pars aliquota prædæ militibus datur, ut in Hiſpania modò quarta, modò tertia, aliàs dimidia penès Regem manet: & ſeptima, interdum decima, penès Ducem exercitus, cætera ſunt capientium, exceptis navibus bellicis, quæ totæ Regi cedunt. Apud Italos verò operæ periculi ſumtuumque habitâ ratione, captæ navis pars tertia cedit Domino navis victricis; tantundem ferunt, quorum merces in navi erant; tantundem hi, qui pugnaverunt. Nec non & illud accidit, ut qui ſuô periculô ac ſumtu bellum miniſtrant, non totam prædam auferant, ſed partem debeant publico, aut ei qui ex publico jus ſuum trahit. Sic apud Hiſpanos ſi in bello naves privatis ſumptibus inſtruantur, de præda pars Regi, pars & maris Præfecto debetur. Galliæ moribus decimam fert Præfectus maris, ut & apud Hollandos: ſed hîc quinta prius *Præda* pars à Rep. deducitur. Terrâ verò paſſim nunc uſurpatur, ut in direptionibus oppidorum & præliis ſuum quiſque faciat, quod cepit: in excurſibus verò capta communia fiant eorum, qui in comitatu ſunt, inter ipſos pro dignitatis ratione partienda. Vide Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli*, *l.* 3. *c.* 6. ubi & hoc notat, homines captivos, armenta ac greges Græcis λείαν: quæ durante certamine eripiebantur hoſti, σκῦλα: quæ poſt certamen, λάφυρα vocata eſſe. De *prædandi* licentia, inter varias olim hodieque Gentes uſitata, Vide Eundem, *l.* 2. *c.* 15. § 9. & ſuprà, in voce *Piratica*: adde quæ dicemus infrà, voce *Sector.* it. *Spolia.*

PRÆDATOR, Jupiter cognominatus eſt, à *præda*, quòd ei de *præda* aliquid deberetur, apud Servium, *Æn. l.* 3. cui Templum conſecratum, ſed, ubi & à quo, ignorari, adnotat Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5.

PRÆDESTINATIANA Hæreſis, quaſi bona opera negaret *neceſſaria*, falsò conficta à Semipelagianis. Doctrinam enim, quam defendit S. Auguſtinus *de Gratia & Prædeſtinatione*, quum Fauſtus Semipelagianus in ſuo opere *de Libero Arbitrio*, tacitô Auguſtini nomine, hæreſin vocâſſet ejuſque defenſores hæreticos: Fauſti laudator, Gennadius Maſſilienſis, additô cognomentô *Prædeſtinatianos* illos primus appellavit, eas congerens in illos accuſationes, quibus Auguſtini doctrina à Pelagianis & Semipelagianis gravebatur: uti prolatis teſtimoniis ex Auguſtini & Proſperi Scriptis, luculenter docuit Archiepiſc. Armachanus Jac. Uſſerius, *Hiſtor. de Godeſcalco*, *c.* 2. ubi, nihil eſſe eorum, quæ *Prædeſtinatis* & *Prædeſtinatianis*, ab Arnobio, Gennadio, Hincmaro aut Sigeberto tribuuntur, quòd non à Pelagianis, ipſi Auguſtino & ejus ſectatoribus, quô jure quâve injuriâ, attributum fuerit: & odioſum novellæ cujuſdam hæreſeos nomen Semipelagianos excogitâſſe, ut hâc technâ orthodoxam *de Prædeſtinatione* doctrinam Auguſtini omnibus inviſam redderent, multis oſtendit. Quod item pluribus probatum dedit Corn. Janſſenius Epiſcop. Yprenſis, *de Hær. Pelag. l.* 8. *c.* 3. cujus argumentum eſt. *Non eſſe hæreſin, ſed calumniam, quâ Maſſilienſes S. Auguſtini doctrinam infamârunt.* Vide quoque Joann. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theolog. l.* 8. *c.* 29..

PRÆDICANDI Sacerdotes conſuetudo, apud Judæos ac Chriſtianos uſitata, memoratur Æl. Lampridio *in Alexandro Sev. c.* 45. *Ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provinciæ dare----vel procuratores----ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret----dicebatque grave eſſe, quum id Chriſtiani & Judæi facerent*, in prædicandis *Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Et plena ſunt ejus B. Cypriani ſcripta. Ut cùm *Ep.* 34. ſcribit, *in ordinationibus Clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſiliô ponderare.* Sed ex plurimis ejus locis, quæ huc faciunt, unus hic maximè docet, quid ſit *Prædicari Sacerdotes*, & quàm bene Chriſtianis Judæi, in obſervatione hujus moris, ab Alexandro conjungantur. Sic autem ille, poſtquam retulit, quomodo Eleazarus Aaronis filius Sacerdos fuiſſet creatus, *Coram omni ſynagoga*, inquit, *jubet Deus conſtitui Sacerdotem: inſtruit & oſtendit ordinationes Sacerdotales, nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere: ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina; vel bonorum merita* prædicentur: *& ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & judiciô fuerit examinata.* Iſ. Caſaubonus, *Not. ad Lampridium*, *d. l.* Vide quoque Juſtellum *ad can.* 6. Conc. Chalced. & Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ἐπισκοπεύειν, item Ἐπίσκοπος, nec non ſuprà voce *Præco.*

PRÆDICATOR, pro Epiſcopo, non ſemel apud Avitum Vienn. *Ep.* 47. & alibi: à *prædicando*, i e. concionando, Gall. *précher.* Concil. Vaſenſe II. *can.* 2. *Si Presbyter, aliquâ infirmitate prohibitus, per ſe ipſum non potuerit* prædicare, *ſanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur.* Hinc de S. Cæſario Arelatenſi Cyprianus in *Vita* ejus, *Docuit præterea memoriter quandiu potuit altâque voce ſemper in Eccleſia prædicavit.* Vide quoque Capitula Caroli M. *l.* 1. *c.* 82. 160. Durandum, *Ration. l.* 4. *c.* 26. Alios. Hodie in Eccleſia Romana *Prædicatorum* Ordo, unus eſt ex ſacris eorum ordinibus, inſtitutus à Dominico (unde & Dominicani) de cujus origine & initiis, ita inter alios Guilielmus de Podio Laurentii *de Bellis Albigenſium*, c.10. *Continuatô itaque bienniô & ampliùs hôc labore, cùm accenſum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei pugiles, attendentes quòd res ita altiori conſiliô indigeret, de ordinandis perpetuis* Prædicatoribus *eſt proviſum ---- & hac de cauſa ſub Beato Epiſcopo D. Fulcone Ordo* Prædicatorum *principaliter eſt exorſus, quorum vexillifer Beatus Dominicus prælationem ſuſcepit pariter & laborem* &c. Vide in voce *Dominicus*, & ſuprà *Jacobini.* A quo verò *Prædicatorum* nomen iis potiſſimùm inditum ſit, referunt laudati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Cantipratanus, *de Apibus*, *l.* 1. *c.* 9. *num.* 5. Mich. Scotus, *Menſæ Philoſ. l.* 4. *c.* 37. & *Chronicon* Montiſſereni, *p.* 137.

PRÆDITUS, in *Gloſſ. veter.* ὠχυρωμένος, *munitus*, & ut Vopiſcus *in Aurelian. c.* 35. loquitur *roboratus.* Inde *civitates præditæ* Guiberto, ὠχυρωμέναι & munitæ. Et quidem *præditum* dixerunt Veteres abſolutè, quodquid bene inſtructum multumque eſſet: ut *præditum hominem*, divitem & opulentum: & *præditam urbem*, bene muratam munitamque. Appulejus de Cratete: *Igitur priuſquam planè Crates factus inter Proceres Thebanos numeratus eſt, lectum genus, frequens famulitium, domus amplô veſtibulô, ipſe bene præditus.* Vulgò *prædiatus*, quod liceat interpretari, multa habens prædia, ſed *bene præditus* vera lectio eſt, & ſignificat bene inſtructum ac cui nihil deeſt. Sic Jovem *in omnibus præditum* dixit Martianus Capella: apud quem ſimiliter *prædiatum* pro *prædito* ſubſtituerunt, qui elegantiam ejus verbi non percipiebant: *de Nuptiis Philolog. l.* 1. *In ſecunda itidem manſitabant, præter domum Jovis, quæ ibi quoque ſublimis eſt, ut eſt in omnibus præditus, Quirinus, Mars, Lar familiaris* &c. Dicit Martianus, *ut eſt in omni-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

omnibus prædìtus & præter alios Deos opulenter & largiter inſtructus, in ſecunda quoque manſione domum ſublimem habere. At ex illis verbis, ut ea ita vulgò ſunt, Deum nobis neſcio quem *Prædiatum* faciebant &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Divo Aureliano, c.* 35. Sed & *prælatum*, aliis antepoſitum, vox notat, in *Gloſſar.* Hinc *Gloſſæ Græco-Lat.* προεςὼς, præpoſitus, præditus. Προέςησεν ἀρχῆς ἤτοι ἀξίας, *præditus eſt.* Ita emendant Viri docti, pro *præductus*, *Gloſſæ* antiquæ, *Præditus*, *ornatus*, *ſublimatus.* Appulejus de Deo Socratis, *At ubi vitâ editâ remeandum eſt, eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

PRÆDIUM Joſeph, quod dedit Jacob filio ſuo Joſeph, ſupra fratres ſuos: eſtque apex amœnus & fertilis in tribu Ephraim, in quo oſſa Joſeph ex Ægypto allata ſepulta ſunt.

PRÆDUCTA Linea, in Circo ſolùm dicebatur, ubi Curſores, ut ex æquo limite progrederentur, ſtabant, inde curſum auſpicaturi. Ita enim Caſſiodorus, *Non longè ab oſtiis in utrumque podium, quaſi regula directa produci ſolita eſt, uti quadrigis progredientibus inter certamen oriretur nec dum ſe præproperè conaretur elidere, ſpectandi voluptatem viderentur populis abrogare.* Nempe linea fuit in ſolo ex creta, quaſi ad regulam ducta ac directa, hinc Plin. *l.* 35. *c.* 17. *cretâ præductum Circum* dici t. i. e. lineâ præductâ notatum. Verùm id non tam Circo Romano, quàm Circo Olympiaco conveniebat. In illo enim equi cum curribus intra carceres continebantur repagulis vel cancellatis foribus oppoſitis coërciti, priuſquam ſignum daretur emittendi: Signô miſſô unô eôdemque tempore laxatis repagulis è carceribus effuſi ſeſe proripiebant exiliebantque; ubi proin *præducta* illa linea uſum non habuit. At Olympiæ emittendi currus & equi ejuſmodi lineâ prætentâ ſive funiculô cohibebantur, ne ante ſignum datum exirent, atque in æquo limite continerentur omnes eaque linea pro repagulis vel carceris foribus fuit. In hiſce enim Olympiacis Circenſibus, non unô eôdemque tempore omnes carceres aperiebantur, nec omnes ſimul currus mittebantur: ſed, qui in ſiniſtro latere carceres ſortiti erant, priores exibant, tranſeunteſque in dexteram partem ibi ſtabant donec ſecundæ ac dexteræ partis equi, remotis repagulis & ipſi proſilirent, ut ſic ex eodem loco & æquâ lineâ omnes curſum auſpicarentur. Hinc præter repagula, iſtiuſmodi omnino lineâ ſeu funiculô prætenſô illis fuit opus. Sed, omnia quæ de Circo & ejus partibus atque actionibus philoſophatur Caſſiodorus cùm a Græcis mutuatus ſit, *albam lineam* vocavit, quam *cretam* Latini dixêre, de qua vide *ſuprà*: Sicque lineam illam Circi Olympiaci, Βαλβίδα & Γραμμὴν, item Ἀφετηρίαν dictam, cum linea Circi confundit: in Circo enim certum eſt, ab ipſis carceribus currendi ac ſpatii corripiendi initium cepiſſe quadrigas. Hoc tamen porrò Caſſiodorus innuit, equos carceribus miſſos non ſtatim in certamen curſus ſeſe effudiſſe, ſed ad lineam eam primò conſtitiſſe omnes, ubi è carceribus exiiſſent, atque eidem lineæ limitique inſiſtentes exæquatis frontibus mox in ſpatia ſeſe dediſſe: quod verò aliis non placet, cretam illam in Circo notatam fuiſſe, non ad certamen inchoandum, ſed ſaltem, lineam hanc albam, haud longè ab oſtiis, in utrumque podium carceribus præductam, per tranſverſum, atque adeò inter carceres & primas metas fuiſſe directam, dicentibus &c.

PRÆDUCTAL ſeu PRÆDUCTALE, Græcè παράγραφος, à *præducendis* lineis, dictum eſt plumbum vel ſtilus, quò in membrana lineæ præducebantur, ad dirigendam ſcripturam. Vetus Grammaticus, *c. de ferreis inſtrumentis*, Σκαλὶς, *ſarculum*; Ὑπήτιον, *ſubla*; Σμίλιον, *ſcalpellum*; Γραφεῖον, *graphium*; Μαχαίριον, *cultellum*; Παράγραφος, *præductile*; Ὠτιογλύφος, *Auriſcalpium.* Stilum igitur ferreum præacutum, vel plumbum ſic vocitârunt, quòd eô præducerent lineas. *Colloquia Pueril.* antiqua, *Surge puer, quid ſedes? tolle libros omnes Latinos, membranas & pugillares & locellum & præductale.* In Græco eſt, τὰς διφθέρας, τὰς πινακίδας, τὸν γλωσσόκομον καὶ τὸν παράγραφον. Græcum Epigramma ἀναθηματικὸν à Scriba vel Antiquario, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 907. κανόνισμα σελίδων Φιλόρβιον exponit,

> Καὶ σελίδων κανόνισμα Φιλόρβιον, ἔργματι λάξεις.

Hinc παραγράφων, qui *præducit* ac præſcribit lineas. Ad regulam autem præducebantur, qui Græcis κανών. *Epigramma Dedicatoria* ἀπὸ ταχυγράφων,

> Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυπόρου ταμίην.

Hic enim canon ſive regula appoſita plumbum ſive ſtilum dirigebat, ad rectas lineas, quibus ſcriptura inſiſteret, præducendas &c. Vide quæ ſuprà de *Plumbo*, & plura hanc in rem apud præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 916. & 917. De *Præducto* verò foribus clauſtro, apud Germanicum *in Arateis*, ubi de clavis Laconicæ cum ſidere Caſſiopeæ collatione,

> *Qualis ſerratos obicit clavicula dentes,*
> *Succutit & foribus* præducti *vincula* clauſtri,
> *Talis diſpoſita eſt, ſtellis ipſa horrida vultu:*

hìc paſſim, ubi de *Clauſtris ædium*, *Obicibus*, *Peſſulis* &c. item voce *Sera.*

PRÆFATIO, in Communione Romana, pars eſt Miſſæ ſeu Liturgiæ Eccleſ. precatio nempe præcedens Canonem Miſſæ & prælocutio totius orationis ſequuturæ. Alcuinus, *de Div. Offic. Hucuſque* Præfatio, *i. e. prælocutio populi, hinc ſequitur exhortatio, Surſum corda*, &c. In *Miſſali* Mozarabico *Illatio* dicitur. Cujus auctorem Dionyſium quidam faciunt, Leonem alii, utrumque *Sancti* nomine in Eccleſ. Romana inſignem: nonnulli Gelaſium Pontific. Pelagius II. *in Ep. ad Epiſc. Germ. & Gall.* novem *Præfationes* cantari inſtituit, quas in *Ordine Romano* inſcriptas obſervare eſt; unam in Albis Paſchalibus, aliam de Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de Trinitate, octavam de Cruce, nonam in Jejunio & Quadrageſima. Gregorius decimam de S. Andrea addidit, denique Urbanus II. undecimam, de B. Maria, A. C. 1095. Vide Carolum du Freſne *Gloſſar.* Dominicus Macer. hac de re ita habet *Infra: Octavam ſolet ejuſdem Octavæ præfatio recitare aliquibus tamen caſibus exceptis, ut e. g. in feriis privilegiatis, in quibus præfatio communis dicitur; unde in Miſſa Litaniarum majorum dicitur ferialis præfatio temporis Paſchalis. Prætereà, in quatuor temporibus, quæ infra Octavam B. Mariæ occurrere ſolent, dici debet* præfatio *communis ferialis. Idem obſervandum in Vigiliis S. Johannis Bapt. S. Petri & Pauli infra Octavam Corporis Chriſti occurrentibus.* Et Frater ejus, *Antiquitus in præfatione Miſſæ narrabatur compendioſè vita illius Sancti de quo celebratur feſtum. Baron. A. C.* 109. *num.* 5. *Fortaſſe ideo* Præfatio *dicebatur, quia erat panegyris illius Sancti, ideoque fortaſſis laudes* Præfatio *appellabantur, quia in eis Sancti currentis narrabantur laudes.* Uterque in *Hierolex.* &c.

PRÆFECTI Baphiorum, Textrinorum, vide infrà, *Præfectus Ærarii majoris.*

PRÆFECTIANI, ab Imperatore dicebantur, poſtremis temporibus, qui Præfecti Prætorio apparitores erant, *l.* 2. & 3. *Cod. de apparit. Præf. Prat. l.* 8. *C. de Off. rect. provinc.* Atque hôc vocabulô utitur Tribonianus, *l.* 12. *C. rubr. de caſtrenſi peculio militum*: ubi pro *Præfectis annonæ* reſtituendum *Præfectianorum*, ex lib. vet. ut teſtatur Jac. Cujacius, *in not. Inſtit. tit. de milit. Teſtam.* Marcellinus, *l.* 17. *Ut nec Præfectianus, nec Præſidialis apparitor ad ſolvendum quemquam urgeret.* Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Synodus Mopſveſtana in V. Concil. Conſtantinop. *Collat.* 5. Præfectianus *ſum, in hac civitate natus.* Anaſtaſius, *in Hormiſda, Tunc Imperator repletus furiâ ejecit eos per poſterulam & impoſuit eos in navim periculoſam cum militibus & Magiſtrianis & Præfectianis*, &c. His ad aliam militiam tranſeundi poteſtatem non fuiſſe, diſcimus ex *Cod. Theodoſ. l.* 8. *de diverſar. Officiar. l.* 19. *Cujuſlibet Judicis apparitores, inter quos etiam* Præfectianos *locamus, ad quamcunque aliam militiam vel palatinam, vel militarem tranſierit, retrahendi hos copiam illis, quos deſeruêre, tribuimus*: Quare verum hujus vocabuli ſignificatum intellexiſſe non videtur de la Cerda, dum inquit, *Præfectianos genus militum fuiſſe.* Macri Fratres *Hierolex.*

PRÆFECTORIUS Vir, *l.* 1. *ff. de Senat.* & *in Epiſt. Juſtiniani Pandectis præfixa.* Joh. Calv. *Lexic. Jurid.* Hinc *Præfectoriæ Civitates, quæ à Præfectis* ſeu Comitibus reguntur, vel quæ iis in beneficium conceſſæ ſunt. *Charta* Ottonis II. Imperator. A. C. 974. apud Nicol. Zilleſium; item *Charta* Ottonis III. A. C. 990. & Henrici II. Imperatorum A. C. 1005. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* In *Vita* B. Wolphelmi Abbatis *num.* 34. Burchardus quidam memoratur, *Vir genere nobilis* —— Præfectoriæ *dignitatis*, apud *Eund.*

PRÆFECTURA, non tam officii, quàm urbis in qua Præfectus morabatur, nomen eſt. Hinc præfecturæ (quas poſt municipia retulimus) urbes erant, ad quas Præfecti, qui jus dicerent, ex urbe Roma mittebantur. Harum conditio mutabatur; nam ex municipio præfectura, vel è contra ex præfectura municipium fiebat, & ex utroque colonia ſive ex colonia præfectura aut municipium. Nonnunquam ex his civitates jure civitatis donatæ creabantur. Hìc præfecturas, quæ & municipia & coloniæ factæ leguntur, ſubjiciemus. Addo priùs, fuiſſe inter omnes Italicas civitates *Præfecturarum* conditionem duriſſimam. Sic enim à Majoribus traditum erat, ut quæ civitates iniquæ ingratæque erga Populum Romanum fuiſſent, ubi in poteſtatem ditionemque eſſent adductæ, in *Præfecturæ* formulam, quæ non longè à Provinciæ formula aberat, referrentur. Ut enim quotannis in Provincias Prætores Româ mittebantur, ſic in *Præfecturas* Præfecti, qui eas adminiſtrarent, ac jus dicerent. De iis ſic Feſtus, *Præfecturæ appellabantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Reſp. neque tamen Magiſtratus ſuos habebant: In quas legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent, quarum genera fuerunt duo; alterum, in quas ſolebant ire Præfecti, qui auctore viginti ſex Virûm numerô, populi ſuffragiô, creati erant in hæc oppida, Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſullam, Atellam, Calatiam: Alterum, in quas ibant, quos Prætor Urbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus, ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Fruſinonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque complura.* Hæ, cùm jure civitatis, vel cum ſuffragio, vel ſine ſuffragio, utebantur, *Præfecturæ* ſimul & Municipia fuêre. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 46. & *l.* 10. *c.* 22. Vide quoque Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 4. *c.* 4. At *Præfecturæ*, apud Hyginum, *Gromatico de Limit. conſtit. Quibuſdam deinde coloniis perticæ fines, h. e. primæ aſſignationis, aliis* præfecturæ, *continentur*: ſecunda aſſignatio eſt, ſicut pertica prima, qua de re diximus ſuprà in voce *Pertica.* Addo id ſaltem, *Præfecturas* (cujus nominis ratio ibidem redditur) ut quæ diverſâ limitatione cenſebantur ab Coloniarum perticis ſive territoriis, decimanum in Septentrionem, cardinem in Ortum habuiſſe, cùm contrarium in perticis fieret. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 673. & *ſeqq.* ubi *Præfecturæ* quoque & *Perticæ* diagramma, inter alia, exhibet.

PRÆFECTURÆ, QUÆ MUNICIPIA, VEL ETIAM COLONIÆ FUERUNT, IN ITALIA:

Acerræ, in Campania.
Alliphæ, in Samnio.
Anagnia, in Latio.
Aquinum, in Latio.

Aricia, in Latio.	Fundi, in Latio.
Arpinum, in Latio.	Gabii, in Latio.
Atella, in Campania.	Linternum, in Campania.
Atina, in Latio.	Neapolis, in Campania.
Bononia, in Æmilia.	Nurſia, in Umbria.
Cære, in Hetruria.	Placentia, in Gallia Togata.
Calatia, in Campania.	Præneſte, in Latio.
Calenum, in Campania.	Privernum, in Latio.
Cales, in Campania.	Puteoli; in Campania.
Capua, in Campania.	Reate, in Sabinis.
Caſilinum, in Campania.	Saturnia, in Hetruria.
Caſinum, ſeu Caſſinum, in Latio.	Sora, in Latio.
Claudia, in Hetruria.	Sueſſa, in Campania.
Cora, in Latio.	Sueſſula, in Campania.
Coſa, ſeu Coſſa, in Hetruria.	Tibur, in Latio.
Cumæ, in Campania.	Venafrum, in Samnio.
Formiæ, in Latio novo.	Vulturnum, in Campania.

Urbes, quæ coloniæ, aut municipia, vel præfecturæ non erant, civitates fœderatæ dicebantur, idque tam in Italia quàm extra. Tametſi quæ in Italia jure civitatis donabantur, cùm priùs eſſent coloniæ, aut municipia, aut præfecturæ, civitates quidem, at non fœderatæ, vocabantur.

PRÆFECTURA Urbis, ab Auguſto, inſtituta, ut incivilis, depoſita, apud Hieronymum: Ita enim is ex poſter. *Chron.* Euſebii; *Meſſalla Corvinus, primus Præfectus urbis factus ſextò die Magiſtratu ſe abdicavit, incivilem poteſtatem eſſe conteſtans.* Ad quæ verba Scaliger, *quomodo,* ait, *incivilem, cujus antiquiſſima origo? imò civiliſſima, ſi quid in Romana antiquitate videmus.* Nomine, reſpondet Gronovius, fateor; re, pernego & ejuro: Unde Meſſalla illam tanquam *incivilem*, h.e. ſuperbam & immodicam, multùm vi utentem ac per hoc civibus, præſertim ſi quis ſupereſſet veteris Reip. memor, inviſam ac odioſam, depoſuit. Certè notam Auguſti artem non ſiluit Tacitus, illudere civitati *per eadem Magiſtratuum vocabula.* Olim erat poteſtas extraordinaria, neque plus poterat illis Magiſtratibus, quorum abſentium vicibus breve tempus fungebatur: nunc *Præfectura* Urbis perpetua erat; & illis ipſis, quorum vicaria quondam & fiduciaria fuit, obducta atque impoſita, & quidquid habuit juris, non ſine invidia, civilibus ferè Magiſtratibus ademtum ac detractum eſſe, habuit. Unde Statius ita laudat Rutilium Gallicum, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 43.

Hoc illud: triſtes invitum audire catenas:
Parcere verberibus, nec quà jubet alta poteſtas,
Ire, ſed armatas multum ſibi demere vires:
Dignarique manus humiles, & verba precantûm,
Reddere jura Foro, nec proturbare Curules
Et ferrum mulcere togâ. ———

Ubi, cùm quid faciat, quid pigretur facere, commemorat, quid potuerit facere, vel non facere, quidque fecerint alii, vel non fecerint, ſatis oſtendit. Nimirum percivile erat, & legibus Porcii Semproniique ſancitum, vincire & verberare cives, armatum jus dicere in Foro, exigere, cùm libuiſſet, Magiſtratus cum ſuis curulibus ſellis. Tacitus verò, *Annalium l.* 6. *c.* 11. quum ſcribit, *Ob tarda Legum auxilia & ad coërcendum, quod civium audaciâ turbidum, niſi vim metuat:* inſtitutam hanc Præfecturam, eò ipſô dicit, non ſufficientibus (putà ad dominationem Auguſti firmam) civilibus remediis, introductam, quod ſi libertatem & Remp. cogites, erat incivile. At Meſſallam, Hieronymo contrarius, ut videtur, Tacitus, *l. cit. c.* 11. à Principe remotum, *tanquam* ſcil. *neſcium exercendi*, memorat. Nempe ſolent Principes, quos, ceu minùs idoneos aut non ſatis utiles rationibus ſuis, demandatâ curâ, præſertim ſi fieri id volunt ſine invidia, exuere conſtituerunt, per ſubmiſſos eò adigere, ut ultro commeatum petant, & ita, tanquam propriis cauſis flagitaverint veniam ac miſſionem, ut beneficium, non ut injuriam, accepiſſe videantur. Spartianus in *Hadr. c.* 9. *Cui* (Tatiano Præfecto Prætor. & quondam Tutori ſuo) *cùm ſucceſſorem dare non poſſet, quia non petebat, id egit, ut peteret: atque ubi primùm petiit, in Turbonem tranſtulit poteſtatem.* Sic itaque Meſſalla, vir civilis animi & veteris Reip. haud ignarus aut oſor, quum apud amicos ipſumque Auguſtum ſubinde conteſtaretur, novam illam veteri titulô curam poteſtatis eſſe nimiæ, immoderatæ, ſuperbæ in privato ſeu non Principe; viſus eſt ipſi Auguſto non ſatis aptus ad uſurpandum jus tantæ potentiæ & infringendam, quæ ſuberat, umbram Magiſtratuum poteſtatis. Hinc planè, ut ait Tacitus, in arcana penetrans, intra paucos dies finem poteſtatis non tam ſumpſit, aut petivit, quàm accepit, quaſi neſcius exercendi: adhibitâ interim illâ ſpecie abdicantis ſe (quod haud dubiè ex antiquiore alio Euſebius & Hieronymus hauſerunt) & ultro cedentis, ut artes Principis velarentur. Joh. Frid. Gronovius, *Obſerv. in Eccl. c.* 19. De voce verò *Præfectura*, vide quoque infrà, ubi de *Præpoſitura:* addam hîc ſaltem, *Præfectura* nomine κατ' ἐξοχὴν ſignificari *Præfecturam Urbis Romæ*, vel *Urbis Conſtantinop.* & *Præfecturam Prætorianam Orientis vel Occidentis*, i.e. Italiæ vel Africæ vel Illyrici, & Magiſterium militum. Sunt enim eæ tres dignitates indiſcretæ, *l.* 1. *Cod. de præf. prat. ſive urb.* Cujacius apud Joh. Calvinum, *Lexic. Jurid.*

PRÆFECTURÆ Helvetiorum, vide in voce *Helvetii.*

PRÆFECTUS, non eôdem ſemper fuit ſignificatu. Nam & in re militari magnus eorum uſus, & inter Provinciales Magiſtratus, non minor fuit. Scribit *Dio*, Octav. Auguſtum eos omnes, quos Provinciis extra Italiam ſitis præpoſuiſſet, *Præfectos* appellâſſe, quorum eadem, quæ Proprætorum in Cæſaris Provincias miſſorum, ratio fuit. Inter hos de *Præfecto* Ægypti inprimis, quædam addenda. Dictus is & *Auguſtalis*, ab Auguſto primùm inſtitutus, ac Ægypto, quam Antoniô & Cleopatrâ victis in Provinciæ formam redegerat, præpoſitus: diverſus fuit à reliquarum Provinciarum Rectoribus, quòd non Senatorii, ut illi, ſed Equeſtris ordinis eſſet. Senatoribus enim eam Provinciam committere Auguſtus noluit, ut Dio docet, *l.* 51. veritus, ne ſi violentiores Senatores Præſides nacta eſſet, occaſionem rerum novandarum adferret. Quin etiam, ut idem ait, proficiſcendi in Ægyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui permiſiſſet, omnibus ademit. Primus autem, qui ei *Præfecti* nomine præfuit, Cornelius Gallus fuit, à quo deinceps omnes, qui eam provinc. adminiſtrârunt, *Præfecti* ſunt appellati. Meminit eorum Ulpianus, *ff. tit. de Præfecto Auguſtali, his verbis: Præfectus Ægypti non priùs deponit Præfecturam & Imperium, quod ad ſimilitudinem Proconſulis lege factâ, ſub Auguſto ei datum eſt, quam Alexandriam ingreſſus ſit ſucceſſor ejus, licèt in provinciam venerit & ita in mandatis ejus continetur*, &c. Reliqua verò omnia cum Proconſulibus vel Proprætoribus habuit communia. Joh. Roſin. *Antiqq Rom. l.* 7. *c.* 2. 3. Vide quoque ſuprà *Auguſtales.* De cœteris *Præfectorum* generibus, vide hîc *infrà.* Apud Helvetios, ab Imperio olim *Præfecti* quoque genti ſunt dati, quos *Vogt* & *Reichſvogt*, quidam *Voitos*, fortaſſe Græcô nomine, quaſi Βοηθὺς, i.e. *Auxiliatores*, appellatos ajunt. Hi ab initio ſedes ſuas non ipſis in Pagis habuêre, ſed alibi in ſuis arcibus habitantes, quotannis ſemel atque iterum evocati illuc proficiſcebantur, juris dicundi gratiâ, præſertim in rebus criminalibus ac capitalibus: Reliquas enim cauſas Ammanus & Senatores ex populo delecti cognoſcebant, ac in commune Reip. ſuæ conſulebant. Quemadmodum noſtrâ etiam ætate nonnullæ civitates *Præfectos* ab Imperio accipiunt, qui tantùm judiciis rerum capitalium præſunt, nullum præterea in illis urbibus Imperium aut juriſdictionem habentes: ſicque inter alios, à Rodolfo I. Imperatore Helvetiis Imperii nomine *Præfectos* datos fuiſſe legimus. Poſteà verò hujus filius Albertus, imminens Helvetiorum libertati, poſtquam ad Imperium pervenit, tum alia quæ Imperii erant Auſtriis aſſerere, tum *Præfectos* Helvetiis mittere cœpit duos perpetuos, qui, arcibus munitiſſimis apud Urios, Suitios ac Underwaldios excitatis, in Imperatoris poteſtatem eos redigerent. Hi poſtquam durô aſperôque imperiô populum premerent, priſtinam libertatem recuperandi fortiſſimæ genti præbuêre anſam: quâ de re alibi. Vide Joſ. Simlerum, *Deſcript. Helvetiæ:* Item in vocibus *Grieſlerus* & *Landenbergius.*

VARIA PRÆFECTORUM APUD ROMANOS ALIOSQUE GENERA.

α. Ægypti *Præfectus*, vide paulò *ſupra.* β Ærarii, ab Auguſto inſtituti, ſorte lecti ſunt tres viri Prætorii, quibus ejus curam ad triennium mandavit juſſitque ut binis lictoribus, aliiſque quos conveniebat Miniſtris uterentur, Dio, *l.* 55. Vide quoque Sueton. *in Aug. c.* 48. Hi poſteà à Principe eligi & ſine electoribus creari conſuevêre, teſte eôdem Dione, *l. c.* Vide quoque infrà *Procurator Ærarii majoris.* γ. Annonæ *Præfectus*, Magiſtratus fuit extraordinarius, curavitque, ne plebs annonæ inopiâ & caritate laboraret, utque panis pondere juſtô & munditie debitâ veniret. Liv. *l.* 4. δ. Auguſtalis, vide *Ægypti Præfectus.* ε. *Aulæ Præfectus*, ſeu *Palatii*, vide *Major domus.* ζ. Caſtrorum *Præfectus*, caſtrorum poſitionem, valli & foſſæ deſtinationem, tabernacula caſaſque militum, cum impedimentis omnibus, curabat. Præterea ægri contubernales & Medici, nec non expenſæ, ad induſtriam ejus pertinebant. Idem vehicula, ſagittarios, ſerramenta, ligna, ſtramina, arietes cœteraque genera tormentorum, procurabat. Legebatur autem ad id muneris, poſt longam probatamque militiam, omnium perititiſſimus. η. Celerum *Præfectus*, ſeu Tribunus dictus eſt, qui Equitibus præerat: Obtinebat autem ſecundum à Rege locum; quo in numero fuit Jun. Brutus, qui auctor Regis ejiciendi extitit. *Pompon.* θ. *Præfectus* Euangelio dictus eſt olim in Eccleſia Conſtantinopolitana, qui in proceſſionibus ſacris codicem Euangelii præferebat. Significat autem Proceſſio agmen, quod quidem ad inſtar exercitus modeſtè ac devotè coordinatum, vexilla & crucem præfert, in Eccleſia tum Romana, tum Græca, Fratres Macri in *Hierolex.* Vide infrà, in voce *Proceſſio.* ι. Fabrorum *Præfectus*, Græcè Ἔπαρχος τ͂ τεχνιτῶν, præerat Legionis Fabris, Tignariis, Inſtructoribus, Carpentariis, Ferrariis, Lictoribus, reliquiſque Artificibus, ad hybernorum ædificia fabricanda, quæque alia vel nova facienda vel quaſſata reparanda erant. Vegetius, *l.* 2. *c.* 11. Vide Lipſium *Poliorcet. l.* 3. *c.* 6. κ. Frumenti *Præfectus*, ab Auguſto, inſtitutus providebat, ut diſtributio gratuita frumenti ex P. Clodii rogatione, quam confirmavit Auguſtus, ritè perageretur, populuſque in annonæ difficultate ſublevaretur. Vide Sueton. *Aug. c.* 27. & 46. Dionem item, *l.* 51. Erant autem hi, Viri Conſulares. λ. Largitionum *Præfectus* vide in hac voce. μ. Legionis *Præfectus*, abſente Legatô, tanquam Vicarius ipſius, poteſtatem habebat maximam: Ejus præcepta Tribuni, Centuriones, milites obſervabant. Vigiliarum profectioniſque teſſera ab eo petebatur: Arma omnium militum, item veſtes, equi, annona, ad illius pertinebant curam, &c. Vegetius, *l.* 2. *c.* 9. ν. Morum *Præfectus*, nomen Magiſtratus apud Carthaginenſes, teſte C. Nepote, *Hamilcare*, *c.* 3. & Romanos, Cicer. *in Cluentiana. Tu es præfectus moribus.* Qui & *Cenſor*, vide ibi. Cæſar tamen *Præfectus morum* fuit, non *Cenſor*, h.e. rem habuit, titulô per ſpeciem modeſtiæ recuſatô. Niſi malis, partem poteſtatis Cenſoriæ fuiſſe morum curam, quam Cæſar uſurpavit. Caſaub. *ad Nepotis. l.* ξ. Ordinum *Præfecti*, vide ſuprà *Locus* infrà *Quatuordecim.* ο. Palatii *Præfectus*, vir ſummæ erat, apud Imperatorem auctoritatis, præſertim tranſlatô Conſtantinopolim Imperiô, *Cura Palatii* dictus Ammiano, *l.* 14. Vide ſuprà in voce *Palatium.* π.

Panis

Panis *Præfectus*, idem cum *Frumenti Præfecto*. ρ. Porcinæ *Præfectus*. Vide ſuprà *Porci*. σ. Poſtarum *Præfectus* vide ſupra *Poſta*, item voce *Logotheta*. τ. Præfecturarum *Præfectus*, vide ſuprà in voce *Præfectura*. υ. Præſidii *Præfectus* vide infrà. φ. Prætorio *Præfectus*, dicebatur is, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerunt: quod inſtitutum ab Auguſto, dein à Tiberio confirmatum eſt. Fuit ejus dignitas ac poteſtas maxima, unde *Sublimiſſimi Judicis* elogiò, ſicut Quæſtores & Magiſtri officiorum, honoratus eſt. Vide quoque ſuprà *Magnificus*. Quam primùm autem talis legebatur, dari ei ab Imperatore cingulum cum gladio ſolebat: unde memorabilis illa Trajani vox, cujus Plin. *in Panegyr. c.* 66. meminit. Duravit hæc dignitas uſque ad Conſtantinum M. qui, quòd *Prætoriani* cum Maxentio feciſſent, caſtrô Prætoriô dirutô, cohortibuſque Prætorianis exauctoratis, poſtquam Orbem Roman. in 4. diœceſes diviſiſſet, 4. quoque Prætorio Præfectos, in Galliis, (vide ſuprà *Arelatum*;) Italia, Illyrico & Oriente, inſtituit: qui tamen non niſi in civilibus cauſis judicandi habebant poteſtatem. *Panciroll.* plura infrà, voce *Prætorio Præfecti*. Fuit & *Præfectus* Auguſtalis Prætorii, & *Præfecti* Prætorio comitatus: quorum unus in Italia: Conſtantinopoli alter, fuêre, Panciról. iterum *in Notitia*. χ. Regiæ pecuniæ *Præfectus*, apud Artemidorum, *Oneirocr. l.* 4. *c.* 33. idem cum Theſauri regii, apud Perſas, cuſtode. ψ. Regius *Præfectus*, ne quid Reſp. detrimenti capiat, conſtitutus. Camden. Anglicè *Lieutenant of a Shire*. ω. Rerum capitalium *Præfectus*, *Aſcon.* αα. Vigilum *Præfectus*, ab Auguſto inſtitutus, cognoſcebat de incendiariis, effractoribus, furibus, receptatoribus, &c. Vide Sueton. *in Aug. c.* 50. & infrà *ſuô locô*. ββ. Virginum Sacrarum *Præfectus*, Jun. γγ. Urbis *Præfectus*, ſub Regibus & Conſulib. quando domo profecti, ne Urbs ſine imperio eſſet, eam intereà moderabatur. Sub Imperatoribus perpetua hæc poteſtas erat, & quidquid criminis intra 100. lapidem admiſſum fuerat, ad eam pertinebat. Vide *tit. ff. de Offic. Præf. Urb.* & Tacitum, *Annal. l.* 6. Idem abſente Rege vel Conſule, ad præſidium Urbis relictus, imperium ſummum habebat, præſidia diſponebat, jura civibus reddebat, Senatum convocabat &c. Sed de hoc vide quoque ſuprà, voce *Patricius*, & plura infrà, in voce *Urbi Præfectus*; uti de jure *Præfecti Urbis*; recentiori ævô, ſuprà iterum ubi de *Porticanis*. Fuêre & *Præfectus* arcis, *Præfecti* morum, item theſaurorum, ſub Comit. Largitionum &c. Vide Pancirollum *Notit.* Addam ſaltem *Eccleſiæ Præfectum*, Græcè Ἐκκλησιάρχην, in Eccleſ. Græca, memoratum in *Typico* Sabæ, *p.* 1. Εἶτα ἄρχεται ὁ Ἐκκλησιάρχης, Δεῦτε, προσκυνήσωμεν. Quô munere qui fungebatur in Magna Eccleſia Conſtantinopoli, Ἐκκλησιάρχης Μέγας dicebatur, teſte Meurſiô ex Malaxi *Hiſtoria Patriarch.* Alius ab eo erat ὁ Ἄρχων τῶν ἐκκλησιῶν, *qui generalem omnium Eccleſiarum curam habebat*, & Presbyteros illis præficiebat, uti videre eſt apud Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Ἄρχων. De *Præfectis* XV. in Templo Salomonico, *Temporum*, *Portarum*, *Cuſtodiarum*, *Cantorum*, *Inſtrumentorum Muſicorum*, *Sortium*, *Columbarum & avium*, *Teſſerarum*, *Vinorum*, *Aquarum*, *Valetudinis Sacerdotum*, *Panum propoſitionis*, *Suffimentorum*, *Velorum* & *Veſtium Sacerdotalium*; præter Pontificem, ejus Vicarium *Segen*, hujus vices itidem gerentes duos, ſeptem alios qui templi claves aſſervabant, tres Ærarii Præfectos, cuſtodiæ templi Præpoſitum, & caput paternæ domus, quæ majorum dignitatum fuêre nomina, vide Burmannum, *Synopſi Theol. Chriſt. Parte prior*, *l.* 4. *c.* 8. §. 18. & 19. Hinc *Præfectiana Militia*, recentiori ævô, de qua vide Cl. Suicerum, *Theſaur. Eccl.* voce Παλατῖνος, nec non ſuprà.

PRÆFECTUS Prætorio, apud Gallos idem cum Majore Domus, Symphor. Campegius, *l.* 4. *de Orig. & Geneal. Caroli M. fol.* E. 11. ſcribit: *Tempore Theodorici Regis*, *Francorum inertiâ Regum*, Prætorio præfectus proximam à Rege dignitatem obtinebat. Ad hanc potentiſſimi quique Francorum ſummâ contentione nitebantur, &c. Is erat Major Domus. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

PRÆFERICULUM, vas æneum Romanis dictum eſt, ſive anſa patens ſummum, velut pelvis, quô utebantur in ſacrario Opis Conſivæ. Ejus iconem exhibet Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 32. Vide *Feſtum*. Nomen ei à *præferendo*. Angli *a great baſon, carried before him that did ſacrifice.*

PÆFICA, memorata in illo Nævii,

> *Hæc quidem hercle opinor* Præfica *eſt,*
> *Nam mortuos collaudat.*

Claudio dicebatur, quæ *præficeretur* ancillis lamentantibus. Unde *in Gloſſis* Philoxeni, *Præfica*, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ φορᾷ κοπτομένη θρηνῳδὸς ἐπ' ἐμμισθίᾳ. Et Feſto: *Præficæ mulieres erant ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dabant cœteris modum plangendi, quaſi in hoc uſum præfectæ*. Sic & Nonius Marcellus, *Præficæ adhiberi ſolent funeri, mercede conductæ, ut & flerent & fortia facta laudarent*: Lucilius quoque earundem officium deſcribit, *l.* 22. *in verbis ab hoc Nonio adductis*,

> ——— *Mercede quæ*
> *Conductæ flent alienô in funere Præficæ,*
> *Multô, & capillos ſcindunt, & clamant magis.*

Carmen, quod à *Præficis*, & quidem ad tibiam, cantabatur, peculiari nomine vocabatur *Nænia*. Quare iterum Nonius Marcellus, *Nænia*, inquit, *ineptum & inconditum carmen, quod adducta mulier, quæ Præfica diceretur, his, quibus propinqui non eſſent mortuis exhiberet*. Ubi tamen Nonius fallitur, nam etiam in funere eorum, quibus propinqui eſſent, Næniam à *Præficis* cantari ſolitam fuiſſe certum eſt. Item *Nugæ*, vide ſuprà in his vocibus. Fiebat autem id ante lectum defuncti, ut ex *Gloſſis* Philoxeni patet: duravitque *Præficarum* appellatio uſque ad ſecundum bellum Punicum, ut docet Varro *de vita Pop. Rom. l.* 4. *Ibi à muliere, quæ optimâ voce eſſet, Pergama laudatur: deinde Næniam cantari ſolitam ad tibias, & ſiles eorum, qui ludis Troicis curſitâſſent. Hæc mulier olim vocitata fuit* Præfica, *uſque ad ſecundum bellum Pœnicum*: ut optimè Scaliger locum reſtituit, vide Jac. Oiſelium, *Notis in A. Gellium*, *l.* 18. *c.* 7. Eadem *Mulier funera* dicta eſt, teſte Gutheriô, *l.* 1. *c.* 24. *Tum mulier funera reliquum funus faciebat cum magno fœminarum comitatu, defunctique nomen vocabat canorâ ubique voce*: quam projà larva buccis hiantibus prominente, in fronte Lucernæ Galvanianæ, repræſentari, ſtatuit Fortun. Licetus, *de Lucernis*, *l.* 6. *c.* 7. Poſteà Mimi mortuales perſonati Næniam concinebant, eamque triplicem: Primam in exequiarum comitatu; Secundam ad rogum; Tertiam ad tumulum, ut docet præf. Gutherius *de Jure Manium*, *l.* 1. *c.* 23. Nec omittendum, quod idem annotavit Licetus, *l.* 6. *c.* 127. è vitro cœruleo olim ampullas, ad excipiendum lachrymarum humorem, à *Præfica* cœteriſque mulierculis funeralibus, pretiô vendi ſolitum, conſtructas & cum cadaverum buſtis contumulatas fuiſſe: Quod idem *alibi* quoque confirmat. Vide ſuprà *Lachryma*. Sed & *Præficarum* in ipſo Dei populo veſtigia deprehenduntur, Jerem. *c.* 9. *v.* 17. 18. Vide etiam Matthæi, *c.* 9. *v.* 23. &c. ut & ſupra in vocibus, *Defuncti*, *Exequiæ*, *Funera*, *Funus*, *Planctus* &c. nec non, *Aſcetria*.

PRÆGNANS, apud Veteres braſſicam comedebat, Athen. *l.* 9. edules item cochleas & malicorium, ſed non ſine damno, potû diptami additô. Serenus Sammonicus.

> *At ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,*
> *Ut facili vigeat ſervata puerpera partu,*
> *Dictamnum bibitur, cochleæ manduntur edules.*

Abſtinebat porrò à ſale, & aqua frigida. Lecticis ſubinde vehebatur, & equabus gravidis inequitabat. Peſtilentia variâ religione averruncata. Zona in Templo Dianæ Λυσιζώνης, ut commodiùs fieret geſtatio, ſoluta, quam primipara deinde ſuſpenderet cum veſtimentis. Temporis autem fallendi causâ faſciolæ ligandis pueris parabantur, & ipſæ in lecto cubantes gravidæ celebrabant Parilia. Intereà pro naſcentibus vota fiebant. Genitæ Manæ, Hecatæ & Genetylli; Poſtverſæ item & Proſæ Deabus, à ſitu embryonis ſic dictis, totidem dicatis aris & hoſtiis. Mox inſtante partu, ad Eugeriam & Fluoniam confugiebatur, Menam item, Lucinam, Uterinam, Alcmenam, Vituminum & Sentinum. Ut autem *prægnantes* confidentiùs onus ventris gererent, dilata ſupplicia, donec peperiſſent, lege Ægyptiis, Athenienſibus & Romanis ſancitâ; apud quos ne quidem quæſtio de gravidis habebatur. Apud Perſas aureô donabantur. Nondum natis id dabatur, ut pro ſuperſtite haberentur &c. Quam in rem vide Scholiaſtem Apollonii, Plut. *Quæſt. Rom.* Gellium, *l.* 16. *c.* 16. Arnobium *contra Gent. l.* 3. Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 7. *c.* 2. 3. Briſſonium, *l.* 2. *c.* 20. Alios. Addo ſaltem, quòd apud Hebræos, *fœminam gravidam* etiam *morte plexam*; *ſic tamen, ut ea vapularet, uſque dum embryo aut necaretur, cùm unum eſſet cum ea corpus, aut in lucem prodiret, & dein eôdem die morte afficeretur*, docet Joh. Seldenus *de Synedriis veter. Ebræorum*, *l.* 2. *c.* 13. §. 3. ubi *de Executione ſententiæ capitalis*, in ea gente uſitatâ. Plura vide infrà voce *Puerpera*: uti *de ſuis prægnantis ſacrificio*, ſuprà *December*.

PRÆGUSTATOR, ſervus erat apud Romanos, qui cibos potumque Principis prægustabat. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 66. *Is inferre epulas; & guſtu explorare ſolebat*; Idem, *l. Annal.* 13. *c.* 16. *Mos habebatur, Principum liberos cum cœteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci, in aſpectu propinquorum, propriâ & parciore menſâ. Illic epulante Britannicô, quia cibos potuſque ejus delectus ex Miniſtri guſtu explorabat. ne omitteretur inſtitutum aut utriuſque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt.* Hi ergo nonnihil ex herilibus eduliis præmandebant, & quia vita Regum Principumque multis inſidiis patet, proin hi non niſi *prægustatos* cepêre cibos, ut docet Xenoph. *in Hierone*, & Athenæus, *l.* 3. quod primò à Perſis fuiſſe inſtitutum, Suidas *his verbis* tradit: Ἐδέατρος, τὸ μὲν ὄνομα Ἑλληνικόν; ἡ δὲ χρεία Περσικὴ ἦν, ὃς προγευστὴς τὸ πρῶτον καὶ προήσθιεν τοῦ Βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. Et reſpexit ad hoc munus, Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 632.

> *Mordeat antè aliquis, quidquid porrexerit illa,*
> *Quæ peperit, timidus* prægustet *pocula Papas*:

quod quidem præmordendi munus fecit fortaſſe, ut antiquus Grammaticus illa ejuſdem Poëtæ, *Sat.* 7. *v.* 218. ubi is ita inter alia ait:

> *Diſcipuli cuſtos præmordet Acœnoetus,*

de Papate interpretatus ſit. Eadem cautio in potu adhibita, proin iterum Principes, calicem labris, veneni metu, non antè admovebant, quàm potus guſtu fuiſſet exploratus: eaque de causâ, poſt phialam porrectam, qui Regi à poculis erant, cyathô ex ea hauſtum vinum in ſiniſtram fundentes manum ſorbebant, quem ritum fusè exponit Xenophon παιδ. Κύρ. *l.* 1. Neque verò tantùm vitæ tuendæ, ſed & voluptatis gulæque causâ inſtitutos fuiſſe *Prægustatores*, diſcimus ex Arnobio, *l.* 4. *Curat, ut ad ſenſum palati ſuis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum ſapores & ãritè pulmenta condita ſint*, Prægustatoris *fungitur atque experitur officiô*. Quam voluptuariam *Prægustatoris* operam tetigit, in fabella de ruſtico & urbano mure, Horatius, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 106.

> *Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit*
> *Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*
> *Continuatque dapes, nec non venaliter ipſis*
> *Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.*

Meminit *Prægustatorum* Alexandri M. Philippi videl. & Jollæ filiorum Antipatri Juſtin. *l.* 12. *c.* 14. de Haloto ſpadone, qui eôdem officiô apud Auguſtum eſt functus. Vide Sueton. *in Claudio*, *c.* 44.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

44. Alterius memoriam ſervavit vetuſta *Inſcr.* quæ Romæ in Monte Viminali in vinea quadam, eruta eſt, ſic ſonans: *Votum. Sylvano. ſolvit. libens. merito. T. F. Diadumenus, Lurveſianus. Prægustator. Auguſti.* Apud Cæſares autem procuratio *Prægustatorum* Liberto de more demandata eſt *DIS. Manibus. Ti. Claud. Aug. Lib. Zoſimi. Procurat. Prægustatorum* &c. Vide Tit. Popmam, *de Operis Servorum* & Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*; qui inter alia quoque monet, *Prægustatorem*, Infertorem & Pocillatorem, diſtincta habuiſſe munia: licèt quandoque idem duplici forſan munere fungeretur. Plura hanc in rem vide apud Lipſium *ad Tacit. d. l.* Jo. Meurſium, *Exercit. Critic. Parte 2. c. 7.* uti de more Idololatrarum, non niſi præceptos ac *prægustatos* à Diis ſuis cibos comedendi ſuprà, ubi *de Cibum capiendi Veterum ratione.*

PRÆGUTTII, qui & *Præguttiani*, & *Prætutini*, Italiæ populi in Piceno, trans Truentum fluv. in Aprutia, regio *Abruzzo* vulgò dicitur.

PRÆLATI Eccleſiæ olim vocabantur, nedum Superiores, ut Epiſcopi, ſed etiam inferiores, ut Archidiaconi, Presbyteri, Plebani & Rectores Eccleſiarum; Et rectè quidem Rectores ipſos Eccleſiarum, cùm ex more Regum dicuntur inthronizari, ſic nominari ait. Henr. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.* Meliùs cum Scriptura Epiſcopos, ſeu Inſpectores, Diſpenſatores myſteriorum divinorum, Miniſtros, &c. vocaveris.

PRÆLATITIUS Habitus, in Eccleſ. Roman. birrus dicitur: unde de reverentia *Prælatis* debita Concilium Gangrenſe, *Si quis*, ait, *amictu pallii utitur, & eos, qui birris utuntur, deſpicit, Anathema eſt*, *can.* 12. Ital. *Mozzetta.* Hæc veſtis ſupra Dalmaticam ſeu Tunicam vulgò *Mantellettum* & lineam, quam *Rochettum* dicunt, induebatur. Et quidem Romæ ſolus Pontifex fert birrum ſive mozettam, ſuper lineam ſive rochettum, abſque mantelletto, quod eſt ſignum juriſdictionis: Nam cùm aliquis domi propriæ moratur, mantellô opus non habet: idemque, in hebdomada in Albis, birrô albô induitur. Cardinales itidem in Eccleſiis ſui tituli, ut & in congregationibus habitis in ſuis palatiis ſeu ibidem ſolenniter viſitati, & in ſede vacante, utuntur birrô & rochettô, abſque mantelletto, quia tunc juriſdictionem exercent. Epiſcopi extra ſuam diœceſin non poſſunt ferre mozettam, exceptis Epiſcopis Regularibus: in ſua diœceſi verò poſſunt etiam coram Legato ſeu Cardinali, ut Julii II. & Pii II. exemplis confirmat Angelus Rocca, apud Macros Fratres *Hierolex.* in voce *Birrus.* Color porrò violaceus in veſtibus *Prælatorum* antiquiſſimus eſt, imò eôdem colore Eccleſiaſtici omnes utebantur, ad inſtar Pontificis familiarum in præſenti, Caudatariorum Cardinal. & Clericorum in Epiſcopalibus Seminariis; ob ſimilitudinem cum veſte Dominica, quam Nonnus *ad Johann. c.* 19. ὄινοπα vocat, i. e. *vinacei coloris*, inter rubeum & violaceum medii, ſi ei fides habenda. Quemadmodum & id, quod de particula hujus veſtis ab Emanuële Palæologo Græcorum Imperatore Henrico Caſtellæ Regi, dono miſſâ & in Monaſterio Carthuſianorum ſub titulo S. Mariæ de Arriago diœceſ. Valliſoleti aſſervatâ: item de alia particulâ ejuſdem, quæ Valentiæ reperiatur, ſcribit Scherlog. *Tom.* 3. *c.* 5. *Cantic.* Auctori ſuo remittitur: vide eôſdem Fratres *ibid.* ut & infrà aliquid, ubi de *Rota Porphyretica.* Eſt autem propriè *Prælatus*, qui populis præeſt Magiſtratus. *Gloſſ.* veter. *Prælati, antepoſiti:* de cujuſmodi *Prælatis*, i. e. Principibus ſecularibus, extat S. Valeriani liber. In Communione verò Romana *Prælatus* eſt Præfectus Eccleſiæ, quomodo hodie Epiſcopi vocantur, qui προεστῶτες *Juſtino Martyri*, *Præſidentes* Tertulliano, *de Coron. l.* 3. *c.* 3. dicuntur: extatque liber *de Simplicitate prælatorum*, Cypriani nomen præferens. Sed & ſic appellari quoſvis inferioris dignitatis Rectores, ut ſunt Plebani & Curiones, tradit Lindewodus *ad Provinciale Cant. l.* 2. Hinc *Prælata, Prælatia, Prælatio, Prælatura*, apud Auctores, quos hanc in rem laudat Car. du Freſne *Gloſſar.* Pratejo apud Jo. Calvin. *Lexic. Jurid. Prælatura* eſt Prioratus ſeu Guardianatus, ſecundùm diverſitatem ordinum, *c. nullus de elect. in* 6. Imò & omnis honos ſic dicitur, qui propter adminiſtrationem alicui tribuitur, *c. quæ Epiſcopatum* 7. *q.* 1. &c.

PRÆLECTIO Legis, Verbique divini frequentior & accuratior, quàm hactenus obtinuerat, prædicatio, inter Eſraiticæ Reformationis capita, memoratur Nehemiæ, *c.* 8. *v.* 8. 9. *Et legerunt in libro illo, in Lege Dei explanatè, & appoſuerunt ei intellectum & intellectionem per Scripturam ipſam.* E qua originem traxit hebdomadalis illa Sabbatina *Prælectio* in Judæorum Synagogis frequentata, de qua Actorum, *c.* 15. *v.* 21. ubi *antiqua tempora* explicat Burmannus de temporibus Eſræ, ante quæ nec Synagogas ſtructas, nec Legem hebdomadatim prælectam fuiſſe, docet ex Deuteronom. *c.* 31. *v.* 10. 11. 12. coll. 2. Chron. *c.* 17. *v.* 7. 8. 9. & 2. Regum, *c.* 22. *v.* 8. ut hic mos ultra mille annos, poſt Legem latam, demum inoleverit; confirmatus poſtmodum exemplô Chriſti, qui, *Sabbatô ingreſſus in Synagogam, docebat*, Marci, *c.* 1. *v.* 21. *coll.* Lucæ, *c.* 4. *v.* 31. 33. & Apoſtolorum, Actor. *c.* 13. *v.* 14. 15. 42. 44. &c. Eſt autem ea lectio ſic ordinata à Judæis, ut quôlibet annô univerſa Lex abſolvatur die magnô Feſti Scenopegiæ; quando ſimul novam ejus lectionem ordiuntur. Quomodo deinceps etiam Prophetæ diviſi ſunt, ut colligitur ex Actor. *c.* 13. *v.* 27. *Tum voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, impleverunt.* Unde etiamnum in more eſt, ut utramque lectionem ſingulis Sabbatis peragant. Vide Franc. Burmannum, *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 37. §. 10. & 11. Vide infrà *Synagoga magna*, it. *Targum.* In Novo Teſtam. *Prælectio* verbi divini in Cœtibus vulgari ac notâ linguâ, ejuſdemque explicatio, ſimiliter diu in Eccleſia obtinuit, ut ex Veterum ſcriptis conſtat: ac ſub Gregorio M. demum, & ſucceſſoribus ejus, Caroli M. tempore defeciſſe videtur; ſub quo Latinos paſſim ritus, & in Sacris ſermonem, invaluiſſe, ac de Euangelii corpore excerptas quaſdam particulas, Eccleſiaſticæ Plebi in ordinem prælegi cœpiſſe, idem docet *Part.* 2. *l.* 7. *c.* 17. §. 18. more priſcô hodie plurimis in locis revocatô &c. Vide plura ſuprà voce *Lectio*, alibique. Addo hîc ſaltem, *Prælegere* vocem Artis eſſe, & de Præceptore propriè, ut *legere* de diſcipulo, uſurpari: ſicut Græci παραναγινώσκειν, vel etiam ἐπαναγινώσκειν, de Magiſtro; uti ἀναγινώσκειν, de diſcipulo dicunt, vide Caſaubonum, *ad Sueton. de Grammat.* & *Rhetor.*

PRÆLIARES Dies dicebantur Romanis, quibus fas erat res repetere vel hoſtem laceſſere. Hos à juſtis ſegregat Macrobius, qui erant continui triginta dies, quibus exercitu imperatô vexillum rufi coloris in arce poſitum erat. Unde & Feſtus, *Præliares*, inquit, *dies appellantur, quibus fas eſt bellô hoſtem laceſſere: erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Ubi per *ferias publicas*, intelligere eum *dies juſtos*, notavit Jac. Oiſelius *ad A. Gellium, l.* 15. *c.* 13. Non *Præliares* ergo erant tum hi dies juſti, tum dies atri, ut poſtridie Kalendas, Nonas & Idus. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Adde *non Præliaribus*, dies Innominales, ut ante quartum Kal. Nonas & Idus. Item Ferias Latinorum, Saturnaliorum & Proſerpinæ. Hinc quod Quintus Sulpitius Tribun. milit. rem divinam dimicandi gratiâ poſt Idus feciſſet, ad Alliam contra Gallos malè pugnatum: Cannenſem quoque cladem, ante diem 4. Non. Sextileis factam fuiſſe, annotatum eſt: *Compluresque Senatores*, verba ſunt A. Gellii, *l.* 5. *c.* 17. *recordari ſe dixerunt, quoties belli gerendi gratiâ res divina poſtridie Kalendas, Nonas, Idus à Magiſtratu Pop. Rom. facta eſſet, ejus belli proximô deinde præliô Reip. malè geſtum eſſe.* Vide quoque Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 16. *Varronem*, alios. Verumtamen hi dies in bello quidem inferendo, ſed non in excipiendo, obſervati: ut idem habet Roſin. *l. c.* De *Præliaribus, apud Normannos* olim, vide infrà, *Quadrageſima.*

PRÆLIUM, pars pugnæ, ſicut pugna pars belli eſt, nonnunquam tamen cum pugna confunditur: Hoc quô die commiſſuri erant Romani ſignum in caſtris proponebatur, tunica videl. purpurea vel coccinea, ſupra Prætorium expanſa, cujus meminit Plut. *in Fabio* & alibi, *Liv.* item ac *Polybius.* Pôſt ubi jam ad conflictum exeundum, & exercitus caſtris educendus eſſet, ſigna militaria, quæ in caſtris fixa erant, captatis auguriis evellebantur è terra: Habebaturque inter felicia auguria, ſi avellentem ſigna facilè ſequerentur; ideoque Craſſus in Arabis bello Parthico cum filio occiſus legitur, quòd iturus ad *Prælium* avellere ſigna vix potuerit. Eductô caſtris exercitu, acies inſtruebatur, quod quâ ratione fieri conſueverit, fuſè docet Liv. *l.* 8. Cœterùm non unô ſemper illa inſtructa eſt modô, ut videre eſt tum apud Cæſarem *Comm.* tum apud Ælian. *l. de inſtruenda acie.* A Gellius, *l.* 10. *c.* 9. aliquot militaria vocabula, quibus variis modis inſtructa acies appellari ſolita eſt, recenſet: qualia, *Frons, Subſidia, Cuneus, Globus, Serra, Ala, Turres* &c. de quibus conſulendi Scriptores Tactici. Vide infrà *ſuô locô.* Quod ſi periculum aliquod imminere videretur, & Aruſpices nuntiarent, non placatos eſſe Deos, tum unus aliquis ex Romanis ſeſe pro exercitu ſuo & ſimul exercitum hoſtium devovebat, qua de re videndus Livius, *l. cit.* & diximus *ſuprà.* Vide quoque Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 14. Apud Athenienſes, poſt agnum in hoſtium fines in ſignum clarigationis immiſſum, ut docet Diogenianus, *Cent.* 2. *Prov.* 96. (quod *Heſychius*, in *Prælii* potiùs committendi ſignum factum eſſe contendit) contra hoſtem movebant, dextroque aciei cornu, ex veteri lege, Polemarchus præerat, teſte Herodotô, *in Erato.* Commiſſuri dein *Prælium* victimam ſacrificabant, extaque inſpiciebant: tum Πυρφόροι i. e. *Faciferi* præeuntes, qui antiquis temporibus Tubicinum locô erant, faces in medium utriuſque exercitus projiciebant, conflictus ſignum: Unde Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 5.

Primâ manu rutilam de vertice Lariſſæo
Obtrudit Bellona facem.

Quô factô incolumes ad ſuos ſeſe recipiebant, ſacri enim & in peculiari Martis tutela tales habebantur; quô factum, ut de totali internecione exercitus in Proverbio dicatur, οὐδὲ ὁ πυρφόρος ἐσώθη. Poſteà tubæ ſucceſſerunt, quibus fervente *Præliô* Ὄρθιον carmen canebatur, quô mirum in modum ad rem fortiter gerendam militum accendebantur animi. Unde Euripides *in Phœniſſis*, *v.* 830.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐσήμην᾽ Ὄρθιον Τυρσηνικῇ
Σάλπιγγι ϗ συνῆψαν ἀλλήλοις μάχην.

Quarum vice nonnunquam clypeos quoque *conchaſque ſonantes*, adhibitos legimus. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 8. *tit.* 1. Franc. Roſſæum, *Arch. Attic. l.* 6. *c.* 5. Apud eoſdem, periculô imminente, Dux exercitus quondoque ſe devovebat, ut Codri Regis exemplo docet Vellejus Paterc. *l.* 1. *c.* 2. Reliqua vide ſuprà, in voce *Miles*, & *alibi.* Velitationes verò juſto *Prælio* præmittendas, ſuadent prudentiores, ut, ſi inferiorem ſenſerit hoſtem belli Dux, *Prælium* maturare; ſin ſuperiorem, moram interponere nôrit: Sic Alexander ac Porus, levia conferentes prælia, parvæ rei diſcrimine ſummæ experiebantur eventum, apud Curtium, *l.* 8. *c.* 12. 13. Quod idem Horatius, apud *Livium*, & Valerius apud *eund.* feciſſe leguntur. Nec Cæſar, cum hoſte præſertim novo, aliter dimicavit. Attilam quoque, præcurſionibus aliquibus præmiſſis, qui tenuia primùm futuri conflictus ederent præludia, juſtæ pugnæ quæſiviſſe tempus occaſionem, Nic. Olahus *in Vita* ejus ſcribit. Vide Amiratum, *l.* 19. *c.* 1. & Machivellium, *l.* 3. *c.* 37. Sed nec hoc omittendum. Hinc Cæſar, ubi conſilium Pompeji, qui id neglexerat, damnat, *Non fruſtra*, inquit, *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 92. *antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremque univerſi tollerent: quibus rebus &*

& hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimârant: Catoque Senior, teſte Plut. *in ejus vita*, *c.* 3. dicere ſolebat, *verba plus quàm gladium, & voces plus quàm manum, hoſtes in fugam vertere, attonitoſque reddere, ſibique inviſum eſſe militem, qui latiùs ſterteret, quàm inclamaret.* Quem proin morem apud plurimas Gentes in uſu fuiſſe, legimus. De Germanis vide Tacitum, *Germ. c.* 3. §. 1. de Perſis ac Macedonibus Curt. *l.* 3. *c.* 10. de Britannis iterum Tacit. *Annal. l.* 14. *c.* 35. de Pœnis, Livium, *l.* 25. *c.* 21. de Gallis eundem, *l.* 38. *c.* 17. de Luſitanis, Diodor. Siculum, *l.* 5. de Parthis, Plut. *in vita Craſſi*; de Hibernis, Stanihurſtum *Rer. Hibern. l.* 1. de Turcis Leonh. Chienſem &c. è quibus Germanorum clamorem *Barditum* vocat Tacitus: *Barritum* legit *Lipſius*. *Blaritum* mavult *Altbamerus*: Hibernorum *Pharro*, *Pharro* Stanihurſtus: Turcæ altiſſimè inclamant, *Illalaillala*, *Mahomet Ruſſolalla*, i. e. *Deus eſt & ſemper erit, & Mahometus eſt ſervus ejus.* Ipſis Iſraëlitis, Jerichuntem invaſuris, Deus apud Joſuam, *c.* 6. *v.* 5. *Cùm inſonuerit*, ait, *vox tubæ longior* (quem ſonum Ὄρθιον Græci dixêre, de quo ſuprà) *& conciſior, & auribus veſtris increbuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maximâ.* De Hiſpanis quoque ita Silius *Punicorum*, *l.* 10. *v.* 229.

> ——— *Ritu jam moris Iberi,*
> *Carmina pulſatâ fundentem barbara cetrâ.*

Vide Matth. Berneggerum in *Tacit. German. quæſt.* 8. & *quæſt.* 152. Jo. Meurſium ad *Lycophronem*, Jo. Parrhaſium, J. Lipſium *de Militia Rom. l.* 1. *c.* 3. Caſp. Barthium, *Animadv. ad Papinium*, *Thebaid. l.* 4. *v.* 5. nec non ſuprà ubi de *Belli indicendi ritu*, item voce *Maniſtelli*.

PRÆLOCUTOR, in *LL.* Baronum Scoticorum alibique, idem quod *Advocatus* eſt, Patronus, Cauſidicus. Interdum *Prolocutor*. Matth. Paris *A. C.* 1254. *p.* 592. *Proloquutor Domini Regis*, qui nunc *Advocatus Regis* nuncupatur &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Qui nempe aliorum nomine verba facit. In urbe Galliæ inclyta, Monſpelii, Magiſtratui municipali (*Conſules* vocantur vulgò) attribuitur è corpore Cauſidicorum delectus aliquis, ipſi *Prolocutorum* itidem è re. Gall. *Parlier*, appellant, quia & os Conſulum, & quaſi publicus Orator: quam eandem conſuetudinem in variis Belgii urbibus dicunt obſervari. Talis in Apoſtolorum collegio S. Petrus fuiſſe videtur, quem aliquoties in Euangeliis, ſilentibus cæteris, loquutum deprehendimus; id quod B. Chryſoſtomus, Theophylactus, & paſſim Patres θερμότητος illius (ſic enim loquuntur) & zeli vehementiæ adſcribunt: cujuſmodi præfervidi ſanctiſſimique zeli exempla quædam Hieronymus collegit *ad Matth. c.* 24. *v.* 28. idemque Chryſoſtomus, Theophylactus, Photius, Alii, propterea eum modò Ἔξαρχον & Κορυφαῖον, modò Στόμα, modò Προηγόρον τῶν Ἀποςόλων vocant, uti pluribus docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* voce Πέτρος: eôdem modô, quô voce Dei conſtitutus dicitur, *Exod. c.* 4. *v.* 14. Aaron, לְפֶה, *ut ſit os* Moſi, & loquatur pro illo &c. Vide & Caſaubon. *Exercit. in Baron.* XV. *n.* 5. De voce verò *Proloquium*, apud Rhetores, vide Martianum Capellam, *p.* 98. & 121.

PRÆLUDIUM, dicebatur Gladiatorum exercitatio velitaris, quâ certamini *præludebant*. Poſtquam enim dies ludo deſtinata illuxit, arma proferebantur; eaque duplicis generis, *Luſoria* videl. ſeu *Exercitoria*, Græcis ἐσφαιρωμένα ἀκόντια, eò quòd pilis quibuſdam, ne læderent, erant præfixa: *Decretoria* ſeu *Pugnatoria*. Quò reſpiciens Seneca, *Ep.* 117. *Remove*, inquit, *iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt.* Prioribus, cùm utebantur, *Præludium* appellatum eſt, quô ſenſu, Megara loquens de Hercule in cunis duos ſerpentes elidente, apud Senecam, *Hercul. fur. v.* 22?. ait.

> *Præluſit Hydræ.* ———

Vide & ſuprà *Muſea*: ac infrà, *Triobolus*. Poſteriora cùm adhibebant, dicebantur *dimicare ad certum*, item *verſis*, id eſt, *transmutatis, armis pugnare*, Lipſ. *Saturnal. l.* 2. *c.* 19. Ad quem morem etiam Paulus alludere videtur, cùm 1. Corinth. *c.* 9. *v.* 26. 27. inquit, Οὕτω πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων· ἀλλ' ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, ubi ἀέρα δέρειν idem quod *ventilare* eſt, apud Senecam: ὑπωπιάζειν verò, ſeriò *pugnare*. Ita enim is, *l.* 1. *Contr. Aliud eſt ventilare, aliud pugnare.* Vide quoque Suidam in voce Ὑπώπια & Thom. Godwynum, *Anthol. Rom. l.* 2 *Sect.* 3. *c.* 10.

PRÆLUM, apud Martialem, *l.* 2. *Epigr.* 46. *v.* 3.

> *Sic tua ſuppoſitis pellucent* præla *lacernis*:

trabs eſt, quâ veſtes *premuntur*, unde & nomen. Vide infrà *Prelum*, ubi & verſus hujus ſenſum enucleabimus. Aliàs *Prælum* torcular, quô vinum exprimitur, apud eundem, *l.* 1. *Ep.* 27. *v.* 5.

> *Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis* &c.

Quantum verò ſingulis preſſuris exprimi juſtum ſit, exponit Plin. *l.* 18. *c.* 31. ubi & alia huc facientia, *Preſſura una culeos XX. implere debet. Hic eſt pes juſtus. Ad totidem culeos & lacus XX. jugeribus unum ſufficit torculum. Premunt aliquid ſingulis, utilius binis* ——— *longitudo in his refert, non craſſitudo, Spatioſa meliùs premunt: antiqui funibus vittiſque loreis ea detrahebant & vectibus. Intra centum annos inventa Græcanica, mali rugis præli cochleâ illabentibus, palis affixâ arbori ſtellâ, cum prælo arcas lapidum attollente ſecum arbore: quod maximè probatur. Intra viginti duos hos annos inventum, parvis prælis & minori torculari, ædificiô breviore, & malô in medio erectô, tympana vinaceis, supernè totô pondere urgere, & ſuper præla conſtruere congeriem.* Fuit autem Culeus menſura liquidorum maxima, quæ 20. amphoras continebat, & urnas 40. Vide ſuprà in hac voce. Hinc *Prælator* Ennodio, *l.* 9. *Ep.* 2. qui oleum prælô olearió exprimit, de quo vide infrà voce *Trapetum*.

PRÆLUX, apud *Feſtum*, quis dictus, vide ſuprà ubi de *Nuptiis*.

PRÆMETIUM, *Feſto, quod prælibationis causâ antè præmetitur*: in *Gloſſis*, *Præmetium*, ἡ πρὸ θερισμοῦ Δήμητρος θυσία. *ſacrificium ante meſſem Cereri fieri ſolitum*, ἱερὰ δράγματα *Callimacho*. ubi de præmetivis illis frugum, quæ ab Hyperboreis Apollini Delio per Virgines miſſitabantur. *Primitias frugum* appellat Plin. *l.* 4. *c.* 12. & Solinus, quorum hic *c.* 16. *Ajunt etiam*, inquit de iiſdem populis *ſolitos per Virgines probatiſſimas primitiva frugum Apollini Delio miſſitare.* Sed quod de Hyperboreis hi habent, vero non conſentit: cùm non primitias frugum, nec ſpicas, aut *præmetia* miſſitarent Delum, ſed ſacrorum primitias, ἱερῶν ἀπαρχὰς, ſtipulâ triticeâ involutas. Unde rectè *Pomponius*, *ſacrorum primitias*; non *frugum*, eas indigitat, proſicias ſcilicet ex immolata hoſtia; extorumque partes: quas innexas ſtipulâ frumenti eos Delum miſiſſe, *Herodotus* auctor eſt, Ἱερὰ ἐνδεδεμένα ἐν καλάμῃ πυρῶν. Ut & *Pauſanias*, Τὰς δὲ ἀπαρχὰς κεκρύφθαι μὲν ἐν καλάμῃ πυρῶν, γιγνώσκεσθαι δὲ ὑπ' οὐδενὸς, *Primitias autem occultatas fuiſſe ſtipula frumenti agnitaſque à nemine.* Alii tamen non ſtipularum manipulis, ſed ſpicarum, obvolutas fuiſſe volunt. *Servius*, *Quidam dicunt, Opim & Hecaërgen prima ex Hyperboreis ſacra in Inſulam Delon occultata in faſcibus mergitum attuliſſe.* Sunt autem mergites, ut omnes ſciunt, ſpicarum manipuli, *Callimachus* δράγματα ἀσταχύων vocat, i. e. *mergites*, in quibus ſacrorum primitiæ erant occultatæ, non ipſi mergites pro frugum primitiis perlati. Quod Plinium fortè fefellit, & ex eo Solinum, qui *præmetiva frugum* vocat: cùm inter primitias frugum, quæ in ſpicis offerebantur & primitias ſacrorum, quæ in ſpicarum manipulis occultata adferebant, magnum eſſet diſcrimen. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 208. & infrà *Primitiæ*.

PRÆMIA, antiquiſſimis temporibus, victoribus propoſita; in publicis certaminibus ad rem præclarè gerendam invitabant certantes, Græcè ἆθλα dicta, unde Ἀθληταί. Meminit eorum jam Homerus, *Il.* ψ. *v.* 257.

> ——— ——— Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς,
> Αὐτοῦ λαὸν ἔρυκε, καὶ ἵζανεν εὐρὺν ἀγῶνα
> Νηῶν δ' ἔκφερ' ἄεθλα.

Sic Olympia Piſis, ſive in Elide; Nemea, apud Cleonas; Iſthmia, in Iſthmo ipſo: Pythia Delphis, apud Græcos talia fuerunt, quales apud Romanos Ludi Capitolini, Seculares & alii; in quibus omnibus *Præmia* & honores magni conſtituti ſunt; victoriam conſequutis, ut non modò in conventu ſtantes, cum palma & corona laudes ferrent: ſed etiam, ut Vitruvius ait, cùm reverterentur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in Patriam quiſque ſuam, inveherentur, æreque publico ad perpetua vota conſtitutis vectigalibus fruerentur. Mercurialis, *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 5. Vide quoque ſuprà *Brabeuta*. Tranſiit inde mos in Remp. pacatam æque, ac militarem Quamvis enim nullô honeſtamentô Virtus egeat; honore tamen ad ejus ſtudium excitari homines patet, proin *præmiis* ad bene de Repub. merendum ſuos cives Legiſlatores priſci invitârunt, in Athenienſium inprimis Rep. inter quæ primum Προεδρία fuit, quam optimè Suidas explicat, ex Interprete Comici *ad Ariſtoph. Equit.* Σίτησις item ex Solonis inſtituto, ſeu *epulum*, in Prytanejo talibus exhiberi ſolitum: quod ſibi præbendum eſſe, jocosè reſpondit Socrates, jam Judicum ſententiis damnatus. *Cùm enim interrogatus eſſet*, inquit, Cicer. *de Oratore*, *l.* 1. *reſpondit, ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimis honoribus & Præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytanejo publicè præberetur, qui honos apud Græcos haberetur maximus.* Statuæ quoque honorem habitum fuiſſe bene meritis de Repub. non ſinunt nos dubitare Pſephiſmata honori Demoſth. Democharis, Lycurgi, ſcripta: eæque ſtatuæ ut plurimum in Foro locabantur. Sed & monumenta publicè extruebantur, ut Pſephiſma, in honorem Zenonis, apud *Diog. Laërtium* docet: Etiam coronæ dabantur, vel à Senatu, vel à Pop. Athenienſi, vel à popularibus, vel à tribulibus, vel denique ab exteris Civitatibus: idque vel in Concione, vel in Senatu, vel in Populo, vel in Tribu, vel in Theatro, ac Ludis, ſi id Pop. Athenienſis ſciviſſet; quæ ultima Minervæ ſacra erat. Etiam ἀτέλεια τῶν λειτουργιῶν, ſeu *excuſatio munerum*, apud eoſdem inter *Præmia* erat. Vide Sam. Petitum *Comm. in Leges Attic. l.* 3. *tit.* 6. Nec minùs qui egregiam bello operam navabant ſeque Hipparchis probabant, ad majora evehebantur eorumque ratio habebatur, in donandis *Præmiis* conferendiſque honoribus, ut putà Δεκαδαρχίαις & hujuſmodi: ſicut contra ἀγαντῶντες ex lege Xenophonti in *Hipparchico* memoratâ notabantur. Mutilatis quoque Piſiſtrati rogatu, δημοσίᾳ τροφὴ, i. e. *pecunia ex publico*: pro Patria pugnando mortuis, monumentum in Ceramico: eorumque parentibus ac liberis δημοσίᾳ itidem τροφὴ ac προεδρίας jus conceſſum legitur, vide Eundem Petitum, *l.* 8. *tit.* 3. Itaque tales ad annum ætatis viceſimum uſque de publico educabantur, dein ad negotia ſua mittebantur, & hæreditatem paternam adibant: Inſtruebantur etiam πανοπλίᾳ nonnunquam, hôc enim ætatis annô ad bella mittebantur, πανοπλίᾳ inſtructi, poſtquam in Agrauli ſeſe obſtrinxiſſent jure jurandô, Οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα. Qua de re vide plura ſuprà in voce *Miles*, item in *Panegyricon*, *Triumphus*. Apud Philoſophos, cùm initiô ferè ipſi Reges Principeſque ſoli his ſtudiis vacarent, nullum aliud Sapientiæ, quàm perennantis Famæ, præmium fuit & honoris eximii, Hieron. *in Jon. c.* 3. Poſtquam verò minoris id ſtudium æſtimari cœpit, ſalaria demum iis conſtituta ſunt, eaque ſatis magna, de quibus vide infrà *ſuô locô*. Donec mercede docere, quod primus Protagoras feciſſe legitur, apud Gellium, *l.* 5. *c.* 3. Appulejum, *Florid.* Quintilian. *l.* 3. *c.* 1. imò, niſi eſurire mallent, expectare in ipſis ditiorum hominum ædibus diſcipulos, quos docerent, ſunt coacti: uti diſcimus ex Laërtio, *l.* 2. A. Gellio, *l.* 6. *c.* 10. De *Poëtis* vide ſuprà &c. Sed & Studioſis jam olim, *Præmia* conſtituta: apud Hebræos *clavis*, Doctoratûs inſigne: apud Sinenſes ac Europæos, varii, ut vocant gradus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

dus, de quibus vide *ſuprà*; ut & Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſoph. l. 7. c.* 15. & 16. Sequiori ævô, & Delationibus ſua fuêre *præmia*, & aliis ſcelerum Miniſtris; quæ tamen ab aliis Principibus ante ſe conceſſa abrogavit Trajanus, ut videre eſt apud Plinium *in Panegyr.* & ſuprà in voce *Delatores*. Vide hanc in rem plura apud Sim. Battierium *Diſſert. de Præmiis*. Cœterùm *Præmium* cœlitus tum in hac, tum in altera vita, juſtis expectandum eſſe; ut pœnam improbis, i. e. juſtiſſimis illis, & ſceleſtiſſimis his, etiam Noachidæ olim crediderunt. Et quidem, ex ſententia Fori ſeu Tribunalis ſuperioris in univerſum ajunt eſſe *Bonum juſtis repoſitum*, i. e. *Præmium Juſtorum*, quod nuncupant Hebræi חיי העולם הבא *Vitam futuri ſeculi*; quam nominibus quoque priſcis גן עדן *horti delitiarum*, *Paradiſi*, *Montis Domini*, *Templi Domini*, *Domus Domini*, *Portæ Domini*, ſignificari docent. Iidem juſtorum etiam dum vitam agunt, *præmia*, uti & impiorum pœnas, cœlitùs accepta agnoverant, de quibus plura vide apud Seldenum, *de Jure Natur. & Gent. juxta diſcipl. Hebr. l. 7. c.* 9. & 10. uti de Gentilium circa hæc perſuaſione, Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purioris*, *c.* 20. & 21.

PRÆMIACUM, Vineto *Preugnac*, vel *Pregnac*, pagus agri Burdigalenſis, apud Garumnam fluv. à Burdigala 6. leucis Agennum verſus. De quo Fortunatus, *l.* 1.

Reges Poloniæ.

PRÆMISLAUS ſeu PRIMISLAUS I. abnepos Miciſlai III. cognomine *Magni* ſeu *Senis*, poſt Vladiſlaum cognomine *Sputatorem*, Patrem, A. C. 1239. defunctum, Regno admotus eſt: tantâ temperantiæ laude, ut nec ebrius unquam, nec iratus à ſuis viſus dicatur. Pater fuit, ex Eliſabetha Vratiſlavienſi, filii poſthumi cognomine, de quo *infrà*.

PRÆMISLAUS II. prioris fil. ab Henrico cognomine *Probo* Vratiſlavienſi ſcriptus hæres Cracovienſis Principatus, primus fuit, qui excuſſô Imperii obſequiô, Regium qui in Boleſlao Audace ceſſaverat titulum reſumſit A. C. 1295. quod exemplum cœteri in hunc uſque diem ſunt ſecuti, niſi quòd Vladiſlaus Locticus, ſucceſſor *Præmiſlai*, nomen *hæredis Polonici* tantùm, uſurpaverit, Cromerus, *Hiſtor. Polon. l.* 2. Sed brevi *Præmiſlaus* & dignitate & vitâ excidit, A. C. 1296. in Bacchanalibus (nece à nepotibus ex ſorore, Marchion. Brandeburgiis, qui partem Marchiæ novæ à Polonis ſibi aſſeruêre, ut creditur, procuratâ) cæſus, extinctâ ſic Miciſlai præfati lineâ. Primâ conjuge Luithgardi Megapolitanâ ſterili per ancillas ſuffocatâ, ex alia Rixa filiam ejuſdem nominis ſuſceperat, cujus maritus Wenceſlaus Bohemiæ Rex Poloniæ dictus, A. C. 1300. hoſtem habuit Vladiſlaum Locticum, quem licèt compuliſſet in Ungariam, ab eo tamen vexari non deſiit ad mortem uſque, quâ A. C. 1305. oppreſſus, primus argenteæ in Polonia monetæ, cùm antea argentô infectô & coriô uterentur, auctor.

Principes quidam, ex eaden familia Piastea.

PRÆMISLAUS, fil Henrici cognomine *Fidelis*, Ducis Glogovienſis (& A. C. 1306. à Poſnanienſibus, ad Poloniæ regnum, adversùs Vladiſlaum Locticum, vocati) ex Mechtilde Brunſuicenſi Daniæ Regis viduâ: ſpe adipiſcendi Principatus Polonici, Bohemis ſe ſubmittere recuſavit, mortuus A. C. 1331. Ei ſucceſſit frater Johannes, Princeps Steinavienſis, quô nomine Bohemiæ acceſſerat A. C. 1329. quemadmodum poſt Fratris obitum dimidium Glogoviæ eidem Regi Johannes vendidit. Reliqui fratres fuêre, Henricus lineæ Sagano-Glogoviæ & Conradus Olſnenſis, conditores.

PRÆMISLAUS, ex filiis Vladiſlai, Sileſiæ ſuperioris Ducis, in diviſione hæreditatis paternæ, Ducatum Ratiborium nactus, eum ad filium Leſcum tranſmiſit; poſt cujus mortem A. C. 1340. ſoror Anna tum marito Nicolao Duci Oppiavienſi ex nothis Bohemis attulit. Fratres *Præmiſlai* Caſimirus II. Teſchinenſem & Boleſlaus Oppolienſem ramos orſi ſunt: quorum ille ex filio ſecundò genito Caſimiro III. nepotem habuit, quoque *Præmiſlaum*, qui Teſchinenſem Principatum tenuit, inde fratris Semoviti, qui Glogoviam habuerat, hæres, poſteà quoque Falcoburgiô ex dono Wenceſlai Imperatoris auctus eſt: Mortuus A. C. 1407. cùm priùs regimen filiis tradidiſſet. Vide hîc *infrà*.

PRÆMISLAUS, fil. Præmiſlai modò dicti, Glogoviam nactus, ab Imperatore Wenceſlo Steinaviam inſuper & Freiſtadium conſecutus eſt: ſed ſine prole extinctus A. C. 1421. hæredem habuit fratrem minorem Boleſlaum, Wenceſlao itidem charum: è cujus filiis ultimus natu ſimiliter *Præmiſlaus* dictus, vivendi finem fecit A. C. 1477. filiâ ſolùm relictâ. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hiſtor.* & in voce *Primiſlaus*.

PRÆMISSUM, aliter *Athenæum*, i. e. Minervium, non procul à Veſuvio, *Strab.*

PRÆMONITIO, in Foro Hebræorum, vide infrà *Verbera*, item *Zelotypia*.

PRÆMONSTRATENSIS Petrus, vide *Petrus*.

PRÆMONSTRATUM, pagus geminus cum Cœnobio: unus in Gallia Celtica in Normanniâ, in territorio Bajocenſi, teſte Cænali. Alter in Belgio in ſylvâ Arduennâ apud Laudunum urbem Picardiæ, vulgò *Premonſtré*. Vide Munſter. *l.* 3. *Baudrand.* Burgus eſt Galliæ, in Picardia, cum Cœnobio, unde *Ordo Præmonſtratenſis*, cujus Generalis ibi moratur, 3. leuc. à Lauduno in Occidentem. Noviodunum verſus 6. circiter. Sunt etiam aliquot ejuſdem Ordinis Cœnobia in Arduenna Silva & in Normannia: nullus autem locus *Præmonſtratum* dictus. Morer. *in Dict. Hiſt.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & infra in voce, *Pratum Monſtratum*.

PRÆMUNIRE, apud Forenſes Anglos, pro *præmonere*, ſubmonere eſt, citare, in jus vocare, unde celebris illius Brevis Regii nomen manavit, *Præmunire facias*, de quo vide Carolu Freſne *Gloſſar.*

PRÆNESTE, urbs Latii una ex celeberrimis, in finibus Æquorum, à Româ 24. mill. paſſ. verſus Fucinum lacum. Memoratur *Plauto*, *Ciceroni*, *pro Planc. c.* 26. *Varroni*, *Virgilio*, *Propertio*; *Horatio*, *Livio*, *Dionyſio*, *Vellejo*, *Val. Maximo*, *Straboni*, *Plinio*, *Statio*, *Juvenali*, *Suetonio*, *Plutarcho*, *Appiano*, *Ptolemæo*, *Floro*, *Solino*, *Itinerariis*, *Servio Honorato*, *Martiano Capella*, *Feſto*, *Stephani Epitomatori*, & aliis. Vocabulum ejus declinatur in Genitivo ac Dativo tantùm, ut *Tergeſte*, *Ateſte*, *Soracte*, *Reate*, *Teate*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 682.

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt. ———

Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 4. *v.* 22.

——— *Seu mihi frigidum*
Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuêre Bajæ.

Statius, *l.* 4. *Sylv. Carm.* 4. *v.* 15.

Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra.

Et fœmininô genere, ut omnia oppidorum licet effari nomina. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 581.

Qualis eram, cùm primam aciem Præneſte ſub ipsâ
Stravi. ——— ——— ———

Juvenalis, *Satyr.* 3. *v.* 190.

Quis timet, aut timuit gelidâ Præneſte ruinam?

Propertius, *l.* 2. *el.* 32. *v.* 3.

Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſortes,
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

Et quemadmodum *Soracte*, Hetruriæ mons, & *Reate*, Sabinorum oppid. Græcis dicebantur Σώρακτος & Ῥέατος, ita *Præneſte* etiam *Dionyſio*, ac *Straboni*, & *Plutarcho*, & *Appiano*, *Stephanoque* Πραίνεστος dicitur. Apud Plautum, *in Capteiveis*, *Actu* 4. *ſc.* 2. *v.* 102, τὰν Πραινέστην, corruptè pro Πραίνεστον poſitum cenſet *Cluverius*. Oppidani paſſim Πραινεστῖνοι, corruptè apud Appianum Ἐμφυλ. α. Πραινέστιοι. Dionyſio, *l.* 5. ſunt Πραινεστηνοί. De nominis origine ſic tradit Pompejus: *Præneſte dicta eſt, quia is locus, quô condita eſt, montibus præſtet.* Sed hoc ille aliunde habuit. Servius ad ſupra ſcriptum locum Virgilii *Æn. l.* 7. *Altum Præneſte, Cato dicit, quia is locus montibus præſtet, Præneſte oppido nomen dedit.* Sanè mera grammatica, non hiſtorica, eſt originatio. Stephani epitomator ita tradit: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου, τοῦ Λατίνου, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Martian. Capella, *l.* 6. *Præneſte conditum ab Ulyſſis nepote Præneſtè; licèt alii velint Cæculum conditorem.* At illud antiquus in primis tradidit auctor Zenodotus Trœzenius: quem Dionyſ. *l.* 2. teſtatur Umbricæ gentis hiſtoriam ſcripſiſſe: quanquam Suidas etiam alium referat Zenodotum, Epheſium, natione Alexandrinum, qui Romæ neſcio quibus temporibus vixerit, Solin, *c.* 8. *Præneſte conditum eſt, ut Zenodotus refert, à Præneſte, Latini filio: aut, ut Prænestini ſonant libri, à Cæculo.* De hoc Cæculo ita canit Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 678.

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Vulcanô genitum pecora inter agreſtia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. ——— ———

Vide ſis illic *Servium*. Apud Plut. *in Parallelis*, tertius memoratur urbis Prænestinæ conditor: Τηλέγονος, inquit, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπ' ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι, ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους, καὶ χορεύοντας. Γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους, καὶ ὀρχήσει προσευκαιροῦντας, ἔκτισε πόλιν ἀπὸ τοῦ συντυχήματος, Πρίνιστον ὀνομάσας, ἣν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν, ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν. Hinc Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Prænestini: urbe quondam Stephane dictâ.* Ut innumeros paſſim alios, ita circa hanc etiam fœdum nobis tradidit errorem *Stephanus*: cujus epitomator, Τίβυρις, inquit, πόλις Ἰταλίας. Αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον. Hunc errorem Stephanus ex Strabone hauſiſſe videtur, oſcitanter perlecto; Sic quippe ille habet, *l.* 5. Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. Ἀμφότεραι δ' αἱ πόλεις αὗται τῇ αὐτῇ προσιδρυμέναι τυγχάνουσιν ὀρεινῇ, διέχουσι δ' ἀλλήλων σταδίους ἑκατὸν. Τῆς δὲ Ῥώμης Πραίνεστος μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβουρα δ' ἔλαττον. Φασὶ δ' Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας. Πραίνεστον γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Ἐρυμνὴ μὲν οὖν ἑκατέρα, πολὺ δ' ἐρυμνοτέρα Πραίνεστος. Ἄκραν γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὕπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον, ὑπεραῖρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. Πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι καὶ διώρυξι κρυπταῖς διατέτρηται πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων, ταῖς μὲν ὑδρείας χάριν, ταῖς δὲ ἐξόδων λαθραίων, ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε. Ταῖς μὲν οὖν ἄλλαις πόλεσι πλεῖστον τὸ εὐερκὲς πρὸς ἀγαθοῦ τίθεται, Πραινεστίνοις δὲ συμφορὰ γεγένηται διὰ τὰς Ῥωμαίων στάσεις, καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες, ἐκπολιορκηθέντων δὲ, πρὸς τῇ κακώσει τῆς πόλεως καὶ τὴν χώραν ἀπαλλοτριοῦσθαι συμβαίνει, τῆς αἰτίας μεταφερομένης ἐπὶ τοὺς ἀναιτίους. Tanta hujus urbis antiquitas eſt, ut 1500. amplius An. ante natum Chriſtum condita fuerit. Hinc etiam inter alios priſci Latii populos connumerata fuit, Liv. *l.* 2. *c.* 19. *Præneſte ab Latinis ad Romanos deſcivit.* Amplam tenuiſſe ditionem, patet ex ejuſdem Livii *l.* 6. *c.* 29. *Octo prætereà oppida erant ſub ditione Prænestinorum. Ad ea circumlatum bellum.* Coloniam poſteà factam Romanorum ex Cicer. *Catilinariâ primâ*, patet: *Quid cùm te Præneſte, inquit, occupaturum nocturnô impetu eſſe confideres; ſenſiſtine, illam coloniam meô juſſu, meis præſidiis, cuſtodiis, vigiliiſque eſſe munitam?* Sed municipium etiam fuiſſe, teſtantur lapides antiqui; tum Florus atque Feſtus: quorum ille, *l.* 3. *c.* 21. *extr.* quod eſt de bello Civili Mariano: *Poſitis ſingulorum hominum ferè pœnis municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſtâ venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneſte, Floren-*

Florentia. Ut verò Florus, inter ſplendidiſſimas Italiæ urbes, Præneſte computat, ita Appian. *Civil. l.* 1. inter opulentiſſimas; eandem cum Floro hiſtoriam narrans de bello Mariano: Τὴν πόλιν, inquit, διήρπαζε πολυχρήματον ἐν ταῖς μάλιστα τότε οὖσαν, οὐδὲ μὴν δὴ ϗ Πραίνεστος Εἰάλω. At nihil penè æquè celebre fuit Præneſte, ac *Fortunæ Primigeniæ* in innumeris ferè lapidibus cognominatæ templum. Unde Statius, *loc. cit. ſacrum* vocat. Et Silius, *l.* 8. *v.* 366.

——— ——— *Sacriſque dicatum*
Fortunæ Præneſte jugis. ———

Lucanus, *l.* 2. *v.* 194.

——— *Vidit Fortuna colonos*
Præneſtina, ſuos cunctos ſimul enſe reciſos.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 3. *p.* 933. *Nic. Lloydius. Baudrando* hæc urbs Latii olim, hodie Campaniæ Romanæ & ditionis Pontific. intra montes; *Paleſtrina*, 21. mill. paſſ. à Roma in Ortum æſtivum, ſeu 170. ſtadiis inter Tibur, à quo in Eurum 12. mill. paſſ. abeſt & Anagniam. Olim tum ſummo in jugo montis aſſurgebat; & ubi hodie arx incolitur, tum ad radices ipſius montis, ubi Cryptarum & parietinarum veterum plurima monumenta ſub æde Fortunæ, quæ montis in clivo conſtructa, gradatim opere ambitioſiſſimô aſſurgebat. Sed antiqua illa civitas à Bonifacio VIII. diruta, & in valle reædificata fuit. Sita eſt prope Vereſim fluv. eſtque Epiſcopatus, uni ex 6. antiquioribus Cardinalib. tribui ſolitus. Vide Joſeph, Mariam Suareſium, Epiſcop. Vaſionenſem, *de antiq. Præn.* Cœterùm, fuiſſe Fortunæ *Præneſtinæ*, templum pulchritudine celebre docet Schol. Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 90. *Apud Præneſte & Fortunæ & Herculis habent ædes: aut certè, quòd in Capitolio poſt ædem Dianæ & Jovis, ſecundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ atque Herculis ædes. Fortunæ apud Præneſte ædem pulcherrimam ferunt fuiſſe.* Delubrum ejus lithoſtrotô parvulis ſatis cruſtis Sullam ſtraviſſe, novò tum temporis inventô, auctor eſt Plin. *l.* 36. *c.* 25. Cujus generis mirandum opus Venetiis, ad D. Marci, omnem Romanorum induſtriam ſuperare videtur, *Moſaicum* vocant. Fuêre autem inprimis celebres *Præneſtinæ* Sortes, unde de Domitiano Sueton. *c.* 15. *Præneſtina*, inquit, *Fortuna, totô Imperii ſpatiô annum novum commendanti, lætam eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit.* Sed præter Fortunam, non aliô magis quàm *Præneſtina* olim nomine inclytam, Herculem ibidem fuiſſe cultum, jam diximus: quod ideo fortè factum, ut fortitudo caſibus conjuncta cerneretur. Hinc & Juvenalis, *ibid. v.* 90.

——— *Vincens Fortunæ aut Herculis ædem.*

Papinius quoque Statius, *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 79.

Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes,
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.

Imò & Jovem Imperatorem apud eoſdem fuiſſe in veneratione, antiquis temporibus legimus. Sed ejus ſimulachrum T. Quinctius *Præneſte* in deditionem acceptô, Romam devectum in Capitolium tulit, dedicavitque inter cellam Jovis & Minervæ, tabulâ ſub eo fixâ, quæ eſſet monumentum rerum geſtarum. Fuit autem hæc ferè tabulæ *Inſcr. Jupiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius Dictator oppida novem caperet* &c. Liv. *in Hiſt. an.* 276. Onuphrius quoque Ædem in Capitolio eidem extructam fuiſſe putat, cùm fragmenta illa in tabulis Capitolinis *Accus. &. t. dedicavit*, ſic legi vult: *Ædem Jov. Imperatoris. qui. Præneſte. Romam. actus. eſt. in. Capitolio. T. Quinctius. T. fil. n. Cincinatus. Imp. dedicavit.*

PRÆNESTUS, fil: Latini, Ulyſſe & Circe geniti, unde *Præneſte* dictum.

PRÆNOMEN. *Iſidoro* hinc vocitatum eſt, *quòd nomini præponatur, ut Livius, Quintus,* i.e. nomini gentis; quam ob cauſam Nomini proprio apud nos reſpondet. Cùm enim varia Romani nomina haberent, *Prænomen* ejuſdem familiæ diſtinguebat Fratres: *Nomen* ſignabat gentem: & *Cognomen* ejuſdem gentis familias ramoſque diverſos denotabat. Ejus uſus, Nomine multò recentior fuit. Solebat enim Nomen imponi pueris, nonô ſtatim à nativitate die, puellis octavô, uti docet *Feſtus* atque *Plut.* quos dies *Luſtricos* appellavêre Romani. *Prænomen* verò tum demum, cùm Toga virilis ſumeretur, datum fuiſſe, indigitat Val. Max. *l.* 10. cùm ait: *Pueris non priuſquam togam virilem ſumerent; Puellis, non antequam nuberent, Prænomina imponi moris fuiſſe, Q. Scævola auctor eſt.* Idem ex *Epiſt.* elucet Ciceronis, ubi videmus liberos ejus non aliter quàm *Ciceronis pueros* vocari, uſque ad ætatem prædictam, quum *Marcus filius, quintus filius* appellati reperiuntur. Id autem obſervatum, ut *Prænomen* Patris filio natu maximo; Avi verò vel Majorum reliquis imponeretur. Hinc. Thom. Bartholinus, *de Puerp. Prænomina honeſtæ nomenclaturæ eligantur, quia de eo primùm ſceleris quæſtio habebatur, qui turpius nomen poſſideret. Patres Romani ſuum majori natu imponunt, Avi nomen reliquis. Xanthii à matribus mutuantur.* Et quidem ordinariò *Prænomen* primô locô ponebatur; Aliquando verò deveniebat *Nomen*, Priſcianô teſte, qui exempli locô affert, *Tullius Servius, M. Tullus.* Nonnunquam ſecundum tenebat locum, annotante *Sigonio.* Unde apud *Livium*, *Attius Tullus*, *Manlius Cnæus*, *Octavius Metius*: apud *Ciceron. Maluginenſis M. Scipio*: apud *Suetonium ad Pompejum.* Sed major adhuc ſub Imperatoribus mutatio: Cùm enim liberâ Rep. *Prænomen*, velut nomen proprium, diſtingueret ejuſdem familiæ fratres, ut M. *Tullius Cicero* & *Q. Tullius Cicero*: poſteà ſub Imperatorib. Nomen proprium, ejuſdem familiæ perſonas diſtinguens, ultimô plerunque locô poni cœpit: ut *Flavius Veſpaſianus* & *Flavius Sabinus* fratres apud Sueton. Quod Senecæ quadruplicis exemplô inprimis clarum fiet: Pater enim qui Rhetor erat, *M. Annæus Seneca*; filiorum ejus trium, unus *M. Annæus Novatus*, alter *L. Annæus Seneca*, tertius *L. Annæus Mela*, dictus eſt; quæ poſtrema nomina unicuique horum adeò erant propria, ut pater aliquando ſibi ſuiſque filiis non aliud quàm hoc ultimum nomen daret, ut ex *tit. l.* 1. *Controv.* elucet: *Seneca Novato, Seneca, Melæ filiis ſalutem.* Novatus quoque, poſtquam adoptatus eſſet à Jun. Gallione, ab Euſebio *in Chron Junius Annæus Gallio, Senecæ frater*, nuncupatur: cùm Seneca Philoſ. eum communiter, ut & Lucas, *Actor. c.* 18. *v.* 12. non niſi *Gallionem*, quod ei proprium poſteà factum eſt, vocent. Et hinc factum, ut primis Eccleſiæ ſeculis etiam clariſſimis in Imperio viris, non niſi ultimum, quô ab aliis ſolô diſtinguebantur, nomen daretur. Hinc Hieron. *Præfat. in Epiſt. ad Galat.* Victorinum celebrem eum Rhetorem, *C. Marium Victorinum* appellari indigitans, nihilominus, *in l. de Script. Eccleſ.* ſolùm *Victorinum* eum vocat; quod & Auguſtinus facit *Confeſſ. l.* 8. *c.* 2. Similiter Paulinum Epiſcopum Nolæ, licèt vocaretur, *Pontius Meropius Paulinus*, tamen idem Auguſtinus, aliique Auctores, non niſi ultimô hôc nomine inſigniunt: ut de Tyrannione *Ruffino*, Tyrone *Proſpero*, Cajo Cœſonio Rufio *Voluſiano*, Anicio *Boëtio*, aliis, nil addam. Excipi tamen poſſunt *Palladius* Rutilius Taurus Æmilianus; *Macrobius* Ambroſius Aurelius Theodoſius; *Caſſiodorus* Senator, annotante Sirmondô *Notis ad Sidonium*: è quibus tamen primum Iſidorus *Æmilianum*, ſecundum *Theodoſium* potiùs, vocant Avienus & Boëthius more uſitatô. Fœminæ & ſervi cùm ſolis gauderent nominibus, *Prænomina* non habuêre. Interim hi cùm manumittebantur; *Prænomen* Nomenque domini aſciſcentes, proprium ſuum ritinebant. Sic eruditus ille Ciceronis Libertus *M. Tullius Tyro* dictus eſt. Sed & fœminas quandoque *Prænomina* habuiſſe, docet *Feſtus* cùm inquit: *Prænominibus fœminas eſſe appellatas teſtimoniô ſunt Cæcilia & Terratia, quæ ambæ Cajæ ſolitæ ſunt appellari. Pari modo Lucia & Titia.* Qua de re vide *Petr. Servium.* Nec omittendum, quod Gellius ſuggerit, *l.* 9. *c.* 2. *Antiquos Romanorum* Prænomina *Patriciorum quorundam malè de Rep. meritorum, & ob eam cauſam capite damnatorum, cenſuiſſe ne cui ejuſdem gentis Patriciô inderent: ut vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipſis viderentur.* Cui ſimile quid habet Sueton. *in vita Tiberii, c.* 1. *Cùm Prænominibus* (inquiens) *cognominibuſque variis* (gens Claudia) *diſtingueretur, Lucii prænomen conſenſu repudiavit, poſtquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrociniis cædis alter convictus eſt.* Ita decretô cautum legimus, ne quis gentis Manliæ, *M. Manlius* vocaretur, apud Livium, *l.* 6 *c.* 20. & Dionem, *l.* 51. De L. Tarquinio Collatino, qui propter nomen Tarquinii inviſus erat & urbe pulſus, vide Livium, *l.* 2. *c.* 2. Numerum *Prænominum* Romanis uſitatorum quod attinet, memorat Varro, illorum ſuâ ætate circa 30. fuiſſe, quorum notiora 18. unicâ, duabus, tribus notari ſolita literis hîc ſubjungemus, &c. *Nouv. Methode de la Langue Lat. Obſervat. partic.* Vide quoque Caſaubon. *ad Cæſar. Suetonii, c.* 30. ubi illuſtrat illud Poëtæ,

——— *gaudent* cognomine *molles*
Auriculæ ———

& ſuprà, voce *Nomen*: uti de more *Prænomina* inprimis non integra, ſed unâ ſolùm alteraque literâ denotata, etiam mediô ævô ſcribendi, aliquid voce *Monogramma.*

PRÆNOMINA, APUD ROMANOS OLIM USITATA.

A. *Aulus*, à verbo *Alo*, tanquam natus *Diis alentibus.* C. *Cajus*, quaſi dictus à *gaudio Parentum.* D. *Decimus*, i. e. natus numerô *decimus.* K. *Kæſo*, à *cædo*: quòd cæsô matris uterô editus. Unde & *Kaiſar* ſeu *Cæſar.* L. *Lucius*, à *lux, lucis*: quaſi ſub *lucis initium* genitus. M. *Marcus*, à *Martio menſe.* M. *Manius.* i.e. *manè prognatus*: vel potiùs *totus bonus*: hoc enim vox antiqua *Manis* denotabat. N. *Numerius*, à *numero.* P. *Publius*; vel à voce *pubes*, vel à *populus*, tanquam *populo gratus & acceptus.* Q. *Quintus*, fortè quòd *quintô* locô editus eſſet. T. *Titus*, à verbo *tueri*: ut hôc nomine indigitatus videatur, *Tutor* ſeu *Conſervator* Patriæ. AP. *Appius*, à Sabina voce *Attius.* Attius enim Clauſus, patriâ pulſus, cùm Romam veniſſet, nomine mutatô, dici voluit *Appius Claudius.* CN. *Cneus*, an ab aliquo corporis *nævo.* SP. *Spurius*, à natalium turpitudine. *Spurii enim quaſi extra puritatem,* Iſidor. TI. *Tiberius*, quaſi prope *Tiberim* fluv. natus. MAM. *Mamercus*, quod Tuſcorum linguâ *Martem* notat, teſte *Feſtô.* SER. *Servius*, à voce *ſervus*: eò quòd qui primus id nominis uſurpâſſet, natus eſſet ſervus. SEX. *Sextus*, à numero *ſenario*: quaſi *ſextus* ordine inter liberos. Atque hæc octodecim nomina, maximè erant communia. Quibus ex veteri Hiſtoria addi poſſent, *Ancus, Aruns, Hoſtilius, Tullus* &c. quæ ſatis frequenter occurrunt. Addendum, *Prænomina*, ſic quæ fœminis fuêre data, *Caja, Lucia, Marcia* &c. inverſis literis ſolita fuiſſe ſcribi ſic, Ɔ· ˥· W· poſteà verò & hæc obſoleviſſe, dicique cœpiſſe, *Major, Minor.* Item *Prima, Secunda, Tertia* &c.

PRÆPARARE alterum, apud Recentiores, dictus olim eſt is, qui cùm facultates ſat amplas non poſſideret, ut ipſemet in hoſtem pergere poſſet, ſimilis ſortis ac conditionis viros pro virili in armis ac inſtructu bellico adjuvabat. *Capitulare ann.* 807. *edit. Baluzianæ, c.* 2. *Ubicunque autem inventi fuerint duo, quorum unus quiſque duos manſos habere videtur, unus alium* præparare *faciat & qui melius ex ipſis potuerit, in hoſtem veniat,* &c. Quò pertinet *Capitular.* 1. *anni* 812. *c.* 1. *Qui verò tres manſos de proprio habuerit, huic adjungatur unus, qui unum manſum habeat & det illi adjutorium, ut ille pro ambobus ire poſſit* &c. apud Car. du Freſne. Aliter ſumitur vox *Præparatio* apud Hariulfum, *l.* 3. *c.* 3. *Præparatio unius baculi è cryſtallo* &c. Hîc enim *ornamentum* denotare videtur: cùm hodieque *parer* Gallis, *ornare* ſit. At *Præparatorium*, in Eccleſia Romana, idem quod *Aſpaticum*, manſio eſt ſeu diverſorium Templo contiguum, ſeu ſacrarium, in quo Epiſcopus ſacris indumentis veſtiebatur, pro ſolennibus celebrationibus, ibique à Clericis obſequiô & manuum ſuarum oſculatione ſalutabatur; hinc *Salutatorium* quoque Latinis & ex Græcis ἀσπάζεσθαι, *Aſpaticum* dictum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ctum. Quia verò in eadem manſione Peregrini hoſpitabantur, etiam *Metatorium* appellatum eſt: ſic *Aſpaticum*, *Metatorium*, *Præparatorium* ſynonyma, promiſcuè Sacrarium ſignificant, in quo inſtrumenta ad ſacra conficienda & ipſe celebrans ad ritè celebrandum *præparantur*: Græci *Diaconicon* dixêre, vide ſuis locis: & plura hanc in rem, apud Macros Fratres *Hierolex.*

PRÆPESINTHUS, vel PREPESINTHUS, inſul. parva maris Ægæi, una Sporadum, à Melo parum diſtans in Auſtrum, *Arzentara Nigro. Argentiera, Baudrando*, prope oram Meli Borealem juxta promontor. Album. *Strabo* dicam ſcribit *Artemidoro*, quòd *Prepeſinthum*, *Gyarum* & *Oliarum* Cycladibus accenſeat; Tamen de *Gyaro Varro & Hyginus*, & de *Oliaro* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Stephanusque* idem ſentiunt. De *Prepeſintho* præter Geographos, eoſque pauciſſimos, non meminit ullus veterum, quod quidem ſciam. Nempe propter ſaxa, aut arenas deſerta fuit inſula; ſed propter ſaxa potius, ut ſuſcipatur Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 14. Nam *Prepeſinthum* dici putat, pro *Treteſintho*, quomodo πίσυρες pro τέσσυρες, quaſi *ſaxoſam* dixeris. Syris enim & Phœnicibus טרשא *tarſa*, & primâ geminatâ טרטישא *tartiſa*, *ſaxum* aut *rupem* ſonat. *Nic. Lloydius.*

PRÆPETES, dicebantur ex Augurum diſciplina, aves, quæ ſecundô volatu ante eum, qui auſpicabatur, volabant auſpiciumque faciebant: Et hæ *vel ſuperiora petebant*, & præpetes *vocabantur*, *vel inferiora & dicebantur Infera.* Servius *ad Æn. l.* 3. Unde Nigidius Figulus, apud A. Gellium, *l.* 6. *c.* 6. *Diſcrepat*, inquit, *dextra ſiniſtra, præpes infera, ex quo eſt conjectura*, addit Gellius, *Præpetes appellatas, quæ altius ſublimiuſque volitent.* In quæ verba Thyſius: *Aves itaque quæ felix præ ſe augurium antè volando ferebant, præpetes dictæ.* Pergit tamen Gellius, refertque ſe audiviſſe ex Apollinari Sulpicio, *Præpetes videri eſſe alites, quas* Homerus τανυπτέρυγας *appellaverit: quoniam iſtas potiſſimùm Augures ſpectarent, quæ ingentibus alis patulæ atque porrectæ prævolarent.* Ita autem Homerus, *Il.* μ. *v.* 257.

> Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
> Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μεταπρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω.
> *Tu verò avibus alas expandentibus jubes*
> *Obedire, ego verò minimè illas moror vel curo.*

Sed, nec Aves ſolùm, verùm etiam *loci, quos capiunt, qui idonei feliceſque ſunt appellantur* Præpetes; *idcirco Dædali pennas præpetes dixit* (Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 15.) *quoniam ex locis in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenerat. Locos verò præpetes & Augures appellant, & Ennius dixit* &c. Idem Gellius, *loc. cit.* Verſus Virgilii, ad quos alludit, ſic habent:

> *Dædalus, ut Fama eſt, fugiens Minoïa regna,*
> *Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo.*

In quos ita Servius: *Præpetibus pennis*, inquit, *velocibus vel felicibus. Præpetes autem dictæ, quòd priora petant, vel ſummi volatus* (fortè ad τὸ πέτεσθαι Græcorum reſpicit) *vel quæ præpetit volatum, vel quæ ſecundum auſpicium facit. Et quidam* Præpetes *tradunt non tantùm aves dici, ſed etiam locos quos capiunt* &c. Imò & *Portum præpetem* vocavit *Ennius*, ad quem facilis & fauſta eſſet navigatio, apud eundem Gell. *loc. cit.* Quæ verò cantu felix auſpicium faciebant, *Oſcines* vocabantur. Contrariæ *Præpetibus* erant Inferæ, ut dictum: quæ & *Inebræ* appellatæ, ut iterum Servius teſtatur *ad Æn. l.* 3. Vide quoque *Feſtum.*

PRÆPOSITA, dignitas apud Latinos in Monaſteriis Sanctimonialium Abbatiſſæ proxima, in *Regula* Sanctimonialium canonicè viventium, *c.* 24. Hinc legitur in *Vita* S. Auſtreberræ Virgin. *num.* 9. *Eligentibus cunctis. conſentiente Matre, licèt invita*, Præpoſita *conſtituitur*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PRÆPOSITI, dicuntur *ſub rubr. Cod. de ſuſcept. & præpoſ.* qui horreis pagiſque præfecti ſunt, *l.* 2. *Cod. eod. tit. horreis* ſcil. in quæ ſpecies fiſco debitæ importantur, *pagus* autem, unde exportantur, Pratejus ex Cujacio *ad d. rubr.* apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Græcè Πραιπόσιτοι τοῦ πάγου ἑκάστης πόλεως, apud Euſebium *in Epiſt.* Sabini Præfecti Prætorio Latina, quam Græcè reddidit. Eoſdem paulò pòſt idem τοὺς κατ' ἀγροὺς ἐπιτεταγμένους vocat: Sæculus *Magiſtros pagorum*, *l. de condit. agr.* &c. Vide ſuprà in voce *Magiſter.* In Romana militia *Præpoſiti* dicebantur, qui ſub Tribunis certo militum numero præfecti erant. Sueton. *in Ottone*, *c.* 1. *Auſus etiam eſt in Illyrico milites quoſdam, quòd motu Camilli ex pœnitentiâ* Præpoſitos *ſuos, quaſi defectionis adverſus Claudium auctores, occiderant, capite punire.* Modeſtinus *in*, *l* 3. §. 2. *ff. de re milit. Si Præſidis vel cujuſvis* Præpoſiti *ab excubatione quis deſiſtat, peccatum deſertionis ſubibit.* Et §. *ult. Qui* Præpoſitum *ſuum protegere noluerunt, vel deſeruerunt occiſo eô, capite puniuntur.* Græci προεστῶτας dixêre, Xenoph. *in Lacedæm. Rep.* Etiam *Præpoſiti* dicti ſunt, qui magno illi vexillo, quod vulgò *laborum* & *laborum ſolutio* ſive καμάτων λύτριον dicebatur, præponebantur; *Sozomen.* λάβωρον vocat, de quo ſuprà in voce *Labarum.* Unde in *Actis Synodi* Nicenæ II. quæ ex Bibliotheca vetuſtiſſima cum Cujacio communicavit Anton. Loiſellus, ſignum, quod Sozom. Conſtantinum in crucis uſum convertiſſe memorat, *laborum* vocatur. Id *Præpoſiti*, ut quæque pars in acie laborabat, in eam quaſi auxilii & liberationis vice inferebant; fuêreque jam olim, *Euſebió* teſte, huic rei à Conſtantino *præpoſiti* milites 50. qui, ut ex Cod. Theodoſiano liquet, ex protectoribus & domeſticis erant; quam ob cauſam, poſt titulum *de domeſticis & protectoribus*, ponitur titul. *præpoſitus laborum*: quibus idem *Clariſſimatus* honor, qui decem primis domeſticorum, defertur, Cujacius *de Rubr. C. de præp. labor.* Scriptoribus verò Eccleſiaſticis *Præpoſiti* dicti ſunt potiſſimùm Antiſtites, cœterique qui Eccleſiis præſunt, ut apud Cyprianum, *l.* 1. *Ep.* 5. *Ep.* 6. *l.* 6. *Ep.* 73. in Concilio Carthag. III. *can.* 45. & V. *can.* 13. &c. Προεστῶτες itidem, apud Juſtinum Martyrem, *Apolog.* 26. Concil. Aquiſgran. *can.* 139. *Quamvis omnes qui præſunt*, Præpoſiti *rectè dicantur*, &c. Ita Abbates *Præpoſiti* dicuntur Bedæ in *Vita* S. Guthberti *num.* 24. &c. Poſtmodum, in Eccleſiis quibuſdam Cathedralibus in ſpecie ſic dicti ſunt, qui Canonicorum Collegiis præſunt; cujuſmodi Collegia complura extant etiamnum in Germania, quæ vulgò *Præpoſituræ*, Germanicè *Probſteyen* vocantur (dignitatem enim Præpoſiti iſtiuſmodi *Præpoſitura* vox notat. Vide *infrà.*) Sed & in Monaſteriis ſic dici cœperunt, qui ſecundi eſſent ab *Abbatibus*, quemadmodum in Monaſteriis Monialium Præpoſitæ, qui dignitatem Abbatiſſæ proximam obtinent, uti vidimus. Hodie *Priores* vocantur. Vigilius Diaconus in *Regula* Orient. *c.* 3. *Ille verò, qui ſecundùm ordinem diſciplinæ ordinatione Abbatis, ex conſilio & voluntate omnium fratrum, fratribus* præpoſitus *eſt, omnem ad ſe curam de diſciplina Fratrum & diligentiam Monaſterii revocabit, habens poteſtatem Abbate abſente omnia, quæ Abbas præſens facit*, &c. Imò eôdem titulô inſignes ſunt, qui Cellæ ſeu obedientiæ Monaſticæ ab Abbatia dependentis ſunt Præfecti. Oſtienſis, *l.* 3. *c.* 13. *Reddidit Monaſterio cellam S. Benedicti de Salerno* —— *ſed cùm amoto Abbate*, Præpoſitus *ibi, juxta cellarum noſtrarum morem, conſtitutus eſſet* &c. Porrò, *Præpoſiti*, iidem cum *Advocatis* ac *Vicedominis* Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum, in Concil. Mogunt. *can.* 50. & Remenſi II. *c.* 24. Aut potiùs, cum *Villicis*: quod officium tranſlatum poſteà ad ipſos eſt Monachos vel Canonicos, qui Monaſterii vel Collegii Canonicorum bona iis addicta curarent & de reditibus rationes inirent &c. Nec omittendus *Præpoſitus*, qui idem, cum Judice pedaneo ſeu minore Judice in pagis, Ballivo ſubeſt, ad quem omnes ejus appellationes devolvuntur, Gallis *Prevoſt*, de quo *Statutum* Philippi pulchri *A. C.* 1302. *pro Reform. artic.* 10. exhibet Car. du Freſne *Gloſſar.* è quo inter alia diſcas, *ad firmam* tenuiſſe *Præpoſituras* ſuas iſtiuſmodi Officiales, ad triennium ſcil. quod Ludovico IX. vulgò adſcribitur. Unde Benedictus VIII. Philippo Pulchro, ut in Sanctorum referretur canonem, urgenti, id objicit, *quòd tam Præpoſituras, quàm Baillivatus, vendi ac diſtrahi in ſuo Regno paſſus eſſet*, *Chron.* Flandriæ, *c.* 33. quam in rem vide plura apud modò laudatum *Gloſſarii* Auctorem, cui adde Steph. Paſcaſium, *Diſquiſition. Francicar. c.* 15. Alius eſt *Præpoſitus*, in Fleta, *l.* 2. *c.* 76. is nempe, qui ſub Seneſcallo vel Baillivo res Dominicas ſeu Regias in villis curat vel pagis & agriculturæ, pecudibus, paſturæ & hujuſmodi invigilat, *Villicus*, ut infrà dicetur. Cujus munus, ut & reliquorum, de quibus diximus, dicemuſque, *Præpoſituram*, item *Præpoſitatum*, appellari, paſſim legimus. Addo ſaltem, Πραιπόσιτον, *Præpoſitum*, apud Philoſtorgium, per excellentiam, *Præpoſitum S. Cubiculi*; & in Eccleſia, Cypriani tempore, qui, ſede aliquâ Epiſcopi vacante, Clero præerant, ſic vocatos eſſe, ex Cl. Suicero in voce Πραιπόσιτος.

VARIÆ ALIÆ PRÆPOSITORUM SPECIES, APUD AUCTORES OCCURRENTES.

α. *Præpoſitus Auxiliorum*, in *Inſcr.* vocatur, qui aliàs *Dux Vexillorum*, item *Præfectus Auxiliorum*, & *Præpoſitus vexillationibus.* Vexilla enim auxilia fuêre, Liv. *l.* 39. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. Pertinac. c.* 2. β. *Præpoſitus Cameræ* Regalis, in *Vita* Ludovici Pii A. C. 817. idem cum Cubiculario, in Eginhardi *Ann.* ad eundem. an. Car. du Freſne *Gloſſ.* γ. *Præpoſitus Comitis*, in *LL.* Wiſigothorum, *l.* 9. *tit.* 2. §. 5. idem cum Vicario Comitis, *l.* 2. *tit.* 1. §. 23. qui ſcil. abſente Comite vices ejus obibat, apud *Eund.* δ. *Præpoſitus Cubiculi Sacri*, cui Imperatorii Cubiculi cura, qui ferè ſemper Eunuchus: ὁ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν ἔχων, apud Herodianum, *l.* 1. *c.* 12. προκοίτης, apud Xiphilinum; τοῦ θαλάμου προεστὼς eidem Herodiano, *l.* 1. *c.* 16. ut & θαλάμου φύλαξ, *l.* 3. *c.* 12. Meminit autem *Præpoſiti Cubiculi Ammianus* paſſim, vide quoque Theoph. Simocattam, *l.* 4. *c.* 15. Suidam *in Antiocho* &c. ut & infrà, *Præpoſitus Palatii.* Idem. ε. *Præpoſitus Domus regiæ*, apud Monachum Sangall. *de Carol. M. l.* 1. *c.* 33. *Id.* ζ. *Præpoſitus Eccleſiaſticus* Latinè dicitur, qui Græcis *Oeconomus*, h. e. qui proventus Eccleſiaſticos adminiſtrat & ſecundùm Epiſcopum plebi præeſt, *l. feud.* 1. *tit.* 1. §. *Abbas.* Meminit quoque Juſtin. *in Nov.* 67. §. ubi, ſi Epiſcopus diutiùs Eccleſiam deſeruerit, vetat Oeconomum quicquam ei proventuum ſuppeditare. Pratejus, apud Joh. Calvin. *Lexico Juridico.* Apud Cyprianum, modò Epiſcopum, modò Vicarium ejus ſeu Oeconomum, tempore ſedis vacantis, ſignificat, *Ep.* 27. *Quarum jam audita cauſâ, præceperunt eas* Præpoſiti *tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. Hierolex.* Macri. Vide ſuprà, ut & in vocibus *Oeconomus*, & *Vicedominus.* η. *Præpoſitus* Fabricæ, armorum ſcil. apud Ammian. *l.* 29. Car. du Freſne *Gloſſar.* θ. *Præpoſitus* à fiblis, *ad fiblas & fiblarum*, apud Salmaſ. *Not. ad Jul. Capitolin. in Gordiano. III. c.* 25. ι. *Præpoſitus Horreorum*, vide *Præpoſitus Pagorum.* κ. *Præpoſitus Imperat.* vide infrà. λ. *Præpoſitus Laborum*, qui magni illius vexilli, quod vulgò *Laborum*, ſeu *Laborum ſolutio*, καμάτων λύτριον *Nazianzeno*, poſteà *Labarum* dictum eſt, curam gerebat. Vide ſuprà. μ. *Præpoſitus Largitionum* ſacrarum, poſteriori ævô, dictus eſt, qui olim *Præfectus Ærarii Sacri* vocabatur. Scil. *Statii* tempore *Ærarii Sacri Præpoſitus* dicebatur, *Claudiani* ætate *Largitionum Sacrar. Comes* ſeu *Præpoſitus*; habebatque ſub ſe veſtium omne genus Textores, Murilegulos, Tinctores, Gynæciarios, Præfectos Textrinorum, Baphiorum, Magiſtros lineæ veſtis, Magiſtros privatæ &c. Vide Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Antonino Diadumeno.* ν. *Præpoſiti Menſæ* vide ſuprà *Pecunia.* ο. *Præpoſitus Menſæ.* dignitas in Palatiis olim Franciæ Regum, eadem quæ hodie *Magiſtri Hoſpitii*, Gall. *du Maiſtre d' Hoſtel* & apud Byzantinos Imperatores, τοῦ ἐπὶ τραπέζης. Hinc in Synodo VIII. Conſtantinopol. *Everardus Præpoſitus menſæ* Ludovici Pii, Legatus ejus, memoratur, Anaſtaſ. *act.* 10. Et Aimonius, *Hiſt. Franc. l.* 4.

l. 4. *c.* 78. *Andulſi Regia Menſa Præpoſiti*, meminit. Cujuſmodi dignitatis officium deſcribit Theodulfus Aurelianenſis Epiſcop. *Carm. l.* 3. ξ *Præpoſitus Militum*, in *leg.* 3. §. *ult.* & *leg.* 6. §. *ult. D. de re Militari* & apud Rufum *in LL. milit.* Militaris officii vocabulum fuiſſe, ſub poſterioribus Imperatorib. *Rhenanus* apud *Tertullianum* obſervavit. Exſtantque tituli quinque de *Præpoſitis in lib.* 12. *C.* Quod nomen, ut & multa alia, in re præſertim militari uſurpata, priſci Chriſtiani libenter uſurpârunt. Poſteà, ut mutatis moribus *Præpoſiti* nomen dignitatis eſſe vox cœpit, ita etiam latiùs patuit, quemadmodum oſtendit Panormitanus, *in c. quamvis. de verb. ſignific.* Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Hinc *Præpoſitura militum* apud Lamprid. *in Severo*, *c.* 46. Idem in *Heliogab. c.* 6. *Militaribus* Præpoſituris *& Tribunatibus & Legationibus & Ducatibus venditis.* Apud veteres quoque Romanos *Præpoſitos* in militia dictos fuiſſe, qui ſub Tribunis certo militum numero præfecti erant, diximus ſuprà. ο. *Præpoſitus Monetæ*, apud Ammian. *l.* 22. occurrit, & *Præfectus Monetæ Trevericæ* apud Gruterum. π. *Præpoſitus Pagorum*, idem cum *Magiſtro Pagorum*, apud veteres Romanos, Vide quæ de iis ſuprà attulimus. ρ. *Præpoſitus Palatii*, Amantius, apud Marcellinum Com. in Juſtino, qui nudè Πραιπόσιτος dicitur, in *Chron.* Alexandrino. Sic Rhodanus, πραιπόσιτος τȣ̃ παλατίȣ Valentiniani & ἀρχιευνȣ̃χος, *Ibid.* nudè verò Πραιπόσιτος apud *Cedrenum*: Narſes quoque *Præpoſitus ſacri Palatii*, in *veter. Inſcr. Præpoſitus* nudè. Apud Zonaram in *Conſtantio*, *p.* 17. Eunuchus Euſebius *Præpoſiti* dignitatem ambiiſſe legitur &c. Vide Palladium, *in Hiſtor. Lauſiaca*, *c.* 43. Olympiodorum, Philoſtorgium, *l.* 11. *c.* 4. Codinum *de Origin.* &c. & ſupra *Præpoſitus ſacri Cubiculi*. Apud Francos, *Præpoſitus Palatii*, Erchenoaldus dicitur, Audoëno de *Vita* S. Eligii, *l.* 2. *c.* 19. i. e. *Major domus* Car. du Freſne *Gloſſar.* σ. *Præpoſitus Scholarum*, qui etiam *Tribunus Scholarum*, apud Cujacium, *ad l.* 1. *C. de Comitibus & Tribunis Scholarum*, *l.* 12. Habebant ii hæc beneficia, ut intereſſent Imperatoris epulis, & adorarent purpuram ejus. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* τ. *Præpoſitus Theſaurorum*, apud S. Baſilium, *Ep.* 264. *& leg.* 14. *Cod. de Murileg. Privatæ vel linteæ veſtis Magiſtri*, *Theſaurorum* Præpoſiti *vel baphiorum & textrinorum Procuratores; cæterique quibus hujuſmodi ſolicitudo committitur.* Dicebatur etiam *Comes Theſaurorum*, & ſuberat Comiti Sacrarum Largitionum. Ejus officiales dicebantur, *Theſaurenſes l.* 2. *Cod. de Pal. ſacr. Larg. Nullus Theſaurenſis vel officialis Comitis Theſaurorum ſemel deprehenſus eversor* &c. ubi perperam *Comitem Theſaurorum*, pro Comite ſacrarum Largitionum accipit Vir quidam doctus, & *theſaurenſem* pro ejus apparitore. Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Severo. loc. cit.* υ. *Præpoſitus Tyrii textrini*, apud Ammian. *l.* 14. φ. *Præpoſitus Vexillationibus*, in *Inſcr.* idem qui *Præpoſitus* Auxiliorum, aliàs *Dux vexillorum*: Nam *Vexillatio*, & *vexillum* idem. Vide ſuprà *Præpoſitus Auxiliorum*. χ. *Præpoſitus* Villæ vel Hundredi, in *LL.* Eduardi Confeſſ. *c.* 28. idem cum *Præfecto Villæ*. Ibid. Vide Car. du Freſne *Gloſſar* &c.

PRÆPOSITUS Jacobus, Antverpiæ Euangelium docuit, dum Lovanii Martinus Dorpius, Trajecti Johannes Rhodius, Delphis Cor. Hotvius, & Gnapheus Hagienſis eôdem munere fungebantur. A. C. 1521. Hi nov. Teſt. primò, dein tota Biblia, in idioma Belgicum tranſtulerunt, &c. Scultetus *in Annal. Belg. &c.*

PRÆPOSITUS Imperatoris Victori Tunnunenſi *in Chron.* Chryſaphius vocatur, quem Marcellinus Comes *in Chron.* appellat *Eunuchum*, cui cuſtodia lectorum cubicularium ornatuſque commiſſus erat. Sic Johannes & Paulus clariſſimi Martyres Eunuchi, *Præpoſitus* alter, alter *Primicerius*, à Terentiano, qui eorum geſta deſcripſit, apud Surium. *Tom.* 5. nominantur: *Præpoſitum* cubiculo intelligo. Similiter *in Martyrol. Rom. d.* 19. *Mai*, Calocerus Eunuchus *Præpoſitus cubiculi uxoris Decii Imperat.* & apud Ambroſium, *Ep. ad Marcell.* Calligonus *Præpoſitus cubiculi Valentiniani*, vocitantur. Nempe inter munera Eunuchorum & hoc fuit, jamque olim privatis quoque dominis placuit. Unde Appulejus, *Metam. l.* 10. *Dii boni, qualis ille, quamque præclarus apparatus? Quatuor Eunuchi ſtatim pulvillis compluribus ventoſè tumentibus, plumâ delicatâ*, &c. Aliàs in hunc uſum paratæ erant ancillæ: Quam ob rem Ariadna ſic apud Catullum, *Epigr.* 65. *v.* 158.

Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,
Sæva quòd horrebas priſci præcepta Parentis:
Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundô famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureave tuum conſternens veſte cubile.

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.*

PRÆPUTIATUS, h. e. incircumciſus. Tertullian. *adverſ. Marcionem*, *Chriſtus proprius & legitimus Dei Antiſtes*, præputiati *Sacerdotii Pontifex.* Meminit eorum, qui, cùm circumciſi eſſent, arte Chirurgicâ, *præputiati* denuo facti ſunt, damnatque motum Paulus 1. Corinth. *c.* 7. *v.* 18. Περιτετμημένος τὶς ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω; *Circumciſus aliquis vocatus eſt, ne attrahat* (ſcil. præputium.) Ubi τὸ ἐπισπᾶσθαι, quod in genere ſignificat *attrahere*, accipit Beza paſſivâ ſignificatione, ac de eo intelligit, qui Chirurgi operâ *præputiatur*: quod quidem fiebat cute ferrô adductâ, ut glandem rurſus operiret, quemadmodum docet Celſus, *l.* 7. *c.* 25. & teſtatur Epiphanius, *l. de Ponder. & Menſur.* quorum hic, *At hoc*, inquit, *gravius eſt, quòd etiam à circumciſione præputiati fiunt arte quâdam Medicâ, per inſtrumentum attractorium, Spathiſterem appellatum, infimam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, futuramque admittentes & glutinatoriis circumdatis*, præputium rurſus ſuperinducunt. In quibus verbis *Spathiſterem* inſtrumentum hoc dictum fuiſſe, indicat: additque, Eſavum impium, ut velut Apoſtata paternum ſignum deleret Legiſque divinæ ſic hoſtem profeſſum ſe teſtaretur, illud primùm excogitâſſe. Similes illis, de quibus *l. c.* Paulus, fuêre Judæi illi, 1. Maccab. *c.* 1. qui, ad Gentiles deficientes, *feciſſe ſibi præputia*, dicuntur *v.* 16. Quod naturaliter fieri poſſe, licet negent Origenes ac Hieronymus, ex verbis Apoſtoli allatis patet. Sed & Joſeph. *Jud. Antiquit. l.* 12. *c.* 6. refert, Judæorum quoſdam circumciſionem ita occultâſſe, ut nudi à Græcis non diſtinguerentur; quod etiam memorat Theophylactus *ad l. c.* ac Talmudi aſſertio in *tr. Sebamoth*, *c.* 8. habetur, quòd nimirum Hebræi nonnulli ſuam circumciſionem ita inficere ſoliti ſint, ut non poſſent Moſaicæ legis profeſſores agnoſci, quò hôc pactô injurias, perſecutiones ac tormenta evitarent: qui tamen in civitate *Better* deinde circumciſionem iteraverint, Hebræis hinc *Meſchiuchim*, i. e. *Attracti*, appellati. Vide Car. Macrum *Hierolex.* in voce *Spathiſter*; & plura *de præputio* ſuprà, voce *Circumciſio*, aliquid etiam infrà *Recutiti*, it. *Verpus*.

PRÆRIPERE limitem, vox Circi. Silius de Cyrni curru, qui in ludis Circenſibus Scipionis, primus exierat, & cœteros anteverterat, *l.* 16. *v.* 333.

Evolat ante omnes; rapidôque per aëra curſu
Callaïcus Lampon fugit atque ingentia tranſit
Exultans ſpatia, & ventos poſt terga relinquit.
Conclamant; plauſuque fremunt, votique peractam
Majorem credunt præreptô *limite partem*:

Idem eſt, quod *occupare*, de quâ voce ſuprà diximus.

PRÆROGATIVA Centuria ſeu Tribus, vocabatur olim, à *prærogando*, quæ, ſortitione factâ, prima in Comitiis ſuffragium dabat. Poſtquam enim ſub Regibus, cùm aut Magiſtratus creandi, aut de Legibus cognoſcendum, aut bellum inferendum eſſet, primæ ad ſuffragia vocatæ eſſent maximi cenſus Centuriæ, Equitum Peditumque: ſequenti ævô liberâque jam Rep. omnes Centuriæ in ſortem conjici cœperunt, quarum quæ prima exibat, prima ferebat ſuffragium & *Prærogativa* appellabatur, cœteris, quæ dicebantur *Jure vocatæ*, dein ordine ſequentibus. Quod idem & in Tribubus factum: tantumque *Prærogativæ* omen fuerat, ut plerunque ejus ſententiam reliquæ adoptarent. Vide Aſconium *Verrinâ* 2. Sortitione itaque inter Tribus & Centurias de prærogativa facta, Magiſtratus in tribunali, quod erat in Campo Martio, ſedens, per Præconem vocabat *Prærogativam* Centuriam ad ſuffragium: quæ de eo loco, in quo conſtiterat, diſcedens in Septum ſeu Ovile (locus erat in Campo præfato, cancellis concluſus, in quo ſuffragia dabantur) ibat per pontem, in cujus initio ſtabant Diribitores, qui tabellas ſingulis miniſtrabant: Ingredientibus verò Ovile Rogatores ciſtam proponebant, in quam eam quam vellent tabulam conjicerent. Cùm collectæ erant totius Centuriæ tabellæ, educebant ſuffragia Cuſtodes, hiſque deſcriptis, *Prærogativæ* Centuriæ ſuffragium renuntiabant. Quô factô hâc ex Ovili redeunte, prima Equitum Centuria: pòſt ſingulæ Centuriæ primæ claſſis ordine ad ſuffragium ferendum eôdem modô vocabantur, &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14. Hadr. Turnebus, verba illa Tullii, *Majores voluerunt*, Prærogativam *omnem eſſe juſtorum Comitiorum*, eò interpretatur, quod tanti fuerit apud Rom. hæc Centuria, ut ſemper is Conſul eligeretur, quem illa ſuffragiô ſuô declarâſſet. *Adverſar. l.* 5. *c.* 23. Vide quoque infrà, voce *Primus*, it. *Principium*, & ubi *de Revocandi in Suffragia ritu.* Hinc *Prærogativum Omen*, de ſuô locô. At *Prærogativarius*, ſeu officium *Prærogativarum*, apud Recentiores occurrit, cujus exhibet formulam Senator, *l.* 11. *Ep.* 27. *Prærogator* verò, quaſi *Præerogator*, ſervi nomen apud Romanos, de quo infrà in *Prorogator*.

PRÆSAGIUM, vide hîc in vocibus, *Omen*, *Saga*, *Verum*, &c.

PRÆSANCTIFICATORUM Miſſa, dicitur in Eccleſia Græcorum, quam illi in diebus Quadrageſimæ ferialibus, exceptis Sabbathis & Dominicis, necnon die Annuntiationis, celebrant, ſine conſecratione, ut ajunt: conſumunt tamen Euchariſtiam in præcedenti Dominica conſecratam, eô modô quô Latini ſolent in die Veneris Sancto: Græc. προηγιασμένη: fit enim in ſignum mœſtitiæ. Meminit hujus Miſſæ Sexta Synodus in Trull. *can.* 52. *In omnibus Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbatho, & Dominica & Annuntiationis die, fiat ſacrum* præſanctificatorum *myſteriorum.* Vide quoque infrà voce *Proſcyria*; at plura hanc in rem, apud Jo. Meurſium *Gloſſar.* Leon. Allatium *de Miſſa Præſanctif. Diſſertat.* 1. *de libris Eccl. Græcor.* item *de conſenſu Eccl. Occid. & Orient.* Suicerum *Theſaur. Eccl.* in Ἀντίδωρον, item Προηγιασμένοι &c.

PRÆSEGMINA, vox generalis, in ſpecie τὰς ὑπεροχὰς τῶν ὀνύχων, *quæ unguibus eminulis præſecantur*, notat; vide infrà *Tages*. Quod non ignobile olim miniſterium fuiſſe, videbimus infrà voce *Taira*, it. *Tonſor*. Collecta ea, inter Symphoniacorum concentus, dicemus voce *Symphonia*; plura ubi de *Unguibus*.

PRÆSEMENTITIUM Sacrificium, vide ſuprà *Eireſione*.

PRÆSENS, Conſul cum Rufino, An. Urb. Cond. 905. Alius Conſul cum Albino, An. 998.

PRÆSENS, vide ſupra *Epiphanes* & infrà ubi de *per Præſentes Deos jurandi ritu.*

PRÆSENS, Latinis perquam eleganter dicitur, qui magnam vim habet pecuniæ numeratæ, Græcè εὔχαλκος: ſed & παρὼν, in optimo *Gloſſ. Præſens*, ἐπιφανὴς καὶ παρὼν καὶ εὔχαλκος, quæ verba notatu digniſſima judicat *Salmaſ. Præſens* enim hîc eſt, qui multum habet in numerato & præſenti pecuniâ poteſt ſolvere: quod vix alibi aliàs eôdem ſenſu reperitur. Hinc παρȣσίαν Græci vocant *ſubſtantiam*. *Heſychius*, παρȣσίαν, ȣ̃τως ἐκάλȣν τὰ ὑπάρχοντα

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

παρουσίαν, καὶ μηκέτι ἡ παρὰ πρόθεσις παρέλκει, *Vocârunt* παρουσίαν, *opes, neque præpoſitio* παρὰ *redundat*; Salmaſ. *ad Trebellium Pollion. in D. Claudio, c.* 14. Unde *præſentia*, apud Matth. Pariſ. A. C. 1170. Gallic. *preſent*; i. e. munus, quod *præſenti* in manus datur. Nam abſentibus res *donari* dicuntur, *munera autem* mitti, & *præſentia* offerri, *leg.* 18. *D. de Verb. ſignific.* Cæterùm in toto Oriente, ferme ab omni ævo, credendi uſu ignoratô, vel ſaltem minùs frequenti, non niſi de rebus certis ac *præſentibus præſentes* ipſos contrahere & venditiones raro aliter, quàm *præſenti* pecuniâ fieri ſolitas, dicemus infrà voce *Uſura*. Etiam *Præſens*, pro *Præſide*, vide infrà in *Præſentes*. Inprimis *Præſens* ſeu *Præſentalis* dictus eſt unus è Magiſtris Militum, quòd in *præſenti*, h. e. in comitatu Principis ageret, & *Præſentalibus* numeris præeſſet, ut docet *Notis* Imperii, ubi *Magiſtri equitum & peditum in præſenti duo recenſentur, alii tres per Orientem, Thracias & Illyricum.* Idem *Magiſter militum præſentalis* vocatus eſt, *Ibid.* Militabant autem ſub ejus diſpoſitione Palatinæ Vexillationes 5. Comitacenſes 7. Legiones Palatinæ 15. Auxilia Palatina 18. ex quibus conficitur, *Præſentes* eſſe appellatos, quòd *præſentes* adeſſent, in Comitatu Principis & in eo militarent, atque adeo Palatinæ militiæ ad cuſtodiam Imperatoris addictæ præeſſent, ex qua qui erant, *Præſentales* pariter dicebantur, ut & *Domeſtici*, qui in Palatinis Scholis militabant, *in lib.* 4. *Cod. Theod. de Protector. & Domeſtic.* Adde *leg.* 7. *eod. Cod. de Re milit.* Apud Marcellinum Com. in *Zenone*, mentio fit *Magiſtri præſentis militiæ*: apud Scholiaſtem Juliani Anteceſſ. *c.* 83. *Magiſtri militum præſentum*: apud Jornandem *de Succeſſione Regnor.* occurrit *Magiſter militum præſens.* Euagrius, *l.* 4. *c.* 3. habet ϛρατηγὸν τῶν καλουμένων πραισέντων: Auctor *Chronici* Alexandr. ϛρατηλάτην τοῦ πραισεντου, *p.* 752. Ipſa dignitas, *Magiſterium Præſentale*, eidem Marcellino dicitur *in Juſtiniano*, poſt Baſilii Conſ. IV. *Præſentanea dignitas*, Senatori, *l.* 11. *Ep.* 1. Τιμὴ τοῦ Πραισεντου, Simocattæ, *l.* 1. *c.* 7. Concil. Conſtantinopol. ſub Menna *Act.* 5. Καὶ τοῖς ἀνδρειοτάτοις ϛρατηγοῖς τοῦ θείου Πραισεντου. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Barn. Briſſonium, *de verb. ſignific. l.* 14. Jo. Meurſium *Gloſſar.* & Jo. Caſp. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Πραίσεντον, ubi fuiſſe equites pariter peditesque, per Orientem æquè ac Occidentem diſpoſitos, atque hinc Πραισενταλίους, *Præſentales*, tum Duces, qui aliter *Præſentes*, tum milites, qui *Præſenti* ſuberant, appellatos, ibidem notat.

PRÆSENTANDI Jus, vide ſuprà *Advocatus Eccleſ.*

PRÆSENTATIO, in Eccleſia Roman. Beatæ Mariæ Virgin. Feſtum vocatur, à Gregorio XI. ad preces Cypri Regis Avenione inſtitutum A. C. 1372. cujus officium *MS.* in Codice Victorino Pariſienſi, ut videre eſt apud Macros Fratres in *Hierolex.* Secundùm Rivetum à Græcis in Gallias tranſiit, temporibus Caroli V. Francorum Regis circa A. C. 1375. qui etiam inſtitutionem ejus Paulo II. A. C. 1464. & Sixto IV. adſcribi A. C. 1475. ab Onuphrio, in *Vita* hujus, & ab eodem *Feſtum Oblationis* appellari, addit. Celebratur die 21. Nov. Nomen ei, non à ſolennitate, quâ Chriſtus fuit oblatus in Templo, quæ *Præſentatio* quoque olim dicta, ſed *à præſentatione Virginis triennis*, quam factam ab Anna matre, narrant Nicephorus Calliſt. *Hiſtor. l.* 1. *c.* 7. & Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. *Orat. pecul.* edocti à Scriptore quodam, de quo ita præfatus Gregorius Nyſſenus *in Diem Nat. Chriſti Tom.* 2. *Audivi hiſtoriam apocrypham, tales de ea prodentem narrationes.* Vide Iſaac. Caſaubon. *Exercitat. I. ad Appar. num.* 21. Rich. Montacutium *Appar.* 9. *ſect.* 2. & *ſeqq.* A. Rivetum *Apolog. pro Sanctiſſima Virgine. l.* 1. *c.* 10. Alios.

PRÆSENTES, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 32. *Si unquam alicui* præſentium *ſucceſſorem dedit, ſemper illud addidit, Gratias tibi agit Reſpublica; eumque muneratus eſt, ita ut privatus pro loco ſuo poſſet honeſtè vivere* &c. ſunt Præſides, qui videl. *Præſident*, ſicut, *Præſentes*, qui *præſunt*; cujus utriuſque verbi eadem proin notio. Juſtinianus, *In Berytenſium autem civitate —— Præſens Pœnicæ maritimæ.* Salmaſius, *ad loc.* Vide quoque Spartian. *in Geta, c.* 5. ut & ſuprà.

per PRÆSENTES Deos jurandi ritus, memoratur Curtio, *l.* 6. *c.* 7. *Ille* (Nicomachus) *ratus nihil —— indicaturum, per præſentes Deos jurat*; qui nempe in illo templo, ad quod deductus erat, colebantur. Ferebat ita veterum conſuetudo Macedonum, ut ducti ad templum, tactis altaribus & ſimulachris, juramentô defungerentur; quod vocabant per *præſentes Deos jurare.* Exemplum aliud habes, apud Juſtinum, *l.* 24. *c.* 2. ubi de Ptolemæo jurante, *ſe ſincerâ fide matrimonium ſororis petere*: Et videtur ad hunc morem alludere Ovidius, *Triſt. l.* 2. *El.* 1. *v.* 53. ubi Auguſtum alloquens,

> *Per mare*, inquit, *per terras, per tertia Numina juro,*
> *Per te* præſentem *conſpicuumque Deum.*

Vide Raderum *ad Curtium, d. l.* De Inſcriptionibus verò Fanorum apud Gentiles; *Numinibus incolis. Numinibus præſentibus, Numinibus inquilinis*, quibus ſe jactat Cæcilius apud Minucium Felic. vide aliquid obſervatum Nic. Rigaltio *ad eum.* Adde quæ dicta ſuprà voce *Adeſto*, quæque dicemus infrà in *Propitii.*

PRÆSEPE Domini, magnâ veneratione fuiſſe apud Helenam Conſtantini M. matrem, quæ proin *Stabularia* per convitium à Gentilibus dicta, legitur apud Ambroſium, *Orat. de Theod.* Eſt autem *Præſepe*, Græcè φάτνη, propriè locus in ſtabulo concavus, ubi pabulum jumentis apponitur; olimque ſuam quiſque equorum φάτνην, quaſi menſam, ante ſe habuit, unde φάτνη & τράπεζα pro eodem paſſim & ἐκφατνίσματα, primò *præſepium purgamenta*, inde *menſæ reliquiæ*, ſeu analecta. Impropriè φάτνη ſeu *præſepe*, ſtabulum notat, Jeſaiæ, *c.* 1. *v.* 3. Sic Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 17.

> *Setigerique ſues, atque in* præſepibus *urſi*
> *Sævire* ——

Atque hôc poſteriore ſenſu, contra Veterum opinionem, verba Lucæ *c.* 2. *v.* 7. de B. Virgine, Καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ, *& reclinavit eum* (infantem Jeſum) *in præſepio*, accipiunt Viri docti, de φάτνῃ nempe καταλύματος, h. e. *ſtabulo diverſorii*, uti videre eſt apud Salmaſ. laudatum Balduino Walæo *in Lucam c.* 2. Heinſium *Exercitat. Ibid.* & Suicerum *Theſauro Eccl.* voce Φάτνη. Aliam vocis notionem vide ſuprà, ubi de *Molis.*

PRÆSES, nomen generale eſt, verba ſunt Marci JC. *leg.* 1. *ff. de Offic. Præſid.* eò quòd *& Proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes Provincias regentes, licèt Senatores non ſint, Præſides appellantur.* Vide quoque Dionem, *l.* 4. Speciatim verò *Præſides* dicebantur, qui à Cæſare cum ſummo Imperio mittebantur in provincias: quemadmodum *Proconſules*, à Senatu, qui annô proximô Conſulatum geſſerant, & *Proprætores*, qui Præturam adminiſtraverant, ſolebant mitti. Alii erant *Legati*, qui non ſuô, ſed Principis nomine in diplomatibus utebantur; Princeps enim quaſdam provincias, in quos Legatos mitteret, ſibi reſervabat. Unde Pontius Pilatus *Syriæ Legatus* Lactantio dicitur. Anton. Thyſius *Notis in A. Gellium, l.* 2. *c.* 2. Solebant verò non Proconſulares ſolùm, ſed & provinc. *Præſidiales* ſorte concedi; nam *antiquæ libertati provinciæ Procoſſ. dabantur, reliquæ per Præſides adminiſtrabantur*, Strabo, *l.* 6. *in fin.* quarum has va-*lidiores audire*, docet Sueton. *Aug. c.* 47. In harum numero Sicilia recenſentur & Sardinia, Sext. Ruffo *Brev. Hiſt. Rom.* quatuor Hiſpaniæ, Martian. Capellæ, *l.* 6. Tripolis, utraque Mauritania, Ruffo *ibid. loci.* Ægyptus Corn. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 60. & *Hiſtor. l.* 1. *c.* 11. Gallia, Treb. Pollioni *in Poſthumo, c.* 3. Dalmatia, Fl. Vopiſco *in Carino, c.* 17. Vide præter alios Alex. ab Alexandro, *Genial. dier. l.* 2. *c.* 27. Provinciarum verò diviſio iſta in Proconſulares & *Præſidiales*, ab Auguſto, poſtquam Senatus P. Q. voluntate compelleretur, ut ſolus Remp. gereret, primùm inſtituta eſt, qua de re dicemus infrà paſſim, ubi de *Præſidialibus provinciis*, item in vocibus *Proconſul* & *Provincia*: plura verò de hac voce vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 42. Salmaſio, *Præſes* & Procurator idem, Æl. Spartian. in *Adriano, c.* 13. *Et circumiens quidem provincias, procuratores &* Præſides *profactis ſuppliciô affecit, ita ſeverè, ut accuſatores per ſe crederetur immittere.* Et eſt quidem, ait, *Præſes* generale nomen de provinciæ adminiſtratore: propriè tamen ſic dicti, qui minores provincias, quæ à ſolis Præcuratoribus regebantur, adminiſtrabant. Itaque in illis provinciis *Procurator* & *Præſes* idem. Quinimò utrâque appellatione gaudebant: Hinc in *veter. Inſcr. Procurator & Præſes Alpium. Procurator & Præſes provinciarum per Orientem. Procurator & Præſes Sardiniæ provinciæ.* Sic Græcis Ἄρχοντες καὶ Ἐπίτροποι. Unde Arrianus de Epiri Procuratore, nam & hæc provincia Præſidalis fuit, modò eum Ἄρχοντα, i. e. *Præſidem*; modò Ἐπίτροπον, i. e. *Procuratorem* vocat: σὲ ἔφη βλέποντες τὸν αὐτῶν Ἄρχοντα, τοῦ Καίσαρος φίλον καὶ Ἐπίτροπον, *Te reſpicientes, ſuum Præſidem, Cæſaris Amicum & Procuratorem.* Et paulo pòſt, Ὁρᾷ πῶς ὁ Ἐπίτροπος τοῦ Καίσαρος θεωρεῖ &c. Atque de iſtiuſmodi *Præſidalibus* provinciis Lamprid. *in Severo, c.* 24. *Provincias Prætorias Præſidales plurimas fecit, Proconſulares ex Senatus voluntate ordinavit.* Quomodo ferè ſemper nomen *Præſidis*, apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, accipiendum, de Procuratoribus *ſcil. Cæſaris* in illis provinciis, quæ nec Prætoriæ erant, nec *Conſulares*, nec Proconſulares, nec ab aliis adminiſtrabantur, quàm à Procuratoribus Cæſaris, qui & *Præſides* propriè dicebantur. Sic *Præſes Orientis* apud Vopiſcum, qui in *vet. Inſcr. Procurator & Præſes provinciarum per Orientem*, dicitur. Apud *Eund. Præſidatum in Dalmatia adminiſtrare*, eſt Præſidem & Procuratorem Dalmatiæ eſſe: nam hæc etiam provincia Præſidalis erat. *In Carino, loc. cit. Statuerat denique Conſtantium, qui poſteà Cæſar factus eſt, tunc autem Præſidatum in Dalmatia adminiſtrabat, in locum ejus ſubrogare.* Et apud Trebellum Pollionem, *c.* 24. Tetricus *Præſidatum in Gallia rexiſſe* dicitur, qui unius ex Galliarum provinciis *Præſes* & Procurator fuit. At qui in provinciis proconſularibus Procuratores erant Cæſaris, hi non *Præſides*, ſed *Procuratores* tantùm dicebantur, qui rem Fiſci curabant & nullam, niſi in fiſcalibus cauſis, juriſdictionem habebant &c. Salmaſ. *ad Spartian. l. c.* Apud Flav. Vopiſcum, *c.* 13. Probus Imperator permiſiſſe Senatui legitur, ut, inter alia, *jus Prætorium* Præſidibus *darent.* Quod ſic explicat Caſaubon. ut Præſides provinciarum ex ſua provincia quiſque reverſi ſederent in Senatu inter Prætorios. Salmaſio verò id nihil aliud fuit, quàm Præſides cum jure Prætorio in provincias mittere. Quemadmodum enim, qui cum jure Conſulari provincias adminiſtrabant Cæſarianas, *Conſulares* dicebantur, etſi nunquam Conſules fuiſſent: ſic quos Cæſar idem provinciis ſuis præficiebat cum jure Prætorio regendis, *Prætorii Legati* & *Proprætorii* audiebant, Idem *ad loc.* Nonnunquam tamen de ipſo Imperatore vox occurrit. Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 8. *v.* 7. de Roma & Trajano,

> *Dixit* Præſide *glorioſa tali.*

Uti Statius, *Thebaid. l.* 10. *v.* 12. de Imperatore ſeu Duce exercitus eam uſurpat,

> *Quatuor errantes Danaûm ſine* Præſide *turmæ,*

ad quem loc. Vide *Animadverſiones Caſp. Barthii* &c. Hinc *Præſidales* provinciæ, de quibus paulo infrà: *Præſidatus*, dignitas Præſidis: & *Præſidiaria Toga*, quam omen Imperii feciſſe Severo, docet Spartian. in *Vita* illius. *c.* 1. De titulo honorario Præſidum, vide ſuprà *Laudabilitas*, it. *Perfectiſſimatus*,

PRÆSICIÆ, vide infrà *Proſiciæ.*

PRÆSIDALES, Provinciæ, quæ à *Præſidibus* regebantur. Poſtquam enim, partitione provinciarum inſtitutâ, Auguſtus quaſdam Populo aſſignâſſet, quaſdam ſibi reſervâſſet, ex iis, quæ

Popu-

Populo conceſſæ erant, duæ quidem *Proconſulares* fuêre, Africa nempe & Aſia; decem autem *Prætoria*, quas enumerat Strabo, *l.* 17. *ſub fin.* Reliquas omnes ſibi Cæſar retinuit ac regendas ſuſcepit, & in eas quidem modò Conſulares viros mittebat, qui *Conſulares Legati*; modò Prætorios, qui *Legati pro Prætore*; modò Equites, qui, cùm minutis provinciis præeſſent, *Præſides* atque *Procuratores* dicebantur. Ita tamen, ut pro arbitrio ſuo Imperatores provinciarum jura & adminiſtrationes ſæpe mutantes, quæ Populi erant, ſuas facerent; ſuas autem Populo tranſcriberent: & ſic de Conſularibus Proconſulares ac contra; deque *Præſidalibus* Prætorias deque Prætoriis *Præſidales* facerent, quarum mutationum exempla in antiquis Inſcriptionibus reperiuntur quàm plurima &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. loc. cit.* Addam de provinciarum iſtiuſmodi Præſidibus, quô honore illorum eos affecerit Alexander Severus, qui laudem meruerant, ex *Vita* ejus a Lampridio deſcripta, *c.* 22. Ita autem hic Auctor, *Præſides*, inquit, *provinciarum, quos verè non factionibus, laudari comperit, & in itineribus ſecum ſemper in vehiculo habuit & muneribus adjuvit, dicens, & fures à Republica pellendos ac pauperandos, & integros eſſe redimendos atque ditandos.* Ut alia omittam: de quibus vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 806.

PRÆSIDIA Arcana, in Inſcr. *vet. Romana.*

> ANNUANT. DII. ROMANÆ. REIPUBLICÆ. ARCANAQUE. URBIS. PRÆSIDIA. QUORUM. NUTU. IMPERIO. ROMANO. REGNA. CESSERE.

Sunt *Præſidia fatalia*, quæ figebant olim in penetralibus Sacrariorum, ſalvis illis Rempublicam non poſſe perire perſuaſi, uti de Palladio, Ancilibus, aliis, res nota. De iis Claudian. *Bellô Geticô*, *v.* 100.

> ——— *procul arceat altus*
> *Jupiter, ut delubra Numæ, ſedemque Quirini*
> *Barbaries oculis ſaltim temerare profanis*
> *Poſſit & arcanum tanti deprendere Regni.*

Ad quem locum vide Caſp. Barthium, quædam verò in hanc rem quoque ſuprà in voce *Conſecratio.* Aliâ ratione ſunt *Arcana Deorum*, illorum conſilia, apud Statium, *Thebaid. l.* 8. *v.* 280.

> ——— *Qui cum ipſe arcana Deorum*
> *Partiri, & viſus uni ſociare ſolebat*
> *Amphiaraus aves* &c.

PRÆSIDII Præfectus, vide infrà *Prætor provinc.*

PRÆSIDIUM, oppid. Angliæ in Comitatu Warwicenſi, Conventriæ urbi finitimum. *Warwick Camdeno.* Vide & *Julium.*

PRÆSIDIUS, Conſul cum Aſterio, An. Urb. Cond. 1247.

PRÆSTANA, Dea veter. Romanorum, apud Arnobium, *adv. Gentes*, *l.* 4. ubi de Romuli Remique nutrice lupa, *Quòd abjectis infantibus peperit lupa non mitis, Luperca inquit, Dea eſt auctore appellata Varrone ——— Aut ſi fuit jamdudum Dea ——— cujus fuerit nominis, expromite.* Præſtana *eſt, ut perhibetis, dicta, quòd Quirinus in jaculi miſſione cunctorum præſtiterit viribus: & quòd Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſt, Dea Panda eſt appellata vel Pantica.*

PRÆSTERNENDI flores mos, memoratur Statio, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 253.

> *Prætereà ſi quando pio laudata marito*
> *Umbra venit, jubet ire faces Proſerpina lætas,*
> *Egreſſaſque ſacris veteres Heroidas antris*
> *Lumine purpureô triſtes laxare tenebras*
> *Sertaque & Elyſios animæ* præſternere *flores* &c.

In quibus nempe pedem ſuaviter ponat. Quem pridem multi illuſtrârunt, inter quos Caſp. Barth. *ad Claudian.*

PRÆSTES Jupiter, memoratur Capitolino, *in vita Maximi*, *c.* 5. *Nato Maximo, carnem bubulam & quidem multam aquila in cellam coràm projeciſſe fertur, quæ auguſto patebat impluvio: eam denique ——— iterum ſuſtuliſſe, & in proximum ſacellum, quod erat* Jovis Præſtitis, *detuliſſe.* Aliàs *Præſtites*, dicti ſunt Romanis Lares, qui curam hominum, locorum, urbium habere credebantur. Iidem & Genii, quorum ſingulos ſingulis hominibus antiquorum attribuit ſimplicitas. Mart. Capella. *Specialis ſingulis mortalibus Genius admovetur, quem &* Præſtitem, *quòd præſit gerundis omnibus, vocaverunt.* Aliud etymon Ovid. ſuggerit,

> *Cauſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,*
> *Quòd* præſtant *oculis omnia tuta ſuis*

Optimum *Plutarchus*, cùm illos ſic, quaſi προεστῶτας, vult dictos. Vide ſuprà *Domus.*

PRÆSTES, Minerva, quòd *præiret*, & ſe veluti ducem homini exhiberet. Dicebatur etiam *Aſſes*, quia *aſtat* viro bono, lateríque ejus hæret comes fidelis. Macrob. *l.* 1. *c.* 17. *Capella*, *Feſtus.*

PRÆSTI, Indiæ gens, Qu. Curtio, *l.* 9. *c.* 8. *Præſida* fortè malè legitur pro iiſdem, in Oroſii *l.* 3. *c.* 19.

PRÆSTIGIÆ, ſeveriſſimè prohibitæ *can.* 65. Baſilii, ubi præſtigias confitentem τῶ φονέως χρόνον, *homicidæ tempore*, confiteri jubet. Quæ verò homicidæ pœna Eccleſiaſt. docet idem, *can.* 56. Cæterùm *Præſtigiatores* remedia in omnes morbos venditare conſueviſſe, diximus ſuprà, ubi de *Icunculis* eorum, vide quoque voce *Divinatio.*

PRÆSTIMONIUM, dicitur in Eccleſia Romana Eccleſiaſticum beneficium cum aliquo onere: cujuſmodi beneficia in Hiſpania reperiuntur non pauca. Tridentina Synodus *Seſſ.* 23. *c.* 18. Etiam præſtimonia & præſtimoniales portiones nuncupat. Et in Apoſtilla ad calcem Extrav. Johannis XII. *Et vindicat ſibi locum iſta decretalis, in præſtimoniis & præſtimonialibus portionibus, quia ſunt Beneficia & perpetua* &c. apud Macros Fratres *in Hierolex.*

PRÆSTOLANTES, dicti milites, quos Arminiani, cauſæ ſuæ diffidentes, conſcripſerant, prudentiâ Mauritii Principis exauctorati, A. C. 1617. Sequuta dein ſynodus Dordracena, A. C. 1618, Vide ſuprà *Arminius Jacobus.*

PRÆSUL, dictus eſt apud Romanos primus inter Salios, Martis Sacerdotes, à *præſiliendo*, quòd Saliis ancilia per urbem, cum cantu & tripudiis, circumferentibus præiret & choream duceret. Becmannus, *in Origin. LL.* Inde vox ad Epiſcopos denotandos à Chriſtianis tranſlata. Apud Ambroſium, qui mirè hâc voce delectatur, ipſi Deo tribuitur. paſſim. *De Virginib. l.* 1. *Tum ipſe pacis dominus, poſtquam validioribus brachiis commiſſa ſibi vineta complexus palmites ſuos gemmare conſpexerit, vultu præſule naſcentibus fructibus auras temperat. Et l.* 3. *Hoſtiam immolares Deo, præſuli ſuorum triumphorum.* Idem *Exhortat. ad Virg. Quam Sacerdotali munere offero ut ſupra hanc domum tuam, ſupra hæc ——— altaria ——— quotidianus præſul intendas.* Et *de obitu Valentiniani, Ille vobis auxiliaturus ſperetur, ille noctibus præſul adſiſtat* &c. Idem facit Hegeſippus, *l.* 1. *c.* 43. *Audi Rex, Deô* præſule, *qui ſolus mihi veritatis arbiter eſt.* Vide plura apud Gronov. *Obſerv. in Eccl. c.* 1. Ad *Præſulem Saliorum* ut redeam, diſtinguit hæc tria in Saliatu munera Capitolin. *Præſulis, Vatis & Magiſtri, in Marco, c.* 4. *Fuit in eo Sacerdotio & Præſul & Vates & Magiſter, & multos inauguravit atque exauctoravit, nemine præeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet.* Ubi Salmaſio *Præſul* eſt, quem *Præſultorem* veteres Gloſſæ vocant, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος. *Vates*, eſt ὑμνῳδὸς; Licet enim omnes quidem Salii ὑμνευταὶ, *cantores* eſſent & χορευταὶ, *ſaltatores*, tamen ut inter hos erat *Præſul*, ſic inter illos ille quem *Vatem* per excellentiam appellat Capitolinus. Hic carmen canebat Saliare, aut ſaltem præcinebat. *Magiſter* tandem ἔξαρχος eſt; ad quem videtur ſpectâſſe & inaugurandi & exaugurandi poteſtas. Ad omnes autem carminum & examentorum cura pariter pertinebat. Vide Salmaſ. *Not. ad d. l.* Ejuſdem originis *Præſultatio*, apud Livium, *l.* 2. *c.* 36. *Ludis* (magnis) *mane ſervum quidam paterfamiliæ, nondum commiſſô ſpectaculô, ſub furca cæſum mediô egerat Circô, cœpti inde ludi, velut ea res nihil ad Religionem pertinuiſſet. Haud ita multo pòſt, Tib. Atinio, de plebe homini, ſomnium fuit Viſus Jupiter dicere, Sibi ludis præſultatorem diſplicuiſſe: niſi magnificè inſtaurarentur hi ludi, periculum urbi fore; iret, ea Conſulibus nunciaret* &c. *Sigonio* eſt, qui quaſi ludorum prima pars fuerit; qui antequam ludi committerentur, ſaltaverit, *Not. ad d. l.*

PRÆSUMTIO Imperii, apud Æl. Spartian. *in Hadrianô*, *c.* 2. *Habuit autem* præſumtionem Imperii *mox futuri, ex fano quoque Nicephorii Jovis manante reſponſo, quod Apollonius Syrus Platonicus libris ſuis indidit*: non ſimpliciter πρόγνωσις eſt, ſed fiducia quædam & ſpes indubitata rei neceſſariò eventuræ. Uti patet ex ſeqq. ubi dicitur, *Secundò Conſ. favore Plotinæ factus totam præſumtionem adoptionis emeruit*: h. e. pro incerta ſpe, quam dudum conceptam hactenus foverat, πληροφορίαν & *plenam fiduciam* eſt conſequutus. Primò enim Hadrianus de Imperio cogitavit, ex ſuggeſtione Patrui magni & Mœſi cujuſdam Mathematici. Deinde donatus à Trajano adamante gemmâ, ad ſpem ſucceſſionis eſt erectus. In ea ſpe poſteà confirmavit eum Sura, à quo comperit, à Trajano ſe adoptandum: unde *in adoptionis ſponſionem cum Palma & Celſo venire* eſt auſus. Tandem verò ſecundùm deſignatus Conſul, totam præſumtionem adoptionis emeruit. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad loc.*

PRÆTENDERE, verbum caſtrorum. Uti enim *tendere* dicebantur Duces & exercitus, ubi caſtra eſſent metati: ſic *prætendere* illa præſidia militum, quæ ante juſtum exercitum, aut præ cœteris, excubabant, quas ideo dicebant *Prætenturas*; Græcè προφυλακάς, & προβολάς: *prætendere* enim & *prætendi* propriè de his dicitur, quæ ad frontem objecta ſunt τοῖς προβεβλημένοις. Salmaſio caſtra Veter, in *Prætenturam* & *Retenturam* diſtinguebantur. *Prætentura*, ea pars dicebatur, quæ in primore facie ante Prætorium erat, ubi Principia & porta Principalis: & qui in ea tendebant milites, propriè dicti *prætendere.* Quidquid autem à tergo Prætorii tendebat, & in poſteriore parte, id *Retentura* nomine veniebat. Vide eum *ad Solin. p.* 415. cui adde Hadr. Turnebum, *Adverſar. l.* 4. *c.* 7. Henr. Valeſ. *ad Amm. Marcellin. l.* 14. *p.* 10. & 11. Jac. Gothofredum, *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Commeatu*, Jo. Fridericum Gronovium, *Obſerv. in Eccl. c.* 1. Alios.

PRÆSUS, urbs Cretæ, *Steph.*

PRÆTESTATI Solidi, in *Charta* Longobard. *Bullario Caſin. Tom.* 2. *p.* 12. apud Car. du Freſne, iidem ſunt cum *Prædulatis* ſeu *Prædolatis.* Vide *ibi.*

PRÆTETIA, parva regio, non procul ab Adria.

PRÆTEXTA, Togæ ſpecies, Etruſcæ, ut Plinius cenſet, originis, ita appellata eſt, quòd in extrema ora limboque purpuram *prætextam* ſive circumtextam haberet: quam ob rem à *Plutarcho* περιπόρφυρος nominatur. Inſtituiſſe illam omnium primum Romæ Tullium Hoſtilium Regem, Macrob. auctor eſt, *l.* 1. *Saturnal. c.* 6. *Puerilem* illam *Togam* vocat A. Gellius, *l.* 18. *c.* 4. quoniam ea, ut eſt apud Cælium Calcagninum, *Epiſtolic. Quæſt. l.* 3. *Ingenuorum puerorum erat, antequam puram Togam induerent. quô tempore, ſi quid peccâſſent, non ſolvebant pecuniam, ſed anguillarum tergoribus molliter multabantur.* Hi dein, Tirocinii die, quô deducti in Forum tranſcribebantur in viros, pro *Prætexta*, Togam puram, i. e. ſine purpura ſumebant, id quod fiebat decimi quinti anni initiô. Quòd enim Auguſtus, Ciceronis item filius, aliique eam ſeriùs depoſuêre, id magis ab alia cauſa, quam à lege fuit aut more, ut rectè Manutius monet. Hinc *Prætextata ætas*, pro puerili: *Prætextati* ac *Prætextatæ*, pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

pro pueris & puellis; Namque & has, antequam nuberent, in *Prætexta* invehiſſe, docet Cicer. 1. *Verr. c.* 44. *Eripies igitur pupillæ Togam* Prætextam? *detrahes ornamenta non ſolùm Fortunæ, ſed etiam ingenuitatis?* Sed falsò hinc quidam *Prætextata verba* deduxêre, quæ erant obſcœna atque impudica, & proin à prætextata ætate procul arcenda; nec rectius Turnebus *à Prætextatis Comœdiis*, quæ laſcivæ ac liberæ, ut infrà videbitur: illud verò melius, quòd cùm nupturæ puellæ *prætextam* deponerent, ad demulcendum pudorem, nuptiali licentiâ Feſcennina cantarentur. Verùm, antequam *Prætextæ* uſus Nobilium primo, dein omnium civium liberis, promiſcuus concederetur, primis temporibus Sacerdotum erat, & præcipuorum Magiſtratuum. In ſacris enim adhibitas fuiſſe iſtiuſmodi Togas, indicat Plinius, *l.* 9. *c.* 36. cùm ait: *Purpuram Diis placandis adhiberi.* Neque verò Sacerdotes ſolùm, ſed & Conſules, Prætores, aliique Magiſtratus, qui ſacra facerent, erant in *Prætexta*, uti de Germanico apud Tacitum legimus. Augures etiam uſos *Prætextâ* notum eſt, unde Cicer. *pro Sextio*, Lentuli Spintheris filium Augurem creatum indicans, *Cui ſuperior*, inquit, *annus idem & virilem Patris &* Prætextam *populi judicio dedit.* Idem, *Ep.* 9. *l.* 2. *ad Att. Vatinii ſtrumam Sacerdotii διβάφῳ veſtiant.* Præterea Magiſtratus omnes, tam Romæ, quàm in Coloniis & Municipiis, *Prætextâ* uſos, imo & Collegiorum ac Vicorum Magiſtros, res omnibus obvia. Liv. *l.* 34. *c.* 7. *Purpurâ viri utemur: Prætextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis, liberi noſtri prætextis purpurâ togis utentur: Magiſtratus in Coloniis Municipiiſque: hîc Romæ infimò generi Magiſtris vicorum Togæ Prætextæ habendæ jus permittemus, nec id ut vivi ſolùm habeant tantùm inſigne, ſed etiam, ut eô crementur.* Hinc Magiſtratûs inſigne *Prætexta* fuit: Proin verba illa Tullii *Or. pro domo ſua, Videtis prætextatos inimicos*, optimè interpretatus eſt ille, *in Magiſtratu poſitos.* Et quidem Conſules *Prætextatos* fuiſſe, docet Plut. in *Galba*, ubi cædem in foro factam memorans, *Prætextas* vocat Ὑπατικὰς ἐσθῆτας, *Conſulares veſtes*: Appianus item, cùm *Civil. l.* 1. de Octavii Conſulis interitu loquens, eandem Togam vocat τὴν τῆς Ἀρχῆς ἐσθῆτα. De Ædilibus, ita Dio, *l.* 76. *Antequam legeretur, Senatorem illum calvum περιπόρφυρον ἱμάτιον habuiſſe. Tunc omnes in Marcellinum oculos conjecimus; is enim tunc Ædilis fuerat.* Vide quoque Cicer. *Ep.* 10. *l.* 2. *ad Quint. Fratrem*, de Ædilitate Appii Claudii. Prætores etiam in *Prætexta*, Appian. *Civil. l.* 2. *Cinna Prætor, affinis Cæſaris, præter expectationem progreſſus in medium*, τήν τε ἐσθῆτα τὴν στρατηγικὴν ἀπεδύσατο, i. e. *Prætextam exuit.* Sumebant autem eam, Kalendis Januariis in Capitolio, votis ſolemnibus nuncupatis, unà cum cœteris inſignibus, quod iis cum Conſulibus fuit commune: Sed capitis aliquem damnaturi deponebent. Præfecti quoque Prætorio hâc veſte uſi, licèt jus lati clavi non haberent: Dio dat eam Sejano, *l.* 8. & Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 99.

Hujus, qui trahitur, Prætextam ſumere mavis:
An Fidenarum, Gabiorumque eſſe poteſtas.

Etiam Dictatorem *Prætextatum* fuiſſe, dubium non eſt: cùm ſupremam ejus dignitatem, quâ cunctos Magiſtratus antiſtabat, non aliis inſignibus, quàm ſecuribus ad faſces additis, ab aliis diſtinctam Auctores prodant. Quemadmodum igitur is extra urbem paludatus, ſic intra urbem, ut & Conſules aliique Magiſtratus, non in alia veſte, quàm in *Prætexta* fuit. An Senatorum quoque *Prætexta* fuerit, quæritur inter Eruditos, & affirmat *Manutius.* Sed non fuiſſe eam Senatorum propriam, illud Dionis oſtendit, cùm in luctu Magiſtratus, depoſitâ *Prætextâ* in veſte Senatoria manſiſſe, refert. Idem, *l.* 51. inter reliquos honores Auguſto decretos fuiſſe narrat, ut Senatores Actiacæ victoriæ ſocii ἐν περιπορφύροις ἱματίοις τὴν πομπὴν αὐτῷ συμπέμψαι, *Prætextati cum eo triumpharent.* Niſi dicamus, ſicut Conſul, qui aliàs tantùm *Prætextatus*, in officio ſolemni annum auſpicandi, in Toga Triumphali erat, ita Senatores eôdem die ſolemni *Prætextam* ſumſiſſe: ut colligere eſt, ex Auſonio, ſolemnia Kal. Jan. precante, *Eidyll.* 8. Cenſoribus *Prætextum* abjudicat Manutius, ex Polyb. *l.* 8. ſimiliter Tribunis eandem adimit: Interim Cicero *pro Cluentio*, de Quintio Tribun. Pleb. loquens. *Facite*, ait, *ut non ſolùm mores ejus & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini:* ubi *Prætextam* innui veroſimile eſt, & confirmat id Quintilian. *l.* 6. Nec reticendum, Prætores, cœteroſque Magiſtratus, ac Sacerdotes cum *Prætexta* olim, ut temporibus noſtris cum pallio Archiepiſcopi, ſepeliri conſueviſſe: Sic enim Polybius, *loc. cit.* cùm ornamenta mortuorum enarrat, ait: *Ubi præclarus aliquis ex domeſticis obiit, inſtituunt funeris apparatum, & circumfuſi qui ſimiles magnitudine ac ſtaturâ videntur:* Ἐὰν μὲν Ὕπατος ᾖ Στρατηγὸς ᾖ γεγονὼς, περιπορφύρους λαμβάνουσι· ἐὰν δὲ Τιμητὴς, πορφυρᾶς. Quò reſpicere quoque, de Miſeni funere loquens, Virg. videtur. *Æn. l.* 6. *v.* 220.

——— *Tunc membra toro defleta reponunt,*
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota
Conjiciunt, &c.

Duravit autem puerilis *Prætextæ* uſus, ad extrema uſque Imperii Romani tempora, ut indicat Auſonius *in Profeſſor.* 18. *v.* 7.

Mox Schola & Auditor multus, prætextaque pubes;

ubi *prætexta* pubes, pro *prætextata*: ad exemplum Propertii, *l.* 4. *eleg.* 1. *Prætexto Senatu*, & Macrobii, *Saturnal. l.* 2. *c.* 1. *verba prætextata*, dicentium. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. l.* 2. *capitib. prior.* Hier. Boſſium, *de Toga Rom. c.* 11. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 37. uti de Triumvirorum religione, qui proſcriptionis tempore *prætextatum* quendam, ut occidi poſſet, togâ virili induerunt, infrà voce *Virgo.*

PRÆTEXTATÆ Comœdiæ, dicebantur illæ, ex Latinis, in quibus Magiſtratus: ſicut *Togatæ*, in quibus viliores perſonæ, introducebantur. Horat. *de Arte Poët. v.* 288.

Vel qui Prætextas, *vel qui docuere Togatas.*

Cùm verò vix videatur potuiſſe dari Comœdiam, in qua ſoli comparerent Magiſtratus: probabilius eſt, *Prætextatas*, Illas nobiliores Togatarum, dictas eſſe, ab argumenti gravitate atque honeſtate, nullâ jocorum licentiâ atque obſcœnitate, quæ Magiſtratuum & pueritiæ ſanctitatem dedeceret. Quanquam contra à verborum *Prætextatorum* licentia quis dictas ſuſpicari poſſit. Sed tales Togatæ omnes, viliorum ſcil. perſonarum, lenonum, meretricum, nepotum, quibus vitæ licentiæ congruens laſcivior oratio. At *Prætextatas* ſerias togas ac graves, omnique turpitudine vacuas fuiſſe par eſt, quibus affines videntur fuiſſe *Trabeatæ*; quod novum genus Togatarum edidiſſe dicitur à Suetonio, *de clar. Gramm. c.* 21. Meliſſus, qui fuit ab Auguſto præfectus Bibliothecæ, in porticu Octaviæ. Ob iſtiuſmodi verò gravitatem ac dignitatem perſonarum, negotiorumque ſublimitatem, *Prætextatas* iſtiuſmodi Comœdias veteres Grammatici Tragœdias, vel ad inſtar Tragœdiarum, dixêre. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiaria*, *l.* 2. *c.* 1. & *Part.* 2. *l.* 4. *c.* 2. Pancirollum, *Var. Lect. l.* 1. *c.* 15. &c. Quâ ratione *Prætextatus* nomen factum ſit, exponit Macrobius, *Saturnal. l.* 1. *c.* 6. ubi lepidam & feſtivam, de Papyrio puero, narrat Hiſtoriam. Vide quoque A. Gellium, *l.* 1. *c.* 23. ubi, *ob loquendi tacendique in ætate prætextata prudentiam, ei puero, honoris gratiâ cognomentum* Prætextatus *inditum* fuiſſe, narrat: quô & poſteri ejus vocati ſunt. Familiæ enim illius cognomina fuêre, *Craſſi, Curſores, Mathones, Mugillani, Pæti & Prætextati: Carbones* verò plebeji. Vide Ant. Auguſtin. ut & Ant. Thyſium JCtum in *Notis in A. Gellium loc. cit.*

PRÆTEXTATUS, Conſul cum Attico, An. Urb. Cond. 994. Vide & *Papyrius.* Addo hîc, quòd his Conſulib. Gordianus Imperator apertô Janô Geminô, profectus eſt contra Perſas, *cum exercitu ingenti & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus Perſas facilè vincere poſſet*, Jul. Capitolin. *in Gordiano III. c.* 26.

PRÆTEXTATUS, Præfectus urbis Romæ, luxu Pontificum viſô, Papæ Damaſo dicere ſolitus eſt: *Facite me Romæ Epiſcopum, & ero ſtatim Chriſtianus.* Circa A. C. 367. Hieron. *ad Pammachium*; qui idem teſtis eſt, divitias illos acquiſiviſſe, partim piis oblationibus matronarum, partim fraudibus, oſculando capita earum. *ad Nepot. ad Euſt. & in c.* 2. *Mich.* Zoſimus *Prætextatum* Aſiæ Proconſulem, licentiam Ethnicíſmi Myſteriorumque in Græcia colendi impetrâſſe à Valentiniano refert *Hiſtor. l.* 4.

PRÆTEXTUM, apud Senecam, *Ep.* 71. *Sed Cn. Pompejus amittit exercitum: ſed illud præclarum Reipublicæ* Prætextum, *optimates unô præliô profligabuntur*: ornamentum eſt. In *Gloſſis*, παρυφὴ, *prætextum*, quod ad extremam oram adſutum eſt. *Heſych:* παραστροφὴν vocat, extremitatem veſtis in ſe replicatam & corrotundatam contortamque, ſupra quam limbi vel faſciæ purpureæ vel clavi adſuebantur, quibus *prætexebatur* veſtis. Unde περιπορφυρόσημος *veſtis, purpureis clavis prætexta*; & παρυφαὶ, ejuſmodi *clavi* ac limbi &c. Hinc itaque *Prætextum*, pro ornamento. Sic *Prætextum honoris*, apud Val. Max. *l.* 7. *c.* 3. *ex.* 8. pro Inſignibus Magiſtratus: & *Prætextum triumphi*, apud eundem *l.* 7. *c.* 1. *ex* 1. pro Inſignibus triumphi; h. e. πρόσχημα θριάμβου. *Præclavium* quoque id Veteres dixêre, παράσημον Græci: cùm enim clavus in veſte nihil aliud fuerit, quàm purpura ὑφασμένη, præclavus vel præclavium meritò παρυφὴ appellatur. *Circumtextum* idem ſignificabat, *Varro* interpretatur *purpuram circum* &c. Vide quoque ſuprà in vocibus *Perineſus, Periclyſis, alibique paſſim.* Sed & *Prætexta*, apud Valerium, uti vulgò legitur, retineri poteſt: dum ne pro veſte prætexta accipias, quæ fuit Magiſtratuum inſigne, non triumphantium. Namque etiam de purpurâ, quâ veſtes prætexebantur, *prætexta* vocabulum occurrit. In *Gloſſis*, *prætexta* παρυφὴ. Idem Val. *l.* 5. *c.* 5. *ex* 1. *Itaque clariſſimorum cognominum alterum ſumpſit, alterum dedit: triumphique* prætextam *hujus accepit, illius tradidit.* Ubi de ornamento vel inſignibus triumphi iterum vox exponenda &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano, c.* 46. cui adde de voce *Prætextum* Caſaub. *ad Jul. Suetonii, c.* 30.

PRÆTIDES, corruptè pro *Prœtides.*

PRÆTIUS, urbs Myſiæ majoris in mediterraneis.

PRÆTOR, variæ de hoc authorum ſententiæ. Sunt enim, qui hoc nomine primùm appellatos Conſules dicunt, atque ita à *Præeundo* deductum *Prætoris* nomen. Sed enim diſtinguere hunc à Conſulib. videntur 12. Tabb. leges apud Cicer. *l.* 3. *de Legg. Regio Imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores Judices, Conſules appellantor. Militiæ ſummum jus habento, nemini parento, &c.* Ita Juvenal. *Satyr.* 10. *v.* 36. *Prætorem* vocat, quem mox *v.* 41. *Conſulem* dixit. Quem locum interpretes alio trahunt, quàm debebat, uti notat *Faber.* Prætores autem exercitus eſſe duces, inque bello præire ſolitos patet ex *Cicerone, Cæſare, Gellio, Macrobio, Aſconio Padiano*; quin ſæpe geſtum ab iis bellum. Etenim ſub M. Thermo Prætore prima fecit ſtipendia Cæſar. Ejuſdem dignitatis vir M. Acilius triumphavit de rege Antiocho, & victis Ætolis. Miſſus in Hiſpaniam. Scipio Africanus Prætor An. ætat. 25. ut & Sempron. Gracchus Prætor Galliam domuiſſe legitur. Græci quoque ut plurimum *Prætorem* στρατηγὸν, i. e. *belli ducem* interpretantur. Licuit ergo illis auctoritatem exercere ſuam in caſtris. Sed, an præſente Conſule? Major hujus & auctoritas & poteſtas fuit; Itaque id non ita liberum, aut conceſſum fuit eô præſente. Alii volunt, Veteres omnem magiſtratum, cui pareret exercitus, appellâſſe Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Prætorem. Hinc tabernaculum ducis dici *Prætorium*, quod ϛρατήγιον Joſepho dicitur, *l.* 3. Α᾽λώσ. Hinc, eſſe nomen *portæ prætoriæ* in caſtris, & *præfectum prætorio* conſtitutum ſub Principibus, ſicut *Arcadius* & *Pomponius* tradiderunt, datâ illi pleniore licentiâ ad publicæ diſciplinæ emendationem. Utcunque, à *præeundo*, ſeu jure, ſeu exercitu, nomen eum arceſſere volunt. *Pomponius* autem & *Feneſtella*, à *præeſſendo* deducunt. Primus Prætor fuit Sp. Furius Camillus. M. fil. qui quoniam jus dicebat urbanis; appellatus eſt *Prætor urbanus*. Penès hunc adeò erat omnis publici privatique juris poteſtas, ut & novum jus condere poſſet, & abrogare vetus. Cùm enim Conſules occuparentur finitimis bellis, & proinde, qui jus diceret, in civitate non eſſet, Prætor creatus eſt, qui jus redderet, donec illi abeſſent, bellô diſtenti, teſte *Liviô, l.* 7. *c.* 1. etſi *Feneſtella* referat cauſam creationis, in diuturna certamina patrum. Cùm enim alterum Conſulum ex plebe creari conceſſiſſent, ſimul obtinuerunt, ut & unicus magiſtratus crearetur ex patribus, qui, quòd populum præiret, Varroni *Prætor* dictus eſt. Apud Ciceronem, *ubi ſupra*, audit hic *juris diſceptator*, item *juris civilis cuſtos*; cui quoque tantum honoris eſt attributum, ut *jus* ejus *Honorarium* appellaretur. Annis verò aliquot elapſis, propter peregrinorum turbam in urbem confluentium, additus illi fuit alter Prætor, *Peregrinus* dictus, idque factum An. Urb. Cond. ferè 12. ſuprà quingenteſimum. Utriuſque autem poteſtas adeò par erat, ut alter alterius decreto intercederet, ſi quis appellâſſet, teſte Aſconiô *in* 3. *Verr.* Quanquam dignitas Urbani fuerat major, qui & propterea dictus eſt *Major*, ut peregrinus *Minor*. Auctô tandem magis & magis imperiô, auctus ſimul fuit Prætorum numerus, uſque ad octodecim, teſte *Feneſtellâ*. Nam 4. adjecit Corn. Sylla. Inde 16. eſſe voluit Auguſtus, atque his Claudius adjecit duos. Imò captâ & occupatâ tandem Sardiniâ, totidem ſunt creati Prætores, quot Provinciæ in ditionem pervenerant. Inſignia & ornamenta Prætorum fuerunt 6. lictores, cum totidem ſecuribus (quamvis Paulus Æmilius 12. habuiſſe dicatur) Prætexta, ſella curulis, haſta juriſdictionis ſignum, gladius quæſtionum, denique albi equi *niveique ad fræna Quirites*, uti loquitur Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 45. Magiſtratus tamen ejus tantùm unus erat, ut & edicta ab eo propoſita. Vide Lazium, *l.* 2. *Comment. de Rep. Rom.* ubi eorum ſedes, ornamenta, inſignia, miniſteria, familiæ, ſatellites fuſiſſimè ex Romanis hiſtoricis deſcribuntur. *Nic. Lloyd.* Cœterùm, *Prætores* duo, quorum unus civibus, alter peregrinis jus diceret, Comitiis Centuriatis creati ſunt, & à populo juriſdictionem, ſed incertam, accipiebant, poſt an. Urb. Cond. 512. Ubi verò deſignati erant, ex Senatusconſulto duas juriſdictiones, urbanam & peregrinam, ſortiebantur, quamque ſorte adepti erant, illam exercebant: quamvis factum nonnunquam, ut ambas juriſdictiones unus *Prætor* ex Senatuſconſulto ſortitus ſit, eaſque exercuerit; idque non antiquis ſolùm, de quibus Livius videri poteſt, ſed & ultimis temporibus. Cœterùm, priuſquam jus dicerent, ut cuivis notum eſſet, quemadmodum annô ſuô jus dicturi eſſent, in albo Edictum conſtituebant: quod initô Magiſtratu, habitâ concione, & jurati in leges faciebant, ut Cicero teſtatur *de Fin. l.* 1. Continebatur verò Juris dicundi munus tribus hiſce verbis, *Do*, *Dico*, *Addico*: *Dabat* enim *Prætor actionem*, *dicebat jus*, *addicebat*, *tam res*, *quàm homines*. Quæ tria verba non Faſtis modò diebus, quibus proin à *fando* nomen, ſed & Comitialibus, imò & Nefaſtis primò, fari poterat: unde *Paulo Manutio* occaſio nata tria Faſtorum dierum genera faciendi. Dicebat autem jus, aut ex ſuperiore loco, aut ex æquo: id eſt, aut de tribunali, aut de plano: & quoniam ſellâ poſitâ ſedentes id faciebant, hinc eos dies *Seſſionum* vocârunt, quorum alii poſtulationibus, alii cognitionibus, fuêre dicati. Nec modicam obtinebant juris auctoritatem *Prætorum* edicta, quod jus *honorarium* appellatum fuiſſe notum. Illorum propria inſignia fuêre, Haſta & Gladius: *illa quidem ad juriſdictionem*, *hæc verò ad quæſtionem ſignificandam*; reliqua enim cum cœteris Magiſtratibus habebant communia. Porrò, quanta fuerit Urbani inprimis *Prætoris* poteſtas, hinc liquet, quòd abſente Conſule ſumma penès eum rerum poteſtas eſſet: niſi feriarum Latinarum tempore, quô durante Præfectus Urbis jus id habebat. Vide Cicer. *l.* 10. *Ep. ad Famil.* Unde *Conſulum Collegas* illos nominatos eſſe, teſtis eſt Cicer. *l.* 9. *Ep. ad Attic.* & Livius, *l.* 7. quod tamen non ad æqualitatem Imperii, ſed ad jus auſpicii (quia *Prætor* eô dem creatus auſpiciô) pertinuiſſe, monet Jac. Oiſelius, *Notis in Gellium*, *l.* 13. *c.* 15. Similiter per abſentiam Conſulum, cùm dignitate eis proximus eſſet, *Prætor* Senatum convocandi habebat jus, videl. ad rem novam: vetera enim in Conſulum adventum reſervari, honeſtius judicabatur, vide Livium, *l.* 22. & Cicer. *pro Plancio*, apud præf. Oiſelium *in Gellium*, *l.* 14. *c.* 7. Iidem Comitiis Centuriatis Conſules creabant: Judiciorum item causâ Comitia habebant, teſte Liviô, *l.* 34. Ad Curiata quoque Comitia populum vocandi jus habebant &c. Veniebant autem diebus Faſtis ſummô manè in Comitium ſive Forum, atque in tribunali, ſellâ poſitâ, adſidebant, & Accenſo, ut tertiam horam populo circumſtanti inclamaret, imperabant: quô factô, tum per Accenſum eundem populum rogabant, num quis eſſet, qui apud ſe lege agere vellet, i.e. qui jus poſceret. Quod ferias publicas attinet, indicebantur illæ & proclamabantur ſingulis menſibus, non tantùm à Rege ſacrorum, ſed quoque à *Prætore*. ab illo quidem, ſacrorum ritè peragendorum; ab iſto verò, vacationis à forenſibus negotiis gratiâ. Hinc *Prætorem* etiam ferias, quæ *Compitalia* dicebantur, more Majorum, verbis olim ſolennibus concepiſſe, A. Gellius, *l.* 10. *c.* 24. & Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 4. auctores ſunt. Fuêre autem verba illa: *Die Noni poſt Kal. Jan. Quintilibus Capitalia erunt.* Idem de feriis omnibus conceptivis atque imperativis, docet Macrobius præf. & Sueton. in *Claudio*. Qua de re vide plura, apud Jac. Rævardum, *Varior. l.* 5. *c.* 19. Nec omittendum, *Prætorem*, antequam damnationis ſententiam pronuntiaret, Prætextam deponere conſueviſſe. Docet id Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *ex* 7. ubi Licinium ait Macrum, Repetundarum reum, cùm vidiſſet, judicium cogentem Ciceronem Prætextam ponere: ne bona haſtæ ſubjicerentur, interclusis faucibus vitæ ſuæ finem attuliſſe, quô cognitô Ciceronem nihil pronuntiâſſe. Seneca tamen *de Ira*, *l.* 1. *c.* 16. non depoſitam Prætextam, ſed perverſam indutam fuiſſe, indicare videtur, *Et ſi perverſa induenda Magiſtratui veſtis.* An potius ideo depoſita, ut perverſa indueretur, quod Mureto placuit, qui *ad Senec.* ait, à Magiſtratu laturo ſententiam depoſitam Prætextam, ut eam perverſam indueret, i. e. partem ejus floridiorem ac nitidiorem introrſus verteret, Oct. Ferrarius, *de Re Veſt. l.* 2. *c.* 4. Plura vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim*, *l. inprimis* 7. *c.* 11. Quia de Edicto *Prætoris* ſuprà aliquid dictum, addatur, fuiſſe id appellatum, obſervante Pighiô, *Æq. pot. Com. Edictum perpetuum*, non quòd vigorem ſemper obtineret (cum officio enim *Prætoris* expirabat, unde *annua lex* Cicer. *in Verr.* dicta) ſed reſpectu Edictorum aliorum, quæ mediô annô, occaſione ſubitariâ ac extraordinariâ requirente, promulgabantur; quæ proin *Peculiaria & nova edicta*, idem Cicer. *in Ver.* 5. vocat. Sequentibus temporibus Salv. Julianus, ex omnibus *Prætorum* Edictis, Edictum collegit totius Juris Civil. nervum ac nucleum continens, quod propriè *Edictum perpetuum* appellitatum eſt: eò quòd, mandato Hadriani Aug. ſequentes *Prætores*, juxta illud cauſas decidere, neque ab eo ullatenus recedere, tenebantur, vide Sigonium, *de Judic. l.* 1. *c.* 6. Solebant denique *Prætores* maximis ſumtibus ludos edere, ut ſe populo commendarent; in quibus ipſi mappâ ſignum dabant emittendarum quadrigarum, unde Α᾽φέτω dicti. Tum autem totum humerum cum brachio togâ habebant exertum, qui *cinctus Gabinus* dictus eſt; quô habitu iidem, Conſuleſque erant, quoties in aliquo actu ſolenni verſabantur, ſive rem divinam facerent, ſive portas Jani aperirent, ſive alia hujuſmodi munera obirent. In antiquo certè Lapide, apud portam Nomentanam, viſitur *Prætor* mappam mittens & exertum togâ humerum habens. Neque aliô habitu jus dixiſſe, diſcimus ex Tertulliano *de Pallio*, *c.* 3. *Idem Cato*, *Juridicinæ ſuæ in tempore humerum exertus*, *haud minùs palliatô habitu Græcis favit.* Nempe Cato, Præturæ ſuæ tempore, cùm humerum exertus togam ritu Gabinô cinctam haberet, quaſi palliatô habitu videatur eſſe, & Græcis Philoſophis, Cynicis inprimis, dum ſic eorum habitum imitaretur, favere. Ita enim exertum humerum habebat togâ, ut illi palliô. Ε᾽ξωμίδες hinc dicti. Salmaſius *ad loc.* De *Prætorum* aliis quibuſdam generibus, vide hic *infrà*: uti de Magiſtratu Cæſarauguſtano, Prætori urbano Rom. aliqua ex parte reſpondente, voce *Salmedina.* it. *Zavalmedina.* Vide quoque ſuprà *Abbas.*

PRÆTORUM VARIA GENERA, APUD ROMANOS.

Cereales *Prætores* duo, à Cœſare Dictatore reliquis additi ſunt, teſtibus *Tranquillô*, *Dione* & *Pompeniô.*

de Fidei commiſſo qui jus dicerent, *Prætores* duo à Claudio Imperatore inſtituti leguntur, apud Feneſtellam *de Magiſtr. Rom.* qui ſic 18. *Prætorum* numerum complêrunt. Ex his cùm unum detraxiſſet Titus, ejus in locum Nerva reſtituit, qui inter Fiſcum & privatos jus diceret.

Fiſcalis *Prætor.*

Peregrinus, vide *ſupra.*

Provincialis, dictus eſt, qui, provinciis præfectus, illis jus dicebat, & ſi res cogeret, bellum adminiſtrabat, de quibus prolixiùs hic infrà.

Prætores Quæſitores, appellati ſunt, qui judicium publicum exercuerunt: quam *Quæſtionem* dixêre. Et quidem huic rei primùm operam dederunt Reges, dein Conſules, pòſt Magiſtratus ii, quos ei muneri Senatus aut Populus præfecit: quod primum quidem, occaſione ſolùm datâ factum; donec anno Urb. Cond. 604. proprius Quæſitor eſſe cœpit. Poſteà *Prætores* primùm quatuor. dein 6. perpetui ſingularum quæſtionum Quæſitores conſtituti, qua de re vide ſuprà in voce *Parricidii Quæſitores* & infrà *ſuô locô.*

Tutelaris *Prætor*, reliquis eſt adjunctus, à Marco Imper. apud *Capitolin. c.* 10.

Urbanus *Prætor*, vide *ſuprà.*

PRÆTOR Provincialis, qui provinciam regebat. Initiô enim provinciis præfecti ſunt *Prætores*, ut & jus provincialibus dicerent, & ſi res poſtularet, bellum adminiſtrarent. Itaque *Prætorum* numerus ob id crevit; quia provinciarum crevit numerus. Nam cùm duo, ut dictum, Romæ Prætores eſſent, unus, qui inter cives; alter, qui inter peregrinos jus diceret: ac provinciæ duæ, Sicilia atque Sardinia eſſent inſtitutæ; viſum eſt faciendum, ut *Prætores* alii in eos duo adjicerentur. Inde duabus ad imperium adjectis Hiſpaniis, totidem alii acceſſerunt, qui quaterni quaternas in ſingulos annos adminiſtrarent provincias. Verùm, quoniam in ipſis provinciis ſæpe tumultus ac bella graviora excitabantur, hinc etiam Conſulibus provinciæ committi cœperunt; ſicque duo potiſſimùm ordinarii fuêre Provinciarum Rectores: *Prætores*, qui in Prætura, & Conſules, qui graviore urgente bellô, provinciis præeſſent. *Prætores* itaque provinciales, ſicut & reliqui, Comitiis Centuriatis creati: iiſque, ubi erant deſignati, decretæ à Senatu Provinciæ ſunt, quas ſortirentur. Inſignia fuerunt eadem, quæ Urbanorum, unde à ſex ſecuribus ἑξαπελέκεις *Appiano* dicti ſunt: tempus ordinarium fuit annuum. Si verò prorogatô poſt Præturam imperiô in provinciis remanſiſſent, *Proprætores* appellati ſunt: quod quidem uſque ad Ann, Urb. Cond. 600. obſervatum eſt. Poſteà verò, cùm L. Calpurnius Piſo Tribun. Plæb. Marciô Cenſorinô, M. Maniliô Conſulib. annô ipſô 604. teſte *in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Bruto Cicerone, primus de quæſtione perpetua Repetundarum tuliſſet, i. e. ut ex *Prætoribus* iis, qui provincias ſortiri ſoliti erant, unus Provinciæ locô quæſtionem Repetundarum ſortiretur, eique per annum in Urbe præeſſet: Cumque idem poſteà, etiam in aliis quæſtionibus ac Prætoribus, alii aliâ lege ſanxiſſent, factum eſt, ut *Prætores*, qui quotannis adhuc ſeni tantùm creabantur, juriſdictiones duas, quæſtiones quatuor aut plures ex Legibus, quæ de quaque quæſtione latæ erant, in ſortem conjicerent eaſque per annum in urbe exercerent: extremô autem annô, ex Senatuſconſulto provincias in poſterum ſortirentur: unde hi *Proprætores* dicti, de quibus vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 43. & infrà in voce, *Proprætor.* Alii apud Curtium Prætores, *l.* 5. *c.* 1. quos Alexander regioni Babyloniæ & civitati præfecit. Στρατηγοὶ videl. erant, qui præeſſent militibus. Satrapâ provinciales curante: Quemadmodum & poſteà ſub Imperatorib. Romanis quædam provinciæ ſimul Præſidem atque Ducem habuêre. Præter quos Φρούραρχοι, *Præſidiorum Præfecti*, quos cum Prætoribus malè confundit Interpres Arriani, *l.* 3. *c.* 3. ubi Mazarus *Præfectus præſidii* arcis & Archelaus *Prætor* diſertè in Græco diſtinguuntur. Uti in Gallia hodiè arcium atque oppidorum Præfecti, à Ducibus toti provinciæ præpoſitis, longô intervallô ſeparantur. Vide Freinshemum, *Not. ad Curtium d. l.*

PRÆTORIA Auguſta, urbs Daciæ, vulgò *Braſſow.* Latinè *Corona*, & *Stephanopolis.* Germanis *Cronſtat*, in Tranſylvania.

PRÆTORIA Cohors, dicebatur olim comitatus Proconſulis in provinciam euntis, continebatque Adjutores, Miniſtros, comiteſque ejus omnes, quos cùm uſus ratioque provinciæ, tum dignitas ipſa Magiſtratuum ac Reip. poſtularet. Fuerunt autem Legati, Tribuni militum, Centuriones, Præfecti, Decuriones, aliique militarium operum rationumque adjutores atque miniſtri: Præterea Scribæ, Accenſi, Præcones, Lictores, Interpretes, Tabellarii, Auſpices, Cubicularii, Medici &c. inter quos referendi quoque Adoleſcentes, qui rei militaris percipiendis & provinciæ cognoſcendæ gratiâ Magiſtratum in provinciam ſequebantur. Joh. Roſin. *Antiqq. Romanarum l.* 7. *c.* 42. Quòd à *Prætore* nunquam diſcederet, ſic dicta. Manſit poſtmodùm vetus appellatio novo inſtituto, militeſque ab Imperatoribus corporis ſeu cuſtodiæ causâ delecti, *Prætoriani*, item *Prætoria cohors*: & Dux eorum *Prætorio Præfectus*, de quo infrà, & locus, in quo excubabant, *Prætoria caſtra* dicta ſunt. Similiter tabernaculum, quod Duces Exercituum vel Imperatores, ſive Conſules, ſive Dictatores, ſive *Prætores* ſive Tribuni militum Conſulari poteſtate ii eſſent, occupabant, *Prætorii* appellatione perpetuò venit. Vide eundem, *l.* 10. *c.* 12. Quâ voce quoque poſteriori ævô villas omnes elegantiores & non ruſtici uſûs, dici cœpiſſe, *Suetonius* Auctor eſt, unde *Prætorium eſt villa urbana.* Salmaſ. Vide *infrà*, & de *Prætorianorum* Bello ſub Maximo & Balbino, Capitolin. in *Vita horum.*

PRÆTORIA Porta, vide ſuprà *Porta.*

PRÆTORIÆ Provinciæ, dictæ ſunt X. provinciæ, quas Strabo enumerat, *l.* 17. *ſub fin.* Ex provinciis enim, quæ Populo aſſignatæ ſunt, in diviſione per Auguſtum inſtitutâ, duæ quidem *Proconſulares* erant, quibus qui præerant, *Proconſules* dicti ſunt, Africa nempe & Aſia; Decem verè *Prætoriæ*; reliquas omnes ſibi Cæſar retinuit, ac regendas ſuſcepit, & in eas modò Conſulares viros mittebat, modò Prætorios, modò Equites. E quibus Conſulares qui mittebantur, *Legati Conſulares* dicti ſunt: qui Prætorii, *Legati pro Prætore*; Græci Πρεσβευτὰς Ὑπατικοὺς & Πρεσβευτὰς Στρατηγικοὺς eos vocârunt, Strabo, *l.* 3. Quos verò ex Equeſtri ordine ad regendas provincias mittebat, hi minutis provinciis præerant, *Præſidum* nomine atque *Procuratorum.* Interim pro arbitrio ſuo Imperatores provinciarum jura & adminiſtrationes ſæpe mutabant, &, quæ Populi erant, ſuas eſſe volebant, ſuas autem Populo tranſcribebant, atque ſic de Conſularibus Proconſulares & contrà; de Præſidalibus Prætorias & de Prætoriis Præſidales faciebant, ut ex antiquis inprimis *Inſcriptionibus* clariſſimè patet. Porrò Cæſar, in provinciis ſuis Prætorios plerumque jure Conſulari eſſe jubebat, quô pactô Conſulares dicebantur, qui nunquam Conſules fuiſſent. Sic Plinius Cæcilius *legatus Auguſti pro Prætore in provincia Ponti Conſulari poteſtate*, dicitur in veter. *Inſcr.* Quod ſub poſterioribus imperatoribus paſſim uſurpatum. Idem & in Populi provinciis fiebat; Nam Prætorii plerumque jure Conſulari, in Prætorias provincias, mittebantur à Senatu, qui etiam *Proconſules* vocabantur. Unde Suetonius *in Auguſto*, cùm inter Populi provincias eſſent & Prætoriæ, *Proconſulares* tamen omnes vocat. Et apud Auctores *Hiſtoriæ Aug.* aliquot locis *Proconſulares*, *Legatoriæ* & *Præſidales* tantùm memorantur: ubi per *Proconſulares*, quæ Populi erant; per *Legatorias*, quæ Cæſaris, tam ſcil. Conſulares, quàm Prætoriæ, intelliguntur. Cùm autem Prætorium mittebat Cæſar in provinciam, ut eam regeret poteſtate Conſulari, is non *Proconſul*, ſed *Conſularis* tantùm dicebatur: at cùm Senatus in eam provinciam, quæ ſui juris eſſet, Prætorium mitteret jure Conſulari, *Proconſul* dicebatur. Hoc enim ſæpius uſurpatum ſub libera Rep. Namque Prætorios, cum poteſtate Conſulari & XII. faſcibus, interdum in provincias Senatus miſit, ut C. Ciceronem in Aſiam, de quo Suetonius *in Auguſto*, &c. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 13. ubi plura hanc in rem, ut & *hic paſſim.*

PRÆTORIÆ Viæ, eædem cum *Regalibus* ſeu *Conſularibus*, de quibus vide infrà, ubi de *Viis publicis.*

PRÆTORII Ludi, vide ſuprà *Honorarii ludi.*

PRÆTORIO Præfectus, dictus eſt olim, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerant: *Veteres enim*, inquit Aſconius Pædianus, *omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus*, Prætorem *appellaverunt.* Auctor inſtituti Oct. Auguſtus fuit, ut *Suetonius* & *Dio* docent: poſtmodum à Tiberio id ſtabilitum eſt. Sub eodem Imperatore Æl. Sejanus *vim Præfecturæ, anteà modicam, intendit, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in ceteros metus crederetur. Prætendebat* —— *ſeverius acturos, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris*, Tacit. *Annal. l.* 4. *c.* 2. Nec *unus* ſolùm, ſed & *duo* nonnunquam id muneris obibant, uti de Luſio Geta & Rufo Criſpino, ſub Claudio Imp. apud eundem legimus, *l.* 12. *c.* 42. Imò in *tres* potentiam ſparſit Imperatoribus ipſis formidoloſam Nero, qui tamen numerus non ſemper manſit. Et primùm quidem ex Equitibus tantùm Romanis *Prætorio Præfectus* legebatur: Dein verò, cùm ex Præfectis quoque Imperatores creati ſunt, quorum primus Macrinus fuit, tum non Senatoribus modò, verùm etiam Conſularibus, hæc dignitas patuit: duravitque hic Magiſtratus, ad Imperium uſque Conſtantini M. quô tempore, cùm *Prætoriani* pro Maxentio ſtetiſſent, contra Imperatorem, hic poſt victum occiſumque Tyrannum, caſtrô *Prætorio* dirutô, cohortes *Prætorianas* exauctoravit, atque ita *Prætorio Præfectorum* dignitatem ſuſtulit. In quorum locum, quum idem Imperator novam Romani Orbis diviſionem excogitâſſet, ipſumque in quatuor præcipuas partes ſeu Diœceſes diviſiſſet, quatuor quoque *Prætorio Præfectos* inſtituit, In *Galliis* videl. *Italia*, *Illyrico* & *Oriente*: qui tamen non niſi civiles cauſas diſceptandi jus habebant. Olim verò, quanta muneris hujus fuerit auctoritas ac poteſtas, Aurelius JC. docet his verbis: *Ad vicem Magiſtri Equitum Præfectos Prætorio antiquitus inſtitutos eſſe, à quibuſdam traditum eſt. Nam cùm apud Veteres Dictatoribus ad tempus poteſtas ſumma crederetur, & ii Magiſtros Equitum ſibi eligerent, qui, aſſociati Principali curæ, militiæ ſecundam poſt eos poteſtatem gererent; regimentis Reip. ad Imperatores perpetuò tranſlatis, ad ſimilitudinem Magiſtrorum Equitum, Præfecti Prætorio à Principibus electi ſunt, dataque eſt eis plenior licentia, ad diſciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis Præfectorum auctoritas initiata, in tantum meruit augeri, ut à Præfectis Prætorio appellari non poſſit* &c. Et paulo infrà, *Subnixi etiam ſunt aliô privilegiô. ne à ſententiis eorum minores ætate ab aliis Magiſtratibus, niſi ab ipſis Præfectis Prætorio reſtitui poſſint.* Nec omittendum, quamprimum *Præfectus Prætorio* lectus eſſet, dari ei ab Imperatore cingulum cum gladio fuiſſe ſolitum: unde memorabilis illa Trajani vox, cùm Præfectum ſuum cingulô donaret, dicentis: *Si è Rep. imperavero, pro me; ſin ſecus, contra me utere*, Plinius, *Panegyr. c.* 66. Eoſdem in Prætexta fuiſſe, licèt jus lati clavi non haberent, patet ex Dione, ubi eam dat Sejano *l.* 58. *Quem τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ ornaverant, ad ſupplicium duxerunt.* Unde de eodem Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 99.

Hujus, qui trahitur, prætextam ſumere mavis,
Aut Fidenarum Gabiorumque eſſe poteſtas.

Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. l.* 2. *c.* 3: & plura de hoc munere, apud Wolfg. Lazium, *Comm. Reip. Rom. l.* 1. & 2. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 33. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 20. Theod. Marcilium *ad Titum Suetonii* inprimis, *c.* 4. ut & in voce *Cura*, *Præfectus*, item *Præfectus Prætorio.* De *Præfecti vero Prætorio* Vicario, Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 806. & infra.

PRÆTORIUM, Pannoniæ ſuperioris urbs. *Ptol. Simlerus* putat ab *Antonino Prætorium Latum vicorum* dici, & hodie *Pridanich* nominari, auctore *Moletiô.*

PRÆTORIUM, Angliæ oppid. *Coventriæ Talboto. Patrington* verò *Camdeno* in agro Eboracenſi. Baudrando olim oppid. Pariſiorum, nunc pagus *Paterington*, in tractu *Holderneſſe*, in provinc. Eboracenſi, ad Abi æſtuarium. Vix 3. milliar. Anglic. ab ora Oceani Anglici, inter Ocelum promontor. ad Eurum & Petuariam ad Circium.

PRÆTORIUM Maritimum Dalmatiæ, in portu Hyllis, nunc *S. Arcangelo.* Rudera ejus in territorio Traguricnſi, vulgò *Trau Vecchio*, J. Luc.

PRÆTORIUM, circa Armeniam minor. oppid. *Antonin.*

PRÆTORIUM, tabernaculum Prætoris, quod ſemper in medio erat caſtrorum, quum ſimplicia erant caſtra; paulo aliter verò res habuit, cùm duo caſtra jungebantur, qua de re ex Polybio pulchrè diſſerit Salmaſ. *ad Solin. p.* 671. Prope illud in ipſo metationis centro *locus groma* erat, quia groma ibi ponebatur, ad dictandas metas: ad quem proin locum, velut ad Forum, è quatuor partibus, congruebant ac conveniebant homines ad introitum Prætorii. Vide de magnificentia ejus, cum Templo proin comparati à Joſepho, Caſaubon. *ad Julium Suetonii*, *c.* 47. &c. Item locus in provincia, in quo Prætor ſive Proconſul Jus dicebat. Poſteriori ævô *Prætoria* dicta ſunt Villæ omnes urbanæ elegantiores & non ruſtici uſus. Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 23. *Fertur & promiſiſſe phœnicem convivis, vel pro ea libras auri mille, ut in* Prætorio *eas dimitteret.* In prætoriis namque his ac villis elegantioribus phaſiani, gallinæ ruſticæ, meleagrides, pſittaci, merulæ albæ, & aves aliæ id genus raræ ac inuſitatæ, non ſolùm ad gulam & culinam habebantur, ſed etiam ad voluptatem & ornamentum villæ. Cùm igitur Alagabalus convivis ſuis promiſiſſet, ſe phœnicem exhibiturum, quoniam rara unicaque avis eſt, ut eam redimeret ac dimitteret in *Prætorio ſuo*, pro eadem auri libras mille ſe daturum eſt pollicitus. Apud Statium *l.* 1. *Sylv.* 3. hôc ſenſu vox occurrit, *v.* 25. ubi de Villa *Tiburtina*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

—— —— nec te mitiſſimus amnis
Dividit, alternas ſervant Prætoria *ripas.*

Ibi enim, magnificentiora ædificia ad ripas fluminis intelliguntur. Cujuſmodi *Prætoriorum* in Villis etiam mentio, apud Palladium, *l.* 1. *c.* 8. & 11. alioſque, laudatos Franc. Jureto *ad Symmachum, l.* 9. *Ep.* 17. & Caſp. Barthio *ad Statium.*

PRÆTUS, vide PROETUS.

PRÆTUTIUM, oppidum Piceni, *Ptol.* Sil. *l.* 15. *v.* 568.

Tum quà vitiferos domitat Prætutia pubes
Læta laboris agros. —— ——

Vide *Prægutii.*

PRÆVALIS, & PRÆVALITANA regio pars fuit Illyrici, inter mare Adriatic. ad Occaſum, Illyricum ſinum ad Meridiem, & Scardum montem ac Epidaurum ad Boream ubi nunc pars Albaniæ.

PRÆVARICARI, apud Plinium, *l.* 18. *c.* 19. *Arator niſi incurvus, prævaricatur*, eſt non rectà incedere, ſed obliquè, non rectà ſulcum agere. Ut rectum enim ſulcum dirigat arator, incurvus eſſe debet. *Gloſſæ, prævaricat*, διασκελίζει, imò διασκελλίζει, i. e. *a recta via deducit.* Nam σκελλὸς eſt *ſcambus* & *tortus.* Niſi fortè διασκελίζει retinendum, quod eſt *crura in inverſum pandere* & idem cum *varicare.* Sed ut *prævarus* eſt, qui valde *varus* eſt, & *prægrandis*, valde grandis, ita *prævaricari*, qui ultra modum *varicat.* Certè *varus* eſt ille varicatque, qui pedes non rectè ponit, ſed ad exteriorem partem eos detorquet. Ergo *prævaricat*, qui id ſupra modum facit. Inde in officio ſuo *prævaricare* dicuntur, qui non rectè ambulant, ut ſunt illi Patroni, qui clientum ſuorum cauſam adverſariis tradunt, &c. Vide Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 945. *infrà paſſim*, inprimis in voce, *Varus.*

PRÆVENIRI Convivia, eleganter dicit Vopiſcus *in Floriano, c. ult.* ad quæ venitur horâ ſolitâ maturiùs, ut ferè moris erat in conviviis ſumtuoſioribus. Catullus, *Epigr.* 48. *v.* 5.

Vos convivia ſumtuoſa lautè
De die facitis.

Ea enim tempeſtiviùs & de die inibantur, h. e. de meridie, uti quidem vox *dies* hìc ſumitur. Unde Ciceronis dictum in homines gulæ & ventri deditos, *de die*, & *in diem eos vivere.* Et apud Livium, *l.* 25. *c.* 23. qui diem feſtum Dianæ egêre, *de die dicuntur epulati* ſeu tempeſtivas epulas celebraviſſe. Quarum tempori horam quintam conſtitutam fuiſſe, patet. Cicero enim idem, *in Piſonem, Meminiſtin' cœnam, cùm ad te quintâ ferme horâ cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, involutó capite, ſoleatum?* Unde eſt, quod Cæcilianus ille apud Martialem, *l.* 8. *Epigr.* 67. *v.* 1. ab ipſo invitatus, ad quintam venerit. Vide infrà in voce *Quinta*, item *Tempeſtiva convivia*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc.*

PRÆVENTORES Milites, ſub diſpoſitione Ducis Mœſiæ ſecundæ, memorantur in *Notit. Imp.*

PRÆURICA, qui præeſt *urigini* equorum, ὁ τῆς ὀχείας ἐπιμελητής; pro quo corruptè vulgo *Præoriga* & *Proriga* dicitur. Pro *urigine* autem *originem* dixit Arnob. *l.* 7. *Semeleiæ ſobolis origo contorſit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 893.

PRAGA, urbs Germaniæ ampliſſima, Bohemiæ regia, & Archiepiſcopalis à Clemente VI. Pontifice Romano metropolis effecta. Vide *Marobudum. Caſturgis Ptolem.* Eam aggere atque murô Primiſlaus tertius Bohemorum dux, cinxit, & ab ejus uxore Libuſſa, à *limine*, quod Bohemicè *Praga*, inditum urbi nomen. Tres in partes dividitur, parvam, veterem, ac novam. Parva ſiniſtrum latus Mulaviæ fluvii occupat, colleque conjungitur, in quo ſita eſt regia. Vetus in plano jacet, univerſa magnificis operibus adornata. Jungitur minori lapideo ponte 24. arcuum. *Æn. Sylvius.* Eſt ad Muldavam fluv. qui 3. leuc. infra in Albim cadit. Academiam habet à Carolo IV. Imperatore erectam, A. C. 1370. Cum caſtro probè munito, 15. milliar. Germanic. à Budoviſſa in Boream, Dreſdam verſus 18. circiter, & 20. ab Egra in Ortum, ſub Imperatore cum toto regno. Capta eſt à Johanne Bohemiæ Rege pulſô Henricô Carinthiæ Duce, A. C. 1511. cives Wenceſlaum Regem in carcerem conjecerunt, A. C. 1392. Urbs iterum à Gregorio Podiebrado aſtu occupata, A. C. 1441. aliquoties quoque ſeculô hôc obſeſſa, capta, recepta eſt. Sub initium ſeculi 15. Johan. Huſſus, Hieron. Pragenſis, variique Wiclefi diſcipuli, veram ſalutis doctrinam magnô zelô hìc annuntiantes, fundamenta jecerunt Eccleſiæ *Fratrum* florentiſſimæ: quæ per 2. ſecula in Bohemiæ regno divinitus conſervata, nuperis bellis Bohemicis graviſſima quæque paſſa eſt, reliquiis in Sileſiam & vicinam Poloniam tranſlatis. Vide Cluver. *deſcript. Germ.* Æn. Sylv. *Hiſt Boh.* Barrium, *de reb. Germ.* & in voce *Fratres.*

PRAGENSIS Hieronymus, vide *Hieronymus.*

PRAGENSIS Lucas, vide *Lucas.*

PRAGMATICA Sanctio, nomen Edicti, à Carolo VII. Galliar. Rege Lutetiæ promulgati, A. C. 1439. cujus hiſtoria paulò altiùs repetita, hæc eſt. Olim, ut in aliis provinciis, ita in Gallia, ſi quis vacaret Epiſcopatus vel Abbatia, Canonici & Monachi eligendi facultatem habebant; minora verò ſacerdotia, ab Epiſcopis & Patronis conferebantur: dein lites omnes de rebus ſacris, aut beneficiis, in ſuâ quæque provinc. diſceptabantur. Has electiones Pontifices Romani everſum euntes, per *Reſervationes*, atque *Gratias expectativas*, uti vocant, emolumentum omne Romam & ad ſe derivabant, litibus omnibus, etiam *primæ inſtantiæ*, eodem evocatis. Reſtitit animosè Ludovicus IX. tulitque legem A. C. 1267. ut mos antiquus retineretur, nec ullum eô nomine tributum Romanæ ſedi perſolveretur. Vide Bochell. *Deſcr. Eccl. Gall. l.* 4. *c.* 2. Et valuit lex multis annis, ſucceſſu tandem temporis ei derogante: donec Concil. Baſilienſe aucupium iſtud denuo ſuſtulit, veteribuſque legibus reſtitutis, Annatas exigi prohibuit: quod decretum Carolus VII. de quo ſupra, re cum ſuis deliberatâ. Edictô, quod *Pragmaticam Sanctionem* vocant, confirmavit. Nec impetrare potuit Pius II. à Ludovico XI. ut ea aboleretur, demonſtrante Regi Senatu ſupremô, quid Clodovæus, Carolus M. Philippus Deodatus, Ludovicus IX. Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, Johannes, Carolus V. Carolus VI. quid ipſius denique pater, in eô ſtatuiſſent. Interque alia oſtendente: *Niſi* Sanctio *patris valeret, quotannis è Galliis Romam elatum iri decies centena millia aureorum:* (Hinc & in Germania ſaltem ſub unius Maximiliani I. Imperatoris ætate, à ſeptem Archiepiſcopis Moguntinis ſibi ſuccedentibus ſola *pallia* redempta in Pontificis Romani theſaurum intulerunt 175000. aureorum, quôlibet 25000. pendere coactô: ac Jacobus Archiepiſcopus moriturus non tam angi ſe de inſtante morte, quàm de tanto ſubditorum onere, teſtatus eſt.) Cumque nihilominus Rex aſſenſurus Papæ videretur, Procurator regius & Schola Pariſina, magnis animis obſiſtebant, & provocabant à Pontifice ad Concilium. Dein Ludovicus XII. graves hôc nomine inimicitias exercuit cum Julio II. donec Franciſcus I. qui Ludovico ſucceſſit, cum Leone X. certis conditionibus Bononiæ tranſegit. Non omnis tamen hodieque in Gallia Sanctionis vigor extinctus eſt, ſubinde, occaſione ſe præbente, non inconſpicuus. Vide Bochell. ſupra laudatum, Carolum Molin. *Comm. in Edict. Henr. II. contra parvas datas & abuſus Curiæ Rom.* Nic. de Clemang. *tract. de Annatis non ſolvendis.* Duarenum, *l.* 1. *de ſacr. Eccl. Miniſt. c.* 6. Marc. Ant. de Dominis, *l.* 9 *de Rep. Eccl. c.* 9. *&c.* nec non hic infrà.

PRAGMATICI, homines dicti ſunt forenſis profeſſionis, qui cauſarum actores Juris ignaros monebant interdum, Juris reſponſa actionumque formulas ſubminiſtrantes; quaſi admonitores poſtici, dicendorumque ſuggeſtores, cùm ad juris diſceptationem ventum erat: *Juris Interpretes* Quintiliano, *l.* 3. *c.* 6. More à Græcis ad Romanos tranſlatô. Cicero *in Orat. l.* 1. *c.* 45. *Itaque, non ut apud Græcos, infimi homines mercedulâ adducti miniſtros ſe præbent in Judiciis Oratoribus ii, qui ab illis* Pragmatici *vocantur.* Et Fabius, *l.* 3. *c.* 3. *Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblituſve eorum, qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant, neque idem Græcos quoque neſcio factitâſſe, unde nomen his* Pragmaticorum *datum eſt.* Olim verò Romanorum Forum iis fuerat uſum, Hottomannus apud Joann. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PRAGMATICUM, τὸ Πραγματικὸν, ſeu *Pragmatica Sanctio*, aliter *Factum*, non eſt Edictum quodvis, ſed id, quod in publicis cauſis fieri ſolebat, ad preces civitatum & provinciarum, & ad ſuggeſtionem plerorumque Judicum ac Præſidum provinciarum. De quo genere iſtam Conſtantini ſanctionem eſſe, ſtatim initiô ejus proditur: *Saluberrimâ magnificentiæ ſuggeſtione inter reliquas Reip. utilitates evidenter inſtructi, obſervanda provincialibus noſtris* &c. Dicebantur autem *Pragmatica* iſtiuſmodi Reſcripta, quòd longô tractatu & conſiliô habitô ſolenniter & multâ verborum diſſertatione formarentur. Quomodo quidquid ſit, Græcos πραγματικὸν vocare, notum. Sic Πραγματικὴν ἱστορίαν Polybius appellat, quæ res geſtas diligenter ac copiosè narrat. Eôdem ſenſu πραγματικῶς φιλοσοφεῖν Strabo dixit, *l.* 13. cui opponit θέσεις λαλεῖν. Τὰ πραγματικὰ Græci ſimpliciter vocant talia Reſcripta: ut in Concilio Chalcedon. *Can.* 12. Προσδραμόντες δυναστείαις τὴν μίαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατέτεμον. Zonaras, Τὰ πραγματικὰ exponit προστάγματα ἔγγραφα &c. Dicitur etiam *Pragmatica Juſſio, Pragmaticus Typus*, Πραγματικοὶ τύποι &c. quibus vocibus ſæpe Concilia utuntur, ad denotanda Reſcripta Principum, in cauſis alicujus Communitatis aut Collegii, non verò in cauſis privatis. Dominic. Macer *in Hierolex.* Vide etiam Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordianis Tribus, c.* 6. & ſuprà in voce *Factum*, it. *Linum.* De celebri autem Pragmatica Sanctione Ludovici IX. & Caroli VII. Galliarum Regis diximus quædam alibi.

PRAMNIUM, mons vel ſcopulus in inſul. Icaro, unde *Pramnium vinum* cognominatum eſt, quod quidam quoque Φαρμακίτην appellant. Athen. *l.* 1. *ex Eparchide & Semo.* De *Vino pramnio* ſic, inter alia, Athenæus ſcribit, *l.* 1. Εἶναι ἐν Ἰκάρῳ φησὶ Σῆμος, Πράμνιον πέτραν, καὶ παρ' αὐτῇ ὄρος μέγα, ἀφ' οὗ τὸν Πράμνιον οἶνον, ὃν καὶ φαρμακίτην τινὰς καλεῖν. Δίδυμος δὲ πράμνιον φησὶ οἶνον, ἀπὸ πραμνίας ἀμπέλου οὕτω καλουμένης. Οἱ δὲ ἰδίως τὸν μέλανα. Ἔνιοι δὲ ἐν τῷ καθόλου τὸν πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειον, οἱονεὶ παραμόνιον ὄντα. Οἱ δὲ πραΰνοντα τὸ μένος, ἐπεὶ οἱ πίνοντες προσηνεῖς. *Nic. Lloydius.*

PRANDIUM, *Plutarcho* παρ' ἕνδιον, quòd *Meridie* ſumeretur, antiquitus in uſu non erat, Servius Honor. *in Æn. l.* 4. Unde Iſidor. *Etymolog. l.* 2. *c.* 20. *Eſt autem*, inquit, *cœna veſpertinus cibus, quam veſpertinam antiqui dicebant, in uſu enim non erant prandia.* Semel enim in die cibum capere, neque ſub meridiem ut nunc fit, ſed in veſperum illud differre, vetus frugalitas ſolita eſt. Salvianus Maſſil. *de Provid. & Jud. Dei, l.* 1. *Nunquid parcam illam tunc agreſtemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cùm viles & ruſticos cibos, ante ipſos, quibus coxerant, focos, ſumerent, eoſque ipſos capere, niſi ad veſperam, non liceret.* Vide quoque Caſſiodor. *in Pſalm* 14. & Boëthium *de Conſol. Philoſ. l.* 2. *metrô* 5. quibus adde Pompon. Sabinum & L. Senecam *Ep.* 122. Poſteà bis in die epulari receptum, unde Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex* 5. apud Antiquos, *viris mandere & cœnitare in propatulo, verecundiæ non fuiſſe*, ait: Aureliuſque Macrobius Legum meminit, quibus imperatum, *ut patentibus januis pranſitaretur & cœnitaretur, Saturnal. l.* 2. *c.* 13. Vide quoque Plut. *Sympoſ. l.* 8. *c.* 6. Pollucem, *Onomaſt. l.* 6. *c.* 1. &c. & facit huc mos Græcorum, apud quos nata Ἄριστον & Δεῖπνον, *Prandii* ac *Cœnæ* vocabula. Sed breviſſima parciſſimaque hæc *Prandia* fuêre: imò, ut quidam volunt, non niſi lautiorum, qui & ipſi ſine ulla ferculorum pompa aut ſplendido apparatu accumbebant menſæ privatæ pranſuri, ad magnificas verò & exquiſitas epulas amicis in cœnam condicebant, Celſus Medicus, *l.* 1. *c.* 3. Feſtis tamen diebus, vel nuptiarum tempore, vel etiam ambitionis, largitionis luxuriæve causâ, ſumtuoſiùs inſtrui aſſuevêre. Sume-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

batur autem prandium Meridie, ut dictum, nam ἔνδιον *meridianum tempus*, & ἐνδιάζειν *meridiari*, annotante Plut. *Sympoſ. l.* 8. *c.* 6. unde *Prandio* nomen: quô ſumtô quieſcere Veteres ſoliti, ut eſſet velut alter dies, inter *Prandium* & Veſperam, Plin. Jun. *l.* 3. *Ep.* 5. quod Sen. *Ep.* 85. *interjungere diem*: Horat. *l.* 1. *od.* 1. *v.* 20. *Partem ſolido demere de die*, vocant: Manſitque hic meridiandi mos ad declives uſque tranſlati Imperii lapſus. Vide quæ de Auguſto Sueton. *c.* 78. de Caligula idem, *c.* 38. de Trajano Plinius Jun. *Panegyr.* de Alboino Longobardor. Reg: P. Diaconus, *Hiſt. Longob. l.* 2. *c.* 28. & de Romanis meridiantibus, urbe ab Alarico Gothorum Rege captâ intrataque, Gregór. Turon. *l.* 10. *c.* 2. & Procopius Cæſar. *l.* 3. tradiderunt. Veſtigium ritûs & in ſacris, 2. Sam. *c.* 11. *v.* 2. 13. ubi de Davide: & in Hiobo, *c.* 24. *v.* 11. Hinc Q. Catullus, *Epigr.* 33. *v.* 2.

Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum:

Quod paucis interjectis exponens, *v.* 10. ait:

Nam pranſus *jaceo & ſatur, ſupinus*, &c.

Vide quoque Hieron. Mercurialem, *Var. lect. l.* 4. *c.* 17. *in Arte Gymn. l.* 1. *c.* 11. Aldum Manutium, *l.* 1. *de quæſ. per Epiſt. Ep.* 4. Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum l.* 5. *c.* 27. Alios. Horam *prandii* quod attinet, *ſexta* illa fuit ſecundùm quoſdam, ſicut hora jentaculi tertia, aut quarta. Unde Martialis eum, qui ad quintam venerat pranſurus, ſerò venire dixit, ut jentaret, nimis tempori, ut pranderet. *l.* 8. *Epigr.* 67. *v. ult.*

Manè veni potiùs, nam cur te quinta moretur?
Ut jentes, ſerò, Cæciliane, venis.

Alii verò *ſeptimam* faciunt, ex Galeno *Tract.* 2. Ὑγιειν. Ubi Telephum Grammaticum, in quibus diebus non lavabatur, ungi ſolitum brevi attritu, *pranſum autem circa horam ſeptimam*, ait. Nempe utebantur Sole, ut Plinius habet, *l.* 6. *Ep.* 16. frigidâ lavabantur, guſtabant, dein prandebant. Alii verò impranſi totum durabant diem, ut diximus. Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſci Tacit. c.* 6. At pueri, qui famem non ferunt, opifices, ſervi, viatores, quorum vires labore fractas refici cibô neceſſe, ſenes tandem & valetudine tentati, quater in die cibum ſumſêre: Nempe matutinam jentationem, quam *Prandium* dixêre priſci; mox *Prandium*, tum cœnam, tandem comeſſationem. Donec luxu & nequitiâ ſerpente, merenda, quæ, *Prandii* nomine & uſu nondum introductô, prandii locô Veteribus erat, ei locum ceſſit, & poſt prandium, quoniam à meridie ad veſperam jejunitas nimiùm longa videretur, intermediô tempore ſumi cœpit. Vide præfatum Roſin. *l.* 5. *c.* 26. Nec prætereundum, quod jam tetigimus, *antiquitus prandium idem cum jentaculo*: item *cum cœna fuiſſe*, docere *Feſtum*: quemadmodum voce Δεῖπνον Græcos modò *epulum* quodvis, modò *cibum matutinum*, modò *meridianum* ſeu *prandium*, modò *epulum veſpertinum*, denotare, docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* donec temporis tractu ſignificationes hæ diſtingui cœperunt &c. Epulum quodvis certè ſignificat, in illo *Heſiodi*, δεῖπνον ποιεῖν, pro τροφῆν, i. e. *comedere*, & Balſamonis *ad can. IV.* Concilii Ancyrani, εἰδωλικὸς δεῖπνος, *convivium idololatricum*. Vide hîc paſſim, inter alia voce *Nona*.

PRANDIUM Militare, apud Trebellium Poll. *in Gallienis*, *c.* 2. *Dicunt enim* militare prandium (*quod dictum eſt prandium, ab eo, quòd milites ad bellum paret*) *à cinctis initum*: Grutero cum *Menſa Militari*, apud Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 29. idem eſt, ſicque dicebatur illi frugalior menſa, quâ Imperatores olim ſoliti ſunt ſuos Duces excipere. Caſaubonus, cùm Romani, quoties aliquem invitarent, ad cœnam vocarent, Imperatorem contrà, *ad Prandium*, Duces ſuos invitare ſolitum, ait, idque eſſe appellatum *Prandium Militare*. Et quidem Menſa hæc parca & caſtrenſibus tantùm cibis inſtructa fuit, uſque ad Heliogabalum, qui *Romanorum Ducum primus hydrogarum publicè exhibuit, quum anteà militaris menſa eſſet, quam poſteà ſtatim Alexander reddidit*, Lamprid. *in Heliogabalo. loc. cit.* Cincti autem huic prandio intererant militares viri; cujus moris originem inde arceſſit Salmaſius, quòd, quemadmodum non licebat ad Imperatorem accedere Magiſtratibus, niſi cum inſignibus ſuis; nec hominibus forenſibus, niſi cum toga; ita nec militibus, niſi cum chlamyde & baltheo. Fruſtra ergo Pollio eſt, cùm *d. l.* à Salonini facto eam deducit. Vide Salmaſ. *ad eum.*

PRANSORIUM, Iſidoro idem eſt cum promulſidario, quod vide infrà.

PRANSUS paratus, Proverbialis locutio, quæ quid indigitet, diſcimus ex Statio, *Thebaid. l.* 8. *v.* 169.

——— *menſas alimentaque bello*
Debita. ——— ———

Nempe cibis largiùs ſumtis feſſorum corporum vires reparare ſoliti ſunt milites, & novis ſic belli laboribus præparabantur: quod receptum olim ubique diſcrimine inſigniori imminente. Curtius, *l.* 3. *c.* 8. *Cæterùm, ut ſolet, cùm ultimi diſcriminis tempus adventat, in ſolicitudinem verſa fiducia eſt.* ——— *Itaque corpora milites curare juſſit, ac perinde tertiâ vigiliâ inſtructos & armatos eſſe.* Hoc eſt, *pranſi parati* adeſſent. Petronius *Satyr.* *Hac locutus gladiô latus cingor, & ne infirmitas militiam perderet, cibis excito vires largioribus.* Ad quem locum vide Bourdelotii *Scholia*, ubi aliquot loca Homeri eam in rem laudat. Qualis inter alia ille verſus apud Athen. *l.* 1. *c.* 10.

Οἱ δ' ἄρα δεῖπνον ἕλοντ', ἀπὸ δ' αὐτοῦ θωρήσσοντο.

Vide quoque Diodor. Sic. *l.* 11. ubi de Leonida & nobiliſſimis Spartanis. A militibus morem mutuò ſumpſêre alii, ut de Senatu Romano, cujus ipſe pars fuit, ſcribit Dio Caſſius, *l.* 73. laudatus Caſp. Barthio *Animadverſ. ad Papinium Statium d. l.* &c.

PRAS, urbs Perrhæbiæ, *Steph.*

PRASIÆ oppid. eſt in ora Laconicæ maritima, quod ab Athenienſibus captum fuit, vaſtatum ac dirutum.

PRASIÆ, vicus Athenis in Pandionide tribu. Incola *Praſius*, *Steph.*

PRASIANA, ut *Gillius*, vel *Praxiana*, ut alii codices legunt. Πράσιοι legit codex *Geſneri*, *Æliano* Indiæ regio eſt, ubi ait ſimias maximis canibus non eſſe minores magnitudine. *Praſii* ſunt etiam Plutarcho *in Alexandro*. *Pharraſii* Curt. *l.* 9. *c.* 2. *Tabraſii* ſunt apud *Diod.* pro Ταβράσιοι tamen, mavult Βράσιοι legere *Ortelius*.

PRASIAS, palus in qua Pæones habitant prope Obelum montem.

PRASII, Indiæ populi, Plin. *l.* 6. *c.* 19. *Sed omnium in India prope, non modò in hoc tractu, potentiam, claritatemque antecedunt Praſii, ampliſſimâ urbe, ditiſſimaque Palibothra.* *Stephano* Indiæ populus, qui contra Bacchum militavit.

PRASINA Factio, una ex quatuor Circi factionibus, à *praſino*, h. e. viridi intentiſſimo, ſeu porraceo, colore nomen habuit. Tertullian. *de Spectac. c.* 9. *Aurigis coloribus Idololatriam veſtiêrunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, albus & ruſſeus. Albus hyemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati, ob Solis ruborem, voti erant; Sed poſteà tam voluptate, quàm ſuperſtitione provectâ, ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt:* Praſinum *verò Terræ Matri, vel verno: Venetum cœlo & mari, vel auctumno.* In quas cùm tota Civitas diviſa ac velut quadripartita eſſet, aliis uni, aliis alteri factioni faventibus, nec ulla pars Civitatis, ulluſque hominum conventus reperiretur, in quibus certaminum tempore, de hujuſmodi factionibus aut ſtudioſiſſimè non diſceptaretur, aut ſaltem ſermo non haberetur, quemadmodum ex Plin. *l.* 9. *Ep.* 6. & Martial. *l.* 14. *Epigr.* 34. videre eſt: non tamen ulla fuit, cui magis quàm *Praſinæ* faverent Romani. Non enim ſolùm Caligula ei apprimè addictus, *ſic ut cœnaret in ſtabulo aſſiduè & maneret*, teſte Suetoniô, *c.* 55. & Nero, unde agitatorem *Praſinum* habuit, apud eund. *c.* 22. & *Dionem*: Sed & major Romanæ civitatis pars in eandem propenſa fuit. Unde Juvenalis, *Sat.* 11. *v.* 195.

Totam hodie Romam Circus capit & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quô colligo panni.
Nam, ſi deficeret, mœſtam, attonitamque videres
Hanc Urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Conſulibus. ——— ———

Quas in favendo contentiones inde ortas exiſtimat Mercurialis, *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 9. quoniam Romanorum quorumlibet veſtimenta quatuor duntaxat his coloribus texebantur, quorum proin quivis ei factioni, quæ ſibi ſimilem colorem profiteretur, potiſſimùm favebat. Aliud tamen videntur ſuadere illa Ovidii, *de Arte l.* 1. *v.* 145.

Cujus equi veniant, facito, ſtudioſe requiras,
Nec mora: quiſquis erit, cui favet illa, fave.

Durârunt autem hæc ſtudia, uſque ad Juſtiniani Imperatoris Principatum, quô, ex *Praſina* & *Veneta* factionum contentione, ingenti diſſidiô, atque hinc quadragies mille hominum clade obortâ, Factionum nomina abolita ſunt, ut docet *Zonaras*, & ex eo *Cuſpinianus*. Factionis *Praſinæ* agitatoris M. Aur. Liberi, meminit vetus Inſcr. *M. Aurelio. Libero. Patri. & Magiſtro. &. Socio. Domino. &. Agitatori. Factionis. Praſinæ. Aurelius. Cæcilius. Planeta. Protogenes. ob.* III. *palmarum. hoc. donum. vovit.* Alterum extat monumentum apud Onuphrium, in hæc verba: *C. Apulejus. Diocles. Agitator. factionis. ruſſatæ. natione. Hiſpanus. Luſitanus. annorum* 37. *menſ.* 7. *d.* 24. *Primùm. agitavit. in. factione. alb. Acilio. Aviolâ. & Cornelio. Panſâ. Coſſ. Primùm vicit. in factione. eadem. M. Acilio. Glabrione. C. Bellicio. Torquato. Coſſ. Primùm. agitavit. in. factione. Praſina. Torquato. Aſprenate. II. &. Annio. Libone. Coſſ.* Vide Thom. Dempſter. *in Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 5.

PRASINÆ, apud Jul. Capitolin. *in Maximino Jun. c.* 1. *Monolinum de albis novem, reticulum de* praſinis *undecim, dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor* &c. ſmaragdi ſunt. Nihil enim tam viride, quod ſmaragdo comparatum virere dici queat, uti Plin. *l.* 37. *c.* 5. alicubi habet; & chryſocollam ſmaragdumque ejuſdem coloris eſſe, tradit *Theophraſtus*: Chryſocollam autem probat *Dioſcorides*. τὴν κατακόρως πρασίζουσαν, i. e. *ſaturè praſinam*. Plin. idem, *l.* 33. *c.* 5. ſummam commendationis eſſe in Chryſocolla dicit, ut colorem herbæ ſegetis latè virenti quàm ſimillimum reddat: quem colorem *praſinum* Latini propriè vocârunt ex Græco. Unde *Praſini factio*, & ſmaragdus quoque *praſina*; quomodo etiam paſſim vocatur apud *Anaſtaſium*. Sic *Epiphanius*, Λίθος σμάραγδος, ὅτος καλεῖται ϗ πράσινος. *Lapis ſmaragdus, qui vocatur etiam Praſinus.* Sed & colorem maris his attribuunt: Nam de ſmaragdis intelligit Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 61. *v.* 7. hôc verſu,

Tres concolores fluctibus maris gemmas.

Et Plin. *loc. cit. ſmaragdorum virens mare* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 195. Uti verò Capitolinus, *albas*, h. e. margaritas, *praſinas* & *hyacinthos* jungit, ſic apud Anaſtaſium tria hæc gemmarum genera ſemper videre eſt ſimul & junctim poſita, in *Leone* inprimis IV. *Circelli paria duo, habet gemmas pretioſiſſimas, albas numerô decem & octo, praſinas octo, hyacinthinas quatuor.* Similiter, nulli licere in frenis aut baltheis, *margaritas, ſmaragdos aut hyacinthos*, aptare, in *Codice* legimus. Vide Eundem *ad Capitolin, loc. cit.* & ſuprà *Porraceum*.

PRASINUS, apud Capitolin. *in Vero*, *c.* 4. ſubintellige color. *Amavit & aurigas, Praſino favens*: eſt *Praſina factio*, ut Sueton. vocat

vocat *in Calig. c.* 55. Vide ſuprà *Praſina Factio*: uti *de bulla praſina* Imperatorum Conſtantinopolitanor. & Patriarcharum ſuprà voce *Dicherium*.

PRASINUS, equus Commodi, cui mortuo ſepulchrum in Vaticano ſumptuoſiſſimum fecit princeps, ſicut olim Bucephalo ſuo Alexander. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 14. De *Praſina* agitatorum *factione*, vide Suet. *in Nerone*, *c.* 22. ibique *Torrentium*, & hìc paulò ſuprà.

PRASON, promontor. juxta mare Rubrum, *Steph.* Vide & *Praſum.*

PRASUM Promontor. hodie *Mozambicum*, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 244. & in voce *Praſſum.*

PRASPENUS, vide PRAASPA.

PRASSÆBI, gens Theſprotica, *Steph.*

PRASSUM, ſeu PRASUM, *Ptol.* & *Steph.* Æthiopiæ interioris promuntor. Hodie *Capo de Corrientes*, *Sanſoni*, in ora Catreriæ regionis, 180. leucis Hiſpanic. à Moſambico in Meridiem verſus promontor Bonæ ſpei, è regione Inſulæ Madagaſcariæ.

PRASTILLUS, urbs Macedoniæ, aliàs *Craſtillus*, *Steph.*

PRASUM, Cretæ oppid. Meridiem verſus.

PRASUTAGUS, Ignetorum rex, qui Neronem cum filiabus ſuis fecit hæredem.

PRATELLA, vulgò PREAUX, vetus oppidulum & monaſterium Monachorum S. Benedicti Regulæ, ut vocant, ſubjectorum, in finibus Lexoviorum & in valle ad Riſelam flum. propinquum Ponti Audomari, ſed *Pratellenſi* Abbatiæ Benedictinorum propius. Meminit *Pratellenſis* Abbatis, cui à loco nomen, Order. Vitalis, *l.* 12. apud Valeſ. *Notit. Gall.* voce *Ulterior Portus.* Origo nominis à *pratellum* ſeu *pratum*, quod apud Monachos locum quoque ſub dio notat, ſeu atrium, quod Clauſtri porticus cingunt in Monaſteriis, Gall. *le Preau.* Car. du Freſne *Gloſſar.*

PRATELLIA Lex, de ambitu lata C. Fabiô & C. Plautiô Conſulib. A. Urb. Cond. 398. memoratur Livio, *l.* 7. *c.* 15. his verbis: *De Ambitu à C. Pratellio Tribuno Plebis auctoribus Patribus tum primùm latum ad Populum eſt; eâque rogatione novorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant.* Verùm tacitô poſt conſenſu abrogata illa videtur, quippe cùm petitores Magiſtratuum etiam in Provincias, ad Coloniarum & Municipiorum gratiam colligendam accurriſſe conſtet. Vide Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 29.

PRATEOLUS Gabriël, vide *Gabriël.*

PRATINAS, Poëta Græcus floruit Olymp. 71. Primò *Satyras*, dein quoque *tragœdias* condidit, æmulus Æſchinis. Athen. *l.* 9. *Suid.*

PRATITÆ, qui & *Paredoni*, populi circa Hyrcanum mare ad Portas Caſpias. Plin. *l.* 6. *c.* 15.

de PRATO Johannes, vide *Johannes.*

PRATOLINUM, caſtrum Hetruriæ, in valle, ubi M. Ducis delitiæ & horti amœniſſimi, 5. milliar. à Florentia in Boream, *Pratolino.*

PRATTALA, vicus amplus Arragoviæ, in territorio Baſilienſi, ab urbe bihoriô diſtans: in planitie, ad montis radices, ampliſſimis pratis virente, cum arce eleganti. Olim ſub nobilibus *ab Eptingen*, Baſilienſibus poſteà pretiô datus. Monſtratur adhuc in promontorio vicino locus, ubi arcem olim *zum Adler*, i. e. Aquilæ caſtrum ingenui hi coluêre, unde & Aquilam tranſverſam fuſci coloris & aliam ſupra galeam prominentem, in inſignibus gerunt. E regione vici, ad Rheni ripam, inclyta olim Auguſta Raurica. Vide ibi: & Urſtiſ. *Epitom. Hiſt. Baſil. c.* 3.

PRATUM, vulgò PRATO, oppid. amplum Hetruriæ, ad amnem Biſentium, medium inter Florentiam ad Ortum, & Piſtoriam ad Occaſum, in territorio Florentino ſub M. Duce. Vulgi verbo Barulum Apuliæ, Fabrianum Piceni, Crema Lombardiæ, Pratum Tuſciæ inprimis celebrantur.

PRATUM, cùm vox appellativè ſumitur, quid ſignificet, notum. Ex eo autem dictum eſt, quòd *paratum* ad fructum recipiendum; ſeu, ut ait Columella, *l.* 2. *c.* 17. *quòd protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret.* Græcè λειμὼν, à verbo λείβω. *Prata enim relinqui debent in læto ſolo, vel irriguo, vel humido: eaque aquâ pluviâ rigari viâ publicâ*, Plin. *l.* 18. *c.* 28. quô totô de *pratis* agit. Pauca hæc inde excerpere viſum. *Herba optima in prato trifolii* ——— *ſecandi tempus, cùm ſpica deflo-reſcere cœpit atque roborari* ——— *noctibus roſcidis ſecari melius* ——— *Fuit hoc quoque majoris impendii apud priores. Creticis tantùm tranſmariniſque cotibus notis, nec niſi oleô falcis aciem excitantibus* ——— *Juſtum eſt unâ operâ jugerum in die deſecari, alligarique manipulos mille ducentos quaternum pondo ---- Rurſus rigari deſecta oportet, ut ſecetur autumnale fœnum, quod vocant cordum. Interamnæ in Umbria quater annô ſecantur, etiam non rigua. Ter verò pleriſque in locis, & poſteà in ipſo pabulo non minus emolumenti eſt, quàm à fœno. Armentorum id cura, jumentorumque progeneratio ſuum cuique conſilium dabit optimum, maximèque quadrigarum quæſtus.* Gall. *Pré.* dicitur, unde illuſtri familiæ nomen, de qua infra: uti de *Prato Clericorum*, ſuprà in *Clerus.*

PRATUM Longum, *Pralon*, Monaſterium Virginum eſt in Lingonibus; cujus meminit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Lingones.*

PRATUM Monſtratum, vel *Pramonſtratum*, Gall. *Pramonſtré*, locus, ubi Norbertus monaſterium nobile, caput Ordinis Præmonſtratenſium condidit, in diœceſi Laudunenſi. Cæpit autem is inſtitui A. C. 1120. Ex *Prato* Latini fecêre deminutiva *pratula*, & *pratella*; Galli *preaux*, *preſles*, & *pradelles*: quorum nominum multa ſunt in Gallia loca. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PRAUSI, *Straboni*, populi Galliæ ex quibus Brennus prodiit. Horum locus *Broja*, vel *Labroja*, in Burgundiæ Comitatu, *Golluſio.*

PRAXAGORAS Athenienſis, ſub Conſtante, Conſtantio & fortè adhuc Juliano Apoſtata, annô ætatis 19. Scripſit *Hiſtoriam Regum Athenienſium*, *libris* 2. an. ætat. 22. *de vita Conſtantini M. libros* 2. quem, Ethnicus licèt, omnibus Imperatorib. reliquis præfert. Item, *de vita Alexandri M. libros* 6. Vide Photium, *Cod.* 62. Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 2. *c.* 17. Poſſevin. *in app.*

PRAXASPES, nobilis Perſa, qui Smerdim Cambyſæ fratrem, juſſu regis, occidit. Herod. *l.* 3.

PRAXEAS, Hæreticus Aſiaticus: Montani primùm diſcipulus, quô deſertô & ad Pium Epiſcopum Romanum delatô, ipſe poſteà in hæreſin prolapſus eſt, quam Monarchici poſteà, Sabelliani & Patropaſſiani amplexi ſunt. Ter relapſus, plures negabat perſonas in Trinitate: ſed eundem Patrem & creâſſe omnia, & in cruce pependiſſe: quòd (ut dicebat) communicata pluribus monarchia autoritatem principatûs minuat. Hujus argumentis reſpondebat Tertullian. *de præſcript. & adverſ. Praxeam.* Vide Optat. *l.* 1. *contr. Parmen.* Sectatorum hinc ejus, qui *Praxeani* dicti, quoſdam non tinxiſſe, *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* quoſdam verò ſervâſſe formam in Baptiſmo Euangelicam, eoſque, qui ſic ab his baptizati eſſent, à Catholicis, ut verè baptizatos, fuiſſe receptos, docet Joann. Forbeſius, ex Optato Milev. *l.* 1. 2. §. 5. & Hieronymo, *adverſ. Luciferianos.* Vide eum *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* X. *c.* 2. §. 13.

PRAXEON Liber, apud Hilarium, *in c.* 14. *Matth. Acta Apoſtolorum* ſunt, Macer in *Hierolex.* Græcè Πράξεις Ἀποστόλων. Sic enim liber hic ſacer inſcribitur, velut olim apud Gentiles *Acta* publica appellabantur, quibus ratio fideſque imperii geſti & Reip. adminiſtratæ conſtabat. Vix namque ullus noſtræ Religioni liber eſt, qui veritatis doctrinam irrefutabilibus exemplis, & eam ſequutæ hiſtoriæ fide tam luculenter explanet. Et certè præter Epiſtolas Apoſtolorum, quæ hæc duo miſcent, nullus eſt. Unde in Pentecoſte olim maximè, poſtmodum apud recent. Græcos à Dominica Paſchæ uſque ad Dominicam omnium Sanctorum, ſolùm lecta hæc *Acta*, quòd reſurrectionem Chriſti planiſſimè doceant, uti videre eſt apud Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Γραφὴ & Πράξεις. Interim Severiani & Encratitæ illa rejecerunt, Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 4. *c.* 27. Manichæi quoque, quoniam manifeſtè continent adventum *Paracleti*, i. e. Spiritus S. uti ait Auguſtinus *contra Adimant. c.* 17. Contrà Andreæ, Johannis & Thomæ Πράξεις ſeu *Acta* iidem jactârunt Encratitæ, Apoſtolii item, Apotactici & XIVmani, uti docet idem Suicerus voce Πράξεις. Alius eſt liber Πραξαπόστολος, & ſimplic. Ἀπόστολος recentioribus Græcis vocitatus, ut qui, præter *Acta*, etiam Epiſtolas complectitur, vide Joh. Meurſium *Gloſſar.* plura verò ubi de *Apoſtolorum Actis.* Alia notio vocum Πράξις & Πεπραγμένα, ſuprà in *Acclamatio.*

PRAXIBULUS, Archon Athenis, Olympiadis 116. ann. 2. Urb. Cond. 439. quô Magiſtratum gerente Theophraſtus librum *de Lapidibus* ſcripſit. Meminit ejus Plin. *l.* 33. *c.* 7. ubi de minio, quod inventum ait. XC. annis ante Praxibuli Magiſtratum.

PRAXIDICE, nympha ex Tremilo filium habuit Cragum, qui Lyciæ monti nomen dedit, *Steph.* Suidas in Πραξιδίκη· Διονύσιος δὲ, ἐν κτίσεσιν, Ὠγύγε (φησὶ) θυγατέρες. Ἀλαλκομενίαν, Θελξίνειαν, Αὐλίδα, ἃς ὕστερον Πραξιδίκας ὀνομασθῆναι. Earum ædem & juſjurandum in eadem fieri ſolitum, apud Haliartios fuiſſe, refert Pauſan. *in Bœoticis*: Ἁλιαρτίοις δέ ἐστιν ἐν ὑπαίθρῳ θεῶν ἱερὸν, ἃς Πραξιδίκας καλοῦσιν. Ἐνταῦθα ὀμνύουσι μὲν, ποιοῦνται δὲ οὐκ ἐπίδρομον τὸν ὅρκον. Harum una, Tremilo nupta: à quâ Lycia *Tremila* dicta. Panyaſis apud *Steph.* in Τρεμίλη.

Ἔνθα δ᾽ ἔναιε μέγας Τρέμιλος, ϗ ἔγημε θύγατρα,
Νύμφην Ὠγυγίην, ἣν Πραξιδίκην καλέουσι.

Eximiè autem ex his culta, ut videtur, Alalcomenia; quia nempe ipſa Minervam, Deam Athenis tutelarem, educâſſet. Itaque per excellentiam hæc ſimpliciter Πραξιδίκη dicta fuerit; creditaque dicta ac facta ad finem perducere. *Heſychius*, Πραξιδίκην δαίμονά τινα φασὶ, τὴν ὥσπερ ἐπιτιθεῖσαν τέλος τοῖς τε λεγομένοις, ϗ πραττομένοις. Inde eſt, quòd Menelaus, captô Iliô domum redux, quaſi opere perfectô, ſimulacrum dedicaverit. Pauſan. *in Laconicis*: Μενέλαος δὲ Ἴλιον ἑλὼν, ϗ ἔτεσιν ὕστερον ὀκτὼ μετὰ Τροίας πόρθησιν, οἴκαδε ἀνασωθεὶς, ἄγαλμα θεᾶς Πραξιδίκας ἱδρύσατο. Erat verò ſimulacrum ejus nihil, præter caput: namque hoc ſolùm dedicabant. *Suidas.* Πραξιδίκη, Θεός, ἧς κεφαλὴν μόνην ἱδρύοντο. Et ut ſimulacra ejus nihil niſi caput erant, ita quoque capita tantùm victimarum immolabant. *Heſychius*, *ubi ſupra*: Διὸ ϗ τὰ ἀγάλματα κεφαλὰς γίνεσθαι, ϗ τὰ θύματα ὁμοίως. Ita locum illum legit *Meurſius*; non ϗ τὰ θαύματα. Ejus quoque ſacra commemorat Orpheus *in Argonauticis:*

Ὄργια Πραξιδίκης.

Nic. Lloydius.

PRAXILLA, Poëtria quædam Scholiorum auctor, quæ & cantica quædam παροίνια, in vino & compotationibus accini ſolita, ſcripſit, ut tradit Scholiorum auctor *in Ariſtophanis Crabrones*, *p.* 519.

PRAXILLA, Sicyone poëtria, quæ inter 9. Poëtrias Lyricas, in ſuis cantionibus Adonidem inducit ab inferis interrogatum, quid apud ſuperos reliquerit, reſpondere, *Solem*, *cucumeres*, & *mala*. Quod cùm vehementer inſulſum videretur, cucumeres & mala cum Sole componere, abiit in Proverb. *Stupidior Praxilla Adonide.* Dicitur Poëſeos Praxillææ inventrix, Olymp. 82. Superſunt verſus ejus ad Calaim miſſi. Euſeb. *in Chron.* Athen. *l.* 13. Pauſan. *in Lacon.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PRAXILUS, urbs Macedoniæ. Gentile *Praxilius*, *Steph.*

PRAXION, res Megaricas condidit, teſte *Suidâ*, & *Ariſtoph. Schol.*

PRAXIPHANES, Hiſtoricus citatur Marcellino, *in vita Thucydidis*. Meminit & Laërtius *in Platone*.

PRAXITELES, marmoris ſculpendi inſignis artifex, Romæ, Pompeji M. tempore, duplici præcipuè Venere nobilitatus, Gnidiâ & Coâ, quæ ob artis præſtantiam, magnam mortalium vim in eas inſulas ad ſui ſpectaculum allexerunt. Sed Gnidia veſanô amore juvenis cujuſdam inſignis, qui delituit in templo, ſimulachroque cohæſit; tum Nicomedis æſtimatione regis, grandi Gnidiorum ære alienô permutare conantis, plus famæ adepta eſt. Natus eſt in extrema Italiæ ora, quam Magnam Græciam olim vocabant, deinde ob artis excellentiam civitate Romanâ donatus eſt; quam plurimis etiam egregiis ſignis ornavit. Scripſit, (teſte Varrone) 5. *Volumina nobilium operum in toto orbe.* Ejus Romæ opera, Triptolemus, Flora, Ceres in hortis Servilianis, Boni Eventûs, & Bonæ Fortunæ ſimulacra in Capitolio: item & Mænades, & quas Thyadas vocant & Caryatidas, & Sileni in Aſinii Pollionis monumentis, & Apollo & Neptunus. Plin. *l.* 33. *c.* 9. 12. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 36. *c.* 5. Claruit autem potiſſimum candidô marmore, quod ab inſulæ nomine, in qua effodiebatur, Parium dicitur. Propert. *l.* 3. *el.* 8. *v.* 16.

Praxitelem Parius vindicat arte lapis.

In Catalectis:

Nec me Praxiteles Scopaſve fecit.

Vide Anthol. *l.* 4. de ejus Venere. Hic cùm Satyrum ex Pario marmore, & Cupidinem ex Pentelico lapide ſummâ induſtriâ elaboraſſet, Phrynen meretricem inſigneque ſcortum amore deperiiſſe fertur: à quâ interrogatus, Quodnam opus haberet formoſiſſimum? Tacuit ipſe, ſpondens autem ei quod eligeret ſe daturum. Technâ verò quâdam Phrynes ſervus accurrit, Officinam Praxitelis ardere nuntians. Intentus itaque Praxiteles, impendio reſiſtere ſperans, foras repentè ſeſe proripuit, inquiens: *Nihil miſero mihi ex laboribus ſupereſt, ſi ſatyrus & Cupido conflagrârint.* At Phryne; *Ne feſtines*, inquit, *calliditate tantùm meâ circumventus es.* Tali itaque aſtutiâ Cupidinis ſimulachrum Phryne à Praxitele donô accepit. Id autem, eâ mortuâ, à Theſpienſibus octingentis auri minis comparatum, Cajus Cæſar Romam advexit, quod poſteà à Claudio Imperatore remiſſum, Nero denuo abſtraxit, Athen. *l.* 12. Theocr. *Schol. Idyl.* ait, duos fuiſſe Πραξιτέλεις, τὸν μὲν ἀρχαιότερον, ἀνδριαντοποιόν, τὸν δὲ νεώτερον ἀγαλματοποιόν· ἔτος δὲ ἦν ἐπὶ Δημητρίου τοῦ Βασιλέως. Hinc *Praxitelius*. Cicer. *de Divinat. l.* 2. *c.* 21. *In omni marmore non neceſſe eſt meſſe Praxitelia capita.* *Nic. Lloydius.*

PRE, ſeu *du Pré*, nomen illuſtris in Gallia Familiæ, quæ ſtirpis *le Jay* ramus eſt. vide ſuprà *le Jay*.

PRECARI, apud Statium, *Thebaid. l.* 12. *v.* 816.

Vive, precor, *nec tu divinam Æneida tenta:*

veteri Scholiaſti, *Deos precari* exponitur, optimè. Sæpe enim verbum ſic abſolutè poſitum, *Deos orare* eſt, optimis Scriptoribus, uti vel ex Virgilio notiſſimum. Id autem difficile eſſe, agnovit Alcibiades, apud Platonem, *Alcib.* 2. unde Socrates eum hôc ipſô librô artem precandi docuit, quem proin περὶ Προσευχῆς, de *Precatione*, inſcripſit: quemadmodum de Pythagora aliiſque idem legimus. Et quidem ἁγνῶς ἔχοντας, *puros*, ad orationem ſuos accedere, voluit Socrates apud Xenoph. *Memorabil. l.* 3. *p.* 778. Pythagoras μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, *clarâ voce precari*, apud Clem. Alexandr. *l.* 4. *Strom.* In rebus tamen maximè ſeriis clam precabantur. Statius, *Thebaid. l.* 6. *v.* 631.

——— *mox Numina ſupplex*

Afflatu tacitô juvenis Tegeæus adorat.

Cui rei benè applicat *Arcanum os voventium Martialis* Hiſpanus Doctor. Precabantur verò & Gentiles, pro Agrorum fructibus, in Negotiis publicis, aliiſque vitæ neceſſitatibus, nec ſine *Precatione*. Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Quippe victimas cædi ſine precatione non videtur, referri ad Deos, ritè conſuli.* Conſulebantur autem Dii de rebus futuris & eventuris, ut Oracula Delphis: referebatur ad Deos, de rebus, quæ jam acciderunt, ut de portentis & prodigiis aliiſque hujuſmodi, quomodo eſſent expianda ac depellenda. Unde *referri ad Deos*, & *ritè conſuli* diſtinguit Plinius, cùm aliàs Conſul ad Senatum *referret*, qui etiam *conſulere* dicebatur. Nempe non victimas cædebant, non referebant ad Deos, non ritè conſulebant, ſine precatione. Sed alia erant verba precationis, cùm victimas cædebant, ut extis inquirerent, quod dicebatur *impetritum*; alia, cùm ſolenne ſacrificium faciebant, quô procurabantur oſtenta & fulgura, quod *depulſorium*; alia porrò, quum aliquid vel aliquem Diis commendabant; quod *commendationem* vocat Plinius: alia, quum vota ſolvebant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 585. Imò à *precibus* omnium rerum duxêre auſpicia. Plato, *Ep.* 8. Ἀπὸ Θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν. *Omnibus in rebus ſive docendis ſive cogitandis ſemper principium à Diis ſumendum eſt.* Neque pro ſe modò, ſed & pro aliis, Deos adiêre, ut de Æaco, Laodamia, Hypſipyle, aliis, diſcimus ex Ovid, *Metam. l.* 7. *Fab.* 25. & *Heroidum Ep.* 6. & 13. pro Rep. inprimis ac Principibus, ex eodem, *Faſtorum*, *l.* 1. *Triſtium*, *l.* 2. *El.* 1. &c. Idque manè plerunque ac veſperi, quod apud pleraſque gentes fuiſſe uſu receptum, teſtatur Plato *de LL. l.* 10. *p.* 665. Corpore ad Orientem ut plurimùm, ſed & ad alias nonnunquam cœli partes versô, uti videre eſt ſuis locis. Ut hac vice nihil addam de ritibus, quibus peractæ preces, ut *capite apertô*, *ſtantes*, *procumbentes*, *advoluti aris*, *ſublatis in cœlum manibus*; & mulieres *genibus nixæ*, *capillis paſſis*, *in terram proſtratæ*, *crinibus humum verrentes*, aliiſque humilitatis indiciis, quæ Numinis reverentia & ſua cuique calamitas ſponte fere & velut naturâ monſtrante ſuggerit, eas peregerint: de quibus, ſi cui noſcere lubet, Briſſonius videri poteſt *de Formulis*, *l.* 1. *p.* 39. & *ſeqq.* materiam hanc diligentiſſime exſequutus; Cui adde P. Fabrum, *Agoniſtici l.* 2. *c.* 30. Tob. Pfannerum, *Theologiæ Gentil. purior. c.* XVI. *toto de Invocatione*, Alios; necnon hîc paſſim. De *Precibus* verò Chriſtianorum veterum, deque geſtibus eorum inter orandum, *prævia* inprimis *manuum ablutione*, *clara voce* & *exultatione ſub finem*; porrò, *de ritu eorum precandi versùs Ortum*, *ad ſepulchra* & proceſſu temporis *pro ſepultis*; item *de tempore precationis*, variiſque *Precum* ſpeciebus; tandem *de Adverſariis precum*, Bogomilis, qui, omnibus aliis rejectis, ſolam recipiebant Orationem Dominicam, & Pelagianis, qui hanc ipſam impugnatum ibant, everſâ *Petit.* 5. & 6. ſicut contrà Euchitæ nil niſi *precandum* aſſerebant, aliiſque huc pertinentibus, fusè agit Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* vocibus Εὐχὴ, Προσευχὴ, *alibi:* à quarum prima Εὐχολόγιον, liber eſt Eccleſ. apud Græcos, poſt tres Chryſoſtomi, Baſilii & Præſanctificatorum Liturgias, continens *Preces* & ordinem Lychnici ſive Veſperi, ordinem Sacramentorum, *Preces varias ad rerum variar. benedictiones*, in mortuos varios ritus & cantica &c. Vide & hîc non unô locô, inprimis de *ablutione manuum ante preces*, Gentilibus quoque uſitâta, ſuprà voce *Lotio.*

PRECARIA, in Eccleſia Romana eſt libellus ſeu Charta, quâ quis alodium ſeu prædium, ab Eccleſia ſub annuo cenſu ad vitam utendum accipit, illud precariò poſſeſſurus, ut eſt in *Capitul.* Caroli M. *l.* 7. *c.* 104. Interdum tamen, ex pacti conventi Legibus, longiùs *Precariæ* extendebantur, ad *quartum* nempe, ut apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis in *Chron. Ann.* 1168. legitur, & ad *quintum* hæredem; cujuſmodi *Precariarum* ſeu *Præſtariarum* (namque & ſic dicebantur, à *præſtare*, quod eſt mutuò dare, Gallis *preſter*) Chartas Formulaſque aliquot, exhibet Car. du Fresne in *Gloſſar.* Variæ autem erant *Precariarum* leges, inter quas illa, ut de quinquennio in quinquennium renovarentur, ne ex ſilentio aliqua præſcriptio poſſet obtendi, in *Capitulis* Caroli C. *tit.* 6. *p.* 8. Sed & earum aliæ erant, quæ ab ipſis Eccleſiis, ſeu ipſis Præſulibus fiebant, aliæ quæ Regiâ auctoritate. Sæpe enim à Regibus *Precarias* facere cogebantur Eccleſiæ, ut, quæ inde proveniebant, in ſubſidium exercitus impenderentur: quô pactô non ſolùm ab Eccleſiis & Eccleſiaſticis auxilia ſubinde ad bella ſua & Regni neceſſitates exegêre, ſed & per ejuſmodi *Precarias Regias* pleraque Eccleſiarum prædia in Laicorum manus tranſiêre; dum qui iis donati erant, nequicquam obſtante lege prædictâ, lapſu temporis non in precarium, ſed in beneficium Regium illa poſſidere cœperunt. Vide eundem fusè de *Precariis* diſſerentem, *d. l.* ut & Macros Fratres *in Hierolex.* At *Precatio*, in eadem Communione, dicitur Oratio, quæ à Presbytero ante Epiſtolam in Miſſa dicitur. Amalarius *in Eclogis de Officio Miſſæ editis* à Stephano Baluzio: *Epiſcopus quidem poſt primam orationem, quam* Precationem *nominamus ſedet versùs populum & Presbyteri cum eo* &c. apud *Eund.*

PRECATIOLEUM, Græcè Εὐχέλαιον, vide ſuprà *Oleum*.

PRECATORES, dicti ſunt Hæretici, per Syriam olim latè diffuſi, ex Meſſalianorum ſecta, qui prætextu *precum* continuò fundendarum, alia omnia exercitia, pro nihilo habentes, propriis operari manibus, qui tum laudabilis Monachorum mos erat; jejunare item, detrectabant. Iidem divinam Eſſentiam corporis oculis conſpici poſſe dictitantes, frequenter ſubſultabant, calcare ſe Dæmonia jactantes, ac digitos ad modum collimantis figurabant, Diabolum hôc modô ſe transfigere, aſſerentes. Ob quæ deliria *Enthuſiaſtæ* quoque vocitati ſunt. Adhæſiſſe iis in Occidente etiam nonnullos, patet ex libro Auguſtini, quem *de Opere Monachorum* inſcripſit. Hujus ſectæ quidam, cùm ad Abbatem Sylvanum in Monte Sinai veniſſet, Monachoſque ibi operantes inveniſſet, increpuit eos his verbis, *Quare operamini eſcam, quæ perit? Maria autem optimam partem elegit.* Abbas verò cùm eum in cella ſua ſolitarium cum libro relictum ad prandium non vocâſſet, illi, ſe neglectum poſtea querenti, aptè reſpondit, *Quia tu ſpiritualis es & optimam partem elegiſti, cibiſque proin non indiges, ſicut nos, qui carnales ſumus, & ideo manibus noſtris laboramus, vocare te non auſus ſum.* Quibus verbis confuſus miſer, erroris mox pœnitentiâ ductus, veniam ab Abbate petiit, cui ille iterum appoſitè: *Ergo & Martha neceſſaria eſt*, reſpondit. Dominic. Macer. *in Hierolex.* Vide quoque in *Adelphiani*, *Euchitæ*, *Pſalliani*, *Sathaniani* &c.

PRECATORIÆ Sphærulæ, ſeu calculi, quibus Chriſtianorum nonnulli in *precando* utuntur, Petrum Eremitam auctorem habent, vide ibi. Earum meminit Polydorus Virgilius *de Invent. rerum*, *l.* 5. *c.* 9. ubi inquirens, *quis primus orandi modum docuerit*, poſtquam egit de oratione Dominica, ex Ruffino, oſtenditque modum, ex verbis Domini, Johann. *c.* 4. *v.* 24. hæc poſteà ſubdit, de more invecto, & tunc temporis jam dudum uſitato: *Cæterùm, ut rationem cum Deo habere poſſemus, quoties ipſam dominicam precem cum Angelica ſalutatione recitaremus, eſt modus orandi poſtremô inventus, per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos modò preculas, modò Paternoſtros vulgus appellat. Hi numerô quinquaginta quinque ita ordine diſtinguuntur, ut poſt denos ſinguli majuſculi affigantur filo, ſunt enim perforati &, quot hi ſunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam ſalutationem, ter numerum ineundo recitent, terque ſymbolum brevius inſerant. Et id Deiparæ Virginis Pſalterium nuncupant ——— Hodie tantus honor ejuſmodi calculis acceſſit, ut non modò ex ligno, ſuccino & corallo, ſed ex auro argentoque fiant, ſintque mulieribus inſtar ornamenti & hypocritis præcipui fucoſæ bonitatis inſtrumenti.* Hactenus ille. Vide quoque infrà in voce *Roſarium*. Simile quid de Tunquinenſibus legimus, apud Jo. Bapt. Tavernier *Deſcr. hujus Regni*, ſed calculos illorum centenos eſſe, ſcribit Auctor.

PRECES Primariæ, in *Charta* Caroli IV. Imperatoris A. C. 1350.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

1350. à Marqu. Frehero editâ, & apud Gobelinum Perſonam *in Coſmodromio ætat. 6. c. 94.* dicitur jus, quod habet Imperator coronatus, ex antiqua conſuetudine, in omnibus Cathedralibus Eccleſiis, atque etiam Monaſteriis, per Germaniam, unius Canonici pro arbitrio nominandi, quem Collegium recipere tenetur. Quod, per diœceſim Spirenſem & Wormatienſem, in Rupertum Comitem Palatinum Rheni Wenceſlaus Imperator tranſtulit A. C. 1376. uti legitur in *Charta* hujus Imperatoris, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

PRECIANI, populi Aquitaniæ, proximi Bigerronibus ſeu Bearniæ & Hiſpaniæ citeriori. *Bear* hodie, aut *Bajonne Precins*, autem Vigenereo, *Annot. in Cæſarem.*

PRECIUS, Etruriæ lacus. Aliis *Prelius.* Ejus meminit Cicer. *Orat. pro Mil.* Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 474.

PRECOPIA, vulgò PRECOPS, urbs Tauricæ Cherſoneſi, aliàs *Taphra.* Hinc Taurica Cherſoneſus nunc *Tartaria Precopenſis* dicitur ſeu *minor.* Inter Bugem lacum ad Ortum, & Carcinitem Sinum ad Occaſum in ipſo Iſthmo. Vide *Præcopia*, Item, *Tartaria minor* ſeu *Precopenſis.*

PREDERIA, apud Rollandinum, *Chron. Paduano*, *l.* 1. *c.* 12. machina bellica, quæ *Petraria* aliis, vide ibi.

PREGEDUNDIS, vide FREGEDUNDIS.

PREGIZERUS Joh. Ulricus, Cuſterdingâ vicô Tubingæ vicinô natus, A. C. 1577. patre cognomine Paſtore Eccleſiæ illius loci, Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè doctus, Calvam vocatus diœceſeos illius Paſtorem & Specialem Superintendentem egit, ab A. C. 1612. per octennium; exin Tubingæ Paſtor & Theologiæ Profeſſor, A. C. 1620. ac tandem Univerſitatis Cancellarius & Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus electus, A. C. 1652. obiit quadrienniô pòſt, annô ætat. 79. Miniſterii 50. Freherus *Theatro Viror. erudit. clarot.* Pater filii cognominis, Ethices primò in Acad. Tubing. Profeſſoris, Senatoris dein, & Pædagogiarchæ per Scholas ſuperiores Ducatus, extincti A. C. 1672. ætat. 61. quô genitus *Joh. Ulricus*, Hiſtoriarum ibidem in Collegio Illuſtri Profeſſor eximius, Societatis Hiſtorico-Cæſareæ haud pridem optimis auſpiciis inſtitutæ Collega meritiſſimus, *Seculi* N. C. *primi Hiſtoriam* Germaniæ ſuæ brevi exhibebit, jam variis Ingenii ac eruditionis ſuæ multijugæ monumentis clarum nomen meritus. Meminit ejus honorificè Phil. Jac. Spenerus *Præfat. Operis ſui Herald. Part.* 2.

PRELUM, à PREMO, preſſorium fuit, *premendis* veſtibus, & præcipuè ſericis, ut validiùs niterent, & ſplenderent ex preſſura, adhiberi ſolitum, cùm *cippus* ſoli Togæ umboni ſerviret, ut rugas & plicas, quibus umbo ſtructus & contabulatus erat, in ſua ſede contineret, ac conſtringeret. Quæ duo proin confundentes, pluribus refellit Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. Vide quoque eum *ad Solin. p.* 1049. & ſuprà voce *Prælum.*

PREMERE, apud Statium, *Theb. l.* 8. *v.* 568.

——— tunc aurô phaleras aurôque ſagittas
Cingulaque & manicas (ne conjuge vilior iret)
Preſſerat ———

nere eſt veteri Scholiaſti. Quæ locutio videtur ex eo deducta, quòd areis & preſſoriis Veteres veſtimentis formam ſervare conſueverunt, de quo ſuprà aliquid, plura verò apud Caſp. Barthium *ad Claudian.* Sic Val. Flaccus, *l.* 2. *v.* 410.

Illic ſervati genitoris conſcia ſacra
Preſſit acu, curruſque pios ———

Aliàs, *inſequi*, *inſtare*, *proximè urgere.* Statius idem, *Theb. l.* 5. *v.* 246.

——— Vis nulla arcere furentes:
Hac ſequere, ô miſerande. premunt, *aderuntque moranti*,
Et mecum fortaſſe cades ———

Propriè de Venatoribus. Virg. *Georgic. l.* 3. *v.* 413.

Ingentem clamore premes *ad retia cervum.*

Et, *Æn. l.* 1. *v.* 324.

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.

Porrò, *ſtrictim examinare*, ut exprimatur veritas. Idem Statius, *ibid. v.* 318.

——— ——— inania buſta
Plango metu, ſi fortè premant ———

Quâ notione Maro quoque verbô ſæpe utitur. Etiam *vincere, ſuperare*, apud Statium rurſus, *Theb. l.* 6. *v.* 34.

Exemplô famulas premit &c.

Ut alia ſignificata in præſens omittam, de quibus vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium paſſim.*

PREMISLAUS, vide PRÆMISLAUS, & PRIMISLAUS.

PREMISLIA, vulgò PRZEMYSL, urbs ampla Ruſſiæ nigræ, ad amnem *San*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. 10. leuc. à limite Poloniæ majoris in Ortum, 16. à Sandomiria in Meridiem, Hungariam verſus 12. circiter. Arcem habet munitam in colle; eſtque elegans & probe culta.

PRENDAVESI, populi Daciæ, quorum oppid. *Perennium Lazio.*

PRENICUS, mons Liguriæ, in territorio Genuenſi. à Genua 5. mill. paſſ. ubi vallis & pagus *Preneco*, apud vallem *S. Urciſceni. Auguſt. Juſtinian.*

PRENSARE, quid? vide ſuprà ubi de *Candidatis.*

PREPIS, mollis quidam & nefandâ libidine infamis Athenis, de quo Ariſtoph. *Acharnan. Act.* 3. *Scen.* 4. *Schol. p.* 411.

PRESBYTER, Hebr. זקן *Zeken*, i. e. *Senior*, nomen titulusque eminentioribus olim, adeoque Præfectis Juridicis Iſraëlitarum, jam per intervallum Legis dationem in Sinai antevertens, tribui ſolitus & quidem his inprimis, uti vidimus ſuprà, voce *Judex.* Unde *Presbyterorum Iſraëlis* tam frequens mentio, Exodi; *c.* 3. *v.* 16. & 18. *c.* 4. *v.* 29. *c.* 12. *v.* 21. &c. Quos Philo nuncupat Δημογέροντας τοῦ ἔθνους, *Presbyteros* ſeu *Seniores gentis*, de *Vita Moſis*, *l.* 1. Et die pridianô ante conſilium Jethronis, de inſtituendis Judicibus, congregatos eſſe legimus, *c.* 18. *v.* 12. cunctos *Presbyteros Iſraël*, quos conviviô excepit Jethro. Uſurpatur ſcil. ut notiſſimum tunc dignitatis generalis nomen *Presbyter*, cujus antiquioris etiam inter Ebræos ipſos ejuſmodi uſus veſtigia deprehenduntur, jam Abrahami temporibus, ut videre eſt Gen. *c.* 24. *v.* 2. ubi Eliezer Damaſcenus, qui *ſervus Presbyter* Abrahami vocatur; Gen. *c.* 15. *v.* 2. *filius gubernationis domus ejus*, i. e. gubernator ſeu præfectus, dicitur. De Joſepho dein legitur Gen. *c.* 50. *v.* 7. aſcendiſſe eum ad ſepeliendum patrem ſuum, & aſcendiſſe cum eo omnes ſervos Pharaonis, *Presbyteros* ſeu *Seniores domûs ejus & cunctos Presbyteros Terræ Ægypti.* Unde apparet, tum apud alias gentes, tum apud Hebræos, nomen hoc pro dignitatis titulo jam antiquiſſimis temporibus fuiſſe in uſu. Quod etiam mores ſtatim poſt Moſen, anteriorum velut ex ſeculorum conſuetudine, recepti ſub lege, circa Presbyterorum, quæ apud Iſraëlitas, creationem (per manus impoſitionem, quæ *Semica* illis, fieri ſolitam) ac denominationem ſatis ſuperque evincunt. Alios nempe in dignitatem *Docendi ac Ligandi* ſeu *Inhibendi*, & *Solvendi* ſeu *Permittendi*, i. e. caſus conſcientiæ & dubia ſacra reſolvendi, ſeu velut Doctoratûs Theologiæ univerſæ, creabant; vide ſuprà ubi de *Ligandi* ac *Solvendi arcano.* Alios, in Theologiæ capitum aliquot tantùm particularium, explicandorum, quæ דברי יחידים vocitata, facultatem creabant, velut in Doctoratus Theologiæ limitibus ſingularibus circumſcripti dignitatem. Alios (quod frequentiſſimum) cauſas qualeſcunque cognoſcendi poteſtate donabant, Doctores ſic eos Juris ſimul ac Theologiæ creantes. Aliis denique, cauſis aliquot tantùm, velut pecuniariis, ſed non capitalibus, permiſſis. Non tamen, ut ita ex ipſa tali creatione Judiciariam inde ſibi quis poteſtatem nanciſceretur, quam ex creatione ipſâ ſola actu poſſet exercere, ſed ut ſolùm capax ita fieret præfecturarum Juridicarum, atque ut inde in Judicum Collegia ac Synedria, ſive Magnum ſive Minora, ritè poſſet cooptari. Ex recepta autem tum ante tum poſt legem à Moſe latam *Presbyteri* notione, pro eo qui inter ſuos ſapientiâ & dignitate præcellentior eſſet, illud Moſis, Exodi *c.* 19. *v.* 7. *Et venit Moſes & convocavit Presbyteros Populi*, vertitur in Paraphraſi Hieroſolym. *Sapientes Iſraël:* Ut quam plurima in Pentateucho loca omittam. Quò inprimis pertinet Lex, Levit. *c.* 19. *v.* 32. ubi זקן ſeu *Presbyter* ſignantiùs, pro eo, qui ſapientiâ & dignitate eminentior eſſet, qualiſcunque interim ætatis eſſet, occurrit: *Coram canitie conſurge & honora perſonam* ſeu *vultum ſenioris* ſeu *Presbyteri.* Hinc, velut ex receptiſſimo ab intima tunc antiquitate uſu, notio *Presbyteri* iſta habetur, in loco illo illuſtri de Synedrii Magni inſtitutione, Numer. *c.* 11. *v.* 16. &c. ubi Deus Moſi ait, *Congrega mihi ſeptuaginta viros, è ſenioribus* ſeu *Presbyteris Iſraël*, *quos noveris eſſe Seniores* ſeu *Presbyteros Populi:* De quibus Philo, Οἷς οὐδὲ πρεσβυτέροις ὄντως γενέσθαι πρὸς ἀλήθειαν μὴ μεταλαβοῦσι τοῦ πανσόφου πνεύματος ἐκείνου, *Qui reverà non fiebant Presbyteri* (ritè non creabantur in munus ei deſignatum) *ſine participatione Spiritus ſapientiſſimi illius*, qualis Moſes erat, qui eos aſcivit creavitque. Unde etiam tam *Synedrium Sapientum*, quàm *Presbyterorum*, dicti ſunt. &c. Pro corporibus verò ac cœtibus in priſco illo tempore Presbyterorum, Græci ſubſtituunt tum ante, tum poſt Legem datam, vocem Γερουσία, à γέροντες, i. e. *Senes* ſeu *Seniores*, h. e. Presbyteri; quæ ſynonyma: cùm comparativa pro abſolutis non rarò uſurpari, etiam Quintilianus dicat, *Inſtitut. l.* 9. *c.* 3. Unde & Virgilius *Seniorem* pro *Sene* dixit, *Æn. l.* 6. *v.* 304. de Charonte,

Jam ſenior, ſed cruda Deo viridiſque ſenectus.

A' *Presbyteri* verò uſu Judaico, etiam vocabulum Πρεσβυτέριον, *Presbyterium*, natum eſt; cujus duplex notio: Altera quâ dignitas ipſa ac officium Presbyteri, quod varium erat pro varia ejus creatione, ſignificatur. Quomodo ſumitur in illo Joſephi, *adverſ. Appion. l.* 2. παντὸς τοῦ πρεσβυτερίου τιμὴν ἔχειν τοὺς νέους, *Ab Juvenibus honorem exhibendum, ubicunque Seniorum dignitas reperitur.* Unde in Chriſtianiſmum primitivum eadem vox ac notio (ſimul cum vocis *Presbyteri* uſu frequentiſſimo, ut ex N. T. liquet) ſumta eſt, adeoque *Presbyterii honor*, & *manus imponere* εἰς πρεσβυτέριον, *ut Presbyteriô quis fungatur*, Syn. Ancyr. *can.* 18. *in Cod. Eccl. Univ.* 38. Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 7. &c. Et *in Presbyterio filios generare*, apud Innocentium I. *in Decretis*, *c.* 33. eſt, poſtquam Presbyter quis creatus fuerit. Altera, quâ eadem vox *Presbyterorum* ordinem, cœtum ſeu conſeſſum, congregationem aut collegium qualecunque denotat, ut Lucæ *c.* 22. *v.* 66. συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, *congregatum eſt Presbyterium Populi & Principes Sacerdotum & Scribæ & duxerunt illum* εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν, *in Synedrium* ſeu Conſeſſum *ſuum.* Vide quoque Actor. *c.* 21. *v.* 5. Quô ſenſu etiam poſteà inter Chriſtianos vox non rarò occurrit, ut ex *Conſtitutionibus* Apoſtolicis dictis, *l.* 8. *c.* 16. *Synodo Ancyrana*, *Epiſtolis* Ignatio tributis, Cypriano, Aliis, liquet. Nempe licèt & ſic interdum dicti ſunt quidam ex eo tantùm, quòd negotiis aliquot forenſibus aut quaſi (ut Leviri renuntiationi) lege ſacrâ præſtitutis, haud impares reperirentur; quod Seldenus oſtendit, *Uxor. Ebraic. l.* 1. *c.* 1. tamen ut plurimum *Presbyterorum* nomine ſaltem illi veniebant, qui ſolenniter creati ac conſtituti juxta morem erant, ut in Synedria cooptarentur Judiceſque fierent, aut Theologiæ Doctores ordinarentur. Hinc duravit per Judaiſmum *Seniorum Judæorum* mentio *C. tit. de Judæis*, *l.* 15. ut & *Synedriorum utriuſque Palæſtinæ*, ac *Presbyteriorum*, *C. Theodoſ. l.* 16. *tit.* 8. *l.* 2. 13. 14. 29. Et ex vetuſtiſſimo illo harum vocum apud Ebræos uſu & Presbytero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

byterorum conſtitutione ſolenni, uſurpantur itidem utræque in Judaiſmo Apoſtolorum reformato, ſeu Chriſtianiſmo ex Judaiſmo ſub illis naſcente. Nimirum uti Ebræis non credentibus ſui, ita credentibus ſeu Chriſtianis ſui *Presbyteri* jam creabantur, qui etiam *Eccleſiæ Presbyteri* dicti, Actor. *c.* 20. *v.* 17. & Jacobi, *c.* 5. *v.* 14. ſitque prima mentio eorum in Eccleſia Chriſtiana Actor. *c.* 11. *v. ult.* Quantum verò *Geruſiæ* ſeu *Senatus* nomen, id in Fœdere N. ſemel habetur, pro Seniorum, in Politia Judaica, ordine, ſed nunquam pro cœtu aliquo Fidelium ſeu Chriſtianorum. Nec ſanè, ut ad Chriſtianiſmum attinens, occurrit in eodem Fœdere vox *Presbyterium*, niſi 1. Timoth. *c.* 4. *v.* 14. *Noli negligere donum, quod in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam* μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ Πρεσβυτερίου, *cum impoſitione manuum Presbyterii*; ubi tamen Πρεσβυτέρου i. e. *Presbyteri*, non pauci legi volunt: ut ſenſus ſit; *quæ tibi data eſt, per Prophetiam cum manuum impoſitione, quâ creatus es Presbyter.* Maximè, cùm Paulus ipſe, alibi de eadem gratia ſive dono in Timotheo loquens, 2. Epiſt. *c.* 1. *v.* 6. dicat expreſſe, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου, *quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; quod quidem ſonat, quaſi Paulus ipſum creâſſet, non Presbyterorum cœtus aliquis, nomine *Presbyterii* ſignantiùs inter Chriſtianos tunc notus. Nam Presbyterum unicum, alium creare potuiſſe, ex more Hebræorum, qui tum viguit, vetuſto, receptum erat; modò id fieret intra terram Sanctam, & bini alii creationis actui intereſſent: quam libertatem creandi poſtmodum ita ſub Chriſtianiſmi initia, ſeu tempore Hillelis Senioris Principis Synedrii M. temperatam eſſe, ajunt Magiſtri, ut ſine licentia Principis Synedrii M. creandus inde eſſet nemo, nec ab ipſo Principe, ſine præſentia Patris Synedrii, nec à Patre, ſine præſentia Principis. A' quibus tamen reſtrictionibus Apoſtoli, divinô juſſu, etiam extra Terram Sanctam, Euangelium annuntiaturi liberi erant, qui proin in Aſia minori, Creta alibique, *Presbyteros*, ſeu Paſtores, Epiſcopos Doctoreſque Theologiæ Chriſtianæ: paſſim inſtituerunt &c. Hactenus Seldenus, infrà laudandus. Uti autem Iſraëlitis ac poſteà Chriſtianis, ſic aliis quoque Gentibus, ſuos fuiſſe *Presbyteros* ex Scriptoribus patet. De Ægyptiis ſuprà diximus *Presbyteri Midianitarum* & *Moabitarum* memorantur Numer. *c.* 22. *v.* 4. 7. 8. ubi iſti, qui legati ad Bileamum venerant, dicuntur *Principes Moab.* Sic cùm Joſuæ tempore non pauci Cananæi, è Phœnicia in Africam fugientes, ibi ſedes fixiſſent, ut linguam, ita & mores ſuorum avitos ſecum illuc afferentes, ad poſteros tranſmiſerunt. Apud eos autem poſtmodùm diu uſurpari ſolitum ſcimus ipſum זקנים *Presbyterorum* ſeu *Seniorum*, nomen, pro eorum qui rebus præerant cœtu. Vide Procopium *Vandalicorum*, *l.* 2. Hinc expreſſa Carthaginienſium Γερόντων mentio, apud Ariſtotelem *Politic. l.* 2. *c.* 9. quorum tamen in numerum diſertè ait adſcitos, αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν, *qui eligi mererentur magis quàm qui ætate Seniores eſſent.* Hinc etiam ejuſdem gentis Γερουσία erat ſeu *Senatus*, ut ipſe idem ibi, & Liv. *l.* 30. *c.* 7. Ejuſdem item collegas *Seniores* nuncupatos eſſe teſtis eſt, tum in rebus Annibalis Liv. *l.* 34. *c.* 60. tum apud eum Ariſto Tyrius, qui profugus in tabellis, ſupra ſedem quotidianam Magiſtratus ſuſpenſis, ſcripſerat ſe *privatim ad neminem*, *publicè ad Seniores*, mandata habuiſſe. Ubi Livius, *ad Seniores*, *ita Senatum*, inquit, *vocabant.* E' quibus Senioribus *Suffetes* eligebantur, qui apud Pœnos, tum ut Conſules præerant, tum ut Judices omnimodas controverſias, cognoſcebant: quemadmodum & Romæ Conſules è Senatoribus ſelecti *Senatorum* quoque nomine, cui illud Conſulis velut innitebatur, gaudebant. Parilis apud Perſas vetuſtiſſimos notio ac uſus *Presbyteri* ſeu *Senioris*, quem Γεραίτερον nuncupat Xenophon, *Cyropæd. l.* 1. *Pir*, in plur. *Piran* & *Pirenai*, Pentateuchi verſio Tawaſiana ſeu Perſica. Vox etiam Γέροντες, *Seniores*, ut jam olim per Orientem ad *Optimates* Græcorum deſignandos uſitatiſſima, Homero adhibetur, ut in Achillis ſcuto. *Il.* σ. *v.* 503.

—————— οἱ δὲ Γέροντες
Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ.
—————— *Seniores*
Sedebant in politis lapidibus ſacro in circulo;

alibique ſæpius. Qui eôdem ſenſu Δημογέροντας habet, *Il.* γ. *v.* 372. ubi de Populi Trojani Optimatibus. Γερόντων Lacedæmoniorum, meminit iterum Ariſtoteles, *d. l. c.* 7. & Plut. *in Lyſandro.* Cretenſium *Seniores* idem Ariſtoteles habet *d. l. c.* 8. ut & Crotoniatarum, Malchus ſeu Porphyrius in *Vita Pythagoræ*: Samiorum Πρεσβυτέρους memorat Jamblichus, *de Vita Pythag. l.* 1. *c.* 5. Et Γερουσία Nicæna haberi exiſtimatur, in vet. *Inſcr.* inter ſchedas Buſbequianas repertâ, apud Gruterum, *in Theſaur. p.* 1096. 5. De Γερουσιασταῖς Alexandrinorum, ſonat *l.* 19. *C. Theod. lib.* 10. *tit.* 10. Quinetiam vetuſtum Γερόντων, eorumque Synedrii apud Græcos nominis, exhibet priſcum marmor Smyrnâ pridem in Angliam allatum, ubi aſſignatis cuidam poſteriſque ejus ab Artemidoro quodam fundi aliquot partibus, in uſum ſepulchralem, adjicitur,

ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΕΙ
ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ ΤΙ ΕΞ
ΑΥΤΩΝ ΩΔΗΠΟΤΕ ΤΡΟΠΩ
ΑΠΟΤΙΣΕΙ ΤΩ ΣΕΜΝΟ-
ΤΑΤΩ ΣΥΝΕΔΡΙΩ
ΤΩΝ ΕΝ ΣΜΥΡΝΑ ΓΕ-
ΡΟΝΤΩΝ ΑΥΡΓΥΡΙΟΥ
ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΣΧΙΛΙΑ ΠΕΝ
ΤΑΚΟΣΙΑ.

Cui concors eſt marmor unum & alterum Arundellianorum, ut ibi videre eſt. In Arabum porrò tam Orientalium, quàm Africanorum, ſcriptis nomen *Alsheich* ſeu *Xeque*, i.e. Senioris ſeu Presbyteri, obvium eſt, uti diximus voce *Alsheich.* Sed & in *Hiſtoriis* eorum occurrit *Senex* κατ' ἐξοχὴν dictus, pro ſupremo Magiſtratu, apud Antoninum *Hiſtor. part.* 2. *tit.* 17. *c.* 9. §. 7. alibique non rarò. Quod ad Occidentem, notius nibil eſt, quàm illud de *Senatoribus* à Romulo inſtitutis *Senatuque* Romanorum, de quo alibi dicemus. Nec cuiquam ignotum, in Italia, Gallia, Hiſpania, *Seniores* dici omnes illos, qui dignitate, honore aliterque excellunt. Beda quoque, ubi de Earconberto Cantuariorum Rege eum idola deſtrui & jejunium Quadrageſimale obſervari, per regnum ſuum, *Principali auctoritate* præcepiſſe dicit, A.C. 640. Angloſaxonica verſio ſubſtituit, *Senioralis* ſeu *Senioratus ſui* auctoritate: ut alia tranſiliam. Cùm verò hactenus *Presbyteri* & *Senioris* voces pari paſſu ambulaverint, diſcrimen inde ortum; quòd *Presbyteri* vox jus natalium ſuorum primigenium, in Chriſtianiſmo Eccleſiaſtico exuere cœpit; altera verò illa *Senioris* & Barbaro-Latinè & per linguas Provinciales, in Chriſtianiſmo Politico, *Domini* ſignificationem, à temporibus vetuſtiſſimis, nacta eſt. Qua de re vide plura apud Johan. Seldenum *de Synedriis Veter. Ebræor. l.* 1. *c.* 14. & *l.* 2. *c.* 7. *ubi de Presbyterorum, apud Hebræos, Ordinatione ac de Presbyteris Eccleſiæ Chriſtianorum primitivæ, aliiſque huc pertinentibus fusè diſſerit*, ut & ſuprà in voce *Ordinator.* In Eccleſia Chriſtiana, ut hoc addam, *Presbyteri* iidem primitus cum Epiſcopis, dicebantur, quibus prædicatio Euangelii commiſſa: his ex populo adjuncti, ut cuſtodes eſſent diſciplinæ Eccleſiaſticæ, eôdem nomine inſignes erant; vide de utriſque Apoſtolum 1. Timoth. *c.* 5. *v.* 17. Succeſſu temporis *Presbyteri* Epiſcopis inferiores facti ſunt, vide infrà *Primas*, & nomen ad Sacerdotes reſtrictum, ut docet Malchus *in Byzanticis*, & Critopulus *Confeſſ. Eccl. Or. c.* 11. ubi hic præcipuum eorum munus fuiſſe τὴν τῶν μυστηρίων ἱερουργίαν καὶ τὴν τοῦ λόγου διακονίαν, *Sacramentorum adminiſtrationem & Verbi miniſterium*: cœtera cum Diaconis habuiſſe communia, ait. Ordinabantur autem ad hoc munus ab Epiſcopis, ſed non ante annum 30. more ex Judaiſmo retento, cujus χειροτονίας ritum fusè exponit *Euchologium p.* 84 & *ſeqq.* ipſis verò alios ordinare non licebat, Chryſoſtomus, *Homil.* XI. in 1. *ad Tim.* quanquam non penitùs olim fuiſſe ab ordinationibus excluſos, patet ex antè dictis. Porrò in conjugio vivere non prohibebantur, uti docet Cl. Suicerus voce Γάμος, quem vide pluribus hanc in rem, vocibus Ἐπίσκοπος & Πρεσβύτερος, ubi inter alia, in Eccleſ. Alexandrina, ex quo Arrius Eccleſiam turbavit, *Presbyteros* docendi populum jus perdidiſſe, obſervat: uti de habitu eorum veteri Salmaſ. *ad Pallium Tertullian. c.* 1. de vocis verò uſu in citeriore Eccleſia, hîc infrà, ubi de variis *Presbyterorum* in Eccleſia Latina Græcaque generibus. Non omittendus tamen hîc locus, de Euariſto Papa, circa Trajani tempora, Alfonſi Ciacconii *in Pontif. VI. Hic Titulos in urbe Roma diviſit* Presbyteris, *ut unuſquiſque ſuæ parœciæ terminis diſtingueretur.* Nempe *Tituli* voce, præter alia, veniebat *Inſcriptio* qualiſcunque, quâ res, cui affixa erat, meliùs prætereuntibus innoteſceret. Livius *Dec.* 4. *l.* 10. ubi de Templo Larium permarinorum, à M. Æmilio, dedicato, *Supra valvas*, inquit, *Templi Titulus cum tabula fixus eſt*: dedicationis cauſam ſcil. continens. Vide quoque Plin. *l.* 7. *Ep.* 29. Alios. Hinc à Chriſtianis mos adoptatus, atque ex hac origine demum, etiam hodieque, Eccleſias ipſas prædiaque illis aſſignata in jure Pontificio ejuſque formulis, paſſim denotant *Tituli*; ut in Cardinalium Presbyterorum *Titulis*, nominibus illorum adjici ſolitis, aliiſque id genus quamplurimis, licèt inſcriptionum in Eccleſiis uſus vetus deſierit aut rarò adhibeatur. Indeque apud Prudentium *Periſtephan. hymn.* 2. *Titulum figere Martyris*, *v.* 392. & *Ibid. hymn.* 6. *v.* 45.

Parte aliâ Titulum Pauli via ſervat Oſtienſis.

Idem autem Titulus, verba ſunt Baronii *ad Martyrol.* 26. *Julii*, *quod Memoria ſeu Eccleſia.* Et dein, *Romæ obtinuit vetus loquendi uſus, ut non omnis Eccleſia Martyrumve Memoria* Titulus *diceretur, ſed tantùm inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Cardinales Presbyteri.* Sed inolevit plerunque, ut ordinatus etiam quilibet ἀπολελυμένως ſeu *abſolutè*, i.e. citra ſpecialem Eccleſiæ, Monaſterii, Martyrii, cui manciparetur, deſignationem, *Ordinatus* diceretur *ſine Titulo* ſeu *non attitulatus*, Ivo *Decret. part.* 6. *c.* 26. Unde *Titulari* verbum: Et in formulis Ordinationis Presbyterorum, in *Titulum S. Petri*, *in Titulum S. Albani*, id genus alia frequentiſſimè occurrunt, atque etiam hodieque ſunt in uſu ex veteri more, quem interdum locutiones ejuſmodi non tam ſequuntur, quàm planè deludunt; tametſi idem, quod decreverant Patres Chalcedonenſes (ordinationis iſtiuſmodi χειροθεσίαν irritam pronuntiantes *Can.* 6. & *Diſt.* 70. *c.* 4.) inſtauratum ſit in Concilio Placentino, *Diſt.* 70. *c.* 2. ſub Urbano II. Legitur etiam, circa A. C. 166. illud è Pii I. Epiſtolis, *Presbyter Paſtor Titulum condidit*, *Ep.* 34. cujus mentio quoque in Martyrologio Romano Jul. 26. &c. Plura hanc in rem vide apud eundem Seldenum, *de Synedriis Veter. Hebræorum*, *l.* 3. *c.* 15. §. 4. uti de expenſis, quæ à *Presbyteris Eccleſiarum ruralium*, in Epiſcoporum & Archidiaconorum, diœceſin ſuam viſitantium, ſuſceptionibus fieri ſolitæ, ſuprà aliquid voce *Parata.* Neque verò *Presbyteri* ſolùm, ſed & *Presbyteræ*, Græcis Πρεσβύτιδες occurrunt in vetere Eccleſia, quæ mulieres cœteras ad vitam honeſtè inſtituendam hortabantur, &, quia ſuprà cœteras mulieres ſedebant in Eccleſiis, προκαθήμεναι hinc dicebantur, abrogatæ *can.* 11. Synodi Laodicen. de quibus iterum vide Suicerum vocibus Διακόνισσα, & Πρεσβῦτις &c.

Pres-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Presbyterorum in Ecclesia præſertim Latina et Græca varia genera.

α. *Presbyteri Agrorum* & *ruris*, apud Zachariam, *in Ep. ad*
Pipinum, *c.* 4. iidem ſunt cum Chorepiſcopis, quos vide *ſuprà*.
β. *Presbyter Aſſiſtens*, qui Epiſcopo ſacra facienti adeſt, de cujus
munere, vide *Ceremonialem Epiſc. l.* 1. *c.* 7. γ. *Presbyteri Cardina-*
les, dicti *Parochiales*, vide *Cardinales*. δ. *Presbyteri Cathedrales*,
in Concilio Emeritenſi *can.* 12. memorati, dicebantur, qui ex
Parochiis ab Epiſcopis in urbem matricem evocabantur, ut illo-
rum operâ in ſacris obeundis ac componendâ diœceſi commodiùs
uterentur. Hi, Presbyterô in Parochiis ſuis conſtitutô, cui annu-
um dabant ſtipendium, reliquas obventiones ſibi reſervabant. ε.
Presbyteri Civitatenſes. & *Diœceſani*, in Concil. Agath. *can.* 22. di-
cuntur, qui in Civitatibus, & in Diœceſibus ſeu Parochiis, mu-
nia ſua exſequuntur. ζ. *Presbyter* vel *Sacerdos Domeſticus*, apud A-
gobardum Lugdun. *de Privil. & Jure Sacerdotii*, *c.* 11. dicitur
is, qui manet in familia Poceris alicujus. Ejus enim ævô *ea*
increbuerat conſuetudo impia, ut planè nullus inveniretur ———
qui non domeſticum haberet Sacerdotem, non cui obediret, ſed à quo
inceſſanter exigeret licitam ſimul atque inlicitam obedientiam, non ſo-
lùm in divinis officiis, ſed & in humanis &c. Hinc *Presbyteri Magna-*
tum & Procerum tales dicti, qui quòd ſub nullius Epiſcopi diſci-
plina eſſe viderentur, *Acephali* quoque nuncupati ſunt: ſed
Concilium Cabilonenſe *can.* 14. eos ſub Epiſcoporum obſequi-
um revocavit. Sed & interdum Magnates ipſi ſervis ſuis, quos
literis imbui permiſerant, libertatem ut *presbyterarentur*, coram-
que iis, quoties luberet, Miſſam & Horas Canonicas celebrarent
eorumque mandatis obedirent, conceſſiſſe leguntur, quod au-
ctoritate Synodorum confirmatum eſſe, tradit Auctor Fletæ,
l. 2. *c.* 51 §. 7. η. *Presbyteri Foraſtici* ſeu *Pagenſes*, Martino
Braccar. *c.* 56. dicuntur, qui ſunt in agris: πρεσβύτεροι ἐπιχώ-
ριοι, in Concilio Neocæſar. *can.* 3. θ. *Presbyteri Forenſes*, ii-
dem cum prioribus: quô nomine illi inprimis veniunt, qui ex
aliena Diœceſi ſeu Eccleſia ſunt, in Synodo Rom. ſub Leone IV.
A. C. 853. *can.* 39. ι. *Presbyteri Inductitii*, in Concilio Romano
ſub Innocentio II. *c.* 10. ſeu *Conductii*, Concil. Remenſi A. C.
1148. *can.* 10. opponuntur *propriis Sacerdotibus*. κ. *Presbyter Lo-*
calis, in Concilio Valent. Hiſpaniæ A. C. 524. *can.* 6. *in locis cer-*
tis ordinatus vel loco alicui addictus, opponitur *Presbytero Diœce-*
ſano ſeu Parocho, in Concilio Toletano III. *can.* 20. De his
Concilium Chalced. *act.* 15. *can.* 6. ſtatuit, nullum Presbyterum
vel Diaconum ordinandum, εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώ-
μης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. *Pres-*
byter ad Eccleſiam intitulatus, appellatur apud Leonem IV. *de*
Cura Paſtor. λ. *Presbyteri Magnatum* & *Procerum*, Vide ſuprà *Pres-*
byter Domeſticus. μ. *Presbyter Miſſalis* ſeu *Miſſæ presbyter*, Presbyter
ordinatus, qui Miſſam dicit. ν. *Presbyteri Parochiales*, in *Ep.*
Zachariæ Papæ ad Pippinum, *c.* 1. Græcis οἱ ἐνορίται Πρεσβύτεροι,
iidem cùm Curionibus, de qua voce vide *ſupra*. ξ. *Presbyteri Pe-*
regrini, apud Gregorium M. *l.* 3. *Ep.* 18. iidem cum *Forenſibus*,
ut patet ex *Charta* Adalberonis Epiſcopi Virodunenſ. A. C. 1135.
apud Car. du Freſne, *Conſtituimus ergo, quatenus eandem Eccleſiam*
cum atrio Abbas & Fratres liberè & quietè poſſideant, ne aliquis foren-
ſium Presbyterorum, ſive juſſu, vel conceſſu Abbatis, aliquando de
eis ſe intromittat. ο. *Presbyteri Plateæ*, apud Hebræos dicti ſunt,
qui ob ætatem ſimul & qualemcunque rerum ſcientiam, è vulgò
delecti (reliquis multo inferiores nec omnino ſolenniter ordi-
nati) creabantur tum in Synedriis Triumviralibus, non pu-
blicè per urbes pagoſque conſtitutis, ſed quæ à privatis ſive
per compromiſſum, velut in arbitros, in cauſis etiam ju-
riſdictionis contentioſæ, civilibus eligebantur; tum in iis,
quæ actibus aliquot forenſibus quidem, ſed juriſdictionis tan-
tùm voluntariæ, pro arbitrio eorum, quorum intererat, ad-
hibebantur; ut in ſolenni renuntiatione Leviri &c. Johann.
Seldenus *de Synedriis veter. Ebræorum*, *l.* 2. *c.* 7. §. 3. π. *Presby-*
ter Populi, in *Actis* Murenſibus, *p.* 8. & 41. idem cum *Plebano*.
ρ. *Presbyteri Priores*, vide Gregor. M. σ. *Presbyteri Procerum*, vi-
de ſuprà *Presbyter Domeſticus*. τ. *Presbyter Ruris*, vide ſuprà *Pres-*
byteri agrorum. υ. *Presbyter Secularis*, in *Charta vetere A. C.* 1241.
opponitur *Presbytero Religioſo* ſeu Monacho, in *Hiſtor.* Prioratus
S. Martini, *p.* 499. φ. *Presbyteri Vicani*, in Concilio Turon. II.
can. 4. qui per vicos diſpertiri ſunt. χ. *Presbyteri Vici*, apud E-
bræos, vide ſuprà *Presbyter Plateæ*.

PRESBYTER, quid in Eccleſia ſignificet, ex dictis notum.
Sozom. *l.* 8. *c.* 12. Petrum, qui ſub Arcadio & Honorio flo-
ruit, *Archipresbyterum* nuncupat: Socr. verò *l.* 6. *c.* 9. *Protopres-*
byterum Alexandrinæ Eccleſiæ, atque hoc à gradu, ut videtur.
Eâdem compoſitione in Orientis imperio *Protopapa* occurrit,
quaſi Archipapa; ſed ut *Codinus* indicat, ſecundas obtinens ab
Archiſacerdote. Spelmann. *in Gloſſar. Archæol.*

PRESBYTER Johannes, nomen Regum Tartariæ Magnæ
Neſtorianorum, quod Marcus Paulus Venetus, cui omnem illius
tractus notitiam debemus, primus in Europam ex Aſia reverſus
tranſtulit; è quo id reliqui hauſerunt ac innumera de illo Pres-
bytero Johanne confinxerunt: præcipuè Johannes Mandevil.
Ex hoc dein errore mirum eſt; quot alii fluxerint: dum qui-
dam Imperium ejus in media Africa, alii in extrema Aſia, col-
locabant. Sed nec minus in nomine diſſidium. Dreſſero enim
Diſcurſu de Statu Eccl. & Relig. in Æthiopia, *ſub Pretioſo Johanne*,
qui *Geographiæ* Mich. Neandri eſt ſubjunctus, Presbyter Johan-
nes eſt *Johannes Belul*, h. e. *altus* ſive *pretioſus*. Joſ. Scaligero vox
hæc deducta eſt à Perſico *Preſte-Chan*, i. e. *Homo Apoſtolicus* ſive
Chriſtianus: Hornio *in Orbe Politico*, *Part.* 4. *Preſte Chan*, expo-
nitur *Rex mancipiorum*: Andr. Caſparo Mullero, *Praſtegans* eſt
Cham Chriſtianus, quia *Preſte*: commune Chriſtianorum in Orien-
te nomen eſt; cui accedit Becmannus, *in Tract. de Dignitatibus*
Illuſtr. p. 60. &c. In qua ſententiarum varietate mirè fluctua-
tus Hornius, hunc *Presbyterum Joannem*, in Aſia, locat, *in Or-*
be Polit. d. l. in media verò Africa, in *Orbe Imper. p.* 460. ubi ſic
habet: *Ab A. C.* 1200. *jactari à peregrinantibus per Europam cœ-*
pit, eſſe in remotiſſimis terris potentiſſimum Regem Chriſtianum nomi-
ne Presbyterum Johannem. Sed de loco concordare non potuerunt ---
Id in univerſum vulgus credebat, regionem illam omni modô feliciſ-
ſimam eſſe, ibi prata ſemper virentia & nullô labore quæſitus da-
pes, ibi Elyſios Poëtarum campos, ut fabula illa in Proverbium
quoque abierit, quô Belgæ hodieque florentiſſimum regionis ſtatum
vocant Paep Jans land, *pro quo Germani dicere ſolent* Schlarat-
fenland. *Tandem circa annum* 1500. *detectus error & repertus in*
media Africa ille tamdiu quæſitus Presbyter Johannes: *Cujus qui-*
dem nomen, ex Perſica voce Preſter Chan, i. e. Rex Mancipio-
rum, deductum, quòd mancipia Abyſſina totô Orbe frequentiſſima
ſint. Ipſi Æthiopes quatuor nominibus appellant Imperatorem ſuum.
1. Belul gian, *i. e. lapidem pretioſum ac præfectum*. (Dreſſerus
habet, *Johanem Belul*. h. e. *pretioſum* & *altum*, quod tamen &
ipſum nomen Hottingero ſuſpectum eſt) 2. *Haſe*, *i. e. electum*,
cùm in ſolio Regio collocatur &c. Vide ſuprà ubi de *Abaſſia* & *Abyſ-*
ſinis: nec non voce *Maſih*. Ipſe tandem *in Arca Noæ p.* 394.
ex Godigno, in priorem ſententiam relabitur, & in Aſia hunc
Principem ſtatuit. Carolo du Freſne, ita appellabatur in India
longè lateque imperans, quod genus duceret à quodam *Johan-*
ne Presbytero Neſtoriano, de quo agit Albericus *A. C.* 1145.
qui *Coirem Cham*, harum regionum Principe, cùm Franci An-
tiochiam obſiderent, extinctô, principatum invaſerat. De
eo Gaufredus Voſienſis *Part. I. c.* 65. *Primô locô ponatur excelſus*
ille Johannes, qui regnis imperans magnis, humilitatis causâ Pres-
byteri *ſibi nomen aptavit*: *hujus Principatus diverſarum copias re-*
rum, qualiterve plures ipſi ſerviunt Reges, & de Archiprotopapatu,
vel qua de cauſa Pater ejus, Quis & ut Deus, dictus eſt, Epiſto-
la Manueli ab eo directa prodit breviter. Vide quæ de hoc Prin-
cipe obſervavit idem du Freſne, *in Obſerv. ad Joinvillam*, *p.*
89. 90. & plura apud Gregorium Abul Farajum, *in Hiſt. Dyna-*
ſtiarum, *p.* 280. Sanutum *p.* 254. Alios, ut &, ubi *de Pretioſo*
Johanne.

PRESBYTERA, aliàs pro vidua ſeniori, quæ in Eccleſia ſuô
fungebatur munere: Concil. Laodicen. *can.* 11. Aliàs de Uxore
Presbyteri dicitur. Concil. Antiſſiod. A. C. 590. celebrati *can.* 21.
Non licet Presbytero *in uno lecto cum* Presbytera *ſua dormire*; *nec*
Diacono, nec Subdiacono. Cui Binnius ut fucum faciat: Fre-
quentiſſimè, inquit, *Presbyteræ* in Conciliis nominantur mulie-
res cœlibem agentes vitam illæ, quarum viri *Presbyteratus* or-
dine initiati vel erant, vel fuerant. Ita intelligendus eſt, ait,
Canon. 21. Conc. Antiſſiod. Hæc ille, *notis ad Concil. Laodic.* Sed
ex antiquo MS. Chronico *de geſtis Henrici I.* A. C. 1105. refert
Spelmannus, ſupra laudatus: *Et Ancelmus Archiepiſcopus Cantua-*
riæ prohibuit Sacerdotibus Uxores non prohibitas: eundemque ſubne-
ctere ait, ac ſi ad rem novam denotandam: *prodigia alia atque*
alia conſecuta.

PRESBYTERALES Epiſtolæ, in Eccleſia Romana dicuntur,
quæ ab Epiſcopis dantur iis, qui in aliena diœceſi, ad *Presbyteri*
dignitatem, promoveri cupiunt. *Vetus Formula MS.* ex Pithœ-
anis, *Amore Chriſti mihi devinctæ illæ Abbatiſſæ il. Pec. Illius. Auſi*
non fuimus presbyterales *dare duabus obſtantibus cauſis, nec nam*
indiculum, juxta Canones, Pontificis ſui manu, cum teſtimonio
boni operis retro actæ vitæ detulit ſubſcriptum, nec teſtes habuit coram,
qui dignum pro eodem ad Sacerdotium ſubeundum præberent teſtimoni-
um, apud *Eund.*

PRESBYTERIANI, in Anglia quinam dicti, vide ſuprà,
voce *Independentes*, hi enim, cum illis quidem Hierarchiam
Epiſcopalem aliaque huic annexa improbantes, iis nihilominus,
circa Regimen Eccleſiæ, directè oppoſiti, *quamlibet particula-*
rem congregationem ſuis legibus gubernandam, ſine depedentia ab ullis
aliis, in Eccleſiaſticis rebus, repudiatâ auctoritate Synodorum, Claſ-
ſium, Colloquiorum &c. docent, uti diſcimus ex *Decreto* Syno-
di Carentonianæ Gallicæ A. C. 1644. contra *Independentes* condi-
to. Cùm illi contrà *Presbyterii*, *Claſſium*, *Synodorum* authorita-
tem, velut Apoſtolicam, venerantur. Certè vel experientiâ
judice utri præferendi, patebit facilè. Cùm ex Independentiſmo,
velut equo Trojano, innumeræ in Angliam redundârint hære-
ſes & deliria: Scotia verò *Presbyterii regiminiſque* ſui beneficiô à
Sectariis & Schiſmaticis diu manſerit immunis. *Præfat. ad Syn-*
tagma Ponfeſſion. edit. Genevæ, 1612. *Eſt Eccleſiæ Scoticanæ privi-*
legium rarum præ multis---*quòd circiter annos plus minùs* 54. *ſine*
ſchiſmate, nedum hæreſi, unitatem cum puritate doctrinæ retinuerit.
Plura de illis apud Hornium *Hiſtor. Eccleſ.*

PRESBYTERIUM, pars quoque Eccleſiæ dicta, quæ aliàs,
Chorus vel potius ipſe pſallentium chorus. Angl. *the Quier.*
Vita Leonis Papæ 4. *Tom.* 3. *An.* 618. *b.* apud eundem Spel-
mann. *in Gloſſar.* Carolo du Freſne magis eſt, pars Ædis ſa-
cræ, in qua *Presbyteri* conſiſtunt & ſacræ liturgiæ vacant,
Græcis Βῆμα; unde Presbyteri, quòd ibi conſiſtendi jus ha-
berent, οἱ ἀπὸ τοῦ βήματος dicti ſunt, Gregorio Nazianzeno,
uti idem Car. du Freſne obſervavit, *in Deſcr. Ædis Sophia-*
næ, *num.* 49. in quam etiam ſententiam Euſtathius Presbyter
in *Vita* S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopol. *num.* 99. ὅσοι
τοῦ βήματος καὶ ὅσοι τοῦ κάτω dixit. Ἄδυτον vocatur in Synodo
Rom. ſub Eugenio II. *c.* 33. quod quidem cancellis fuiſſe à
reliqua Æde diſtinctum, ſuprà vidimus, ubi de *Cancellis*. *Titu-*
lus idem interdum Latinè; quâ voce & ſacella Templorum, quæ
aliis *Cubicula*, nonnullis venire, unde *Titulatorium Altare*, h.
e. alare, vel capella, in majori Eccleſia, monet idem voce *Ti-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tulus. Vide & ſuprà *Presbyter.* Sed & *Presbyterium* in Eccleſia Romana dicitur donativum, quod Romani Pontifices, maximè cùm inaugurabantur, diſtribuere ſolebant, fortè quòd ratione *Summi Presbyterii ſeu Papalis dignitatis*, effundatur; quemadmodum Donativa Conſulum ὑπάτια & ὑπατεῖαι appellata ſunt, quòd ab iis initiô Magiſtratus ſpargerentur. De eo ſic Dominic. Macer. *in Hierolex. Donativum, quod novus Pontifex in ejus coronatione facere ſolebat*, in *Lateranenſi Eccleſia, ſingulis Cardinalibus, quibus in eorum mitra duo ſcuta aurea cum duobus groſſis argenteis immittebat, & aliis Epiſcopis ac Præſulibus unum aureum ſcutum, & unum argenteum groſſum dabat*, ex Ceremoniali Rom. Pergit dein, *Sic fortaſſe appellabatur, quia intra Presbyterium diſtribuebatur, ſive quia ad Conſiſtorium hoc donativum ſpectabat; nam Conſiſtorium Presbyterium ---- dicebatur* ——— *Ob eandem rationem Presbyterium dicitur ſerica burſa illa, in qua viginti quinque Julii antiquæ monetæ incluſi præſentari ſolent ab Archipresbytero Vaticanæ Eccleſiæ Pontifici, quando ibi ſolenniter celebrat, pro Miſſa benè cantata, ut in Ceremoniali dicitur, quam ſolet deinde Papa Diacono Cardinali, qui Euangelium cecinerat, tradere, & is ejus Caudatario erogare.* Quô ritu verò Cardinales Præſuleſque *Presbyterium* accipiant, à Pontifice, exponitur in *Ceremoniali Rom.* ex *MS.* Vaticano, apud Raynaldum *ann.* 1272. *de Conſecr.* PP. *Venit ad aliquem locum præparatum decenter & ibi dat cuilibet Cardinali & Prælato Presbyterium* Et ipſe *Papa ſedet in ſede & quilibet Cardinalis & Prælatus vadit coram eo & flexis genibus extrahit ſibimet Cardinalis ſive Prælatus mitram & tenet apertam ante Papam & ipſe ponit illam pecuniam, quam dat ei in uno cypho argenteo Camerarius & quam dicit liber Cameræ, qui vocatur Polycitus, & ille, qui recipit pecuniam in mitra, oſculatur genu domini* PP.&c. Sed & ad Imperatorias ſparſiones vox extenſa. Clemens IV. agens de Coronatione Imperatoris, apud eundem Raynaldum *ann.* 1311. *num.* 13. *Conſuevit autem Imperator larga* presbyteria *omnibus exhibere, quibus ea, cùm coronatur, ſummus Pontifex largitur, videlicet Epiſcopis, & Diaconis, Cardinalibus, Primicerio & Cantoribus, Subdiaconis & Regionariis* &c. Quod *Roga* quoque dicebatur, vide *ibi.* De uſu autem vocis *Presbyterii* priſco, ſuprà in *Presbyter.*

PRESLIUS Rodolphus, vide *ibi.*

PRESPA, *Apſalus Ptolemæo*, oppid. Macedoniæ & lacus apud Achridum urbem teſte *Cedrenô* cum *Curopalate.*

PRESSORIUM, apud *Ugutionem*, Græcis πιεςήριον, vide ſuprà in voce *Prelum*, & verbo *Premere.*

PRESSUS Color, apud Tertullian. *de Pallio*, *c.* 3. *Imò omni conchyliô* preſſior, *quà colla florent*; Latinè dicitur, qui aliàs *ſaturus* aut *ſaturatus*, Græcè κατακορὴς, quô nomine intenſiorem colorem & minimè dilutum appellant. *Myrteum* & *Preſſum* eundem faciunt. *Servius* & *Iſidorus*, *Myrteum*, *quem in purpura* preſſum vocamus Myrteus autem color *Porphyrio*, medius eſt inter flavum & nigrum. Sic Plin. *l.* 33. *c.* 12. genus quoddam filis *preſſum* vocat, quod cœteris erat fuſcius & quô Pictores utebantur ad picturæ umbras: *Tertium genus eſt* preſſum, *quod alii Syriacum vocant, ex Inſula Syro, jam quidam ex Achaja, quô utuntur ad picturæ umbras.* Idem de Sinopide, *l.* 35. *c.* 6. *Quæ magis cœteris rubet, utilior abacis: Idem pretium ejus, quæ* preſſior *vocatur, & eſt maximè fuſca.* Servius *ad illud Georg. l.* 3. *Spadices glaucique: quos phœniciatos vocant*, preſſos, *myrteos.* Nempe uterque idem color, ſubfuſcior videl. & ſaturatior. Eundem Græci σκοτεινὸν, ὄρφνινον, μέλανα, ἀμαυρὸν, Latini *oneratum* dixêre *plenum*, *adſtrictum*, *auſterum*, *improbum*, *ſuperbum* &c. quas voces, ſi placet, vide, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 344. & 345. In purpura inprimis id *preſſum* dicebatur, quod obſcurius erat & fuſcius, in rubro item, ut rubricæ genus *preſſius*, apud *Plin.* Idem *p.* 1157. Aliàs *Preſſa veſtis* ſplendens intelligitur, quia ſplendor eſt *de preſſorio*, apud eundem Salmaſ. *ad Tertull. d. l. c.* 5.

PRETIOSA rogis inferendi ritus, memoratur Statio, *Theb. l.* 6. *v.* 207.

> ——— *non unquam opulentior illic*
> *Antè cinis, crepitant gemmæ, atque immane liqueſcit*
> *Argentum, & pictis exſudat veſtibus aurum.*

Quem morem antiquiſſimum fuiſſe, ait vetus Schaliaſtes: ortum inde, quòd Inferis rem divinam facientes ſolebant crateras cum libamentis flammis injicere, habet Servius *ad Æn. l.* 6. *Diis ſuperis tantùm libabant. Inferis verò ſacrificantes etiam vaſa in ignem mittebant.* Hinc cum ſuis gemmis cadavera nobilia cremata, docet Propertius, *l.* 4. *El.* 7. cum veſtibus pretioſis, Alii, quorum partem poſt Libitinarios Scriptores, illuſtrando dicto Statii loco contulit Thom. Dempſter. *Comm. ad Corippum.* Hodieque, in Oriente inprimis, multo in uſu. Sed & de Iſraëlitarum Regum ſepulchris, Davidis inprimis, talia habet Joſephus paſſim, cujus rei alia in illa gente, Deo ſacrâ, ratio fuit, uti dicemus, ubi de *Sepultura*, vide quoque hîc paſſim alibi. Aliud quid *Pretioſa* eſt, apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ, uti videbimus infrà in voce *Prima.*

PRETIOSI Johannis ſeu *Presbyteri Johannis* Imperium, ubi fuerit, non ſatis conſtat. Doctioribus tamen in Aſia fuit, versùs Tartariam; quanquam alii malè Abaſſinorum Imperium Presbyterum Johannem vocârint: De cujus erroris origine diſſerit Godignus, *c.* 5. In Tartaria circa Cathayam regnârunt, ante multa ſecula, Imperatores Neſtorianorum, dicti *Juhanna* communi nomine, ab Europæis Presbyteri Johannes, quorum potentia à Zingi Tartaro deſtructa fuit. Eô tempore, quô Luſitani Indiam detegebant, magna per Europam fama erat Presbyteri Johannis, quô tamen locô eſſet, ignorabatur. Quare, cùm Petrus Coillanus audiviſſet in Æthiopia eſſe Imperium Chriſtianum potentiſſimum, credidit ipſum eſſe, qui Presbyter Johannes diceretur: Hic ergo primus Abaſſinum Imperium ſic appellare cœpit, errore dein in omnes ſparſô. Vide *Abaſſini.*

PRETIUM, apud Papinianum, *l. Reſponſor. tit.* 3. *in LL. Luitprandi R. Longob. tit.* 60. §. 1. *alibique paſſim*, compoſitio ſeu mulcta eſt pecuniaria homini impoſita, qui alterum occiderat, ſecundùm ejus æſtimationem ſeu ſecundùm ejus natales. Alia enim erat Presbyteri aut Viri nobilis, alia ſervi aut hominis interioris, æſtimatio ac pretium, *Pretium Nativitatis* dicitur, *in Anglicanis.* Unde *Natus ad* 4. *vel* 14. *libras* dicitur is, cujus pretium nativitatis eſt totidem librarum, in *LL. Henrici I. c.* 74. & 76. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi etiam de *Pretio Nuptiali* ſeu *Uxoris*, in *LL.* Burgund. i. e. dote; *de Pretio Regio*, ſeu jure, quod Regi & Domino competit, res promercales comparandi certô & definitô pretiô: de *Pretio Sepulchri*, apud Hibernos, quod ex bonis mobilibus defuncti cedebat Eccleſiæ, in qua humabatur: vacca nempe, equus, veſtimentum & ornamentum lecti &c. varia habes. Addo ſaltem, *pretium* hominis Saxonibus *Weram* item *Weregildum* dictam, & quidem apud eos, Angloſque, ut & alias nationes Septentrionales, Nobilis ſeu *Thaini* æſtimationem 20. libr. villani 100. ſolidorum fuiſſe &c. Vide eundem, voce *Wera*, ut & infrà in *Thrymſa.*

PRIÆSUS, urbs Cretæ. *Steph.*

PRIAMUS, Laomedontis fil. qui, Iliô ab Hercule everſô, unà cum Heſione ſorore in Græciam abductus eſt captivus. Poſteà tamen, aurô redemptus, Ilion inſtauravit ſimul & exornavit, regnique limites uſque adeò protulit, ut non ſolùm Trojæ, ſed totius ferè Aſiæ Rex videretur. Felix 50. filiis pater: quorum 17. vel ſecundùm Homer. 19. ex juſtâ uxore (Hecubâ ſcil. Ciſſei Thraciæ Regis filiâ) cæteros ex pellicibus habuit. Nomen ei ab eventu inditum, quòd puer ab Hercule captus, aurô redemptus fuiſſet: Πρίαμαι ſiquidem *emo* ſignificat. *Etymologus*: Πρίαμος ἐκ τῦ πρίω, τὸ πωλῶ, τ̃ ὀνομασίας ταύτης ἔτυχε. Anteà *Podarces* dictus fuit, teſte *Lycophrone.* In bello Trojano vidit filios ſuos ferè omnes ab hoſtibus interfectos. Tandem captô Iliô & ipſe à Pyrrho Achillis filio occiſus eſt prope aram Jovis Hercei, in ſanguine filii. An. regni 40. Virg. *l.* 2. *Æn.* Horatio *dives Priamus* dicitur *Carm. l.* 1. *Od.* 10. *v.* 14. quia divites aurarias, vel aurugas, ſive auri venas habuit juxta Abydum. Strabo, *l.* 14. Ὁ δὲ Πριάμυ πλῦτος ἐκ τ̃ ἐν Ἀςύροις περὶ Ἄβυδον χρυσείων μετάλλων. Ovid. *l.* 3. *de Arte. v.* 441.

> ——— ——— *Troja maneret,*
> *Præceptis Priami ſi foret uſa ſenis.*

Cicer. *l.* 1. *Tuſcul. Priamum totâ progenie orbatum, quum ad aram confugiſſet, hoſtilis manus interemit.* Seneca *in Troade*, *Actu* 1. *v.* 54.

> ——— *Ille tot Regum parens,*
> *Caret ſepulcrô Priamus, & flammâ indiget,*
> *Ardente Trojâ.* ——— ———

Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 554.

> *Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum*
> *Sorte tulit, Trojam incenſam, & prolapſa videntem*
> *Pergama; tot quondam populis, terriſque ſuperbum*
> *Regnatorem Aſiæ: Jacet ingens litore truncus:*
> *Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.*

Unde Manil. *l.* 4.

> ——— *Priamumque in litore truncum.*

Seneca Tragœdus, *Troad. Actu* 1. *v.* 141.

> *Sigæa premit litora truncus.*

Ennius majori ludibrio *ſemiaſſum* ait; ſic enim ille in *Andromache*:

> *O pater, ô patria, ô Priami domus,*
> *Septum altiſonô cardine templum,*
> *Vidi ego te adſtante ope barbaricâ*
> *Tectis cælatis laqueatis*
> *Aurô, ebore inſtructum regificè;*
> *Hæc omnia vidi inflammarier,*
> *Priamo vi vitam evitarier,*
> *Jovis aram ſanguine turparier.*
> *Heu relliquias ſemiaſſi regis, denudatis oſſibus,*
> *Per terram ſanie delibutam, fœdè divexarier.*

Ejus imperium, quibus olim finibus terminaretur, ex Homero Geographus oſtendit, in hæc verba, *l.* 13. Ὁ Ποιητὴς ἀπὸ τ̃ περὶ Ἄσωπον τόπων κ̀ τῶν περὶ τὸν νῦν Κυζικηνὴν χώραν ὑπαγορεύει μάλιςα τὺς Τρῶας ἄρξαι μέχρι τῦ Καΐκυ ποταμῦ, διῃρημένυς κατὰ δυναςείας εἰς ὀκτὼ μερίδας, ἢ κ̀ ἐννέα. Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 545.

> ——— *Nec Priami regnorum everſor Achilles.*

Propert. *l.* 2. *El.* 28. *v.* 54.

> *Et Phœbi & Priami diruta regna ſenis.*

Idem, *l.* 4. *El.* 1. *v.* 52.

> *Longævum ad Priami vera fuêre caput.*

Quinctus Ennius.

> *Cùm veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo.*

Nic. Lloyd.

PRIAMUS, cognomen Gordiani Junioris apud Jul. Capitolin. *in Vita ejus*, *c.* 19. *Mulierum cupidiſſimus: habuiſſe enim decretas ſibi concubinas XX. & II. fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos filios reliquit; Appellatuſque eſt* Priamus *ſui temporis*, *Priapum non quem vulgò jocantes, quòd eſſet naturæ propenſioris*, Priamum *ſæpe vocitârunt.* Datum nempe ei id cognomen eſt, ob multitudinem liberorum, quâ celebris apud Homerum alioſque Poëtas, Priamus fertur.

PRIANTES, apud Solin. *c.* 10. *in veterib. editionibus*, ut & apud Plinium; *l.* 4. *c.* 11: populi Thraciæ, qui Herodoto Βριάντες. Vide *Brianta.*

PRI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PRIAPATIUS, aliis *Pampatius*, an *Pharnapatius*, Parthorum Rex III. excepit Arſacem II. & actis in regno quindecim annis deceſſit: relictis duobus filiis, Mithridate & Phrahate, quorum hic, utpote major natu, patri ſucceſſit, Juſtin. *l.* 41. *c.* 5. In Parthicorum verò Regum catalogo Joh. Eichmanni, à Schickhardo edito, nihil ſimile apparet, uti Voſſ. docet *Notis ad Juſtin. d. l.*

PRIAPEIA, carmen obſcœnum, quod nonnulli Tibullo, alii Ovidio adſcribunt.

PRIAPONNESUS, inſula in ſinu Ceramico. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Hôc tempore caret habitatoribus & nomine. *Ferrar.*

PRIAPUS, Liberi patris & Veneris fil. quem ſuperſtitioſa antiquitas hortorum præſidem credidit, addo & portuum. *Leonidas* vetus poëta:

> Ταῦτ' ὁ Πρίηπος ἐγὼν ἐπιτέλλομαι ὁ λιμενίτης.

De quo vide Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 7. & Dempſter. ad Roſin. *l.* 2. *c.* 20. Idem & Lampſacenus dicebatur, à Lampſaco, non ignobili Troadis urbe, ad Helleſpontum ſita, in qua & natus creditur. Ferunt enim, Venerem Liberi patris amore captam, ei ex India redeunti obviam prodiiſſe, coronamque illi ex rubenti roſâ, tum primùm ex ſanguine ſuo enatâ obtuliſſe, eâque illum coronatum, tanquam ſponſum ſuum ſequi ſe juſſiſſe. Verùm cùm ex illius concubitu gravidam ſeſe & partui vicinam animadverteret, Lampſacum ſeſe contulit, ut ibi partus tempus expectaret. Juno interìm Zelotypiâ exagitata, cùm ſe parturienti opem ferre ſimularet, peractâ prius incantatione, deinde & uterô ejus contractô fœtum ejus cùm cæteris omnibus partibus deformem; tum prægandi pene dehoneſtatum reddidit. Quem cùm mater recens natum vidiſſet, pudore affecta pro neglecto habuit, Lampſacique reliquit. Verùm cum poſteà adultus Lampſacenis mulieribus nimium gratus eſſet, à civibus ejectum ferunt. Ob quam rem, quum neſcio quô malô poſteà premerentur, templa ei & ſacra conſtituerunt, factuſque etiam hortorum Deus eſt. Immolabant ei aſinum, quòd cùm olim in feſto Magnæ matris, ad quod omnes Dii convenerant, epuliſque ſatiati noctem luſibus ducebant, Lotidi nymphæ, ſive, ut aliis placet, Veſtæ humi dormienti vim inferre conaretur, intempeſtivô aſini, quô Silenus vehebatur, clamore excitata Virgo, manu eum rejecerit, magnô omnium, qui aderant, riſu. Ovid. *l.* 1. *Faſt. Hyginus* verò tradit, ob id Lampſacenos aſinum ei immolare conſueviſſe, quòd ab eo, cùm de magnitudine pudendi certarent, ſuperatus videretur. Vide Diodor. Sic. *l.* 5. Cæterùm Priapus recens eſt Deus, & ab Heſiodo ignoratus. Fulgentius inter Semones collocat, & cœlô receptum nondum eſſe perhibet, propter tenuitatem meritorum. Athenæus ait eſſe Dionyſium, *l.* 1. Τιμᾶται παρὰ Λαμψακηνοῖς ὁ Πρίαπος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διονύσῳ, ἐξ ἐπιθέτου καλούμενος οὕτως, ὡς Θρίαμβος καὶ Διθύραμβος. Giraldus tantùm Bacchi comitem eſſe tradit. Priapus (ut ait Theocriti *Schol. in Idyl.* α) παρ' ἐνίοις ὁ αὐτός ἐστι τῷ Διονύσῳ, ἐκ τῆς ἐτυμολογίας γὰρ φαίνεται. Ἔστι γὰρ οἷον ἢ Βρίηπυος, διὰ τὰς ἐν ταῖς Βακχείαις καὶ μέθαις ἐκβοήσεις, ἢ Πρίηπος ὁ προϊέμενος τὸ σπέρμα· Virg. Eclog. 7. *v.* 33.

> *Sinum lactis, hæc tibi liba Priape quotannis*
> *Expectare ſat eſt; cuſtos es pauperis horti.*

Idem, *Georg. l.* 4. *v.* 110.

> *Et cuſtos furum atque avium, cum falce ſaligna,*
> *Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.*

Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 8. *v.* 1.

> *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;*
> *Cùm faber incertus, ſcamnum, faceretne Priapum,*
> *Maluit eſſe Deum. Deus inde ego furum aviumque*
> *Maxima formido.*

Tibullus, *l.* 1. *el.* 1. *v.* 17.

> *Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,*
> *Terreat ut ſævas falce Priapus aves.*

Vide Martial. *l.* 6. *Epigr.* 49. & *l.* 8. *Epigr.* 40. *Nic. Lloydius.* Si qua verò ſubſit Hiſtoria, facilè credi poteſt, uti Tarquinii Romæ pulſi ſunt, ob vitiatam Lucretiam; ita quoque virum quempiam Principem in exilium eſſe actum, ob fœdas libidines, quibus ſalaciſſimo *Priapo* viſum fuit comparari. Sed enim non ejuſmodi potuiſſet conferri *Priapo*, niſi anteà hic pro Deo ſic cultus fuiſſet. Sic autem cultus eſt antiquiſſimis jam temporibus, ſub nomine *Baal-Phegor*, ab Arabiæ populis Moabitis atque Midianitis, Numer. *c.* 25. *v.* 2. 3. 6. quô nomine certum eſt Solem fuiſſe adoratum; cùm & *Priapi* nomine Sol venerationem invenerit: quorum utrumque veteres habent Auctores. De priori ita Hieronym. *in Oſ. l.* 2. *c.* 9. *Beelphegor, idolum Moabitarum, quem nos* Priapum *poſſumus appellare.* Vide eundem, *l.* 1. *contra Jovinian.* & Iſidor. *Origin. l.* 8. *c.* 11. Poſterius quod attinet, variis id argumentis aſtrui poteſt. Namque Orpheus ſeu Onomacritus *Hymnis* ſeu *Initiis* eum πρωτόγονον celebrat vocatque μέγαν Αἰθερίπλαγκτον, item παμφαὲς ἔρνος: ac mox de eodem ſubjungit,

> ——— ——— ——— Κατὰ κόσμον
> Λαμπρὸν ἄγων φάος ἁγνὸν, ἀφ' οὗ σε Φάνητα κικλήσκω
> Ἠδὲ Πρίηπον ἄνακτα
>
> ——— ——— ——— *Per mundum*
> *Emicantem ducens lucem, à qua te Phaneta voco,*
> *Atque* Priapum *Regem.*

Poſteà dicitur & πολύσπορος. quemadmodum Πρίηπον Grammatici dictum ajunt, quaſi προϊέμενον τὸ σπέρμα, quod optimè ſoli, unde vis omnis ſeminatrix, convenit. Idem eô confirmatur, quòd *Priapus* idem ac Ægyptiorum Horus, is autem idem ac Sol, *Suida:* è quo etiam cognoſcimus, cur *Priapus*, h. e. Horus ſive Sol, manu unâ ſceptrum, alterà rubentem illum ac pedalem teneat faſcinum, ut alia omittam. Sic igitur Baalphegor ſive *Priapus*, nihil aliud fuerit, quàm ſeu Naturæ, ſeu Cœli, ſeu Solis vis generatrix, cœlitus ſeſe diffundens per univerſum Orbem, maximeque ſeſe exerens, tum in plantis, unde & in hortis ſimulachrum *Priapi* conſtitui ſolitum: tum in animalibus, etiam hominibus; Unde nupturæ ad Mutinum Titinum, cui ædes ad murum Muſtellinum in Veliis fuit teſte *Feſtô*, olim deducebantur, ut à Numine generationis Præſide, poſt fœdos quoſdam ritus, vim & ipſæ generandi adipiſcerentur. Vide Arnob. *l.* 4. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 11. Lactantium, *l.* 1. *c.* 20. Origenem, *Numer. Homil.* 20. &c. Sacra quoque & figura utriuſque fœdiſſima conveniebant: putanturque eadem fuiſſe, quibus præerat Maacha, mater Regis Aſa: qui eam ab hoc removit officio ac Numinis illius turpiſſimi ſimulachrum combuſſit, cineresque projecit in torrentem Chedron, 1. Regum *c.* 15. *v.* 13. & 2. Paralipom. *c.* 15. *v.* 16. Vide Hieronym. *loc. cit.* Nec obſtat huic ſententiæ, quod Athenæus, *Priapum* non Apollinem eſſe ait, ſed Bacchum *l.* 1. Namque non *Priapus* modò, ſed & Bacchus quoque, idem eſt ac Sol. Sed *Priapum* quando vocarent; univerſe ſpectabant generationem omnium rerum, maximeque plantarum & animantium, cum verò Bacchum nominarent, particulatim attendebant maturationem liquoris in vitibus, ſive uvarum & vini productionem. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 7. *toto.* Nec verò ruſticum tantùm hoc Numen, ſed & marinum, navigationibus præpoſitum fuiſſe, ex Leonida patet *Anthol. l.* 1. *c.* 56. *Epigramm.* 4.

> Ταῦθ' ὁ Πρίηπος ἐγὼν ἐπιτέλλομαι ὁ λιμενίτης.
> *Hæc* Priapus *ego impero, portubus præfectus,*

Quod confirmat *Antipater Sidonius*, & *Marcus Argentarius*, vetus itidem Epigrammatophorus. Unde à *Satyro Thyillo* antiquo Poëta λιμενορμίτης & λιμένων δαίμων: ab Archia πόρου φύλαξ, à Theæteto ὁρμοδότης vocatur: cui aræ, ceu littorali Deo, i. e. Portumno aut Neptuno, erigi ſolebant: *Agathiâ Scholaſticô* teſte,

> Ἐνορμίταο παρὰ βωμοῖσι Πριήπου.
> *Portuum Præfecti in aris Priapi* &c.

Verùm communiori Poëtarum ſententiâ, Hortorum reique ruſticæ Præſes fuit: Hinc λαχάνων φύλαξ Perito, *Anthol. c.* 12. *Epigr.* 88. ξηρῶν κλημάτιδων φύλαξ, *Luciano*, φυλακὴν σύκων ἔχων, *Argentario*; φυτὰ ῥυόμενος, *Antiſtio* dicitur. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 20: Nec tamen, quæ de navigatione diximus, non Soli quoque facilè aptabuntur.

Epitheta varia Priapi.

Baal phegor: apud Moabitas ac Midianitas dictus eſt.

Bacchus, apud *Athenæum.*

Κλημάτιδων ξηρῶν φύλαξ, i. e. *Palmitum aridorum cuſtos, Lucian.*

Λαχάνων φύλαξ, i. e. *olerum cuſtos, Anthol.*

Λιμενίτης, λιμενορμίτης, λιμένων Δαίμων, *Portuum Præſes ac Genius*, Poëtis.

Mutinus, cujus faſcino inſidere, ut conciperent fœminæ olim cogebantur.

Phanes, à φαίνω, *luceo*, quod Solis proprium.

Φυτὰ ῥυόμενος, i. e. *frutices ſervans*, Poëtis.

Πόρου φύλαξ, i. e. *tranſitûs Cuſtos.* Iiſd.

Res turpis ſeu turpicula, quæ è collo pueris ſuſpendebatur olim ad Caprimulgum, Striges & Sagas abigendas. Cujuſmodi Faſcinum ex ære è Muſæo Parentis exhibet *Caſp. Bartholinus*: ut & alios ex lapide Lazuro, corallio, cryſtallo Laur. Pignorius *in Menſa Iſiaca.*

Titinus, vide Feſtum & Auguſtin. *loc. cit.*

PRIAPUS, cognomen Gordiani Junioris per convitium à vulgo detortum, ex *Priamus*, ut *ibi* vidimus. Apud Juvenalem, *Sat.* 2. *v.* 95. *Priapus vitreus*, poculum eſt in obſcœnam figuram formatum; cujuſmodi poculis qui bibebant, *Driliopotas*, ex δρίλλη, *verpa*, & πίνω, *bibo*, dictos eſſe, Scholiaſtes ejus notat. In *Hiſtor. Auſtrali A. C.* 1289. machina bellica hôc nomine occurrit, an quò 1 rotis aptata, partis, quâ viri ſunt, ſpeciem referret, uti *canones* hodierni; an quia Gallica vox *engin*, pro membro viri & machina, vulgò uſurpatur, unde vox *Ingenium*, de qua ſupra, uti de *Priapis marinis*, Voſſ. de *Idolol. l.* 4. *c.* 12.

PRIAPUS & PRIAPUM, *Laſpi*, teſte *Nigrô*, urbs Myſiæ Aſianæ ad Helleſpontum maritimæ cum fluvio cognomine. Pario & Lampſaco finitima. A Priapo Deaſtro, qui ibi colebatur, illamque condidit. Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 111.

> *Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.*

Plin. *l.* 5. *c.* 31. inſulam ſic vocat circa Ioniam, & *Priapis*, eſt regio ſeu tractus.

PRIARIUS, Rex Alemannorum, cum XXXM. hominum oppreſſus, à Gratiano Imperatore A. C. 380. Oroſ. *l.* 7. *c.* 19. *&c.*

Vandaliæ Principes.

PRIBISLAUS I. fil. Buthues, Herulorum Regis, cum fratre Nicoloto; quorum uterque Idololatra & Chriſtianorum perſecutor, Canutô Danô, qui patrui illorum filios regnô pepulerat, à ſuis occiſô, rerum potitus eſt. Verùm à Rugiis captus, & in cuſtodia mortuus eſt: quemadmodum & Nicolotus, ab Henrico Leone & Alberto Urſo, totô penè regnô exutus & in prælio occiſus eſt.

PRIBISLAUS II. fil. Nicoloti præfati, ultimus gentis Rex, à Pomeranis reſtitutus, cum Henrico Leone memorato, qui Patrem pepulerat, acre bellum geſſit: in quo ipſe quidem Henricus victus & Adolfus Comes Holſatiæ cæſus eſt; interim tandem *Pribiſlaus* in ordinem redactus, parte ditionum regiòque titulô ceſſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ceſſit, & Ducis nomine aſſumtô, baptizatus Doberanenſe Cœnobium fundavit Roſtochiumque condidit: demum A.C. 1215. in ludis Equeſtribus equi caſu extinctus. Pater fuit Henrici cognomine *Burvini*, qui belli ruinas aliquas reſtauravit: ex hoc Avus Johannis, Nicoloti, Burvini & *Pribiſlai*, qui Parchumi dominus Gentili ſuperſtitioni ſolus adhæſit, ſed abſque prole extinctus eſt. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Vandal.*

PRIDEAUX Johannes, Anglus, à diſputandi ſolertia jam à 18. ætat. anno celebris, Rector Collegii Exonienſis in univerſitate Oxonienſi, Doctor Theologiæ & Regius Theologiæ Profeſſor conſtitutus, Rectoratum per annos ferè 32. Profeſſionem ultra 27. tenuit, Academiæ Vice-Cancellarius quinquies fuit, Principi Henrico, Regibus Jacobo I. & Carolo I. à Sacris, atque ab hoc ultimo ad Epiſcopatum Wigornienſem evectus. In muneribus ſuis non ſine gloria verſatus, Artium, LL. & Theologiæ cognitione, inconcuſſâ denique in Principem & Eccleſiam fide, conſpicuus, obiit A. C. 1650. ætat. 72. Scripſit plurima, inter alia, *Conciones*, *Lectiones*, *Orationes*, *Faſciculum*, *Controverſiar. Theologicar. Manuductionem ad Theologiam Polemicam*; *Hypomnemata Logica*, *Rhetorica*, *Phyſica: Heptades Logicas*; *Tabb. ad Grammaticam Græcam*, *introductorias*: *Iſagogen ad omnimodæ Hiſtoriæ lectionem*; *Conciliorum Synopſin.* &c. Anton. Wood. *Hiſtor. & Antiqq. Univerſ. Oxonienſis.*

PRIDIANÆ Dapes, in ſacris Conviviis vetitæ, Exodi *c.* 12. *v.* 10. ubi de Convivio Paſchali, *Ne relinquite quidquam ex ea*, (i.e. ex Agni carne) *uſque ad matutinum tempus*, *ſed ſi quid reliquum erit*, *comburite.* Quod ad alia quoque Convivia ſacra extenſum. Sic de Manna dicitur Exodi *c.* 16. *v.* 19. *Nemo ex ea quidquam relinquat uſque in craſtinum.* Et de Sacrificio Euchariſtico, Levit. *c.* 22. *v.* 30. *Eôdem die illud comedetis*, *nec ex eo quidquam reliquum facietis ad uſque manè.* Ita etiam Levit. *c.* 7. *v.* 15. Niſi quòd *verſibus* 16. & 17. excipitur votivi & voluntarii ſacrificii caro, quæ poterat in poſterum diem ſervari: at in tertiam diem quod ſupererat, comburebatur. Simile quid Romæ obſervatum Macrob. narrat, *Saturnal. l.* 2. *c.* 2. *Sacrificium apud Veteres fuit*, *quod vocabatur Protervia. In eo mos erat*, *ut ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet*, *igne conſumeretur. Hinc Catonis jocus eſt. Namque Albidium quendam*, *qui ſua bona comediſſet & noviſſimè domum*, *quæ ei reliqua erat*, *incendiô perdidiſſet*, *Proterviam feciſſe dicebat*, *quod comeſſe non potuerit*, *id combuſſiſſe.* Sed & ad Arnob. *adv. Gentes l. ult.* ubi ait, *poſt ſolidos victus liborum & pultium hoſtiarumque cæſarum:* Stewechius voce *ſolidos* indigitari vult, ex libis, pultibus cœteriſque eduliis oblatis nihil debuiſſe ſupereſſe. Eodemque refert Minucii iſta, *Quòd verò ſacrificiorum reliquias*, *& pocula delibata contemnimus*; *non confeſſio timoris eſt*, *ſed veræ libertatis aſſertio.* Imò nec in ſacris ſolùm, ſed & in privatis conviviis quoque Veteres *pridianas dapes* aſpernabantur. Unde ἕωλον, i. e. τὸ εἰς ἕω λειπόμενον, quod in Auroram uſque relinquitur: *Suidæ* idem eſt, quod ψυχρὸν, μάταιον, ἀνωφελὲς, ἀνίσχυρον, *frigidum*, *vanum*, *inutile*, *invalidum*; Metaphorâ à cibis ſumtâ, qui in craſtinum ſervantur. In frugalitatis tamen argumentum, de Auguſto, affertur à nonnullis, quòd *pridianas* & ſemeſas dapes alterâ quoque die apponi juſſerit &c. His verò Legibus, ſacris cibis, conſultum voluit Deus, ut ne corrumperentur nec in profanos uſus cederent. In Agno inprimis cavendum fuit, ne aut ejus λείψανα diſceſſuros Iſraëlitas onerarent, ſi auferrentur, aut Ægyptiis eſſent ludibrio, vel canibus prædæ, ſi domi relinquerentur. Fortaſſe etiam reliquiæ iſtæ, ab Iſraëlitis ſervatæ, ceſſiſſent, in objectum idololatriæ, quomodo ſerpens æneus: cùm Deus per Agnum non minus miraculum patrâſſet, quàm per ſerpentem. Quibus incommodis non potuit meliùs proſpici, quàm Agni reliquiis, i. e. carne, pelle & oſſibus, igne conſumtis. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. I. l.* 2. *c.* 50. *ubi de Agno Paſchali.*

PRIEGO, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quæ Cordubææ priùs, inde Suareziæ, Stirpis ramus eſt. Vide ſuprà ubi de Famil. *de Corduba.*

PRIENE, quæ *Palathia*, teſte *Nigrô*, urbs Ioniæ maritima in confinio, quæ & *Cadme Straboni* dicta. Inter hanc & Miletum Mæander fluvius in mare excurrit. *Dionyſ.*

Μαίανδρος λιπαρῇσι καθέρχεται εἰς ἅλα δίναις,
Μιλήτε τε μεσηγὺ ϗ̀ εὐρυχόροιο Πριήνης.

Solinus, *c.* 43. ubi de Mæandro: *Præcipitatur in ſinum*, *qui Miletum dividit & Prienen.* Hanc urbem verò nihil magis nobilitavit, quàm *Panionia* ibi celebrata, & Bias ibi natus, unus è ſeptem ſapientibus habitus. Inde *Prienenſis juſtitia* Proverb. de integerrimo judicio, apud Geographum, *l.* 14. quòd Bias juſtiſſimus fuerit. Fanum inter alia Minervæ præclarum habuit. Vide *Bias.*

PRIENE, urbs Bithyniæ. *Synodus 6. Conſtantinop.*

PRILLAPUM, urbs Macedoniæ in Albania regione quæ *Caſteldo Albanopolis Ptolemæi* dici videtur. *Glycas.*

PRILLE, qui *Aprilis*, *Antonino* fluv. & lacus Hetruriæ apud oram litoream; fluvius *Bruno*, lacus verò *Lago di Caſtiglione* ab oppidulo proximo ex *tabul. recent.* dicitur; à Roſeto Urbe 6. mill. paſſ. in Occaſum. Dicitur etiam *Lago di Buriano*, ex caſtro parvo non longè diſtante. *Ferrarius.*

PRIMA, Romuli, ex Herſilia, ſecundùm quoſdam filia.

PRIMA, Maximi Aug. mater. Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino*, *c.* 5. *Maximo pater fuit Maximus* ——— *faber ferrarius* —— *Hunc ſuſcepit ex uxore* Prima *nomine*, *cui fratres quatuor* &c. Sed Regium codicem *ex uxore prima Neari nomine*, præferre, monet Caſaubonus, *ad h. l.*

PRIMA, ſubintellige, Hora, dicitur in Eccleſia Romana primùm ex Officiis Eccleſ. diurnis, quod ad ortum Solis peragitur recitaturque, in memoriam Chriſti reſurrectionis, uti communiter Canoniſtæ *in c.* 1. *de celebr. Miſſæ*: qua de re ſic Dominic. Macer. *Quamvis ſancti Patres Chriſtum mediâ nocte reſurrexiſſe dicant*; *fuiſſe tamen ipſum ſanctis mulieribus revelatum ſummô manè exiſtimatur*, *quô inſtanti temporis Chriſtum execrabilibus ſputis ſpretum & alapis percuſſum*, *atque ad Pontium ductum fuiſſe*, *Rupertus meditatur*, in *Hierolex.* Ad hanc Horam verſiculus poſitus, *Pretioſa* dicitur, in *Bulla* Urbani V. apud Soreſinum *de capp. S. Petri & Pauli p.* 8. & 9. *Quatenus anni die*, *poſt primam & pretioſa*, *teneantur omnes* ——— *Quatenus poſt mortem D. N. Papæ*, *poſt pretioſa ſtatim locô prædictorum teneantur cantare*, *De profundis* &c. Idem, voce *Pretioſa.*

PRIMA *Juſtiniana*, vulgò *l'Ochrida*, urbs Archiepiſcopalis Macedoniæ. A. Juſtiniano Imper. dicta, quæ prius *Achrians* vocabatur. Niceph. *l.* 17. *c.* 28.

PRIMA Libamina, dicebantur in ſacrificiis Veterum ſetæ, quas, poſt precationem ſolemnem immolationem & libationem, inter cornua victimæ manu evulſas, Sacerdos in ignem projiciebat: quô factô converſus ad Ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducens, tandem victimam, Diis exhibitam & dedicatam, jubebat jugulare Miniſtros: qui, quòd mactarent eas, *Cultrarii* ac *Victimarii*: item *Popæ* & *Agones* dicebantur. Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 33.

PRIMÆ, dictæ olim provinciæ, quibus Metropoles obtigerant. Secundùm Sirmondum enim ad Sidonium, *l.* 7. *Ep.* 5. Provinciæ olim, cùm ſimplices eſſent, poſteà Principum nutu dividi cœperunt, ortumque inde, ut aliæ *primæ* dicerentur, aliæ *ſecundæ*, aliæ *tertiæ* & ita deinceps, pro numero provinciarum. *Primæ* verò appellatæ, quibus Metropoles obtigerant, quæ totius provinciæ ante diviſionem caput erant; unde eidem nata *Primatum* origo, cùm primarum provinciarum Metropolitani, Primates eſſent reliquarum ejuſdem nominis provinciarum. Camdenus verò in *Brit. p.* 94. 3. *edit.* ait ſe obſervâſſe, Romanos eas ſemper provincias *primas* vocâſſe, quæ Romæ propiores &c.

PRIMÆ Domus, apud Statium, *Theb. l.* 1. *v.* 201.

——— ſpatiis hunc omnia juxta
Primæque, *Occiduæque domus*, *atque uſta ſub omni*
Terra atque unda die ———

Et, *l.* 1. *Silv.* 4. *in Soteriis Rutilii*, *v.* 73.

Occiduas, *primaſque domos*, *& Sole ſub omnis*,
Permeruit durata manus ———

Orientalem Mundi plagam denotant, quæ cur hôc nomine indigitentur à Poëta, enarravit jam olim Cæl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 1. *c.* 10. Vide quoque Barthium, *Anim. ad Papinium*, *d. l.*

PRIMANORUM Legio, memoratur Capitolino in Clodio Albino, *c.* 6.

PRIMARUM Partium Servus, apud Cicer. *pro Flacco.* Vide ſuprà in voce *Partes.*

PRIMAS, qui primas partes tenet: unde *Primates*, apud Wipponem *in Conrado Salico*, *Wormatiæ conveniunt cuncti Primates*, i. e. Proceres. Sic *Primates Judæorum*, qui anteà Patriarchæ dicti, quorum abolitum nomen ſub Theodoſio Juniore, teſtatur *L.* 29. *Cod. Theod. de Jud. Primates Palatii*, *in L. Wiſigoth. Primates regionis*, *in Pragmat. Sanct.* Juſtiniani; *Primates Urbium*, *Vicorum*, *Caſtellorum*, in *Cod.* præfato non ſemel. Atque hactenus vox in Eccleſia ignota: unde & Johannes Euangeliſta & Apoſtol. carpit *primatum ambientem Diotrephen*, ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρεφὴς ὀυκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς, *Ep.* 3. *v.* 9. Tum enim nullum inter Presbyteros Epiſcopoſque diſcrimen. Hinc ad Titum, *c.* 1. *v.* 5. conſtituuntur oppidatim Presbyteri, qui *v.* 7. vocantur *Epiſcopi*; & Petrus *Compresbyter* alloquitur Presbyteros, 1. Petr. *c.* 5. *v.* 1. quos *v.* 2. jubet ἐπισκοπεῖν *non coactè*, *ſed libenter*, &c. Idem apertè teſtantur, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus & recentiores alii plurimi, de ſeculis Apoſtolico propioribus: quibus ſi aliquod inter hos diſcrimen fuit, fuit id *primatus* ordinis, ut primus concederetur locus Presbytero ſeu ætate, ſeu miniſteriô, primo; quemadmodum & Judæorum Synagogæ ſuos ſeu προεςῶτας ſeu Præſides habebant. Ex inde paulatim mutata eſt *Primatus* ratio; ſic ut, qui anteà illum ordine obtinebant, deinde electione primi conſtituerentur, quò deventum eſſe, refert Ambroſius, *ob reliquorum Presbyterorum imperitiam*: Hieronymus verò *ad tollenda Schiſmata*, factum eſſe teſtatur, *ad Titum*, *c.* 1. quæ ambo fortè concurrerunt. Ne verô Epiſcopus fruſtra & ſolô nomine prior videretur, poteſtas & cura Eccleſiæ, quæ antea penès omnes Presbyteros ſteterat, ab eo tempore illi fermè ſoli demandata: inprimis ipſi ſoli jus ordinandorum Presbyterorum datum eſt, ad conſilium tamen eorum & ſocietatem, *ut ſimul cum Epiſcopo ordinarent etiam Presbyteri & in thronis ſederent*, teſte Epiphaniô. Uti autem Clerô ſuperior factus eſt Epiſcopus, ſic cùm primi Epiſcopi pares eſſent & à communi Concilio Eccleſiæ ejuſdem provinciæ per Synodos regerentur; dein Metropolitanorum quoque ſeu Archiepiſcoporum nomina nata ſunt. Imò, pluribus provinciis ſequenti ævô à Conſtantino in unam Diœceſim redactis, ſupra Metropolitanos conſtitui cœperunt Patriarchæ ſeu *Primates*, *Exarchi Diœceſium* dicti, uti pluribus docet Franc. Burmannus *Synopſ. Theolog. Chriſt. l.* 8. *c.* 13. *Part. I.* & Jo. Caſp. Suicerus *Theſ. Eccl.* voce Ἔξαρχος. Unde *Primates Diœceſium*, apud veterem Interpretem Latinum *can.* 9. & 17. Concil. Chalcedonenſ. & *Præſules omnium Sacerdotum in partibus ſuis*, in *Appendice Cod. Theod. Conſtitut.* 3. appellantur. Ex quo dein profluxit nova iſta *Primatis* ſignificatio, (priùs enim & Metropolitani *Primates* dicti fuerant) quæ poſteà in alteram abiens ſola deinceps obtinuit, apud Canonum Collectores, ubi *Diœceſis* ſumitur, pro tractu diverſarum provinciarum in unum

corpus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

corpus compactarum: Græcis inde οἱ ὑπὲρ διοίκησιν Ἐπίσκοποι dicti, in Concilio Conſtantin. *can.* 11. & Ἔξαρχοι τῆς Διοικήσεως, ut dictum. De *Primate* autem ſic Gilbertus Lunicenſis Epiſcop. *l. de Uſu Eccl. Primas quoque & ipſe Archiepiſcopus eſt, nec ipſe Archiepiſcopum ordinat. Utrumque enim Archiepiſcopum &* Primatem *oportet Romæ ab Apoſtolico ordinari, aut à Roma eis à Papa pallium afferri, atque à Coëpiſcopis ſublimari: quæ tunc datur licentia, ſi fortè infirmitatis vel belli, aut alia aliqua cauſa neceſſaria interceſſerit. Eô tantùm ergo præeſt* Primas *Archiepiſcopo, quòd cùm multi ſint in eadem regione Archiepiſcopi, ſolus ex eis, qui Regem ordinat & in tribus ſolennitatibus coronat, & apud quem Concilia pro veritate peraguntur, ipſe eorum primatum tenet; locum itaque, quem apud* Orientales *Patriarchæ poſſident, tunc apud nos* Primates *quodammodo obtinere videntur, utrique Romano Pontifici primò gradu ſupponuntur.* Vide de *Primatibus* Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Bulgariæ &c. Baronium, Sirmondum, Salmaſium, Morinum, Sauſſajum, Uſſerium Archiep. Armachanum, Alios: Sed & *Primates* interdum occurrunt dicti, Epiſcopi, qui aliis Coëpiſcopis, ordinationis tempore, erant potiores: quomodo à Papa Hilaro Conſtantinus Epiſcopus Civitatis Uzeticæ dicitur eſſe *Primas avô honoris.* Et *ibidem*, cura provinciæ Narbonenſis, ob ſuſpenſionem Hermetis Metropolitani, transfertur ad eum, *quem repererit Epiſcopalis Ordo Primatem.* Aliô modô *Primus* inter Epiſcopos Comprovinciales dicebatur, cujus civitas ſecundum à Metropoli locum obtinebat, ac ſecundô ab ea locô, in provinciæ Notitia deſcribebatur. Apud Afros olim *Primas* quoque ſeu *Epiſcopus primæ Sedis* dicebatur, qui ordinationis tempore Collegas ſuos anteibat, quem ideò *Senem* appellabant, ut infrà dicemus. Quæ tamen ſolius Carthaginis erat prærogativa, ut ejus Epiſcopus *Primas* eſſet Proconſularis provinciæ & caput reliquarum quinque provinciarum, &c. Inter Abbates *Primatis* titulô Fuldenſis cluet. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolex.* ubi hi inter alia annotant, *in illis Civitatibus, in quibus apud Ethnicos primi Flamines eorum atque primi Legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates vel Patriarchas* ——— *in illis autem in quibus Archiflamines* ——— *Archiepiſcopos* ——— *in reliquis verò civitatibus ſingulos Epiſcopos poſitos eſſe ex Can.* 1. *diſt.* 81. *in illis verò.* Vide quoque *Can. quoniam & ſeqq. diſt.* 100. *& can. nullus Primas.* Auctoritatem *Primatum* hiſce perſtringit Guil. Britto *Philipp. l.* 12. ubi de Lugdunenſi Galliæ Primate,

Et Lugdunenſis, quo Gallia tota ſolebat,
Ut fama eſt, Primate *regi, cauſaſque referre*
Difficiles? ut ibi lis ultima litibus eſſet;
Nec mittebantur Romam lis ulla, niſi quam
Lugdunenſe Forum per ſe finire nequiſſet.
Cujus honoris adhuc memor eſt Epigramma ſigilli,
Quique monetatus datur ad commercia cenſus.

PRIMASIUS, Epiſcopus Adrumeti, in Africa. A. C. 553. interfuit V. Concilio Oecumenico Conſtantinopoli habito, Auguſtini doctrinæ addictiſſimus. Scripſit in *Epiſtolas Paulinas*, vel potius ex Auguſtino huc pertinentia excerpſit: Prodiit hoc opus ſeculô præteritô. Idem *Commentarium in Apocalypſin*, & de *Hæreſibus libros* 3. edidit, in quibus ſupplet, quæ Auguſtinus omiſerat, docens in primo, quid agant; in duobus reliquis, quibus indiciis ſe prodant hæretici. Huic dedicavit Junilius, ſimiliter Afer Epiſcopus librum, *de partibus divinæ Legis.* Victor Tennenſis, *in Chron.* Caſſiodor. *de div. Lect. c.* 9. Iſidor. *in Cat. c.* 9. Trithemius, Bellarminus, Baronius &c.

PRIMATES Officii, iidem qui *Priores*, item *Principes Officii.* Vide *infrà.*

PRIMATUM obtinere, in Circo olim, idem quod *occupare* ſeu προλαβεῖν: de eo, qui, primô oſtiô miſſus, ſortis ac loci beneficiô cœteros antevertebat. Vetus *Epigr. de Circo*,

Aſt ubi panduntur, funduntque repagula currus,
Unus & ante omnes cogitur ire prior.

Atque hic, ſi nihil adverſi illi accideret, & inoffenſum curſum teneret, uſque ad finem, vireſque perferret equorum integras ad ultimum uſque ſpatium flexumque metæ ſeptimum, haud dubiè vincebat. Sed plerumque eveniebat, ut præ ſtudio obtinendi ac ſervandi *Primatus*, quem ab initio ſortis munere adeptus erat, prælaſſatis & conſumtis viribus equorum, ante ſeptimum curriculum deficeret, palmamque ſequentibus traderet, qui in ejus locum ſuccedebant, metamque ultimam circumire anticipabant. Silius, *l.* 16. *v.* 338.

At queis interior cura, & prudentia Circi
Altior, effuſas primô certamine vires
Damnare. ——— ———

Cauti igitur agitatores in primis ſpatiis ſuſtinebant equos ſpiritumque ac vires eorum diſpenſabant, priuſquam ad finem venirent, ut integri & indefecti prægreſſos jam defeſſos opprimerent, & in ſeptimæ metæ flexu præverterent. Vide ſuprà in voce *Occupare.*

PRIMI & *Magiſtri Numerariorum l.* 8. *Cod. Theod. de Numerar. Jubemus omnes Numerarios, non eos modò quos plebe confuſâ vulgus abſcondit, ſed* primos *etiam ac Magiſtros eorum officii ſedis ampliſſimæ, tum etiam Judicum cœterorum* &c. ſunt qui aliàs *Primates officii*, & *Priores* & *Capita officii* dicuntur. Singula enim officia Palatina habuerunt Magiſtros ſuos ſeu Principes: qui tamen aliter atque aliter in diverſis officiis nominabantur. In officio Præfecturæ Prætorii, qui primus erat & princeps illius officii, *Primiſcrinius* vocabatur, in officio Sacrarum Largitionum & privatarum, ut & aliis pleriſque, *Primicerius*; in ſcriniis Epiſtolarum, Libellorum & Memoriæ, *Proximus*, in Diſpoſitionum ſcrinio, *Comes.* Nam in tribus illis ſcriniis, Epiſt. Libell. & Memor. qui primi erant & primum locum inter homines ordinis ſui obtinebant, *Proximi* dicebantur. *Priores Scrinii* eos vocat *Cod. Theod. de prox. Com. diſpoſ. in capite ſcrinii* conſtituti dicuntur, *l.* 11. *eod. tit. Principes ſcriniorum* vocat Lamprid. *in Alex. c.* 15. Proximi igitur in ſcriniis iidem erant, qui in aliis officiis *Primicerii.* Hi enim omnes, qui in aliquo officio primô locô militabant, *Principes* & *Magiſtri illius officii* audiebant. Sic *Comites Diſpoſitionum*, qui id erant in ſcrinio Diſpoſitionum, quod Proximi in aliis ſcriniis &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Treb. Pollion. Gallienis, c.* 17. uti de *Primis Parentibus*, eorumque memoria diu in Aſia apud Gentiles conſervatâ, Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 38.

PRIMI Ordines, & *Primorum Ordinum Ductores*, vide infrà *Principes Centuriorum.*

PRIMIANUS, Epiſcopus Donatiſta. Vide *Cavernæ Suſæ, Maximilianus Diaconus &c.*

PRIMICERIATUS, dignitas *Primicerii*, quæ vox non unô modô apud Scriptores ſumitur. Pro primo cujuſque ordinis, apud vetuſtiores occurrit: quòd talis (*officii princeps* priùs dictus) primus in ceram ſeu tabulam relatus eſſet quaſi προγεγραμμένος τῶν ἄλλων. Vide quæ ſuprà diximus de Veterum *Ceratis tabellis.* Hygenus *de Limitibus agr. Has conternationes ſublatâ ſorte quidam tabulas appellaverunt, quoniam codicibus excipiebant & à prima cera, primam tabulam appellaverunt.* Sic autem dicebantur inprimis, qui in Officio Sacrarum Largitionum & aliis pleriſque primi erant & principes officii, uti vidimus. Poſtmodum ad militiam vox extenſa: unde *Primicerii Legionum, vexilla bajulantes viri nobilis & inclyti*, memorantur Guilielmo Tyrio, *l.* 4. *c.* 8. Et apud Hieronymum *ad Pammachium*, nomen id dignitatis eſt militaris Tribuni dignitati proximæ. Apud Senatorem, *l.* 10. *Ep.* 11. *Primicerius* idem cum *Domeſtico* eſt. In *Monaſtico Anglicano Tom. I. p.* 838. & 839. auguſtiſſima vocis obſervatur notio: Ibi enim Edmundus & Edgarus *Reges* ſe & *Primicerios totius Angliæ* inſcribunt. Quomodo in Eccleſiam idem titulus irrepſerit, dicemus infrà: Hîc varia *Primiceriorum*, primæ ſignificationis præcipuè, ſubjungemus genera, ex Car. du Freſne.

Primiceriorum, apud vetustiores Scriptores, genera diversa.

α. *Primicerius Auguſtæ*, apud Euſtathium in *Vita* S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolit. *num.* 84. β *Primicerius Auguſtalium*, vide ſuprà *Auguſtalis.* γ. *Primicerius Aulæ*, qui rubicinibus Imperatoris præerat. Vide Car. du Freſne, *Not. ad Cinnamum, p.* 463. δ. *Primicerius Bardariotarum*, qui Achridenſibus Turcis præerat, apud Imperatores Byzantinos, vide eundem *ad Alexiad. p.* 288. ε. *Primicerius Capellæ* Regiæ, vel *Palatii.* Vide ſuprà in voce *Capellanus.* ζ. *Primicerius Cenariorum.* η. *Primicerius Cubiculi ſacri*, in *Notit. Imp. p.* 3. *Primicerius totius officii. Primicerius ſcrinii Canonum, tabulariorum, aureæ maſſæ, auri ad reſponſum, veſtiarii ſacri, argenti annularenſis, à pecuniis. Ibid. p.* 49. Vide *Pancirollum.* θ. *Primicerius Scholæ Cantorum.* Vide ſuprà *Cantor.* ι. *Primicerius Defenſorum*, vide *ibid. Defenſor.* κ. *Primicerius Deputatorum.* λ. *Primicerius Domeſticorum.* μ. *Primicerius Exceptorum.* ν. *Primicerius Fabricæ*, vide ſuprà *Fabrica.* ξ. *Primicerius Judicum.* ο *Primicerius* & Comes ſacrarum Largitionum, apud Senatorem *l.* 6. *Ep.* 7. π. *Primicerius Lectorum.* ρ. *Primicerius Magnus* apud Conſtantinopolitanos, dignitas de qua vide Codinum & ejus Interpretes. Item Joannem VIII. *Epiſt.* 166. & ſuprà *Myrion.* σ. *Primicerius Notariorum.* τ *Primicerius Palatii.* Vide paulò *ſuprà.* υ. *Primicerius Scriniorum*, vide ſuprà *Perfectiſſimatus.* φ. *Primicerius Silentiariorum.* χ. *Primicerius Singulariorum.* ψ. *Primicerius Tabulariorum*, apud Codinum *de Offic.* ω. *Primicerius* Veſtiarii Imperatoris apud Leonem Gramm. *in Conſtantino Leonis l.* &c.

PRIMICERIUS, corruptè *Primiſſarius* & *Primitiarius*, in Eccleſia Rom. Dignitas eſt in Eccleſiis Cathedralibus, quâ qui præditus, *omnium primorum Clericorum ſuperior eſt*, ut ait Dominic. Macer. Ejus officium ſic deſcribit Gregorius M. *Ep. ad Landefred. Epiſc. Ad Primicerium pertinent Acolyti & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ atque Lectores, ſignum quoque dandum pro officio Clericorum, pro vitæ honeſtate & officium meditandi, & peragendi ſolicitudo lectiones & benedictiones & pſalmum, laudes, offertorium & reſponſoria quis Clericorum dicere debeat: Ordo quoque & modus pſallendi in choro, pro ſolennitate, & tempore, ordinatio pro luminariis deportandis; ſi quid etiam pro reparatione Baſilicarum, quæ in urbe ipſe denuntiat Sacerdoti, epiſtolas Epiſcopi pro diebus jejuniorum Parochianis per Oſtiarios iſte dirigit: Clericos, quos delinquere cognoſcit, ipſe diſtringit, quos verò emendare non valet, eorum exceſſus ad cognitionem Epiſcopi defert, Baſilicarios ipſe conſtituit & matriculas ipſe diſponit.* De eodem liber Ordinis Rom. apud Gregorium IX. *l.* 1. *tit.* 25. *Ut Primicerius ſciat, ſe eſſe ſub Archidiacono, ſicut Archipresbyter, & ad ejus curam ſpecialiter pertinere, ut præſit in docendo Diaconis vel reliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſitis: ut ipſe diſciplinæ & cuſtodiæ inſiſtat, ſicut pro animabus eorum coram Deo rationem eſt redditurus: & ut ipſe Diaconibus donet lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de ſingulis ſtudium habeat, ut, in quacunque re capacem ſenſum habuerit, abſque ulla vacet negligentia, aut à quo ipſe juſſerit inſtruantur.* E quibus apparet inſignem olim *Primicerii* auctoritatem fuiſſe. Sic occurrit *Primicerius Sedis Apoſtolicæ*, apud Joannem præfatum, *Ep.* 7. *Primicerius Eccleſiæ Tullenſis*, in *Charta Leonis* IX. A. C. 1049. & apud Gregorium IX. *l.* 1. *c.* 8. ubi extinctam hanc dignitatem, in iſta Eccleſia, ſub ejus tempora obſervare eſt; *Primicerius S. Marci Venetiarum*, de quo multa Sanſovinus & Stringa *de Venetia, l.* 1. *c.* 143. & *ſeqq.* &c. In *LL.* Alfonſinis ſeu *Partitis I. part. tit.* 6. *l.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

6. *l.* 5. cum Cantore *Primicerius* confunditur, ibi enim Cantorem & in quibuſdam Eccleſiis *Cabiſcol*, in aliis *Primicerio* nominari obſervatur. Vide ſuprà *de Primicerio Scholæ Cantorum*. Olim quando in Sabbatho præcedenti Dominicæ III. Adventus Pontifex Rom. in Baſilica Vaticana ſolennes canebat Veſperas; tunc Antiphonæ laudes dicebantur, ac *Primicerius* ſuggerebat intonationem Pontifici primæ illius Antiphonæ, *Juſtè* &c. cujus operæ pretium erat aurea moneta, quam à Camerario acceptam ori Primicerii Pontifex imponebat, ut eſt apud eund. *Macrum* &c. Sed & alii inter Eccleſiaſticos Officiales *Primicerii* occurrunt; De *Primicerio Capellæ Regiæ*, aliquid ſuprà dictum; de *Primiceriis Subdiaconorum*, *Notariorum*, *Lectorum*, in Eccleſia Mediolanenſi, vide Ughellum, *in Append. Tom. IV. A. C.* 963. Apud Luithprandum, *l.* 6. *c.* 6. *Diaconus Cardinalis Primicerius*, dicitur qui aliàs *Decanus*. Et Hincmarus Rhemenſis, in *Tom.* Concil. Drogonem Epiſcopum *Primicerium*, h. e. *Vicarium*, appellavit, quia Vicarius Papæ in Galliis erat &c. Uti autem *Primicerius*, ſic *Primiceria Virginum*, à *Bernardo* vocatur B. Virgo Θεοτόκος, ut videre eſt, apud Macros Fratres *in Hierolex*. In malam partem vox accipitur apud Balſamonem, *in Can.* 6. *in Trull.* ubi ſenes quoſdam, qui in Arte Magica alios inſtruebant, *Primicerios ac Pſeudotheos*, h. e. *Deos mandaces* appellat. Nec omittendum, eſſe nonnullos, qui *Primicerii* vocabulô contendant notari à ſigillis Officialem, qui à *Caſſiodoro* Πριμισκήριος appellatur. Sed eâ notione, quâ diximus, *Primicerius* apud Græcos non Πρωτοκήριος, ſed Πριμμικήριος, paſſim appellatur. *Ibid.*

PRIMICLERUS, in Concilio Emerit. *can.* 10. & 14. & in Toletano XV. ubi ſubſcripſit *Muſarius Primiclerus*; nec non *in Hiſtoria* Wambæ Regis, *p.* 832. ubi quidam *Gultricianas Primiclerus* memoratur, Garſiæ Loaiſæ corruptè eſt, pro *Primicerius*. Aliis munus eſt Eccleſiaſticum, quô primus & præcipuus inter Clericos, qui nempe univerſæ Clericorum familiæ præerat, functus ſit. Uti enim Diaconis Archidiaconus, Presbyteris Archipresbyter antiſtabat, ita Clero *Primiclerus*, cujus arbitriô oblationes Clericis pro ratione virtutis & officii diſtribuebantur. Vide Fileſacum, *l. de Parœciis*, *c.* 4.

PRIMIGENIÆ, Virgines majores inter Veſtales, quæ ſeptem erant, apud Baronium, *A. C.* 384. *num.* 2.

PRIMIPILARIUS, apud Spartian. *in Peſcennio Nigro*, *c.* 2. *Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Julianus miſerat, ſtultè ad eum qui haberet exercitus & ſe tueri poſſet: perinde quaſi quilibet Imperator à primipilario poſſet occidi.* Vide ſuprà *Pilum* & infrà in *Primopilus*.

PRIMIS, vel PRIMMIS Plinio, *l.* 6. *c.* 29. *Premnis Straboni* urbs Æthiopiæ ſub Ægypto apud Meroën inſulam gemina, magna & parva. *Ptol.* Illa, nunc *Fremona*, in Abiſſinia. *Iſ. Voſſ.*

PRIMISCRINIARIUS, apud Anonymum Vaticanum *de electione Paſchalis* II. laudatum Baronio *ad* A. C. 1100. idem cum *Protoſcriniario*, apud Reginonem *in Chronico*, inter officia nempe aulæ Romanæ, de quo infrà in *Scriba Regionarius*; ſed & in voce *Protonotarius*. Ita enim hodie in illa Eccleſia appellari, docet Dominic. Macer *in Hierolex.* qui etiam *Primiſcrinios* tales olim dictos fuiſſe ait. In Aula Conſtantinopolitana quinam *Primiſcrinii* appellati ſint, ſuprà diximus, in voce *Primi*. Carolo du Freſne, *Primiſcrinius*, qui primum locum obtinebat in Scriniis publicis, ſeu inter Scriniarios, dictus eſt. Varios *Primiſcrinios Beneficiorum*, *Candidatorum*, *Canonum*, *Largitionum privatarum*, *ſecuritatum*, memorat Macer, *d. l.*

PRIMISLAUS I. Dux Bohemiæ, poſt Crocum, Patrem filiarum trium, Belæ, Techæ & Libuſſæ: quæ ultima regno admota An. ætat. 25. poſtquam præfuiſſet cum laude ann. 13. Primiſlao, qui ruſticanus homo fuerat, mirâ Dei providentiâ, nupſit. Hic itaque jam Rex, egregias ſanxit leges, regnavitque per ann. 44. Obiit A. C. 676. ætat. 90. filiô Nezamiſlô ſucceſſore relictô.

PRIMISLAUS II. fil. Ladiſlai III. dictus eſt *Victorioſus* & *Totus aureus*. Permiſſu Philippi Imperatoris A. C. 1199. aureâ coronâ cinctus, hôc mortuô Ottoni IV. fideliter ſerviit: unde *Ottocarus* dictus. Obiit A. C. 1231.

PRIMISLAUS III. ſeu Ottocarus II. ſucceſſit Venceſlao, fil. prioris, A. C. 1253. Hoſpitalitate & fortitudine inclytus, Carinthiam, Stiriam: Carniolam &c. occupavit. Quas reddere coactus à Rodolpho I. Imperatore qui illas filio Alberto, capiti Auſtriacæ familiæ, conciliavit, importunis Uxoris hortatibus, fœdere ruptô, arma ſumſit, ſed in prælio occiſus eſt, A. C. 1278. regni 25. Æn. Sylv. *Hiſt. Bohem. &c.* Vide & *Premiſlaus*.

PRIMITIÆ frugum aliarumque rerum, eô fine Deo offerri conſuevêre, ut in iis reliquæ omnes ſanctificarentur. Sic *Primitiæ* arborum offerri juſſæ ſunt Levit. *c.* 19. *v.* 23. 24. quod hôc ordine fiebat: Tribus primis, à quo plantatæ erant, annis, *præputiatæ cenſebantur*, adeoque nec edere, nec vendere, nec ullâ ratione fructibus earum frui licebat: *Annô verò quartô omnis fructus earum, ſancta res* erat *laudationum Jehovæ*. Nempe vel dabantur Sacerdotibus, Numer. *c.* 18. *v.* 12. 13. vel comedebantur coram Jehova, ſicut decimæ ſecundæ ſolebant, vide Talmud Bab. *in Magnas herſcheni c.* 1. Annô demum quintô iis veſci quilibet poterat: Et hæc propriè πρωτογεννήματα dicuntur Scriptoribus. Sic cujuſcunque annui reditus primitiæ, propriè Ἀπαρχαὶ dictæ, ſimiliter offerebantur. Et primò quidem *manipulus frugum*, Levit. *c.* 23. *v.* 10. ſub initium meſſis, die 15. menſis *Niſan*: Dein *panes agitationis duo*, *v.* 17. ſub finem ejus, die Pentecoſtes: reperiunturque ambæ hæ *Primitiæ* appellatæ תנופות *Thenuphoth*, *ibid.* Offerebant porrò *Primitias* cujuſque maſſæ, Numer. *c.* 15. *v.* 20. nimirum vigeſimam quartam ejus partem, quam Sacerdotibus exhibebant; quò reſpiciens Apoſtolus ait, *Quòd ſi primitiæ ſanctæ, etiam maſſa*, Rom. *c.* 11. *v.* 16. Ex *area* etiam *oblationem* facere tenebantur, *loco* Num. *cit.* quæ duæ poſteriores dictæ leguntur תרומות *Therumoth*; & à prioribus in eo differebant, quòd *Therumoth* hæ offerebantur, per modum *elevationis*, ad indigitandum, Deum eſſe cœli æquè ac terræ dominum. *Thenuphoth* verò, per modum *agitationis*, ab Ortu in Occaſum, à Meridie in Septentrionem, ut ſignificaretur, totius mundi Dominum eſſe Jehovam. Interim licèt quatuor ſic eſſent *Primitiarum* genera, communiter tamen ultimum ſolùm *Primitiarum* nomine ab Auctoribus tractari deprehendimus. Diſtinguebant autem has Rabbini in duas ſpecies; quarum una בכורים *Biccurim* Talmudicis, *Primitias* continebat *tritici*, *hordei*, *vitis*, *ficus*, *malogranati*, *oleæ* & *mellis*: Altera, תרומה *Theruma*, complectebatur *Primitias frumenti*. *muſti*, *olei & velleris ovium*, Deuter. *c.* 8. *v.* 8. & *c.* 18. *v.* 4. Vide quoque Numer. *c.* 18. *v.* 12. Et quidem, quoties iis de *Primitiis* ſermo, faciunt illud nomine *Biccurim*, dicuntque has eſſe primitias illas, quas toties juſſus fuerit Populus afferre in Sanctuarium: De his verò intelligendum eſt illud, Rabbinorum, *Quidquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium eſt primitiis Therumæ & decimis.* Græci hoc poſterius oblationis genus ἀφωρισμὸν i. e. *Separationem* appellant: quò alludens Paulus ſe vocat ἀφωρισμένον εἰς Εὐαγγέλιον Rom. *c.* 1. *v.* 1. Vide quoque Actor. *c.* 13. *v.* 2. Utrobique ad minimum decimam ſextam totius partem *Primitiarum* locô offerri debuiſſe, colligitur ex Ezech. *c.* 45. *v.* 13. Qui verò decimam quartam partem offerebant, quæ maxima in hoc genere oblatio erat, vocabatur *Theruma gnajin jopha*, *Oblatio oculi boni*: Cœterorum, qui decimam quintam conſecrabant, *Theruma benenith*, i. e. *Oblatio mediana*, dicebatur: Sicut qui præciſè decimam ſextam ſolvebant, appellabatur *Theruma gnajin ragna*, i. e. *oblatio oculi mali*. Unde Seniorum traditione inter decimam ſextam & decimam quartam partem definitæ *Primitiæ* ſunt: ſed Phariſæi, ut reliquis ſanctiores viderentur, inter decimam quintam & decimam tertiam, illarum modum ſtatuerunt; ſic ut apud eos ſordidus haberetur, qui priorem. liberalis demum, qui poſteriorem ſolviſſet. Vide Epiphanium contra *Phariſæos*, *p.* 11. Quò autem ritu *Primitiæ*, dictæ *Biccurim*, offerri conſueverint, prolixè explicatur, Deuter. *c.* 26. *v.* 2. *ſ.* qui cùm Prophetarum tempore paulum immutatus videatur, eum ex Majemonide *in Biccurim c.* 4. *ſect.* 16. ſubjungam. Ita enim is, *Quoties Primitiæ colligebantur, ſingula oppida alicujus regionis conveniebant ad urbem præcipuam, ut iter ſimul ingrederentur; dictum enim* Proverb. *c.* 14. *v.* 28. *in multitudine populi eſt decor Regis. Pernoctabant autem & diverſabantur, in vicis civitatum, non in ædibus, pollutionis metu, poſtridieque perrecturis dicebat Dux agminis, Surgite, eamus Sionem, aſcendamus in Civitate Jehovæ Dei noſtri. Agebant verò ante ſe bovem cornibus inauratis & ſertô oleaginô inſignem, quô ſeptem præfatorum fructuum Primitiæ indigitabantur. Similiter Tibicen præcedebat, donec Hieroſolymam perveniretur lætique incantabant*, ex *Pſalmo* 122. *v.* 1. *Lætor de eo, quod dicitur mihi, domum Jehovæ adeamus.* Quò fortè reſpiciens Eſaia, *c.* 30. *v.* 29. *Illud canticum*, inquit, *futurum eſt vobis, ut noctis, quâ ſanctificatur Feſtum: & lætitia animi qualis eſt euntis cum tibia, ut veniat in montem Jehovæ, ad rupem Iſraëlis.* Sed hominum inprimis Primitiæ, nempe *Primogeniti*, ut & animantium, ſacræ erant Jehovæ, eò quòd, cùm primogenitum omne in Ægypto Deus percuſſerat, ſolis Iſraëlitis eorumque primogenitis pepercisset, Exod. *c.* 13. *v.* 2. At *primogenitum hominis*, & *primogenitum jumenti immundi* redimebatur, *à nato uno menſe, ſecundùm æſtimationem eorum, argenti quinque ſiclis, prout ſiclus ſanctuarii*, Numer. *c.* 18. *v.* 16. quæ pecunia Sacerdotibus dabatur. quò videtur reſpicere Petrus 1. *Ep. c.* 1. *v.* 18. cùm ait: *Non corruptibilibus* rebus *argentô vel aurô ſumus redemti*, &c. Primogenitum verò bovis, aut ovis, aut capræ, redimi non poterant: ſed oportebat *ſanguinem eorum ſpargi ſuper altare, & adipem illorum adoleri, in odorem gratum Jehovæ*, Numer. *c. cit. v.* 17. caro verò Sacerdotibus cedebat, &c. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 6. *c.* 2. Andr. Rivetum, *Comm. in Exodum*, Alios. Neque ſacri hujus ritus nulla umbra ad Ethnicos ſparſa eſt. Unde Ægyptii olim ſolebant, meſſis tempore, τὰς πρώτας ἀμηθέντας στάχυς, *primitiis ſpicarum oblatis*, plangere juxta manipulos, & Iſidem invocare: In quibuſdam etiam urbibus, τοῖς Ἰσείοις, *feſto Iſidis*, in pompa tritici & hordei vaſcula circumferre, apud Diodor. Sic. *l.* 1. Sic vetere Triptolemi inſtitutô, ἀπαρχαῖς καρπῶν, i. e. *Primitiis frugum*, venerabantur Deos Athenienſes, quæ lex θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, *Lex antiquiſſima æternaque auctoritatis in Attica*, dicta eſt. Sam. Petitus *Comm. in Leges Atticas l.* 1. *tit.* 1. Hyperborei etiam *per Virgines probatiſſimas Primitias frugum Apollini Delio miſſitare conſuevêre*, teſte C. Jul. Solinô, *c.* 21. Vide quoque ſuprà *Præmetium*. Jano itidem *Primitias* omnium ſacrorum fuiſſe oblatas à Romanis, Thom. Dempſter. docet *Paralipom. in Roſinum*, *l.* 2. *c.* 2. Sed & Lares τῶν προφορημάτων, *primitiarum*, oblatione cultos ait Horatius, *Serm. l.* 2. *Sat.* 5. *v.* 12.

—— —— dulcia poma
Et, quoſcunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives.

Hinc Tibullus ſpicis & uvâ, *l.* 1. *El.* 10. *v. extr.* Juvenalis floribus, violâ inprimis, *Sat.* 10. *v.* 89. 90. &c. Larem coronant. Nec omittendum, quòd veteres Romanos *ne deguſtâſſe quidem novas fruges aut vina, antequam Sacerdotes* primitias *libâſſent*, ſcribit Plin. *l.* 18. *c.* 2. ut de aliis gentibus in præſens taceam. Vide quoque ſuprà in voce *Ciricſetum*, it. *Præmetia*: uti de mercium *primitiis*, Diis itidem à Mercatoribus offerri ſolitis, ſuprà voce *Polluctum*; & de pomorum *primitiis* aliquid, voce *Poma*.

PRI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PRIMIVIRGIUS, nomen officii in Aula Conſtantinopolitana, i.e. Lictorum, ſeu potiùs Prætorianorum, qui *Bardariotæ* dicti, Præfectus, quorum erat Imperatore equitante virgâ, quam manibus ferebant, obviam turbam ſummovere. Vide Codin. *de Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ.* Græcè Πρωτοραϐδοῦχος.

PRIMODÆUS Petrus, vide ibi.

PRIMOGENITURÆ magna ſemper veneratio; à qua *Fortuna Natalis Primigenia*, cujus memoriam Marmora ſervant non pauca: Gruterus *Inſcript. p.* 76. *Fortunæ. Jovis. Pueri. Primigeniæ.* Et *p.* 1006. *Jovi. O. M. & Fortunæ. Primigen. V. S. A. L. L. Primigenius. cum. filio. Torquato. d. d.* &c. Proin è ſolis fœmellis nunquam expoſitæ *primitivæ*: Hinc de gemellorom *Primogenitura* litigârunt jam olim Juriſconſulti, maſculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hiſpaniam veteres Gothi invexêre primi. Proprium verò hoc Hebræis jus, quibus ex officio incumbebat & Deo tam perfectos fœtus primos, quàm imperfectos, ad ſacrum Miniſterium offerre & oblatos deinde jumentis ſicliſque quinis redimere: quorum illud deſiit, quum ad Levitas ſacrorum jus devolveretur, iſtud in Ægyptiacæ ſervitutis memoriam ſervatum eſt: Verba ſunt Thomæ Bartholini *tract. de Puerperio Veterum.* Et quidem de *oblatione Primogenitorum* divinô juſſu fieri ſolitâ diximus ſuprà, ubi de *Primitiis*: Privilegia illorum tria præcipuè fuêre, 1. Dominium in fratres, quò reſpicitur. Geneſ. *c.* 4. *v.* 7. *Erga te eſt appetitus illius, & tu praes illi.* 2. Portio dupla bonorum paternorum. Deuter. *c.* 21. *v.* 17. 3. Jus ſacrorum, poſt patris obitum; quod obtinebat, antequam Aaronidæ ad Sacerdotium veherentur, Numer. *c.* 18. *v.* 16. *& ſeqq.* Quæ omnia cùm unico edulio vendidiſſet Eſau, *Primogenitus* Iſaaci, meritò *profanus* dicitur, Hebræor. *c.* 12. *v.* 16. *De jure Primogenituræ* apud alias Gentes, maximè verò *in ſucceſſionibus Regnorum ac Principatuum*, conſule *rerum Civil.* Scriptores. Addo ſaltem, etiam apud Romanos, majores natu filios domeſticis ſacris præponi conſueviſſe, ex Val. Maximo, *l.* 2. *c.* 7. *ex* 6. *Tu namque Poſthumi dictator, A. Poſthumium, quem ad generis penetraliumque ſacrorum ſucceſſionem propagandum genueras* —— *ſecuri percuti juſſiſti* &c. De uſu vocis πρεσγυνεσία, apud Scriptores Eccleſ. vide ſuprà voce *Pittacium.*

PRIMOPILUS, vel PRIMIPILUS, ſeu PRIMI PILI CENTURIO, vocabatur apud Romanos primus Triariorum Centurio. Hic Triariorum manipulo in prima cohorte præerat atque reliquos omnes Centuriones dignitate ſuperans, conſilii particeps fiebat; dictus à *Pilo*, teli genere Romanis uſitato, quod Triariis nonnulli proprium fuiſſe ajunt: unde horum prima centuria *Primum pilum*, eique qui præerat, *Primo pilus* illis vocitatus, quemadmodum ſecunda centuria *Secundum pilum*, ejuſque Centurio *Secundipilus* &c. dictus eſt. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 7. Aquilam ejus curæ fuiſſe concreditam, unde Aquila non raro pro *Primopilatu*, docet Lipſius *de Milit. Rom. l.* 2. *dial.* 1. Vide quoque Sigonium *de antiquo jure provinciar. l.* 2. *c.* 2. & Ald. Manutium *de Quæſitis per Epiſt. l.* 3. *Ep.* 3. Commoda illorum varia fuêre, inter quæ non minima, quæ ex militum teſtamentis conſequebantur. Fere enim milites, qui in caſtris teſtamenta condebant, amicis commilitonibus, præſertim autem *Primipilaribus*, ſua relinquebant, Quintilian. *l.* 6. *c. de Riſu.* Unde horum inprimis hæreditates expetitæ, uti docet Caſaubonus *ad Sueton. in Caligula, c.* 31. *Teſtamenta primipilarium, qui* —— *ſe heredem non reliquiſſent, ut ingrata reſcidit* &c. De titulo eorum honorario, vide ſuprà voce Egregiatus.

PRIMUS, apud *Suidam*, Πρίμος καὶ Κερεάλιος εἰς τὴν Ρ'ωμαίων εἰσϐαλον, πρῶτον μὲν εἰς λάρνακας μετὰ τῶν νεκρῶν δι' ἀγγέλων τινῶν καὶ εἰς ἀῤῥίχους ὀπώρας ἐχούσας ἢ καλάμους ὀρνιθευτῶν τὰ γράμματα ἐμϐαλόντες, *Primus & Cerealius in Romanorum ditionem irruperunt. Et primùm quidem, arcis, quibus mortui efferebantur, inferendo, aut cum fiſcinis fructuum miſſitando, aut inter calamos aucupatorios occultando, epiſtolas invicem communicârunt.* E quo Suidæ loco, quidam aſtruentes, *Primum* quendam Cerealium inſtituiſſe apud Romanos, ut cadavera arcis conderentur, cùm anteà comburi moris eſſet, meritò ridentur à Salmaſio *ad Solin. p.* 1205.

PRIMUS, in Fragmentis *LL.* ſuperſtitibus, apud Frontin. *de Aquaduct. l.* 2. *Tribus Sergia principium fuit: Pro tribu Sext.... L. F. Varro* primus *ſcivit.* Item, *C. Antonius, M. F. Cn. Cornelius.... F. C. Fundanius, C. F. TRR. pl. deſſ. plebem. jure. rogarunt. plebeſque. jure. ſcivit. Pro. tribu....* primus *ſcivit* &c. is eſt, qui in prærogativa centuria primus ſuffragium tulit. Quæ enim prærogativa inter cœteras auctoritas erat, eadem pene apud ipſas prærogativas fuit eorum, qui in illis ſciviſſent primi. Itaque honori quoque id illis ducebatur, atque, ut Senatus conſultis qui ſcribendo affuiſſent, ita Legibus & Plebiſcitis qui *primi ſciviſſent*, eorum tanquam auctorum nomina præ cœteris præſcribebantur. Unde Cic. *Orat. pro Domo*, à Clodio in æs nomen Sedulii inciſum, ut qui *primus* ſciviſſet, teſtatur; cui tales proin *principes ordinis* dicti ſunt, *pro Plancio* &c. Quam in rem vide plura apud J. Frid. Gronov. *Obſervat l.* 4. *c.* 1. & hic paſſim.

PRIMUS, Vide ſuprâ *Primas*, & infra *Princeps.*

PRIMUS, Epiſcopus, Alexandrinus A. C. 10.

PRIMUS Antonius, vide *Antonius.*

PRIMUS Blachernarum, Πρῶτος Βλαχερνῶν, apud Conſtantinopolitanos, officium olim Eccleſiaſticum fuit, de quo vide Jul. Cæſ. Bulenger. *de Imp. Rom. l.* 8. *c.* 100. Fuit autem templum Blachernarum, extra urbem, verſus mare, ut ſuprà diximus. vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl.* §. 342. ubi, de Balſamone agens, voce hâc *Præpoſitum* indigitari notat.

PRIMUS Navium, apud Luithprandum *l.* 3. *c.* 6. Romanus Lecapenus fuiſſe dicitur, qui *Drungarius* Græcis, vide *ibi.*

PRIMUS Palatii, dignitas, quâ Hermenigildum donatum fuiſſe, circa A.C. 979. in Aula Ranimiri Regis Legionenſis, docet Anton. Yepezius in *Chron. Ord. S. Benedicti Tom. V. p.* 428. & 438. apud Car. du Freſne.

PRIMUS Patriciorum vide ſupra *Patricius.*

PRINASSUS, urbs Cariæ, *Steph.*

PRINCEPS, non ſolum apud veteres Latinos Patres, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, ſed & apud priores illis Latinitatis Auctores, idem quod *Primus*; aut, ſicut eſt in Codice, *Primicerius.* Sic apud M. Tullium *Princeps Senatus* aut *Princeps Civitatis*; & *Princeps actor*, ὁ πρωταγωνιστής: Auguſtinus quoque, quando Petrum *Principem* vocat, explicans ſe, *fuiſſe eum*, ait, *in ordine Apoſtolorum primum, Serm.* 13. *de verbis Dom.* & *in Joh. tract.* 124. A quo verò Auguſtus, arte ſingulari uſus, Remp. occupavit, *Principis nomine*, ut ait Tacitus, *l.* 1. *Annal. c.* 1. cœpit hæc vox duplici notione uſurpari, & modo τὸν πρῶτον, modò τὸν ἄρχοντα deſignare. Fuit autem in eo Auguſti Sophiſma, quòd ſub veteri nomine (erat enim in Republica, qui dicebatur *Princeps Senatus*, ut monitum) Imperium novum ſibi aſſeruit, unde homonymia orta. Nam etiam apud Tacitum & poſterioris Latinitatis Scriptores, ut de Auguſtino vidimus, *Princeps* pro *primo* in crebro uſu eſt; ut cùm ait Tacitus, *Annal. l.* 1. *c.* 9. *Idem dies accepti quondam Imperii* princeps *& vitæ ſupremus.* Sic in Eccleſiis Africanis, qui Græcis dicebatur Α'ρχιερεὺς (eſt autem Epiſcopus) vocabatur *Princeps* Sacerdotum: & Optato Scriptori Africano quidam Epiſcopi dicuntur Κορυφαῖοι καὶ ἔξαρχοι τῶν ἄλλων, *Apices & Principes aliorum*: quod quia propter uſum ancipitem vocis intelligi poterat, vel περὶ ἄρχοντος Sacerdotum, vel de primo inter illos dignitate aut merito, imò quia jam ætate Auguſtini ad fovendam ambitionem vel ſuam, vel alienam, appellationem eam quidam trahebant & ſuperbius aliquid ac τυφωδέστερον ea vox ſignificabat; in Concilio Carthaginenſi illo, quô typhus titulorum eſt coërcitus, etiam iſte *Princeps Sacerdotum* damnatus eſt. Vide Iſaac. Caſaubon. *Exercitat.* 15. *in Baronium ſect.* 14. & Suicerum voce Ε'ξαρχος. Facit ad genuinum ſignificatum vocis, quòd Romani *Principem* Equeſtris ordinis illum, quem Cenſores primô locô ſcripſêre in Equitum tabulis, ſive Catalogo: *Principem* Senatus eum, qui in lectione Senatus ab iiſdem, peractô cenſu, primô locô recitabatur, nominavêre, qui honor ferè nemini niſi Conſulari & Cenſorio tribuebatur: retinebatque talis locum illum apud alios quoque Cenſores, nec niſi eô mortuô alius hôc titulô veniebat. Iidem *Principem Juventutis* dicebant eum, qui ex numero filiorum primi nominis Senatorum, præſidebat Ludis Trojanis, qui in Circo à pueris majoribus minoribuſque turmatim congredientibus, celebrabantur. Qua de re vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 25. & *alibi.* Poſteà tamen *Princeps* Juventutis, idem fuit, qui *Cæſar* vel *Nobiliſſimus*, indubitatus nempe Imperii hæres & ſucceſſor deſignatus, eôdem Auguſtô; de quo ſuprà, Auctore, vide Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 3. ubi eum, genitos Agrippâ Cajum ac Lucium *in familiam Cæſarum induxiſſe; nec dum poſitâ puerili prætextâ*, Principes Juventutis *appellari cupiviſſe*, memorat. Quod inſtitutum reliqui dein Imperatores retinuerunt, qui, Auguſtum imitati, quem vellent Succeſſorem habere, adoptârunt, *Principemque Juventutis* nuncupârunt, ac variis honoribus, Conſulatibus, Pontificatu, Tribunitiâ etiam poteſtate ac aliis ornârunt. Sic Nero *Princeps Juventutis* à Claudio dictus: & extant in Hub. Goltzii *Auguſto* numiſmata aliquot cum his Inſcript. *C. L. Cæſares Auguſti. f. Coſſ. deſign. Princ. Juvent.* Item, *C. Cæſar. Auguſti. f. Pont. Coſſ. deſ. Princ. Juvent.* Item, *C. Cæſar. Auguſti. f. Augur. Coſſ. deſ. Princ. Juvent.* &c. ut taceam lapides, quos idem Goltzius & Onuphr. Panvinius, hujus rei teſtes vocant. Poſtquàm verò à Cæſarum familia ad alios Imperium eſſet tranſlatum, deſtinati Succeſſores, non *Principes* ampliùs *Juventutis*, ſed *Cæſares* appellabantur, novô prorſus more, quô factum eſt, ut poſterioribus temporibus hæc appellatio non familiæ ampliùs, ſed dignitatis eſſet. Vide Æl. Spartian. *in Ælio Vero, c.* 2. & Oroſium, *l.* 7. *c.* 25. Retinueruntque hoc nomen etiam tum, cùm ad Imperatoriæ Majeſtatis faſtigium pervenerunt. Donec tandem *Cæſares Nobiliſſimi* vocitari cœperunt, ut ex *Faſtis* Onuphrii Panvinii & imaginibus Imperatorum quas ex antiquis numiſmatibus Jac. de Strada illis Faſtis adjecit, videre eſt. Ita ergo *Principes* tum *Juventutis*, dein *Cæſarei*, tandem *Cæſares Nobiliſſimi*, olim iidem fuêre, qui hodie in Imperio Romano-Germanico *Reges Romanorum*: in Gallia *Delphini*: in M. Britannia *Principes Walliæ*: in Hiſpania *Infantes* &c. dici ſolent: Roſin. *l.* 7. *c.* 13. Addam, inter ſpecies Juris civilis ſcripti, quas Juſtinianus recenſet, *l.* 1. *tit.* 2. *Principum placita*, numerari, quæ nihil aliud ſunt, quàm id, quod Imperator per Epiſtolam conſtituit, vel cognoſcens decrevit, vel edictô præcepit; quæ etiam Leges ſunt Legiſque vigorem habent: Cùm Populus Lege Regiâ, quæ de ejus Imperio fertur, ei & in eum omne Imperium ſuum & poteſtatem conceſſerit. Idem Roſin. *l.* 8. *c.* 1.

PRINCEPS, nomen Tibicinis, apud Phædrum, *l.* 5. *Fab.* 8. *v.* 5. laudatum Salmaſio *ad Solin. p.* 1264.

Princeps tibicen notior paulo fuit.

PRINCEPS Archus, ſeu *Arechis*, primus Beneventi *Principem* ſe dixit: cùm eatenus Duces vocarentur. Leo Mars *p.* 466. & inungi ſe fecit, ibid. Vladiſlaus quoque Hermannus, regiô nomine abſtinuit, & *Princeps* Poloniæ dici voluit, quod obtinuit uſque ad Primiſlaum, qui A. C. 1295. regium titulum iterum ſumſit. Uti verò è *Principatu* hoc Beneventano duo alii, *Principatus Salernitanus* & *Capuanus*, emerſerint, ad Tancredi tandem Normanni familiam, & Reges Siculos, devoluti: quomodo porrò Rogerius Rex Tancredum filium *Principatu Barenſi* donaverit, & Simonem filium nothum *Principem Tarentinum* teſtamentô renuntiaverit, ſed reſcindente paterna juſſa filiô Guilielmô Rege diximus ſuprà, voce inprimis *Capua.* Repeto ſaltem de Guilielmo, quòd *Ducatus Apuliæ, Tarentique & Capuæ Principatum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

patum legitimis tantùm filiis debere concedi: ad Comitatus autem aliaſque Regni dignitates non indignum eſſe liberos naturales etiam admitti, dixiſſe legitur, apud Scriptorem harum rerum eximium, Falcandum, *p.* 659. E quibus ſane colligitur *Principis* titulum (de quo Moſchopulus; πρίγκιψ, ἀξιώματος ὄνομα) Comitivam longè dignitate anteceſſiſſe. Unde appoſite hanc in rem Georg. Hornius, *Orb. Polit. l.* 1. *c.* 1. *Princeps*, ait, *propriè dicitur, qui ſub ſe plures habet Comites.* Ita ergo ex Italia, in cœtera Regna, *Principis* titulus profluxit. Et quidem in Regno Hieroſolymitano, hinc orti *Antiochiæ*; *Galilææ* ſeu *Tiberiadis*; & *Philippenſium Principes*. Inde tranſiit *Principis* dignitas in Imperium Conſtantinopolitanum, ſub Imperatorib. Francis, ubi *Princeps Achajæ* & *Moreæ* occurrit, auctore Principatus Guil. de Champlita. Unde fortean fluxit, ut complures dignitate licèt & natalibus longè inferiores Proceres eundem titulum ſibi arrogarent, vel certè ipſis ab Autoribus aſcriberetur, quemadmodum & Comites caſtri ſolùm alicujus vel oppidi non raró *Principes* dicuntur. Vide *Chartam* Caroli Calvi apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Anſelmum, *l.* 3. *Ep.* 8. *alibi.* In Gallia, Belgio & Germania, primos *Principatus* ad tempora Carolingorum Franciæ Regum, Hornius refert *Orb. Imp. p.* 222. *cum Notis L. Joach. Felleri.* Sed voce hâc latiùs utitur: Idem verò Car. du Freſne primum *Principatum* in Francia *Chaleſium* agnoſcit in agro Inculismenſi, erectum aut ſaltem memoratum demum, circa A. C. 1478. A quo complures inſtituti atque in iis *Jovis villæ* A. C. 1552. *Porceani* A. C. 1561. *Guemenaji* A. C. 1570. *Luci* in Pictonibus; *Soyonis*, in Vivarienſi agro; *Rupis* ad Yonem; *Liſteneſii*, *Fucardi montis*, *Chaluſii*, *Ambliſiæ*, *Chabaneſii*, *Carencii* &c. In Belgio autem Principatus *Chimacenſis* erectus eſt, A. C. 1486. *Spinetenſis* A. C. 1541. *Gaverenſis* A. C. 1533. *Lignenſis* A. C. 1602. *Barbançonenſis* A. C. 1614. &c. De Germaniæ *Principibus* dicetur infrà. Idem porrò nomen dignitatis in Anglia, jam ab antiquo in uſu fuit. In *Charta* enim Offæ Regis ſubſcribunt, *Brordanus Patricius*, *Binnanus Princeps*; deinde *Duces*, in *Additam, ad Matth. Paris p.* 155. Sic in *Charta* Knutonis Regis ante Ducem, ſubſcribunt Aldennus *Princeps Regis*, in Conciliis Anglic. &c. Vide Sim. Dunelmenſem A. C. 778. Similiter apud Hiſpanos dignitatis hoc nomen, ſed Comitivâ minoris, fuiſſe, patet ex *Diviſione* Exonienſis & Auxenſis Epiſcopatuum A. C. 1058. ſub Aldefonſo Imperatore & Hiſpaniarum Rege quæ poſt Concilium Bracarenſe I. ubi ſubſcripſêre primùm Epiſcopi & Abbates, deinde Comites, demum *Principes*. In Anglia, hodie *Principis* titulum nemo habet, niſi primogenitus Regis, qui *Principes Walliæ* dicuntur, à quo ditio hæc, cui olim *Principes* præfuerunt, in provinciam eſt redacta. Apud Scotos, primogenitum Regem *Principem Scotiæ*, reliquos verò ejus filios, *Principes* abſolutè dici conſueviſſe, refert *Camdenus*. In Luſitania, titulum *Principis* primus aſſumſit Alphonſus, poſtmodum ejus nominis Rex V. Regis Eduardi primogenitus, cùm antea Regum primogeniti *Infantes* appellarentur. Capellanorum Regum primogeniti *Aſturiarum Principes* dicti ſunt, ut colligere eſt ex Scriptoribus Hiſpanis, quemadmodum Aragonenſium, *Gironæ* &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi etiam de *Principe Eccleſiæ*, dignitate Eccleſiaſtica, apud eos qui Latinos Ritus ſequuntur, ex *Ord. Rom. Cùm autem omnia uſque ad Euangelia impleta fuerint, accedat* Princeps Eccleſiæ *ad Epiſcopum, pyxidem in qua thus habetur manu ferens, ſequente acolythô, qui thuribulum portat & quæ ſequuntur.*

PRINCEPS Caſtrorum, in *veter. Inſcr.* 1101. 5. *Id.*

PRINCEPS Civitatis, vide infrà *Principales*.

PRINCEPS Coquorum, apud Herimannum *de Reſtaur. Monaſterii S. Martini Tornac. c.* 94. ubi de Fulchero Epiſcopo Noviomenſi. Aliàs *Magnus Coquus*, dignitas fuit in Palatiis Principum, cui coquina curæ. Ei qui ſuberant Officiales in Aula Gallica, ſic recenſentur in veteri *Computo*, *Queus*, *Aideurs*, *Aſteurs*, *Paiges*, *Souffleurs*, *Enfans*, *Sauſſiers devers le Roy*, *Sommiers*, *Coullier*, *Huiſſiers*. In alio, *Eſcujers*, *un Maignen*, *Clerc ſauſſieur*, *Clerc de cuiſine*, apud Car. du Freſne, qui etiam ſeriem exhibet illorum in Aula præfata, & ſuppreſſam poſtmodum hanc dignitatem, ex Tillio obſervat, voce *Coquus*, quam etiam, ſi placet, ſuprà vide, & infrà *Sufflator*. Addam ſaltem, etiam Campaniæ Comites *Magnos Coquos* hæreditarios habuiſſe, ex eodem. Imò non ſolùm *Principem Coquorum*, ſed & *Principem Coquum* Orthagoram habes, qui Sicyoniæ Dominatus eſt, apud Freinshemium *ad Curtium l.* 9. *c.* 2.

PRINCEPS Eccleſiæ, vide ſuprà *Acerna*, *Eccleſiarcha*, *Præfectus*.

PRINCEPS & *Dux* Francorum, titulus quô poſtremi ex Majoribus Domûs Regum Franciæ uſi leguntur; Karlomannus, *in Præfat. Concilii Leptin.* Pipinus *in Præfat. Concilii Sueſſion.* Carolus Martellus *in lib. Epiſtolar.* Bonifacii Archiepiſc. Moguntin. Hodie verò *Principes*, in Francia, triplicis generis ſunt; Ac primò quidem ita appellantur, qui ex Domo ſunt Regia, & vulgò *Principes Sanguinis*, Gall. *Princes du Sang* dicuntur. Dein, qui orti ex Principum extraneorum familia, in Aula Regum illorum militant & in Francia ſedes fixêre, quorum etiam poſteri eandem dignitatem retinent. Denique, qui Feuda poſſident, cum titulo *Principatus*, de quibus ſuprà actum, uti habet Sanjulianus *de Orig. Burgundionum*, *c.* 53. *extremo.* Quibus quartum addit Bodinus *de Rep. l.* 1. *c.* 6. *p.* 69. & Marca *Hiſtor. Beneharn. l.* 1. *c.* 8. *num.* 6. qui feuda majora vel etiam oppida poſſident, in Regni confiniis, de quorum ſupremo dominio ac ſuperioritate Principes ac Reges non convenêre invicem in pactis ac fœderibus atque adeò *ſuperſeſſum eſt*, donec de rei veritate conſtaret. At cùm publicæ iſtæ vix dirimantur lites, factum eſt, ut flagrantibus potiſſimùm bellis eorum poſſeſſores oppida ſua munierint, & cùm neutri Principum parerent, horum ſe *ſupremos Principes* indigitaverint: quod de Byzantio, inter Lacedæmoniorum Athenienſiumque varias vices fluctuante, annotat Juſtin. *l.* 9. *c.* 1. Interim Principes Sanguinis, titulum *Principis* aliis in Franciaquàm ſibi ſolis deferri, ægrè ferunt. Unde nota vox Franciſci Borbonii San. Paulani Comitis, qui cùm Guiſium Ducem ſeipſum *Principem* appellantem indignabundus cerneret, ad adſtantes ſubridens dixit, *Guiſium Gallicâ linguâ Germanicè loqui*, uti Thuanus narrat *Hiſtor. l.* 25. apud Eund. In Germania enim, uti docet Albericus *in Chron. MS. ann.* 1234. *omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, quidam excellentiores nigri Abbates & omnes Duces & quidam Marchiones & Landgravius Thuringiæ, & Palatinus Comes de Rheno, omnes iſti vocantur Principes.* Imò, ut habetur *in Jure Feudali Saxonum, quicunque habet Feudi vexillum*, Princeps *dicitur & habetur.* Vide Gerl. Buxtorfium *in Auream Bullam*, *c.* 68.

PRINCEPS Furum, apud Ægyptios ôlim, vide ſuprà *Furtum*.

PRINCEPS Imperii, qui ad alteram Statuum Imperii Claſſem pertinet, dicitur. Cùm enim Status Imperii in tres Claſſes dividantur, prima Electorum, tertia Civitatum Liberarum, media *Principum* eſt: quorum ſinguli habent ſuperioritatem in ſuo territorio, unde vulgò, *Princeps in ſuo territorio idem poteſt, quod Imperator in Imperio*, Carpzovius, *de Leg. Reg. Germ. c.* 1. *Sect.* 13. & Maximilianus hinc I. *Regem Regum* ſe eſſe dixit. Iidem poſſunt mittere Legatos; habent Confraternitates, i. e. pacta de futura ſucceſſione: quale fuit inter Brandeburgicos & Pomeranos; Palatinos & Bavaros; Saxones, Lunæburgios & Haſſos. Porrò fœdera inter ſe inire poſſunt; defenſiva etiam contra ipſum Imperatorem inita. Cujuſmodi fuerunt, 1. Fœdus Suevicum, dictum *Societas Clypei S. Georgii.* 2. Fœdus Civitatum & Epiſcoporum, contra Marchionem Brandenburgicum Albertum. 3. Fœdus Smalcaldicum, contra Carolum V. 4. Fœdus Saxonis, Brandeburgici & Haſſi A. C. 1587. 5. Electorum omnium. 6. Electorum Rhenenſium &c. Pecuniam quoque cudunt, eamque ſuâ imagine, non Cæſaris, ſignant; quod cùm abolitum iret Carolus V. Imperator obtinere id nequiquam potuit. Nec proſcribi poſſunt ab Imperatore ſolo, ſed à *Paribus* ſuis judicandi ſunt: quod vocant *das Furſtenrecht*, planè diverſum à Judicio Aulico & Camerali. Requiritur autem ad hoc Judicium Principum, 1. Ut ii, qui conveniunt, ſint Germani Principes, Imperio ſubjecti. 2. Ut cauſa concernat eorum vitam, famam & feuda. 3. Ut ipſe Imperator præſit, vel Princeps aliquis, ejus nomine. 4. Ut in Germania habeatur, & 5. linguâ Germanicâ peragatur, &c. Sunt autem *Principes Germaniæ* vel *Catholici Romani* vel *Proteſtantes*; idque ſecundùm pacem Paſſavienſem A. C. 1555. confirmatam Monaſterii A. C. 1648. Quod enim diviſionem illorum, in *Ligiſtas* & *Unionem* ſeu *Correſpondentes*, circa A. C. 1610. factam attinet, accidentalis illa fuit, & pace factâ, abolita. Iidem vel *Eccleſiaſtici* vel *Seculares* ſunt: Ad *Eccleſiaſticos* pertinent I. Archiepiſcopi. II. Epiſcopi, quorum utrorumque centum numerat Matricula Friderici III. in ſpecie tamen *Epiſcopi Imperii* appellati ſunt hi IV. *Babebergenſis*, *Miſnenſis*, *Ratiſbonenſis* & *Herbipolenſis*. III. Abbates & Prælati, qui tamen univerſi in Comitiis non niſi unum ſuffragium habent, adeoque unius tantùm *Principis* vicem ſuſtinent, etſi plures *Principum* titulô ſint condecorati. In ſpecie, *Abbates Imperii* quatuor hi appellantur, *Fuldenſis*, *Campodunenſis*, *Weiſſenburgenſis* & *Murbacenſis*. Ex his autem Epiſcoporum nonnulli titulos quoque ſeculares uſurpant. Hinc Archiepiſcopus Colonienſis vocatur *Dux Weſtphaliæ & Angriæ*: Herbipolenſis, *Dux Franconiæ*, Argentinenſis, *Landgravius Alſatiæ*: & Verodunenſis, *Comes Verodunenſis*. *Seculares Principes*, ſunt iterum vel Archiduces, qui titulus in ſola Auſtriaca familia hæret; vel Duces, è quorum numero quatuor hi *Imperii Duces* appellantur, *Brunſvicenſis*, *Bavariæ*, *Sueviæ* & *Lotharingiæ*; vel Marchiones, è quibus itidem hi quatuor *Imperii Marchiones* vocitantur, *Brandeburgenſis*, *Miſnenſis*, *Badenſis* & *Moraviæ*; vel Landgravii, quorum hi quatuor ſimiliter *Imperii Landgravii* nominantur, *Thuringiæ*, *Haſſiæ*, *Alſatiæ* & *Leuchtenbergenſis*; vel Comites, inter quos 29. qui Principes ſunt, quibus annumerandi 4. Burggravii, eôdem titulô inſignes, *Norimbergenſis* videl. *Magdeburgenſis*, *Zorbellenſis* & *Miſnenſis*. Poſt quos Barones &c. Vide de his omnibus Limnæum *de Jure Publ.* & Georgium Hornium *Orb. Polit. Part.* 2. qnibus adde Carpzovium *ubi ſuprà*, & quæ dicta retro.

PRINCEPS Juventutis, vide ſuprà, *Cæſar*, *Princeps*, item ubi de *Cæſareis inſignibus*.

PRINCEPS Monaſterii, in *Reg. S. Pachomii*, idem cum *Advocato* ſeu *Defenſore*, vide *ibi*. At apud Theoſterictum & Jo. Cantacuzenum Ἄρχων τῶν Μοναστηρίων *Princeps Monaſteriorum*, nomen eſt dignitatis Eccleſ. in Eccleſia Conſtantinopolitana, de qua ſuprà aliquid lemmate *Abbas Abbatum*.

PRINCEPS Officii, apud Romanos, tam in Palatinis Officiis, quàm in Officiis Præſidum & Rectorum provinciarum, dicebatur, qui primum in eo officio locum obtinebat. Singula enim Officia *Principes* ſuos habebant, qui & *Primates Officii* vocabantur & *Priores*: recentioribus quoque *Primicerii*. Sic *Principes Agentium in rebus*, occurrunt *tit.* 28. *in Cod. Theodoſ. l.* 27. qui & *Primates* dicti, *in LL.* 22. *de Agentibus in reb. eod. Cod. Principes ſcriniorum*, apud Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 31. &c. Præter hos verò Principes ſingulorum officiorum, erat Magiſter officiorum, qui omnibus officiis præerat, & omnium Officiorum Palatinorum & Principum officiorum Princeps erat ac Magiſter, hinc quoque *Princeps Officii Palatini* & *Princeps Officiorum* dictus, in antiquo ſaxo, NERITO. DIVI. CLAUDII. PRINCIPIS. OFFICI. IMPER. qui proin à *Principe Officii* probè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

bè diſtinguendus. Ille enim *Magiſter* dicebatur & omnia officia ſub ſe habebat: iſte unius officii Princeps ac primus erat, nec Magiſter audiebat. Habebat autem hic Magiſter officiorum & officium ſuum, quod *Principatus* vocabatur & omnes, qui in ejus officio apparerent, *Principes*, aliàs *Magiſteriani* quoque, ſeu *Magiſtri Principes* dicebantur. In *Paſſ.* Proceſſi & Martiniani, *Erant autem cuſtodientes eoſdem beatiſſimos Apoſtolos milites multi, inter quos erant duo Magiſtri Principes Proceſſus & Martinianus.* Quos paulo pòſt *Magiſtrianos Principes* appellat: Græci *Agentes in rebus* exponunt. Nam ex Schola Agentium in Rebus *Principes* mittebantur, ad gubernanda officia civilium adminiſtrationum. Unde Πρίγκεψ, in *Gloſſis legal.* redditur Ἔξαρχος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν &c. A Principibus in Militia, *Principibus* ſcil. *Legionum* & *Cohortium*, de quibus Vegetius, *l.* 2. *c.* 8. nomen ad *Principes officii*, in omnibus officiis Magiſtratuum tum civilium, tum militarium, tranſiiſſe, notat Car. du Freſne. Vide & Salmaſ. *Not. ad Jul. Capitol. in Marco*, Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. loc. cit.* & Treb. Pollionem *in Gallienis*, *c.* 17. Sirmondum *ad Epigr.* 137. *Ennodii*, Pancirollum *ad Notit. Imper. l.* 1. *c.* 9. Henr. Valeſium *ad Ammianum*, *l.* 16. Jac. Gothofredum, *ad l.* 10. *Cod. Theod. de Cohortal.* Alios. Nonnunquam tamen, per *Magiſtros Officii*, ſingulorum Officiorum Palatinorum Principes, qui omnes ſuberant uni illi Magiſtro, quem ἡγεμόνα τῶν ἐν αὐλῇ τάξεων & ἡγούμενον τῶν αὐλικῶν καταλόγων Græci vocârunt, intelligi deprehendimus. Vide eundem Salmaſ. *ad Pollionem d. l.* Quiſque enim illius officii, cui præſidebat, revera Magiſter erat, ſed, qui omnes eos ſub ſe habebat, abſolutè *Magiſter*, & *Magiſter*, item *Princeps Officiorum*, dicebatur &c. Vide ſuprà, *Primates*, *Primi* &c.

PRINCEPS Palmyrenorum, apud *Pollionem*, vide infrà *Principales*.

PRINCEPS Sacerdotum, Græcè Ἀρχιερεὺς, titulus Epiſcopis in Eccleſia Africana tributus aliquandiu, damnatus in Concilio Carthagin. quò titulorum coërcita ambitio. Vide ſuprà *Princeps*: it. infrà ubi de *Principibus provinciæ*.

PRINCEPS Senatus, vide infrà *Senatus Princeps*.

PRINCEPS Synedrii, apud Hebræos, vide ſuprà in voce *Naſi*.

PRINCIPALES, in *veter. Inſcr.* præcipui civitatum, οἱ ἐν τέλει. *Principes civitatis* vocat Vopiſcus in *Aureliano*, *c.* 33. *inter hos etiam Palmyreni, qui ſuperfuerant Principes civitatis*: Græcè πρωτοπολῖται. Quorum unus Odenatus erat, antequam Imperium arriperet: *Princeps Palmyrenorum* hinc dictus, Trebellio Pollioni; *in XXX. Tyrannis*, *n. XIV. c.* 15. quem *Decurionem Palmyrenum*, Sextus Rufus vocat. Decuriones namque vel Curiales in unaquaque urbe erant civitatis Principes, & quaſi Senatores: quorum primi *Principales* dicebantur. Salmaſ. *ad d. l.* Sed & in re militari, *Principales* occurrunt paſſim, apud Ammianum, quò nomine illos intelligit, qui aliàs *Principia* dicti. Vegetius, *l.* 2. *c.* 7. *Principalium militum & ut propriò utar vocabulô, principiorum nomina & dignitates, ſecundùm præſentes matriculas indicabo.* Paulo pòſt *ſub fin. c. Hi ſunt milites* principales, *qui privilegiis muniuntur.* Vide infrà.

PRINCIPALIS Porta, vide ſuprà *Porta*. In hac qui tendebant, propriè dicebantur *prætendere*, quod vide.

PRINCIPATUS, Græcè Ἀρχὴ, inter nomina Angelorum, Coloſſ. *c.* 1. *v.* 16.

PRINCIPATUS, territorium & ditio Principis, de qua voce pluribus dictum. Adjicio hoc unicum de Tartariæ Turciæque Principatibus. In illa, inter Ruſſos & Perſas, ſiti ſunt duo *Principatus*, *Tzerkaſſia* ſcilicet & *Dageſtana*, quorum prior ſubeſt Ruſſorum Imperatori; alter liber adhuc & ſui juris eſt: de quo utroque vide Olearium *in Itinerario*. Turcici *Principatus* in Europa, ſunt *Tranſſylvania*, *Walachia* & *Moldavia*: in Aſia, *Sidon Druſcorum* & *Phylarchæ Arabum*. Poſtquam enim Selimus I. Imperium Mamalucorum Cercaſſorum in Ægypto & Syria evertit, circa A. C. 1517. plures Arabum tribus, hæreditariis ſubjectæ Principum familiis, quæ tributum modicum ſolvebant hactenus, idem ab Ottomannica domo impetrârunt privilegium, ut, exemti titulô à Baſſarum præfecturis, reipsâ ſervirent. Inter omnes verò ſub Ottomannico hoc jugo Principes Fachreddinus, quem alii communi nomine *Emirum Saidæ*, h. e. *Principem Sidonis* vocant, potentiâ & auctoritate præcellit. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 2. *p.* 271.

PRINCIPATUS Citerior, vulgò *Principato citra*, provincia regni Neapolitani, in Italia, eo in tractu, ubi aliàs Picentini & pars occidentalis Lucaniæ. Terminatur à ſeptentrione Principatu ulteriori & partim Campaniâ felici, ab occaſu mari Tyrrhenô, uti à meridie, & ab ortu Baſilicatâ provinciâ. Eſt ampla, & extenditur ad 70. milliaria à Circio in Eurum. Totius Provinciæ caput eſt Salernum, *Salerno*; ſuntque prætereà Amalphis, *Amalfi*, Nuceria, *Nocera*, Caput aquéum, *Capacio*, Marſicum novum, *Marſico novo*, & Sarnum, *Sarno*, cum aliis minoribus; ſubeſtque dominio Hiſpanorum, uti & Principatus Ulterior.

PRINCIPATUS Vallis Tari, vulgò *il Prencipato di Val di Taro*, ditio eſt Italiæ, in Longobardia, ad radices Apennini montis, atque inter Ducatum Parmenſem ad Boream & ditionem Genuenſem ad meridiem. Aliàs Principes habuit proprios è familia Landorum; nunc autem ſubeſt dominio Ducis Parmenſis, fruſtra reclamante Principe Auriâ. Extenditur ad 18. milliaria versûs Tarum fluvium; & ejus præcipua oppida ſunt Burgus Vallis Tari, *Borgo di Val di Taro*, & Campianum, *Campiano*, ubi arx permunita.

PRINCIPATUS Ulterior, vulgò *Principato oltra*, provincia regni Neapolitani, in Italia, ubi aliàs Hirpini populi. Eſt versûs Apenninum montem, inter Capitanatam ad ortum, Campaniam felicem ad occaſum, & Principatum citeriorem ad meridiem. In ea ſunt Beneventum, *Benevento*, provinciæ caput, quæ tamen ſubeſt Summo Pontifici. Compſa, *Conza*, Avellinum, *Avellino*, Arianum, *Ariano*, & Alcedonia, *la Cedogna*. Antiquitùs major pars Principatus ulterioris erat in territorio Beneventano & in ditione Pontificia; cùm enim Summi Pontifices urbem Beneventanam ſibi ſemper reſervâſſent cum territorio adjacente, quod terminari deberet ad ipſorum beneplacitum, Clemens Papa VI. Legatum miſit Bertrandum Cardinalem Deucium, à quo habitâ omnium diligenti informatione & antiquorum limitum, terminos territorii Beneventani ſic definivit diplomate Pontificiô, quod ſervatur in Archivo civitatis; eſtque hujus tenoris: *Urget nos Apoſtolicæ ſervitutis &c. ex certa ſcientia limitamus per modum & terminos infraſcriptos, Inprimis Caſtrum Pontis inhabitatum, & inde aſcendere Caſtrum Caſaldoni, Caſtrum Campi lattari, Caſtrum montis Leonis, Caſtrum Sancti Severi, Caſtrum Fragneti Monfortis, Caſtrum Fragneti Abbatis, Caſtrum Sancti Georgii Molendinaria, Caſtrum Sancti Andreæ de Molinaria, Caſtrum Petræ majoris, Caſtrum Paduli cum ſuo ſuburbio, ſive Caſali Sancti Archangeli, Caſtrum montis Mali, Caſale Templani, Caſtrum Apiciicum caſalibus, Caſtrum Moroni, Caſtrum Venticani, Caſtrum montis Militum, Caſtrum montis aperti, Caſtrum montis Fuſcoli cum caſalibus, Caſtrum Tufii, Caſtrum Altavillæ, Caſtrum Cepalloni, Caſtrum Petræ Strumieræ, Caſtrum S. Martini, Caſtrum Cervinariæ, Caſtrum montis Sarveli, Caſtrum Tocci cum caſalibus, Caſtrum Torreguſii, cum caſali Popiſii & aliis caſalibus. Volumus itaque &c. Datum Avenione ſeptimò Kalendas Junii annô nonô, ſalutis autem* 1350. Sicque territorium Beneventanum erat amplum; nunc autem ab Hiſpanis valde fuit imminutum: complectiturque tantùm in præſentia Caſtra S. Angeli de Cupola, Mottam, Panellam, Montem Orſi, Maccolum, Sciarram, Paſtenam, Balnearam, S. Marci à montibus, S. Lucii, S. Angeli, & Francavillam; quæ omnia vix 3. aut 4. milliaribus diſtant à Benevento.

PRINCIPES, in Exercitu Romano dicti ſunt, qui ſecundum in acie locum tenebant, ætate ac robore præſtantiores Haſtatis, qui primô ſtatim locô conſtituebantur. Arma eorum deſcribit Polybius, *l.* 6. Locus, quem tuebantur, *Principia* dictus eſt; quò reſpiciens Terentianus Thraſo, *Eunuchô*, *Actu* 4. *Sc.* 7. *v.* 11. *Ego*, inquit, *ero poſt principia*, i. e. *locô optimô & maximè ſecurô*. Imò & ipſi *Principes* non rarò *Principiorum* nomine veniunt, apud Auctores, Livium, Tacitum, Saluſtium, alios. Iidem, quemadmodum *Principes*, ob ætatis viriumque vigorem, ita *Antepilani*, quòd ante Triarios erant collocati, vocabantur: *Pilanos* enim Triarios dictos, hiſque proprium armorum genus *Pilum* fuiſſe, multis rationibus contendit Godwynus *Anthol. Rom. l.* 4. *c.* 2. & hæc ipſa *Principum* appellatio multùm favet. Sed & *Subſignani*, quòd ſub Signis militarent, nuncupati ſunt: quemadmodum Haſtati *Anteſignani*, & Triarii *Poſtſignani* dici conſuevêre. Licèt enim quivis Manipulus, adeoque multo magis quævis harum Legionis partium præcipuarum, ſuum haberet ſignum, Aquilam tamen cœteraque præcipua ſigna *Principes*, in quibus totius Exercitus robur, tuebantur. Vide Juſt. Lipſium *Milit. Rom. l.* 2. *Dial.* 3. Atque ita quidem liberâ adhuc Rep. verùm, mutatâ poſteà fermè in totum militiæ ratione, *Principes* dicti ſunt, qui in prima acie pugnam capeſſerent; quò nomine *primi ordines*, vel *primorum ordinum ductores*, h. e. *Ordinarii*, intelligebantur. Veteres nempe & exercitati milites, qui è militia jam exierant, ſed ad eam ſponte revocabantur, ordinum & præmiorum ſpe, *Evocati* hinc quoque, Græcis Ταξιάρχαι, appellati. Hi in prima acie, & circa ſigna, pugnabant, & reliqua principia, ut vocabant, legionis. Inter principia enim erant Tribuni, erant Principes Centurionum, & Evocati: qui etiam *Principales milites* audiebant & *vertices caſtrorum* & *capita*. Quam in rem vide plura, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Bonoſo*, *c.* 14. ut & infrà, voce *Principia*.

PRINCIPES Aſiæ, vide ſuprà, *Aſiarchæ*, & hìc infrà, *Principes Provinc.*

PRINCIPES Centurionum, iidem cum *Primis Ordinibus* & *primorum Ordinum Ductoribus*, apud Romanos. Prima enim legionis cohors, decem centurias habebat totidemque Centuriones, quos *Centenarios* poſterior dixit ætas. Ab hac prima cohorte, cùm pugnandum erat, prima acies incipiebat ordinari; in qua Primipilus quatuor gubernat centurias & aquilæ præerat; Primus Haſtatus duas & Princeps unam ac ſemis; ſecundùm Vegetium. Licèt enim vetus ordo inſtruendæ aciei, per Haſtatos, Principes & Triarios, Imperatorum ævô penitùs ab uſu receſſerit, retenta tamen nomina ſunt dignitatum *Primi Haſtati*, *Primi Principis* & *Primipili*: qui inter primos ordines erant & *principia legionis*, & cum Tribunis aliiſque capitibus in prima acie & circa ſigna pugnare ſoliti erant ſub Imperatoribus. Unde *altos ordines primam aciem habere* ſcripſit Seneca, *Quò quiſque genere honeſtior, famâ, patrimoniô eſt, hoc ſe fortiùs gerat, memor in prima acie altos ordines ſtare.* Quos *primos ordines* à Centurionibus diſtinguit Frontinus, *l.* 1. *c.* 10. *Imperavit Tribunis & primis ordinibus & Centurionibus.* Nempe Præfecti caſtrorum & Tribuni & Centuriarum primi, quos *altos* hìc vocat *ordines* Seneca, ante aquilam in prælio ſteterunt & in prima acie pugnarunt: cœteri verò Centuriones juxta ſuam quiſque centuriam &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. d. l.*

PRINCIPES Provinciæ, Græcè πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, apud *Strabonem*, dicebantur, qui in Ludis publicis præſidebant, cujuſmodi erant Ἀσιάρχαι in Actis, *c.* 19. *v.* 31. quos non malè Actorum Interpres, *Aſiæ Principes* reddit, Item *Lyciarchæ*, *Syriarchæ*, *Phœniarchæ*, &c. alibi. Erant autem hi non Sacerdotum ſolùm Principes aut unius civitatis, ſed conſeſſus & conſilii totius pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vinciæ Primates habebantur, & Magiſtratum gerebant, non Sacerdotium ſolùm. *Strabo* de Lyciarchis. Ε'ν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτα ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τῦ συστήματος. Δικαστήρια δὲ ἀποδείκνυνται κοινῇ, *In Synedrio autem primùm quidem Lyciarcha eligitur, dein cæteri Magiſtratus ſyſtematis. Judicia vero publicè exercentur.* Quod ſynedrion ſeu concilium Lyciæ, ex omnibus Lyciacis Urbibus erat compoſitum, quæ jus ſuffragii in illo conſeſſu communi habebant. Maximæ ſcil. urbis trium ſuffragiorum poteſtatem obtinebant, mediocres duorum, reliquæ unius. Idem obtinuiſſe videtur in urbibus Aſiæ & Syriæ; quarum plures ſimul junctæ corpus unum & σύστημα faciebant, cujus conſeſſûs & συνεδρίε Princeps ac primas erat, qui Α'σιάρχης & Συριάρχης dicebatur. Solebant præcipuè Magiſtratus hi creari, ad munera ac ludos edendos, in honorem Deorum, quorum & Sacerdotium ſimul capeſſebant: annuique creabantur. Uti verò in Provincia, qui ad hoc munus eligebantur, dicebantur habebanturque *Principes Provinciæ*; Sic in ſingulis oppidis & municipiis, hujuſmodi etiam munerarii Sacerdotes capi ſolebant, ad ludos edendos, qui & *Primores* & *Principes Urbis* audiebant: *Flamines* vulgò vocabantur. Græcè Ι'εράρχαι & Πρυτάνεις & Ἱερομνήμονες. Firmicus *Principes Sacerdotum* appellat, *l.* 3. *Faciet Sacerdotum Principes, & qui in ipſis Sacerdotiis, purpureis aut auratis veſtibus induantur* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 805.

PRINCIPES adorandi ritus, præſertim recèns conſecratos, in Hiſtoria Romanâ ſæpe obvius eſt, ut alibi vidimus. Eum morem in Chriſtianis quoque retentum, docet Leo Pontifex, adorans Carolum M. apud Monachum Com. Nuenarii, A. C. 801. *Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, cunctô Romanorum populô acclamante —— Poſt quas laudes, à Pontifice, more antiquorum Principum adoratus eſt, ac deinde Imperator Auguſtus appellatus.* Sed & viciſſim Chriſtianis hunc cultum præſtitiſſe paganos, etiam Magiſtratus, diſcas ex Palladio, *Hiſt. Lauſiac. in fine Melaniæ*, qui ipſis Chriſtianis fratres quoque adoratos, qui peregre ad ipſos veniebant, habet, *c.* 52. *Vitâ Abb. Apollo* &c. De more pro *Principibus* precandi, etiam Gentilibus uſitato, eorum imaginem in annulo geſtandi; nummis inſculpendi; aliiſque ad eos pertinentibus, hîc paſſim. De annulis ſaltem addo, *Principis* imaginem in annulo aureo geſtare Claudii Principatu, fas non fuiſſe, niſi quibus admiſſionum Liberti jus illud dediſſent: *magnâ criminum occaſione*, ut Plin. ait: *l.* 33. *c.* 3. *quæ omnia ſalutaris exortus Veſpaſiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* Ingens itaque cautio iis adhibenda erat, qui Principis imaginem geſtabant, ne delatoribus calumniandi præberetur occaſio: qua de re diximus ſuprà aliquid, ubi de civili *Imaginum uſu*: & extat memorabile exemplum apud Senecam, *de Benef. l.* 3. *c.* 26. Cui non multùm abſimile, quod Philoſtratus narrat, *Vitâ* Apollonii, de quodam impietatis damnato, quòd ſervum ſuum verberâſſet, qui drachmam argenteam, Tiberii imagine ſignatam, geſtabat &c. Plura apud Jo. Kirchmannum, *de Annulis*, *c.* 13. uti de more Principum, *initiô principatus totum elargiendi patrimonium ſuum profectitium, vehendi in ſella curuli, albas veſtes gerendi*; de more *Senatorum ſtando illos alloquendi in Senatu, obviam procedendi*; porrò de illorum *cuſtodibus, imaginibus in pompa Circenſi, literis, papilionibus magnificis*; quòd tandem *thoro ſellave eorum inſidere, etiam corpus tangere, licet bonô animô, haberetur nefas*, apud Theod. Marcilium & Caſaubonum *ad Suetonium* paſſim, quorum hic Imperatorem Roman. propriè *Principem* & Imperium *Principatum* dictum eſſe, ex inſtituto Auguſti, notat *ad Caligulam*, *c.* 22. Vide & ſuprà.

PRINCIPIA, Græcè Α'ρχεῖα, Plut. *in Galba*, *c.* 17. locus in caſtris, ubi Tribuni olim jus dicere ſolebant: quam ob cauſam, ut ait Polybius, *l.* 6. magnâ ſemper hominum frequentiâ celebrabatur. Livius, *l.* 2. *Ibi in* Principiis *ſermo inter Tribunos militum ſecretus oritur; inde ad aures ipſius Æmilii pervenit.* Et *l.* 38. *Milites Tribunos jura reddere in* Principiis *ſinebant.* Aquilæ it. & ſigna, h. e. Dii militares; unde locus hic primus ac ſacer. Statius, *Theb. l.* 10. *v.* 176.

Ventum ad Concilii penetrale, domumque verendam
Signorum —— ——

Vide quoque Florum, *l.* 3. *c.* 10. C. Nepotem, *Eumene c.* 7. *leg.* 4. *offic. D. de re mil.* &c. Aliàs etiam vox ipſos *Principes*, ſeu *Principales milites* ſignificat, uti viſum. Gronovio voce hâc tria ſignificantur, primò Locus, de quo dictum; dein Capita & Apices caſtrorum, apud Vegetium, *l.* 3. *c.* 2. & 8. *l.* 1. *Cod. de Veteranis* &c. Tandem, Frons aciei ſeu prima ſigna. Ut enim in caſtris, ubi prætorium & ſigna fixa erant, atque interdiu magnâ parte præcipui Duces imperia expectabant, *Principia*. Sic in acie, ubi ſigna in hoſtem promovebantur, & duces principeſque laceſſendi ac committendi prælii conſiſtebant, *Principia* dicebantur. Liv. *l.* 2. *Quanquam ceſſêre magis, quàm pulſi hoſtes ſunt, quia ab tergo erant clivi, in quos poſt* principia *integris ordinibus tutus receptus fuit.* Ubi frontem aciei indigitat turbatam, & qui ibi pugnabant; qui ſecundùm eam locati erant, eos ſalvis ordinibus pedem retuliſſe. Siſenna, *Hiſtor. l.* 3. *Poſt principia paulatim recedunt, atque inde, cum paucis fuga ſe mandant*, h. e ex illo loco, ubi complexus armorum & diſcrimen erat, ſenſim referunt pedem; cumque conſtitiſſent, unde tutô terga liceret dare, aliis etiam tum propugnantibus, necdum omnibus principiis turbatis ſtratiſque, maturâ fugâ ſibi conſuluêre. Liv. *l.* 3. *Trium populorum tres ſeparatim acies circa vallum hoſtium inſtruxit. Ipſe erat medius cum legionibus Romanis: equites ſua cuique parti poſt* principia *collocat, ita trifariam adortus caſtra circumvenit.* Quod nihil eſt aliud, quàm ab tergo aciei, quæ oppugnabat: caſtra enim aggrediebantur munita, ubi nullus equitis uſus. At poſteà, ut refert idem, *effuſè fugientes eques, cui ſuperare vallum haud facilè fuerat —— libero campo adeptus, parte victoriæ fruitur, territos cadendo.* Quid propriè enim hic Equites facerent, inter Principes & Triarios medii? niſi ſimul Haſtati Principeſque oppugnabant. Conſtitêre igitur poſt aciem, quæ prima oppugnabat; partim ut victoriam perſequerentur, ſi ea eveniſſet; partim ut repulſos, ſi contrà eveniſſet, reciperent, hoſteſque erumpere prohiberent. Apud eundem, *l.* 8. *in principiis Latinorum ipſi jam illorum triarii erant*; unde perperam Valtrinus hîc quoque *Principia* interpretatur locum medium in acie, ubi Principes eſſent, vide quoque Senecam, *de Vita B. c.* 14. & Tacitum, *Hiſtor. l.* 2. E quibus omnibus Terentii illud, *poſt Principia eſſe*, intelligit Gronovius de iis, qui poſt illam partem aciei ſtant, quæ omnes diſcrimen excipit: Hi namque tuti ſunt, propugnatores habent, locô ſibi caverunt: unde paulatim factum nomen loci poſt partem, quæ manum conſerit, *Poſtprincipia*; quod denique generatim ad omnia, quæ ſecundùm quarumcunque rerum principia ſubſequuntur, tranſlatum. Ita Plautus, *Perſâ, Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 4. *Ut quiſque rem accurat ſuam, ſic ei procedunt poſtprincipia.* Varro, *l.* 3. *R. R. c.* 4. *à poſtprincipiis incipere.* Vetus Poëta apud Cicer. *pro Sextio*, *Poſtprincipia atque exitus vitioſæ vitæ* &c. Vide præfatum Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 10. ubi Veteres quotieſcunque de acie loquentes *Principia* nuncupant, non eos qui *Principes* antiquitus dicti, ſed prima ſigna, primos ordines, frontem aciei, intelligere, addit: Seriore verò Imperatorum ævô, ſic Præfectos & Duces quoque appellatos eſſe. At *Principia Legionum*, apud Vegetium, iidem cum *Principibus Centurionum*, quos vide. Eoſdem *Initia* vocare videtur Sidonius Apollin. *l.* 1. *Ep.* 11. *Quem inter Initia cognoſci, claritas vitrici magis, quàm patris, fecit* &c.

PRINCIPIS Inſula, vulgò *Ilha do Prencipe*, inſula Africa in ſinu Æthiopico, detecta à Luſitanis, quibus etiamnum ſubeſt; & 120. mill. paſſ. diſtat ab inſula S. Thomæ versùs Boream & oram Guineæ, à quo 90. mill. paſſ. diſtat.

PRINCIPIUM, in *LL.* Fragmentis apud Frontinum, *de Aquæd. l.* 2. & apud Livium, *l.* 9. *c.* 38. *Papinius C. Junium Bubulcum cùm magiſtrum equitum dixit: atque ei legem curiatam de Imperio ferenti triſte omen diem diffidit, quòd Faucia curia fuit* principium, *duabus inſignis cladibus*: idem quod *prærogativa* eſt. Nempe Centuria, Curia, Tribus *principium* erat, quæ primò rogabatur. Cujus cùm tantus eſſet ſuſpectus & reverentia, apud Jure vocatas in Comitiis, (quandoquidem *principiis* ineſſe omina putabant) factum, ut vox ipſa *prærogativæ* acciperetur pro ſecundo omine, certo ſigno judicioque & pignore ac quaſi arrabone futuræ rei optatæ vel ſecundæ: Gronov. *ubi ſuprà.* Vide quoque retro in voce *Prærogativa*. De *Principio* verò Hæreticorum *duplici*, ex antiquiſſimorum Gentilium ſententia, vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 5. & Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c. de Deo*, ut & ſuprà voce *Dii*: ſicut de *medio* inter utrumque *Numine* Perſis culto, voce *Mithra*.

PRINOESSA, Inſul. parva Epiri, ante Leucadiam, *Iſola di S. Maura* veluti ſcopulus. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ferrar.*

PRIOLA, urbs prope Heracleam.

PRIOLAS, Lyci Mariandynorum Regis frater, Daſcyli fil. Tantali nepos, ab Amyco occiſus. Secundùm aliquos non frater Lyci, ſed filius fuit.

PRION, Getarum Princeps, auxilio Perſæ contra Æëten veniens, ab Iaſone occiſus in prœlio. Val. Flac. *l.* 6. *Argon. v.* 19.

PRION, Græcè Πριὼν, locus Carthagine, apud *Polybium*. Item Epheſi, apud *Strabonem*, qui πριῶνα dicit eſſe collis jugum urbi imminens, priùs λεπρὴν Α'κτὴν, h. e. *aſperam Actam*, vocatum, ἀκτὴ autem eminens littus & prominentia. Sardibus quoque, montoſus & acclivis locus, qui arcem cum oppido jungebat, apud eundem *Polyb.* Cujuſmodi loca ſecundùm nonnullos, πριῶνας vocârunt, quòd veluti *ſerrata* eſſent & ob aſperitatem & inæqualitatem *ſerræ* dentibus ſimilia. Niſi fortè omnibus his locis πριὼν fit, qui aliàs πρηὼν & πρεὼν & contractè πρὼν; quâ voce *jugum collis eminens* Græci notant. Dionyſ.

Τὸν βαθὺν εὐδένδρε πρῶνα πυτεῖς Φολόης.

Et in alio *Epigr.*

—— καὶ τὰ πρηόνας ἀκροβολίσεις.

In alio legitur πρεόνας primâ brevi: dicebant & πρώονας &c. Sic πρηὼν, πρεὼν & πριὼν idem erit, nec à *ſerræ* ſimilitudine ea vox ficta, de loco clivoſo & jugis aſperis aſſurgente. Hiſpani quidem montem hodie *Sierra* appellant, à Latino *Serra*, fortaſſe quòd malè reddiderint ex Græco Πριὼν, quæ *montem* ſignificat & *ferram*. Verùm nec *ferras* Latini clauſuras dixerunt, à *ferra*, h. e. πρίονος figura, ſed à *ferâ*, quâ januæ occludebantur, *Serram* enim ſcripſêre, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 808. & 809.

PRION, vulgò PRIM, fluv. Arabiæ Felicis ad montem Prionotum, in mare Rubrum & Sinum Sachalitem influens, *Ptolem.* Item mons Coi Inſul. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

PRIONOTUS, *Moletio, Sachalat*, mons Arabiæ Felicis in ora Orientali apud Syagrum promontor.

PRIOR, in *Chartis* Dalmaticis, nomen Magiſtratus, à quo pleræque civitates Croatiæ & Dalmatiæ regebantur, qui poſtmodum *Comitis* appellatione donatus eſt, Lucius *de Regno Dalmatiæ*, *l.* 2. *c.* 8. 16. & *l.* 3. *c.* 12. Ab Italis autem Dalmatæ id hauſerunt; quibus *Priori* præcipuos eſſe Magiſtratus, diſcimus ex Joanne Villaneo *l.* 1. *c.* 38. & *l.* 9. *c.* 77. Certè *Priorem Civitatis*, habent Liberatus Diaconus, *c.* 23. Senator, *l.* 1. *Ep.* 26. Alii. Et *Prioratum*, hanc dignitatem vocat *Inſcr.* in Æde S. Nicolai Barenſis, *Tempore Regis W. & Prioratus Domini Nicolai Corbelli Primicerii an. D. N. J. C.* 1188. apud Antonium Beatillum *Hiſtor. Bar. l.* 2. laudatum Car. du Freſne *in Gloſſar.* Sic *Prior loci*, Dominus eſt ejus ſeu Senior, in *L. Wiſigoth. l.* 9. *tit.* 1. §. 8. In Eccleſia Romana, idem nomen pro Abbate occurrit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rit crebrò, in *Regula* Benedictinorum. Item pro eo, qui primus eſt poſt Abbatem, & aliàs *Præpoſitus* dicitur, de cujus officio ſic Lanfrancus, *in Decretis pro ordine S. Bened. c. 3. Servatâ Abbati in omnibus reverentiâ*, Prior, *qui & Præpoſitus*, *in Regula nominatur*, *honorabilior eſt reliquis Miniſtris domus Dei. Ipſe ſolus cæterorum miniſtrorum primum ſuæ partis locum habet in Choro*, *in Capitulo*, *in Refectorio* &c. Sed hanc vocis notionem poſterioris ævi eſſe, & demum Cæleſtini V. tempore innotuiſſe, annotant Viri Docti. Vide ſuprà, in voce *Decanus*. In eadem, *Prior Major* dicitur, qui Abbatis abſentis vices gerit, ita tamen ut Obedientiarios inſtituere non poſſit, aut deponere, nec quenquam de Monaſterio ejicere, aut ejectum recipere &c. Ad ejus quoque officium pertinet, tam præſente, quàm abſente Abbate, cymbalum pulſare, & tabulam ad laborem, & monitum in Dormitorio, & corrigere mendas legentium in Eccleſia & in Capitulo &c. Vide Udalricum *Conſuet. Cluniac. l. 3. c. 4.* Uti autem hic Abbatis, ſic *Prior Clauſtri* vel *Clauſtralis* ejus Vicarius eſt, qui in Clauſtro jugiter manet, abſente Abbate & Magnô Priore, & *pondus totius Ordinis portat*, ut habet Bernardus *in Conſuetud. Cluniac. c. 4.* & Udalricus, *l. 3. c. 6.* ubi plura de ejus officio. Caſinenſes, *ad c. 65. Regulæ*, *Præpoſitus Monaſterii*, *ſecundùm morem noſtrum* Prior Clauſtralis *vocatur*. Cui *Prioriſſa* reſpondet, in Clauſtris Sanctimonialium &c. Ipſum verò officium *Prioratus* dicitur, dignitas præcipua in Monaſterio, apud Gregorium M. *l. 4. Ep. 4.* Quamvis hôc nomine etiam aliquando veniat. Obedientia, ſeu minus Beneficium, à majori Monaſterio dependens, de cujuſmodi *Prioratuum* origine ſuprà aliquid dictum eſt, in voce *Obedientia*. Porrò in eadem Communione *Prior Scholæ*, dicitur primus in Schola Cantorum, qui primus, dum ſacra facit Pontifex, *Antiphonam ad Introitum* incipit, ut eſt in *Ordine Roman.* Vide ſuprà in *Caput Scholæ*. Qui omnes appellationem inde traxêre, quòd apud Romanos, ſeriore ævô, *Priores Officii* dicti ſunt, qui primi erant in ſuo quiſque officio, aliàs *Primates* quoque, & *Principes Officii*, de quibus diximus. Sic *Priores Scrinii*, *Cod. Theod. de prox. Com. diſpoſ.* qui aliàs *Proximi*, item in *Capite Scrinii conſtituti* dicuntur, *l. 11. eod. tit.* &c. Salmaſ. *ad Trebellium Pollion. in Gallienis*, *c. 17.*

PRIPETUS, fluv. Poloniæ, *Przipiecz*. Oritur in Ruſſia N. & in Palatinatu Belzienſi, paulo ſupra Holounam arcem, dein per Poleſiam fluens Pinam & Jaſioldam fluv. recipit infrà Pinſcum, ubi poſteà Steram, Horinum, Stuckam, Olewskam, alioſque; quibus auctus per Ucraniam, ac Palatinatum Kyovienſem fluens, ibi in Boryſthenem cadit. 2. milliar. Germanic. infrà Czernobolum, uti 7. ſuper Kioviam. *Pripetius* etiam.

PRISCA, adjutrix Pauli. Roman. *c. 16. v. 3.*

PRISCA, & Maximimilla, 2. mulieres Pſeudoprophetiſſæ, & Montani hæretici meretrices. Euſeb. *l. 5. c. 16.*

PRISCI Canones, in ſubſcriptione Concilii Toletani II. *Salvâ auctoritate priſcorum Canonum:* Sic appellatus eſt Codex Canonum Hiſpanicus Eccleſiæ Univerſæ, quem à Romanis accepiſſe Hiſpanos probabile eſt. Eum enim primò habere potuerunt ex antiqua Latina, poſteà etiam ex nova Dionyſii Exigui verſione, uſque ad Martini Bracharenſis Epiſcopi interpretationem. Quanquam non admodum veriſimile ſit, eos Dionyſii Exigui verſionem habuiſſe aut recepiſſe, quia ea ſatis accurata erat, ut novâ verſione Martini præfati facilè ſuperſedere potuiſſent. Utraque enim eôdem ſeculô adornata eſt, nempe ſexta; & Dionyſii quidem Exigui paulo antè, vel ſub Juſtiniano Imperatore altera verò Martini, ſeptimô annô poſt mortem Juſtiniani, nempe A.C. 572. Etiam *Antiquorum Canonum* nomine venit, Concilii Bracharenſis I. *can. 40. Placuit*, *ut præcepta antiquorum Canonum*, *quæ modò in Concilio recitata ſunt*, *nullus audeat præterire*. Item *Codicis Canonum*, cujus fit mentio ejuſdem Concilii *can.* 18. & in Concilio Toletano IV. quod habitum eſt A. C. 733. Vide Juſtellum, *Præfat. Cod. Can.* & Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris. Eccl. n.* 87.

PRISCIANUS, reus affectatæ tyrannidis periit, ſed voluntariâ morte, ſub Antonino Pio, de qua conjuratione quæri vetuit Imperator. Vide Jul. Capitolin. *in Vita Antonini Pii*, *c. 7.*

PRISCIANUS, Cæſarienſis, claruit Athenis tempore Juſtiniani Imperatoris. Scripſit *de arte Grammatica*, ad Julianum conſulem; ad Choſroën verò Perſarum regem *lib. de naturalibus quæſtionibus*. Convertit in Latinum ſermonem *Dionyſii*, *de ſitu Orbis*, *carmina*. Sunt qui ſcribunt, hunc ab initio Chriſtianum, deinde fidei deſertorem fuiſſe. *Volaterr.* Pars operum ejus ab Elia Vineto aliiſque edita. Floruit Conſtantinopoli, A. C. 525. *Caſſiodor.* Vide Geſner. *in Biblioth.* &c. Nomen ejus, in codice antiquiſſimo & emendatiſſimo *Præſcianum* eſſe, notat alicubi Hadr. Valeſ.

PRISCILLA, uxor Aquilæ Pontici, *Actor. c. 18. v. 2.*

PRISCILLA, uxor Abaſcantii, cujus in eam defunctam pietatem peculiari carmine proſequutus eſt Papinius, *l. 5. Sylv.* 1.

PRISCILLA, Matrona Romana, ſuaſu Marcelli I. Epiſcopi Romani Cœmeterium, ad humandos Martyres & fideles, extruxit, A. C. 306. Item, fœmina illuſtris, Montani diſcipula: unde *Priſcilliani*, Montani ſectatores; minimè cum Priſcillianiſtis confundendi. De quibus *in Priſcillianus*.

PRISCILLIANUS, Hæreſiarcha, caput Priſcillianiſtarum. Hiſpanus, ſtirpe nobili, opulentus, ingeniô, eruditione & eloquiô valens: laboris præterea, inſomniæ, aliarumque moleſtiarum patiens, ab avaritia alienus, ſed ſuperbus. Adventu in Hiſpaniam Marci cujuſdam, qui Gnoſticorum abominationes in Gallia ſparſerat, & in Hiſpaniam delatus, inprimis carnis voluptates auditoribus inſtillabat, huic mox adhæſit, ſub humilitatis profundæ velo vitia tegens, & à fœminis velut vir Dei cultus, ſectâ hâc deteſtandâ brevi longè lateque ſerpente. Ultra deliria Gnoſticorum, deliravit, inſuper, Animam de ſubſtantia divina deciſam, dum per 7. cœlos delabitur, in manus incidere Principii mali, à quo corporii immittatur. Hoc autem è duodecim partibus conſtare dixit, quarum cuivis ſignum quoddam cœleſte præſit. Eſum animalium, conjugiumque damnavit, matrimoniis impunè reſciſſis. Voluntatem hominis Aſtris ſubeſſe, & fatali neceſſitati, Dominumque noſtrum ſimul Patrem eſſe & Spiritum S. docuit, perſonas cum Sabellio confundens. Singulis Dominicis & feſtô Nativitatis jejunium ſuis indixit, quia CHRISTVM veram carnem aſſumſiſſe non credidit. Sectatores ejus, quoties apud Orthodoxos S. Cœnam ſumebant, panem ſacrum intra os retinuerunt; mendacium licitum eſſe rati, plurimis hæreſibus conſarcinatis, ſolô nomine à Manichæis differebant. Volumen habuerunt *Libram* dictum, in quo 12. quæſtiones, velut totidem unciæ, horrenda eorum dogmata continebant. Cæſarauguſtæ, ab Epiſcopis Catholicis condemnati, A. C. 381. in pejus ierunt, & Priſcillianum Epiſcopum creârunt. Hinc ope Gratiani Imperatoris imploratâ ab Orthodoxis, illi templis, pagiſque pulſi ſunt: quod edictum vulgo ingentem incuſſit metum: At Salvianus, Inſtantius, & Priſcillianus in Italiam tranſgreſſi, obtinuerunt per amicos, ut Reſcriptô Imperatoriô reſtituerentur. Rediêrunt ergo triumphabundi, licet ægerrimè ferrent, quòd à Damaſo Romæ, ab Ambroſio Mediolani, & Delphino Burdigalæ tantâ vi ipſis eſſet reſtitum. Poſt Gratiani mortem, Conciliô Burdigalenſi denuo damnati, A. C. 385. provocârunt ad Maximum, qui Imperiô arreptô, Treviri ſedebat: ubi Priſcillianus, atrocium criminum convictus, capite luit. Nondum tamen ſecta in Hiſpania extingui potuit, imo velut Martyr Priſcillianus à ſuis habitus, & per nomen ejus juratum eſt. Sub Honorio tandem ejus reſcriptô, A.C. 407. duobuſque aliis Conciliis in Hiſpania habitis A.C. 447. rurſus condemnati ſunt. Vide Leon. *ep.* 93. Auguſt. *Hær.* 70. Sulpic. Sev. *Hiſt. Sacr. l.* 2. Baron. *A. C.* 381. Turibius, Epiſcopus Aſturiæ, 16. præcipuos horum errores, S. Leoni Epiſcopo Romano detexit, vide ſupra.

PRISCINIACUM, pagus territorii Lugdunenſis, ad Caloronem fluv. Deſiderii Viennenſis Epiſcopi martyriô nobilis. A Priſcino ſeu Priſcinio, poſſeſſore ſuo aut conditore. Vulgò *Brignais*, aliàs *Brigniez*. Caloro autem inter Lugdunum & Viennam, in Rhodanum decurrit, contra caſtrum S. Symphoriani, vulgò *Garon*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PRISCINIANUS Vicus, *Perſieu*, locus eſt Galliæ, in *Brixia*, memoratus *in Vita* S. Triverii Monachi, apud Hadr. Valeſ. in voce *Brexia*, *in Notit. Gall.*

PRISCINUS, Conſul. an. Urb. Cond. 845.

PRISCUS, frater Philippi Imperatoris Syriæ, vicinarumque provinciarum Præſes. Fratre mortuô, A. C. 249. Imperator proclamatus eſt à militibus, ſed à Senatu hoſtis judicatus, paulò poſt occiſus eſt. Aurelius Victor *de Cæſ.*

PRISCUS, venator, Martiali memoratus, *l.* 11.

PRISCUS Helvidius, ſub Nerone Quæſtor Achajam adminiſtravit, quæſtoriuſque adhuc à Pæto Thraſea gener adſcitus, ab ejus moribus nihil æquè ac libertatem hauſit, opum contemptor, recti pervicax, conſtans adverſus metus; de quo Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 36.

Quale coronati Thraſea, *Helvidiuſque biberunt*,
Brutorum & Caſſi natalibus. ———

Erant, *quibus appetentior famæ videretur: quinetiam ſapientibus*, *cupido gloriæ noviſſima exuitur.* Tacit. *l. 4. Hiſt. c. 6.* Probus quoque Grammaticus: *Priſcus*, inquit, *poſt damnationem Thraſeæ ſoceri ſui*, *interdictâ ſibi Italiâ*, *Apolloniam conceſſit.* Sed poſt interfectum Neronem reſtitutus à Galba, non aliter, quàm liberæ civitatis ſtatu egit. Idem poſteà Veſpaſianum, in ſtudio libertatis offendit, ut putaret (id optante Clodiô) priſtinum libertatis ſtatum poſſe revocare; quô nomine reus, ac præter ſpem abſolutus eſt.

PRISCUS, alio nomine *Julius*, à Vitellio, cum Alfeno Varo, Apenninum cum 14. prætoriis cohortibus & omnibus Equitum alis obſidere juſſus. Tacit. *Hiſt. l. 3. c. 55.* Præfuit, ſub eodem, prætoriis cohortibus ac victis partibus, ſeipſum interfecit, pudore magis quàm neceſſitate. Ibid. *l. 4. c.* 11. Vide & *Julius*.

PRISCUS Marius, vide *ibi*.

PRISCUS Panites, ſophiſta, floruit ſub Theodoſio Juniore, à quo variis Legationibus adhibitus eſt, teſte *Suidâ*, qui & auctor eſt, eum præter *epiſtolas* ac *declamationes*, etiam condidiſſe *hiſtoriam Byzantinam*, & *Attalicam libris* 8. Priſcum Rhetorem appellat Euagrius, *l. 5. c. ult.* atque ait prodidiſſe res poſt Honorium & Arcadium conſecutas. Fortaſſe eſt idem *Priſcus*, quem Stephanus adducit, in Σαλώνα. Vide Volaterran. *l. 3. Anthrop.* Jornand. *de reb. Goth. c.* 24. 35. 42. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 4. c.* 18. Item Philoſophus Juliano Apoſtatæ charus, Magiæ ſuſpectus. Item *Priſcus* Jabolenus, vetus JCtus. Item Sophiſta, Eunap. &c. Geſner. *Biblioth.*

PRISCUS Statius, vide *ibi*.

PRISCUS Tarquitius, vide *Tarquitius*.

PRISMATA Cryſtallina, adeò unita, ut in duobus lateribus ſe contingant, complura adſervantur in *Muſæo* Kircheriano: quæ ſi valvarum foramini imponantur atque reliqua luminis oſtia occludantur; in obſcuro cubiculo ſolis radius vitra mediante ſpeculo lenticulari pertranſiens, undique muros candidos diverſicoloribus peripetaſmatis veſtitos exhibet. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jeſu Muſæo*, *p.* 40.

PRISTALDI ſeu PRESTALDI, executores Judicum nobilium, in *Decretis Chartiſque* variis Hungariæ, Dalmatiæque Regum.

PRISTIS, genus belluæ marinæ, in *Gloſſ.* corruptè pro *Preſtis*, Græcè Πρῆστις, vide ſuprà, in voce *Phyſetero*. Item πλοῖον κητοφόρον, *navis ceti figuram habens*, cujuſmodi navigio raptam Andromedam, ſcribit Conon. atque inde fabulæ de monſtro marino occaſionem datam. Meminit navis ejuſmodi Virg. *l. 5. Æn. v.* 116.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtin.

Ubi *Servius*, vel à tutela depičta, vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα. Perperam, aliud enim tutela, aliud παράσημον in nave, uti ſuprà diximus in voce *Paraſemon*. *Priſtis*, protome erat marinæ belluæ ſic vocatæ, quæ in prora navis inter προεμβολίδα & ἔμβολον ſtatuebatur, unde toti navi nomen. Quemadmodum eandem ob rationem, Arietis, Tauri, Chimæræ, Centauri, &c. nominibus inſignitas naves legimus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 570. Inter Myronis ex ære opera *Priſtas* quoque memorat Plin. *l.* 34. *c.* 8. Ubi vel ſerras lignum ſecantes (namque hoc πρίειν Græcè) vel cetorum genus, intelligi, ait Dalechampius.

PRIVATA Ratio, Græcè Ἴδιος λόγος, eleganter dicitur pro *Rationali rei privatæ*. Quemadmodum *Ratio patrimonii* in *vetere ſaxo*, pro *patrimonii Rationali*: SUPERPOSITO. MEDICORUM. ET. RATIONE. PATRIMONII. i.e. qui ratio fuit patrimonii, ut *ex Conſule*, qui *Conſul* fuit. Sic *Curam Prætorii* dicebant, & *Curam Palatii*, pro *Curatore Prætorii Palatiique*. Ita ergo *Privata Ratio*, Græcè Ἴδιος λόγος *Straboni*, pro Λογιστής, qui *Diſpenſator rationis privatæ* appellatur, in *vet. Inſcr. Privatarum rerum Procurator*, apud Spartian. *in Sev. c.* 12. Quod officium jam ab Auguſti temporibus cùm fuerit cognitum, fallitur Spartianus, ejus auctorem Severum aſſerens. Sed eôdem is errore Rerum privatarum procurationem, ſub hoc Imperatore primùm conſtitutam fuiſſe ſcribit, quæ longè ante eum extitit, quô Curſus publici inſtitutionem Hadriano tribuit, quam certum eſt ad Auguſtum ipſum referri debere. Certè *Imperatoris Procurator*, jam Auguſti ævô occurrit, Græcis Ἴδιος λόγος τοῦ Ἄρχοντος: & *Procuratoris patrimonii*, meminit Lamprid. *in Commodo*, *c.* 4. & antiqui lapides ſæpius, quod tamen poſterius diverſum quid ſonare videtur. Vide *infrà*. Officium ejus quod attinet, Strabo *l.* 15. munus Ἰδίου λόγου hoc fuiſſe narrat, ἐξετάζειν τὰ ἀδέσποτα καὶ τὰ εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφείλοντα, *curare, ut bona caduca & vacantia Fiſco Cæſaris adnecterentur*. Nec aliud officium ejus, qui *Procurator rei privatæ* dictus eſt, etiam poſteriorum Imperatorum ævô. Caſſiodorus *in Formula Comitis Rerum priv.* (ſic enim tum dictus is Procurator) *Canonicarios dirigis poſſeſſores, admones, & cum aliis Judicibus non modica jura partiris. Caduca bona non ſinis eſſe vacantia: ita quod uſurpatio potuit invadere, tu fiſcum noſtrum facis juſtis compendiis obtinere.* Vide *tit. Cod. Theod. de bonis vacantibus & de incorporatione.* Habuit autem Procurator hic ſub ſe Rationales & Magiſtros rei privatæ, qui in ſingulis provinciis rem Principis privatam curabant. Unde Rationalis Ægypti, Rationalis Africæ, & reliqui Provinciarum Rationales, ſuberant *Comiti & Magiſtro rerum privatarum*: iſque etiam privati Principis Ærarii adminiſtrationem gerebat. Vide Jac. Cujacium *in Paratitlis* & Caſaubon. atque Salmaſ. *Not. ad Spartian. loc. cit.* ut & ſuprà; ubi de *Largitionibus privatis*, ſeu privato Ærario: quod non tantùm in auro argentoque, gemmis & veſtibus, ac reliquis mobilibus conſiſtebat: ſed etiam in domibus palatiiſque, prædiis ac poſſeſſionibus, rebuſque ſoli, uti docet idem ad Lamprid. *in Diadumeno*, *c.* 4. Idem *Privatæ* Procurator: ſubintellige *Rei*, in *vetere Inſcr.* Ἐπίτροπος Πριβάτης &c.

PRIVATÆ Feriæ, dicebantur Romanis, quæ non publicô nomine celebrari ſolebant Erantque vel propriæ familiarum, ut Claudiæ familiæ, aut Juliæ aut Corneliæ, & ſi quas ferias proprias quæque familia ex uſu domeſticæ celebrationis obſervabat; de quibus XII. Tabb. *Sacra privata perpetua manento:* Vel erant ſingulorum, ut Natalium fulgurumque ſuſceptiones, aut funerum aut expiationum. Feſtus, *Privatæ feriæ vocantur ſacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denecales: Apud Veteres quoque quicunque nominâſſet*, ut ait Macrob. *l.* 1. *Saturnal. c.* 16. *Semonam, Sejam, Segetiam, Tutelinam ferias obſervabat. Item, Flaminica, quoties tonitrua audiſſet, feriata erat, donec Deos placâſſet.* Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Cœterùm *Privatis* concionandi poteſtas non erat, niſi veniâ â Magiſtratu impetratâ: Tum enim cùm e.g. de rogatione Legum ageretur, poſtquam is qui eam promulgârat, Populo, ut rogationem acciperet, ſuaſiſſet, tum *Privati*, tum Magiſtratus pro ſuo quiſque cenſu, ex Roſtris ſi in Foro, ex ſuggeſtu aut alio editiore loco ſi in Campo Martio Comitia haberentur, vel ſuadebant, vel diſſuadebant, Idem *l.* 8. *c.* 2. Vide quæ diximus ſuprà in voce *Plebeji*. Etiam ex *Privatis*, nullô antè geſtô Magiſtratu Urbanô, aliquando ad bellum mittebantur, illud adminiſtraturi, velut Proconſules: Sic Scipio apud Livium, *l.* 26. Antequem cùm in Romana Hiſtoria non reperiatur, ulli *Privato* Proconſulatum hôc modô fuiſſe conceſſum, proin negat Carolus Sigonius, hos verè Magiſtratus fuiſſe aut dici potuiſſe. Idem *l. eod. c.* 42. *ubi de Proconſulibus*. Plura de *Privatorum* jure vide apud Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli paſſim*, & hîc paulo *infrà*.

PRIVATARIUS, apud Scylitzem *p.* 705. ubi mentio eſt, τοῦ πρώτου τοῦ πριβαταρίων ædis S. Demetrii Theſſalonicenſis: *Gazophylacii Præſes* eſt *Goaro*, quòd *Comites rerum privatarum* dicerentur, qui privati Principis patrimonii curam haberent. Certè *Privatum*, ærarium proprium Auguſti appellatum conſtat, Ἰδικὸν Græcis. Sed *Privatarii* in Eccleſia alibi non occurrunt: unde de hac vocis notione dubitare ſe, ait Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide ſuprà.

PRIVATI, opponuntur militantibus, ceu pagani, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 58. *Sola quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita eſſent, ſi hæredes illorum militarent, nec unquam ad* privatos *pertinerent dicens*, &c. Sic Ambroſius *in Agnetis paſſione*, *Coronatur*, inquit, *civitas tota: fit lætitia militantibus atque* privatis, *& univerſis audientibus hæc* &c. Certè in titulis militia, ceu nomen dignitatis, adſcribi ſolita eſt, ut in Neapolitano Lapide; Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ. ΑΚΥΛΛΑΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ. ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ. Caſaubon. *ad Lamprid. in Alex. Sev. loc. cit.* Aliter vox ſumitur, apud Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 46. *Dedit præterea poteſtatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum anteà ærata & eborata vehicula fuiſſent.* Ubi *Privatorum* vocabulô Vopiſcus tam Senatores, quàm Magiſtratus, h.e. omnes honoratos, comprehendit: Reſpectu *Principis* namque omnes ſunt *privati* etiam ſummis Magiſtratibus præditi. Salmaſ. *ad loc.* Vide quoque ſuprà, ubi de *Privatis Feriis*.

S. PRIVATI Monaſter. Galliæ, in pago Gabalitano, vulgò S. *Brivas*, dictum à Privato Gabalitæ urbis Epiſcopo, qui ab Alemannis Gallias Crocô Duce pervagantibus fuſtibus cæſus eſt, Valeriani & Gallieni principatu.

PRIVATIUM, vulgò PRIVAS, oppid. Occitaniæ, in tractu Vivarienſi. vix 3. leuc. à Rhodano. Aliàs munitum, ſed A. C. 1629. munitionibus nudatum; ad flum. Ardereſcam, *Ardeſche*, quod apud Pontem S. Spiritus Rhodanô excipitur. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

PRIVATUS, Hæreticus, Epiſcopus, Africæ, in Synodo 24. Epiſcoporum condemnatus eſt. Quare cum 5. aliis Præſulibus apoſtatis conſpirans, S. Cypriano Fortunatum, poſt Schiſma Feliciſſimi, ſurrogavit. Cyprian. *Ep.* 30. *&* 55. *edit. Rigalt.* Baron. *in Annal.* De eo Cyprian. *Ep.* 55. ad Cornelium Epiſcopum Roman. *Significavi tibi frater, veniſſe Carthaginem* Privatum, *veterem hæreticum, in Lambeſitana Colonia, ante multos ferè annos, ob multa & gravia delicta, nonaginta Epiſcoporum ſententiâ, condemnatum*, Plura vide apud Jo. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l. XII. c.* 11. ubi tertiam Claſſem Hæreticorum, illorum ſcil. qui lapſos, ſine pœnitentia, ad communionem admittendos recipiendoſque dictitabant, enarrat, ut & ſuprà, in voce *Impœnitentes*.

PRIVERNUM, urbs Volſcorum in Latio, circa Ufentem fluv. & Forum Appii. *Stephano* Πριούερνος, *Ptolemæo* verò Πριούερνον. *Straboni* Πρίβερνον. Ejus meminit Virgil. *l.* 11. *Æn. v.* 540.

Priverno antiquâ Metabus cum excederet urbe.

Silius, *l.* 6. *v.* 42.

——— *Levinus ab alto*
Priverno. ———

Populi *Privernates*. Idem Sil. *l.* 8. *v.* 394.

Sylla Ferentinos, Privernatumque maniplos
Ducebat ſimul excitos. ———

Nic. Lloyd. Nunc *Piperno* oppid. in monte, prope Auſentem fluv. & Pomptinas paludes, vix 5. mill. paſſ. à Setia in Eurum, *Baudrand.* Quòd adhuc ſatis amplum & cultum in Campania Romana, Setiam & Norbam oppida finitima infeſtâſſet, à Plautio Conſule dirutum fuit, teſte Liviô, *l.* 8. *c.* 1.

PRIVERNUS, nomen viri. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 576.

PRIVILEGIUM, jus eſt ſingulare, & in certæ perſonæ vel cauſæ gratiam, favoremve: Iſidoro *Lex de uno homine lata.* De his Lex XII. Tabb. memorata Ciceroni, *de LL. l.* 3. *Privilegia ne irroganto*, i.e. *de privis ſeu ſingulis hominibus leges ne ferantur*; variè à variis explicatur. Quidam enim omnia hic tolli *Privilegia*, autumant, & æquitatis ratio favet, quæ vult, ut omnes homines, ſummi cum infimis, pari jure teneantur, *juraque, non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituantur*, ut ait Ulpianus, *l.* 8. *de legg.* Οὐδεὶς γὰρ Νόμος ἀφ' ἑνὸς, ἀλλὰ κρίσις. Jac. Cujacius *Privilegia* duplicia eſſe docens; Alia quæ de una tantùm perſona concipiantur, in omne tempus; Alia, quæ ad plures perſonas ejuſdem conditionis vel ad univerſos cives pertineant: de hiſce non ſonare Legem, ſed de illis tantùm docet. Imò neque etiam de illis, niſi in omnia tempora concipiantur: Nam alioqui *in præſens tempus de ſingulis ferri Leges poſſunt*, Quintilian. *Declam.* 154. ut de Menandro, *l.* 5. *ff de Cant.* de Hoſtilio Mancino, *l. ult. ff. de Legat.* &c. Joſephus Scaliger, *Caſtigat. in Feſtum*, Legi addi vult, *niſi magnô Comitiatu*: quæ Cujacius ad ſequentia, *De capite civis ne ferunto*, referenda eſſe contendit. Scaligero aſſentitur Petitus, probatque ejus ſententiam ratione hâc firmiſſimâ: Cùm enim à Solone, inter alias Leges, & hanc acceperint Decemviri, ſi verba iſta, *niſi magnô Comitiatu*, adjiciantur, reſpondent exactè his Solonis, Ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. Integra hac de re Solonis Lex hæc eſt: Μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις, *Legem de privo homine ne rogato, ſed de omnibus Athenienſibus: niſi id videatur ſex mille civibus, ſuffragia clam ferentibus.* Unde patet, *Privilegia* irrogata fuiſſe, ſi id ſciſceret Populus. Quod ut faciliùs intelligatur, ſciendum eſt Athenienſium civium fuiſſe viginti millia, *Heſych.* Ἄνδρες Ἀθηναῖοι δισμύριοι ὁμόφρονες. Vide quoque Demoſth. *Or. contra Ariſtogit.* idque jam ab ipſo Cecrope, ut Auctor eſt Philochorus apud Græcum Pindari Interpretem *ad Olympior. Od.* 9. In ferendis autem ſuffragiis major pars obtinebat: Itaque neceſſe erat Athenis, ut plures decem mille, ſiquidem duas in partes tantùm ſcinderetur Populus, in eandem irent ſententiam: At verò Solon voluit, ubi de *irrogando Privilegio* ageretur, ut in his ejuſdem ſententiæ, qui plures fuêre decem mille, eſſent ſex mille minimùm, qui ſuffragium clam ferrent, ne quis gratiæ locus eſſet, Æſchin. *contra Cteſiph.* Et hoc eſt, quod Decemviri expreſſerunt verbis illis: *Niſi magnô Comitiatu.* Neque hîc abit Tullius, *l. extr.* 3. *de LL.* cujus verba ſic refert Petitus. *Tum Leges præclariſſimæ de XII. Tabb. tralatæ duæ; quarum altera Privilegia tollit: altera de capite civis rogari, niſi maximô Comitiatu, vetat, nondum initis ſeditioſis Trib. Pl. negat aliis: ſiquidem admirandum, tantum Majores in poſterum providiſſe: in privatos homines Leges ferri noluerunt: id eſt enim* Privilegium: *quô quid eſt injuſtius?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſtius? cùm Legis hæc vis ſit, ſcitum eſt, juſſum in omnes? ferri de ſingulis, niſi Centuriatis Comitiis noluerunt. Deſcriptus enim Populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilii, quàm fuſè in Tribus convocatus. Quò verius in noſtra cauſa, Vir magni ingenii ſummæque prudentiæ L. Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. Præter enim quàm quòd Comitia illa eſſent armis geſta ſervilibus, prætereà neque Tributa capitis Comitia rata eſſe poſſent, neque ulla: Privilegii *quocirca nihil nobis opus eſſe Lege, de quibus nihil omnino actum eſſet Legibus.* Ubi verba, *nondum initis ſeditioſis Trib. Pl. negat aliis:* dicuntur propter P. Clodium, qui tum nondum inierat Tribunatum Pleb. illud verò, *ferri de ſingulis*, referendum ad id quod præcedit, *quo quid injuſtius?* Verba dein, *prætereà neque Tributa capitis Comitia, rata eſſe poſſent, neque ulla: Privilegii quocirca nihil nobis opus eſſe Lege* &c. ſic omnino interpungenda: Quando enim Cicero in exilium pulſus eſt, à P. Clodio factum id eſt, non *irrogatô Privilegiô*, ſed Lege rogatâ, quam *P. Clodius tulit*, verba ſunt Velleji Paterculi, *l. 2. c. 45. ut qui civem Rom. indemnatum interemiſſet, ei aquâ & igni interdiceretur. Cujus verbis etſi non nominabatur Cicero, tamen ſolus petebatur.* Vide Sam. Petitum præfatum *Comm. in LL. Att. l. 2. tit. 1.* De *Privilegii* verò notione, in Eccl. Rom. ſuprà in voce *Benevalete.*

PRIUM, Ortelio ex *Ptol.* & Plin. *l. 5. c. 31.* fluv. Arabiæ Felicis & mons Cei inſulæ: cùm tamen *Prion* apud illos legatur, ſitque mons Coi, non Ceæ.

PRIVVEN, apud Galfridum Monumethenſem, *l. 7. c. 2.* nomen clypei Arturi Britonum Regis, in quo Deiparæ imago efficta. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

PROÆRESIUS, adoleſcens è Cæſarea Cappadociæ, Antiochiam venit, permotus famâ Ulpiani dicendi magiſtri, apudque eum primas tulit. Cum quo parvô pòſt tempore Athenas profectus, ſub Juliano ſophiſta, adeò profecit, ut primus inter auditores eſſet. Hephæſtionem condiſcipulum & amicum comitem ſibi adjunxit. Accerſitus inde in Galliam, à Conſtantino Imperatore apud eum in honore fuit. Romam poſteà petiit, ubi aliquot annos magnâ nominis famâ moratus, tandem opibus ac honoribus auctus, Athenas rediit, ubi magnô exceptus applauſu, extemporalem orationem habuit in Theatro. *Suidas.*

PROÆRESIUS, Philoſophus & Orator, ſeculô 5. Docuerat Rhetoricam Chriſtianam, tum, cùm Julianus Apoſtata Chriſtianis ſcholas clauderet. Deſeruit itaque ſcholam potiùs, cum Muſonio & Victorino, quàm ut quidquam contra conſcientiam ageret. Baron. *A. C.* 362.

PROANA, urbs Theſſaliæ. *Steph.*

PROARNA, urbs Milienſium. *Steph.*

PROAULA, apud Ordericum Vitalem, *l. 2. p. 412.* dicitur *ædificium ſeu cubiculum, quod ante aulam eſt, quæ & Salutatorium dicitur, quòd in eo excipiantur ſalutaturi.* Aliud fuit Græcis, προαύλιον, de qua voce vide quæ habet idem *Gloſſarii* Auctor, in *Deſcript. Ædis Sophianæ.* At Προαύλιον Ariſtoteli, *Rhetoric. l. 3.* eſt quod barbaris *præludium*, in tibiis. Sed & Προαύλια Græcis dicebatur primus trium legitimorum dierum, quos in nuptiis habebant, Latinè *Deſponſalia*; quòd in eo deſponderetur Virgo: ſicut alter Ἀπαύλια, Latinè *Decubatio*, tertius Ἐπαύλια, Latinè *Repotia* dictus eſt. Scaliger, *Poët. l. 3. c.* 101. Vide & ſuprà, ubi de *Nuptiis.*

PROBA, apud Amm. Marcellin. *l.* 21. *Joviniano vehiculo inſidenti quod portabat reliquias Conſtantii, ut Principibus ſolet, annonæ militaris offerebantur indicia, & (ut ipſi nominant)* probæ, *& animalia publica monſtrabantur:* poſteriori ævô dictum eſt δεῖγμα ſeu ſpecimen annonæ. Nempe, quoties per provincias iter faciebat Imperator, totius annonæ militaris ratio coràm illi exponebatur atque etiam δείγματα oculis ſubjiciebantur. Quam in rem vide quæ Caſaubonus habet *ad Æl. Spartian. in Hadriano Cæſ. c.* 11.

PROBA Falconia, Romana puella, A. C. 410. Græcis Latiniſque literis eruditiſſima: quæ truncatos Virgilii verſus ad fidem & myſteria Catholicæ fidei convertit, fecitque de rebus à Chriſto geſtis, & ejus morte, opus nobliliſſimum, quod *Centones* appellavit. Avia dein fuit Demetriadis, virginis pietate inclytæ. Romæ Alarico proditæ accuſata, defenditur, à Baronio, *in Annal. A. C.* 410.

PROBACTORES, vide infrà *Provocatores.*

PROBALINTHUS, vicus in Pandionide tribu. *Steph.*

PROBASCANION, in Hieroſol. Templi faſtigio, ad aves arcendas, occurrit apud Hebr. qui id vocabant כולה אורב *chole oreb, arcens corvos.* Kimchius *in Pſalm* 84. *Aliquid fecerunt in Templi tecto, ne aves ibi quieſcerent, quod vocabatur Chole oreb.* Quod ſic deſcribitur in *Talmud. in Tract. Middoth, c. 4. fol.* 71. *Et Chole oreb perdebat corvos, quia Templum cingebat ſuper loricam à quatuor ventis ferreò cingulô cubitum altô, gladii inſtar acutô, ne ulla avis Templo inſideret, quia per gladium illum pedes ejus abſcindebantur* &c. Et quidem in ſecundo, iſtiuſmodi προβασκανίῳ opus fuiſſe, ſcribit Aruch, non verò in primo Sanctuario, quòd in illo habitaverit divina Majeſtas. Tamen etiam in Templo primo, Salomonis ſcil. tale aliquid deſcribitur, ab Eupolemo apud Euſebium, *l. 9.* cùm eum feciſſe dicit, Δακτυλίους δύο χαλκοῦς ἁλυσιδωτοὺς (l. δικτύους δύο χαλκοῦς ἁλυσιδωτοὺς) καὶ στῆσαι αὐτούς &c. *Retia duo ærea hamulis conſerta & machinis impoſuiſſe, quæ viginti cubitis ſupra Templum eminebant & totum illud obumbrabant, & ex ſingulis retibus appendiſſe tintinnabula quadringenta magni ponderis & tota illa retia ſic adaptâſſe, ut ſonarent tintinnabula & aves ſonitu ſuô abigerent, ne Templo inſiderent, & in portarum aut porticuum laquearibus nidificarent & ſtercoribus ſuis Templum polluerent.* Sed *l.* 1. Regum, ubi Salomonis Templum accuratè deſcribitur, nihil tale reperies: ut neque in Joſepho, quamvis idem ſcribat, de Templo ab Herode extructo, *de Bello Jud. l. 6. c. 6.* Κατὰ κορυφὴν δὲ χρυσοῦς ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων, *In ſummo autem aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus avibus pollueretur.* Quæ deſcriptioni Talmudicæ ſatis conſona. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 1. c.* 8. & ſuprà *Gloria.*

PROBATIA, fluv. Bœotiæ apud Lebadeam urbem fluens, ad quem optimus calamus provenit. *Theophraſtus.*

PROBATICA, Græcè Προβατικὴ, Piſcina fuit dicta, Johann. *c. 5. v.* 2. Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα. Quod Vulgatus reddit, *Erat autem Hieroſolymis* probatica *piſcina, quæ cognominabatur Hebraicè Betheſda* &c. a voce Græca πρόβατον, i. e. *ovis*, quòd in ea mundarentur oves, quæ pro ſacrificio offerebantur in Templo. Ita quidem Dominic. Macer *in Hierolex.* Alii ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ad Forum pecuarium*, exponunt ſubintellectô ἀγορᾷ. Beza tamen magis probat, ut legamus cum Theophylacto, ἦν δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα, quam lectionem apparet habuiſſe Cyrilli & Chryſoſtomi exemplaria. Sed is hanc piſcinam προβατικὴν, h. e. *pecuariam*, dictam vult; quòd ex ea potari, & in eam merſari pecora ſolerent, vide eum *Annotat. ad loc.* Fuit hæc piſcina, quam à Salomone Rege extructam & *Stagnum Salomonis* appellatam, ait Joſeph. *de Bello Jud. l. 6. c.* 6. miraculoſâ ægrorum qualiumcunque ſanatione, poſtquàm Angelus ſtatis temporibus deſcendiſſet in eam & aquam turbâſſet, inclyta, qua de re vide Johannem *c. cit. in ſeqq.* Quod miraculum paulò ante Chriſti adventum, in defectu Prophetiarum innotuiſſe, & in die Pentecoſtes, poſt largam illam Spiritus S. effuſionem, ceſſâſſe, narrant Cyrillus *in Joann. l. 2. c.* 125. & Tertullian. *contra Judæos c.* 13. Joſephus certè & Philo, qui poſteà demum ſcripſêre, nullam ejus faciunt mentionem. Vide præfatum Macrum, *ubi ſuprà.*

PROBATIO, apud Cæſarium, *l. 1. c.* 10. *Unô diſcedente, alter cui nomen erat Goſuinus, importunitate ſuâ ut reciperetur obtinuit, qui vix per ſex hebdomadas, in* probatione *ſtetit:* & *c. 2. l. 2. Annô probationis expletô factus eſt Monachus*; dicitur in Eccleſia Romana Religioſorum, uti vocant, Novitiatus, vide in hac *voce.*

PROBATOPOLIS, vide *Scaphuſia.*

PROBATORES Operum publicorum in *veterib. Inſcriptionibus* & ſcriptis Romanorum occurrunt ſæpiſſimè, de quibus vide Jan. Guilielmum, *Veriſimil. l. 2. c.* 8. Franc. Modium, *Novantiquis, Ep.* 39. Carrionem, *Emendationum l. 2. c.* 5. & G. Stewechium, *Electis ad Arnob. l.* 2. verba *Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere pravitates, is apertiſſimè monſtrat, imperfectum,* improbabilem *ſe eſſe.*

PROBATUS, Ægyptiorum Dux, Timogenis inſidiis interemtus eſt, principatu Claudii II. apud Treb. Pollionem *in hujus Vita, c.* 11. Zoſimus & Zonaras *Probum* nominant, & *Timagenem.* Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad l.*

PROBIANA Purpura, clariſſimæ purpuræ genus dictum eſt, Lampridii ætate, ab Aurelio quodam *Probo*, qui illud invenerit. Fuit autem is Baphiorum Præpoſitus. Lamprid. *Alexandr. Sev. c.* 40.

PROBITAS, apud *vet. Scholiaſtem* Statii, *Thebaid. l. 6. v.* 826. ubi Poëta habet,

——— *conſcia virtus,*

virtutem bellicam notat. Hanc enim notionem ſequiori Latii ævô vox adepta eſt. Sic idem *probum virum* pro forti, magnanimoque dixit, *ad l. 9. v.* 787. & *Probitatem*, fortitudinem, *l. 11. v.* 787. Cui rei exempla plurima de nota recentiore, congeſſit Caſp. Barthius, *Animadverſion. ad Guil. Brittonem Philippidos l. 6. v.* 364.

in PROBO & aſpero ſolvere, apud Senecam, *Ep.* 19. eſt in proba & bonæ notæ moneta ſolvere. Latini enim nummum *probum & aſperum* vocant, pecuniam probè & expreſsè ſignatam, quam Græci ἀργύριον δόκιμον & ἐπίσημον dicunt. Quemadmodum contrà nummos, qui aſperi non eſſent, ſed aut uſu detriti, aut malè à principio ſignati, ἀσήμους appellant. *Pollux* de pecuniæ vitio, ἀργύριον παρατετυπωμένον, παρακεχαραγμένον, ἄσημον, ὑπόχαλκον. Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 33. & ſuprà, ubi de *Aſperis nummis.*

PROBULEUMA, vide infrà *Suffragium.*

PROBUS M. Aur. Valerius, Imperator Roman. qui bellô Sarmaticô; tranſmiſſô Danubiô, multa fortiter egit. Filius ruſtici Dalmatæ; tantum virtute effecit, ut poſt Tacitum, Imperator eligeretur A. C. 276. ab exercitu Orientali. Victoriis inclytus, vicit in Gallia 400000. Germanorum, dein, ut dictum, contra Sarmatas in Illyrio, & contra Gothos in Thracia rem egregiè geſſit. Bonoſum & Proculum, cum Saturnio, rebelles coërcuit. Ob prudentiam & dexteritatem cunctis acceptus, ab uno militum ſuorum, qui nimium rigorem diſciplinæ exoſus, ſe inutilem fore credidit, ſi Imperator omnes hoſtes domuiſſet, occiſus eſt, A. C. 282. Vita ejus ex Flavio Vopiſco, Euſeb. *in Chron.* Victore, Oroſio, Eutropio &c. petenda eſt. Vide Corn. Nepot. Titium *Probum* & Valerium *Probum.*

PROBUS, Conſul cum Arcadio Aug. an. Urb. Cond. 1159. Alius Conſul. cum Aniano Juniori, an Urb. Cond. 1236. Tertius Conſul. cum Clementino, an Urb. Cond. 1267.

PROBUS, Severi Imperatoris gener. Æl. Spartian. *in Severo, c.* 8. *Filias ſuas dotatas maritis* Probo *& Aëtio dedit. Et quum Probo —— præfecturam Urbis obtuliſſet, ille recuſavit dixitque, minus ſibi videre Præfectum eſſe, quàm Principis generum. Utrumque autem —— ſtatim Conſulem fecit, utrumque ditavit.*

PROBUS, Berytius, Grammaticus, Romæ docuit; non tamen, ut magiſtri perſonam ſuſtineret, unum aut alterum, vel cum plurimùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rimùm tres aut quatuor promeridianis horis admittere ſolebat, cubanſque inter longos & vulgares ſermones, legere quædam, idque perrarò. Nimis parva & exigua, de minutis quibuſdam quæſtiunculis edidit: Reliquit autem non mediocrem *ſylvam obſervationum ſermonis antiqui*. Ab initio enim ad ſtudia ſe contulit, poſtquam in militia diu centuriatum petiiſſet. Tranquillus, *de Illuſtr. Gramm. c.* 24.

PROBUS, Martyr ſub Genſerico Gotthorum rege, an. Urb. Cond. 1439.

PROBUS, Tullenſis Epiſcopus, in Synodo Herbipolitana, ubi Legatus Pontificis de vita periclitatus eſt, contra Papas aculeatiſſimam habuit orationem, A.C. 1287. Aventinus, *l.* 7. *Annal. Boj.* Bulling. *de Concil. l.* 2.

PROBUS Valerius, vide *Valerius.*

PROCAS, Rex Albanorum, poſt patrem Aventinum, A. M. 3235. per ann. 32. pater Amulii, & Numitoris, avus Romuli & Remi. Liv. *l.* 1. *c.* 3. Dionyſ. Halic. Euſeb. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 767.

Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis.

Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 622.

Jamque Palatinæ ſummam Proca gentis habebat.

PROCASTRIA ſeu PROCESTRIA in *Gloſſis*, οἰκήματα τῆς παρεμβολῆς, *loca extra caſtra*, ſeu *extra civitatem*. Idem nempe *Procaſtrium* videtur, quod ἐξώκαστρον, Laonico, *l.* 9. & ἐξώπυλον, Annæ Comnenæ, *l.* 6. i. e. ὁ ἔξωθεν τοῦ κάστρου ſeu πόλεως κύκλος, *extra urbem munitio* ſeu *murus*, qui etiam *antemurale* aliis & *promurale* dicitur. Cujuſmodi propugnacula ſeu muri exteriores graphicè deſcribuntur, ab eadem Anna, *l.* 4. *p.* 426. & à Petro Mon: Vallis Sarnei, *c.* 63. laudati Car. du Freſne in *Gloſſar.*

PROCAVUS, mons Liguriæ, apud Genuam, ubi nunc arx, vulgò *Caſſello:* qui mons deſinit ad Pharum. *Vet. Tab.*

PROCELLA, Servio *in Æn. l.* 1. eſt *vis ventorum cum pluvia, dicta quòd omnia percellat.* Ex iis Papinius ingenioſè monſtra quædam viventia facit, *Thebaid. l.* 10. *v.* 537. *& ſeqq.*

Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia ſupra
Ceſſantes in nube ſedent, nigriſque leguntur
Collibus, & ſubitæ ſaliunt in vela procellæ.

Ad quem locum, vide *Animadverſiones* Caſp. Barthii. Sic capiti ventorum eos inſidere facit Val. Flaccus, *l.* 1. *v.* 612.

——————— *crinemque* procellis
Hiſpidus, & multâ flavus caput Eurus arenâ.

Et à tali ſaltu *abruptas* indigitat Virg. *Georgic. l.* 3. *v.* 259. *de Leandro,*

——————— *abruptis turbata procellis*
Nocte natat Cæcâ ſerus freta ———

Inprimis verò formidabiles ſunt, quas *Travados* Portugalli vocant, frequentes in Oceano Atlantico inter Braſiliam & Africam, ad Guineam ſub Æquatore, ad *Loango*, ad Caput Bonæ Spei ad Terram *de Natal* ad Promontor *Guardafuy*. Quibus non abſimiles, turbines ſunt concitatiſſimi, quos ſubinde in Arabiæ deſertis itinerantes, cumprimis qui Mecham abeunt, experiuntur. Vide in voce *Travados.*

PROCER, apud Capitolin. *in Maximinis, c.* 2. *Et in prima quidem pueritia fuit paſtor, nonnunquam* Procer, *qui latronibus inſidiaretur:* dicitur, qui paſtorum, ad pugnandum contra latrones adunatorum, dux erat. Scribit enim de Maximino Herodian. *l.* 7. *c.* 1. Paſtorem initiô fuiſſe, apud ſuos Thraces montanos: poſteà verò corporis robore eò provectum, ut ducatum levem inter populares ſuſtineret. Ἐπιδιδοὺς, inquit, αὐτὸν διὰ μέγεθος καὶ ἰσχὺν σώματος εἰς εὐτελῆ, καὶ ἐπιχώριον στρατείαν. Nempe qui in Rep. eminent ſupra cœteros, *Proceres* dicuntur, οἱ Ἔξαρχοι καὶ Πρωτοπολῖται, ut vertitur in *Gloſſis* & apud *Soſipatrum.* Ita autem dixit Capitolinus, quia neque Ducem neque Tribunum poterat: ea namque propria fuerunt militiæ Romanæ verba & cum honorificentiâ conjuncta. Ideo & Herodianus non στρατείαν ſimpliciter, ſed cum adjectione εὐτελῆ καὶ ἐπιχώριον, ait. Eâdem voce Juvenalis utitur, *Sat.* 8. *v.* 26.

Agnoſco Procerem, *ſalve Getulice* ———

Vide Caſaubon. *ad Capitolin. loc. cit.* Vocis origo à Græco προεχὴς, *qui in re aliqua eminet*, Æolicè προεχὴρ, πρεχὴρ, προυχὴρ, unde *procerus:* Et προεχὴρ, pro προεχὴς, *procer.* Quô utrôque indigitatur *eminens, excelſus* & in erecto longus. Inde *Proceres*, pro Optimatibus & Summatibus. Et in ædificiis, mutuli & capita trabium eminentium *Proceres* dicti, ſecundùm *Varronem;* qui ab illis trabium capitibus, Principes civitatis, *Proſeres* appellatos vult. Perperam; *Proceres* enim in civitate ſunt, οἱ προεχεῖς cives, & *proceres* in ædificiis, προεχεῖς & eminentes trabes. Salmaſ. *ad Solin. p.* 81. Apud Reges Francorum primæ ſtirpis, *Proceres* appellati ſunt Aulæ Magnates Comiteſque, qui cum Regibus in Judiciis Palatinis conſidebant. Monachus Sangall. *de Carolo M. l.* 1. *c.* 34. *In conſpectu ſereniſſimi Regis &* Procerum *ejus.* Hinc apud Agobardum, Marfredus *Procer Palatii* dicitur, *Ep. ad eund.* ubi & *Miniſter Imperatoris* & *Imperii* appellatur. Sed & apud Wiſigothos, *Proceris* nomen dignitatis fuiſſe, diſcimus ex Concilio Toletano VIII. in quo ſubſcribunt. *Dabila Comes & Procer, & Frolla Comes & Procer*, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque Salmaſ. *ad Capitolin. in Marco, c.* 22. ubi Optimates, & *Proceres* & Summates, iis temporibus, non alios fuiſſe & dici conſueviſſe, quàm Senatores, notat.

PROCERASTIS, oppid. Bithyniæ ad Boſphorum Thracium, è regione Byzantii, quod notiori nomine *Chalcedon* appellatur. Plin. *l.* 5. *c. ult.*

PROCESSIO, Græcè Ἐκπόρευσις, dicitur in Sacris modus, quô Spiritus S. à Patre & à Filio eſt, adorandus potiùs, quam ſcrutandus, de quo vide Athanaſium *in Symb.* Epiphanium, *Hær.* 62. *contra Sabell.* §. 4. & *ſeqq.* Baſilium *contra Eunomium, l.* 5. Ambroſium, *in Symb. Apoſtol. c.* 1. 3. 4. Auguſtin. *de Trin. l.* 4. *c.* 20. A' Filio verò Spiritum S. *procedere*, negat Eccleſia Orientalis, & queritur, laciniam iſtam, τὸ (ſcil. Πνεῦμα) ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, à Latinis Symbolo Niceno aſſutam fuiſſe: Hi contrà à Conſtantinopolitanæ Synodi Patribus id factum ſatagere. Qua de re acriter diſceptatum inter utroſque Seculô VII. regnante Pipinô, in Gentiliacenſi Conſilio. Eadem quæſtio agitata in Synodo Aquiſgran. Seculô VIII. Nec tam actum ibi de dogmate, quàm de interpretatione Concilii Conſtantinopolitani. Recruduit lis Seculô XII. Anſelmô Cantuarienſi Archiepiſcopô cauſam contra Græcos acriter urgente. Et quamvis hôc ſeculô ferme exeunte Occidentalibus acceſſiſſe viderentur Græci, in Concilio Lugdunenſi, omnia tamen à Græcis paulò pòſt fuere reſciſſa. Certum, in Concilio Florentino A.C. 1439. Imperatore & Patriarchâ Conſtantinopolitanô conſentientibus, litis iſtius temperamentum quæſitum fuiſſe, ut ſtatueretur, *Spiritum S. à Patre per Filium procedere*, negari tamen non poteſt, ab iſta tranſactione reſiliiſſe Orientales, & in ſua ſententia ad noſtra uſque tempora acriter perſtare: niſi quòd Cyrillus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ante 40. annos circiter floruit, in *Confeſſione* ſua in Anglia edita, eôdem modô mentem ſuam, circa adorandum hoc dogma, explicuit. Vide Frid. Spanhemium *Syntagm. Part. I. Diſput. de Trinitate* §. 14. & Suicerum, voce Ἐκπόρευσις. Ab hac verò ſententia *Melchianorum* nomen Græcis hæſiſſe, diximus ſuprà.

PROCESSIO, vox in Imperio olim, hodieque in Eccleſia Romana nota. *Procedere* enim & *proceſſiones* facere dicebantur Imperatores quoties vel in palatia ſuburbana ſecederent vel etiam ad Sacra procederent, quod cum apparatu & comitatu magnifico fiebat. Vulcatius Gallicanus *in Avidio Caſſio, c.* 7. *Imperatorio mimo cùm* proceſſiſſet, *eum, qui ſibi aptaverat ornamenta Regia, præfectum prætorii fecit* &c. Unde poſtmodum ipſæ Imperatorum in iiſdem Palatiis moræ, *Proceſſus* non ſemel dictæ; Byzantinis verò Scriptoribus Πρόκεσσα & Πρόκενσα, item Πρόκηνσος; qua de re pluribus agit Car. du Freſne *in Conſtantinopoli Chr. l.* 3. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 740. Maximè verò *Proceſſio* & *Proceſſus*, de Conſulib. dictus eſt, qui cum pompa & apparatu magnifico *procedere* ad Circum ſolebant: quod ſepties fieri conſueviſſe, durante Magiſtratu, docet Julianus Anteceſſor *Conſtitut.* 98. *Proceſſiones autem ipſius volumus eſſe ſeptem, omnes in Circo & in harena, & in theatro* &c. Vide infrà *Theatroquinegium.* Inde vox in Eccleſiam tranſiit. Cùm enim Arriani Theodoſiô imperante cantilenarum (ad oppinionem ſuam aptè reſpondentium) per plateas recitatarum primi inventores fuiſſent: Chryſoſtomus veritus, ne aliquis è ſimplicioribus, ejuſmodi cantibus ab Eccleſia abduceretur, quoſdam ex ſuo populo illis contrà comparavit, qui nocturnis hymnis decantandis ſimiliter operam darent: Arrianorumque ea in re ſtudium eô pactô reprimerent, denique ſuos in ipſorum fide admodùm confirmarent, uti legimus apud Socratem, *l.* 6. *c.* 8. & Sozom. *l.* 8. *c.* 8. quod inſtitutum tamen tumultu & periculô non caruiſſe, addunt iidem. Poſteà in Eccleſia Romana hoc nomine inprimis venire cœpit agmen ſupplicantium, ad inſtar exercitus, ordinatorum, & cum vexillis ac cruce, ad loca ſacra, procedentium. Romæ Baſilicarum Canonici etiam tentoria ſecum ferunt, ante quæ *locô claſſicorum*, ait Macer, *campanulas habent;* ad imitationem, ut habet Gemin. *l.* 1. *c.* 68. Iſraëlitici Populi, ante Arcam, proficiſcentis. Et quidem olim, in memoriam Chriſti Reſurrectionis, in omnibus per annum Dominicis, *Proceſſio* celebrata eſt, ac Prælatus ſeu alius quidam Superior, reliquos Eccleſiaſticos, præceſſit, ad denotandos Apoſtolos alioſque Diſcipulos Chriſtum ſequutos, in ejus Reſurrectione, quum in Galilæam proceſſit: *Unde ſemper in hujuſmodi Proceſſionibus Prælatos noſtros, quaſi Dominum in Galilæam, ſequimur*, ait Rupertus *de Div. Offic.* &c. Quam in rem vide plura, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* ubi de variis *Procedendi* ritibus, de *Proceſſione Nigra*, ſeu *Litania majori*, de *Proceſſione Septiformi* aliiſque huc pertinentibus, varia congeſſit. De *Proceſſione in die Aſcenſionis*, vide præfatum Rupertum, *l.* 9. *c.* 9. &c. Sed & Græcis ſuæ *Proceſſiones* ſunt, in quibus ſemper defertur Codex Euangeliorum; quem qui deferre conſuevit, in Eccleſia Conſtantinopolitana, *Præfectus Euangelio* appellatus eſt, Idem Macer. De *Proceſſionibus Gentilium* veterum vide ſuprà in voce *Litania;* hodiernorum, Petrum de la Valle *Itinerarii Tom. IV.* ubi de variis Indiæ Populis eorumque Cultu ac Religione. Hinc *Proceſſores*, in eadem Eccleſia Romana dicuntur, qui *proceſſionaliter* incedunt. *Ordo Rom.* aſſociantes Epiſcopum, quando proceſſionaliter ex Sacrario procedebat, *Proceſſores* appellat, ſi comitantes Diaconum, quando ad ambonem pro canendo Euangelio diriguntur, *Proceſſores* nuncupantur, &c. apud eundem Macrum *in Hierolex.* Aliam notionem vocis *Proceſſio*, habes ſuprà in *Harmiſcara.*

PROCHONE, inſul. quæ aliis *Alone. Steph.*

PROCHORUS, nomen Diaconi. *Actor. c.* 6. *v.* 5. Cui quidam, ſed falsò, attribuerant vitam Johannis Euangel. quam idem opus cum *circuitu Johannis* eſſe, credit Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 9.

PROCHYTA, inſul. Campaniæ in ſinu Puteolano, *Ænariæ* proxima, auguſtô fretô diſcreta, cui olim juncta fuiſſe putatur, à Neapoli 12. mill. paſſ. diſtans. *Stephanus* falsò Siciliæ inſulam facit. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 715.

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Jovis imperiis impoſta Typhœo.

Hanc Dionyſius deſcribit, *l.* 1. Sic dicta *à profuſione;* nam quæ de Æneæ aut nutrice, aut cognata dicuntur, falſa ſunt. Tu lege Servium, Pontanum, alioſque ad Virgilii adductum. Adi & Plin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Plin. *l.* 3. *c.* 6. *Baudrando Prochita*, Inſul. eſt regni Neapolitani in mari Tyrrheno, & ora Campaniæ, prope & extra Sinum Puteolanum, inter Ænariam Inſulam ad Occaſum, à qua vix mill. paſſ. abeſt, & Miſenum promontor ad Ortum, à quo ſimiliter diſtat. Circuitus eſt 3. mill. paſſ. teſte Cl. Nepote; eique adjacet ad Occaſum parva Inſula, *Iſola di Vivara*.

PROCHYTA, Urbs Inſulæ cognomine Patria Johannis Prochytæ.

PROCI, vide ſuprà *Pacta doctalia*.

PROCIDUS, ſub principium regni Athenienſis, primus quadrigam junxit, Ado Vienn. *Chron. æt. tertiâ*, *p.* 24. Niſi fortè mendum ſubeſt. *Trochilus* enim dicitur primus junxiſſe quadrigam, Freculpho Epiſcopo Lexovienſi *Chron. Tom. I. l.* 2. *c.* 6. Quod & Euſebius habet in *Chron.* & Tertullian. *de Spectac.* ubi *Trochilum apud Argivos, in honorem Junonis, Romulum, in honorem Martis ſeu Quirini, quadrigam excogitâſſe*, ait.

PROCILIUS, Grammaticus, vir ſuis temporibus doctiſſimus. Cùm de peregrinis regionibus loquitur, commemorat apud Memphim, in aurea columna Ægyptiis literis ſcriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, cùm in eam veniſſent Romani faſces. *Lampridius*.

PROCILIUS, Hiſtoricus Latinus tempore Pompeji M. Scripſit varia, quorum memoria ſupereſt, apud Varron. *l.* 4. *de L. L.* Plin. *l.* 8. *c.* 2.

PROCILLA Julia, Julii Græcini uxor, Cn. Julii Agricolæ mater, raræ caſtitatis femina. Tacit. *Agricol. c.* 4. à Claſſe Othoniana, dum in Templo (Liguriæ pars eſt) hoſtiliter populatur; interfecta eſt. *c.* 7.

PROCILLUS (integrô nomine *C. Valerius Procillus*) vitioſè alii libri habent *Troacillum* & *Troancillum*, Princeps Galliæ provinciæ, Cæſaris familiaris, *l.* 1. *Comment. c.* 19. Vide *Valerius Procillus*.

PROCLAIS, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.* Gangaridûm regia Plin. *l.* 6. *c.* 19. in cujus regione, quam *Gandararum* vult eſſe *Ptolemæus*, ſitam inter Suaſtum & Indum, Bucephalos Alexandria recenſetur ab Arriano, vel quiſquis alius eſt *Peripli Maris Erythræi* Auctor. Ἔθνη τότε τῶν Ἀρατριῶν καὶ Ῥαχούσων καὶ Τανθαράγων (an Γανδαριδῶν;) καὶ τῆς Προκλαΐδος, ἐν οἷς ἡ Βουκέφαλος Ἀλεξάνδρεια. Sed ea Bucephalia ſeu Bucephalos Alexandria, condita ad Hydaſpen amnem, proditur Straboni; ſatis longè à Gandaris Ptolemæi &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 992. & 993.

PROCLAMANDI Victores, in Ludis Olympicis, ritus, vide ſuprà ubi de *Præconibus Ludorum ſacrorum*.

PROCLE, urbs Lydiæ. *Steph.*

PROCLES, ſextus ab Hercule, frater Euryſthenis, qui per totum vitæ tempus inter ſe diſſenſerunt, & mutuum inter ſe odium foverunt: qui ambo, mortuô patre Ariſtodemô, cui ἐν μερισμῷ τῆς χώρας, *in partitione regionis* (Peloponneſi videl. ab Heraclidis poſt reditum factâ) Lacedæmon ſortitò obtigerat, ſub tutela primùm avunculi Theræ fuerunt: dein Reges Spartæ ſimul facti, duplicis ſucceſſionis Regiæ, de qua diximus voce *Euryſthenes*, capita extitêre. Et quidem *Procli*, in ſerie *Proclidarum* ſucceſſit Sous, proavus Lycurgi, Soo *Euryphon*, à quo *Eurypontidarum* nomen, ut mox videbimus. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 16.

PROCLES, Carthaginenſis, celebratur Pauſaniæ *in Meſſeniacis*, ubi judicium ejus refert de Alexandro M. & de Pyrrho; itemque *in Corinthiacis*, ubi ex eo hiſtoriam aſſert de Meduſâ.

PROCLES, Naxiorum dux, ingentibus promiſſis à Dionyſio oneratus, patriam ſuam tyranno prodidit, mercedemque perfidiæ magnam pecuniæ vim & cognatos inſuper ſuos incolumes tulit

PROCLIDÆ, Laconum familia, quæ poſteà *Eurytionidæ*, ut Plut. *in Lycurgo*: vel *Eurypontidæ*, ut Pauſanias refert, *in Laconic.* fuêre. Vide etiam *Lacedæmon*, & ſuprà *Procles*.

PROCLUS, Patriarcha Conſtantinopolit. poſt Neſtorium,
A. C. 434. diſcipulus Joh. Chryſoſtomi, Attico à ſecretis. Vo-
luſianum ad fidem perduxit, Hæreticis acriter reſtitit, non da-
mnavit ſolùm, ſed & refutavit librum Theodori Mopſveſtii. Obiit
A. C. 446. Scripſit *Homilias* aliquot, &c. Opera ejus edita Ro-
mæ, A. C. 1630. poſtquam jam quædam ejus ſcripta prodiiſ-
ſent, A. C. 1617. operâ Everhardi Elmenhorſtii. Vide Acta 4.
Conc. Chalced. & 5. Conſtantinop. Cyrillum, *in expoſ. Symb.*
Nic. & ep. 31. *ad Joh. Antiochenum.* Socr. *l.* 7. *Hiſt. c.* 26. 28. &
ſeqq. Theodoret. *l.* 5. *c.* 36. Niceph. *l.* 14. *c.* 38. Phot. *cod.* 53.
Joh. Damaſc. &c.

PROCLUS, Hæreticus, diſcipulus Montani, à Gajo, homi-
ne erudito, coram Zephirino Epiſcopo Romano convictus. Lau-
datur impensè à Tertulliano, qui ab eo Montani deliria hauſiſſe
creditur. Euſeb. *Hiſt. l.* 6. Hieron. *de Scr. Eccl. in Gajo.* Baronius,
in Annal.

PROCLUS, Lycius fuit, & ſi audimus Volaterranum, *l.* 18.
antiquior fuit Porphyriô & Jamblichô. Nam à Spartiano prodi-
tum ait, fuiſſe præceptorem M. Antonini, eumque ab eo ad Pro-
conſulatum eſſe evectum. Proclus verò non Lycius, ſed Sic-
cenſis fuit: eſtque inter hos 300. annorum intervallum. Sic
Johannes Stœfflerus Juſtingenſis, qui ait, vixiſſe temporibus
Trajani, quod ex eo colligit, quia diſcipulum habuerit Marinum
Neapolitanum, quem ſub Adriano ait vitam Procli ſcripſiſſe.
Sed de Marini ætate fallitur. Quod liquebit, ſi dixerim de Pro-
cli ætate. Is autem claruit, A. C. 500. Ut qui Syriani fuit diſci-
pulus, eique ſucceſſit in Scholâ, uti Proclo poſteà ſucceſſit Ma-
rinus, quem vitam magiſtri ſcripſiſſe diximus. Πλατωνικὸν φιλό-
σοφον vocat *Suidas*. Extant ejus libri 6. de Theologia Platonica, qui
Hamburgi primùm prodiêre, A. C. 1616. Item ſuperſunt, *com-*

mentarii in Timæum & libros de Rep. Scripſit quoque *de Orphei*, *Pythagoræ*, *& Platonis conſenſu in oraculis libros* 10. aliaque, quæ Suidas commemorat. Ex quo etiam cognoſcimus, quàm Chriſtianis fuerit infeſtus. In eo autem ratio fugit Stoefflerum, quòd putaret, Proclum vocatum *Diadochum* à gemma ejus nominis, quæ beryllo ſimilis, teſte Plin. *l.* 37. *c.* 10. Διάδοχος enim appellatus eſt κατ᾽ ἐξοχὴν ob ſucceſſionem in Schola Platonica. Anaſtaſio Imperatori gratus, obſeſſâ à Vitaliano Conſtantinopoli dicitur claſſem ejus ſpeculorum æneorum ope, inſtar Archimedis; combuſſiſſe. Tractatus ejus contra Chriſtianos, à Philopono, refutatus eſt. Vide Suid. Zonar. *Annal. part.* 3. Geſner. *in Biblioth.* Voſſ. *de Sectis Phil. c.* 16. & *de ſcient. Mathem. c.* 1. §. 2. *c.* 33. §. 26. *c.* 50. §. 6. Vide Jonſium, *de Script. Hiſt. Phil. l.* 3. *c.* 10.

PROCLUS, Malleotes patriâ, ſcripſit *in ſophiſmata Diogenis*, & *contra Epicurum*.

PROCLUS, Naucratita, Philoſtrati præceptor, de quo vide *Volaterranum*.

PROCLUS Lucianus, vidè *ibi*.

PROCNESUS, apud Val. Flaccum, *l.* 3. *v.* 34.

> *Aura vehit: religant tonſas: veloque* Procneſon
> *Et te jam mediô flaventem, Ryndace, Ponte,*
> *Spumoſumque legunt fractâ Scytaceon ab unda.*

Pro Προκόννησος vel Προκόνησος ita enim rectè dicuntur à Græcis iſta, non ad duplicanda modò, ſed etiam ad corripienda verba mirè artificibus. Ut *Lucumo*, qui *Dionyſio Halicanaſſenſi* Λοκόμων, Propertio, *l.* 4. *El.* 1. *v.* 29. eſt *Lucmo*: Χέρνησος, apud Apollonium, *l.* 1. pro Χερρόνησος &c. Malè ergo alii *Proneſon* legunt & ex *Strabone* interpretantur exile oppidum, juxta Cephalleniam, præterquam enim quòd verſum vitiant (eſt enim Πρώνησος) non viderunt, ſe bonos Argonautas, in Propontide navigantes, ſubjtò tranſtuliſſe in Ionium mare. Jo. Fridericus Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 21. In veterib. libris, *Proconenſe*, pro *Proconeſenſe*, ſæpe occurrit: Gentile, à *Proconneſus*. Sic *Proconnenſis ancilla*, apud Solinum, *c.* 1. Plin. *l.* 36. *c.* 6. *Proconneſium marmor* meliùs vocat, ut & idem Solinus, *c.* 37. *Gemma ad imaginem marmoris* Proconneſii, *niſi quòd in medio umbilico lapidis iſtius glaucum, ut oculi pupa, internitet*. Ubi de lapide Zmilanthi. Nempe Proconneſium marmor album erat, venis intercurrentibus nigris, modò rectô diſcurſu, modò obliquô & intortô: Zmilanthis verò lapis, qui illi ſimilis eſt, pro venis nigris in medio glaucas præfert. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 703.

PROCOLITIA, *Camdeno* eſt *Prudhow*, caſtrum Northumbriæ, à Novo caſtro 8. milliar in Occident. *Coleceſter* propinquum.

PROCONNESIA, ancilla apud Plin. *l.* 7. *c.* 11. quæ ejuſdem diei coïtu alterum domino ſimilem, alterum ejus procuratori peperit infantem.

PROCONNESUS, quæ & *Neuris*, & *Elaphonneſus*, Plin. *l.* 5. *c. ult.* inſul. Propontidis ante Cyzicum urbem, *Marmora* hodiè. Cum urbe Archiepiſcopali ſub Patriarcha Conſtantinopol. quæ ſaxea eſt, & in Boream Propontidis vergit. *Baudrando* miliùs *Proconneſus*; Inſula parva Myſiæ minoris in Propontide, inter Cyzicum ad Ortum, & Helleſpontum ad Occident. ex *Sanſone*. Patria Ariſteæ Poëtæ, qui ſcripſit *Arimaſpea* & *Theogoniam*, ſub Crœſo & Cyro, quem fabulabantur defunctum, quoties vellet, animam reſumpſiſſe, vide & *Proenclus*.

PROCONSUL, dictus eſt apud Romanos, vel cui ultra legiti-
mum, i. e. annuum tempus Magiſtratus prorogatus eſt; qualis
primus fuit Q. Publilius Philo, bello Palæpolitano implicitus, ut
in *Tabb. Capitolinis* extat & in Liv. *l.* 8. Vel, qui è privato in
provincias vel ad gerendum bellum, miſſus eſt; qualis primùs
fuit P. Cornelius Scipio, apud eundem Liv. *l.* 26. Vel, qui ex
Magiſtratu in provincias eſt profectus: Vel tandem, qui con-
ſtitutâ Monarchiâ à Senatu in provincias eas, quæ Populi fuerunt,
mitti ſolitus eſt. Et quidem, quod tertii ſignificatûs *Proconſu-*
les attinet, qui nempe proximô poſt Conſulatum annô in Pro-
vincias Conſulares profecti ſunt, eaſque pro Conſulibus guber-
nabant: fuit conſtitutum lege Gracchi, atque poſteà uſque ad
Auguſti Imperium conſervatum, ut, antequam novi Conſules
atque Prætores deſignarentur, Provinciæ duæ Conſulares & ſex
vel octo vel plures Prætoriæ, prout numerus Prætorum poſtu-
labat, à Senatu futuris Conſulibus prætoribuſque decernerен-
tur, quas illi deſignati ſotirentur, vel inter ſe compararent, ita
ut finitô annuô Magiſtratu urbanô in eas proficiſcerentur: Con-
ſules quidem in Conſulares, unde *Proconſules*, Prætores autem in
Prætorias, unde *Proprætores* dicti. Eligebantur hi, non à Popu-
lo, vel Plebe, Centuriatis aut tributis Comitiis, uti de Q. Pu-
blilio Philone & P. Scipione prædictis, legimus: Sed quando
Conſules, Comitiis Centuriatis, in annum ſequentem deſignati
erant, tum alter Conſulum, qui Magiſtratum gerebat, ad Sena-
tum referebat de Provinciis: quæ futuræ Conſulares, quæ Præ-
toriæ eſſent. Quod ubi conſtitutum Conſulares Conſulibus de-
ſignatis decernebantur, ut eas vel ſortirentur, vel inter ſe com-
pararent, utram quiſque ex Conſulatu obtineret. Quô factô,
Conſulatus ſui tempore, quem Romæ gerebant, Legem ad Po-
pulum per Curias congregatum ferebant, de imperio militari, ſi-
ne qua lege bellum gerere non poterant: tum Provinciæ Senatus
conſultô ornabantur. Ad quæ ornamenta pertinebant, latitu-
do Provinciæ, magnitudo Exercitûs, ſtipendium in milites, via-
ticum in Legatos & cohortem, comitatus & cetera ejuſdem ge-
neris: quæ quidem, quoniam non omnibus eâdem amplitudine
numerôque concedebantur, propterea, cùm ea decernebat Sena-
tus, tum Provincias aut Præſides ipſos *ornare* dicebatur. Ad
viaticum pertinebat annulus aureus; item veſtes, vaſa, vehi-
cula, munus, tabernacula &c. quæ inſtrumenta locata fuiſſe,
indicio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

indicio eſt P. Ventidius, quem A. Gellius, *l.* 15 *c.* 4. ſcribit, victum quæſiviſſe comparandis mulis, & vehicula Magiſtratibus, qui ſortiti Provincias forent, præbenda publicè conduxiſſe. Sed de hoc vide infrà in voce *Viaticum.* Comitatus quoſnam fuerit complexus, diximus ſuprà in voce *Prætoria cohors.* Ubi ergo Provinciam atque in ea Imperium *Proconſules* obtinuêre, tum extremô Conſulatus annô, aut ſuâ ſponte, aut Senatus conſultô, paludati exibant. Prius autem in Capitolium aſcendentes, ſolemnia ibi pro Rep. vota nuncupabant, atque inde Paludamento, lictoribus 12. cum totidem ſecuribus ac faſcibus, inſignibuſque cœteris Imperii aſſumtis, rectà ad portam Urbis ibant, indeque aut continuò, amicis officii causâ aliquouſque proſequentibus ac bene ominantibus, in Provinciam iter ingrediebantur: aut ſi quid negotii in Urbe haberent, ad Urbem aliquandiu manebant, cùm in Urbe cum Imperio eſſe non poſſent. Ut autem Senatus conſultô jubebantur exire: Sic ne irent, Tribunorum Pleb. edictô, aut Dirarum obnuntiatione, prohiberi potuêre. Unde M. Craſſus, cùm P. Attejo, primùm edicenti, dein obnuntianti, non paruiſſet, contra Parthos paulò pòſt infeliciter pugnans pœnas dediſſe exiſtimatus eſt. Ubi verò iter erant ingreſſi, faciebant eos, quibus ſuccedebant, de adventu ſuo certiores, ut nempe cum iis congreſſi, de ſtatu Provinciæ cognoſcerent: & quô die in Provinciam accedebant, eôdem Provincialis muneris capiebant initium. Quod cùm in duas partes eſſet diſtributum, *Poteſtatem* & *Imperium.* Illa fuit facultas cognoſcendi; Iſtud exercitus imperandi, bellumque gerendi; quorum alterum pacis, alterum belli temporibus conveniens erat; iſtud æſtate, illud hyeme potiſſimùm fieri ſolitum. Sed & præterea, *Curationem* habebant, quæ conſiſtebat in cœteris rebus curandis atque provinciæ imperandis, ut in re Frumentaria, Tributaria, Vectigali, & Viaria, quæ omnia per Edicta ſua adminiſtrabant. In qua muneris parte uti multi avarè admodum & crudeliter verſati ſunt, ita contrà nonnulli tantâ abſtinentiâ fuerunt, ut non ſolùm publica vectigalia ſuſtulerint, ſed etiam Prætorium ipſum vectigal, in quo præcipuè gloriatur Cicero, remiſerint, nulli alii rei, quàm commodis ornamentiſque Sociorum, intenti. Unde honores ſummos ab ipſa provincia retulerunt, legationes Romam honoris causâ miſſas, ſtatuas, fana, dies feſtos, alia, quibus ſe affici in Cilicia Cicero modeſtè recuſavit. Annuô poſtmodùm tempore exactô, *Proconſul* ſucceſſorem, ſi maturè venturus erat, in provincia expectabat atque ei adventanti prodibat obviàm, ac præſenti præſens Provinciam cum Exercitu tradebat, intra 30. dein dies (tot enim lex Cornelia Sullæ conceſſit), inde decedebat: quòd ſi ante Succeſſoris adventum deceſſiſſet, aliquem qui præeſſet provinciæ, ut Quæſtorem, vel Legatum, cum imperio, relinquere tenebatur. Conſtitutô ſic Succeſſore aut imperii Vicariô, Romam tendebat, ſi antè, quod C. Jul. Cæſar in primo Conſulatu ſanxit, rationes pecuniæ confectas apud duas provinciæ civitates reliquiſſet, ſicque Romam reverſus, lictoribus dimiſſis ac paludamentô depoſitô, Urbem intravit, niſi fortè Triumphum poſtularet. Ingreſſus, rationes referebat ad Ærarium, nec multo pòſt Centuriones, cœteroſque provincialis Curiæ ſocios ad Ærarium in beneficiis, ſi liberet, deferebat; quod lege Juliâ ad 30. dierum ſpatium reſtrictum. Verùm quemadmodum *Proconſulibus*, qui ſe præclarè geſſiſſent, magni & in Provincia & in Urbe honores habebantur: ſic contra, ſi quid deliquiſſent atque à legibus receſſiſſent, multis judiciorum, Peculatûs inprimis, Repetundarum & Majeſtatis, laqueis irretiri ſunt ſoliti. E quibus Repetundarum quæſtio maximè Socialis fuit & Provinciarum ſalutem continuit, quô judiciô poſtulati plurimi, damnati multi, nonnulli etiam abſoluti ſunt, ut ex Hiſt. Rom. patet. Poſtquam verò Auguſtus, Populi conſenſu, ſolus Rempublicam regere cœpit, Provinciarum adminiſtratione, aliâ à priori inſtitutâ, illarum valentiores ſibi reſervatas, per *Præſides* gubernavit: Reliquos Populo attribuit, eoſque qui his præeſſent, *Proconſules* itidem appellari voluit, ſed minori longè, quàm *Præſides*, qui & *Proprætores* quandoque dicti, poteſtate. Qua de re vide Dionem, *l.* 35. Juriſconſultos *tit. de Proconſulis officio*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 42. &c. è cujus ultimi, *l.* 6. *c.* 9. addi poteſt, *Proconſules* etiam interdum Centuriatis Comitiis creatos fuiſſe, quod ordinariò non factum ſuprà diximus: & unicum fortè exemplum eſt P. Cornelii Scipionis, de quo Livius, *l.* 26. Imò & Tributis quoque: Quanquam enim ex Senatus decreto Provincias ordinariè obtinerent; ſæpe tamen etiam præter Senatus voluntatem, Populi juſſu in Provincias miſſos fuiſſe, legimus, præſertim ſi extra ordinem Provinciæ iis mandarentur. Vide iterum Roſin. *in Antiqq. Roman. l.* 6. *c.* 15. & 16. cui adde, ſi placet, Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 22. & quæ diximus ſuprà, ubi de *Prætoriis provinciis*, quæque mox dicemus.

PROCONSULARE Imperium, apud Jul. Capitolin. *in Antonino Pio*, *c.* 4. *Adoptatus eſt* ——— *factuſque eſt Patri & in* Imperio Proconſulari *& in Tribunitia poteſtate collega*: nomen dignitatis Imperatoribus propriæ. Nempe inter Principatus titulos utrumque, jam inde ab Auguſto, quarum dignitatum origo diligenter expoſita eſt apud *Dionem.* Græci *Proconſulare Imperium*, modò τὴν Ἀρχὴν τὴν Ἀνθύπατον nominant, modò τὴν τῶν Ὑπάτων ἐξουσίαν: *Cedrenus* τὴν Ἀνθυπάτων ἀξίαν. Mirum verò cùm uterque titulus hic omnibus Imperatoribus competierit; non tamen omnes æquè uſurpâſſe. Nam Tribunitiæ Poteſtatis titulum Imperatorum nemo poſt Auguſtum prætermiſit, uti ex hiſtoriis, nummis, ſaxis patet. *Proconſularis Imperii* verò & Hiſtorici in rebus geſtis multorum Imperatorum qui Auguſtum ſunt ſequuti, non meminerunt, aut rariſſimè: & alia eorundem Principum monumenta penitùs eum titulum ſilent. Et quidem in *veterib. Inſcr.* ſex tantùm inveniri, qui *Proconſules* nominentur: Severum, filium ejus Caracallam, Macrinum, Antoninum Heliogabalum, Alexandrum Mammææ & Aurelianum; qui paſſim in *veterib. ſaxis*, PROCONSULES, vel iterum PROCONSULES, appellantur &c. Iſaac. Caſaubonus refert. Auguſtus itaque non contentus perpetuâ Dictaturâ, omnium Populi Romani Magiſtratuum, & qui intra Urbem, & qui extra (ut Proconſules) imperium haberent, titulis & inſignibus ornari munirique voluit. Unde & ſucceſſoribus ejus, inter alia, *Proconſulare* quoque *Imperium*, honoris gratiâ ſemper delatum eſt, & tam Cæſaribus, quam Auguſtis, ſolebat dari. Tacitus, *Annal. l.* 1. *c.* 14. *At Germanico Cæſari Proconſulare Imperium petivit*, *miſſique Legati qui deferrent.* Ut autem *Proconſules Auguſti* ab illo Proconſulari jure, ſic illi quos Proconſules in provincias Populi ſortitò miſit Senatus, *jus Proconſulare* dicebantur *accipere* à Senatu. Trebellius *in XXX. Tyrann. c.* 22. *Simul etiam Gallieni factum*, *qui quum Theodoto vellet* Imperium Proconſulare *decernere*, *à Sacerdotibus eſt prohibitus*, *qui dixerunt*, *faſces Conſulares ingredi Alexandriam non licere.* Sic *Jus Prætorium decerni* dicebatur Præſidibus, qui Prætores vel pro Prætore provincias erant adminiſtraturi. Vopiſcus *in Probo*, *de Senatu*, *Proconſules crearent*, *Legatos Proconſulibus darent*, *Præſidibus in Prætorium darent* &c. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Marco*, *loc. cit.* ubi etiam ante Severum, & Marcum Antoninum, & Commodum, & Verum, & Gordianum & Valerianum & Gallienum & reliquos omnes ita paſſim in veterib. ſaxis inſcribi, obſervat: adde quæ Caſaubonus habet *ad Auguſtum Suetonii*, *c.* 89. quæque infrà dicemus de *Publio Proconſule.*

PROCONSULARES Provinciæ, poſt diviſionem Provinciarum ab Auguſto factam, dictæ ſunt duæ illæ Africa nempe & Aſia, quibus *Proconſules* præerant; quâ voce denotabantur, ii qui in Provincias Populi Romani à Senatu mittebantur, jure Conſulari, ut dictum. Aliquando tamen, imò plerumque, Prætorii eôdem jure in provincias Prætorias mittebantur à Senatu, qui & ipſi dicebantur *Proconſules*: Unde Sueton. *in Auguſto*, cùm inter Populi provincias eſſent & *Prætoriæ*, (numero X. ut apud Strabonem videre eſt, *l.* 17.) *Proconſulares* tamen omnes vocat. Sic apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, cùm paſſim, *Proconſulares*, *Legatoriæ* & *Præſidales*, tantùm memorentur, per *Proconſulares*, omnes quæ Populi fuêre, veniunt intelligendæ. Vide de hac re, ut & de provinciarum variis vicibus, Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 22. ut & *ad Solin. p.* 87. ubi *Proconſulares provincias* nullas ſub diſpoſitione Vicariorum fuiſſe addit: nec non ſuprà aliquid, ubi de *Prætoriis provinciis.* At *Proconſularia*, dicebantur Acta SS. Martyrum, à Notariis provinciarum Proconſularium ſcripta ac collecta, Baron. Cardin. *ad A. C.* 238. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PROCONSULES, quinam veteri ævô dicti fuerint, vide ſuprà in *Proconſul*: addo ſaltem *provincialium morem Proconſulibus templa erigendi*, ſeu potiùs *virtutes eorum conſecrandi*, ex Cicer. *ad Quintum Fratr.* ubi hunc ei Aſiam adminiſtranti honorem habitum, refert. Vide Caſaubon. *ad Auguſtum Suetonii*, *c.* 52. Eâdem appellatione donatos fuiſſe Imperatores omnes ab Auguſto, diximus in voce *Proconſulare Imperium.* Recentiori ævô ſic dictos eſſe Vicecomites, uti Conſules Comites, docet Car. du Freſne ex *Tabulario* Auſcienſi, *Convenerunt itaque ex omni Novempopulania provincia Epiſcopi*, *Abbates*, *Conſules*, Proconſules *cœterique Domini fideles* &c. Hinc *Proconſul Levitanenſis*, qui vulgò *le Vicomte de Lavedan*, dicitur apud eundem, in *Charta* laudatâ à Marca, *Hiſtor. Benebarn. p.* 807. Similiter in Anglia, *Proconſules* olim dicti ſunt, qui poſteà *Juſtitiarii errantes*, quòd Conſulum ſeu Comitum vice in provinciis jus dicerent. Quô ſenſu *Proconſulatum apud Britannos* geſſiſſe legitur Robertus Legeceſtriæ Comes, apud Joannem Sariſberienſem, *Policratici*, *l.* 5. *c.* 15. Apud Germanos quoque, qui Conſulum Urbanorum vices agebant, *Proconſules* vocitatos fuiſſe, docet idem ex *Weichbild* Magdeburg, *art.* 19. §. 1. &c.

PROCOPIAS, loci nomen. Goltzius, *ex Hadriani nummo.* Fortè *Precopia*, vide ibi.

PROCOPIUS, Cilix, tyrannus Conſtantinopolitanus, inſurgens contra Valentinianum & Valentem Principem, purpuram Conſtantinopoli ſumpſit, A. C. 364. tam initiò felix, ut Valentem ad incitas redigeret. Annô pòſt apud Natoliam Phrygiæ civitatem in ejus poteſtatem cum exercitu venit, proditus à 2. militibus, alligatuſque deinde duabus per vim reflexis arboribus, diſcerptus eſt. De proditoribus etiam ſumptum ſupplicium. *Hiſt. Tripart.* Capite plexum, quod ad Valentinianum in Galliam miſſum ſit, alii habent, Ammian. Marcellin. *l.* 25. & 26. Zoſim. Sozom. *l.* 6. *c.* 8.

PROCOPIUS, præſes Bithyniæ, ſub Valente Auguſto imperium invaſit; paulò tamen pòſt, militibus ab eo deficientibus, capitali pœnâ affectus eſt. Ammian. Marcell. *l.* 26. Idem cum priore.

PROCOPIUS, filius Anthemii Imperatoris frater Marciani & Romuli: qui contra Zenonem inſurgentes, fraude Hylli, inſignis cujuſdam impoſtoris, victi ſunt.

PROCOPIUS, è Cæſarea Palæſtinæ, orator & ſophiſta; ſcripſit *res Juſtiniani*, quas in Oriente, aut Occidente, aut Africa per Beliſarium patricium geſſerat, cujus ſcriba & comes in cunctis expeditionibus fuit. Senator dein lectus, cum titulis Illuſtris, tandem Præfectus quoque Conſtantinopolis factus eſt. Videtur Chriſtianus, ex illis, quæ *de ædificiis Juſtiniani* diſſerit. Continet ejus Opus, *libros* 8. 2. *de bello Perſ.* quos Photius contraxit. 2. *de Vandal.* & 4. *de Gothico.* Compoſuit item alterum librum, quem inſcripſit Ἀνέκδοτα, i. e. *non edenda*, ſive *non edita*: ubi *Comœdiâ quâdam Juſtiniani & ejus uxoris Theodoræ vituperationem* deſcribit. *Suidas.* Vide Photium. *Codic.* 63. Voſſium, *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PROCOPIUS Gazenſis, Rhetor & Sophiſta. Scripſit *Catenam Patrum, in octo primos libros Sacræ Scripturæ*: ob ſtylum & diligentiam, à Photio laudatus, *Cod.* 160. 206. & 207. reprehenſus ob prolixas nimis digreſſiones. Conradus Clauſerus Tigurinus, *paraphraſin hujus operis* edidit, A.C. 1555. Joh. Curterius, *epitomen Commentar. ejuſdem auctoris in Jeſaiam*, publici fecit juris, A. C. 1580. Lud. Lavaterus; Tigurinus, vertit *Annotationes ejus in* 4. *libros Regum*, & *l.* 1. *Paralipom.* Hermanus Hambergerus *in* 2. *Paral.* Johannes Meurſius edidit Lugduni Bat. An. C. 1620. Vide Sixtum Sen. *l.* 4. *Biblioth. S.* &c. *Idem Lloyd.*

PROCOPIUS Holy, Huſſitarum Dux, poſt Ziſcam, ſtrenuè rem geſſit, donec Sigiſmundus Rex, libertatem religionis permiſit, promulgatis IV. articulis, qui *Compactata* dicti. Vide *ibi.* Circa A. C. 1425. 1433. 1434. Deum tum pro Bohemis pugnâſſe, tantoſque Imperatoris exercitus, non tam vi armorum, quàm terrore quôdam cœlitus immiſſô profligatos eſſe, agnovit Concil. Baſil. *Seſſ.* 4. Vide Mornæum, *p.* 1205. Bucholcerum, *Ind. Chron.* Lætum, *Comp. Hiſtor. Univerſ.* &c.

PROCRIS, Erechthei, Athenienſium Regis filia ſoror Orithyiæ, Cephali uxor, quam ille certô jaculô emiſſô interemit, ratus feram eſſe. Vide *Cephalus*; & Servium in illud Virgil. *Æn. l.* 6. *v.* 445.

His Phædram Procrinque locis, mœſtamque Eriphylen.

Fabulam latè proſequitur Ovid. *Met. l.* 7. non procul a fine.

PROCRUSTES, latro inſignis in Attica regione ad Cephiſum fluv. habitans, qui cogebat hoſpites ſuper lectum aliquem aſcendere, quô ſi longiores fuiſſent, pars ſupereminens amputabatur: qui verò breviores, diſtendebantur; a qua re etiam nomen illi inditum putant. Plutarchus *in Theſeo*: Καὶ μικρὸν προελθὼν, Δαμάστην ἐν Ἑρμιόνι τὸν Προκρούστην ἀναγκάσας, αὐτὸν ἀπισοῦν τοῖς κλιντῆρσιν, ὥσπερ τοὺς ξένους ἐκεῖνος. *Torvus Procruſtes* dicitur apud Ovid. *Ep.* 2. *Heroid. v.* 69. Idem *Met. l.* 7. *v.* 438.

Viderat immitem Cephiſias ora Procruſtem.

Nic. Lloydius.

PROCUL ite profani, formula fuit apud Veteres Sacris & Sacrificiis amoliendi improbos homines, multis illuſtrata Briſſonio, *l.* 1. Vide & Jo. Paſſeratium *ad Propertium*, *l.* 4. *Eleg.* 6. Joann. Parrhaſium & Caſp. Barthium, *ad initium Claudiani de Raptu Proſerpinæ*, nec non hic, ubi de *Initiandi ritu*, item in vocibus *Myſterium*, *Prorrheſis* alibique paſſim.

PROCULEJUS, eques Rom. Auguſti amiciſſimus, qui pius ſic erga fratres ſuos Scipionem & Murænam fuit, ut ſpoliatis bellô civili patrimonium ſuum ex integro divideret, quod cum eis jam anteà diviſerat. Plutarchus *in vita Antonii* ait, Antonium, paulò ante quàm expiraret, admonuiſſe reginam Cleopatram, ut maximè omnium, qui cum Auguſto erant, Proculejo ſe dederet. Mortuô autem Antoniô, Auguſtum Proculejum miſiſſe, ut curaret Cleopatram vivam in ſua poteſtate habere. Demum verò, cùm illa arreptô enſe voluiſſet ſibi mortem inferre, Proculejum enſem è manibus ademiſſe. Vide Theod. Marcilium *in illud Horat. l.* 2. *Carm. Od.* 2. *v.* 5.

Vivet extentô Proculejus ævô,
Notus in fratres animi paterni.

Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 94.

Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculejus.
Aut Fabius: quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?

Nic: Lloyd.

PROCULEJUS, prænomine *Cajus*, frater Varronis Murenæ illius, qui in Auguſtum conſpiravit; cujus etiam ſoror Mæcenati uxor: inſigni tranquillitate vitæ, nullis Reipublicæ negotiis permixtus, cui filiam ſuam Auguſtus, Agrippâ defunctô, collocare agitavit.

PROCULUS, cognomen ejus, qui natus ſit patre peregrinante procul à patria.

PROCULUS, Imperator, uſque adeo libidinoſus fuit, ut 100. Sarmatas virgines bello captas (ut ipſe gloriabatur) gravidas reddiderit. Vopiſcus, *c.* 12.

PROCULUS, vir nobilis & clarus, hôc apud plebem de Romuli morte figmentô uſus eſt. Senatus ſinitimis bellis implicitus, conſuetam annonæ largitionem plebi ſubtraxit: Romulus indignatus, plebi reſtituit, & complures ex primordiis ſuppliciô affecit. Hi poſtmodum, in Senatu, regem minutim obtruncatum intra ſinum condunt. Plebs igitur cum facibus ad curiam decurſans, ab Ætio Proculo revocata eſt, cùm ejus orationi fidem adhibuiſſet. Is enim primarius in civitate vir, ſe Romulum in monte aſpexiſſe dixit, qui humanâ auguſtior divinitatem aſſecutus erat. Plutarch. *in Rom.*

PROCULUS, Grammaticus celebris, Præceptor M. Antonini Philoſophi, ab hoc ad Proconſulis dignitatem evectus. Scripſit *de admirandis rebus*; quod opus ſæpius laudat Treb. Pollio *in vita* 30. *Tyrann.* inprimis *in Æmiliano*, *c.* 22. 23. Jul. Capitolin. *in Anton.* Euſeb. *in Chron.* Item Poëta Latinus, imitator Callimachi. Ovid. *l.* 4. *de Ponto el. ult.* Item, Epiſcopus Maſſilienſis, ſeculô 4. contendit cum reliquis Præſulibus Galliæ ſecundæ Narbonenſis de Primatu, quem etiam in Concil. Taurinenſi obtinuit.

PROCULUS, J. C. celeberrimus, temporibus Alexandri Cæſaris; Auctor *Epiſtolarum*, *libr.* 8.

PROCULUS, nomen cujuſdam, campanæ ex æde S. Proculi Bononiæ Italiæ lapſu interfecti: unde in hac diſtichon ſequens viſitur:

Si procul à Proculo Proculi campana fuiſſet,
Jam procul à Proculo Proculus ipſe foret.

Uti refert Jac. Sponius, *Itinerar. Part.* 1. *p.* 68.

PROCULUS Geganius Macerinus, Conſul cum L. Menenio Lanato. An. Urb. Cond. 315.

PROCULUS Tit. Ælius, Genuenſis, ſuaſu Viturgiæ uxoris & Lugdunenſium, ſub Aurel. Probo Cæſare in Galliâ imperium arripuit, ſed ab eo victus, periit cum filio Herenniano. Vopiſc. *in Proculo*, *c.* 12. 13.

PROCULUS Virginius Rutilius, Conſul cum Sp. Caſſio Viſcellino, An. Urb. Cond. 268.

PROCULUS, vide *Ceſtius.* Item *Cervarius.* Item *Licinius.* It. *Titius.* It. *Voluſius.*

PROCURARE Fulgura, Oſtenta, Prodigia, vide hîc paſſim.

PROCURATIO, apud medii ævi Scriptores, quodvis convivium, à *procurare*, i. e. excipere hoſpitiô & conviviô, quâ notione vox occurrit apud Lambertum Ardenſem, Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli*, Arnoldum Lubecenſem, Adamum Brem. Rogerum Hovedenum, Alios. Inprimis verò Exceptio ſtata ac debita dominorum à vaſſallis, à quibus hoſpitiô & conviviis ſtatis vicibus excipiebantur, quum in eorum prædia divertebant: quæ quidem *procurationes* in ſummam pecuniariam non rarò convertebantur, uti dictum ſuprà in voce *Giſta.* Uti vero Domini à vaſſallis; ſic Epiſcopi & Archidiaconi, cùm Eccleſias ſibi ſubditas viſitabant, ab iis *procurari* conſuevêre: de cujuſmodi procurationum immodicis ſumptibus, cùm crebræ ad Pontifices ſubinde deferrentur querelæ, modum iis ponere illi anniſi ſunt, cùm in Conciliis, tum Bullis ſuis. Inter quas Innocentii III. Pontific. Romani ex parte ita ſonat, in *Monaſtico Angl. Tom. II. p.* 165 —— *Querelam accepimus, quòd cùm olim Archidiaconus Richmondiæ Parochiam ſuam viſitationis gratiâ circumiret, cùm centum equis minùs tribus, viginti canibus & unô, tribus avibus venatoriis, ad quandam Eccleſiam prædictorum Canonicorum accedens, tantùm domum iſtam ſumtu immodicô gravârit, quòd horâ brevi dicitur conſumſiſſe, quòd toti familiæ longo tempore ſufjeciſſet. Nos igitur* —— *inhibentes, nequis veſtrûm de cætero* —— *in procurationum exaltatione* ---- *Eccleſias ſeu Canonicos vel ſervientes prædictorum Canonicorum gravare præſumat* &c. Vide Renatum Chopinum, *de Sacra Politia*, *l.* 2. *tit.* 7. *num* 11. Sed & Pontificibus Romanis cùm in Franciam veniebant, *Procurationes* præſtari fuiſſe ſolitas, docet Car. du Freſne ex *Charta* Iſenbardi Abbatis S. Mauri Foſſatenſis *A. C.* 1274. *Omni autem annô, quô Eccleſia noſtra Domino Papæ in has partes venienti procurationem, vel aliquid pro procuratione daret* &c. Hinc *Procurator*, qui conviviô excipit, vel convivium apparat, quâ notione in *Regula* Templariorum, *c.* 14. Chriſtus *ſummus Procurator* noſter: & *in Charta* veteri Theobaldus Canonic. Bleſenſis, *Procurator Regni Francorum*, dicitur. Ubi *Senaſcallus* ſeu *Dapifer* intelligitur; quòd *Dapiferi Regii* munus ſit circa menſam Regiam & apparatum. Certè de Dapifero capiendus videtur Adalbero Laudun. Epiſcop. *Poëmate ad Robertum Regem Francorum*, apud eundem Car. du Freſne, ubi ironicè ſic ait:

Ut Procurator Regis *mundana miniſtrans,*
Sit piger, ignavus, modicâ virtute repletus,
Hic aliena petat, repetat ſua, nil tribuendo,
Et jugiter maneat diviſus ſorte jugali:
In Regis heredipetæ non ſpes ſibi conſtet.

Vide quoque Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PROCURATOR, ſervus apud Romanos, *qui mandatô Domini negotia ejus adminiſtrabat*, *l.* 25. §. 3. *ff. de Ædil. Edict.* Ei ſupellectilem & cellaria credi conſueviſſe, auctor eſt Salvianus *de Prov. Dei l.* 3. Moris autem Romani fuit, ut domi ſupellex, penuſque omnis annulô ſignaretur, ne quid negligentiâ aut furtô periret. Unde apud Plautum, *Perſ. Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 15. *celliæ, ſalinum:* apud Plinium, *l.* 33. *c.* 1. *cibi & potus*: apud Ciceronem, *l.* 16. *Ep. ad Tiron. lagenæ* quoque *inanes* obſignatæ leguntur. Meminit iſtiuſmodi *Procuratoris*, ab Auctore & Diſpenſatore non omnino diverſi, Petronius *Satyrico*, *Jam ad triclinium veneramus, in cujus parte prima* Procurator *rationes accipiebat.* Et præter alios Fabius quoque major, *Declamat.* 345. *Satis ſit vobis* (ô divites) *hoc veſtras præſtare Fortunas, quòd per Diſpenſatores fœneratis, quòd familiam per* Procuratores *continetis*: unde de ejus officio largiùs conſtat. Et functus eſt tali miniſteriô Bonifacius Martyr, Aglaidis ſervus; quem tamen quidam ingenuum faciunt. Stephanus autem Domitillæ *Procurator*, qui Domitiano Cæſari ſuffodit inguina, Libertus fuit, teſte *Joh. Xiphilinô*; At id ex præſcripto divinæ (uti appellâbant) domus, cujus moribus receptum jam diu erat, miniſteria ſervilia Libertis demandari. *Peni* inprimis *Procurator* recenſendus venit, quem inter lautiores ſervos connumerat, Plautus, *Pſeudolô Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 14.

Ha. *Quid iſtud verbi eſt?* Pſeu. *Condus*, *promus*, Procurator peni.

Hæc de privatis quoque hominibus: ſed *Procuratores* Cæſarum propè innumeri fuerunt; è quibus in veterib. monumentis memorantur, *Procuratio ornamentorum*, *Bibliothecæ*; *Patrimonii & heredii*; *Aurariarum*; *Balnei Formis*; *Fundis Cajetæ*; *Laurento ad Elephantos*; *à Rationibus*; *Villarum Tuſculanarum*; *Subprocurator Viceſimæ*, & alii non pauci. De quibus obiter animadverſum, hujuſmodi ſervos plerunque in meretricios impegiſſe ſcopulos, non ſine magna rei dominicæ jactura, ut videre eſt apud Alfenum, *l.* 16. *ff. de ſer. cor.* Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 44. *v.* 5. Et CHRISTUS Dominus non ſemel huc alluſit, vide Matth. *c.* 24. *v.* 43. *ſ.* & Lucæ *c.* 12. *v.* 42. *ſ.* Alius planè generis erat *Procurator*, homo liber, qui omnium alterius rerum penè dominus alienique juris erat vicarius, vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & Tit. Popmam, *de operis Serv.* necnon infrà, voce *Rationes.* Nec omittendi *Procuratores* factionum Circenſium, quorum memoriam vetus lapis ſervat, ſic inſcriptus: *Q. Rapidio. Q. F. Lemſepullio. Procuratori. dromi. factioni. Venetæ. Q. Rapidius. Xenodotus. &. Rapida. Juventina. par. fecêre*: apud Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 5.

PROCURATOR, apud Æl. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 13. *Et circumiens quidem provincias*, Procuratores *& Præſides pro factis ſuppliciô affecit, ita ſeverè, ut accuſatores per ſe crederetur immittere*: idem cum Præſide, quod nomen licèt generale eſſet de provinciæ,

Adminiſtratore, propriè tamen ſic dicti ſunt, qui minores provincias, quæ à ſolis *Procuratoribus* regebantur adminiſtrabant. Itaque in illis provinciis *Procurator* & *Præſes* idem; quinimo utrâque appellatione gaudebant. *Veteres Inſcr. Procurator & Præſes Alpium*, *Procurator & Præſes provinciarum per Orientem*, *Procurator & Præſes provinciæ Sardiniæ.* Sic Græcis Ἄρχοντες & Ἐπίτροποι: unde Arrianus de Epiri Procuratore, nam & hæc provincia Præſidalis fuit, modò eum Ἄρχοντα, i. e. *Præſidem*, modò Ἐπίτροπον, i. e. *Procuratorem*, vocat: Σὲ ἔφη βλέποντες τὸν αὐτῶν ἄρχοντα, τοῦ Καίσαρος φίλον καὶ ἐπίτροπον. Et paulò pòſt, Ὅρα πῶς ὁ Ἐπίτροπος τοῦ Καίσαρος θεωρεῖ. De cujuſmodi Præſidalibus Provinciis Lamprid. *in Severo*, *c.* 24. *Provincias Prætorias Præſidales plurimas faciebat* &c. Atque ita ferè ſemper nomen *Præſidis*, apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores ſumitur, de *Procuratoribus* ſcil. *Cæſaris* in illis provinciis, quæ nec Prætoriæ erant, nec Conſulares, nec Proconſulares, nec ab aliis adminiſtrabantur, quàm à Procuratoribus ſeu Præſidibus ſtrictè dictis. Ita *Præſes Orientis*, apud Vopiſcum, qui in *vet. Inſcr. Procurator & Præſes provinciarum per Orientem*, dicitur. Apud eundem, *Præſidatum in Dalmatia adminiſtrare*, pro Præſidem & Procuratorem Dalmatiæ eſſe; ut alia omittam. At qui in provinciis Proconſularibus *Procuratores* erant Cæſaris, hi non *Præſides*, ſed *Procuratores* ſolùm, dicebantur, qui rem Fiſci curabant & nullam niſi in fiſcalibus cauſis habebant juriſdictionem. Quâ notione etiam vox capi poſſet, *d. loc.*

PROCURATOR, pro parte Curiæ, fortè *an Informer*, Angl. *Procurator* rerum fiſcalium, Angl. *the Kings Attorney.* Villæ *Procurator*, qui rem dominicalem in villa promovet & tuetur, aliàs major villicus. Sic Germanis olim notus: & hodie quidem Hibernenſibus è colonia Anglo-Saxonum oriundis, qui collectores proventuum ad dominum villæ, præſertim ad Rectorem Eccleſiæ pertinentium, *the Proctor* vocant. Vide officium ejus deſcriptum apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol. in voce*, *Major villicus.*

De aliis PROCURATORUM generibus pâuca hæc ſubjiciemus.

Procuratorum alia quædam apud Scriptores genera.

α. *Procurator* à Rationibus, *ad Rationes* & Rationum apud Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordiano III. c.* 25. β. *Procurator* ad Alimenta, *ad Bona damnatorum*, *ad Prædia Gallicana*, apud Eundem *ad Vopiſc. in Caro*, *c.* 8. γ. *Procurator* ad Viceſimam, qui viceſimam procurabat. *Ibid.* & *ad Lamprid. in Heliogabalo*, *c.* 12. Idem *Procurator à Viceſima* & *Viceſimæ* dictus. δ. *Procurator* Abſentis Appiano Ἐπιτροπεύων τῆς ἀποδημίας, ubi de Manio Antonii abſentis res curante. Vide Aſconium Pedian. & Caſaubon. *ad Jul. Suet. c.* 56. ε. *Procurator* Ærarii, apud Lamprid. *in Antonino Diadumeno*, *c.* 4. idem cum *Ærarii ſacri Præpoſito*, tempore Statii, & *Præpoſito* vel *Comite Sacrarum Largitionum*, tempore Claudiani, vide ſuprà *paſſim.* ζ. *Procurator* Centenariorum, *Ducenariorum* &c. i. e. *Centenarius*, *Ducenarius* &c. Aliter, *Procurator ad ducena ſeſtertia* &c. *Vetus Inſcr.* Romæ ante Hortos Carpenſes: PROCUR. TRIUM. PROVINC. GALL. LUGDUNENSIS. NARBONENSIS. ET. AQUITANIÆ. AD. SS. LX. PROC. ALEXAND. PELUSI. AD. SS. C. Id eſt, *Procuratori trium Provinciarum Galliæ Lugdunenſis* ——— *ad ſeſtertium ſexagies*, *Procuratori Alexandriæ Peluſii ad ſeſtertium centies* &c. Dicti ſunt, à numero pecuniarum, quas in ſalarium ſeu ſtipendium accipiebant. Iterum in *Inſcr.* Anquariæ Hiſpan. II. ITEM. PRO. AUG. PROV. BÆTI. AD. DUCEN. ACCIPIENDA, i. e. *Procuratori Auguſti Provinciæ Bæticæ*, *ad ducena accipienda.* Quaſi dixiſſet, *Procuratori ducenario.* Atque ita Pertinax *ad ducenûm H----S. ſtipendium tranſlatus* dicitur *in Daciam*, h. e. Procurator ducenarius Daciæ factus, apud Jul. Capitolin. *in Vita ejus*, *c.* 2. η. *Procurator* Choragii Majoris, ſeu *ſummi Choragii*, in *Inſcriptionibus Gruterianis*, *p. XLIII.* 5. & *CCCXXXI.* 3. θ. *Procurator* Ducenarius. Vide *Procurator Centenariorum.* ι. *Procurator* Eccleſiæ, titulus, quem Epiſcopi ſibi non rarò tribuiſſe leguntur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui prætereà ſic dictos fuiſſe Epiſcopos, qui electi, ſed nondum ſacrati ſunt: item Epiſcopos Commendatarios, notat. κ. *Procurator* Francorum Regni, apud Scriptores *Rerum Gallic.* modò *Vicarium Regis*, modò *Seneſcallum* ſeu *Dapiferum*, modò *Admirallum*, denotat, apud Eund. λ. *Procurator* Patrimonii & Hæreditatum, in *veter. Inſcr.* idem cum eo, quem *ſuper hæreditates libertum* vocat Marcellus Empiricus: *Ubi Anteros Tiberii libertus ſuper hæreditates curatus eſt*, apud Salmaſ. *Not. ad Spartian in Hadriano Cæſ. c.* 2. μ. *Procurator* Principis, idem cum Rationali, uti poſteriori ævô dicti ſunt. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 45. *Ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provinciis dare--- vel Procuratores*, *i. e. Rationales*, *ordinare.* ν. *Procurator* Privatæ, in antiqua *Inſcr.* Ἐπίτροπος πριβάτης. Idem cum *Procuratore Rei privatæ* ſeu *Comite privatarum Largitionum:* ſub ſe habebat omnes rei privatæ Rationales, qui in ſingulis Provinciis Fiſcum Principis procurabant. Vide ſuprà, ubi de *Largitionibus*, & *Privatis Rebus Imperatorum.* Dicebatur quoque *Procurator rationis privatæ* & *Ratio privata.* ξ. *Procurator* Reip. in *Charta* Caroli III. Imperat. in *Hiſtor. Pergam. Tom.* 3. *p.* 399. *Nemo ſuperioris aut inferioris Reip.* Procurator *ad cauſas judiciariô modô audiendas conventum facere*, *vel freda exigere* &c. apud Car. du Freſne, eſt Magiſtratus Publicus, &c. Ut de *Procuratore Gynæcii*, *de Procuratore Metallorum*, aliiſque, nihil addam, de quibus, præter Auctores præfatos, vide Joann. Calvin. *Lexic. Jurid.*

PROCURATOR Guilielmus, vide *ibi.*

PROCURI, urbs in inſula Taprobana, *Ptolem.*

PROCYON, ſidus æſtivum, Canis ortum prævertens, unde etiam à Latinis verbum ex verbo exprimentibus, *Antecanis* appellatur. Cicer. *l.* 2. *de Divin.*

Antecanis Procyon Grajo qui nomine fertur.

Antecanis tamen nomen, videtur minus uſitatum fuiſſe, & à Cicerone primùm confictum; unde Plin. *l.* 18. *c.* 28. ſidus hoc nomen Latinum habere negat, niſi quis (inquit) *Caniculam* velit appellare. Columella tamen, *l.* 11. *c.* 2. Caniculam manifeſtè diſtinguit à Procyone, hujus ortum Idibus Juliis, illius 7. Calend. Auguſti aſſignans. Caniculam nimirum appellans, quem nos Canem dicimus. Horat. *l.* 3. *Od.* 29. *v.* 17.

Jam clarus occultum Andromedæ pater
Oſtendit ignem, *jam Procyon furit.*

Aratus eum ſub Geminis locat:

Ναὶ μὲν καὶ Προκύων Διδύμοις ὑπὸ καλὰ φαείνει.

Nic. Lloyd.

PRODERE, verbum ſolenne, de Interregibus, apud veteres Romanos, vide ſuprà. Sic *capta Veſtalis*, *dictus Dictator*, *proditus Flamen*, notante Cur. Fortunatianô, *l.* 3 &c.

PRODICIUS, inter Herculis cognomina vide ſuprà.

PRODICTATOR, propter Conſulis abſentiam, à Populo, cùm Dictatorem creare non poſſet Q. Fabius Maximus, legitur apud Liv. *l.* 32.

PRODICUS Cous, Scholiaſt. *in Ariſtoph. Nubes* Chium fuiſſe perhibent, vide infrà. Sophiſta, Præceptor Euripidis, cujus quanta fuerit authoritas, ex Xenophonte deprehendere licet; qui in Bœotia captus, vadem pro reditu dedit. In concilio Athenienſium magnam laudem adeptus eſt, quanquam voce graviore atque abſonâ. Princeps recitavit orationem quinque drachmarum pretiô acceptô, conatuſque eſt in ea civitate, primarios ex quaque nobili familia adoleſcentes, ſibi devincire, quorum hoſpitium uſui ſibi & voluptati foret. *Philoſtratus.* Addunt Scholia in *Nubes*, illum ob mollitiem pathicam malè audiſſe. *Suidas* autem dicit, eum Chium fuiſſe, Georgiæ ac Democriti temporibus, librumque edidiſſe, qui inſcribitur Ὧραι, in quo finxit Herculem, virtuti pariter ac voluptati congreſſum, utrâque hunc ad ſe trahente, tandem à virtute perſuaſum, alteram ſpreviſſe. *Prodicus* orationem ipſam, quæ ſoluta erat, primus pedibus conſtruxit, & communes locos tractavit, ut *Pythagoras.* Vide Xenoph. *l.* 2. Cicer. *l.* 1. *Offic.* Sil. Ital. *l.* 15. Quintil. *l.* 9. *c.* 1. *Prodicus* quoque Medicus fuit, authore Pliniô, *l.* 29. *c.* 1. Æſculapii diſcipulus, Selybriæ natus, qui medicinam inſtituit, quam *Iatralepticen* vocant. *Nic. Lloydius.*

PRODICUS Phocæenſis, Poëta Epicus. Pauſan. *in Phocic.* *Suid.* Item, Hæreticus, Clem. *l.* 7. *Strom.* Vide *Adamitæ.*

PRODIGIA & Monſtra apud Romanos, hoſtiis ſolebant procurari; idque ex præſcripto & conſilio Augurum atque Aruſpicum, Quindecimque Virorum, qui libros Sibyllinos ſuper hac re inſpiciebant, ut averruncaretur, quod illa minabantur, malum. Et quidem de Aruſpicibus Auguribuſque; Liv. *Dec.* 1. *l.* 1. ubi de Tarquinio Superbo, *anguis*, inquit, *ex lignea columna lapſus: cùm ad publica prodigia Hetruſci tantùm vates adhiberentur*, *ob hoc unum* Prodigium *Aruſpices in Senatum vocati*, *atque ex reſponſo eorum ſupplicatio Populo*, *in unum diem indicta.* Vide eund. *Dec.* 4. *l.* 2. *in lim. Dec.* 3. *l.* 7. *Dec.* 4. *l.* 10. *princ.* & Ciceronem *de Divin. l.* 1. & 3. Lucan. *l.* 1. *v.* 584.

Hæc propter placuit Thuſcos, *de more vetuſto*,
Acciri Vates.

Poſteà, & quidem frequentiùs, inſpici cœpêre Sibyllina Oracula. Liv. *Dec.* 4. *l.* 1. Marco Claudio M. Livio Conſulib. *deportatus ſimilis* Prodigii *fœtus*, *nihilominus Decemviros adire libros de Portentis juſſerunt; Decemviri ex libris res divinas eaſdem*, *quæ proximè ſecundùm id* Prodigium *factæ eſſent*, *impetrârunt.* Vide eundem *Dec.* 1. *l.* 3. *Dec.* 4. *l.* 6. & *l.* 7. 8. & 10. Utrumque conjunxit Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 11.

Pandite Pontifices Cumana carmina Vatis
Immenſumque nefas fibris exploret Aruſpex,
Quæ nova portendant Superi? ———

Et hoc propriè *Procurare* dictum eſt: Unde toties apud Livium, *Prodigia procurare*, vel *majoribus hoſtiis procurare* &c. quæ ſuperſtitio etiam ad ſomnia paulò triſtiora ſeſe extendebat, in quibus procurandis expiandiſque Veteres mirè ſolicitos fuiſſe, indicat Tibullus, *l.* 3. *Eleg.* 3. & *l.* 1. *Eleg.* 5. &c. Rationem nominis exponit *Feſtus*, cui quaſi *prodita & porrò dicentia*, *aliquid futurum eſſe*, appellata ſunt. Differentiam inter *Oſtenta* & *Prodigia* hanc facit Ulpianus, quòd *Oſtentum* dicit, quoties naturalis forma in eo quod naſcitur, non immutatur, ſed ſolummodo interpolatur aut amplificando, aut detrahendo, aut mutilando: *Prodigium* verò, cujus forma in aliam ſpeciem eſt mutata & quaſi prodigium naturæ, qui ſui ipſius oblita & *prodiga* adeò facta, ut interdictô fere opus habuiſſet. Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* At Hoſtiæ *prodigiæ* dicebantur, quæ conſumebantur penitùs, Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 33. Vide plura de *Prodigiis*, iliaque etiam humanis hoſtiis procurandi ratione, apud Caſp. Barthium, *Theb. l.* 10. *v.* 787. nec non ſuprà ubi de Veterum *Luſtrationibus*, & voce *Mola.* Addam ſaltem, ex ſuperſtitione Veter. ipſos *prodigioſos* homines occidi, ut ſic iram Dæmonum expiarent, conſueviſſe. Cujus rei exempla ſunt multa, in Androgynis mari merſis, aliiſque apud Livium, talibus notandis, Jul. Obſequentem, Alios. Unde Claudian. benè ſuperſtitioſum, *l.* 1. *in Eutrop. v.* 21.

Conſule luſtrandi faſces, *ipſoque litandum*
Prodigio &c.

Hinc *Prodigialis* Jupiter idem cum Averrunco; Φύξιος Θεὸς Lycophroni de quo vide Johann. Meurſium *Comment. ad illum.*

PRODIGIUM, à Præceptore dictus eſt Franc. Toletus, qui poſtmodum Cardinalium ordini inſertus eſt. Vide *Toletus.*

PRODITOR, apud Athenienſes morte multatus eſt, neque intra Atticæ fines ſepultus & bona illius publicata: ex Lege, Ἐάν τις ἢ πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

γνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ· τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια εἶναι, memoratâ Xenophonti, Ἑλλην. *l.* 1. Unde Lycurgus *contra. Leocr.* Athenienſes fuiſſe ſolitos eos θανάτῳ ζημιοῦν eorumque cadavera ἐξορίζειν ἔξω τῆς Ἀττικῆς, inquit: Thucydideſque propterea Themiſtoclis oſſa clam in Atticam illata refert, *l.* 1. Οὐ γὰρ ἐξῆν θάπτειν, ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος. Cenotaphia tamen poterant iis extrui, intra Atticæ fines, ſed impoſitâ tumulo cruce: obſervante Marcellinô *in vita Thucyd.* quod in hoſtium tumulis in uſu habuiſſe videntur Græci, ut apparet ex Epigramm. Græco ubi T. Quintius Flaminius Alcæo Poëtæ, qui gloriam fugati Philippi Maced. Regis ſuis adſcribebat Ætolis, reſcripſit, in his tumulis ei crucem paratam eſſe; nempe propter illa ἰκρία, quæ hoſtium tumulis imponebantur & crucis vicem præſtare poterant. Ita autem Flaminii verba ſonant,

> Ἄφλοιος καὶ ἄφυλλος, ὦ δοῖπορε, τῷ δ' ἐπὶ νώτῳ
> Ἀλκαίῳ σταυρὸς πήγνυται ἠλίβατος.

Eâdem multabatur pœnâ, qui ſuppetias vel verbulô *Proditori* tuliſſet. Similiter capite ſanctum eſt in *Proditores* caſtelli aut navis, aut exercitus, ex Lege Lyſiæ ἐν τῷ κατὰ Φίλωνος δοκιμασίας non indictâ. Quinetiam *Proditores* aliarum Civitatum Atticæ finibus arcebantur: ſi intrâſſent, non ſecus ac in homicidas animadvertebatur & capite plectebantur juxta legem, cujus meminit Dinarchus *contra Demoſth.* Imò cùm accuſatus quis eſſet *Proditionis*, quanquam nondum convictus, habebatur in vinculis, ut conſtat è jurejurando Senatus Quingentorum, apud Demoſthenem *in Timocratea*: Unde tales in vinculis cauſam dicebant, ut idem *ibid.* paulò pòſt docet, & ex Canoni Pſephiſmate, quod legitur apud Xenophontem *loc. cit.* patet. Vide Sam. Petitum, *Comment. in LL. Attic. l. ult.* & ſuprà voce *Præco.* Apud Romanos eôdem, quô reliqua Majeſtatis crimina, *Proditio* vindicata eſt ſupplicii genere. Vide Roſin. *Antiqq. Rom.* &c. uti de poſteris eorum, ſuprà aliquid voce *Honor.* Virilitatem iis Moſcos adimere ſolitos, dicemus infrà, voce *Virilitas*: inuncare, Hungaros Turcaſque Lemmate *Unca manus.*

PRODOMUS, Græca vox πρόδομος, aliter πρόναος, πρόσοος & πρόστυλος, in Græcorum ædibus ſacris, dicebatur frons ædis cum columnis & faſtigio, ſeu porticus ante ædem: erat enim hæc pars Templorum, parietibus antarum vel columnis ædificata, cum faſtigio. In Templis Chriſtianorum, Νάρθηξ dicebatur, vide ſuprà *Narthex.* Hanc partem ſequebatur Πυλεὼν, dein Σηκὸς, ſeu ipſa Ædes, tandem Ὀπισθόδομος, ſeu *Poſticum.* Sed & προδόμους, ac προστάδας habuêre Græcorum privata ædificia, Procerum ſcil. ſeu Principum, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. ubi Πρόδομον, cum *atrio* malè nonnullos confundere addit. Vide quoque infrà in voce *Pronaus.* Latinè *Anticum* dici poteſt.

PRODROMEI Dii, προδρομαῖοι Θεοὶ, Dii, qui in præſtructionibus ædificiorum ab antiquis colebantur, hinc & *Prodromia Juno.*

PRODROMI, venti dicuntur, qui in ortu Caniculæ, ſtatis anni temporibus ſpirare ſolent.

PRODROMUS Coptus, in quo tum linguæ Coptæ ſive Ægyptiacæ quondam Pharaonicæ origo, ætas, viciſſitudo, inclinatio, tum, Hieroglyphicæ literaturæ inſtauratio, novâ methodô exhibetur; nomen libri Athan. Kircherô Auctore, editi Romæ A.C. 1636.

PRODUCERE, Ciceroni, Plinio, aliis, lenonium verbum, uti Græcum προαγωγεύειν: vide quoque Sueton. *Tiber. c.* 45. & *Veſp. c.* 22. nec non ſuprà vocè *Leno*, it. *Perducere.* At apud Statium, *Theb. l.* 2. *v.* 313.

> ——— ——— *trepidoque tumultu*
> *Dilapſos comites, nudum latus omne fugamque*
> *Fortunæ, una ſoror* producere *triſtes*
> *Exulis auſa vias* ———

eſt comitari, ſimul ire, aliter *deducere.* Sic Euryali mater apud Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 487.

> *Heu terra ignota canibus data præda Latinis*
> *Alitibuſque jaces; nec te tua funera Mater*
> Produxi, *preſſive oculos* ———

Unde *produx*, cum quo tutò eas, apud Tertullian. *de Carne Chriſti*, *l.* 20. Aliàs *producere* eſt, prolongare: ut *Producere* ſtupas, apud auctorem Moreti *de Lucerna*,

> *Et* producit *acu ſtupas humore carentes:*

Græcè eſt τὸ ἐλλύχνιον προωθεῖν, προοῦειν. Pollux, τὸ δὲ προμύξαι τὸν λύχνον, προοῦσαι λέγουσιν. Et Ariſtophanes,

> Κάρφος χαμᾶθεν σὺ νῦν λαβὼν, τὸν λύχνον πρόουσον.

Hinc apud Heronem ratio *in Pneumaticis* redditur, quâ Lychnus fieri queat, ἑαυτὸν προοῦσων, *cujus ellychnion ſponte promoveatur & producatur.* Cujuſmodi lucernam *Caſſiodorum* habuiſſe legimus. Plut. προμυξίειν vocat: μύξα enim *ellychnium*; à cujus longitudine dicitur Myxæ fructus Ægyptiæ, cui *Muſa* hodie nomen eſt, ex antiquo illo nomine mutuatum. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1325. &c.

PRODULUM, oppid. Foro-Julienſium.

PROEDRI, nomen Magiſtratus apud Athenienſes, de quo vide ſuprà voce *Epiſtates*: ubi de προεδρίας jure, inter præmia Veterum militaria, ubi de *Militibus*, nec non *Opifices*. it. voce *Præmia.*

PROERNA, Phthiotidis urbs, Liv. *l.* 36. *c.* 14. Strabo, *l.* 9. *Stephano Proarna* neutrô genere: Πρόαρνα, πόλις Μηλιέων, ὡς ἑτέρως.

PROETIDES, Prœti Argivorum Regis filiæ, quæ cùm formâ eſſent præſtantiſſimâ, ſe Junoni auſæ ſunt præferre. Quare irata Dea, talem iis immiſit furorem, ut vaccas ſe eſſe arbitrarentur, ut in ſylvas confugerent, poſteà autem helleborô ſanatæ à Melampode dicuntur Virg. *in Sileno*, *Ecl.* 6. *v.* 48.

> *Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.*

Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 322.

> *Clitorio quicunque ſitim de fonte levârit,*
> *Vina fugit; gaudetque meris abſtemius undis.*
> *Seu vis eſt in aquâ calido contraria vino;*
> *Sive, quod indigenæ memorant, Amithaone natus*
> *Prœtidas, attonitas poſtquam per carmen & herbas*
> *Eripuit furiis; purgamina mentis in illas*
> *Miſit aquas, odiumque meri permanſit in illis.*

Quidam, inquit *de la Cerda*, has Prœtidas tres faciunt, *Lyſippen, Hipponoën, Cyrianaſſam.* Alii duas, *Elegen*, *Cælenen.* Prœtus pater fuit, rex Argivorum. Matrem faciunt Sthenobœam: Homerus Antiam, *Il.* ζ. Eſt apud Vitruvium, *l.* 8. *c.* 3. elegans epigramma, quod inſcriptum erat in lapide, apud eum fontem, ubi Melampus ſacrificiis purgavit rabiem filiarum Prœti. Eudoxus *apud Stephan* fontem hunc in Azania conſtituit, additque Melampodem in eum ἀποκαθάρματα ἐμβαλεῖν, quibus Prœtidas expiaverat; cui fonti hanc dat virtutem, ut guſtantes illius aquam, nequeant deinceps vel odorem vini tolerare. Clem. *l.* 7. *Strom. c.* 3. adducit, quibus rebus Prœtides fuerint expiatæ à furore, nimirum tædâ, ſcillâ, ſulfure, bitumine. Adjungit Hervetus *Ælianum*, qui *caprinò lacte*; & *Plinium*, qui *nigrò helleborô.* Lege Politian. *Miſcell. c.* 50. ubi latè de Prœtidibus. *Nic. Lloydius.* Conſentit de lacte caprino Plin. *l.* 25. *c.* 5. inquiens: *Melampodis Fama divinationibus cognita eſt. Ab hoc appellatur unum ellebori genus Melampodium. Aliqui Paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſtô illô animadvertentem, datôque lacte earum ſanâſſe* Prœtidas *furentes.* Unde morbô λυκανθρωπίας (quô nomine intelligenda ea melancholiæ ſpecies, cùm quis non ſolùm in *lupum*, ſed etiam in *vaccam*, vel aliud converſum ſe putat) Medicinam à lacte caprarum eſſe, annotavit Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progreſſ. Idolol. l.* 3. *c.* 68.

PROETUS, Abantis Regis Argivorum filius, de quo vide Homer. *Il.* ζ. cum fratre Acriſio jam in utero diſſedit: qui ambo, poſtmodum de regno belligerantes, primi *clypeum* invenerunt: Succeſſit patri, in ſerie Argivorum Regum XII. poſt 17. verò annos à fratre pulſus, Lyciorum auxiliorum ope Tirynthem occupavit; ibique reliquum vitæ regnique exegit, Apollodorus, *Biblioth. l.* 2. Erechtheô adhuc Athenienſibus imperante. Pater Megapenthis, quem vide. Quomodo in ſaxum à Perſeo mutatus fuerit, docet Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 236.

> *Victor Abantiades patrios cum conjuge muros*
> *Intrat: & immeritæ vindex ultorque parentis*
> *Aggreditur Prœtum. Nam fratre per arma fugato*
> *Acriſionêas Prœtus poſſederat arces.*
> *Sed nec ope armorum, nec, quam malè ceperat, arce*
> *Torva colubriferi ſuperavit lumina monſtri.*

PROFANATIO Nominis, Hebr., חלול השם, ubi τὸ שם ſeu *Nomen* abſolutè poſitum, pro *Sanctiſſimo Numinis Nomine*, ſeu ipſo *Numine*, prohibetur Levit. *c.* 22. *v.* 32. *Cuſtodite mandata mea ac facite: Ego Dominus, ne profanetis nomen meum ſanctum, ut ſanctificer in medio filiorum Iſraël.* Cujus cùm triplex faciant genus Hebræorum Magiſtri, de omnibus illis ſingulare hoc tradunt, quòd remiſſio *Profanationis* hujuſmodi divina ab aliorum omnimodorum peccatorum remiſſione perquam diverſa ſit. Ubi enim de Sacrificiis, Confeſſione, Pœnitentia, Caſtigationibus, die Expiationum, Hirco apopompæo, adeoque de peccatorum aliorum quorumcunque ex hiſce Remiſſione plena ac perfecta, ſive ante diem illum, ſive in illo die (pro ſpecierum atque actuum varietate) agunt, de *Nominis Profanatione* ſeorſim ajunt, eam nemini plenè remiſſam, ante mortem, ſed ſolummodo in ipſo mortis momento, idque licèt præceſſerint, quæ omnium remiſſioni neceſſariò prævia. Hinc Gemara Babyl. *ad tit. Joma. c.* 8. *fol.* 86. *a. Sed verò, qui reus eſt* profanationis nominis, *ei neque poteſtas eſt per Pœnitentiam peccatum* (uſque ad diem Expiationum) *ſuſpendere, nec in die illo expiare, nec per caſtigationem ſui abſtergere. Sed omnino in ſuſpenſo manet, nec ante ipſum mortis momentum deletur. Juxta etiam illud* (Jeſaiæ *c.* 22. *v.* 14.) *Et revelatum eſt in auribus Domini exercituum, ſi expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriemini.* Vide Seldenum, *de Jure Natur. & Gentium juxta Diſciplinam Ebræor. l.* 2. *c.* 10. Eſt autem *Profanum*, Auctori *Onomaſtici* ἀνόσιον, *non omne ſacro contrarium, ſed quod fuerit & eſſe deſierit ſacrum*, uti habet Servius, *Æneid. l.* 12. ubi plurima de hac voce.

PROFESSIO Natalis, *Modeſtino* παιδογραφία; apud Romanos, hôc modô olim peragebatur. Poſtquam, octavô à Nativitate die, Nominalia eſſent celebrata, *profitebantur* deinde Patres puerorum nomina publicâ conteſtatione, quò alludens Appulejus dixit, *Pater natum ſibi filium cœterorum more* profeſſus *eſt*: ſimulque in Ærarium Ilithyiæ nummum inferebant. Mox intra tertium ab impoſito nomine diem, in Actis publicis referebantur à Præfecto Ærarii, non nomina tantùm tam legitimorum, quàm ſpuriorum, ſed ad confuſionem vitandam, etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Conſul, quod & Indis olim & Europæis hodie quoque haud infrequens: quæ Acta, *Faſti* aliàs dicta, *Tabularia* item & *Chartæ* in Saturni templo aſſervabantur. Unde Jul. Capitolin. *in Gordianis*, *c.* 4. *Cùm apud Præfectum ærarii, more Romanô.* profeſſus *filium publicis Actis ejus nomen infereret.* Vide quoque Briſſonium, *Antiqq. l.* 1. *c.* 5. Servium, *Georg. l.* 2. & Thom. Bartholinum, *de Puerp. Vett.* Apud Athenienſes Filiorum *profeſſio* triplex in uſu fuit: Primò enim liberos, ſive legitimis è nuptiis ſuſceptos, ſive ſecundùm Leges adoptatos, Patres Lege jubebantur referre in Φράτορας, jurati *profitenteſque* apud Φρατόρων acta, eos eſſe à ſe legitimis è nuptiis ſuſceptos aut ſecundùm Athenienſium jura adoptatos: quô factô tales τῶν Φρατόρων albo, quod κοινὸν γραμματεῖον vocabatur, inſcribebantur paternô

ternô nomine, hôc modô, ὁ δεῖνα. Fiebat id tertiô feſti Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις dicebatur, ἀπὸ τοῦ τοὺς κούρους καὶ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς Φρατρίας: idque intra ſeptimum, ut plurimùm, annum. Cùm dein adoleviſſent. inſcribebantur in Ephebórum album, quando nomina ſua inter Ephebos *profitebantur*, annô ætatis decimô octavô, Polluce teſte, *l.* 8. *c.* 9. exploratis priùs eorum virilibus, ut pateret, per ætatem ad publica munia, εἰς τὸ περιπολεῖν τὰ περὶ πόλιν Φρούρια, utiles eſſe: cujus δοκιμασίας meminit Ariſtophanes, *Veſpis*. Tertia demum *Profeſſio* fiebat apud populares, annô ætatis viceſimô, quô Lexiarchico inſcribi ſoliti, abhinc ſui erant juris, mittique ad negotia poterant, Pollux, *l.* 8. *c.* 9. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 2. *tit.* 4. Candidatorum *Profeſſio* apud Romanos in quo conſtiterit, vide apud Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 7. *c.* 8. & ſuprà, *ſuô locô*. De *Profeſſione* in Ludis Sacris, infrà ubi de *Profitendi* ritu. In Chriſtiana Eccleſia *Profeſſio Chriſtianiſmi* Chriſtianum facit. Hinc in Eccleſiis Orientalibus olim ut plurimùm primâ die fiebant & dicebantur *Chriſtiani*, quâ crediderant & ſe credere *Profeſſi* erant, ſequenti die in Catechumenos conſcribebantur; tertiâ exorcizabantur & inſufflabantur; poſteà inter Catechumenos diu manebant, audientes Scripturas; poſtremò baptizabantur & ungebantut, uti patet ex *can.* 1. Concilii Conſtantinopolit. Similiter in Occidente primâ credendi *profeſſione* Chriſtiani fiebant, quam *fidem primam credulitatis* appellat Concilium Eliberinum, *Can.* 42. Recipiebantur autem in Catechumenos, præviâ manus impoſitione, ac benedictione: quemadmodum poſt Baptiſmum, ultimâ manuum impoſitione, conſummabantur, ac *Fidelium* ſeu *Juſtorum* nomen accipiebant &c. Vide Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* in vocibus Χρίσμα, & Χριστιανὸς, item hîc paſſim, ubi de *Baptiſmo*, *Catechumenis*, alibi, etiam paulò infrà.

PROFESSORES, jam etiam Philoſophi Literatique, ſicut & *Doctores*, & *Magiſtri* appellati ſunt; ſed *Profeſſorum* recentior appellatio. Quintilian. *l.* 2. *c.* 11. *Geometriæ*, *Grammatices cæterarumque Artium Profeſſores*. Vide Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſ. l.* 7. *c.* 4. ut de Salariis eorum infrà *ſuô locô*. Addam hîc ſaltem ex Joh. Frid. Gronovio, *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 11. ab Trajano Imperatore honorem & dignationem tantam dicendi Magiſtris & Sapientiæ *Profeſſoribus* fuiſſe, ut per eum ſpiritum & ſanguinem & patriam recepiſſe ſtudia, prædicent *Plinius* & *Juvenalis*: Hadrianum omnes *Profeſſores* honorâſſe, ac divites feciſſe; in ſumma familiaritate Epictetum & Heliodorum Philoſophos, tum Grammaticos & Rhetores habuiſſe; Doctores inſuper, qui *Profeſſioni* ſuæ inhabiles videbantur, ditatos honoratoſque à *Profeſſione* dimiſiſſe, &c. Similiter Antoninus Pius Grammaticis, & Rhetoribus & Philoſophis, per omnes provincias & ſalaria & honores detulit finivitque numerum, quot quibus in civitatibus exhiberi publicè deberent. Honorum loco fuêre, *Immunes eſſe Gymnaſiis*, *Sacerdotii ſtantes & neque ad frumenti & vini & olei emtiones & præpoſitiones*, *& neque ad alium famulatum cogi*, quæ verba ſunt *leg.* 6. *ff.* 8. *de excuſat.* ſed haud dubiè corrupta. Cujacius ἀτελεῖς γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν, rectè interpretatur: proin Gronovius legit, *Sacerdotiis*, *ſtathmis*, quæ vox quid ſibi velit, exponit Euſtathius, *Il.* ε. Interim complures & annonam procurâſſe, & legationes obiiſſe, & aliis, quæ excuſare poterant, muneribus ultro functos legimus. Neque enim aliud voluit Antoninus, quàm quod exprimit Conſtantinus, *l.* 1. *Cod. Theod. de Medicis & Profeſſ. Fungi eos honoribus volentes permittimus*, *invitos non cogimus.* Vide omnino Gronov. *loc. præf.* adde Marcilium & Caſaub. *ad Suet. Otton. c.* 5. & *Veſp. c.* 18.

PROFESSUS in Eccleſia Romana dicitur, qui in Monaſterio votum emiſit, Gallis *Religieux Profez.* Votum autem Monaſticum triplex eſſe, *Paupertatis*, *Obedientiæ* & *Caſtitatis*, notum: quibus Jeſuitæ quartum addunt, *Miſſionis*. Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *Hierolex.* Apud veteres Romanos verò vox eum denotat, qui nomen ſuum aliorum catalogo inſeri, alicujus rei gratiâ, curabat, ut *Profeſſus bonorum*, *cenſuum*, *nominis* &c. Cicer. *pro Archia Poëta*, *Cùm hic domicilium Romæ multos jam annos haberet*, profeſſus *eſt apud Prætorem Q. Metellum*, *familiariſſimum ſuum*, i. e. ſe in civium Romanorum catalogum inſcribi fecit. Liv. *l.* 2. *c.* 24. *Hôc propoſitô edictô*, *& qui aderant nexi*, profiteri *extemplò nomina* &c. Ut de iis, quæ licentiam ſtupri apud Ædiles vulgabant, ſicque ſciri & publicari ſe impudicas eſſe, ex ipſa flagitii profeſſione, avebant, *profeſſæ* hinc Ovidio dictæ, *Faſtor. l.* 4. *v.* 865.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa profeſſarum *quæſtibus apta Venus*,

& quæ ſeqq. nil addam. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 4. *c.* 3. & infrà.

PROFESTI Dies, iiſdem dicti ſunt, qui hominibus ad adminiſtrandam rem privatam publicamque conceſſi erant, quaſi *procul à religione Numinis divini*, ut ait *Feſtus.* Dividebantur in *Faſtos*, *Comitiales*, *Comperendinos*, *Statos* & *Præliares*, de quibus omnibus vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. & ſuprà, voce *Dies.* Angli vocant *Working days*, Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 1.

PROFITENDI nomen ſuum ritus, in Ludis olim Sacris memoratus Plutarcho, *Sympoſ.* 7. *Problem.* 5. In omnibus enim Agonibus id obſervatum eſt, ut ad illos admitteretur nemo, qui non priùs apud Ludi præfectos nomen ſuum eſſet profeſſus: unde Calliſtratus Amphictyonibus impoſitus Aulœdum quendam hôc nomine Ludô arcuit, *Ibid.* Qui verò inter Athletas nomen ſuum erant ſemel profeſſi, iis recedere non amplius licebat, ſed fortiter & animosè certamen obire cogebantur. Sed nec cuivis permiſſum erat nomen profiteri; non certè pueris, nec hominibus ſceleſtis, imò nec illis, qui nondum rationes adminiſtrati muneris retuliſſent, cùm lex eos coronari vetaret, Demoſth. *de Cor.* Poſtquam autem nomen datum eſſet, ſacra peragebant &c. Quam in rem vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 10. Apud Romanos porrò, poſt rem fortiter feliciterque geſtam, coronis ab Imperatore in edito loco conſtitutis, qui ſe iis dignos ducerent, *in omnium oculis id apud ipſum profiteri* jubebantur. Liv. *l.* 26. *c.* 48. *Idque quanquam omnibus omnia deberent*, *præcipuum tamen muralis coronæ decus ejus eſſe*, *qui primus murum aſcendiſſet.* Profiteretur, *qui ſe dignum eô duceret donô. Duo profeſſi ſunt.* Vide quoque Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex* 6. Quod ideò factum, ne ulla fraus ſubreperet: tot enim teſtibus *profiteri* nomen ſuum nemini falſò licebat. Quod ſi verò res in ipſius Imperatoris conſpectu eſſet geſta, neque teſtes, neque *profeſſio* expectabatur: verùm Imperator milites eô honore dignos nominatim appellabat. Quemadmodum Cyrum, apud Xenoph. *Pæd. l.* 4. Chryſantam ordinis ductorem ait ſtrenuè feciſſe, proximum ſibi & in conſpectu ſuo &c. Vide iterum Paſchalium, ubi ſuprà, *l.* 2. *c.* 2. & 3. Aliàs *Profiteri*, Comitiale verbum, in lege Sylvano & Carboni Tribun. Pleb. latâ, *Ut*, *qui fœderatis civitatibus adſcripti eſſent*, *ſi tum*, *cùm lex ferebatur in Italia*, *domicilium habuiſſent*, *ac ſexaginta diebus apud Prætorem* profeſſi *eſſent*, *cives Romani eſſent*, Cic. *pro Archia.* Idem, quod *profiteri nomen.* P. Ramus *in Orat. Cic. Agr.* 2. Vide ſuprà: uti de *profitendi Chriſtum* μετὰ παῤῥησίας πάσης, λαμπροτάτῃ φωνῇ, officio, Chriſtianis incumbente, ſuprà aliquid voce *Negatores.*

PROFUNDUS, apud Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 13. *Cape tunicam palmatam*, *togam pictam*, *ſubarmalem* profundum, *ſellam eboratam*, *nam te Conſulem hodie deſigno:* color eſt intenſior & ſaturatior Car. du Freſne, quem Scriptores medii ævi *Fundatum*, Galli *Foncé* vocant. Unde *ſubarmalem profundum* ſic dictum, quòd non modò purpureus fuerit, ſed purpurâ ſubfuſcâ intenſiore ac improbiore intinctus: adeoque eundem fuiſſe cum eo, quod Trebellius Pollio *in Claudio*, *c.* 14. vocat, *Subarmale cum purpura Maura*, contendit. *Heſychius*, τὸ βαθὺ καὶ τὸ μέγα καὶ ὑψηλὸν καὶ μέλαν, *Profundum & magnum & altum*, *& nigricans ſeu ſubfuſcum.* Eſt igitur ei *ſubarmalis profundus* ὑσγινοβαφὴς, *hysgino tinctus*, vide illum in *Gloſſar.* Ita ergo *profundus*, pro copioſo, uti apud Poëtas paſſim. Sic *profunda cædes*, apud Stat. *Theb. l.* 10. *v.* 837. *profundus clamor*, apud eundem ſuprà, *v.* 760. &c. Aliàs *profundus*, pro infero. Ut *profunda Juno*, Proſerpina dicitur Claudiano *initio Rapt. profundus Dis*, Pluto, Lucano *l.* 1. *v.* 455. qui idem *profundus Jupiter*, Statio, *Theb. l.* 1. *v.* 615. ſicut *profunda Ceres* iterum Proſerpina, eidem, *l.* 4. *v.* 460. quam *inferam Junonem* alibi vocat &c. Vide Barthium, *ad loc. cit.*

PRUFUTURUS Renatus Frigeridus, vide *Renatus.*

PROGNOSTICON, apud Scriptores recentioris ævi ferè ſemper appellatur id divinationis genus, quod aliàs *Sortes Sanctorum* dicitur. Sic autem appellatum eſt Euangelii aut cujuſlibet Libri ſacri inſpectio, ſpecieſque eſt Ῥαψῳδομαντείας: cùm ſcil. apertô librô quidquid oculis ſe ſubjiciebat, pro ſorte i. e. oraculi loco, habebatur; origine è Paganiſmo, in quo Sortes inprimis Virgilianæ celebres, hauſtâ. *Sortes Apoſtolicas* ſeu *Apoſtolorum* vocat Petr. Bleſenſis, *de Præſtig. Fortun.* vel quòd Pauli Apoſtoli Epiſtolæ vel quòd Euangelii ab Apoſtolis deſcripti codices inſpicerentur: vel denique, quòd ab Apoſtolis miſſæ ſortes. Divinationis hujuſmodi exemplum ſuggerit Greg. Turonenſis, *Hiſtor. l.* 4. *c.* 16. *Poſitis Clerici tribus libris ſuper Altarium*, *i. e. Prophetiæ*, *Apoſtoli*, *atque Euangeliorum*, *oraverunt ad Dominum*, *ut Chramno quid eveniret*; *aut ſi ei felicitas ſuccederet*; *aut certè*, *ſi regnare poſſet*, *divina ſententia declararet: ſimulque unam habentes convenientiam*, *ut unuſquiſque in libro*, *quem primùm aperiebat*, *hoc ad Miſſas etiam legeret. Apertô ergo primùm omnium Prophetarum librô*, *reperiunt* &c. Atque inde fluxit mos ille in Eccleſia Romana ut, dum eligerentur Epiſcopi, per inſpectionem Euangelii, quid de ejus moribus vel converſatione, in adminiſtratione futurum eſſet, inquireretur. Auctor *Vitæ S. Aniani Epiſc. Aurel. Cumque varia electio Populi---fieret dixit -- Anianum in meo conſtitui loco. Atque ut id ipſum divinæ electionis clareſceret*, *cùm triduanum jejunium more Eccleſiaſticô indixiſſet*, *Brevibus & Libris ſuper Altare poſitis*, *nec dum loquentem parvulum afferri præcepit*, *ut ipſe Brevia ab Altari ſublevaret. Tunc verò cùm puer manum injeciſſet Altari*, *mox ut Breve tetigit*; *vox inconſueta novella verba prodidit teſteque Populô proclamavit*, *Anianus*, *Anianus*, *iſtius Civitatis à Deo Pontifex eſt inſtitutus.---Sed ut votis omnium fieret ſatisfactum*, *apertô Pſalterio*, *quem verſum primum invenerunt legentes*, *dixerunt*, *Beatus quem elegiſti &c. Prolatô quoque Apoſtolicô Codice*, *in primo repererunt ſermone*, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. Sed & in Euangelii pagina hanc primam repererunt ſententiam: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Ubi binas obſervare eſt divinationes ſeu prognoſtica, primum per *Brevia*, alterum per *inſpectionem ſacrorum librorum*, *Pſalterii ſcil. Apoſtoli* & *Euangelii.* Sed poſtmodum ſola *Euangelii* inſpectio obtinuit, non quidem ad explorandum Dei judicium, an quis eligendus eſſet ad Epiſcopatum, ſed quid de eo futurum eſſet in Epiſcopatus adminiſtratione, qui ejus mores, qui finis aut obitus. Quæ quidem divinationis ſpecies *Prognoſticon* propriè dicta. *Libellus ſupplex* Capituli Aurelian. ad Alexandrum III. *Apertæ ſunt cataractæ cœli*, *ut credimus*, *& de cœleſtibus ſtillat indignatio*; *& Apoſtolicæ manus fortitudinem induantur*, *ut denudetur iniquitatis fundamentum uſque ad collum*, *& finem iniquitatis ſortiatur*, *quem in die ſuæ promotionis ſermo divinus ei* prognoſticâ *ſignificatione propoſuit: apertô enim ſicut moris eſt*, *Euangeliorum librô*, *ſermo qui primus occurrit*, *ſic erat: Adoleſcens autem relicta ſyndone nudus profugit ab eis.* Guil. Malmeſbur. *de Pontif. Angl. l.* 1. *p.* 214. de Lanfranco: *Ajunt ejus* prognoſticon, *Date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis. Quò ille ab acclamantibus hilari vultu ad Dominum direxit*; *Certemus ergo mutuâ viciſ-*

viciſſitudine, tu dando, ego diſpertiendo &c. Quam in rem vide plura apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi & id genus *Epiſcopalis prognoſtici* obtinuiſſe etiam apud Græcos, oſtendit ex *Pachymere*; & in Canonicorum quoque inſtallationibus idem obſervari conſueviſſe, addit in voce *Sortes Sanctorum.* Cœterùm *Prognoſticorum* in Auctoribus priſcis explicationem non ineptam edidit Jodocus Willichius. Veteres verò *Prognoſticis* docendis certas habuiſſe tabulas, diſcimus ex Gemino, Scriptore utili ac docto. *c.* 14. & *Prognoſticon* merum, eſt liber Ptolemæi cum eo, à Petavio promulgatus, collectum ex variis antiquis Auctoribus, ut ſunt Metrodorus, Euctemon, Calippus, Hipparchus, Eudoxus, Conon, Philippus, Doſitheus, Cæſar, Democritus & Meton. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 342. & plura hanc in rem apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 14. & 15.

PROGASIA, Lydiæ oppid. *Stephan.*

PROGNE, Pandionis Regis Athenienſium filia, uxor Terei Thracum Regis; qui, cùm Philomelæ, alteri Pandionis filiæ, ſub prætextu viſendæ ſororis à patre abductæ, vim intuliſſet, vitiatæque linguam abſcidiſſet: tam impotenter id tulit Progne, ut Itym, communem filium dilacerârit, patrique epulandum appoſuerit. Quâ re tandem cognitâ, ex pueri capite ſub finem cœnæ in convivium illato, Tereus furore correptus, gladium ſtrinxit, uxoremque jam occiſurus, in hirundinem eam videt converſam. Philomelam autem in avem ſui nominis: Itym verò in Phaſianum. Quinetiam ipſe, dum novas haſce ſuorum transformationes admiratur, in upupam mutatus eſt. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 643.

> *Credamus tragicis quicquid de Colchide torvâ*
> *Dicitur & Progne.* ——— ——

Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 15.

> *Et manibus Progne pectus ſignata cruentis.*

Vide *Philomela.*

PROGNE, Inſula parva Aſiæ, apud Rhodum, Plin. *l.* 5. *c.* 31.

PROGRAMMA, apud Vulcatium Gallic. *in Avidio Caſſio, c.* 6. *Statim ad ſigna edici juſſit* & programma *in parietibus fixit; ut, ſi quis cinctus inveniretur apud Daphnen, diſcinctus rediret.* Edictum eſt; quâ notione vocem & Imperatores uſurpant *in Cod.* Caſſiodorus *in Formulis.*

PROJECTA Tecta, & *Protecta*, Latinis dicuntur meniana vel ſolaria illa, quæ in planis tectis ſtruebantur, Græcis ἡλιαστήρια & ἡλιαστικὰ & ἡλιοκάμινοι. In *veterib. Gloſſis, Projecta tecta*, ἀνατεταμένη, ἀνάτασιν ἔχουσα ἐπ᾽ οἰκίας. Ἀνάτασις tamen & ἀνατεταμένη οἰκία, videntur de illo genere tectorum accipienda, quæ faſtigiata erant & culmen habebant, τὰ εἰς ὕψος ἀνατεταμένα; hæc autem etiam ad ſtillicidia arcenda ſuas projecturas habuêre. Vide ſuprà *Meniana*, & infrà in vocibus *Prophorum, Protecta, Provolans*, ac plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro, c.* 12.

PROLETARII, Nonio *cives dicebantur, qui in plebe tenuiſſima erant, & non amplius quàm mille & quingentos æris in cenſum deferebant.* Quod ex A. Gellio hauſit, *l* 16. *c.* 10. ubi is *Proletarios* à *capite cenſis* diſtinguens, pergit: *Qui verò nullô aut perquàm parvô ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur; extremus autem cenſus capite cenſorum æris fuit trecenti, ſeptuaginta quinque.* Roſin. etiam *Antiqq. l.* 6. *c.* 8. poſtquam docuit ex Dionyſio, Floro, Livio, Eutropio, Aliis, à Servio Tullio Rege cives Romanos omnes, pro ratione cenſûs in 6. Claſſes fuiſſe diſtributos, de ultima claſſe loquens: *Reliquos*, inquit, *cives, quorum cenſus minor fuit duodecim minis cum dimidia, ſed numerô non cedebant quinque claſſibus, aut ſuperabant etiam, in unum ordinem congeſtos immunes fecit à tributis ſimul & militibus.* Sed falſum eſſe, quod apud Gellium, cujus errorem dein reliqui ſequuti, Julius Paulus ait, tantulam ſummam, ut eſt mille quingentum æris, quæ efficiunt in auro illius ævi, tres aureos cum tribus aurei quartis, in cenſum delatam fuiſſe, notavit Salmaſ. *de Fœn. Trapezit.* Nemo enim, qui minus, quàm quinquaginta aureos in bonis haberet, aliquid in cenſu deferre ſolebat, quia nec in una claſſe erat. Minimus quippe cenſus ultimæ & quintæ claſſis fuit illorum, qui duodecim millibus æris & quingentis cenſebantur, infra quem cenſum poſiti extra claſſes fuêre. Quare quamvis inter hos etiam quidam fuerint gradus, ut inter divites, omnes tamen *Proletarii* & *Capitecenſi* dicti ſunt. Unde aliô locò meliorem Auctorem ſequutus Nonius, *Proletarii*, ſcribit, *dicti ſunt Plebeji, qui nihil Reip. exhibebant, ſed tantùm prolem ſufficiebant*: unde & nomen. Quod confirmans Feſtus, *Proletarium*, inquit, *cenſum dictum, quòd ex his civitas conſtet, quaſi prolis progenie*: uti legit Jac. Oiſelius JC. *Notis in Gell. loc. cit.* Ex infima itaque plebe *Capitecenſi* dicti, qui nihil præter caput ſuum in cenſum deferebant: Iidem quòd prolem Reip. progignerent, *Proletarii* inde vocati ſunt, & non ampliùs à capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulô, munere officiôque prolis edendæ, appellati. Hi omnes, ſecundùm Roſinum *loc. cit.* in unam congeſti Centuriam, cujus nulla ferè ratio habita, jus habebant quidem ſuffragiorum in Comitiis interim a tributis & militia erant immunes. De iiſdem ex XII. Tabul. hæc verba Q. Ennius affert, apud A. Gellium, *ubi ſuprà, Aſſiduo. Vindex. aſſiduus. eſto. Proletario. quoi. quis. volet. Vindex. eſto.* quorum ſententia eſt, Homini aſſiduo ſive locupleti ſolum aſſiduum, ſive locupletem poſſe fieri Vindicem; ac *Proletario* ac nullius claſſis homini, quiſquis velit, h. e. non aſſiduum tantùm, utpote meliorem, ſed etiam *Proletarium*, quamvis parem, J. Gothofredus *Nov. ad Leg. XII. Tabular.* Vide quoque ſuprà, in voce *Plebeji*; ubi *Proletarios*, fæcem Plebejorum, non ſemel cum Plebejis mixtim tractavimus, cùm aliàs ab iis diſtinguendi. Apud Athenienſes, quæ *Proletariorum* ſors in pace, diximus *ibid.* ubi & de jure militandi, terreſtri præliô divitibus ferè omnibus à Lacedæmoniis occiſis, iiſdem conceſſo aliquid innuimus, ex Petito, *Comm. in Legg. Attic. l.* 8. *tit.* 1. qui aliàs quoque eos militâſſe, ex Antiphonte *contra Philinum*, ſed evocatos, aut tumultuarios, non ſacramentô rogatos, ait. Quemadmodum apud Romanos, ubi in Legione nemini militare licebat, niſi civi ingenuo & qui in quinque claſſibus cenſus, atque ludicræ Artis expers eſſet, cogente tamen neceſſitate, in dubiis Reip. rebus, etiam *Proletarios* ſeu Capitecenſos, ſervos, libertinos, pueros, ſeniores ac hiſtriones, ad arma vocatos eſſe legimus. Vide Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 4. cum *Paralipomenis* Thom. Dempſteri, & ſuprà *Eques*, it. *Plebeji*, ac infrà *Theta.*

PROLOCUTOR, vide ſuprà *Prælocutor.*

PROLOGUS, pars Dramatis, ex acceſſoriis ac ſecundariis, præfatio erat præparans Spectatores, vel excuſatione *Poëtæ*, vel commendatione fabulæ, vel expoſitione totius ſummæ: cum Argumento ac Mimo, Comœdiæ ferè propria. *Prologo* enim Argumentum i. e. περιοχὴ, paucis verſibus comprehenſum, præmitti ſolebat; ſed in veteri Comœdia, neque Argumentum neque *Prologum* fuiſſe, ex Ariſtophanis ac Plauti collatione apparet. Genera ejus quatuor, Ἀναφορικὸν, Συστατικὸν, Ὑποθετικὸν & Μικτὸν; recenſent Auctores *Poëticæ Gieſſ. l.* 2. *c.* 9. quos vide. Cœterùm μονοπρόσωπος, i. e. *unius tantùm perſonæ*, eſſe conſuevit, apud Plautum tamen *in Trinummo* διπρόσωπος reperitur: Neque legitima pars fabulæ habita eſt, quamvis in ejuſdem *Amphitryone*, Mercurius & *Prologum* agat & magnam fabulæ partem expediat. Quidam porrò, *Prologum* Latinis tantùm vendicantes, unum Calliam Athenienſem ajunt. Tragœdiæ eum addidiſſe, & Euripidem ſæpe *Prologi* aliquid habere ſimile, quem per plures perſonas introducat. Ὑποθετικὸν inprimis *Prologum* à Tragœdia omnino eſſe alienum, propter notam materiam ex conditione illuſtrium, obſervant Eruditi. Vide quoque Jo. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 5. *c.* 9. & Scaligerum inprimis *de Arte Poët.* Hinc *Prologus Galeatus*, nomen Præfationis, quam D. Hieronymus verſioni Bibliorum præmiſit, ubi inter alia, *Hic Prologus*, ait, *Scripturarum, quaſi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus, convenire poteſt.* De eodem Sulpitius, *Quod idem galeatum à quibuſdam vocatur, quoniam ita commune eſſe poſſit, ut in omnibus cauſis, quemadmodum galea ſuo galeato, omnibus poſſit indigis eſſe commune.* Alii verò autumant ſic dictum, quòd, ſicut galea caput defendit, ita *Prologus* in principio libri appoſitus, totum eum ab Adverſariorum detractionibus tuetur, vide Dominic. Macrum *Hierolex.*

PROLUSIONES, *Diomedi* dicuntur *Culex* Virgilii & quæ eum comitantur opuſcula, quòd iis magno ſuo operi proluſerit, & præluſerit: voce à Militibus an Muſicis mutuatâ. Vide ſuprà in voce *Præludium.*

PROLYTÆ, vide ſuprà *Lytæ*, it. *Papinianiſtæ.*

PROM. in nummis Conſtantii, idem notat quod PR. vide *ibi.*

PROMACHIA, ludi Lacedæmoniorum, memorati Athenæo, *l.* 15.

PROMACHUS, Macedo, & Novelius Tricongius, raræ gloriæ inter bibaciſſimos fuerunt; ille enim, quòd quatuor ingurgitâſſet cantharos unô hauſtu, ab Alexandro coronâ donatus eſt. Hic tres vini congios prandiolò unô ebibiſſe commemoratur. Promachum verò triduò pòſt vini furor enecavit. Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 1.

PROMATHIDAS, Heracleotes Hiſtoricus, citatur ab Athenæo, *l.* 7. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 408.

PROMATHIDAS, Scriptor quidam antiquus & fabuloſus.

PROMATHION, Italiæ res condidit, Plutarch. *in Romulo.* *Voſſ. loc. cit.*

PROMENÆA, Sacerdos Dodonæa una ex tribus illis, à quibus Herodotus fabulam accepit *de duabus Columbis*, Oraculi Dodonæi ac Jovis Hammonis, primis auctoribus, *l.* 2. *c.* 55. Quod de Sacerdotibus Jovis, Thebis Ægyptiis culti, unde columbæ hæ advolâſſe ferebantur, *c. præc.* traditur: *Narrabant Sacerdotes Jovis Thebani*, δύο γυναῖκας ἱρηΐας, *duas fœminas Sacerdotes Thebis abductas à Phœnicibus, quarum unam in Lybia, alteram in Græcia venundatam fuiſſe; quæ primæ oracula in iis gentibus conſtituerunt.* Sacerdotes ſanè in fabulis Græcis *Columbas* nuncupari, ex Phœniciarum vocum alluſione, docet C. Bochartus, *Phœnic. l.* 2. *c.* 11. Vide quoque ſuprà, voce *Nicandra.*

PROMERUS, regius quidam miniſter fuit; is Euripidem tragicum ſupra modum exoſum habuit, delatus ab eodem aliquando neſcio quô nomine apud Regem. Quare poſteà canes quoſdam feros in poëtam ſolvit, à quibus devoratus interiit. Vide proverbium: *Promeri canes.*

PROMETHEI Jugum & antrum, vertex Caucaſi in Albania, apud *Diodor. Sic.*

PROMETHEUS, Japeti & Clymenes fil. teſte Poëta.

> Κούρην δ᾽ Ἰάπετος καλλίσφυρον Ὠκεανίνην
> Ἠγάγετο Κλυμένην, καὶ ὁμὸν λέχος εἰσανέβαινεν,
> Ἡ δέ οἱ Ἄτλαντα κρατερόφρονα γείνατο παῖδα.
> Τίκτε δ᾽ ὑπερκύδαντα Μενοίτιον, ἠδὲ Προμηθέα
> Ποικίλον, αἰολόμητιν. ——— ———

Filium habuit Deucalionem. Apollonius, *Argon. l.* 3.

> ——— ——— Ἔνθα Προμηθεὺς
> Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
> Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς
> Ἀθανάτοις. ——— ———

Hic fertur homines primùm è luto finxiſſe, & univerſi generis hominum fuiſſe parens, vel potius artifex. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 60.

Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli:
Quam ſatus Japetô, mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantûm cuncta Deorum.

Claudian. *l.* 2. *in Eutrop. v.* 490.

——— *Ætheriis miſcens terrena Prometheus*
Sinceram patri mentem furatus Olympo:
Namque ferunt geminos, uno de ſemine, fratres
Japetionidas generis primordia noſtri
Diſſimili finxiſſe manu, quoſcunque Prometheus
Excoluit, multumque innexuit æthera limo.

Nam fama eſt, Prometheum, cùm hominem fingeret, portiones captas è ſingulis elementis ſuo operi admiſcuiſſe, atque pro ipſorum elementorum temperamentis non ſolùm vires ſingulis corporibus addidiſſe, ſed etiam motus animorum & mores. Qui verò etiam magis fabuloſè rem aggreſſi ſunt explicare, dixerunt, timorem leporis, aſtutiam vulpis, pavonis ambitionem, tigridum feritatem, leonum iracundiam, & magnitudinem animi fuiſſe hominibus ab ipſo Prometheo injunctas: unde Horat. *l.* 1. *Od.* 16. *v.* 13.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Hujus ingenium admirata Minerva, ſe illi daturam promiſit, quicquid apud ſuperos eſſet, quod ad operis perfectionem pertineret: cúmque reſpondiſſet Prometheus, conjicere ſe non poſſe, quæ apud ſuperos eſſent operi ſuo utilia, niſi præſens ſingula eſſet intuitus, Minervæ operâ in cœlum ſublatus eſt, ubi cùm corpora omnia cœleſti igne videret animata, operi ſuo id utiliſſimum fore ratus, ferulam, quam ſecum attulerat, rotæ Solis admovit, eâque accensâ ignem detulit in terras, luteumque ſuum hominem eô animavit. Quod Promethei furtum ægrè ferens Jupiter, Pandoræ, Epimethei uxori, pyxidem tradit ad virum perferendam, quam cùm ille aperuiſſet, mille morborum, aliarumque calamitatum generibus genus humanum implevit, quæ omnia tradit Heſiodus, *l.* 1. Ἔργ. *v.* 47. Horatius, *l.* 1. *Od.* 3. *v.* 28.

Poſt ignem ætherea domô
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors. ———

Virgilius *in Sileno*:

Caucaſeaſque refert volucres, furtumque Promethei.

Vide Platonem *in Protagora*. Porro hunc ignem furatus eſt λαθὼν Δία τερπικέραυνον, uti loquitur Heſiodus, *l.* 1. Ἔργ. *v.* 52. quod cùm reſciviſſet Jupiter, Vulcano imperavit, ut fœminam è luto componeret, quæ cùm aſtutiſſima eſſet, & omnibus artibus à Diis donata, vocata fuit Pandora; neque ante illam extitiſſe fœmineum ſexum crediderunt, uti teſtatur Pauſan. *in Atticis*. Hanc fabulantur miſſam fuiſſe à Jove ad Prometheum, cum omnibus malis in vaſculo incluſis, quòd munus cùm ſpreviſſet Prometheus, illa ad Epimetheum contendit, qui, demptô vaſculi operculô, omnia mala evolare ſentiens, vix ultimam & in imo reſidentem ſpem occluſit, cum quâ vas illud ſervavit. Cum verò Prometheus Jovis munus rejeciſſet, quòd inſidias formidaret, dicitur à Mercurio, Jovis juſſu, ad Caucaſum montem adductus, & in ſpeluncâ, quæ erat apud Paropamiſadas, vinctus, uti teſtatur Strabo, *l.* 15. Dicunt prætereà huic additam fuiſſe Aquilam, Typhonis filiam, ut ait, *l.* 2. *hiſtor.* Pherecydes, & Echidnæ Phorbantis, quæ jecur illius aſſiduè renaſcens laniaret ac deglutiret. Apollon. *l.* 2.

Καὶ δὴ Καυκασίων ὀρέων ἀνέτελλον ἐρίπναι
Ἠλίβατοι, τόθι γυῖα περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν
Ἰλλόμενος χαλκέῃσιν ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθεὺς
Αἰετὸν ἥπατι φέρβε παλιμπετὲς ἀΐσσοντα.

Erat enim columnæ alligatus, neque ullô pactô ſe movere poterat: cui quantum jecinoris per diem ab aquila conſumebatur, tantundem per noctem excreſcebat, ne unquam doloris materia deficeret. Heſiod. *in Theogon. v.* 521.

Δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
Δεσμοῖς ἀργαλέοισι, μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.
Καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον· αὐτὰρ ὅγ' ἧπαρ
Ἤσθιεν ἀθάνατον· τὸ δ' ἀέξετο ἶσον ἁπάντη
Νυκτὸς, ὅσον πρόπαν ἦμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄρνις

Valer. Flaccus eum à vulture cruciari ſcribit, *l.* 7. *v.* 355. Vide Philoſtr. *l.* 2. *de Vita Apollonii*. Duris autem Samius ſcriptum reliquit, non ob ignem raptum, ſed quia Palladem amaverit, Prometheum conjectum fuiſſe in vincula, & ita excruciatum: cujus rei facit argumentum, quia ad montem Caucaſum habitantes populi ſoli Jovi & Minervæ non ſacrificabant, ut illius ſupplicii autoribus, cùm eximiè colerent Herculem, qui Prometheum è vinculis liberâſſet. Prometheum enim ab Hercule liberatum fuiſſe conſtat. Philoſtratus negat id à Thebano factum: Heſiodus omninò affirmat. Æſchylus modô ab Hercule, modò à Jove liberatum narrat, & fabulam prorſus confundit. Alii à Vulcano ſolutum fabulantur. Fabulam quandam attigit Nicander *in Theriacis*, quæ apud antiquos circumferebatur, quòd ingrati homines, ad quos ignem Prometheus detulerat, furtum Promethei Jovi indicârint, pro qua accuſatione præmium perpetuam juventutem à Jove impetraverint. Hanc igitur quùm ſuo aſello clitellario impoſuiſſent redeuntes, aſinuſque gravi ſiti in itinere laboraret, ad fontem quendam pervenit, ubi ſerpens, ne ad aquam accederet, prohibuit, niſi prius peractô preciô.

Tum verò pactus eſt aſinus, ſe, quodcunque haberet, eſſe daturum, ne ſiti periret. Inde ſenectutem exuunt quotannis ſerpentes, ac fiunt juvenes. Verba Nicandri ſic ſe habent:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται,
Ὡς ὁπότ' οὐρανὸν ἔσχε Κρόνου πρεσβύτατος υἱός,
Νειμάμενος κασίεσσιν ἑκὰς περικυδέας ἀρχάς,
Ἰδμοσύνῃ, νεότητα γέρας πόρεν ἡμερίοισι
Κυδαίνων, δὴ γάρ ῥα πυρὸς ληΐστορ' ἔνιπτον
Ἄφρονες. οὐ μὲν τῆς δὲ κακοφραδίης ἀπόναντο.
Νωθεῖ γὰρ κάμνοντες ἀμορβεύοντο λεπάργῳ
Δῶρα, πολύσκαρθμος δὲ κεκαυμένος αὐχένα δίψῃ
Ῥώετο, γωλειοῖσι δ' ἰδὼν ὁλκήρεα θῆρα
Οὐλοὸν, ἐλλιτάνευσε κακῇ ἐπαλαλκέμεν ἄτῃ
Σαίνων, αὐτὰρ ὁ βρῖθος, ὃ δή ῥ' ἀνεδέξατο νώτοις
Ἤτεεν ἄφρονα δῶρον, ὁ δ' οὐκ ἀπανήνατο χρειῇ.

Menander verò, ſuaviſſimus poëta, meritò torqueri Prometheum inquit, non quia ignem, ſed quia multô gravius malum, fœminam ſcil. invenerit:

Εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον
Γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις,
Καὶ γίνετ' αὐτῷ λαμπάς, ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν
Ἀγαθόν; ὃ μισεῖν οἶμ' ἅπαντας τοὺς θεούς,
Γυναῖκας ἔπλασ' ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Γένος ἀνιαρόν. ——— ———

Vide Hyginum & Lucianum in *Prometheo*, Verulamium item, *de Sapientia Veter.* Fuit autem vir prudentiſſimus, qui Aſtronomiam primus Aſſyriis indicavit, & rationem fulminum deprehendit; quamobrem ignem cœleſtem Jovi ſuffuratus, & in Caucaſo ad ſaxum religatus fingitur. Hunc inter Deos recenſet Catullus *in Argonaut. Epigr.* 65. *v.* 294.

Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus;
Extenuata gerens veteris veſtigia pœnæ;
Quam quondam, ſilici reſtrictus membra catenâ,
Perſolvit, pendens in verticibus præruptis.

Unde συγγενῆ Θεῶν eum vocat Æſchylus, & πυρφόρον Θεὸν Sophocles *in Oedip. Colon.* Propert. *l.* 2. *el.* 1. *v.* 69.

Idem Caucaſeâ ſolvet de rupe Promethei
Brachia, & è medio pectore pellet avem.

Martial. *epigr.* 7. *l. Spectaculorum*, *v.* 1.

Qualiter, in Scythica religatus rupe, Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.

Claudianus:

——— *Hic volucrem vivo ſub pectore paſcit*
Infelix Scythicâ fixus convalle Prometheus.

Inde *Prometheus*. Propert. *l.* 1. *el.* 12. *v.* 10.

——— ——— *An qua*
Lecta Prometheis dividit herba jugis.

Ovid. *l.* 2. *Amor. El.* 16. *v.* 40.

Quæque Prometheo ſaxa cruore madent.

Auſonius *in Monoſyllabis*:

Unde Prometheo de corpore ſanguineus ros
Aſpergit cautes, & dira aconita creat cos.

E Caucaſo enim legebantur à veneficis herbæ ad incantationes. Seneca *in Medea*, *v.* 706.

Congerit in unum frugis infauſtæ mala,
Quæcunque generat niveus ſaxis Eryx,
Quæ fert opertis hyeme perpetuâ jugis
Sparſus cruore Caucaſus Promethei.

Nomen habet *Prometheus*, ἀπὸ τῆς προμηθείας. i. e. *à providentia*. Unde Heſiodo, in ἔργ. *v.* 48. ἀγκυλομήτης, αἰολόμητις, in *Theogon. v.* 521. & 616. ποικιλόβουλος, & πολύιδρις dicitur. Μητιόωντα eum vocat *Qu. Calaber*. Πολυμήτης ab *Oppiano* vocatur, αἰπυμήτης, & σοφιστὴς ab *Æſchylo*. *Callidum* eum vocat Horatius, *l.* 2. *Carm. Od.* 18. *v.* 35.

Callidum Promethea.
Revexit auro captus. ——— ———

Unde Catullus; *ut ſupra*:

——— *Solerti corde Prometheus.*

Cæterùm in Hiſtoria veteri aliquantiſper verſatis (inquit *Caſius*) haud adeò operoſum erit diſtinguere, quid poëticâ, & quid hiſtoricâ fide à poëtis de Prometheo ſit dictum. *Non enim res ipſas geſtas finxerunt poëtæ*, ut loquitur Lactantius, *l.* 1. *de Falſa Relig. c.* 2. *ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem.* Et hôc detractô, & quaſi de decoratâ fabulâ, nuda nobis apparebit hiſtoriæ veritas. Apud Herodotum legere eſt in eo libro, quem compoſuit de vinculis Promethei; quod Scythiâ fluviô Aquilâ inundatâ, Prometheus, Scytharum rex, populis ſibi ſubjectis res victui neceſſarias non ſuppeditare potuerit, atque eâ de causâ à Scythis in vincula conjectus ſit. Quem tamen haud ita longè poſt Hercules in illas veniens regiones, à vinculis liberaverit, fluviô Aquilâ in Oceanum ductô. Agrœtas quoque *Rerum Scythicarum l.* 13. eadem ferè ſcripſit. Verùm uterque non nudam, & ſicuti geſta erat, ſed adhuc fabulis & commentis quibuſdam contaminatam recitant hiſtoriam. Audiamus igitur Polycharmum, *in Rebus Lyciis*, & Diodorum Siculum; qui ſcribunt, Nilum Ægypti fluv. aliquando, Siriô exortô, adeò intumuiſſe, ut, aggeribus ruptis, Ægyptum aquâ obruerit; imprimis autem illam partem, cui cum imperio præfuerit Prometheus: Et hunc fluvium, ſive potiùs alveum Nili, ob aquæ violentiam & celeritatem (unde etiam viſcera Promethei exediſſe fabulantur) poſteà *Aquilam* eſſe nuncupatum. Herculem autem obturatis, quibus irruperat, locis, eum intra ripas coërcuiſſe. & ſic Prometheum liberâſſe. Videtur *Magog* eſſe Prometheus, inquit Vir doctiſſimus, *in Phaleg*, *l.* 1. *c.* 2. Quia, ut Japheti filius Magog, ita Prometheus Japeti. 2. Et Caucaſo Prometheus affixus fuiſſe fingitur, quia vel ipſe, vel gens Scytharum ab illo oriunda

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

oriunda in Caucaſo ſedes fixit. 4. Et ignem è cœlo in terram detuliſſe, quia metallis omnigenis in Soanis, Colchide & Iberiâ effoſſis, artem metalla igne excoquendi, aut invenit, aut à Tubalcaino inventam reſtituit. Id non latuit Æſchylum, poëtam vetuſtiſſimum, qui Prometheum inducit ita loquentem in *eo.*

> Χαλκὸν, σίδηρον, ἄργυρον, χρυσόν τε τις
> Φήσειεν ἂν πάροιθεν ἐξευρεῖν ἐμοῦ;

4. Et tota fabula de Promethei corde vel hepate, quod ab aquila corroſum contabeſcit, videtur niti nomine *Magog*; quod ab Ebræo מוג *mug*, vel מגג *magog*, cujus Hithpael התמגג *hithmaggeg*, quod de animâ & corde uſurpatum, *diſſolvi* & *contabeſcere* ſignificat, atque *animô frangi* & *cruciari.* Vide Lactant. *loc. cit.* Al. Roſſæum, *in myſtagogo Poëtico, &c. Nic. Lloydius.* Addo, quod in ejus, vinculis exſoluti honorem, coronas olim geſtari conſueviſſe, tanquam ejus indignatio ex eo concepta, quòd hominum causâ indita illi vincula eſſent, hôc cultu minui & placari poſſet, docet. Athenæô teſte, *l.* 15. Æſchylus *in eo.* Idem, inquit Athenæus, in ea Fabula, cui nomen *Sphinx*,

> Τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανον ἀρχαίων στέφος
> Δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.
> *Hoſpiti coronam priſcum coronamentum* (circundo)
> *Vinculorum optimum è Promethei ratione.*

Qua de re vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 4. *c.* 3. & plura *de Prometheo*, apud Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 18. ubi fabulam hanc ad Noachum trahit, cœterùm plures hôc nomine videri fuiſſe, celebratiſſimumque apud Græcos Atlantis patrem, & in *Prometheis* (quod ludo nomen) nocturnum ignem, qui in ara Academiæ accendebatur, adhibitum: cum Scaligero *Poët. l.* 1. *c.* 32. inter alia, addit.

PROMITTERE, Fatorum ſimul & Sponſaliorum verbum eſt. Jupiter ad Venerem *Æn. l.* 1. *v.* 262.

> ——— *manent immota tuorum*
> *Fata tibi: cernes urbem &* promiſſa *Lavini*
> *Mœnia* ——— ———

Latinus ad Turnum, *Æn. l.* 12. *v.* 31.

> ——— ——— *vincla omnia rupi:*
> Promiſſam *eripui genero* ———

Hinc *Promiſſio*, in vet. *Chron.* Elnonenſi A. C. 818. *Teutingus* promiſſionem *fecit*; idem quod profeſſio Monaſtica, vide ſuprà. *Promiſſa Coma* verò quid ſit, vide ubi de *Cæſarie*, *Capillo*, *Coma* &c.

PROMONA, Liburnorum urbs, *Appian.* In Illyrico; Hodie Mons ita vocatur, Slavè *Promina*, ubi veſtigia antiquæ urbis, *Joan. Lucius.*

PROMONTORIUM, quid ſit, vide infrà *Promuntorium.*

PROMONTORIA PRÆCIPUA.

PROMONTORIUM Acutum, *Cap. Pointu*, promontorium eſt Americæ, in nova Francia & in parte occidentali inſulæ Terræ novæ, verſùs ſinum S. Laurentii.

PROMONTORIUM Album, *Cabo bianco*, eſt in America, & in parte Boreali Californiæ inſulæ, ſupra promontorium Mendocinum.

PROMONTORIUM Album, *Cabo bianco*, eſt in America ſeptentrionali & in Nicaragua provincia novæ Hiſpaniæ, prope ſinum Salinarum, in ora maris Auſtrini.

PROMONTORIUM Album, *Cabo bianco*, eſt in America meridionali, in regno Peruviæ & in Quitoa provincia, inter fanum S. Michaëlis, & Punam inſulam, in ora maris Auſtrini.

PROMONTORIUM Album, *Cabo bianco*, eſt in eadem America meridionali, in Braſilia regione, & in præfectura Paraibæ, ad mare Boreale.

PROMONTORIUM Ancytæum, *Romion*, ad Boſphorum Thracium, ubi in Pontum Euxinum cadit à parte Aſiæ.

PROMONTORIUM Antiveſtæum, *The lands End*, in Anglia, & in Cornubia provincia.

PROMONTORIUM Aphrodiſium, *Cap. de Creux*, in Hiſpania, ad radices montium Pyrenæorum, in limite Galliæ Narbonenſis.

PROMONTORIUM, Aromata, *Cap de Guardafuy*, in Africa, & in ora maris Arabici.

PROMONTORIUM Arſinarium, *Cap Verd*, in Africa, & in ora Oceani Atlantici.

PROMONTORIUM Artabrum, ſeu Nerium, & Celticum, *Cabo de Finiſterra*, Hiſpaniæ, in ora Gallæciæ.

PROMONTORIUM Bojadorum, *Cabo Bojador*, eſt in Luzonia inſula, Philippinarum præcipua, in ejus parte ſeptentrionali, ubi magis verſùs Sinas extenditur; 180. mill. paſſ. à Manilla urbe diſtans in Boream.

PROMONTORIUM Bonæ ſpei, *Cap de bonne Eſperance*, in Africa. Vide *Caput Bonæ ſpei.*

PROMONTORIUM Boni deſiderii, *Cabo debueno Deſeo* Luſitanis, eſt in parte Boreali novæ Guineæ, prope terram Nigrorum.

PROMONTORIUM Boreale, *Cap de Nort*, in America meridionali. Vide *Caput Boreale.*

PROMONTORIUM Canganorum, *Breychipult point*, Angliæ, in Vallia Boreali

PROMONTORIUM Carambis, *Capo Piſello*, in Aſia minori & in ora Ponti Euxini.

PROMONTORIUM Carolinum, *Cap Charles*, eſt in terra Arctica, & in Eſtorilandia regione, prope ſinum Hudſonium; ſicque dictum fuit ab Anglis, dum illas partes luſtrârunt hiſce ultimis temporibus.

PROMONTORIUM Carolinum, *Cabo Carlos*, eſt in Florida regione Americæ, & in ejus parte occidentali, verſus ſinum Mexicanum.

PROMONTORIUM Celebum, *Punta dos Celebes*, eſt in Celebi inſula, in Aſia, & in ejus parte Borealiori, verſùs Mindanoam inſulam extenſa.

PROMONTORIUM Charidemum, *Cabo de Gates*, Hiſpaniæ, in regno Granatenſi.

PROMONTORIUM Chriſtianum, *Cap Chriſtian*, in Gronelandiæ regionis parte auſtrali. Nuper detectum fuit à Danis.

PROMONTORIUM Ciamum, *Capo Spada*, in parte occidentali Cretæ inſulæ.

PROMONTORIUM, Condæum, *Cap de Condé* Gallis, *Cap Cecil* Anglis, *Cap d'Orange* Belgis, eſt in Guiana regione Americæ meridionalis, in ora maris Borealis, atque inter Cajanam inſulam & promontorium Boreale.

PROMONTORIUM Coquibocum, *Cabo de Coquiboca*, eſt in Terra firma regione Americæ, & in Præfectura fluvii *de la Hacha*, juxta ſinum Venezuelæ, ad mare Boreale.

PROMONTORIUM Corodamum, *Capo Razalgate*, in Arabia, verſùs Oceanum Perſicum.

PROMONTORIUM Cotes, *Capo Spartel*, in Africa, ad fretum Herculeum.

PROMONTORIUM Cotochium, *Cabo de Cotoche*, eſt in America, & in parte Boreali Jucataniæ provinciæ novæ Hiſpaniæ, ad mare Boreale.

PROMONTORIUM Crucis, *Cabo de Cruz*, eſt in Florida regione Americæ ſeptentrionalis, juxta ſinum S. Spiritus, & ad mare Boreale ſeu ſinum Mexicanum.

PROMONTORIUM Crucis, *Cabo de Cruz*, eſt in America, & in parte auſtrali inſulæ Cubæ, in ſinu Mexicano, Jamaicam verſùs.

PROMONTORIUM Cumerium, *Monte S. Ciriaco*, Italiæ, in Piceno, & ad Anconam.

PROMONTORIUM Currentium, *Cabo dos Corrientes*, eſt in provincia Terræ firmæ & in ipſo limite regni Popajani, ad mare Auſtrinum; in America meridionali.

PROMONTORIUM Damnonium, *Lazard point*, Angliæ, in Cornubia, verſùs mare Britannicum.

PROMONTORIUM Deſideratum, *Cabo Deſeado*, eſt in America meridionali & in terra Ignium, ad fauces freti Magellanici, verſùs mare Pacificum, ex adverſo promontorii Victoriæ.

PROMONTORIUM Deſideratum, *Cabo Deſeado*, eſt in Aſia & in parte auſtrali Terræ Nigrorum ſeu Papuorum, verſùs Moluccas inſulas, in mari Indico.

PROMONTORIUM Dianium, ſeu Artemiſium, & Ferraria, *Cabo Martin*, Hiſpaniæ, in regno Valentiæ.

PROMONTORIUM Dyrrachinum, *Capo de Palos*, eſt in Albania regione, prope Dyrrachium urbem, in ora maris Adriatici.

PROMONTORIUM Eliſabethæ, *Eliſabeth Cap*, eſt in Terra Arctica, in ora Boreali freti Hudſonii.

PROMONTORIUM Epidium, *The mull of Cantir*, in ora meridionali Scotiæ.

PROMONTORIUM Epiſcopi, *Cap de l'Eveſque*, eſt in nova Francia, in Canada provincia propria, & ad oſtium meridionale fluvii St. Laurentii, contra Anticoſtiam inſulam.

PROMONTORIUM Falſum, *Cabo Falſo*, promontorium eſt Africæ, in Cafreria regione, maximè in auſtrum extenſum, prope caput bonæ Spei, pro quo ſæpe ſumitur à præternavigantibus, unde ei nomen.

PROMONTORIUM Floridæ, *Cabo de Florida*, in America ſeptentrionali. Vide *Caput Floridæ.*

PROMONTORIUM Francicum, *Cap François*, in America & in ora orientali Floridæ regionis, ad mare Boreale, prope oſtium fluvii Maji.

PROMONTORIUM Fraudis, *Cabo del Engano*, eſt in Aſia & in parte Boreali Luſoniæ inſulæ, inter Philippinas præcipuæ, in mari Indico, prope novam Segoviam, & 200. mill. paſſ. à Manilla inſula in Boream, Formoſam inſulam verſùs.

PROMONTORIUM Fraudis, *Cabo del Engano*, eſt in America & in parte orientali Hiſpaniolæ inſulæ, in mari Boreali, verſus Antillas inſulas, 150. mill. paſſ. à Dominicopoli in ortum.

PROMONTORIUM Frigidum, *Cabo Frio*, in America meridionali & in Præfectura fluvii Januarii, in Braſilia Auſtrali.

PROMONTORIUM Gallum, *Punta de Gallo*, in Aſia & in parte auſtrali Taprobanæ inſulæ, in mari Indico, juxta Gallum urbem.

PROMONTORIUM Gerum, *Cabo de Guer*, Africæ, in regno Marrochii & in Hea provincia, in ora Oceani Atlantici, & prope Fanum Sanctæ Crucis.

PROMONTORIUM Gobæum, *le Four*, ſeu *S. Mahé*, Galliæ, in Britannia minori.

PROMONTORIUM Gracile, aliàs Raptum, *Cabo Delgado*, Africæ, in Zanguebaria regione, prope Quiloam urbem.

PROMONTORIUM Guadavarium, *Cabo Guadavari*, Aſiæ in India intra Gangem & in regno Golcondæ, in ora ſinus Gangetici, verſùs Maſulepatanum emporium.

PROMONTORIUM Henriceæ Mariæ, *Cap Henriette Marie*, eſt in terra Arctica, verſùs ſinum Hudſonium.

PROMONTORIUM Hermæum, ſeu Mercurii, *Cap Bon*, Africæ, in regno Tunetano.

PROMONTORIUM Hiemale, *Verwinter Hoeck* Belgis, *Cap d'Hyver* Gallis, eſt in parte Boreali novæ Zemblæ, in mari Glaciali, & verſùs terras Arcticas.

PROMONTORIUM Honduræ, *Cabo de Honduras*, Americæ ſeptentrionalis, in Hondura provincia novæ Hiſpaniæ. In mare Boreale & in ſinum Honduræ maximè excurrit contra Turrim Juliam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PROMONTORIUM Japygium, *Capo di S. Maria di Lenca*, Italiæ, in provincia Hydruntina.

PROMONTORIUM Infantis, *Cabo do Infante*, Africæ, in parte auſtrali Cafreriæ regionis, & ad ortum promontorii bonæ Spei.

PROMONTORIUM Lacinium, *Capo delle Colonne*, Italiæ, in Calabria.

PROMONTORIUM Lilybæum, *Capo Boeo*, in Sicilia, verſùs mare Africum.

PROMONTORIUM Lytarmis, *Cap d'Oby*, in Sarmatia Aſiatica, & in ora maris Glacialis.

PROMONTORIUM Machaſacum, *Cabo Machaſaco*, ex Hiſpaniæ, in Biſcaja provincia & in ora Oceani Cantabrici, prope Flaviobrigam.

PROMONTORIUM Malea, *Capo Malio ò di Santo Angelo*, in Peloponneſo.

PROMONTORIUM Mendocinum, *Cabo Mendocino*, eſt in America, & in parte Boreali Californiæ inſulæ.

PROMONTORIUM Minervæ, Plin. ſic appellatur promontorium extremum Campaniæ, illam à Picentinis ſeparans, quod Athenæum Straboni, Ptolemæo, & aliis Græcis dicitur, apud Maſſam urbem, contra Capreas inſulam, inde ad 4. mill. paſſ. quot à Surrento, à Neapoli verò ad 30. recedens. Id vulgò *Cap. di Maſſa*, & *Capo Campanella* nominatur. Cujus meminit Ovid *l. 15. Met. v. 709.*

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ:

Ferrar. Baudrand.

PROMONTORIUM Minervæ, in ora maris Tyrrheni, nunc *Capo Campanella* dicitur ab omnibus; eſtque contra Capreas inſulam, & inter ſinus Neapolitanum & Salernitanum, non eſt autem *Capo della Minerva*, ut malè Maginus poſuit.

PROMONTORIUM Montis, *Cabo de Monte* Luſitanis, promontorium eſt Africæ, in Guinea regione, cum regno parvo cognomine, in ora Malaguettæ dicta; & 60. leucis Gallicis à Monte Leonis diſtat in Eurum.

PROMONTORIUM Montis Sancti, *Capo di monte Santo*, eſt in Italia, & in ora orientali Sardiniæ inſulæ, 45. mill. paſſ. à Calari in Cæciam.

PROMONTORIUM, Moſandani, *Cabo de Moſandan*, in Arabia felici, ad fauces ſinus Perſici, & ex adverſo Armuzii.

PROMONTORIUM Natalis, *Cap de Natal*, Africæ, in ora Boreali Madagaſcariæ inſulæ, ſeu Delphinæ, ubi in ortum vergit.

PROMONTORIUM Nymphæum, *Capo di Monte Santo*, in Macedonia.

PROMONTORIUM Ocelum, *Spun Head*, Angliæ, in Vallia.

PROMONTORIUM Oliſipponenſe & magnum, *Cabo de Coca*, Hiſpaniæ, in Portugallia.

PROMONTORIUM Pachynum, *Capo Paſſaro*, in Sicilia.

PROMONTORIUM Palmarini, *Cabo do Palmar*, Africæ, in Æthiopia inferiori, ad oſtia fluvii *Zaire*, in limite regni Congi.

PROMONTORIUM Palmarum, *Cabo das Palmas*, Indiæ intra Gangem, in regno Golcondæ, & in ora ſinus Gangetici.

PROMONTORIUM Patientiæ, *Cabo di Patientia*, in terra Eſonis, & in ora verſùs Japoniam.

PROMONTORIUM Pelorum, *Capo di Faro*, in Sicilia, prope Meſſanam.

PROMONTORIUM Pembrochium, *Cap Pembrock*, in terra Arctica & in nova Wallia Boreali, prope mare Chriſtianum.

PROMONTORIUM Populonium, *Capo Campanella*, Italiæ, in Hetruria, & in agro Senenſi, prope Populonii rudera.

PROMONTORIUM Raptum, *Capo Delgado*, Africæ, in ora Zanguebariæ.

PROMONTORIUM, Rubeæ, *Nort Caep*, in parte Boreali Norvegiæ.

PROMONTORIUM Rubeum, *Cap Rouge*, eſt in America & in parte Boreali inſulæ Terræ novæ, in nova Francia.

PROMONTORIUM Rupium, *Cabo dos Arecifes*, Africæ, in parte auſtrali Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

PROMONTORIUM Ryſſadium, *Cabo de Sierra Liona*, Africæ, in Nigritia.

PROMONTORIUM Sacrum, *Capo Corſo*, Italiæ, in Corſica inſula.

PROMONTORIUM Sacrum, *Cabo de Sant Vincente*, Hiſpaniæ, in Algarbia.

PROMONTORIUM Salinarum, *Cabo de Salinas*, eſt Americæ meridionalis, in provincia novæ Vandalitiæ, & in ora maris Borealis, verſùs Trinitatis inſulam.

PROMONTORIUM Samnonium, *Capo Salomon*, in ora Orientali Cretæ.

PROMONTORIUM Sanctæ Annæ, *Punta de S. Anna*, eſt in Africa & in Nigritia regione, prope Arguinum, & 250. mill. paſſ. à promontorio Viridi in Boream.

PROMONTORIUM S. Antonii, *Cabo de S. Antonio*, eſt in Africa & in ora occidentali Cafreriæ regionis.

PROMONTORIUM S. Auguſtini, *Cabo de S. Agoſtino* Luſitanis, *Cap de S. Auguſtin* Gallis, promontorium eſt Americæ meridionalis, in Braſilia regione & in Præfectura Pernambuci, cum arce munita in colle, à Batavis capta A. C. 1634. Sed hiſce ultimis temporibus à Luſitanis recepta, ipſis etiamnum ſubeſt.

PROMONTORIUM S. Blaſii, *Cabo de S. Bras* Luſitanis, *Cap. de S. Blaiſe* Gallis, eſt in Africa & in parte auſtrali Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

PROMONTORIUM S. Blaſii, *Cabo do S. Bras*, eſt in Africa & in ora occidentali Cafreriæ regionis, in Æthiopia inferiori.

PROMONTORIUM S. Catharinæ, *Capo di Santa Catarina*, eſt in Italia & in ora occidentali Sardiniæ inſulæ, prope Boſam.

PROMONTORIUM Sancti Franciſci, *Cabo de Santo Franciſco*, eſt in America meridionali & in Quitoa regione Peruviæ, in ora maris Pacifici.

PROMONTORIUM S. Franciſci, *Cabo de S. Franciſco*, eſt in Africa & in ora meridionali Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

PROMONTORIUM S. Franciſci, *Cap de Saint François*, eſt in America ſeptentrionali & in ora orientali inſulæ Terræ novæ, in nova Francia.

PROMONTORIUM S. Georgii, *Cabo de S. Jorge*, aliis *Cabo Blanco*, eſt in America meridionali & in ora orientali Magellanicæ regionis, verſùs Portum Deſideratum.

PROMONTORIUM S. Germani, *Punta de S. German*, eſt in America ſeptentrionali & in parte occidentali inſulæ Portus divitis, Hiſpaniolæ obverſa.

PROMONTORIUM S. Helenæ, *Punta de S. Helena*, eſt in America meridionali & Quitoa regione Peruviæ, in ora maris Pacifici.

PROMONTORIUM S. Lazari, *Punta de S. Lazaro*, eſt in America ſeptentrionali & in provincia Oræ divitis, in nova Hiſpania, in ora maris Pacifici.

PROMONTORIUM S. Luciæ, *Cabo do S. Luzia*, eſt in Africa & in ora occidentali Cafreriæ, verſùs Caput bonæ Spei.

PROMONTORIUM S. Luciæ, *Punta de S. Luzia*, eſt in America ſeptentrionali & in ora orientali Floridæ regionis, ad mare Boreale.

PROMONTORIUM S. Luciæ, *Capo di S. Lucia*, eſt in parte Boreali Sardiniæ inſulæ Corſicæ obverſa, ad fretum Taphros.

PROMONTORIUM S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, eſt in Africa & in ora orientali & Boreali Cafreriæ, Madagaſcariæ obverſa, inter Zofalam & Moſambicum.

PROMONTORIUM S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, eſt in America meridionali, ad oſtium Argentei fluvii, in Paraguaja.

PROMONTORIUM Sanctæ Mariæ, *Cabo di S. Maria*, eſt in America ſeptentrionali & in ora Veraguæ provinciæ novæ Hiſpaniæ, in ora maris Pacifici.

PROMONTORIUM S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, eſt in Africa, in Nigritia regione, ad oſtia Gambiæ fluvii.

PROMONTORIUM Sanctæ Mariæ, *Cabo de S. Maria*, eſt in Hiſpania & in Algarbiæ regno, contra Farum urbem, aliàs Cuneum promontorium.

PROMONTORIUM S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, eſt in America ſeptentrionali & in parte occidentali Hiſpaniolæ inſulæ, Jamaicæ obverſa, in mari Boreali.

PROMONTORIUM S. Nicolai, *Cabo de S. Nicolo*, eſt in America ſeptentrionali & in parte occidentali Hiſpaniolæ inſulæ, ubi in Boream vergit, contra Cubam inſulam, in mari Boreali.

PROMONTORIUM S. Nicolai, *Cabo de S. Nicolo*, eſt in Africa & in ora orientali Cafreriæ regionis, Madagaſcariæ obverſa, ad oſtia fluvii Sancti Spiritus.

PROMONTORIUM S. Romani, *Cap de S. Romain*, eſt in parte meridionali Madagaſcariæ inſulæ ſeu Delphinæ, in Africa, & in mari Æthiopico.

PROMONTORIUM Sancti Thomæ, *Cabo de Santo Thome*, eſt in America meridionali & in præfectura fluvii Januarii, in Braſilia auſtrali.

PROMONTORIUM Saturni, in Hiſpania, apud urbem Carthaginem, quæ abeſt à Julia Cæſarea urbe Mauritaniæ 187. millibus paſſ. teſte *Plinió.*

PROMONTORIUM Scagenſe, *Scagen*, eſt in Dania & in Jutia Boreali, maximè ad Boream extenſum, ad Codanum ſinum, ex adverſo Norvegiæ. Dicitur etiam Cimbricum promontorium.

PROMONTORIUM Scombraria, *Cabo de Palos*, Hiſpaniæ, in regno Murciæ.

PROMONTORIUM Scyllæum, *Capo Schilli*, in Poloponneſo.

PROMONTORIUM Scythicum, *Cabo de penas de Guzan*, Hiſpaniæ, in Aſturia.

PROMONTORIUM Sigæum, *Capo Gianizzari*, Aſiæ minoris, in Myſia.

PROMONTORIUM Spiritus Sancti, *Cabo de San Spiritu*, eſt in Aſia & in parte Boreali Tandajæ inſulæ, in Philippinis.

PROMONTORIUM Sunium, *Capo delle Colonne*, Græciæ, in Attica.

PROMONTORIUM Tabinum, *Cap Tabin*, in Tartaria.

PROMONTORIUM Tacharigum, *Cabo Tacharigo*, aliàs Moticaria, eſt in Africa & in Zanguebaria regione, prope Melindam.

PROMONTORIUM Tænarium, *Capo Matapan*, in Peloponneſo.

PROMONTORIUM Trileucum, *Cabo d'Ortegal*, Hiſpaniæ, in Gallæcia.

PROMONTORIUM Triremis, *Punta de la Galera*, eſt in Aſia & in parte occidentali Mindanoæ inſulæ, in Philippinis.

PROMONTORIUM Triremis, *Punta de la Galera*, eſt in America & in parte orientali inſulæ Trinitatis, in mari Boreali, verſùs oram novæ Vandalitiæ & inſulam Tabaci.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PROMONTORIUM trium Cuſpidum, *Cabo de tres Puntas*, eſt in Africa & in ora Guineæ regionis, versùs arcem S. Georgii de Mina, atque inter promontoria Palmarum, & Lupi Gundiſalvi.

PROMONTORIUM Vaccarum, *Cabo das Vaccas*, eſt in Africa & in parte auſtrali Cafreriæ regionis, versùs ortum promontorii bonæ Spei. Vide & infrà *Promontorium*.

PROMOTI, in *Notit. Imper. Equitum Promotorum Juniorum* ſub diſpoſitione *Magiſtri militum Præſentalis*; dicuntur, qui inter vexillationes merebant: quorum etiam meminit Amm. Marcellin. *l.* 15. & *ult.* Sed & hic poſtremum appellati occurrunt, Officiales Judicum ad altiorem aliquem gradum promoti. *Vetus Inſcr. Promotus ex Beneficiario Præfect.* Item, *Promotus ſucceſſione in Legionem*, 572. 5. 301. 4. Cœterùm de *Promovendis* ad Remp. iſta ſtatuit Alexander Severus, uti Lamprid. habet, *c.* 45. *Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit: quamvis ſæpe dixerit, eos eſſe* promovendos, *qui per ſe Rempublicam gerere poſſint, non per Aſſeſſores* (h.e. Conſiliarios) *addens, militares habere ſuas adminiſtrationes, habere literatos: & ideo unumquemque hoc agere debere, quod poſſet* &c. In Eccleſia Romana *Promotor*, nomen officii eſt Eccleſiaſtici, cui incumbit inquirere in Cleri nævos & Eccleſiæ jura ac privilegia ſarta tecta conſervare: quemadmodum in civilibus idem facit Procurator Regius, in Galliæ Regno, *Richelet*.

PROMOTOR Fiſcalis, in Communione Romana Officialis eſt Inquiſitionis, qui officô *accuſatoris* fungitur. Ejus eſt dicta teſtium exquirere, reoſque ad Inquiſitionem deferre, ſive denuntiare illos Judicibus, ac petere ut comprehendantur & in carcerem conjiciantur: quô factô, reiſque admonitis, illos accuſare tenetur. Et quidem libellus accuſationis à *Promotore* Judicibus edendus eſt, additô juramentô, nihil, à ſe malitioſè proferri. Olim fiſci quoque cauſas defendebat. Vide plura apud Jac. Simancam *de Catholicis Inſtitut. tit.* 53. & Phil. à Limborch, *Hiſtor. Inquiſ. l.* 4. *c.* 17. nec non ſuprà voce *Fiſcalis*.

PROMPTUARIUM, vide ſupra, *Cella*, & *Cellarium*, item *Penu*; de Veterum verò more *Promptuaria*, cellas & armaria, claudendi, imò jam clauſtris ſeriſque occluſa, ulteriùs obſignandi, hic paſſim, inprimis ubi de *Clavibus* & *Obſignatoribus*.

PROMULGATIO Legis, quomodo olim facta, vide ſuprà *Lex*.

PROMULSI, item *Remulſi* Capilli, apud *Appulejum*, ſunt Græcis τρίχες κατεψημέναι, *crines pexi ac diviſi*; oppoſiti πεπλεγμέναις καὶ ἑλωθείσαις, *tortis & calamiſtratis*. Mulieres enim, quæ capillum à fronte dividebant, vel præter hunc ſimplicem ornatum, calamiſtris eum intorquebant, aut in cumulum nodabant, aut ſpiris convolvebant, aut ſtructuris ædificabant: vel, capillos in duas partes per medium caput tæniâ dividere contentæ, alium præterea non admittebant ornatum; quod *capitis diſcrimina puri* Ovidius dixit, *l.* 3. *Art. Am. v.* 137. Atque hic ornatus, qui ſimpliciſſimus erat, διάκρισις κατεψημένων τριχῶν Polluci appellatur, in deſcribendo habitu Comicarum, ἡ δὲ κόρη διάκρισιν ἔχει πεψημένων τῶν τριχῶν, *Puella autem diſcrimen habet puri capitis & promulſorum crinium*. Et alibi de Virgine, quæ in Tragœdia propter ludum tonſa eſt, Ἡ δὲ κούριμος παρθένος ἀντὶ ὄγκου ἔχει τριχῶν κατεψημένων διάκρισιν &c. Non neceſſario autem *promulſi* crines diviſi erant, namque & de capillo ſolùm pexo ac dentibus pectinis diſcriminato poſſunt accipi. Non unô enim genere fiebat capilli διάκρισις, ſed partim vittâ, partim acu, partim ſolô pectine. Hinc & *diſcriminare capillum*, pro *pectere*, occurrit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 761.

PROMULSIS, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 5. *Vereor ſanè, ne parva ſit iſta trutina, cùm Druſillanus, & quidem ſervus Claudii, quingenariam* promulſidem *ædificat ſupra ſcriptis fortaſſe menſis neceſſariam*: lanx eſt (quingentarum librarum argenti) Errant enim, qui *promulſidem* volunt eſſe antecœnam aut guſtationem; quod vel hinc patet, quia ſi Promulſis ita ſumeretur apud Latinos, *Promulſidarium* utique vas eſſet, recipiendæ guſtationi aptum & guſtatoriis continendis. At Promulſidarium, non huic uſui paratum apud Veteres erat, ne aliquid eſculenti aut poculenti contineret, ſed ut alia vaſa ac lances ſuſtineret, nempe promulſides. Sic *Promulſides*, vaſa erant quibus ſuſtinendis *promulſidarium* dicatum dictumque. *D. de auro arg. leg. Sed ſi cui vaſa ſint legata, non ſolùm ea continentur, quæ aliquid in ſe recipiant edendi bibendique causâ paratum, ſed & quæ aliquid ſuſtineant: &, ideo ſcutellas vel* promulſidaria *contineri: repoſitoria quoque continebantur*. Petron. *Cœterùm in* Promulſidari *aſellus erat Corinthius cum biſaccio qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras, tegebant aſellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inſcriptum erat & argenti pondus*. Ubi *Promulſidare* dixit, quod alius *Promulſidarium*, ſuſtinebat autem illud aſellum Corinthium cum biſaccio olivarum, & lances duas: quæ aſellum tegebant: quæque utique promulſides dici debuêre. Nam in aſello mulſum reponebatur, quod in antecœna & guſtatione ſumebant. Idem Petronius, *Hôc incuit bellô: cras in promulſide libidinis noſtræ militabit; hodie enim poſt aſellum diaria non ſumo*. Ubi *aſellus* & *promulſis* pro eodem; erat enim aſellus genus vaſis vinarii, recipiendo mulſo parati: lances quoque, quæ vas illud tegebant, promulſides dictæ, non obſcurâ etymi ratione. Nam *Promulſis*, propriè mulſi vel vaſis mulſarii operculum, non vas ipſum mulſarium. Inde *Promulſidarium*, quod vas mulſi cum ſuis promulſidibus ſuſtinebat &c. Interim quamvis propriè ſit id quod diximus, abuſivè tamen pro quavis lance vocem hanc uſurpavêre Veteres, ut apud Tertullian. *d. l. Promulſis* eſt lanx. Salmaſ.

PROMUNTORIUM, Latinis dicitur, quidquid prominet in æquor; hinc *prominens* quoque, & *prominentia*, quæ voces frequenter occurrunt apud *Solinum*: *pro receſſu & prominentia*, διὰ κόλπων τε καὶ ἀκρωτηρίων. Ἀκρωτήριον autem Græcis *promontorium* eſt. Idem & κέρας iis, h. e. *cornu*, aliquando. Ubi lingua illa, in qua ſitum eſt Byzantium, *Promontor. aureicornu*, ἀκτὴν vel ἄκραν τοῦ χρυσοῦ Κέρατος, appellat Plin. *l.* 4. *c.* 11. Vide quoque Ammian. *l.* 22. non malis ſinum intelligi, qui Byzantina mœnia alluit. Revera enim littus illud potiùs, quàm promontorium, quod multis ramulis ſciſſum intercurrentis maris ſinum efficit cornu cervino ſimilem, unde nomen. Illa autem *Promuntoria* demum ſinus, (a ſuis Promontoria plerunque dictos) faciunt ac diſcernunt, quæ linguis terrarum in mare exeuntibus ſuppoſita, mari & ipſa incumbunt; ut contra Sinus ſunt laciniæ maris in terras exeuntis & promuntoria hinc inde ambientis. De cujuſmodi promuntoriis Græci dicunt ἄκραν κάμπτειν, quia circumeunda ſunt; ut metæ in Circo: *Peninſulas* ea Marcianus vocat *in Periplis*: Τῶν δὲ κόλπων καὶ τῶν ἀκρωτηρίων ἤτοι χερρονήσων τὸν περίπλουν οὐ δυνατὸν ἀκριβῶς παραστῆσαι. In recto verò littore nulla ſunt ἀκρωτήρια, nulli ſinus, cujuſmodi maris tractus αἰγιαλοὺς Græci vocant. Unde apud eundem ſæpe legere eſt, ἀκρωτήρια ἐπίσημα, κόλπους ἐπισήμους, αἰγιαλοὺς ἐπισήμους, in circumvectionibus magnorum ſinuum deſignandis notari. Porrò ſinus ἐξοχὰς faciunt, Promuntoria ἀπολήψεις, quæ in mare penetrant projectis linguis: quod probè notandum, ne ſinuum ἐξοχὰς, pro *Promuntoriis* accipiamus. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 782. & reliqua huc facientia, ſuprà in voce *Caput*. Item in *Promontorium*.

PROMONTORIA 4. TERRÆ PARTIUM EXTANTIORA.

IN AFRICA.

Tria ſunt illa celeberrima, *Capo Guardafuy*, ad ingreſſum maris Rubri; *Capo de Buena Eſperanza*, extrema pars Africæ, inter Oceanum Æthiopicum & Indicum; & *Capo Verde*, Promontor. Viride, è regione Inſularum ab eo cognominatarum, quaque litus Africanum ab Occid. in Orientem flectitur. Præter quæ minora ſunt, Caput Viride, *Capo de Canti*, *Capo de Guer*, Promontor. Atlantis ſeu *Capo de Non*, quod olim crederetur ſuperari non poſſe adeoque pro termino navigationis haberetur, dictum; *Capo Bajador*, *Capo de Olaredo*, & *Capo Blanco*: Trans Caput Viride, *Capo de S. Anna*, *Capo de las Palmas*, *Capo de tres Puntas*, *Capo de Lopo-Gonzalves* nec non *Cap. Negro*.

IN ASIA.

Duo notiſſima ſunt Promontoria, Coridanum ſeu *Capo Ras Algate*, ad ingreſſum ſinus Perſici, & *Capo Comori*, in concurſu litorum Malabarici & Coromandelici.

IN AMERICA.

Capo de la Vittoria, ad egreſſum Freti Magellanici in Mare Pacificum; *Capo S. Auguſtini* ad Mare *del Nort*, *Cape de Paſſano* & *Capo de S. Franciſco* ad Mare Pacificum.

IN EUROPA.

Ejus maximam longitudinem deſignat Auctor Anonymus *Orb. Terr. Geogr.* ex *Promontor. Rutubas* ſeu *Nortcaep*; & Promontor. Peloponneſi Tænaro, ſeu *Capo Metapan*. Cœtera ſingularum regionum iſta ſunt. α. Hiſpaniæ, in Oceano Atlanticô *Capo de las Pennas de Guzān*, ſeu Promontor Scythicum, *Capo d'Oriegal*, *Capo de Finis Terra*, olim Artabrum, Celticum, Nerium. In Mari Mediterraneo *Capo de Gadet*, in Regno Granatæ, olim Promontor. Charidemum, *Capo de Palas*, olim *Scombraria*; in Regno Murciæ, Ferraria ſeu *Capo Martinapo*, in Regno Valentiæ, *Capo de Palafugel*, in Catalaunia, olim Promontor. Lunarium, *Capo de Creuz* ſeu Aprodiſium ad Mare Gallicum. β. Portugalliæ *Capo de Caſcais*, olim Promontor. Magnum, ad dextram Tagi fluvii *Capo de Spichel*, olim Promontor. Barbarum, ad ejus ſiniſtram; *Capo de Vincente* ſeu Promontor. Sacrum, in Regno Algarbiæ. Reliqua alibi recenſuimus ſuô locô. Vide Auctorem præfatum *Orbis Terr. Geograph. & Civ. Part. I. c.* 7.

PROMUS, Cellarius fuit Miniſter. Horat. *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 14.

Cùm labor extuderit faſtidia: ſiccus, inanis,
Sperne cibum vilem: niſi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris eſt Promus: *& atrum*
Defendens piſceis hiemat mare. ———

Adſervabant autem Cellarii rem cibariam quæ in penu fuit. Plautus, *Captiv. actu* 4. *ſc.* 2. *v.* 115.

Sume, poſce, prome quidvis: te facio Cellarium.

Iidem curabant aliquando, ut eſſent ſalvæ rationes, inquit Ulpianus, *l.* 1. §. 5. *ff. Nautæ, Caup. Stabul.* Cœterùm præbebant familiæ potionem & cibum, inſtruxeruntque diligentiam eorum M. Ambivius, Mænas Licinius & C. Matius, *l.* 12. *de inſtrum. vel inſtr. leg.* Vide quoque Varronem, *de R. R. l.* 1. *c.* 16. & Columellam, *l.* 12. *c.* 3. Antiquum marmor *Panujartum*, Plautus. *Pſeud. Actu* 2. *ſc.* 2. *v.* 14. *Condum Promum Procuratorem peni* vocat. Meminit *Cella proma*, Tertullian. *de Reſur. Carn.* Hinc *Cella penuaria* Sueton. *Aug. c.* 6. Ulpianus, Turonenſis, alii. Verùm inter Penu & Cellarium hoc intererat, quòd Cellarium paucorum dierum, Penu eſſet temporis longi, notante Serviô, *ad Æn. l.* 1. *v.* 708.

Cura penum ſtruere.

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & ſuprà in voce *Penu*.

PROMYLÆA, Græcè Προμυλαία molarum Dea, apud Pollucem, vide ſuprà *Mola*.

PRONAPIDES, Homeri præceptor εὐφυὴς μελοποιός, *nobilis Poëta Lyricus*, inter eos, *qui literis ſunt uſi Pelaſgicis*, recenſetur, Diodoro Sic. *l.* 3. Vide Joh. Marſhamum, *Canone Chron. Sec.* XV. ubi de *Heſiodo Poëta* agens, Poëtarum Græcorum Homerô antiquiorum meminit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PRONAPUS, Pater Amyniæ Comati, qui toties ab *Ariſtoph.* aliiſque Comicis traducitur.

PRONASTÆ, antiqui populi Bœotiæ, *Steph.*

PRONAUS, Græcè πρόναος, in Ædibus ſacris Græcorum, dicta eſt, pars anterior Ædis, alias πρόδομος quoque, ſicut ipſa ædes ναὸς ac δόμος. In Templis vero Chriſtianorum Νάρθηξ ejus locô erat, porticus videl. vel atrium ante Baſilicam ad deambulandum factum, vide ſuprà in voce *Narthex*. Non autem *Pronai* unum genus fuit, ut ex Vitruvio diſcimus; apud quem primum dicebatur *in Antis*, Græcè ναὸς ἐν παραστάσιν. Ita enim is, *l.* 3. *c.* 1. *In Antis erit Ædes, quùm habebit in fronte antas parietum, qui cellam circumcludunt & inter antas in medio columnas duas, ſupraque faſtigium.* Ubi *Templum in Antis* dicitur, quod antas haberet in pronao: Erant autem antæ pilæ lapideæ in lateribus oſtiorum. At πρόστυλος dicebatur ea Ædes, quæ contra antas duas columnas angulares habuit; & ſupra epiſtylia & dextra ac ſiniſtra in verſuris ſingulas. Sicut ἀμφιπρόστυλος vocabatur, quæ in poſtico ad eundem modum columnas & faſtigium habebat, ut in fronte &c. Et quidem Πρόναος ſeu frons Ædis, cum columnis & faſtigio uti dictum, plerunque major fiebat ipſa Ædis cellâ. Strabo, *l.* 10. de Templo quodam Ægyptiaco, Μετὰ δὲ προπύλαια ὁ νεὼς πρόναον ἔχων μέγαν, καὶ ἀξιόλογον· τὸ δὲ σηκὸν σύμμετρον, ξόανον δὲ οὐδὲ, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός. *Poſt veſtibula Ædes ſequitur, pronaum habens amplum & magnificum, cellam autem Ædis modicam.* Vitruvius *pronai* voce utitur, *loc. cit. Dipteros autem Octaſtylos & pronao & porticu, ſed circa ædem duplices habet ordines columnarum.* Alibi *frontem* & *poſticum* vocat, τὸ πρόναον καὶ τὸ ὀπισθόδομον. *Atrium*, pro Templi pronao vitavit dicere, quia propriè aliud erat (porticus nempe ante Ædem, ut dictum) quamvis poſterior Latinitas paſſim ita vocet. Hinc & προδόμους & προστάδας habuêre Procerum apud Græcos ædificia, quæ tamen Atrium more Romanô neutiquam habuerunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. *& ſeqq.* ut & Car. du Freſne, *in Deſcript. Ædis Sophianæ, num.* 81.

PRONE, mons Argiæ, apud Hermionem.

PRONEA, & PRUMIA, vulgò PRUYM, fluv. cum pago & Abbatia, in Sylva Arduenna, & finibus Trevirenſium, in Suram fluvium influens. De quo Auſon. *in Moſella.* Vide *Prumia.*

PRONECTUS; inter oppida, quæ Phœnices in Bithynia condiderunt, inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 10. *Pronecti* fit mentio. *Steph.* Προνεκτὸς πόλις Βιθυνίας, πλησίον τῆς Δρεπάνης, ἣν ἔκτισαν οἱ Φοίνικες. *Drepane* autem aliis *Drepanum*, & *Hellenopolis* erat ad Nicomediæ ſinum, ut à Nicephoro deſcribitur. Ibidem igitur Pronectus: quod & alii teſtantur, quibus *Prœnetum*, vel *Prenetum* dicitur. Socrat. *l.* 6. *c.* 16. Καταλαμβάνει αὐτὸν ἐν Πρενέτῳ, ἐμπόριον δὲ τοῦτο καταντικρὺ τῆς Νικομηδείας κείμενον. Πραίνετον, vel Πραίνητον habent Cedrenus & Conſtitutiones Pontificiæ Imperator. Orientalium. Et Antholog. *l.* 1. *c.* 19. epigramma habetur, Εἰς λοῦτρον ἐν Πραινέτῳ. Factum videtur nomen ex Syro בירנתא *biranta*, vel *birneta*, quod pro caſtro vel palatio paſſim occurrit, in Paraphraſtis. Sed & Ebraicè בירניות *birnajot* ſunt *arces*, aut *caſtella*, 2 Paral. *c.* 17. *v.* 12. *Nic. Lloydius.*

PRONESOS, Græcè Πρώνησος, exile oppid. circa Cephalleniam, in Ionia. Vide ſuprà *Pronesos.*

PRONOMUS, tibicen quidam, cujus prolixa barba geſtamine non admodum appoſita profeſſioni, abiit in proverb. *Pronomi barba.*

PRONÒMUS Thebanus, primus tibias invenit, quæ ad omnimodam modulationem verſarentur, Pauſan. *in Bœot.* & Athen. *l.* 14. Olim verò ita tibiæ erant comparatæ & factæ, ut ſingulis partibus unici tantùm & ſingulares canerentur modi: hinc pro varietate modorum variæ etiam tibiæ factitatæ, aliæque erant, quæ Phrygium, aliæ quæ Dorium, & diverſæ ab utriſque; quibus Lydium incinebant. Sic Marſyas, qui primus geminas tibias inflavit, Phrygium his duntaxat canebat, nec in Dorium aut Lydium animam vertere aut cantum inflectere poterat. Unde in certamine cum Apolline, cùm victor Judicum ſententiâ pronuntiatus jam diſcederet, *Apollo citharam verſare cœpit*, inquit Hyginus, *idemque ſonus erat: quòd Marſyas tibiis facere non potuit, itaque victus eſt* &c. Diodoro Thebano Pollux attribuit, quod Athenæus *Pronomo*: Theophraſtus verò Antigenidæ indidem oriundo. Quorum quiſquis is fuerit, qui unâ tibiâ omnium modorum modulationumque genera canere primus inſtituit, hoc aſſequutus eſt lingularum in tibiis qualitate & foraminum multitudine. Unde πολύτρητος κάλαμος, in *Epigr.* quod *multiforatilis tibia* reddit *Appulejus.* Antiquæ enim tibiæ paucis foraminibus erant apertæ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 119. & 120.

PRONUBA, vide ſuprà *Collocare*, & ubi *de Nuptiis.*

PRONUNTIATORES, apud Rabanum *de Ord. Antiochen. c.* 11. ſunt Lectores Eccleſiaſtici, de quibus *ſuprà*. Cœterùm *Pronuntiationi* viciniorem fuiſſe, quàm cantillationi, veterum Chriſtianorum cantum, diximus voce *Occidens.*

PRONUS, Cephalleniæ inſulæ caſtellum, Polyb. *l.* 5. *Proneſus Strab.* Populi *Pronii Lycophroni.*

PROOECUS, Græcè Πρόοικος, Græcis dictus eſt ſervus *Major domus*; quô nomine appellabatur, qui primatum in familia teneret, uti apud *Donatum* legimus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1221. aliam verò vocis notionem ſuprà, voce *Oecus.*

PROOEMIACUS, Græce προοιμιακὸς, item Προοιμιακὸς Ψαλμὸς, dictus eſt in Eccleſia Græca, Pſalmus CIII. ab inchoandis Officiis; Veſperis inprimis: quòd in iis ſcil. vicem *prœmii* gereret, vel quòd ab eo *exordium* haberent, vel ἀπὸ τῶν Προοιμίων, uti precationes, quæ in divinarum laudum officiis primùm locum occupabant, vocabantur. Vide Typicum, *c.* 1. 38. Zonaram in *can.* 117. *Afric.* & Cl. Suicerum, *Theſ. Eccl.* voce Προοιμιακὸς.

PROPÆDIA, vide ſuprà *Polymathia.*

PROPALA, apud Juſtin. *l.* 35. *c.* 1. *Antiochenſes* —— *ſubornant propalam quendam, ſortis extremæ juvenem* &c. in Oberti Giſanii *Obſervationibus in L. L. eſt, qui propalam, velut, ante palum, & de palo pendentes merces habet & vendit.* Addit, *eam vocem ubique fere per errorem eſſe mutatam in Propola, quæ vox tamen Græca eſt, & proxenetam ſeu venditionis conciliatorem ſignificat, teſte Polluce l.* 7. *c.* 2. Vide quoque Habr. Turnebum, *Adverſar. l.* 1. *c.* 1. Scaliger tamen *in Culicem, p.* 42. ſtatuit, *Propala* non etymologiæ, ſed parvæ librationum conſuetudinis eſſe ſcripturam, pro *Propola*: hoc autem eſſe ortum, non à merè Græco προκώλης, qui eſt proxeneta & pararius *Senecæ*; ſed eſſe ex Græco πωλεῖν & Lat. præpoſitione conflatum, ac ſignificare eum, qui primus vendat merces, quas in porta anticipat, &, ut Perſius ait, *Sat.* 5. *v.* 136. *primus tollat piperà ſitiente camelo*, ut prior vendat. Quod manifeſtè innuit Lucillius, citatus à Nonio, ut infrà videbimus voce *Propolæ.* Quanquam etiam in his Lucillianis *Propala* nonnulli libri habent: item in Varrone, *de Re R. l.* 3. *c.* 14. Quin & in illis Ciceronis *in Piſonem, c.* 27. *panis & vinum à propala, atque de capa*: MSS. Palatinorum & editionum veter. hanc eſſe ſcripturam, monet *Gruterus* &c. Cl. Berneggerus, *Not. ad Juſtinum d. l.*

PROPALÆ, urbs Siciliæ, *Stephan.*

PROPEMPTICON, Poëma eſt, quô proſequimur abeuntes, vel votis vel bonis ominibus. Quale apud Horat. *Carm. l.* 1. *od.* 3. quô Virgilium Athenas navigantem Poëta proſequitur, & *Propemticon Metii Celeris*, apud Statium, *l.* 3. *ſylv.* 2. Aliàs quoque *Apopompticon.* Cui opponitur *Antipropemticon*, quô is, qui abit, amicos alloquitur. Quale eſt illud, 3. quod Ovidius, *l.* 1. *Triſt.* in exilium abiens compoſuit, quod orditur,

Cùm ſubit illius triſtiſſima noctis imago &c.

Vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poëtices l.* 3. *c.* 104. Jac. Sirmondum *ad Sidonii Carmen XXIV.* Alios, & ſuprà *Epidemia.*

PROPENSIOR Cura, apud Solin. *c.* 52. *Apud eos verò, quibus ad vivendi rationem propenſior cura eſt*: idem quod *major cura.* Sic *propenſiores notæ*, apud eundem alibi, pro majoribus; *propenſiùs irrigati*, i. e. largiùs &c. Ponitur autem *propenſum* pro majore aut graviore aliquâ re, metaphorâ à ponderibus deſumtâ, [illegible] rebus quæ penduntur. Nam ſi quæ ſunt graviora aut majora [illegible] in lance præponderant, ita etiam *propendent.* Cicero *in Paradoxis ait.* 3. *Cauſa igitur hæc, non natura, diſtinguit, quæ quando alteri acceſſit, id fit propenſius: ſi utrique adjuncta ſit, paria fiant neceſſe eſt.* Hinc itaque *propenſius*, pro eo quod eſt gravius ac majus. At cùm pondera pariant in librâ, & invicem ſibi appoſita æquantur, velut in parallelo ſitu, *Interpendium* dicitur, quam vocem ſuprà vide.

PROPERTIUS Sextus Aurelius, Elegiacorum poëtarum omnium facile princeps, ex Mevaniâ, oppid. Umbriæ, nunc Bevania, in Ducatu Spoletano, oriundus. Quidam ſcribunt, ejus patrem Equeſtri dignitate ornatum, ac Triumvirali poteſtate fuiſſe: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium ſecuti Peruſiâ captâ ex Octavii Cæſaris authoritate, ad aram Julii perducti, ibi occiſi fuerunt. Illud omninò conſtat hunc Propertium magna ex parte amiſſis bonis Romam ſe recepiſſe, quum patrem adhuc in tenera ætate amiſiſſet; ubi propter ingenium ſtatim amatus eſt à Corn. Gallo, & Mæcenate. *Elegiarum* 14. *libros* edidit. Hoſtiam puellam affectu dilexit incredibili, quam fictô nomine Cynthiam appellavit. In ſuis operibus ſecutus eſt Callimachum, Mimnermum, & Philetam Græcos; unde & ſe *Romanum* vocat *Callimachum.* De quo ſic Jul. Scaliger: *Propertius [illegible] facilis, candidus, verè elegiacus, terſior tamen quàm exiſtimatus [illegible] à criticis: nam & amat quædam, quæ minimè ſunt vulgaria.* [illegible] *pertium*, inquit Lipſius, *qui non amat, eum profectò Muſæ non amant.* *Lepidiſſimum & nitidiſſimum poëtam* eum vocat eruditiſſimus Turnebus, *l.* 8. *Adverſ. c.* 2. Idem, *l.* 11. *c.* 15. *Tanta verſuum Propertii jucunditas & amœnitas eſt, ut eos dictantibus Gratiis [illegible] exceptos cenſeas. Tantùm optarem ad aliam potius, quàm amatoriam materiam beatam illam & candidam ingenii venam contuliſſet, ut à juventute tutius legi poſſet.* Ovid. *l.* 2. *v.* 465.

Invenies eadem blandi præcepta Properti.

Idem, *l.* 3. *de Art. Am. v.* 333.

Et teneri poſſis carmen legiſſe Properti.

Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 72. *v.* 5.

Cynthia te vatem fecit laſcive Properti.

Idem, *l.* 14. *Epigr.* 189. *v.* 1.

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti.

Vide & Lil. Girald. *Dial.* 4. *Poët.* Crinit. *de Poët. Lat.* Paſſeratium. Voſſ. Marolum &c. Alius ab hoc eſt *Propertius*, ex quo Fulgentius Planciades, *libellô ad Chalcidium Grammaticum*, citat: *Catillageris vadimonia, publicum proſtibulum.* Item,

Divitias mentis conficit omnis amor.

Nic. Lloydius.

PROPERTIUS Celer, Prætorius ſub Tiberio; cui veniam ordinis, ob paupertatem, petenti, Cæſar decies H. S. largitus eſt, ſatis comperto paternas ei anguſtias eſſe. Tacit. *Annal. l.* [illegible]

PROPHETA, in Proceſſione ſacra veter. Ægyptiorum, qui Philoſophiam illorum arcanam exhibebat, poſt Stoliſten incedebat, ultimô locô, *Hydriam apertè gerens inſimo*, quem ſequebantur, qui Panes emiſſarios portabant. Hic, ut Præfectus Sacrorum, libros X. *Sacerdotales* dictos ediſcebat: nempe *de Legibus*, *de Diis*, & *de univerſa Sacerdotum diſciplina.* *Propheta* etiam apud Ægyptios vectigalium diſtributioni præerat. Atque hi quinque, ſcil. *Cantor*, *Horoſcopus*, *Scriba Sacrorum*, *Stoliſtes*, & *Propheta*, ex XLII. Mercurii libris, ediſcere tenebantur libros XXXVI. omnem Ægyptiorum Philoſophiam complexos. VI. reliquos [illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſcebant *Paſtophori*; pertinebant autem ad Medicinam; nempe *de Anatomia*, *de Morbis*, *de Inſtrumentis*, *de Medicamentis*, *de Oculis*, & *poſtremò de Mulieribus*. Clemens, *l.* 5. *Strom.* ubi de *Mercurii II.* libris. Vide quoque *Siphoas*.

PROPHETÆ, dicti in V. T. miniſtri Dei, extra ordinem, excitati, ut populum docerent, vitia ejus, idololatriam imprimis carperent, miraculis & futurorum prædictione doctrinam ſacram confirmarent, atque erigerent fideles, promiſſionibus de Meſſia futuro ejuſque beneficiis. (Aliter paulò in N. T. vox ſumitur, ut videre eſt, 1. Corinth. *c.* 12. *v.* 28. & *c.* 14. *v.* 29. &c.) Horum quidam, divinò juſſu, prophetias ſuas literis conſignârunt, quæ Canoni illatæ: dividunturque in *Majores*, quorum quatuor, *Eſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*: & *Minores*: quorum duodecim: *Hoſea*, *Joël*, *Amos*, *Obadia* ſeu *Abdias*, *Jonas*, *Michea*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Haggæus*, *Zacharias* & *Malachias*. In *Prophetas Majores*, in univerſum ſpectatos, inter alia, in lucem prodierunt: Aquinatis *Comm.* exceptô Ezechiele. Calvini, Don Iſaac Abarbenel, & R. Moſche Alſchich, exceptó Daniele. Maldonatus, Origenis *Homiliæ*. Pappus. Paulutius. Toſſarius &c. Vide ſingulos *ſuis locis*. In *Minores* 12. extant; Adrianus. Atavantius, 1588. Beda. Calvinus. à Caſtro. Chytræus. Cocceji τὸ Δωδεκαπρόφητον. Cyrilli Commentaria. Danæi *Explicatio locorum diff.* Druſii *Lectiones*. Fabritii *Conciones*, in fol. Bernæ, A. C. 1641. a Figueiro *Comm.* Forerius, Antverpiæ 1567. Gualtherus, de Hales. Haymo. Heiderici *Expoſitio* in St. Witeb. 1610. Heilbrunnerus. Hemmingius. Heſychius. Hucheſon. Angl. in fol. Lond. 1657. Hieronymus. R. Jonathan. Don Iſaac Abarbenel. Lambertus. de Lapide. Lauretus. Lutherus. Medi *Diatribe*. Meſſanæ *Paraphraſis*. Montanus. Oecolampadii *Annotationes*. de Palacio Johannes & Paulus. Pappus, Paulutius. Philippæi *Comment.* 4. tom. Paris. 1633. Quinquarboreus. Riberæ *Comment.* in fol. Coloniæ 1610. Remigius. Rupertus. Sanctius. Sartorii *Paraphraſis & Annotat.* Baſileæ. Tarnovii *Comm.* in 4. Roſtochii. Tegetmeierus, Lipſiæ. Theodoreti *in omnes Proph. exc. Eſaiâ*. Toſſani *in* 12. *Pr. Min.* Baſileæ, 1558. Wigandi *Explanatio*, in 8t. Francof. 1566. Wolderi *Diſputationes Analyt. cum paraphr.* 4. Witebergæ, 1617. Vide Crowæi *Elenchum*, & ſingulos Prophetas, *ſuis locis*. Ut paulo plura de *Prophetis* addam: primis Mundi temporibus, Adam in familia ſua *Prophetam* ſimul, ſuos in agnitione Dei inſtruendo & Sacerdotem, victimas Deo pro ſe ſuiſque offerendo, egit: in quo utroque munere Primogeniti cujuſque familiæ ei ſucceſſêre. A' tempore Moyſis, privata quidem Legis expoſitio à Patribus familiâs exercita eſt, ſed publicam Sacerdotes ac *Prophetæ* obierunt. Poſt captivitatem tandem Babylonicam, *Prophetis* ceſſantibus, plurimi Legis Expoſitores orti ſunt: quos in genere Διδασκάλους τοῦ Ἰσραὴλ appellare licet, Johan. *c.* 3. *v.* 10. in ſpecie, in tres diſtinctos claſſes, *Sapientes*, *Scribas* & *Diſquiſitores*, vocat Apoſtolus 1. Corinth. *c.* 1. *v.* 20. E' quibus qui eruditione reliquos eminebant, *Rabbinorum* elogiô fuêre condecorati. *Prophetas* quod attinet, cùm varia vocis ſignificatio ſit, propriè illi dicti ſunt, qui ſpeciali revelationis lumine colluſtrati myſteria abſtruſa, & omnem humanum captum ſuperantia, populo pandebant: hinc olim *Videntes* appellati, 1. Sam. *c.* 9. *v.* 9. ſicut *Prophetia* illorum *Viſio*, Eſaiæ, *c.* 1. *v.* 1. quemadmodum aliàs *Verbum Domini*, item *Onus*. Fuêre ab ipſis, variis in locis, erectæ Scholæ & Collegia, ad Populum in agnitione Dei quotidie informandum, in quibus Auditores *Filii Prophetarum*, 2. Regum *c.* 6. *v.* 1. eôdem ſenſu, quô apud Græcos Ἰατρῶν παῖδες, appellati ſunt. Quò alluſum, Matth. *c.* 11. *v.* 19. Hinc *Patrum* elogium iis tributum 2. Regum *c.* 2. *v.* 12. quô nomine cùm inprimis ſe jactarent Rabbini, ambitioſè illud appeti prohibuit CHRISTUS, Matth. *c.* 23. *v.* 9. Nec omittendum, quod annotat Kimchi *præf. ad Hoſ.* cùm in S. Scriptura, nomini *Prophetæ* patris quoque illius nomen reperitur junctum, ut Hoſeæ, *c.* 1. *v.* 1. Hebræos illum vocâſſe, *Prophetam filium Prophetæ*: cùm non reperitur additum, dixiſſe ſimpliciter *Prophetam*: cùm nomen civitatis ejus nomini, *Prophetam Civitatis illius*: cùm ſine illo, *Prophetam Hieroſolymæ* fuiſſe nuncupatum. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebræor.* *l.* 1. *c.* 6. & infrà ubi de variis divinæ *Revelationis* modis, necnon voce *Videns*. Quia verò hic antiquiſſimus Theologorum dicendi mos, hinc jam olim in Oriente Philoſophis eundem titulum ſui tribuêre, aliàs כהנים, quòd *internuncii Deorum* haberentur & crederentur futura prædicere. Unde Epimenidi Cretenſi Paulus idem elogium non invidet, Tit. *c.* 1. *v.* 12. Προφήτην eum vocans: de quo *Laërtius* refert, Κρῆτες αὐτῷ θύουσιν ὡς θεῷ, φασὶ γὰρ καὶ γνωστικώτατον γεγονέναι; Appulejus quoque *Fatidicum* vocat in *Floridis*. Vide Georg. Hornium *Hiſtoriæ Philoſ.* *l.* 7. *c.* 1. Ægyptiis inprimis antiquitus *Prophetæ*, qui Aſſyriis Chaldæi, h. e. Aſtrologi: Omnes enim Fatidici & Aſtrologi fuêre. Clemens, *l.* 1. *Strom.* de aſtrica Philoſophia ac Fatidica: Προέστησαν δὲ αὐτῆς Αἰγυπτίων δὲ οἱ προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδες, *Præfuerunt autem illi apud Ægyptios quidem* Prophetæ, *apud Aſſyrios verò Chaldæi & apud Celtas Druidæ*. Sic apud Artor. Muſam *de Herba Vetton.* & Appulejum *de Herbarum virtutibus* paſſim, *Prophetas* videmus appellari, qui vaticiniis Religionem & Medicinam miſcebant, in quo tota magicæ artis ſumma olim conſiſtebat. Aliter Προφήτης, Delphis olim, præter Pythiam, vir quidam nuncupabatur, teſte Herodotô, qui tempore Xerxis ibi Aceratum hôc munere functum eſſe, memorat *Uraniâ* ſeu, *l.* 8. Imò & plures eorum fuiſſe, liquet ex Æliano *de Animal.* *l.* 10. *c.* 26. Λύκος παρελθὼν εἰς τὸν νεὼν καὶ τῶν προφητῶν τινα τῆς ἱερᾶς ἐσθῆτος ἑλκύσας. Vide ſupra *Hierophanta*. Ad quorum imitationem, *Propheta Antinoi* Ulpianus quidam Apollonius dicitur in veter. *Inſcr.* Fuit nempe is Antinous delicium Hadriani & poſt mortem ab Imperatore inter Deos relatus, unde Oracula illi & *Prophetæ* (cacózeliâ Satanæ ſolenni) attributi. D. Hieronymus in Hegeſippo, *Tumulos mortuis templaque fecerunt, ſicut uſque hodie vidimus, è quibus eſt & Antinous ſervus Hadriani Cæſaris, cui & Gymnicus agon exercetur, apud Antinoum civitatem, quam ex ejus nomine condidit & ſtatuit* Prophetas *in Templo*. Vide & Origenem *contra Celſum*. Licèt verò in multis Græciæ urbibus templa & Sacerdotes habuerit Antinous, præcipuè tamen eum Ægypti coluêre, apud quos & ſepultus eſt, & oracula edebat. Unde ibidem & *Prophetas* habuit, Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 14. Vide & ſuprà, ubi de *Divinitatis* apud Gentiles probatione: uti de *Prophetarum* hujuſmodi furore ac *inſania*, verorum Prophetarum geſtus raptuſque malè imitante, in hac voce &c. Ut de *Prophetis* veris hoc unum addam, illos à bono Deo eſſe, negavit olim Simon Magus: eorumque Scripta rejecerunt, Manes, Marcion, Cerdo, Agapius, Saturnilus, alii, de quibus vide Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Γραφὴ; ut & infrà, ubi de *Revelatione*, de *Teſtamento Veter.* Hodie *Propheta* inter ſuos per excellentiam Mahometes audit: unde impietatem Saracenorum *Propheiiſmum* vocat Eulogius *Memorabil. Sanctorum*, *l.* 1. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c.

PROPHETEUM vel PROPHETIUM, Græcè Προφητεῖον, templum eſt honori alicujus SS. Prophetarum dicatum. Theodoretus, *l.* 1. *ſub Arcad. Reliquiæ Sanct. Samuelis in ejus* Propheteo *ſunt poſitæ*. Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna, *Actu* 3. Ἔφρασαν δὲ προάστειον ἔχειν, πλησίον τοῦ προφητείου, *Quia ſcimus ipſum habere ſuburbanum, prope Prophetium*, ſcilicet S. Jeſaiæ. Vide Car. du Freſne *in Conſtantinopoli Chriſt.* *l.* 3. *ubi de Ædibus ſacris*. Sic *Apoſtoleum*, Ἀποστολεῖον, Ædes eſt Apoſtolo alicui ſacra, Macer. *in Hierolex.* Vide & ſuprà voce *Baſilica*.

PROPHORUM, ſeu PROPHURUM, apud Pomponium, *l. penult. de verbor. ſignif. Idem Labeo ait*, prophurum, *id eſt*, *iterum*, *quod in ædibus fieri ſolet*, *ædium eſt*: Vide ſuprà *Iterum*, Nempe πρόφορα, ſunt meniana ſeu itera, quæ ædibus adjici ſolebant ex provolantibus & projectis tabulatis compoſita, quæ & eximi facilè poterant. Hæc ædium nihilominus eſſe, reſpondet *Labeo*. Foribus etiam adjici ſolita notat *Iſidor.* quas *Grundas* propriè dixerunt Latini, *Balcones* hodie vocant Itali. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro*, *c.* 12. & ſuprà ubi de *Menianis* & *Projectis*.

PROPHTHASIA, Caſtaldo *Siſtan*, urbs Drangianæ primaria inter Alexandriam Ariæ ad Occaſum 199. & Arachoſiam ad Ortum, 200. mill. paſſ. Plin. *l.* 6. *c.* 17. Sed *Stephano* 4530. ſtad. ab Alexandria diſtat.

PROPHYTUS, Pygelæ Ioniæ urbis tyrannus, ut colligitur ex Polyæno, *l.* 7. *c.* 23. *in Mauſolo com.* 2. ubi tamen Interpres legit *Phytus Epheſius*.

PROPINANDI ritus, vide *Poculum*, *Propoſis* &c.

PROPINQUUS Pompejus, vide *Pompejus*.

PROPITIATORIUM, Græcè Ἱλαστήριον, Hebraicè כפרת ſic dictum, quòd in eo Deus ſeſe præſentem & *propitium* Populo exhiberet, Arcam Fœderis in Veter. Teſtamento tegebat; ex ſolido auro confectum, pari cum area longitudine ac latitudine, Exodi *c.* 25. *v.* 17.--22. Eminebant ex eodem ex auro duo Cherubini, Exodi *c.* 25. *v.* 18- 20. de quibus vide infrà in voce *Vituli*. Inter Cherubinos ſedes & thronus Dei erat, qui locum iſtum gloriâ ſuâ implebat; cujus externum ſymbolum *Nubes* fuit ac *Ignis*, quæ inde *Gloria Dei* appellantur, Exodi *c.* 40. *v.* 33. & 34. collat. cum Numer. *c.* 9. *v.* 15. Erant autem duæ illic res, duplexque miraculum, *Nubes* & *Ignis*, ſive Nubes mediô ſinu Igneam ſpeciem complexa, quæ ex Nube illa divinum in modum coruſcabat. Qui ſive Ignis, ſive Lux, *Dei gloria* propriè, ſeu glorioſum præſentiæ ejus ſymbolum erat. Vide Exodi, *c.* 24. *v.* 16. Numer. *c.* 16. *v.* 42. & conf. Lucæ *c.* 2. *v.* 9. Matth. *c.* 17. *v.* 5. &c. Propria verò Numinis ſedes erat locus ille in *Propitiatorio*, quem Cherubinorum alæ amplexu ſuô incingebant; quemque Nubes illa auguſtum in modum medium implebat, *Quia in nube appareo ſuper operculum illud &c.* Levit. *c.* 16. *v.* 2. Inde Deus petentibus reſponſa dabat, Exodi *c.* 25. *v.* 22. & Numer. 7. *v.* 89. Atque hæc erat illa שכינה, ſeu *glorioſa Dei in terris habitatio*, quam Judæi tantopere celebrant. quorum omnium myſticam ſignificationem exhibet Fr. Burmannus, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* I. *l.* 4. *c.* 14. In Nov. Teſt. *Propitiatorium* noſtrum eſt Dn. Noſter Jeſus Chriſtus Rom. *c.* 3. *v.* 25. Sed & in Eccleſia Romana, ſic vocatur id, quod Ciborium aliàs & *Confeſſionem*, ut vocant, totumque Altare contegit, ut videre eſt apud Auctores laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.*

PROPITII Dii, tum putati Gentilibus cùm hominibus videndi ſui copiam præbebant. Quintilianus. *Declamat.* 10. *Quotieſcunque domus fuerat gratô ſopore proſtrata, aderat ille, quales humanis offerunt oculis* propitii *Dii, qua ſcilicet lætiſſimum Numen eſt cùm ſe patitur videri*. A' voce *prope*, unde & *Præſentes* iidem dicti, & hæ apparitiones ἐπιφάνειαι appellatæ, quas inter, Divinitatis fuiſſe notas, diximus ſuprà lemmate, *Divinitas præſens*, *mortalibus*. Ut autem *Propitios* haberent Deos, *Adeſte*, *adeſtote Dii*, crebro in precibus ſuis ingeminabant, de qua veter. formula ſuprà aliquid itidem vidimus. Atque id aureâ ætate factum ſæpius, Ovid. innuit *Faſtor.* *l.* 1. *v.* 247.

> *Tunc ego regnabam, patiens cùm terra Deorum*
> *Eſſet, & humanis Numina miſta locis.* &c.

V. G. Elmenhorſt *ad Arnobium*, *adv. Gentes*, *l.* 1. & Deſ. Heraldum ad *eundem*, *l.* 6. ubi idem, notari Græcè voce ἵλεως, nempe τὸν πρόθυμον ἐποπτεύειν τοὺς δεομένους· ac ἱλάω eſſe ἱλαρῶς βλέπειν, ex *Euſtathio* animadvertit.

PROPLASMA, vox Plaſtices, de qua ſuprà.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PROPOETIDES, filiæ Amathuntiæ, aſpernatæ Venerem triviis vulgavêre corpora, ob ejuſdem Deæ iram: quia verò ad pudorem induruerant, noviſſimè in lapidem transfiguratæ ſunt, ut inquit Lactantius, l. 1. Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 238.

Sunt tamen obſcœnæ Venerem Propœtides auſæ
Eſſe negare Deam: pro qua ſua numinis irâ
Corpora cum formâ primæ vulgâſſe feruntur.
Utque pudor ceſſit, ſanguiſque induruit oris,
In rigidum parvo ſilicem diſcrimine verſæ.

PROPOLÆ Circumforanei, apud Lamprid. *in Commodo, c.* 2. *Imitatus etiam propolas circumforaneos; equos curules ſibi comparavit:* tenues ſunt quidam non magnarum mercium negotiatores, quas ipſi ſecum circumferunt & fora diverſa ſequuntur, tenuis lucri captandi gratiâ. Sic *Propolam ficuum* venditorem vocat Lucilius, *l.* 5.

Sicut cùm primus ficos Propola *recentes*
Protulit & pretio ingenti dat primitus paucos &c.

Nempe monſtrum hoc Imperatoris diverſis temporibus diverſa ſtudia amplexus eſt; & modò *Propolas* ac mercatores illos circumforaneos ſeu περιοδευτὰς, modò curulium negotiatores equorum, imitatus. Apud Græcos verò à quibus tamen vocem Latini mutuò ſumſerunt, προπώλης, ſeu προπράτωρ is appellabatur, qui venditori emptorem conciliabat; Latinè *Interpres*; qui eô nomine ab utroque *interpretium* accipiebat. Vide Salmaſ. *ad Lamprid.* & *Solin.* ut & ſuprà *Propala.*

PROPONTIS, provinc. Prætoria, Auguſti temporibus, ſicut Bithynia & Ponticæ pars, ab Aſiæ ſpeciali appellatione ſeparata: ut cujus pars citerioris ſeu propriè dictæ Aſiæ terminus fuit, ab Occidente. Vide eundem *ad Solin. p.* 802. & 809. & hîc infrà.

PROPONTIS, unô nomine dicitur totum illud mare, quod ab Helleſponti anguſtiis, ad Thracium uſque Boſporum, protenditur. *Suidas*, Προποντὶς, ἡ πρὸ τῦ πόντυ θάλασσα ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἐπικειμένη. *Dionyſ.*

——— Ὅθεν στενὸς ἔρχεται αὐλῶν
Συρόμενος Βορέηνδε Προποντίδος ἔνδοθι πάσης.

Silius, *l.* 14. *v.* 145.

——— *Pontumque ſonantem*
Elicit anguſtô violentius ore Propontis.

Longitudinem ei tribuit Ovidius, *Ponticor. l.* 4. *Ep.* 9. *v.* 118.

Miſit in has ſi quos longa Propontis aquas.

Altitudinem Claudian. *l.* 2. *in Eutrop. v.* 333.

——— *Quorumque profundam*
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis, &c.

Inde *Propontiacus.* Propert. *l.* 3. *El.* 21. *v.* 1.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos
Tulle, Propontiacâ quà fluit Iſthmos aquâ.

Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 9: *v.* 29.

Inde Propontiacis hærentem Cyzicon oris.

Nic. Lloydius.

Baudrando *Propontis* vulgò *Mar di Marmora*, mare eſt inter Europam & Aſiam, ſeu inter Aſiam minorem & Thraciam; ad 140. mill. paſſ. ab Ortu in Occidentem extenſum, ad 60. à Septentrione in Meridiem. Ejus partes ſunt Sinus Aſtacenus, *le Golfe de Comidie* & ſinus Cius *le Golfe de Polmeur:* Illudque circumſtant Conſtantinopolis, Chalcedon, Nicomedia, Cius, Perinthus, Cyzicus, Lampſacus, Pruſa, Selimbria & Rhedeſtus. Undique terris cingitur, inſtar lacus, præterquam ad Boream, ubi exit in Pontum Euxinum, per Boſphorum Thracium, uti ad Meridiem per Helleſpontum, in mare Ægæum.

PROPOSIS Thracia, memoratur Polluci, *l.* 6. *c.* 3. bibaciſſimi enim naturâ Thraces, uti diſcimus ex Athenæo, *l.* 10. & vægrandibus hauſtibus aſſueti. *Callimachus.*

Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀπέστυγε χανδὸν ἄμυστιν
Οἰνοποτεῖν, ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.

Certè quomodo convivari & compotate ſoliti, memorat, expertus ipſe, Xenophon *Anabaſ. l.* 7. repetente indidem eôdem Dipnoſophiſtâ, *l.* 4. Qui illud tamen non adnotavit, ſtatim, ubi gratum hoſpitem indepti fuerint, cornu illò uſitatô vini plenô, adventum ejus excepiſſe κέρατα οἴνου προύπινον, inquit Xenophon, &c. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 85. & ſuprà, voce *Philotheſia*, it. *Poculum.* Aliàs verbum προπίνειν, unde πρόποσις, de cibo etiam uſurpatum. Jul. Capitolin. *in M. Antonino, c.* 15. *venenatam partem fratri edendam propinat.* Hinc Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 80. *v.* 1. *ſ.*

Si triſti domicœnio laboras,
Turani: potes eſurire mecum.
Non deerunt tibi, ſi ſoles προπίνειν,
Viles Cappadocæ graveſque porri &c.

I. e. apponentur tibi in libationem, promulſidem, antecœnium, guſtationem ſeu guſtum: προπίνειν enim hîc *prægustare ante cœnam* eſt. Niſi malis *Biſciolæ* aſſentiri, qui de cibis Poëtam agere, deſiderium bibendi excitantibus, ſentit, *Not. ad l.*

PROPRÆFECTO, dictus eſt apud Romanos cui Præfectus Urbi ſeu Præfectus Prætorio, in ſpeciali negotio, vices ſuas mandavit: *Propræfectis* verò agere dicebantur, qui ordine codicillorum vicariam poteſtatem exercebant. Vide Henr. Valeſ. *ad Ammian. l.* 4. adde Gruterum, *Inſcr.* 370.

PROPRÆTOR, non unô modô dictus reperitur: Primùm enim *Prætores* provinciales, qui imperiô prorogatô in provinciis ultra legitimum manſêre tempus, appellati ſunt *Proprætores:* Dein illi, qui ex privatis ad bellum gerendum, non autem ad gubernandam provinciam, miſſi ſunt; ut C. Octavius. Et hi propriè Magiſtratus non fuêre. Tertiò ſic appellati ſunt, qui Præturâ in Urbe geſtâ, ſub finem anni, in provincias profecti eis præfuerunt; qui ordinarii Magiſtratus provinciales fuêre, eôdem imperiô ac poteſtate, quô Proconſules, niſi quòd ſex tantùm lictoribus, totidemque faſcibus ac ſecuribus uſi fuerunt & provincias minores obtinuerunt. Proin quæ ſuprà de *Proconſulibus* dicta, ad eoſdem quoque referenda ſunt. Tandem *Proprætores* etiam dicti ſunt ii, quos C. Octavius Auguſtus & poſt eum reliqui Imperatores in eas provincias, quas ſibi reſervabant, mittere conſuevêre: qui majorem, quàm Proconſules, qui provinciis populi præerant, habebant poteſtatem. De his Dio, *l.* 53. *Qui neque Conſulares neque Prætorii erant, ipſe* (Auguſtus) *delegit ac Legatos ſuos &* Proprætores *nominavit. Nam cùm hæc omnia diu admodum in priori Reip. forma floruiſſent, Prætores inquam & Conſules: Prætoris nomine, ut belli maximè ab antiquis temporibus conveniente, à ſe delectos inſignivit,* Proprætores *eos nuncupans. Conſulum appellatione reliquos, ut paci propinquiore, affecit, Proconſules dicens. Hæc nomina in Italia Cæſar reſervavit: qui extra Italiam imperarent, quaſi eorum locum tenentes, Præfectos appellavit. A ſe porrò deſignatis, præter nomen* Proprætorum, *hoc etiam tribuit, ut pluſquam annum eſſent cum Imperio, quatenus videl. ipſe ſtatuiſſet, ut militarem habitum geſtarent gladiumque & jus capite plectendi milites haberent.* Et paulo pòſt, *Proprætores* addit, *cum urbanis legionibus una pluribus inſtructis, Præfectis, in provincias à Cæſare miſſos, additoſque eis Curatores, qui publicos reditus colligerent & certas facerent impenſas: Quin etiam conſtitutum, ne quem delectum militum agerent, ne pecuniam, præter eam, quæ conſtituta erat, exigerent, Imperatoris injuſſu: cui Succeſſor miſſus eſſet, hinc ſtatim abiret, ac intra tertium menſem Romam reverteretur,* &c. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 7. *c.* 43. &c. Iſtiuſmodi *Proprætoribus*, ſicut & Proconſulibus, ſuos fuiſſe Legatos olim, quos ipſimet elegerant: ſuos Quæſtores Provinciales, à Populo electos, ſuos Tribunos Militum, Centuriones, Præfectos, Decuriones &c. annotavit Sigonius, *de Jure provinc. l.* 2. *c.* 2. & 3. Iidem tamen Quæſtore in munere extinctô, *Proquæſtorem* ſibi ipſi ſumendi jus habebant. A *Proprætoribus*, Imperatorum tempore, provinciæ hæ *Prætoriæ* appellatæ ſunt, ſicut *Conſulares*, provinciæ Populi. *Camer. pro L. Flacco*, apud Godwynum, *Anthologia Rom. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 22. &c.

PROPRIETARII Monachi, apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ dicuntur, qui *proprium* ſeu *proprietates*, ut loquitur Ekkehardus Jun. *de Caſibus S. Galli, c.* 11. vel peculia poſſident. In quos Excommunicatio ſemel in anno proferri conſuevit, uti patet ex Honorio III. *l.* 4. *Ep.* 536. Hinc ſepulturâ prohibitos, ſi qui in morte *Proprietarii* inventi, refert Vetus *Statutum* Monaſticum, in *Additam. ad Matth. Pariſ. p.* 115. Quam in rem vide complura, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Sed & *Proprietas*, in eadem Eccleſia officium proprium alicujus Sancti. *Id.*

PROPRIETAS, vocabulum à Juriſconſultis effictum, ad diſtinguenda dominia; ſignificat plerunque merum & directum dominium, non uſufructuarium: ut alias vocis hujus apud eoſdem ſignificationes omittam. Apud Hiſtoricos veteres & candidioris ſimplicitatis homines verba ſunt Henr. Spelmanni, *proprietates* fuêre prædia omnia, quæ quis propriô jure poſſidebat, hæreditariò ſcil. & non conductitiò, vel ex elocato: quod Angli vocant *taken to fearm.* Certum autem eſt, diſtinxiſſe eos prædia omnia in Propria & Fiſcalina: priora illius arbitrio obnoxia, inconſultô dominô ad hæredes tranſibant: poſteriora in arbitrio dominorum erant, & cum vita accipientis finiebantur, *Gloſſar. Archæol.*

PROPRII Dii, aliàs *Noſtri*, qui nobis ſolis faventes propitiique ſunt ſicut *Communes Dii*, qui utriſque partibus. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 396.

Vadimus immixti Danais, haud Numine noſtro.

Hinc *Diis ſuis* aliquid facere dicebatur ille, qui faventibus & propitiis Diis faciebat. Ovidius in *Ep.* Medeæ, *v.* 84.

Sed mihi tam faciles unde, meoſque Deos?

Salmaſ. *ad Vopiſc. in Tacito, c.* 12. Vide ſuprà *Propitii.*

PROPUGNATOR, epitheton apud Romanos Jovis, cujus ædes in Palatio fuit, memorata in *in veter. Inſcr. P. Marcius. Verus. Imp.* Commodo. *VI. &. Petronio. Septimiano. Coſ. A. N. P. R. C.* DCCCC. *XLI. K. Dec. in Palatio. in æde. Jovis. Propugnatoris. in. locum. P. Veri. L. Atilius. Cornelianus. cooptatus:* apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. ubi de Jove.

PROPYLÆA, Græcè προπύλαια ſeu πυλεὼν, veſtibula erant, ſeu ingreſſus templi adeoque poſt Pronaum, in Ædibus ſacris Gentilium, & poſt Narthecem, in Chriſtianorum. In Græcorum enim Ædibus ſacris hæc erant, Pronaus, primùm πρόδομος, deinde Προπύλαια, ſequebatur ipſa Ædis cella, ὁ σηκὸς &c. Πυλῶνας βασιλικὰς iidem vocabant, Latini *Regias.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. & 1218. & infrà voce *Veſtibulum.* Ornabantur illa exquiſitiſſimis Artificum optimorum operibus. Sic in *Propylæo* Athenienſium, ex marmore Charites. Socratis opus, memorantur Plinio, *l.* 36. *c.* 5. & ibidem in Minervæ delubri *Propylæo*, pinxit Protogenes nobilem Paralum & Hemionida, cum parvularum navium parergis, apud eund. *l.* 35. *c.* 10. Nec faſtigiis eorum ſuum defuiſſe cultum, dicemus infrà, voce *Vultur.*

PROQUÆSTOR, appellatus Romanis eſt is, qui mortuô in munere Quæſtore à Præſide provinciæ ipſo lectus, illud obiit: Item, qui Quæſtore ante adventum Succeſſoris decedente, provinciæ ipſius intereà præfectus fuit. Et hi provinciam ſuam, non à Senatu, aut Populo, uti Quæſtores: verùm ab ipſo Proprætore vel Proconſule, acceperunt, adeoque inferiori fuerunt gradu. Sed & præſentibus nonnunquam Quæſtoribus, tamen etiam *Proquæſtores* fuiſſe legimus, ſed rarò. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 45. & infrà in voce *Quæſtor.*

PRORA, extremitas eſt partis anterioris navigii: in qua inter προεμβολίδα & ἔμβολον ſtatuebatur *Paraſemon*, protome videl. alicujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

cujus animalis, à qua tota navis nomen accipiebat. Eſt autem τὸ ἔμβολον *roſtrum navis*, ſuper quod *pars eminens* in prora προεμβολὶς, *Poll.* Sicut contrà Tutela navigii, in puppi erat. Sed & nomen navis in *prora* inſcriptum erat; quòd etiam in iis navibus obſervatum, quæ paraſemon haberent, idque in ſummitate ſtoli ἐν τῷ ἀκροςολίῳ, ubi ligni tabula videtur fuiſſe affixa, quæ πτυχὶς vocabatur, item ὀφθαλμὸς, quòd in fronte navis eſſet & in prora, ſicut oculus in facie: Nam πρῶρα, τὸ πρόσωπον vel ab *oculi* forma. Apollonii Scholiaſtes, Στόλος δὲ λέγεται τι ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτυχῆς ἄχρι τῆς πρώρας ξύλον, πτυχὴ δὲ λέγεται ὅπου τὸ τῆς νεὼς ἐπιγράφεται ὄνομα. Vide ſuprà *paſſim*, inprimis voce *Acroſtolium*. Inde vox ad Olympiacum Circum tranſlata, in quo cùm duplex fuerit carcerum ordo, unus ad ſiniſtram primæ metæ, alter ad dextram; in medio utriuſque partis locus erat, qui machinationem movebat, quâ omnia oſtia aperiebantur; *Altare* dictus, circa mediam *proram* Circi: *proræ* quippe habuit figuram ἡ ἄφεσις, quæ utrumque oſtiorum ordinem diſcriminabat. Qui βωμὸς vel quæ *prora media*, Januæ Conſulum vel oſtio, quod ad medium Circi ſpatium patebat Romæ, reſpondit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 572. & 902.

PROROGATOR, qui aliàs *Diſpenſator*, Græcè Οἰκονόμος, Actor ſecundarum in familia: ut tradit vetus Interpres *ad Perſium Satyr.* 2. *Fuit autem aſſis libralis & dipondius, quod hodie in uſu remanſit; & ſolebat penſari potiùs, quàm numerari, unde & Diſpenſatores dicti Prorogatores.* Sic *Eccleſiæ Prorogator*, & *Diſpenſator verbi divini ac cœleſtis doctrinæ Prorogator & civibus indigentibus, quod fuit proprium, liberaliter prorogare*, paſſim reperiuntur, apud Chryſoſtomum, *Serm.* 23. 26. 121. &c. Similiter *Arcarios Prorogatores* tritici memorat Caſſiodorus, *l.* 10. *c.* 28. De Diſpenſatore Cicer. *in Hortens. Quid tu inquam ſoles, cùm rationem ab Diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probâſti, ſummam quæ ex his confecta ſit, non probare:* Quæ ſanè ratio immaniter plerunque exacta eſt. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 483.

Et cadens longi relegit transverſa diurni.

Ubi antiquus Grammaticus *diurnum* interpretatur *ratiocinium.* Nec aliò forſan reſpexit Chriſtus, Matthæi *c.* 18. *v.* 34. parabolâ uſus ſervi, *quem Herus tradidit tortoribus, quouſque redderet univerſum debitum.* Diſpenſator autem ſive *Prorogator* conſervis τὸ σιτομέτριον ſeu τὴν τροφὴν præſtare conſueverat, *Demenſum* nimirum. Juven. *Sat.* 14. *v.* 126. ubi de avaro Patrefamilias, qui munus obibat *Prorogatoris.*

Servorum ventres modiô caſtigat iniquô,
Ipſe quoque eſuriens. ——— ———

Notat ſordidos, qui in illud incumbebant, ut de menſtruo etiam Demenſo lucrarentur aliquid ſemper conradendo. Et hic erat menſtruus Canon, quatuor vel quinque tritici modiorum in ſingulos, ſicuti diurnus fuit, nonnullis libra farris. Horatio, *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 68.

Denique, cur unquam fugiſſet: cui ſatis una
Farris libra foret. ——— ———

Alii tamen ſervis ad rationem demenſi cibarios panes quotidie, vel bilibres vel etiam trilibres, aſſignant: moti auctoritate Cæl. Aurelian. *l.* 3. *Acut.* 2. Catonis, *tit.* 15. &c. Demenſum enim variâſſe certum eſt, & modò quatuor, modò quatuor & ſemis, modò quinque modiorum fuiſſe, prout ferebant & annonæ ratio & & dominorum quà ſplendor, quà ſordes. A quo miniſterio & aliud nomen Diſpenſator invenit, à *Frumento* dictus. Item *Miniſtrator à frumento* & *Actor à frumento*, in *Inſcript. antiqq.* niſi velimus, Miniſtratori & Actori quandoque obtigiſſe, ut & hôc munere fungerentur. Illud utique minimè controverſum, diaria ſervis fuiſſe exhibita. Vide Horat. *l.* 1. *Ep.* 14. Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 109. *v.* 3. Senecam, *Ep.* 80. Claudian. *de bello Gildonico*, &c. Codicem verò, in quem hæ *Prorogationes* referebantur *Diurnum* Chryſologus vocat, *Sermon.* 14. quæ diurna adſervâſſe, videntur, qui dicti ſunt *ab Ephemeride*, in *Marmore vet.* & quidem Iſidor. *Origin. l.* 2. *c. ult.* quod Latini *Diurnum*, Græcos *Ephemerida* dicere, affirmat, &c. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ut & infrà in voce *Teſſerarius*, qui affine *Prorogatoris* miniſterio munus obiit.

PRORRHESIS, Græcè πρόῤῥησις, h. e. *denuntiatio*, ritus in ſacris Græcorum, quem Lucianus *in Pſeudomante*, ubi ſacrorum ceremonias Alexandri cujuſdam impoſtoris recenſet, tribus ex ordine diebus peractas, deſcribit hiſce: Καὶ μὲν ἐν πρώτῃ πρόῤῥησις ἦν, ὥσπερ Ἀθήνησι τοιαύτη· Εἴ τις Ἄθεος, εἴ τις Χριςιανὸς, ἢ Ἐπικούρειος, ἥκει κατάσκοπος τῶν Ὀργίων, φευγέτω, οἱ δὲ πιςεύοντες τῷ Θεῷ, τελείσθωσαν τύχῃ τῇ ἀγαθῇ. εἶτ' εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ἐξέλασις ἐγίγνετο. Καὶ μὲν ἡγεῖτο λέγων, ἔξω Χριςιανὸς, τὸ δὲ πλῆθος ἅπαν ἐπεφθέγγετο ὁ ἔξω Ἐπικούρειος. *Ac primò die Athenienſium ritu denuntiatio fiebat hujuſmodi: ſi quis impius, aut Chriſtianus, aut Epicureus, myſteriorum explorator acceſſit, diſcedat. Cæterùm qui Deo credunt & parent, ſacris feliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur, illô præeunte dicenteque. Foràs pellantur Chriſtiani. Tum multitudo acclamabat univerſa: Foràs pellantur Epicurei* &c. Nempe τὴν πρόῤῥησιν ſequebatur ἐξέλασις, quâ expellebantur, ſi qui aderant profani: ac proclamabatur, λαοῖς ἄφεσις. Dein, qui præparati erant μικροῖς μυςηρίοις & ſolennibus purgationibus, ad μακρὰ μυςήρια, admittebantur. Quos ritus imitati & Chriſtiani olim. Sozom. *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 25. Ἐπεὶ τοῦ λόγου ἀρχόμενος Ἐπιφάνιος----τοὺς ἀμυήτους καὶ βεβήλους ἐξιέναι θύραζε ἐκέλευεν. Quæ πρόῤῥησις erat, quâ Gonebantur nondum initiati abſcedere è Sacrario, cum Sacramenta aperirentur. Sequebatur hanc itidem ἐξέλασις, &, ut in mentilium ſacris proclamabatur λαοῖ, ἄφεσις, ſic in Chriſtianorum συνάξει, *Ite, miſſa eſt:* quibus verbis Catechumeni, Poſſeſſi & Pœnitentes dimittebantur, ut obſervat Bellarminus, laudatus Deſ. Heraldo *Animadverſionib. ad Arnobii adv. Gentes l.* 2. hæcce: *Ut ad illud quod dabitur, poſſint eſſe paratæ.* Aliam longè πρόῤῥησιν per Calumniam Chriſtianis impingit Celſus apud Origenem, *l.* 3. ubi in Conventibus eorum proclamari ſolitum ait, Μηδεὶς προσίτω πεπαιδευμένος· μηδεὶς σοφὸς· μηδεὶς φρόνιμος----ἀλλ' εἴ τις ἀμαθὴς, εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις νήπιος, θαῤῥῶν ἡκέτω, *Nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens ---- Sed ſi quis rudis, ſi quis demens, ſilenter adveniat.* Quod inde ortum, quia Chriſtiani non ſolùm docebant, aditum ad Regnum cœlorum patere omnibus, etiam humilibus, ſervis, idiotis, ruſticis, iiſque, quos ſtultos exiſtimat mundus: Sed & literas, quæ ad forenſia ac politica officia cum laude obeunda neceſſariæ eſſent, atque adeò omnem aliam eruditionis partem, quæ pietati minùs litaret, negligebant: unde identidem à Gentium Sapientibus, *rudes, idiotæ, agreſtes* &c. audiebant. Vide ſuprà voce *Agreſtes* & infrà ubi de *Sellulariis opificibus.* Vide quoque infrà, ubi de veterum *Sacris.*

PRORSA Dea, quæ rectis partubus præſidebat, dicta eſt; *prorſum* enim pro recto veteres. Salmaſ. *ad Solin. p.* 31. 391. & 677. ubi de *Prorſis limitibus* ſeu Decumanis. Vide quoque in voce *Proſa.*

PROSA, Dea, cui ara deprecandi gratiâ periculi ab ægro partu conſtituta eſt. Gellius, *l.* 1. *c.* 16. Huic altera adverſaria erat *Poſtverſa* nominata, à perverſo partu. Alii legunt *Prorſa*; ſed eodem res redit; Namque & *prorſus* dicitur & *proſus:* Ennius,

Proſus rufus (pro *rurſus*) *recriprocat fluctus feram.*

Sic Plautus *in Milite, Actu* 4. *ſc.* 4. *v.* 56.

Proſus Athenas protinus abito tecum.

Et in antiquiſſimis ejus MSS. Codd. *ſuſum* pro *ſurſum* quoque habetur: Denique apud Feſtum eſt, *prorſi limites*, pro *directis ad Orientem.* In *Gloſſis* etiam *tunica prorſa*, cui opponitur *inverſa.* *Prorſus* itaque vel *proſus* eſt rectus, unde *Proſa* Dea, quæ recto ſive naturali partui præſidet; hujuſmodi ſcilicet partui, quando infans primùm capite in lucem editur. Jac. Oiſelius *Notis in Gell.* Eandem alii *Porrimam*, alii *Antevortam* vocant: Habuit aram ſtatutam Romæ, ut &, quæ ei oppoſita præpoſteris partubus præerat, *Poſtverta.* Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Vide quoque ſuprà in voce *Poſtverſa.*

PROSA, in veterib. Gloſſis, *pexa tunica*, πεζὸν ἱμάτιον, id eſt, *recta*, ut *proſa oratio*, ἡ εὐθεῖα, opponitur verſæ vel verſificatæ, quemadmodum *proſa* tunica inverſæ. Hodie quoque in pannis dicimus *rectam* partem & *verſam:* Veteres *prorſum*, pro *recto*, ut *prorſi limites* & *prorſum ire*; inde *proſa*, de oratione ac de veſte. Quâ parte autem *proſa* tunica eſt, eâdem & pexa, politis nempe flocis. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 391. & de *Proſæ orationis* origine, ſuprà ubi de *Oratione Soluta.* Eccleſiæ Romanæ *libri Rituales* Eccleſiaſtici *Proſam* vocant eam orationem, quæ in Miſſa canitur, ante Euangelium in majoribus Feſtis, quam aliàs *Sequentiam* vocant. Udalricus *in Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 11. *Proſa, quod alii ſequentiam vocant, non cantatur, niſi in quinque Feſtis Principalibus.* Dicitur autem *Proſa*, quia in ea metricæ Regulæ non obſervantur. *Sequentia* verò, quia ſequitur poſt Graduale. Cujuſmodi orationum Auctorem Notkerum S. Galli Abbatem facit Durandus, *l.* 4. *c.* 22. qui ibidem Nicolaum Papam in Eccleſia eas cani juſſiſſe, addit. Eccleſia tamen Romana his ſequentiis in Miſſâ utitur: *Lauda Sion Salvatorem*, quam Thomas Aquinas compoſuit; *Veni S. Spiritus*, quam Rupertus Galliæ Rex ſecundùm Durandum, vel ſecundùm alios Herm. Contractus; *Victimæ Paſchali laude*, cujus Auctor ignoratur; *Dies iræ, dies illa*, quam Gregorius M. an D. Bernhardus, an Card. Urſinus, an Hambertus Dominicanorum General. compoſuit, &c. Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.* Hinc *Proſarius*, liber *proſas* continens, apud Car. du Freſne.

PROSACTIUM, fluv. ex Idæis montibus profluens, & inter Helleſpontum & Euxinum in mare ſe effundens. Arrian. *l.* 1.

PROSAGOGIDÆ, vide ſuprà *Auſcultatores.*

PROSCENIUM, locus erat ante Scenam porrectus, in quo Pulpitum, agentium loquentiumque ſedes, altius *Proſceniô* & Orcheſtrâ, uti Scenâ depreſſius. Ibi geſticulatione, cantu & ſaltatione, Artifices, perſonis in Scena abditis, populum detinebant, Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 4. Thom. Godwin. *Proſcenium* locum fuiſſe ait, ubi Actores ſeſe præparantes inde in Pulpitum Scenamque prodibant: aliquando tamen pro ipſo Pulpito ſumi, addens, *Anthol. Rom. l.* 1. *ſect.* 1. *c.* 19.

PROSCHEMATA, Senum calceamenta, vide infrà voce *Vir.*

PROSCHION, regio Ægypti, *Steph.*

PROSCHOLUS, apud Auguſtin. *de Verbis Apoſtol. Serm.* 19. *c.* 7. *Tam pauper, ut* Proſcholos *eſſet Grammatici apud Mediolanum*, Auſonio *Epigr.* 22. *v.* 17. *in Profeſſ. Subdoctor*; item *tenuis Grammaticus*,

Exili noſtræ fucatus honore Cathedræ
Libato tenuis nomine Grammatici.

Fulberto, *Ep.* 80. *Adjutor Scholarum* &c. dicebatur in Schola, is, qui non tam docendis pueris, quàm eorum moribus præfectus erat; ut ſcil. concinnè ad Magiſtrum accederent, omnique geſtu, inceſſu, veſtitu, eſſent compoſiti. Ante Scholæ auditorium enim locus erat *Proſcholii* nomine, ab auditorio ipſo velô, tanquam aliô intergerinô pariete, diſſeptus: Ibi pueri conveniebant ejus loci Præfectum, quem *Proſcolum* inde vocabant, ut admonerentur officii ſui, antequam ad Magiſtrum reductô velô accederent; vide *Colloquia* Puerorum *vett. Gloſſis* præfixa, *Notas* Tyronis *p.* 163. Car. du Freſne in *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Archiſcholaris.*

PROSCINDI, dicebatur Romanis terra, quæ primò arabatur; quæ prima aratio, vere fieri ſolita, νεατὸς Græcis, *vervactum* Latinis, quia vere actum. Unde Flamen Cerealis, ſacrum Cereri ac Telluri facturus, Divos Agricolas hôc ordine ciebat, *Vervactor, Redarator* &c. Quæ verò ſecundò, *offringi*; quæ tertiò, *lirari.* Græci σχίζειν quoque dicunt de prima aratione. In *Epigramm.* Græco,

——— γαῖαν σχίζοντες ἀρότροις &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 724. & *ſeqq.*

PROSCRIBERE, verbum ſolenne de edictis Magiſtratuum locô publicô poſitis, apud Cicer. *ad Attic.* Suetonium, *Juliô c.* 49. Alios. Item de titulis rerum venalium, qui claris literis, ut de plano legi poſſent, ſcribebantur. Hinc de iis, quorum nomina publicè ad confiſcationem proponebantur, *Proſcriptio*, quæ duplex fuit, bonorum & hominum. Si enim is, unde petebatur, latitaret, ita ut nullam ſecum agendi poteſtatem faceret, cùm de domo extrahi non poſſet, actor (creditor) Prætoris auxilium implorabat atque reum (debitorem) evocari edictô jubebat. Edictum verò ad ipſius latitantis ædes ponebatur, cum ſolenni vicinorum teſtatione: Qui evocationi ſi non pareret, neque defenderetur, Prætor ſecundam decernens evocationem, in bona Petitorem mittebat, & niſi evocatione tertiâ, ad ſui defenſionem, veniſſet, alterô decretô bona ejus poſſidere, *proſcribi* ac diſtrahi jubebat. Non tamen ſtatim venditio fiebat, ſed poſtquam bona per 30. dies poſſeſſa eſſent, tum verò iterum, qui ſe creditores dicebant, ſi plures eſſent, Prætorem adibant, petebantque, ut ſibi liceret unum ex corpore ſuo conſtituere, qui debitoris bona auctioni ſubjiceret. Is conſtitutus dicebatur *Magiſter*, & poſt id temporis *Proſcriptio* fiebat, in celeberrimis totius Urbis locis, ita: *Ille debitor noſter, in ejuſmodi cauſa eſt, ut bona ejus divendi debeant; nos Creditores patrimonium ejus diſtrahimus: quicunque emere volet adeſto.* Inde poſt aliquot dies, tertiùm jam Prætorem adibant, poſtulantes, ut ſibi liceret legem bonorum venditorum facere, atque inde ita *proſcribebant*: *Hæc quicunque emerit, Creditoribus in dimidiam partem eorum, quæ ipſis debentur, reſpondere debet; ſic ut, cui aurei centum debentur, accipiat quadraginta.* Et certô tempore elapſô Emtori patrimonium addicebatur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 12. Alia erat *Proſcriptio*, cujus mentio in Lege Cornelia, *ut Proſcriptorum agri publici eſſent*, apud Cicer. *in Rullum.* Ibi enim de *Proſcriptione* hominum ſermo, non ſolùm ea, quæ *media capitis Diminutio* aliàs exiliò multavit, ſine libertatis jactura, verùm de calamitôſiſſima illa, cujus, Urbe per ſuos milites occupatâ, Sulla inventor, præmium percuſſoribus *Proſcriptorum*, duo talenta conſtituit, latentiumque indicibus, & pœnam eandem abditos celantibus interminabatur. De qua ſic Florus, *l.* 3. *c.* 21. *Propoſita eſt ingens illa tabula; & ex ipſo Equeſtris ordinis flore ac Senatu, duo millia electi, qui mori juberentur, novi generis edictum.* Appianus, *Civ. l.* 1. *quadraginta Senatores, & mille ſexcentos Equites* habet. Val. Max. *l.* 9. *c.* 2. *ex* 1. *Quatuor millia*, ait, *& ſeptingentos diræ* Proſcriptionis, *jugulatos, in tabulas, publicas retulit.* Vellejus, *l.* 2. *c.* 28. §. 3. *Primus ille & utinam ultimus exemplum* Proſcriptionis *invenit*, &c. Sequuta *Proſcriptio* Triumviralis, *inſtauratumque Sullani exempli malum eſt, nihilque tam indignum illô tempore fuit quàm, quòd aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab illo Cicero proſcriptus, abſciſſaque ſcelere Antonii vox publica eſt*, Vellejus iterum, *l.* 2. *c.* 66. &c. Utraque à *proſcribendo* nomen invenit, *quoniam eorum nomina in publico ſcribebantur.* F. Matur. *in Philipp. Orat* 5. in tabula, ut ex Vellejo viſum, quæ columnæ ſolebat adfigi: Unde Græci non tantùm προγράφειν, ſed etiam στηλιτεύειν id vocârunt, quod non nomina ſolùm, ſed & crimina *proſcriptorum* publicè in ferali tabula ſeu columna ſcriberentur, Suid. in voce στήλη. Apud Græcos vetus admodum is mos, ut hoſtes ac ſontes *proſcriberent*, interfectoribus eorum magnâ mercede per præconem promiſſâ; ut teſtantur, Ulpianus *Demoſth. Orat.* περὶ παραπρεσβείας, Harpocration, Polyænus, *Strateg. l.* 4. & 5. Interpres Hiſtoriæ Apollonii Tyrii, Appulejus, *Metam. l.* 6. &c. quam *Proſcriptionem* ἐπικήρυξιν vocabant. Sic Xerxem qui vel vivum vel mortuum Athenas adduxiſſet, centum talenta polliciti ſunt Athenienſes: in Apollonii caput totidem promiſſa. in Agathoclis, immenſa munera, de quibus Auctores præfati. Etiam columnæ quandoque pretium adſcriptum, ut docet *Suidas*, de Diagora Melio. Vide Joh. Meurſium *Comm. in Lycophronis Alexandram, verſum hunc.*

Κτανόντ' ἐπηνέσει τεθμῷ χαράξας.

Simile quid apud Germanos obtinet, ut videre eſt in voce *Bannus.*

PROSCYRIA, Προσκύρια, Græcis dicuntur Pſalmi XV. quos aliàs ᾠδὰς τῶν ἀναβαθμῶν, Latini *Pſalmos Graduum*, ſeu *Graduales*, appellant; quorum primus CXX. ultimus CXXXIV. Nomen à primo, cujus initium, Πρὸς Κύριον, ἐν τῷ θλίβεσθαί με ἔκραξα, *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi.* Canuntur in principio Officii Præſanctificatorum, aliiſque ſtatis temporibus, ut videre eſt apud Cl. Suicerum in ea voce.

PROSECTA, apud Statium, *Theb. l.* 5. *v.* 641.

——— *ubi adverſo dederat* proſecta *Tonanti*:

vox ſacrificantium. Vetus Comm. *Cùm exta inſpiciebantur, in minutas partes ſecabantur, ut fibræ poſſent inſpectari. Quæ ergo jam inſpecta erant & ſecta*, proſecta *dicebantur, ex quibus jam conſtabat, quod quærebatur.* Hæc ponebantur ſub nudo æthere, quem Jovem perhibent Poëtæ. Ovid. *Faſtor. l.* 6. *v.* 163.

Inde, ubi libavit, proſecta *ſub æthere ponit.*

Unde *dederat proſecta*, inquit Statius. Vide hanc in rem Hadr. Turnebum, *l.* 15. *c.* 7. Barn. Briſſonium, *de Formulis, l.* 1. Hug. Grotium *ad Martianum Capellam*, Jo. Gebhardum, *Curar. Juvenil. l.* 3. *c.* 7. ut & infrà in voce *Proſiciæ.*

PROSECUTIO, apud Lutatium *ad Statium paſſim*, adeoque ævo cadenti, Theodoſianô & vicinis, orationem notat ſeu orationis deductionem, ut infinitis locis in *Collatione* Carthaginienſi & paris cenſus Patribus. Vide Julianum Marcellum Memorialem *in breviculo Collat. prædictæ*, ubi tota actio in *proſecutiones* & *interlocutiones* diſtinguitur. Servant hodieque vocem Hiſpani, retinentiores cœteris nationibus Latiniſmi; ut videre eſt in Leandro Boſcani, hendecaſyllabis ſine ſyllabarum dimenſione, ſine pedum obſequio, abſque etiam rhythmis, eloquentiſſimè tamen, etiam Poëticè ſcripto. C. Barthius, *ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 427. At *Proſecutores Auri*, de quibus eſt titulus, *in eod. Theodoſ. l.* 12. *tit.* 8. dicti ſunt, qui aurum ſacris Largitionibus inferendum de provinciis *proſequebantur* vel deferebant. Hinc *Proſecutoria*, præceptio Comitis ſacrarum Largitionum, quâ iſtiuſmodi homines jubebantur aurum in Largitiones ſacras inferre, *d. l.* 1. Vide ad eam, Jacobum Gothofredum. De *Proſecutoribus Armorum*, vulgò *Pourſuivans d'Armes*, ita Nic. Uptonus *de Militari Offic. l.* 1. *c.* 11. *Poſt prædictos equitantes, alsi nuncii habentur, qui* Proſecutores *appellantur, qui ex prædictis equitantibus poſt exercitium triennale in arte equitandi ad negotia creantur, certâ ſolennitate adhibitâ. Creari autem debent Proſecutores, non in minori Feſto, quàm in die Dominica, hôc modô. Aliquis Heraldus armorum tunicâ Dominici ſui indutus, præfatum creandum in manu ſiniſtra ducens, & unum ſciphum aquâ & vinô plenum, in manu dextra tenens; accedere debet ad præſentiam Domini vel Magiſtri ipſius creandi, à quo in præſentia multorum teſtium ——— Quô petere debet, quô nomine vult, ut* Proſecutor *ſuis nuncupetur. Quô nomine à dicto Domino vel Magiſtro dato, dictus Heraldus vocabit ſuum creandum illô nomine, projiciens partem ipſius aquæ ſuper caput creandi. Tum accipit & tunicam Domini ——— & ponit ſuper caput creandi ex tranſverſo ——— Sequitur jam juramentum ——— Heraldô ſic dicente, Tu eris fidelis Domino ſive Magiſtro tuo, qui te nominavit, in perpetuum, quâcunque fruaris dignitate. Item Domino Regi & cuicunque Nobili, licèt hoſti; item negotia quorumcunque Nobilium, licèt hoſtium, fideliter exequeris, & cùm inter hoſtes interrogatus fueris, tantùm ad interrogata fideliter reſpondebis, nihil non eis intimans* &c. *Et eſt ſciendum, quòd tales nuntii Proſecutores poſſunt eſſe Milites & Militaribus gaudere inſigniis, ut deauratis uti, veluet, & aliis pannis aureis indui; non tamen, ſicut Nobiles.* Et tales vocantur Milites linguares, quia eorum præcipuus honor eſt in cuſtodia linguæ, apud Carol. du Freſne *in Gloſſar.* Ibidem arma trium horum Officiariorum, Curſorum, Equitantium (Gall. *Chevaucheurs*) & *Proſecutorum*, his verſibus indigitantur,

Cinctoriô ſcutum dicas deferre Pedinum:
Sic Equitis dignum fert ſcapula dextera ſignum.
Sed humerô lævô detulit Proſecutor *ab ævo:*
At Haraldorum ſtat pectore fons titulorum.

PROSELENE Phrygiæ minoris urbs. *Ptol. S. Anania Moletio*, in ora, inter Adramyttium ad Boream, & Pitamen ad Meridiem.

PROSELENI, vide *Arcades.*

PROSELYTI, dicti olim ſunt, qui ex Gentilibus converſi ad Eccleſiam Judaicam ſeſe conferebant, vel totam Pædagogiam Moſaicam amplectebantur, vel in aliquibus ſolùm ei ſe ſubjiciebant. Unde *Proſelytus* Godwyno duplex fuit, גר ברית, *Ger berith*, i. e. *Proſelytus fœderis*, Rabbinis גר צדק, *Ger tſedek*, ſeu *Proſelytus juſtitiæ*, dictus, qui ſe Legi totum ſubmittebat, Circumciſione admiſſâ: & גר שער, *Ger ſahagner*, i. e. *Proſelytus Portæ*, cujus aliqua mentio Deuter. *c.* 14. *v.* 21. & *in præc.* 4. Qui neque ſe circumcidebat, neque Moſaicis legibus ritibuſque ſe ſubjiciens, obſervabat ſolùm præcepta illa, quæ *Noachi ſeptem præcepta* Hebræi vocant, de quibus vide Schindlerum *Pentagl. p.* 1530. & ſuprà *Noachica præcepta.* Talem Naamanem Syrum, Eunuchum Reginæ Candaces, Cornelium Centurionem, illoſque, qui dicuntur ἄνδρες εὐλαβεῖς, Actor. *c.* 2. *v.* 5. fuiſſe, notant Eruditi. Tolerabantur hi inter Judæos & proin *Toſchabim*, id eſt, *Incolæ*, fuêre appellati. Ritus initiandi *Proſelytum* fœderis, pro ſexus & temporis diverſitate, fuêre varii: in Mare requirebantur, Circumciſio, Purgatio per aquam & Sanguis oblationis; offerebatur autem communiter par columbarum, vel turturum: In Fœmella, duo ſolùm poſteriora. Hodie, *cùm abolitum eſt ſacrificium & munus*, Daniel *c.* 9. *v. ult.* duo priora in Maribus ſufficere dicunt Judæi, in fœmella, purgationem per aquam. Imò hâc ſolâ, abſque Circumciſione, Davidis jam tempore, multa *Proſelytorum* millia initiata fuiſſe, contendit Moſes Ægyptius *in Aſſure biah, Perek* 13. *fol.* 137. Vide Serarium *tribæreſ. l.* 2. *c.* 2. Unde videmus, certum Baptiſmi genus inter Judæos obtinuiſſe, diu ante quàm *Sacramentum* is fieret, auctore CHRISTO, imò velut in præludium hujus iſtiuſmodi immerſiones fuiſſe jam tum adhibitas. Quæ cauſa, quòd Johanni non tam de Baptiſmo, utpote re jam anteà ſolita, quàm de auctoritate, quâ inſtructus baptizaret, quæſtionem moviſſe Judæos legimus, Johann. *c.* 1. *v.* 25. Quamvis autem benevolos admodum ſe *Proſelytis* exhiberent Judæi, nihilominus non ſolùm in Synedrium eos nunquam receperunt, ſed & in communi converſatione, non facilè ſe eis crediderunt, ut ex Proverb. illorum patet, *Vel ad decimam uſque generationem à Proſelytis cave.* Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 3. Latius autem fuiſſe *Proſelytorum* jus antiquis temporibus, patet ex Philone, qui *l. de Monarch.* Moſen ſcribit admiſiſſe ad Remp. ſuam, πάντας τοὺς ὁμοιοτρόπους, i. e. *omnes eos, qui moribus iiſdem atque inſtitutis vellent vivere*: ſive ab origine prima nati eſſent Judæi, ſive non. Interim & poſterioribus ſeculis, potuiſſe eum, qui fuerit *Ger*, i. e. *Proſelytus*, ſed matre Judæâ natus, adoptari in numerum Senatorum, ait Moſes Ægyptius *l. ult. Jad, c.* 2. Ab hoc hominum genere vocârunt Rabbini Regnum Herodiadarum מלכות הגרים, i. e. *Regnum Proſelytorum*: Herodem enim ex Idumæis in Judæos tranſcriptum eſſe, docet fusè Caſaubon. *contra Baron. Exercit.* 1. *num.* 5. *ubi varia de Proſelytis.* Plura hanc in rem vide apud Seldenum, *de Succeſſionibus ad LL. Hebr. c.* 26. & *de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

& *de Jure N. ac Gent. juxta LL. Hebr. paſſim:* nec non ſuprà, ubi de *Baptiſmo Judaorum*, item voce *Lotio*, ac ubi de *Occupatione ſimplici*.

PROSERPINA, Jovis & Cereris filia, quæ cùm in campis Ennæis flores legeret, à Plutone rapta eſt. Ovid. *Met. l. 5. v. 391.*

> ——— *Quô dum Proſerpina lucô*
> *Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit;*
> *Penè ſimul viſa eſt, dilectaque raptaque Diti.*

Orpheus tamen, *in Argonauticis*, videtur ſignificâſſe Proſerpinam non in ſpecu, ſed ſuper mare latam fuiſſe, cùm ita ſcribat.

> Ὥς ποτε Φερσεφόνην τέρεν' ἄνθεα χερσὶ δρέπουσαν
> Ἐξάπαφον συνόμαιμοι ἀν' εὐρύ τε καὶ μέγα ἄλσος.
> Αὐτὰρ ἔπειθ' ὥς μιν Πλοῦτος κυανότριχας αἴσῃ
> Ζευξάμενος, κούρην ἐπεβήσατο δαίμονος αἴσῃ,
> Ἁρπάξας δ' ἔφερεν διὰ κύματος ἀτρυγέτοιο.

Scriptum reliquit *Sophoclis Enarrator*, Proſerpinam raptam fuiſſe à Plutone, cùm Narciſſum colligeret, his verbis; ὅτι πρὶν ἢ τὸν Πλούτωνα αὐτὴν ἁρπάσαι, τούτῳ ἐτέρπετο, συλλέγουσαν οὖν φασιν αὐτὴν τὸν νάρκισσον ἁρπασθῆναι. Hanc cùm Ceres diu fruſtra totô terrarum orbe inveſtigâſſet, tandem à Cyane Nymphâ rem omnem edocta, petiit a Jove, ut communem filiam ab inferis ſibi reducere liceret: quod eâ duntaxat lege impetravit, ſi nihil illa cibi apud inferos guſtâſſet. Quare cùm Aſcalaphi judiciô palam factum eſſet, aliquot mali Punici grana illam guſtâſſe, omnis reditûs ſpes illi fuit intercluſa. Quod ægrè ferens Proſerpina, Aſcalaphum commutavit in bubonem noctis avem, rerumque triſtium ſemper nuncium. Poſteà tamen Ceres à Jove dicitur impetrâſſe, ut Proſerpinæ ſenis quotannis menſibus ſecum apud ſuperos, & totidem apud inferos cum marito eſſe liceret. Obtinuit deinde Proſerpina, propter multas matris lachrymas & lamentationes, ut ejulatus, & capillorum lacerationes, & plagæ, quæ in funere familiarium & cariſſimorum fierent, in ejus honorem ederentur, tanquam quædam ſacrificia. Euripides *in Oreſte*,

> Καὶ τοῦτον τε κρατὸς ὃ ἑλκὼ ὁ κατὰ χθονὸς
> Νερτέρων Περσεφάσσα καλλίσταις θεᾷ.

Quæ cùm mortuorum eſſet regina, dicti ſunt omnes ab Horatio, *in primo Carminum*, *Od.* 28. *v.* 19. à Proſerpinâ excipi, in his,

> *Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera, nullum*
> *Sæva caput Proſerpina fugit.*

Idem, *l.* 2. *Carm. Od.* 13. *v.* 21.

> *Quàm penè furvæ regna Proſerpinæ,*
> *Et judicantem vidimus Æacum.*

In fabulis quoque narratur cujuſque capitis crines abſcindere Proſerpinam, ut orco damnetur. Virg. *Æn. l. 4. v. 698.*

> *Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem*
> *Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

Ubi loquitur ex opinione veterum, qui exiſtimabant, eos qui morti eſſent proximi, à Proſerpina primùm tonderi, & his quaſi primitiis Orco initiari, neque aliter poſſe obire diem ſuum. Inde apud *Euripidem*, aut Charon, aut Mors inducitur Alceſtidis comam ſecans, his verſibus,

> Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅδου δόμους,
> Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
> Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
> Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Quæ verba explicans Scholiaſtes ait: Ὡς ἔθους ὄντος τὸν θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. Statius item, *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 147. de Glauciâ moriente ſic canit:

> *Jam complexa manu crinem tenet Infera Juno.*

Ad rem hanc alluſiſſe videtur Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 43. *v.* 3.

> *Non omnes fallis. Scit te Proſerpina canum:*
> *Perſonam capiti detrahet illa tuo.*

Ei *ſterilis vacca* dicabatur. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 249.

> ——— *Ipſe atri velleris agnam*
> *Æneas, matri Eumenidum, magnæque ſorori*
> *Enſe ferit, ſterilemque tibi Proſerpina vaccam.*

Scribit hoc Arnob. *l.* 7. Prudentius *contra Symmach. l.* 1. poſt mentionem Proſerpinæ, *v.* 359.

> *Placatur vacca ſterilis cervice reſectâ.*

In ſacris mortuorum id uſitatum eſt, teſte Homerô, *Od.* 11. *v.* 530. apud quem Ulyſſes, poſt mentionem νεκύων, ſubdit, στεῖραν βοῦν, *bovem ſterilem*. Silius autem Italicus, *l.* 13. *v.* 429. rem exprimit caſtitatis nomine, quod alii ſterilitatis:

> *Ordine mactari pecudes jubet, acer operto*
> *Ante omnes taurus regi, tum proxima Divæ*
> *Caditur Ætnææ caſtâ cervice juvenca.*

Mythologiam ejus pete ex Natali Comite, *l.* 3. *c.* 16. & Alex. Roſſæo, *in myſtag. Poët.* Adde his Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 7. *c.* 28. Euſeb. *l.* 3. *de Præp. Evang. &c.* Nomen *Proſerpinæ* quod attinet, videtur vox eſſe origine Latina, non Græca, ut cenſet Cicero, a *ſerpendo* nimirum dicta. Serpunt enim per terram & ex terra, i. e. Cerere naſcuntur fruges, quibus ea ſignificatur. Quia verò eædem latent ad tempus, donec exiliant Solis calore elicitæ, atque in auras eductæ, fingitur hæc Dea rapta ab inferorum, divitiarumque Deo Plutone. Inde Phurnutus explicans μυθολογίαν. Ἁρπάσαι δ', inquit, ὁ Ἅδης τὴν θυγατέρα τῆς Δήμητρος ἐμυθεύθη, διὰ τὸν γινόμενον ἐπὶ χρόνον τινὰ τῶν σπερμάτων κατὰ γῆς ἀφανισμόν. Quinimo Terram ipſam quoque dictam *Proſerpinam*, quòd ex ea *proſerpant* fruges, notat B. Auguſtin. ex Varrone. Græcè Περσεφόνη dicitur, quaſi φέρουσα τὸ ἄφενος, *divitias ferens*, authore *Heſychiô*. Atqui vox iſta, ſecundùm Etymologici Trilinguis auctorem, Hebræam habet originem; nempe à פרי *Peri*, *fructus*, & צפון *Saphun*, *tectus*, *opertus* vel צפון *Tſephun*, *abſconditus*. Hæc à Plutone (quô nomine vis & natura terræ intelligitur, à verbo פלט *Palat*, h. e. *eripuit*, unde *Raptor* dictus poëtis) rapta ad inferos dicitur, ut ſuprà vidimus. Quæ omnia mendaces Græcos, Idololatriæ faſcinô dementatos, ſuis mythologiis vulgo illuſiſſe, ſibique ipſis horrendum in modum impoſuiſſe demonſtrant. Vide *Ceres*. Sed & Fabulæ hiſtoria, ut aliàs, ita & hîc, ſubeſt. *Proſerpina* enim, quam Pluto rapuit, filia erat Heroinæ, quæ populum Atticum ſationem frumenti docuit, ac ab Euſebio ad Joſuæ tempora refertur. Sed vel duos Græciæ Plutones ſtatuere eſt neceſſe, inquit Voſſius; geminum item raptum *Proſerpinæ* (& ſolent Poëtæ hiſtorias temporum diverſorum in unum commiſcere) vel ſtatuendum, Aïdoneum illum unâ ſolùm ætate vixiſſe, ante bellum Trojanum. Fuit enim Aidoneus Moloſſorum Rex ac Theſea tenuit captivum, uſque dum Hercules eum liberavit: quod refert Plut. *in Theſeo*. Atque hanc ſententiam poſuit præfatus Euſebius *in Can. Chron.* quod oſtendunt hæc ejus verba, ut Hieronymus quidem tranſtulit, ad num. 620. *Fabula Proſerpinæ, quam rapuit Aidoneus, i. e. Orcus, Rex Moloſſorum: cujus canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine, Pirithoum devoravit, qui ad raptum ejus cum Theſeo venerat. Quem & ipſum, jam in mortis periculo conſtitutum, adveniens Hercules liberavit, & ob id, quaſi ab Inferis, receptus ſcribitur.* *Scribit Philochorus in Atthidis*, *l.* 2. Similiter Cyrillus penè initio, *l.* 1. *contra Julian. Deſertorem, Centeſimô, inquit, & nonageſimô quintô annô, poſt Moſen, ferunt fuiſſe Proſerpinam virginem raptam ab Ædoneo, i. e. Orco, Rege Moloſſorum.* Quomodo Phyſice ſignificet ſimpliciter Terram frugiferam; ac frequentiùs vel ſemen, vel terram interiorem: quô pactô item, quatenus Cœleſte Numen habita fuit, Lunam denotaverit, ſed Inferis lucentem, vide apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 60. Item, *l. eod. c.* 28. Plura de *Proſerpina* ejuſque raptu, apud Thom. Dempſt. *in Paralipom. ad Joh. Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 11. Addam ſaltem, *Proſerpinæ raptum*, in annulo Neronis, memorari Suetonio, *c.* 46. *Sporus annulum muneri obtulit: cujus gemmæ ſculptura erat Proſerpinæ raptus.* Integras enim hiſtorias ac fabulas annulis nonnunquam inſculpi conſueviſſe, diximus ſuô locô. Eundem pictum Nicomacho, quæ tabula in Capitolio, in Minervæ delubro, ſupra ædiculam Juventutis, aſſervabatur, Plinii ævô, *l.* 35. *c.* 10. Sed & inter pulcherrima Praxitelis ex ære opera, eidem adnotatur, *l.* 34. *c.* 8 &c. De corona ejus Cererisque aliquid diximus ſuprà, voce *Narciſſus*.

VARIA PROSERPINÆ NOMINA AC EPITHETA.

α. Χειρογονία, apud *Heſych.* quaſi novè dixeris, *Manugenuam*: fortè inde, quòd *Proſerpina* ſive Diana ſeu Juno, ſit partus Præſes; ac obſtetrix, quæ Afranio *adſeſtrix*, adſideat genibus parturientis, manus iis admovens, quibus parata ſit fœtum excipere, Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 28. β. Cora, Græcè Κόρη, non per antiphraſin, quia nupta Plutoni: Sed quia Cereris filia. Κόρη etiam θυγάτηρ, Schol. Theocriti, *Idyll.* 15. γ. Ennæa, quia ad Ennam Siciliæ Urbem rapta, Lact. Firmianus *Divin. Inſtitut. l.* 2. *c.* 4. An *Ætnæa*, ab Ætna monte, ſub quo, ut eſt apud *Val. Flaccum*, *Statium*, *Auſon.* δ. Furva Dea, Horatio, *l.* 2. *Od.* 13. *v.* 21. ubi *Acro*, *Furva*, inquit, *myſticô nomine dicitur Proſerpina.* I. e. nigra: Terra enim infera, ſeu interior, ſeminis receptrix, hôc colore eſt. Hinc, quia infera loca lumine deſtituuntur, eo furvæ Diis inferis mactabantur hoſtiæ, Voſſ. *Idolol. l. cit. c.* 60. ε. Libera, dicitur apud *Octavium* Minutii Felicis, quemadmodum Bacchus Latinis *Liber*. Hinc & Liv. *l.* 3. *Familia*, inquit, *ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret.* Tacitus quoque *Annal. l.* 2. *c.* 49. *Libero, Liberæque & Cereri, juxta Circum Max.* Nempe *Luna*, inquit Voſſ. *quum Inferos illuminat, Libera eſt, ut Sol, quando inferis lucet, Liber.* ζ. Μελιτώδης, *Mellea*, Theocrito vocitatur, *Idyll.* 15. Quia Animæ demortuorum veteribus *Apes* dictæ; Imò & hinc *Cereris Sacerdotes, velut inferæ Deæ Antiſtites, Apes dixére, & filiam ejus Proſerpinam Melleam, Lunam verò, generationis Præſidem Apem*, Porphyr. *l. de Nymph. antro.* Quô ſenſu Scholiaſtes Theocriti, Apes vocari amicas *Proſerpinæ* ac Cereris, refert. η Perſephone, Græcè Περσεφόνη, per metatheſin, ut Tullii eſt opinio *de Nat. Deor. l.* 2. *Proſerpina*, potiùs quàm à *proſerpendo*, ut vult Varro *de L. L. l.* 4. Dicti autem Περσεφόνη, διὰ τὸ πάντα πέρθειν τῷ φόνῳ, *quia omnia vaſtet cæde.* An ἀπὸ τοῦ φέρειν τὸν φόνον; Etymol. θ. Φερέφαττα, unde ſacrum apud Cyzicenos Φερεφάττια, de quibus Plut. *in Lucullo* & Appianus *in bellis Mithrid.* ι. Phlœa, Græcè Φλοιά, Laconibus appellata eſt, teſte *Heſychiô*. Nempe ut Latinis Bacchus *Liber*, Proſerpina *Libera*, ſic Græcis ille Φλοιὸς (unde Plut. *Nonnulli ſacrificant Libero Phlœo*) illa Φλοιά. E quo nomine Terram *Proſerpinam* indigitari iterum patet. κ. Polybœa, Græcè Πολύβοια, à βόω ſeu βόσκω, i. e. *paſco*. Terra enim πολυβότειρα, item παμβῶτις, &c.

PROSEUCHA, à Græco, προσευχὴ, i. e. *precatio*, Metonymicè *locum precationis* ſeu *Oratorium* Judæorum ſæpiſſimè ſignificat: qualia loca an à Synagogis Scholiſque Judæorum fuerint diverſa, in quæſtione eſt. Beza *Notis in Actor. c.* 16. *v.* 13. eadem cum Synagogis: Philo Judæus *de vita Moſ.* cum Scholis, facit. Vide quoque Epiphanium *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 80. Erant autem quædam earum extra civitates, qualis illa Philippis, in qua Apoſtolus Paulus, καθίσας ἐλάλει ταῖς συνελθούσαις γυναιξὶ, *Conſidens alloquebatur mulieres, quæ convenerant*, *loc. cit.* qui tamen ſitus *concionantem* potiùs, quàm *precantem*, exhibet Paulum. Interim precabantur olim ſtando, ingeniculando & ſedendo. Abrahamus ſtabat coram Domino, Geneſ. *c.* 18. *v.* 22. ut & Publicanus, Lucæ *c.* 18. *v.* 13. Unde & Proverb. *Sine ſtationibus non conſiſteret mundus*, apud Rabbi Juda, *in l. Muſar.* Vide Druſium *præt. Matth. c.* 6. *v.* 5. Stephanus *poſuit genua* Actor. *c.* 7. *v.* 60.

David

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

David *ſedebat coram Domino*, 2. Sam. *c.* 7. *v.* 18. &c. Et quidem, Majmonides ex jure ſuis avito, aliique Magiſtrorum tradunt, ubicunque fuerit Iſraëlitarum numerus denarius, eos oportere *Proſeucham* ſibi qualemcunque ad orandum ædificare, quæ nuncupatur בית הכנסת, *Domus Synagogæ*. Etiam in urbe qualibet, quoties ſui eſſent juris, invitos, reliquorum juſſu, cogendos eſſe ad ædificandam ſibi Synagogam & librum Legis, Prophetarum ac Hagiographorum comparandum &c. Dein ſubdit *Proſeuchas*, ac Synagogas ita ubique extrui debere, ut reſpiciant *plagam illam, in quam precari mos eſt Urbis illius.* Nempe orantis facies omnibus ex locis dirigenda erat versùs plagam, in qua Templum ſitum erat, vide infrà ubi de *Reſpectu Templi* Ad harum porrò oſtia, ſicut ad Templi portas, mendicorum turba confluere ſolebat, à populo eleemoſynam rogatura; unde factum, ut vox pro Noſocomio, vel potiùs Ptochotrophio, nonnunquam fuerit uſurpata. Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 296.

——— *Quâ te quæro Proſeuchâ.*

Nec omittendum, cùm de loco precationis hîc ſermo, Talmudiſtas, populi negligentiam in precando objurgantes, triplex *Amen* apud illos in uſu eſſe, dicere conſueviſſe, quorum laudabile nullum. Primum vocarunt יתומה, *Jethoma*, i.e. *pupillum*, cùm abſque zelo ac animi fervore: alterum חטופה, *Cetupha*, i.e. *ſurreptitium*, cùm præcipitanter, prece nondum finitâ: tertium קטועה, *Ketugna*, i. e. *ſectile*, cùm per oſcitantiam, quaſi in duas partes, ſectum eſſet, pronuntietur, vide Caninium *de Locis N. Teſt. c.* 5. *p.* 38. Thom. item Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 1. *c.* 3.

PROSICIÆ vel PRÆSICIÆ, dictæ ſunt partes extorum, quæ *proſecari* & Diis porrici conſuevêre. Feſtus, *Proſicium, quod præſecatum porricitur.* Arnob. *l.* 7. *Quòd ſi omnes has partes, quas* Præſicias *dicitis, accipere Dii amant, quid intercedit, quid prohibet, ut non ſemel hæc omnia totis cum animantibus inferatis* &c. *Gloſſæ* θυμάτων ἀπαρχὰς interpretantur & ἀκροθίνια Nempe aut totæ & ſolidæ hoſtiæ Diis concremabantur, aut partes extorum deſectæ. Hoc ex Magorum inſtituto, qui, Numen immolatæ hoſtiæ animâ contentum eſſe credentes, aut nihil omnino proſecabant, aut minutum quid, τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν, inquit, *Strabo, l.* 15. *partem exiguam omenti*, quæ in igne conſumenda *proſicia* fuit. Catullus hinc de diſciplina Magorum, *Epigr.* 91. *v. ult.*

Gnatus ut acceptô veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Aliàs extorum partes, *apexabones, hircias, ſilicernia, longavos* &c. enumerat Arnobius *ubi ſuprà*: quæ omnes ſimiliter *proſicia* vel *præſicia* vocabantur. Moris origo ad Prometheum refertur, quò partem hoſtiæ in ignem conjicere ſoliti ſunt partem ad ſuum victum abuti, quum anteà tota hoſtiarum & illibata viſcera igne conſumerentur. Partem igitur extorum *proſicatam* aræ ſuperimponebant & Diis adolebant, parte veſcebantur, qui ſacrificio intererant. Et exta quidem priùs mandebant, quàm reliquam carnem. Unde illud de Pinariis, qui in ſacrificio Herculis, extis jam adeſis, ad cœteram venerunt dapem: quapropter inſtitutum, ut in poſterum quoque, extorum communione prohibiti, ad reliquam ſolùm admitterentur viſcerationem. Quæ verò ſic *proſecta* Diis porriciebantur, *reddi* dicebantur: unde de iiſdem Pinariis, quod Dionyſius vocat ἐσπλαγχνευμένων ἤδη τῶν ἱερῶν, Liviuſque, *l.* 1. *c.* 7. vertit, *extis jam adeſis*; exponit Servius, *extis jam redditis.* Vide quoque eum *Æn. l.* 6. *ad illud, Et ſolida imponunt taurorum viſcera* &c. Σπλαγχνεύσασθαι, Græcis unô verbô ritus omnis continetur, quô exta inſpiciebantur, probabantur, aræ imponebantur, &, quæ edulio erant, comedebantur. Quibus peractis thus & vinum in aram libabant, quod ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις σπένδειν dicebant. Σπλάγχνων verò ἀπάρξασθαι dicebatur, quum extorum proſicias in aram inferebant: hæc enim σπλάγχνων ἀπαρχαὶ propriè appellabantur. Inter exta autem primum locum obtinebat jecur, quod poſtquam ritè exploratum probatumque eſſet, in ara ponebatur: ſimul verò ex immolata hoſtia deſectum quid; quaſi auctarii vice, imponebatur, quod *augmentum* appellabant; caro videl. *ſtrebula*, & *ruma* & *cauda*, & *plaſea* & *ira* & *omentum*, ut ex Arnobio, *d. l.* diſcimus, quæ omnia in cauſam augmentorum altaribus ſuperimponebantur, cum jecore hoſtiæ immolatæ, & *proſicia* vel *præſicia* dicebantur, quòd eſſent fruſta ſeu partes ex hoſtia præſecatæ. Si quid plus adjiceretur, id *magmentum* appellabant; quaſi *majus augmentum*: unde *canæ magmentariæ*, quibus illa imponebantur, ut in aram inferrentur &c. Vide quæ de phraſi, *Proſicias inferre*, eruditè congeſſit Salmaſ. *ad Solin. p.* 127. & *ſeqq.* quæque de *Proſiciis* ſtipuli frumenti innexis, atque per virgines Delum miſſitatis, ab Hyperboreis, diximus ſuprà voce *Præmetium.* At verò, leno Plautinus in *Pœnulo*, *Actu* 2. *ſc.* 1. *v.* 14. quum ſe litare non poſſe videret, exta *proſicari* vetat, quippe Deæ, quam exorare non poterat, iratus:

Nam ego hodie infelix Dis meis iratiſſimis,
Sex immolavi agnos, nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, uti eſſet mihi,
Quoniam litare nequeo; abii illinc illico
Iratus; vetui exta proſicarier,
Neque ea aſpicere volui: quoniam illa non bona
Aruſpex dixit, Deam eſſe indignam credidi.

PROSODIA, Græcè Προσῳδία, carminis ſacri genus, quod cum tibia ad aras Athenienſes olim canere ſolebant: ſicut hymnos cum cithara, J. C. Scaliger, *Poëtices l.* 3. *c.* 112. qui item προσῳδιακοὺς & ἀποστολικοὺς modos ſaltandi Laconum memorat, *l.* 1. *c.* 18.

PROSODITÆ, Marmaricæ nomi gens. *Ptol.*

PROSOPIS, inſul. Nili fluvii intra Deltam apud *Herod.* & *Steph.*

PROSOPUM, vel PROSOPON, inſul. Africæ parva ante Carthaginem. *Steph.*

PROSPALEA, vicus in Acamantide tribu. *Steph.*

PROSPECTIVA Catoptrica, in *Muſæo* Kircheriano. Occurrit ibi inſignis ciſtula, proſpectum Palatii ampliſſimi undiquaque & apparatum ejus magnificum repræſentans, ubi ipſius palatii Dominus, aulicorum globô ſtipatus ac famulantium magnô numerô circumdatus viſitur. Capſulæ fabrica hæc: Fiat ciſtula in longum ad 3. palmos porrecta; latitudinis & altitudinis palmaris; quæ in uno longiorum laterum medio, exciſam habeat feneſtram paulo ampliorem ſemipalmô, intromittendæ luci inſervientem, quam vitrô planô aut velô pellucidô ita operias, ne introſpectari lucem impediat. In hujus oppoſito latere circa extremitates duæ portulæ fiant, quæ interiorum cubiculorum, debitæ ſymmetriæ & architecturæ proportione, ornatum, portaſque conclavium, oculis exponant & introſpicientibus inſerviant. Utrinque ſupra ſitum ſpeculorum: quæ intrinſecus latent, duo parva ſint foramina, etiam introſpectui inſervientia. Interior porrò pars ciſtæ ita coloribus ordinetur, ut cœlum aut pulchram laquearis ſpeciem; fundus verò varias pavimenti teſſellati figuras exprimat. Huic ciſtæ utrinque tria ſpecula plana ſemipalmaris latitudinis, quæ in longitudine ſemipalmum vix excedant, firmiter inſerta ſint fundo & utrinque ex oppoſito portularum latere normaliter erecta. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo*, *p.* 37. qui *Proſpectivam* etiam *Architectonicam* in eodem memorat, *p.* 3.

PROSPER, vixit tempore Sullæ & Ciceronis. *Auctor libri de Antiquitatibus Tuſciæ*, qui periit. Is enim qui prodiit A. C. 1490. fœtus eſt ὑποβολιμαῖος Thomæ Fœdri: quod ſatis probatum librô, hac de re, Amſtelodami editô., A. C. 1639. *Nic. Lloydius.*

PROSPER, Aquitanicus, Valentiniani temporibus fuit, quem Burdigalenſem vocat *Joh. Aventinus.* Leonis Papæ primùm notarius, ac poſt Epiſcopus Rhegienſis fuit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 17. *& de hær. Pelag. l.* 1. *c.* 18. Multa præclara ſcripſit pro gratia Chriſti contra Pelagianos, ſeſeque S. Auguſtini diſcipulum & defenſorem acerrimum demonſtravit, uti loquitur Bellarminus, *de Script. Eccleſ.* Chronologiam ſuam terminat, A. C. 455. quô creditur obiiſſe. Scripſit porrò *Poëma, contra Ingratos, Librum contra Collatorem* &c. Quæ omnia ſæpius edita. *Libri tres de vita comtemplativa*, Juliani Pomerii ſunt, falsò Proſpero tributi. Sic *duo libri de vocatione Gentium*, nec Ambroſii, nec hujus Proſperi, Epiſcopi Aurelianenſis cujus Sidonius Apollinaris meminit, *in Epiſt.* nec Proſperi, qui A. C. 527. concilio Carpentoractenſi ſubſcripſit, ſed Afri cujuſdam ſunt, qui *ad Demetriadem epiſtolam* ſcripſit. Vide Victor. *de Cyclo Paſchali.* Gennad. *de Scr. Eccl. c.* 84. Phot. *cod.* 54. Fulgent. *l.* 1. *ad Monim. c.* 30. *Nic. Lloyd.* Alioſque plurimos laudatos Morerio *in Diction. Hiſt.*

PROSPER Alpinus, Venetus, Medicus ſcriptis inclytus. A. C. 1591. Vander Linden, *de Scriptorib. Med.*

PROSPER Calanus, Medicus celebris: Romæ Bononiæque docuit, A. C. 1524, Juſtus *in Chron. Med.*

PROSPER Farinacius, JC. inſignis Romanus, *ſuæ ipſe fortunæ faber.* Patavii ſtuduit, inde Romam reverſus, Advocatum egit, cauſarum maximè intricatarum: Judicibus plerunque ingenii dexteritate in ſuas partes pertractis. Procurator Fiſci creatus. tantô rigore munus hoc adminiſtravit, ut plurimorum murmura excitaret, inprimis cùm ſibi plurima permitteret, quæ in aliis ſeverè ibat punitum. Et fortè aliquid gravius fuiſſet paſſus, ni Cardinalium quorundam gratiâ fuiſſet protectus. Ingeniô vaſtô, magnô & ſolidô: in laboribus ferreus, quod Opera ejus 13. voluminibus comprehenſa teſtantur. Primum eſt, *Tractatus de Hereſi.* 2. *De Immunitate Eccleſiæ.* 3. *Deciſſ. Rotæ Romanæ.* 4. *Repertorium de Contractibus.* 5. *Repertor. de ultimis voluntatibus.* 6. *Praxis & Theorica criminalis.* 7. *Repertor. Judiciale.* 8. *Conſilia.* 9. *Fragmenta.* 10. *Deciſiones.* 11. *Variar. Quæſt.* 12. *Tract. de teſtibus.* 13. *Deciſion. Poſthumæ.* Obiit Romæ A. C. 1618. ætat. 64. Jac. Phil. Thomaſinus, *in elog. illuſtr. Patav.* Janus Nic. Erythræus, Pinac. *Part.* 1. *c.* 132. Craſſ. *elog. hom. liter. P.* 1. De hoc Clemens VIII. dicere ſolitus eſt: *Eſſe excellentem farinam, in ſacco nullius pretii. Nic. Lloyd.*

PROSPER Podianus, Peruſinus, JCtus egregius, ditiſſimæ Bibliothecæ poſſeſſor: quam cùm Monachis quibuſdam promiſiſſet, neque promiſſis ſtetiſſet, hi egregiam Inſcriptionem in marmore antè in rei memoriam factam, deleverunt, relictis ſolis his literis *D.O.M.* i. *Deo, Optimo, Maximo*, quas quidam lepidè interpretatus eſt, *Daturis Opes Meliores.* Janus Nicius Erythr. *Pinac. part.* 3. *c.* 71. Ludovicus Jacobus, *tract. de Bibliothecis.*

PROSPER Stellartus, Tornacenſis Auguſtinianus Monachus. auctor plurium operum Obiit. A. C. 1626. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.*

PROSPICUI, apud Senecam *Ep.* 110. *Vidi puerorum proſpicuos cultu atque forma greges, hinc fœminarum. Et alia, quæ res ſuas recognoſcens, ſummi Imperii fortuna protulerat*: iidem ſunt cum Oſtenſionalibus ſequiori ævô, ad pompam nimirum & gaudium oculorum parati. Barthius *ad Statium*, *Theb. l.* 12. *v.* 15. Vide ſuprà *Oſtenſionales.*

PROSTATES, nomen Magiſtratus Athenis, de quo ſuprà aliquid.

PROSTERNENDI ſe ante aras & delubra Deûm ritus veterum Gentilium, in luctu, graviore præſertim, & rebus deplora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ploratis, imò & mortem ibi, in Deorum invidiam; oppetendi, occurrit in Oedipo Senecæ, *v.* 197. & *ſeqq.*

Proſtrata jacet turba per aras
Oratque mori. Solum hoc faciles
Tribuêre Dii. Delubra petunt:
Haut ut voto Numina placent,
Sed juvat ipſos ſatiare Deos.

Et apud *Sophoclem*, qui infinitos ait ante aras ſe proſtaviſſe. Sic Lucretius, *l.* 6. *v.* 1270.

Omnia denique ſancta Deûm delubra replêrat
Corporibus mors exanimis, onerataque paſſim
Cuncta cadaveribus cœleſtûm templa manebant
Hoſpitibus, loca quæ complêrant æditüentes:

apud Delrium *ad Sen. d.l.* A' Diis ad Principes hic ritus tranſlatus: inter quos Perſarum inprimis Reges non niſi à *proſtratis* ſalutari voluerunt, C. Nepos, *Conone*, *c.* 3. Vide & infrà *Proſtratus* uti de ſcortis Romæ in Scena publice *proſterni* ſolitis, poſt ludos finitos, Lipſium, *Elector. l.* 1. *c.* 2.

PROSTIBULUM, à PROSTANDO, quæ venalem pudorem habet: aliàs *proſtituta*, locô Suetonii mox citandô: Græcè ἀπὸ τέγους πόρνη. *Epiſt. apocr.* Jeremiæ, Δώσουσι δὲ ἀπ' αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις. Τέγος enim ſeu στέγος, aliàs κλισία, ceſta meretricia eſt, οἴκημα quoque nonnunquam, item ἐργαστήριον, in quibus hujuſmodi merces *proſtitiſſe*, Chryſoſtomus ait *Hom. de Babyla.* Vide quoque Metaphraſten, *Vitâ* Athanaſii & Chryſoſtomum, *Homil. in Matth.* 31. Sed & in pergulis ſtare ſolitas, multorum artificum more, qui in pergulis ſe publicabant, ut in officinis, ex Plauto notum. Tondebantur illæ περιτρόχαλα, quod *circumtonderi* dicit Suetonius, *Aug. c.* 45. Vide ſuprà. Veſtis verſicolor, de qua itidem ſuô locô. Merces infamis *captura* dicta eidem *Caligulâ*, *c.* 40. *Exigebatur ——— ex capturis proſtitutarum*: Græcè μίσθωμα propriè, quòd λῆμμα αἰσχρὸν interpretatur Philo *contra Flaccum*; in *Gloſſ. Græco-Lat.* ἐμπολή, &c. Vide Caſaubon. *ad locum Suetonii*, & ſuprà ubi de *Meretricis nuptiis.*

PROSTRATUS, ſepeliri voluit Pipinus, apud Sugerium *de Adminiſtr. ſua*, *c.* 25. ubi de Carolo M. *Quia pater ſuus Pipinus Imperator extra in introitu valvarum, pro peccatis Patris ſui Karoli Martelli*, proſtratum *ſe ſepeliri non ſupinum fecerat* &c. h. e. eô corporis ſitu, quô in Eccleſia *Proſtrati*, ex eorum Pœnitentium ordine, quos ὑποπίπτοντας Græci Patres vocant, humilitatem ſuam, in ingreſſu Eccleſiæ, ſolebant teſtari. Theodorus Archiepiſcopus Cantuar. *Capitul. c.* 11. *de Pœnitentibus, in Capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo, ſaccô induti, vultibus in terram* proſtratis; *reos ſe eſſe ipſô habitu & vultu proclamantes.* Apud Chrodegangum, *in Regula Canonicorum Metenſium*, *c.* 13. eſt, *proſtratus omni corpore.* Non enim nudam ingeniculationem Ὑπόπτωσιν fuiſſe pœnitentium, cum incurvatione corporis, quod Allatius voluit, ſed omnimodam *proſtrationem*: quô ritu Fridericus I. Imperator ad pedes Pontificis Venetiis procubuit, *à quo ſuperbè conculcatus & ſic abſolutus eſt*, uti loquitur Sabellicus, *Ennead.* 9. *l.* 5. docet Car. du Freſne *in Gloſſar.* Cl. tamen Suicerus Allatio accedit, & ὑπόπτωσιν nihil fuiſſe aliud, quàm γονυκλισίαν, unà cum ipſius corporis incurvatione, probat *Theſ. Eccl.* voce hâc: ubi & τοὺς ὑποπίπτοντας, intra Eccleſiam quidem ingredi, ſed retro ambonem ſtare, & cum Catechumenis, ante preces, exire conſueviſſe, addit. Ab his qui recitabantur Pſalmi, *Proſtrati* quoque dicti ſunt, ut videre eſt, apud Lanfrancum, *in Decretis pro Ord. S. Benedicti*, *c.* 1. *ſect.* 3. Hinc *Liber* Ordinis S. Victoris Pariſ. *MS. c.* 1. *Primùm ſeptem Pſalmos de Cantico Graduum proſtrati ſuper ſedes decantabunt.* Duos verò potiſſimùm Pſalmos, *qui per ſingulas horas dicuntur à proſtratis*, recenſet Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 3. *Ad horas autem reliquas, poſt quatuor Pſalmos, Horarum, ut ita dicam, appendicios, totô corpore proſternimur, ut duos Pſalmos dicamus, primum de ſeptem Pœnitentialibus Pſalmis, alterum de Canticis quindecim graduum* &c. Quod etiam fieri conſueviſſe, pro Regis ac Regni ſalute, diſcimus, ex *Append. ad Concilium Salegunſtad. A. C.* 1022. &c. apud Eund. Columellæ verò piſces *Proſtrati* dicuntur, quorum latera in tenuitatem degenerant, quoſque Græci πλατεῖς vocant, i. e. *latos*, de quibus vide Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 26. nec non ſuprà, voce *Humi*, it. ubi de *Proſternendi ritu.*

PROSTYLA Ædes, apud Vitruvium, *l.* 3. *c.* 1. Græcè Πρόστυλος, dicebatur ea, quæ contra Antas duas columnas angulares habuit, & ſupra Epiſtylia, & dextra ac ſiniſtra in verſuris ſingulas. Ἀμφιπρόστυλος verò, quæ in poſtico ad eundem modum columnas & faſtigium habebat, ut in fronte ſeu pronao. Cùm *Templum in Antis* diceretur, quod antas haberet in pronao, ſeu cujus πρόναος antas tantùm habebat in fine parietum, qui cellam ædis circumcludebant & in medio antarum duas columnas ſupraque faſtigium. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1216. & *ſeqq.*

PROSTROPÆA, urbs Siciliæ, *Steph.* Vide *Poſtrophæa.*

PROSTYPA, Græcè πρόστυπα, dicebantur ſimulachra, quæ ſic ſcalpebantur, ut non tota extarent eminerentque, ſed velut adfixa vaſis unum tantùm latus oſtenderent; à quibus diverſa ἔκτυπα, περιφανῆ etiam & ἐκφανῆ dicta, quum totæ & apparentes imagines ex omni parte eminerent. Illud Galli *en boſſe*, hoc *en relief*, vocant. Athen. *l.* 5. Οὗτοι δ' εἶχον ἄνωθεν καθήμενα περιφανῆ τετορευμένα ζῶα, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ, καὶ ἐν ταῖς γάστραις πρόστυπα ἐπιμελῶς πεποιημένα. *In ſuperiore parte* (craterum) *cælata animalia ſic erant, ut tota conſpicua apparerent. In collo & ventre* proſtypa *adhærebant, dimidiâ tantùm ſui parte expreſſa.* Plin. *l.* 35. *c.* 12. *Primaſque perſonas tegularum extremis imbricibus, quæ inter initia* proſtypa *vocavit; poſteà idem ectypa fecit*, &c. Niſi potiùs πρόστυπα dicas, quæ Galli *en demie boſſe*, ἔκτυπα, *en boſſe*; typis nempe & figuris extantia; quibus contraria ἔντυπα, quæ intus depreſſa ſunt & inciſa: unde ἐντύπωμα de gemmis ſignatoriis dixit Clemens, quæ cavatæ ſunt. Nam ἐκτύπωμα de his, quæ ectypam præferunt imaginem, ut loquitur Seneca, *l.* 3. *de Beneſic. c.* 26 Plerumque tamen ἔκτυπα ſunt περιφανῆ, qualis erat caper ille Veterum carminibus nobilitatus,

Stat caper in phiala docti Myos anne Myronis;

Sic nempe ut integer περιφανὴς appareret &c. Et quidem ſigna ſeu ſigilla, ἔκτυπα ac περιφανῆ, aliàs *emblemata*, uti cælaturas has Cicero vocat, plerumque poculis immittebantur & illigabantur; at cruſtæ; de proſtypis, quibus operiebantur: utraque tamen eximi ac revelli poterant & aliis rurſus illigari, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1046. & infrà ubi de voce *Cruſta*, item de *Emblemate*, ut & in *Toreutici.*

PROSUMNUS vel potiùs *Proſymnus*, de quo ſic Arnob. *l.* 5. *Cùm inter homines, inquiunt, eſſet adhuc Nyſius, & Semeleius Liber, nôſſe inferos expetivit, & ſub Tartari ſedibus quidnam rerum ageretur, inquirere: ſed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur, quòd quà iret ac pergeret, inſcitiâ itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur, ignominioſus amator Dei, atque in nefarias libidines ſatis pronus; qui ſe januam Ditis, atque Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi gereret morem Deus, atque uxorias voluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis jurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe ejus, ſed cùm primum ab inferis compos voti atque expeditionis rediſſet. Viam comiter Proſumnus ediſſerit, atque in limine ipſo proſtituit inferorum. Intereà dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omnes curioſâ inquiſitione colluſtrat, ex viventium numero index ille decedit, atque ex more ſepelitur humanô: emergit ab inferis Evius & recognoſcit extinctum ducem. Qui ut fidem impleret pacti, & jurandi ſolveret religione ſe juris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, levigat & humani ſpeciem fabricatur in penis: figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus, accedit, ſubdit, inſidit. Laſciviâ deinde furentis aſſumptâ, huc atque illuc clunes torquet, & medicatur ab ligno pati quod jamdudum in veritate promiſerat.* Fabulam hanc narrat Clemens, *Protreptico*, Theodoretus *de Martyribus*, *Serm.* S. Gregor. Nazianzenus στηλιτευτικῷ β. Hyginus, *Poëtico Aſtron. p.* 185. Pauſan. *in Corinthiacis*, Πολύμνον vocat.

PROSYMNA, pars Argolicæ regionis. *Steph.* ubi Juno colebatur, hinc *Proſymnia* dicta, *Plut.* Incolæ *Proſymnæi.* Ejus meminit Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 44.

Huic armat Lariſſa viros, huic celſa Proſymne.

PROTA, inſul. Boſpori Thracii. *Steph. Baudrando* quid ſit non conſtat. Sed, teſte *Gylliô*, Protos Diſcos minor eſt ſinus parvus Boſphori Thracii, hodie *Fhilaces*, in ora Bithyniæ, medius inter Chryſopolin & Nicopolim ſinus & Protos Diſcos eſt hodie Cecri planities in illo tractu.

PROTA, apud Hebræos, dictus eſt minutulus nummulus, ſeu nummuli pretium, de quo vide Maimonidem, *Tract. Toajon Wenetaien*, *c.* 3. §. 1. &c. Eò quod minus erat, pro pecunia non habebatur, adeoque nec forenſis ejus ulla erat ratio. Vide Seldenum *de Synedriis Ebræor. l.* 2. *c.* 12.

PROTAGORAS, Abderites, ex epiſtolarum latore, Democriti auditor, natus eſt Menandrô patre, Thracum locupletiſſimô, qui & Xerxem, adverſus Græciam proficiſcentem, domô, muneribuſque excepit: ob quam liberalitatem Magi qui cum eo erant, factâ à rege poteſtate, ejus filium Protagoram, tunc adoleſcentem ſuâ diſciplinâ erudierunt: nam injuſſu regis eam communicare non licet, quòd de diis haud bene ſentiunt, dubitareque ſe dicunt deos eſſe: Illis quoque clam ſacrificabant, ne clarâ religionis profeſſione illis ſervire, aut per illos nonnihil poſſe videantur. Ex hac igitur conſuetudine & ritu, Protagoras ab Athenienſibus condemnatus eſt: ut autem placet nonnullis, tantùm accuſatus ſponte exulavit. Cumque ſparſas totô orbe triremes Athenienſium videret, parvo ſe navigio credens, inſulas luſtravit, ubi tunc mercede dicitur primus omnium profiteri cœpiſſe. Igitur Plato cùm videret, eum arte rhetoricâ intumeſcentem, ejus ideam longô ſermone expreſſit. Ejus eruditio ſolida non fuit, in argutiis conſiſtens, ſcripſit plurima, & in exilio obiit. *Philoſtratus.* De eo ſecus A. Gellius, *l.* 5. *c.* 3. Laërt. *l.* 9. Athen. *l.* 8. *Suid.*

PROTAGORAS, de monſtroſis quorundam Indorum formis, prodidiſſe quædam dicitur à Tzetze, *Chil.* 7. *Hiſt* 144.

PROTAGORAS, Aſtrologus, in quem Euphorion epicedium ſcripſit. Alius item Stoicus, *Laërtius.* Et Salaminis rex, qui Perſis ſe dedidit. Olymp. 107. an. 3. ejectô Euagorâ.

PROTAGORIDES, Cyzicenus Hiſtoricus, ſcripſit *de Ludis Daphnæis*, prope Antiochiam celebrari ſolitis. Athen. *l.* 3. & 4.

PROTAPOSTOLARIUS, vide ſuprà *Apoſtolus.*

PROTARCHUS, Trallianus Hiſtoricus, laudatur Macrobio, *l.* 1. *Sat. c.* 7.

PROTASINGRITIS, in *Charta* Irenes A.C. 1306. apud Guichenonum *in Bibl. Sebuſ. Centur.* 1. *c.* 86. Græcè πρωτασηκρῆτις, dictus eſt *Primus à Secretis*, voce Latinâ à Græcis recentioribus in ſuam linguam infartâ. Vide Car. du Freſne *ad Cinnamum*, *p.* 493. Dominic. Macrum in voce *Proto à Secretis*, & ſuprà in voce *à Secretis.*

PROTASIS, prima eſt ex 4. præcipuis Comœdiæ partibus, in qua proponuntur & ſuſcipiuntur conſilia rei gerendæ: ſeu, ut Scaliger habet *Poët. l.* 1. *c.* 9. in qua Summa rei proponitur, & narratur, ſine exitus declaratione, nempe ut ex inopinato exitu creſcat fabulæ jucunditas. *Donato*, eſt primus actus Fabulæ,

quô pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populum in exſpectatione tenendum. Comprehenditur illa plerunque actu primô, rarò ſecundô, ut in Plauti *Milite Glorioſo*. Ab ea perſona *Protatica* dicitur, quæ, ad *Protaſin* adſciſci ſolita, in toto reliquo Dramate non repetitur: Talis Soſia fuit, *in Andria*; Davus *in Phormione*. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 9.* & Auctores Poëticæ Gieſſenſis, *l. 2. c. 9.*

PROTE, inſul. parva una ex Stœchadibus 3. in Ionio mari contra Ætoliam ſita. Plin. *l. 3. c. 5.* magis ad Occaſum extenſa. *Ferrar. Pruodo* nautis, teſte *Nigrô*, cui etiam *Sphagia Strabonis* videtur: *Ptolemæo* tamen *Sphagia* & *Prote* duæ ſunt inſulæ. *Baudrando* eſt *Porquerolles*, in ora Provinciæ, à qua vix 1. leuc. diſtat, contra Olbiæ promontor. & 3. ab Olbia in Meridiem, 2. autem à Meſe ſeu Pomponiana Inſul. in Occaſum. Valeſio una Stœchadum eſt, & Græcâ voce πρώτη, i. e. *prima*, à Maſſilienſibus appellata, quoniam prima Maſſiliam navi petentibus occurrit; hodie dicta *le Roroneau*, quaſi *Protoneſus*, literâ *p.* ſublatâ. Quemadmodum ſecunda Stœchadum *Meſe*, Græcè, μέση, i. e. *Media* dicitur, quòd inter *Proten* & Hypæam, quæ tertia eaque extrema ac Maſſiliæ proxima eſt, medium obtinet locum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Stœchades*, ut & in voce *Maſſilia*, it. *Stœchades*.

PROTE Juſtiniana. Agathias. Vide *Taureſium*.

PROTEAS, Macedo, homo bibaciſſimus. Cùm enim Alexander Magnus, in ſympoſio quodam, cùm paulò liberiùs hauſtô merô comiter incaluiſſet, ſcyphum bicongium acceptum, vinôque repletum propinavit, hic quidem Proteas ſcyphum hilariter accipiens, multa priùs in regis laudem clarâ effatus voce, illum omnium convivarum profuſiſſimo cum applauſu, impigrè totum hauſit: pauloque pòſt, eundem ſcyphum ſpumanti plenum merô, idem Proteas expoſtulavit, ac primoribus deguſtatum labris Alexandro propinavit. Quem accipiens rex, generosè quidem ebibiſſe illum dicitur: indeque in morbum incidit, quô paulò pòſt extinctus eſt. Quamobrem nonnullis inde datam fuiſſe loquendi anſam contenderunt, qui Alexandrum Dionyſii, i. e. Bacchi, indignatione, immaturâ ætate extinctum fuiſſe prodiderunt, quoniam is patrias Bacchi ſedes, Thebarum ſcil. urbem funditus evertiſſet, & ob illius æmulationem gloriæ, Indis bellum intuliſſet. Leon. *l. 3. c. 89.*

PROTECDICUS, Græcè Πρωτέκδικος, quaſi *Primus Vindex* ſeu *Defenſor*, nomen officii in Aula Conſtantinopol. cujus erat, ſuſcipere captivos & cauſarum criminalium Judicium exercere. Codinus *de Offic. l. 1.* Item in Eccleſia Conſtantinopolit. ad quod ſpectabat, cauſas criminales Clericorum cognoſcere. Idem Eccleſiæ defenſor erat & ſuam juriſdictionem, in Templorum ingreſſu, exercebat, qui ideò πρωτεκδικεῖον, dicebatur. Quod officium primo ordini Clericorum à Patriarcha Gregorio Xiphilino additum eſt, *quia*, ut ait Balſamon, *non libenter defenſoris munus renuntiabant, ut ad alia officia aſcenderent, propter ejus lucrum*, unde prædictus Patriarcha inter primas Eccleſiæ dignitates hoc officium retulit. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* & ſuprà in vocibus *Defenſor* ac *Ecdicus*.

PROTECTA, vide ſuprà *Projecta*.

PROTECTOR, dicitur apud Anglos, Regni Gubernator ac Rector, abſente vel defunctô Rege; aliàs *Dux Defenſor*, apud Thom. Walſinghamum, *p. 408.* A quo faſtigio ad dignitatem Regiam, quàm facilis aſcenſus ſit, ut loquitur Verulamius *in Henrico VII.* Oliver. Comvelli hiſtoria affatim probat. In Aula Romana, *Protectores Regnorum* Cardinales nonnulli dicuntur, quorum munus eſt, electiones ac alias Provinciæ ſibi addictæ cauſas, in Senatu Purpurato proponere. Vide Octav. Veſtrium, *de Judiciis Aulæ Roman. l. 1.* Olim verò *Protectores* dicti ſunt, οἱ σωματοφύλακες Principis ſeu electi ad cuſtodiam corporis ejus. Æl. Spartian. *in Anton. Caracallo, c. 5. naufragii periculum adiit, antennâ fractâ, ita ut in ſcapham cum* protectoribus *deſcenderet.* Jul. Capitolin. *in Maximinis, c. 14. Inde Carthaginem venit cum pompa Regali, &* Protectoribus *& faſcibus laureatis.* Ubi *protectores*, cùm è militibus qui Carthagine potuerunt reperiri, tum è civium numero altiſſimæ quemque ſtaturæ, eum ſibi ad corporis cuſtodiam legiſſe, addit *Herodianus* &c. Horum Scholam inſtituiſſe Gordianum, auctor eſt *Cedrenus*, quæ longè dignioris ordinis cæteris Palatinis Scholis eſt habita: adeò ut Conſtantinus, Conſtantini M. Pater *Protector* primùm, dein Tribunus fuerit, atque ad id muneris militantes ferè omnes aſpirarent, uti diſcimus ex Paulino Nolano, *Ep. 39. ad Militem* & Julio Firmico *Mathem. l. 3. c. 14.* Προτίκτορες & Προτέκτορες dicuntur, in *Actis* SS. Philemonis & Apollonii, *c. 3.* Βασίλειοι προασπισταί. Menandro Protectori, *l. 8. Hiſtor.* Ὑπερασπισταὶ, in *veter. Gloſſ.* &c. Unde *Exprotector*, Ἀποπροτίκτωρ, in *Vita* S. Eudociæ Martyris. Quia autem ex horum Schola mittebantur, qui limites tuerentur vel itinera, hinc *Protectores Limitum* occurrunt, *in L. 1. Cod. Theodoſ. de Protector.* & *leg. 3. de Littor. & Itinerum cuſtodia.* Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug.* paſſim, maximè verò ad *loca cit.* De *Protectore* autem *Domeſtico*, ſuprà in hac voce.

PROTEI Columnæ, locus Ægypti extremus. *Servius.* Virg. *l. 11. Æn. v. 262.*

> *Atrides Protei Menelaus ad uſque columnas*
> *Exulat.* ——— ———

Nic. Lloydius.

PROTELEA, Græcè Προτέλεια, quia eadem Diana ac Juno, tum Junonis erat ſacrum, tum feſtum Dianæ. Ac Junonis ſacrum ſic dictum ante nuptias fiebat, quô Sponſus Sponſaque fel abjiciebant retro altare: nomen, ei quòd Junoni τῇ τελείᾳ, i. e. *Pronuba* dicatum eſſet; quæ & ipſa ſic dicta eſt, quia τέλος ὁ γάμος, ut eſt apud Suidam & Euſtathium, *in Iliad. β.* & *μ.* Voſſ. *de Idolol. l. 2. c. 26.* Veteribus autem ante nuptias ſacrificare in uſu fuiſſe poſitum, docent quoque Polyænus, *l. 4. c. 6.* ubi de Nicæa, Demetrii ſponſa: Theophraſtus Ἠθ. χαρακτ. *c.* περὶ ἀνελευθερίας, *Pauſan.* Pollux, *l. 3. c. 3.* &c. Quod ſacrificium Προγάμεια, item Γαμήλια alii: *Lycophron* γαμηλίους θυηλὰς nuncupat. Terentius *Phormione Actu 4. Sc. 4. v. 20.* ejuſdem meminit ritus, cùm inter alia ſic ait:

> *Ducenda eſt uxor, ut ais: concedo tibi:*
> *Spatium quidem apparandis nuptiis,*
> *Vocandi, ſacrificandi, dabitur paululum:*

Non verò ſolùm Junoni, ſed & Veneri Gratiiſque hoc ſacrum fuiſſe factum, habet Meurſius in *Lycophron.* ubi etiam Romanis id moris fuiſſe addit, ut ante matrimonii copulationem ſacrificarent, ut & in divortio unde Confarreatio & Diffarreatio antiquitatis ſtudioſis notæ. Imò apud eoſdem *Sponſus* & *Sponſa* hinc appellati, quòd σπονδὰς interpoſitis rebus divinis facerent, teſte *Feſtô.* Vide ſuprà in voce *Nuptiæ.* Similiter Athenis, pridie nuptiarum (Προτέλεια itidem dixêre) Virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, in caniſtra ferebant, quod pluribus exponit Theocriti Scholiaſtes, *in Idyll. 2.* Quemadmodum Delias Virgines, quando nupturæ eſſent, comam deſectam Opidi & Hecaërgæ dicâſſe legimus, apud Pauſan. *in Atticis*, & Herodot. *in Melpomene.* Unum autem idemque Numen fuiſſe Opidem, Hecaërgam, Dianam, oſtendit Voſſius præfatus *de Idolol. l. 2. c. 29.*

PROTELUM, apud Plin. *l. 9. c. 15.* ubi de ſiluro piſce, *Protelis boum & in Danubio extrahitur:* Paulò antè pro eodem dixit, *jugis boum*, de Attilo Padi, *Cathenatô captus hamô, nec niſi jugis boum extractus.* Aliter tamen eâ voce Veteres uſi, qui dixiſſent, *Protelô jugis boum extrahitur.* Nec enim *protelum* jugum eſt, ſed tenor in ducendo quidam, tractuſque longus & continuatus. Lucillius,

> *Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri*
> *Ducere* protelo *validis cervicibus poſſent.*

Quô locô iſtud *protelo* adverbialiter poſitum videtur, & *ducere protelo* idem eſt, atque unô tenore & continuô tractu ducere. Cato *in Originibus*, *Sed protelò trini boves unum aratrum ducent.* I. e. tres boves juncti facili & continuô tractu unum aratrum ducent. Quæ enim difficulter trahuntur, non continenter, & unô tenore ducuntur, ſed ſaltuatim & crebris intermiſſionibus, repetitô veluti impetu: cui contrarium eſt, *protelo ducere.* Lucilius,

> *Hunc juga mulorum protelò ducere centum*
> *Non poſſunt.*

Quare Plinius ex Veterum uſu ſcribere debuiſſet, *protelò jugis boum extractus*, &c. Hinc *protelare* verbum, pro longè pellere, vel inceſſanter perſequi, quo de vide plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p. 1318.* & *1319.*

PROTERAS, Inſul. Illyrici *Scylaci*, nunc *Girona* in territorio Tragurienſi, Slavè *Drivenich*, J. *Lucius.*

PROTERIUS, Epiſcopus Alexandrinus, in locum Dioſcori, impudicitiâ, ſævitiâ, hæreſi & injuſtitiâ infamis, Præſulibus Orthodoxis ſurrogatus, A. C. 452. maximorum malorum occaſio fuit. Dum enim quidam Dioſcorum repetunt, alii hunc tuentur, en rixæ, verbera, cædes; Cum Eutychianis blandè agens, ut illos ad Eccleſiam reduceret, nihil effecit; proin hi à Martiano Imperatore in exilium pulſi: quô mortuô, in templo, ab illis poſtliminio reverſis, occiſus eſt, ipsô Paſchatis feſtô. A. C. 457. Euagrius, *l. 2. c. 5.* Theodorus Lector, *l. 2. Collect.* Baronius, *in Annal.* *Nic. Lloyd.*

PROTERVIA, ſacrificii genus, in quo quicquid ex epulis ſupererat, incendio dabatur. Auſonius, *Moſell. v. 172.*

> *Capripedes agitat quum lena Protervia Panas.*

Albidius adoleſcens, quum univerſum patrimonium decoxiſſet, & ædes unas (quæ ſupererant) rerum deſperatione dediſſet incendio; ferunt Catonem hôc in eum cavillô uſum fuiſſe: *Hic proterviam facit.* Facere autem proterviam, adagium eſt in prodigos, qui omnia abſumunt uſque ad aſſem. Macrob. *l. 2. Saturnal. c. 2.*

PROTESILÆUM, Græcè Πρωτεσιλάειον, *Proteſilai Fanum* vel Sepulchrum, in Cherroneſo erat, ex adverſo Sigei; circa quod arbores plantatæ, ubi in eam altitudinem increverant, ut Ilium poſſent aſpicere, ſtatim inareſcebant, deinde revireſcere incipientes iterum à ſolo creſcebant, Strabo & Plinius, *l. 16. c. 44.* Paulò aliter *Epigramma* Philippi nondum editum, quod non totas arbores interiiſſe docet, ſed ſummum duntaxat earum cacumen, & quantacunque pars Ilium aſpexerit, inareſcere, deciduis foliis. Vide illum apud Salmaſ. *ad Solin. p. 870.* Certè & apud Abydenos cultum eſſe *Proteſilaum* divinis honoribus, diſcimus ex Mela, qui *l. 2. c. 2.* in hac regione *Proteſilai oſſa delubro conſecrata fuiſſe*, refert. Eundem Dinomenes pinxiſſe legitur, apud Plin. *l. 34. c. 8.*

PROTESILAI Turris & delubrum, *Protiſeleum Strab.* oppid. Cherroneſi, in ora, ex adverſo Sigæi promontor. Troadis. Plin. *l. 4. c. 11.* Solin. *c. 16.* Vide hîc infrà.

PROTESILAUS, fil. Iphicli, unus ex Græciæ principibus: cui quamvis oraculô prædictum eſſet, primum omnium in bello Trojano periturum, ſi eò proficiſceretur; contemptis nihilominus vaticiniis, unà cum cæteris ducibus eò profectus eſt: cumque omnium primus è navi in terram exiſſet, & in Hectorem incidiſſet, primus Græcorum omnium ab illo eſt interfectus. Ovid. *l. 12. Met. v. 67.*

> ——— *Hectoreâ primus fataliter haſtâ*
> *Proteſilaë cadis.* ——— ———

Vocatur & *Phylacides*, à *Phylace*, Theſſaliæ opido. Uxorem habuit Laodomiam, Acaſti filiam, quæ, cùm ejus interitum reſciſſet, hoc unum doloris ſui ſolatium petiit, ut mortui umbram poſſet intueri:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tueri, quod cùm à Diis impetrâſſet, in illius amplexibus expiravit. Extat illius epiſtola ad maritum ſuum, inter Ovidianas, *Heroid. n.* 13. Sunt ex adverſo Helienſium urbis juxta Helleſpontum in Proteſilai ſepulcro arbores, quæ cùm in tantum accrevêre, ut Ilium aſpiciant inareſcunt, rurſuſque adoleſcunt. Plin. *l.* 16. *c.* 44. Vide Philoſtrati *Heroas*. Græcè πρῶτος λαῶ. Auſonius autem *Epigram.* 20. videtur derivare παρὰ τὸ πρῶτον ἱλάσκεσθαι τὸν θεὸν: *hôc verſu* 5.

Proteſilaë tibi nomen ſic fata dederunt,
Victima quòd Trojæ prima futurus eras.

Sed falsò. Hunc Hyginus, *Fab.* 103. tres horas impetrâſſe ſcribit, quibus cum Laodamia loqueretur. Unde Auſonius, *Edyll.* 6. *in Cupidine crucifixo, v.* 35.

Prareptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functique mariti.

Propert. *l.* 1. *El.* 19. *v.* 7.

Illic Phylacides jucundæ conjugis heros,
Non potuit cæcis immemor eſſe locis,
Sed, cupidus falſis attingere gaudia palmis,
Theſſalis antiquam venerat umbra domum.

Hinc *Proteſilaëus*. Catullus, *Epigr.* 69. *v.* 73.

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaëam Laodamia domum.

Nic. Lloydius.

PROTESILEUM, urbs in Cherroneſo ex adverſo Sigæi. *Strabo.* Vide *Proteſilai* turris. Vide & *Protetilaum*.

PROTESTANTES, appellatio eſt, quæ Euangelicis tribuitur, eò quòd ab illis, quorum tum anteſignani Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Erneſtus & Franciſcus Luneburgici, Philippus Magnanimus Haſſiæ Landgravius, Anhaldius, aliique Germaniæ Principes, in Comitiis Spirenſibus, *Proteſtatio* adverſus novum decretum, exhibita eſt, in Religionis negotio, die 19. Aprilis, A.C. 1529. petitumque, ut ſuperioris Conventus decretum ſartum tectum conſervaretur, & ſua cuique religio, juxta tenorem illius, permitteretur uſque ad Concilium. Huic Principum *Proteſtationi*, communicatô conſiliô, primi nominis civitates aliquot ſeſe junxerunt, Argentina, Noriberga, Ulma, Conſtantia, Rutelinga, Vuinſſemium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Hailbrunum, Iſna, Wiſſeburgum, Norlinga, Sangallum. *Hæc origo nominis Proteſtantium eſt, quòd non ſolùm in Germania, ſed apud exteras quoque gentes pervulgatum eſt, atque celebre.* Sleidan. *Commentar. l.* 6. Horum confeſſionem Auguſtæ, cum ſociis, Imperatori, obtulit ſupra memoratus Philippus, A.C. 1530. ea in fundamento dogmata continentem, quæ ſuô ævô in Germania, in Hiberis, in Celtis, in Oriente, in Ægypto, Libya & in medio Mundi, i.e. Aſia, ubi tum florentiſſimæ erant Eccleſiæ, viguiſſe, refert Irenæus, *l.* 1. *c.* 2. & 3. *l.* 3. & 4. Circa A. C. 180. Poſt bellum dein graviſſimum in Germania obortum, captos *Proteſtantium* Duces, Johannem Fridericum Electorem Saxon. & Philippum Haſſiæ Landgravium, A.C. 1547. &c. fuſum tandem Oeni ponte Carolum V. Imperatorem A. C. 1552. captivi liberati, & Paſſavienſi pace, *Proteſtantibus* libertas religionis conceſſa eſt, A. C. 1555. quod pace Monaſterienſi A. C. 1649. ſolemniter confirmatum. Plura in hanc rem, vide apud Sleidan. *Comment.* Thuan. *in Hiſtor.* &c.

PROTEUS, Deus marinus, Neptuni & Phœnices fil. teſte Tzetze *hiſt.* 44. *Chil.* 2. qui in Pharo Alexandriæ habitavit, Toronenque ex Ægypto in Phlegram Pallenes profectus uxorem duxit, ex qua filios ſuſcepit Tmylum ac Telegonum, de quibus Eurip. *in Hecuba.* Hi poſteà peregrinos crudeliter interimebant, cùm adoleviſſent, quorum ſævitiam cùm Proteus æquô animô ferre non poſſet, impetrâſſe à patre Neptuno dicitur, ut in Ægyptum rurſus ferretur: cujus preces cùm audiviſſet Neptunus, è quodam Pallenes hiatu ſpeluncam ſub mari fecit, in qua illum in Ægyptum uſque ſecum perduxit. Deinde cùm Hercules ob crudelitatem, quâ in hoſpites utebantur, Tmylum ac Telogonum obtruncâſſet, cognitâ filiorum cæde, neque lacrymas emiſit, quia nefarii eſſent homines, neque riſit, quòd eſſent filii, ut ſcripſit Theopompus, *l.* 8. *rerum Græcarum.* Xanthus verò ſcribit, *in rebus Lydiæ*, Proteum Oceani & Tethyos à quibuſdam creditum fuiſſe filium. *Euripides* prætereà, Pſamathen uxorem illum duxiſſe tradit, è qua Theonoën, & Theoclymenum marem ſuſcepit. Habuit etiam Cabiram, Rhetiam & Idotheam filias, quæ Menelaum de reditu in patriam ambigentem, cùm diutius in Ægypto detineretur, docuit, ut recentibus pellibus phocarum indutus, unà cum ſociis, tanquam phocis, ſe inter phocas dormire ſimularet, quô tempore ſub meridiem Proteus in ſiccum exiens inter phocas dormire conſuevit, atque illum dormientem comprehenderet, tamdiuque retineret in varias formas ſe mutantem, quamdiu in priſtinam formam redierit. Dicunt enim modò in aquam, modò in ignem, modò in feras, in arbores, volucres & ſerpentes ſe vertere ſolitum. Unde proverbium, *Proteô mutabilior*: cujus auctor Homerus fuiſſe putatur. Sic enim ille, *Od.* δ. *v.* 456.

Ἀλλ' ἤτοι πρώτιςα λέων γένετ' ἠυγένειος,
Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς,
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ, καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Cujus ſententiam ſic expreſſit Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 407.

Fiet enim ſubitò ſus horridus, atraque tigris,
Squamoſuſque draco, & fulvâ cervice leana;
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Similiter Horat. *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 70.

Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus,
Cùm rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modò avis, modò ſaxum, & cùm volet, arbor.

Itemque Ovid. *Met. l.* 8. *v* 732.

Nam modò te juvenem, modò te videre leonem:
Nunc violentus aper: nunc, quem tetigiſſe timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum:
Sæpe lapis poteras, arbor quoque ſæpe videri:
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.

Denique Silius Italicus, *l.* 7. *v.* 423.

Per varias luſit formas, & terruit atri
Serpentis ſquamis, horrendaque ſibila torſit,
Aut fremuit torvô mutatus membra leone.

Virg. iterum, *ubi ſupra, v.* 440.

——— *Ille ſua contra non immemor artis*
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram, fluviumque liquentem.

Menelaus, apud *Lucianum*, plures hujuſce tranſmutationis ſpecies concedit. Quomodo autem ignis aliquis in aquis degens eſſe poſſit, haud æque intelligit: Ὕδωρ σε γίνεσθαι, ὦ Πρωτεῦ, οὐκ ἀπίθανον, ἐνάλιόν γε ὄντα. Καὶ δένδρον ἔτι φορητόν. Καὶ ἐς λέοντα ὁπότε ἀλλαγείης, ὅμως οὐδὲ τοῦτο ἔξω πίστεως. Εἰ δὲ καὶ πῦρ γίνεσθαι δυνατὸν ἐν τῇ θαλάττῃ οἰκοῦντα, τοῦτο πάνυ θαυμάζω, καὶ ἀπιστῶ. Cæterùm Proteus hic, Ægypti Rex, patriâ Memphites fuit, qui Pheroni in regno ſucceſſit, regnavitque belli Trojani temporibus. Tradit enim Herodot. *l.* 2. Paridem, cùm raptâ Helenâ patriam repeteret, vi tempeſtatis ad Canopicum Nili oſtium fuiſſe appulſum, captumque à Thomi regionis ejus præfecto, ad Proteum regem miſſum fuiſſe: qui cùm ex ſervis Alexandri cognoviſſet, mulierem, quam ille ſecum vehebat, hoſpitis illius uxorem eſſe, abſentique viro raptam fuiſſe, perfidiam hominis deteſtatus, illum intra triduum finibus ſuis excedere juſſit; Helenam verò cum omnibus opibus, quas ille direptâ Spartâ ſecum vehebat, Menelao integram ſervavit. Expugnatô itaque Iliô, cùm Menelaus reverà cognoviſſet, uxorem eò nunquam advectam fuiſſe, ſed à Proteo retentam, Canopi gubernatoris ductu in Ægyptum navigavit: qui cùm ibi diem ſuum obiiſſet, Canopico oſtio nomen fecit. Menelaus autem, aditô Proteô, uxorem ſuam liberaliſſimè ab eo habitam cum opibus univerſis accepit. Hunc Proteum rerum omnium principium eſſe ac Deorum antiquiſſimum putavit Orpheus *in Hymnis*:

Πρωτέα κικλήσκω, πόντου κληῗδας ἔχοντα
Πρωτογενῆ, πάσης φύσεως ἀρχὰς ὃς ἔφηνεν,
Ὕλην ἀλλάσσων ἱερὴν ἰδέαις πολυμόρφοις,
Πάντιμος, πολύβουλος, ἐπιστάμενος τάτ' ἐόντα,
Ὅσσά τε πρόσθεν ἔην, ὅσα τ' ἔσσεται ὕστερον αὖτις.

Homer. *Od.* δ. *v.* 384.

Πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτὴς,
Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδε. Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 387.

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus: magnum qui piſcibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

v. 391.

——— *Hunc & Nymphæ venerantur, & ipſe*
Grandævus Nereus, novit namque omnia vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt, immania cujus
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite Phocas.

Inde *Neptuni paſtorem* eum vocat Papinius, *in Achilleide.* Theocritus, *Idyll.* 12.

Ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὢν, ἔνεμε.

Horat. *l.* 1. *Od.* 2. *v.* 7.

Omne cùm Proteus pecus egit altos
——— *Viſere montes.*

Lucianus hiſtrionem fuiſſe Protea arbitratus eſt, de quo ita ſcribit, *in Dialogo de Saltatione*: Δοκεῖ γάρ μοι ὁ παλαιὸς μῦθος καὶ Πρωτέα τὸν Αἰγύπτιον οὐκ ἄλλο τι ἢ ὀρχηστήν τινα γενέσθαι λέγειν, μιμητικὸν ἄνθρωπον, καὶ πρὸς πάντα σχηματίζεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι δυνάμενον, ὡς καὶ ὕδατος ὑγρότητα μιμεῖσθαι, καὶ πυρὸς ὀξύτητα ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδρότητι, καὶ λέοντος ἀγριότητα, καὶ παρδάλεως θυμὸν, καὶ δένδρου δόνημα, καὶ ὅλως ὅτι καὶ θελήσειεν. Quæ verò de Protei mutabilitate poëtæ ſunt commenti, ab Ægyptiorum Regum conſuetudine videntur emanâſſe. Illis enim (teſte *Diodorô*) mos erat, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, inſignia principatûs, quandoque verò arborem, aliquando ignem, quandoque redolentia ſuprà caput unguenta. Plato, *in Euthydemo*, fabulam exponit, de fallaciis, quibus ſophiſtæ in diſputando utuntur. Alii ad naturam rerum referunt: Horatius ad inconſtantiam vulgi, *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 91.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Quidam ad veritatem ipſam accommodant, ut videre eſt apud Calcagninum & A. Bochium; *in Symbolicis quæſtionibus.* Vide ſis quoque Natal. Comitem, *Mythol. l.* 8. *c.* 8. Hactenus *Nic. Lloydius. Diodorus*, qui aliàs Herodoti veſtigiis inſiſtere ſolet, inter Seroſtris filium Pheronem & *Proteum* multos ait fuiſſe ſucceſſores ignobiles; inter quos Amaſis vel Ammoſis Rex injuſtus ab Actiſæne Æthiope fuerit ejectus. Hujus ſucceſſorem facit Mendetem ſive Marcum indigenam, qui ſepulchrum ſibi conſtruxerit Labyrinthum; & poſt eum, ἐπὶ γενεὰς πέντε Ἀναρχίαν. Tandem *Protei* ſucceſſorem habet Rhemphim, quem *Rhamſinitum* vocat *Herodotus*. Ad quæ Marshamus, *Unde Diodorus*, inquit, *hypobolimæos iſtos Reges depromp ſerit, non quæro. Sanè Æthiopum irruptio ad præſentem Ægyptiorum felicitatem non bene quadrat.* Certè quàm incertis rationibus Græci res Ægyptiacas cum ſuis compoſuerint, vel hinc liquet, quòd Dicæarchus exciſæ Trojæ æqualem facit Nitum Regem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Eratoſthenes Amuthantæum, alii Miſphragmutoſim, *Plinius* Ramiſem; *Africanus*, huncque ſequuti Euſebius & Syncellus, Thuorim. Et quidquid de adventu in Ægyptum Menelai circumfertur, ſuſpectæ veritatis eſſe, diximus jam ſuprà ex eodem illuſtri Auctore, voce *Polybus*.

PROTEUS Cantoptricus, in *Muſæo* Kircheriano, ſpeculum erat prægrande, in quo ſeipſum intuens cernebat; machina verò tali arte fuit compacta, ut immediatè mutatô ſitu ſpeculi, ex tympano rotatili diverſorum angulorum, modò caput ſuum in aſininum, modò in caprinum, ſuillum, aliorumque animalium tranſmutatum admiraretur, artificiô ab Auctore in *Magia Catoptrica* deſcriptô. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Societ. Jeſu Muſæo*, *p.* 38. Ibidem *Proteus Metallicus* ſpectatur. Veſica nempe vitrea cava pendet, è fontibus vitriolatis Hungariæ tranſmiſſa, quæ adeò corroſivâ pollet qualitate, ut exiguô temporis ſpatiô ferri terrea excrementa corrodendo, ferrum in rubrum cuprum tingat &c. *p.* 46. De illo verò priſcæ ſaltationis genere, quo cum plurimis figuris *Protei* in fabulis mutationes referebantur, vide ſuprà, voce *Morphaſmus*.

PROTHENOR, unus ex 5. Bœotorum ducibus, qui ad Trojam cum Græcis profecti ſunt. Homer. *in Catal.*

PROTHESIS, Græcè Πρόθεσις, vocabatur, cùm mortui ad fores erant collocati, verſis in publicum pedibus, uſque dum efferrentur. Vide ſuprà in voce *Poſiti*. In Eccleſia Græca ſic Altare minus ad ſiniſtram Bematis partem, (cùm majus, dictum ἁγία Τράπεζα, in medio ſit) dictum eſt, in quo Græci multis ceremoniis, panem & vinum, in Euchariſtiæ uſum præparant, indeque tempore conſecrationis *proceſſionaliter*, ad ſacrum Altare, deferunt, cui pompæ intereſſe olim ſolebat Græcus Imperator coronationis ſuæ die, hôc modô: Tempore deferendarum oblationum, aliqui Diaconi ibant invitatum novum Imperatorem qui cum eis ingrediebatur in *Protheſis* locum; ubi mantô aurô contextô indutus, capite geſtans coronam & baculum manu, qui *Narthex* dicebatur, ſiniſtrâ, centum militibus armatis ſtipatus, inde procedebat: ſequebantur Diaconi, ac his ſuccedebant Sacerdotes, oblationes ferentes. Tum accedebat ad majorem portam in Sancta Sanctorum aditum pandentem, ubi expectabatur à Patriarcha; qui poſtquam ſe mutuò ſalutâſſent, in parte exteriore ſubſiſtente Imperatore interim tranſibat Diaconus, Patriarchale ferens pallium dexterâ, qui in conſpectu Imperatoris gradum ſiſtens elatâ voce dicebat, *Recordetur Dominus Deus potentiæ Regni tui, in Regno ſuo, ubique nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.* Quod ab aliis quoque Diaconis ac Sacerdotibus, qui ſequebantur, iterabatur: donec ingreſſi Sanctuarium ſimili modô Patriarchæ acclamarent, *Recordetur Dominus Deus tuus Pontificatus tui ubique* &c. Quibus peractis Imperator, ſalutatô Patriarchâ, paludamentum deponebat & ad ſuum locum recedebat. Tempore dein Communionis, quam hâc die ſumebat intra cancellos, cum aliis ſacris Miniſtris, propriis manibus Euchariſticum panem & calicem, à Patriarcha ſibi porrectum, accipiebat &c. Vide Dominic. Macrum, *in Hierolex.* ubi in Eccleſia Galliæ Turonenſi ſimilem quandam proceſſionem hodieque vigere, addit. De *Panibus* τῆς προθέσεως, ſeu *Propoſitionis*, unde hæc appellatio mutuata, vide quæ ſuprà diximus, in voce *Panis*; ut & infrà, voce *Solea.* it. ubi de *Tabernaculo*.

PROTHEUS, unus ex Græcorum ducibus, qui ex Magneſiâ ad Trojam venit, *Homer.*

PROTHI ſeu PROTI, Græcè Πρῶτοι, dicti ſunt Primores ſeu Præſides Univerſitatis Judæorum apud Siculos, Car. du Freſne. Vide *Primi*, & Rocchum Pirrum *in Archiepiſcopis Meſſanenſibus*, ubi *Chartam* exhibet A. C. 1340.

PROTHINGI, popul. Scythiæ, trans Iſtrum. Zoſimus, *l.* 4.

PROTHIS, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno, à Polluce obtruncatus, Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 158.

PROTHOUS, nomen Herois Homerici, *Il. β. v.* 756.

> Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος, Τενθρηδόνος υἱός.
> *Magnetes duxit* Prothous, *Tendredone natus:*

Vide quoque Stat. *Theb. l.* 8, *v.* 528.

PROTOAPOSTOLARIUS, in Eccleſia Orient. dicebatur princeps Doctorum, qui, populo Apoſtolorum Scripta exponentes, οἱ Διδάσκαλοι τῶν Ἀποστόλων dicti ſunt. Idem Prophetas quoque prælegendi jus habebat. Vide Meurſium *Gloſſar.* & Suicerum *Theſ. Eccl.*

PROTO-à-SECRETIS, aliàs PROTO-SECRETARIUS, vide ſuprà in voce *Protaſingritis*.

PROTOBESTIARIUS, in Aula Conſtantinopolit. qui omnibus Veſtiariis præerat, dictus eſt. Vide infrà *Protoveſtiarius*.

PROTOCANONARCHA, in Eccleſia Græca, præfectus eſt Canonarcharum, de quibus ſuprà diximus.

PROTOCAPELLANUS, dicitur Hebroinus Epiſcop. Pictavienſ. in *vetere Charta*, apud Car. du Freſne, h. e. *Archicapellanus.* Vide *ibi*.

PROTOCATAPANUS, apud Lupum Protoſpathar. *in Hiſtor.* ſæpiùs occurrit. Vide ſuprà *Catapanus*.

PROTOCERIUS, Græcè Πρωτοκήριος, apud *Caſſiodorum* dicitur Officialis à Sigillis, Dominic. Macer. *in Hierolex.* Vide quoque *Primicerius*.

PROTOCHARTULARIUS, Officium in Eccleſia Romana Monaſticum eſt, vide ſuprà *Chartularius*.

PROTOCHRISTICOLA, Conſtantinus M. dicitur Glabro Rodulfo, *l.* 4. *c.* 6. eôdem ſenſu, quô Rex Galliæ *Chriſtianiſſimus*.

PROTOCOLLUM, Græcè Πρωτόκολλον, tum in chartæ ſcapis, tum in libris compactis, dicebatur olim prima ſcheda, quæ primô locô glutinata erat, à Græco, κόλλη, *gluten.* Notiſſima ſunt de chartis Juſtiniani verba, *Novellâ.* 45. quâ conſtituit, ne Tabelliones in aliam chartam mundam contractum regerant, quàm quæ habeat protocollum: *Μὴ εἰς ἕτερον χάρτην καθαρὸν γράφειν συμβόλαιον, πλὴν εἰ μὴ εἰς ἐκεῖνον ὃς προκείμενον τὸ καλούμενον πρωτόκολλον ἔχει.* In prima fronte ſcapi poſitum erat illud *protocollum*; cumque ſcapus chartæ plures ſchedas ac plagulas haberet, ſolâ primâ adnotatum præferebat, quô Comite Largitionum, ſub quo erant Chartariæ, quô tempore & à quo præparata fuiſſet illa charta; atque hæc prima ſcheda, quæ πρωτόκολλον habet, prorſus erat inutilis ſcribendo, ut quæ prædicta haberet ſcripta. Hinc illam Tabelliones & Librarii exſcindere ac revellere, ut immundam, ſolebant. Juſtinianus verò *Nov. d.* conſtituit, ut in contractibus ſcribendis Tabelliones protocolla in charta relinquerent, & intacta ſinerent, quòd ex eo falſum ſæpe coargeretur. Uti autem πρωτόκολλον, in Chartis & libris, prima erat ſcheda, in qua Auctoris nomen & operis titulus; ſic ἐσχατόκολλον, extrema ſcheda dicebatur, ultimô nempe locô glutinata. Vide ſuprà in *Eſchatocollion*. Poſteà *Protocolli* vox ad librum reſtricta, in quem Acta Publica ſolent referri. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo, c.* 3.

PROTOCURSOR, apud Landulfum in *Phoca*, Curſorum Præfectus eſt. Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.*

PROTOCYNEGUS, Græcè Πρωτοκυνηγὸς, *Venatorum Anteſignanus*, quem Itali *Capocaccia* vocant. In Aula Conſtantinopolitana dicebatur ſic, qui ſtapedem tenebat, cùm Imperator equitare vellet, & veſtes Imperiales, ſi fortè inter venandum ſanguine macularentur, accurabat. Codinus, apud Car. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque infrà in *Protohieracarius*.

PROTODIACONUS, qui inter Diaconos primus. *Protoforeſtarius:* in Anglia olim dictus, qui Foreſtæ Windeſoriæ ſupremus fuit Juſticiarius. Item *Protoforeſtarius Angliæ*, omnium Foreſtarum Juſticiarius, ſeu Vicarius Regis. *Protopresbyter*, idem cum Archipresbytero, ſeu Epiſcopo. *Protoſpatharius*, Conſtabularius, Magiſter militum, *Procop.* qui aliàs dicitur Comes ſtabili, Conneſtabilis, &c. de quo vide in voce *Conſtabularius*. *Protoveſtiarius*, Theſaurarius Regius: Βεστιάριον enim Veſtiarium, ærarium dixerunt, vel locum ubi theſauros recondebant. Vide Meurſ. Spelmann. *Gloſſ. Arch.*

PROTODIACONUS, cognom. S. Stephani Protomartyris, apud Joh. Damaſcenum, *l.* 4. *c.* 6.

PROTOFORESTARIUS, idem cum *Protocynego*, Venatorum Præfectus, vide ſuprà *Foreſte Dominicum*.

PROTOGENES, ſignificat aliquem *primi generis*, & à quo genus incipit. A poëtis ſumitur pro eo, qui ſe talem confingit. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 120.

> *Non eſt Romano cuiquam locus hîc, ubi regnat*
> *Protogenes aliquis.*

PROTOGENES, Pictor nobiliſſimus, patriâ Cauneus; Demetrio Regi pergratus. Palmam habet tabularum ejus Jalyſus, qui eſt Romæ dicatus in templo Pacis: quem cùm pingeret, traditur madidis lupinis vixiſſe, quoniam ſimul famen ſuſtinerent, & ſitim, ne ſenſus nimiâ dulcedine obſtrueret. Huic picturæ quater colorem induxit ſubſidiô injuriæ & vetuſtatis, ut decedente ſuperiore, inferior ſuccederet. Eſt in ea canis mirè factus, ut quem pariter caſus & ars pinxerit. Non judicabat ſe exprimere in eo ſpumam anhelantis poſſe, cùm in reliquâ omni parte (quod difficillimum erat) ſibi ipſe ſatisfeciſſet. Diſplicebat autem ars ipſa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longiùs à veritate diſcedere, ſpumaque illa pingi, non ex ora naſci, anxiô animi cruciatu, cùm in picturâ verum eſſe, non veriſimile vellet, abſterſerat ſæpius, mutaveratque penicillum, nullô modô approbans. Poſtremò iratus arti, quòd intelligeretur, ſpongiam eam impegit inviſo loco tabulæ, & illa repoſuit ablatos colores, qualiter cura optaverat, fecitque in picturâ fortuna naturam, Olympiadis 112. Plin. *l.* 35. *c.* 10. Ælian. *l.* 12. *&c.*

PROTOGENES, martyr, de quo vide Theodoretum, *Ecclеſ. Hiſt. l.* 4. *c.* 18.

PROTOGENES, auriga celebris, principatu Heliogabali. Æl. Lamprid. in *Vita* hujus, *c.* 6. *Aurigas* Protogenem *& Gordium, primò in certamine curuli ſocios, poſt in omni vita & actu participes habuit.*

PROTOGENIA, Deucalionis, & Pyrrhæ filia. Homer. *Od.* 19. Item filia Erechthei Athenienſium Regis.

PROTOHIERACARIUS, in Aula Imperatorum Conſtantinopolitanorum, fuit ſupremus Accipitrariæ venationis Præfectus, ſub quo alii fuêre, ut in Curopalatæ Matricula videre eſt. Poſtquam enim venatio, quæ Accipitre fit, diu ignota eſſet Græcis ac veteribus Romanis; namque & Ariſtoteles, quòd vulgò ferebatur, Thracum pueros ſocietate cum Accipitribus initâ, ſolitos aucupari, portentoſum id, ac incredibile cenſuit: demum circa Conſtantini & Theodoſii Imperatorum tempora, cœpit inter Romanos; primique Julius Firmicus & Sidonius Apollinaris falconum, aſturum & accipitrum prælia memorant. Itaque his temporibus *Protochieracarii* dignitas ſua debet primordia. Gerh. Joh. Voſſ. *de Philoſophia*, *c.* 7. §. 14. 15. 16. Vide & ſuprà in voce *Falco*.

PROTOJUDEX Salerni, memoratur in *veteri Charta* apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom. VII.* laudatum Car. du Freſne in *Gloſſario*. Vide ſuprà in voce *Judex*.

PROTOMACRA, Bithyniæ oppid. *Ptolem.*

PROTOMANDATOR, Mandatorum primus, de quibus vide ſuprà in *Mandator*.

PROTOMARTYR, epitheton inter viros S. Stephani; inter fœminas S. Theclæ, in *Menologio Græco.* Eôdem titulô Abelem, Iſaacuum ipſumque Chriſtum, inſigniri apud Patres, docet Cl. Suidas *Theſ. Eccl.*

PROTOME, Græcè Προτομὴ, aliàs ἀσπὶς, σφογγύλη, κύκλος, δίσκος, & θώραξ, Latinè *clypeus* vel *clypeum*, item *vultus*, dicitur *imago*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

imago vultu ſolùm & pectore tenus expreſſa: cujuſmodi erat imago Achillis in Sigeo, de qua ſuprà in voce *Achillis Statua*: item imagines animalium, in prora navium effingi ſolitæ, à quibus naves nominabantur. Vide ſuprà paſſim, inprimis in vocibus, *Clypeus*, *Cyclus*, *Diſcus*, item ubi de Navium *Paraſemis*.

PROTOMEDICUS, vide ſuprà in voce *Archiater*.

PROTOMYSTES, Græcè Πρωτομύστης, Epiſcopus, apud Macros in *Hierolexico*.

PROTONOBILISSIMUS, apud Ughellum in Archiepiſcopis Barenſibus, *Baſilius Imperialis Protonobiliſſimus*, dignitas fuit Palatina apud Imperatores Conſtantinopolitanos, Græcè Πρωτονωβελίσσιμος, de qua vide Car. du Freſne, *ad Alexiadem*, *p.* 339. Eôdem elogiô Ludovicum VII. Franciæ Regem inſignivit Manuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitan. *in Ep. ad Alexandr. III. Pontif.* deſcriptâ apud Baronium *A. C.* 1180. quæ quidem honorifica appellatio ſatis arguit, quò Francorum Reges ſemper apud exteros locô fuerint, qua de re idem Car. du Freſne egit peculiari *Diſſertatione ad Joinvillam*. Hodie apud Zelandos ſimilis dignitas eſt, Gall. *le Premier Noble*, quâ Princeps Arauſionenſis præfulget. Vide quoque ſuprà *Nobiliſſimus*, de qua voce id ſolùm addo, etiam *Nobiliſſimos*, cùm crearentur, coronari conſueviſſe, veſtem item eorum purpuream & aureô limbô ornatam fuiſſe, ex Zonara & Zoſimo, laudatis Cl. Suicerò *Theſ. Eccl.* voce Νωβελίσσιμος, ubi ſub Conſtantio & Licinio hoc nomen cœpiſſe, & *Nobiliſſimas* quoque filias Imperatorum, imo & uxores, nuncupatas eſſe, addit.

PROTONOTARIUS, vox hybrida, Πρωτονοτάριος, h. e. *primus Notarius*, nomen dignitatis eſt in Aula Romana, qui aliàs *Protoſcriptor Eccleſiæ* vocitatur, item *Notarius Sedis Apoſtolicæ*: inſtitutæ primitus, ut Martyrum Acta colligeret, à Clemente Epiſcopo Romano ut quidam volunt; poſteà ad numerum duodenarium auctæ, à Clemente V. Ejus olim erat in creatione Pontificis, nomen ei pro lubitu imponere &c. Hodie duplices *Protonotarii* ſunt in eadem Eccleſia *Participantes* & *non Participantes*. Quorum illi habitu Prælatitiô utuntur, in Curia & extra eam, multiſque gaudent privilegiis: Poſſunt enim ſpurios natalibus reſtituere; Protonotarios non participantes; Equites Auratos, Notarios Apoſtolicos, Doctores Utriuſque Juris ac Theologiæ creare; Inſuper mitrâ uti poſſunt, aliiſque Pontificalibus *paramentis*, in Miſſa ſolenni, cum licentia Ordinarii, ſi præſens ſit. Iidem rochetti uſum in Urbe habent, in Pontificia Capella præcedunt Commendatarium Spiritus S. in Saxia, Meſſanenſem Archimandritam ac omnes Abbates mitratos &c. Iſti, nempe *Non participantes*, numerô indefiniti, habent extra urbem rochetti & mantelleti uſum, ſed non poſſunt annulum habere in digito, dum celebrant; præcedunt Canonicos & Cathedrales &c. Vide quoque ſuprà voce *Abbreviator*: ubi de *Protonotario Abbreviatore*. In Eccleſia Conſtantinopolitana, *Protonotarius* erat ex ſecundo Clericali ordine primus, cujus erat Antiſtiti in Eccleſia miniſtrare, tenentemque atramentarium ſtare ante ipſum, &, ſi quid ſcriptô opus fuerit, ſcribere; prætereà Lectores Eccleſiæ examinare, teſtamenta ſcribere & mancipia manumittere. Idem *Janua Exocatacœlorum* dicebatur, quòd ingreſſui in ordinem ſuperiorem Exocatacœlorum propior eſſet. Vide Macros *in Hierolex.* Sed & in Palatio duo erant hoc nomine, unus ὁ τοῦ θέματος, alter ὁ τοῦ δρόμου, J. Caſp. Suecerus, *Theſ. Eccl.* in hac voce. Vide quoque ſuprà voce *Logotheta*.

PROTOPAPA, Græcè Πρωτοπαπᾶς, nomen dignitatis præcipuæ in Eccleſiis Græcanicis, de qua Codinus *de Offic. c.* 1. *num.* 30. & ibi Gretſerus, ac Goarus, Meurſius quoque *in Gloſſar.* Eum ſic dictum vult Leo Allatius *de Græcorum Templis*, *p.* 135. quaſi πρῶτον τῶν ἱερέων, *primum inter Sacerdotes*: unde *Archipresbyterum* vertunt Interpretes ejuſdem Codini. Πρῶτος certe τῶν Πρεσβυτέρων τοῦ ἐν βασιλείοις ναοῦ, & Πρωτοπαπας τοῦ Παλατίου, iidem apud Scylitzem, *p.* 717. & Joëlem *in Chronogr. p.* 182. Quæ quidem appellatio gradui *Protopapæ* omnino convenit, cùm in Eccleſia Sophiana fuerit πρῶτος τοῦ βήματος, i. e. *in conſeſſu dignitatum Eccleſiaſticarum*, *intra Eccleſiæ cancellos*, *ſecundùm à Patriarcha* conſederit, ut eſt apud Codinum. Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.* qui *Magnum Protopapam* hunc dictum, & ab alio *Protopapa*, qui omnibus Clericis Capellæ Imperatoris præerat, diſtinctum nonnunquam: aliquando verò Magnum Protopapam, tum Patriarchatus, tum Palatii Clericis, præfectum fuiſſe, addit. Meſſanæ, in Sicilia hodieque, in Eccleſia, *Catholica* dictâ, viget eô nomine dignitas, cujus inſigne baculus cum duorum leonum capitibus. Cùm enim adhuc ſub Græcis Imperatoribus Sicilia eſſet, manſit hæc Eccleſia Latinæ conformis, in dogmate de Proceſſione Spiritus S. licèt uſque in hodiernum diem Græcô ritu ibi Officia celebrentur: in azymo tamen conſecrant, & veſtibus Sacerdotalibus utuntur Latinorum more. Hic itaque Meſſanenſis *Protopapas*, præter juriſdictionem, quam in multis Eccleſiis ejuſdem Civitatis, quæ ipſi olim ſubjectæ erant, exercet; non parùm à Clero Eccleſiæ Metropolitanæ honoratur: Die enim Pentecoſtes ad hanc *Catholicam* Eccleſiam proceſſionaliter accedunt Canonici Cathedrales, Protopapam ad Cathedralem Eccleſiam deducunt, ubi Græcô ritu ſolemnes ille Veſperas canit; dein eâdem pompâ ad propriam Eccleſiam reducunt &c. In die item Circumciſionis, in ſolenni Cathedralis Miſſa, ibidem Epiſtola & Euangelium à Græcis Subdiacono & Diacono leguntur. Sed & in Eccleſ. Bovenſi, appellari etiamnum Archipresbyterum Πρωτοπαπᾶν, monet Ughellus, apud Car. du Freſne. Vide eundem Macrum *ubi ſuprà*, & Cl. Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* in hac voce.

PROTOPASCHITÆ, Hæretici, Judaicô more in azymis Paſcha celebrantes: *Sabbatiani* quoque dicti, à quodam Sabbatio Hebræo. Sectæ auctore. Baronius tamen eoſdem cum Novatianis facit, *ad A. C. num* 28. Macri Fratres, *in Hierolex.*

PROTOPATRICIUS, Græcè Πρωτοπατρίκιος, apud Malchum *in Hiſtor. Byzant.* & Theophanem, dignitas fuit in Aula Conſtantinopolitana, quâ donatus legitur quidam Coſmas Anthius Protonotarius Imperatorius & Strategis Siciliæ ac Longobardiæ, ſub A. C. 893. apud Ughellum *in Archiepiſcopis Beneventanis num.* 44. Marcellinus Comes *Aſparis primi Patriciorum* meminit, vide ſuprà in voce *Patricius*, & Car. du Freſne *in Gloſſar.*

PROTOPINCERNA, apud Joannem VIII. Pontif. *Ep.* 216. *primus Pincernarum*, in Aula Franciæ Regum, dignitas fuit: qui aliàs *Princeps Pincernarum*, in *Vita* S. Hermelandi Abbat. *Primus Pincernarum*, in *Diplomate* quoque Ludovici II. Imperatoris *Pincerna Regis* abſolutè apud Hariulfum, *l.* 4. *c.* 22. dicitur. Vide *ſuprà*.

PROTOPLASTUS, & PROTOPARENS, vox hybrida, apud Prudentium, *Hymn.* 9. *v.* 17. de Adamo, Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macri Fratres in *Hierolex.*

PROTOPOSTOLARIUS, in Eccleſia Conſtantinopolitana, dicebatur primus eorum, qui Epiſtolam in Miſſa legebant, Dominico Macro *Ibid.* fortè *Protepiſtolarius*.

PROTOPSALTES, quaſi *Primus Cantorum*, dictus eſt in eadem Eccleſia, *ad quem ſpectabat intonare*, *ad officium vigiliarum*, *illa verba*, Εὐλόγησον δέσποτα, i. e. *Benedic Domine*; Idem etiam *polychronion* ordiebatur, Idem in voce *Domeſticus*. Porrò redigebat in ordinem & numerum cantiones ac Cantores, ac primus collocatur à *Codino* in ſeptimo quinario officiorum Eccleſiaſticor. aliter *Laoſynacta* dictus vide ibi. Cujuſmodi *Protopſaltæ* cùm plurimi erant, ad 25. redacti ſunt à Juſtiniano. Cl. Suicerus voce Ψάλτης, ubi inter Lectores cenſitos, addit.

PROTOSCRINIARIUS, in *Chronico* Farfenſi, *p.* 67. apud Car. du Freſne, dignitas in Eccleſia Romana. Vide *Protonotarius* ſuprà. Idem *Protoſcriptor* quibuſdam, Macri, *loc. cit.*

PROTOSEBASTUS, Græcè Πρωτοσέβαστος, i. e. *primus Auguſtus*, dignitas præcipua in Aula Græca, quæ Imperatorum filiis ac conſanguineis conferebatur. *Protoſevaſtus* alias; quam dignitatem ab Alexio Comneno primùm inventam, fratrique ejus Adriano conceſſam, habent Anna Comnena & Zonaras. Blondus, *Decad.* 2. *l.* 5. *Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator------ miſit Oratorem ex Italis Gratioſum Jordanem Roberti olim Capuani Principis filium*, *Palatii Imperialis Protoſevaſton*. Rogerius Hovedenus Latinè *Comitem Palatinum*, alii *Primum Comitem*, exponunt. Vide Codinum *de Officiis Aulæ Conſtantinopolit.* & *ad eum* Gretſerum ac Goarum, prætereà Meurſium, *in Gloſſar.* Car. du Freſne, *in Gloſſario*, & *Not. ad Cinnamum*. *p.* 311. ubi Duci Venetiarum hanc dignitatem olim ab Imperatorib. Conſtantinopolitanis conceſſam eſſe docet, & Macros Fratres in *Hierolex.*

PROTOSECRETA, Græcè Πρωτοσηκρήτης, apud Anaſtaſium Bibliothecar. *in Vitis Pontific.* Aliàs *Protoſecretarius*, apud eundem *in Collectaneis*, à Sirmondo editis, *p.* 284. Et Ἐπιστολογράφος, apud Anonymum *de Templo S. Sophiæ*, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 36. Car. du Freſne, *in Gloſſar.* & inprimis *Not. ad Cinnamum*, *p.* 311. Dominic. Macrum, *in Hierolex.* &c. nec non ſuprà voce *Logotheta*.

PROTOSPATHARIUS, apud Leonem Oſtienſem, *l.* 1. *c.* 51. de Symbaticio, *Imperialis* Protoſpatharius *& Stratigo Macedoniæ* &c. eſt *primus* & princeps *Spathariorum*, h. e. σωματοφυλάκων ſeu Imperatorii corporis cuſtodum. *Protoſpatha*, in *vetere Epitaphio* in Baſilica S. Baſilii, Brunduſii,

—— *illuſtris*, *pius actibus atque refulgens*,
Protoſpatha *Lupus urbem hanc conſtruxit ab imo*:

apud Car. du Freſne, *in Gloſſar.* Vide quoque *Gloſſarium* Joann. Meurſii, & Cl. Suicerum, *Theſaur. Eccleſ.* ubi inter *Magnificos* cenſitos addit.

PROTOSTRATOR, in eadem Aula dignitas, cui Stabuli Imperatorii cura incumbebat; quaſi *princeps Stratorum*, qui ſub ipſo equos Imperiales curabant. *Mareſcallum* interpretur *Nicetas*, ubi de Godofredo Bullionæo, *Dignitate erat vir ille Mareſcallus*, *quod Græcis eſt Protoſtrator*: Joann. Curopalata, *Equiſonum primum* exponit, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque Car. du Freſne *Notis ad Cinnamum*, *p.* 474. & 475. Hinc *Protoſtratoricus* Baculus, apud Nicephorum, *Hiſtor. l.* 7.

PROTOSYMBOLUS, in Hiſtoria *Miſcella*, *l.* 19. *p.* 600. *Mortuus eſt Muhavias*, Protoſymbolus *Saracenorum*, *qui fuit Prætor annis* 20. *& Amiræ functus officiô annis* 24. nomen eſt, quô Saracenorum Principes olim vocabantur, *Car. du Freſne.*

PROTOSYNCELLUS, Græcè Πρωτοσύγκελλος, h. e. *primus domeſticus*, dignitas Eccleſiaſtica fuit in Eccleſia Conſtantinopolit. quaſi omnium Syncellorum, i. e. habitantium ſive Domeſticorum Patriarchalis Palatii primarius. Idem Patriarchæ Vicarius, & futurus Succeſſor erat; unde dignitas hæc, à Capitulo Eccleſiæ, conſenſu Imperatoris exoratô, conferebatur. Meminit ejus Phranzes, *l.* 2. *c.* 2. *Eôdem prætereà menſe ab Imperatore Joanne ad Papam Martinum Legati redierunt. Marcus*, *inquam*, *Jagrus*, *& Stratopedarcha & Magnus Protoſyncellus.* Similis dignitatis veſtigia ſub Normannis Principibus in Sicilia deprehenduntur in *Chartis* quibuſdam veterib. quæ habentur apud Ughellum, *Italiæ Sacr. Tom. IX.* uti monet Car. du Freſne, *in Gloſſar.* qui primum Syncellorum Patriarcharum vel Epiſcoporum hôc nomine fuiſſe inſignem, addit. Quinam verò *Syncelli* Græcis dicti fuerint, videbimus infrà, in hac voce.

PROTOTHRONUS, Græcè πρωτόθρονος, quis dictus fuerit in eadem Eccleſia, indigitat Guil. Tyrius, *l.* 14. *c.* 12. *Certum eſt autem*, *quòd inter tredecim Archiepiſcopos*, *qui à diebus Apoſto-*

lorum Sedi Antiochenſi ſubditi fuerunt, Tyrenſis quidem primum locum obtinuit, ita ut in Oriente Protothronos *appelletur:* Nempe ſic appellatus, eſt Epiſcoporum, ad Patriarchalem Sedem pertinentium, primus, uti Anaſtaſius docet *ad Concilium Octav. act.* 1. apud Eund.

PROTROPI, qui & *Abellinates*, populi Apuliæ, non procul à Benevento. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

PROTOVESTIARIUS, Græcis Πρωτοβεστιάριος, præerat omnibus Veſtiariis in ſæpiùs memorata Græcorum Imperatorum Aula; quod officium maximæ exiſtimationis fuiſſe docet Codinus, *l.* 2. ubi Michaëlem Palæologum Imperatorem refert *Protoveſtiarium* Palatii feciſſe, ſuum ex ſorore nepotem Michaëlem Trachaniotam. Idem verò & Eccleſiaſticum officium erat, quo de diximus aliquid ſuprà, in voce *Canſtriſius.* Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.* cui adde Joann. Meurſium in *Gloſſar.* Xylandrum *ad Cedrenum init. Hiſtoriæ*, Jo. Caſp. Suicerum, *Theſ. Eccl.* voce Πρωτοβεστιάριος, nec non quæ dicemus infrà in voce *Veſtiarius*, it. *Umbella.*

PROTUS, Phocenſis quidam, qui à Gallis benignè exceptus, Maſſiliam non procul à Rhodani oſtiis condidit. Plut. *in Solone.*

PROTUS Æthræ, Lucifer dicitur, Aldhelmo *de octo vitiis*,

Angelicus Princeps & protus Lucifer æthræ:

vel *primus*, Græcè πρῶτος. Sic idem *in Chryſantho*, *p.* 828.

Hunc igitur genitor florentem tempore protô,
Tradidit inveſtum rectorum ſorte Magiſtris,
Ut puer indocilis librorum diſceret artes &c.

Vide Gronov. *Obſerv. in. Eccl. c.* 20.

PROVERBIA, in Canone Veteris Teſtam. à Salomone Rege Iſraëlis Sapientiſſimo divinitùs inſpiratô, conſcripta, capitib. 31. comprehenſa ſunt. In *hæc*, vel partes, extant: Agelii *Comm.* in fol. Pariſiis A. C. 1611. Ambroſii *in c.* 30. 31. Arboreus. Auguſtinus. Baſilii *Homiliæ.* Bayni *Comment.* 7. *Lingg.* fol. Pariſ. A. C. 1555. Beda. Bohlii *Ethica Sacra in 4to.* A. C. 1640. Brucciolus. Candidus. Cartwrighti, *Comment. in 4to*, Amſtelodami A. C. 1631. Danæus. Druſius. Duporti *Paraphraſis metrica*, ſeu Σωλομῶν Ἔμμετρος in 8t. Cantabr. A. C. 1646. Geieri *Enucleatio.* Giggeji *Interpretatio*, in quarto Mediolani, A.C. 1630. Guilielmus Paris. Hieronym. *Comment.* Holkoti item, in 4to, Pariſiis, A. C. 1515. Honorius, Janſenius. Jermini *Comment.* in fol. Anglicè, Londini 1638. Don Joſeph aben Jechija, Hebr. de Lapide. Lavateri *Commentar.* in fol. Tiguri A. C. 1586. Leigh *Annotationes.* Angl. Londini. A. C. 1657. Lorinus. Lutheri *Annotationes.* Maldonatus. Malvenda Medraſch Mishle. Melanchthonis *Explicatio.* Mercerus. Munſteri *Annotat. Grammat.* Baſil. A. C. 1524. Oſorius. Patherius. Peltanus. Pineda. Rabanus. Remus. de Roa. de Salazar *Expoſitio*, 2. Tom. fol. Pariſ. A. C. 1652. Salonius. Sidonius. Sixtus Sen. Strigelius. Tydichius. Valverdii, *Comment. in cap. ultim.* Romæ, in 4to A. C. 1589. Vide Crowæi *Elenchum Scriptorum.*

PROVERBIUM, Græcè παροιμία, aliter *Adagium*, λόγος ἐστὶ ἐπικαλύπτων τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ *Sermo rem manifeſtam obſcuritate tegens.* In quo proin *Donatus* ac *Diomedes* requirunt, tum involucrum aliquod, tum γνωμικόν τι. Verùm cùm permulta reperiantur apud neutiquam violandæ auctoritatis Scriptores *Proverbia*, quæ nullâ tralatione tegantur, mavult Eraſmus *Proverbium* definire, *celebre dictum ſcitâ quâdam novitate inſigne:* duoque ad ejus rationem peculiariter pertinere docet, τὸ θρυλλέμενον ϗ καινότητα. Unde *Parœmiæ* quoque vocabulum Græcis, ἀπὸ τῦ οἴμυ τὸ ὁδὸς ὥσπερ τρίμμα ϗ παραδικὸν, quòd paſſim per ora hominum obambulet: & *Adagii* Latinis, quaſi dicas *Circumagium*, auctore Varrone. Deinde ſcitum, & aliquâ, ceu notâ, à ſermone communi diſcernitur. Neque enim protinus, quod populari ſermone tritum eſt, aut figurâ novatum, in hunc catalogum adlegendum eſt, ſed quod antiquitate pariter & eruditione commendatur. Celebritas iis contingit, vel ex Oraculis Numinum, vel à Sapientum dictis, vel è Poëta quopiam, maximè vetuſto, vel è Scena, Comœdia præcipuè: Nonnulla ducuntur ex fabularum argumentis, quædam ex apologis trahuntur, ex hiſtoriis quoque nonnulla profluunt, quædam ex apophthegmatis ſunt profecta, imò & ex temerè dicto verbo non pauca arripiuntur &c. Novitatem autem nonnunquam ipſa res adfert, nonnunquam eam figura conciliat, dignitatem uſus commendat. Præterquam enim, quòd *Proverbiorum* notitia plurimùm conferat, ad intelligentiam Veterum Scriptorum, etiam Ornatum adferunt, imò Majeſtatem & pondus, ob antiquitatis prærogativam. Et hinc eſt, quòd Ariſtoteles, *Rhetoric. l.* 1. *c.* 45. ea inter argumenta ἄτεχνα reponit, velut illuſtre teſtimonii genus: Fabius quoque, *l.* 5. *c.* 11. cum exemplis conjungit ac Deorum ſubjungit oraculis; addens, *Non durâſſent æternum, niſi vera omnibus viderentur.* Multam ad hæc Hiſtoriæ lucem præbent; uti ipſa viciſſim ex Hiſtoria lucem capiunt: cùm pleriſque ab Hiſtoria ſit origo. Sed præcipuè ad vitæ inſtitutionem conducunt, maxima ſaltem ex parte. Unde Ariſtoteles *Proverbia* dixit *eſſe veteris Philoſophiæ, magnâ humanarum rerum jacturâ deperditæ, reliquias quaſdam, partim ob compendium ac brevitatem, partim gratiam quandam, perdurantes*, apud Syneſium Epiſc. Cyrenenſem, *in Encomio Calvitiei* &c. Vide Eraſmum *initiô Adagiorum*, & Gerh. Joh. Voſſ. *de Philologia*, *c.* 6. *totô, è quo Auctores ſeu Collectores Proverbiorum, partim deperditos, partim ſuperſtites, hic damus.*

AUCTORES, QUI DE PROVERBIIS SCRIPSERE.

α. Æſchylus, *Proverbia* collegit, teſte *Suidâ:* Appulejus Madaurenſis, è veteribus Latinis idem fecit, laudatque *Proverbiorum* ejus *ſecundum libr.* Soſipater *l.* 2. β. Ariſtarchus, vide *Suidam*, γ. Ariſtoteles, librum Παροιμιῶν ſcripſit, memoratum *Diogeni Laërtio* atque aliis: à Cephiſodoro, Iſocratis diſcipulo, hôc nomine reprehenſus, ὡς οὐ ποιήσας λόγου ἄξιον, ut teſtis eſt Athenæus, *l.* 1. δ. Clearchus Solenſis, Ariſtotelis auditor, idem fecit, ut ex eodem Athenæo patet, *l.* 4. & 7. Quod nomen, etiam apud Theocriti Scholiaſten, locô *Clearchi*, nominis non valde antiqui, *Idylliô* 5. reponit Schottus. ε. Demones, vide *Suidam.* ζ. Deſiderius Eraſmus, præteritô ſeculô præcipuam hac in re meruit laudem. Cœpit autem hoc *Proverbiorum* opus tractare A. C. 1500. & ante obitum decies, amplius auctiuſque ſemper, divulgavit. η. Didymus, de *Proverbiis*, laudatur Helladio in Chreſtomachia, apud *Photium.* θ. Diogenianus Heracleota, Principatu Hadriani, περὶ παροιμιῶν opus edidit, memoratum Suidæ. Quod è codice Electoralis Bibliothecæ Palatinæ & altero Petri Pantini, publici juris fecit Andreas Schottus. Ex eo adagia in Lexicon ſuum tranſcripſiſſe, refert Heſychius *in præfat.* ι. Hadrianus Junius, Hornanus, Eraſmo octo Adagiorum centurias, & dimidiam, addidit. κ. Johannes Alexand. Braſſicanus, proximam poſt Junium in hoc argumento meruit laudem. Ut & Johannes Ulpius, qui ambo vulgò unô ferè volumine cum Eraſmi Juniique *Proverbiis*, excudi ſolent. λ. Michaël Apoſtolius, familiaris Gemiſti Plethonis, æqualis etiam Beſſarionis, *Parœmias* quoque ſcripſit: primùm Baſileæ editas ab Hervagio, A. C. 1538. Quod opus poſteà duplô auctius prodiit, curâ P. Pantini & à Schotti. μ. Mylon παροιμιογράφος, memoratur *Zenobio.* ν. Schottus prænomine Andreas, Diogenianum præfatum edidit, illique, ut & Zenobio, geminam *Proverbiorum* appendicem adjunxit; è Vaticana unam Bibliotheca, ex Suida alteram. ξ. Seleucus, περὶ τῶν παρ᾽ Ἀλεξανδρεῦσι παροιμιῶν, *de Proverbiis apud Alexandrinos*, laudatur Suidæ & Lampriæ *in Indice librorum Plut.* ο. Tharræus, à Zenobio non minus, ac Didymus compilatus eſt, ut ipſe Zenobius fatetur. π. Theætetus, vide *Suidam.* ρ. Theophraſtus Magiſtri Ariſtotelis veſtigiis etiam hîc inſtitit, ſcripſitque *de Proverbiis*, ut indicat Harpocration, in Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. σ. Zenodotus, ſeu potiùs *Zenobius*, uti eum Ariſtophanis Scholiaſtem ἐν νεφέλαις ſequutus Eraſmus, vocat, itidem *Proverbia* collegit tribus libris, ſed ex Didymo ac Tarrhæo, de quibus ſuprà, pleraque mutuatur, ut habet *Suidas*, qui etiam de ejus ætate conſuli poteſt. Illum cum Diogeniano præfato primus edidit Schottus & huic parigeminam *Proverbiorum* appendicem adjecit. Vide ſuprà. Apollonidis quoque Niceni meminit Stephanus in Τέρινα, ubi idem ab eo argumentum tractatum eſſe, adnotat.

PROVILOCUM, vulgò *Preüilli*, locus Galliæ, in pago Remenſi, Abbatiæ titulô illuſtris. Ejus meminit Frodoardus, apud Hadr. Valeſium, *Notit. Gall.*

PROVINCIA, præter alia ſignificata, regionem denotavit apud Romanos, quam aut armis devictam, aut quôcunque modô in poteſtatem redactam, Populus Romanus Magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubjecit, à *prævincendo*, i.e. *antèvincendo* dicta, teſte *Feſtô.* Talis itaque regio tum vectigalia Romanis pependit, tum Magiſtratui Populi Romani ex fœderis lege obtemperavit, exceptis civitatibus iis, quæ ob merita aut immunitate, aut libertate donatæ, atque in Amicorum formulas relatæ eſſent. Cùm enim unius Regionis populi atque civitates non eôdem modô ſe erga Populum Romanum geſſiſſent omnes, hinc nec eôdem pactô tractatæ: ſed quædam illarum vectigales factæ, aliæ immunes relictæ; quædam ſervitute, aliæ libertate, affectæ ſunt. Et quidem, quæ vectigales erant, ſolvebant vectigal, tum certum, definitam nempe *Stipendii* ſummam, tum incertum, quod portubus rebuſque venalibus, paſcuis item agriſque conſtitutum, *Portorium*, *Scriptura* & *Decuma*, fuit appellatum. Stipendium autem ſive Tributum duplex iterum fuit, unum pecuniæ ordinarium, quod, in caput atque in ſolum impoſitum; quotannis exigebatur; Alterum, quod aut ex Lege, aut Senatuſconſulto, pro uſu *Provinciæ* aliquando imperabatur, veluti cùm naves, nautas, milites ac ſumptum in eos dare *Provinciæ* jubebantur. Portorium, ex importatione & exportatione rerum venalium: Scriptura, ex pactione paſcuorum publicorum: Decuma, ex agris, qui frumenti decimam ſive quamvis aliam partem darent, capiebatur. Frumenti verò, quod ex *Provinciis* extrahebatur, tria genera extiterunt, Decumanum, decuma quam quiſque arator ſine pretio quotannis dare cogebatur, quamque aut Romæ Cenſores, aut in ipſa *Provincia* Magiſtratus Roman. vendebat Publicanis, qui ex eo *Decumani* dicebantur: Emtum, quod aratores vendere, acceptô ex Senatuſconſultô pretiô, cogebantur, ut Populus Romanus inde aleretur; & Æſtimatum, quod *æſtimabat* Magiſtratus *in ſuam cellam*, in uſum familiæ; cujus tamen locô pecuniam aliquando accepit, vide ſuprà in voce *Frumentum.* Servitus verò, de qua dictum, Civitatum tota in eo poſita fuit, ut legibus & Magiſtratibus Romanis obtemperarent: qua de cauſa in ſingulis *Provinciis* diverſi conventus ac diverſa fora, conſtitui conſueverunt, quibus ſuæ civitates attributæ, eò juris à Magiſtratu Romano poſcendi causâ convenire tenebantur. Ut autem earum Civitatum, quæ ſervitute oppreſſæ ſunt, *Stipendiariæ* propriè dictæ, quæ aliquid Populo Romano pependerunt; *Immunes*, quæ nihil: Sic earum, quæ libertate erant donatæ, *Fœderatæ*, præcipuæ appellatæ ſunt, quæ aliquid ex fœdere debuerunt; *Liberæ*, quæ nihil. Modus autem in *Provinciam* regionem devictam redigendi, hic erat. Acceptis ab Imperatore, de ſuperatis hoſtibus & regione in poteſtatem adducta, literis, ſecum de mulcta ac præmiis eorum, qui victi eſſent, Senatus conſultavit, ac, quid ſibi fieri placeret, Imperatorem admonuit, decem aut quinque Legatis Senatoribus ad eum miſſis, ut ex eorum ſententia ſtatueret. Tum aut victis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

victis hic Gentibus ignovit, aut in *Provinciæ* formam redegit. Ignoviſſe verò dictus eſt, cùm liberos relinqueret ac ſuis uti Legibus ſuoſque creare more patriô Magiſtratus permitteret, in *Provinciæ* formam redigere, cùm, ademtis aut immutatis legibus, eos omnino Magiſtratui Romano quotannis ab Urbe mittendo ſubjiceret, vectigaliaque ac conventus conſtitueret; ubi tamen pro cujuſque civitatis meritis quædam mitiùs, quædam duriùs habebantur. Quæ ſic conſtituta cùm eſſent, tum ea in concione, ſilentiô antè per præconem factô, Imperator ferè, Præconi pronuntianda mandabat ac poſtremò Romam, relictô aliquô Præfectô, decedebat, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. Rempublicam *Provinciarum* quod attinet, primùm iis præpoſiti fuêre Prætores. qui & jus dicerent *Provincialibus*, &, ſi res cogeret, adminiſtrarent bellum. Itaque, cùm *Provinciæ* duæ eſſent inſtitutæ, Sicilia atque Sardinia, duo etiam Prætores, præter *Urbanum* & *Peregrinum*, in eas adjecti ſunt. Inde duabus ad Imperium adjunctis Hiſpaniis, totidem alii acceſſerunt, qui quaterni quaternas in ſingulos annos *Provincias* gubernarent. Quoniam verò in ipſis *Provinciis* ſæpe tumultus ac bella graviora excitabantur, quæ bella jam inde ab initio per Conſules geri erant ſolita; hinc etiam Provinciæ Conſulibus ordine ſunt commiſſæ: atque ita duo potiſſimùm ordinarii fuerunt earum Rectores, Prætores, qui in Prætura, & Conſules, qui, graviore urgente bellô, in Conſulatu præfuêre. Qui ſi, prorogatô poſt Præturam aut Conſulatum Imperiô, in *Provinciis* remanſerunt, *Proprætores* ſunt & *Proconſules* appellati: uti ſuprà vidimus, Poſt annum verò 600. novâ *Provinciarum* ordinatione inſtitutâ, Prætores ex Prætura, quam in Urbe geſſerant; Conſules ex Conſulatu in provincias miſſi, & ipſi *Proprætores* ac *Proconſules* ſunt appellitati: Hi Quæſtores ſibi adjunctos habebant, & alios Magiſtratus militares. Donec ſub Imperatorib. ita ordinatæ *Provinciæ* ſunt, ut aliæ eſſent Proconſulares, vel Proprætoriæ, aliæ Præſidales, quarum hæ Imperatorum, illæ Populi erant. Imô, quia quædam Populi, quædam Principis cenſebantur, inprimis *validiores & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat*, ut Sueton. ait, *in Aug. c.* 47. ita crebrò mutabantur; ut quæ præcedenti annô Proconſulares; dein Proprætoriæ fuerint, prout vel Conſules vel Prætores in illas mittebantur: Sic & fiebant Præſidales, quæ fuerant Proconſulares ac vice verſâ. Certè Cretam fuiſſe ſub jure Populi, Dio Caſſius affirmat, quæ apud Gellium, *l.* 2. *c.* 2. Præſidalis eſt, niſi *Præſidis* ibi nomen generaliter ſumatur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 10. *c.* 24. A *Provinciis* non multum diverſa fuêre, quæ *Præfecturæ*, quòd à Præfectis regerentur, dicebantur, niſi quòd durior earum conditio fuit, qua de re vide ſuprà. Sumtus *Provincialium* in Prætores, primus coërcuit M. Porcius Cato lege Porciâ, annô 506. De Magiſtratibus *Provincialibus* vide ſuprà, in vocibus *Præfectus*, *Præſes*, *Proconſul*, *Proprætor*: & Salmaſ. *ad Hiſt. Aug. paſſim*. Sortiri autem hi illas ſolebant, aut inter ſeſe comparare; Nonnunquam, quamvis rariùs, Senatus extra ordinem pro ſuo judicio nominatim ſingulas decernere ſolitus eſt, vide Liv. *l.* 27. & 37. Item Jac. Oiſelium JCtum, *Notis in A. Gellium*, *l.* 15. *c.* 4. Leges de Provinciis latas, vide hîc *infrà*.

Leges tum in genere, tum in specie, de Provinciis latæ.

α. Clodia, *Gabinio Syriam, Babyloniam, Perſas, Piſonos, Macedoniam, Achajam, Theſſaliam, Græciam omnemque Bœotiam Proconſulari imperio mandavit*, an. Urb. Cond. 695. β. Clodia altera, *Cyprum Inſulam in Provinciæ formam redegit*, miſſô eò M. Catone Quæſtore, cum jure Prætorio. γ. Cornelia, *ei qui cum imperio in Provinciam profectus eſſet, tamdiu illud conceſſit retinendum, quoad in Urbem eſſet reverſus*. Eadem *triginta tantùm dierum moram, poſtquam Succeſſor miſſus eſſet, Magiſtratui ad decedendum indulſit*: an. Urb. Cond. 672. ε. Julia Lex, à C. Jul. Cæſare Conſule an. Urb. Cond. 641. rogata, *Achajam, Theſſaliam, cunctamque Græciam liberam juſſit eſſe: Magiſtratibus tranſeuntibus eorumque comitibus, fœnum aliaque ab oppidis & vicis ſubminiſtrari præcepit*: Item, *ut duabus in civitatibus Provinciæ ſuæ Magiſtratus decedentes rationes ſuas relinquerent, eaſdemque totidem verbis ad Ærarium referrent, voluit*. Porrò, *ne Coronarium aurum iis, qui Provincias obtinerent, vel ab iis accipi liceret, niſi decretô triumphô: Ne item, qui cum Imperio eſſent, injuſſu Populi, aut Senatus de Provincia exirent, exercitus educerent, aut, bellum ſuâ ſponte gerentes, in regnum alienum accederent*, vetuit. ζ. Julia altera, ab eodem Dictatore lata, *Provincias Prætorias plus quàm annum, Conſulares, plus quàm biennium, obtineri prohibuit*. η. Manlia, *C. Mario Provinciam Numidiam mandavit*, an. Urb. Cond. 646. θ. Pompeia Lex, à Cn. Pompeio M. lata eſt An. Urb. Cond. 701. quâ *is ſibi ipſi Hiſpaniam Provinciam in alterum quinquennium prorogavit*. ι. Portia lex, cujus paulo ſuprà mentio facta, *ex Sardinia Provincia fœneratoribus fugatis, ſumtus in cultum Prætorum à ſociis fieri ſolitos circumcidit, aut ſuſtulit*, an. Urb. Cond. 506. Vide Roſin. *l.* 8. *c.* 30. *ubi de Pecuniis repetundis*. κ. Sempronia, quæ de *Provinciis* prima occurrit, lata an. Urb. Cond. 630. voluit: *Ut Senatus quotannis, ante Comitia Conſularia, deſignandis Conſulibus provincias arbitratu ſuô decerneret, quas deinde ipſi deſignati inter ſe ſortirentur*. Præter eà, *cùm antea Senatûs decreto per Tribunos intercedi poſſet, ne deinceps liceret*. λ. Trebonia Lex, an. Urb. Cond. 698. rogata, *Cæſari imperium in Gallia, in aliud quinquennium, quàm quod ex Vatinia lege conceſſum erat, prorogavit*: Senatui ſic Succeſſoris mittendi poteſtate ademtâ. μ. Trebonia altera, *Pompejô Magnô & Craſſô Conſulib. Syriam & Hiſpaniam provincias in quinquennium conceſſit*. Plut. in *Pompejo*. ν. Vatinia Lex, an. Urb. Cond. 694. à Vatinio Tribuno Pleb. lata, juſſit: *C. Cæſari Galliam Ciſalpinam cum Illyrico in quinquennium, ſine Senatus decreto, & extra ſortem, mandari*. Eâdem is rogavit, *Ut ii, quos in lege nominavit, Legati ſine Senatus decreto cum Cæſare proficiſcerentur. Ut idem pecunia ex Ærario attribueretur: Ut idem Coloniam Novocomum deduceret*. Sueton. *in Cæſare* &c. Vide de his omnibus Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 8. ut & harum Legum quamque ſuô locô.

PROVINCIA, in Eccleſia Latina, diœceſis Metropolitani; *quæ ſcil. habet decem vel undecim Civitates, & unum Regem, & totidem poteſtates ſub ſe, & unum Metropolitanum, alioſque Suffraganeos decem vel undecim Epiſcopos* &c. *Can. Scitote* 6. *quæſt.* 3. ſicut diſtrictus Epiſcopi, *Parochia*, quod vide, ut & infra in voce *Provincialis*.

PROVINCIA Romana, & *Provincia* ſimpliciter, *Cæſari la Provenza*, regio Galliæ Narbonenſis, inter Rhodanum & Alpes maritimas, in qua Galloligures *Straboni*. Ubi Aquæ, Arelatum, & Avenio, metropoles. *Auſonius:*

Fuſa per immenſum quondam Provincia regnum.

Baudrando nunc eſt provincia ampla regni Franciæ, inter Alpes maritimas ad ortum, Rhodanum fluvium ad occaſum, Delphinatum ad Boream, & mare Mediterraneum ad meridiem. Ejus partes ſunt etiam Comitatus Forcalquerii, *le Comte de Forcalquier*, qui ei unitus eſt, Avenio & Comitatus Vindaſcinus, *Avignon & le Comtat Venaiſſin*, ſub dominio Romani Pontificis, Principatus Arauſicanus, *la Principauté d'Orange*, proprio Principi ſubditus, & Comitatus Nicæenſis, *le Comté de Nice*, ſub dominio Ducis Sabaudiæ. Totius autem provinciæ caput eſt Aquæ Sextiæ, *Aix*, ad Arcum amnem. Hîc populi quondam Vocontii, Cavares, Salii, Deceatæ, Oxubii &c. Olim ſub Liguribus fuit ſub Celtis Gallis, dein ad Romanos devoluta nomen *Provinciæ* accepit. Ab his pervenit ad Viſigothos, Burgundos, Oſtrogothos, & Galliæ Reges: hinc ad Reges Burgundiæ, & Arelati. Boſonem, uxoris fratrem Carolus Calvus Imperator Regem Provinciæ ac Papiæ Ducem creavit, A. C. 876. Paul. Æmil. *l.* 3. Porro Comites habuit proprios: quorum primus Rotbaldus erat, cui Bolo ſucceſſit, &c. qui regnârunt circa A. C. 915. & 920. Gilbertus, mortuus A. C. 1112. filiam reliquit nomine Dulcem, quæ nupta Raimundo Berengario I. in familiam Comitum Barcinonenſium Comitatum hunc intulit. Hunc varii excepêre, uſque ad Raimundum Berengarium V. qui extinctus A. C. 1245. quatuor habuit filias: quarum minima natu, *Provinciam* Carolo Duci Andegav. fratri Ludovici IX. dotis locô attulit: Horum poſteri præfuêre, uſque ad Carolum Meduanium, nepotem Renati Regis, qui Ludovicum XI. Galliæ Regem hæredem ſcripſit: Ita nobiliſſima hæc ditio A. C. 1481. Coronæ unita eſt, aëris temperie & telluris omnifariâ fœcunditate nulli ſecunda, inprimis quâ mari alluitur, ubi inſignes portus Maſſiliæ, Tolonii &c. Plurimi hîc montes, raræ ſylvæ, inſignes fluvii: longitudo 34. leuc. latitudo 32. ambitus 158. Incolæ ſobrii, parvô contenti, ingenioſi: ſub nomine *Troubadours*, vel *Trouveres* verſus rythmicos invenerunt, teſte *Dante* & *Petrarchâ*. Nec ullibi felicior magnorum ingeniorum proventus, ſive tempora Honorati, Maximi, Leontii, Hilarii, Fauſti, Gennadii, &c. quibus ſolitudines hujus provinciæ ſeminaria erant maximæ partis Epiſcoporum Galliæ: ſive ſequentia reſpiciantur, hinc enim Peireſcius, Gaſſendus, &c. orti. A. C. 1560. in quoſdam nobiles, ob religionem, hîc acriter, ſævitum. Thuan. *Hiſtor.* Vide Noſtradamum & Honor. Bouchæum, *Hiſtor. Provinc.* Ruffium, *Hiſt. deſc. Comt. de Prov.* Quercetanum, *de laudibus Prov.* Morerium, *Dict. Hiſtor. & novô opere, quod de Viris illuſtr. Provinciæ promittit*, &c. præter Geographos & Hiſtoricos veteres omnes. Hadr. Valeſius, de inſigni hac regione iſta habet, Gallia *Narbonenſis* à Metropoli ſua, *Braccata* antè à veſte incolarum dicta, à meridie Tuſcum pelagus ſeu internum mare attingit; à Septentrione terminos habet montes Cebennam & Juram, aut ex Cæſare lacum Lemanum, & flumen Rhodanum; ab oriente amnem Varum & Alpium juga, quibus ab Italia diſcernitur; ab occidente Pyrenæum & Garumnam. Hanc Julius Cæſar, *in Commentariis rerum geſtarum in Gallia*, nunc *Provinciam noſtram*, *l.* 1. *c.* 2. i. e. Provinciam Romanam, vel Romanorum, nunc *Galliam Provinciam*, ſæpiùs abſolutè *Provinciam* appellat, *c.* 7. Cicero, *in Oratione pro M. Fontejo* modò *Galliam*, modò *Provinciam Galliam*: quòd ea pars Galliarum ut Italiæ propior, ſic prior à Romanis ſubacta ac in formulam provinciæ redacta fuerat, multò antequam reliquam Galliam, nimirum Belgas, Celtas, & Aquitanos Julius Cæſar perdomaret. Eadem à Plinio, *in l.* 3. *c.* 4. & à Solino *Narbonenſis Provincia* appellatur, agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum poſtferenda, breviterque Italia veriùs quàm Provincia. Hæc primò diviſa eſt in *Provinciam Narbonenſem*, ac *provinciam Viennenſem*; deinde in quinque provincias, nimirum in *provinciam Viennenſem, provinciam Narbonenſem primam, provinciam Narbonenſem ſecundam, provinciam Alpium Grajarum & Penninarum, provinciam Alpium Maritimarum*: civitates autem circiter 38. continebat. Sed poſteà neſcio quâ ratione factum eſt, ut *Provincia Narbonenſis ſecunda*, exceptô Vapincô, & *Provincia Alpina Maritima* tota, exceptâ metropoli Ebrodunô, ac pars *Provinciæ Viennenſis* dimidia, videlicet civitates, *Vaſio, Arauſio, Cabellio, Avenio, Carpentoracte, Arelatum, Maſſilia*, propriè *Provincia* vocarentur, *Provence*, parte nomen totius ſibi vindicante: quemadmodum ſæpe aliàs contigiſſe video. Quando primùm, & à quo ea regio *Provincia* dicta ſit, incertum eſt. Cornelius Tacitus, *in Vita Cnæi Julii Agricolæ ſoceri ſui*, *c.* 4.

mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mihi pæne videtur *Provincialem* eo ſenſu: *Cnæus* (inquit) *Julius Agricola veteri & illuſtri Foro-Julienſium coloniâ ortus, ſtatim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat, locum Græcâ comitate & Provinciali parcimoniâ mixtum ac bene compoſitum.* Avitus Viennenſis Epiſcopus, *in Epiſtola ad Fauſtum & Symmachum Senatores Urbis: Provinciam præfixis Regnorum terminatam limitibus* appellat, propterea quod inter Oſtrogothos & Burgundiones certis finibus diviſa erat. Caſſiodorus Senator *in libri Variarum* 8. *epiſtola* 10. modò *Gallias*, modò *Provinciam* [ut ſæpe aliàs) abſolutè nuncupat his verbis: *Mittitur igitur, Francô & Burgundiô decertantibus, rurſus ad Gallias tuendas. Adquiſivit Reipublicæ Romanæ, aliis contendentibus, abſque ulla fatigatione Provinciam.* Avitus autem & Senator unâ ambo ætate floruerunt ante annos 1160. Cyprianus *in Vita Cæſarii*, Arelatenſis Epiſcopi, præceptoris ſui, *Provinciam Arelatenſem*, à capite regionis cognominat, quum ſcribit, *Theodoricum Italiæ Regem miſſis ducibus ſuis Provinciam Arelatenſem ingreſſum eſſe.* Hoſce tres ſcriptores imitatus Gregorius Turonicus Epiſcopus, *Provinciam* eam paſſim vocat. Idem partem ejus alteram *Arelatenſem Provinciam*, uti & auctor libelli de Vita Beat. Conſortiæ; alteram *Provinciam Maſſilienſem* nuncupare conſuevit. Quod ut intelligatur, notare convenit, mortuô Chlothariô majore, à quatuor ejus filiis duas in partes diviſam eſſe *Provinciam*, & alteram quidem *Arelatenſem Provinciam* dictam, in qua Arelatum, Ugernum, Reji, aliæque urbes & caſtella vicique erant, Guntchramno Burgundionum Regi ceſſiſſe: alteram verò *Maſſilienſem Provinciam* appellatam, quæ Maſſiliam, Avenionem, Aquas Sextias, aliaque oppida & loca habebat, Sigiberto Auſtraſiorum Regi obtigiſſe. *Provinciæ Arelatenſis* rectores apud noſtros Hiſtoricos nonnunquam *Duces*, ſæpius *Patricii* vocantur: Præſides *Provinciæ Maſſilienſis*, à ſcriptoribus rerum Francicarum *rectores Provinciæ*; nonnunquam *Præfecti*, atque etiam *Patricii* appellantur, Arigius & Aſclepiodorus, qui parti alterutri præfuêre, à Gregorio Romano Epiſcopo *Viri Glorioſi Patricii Galliarum*, item *Patricii in Galliis*: ut *in libr.* 13. *Rerum Francicarum* obſervavimus. Audoënus in Vita Sancti Eligii *Villam Ampucium*, (*Ampuce* vulgò) *ſitam in ripa Rhodani flumine*, ponit in *regione, quæ propriè Provincia nuncupatur*, & *Epiſcopos Provinciæ* commemorat. *Provinciam Narbonenſem* vocat Eghinardus hiſce verbis: *Fecit idem à parte Meridiana, in litore Provinciæ Narbonenſis ac Septimaniæ.* Petrus, qui de bello Albigenſi ſcripſit, quum *in capite* 84. *Valentiam, Montilium Ademari*, & *caſtrum Creſtam Provinciæ partibus* attribuit; ſatis oſtendit, ſe *Dalfinatum* quem vocant, *Provinciæ* nomine deſignare: & (ut ſuprà obſervavi) Dalfinatus olim partim *Sapaudiæ* partim *Provinciæ* confinium regionum appellatione continebatur. *Provincia* autem nonnunquam & *Aquitania* impropriè dicta eſt ab *Aquis Sextiis* capite regionis. Certè Leo Marſicanus *in libri primi Chronici Caſſinenſis, capite ultimo*, Hugonem Arelatenſium vel Provincialium Comitem, qui poſteà in Italia regnavit, *Aquitaniæ Ducem* appellat, hoc eſt, *Aquenſium*; vel *Aquiſextienſium*: quos *Aquitanos* vocatos, & ab his totam Provinciam *Aquitaniam* dictam eſſe Leoni non mirabitur, qui apud Plinium *in libri quarti, capite* 19. legerit, Aquarum Tarbellicarum incolas dici *Aquitanos, unde nomen provinciæ* Aquitaniæ; vel Aquitanicæ propriè dictæ. Gothiam etiam ſeu Septimaniam ſæpe *Provinciæ* nomine comprehenſam ac deſignatam eſſe reperio. Quippe Gregorius noſter *Hiſtoriæ ſuæ, libri tertii, caput* 21. ſic inſcribit: *Quòd Theodobertus in Provinciam abiit*: & tamen Theodobertum iſtum Gothiam tantùm petiiſſe, ac duo ibi in Bitterenſi pago caſtella recepiſſe conſtat. Sigebertus *in Chronico* ſcribit, Ægidium Carolo Martello apud Francos dominante è Græcia veniſſe in Galliam, atque *in Provincia* virtutibus & ſanctitate vitæ claruiſſe: quem in Gothia floruiſſe, Monaſterium Sancti Ægidii in valle Flaviana oppidumque ejuſdem nominis indicio eſt, à quo monaſterio opidoque Gothia etiam *Provincia Sancti Ægidii* vocata eſt. Guibertus Abbas Novigenti, *in libro ſecundo Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ*, de Raimundo Comite Gothiæ, quem *Comitem Provinciæ* ac *Comitem Sancti Ægidianum* vocat, ſic refert: *Erat autem noſtris Principibus ætate maturior, & exercitu (niſi quantum ad garrules Provincialium mores ſpectat) nulli inferior.* Et *in libro ſeptimo: Ingreſſis igitur Provincialibus*, Sancti-Ægidiani ſcilicet Comitis exercitu. Utrubique Guibertus, qui ante annos 500. vixit, Gothos Raimundi Comitis ditioni ſubjectos *Provinciales* vocat. Quippe præter *Provinciales* propriè dictos, *Burgundi, Arverni, Vaſcones, & Gothi*, in exercitu Chriſtiano Europæorum Hieroſolymam petentium, *Provinciales* communi nomine *appellabantur: cæteri verò Francigenæ*, vel Franci: ſicuti ſcribit Raimundus de Ageles. Licius PP. in literis Anno 1144. datis, *in Provincia Monaſterium juxta Montem Peſſulanum* Cluniacenſium ditioni ſubjicit præ cæteris. Erat autem Mons Peſſulanus cum Monaſterio ei proximo in Gothia, ut eſt hodie. Petrus Monachus Vallium Cernaji de bello Albigenſi, totam terram Comiti Toloſæ ſubjectam, nimirum Septimaniam totam, & partem Aquitaniæ ac Provinciæ inter Druentiam & Iſaram uno & communi nomine *Provinciam*; incolas *Provinciales* appellat, cùm alibi, tum in præfatione operis, ſeu in literis ad Innocentium Papam libro ſuo præfixis. Veteres noſtri Hiſtorici *Provinciam* à *Burgundia*, ut & à *Septimania Gothiave* diſtinguunt, & Avenionem, Maſſiliam, Nicæamque ei urbes attribuunt, *Nicæam Provinciæ Narbonenſis Civitatem* appellando. Provinciale quoque ante Annos 400. compoſitum *Provinciam* etiam à *Burgundia* ſeparat: & huic Lugdunenſem ac Senonenſem metropoles; illi *Aquenſem*, ac *Arelatenſem* adſcribit. Notitia Epiſcopatuum Galliæ ſcripta paulò poſt Annum 1322. ambas ſimiliter provincias diſtinguit: ſed *Burgundiæ*, vel *Sapaudiæ* Tarantaſienſem tantùm ac Veſontienſem metropoles unà cum ſuffragantibus, hoc eſt, Sapaudiam & Sequanas, ac Helvetios; *Provinciæ Ebrodunenſem, Arelatenſem, Viennenſem*, ac *Aquenſem*, ſeu *Aquiſextienſem* attribuit: quæ 4. Diœceſes majorem Sapaudiæ partem, & Dalfinatum totum Provinciamque complectuntur. Contrà Gervaſius Tiſleberienſis & quædam Notitia Galliæ ei ſuppar *Provinciam Burgundiæ* nomine deſignant, ac ejus finibus includunt, *Burgundiæ* ſex adſcribendo metropoles ac provincias, Veſontienſem, Viennenſem, Darantaſienſem, Ebroduenſem, Aquenſem, Arelatenſem: quibus finibus non Sequani modò & Helvetii cum univerſa Sapaudia, ſed etiam Dalfinatus atque *Provincia* continentur. At veteres noſtri Annales Carolum Lotharii Auguſti filium *Provinciam* vel *Provinciæ Regnum obtinuiſſe* tradunt, & *Provinciæ Regem* appellant: quem conſtat, exceptis Genevâ & Sedunô, cuncta inter Lemanum, Rhodanumque mare Gallicum & Alpes rexiſſe, trans Rhodanum etiam Lugdunum, Vivaria ac Ucetiam tenuiſſe: qui limites unà cum *Provincia* Dalfinatum ac Sapaudiam, quales nunc ſunt, id eſt, Burgundiæ majorem partem includunt. Certè Appendix Chronici Guilielmi Nangiacenſis, *Viennam urbem Provinciæ* in Anno 1311. appellat. Incolæ Provinciæ *Provinciales* Latinis ſcriptoribus; vulgò *Provençaux* vocantur. *Provincia* jaminde ab Anno Chriſti 900. Comitibus ſuis illuſtris, ex tribus provinciis facta eſt, nimirum ex Alpibus Maritimis, ex provincia Narbonenſi 2. & ex provincia Arelatenſi, Viennenſis olim parte: ac 19. minimùm civitates complexa eſt, ex Alpibus maritimis quidem Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium, Vintium; ex Narbonenſi 2. Aquas Sextias, Aptam, Rejos, Forum Julii, Secuſteronem; ex provincia Arelatenſi Arelatum, Maſſiliam, Avenionem, Arauſionem, Vaſionem, Cabellionem, Carpentorate, ac Telonem: cui numero Duces Sapaudiæ Nicæam exemere. Nam Arauſio licèt Naſſaviis pareat, & Avenio, Vaſio, Cabellio, ac Carpentorate licèt Antiſtitibus Eccleſiæ Romæ obediant, non minùs tamen ob id quàm ceteræ pro urbibus *Provinciæ* haberi debent. Qui in *Provincia* dominabantur, *Comites Provinciæ & Foricalcarii*, vel *Forcalquerii* ſunt dicti; nonnunquam à capite regionis *Comites Arelatenſes*, aut *Arelatenſium*. Auctor incertus, cujus Chronicon in Anno 1290. deſinens Catellus edidit, *Fontem Calcariam*, vel potius *Calcarium*, & *Fontem Qualquerium* vocat locum à Noſtris *Forcalquier* vulgò dictum: quum in Anno 1265. *Carolum Regem, Ducem Apuliæ, Principem Capuæ, Comitem Andegaviæ, Provinciæ, Fontis Calcariæ* nuncupat. Habuit autem *Marcam*, ſeu *Marchiam* ſuam *Provincia*. Unde Raimundus *Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, & Marchio Provinciæ*, in 3. litteris ad Ludovicum Francorum Regem cognomine juniorem vocatur & Conſtantia ejus uxor, cum Ludovico huic, fratri ſuo ſcriberet, ſe *ejus unicam ſororem, Comitiſſam Toloſæ, Ducem Narbonæ, Marchiſam Provinciæ* ipſa appellavit. Scribit Godefridus *in Annalibus*: *Comitem Toloſanum Anno* 1235. *de Marchia Provinciæ homagium præſtitiſſe Imperatori, à quo eam recipiebat.* In Appendice Chronici Lamberti Schafnaburgenſis hæc reperio: *Anno* 1160. *Ludovicus Provinciæ Comes Erfordiæ cum aliis Imperii Proceribus convenit, & auxilium contra Mediolanenſes Imperatori conjurat*: id eſt, auxilium Imperatori jurejurando ſeu ſacramentô promittit. Nimirum *Provincia* Anno 1125. à Comitibus Toloſæ & Barcinonis nomine uxorum ſuarum dividi cœpta eſt duas in partes: quidquid *Provinciæ* eſt à Druentia ad Iſaram, Comitatum Vindauſcenſem præter cætera continens, Alfonſo Comiti Toloſano poſteriſque ejus ceſſit, cum dimidia parte Avenionis aliarumque urbium: reliquam *Provinciam* à Druentia ad mare, cum dimidio Avenionis & aliorum oppidorum Comes Barcinonenſis obtinuit: conventumque, ut hæc pars *Comitatus Provinciæ*; illa portio *Marchia Provinciæ* vocaretur, & ut hujus partis poſſeſſores *Comites Provinciæ*, illius domini *Marchiones Provinciæ* appellarentur. In decreto tamen Urbani Papæ II. Anno 1096. *Raimundum Comitem Toloſanorum, Ducem Narbonæ, & Marchionem Provinciæ* dictum reperio ante diviſionem Provinciæ ſupra memoratam Anno 30. & Epiſcopum urbis Romæ jam tum in *Marchiam Provinciæ* totam, aut ſaltem in partem ejus ſibi jus vindicaviſſe. *Notit. Gall.*

Provinciæ urbes:

Antipolis, *Antibe.*	Forum Neronis, *Forcalquier.*
Apta, *Apt.*	Maritima, *Marteghes,*
Aquæ Sextiæ, *Aix.*	Maſſilia, *Marſeille.*
Arauſio, *Orange.*	Reji, *Riez.*
Arelate, *Arles.*	Sanitium, *Senez.*
Avenio, *Avignon.*	Seguſtero, *Siſteron.*
Caballio, *Cavaillon.*	Taraſco, *Taraſcon.*
Carpentoracte, *Carpentras.*	Telo, *Toulon.*
Dinia, *Digne.*	Vaſio, *Vaiſon.*
Draguinianum, *Draguignan.*	Vincium, *Vence.*
Foro-Julium, *Frejus.*	

Provinciæ Imperii Romani, extra Italiam.

Acarnania in Epiro.
Achaja cum Græcia, An. ab urbe condita 606.
Ægyptus, ab Auguſto.
Æmi montis in Thracia.
Ætolia, pars Epiri, An. 567.
Africa minor, à Scipione Africano, capta Carthagine, An. 609.

Alpes

Alpes Cottiæ & maritimæ, inter Auguſtum & Veſpaſianum.
Aquitania, ab Auguſto, ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Arabia proxima Ægypto, ab Auguſto.
Armenia major, à Trajano.
Armenia minor, ab Auguſto.
Aſia, in qua Helleſpontus, Phrygia, Ionia, Lydia, Caria, An. 565. à Lucio Scipione Africani fratre.
Aſſyria, à Trajano.
Auguſtanica. Aliis eſt Auguſtamnica.
Azarſavena trans Tigrim, à Galerio.
Bætica in Hiſpania.
Belgica gemina, 1. & 2.
Bithynia, à Pompejo magno, victô Mithridate.
Bœotia in Græcia.
Britannia, à Claudio ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Byzacena, pars Africæ.
Cæſarienſis in Mauritania.
Cantabria cum Aſturia, ab Auguſto.
Cappadocia, ab Auguſto recuperata, & ſub Tiberio in provinciam redacta.
Carduena trans Tigrim, à Galerio.
Cilicia, à Pompejo magno, & ante ipſum Anno 630. capta cum Iſauria.
Comagenæ, ſub Tiberio, & demum à Veſpaſiano.
Corſica, An. 523. quando ferè Sardinia, cui adjuncta fuit.
Creta, à Quinto Metello Conſule, poſteà ſub Auguſto Cyrenaicæ adjuncta.
Cyprus, à Marco Catone.
Cyrenaica, ſub Auguſto Cretæ copulata, cùm Ann. 660. capta fuiſſet.
Dacia, à Trajano, victô Decebalô ejus Rege.
Dalmatia, ab Auguſto, ſed ante An. 599. expugnata.
Dardania, unà cum Mœſia & Thracia, ab Auguſto.
Epirus, ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Euphrateſia, ſub Hadriano, pars Syriæ.
Flaminia, ſub Hadriano.
Galatia, ab Auguſto.
Gallæcia in Hiſpania, ſub Hadriano.
Gallia Ciſalpina, à Marco Claudio Marcello.
Gallia Lugdunenſis ſeu Celtica, à Cæſare, ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Gallia Narbonenſis, à Cæſare An. 633. priùs capta.
Gallia Tranſalpina, à Quinto Fabio Maximo.
Germania, ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Helleſpontus. Vide *Aſia*.
Hiſpania citerior, An. 558. Corneliô Cethegô & Quintô Minuciô Conſulibus.
Hiſpania ulterior, An. 548.
Illyricum primum, quando Macedonia, poſteà à Scipione Naſica, & ab Auguſto demum.
Ionia. Vide *Aſia*.
Iſauria, pars Galatiæ.
Iſtria, ab Auguſto cum Illyrico, ſub Hadriano cum Venetia.
Italia à freto Siculo ad Alpes, ſub Hadriano in multas provincias diviſa, quæ ſunt Æmilia, Brutii, Apulia, Campania, Liguria, Samnium, Picenum, Tuſcia, Umbria, Flaminia, Alpes.
Liburnia, ab Auguſto, ſed priùs à Pompejo.
Libya, ſub Auguſto.
Luſitania, ſub Hadriano.
Lycaonia, ab Auguſto.
Lycia, ab Auguſto.
Macedonia, An. 607. à Quinto Metello.
Mauritania, Cæſarienſis & Sitifenſis à Cæſare, & ſub Hadriano etiam tertia Tingitana.
Meſopotamia, à Trajano, cum Aſſyria & Armenia.
Mœſia, ab Auguſto, ſub Hadriano gemina, ſuperior & inferior.
Myſia. Vide *Phrygia*.
Noricum, ab Auguſto cum Rhætia, Vindelicia, & Pannonia, ſub Hadriano 1. & 2.
Novempopulonia, pars Aquitaniæ, ſub Hadriano.
Nozena trans Tigrim, à Galerio.
Numidia, pars Africæ, à Quinto Mario An. 649. victô Jugurthâ Rege.
Oſrhoena, pars Meſopotamiæ, Syriæ contermina.
Pamphylia tandem ab Auguſto, cum Lycia, Lycaonia, Galatia, & Piſidia, in unam redactis.
Pannonia, unà cum Mœſia, ab Auguſto, Bathone Rege victô, ſub Hadriano gemina, 1. & 2.
Paphlagonia, ab Auguſto, Pylæmone Rege mortuô, Bithyniæ addita.
Phrygia Pacatiana, in qua Laodicea.
Phrygia Salutaris, in qua Synnada.
Piſidia, ab Auguſto, unà cum Lycia.
Pontus, ab Auguſto Bithyniæ additus, à Pompejo conquiſitus, poſteà à Nerone in provinciam redactus.
Pontus Polemoniacus.
Prævalitana, ſub Hadriano.
Rhætia, ſub Hadriano in duas, 1. & 2.
Rhenumana trans Tigrim, à Galerio.
Rhodope, pars Thraciæ.
Salaſſi & Alpes, ſub Auguſto provincia una.
Sardinia, An. 521. ſive priùs, à Tito Manlio Torquato, inter primum & ſecundum bellum Punicum.
Scythia, ſub Conſtantino magno præſidialis, eadem Sarmatia Europæa ad Euxinum.
Sicilia, An. 540. expulſis Pœnis, prima extra Italiam Romanorum provincia.
Singarena, pars Meſopotamiæ, à Trajano.
Syria, à Pompejo magno, victô Mithridate.
Thebais, pars Ægypti ſuperior.
Theſſalia, ſub Auguſto Prætoria effecta.
Thracia, An. 640. Thracibus victis.
Zabdicena trans Tigrim, à Galerio.

Summa provinciarum Europæ 58. ſub Hadriano: quarum aliæ conſulares, aliæ præſidiales; cùm antea aliæ proconſulares eſſent, aliæ prætoriæ. Ex his 17. in Italia, 6. in Hiſpania, 18. in Galliis & Britannia, 17. in Illyrico. Fuêre etiam 6. in Africa, totidem in Thracia; reliquæ in Aſia.

Alia provinciarum diviſio.

Ægypti ſex:

1. Libya ſuperior.
2. Libya inferior.
3. Thebais.
4. Ægyptus propriè.
5. Arabia.
6. Auguſtanica.

Aſianæ decem.

1. Pamphylia.
2. Helleſpontus.
3. Lydia.
4. Piſidia.
5. Lycaonia.
6. Phrygia Pacatiana.
7. Phrygia Salutaris.
8. Lycia.
9. Caria.
10. Inſulæ, hoc eſt, Rhodos, Cos, Samos, Chios, Lesbos, cum aliis.

Daciæ quinque.

1. Dacia mediterranea.
2. Dacia ripenſis.
3. Myſia prima.
4. Dardania.
5. Prævalitana.

Macedoniæ ſex.

1. Achaja.
2. Macedonia propriè.
3. Creta inſula.
4. Theſſalia.
5. Epirus vetus.
6. Epirus nova.

Orientis quindecim.

1. Palæſtina.
2. Phœnice.
3. Syria.
4. Cilicia prima.
5. Cyprus inſula.
6. Arabia.
7. Iſauria.
8. Palæſtina Salutaris.
9. Palæſtina ſecunda.
10. Phœnice Libani.
11. Euphratenſis.
12. Syria Salutaris.
13. Oſdroëne, ſeu Oſrhoëne.
14. Meſopotamia.
15. Cilicia ſecunda.

Ponticæ decem.

1. Galatia.
2. Bithynia.
3. Honorias.
4. Cappadocia prima.
5. Cappadocia ſecunda.
6. Pontus Polemoniacus.
7. Helenepontus.
8. Armenia prima.
9. Armenia ſecunda.
10. Galatia Salutaris.

Thraciæ ſex:

1. Europa.
2. Thracia propriè.
3. Hæmi montis.
4. Rhodope.
5. Myſia ſecunda.
6. Scythia.

Provinciæ ſub Auguſto duodecim.

1. Hiſpania Luſitanica.
2. Hiſpania Tarraconenſis.
3. Gallia Aquitanica.
4. Gallia Lugdunenſis.
5. Gallia Celtica & Germania.
6. Pannonia.
7. Mœſia.
8. Dalmatia & Illyrici pars.
9. Cilicia.
10. Syria Cœle.
11. Syria, & oriens uſque ad Euphratem.
12. Ægyptus, & pars Arabiæ.

Quibus adduntur Dacia, Armenia, Meſopotamia, & Arabia, à Trajano Imperatore conquiſitæ, Italia omnis, & regna omnia, & principatus orbis Romani. Ex his cuique patere poteſt variè ſub Imperatoribus Romanis provincias partitas fuiſſe, nec illas eoſdem ſemper terminos habuiſſe, neque antiquas appellationes ſervâſſe, quales apud veteres ſcriptores habuêre.

Alia diviſio.

Provinciæ populi Romani duodecim.

1. Africa & Numidia.
2. Aſia cis Halym fluvium & montem Taurum.
3. Hiſpania Bætica.
4. Gallia Narbonenſis.
5. Sicilia.
6. Sardinia & Corſica.
7. Illyricum.
8. Macedonia.
9. Achaja, Theſſalia, Ætolia, Acarnania, & Epiri pars.
10. Creta & Cyrenaica.
11. Cyprus.
11. Bithynia, Propontis, & Ponti pars.

Hæc ſub Imperatoribus dividebantur in proconſulares & prætorias. Proconſulares erant Africa, Numidia, & Lybia, unam provinciam facientes; Aſia cis Halym fluvium & Taurum montem, in qua Ionia, Lydia, Caria, Phrygia, Myſia, & Helleſpontus, alteram provinciam proconſularem conſtituentes. Aliæ erant Prætoriæ, hoc eſt, Hiſpania Bætica, Gallia Narbonenſis, Sicilia, Sardinia, & Corſica, Illyricum cum parte Epiri, Macedonia cum parte Græciæ, reliqua Græcia & Epirus, Creta, Cyprus, Bithynia, & Paphlagonia.

Provinciæ in quibus erant legiones Romanæ ſub Auguſto:

1. Adjutrix, Pia, Fidelis, in Germania inferiori.
2. Auguſta, in Germania ſuperiori.
3. Adjutrix, Pia, Fidelis, in Hiſpania.
4. Cyrenaica, in Africa.
5. Auguſta, in Mœſia.
6. Gallica, in Syria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

7. Scythica, in Syria.
8. Macedonica, in Germania inferiori.
9. Victrix, in Hiſpania.
10. Ferrata R. F. C. in Syria.
11. Claudiana, Pia, Fidelis, in Mœſia.
12. Gemina, Pia, Fidelis, in Dalmatia.
13. Auguſta, in Pannonia.
14. Hiſpanienſis, in Pannonia.
15. Fretenſis, in Hiſpania.
16. Gemina, Pia, Fidelis, in Syria.
17. Claudiana, Pia, Fidelis, in Dalmatia.
18. Fulminatrix, in Ægypto.
19. Gemina, Pia, Fidelis, in Germania ſuperiori.
20. Gemina, Martia, Victrix, in Germania ſuperiori.
21. Apollinaris, in Pannonia.
22. Quarta, in Germania ſuperiori.
23. Quarta, in Germania inferiori.
24. Valeria, Victrix, in Germania inferiori.
25. Primigenia, Pia, Fidelis, in Ægypto.

His addebantur cohortes prætoriæ 8. cohortes urbanæ 3. Ex quibus omnibus Imperii Romani magnitudo dignoſcitur.

Provinciæ Gallicæ:

Aquitania prima, in qua Bituricæ metropolis.
Aquitania ſecunda, in qua Burdigala metropolis.
Aquitania tertia, ſeu Novempopulonia, in qua Auſci metropolis.
Narbonenſis prima, quæ & Viennenſis ſecunda, in qua Narbo metropolis.
Narbonenſis ſecunda, quæ & Viennenſis tertia, in qua Aquæ metropolis.
Narbonenſis tertia, quæ & Viennenſis prima, in qua Vienna metropolis.
Lugdunenſis prima, in qua Lugdunum metropolis.
Lugdunenſis ſecunda, in qua Turones metropolis.
Lugdunenſis tertia, in qua Rotomagus metropolis.
Lugdunenſis quarta, in qua Senones metropolis.
Lugdunenſis quinta, ſeu maxima Sequanorum, in qua Veſontio metropolis.
Belgica prima, in qua Remi metropolis.
Belgica ſecunda, in qua Treviri metropolis.
Alpium Grajarum, ſeu Viennenſis quinta, in qua Tarantaſia metropolis.
Alpium maritimarum, ſeu Viennenſis quarta, in qua Ebrodunum metropolis.
Germania prima, ſeu ſuperior, in qua Moguntia metropolis.
Germania ſecunda, ſeu inferior, in qua Colonia Agrippina metropolis.

HARUM PROVINCIARUM CIVITATES SUNT, AQUITANIÆ PRIMÆ:

Bituricæ metropolis, *Bourges.*
Rutheni, *Rodez.*
Arverni, *Clermont.*
Albiga, *Alby.*
Cadurci, *Cahors.*
Lemovici, *Limoges.*
Gabales, nunc Minatum, *Mande.*
Velauni, nunc Anicium, *le Puy.*
Additæ, Tutela, *Tulle.*
Sarlatum; *Sarlat.*

Aquitaniæ ſecundæ:

Burdigala metropol. *Bordeaux.*
Egoliſma, *Angouleſme.*
Pictavi, *Poictiers.*
Agennum, *Agen.*
Santones, *Xaintes.*
Petrogorii, *Perigeux.*
Additæ, Luxiona, *Luſſon.*
Maleaca, *Maillezais*, nunc Rupella, *la Rochelle*, ejus loco ſuffecta.

Aquitaniæ tertiæ, ſeu Novempopuloniæ:

Auſci metropolis, *Aux*, vel *Auſch.*
Lectoracium, *Lectoure.*
Conſoranni, *Conſerans.*
Bearnenſes, ſeu Bearnum, nunc Laſcurra, *Leſcar.*
Aqua Tabellicæ, *Dax.*
Convenæ, *S. Bertrand.*
Tarba, *Tarbes.*
Boatum, nunc Bajona, *Bayonne.*
Aturum, *Ayre.*
Elorona, *Oleron.*
Eluſates, *Elſa*, vel *Eauſe*, nunc oppidum tenue.
Taruſates, *Turſe.* In ruinis jacet.
Vaſates, *Baſas.*
Additæ, Condomum, *Condom.*
Lumbarium, *Lombez.*

Narbonenſis primæ:

Narbo metropolis, *Narbonne.*
Toloſa, *Toulouſe*, nunc metropolis.
Carcaſo, *Carcaſſone.*
Biteræ, *Beſiers.*
Elena, *Elne*, nunc Perpinianum. *Perpignan.*
Nemauſus, *Nymes.*
Uzetia, *Uſez.*
Luteva, *Lodeſve.*
Agatna, *Adge.*
Magalona, *Maguelone*, nunc Mons Peſſulus, *Montpellier.*
Additæ plures, Mons Albanus, *Montauban.*
Vabræ, *Vabres.*
Vaurinum, *Lavaur.*
Caſtra, *Caſtres.*
Pontiopolis, *S. Pons.*
Pamiæ, *Pamiez.*
Electa, *Alet.*
Papulopolis. *S. Papoul.*
Mirapiſcæ, *Mirepoix*: quarum aliæ ſub Narbona, aliæ verò ſub Toloſa ſunt, ut alibi dicetur.

Narbonenſis ſecundæ:

Aquæ, *Aix*, metropolis.
Regium, *Riez.*
Forojulium, *Frejus.*
Telo, *Toulon.*
Apta, *Apte.*
Segeſtero, *Siſteron.*
Antipolis, *Antibe*, nunc Graſſa, *Grace.*

Narbonenſis tertiæ, ſeu Viennenſis.

Vienna metropolis, *Vienne*
Gratianopolis, *Grenoble.*
Vivarium, *Viviers.*
Valentia, *Valence.*
Cabellio, *Cavaillon.*
Arauſio, *Orange.*
Vaſio, *Vaiſon.*
Tricaſtra, *S. Paul Troiſchaſteaux*, olim Auguſta Tricaſtinorum
Arelate, *Arles*, nunc metropolis.
Avenio, *Avignon*, nunc metropolis.
Maſſilia, *Marſeille.*
Dea, *Die.*
Vapingum, *Gap.*
Geneva, *Genevra*, & *Geneve.*

Alpium maritimarum:

Ebredunum, *Ambrun*, metrop.
Dinia, *Digne.*
Sanicium, *Senez.*
Glanatenna, *Glandeſve.*
Vencia, *Vence.*
Cemela olim, nunc exciſa. Ejus loco Nicæa, *Nice.*
Sollinia olim, & Rigomagum.

Alpium Grajarum, & Pœninarum.

Tarantaſia Centronum, *Tarentaiſe.*
Sedunum in Valeſia, *Sion*, & *Sitten.*
Mauriana, *Saint Jean de Maurienne.*

Lugdunenſis primæ:

Lugdunum metropolis, *Lion.*
Auguſtodunum, ſeu Hedua, *Autun.*
Matiſcona, *Maſcon.*
Cabilonum, *Challon.*
Lingones, *Langres.*

Lugdunenſis ſecundæ:

Turones, *Tours*, metropolis.
Cenomani, *le Mans.*
Rhedones, *Rennes.*
Nannetæ, *Nantes.*
Veneti, *Vannes.*
Oſiſmii, poſteà Trecorium, *Treguier.*
Curioſolitæ, poſteà Coriſopitum, *Cornuaille*, ſeu *Quimper*
Leona, olim Diablintres, *S. Pol de Lion.*
Andegavi, *Angers.*
Additæ Dolis, *Dol.*
Briocum, *S. Brieu.*
Aleta, poſteà Maclovium, *Saint Malo.*

Lugdunenſis tertiæ:

Rotomagus metropolis, *Rouen.*
Lexovii, *Luſieux.*
Ebroicæ, *Evreux*, olim Eburovices.
Abrincæ, *Avranches*, olim Abrincatui.
Bojacæ, *Bajeux*, olim Bellocaſſes.
Saji, poſteà Sagium, *Seez.*
Conſtantia Caſtra, *Conſtances.*

Lugdunenſis quartæ:

Senones, *Sens*, metropolis.
Antiſiodorum, *Auxerre.*
Trecaſſes, ſeu Trecæ, *Troyes.*
Pariſii, *Paris*, nunc metropolis ab An. 1622.
Aureliani, *Orleans.*
Carnutes, *Chartres:*
Meldæ, *Meaux.*
Addita Nivernum, *Nevers.*

Sequanorum:

Veſontio metropolis, *Beſanzon.*
Equeſtrium Nevidunum, poſteà Lauſonium, *Loſanne.*
Aventicum, *Avenches.* Nunc epiſcopali ſede caret.
Auguſta Rauricorum, pro qua Baſilea nunc, *Baſle.*
Vindoniſſa, *Windiſch*, pro qua nunc Conſtantia.

Belgicæ primæ:

Remi metropolis, *Reims.*
Catalauni, *Chaalons.*
Atrebates, *Arras.*
Tarvanna, *Terovanne*, exciſa. Pro qua nunc Bononia, Audomaropolis, & Ipræ.
Bellovaci, *Beauvais.*
Sueſſiones, *Soiſſons.*
Veromandui, *Vermand*, exciſa.
Cameracum, *Cambray*, nunc metropolis ab An. 1558.
Silvanectum, *Senlis.*
Ambiani, *Amiens.*
Additæ, Laudunum, *Laon.*
Noviodunum, *Noyon.*
Bononia, *Bologne.*

Belgicæ ſecundæ:

Treviri, ſeu Auguſta Trevirorum, *Treves*, & *Trier.*
Metæ, *Metz*, olim Mediomatrici.
Tullum, *Toul*, olim Leuci.
Virodunum, *Verdun.*

Addi poſſet Belgica tertia, in qua metropoles tres, Cameracum, Machlinia, & Trajectum: ſed de iis alibi.

Germaniæ ſuperioris:

Mogontia, ſeu Mocontiacum, metropolis, *Magonza*: Germanis *Maintz*, Gallis *Mayence.*
Argentoratum, *Straſsburg.*
Nemetes, poſteà Spira, *Speir*, *Spire.*
Vangiones, poſteà, Wormacia, *Worms.*
Additæ plures fuêre, de quibus alibi.

Germaniæ inferioris:

Colonia Agrippina, metropolis, *Coln*, ſeu *Cologne.*
Tungri, *Tongren*: pro qua nunc Leodium, *Liege.*

Additæ plures ſunt, ut alibi dicemus.

De his provinciis & civitatibus agitur in *Itinerario Antonini* Auguſti, & initio commentariorum Cæſaris *de bello Gallico*, elencho ibi earum à quodam ignaro appoſito; nam & loca depravata nominantur magna ex parte, & civitatibus aliquot omiſſis alia loca, qua ad rem non faciunt, ſubrogantur. Cujus rei te, ne decipiaris, admonendum duximus Baudrand. Vide & de provinciis Galliæ Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in Præf.*

PROVINCIÆ fœderatæ Belgii, ſeu Belgium unitum, & Batavum, *les Provinces unies du Pays Bas*, ſeu *les Eſtats de Holande*, ſunt provinciæ Boreales Belgii, quæ aliàs ſuberant dominio Regis Hiſpaniæ, eique obvenerant ex hæreditate Caroli ultimi Ducis Burgundiæ. Sed dum ſeveriùs animadvertit Philippus II. eas ad defectionem impulit, quâ, inſtitutô Dordraci Ordinum conventu, Regem Hiſpaniæ Principem ſuum ejuravêre die 26. Julii, A. C. 1581. & ſe in libertatem vindicârunt, unde enata bella, quæ tandem ſopita ſunt pace Monaſterienſi A. C. 1648. Is his ſeptem ſunt provinciæ, nempe Holandia, *la Holande*, Zelandia, *la Zelande*, Gueldria pro majori parte cum Zutphaniæ Comitatu, *la baſſe Gueldre & le Comté de Zutphen*, Friſia occidentalis, *l'Oweſt Friſe*; ſeu *la Friſe*, Trans-Iſalania, *l'Ouver Iſſel*, Ultrajecti Dominium, *la Seigneurie d'Utrecht*, & Dominium Groningenſe, *la Seigneurie de Groningue.* Comitia Statuum Hagæ Comitis celebrantur. Sed Amſterodamum urbs eſt totius regionis ampliſſima. Provinciarum fœderatarum Belgii dominio ſubſunt etiam aliquot loca Ducatus Limburgici, Rhenoberga in ditione Colonienſi, Veſalia, Orſoja, Reeſia, Genapum, & Emericum, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

in Ducatû Clivenſi, Embda & Lierotia, in Friſia orientali, Trajectum ad Moſam, in ditione Leodienſi, Sylva Ducis, Breda, Bergæ ad Zomam, Lilloa, Stenoberga, & Villelmoſtadium, in parte Boreali Brabantiæ; uti etiam Clauſulæ, Axela, Hulſtum, Agger Gandavenſis, Iſendicum, & Caſſanda, in parte ſeptentrionali Flandriæ. Vide ſuprà in voce *Belgæ*. Hæ *Provinciæ* unitæ Belgii habent etiam, in Africa arcem S. Georgii de Mina, Caput Corſum, & aliquot loca in ora Guineæ regionis & Nigritarum. In America habent novum Belgium, uti inſulas Curaſoam, novam Valachriam, Sabam, S. Euſtæchii, & alias ex Antillis. In Aſia autem eis ſubſunt Batavia urbs recens in Java inſula, Malacca in India extra Gangem, Moluccæ inſulæ in mari Indico pro majori parte, Amboina & Banda inſulæ, uti & aliquot aliæ in illis partibus, plurimæ arces in ora occidentali ſinus Gangetici, Columbum, Gala; Jafanapatanum, in Taprobana inſula, & aliquot portus, uti etiam Cocinum, Cananora, & Cranganora, in ora occidentali Indiæ intra Gangem.

PROVINCIALES, dictæ olim monetæ Comitum Provinciæ in Gallia, vulgò *Provinciaux*: quarum uſum ac curſum, in Statuto *de Monetis*, ſuſtulit Ludovicus IX. Earum figuram delineavit Anton. Rufius *in Hiſtor. Comitum Provinciæ*. At *Provinciales Coronæ*, apud Tertullian. *de Coron. mil.* *Sunt & provinciales* *aureæ, imaginum jam, non virorum capita majora quærentes*: dicebatur illud genus triumphalium coronarum, quæ Imperatori triumphaturo à *provinciis* mittebantur, ad hoc ut in triumphi celebritate præferrentur; cujuſmodi quadringentas Æmilio Paulo, cùm triumpharet, prælatas fuiſſe, refert Plut. *in eo*. Erant illæ non modo aureæ & gemmatæ, ſed etiam grandes ac ponderoſæ, ut munus non tantùm honore, ſed & pondere ac pretiô, cenſeretur. Et manebant, apud eum, cui mittebantur; cùm inſignis illa, à Senatu triumphatori decreta, deponeretur apud Jovem. Sed proceſſu temporis, quòd priùs fuerat munus, tributum factum eſt, cui & in libertate, quod mirêre, fuit *Auro coronario* nomen, quod tamen nunquam accipiebatur, niſi decretô triumpho, Cicer. *in Piſonem, Orat.* 38. Poſtmodum verò, ſub Principibus, ineunte Principatu, aut natô Principi filiô, aut adoptione factâ &c. exigi cœpit; & quidem ab eorum aliquibus ſatis aſperè: remiſſum tamen ab Hadriano, Antonino Pio, & Alexandro Sev. apud Spartianum, Capitolinum & Lampridium. Vide ſuprà ubi de *Auro Coronario*, & plura hanc in rem, apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 8. *c.* 6. uti *de Milite provinciali*, apud Hyginum, itidem ſuprà, voce *Auxilia*.

PROVINCIALIS, dicitur in Eccleſia Romana qui Monaſteria ejuſdem Ordinis *provinciæ* nomine, in eadem vel pluribus *provinciis*, ejuſdem Regni, ſita, moderatur: quô ſenſu *provincia* nomen plerumque eſt à principe Monaſterio ejus Ordinis. Richeliet. *Diction. Gall.*

PROVINCIALIS Comes, German. *Landgrave*, Judex dicitur ſeu Comes territorii Mediterranei, ad diſcrimen Marchionum, qui limites tuentur. Per excellentiam ſic dictus occurrit Landgravius Thuringiæ, apud Arnoldum Lubec. *l.* 2. *c.* 35. Quin & Haſſi *Provinciales* dicuntur, *in l. Miraculorum* S. Ludgeri Epiſcop. Mimigard. *num.* 3. apud Bolandum, *Provinciales, qui Haſſi, dicuntur* &c. Memorantur autem in Germania varii Landgravii, qui *Principum* titulô gaudent: *Alſatiæ, Thuringiæ, Haſſiæ, Leuchtenbergæ* & *Franconiæ*. Cœteri in Comitum dignitate, *Barenſis, in der Baar, Briſgoviæ; Burgendiæ ſeu Burgundiæ Helveticæ, in Burgendem; Kletgoviæ ſeu Kleckgoviæ; Nellenburgenſis; Sisgoviæ; Stefrungenſis; Suntgoviæ; Suſenbergæ, Tullingæ vel Stuelingiæ, Turgoviæ & Walgoviæ*, vide *Metropolim Salisburg. Tom.* 2. *p.* 533. Sed & *Landgravium de Wincenbourg* & *Landgravium de Kirchberg*, memorat Albertus Stadenſis *A. C.* 1112. & Continuator Lamberti Schaffnab. *A. C.* 1304. Vide ſuprà in voce *Landgravius*. Alius fuit olim *Comes Provinciæ*, idem nempe cum Rectore Provinciæ, qui provinciæ Comitivâ primi ordinis decoratus præerat: de cujuſmodi *Provinciarum Comitibus* agitur, in *L. Wiſigoth. l.* 8. *tit.* 1. §. 1. Sic habetur titulus *in Cod. Theodoſ. & Juſtin de Comitibus, qui Provincias regunt.* Formula hujus dignitatis extat, apud Senatorem, *l.* 7. *Ep.* 1. è qua colligitur, dignitatem etiam fuiſſe militarem, prætereà jus habuiſſe vitæ neciſque & functum fuiſſe officio Judicis. Cujuſmodi *Provinciarum Comites* plures recenſet, *Not. Imperii, l.* 2. *c.* 70. & *ſeqq. Comitem Africæ, Tingitanæ, Britanniæ, Italiæ, Argentoratenſem, Hiſpaniarum* &c. Vide Car. du Freſne in voce *Comes*. Sed ex his ortum traxêre priùs memorati, uti alibi diximus.

PROVINUM, vulgò PROVINS, oppid. Galliæ, in Bria provincia, cujus caput exiſtit. 4. leucis diſtat à Sequana in Boream, & 10. à Meloduno in ortum, uti 18. à Lutetia in Eurum Trecas verſùs. Sed & ad amnem *Vouzie*; Hinc roſæ laudatiſſimæ.

PROVISINUS Solidus, in *Bulla* Urbani V. apud Soreſinum, *Tract. de Capp. SS. Petri & Pauli*, *p.* 9. *Et de dicta diſtributione Canonicus Sacerdos, qui celebravit, habeat ſolidos* proviſinos *octo, ultra diſtributionem: & Diaconus & Subdiaconus ſolidos proviſinos quatuor pro quolibet*: nomen monetæ eſt, ſic dictæ, quòd à ſolita *proviſione* per Senatum Rom. aſſignata proveniret. *Solidus proviſienſis* dicitur, à Romano Baſilicæ Vaticanæ Canonico, qui tempore Calixti III. ſcripſit. Vide Cencium Camerar. *in ſuo Ceremoniali* & Macros Fratres in voce *Solidus*. At *Proviſio*, in Eccleſia Romana dicitur Diploma Regium ſeu Pontificium, quô quis in poſſeſſionem beneficii Eccleſiaſtici, vel alicujus Officii civilis, immittitur. Vide Canoniſtas.

PROVISOR, in *Charta* A. C. 1111. *in Biblioth. Cluniac. p.* 579. *Ricuinus Dei gratia* Proviſor *Tullenſium, Pontio Abbati Cluniacenſi* &c. Epiſcopus eſt, Ἐπίσκοπος, Inſpector. *Proviſor Monaſterii*, apud Ingulfum, *p.* 887. cui theſaurus Monaſterii commiſſus eſt. Sic *Proviſores* in Monaſterio eos, qui rerum ſecularium curam habebant, ſeu qui neceſſaria emebant, inferebant, exportabant, & lites cœteraque negotia procurabant, vocant *Regulæ* variæ Monaſticæ, apud Car. du Freſne in *Gloſſar*. De *Proviſore Studiorum*, pluribus agunt *Antiquæ Definitiones Ordinis Ciſterc. diſtinct.* 9. *c.* 41. ubi inter alia, *Monachus verò qui prædictorum ſtudiorum cuilibet pro tempore profeſſus fuerit, non Prior, ſed* Proviſor *vocetur, & ubique extra ſtudium ſtet in dextro Choro immediatè poſt Abbatem* &c. Vide quoque ſuprà, *Camerarius*; uti de *Proviſore villarum regiarum* ſub veterib. Franciæ Regibus, itidem ſuprà, voce *Palatium*, locus &c. Hodie apud Venetos *Proviſoris* nomen, *Proveditore*, frequens eſt, de provinciarum claſſiumque Præfectis, ſeu potiùs, qui illis additi *provident*; ne quid earum rerum, quæ ad ſecuritatem provinciarum, & claſſium armaturam aliaque neceſſaria ſunt, deficiat. Sed & in Urbe *Proveditori de Commune* dicuntur, qui inſtituti ſub Petro Gradenigo operam dant, ut naves ritè extruantur, neque ultra modum onerentur: Iidem viarum publicarum & pontium gerunt curam; præſunt Opificiis, Scholis ac Fraternitatibus minoris momenti; (majores enim ad Decem virorum curam ſpectant) porrò Civium privilegia ut ſarta tecta conſerventur curant; pretium libris ponunt &c. Vide Nicol. Dolgionium & Joann. Zittium *in lib. cui titulus, Le Coſe Notabili di Venetia l.* 1. Nec omittendum *Proviſoris* nomen, Lutetiæ, de Sorbona præcipuè dici, eôque deſignari dignitatem perpetuam, quâ qui fulget, Collegii illius curam gerere, illudque ſartum tectum conſervare tenetur. Sic ſuô tempore *Proviſor Sorbonæ* Cardinalis fuit Richelius, hodie Archiepiſcopus Pariſienſis eôdem munere fungitur, Richeliet.

PROVISORES, in Eccleſia Romana dicti, qui vel Epiſcopatum, vel Eccleſiaſticam aliquam dignitatem in Romana Curia ſibi ambiunt de futuro, quod *ex gratia expectativa* nuncupant: quia uſquedum vacet expectandum eſt. Hos adverſum, magnus fuit antiquorum ſtatutorum apparatus, in Anglia ab anno 25. Eduardi III. quô conditum illud fuit, quod *de Proviſoribus* appellatur. Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

PROVOCATIO gentium ad Juſtitiam incognitam, olim frequens. Unde Avienus ad Juſtitiam, à Poëtis in cœlum tranſlatam, cùm olim in terris verſata eſſet,

> —— *precor in terras procul æthere ab alto*
> *Flecte oculos, placidamque meis venerabilis, oro,*
> *Pande ſacris aurem* ——

Qui in *ſeqq.* tam altè cœlo ex indignatione ſubvectam ait, ut vix poſſit inde terras conſpicere. Poſtmodum a Chriſtianis mutata eſt, in appellationem aut citationem coram Deo vero Judice *in Vallem Joſaphat*, cùm enormiter quis læſus, aut mori contra jus coactus, in terris opitulatorem non invenit. Quam rem non invenuſtô libellô illuſtravit Joann. Heringius, laudatus Caſp. Barthio, *Animadverſion. ad Papinium Statium, Thebaid. l.* 2. *v.* 360. De *Provocationibus* verò *Eccleſiaſticis*, earumque origine, & gradibus, vide *Bibliothecam* Juris Canon. alioſque Auctores, laudatos Cl. Suicero *Theſ. Eccl.* voce Ἔκκλητος.

PROVOCATORES, Gladiatorum genus, vide ſuprà, ubi de *Gladiatura*, it. voce *Ocrea*. Aliàs *Probactores*.

PROVOLANTIA Tabulata, apud *Aſconium*, dicuntur quæ in mœnianis prominent & extra columnas ac mutulos extenduntur, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 330. & ſuprà paſſim, inprimis in voce *Prophorum*.

PROXENETA, conciliator, mediator eſt; Apud Hebræos; per Internuncium ſive *Proxenetam*, quem שליח ſeu *Apoſtolum* nuncupant, ſive vir, ſive Pater, ante finitam poteſtatem patriam; ſive puella, poſtquam erat ſuæ, Sponſalia inibat. Nec ſolùm ejus poteſtas, ubi nomen ſive Sponſi, ſive Sponſæ futuræ, ei deſignaretur, locum habuit: Sed & ut Sponſum Sponſamque ipſe pro lubitu ſuo ſeligeret, ſi præſcripta ei eſſet poteſtas, legitima habebatur; verùm ſtrictè admodum obſervanda. Et quidem inſtrumentum, quô *Proxenetæ* poteſtas mandari ſolita eſt, nuncupant שטר הרשאת שידוכין, *Inſtrumentum* ſeu *libellum poteſtatis conjugii contrahendi*. Formula Proxenetæ viri erat, *Ecce tu Sponſa ſis N:* *hôc nummulô*, aut *libellô*. Ubi fœminæ Proxeneta aderat, futurus Sponſus dicebat, *Ecce N. cujus tu internuncius es, Sponſa mihi ſit*; aut *Spondeſne eam mihi?* Cui reſpondebat Procurator, *Deſpondeo eam tibi*, aut *do eam tibi*, aut id genus aliud ſimile. Quemadmodum autem minimè inſciente puellâ, ubi ſuæ erat poteſtatis, ſcribendus erat libellus Sponſalitius, ita nec inſciente ſive Patre, ſive *Proxenetâ*, ubi eorum alteruter partes puellæ ſuſtinebant, &c. Joann. Seldenus, *Uxor. Ebraic. l.* 2. *c.* 3. officium *Proxenetæ*, dicitur *Proxeneticum*, *ff. de Proxenet. l.* 1. & 2. de *arris Proxeneticis*, vide ſuprà: At *Proxeni*, apud Athenienſes, Magiſtratus nomen, de quo vide ſuprà voce *Peregrinus*.

PROXENIADES, nomen inſignis Jactatoris Athenis, unde in proverbium venit καπνὸς Προξενίδης, quòd multa inaniter promittere ſolebat & ſe falsò divitem faciebat. Vide Ariſtophan. *Veſp.* 451. *G.* Scholia videntur legiſſe *Proxenides*. Et ita appellat eum ipſe Comicus *in Avibus* 595. *Nic. Lloydius.*

PROXENUPOLIS, urbs juxta Naucratiam, *Stephan.*

PROXENUS, Bœotus, magnâ apud Thebanos auctoritate & rei bellicæ experientiâ; hoſpes Xenophontis, captus à Tiſſapherne. Vide Polyæn. *l.* 7. *c.* 18. §. 1.

PROXENUS, Commentar. fecit de *Republ. Lacedæmon.* teſte Athenæô, *l.* 6. Item de *Siculis itineribus*, cujus primum citat *Steph. in.* Γέλα.

PROXIMUS, vide *Statius*.

PROXIMUS, idem qui Secundus, nam qui primo proximus, is ſecundus eſt, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1074. Hinc in Scriniis olim Epiſtolarum, Libellorum & Memoriæ, *Proximi* dicti ſunt, qui in ſcrinio quique ſuo primum & principem locum tenebant: quòd Magiſtro Scriniorum *proximi* eſſent, ſeu primi ab illo, *Priores Scri-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nii eos vocat *Cod. Theod. l. de Prox. Can. diſp. In capite Scrinii conſtituti eſſe* dicuntur, *l.* 11. *eod. tit. Principes ſcriniorum* appellantur Lampridio *in Alexandro*, *c.* 15. Adeoque *Proximi* in tribus his ſcriniis iidem erant, qui in aliis officiis *Primicerii.* In ſcrinio verò Diſpoſitionum, primus non *Proximus* dicebatur, ſed *Comes* tantùm ſeu *Magiſter Diſpoſitionum*; ſicque cùm reliquorum Scriniorum primi & *Proximi* dicerentur & *Comitum* titulo ac dignitate ornarentur, hic *Comes* ſolùm audiebat. Omnes tamen Ἀντιγραφεῖς, item *Obſecundatores ſcriniorum* vocabantur & ſuberant Magiſtro ſcriniorum, qui omnia ſcrinia curabat, qualem fuiſſe legimus Ulpianum ſub Alexandro Severo & Papinianum ſub Baſſiano; cùm *Proximus ab Epiſtolis*, ſaltem ſcrinium epiſtolarum; *Proximus à Libellis*, tantùm ſcrinium Libellorum &c. curaret. Vide Salmaſ. eundem *Not. ad Lamprid. in Alexandro Severo*, *loc. cit. Treb. Pollionem in Gallienis*, *c.* 17. & *Flav. Vopiſcum in Caro Imper. c.* 8. Occurrit etiam *Proximus Admiſſionum*, apud Ammianum, *l.* 12. & extat *Epiſtola* 58. Theophylacti Bulgar. inſcripta, τῷ Προέδρῳ καὶ Προξίμῳ τῷ Παντέχνῃ. Vide & Meurſium in voce Πρόξιμος. Dignitas eorum, *Proximatus*: quam ampliſſimam fuiſſe, ex dictis liquet. Qui verò ſequenti annô *Proximi* futuri erant, *Mello proximos* vocatos fuiſſe, diximus ſuprà in hac voce.

PRUDENS Henricus, vide *Henricus.*

Aurelius PRUDENTIUS Clemens, vir Conſularis, Hiſpanus genere ex Cæſar-Auguſta, Chriſtianæ religioni deditiſſimus. Adoleſcentiam & juventutem incontinenter actam ſibi fatetur ipſe & dolet. Septimum & quinquageſimum annum agens, res Eccleſiaſticas variô carminum genere cœpit componere, doctè & eleganter, niſi quòd interdum in vocibus peregrinis, & maximè Græcis, ſyllabarum quantitatem neglexit, quum tamen Græcas illum literas probè tenuiſſe teſtentur librorum ipſius inſcriptiones Græcæ. Floruit Theodoſii Magni, & filiorum ipſius temporibus, Hieronymo & Ambroſio Synchronus. Sæpius prodierunt hujus Auctoris opera, in quorum frontiſpicio Vita ejus habetur. Sunt autem illa, *Pſychomachia*, *Cathemerinon*, ſeu de rebus divinis, *Periſtephanon*, ſeu coronæ martyrum: *Apotheoſis*, ſeu de divinitate: *Hamartigenia*, ſeu de origene peccati: *Enchiridion utriuſque Teſtam. Contra Symmachum*, Præfectum Romæ, qui aram Victoriæ voluit reparare, *libri duo*: *De Creatione Mundi*, quod periit, &c. Vide Walafr. Strab. *de reb. Eccleſ. c.* 25. Aldum Manuc. *in ejus vita.* Lil. Girald. *in Hiſtor. Poët.* Voſſ. *de Poët. Latin.* 4. & *de Hiſtoric. Lat. l.* 2. *c.* 10. &c. Adde Gennadium, *c.* 13. *Cat. Nic. Lloyd.*

PRUDENTIUS Junior pleniùs Galindonus Prudentius, Epiſcopus Trecenſis, poſt Adalbertum; gente Hiſpanus. Arbiter negotiorum maximorum ſui temporis: ab Hincmaro Rhemenſi circa explicationem difficillimorum Scripturæ locorum, conſultus. Scripſit *contra librum Johannis Scoti Erigenis*, &c. Obiit A. C. 861. Flodoard. *Hiſt. Rem. l.* 3. *c.* 21. Canuſat. *Antiq. Trec.* Barthius, *Adverſ. l.* 44. *c.* 19. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4. *p.* 758. *&c.*

PRUINA, ex rore gelido, gignitur, Plin. *l.* 2. *c.* 60. à Poëtis, ut alia hujuſmodi, εἰδωλοποιεῖται, qui oculos ei animumque tribuunt; uti ad Papinium Statium, *Thebaid. l.* 10. *v.* 654. docet Caſp. Barthius. Hinc Val. Flaccus, *l.* 8. *v.* 210.

——— *Hyperboreas movit conſpecta pruinas* &c.

Lucifero aſcribitur. Ovid. *Amor. l.* 1. *El.* 6. *v.* 65.

Jamque pruinoſos molitur Lucifer axes.

Ut & Auroræ. Idem, *l.* 1. *Amor. El.* 13. *v.* 2.

Flava pruinoſo quæ vehit axe diem:

quòd circa id tempus generetur. Idem Barthius, *ad d. l. v.* 321.

PRUMIA, monaſterium, in quo Lotharius Imperator quum rerum curam filiis reliquiſſet, reliquum vitæ tempus exegit. Lege *Prunia*, eſt autem pagus cum Cœnobio, ſeu Abbatiâ in ſylva Arduenna, ad Prumiam fluv. inter Treviros 7. & Limburgum 6. milliar. German. Fano S. Viti proxima, 3. leuc. diſtans. Vulgò *Pruym*: *Baudrando* caſtrum eſt cum Cœnobio amplo, ordinis Benedictini, in ditione Electoris Trevirenſis qui hujus Abbatiæ perpetuus eſt adminiſtrator. Juriſdictionem habet ſatis latam in aliquot pagos vicinos: vix 2. leuc. à confinio Ducatus Luxemburgenſis in Ortum.

PRUMNES, Agelai I. fil. & ſucceſſor, Corinthiorum Rex IV. ex Heraclidis, regnavit annos 35. ſucceſſore Bacchide, quem vide.

PRUNA Damaſcena, in offas & παλάθας condita, è Syria veniebant olim, in alias regiones: unde meminit παλάθης Συριακῆς Athenæus, *l.* 11. Eſt autem παλάθη, *globus prunorum* ſeu *maſſa*, eorum ἐπάλληλος θέσις. Quemadmodum Theophraſtus, de prunis Ægyptiis ſiccatis & nucleo privatis, παλάθας fieri ſimiliter ſcribit *Hiſtor. l.* 4. *c.* 3. Οἱ δὲ περὶ τὴν Θηβαΐδα κατοικοῦντες διὰ τὴν ἀφθονίαν τοῦ δένδρου ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιροῦντες κόπτουσι καὶ ποιοῦσι παλάθας, *Thebaidis incolæ ob arboris fertilitatem, ſiccant fructum, & nucleo exemto —— in maſſas ac globos redigunt.* Statius, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 27.

Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum *globus*, *atque cottanorum*:

apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 764. Vide quoque ſuprà, in voce *Offa*, item *Damaſceni Senes.* Illa verò Damaſcena & magnitudine & præſtantiâ ſuperant *Muiginli* in Sinis, h. e. *mulieris pulcræ pruna*, quorum figura rotunda magis, quàm elliptica aut ovalis, teſte Auctore *Sina & Europa*, *c.* 36. Sed nec eſui ſolùm apta pruna, verùm & coronis olim adhibita, quæ *cyliſtæ* dicebantur. Hinc quidam athleta, prunorum maturorum coronâ ornatus introducitur ab Hipponacte, apud Athenæum, *l.* 2.

Ἐν τῷ σταδίῳ τῶν ἀνταγωνιστῶν μέ τις
Ἔδοξε στεφανοῦν γυμνὸς προσελθὼν στεφάνῳ κυλιστῷ
Κοκκυμήλων, Ἡράκλεις, πεπόνων.

Hujuſmodi namque coronam victoribus quoque impoſitam, ex Plinio etiam diſcimus, *l.* 15. *c.* 13. *Eam quoque eruditiores negaverunt ex Perſide propter ſupplicia translatam; ſed a Perſeo, Memphi ſatam. Et ob id Alexandrum illâ coronare victores ibi inſtituiſſe, in honorem atavi ſui* &c. Vide de iis plura *ibid.* ubi inter alia, apud Romanos, poſt Catonem demum incepiſſe ait, alibique paſſim, ut & ſuprà voce *Acacia.*

PRUSA, quæ PRUSIAS Solino, *c.* 44. *Burſa* Bellonio, *Buruſſe* Turcis, teſte Leunclaviô, urbs Bithyniæ hôc tempore primaria, apud montis Olympi radices, à Nicæa 25. mill. paſſ. in Occaſum diſtans, Cotyæum verſus 60. ex qua pars Bithyniæ *Burſia* nominatur, Epiſcopalis, olim ſub Archiepiſcopo Nicomedienſi, ſed poſteà metropolis facta. A *Pruſia* Rege A. M. 3279. condita; ampliſſima ante Turcarum in Europam adventum regia, ab Othomanno eorum rege capta, A. C. 1327. poſt diuturnam obſidionem, incoliſque dimiſſis regni ibi ſedes poſita eſt. Leuncl. *Hiſt. Turc.* Nicephor. *l.* 7. 8. 9. 10. Hîc Aſclepiades Medicus claruit, qui ſenex lapſus ſcalis interiit, cùm multos ſanitati reſtituiſſet, Plin. *l.* 7. *c.* 37. Hîc etiam Dion Pruſæus, qui ſcripſit *libros* 10. *de Virtute Alexandri M.* &c. *Pruſa* altera, *Pruſias* Ptolemæo, *Cios* Stephano, urbs Bithyniæ maritima Epiſcopalis in orâ, inter oſtia Aſcanii fluv. & Daſcyleum urbem, à quâ parùm abeſt. Pruſiæ magna ceraſorum copia provenit, ut propterea *Cheraſia* vulgò, & *Cherus*, teſte Thevetô, dicta fuerit. *Pruſa* tertia, urbs Bithyniæ mediterranea ad Hippium mont. & fluv. *Pruſias* Straboni, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Claudiopolitano, quam Hylas fluv. & lacus alluunt. *Barech* hodie, ex *tabul. recent.* à priore Pruſa ſupra 50. mill. paſſ. in Boream diſtans. Hinc *Pruſiacus.* Silius, *l.* 13. *v.* 888.

Donec Pruſiacas delatus ſegniter oras.

Baudrand. Pruſa ad Hippium, urbs Bithyniæ, 10. tantùm milliar. ab oſtio Hippii fluv. & ab ora Ponti Euxini & Mariandini ſinus, 70. à priori Pruſa in Boream, uti 60. à Nicea. Primæ deſcriptionem ejus, qualis hodie eſt, accuratam exhibet Cl. Sponius *Itinerar. VII. Eccl. p.* 276. & *ſeqq.* ubi inter alia, ſitum ejus adeò ſublimem, ut inde Conſtantinopolim proſpici poſſit, ſolumque fertiliſſimum, eſſe; præterea Turcarum circiter quadraginta, Judæorum 12. millia, urbem incolere, Armeniorumque & Græcorum etiam quoſdam in ſuburbiis habitare, refert. Vide hîc infrà.

PRUSIAS, qui adverſùs Crœſum bellum geſſit, memoratur Straboni, qui illum *Pruſam* ſub Olympo condidiſſe ait, κτίσμα eam vocans Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 877. & 878.

PRUSIAS, cognomine Cynægus, Bithyniæ Rex fuit, poſt Zeilam fratrem, prudens & ad omnes Fortunæ articulos ſequax, ad quem, poſt memorabilem pugnam ad Magneſiam commiſſam, confugit Annibal, ab Antiocho à Romanis debellato diſcedens: tandem Pruſias Q. Flaminio Romanorum Legato Annibalem prodidit: cuſtodiis ac militibus regis vallatam domum ut ſenſit Annibal, venenum conſumpſit. Pruſias dein victô Perſeô, Romam venit, & ridiculô habitu Senatui indignè adulatus, amicitiam ejus impetravit. Poſteà conſilium cepit occidendi filii ſui, dum minoribus filiis, quos ex noverca ſuſceperat, atque Romæ habebat, favet: verùm à filio præventus ille ipſemet occiditur. Vide Plut. *in Annibal.* Juſtin. *l.* 31. 32. 34. Item Liv. *l.* 45. Polyb. & Corn Nepotem *Vitâ Annibalis*, *c.* 12. Illi ſucceſſit fil. Nicomedes I. quem vide.

PRUSIAS, vide & *Pruſa.*

PRUSSI, ſeu *Boruſſi*, it. *Pruteni*, Germaniæ populi, quorum regio *Boruſſia*, & *Pruſſia.* Vide *ibi.* Ab his crepta repetiit Zemôvitus Polonus, A. C. 892. Cromerus *in Hiſtor. Pol. l.* 2. Conradus dein contra eoſdem, Mazoviam ſuam infeſtantes, Crucigeros evocavit, conceſſô illis Culmenſi tractu, & quidquid inter Viſtulam ac Druentium fluv. interjacet, qui mox ad Viſtulæ ripam Thorunium condiderunt, Idem, *l.* 8. Naucl. *gener.* 41. Circa A. C. 1217. 1231. 1234. Ab his, ut & ab Ottocaro Bohemo, ad religionem Chriſtianam *Pruſſi* adacti, A. C. 1260. cùm jam antea à Boleſlao ritus Chriſtianos ſibi imperatos mox exuiſſent, A. C. 1161. Horum poſteà crudelitate libidineve permoti, confœderationem ad illorum jugum excutiendum inierunt, moxque circiter 70. oppida arceſque unô die deficientes, Caſimiro Poloniæ Regi ſe ſubjecêre, qui Crucigeros non parum attrivit, A. C. 1454. 1466. Cromer. *l.* 22. profugos, ſub Ferdinando, ex Bohemia, paſtores receperunt, circa A. C. 1547. (inter quos Paulus Boſſacus, A. C. 1551. factô functus, Quidzini honorificè ſepultus eſt:) libertate religionis exercendæ, ab Alberto Duce Pauli Sperati precibus conceſſâ, in qua Pella vixerunt hi exules, uſque ad A. C. 1574. Neque ſolùm in Ducali Pruſſia, à præfato Principe, per Speratum, Oſiandrum & Funccium Reformatio feliciter ſuſcepta eſt, Thuan. *l.* 1. Sed & in Regali plurimæ familiæ Euangelium amplexæ ſunt: circa A. C. 1550. Virg. Muſæus de *Euangel. Ortu in Polon.* Turbavit tamen haud parum Eccleſias Oſiander, qui Juſtitiam, per quam homo juſtificatur, eſſentialem Dei juſtitiam eſſe aſſeruit: de qua controverſia Princeps Fratres conſuluit. Laſicius *de geſtis Fratr. l.* 6. Etiam Funccius, ex concionatore aulicus miniſter factus, Alberti ſeniô abuſus eſt, ſed prudentiâ Sigiſmundi Auguſti Regis res compoſitæ, ipſe verò capite luit, A. C. 1566. At A. C. 1574. vetitum Fratribus, ne amplius miniſtris privatis, ſed Polonicis Auguſtanæ Confeſſ. in re divina uterentur, qui proin maximam partem in Bohemiam remeârunt. Poſt Syncretiſmum dein inter Confeſſiones Auguſtanam, Bohemicam & Helveticam, in Synodo Thorunii habitâ, An. 1595. renovatum, exacerbati adverſarii Pruſſiam rurſus turbârunt, Mevæ & Stargardiæ templis ademptis. Hodie maxima ex parte Euangelicæ doctrinæ adhærent. Vide & infrà.

PRUSSIA, ſive BORUSSIA, regio ampla Germaniæ: Poloniæ Baudrand. cum titulo Ducatus ac fertiliſſima. Nomen ejus à *Bructeris* populis derivatum creditur, voce nonnihil corruptâ ac fractâ: Bructeri enim ex Weſtphalia à Chamavis & Angrivariis ejecti, ſecedentes in Sarmatiam conceſſêre, & ad Balthicum mare, domitis aut expulſis Ulmigeris conſederunt. Verùm de Pruſſiæ nomine aliter ſentit Eraſmus Stella, ait enim Boruſſos populos, infelicitate ſuâ concitos, ad novas ſedes capeſſendas, patriâ egreſſos in hæc loca delapſos eſſe, terramque vocabulô gentilitiô *Boruſſiam* appellâſſe, quæ uſque ad hodiernum diem unius literæ ſuppreſſione, *Pruſſia* vulgò dicitur: rei fidem facit, quòd etiamnum populi ad Riphæos habitantes, eôdem parique ſermone, quô hi utuntur. Pruſſi itaque Wigevonum populi ſunt, ad Clylipenum ſinum in Sarmatia Europæa, ac inter Vandalos numerantur: quorum ſedes olim Burgundiones, Varmi, Gothones, Fenni, Æſtii, Stagnani, Sargatii, Sudini, Gelidani, Gillones, Charini, Sullones, Subari, Hulmiferique tenuiſſe feruntur, à quibus etiam hodie pars Pruſſiæ ad Viſtulam *Culmigera* vocitatur. Cromerus. *l.* 3. *hiſt. Pol.* Metel. Munſt. Eraſmus Stella *de Boruſſ. antiq.* Habet, inquit *Baudrandus*, à Septentrione mare Balticum, ad Occaſum Pomeraniam, à Meridie Poloniam inferiorem & Mazoviam, ab Ortu Lithuaniam & Somogitiam. Aliàs ejus partes ſeu Ducatus fuêre XII. à totidem Ducis Veneduti filiis; Prima nempe & maximè Borealis Sclavonia à Sclavone, ubi civitas Ragneta, ad fluv. *Memel*; Secunda Nadrovia, ubi poſteà conditum Georgenburgum, cùm ante nullas urbes haberet. Tertia Natangia, in qua Brandeburgum; Quarta Sambia, ab Ortum, Natangiam attingens, aliter dicta Samlandia, Weitlandia & Auſtrania, in qua Regiomons. Quinta Bartonia, Bartenlandia cum urbe cognomine fortè *Bartenſtein*. Sexta Sudavia Sudavua, Lithuaniæ adjacens: Septima Galindia, verſus Meridiem ubi Ortelesburgum. Octava Varmia, Ermelandia aliàs, verſus Boream, cujus pars ad Epiſcopatum Varmienſem, pars ad Ducatum Pruſſiæ pertinet. Nona Hockenlandia vel Pogeſania, in qua Eibinga, & præcedenti adhæret. Decima Pomeſania, cujus oppid. Mariæburgum. Undecima Culmia, ſeu Ducatus Culmenſis, ubi Culmia Urbs. Duodecima Michovia ſeu Michelovia, ubi Strasburgum. Regio hæc Principes olim proprios habuit, ſed idololatras, uſque ad ſecul. 13. quibus Equites Ordinis Teutonici bellum intulerunt, diturnum & cruentum. Hi Pruſſos ſubjugârunt, qui tamen aliquoties excuſſô jugô ad Paganiſmum reverſi, tandem, cùm ſe Teutonicis viderent impares, Poloniæ Regi ſe ſubmiſerunt, A.C. 1420. Hinc novum bellum, quô tandem Equites victoriâ potiti ſunt. Valterus, Magnus Magiſter Ordinis, Moſcos, Pruſſiam Lithuaniamque ingreſſos, A. C. 1500. feliciter expulit. Poſtmodum Pruſſia Ducalis Principes nacta eſt ab A. C. 1525. quô, abrogatô Ordine Teutonicô, Albertus Marchio Brandeb. XXXIV. & ultimus Ordinis Magiſter, Euangelii doctrinam, à Luthero annunciatam amplexus, ſe Poloniæ Regi ſubjecit, & factus primus Dux Pruſſiæ, ejuſdem clientelari jure, cum poſteris ſuis retinuit poſſidendam partem illam, quæ nunc *Ducalis* dicitur. Nunc igitur Pruſſia in duas partes dividitur, ſcilicet in Pruſſiam *Regiam* Sarmatiæ ocellum & vectigalium officinam, quæ ad Occaſum ſub Poloniæ Rege & *Ducalem*, quæ magis ad Ortum tendit, ſub Electore Brandeburgico, qui haud pridem obtinuit ut ſupremus Pruſſiæ Dominus in poſterum eſſet. Totius Pruſſiæ caput eſt Gedanum, *Dantzick*, quæ etiam Pruſſiæ Regiæ primaria, uti Regiomons Ducalis. De Urbibus Pruſſiæ vide in voce *Boruſſia*. Regio egregia & omnium rerum abundans, ſylvis fluviiſque referta. In hujus litoribus ſuccinum colligitur. Adde prædictis, Gaguin. *in deſcr. Sarmatiæ*. Chytr. *in Saxon.* David. Chytr. *de Ruſſorum relig. de ſacrificiis &c.* Antequam enim nomen dediſſent Chriſto, tria hæc Numina coluiſſe dicuntur; *Peruno*, ſive fulmen, cujus honori è quercu ignis ſervabatur: *Patriumpo*, cujus in honorem ſerpens vivus lacte alebatur: & *Patelo*, cujus ſymbolum hominis demortui erat caput. Eadem gens tres hos Deos venerata eſt, *Vurſchayto*, qui Lar erat ſive Deus domeſticus, ac præerat jumentis & cœteris quadrupedibus: *Sneybrato*, cui cura erat avium: & *Gurcho*, qui cibo potuique præſidebat. Auctor Guagninus Veronenſis *in Sarm. Europæa*, *in Pruſſiæ Deſcript.* ubi & adjungit, prætereà *tonitrui*, *Lunæ*, *ſtellis*, *ſerpentibus bubonibus*, *& omnibus penè creaturis*, *divinum hos honorem detuliſſe*. Vide ſuprà *Pruſſi*.

PRUTHINGI, Zoſimo dicuntur, qui *Grüthungi* Amm. Marcellino, *l.* 27. *Trutungi* Pollioni in *Claudio*, *c.* 6.

PRUVINUM Caſtrum Galliæ, in Briegio pago, vulgò *Provins*, ad fluv. Voſiam *la Vouſie*: caput pagi *Pruvienſis*. Optimos habere incolas dicitur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hinc *Pruvinenſis Moneta* dicta Comitum Campaniæ, quòd ibi cuderetur, Car du Freſne *Gloſſar.* voce *Moneta*.

PRYLIS, Græce πρύλις, ſaltationis bellicæ genus: Ita enim Voſſius, *l. de* 4. *Artibus Pop. c.* 3. §. 51. *Saltationis bellicæ genera erant*, Βρυαλλιχαὶ, Καπρέα, Κολαβρισμὸς, Πρύλις, Πυῤῥίχη Τελεσίας; quæ ſingula, ex Veterum monumentis, prolixè excutit Jo. Meurſius *in Orcheſtra*. Et quidem Lacedæmoniis non niſi eam ſaltationem placuiſſe quæ ad bellum conduceret, diſcimus ex Fabio Quintiliano, *Inſtitut. Orator. l.* 1. *c.* 11.

PRYMINAS, ſeu PRUMNES, IV. ex Heraclidis Corinthiorum Rex, ann. ante Urb. Cond. ferè 240. Vide *Prumnes*.

PRYMNESIA, urbs Mœoniæ in finibus Lydiæ, ſive Phrygiæ ac Myſiæ. *Steph.* à Mimætho condita. Nunc jacet.

PRYMNO, US, Nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Heſiod. *in Theog. v.* 350.

PRYSLUS, ſic quidam Diodori codices pro *Grylus*, Chalcidenſis, vicit Olymp. 112.

PRYTANEIA, numerus erat apud Athenienſes dierum triginta quinque. *Harpocration*, Ἔστι δὲ ἀριθμὸς ἡμερῶν ἡ πρυτανεία ἤτοι τριάκοντα ἓξ, ἢ τριάκοντα πέντε: Unde in quinque hebdomadas diſtribuebatur, ſecundùm quam 50. *Prytanes* ſingularum Tribuum in quinque decurias diſtinguebantur; quæ res ut meliùs intelligatur, altiùs arceſſenda eſt. Conſtituit Solon, ut quotannis ſummæ præeſſet Reip. Quadringentorum Senatus, non ductô variis ordinibus numerô, ſed e quatuor Tribubus: Auctô dein ſive in ordinem redactô Tribuum, quæ decem fuerunt, numerô, è Quadringentis facti ſunt Quingenti Senatores, de quibus infrà. Ex unaquaque enim Tribu quinquageni Viri ſorte ducebantur, qui ætate eſſent Senatoriâ, annô triceſimò definita: neque hi ſolùm, ſed etiam præter eos quinquaginta alii ſuccidanei, in hunc finem, ut ſi primi illi, aut ex illis unus aliquis, vel probaretur minùs, vel intra ſuæ πολιτείας annum moreretur, in illorum locum ſufficerentur iſti, quibus ſors obvenerat. Hi quinquaginta, ex unaquaque Tribu ſorte capti Senatores, Πρυτάνεις dicebantur: Sorte autem Tribus ductæ imperabant, ſibi invicem ſuccedentes; ita ſingulæ Tribus implebant ſuas *Prytaneas* imperabantque dies triginta quinque, teſte Ulpianô *in Androtianam* idque continuò, non ſingulæ ſuam per orbem ἐφημερίαν, ut heri ἡ Αἰαντὶς, hodie ἡ Κεκροπὶς, cras ἡ Ἀκαμαντὶς, quæ ſententia *Scaligeri* fuit. Apud Demoſthenem enim *in Timocratea*, Tribum Pandionidem clarè patet, duos continuos dies imperâſſe, quod adhuc magis confirmatur, ex Antiphonte ἐν τῷ περὶ τοῦ Χορευτοῦ, ſed quinquaginta hi unius Tribus *Prytaneis* ſimul non imperabant ſuam 35. dierum *Prytaneiam*, ſed cùm hæc, ut dictum, in quinque hebdomadas diſtribueretur, in totidem Decurias ſorte hi 50. diſtribuebantur *Prytaneis*, & prima decuria ſuam imperabat hebdomadem, ſecunda ſecundam atque ita deinceps ordine ſorte ductô, dicebanturque illi decem, qui in ſua hebdomade præerant, *Proëdri*. Hi verò inter ſe ſortiebantur regna ſeptem illorum hebdomadis dierum, quibus præerant, adeoque fiebat, ut è decem ſingularum hebdomadum Proëdris tres ſupereſſent qui ſuum non imperarent diem; is autem, qui ſuum imperaret diem, vocabatur Ἐπιστάτης, qui penès ſe, quum regnaret, habebat claves Ærarii ac Tabularii, itemque ſigillum publicum. Quatuor autem illi τῶν Ἀρχαιρεσιῶν dies, qui anno Lunari perficiendo, poſtquam 35. dierum, quibus quælibet decem Tribuum ordine ſorte ductô præfecta fuerat, ſupererant, imputabantur quatuor Tribubus, quæ primæ imperaverant, *Suid.* Vide de his plura apud Sam. Petitum *Com. in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 1. & infrà *Quingenti*. Sed & alii *Prytanes*, apud Auctores occurrunt, appellatione ab Athenienſibus mutuatâ. Uti enim in integra aliqua provincia, Aſia putà, Lycia, Syria &c. Ludorum tempore legebantur Munerarii Sacerdotes, qui conſeſſus & conſilii totius provinciæ Primates habebantur, & Magiſtratum gerebant, inde *Aſiarchæ*, *Lyciarchæ*, *Syriarchæ* &c. dicti: Sic in ſingulis oppidis & municipiis, hujuſmodi Sacerdotes capi ſolebant, ad Ludos edendos, qui & *Primores* & *Principes urbis*, vulgò *Flamines* Latinis, audiebant: Græcis Ἱεράρχαι & Ἱερομνήμονες & Πρυτάνεις dicebantur, ut docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 805.

PRYTANEUM, placet hîc adſcribere Etymologici magni verba, quæ ſunt: Τόπος ἦν παρ' Ἀθηναίοις, ἐν ᾧ κοιναὶ σιτήσεις τοῖς δημοσίοις εὐεργέταις ἐδίδοντο, ὅθεν καὶ Πρυτανεῖον ἐκαλεῖτο, οἱονεὶ πυροταμεῖον. Πυρὸς γὰρ ὁ σῖτος· τουτέστι τοῦ σίτου δημοσίου ταμεῖον. Locus erat apud Athenienſes, in quo cuilibet ex populo, benè de Rep. merito, alimenta præberi ſolebant. Unde & *Prytaneum* appellabatur, quaſi *frumenti horreum*. Eſt enim πρυτανεῦσαι nihil aliud, quàm Ταμιεῦσαι, & πρύτανις ὁ σιτοφύλαξ. In hoc ipſo loco, ut ſibi in poſterum alimenta ſuppeditarentur, quoad viveret, dixit ſe meritum Socrates propediem moriturus. *Suidas*: Πρυτανεῖον παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις οἰκίσκος δημόσιος, ἔνθα ἐσιτοῦντο δημόσια οἱ τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες· ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι, τὴν τοιαύτην ἀπεδίδοντο χάριν. Nic mirum, quòd Scholiaſtes, *in Ariſtophanis Pace*, prodiderit: ὅτι χρησμολόγοι μετεῖχον τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. Atque hic faciliùs intellexerit quilibet, cur ſcripſerit Plutarchus, *Sympoſ.* 4. *Probl.* 4. Cimonem Athenienſem liberaliſſimum virum præſtitiſſe domum ſuam πρυτανεῖον κοινόν. *Fungerus*. *Dionyſ.* πρυτανεῖα vocat Curias, in quibus ſacra fiebant ab iis, qui maximam in urbe habent poteſtatem. Theocritus, *Idyll.* 21.

—— Τὸ δὲ λυχνίον ἐν Πρυτανείῳ
Φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγραν τοῦδ' ἔχειν.

Ubi *Palmerius*: Mutat vir doctus (inquit) legendo ἄγαν, & credit omnem hujus loci obſcuritatem hâc mutatione illuſtrare. Sed fateor, me non capere, quid velit per hæc verba, quæ ſubjungit: *Conqueritur piſcator ille obiter*, *& ſignificat ocioſum ſe planè*, *& longè opulentiam à ſe abeſſe*; *non eſſe tamen quòd ſollicitus ſit*, *cùm* τὸ λυχνίον ἐν πρυτανείῳ *ſit*, *quod quidem* λυχνίον *ſemper habet* τὸ ἄγαν. *Intelligit Lychnum*, *qui Athenis in gratiam Vulcani* πῦρ ἀθάνατον *habebat*, *ſicut Romanorum Veſta*. In quibus verbis non video, quomodo conveniat piſcatori egeno & Siculo ſe conſolari ob perpetuitatem ignis, qui Athenis in Prytaneo ſervabatur. Plura ad hunc locum doctiſſimus Caſaubonus, qui nihil mutat, & meliorem ſententiam exhibet, ſed tamen, quæ non uſque vera mihi videtur, & mihi non ſatisfacit, nec tamen aliquid habeo quid dicam. Meræ mihi ſunt tenebræ, hic locus Saliari carmine obſcurior, accedant alii & lucernam accendant. *Lloyd*. In Prytaneo Arceſilaus nimiô potu ſuffocatus eſt. *Ferrar.*

PRYTANICÆ Veſtes, vide infrà *Verbera*.

PRYTANIS, Euryphontis fil. Spartæ Rex, à Proclo IV. ſucceſſit patri, Labotâ ex Agidis regnante. Sub his primùm Argivis bellum indictum. Ei ſucceſſit fil. Eunomus, Pauſanias *Lacon.*

PRYTANIS, Europi fil. pater fuit Lycurgi, Lacedæmoniorum Legiſlatoris, Salmaſ. *ad Solin. p.* 16.

PRYTANIS, nomen Magiſtratus apud Corinthios, qualis fortè Archontum Athenis. Poſt Teleſtem enim Regem de quo infrà.

ſtà, *nullus deinceps Rex erat, ſed Prytanes* (& ipſi) *ex Bacchiadarum gente annuum Magiſtratum gerebant*, Pauſan. *l.* 2. uſque ad Cypſeli tyrannidem per annos 124. ut vult Helvicus, XC. ut habet *Diodorus* apud *Syncellum*. Cùm verò collecti Regum XI. Prytanumque anni (qui ſunt 417.) initium Cypſeli non attingant, conjicit Marſhamus, Regem unum, qui ante Bacchin regnaverit annos circiter 30. apud Diodorum deſiderari. Ponitur enim *Automenes Prytanis* primus (quem alii *Regem* adhuc nominant) ab Euſebio Olympiade illâ, quæ Corœbi victoriam præceſſit. Adjice Prytanum annos 90. habes annos Attic. 892. & Olympiadem XXII. à qua ad Cypſeli tyrannidem hiatus, eſt Olympiadum 9. de quo præfat. Marſham. *Chron. Canone ad Sec. XVII.* quære etiam hîc paſſim, vocibus *Automenes*, *Bacchis*, *Teleſtes*; uti de Magiſtratu cognomine apud Athenienſes voce *Prytaneia*. Addam *de Prytanibus Corinthiis* locum Æliani, ubi διὰ τὴν τρυφὴν, *per luxuriam immoderatam* Bacchiadarum principatum, quum ad ſummam potentiam perveniſſet, diſſolutum eſſe ait, *Var. Hiſtor. l.* 1. *c.* 19.

PRYTANIS, Ponti fluv. *Arrianus.* Vide ſis ibi Stuckium.

PRYTANITIDES, dictæ ſunt olim viduæ illæ, quæ tum alibi in Græcia, tum Athenis inprimis, ſacrum Veſtæ ignem cuſtodirent. Ita enim Plut. *in Numa*, Τῆς Ἑλλάδος, ὅπου πῦρ ἄσβεστόν ἐστι, ὡς Πυθοῖ καὶ Ἀθήνησιν, οὐ παρθένοι, γυναῖκες δὲ πεπαυμέναι γάμων ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν, *In Græcia, ſicubi ſit æternus ignis, ut Delphis & Athenis, non virgines, ſed viduæ, quarum ætas ad iterum nubendum præteriit, curæ ejus præfici ſolent.* Nempe vivebant ἐν πρυτανείοις, unde illis nomen Πρυτανεῖα namque dixêre loca Veſtæ ſacrata, quaſi πυρὸς ταμιεῖα, ut apud Pindari eſt *Scholiaſtem*, quoniam in iis ignis, h. e. lucerna ardens cuſtodiretur, diu noctuque, ne defectu olei extingueretur. Pindarus *Nem. od.* 11. *Ariſtagoræ Prytanis Tenedii honori ſcriptâ*:

> Καὶ Ῥέας ἅτε πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία,
> Ζηνὸς ὑψίστου κασιγνήτα, καὶ ὁμοθρόνου Ἥρας.
> *Filia Rheæ, cui ſortitò obvenêre Prytanea, Veſta,*
> *Jovis altiſſimi ſoror, & eôdem ſoliô conſidentis Junonis.*

Ubi Scholiaſtes, *Ajunt, Veſtam obtigiſſe Prytaneis, quoniam foci publici conſtituti ſunt in Prytaneis, inque iis reponitur Ignis, qui ſacer nuncupatur.* Poſteà, geminum adducit etymon *Prytanei*, ac repetit, quod dixerat, ἱδρῦσθαι ἐν τοῖς πρυτανείοις τὴν Ἑστίαν; *conſtitui in Prytaneis Veſtam.* Æſchylus *Prytaneum* hoc *Supplicibus* vocat βωμὸν καὶ ἑστίαν χθονὸς, *aram ac focum terræ*: ipſumque Regem nuncupat, Πρύτανιν ἄκριτον, h. e. ἀνυπεύθυνον. Dion. Halicarn. *Antiqq. l.* 2. Ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς, inquit, πρυτανείοις, ἑστία κοινὴ τῶν φρατριῶν, *In Græcorum Prytaniis communis eſt focus omnibus curiis.* Etiam Athenæus *l.* 4. ſolitos Naucratitas ἐν τῷ πρυτανείῳ δειπνεῖν γενεθλίοις Ἑστίας πρυτανίτιδος, *in Prytaneo convivium celebrare die natali ejus, quæ ſacris Veſtæ præeſſet*, refert. Vide Gerh. Joh. Voſſium, *de Idolol. l.* 2. *c.* 5. Videntur hæ mulieres plerîſque Viris doctis aſſervâſſe hunc ignem in rogo ligneo, ſemper in combuſtorum locum nova ligna adgerentes: Licetus tamen illum in lucerna exarſiſſe, ex Plutarcho contendit, *de Lucernis Antiqq. l.* 1. *c.* 28. Imò geminum in *Prytaneo* extitiſſe perpetuum ignem ſacrum, ait, *l.* 4. *c.* 45. alterum, à Pauſania deſcriptum, qui arſerit in lignis ſuper aras ad ſacrificia comburenda: alterum à Plut. ſuprà commemoratum, in lucerna, Viduarum præfatarum cuſtodiæ demandatâ. Sic in Tarentinorum Curia ſeu *Prytaneo* candelabrum poſuiſſe Dionyſius junior, in quo tot arderent lucernæ, quot anni dies ſunt, legitur apud Athen. *l.* 15. *c.* 19. ex more Veterum qui delubra penſilibus lychnuchis exornare conſuevêre, ut Caſaubonus annotavit ex Plinio, *l.* 34. *c.* 3. Et quoniam maxima cum religione ſolitum caveri, ne olei defectu lucerna extingueretur, hinc Proverb. *Lychnus in Prytaneo*, ad denotandam alicujus rei perpetuam & inexhauſtam copiam. Vide iterum Licetum, *l.* 6. *c.* 112. *Operis præfati* ut & in voce *Prytaneum.* Nec omittendus Pauſaniæ *in Eliacis prior.* locus, qui ſic habet: *At in ipſo Prytaneo, quum ad eam acceſſeris cellam, ubi focum habent, ad primi ingreſſus dexteram Panos aram videas. Focus ille è cinere ſubſtructus, perpetuo igni tam interdiu, quàm noctu, adoletur: è quô locô ſolenne eſt tranſportari cinerem ad* Olympii *aram, quam ſuô locô cinere congeſtam diximus; neque illa aliunde magis in altitudinem proficit. Et ad earum, quas hactenus enumeravimus, ararum ſingulas, quôlibet menſe Elei ſacra faciunt, priſcô Parentum ritu, thura & melle ſubactum triticum adolentes: & aras quidem oleaginâ fronde velant, vinô in libando utuntur.* De Tribunali Athenienſium τῷ ἐν πρυτανείῳ, vide ſuprà voce *Dicaſteria*: uti de publica σιτήσει in *Prytaneo*, præmio victorum in Ludis, ſacris, aliorumque bene meritorum hîc paſſim, ubi de *Muſeis*, *Olympionicis*, *Opificibus*, *Præmiis*, it. voce *Victor* &c.

PRZEROVIA, oppid. Moraviæ, ubi Matthias Convaldenſis, unus ex Bohemicæ Eccleſiæ Senioribus magni nominis, obiit ſub initium Seculi 15. Laſicius *de geſtis Fratr. l.* 4.

PRZIBRAMIUS, Johannes, vide *Johannes.*

PS. in nummis Licinii, *percuſſa Siſciæ*, Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmat.*

P.S. in notis Antiquorum, *Poſuit ſibi*: P. S. *plebiſcitum*: P. S.F. *publicè ſibi fecit*, vel, *publicæ ſaluti fecit*: P.S.F.C. *publicæ ſaluti faciendum curavit*, vel *Publico*, vel, *propriô ſumtu faciendum curavit*: PSC. *plebiſcita* &c. ſignificat &c.

PSACHNION, Græcè ψάχνιον, in *Collectaneis* Anaſtaſii *in exil. S. Martini Papæ, Et continuò exclamans Sacellarius, quendam adſtantium excubitorum tonſorem præcepit ſine mora auferre* pſachnion *Summi & Apoſtolici, atque præcipui Paſtoris*; ſeu, ut Sirmondi editio præfert, *Summi & Apoſtolici Chriſtianorum.* Et inferiùs. *Cùm incidiſſet* pſachnion *beati Viri Excubitor & corrigiam campagorum ejus, ſtatim tradidit eum Sacellarius Præfecto Urbis, dicens. Tolle eum Domine Præfecte & continuò membratim incide illum*: Dominico Macro deducitur à voce ψῆγμα, quô denotatur id quod radendo ademtum eſt, adeoque ſignificat *calvarium ſive calvariam partem capitis, ubi formatur Clericalis corona.* Coronam nempe ejus, in ſignum execrationis, recidi juſſit Sacellarius, quò ſic degradatus brachio ſeculari tradi poſſet. ° Unde mox Anaſtaſius, *Statim tradidit Sacellarius Præfecto urbis dicens, Tolle eum Domine Præfecte & continuò membratim incide illum.* Car. du Freſne *Sacchioën* legendum putat, ex Græco-barbaro σάκκιον; nam *ſaccus* Patriarcharum fuit veſtis. Baronius, *A. C.* 651. *num.* 12. & 13. ait, fuiſſe cingulo junctam compagibus peram (Græcis σαγὶς) quam ad libellos oblatos recondendos potiſſimùm geſtare Pontifices ſolebant. Quam ſententiam Macer refellit pluribus; in eo tamen cum Baronio conſentit, quòd voce hâc non ſignificetur ſtola ſeu pallium, cùm, poſt inciſum demum *Pſachnion*, veſtibus ſuis à carnificibus diſpoliatum Martinum ſigillatim Anaſtaſius narret. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* & utrumque Macrum *in Hierolex.*

PSACUM, Cretæ promunt. Ptol. *Capo Spada* Nigro, in ora Boreali, ubi incipit, Occidental. inter Ciſamum & Dictamnum.

PSAGDA, ψάγδας, idem cum *Sagda*, Σάγδας, quod utrumque occurrit apud *Athenæum* & gemmam ſimul ac unguentum denotat; à cujus colore viridi gemma fortè nomen accepit. Quemadmodum *Myrrhites* dicitur, qui myrrhæ colorem habet; *Libanochrus*, qui thuris; *Stactachates*, qui ſtactæ &c. Sic autem de Sagda gemma Solinus, *c.* 37. *Sagda à Chaldæis uſque ad nos fluxit, haud facilis repertu, niſi, ut perhibent, ipſa ſe capeſſendam daret: namque ingenita ſpiritus efficacia, ſupermeantes naves è profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, ut niſi abraſâ parte ligni ægrò ſeparetur: Ea* Sagda apud Chaldæos, *propter effectus, quos ex ea ſciunt, habetur in loco principe, cæteris propter gratiam magis complacet jucundiſſimè virens.* Quæ maximâ parte ex ingenio confinxiſſe Solinum, conjicit Salmaſ. cùm pro his omnibus Plinius, unde alia ſumſit, hæc tantùm habeat, *l.* 37. *c.* 10. *Sagdam Chaldæi adhereſcentem navibus inveniunt, praſi coloris.* Vide eum *ad Solin. p.* 706.

PSALIA, Græcè ψάλια, apud Strabonem, *l.* 4. Τέλη δὲ οὕτως ὑπομένουσι βαρέα τῶν τε ἐξαγομένων εἰς τὴν Κελτικὴν ἐντεῦθεν καὶ τῶν εἰσαγομένων ἐνθένδε· ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ἐλεφάντινα ψάλια καὶ περιαυχένια καὶ λυγγούρια, καὶ ὑαλᾶ σκεύη, καὶ ἄλλος ῥῶπος τοιοῦτος, *Vectigalia autem gravia rerum exportandarum in Galliam, vel inde importandarum non ſuſtinent. Sunt autem iſta eburnea* Pſalia *& torques & vitrea pocula & alia hujuſmodi mictiles ac minutæ merces*: ſunt ornamenta equorum, viriolæ ſeu fræna. Uti enim merces Britanniæ, de hac enim loquitur Geographus, quæ exportabantur, erant pelles, canes venatici, aurum, argentum & ferrum: ſic quæ importabantur, erant ἐλεφάντινα ψάλια &c. Diſtinguunt quidem vulgò Grammatici, inter ψάλια & ψέλια; ut ψάλιον *de fræno equi* dicatur, ψέλιον *de viriola.* Sed Auctores hæc diſcrimina non raro inſuper habent. *Heſychius*, ψάλια, κρίκοι, δακτύλιοι, In *Epigrammate* Græco,

> —— ὁ ψελιώσας ἵππον,
> *frænans equum* &c.

Latini *viriolas* vocant. Gloſſæ *Viriola*, χλανίον, ψέλιον, περιχείριον. Sunt autem viriolæ κρίκοι, i. e. *circelli*, ex ebore plerunque fieri ſoliti. Salmaſ. *ad Solin. p.* 245. Vide quoque infrà, in voce *Pſellia.*

PSALLENDA, in Ritu Ambroſiano, dicitur Antiphona illa, quæ in fine Laudis & Veſperarum recitatur, in *Eccleſia Romana* pro commemoratione alicujus Sancti, Dominic. Macer. *in Hierolex. Pſallentium* verò & *Pſallentia*, in eadem Eccleſia, cantus Eccleſiaſticus eſt. *Ibid.*

PSALLENTES, qui & *Pſalliani*, vide hîc infrà.

PSALLIANI, Hæretici, *Euchitæ*, *Maſſaliani*, memorati Auguſtino *Hæreſ.* 57. Vide ſuprà *Precatores*, nec non in voce *Pſallentes.*

PSALLOCITHARISTÆ, apud Sueton. in *Domitiano*, *c.* 4. ubi alii legunt *Pſilocithariſtæ*, quod vide.

PSALMELLUS, in modò dicto Ritu, dicitur *Graduale*, ſeu Antiphona, quæ poſt Epiſtolam cantatur; quia penès Ambroſianos quoddam reſponſorium ſignificat, quod in Matutino Feriali Quadrageſimæ recitatur, ut ait Macer. *in Hierolex.*

PSALMI, vox ſacra. Horum ſignificatio laxa admodum eſt, cùm libri Canonici V. T. in Moſen, Pſalmos & Prophetas dividuntur, Strictiùs vocem uſurpant, qui illam ad denotandos 5. libros Poëticos, Jobum, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten & Canticum, adhibent. Per excellentiam, pro *Pſalmis Davidicis*, quorum 150. frequentiſſimè ſumitur. In hos, *in univerſum*, vel partes extant: Æretii *Tractatus*, in St. Lipſiæ A. C. 1574. Æpini *Enarrationes*, in 8t. Francof. 1555. Agathias. Agelii *Commentar.* in fol. Romæ 1607. Alcuinus. Aleſius. de Aliaco. Amelry. Ameſii *Lectiones.* in 8t. Amſtelod. 1658. Amyraldi *Paraphraſis cum Annotat.* Salmurii 1662. Anaſtaſius. Ansbertus. Antonius. Apollinaris. Aquaviva de Aquino. Arcularius. Arnobius. Artopæus. Aucherius. Avendano. Auguſtini *Tractatus.* de Avila. Ayguanus. Backii *Comment.* Backmeiſteri *Explicatio Pſ.* 16. 21. 22. in 8t. Roſtochii 1605. Baro. Baſilii *Homiliæ.* Barbarus. Baumbach. Beckii *Analyſis Pſ.* 2. in 4to, Baſileæ, A. C. 1618. Beda. Bellarminus. de Bello Viſu. Benzonius. Berna. Bernardi *Sermones.* Beri *in Pſ.* 118. 141. Baſileæ A.C. 1551. Beumlerus. Bezæ *Paraphraſis.* Bocchii *Obſervationes Phyſ. Ethic. Polit. Hiſtor.* in 8t. Antv. Plantin. Bonaventura. Botta. Bovillus. Car. & Franc. Bourdoloſius. Brandmylleri *Conciones.* Bredenbachii *Commentar. in Pſ.* 69. *prior.* in fol. Col. 1560. Brentii *Decades* 11. Brunones tres. Buceri *Explan.* fol. per Rob. Steph. 1554. Buchananus. Buchius. Bugenhagii *Expoſitiones.* fol. Baſil. 1524. Buonriccius. Bythneri *Lyra Prophetica.* in 4to. Londini 1664. Calderarius. Calovii *Annotat.* Calvini *Comment.* in fol. Cambellanus. Campenſis. de Carolis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rolis. Caſſiodorus. à Caſtro. Cheekus. Cholinus *in Pſ.* 51. in 4to. 1612. Chryſoſtomi *Homiliæ*. Chytræus David & Nathan. Ciconia. Cnifius. Coccejus. Cognatus. Colerus. Colius. Contarenus. Cooperi *Expoſitio Pſ.* 51. & 119. Coppenii *Notæ*. in 4to. Heidelb. 1619. Corderius. Cornerus. Cramerus. Crommius. Cruciger. Crucius. Cubicularius. Delrio. Deucerus. Didymus. Draconites. Drieſchii ſeu Druſii *Fragmenta & Interpr. Gr. in* 4to. Antv. 1581. Dubravius *in Pſ.* 5. Duporti *Metaphraſis metrica*, in 4to. Cantabrig. 1666. Eberardi *Explicatio Pſal.* 31. 90. 133. in 8t. Witeb. 1572. Engerdus. Epiphanii *Sylloge Interpretum*. in fol. Baſil. 1588. Ephrem. Eraſmi *Enarration*. Eſpenſæi *Comm. in Pſ.* 130. Euſebius. Euthymius. Fabri *Pſalterium quintuplex*. fol. Col. 1541. Fabricii *Conciones*. Pajus *in Pſ.* 49. *&* 87. in 8t. Genev. 1609. Felinus. Fevardentius. Figueiro. Finckii *Meditationes, in Pſ.* 11. *priores* in 12. Jenæ 1618. &c. Flaminii *Paraphraſis & Notæ*. Flamma. Folengius. Ford. Formicarius. Fornerius. Frobenii *Analyſis Pſ.* 34. in 4to. Witeb. 1591. Gagneius. Geileri *Prælectiones*. Genebrardus. Gerardi *Annotationes*, in 4to. Geſnerus. Ginnaſius. Godeau. Golerus *in Pſ.* 119. Germ. Gomezius. de Granada. Graphæus, Grevii *Conciones*. in 8t. Brixiæ 1600. Gregorii Nyſſ. *Comm. in Pſalmorum Inſcriptiones*. Grynæi *Enarratio Pſ.* 19. 110. 133. in 8t. Genevæ 1579. Gualtheri *in Pſ.* 94. *priores Homiliæ*. Guilielmi. Haberkornii *Conciones*. Greſſæ. 1672. in 4to. de Hales. Hamondus. de Harentals. Haymo. Helmichii *Analyſis*, in 4to. Amſtel. A. C. 1621. Hemmingii *in Pſ.* 21. *priores Pſ.* 25. 81. 84. *Enarrat.* Hempelii *Pſalterium*. in 8t. Witeb. 1596. Herbornæ. Heresbachius. Heshuſii *Comment.* fol. Helmſtad. 1586. Heſſus. Hieronymus. Hilarius. Hildershami *Theologia Pract. ſeu Concion. in Pſ.* 51. *v.* 9. *pr.* Angl. & Belg. in 4to. Hilleſemii *Meditationes, in Pſ.* 15. *priores Pſ.* 65. 133. Antver. & Colon. Hoë *Explicatio Pſ.* 8. 110. Hofmannus. Honorius. Hopperi *Paraphraſis*, in 8t. Antv. Plantin. Ejuſdem *de uſu Pſalmorum lib.* Hoppii *Elucidatio Pſ.* 128. in 8t. Gorlitz. 1578. Hormoldus. Hulſii *Notæ*, in 12. Lugd. Bat. 1655. Huſſi *Enarrat. Pſ.* 108. *ad* 118. Hyperii *Expoſitio Pſ.* 12. 20. 22. Marp. 1542. Janſenii *Commentaria*, in fol. Antv. 1614. Janſonius. Idiota. de las Infantas. à Jeſu Maria. Joachimi *Pſalterium* 10. *Chordarum*, in 4to. Venetiis. R. Joël ben Schuaf. Jonſtoni *Paraphraſis*. Jorgius Dori. Joſeph aben Jechija. Julius. Junii *Enarr. in Pſ.* 4. *priores, dein* 101. 122. 123. Juſtinianus. Lake *in Pſ.* 1. *&* 51. Angl. Londini A. C. 1629. Lameti *in Pſ.* 26. *priores* in 8t. Pariſ. 1548. de Lavel. Leigh *in Pſ.* in fol. Londini 1657. Lindanus. Lippomannus. Lombardus. Loniceni Ἐξήγησις. Longlandi *Sermones* in fol. Lond. A. C. 1518. Lorinus. Loſſius. Ludolphus. Lutheri *in Pſalmos* 22. *priores &c.* Maçon. Magnetius. Major Georh. & Joh. Maldonatus. Malvendus. Marcellinus. Marcellus. Marloratus, in fol. Martinius. Medraſch tehillim. Melanchthon *in Pſ.* 2. 34. 100. *uſque ad* 133. Meronus *in Pſ.* 145. Metropagita *in Pſ.* 11. *&* 109. Pragæ 1591. Meurſii *Meditationes in Pſ.* 116. *& in partes* 3. *priores Pſ.* 119. in 12. 1604. Michaëlis *Decachordon*. Colon. A. C. 1600. Molinæi *Meditatio in Pſal.* 123. Molleri *Enarratio* in fol. Genev. 1661. Montani *Elucidat. in Pſ.* 31. *priores* in 4to. Antv. A. C. 1574. 1605. Morlinus. Moureti *Pſalterium* in 8t. Pariſ. 1586. de Muis *Comm. lit. & Hiſtor.* fol. Pariſ. 1650. Muſculus. Myconii *Enarratio Pſ.* 101. Bremæ 1548. Mylii *Meditationes in Pſ.* 23. Naclantus Nancelius. Naogeorgius. Nauſea. Nicetas. Nobiſius. Nicolſoni *Expoſitio*, Angl. in fol. Lond. 1662. Oecolampadii *in Pſ.* 73. *ad* 79. in 8t. Baſil. 1543. Origenis *Homiliæ in Pſ.* 36. 37. 38. Oſiandri *Annotationes*, Oſorius. Oſwaldus. Palanterius. Pampolitanus. Panicarolæ *Paraphraſis*. Parez. à Paſtura. Pelargi *Explicationes Pſ.* 16. 22. 29. Peregrini *Diſcurſus in Pſ.* 51. Ital. Bononiæ 1579. Petavii *Paraphraſis Græc.* Pezelius *in Pſalmos graduum*, in 8t. Brem. 1602. Pictorius. Picus. Piſcatoris *Comment.* 8t. Pitiſci *Idea Conc.* in 4to. Francof. 1620. Pizza. Polanus *in* 14. 15. 16. 22. Porretanus. Pozo. Pricæi *Comment.* de Primis. Proſper. Pulfictus. Puteani *Catena Patr.* in fol. Pariſ. 1530. Radmannus. Rapicius. Rathbertus. Regius. Remigius. Renaudianus. Renneccherus. Reuſſius. Riveti *Enarrationes in quoſdam Pſ.* Rollocus. Rudingerus. Ruffinus. Sacratus. Sadeelis *Meditationes in Pſalm.* 32. Sadoletus *in Pſalm.* 50. *&* 93. Sampſonus. Sanctius. Sangrinus. Savanarola, *in Pſalmos* Ital. in 8t. Venet. 1543. *In Pſ.* 50. 70. 79. *Comment.* duodec. Tubingæ 1621. Scepræi *Connexio liter.* in 4to. Romæ 1591. Scheræus. Schnepſius Erhard & Theod. Sculteti Abr. *Idea Concion.* Sculteti Jac. *Analyſis Log. Rhet.* in 8t. Witeb. 1619. Siberus. Sixtus Senenſ. Slotanus. Sohnii *Expoſitio, à Pſ.* 58. *ad* 69. *& Pſ.* 110. 130. in 8t. Sigenæ 1598. Stampelius. Stella. Stephanii *Pſalterium quintuplex*, in fol. Pariſ. 1513. Stöckle *Clavis* in 8t. apud Comelin. 1604. Strigelius. Sylveſtranus. Szegedinus. Tarnovii *Comm. in Pſ.* 10. *priores* in 4to. Roſtochii 1628. Tegetmeierus Temple. Titelmannus. Theodoreti *Commentaria*. Toletus. Toſſani *Dictionar. & in Pſ.* 2. *Prælectiones*. Treminius. de Turre Cremata. Tuſcanus. Tyraboſchus. du Val. Varlenius. Velaſquez. Vetterus. Vicarſius. de S. Victore Hugo & Richardus. Vitalis à Furno. Vitus Nic. & Theod. Vives. Ulenbergii *Paraphr. Pſ.* 90. Coloniæ A. C. 1591. Waſeri *Analyſis Pſ.* 110. Weitweiler. Wellerus. Werſtemius Wicelii *Notæ*. Col. 1530. Widebrami *Pſalterium*. Wigandus. Winerus. Willotus. Wirthenbergius. Witlingius. Wolfius *in Pſ.* 94. *ad finem*. Zamariel *in Pſ.* 31. Gall. in 8t. Zechneri *Analyſ. Exeget. &c. Pſ.* 20. octav. Zichemii *in Pſ.* 40. Ant. 1556. Zuingerii *Analyſis Pſalm.* in fol. 1600. Zuinglii *Explicatio*, &c. Vide Crowæi *Elenchum Scriptorum*. In *Pſalmos Pœnitentiales*, in ſpecie, extant: Alcuinus. de Aliaco, Arcularius. Aretinus. Atavantius. Backmeiſterus. Balduini *Comm. cum textu triplici*, in 8t. Witeb. 1590. Berus, Baſileæ 1551. Beurhuſiii *Analyſis*. in 8t. 1589. Northuſiæ. Bourgheſii *Meditationes*. Duac. 1579. Buchii *Expoſitio*. Buratellus. Capnionis *Commentar.* in 8t. Tubingæ 1512. Croquetii *Sermones*. Gall. Duaci 1579. Fiſcheri Joh. *Commentarii*, Angl. in fol. Lond. 1557. Fiſcheri Oſw. *Expoſitio*. Ingolſtad. 1565. Gedicci *Enarratio*. in 8t. Lipſ. 1595. Gerſonis *Expoſitio*, & Gregorii M. Haywardus *in Pſal.* 6. 32. & 130. Angl. & Germ. Hilcemeri *Anal. Log. & Rhet. Exp.* fol. Auguſtæ Vindel. 1616. Heldershami *Conc. in Pſ.* 51. *verſ.* 9. Angl. & Belg. in 4t. Iſchurius. Lapidani *Meditationes*. in 8t. Lovan. 1530. Magerus. Major, in 8t. Witeb. 1565. Montani *Comm.* in 12. Antv. 1569. Nevillæus. Pariſ. 1556. Pelargus. Pepinus. Petrarcha. Reuchlinus. del Rio. Riveti *Meditationes*. in 12. Arnheim. 1638. Saja. Savanarola. Seberius. Siberus. Simpſonus. Stampelii *Explicatio genuina*. in 8t. 1611. Fr. March. Strironis *Paraphraſis*, Belg. Antverpiæ. Varſevicius. de la Vega. Vegius. Vives. Ulenbergius. Wicelius. &c. Vide *ibid.*

PSALMISTA, Græcè ψάλτης, in Eccleſia Romana Eccleſiaſticus ordo eſt, unus ex minoribus, qui *Cantor* dicitur in Concilio Toletano. In Bibliotheca domus Profeſſæ Meſſanenſis Societat. Jeſu in quodam pervetuſto *Pontificali MS.* reperitur, cùm ſimplex Sacerdos hunc ordinem conferre ſoleret, talia verba dixiſſe: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Idem habetur in *Pontificali Romano Pſalmiſtæ*, *i.e. Cantores poſſunt abſque ſcientia Epiſcopi, ſolâ juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dante eis Presbyterô, vel potiùs Epiſcopô, antiphonarium in manus & dicente, vide, ut quod ore cantas* &c. Vide quoque Durandum, *l.* 2. *c.* 3. ubi inter alia oſtendit, in *SS. Canon.* Clericum primi ordinis Pſalmiſtam dici, & *Pſaltem* hodieque à Græcis vocari. Officium ejus *Iſidorus* hiſce deſcribit: *Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, Pſalmos, laudes, ſacrificii reſponſoria & quidquid pertinet ad canendi peritiam* &c. Hinc *Pſalmiſtatus*, dignitas & ordo Pſalmiſtæ, Vide *Gloſſ. in can. Illud nos diſt.* 77. & plura hanc in rem apud Macros *in Hierolex.*

PSALMORUM Cantus, in Eccleſiam Chriſtianam introductus, duobus choris alternatim pſallentibus, quod *Antiphonam* vocant; jam tempore Conſtantii Imperatoris Flavianô Diodorô auctoribus: Altius tamen originem repetit Socrates, *l.* 6. *c.* 8. *in Honorio & Arcadio*, referens Ignatium, Angelos antiphonis hymnis SS. Trinitatem collaudantes vidiſſe, hinc formam iſtam canendi Antiochenæ Eccleſiæ tradidiſſe. Rem à Græcis ad Latinos detulit Ambroſius. Sigebertus A. C. 387. A Romanis in Galliam pervenit, tempore Gregorii M. ſub Carolo autem M. perfectionem accepit. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Arch.* Cecinit *Pſalmum* in eculeo Theodorus apud Ruffinum, *l.* 1. *c.* 36. In templo Serapidis nocte, quæ dejectionem ſimulachrorum ſubſequuta eſt, ſub Theodoſio Majore auditus eſt, qui *Hallelujah* & *Pſalm*, caneret: apud eundem, *l.* 2. *c.* 25. *&c.*

PSALMUS, à Cantico qui differat, exponit Auguſtin. *in Pſalm.* 67. *Inter Pſalmum & Canticum hoc intereſt, quòd Canticum ore profertur*, Pſalmus *autem viſibili organô adhibitô, i.e. Pſalteriô, canitur.* Quod confirmat Gregorius Nyſſenus *Tract.* 2. *in Pſalm. c.* 3. Ψαλμὸς μέν ἐστιν διὰ τοῦ ὀργάνου Μουσικοῦ ψαλμῳδία, *Pſalmus quidem eſt melodia organô Muſicô fieri ſolita.* Adde Eucherium *de Quæſtionibus utriuſque Teſtamenti*, *Papiam*, *Lexicon Græc. MS.* apud Car. du Freſne, Alios. Certè ψαλμὸς, vocabulum Græcum, à ψάλλω eſt, *tango* & leni quôdam motu percutio: unde ψαλτήριον, *Inſtrumentum, quô pſallitur.* Quod nomen à LXX. Interpretib. inditum eſt *Libro Pſalmorum Davidis*, quæ inſcriptio à Luca Euangeliſta uſurpatur, *c.* 20. quando Dominum ipſum ſic loquentem introducit, *v.* 42. *& ipſe David dicit in libro Pſalmorum, Dixit Dominus Domino meo* &c. Idem Actor. *c.* 1. *v.* 20. Petrum citantem *Pſalm.* 69. *v.* 26. *Scriptum eſt in* libro Pſalmorum, *fiat commoratio ejus deſerta.* Cùm titulus apud Ebræos ſit ספר תהלים *Sepher Tehilim*, i. e. *Liber laudum* ſeu *laudationum*, formâ maſculinâ anomalâ, quâ utuntur Rabbini, locô fœmininæ תהלות *tehiloth*, in Bibliis uſitatæ. Fuit autem ψαλτήριον, quô Pſalmi occantari ſolebant, inſtrumentum Muſicum triangulare, quod Δ. *delta* Græcum majuſculum formâ referebat, ut ajunt, ſuperiùs ventrem habens concavum, in quo decem erant chordæ: quæ cùm digitis tangerentur, à parte ſuperiori dulcis reddebatur ſonus, qui propriè ψαλμὸς dicebatur, h. e. conſona & concinna illa melodia, quæ ex chordis pſalterii ad tactum digitorum reddebatur. Hinc *Pſalterium* ad librum ipſum & *Pſalmorum* nomen ad Hymnos tranſlatum eſt. Hebræi inſtrumentum illud נבל *nebel* vocant, *Nablium* vel *chelyn* quod unum omnium Muſicorum inſtrumentorum rectiſſimum eſſe dicunt, nihil in ſe vel perverſum continens vel obliquum. Auguſtinus ἀλληγορητὴς hîc, *in ſua Pſalmorum explicatione*, ait, *Per Spiritum Sanctum aptatam fuiſſe gratiam Dei in ſuperioribus inſpiratam huic organo, quod* Pſalterium *appellatur, quia hoc ſolum organorum Muſicorum ſonos de ſuperioribus habet quô doceamur, quæ ſurſum ſunt ——— attendere, & quæ infima, i. e. vitia carnalia, devitare.* Porrò, *Pſalmorum* formam fuiſſe metricam & ad Muſicam accommodatam, apud pleroſque in confeſſo eſt: quô autem genere metri ſcripti ſint, etiam Ebraicæ literaturæ peritiſſimi, negant ſe exactè ſcire. Ut de Auctore eorum, Spiritu S. & Amanuenſibus ejus, Moſe, Salomone, Aſapho, Aliis, nil dicam: Diſtributio ſeu Diviſio *Libri Pſalmorum*, ſecundum nonnullos, in quinque fit partes ſeu libros, quorum I. habetur, à principio uſque ad Pſalmum 40. II. à 70. uſque ad 71. III. ab 71. uſque ad 88. IV. ad 88. uſque ad 105. V. ad 150. eo quòd toties reperiatur in Pſalmis hæc clauſula, *Amen, Amen.* Sed partitionem hanc rejiciunt *Hilarius* & *Hieronymus*, ſequuti Ebræorum auctoritatem, & maximè Apoſtolorum, qui ſemper in N. T. Pſalmorum librum nominant. unum aſſerentes Volumen; quæ ſententia etiam Auguſtino probatur *in Pſalm.* 150. Interim non inutiliter Athanaſius

Pſal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pſalmos diſtribuit, in Διηγηματικοὺς, i. e. *Enarratorios*; τοὺς ἐν παραινέσει, *Admonitorios*, τοὺς ἐν προφητείᾳ, *Propheticos*; τοὺς ἐν εὐχῇ, *precatorios*, καὶ τοὺς ἐν ἐξομολογήσει, i. e. *in Confeſſione verſantes*. Quoſdam præterea agnoſcens, qui συμπεπλεγμένην, *admixtam*, habeant vel ſupplicationem cum confeſſione, vel vaticinium cum hiſtoria, vel adhortationem cum cantico &c. quos omnes ordine recenſet *Epiſt. ad Marcellinum*, *de Interpr. Pſalm. Tom. I.* ubi latè hoc argumentum tractat. Vide Andr. Rivetum, *Prolegom. de Pſalmis*, cui adde Coccejum *in Pſalmos.* Canebantur illi, apud veteres Chriſtianos, ad menſam, Chryſoſt. *in Pſalm.* 42. Clemens, *l.* 6. & 7. *Strom.* nec non *Pædag. l.* 2. *c.* 4. Inter opera diurna, Baſilius Cæſar. *Epiſt.* 1. Theodoretus, *Præf. in Pſalmos*, idem Chryſoſt. *in Pſ.* 42. in conventibus maximè ſacris. 1. Corinth. *c.* 14. *v.* 26. idque à mulieribus quoque, quod poſtmodum ſublatum, Iſidorus Pelus. *Ep.* 90. *l.* 1. Græci recentiores, illos in XX. claſſes, quas Καθίσματα vocant, quaſi *Seſſiones*, haſque iterum in tres partes Græcè στάσεις ſeu *ſtationes*, dividunt, quas hymnô illô Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ &c. terminant; aliter ac fit in Eccleſia Latina, quæ hymnum hunc poſt omnes Pſalmos recitat. Vocant autem Καθίσματα, judice Balſamone, quòd Concilii Laodicenſ. decretô, in unoquoque Pſalmo, interjectô ſpatiô lectio fieret, ne, dum Pſalmi unô contextu legerentur, tædium auditoribus oboriretur. Στάσεις verò, quòd *ſtantes* recitant, vel, quod lectione finitâ ſtant & quaſi reſpirant. Hôc modô diviſos Pſalmos quô pactô per totum annum recitare ſoleant, docet Cl. Suicerus *Theſ. Eccl.* voce Ψαλμὸς ex Leone Allatio. Vide quoquè *Typicum* Sabæ, *Triodium*, *Euchologium* & *Horologium*: uti de Latinorum circa hæc ritibus, infrà quædam, & plura hanc in rem, in voce *Pſalmi*; item *Pſalmorum cantus.* Sed & præter *Pſalmos Davidis*, cantabant nonnulli olim Pſalmos, *Salomonis* dictos aliorumque, quod vetitum *can.* 59. Concil. Laodiceni, ubi ἰδιωτικῶν i. e. *privatorum* nomine indigitantur. At, quòd de ſeipſo, in media Eccleſia, Paſchatis die, uxores *pſallere* juſſit Paulus Samoſatenus, blaſphemæ impudentiæ apex eſt. Vide Euſebium, *Hiſtor. Eccl. l.* 7. *c.* 30. laudatum Suicero ubi ſuprà: uti *de diſtinctionibus Pſalmorum* in Eccleſ. Romana ſuprà, in *Chora*, *Nocturni*, & hìc infrà.

Epitheta Psalmorum varia, maxime apud Ecclesiæ Romanæ Scriptores.

α. PSALMI *Abecedarii*, dicuntur Auguſtino *Enarrat. in Pſalm.* 118. *concione* 32. illi Pſalmi, quorum verſus literis Alphabeti Hebraici reſpondent: inter quos eminet Pſalmus 119. Idem Auguſtinus *Abecedarium* vocavit Pſalmum, quem ipſe contra Donatiſtas compoſuit, vide eum *Retract. l.* 1. *c.* 20. β. *Pſalmi Allelujatici*, Hieronymo, *Epiſt.* 7. 17. 137. appellantur, qui *Allelujah* pro titulo habent, numerô 20. nempe 104. uſque àd 118. dein 134. 135. 145. uſque ad 50. γ. *Pſalmus Apertionis*, apud Amalarium *de Offic. Eccl. l.* 3. *c.* 9. quem in nocturnis ab Abbate dici jubet *Regula* Magiſtri, *c.* 44. eſt Pſalmus, *Domine labia mea aperies* &c. δ. *Pſalmi Aſcenſionis*, vide *Graduales.* ε. *Pſalmi Baptiſmales*, qui in diebus Baptiſmalibus recitari conſuevêre, nempe in Dominica nocte, Reſurrectione Domini & Pentecoſtes, numerô tres ſunt, ut videre eſt apud Durandum, *Ration. l.* 6. *c.* 69. *num.* 4. ζ. *Pſalmus Cantici*, apud Ruffinum Aquilejenſem *in Pſalm.* eſt, cùm, organô præcinente, ſubſequens vox chori cantantis auditur &c. η. *Pſalmi Directanei*, qui, unô eôdemque vocis tonô, nullâ modulatione pronuntiantur. Vide *ſuprà.* θ. *Pſalmi Dominicales*, *in Martyrolog. Rom. c.* 41. qui diebus Dominicis in Eccleſia recitari ſolent. ι. *Pſalmi Familiares*, apud Udalricum *in Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 46. dicuntur, *ii qui in omnibus* 12. *lectionibus horas ſequuntur.* κ. *Pſalmi Feriales*, *in Microlog. c.* 5. vocantur, qui in Feriis recitantur: Dominic. Macer in diebus hiſce unicum nocturnum XII. Pſalmorum recitari, monet in voce *Nocturnus.* λ. *Pſalmi Fortiores*, in *Reg.* Benedicti *c.* 18. Pſalmi longiores dicuntur. μ. *Pſalmi Graduales*, dicti ſunt Pſalmi XV. à Pſalmo 120. uſque ad 135. Hebr. *Amahaloth*: vel quia canebantur in XV. Templi Salomonici gradibus; vel quia vox gradatim elevabatur. In Eccleſia Romana recitabantur quotidie tempore Quadrageſimali: donec Pius V. in Feriis quartis jejuniorum in Choro illos recitari ſtatuit; ab hac obligatione eximens eos, qui extra Chorum ad officium recitandum tenentur; conceſſit tamen 50. dies indulgentiæ illos recitantibus, tam in Choro, quàm extra, ut ex ejus *Bulla* Breviario præfixa patet. Vide Macrum *ubi ſuprà.* Car. du Freſne Pſalmos hos ad quinque parvas Horas, in quotidiano officio Deiparæ, congruè diſtribui, addit. ν. *Pſalmus Invitatorius*, item nudè *Invitatorium*, appellatur Pſalmus 95. *Venite exultemus* &c. apud Durandum, *l.* 5. *c.* 3. *n.* 10. 11. & 12. Macer verò *Invitatorium* vocat antiphonem, quæ ad hunc Pſalmum replicatur, in voce *Invitatorium.* ξ. *Pſalmus Miſericordiæ*, Pſalmus 51. appellatur, à Gervaſio Tilleberienſi *in Otiis Imperatorum*, *Deciſione ſeu Parte I.* ο. *Pſalmi pro Octava*, quòd Inſtrumentô Muſicô 8. chordarum canerentur, apud Macros *in Hierolex.* π. *Pſalmus Parœmiacus*, Παροιμιακὸς, ſic dictus Pſalmus 104. *Benedic anima mea Domino*; quod ab eo Græci Veſperas, Miſſam aliaque officia auſpicentur. ρ. *Pſalmi Plebeji* & *Vulgares*, à privatis imperitiſque hominibus compoſiti, in Eccleſia cantari vetantur Conc. Laodic. *can. ult.* Vide Henr. Valeſ. *ad Euſeb. l.* 7. *c.* 24. σ. *Pſalmi Pœnitentiales*, dicuntur VII. hi videl. Pſalmus 6. 32. 38. 51. 102. 130. & 143. Vide ſuprà in voce *Pœnitentiales.* τ. *Pſalmi Proſtrales*, *Proſternales* ſeu *Proſtrati*, vide ſuprà *Proſtrati.* υ. *Pſalmi Refectionum*, qui tam poſitâ, quàm levatâ menſâ, à Monachis recitari ſolent, vide *Regulam* Magiſtri, *c.* 37. & 43. idque in Dominica vel diebus feſtis cum antiphona vel allelujah: cùm aliàs *directanei* pronuntientur. φ. *Pſalmus Reſponſorius*, vide ſuprà *Reſponſorium.* χ. *Pſalmi Salomonis*, ut apocryphi, laudantur Athanaſio *in Synopſi S. Scripturæ*, & Theod. Balſamoni. ψ. *Pſalmi Speciales*, in *Capit.* Aquisgran. ann. 827. dicuntur VII. Pſalmi Pœnitentiales. ω. *Pſalmi Superpoſiti*, in *Reg.* Magiſtri, *c.* 50. videntur dici Pſalmi, *ſuper* tabulas peregrinantium illiteratorum *poſiti*, Carolo du Freſne *in Gloſſar.* αα. *Pſalmi Typicorum*, apud Græcos dicuntur Pſalm. 23. & 146: quòd hi in officio Typicorum recitarentur: eorum verò prior πρῶτα Τυπικὰ, poſterior δεύτερα Τυπικὰ dicebantur. Apud eoſdem Ἄμωμος vocatur Pſalmus 119. quòd ab hac voce incipiat: Πολυέλεος, & Προσκύρια aliiduo, de quibus ſuô locô. Sed & Καθίσματα Pſalmorum, pro materiæ diverſitate, nunc ἀναπαύσιμα, nunc ἀναστάσιμα, nunc κατανυκτικὰ, nunc μαρτυρικὰ, nunc ἀποστολικὰ nuncupantur, in *libris* ſuprà *cit.* &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne & Macros Fratres *d. l.* de *Pœnitentia* verò *Pſalmorum*, in eadem Eccleſia diximus aliquid ſuprà in voce *Palmata* & *Pœnitentia.* Vide etiam infrà in *Superpoſitio.*

PSALTERIUM, Græcè ψαλτήριον, inſtrumentum Muſicum, quô Pſalmi decantabantur; unde vox ad ipſos *Pſalmos* ſeu Hymnos ſignificandos tranſlata, uti ſuprà diximus, in voce *Pſalmus.* Cujus libri ſacri (quô in Græcorum officiis nullus frequentior) inſpectio, divinationis ergò prohibita in *Capitulis* Caroli M. *de div. rebus ann.* 789. *c.* 4. *De codicibus vel tabulis requirendum, & ut nullus in* Pſalterio *vel in Euangelio vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec divinationes aliquas obſervare.* Cujuſmodi Ῥαψῳδομαντείας ſpeciei etiam mentio eſt, in *Pœnitentiali MS.* Thuan. *Requiſiſti ſortes in codicibus, vel in tabulis, ut plures ſolent, qui in* Pſalteriis *& in Euangeliis, vel in aliis hujuſmodi rebus, ſortiri præſumunt* &c. Vide infrà ubi *de Sortibus Sanctorum.* Aliter verò vox ſumitur, apud Joannem Epiſcopum Abrincenſem *de Offic. Eccleſ. In omnibus Horarum precibus ſemper, Miſerere mei Deus: cui ſi placet, unum* Pſalterium *Pſalmorum ſubjungatur.* Ubi ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, quibus Litaniæ SS. ſubnecti conſuevêre, videntur *Pſalterii* nomine indigitari. Sed & eam precationis formulam, quam vulgò *Roſarium* nominant, ſic appellari deprehendimus apud Eccl. Rom. Scriptores; eò quòd 150. Pſalmorum Davidicorum numerum referat, eorumque vice ſubſtituatur: cujus quidem Roſarii auctor vulgò habetur Dominicus, pro Sancto inter ſuos habitus. Vide Car. du Freſne in voce *Capellina.* Apud Paulum JC. tandem, *Pſalterium* canticum vocatur, in alterius infamiam compoſitum, *l.* 5. *Sentent. c.* 4. uti annotavit Pratejus, apud Joann. Calvinum, *Lexic. Jurid.* in voce *Pſalterium.* Vide & ſuprà *Exodiarius*, item *Famoſus.* Tenebantur verò olim Clerici Monachique totum Davidis *Pſalterium* memoriter tenere; dicereque ſolebat Auguſtinus, *Sacerdotis nomen non mereri, qui id non poſſit.* De Gregorio quoque Magno legitur, neminem eum in Epiſcopum conſecrari permiſiſſe, qui *Pſalmos ignoraret*, vide eum, *l.* 4. *Ep.* 21. 23. 45. &c. Quæ cauſa fuit, quòd Donatum Archidiacon. & Joann. Sacerdotem, ad Præſulatum Ravennenſem electos, ſibique ab Exarchô Imperiali commendatos, rejecerit A. C. 595. uti refert Ughellus, *Ital. Sacr. Tom. II.* Vide quoque hic paſſim, vocibus *Palmata*, *Pœnitentes* &c. De *Pſalterio*, inſtrumento, ſic Scaliger, *Poët. l.* 1. *c.* 48. *Alexander Citherius Pſalterium referſit chordis. Ariſtoteles trigoni Pſalterii meminit, cujus chordæ eſſent intentæ æquè omnes* —— *Durat etiamnum plectri uſus in Hiſpania & Pſalterii: cujus ſonum miſcent cum ſono tibiæ, locô tympani; quod idcirco Tympanum chordatum vocant, Itali Tabaſſum* &c. Sed aliud id ab Hebræorum *Pſalterio*, quod quale fuerit, non adeò exactè conſtat. Vide ſuprà.

PSALTES, Græcè Ψάλτης, quis dicatur in Eccleſia Græca. Vide ſuprà *Pſalmiſta.* His qui præerat, *Protopſaltes* dictus eſt, de qua voce itidem retro actum.

PSALTRIÆ, luxurioſorum Conviviis olim adhibitæ, præter pueros Symphoniacos, de quibus *infrà* agetur. Unde apud A. Gellium, *l.* 19. *c.* 9. habuiſſe quidam ſcribitur, *Scitiſſimi utriuſque ſexus canentes & pſallentes*: & Horat. *l.* 4. *Carm. Ode* 13. *v.* 6.

> —— *Illa virentis, &*
> *Docta ſpallere Chiæ.*

Aur. quoque Macrobius, *Saturnal. l.* 2. *c.* 1. *Quia ſub illorum ſupercilio non defuit*, inquit, *qui* Pſaltriam *intromitti peteret, ut puella ex induſtria ſupra naturam mollior, canorâ dulcedine, & ſaltationis lubricô exerceret illecebris Philoſophos*: Unde patet, duplicem earum fuiſſe uſum, tum ut ad lyram ſuavi modulatione vocis compoſitæ convivas oblectarent, tum ut lubricis indecoriſque motibus, libidinem convivarum concitarent. Petitæ autem Gadibus ex Hiſpania. Vet. Schol. *Juvenalis ad v.* 162. *Sat.* 11. *Speras forſitan, quòd incipiant ſaltare delicatæ ac pulchræ puellæ Syriæ, quoniam de Syris & Afris Gadis condita eſt. Nunc inquit expectas apud me Pantomimas, aut Lyriſtrias de Gadibus, quòd laſciviant.* Ipſe Juvenalis,

> *Forſitan expectas, ut Gaditana canorô*
> *Incipiat prurire chorô, plauſuque probata*
> *Ad terram tremulô deſcendant clune puellæ* &c.

In quod ævi vitium Martialis frequentiſſimè invehitur, inprimis *l.* 3. *Epigr.* 62. *l.* 5. *Epigr.* 80. *l.* 6. *Epigr.* 7. *l.* 14. *Epigr.* 203. &c. Sed & in Theatris earum uſum oſtendit Papin. Statius, *l.* 1. *Sylv. ult. v.* 68.

> *Hic agnoſcitur omne quod theatris*
> *Aut formæ placet, aut probatur arte;*
> *Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,*
> *Illic cymbala, tinnulæque Gades.*

Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PSAMATHE, Nympha, Nerei filia.

PSAMATHE, Crotopi Argivorum Regis filia, quæ ab Apolline compreſſa, Linum peperit, quem inter ſentes occultatum canes dilacerârunt. Stat. *l.* 1. *Theb.* Ejus ſepulchrum, in *Corinthiacis*; templum inſtar ſpeluncæ, in *Laconicis*, memorat Pauſan. Plura de illa vide apud eundem in *Atticis*, ubi de infante ejus à canibus dilacerato hincque *Pœna* Argivis immiſſa, prolixè agens, Corœbum, qui Pœnam confecerat, poſt mortem monumentô honoratum, in quo ipſe Pœnam interimens, ſculptus, hæcque ſigna omnium in Græcia è lapide factorum antiquiſſima eſſe, addit.

PSAMATHE, fons & oppid. apud Thebas. Val. Flaccus, *l.* 1. *v.* 364.

Qui tenet undiſonam Pſamathen, ſemperque patentem
Tænaron Euphemus.

PSAMATHOS, oppid. & portus Laconicæ in Peloponneſo apud Tænarum urbem Plin. *l.* 4. *c.* 5. Pauſan. *in Laconic.*

PSAMATOSSIRIS, Rex Parthorum, memoratur Spartiano in *Vita* Hadriani, *Pſamatoſſiris, quem Trajanus Parthis Regem fecerat, quòd eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus Regem dedit.* In membranis Palatinis & editione Mediolan. *Sarmatoſſiris* dicitur, quod propiùs accedit ad Παρθημόσιρις, ut eum Dio vocat. Sed *Parthamoſiris*, Armeniæ fuit Rex, juſſu Trajani occiſus, ut idem refert: is verò quem Parthis Regem idem Imperator impoſuit, *Parthamoſapes* dictus; quem proin perperam Spartianus cum priore confundit. Vide Caſaubonum & Salmaſium *ad l.*

PSAMBARES, apud Solin. *c.* 30. *Apud* Pſambares, *nulla eſt aurita quadrupes, nec elephanti quidem. His proximi ſummam Regiæ poteſtatis cani tradunt:* iidem cum *Sambris*, apud Plinium, vide Salmaſium *ad Solinum p.* 385.

PSAMMENITUS, Amiſis fil. Ægyptiorum Rex, qui à Cambyſe victus, epotô ſanguine taurinô expiavit. Herod. *l.* 3. Vide & infrà.

PSAMMETICHUS I. Rex Ægypti, cujus ſævitiâ (teſtibus Herodotô ac Diodorô Siculô) ducenta millia hominum ex Ægypto in Æthiopiam profugêre. Strabo, *l.* 16. *Teneſſis regio vocatur, quam qui Pſammetichum fugerunt, obtinent, & Sebritæ nominantur, hoc eſt, advenæ.* Hujus filias rapuerunt crocodili, inquit *Ælianus*, propter quod ipſum animal ſanctum credidit. Hic Regnum Ægypti adeptus, litigantibus de antiquitate Arcadibus, Phrygibus ac Perſis duos recens natos infantes concluſit in loco deſerto, admiſſis capris ad lactandos & educandos pueros. Quidam non capras ſed matres proprias, illarum linguis exſectis, additas autumant, ne poſſent ab illis vernaculam audire & addiſcere linguam. Trienniô exactô idem Rex virum ſilentem ad pueros intrare juſſit. Quô viſô illi adſilierunt, proferentes *Bec*, quod Phrygum linguâ ſonat *Panem*. Exinde cognitum Phrygas cæteris antiquitate præſtare. Vide *Seſonchoſis*. Fuit autem *Pſammetichus*, ſervus *Tementhis* Regis, qui, oraculi ſorte intellectâ, apertè à Domino ſuo deſcivit, inductô contra eum magnô Carum numerô. Vide Polyænum, *l.* 8. *c.* 29. *p.* 475. & Plutarchum *Artaxerxe*. Herodot *Muſâ* 2. Hic ab 11. aliis Regibus qui tum in diverſis Ægypti partibus regnabant, thronô deturbatus, illos poſtmodum omnes ſub jugum miſit, in regnum reſtitutus. *Nic. Lloydius.* Marſhamo, *Pſammetichus* hic, in Dynaſtia Saitarum IV. patri Necho ſeu Nechaoni I. ſucceſſit, inter Ægypti Reges præcipuos numerandus, ut qui patriam à tyrannide liberavit & Monarchiam reſtituit, Patre interemptô à Sabacone Æthiope, qui cum Exercitu Ægyptum ingreſſus Regulos oppreſſit, & 50. annis terram ſub jugo tenuit, Pſammetichus in Syriam fugit, Herodot. *l.* 2. *c.* 152. poſt diſceſſum ejus, à Norni Saitani Ægyptiis revocatus. Erant tum in Ægypto XII. Reguli, uti dicemus ubi de *Sabacone*. Hi, cum aliquandiu pacem inter ſe coluiſſent, diſcordare cœperunt, qua de illorum diſcordia clarè loquitur Eſaj. *c.* 19. *v.* 2. Cum itaque aliquando hi XII. Reges ſacrificâſſent, in Templo Vulcani, Pontifex iis, aberrans numerô, XI. tantùm phialas porrexit. Ibi *Pſammetichus*, qui poſtremus ſtabat, phialam non habens, æreâ galeâ ſibi detractâ, libavit: inſciuſque ſic oraculum, *illum totius Ægypti regnô potiturum qui æreâ phialâ libaret*, implêſſe viſus eſt. Quare cœteri illum maximâ ſuæ potentiæ parte exutum, in paluſtria delegârunt. Ille, conſultô Latonæ oraculô, cum χαλκέοις ἀνδράσι, *viris ære armatis* Ionibus ſcil. & Caribus, hiſque inprimis, qui quòd criſtas galeis primi impoſuiſſent, ἀλεκτρύονες, *galli*, oraculô Ammonis Tementhi Regis dati dicti ſunt, fœdere initô, cœteros Reges ad urbem Momemphim ingenti præliô devicit, diſſipavit, totôque Regnô potitus eſt. Mox fœderatis, de ſe benè meritis, fundos dedit ad utrumque Nili latus, infrà urbem Bubaſtim, ad oſtium Peluſiacum, qui locus *Caſtra* vocabatur. Rex Amaſis dein Memphim tranſtulit, in ſui ſatellitium, contra Ægyptios, unde *Caro-Memphitæ* dicti. Vide ſuprà: & ab hoc tempore Ægypti hiſtoria exploratior Græcis eſſe cœpit. Sic verò rerum ſummam adeptus *Pſammetichus*, urbem Saim, Minervæ templô celebrem, Regiam ſuam & Ægypti metropolim conſtituit; de gentium vetuſtate cogniturus pueros ſummo cum ſilentio alendos curavit (quod tamen alii Bocchoridi Regi tribuunt) Nili fontes explorare conſtituit, primus Ægypti Regum (qui & Sacerdotes) vinum bibit, Azotum urbem non ita pridem ab Aſar-haddone Babylonis Rege Judæis ereptam, obſedit annos 29. expugnavitque, neque Saosducherio, neque Chiniladano, Aſar-haddonis ſucceſſoribus, opem ferentibus. Scythas dein, victô Cyaxare omni Aſiâ potitos, cùm Syriam Palæſtinam ingreſſi Ægypto imminerent, muneribus precibuſque avertit: quô tempore Mileſii cum 30. navibus in Bolbiticum oſtium appulſi ibi *Mileſiorum Murum* condiderunt. Non diu pòſt grandævus fato conceſſit, anno Nabonaſſ. 118. regni 54. ſepultus in urbe præfata Sai, in templo Minervæ: ſucceſſore Nechô ſeu Nechaone II. filiô. Vide Auctorem ſuprà laudatum, *d. l. c.* 147. 151. 152. 154. 157. 169. Diodor. Sic. *l.* 1. Strabonem, *l.* 17. Athen. *l.* 8. Plut. *de Iſide*, & qui totam hujus Regis hiſtoriam in compendium redegit, Joh. Marſhamum Equ. Anglum, *Canone Chron. ad Secu. um* XVII. & XVIII. it. voce *Sabrita*.

PSAMMETICHUS II. fil. Amaſis, menſe regni 6. captus à Cambyſe, filiarum ſervitutem, & filii mortem fortiter ferens, amici periclitantis calamitati illachrymatus eſt. Idem Herodot. *l.* 2. *&* 3.

PSAMMETICHUS, filius Gordii, fratris Periandri, tyrannidem Corinthi per triennium tenuit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 12. Vide ſuprà *Gordius*. Fuit autem hic *Pſammetichus* Cypſelidarum ultimus, juxta Strabonem qui Cypſelum μέχρι τριγονίας, *ad tertium hæredem*, tyrannidem propagaviſſe ait, *l.* 8. ſcil. duravit illa annos 73. & 6. menſes: ſub Cypſelo annos 30. ſub Periandro 40. & hoc Pſammeticho 3. Idem, *l.* 5. *c. ult.*

PSAMMIS, ſeu PSAMMITES, Ægypti Rex Necho ſeu Nechaoni II. Patri ſucceſſit, circa annum Nabonaſſ. 137. expeditionem faciens in Æthiopiam mox vitâ functus eſt, poſtquam regnâſſet annos 6. Intra quod ſexennium contigêre *Defectio Zedekiæ, Hieroſolymorum Tyrique excidia & Ægypti devaſtatio* per Nabuchodonoſorem: adeò ut *expeditio Æthiopica* præfata, cujus Herodot meminit, *l.* 1. *c.* 161. de Regis fuga poſſit intelligi. Vide Ezech. *c.* 29. *v.* 18. Joſephus à Babylonio Regem occiſum, aliumque in ejus locum ſurrogatum vult, ſed neutrum nominat: reſpiciens ſaltem ad Ezech. *c.* 30. *v.* 13. Vide *Apries*.

PSAMMUS, Rex Ægypti, annô ante Urb. Cond. 38. *Nic. Lloydius.* Tanitarum ſeu Paſtorum XVI. ac penultimus, præfuit annos 10. Gideone adhuc Iſraëlitas judicante, Mephre verò in Thebaide regnante. Ante eum Oſorchô, poſt illum Zetrem Paſtorum, fatijam ſub illo ſeſe mirè inclinantibus, moderati ſunt. Joh. Marſhamus, *Canone Chron. ex Manethone.*

PSAPHIS, Oropiorum civitas in confiniis Atticæ & Bœotiæ. Hic ſitum erat Amphiarai oraculum, ubi Amphiaraum fugientem, ut Sophocles ait, ſciſſa Thebana tellus hauſit cum armis, curruque quadrijugô. Strab. *l.* 9.

PSAPHO, vir quidam in Libya, qui divinitatis opinionem affectans, quamplurimas aves cepit vocales, & humani ſermonis dociles, quas docuit ſonare hæc verba; μέγας θεὸς Ψάφων, atque ita edoctas emiſit in montes. At illæ quæ didicerant, canebant: ac reliquas item aves ſonare docebant. Porro Libes, cùm ignorarent commentum, credentes id divinitùs accidere, Pſaphoni rem divinam facere inſtituerunt, ipſumque in Deorum numerum retulerunt. Unde Proverbium, *Pſaphonis aves*.

PSAPIS, Sarmatiæ Aſiaticæ fluv. *Ptol. Pſatis* Interpretes.

PSATYRIANI Hæretici ex Arianis Synodo Antiochiæ, A. 360. habitâ, Filium quoad voluntatem Patri ſimilem, inficiati, eum ex nihilo factum eſſe, quod & Arius primò ſtatuerat, delirârunt: addentes, in Deo non differre Generationem à Creatione. Theodoret. *de hær. fab. l.* 4.

PSAULMIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

PSEBO, regio interior, quàm Æthiopia, 5. itineribus ab eâ diſtans. Artemidorus ſtagnum eſſe ſcribit. *Steph.*

PSEBO, Græcè Ψεβώ, inferioris Æthiopiæ ingens contra Sinum Arabicum ſita, quam *Phebol* corruptè vocat Appulejus *de Mundo*, ut Salmaſ. *ad Solin.* docet *p.* 1111.

PSECAS, ancilla apud Romanos, ornandis crinibus præfecta. Vetus Schol. *Juvenalis ad v.* 489. *Sat.* 6. *Pſecas*, ait, *Græcè dicunt, quando minutim ſive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes rarum aut parum aquæ ſolent mittere, ac velut* ψεκάζειν: *Ergo nominis Etymologiam ab arte ſumſit.* Diſcreta enim cùm eſſent ancillarum officia, atque nonnullæ diſponerent tantùm crines & in orbes digererent: aliæ crines diſpoſitos digeſtoſque aquis adſpergerent, hæ propriè *Pſecades* ſunt appellatæ: Juvenalis, *loc. cit.*

Nuda humero Pſecas infelix, nudiſque mamillis,
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuô flexi crimen facinuſque capilli.
Quid Pſecas *admiſit? Quænam eſt hic culpa puellæ,*
Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera lævum
Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem,
Eſt in conſilio matrona, admotaque lanis
Emeritô quæ ceſſat acu. ———

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſin. l.* 5. *c.* 35. ut & ſuprà, in voce *Ornatrix*. Antimachum Poëtam *Pſecadem* quoque appellatum fuiſſe, refert Suid. in Τευθίδες, ubi Hieron. Wolfius vertit, *rorem*: id enim Græca vox notat. Sed mollities ejus denotari potiùs videtur, ut quòd muliebribus ſe addixerit miniſteriis & capillos Matronarum, inſtar ancillæ, compoſuerit, *irroraverit*, digeſſerit. De eo autem Ariſtophanes *in Acharnens. versùs finem*,

Ἀντίμαχον τὸν Ψεκάδος
Τὸν ξυγγραφῆ τῶν μελέων, τὸν ποιητὴν,
Ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ, κακῶς
Ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς.
Antimachum illum Pſecadis
Verſificatorem hominem uſque ineptum,
Ut breviter dicam, malè
Jupiter illum perdat!

E quibus verbis cùm *Suidas* ſuam ſententiam hauſerit, lapſum eum memoriâ judicat *Dempſt.* neque enim illum *Pſecadem* ſed *Pſecadis Poëtam* vocat Comicus, h. e. vilis alicujus ancillulæ Ornatricis amorem carminibus aucupantem. Conſule Scholiaſtem veter. & Euſtathium apud Biſetum.

PSELCHIS, in *Itinerar.* Antonini · *Item per portam Arabicam trans Nilum. Contra* Pſelchin, *M. P. X. contra Talmis. M. P. XIII.* &c. locus eſt Ægypti, in Occidentali latere Nili, in quo & Syene: malè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Spelchis alii habent. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 438. 448. & 880.

PSELLA, Græco ψέλλια inter Veter. armillas. Pollux *in Onomaſt.* inter ornamenta τῶν καρπῶν enumerat τὰ περικάρπια, ψέλλια, χλιδῶνας. *Suidas*, ψελίω περιοχῇ: τὸ ψέλλιον, κόσμος τῆς χειρὸς. Ubi περιοχὴ dicitur, à circuli forma brachium ambientis. Diſcrimen autem inter *Pſellia* & Pericarpia indigitatum Polluci quodnam ſit, non liquet; interim minus id eſſe, quàm inter *Pſellia* & χλιδῶνας, vero ſimile eſt inde, quòd in Codicib. Suidæ nonnullis inter ψέλλια & χλιδῶνας copula intercedit, nulla inter περικάρπια. Utrumque complectitur Polybius, *l.* 2. voce μανιακῶν, quum περιχείρες ad τὰ ψέλλια, vel, ut aliis placet, ψάλια ſeu ψέλια, arctaverit. Χλιδῶνες verò vel hæc nomine fortè à *Pſelliis* differebant, quòd laxiores eſſent fluenteſque, unde *Armillæ* veriùs redduntur: quodque delicatioribus luxurioſiſque tantùm in uſu: à χλιδῇ enim, *luxu*, *mollitie*, commodè derivantur. Xenophon, *Pæd.* 6. à Brachialibus quoque *Pſellia* diſtinguens, hæc tantùm περὶ τὰς καρπὰς τῶν χειρῶν poſita fuiſſe, ſolumque carpum ornâſſe; illa verò totùm brachii progreſſum cum armis complexa eſſe docet: quem *Pollux*, ut viſum, ſequitur. Quare *Strabo* minimè audiendus, qui etiam ad brachia Pſelliorum uſum extendit; vide Thom. Bartholin. *de Veter. Armillis, parùm ab initio.* Geſtabantur itaque *Pſellia*, ubi per carpum manus jungitur. Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 13. à nominis argumento comprobat, & in ſummis brachiis geſtari ſolita, quia *Pſellium* Dores ſummum dicant: Unde & quæ ſummis enuntiantur labiis accentiuncula, *Pſile* nuncupata. Idque ſanitatis causâ, ob micantis arteriæ cum corde conſenſum, cui aurum medelam affert, quam ſuſpicionem annulus apud A. Gellium, *l.* 10. *c.* 10. ſuggeſſit. Majus quippe in carpis, quàm digitis, pulſantium venarum cum corde commercium. Fortè & faſcina averruncârunt, quô ſine amuleta moniliaque per collum demittebantur. Vide iterum Bartholinum *in ſeqq.* ut & infrà *Viriola.*

PSELLUS, ſub Conſtantino Duca (inquit Vir Clariſſ. Jo. Voſſ. *l.* 2. *de Hiſtor. Græc. c.* 26.) qui Iſacio Commeno annô ſuffectus 1058. claruit πολυγραφώτατος ille Michaël Pſellus. Præfectus fuit ſtudii Michaëlis Ducæ, Conſtantini Ducæ filii: qui A. C. 1071. ſucceſſit Romano Diogeni. Atque hæc ſatis liquent ex Zonaræ *Annalibus.* Hujus Pſelli illuſtre eſt elogium, apud Annam Comnenam, *Alexiados l.* 5. Cedreno dicitur τῶν φιλοσόφων ὕπατος. Vide Leonis Allatii diſſertationem, de *Pſellis*, *Lloyd.* ut & ſuprà voce *Michaël.*

PSENACO, vicus in Athribite præfecturâ. *Steph.*

PSENERUS, vicus Ægypti. *Steph.*

PSENTRIS, Ægyptius vicus. *Steph.*

PSEPHOBOLUS, Græcè ψηφοβόλος, ſeu ον, apud Johann. Antiochenſem, περὶ Ἀρχαιολογ. διὰ τοῦ ψηφοβόλου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἑπτὰ κοκκίων τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν διὰ δὲ τοῦ πύργου τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, *Per pſephobolum & quæ in eo ſeptem grana, ſeptem aſtra Planetarum; per pyrgum autem, cœli altitudo:* vox in re talaria uſitata. Quæ cùm tota ſeptem hujuſcemodi κοκκίοις, *granis*, conſtaret, quatuor talis & tribus teſſeris: tam tali quàm teſſeræ, in pyxide aliqua lignea moveri concutique ſolebant, priuſquam ſuper tabulam funderentur. Quod genus vaſculi ψηφοβόλον vocabant, quòd ψήφους, h. e. *talos teſſeraſque* jactaret; diverſum à pyrgo; de quo infrà. Veteres enim aliquando ad cavendam improbi jactus fallaciam, ſolô pyrgô uſi ſunt: aliquando tamen ad majorem ſi fortè cautionem & *pſephobolô* & pyrgô. Nam non manu teſſeras in pyrgum conjiciebant, ſed in pſephobolum priùs, dein per pſephobolum, in pyrgum mittebant, ut ſic magis ars & fallacia ingenioſi ac improbi aleatoris in jactando vitaretur. Eôdem omnino modô, quô in Judicialibus urnis utebantur Veteres. Nec enim manu ſuâ Judices calculos, quibus ſuffragia ferebant, in urnam conjicere conſueverant, ſed per vaſculum oblongum vimine textum eos demittebant in cadiſcum, quaſi per colum ſeu infundibulum, quod κημὸς Græcis, item φιμὸς, vide ſuprà in voce *Phimus.* In re itaque teſſeraria, pyrgus, in quem teſſeræ mittebantur, urnæ vicem obtinebat & in parte alveoli reſidebat, crebris intus gradibus exſculptis, per quos teſſeræ reſultantes ſaltitanteſq; in tabulam effunderentur. *Epigr. vetus.*

In parte alveoli pyrgus velut urna reſedit.

Vaſculum autem illud, per quod in pyrgum teſſeræ conjiciebantur, *Pſephobolus* erat &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo. c.* 13.

PSESSI, populi Tauriniæ. *Steph.*

PSEUDARTACE, collis in Scythia. *Steph.*

PSEUDEPIGRAPHUS, Græca vox ψευδεπίγραφος, i. e. *falsò inſcriptus*, ſeu falſam inſcriptionem præ ſe ferens appellatur ab Hieronymo Liber Sapientiæ *in Præfat. Librorum Salomonis: Et alius* Pſeudepigraphus, *qui Sapientia Salomonis inſcribitur*; Quòd non à Salomone, cujus nomen in fronte oſtendit, fuerit, compoſitus, nec ab Hebræis in Canonem relatus &c. Vide ubi de *Apocryphis*, & in ſpecie voce *Sapientia.*

PSEUDISODOMUM, dicitur Vitruvio, *l.* 2. *c.* 8. genus ſtructuræ, *Iſodomo* oppoſitum, de quo Plin. *l.* 36. *c.* 22. *Græci è lapide duro vel ſilice æquato conſtruunt veluti latericios parietes, quum ita fecerint, Iſodomum genus ſtructuræ. Pſeudiſodomon* itaque vocabant, quum inæquali craſſitudine ſtructi erant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1331. & 1333. & ſuprà *Iſodomon.*

PSEUDO-AGRIPPAS, à Tiberio peremtus. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 39. circa A. C. 16. *Pſeudo-Balduinus*, ad reſtim damnatus, à Ludovico VIII. Gall. Rege A. 1226. Lipſius *Mon. Polit.* Matth. Pariſ. *Pſeudo-demetrius*, interemtus à Moſcis, A. C. 1606. *Pſeudo-Fridericus*, juſſu Rudolfi I. Imperatoris combuſtus, A. C. 1285. *Pſeudo-Joſua*, à Præſide Judææ Cuſpio Fado debellatus, A. C. 45. Joſeph. *l.* 20. *c.* 2. 3. 6. *Pſeudo-Muſtapha*, variis apud Turcas turbonibus nomen. *Pſeudo-Philippus*, poſt devictum Perſeum, Romanis negotium faceſſivit: *Pſeudo-Sebaſtianus*, qui triplex, ſub finem ſeculi præteriti & initium præſentis ab Hiſpanis ſublatus. *Pſeudo Waldemarus*, Marchiam A. C. 1348. infeſtavit. Becmann. *Hiſt. Orbis Terr. &c.* Vide & infrà.

PSEUDOALETHINA Veſtis, apud Auctorem, *libri de Cœna Dom.* qui vulgò Cypriano inſcribitur, ubi multa genera veſtium enumerantur, quas diverſis ex S. Scriptura perſonis tribuit Auctor appoſite & accommodatè ad cujuſque vitam, aut vitæ actum aliquem inſignem, *Abiron nigram*, *Anna Perſicinam*, *Iſaac nativam*, *Paulus Tharſicam*, *Petrus operariam*, *Joſephus* pſeudoalethinam, *Jeſus columbinam*, eſt, quæ non ex purpura eſt, purpuram tamen imitatur. *Alethinus* enim Græcè ἀληθινὸς, Latinè *verus* de *purpureo* ſumitur. Unde apud Anaſtaſium toties *alethinarum veſtium*. quas ille *alithinas* vocat, mentio occurrit. Tribuit autem Joſepho auctor *Pſeudoalethinam* veſtem, quòd falsò creditus eſt pater Domini. Salmaſ. *ad Treb. Pollion. in Claudio*, *c.* 17.

PSEUDOANTONINUS, ab Heliogabalo per convitium Diadumenus appellatus eſt, apud Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 8. *Inſectatus eſt famam Macrini crudeliter, ſed multo magis Diadumeni, quòd Antoninus dictus eſt*, Pſeudoantoninum *& Pſeudophilippum appellans, ſimul quòd, quum luxurioſiſſimus extitiſſet, vir fortiſſimus, optimus, graviſſimus, ſeveriſſimus diceretur.* Nempe *Pſeudoantoninum* ipſum vocavit, ob rationem dictam, ſicut olim *Pſeudophilippus* quidam vocitatus eſt. Vide Salmaſ. *Not. ad d. l.*

PSEUDOCELIS, urbs Arabiæ Felicis. *Ptol.*

PSEUDOCOMITATENSES, in *l. ult. Cod. Theodoſ. de Re mil. Sciant igitur Comites vel Duces, quibus regendæ militiæ cura commiſſa eſt, non ſolùm de Comitatenſibus numeris ad alios numeros militem transferri non licere, ſed nec de ipſis quidem* Pſeudocomitatenſibus, *ſeu Riparienſibus, Caſtriſianis cœteriſque, cuiquam eorum transferendi militem copiam attributam:* erant numeri Militares Comitatenſibus oppoſiti; ſicut *Pſeudoriparienſes* Riparienſibus, vide Jac. Gothofredum *ad d. l.*

PSEUDOCORASIUM, litus magnum inter Corycum, & Seleuciam Iſauricam: *Ptol.*

Pſeudodemetrii Moſcoviam turbantes.

PSEUDODEMETRIUS I. poſt exceſſum Theodori, Moſcoviam turbavit. Cùm enim Johanni Baſilidi, Theodori Patri, filius eſſet ſecundo genitus Demetrius, quem iracundus Pater, neſcio quâ occaſione baculô percuſſum ſive interemerat, ſive relegaverat; Theodorus autem negligentiùs Ruſſiam adminiſtraret, quàm populi ferret ingenium, atque inſuper legitimâ careret prole: Jeſuitæ in Polonia hoc facinus auſi dicuntur. Habebant illi in collegio quodam ſuo Juvenem Ruſſum, Otropici Bojari cujuſdam ab oppido *Galitz* fil. cui nomen *Gregorius Strepius* ſive *Guiſca Utrepaja:* quem à prima Juventute ad futuram tragœdiam egregiè inſtruxerunt, atque præceptis imperandi ita imbuerunt, ut toti Ruſſiæ aliquandiu impoſuerit. Is itaque, his artibus inſtructus, inſuperque ſtudiis Principis Lithuaniæ Adami Wiſnevicii ac Palatini Sendomirienſis adjutus, poſt mortem Theodori, res ſuas in Ruſſia eouſque promovit, ut mediô tempore moriente Boriſlô Gudenoviô (qui clam occisô Theodorô Imperium arripuerat) ab omnibus pro vero Demetrio, altero Joh. Baſilidis filio (quem tamen ante Patrem obiiſſe conſtat) adeoque hærede Imperii ſuſceptus, publicè coronaretur, A. C. 1605. die 29. Jun. Sed quia peregrinos, ac inprimis Polonos, magnô numerô Ruſſiæ induceret, uxorem etiam Polonam, Palatini præfati filiam ſibi jungeret, inſuper Religionem Pontificiam in Ruſſia ſtabilire meditaretur & à moribus Ruſſicis alienum ſe præberet: in ſuſpicionem fraudis, unius è Proceribus Baſilii Zuskii induſtriâ, Ruſſi adducti, mox eum Imperio pariter ac vita, unà cum Polonorum, quos ſecum habebat, maximâ parte, exuerunt, ultimis nuptiarum ejus diebus, quam cum Maria Mniskowna, Palatini Sendomir. filia, celebraverat A. C. 1606. Menſe Majô.

PSEUDODEMETRIUS II. poſt hunc ſurrexit. Statim enim à tumultu invaluit rumor, Demetrium Ducem vivum, licèt ſaucium, effugiſſe: hinc prodiit in Occidentalibus mox Imperii provinciis (Baſiliô Ibanowiz Zuski intereà magnô Duce à Moſcis creatô) ludimagiſter quidam oppidi Sogotiæ, qui Demetrii perſonâ denuò aſſumtâ à Polonis adjutus Coſaciſque Zuskio non parùm moleſtiæ creavit, acceptis in fidem pleriſque Ruſſiæ provinciis & Moſcuâ ipsâ obſeſſâ. Nec aliud præſidium Zuskio, niſi ut à Carolo Sueciæ Rege acceptis auxiliis æmulum diſtineret, cui acceſſit, quòd etiam provinciarum non paucæ gravioribus tributis exacerbatæ illum ſenſim deſererent. Obiit tandem prope Colugam, confectus à Tartarico quodam Murſa, relictô filiô poſthumo, de quo mox.

PSEUDODEMETRIUS III. prioris fil. poſthumus fuit, in cujus fidem Colugenſes ac vicini jurârunt ſtatim, à Patris cæde: quæ jura filii ut tanto acriùs mater perſequeretur, nupſit Polono cuidam Jo. Zoraskio, qui etiam belli impetum aliquandiu ſuſtinuit, ſed captus bienniô pòſt à Michaëlis Federovicii exercitu, palo infixus, uxor verò cum filio perpetuo carceri addicti ſunt.

PSEUDODEMETRIUS IV. in Septentrionali Ruſſia emerſit circa eadem tempora, Scriba publicus Moſcovienſis, qui Novogardiâ aliiſque provinciis Sueciæ vicinioribus in ſuas partes pertractis, etiam Sueciæ Regem ſibi adjungere anniſus eſt. Sed cùm inſolentiſſimè ſe gereret, à ſuis captus & in Moſcoviam abductus, ad Aulæ portam catenæ alligatus eſt, & poſtquam populi ludibrium aliquandiu fuiſſet, ſuſpendiô juſſu Michaëlis vitam finivit. Quæ *Pſeudodemetriorum* ſibi invicem ſuccedentium factiones durârunt ab A. C. 1605. uſque ad 1613. quô Michaël Federovitius Dux ſtabilitus eſt: qui primò omnium pace cum Suecis ſancitâ, quos amicos hactenus expertus eſt (Polonis ſemper pro Pſeudodemetriis ſtantibus) omni illis Livoniâ, Ingriâ, Careliâ, & multis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

multis ad Mare Album provinciis, quas durantibus his turbis occupaverant, ceſſit. Vide Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orb. Terr. Geogr. ac Civil. c. 7. ubi de Imperio Ruſſico*, & Georg. Hornium, *Orb. Imper. p.* 380. & *ſeqq.*

PSEUDOFORIS, apud Sulpicium Sev. pro *pſeudothyro*, Gall. *Fauſſe porte. Pſeudoforum* Fortunato *in Vita S. Martini, l.* 4.

Namque ad pſeudoforum *cellæ dum accederet æger.*

Vide Salmaſ. *ad Pollion. in Claudio, c.* 17.

PSEUDOISIDORUS.

PSEUDOLACTINUS Color, apud Joann. Diaconum *in Vita S. Gregorii, Circa pectus, ſub gula, inferior tunica pſeudolactini coloris:* ſubalbus, ſubcandidus & cinericius eſt, λευκοφαῖος, Gallis *gris*, Italis *Turchino allaitato.* Macer, *Hierolex.*

PSEUDONARDUS, quâ Plinius adulterari ſcribit nardum Indicam, eſt nardi ſpecies, quam hodie *Spicam* ſeu *Lavendulam* dicimus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1066. & ſuprà ubi *de Nardo piſtica.*

PSEUDO-NERO, non unus fuit, Tacit. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 8. Caſaubono tres, de quibus vide illum *ad Neron. Suetonii, c.* 59.

PSEUDOPENIAS, promontor. Cyrenaicæ, ſuper quo *Berenice* Urbs, *Strab. Capo Bernich* ex tabul. recent.

PSEUDOPROPHETA, qui abſque intentione Idololatriæ ſeu extranei cultus introducendi, ſuum tantùm obtendens ingenium, homines ſeducere conabatur, vel ſectam ſibi peculiarem comparando, vel futura falsò prædicendo, lege illâ Deuteron. *c.* 13. *v.* 6. ſolummodo quâ quilibet alius ſeductor tenebatur. Quin & lapidationis pœnâ erat puniendus, idque ex ſententia Synedrii, cui ſuberat, Vigintitriumviralis: At qui vel veri Numinis vel Idoli ſibi dictata ſimulans, ſive in alienum cultum, ſive in hæreſin quempiam inde incitaret, futuraque etiam inde prædiceret; licèt resipſa, quam ex Idoli auctoritate præmonebat, aliàs licita eſſet, nec à verò cultu diſſona: in eum Judicium extra Synedrium Magnum neutiquam poterat ferri, nec alia in illum præter Strangulationis pœnam ſtatui, vide Deuteron. *c.* 18. *v.* 20. ubi verba illa, *morte plectendus eſt*, de Strangulatione ſolent plerunque accipi. Quò facit, quod habetur apud Jeremiam, *c.* 38. de ſe in jus vocato & in lacum conjecto: Nec deſunt, qui exiſtiment juriſdictionem hanc Synedrii M. ſpectâſſe D. N. Jeſum Chriſtum, Lucæ *c.* 13. *v.* 33. ubi, *Fieri non poteſt*, ait, Prophetam *venire* (morte plecti) *extra Hieroſolyma*, ubi Synedrii illius ſedes. Quòd verò Hieronymus habet *in Eſaj. l.* 2. *c.* 3. *Conſtitutos fuiſſe in Populo Judæorum Sacerdotales gradus, qui Prophetas Pſeudoprophetaſque diſcernerent*, alibi non reperitur. Vide quæ hanc in rem congeſſit eruditus Seldenus *de Synedriis vett. Hebræorum, l.* 3. *c.* 6.

PSEUDORIPARIENSES, vide ſuprà *Pſeudocomitatenſes.*

Pſeudo-Sebaſtiani Luſitaniam turbantes.

PSEUDOSEBASTIANUS I. ſurrexit A. C. 1585. Cùm enim poſt mortem Sebaſtiani, in Africa cæſi, & Portugalliam in Hiſpanorum poteſtatem redactam, magna Luſitanorum pars deſideriô priſtinæ Regum ſuorum familiæ quemvis fingere etiam maluiſſe viſa fuerit, quàm Hiſpanorum jugum perpetuò pati, prudentioribus interim de morte Sebaſtiani neutiquam dubitantibus, nec causâ ſuſpicionis de ſuperſtite adhuc illo aliâ exiſtente, quàm quia Alphonſus Pereſius Tavora captus, ut hoſtilem furorem evitaret, ſe Regem finxerat, eoque ad Melici lecticam adductus ſervatus fuerat, ut videre eſt apud Thuanum, *l.* 65. Primò Sebaſtianum mentiri cœpit annô præfatô, tegularii filius, Alcaſonæ natus & Olyſſipone educatus, poſteàque vitam eremiticam amplexus: ſed eum Albertus, Prorex Philippi, quòd fronte & habitu corporis Sebaſtiano diſſimillimus eſſet, ex Judicum ſententia paulò pòſt remis admovit.

PSEUDOSEBASTIANUS II. fuit Gonſalvus Alvarus, è Tercera Inſul. atque itidem eremiticam vitam profeſſus Hiceræ ad littus maris; quô unicô fundamentô Portugallicum vulgus motum, credidit Regem Sebaſtianum, amiſſi prælii pœnitentiâ ductum, in eum locum ſeceſſiſſe. Quare perſentiſcens iſta lia & in commoda ſua transferre cupiens, ſæpius in tuguriolo ſuo exclamavit: *Miſerum te Sebaſtiane, cujus causâ mortem oppetiêre tot fortiſſimi milites, quâ poteris pœnitentiâ culpam eluere?* Sed captus & ille, nomen patrium ac vitæ inſtitutum ſponte profeſſus eſt, ac læſæ Majeſtatis reus ſuſpendium pertulit.

PSEUDOSEBASTIANUS III. cum excepit, Gabriël *de Eſpinoſa*, Madrigalæ piſtor Dulciarius, inſtinctu Fr. Michaëlis à Sanctis, qui olim Sebaſtiano à concionibus fuerat, ſeductus: ſed ambo morte multati ſunt A. C. 1595.

PSEUDOSEBASTIANUS IV. Calaber, innotuit demum A. C. 1598. fidemque omni exceptione majorem mereri videbatur: Maximè quòd in colloquio cum Duce de Medina enſem inter varios, qui proferri jubebantur, agnoſceret, quem Sebaſtianus olim Duci ad ſe ablegato dono dederat, & uxorem Ducis monilis admoneret, ipſi tunc etiam donô dati, eſſeque in monili quippiam quod hactenus illa neſciverit, ſibique conſtitutum eſſe, ut Sebaſtianum ſe eſſe fidenter crederent, id illi monſtrare: quô allatô juſſit gemmam eximi & poſteriori, quæ aurô anteà tecta fuerat, parti, nomen ſuum inſculptum oſtendit. Unde nec Portugalli à tumultibus vacui manſerunt: quibus tamen ille, in arcem concluſus, ſuâ an acceleratâ morte, finem impoſuit, A. C. 1601. Vide Chifletium *in Tenneur. Expenſo*, *c.* 7. & 8. laudatum Auctori *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2.

PSEUDOSERICUM, in *Notis* Tyronis, *p.* 159. Car. du Freſne eſt pannus ex ſerico & tela confectus.

PSEUDOSTOMUM, unum ex oſtiis Iſtri, Boreale, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ptol.* ubi *Bialogrod*, urbs Myſiæ inferioris hodie clara, ſedesque Præfecti.

PSEUDOTHEUS, apud Balſamonem, *can.* 6. *in Trull.* Vide ſuprà *Hecatontarchus.*

PSEUDOTHYRUM, Græcè ψευδόθυρον, apud Auctorem Queroli, *Eamus huc ad* Pſeudothyrum, *quam noſti bene*; idem eſt cum Sulpicii Severi *pſeudofore* vel *pſeudoforo*, *de Vita Martini, l.* 3. *dial.* 16. Vide ſuprà *Pſeudoforis*; it. *Poſterula.*

PSEUSENSES, Ægypti Rex, an. ante Urb. Cond. 225.

PSIATHIUM, Græcè ψιάθιον, apud Caſſian. *l.* 5. *c.* 35. *Incipientem idem feſſum corpus reficere & incumbentem* pſiathio *reperiſſet*; & *l.* 1. *c.* 13. *Quos ita novimus omni ex parte nudos exiſtere, ut præter colobium, mafortem, caligas, melotem &* pſiathium, *nihil amplius habeant. Pſiathus* quoque dicitur, *in Vita Pachomii, c.* 43. *At ne otioſus eſſem*, Pſiathos *elegi cum fratribus texere* &c. & matta, ſtorea, teges fuit, ex junco aut papyro confecta, in qua & cubabant & conſidebant Monachi, Gallis *Nate.* Φλοΐνη hinc ψίαθος; Græcis, quòd è *phleo* fieret, quaſi *ſcirpea teges*, apud *Pollucem*, Vide ſuprà in voce *Phleos.* De illis ſic Philo Judæus, *l. de Vita Contempl. p.* 616. *edit Turnebi*, Στιβάδες εἰσὶν εἰκαιοτέρας ὕλης, ἀφ' ὧν εὐτελῆ πάνυ χαμαίστρωτα παπύρου ἐγχωρίου μικρὸν ὑπερέχοντα κατὰ τοὺς ἀγκῶνας, ἵνα ἐπερείδοιντο. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi plurimos Auctores hanc in rem laudat, Dominic. Macrum *in Hierolex.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 999. & 1002. Arabes hodieque *Pſath* appellare ſtoream ſeu tegetem, quæ humi pro more Orientalium ſterni conſuevit, monet idem Macer. Vide quoque ſuprà in voce *Natta.*

PSILA, genus tapetis, minimè villoſi, quod variis coloribus pingebant Plumarii Artifices, hinc ψιλοβάφοι dicti. *Veteres Gloſſæ, Plumarius*, ψιλοβάφος. Eædem *Babylonicum*, ψιλὴ πολύμιτος. Eædem, *aulæum*, ψιλή. Vetus auctor, apud Euſtathium, ψιλαὶ Περσικαὶ ἀκριβῆ τὴν ἐγγραμμίαν τῶν ἐνυφασμένων ἔχουσαι ζώων, *Pſila Perſica accuratè intextorum animalium lineamenta habentes.* Lucillius, *Pſila atque amphitapa.* Βάπτειν autem Græcos etiam pro ποικίλλειν uſurpâſſe poſuiſſeque notum. Unde Βαπτὸς ὄρνις & βαπτοὶ χιτῶνες. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c.* 20. & *hîc ſuprà paſſim.*

PSILAS, Bacchus apud Amyclas, quaſi *pennatus*; quòd homines non minus attollantur vinô, quàm aves plumis: ψιλὰ γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερὰ, ut loquitur Pauſan. *l.* 3.

PSILE, inſula circa Epheſum. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

PSILINÆ Coronæ, apud Athen. *l.* 15. Lacedæmoniis fuêre dictæ *Thyreaticæ*, quòd geſtarentur in ſignum victoriæ ad Thyream obtentæ; conſtabant autem è palmæ foliis, Paſchal. *Coronar. l.* 6. *c.* 21.

PSILIS, fluv. Bithyniæ in Pontum Euxinum influens. Vide Suckium, *ad Arrian. p.* 122. *Baudrando Pſillis*, fluv. Aſiæ minor. In Pontum Euxinum ſe exonerat, prope Thynniam promontor. Bithyniæ & Ardacem oppid. inter Calpin. fluv. ad Ortum & os Boſphori Thracii ad Occaſum, 35. mill. paſſ. circiter.

PSILIUM, Græcè Ψίλιον, flumen & oppidum in Ponto, de quo Salmaſ. vide *ad Solin. p.* 880. ut & in voce *Pſilis.*

PSILLIA, apud Anaſtaſium Biblioth. in *Paſchali* Pontif. *p.* 152. Vide ſuprà, *Pſalia* & *Pſellia.*

PSILOCITHARISTÆ, apud Suetonium, *Domit. c.* 4. quinam ſint, exponit Athenæus, *l.* 14. qui nempe ſolebant κιθαρίσαι ψιλὴν, ut eleganter ait Diodor. Sic. *Hiſt. l.* 2. cui κιθαρίσει ſeu citharizationi adjungebatur vocis melodia, ut in *l.* 2. Platonis *de LL.* Vide Caſaubon. *ad Sueton.* & *Athen. d. l.*

PSILOTHRUM, Græcè ψίλωθρον, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 74. *v.* 1.

Pſilothrô faciem levas & dropace calvam:

& dropax, ſunt medicamenta depilatoria, quibus piloſa loca ad tempus lævia ac glabra reddebantur. Lævigabant autem hôc modô faciem, ut hîc: alas, uti viſum ſuprà ubi de *Alipilis.* Porrò inguina, Auſon. *Epigr.* 123. & partem obverſam, vide ſuprà *Culipilarius:* totum adeò corpus. Julianus *Miſopogone*, ubi de Mimis ac Saltatoribus ſeu Ludiis, ἄνδρας ψιλουμένους, οὔτι τὰς γνάθους μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅπαν τὸ σῶμα λειότεροι τῶν γυναικῶν ὅπως φαίνοιντο, *Viros non modò genis, ſed etiam totô corpore depilatos, ut ipſis fœminis leviores videantur.* Unde in *Aulularia* Plautus, *Actu* 2. *ſc.* 9. *v.* 6.

——— *Tu iſtum gallum, ſi ſapis*
Glabriorem reddes mihi, quàm volſus ludius eſt.

Vide Deſid. Herald. *Animadverſionib. ad Arnob. l.* 4. de *Pſilothri* verò vim habentibus Plinium paſſim: uti de *pſilothro* ad coria depilanda efficaciſſimo ſuprà voce *Albaſor:* aliquid etiam infrà voce *Pumex.*

PSILTUCIS, vide PSITULCIS.

PSILUM, oſtium parvum Danubii, *Arrian. Stenoſtoma* Solino, *c.* 19. *Spireoſtoma* Plinio, *l.* 4. *c.* 12. *Thiagola Ptolemæo.*

PSIMADA, regiuncula Iſauriæ. *Steph.*

PSIMMYTHIUM, h. e. ceruſſa, è plumbariis officinis; *laudatiſſimum in Rhodo. Fit autem ramentis plumbi tenuiſſimis, ſuper vas aceti aſperrimi impoſitis, atque ita diſtillantibus. Quod ex eo cecidit in ipſum acetum, arefactum molitur & cribratur, iterumque acetô miſtô in paſtillos dividitur, & in Sole ſiccatur æſtate——vis ejus ad candorem fœminarum* &c. Plin. *l.* 34. *c. ult.* Illô enim inter cœtera, ad faciem & cutem dealbandam, fœminæ olim uſæ ſunt: cujus moris meminit Hieronym. *Ep.* 23. *Et crebris lachrymis facies pſimmythiô antè ſordidata purgatur* &c. Vide hîc paſſim, inprimis ubi de *Fuco.*

PSINAPHOS, Ægypti oppid. *Ptol.*

PSINECTABIS, vicus Ægypti *Steph.*

PSIS. in nummis Criſpi & Vetranionis. Vide PS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PSITHIA, apud Statium, *l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 38.

Vel paſſum pſithiis *ſuis recoctum.*

ex emendatione Domitii Calderini; Græc. ψίθια, *Heſychio* εἶδος ἀμπέλου καὶ μήλων τινῶν, *ſpecies vitis & pomorum eſt.* Certè *Pſithias vites* inter Græculas recenſet Columella, *l.* 3. *c.* 2. Dicit autem *recoctum* Poëta, quia exiguitate acinorum & raritate uvarum, coqui & condiri opus habuerit; *paſſaſque* tales uvas in vino ſuo recoqui ſolitas ait; *paſſum* vinum intelligens, uvis ſuis denuo ingeſtis decoctum. Quod quomodo fiat, docet Palladius *in Octobri*, *c.* 19. laudatus *ad Statium d. l.* Barthio.

PSITHYRUS, Græcè ψίθυρος, epitheton Cupidinis admodum celebre Athenis: ubi ἔρωτος quoque & Ἀντέρωτος templum fuit, in via ad Academiam ducente, unde populum illum admodùm amoribus deditum, colligit Franc. Roſſæus *Anthol. Att. l.* 4. *c.* 1. Ratio nominis in promptu, quamvis enim non tanta ſilentii religio in Veneris, quàm in Cereris fuit ſacris, nihilominus maxima eorum pars ψιθυρισμοῦ involucris abſcondita fuit. Ovid. *Met. l.* 4. *fab.* 4. *v.* 63.

Conſcius omnis abeſt, nutu ſigniſque loquuntur.

Et clandeſtini maximè congreſſus colloquiaque, & ut Horatius ait, *l.* 1. *Od.* 9. *v.* 21. *intimo ab angulo riſus proditor.* Cupidini litantibus inprimis placent. Unde ὑπώροφος βοὴ, apud *Euripidem*; *ſuccrotilla vocula:* apud Titianum: *Fœminina fabulare ſuccrotilla vocula:* παραθεμένη τὸ ποτήριον χαίροις ὑπεψιθύρισε, apud Euſtathium *Iſmen.* legimus. Vide Roſſæum præfatum, *l.* 4. *c.* 3. *ubi de amore Mulierum.*

PSITTACE, urbs juxta Tigrim. *Steph.*

PSITTACHEMMIS, vicus Ægypti. *Steph.*

PSITTACI & *Stelliferi*, partium olim in Rep. Baſileenſi nomina, exorta ſub Bertholdo II. Epiſcopo Baſileenſi. circa A. C. 1250. Cùm enim, in duos ordines, Nobilium atque Plebejorum, populus, ut & in aliis urbibus, hîc eſſet diviſus, propter urbis autem amplitudinem, Nobilium multitudo ſuprà modum creviſſet, in duas tandem hi Societates abierunt, quorum diſſidiis non parum detrimenti Reſp. accepit. Et Scalarii quidem, Monachi, Rotbergii, aliique Pſittacum viridem in campo candido gerentes, à *Pſitacco* nomen mutuârunt; quibus favebant Comites Novocaſtrenſes, Marchiones Hochbergii, Domini Roteliæ &c. Eptingenſes verò, Uſhemii, Ramſtenii &c. in purpureo campo ſtellam gerentes candidam, Comites Habsburgenſes, Ferretanos, Friburgenſes, alioſque in partes ſuas pertraxerant. Sub Henrico III. Epiſcopo cùm inter eum, & Rodolphum Habsburgicum bellum ortum eſſet, priores Epiſcopi partes tuiti ſunt, pulſis in exilium poſterioribus, quibus in Comitis ditione perfugium fuit: à quo, poſtmodum in Imperatorem electo, A. C. 1274. reſtituti ſunt. Petrus I. dein Richenſtenius, Epiſcopatum nactus A. C. 1286. utramque ſocietatem connubiis junxit, ordinavitque unà cum Senatu Baſil. ut in poſterum pari numerô ex utriuſque ordinis nobilibus, Senatores legerentur, atque ex uno Conſul, ex altero verò Tribunus Pleb. idque alternis vicibus, deſumerentur. Quæ gubernandi forma diu duravit, donec à Nobilitate ad plebem tranſlata eſt A. C. 1306. diſſidiis inter Ottonem Epiſcopum & Albertum Imperatorem gliſcentibus, iterum in partes itum, & tumultu exortô Scalarii Monachique, factionis *Pſittacorum*, urbe ejecti ſunt, quòd Imperatori faverent, non niſi poſt 40. annos revocati. Poſtmodùm, cùm, tempore Concilii, cum exercitu adventanti Ludovico Galliarum Delphino ex utraque ſocietate plurimi adhæſiſſent, exiliô damnati, poſterique ab honoribus excluſi ſunt. Quod de nobilitate ſupererat, partim A. C. 1501. ſub tempus fœderis à Rep. cum Helvetiis initi, partim An. 1529. cùm Reformationem urbs amplexa eſſet, ſuâ ſponte exceſſit. Vide Stumpf. *l.* 12. *de Rauracis*, *c.* 25. *& ſeqq.* Albert. Argent. *Chron. p.* 99. Item in voce *Baſilea.*

PSITTACUS, pulchritudinis inter aves primas tulit, à Statio, *l.* 2. *Sylv.* 4. *Epicedio in Pſittacum Melioris Atedii*, ubi *Pſittacum* jungens Pavoni ac Phaſiano ait, *v.* 25.

Pſittacus *ille plagæ viridis regnator Eoæ,*
Quem non gemmata volucris Junonia caudâ
Vinceret, aſpectum gelidi non Phaſidis ales.

Quò facit, quod Alexander apud Indos hanc avem videns, admiratione ejus commotus, in illos, qui eam occiderent gravem pœnam conſtituit, uti Freinſhemius contra Ælianum, pavoni id tribuentem, docet *Not. ad Curtium*, *l.* 8. *c.* 9. Scaliger tamen *in Exercitat. num.* 236. quia Cardanus avem hanc commendaverat à colorum varietate ac prætereà fulgore, quod & Appulejus facit, *Floridor. l.* 2. contrà contendit, eſſe deformem, non modò ob fœditatem roſtri, ac crurum & linguæ, ſed etiam, quia ſit coloris fuſci ac cinericii, qui triſtis. Ad quæ Voſſius, *Quid faciamus ſummo Viro*, inquit? *Si Cardanus ea dixiſſet, provocâſſet ad Iudicia Poëtarum: atque adeo omnium hominum. Nunc quia pulchri dixit coloris, ille deformis contendit.* Vide eum *de Idolol. l.* 3. *c.* 80. ubi *ſub initium*, ſolum inter aves *Pſittacum*, ſicut ex animantibus ſolum Crocodilum, ſuperiorem commovere mandibulam tradit. Et *cap. præc.* docet, *Pſittacum*, ut non accenſeas id ætatis, quo in Indiis vixit, priuſquam huc advehebatur, (quod quantum ſit, ſciri nequit) tamen ſic quoque ad annum vivere ſexageſimum, quod & à Verulamio proditum eſt, *in Hiſtor. vitæ & mortis.* Inprimis verò docilitas ad hominum ſermonem imitandum in *Pſittacco* illuſtris eſt. Unde non ſolùm ei latior lingua, quod in omnibus avibus ſermonis noſtri imitatricibus requirit Plin. *l.* 10. *c.* 42. ſed & ſtructura mandibulæ, præſertim ſuperioris, ab avium vulgo variat. Quomodo autem loqui doceatur, cùm apud Plinium & Solinum, *c.* 55. tum apud Appulejum, *loc. cit.* legas his verbis: *Cùm ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferreâ claviculâ caput tunditur, imperium Magiſtri ut perſentiſcat; hæc ferula diſcenti eſt.* Qui & addit *ibid.* ut primô ſolùm bienniô docilis ſit; ſenex verò, obliviosus: Item, ut faciliùs diſcat, qui glandibus veſcitur, ac cujus in pedibus quini digituli numerantur, quæ omnia hauſiſſe videtur ex Plinio, *l.* 10. *c.* 42. ſed Plinium non bene intellexit; qui hæc non de *Pſittacis*, verùm picis, ſcripſerat. Inſigne docilitatis hujus exemplum in vita habemus Baſilii Macedonis Imperatoris qui filium Leonem cognomine *Philoſophum* Imperii fecerat conſortem, ſed calumniis Sabareni deceptus, in carcerem conjecerat. Contigit autem, ut dum Imperator cum Senatoribus aliquot convivaretur, *Pſittacus* ſæpe inclamaret, Αἲ αἲ κύριε λέον, *Ah, ah, Domine Leo.* Hinc ſilentium convivis, cujus cauſam rogante Imperatore, reſpondere cum lachrymis, *Animal rationis expers luget infelicitatem domini ſui Leonis; & nos inſontis obliviſcimur.* Imperator igitur eos porrò in convivio eſſe hilares, deque Leone bonum habere animum juſſit, neque multo pòſt eum carcere eductum priori reſtituit dignitati, Georg. Cedrenus, *in Comp. Hiſtor.* & Conſtantinus Manaſſes *in Annalibus:* quorum hic tamen avem vocat στρουθίον μουσικὸν: quod propriè ſit, *paſſerculum canorum.* Generatim, *aviculam canoram* reddit Leunclavius. Cedrenus autem appellat ψιττακὸν ζῶον μιμηλὸν καὶ πολύφωνον, *Pſittacum, animal imitatrix vocis humanæ ac loquax.* At in medio relinquit, utrum iſta dixerit, edoctus ab aliquo; an aliâ ratione fortuitâ. Manaſſes verò clare addit, edoctam hoc avem à mulieribus aſſiduè Leonem lamentantibus. Nec enim homo, nedum *Pſittacus*, ſermone loquetur, quem non didicerit: Quippe verba non ſignificant naturâ, ſed hominis inſtitutô. Quare Poëtica eſt adulatio, quando Martialis ait, *l.* 14. *Epigr.* 73.

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſcam.
Hoc didici per me dicere: Cæſar. ave.

Vide iterum Voſſ. *l. eôdem*, *c.* 89. & *Pſittaci* Epitaphium ſatis prolixum, apud Statium, *loc. cit.* Adde Aldrovandum, *Ornithologiæ l.* 11. ubi formas iconibus expreſſas tredecim Lectori ſpectandas proponit, quatuordecim deſcribit, Car. Cluſium *in Auctario Exotic.* ubi elegantiſſimi cujus iconem ibi habes, formam miraberis, & Sam. Bochartum, *Hieroz. Parte poſter. l.* 2. *c.* 30. Nomen quod attinet: Apud Plinium, *l.* 10. *c.* 42. liber Rigaltianus habet, *Siptacen*, in aliis eſt *Septogen*, verum eſt *Sittacem* vel *Sittam. Heſychius*, Σίττας ὄρνις ποιὸς, οἱ δὲ τὸν ψίττακον λέγουσι. Item Σίττη ὄρνις ποιὸς, οἱ δὲ δρυοκολάπτην. Item. Σιττὸς, οἱ μὲν γλαῦκα, κίτταν, ἢ ἱέρακα. Cteſias *in Excerptis Indicorum* Βίττακον vocat, & inſtar accipitris habere ſcribit. Σιττάκης etiam alibi legitur. Et ſanè Σίττακος & ψίττακος idem: σίττακος autem, quomodo & Arriano *in Indicis* hæc avis dicitur: à σίττα deducitur. Non Indi verò ipſi ſic videntur vocâſſe, ſed Græci, qui avem illam Indicam ſermonis humani imitratricem, nomine hujus avis appellaverunt, quæ maxima hominum vocis æmulatrix eſt, h. e. *pica:* quemadmodum Nili belluam, quam Ægypti ſui vocarunt Κέμψαν, iidem Κροκόδειλον vocârunt, quòd ſimilis eſſet lacertis maceriarum, dictis κροκοδείλοις apud ſe. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1014. Hodie Græcis παπαγᾶς, Gallis hinc *papagay*, Arabib. *babga* vel *babgia* dicitur: quibus vocibus cur Hebræorum אנפה *anapha* reddant Arabes paraphraſtæ, in Codice ſacro, non liquet. Niſi per *ajin* ענפא *anapha* legerint, tanquam ab ענף *anaph* factô nomine, id eſt, ab arboris ramo, à quo pſittacus videatur dictus, quia nidum habet ex arboris ramo penſilem. Bochart. *ubi ſuprà.* De patria ut aliquid ſuperaddam: Indica avis eſt, uti magnô conſenſu teſtantur Auctores, Cteſias apud Photium, Arrianus *in Indicis*, Ariſtoteles, *Hiſtor. l.* 8. *c.* 12. Plin. *l.* 10. *c.* 42. Ælianus, Pauſanias, Appulejus, Alii. Imò Solin. *c.* 52. *Sola*, inquit, *India mittit avem pſittacum.* Unde Ovid. *Amor. l.* 2. *El.* 6. *v.* 1.

Pſittacus Eois ales mihi miſſus ab Indis

Et Poëta in *Ænigm. de Pſittaco*,

Indica purpureô genuit me littore tellus,
Candidus accenſô quâ redit orbe dies.

Tamen, ut de Novo Orbe taceam, afferri etiam ex Africa, ſed intima, nos docent hodiernæ navigationes. Neque Plinium id latuit, qui, *l.* 6. *c.* 29. in Itinerario à Syene ad Inſul. Meroën, quod ediderant Neronis exploratores, Gagaudem Inſul. deſcribens ait, *inde primùm viſas aves pſittacos.* Quod confirmat Paulus Venetus, cùm de Abaſia ſcribit, *l.* 3. *c.* 45. *Habet pſittacos & epimachos plurimos.* Sed hæc Diodori, *l.* 2. Αἱ δὲ τῆς Συρίας ψιττακοὺς καὶ πορφυρίωνας καὶ μελεαγρίδας (ἐκτρέφουσι) cùm planè falſum ſit naſci in Syria pſittacos, nullum ſe capere fatetur idem Vir Magnus *loc. cit.* Vide quoque ad Statii *carmen in Pſittacum Melioris* eruditas *Animadv.* Cap. Barthii.

PSITULCIS, Indiæ inſul. quæ & *Scilluſtis.* Plut. *in vit. Alex. Magni. Cillutam* appellat *Arrian.* Quint. Curtius eam non nominat; quadringentis verò ſtadiis ab Indi fluv. oſtiis in mare remotam ſcribit. Quî nunc vocetur, non conſtat. *Ferrar.*

PSOCHEMMIS. oppidulum Ægypti. *Steph.*

PSOPHIS, urbs Peloponneſi in Arcadia, priùs *Phegia*, teſte Pauſaniâ, *l.* 8. à conditore ſic dicta, Tegeæ, Erymantho, Clitorio, ac Nonacri monti finitima. Ovid. *l.* 5. *Met. v.* 607.

Uſque ſub Orchomenon, Pſophidaque Cyllenenque.

Hodie *Dimizana Nigro*, urbs in Azania, regione Arcadiæ, ad Erymanthum fluv. anteà etiam *Erymanthus* dicta. Erat in limite Elidis. Fuêre aliæ urbes hujus nominis apud *Stephanum*, in Acarnania, in Libya, & in Achaja. In Seldeni MS. Ψωφὶς ἤτε Φωφίς. Nic. *Lloydius.* Munitiſſima ſitu, triplici fluviô & validis muris fuit, adeò ut confiſa his præſidiis, parumque cauta adverſùs vim arma-

armatam; capta facilè fuerit à Philippo, unà cùm excelſa ſua arce; de quibus omnibus lege Polybium, *l.* 4.

PSUSENES, Paſtorum in Ægypto Rex VIII. Smedi ſucceſſit, regnavit annos 46. quô tempore Amuthantæus in Thebaide ad clavum ſedit. Sub finem regni ejus Eliud interfecit Eglonem Moabitarum Regem. Illi ſucceſſit Nephel-cheres, Joh. Marsham. *Canone Chron.* ex *Manethone.*

PSYCHIA, inſul. una Cycladum, aliàs *Amorgus. Steph.*

PSYCHIA, à ψυχὴ, i. e. *Anima*, dicitur Græcis, quæ Latinis recentioris ævi *Animetta.* Vide ibi.

PSYCHICA, Græce ψυχικὰ, liber Chryſippi, laudatus Laërtio *in Zenone.*

PSYCHICI, Græcè ψυχικοὶ, h. e. *Animales*, Spiritualibus nempe oppoſiti, dicuntur Tertulliano Orthodoxi, poſtquam is ab Eccleſia ſe ſubduxit, Montani errores amplexus: *Adverſ. Pſychicos, c.* 1. *Et nos quidem poſteà agnitio Parecleti, atque defenſio disjungit à Pſychicis*: ubi per *Paracletum* Montanum; per *Pſychicos*, Orthodoxos intelligit, eos ſic vocans quòd Montanum, tanquam Spiritum, agnoſcere renuerent. Quò etiam detorſit verba Apoſtoli, 1. Corinth. *c.* 2. *v.* 14. ubi de ψυχικῷ ἀνθρώπῳ, *Animali homine*, dicitur, quòd non capiat ea, quæ ſunt Spiritus Dei &c. Dominic. Macer *in Hierolex.* Vide quoque Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* voce hâc.

PSYCHIUM, oppid. Cretæ in ora Auſtrali *Sichino* Mercatori, *Prioriza* Nigro. *Sichino* nunc, pagus 10. milliar. a Phœnico oppid. in Ortum *Baudrand.*

PSYCHOMACHIA, Græca vox, h. e. *Animæ conflictus*, titulus libri quo de conflictu ſpirituali in vitia agit Prudentius.

PSYCHOMANTIA, vide ſuprà *Necromantici.*

PSYCHROLUTES gauſapatus, apud Senec. *Ep.* 54. dictus eſt, qui aquâ exiens poſt natationem gauſapâ ſic ſe involvebat, de quo more Veter. Vide Caſaub. *ad Octavium Suetonii*, *c.* 83. & hic paſſim, inprimis ubi de *Balneo.*

PSYCHROMETRICA Inſtrumenta, in *Muſæo* Kircheriano, aſſervantur; quibus gradus humidi & ſicci ſenſibiliter viſui redduntur agnoſcibiles, quorum variæ ſpecies excogitatæ, paucæ tamen in uſum perductæ ſunt. Horum ratio ſumitur ex ambiente aëre, aut humido aut ſicco, qui quorundam corporum ſuperficiem radens, eos ſuæ qualitatis communicatione afficit. Corpora autem huic impreſſioni magis congrua ſunt ſtipula avenacea, & ſimilia. Inter artificialia verò omnis generis chordæ ſive ex fibris plantarum quarundam excerptæ & contortæ, aut etiam (quæ & maximæ ſunt activitatis) ex animalium inteſtinis fides. Cujuſmodi inſtrumenta duo exhibet in *Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo* Georg. de Sepibus: Quorum primum in ſuperficiem gradibus ſuis diſtincta avenaceâ ſtipulâ velut indice quôdam, tenui fulcro leviter inſiſtens, in quibuſcunque locis conſtitutô vaſe, gradus humidi & ſicci pro varietate temporis demonſtrat. Alterum intra cryſtallini globi graduatam circumferentiam, indice ſtipulâ ex quacunque materia, ex chorda fidicina, quæ contorta, vel conſtringendo, vel dilatando, ſiccum & humidum, pendula, unà ſecum indicem trahit. Tertium, in nauticæ pyxidis formam, planam ſcil. ſuperficiem, in 60. primaria minutorum ſpatia, dextorſum & ſiniſtrorſum diviſa, introfixi circuli indice mobili gradus ſicci & humidi demonſtrat, cujus figuram vide in *Arte Magnetica* Kircherii.

PSYCHRUS, fluv. Thraciæ in agro Chalcidico in Macedoniæ confinio frigidiſſimus, ex quo oves bibentes agnos nigros pariunt. *Ariſtoteles.*

PSYLLA vel PSYLLIUM, urbs Bithyniæ, non procul ab Heraclea; *Stephan.* nomen habet à ψύλλα, i. e. *pulex.* Quemadmodum ab eadem origine *Pſyllus* viri nomen eſt, in Menandri *Meſſenia*, apud *Suidam*: & οἱ κύνες οἱ ψυλλικοὶ, *Pſyllici canes*, ab Achajæ urbe dicti, apud *Pollucem.* Nec deſunt, qui Græcos Africæ *Pſyllis*, ἀπὸ τῶ ψύλλων, itidem Græcum nomen indidiſſe ſuſpicentur, quia *pulicum* more ſanguinem exugebant, nempe ut à ſerpentibus percuſſos ita ſanarent. Plin. *l.* 28. *c.* 3. *Quorundam hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſô levant percuſſos ſuctuve modicô.* Unde *labia Pſylla*, apud Arnob. *l.* 2. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 19.

PSYLLI, populi Libyæ ſupra Garamantes Plinio, *loc. mox citandô*; in Pentapoli *Ptolemæo*; Syrtes attingentes, contra virus ſerpentum muniti; ſic à *Pſyllo* rege dicti, Naſamonibus finitimi, à quibus victi fuêre. De his Cinna apud A. Gellium, *l.* 9. *c.* 12.

Somniculoſam ut Pœnus aſpidem Pſyllus.

Lucan. *l.* 9. *v.* 891.

——— Gens unica terras
Incolit à ſævo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli: par lingua potentibus herbis:
Ipſe cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu ceſſante, poteſt. Natura locorum
Juſſit ut immunes miſti ſerpentibus eſſent, &c.

Horum hiſtoriam vide apud Herod. *l.* 4. Plin. *l.* 7. *c.* 2. Sueton. *in Aug. c.* 17. qui memorat, adhibitos ab Auguſto, ut venenum è Cleopatræ vulnere exugerent, quò ſuperſtitem illam in triumpho duceret. Dion. Caſſ. *l.* 51. Plut. *in Catone Utic. &c.* De *Pſyllis* poëma Xenophanes Colophonius ſcripſit. Rem dignam riſu narrat Gellius, *l.* 16. *c.* 11. Pſyllos, quòd aqua eos defeciſſet, arma adversùs Auſtrum ſumpſiſſe & omnes interiiſſe. *Nic. Lloydius.* Cœterùm, ſi vera ſunt, de ſerpentibus ab iis fugatis, naturæ potiùs tribui debent, quàm vi Magicæ. In qua ſententia plerique Veteres fuêre. Plin. *l.* 7. *c.* 2. de Pſyllis, *Horum*, inquit, *corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ut cujus odore ſopirent eas.* Et paulo pòſt, *Simile & in Italia Marſorum gente durat, quos à Circes filio ortos ſervant, & ideo ineſſe iis vim naturalem eam.* Et Solin. *c.* 30. *Suprà Garamantes Pſylli fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate. Soli morſibus anguium non interibant, & quamvis lethali dente appetiti incorruptâ durabant ſanitate* &c. Circa Helleſpontum certè Parium eadem vis Ophiogenis, de quibus ſuprà. Nec Celſus, *l.* 5. *c.* 27. *Pſyllis* quidquam tribuit, ſupra vulgus hominum, præter *audaciam uſu ipſô confirmatam.* Acſi idem iis acciderit, quod Mithridati, de quo Martial. *l.* 5. *Epigr.* 77.

Effecit potô Mithridates ſæpe venenô,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Vide Bochartum, *d. l.*

PSYLLICUS, ſinus in Libya magnus & profundus, navigationis 3. dierum. *Herodot.* In ora Occidentali maris Atlantici; apud Heſperios eſſe putatur.

PSYLLIS, fluv. in Boſporo Ponti Euxini. Plin. *l.* 6. *c.* 1.

PSYLLIUM, urbs Bithyniæ *Ptol.* vulgò *Picello*, in ora maris Euxini, inter Heracleam Ponti ad Occaſum, & Tium ad Ortum 18. mill. paſſ. apud Pſyllis fluvii à quo dicitur, oſtia.

PSYRA, Inſul. maris Ægæi apud Chium, inde 60. ſtad. in occaſum diſtans, cum oppido cognomine, in quo vinum non provenit. Unde proverb. apud *Suidam* ex *Cratino*: *Pſyra Bacchum*: ſubintellige *non producit*, *Stephanus*: Λαμβάνεται δὲ τὸ ὄνομα ἐπὶ εὐτελείᾳ, διὰ τὸ εὐτελεστάτην εἶναι τὴν νῆσον. *Pſyra* igitur vocem eſſe Phœniciam nemo negaverit, qui ſciet בסירא *bſira*, Chaldæis & Syris idem eſſe quod εὐτελῆ, *vilem* nempe ac *deſpicabilem.* Bochart. *Baudrando* duplex eſt: Major, *Piſſera* dicta, circuitus 20. mill. paſſ. cum portu & caſtro munito: & Minor, *Antipiſſera*, 4. mill. à majori in Occaſum circuitus 10. mill. paſſ.

PSYTTALIA, inſul. parva ſinûs Saronici, inter Salaminem & Piræum. *Strabo. Steph.*

PTELEA, Epheſus olim dicta. *Steph.* Salmaſio propriè locus Epheſi, in quo Templum ædificatum; unde urbs *Ptelea. Steph.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 110. Eſt & vicus in tribu Oeneide. *Steph.*

PTELEUM, vulgò *Fitleo*, duorum oppidorum nomen, unum Theſſaliæ, ſed in ora Bœotiæ, Plin. *l.* 4. *c.* 5. 7. *l.* 5. *c.* 29. in confinio Phthiotidis, apud Sperchium fluv. alterum Meſſeniæ, Spartanis poſteà attributum. Ferrario in Ionia, apud Mimantum montem & Erythras Urb. etiam *Ptoleon*, fuit. Theſſalicum Plinio, *loc. cit.* eſt *nemus Pteleon*, tanquam ſi *ab ulmis* dicta fuiſſet Πτελεών. Ejus meminére tum alii, tum Lucan. *l.* 6. *v.* 352.

——— Pteleoſque & Dorion irâ
Flebile Pieridum. ———

Pteleuntis meminit Polyæn. *l.* 6. in Ariobarzane, *c.* 26. Vide ſis If. Voſſ. *ad Melam. l.* 2. *c.* 3. *Nic. Lloyd.*

PTERA, Græca vox πτερὰ, in Ædibus ſacris Veter. propriè, ad latera ædis columnarum ordines ſeu porticus: unde hodieque columnata Templorum latera *Alas* Galli vocant. Strabo de Templo quodam apud Thebas Ægyptias verba faciens parietes, qui utrinque πρόναον includebant, vel Templum, ſive columnis, ſive muris circumvallarentur, πτερὰ vocata ait. *Vitruvius* verò περίπτερον id genus ædis tantùm appellatum oſtendit, quæ columnas in fronte & poſtico & circa ædem utrinque haberet. Idem de arietis inventione, σίγην περίπτερον Latinè vertit *feneſtratam*, qua de voce vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1218. Sed & περίπτερον Templum dictum, quod in circuitu deambulationes haberet &c.

PTERELA, apud Plautum *in Amphitruone*, *Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 104. nomen viri, qui aliis *Pterelas.* Vide Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 15.

PTERIA, urbs munitiſſima Cappadociæ, à Cyro expugnata ac delata. *Herodot.*

PTEROPHORI, Græcè Πτεροφόροι, dicebantur Tabellarii apud Romanos, rem malè geſtam aut bellum annuntiantes à *pinnis*, quas in ſummo haſtarum fixas gerebant. *Heſych.* Πτεροφόροι, τέλος τὸ ϛρατιωτικόν. Quemadmodum contrà laureatas haſtas gerebant, aut laureatas tabellas adferebant, qui victoriæ & rerum ſecundarum erant nuntii. Statius, *l.* 5. *Sylv.* 1. cùm ex omnibus locis felices nuntios, nullum verò triſtem nuntium, Domitiano adveniſſe, dicere vult, ait, *v.* 92.

Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaque famosâ ſignatur epiſtola pennâ.

Cur verò pinnis ſignatas lanceas præferrent cùm adverſa haberent nuntianda, nihil aliud fingi cauſæ poteſt, quàm magnæ cujuſdam & præcipitis celeritatis argumentum; quòd longè majori feſtinatione ſcilicet opus eſſet, in perferendis triſtium caſuum eventibus, quàm in ſucceſſibus proſperis nuntiandis: nam in his nuntiorum tarditas nihil poterat adferre periculi, in illis duplicata celeritas requirebatur, ut quamprimum impendenti malo poſſet occurri. Nunciis itaque & literis publicis perferendis deſtinati milites, ſi quid minùs proſperi incidiſſet, in ſignum feſtinationis pinnas in ſummis haſtis figebant, quô ſignô admoniti, qui Curſui publico præerant, intelligerent non eſſe ceſſandum, ſed rebus cœteris omiſſis, hos quamprimum eſſe abſolvendos & quaſi pinnatâ velocitate dimittendos &c. Sed & quoſlibet nuntios, tam rerum lætarum, quàm triſtium, Πτεροφόρους appellavit Plutarchus *in vita Galbæ*, de quorum pennis ſic legitur *in Gloſſis vetuſtiſſimis MSS. Veredarii dicuntur à vehendo, qui feſtinanter in equis currunt, nec deſcendunt de equis, antequam liberârint reſponſa ſua: habent pennas in capite, ut inde intelligatur feſtina-*

ïto itineris, daturque eis equus ſemper paratus, & quæ ſeqq. Aliter dicti ſunt Ἀγγελιαφόροι & *Frumentarii*; cum Speculatoribus minimè confundendi, quod fecit Vir magnus *ad Sueton.* Vide Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadriano. c.* 11. & *Lampridium in Alexandro Severo, c.* 58. nec non *ſuprà*, ubi de *Frumentariis*, & *Pinnatis literis.*

PTEROPHOROS, regio Scythiæ circa Hyperboreos montes, damnata caligine. Hinc mos pennas in pileis geſtandi proceſſiſſe videtur, apud omnes penè Europæos. *Ferrarius.* Vide Plin. *l.* 4. *c.* 12. Sic dicta, ab aſſiduo nivium caſu, quæ πτεροῖς ſeu pinnis ſimiles ſunt, unde *Nives plumeas* appellat Arnob. *l.* 2.

PTEROS, Arabiæ Felicis inſul. in Indico mari. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

PTEROTI Calices, apud Plin. *l.* 36. *c.* 26. *Sed quid refert, Neronis principatu repertâ vitri arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant* pterotos *H. S. ſex milibus venderet*: ex Græco πτερωτοὶ, quaſi *pinnati* & *alati* dicti ſunt, à duabus anſis appoſitis. Quidam tamen *apyrotos* legunt, & ita dici putant vaſa frigidaria. Dalechampius *ad loc.* Vide ſuprà, ubi de *Anſis poculorum.*

PTEROTON, vide *Alata caſtra.*

PTERUM. promontor. Myſiæ inferioris *Ptol.*

PTERYGIA, Græcè Πτερύγια, quæ & πτέρυγες & πτερὰ, ſunt anguli veſtium, αἱ γωνίαι aliàs. *Heſych.* Θετταλικὰ πτερὰ, τοῦτο εἴρηται διὰ τὸ πτέρυγας ἔχειν τὰς θετταλικὰς χλαμύδας. πτέρυγες δὲ καλοῦνται αἱ ἑκατέρωθεν γωνίαι, διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξι. Cujuſmodi πτέρυγας ſeu γωνίας duas ab utroque latere pallium habebat in parte inferiori, duas in ſuperiori unde *quadrangulum* vel τετραγώνιον. Sed Πτέρυγας propriè vocabant Græci angulos illos, qui circa imum veſtis, ab *alarum* ſimilitudine: aperti ſiquidem & diviſi in medio veſtimenti partes, ab utroque latere fluitantes, avium alas planè referunt. Hinc idem Heſychius πτέρυγας vocat μέρος χιτῶνος τὸ περὶ τὰ κράσπεδα, *tunicæ partem, circa infimas oras.* Idem *alibi,* πτερύγια interpretatur τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων, *extremitates tales veſtimentorum.* Et *Pollux* πτερύγιον vocat τὸ ἥμισυ τοῦ χιτωνίσκου, *dimidiam partem tuniculæ*: quia, ut aves ſingulæ binas habent alas, ſic etiam hujuſmodi tunicæ, quæ per medium apertæ ſunt, duas utrinque partes habent, quæ avium alas imitantes inde πτερύγια vocantur, quarum utriuſque acumen extremum angulum facit, qui & ipſe πτέρυξ dicitur. Πτερὸν enim & πτέρυξ cujuſque rei *ſummitatem & acumen* apud Græcos ſignificat, ut ex eodem Polluce diſcimus, *l.* 7. *c.* 14. Hujuſmodi itaque πτέρυγας rotundæ veſtes & totæ ab imo circumcluſæ non habebant, ſed quadratæ ſolùm, quæ fibulis vel in humero vel in pectore tenebantur & apertæ erant, *veſtimenta* συῤῥαπτὰ Græcis & συμπορπητὰ appellata; contrà ἄῤῥαφα, quibus nullæ commiſſuræ, utpote quæ ab omni parte concluſa & continuata eſſent, qualis fuit Domini noſtri tunica ἄῤῥαφος. Spartianarum autem Virginum amicula erant, & multum corporis aperiebant; hinc πτέρυγας habebant: nam fibulâ in pectore ſtringebantur. Similiter Carthaginenſium quadratæ tunicæ alas habebant: Unde ſervus Plautinus Pœnulum, in comœdia cognom. ſic tunicatum *Avem* appellat, ab hujuſmodi alis, *Actu* 5. *ſc.* 2. *v.* 15.

Sed quænam illa avis eſt, quæ cum tunicis huc advenit.

Vide Salmaſ. *Notis ad Tertullian. de Pallio, c.* 1. Sed & πτερύγιον vitium gemmarum eſt: à quo πτερυγοφόρον electrum, quod non tranſlucidum eſt, ſed ſordibus inquinatum, *pterygia* referentibus. Plin. *l.* 37. *c.* 5. *Vitia præter jam dicta eadem fere quæ in ſmaragdis & pterygia*, apud eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1107. ubi de Beryllis. Nec omittendum, quòd etiam πτέρυγας, Poëmatis Simmiæ Rhodii Poëtæ nomen fuiſſe, docet Scaliger, *Poëtic. l.* 1. *c.* 18.

PTISCIANA, Mauritaniæ Tingitanæ urbs mediterran. *Ptol. Dar el Hamara* Marmolio.

PTOCHIUM, in *Vita* S. Euphroſynæ, *c.* 7. *Relinque omnia & fuge facultates patris tui, quæ multos invenient hæredes. Effice* Ptochia, *Hierocomia, Xenodochia, Monaſteria* &c. Græcè πτωχεῖον, domus eſt pauperum hoſpitio deſtinata, Concilium Chalcedonenſe, *act.* 1. Πτωχεῖον ἐποίησα καὶ ἔθηκα εἰς αὐτὸ ἑβδομήκοντα κραββάτια, *Ptochium exſtruxi, in eoque conſtitui ſeptuaginta lectulos.* Aliter Πτωχοτροφεῖον, Latin. quoque *Ptochotrophium*, apud Pallad. *in Lauſiac. c.* 5. *Habebat autem* Ptochotrophium *in ſuperiore quidem parte mulieres, in inferiore autem Viros.* Cujuſmodi domibus qui præeſt, πτωχοτρόφος, *Ptochotrophus* nominatur in *l.* 2. Cyrilli, in Concil. Conſtantinop. II. *coll.* 5. *in fine, Nunc puta omnes quidem ante pedes tuos cadere, & pauperes &* Ptochotrophos *omnes verò Monachos & Virgines*, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque ſuprà *Proſeucha.*

PTOCOSTOTÆ, Oenotri. Vide Stephan. in *Drys.*

PTOEMBARI, Africæ populi qui nullum Regem præter canem habent, quem illi ſtudioſè ac mirificè obſervant, ex illius motu ac nutu Imperia, & quæ ſint placita augurantes. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 2.

PTOEMPHANÆ, populi Africæ, qui canem pro rege habent, ſicut *Ptoembari.*

PTOLEDERMA, Arcadiæ oppid. Pauſan. *in Arcad.*

PTOLEMÆUM, Athenis gymnaſium erat. Cicer. *in ipſo ſtatim initio l.* 5. *de Fin. Quum audiſſem Antiochum, Brute, ut ſolebam, cum* M. *Piſone in eo gymnaſio quod Ptolemæum vocatur, &c.*

Reges Ægypti.

PTOLEMÆUS I. Lagi filius, mortuô Alexandrô Magnô, ab equitibus primùm, deinde, communi omnium conſenſu, Ægypti Rex declaratur. Huic Africæ, Arabiæque pars cum Ægypto ſorte venit: ex gregario milite eum Alexander, virtutis causâ, evexerat. In Ægypto, ſolerti induſtriâ, magnas opes paravit: Ægyptios inſigni moderatione in favorem ſui ſollicitavit, & Reges finitimos obſequiis devinxit: terminos imperii, urbe Cyrene ampliavit, additâ Syriâ, Phœniciâ, Ciliciâ, & Cyprô. Demetrium, Antigoni filium, bellô vicit: captivos, omnemque prædam dimiſit: ſe propter dignitatem, non propter prædam, pugnâſſe dictitans. Poſt hæc victor ipſe à victo, navali præliô, vincitur: filium & fratrem atque amicos Ptolemæi captos, Demetrius pari anteà munere provocatus in Ægyptum remittit: doniſque inter ipſa bella contendunt: *Tantô honeſtius tunc bella gerebantur, quantô nunc amicitiæ coluntur.* Vide Juſtin. *l.* 13. 14. & 15. Legatos Alexandriâ miſit Romam, conciliandæ amicitiæ gratiâ: imperavit annis 40. Cyprum & Phœniciam quoque, ut dictum, tenuit: ab eo omnes alii Reges Ægyptiaci vocati ſunt Ptolemæi. Obiit Olymp. 124. Pater ex Berenice, Ptolemæi II. Princeps literatus, Auctor *Hiſtoriæ Alexandri M.* Adde Polyb. *l.* 2. Euſeb. *Chron.* Joſeph. Pauſan. Dexippum, &c. Præter filium *Philadelphum* habuit, & *Ceraunum.* Deceſſit in rerum geſtarum gloria, cum paulò antè, regni abdicatâ adminiſtratione, Regem filium conſtituiſſet *Philadelphum.* Trogus *l.* 15. Cœterùm is & *Magnus* & Σωτὴρ dictus. Rhodiis hoc agentibus, ut gratiam ei rependerent, ab Oraculo Ammonis pronuntiatum eſt, divinis afficiendum honoribus; unde lucus illi in Urbe Rhodi ſacratus atque is quadratus, extructâ ad latus quodque porticu ſtadium longâ, quam Πτολεμαῖον nuncupârunt. Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idol. l.* 1. *c.* 31.

PTOLEMÆUS II. cognomine *Philadelphus*, Lagi Ptolemæi filius junior, ſucceſſit patri in regno Ægypti, Annô Mundi, ut quidam volunt, 3680. ante Chriſtum natum 282. Hic Stratonis diſcipulus doctiſſimus fuit: Bibliothecam inſignem per Demetrium Phalereum paravit Alexandriæ, quæ uſque ad Alexandrinorum & Romanorum bellum duravit: Judæos, qui in Ægypto erant, liberos permiſit, vaſa Eleazaro, ſummo ſacerdoti Hieroſolymorum, votiva tranſmiſit, & divinas ſcripturas in Græcam linguam per ſeptuaginta interpretes verti curavit. Hujus Frater, major natu, qui Seleucum vitâ regnôque Macedoniæ privaverat, amicitiam pacemque ac concordiam per epiſtolas deprecatur, profeſſus deponere ſe offenſam erepti paterni regni, neque amplius à fratre quæſiturum, quod honeſtius à paterno hoſte recepiſſet. Eutrop. *l.* 2. Juſtin. *l.* 17. D. Epiph. *in lib. de pond. & menſuris*: Joſeph. *Jud. Ant. l.* 22. *c.* 2. Titus Liv. *Decad.* 5. *l.* 4. & 5. Dictus eſt Rex *Philadelphus*, per antiphraſin, eò quòd fratres ſuos vel è medio ſuſtulerit, vel regnô pepulerit, quò thronô ſolus potiretur. Vide ſuprà: Coronatus patre adhuc vivente. Obiit, fœdere priùs cum Romanis initô, ſecundùm aliam à ſuperiori Chronologiam, A. M. 3807. Regnavit autem ann. 38. relictô *Ptolemæô* III. *Euergete.* Cœterùm is poſtremò ſororem duxerat Arſinoën, anteà Lyſimacho & *Ptolemæo* Cerauno nuptam. Quam quantopere amaverit, argumento eſt, quòd Deorum cultu eam cupiverit honorari. Plin. *l.* 34. *c.* 14. *Eôdem lapide (magnete) Dinocrates Architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulachrum ejus in ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius & Ptolemæi; qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Auſonius tamen ita rem narrat, quaſi eò rem perduxerit, quò volebat. Sic enim is *Idyll.* 10. *v.* 311.

Conditor hic forſan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadrô cubi in faſtigia conô
Surgit, & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras,
Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris.
Arſinoën Pharii, ſuſpendit in aëre templi.

Vide quoque Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 21. *c.* 6. Quia verò Ptolemæi, dicti ſunt Reges omnes Ægypti, ut monitum, poſt Alexandri tempora, ſicut *Pharaones* antiquitus, inde *ptolomare*, pro regnare & more Ptolemæorum imperare, in *Tabulario* Sanct. Severini Burdigal. apud Car. du Freſne *in Gloſſar. Annô milleſimô* ——— *Indictione* 8. *Gregorii VII.* ——— *Goſcelinô Præſule Burdegalenſi archiepiſcopante, Rege Philippô Francorum* ptolomante, *Aquitanorum Duce Wilhelmô, pacem & juſtitiam docente, ego,* &c.

PTOLEMÆUS III. cognomine *Euergetes*, ſorore Berenice, quæ Antiocho II. Theo nupſerat, à marito occiſâ, ultione ardens, Ciliciam, cum provinciis quibuſdam trans Euphratem, & totâ fere Aſiâ occupavit: rebellione Ægyptiorum revocatus, cum immenſa præda, & 2500. ſimulachris Deorum, inter quæ illud erat, quod Cambyſes, Pſammetichi tempore, Ægyptiis eripuerat; rediit: Hinc à ſuperſtitioſis ſubditis *Evergetæ* elogium nactus. Obiit A. M. 3833. 26. annis regnô potitus; moriens ſucceſſorem habuit *Ptolemæum IV. Philopatorem*; à quo veneno ſublatus fertur. Juſtin. *l.* 29. & 30. Polyb. *l.* 2. Euſeb. *in Chron.* Hieron. *in Daniel.*

PTOLEMÆUS IV. cognomine *Philopator*, iterum per jocum ita dictus. Idem enim matrem quoque, cum fratre & ſorore ſuſtulit. Quidam & uxorem addunt, poſtquam Agathocleæ, nobilis ſcorti, amore exarſiſſet. Reliquum vitæ effræni licentiâ tranſegit, vicit nihilominus Antiochum III. Magnum, Syriæ Regem, Dein Hieroſolymam perveniens, ſub Simeone II. Pontifice, Sanctum ingredi conatus eſt, ſed divinitùs prohibitus, poſtquam in regnum rediit, in Judæos ſævire volens, illis circo, ut occiderentur, incluſis, paulo poſt oblitus propoſiti, pepercit. Obiit, A. M. 3850. 27. ann. regnavit. Polyb. *l.* 5. Juſtin. *l.* 30. Euſeb. *in Chron.* Hieron. *in Daniel.* Torniel. & Salian *in Annal. Vet. Teſt.*

PTOLEMÆUS V. *Epiphanes* regni gubernacula ſuſcepit, eaque tenuit ann. 23. Succeſſit patri an. ætatis 5. inſidiis Agathocleæ pellicis, quæ cum ſorore & matre Oenanthe, Regis morte diſſimulatâ, raptiſque theſauris, etiam filio necem illatura erat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

erat, ereptus à ſubditis, Romanorumque tutelæ commiſſus: Quò tempore Antiochus 3. Ægyptum invadens fruſtra fuit: qui ut facilius ſcopô potiretur, filiam Cleopatram Ptolemæo nuptum dedit, ſed illa marito impensè favens, Patris conatus denuò eluſit. Obiit relictis filiis 2. A. M. 3873. Euſeb. *in Chron.* Hieron. *in c.* 11. *Dan. Polyb. Liv. Juſtin.* &c. Poſt hunc

PTOLEMÆUS VI. *Philometor*, quòd matrem, quæ juniorem illi fratrem præferre contenderat, odiſſet, per antiphraſin dictus, quum 35. annis Ægypti regnum tenuiſſet. Cleopatrâ filiâ Alexandro Balæ Syriæ Regi, quem thronô expulit, datâ, Obiit A. M. 3808. Vide *Alexander I. Syriæ Rex*, fratremque ſuum *Ptolemæum VII. Evergetem* alterum, ab Alexandrinis *Cacergetem* dictum, moriens Regem conſtituit.

PTOLEMÆUS VII. *Evergetes*, qui & *Phyſcon* dictus eſt, ignavus & luxu perditus, regnavit Ann. 29. Populis Syriæ, Demetrii Nicanoris imperium pertæſis, mercatoris cujuſdam filium, Potarchum nomine, Regem dedit; qui ab Antiocho Sidete ſe adoptatum fingens, Alexandri nomen aſſumpſit, inſuperque Zebina cognominatus eſt. Obiit A. M. 3937. Strabo, *l.* 17. Joſeph. *Hiſt. l.* 13. Euſeb. *in Chron.* Hiſtoriam quandam condidiſſe dicitur, Athen. *l.* 2. *c.* 12. *&c.* Huic

PTOLEMÆUS VIII. cognomentô *Lathyrus* filius ſucceſſit: Hic à Cleopatra matre thronô pulſus, ſurrogatô fratre Ptolemæô Alexandrô, ope Alexandri Judæorum Regis Judæam ingreſſus, Azothô captô, Judæos prope Jordanem vicit, immaniter in hos ſæviens. Tandem, cùm in Ægyptum redire fruſtra tentâſſet, in Cyprum ſe recepit, poſtquam jam ann. 17. regnâſſet, deturbatus A. M. 3954. Sed mortuô Fratre revocatus A. 3962. vel 63. regnavit denuo, uſque ad A. M. 3970. ſecundum Euſeb. vel 73. juxta alios. Juſtin. *l.* 39. *Joſeph. l.* 13. *&c.*

PTOLEMÆUS IX. dictus *Alexander* I. Vide ibi.

PTOLEMÆUS X. Vide *Alexander* II.

PTOLEMÆUS XI. Vide *Alexander* III.

PTOLEMÆUS XII. dictus *Auletes*, filius nothus, an Regis Ptolemæi Alexandri, an Lathuri? à ſubditis, quos nimiis tributis preſſos tenebat, pulſus, ſuffectâ filiâ ejus Berenice, quæ Archelao, Sacerdoti Pontico, nupſerat, Romam petiit: inde, votô fruſtratus, Epheſum pervenit; paulo pòſt autem, à Gabino Syriæ Proconſule, juſſu Pompeji, pulsâ occiſaque filiâ, reſtitutus eſt in regnum. Deceſſit paulò pòſt, An. regni 13. Strabo, *l.* 17. Dio, *l.* 39. Appian. *de bello Civ. l.* 2. Poſt hunc

PTOLEMÆUS XIII. cognomentô *Dionyſius*, Cleopatræ frater, qui Pompejum poſt Pharſalicam cladem in Ægyptum fugientem interimendum curavit, ſuaſu Theodoti Præceptoris, ope Achillæ, copiarum ducis: regnavit cum ſorore annos 5. Cùm idem perfidis ſuorum conſiliis aurem præbens, Cæſari quoque, ad quem Pompeji caput reſectum tranſmiſerat, inſidias pararet, à Cæſare victus & Nilo merſus eſt. Appian. *de bell. Civil. l.* 2. Eutrop. *Hiſtor. Rom. l.* 6. Oroſ. *l.* 6. *c.* 15. *&* 16. *&c.* Strabo, *l.* 17. Ptolemæorum ſtemma habes apud Paulum Manutium, *Quæſitis per Epiſt. l.* 1. *ep.* 10. Hinc *Ptolemæus*. Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 30.

Et Ptolemaea litora capta Phari.

REGES ALII.

PTOLEMÆUS Alotites Alexandrô 19. Macedon. Rege per dolum interfectô, regnum ejus occupavit, idem tamen aliquot annis pòſt à Perdiccâ paſſus eſt circa Olymp. 103. An. 4.

PTOLEMÆUS Ceraunus, 30. Macedonum Rex, fil. Ptolemæi Lagi, ex Eurydice: occidit proditoriô aſtu Seleucum, Aſiæ Syriæque Regem & Macedoniam uſurpavit, ductâ ſorore propriâ Arſinoë, Lyſimachi viduâ, quam tamen mox in inſulam Samothraciam relegavit, filiis ejus Lyſimachô & Philippô occiſis. Dein pace cum vicinis factâ, à Gallis, Belgiô Duce, victus periit, cùm annum duntaxat regnâſſet. Olymp. 125. Polyb. *l.* 2. Juſtin. *l.* 17. *&* 24. Pauſan. *in Phocis. &c.*

PTOLEMÆUS, cognomine Apion, Cyrenenſium Rex, filius nothus Ptolemæi Phyſconis: poſt regnum Ann. 20. ſine liberis decedens, hæredem inſtituit S. P. Q. R. qui parvi hujus regni urbes liberas eſſe juſſit. Juſtin. *l.* 39. Liv. *l.* 70. Euſeb. *in Chr. &c.*

PTOLEMÆUS, Cypri Rex, è familia Ægypti Regum, vitiis immerſus, ſubditiſque propterea exoſus. Adventu Catonis cognitô, ſibi ipſi mortem conſcivit, Vellej. Paterc. *Hiſt. l.* 2. *c.* 45.

PTOLEMÆUS, Judæus, fil. Abobi, auctoritate & divitiis pollens, Simonis Maccabæi, Judæorum Principis & Pontificis Max. filiam ſibi conciliavit, magnis hinc muneribus adhibitus. Quô rerum ſucceſſu, inſolentior factus, familiam Maccabæorum extinguere, quò rerum potiretur, conſtituit. Socerum igitur in convivio occidit, viduâ ejus filiiſque in carcere retentis. Sed cùm fruſtra percuſſores immiſiſſet Johanni Hyrcano, tertio Simonis filio abſenti, Dagonem, arcem prope Hierichuntem, ſe recepit. Ubi ab Hyrcano obſeſſus, Socrum & fratres uxoris in muro virgis cecidit, minatus, ni Hyrcanus abſiſteret, ſe illos in præceps daturum: nihilominus, eô recedente, necem iis intulit, ad Zenonem cognomine Cotylam, qui Philadelphiæ tyrannidem arripuerat, profugus, 1. Maccab. *c. ult.* Joſeph. *Hiſt. l.* 13. *c.* 14. *&* 15. *& l. de Bell. c.* 2.

PTOLEMÆUS, Vir pius, ſub Antonino Philoſopho, cùm proſtibulum quoddam convertiſſet, à marito ejus apud Urbicum Romæ delatus, & unà cum Lucio quodam, qui ejus cauſam tuebatur, ad mortem raptus eſt, A. C. 162. Quâ occaſione Juſtinus Martyr alteram Apologiam conſcripſit. Petr. Haloixius, *in vita Juſtini Martyris.*

PTOLEMÆUS, fil. Ageſarchi, Megalopoli oriundus, ſcripſit *hiſtoriam Ptolemæi Philopatoris. Athen. Clem. Alexandrin.* Item, Alexandrinus, cognomine Chennus, ſub Trajano & Adriano; Grammaticus & Poëta. Scripſit *de Admirabilibus.* Vide Photium *Cod.* 190. *Suid.* Item Mendeſius, ſub Auguſto & Tiberio. Sacerdos Ægyptius, ſcripſit hiſtoriam Regum Ægypti. Clem. *l.* 1. *Strom.* Euſeb. *de Præp. Evang. l.* 10. *c.* 12. Tertull. *in apol. c.* 19. Cyrill. *l.* 1. *contr. Julian.* Item Aſcalonita Grammaticus, item Cytheræus Poëta. Lil. Girald. *dial.* 4. *Hiſt. Poët.* Geſner. *in Biblioth.*

PTOLEMÆUS, Hæreſiarcha, diſcipul. Valentini, ſeu *floſculus*, ut eum Irenæus, *l.* 1. *c.* 5. appellat. Magiſtri deliriis alia addidit, duas uxores Deo, Intelligentiam & Voluntatem tribuens; &c. Vide Tertullian. *Adv. Valent.* Epiphan. *hær.* 35. Baron. *A. C.* 175.

PTOLEMÆUS, miles ſub Decio apud Alexandriam, Chriſtianæ religionis ergo ſuppliciô affectus. Alius de quo, 1. Maccab. *c.* 16.

PTOLEMÆUS Claudius; Aſtrologus, natione Ægyptius; Peluſiota, Alexandriæ profeſſus eſt, liberalium artium, ac Græcarum literarum ſtudiis clarus temporibus M. Aurel. Antonini. Primus apud Græcos cœli rationem diligentiùs explicuit: inventaque ab Hipparcho inſtrumenta clariùs demonſtravit. De Muſica, & rebus aliis, tum *de Geographia* abſolutiſſimè ſcripſit. Sunt autem opera, ejus, *libb.* 8. *de Geographia*, *Almageſtum l.* 13. de Judiciis *Aſtrologicis libb.* 4. *Planiſphærium*, &c. Marcianus Heracleota, *in periplo*, Suidas; Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 10. *& de Scient. Mathem. c.* 3. §. 5. *c.* 17. §. 7. *c.* 19. §. 6. *c.* 22. §. 4. Geſner. *in Bibliothec. &c.* Θειότατος καὶ σοφώτατος dictus. Fuerunt & alii hôc nomine, ut Pyrrhi regis filius, & Cypriorum rex, qui ſuis divitiis Romanorum locupletavit ærarium: Vide ſuprà. *Ptolemæos* quoque ſex alios commemorat *Suidas*, quinque Grammaticos, & unum verſificatorem: quorum opera ad nos minimè pervenerunt. Joſephus item alium ponit Abobi filium, Simonis ducis Judæorum generum, quem ſocer Jerichô tempore belli Macchabaici præfecerat. At ille incenſus regni cupiditate, invitatum ad cœnam, incautum interfecit. Vide ſuprà.

PTOLEMÆUS Lucenſis, Epiſcopus in ditione Veneta. Condidit *Annales, ab A. M.* 1060. *uſque ad* 1303. Prodierunt Lugduni, A. C. 1619. Item *Hiſtoriam Eccleſiaſtic. uſque ad Clementem VI. An.* 1342. Edidit quoque *Genealogiam Roberti Guichardi*, ab aliis poſtmodum continuatam. Blond. *l.* 13. Platina *in Lucio* 3. Volaterr. *Comm. Urbann. l.* 22. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 64. Floruit ſeculô 14. Vide quoque *Ptolomæus.*

PTOLEMAIS, anus quædam, quæ, quoad vixit, lites agitavit, nec unquam à cauſis dicendis feriabatur. Unde proverbium: *Lis Ptolemaica.*

PTOLEMAIS, urbs quatergemina: Prima Æthiopiæ ſub Ægypto, ad ſinum Arabicum, quæ *Theron*, i. e. *ferarum*, cognominatur à Ptolemæo, & *Epitheras* à Plinio, *l.* 6. *c.* 29. *Suachen* nunc dicta, à Berenice urbe ejuſdem oræ 602. mill. paſſ. in Ortum. *Baudrando* urbs eſt Troglodyticæ, hodie *Suaquen*, emporium celebre Abyſſiniæ, cum portu capaci, in ora maris Rubri. Ferè 120. mill. paſſ. à confinio Ægypti in Meridiem, 300. à Martaba in Occaſum, & 350. à Berenice in Eurum. Secunda Cyrenaicæ, in orâ litorali, anteà *Barce*, nomen habens à *Ptolemæo* rege conditore, *Tolometta* hodie, inter Arſinoën ad Occaſum, & Cyrenen ad Ortum. Hîc, Synodô à Syneſio Epiſcopo celebratâ, Andronicus, Pentapoleos præfectus, impietatis, repetundarum, ſævitiæ, blaſphemiæque reus, excommunicatus; ad Epiſcoporum pedes ſe abjecit, & veniâ delictorum petitâ, in gratiam receptus eſt. Vide hiſtoriam & Formulam hujus excommunicationis, apud Syneſ. *ep.* 67. 68. 72. Baron. *in Annal.* Tertia Phœnices maritima apud Palæſtinæ fines, olim *Ace* Plinio, *Acon* Ebræis, colonia quondam Cl. Cæſaris, teſte Pliniô, *l.* 5. *c.* 19. *Ace* etiam *Stephano*, qui ſic dictam prius putat, quòd ibi Hercules à vulnere curatus ſit. Hodie *Acre*, & *S. Jean d'Acre* Gall. dicitur ab Europæis, quia Equites S. Johannis Hieroſolymitani ibi ſedem diu habuerunt, eamque fortiter contra Saracenos propugnârunt. Anteà etiam *Tolemaida* dicta fuit; eſtque etiamnum Emporium à Gallis frequentatum. Sed paucis conſtat incolis; Sub Turcis. Vide infrà. Quarta Ægypti in Thebaide, ad Nilum, inter urb. Crocodilorum, & Abydum, à quo 22. mill. paſſ. aberat in Boream, Barbaris erepta eſt, ab Aurelio Probo. A. C. 279.

PTOLEMAIS, maritima & celebris Phœnices urbs eſt verſus Septentrionem à monte Carmelo quatuor, verſus Meridiem à Caſtro Lamberti totidem, ab Hieroſolyma verò triginta ſex milliarib. diſtans: hanc Aſeritæ nunquam poſſederunt, quia ejus habitatores expellere non potuerunt. Inſignis enim & munitiſſima urbs eſt, mirabilibus cincta muris & antemuralibus, portis, turribus, foſſis & caſtris fortiſſimis, triangularem in modum clypei habens formam, cujus duo latera mari magno junguntur, tertium verò planitiem terræ reſpicit. Nam ab Oriente magnus atque planus latitudinis duorum milliarum civitati adjacet campus, fontibus irriguus, fertilis valde. Ab Auſtro, commodiſſimus atque multarum navium capax portus eſt, qui partim intra urbis mœnia, partim inter littus & mare ſitus, navibus tutam & tranquillam ſtationem, civitati verò maximum lucrum præbet: ædes tum publicæ, tum privatæ magnificæ atque pulcherrimæ. Hîc 2000. Judæorum occiſa, A. C. 67. Varias autem devaſtationes & incendia paſſa, à Balduino I. Palæſtinæ Rege occupata eſt, A. C. 1101. ſed recepta à Saladino, A. C. 1187. quô victô, illâ rurſus potitus eſt Richardus Angliæ Rex, A. C. 1190. in qua obſidione Ordo Teutonicorum inſtitutus eſt. Verùm

rùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

rùm Ægypti Sultanus illam denuo expugnavit, cæſis in urbe XXXM. hominum, A. C. 1291. Donec tandem in Turcarum Imperatoris poteſtatem redacta, ejus nunc acerbiſſimum ſervitutis jugum experitur, eſt in tribu Aſer. Vide quoque ſuprà.

PTOLEMAIS, Athenienſium XII. tribuum ultima, quæ ſicut & *Attalis*, à Rege in Remp. benefico nomen accepit: cùm priùs *Demetrius* diceretur, à Demetrio ſimiliter de Athenienſibus benè merito. Vide Stephanum, Franc. Roſſæum, *Archæol. Attic. l.* 1. *c.* 5. & ſuprà voce *Demarchus*.

Tribus Ptolemaidis Δῆμοι, i. e. *Populi.*
Βερενικίδαι. Conthyle.
Thyrgonidæ.

PTOLEMAIS, foſſa quædam Ægypti manu facta, ducta ab oſtio Peluſiaco ad urb. Arſinoëm in ſinum Arabicum: ſic dicta à *Ptolemæo* rege, qui eam abſolvit. Primùm enim à Nechao, Pſammetichi filio inchoata, dein à Dario Perſarum Reg. continuata, ſed imperfecta relicta fuerat. Plin. *l.* 5. *c.* 5. Diodor. *Ptolemæorum fluvium* vocat Ælian. *de Anim. l.* 12. *c.* 29. Nunc arenis obducta eſt. Item Ciliciæ urbs, *Strabo*. Urbs quoque Arſenoitis Nomi in Ægypto. *Ptolemæo,*

PTOLEMÆUS, Jubæ filius, Maurorum Rex, juventâ incurioſus & libertis obnoxius; ob quam rem Mauri ſervilia imperia bellô mutaverunt. Hunc poſteà Cajus, licèt conſobrinum ſuum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) dimiſſum per viam interfici juſſit.

PTOLEMÆUS, Mathematicus, Othoni in Hiſpania comes, conjectura illi prædixerat fore, ut in imperium adſciſceretur. Poſteà nunquam defuit, ad ſcelera inſtigans Othonem, ut Remp. invaderet. Vide quoque *Ptolemæus*, uti meliùs ſcribitur.

PTOUS, mons Bœotiæ, in quo Acræphium oppid. erat, ubi Apollo natus traditur, teſte *Plutarchô*. Hinc mons trivertex eſſe fertur ex Homero *in Catal.* ac, teſte *Strabone*, incumbit lacui Copaidi. In hoc monte erat Oraculum Apollinis, ad quod Thebani conveniebant, *Strab.* authore.

PTR. in nummis Conſtantii Chlori, *percuſſa Treveris*, Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus.*

PTUA, Armeniæ minor. urbs, *Ptolem.*

PTUCCI, oppidum Hiſpaniæ Bæticæ mediterraneum in Turdetanis, apud Anam fluvium.

PTYCHE, ex Græco πτύχη, tabella, in qua navis oculi pingebantur & nomen navis inſcribebatur vide ſuprà *Acroſtolium.*

PTYCHIA, inſula juxta Corcyram: Gentile, *Ptycheicus Steph.*

PU. in notis antiqq. *Pupilla*. PVB. *Publius*, denotat &c.

PUAN, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

PUBES, apud Statium, *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 68.

Quem non corrumpit pubes *effræna* ———

prima pubertas eſt. Hanc in venialibus ſervis quomodo averterint olim Mancipari, ut eos velut nondum puberes cariùs venderent, exponit Plin. *l.* 21. *c.* 26. *Hyacinthus* ——— *radix eſt bulbacea mangoniis venalitiorum pulchrè nota: quæ è vino dulci illita pubertatem coërcet & non patitur erumpere.* Vide quoque eum, *l.* 30. *c.* 5. ubi ſanguinem è teſticulis agnorum caſtratorum eidem fini adhibitum fuiſſe docet; nec non, *l.* 32. *c.* 10. Ad quam turpitudinem præterea inſtitutæ ſunt in urbibus officinæ, teſte Clemente Alex. *Pædag. l.* 3. ubi molles pice obliti à vulſoribus depiles & glabri fiebant. Nec aliò pertinebant in Commodiana ſupellectile Samnitica vaſa tabefaciendæ reſinæ ac pici, apud Capitolin. *in Pertinace c.* 8. &c. Vide Laur. Pignorium *de Servis*, & hìc paſſim, inprimis infrà ubi de *Venalitiis. Pubertas* autem vel inchoata vel plena, quæ *prætextata* dicta, inter annum ſcil. 14. & 16. quô exeunte, ſeu incipiente annô 17. prætextâ & puerili bullâ depoſitâ, virilis toga ſumta: tumque non jam puberes aut prætextati, ſed tyrones ac viri fuêre apud Romanos. Apud Athenienſes vero, cùm in Epheborum album juvenes recipiendi eſſent, cujus profeſſionis annus legitimus erat decimus octavus, ſolebat puerorum *pubes* explorari, an per ætatem ad publica munia, εἰς τὸ περιπολεῖν τὰ περὶ πόλιν φρούρια, utiles eſſent, quoniam aliàs certum ætatis argumentum ſumere non poterant. Cujus δοκιμασίας meminit Ariſtophanes *Veſpis*,

Παίδων τοίνυν δοκιμαζομένων αἰδοῖα πάρεστι θεᾶσθαι.

Vide ſuprà, ubi de *Ephebis*, & plura hanc in rem, apud Sam. Petitum, *Commentar. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 4. uti de piſtrinariis *pubetenus* nudis, infrà voce *Servi*, & ſuprà ubi de *Piſtrino*: de *Puberibus* verò in urbium expugnationibus, ab irato victore occidi juſſis, Salluſtium, *Jugurth. c.* 91. de *Capſa*, Tacitum, *Annal. l.* 33. *c.* 39. de Volanda caſtello, Curtium, *l.* 7. *c.* 6. de Cyropoli, Alios.

PUBLIA, D. Joannis Chryſoſtomi mater, pulſata juſſu Juliani Apoſtatæ à ſatellite quodam, quòd, contra illius edictum, virginum chorum pſallentium haberet. Theod. *l.* 6. *c.* 36. *hiſt. trip.*

PUBLICA, Græcè Δημόσια, apud Scriptores Romanos, dicuntur ſive vectigalia & reditus Populi Romani quæ certâ penſione ærario inferunda, ſive munera, operave aut functiones ac neceſſitates Reip. quæ alioqui, ſumtu Ærarii præſtanda, locabantur à Cenſoribus aliiſque Magiſtratibus, ſub definita ſumma; conducebantur fruenda fungendaque ab hominibus locupletibus & idoneis, qui inde *Publicani*, Δημοσιῶναι appellati ſunt. Hinc illæ locutiones, *Locare publica*, apud Livium, *l.* 33. *Conducere & redimere publica*, apud Cicer. & Horat. *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 77. *Sumere publica*, apud Cicer. *Paradox.* 6. *Servabat ſua publica vulgus*, apud Poëtam, *Frui publicô*, apud eundem Ciceronem *de prov. Conſul.* & Ulpianum, *l.* 1. *D. de Publicanis*; *Exercere publicum*, iterum apud Ciceronem, *pro L. Manil.* & Senecam, *de conſt. ſap. c.* 14. *Agitare publica*, apud. Eundem, *Ep. Agere publicum*, apud Sueton. *in Veſp. c.* 1. *Leges cujuſque publici*, apud Tacitum, *Annal. l.* 13. *c.* 51. *Everſum publicum*, apud Quintilianum, *Declam.* 341. *Habere publicum*, apud Plautum, *Trucul. act.* 1. *Sc.* 2. *Habere magnas partes publicorum*, apud Ciceronem, *pro Rabirio Poſthumo*. Et *habere partem publici Aſiatici*, apud Valerium Max. *l.* 6. *c.* 9. *ex.* 7. cùm igitur, qui portoria aut alia vectigalia redimebant Publicani, pro facultatibus & fide, varias eorum haberent portiones, ut ex Polybio diſcimus, *l.* 6. qui hic parva muniebant mœnia, & pro rei aut animi ſui anguſtiis exiguum quid aut ab Cenſoribus aut à Fiſco aut ab ipſis denique majorum vectigalium Publicanis conduxerant, *Minuſcularii* dicti ſunt, *l.* 3. *Cod. Theod. de indulgentiis debitor.* ubi *Publicanorum* nomen κατ' ἐξοχὴν uſurpatur, de minorum Publicorum conductoribus: extatque vox in ſimplici hoc ſenſu etiam *in Cod. Juſtiniani.* Quos omnes phraſi eleganti & rarâ *in publico eſſe*, dixit Livius, h. e. curationem muneris aut ſumtus aut vectigalis publici adſcriptâ locationis lege ſuſcepiſſe, conductores *Publici* ſeu *Publicanos eſſe*, quemadmodum *in opera eſſe*, eſt operarium eſſe, apud Plautum, *Ciſtellar. act.* 4. *ſc.* 2. & ἐν γεωργίᾳ εἶναι, eſt γεωργὸν εἶναι, apud Ælianum, *Var. l.* 1. Vide plura hanc in rem apud Jo. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 23. ubi de Publicanorum apud Romanos, in duris Reip. temporibus, bellô inprimis Punicô Secundô, poſt Canenſem pugnam, benignitate; ut & ſuprà; voce *Annonæ: Diſpenſatores*, & infrà, in voce *Publicani*. At *Publicæ*, pro *Publicæ Tabulæ*, apud Lamprid. in *Diad. c.* 6. alibique vide *ad eum* Salmaſ.

PUBLICÆ Viæ, omnes limites, per quos iter Populo præbebatur, *in libro de Coloniis*, *Hos conditores Coloniarum fructus exportandi causâ publicaverunt*, h. e. publici juris fecerunt, per eos iter populo præbuerunt. Hyginus, *omnes limites non ſolùm menſuræ, ſed &* publici *itineris causâ, latitudines acceperant* &c. Sed nec unum genus earum nec una fuit latitudo. Aliæ pedes ſexaginta, aliæ octo latitudinis habuêre. Et quidem ex iis aliæ *Regales*, quæ & *Conſulares* & *Prætoriæ* dictæ vel *Militares*: aliæ ad uſum populi ad exportandos fructus in agris factæ, quæ & *Vicinales* & *Agrariæ* aliiſque nominibus appellatæ. Sed, quantum videtur, nulla via, ſive limes, qui iter populi præberet, ac pervius ſemper eſſet, minus latitudinis unquam accepit, quàm pedes octonos; atque hæc erat legitima viæ latitudo, quæ & minima. Juriſconſultus *ff. de ſervitutibus Ruſticor. præd. Si via conceſſa ſit per fundum nec dicta latitudo ſit, legitimam ait deberi.* Cajus, *Viæ latitudo ex lege XII. Tab. in porrectum octo pedes habeat: in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, pedes XII.* Paulus tamen ſcripſerat viam conſtitui vel latiorem octo pedibus vel anguſtiorem poſſe, ut tamen eam latitudinem habeat, quà vehiculum ire poſſit, *alioquin iter eſſe, non viam.* Sic via conſtitui poterat, quæ non haberet majorem latitudinem, quàm actus: eſt autem *Actus jus agendi vel jumentum vel vehiculum*; cui 4. pedes latitudinis vulgò dabant. *Rei Ruſticæ* Scriptores veteres autem, modum eſſe agri definiunt, latum 4. pedes, longum 120. Verùm ut via minor, quàm legitima, ita actus vel iter legitimô majus concedi poteſt, ex voluntate conſtituentium. Nam *latitudinem actus itinerisque eam eſſe*, dicit Juriſconſultus, *quæ demonſtrata eſt.* Legitima igitur viæ latitudo pedes octo, ut actus pedes quatuor; hinc *viam duos actus continere*, notat *Iſidorus*. Via certè vel limes, qui *publico* itineri ſerviret, nullus minor fuit quàm octonûm pedum. Quæ minoris eſſent latitudinis, ut 6. 5. aut 4. pedum inter vicinos ac privatos obſervabantur, & Actûs potiùs nomine, quàm *Viæ* cenſebantur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 678. Vide quoque in voce *Via.*

PUBLICANI, alias *Decumani*, quòd decumas in Provinciis Populo Rom. debitas à Magiſtratibus redimerent, appellati, publica conducere vectigalia, & pro iis certam Romanis ſummam repræſentare ſolebant. Honeſtus olim apud Romanos hominum ordo: at apud Hebræos, jam Jobi & Prophetarum temporibus, qui tributorum iſtiuſmodi exactores dixerant נגשים *Nogeſim*, terribile jam & exoſum nomen. Quod odium, Rabbinorum, in quorum ſcriptis *Publicanus* nominatur etiam מוכס, Proverbium confirmat: *Ne contingat tibi* (uxor) *è familia in qua ſit aliquis Publicanus*, *quia omnes ſunt Publicani*, id eſt, *Latrones*, ſcelerati, *peccatores*, uti nominantur Matthæi *c.* 9. *v.* 10. Vide Iſ. Caſaubon. *Exercit.* 13. *contra Baronium, num.* 37. In Romanorum itaque poteſtatem redactâ Judæâ, atque factâ tributariâ 30. circiter ante Natum Chriſtum annis, Joſeph. *de Bello Jud. l.* 1. *c.* 5. *ubi de Pompejo*, à Senatu Rom. ut in reliquis Provinciis, ſic & in Judæa certum hominum hoc genus conſtituti ſunt, qui reditus annuos, Romanis tribui ſolitos, colligerent vel etiam redimerent: qui quoniam nimis rigidè eos à ſubditis exigerent, facilè eorum odium incurrerunt. Erant autem in qualibet Provincia *Publicanorum* ſocietates, quarum frequens mentio, apud Ciceronem, *Orat. pro Sex. Roſcio, Muræna, Plancio*: Quibus præerat unus, qui Ἀρχιτελώνης, i. e. *Princeps Publicanorum* appellari ſolebat; quemadmodum de Zacchæo legimus Lucæ *c.* 19. *v.* 2. Sed & hi Ἀρχιτελῶναι Provinciales omnes rationem reddere tenebantur, uti docet Sigonius *de antiq. jur. Civium Rom. l.* 2. *c.* 4. Hi ut dictum, ubique quidem ob rigorem ac ſordes parùm grati, maximè tamen apud Judæos omnium odiis fuêre expoſiti, accedente præter cauſas prædictas, Judæorum, Galilæorum inprimis inter eos, opinione, *Tributum Romanis pendendum non eſſe*. qua de re vide paſſim *in Evang.* An verò hi omnes Ethnici fuerint, jam olim diſquiſitum, fuitque in ea ſententia Tertullian. *de Pudic. c.* 9. neminem Judæorum *Publi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Publicanum fuiſſe; eô quòd in *Deuteronom.* extet: *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſraël.* Sed fraudi fuit acutiſſimo Pœno, Hebraicarum literarum ignoratio; Nuſquam enim occurrit in fonte ſpurius ille textus, ſed fuit hæc Interpretis imperiti hallucinatio, quæ plurimis impoſuit. Caſaubonus, *Exercit. num. prac.* ex Hieronymo, *Ep. ad Damaſum.* Et Judæorum exempla *in Hiſtor. Euang.* in promtu ſunt. Matthæi, ad Apoſtolatum à CHRISTO vocati, & Zacchæi ſuprà memorati, quem licèt è Patribus quidam fuiſſe Gentilem arbitrati ſunt gente, Judæum fuiſſe, ipſum nomen (ut rationes alias taceam) probat, quod putum Hebraicum eſt, cujuſmodi nomina Gentiles olim non conſueviſſe uſurpare, eſt certum. Vide Thom. Godwyn. *de Ritibus Heb. l. 1. c. 2.* Alias cauſas addit Seldenus *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſciplin. Hebr. l. 2. c. 5.* Eorum enim cùm quidam Gentiles, quidam Judæi fuerint; Illi eô ipſô nomine ſatis odio habebantur, utpote idololatræ, aut ſaltem ſic cenſiti: Iſti ideo inviſi, quod cum ejuſmodi Gentilibus in terra Iſraëlitica degentibus, veluti Præſidibus, Quæſtoribus, Legatiſque Rom. nec Proſelyti domicilii profeſſione, quæ tunc non in uſu ampliùs, obſtrictis, conductionis ejuſmodi contractum, conſortium atque conſuetudinem, contra morem atque inſtituta Majorum, idque palàm velut Gentiles, alieni nempe Imperii miniſtri, inierant. Cum *peccatoribus* igitur ac *meretricibus*, ſignantius interdum cenſentur in Euangelio *Publicani*, Matth. *c. 9. v. 11.* & *c. 11. v. 19.* & *c. 21. v. 31.* Marci *c. 2. v. 16.* & Lucæ *c. 7. v. 34.* interdum pari cum *gentilibus* conditione, Matth. *c. 18. v. 17. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, velut Ethnicus & Publicanus*, &c. Vide quoque ſuprà voce *Portitor*, item *Telonarius.* Qui verò à majorum vectigalium *Publicanis* exiguum quid conducebant, *Minuſcularios* fuiſſe appellatos, diximus ſuprà, vide quoque voce *Publica.* Uti de nomine hoc ad hæreticos quoſdam denotandos detorto, ſuprà itidem voce *Poplicani.*

PUBLICANUS, nomen navis, de qua vide ſuprà, voce *Navis.*

PUBLICATIO Bonorum, præter mortem, ſicario ἐκ προνοίας irrogata apud Athenienſes, vide ſuprà *Abannatio.*

PUBLICATIO Bonorum, vulgò *Confiſcatio*, Hæreticorum, ut vocant, in Communione Romana communis pœna eſt, ſive pœniteant, ſive non; ſive convertantur, antequàm tradantur Curiæ ſeculari, ſive poſtquam traditi ſunt, per Cap. *cùm ſecundùm Leges*, de Hæret. *l. 6.* nec refert, an multô vel exiguô tempore talis in hæreſi permanſerit. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus hanc pœnam remitti, æquum cenſent Doctores haud pauci. In Italia certè, Hæreticorum bona non publicari, receptum eſſe, ſed conſuetudine magis quàm Jure Pontificiô, tradit Simancas *de Cathol. Inſtitut. Tit.* 42. §. 17. In Hiſpania verò is rigor exercetur, ut Inquiſitio Fiſco addicat non tantum bona condemnatorum, ſed & omnia ab ipſis adminiſtrata, licèt manifeſtè conſtet ea aliorum eſſe, cujus luculentum exemplum exhibet Phil. à Limborch, *Hiſtoriâ Inquiſit. l. 4. c. 32.* Et quidem hactenus dicta valent de Hæreticis, poſtquam delati & in Carcerem conjecti ſunt, demum confitentibus, aut in ſententia ſua perſiſtentibus: at ſponte venientibus, & ultro antequam accuſentur confeſſis, confiſcatio, benignè remitti ſolet, Id. *ibid.* Ex bonis porrò ſic publicatis, Inquiſitoribus ſalaria ſolvuntur, & expenſæ fiunt, quibus iis ad carceres exſtruendos Hæreticos, perſequendos, capiendos, alendos, puniendos &c. opus eſt. Quod onus cùm olim Civitates ferre cogerentur, non ſine moleſtia ac murmure, Bona Hæreticorum confiſcata uſibus hiſce applicari cœperunt, præterquam quòd Cruce ſignati votô ſe obſtrinxerunt, de facultatibus ſuis pro fidei defenſione efundendis &c. Plura hanc in rem vide apud Limborchium præfat. *l. 2. c. 19.* aliquid etiam infrà, ubi de *Receptore Bonorum Publicatorum.*

PUBLICI, Servi dicebantur olim, qui officium & miniſterium publicum Sacerdotibus aut Magiſtratibus & Populo exhibebant: de quibus Livius, *l. 26. c. 47. Scipio victâ Carthagine novâ, opifices ad duo millia hominum* Publicos *fore Populi Romani edixit, cum ſpe propinqua libertatis, ſi ad miniſteria belli enixè operam navâſſent.* Habebant enim Civitates & Provinciæ, iſtiuſmodi Servos quos vel bellô captos, vel ære coëmtos, manumittebant etiam, impoſitis à ſe nominibus. Item Municipia, Collegia, Decuriæ, Fiſcus, Societates, Fana, Curiæ, Corpora, talibus *Miniſteriis publicis*, ut Labeo vocat, *l. 11. de ſervo fugit.* utebantur. Romæ *in vet. Elogio: DIS. Manibus. Attico. III. Provinciarum. Galliarum. Servo. C. Licinius. Januarius. Parenti. Optumo. &. Licinia. Calliope. conjugi. ſanctiſſimo.* Plin. *l. 10. Ep. 30. Utrum per* Publicos *civitatum ſervos, quod uſque adhuc factum, an per milites adſervare cuſtodias debeam?* Ad quæ Trajanus, *perſeveremus*, reſpondit, *in ea conſuetudine, quæ iſti provinciæ eſt, ut per Publicos ſervos cuſtodiantur.* Idem, *l. 1.* Municipalis ſervi meminit, ut de aliis taceam. Hi varium uſum præbuerunt dominis: Namque ſacra curâſſe argumento eſt factum Potitiorum, apud Livium, *l. 9. c. 29.* Val. Maximum, *l. 1. c. 1. ex* 17. alios, qui ſervos *Publicos* ſacra Herculis docuerunt; Cujuſmodi videntur fuiſſe & Martiales Larinates, apud Cicer. *pro Cluentio*, Miniſtri publici, Marti Deo ſacri: nec non & Calatores, qui apud *Feſtum* leguntur, ſi Scaligerum audimus. Tacit. *l. 1. Hiſt. c. 43. Piſo in ædem Veſtæ pervaſit exceptuſque miſericordiâ* Publici *ſervi, & contuberniô ejus abditus, non religione* &c. Dein omnibus Magiſtratibus apparuerunt, Lictorum, vel etiam Scribarum, aliiſque officiis functi: quorum aliquos *Limocinctos* appellatos fuiſſe, legimus in antiqua ærea tabula, apud Laur. Pignorium *de Servis.* Cenſoribus certè inſerviiſſe, Livius habet: Ædilibus, Varro: Quæſtoribus, idem, &c. Interim alios à Lictoribus fuiſſe, oſtendit Senatusconſultum vetus, quod Frontinus *de Aquæduct.* ſic refert: *Placere Senatui, eos qui aquis publicis præeſſent, cùm ejus rei cauſa extra urbem eſſent, Lictores binos, &* Servos Publicos *ternos, Architectos ſingulos & Scribas; & Librarios, Accenſos, Præconeſque totidem habere, quot habent ii per quos frumentum plebei datur.* Iidem pro quolibet civium ſtipulabantur; *leg. 1. de Magiſtr. conven.* pecuniam publicam à debitoribus exigebant, *leg. 19. de compenſ.* cuſtodias adſervabant, ut viſum, & *leg. ead de compenſ.* Etiam in triumpho eorum uſus: Juvenalis, *Sat. 10. v. 40.*

——————— Magnæque coronæ
Tantum orbem, quantô cervix non ſufficit ulla?
Quippe tenet ſudans hunc Publicus & *ſibi Conſul.*
Ne placeat, curru ſervus portatur eôdem, &c.

An verò eadem ſit ratio *Publici*; qui apud Longobardos legitur, aliorum eſto judicium. Vide *LL. Longobard. Tit. ex edit. Baſil.* Sic Luitprandus Rex, *Inſuper &* Publicus, *in quo loco factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas decalvare, & fruſtrare per vicos vicinantes.* Et ſanè Leges ejus gentis non ſemel *Publici* meminerunt. Fuit quoque olim Romæ familia *Publica*, quæ incendia reſtingueret. Seneca, *Ep. 64. Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis & terrere Vigiles ſolet, ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret.* Et hi quidem Senecæ Vigiles ad Auguſtum pertinent, qui rejectâ Trium virorum nocturnorum, Ædilium & Tribunorum Pleb. curâ, per ſe maluit huic conſuli, inſtitutô Præfectô vigilum, cui id muneris demandatum eſſe voluit: teſte Suetoniô, & Xiphilinô. De familia illa veteri Jul. Paulus, *l. 1. de off. Præf.* qui ſcribit; *Circa portas & muros fuiſſe diſpoſitam, unde ſi opus eſſet, evocabatur.* Ejuſdem Auguſti liberalitate factum eſt, ut familia Aquaria legata ſibi, à M. Agrippa, *Publica* quoque eſſet. In qua connumerabantur Aquarii, qui aquam publicam è caſtellis erogabant &c. Vide omnino Pignorium *Opere præfatô*, & Tit. Popmam, *l. de Operis Servor.* quibus adde Juſtum Lipſium, *lib. ſing. Electorum, c. 22.* & quæ dicta ſuprà, voce *Miniſtri.*

PUBLICIA Lex, de luſu: *Ne quis in pecuniam luderet ſponſionemve ejus rei ergò, niſi ludus virtutis cauſâ ſuſceptus eſſet; faceret; veluti ſi quis certet haſtâ vel pilô jaciendô, vel currendi, ſaliendo, luctando, pugnando*, Marcianus, *leg. 3. ff. de aleator.* Quod lege Titiâ quoque & Corneliâ ſancitum fuiſſe, refert idem. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l. 8. c. 31.*

PUBLICOLA, cognomen Publii Valerii, qui primus cum Bruto poſt expulſos Reges Conſul declaratus eſt, quod coleretur à *populo*, ſeu quòd ipſe *populum coleret.*

PUBLICUM, vide ſuprà *Publica.*

in PUBLICUM raro prodeundi mos veter. in Oriente Regum, apud Auctores frequens occurrit. Ut de Perſarum Regibus nil dicam, apud Indos Rex non niſi quatuor ob cauſas prodibat; cùm bellum urgeret, cùm judicaret, cùm ſacrum faceret. cùm venaretur; ex quibus tres profert Curtius, *l. 8. c. 9.* Nec verò id fiebat ſine pompa ingenti, de qua, ex Clitarcho & aliis ita Strabo, *l. 15. In ſolennibus pompis multos elephantes mittit aurô & argentô ornatos & multas quadrigas & boum paria: deinde exercitus ingens ſequitur, & ingentes lebetes deaurati, & magni crateres & menſæ ex Indico ære.* &c. Imò fuêre, qui nunquam ſe conſpiciendos præberent, ut legas apud Herodot. *l. 1. c. 99.* de Dejoce Medorum Rege & apud Diodor. Siculum, *l. 3. c. 47.* de Regibus Sabæorum, de quibus ſic, *Infelix*, inquit, *horum conditio eſt, quatenus nunquam è regia exire illis licet. Si contra egerint plebs lapidum jactu, juſſu veteris oraculi, eos obruit.* Quæ ratio apud Sinas hodieque ſervatur, niſi quòd ab Eunuchis ac domeſticis Rex aditur. Pertinebat autem rarus hic aſpectus eò, *ut venerationis plus ineſſet*, Tacit. *Hiſtor. l. 4. c. 65.* ad quæ verba optimè Gruterus, *Diſcurſ. c. 44. Regem omnibus patere potius, quàm nemini*, melius eſſe docet: apud Raderum & Freinshemium *ad Curt. loc. cit.* Certè, dum ultimi ex Merovingis Galliæ Regibus, non niſi Kalendis Maji, ſe populo oſtenderunt, crevit Majorum Domus potentia, ipſis primis Regibus gravis, mox exitialis, ut alibi viſum.

PUBLICUS, in *L.* Longob. in *LL.* Luitprandi Regis & *LL.* Rachis, Judex eſt publicus, de quo vide ſuprà, in voce *Judex.*

PUBLICUS Equus, vide infra *Tranſvectio.*

PUBLILIA Lex, de Cenſoribus è Plebe creandis, memoratur Livio, *l. 8. c. 12.* Cùm enim primùm Patriciis ſolis ea dignitas pateret, tulit legem Q. *Publilius* Philo dictator; annô Urb. Cond. 445. *Ut, cùm eò ventum eſſet, ut utrumque plebejum Conſulem fieri liceret, alter ex plebe Cenſor crearetur.* Alia de Centuriatis legibus, eôdem Auctore lata, annô præc. fuit, *Ut legum, quæ Comitiis Centuriatis ferrentur, ante initium ſuffragium, Patres auctores fierent*; idem Liv. ibid. Fuit & *Publilia Lætoria* lex, à Valerone *Publilio* Philone, & Lætorio Tribunis Pl. rogata, App. Claudiô Sabinô Regillenſi, T. Quinctiô Barbatô Capitolinô Conſulib. An. Urb. Cond. 282. Ut plebeji Magiſtratus, qui anteà Curiatis Comitiis fiebant, deinceps remotis Patribus, Tributis Comitiis, crearentur. Liv. iterum, *l. 2.* Dionyſ. *l. 6.* Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 6.* & 7. &c.

PUBLIUS Proconſul, memoratur Conſtantino, *l. 1. de Themat.* ex Inſcr. cujuſdam monumenti Smyrnæ, quæ ſic habuit, Πόπλιος ἀνθύπατος ἄρχων Ἰωνίας, Φρυγίας, Αἰολίδος, Μηονίας, Λυδίας, Ἑλλησπόντου, Μυσίας, Βιθυνίας, Ταρσίας, Γαλατίας, Μαρικυνδυιῶν, Πόντου, Παφλαγονίας, Καππαδοκίας μικρᾶς, καὶ μεγάλης, Ἰσαυρίας τε καὶ Λυκαονίας, καὶ μέχρι τῶν ὀρέων τοῦ Ταύρου καὶ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας. Quas omnes provincias τῆς Ἀνατολῆς nomine dictas, & ab uno Rectore Proconſule olim adminiſtratas fuiſſe, hinc colligit Auctor. Sed nunquam tot provincias

ſimul rexit Aſiæ Proconſul, nec *Publius* hic Α'νθύπατος ſeu *Proconſul* appellatur omnium ſupraſcriptarum provinciarum, quod tamen oportuit, ſiquidem eas omnes Proconſulis nomine obtinuiſſet. Prætereà, ſi provinciæ hæ univerſæ Aſiæ Proconſulatum conſtituiſſent & Aſiam eam particularem, quæ Proconſuli ſubèrat, ſatis fuiſſet dici, *Publius Proconſul Aſiæ.* Nec enim Proconſules in titulo ſuæ dignitatis ſignando nominatim recenſebant, quot regiones ſub ſe haberent. Cùm igitur inſcribatur iſte *Publius*, Α'νθύπατος ἄρχων Ἰωνίας, Φρυγίας &c. non Proconſulis nomine & officiô provincias eas omnes, quæ ibi nominantur, adminiſtravit, ſed illud indicatur, Proconſulem illum fuiſſe & variis adminiſtrationibus eas regiones obtinuiſſe. Utut ſit, extraordinaria illa poteſtas fuerit oportet, & à Proconſulatu diverſa, quæ Α'ρχὴν habuit tam latè diffuſam, Salmaſ. *ad Solin. p.* 803.

PUBLIUS & Laberius, poëtæ mimorum; Julii Cæſaris familiares ambo, ſed Publius acceptior. Nam Laberii maledicentiâ, ſimul & arrogantiâ, Cæſar magnoperè offendebatur. Is Publius genere Syrus fuit, conditione ſervus: puer enim & formâ & ingeniô à Domitio manumitti & erudiri meruit. Romam venit ad ludos Cæſaris, ubi mimos ſuos legit, magno ipſius populi applauſu. Authores Gell. *l.* 17. *c.* 14. & Macrob. *l.* 2. *Saturn. c.* 2. & 7. Publius prænomen ejus, qui populo gratus fuit. Vide etiam Hieronym. *Catal.*

P. ÆLIUS Ligo, conſul cum C. Popilio Lenate. an. Urb. Cond. 582.

P. ÆLIUS Pætus, conſul cum C. Sulpitio Longo, an. Urb. Cond. 419.

P. ÆLIUS Pætus, conſul cum C. Cornelio Lentulo an. Urb. Cond. 553.

P. ÆLIUS, ſive *Helvius Pertinax*, Commodo ſucceſſit, coactuſque imperavit. Læti operâ, ac decretô Senatus, A. M. 4155. à Chriſto nato 193. Summam de ſe exſpectationem omnibus cùm daret, Læti inſidiis, qui imperium illi aſtruxerat, & militari factione Julianô, qui ei ſucceſſit, non inſciô, imò conſciô, periit, annô ætatis 71. imperavit vix menſes tres: cujus caput ab urbe delatum eſt in caſtra. Eutrop. *l.* 8. Bapt. Egnat. *l.* 1. Sext. Aurel. Vict. Hujus vitam vide fuſiùs apud Julium Capitolinum, & Herodian. *l.* 2.

P. ALPHENUS Varus, conſul. cum P. Vinitio, an. Urb. Cond. 754.

P. CATIENUS Philotimus, patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis inſtitutus in ejus rogum ſeipſum jaceret, Plin. *l.* 7. *c.* 36.

P. CÆPIO, conſul cum Q. Voluſio Saturnino, an. Urb. Cond. 808.

P. CLAUDIUS Pulcher, conſul, cum L. Portio Licinio, an. Urb. Cond. 570.

P. CLAUDIUS Pulcher, conſul cum M. Perpenna, an. Urb. Cond. 662.

P. CORNELIUS Aruina, conſul. 30. millia Samnitum præliô interfecit, an. Urb. Cond. 448.

P. CORNELIUS Aſina, conſul cum M. Minutio Rufo, an. Urb. Cond. 333.

P. CORNELIUS Coſſus, Tribun. milit. conſulari poteſtate, ann. Urb. Cond. 341. iterum an. 350.

P. CORNELIUS Dolabella Maximus, conſul. Gallos, Samnites, Lucanos, Brutios, Hetruſcos, initâ ſocietate Romam petentes, delevit, an. Urb. Cond. 470.

P. CORNELIUS Falco, conſul, cum T. Sempronio Graccho, an. Urb. Cond. 515.

P. CORNELIUS Lentulus, conſul, cum Cn. Aufidio Oreſte, an. Urb. Cond. 683.

P. CORNELIUS Lentulus, conſul cujus opera præcipuè factum eſt, ut Cicero ab exilio rediret.

P. CORNELIUS Lentulus Caudinus, conſul cum Licinio Varo, an. Urb. Cond. 517.

P. CORNELIUS Maluginenſis, Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 352.

P. CORNELIUS Naſica, conſul Dalmatas domuit, an. Urb. Cond. 599. Primus apud Romanos clepſydram ſeu horarium ex aqua, feciſſe legitur, apud Cenſorinum *de die Nat. c.* 23. *Deinde aliquantô tempore pòſt P. Cornelius Naſica Cenſor ex aqua fecit horarium; quod & ipſum, ex conſuetudine noſcendi ex Sole horas, ſolarium cœptum dici.* Sic ergo poſteriori ævô poſitâ clepſydrâ horæ diſtingui ſolitæ ſunt, cùm priùs Solis tantùm umbris tempora internoſcerentur, Aur. Macrobius, *Saturnal. l.* 1. *c.* 3. Hinc Sidonius Apollinaris, *l.* 2. *Ep.* 9. *Per ſpatia*, inquit; *clepſydrarum horarum incrementa ſervantem probabat.* Vide quoque Plin. *l.* 7. *c.* 60. Victorium, *l.* 21. *c.* 13. Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 39. Caſſiodorum, *Var. Epiſt. ult. l.* 1. Appulejum, *Apolog. l.* 1. & 2. Plinium Jun. *l.* 2. *Epiſt.* 1. alios, & de clepſydrarum aquæque in Judiciis inprimis Veterum uſu, apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum l.* 9. ut & aliquid ſuprà in voce *Horologium.*

P. CORNELIUS Rufinus, conſul cum M. Curio Dentato, an. Urb. Cond. 463.

PUBLIUS Cornelius Rufus, dormiens oculorum viſum amiſit, cùm ſibi id accidere ſomniaret, Plin. *l.* 7. *c.* 50.

P. CORNELIUS Scapula, conſul cum M. Plautio Proculo, an. Urb. Cond. 427.

P. CORNELIUS Scipio. Vide *Scipio.*

P. CURIATIUS Philo, conſul cum M. Genutio Augurino, an. Urb. Cond. 310.

P. DECIUS Mus, conſul bellô Latinô cum Tito Manlio Torquato, cùm oraculô reſponſum eſſet, eam partem ſuperiorem futuram, cujux dux ſe ultrò diis manibus devoviſſet, ita cum collega pactus eſt, ut, cujus ex duobus cornu prius pedem retuliſſet, is ſe devoveret; cumque prior ea pars, in qua conſtiterat, hoſti cederet, ipſe ſolenni ſe carmine devovit pro ſalute exercitus. atque ita equô concitatô, in confertos hoſtes ſe immiſit, ſuâque morte ſuis victoriam peperit, Plut. *Paral.*

P. DECIUS Mus, ſuperioris fil. patris exemplum imitatus, quartô conſulatu ſe pro exercitu devovit, an. Urb. Cond. 468.

P. DECIUS Pyrrhicus, conſul. de Pyrrho victo nomen reportavit.

P. FABIUS Maximus, conſul cum Qu. Tuberone an. Urb. Cond. 743.

P. FURIUS Philo, conſul cum C. Quintio Flaminio, an. Urb. Cond. 531.

P. FURIUS Philo, conſul cum Sex. Attilio Serrano, an. Urb. Cond. 618.

P. FURIUS Medullinus, conſul. an. Urb. Cond. 282.

P. GALLUS Camerinus, conſul cum Q. Loviano, an. Urb. Cond. 787.

PUBLIUS Genutius Scipio Naſica, conſul de Bojis triumphavit, an. Urb. Cond. 363.

P. HORATIUS, Decemvir legibus ſcribundis, an. Urb. Cond. 303.

P. HORATIUS Trigeminus, conſul cum Sexto Quintilio Varo, an. Urb. Cond. 301.

P. JULIUS Apulus, conſul cum L. Cornelio Lentulo, an. Urb. Cond. 555.

P. LICINIUS Calvus, primus ex plebe Tribun. milit. conſulari poteſtate an. Urb. Cond. 356.

P. LICINIUS Craſſus, conſul cum M. Scipione, an. Urb. Cond. 548.

P. LICINIUS Craſſus, conſul cum C. Caſſio Longino, an. Urb. Cond. 583.

P. LICINIUS Craſſus, conſul cum Cn. Lentulo Clodiano, an. Urb. Cond. 657.

P. LUCRETIUS Tricipitinus, Tribunus militum Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 339.

P. MALLEOLUS, ut eum vocat Florus Livii Epitomator, vel *M. Malleolus*, ut placet Alexandro Neapolitano, *Genial. dier. l.* 5. *c.* 1. *l.* 1. *c.* 5. vel etiam *Publicius*, uti Paulo Oroſio dicitur, primus apud Romanos, ob Matrem necatam, damnatus eſt; quod factum, poſt bellum Cimbricum & Marii victoriam. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 8. *cum Paralipomenis Dempſteri ad c.* 24. 26. 29, 34.

P. MANLIUS Capitolinus; Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 356.

P. MANLIUS conſul cum C. Papyrio Balbo, an. Urb. Cond. 634.

P. MANLIUS Capitolinus, Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 389.

P. MELIUS, Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 356.

P. MENENIUS, Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 356.

P. MINUTIUS Augurinus, conſul cum T. Geganio Macerino, an. Urb. Cond. 262.

P. MINUTIUS Scævola, conſul cum Sp. Poſthumio Paulo, an. Urb. Cond. 580.

P. PAPIRIUS, leges Regias in Codicem & in unum corpus primus redigit, teſte Pomponiô JCtô, *l.* 1. *ff. de Orig. Juris.* Unde *Jus Papirianum*, de quo librum edidit Gravius Flaccus, referente Paulô JCtô *leg.* 145. *ff. de verborum ſignif.* Eaſdem leges *Curiatas* fuiſſe dictas, Dempſterus docet *in Roſinum l.* 8. *c. ult.* Ex recentioribus in hoc Jure *Papiriano* colligendo ac illuſtrando utilem poſuêre operam, Bartholomæus Martianus, Lud. Charondas, Pandulfus Pratejus, Fr. Balduinus & Juſtus Lipſius. Vide quoque ſuprà in voce, *Papirianum jus.*

P. PHILO, vide *Quintus.*

P. PINARIUS Ruffus, conſul cum C. Julio Tullo, an. Urb. Cond. 255.

P. PLAUTIUS Proculus conſul cum P. Corn. Scapula, an. Urb. Cond. 427.

P. POPILIUS Lenas, conſul cum Sulpitio Galba, an. Urb. Cond. 622.

P. POSTHUMIUS Tiburtus, conſul cum M. Valerio Voleſo collega de Sabinis triumphavit, an. Urb. Cond. 249. Iterum conſul cum Agrippa Menenio Lanato, de Auruncis triumphavit bienniô pòſt.

P. RUTILIUS, morbô levi impeditus, nuntiatâ fratris repulſâ in Conſulatus petitione, expiravit illicô, Plin. *l.* 7. *c.* 36.

P. RUTILIUS Lupus, conſul, bellô ſociali interfectus, an. Urb. Cond. 964.

P. RUTILIUS Rufus, conſul, cum M. Manlio Maximo, an. Urb. Cond. 949.

P. SCIPIO Naſica, conſul cum C. M. Figulo, an. Urb. Cond. 592.

P. SCIPIO Naſica Serapion, conſul an. Urb. Cond. 616.

P. SCIPIO Naſica, conſul, cum L. Calphurnio Beſtia, an. Urb. Cond. 643.

P. SEMPRONIUS Sophus, conſul cum P. Sulpitio Averrione, an. Urb. Cond. 450.

P. SEMPRONIUS Sophus, conſul cum Claudio Rufo, an. Urb. Cond. 485.

P. SEMPRONIUS Tuditanus, conſul in Brutiis Annibalem fudit an. Urb. Cond. 550.

P. SERVILIUS, Ciliciâ à prædonibus liberatâ, Iſauri urbe captâ, Iſaurici cognomen reportavit.

P. SERVILIUS Geminus, conſul cum C. Aurelio Cotta, an. Urb. Cond. 501. Iterum cum eodem an. 505.

P. SERVILIUS Priſcus, conſul Volſcos, Sabinoſque ſuperavit, an. Urb. Cond. 239.

P. SER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

P. SESTIUS, Decemvir legibus ſcribendis, an. Urb. Cond. 303.

P. SESTIUS Vaticanus, conſul, cum L. Menenio Lanato, an. Urb. Cond. 219.

P. SILIUS Nerva, conſul cum Appio Junio Syllano, an. Urb. Cond. 780.

P. SILIUS Nervà, conſul cum M. Apulejo, an. Urb. Cond. 734.

P. SULPITIUS, Decemvir legibus ſcribendis, an. Urb. Cond. 303.

P. SULPITIUS Averrio, conſul cum P. Sempronio Sopho, an. Urb. Cond. 450.

P. SULPITIUS Galba, conſul cum Cn. Fulvio Centumalo, an. Urb. Cond. 543.

P. SULPITIUS Longus, Tribun. milit. conſulari poteſtate, quô ann. Roma capta eſt à Gallis, an. Urb. ſcilicet Cond. 366.

P. SULPITIUS Quirinus, conſul cum M. Meſſala, an. Urb. Cond. 742.

P. TITINIUS Tribun. milit. conſulari poteſtate; an. Urb. Cond. 356.

P. VALERIUS Aſiaticus, conſul cum L. Cornel. Syllano, an. Urb. Cond. 798.

P. VALERIUS Flaccus, conſul, cum M. Attilio Regulo, an. Urb. Cond. 527.

P. VALERIUS Levinus, conſul à Pyrrho rege auxiliô elephantorum victus. Plutarch. *in Pyrrho*.

P. VALERIUS Potitus, Tribun. milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 373. Iterum bienniô pòſt tertium, an. Urb. Cond. 376. Quartùm, an. 280. Quintum, an. 388. Sextum, an. 389.

P. VALERIUS Publicola. Vide *Publicola*.

P. VALERIUS Publicola, conſul de Sabinis, Vejentibus & Etruſcis triumphavit, an. Urb. Cond. 279. Iterum conſul cum C. Claudio Sabino à ſervis concitatis, qui, Herdoniô duce, Capitolium occupaverant, interfectus eſt, 25. annis poſt priorem Conſulatum.

P. VATICANUS, conſul cum Q. Fuſio Galeno, an. Urb. Cond. 707.

P. VENUTIUS, conſul. cum P. Alpheno, an. Urb. Cond. 754.

P. VETURIUS Geminus, conſul cum T. Ebutio Helva, an. Urb. Cond. 255.

P. VIRGINIUS, Tribun. milit. Conſulari poteſtate. an. Urb. Cond. 354.

P. VOLUMNIUS Aventinus, conſul. an. Urb. Cond. 393.

PUCHEIM, nomen illuſtris in Germania Familiæ, quam derivare volunt ab Alexandro Cumineo, qui, Richardum Angliæ Regem in Palæſtinam ſequutus, hôc ab Auſtriæ Duce captô, in Auſtria ſedem fixerit A. C. 1193. Nepos Albertus Archidapifer hæreditarius Auſtriæ ab Ottocaro conſtitui meruit, cujus nepos Albertus III. per filios, Pilgramum, Albertum IV. & Albertum V. totidem lineas ſevit. Et quidem à Pilgramo deſcendit linea Comitum, cujus hæc ſeries eſt ab aliquot ſeculis: Hartneid Dn. *de Pucheim*, ex Dorothea Dn. *de Wildungsmaur*, ſuſcepit Joannem, maritum Barbaræ Streiniæ, & ex ea Patrem Michaëlis Ludovici: cui Polyxena *de Roggendorff* genuit Joannem Chriſtophorum Dn. itidem *de Pucheim*; quô, & Margaretâ, Comite Oetingenſi, genitus Joannes Chriſtophorus *Comes de Pucheim*, junxit ſibi Suſannam *de Hofkirchen*: è quo matrimonio prodierunt, Joannes Rudolfus, cui uxor obtigit Maria Eliſabetha Trautſona; Otto Fridericus Epiſcopus Labacenſis, Joannes Chriſtophorus, Polyxenæ Comitis Leiningenſis maritus; Eva Suſanna, uxor Stephani Comitis Palfii; Maria Eliſabetha Canonica & Johanna Conſtantia, omnes *Comites de Pucheim* &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Part.* 2. *p.* 82. & *in Indice, ubi Familiæ diſpoſitio exhibetur.*

PUCIALIA, Baſtitanorum urbs in Hiſpania, *Ptol.*

PUCINUM, oppid. eſt Hiſtriæ in Mediterraneis, Ptol. *l.* 3. *c.* 1. hodie *Proſecho*, in foro Julio ſitum eſt. Hinc vina à Plinio tantopere laudata. *Pucina* vocata, quæ nunc à Germanis *Beinfal* appellantur. Plin. *l.* 14. *c.* 6. *ſtatim ab initio.*

PUCLATA, ſeu PUDATA, urbs Macedoniæ, *Antonin.* inter Lariſſam & Theſſalonicam. Fortè *Pudna* aliorum. Aliis videtur *Pautalia Ptolemæi.*

PUDENS, Conſul ſub Commodo Imperatore, quò & Pollione Magiſtratum gerentibus, Commodus numeratus inter Cæſares eſt, quarto Iduum Octobrium, quas ipſe Herculeas poſteà nominavit, Æl. Lamprid. *in Commodo Antonino*, *c.* 11.

PUDENS, nomen viri, 2. Timoth. *c.* 4. *v.* 21.

PUDICÆ Veſtæ, apud Ovidium, *de Ponto*, *l.* 4. *Eleg.* 13. *v.* 29. ubi ſcribit, ad Carum, ſe aliquid in laudem Cæſareæ domus Geticô ſermone meditatum eſſe, inque eo ceciniſſe,

> *Eſſe* pudicarum *te* Veſtæ, *Livia, matrem,*
> *Ambiguum eſt, natô dignior, anne virô:*

Gronovio ſunt Virgines Veſtales. Etſi enim & matronæ, unô virô contentæ, ſint *pudicæ*, tamen interdum *pudicitiam* dici abſtinentiam ab omnibus viris, notum. Hinc Juſtinus, *l.* 10. *c.* 2. de Aſpaſia, *Solis eam ſacerdotio præfecit* (Artaxerxes) *quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.* Harum ergo *pudicarum* ſeu Virginum *Veſtæ* Matrem Liviam vocat, reſpiciens ad titulum Auguſtæ, MATER VESTALIUM; quem, cùm cautus & invidus Tiberius immenſos honores in matrem certatim Patrum adulatione effuſos recidiſſet, illi utpote ſibi minimè periculoſum reliquit. Hoc namque aliquantô minus eſt, quàm MATER PATRIÆ. Vide præfatum Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 15. & de Julia Severi uxore *Veſta mater*, *Veſta nova*, *Veſta ſancta*, & ſimpliciter *Veſta*, appellatâ, infrà in *Veſta nova*. At *Pudicè habiti*, apud Solin. *c.* 37. *Chalcophthongos reſonat, ut pulſata æra: pudicè habitis ſervat vocis charitatem:* Tragœdi ſunt, quia ad vocem, cujus claritatem maximè affectabant, conſervandam, Venere abſtinebant. Unde & fibulâ hanc in rem uſi ſunt, de qua ſuprà dictum aliquid. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 764.

PUDICITIA, Dea culta eſt ab antiquis, cujus Romæ ædes fuit in foro boario & hæc quidem *Patricia* vocata: altera fuit *Plebeja*, cujus ædicula in vico longo, à Virginio poſita, *Feſtus.* *Patriciæ* ædem, quam Æmilius conſecrâſſe dicitur, ad ædem rotundam Herculis poſitam; non licebat ingredi, niſi iis, quæ ſemel nupſiſſent. *Plebejæ* ædem Virginia extruxit; quæ familiâ Patriciâ orta, pòſt plebejo nupta, à ſorore ſacris *Patriciæ Pudicitiæ* arcebatur: qua de re ſic Liv. *l.* 10. *c.* 23. *Inſignem*, inquit, *ſupplicationem fecit certamen in ſacello Pudicitiæ inter Matronas ortum, & Virginiam, Auli filiam, Patriciam, Plebejo nuptam L. Volumnio Conſuli. Hanc enim Matronæ, quòd è Patribus nupſiſſet, ſacris arcuerant. Brevis altercatio; inde ex iracundia muliebri, in contentionem animorum exarſit: cùm ſe Virginia & Patriciam & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ templum ingreſſam, & uni nuptam ad quem Virgo deducta ſit, nec ſe Viri honorumque ejus ac rerum geſtarum pœnitere, verè gloriaretur. Factô deinde egregiô magnifica verba adauxit. In vico longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci, modicô ſacellô excluſit, aramque ibi poſuit, & convocatis plebejis Matronis, conqueſta injuriam Patriciarum; Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ Plebejæ dedico: atque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc Pudicitiæ inter Matronas ſit, detiſque operam, ut hæc ara à ſanctioribus & caſtioribus coli dicatur. Eôdem fermè ritu hæc ara, quô illa antiquior, culta eſt, ut nulla niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet.* Hinc Valer. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex* 3. *Quæ unô contentæ matrimoniô erant*, ait, *coronâ Pudicitiæ honorabantur.* Feſtus auctor eſt, exiſtimare quoſdam, *Pudicitiæ* ſimulachrum, quod in Foro Boario, Fortunam fuiſſe: Vide Joh. Roſin. *Antiqq. l.* 2. *c.* 18. *ubi de Diis, propter quæ datur aſcenſus in cœlum, tertiâ nempe Deorum; ut Cic. vocat, claſſe.* In nummis Liviæ, Marciæ, Fauſtinæ, caput obductum, cum lemmate PUDICITIA, vidimus ſuprà, voce *Fœmina.* Leges verò de eadem infrà aliquot habes; voce *Scantinia.*

PUDNI, ſeu PUDIN, oppid. Arabiæ felicis *Ptol.* Nunc *Ziden Sanſoni*, portus & emporium, in ora ſinus Arabici, vix 60. mill. paſſ. à Mecca in Africum.

PUDOR, ab antiquis, tanquam numen, colebatur, ejuſque ara fuit Athenis, in Acropoli, ut ait *Heſych.* à Græcis muliebri formâ eſt effictus.

PUDOR, apud Statium, *Theb. l.* 2. *v.* 231.

> *Candida purpureum fuſa ſuper ora pudorem:*

nihil aliud eſt quam rubor, quem ille in genis, (ubi ejus ſedes; Plin. *l.* 11. *c.* 37.) efficit. Ut *Roſa pudoricolor* dicitur, quam mille locis cum Virginum colore Poëtæ componunt: Muſæus quidem & Nonnus adeò, ut ſub pedibus etiam formoſarum roſas inveniant. Et ſic Columella, *l.* 10.

> *Tum quæ pallet humi, quæ frondes purpurat auro,*
> *Ponatur viola, & nimiùm roſa plena pudoris.*

H. e. ſemper rubens. Uti de Aurora Mart. Capella, *l.* 2.

> —— *Ambroſium promens aurora pudorem.*

Quam proin & vetus Poëta *pudoricolorem* vocavit. Vide Columellam iterum *d. l.* & Zenonem Veronenſem, *Serm.* 54. Color autem iſte prorſus Virginalis. Euripides *Phœniſſis*, *v.* 1493.

> Οὐ προκαλυπτομένα βοστρυχώδεος
> Ἁβρὰ παρηΐδος, οὐδ᾽ ὑπὸ παρθενίας
> Τὸν ὑπὸ βλεφάροις φοίνικ᾽ ἐρύθημα
> Προσώπου, αἰδομένα φέρομαι ——

Virg. de Lavinia, *l.* 12. *v.* 65.

> *Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem*
> *Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.*
> *Indum ſanguineô veluti violaverit oſtrô*
> *Si quis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multa*
> *Alba roſâ, tales virgo dedit ore colores.*

Ubi cautè *ſanguineum oſtrum* dixit, *purpureum*, illud alterum, *violaceum ferrugineumque*, excludens. Quam in rem vide plura apud Barthium *ad Statium*, *d. l.* nec non *l.* 5. *v.* 296. *Pudibunda dies*, ſuprà *Frons.* & infrà *Verecundia.*

PUDUCLARE, in Monachorum *Regulis*, *c.* 81. *Habere debent Fratres in hyeme paraturam groſſam quotidianam ſtramineam & tunicam aliam nocturnam, quam poſt nocturnum* puduclent, *quia in die diverſis occupantur laboribus*; Lucæ Holſtenio in *ſuo Gloſſ.* deponere eſt. Sed ad deponendam veſtem non tantùm temporis requiritur, ut à laboribus diurnis propterea Monachi diu vacaturi eſſent: hoc enim ſine mora peragi poteſt. Adde, quòd de hyemali tempore, ac de tunica nocturna, quâ indutus Monachus frigoris injuriæ reſiſtere poſſit, ſermo eſt: Nec veriſimile videtur, quòd poſt Nocturnos, cùm iterum dormire ac calore ſe fovere debuiſſent, nocturnam tunicam deponere jubeantur. Itaque *Pediculent* legi vult Dominicus Macer, *tum ex ignorantia Scriptorum illius ſeculi, tum etiam ex documento uſus aliquarum Religionum, ubi poſt nocturnos ſolent Religioſi, in medio alicujus Aulæ, accendere pyram hibernô tempore & diſcingere cingulum, ac pulices, ſimileſque ſordidas beſtiolas in ignem excutere & poſtmodùm ad iterum dormiendum ire*, in *Hierolex.* Quô pactô *puduclare* idem

esset, quod Græcis φθειρίζειν, Gallis *Eſplucher*: quorum illud occurrit in Græca verſione Jerem. *c.* 43. *v.* 12. Φθειριεῖ γῆν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. *Expediculabit terram Ægypti, ut paſtor expediculat veſtem ſuam*, i. e. ex ea pediculos eximit, ad quem *loc.* Theodoretus indigitari ait, Nebucadnezarem non perfunctoriè in Ægyptum bellum geſturum, ſed illam exactè deleturum, ut paſtores, cùm pediculos ſuos colligunt, maximè id faciunt accuratè, utpote otiô abundantes. Verùm cùm a textu Hebræo prorſus ſit alienum, nec Sacrô Scriptore ſatis dignum, ut vaſtatorem Ægypti putetur comparâſſe paſtori φθειρίζοντι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ: ſuſpicatur Bochartus, Græcos ſcripſiſſe, φθερεῖ γῆν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθείρει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, *Ægyptum corrumpet* (ſeu, *deſtruet*) *ut paſtor corrumpit*, (ſeu, *deterit*) *veſtem ſuam*, vide eum *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 44. & plura hanc in rem, apud Caſaubonum *ad Theophraſti Charact. p.* 326.

PUELLA, cognomen Guilielmi Abbatis Fiſcan. *pro decore*, ut ait Order. Vitalis, *l.* 11. Aliàs *Puella*, quid ſignificet notum, vocis origine ex *puera*, *puerula*, ſicut ex *puer*, *puerulus*, *puellus*. Quâ licèt nupta veniat, apud Ovidium, *Faſtor. l.* 2. *v.* 557. ubi jubet *viduas ceſſare puellas*: i. e. à maritorum complexibus abſtinere: etiam prægnans, apud eund. Ovid. ibid. *v.* 451. & Horatium, *Carm. l.* 3. *ode* 22. *v.* 2. *laborantes uterô puellæ*. Inſuper quæ peperit: uti de Penelope idem Ovidius *alibi*: imò bis puerpera, apud A. Gellium, *l.* 12. *c.* 1. communiter tamen juvenculam notat viro intactam. Cujuſmodi *Puellæ*, apud Romanos ingenuæ in Prætexta, donec nuberent, fuêre. Unde Cicero *in Verrem*, *Eripies*, inquit, *pupillæ togam Prætextam*; & Propert. *l.* 4. *El.* 12. *v.* 33.

Mox ubi jam facibus ceſſit Prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Feſtus quoque; *Nubentibus, depoſitis Prætextis, à multitudine puerorum, obſcœna clamabantur.* Vide ſuprà in voce *Prætexta*. Præferebantur autem nupturis faces, quia nunquam niſi noctu nubebant *Puellæ*, neque in domum mariti deducebantur, quamdiu quidquam diurnæ lucis ſupererat. Val. Max. *l.* 1. *c.* 5. *ex* 4. Tacitus, *l.* 15. *Annal. c.* 37. *Interdiu in viro nubente ſpectata, quæ etiam in fœmina nox operit.* Catullus, *Epithalam.* 63. *v.* 1.

Veſper adeſt, Juvenes conſurgite. ——

Hinc itaque tædas ardentes pueri patrimi & matrimi quinque, geſtabant. Vide Dempſterum *in Roſinum*, *l.* 5. *c.* 37. Apud Athenienſes, *Puellarum* cauſâ duplex præbebatur epulum τοῖς φράτορσι, alterum a Patribus, ſtatâ die, τῇ Κουρεώτιδι καλουμένῃ ἡμέρᾳ; alterum à Sponſis, nuptiarum ſolenni, uti teſtatur Demoſthenes ἐν τῷ πρὸς Εὐβουλίδην, ubi epulum hoc Γαμηλίαν vocat, & *Heſychius*, cùm ait: Γαμηλία, φέρνη, εἰς γάμον παρασκευὴ καὶ δεῖπνον ὃ τοῖς φράτορσι ἐποίει ὁ γαμῶν. Vide Sam. Petitum *Comm. in Legg. Attic. l.* 2. *tit.* 4. De earum opificiis, vide Fr. Roſſæum, *Archæologiæ Att. l.* 4. *c.* 13. de arcta cuſtodia, ſuprà in voce *Oecuria*: de nupturarum ritibus, ſuprà it. in vocibus *Nuptiæ* & *Protelea*, ac infrà in *Sponſa*. Dico hîc ſaltem, *puellas* ſecretim à cœteris in arcibus & domibus coluiſſe, *thalami ſecreta in parte*, ut ait Statius, *Thebaid. l.* 8. *v.* 607. h. e. in parthenone. Sic *arcanô thalamô* egrediuntur filiæ Adraſti, apud eundem, *l.* 1. *v.* 534. Novis autem nuptis conventuris, novi fiebant thalami, i. e. thori inſtar conclavium exſtructi, ſeu tentoriorum, uti docet ex Claudiano *Nupt. Honorii*, Heſychio, Auctore *Etymolog.* Barthius *Animadverſion. ad Statium d. l.* Vide quoque infrà *Thalamus*. Nec omittendum, apud Romanos nonô, à nativitate, die; apud Ebræos initiô menſis, *Puellis* nomina indita fuiſſe, ritu apud Græcos variante, cùm modò id quintô, modò decimô facere ſolerent. Sed & de hac re actum ſuprà, in voce *Nominatio*, & *alibi*. Etiam ab Ægyptiis circumcidebantur *Puellæ*, unde Nymphas Ægyptias exſcindere dicit Galenus *in Introduct.* Et hodieque hoc in Ægypto ſervatur, ut clitoridem incidant fœminæ, teſte *Alpinô*. Contrà maſculos Judæi aliæque gentes circumcidunt; illis honor, his lex: Iſti totam amputant pellem & reliquum unguibus abradunt; illi Arabeſque incidunt tantùm, ut iterum conſolidetur, vide Thom. Bartholinum *de Puerp. Veter.* Apud Græcos, ut & hoc addam, in Gymnaſtica quoque arte *Puellas* exerceri fuiſſe ſolitas legimus. Unde Plato, *de Legg. l.* 7. decernit publicos Magiſtratus habendos, qui Gymnaſticam pueros atque *Puellas* edoceant, & apud Athenæum reperimus, *Dipnoſophiſt*, *l.* 4. *c.* 13. nonnullos teſtamentô caviſſe, ut pulcherrimæ *Puellæ*, Monomachorum inſtar, decertarent, notat Hier. Mercurialis *de Arte Gymn. paſſim*. Propertius, de Spartanis inprimis, id eleganti Carm. tradit, *l.* 3. *eleg.* 13. cujus pars, *v.* 1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura Palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona Gymnaſii.
Quòd non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda Puella *viros* &c.

Vide etiam Xenoph. *de Reb. Laced.* Plut. *in Lycurgo*, veterem Poëtam apud Ciceronem, *Tuſcul.* 2. Claudian. *de Conſul. Manlii*, Alios: ut & infrà, voce *Puta*, it. *Virgo*. De *puellarum* verò *coronis*, itidem infrà *Pyleo*; *luſibus*, voce *Concha*: de *miniſterio* apud Romanos, hic paſſim, ubi de *Gaditanis*, item in vocibus *Ancilla*, *Ornatrix*, *Pſecas* &c. Apud Capitolin. *in Marco*, *c.* 8. *Puellæ Novæ*, *Novas puellas Fauſtinianas inſtituit, in honorem uxoris mortuæ*: eôdem ſenſu dicuntur, quô *Pueros* & *Puellas novorum nominum*, Idem ſuprà dixit. Vide ſuperius ubi de *Alimentariis Puellis*. Sed & *Puella*, Κόρη, nomen monetæ Atticæ, vide ſuprà *Diana*.

PUELLARUM caſtrum, arx permunita Edimburgi, in rupe prærupta ad Occaſum. Ibi enim Pictorum quondam Regum puellæ aſſervatæ. Ultimis Scotiæ motibus pluries capta.

PUELLATORIÆ Tibiæ, apud Solin. *c.* 5. *Thermitanis locis Inſula eſt arundinum ferax, quæ accommodatiſſimæ ſunt in omnem ſonum tibiarum: ſeu præcentorias facias —— ſeu vaſcas —— ſeu* puellatorias, *quibus à ſono clariore vocamen datur: ſive gingrinas* &c. in Schedis Palatinis, *Puellariæ* ſunt, quod rectiùs videtur. Cœteri tamen omnes *puellatorias* habent. Intelligit autem παρθενίους αὐλούς, qui clariſſimi ſoni Ariſtoteles, *l.* 7. *c.* 1. Ἀλλ' ἐστὶν ἡ φωνὴ ὀξυτέρα τῶν θηλειῶν παίδων, ἢ τῶν ἀρρένων καὶ ὁ παρθένιος αὐλὸς τοῦ παιδικοῦ ὀξύτερος. Ad quarum cantum *puellæ* ſaltare ſolebant, ſicut pueri, ad ſonum τῶν παιδικῶν, & viri, ad τῶν ἀνδρείων. Vide Salmaſ. *ad Solin. d. l.*

PUER, aliquando idem, quod Servus. Cicero, *l.* 1. *ad Attic. Ep.* 12. *Nam* Puer *feſtivus, Anagnoſtes noſter Soſitheus, deceſſerat, meque plus, quàm ſervi mors debere videbatur, commoverat.* Quò referenda Feſti verba: *Quintipor, ſervile nomen frequens apud Antiquos erat, à prænomine Domini ductum* (quaſi *Quinti puer*) *ut Marcipor, Caipor.* Hic nempe Veterum ſervos vocandi mos fuit: quem intercidiſſe, refert Fab. Quintilian. *l.* 1 *c.* 7. *In ſervis jam intercidit illud genus, quod ducebatur à Domino: unde Marcipores, Publiporeſque*: imò queritur & objurgat Varro *de L. L. l.* 8. *Quotuſquiſque jam ſervos habet priſcis nominibus?* Hinc itaque lux *veteri Inſcript.* quæ & ad Libertos id transferre videtur, *P. Rubrio. Latino. Sicinius. P. Por. Patrono. ſuo. b. m.* apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. Et formoſorum quidem frequens apud Romanos ſervitium fuit: beatulos inprimis illos, qui iſtiuſmodi *Pueris* non Triclinium modò, ſed & Coquinam referſerant. Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 66.

Qui rogo tam durus, quis tam fuit ille ſuperbus,
Qui juſſit fieri te Theopompe cocum?
Hanc aliquis faciem nigrâ violare culinâ
Suſtinet? has unctô pollinet ungue comas? &c.

In quibus ſanè verſibus latens ſub nomine Trimalcionis Petroniana illa lautitia elucet: Ut enim ille digitos in capite *Pueri* terſit, ita videtur Theopompi dominus ad ejuſdem comas ungues unctos, munditiæ causâ, affricuiſſe. Sic apud Ciceronem *in Verr.* 2. *circumpedes homines formoſos vel literatos*, hic habuiſſe dicitur: quorum erat, ſoleas accumbentis domini cuſtodire, ut patet ex Martiali, *l.* 12. *Epigr.* 89. Inprimis grati conviviis fuêre *Pueri* ex Ægypto, dicaces: Petron. *Satyric. Diſcubuimus Alexandrinis pueris aquam nivatam in manus infundentibus*: quemadmodum iiſdem Puellæ Gaditanæ aptiſſimæ viſæ. Et Symphoniacorum *Puerorum*, quanta fuerit copia, infrà videbitur: quos omnes (vocales videl.) *fibulas in naturis habuiſſe, ne coirent*, docet Juvenalis *Scholiaſtes*, *ad v.* 73. *Sat.* 6. Sed de his, ſuô locô. Tranſeo ad ingenuos, de quibus adhuc in infantia conſtitutis, *ſuprà* actum, in voce *Infans*, *Nominalia*, *Profeſſio* &c. Eorum veſtimenta, apud Romanos erant, Prætexta & Chlamys, de quibus *ſuô locô*: donec adultiori ætate virilem ſumerent Togam; ante quod tempus, cum iis commercium ulli Viro eſſe non licebat. Quæ cauſa, quòd Mercurialis Guil. Choulum, qui *in de Antiqq. Exercitat. libro*, in Ephebeo, ſecundâ Gymnaſii parte, *juvenes ſtudendi gratiâ ſediſſe*, ſcriptis mandavit, refutat. *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 7. Id verò negari non poteſt, Galeni tempore, ut is, *l.* 1. *præc. ad Poſth.* teſtatur, *Pueros* exerceri in palæſtra conſueviſſe, cùm is cujuſdam ægritudinis, quam Commodus *Puer* atque Imperatoris filius in Palæſtra acquiſiverat, ibi ingerat mentionem. Sed & idem Plautus, *Bacchidib. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 18. apertiſſimè oſtendit, ubi Lydus Piſtocleri Pædagogus, Patrum erga filios ſui temporis indulgentiam taxans, de anteacti temporis moribus ita loquitur,

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,
Digitum longè à Pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem niſi in Palæſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum accerſebatur malum,
Et diſcipulus & Magiſter perhibebantur improbi.
Ibi curſu, luctando, haſtâ, diſcô, pugilatu, pilâ,
Saliendo ſe exercebat magis, quàm ſcortô, aut ſaviis.

Unde conjicere eſt, *Pueris* ſummô manè Palæſtram adeundi præceptum fuiſſe, ut Virorum, qui tunc non aderant, conſortium vitarent, atque etiam literarum ſtudiis incumbendi otium ſupereſſet: Etenim non defuiſſe, qui *Pueros* videre nudos & nefandum eorum amorem ſibi conciliare ex Palæſtris ſtuderent, facilè ex Plutarchi *Erot.* colligitur. Quæ cauſa, quòd & Athenis ſeverè cautum, ne *Puerorum* Præceptores ludum literarium aperirent, ante Orientem Solem, & ut clauderent ante Occaſum. Imò nec ingredi ulli ætatem puerilem ſupergreſſo in Ludum, quandiu in illo *Pueri* erant, ſub pœna mortis licebat, exceptô filiô Præceptoris, aut è fratre nepote, aut generô. Et jam Gymnaſiarchæ neminem provectiori ætate, Mercurii feſtis diebus, admittendi facultas permittebatur, ut patet ex Lege Æſchini memorata contra *Timarch.* Agitabant autem *Pueri* mercurii dies feſtos, in Palæſtris: ſicut Muſarum, in Scholis; quorum illi dicebantur Ἑρμαῖα, hi Μουσεῖα. Magiſtratus verò, cujus curæ commiſſa erant, τὰ Διδασκαλεῖα, & τὰ Γυμνάσια, Κοσμητὴς dictus eſt, de quo vetus lapis Athenis in Gymnaſio, Ἐπὶ Θέωνος Ἄρχοντος Κοσμητοῦ Διονυσίου Μάρκος Ἀναφλύστιος γυμνασιαρχήσας: ubi qui *Gymnaſiarcha*, ſimpliciter dicitur, *Puerorum* intelligitur, Magiſtratus Κοσμητοῦ nomen additur, quia curæ Gymnaſii & alii Κοσμηταὶ Ephe-orum erat præfectus. Alia ab his Gymnaſia

pheborum erant, qua de re vide Erotianum in *Lexic.* In quibus enim *Pueri* exercerentur, hoc Terentii *Eunuchô* docet, *Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 23.

——— *Fac periculum in literis,*
Fac in Palaſtra, in Muſicis: qua liberum
Scire aquum eſt Adoleſcentem. ———

At aliæ erant Epheborum μελεταὶ, militares nempe omnino: verſabantur in eorum Gymnaſiis ii, quos inanis gloriolæ γαργαλισμὸς titillaret, quo nimirum poſſent à Junioribus conſpici, atque hunc ipſi ſui honoris fructum perciperent, dum in ſe illorum converterent ora; Quam ob rem Æſchines Demoſthenem facit, σεμνυνόμενον ἐν τῇ τῶν μειρακίων διατριβῇ: Cùm contrà in *Puerorum* palæſtras nemo impunè, horum ætatem ſupergreſſus, ingredi poſſet. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas*, *l.* 3. *tit.* 7. De *Puerorum caſtigatione*, præclarè diſſerentem adi Franc. Roſſæum, *Anthol. Att. l.* 5. *c.* 11. Plura verò de *exercitationibus Puerorum*, apud Græcos, *gymnicis & ſcenicis, pramiiſque illorum*, Car. Paſchalius habet *Coronar. l.* 6. *c.* 29. *totô*: de more *Pueros nobiles in diſciplinam arctiorem Principibus viris tradendi*, diximus ſuprà voce *Pagius*: Uti *de Pueris Alexandrinis*, *Mauris*, *Syris*, garrulitate ſua, apud Romanos magni æſtimatis, de quibus & ſuprà, præclara multa, præter Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 83. Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *l.* 5. *Sylv.* 5. *v.* 66. ubi hos verſus illuſtrat:

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque ſui convicia Nili
Infantem, linguâque ſimul ſalibuſque protervum
Dilexi ———

Apud eundem Sueton. *Tiberiô*, *c.* 6. *Præſedit Trojanis Circenſibus, ductor turmæ majorum puerorum*: *Pueri majores* ſunt, qui ἀγένειοι Græcis, mediæ inter puerilem & virilem ætatis. Nec omittenda Babia *pueritiæ* Dea, memorata Photio: de qua vide Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 87. &c.

PUER, inter Jovis epitheta. Cicero, *de Divin. l.* 2. ubi de Sortibus Præneſtinis, tanti olim nominis: *Quid enim Sors eſt? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras, in quibus temeritas & caſus, non ratio, nec conſilium valet. Tota res eſt inventa fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem. Atque videamus clariſſimarum Sortium quæ tradatur inventio. Numerium Sufficium Præneſtinorum monumenta declarant.. ſomniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cùm juberetur certô locô ſilicem cadere, perterritum viſis, irridentibus ſuis civibus id agere cœpiſſe: itaque perforatô ſaxo Sortes erupiſſe, in robore inſculptas, priſcarum literarum notis. Is eſt hodie locus ſeptus, religiosè, propter* Iovis Pueri, *qui lactens cum Junone, in gremio Fortunæ, mammam appetens caſtiſſimè colitur à matribus.* Et paulò pòſt, *Quid igitur in his* (Sortibus) *poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu, Pueri manu miſcentur atque ducuntur.* Nempe, cùm notiſſima ſit fabula, Jovem, Neptunum ac Plutonem, adhuc juvenes ac penè pueros, poſt expulſum è ſolio patrem, diviſiſſe imperium Univerſi, atque eorum unumquemque nactum partem, quæ ex ſorte ei obveniſſet, Jovemque inde accepiſſe cœli terræque imperium, factum hinc videtur, ut Jovis ac Junonis ſimulachra in gremio Fortunæ collocarentur, per eamque Sortes ac Oracula regi crederentur, ut cujus beneficiô ipſe Jupiter imperium adeptus ſit. Cui proin id honoris quoque datur, ut aliquando *Primigeniâ* ſimpliciter, aliquando additis epithetis *Jovis Pueri*, vel *Jovi Puero* diceretur. Apud Gruterum *Inſcript. p.* 76. *n.* 7.

FORTVNÆ
JOVIS PVERI
PRIMIGENIÆ
D. D.
EX. SORTE. COMPOS.
FACTUS.
NOTHVS. RUFICANÆ.
L. F. PLOTILLÆ.

Ibid. *num.* 6. FORTVNÆ PRIMIGENIÆ JOVI. PVERO. ex teſtamento Treboniæ Symphenisæ d. d. d. P. quidam Annius Herma heres.

PUER, ſicut *Infans*, recentiori ævô, nomen Magnatum filiis promiſcuè tributum, qui nondum ex ætatis defectu feudorum paternorum poſſeſſionem adierant, quæ interim à Cuſtodibus vel Tutoribus adminiſtrabantur, donec ad legitimam ii perveniſſent ætatem. Sic Fridericus Henrici II. Imperatoris filius, quem ſpectabat Apuliæ Siciliæque Regnum, ex Matris jure, modò *Infans Apuliæ*, modò *Puer Apuliæ*, dictus occurrit, in *Chron. Senonenſi*, *c.* 19. & *Andrenſi p.* 634. De primogenito Filio Regis Angliæ, Guilielmus Britto *Philippidos l.* 12.

Non tibi des requiem, donec Puer Anglicus *armis*
Victa, quibus nil juris habet, tibi ſceptra reſignet.

In *Charta* Gaufredi Epiſcopi Ambian. A. C. 1118. apud Louvetum *Antiqq. Bellovac. Tom. II. p.* 115. ſubſcribit *Radulfus Puer de Arenis*, h. e. hæres &c. Interdum tamen hâc voce quoque denotabantur, qui prædiorum paternorum adiiſſent poſſeſſionem, vel certè eorum poſſeſſores audirent. Sic Ludovicus *Rex & Puer* dicitur, in *Charta* Alemannica 76. Goldaſt. *H. puer Dux Saxonum*, in *Charta* Adalberonis Archiepiſcopi Hamburgenſ. A. C. 1143. apud Ughellum *Tom. II. Fridericus puer Dux Suevorum* in *Diplom.* Friderici I. Imperatoris, A. C. 1160. In *Charta* quoque Bartholomæi Epiſcopi Pariſienſis A. C. 1146. ſubſcribit *Philippus puer Frater Regis.* Eôdem modô olim Imperatorum filios, ſuperſtitibus Parentibus, *Nobiliſſimos Pueros* appellatos in Faſtis, declarant eorum Imperatorum *Conſtitutiones*, in quibus ut plurimum binis iſtis literulis, *N. P.* hæ appellationes deſignantur, ut obſervavit Jac. Cujacius *ad l.* 4. *Cod. de Privil. eor. qui in ſacro Palat. mil.* Hinc *Conſtitutio* Theodoſii, Valentiniani & Arcadii, apud Sirmondum *in Appendice ad Cod. Theodoſ. c.* 8. ſic clauditur: *Data X. Kal. Majas Conſtantinopoli, Honoriô Nobiliſſimô Puerô & Evodiô Coſſ.* Ut *Epiſtola* Valentis & Urſacii, *in Fragm.* S. Hilarii, *Data Gratiano Nobiliſſimô P. & Dagalaiſo Coſſ.* Exinde, voce *Puer* abrogatâ, *Nobiliſſimi* nudè tales appellari cœperunt &c. Vide ſuprà in voce *Infans*, item *Nobiliſſimus*.

PUERI, Seniorum vox & cum auctoritate patria ſuadentium. Apud Virgilium, *Æn. l.* 5. *v.* 348.

Tum pater Æneas: veſtra iſthac munera vobis
Certa manent, pueri. ———

Et, *l.* 6. Anchiſes, *v.* 832.

Ne pueri, *ne tanta animis aſſueſcite bella.*

Quem pari in negotio imitatus Statius, *Thebaid. l.* 6. *v.* 628.

O' pueri, *Virtus iterum tentanda* &c.

Ad quem *loc.* vide Barthium, uti de *Pueris Alimentariis*, item *Pueris novorum Nominum*, apud Romanos, ſuprà. In Eccleſia Romana *Pueri Monaſterii* dicuntur, qui aliàs *Nutriti* & *Oblati*, item *Infantes Monaſterii*, quales ante 25. annos ordinari vetantur, in *Capitulis* Theodori *Cantuar. c.* 34. & 115. Vide ſuprà, voce *Infantes*. In eadem *Pueri de Altari*, item *Pueri* nudè, dicti occurrunt, qui vulgò *Pueri Symphoniaci*, Gall. *Enfans de Chœur*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* voce *Infans* &c.

PUERI Doctrinæ, cùm celebranda eſt Actio fidei, uti vocatur in Eccleſia Roman. proceſſionem hanc ſolemnem inchoare ſoliti. Ita enim Regin. Gonſalvius, Hiſpali illam fieri ait: Primo in loco procedunt *pueri doctrinæ* (ex Collegio, quod *Domum Doctrinæ* vulgò vocant, ubi pueri inſtituuntur, adſciti) qui tum veſte, tum cantu, tum ordine, in quo per Clericos aliquot ſuperpelliceis indutos continentur, religionem incutiunt. Cantiones autem, quibus defunguntur, ſunt Litaniæ Sanctorum alternis vicibus repetitæ, alternô chorô reſpondente, *Ora pro illis*, Hos ſequuntur è veſtigio vincti ipſi, *Pœnitentiales* vulgò appellati, ordine per claſſes diſpoſiti. Qui levioribus cenſuris ſunt notati, primum ab ordine illorum puerorum locum tenent, incedentes cum candelis extinctis, reſtibus collo inſertis, lupatis ligneis, tiaris papyraceis, reatus ſignis. Sequuntur *Sambeniti*, de quibus infrà. Tandem *Samarrâ* incluſi, & rogo deſtinati, vide itidem hâc voce. Vinctis ſingulis claudunt utrumque latus Familiares duo armati cuſtodiæ, adduntur que morituris duo Monachi aut Theatrini, ſolatii causâ. Vinctorum ordinem inſequitur Senatus Urbis univerſus, Nobilitas, Status Eccleſiaſticus, Capitulum Eccleſiæ Majoris, Abbates & Priores. Poſt hos ſpatii nonnihil vacuô relictô, Fiſcalis Inquiſitionis prætensô ac explicatô vexillô, Labarophori locum tenet. Demum ipſi Patres Fidei ſuccedunt, inceſſu lentô &c. Pompam claudit multitudo plebis innumerabilis ſine ordine & nomine. Vide Phil. à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 4. *c.* 41.

PUERINUM, oppidum Pedemontii.

PUERPERA, à PUERI *partu* dicta, olim variis obnoxia fuit ritibus. Mutini faſcino inſidebat fœmina, ut conciperet: Lupercis quoque ſeſe offerebat, & ferulâ cædebatur caprinâ pelle coriô-que tectâ, geſtabat præterea pyxide Lyden, immensô prolis deſideriô, quô Reip. augendæ ac connubii retinendi, ut & ob jus trium liberorum, ardebat. Hinc, ne eſſet infelix, ſupplicationes & vota Veneri apud Romanos, Τριτοπάτορσι Athenienſibus Pacique, magis pro filiis & gemellis, quàm filiabus, concepta, quæ illud includebant, ut ſimiles fierent Parentibus. Gravida jam, hæc ut feliciùs aſſequeretur, braſſicam, ſicut in Amphidromiis, comedebat ad fœtus incrementum, edules cochleas & malicorium, ſed non ſine damno, potu diptami additô. Abſtinebat à ſale & aqua frigida: lecticis ſubinde vehebatur & equabus gravidis inequitabat, peſtilentiâ variâ Religione averruncatâ, zonâ dein in templo Dianæ, ut commodiùs fieret geſtatio, ſolutâ, quam primipara eidem poſteà ſuſpenderet cum veſtimentis. Temporis verò fallendi gratiâ faſciolæ ligandis pueris parabantur & ipſæ in lecto cubantes gravidæ celebrabant Parilia. Vide ſuprà *Palilia*. Intereà pro naſcentibus fiebant vota, primò animi gratiâ Genitæ Manæ, ne domi quis bonus naſceretur, h. e. imbecillis; cui ideo canis immolatus, ſicut Hecatæ & Genetylli, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ, audaciæ & fœcunditatis omen: dein pro corpore, ne perversè partes aut præpoſterè exirent, Poſtverſæ & Proſæ litabatur, canibus fortè. Mox inſtanti partu ad Eugeriam & Fluoniam confugiebatur, quæ & *Mena* dicta. Invocabatur quoque Uterina, Alcmena ad alendum, Vitumnus & Sentinus, ad vitam ſenſumque inſtituti: Apud Athenienſes Genetyllis acceſſit, cui feſtô die canis immolatus. Tandem, ut confidentiùs onus ventris ponerent, quædam gravidis privilegia conceſſa, immunitas à quæſtione apud Romanos; à ſuppliciis, apud eoſdem, Ægyptios ac Græcos: apud Perſas annulô aureô donatæ &c. Imminente *Puerperio* clavis tradita à marito, locuſque *Puerperii* idem eligebatur, quem olim habuerat Pater, purpurâ ſtratus antiquâ Imperii notâ, ſed ad plures ob luxum dein divulgatâ. Habitu ornabatur prægnans propriô, quem ex figulina tabula eruit Thom. Bartholinus, in qua caput faſciis cinctum, palliô abjectô & ſoleis, (quæ peractô reſumtæ opere) aſſidet, ſed nec poplite in alterum genu impoſitô, nec digitis pectinatim implexis. Proxima ſic quæque apprehendens, dolore ſe ſublevabat, primaque cura erat, ob partûs facilitatem, palmam tetigiſſe: qui ſi difficilior, Nixii Dii invocati, nec non, ſi gemellorum eſſet ſuſpicio, idque opertô capite & lotis manibus. Alioquin lucis causa Lucinam familiaris vigebat advocandi mos,

parturientium Deam; quæ *Ilithyia* Græcis & Ζυγία, Latinis *Juno* & *Opigena*. Huic vota ipſæ nuncupabant *Puerperæ*, haſtas conſecrabant, publicô vaccas nomine immolaturæ, &, ne quid deeſſet, nummis cuſis monumenta erigebant: cultu à Græcis ductô, quibus Diana Lucina erat & Lucifera, eadem cum Luna, (Levana לונה ex Hebræorum origine) cuncta ad partum, tanquam noctis præſide & fœmineô ſidere, conferente. Nox enim, genitalis Dea, liberorum ſtudium juvare credebatur. Formula invocationis magnâ voce ter repetita, & extenſis brachiis: Eidem aliàs in ara ſacrificabatur pulte fabaceâ & laridô, nec non gemellis agnis altrinſecus religatis, nummuſque perdi ſolitus. Tranſactis laboribus decumbebat ægra, dum obſtetrix, ſervi & adjutrices ancillæ partibus ſuis defungerentur: Jamque *Puerpera* ipsô puerperii momentô, ſine ullo ſexus diſcrimine & *edere* dicebatur, quemadmodum Pater *ſuſcipere*, licèt & latiùs vagetur dictionis licentia. Sic *Infans*, dictus ab infando, natalem ſuum auſpicabatur, magnaque ſemper Primogenituræ veneratio erat. Sociabatur autem ei nato ſtatim Genius, Lareſque eôdem cum Genio inter naſcentium Deos habiti numerô, ut & alii: quibus de rebus vide in vocibus *Genius*, *Infans*, *Lares*, *Natalis*, *Primogenituræ*, ſuprà. *Puerperæ* verò proprii Dii, Parcæ tres erant & Partula, à *pariendo*: poſt partum cuſtodes tres, Sylvanum ab ingreſſu nocturno arcentes, quem omni invidiâ abigebant, etiam coronatô aſini capite, ad lectum *Puerperæ* ſuſpensô; qui idem cum nuptiali, fœminis familiaris, in atrio ſeu aula ſeu horto, dum in terram natus deponeretur, ſternebatur exemtilis, (nonnullis Pilumno & Picumno, vice *Puerperæ*) clauſis januis obductôque thalamô. Staturam is Herculis exprimebat, in certum futuræ magnitudinis omen, vel ut faciliùs *Puerperam* cum infante caperet: ditioribus auratus & argenteus, ſimplici pauperioribus ornatu, vel ex ebore vel teſtudine compactus. Accedebant lecto flores veſteſque ſeu purpureæ ſeu auratæ, cui, locô *Puerperæ*, inſidebant mariti Tibareni & Cantabri, ut uxorum vice ægrotarent. Natô infante, nunc ploratus, nunc lætitia, apud diverſos; ridebant poſt ſeptimum inprimis diem Matres, vitalem ſperantes partum: quibus meliorum morum Gentes de feliciter tranſacto *Puerperio* gratulabantur. Gaudium nempe & ſalutatio inter amicos & clientes, verbis *Hodie nate ſalve*, ab Oriente ad Romanos delatô more, exprimebatur: qui amicorum congreſſus antequam fieret, uterô egreſſus lavabatur, tanquam à Matre ſanguinolentus; de quo ritu vide quoque *ſuprà*. Lavabant autem ſuis interdum manibus *Puerperæ* ipſæ robuſtiores; ut plurimum, obſtetrices vel ancillæ, quin ſervi & Eunuchi, qui idcirco muneribus donabantur. Lotus infans in terram ſtatuebatur, non ſine pompa; hinc ſuſcipiebatur à Parente, vel Procuratore ejus, quò inter legitimos numeraretur hæredes. Aliquando Parentis vice ipſa eum tollebat *Puerpera*, vel ſoror illius, vel familiaris aliqua: obſtetrices quoque. Quos ſuſcipere nollet pater, ominis ergò & metus, expoſiti fuêre, qua de re vide ſuprà *ſuô locô*. Aliàs apud Antiquos videas *Puerperas*, quæ tantum abeſt expoſuerint natos, ut, quibus carebant, alienos expoſitos ſibi ſuppoſuerint, vel ſubdiderint: Meretrices inprimis, ut ſe *Puerperas* amantium gratiâ ſimularent, & Obſtetrices, falſum partum aliis ſupponentes; quarum illæ aquâ & igni arcebantur, in has verò capitalis conſtituebatur pœna. Hôc pactô à ſterilibus hæredes quæſiti, quos etiam ex via Appia petere potuêre &c. Tertius poſtquam affulſit dies Romanis, Græcis quintus, coronæ natalitiæ foribus ſuſpendi ſunt ſolitæ, eædem ferè, quibus Nuptialium feſtô frontem crineſque haſtâ compoſitos cinxerat nova Nupta, in honorem Laris familiaris, qui foribus præſidere putabatur: Athenis quidem, maſculis oleaginea, lanea fœmellis: Romanis ex lauru, hedera, apio cœteriſque fragrantibus herbis. Quintô die emergente, inſtituebantur λοετρὰ λεχώινα, ad manus earum abluendas, quæ obſtetricatæ fuerant, aut aliquid attigiſſent ex *Puerperio*, ipſiuſque adeò *Puerperæ*, ob curarum ſolutionem & laſſitudinem: quô more poſteà ſolennibus Natalitiis ſervatô, lavabant manus, quum epulas inſtruerent, idque in pollubro & gutto. Sequebantur eâdem luce munera Natalitia puero oblata, miniſtris *Puerperii* & *Puerperæ*, cui ſolennia Kal. Martiis etiam dona, umbellas, armillas, aliaque donabant Mariti, facili JCtorum veniâ. Totâ reliquâ hebdomade prima Junoni propoſita menſa, ſuper quam votivus infans Diis oblatus & commendatus, votis, quæ ſuſcepta fuerant, vel ſolutis vel adauctis. Menſam adeſſe nullam, pro malo omine interpretabantur, eratque ferè ara, in qua libatum. Deæ Junoni lectus additus & in ejuſdem ærarium conjecti nummi: Sequutæ pro natis ſupplicationes, per omnia Templa circumductis. Templa item nova erecta & aræ poſitæ ob *Puerperia*, cuſique nummi Fœcunditati, pro ſingulorum conditione, Spectacula varia, Circenſe, Atticum: ad hæc ſtatuæ cum Inſcriptionibus, ſolutô votô, extructæ. Quæ commendatio fiebat per Patrem, vel Aruſpicem, vel nutricem, apud Lacedæmonios; in Dianæ Corythalliæ æde; Epulô, quod Κοπίδα appellabant, inſtructô: apud Romanos inſuper is dies variis ludis celebratus. Ultimô primæ hebdomadis die natis infantibus tabellæ fata inſcripta, vel virgæ Natalitiæ compactæ, quæ cum iis adoleſcerent: Huic luſtricus ſucceſſit dies, quô nomen adepturi, ut mortui, luſtrabantur: ſed quemadmodum breviter luſtrabatur infans, ita longiores moras *Puerpera* in purificatione traxit. Nulla prægnans ante 40. diem, qui Athenis τεσσαρακοστὸς, in Fanum prodiit, quia adeò impura,* ut ædes *Puerperarum* Romanorum nullus ſit ingreſſus, vel egreſſi ſe purgârint, tanquam ex funeſtorum contactu. Idem Æthiopes & Hebræi, hôc diſcimine, ut pariens fœminam 80. dies, maſculum 40. explerent. Idque quia tot diebus cenſebantur impuræ; quamquam ſeptem tantùm diebus ſumma impuritas fuerit, reliquis à ſacro contactu arcerentur. Ratio autem ritus, quia ob corporis imbecillitatem hîc majorem, ibi minorem, quæ impuras fecit, tanquam morboſæ, ſacris abigebantur. Unde curatæ intereà Puerperæ & poſtremô die per Sacerdotes à peccatis purgatæ, procuratæque etiam Romanorum fœminæ &c. Plura vide apud Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* Franc. Roſſæum, *Archæol. Attica l. 5. c. 1. ubi de Puerperarum religione, c. 2. ubi de Puerperio ſeu fœtu maſculo, c. 3. ubi de infantibus lavandis & ungendis, c. 4. ubi de Cunabulis* &c. ut & ſuprà, inprimis in voce *Infans*, & *alibi paſſim*. Addam hoc unum, ex Plut. *in Sympoſiac. l. 3. c. ult. Puerperas*, quamprimum doloribus erant defunctæ, Junoni quidem ſacrificium ſtruxiſſe, veſtimenta verò Dianæ conſecrâſſe, quæ & Λοχία, *Lochia* hinc à levando ſeu curando partu dicta: Χιτώνη item, quaſi *tunicata*, ut vetus oſtendit marmor: *Chitoni. Virgini. ſacrum.* De ſacrificandi ritu poſt partum, Phroneſium apud Plautum, *Trucul. Scen. puero iſti, v. 22.* ſic loquitur,

> *Eumque gero ornatum, ut ægra quaſi* Puerperio *cubem.*
> *Date mihi huc ſtactam atque ignem in aram, ut Venerem Lucinam meam.*
> *Hîc apponite, atque abite ab oculis; ô Pithacium,*
> *Face ut accumbam, adjutare ſic decet* Puerperam.
> *Ubi eſt Aſtaphium! fer huc verbenam mihi, thus & bellaria,*
> *Soleas mihi date, pallium in me huc injice Archilis,*
> *Date aquam manibus* &c.

PUFENDORFIUS Samuel, ſeculi noſtri decus, Sereniſſ. Suecorum Regis Hiſtoriographus & Conſilarius, edidit *Introductionem in Hiſtoriam præcipuorum Regnorum & Statuum Europæ: Hiſtoriam Rerum Suecicarum: De Jure Naturæ & Gentium libros VIII. De Officio Hominis & Civis*, quod magni illius operis compendium eſt, ab Imman. Webero Comitum Schwartzenburgicorum Ephoro Germanicè verſum &c. Jamque in Aula Berolinenſi, in deſcribenda Hiſtoria & Rebus geſtis Friderici Wilhelmi Elect. glorioſiſſ. memoriæ occupatus, brevi hanc laudum ſuarum acceſſionem publico exhibebit, ut ex Catalogo Francofurtenſi accepimus.

PUGANUM, urbs Imperii Sinenſis in Queichea provincia in confinio Junnani & Quanſiæ provinc. ad radices montium, *Martin.*

PUGELA, Græcè τὰ Πύγελα, urbs Ioniæ circa Epheſum Chio oppoſita, vitioſè *Fugela*; non enim quòd à fugitivis fuerit condita, quod Pomponio Melæ, corruptâ ſcriptione decepto, placuit: ſed ἀπὸ τῆς πυγῆς, *à natibus*, nomen accepit. Nonnullos enim ex iis, qui cum Agamemnone militatum venerant, illic propter morbum, ſedem ac nates infeſtantem, commoratos eſſe, ſcribit Theopompus. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p. 100.*

PUGIL, dictus à *pugna*, & pugna à *pugno*, inquit Donatus *in Prolog. Hecyræ, Veteres namque ante uſum ferri & armorum, pugnis & calcibus & morſibus, corporumque luctatione certabant.* Similiter, qui Latinis *Pugil*, Græcis πύκτης, à πὺξ, *pugnô*. Ita ergo in *Pugilatu*, qui poſt luctam repertus eſt, primò *pugnis* ſolùm pugnabatur, idque ſtando, quod Luciano eſt, τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην, *rectos ſtare ac ſe invicem ferire*. Poſteà ut ferirent fortiùs, uti cœpêre cæſtibus; vel ſphæris, quæ cæſtuum vice eſſent: unde tantum ſæpe periculi, ut in luctando nonnulli exſpirarent. Imò vel à ſolis pugnis, temporibus, ſive locis prope aures diſcrimen imminebat, quas proin luctaturi tegumentis, quæ ἀμφωτίδας vocat Clem. Alexandrinus *in Pædagogo, l. 2.* muniebant. Atque ut homo non interimeretur, ſic tamen mulctabatur ſæpe, ut poſt pugnam adeò cruentatus dignoſci non poſſet. Dentes etiam oſſaque luxabant aut frangebant. Quare eos, qui ad hujuſmodi certamina pecuniâ ſe ſinebant conduci, meritò increpans Cyprian. *de Spectaculis, Ictibus*, inquit, *infelix facies locatur, ut infelicior venter ſaginetur*: jureque idcirco ut crudelior, ab Amm. Marcellino, *l. 14.* culpatur Conſtantius Cæſar, qui nullô æquè certamine, ac *Pugilatu*, caperetur, cæteris licèt durô magis dirôque. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *l. de 4. Artibus Popul. c. 3. §. 81. 82. 83. 84.* Hieron. Mercurialis *Pugilatum* à cæſtuum pugna diſtinguens, in priore homines nudos ait concertare conſueviſſe, pugniſque ſtrictis vel nudis, vel æneâ lapideâque ſphærâ plenis, (unde σφαιρομαχεῖν) vel loris laminâque circumſeptis, ſeſe invicem percuſſiſſe, modò caput, modò dorſum, modò brachium petentes, neque unquam ſeſe mutuò complicantes; in qua pugna ſuperabat, qui vel adverſarium pugnorum ictibus in terram proſternebat, vel gravius damnoſiuſque feriebat; quanquam non deſint, qui etiam calcibus hujuſmodi pugnam factitatam, tradant, ob id apud Senecam, *Ep.* 80. non σφαιρομαχίαν, ſed σφυρομαχίαν, legendum contendentes. Victoriæ ſignum erat ipſius Adverſarii confeſſio, vel manu demiſsâ, vel aliô quôdam geſtu, facta; ut enim porrectio manûs *Pugilatus* fuerat *prooemium*; Papinius, *Thebaid. l. 6. v. 663.*

> *Promiſêre manus;* ———

Sic demiſſio, argumentum fuit diffidentis ſuis viribus, ſeque victum agnoſcentis. Quod quoniam Lacedæmoniis turpe viſum, propterea interdictum iis, ne foris, ubi demiſſio illa obtineret, *Pugilatu*, Pancratiô aut cæſtibus, decertarent: Sed nec Alexander iſtiuſmodi certaminis probabat genus, ut docet Plut. *in ejus vita*. In uſu autem *Pugilatoriam*, Græcè πυγμικὴν, fuiſſe jam ante Trojanorum tempora, auctores ſunt Plin. *l. 13. c. 11.* & Homerus, quem etiam Plut. *Sympoſ. l. 2. Probl. 5.* obſervavit, continuò *Pugilatum* luctæ, & curſui idcirco præponere, quoniam exercitationis id genus priùs illis originem acceperit. Sicut quoque Lucretius, *l. 5.* innuere videtur, *v. 1282.*

Arma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Arma antiqua manus, ungues denteſque fuerunt.

Principes auctoreſque ejus, Amycus atque Epeus produntur, apud Platonem, *de Legg. l. 7.* Notum etiam de Caſtore, *Pugile* eximio, qui Amycum interemit. Glauco item Caryſtio, qui 25. Olympiade coronatus, *Pyctæ* ſeu *Pugilis* elogiô, per excellentiam, meruit vocari. Imò & in Deorum numerum quoſdam *Pugiles* fuiſſe relatos, docet & damnat Euſeb. *de Præpar. Euang. l. 5.* Quia verò ad grave hoc pugnæ genus, magnô corporis robore viribuſque erat opus, hinc ſaginando corpori, ut & gravius percuterent, & plagas minùs ſentirent, mirè incubuerunt, Terent. *Eunuchô, Actu 2. Sc. 3.* unde & apud Plautum Theſprio ab Epidico rogatus, quomodo herilis filius valeret, *Pugilicè* reſpondit, atque *Athleticè. in Bacchid. Actu 2. ſc. 3. v. 14.* Iſidorus quoque propterea *Pugilatum* vocat *virtutem*, *Origin. l. 18. c. 18.* In Gymnicis namque certaminibus Virtutem reponit, perque eam intelligere ſe ait, *immenſitatem virium in labore & pondere*, &c. Sicut verò *Pugilatus* acceſſit Luctæ, ſecundùm *Voſſium*, *Mercuriali* contra illum huic præponente: ita ex Lucta & *Pugilatu* tertium quoddam componi cœpit Exercitationis genus, quod *Pancratium* dictum, de quo vide ſuprà. Cùm namque *Pugiles* ſolis contenderent pugnis, nec unquam complicarentur: Pancratiaſtæ utrôque utebantur, inſuperque in hoc à *Pugilibus* differebant, quòd illi pugnis ſtrictis, illi digitis ſolummodo inflexis, certarent. Certabat porrò *Pugilatu*, imò & Pancratiô, uterque ſexus; namque de Spartanis Virginibus Propertius id clare teſtatur, *l. 3. eleg. 13. v. 1. ſ.* Xenophon *de Rep. Lacedæm.* Utilitatem ejus in Gymnaſtica Militari inprimis, ac Athletica, pluribus perſequitur, qui & *Pugilum* icones, ex veter. monumentis gemmarumque antiquarum ſculpturis, exhibet, eorum inprimis, qui cæſtibus certabant, ſuprà laudatus Mercurialis, *de Arte Gymn. l. 2. c. 9. cui tit. de Pugilatu Pancratio & Caſtibus.* Idem Luctatores quidem & Pancratiaſtas, non verò *Pugiles*, ungi conſueviſſe; uti nec Curſores, notat, *l. 1. c. 8.* Faber tamen *Pugiles* quoque ait inunctas geſtâſſe veſtes, ſed non niſi ad ſubligaculum aut campeſtre hanc vocem refert, *Agoniſtici, l. 2. c. 2.* Vide Raderum *ad* Curtium, *l. 1. c. 7.* ubi de Dioxippo nudo cum Horrata armato certante. Neque verò ſemper veris armis, h. e. cæſtibus, pugnabant *Pugiles*, quod nunquam ſine ſanguine fiebat; ſed aliis quibuſdam mollioribus & innoxios ictus inferentibus. Unde in Gallieni decennalibus, legimus inter alia, apud Treb. Pollionem, *c. 8.* exhibita *Carpenta cum mimis & omni genere Hiſtrionum:* Pugiles *ſacculis, non veritate, pugilantes.* Ita enim legit Caſaubonus, qui Pugiles, quoties incruentô pugillatu volebant dimicare, manus muniiſſe ſacculis vel tomentô fartis, vel aliâ re plenis, quæ gravem ictum non redderet, contendit. Sed cùm ſacculi ſint, quibus exercebantur Athletæ, hîc verò ſermo ſit, non de Pugilibus exercentibus, ſed pugillantibus, qui tamen veris armis non uterentur, *flacculis*, ut habent meliores libri, omnino legi vult Salmaſ. Quemadmodum enim gladiatores, qui per luſum depugnabant, lucentium mucronum locô, aut ferulis battuebant, ſic Pugilibus, ludicri gratiâ pugillantibus, luſoria quædam arma videntur præſtò fuiſſe, quæ ad cæſtus ἀνάλογα eſſent, & eôdem modô manibus aptarentur & circumligarentur, ut cæſtus. Et quidem ἐπισφαιρίοις ad hanc rem uſi deprehenduntur, quæ manibus eorum & pugnis innexa hoc præſtabant, ut molliùs plaga caderet, & citra ſanguinem conflictus explicaretur. *Pugillos* Latini vocabant, ut videre eſt hîc infrà; Pollio *flacculas* appellat, quòd in morem pilæ laxæ & flaccidæ eſſent &c. Vide Salmaſ. *ad loc.* Ut de præmiis aliquid adjiciam, *Pugilatum* & Luctam, majoribus præmiis donari ait, apud Euripidem, Hercules, *Alceſt. Actu 5.* ubi eos, qui in levioribus vincebant, equos abduxiſſe; at qui graviorum certaminum victores erant, nempe Pugilatus aut Luctæ, boves accepiſſe, ac mulieres, ait. Sequentibus temporibus palmá quoque *Pugiles* coronatos, habet Tertullianus, *adverſ. Gnoſticos.* Qua de re vide plura apud Car. Paſchalium, *Coronar. l. 6. c. 20.* & 23. ubi etiam de triplici ictu adverſario infligendo, de quo aliquid quoque ſuprà diximus in voce *Cadere:* uti de damnatis εἰς τὸ πυγμῇ μονομαχεῖν infrà, voce *Pygmachi.*

PUGILLA, vide infrà *Pugilli.*

PUGILLARES Tabulæ, quas jam ante Trojana tempora in uſu fuiſſe, apud Homerum invenimus, ut ait Plin. *l. 13. c. 11.* primùm, ut Alexander docet Wilthemius, *in Comment. ad diptychon* Leodienſe, nec majores, quàm quas *pugillô* contineres, duabus paginis, aut ternis, aut quinis, conſtabant; unde *duplices, triplices, quintuplices* appellatæ: Græcè Δίπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα. *Polyptycha* verò fuiſſe, diſputat Cujacius, *Obſervat. l. 4. c. 36.* Vide in hac voce. Materies frequenter è buxo; unde πυξὸν: è citro, Martialis, *l. 14. Epigr. 3.*

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis opus:

ex ebore, Idem *ibid. Epigr. 5.*

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingit ebur:

è membranis. *Ibid. Epigr. 7.*

Eſſe putas ceras, licèt hæc membrana vocetur,
Delebis, quoties ſcripta notare velis:

ex acere item aliiſque; ut plurimum autem è ligno, unde *Tabellæ* dictæ. Quibus omnibus ceram coloratam ſuperinducebant. Ovid. *l. 1. Amor. Eleg. 12. v. 7.*

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis;
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Mella ſub infami Corſica miſit apis.

At, tanquam minio, penitùs medicata rubebas,
Ille color verè ſanguinolentus erat.

Unde *cerei pugillares:* de quibus ænigma Althelmi apud Delrium *in Octaſtiche, ænigm. 1.*

Melligeris apibus mea prima proceſſit origo,
Sed pars exterior creſcebat cætera ſylvis,
Calceamenta mihi præbebant tergora dura.
Nunc ferri ſtimulus faciem proſcindit amœnam
Flexibus, & ſulcis obliquat ad inſtar aratri.

Nempe calami vicem in his geſſit graphium ſive ſtylus, tum è ferro, tum ex ære, de quo *ſuô locô:* unde iis & nomen, quòd *pungendo* in illis ſcriberetur. Forma fuit oblonga, & quadrata; eminenti quôdam margine circumcirca concluſa, ut Romæ ſe vidiſſe in vetere arca ſepulchrali, in hortis Cyriaci Matthæi, refert Laurentius Pignorius Vir clar. in ſuo *de Servis Commentario*, vide quoque ſuprà. Non ſolebant autem magni momenti ſcripta iis mandari, ſed res, quæ haberent uſum familiarem, & penè quotidianum: cujuſmodi erant Epiſtolia, Magiſtratuum annuntiationes & id genus alia. Iiſdem verò, & qui Oraculum conſulebant, quæſita ſolebant inſcribere. Scholiaſtes Ariſtophanis, *ad illud.*

Τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων.

Ἐστεφανηφόρει, inquit, ἡ Πυθία. οἱ τρίποδες δάφνῃ ἦσαν ἐστεμμένοι. οἱ μαντευόμενοι ἐν πυξίῳ ἔγραφον τὰς πεύσεις κτλ. Et hæc fermè fuit priſcorum *Pugillarium* ſeu Diptychorum ratio. Poſteà acceſſit eorum magnitudini; ut nonnulla pugillum multò excederent: Uſus etiam in Rep. Chriſtiana augmentum accepit. Fuit enim celeberrimum id Diptychorum genus, quô nomina Epiſcoporum, qui recte munus ſuum adminiſtrâſſent, continebantur, è quibus, ſi quando contingeret in ea referri Epiſcopos minimè id meritos, nomina iterum eradebantur: quibus de rebus acerrimas olim contentiones viguiſſe, ex *Hiſtor. Eccl.* notum eſt. Inſcribebantur porrò Diptychis nomina Imperatorum, eorumque, qui locis Deo dedicatis dona tuliſſent, tum virorum, tum mulierum: ac tandem Synodorum vocabula, quæ omnia cum Epiſcoporum nominibus ſub ſacrum recitabantur. Vide Wilthemium, *locô præfatô.* Nec omittenda theca, *Pugillaribus* aſſervandis apta, cujus iconem ab Andrea à Tornaco feliciter expreſſam, habes apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis, edit. Amſtelodam, A. C.* 1674. Antiquam ſcribendi in iis rationem ad amuſſim explicat Prudentius, *in hymno* 12. *de Caſſiano, Mart. v. 47.*

Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt, reliſâ fronte lignum diſſilit:
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis;
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Vide omnino Pignorium, *locô cit.* ubi de Notariis, quorum erant thecæ, quibus includebantur ſtyli & *Pugillaria.* Amm. Marcellin. *l. 28. Maximè, cùm hæc eadem numerantes, Notarii prope* 30. *adſiſtant cum thecis, &* Pugillaribus *tabulis.* Apud eundem Pignorium, cryſtallina quoque onychina, ſed extra ordinem, *Pugillaria* fuiſſe reperies. Adde Pignorio Gellium, *l. 17. c. 9. cum Notis Jac. Oiſelii JC.* & quæ infrà, voce *Vitelliani.* At *Pugillares*; quæ in Eccleſia Romana inter miniſteria ſacra, Pontifici ad ſtationem procedenti præferri ſolita, recenſentur, Panvinio fiſtulæ ſunt aureæ vel argenteæ, quibus in Euchariſtia olim Calix libabatur, quarumque uſum Pontifex Roman. etiamnum ſervat. Græci Πινακίδια etiam vocant, Latini aliter *ſiphones.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Macros fratres in *Hierolex.* & in voce *Calix.*

PUGILLI, in *Gloſſis* ἐπίσφυρα, pro ἐπίσφαιρα, more ſcribendi illis temporibus uſitatô. Eædem, *Pugilla*, ἐπισφαίρια. Item, *Pugil*, πύκτης, ἐπισφαίριον. Cæſtibus opponuntur. Cæſtus enim ex crudo corio erant, plumbôque & ferrô inſutô rigebant: at *Pugilli*, ut videtur, ſine plumbo & ferro, ex molli corio facti & in modum pilæ circa manus & pugnos alligati. Σφαίρας hinc vocat *Pollux*, Εἴποις δ' ἂν ἐπὶ τοῦ πύκτου χεῖρες ὡπλισμέναι· χεῖρες ὁπλίτιδες, καὶ τὰ ὅπλα σφαῖραι, ἀφ' ὧν καὶ τὸ σφαιρομαχεῖν καὶ σφαιρομαχία παρὰ Ἀριστομένει ἐν Διονύσῳ ἀσκητῇ. Sic *pilas* illas, quæ gladiis præfixæ ſunt, quibus in armorum exercitio juventus depugnat, ſimiliter σφαίρας Græci vocant & ἐπισφαίρια: ad quarum etiam pilarum ſimilitudinem videntur hæc fuiſſe ἐπισφαίρια, ſeu *pugilla*, quæ Pugilum exercentium nec in veritate pugnantium manibus circumligabantur, & multum diſtabant ab illis ſacculis arenâ plenis aut follibus, quibus itidem exercebantur, quoſque cùm *pugillis* iſtis nonnulli confundunt. Hæc enim ἐπισφαίρια manibus alligata gerebant: at ſacculos illos folleſve mittebant & remittebant manibuſque inter ſe expellebant. Quia verò pilæ iſtæ, vel pugilli, qui circumponebantur brachiis pugillantium, ut mollem & innoxiam plagam infligerent, in morem pilæ laxi & flaccidi erant, hinc *flacculas* eas vocavit *Pollio in Gallienis, c. 8.* Vide *ſuprà.*

PUGIO, vide ſuprà *Miſericordia*, & quæ hîc ſeqq.

à PUGIONE, nomen officii apud Romanos. Nec enim ſolùm Armiger, in Aula Conſtantinopolitana, qualis deſcribitur à Corippo Narſes, *l. 4.* vel Scutarius, in eadem, apud Curopalatem, & hinc demum in Turcia, apud Menavium, *l. 3. c. 10.* puer ephebus, qui Sultano gerit arcum & ſagittas: ſed & apud Lampridium, Commodô imperante, *c. 6.* tres Præfectos Prætorio fuiſſe deprehendimus, in quos libertinus, qui à *Pugione* appellatus eſt, quòd *pugionem* Imperatoris ſuæ curæ commiſſum haberet. Apud Veteres autem, ut ſummi Magiſtratus geſtamen gladius, ſic Pugio minoris fuit: quem ſic deſcribit Martialis, *l. 14. Epigr. 33.* cui titul. *Pugio*,

Pugio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pugio, quem curvis ſignat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſin. l. 10. c. 10.* Imò Imperatoriæ poteſtatis ac Majeſtatis inſigne *Pugio* fuit, quem Galba ante pectus ſuum demiſſum geſtâſſe legitur. Nam, ut occiſum Neronem, & omnes in ſua verba juràſſe comperit, depoſitâ *Legati*, ſuſcepit *Cæſaris* appellationem, iterque ingreſſus eſt paludatus ac dependente à cervicibus *pugione* ante pectus; nec priùs uſum togæ recuperavit, quàm oppreſſis, qui novas res moliebantur. Hunc itaque *pugionem* Imperatores Præfecto prætorio committebant, qui eum gerebat, vice Imperatoris, unde nota Trajani vox. Philoſtratus quoque de Baſſo Præfecto Prætor. Marci, τὸ ξίφος πεπιστευμένος. Atque hinc Commodus, cùm tres Prætorio Præfectos creâſſet, & in his Libertinum quendam, hunc, cui ſoli *pugionem* concredidit, reliquis duobus prætuliſſe (adeò non illis ſubjeciſſe, ut quidam volunt) cenſendus eſt, utpote verô poteſtatis inſigni ſolum ornatum &c. Vide Salmaſ. *ad Commodum Lamprid. loc. cit.*

PUGNA, à PUGNO, propriè de Pugilibus, poſteà ad alios ſignificatus tranſlatâ voce, exercitationem, in qua duo ut plurimum inter ſe dimicabant, in ludis, Amphitheatris, atque aliis publicis certaminibus ſpectaculiſque, ut victoriæ obtinerent coronas populumque oblectarent, denotare cœpit. Hos apud Euſebium, *Hiſtor. Eccl. l. 8. c. 18.* μαχητάς reperimus appellatos, quos quidam, ſed minus rectè, *Pugiles* ibi interpretati ſunt. Duplex verò & ad ſanitatem optimumque corporis habitum comparandum (nam & hâc fini *Pugnæ* inſtitutæ) inprimis *Pugnæ* genus in Medicina Gymnaſtica celebre fuiſſe, apud *Oribaſium* legimus: Alterum cum telis quam antiqui *Monomachiam*, Cælius Aurelianus *Hoplomachiam* vocavit: Alteram ſine telis, *Sciamachiam* dictam, cùm homo adverſùs umbram & brachiis & cruribus pugnabat; vel etiam cùm adverſùs columnam & palum aut murum, decertabat: Quo reſpiciens Apoſtolus 1 Corinth. *c. 9. v. 26.* Οὕτω πυκτεύω, ait, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, id eſt, *Ita pugnis certo, quaſi non aërem cedens.* De quibus accuratè agit Hier. Mercurialis *in de Arte Gymn. l. 3. c. 4.* & *l. 6. c. 2.* Vide & hic paſſim *ſuis locis.* Tandem ad militiam, cujus *Pugna* hæ velut præludia ac progymnaſmata fuêre, ſe ſignificatio nominis extendit, qua de vide ſupra in voce *Prælium.* À *Pugna* ſeu monomachia Gladiatorum, *Pugnatoria* tela dicta ſunt, quæ alias & *decretoria*, quibus de vita decertabatur, luſoriis ſeu exercitoriis telis oppoſita: quorum his qui utebantur, *ventilare*; qui iſtis, *pugnare*, propriè dicebantur, ut videre eſt apud Senecam, *l. 3. Controv.* imò & *verſis armis pugnare*, apud Lipſium, *Saturnal. l. 2. c. 19.* & ſuprà in voce *Gladiatura.*

PUGNANDI mos vetus, indigitatur Statio, *Thebaid. l. 8. v. 572.*

Arma refert ſociis & in agmina fida, peractâ
Cæde, redit ———

Nempe Heroës ante agmina ſua procurrentes olim pugnabant, & partis ſpoliis aut cæde peractâ redibant ad turmas ſuas, uti ex Homero videre eſt. Quem morem ante aliquot ſecula, in pugna illa celeberrima Bovinenſi, (quâ ſtabilivit ſibi poſteriſque Regnum Franciæ Philippus Auguſtus) Reginaldum Boloniæ Comitem fuiſſe imitatum, ſcribit Rigordus, qui pugnæ illi interfuit. Hinc de eodem Guil. *Britto l. 11. v. 252.*

Bolonideſque ſibi ſimili proſpexerat arte,
Inque chori ſpeciem pedites triplicaverat ipſos,
Ut, quoties vellet, per eos invaderet hoſtem,
Seque receptaret, quoties opus eſſet, in illos &c.

Porrô primum intorquebant hoſti jaculum Veteres, deinde enſe invadebant, Strabo, *l. 10.* ubi de Eubœenſibus. Et de Latinis Virg. *Æn. l. 10. v. 474.*

At Pallas magnis emittit viribus haſtam,
Vaginaque cava fulgentem diripit enſem.

Vide eundem de pugna Æneæ ac Turni, *l. 12.* Statum verò *pugnantium*, indicat idem *l. 10. cit. v. 587.*

——— ——— *projectô dum pede lævô*
Aptat ſe pugnæ &c.

Quam in rem, Vide Papin. Statium, *Thebaid. l. 9. v. 473.*

PUGNANS inter Jovis apud Romanos cognomina, de cujus Templo, Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 2. c. 5.*

PUGNUS, manus eſt clauſis digitis contracta, cujus uſus in Pugilatu olim inſignis, ut vidimus. In lotione item manuum apud Phariſæos, vide ſuprà ubi de iis.

PULANI, fortium heroum, qui terram Sanctam Saracenis eripuerunt, degeneres erant filii: qui molles ac imbelles cum Saracenis treuguas iniêrunt. Martinus Sanutus *in de Secretis fidelium crucis, l. 3. c. 2.* Vide & *Pullani.*

PULATÆ, populi Albaniæ intra montes, ut Epiſcop. Pulatenſis, ritus Latini. Sub Turcis. Vide *Po'ata.*

PULCHER Perpenna, Vide *Marcus.*

PULCHERIA, beata & pia Imperatrix, filia Arcadii, ſoror Theodoſii Jun. An. ætat. 16. à fratre Theodoſio, Auguſta pronuntiata, cum ipſo imperavit. Fratrem egregiè educatum, ut ſupra ſexum prudens erat, dein cum Athenaide, Leontii filia, quæ in baptiſmo Eudoxiæ nomen aſſumpſerat, junxit. Quem cum indiſcriminatim, omnibus libellis ſupplicibus ſubſcribere videret, libellô ipſi oblatô, quô Eudoxiam ſibi ſervam tradi petebat, corrigere voluit. Quod ægrê ferens Imper. ſororem Diaconiſſam voluit efficere, ſed illa in prædium ſuum ſeceſſit. Ubi 3. vel 4. annis exactis, rediit in aulam, monitura fratrem, ut à Chryſaphio, qui bonitate Imperatoris abuſus, illum in Eutychis partes pertrahere anniſus eſt, caveret: Eôque mortuô, Martiano nupſit: Utriuſque curâ Conciliô Chalcedonenſi celebratô. Obdormivit in Chriſto, Ann. Domini 453. ætat 54. omnia ſua pauperibus reliquit bona: multa autem conſtruxit oratoria, domoſque pauperibus, nec non ſepulchra peregrinis ædificavit, intra quæ ſancti Laurentii martyris templum conſtruxit, Niceph. *hiſtor. Eccleſ.* Venit à Latino *pulcher*, quod à Græco πολύχειρ, teſte Jul. Scaligerô, *de cauſis L. L. l. 1. c. 22.* Inde forſan Anglicanum *Handſome.* Vide Concil. Chalced. Acta Leon. *epiſt.* Theodoret. Baron. *in Annal. Eccl. Nic. Loydius.*

PULCHERIOPOLIS, Civitas Epiri novi, in *notitia Hieroclis.* A Pulcheria Aug. *Porphyrogennetâ* teſte.

PULCHRA Sylva, hodie *Mortaria*, oppid. permunitum Ducatus Mediolanenſ. in agro Laumellino, ad Alboneam amnem. Capta à Gallis A. C. 1658. ſed reddita.

PULCHRUM, promontorium in Africa, Livio. *Calon Acroterion* Polybius vocat. Carthagini adjacet adverſus Aquilonem.

PULEGIUM, inter hortenſia, pluribus deſcribitur Plinio, *l. 19. c. 8.* quod in coronas quoque adhibitum, docet idem, *l. ſeq. c. 14.* *Dignior è* pulegio *corona vertigini, quàm è roſis, cubiculis noſtris pronuntiata eſt. Nam & capitis dolores creditur impoſita levare.* Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æſtuſque injuriam & ab ſiti, tradit Plut. *Sympoſiac. l. 3.* Sed & coronâ *pulegii* ſeu calamintæ, colla vaſis redimiri, ne inde vinum effluat, diſcimus ex Conſtantino Cæſ. *l. 6. c. 14.* Vide Car. Paſchalium, *Coronarum l. 1. c. 4.* Meminit coronæ ex *pulegio* Martialis, *l. 12. Epigr. 32.* ubi Vacerram, divitias ſimulantem, mendicabulum omnibus ridendum oſtendens, inter alia, ait, v. 18.

Nec quadra deerat caſei Tholoſatis,
Quadrima nigri nec corona pulei &c.

PULEJATUM, apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo, c. 19. Et maſticatum &* pulejatum *& omnia hæc, quæ nunc luxuria retinet, primus invenit:* poculi genus eſt *Caſaubono.* Sequitur enim, *Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur.* Sed cùm *pocula* appellamus & vaſa ipſa, unde bibimus: & liquorem, quem inde bibimus: utrô modô hîc vocem eam accipere oporteat, ambigit. Proxima verba, in quibus de eſcariis vaſis agitur, ſuadent interpretari de veris poculis: ut intelligamus nova genera poculorum ab Heliogabalo fuiſſe excogitata, quæ etiam odore oblectarent, aut ad libidinem fortè ſtimularent. Verùm placet magis de potionibus diuerſis è vino variè condito poculorum genera hæc accipere: ſicut in *Geta* dixit Spartian. c. 4. eum vini variè conditi cupidum fuiſſe, Vide Caſaubon. *ad loc.* qui etiam *Pulveratum*, in Regio & Puteani, pro *Pulejatum*, extare, addit.

PULEX, Arabibus *pater ſaltus*, nec enim ſolùm anteriùs, ſed & retrorſum mirum in modum ſalit, ut venatorem fugiat. Hinc in *Nebulis* Ariſtophanes, ut Socratem doceat de rebus nihili philoſophari, fingit illum *pulicis* ſaltum dimetiri & ſaltu ſuô proprios pedes quot tranſiliat. Verba ſunt *Actûs 1. Sc. 2.* & Latinè ſic habent:

DISC. *Nuper interrogavit Chærephontem Socrates,*
Quot ſuos ipſius pedes ſaltet pulex?
Demorſô enim Chærephontis ſupercilio,
In Socratis caput inſilierat.
STR. *Quomodo igitur id metitus eſt.* DISC. *Dexterrimè.*
Ceram enim liquefecit, & captô pulice,
Pedes ejus in ceram immerſit:
Quibus ſolutis ſpatium dimenſus eſt.

Et *Actu 3. Sc. 1.*

ΦΕΙ. Τίς φησι ταῦτα; ΣΤΡ. Σωκράτης, ὁ Μήλιος,
Καὶ Χαιρεφῶν, ὃς οἶδε τὰ ψυλλῶν ἴχνη.
PHI. *Quis hæc dicit?* STR. *Socrates Melius,*
Et Chærephon, qui novit pulicum *veſtigia.*

Nempe de Socrate fuiſſe diſſeminatum tale aliquid, etiam ex Xenophontis *Sympoſio* colligere eſt, ubi Socrati dicit quidam Syracuſanus, Εἰπέ μοι πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει· ταῦτα γάρ σέ φασι γεωμετρεῖν, *Dic mihi, quot pedes à me diſtet* pulex: *ajunt enim te hæc dimetiri.* Utut autem vile animalculum *pulex* ſit, unde David, cum Rege Saule diſceptans, humilitatis cauſâ *pulicem* ſe vocat, 1. Sam. *c. 24. v. 15.* & apud Dionem Claudius, ut doceret, ſe tenuiorum hominum inſidias ſuſque deque habere, Οὐ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνεσθαι, *Non oportet*, inquit, *eôdem modô adverſùs pulicem, quo adverſùs feram, ſe tueri;* Tzetzis quoque *Hiſtoriarum Chiliade 9. Hiſt. 72.* Xerxis imbelles copiæ vocantur, ψυλλῶν νέφος, *publicum nubes;* & ridetur in Fabulis qui à pulice morſus Herculem invocavit: Inde tamen etiam illuſtri viro nomen fuiſſe legimus, Hebr. פרעש, *Paros* vel *Pharos*, qui ſæpe nominatur in libris Eſræ & Nehemiæ. Sed & in Menandri *Meſſenia* Ψύλλος eſt viri nomen, de quo Suidas. Et *Pſylla* urbs ac *Pſylli* populi indidem nomen habuêre, Vidê *ſuprà* & plura hanc in rem, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l. 4. c. 19.* nec non Auctorem Anon. *Sina & Europ. c. 38.*

PULFIO, prænomine *Titus*, centurio, qui jam primo ordini appropinquavit, cum *L. Vareno* perpetuas controverſias habens, & uter alteri anteferretur, omnibus annis de loco ſummis ſimultatibus contendens. Hic in confertiſſimos hoſtes irrumpens ſequi adverſarium jubet, & probandæ virtutis occaſionem arripere. Verùm ab hoſtibus circumventus ab eodem ereptus periculô eſt; iterumque, *L. Vareno* cupidius inſtanti hoſtibus & in locum inferiorem dejecto tulit ſubſidium, de quibus vide *Cæſaris Commentar. c. 43.* Cæterùm *T. Pulfio* poſteà Bellô *Civili* defecit ad Pompejum & exercitum, cui præerat C. Antonius, prodidit *l. 3. de Bell. Civil. c. 67.* Vetuſtiſſimus Codex *Urſini* habet *T. Pullo.* Ciacconio laudatur *T. Pulcio.*

PULI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PULIPULA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolemæo.* Quid nunc ſit, non conſtat.

PULLA Veſtis, Romanis, cùm lugebant, in uſu fuit. Unde *Togæ pullæ* meminit Cicero *in Piſon. Pullatorum Procerum*, Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 213. Tacitus, *l.* 3. *Annal. c.* 2. in funere Germanici *atratam plebem* inducit Propertius, *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 27.

Denique quis noſtro curvum te funere vidit?
Atram quis lachrymis incaluiſſe togam?

Etiam Artemidorus, *l.* 2. *c.* 3. homini ægrotanti, ait, alba veſtimenta in ſomnis viſa, mortem portendere: quod mortui in albis efferrentur. Nigrum autem pallium ſalutem ſignificare; quòd non mortui, ſed qui lugerent mortuos, tali veſte uterentur. De Mulieribus ambigitur, cùm alii Scriptores eas, depoſitâ purpurâ & aurô, in veſte lugubri fuiſſe dicant: *Halicarnaſſeus*, & eum ſequutus *Suidas* veſtem nigram adſcribat, & magna pars Veterum. Varro apud Nonium *de vita Pop. Rom.* Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. Appianus, *Civil. l.* 3. Atqui Herodianus, Statius & Plutarchus albam veſtem à fœminis in luctu uſurpatam tradunt: Lucanus quoque, *l.* 2. de Martia, à funere Hortenſii, Catonem, priorem Maritum, repetente, ait; *v.* 367.

Obſita funereâ colatur purpura lanâ:

Id eſt, *pullâ.* Quos Lipſius ſic conciliat, ut dicat, nigras veſtes luctus proprias fuiſſe, ſtante Rep. albas Imperatoribus. Interim & fuſcæ veſtis, in luctu matronali, meminit Appulejus, & Dio, *l.* 56. Tiberium, filiumque ejus Druſum, in funere Auguſti, φαιὰν τὸν ἀγοραῖον τρόπον πεποιημένην, *pullam togam, vulgari more paratam*, geſtâſſe tradit. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l.* 1. *c.* 23. Porrò, quandiu in uſu Togæ fuerunt; ingenui non niſi albati, extra luctus tempus, incedebant: Pænularum verò, lacernarum item, imò & tunicarum Romanæ plebis color ac viliſſimi cujuſque, *pullus*, ſive ſubniger ac fuſcus erat. Unde *pullata multitudo*, *pullatus circulus*, apud Scriptores, pro plebe infima ac fæce vulgi: Qui color partim lanæ nativus, ut Canuſinæ; cui *pulliginem* ſuam adſcribit Plinius: partim ex albo, veſtium uſu, ac ſordibus in *pullum* degenerans. Idem color tribonii fuit, ſeu Pallii Philoſophici, ut Philoſtratus, *l.* 2. *c.* 9. docet, cùm ait, Apollonium, viſâ apud Indos byſſô, lætatum fuiſſe, quòd ἔοικε φαιῷ τρίβωνι: Baſilius ſimiliter, Τρίβωνες, inquit, περιβλήματά τινα. Τῶν μὲν Ῥητόρων ἐρυθροὶ καὶ φοινικοί, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων, *Tribones Pallia quædam, Rhetorum purpurea, Philoſophorum pulla* ſeu *fuſca.* Vide iterum Oct. Ferrarium, *Part.* 2. *l.* 4. *c.* 17. Nec omittendum, cùm Romani lugentes *Pullam* induerent, dictos eſſe, *mutare veſtem*, quod in Proverb. abiit, pro *Lugubria ſumere.* Cicer. *Orat. pro Sext. Suum dolorem veſte mutatâ ſignificabant Romani.* Vide Sigonium, *de Judic. l.* 3. *c.* 19. Verùm, in epulo, etiam lugentes albati accumbebant. Vide Hier. Boſſium, *de Toga Rom. c.* 15. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *Sect.* 2. *c.* 7. uti de Judicibus Nemeorum qui *pullatâ veſte* Ludis præſidebant, ſuprà voce *Nemea:* & de Andronico, cùm Imperator creatus eſſet, *pullum* pileum mitrâ rubrâ permutante, ubi de *Pileo;* aliquid etiam infrà voce *Pullati.* Alia à *pulla* veſte ſordida fuit, quæ & ipſa à lugentibus uſurpata, vide infrà *Sordida veſtis.*

PULLANI, dicti ſunt apud Francos, in Regno Hieroſolymitano, *qui de patre Francigena & matre Syriana, vel de patre Syriano & matre Francigena generati erant;* uti habet Sugerius *in Vita Ludovici VII. Reg. Franc. c.* 24. An iidem cum *Polinis*, de qua voce ſuprà. Hos, Saracenorum viciniâ infectos, non multum ab iis fide moribuſque diſcrepâſſe, atque inter Chriſtianos & Saracenos velut *neutros* fuiſſe, docet Wilh. Neubrigenſis, *l.* 3. *c.* 15. Unde non ſemel in illos inſurgunt, Jac. de Vitriaco in *Hiſtor. Orient. c.* 67. 72. & Sanutus, *l.* 3. *part.* 8. *c.* 2. Vide quæ de iis, & vocis etymo, obſervat Car. du Freſne *in Notis ad Joinvillam p.* 84. Illis opponi conſuêſſe *Filios Arnaldi*, diximus ſuprà ex *Macro.*

PULLARIÆ, vulgò *Li Brioni*, inſulæ aliquot parvæ Hiſtriæ in ſinu Flanatico adjacentes, Pollæ urbi vicinæ.

PULLARII, à PULLIS dicti, teſte Cicerone *de divin. l.* 2. *Attulit in cavea pullos, qui ex eo nominatur Pullarius.* Hic caveæ pullorum curam agebat, è quorum paſtu auguria captarent Augures: quæ, quoties offa, quæ pullis dabatur, aliquô modô cadebat in ſolum, *Tripudia ſoliſtima* dicebantur. Ita Feſtus, *Puls potiſſimùm dabatur pullis in auſpiciis, quia ex ea neceſſe erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id eſt, terrapavium.* Captabantur autem ex pullis Auguria hôc modô: Quotieſcunque de inchoanda re quapiam exequendaque, Deorum per pullos ſenſa placitaque exploratum ibant (oportebat autem id fieri ſummô manè & primô diluculô) imperatô de more ſilentiô, pultem illis aut offam, caveâ reclusâ, objiciebant. Quòd ſi ad oblatam eſcam mox pulli è cavea non proſilirent, aut ſeriùs egreſſi vel non attingerent eam, vel alarum plauſu diſſiparent, vel relictâ eſcâ oberrarent, aut occinerent, aut prorſus non veſcerentur, vel avolarent penitus, omnen præ ſe ferebant magni terroris & ſolicitudinis, eventuſque triſtiſſimos, & *Pullarius* exitum animô præmetiens, ne quid molirentur, ſed vel deſiſterent ab incepto, vel differrent deliberationes, vel prorſus hoc mutarent, quod præ manibus erat, hortabatur. Sin pulli mox proruerent cum impetu certatimque in eſcam involarent, & avidè depaſcerentur, ita ut veſcentibus illis ex ore aliquid relaberetur & terram paviret, quod tripudium faceret ſoliſtimum, inde ſpe hauſtâ mirificâ *Pullarius*, ut conſtanter fortiterque cœpta urgerent, jubebat, ſucceſſuſque optatos ac proſpera à Diis ſpondebat omnia. Solebant autem in auſpiciis non paſſim omnes, ſed hi tantùm adhiberi, qui eſſent periti, i. e. qui, quid *Silentium* foret, intelligerent, Cicer. *locô cit.* Qui, ſi quæ Dii divulgata voluiſſent, vel diſſimulâſſent; vel veteratione ſuppreſſiſſent, idem contrahi nefas credebatur, ac ſi quæ occulta & tacita tenenda erant, palam feciſſent. Si verò fuiſſent mentiti, aut omine confictô, aut eô, quod oſtenſum eſſet, ſubdolè & fraudulenter depravatô & in contrarium detortô ſenſum, non illi qui conſulebat, quique de more præſens non erat, ut vidimus ſuprà voce *Extiſpices*, fraudi eſſe, ſed in Auctoris retorqueri caput, cenſebatur. Hinc apud Livium, *l.* 10. *c.* 40. *Pullarius* tripudium ſoliſtimum Conſuli Papirio falsò nuntians, paulò pòſt patefactâ fraude, ab altero *Pullario*, initiô pugnæ emiſſô temerè pilo ictus cecidiſſe legitur. Fuit id genus divinandi maximæ auctoritatis habitum, quum *Pullos* iſtiuſmodi caveæ incluſos veſci juberent, non quidem *Pullarii* ſeu pullorum cuſtodes, ſed Magiſtratus ipſi, ſive urbici ſive militares: auxitque ſuperſtitionem ùnus & alter ſucceſſus. Apud Siciliam enim, non paſcentibus in auſpicando pullis, ac per contemptum mari demerſis, *ut biberent, quando eſſe nollent;* prælium navale iniit Claudius Pulcher ac ſuperatus eſt, apud Sueton. *Tiber. c.* 2. Idem de P. Claudio, bello Punico primo, refert Val. Max. *l.* 1. *c.* 4. *ex.* 3. & L. Junio ejus collega Polyb. *l.* 1. quorum proin is populi judiciô concidit; damnationis hic ignominiam voluntariâ morte prævenit. Sic cùm Flaminius, *Pullario* reſpondenti, pullos paſci noluiſſe & proin rem differendam, regeſſiſſet: *Præclara eſſe auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri; ſaturis autem nihil geri poſſet;* ſignis convulſis, ad Thraſimenum pugnavit infeliciter & cum XV. Romanorum millibus ab Hannibale cæſus eſt. Sequebantur enim ſemper exercitus hi *Pullarii*, locumque prope ſigna in mediis caſtris habebant, intrantibus vallum ad manum lævam, quem *Augurale* fuiſſe dictum, obſervat J. Lipſius *ad Tacit. Annal. l.* 2. Maximè namque hôc augurii genere utebantur Romani, ut prælii eventum conjectarent. Unde de eodem Auſpicii genere Silius, *l.* 5. *v.* 59.

Tunc ales, priſcum Populis, de more, Latinis
Auſpicium, cùm bella parant, menteſque Deorum
Explorant ſuper eventu, ceu præſcia luctus
Damnavit veſci, planctuque alimenta refugit.

Sed & Urbici Magiſtratus auguriô hôc uſi. Unde Prudentius *in Romano Mart. v.* 146.

Cùm Conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
Pudet fateri, farre pullos paſcitis.

Utrumque Plinius conjunxit, *l.* 10. *c.* 21. *Ut planè digna aliti tantum honoris præbeat Romana purpura, horum ſunt tripudia ſoliſtima, hi Magiſtratus noſtros quotidie regunt, domoſque ipſis ſuas claudunt aut reſerant: hi faſces Romanos impellunt, aut retinent; jubent acies aut prohibent, victoriarum omnium totô orbe partarum auſpices, hi maximo terrarum imperio imperant.* Ritus & ſolemnia verba ſic refert Cicero ubi ſuprà: QU. FABI TE MIHI IN AUSPICIO ESSE VOLO. *Reſpondet*, AUDIN. *Ille autem, qui in auſpicium adhibetur, cùm ita imperavit is, qui auſpicatur*, DICITO SILENTIUM ESSE VIDEBITUR. *Nec ſuſpicit, nec circumſpicit: ſtatim reſpondet*, SILENTIUM ESSE VIDERI. *Tum ille*, DICITO, SI PASCUNTUR? PASCUNTUR. *Quæ aves? & ubi? Attulit, inquit, in cavea* PULLOS *is, qui ex eô nominatur* PULLARIUS. *Sed quia, cùm paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere & terram pavire*, TERRIPAVIUM *primo, mox* TERRIPUDIUM *dictum eſt, hoc quidem jam* TRIPUDIUM *dicitur. Cùm itaque offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti* TRIPUDIUM SOLISTIMUM *nuntiant.* E *pullis* verò gallis captata auguria, quòd omnium animalium ii eſſent pugnaciſſimi; de quibus vide aliquid ſuprà in voce *Gallus:* & plura hanc in rem, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Roman. l.* 3. *c.* 10. *cum Paralipom.* Thom. Dempſteri; quorum is caveæ & *Pullorum* icona ex veter. monumentis exhibet *ibid.* Origo huic divinandi generi à Lyciis arceſſitur Al. ab Alexandro, qui quoties eventum rei alicujus præſcire ſatagebant, acceſſiſſe ad fontem Apollini dicatum, & eſcâ piſcibus objectâ, exinde futura augurati fuiſſe, leguntur. Vide eum *Gen. Dierum*, *l.* 1. *c.* 29. cui adde, ſi placet, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 7. qui *Pullarios* non tam cuſtodes pullorum, quàm Augurum genus, facit: & quæ hîc dicimus paſſim, de *Auguribus*, voce *Soliſtimum* alibique. At *Pullarius*, in veter. *Inſcr.* 647. 2. ——— *Cariſſimo negotianti Pullario Patri B. M. T.* officium eſt in Coquina Regia, cui *pullorum* ſeu altilium cura commiſſa, Gall. *le Poulailler*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Propriè autem Gallis *pulli* gallinæ cujuſlibet ætatis, uti de Afris ſuis ſcribit Auguſtin. *in Judices, c.* 25. Sed & *Pullorum cantus;* apud varios Scriptores medii ævi, pro *gallicinio*, occurrit, de quo vide quæ annotavit Car. du Freſne *ad Alexiadem, p.* 271. & nos ſuprà.

PULLATI, memorati Suetonio, *in Aug. c.* 44. *Sanxit, ne quis Pullatorum mediâ caveâ ſederet;* plebeji fuêre & inferioris ordinis cives. Cùm enim ſtante Rep. *pullâ* veſte non niſi in luctu uterentur Romani, ſub Imperatorum Togæ antiquato uſu, exolevit etiam ſimul coloris albi uſus, & tum omnis plebejæ veſtes pullæ fuerunt. Hinc *Pulla paupertas* Calpurnio.

O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet,
Pullaque paupertas & aduncô fibula morſu.

Indeque diſcrimen natum inter cives, ignotum ſeculo priori, ut alii *Candidati* dicerentur, non ſenſu priſcô, ſed honeſtioris ordinis cives: alii *Pullati*, infima plebs ſive vulgus; utrique à colore veſtium, quô uterentur. Quorum illos Seneca *de beata vit. c.* 2. *Pexatos*, iſtos *Coloratos* vocat, obſervante Lipſiô. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. & ſuprà paſſim, uti de *pullo colore* Caſaubonum, *ad Aug. Suetonii c.* 41.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PULLICENI, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 41. *Nam aviaria inſtituerat ——— hiſque vehementer oblectabatur..... & ne eorum paſtus gravaret annonam, ſervos habuit vectigales, qui eos ex ovis &* pullicenis *ac pipionibus alerent*: pulli ſunt faſianorum, pavonum, perdicum, anatum & gallinarum. Unde Gallorum *Poucins*, de pullis gallinaceis. *Pulli, pullici* & *pulliceni. Pullitras* dixit Varro, in genere gallinaceo, & *pullitras* opponit vetulis gallinis, *de R. R. l.* 3. *Et ea, quæ ſubjicias vetulæ potiùs, quàm pullitris.* Sed & *pullitros*, dixerunt pullos equinos, qui recentioribus *poledri*. Ita certè ſcriptum in *LL.* Salicis. *Pulletrus anniculus*, in *LL.* Wiſigothorum: unde Galli iterum *pullitras* vel *pultras*, equulas vocant. Uti verò gallinaceos & pavoninos pullos, *pullicenos*; ſic palumbinos, *pipiones* vocat Lamprid. ib. Vide Salmaſ. *Not. ad eum* & paulo ſuprà, uti de aſtro, Gallis *Pullicenaria* dicto ſuprà, voce *Gallina.*

PULLIENUS, in *veter. Inſcr. M. Pullieni Priſci*, apud Eund. *ad Spartian. in Hadriano, c.* 15.

PULLUS, puer effœminatus antiquis, quem *Catamitum* aliàs dixêre. Feſtus, *Antiqui puerum, quem quis amabat*, pullum *ejus dicebant.* Græcis eôdem ſenſu πῶλος, ut & de meretrice. *Heſych.* πῶλος, ἑταίρα. Πώλους γὰρ αὐτὰς ἔλεγον, οἷον ἀφροδίτης πώλους. ἢ τοὺς νέους καὶ τὰς νέας καὶ παρθένους. Aliter vocem uſurpat Lycophron *Caſſandr.* ubi *de Teucro*,

——— ὁ πατρὸς φονεὺς
Πῶλος, νόθον φίτυμα ———
——— *peremtor patrii*
Pulli, *nothum propagenim* ———

Hîc enim Ajacem vocat πάτριον πῶλον, quia efflictim à patre amaretur &c. Vide Jo. Meurſium *Commentar. ad l.* & Caſaubon. *ad Calig. Suetonii, c.* 13. ubi inter fauſta nomina, quibus Caligula exceptus, *ſidus &* pullum *puppum & alumnum*, recenſet Auctor. Sed & πῶλος, *pullus*, Corinthiorum monetæ, vide ſuprà *Diana.*

PULLUS, ſeu, ut alii legunt, *Pullius*, alter Exquilini vertex montis: ſupra clivum *Pullum* habitavit Tarquinius Superbus, Solinus, *c.* 2.

PULLUS Robertus, vide *Robertus.*

PULMENTUM Unctiuſculum, Plauto, *Pſeud. Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 85. βάμμα eſt; quod *unctum* Perſio, *Sat.* 3. *v.* 102. *cœnare ſine uncto*, i. e. oleo. Plin. *l.* 19. *c.* 4. *Nec caules ut nunc maximè probabant, damnantes pulmentaria, quæ egerent aliô pulmentariô, id erat oleo parcere, nam gari deſideria etiam in exprobratione erant. Horti maximè placebant, quia non egerent igni parcerentque ligno, expedita res ſemper: unde & acetaria appellantur, facilia concoqui, nec oneratura ſenſum cibô & quæ minimè accenderent deſiderium panis.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 375. Hodie *pulmenti* vox frequens in *Regulis Monaſtic.* ubi pro quovis obſonio, quod pani additur, Græciſque προσφάγιον eſt, ſumitur &c. Sed & pro piſce vivarii vel ſtagni, in *Chartis* quibuſdam medii ævi, occurrere, monet Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vox à *puls* deſcendit, & idem notat quod *pulpamentum*, τὸ κρέας, προσφάγιον, ὄψον: cui à *pulpa* origo. *Pulpa* verò ex Græco πολφὸς venit, quod interpretantur μάγευμα ἐκ σιτὸς, *tractam* ſcil. *farina ſubacta & in maſſam coacta.* Vide Salmaſ. eundem *ad Tertullian. de Pallio, c.* 5.

PULOROSSA, Inſula quædam Oceani orientalis, ad inſulæ Bali orientem ſita, olim inculta & inhabitata: in quam Rex inſulæ Bali proſcripſit quoſdam, qui in ipſum conſpiraverant, ita eorum miſertus, cùm tamen eos mortis ſupplicio addixiſſet, à quibus hodie inſula illa ab eo tempore habitatur: Regi quidem Bali ſubditi, ſed tamen in inſulam Bali intrare non audentes. *Natal. Metel.*

PULPITUM, excitatum in Proſcenio, agentium & loquentium locus erat. In *Pulpitum* enim Actores prodibant, quod, ut *Vitruvius* docet, latius erat Latinis, quàm Græcis. Altitudo illius Romanis non plus pedum quinque; adeoque humilius Scenâ, ſed altius Proſceniô ac Orcheſtrâ fuit. Ibi geſticulatione, cantu & ſaltatione, Artifices perſonis in Scena abditis populum retinebant. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 4. Vide quoque Scaligerum, *de Poëtic. l.* 1. *c.* 21. Hinc Sueton. *in Caligula, c.* 54. *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu, & quondam tres Conſulares ſecundâ vigiliâ in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes ſuper* Pulpitum *collocavit.* In conviviis quoque, Lyriſcas, Choraules, Tibicines organarios, alioſque Artifices Domeſticarum oblectationum, ſedere in *Pulpitis* atque inde audiri conſueviſſe, docet Vitruvius laudatus, *Architect. l.* 5. *c.* 8. Vide iterum Roſinum, *l.* 5. *c.* 29. Apud Scriptores Eccleſiaſticos *Pulpitum* eſt ambo Eccleſiæ, interdum ipſum analogium ſeu lectrum portatile, Car. du Freſne *Gloſſar.* Fuit autem ambo ſeu *pulpitum* in mediis Chriſtianorum Templis, unde prædicationes ad populum habebantur, teſte Socrate, *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 5. & Georgiô Alex. *Vitâ* Chryſoſtomi, quod hodieque apud Græcos in uſu eſt. Ex eodem, Euangelium & Epiſtola, in celebratione Miſſæ legebantur, diptycha recitabantur; ibidem Cantores ſtabant, hymnos & Pſalmos decantaturi: denique quidquid publicè in Eccleſia edicebatur, ex eo loco fiebat. Poſt ambonem verò à Sacerdote recitabatur ὀπισθάμβωνος εὐχὴ, in *Liturgiis* & *Ritualibus* Græcorum adeò frequens, i. e. *oratio poſt ambonem*, propter eos qui in extremo Templo ſtarent. Factum id finitâ Liturgiâ, eratque hæc oratio ſigillum omnium petitionum, & ἀνακεφαλαίωσις ταχινὴ, πρέπουσα τοῖς πρώτοις καὶ τιμιωτέροις λόγοις, *ſumma ordine repetita, conveniens primis & pretioſioribus Epilogis*, ut loquitur Germanus Conſtantinopol. *Hiſt. Eccl. p.* 179. Analogii hujuſmodi argentei, in cujus ſummitate leonis caput aureum, meminit Anaſtaſius, *Leone IV.* Vide De la Cerda, *Adverſar. c.* 85. *ſect.* 9. & *c.* 135. *ſect.* 18. Cl. Suicerum, vocibus Ἄμβων, Ἀναλογεῖον, Δικλήγιον, alibi, & hîc paſſim. De *pulpitis* Circi Conſtantinopolitani vide *Chron.* Alexandrinum, *p.* 782.

PULS, farina cocta cum aqua & ſale, antiquus Romanorum victus fuit, domi ac militiæ uſurpatus. Plin. *l.* 18. *c.* 8. *Pulte, non pane, vixiſſe longô tempore Romanos, manifeſtum eſt.* Val. Max. *l.* 2. *c.* 5. *ex.* 5. *Erant* (Majores noſtri) *adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos* Pultis *uſus, quàm panis eſſet.* Ad quem veterem morem reſpiciens Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 171. inquit,

——— *Grandes fumabant* Pultibus *ollæ.*

Et Romani hinc *Pultiphagi barbari*, Plauto dicti, *Moſtell. Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 141. &c. Unde verba illa XII. Tab. de debitore, qui ſolvendo non eſſet, *Libras in dies dato*, contra Cujacium, *Obſervat. l.* 1. *c.* 22. *de libris farris* interpretantem, cum Marcilio, *ad Legg. XII. Tabb. de Pulte farrea*, explicat Jac. Oiſelius JC. Sic idem Marcilius rectè eidem monet, apud Livium, *l.* 4. *c.* 15. ubi de Sp. Melio, *farris libras*, non frumenti, ſed *Pultis*, accipiendas, ut & *l.* 5. *c.* 47. in M. Manlio *ſelibras farris*: & *l.* 6. de ſelibra *Pultis* intelligendas: qui etiam ibidem *cibus militi coctus*, *l.* 3. *anno U. C.* 295. vide quoque ſuprà *Debitum*, appellatur. Nec proin antiquis temporibus Piſtores Romæ cogniti, qui panem conficerent, ſed tantùm, qui farinam pinſerent, id eſt, tunderent. Vide Oiſelium laudatum *Notis ad A. Gellium*, *l.* 20. *c.* 1. ut & Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* Sigonium, Lipſium &c. Sed & in ſacris quibuſdam *pulte* Romani uſi ſunt. Plinius ubi ſuprà *Et hodie ſacra priſca atque natalium pulte fritilla conficiuntur*; ad quem locum vide *Notas* Dalechampii. Sed & Arnobius, *l.* 7. ubi ſacrificia Gentilium ridet, *Pulticulæ*, ait, *thura cum carnibus, rapacium alimenta ſunt ignium & Parentalibus conjunctiſſima mortuorum.* Indigitans, non ſolùm in ſacrificiis iſta in aram accenſam conſumenda imponi, ſed & in crematione mortuorum in rogum injici, imo & in parentalibus quotannis idem fieri conſueviſſe. Vide ſuprà, ubi de *Cœna ferali.*

PULSANTES, in Eccleſia Romana dicuntur, Monachiſmi Candidati, quòd *pulſent* ad fores Monaſterii, in Monachorum album admitti poſtulantes. *Regula* S. Benedicti, *c.* 58. *Noviter veniens quis ad converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus.....ergo ſi veniens perſeveraverit* pulſans, *& illatas ſibi injurias & difficultates ingreſſus, poſt 4. aut 5. dies viſus fuerit patienter portare & perſiſtere petitioni ſuæ, annuatur ei ingreſſus & ſit in Cella hoſpitum paucis diebus, poſteà ſit in Cella novitiorum, ubi meditetur, manducet & dormiat.* Hinc de Carolomanno fratre Pipini Regis Monacho facto ad Caſinum, ait Regino A. C. 746. *Et juxta morem portam Monaſterii* pulſans, *colloquium Patris Monaſterii expetiit* &c. Hi itaque, antequam reciperentur, priùs probabantur & examinabantur in *Pulſatorio*, loco ſic ab iis dicto, qui in Cella hoſpitum erat, uti docet eadem *Reg. d. c.* In eo enim 4. aut 5. dierum, ut vult Benedictus, vel 2. menſium, ut Magiſter, vel anni ſpatiô, ut Caſſianus, rigidiori examini ſubjiciebatur pulſans, *laborando cum fratribus, contentus annona modicâ menſurâ, vel regulæ diſciplinâ & excommunicationum: ut & mores Monaſterii probaret & ipſe probaretur ——— In quibus 2. menſibus, ſub cura illorum Fratrum, qui peregrinos cuſtodiunt, & ipſi ſimiliter cuſtodiebantur* &c. uti habet Magiſter *Regulæ*, *c.* 88. *Domus pulſantium* hic locus dicitur aliàs, & in Monaſterio S. Galli hanc Inſcriptionem habet.

Hoc clauſtro Oblati Pulſantibus *aſſociantur.*

Sed & *Pulſantium* nomine Novitii quoque nunnunquam veniunt, quòd necdum omnino admiſſi votum profeſſionis Monaſticæ nondum emiſerint. Vide Auctores laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* qui ab hac origine Gallicam vocem *Eſpouſſer*, quod ſtrictiùs examinare ſignificat, deducit.

PULSARE Parentes, apud Athenienſes, capitale fuiſſe videtur, ex Lyſia ubi de Agorato: ſed morte talem non luiſſe, verùm ignominiâ fuiſſe notatum, patet ex lege Solonis, Atticis Jureconſultis, τῆς γονέων κακώσεως, *malæ tractationis Parentum* dicta, quæ ſic habet: Ὁ τοὺς γονέας τύπτων —— ἄτιμος ἔσω, *Si quis parentes pulſaverit —— ignominioſus eſto*, apud Diog. Laërtium *in Solone.* Quæ autem fuerit hæc capitis minutio, oſtendit comparatio LL. quas *in Timocratea* ἀστρατείας & malæ tractationis Parentum, Demoſthenes conjungit. Nempe arcebantur tales concione, militiâ, Templorum publicorum ingreſſu & omni coronarum in publicis feſtivitatibus uſu. Quæ loca ſi nihilominus ingrederentur, Undecimviri capitales illos vincire & in Judicium apud Heliæam rapere jubebantur, lege aliâ ab eodem latâ, cujus idem, Demoſthenes *ibid.* meminit. Vide Sam. Petitum *Commentar. in LL. Attic. l.* 2. *tit.* 4. & ſuprà ubi de *Parentibus.*

PULSATIO, in *Chron.* Wilhelmi Thorn. *an.* 1242. campanarum notat pulſationem, quæ fit in ſignum honoris ac reverentiæ erga aliquem, per locum illum tranſeuntem vel illuc advenientem, de quo ritu vide aliquid ſuprà in voce *Campana. Pulſare enim* ſigna, campanas, frequentiſſimè dicitur: Unde & *Pulſatio terroris*, quâ, præter alias ſolennitates, Feſta Conceptionis B. Virginis & Beati Auguſtini celebrari jubet Henricus Epiſcop. Ratiſbon. *in Charta A. C.* 1278. *in Metropoli* Salisburg. *Tom.* 1. *p.* 264. Hinc *Carillon* Gallis; ſic dicta, quòd ita olim in feſtivitatibus pulſarentur campanæ, quemadmodum in tumultibus bellicis &c. *Pulſatores*, qui aliàs *Matricularii*, in Eccleſiis, vide ſuprà in hac *voce.* Apud Innocentium III. *l.* 15. *Ep.* 7. *Pulſatores* & *Exequiales*, Innocentio Cirono ſunt monitores Funerum, Gallis *Semonneurs*, h. e. Submonitores, dicti, qui campanas *pulſando* prætereuntes, ad fundendas pro defuncto preces invitant, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

PULTARIÆ, villa Galliæ in pago Laticenſi, monaſteriô venerè S. Petri, à Gerardo Comite & uxore ejus Bertha extructô nobilis.

nobilis. Vulgò *Poutieres*; in diœceſi Lingonica. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PULTARIUM, apud Celſum, genus vaſis eſt; quod alii *Pultorium* vocant. Vide Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Claudio*, c. 17.

PULTRONES, apud Franciſcum *Tom. I. Opuſc. de Vera & perf. Lat. p.* 94. *Recedite hinc* Pultrones *viliſſimi & ite ad Hoſpitale*: Italis *Poltronii*, Gallis *Poltrons*, dicuntur homines ignavi & timidi. An ab Italico *poltro*, i. e. lectus, quòd ſopori ac deſidiæ dediti, ut vult Landinus *Comment. ad Dantis Infern.* 24. An ab eorundem *poltro*, i. e. *poletro* ſeu *puledro*, quod pullum equinum notare diximus; ut *Pultrones* dicti ſint, quod ad modum pullorum equinorum leviter agitati fugam arripiant, quod placet Octav. Ferrario *in Originibus Italic.* An ſic dicti ſunt, quaſi *pollice trunci*, ut auctor eſt Salmaſ. *de Trapezit. Fœn. p.* 784. Pro ignavis enim olim habitos, qui, ne militarent, ſibi pollices truncabant: ſed & hoſtibus captis interdum manuum pollices, ne ampliùs militare poſſent, abſciſſos eſſe, diximus ſuprà in voce *Pollex*. Vide quæ hanc in rem habet Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi varios Auctores prætereà laudat.

PULVERIATICUM, in *l.* 16. *Cod. Theod. de Tiron.* ubi ejus nomine binos ſolidos dandos ſervis iis, qui ſe militiæ offerunt, præcipitur: in genere mercedem notat, quomodo apud plurimos medii ævi Scriptores vox ſumitur; metaphorâ ductâ à *pulvere*, quô Palæſtritæ mutuò ſe aſpergere ſolebant, certamen inituri, ut corpora ceromate & ſudore lubrica mutuas prehenſiones non fruſtrarentur. Non igitur ſolùm honorarium, ſalarium, mercedem *pulverei* laboris ſeu mercedem, quæ dabatur Agrimenſoribus, quaſi pro *pulvere*, in quo operam ſuam navârunt, notat, ut Cujacius ſentit *Obſervat. l.* 4. *c.* 18. & ex eo Rigaltius, inducti *Conſtitutione* Theodoſii & Valentiniani, quæ extat apud Frontinum *de Limitibus Agrorum*. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* pluribus id refellentem & Dominic. Macrum *in Hierolex.* qui etiam pro *tributo* quocunque in veterib. Tabulis uſurpari id vocabuli obſervant.

PULVERATIO, in vineis propriè vocabatur, occatio ſive glebarum imminutio, quæ raſtris fiebat. Varro, *l.* 1. *RR. c.* 30. *Vineas novellas arare aut fodere, & poſteà occare, id eſt, comminuere, ne ſit gleba.* Quòd glebæ grandes in *pulverem* raſtris redigerentur. Virgil. *l.* 2. *Georg. v.* 418.

Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus.

Ubi Servius, *Hoc genus culturæ*, inquit, *pulverationem vocant propriè, quo imminutæ glebæ ad vites applicantur.* An *pulverationem* à foſſione ſeparavit illô verſu Poëta? Nam ſolicitatur tellus foſſione, pulvis movetur pulveratione. Verius eſt, ut confunderit utrumque. Sic Columella *pulverationem* cum *foſſione* eandem planè facit, *l.* 4. *c.* 28. ubi monet, crebrò fodiendam eſſe vineam, quia pulveratione fiat uberior. Plinius quoque idem facit. Sed nec alia fuit vineæ pulveratio apud Latinos, quòd enim ſiccâ ſolùm tempeſtate & pulveroſâ terrâ vineas movendas foſſionibus præcipiunt, eas foſſiones *pulverationes* propriè vocant. Uti *hibernum pulverem*, de hieme ſicca Poëta dixit, *l.* 1. *Georg. v.* 101.

——— *Hiberno lætiſſima pulvere farra.*

Et in illa veter. Ruſticorum cantilena: *Hibernô pulvere, vernô lutô, grandia farra Camille metes.* Quia igitur non niſi hibernô & æſtivô pulvere vineas fodiebant, ideo *Pulverationem* vocabant foſſionem. Alia fuit ὑποκόνισις ſeu *pulveratio* vinearum, apud Græcos, à foſſione prorſus diverſa. Monet enim Theophraſtus, *Hiſtor. l.* 2. *c.* 9. pulverandam non eſſe vineam, variante ſe uvâ, nec omnino tangendam, niſi ſi fortè cùm penitus nigreſceret, quamvis ne tum quidem movendam cenſebant nonnulli. At Romani, variante ſe uvâ, ultimam foſſionem vineis dabant, ut videre eſt apud Plinium, *l.* 17. *c.* 23. & Columellam, *l.* 4. *c.* 28 ubi ex auctoritate veterum Magiſtrorum Agriculturæ ſtatuit, ſatis eſſe vineam ter confodere, germinante, floreſcente & matureſcente &c. E quibus apparet, diverſam vineæ colendæ rationem, apud Græcos & Latinos, fuiſſe in uſu. Nempe Latini toties pulverabant, quoties fodiebant; glebas enim aridas & putres comminuendo roſtris, pulverem movebant: Græci verò eô demum tempore eam uſurpabant, quô uvæ pendebant in vinea, & ad maturitatem tendebant, quas tunc ſæpius motâ tellure ſubpulverabant. Quemadmodum & Megaris cucumeres & cucurbitas ſuas, *pulvere* cooperibant, eôdem Theophraſtô auctore. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 512. & *ſeqq.*

PULVERATUM, apud Lamprid. *in Heliogabalo, c.* 19. Vide *Pulejatum.*

PULVEREA Volutatio, apud Tertullian. *de Pallio, c.* 4. *Studia palæſtræ malè ſeneſcentia & laborantia & lutea unctio &* pulverea volutatio, *& arida ſagmatio* &c. terminus palæſtræ. Poſtquam enim legitimô oleô uncti erant Palæſtrici, alii lutô ſeſe totos opplere ſolebant, alii pulvere ſeſe aſpergebant; quem utrumque modum hìc Tertullianus complexus eſt; *luteam unctionem* τὴν πήλωσιν, *pulveream volutationem*, τὴν κόνισιν vocans. Sic Lucianus περὶ Γυμνασ. poſtquam de unctione hac dixit, pergit ad volutationem pulveream, verbis, quæ Latinè ſic habent: *Alii verò ſub dio aulæ idem faciunt, non quidem in luto, ſed arenam hanc profundam è foſſa eruentes contaminant ſe ipſos & pulvere aſpergunt, gallorum gallinaceorum inſtar, ut minùs lubrici ſint in conflictibus, utpote ſabulo faciente, ut in ſicco firmiores ſint mutuæ prehenſiones.* Poſt oleum nempe & ceroma, alii in luto, alii pulvere volutabantur, diversô utrique fine & reſpectu. Qui lutô ſeſe inliniebant, id eâ ratione faciebant, ut lubricâ cute anſam non darent antagoniſtis, quâ prendi poſſent, aut teneri, ut λαβὴν ſcil. effugerent. Illi contrà, qui pulveris tactu ſeſe inſpargebant, hoc captabant, ne manus laberentur in apprehendendo Antagoniſtarum corpore. Firmiorem namque λαβὴν præbebat pulveris conſperſio: Utrique tamen oleô priùs vel ceromate ungebantur. Hinc Plut. *in Sympoſ.* palæſtram tribus his conſtare ſcribit; *pulvere, lutô & ceromate* &c. Vide Salmaſ. *ad loc.* ſuprà *Lutea unctio*; & infrà in voce *Pulvis*.

PULVILLUS, Græcè προσκεφάλαιον, ὑπαυχένιον eſt. His inſterni apud Veteres cubatorios conſueviſſe docet *ad Martialem, l.* 2. *Epigramm.* 14. Raderus, nec non Marc. Donatus *ad Livium, l.* 39. Unde parùm diligenter luxum Romanorum deſcripſerunt; qui hæc in Commentariis tractare omiſerunt, Joh. Meurſius & qui nomine Staniſlai Kobierzyki *Collectanea* edidit. Et quidem *pulvillis plumeis*, iiſque ad partes corporis ſcitè conformatis, uſos eſſe Romanos, diſcimus ex Appulejo, *l.* 10. ubi de Matronali lecto inter alia, *Sed & ſtragula veſte* ——— *probè conſternunt, ac deſuper brevibus admodum, ſed ſatis copioſis* pulvillis, *aliis nimis modicis quis maxillas & cervices delicatæ mulieres ſuffulcire conſuerunt, ſuperſtruunt* &c. De cujuſmodi *pulvillis* capiendus Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 146.

Laſſus Amycleâ poteris requieſcere plumâ,
Interior cygni quam tibi lana dedit.

Ubi quod *interiorem lanam*, Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. l.* 2. *c.* 27. *ſericum avium* vocat. Suntque id generis cygneæ exuviæ in Batavia hodie celebres. Caſp. Barthius, *Animadverſ. ad Statium, l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 59. Vide quoque ſuprà *Culcitræ ſubalares*; *Embrimium*, & infrà *Subalares*. De *pulvinis Regum* eorum qui vivebant luxu iis æmulo, roſâ, Melitenſi inprimis, farciri ſolitis, vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 6. Sed & navibus ſui *Pulvini*, palangæ ſcil. ſeu fuſtes craſſiores teretes, quibus ſubjectis illæ trahuntur. Iſidorus, *c.* 2. *l.* 19. *Pulvini ſunt machinæ, quibus naves deducuntur & ſubducuntur*, vel etiam, quibus à terra ſuſpenſæ ſubſuuntur, ſeu *quibus à terrena labe ſuſpenſæ quieſcunt*, ut Minucius Felix ait, ad quem vide Joh. à Wower & Jac. Ouzelium. Sic ſedem, ubi columnæ aliæque moles reponuntur, *Cubile* Plinio dici vidimus ſuprà: ubi libri, *Nidum* Martialis, in hac voce.

PULVINAR, idem aliquando cum Templo. Romani enim in honorem Deorum in Templis *pulvinaria* ſternere ſoliti, paſſim leguntur apud Auctores. Sic Epulum, quod Jovi aliiſque Diis apparabatur, *Lectiſternium* dictum reperimus, quòd, placandæ nonnunquam alicujus Numinis iræ, convivium in templo illius exhiberetur, Diiſque tanquam epulaturis accubituriſque lecti ſternerentur. Vide Cicer. *Or. de Haruſp. reſp.* Livium paſſim, Æl. Lamprid. *Alexandro Sev.* &c. Nempe gliſcente in Ædium ſacrarum dedicatione magnificentiâ eaque ſtudioſiſſimè affectatâ, præter Sacrificia acceſſêre *Pulvinaria*, Ludi, Epulæ, Largitiones publicæ, alia. Cicero, *Orat. pro Domo ſuâ*, *Aram & Ædiculam &* Pulvinar, *ſub Saxo Sacro dedicavit.* Unde pro Templo ipſo vel Numine nomen illud uſurpatum. Livius, *Dec.* 5. *l.* 1. *c.* 9. & *l.* 5. *c.* 16. pro *Supplicatio ad omnia Delubra*, habet, *Diem unum ſupplicatum ad omnia Pulvinaria fuit, uti & diem alterum.* Tantundem apud Cicer. *in Catilinar.* 3. Nimirum Numini ſic æde excepto *Pulvinar* aſſignatum eſt, velut lectus, in quo diſcumberet, aut Tabulatum, ſuper quod ſe commodiùs reponeret, aut velut ſatis utrumque. Servius *ad Virg. Georgic. l.* 3. *Pulvinaria pro Templis ponimus, quum ſint propriè Lectuli, qui ſterni in Templis ſupervenientibus pleriſque ſolent.* Acron autem, *ad illud Horatii, l.* 1. *Carm.* 37. *v.* 3.

——— *nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar *Deorum*
Tempus erit dapibus ſodales.

Pulvinaria, inquit, *dicebantur aut lecti Deorum aut tabulata, in quibus ſtabant Numina, ut eminentiora viderentur.* Eadem vocant Græci τὰς Κλίνας, ut videre eſt apud Pauſaniam *in Arcad.* & Phocic. Item τὰ Ἕδη τῶν Θεῶν, *Lectos*, *Seliquaſtra* ſeu *Sellas Deorum*, Halicarnaſſ. *l.* 5. & Jul. Pollux, *l.* 1. §. 3. Adeò ut præſentiam ſuam templis præſtando crederentur (Nam non dubitabatur, quin in Dedicatione invocati illuc ſe conferrent ſupervenirentque) ſive decumbere, ſive ſtare ſive reclinare ſive ſedere Pulvinaribus illis, unde fiebant etiam in ſupplicationibus publicis Lectiſternia illa ſolennia. Hinc *Fana Siſtere*, ſignificabat, *Lectiſternia certis locis & Diis habere*, uti *Labeo* ait apud Feſtum. Acceſſêre Pulvinaribus *faſciculi de Verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponebantur*, ut Feſtus, cui *Struppi* dicuntur: quæ vox videtur corrupta eſſe à *Strophiis*, h. e. coronis, quarum *inter Sacra* tantùm *& bellicos honores uſus eſſet*, Plin. *l.* 21. *c.* 2. Quò ſpectat locus Origenis *in Celſum*, ubi in Δαιμονίων, nomine Deorum, cultum apud Gentiles, meritiſſimò invectus, Πάντες γὰρ, inquit, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, *Omnes enim Dii gentium ſunt dæmonia.* Reliqua Latinè ſic habent: *Hoc verò manifeſtum fit ex eo quòd, ut efficaciora videantur ea, quæ pro Sacris accipiuntur, fieri ſolent curioſa nimis decubitoria* (Pulvinaria) *idque ſub initia Dedicationis Simulachrorum ejuſmodi Templorumque: quæ quidem Pulvinaria Dæmonum cultui vacantes per præſtigias faciunt.* Quod fecêre planè, ut in illis Numina ſe reponerent, quibus Dedicatio fiebat, ibique ſeu Templô habitarent, quæ locutio etiam apud Hebræos veteres de veri Numinis in Templo ſuo præſentia & habitatione, notiſſima eſt; unde ſimilis in Gentiles propagata, circa Dæmonia ſua, notio. Et appoſitè dixit Origenes, καὶ κατακλίσεις περιέργους, artificioſiſſimè enim pulvinaria hæc facta ſunt, & ſtruppis ſuis eximiè ornata. Μαγγανειῶν ſeu *præſtigiarum* nomine, intelligit invocationes illas ſeu appropinquationes Dæmonum, quas Κλήσεις & Προσεγγίσεις vocabant, de quibus *Mich. Pſellus.* Nec verò ſolùm apud Romanos, ſed & Græcos, *Pulvinaria* ſeu Καθιδρύματα aut Στρωμναὶ θεῶν, ut vocantur in *Gloſſis*, ſeu Κλίναι aut Κατακλίσεις Deorum, i. e. *Lectiſternia*, in uſu fuêre, ut apparet ex Pauſania, *l. ſuprà cit.* ubi & Minervæ & Æſculapio, in Templis ſuis, Κλίνη tribuitur: Pindari item Scholia-

ſte

ſte *ad Olymp. Od.* 1. Corn. Nepote *in Timotheo*, & Val. Maximo, *l.* 2. *c.* 4. *ex.* 5. & *l.* 3. *c.* 7. *ex.* 1. qui de Attico & Rhodio *Pulvinarium ſacrorum* uſu, expreſſiùs loquuntur &c. Vide Seldenum *de Synedriis*, *l.* 3. *c.* 14. §. 6. & ſuprà, voce *Lectiſternium* infrà quoque aliquid vocibus *Sedes*, it. *Seliquaſtrum*, & *Tibia*, ubi, ad pulvinaria Deorum & aras, dextras tibias adhiberi conſueviſſe dicemus. De *pulvinaribus* verò, in civitatis cujuſdam celebris annua ſupplicatione, capiti B. Virginis, quanquam in puerperio decumbentis, ſupponi ſolitis, adi Molanum, *Hiſtor. Imag.* *l.* 2. *c.* 27. Nec omittendum, quòd in Circo *pulvinaris* meminit Sueton. *Aug. c.* 45. ubi ex eo ſedentem ſpectâſſe ludos Auguſtum poſtquam is honor Cæſari primùm collatus eſſet refert: Nero verò & accubans, ceu Deus aliquis vivus, inter ſimulachra mortua, apud eund. *Primam frontem ſpectaculorum* eum locum vocat idem Imperator, *Epiſt. ad Liviam*. Vide Caſaubon. *Not. ad loc.* etiam ſuprà ubi de Veter. *Ludis.*

in PULVERE, jacens, Hebr. מתאבק nomen diſcipulorum apud Hebræos, à corporis ſitu, quô Rabbinos docentes audire ſolebant. Vide infrà *Rab.*

PULVEREM lingere, inter Supplicum ritus, vide ſuprà *Lingere pulverem*, ubi etiam aliquid de ſacco purpureo *pulvere* repleto, quem ſceptri locô Imperat. Byzantinus ferebat, quoties ſolenniter prodiret.

PULVEREM ex quatuor domus angulis collectum, in ceſſione bonorum, projiciendi ritus, mediô ævô in uſu, vide ſuprà *Chrenecruda.*

PULVIS, oleum & ſudor, Athletis deraſa, ſimulque mixta, in uſum Medicum olim adſervabantur & ab Atticis κονίσαλος, ab aliis verò πάτος, *pulvis* is vocabatur. Illi enim, qui ſeſe loturi vel exercitaturi in Gymnaſium veniebant, majori ex parte ſpoliabantur in Apodyterio: poſteà, qui vel luctam vel pancratium inituri erant, Alipterium ingredientes ungebantur, atque ſic uncti in quintam Gymnaſii partem, *Coniſterium* dictam ſe conferebant, ut ibi *pulvere* conſpergerentur: quô factô, in exercitationes diverſas diverſi prodibant. Conſperſêre autem ſe hôc *Pulvere* luctatores, ut fortiora corpora redderent, ſecundùm Lucan. qui de Hercule & Antæo loquens, *l.* 4. *v.* 616. ait:

Auxilium membris calidas infudit arenas.

Vel, ne oleô manus laberentur, ſed faciliùs Athletæ ſeſe comprehendere valerent, neve ſudore diffluerent, aut venti aperta ingrederentur corpora. Qua de cauſa à Martiale, *l.* 7. *Epigr.* 5. ἁφὴ vocatus eſt (*flaveſcit haphe*) Unde ſi qui adverſarios perunctos & ſine *pulvere* certantes vincebant, majori gloriâ habebantur digni, qualis fuit apud Plin. *l.* 35. *c.* 11. Dioxippus, & apud Pauſaniam, *Eliac. l.* 6. Dioreus, Ἀκονιτὶ nomen promeritus. Horatius, *l.* 1. *Ep.* 1. *ad Mæcen. v.* 49.

Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia; cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere *palmæ?*

Aſſervabatur verò is *Pulvis* in loco memorato, quem Κόνιστρον vocavit *Pollux*, advehebaturque ex variis regionibus in hunc uſum: Sed duo inprimis palmam meruêre, Puteolanus & Ægyptius. De quorum illo Sidonius Apollinaris,

Namque Dicarcheæ tranſlatus Pulvis *arenæ.*

Iſtum Romam hâc fini advehi fuiſſe ſolitum, refert Sueton. *in Nerone*, *c.* 45. quemadmodum & Patrobium Plinius, *l.* 35. *c.* 13. ubi Libertum Neronis tradit ex Nilo arenam tenuiſſimam non multum à Puteolano pulvere diſtantem, ad debellanda corpora, Palæſtræ ſtudiis advexiſſe eandemque à Leonato, Cratero, & Meleagro Alexandri M. Ducibus, cum reliquis militaribus commerciis portatam. Cui forſan haud abſimilis illa fuit, de quâ Ovidius, Acheloi pugnam deſcribens, ſic loquitur, *l.* 9. *Met. v.* 36.

Inque vicem fulvæ jactu flaveſcit arenæ.

Nam & Martialis *loc. cit.* Philænim irridens, quòd Palæſtritarum exercitationes iniret, dixit ipſam hâc arenâ flaveſcere, quam *haphen* ab illo vocari ſuprà dictum: quoniam contrectationibus exercitatorum inſerviebat. Ἁφὴν namque *tactum* nemo denotare ignorat. Seneca, *Ep.* 57. *à ceromate nos Haphe excepit:* Poſtquam verò ſeſe Athletæ, quantum libuerat, exercuiſſent, ad unctuarium ſeu Elæotheſium, quartam Gymnaſii partem, Ἀλειπτήριον Polluci dictam, reverſi, ibi à Mediaſtinis & Reunctoribus, ſtrigilibus ferreis detergebantur; in qua deterſione oleum, *Pulvis* & ſudor, ut dictum, ſimul mixta, in Medicum adſervabantur uſum, ut videre eſt, apud Dioſcoridem, *l.* 1. *c.* 3. Plin. *l.* 14. *c.* 8. Galenum *de ſimpl. Medicam.* &c. Vide plura hac de re, apud Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 8. & ſuprà. At *pulveris pedum excuſſio*, contemtus argumentum, fuit uti diſcimus ex Matthæi *c.* 10. *v.* 14. & Marci *c.* 6. *v.* 11. Hinc de Eugenio III. Pontifice Roman. *ſeditione in populo ortâ*, pulverem *pedum in litigantes excuſſiſſe, & relictis iis, in Franciam veniſſe*, refert Abbas S. Theodori *Vitâ* S. Bernardi, *l.* 2. *c.* 8. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* quem vide etiam *Notis in Cinnamum*, *p.* 481. Sed & *pulvis*, in eſcam cedit, animalium quibuſdam. Certè *Pulvis Terræ*, ſerpenti aſſignatur in cibum, Geneſ. *c.* 3. *v.* 14. Eſaj. *c.* 65. *v.* 25. & Mich. *c.* 7. *v.* 17. non quòd veſcatur ſolô pulvere (eſt enim in παμφάγοις, & carnem quoque ac herbam edit, λιχνότατος τῶν ζώων, Ariſtoteles, *Hiſtor. Anim. l.* 8. *c.* 4.) ſed quia cùm humi repat, non poteſt, quin pulverem in os cum aliis cibis ſimul ingerat. Ita David in luctu queritur, ſe comediſſe cinerem, ſicut panem, Pſalmo 102. *v.* 10. quia pronus in cinere jacens pane in terram projectô veſcebatur. Talmudici tamen *in Tract. de Sabbatho*, *Terram comedebat, ut ſerpens.* Et Nicander, de cherſydro, *Theriac. v.* 372. cùm exſiccata prorſus illum deficit aqua, νέμεται διψήρεας ὄγμους, *aridos ſulcos*, inquit, *depaſcitur.* Et Phile *c.* 59. de ſerpente quodam Indiæ, qui videtur eſſe ſepis ſpecies,

Νωδὸς γάρ ἐστι, καὶ ψιλὸν χοῦν ἐσθίει.
Solôque vivit pulvere, eſtque edentulus.

Sed & eôdem cibô veſci alia putantur animalia: in quibus lumbrici ac vermes. Plautus *in Caſina*, *Act.* 1. *v.* 39.

Poſt autem niſi ruri ervum tu comederis,
Aut, quaſi lumbricus, terram.

Et cicindela, de qua Algiahid, *Alimentum ejus eſt* pulvis; *quô nunquam ſaturatur, ideo ſolùm, quia timet, ne deficiat terræ pulvis, atque fame pereat.* Imò & ſcorpiones terram habere pro cibo, Bardiſanes ait in Euſebio, *de Præpar. l.* 6. & Plin. *l.* 10. *c.* 72. &c. Quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 4. uti de *Pulvere Arithmetico* & *Geometrico*, ſuprà *Abaciſta*: de *Pulvere in Gemmis*, infrà voce *Puncta*, & de *Pulvere Pyrio* iterum ſuprà, *in Bombarda*: de *Pulveris* verò ſparſione, ſuper cadaver inſepultum, in voce *Gleba* diximus; uti de ritu Pontificis novi à *pulvere ſurgendi*, dicemus in *Sedes Porphyr.* Vide quoque *Lugendi ritus*, *Zelotypia.*

PUMENTUM, Lucanorum oppid. mediterran. Strab. *l.* 6. Barrius hoc in Calabria citeriore deſcribit, cui hodie *Cerenza* dicitur, vix 10. mill. paſſ. à limite Calabriæ ulterioris, 12. à Siberena in Circium. Xylander in ſuo *Strabone*, *Grumentum* legit.

PUMEX, apud Virgilium, *Æn. l.* 12.

Incluſas ut cùm latebroſo in pumice *paſtor*
Veſtigavit apes fumôque implevit amarô

& Propertium, *l.* 3. *Eleg.* 2. *v.* 28.

Pendebantque cavis tympana pumicibus:

cavum eſt latebroſum ſaxum, pendens, antroſum; laxus aliàs, rarus & leviſſimus lapis. Plin. *l.* 36. *c.* 21. *Non prætermittenda & pumicum natura. Appellantur quidem ita & eroſa ſaxa —— ſed & ii pumices, qui inopum turbis ſunt in uſu corporum lævigandorum & fœminis, jam quidem & viris atque libris. Laudatiſſimi ſunt in Melo, Scyro & Æoliis inſulis. Probatio in candore minimoque pondere & ut quam maximè ſpongioſi aridique ſint, ac teri faciles, nec harenoſi in fricando.* Ubi quod de eorum uſu in libris, tangit, exponit Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 118. *v.* 15. quô *raſum pumice librum* memorat. Nempe libri pellibus, ut nunc fit, olim obtegebantur, eæque *pumice* poliebantur ac lævigabantur; unde *pumicatam frontem* idem iis tribuit *l. eôd. Epigr.* 67. *v.* 10. Hinc *Pumicatores*, inter Librariorum olim adminiſtros, ſicut & Glutinatores, Malleatores, Ornatores, Miniculatores, alii. Vide Catullum quoque *Epigr.* 1. *v.* 2. Tibullum, *l.* 3. *El.* 1. *v.* 9. &c. Sed & alterum uſum, quem in corporibus lævigandis exhibet, idem Martialis confirmat, *l.* 5. *Epigr.* 41. *v.* 6. ubi *pumicatam manum* vocat teneram, mollem, delicatam, quales ſunt nobilium fœminarum & puerorum. Eò autem mollitie devoluti Romani ſunt, ut non manus ſolùm, ſed & alias corporis partes *pumice* ſibi lævigarent, Juven. *Sat.* 9. *v.* 95. & *Sat.* 8. *v.* 16. Sidonius Apollin. *l.* 1. *Ep.* 7. &c. Et quidem quæ mulieres iis ut & pſilothrô & volſellis pilos detrahebant, *Strictivelliæ* dictæ; ut *Incoctæ*, quæ nimiô calamiſtrorum uſu pellem adurebant, Dalechampius *ad Plin.* Hinc Pignorius, *Cur autem axillas olim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id verò mollitiei adſcribendum eſt. Imò poſt* pumices, *reſinam & volſellam eò ventum, ut, pſilotheô & dropaco adhibitis, pilos arcerent.* Quod miniſterium Alipilarii, Græcè Δρωπακιστοῦ, fuit. Vide eum *Comm. de Servis*, & ſuprà ubi de *Alipilariis*. Porrò, *utiliſſima fiunt ex pumicibus dentifricia Theophraſtuſque auctor eſt potores in certamine bibendi præſumere farinam ejus, ſed, niſi immenſô potu impleantur, periclitari: tantamque refrigerandi vim eſſe, ut muſta fervere deſinant pumice additô*, Plinius *d. l.* Vide Theophraſtum ipſum *Hiſtor. l.* 9. *c.* 18. ubi de Eudemo Chio, & ſuprà, ubi de *Acu Crinali.*

PUMILUS, apud Statium, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 64.

Mirantur pumilos *ferociores.*

Seu *Pumilio*, apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 212. cujus is titulus: idem cum nano eſt, quam vocem vide ſuprà. Addam ſaltem fuiſſe *pumilos*, non ſolùm naturâ, ſed & curâ atque inſtitutione. Mangones enim ut efficerent nanos, concluſos alebant in arca pueros, & faſciis revinctos; uti ex Longino περὶ ὕψους docet Caſaubon. *ad Aug. Suet. c.* 83. Vide quoque ſuprà *Nanus.*

PUNCTA, apud Juſtinianum, *Cod. de advocat. diverſ. Jud.* commoda ſunt ac ſalaria militiæ, quæ etiam *ſolatia* appellant Imperatores *in Cod.* Unde *Diſpunctores*, donatores in *veterib. Gloſſis*, & *adpunctari* hodieque apud Gallos dicitur, cui ſalarium conſtitutum eſt. Salmaſ. *apud Spartian. in Hadriano*, *c.* 9. In gemmis *Puncta* ſunt guttæ, rariùs ac diſtinctiùs notatæ & quaſi ſtellæ interſparſæ; unde *ſapphirum aureis punctis collucere*, ait Plin. *l.* 37. *c.* 9. & gemmæ ſtellatæ dicuntur aureis guttis ſive punctis. Sicut *pulvis* in iiſdem, grana ſunt minutiora, ſpiſſiùs denſiuſque & quaſi continuatim ſparſa, in modum pulveris, qualia in cyano apparent; Idem Salmaſ. *ad Solin. p.* 202. In Luſoria tabula, *Puncta* apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 17. qui *duodenô puncto teſſeram in tabula numerari* dicit, ſunt *ſcripta* & *lineæ* aliter Latinis, Græcis κάσσοι & χαρακώματα, & γραμμαὶ & χῶραι: quorum duodena utrumque latus habebat, invicem ſibi oppoſita & contraria, unde *Duodecim Scriptorum Ludum* Romani eum dixêre. Idem *ad Flav. Vopiſc. in Proculo*, *c.* 13. In Teſſeris *Puncta* dicuntur, quæ Græcis τρήματα, κοιλότητες, σημεῖα, τόποι, γραμμαὶ &c. Auſonius,

Narrantem fido per ſingula puncta recurſu,
Quæ data per longas, quæ revocata moras.

Luxurius, *in Epigramm. de Tabliſta*,

Ludit

Ludit cum multis Vatanus, ſed ludere neſcit;
Et putat imperiò currere puncta *ſuô* &c.

Hodieque *puncta* Gallis. Hinc τρημματίζειν apud Dores, *punctis ludere* & τρημματίκται luſores. Quòd de illo genere aleæ propriè dicebatur, quo in ſingula *Puncta* certam pecuniæ ſummam conſtituebant & in medium conferebant iſque eam tollebat univerſam, qui multitudine punctorum ſuperâſſet. Sueton. *in Nerone*, *c.* 30. vocat, *in punctum ludere* &c. Idem *ibid.* Apud Scriptores tandem, infimæ præſertim ætatis: *Puncta* dicuntur ea, quæ ſingularum linearum initiò ac fine deſcribuntur, vel ſubulâ punguntur, intra quæ exarantur ipſarum linearum ductus, quos *ſulcos* vocant, quod maximè in codicibus è pergameno confectis obſervatum. Prudentius περὶ στεφ. *Hymnô* 12. in *S. Caſſiano*, *v.* 77.

Pungere puncta *libet*, *ſulciſque intexere ſulcos.*

Et Radulfus Monchius Monach. Vedaſtinus, laudatus à Gazæo *ad Caſſian. l.* 5. *de Cœnob. inſtit. c.* 39.

Cùm librum ſcribo, Vedaſtus ab æthere ſummò
Reſpicit è cœlis: notat & quot grammata noſtris
Depingam calamis: quot aretur pagina ſulcis.
Quot folium punctis *hinc hinc laceretur acutis,*
Tuncque favens operi noſtro, noſtroque labori,
Grammata quot, ſulci quot ſunt, quot denique puncti,
Inquit in hoc libro tot crimina jam tibi dono.

Apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi *Punctum* in Pſalmodia, apud Romanæ Eccleſiæ Scriptores, ſyllabam denotare, & hinc *punctatim canere* ac *tractim*, eſſe unô tenore, abſque ulla modulatione, cantare, ſingulis tamen punctis, i. e. verbis, quodammodo tonô elevatiori notatis, ita ut, qui ita cantat, iis immoretur, addit. Aliàs *Punctum*, pro Suffragio. Poſtquam enim in Comitiis olim totius alicujus Centuriæ vel Tribus tabellæ, in quibus ſuffragia ſua ſcribebant, collectæ erant; illis è ciſta educendis adbibebantur Cuſtodes: quorum munus erat ſuffragia deſcribere, ut ea Centuriæ Tribuſque ſententia renuntiaretur, in quam plures inclinâſſe appareret. Hoc autem erat deſcribere ſuffragia, tot *Puncta* in tabella notare, quot tabellæ ſimiles reperirentur; ut initô tandem numerô, ea renuntiaretur ſententia quæ plures, habere ſimiles tabellas, ex *Punctorum* numero, perſpiceretur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 14. Hinc ortæ phraſes, *Puncta ſuffragiorum non tulit ſeptem*, *Omne tulit ſeptem*, &c. Conſule quoque Plin. *l.* 33. *c.* 2. Contrà *Expuncti*, dicebantur homines viles & favore privati.

PUNCTIM, & *Cæſim*, termini palæſtræ. Et quidem, quæ *punctim* ferit, μάχη ἐκ διέρσεως, quæ cæſim, ἐκ καταφορᾶς dicitur apud Polybium, *l.* 17. Τῇ μαχαίρᾳ δ' ἐκ καταφορᾶς καὶ διέρσεως ποιεῖσθαι τὴν μάχην, de Romanis, *gladiô cæſim punctimque ferire.* Alias ἡ ἐκ διάρσεως μάχη eadem, cum τῇ ἐκ καταφορᾶς. Nam διάρσις dicitur, quum brachium *in diverſum* panditur & *attollitur* ad ictum cæſim inferendum; καταφορὰ verò, cùm ex alto defertur enſis. At διέρσις eſt *transfixio*, à verbo διείρειν. Vegetius, *l.* 1. *c.* 12. *punctam* vocat, i. e. *punctionem*: Sed & διάληψιν alibi Polybius, ubi itidem τῇ καταφορᾷ opponit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1071. Cujuſmodi pugnâ delectati olim Galli ſunt, uti diſcimus ex *Deſcript.* victoriæ obtentæ per Carolum Siciliæ Regem, ubi Carolus ipſe milites ſuos hortatus exclamat, *Punctim infigite, milites Chriſti, punctim transfigite.* Vide ſupra *ad Brachia.*

à PUNCTIS, in familia aquaria, quam, ſibi à Marco Agrippa legatam, Auguſtus publicam fecit, vocati ſunt, qui ex publicis fiſtulis aquas in privatum uſum derivabant, Laur. Pignorius, *Comm. de Servis.*

in PUNCTUM ludere, apud Sueton. *in Nerone*, *c.* 30. dicebantur in teſſerarum ſeu aleæ ludo, qui ſic ludebant, ut in ſingula puncta certam pecuniæ ſummam conſtituerent, & in medium conferrent, quam univerſam tollebat is, qui punctorum multitudine ſuperâſſet. Dores τρημματίζειν appellârunt, uti diximus ſuprà, in voce *Puncta.*

PUNICA Mala, vide ſuprà ubi de *Granatis* & *Malogranatis.*

PUNICEUS Color, *exſuperantiam*, ut loquitur A. Gellius, *ſplendoremque ruboris ſignificat*; diverſus à *phœniceo*; licèt eôdem uterque nomine Græcis dicatur φοῖνιξ. Sed *Puniceum* etiam φοινικοῦν vocitatur. Phœniceum enim Philargyro nec diluti coloris eſt neque nimium ſaturi: at *puniceum* coloris rubri vegetiſſimi & exuperantiſſimi, i. e. ὀξυτάτου, vel teſte eôdem Gelliô, qui tamen de phœniceo hoc tradit, quod unicè convenit puniceo, *l.* 3. *c.* 9. de equo Sejano, *Eum equum fuiſſe dicunt magnitudine inuſitatâ, cervice arduâ, colore phœniceô, florâ & comanti jubâ.* Sub finem dein *cap.* colorem hunc explicans, *Hunc equum*, addit, *Gabius Baſſus vidiſſe ſe Argis refert, haud credibili pulchritudine vigoreque & colore exſuperantiſſimô, quem colorem nos, ſicuti dixi, Phœnicium dicimus, Græci partim* φοίνικα, *partim* σπάδικα *appellant: quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu avulſus* σπάδιξ *dicitur.* Quamvis enim in omnibus coloribus ſuus ſit vigor & exuperantia; ſic ut Phœniceus quoque equorum color alius ſit dilutior, alius ſaturatior, quem vulgò *Badium obſcurum* Galli vocant, planè tamen patet, hìc Gellium de phœnicio hujus equi colore idem omnino pronuntiare, quod de illo Phœnicio, quem in differentiis & gradibus rubri coloris ſignandis ſummum tenere locum fecerat. His namque gradibus rubrum colorem Græcis vocabulis percenſuit, ξανθὸν, ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, φοίνικα. At qui hunc φοίνικα, *phœniceum* & *ſpadicem* eſſe Latinè voluit, vigore & exſuperantiâ rubri coloris omnibus præſtantem. Quod longè ſecus habet: quippe hic *puniceus* & φοινικοῦς Græcorum, quô colore nullus unquam equus natus aut viſus eſt, niſi pictus fuerit, haud magis ſanè, quàm coccineus. Nam cocci color puniceus, h. e. coloris rubri acutiſſimi, purpuræ quoque rubræ tale ſumen, ad cocci nitorem accedens, quam dicit *Pollux* φοινίσσεσθαι ἐκ τοῦ ἄνω πυρὸς, i. e. *ſplendorem cocci ex albo recipere, dum radiis Solis incenditur.* Hincque φοινίσσαν βαφὴν vocat *Tyriæ purpuræ tincturam* &c. Vide quæ hanc in rem copioſè congeſſit Salmaſ. *ad Solin. p.* 1330. ubi vocem φοῖνιξ, cùm pro *phœnicio* & badio ſumitur equorum colore, à palmulæ termite, qui φοῖνιξ, & σπάδιξ, & βαΐς Græcè vocatur; cùm verò *puniceum* notat; à φοινίσσω, h. e. *cruento*, & *ſanguine inficio*, deduci: & puniceum; quod Africæ proprium facit Tibullus, h. e. coccineum, in purpura quoque, præcipuè Tyria, ac rubente, conſpici addit. Vide quoque ſuprà in voce *Pœnicum.* Eô colore nomina Ducum ſignis olim militaribus inſcribi conſueviſſe, dicemus infrà, voce *Vexillum.*

PUNICUM, oppid. Hiſtriæ in mediterraneis. Ptol. *l.* 3. *c.* 1. Plin. *l.* 14. *c.* 6.

PUNICUS, vide PHOENIX.

PUPÆ, ſeu PUPPÆ, Joanni de Janua dicuntur *ſtatunculæ*; *quas virgines ſolent facere in modum filiarum & veſtibus obvolvere: quas, poſtquam ad annos nubiles veniebant, & pubilibus abrenunciabant, quaſi ſub poteſtate Veneris futuræ, Veneri ſacrificabant.* In *vetersb. Gloſſis*, πλαγγόνες. Unde Perſius, *Sat.* 2. *v.* 69.

Dicite Pontifices in ſacro quid facit aurum,
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ &c.

Vide de *Pupis* hujuſmodi Deſiderium Heraldum *Adverſar. l.* 1. *c.* 8. laudatum Car. du Freſne, in voce *Poppeâ*, aliquid etiam apud Godeſcalc. Stewechium, *Electis Arnobianis*, *l.* 7. ad hæc, *Ergone injurias ſuas Dii vendunt, atque ut parvuli puſiones, quò animis parcant abſtineantque ploratibus paſſerculos*, pupulos, *eculeos*, *panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint.* Et item Herald. *Animadverſion. ad eundem l.* ubi voce *panes*, ſigillariola formata ad imaginem Paniſcorum intelligit, & ſic νύμφας quoque puellarum *papas* dici conſueviſſe, addit.

PUPIENUS Marcus Claudius Maximus, Imperator à Senatu lectus, ut cum Balbino, poſt Gordianorum obitum, præeſſet. Hi ambo Maximinis ſe oppoſuerunt, prudentiâ & rerum uſu inclyti: Sed ab iratis militibus occiſi ſunt, A. C. 238. Pupienus quidem An. ætat. 74. poſt imperium vix unius anni. Jul. Capitolin. *in Gordianis Tribus*, *c.* 10 & *Maximin. c.* 20. 24. Herodian. *l.* 7. Aur. Victor. *de Cæſ.*

PUPILLUS, idem cum *Orphano.* Vide ſuprà in voce *Orphanotrophi*, item *Epictene* & *Orbona*, nec non ſuprà *Tutela.* Hinc *Pupillares pecuniæ*, apud Livium, *l.* 24. *c.* 18. ubi in auxilium ærarii Romani illas collectas memorat: *Quum hæc inclinatio animorum plebis ad ſuſtinendam inopiam ærarii fieret; pecuniæ quoque* pupillares *primò, deinde viduarum cœptæ conferri: nuſquam eas ſanctiùs tutiuſque deponere credentibus, qui deferebant, quàm in publica fide inde ſi quid emptum paratumque* pupillis *ac viduis foret, à Quæſtore perſcribebatur.*

PUPINIA Tribus, ut ſcribit Sext. Pompejus, dicta ab agro *Pupinio*, qui in Latio, cis Tiberim ad mare vergens, haud longè ab Urbe erat, ut videre eſt apud Livium, *l.* 26. *c.* 9. Meminerunt ejus Cœlius, *Ep. ad Cicer. C. Lucretius C. F. Pup. Jun.* & Cicer. *ad Q. Fratrem*, *CN. Nerius Pupinia.* Val. etiam Max. *l.* 4. *c.* 4. *ex* 4. cùm ait: *Ibi etiam prædivites, qui ab aratro acceſſebantur, ut Conſules fierent, voluptatis cauſâ ſterile atque æſtuoſiſſimum Papinæ ſolum verſabant.* Et paulo pòſt, *ex* 6. *Atilius Conſulibus ſcripſit, villicum in agello, quem ſeptem jugerum in Pupinia habebat, mortuum eſſe.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 15. *ubi de Tribubus.*

PUPINIENSIS, ager in Latio circa Tuſculum, teſte *Feſtô*: cujus ſolum ſteriliſſimum, teſte Val. Maximô, *l.* 4. *c.* 4. *ex* 6. adeò ut Varro *de R. R.* ſcripſerit, neque vires, neque fœnum in *Pupiniâ* creſcere.

PUPIUS, prænomine *Lucius*, Primipili centurio Pompejanarum partium, Auximô egrediens à Cæſaris militibus intercipitur; ad Cæſarem deducitur: ſed ſtatim dimittitur, Cæſ. *l.* 1. *de Bell. Civ. c.* 13.

PUPPIS, poſterior pars navis, de qua vide aliquid ſuprà, voce *Apluſtre*, item *Encauſtice*, *Inhibere*, *Naufragium*, infrà *Tutela.*

PUPPIUS, poëta tragœdus, teſte Acrone Horatii Scholiaſte; affectus ſpectantium ita movit, ut eos flere compelleret. Unde Horat. *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 67.

—— *Lacrymoſa poëmata Puppi.*

PUPULUM, urbs à latere meridionali Sardiniæ.

PURA Cœna, τοῖς ἁγνεύουσι, *iis qui in caſtu erant*, adponi apud Gentiles ſolita, vide ſuprà *in Caſtu*, *Cœna pura*, *Paraſceve*; infrà *Sabbatum.*

PURA Toga, communis olim Romæ hominum privatorum fuit: ſic dicta quòd tota alba eſſet, nihil purpuræ admixtum habens; hinc ἀπόρφυρος Græcis. Eadem *Virilis* appellata eſt: quòd qui eam ſumerent, poſitâ Prætextâ, ex Ephebis tranſcriberentur in Viros. Dabatur enim illa pueris virilem ætatem ingredientibus, exitu anni 15. ut de M. Ciceronis filio legimus, Roſin. *l.* 5. *Antiq. Rom. c.* 32. Sub initium anni 15. habet *Ferrarius.* Ita enim Interpres vetus Juvenalis nondum editus Bibliothecæ Ambroſianæ, *Prætexta genus erat Togæ, quâ utebantur pueri adhuc ſub diſciplina, uſque ad* 15. *annum: deinde Togam virilem accipiebant*, *unde in vita S. Germani legitur, ceſſit prætexta Togæ*: Scripta eſt autem verſibus ea vita ab Erico, qui ſub Carolo Calvo floruit, *Cedebat Prætexta Togæ.* Proin quòd Auguſtum alioſque ſeriùs Caligulam inprimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

mis annô demum 19. id egiſſe legimus; magis ab alia cauſa, quàm à lege & more proveniſſe, monet Manutius. Sumebatur verò hæc Tŏga in templo Jovis Capitolini, ut M. Cottæ pietatem laudans Val. Maximus docet, *l. 5. c. 4. ex 4. Eô ipſô die, quô Togam ſumſit virilem, protinus ut è Capitolio deſcendit, C. Carbonem, à quo Pater ejus damnatus fuerat, poſtulavit: protractumque reum judicio afflixit.* Quique eam ſumebant, *Tyrones.* Plin. *l. 8. c. 48. Tanaquil prima texuit rectam tunicam, quâ ſimul cum Toga pura Tyrones induuntur, novæque nuptæ.* Hinc Ciceronis illud *ad Attic. Ep. 8. l. 7. Habebamus in manibus Antonii concionem, in qua erat Pompeji accuſatio uſque a Toga pura:* docti omnes interpretantur, *ab ejus tyrocinio:* Budæuſque ait, *Puram Togam Tyrunculi forenſes aſſumebant Tyrocinii die*, vide Hieron. Boſium *de Toga Rom. c. 12.* Et quia hujuſmodi Tyronibus id Togæ genus libertatis ſignum erat; anteà enim à Pædagogis cuſtodiebantur: hinc & *Libera* appellata eſt. Sed & eandem *Rectam* nuncupatam eſſe, ex Feſto diſcimus: *Rectæ appellantur veſtimenta virilia, quæ Patres liberis ſuis conficienda curant, ominis causâ, ita appellata, quòd à ſtantibus & in altitudinem texuntur.* Tandem & *Toga* ſimpliciter, abſque adjectione ulla vocabatur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq, Rom. l. 5. c. 32.* & Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. l. 2. c. 1.* Eôdem modô *Pura Mantilia*, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c. 37. Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen, ut mantilia pura mitterentur: ſæpius coccô clavata* &c. Nempe ſic dicebantur, ut *Toga* pura, i. e. ἀπόρφυρος. Sic & *vexilla pura*; puris nempe clavata opponuntur. Non enim tunicis ſolùm, ſed & ſupellectili, præſertim tricliniari, clavi adſuebantur. Sic *linteorum purorum* & clavatorum, *in ſeqq.* idem meminit &c. Vide Salmaſ. & Caſaubon. *Not. ad Lamprid.* ac de *Toga pura* quoque ſupra in voce *Denarius.*

PURA Manus, apud Senecam, *Medeâ, Act. 5. v. 901.*

Vindicta levis eſt, quam ferunt puræ manus:

Eſt quæ ſervat modum neque punit, niſi quos pium faſque eſt punire. Nempe *Puræ manus* ſunt eorum, qui parcunt, nec occidunt. Menelaus apud Euripid. Ἁγνὸς γάρ εἰμι χεῖρας. Et admirabilis ille Titus, *Pontificatum maximum ideo ſe ſuſcipere profeſſus, ut puras ſervaret manus.* Vel ſi occidunt, non niſi hoſtes aut ſupplicium meritos. Hoc enim genus non minùs piaculi immune intelligitur, ex formula vet. apud Livium: *Purô piôque duellô quærendus cenſeo.* Sic Medea ubi ſuprà, in Creonte ac Creüſa, quos interfecerat, *puram* ſe interpretatur: at verba citata præfatur meritò, profectura ad facinus, quod puris manibus peragere non poterat. Lucan. *l. 7. v. 486.*

Vulnera pars optat, pars terræ figere tela,
Ac puras ſervare manus ———

Gronovius, *ad Sen. loc. cit. Puras* autem ſibi *manus* eſſe, lavandi illas ritu ſignificabant, ut ex Hiſtoria Euang. Matth. *c. 27. v. 2.* notum ubi de Judice, coram cujus tribunali ſtetit innocentiſſimus Agnus. Unde etiam, quibus manus ab illuvie ſordebant, à Sacris abſtinebantur, vide Briſſonium *Formul.* & Delrium *ad Senecam præfatum, Oedipo, Actu 4. v. 791.* Hinc *Puri, lauti, caſti* non rarò iidem Latinis, & λελυμένοι ſacrorum cauſâ ἁγνοὶ etiam Græcis, uti docet Euſebius, *Præparat. Euangel. l. 9.* ubi de Eſſenis. Sed & in genere, lotæ manus *puræ.* Ovidius, *Faſtor. l. 5. v. 435.*

Quumque manus puras fontanâ perluit undâ,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.

Porrò, quæcumque Diis offerebantur, καθαρὰ ſeu ἁγνὰ, *pura* dicebantur. Sic *purum vinum, pura aqua* &c. Idem *ibid. l. 4. v. 313.*

Hæc ubi caſtarum proceſſit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hauſit aquam.

Virg. *l. 6. Æn. v. 229.*
Idem ter ſocios purâ circumtulit unda.

Ὕδωρ ἁγνὸν vocat Dionyſius Halic. *Antiqq. Rom. l 1.* ὕδατος ἁγνοῦ κομιδῆς ἕνεκα, ᾧ πρὸς τὰς θυσίας ἔμελλε χρῆσθαι. Sic *hoſtia pura.* Feſtus, *Agnus dicitur à Græco* ἁγνὸς *quod ſignificat caſtum, eo quòd ſit hoſtia pura & immolationi apta.* Ἁγνὰ θύματα vocat Sophocles *Trachiniis.* De eorum, qui ſacra adituri erant, abſtinentia à certis cibis & Venere, res notiſſima. Vide Deſid. Heraldum, *Animadverſionibus Arnobianis, l. 7. p. 266.* ſuprà voce *Caſtu*, it. *Myſterium*, ac infrà *Sacra*, alibique.

PURBACHIUS, vide *Georgius.*

PURCHANUS, oppidul. Campaniæ, ad Veſuvium: cujus memoria extat prope *Reſino* vicum, ubi Templum *S. Mariæ de Purchano, L. Holſtenius.*

PURGAMENTUM, Græcè κάθαρμα, dictus apud Veteres homo eſt, qui velut piacularis victima pro civitatis ſalute certis ceremoniis Diis immolabatur uti de Athenienſibus inprimis, vide infrà Thargelia, & Maſſilienſibus legimus, diximuſque aliquid ſuprà voce *Piacula.* Quod & naufragii imminentis tempore tactitari conſueviſſe videbimus infrà, ubi de Veterum *Sortibus:* peſtis item vel aliis contagiis vidimus retro, ubi de *Expiationis feſto.* & dicemus infrà lemmate *Virginale fanum.*

PURGAMENTUM Lanæ noviſſimum, apud Plin. *l. 8. c. 48. Lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt: & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: imò verò etiam ignibus, noviſſimo ſui purgamento; quippe ineis polientium extractæ, in uſum tomenti veniunt*, eſt, quô in veſte jam texta *purgantur* & poliuntur depectunturque. Nam ex illo purgamento, ex floccis videl. deraſis inter pectendum, tomenta fiebant. Inde γνάφαλλα iſta *purgamenta* vocabantur, quæ ſpinis adhæſerant pectinis γναφικοῦ, h. e. *fullonii:* quâ voce dein ipſa tomenta inſigniri cœperunt; hincque γναφάλλιον herba, quam Latini *Centunculum* dixêre, quod ejus foliis candidis ac mollibus pro tomento culcitrarum uterentur. Ut mirum ſit Plinium ſcribere, id Galliarum inventô proditum eſſe, retrimentis & purgamentis lanæ, quæ expolitione veſtimentorum detracta fuerint, culcitras farciri; cùm Græcis nominibus ex antiquo vocentur tomenta γνάφαλα hôc modô inculcata. Vocat autem hoc *noviſſimum lanæ purgamentum*, quia primum erat quô lanæ ipſæ per ſe purgabantur, priuſquam in fila deductæ & in tela textæ eſſent: quod Græcis ξαίνεσθαι, unde ξαντικὴ τέχνη, *Lanæ purgandæ ars.* In noviſſimo quidem purgamento ξαίνεσθαι quoque dicebantur, ſed propriè ξαντικὴ ad primum purgamentum pertinet. Κροκυδίζειν etiam de utroque dicebant: κροκύδες γνάφαλα ſunt *Heſychio*, & κροκυδίζειν *Polluci*, τὸ ἐκλέγειν τὸ τραχὺ τοῦ ἐρίου, *aſperiores floccos extrahere. Carminare* enim propriè Latini de priori purgatione: & hoc *primum* lanarum *purgamentum*, cùm carminantur, *noviſſimum*, quum in veſte ipſa carpuntur & depectuntur erinaceô fullonis. Propter quod ſummô ſtudiô erinacei exquirebantur &c. Vide ſuprà ubi de *Erinaceis*, infrà *Putare.* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p. 398.*

PURGANTES ſe, Græcè Καθαιρόμενοι, infimus inter Chriſtianos ordo, ſic dicebantur, qui vel fidem Chriſtianam non recepiſſent, vel poſt eam receptam novis contractis culpis piaculares eſſent facti vel à dœmonibus obſeſſi pacatam vivendi rationem amiſerant, eô tamen obſequiô ducerentur, ut vel fidem amplecti, vel culpas exoſas abjicere vel à dæmonibus liberari, avidè cuperent. Unde tria eorum genera, *Catechumeni, Energumeni & Pœnitentes:* qui omnes in Narthece ſtabant, & peractis ſacris, ante preces ac communionem, dimittebantur. *Purgare* autem eos Hierarchæ erat, de cujus munere vide S. Maximum, *de Cœl. Hierarchia, c. 3.* Reliqui verò duo ordines erant τῶν τελειούντων, *perficientium*, quorum primus modò dictus Hierarcha, ſecundus Presbyter, tertius Miniſter: & τῶν τελειουμένων, *perfectionem acquirentium* quorum primi Monachi, ſecundi pii Fideles, tertii Pœnitentes conſiſtentes, Cl. Suicerus, *Eccl. Theſ.* voce Καθαίρω.

PURGATIO, ſeu *Judicium Dei*, ſic à veteribus dicuntur probationes & ſortilegia, quibus ad reatus examen uſi ſunt; *Ordalium*, & ejus ſpecies, ſcil. *Ferrum candens, Aqua fervida, & Aqua frigida:* Symbolum *Crucis*, & ſacra ipſa *Euchariſtia: Offa judicialis*, ſeu *Panis hordeaceus* & *Caſeus execratus: Duellum, &c.* Aimoinus, *l. 5. c. 34. ad Ann.* 876. Gregorius Turonenſ. Jun. *l. 11.* Formull. ſolenn. Lindenbr. *num.* 172. De ignito & aqueis examinibus, aliquid in voce *Ordalium:* de Cruce, de Offa Judiciali, &c. ſuô locô, dictum. Purgationis per Euchariſtiam formula habetur, & probatur in Concil. Wormacienſi, *ca. 15.* & *ca. 2. q. 5. ca. 23.* Hôc examine Lotharingiæ Regem, atrocius arguit Hadrianus II. Papa de adulterio cum Waldrada pellice, contra interdictum Nicolai Papæ perpetratô, nec non Proceres & miniſtros ejus, qui aut tanti ſceleris conſcii, aut Waldradæ faviſſent excommunicatæ. Cùm enim omnes perceptâ Euchariſtiâ innocentiam profiterentur, tremendô Dei judiciô factum eſt, ut Lotharius Româ egreſſus, brevi mortuus ſit: reliqui plerique ante anni illius exitum variis caſibus ſublati & populus ipſe ſæviſſimâ peſte, tanquam hoſtili gladiô, undiquaque correptus. Pluribus hæc Sigonius, *de regno Ital. l. 5.* & Regino, *ad An. C.* 869. & 941. &c. Quô hoc factum ſit Numine, non hîc diſſeritur. At ſi digitô Dei regerentur iſtæ probationes, cur aliquando abolitæ ſunt? Sin minus, cur uſque adeò in Eccleſia toleratæ. Reperiuntur in Ethnicorum hiſtoriis ſimilia miracula, & probationes conſimiles: vide de Luco Feroniæ, ſub monte Soracto, apud Strab. *Geogr. l. 5.* de Hirpiis quibuſdam familiis, in agro Faliſcorum, apud Plin. *l. 7. c. 2.* de fonte Artecomii & Daphnopoli, apud Euſtath. *l. 7. & 11. de amor. Clitoph. l. 8. p. 206.* de Palicis, apud Stephanum, Ariſtotel. *l. de admir. auditionibus*, Diod. Sic. *Bibl. l. 2.* de fonte juxta Thianam, apud Philoſtr. *de vita Apollon. l. 1.* Sic aquâ tingebant oculos jurantes, in Sardinia, Solinus de Sardiniis, *c. 10.* Plin. *l. 3. c. 7.* Sed & aliæ probationum ſpecies erant. Tucca Virgo Veſtalis, inceſti criminis accuſata, aquam cribrô geſtavit, Dionyſ. Halic. *l. 2.* Plinius, *l. 28. c. 2.* Val. Max. *l. 1. c. 1. ex 7.* Claudia navem cingulô traxit, Liv. *l. 29. c. 14.* Tertullian. *Apolog. &c.* & ejuſdem argumenti eſt, quod Acron ad *Horatii l. 1. Ep. 10.* notat, furti reos, acceptâ à ſacerdote cruſtâ panis carmine infecti, patefieri. Cicero *de Nat. Deorum, ſunt quædam beſtiæ*, inquit, *quæ appareant in ardentibus fornacibus ſæpe volitantes.* Videtur à Judæis perveniſſe ad Chriſtianos iſtiuſmodi probationum ritus: ſumptis exemplis ab aqua amara, Numer. *c. 5. v. 11. ſ.* ad purgationem Zelotypiæ, & adulterii inveſtigationem imperatâ: & à ſortilegio, quo furti anathematiſque reus exhibetur Achan, Joſuæ *c. 7. v. 14.* nec non à Monomachia Davidis cum Goliath, Samuel. *l. 1. c. 17.* Inter Chriſtianos, qui igneô uſi ſunt examine, primus occurrit Briccius Epiſcopus Turonenſis, S. Martini Diaconus & Succeſſor, apud Gregor. Turonenſem, *l. 2. c. 1.* cujus, ſtupri à civibus accuſati, veſtimentum prunis impoſitum, illæſum apparuit. Simile quid de Montano Epiſcopo Toletano Ildefonſus Epiſcopus *in præfatione memorab. de viris Eccleſiæ*, narrat. Sed Briccii miraculo non crediderunt cives, ideoque artis magicæ inſimulatum ejecerunt: verùm à Papa reſtitutus eſt. Apud Scotos, referente Bedâ, cùm S. Brigida lignum altaris, in teſtimonium virginitatis, tetigiſſet; viride factum eſt. Priſcis autem legibus tria potiſſimum recepta ſunt examinum genera, *Jurisjurandi, Duelli & Orda-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Ordalii; *Crucis* enim rarior uſus fuit: Primum *purgationem Canonicam* appellabant; Secundum, *legem duellionum*: Tertium, *purgationem vulgarem*, aliàs legem apparentem, ſeu legem paribilem: quamvis ſub *Purgationis* vulgaris nomine ſecundum & tertium videntur cenſeri, pariterque malè audire & damnari. Tandem igitur prohibitæ ſunt: & quidem *Aquæ frigidæ*, à Ludovico Imperatore defuncto A. C. 840. & ſucceſſore ejus Lothario, qui idem *Crucis* quoque judicium ſuſtulit. *Ferri* unà, & *Aquæ ferventis* examina inhibuit Stephanus V. Pontifex circa A. C. 887. epiſtolâ hac de re ad Humbertum, Epiſcop. Moguntinum, ſcriptâ, quod cùm parum valeret, Fridericus II. Imperator id ipſum denuo ſancivit. *Duellum* Longobardis præcipuè gratum, cùm auferre non valeret priſcus Rex Luitprandus, impium tamen denuntiavit. Atrociùs dein impetiêrunt ſequentium ſeculorum Theologi, præſertim Agobardus Epiſcopus, librô peculiari ad Ludovicum Pium ſcriptô. Inhibuit Nicolaus P. epiſtolâ decretali ad Carolum Regem, Lotharii patruum exaratâ: vehementiùs tandem damnavit Concil. Tridentinum, *Seſſ.* 15. *c.* 20. Interim Canonum auctoritate poſthabitâ ubique gentium mos adhuc dirus viguit ſemper, inter Eccleſiaſticos quoque: Unde Juretus, è M. SS. Ivoniano ſeculo, Anſelmum quendam, theſauri Laudunenſis Eccleſiæ cuſtodem, in monomachiâ viciſſe aurifabrum innocentem, refert, vide qui de his prolixè agit, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

PURGATIO Animæ, apud Gentiles, triplex credita: illam enim expiari putabant *Aëre*, *Igni* & *Aquâ*. Et quidem ipſa expurgatio in genere, *vanni* ſymbolô, in Bacchi ſacris fuit repræſentata. Unde,

——— ——— Myſtica vannus Iacchi;

apud Virgilium *Georgic. l.* 1. *v.* 166. & ipſe Bacchus λικνίτης, ac λικνοφόρος apud Plut. *de Iſide & Oſir.* ut & Demoſthenem *Orat. contra Cteſiph.* Imò & in Minervæ ſacris, ut indicat vetus Poëta, cùm apud Plutarchum, tum apud Alexandrinum, *Admonit. ad Gentes.* Quemadmodum enim vannô ab aceribus ac retrimentis expurgatur triticum, ita Jacchi ſacris mundari animam ab omni crimine anteactô, perſuaſi fuêre. Specialiter tamen ventilabrum ſeu vannus Liberi ad *Aëra* pertinet, uti & oſcilla. Honor. Servius *ad Æn. l.* 6. *v.* 741. *In omnibus ſacris treſſunt iſtæ purgationes. Nam aut tædâ purgantur & ſulphure; aut aquâ abluuntur; aut aëre ventilantur, quod erat in ſacris Liberi.* Hoc enim eſt, quod *dixit*, *in l.* 2. *Georgic. v.* 389.

——— ——— Tibique
Oſcilla ex altis ſuſpendant mollia quercu.

De *Igne* alibi dictum. Ad poſtremam, quæ *Aqua* fieri exiſtimata, reſpicit Heſiodus citante Walæô, *ad Matth. c.* 27. *v.* 24.

Ὃς ποταμὸν διαβῇ, κακότητι δὲ χεῖρας ἄνιπτος,
Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω.

Vide quoque Platonem *in Cratylo p.* 266. Ovid. *Faſtor. l.* 2. *ſub princ.* Senecam *Hippol. Act.* 2. *ſub fin.* Athanaſium, *de ætern. ſubſt. Filii*, & *contra Sabell.* & qui fusè de hoc ritu agit, Tob. Pfannerum, *Syſtemate Theol. Pur. c.* 14. §. 2. *num.* 2. Fuit etiam *Terrâ* purgatio, ſed hæc comprehenditur ſub ea, quam Igne fieri dixerunt; niſi hanc potiùs ſub illa contineri dicas, cùm Ignis ſit è Terra, G. Joh. Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 2. *c.* 14. Cœterùm *purgamentorum* ſordes in aquas vel fluviales vel marinas abjiciendi ritus, frequentiſſimus olim. Homerus toties,

——— ——— εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Virg. *Ecl.* 8. *v.* 101.

Fer cineres Amarylli foràs, rivoque fluenti,
Tranſque caput jace.

Vide quoque Theocritum, Ἡρακλίσκῳ, Val. Flaccum, *l.* 3. Ciceronem pro *Roſcio*, Alios. Sed & in trivia projici ſolita. Petronius. *Quod* purgamentum *in nocte calcâſti in trivio?* Ad quem locum vide *Notas* Wouwerii, & plura hanc in rem apud Jo. Meurſium *ad Lycophronem*, & ſuprà voce *Myſterium*: ac infrà *Teletes*: uti de *Purificationibus* Legalibus in Vet. Teſtam. quas ſic inter ſuos æmulari voluit Dei ſimia, infrà.

PURGATIO Canonica, apud Honorium III. *in V. Compilatione*, *Alioqui quia publica Fama laborat & manifeſtæ præſumptiones apparent*, purgationem *ſuper præmiſſis* Canonicam *cum manu decima ejuſdem dignitatis & ordinis indicatis*, paſſimque in Jure Canonico, eſt demonſtratio innocentiæ ſuæ, ſuper objecto crimine, propriô juramentô vel ſi oporteat, juramentô Compurgatorum. Ei opponitur *Purgatio Vulgaris*, de qua dictum ſatis. Vide quoque ſuprà *Judicium*, *Lada* &c. Hodie, in Eccleſia Romana, teſte Simancâ *de Catholicis Inſtitut. Tit.* 56. §. 1. ſæpe olim memorata, in omnibus ferè, aliis criminibus in uſu eſſe deſiit, in crimine tamen *hæreſeos* etiam nunc uſitata, & in foro Inquiſitorum frequentata eſt. Quando ſcil. delatus reperitur ſolummodo de hæreſi diffamatus, & non convincitur nec propriâ confeſſione, nec facti evidentiâ, nec teſtium productione legitimâ, nec ulla alia indicia contra eum probantur, ſed ſola contra eum præcisè eſt infamia, non abſolvitur, ſed ab Epiſcopo & Inquiſitore conjunctim imponitur ipſi *Purgatio Canonica*, quæ teſtibus fit, eô numerô, qui ab Judice conſideratâ qualitate perſonæ criminis, & infamiæ, vel major vel minor definiri ſolet: ordinariè autem reus *purgare* ſe tenetur ſeptem plus minùs teſtibus, hôc additô, ut ſi defecerit in uno, duobus tribus aut pluribus, exinde convictus plenè de crimine cenſeatur. At hi *Compurgatores* ſeu *Expurgatores* dicuntur. Oportet autem teſtes eſſe ejuſdem ordinis cum delato ſeu diffamato, ut ſi ſit religioſus, & illi ſint religioſi; ſi clericus ſecularis, & illi clerici ſeculares; ſi miles, & illi milites. Cujuſmodi compurgatores ſi non inveniantur, eligendi ſaltem ſunt aliqui viri probi, cives, vel alii. Primò itaque ſententia reo dicitur, à qua ſi non provocaverit, is ad ſe purgandum teſtes nominat, qui unà cum diffamato coram Inquiſitionibus & Tabellione juramentum ſolenne præſtant, cujus formulam *Concilium Tarraconenſe* præſcripſit: præſtitâ purgatione abſolvitur reus; & denuntiatur vir boni teſtimonii. Si defecerit in purgatione, pro convicto habetur, & ſicut hæreticus condemnatur, Si autem ſe *purgare* noluerit, excommunicatur anni ſpatiô, ac eô peractô condemnatur. Quod ſi poſt purgationem incidit in hæreſin jam purgatam, pro *relapſo* habetur, & ut talis brachio ſeculari traditur: quod in eo caſu locum habet, quando quis vehementer de hæreſi fuit diffamatus &c. Apud nonnullos verò Inquiſitores invaluit, ut reus *vehementer* ſuſpectus primò *torqueatur*: dein, ſi nihil confeſſus fuerit, ſe *purgare* cogatur; pòſt ſi expurgatus fuerit, ut *abjurare* quoque teneatur; & tandem arbitrariis inſuper pœnis *puniatur*. Judice tamen Simancâ, ad *purgationem* non cogendi ſunt, niſi quorum fama populo Chriſtiano valde neceſſaria eſt, Epiſcopi ſcil. Sacerdotes, Prædicatores, & id genus alii, *d. tit.* §. *cit.* it. 16. 17. 18. 20. Vide & Franc. Pegnam, *Praxi Inquiſitor.* & *Director. Part. I. comm.* 14. ubi fallacem ac incertam hanc veritatis eruendæ rationem eſſe fatetur, adeoque non facile eò deveniendum eſſe judicat.

PURGATIO Vulgaris, vide *Purgatio*.

PURGATORIUM S. Patricii, vide *Patricii purgatorium*.

PURIFICATIONES & PIACULA, quibus in Veteri Teſtam. expurgari ſolebant immunditiæ & violata ceremoniarum religio expiari, fiebant tum in Sacrificiis, tum in Lotionibus & Aſperſionibus, Hebr. *c.* 9. *v.* 13. Et quidem Sacrificium Puerperæ deſcribitur Levit. *c.* 12. *v.* 6. 7. 8. Gonorrhæi Levit. *c.* 15. *v.* 14. Mulieris fluentis, Levit. *c. eôd. v.* 29. Leproſi Levit. *c.* 14. *v.* 10. quod omnes offerebant, poſtquam probè purgati & abluti eſſent. Communis verò *Purificationum* ratio & quaſi caput conſiſtebat in Balneis, Levit. *c.* 15. *v.* 16. in quibus aquâ vivâ totum corpus abluebatur, quæ ablutio Hebræis טבילה. Ei affinis erat *manuum ablutio*, quam anxiè & ſuperſtitiosè jam inde ab antiquis temporibus obſervabant, uti diſcimus ex Marci *c.* 7. *v.* 2. Solennior verò erat Leproſi purificatio; quæ fiebat adhibitis duabus avibus mundis, cedrô, hyſſopô, lanâ coccinâ aliiſque in Lege expreſſis ceremoniis: quibus peractis ſeptimô die radendus erat leproſus corpuſque mundandum balneô, inde ſeptimô die iterum radi & lavari, octavô denique die ſacrificia offerre, ſanguine aſpergi & oleô inungi debebat, Levit. *c.* 14. & *ſeqq.* Quô ferè modô etiam domus expurgabantur. Præ cœteris autem omnibus ſingularis erat *Purificatio* pollutiè morticino: quæ *aquâ ſeparationis*, ſeu aquâ cinere vaccæ rufæ conſperſâ peragebatur, Numeror. *c.* 19. *v.* 19. De quibus omnibus, & ſignificatione eorum myſtica, vide Franc. Burmannum, *Synopſi Theol. Chriſtian. Part. I. l.* 4. *c.* 23. aliquid & infrà voce *Sanguis*. Sed & in Eccleſia Romana hodieque *purificari* Mulieres, quæ poſt partum in Eccleſiam veniunt, & benedictionem à Sacerdote accipiunt: & *Purificatio*, oblatio dicitur, quæ ab iſtiuſmodi Mulieribus offertur, candelâ comitata. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* ubi etiam *Purificatorium* dici linteolum, quô in eadem Communione Sacerdos calicem Euchariſticum extergit, poſt communionem verò ejus locô ſpongiam à Græcis adhiberi, addit. In linteoli hujus medio *Crucem* acu deſignari, ut à cœteris linteolis in uſum Sacrificii ut vocant præparatis diſtinguatur, olim verò manipulum huic fini inſerviiſſe, obſervat Dominicus Macer *in Hierolex.*

PURIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis Feſtum, in eadem Eccleſia, celebratur ſub initum menſis Februarii: inſtitutum in locum Ambarvalium ſeu Amburbialium, ut Macri Fratres habent, in voce *Hypante*; ſic enim hæc feſtivitas Græcis dicitur, apud quos Imperii Juſtiniani annô 15. d. 2. Februarii, initium ſumſit. Vide ſuprà in *Candela* & *Hypante*, nec non ubi de *Luminum feſto*.

PURIM, Latinè *Sortium Feſtum*; unum fuit ex feſtis Judæorum, humanô conſiliô inſtitutis, de quo vide Eſther. *c.* 9. *v.* 26. & ſuprà aliquid, *Mardochai dies*.

PURITANI, primitus in Anglia Colmanus, Buttonus, Halinghamus, Benſonus, aliique Miniſtri Verbi dicti ſunt ab adverſariis, qui ſub Elizabethâ Regina receptam in Eccleſia Anglica diſciplinam, Liturgiam & Epiſcoporum auctoritatem, in quæſtionem revocare cœperunt, eò quòd parum à Pontificia in ſpeciem abeſſet, & omnes ejus ritus, ad præſcriptum Genevenſis Eccleſiæ conformari cuperent. Quorum cùm nonnulli exauctorarentur, Beza *Epiſtol. ad Edmundum Grindalum*, Epiſcop. Londinenſem, pro iis interceſſit. Thuan. *Hiſt. l.* 42. An. circiter 1565. 1573. Maximè autem non ferebant, Epiſcopatum urgeri, quaſi de Jure divino deberet in Eccleſiis obtinere, qua de re vide Bucerum Paſtor. Verianum in Zeelandia *de Gubernat. Eccleſ.* Synodô Zirizœanâ contra Jacobi Regis indignationem defenſum A. C. 1618. Uti verò facilè ab uno extremo ad aliud tranſitur, ita in Anglia accidit. Uti enim ab una parte exorbitabant Epiſcoporum nonnulli, omnes cenſendo excommunicandos, qui ſuæ ſe diſciplinæ ac ceremoniis non ſubjicerent, quia in Eccleſia Miniſterium non agnoſcendo, quod ab Epiſcopali ordinatione & juriſdictione non dependeret: ſic ab altera parte, cùm viderent multos Eccleſiæ illius nævos, multas ſuperfluas ac vanas ceremonias, offenſi inſuper creſcente indies Epiſcoporum quorundam faſtu ac dominandi cupidine, eò proruperunt, ut Eccleſiam Anglicanam, tanquam falſam, apoſtaticam & Antichriſtianam condemnarent, atque ab ea ſeceſſionem facerent: cujus ſchiſmatis primus fuit auctor Boltonus quidam, qui tamen poſteà errores ſuos revocavit. Ei ſucceſſit Rob. Brownius, de quo ſuprà voce *Browniſtæ* & *Brownius*, aliique. Intereà pientiſſimi inter Epiſcopos, cùm non pauci eſſent, ab illis prudentiores ſecedere neutiquam voluerunt, ſed ferendum potiùs quod ferri poterat in Epiſcopis ſuâ auctoritate abutentibus, quàm in Independentiſmum, omnis ἀταξίας originem & maleferiatorum ingeniorum velut nidum, concedendum judicârunt. Unde ſub Eliſabetha primùm, exin ſub Jacobo I. Magnæ Britanniæ Rege hic in univerſum Eccleſiæ Anglic. ſtatus fuit: *Epiſcopi* & *Puritani* erant;

Hi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Hi verò in tria genera progreſſu temporis diſtincti ſunt, *Conformiſtas*, *Non-Conformiſtas* & *Separatiſtas*, de quibus omnibus vide hic quemque *ſuô locô*) plura apud Honorium Reggium, *Tractatu de Statu Eccleſ. in Britannia*, Hoornbeckium, *Summâ Controverſiar.* Georg. Hornium, *Hiſtoriâ Eccleſ. Periodô* III. *Artic.* 3. uti de *Puritanis novis*, ſub Carolo I. ſupra voce *Independentes*. Jacobus M. Britanniæ Rex *Præfat.* Δώρε βασιλικε̃, in qua ait. *Puritanorum nomen propriè viliſſimæ illi Anabaptiſtarum ſectæ accommodari, quam familiam amoris vulgò nuncupant, proptereà quòd hi ſolos ſeſe ab omni peccato quaſi puros putos æſtimare ſolent, ſe ſolos eſſe veram Eccleſiam —— Hôc eôdem cognomentô cereóroſos iſtiuſmodi concionatores, phanaticos eorum diſcipulos & pediſſequos voluiſſe inſignire, quia —— eandem diſciplinam pertinaciſſimè propugnant* &c. duo ſignificare id nomen innuit: Quæ proin duæ vocis notiones ne confunderentur, addit: *de omnibus univerſim prædicatoribus* (hoc nomen adhibendo) *minimè ſenſiſſe, ne de illis quidem, quibus ſimplex illa Eccleſiæ noſtræ gubernandæ forma magis placeat, quàm multiplices illæ Anglicæ ceremoniæ*, & quæ plura *ibid.*

PURPURA, propriè concha, cujus liquore olim veſtes tingebantur. Cn. Mattius *in Mimiambis*, apud A. Gellium, *l.* 20. *c.* 9.

Jam tonſiles tapetes ebrii fucô,
Quos concha purpura *imbuens venenavit.*

Dico, *olim*; quia Veterum *Purpura* nobis periit ut infrà videbimus. Ejus inventionem Herculis cani tribuerunt Phœnices. Unde Nonius, *Dionyſ. l.* 40. *de illo*,

Χιονέας πορφύρε παρηΐδας αἵματι κόχλε.
Niveas purpuravit malas ſanguine cochleæ.

Cujus rei cauſam ſic aperit Bochartus. Verbum כלב *chelab*, Syris primò *ſpargere*, inſpergere, deinde etiam *tingere*, ſonat, unde nomen כילב *chilab* tinctorem ſeu infectorem. Canis autem nomen כלב *cheleb*, iiſdem penè literis ſcribi, neminem latet. Igitur Tyrios luſiſſe apparet in voce ambigua כלב, quæ & *infectorem* & *canem* ſignificat, & Herculis cani tribuiſſe nobilem artem, quam lanarum infector, Herculis ævô, Tyri repererit; Herculis ſcil. illius antiquiſſimi, qui Moſe fuit vetuſtior. Proinde in Moſis ſcriptis de purpura multa mentio. Et gravi errore Eutychius Alexandrinus Patriarcha hæc refert ad Hierami illius tempora, qui Salomoni fuit æqualis &c. De ea autem ſic Plin. *l.* 9. *c.* 36. *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Reliquum corpus ſterile. Vivas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum evomunt. Et majoribus quidem purpuris, detractâ conchâ, auferunt; minores trapetis frangunt, ita demum rorem eum excipientes Tyrii.* Ibidem duo eſſe genera turbinatorum, florem illum tingendis veſtibus expetitum continentium, reperies. *Purpuram* & Buccinum, ambo *Conchyliorum* nomine laxè acceptô comprehenſa. Quandoque enim vocabulum *Conchylii* ſtrictiùs ſumitur, ut cùm *Dioſcorides* jungit *Conchylium*, Purpuram, *Buccinum*: Imò & Buccinum *Conchylii* nomine ſolùm quandoque venit. Sic ut illô modô eædem ſint *veſtes conchyliatæ* & quas Maro appellat *Æn. l.* 4. *v.* 262. *Tyriô murice* infectas; hôc opponantur veſtis *conchyliata* & *purpurea*. Nempe apud Romanos ſic uſus erat, ut conchyliatus color eſſet dilucidior ac pallidior: purpureus vegetior florentiorque. Qualis Tyrius, ut idem Plinius ait, *concreti ſanguinis nigricans aſpectu idemque ſuſpectu refulgens*: Uſum *Purpuræ* in ſeqq. ſic exponit, *Præcipuus hic Aſiæ, in Meninge Africæ, & Getulo littore Oceani, in Laconica Europæ. Huic faſces ſecureſque Romanæ viam faciunt: idemque pro Majeſtate pueritiæ eſt. Diſtinguit ab Equite Curiam: Diis advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat, in triumphali miſcetar auro.* Et uſum quidem ejus Romæ ſemper fuiſſe, obſervat idem, *in trabea ſub Romulo, in prætexta & clavo ſub Tullo Hoſtilio.* Non idem tamen *Purpuræ* genus, ut idem Cornelii Nepotis docet, his verbis: *Me Juvene violacea* Purpura *vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo pòſt rubra Tarentina, huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther Ædilis Curulis primus in prætexta uſus improbatur, quâ* Purpurâ *quis jam, inquit Nepos, non tricliniaria faciat? Spinther*, ſubjicit Plinius, *Ædilis fuit Cicerone Conſule, dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta fuiſſet veluti in magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores* Purpuræ *tinguntur.* Primis ergo temporibus, Prætextarum, nam illæ à Regibus invectæ ſunt & clavorum in tunica, *Purpura* violacea fuit; mox rubra Tarentina, à loco, ubi tingebatur, ſic dicta: tandem omnium pretioſiſſima Tyria ſucceſſit, quæ à duplici tinctu *dibapha* appellata; Eaque initiô ob luxum notata, ut in Spinthere & M. Cœlio, de quo Ciceronis extant verba *pro eod. Si quem etiam minimorum horum offendit, ſi Purpuræ genus, ſi amicorum catervæ*: ubi *Purpuræ genus*, h. e. *Tyriæ* ſeu *dibaphæ*, quæ tum improbabatur. Vegeti illam coloris florentiſque maximè, ac luminoſi, contrà vulgarem violaceam obtuſioris ac penè fuſci fuiſſe, docet Plut. *in Catone.* Poſt Ciceronis verò Conſulatum, creſcente luxu, omnes ferè purpuræ commodiores Tyriæ erant & Laconicæ, h. e. dibaphæ ac bis tinctæ, ita tamen ut Laconicæ Tyriis eſſent deteriores. Ovid. *de Rem. Am. v.* 707.

Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis,
Murice cum Tyrio, turpius illud erit, &c.

Quare Tyriam Horatius, *l.* 2. *Od.* 16. *v.* 35. *muricem bis Afrum* appellat, i. e. ut Porphyrio interpretatur, *dibapham pretioſiſſimam.* Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l.* 2. *c.* 7. *ubi de Purpura, cocca, blatta, exactè differit.* Hinc *Purpurea* Toga, i. e. Triumphalis, primùm: quæ poſteà acu picta, i. e. elaborata Phrygiôque opere figuris diſtincta eſt; unde aurum ei immixtum, quemadmodum & Plinius docet, verbis, *loc. cit. in Triumphali auro miſcetur*, & Dio proin ἁλεργίδα χρυσόπαςον appellat, *l.* 63. Hujus jus, ad privatos quandoque homines tranſlatum eſſe, exemplô Pauli Æmylii, docet Livius: Pompeji M. Dio, eundemque honorem Catoni, ob regiam Cypri gazam ſanctè Romam tranſvectam, oblatum, ſed repudiatum ab illo, tradit Plutarchus. Similiter *Purpura* Prætextam illuminabat, unde pro illa non rarò ſumitur: Senatorum porrò tunicam, nil enim pleriſque clavi aliud, quàm *Purpuræ* tuêre ſegmenta, ſive fruſta *purpurea*, quæ in pectore tunicæ aſſuebantur. Matronas etiam in Tyria aureis inſtitis ſegmentata inceſſiſſe, notârunt Eruditi: Sed libertinæ & quæcunque apud Ædiles licentiam ſtupri vulgaverant, quia illis *Purpurâ* interdictum, aliæ alios veſtibus colores aſciſcebant. Nec omittendum, Pædagogianos pueros tunicâ auro diſtinctâ, indutos calce in pubem, *purpureis* pedum tegminibus operiri fuiſſe ſolitos, id quod docet Cujacius *ad tit. de Caſtrenſ. & Miniſt. Cod. l.* 12. Interiori verò ævô, Veſtis *purpurea*, i. e. Toga & Paludamentum, Imperatorum fuit, initiô à Galieno factô, ut de eo narrat Trebellius, *c.* 16. A quo tempore *Purpura* pro Principatus ſymbolo à Scriptoribus paſſim capitur. Hinc *ſumere Purpuram*, pro *ſumere Imperium*: & in tumultuariis Imperatorum creationibus, direptam à vexillis *Purpuram* aut de ſimulachris Deorum à militibus, cum aliundè non ſuppeteret, ut eâ Imperatorem induerent, Hiſt. Auguſtæ Interpretes annotârunt. Vide infrà. Unde etiam eſt, quòd inter omina Imperii ſemper aliquid *purpureum* occurrit, ut in eadem Hiſtoria paſſim obſervare eſt. Denique inde Imperatoria *Purpura ſumma* dicta eſt: Item *Purpura Principalis*, *ſacer murex*, *Purpura veri luminis* & *veſtis alethina*, h. e. *vera verique coloris*. Caſaubon. Similiter, ſingulare id fuiſſe Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ut rubris & *purpureis* calceis uterentur, oſtendit Paul. Diaconus, inquiens; *ut agnoſceretur Imperator ex rubris calceis.* Hinc Georg. Phranzez Protoveſtiarius *in Chron. l.* 1. *c.* 17. Manuelem Imperatorem creatum *coccô tinctis calceamentis conceſſis*, Succeſſoremque ab omnibus agnitum fuiſſe refert: & Corippus, *l.* 2. *de Juſtino Jun.* ſic ſcribit,

Purpureô ſuræ rutilant fulgente cothurnô,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.
Auguſtis ſolis hôc cultu competit uti.

Imò ipſe Cæſar apud Dionem, *Calceamentis utebantur altioribus & coloris rubri, more Regum Albanorum*: cùm mulleorum uſus Patriciis in Republ. Romana olim promiſcuus eſſet, qua de re vide ſuprà *ſuô locô.* Ab Imperatorib. dein ad Pontifices Romanos uſum tranſiiſſe, conſtat ex Ceremoniali Pontificum, *l.* 2. *c. de Indum. Induitur Papali habitu, togâ ſcil. lineâ albâ, ſandaliis rubeis, aureâ cruce ſignatis*, Balduinus *de Calc.* A Pontifice poſteà *Purpuræ* uſus Cardinalibus indultus, quo de vide in voce *Cardinalis.* Veteres contrà Chriſtiani *purpuras*; quòd earum uſus idololatriæ propriè videretur dicatus, damnabant. Unde *purpuras deſpiciunt* Cæcilius de iis apud Octavium Minucii Fel. atque ex eo concludit Tertullianus, non licere fideli dignitatis ac poteſtatis alicujus adminiſtrationem gerere *de Idolol. c.* 18. quam ob cauſam *Lucifugos* eos inter alia appellatos ſuprà diximus. Vide quæ Deſid. Herald. *ad locum Minucii*, & de *Sacerdotum purpura*, quam ibi intellectam nonnulli volunt, *ad Tertulliani Apologeticum, c.* 15. pluribus agit: adde Geverh. Elmenhorſtium *ad eund. Minucium*, ubi Gratianum Imperatorem titulum Pontificis M. cum ſtola Sacerdotali, à Pontificibus ſibi pertinaciter delatâ, averſatum eſſe ac reſpuiſſe, ratum, fas non eſſe Chriſtianum Imperatorem habitu Ethnicô uti, docet ex Zoſimo *l.* 4. Sed etiam Rhetores in *Purpura* olim inceſſiſſe, Baſilius minor Orationum Greg. Nazianzeni Interpres docet, cùm contrà Philoſophorum pallia nigra eſſent. Tragicis inprimis hic color conſentaneus Theatris, in quibus Principum, conſpicuô ſplendentis *Purpuræ* decore illuſtrium, caſus ac funera repræſentabantur, unde *Purpureus Cothurnus* non rarò memoratur, quô Dianam quoque ſuras altè vinxiſſe Poëta ait. Laconibus ſimiliter grata hôc colore tincta veſtis in præliis fuit, *tum quia color ipſe quid auguſti habet, tum ut fluor ſanguinis à vulneribus occuleretur, tum ut ejus aſpectus acrior ac terribilior magis hoſtem percelleret.* Idem de Carthaginenſibus, Silius, *l.* 3. de Iberis Polybius, *l.* 3. prodidêre. Vide Anſelm. quoque Solerium *de Pileo*, & præterea Salmaſ. *ad Tertullian.* & *Exercit. Plin. ad Solinum*, præ his autem Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſterior. l.* 5. *c.* 9. 10. & 11. Præter *Purpuram* verò genuinam, cujus duæ ſpecies jam ſuprà indigitatæ, *rubra*, Hebr. ארגון *argavan*, & *cœrulea* תכלת *thechelet*, de quibus vide quoque in his vocibus: *Purpuræ factitiæ* plures ſpecies fuêre; putà ex *vacciniis*, *alga Creticâ*, *amorge herba*, *purpurea herba in Abaſenis*, *Ibera ferrugine*, *flore purpureo ad fontes Hyparchi flumin.* & *Indica ſandice*, quæ fuit divini fulgoris. De quibus alibi, hîc ſaltem de alga Cretica addo locum Theophraſti, *Hiſtor. l.* 4. *c.* 7. qui Latinè ſic habet: *Etiam in Creta juxta terram, ſuper ſaxa naſcitur alga plurima & pulcherrima, quâ non ſolùm vittas, ſed & lanas veſteſque inficiunt. Et quandiu recens eſt tinctura, color purpurâ longè præſtat.* Et Plin. *l.* 12. *c.* 25. *Circa Cretam inſulam nota* (*phyco*) *in petris purpuras quoque inficiunt* &c. Cujuſmodi algâ paſci purpuras, atque inde florem ſeu colorem ſuum trahere, nonnulli aſſerunt, auctore Philoſophô, *Hiſtoria Animal. l.* 6. *c.* 13. Vide quoque ſuprà non unô locô, inprimis voce *Cochinilla*, *Fucus*, item *Phucarium.* Cùm itaque tot ſpecies factitiæ pupuræ ſint, hinc Purpura, quæ fit ex conchæ ſanguine, *marina* dicitur ab iis, qui preſſiùs loquuntur διακριτικῶς, ut ab aliis diſtinguant: unde Pollux de Rege Perſarum, *l.* 7. *c.* 13. Ὁ μὲν βασίλειος χιτὼν ἁλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυρε̃ς. *Regis quidem tunica ex marina purpura fuit, reliquorum verò ex vulgari purpura.* Et Demetrius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

metrius Epheſius, Ionum luxu, Καὶ σαράπεις μῆλινοι καὶ πορφυροῖ καὶ λευκοὶ, οἱ δὲ ἁλουργεῖς. *Et Sarapes ipſis fuerunt lutei, purpurei & albi, quidam etiam ex marina purpura.* Hodieque tam *purpureus*, quàm conchyliatus color, non à *Purpura* liquore, ſed ab herbis eſt, Gerh. Jo. Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 47. Ita enim hodie vera purpura deſiit eſſe, ut nemo jam ſit mortalium, qui illius parandæ modum noverit, Bochart. ubi ſuprà. Vide quoque Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium, Theb. l.* 4. *v.* 297. ubi poſtquam de *ardore* purpuræ, ſecundùm quem pretium ejus æſtimabatur, hominumque hinc in Solem prodeuntium more, varia dixiſſet, addit: *Nihil verò penè in totius antiquitatis defectibus mihi mirandum magis obvenit, quàm hoc genus tincturæ* ——— *adeò penitus interiiſſe, ut nec ratio ejus reparandi ulla ſuperſit.* Docet dein, *purpuram*, ſicut apud Græcos, Romanos, Parthos, Perſas, *Magiſtratus* & *Honoris*; ſic *Ingenuitatis*, ſignum fuiſſe, apud Barbaros, hoc eſt, planè à moribus culti Orbis abhorrentes, ex Tertulliano, *de Idolol. c.* 18. Refer huc etiam, quæ retro diximus de *Cochlea* it. *Concha Purpuraria*, ex Cl. Bocharto. In Collegii Jeſuitici Muſæo Kircheriano Romæ, *Purpuras*, alias turbinatas & in mucronem gracileſcentes; alias tuberculis & multâ colorum aſpergine varias: quaſdam ex candido tubeſcentes, ſuperficie levi & terſâ, Pario marmori non abſimiles; nonnullas aſperas, rugoſas & in varios gradus diſcretas; multas in ſpiras detortas, aliquas in helices, convolutas tandemque in cuſpides abſcedentes oſtendi, docet Georg. de Sepibus in *Deſcr.* ejuſ, *p.* 28.

Purpuræ variæ species, apud Auctores.

α. *Purpura Alba*, apud Vinc. Belvacenſem, *l.* 33. *c.* 30. β. *Purpura Alexandrina*, apud Æl. Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 40. *Purpura clariſſima non ad uſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi qua aut poſſent, aut vellent, certè ad vendendum, graviſſimus exactor fuit: ita ut* Alexandrina purpura *hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, ideirco quòd Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet:* eſt purpura clariſſima, quæ omnis tum generali appellatione *Alexandrina* dicebatur, quòd claræ purpuræ graviſſimus & faſtidioſus exactor extitiſſet Alexander. Unde & illud etiam purpuræ genus longè clariſſimum, quod ab inventore vulgò *Probianum* appellatum eſt, *Alexandrinum* quoque eſt vocitatum, Salmaſ. *Not. ad Lamprid. loc. cit.* γ. *Purpura Cærulea.* Vide ſuprà in voce *Cærulea*, & infrà in voce *Thecheleth.* δ. *Purpura factitia*, vide ſuprà, ε. *Purpura Girbitana*, apud Trebellium Poll. *in Claudio, c.* 14. *Albam ſubſericam unam, cum purpura Girbitana*, dicta eſt a *Girba* Inſul. quæ *Meninx* Veteribus, hodie *Gerbi*, in qua nobiliſſimum olim Baphium, cujus meminit *Notit. Imperii.* ζ. *Purpura Marina*, διακριτικῶς dicitur vera Purpura. ut à factitia diſtinguatur, vide *ſuprà.* η. *Purpura Rubra*, Hebr. ארגון *Argavan*, propriè *Purpura* dicitur, non verò *Cærulea*, quæ iiſdem תכלת *Thecheleth.* Non enim à cœruleo, ſed à rubro colore, purpura commendatur, ut omnibus notum. Hinc *purpura* colorem Poëtæ ſanguini tribuunt: Itém Soli, Auroræ, vino, uvis, moris, narciſſo, roſæ, papaveri, violæ, puellarum labris & genis, maximè in pudore, amethyſto &c. Sic *purpureus*, *coccineus* & *puniceus* color promiſcuè ſumuntur, tam à Sacris, quàm à profanis Scriptoribus, uti pluribus probat Bochartus, *d. l.* θ. *Purpura Sarrana*, eadem cum Tyria, *Sar* enim olim Tyrus. Unde *Pœnos Sarrâ oriundos*, Ennius dixit. Vide *infra.* ι. *Purpura Tyria*, præſtantiſſima. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 306.

——— quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Statius, *l.* 1. *Sylv.* 2. *in Epithal. Stellæ & Violant*, *v.* 125.

Vellera Sidoniô jam pauca rubeſcere tabo.

Et, *l.* 3. *Sylv.* 2 *in Propemp. Metii Celeris*, *v.* 139.

Quæ pretioſa Tyros rubeat, quà purpura ſucco
Sidoniis iterata vadis &c.

Unde Syriæ iſta pars, in qua optima purpura tingebatur. Φοινίκη, *Phœnice*, appellata eſt, à verbo φοινίσσω, quod propriè *cruento* & *ſanguine inficio*; inde *rubrô colore inficio*, denotat. Ei opponitur *Purpura* ψυχροβαφὴς, quæ frigidâ tantùm aquâ intingebatur, non jure decoctis; adeoque fucum non retinebat. Porrò *Tyria purpura* ſuſpectu ruborem nitoremque præferebat cocci: coccô verò tincta rurſus Tyriô tingebant, ut fieret hyſginum &c. Qua de re vide pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis verò p.* 273.

PURPURAM adorare, olim dicti ſunt, quibus Imperatorum chlamydis laciniam tangere vel oſculari conceſſum erat. Et quidem Patricii ad dextram Principis mammam adorabant, quorum recedentium caput deoſculabatur Princeps. Senatores verò ac cœteri genu dextrô ante Principem flexô diſcedebant, uti docet Car. du Freſne ex Procopio, *Hiſt. Arcan. ſub finem.* Vide quoque eidem laudatos, Senatorem, *l.* 11. *Epiſt.* 20. Henr. Valeſium *ad Ammian. l.* 15. & Jac. Gotofredum *ad l. un. Cod. Theodoſ. de Præpoſitis ſacri Cubiculi*, & *ad l.* 6. *de Decurion.* At *Purpuram ſumere*, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyr. in vita Baliſtæ, c.* 18. *Multi & ſumpſiſſe illum* purpuram *& more Rom. imperaſſe, exercitum duxiſſe* --- *dixerunt*: idem eſt, quod *Imperium ſumere.* Sic enim Capitolin. *in Gordiano, c.* 8. *Gordianum Proconſulem reclamantem & ſe terræ adfligentem, opertum purpurâ, imperare coëgerunt. Et primò quidem invitus Gordianus* purpuram ſumſerat: *poſteà verò quàm vidit, neque filio neque familiæ id tutum eſſe, volens ſuſcepit Imperium.* Ubi *Imperium ſuſcipere* & *purpuram ſumere*, idem valet. Omnes certè cum Imperio *purpuram*, quæ Imperii inſigne erat *ſumpſere* Imperatores. Hinc in tumultuariis eorum creationibus legimus ſublatam aliquando de vexillis purpuram à militibus aut è ſimulachris Deorum dereptam, cum alia ad manum non eſſet, quâ humeros eorum advelarent, quibus Imperium deferebant. Apud eundem Pollionem *in Celſo, c.* 29. *Celſum Imperatorem appellaverunt peplô Deæ Cœleſtis ornatum.* Vopiſcus *in Saturnino, c.* 9. qui in Ægypto Imperium ſumſit, *Dereptâ purpurâ ex ſimulachro Veneris, cycladе uxoriâ militibus circumſtantibus amictus & adoratus eſt.* Idem *in Probo, c.* 16. ſcribit, eum appellatum eſſe Imperatorem à militibus *ornatum etiam palliò purpureo, quod de ſtatua Templi oblatum eſt* &c. Vide quæ apud eundem Pollionem, de Herenniano & Timolao, filiis Zenobiæ habentur, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *Not. ad Hiſtor. Aug.* Atque hinc *Purpurati*, *Porphyretici* & *Porphyrogeniti* dicti Imperatores Regumque liberi, quòd in *purpura*, ſeu patre Imperatore vel Rege nati eſſent, ἐν ἁλουργίδι τραφέντες, apud Libanium in προσφωνητ. *Juliano inſcripto*: quos proin faſciis purpureis illigatos & circumvolutos in cunis legimus. Vide ſuprà ubi de *Porphyrogenitis*, & quæ ad hanc rem obſervavit Car. du Freſne *ad Alexiadem, p.* 321. Claudian. *in* 4. *Conſul. Honorii*, *v.* 121.

——— Hoc nobilis ortu
Naſceris æquæva cùm Majeſtate creatus,
Nullaque privatæ paſſus contagia ſortis,
Omnibus exceptis, ultro te Regia ſolum
Protulit & patrio felix adoleſcis in oſtro,
Membraque veſtitu nunquam temerata profano
In ſacros cecidere ſinus &c.

PURPURARIÆ Inſul. maris Atlantici circa Fortunatas, Plin. *l.* 6. *c.* 32.

PURPURARIUM Judææ litus, in tribu Zabulon, memoratur, Deuter. *c.* 33. *v.* 19. ubi paraphraſis Jonathanis ſic habet, *Quia habitant ad litus maris Magni* (ſeu Mediterranei) *& in aditus habitant* tarith. *& chilzona capient, cujus ſanguine hyacinthum tingent, ad fila veſtium ſuarum.* Ubi *chilzona* concha eſt, ex qua purpura elicitur (quæ & ipſa *purpura*) aut conchylium ſaltem aut murex, concharum genera purpuræ non abſimilia, Extendit autem ſe illud à Tyri ſcalis, uſque ad Chaipham, quod promontorium eſt ſub Carmelo, patuitque ſtadiis circiter ducentis triginta. Non tamen ubique purpurarum par copia fuit, ſed harum præcipua ubertas circa Carmelum & Chaipham. Quò referendum, quod in Guil. Tyrio Caiphæ vetus nomen *Porphyria* fuit. Ut eadem fuerit, quæ Phœniciæ Πορφυρεὼν, apud Stephanum ex Polybii *l.* 5. tanquam à *purpuræ* piſcatione facto nomine. Præterea 2. Paralipom. *c.* 2. *v.* 7. 14. & *c.* 3. *v.* 14. כרמיל, *Carmil*, ponitur inter purpuræ ſpecies; *coccum* reddunt Interpretes, Bochartus purpuræ genus ad Carmelum capi ſolitæ, &c. Vide quæ hanc in rem eruditè congeſſit Samuel Bochart. *Hieroz. Part poſterior. l.* 1. *c.* 9.

PURPURATUS, nomen monetæ, in Imperio Conſtantinopolitano, olim currentis, vide ſuprà in voce *Hyperperus.*

PURPUREO-Rufus, vide *Rufus.*

PURPUREUM Mare, pars eſt maris Pacifici, à Septentrione in Meridiem extenſa, inter novum regnum Mexicanum ad Ortum, & Californiam ad Occidentem. Sed non æquè lata, inter oram novæ Hiſpaniæ & promontor S. Lucæ. In California reſtringitur ad 200. mill. paſſ. *Mar Vermejo Hiſpan.*

PURPUREUS, Color, vide ſuprà: item infrà voce *Velum*, uti de larvis mulieribus, nauticiſque velis, cùm lætæ res erant *purpureis.* Aliquando parabatur ex creta infectâ rubrâ radice, quam Græci ἐρευθέδανον vocant, & hyſgino: uti ex coccino purpurâ ſupertincto fiebat hyſginum. Vitruvius, *l.* 7. *c.* 14. *Fiunt etiam purpurei colores infectâ cretâ rubrâ radice & hyſginô.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 272. & 273. ubi multa de *Purpurei*, *Coccini* & *Hyſgini* coloris diſcrimine. Sed & *purpurea* dixêre, quæ eximii candoris ſunt: ut nix & cygni. Albinovanus in *Mecænatis obitum*,

Brachia purpureâ *candidiora nive.*

Horatius *ad Venerem*, *l.* 4. *Od.* 1. *v.* 9.

Tempeſtivius in domo,
Pauli, purpureis *ales oloribus*
Comeſſabere Maximi &c.

Quia utrique colori, candido, inquam & purpureo, hoc commune eſt, ut admixti luminis multum habeant. Unde ab Hebr. זהר *Zehar*, quod *lucere eſt*, Chaldaicum *Zehori*, pro *purpureo* & *coccineo* ſumitur: Viciſſim candori nomen eſt à luce ignea; nam *candere* proprium eſt ignis. Quin λευκὸν, *album*, fit ἀπὸ τοῦ λεύσσειν, quod *videre* eſt, quia color eſt maximè conſpicuus. Unde λευκὰ dici poſſunt, quæcunque ſplendent inſigniter, quomodo rutila & purpurea. Quo facit, quòd illud ipſum verbum ארגמן, quod Hebraicè *rubere eſt*, Arabicè *candere* ſignificat &c. Vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 256. & 257. ut & Bochartum, *Part poſter. Hieroz. l.* 5. *c.* 6.

PURPURISSUM, ex Græco πορφυρίζον, eſt creta argentaria, tincta cum purpuris. Plin. *l.* 35. *c.* 6. *E reliquis coloribus, quos à dominis dari diximus propter magnitudinem pretii, ante omnes eſt* purpuriſſum. *Creta argentaria cum purpureis pariter tingitur, bibitque eum colorem celeriùs lanis.* Sed & egregium *purpuriſſum*, ex rubiæ radice hyſgino fiebat, & quod *Puteolanum* vocat Idem. Etiam anchuſæ radice, & radicula φῦκος dictâ genas ſibi *purpuriſſabant* mulieres &c. Vide ſuprà in voce *Fucus*, & plura hanc in rem, apud Cl. Salmaſ. *ad Solin. p.* 257. 276. & 1148.

PUSCULUS Hubertinus, vide *Hubertinus Puſculus.*

PUSCUM, vulgò *Pautzke*, oppidul. Pruſſiæ regionis in Caſſubiæ finibus, cum arce munita; ad ſinum maris Baltici hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Pautzkerwick dictum. Captum à Suecis A. C. 1626. ſequente annô receptum à Polonis: & A. C. 1655. fruſtra iterum obſeſſum à Suecis.

PUSICIUS, Martyr inſignis, qui ſuper omnes Perſarum Regis artifices erat; Hic conſiſtens & videns Ananiam trementem, cùm ad necem præpararetur, ait: *Paulùlum ô ſenex claude oculos, & ſecurus eſto, mox enim Chriſti videbis aſpectum.* Cumque dixiſſet hoc, repente comprehenſus, ad regem ductus, Chriſtianus eſſe manifeſtatur, eò quòd pro dogmate fuiſſet locutus liberâ intentione de Martyribus. Tunc rex extraneô quôdam & crudeli modô eum mori præcepit, ita ut, perforatâ cervice, exinde linguam ejus ejicerent. Hôc itaque factô, quibuſdam accuſantibus, etiam ejus filia, virgo ſacra, tunc comprehenſa eſt, & perempta Sozomen. *l.* 3. *c.* 1.

PUSIO & Secundilla, prodigioſi corporis homines, Plin. 7. *c.* 16.

PUSIO, vide ſuprà, *Puer.*

PUSTULATI Balthei, apud Treb. Pollionem *in Gallienis*, *c.* 2. *Saloninus puer his auratos puſtulatoſque baltheos rapuiſſe fertur*, ſunt *puſtulis* vel bullis argenteis diſtincti: *Puſtula* enim de argento optimo dicebatur, Martialis, *l.* 8. *Epigr.* 51. *v.* 6.

Et niveum candens puſtula *vicit ebur.*

Bullæ autem aureæ vel argenteæ in baltheis. Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 942.

——— *notis fulſerunt cingula bullis.*

Idem, *l.* 9. *Æn. v.* 359.

——— *phaleras Rhamnetis & aurea bullis*
Cingula.

Puſtula certe pro *bulla*, & *puſtulatum* pro *bullatum*, apud Tertullian. de concha margaritifera, *Quòd ſi concha illa aliquid intrinſecus* puſtulat, *vitium ejus magis debet eſſe, quàm gloria* &c. Cur autem *puſtula* de argento & quidem primæ notæ dictum fuerit, hanc rationem reddit Salmaſ. *ad Solin.* quòd ad cælaturas non niſi optimum ac præſtantiſſimum argentum eligeretur: ac cælata vaſa ſeu τορεύματα ſignis aſpera erant. Unde hodieque opus τορευτικὸν vulgò Galli *en boſſe* dicunt, i. e. *in puſtula* ſive *puſtulatum*, *p.* 1048. Voſſ. verò argentum *putum*, Veter. *puſum*, pro excocto & expurgato; hincque *puſulatum*, vel *u* in *o*. mutatô, *poſtulatum*, cujus mentio apud Alphenum JC. *in l.* 3. *Locat.* alibique, pro recenti & adhuc ex novitate aſpero inſtar *puſtularum*, ſumi exiſtimat. Certè *puſula* quoque ignis ſacer, & *puſulata ovis* Columellæ, *l.* 7. *c.* 5. dicta. Vide Plinium, *l.* 26. *c.* 8. & plura hanc in rem, apud Alciatum, *l.* 6. *Parerg. c.* 4. Turnebum *Adverſar. l.* 24. *c.* 2. Alios.

PUTA, primùm puella dicta, poſtmodum ad laſcivientes deducta vox, Scaliger *ad Catalecta Virgilii.* Idem verò nomen Deæ, quæ *putandis* arboribus credebatur præeſſe, Voſſ. de *Idolol. l.* 2. *c.* 60. Vide quoque ſuprâ *Peta.*

PUTARE lanam, ξαίνειν Græcis. Tunc autem dicuntur *putari* purgarique lanæ, quum ipſæ per ſe purgantur, priuſquam in fila deducantur & in tela texantur. Vide ſuprà ubi de *Purgamento lanæ.* In arboribus *putatio*, Græcè κάθαρσις ſeu διακάθαρσις, cum interlucatione ſeu conlucatione, h. e. amputatione vivorum ramorum, ſed ſupervacaneorum, eadem eſt. Vide Theophraſtum *de Cauſis*, *l.* 5. *c.* 21. Quod *coinquere* in lucis dictum, ſeu ſacris ſylvis, h. e. *contaminare.* Non enim ſolùm, cùm arbores fulguritæ penitùs exciderentur, ſed & cùm rami, ſacrificiô priùs factô, interlucarentur & coërcerentur, *coinqui* dicebatur ſeu contaminari lucus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 585. uti de *putatione vitium* ab aſino monſtratâ, ſuprà voce *Nauplia*: aliquid etiam infrà. in *Vitis.*

PUTBUSCH, nomen generoſæ in Rugiis Familiæ, cujus iſta ſeries: Nicolaus *de Putbuſch*, ex Brigitta *Moltken*, genuit Woldemarum, patrem ex Agatha Eberſtenia Comit. Georgii: quô & Annâ Catharinâ Comite Honſteniâ, genitus Ludovicus, ſibi junxit Annam Mariam Comitem Honſteniam (filiam Erneſti Comitis qui obiit A. C. 1562.) atque ex ea ſuſcepit Erneſtum Ludovicum, defunctum A. C. 1616. Hujus ex Magdalena Comite Eberſtenia, filii fuêre Wolfgangus Henricus, Ertmannus; Erneſtus Ludovicus. Vide Philip. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europ. Tom.* 2. *p.* 119.

PUTEAL Navii, apud Ciceronem, *de Divin. l.* 1. ubi de præciſæ à Navio Augure cotis miraculo, *Ex eo evenit, ut & Tarquinius Atiô Naviô augure uteretur & populus ad eum de ſuis rebus referret. Cotem autem illam & novaculam defoſſam in Comitio puteal. que impoſitum accepimus*; *Dionyſio* βωμὸς eſt, *ara*, ſub ara enim defoſſam cotem cum novacula ait: Cum *Puteali Libonis* malè à nonnuliis confunditur. *Puteal* enim *Navii*, in Comitio fuit ante Curiam, ubi etiam Navio ſtatua togata poſita erat, Plin. *l.* 34. *c.* 5. At *Puteal Libonis* longè ab eo loco, ut docent S. Rufus & P. Victor, qui Ruminalem ſive Naviam ficum, quæ juxta Navii Puteal erat, & Puteal Libonis in longè diverſis locis ponunt. Adde, quòd Libonis Puteal in ſuo loco manſerit, uſque ad extrema Romani Imperii: at illius aræ apud Auctores illius temporis nullum veſtigium. Et ſanè Plinius memorat, Aram illam ex eo loco ſublatam gladiatoriô munere Jul. Cæſaris, quod in Foro editum eſt: poſt quæ tempora loco tamen *Putealis* nomen manſit. Sed nec unum *Puteal* Romæ fuiſſe, docet Ruffus, qui in Regione VII. Urbis *Putealium vicum* recenſet. Cœterùm non ibi ſtatim *Puteal*, ubi *Puteus*, ut viri docti hactenus ſibi perſuaſerunt: nempe quia *puteal* operculum putei, ideo neſcio quos Deûm Marium puteos hariolati. Imò ideò *Putealia* hæc dicta, quia ſine puteo: Ubi enim puteus ſubeſt, non puteal dicitur, ſed puteus, quâ voce etiam comprehenditur operculum putei. *Puteal Navii*, ara fuit, ut vidimus, talis etiam *Puteal Libonis*, in cujus nummis ſanè aræ inſtar viſitur. Non verò quælibet ara hôc nomine venit, ſed illæ ſolùm, quæ locis fulguritis vel fulguribus conditis imponebantur, foramen in medio habentes, ut cœlum deſuper pateret. Hujuſmodi enim lapis in medio perforatus, veluti templum Fulguri fuit, & ara; imò & *Puteal*, quia talis forma Putealis. Nihil enim aliud ſignificat vox hæc primigeniâ & propriâ ſui notione, quàm lapidem pertuſum, qui ori putei circumponebatur; cujuſmodi ſuggeſtum lapideum, circa os putei, plerique etiamnum ædificant, cui magnus lapis imponitur, in medio foramen habens, ad inſtar orificii putei. *Sacella* quoque vocabant iſtiuſmodi putealia, Templa nimirum ſine tecto; ſed & quod ſine tecto eſt & foramine apertô patet, *Templum* etiam dicitur. Sophocles σηκὸν ἀκαλυφῆ vocat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1138. & *ſeqq.* ubi inter alia & hoc addit, fieri poſſe, ut cùm aræ Deorum, qui Templi tegmine nolebant claudi, quæque proin ſub dio poſitæ erant, non tamen nudæ, ſed aliquô ſeptô, quod ipſis conjunctum erat, nullô interſtitiô relictô, munitæ: iis *Putealis* nomen fuerit quoque adpoſitum. Septum enim tale, inſtar putealis, aras tales cingebant. Vide etiam *hic infrà.*

PUTEAL Scribonii Libonis, vulgò ſimpliciter *Puteal Libonis*, in *Fragm.* Feſti, *Scribonii puteal ante Atrium Minervæ, quòd Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret ſacella, id ponendum curavit, quia in eo loco olim ſacellum fuit, quod ignorabatur. Tradunt quidam fulgur conditum eô locô, quod nefas eſt integi, ſed ſuper foramine aperto cœlum patet.* Non eſt *Puteal Navii*, ut vidimus, interim ſimiliter ara, cujus inſtar in nummis Liboniis conſpicitur. Cujuſmodi aras, foramen in medio habentes, ut cœlum deſuper pateret, locis fulguritis vel fulguri condito imponi conſueviſſe, etiam Vitruvius docet, *l.* 1. *c.* 11. *Jovi, Fulguri & Cœlo & Soli & Lunæ, ædificia ſub divo hypæthraque conſtituuntur. Horum enim Deorum & ſpecies & effectus in aperto mundo atque lucenti præſentes videmus.* Idem Artemidorus teſtatur. Ipſum verò locum Fulguritum ârâ impoſitâ ſic conſecratum, *Bidental* dixêre; quòd ovibus bidentibus ſacrum ibi fieret &c. E quibus patet; errare illos, qui *Puteal* exponunt tribunal vel forum. Athenis enim Dicaſterium quidem fuit ἐν Φρέατι dictum, ſed alia appellationis ejus ratio. Nec verſus 48. Perſii *Satyrâ* 4. favet,

Si Puteal *nullâ cautus vibice flagellas:*

Ut qui de fœneratore agit. Ad *Puteal* namque *Libonis* conſiſtebant Toculliones Romani, & qui argentum bonis nominibus & idoneô ſponſu locare quærebant. De more autem fit, ut qui frequenter ad locum aliquem conveniunt ibique diu deſident, per otium ſæpe dum aliud agunt & loquuntur, vel ſtilô parietem conſcribillent vel unguibus deradant vel aliquid nugarum faciant. Unde lepidè dictum & emphaticè de fœneratore, qui totum diem ad *Puteal* conſiſtebat, expectans qui pecuniam accipere vellet, *multâ vibice eum Puteal flagellare.* Quâ ſignificatione *Puteal* Cicero poſuit de Clodio, *Alter unguentis affluens, calamiſtrata coma deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac vexatores ætatulæ ſuæ* Puteali *ac fœneratorum gregibus inlatus atque compulſus olim, ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in Tribunatus portum perfugerat, Orat. pro Sextio*, &c. Vide Salmaſ. *ubi ſupra p.* 1140. & 1142.

PUTEALIUM Vicus, Romæ in regione ſeptima, memoratur Ruffo. Vide ſuprà, ubi de *Puteali Navii.*

PUTEANA Familia, vulgò *du Puy*, in Gallia illuſtris: è qua ſtirpe Dominorum *du Coudray-Monin* ſeries iſta eſt. *Perrinus* Puteanus, Dn. *de Dames*, ex Johanna *du Four* Dn. *des Places prés Romorant*, genuit Godefredum *du Puy* Dn. *du Coudray Monin* (qui obiit A. C. 1421.) Huic ex Joanna *de Pierrebuffiere* genitus Ludovicus *du Puy*, Dn. *du Coudray* Baro *de Bellefaye* (qui deceſſit A. C. 1488.) ex Catharina *de Brie* ſuſcepit, Joannem, maritum Philippæ *de Baiſſey* & ex ea patrem Georgii: cui nupta Joanna Raſſina, genuit ei Claudium *du Puy* Dn. *de Coudray* Baronem *de Bellefaye* (cujus filia Joanna hæres bona attulit marito Lud. Sangelaſio poſt obitum patris, qui contigit A. C. 1577.) Philippum Abb. *de la Prée*, defunctum A. C. 1560. Godofredum, qui exceſſit A. C. 1573. Philippam uxorem Franciſci *de Gamaches Dn. de Quinpempoix & Juſſy*: Joannam Monialem; Claudiam, nuptam Ludovico *Chaſteigner*, Dn. *d'Abain*, quæ obiit A. C. 1632. & Franciſcam uxorem Claudii *de S. Quentin B. de Blet*, omnes nominis *du Puy-Coudray.* Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europ. Part. III. p.* 5.

PUTEANUS Claudius, vide *Claudius.*

PUTEANUS Ericus vide *Ericus.*

PUTEANUS Franciſcus vide *Franciſcus.*

PUTEANUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

PUTEANUS Raimundus, vide *ibi.*

PUTEANUS Petrus, vide *Petrus.*

PUTEI Bituminis, qui erant in agro Sodomorum, ante ſubverſionem & juſtitiam Dei: mox verò Sodomis deletis, lacus ibi, quem à ſcatenti bitumine Aſphaltitem dixêre, repentè extitit, erant in tribu Juda.

PUTEOLANA Moles, *il Molo*, apud Puteolos, à Caligula Cæſare inchoata: cujus magna adhuc pars ad lacum Lucrinum videtur.

PUTEOLI, poſt Lucrinum lacum inquit (*Cluverius*) ſequitur oppidum *Puteoli* plurali numerô, Latinis ferè autoribus, exceptis poëtis, dictum; Græcis verò Δικαιάρχεια, ſive Δικαιαρχία, & Contractè Δικαρχία· quô frequenter Latini uſi ſunt poëtæ: ut Græci etiam ſub Romanis Imperatoribus ſæpe uſurpârunt Ποτίολοι, ſive Ποτέολοι. Fama oppidi apud auctores eſt celeberrima; vulgari nunc vocabulô dicitur *Pozzuolo.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Lacus Lucrinus & Avernus: dein Puteoli colonia, Dicæarchia dicti.* Strabo *l.* 5. poſt deſcriptionem Lucrini, Avernique lacus: Ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταὶ, καὶ αὐτὴ ἡ πόλις· ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων, ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον. Κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκισαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετω-νόμα-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

νόμασαν Ποτιόλους ἀπὸ τῶν φρεάτων. Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, &c. Feſtus : *Puteolos dictos putant ab aqua calida putore : quidam à multitudine puteorum, earundem aquarum gratiâ factorum.* Varro, *l. 4. de L. L. A puteis oppidum Puteoli, quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ; niſi à putore potius, quòd putidus ſit odoribus ſæpe ex ſulfure & alumine.* Primos oppidi conditores quod attinet, quia id, *Strabone* teſte, navale fuit Cumanorum, ab his conditum videri poterat. At *Stephani Epitomator* ſic habet : Ποτίολοι, κτίσμα Σαμίων, ἥτις καὶ Δικαιάρχεια. Et B. Hieronymus *in Euſebii Chronicor. l. 2.* ſic tradit : Olymp. 64. A. 4. *Samii Dicæarchiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant.* Nobiles hic thermæ, & pons olim 390. paſſuum ab Imperatorib. Romanis Bajas uſque protenſus ; cujus hodieque duodecim columnæ viſuntur. Morer. Du Val. *deſcr. Ital. &c. Nic. Lloyd. Baudrando* urbs fuit perampla & probè culta Campaniæ, nunc parva admodum, in ora littorali provinc. Terræ laboris, cum portu capaci & tuto, in ſinu cognomine ubi variæ villæ & delitiæ Imperatorum Romanor. Dicta fuit *Flavia*, à Veſpaſiano, & amphitheatrum habuit peramplum, nunc ſemidirutum, uti & templum Jovis, à Calpurnio ædificatum in honorem Octavii Auguſti nunc S. Proculo ſacrum. Cum arce utcunque munita, ſub Hiſpan. In ejus finibus 35. Balnea continentur, ex quibus calentes aquæ, variis morborum generibus utiles, emanant. Populi *Puteolani.* Inde *ſinus Puteolanus*, de quo Cluver. *Ital. Antiq. l. 6. c. 4. p.* 1141. Hodie *Golfo di Pozzuolo*, ſinus parvus maris Tyrrheni in ora Campaniæ, prope Puteolos & Bajas, ac inter promontor. Miſeni & Pauſylipi, Inſulamque Niſitam extenſus : eſtque propriè pars ſinus Crateris, ſeu Neapolitani. Latè tamen quibuſdam pro ipſo ſinu Neapolitano ſumitur.

PUTEOLUS, caſtrum Galliæ, vulgò *le Puiſet*, in diœceſi Aurelianenſi, in Archidiaconatu Belſæ, qui unus eſt ex 6. Archidiaconatibus Eccleſiæ Aurelianenſis : à Ludovico Craſſo dirutum. Item villa territorii Bituricenſis, in Caſtellania Exoldunenſi. De aliis *Puteolis* vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PUTEUS, apud Scotos ad ſupplicia uſurpatus, quibus mares furcâ ſuſpendere, fœminas puteo immergere mos ; Unde jus furcarum & *putei.* Idem de veteribus Germanis tradit Cornel. Tacitus *de German. morib.* Apud Plautum, pœna fuit furacium coquorum, uti diſcimus, ex ejus *Aulul. Actu 2. Sc. 5. v.* 21. *Coqui abſtulerunt, comprehendite, vincite, verberate,* in Puteum *condite.* Antiquitus viliſſimâ pauperrimaque ſepulturâ homines condi ſolitos, & in fontes ac *Puteos* abjici, docent quidam ex M. Varrone, *de L. L. l.* 4. Vide quoque Feſtum, *l.* 14. in voce *Puticulus*, Antiphilum, *Anth«log. l.* 1. & Clar. Sylvium, *l. ſing. in LL. p.* 547. nec non infrà. Lucernam *Putei*, à tribus Juvenibus alatis circumdati, explicat Fortun. Licetus *de Lucernis antiqq. l. 6. c.* 36. Idem *Putei*, ſed lemniſcô infernè coronati, lateraque capitibus humanis exornati, & ſuper hexagona baſi firmati lucernam, exhibet, *c. ſequenti.* Quomodo autem fodiendi *Putei*, docet *Puteus intra Hippicum*, Athenis, de quo lex Solonis: Ὅπου μέν ἐστι δημόσιον φρέαρ ἐντὸς Ἱππικοῦ, χρῆσθαι τούτῳ, ὅπου δὲ πλεῖον ἀπέχει, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον, *Publicô* puteô, *qui intra Hippicum ſit, utuntor : ſi majus ſit intervallum, privatum ſibi quiſque effodiunto.* Nempe cùm ſiticuloſa eſſet admodum terra Attica, nec perennes eſſent amnes, aut fontes multi, aut lacus, ita ut *puteos* effodere neceſſe eſſet, Legem hanc ſcripſit Solon, ut legimus apud Plutarchum *in Vita ejus.* Eſt autem Hippicum, intervallum ſtadiorum quatuor, ut inquit Idem ; ſeu potiùs, unius ſtadii, ut *Heſychius* : quantum videl. ſine ulla intermiſſione equus conficit ac decurrit. Temerè tamen intra fines ſuos *puteum* ſibi fodere non licebat, ſed ὀργυιᾶς latitudinem ab alieno fundo oportebat relinquere, ex altera ejuſdem Lege: Ἐάν τις φρέαρ παρ᾽ ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, ὀργυιὰν ἀπολείπειν, *Si quis* puteum *juxta alterius agrum fodiat, orgyiæ ſpatium relinquito*; cujus meminit Gajus, *l. 4. ad LL. Tabb.* Addit *Harmenopulus*, Εἰ μήπω φρέαρ προυπάρχει τοῦ γείτονος καὶ διὰ τοῦ καινοῦ ἔργου βλάπτεται, *Niſi fortè puteus vicini praextiterit, qui novô hôc opere læderetur.* Quòd ſi quis aquam non inveniſſet depreſſô in altum puteô decem ὀργυιὰς, hâc aliâ Lege voluit Solon, licere è vicini puteo bis quotidie aquam extrahere urnam ſex choum capacem : Ἐὰν δὲ ὀρύξαντες ὀργυιῶν δέκα βάθος παρ᾽ αὐτοῖς μὴ εὕρωσιν ὕδωρ, τότε λαμβάνειν παρὰ τοῦ γείτονος, ἑξάχουν ὑδρίαν δὶς ἑκάστης ἡμέρας πληροῦντες, *Si quis, depreſſô in altum puteô decem orgyas, aquam in ſuo non inveniat, extrahito è vicini puteo bis quotidie urnam ſex chium capacem*, apud Plutarchum *d. l.* Sed quia ſæpe fiebat, ut hac de re moverentur controverſiæ, hinc Magiſtratus Athenis, qui ὑδάτων Ἐπιστάτης dicebatur, cui hæc res curæ, ut colligitur ex eodem Auctore *in Themiſtocle*, Εἶδε καὶ ἐν Μητρὸς ἱερῷ τὴν καλουμένην ὑδροφόρον κόρην χαλκῆν, μέγεθος δίπηχυν, ἣν αὐτὸς ὅτε τῶν Ἀθήνησι ὑδάτων Ἐπιστάτης, εὑρὼν τοὺς ὑφῃρημένους τὸ ὕδωρ καὶ προχετεύσαντας, ἀνέθηκεν ἐκ τῆς ζημίας ποιησάμενος. *Vidit & in Matris Fano aquigerulam dictam puellam æneam, bicubitalem : quam ipſe, Athenis Aquarum Curator exiſtens, deprehenſis qui aquam ſuffurarentur, è multa conflatam dedicavit* &c. Vide Sam. Petitum, *in LL. Atticas l. 5. tit.* 1. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 984. ubi phraſin Solini carpens, quâ dixit *excitari puteos*, eos potiùs *deprimi* ac *cavari* dicendos eſſe ait. Niſi fortè ſcribendum *exciſari*, quod Græcè ἐκκόπτεσθαι. Apud eoſdem Athenienſes, vocem φρατρία, ſunt qui à φρέαρ, quod *puteum* notat, deducant, quaſi hôc nomine indigitetur ſocietas eorum, qui ex eodem *puteo* hauriebant, ut ſuprà vidimus voce *Phratrica. Puteus in Templo Hieroſolymitano*, toti Atrio aquas ſuppeditans, memoratur in *Codice Middoth* Talmudi Babylonici. Sed & in Chriſtianorum Ædibus ſacris, Theophanes *puteos* fuiſſe in Atriis refert, quos *Aquarum benedictarum receptacula* & *fontes perennes* vocat, *p.* 38. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Sic Abbo Floriac. *de bellis Pariſiac. l.* 2. Puteum in Capella S. Germani Pratenſi, cujus aquæ ægrotantibus vice Medicinæ fuerint, memorat apud Eundem,

Cujus adaccubitat puteus veſtigia, cujus
Qui potabit aquas, extemplò febre laborans
Auxiliô ſancti fidens capiet Medicinam.

Quæ Auctoribus ſuis remittimus.

PUTEUS S. Sigiſmundi, vulgò *S. Simond*, vicus Galliæ, ad Abbatem Monaſterii S. Maximini pertinens, in Archidiaconatu Balgentiacenſi : ubi Sigiſmundus Burgundiæ Rex, juſſu Chlodomeri Regis Galliæ, cum conjuge ac filiis in puteum præcipitatus eſt, A. C. 524. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

PUTEUS Viventium aquarum, juxta viam, quæ Tyrum ducit, egregius eſt & admirabilis, atque verſus Aquilonem à Sandalio caſtro paulò amplius, quàm milliari, verſus Auſtrum verò à Tyro parvô milliari diſtat. Quamvis autem *Puteus* dicatur, ſunt tamen quatuor fontes quadrati, quorum ille qui præcipuus eſt, in uno quoque quadrati latere quadraginta, reliqui verò viginti quinque cubitos habent, omnes muris fortiſſimis, de duriſſimis lapidibus inſolubili opere obfirmatis, concluſi, unde varii ducuntur rivi. Eſt in tribu Aſer.

PUTICULI, appellati à *puteis*, quòd ibi cadavera in *puteis* obruerentur : vel quòd in his corpora *putreſcerent.* Romæ extra Exquilias fuit locus publicus, erat commune ſepulchrum miſeræ plebi. Varr. *l. 4. de L. L.* Meliùs, ſic antiquiſſimis Romanis dictæ ſunt cavernæ, in quibus mortuos tum ſepeliri mos. Κοιλώματα τῆς γῆς vocat Auctor *Etymologici*, ubi in caveis hujuſmodi, abſque ferri æriſque uſu, Græcos quoque primitus mortuos ſuos condidiſſe, docet. Hinc Lycophron *Caſſandrâ*,

Κρύψουσι κοίλοις ἐν μυχοῖς διασφάγος.
Condent hiantis in ſoli voragine.

Idem Hebræis in uſu, ex Abrahami Patriarchæ hiſtoria patet. Vide Jo. Meurſium *Comm. ad Lycophronem.* Non ergo in *puteos* abjecerunt ſuorum cadavera Romani veteres, uti vocis affinitate decepti quidam voluêre &c.

PUTINGA, urbec. regni Sinarum, in Queichea provinc. munita, verſus montes, in limite Suchuenſis provinc. *Martinius.*

PUTIPHAR, Eunuchus, i. e. Caput militiæ, & Præfectus prætorianæ cohortis Pharaonis. Joſephum emptum, prudentiâ ejus & modeſtiâ captus, domui ſuæ præfecit : ab impudica dein uxore perſuaſus, illum in triennalem carcerem compegit. An hic Sacerdos Heliopolitanus, cujus gener poſteà Joſephus factus eſt ? Geneſ. 37. & 39. Hieron. *in Gen. c. 41. & c. 37. de Tradit. Hebr.* Torniel. *A. M.* 2306. 2311. & 2319. *n.* 16.

PUTOMAJUS, fluv. Americæ Meridionalis. Oritur in Popajana regione, & poſt longum decurſum in fluvium Amazonum ſe exonerat. *Petr. Texeira.*

PUTPUD, Veteribus urbs Africæ, quæ Recentioribus *Pulput.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 309.

PUTSCHIUS Elias, Antverpianus. Statim à nativitate riſit ; anno ætat. 21. edidit *Commentarium in Salluſtium* : poſteà *Editionem Grammaticorum Latinorum* adornavit abſolvitque, Lugduni Batav. quò conſiliô Scaligeri ſe contulerat. Inde reverſus Stadam, ubi cum parentibus jam priùs ſedem fixerat, obiit A. C. 1606. ætat. 26. cùm in *Notis* ſuis augendis occupatus eſſet; Melch. Adami *Vit. Philoſoph.* Antonius Teiſſier etiam *Elegias* quaſdam Latinas, & Epiſtolam ſub nomine *Amandi Raſarii* editas, illum auctorem habere, addit *Elog. Part.* 2.

PUTTUNUS, idem cum *Tutuno* Vide ibi.

PYANEPSIA, ſacra apud Athenienſes. Authores in nomine variant. Harpocration à Lycurgo Ποιανοψίαν, ab aliis Πανοψίαν appellari tradit. Ποιανοψίαν, inquit, Λυκοῦργος ἐν τῇ κατὰ Μενεσαίχμου, καὶ ἡμεῖς Ποιανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν· οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες Πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. Ἀπολλώνιος, καὶ σχεδὸν οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησι ἑορτῶν γεγραφότες. At Πυανέψια, ἀπὸ τῶν πυάμων καὶ ἕψειν à coquendis fabis. *Heſychius* : Πυανέψια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν. εἴρηται δὲ παρόσον κυάμων ἐμπίμπλανται· Καὶ ἄγεται Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ, ἐπειδὴ ἕψουσιν ἔτνος. οὕτως δὲ κέκληται ὁ μὴν, καὶ ἡ ἑορτὴ διὰ τὸ ἀθάραν ἕψειν, ἣ καλοῦσι πύαμα. Sic lego; & ſenſus eſt : *Pyanepſia, feſtum Athenis; dictum verò eſt quatenus fabis implentur : & agitur ſeptimâ die menſis Pyanepſionis; quoniam coquunt pulmentum ; ſic vocatur & menſis, & feſtum, quòd in eo pultem coquerent, quæ vocarentur Pyana.* Euſtath. *ad Il. B.* Πυανεψιὼν δὲ, ὅτι μηνὸς ὄνομα παρ᾽ Ἀττικοῖς κυάμων ἑψήσει παρωνυμούμενος. Origo eſt à Theſeo, qui è Creta reverſus, annonæ reliquias in olla miſcuit, & coctas ſimul ſociis exhibuit. *Plutarchus*, Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. Ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. Ἡ μὲν οὖν ἕψησις τῶν ὀσπρίων λέγεται γενέσθαι διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταὐτὸ συμμῖξαι τὰ περιόντα τῶν σιτίων, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντας συνεστιαθῆναι, καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. Votum Theſei memorat Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Equites* : Τινὲς δὲ Θησέα φασὶ καθ᾽ ὃν καιρὸν Κρήτην ἔπλει προσχόντα Δήλῳ διὰ χειμῶνα, εὔξασθαι τῷ Ἀπόλλωνι, καταστέψεσθαι κλάδοις ἐλαίας, ὅταν σωθῇ, τὸν Μινόταυρον ἀποκτείνας, καὶ θυσιάζειν· καὶ τὴν ἱκετηρίαν ταύτην καταστέψαντα ἑψῆσαι χύτραν ἀθάρης, καὶ ἔτνους, καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι. Διὸ καὶ Πυανέψια δοκεῖ λέγεσθαι, οἷον Κυαμέψια· τὸ γὰρ πρότερον τοὺς κυάμους, πυάνους ἐκάλουν. Quæ totidem verbis à *Suida* proferuntur ; brevius autem ab *Euſt. in Il. χ. Caſtellanus. Nic. Lloyd.*

PYANEPSION, Græcè Πυανεψιὼν, menſis apud Athenienſes nomen, noſtro Novembri reſpondens, quô celebrabantur *Pyanepſia*, feſtum præſementicium Apollini ſacrum die 7. menſis. Vide in hac voce, & infrà ubi de Satione. No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

men à voce κύαμος, pro qua πύαμος Veteres dixêre, i. e. *faba.* Eôdem die ejuſdem menſis Oſchophoria celebrabantur, *συγκομιζομένης ὀπώρας, cùm fructus Auctumnales colligi mos.* Eſt autem Ὄσχη *palmes uvas appenſas habens.* Heſych. Diverſa Marshamo nomina ejuſdem feſti, à Theſeo inſtituti, in quo & *palmites geſtabant & pultem coquebant.* Vide eum *Can. Chron. Sec. XVIII.*

PYCNUS, fluv. Cretæ, *Ptolem.*

PYCTACIUM. vide ſuprà paſſim, inprimis in vocibus *Periapta, Phylacteria, Pittaciolum.*

PYDARA, Gyllio *Aqua dolce*, fluv. Thraciæ, inter Byzantium & Selymbriam. Vide *Athyras.*

PYDES, urbs & fluv. Pindiæ, *Steph.*

PYDNA, Macedoniæ oppid. *Ptolem. Chitro* Sophiano, adhuc urbs ampla, prope oſtia Aliacmonis, & Sinum Thermaicum, 50. mill. paſſ. à Theſſalonica in Meridiem.

PYELUS, Græcè πύελος, pala annuli, quæ è Græco nomen habet. Vide ſuprà apud Arrian. *l.* 6. *ἐν μέσῳ δὲ τῆς κλίνης ἡ πύελος ἔκειτο ἡ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἔχουσα*, ubi de ſepulcho Cyri, *In medio autem lecti πύελος erat, cadaver Cyri continens:* Interpreti exponitur *urna.* Sed urna propriè erat, in qua cineres & reliquiæ corporum combuſtorum reponebantur, Græci κάλπη, & ὑδρία & κρωσσὸς: at Perſæ cadavera ſua non cremabant. Hinc corpus Cyri in illa πυέλῳ, quam magnum fuit ac longum, jacuit. Curtius *ſolium* vertit, *l.* 10. *c.* 10. Et certè πύελος propriè *ſolium* eſt, ſed & *alveum* ſignificat, in quem loturi deſcendebant. Præterea, verò vox hæc Græcis denotavit vas lapideum vel ligneum, in quo mortuorum cadavera ponebantur, quod aliàs σωρὸς & ληνὸς. Unde *ſarcophagum* vel *arcam* reddere mavult Salmaſius, quæ alvei figuram exprimebat. Vide in vocibus *Arca, Sarcophagus, Solium*, & plura hanc in rem, apud præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 1204.

PYENIS, urbs Colchorum, *Steph.*

PYGARGUS, Græcè πύγαργος, aquilæ genus eſt; *à candicante cauda* ſic dictæ, cujus meminêre Ariſtoteles, *Hiſt. Anim.* Plin. *l.* 10. *c.* 3. *Heſychius, Suidas.* Sed & inter damarum aut caprearum genera. Sic Herodoti, *l.* 4. inter animalia, quæ habent paſtorales Afri, recenſentur, πύγαργοι, καὶ ζορκάδες καὶ βουβάλιες, *pygargi & capreæ & bubali.* Ælianus, *Hiſtor. Animal. l.* 7. *c.* 19. Ἄτολμα δὲ νεβροὶ καὶ πρόκες, καὶ ζόρκες τε καὶ πύγαργοι, *Timida autem animalia ſunt hinnuli & cervi & capreæ & pygargi.* Plin. *l.* 8. *c.* 53. ut capras probet in plures ſimilitudines transfigurari, *Sunt capreæ*, inquit, *ſunt rupicapræ, ſunt ibices ——— ſunt & oryges ——— ſunt & damæ & pygargi & ſtrepſicerotes multaque alia haud diſſimilia. Sed illa Alpes, hæc tranſmarini ſitus mittunt*, i. e. Numidia & Africa. Juvenalis quoque, *Sat.* 11. *v.* 138.

Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus.

Ad quem locum Scholiaſtes vetus, *Pygargus fera eſt ſpecie cervi, quæ retriores partes albas habet. Ideò &* pygargus *Græcè dictus eſt.* Aponius item *in Canticum, l.* 4. capreas cum pygargis confundens, *Caprearum poſterior pars candorem demonſtrat.* Et Bellonius, *Obſervation. l.* 2. *c.* 51. in gazellæ Arabicæ deſcript. *Nates ut in dama albeſcunt.* Aliàs hujus animalis rara apud Veteres mentio, niſi qoòd Deuter. *c.* 14. *v.* 5. πύγαργος, in Græca Verſione, & in Vulgata *pygargus* legitur pro Hebræo רישון *diſon.* Non tamen ab *albo colore*, ſed à *cinereo* רישון dicitur, & cinis ad nigrum vergit potiùs. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 633.

Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat.

Sed poteſt idem animal eſſe πύγαργον, i. e. *natibus album* & alibi cinereum; quomodo *Pygargus* definitur à Bellonio, quamvis ſub *tragelaphi* nomine: *Tragelaphus*, inquit, *quoad pilos ibicem refert, ſed barbâ caret, Cornua ei caprinis ſimilia, ſed aliquando retorta, ſicut arieti ——— Crura ejus albicant, ovillis ſimilia. Cauda nigra, coxæ ſub cauda albæ ſunt. Pili armorum & pectoris, longi & nigri ſunt, cum duabus maculis cinereis utrinque ad illa.* A quibus *cinereis maculis* Hebræis *diſon* dici potuit, quaſi σποδιαῖος aut σποδοειδὴς, quomodo *ab albis natibus*, Græcis πύγαργος, vide quæ de voce hac Hebr. *Diſon* commentatur Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 20.

PYGELA, urbs Ioniæ, *Steph.* & Polyæno, *l.* 7. *in Mauſolo, c.* 23. *Comm.* 2. Epheſiorum habet Etymologiam. Πολίχνιον vocat Strabo, *l.* 14. Pomponius & Plinius ſcribunt per Φ & nomen ἀπὸ τῆς φυγῆς ducunt: Melæ verba ſunt, *l.* 1. *c.* 17. *Ibi à fugitivis, ut ajunt, condita (nomen famæ annuit) Phygela.* Plinii, *l.* 5. *c.* 29. *Juxta fugitivis conditum (uti nomen indicio eſt) Phygela,* Locus ubi fretum trajicitur, quô in Cretam itur. Vide *Phygela.* Ibi Dianæ templum, opus Agamemnonis, *Strab.*

PYGMACHI, Græcè πυγμάχοι, apud Theocritum in Ἡρακλίσκῳ,

——— ——— ἅτ' εἰς γαῖαν προπεσόντες
Πυγμάχοι.

Pancratiaſtæ ſunt, qui hanc artem habebant ut vincerent velut in terram cadentes ac reſupinantes ſeſe; cùm Pugiles non niſi ſtantes ac recti certamen peragerent. Vocat autem illos πυγμάχους & παλαίσματα ſimul illis tribuit, quia ex pugillatu & lucta compoſitum genus agonis illud erat, quod & παγκράτιον inde dicebatur. Forſan & apud illum παμμάχοι meliùs legeretur, ita enim & *Pollux* Pancratiaſtas vocat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 290. & ſuprà, ubi de *Pancratio.* Alii erant *Pygmares* ſeu πυκτομάχοι, genus medium inter Græcorum pugiles & Romanos gladiatores, de quibus vide Scribonium Largum *c.* 23. *tmem.* 101. & Caſaubon. ad *Sueton. Aug. c.* 45. & *Calig. c.* 26. Damnatorum εἰς τὸ πυγμῇ μονομαχεῖν mentionem habes non ſemel, apud *Euſebium.*

PYGMÆI, populi in extremis Indiæ montibus habitantes (*Plin. l.* 6. *c.* 19.) ſalubri cœlô ſemperque vernante fruentes, ternos dodrantes non excedentes: Sunt qui nomen eos habere volunt ἀπὸ τῆς πυγμῆς, i. e. *pugno*, contra rationem; cùm ἀπὸ τοῦ πήχυος, i. e. *cubito*, originatio deducenda ſit. Πυγμαῖοι ergo erunt, quaſi πηχυαῖοι, quippe *cubitales.* Hinc & *Spithamæi* dicuntur, quod ternas *ſpithamas* longitudine non ſuperant. Etymon hoc approbatur ad Euſtathio, *in principio Il.* γ. & ab Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 16. Hieronymus verò aliter *in c.* 27. *Ezech. Sive Pygmæi ſunt* (inquit) *i. e. bellatores, & ad bella promptiſſimi,* ἀπὸ τῆς πυγμῆς, *quæ Græcô ſermone in certamen vertitur.* Diverſis locis ad auctoribus collocantur. In extremo Septentrione reperiri, quidam aſſerunt: Paulus Jovius ultra Lappones, in regione, quæ inter Corum & Aquilonem, perpetuâ opprimatur caligine, *L. de Leg. Moſcovit.* hoſque Olaus M. Screlingeros, i. e. Cubitales appellat; quæ opinio à Samojedis cœteriſque populis, intra circulum Polarem Arcticum viventibus, videtur tracta. His enim inconcinnum ſæpe & quaſi in nodum contortum corpus eſt, quod legitimâ ſtatura ſuâ, tres cubitos vix excedat: unde more ſolitô in cubitalem brevitatem contracti Pygmæi hi exierunt. Becmann. *Hiſt. Orbis terr. Geogr. & Civil.* Plinius, *ubi ſupra*, inter Indiæ gentes recenſet. Pomponius, *l.* 3. *c.* 8. ponit in eâ Arabiæ parte, quæ ultra ſinum Arabicum in Æthiopiam vergit. Ibidem eos quoque collocare videtur *Ptolemæus*, ſi per *Nubas* intellexeris *Pygmæos*, uti *Heſychius*: Νῶβαι, Πυγμαῖοι, nec enim de aliis, quàm de his accipi poſſit locus iſte Heſychii. Ariſtotel. *l.* 9. *de Hiſtor. Animal.* eos ad fontes Nili traducit. Verba ejus ſic concipiuntur in libris manu exaratis: Οἷον αἱ γέρανοι ποιοῦσι· μεταβάλλουσι γὰρ ἐκ τῶν Σκυθικῶν πεδίων, εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, οὗ καὶ λέγονται τοῖς Πυγμαίοις ἐπιχειρεῖν. οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος. Quòd narratiunculæ huic fidem adſtrueret Philoſophorum ſummus, id concoquere non potuit, quiſquis vulgatæ lectionis auctor fuit; ac propterea verba illa de pugna Pygmæorum cum gruibus ſuô modô reformavit. Quamvis autem fabella hæc excuſa ſit à Græculis, fingendi, & fabulandi ſemper cupidis, ratio tamen, quamobrem hoc in tractu Pygmæos collocârint veteres, hanc fuiſſe putat Clariſſ. Voſſius; quòd Troglodytarum & Æthiopum multi eſſent κολοβοὶ ſive recutiti. Hinc tot Coloborum gentes in Æthiopia. Idem verò Ariſtoteli & aliis nonnullis κολοβὸς & Pygmæus, ſive nanus. Κολοβοὺς enim, *l.* 2. *de Generat. Anim.* circa finem & alibi, vocat non illos tantùm, qui unô aliquô membrô eſſent mutilati, ſed eos etiam, quorum univerſæ corporis partes in utero matris oblæſæ, & juſtô eſſent breviores. Strabo, *l.* 17. iiſdem in locis creditos quidem, ſed confictos exiſtimat, ſumptâ inde fictionis occaſione, quòd in Æthiopia interiori omnia ferè animalia exigua naſci compertum ſit. Contra Philoſtratus, *l.* 3. ſub terra eoſdem ponens, loca incolere ſcribit ſupra fluv. Gangem, cui cum Ariſtotele convenit in eo, quòd ſpecus habitari dicit ab illis. Solin. *c.* 16. in Thraciæ deſcriptione, ad Geraniam urb. juxta Strymonem & Hæmum creditos fuiſſe Pygmæos, & à gruibus pulſos ait. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 11. Horum mulieres quintô annô pariunt, & ſeneſcunt octavô: *Fama eſt* (inquit Plinius) *inſidentes arietum, caprarumque dorſis, armatos ſagittis veris tempore, univerſô agmine ad mare deſcendere, & ova pulloſque gruum conſumere, ternis expeditionem eam menſibus confici, aliter futuris gregibus non reſiſti, caſas eorum lutô, penniſque & ovorum putaminibus confici.* Stephanus eos ſic dictos ſcribit, à *Pygmæo* Dori filio, Epaphi nepote. Qualia autem ſint eorum corpora, eleganti ſimilitudine docet Ariſtotel. *ubi ſupra*: Ὥσπερ οὖν οἱ ἐπὶ τῶν καπηλίων γραφόμενοι, μικροὶ μέν εἰσι, φαίνονται δὲ ἔχειν πλάτη, καὶ βάθη, ὁμοίως συμβαίνει καὶ τοῖς Πυγμαίοις. Fruſtra quærunt viri eruditi (inquit Voſſius) quænam ſint illæ tabernarum picturæ, quæ effigiem hujuſmodi Pygmæorum exhibeant. Scribendum; οἱ ἐπὶ καμπύλων γραφόμενοι, vel, ſi mavis, καμπηλίων, idem ſignificante vocabulô. Tales nempe ſunt Pygmæi, quales videntur eſſe imagines, quæ in curvis & ſinuoſis tabulis repræſentantur. Hinc rectè *curvatum* dixit Propert. *l.* 4. *El.* 9. *v.* 13.

Nanus & ipſe ſuos breviter curvatus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

De pugna Pygmæorum cum gruibus paſſim poëtæ. Homerus. *Il.* 3. *v.* 3.

Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ
Αἵτ' ἐπεὶ τὴν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.

Oppianus, *Halieuticωn l.* 1.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Αἰθιόπων τε καὶ Αἰγύπτοιο ῥοάων
Ὑψιπετὴς γεράνων χόρος ἔρχεται ἠεροφώνων
Ἄτλαντος νιφόεντα πάγον, καὶ χεῖμα φυγοῦσαι,
Πυγμαίων τ' ὀλιγοδρανέως ἀμενηνὰ γένεθλα.
Τῇσι δ' ἄρ ἱπταμένῃσι κατὰ στίχας εὐρέες ἑσμοὶ
Ἠέρα τε σκιάουσι, καὶ ἄλλυτον ὄγμον ἔχουσι.

Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 167. *ſ.*

Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis.
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curvis
Unguibus à ſævâ fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiare: ſed illic,
Quanquam eadem aſſiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior unô.

Hinc *Pygmæus.* Ovid. *l.* 6. *Faſt. v.* 176.

Nec quæ Pygmæa ſanguine gaudet avis.

I. e. *grus.* Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 505.

——— *Breviorque videtur*
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta columnis,
Et levis erectâ conſurgit ad oſcula plantâ.

A Py-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

A Pygmæorum parvitate deſumptum Proverb. *Pygmæorum acrothinia Coloſſo adaptare*, apud Philoſtr. *in Niceta*, & Euſtath. *in Odyſſ. Nic. Lloydius.*

PYGMALION, Beli, alii habent, Magdenis, vel Mettinæi, Tyriorum Regis fil. patri ſucceſſit, frater Didûs, quæ, cùm regnare deberet, ſpreta à ſubditis, Sicharbæ, quem Virgilius Sichæum nominat, viro opulentiſſimo, nupſit. Quô auditô frater, cùm ardentiſſimâ auri cupiditate flagraret, ad Sichæi patruelis ſui, & ſororis ſuæ viri opes animum adjecit; illumque ſpe potiundi auri, ante aras dolô interemit. Cujus cædis cùm in ſomnis à mariti umbrâ certior facta eſſet Dido, clam ſublatis theſauris, fugæque comitibus aſſumptis, naves conſcendit, & in Africam appulſa, primùm Byrſam, deinde Carthaginem condidit. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 350.

——— Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor; ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore
Clam ferrô incautum ſuperat. ———

Idem, *ibidem v.* 367.

——— *Portantur avari*
Pygmalionis opes pelagô. ———

Hinc *Pygmalioneus.* Silius, *l.* 1. *v.* 21.

Pygmalioneis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraternô crimine regnum
Fatali Dido Libyes appellitur oræ.

Vide Appianum *in Punicis.* Obiit Pygmalion, an. ætat. 56. regni 47. ſtatuæ amore, ob muliebris ſexus odium, punitus. Joſeph. *l.* 1. *contr. Appion.* Juſtin. *l.* 18. *c.* 4. *Pygmalion* (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 3.) eſt; פוגמעליון *Pugmeelion*, i. e. *quies ab altiſſimo.* Deo ſcil. unô verbô Παυσίθεος פוג Ebræis eſt פוגה, & *Elion* Deus Phœnicum, ut ex *Sanchoniathone* patet. *Nic. Lloyd.* Ejus tempore, in Juda regnavêre Joramus, Ahaſias, Athalia, Joas. Atque hîc deſinit Menander Epheſius, cujus illuſtre *Fragmentum de Regibus Tyri* ſervavit nobis Joſephus *contra Apionem, l.* 1. Sic ab initio Hiromi, Abibali fil. à quo orditur, ad exitum Pygmalionis, colliguntur anni 177. & menſes 8. Cœpit autem regnare *Pygmalion* annô Templi 120. illius ſoror in Africam fugiens Carthaginem condidit, ſexenniô an ſeptenniô pòſt: unde commentum Virgilii patet, *Æn. l.* 4. cùm Æneas diu antè vixerit. Poſt *Pygmalionem*, deſiderantur aliquot Reges, per annos 236. uſque ad Ithobalum II. quem vide, & plura hanc in rem apud Joh. Marshamum Equitem Angl. *Canone Chron. paſſim.*

PYGMALION, Cilicis fil. qui ex eburnea ſtatua Veneris beneficiô in puellam transformata, Paphum ſuſcepit, Paphi Cypri urbis conditorem. Ovid. *l.* 3. *Met.* Videtur eſſe idem cum priori. Vide Bochart. *Geogr. p.* 370.

PYLACÆUM, Phrygiæ urbs, *Ptol.*

PYLADES, Strophii Phocenſis fil. indiſſolubili amicitiæ vinculô cum Oreſte conjunctus. Nam cùm Clytemneſtra, ab Ægyſtho adultero adjuta, Agamemnonem occidiſſet, Strophius Oreſtem adhuc puerum certiſſimæ neci ſubduxit, & in regno ſuo unà cum Pylade educavit. Poſteáque cùm Oreſtes, gratiâ vindicandæ paternæ mortis, matrem peremiſſet, eamque ob rem in furorem verſus eſſet, Pyladem perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem habuit, & ſocium periculorum: tantâque ſeſe mutui amoris vehementiâ ſunt proſecuti, ut alter pro altero mori non recuſaret. Ovid. *Pont. l.* 2. *El.* 3. *v.* 45.

Adſuit inſano juvenis Phocæus Oreſti.

Idem ibidem, *eleg.* 6. *v.* 25.

Non ita vixerunt Strophiô atque Agamemnone nati.

Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 11. *v.* 9.

Ut præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem.

Nic. Lloyd.

PYLADES, Pantomimus celebris, primus ſaltationis Artem, à Tragœdia & Comœdia ſeparatam in ſcenam Latinam introduxit, eamque ex tribus ſaltationibus compoſitam, Tragicâ, Comicâ & Satyricâ excoluit expolivitque, ac *Italicam* vocavit, quòd Romæ primum ſpecimen ejus in Latino Theatro ediderit: Natione enim ipſe Cilix fuit, ut *Suidas* docet. Ejus ἀντίτεχνος Bathyllus fuit Alexandrinus, quem proin primum inventorem hujus ſaltationis *Athenæus* facit, meliùs *Ariſtonicô* ad utrumque id laudis referente, apud *Eund.* Namque primi hi Pantomimos à Tragœdia & Comœdia ſeparatos in Orcheſtra oſtenderunt, licèt non iiſdem argumentis ambo claruerint; In Tragœdia enim & tragicis argumentis ſaltandis primas *Pylades* obtinebat: in Comœdia & Comicorum argumentorum deſaltatione principatum ſibi vindicabat Bathyllus. Nec obſtat, quòd Italica ſaltatio, cujus auctores memorantur ambo, ex triplici ſaltationis genere, conſtaret, uti dictum: namque non ita ex omnibus mixta erat, ut confunderentur & ex tribus una fieret ſpecies. Sed quum omnia Tragœdiarum Comœdiarumque & Satyrorum argumenta prima ſaltare inſtituiſſent, Tragœdias, ſecundùm tragicæ ſaltationis leges; Comœdias verò, juxta Comicæ ſaltationis inſtituta, deſaltabant. Unde inter ipſos Auctores & Inventores artis facta dividia eſt, & in diverſo ſaltationis genere contraria quoque factio inſtituta, quam ad diſcipulos ſuos & artificii per longam ſeriem ſucceſſores uterque transmiſerunt. Et quidem de Bathyllea ſaltatione diximus ſuprà, *Pyladea* verò ſaltatio, gravis erat, ſeria, faſtuoſa, ſupercilioſa & affectuum plena ac Tragica tota. Ejus argumenta antiquorum Poëtarum Tragœdiæ, Deorum Heroumque facta: perſonæ, ut in Tragœdia, divi, duces, heroës & Reges. Athenæus illi tribuit τὸ ὀγκῶδες, τὸ παθητικὸν καὶ τὸ πολυπρόσωπον, quod & Plutarchus facit *Sympoſ. Problem. l.* 7. *c.* 7. Unde ſaltationes Bathylleæ concitatiores erant Pyladæis, ut quæ πάθη haberent, moram generantia. Cujus rei exemplum illuſtre hoc eſt: Hylas, Pyladis hujus diſcipulus, cùm canticum quoddam ſaltaret, cujus clauſula erat, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, *magnum Agamemnonem*: ſublimem ingentemque ſe faciebat, ut verba illa cantici exprimeret. Non tulit id Pylades atque ut ejus errorem caſtigaret, exclamavit è cavea, Σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς, *Tu longum, non magnum facis.* Tunc populô cogente, ut idem canticum ſaltaret, cùm ad eum locum perveniſſet, quem reprehenderat, expreſſit Agamemnonem cogitantem; quod nihil magis conveniret magno Duci, quàm pro omnibus cogitare. Quæ μίμησις Ducis cogitantis multum habebat πάθους, ſed multum etiam moræ. Porrò hiſtriones Bathyllæi nudum aliquod ſimplexque & ſiccum ὑπόρχημα deſaltabant, Panis: aut Echus, aut Satyri nimirum; hinc unica ferè perſona ſolùm ſaltabat: At *Pyladæi* plura aliquando in uno argumento ὑπορχήματα ſaltabant ſicque multiplex & multiformis illorum fuit ſaltatio. Et quum Poëtarum antiquorum tragœdiis ſaltandis operam darent, in una eademque ὑποθέσει plures plerumque perſonas unus & idem hiſtrio ſuſtinebat: quæ cauſa, quòd πολυπρόσωπος hæc ſaltatio dicta eſt. Hujus autem Pyladis, ut jam innui, omnes ſucceſſores, *Pyladæ* quoque dicti, idem etiam ſaltationis genus excoluêre; ſicut Bathylli ſucceſſores, *Bathylli* ſimiliter appellati, Bathyllæam ſaltationem exercuêre: ſemperque in Tragœdiis Pyladæ, in Comœdiis Bathylli operam ſuam artemque collocaverunt. Mediolanenſis Lapis,

THEOCRITO
AUGG. LIB.
PYLADI
PANTOMIMO
HONORATO
A SPLENDIDISSIMIS
CIVITATIS ITALIÆ
ORNAMENTIS
DECURIONALIB. ORNA.
GREX
ROMANUS
OB MERITA EJUS
TIT. MEMORÆ
POSUIT.

In quo à ſiniſtro latere virilis eſt effigies palliata, quæ ſupra càpud adſcriptum habet, JONA: ad dextrum alia effigies chlamydata, quæ ſiniſtrâ manu lanceam gerit, dextrâ perſonam ſive larvam attollit, cum tit. TROADAS, & ſupra illum, SUI TEMPORIS PRIMUS. Quibus ſignificatur, Pyladem illum pantomimum, in his duabus Euripidis tragœdiis ſaltandis, *Ione* & *Troadibus*, cùm alios omnes æmulos viciſſe, tum ſeipſum ſuperâſſe & ſui temporis fuiſſe primum. Sic *Pyladæ Pantomimi Hieronicæ* meminit alia Inſcr. *Pyladis* quoque, Hiſtrionis celebris, ſub Marco Imperatore meminit Capitolin. in *vita* hujus Imperator. *c.* 23. &c. A *Pylade* verò primo comeſſationem Bacchis & Satyris bacchantibus ſaltatam, maximè commendant & celebrant illius ætatis Poëtæ; vel quòd eam primùm omnium hypotheſin in Latino theatro ſaltaverit, vel quòd in ea deſaltanda ars illius maximè emicuerit. Vide Antipatri Theſſalonicenſis, qui *Pyladem* ſaltantem vidit & Boëthi Elegiographi *Epigrammata* hac de re, apud Salmaſium, *ad Vopiſc. in Carino, c.* 19. Idem primus fiſtulas & chorum ſibi ſaltanti ut præcinerent curavit: Nam ante illud ſine fiſtulis & choro Pantomimi ſaltabant, ſolo adhibitô pueri canentis & tibicinis concentu. Unde ab Auguſto interrogatus, quid ſaltationi contuliſſet, reſpondit,

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων &c.

Vide Lucianum *de Pantomimi ſcena & appar.* ubi addit etiam citharas, cymbalorum crepitum, & ποδῶν κτύπον, de quo vide ſuprà in voce *Crupezia*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *d. l.* ut & in voce *Bathyllus.*

PYLÆ, quæ & *Pſeudopylæ*, Inſul. Sinus Arabici, ante portum Iſidis, in regione Troglodytarum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PYLÆ, locus Arcadiæ. *Steph.* Eſt & urbs Cappadociæ *Euagrio.* Item montes Æthiopiæ ſub Ægypto. *Ptolem.* Hodie *Amara* dicti, ubi recentiores ſcribunt Prete Joannis filios à præſidibus cuſtodiri.

PYLÆ, oppid. Aſiæ, in Cappadociæ Ciliciæque confinio inter Halym fluv. & Taurum montem. *Tauri Pylæ* Cicer. *l.* 5. *Attic. Ep.* 20. *Ciliciæ Pylæ* Diodor. Sic.

PYLÆ Cilicianæ, inter Ciliciam & Syriam, hinc & *Syriacæ*, inter quas Cherſus fluv. Vide *Porta Amani.*

PYLÆ Geticæ, Hung. *Vaſcapu*, Germanic. *Eyſnthor*, ex Dacia Ripenſi in Tranſylvan. ducunt.

PYLÆ Perſidis, Arrian. *Suſidis* Curtio, *l.* 5. *c.* 3. per quas in Perſidem itur ex regione Suſiana.

PYLÆ Rauricæ, vide *Porta Raurica.*

PYLÆA, oppid. fuit Trachiniæ, ad Oetam montem, apud Thermopylas: Unde *Sinus Pylaicus* Strab. qui & *Oetæus*, Erat & *Pylaicus conventus* Pylis: i. e. Thermopylis, 12. civitatum, *Strab. l.* 9.

PYLÆMENES, dux Paphlagonum, unus ex iis, qui venerunt in auxilium Trojanorum, atque in bello à Menelao interfectus eſt. Homerus. Dictys Cretenſis illum Paphlagoniæ Regem, Meliô patre natum, & non alienum à ſanguine Priamidarum fuiſſe, quippe ab Agenore genus ſuum repetentem, dicit. Quidquid ejus ſit, ab hoc certè Duce ſequentes Paphlagoniæ Reges nomen traxêre, quorum complures, hujus nominis fuiſſe, ex Juſtino, *l.* 37. *c.* 4. liquet: unde ipſa Paphlagonia *Pylæmenia* dicta, Plin. *l.* 5. *c.* 2. Inter eos celebris inprimis *Pylæmenes*

fuit, cognomine Εὐεργέτης, qui Romanis contra Ariſtonicum, cùm Regibus aliis, copias adduxit. Ultimus item *Pylæmenes* cognomine Φιλορώμαιος, cui victo Mithridate regnum reddidêre Romani, quô mortuô, *provincia Paphlagonibus impoſita* eſt, Sextus Rufus *in Breviar. c.* 11. Prioris memoriam ſervat nummus æreus rariſſimus, in Muſæo Fæſchiano Baſileæ, in cujus parte una caduceus viſitur, cum adjectis in medio pinnis & *Inſcr.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ: alterâ, bovis caput. Vide de eo Sebaſtiani Fæſchii JCti *Epiſtolam ad Tob. Hollanderum*; *Baſil. editam A. C.* 1680.

PYLÆUS, Lesbi mons. *Strabo.*

PYLAGORA, Ceres dicta eſt, quod *Pylagoræ*, i. e. legati, quos civitates Græciæ bis annô ad concilium Amphictyonum mittebant, de maximis rebus conſulturos, prius ἐν πύλαις, i.e. ante portas huic Deæ rem divinam religioſiſſimè facere conſueviſſent.

PYLAGORÆ, Græcè πυλαγόραι apud *Heſychium*, Amphictyones ſunt, qui *Communi Græciæ concilio*, ut Juſtinus vocat *l.*8. *c.* 1. præſidebant; quòd ad *Pylas*, quæ Delphis erant juxta Apollinis fanum, conveniebant, ſic dicti. Eligebantur à populis, qui id jus habebant, bini aut terni, pro cujuſque potentia & magnitudine; à nonnullis etiam ſinguli tantùm: coibantque quotannis bis, initiô veris & auctumni, temporibus ſcil. ſtatis; ſed & extra ordinem, quoties res poſcebat. Scopus Concilii erat, ut eſſet ſupremum Græcæ gentis tribunal, ad judicandas & definiandas publicas lites, inter civitates & populos coortas: tantaque ei auctoritas, ut rarò Sententiæ ab eo latæ irritæ redderentur, aut contra non parentes exequutione deſtituerentur; ſæpe etiam gravis belli vi & concuſſione multorum populorum, judicata ad finem perducerentur, Ubbo Emmius ad *Juſtin. d. l.* Vide & voce *Amphictyon*, it. *Hierorunemon.*

PYLARTES, vir Trojanus, ab Ajace in bello interfectus. Homer. *Iliad.* 11.

PYLENE, Ætoliæ oppid. Hom. *Il.* 2. Ejus meminit Papinius, *Theb. l.* 8. *v.* 483.

Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina. ———— ————

Idem, *Theb. l.* 4. *v.* 102.

———— *Senſit ſcopuloſa Pylene.*

PYLEO, apud Lacones, corona dicta eſt, quâ Junonem illi coronare ſolebant, Athen. *l.* 15. Aliàs quælibet puellaris corona; ut ex Alcmane patet, apud eundem,

Καί τιν᾽ εὔχομαι φέροισαν τὸν δὲ ἑλιχρύ-
σω πύλεω ἀκήρατον κυπέρω.
Puellam opto quæ afferat ex elichry-
ſo pyleonem *& immortali cypero.*

Et verò Heſychius πυλεῶν interpretatur ςεφάνων. Car. Paſchal. *Coronar. l.* 4. *c.* 2.

PYLLEON, Theſſaliæ urbs. Liv. *l.* 42. *c.* 40.

PYLORA, Perſidis inſul. *Arrianus.*

PYLOROS, Cretæ mediterraneæ urbs. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

PYLUM, Urbs Macedoniæ circa Illyridis fines videtur, apud *Strabon.*

PYLUS, Tres olim fuêre *Pyli*, juxta adagium apud *Ariſtoph.* quod etiam *Plutarchus* refert,

Ἐ'ςι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γέμεν ἐςὶ ϗ ἄλλος.

(In eos dictum, qui ſupra alios gloriantur, quaſi doctiores, aut fortiores, aut alia in re præſtantiores.) Meſſeniæ erat una, hodie *Navarino*; urbs culta & permunita, ac emporium celebre, cum portu capaci, in Peloponneſo, in tractu *Belvedere*, ſub Turcis. Altera Arcadiæ, tertia verò hodieque *Pilos*, Elidis, ſita inter Penei & Selleentis oſtia. Omnes tres Neſtorem ſibi vindicabant; quarum ultima *Eliaca* dicta eſt, *Brietio*; eſtque ad Peneum fluv. vix 5. mill. paſſ. ab ejus oſtio, & ab ora maris Ionii, 12. ab Elide in Occaſum; Neſtori autem novem parebant urbes juxta Homerum, quas omnes ordine in Bœotia recenſet. Harum verò caput erat ipſa Pylos, atque inde *Enneapolis* vocabatur. Huc quoque refer novem ſedilia in litore Pylio extructa, apud Homer. *initiô l.* 3. *Od.* Quæ ita interpretatur *Euſtathius*: Οἱ δὲ παλαιοί φασιν ἐννέα Πυλίοις ἕδρας εἶναι διὰ τὸ ϗ πόλεις τοσαύτας ὑπὸ ἐξουσίαν κεῖσθαι τῷ Νέςορι. Inepti verò ſunt, qui Neſtorem tribus illis Pylis præfuiſſe credunt: Hoc enim quî potuit fieri, aut cur controverſia fuiſſet, quam Pylum intellexiſſet Homerus? Itaque verum eſt, urbes Neſtori ſubjectas, fuiſſe illas novem, quas ordine Homerus recenſuit. Porrò ab iſtis 3. *Pylis* dicta eſt regio *Triphylia* Iſ. Voſſ. *in Mela l.* 2. *c.* 3. Ovid. *Ep.* 1 *Heroid. v.* 63.

Nos Pylon, antiqui Neleia Neſtoris arva
Miſimus: incerta eſt fama remiſſa Pylo.

Hinc *Pylius.* Idem *Ponticorum l.* 1. Ep. 4. v. 10.

Crede mihi Pylio Neſtore major eris.

Alius Poëta.

Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivat. ———— ————

Pylium mare, quod Meſſeniam juxta Pylum, alluit. *Pylii* populi; qui Metapontum in Italia condidêre. *Nic. Lloydius.*

PYLUS, Inſula Peloponneſo vicina, quam in bello Peloponneſiaco Laches, Athenienſium dux occupârat, ibique caſtellum exſtruxerat, ex quo erumperet ad vaſtandam maritimam regionem Laconicam. Lacedæmonii hoc incommodum prohibere feſtinantes, navibus inſulam ingreſſi, ſeptingentos milites caſtello impoſuerunt. Quô compertô, Athenienſes magnum exercitum contra hoc præſidium, duce Cleone, miſerunt. Qui poſt diuturnam obſidionem ad deditionem compulit captoſque Athenas miſit, Vide quoque Scholia *in Equites Ariſtoph. p.* 291.

PYNDIS, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

PYRA, pars Oetæ, ad Sinum Malliacum, ubi helleborum naſcitur, Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Theophr.* & Herculis corpus concrematum, Liv. *l.* 36. *c.* 30. Non longè à *Pyrrha* Inſul. *Strab.* unà cum Deucalione Inſul. & *Pyrrha* promontor. idem fortè cum *Pyra.*

PYRA, rogus, buſtum, *Servio* ſic diſtinguuntur, ut *Pyra* ſit lignorum congeries; *Rogus* dicatur, cùm ardere cœperit; *Buſtum* verò jam exuſtum vocetur, quaſi *bene uſtum.* Vide Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. ut & hic paſſim, inprimis ubi *de Cadaverum cura, Cremandi ritu* &c. item, voce *Rogus*, & *Straba.* Addo ſaltem, Veteres, quo quis ditior opibus, dignitate celſior, virtutibus præſtantior, hôc illi pyram celſiorem ſolitam erigi. Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 685. de *Pyra* Didûs:

———— *Sic fata gradus evaſerat altos.*

Ubi Servius, *Rogi pro qualitate fortunarum fiebant.* Et *lib.* 6. *v.* 178. de Miſeni,

———— ———— *aramque ſepulchri*
Congerere arboribus cœloque educere certant.

Ubi *Donatus* hoc factum ait: *Ut robur & meritum viri ſic appareret.* Vide quoque Dionyſium Halicarn. *Antiqq. Rom. l.* 11. ubi de Sicinii rogo &c.

PYRA Volema, Vide infrà *Vola*, & ſuprà plura voce *Pira.*

PYRACMON, unus ex Vulcani miniſtris, quorum operâ in fabricando utitur. Dictus ab *igne* & *incude.* Nam πῦρ Græci *ignem*, & ἄκμονα *incudem* vocant. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 475.

Bronteſque Steropeſque & nudus membra Pyracmon.

PYRACMOS, viri nomen à Cæneo interfecti. Ovid. *l.* 12. *Met. v.* 459.

Quinque neci Cæneus dederat, Styphelumque, Bromumque,
Antimachumque, Helimumque ſecuriferumque Pyracmon.

PYRÆ, Latii oppid. circa Minturnas, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Nunc in ruinis.

PYRÆA, pars Theſſaliæ. *Steph.*

PYRÆCHMES, Rex Eubœæ. Ptol. *in Parallelis*: Πυραίχμης, βασιλεὺς Εὐβοιέων ἐπολέμει Βοιωτοῖς, ὃν Ἡρακλῆς, ἔτι νέος ὤν, ἐνίκησεν. Πώλοις δὲ προσδήσας, ϗ εἰς δύο μέρη διελὼν τὸν Πυραίχμην ἄταφον ἔρριψεν· ὁ δὲ τόπος προσαγορεύεται Πῶλοι Πυραίχμου. κεῖται δὲ παρὰ ποταμὸν Ἡράκλειον, χρεμετισμὸν δὲ ἀναδίδωσι πινόντων ἵππων, ὡς ἐν τρίτῳ περὶ ποταμῶν.

PYRÆI, Dalmatiæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

PYRÆUS Portus. Vide *Piræus.*

PYRALE, in *Hiſtor. Alamann. Tom. II. Præſul in Pyrale Congregationis intravit*, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.*: hypocauſtum eſt Conventuale, in quo Capitulum celebrabatur. In eo flagellum diſciplinarum appenſum, & columnam fuiſſe, ad quam cæderentur rei, annotat Ekkehardus Jun. *de Caſibus S. Galli*, *c.* 16. *Ille ad columnam Pyralis ligatus acerrimè virgis cæditur.* Proxima eidem conclavia, Lavatorium & Scriptorium, idem memorat *c.* 16.

PYRALLIS, animal pennatum, haud multo majus muſcis, in fornacibus ærariis Cypri. Plin. *l.* 11. *c.* 36. *In Cypri ærariis fornacibus & medio ignium majoris muſcâ magnitudinis volat pinnatum quadrupes: appellatur* Pyrallis, *à quibuſdam Pyrauſta.* Idem memorat Antigonus de Caryſtiis σιδηρείοις ſeu *ferrariis fornacibus*, *in Admirandis*, *c.* 90. Quam ob cauſam *Caryſtias aves* eos appellat Solinus, *c.* 11. *Caryſtos aquas calentes habet, Hellopias vocant: & Caryſtias aves, quæ flammas impunè involant.* Ineptè. *Volucres* quidem de muſcis dixit Ammianus; ſed volucre dici poteſt, quidquid pinnatum eſt, etiam quadrupes; volucre namque τὸ πτηνὸν, *quod volat.* At *avis* eſt ὄρνις vel ὄρνεον: quô nomine muſcas nullus Græcorum inſignivit. Prætereà, quòd ait, aves illas impunè flammas involare, ne id quidem ſatis rectè dictum. Imò non evolant impunè ab ignibus. Nam ut ſcribit Antigonus, τῦ πυρὸς χωριζόμενα ἀποθνήσκει, *ab igne ſeparata moriuntur.* Plinius quoque, *Quamdiu eſt in igne, vivit: cùm evaſit longiore paulò volatu, emoritur.* Cujuſmodi animalium in igne ferrariarum officinarum naſcentium, meminit quoque *Strabo*, & κώνωπας appellat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 177.

PYRAMIDES, nihil aliud fuerant, quàm regum Ægyptiorum pecuniæ otioſa & ſtulta oſtentatio. Harum enim una à 360000. hominum 10. Annorum ſpatiô conſtructa traditur, tantâ impenſâ, ut in alliis, cæpis & raphanis 1800. talenta fuerint inſumta, Plin. *l.* 36. *c.* 12. Sed & haſce moles faciendi cauſa à pleriſque traditur, ne pecuniam ſucceſſoribus, aut æmulis inſidiantibus præberent. Plures in Ægypto paſſim extiterunt. *Baudrando* 20. ſunt, nullæ tamen clariores tribus illis, de quibus Mela ſcribit, *l.* 1. *c.* 9. quæ orbem implevere famâ, conſpicuæ undique adnavigantibus, ſitæ in parte Africæ, monte ſaxeô, ſterilique inter Memphin oppid. & Delta. Unde Martialis, *Epigr.* 1.

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.

Baudrando vix 2. leuc. à Cayro diſtant in Occaſum, ſuntque quadrifrontes. Earum major in rupe ſita habet baſin 693. pedum Anglic. ex utraque parte. Altitudo eadem, & ad ejus ſummum aſcenſus eſt per 207. gradus. Excitata fuit à Chemi ſeu Cheope Rege. Secunda vix 200. paſſibus abeſt à priori; ejuſdem altitudinis, ſed minoris circuitus, cùm ejus baſis ex utraque parte ſit 560. pedum Anglic. ſeu 625. pedum Romanorum. Tertia vix à ſecunda diſtans jactu lapidis, ſedet in tumulo. Latitudo ejus in utraque baſi 320. pedum Anglicor. ut & altitudo. Aliæ autem 17. multò minores ſunt, & à primis diſtant. Ex *Joh. Greaves*, Oxon. Acad. Prof. *Sunt* autem *turres*, inquit Solinus, *c.* 35. *faſtigiatæ ultra excelſitatem omnem, quæ manu fieri poſſit.* Sub his Ægyptiorum Reges ſepulti fuerunt. Sunt autem propriè Pyramides, moles Geometricâ ratione conſtructæ in modum flammæ (ἀπὸ τῦ πυρὸς) ut à lato videlicet in acutum tendant. Amm. Marcellin. *l.* 22. *Pyramides ad miracula ſeptem prove-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

provectæ, quarum diuturnas ſurgendi difficultates ſcriptor Herodotus docet, ultra omnem omninò altitudinem, quæ humanis manibus confici poteſt, erectæ ſunt turres ab imo latiſſimæ, in ſummitates acutiſſimas deſinentes. Quæ figura apud Geometras ideo ſic appellatur, quòd ad ignis ſpeciem τῦ πυρὸς, ut nos dicemus, extenuatur in conum: quarum magnitudo, quoniam in celſitudinem nimiam ſcandens gracileſcit paullatim, umbras quoque mechanicâ ratione conſumit. Aliqui dictas volunt ἀπὸ τῶ πυρῶν, h. e. *à tritico*, quò illic per regem collectô, magna annonæ caritas per Ægyptum ſecuta eſt. Docet id Stephanus περὶ πόλεων. Ὠνομάσθησαν δὲ Πυραμίδες ἀπὸ τῶ πυρῶν, ἃς ἐκεῖ συναγαγὼν ὁ βασιλεὺς, ἔνδειαν ἐποίησε σίτου κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Videtur hoc etymon priori præferendum, eò quod *Pyramis* & πυρὸς conveniant primæ ſyllabæ modulô, contra quàm ſit in πῦρ, ejuſque derivatis. *Pyramidis* autem vocabulum forſan Ægyptiacum eſt; quod illis *Paramon*. Certè Arabes Ægyptiis vicini, *Haramon* vocant Pyramidem. Sicut *Albaraman* duæ Ægypti Pyramides in occidentali ripa Nili dicuntur. *Haramon* itaque *Pyramis* dicta. Ita Græci palus ab ἕλος, *pubes* ab ἥβη. Sicut הרמון *harmon* Ebræis *arcem* & *palatium* denotat, uti ab altitudine quoque *Hermon* mons dictus videtur. *Nic. Lloydius*. Pyramidum primam, à Chemmi, ſecundam à Copho, tertiam à Rhodope excitatam, vult Morer. *in Diction. Hiſt.* qui citat Vatrieri *Ægyptum*, Pouleti, *Itiner. Orientis*, Vinc. Blancum, Monconiſium &c. Sed quis de his accuratiùs doctiùſque ſcripſit Petrô de Valle? *Itiner. tom.* 1. quem vide ſis adi, operæ erit pretium, cui adde Ill. Equ. Anglum, Joh. Marſhamum, *Canone Chronic.* paſſim; inprimis Secul. III. ubi *Pyramidis Maximæ* accuratam deſcriptionem exhibet, ex *Pyramidographia* Joh. Gravii cit. Angl. editâ A. C. 1656. & quæ hìc dicta, voce *Chochome*, it. ubi de *Memphiticis Regibus* &c. Lucan. *l.* 9. *v.* 155.

> *Non mihi Pyramidum tumulis evulſus Amaſis.*

Propertius, *l.* 3. *El.* 1. *v.* 57.

> *Nam neque Pyramidum ſumptus ad ſidera ducti.*

Inde *ſaxa Pyramidum*, apud Statium *in Sylvis*.

PYRAMUS, adoleſcens Babylonius; qui Thisben mutuò amore proſecutus eſt: verùm cùm adeò à parentibus uterque obſervaretur, ut nullô modò ſe complecti poſſent, egredi urbem ad conſtitutum locum decreverunt. Quò quidem cùm prior perveniſſet Thisbe, à leænâ illic tranſeunte perterrefacta in antrum vicinum confugit. Pyramus deinde adveniens, cùm velum, quod fugienti Thisbe è capite deciderat, cruentatum reperiſſet, eam putans à feris fuiſſe dilaniatam, gladio, quem ſecum habebat, ſub moro arbore incubuit. Thisbe autem ex antro egreſſa, cùm Pyramum vulnere confectum vidiſſet, eôdem ſe gladiô confodit. Utrumque autem ſub moro arbore occiſum volunt, ejuſque fructus, cùm anteà candidi eſſent, ex eorum ſanguine atrum colorem traxiſſe. Ovid. *Met. l.* 4.

PYRAMUS, fluv. qui per anguſtias Tauri montis per Ciliciam defertur marique apud Mallum Urbem excipitur. Ejus meminit Dionyſ. *v.* 866.

> Καὶ τῷ μὲν πλεόνων ποταμῶν ἐπιμίσγεται ὕδωρ
> Τηλόθεν ἐρχομένων, Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο,

Ubi Scholiaſtes: Ὁ δὲ Πύραμος σκολιός τε ῥέει, ὡς εἴρηται, καὶ καταπίπτων εἰς βαθεῖαν φάραγγα ψόφον προβάλλει βροντῇ παραπλήσιον, καὶ χοῦν δὲ πάνυ πολὺν, ὡς ὁ γεωγράφος φησὶ κατάγει ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Διὸ καὶ χρησμὸς ἐξέπεσεν ἐν ὑπερβολῇ τοιοῦτος,

> Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτε Πύραμος εὐρυδίνης
> Ἠϊόνα προχέων ἱερὴν εἰς Κύπρον ἵκηται.

Heſych. Πύραμος, ποταμὸς Κιλικίας, ἄλλοι δὲ χόρτον οὕτω καλοῦσι. Ejus meminêre Strabo, *l.* 12. Arrianus, *l.* 1. & Qu. Curtius, *l.* 3. *c.* 4. Hodie *Malmiſtra* Nigro dicitur. *Leucoſyros* olim, *Steph. Cornui* etiam Bellonio. *Nic. Lloydius*.

PYRAMUS, Græcè πυραμοῦς, placentæ genus, victoribus olim dari ſolitum, Artemidorus, *l.* 1. *c.* 74. Non tamen omnibus, ſed tantùm iis, qui in potatoria palæſtrâ reliquos inſomniá viciſſent. Ariſtophanis Scholia *Equitibus*, ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τὴν ἕω, ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦν, *qui ad auroram uſque pervigilaſſet, accipiebant ex tritico, melle admixtô, placentam.* Hæc enim vocis notatio. Vide Meurſium *ad Lycophronem*, & infrà *Victoria*.

PYRANDER, Quæſtor Athenienſis, à populo ſaxis obrutus, quòd tempore belli triticum parcè ſuppeditaret. *Plut.* Alius hiſtoricus fuit, qui emiſit *Peloponneſiacorum libros*, teſte Plut. *in Par. c.* 37.

PYRANTHUS, urbs parva, aut vicus Cretæ, juxta Gortynem. *Steph.* Nunc in ruinis. *Baudrand.*

PYRASUS, vir Trojanus, ab Ajace bellô interfectus. *Homerus.* Item urbs Phthiæ *Stephano* ſic dicta, quòd regio ſit πυροφόρος, i. e. *tritici ferax*.

PYRATHEIA, dicta ſunt ſepta ingentia, in quorum medio fuit ara. In hac Magi, Perſarum Sacerdotes, & cinerem multum & ignem perennem ſervabant, eoque quotidie ingreſſi, imprecationes faciebant, per horam ante Ignem (gentis Deum) virgarum faſciculum tenentes, pileiſque infulis velati ex utraque parte dependentibus, adeò ut vittæ labia malaſque contegerent. Anſelm. Solerius *de Pileo*, *ſect.* 11. Vide quoque Cæl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 7. *c.* 29. Delrium, *Diſquiſ. Mag. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *quæſt.* 7. §. 2. & ante utrumque Strabonem, *l.* 15. ubi de Cappadocia, & Procopium *in bello Perſ. l.* 2. ubi, *Hic magnum eſt Pyreum*, inquit, *ubi ignem perpetuum cuſtodiunt Magi.* Quomodo autem ignis hic manſerit perennis, cùm diſquirant Eruditi, ſentit Licetus, *non interpolatâ repetitâque novi fomitis adjectione, ſed in materia diutiſſimè ardente, cujuſmodi flamma erat Pallantis & Olybii, conceptum conſervatumque fuiſſe*, *l.* 1. *de Lucernis*, *c.* 20. Idem Ignem hunc in *Pyrathæiorum* ſeu *Pyrethiorum* ara jugi ſplendore ardentem, cum lucerna Minervæ Athenis in Prytaneo, cum lucerna in urbe Munychia, in Ammonis æde, in Britannicæ Minervæ delubro, in altari Delphico, in fano Veneris, in Terentini Ditis & Proſerpinæ ara ſubterranea aliiſque confert, *Op. eod. l.* 3. *c.* 5. Hujuſmodi itaque *Pyreum* cùm Audas Epiſcopus zelô correptus ſuſtuliſſet, circa A. C. 421. Varanes Perſarum Rex (cujus Pater Iſdigerdes Chriſtianis multum libertatis conceſſerat) oſtenſus graviſſimè, non ſolùm eum cum aliis Epiſcopis interfici, ſed & templa deſtrui præcepit, crudeliſſimâ in omnes Chriſtianos regni ſui perſecutione excitatâ, de qua vide Theodoretum, *l.* 5. *c.* 38. & 39. ut & aliquid hanc in rem ſuprà, voce *Omanus*, it. *Oratorium*.

PYRAUSTA, eadem cùm pyrallide, de quo modò. Sed & πυραυστὴς Græcè dicitur papilionis genus, quod lucernas accenſas circumvolitat & adſultat ſua plerumque cum pernicie. Idem *ibid.* Quô nomine Reformatos in Gallia à Pontificiis appellari notum; eos circa Myſteria divina tamdiu volitare, donec eorum ſublimitate abſorbeantur, dicentibus.

PYREÆUS, portus vide *Pyreæus*.

PYRECHMES, luctator Ætolus, qui Degmentum Epeum ſingulari certamine vicit. Herodot. *l.* 6. Lege *Pyrachmes*.

PYREICUS, pictor nobilis, qui humilia ſecutus, humilitatis tamen ſummam gloriam adeptus eſt. Pinxit tonſtrinas, ſutrinas, aſellos & obſonia. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

PYRENÆA, urbs Locridis. *Steph.*

PYRENÆA Venus, *Portus Veneris* Melæ, *l.* 2. *c.* 5. & aliis *Templum Veneris*, oppid. Galliæ Narbonenſis in confinio Hiſpan. *Capo de Creuz* hodie dicitur. *Baudrando* nunc *Port Vendres*, portus Galliæ Narbonenſ. prope Caucoliberim oppid. Comitatus Ruſcinonenſis, in ora maris Mediterranei in ipſo limite Cataloniæ; vix 8. mill. paſſ. ab Aphrodiſio promontor. in Boream.

PYRENÆUS, mons Hiſpaniæ maximus, illam à Gallia ſeparans, ab Oceano in mare Mediterraneum extenſus ad 80. milliar. Hiſpanica, ex cujus medio ferunt utrumque mare conſpici. Vide *infrà*. Auſon. *Ep.* 24. *v.* 68.

> ——— *Me Punica lædit*
> *Barcino, me bimaris juga pinguida Pyrenæi.*

Dionyſ. *v.* 288.

> Τοῖς δ᾽ ἐπὶ Πυρρηναῖον ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν.

Hi montes *Ptolemæo* & *Stephano* Πυρήνη vocantur, ut & Sil. Italicô, *l.* 3. *v.* 438. *Pyrene*. Cornelio Nepoti, *l.* 23. *c.* 3. & Liv. *l.* 21. *c.* 32. 33. nuncupantur *ſaltus Pyrenæus*, quò nomine etiam Cæſar, *l.* 1. *Bell. Civ. c.* 37. Sueton. *in Cæſar: c.* 25. & Oroſius *c.* 21. appellârunt. *Alpes* vocantur ab Agellio, ex Varrone; nominat enim horum accolas *Hiſpanos Alpinos*. Cæterum de *Pyrenæis* duplex fabula jactatur, apud Græcos: Una de *Pyrenes* nomine dictis, Bebrycis regis filiæ, quæ ab Hercule illâc iter faciente vitiata, cùm metu patris aufugiſſet in ſylvas, à feris diſcerpta eſſe creditur. Silius, *l.* 3. *v.* 417.

> *Pyrene celsâ nimboſi verticis arce,*
> *Diviſos Celtis latè proſpectat Iberos;*
> *Atque æterna tenet magnis divortia terris.*
> *Nomen Bebryciâ duxêre à virgine colles,*
> *Hoſpitis Alcidæ crimen, qui ſorte laborum*
> *Geryonis peteret cùm longa tricorporis arva*
> *Poſſeſſus Baccho, ſævâ Bebrycis in aulâ,*
> *Lugendam formæ ſine virginitate reliquit*
> *Pyrenen, &c.*

Hanc fabulam meritò rejicit Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Quæ de Hercule*, inquit, *ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabuloſa imprimis arbitror.* Alii ex Pyrenæo ſaltu incenſo referunt argenti fluxiſſe rivos, unde maximas opes contraxerint Phœnices, cùm illud vili pretiô ab accolis comparâſſent. Hujus conflagrationis meminêre Ariſtoteles *in Mirabilibus* & Poſidonius apud Strabonem, itemque Diodorus, *l.* 5. qui addit, τὰ μὲν ὄρη διὰ τὸ συμβεβηκὸς κληθῆναι Πυρηναῖα, *montes propter hunc caſum Pyrenæos eſſe dictos:* tanquam ἀπὸ τοῦ πυρὸς συχνὰς ἡμέρας συνεχῶς ἐπιφλέγοντος, *ab igni qui per multos dies continuè exarſerit.* Hæc illi. Bocharto, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 35. autem nomen *Pyrenes*, vel *Pyrenæorum* montium videtur poſſe deduci, non abſurdè ex Phœnicio פארני *purani*, pro *ramoſo* ſcil. & *opaco*. Nempe Ebræis פארה *pura* vel *pora*, eſt *ramus*. Et ut ex רוחא *rucha*, *ſpiritus*, eſt רוחני *ruchani*, *ſpiritualis*: ita ex פארא *pura*, *ramus*, פארני *purani*, *ramoſum* ſonat, vel, quod idem eſt *opacum*: Qualem fuiſſe Pyrenæum, ſaltem à parte Hiſpaniæ, veteres diſertè docent. Strabo, *l.* 3. Αὐτῆς δὲ τῆς Πυρήνης τὸ μὲν Ἰβηρικὸν πλευρὸν εὔδενδρον ἐστι παντοδαπῆς ὕλης τε καὶ ἀειθαλοῦς. Diodorus, *l.* 5. Πολλῶν δὲ ὄντων ἐν αὐτῇ δρυμῶν, καὶ πυκνῶν τοῖς δένδρεσι. *l.* 3. *v.* 415.

> *At Pyrenæi frondoſa cacumina montis.*

Et poſteà de Pyrene per Pyrenæos montes oberrante, poſtquam ab Hercule compreſſa eſt: *v.* 430.

> *Et promiſſa viri ſylvis narrabat opacis.*

Et, *v.* 442. de Annibale:

> *Jamque per & colles, & denſos abiete lucos*
> *Bebryciæ Pœnus fines tranſcenderet aulæ.*

Inde *Pyrenæi ſaltus*, in Corn. Nepote, *loc. cit.* Oroſio *c.* 21. & *Æthico*, qui hodieque nomen retinent. *Baudrando* hi montes inter Galliam & Hiſpan. ab Ortu in Occaſum per 85. leucas Hiſpanic, nempe à Templo ſeu Portu Veneris in ora maris Mediterranei uſque ad Fanum S. Sebaſtiani in ora Oceani Cantabrici extenſi ſunt. Dicuntur inter Cataloniam & Comitatum Ruſcinonenſem *Col de Pertuis* prope Junceariam; inter Comitaum Ruſcinonenſem & Ceretaniam *Mont Canigo*, in Ceretania *Col de la Prexa*, inter Occitaniam & Cataloniam *Col de l'Argentiere* & *Porte de Viella*; inter Aquitaniam & Aragoniam *Montes de Jacca* & *de S. Chriſtina*, in Navarra *Monts d'Aldude*, inter Pompelonem & Fanum S. Johannis Pedeportuenſis. Sed ex ejus medio non poteſt utrumque mare conſpici. Eorum partes ſunt etiam montes *Antipyrenæi*, inter Occitaniam, & Comitatum Ruſcinonenſem extenſi per aliquot leucas: Profluunt autem ex Pyrenæis, qui Germanis

pera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

peregrinatoribus, Compoſtellam inviſentibus, etiam *der Runze ſal* dicuntur, Atax, Aurigera, Garumna, Thetis, Gabarus utterque & Aturus, fluvii Gall. uti Arga, Aragonius, Gallæcus, Cinga, Noguera & Sicoris, fluvii Hiſpan. *Ortelius* credit etiam Montem S. Adriani partem eſſe Pyrenæorum, & hos non tantùm inter Galliam & Hiſpaniam eſſe, ſed hinc ad Occaſum uſque Oceanum & Celticum Promontor. teſtibus Pomponiô, *l.* 3. Dione, *l.* 53. & Oroſiô, *c.* 21. ſed ab omnibus *Montes Pyrenæi* dicuntur, qui Galliam ab Hiſpania ſeparant. Adhuc notandum, Pyrenæi vocabulum eſſe æquivocum, eôque nomine appellari non tantùm montes, qui Galliam ſeparant ab Hiſpania, ſed etiam montem Germaniæ, prope ſylvam Hercyniam, nomine *Pyrenen*, ex quo fluere Danubium ſcribit Ariſtoteles, *in Meteoris.* Hinc & Plin. *in Panegyrico*, *c.* 14. *Germaniam quamplurimæ gentes, ac prope infinita vaſtitas interjacentis ſoli, tum Pyrenæus, Alpes, immenſique alii montes; niſi his comparentur, muniunt, dirimuntque.* Mons ille, cujus & B. Rhenanus meminit, hodie *Brenner* Germanis dicitur, ab urendo, ut putatur. Nam frigore urere etiam in media æſtate experiuntur illi, qui in Comitatu Tyrolenſi eum aliquando ſuperant. Vide eum, *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti. *Baudrand.* *Der Groſſ Verner* German. *le Grand Brenner* Gall. pars eſt Alpium Tridentinarum, inter Oenipontem ad Boream & Bolzanum ad Meridiem verſus fontes Atheſis fluv. Hujus præthereà meminêre *Appian.* Seneca, *Conſol. ad Helv. c.* 6. Dionyſius Philargyrus in Virgil. *Georg. l.* 4. *Brennum* vocat.

PYRENE, promontor Hiſp. in ora Oceani Cantabrici. Quibuſdam Fons rapidus ſeu Fuentaravia, arx in ipſo limite Franciæ. Meliùs autem, ubi hodie *S. Sebaſtiano*, oppid. amplum & munitum Hiſpaniæ aliàs in ipſo limite Aquitaniæ, nunc in Ipuſcoa provinc. ad oſtia fluv. Menlaſci, ubi mons Pyrenæus in Oceanum deſinit.

PYRENE Fons, apud Corinthum. Plin. *l.* 4. *c.* 4. Ovid. *l.* 2. *Metam.*

PYRETHI, Magi quidam in Cappadocia, qui non cultrô, ſed ſtipite mactant. Strabo, *l.* 15.

PYREUM, Græcè Πυρεῖον, quid apud Perſas, vide ſuprà voce *Pyratheia.* Communiter ignitabulum. Diodor. Sic. de Prometheo, Τῶν πυρείων εὑρετὴς, ἐξ ὧν πῦρ ἐκκαίεται, *Ignitabulorum inventor, quibus ignis excitatur.* Cùm ignem è ſilice primus elicuerit Pyrodes Cilix, Plin. *l.* 7. *c.* 56. unde ſilex hujuſmodi Græcè πυρίτης dictus eſt. Πυρεῖον autem propriè fuit lignum, quod alterô lignô tamdiu terebrabatur, donec ignem conciperet. Hunc enim modum excitandi primitus viguiſſe, docet Scholiaſtes Apollonii, *ad illud*;

——— Τοὶ δ' ἀμφὶ πυρήια δινεύεσκον.

Ubi lignum, quod ſubſternebatur, στορεὺς; alterum, quô vice perforaculi utebantur, τρύπανον, dictum eſſe ait. Theophraſtus ἐσχάραν vocat lignum inferius, *Hiſtoriar. l.* 5. *c.* 10. Plinius in hos uſus hederam & laurum commendat: *Sed nihil ederâ præſtantius, quæ teratur, laurô, quæ terat. Probatur & vitis ſylveſtris alia, quàm labruſca & ipſa edera modò arborem ſcandens.* Lauro etiam rhamnum jungit *Heſychius.* Nempe fortius & durius lignum quærebatur, ex quo terebra fieret, levius & rarius, quod tabulæ vel ἐσχάρας vel στορέως uſum præſtabat. Hinc ferreâ poſtmodum terebrâ uſi Veteres, cujuſmodi Igniarii inventum Homerus Mercurio tribuit, *in ejus Hymno*,

Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ
Ἄρμενον ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο βαιὸς ἀϋτμήν.

Sic Veſtales ignem æternum, ſi quando defecerat, reparabant, materiam nempe ligni felicis ferrô terebrandô. Feſtus, *His mos erat, tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem in cavo æneo Virgo in ædem ferret.* Excipiebatur verò ſic excuſſus ignis *materiâ aridi fomitis, fungi vel foliorum.* Plin. iterum. Vide ſuprà in voce *Fomes*, & ubi de *Igniaria re* Veter. infrà voce *Pyrites:* plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 179. & 180. ubi *Ignitabulum*, propter duplicis ligni attritum, πυροστρόφον quoque Græcis & lignum ſuperius, quô alterum terebrabatur, ἀχάλκευτον τρύπανον *Sophocli* dictum eſſe, addit.

PYRGANUM, Tuſciæ locus maritimus. *Antonin.*

PYRGENSES, Achajæ populi. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

PYRGI, *gorum*, ſeu *Pyrgum* ſingularis numeri *Stephano*, colonia & oppid. Hetruriæ, inter Antium, & Graviſcas. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 184.

Et Pyrgi veteres, intempeſtaque Graviſca.

Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 2.

Qui modò litoreos ibatis carmina Pyrgos.

Rutil. *l.* 1. *v.* 223.

Alſia prælegitur tellus: Pyrgique recedunt,
Nunc villæ grandes, opida parva prius.

Unde *Straboni* πολίχνιον dicitur. Fuit & Cæretanorum navale: quibuſdam eſt *S. Severa* hodie caſtrum Patrimonii, in ora maris Tyrrheni. Aliis eſt Fanum S. Marinellæ, caſtrum ejuſdem provinc. cum portu tantiſper capaci, 6. milliar. à Centumcellis in Ortum, S. Severam verſus totidem, 33. à Roma in Occaſum. Familiæ Barberinæ: in ejus excelſa turri legitur *Neopyrgen.* Forſan è ruderibus Pyrgi extructum; & Caſtrum Novum Purganum dici poteſt, quod veriſimilius: cùm ejus templum in vicino colle ſitum dicatur S. Maria de territorio Purgano, ubi etiamnum rudera antiqui Pyrgi; *Baudrand.* Oppidani *Pyrgenſes* Ciceroni ac Livio dicuntur. *Pergites* verò *Stephano.* *Nic. Lloyd.*

PYRGION, Hiſtoricus, celebratur *libris de inſtitutis Cretenſium.* Athen. *l.* 4.

PYRGITÆ, *Heſych.* Πυργῖται, οἱ Κρῆτες.

PYRGO, nutrix filiorum Priami. Virg. *Æn. l.* 5. 645.

——— *Hic una è multis, quæ maxima natu*
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix.

PYRGOTELES, gemmarum ſculptor eximius, à quo tantùm Alexander M. ſe in gemmis ſculpi paſſus eſt, edictôque alios vetuit. Plin. *l.* 37. *c.* 1.

PYRGUS, Marmaricæ urbs Mercatori, cui novô nomine *Barda* dicitur.

PYRGUS, Græcis *Bergas* Leunclav. Vide *Bergulæ.* Itam caſtellum Eleorum, in Peloponneſo. Liv. *l.* 7. *dec.* 3.

PYRGUS, vide ſuprà *Ambo.*

PYRGUS, idem quod *turricula*, *fritillus*, *fimus*; *orca*, cornea pyxis erat, è qua in ludo teſſeræ in tabulam jaciebantur. Quanquam enim Johannes Antiochenus præter *Pyrgum* etiam ψηφοβόλον, per quod in pyrgum tali vel teſſeræ conjiciebantur, meminerit, plerumque tamen ſolô *Pyrgô* Aleatores fuêre contenti. Vetus Scholiaſt. Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 5. *Fritillus, pyxis cornea, fimus Græcè: Apud antiquos enim in cornu mittebant teſſeras, moventeſque fundebant: quod is Fritillum vel Pyrgum dixit.* Sidonius Apollin. *l.* 3. *Ep.* 3. *Omitto, quòd hîc primum tibi Pila, Pyrgus, Accipiter* &c. unde idem, *Aleatorem ad Pyrgum vocare*, ait, *l.* 5. *Ep.* 17. Martialis *Turriculam*, voce Romanâ, vocat, *l.* 14. *Epigr.* 16. *cui tit. Turricula*, ubi docet, evitandæ fraudis tollendique doli causâ, hujuſmodi turriculam fuiſſe inventam, quod hodieque in Aulis fieri aſſolet. *Orcam* vocârunt, A. Perſius *Sat.* 3. *v.* 50. & 76. & Pompon. Bononienſis Conſularis ac Poëta: è cujus anguſto collo in tabulam effuſæ teſſeræ, ingentem edidêre ſtrepitum, Sidon. Apollinaris, *l.* 2. *Ep.* 9. & *Carm.* 23.

Hîc promens teretes pilas trochoſque,
Hic talos crepitantibus fritillis.

Gradus habuiſſe, Auſonius *in Profeſſorib. Epigr.* 1. *v.* 28. docet, dum ait:

Fundunt excelſi per cava buxa gradus.

Et Sidonius iterum, *l.* 8. *Epiſt.* 12. *Hîc te ædificatus culcitis thorus, hîc tabula calculis ſtrata bicoloribus, hîc teſſera frequens eboratis reſultatura* Pyrgorum *gradibus expectat.* Vide Thom. Dempſter. in *Roſin. l.* 5. *c.* 1. & ſuprà in voce *Fritillus.* Fritillum tamen ab eruditis, pro ipſa tabula luſoria, haberi, licèt Pyrgum quoque *Fritillum* vocaverit Antiquitas, contendit Anton. Thyſius JC. in *Notis in A. Gellium*, *l.* 1. *c.* 20. Eſt enim Fritillum, inſtrumentum ſeu vaſculum, in quo teſſeræ *fritinniunt*, i. e. juxta Nonium, *cum ſono ſubſiliunt*, concuſſæque agitantur. Vide *loc.* Erat autem hæc turricula gradibus intus multis exciſis exſculptiſque aſperata, per quos teſſeræ reſultantes ſaltitanteſque in tabulam effundebantur, ne ab improba manu jactæ fallaciâ & arte, quô quis vellet punctô eas cadere, conſiſterent. Hinc διάσειστοι κύβοι & διάσειστοι ἀστράγαλοι teſſeræ talique Græcis dicti. Non enim mittebantur ſolùm per pyrgum, ſed movebantur etiam & concutiebantur, in eo, antequam mitterentur. Hodie *Cornetum* vocant Galli, quòd ex cornu ut plurimum fiat; ut etiam de Veterib. legimus. Scholiaſtes Juvenalis, *Fritillus, pyxis cornea, quæ* φιμὸς *dicitur Græcè. Pyxides* enim dicebantur, cujuſcunque materiæ eſſent: primitus tamen è buxo fuêre. Auſonius, *loc. cit.*

——— *quos præcipitante rotatu,*
Fundunt exciſi per cava buxa gradus.

Πύργον δουράτεον appellat *Agathias* &c. In hunc per infundibulum quoddam, Græcè ἠθμὸν, φιμὸν & ψηφοβόλον, teſſeras nonnunquam miſſas fuiſſe, diximus ſuprà ubi de *Pſephobolo.* Cujus reſpectu pyrgus urnæ vicem obtinebat, & in parte alveoli reſidebat. *Epigramma vetus*,

In parte alveoli pyrgus velut urna reſedit.

Aliud,

Contorquet varios alternans teſſera miſſus,
Fataque ludentum colus & urna probant.

Ubi tamen antiquum exemplar ſcriptum habet, *collis & ima*, h. e. pyrgus & tabula. Et certè, quæ *ima* huic Auctori dicuntur, vetus cento *MS. de alea*, apud Salmaſium, *imum fundum* vocat,

Oſſa minutatim fundo volvuntur in imo.

Imum nempe tabulæ fundum. Per *collem* autem pyrgum intelligit; nam πύργον in tabula τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, *altitudinem cœli* ſignificare tradunt, qui hunc ludum allegoricè exponunt. Per *ima* ergo vel *imum fundum*, & per *collem* fata ludentium probari dixit, quæ per pyrgum & tabulam probabantur &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo*, *c.* 13. ubi etiam fritillum cum pyrgo eundem facit. Idem tamen *ad Solinum* diſtinguit, & fritillum pro ψηφοβόλῳ accipit, *Pyrgum* verò definit *turrim ligneam in modum modii factam, quæ in parte alveoli hærebat, in ſummo aperta, & gradus intus ſeu ſcamilios exſculptos habens, in imo verò foramen, quô teſſeræ in tabulam effundebantur*, *p.* 70.

PYRGUS Euphranta, Marmolio *Eufrata*, oppid. Africæ, in ora, ad Syrtim magnam, inter Macomades ad Occaſum, & Philænorum aras ad Ortum *Ptol. Ferrar.*

PYRI, vallis Raphaim, quam Joſephus *ſylvam fletus* vocat, juxta quam cœlitus David adjutus ſecundò Philiſtæos proſtravit, ac longè lateque perſecutus eſt.

PYRI Mons, apud *Ammianum*, Joannes Heroldus interpretatur *Speyr*, Germaniæ urbem ad Rhenum, Epiſcopatu, & Camerâ Imperiali (ut vulgò loquuntur) decoratam. *Kaytlingerſtaig* Lazio; at *Heyligberg* è regione Heydelbergæ, *Fr. Junio.*

PYRIADRIS, vide PARYADRIS.

PYRINDUS, & PYRNUS, urbes Cariæ. *Steph.*

PYRITEGIUM, apud Matth. Pariſium *in Vita Guarini Abb. Ibi loquantur, quandiu in Hoſpitali viſum fuerit aut hora permiſerit, non autem ultra pyritegium:* tempus denotat, in quo Monachi dormitionis gratiâ ſegregabantur. Vox hybrida ex Græco πῦρ, *ignis*

ignis & Latino *tego*. Dominic. Macer. *in Hierolex.* Vide ſuprà *Ignitegium*.

PYRITES Lapis, *fulvus eſt, tenerique ſe vehementiùs non permittit: ac, ſi quando artiori manu premitur, digitos adurit*, Solin. *c.* 37. hinc πυρῖτις, quòd digitos adurat. Sed *Pyritis* gemma eſt; *Pyrites*, Græcè πυρίτης, lapis; quemadmodum aëtites gemma eſt, quæ aquilæ colorem præfert, aëtites autem lapis, qui in nido aquilarum reperitur. Hinc Plinius, *Pyritis nigra quidem, ſed attritu digitos adurit.* Vocârunt autem Græci Πυρομάχον, item πυρίτην, molarem lapidem, non quòd ignem faciat percuſſus, ſed quòd igni reſiſtat nec eô ſolvatur facileque rumpatur. Cujuſmodi lapides focis hodie ſubſternimus, eoſdemque caminis applicamus, quia igne minimè domantur, nec diſſiliunt aut crepitant: magna tamen ignis vi domiti in fornacibus liqueſcunt, ut omnes alii lapides ſolent, marmore exceptô, vide Plin. *l.* 36. *c.* 19. Sed eſt alius, apud eund. *Pyrites, ſimilitudine æris*, de quo *Dioſcorides*, Πυρίτης εἶδός ἐςι λίθȣ, ἀφ' ȣ̃ χαλκὸς μεταλλεύεται, ληπτέον μὲν τοι τὸν χαλκοειδῆ, *Pyrites ſpecies eſt lapidis, ex quo æs conficitur, ſumendus autem qui ærei coloris eſt.* Quô fortè utuntur hodie ad ignem eliciendum, in machinis ſclopetariis. Vulgò *Marcaſſita.* Addit Plinius, *Pyritarum etiam aliqui unum genus faciunt, plurimum habent ignis, quos vivos appellamus.* Hi ſunt vulgares igniarii lapides, quos infima Latinitas *focares* dixit, quam vocem vide. Subjicit idem, *Hi exploratoribus caſtrorum maximè neceſſarii, qui, clavô vel alterô lapide percuſſi, ſcintillas edunt, quæ exceptæ ſulphuratis aut fungis aridis vel foliis dictô citiùs ignem præbent.* E quo lapide igniaria fiunt, quæ *fuſilia* dicuntur vulgò. Ex ſilicum autem genere is eſt & *ignifer* Latinis dictus. Incertus Auctor *de lapidibus final. Lapis albus ſilicineus, ſi peralbus fuerit, Gallienſis nuncupatur: ſi mixtam venam habuerit, ignifer nomen habet.* Notum illud.

Et ſilicis venis abſtruſum extunderet ignem.

A quibus omnibus *Pyritarum* lapidum generibus diverſus eſt ille *Pyrites* lapis, quem inter gemmas recenſet Plinius, qui ſic dictus eſt, quòd attritus vehementiùs digitos adureret, ut vidimus. Niger is eſt, unde *furvus* apud *Solinum* potiùs legendum quàm *fulvus*. Quem tamen ſequutus *Iſidorus*, *Pyritemque* lapidem ſimiliter cum *Pyriti* gemma confundens, *Pyrites*, inquit, *Perſicus lapis, fulvus, æris ſimulans qualitatem, cui plurimus ignis, ſiquidem facilè ſcintillas emittit. Hic tenentis manum, ſi vehementiùs prematur, adurit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim, inprimis p.* 717. & 718.

PYRO, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theogoniâ.*

de PYRO Julianus, vide *Julianus*.

PYROCARÆ, dictæ ſunt circa A. C. 1247. mulieres quædam, in Italia, caſtitatem ac abſtinentiam à conjugio profeſſæ, inſtar Beghinarum in Gallia alibique, de quibus vide Joannem de Deo, Doctor. Bonon. *in Pœnitentiario, haud pridem edito, à Jac. Petito, l.* 11. *c.* 13. laudatum Car. du Freſne *in Gloſſar.*

PYRODES, Cilicis fil. qui primus ſilice excuſſiſſe ignem dicitur. Plin. *l.* 7. *c.* 56.

PYROIS, *entos*, unus ex equis Solis. Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 153.

Intereà volucres, Pyroëis, Eous, & Æthon,
Solis equi quartuſque Phlegon. ———

Val. Flaccus, *l.* 5. *v.* 432.

Et formidantem patrios Pyroënta dolores.

Item Martis ſidus ab igneo colore dictum: Columella, *l.* 10.

——— *Nec Sirius ardor*
Sic micat, aut rutilus Pyrois.

Nic. Lloyd.

PYROMACHUS Lapis, Græcè Πυρομάχος. Vide ſuprà in voce *Pyrites*.

PYROMANTIA, Græcè πυρομαντεία, Latinè *Igniſpicium*, notum divinationis apud Veteres genus fuit; de quo vide ſuprà, in voce *Flammæ inſpectio*. Addam hîc ſaltem, nonnunquam veſicas urinâ plenas & lanâ in collo vinctas, quas proin μαλλοδέτȣς κύςεις vocat *Sophocles*, in ignem conieciſſe, obſervâſſeque, quâ parte creparent, κ̀ πῶ τὸν ȣ̓ρὸν ἀκοντίζει, *& quorſum urinam ejacularentur.* Interdum quoque picem tædis degluptam, in ignem ſparſiſſe, bonique ominis habuiſſe locô, ſi luculenta mox ſurgeret flamma. In re bellica verò inprimis attendiſſe ἄκραν λαμπάδα, uti diſcimus ex Euripide *in Phœniſſis*: Plura apud Roſſæum dictô locô. Illuſtre exemplum πυρομαντείας habes apud Senecam, *Oedipô, v.* 309. & *ſeqq.* Papinium it. Statium, *Thebaid. l.* 10. *v.* 591. & *ſeqq.* ubi Oedipus à filia ex flammarum inſpectione futura edocetur: ad quem locum vide Barthium, ut & *ad Claudianum*, & *in Superſtitionum libris.*

PYRON, Hiſtoricus, *Annales* conſcripſit, teſte *Michaële Glycâ*, qui errorem ejus refellit, quòd putârit, Adamum poſt 40. dies ingreſſum eſſe Paradiſum.

PYRONÆA, urbs Locridis, à *Pyrone* quodam dicta. *Steph.* Aliis *vyrenæa.*

PYROPHORI, Græcè πυροφόροι iidem nonnullis videntur cum *Frumentariis*; hanc ejus appellationis cauſam reddentibus, quòd ex horreis publicis frumentum, quod civibus præbebant certâ menſurâ, in domos portarent. Sed *Frumentarii* non ii erant, qui frumentum collô portarent & laturam facerent: cujuſmodi erant, qui ἀχθοφόροι Græcis dicebantur. Verùm vel ita dicti ſunt, quòd frumenti publici proſecutionem curarent, ſive potiùs, quòd annonæ militaris exactioni præeſſent. Nec πυροφόρος Græcis, ἀπὸ τȣ̃ πυρȣ̃, h. e. à frumento, ſed ἀπὸ τȣ̃ πυρὸς, ab igne, dictus eſt, idemque eſt quod πυρφόρος. Fuit autem πυρφόρος dictus, qui antiquis Græciæ temporibus, ante repertum tubarum uſum, face jactatâ, prælii ſignum dabat. Unde Proverb. ȣ̓δὲ πυρφόρος ἐλείφθη, de clade ingenti, & internecione, quâ ne huic quidem hominum generi, quod aliàs ſanctum habebatur ac inviolabile, parcitum eſt. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano, c.* 11. & ſuprà ubi de *Bello*.

PYROPI, Græcè πυρωποὶ, carbunculi appellati occurrunt, apud Plinium, *l.* 37. *c.* 7. *Principatum habent carbunculi, à ſimilitudine ignium vocati, cùm ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdam* pyropi *appellati.* Ubi etiam ſcribitur in quibuſdam exemplaribus, *cùm ipſi non ſentiantur.* Cujus lectionis hic eſſet ſenſus, carbunculos ab ignium ſimilitudine appellari, cùm tamen ipſi nón ſentiantur igniti, ut carbones, ſed inſtar tantùm ignium ardeant, unde & Pyropi quibuſdam dicti. Quam ſententiam forſan aliquis præferret. Ovid. *l.* 2. *Met. v.* 2.

Clara micante auro, flammaſque imitata pyropo.

Epiphanius de Sarda, ἔςι δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει κ̀ αἱματώδης, *eſt autem pyropus facie & ſanguineus.* Nam Sarda itidem inter ardentes gemmas, quarum omnium principatum carbunculi habent &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 277. Sed Bocharto *Pyropum*, Æs dicebatur, cùm ſcil. æri coronario in ſingulas uncias ſex addebantur ſcrupuli auri, i. e. quatuor æris partibus auri quinta; quòd ignem fulgore ſuô referret. Quomodo Eumolpus *in Bacchicis*, apud Diodorum, *l.* 1. Bacchum ſeu Solem appellat,

Ἀςροφανῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπὸν.

Et Strabo, *l.* 15. *Perſas in auro dicit in honore habuiſſe* τὸ πυρωπὸν, i. e. *igneam ſpeciem*, quia ignem colebant. Sic in Solino, *Luſitanis Ceraunitis color eſt, è pyropo*: His enim fulgorem eſſe igneum alii docent. Martianus Capella, *l.* 1. *Cerauniorum vibrans fulguranſque lumen.* Et expreſſiùs Claudian. *in Laude Serenæ, v.* 77.

——— *Pyrenæiſque ſub antris,*
Ignea fulmineæ legêre Ceraunia nymphæ.

Sed & in variis coloribus, quibus columbarum pluma Soli oppoſita fulget, hic quoque à Lucretio memoratur, *l.* 2. *v.* 802.

Namque aliàs fit, ubi claro ſit rubra pyropo.

Ut Philo, *l. de temulentia, columbæ cervicem, Solis radiis oppoſitam, colorem habere dicit* φοινικȣ̃ν κ̀ κυανȣ̃ν, πυρωπόντε, *puniceum, cæruleum & pyropum.* Et Romanos Propertius ævô ſuô parmis *pyropum* induxiſſe docet, cùm priſci temporis frugalitatem ita laudat, *l.* 4. *Eleg.* 11. *v.* 21.

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo &c.

E quibus omnibus colligit Bochartus, *pyropum* metallum eſſe, non carbunculum: cùm auri vel æris bractea parmæ induci rectè dicatur, ut parieti tectorium: Carbunculus non item. Hinc & Plin. de Auro coronario, *Idemque in unciis additis auri ſcrupulis ſenis, prætenui pyropi bracteâ igneſcit.* Vide eum *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 16. ubi *Pyropo*, quod ex ære auroque conflatum igneô fulgore coruſcavit, vocem Hebræam *Haſmal* non malè convenire, docet.

PYROSTATICA, pars Statices, de qua infrà.

PYRPILE, inſul. ſic dicta, quòd ignis ibi primò repertus fuerit: hanc Delon dicunt eſſe.

PYRPOLE, eadem cum Ortygia *Solino*, quòd ibi *ignitabula*, Græcis Πυρεῖα, reperta. Malè *Pyrpile* aliis. Vide ſuprà *Pyreum*.

PYRRHA, Epimethei filia, quæ fratris filio Deucalioni nuptum data eſt, à qua Theſſalia *Pyrrha* dicta, ut ſcribit *Rhianus*, Poëta Græcus. Hæc poſt diluvium una cum marito, jactis poſt terga lapidibus, humanum genus reparâſſe fertur. Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 84.

Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.

Horat. *l.* 1. *Od.* 2. *v.* 5.

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ nova monſtra queſtæ. Vide *Deucalion*.

PYRRHA, nomen Achillis, quô appellatus eſt, cùm in aula Lycomedis virgineô habitu indutus lateret, à flavis ejus capillis: notus enim ex Homero ξανθὸς Ἀχιλλεὺς. Higinus, *c.* 96. *Virgines Lycomedis* Pyrrham *nominârunt, quoniam capillis flavis fuit.* Quam in rem vide egregiæ lectionis virum Andr. Tiraquellum *ad* 3. *Legem Connubialem, p.* 122. ubi aliorum, qui paria fecerint, exempla plura affert; adde Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Achilleid. l.* 1. *v.* 325. & 611. nec non M. Ant. Delrium, *Comm. in Senecam Tragic.* Atque hinc Tiberii jocularis quæſtio Grammaticis objecta ſolvitur, de qua vide Suetonium, *c.* 70.

PYRRHA, Cariæ civitas juxta Myrtoum pelagus, & inſul. circa Mæotim, quam pontus abſtulit. Plin. *l.* 2. *c.* 92. Item urbs Ioniæ, ad Mæandri oſtia Ptolemæo, nunc *Demonage*, teſte Moletiô. Eſt & Liguriæ vicus, item Phocidis, Magneſiæ, & Lyciæ. Item oppid. Lesbi, cum monte, à Mitylene 80. ſtad. à Mania 100. in ora Occidentali, Ereſſo proximum.

PYRRHA, oppid. Eubœæ. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Melæ. *l.* 2. *c.* 7.

PYRRHA, promontor. Phthiotidis, ad Sinum Maliacum, ante quod duæ Inſulæ Pyrrha & Deucalion. *Strab.* In Pyrrha regione aqua Amphryſi fœminas ſteriles facit, Plin. *l.* 31. *c.* 2. *Pyrrhe* verò Plin. *l.* 5. *c.* 31. Inſul. parva eſt Cariæ ſeu Doridis, in Sinu Caramico.

PYRRHÆA, quæ & *Pyrrha*, Theſſalia ſic dicta, à *Pyrrha* Deucalionis uxore. Strabo *ad calcem libri noni*: Καθόλȣ δ' ὅτι πρότερον ἐκαλεῖτο Πυῤῥαία ἀπὸ τ̃ Δευκαλίωνος γυναικός. *Rhianus*, de variis Theſſaliæ appellationibus:

Πύῤῥαν δή ποτε τήν γε παλαιότεροι καλέεσκον,
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.
Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀφ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς

Τείνατο Φέρτατον υἱὸν, ὁ δ' αὖ τέκε Θέσσαλον Αἵμον.
Τοῦ δ' ἀπὸ Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίζαντο.

Nic. Lloyd.

PYRRHÆI Æthiopum gens in Libya interiori. *Ptol.*

PYRRHANDER, ſycophanta inſigniter verſutus; notæque malitiæ, Ariſtophanes *in Equitibus*:

Καὶ νὴ Δί' ἦν καὶ Πυῤῥάνδρου τὸ μηχάνημα τοῦτο,
Ac per Jovem fuit quidem Pyrrhandrica iſta techna.

PYRRHEUM, pars fuit Urbis Ambraciæ, in Epiro, ſive ejus ſuburbium, Plin. *l.* 4. *c.* 1.

PYRRHIAS, Ithacenſis negotiator, qui ſenem quendam ex piratarum manibus datô pretiô redemit: non obid, quòd eô ſibi foret opus, ſed partim quòd miſertus eſſet ſenilis fortunæ, partim hominis oratione perſuaſus. Emit autem unà cum ſene cados fictiles pice plenos, quos ſenex ille ſecum advehebat, idque authore ſene. Deinde profectis piratis, quò Pyrrhiæ gratiam referret, ſenex, quòd non ob lucri cupiditatem, ſed ob benevolentiam ſeſe liberum feciſſet, indicavit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam abditam eſſe. Quâ repertâ, cùm Pyrrhias derepente dives factus eſſet, magnificè collaudavit ſenis erga ſe gratitudinem, & eidem bovem immolavit officii præmium: Unde Proverbium: *Nemo bene merito bovem immolat, præter Pyrrhiam.*

PYRRHICA, propriè pugnæ equeſtris umbra & ſimulacrum, quæ & *Troja* dicitur, πρύλις & ἱππασία *Dioni*, ut & *Servius* cum *Donato* ex Suetonii libro, *de luſibus puerorum*, ſcribit. *Decurſus* A. gellio, *l.* 7. *c.* 3. Græcis etiam, διέλασία, & ἀνθιππασία. Nomen habet à *Pyrrho* Cydonæo, qui primus Cretenſes ſub armis ſaltare, ad Pyrrhii pedis ſonum, inſtituit. Nicolaus apud *Stobæum*: Οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥιχος Κυδωνιάτης Κρὴς τὸ γένος. Alii dictam volunt, à *Pyrrho* Achillis filio, quem primum in tumulo patris ſui armatum honoris gratiâ ſaltâſſe dicunt. Ariſtoteles tamen dicit, Achillem hujus luſûs inventorem fuiſſe. Euſtathius vocat ἐνόπλιον ὄρχησιν καὶ Κρητικήν. *Fungerus. Nic. Lloyd.* Vide & infrà.

PYRRHICA Saltatio, vel à *Pyrrhicho* quodam Lacone, vel à *Pyrrho*, Achillis filio, inventa, armata peragebatur, vel cum cantu, vel ſine cantu, ut videre licet ex Icone, quam è lapidibus antiquis expreſſam, in ſuum *de Arte Gymn.* opus, *l.* 2. *c.* 6. tranſtulit Hieron. Mercurialis: Inter Saltationis Bellicæ genera præcipua, (cùm enim armatis perageretur, in militaribus reponebatur exercitationibus) *bellicrepa* proin, teſte Feſtô Pompejô, Latinis dicta eſt. Nec verò in armis ſolùm fiebat, ſed præterea imitabatur omnes corporis flexus, quibus & telorum, & cominus pugnantium ictus, exirent: ut in alterum latus declinando, cedendo retro, ſubſiliendo, humique ſe demittendo. Imò & actus referebat, quibus hoſtis peteretur, gladiô, jaculô, ſagittâ; idque & acriter & decorè: queîs ſine ſaltatio fuiſſet turpis & ingrata. Atque ex his liquet, non ſaltâſſe modò, ſed etiam manibus geſticulatos eſſe; eoque Πυῤῥίχην aliter χειρονομίαν eſſe dictam, legimus apud Athenæum, *l.* 14. & Euſtat. *Il.* ν. Habuerunt eam, inter exercitationes, Lacones inprimis, teſte Fabiô, *l.* 1. *c.* 19. Cretenſes quoque illam pueros addocebant, ut diſcimus ex Nic. Damaſceno, apud Stobæum, *Eclogâ* 42. Ad Romanos inde tranſiit, apud quos Trojanum ludum, memoratum Suetonio, *in Tiber. c.* 6. pro *Pyrrhica* uſurpari, ſunt qui dicant: Verùm dum utrumque horum cum Luctis Juvenilibus, à Nerone inſtitutis, confundit Alex. Neapolitanus, *Genial. dier. l.* 6. *c.* 19. hallucinatur non leviter, cùm iſti ludi effœminati admodùm & molles, cum militari illo exercitationis genere, nihil penitus commune habuerint. Exercebantur verò hâc ſaltatione, non modò Tirones & Milites, ſed nobiliſſimi quique Adoleſcentes, Principes interdum ipſi. Imò Sueton. *in Nerone*, *c.* 12. dicens, *Exhibuit Pyrrhicas quaſdam è numero Epheborum, quibus poſt editam operam diplomata civitatis Rom. obtulit*: ignobiles quoque ſerviliſque conditionis homines *Pyrrhicam* luſiſſe, innuit. Adde & viliſſima Beſtiariorum capita, ex Ulpiano JCto, *l.* 8. *ff. de pœn.* Puellas item, ex Appulejo, *Mileſiar. l.* 10. Præcipuus in ea gladii uſus: Muſicus concentus fiſtulis peragebatur, Amm. Marcellinô teſte, *l.* 16. in rebus Juliani, præeratque exercitiis aliquis ſummæ auctoritatis, qui non modò hortari poterat, ſed & coërcendo Tirones impellere; ὁπλοδιδάκτης in *Veterib. Gloſſis*, *Campi doctor* Scholiaſti Juven. *Sat.* 6. *v.* 260. *Magiſter* eidem, *ad v.* 87. *Sat.* 2. Iſidoro *Cuſtos*, *l.* 9. *c.* 8. *Monitor* Tertulliano, *Apolog. c.* 30. vocatur, vide ſuprà. Proximæ poſt eam dignitatis Ἐμμέλεια fuit, Voſſ. *de* 4. *Artib. Popul. c.* 3. §. 51. Sed & ei affinis erat, non tam funebris decurſio, quàm caſtrenſis, parando gravioribus conflictibus militi inſtituta, apud Capitolin. *Maximin. c.* 5. Noſtris temporibus illa pugnarum genera *Pyrrhicas* æmulantur, quas *Moreſcas* populari vocabulô Itali appellant. Plura vide apud Hier. Mercurialem, *locô cit.* & Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſin. l.* 5. *c.* 25. Claudian. *Panegyr. de quarto Honorii Conſul. v.* 626.

Mutatos edunt pariter tunc pectora motus,
In latus illiſis clypeis, aut rurſus in altum
Vibratis, grave parma ſonat, mucronis acutum
Murmur & umbonum pulſu modulante reſultans
Ferreus alternô concentus clauditur enſe.

Cœterùm *militaris* dicitur, *Pyrrhica*, apud Æl. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 19. *Militares pyrrhicas Populo frequenter exhibuit*; non quòd alia fuerit non militaris, ſed quia hoc perpetuum ejus epitheton eſt, Caſaubon. *ad loc.* Salmaſ. verò ad eundem, aciem illam in armis ſaltantium, ex viris & mulieribus componi ſolitam, & buxeis armis, non ex ferro fuiſſe inſtructam, docet ex hoc *Epigr.* ἀνεκδότῳ,

DE PYRRHICA.

In ſpatio Veneris ſimulantur prælia Martis,
Cùm ſeſe adversùm ſexus uterque venit.
Fœmineam manibus nam confert Pyrrhica *claſſem,*
Et velut in morem militis arma movet.
Quæ tamen haud ullo calibis ſunt tecta rigore,
Sed ſolum reddunt buxea tela ſonum.
Sic alterna petunt jaculis, clypeiſque teguntur,
Nec ſibi congreſſu vir nocet aut mulier.
Luſus habet pugnam, ſed habent certamina pacem:
Nam remeare jubent organa blanda pares.

Ubi organa fiſtulæ ſunt, uti diſcimus ex *Ammiano*. *Artem modulantiùs incedendi per* pyrrhicam *concinentibus didicit fiſtulis*, de Juliano. Vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 171. ut & ſuprà *Dionyſiaca Saltatio* ac ubi de *Orthio carmine.*

PYRRHICUS, Laconum urbs libera. Pauſan. *in Lacon.*

PYRRHIDÆ, Moloſſorum Reges à *Pyrrho* dicti. Alex. ab Alex. *l.* 1. *c.* 2.

PYRRHION; Archon Athenis, Olymp. 98. An. 1. Diodor. Sic. *l.* 14.

PYRRHO, philoſophus, patriâ Eleus; primò pictor, vixit temporibus iiſdem, quibus Theophraſtus & Epicurus, Olymp. 110. Nam audivit Dryſonem Stilponis filium, atque Anaxarchum Abderitem: quem etiam in Indiam comitatus eſt. Præſens quoque erat, cùm Indus Anaxarcho exprobraret, quòd regum aulas ſectaretur, neminem autem doceret virtutem. Hoc Indus eò objecit, quia Anaxarchus eſſet è comitibus Alexandri Magni. Etiam Magos conſuluit, alioſque virtutis & eruditionis famâ viros præſtantes. Statuit, nihil homines, niſi per conſuetudinem, facere; nihil honeſtum vel inhoneſtum, æquum vel iniquum, bonum vel malum eſſe. Solitudinis amator, in meditationibus ſuis interrumpi ægerrimè tulit. Vixit Ann. 90. Pontifex Max. ſacrorum ſuæ gentis, jure quoque civitatis, ab Athenienſibus, donatus. Ab hoc Pyrrhonii Σκεπτικοὶ, quia ſemper σκέπτονται, h. e. *rem conſiderant*, nec unquam decernunt. Item Ἀπορητικοὶ, quia ſemper ἀποροῦσι, h. e. *dubitant*; Item Ζητητικοὶ, quia ſemper ζητοῦσι, *quærunt*, nec reperiunt. Denique Ἐφεκτικοὶ quia longæ inquiſitionis non alius eventus, quam ἐποχὴ, h. e. *judicii ſuſpenſio*, ſive *aſſenſionis retentio*. Ili Summum Bonum in ἀταραξίᾳ, & Μετριοπαθείᾳ conſtituentes, ſolam animi ἐποχὴν nos perfectè beatos reddere ſtatuerunt: Acquiri autem hanc exactô diſcrimine ſpecierum veri & falſi, quæ in qualibet re occurrunt. Huic fini peculiarem excogitârunt Topicam 12. locis mediiſque examinandi quaſcunque res conſtantem: quæ ad 3. contracta, tandem in unum deſinunt: quod Relatio eſt, cùm dicunt: *Omnia ſunt ad aliquid*; oſtendere volentes, nos nulla de re, niſi ex præjudiciis, vel comparativè judicare. Vide Diogen. Laërt. *in vita Pyrrhonis*, *l.* 9. Sextum, *l.* 1. *Hypol. c.* 14. inprimis autem Voſſ. *de Sect. Philoſoph c.* 20. *Nic. Lloydius.*

PYRRHUS, Achillis filius, ex Ceidamia Lycomedis filiâ, ita dictus à fulvo colore capillorum, teſte *Serviô*. Hic *Neptolemus* quoque vocabatur, quòd admodum, adoleſcens ad belli Trojani reliquias fuerit perductus. Erat enim in fatis, ſine Æacidarum aliquo, Trojam capi non poſſe. In Ilii autem expugnatione primùm Politen, Priami filium, deinde patrem ipſum interfecit. Polyxenam Achillis patris ſui Manibus inferias miſit. Andromachen verò, quæ in prædam ſibi ceſſerat, aliquandiu juſtæ uxoris locô habuit: quam deinde, Hermionem Menelai & Helenæ filiam ducturus, Heleno Priami filio uxorem tradidit. Erat autem Hermione multò antè à Tyndaro avo Oreſti deſponſata, cujus etiam mutuô amore tenebatur. Ægrè itaque ferens Oreſtes uxorem ſibi eripi, ex inſidiis Pyrrhum obtruncavit. Virg. *Æn. l.* 3.

PYRRHUS, Rex Epirotarum, maternô genere ab Achille, paternô ab Hercule oriundus: qui cùm à ſuis, ob odium paternæ crudelitatis, ad necem quæreretur. clam à matre ſubductus, ad Illyricos defertur, traditusque Heroæ Glauci regis uxori nutriendus fuit, ibi Rex eum adoptat, protegitque adverſus Caſſandrum Macedoniæ regem: his diebus moti Epirotæ, odiô in miſericordiam verſô, eum in regnum revocant annos natum 11. Tum Neoptolemo victo adoleſcens, multa bella geſſit tantôque ſucceſſu, ut Tarentinos ſolus adverſus Romanos tueri poſſe videretur. Tantâ autem virtute crevit, ut quum imperium Orbis agitaret, (ſicut *Cæcilius* ſcribit) & Romanos potentes videret, Apollinem de bello conſuluerit) Ille autem ambiguè reſpondit:

Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe.

Hoc ad ſe dictum putans, auxilio Tarentinis contra Romanos venit. Primum fortitudinis ſpecimen, præliô ad Ipſum exhibuit, victor contra Antigonum & Demetrium. Dein hôc à ſubditis pulsô, illum denuo vicit, Macedoniæ regnô potitus; An. 465. Urb. Cond. Olympiad. 122. Sed ſeptimô pòſt menſe à Macedonibus exturbatus, Tarentinorum impulſu, cum immenſis copiis mare trajecit, & ad Heracleam Romanos elephantis primùm viſis territos, vicit: verùm magnâ ſuorum ſtrage. Miſſô ab illis Fabriciô ducentos captivos milites gratis Romam remiſit, viciſſimque Medicus ipſius à Romanis, quibus venenô Regem ſuum ſe ſublaturum ſpoponderat, remiſſus eſt. Per Cyneam dein, pace fruſtra rogata, in Apulia denuo cum illis prope Aſculum conflixit, dubiâ victoriâ, ipſe vulneratus. Paulò pòſt in Siciliam trajecit, ubi Syracuſas veniens, victis bis Pœnis, multas civitates dum ſubegit, Rex Siciliæ ſicut Epiri appellatus eſt. Filiis, Heleno, Siciliæ, Alexandro, Italiæ regnum deſtinavit. Poſteà bella aliquot feliciter cum Carthaginenſibus geſſit. Inſolentior ſucceſſibus factus, in odium Siculo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Siculorum incurrit, unde obſidione Lilybæi diſcedere coactus, redit in Italiam, à Tarentinis iterum anxiè imploratus. Tum tertiô præliô, in Lucanis, à Conſ. Curio Dentato ad internecionem victus, An. 3. Olympiad 126. in Epirum reverſus eſt vix 7000. peditum, equitumque 5000. ſecum trahens. Poſteà à Pœnis navali præliô victus, ab Antigono Gonata, de quo ſuprà, auxiliares milites petit: non obtinens repente Antigonum vincit, fugat, Macedoniam capit, animô jam Græciæ, Aſiæque regna meditatus: à Spartanis Argos petit, ubi Antigonum oppugnans, atque inter confertiſſimos hoſtes fortiſſimè dimicans, ſaxô de muris à fœmina jactatô, occiditur, An. 482. Urb. Cond. 127. Olympiad. Ælianus noctuam haſtæ ejus inſediſſe, nocte præcedente, refert, *Hiſt. Anim. l.* 10. *c.* 37. Vide Juſtin. *l.* 17. 18. 23. & 25. Plutarch. *in Pyrrho.* Liv. *l.* 13. & 14. Polyb. Florum, Oroſium, &c. Horat. *Carm.* 3. *Od.* 6. *v.* 33.

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico:
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum.

Juvenalis *Sat.* 14. *v.* 162.

——— *Pyrrhum immanem, gladioſque Moloſſos.*

Nic. Lloydius. Cœterùm ſpleneticos curabat, pede dexterô lieni leviter impreſſô; præmii locô, ut gallus ſibi ſacrificaretur, poſcens, Voſſius *de Idol. l.* 3. *c.* 171.

PYRRHUS, 28. Macedonum Rex, Olymp. 259.

PYRRHUS, Dædali filius in Græcia omnium primus picturam invenit, ut *Ariſtoteli* placet.

PYRRHUS, Monachus Monothelita, poſt Sergium Patriarcha Conſtantinopolitanus, A.C. 639. Quòd conſcius haberetur cædis Imperatoris Conſtantini, filii Heraclii, A. C. 641. in Africam profugus, ibi à Maximo orthodoxiam hauſit. Nihilominus poſteà in Italiam veniens, hæreſeos ſuæ venenum denuo ſparſit, à Johanne IV. proin excommunicatus. Poſteà tamen ſedi reſtitutus eſt, A.C. 652. quartô poſt menſe mortuus: ſucceſſit ei Petrus iiſdem erroribus infectus. Theophan. *in Annal.* Nicephor *in Chron.* Anaſtaſ. *in vitis Pontif.*

PYRRIAS, ſeu *Pyrrhias*, Græcè Πυῤῥίας, ſycophantæ cujuſdam nomen, apud Comicum: ut & *Pyrrander*, Πύῤῥανδρος, apud eundem *in Equitibus.* Utrumque à voce πυῤῥὸς, qui color eſt ſtercoris humani. Unde apud eundem πυῤῥὸν, hôc ſenſu, in Ἐκκλησιάζ.

Εἰ τοῦτό σοι τὸ πυῤῥόν ἐστιν; ὅτι που
Κινησίας σου καταπετίληκε πάλιν;

Idem ergo utrumque cum voce *Coprias*, ſeu *Stercoreus*; quô nomine homo jactabundus, κοπρολόγος, ſycophanta veniebat. Plautus *in Milite glorioſo, Actu* 2. *ſc.* 1. *v.* 11.

——— ——— *impudens,*
Stercoreus, plenus perjurii & adulterii &c.

Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio, c.* 4. & hic paſſim, plura verò de voce πυῤῥὸς, apud eundem *ad Solin.* ut & ſuprà in voce *Burrus.*

PYRRICHUS, ſeu *Pyrrhichus*, Cretenſis, *Pyrrhicæ* inventor, ſaltationem armatam, à Curetibus excogitatam, in ordinem ac artem redegit, ipſique à ſe nomen impoſuit. Euſtathius *ad Il.* 1. Vide ſuprà *Pyrricha.*

PYRRUM, oppid. fuit Pannoniæ ſuperioris inter Pætovionem 68. & Siciliam 51. mill. paſſ. *Antonin.* inter Stiriam & Croatiam.

PYRUS, oppidum Cariæ, *Stephan.*

PYSTA, uxor Seleuci Callinici, maritô circa Ancyram à Gallis interfectô, ab hoſtibus capta, abjectô regiô veſtitu, pauperrimæ famulæ habitu ſumptô inter captivos veniit. Ducta in Rhodum cum cæteris mancipiis confeſſa eſt quæ eſſet. Rhodii, redditâ emptori pecuniâ ſplendidè eam ornatam Antiochiam miſerunt, Polyæn. *l.* 8. *c.* 61. *f.* 614.

PYSTIRA, inſula ante Smyrnam, Plin. *l.* 5. *c.* 31. ubi aliæ aliquot velut ſcopuli, circumſtant, nautis *Iſole delle Smirne.*

PYTHÆNETUS, libros περὶ Αἰγίνης conſignavit, quorum è primo teſtimonium petit Apollonii Scholiaſtes, *l.* 4. Athen. *l.* 13.

PYTHAGORAS, Samius, Mneſarchi gemmarum ſculptoris filius, Italicæ philoſophiæ princeps, auditor Pherecydis Syri, poſt cujus mortem Hermodamanti jam ſeni, Creophili Nepoti, ſe in diſciplinam dedit. Sub quo quum ſatis profeciſſe videretur, in Ægyptum navigavit, ut illorum Theologiam, ritus moreſque cognoſceret. Iſocrates *in Buſiride:* Πυθαγόρας ὁ ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε, καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασε. Clemens etiam *in l.* 1. *Strom.* edocet nos præceptoris nomen: Ἱστορεῖται δὲ Πυθαγόρας μὲν Σώγχιδι τῷ Αἰγυπτίῳ ἀρχιπροφήτῃ μαθητεῦσαι. Quò verò adyta, ingrediendi Myſticamque Ægyptiorum philoſophiam addiſcendi jus haberet, περιετέμετο, *circumciſus fuit* à Sacerdotibus, Ibid. quem ritum in illa gente vetuſtiſſimum fuiſſe & ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ab initio inſtitutum*, ex Herodoto, *l.* 2. *c.* 36. 37. 91. 104. probat Marshamus, *Canone Chron. Secul.* V. Deinde Aſtrologiæ, Chaldaicæque diſciplinæ cupidus Babylonem ſeſe contulit: ubi ſyderum curſus, eorumque in genituris hominum effectus, ut & multa de religione Judæorum eſt edoctus. In patriam redux, cùm Polycratis, an Syloſontis tyrannidem ægrè ferret, in magnam Græciam abiit, ibi Italicâ Sectâ conſtitutâ, Sapientis elogium recuſavit, Philoſophi appellatione contentus: quinquennali ſilentiô, futuros auditores; vide infra, præparavit; totius ſapientiæ arcanorum ſcientiſſimus, inprimis tamen in Mathematicis extitit admirandus. Novas in Arithmetica regulas invenit, Geometriamque à Mœri quodam excogitatam, ad perfectionem adduxit, Abſtinentiæ & amicitiæ conſtantiſſimæ laude inclytus. Cæterùm neque ridens neque flens viſus eſt unquam, tantæ apud ſectatores venerationis, ut illud αὐτὸς ἔφα inde ortum. Auditores fertur habuiſſe non pauciores ſexcentis, qui noctu ad eum confluebant; ex quibus clariſſimi fuerunt Archytas Tarentinus, Alcmæon Crotoniata, Hippaſus Metapontinus, & Philolaus Crotoniata. Primus τῆς μετεμψυχώσεως, hoc eſt, *tranſmigrationis animarum in alia corpora*, adſtructor fuit, idque ut faciliùs perſuaderet: primùm ſe Æthalidem Mercurii filium affirmabat. Cumque à patre optio ſibi facta eſſet petendi quidquid vellet, exceptâ immortalitate, ſe ab illo petiiſſe, ut & vivens & vitâ functus, omnium quæ contigerant, memoriam haberet. Poſt Æthalidæ mortem, Euphorbum ſe fuiſſe ajebat, ac deinde Hermotimum, poſteà Delium quendam piſcatorem, nomine Pyrrhum, mortuôque Pyrrhô, ſe factum eſſe Pythagoram. Hanc opinionem de migratione animarum accepit ab Ægyptiis, teſte Herodotô, quos teſtivè irridet Lucianus, *in dialogo Galli & Mycylli.* Crotoniatis & Metapontinis leges conſcripſit, populoſque luxuriâ diffluentes authoritate ac doctrinâ ad frugalem cultum revocavit, adeo ut & mulieres integritate ejus, vitæque ſeveritate adductæ, auratas veſtes, ornamentaque laſciviora, in templo Junonis conſecrarent. Accuſatum Magiæ eruditi excuſant, quod idem de rota, ipſi à Fluddo tributa, intelligendum. Poſtremò cùm multos annos Crotone egiſſet, Metapontum commigravit, ubi & ſupremum diem obiit, quanquam aliis alia tradentibus. De mortis genere non ſatis conſtat, cùm quidam illum trucidatum, alii ſubitaneâ morte ſublatum, nonnulli quoque à certo quodam, quem Philoſophiam docere noluiſſet, cum diſcipulis, exuſtum dicant. An. 4. Olympiad. 70. Urb. Cond. 257. vel 278. ætat. 90. Quanti autem illum vivum fecerint Metapontini, poſt obitum ejus declararunt, ædes ejus pro templo ei conſecrantes, diviniſque honoribus mortuum proſequentes. Quanta in veneratione ſit hodieque, apud Indos, Zonæ inprimis torridæ incolas, à quibus ſub nomine *Brahma*, quem pro ſupremo Deorum ſuorum habent, colitur, vide apud Petr. de Valle, *Itiner. tom.* 4. ubi planè egregia de immani horum Idololatrarum ſuperſtitione. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 60.

Vir fuit hic ortu Samius: ſed fugerat unà
Et Samon & dominos; odióque tyrannidis exul
Sponte erat, iſque licèt cœli regione remotos,
Mente Deos adiit: & quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Diſcipulis ſuis per quinquennium ſilentium impoſuit, qui ἀκουστικοὶ propterea dicti. Sidon. Apollinaris:

Aſſerit hoc Samius poſt docta ſilentia luſtri
Pythagoras. ——— ———

Claudian. *de Conſul. Manlii, v.* 157.

At non Pythagoræ monitus, annique ſilentes.

Laërtius *in Pythagora:* Καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατετίθεντο τὰς οὐσίας εἰς ἓν ποιούμενοι. Πενταετίαν τε ἡσύχαζον, μόνον τὸν λόγον κατακούοντες. Meminerunt hujus quinquennii Gellius, *l.* 1. *c.* 9. Plutarch. *de curioſitate.* Lucianus βίων πράσει, *Hermotimo, & Gallo.* Tzetzes *in Chiliadibus*, & alii non pauci. Animalium omnium carnibus, & à fabis religioſiſſimè abſtinebat. Unde verſus apud Clementem, *l.* 3. *Strom.*

Ἶσόν τοι κυάμους τρώγειν, κεφαλάς τε τοκήων.

Empedocles quoque apud Gellium, *l.* 4. *c.* 11.

Δειλοὶ, πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθε.

Fortaſſe tamen, cùm Pythagoras & Empedocles fabis juſſerint abſtinere, ſymbolicè ſive ænigmaticè intelligi id voluerunt. Magnæ enim authoritatis ſcriptores tradunt, Pythagoram ipſum minimè fabis abſtinuiſſe. In his eſt Ariſtoxenus Muſicus, Ariſtotelis auditor, qui in libro, quem de Pythagora reliquit; *nullô ſæpius legumentô Pythagoram dicit uſum, quam fabis, quoniam is cibus, & ſubduceret ſenſim alvum & levigaret.* Auctor Gellius, *ubi ſuprà*, qui & verba Ariſtoxeni adſcribit, atque addit, eos qui diligentiùs rem ſcrutati ſunt, putant, ab Empedocle per κυάμους ſignari teſticulos quaſi εἰς τὸ κυεῖν δεινοὺς, καὶ αἰτίους τοῦ κυεῖν ac propterea non à fabulo edendo, ſed à Veneris proluvio voluiſſe eum homines abducere. Plura reperies apud Voſſ. *de Philoſ. Sectis, c.* 6. & *l.* 4. *de Hiſt. Græc.* itemque apud Porphyrium, Diog. Laërt. *in Pythag. l.* 8. Phot. *Cod.* 259. Diod. Sic. Plutarch. Clementem Alex. Aul. Gellium, Euſebium, Naudæum, *apol. c.* 10. Ælian. *l.* 17. *Hiſtor. anim. c.* 8. & Jamblichum, *de vita Porphyrii. Nic. Lloydius.* Hinc *Pythagoræus.* Juvenalis: *Sat.* 3. *v.* 229.

Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.

Pythagorici, & *Pythagoriſtæ* quomodo differant, docet Theocriti Scholiaſtes, *in Idyll.* 15. *v.* 5. Vide quoque ſuprà, ubi de *Italica Secta.* Nomen verò *Pythagoræorum* factione Cylonianâ poſteà extinctum in Italia, vel majore Græcia, habes apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 845.

PYTHAGORAS, Euagoræ filius, Diodor. *l.* 15. *f.* 460. recuperavit paternum regnum & bellô Perſicô ſtetit à partibus Alexandri, Qu. Curt. *l.* 4. *c.* 3.

PYTHAGORAS, alius à priori, cujus patria neſcitur, res Dorienſium tractavit, Laërt. *l.* 8. Veriſimile eſt, eundem eſſe, qui *de Rubro mari* ſcripſit, cujus meminit Athen. *l.* 4. & 14. itemque Ælian. *de Anim. l.* 17. *c.* 8.

PYTHAGORAS, Exoletus, cui Nero, in modum ſolemnium conjugiorum, denupſit, C. Lecaniô, M. Liciniô Conſulib.

PYTHANGELI, locus Ægypti, quem illi *Elephantorum venationem* appellant, *Strabo.*

PYTHANGELUS, Poëta Tragicus, obſcurus, & haud bonæ notæ, Ariſtoph. *Ran. Act.* 1. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

PYTHAULES, apud Vopiſc. *in Carino*, *c.* 19. *Exhibuit---centum ſalpiſtas unò crepitu concinentes & centum camptaulas, choraulas centum, etiam centum* Pythaulas, *Pantomimos* &c. ἀπὸ τῶν Πυθίων, dictus eſt, qui *Pythia* ſcil. cantabat & *pythicas* tibias inflabat. Vel potiùs ἀπὸ τῆς Πυθοῦς, ab urbe *Pytho*; quòd enim in urbe Apollinis Πυθοῖ ejuſmodi cantus frequens & celebris eſſet, quô pæanes in laudem Apollinis ad tibiam cantari ſolebant: hinc πυθαύλης tibicen dictus, qui in urbe Pytho pæanas hujuſmodi canebat. Semper autem ſine choro πυθικὸν iſtiuſmodi αὔλημα conſuevit cantari, neque unquam Pythaules ad chorum aut cum choro canebat: unde *Pythaulæ* à choraulis ubique diſtincti. Pollux, Πρὸς παιᾶνας δὲ οἱ Πυθικοί· τελέιας δὲ αὐλοὺς ὠνόμαζον· ηὔλουν δὲ τὸ ἄχορον αὔλημα, τὸ πυθικόν. Hincque in canticis Comœdiarum, quòd una ibi tantùm perſona locum haberet, artifex qui reſponſabat; *Pythaules* vocabatur; at, qui Choro canenti concinebat, Choraules. Diomedes, *Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, i. e. choraulicis artifex continebat, in canticis autem*, Pythaules *pythicis reſponſabat*. Et quidem priſcis temporibus, ut idem Grammaticus obſervat, *Pythaulæ* in Comœdia canebant, poſteà, ut quoque Choraulæ & Pantomimi, ſeorſim in ſcena ſua res agere cœperunt, & à Comœdia ſeparati, de artificio ſuo, in ludis Muſicis per ſe contenderunt & de palma in certamen ſoli deſcenderunt. Seneca, *Ep.* 76. *Quoties ſcholam intrant, præter ipſum theatrum Neapolitanum ——— tranſeundum eſt, Metronactis petentibus domum. Illud quidem fartum eſt & hoc ingenti ſtudiô, qui ſit* Pythaules *bonus, judicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concurſum; at in illo loco, ubi vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent.* Iidem porrò in Comœdiis antiquis Latinis, duabus tibiis ſimul flabant, aut dextrâ & ſiniſtrâ; aut duabus dextris aut duabus ſiniſtris: Quum dextram & ſiniſtram inflabant, *imparibus tibiis*; quum duas dextras, vel duas ſiniſtras, *duabus dextris paribus* vel *duabus ſiniſtris paribus* canere dicti &c. A voce autem *Pythaules*, deductum Πυθιαύλιον, pro Πυθιαύλιον aut Πυθαύλιον, quô nomine Græci hodierni *tibiam* appellant. Vide Salmaſ. *ad Vopiſ. d. l.*

PYTHEAS, Archon Athenis, Olymp. 100. An. 1.

PYTHEAS, Geographus Maſſilienſis, tempore Ptolemæi Philadelphi: Scripſit *de ambitu terræ*; à Strabone variorum errorum convictus, inprimis quòd credidiſſet, ſupra Thulen neque mare, neque terram, ſed corpus quoddam eſſe, ex utroque elemento compoſitum. Strabo, *l.* 2. 3. 4. 7. Plin. *l.* 37. *c.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 17. & *l.* 4. *c.* 11. *de Philol. c.* 11. §. 6. *de Scient. Mathem. c.* 43. §. 1. &c.

PYTHEAS, nobilis Toreuta, apud Plinium, *l.* 33. *c.* 12. *cujus binæ unciæ viginti venierunt. Ulixes & Diomedes erant, in phialæ emblemate, Palladium ſurripientes.* Nempe viginti libris vænierunt binæ unciæ argenti ab eo cælati, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1048.

PYTHERMUS, Epheſius hiſtoricus, *hiſtorias* compoſuit, Athen. *l.* 7.

PYTHERMUS Phocenſis, cùm Ionum, Æolumque legati Spartam appuliſſent, ex omnibus delegatus, qui poſtulata proponeret; purpureâque veſte indutus, in Spartiatarum conventum proceſſit, hortatuſque eſt Lacedæmonios multis verbis, ad auxilium Ionibus ferendum, Herodot. *l.* 2.

PYTHES, Vir inter Mileos clariſſimus, cujus filia Pieria, de qua Polyæn. *l.* 8. *c.* 42.

PYTHEUS, vir quidam Xerxis temporibus, omnium ſuæ ætatis ditiſſimus, qui auro ſemper inhians, aurifodinas jugiter exercebat. Is quum aliquando ex peregrinatione domum eſſet reverſus, & cœnam parari poſtulâſſet, ejus uxor auream menſam illi apponi juſſit, in qua omnia ex auro fabrefacta obſonia: ac primô quidem aſpectu gaviſus eſt Pytheus: quô tandem ſatiatus, quum eſurire ſe vociferaretur, neque ſe aurum id temporis expoſcere diceret, inquit uxor, *Tu nullius rei præter hanc unam habendæ facultatem præbes.* Hiſtoriam narrat *Plut.* Vide infrà *Pythopolis. Pythicus* Plinio eſt, *l.* 33. *c.* 10.

PYTHIA, Sacerdos Apollinis, eaque virgo, quæ Spiritu Dei adflata, reſponſa conſulentibus dare, credebatur. Oraculum per eam ſciſcitandi ritum, Alex. ab Alexandro, *Genial. dier, l.* 6. *c.* 2. prolixè perſequitur, è quibus hæc pauca adjiciam: *In eo id præcipuum fuit, ut qui Oraculum conſulit, brevi admodum oratione, quid velit, exponat: utque nullum Latinè edatur Oraculum: neque edatur priùs, quàm ab imo, dum ſacrificant, tota victima contremiſcat: Nec capitis commotione ſatis eſt, ſed omnibus illam partibus quati oportet. In quo proditur memoriæ, quum infauſtô die reluctantem* Pythiam, *& invitam Alexander cogeret; illam vi coactam, quòd eſſet invictus, reſpondiſſe* &c. Nec omittendi *Pythii*, Laconum Legati, qui ad conſulendum Oraculum Delphos mitti conſuevêre. Hos in ſumma poſt Regem auctoritate fuiſſe, & cum illis cibum cepiſſe, memorat Herodotus, *l.* 6. Vide quoque Licetum *de Gemmis.*

PYTHIA, Bithyniæ locus, unde aquæ calidæ ſcaturiunt, Nicet. & Procop. *l.* 5.

PYTHIA, urbs inter Parium & Lampſacum: Apollonius *Pythiam* appellat.

PYTHIA, ludi Apollinares, in Apollinis honorem inſtituti, in Pythio Macedoniæ loco, ob cædem Pythonis ſerpentis nocentiſſimi, aut, ut Strabo, *l.* 9. ſcripſit, hominis ſceleratiſſimi, cognomentô *Draconis.* Ovid. *Metam. l.* 1. Agon fuit vetuſtiſſimus, Olympico Agoni dignitate proximus, quamvis Apollinis illud factum fuerit Pelopeiô utique antiquius; ſtatim enim à cæſo dracone *Pythiorum* feſtum cœpiſſe, conſtat ex eo, quòd cultus ibi ſerpens locô Numinis fuerit, ut rectè *Pythia* etiam funebribus Ludis aſcribantur. Celebrata fuiſſe circa Elaphebolionem menſem, ſecundô quòque annô vertente Olympiadis ex Thucydide diſcimus, *l.* 4. ubi ineunte annô nonô belli Peloponneſiaci, annuas inducias inter Athenienſes & Lacedæmonios pactas eſſe, refert, quæ durârint uſque ad *Pythia*. Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas, l.* 1. *tit.* 1. Cùm autem complura eſſent certamina *Pythia*, clariſſima tamen hæc in Delphis fuêre: quorum Auctorem quidam ſerpentem *Pythonem*, ab Apolline poſteà occiſum; alii Apollinem ipſum fuiſſe ajunt. Unde Ovid. *Metam. l.* 1. *v.* 445.

Neve operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia *perdomiti ſerpentis nomine dictos.*

Itaque occisô ſerpente ſeptimâ ſtatim die ludos peregiſſe dicitur, muneribus à Nymphis Parnaſſiis donatus. Illuſtres autem primô hôc certamine, cui ipſe Apollo præfuit, fuiſſe dicuntur victores, Caſtor ſtadii curſu, Pollux pugilatu, Calais dolichô, Zetes armis, Peleus diſcô, Telamon luctâ, pancratiô Hercules, quos omnes lauru coronaverit Apollo. Manſitque hæc ſolennitas ſatis diu, donec Cyrrhæi circa Parnaſſum deprædarentur, qui munera Oraculo oblatum veniebant: Quos Eurybatus Theſſalus cum Amphictyonibus aggreſſus vicit, Criſſâque urbe everſâ, & Oraculum in priſtinam reſtituit dignitatem, & ludos inſtauravit, pecuniarum præmiô conſtitutô. Qui in iis vicêre, *Pythionicæ* dicti. Cœterùm, ad *Pythica* certamina omnes Athletæ, præter Poëtas, deſcendêre nudi: primaque corona ex eſculo fuiſſe videtur nonnullis, ex Ovidio, *cit. loc. v.* 448.

His Juvenum quicunque manu, pedibuſve, rotâve
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat ———

Poſtmodum ex lauro, & quidem Tempica, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 3. *c.* 1. additis pomis ex Apollinis templo deſumptis, *Lucian.* tandem ex auro, Pindar. *Pyhic. Od.* 2. Præfectura verò horum ludorum tanti fuit habita, ut de Hippodromo, tanquam rem ingentis prærogativæ obtinuiſſet, adnotatum ſit, quòd bis iis præſederit, Philoſtratus *in eo.* Vide *Commentar. in Pindari Pythia*, Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 25. P. Fabrum, *in Agoniſtic.* Caſp. Barthium, *ad Papinium Theb. l.* 6. *v.* 9. Alios: inprimis Joh. Marshamum Equ. Anglum, *Canone Chron. Sec. XVIII.* tit. *Pythia*: nec non infrà, voce *Python.*

PYTHIAS, Pythagoræus, Damonis amicus, qui tamen Plutarcho & Jamblicho Φινθίας appellatur. Apud Cicer. quoque, *l.* 3. *de Offic. c.* 10. & apud Valer. Max. *l.* 4. *c.* 7. *ex. ext.* 1. *Phynthian*, vel *Pynthian* in antiquis codicibus ſcribi Petrus Daniel, & Turnebus, *Adverſar. l.* 20. *c.* 13. obſervârunt. Vide Latinum Pacatum, *in Panegyrico Theodoſii, c.* 17. *Nic. Lloydius.*

PYTHIAS, nomen ancillæ Octaviæ, Claudii filiæ, ex qua cùm tormentis exſculpere vellet confeſſionem adulterii herilis cum Eucero Tigellinus, caſtiora eſſe muliebria Octaviæ reſpondit, quàm os Tigellini.

PYTHIAS, Ælian. *l.* 3. *c.* 1. via erat Macedoniæ, à Theſſalonica ad Tempe Theſſalica deducens.

PYTHICUS, fluvius Lydiæ, in Sinum Eleatum ad Myrinam urbem Æolidis fluens. Apud Urbem hodie de nomine Urbis dicitur. *Agath.*

PYTHION Athenienſis, cum aliis ducibus & 420. militibus oppreſſus, dum Heraclidem, Demetrii præfectum, interimere & Athenis præſidium ejicere conjurârunt, Polyæn. *l.* 5. *c.* 17.

PYTHION, *Ptolem. Pythæum*, oppid. fuit Macedoniæ mediterraneæ, in finibus Pelaſgiotarum, inter Dolicham ad Occaſum, & Gonnum ad Ortum. Liv. *l.* 42. *c.* 53. *l.* 44. *c.* 32. 35. *Plutarch.*

PYTHIS, pictor egregius, qui de picturæ præſtantia certavit cum Timagora Chalcidenſi.

PYTHIS, Marmaricæ promontor. in ora maris Mediterranei *Ptol.*

PYTHIUM, intimus olim locus Gortynæ in Creta, Apollini ſacer; vel juxta Aſtacenum ſinum, unde *Procula Pythiana*, *Steph.*

PYTHIUS, Apollo ſic dictus à *Pythone* ſerpente, quem ſagittis ſuis adhuc puer interemiſſe dicitur: aut certè ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, h. e. *à conſulendi uſu.* Alii tamen ſic dictum volunt ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι, hoc eſt, *à putreſcendo*, eò quòd ſine vi caloris nunquam fiat putrefactio.

PYTHIUS, vide CANIUS.

PYTHO, urbs Phocidis. Homer. *Il.* β. *v.* 496. quam ἐπιθετικῶς πετρήεσσαν vocat. Unde monendi ſumus, erràſſe Gerbelium, imò *Rhodiginum Cælium*, *l.* 16. *c.* 19. qui epitheton pro nomine proprio urbis accipiunt. Hinc *Pythia* feſta. Apud Menandr. *Pythia & Delia eadem tibi*, ſeu *hæc tibi & Delia*, proverb. quô novissimum opus ſignificamus. Polycrati enim Samiorum Tyranno, quærenti an ludos conſtitutos Pythios an Delios appellaret, Oraculum ſic reſpondiſſe dicitur; quaſi diceret, hoc eſſe poſtremum ei patrandum, cùm mors illi paulò pòſt acciderit. Et quia Pythos ſæpius cerneretur editô ſita locô, hinc Proverb. *Iterum atque iterum via verſus Python*, in moleſtos in percunctando, *Diogen. Nic. Lloydius.*

PYTHOCHARIS, Tibicen, luporum impetum vehementi & concitatô tibiæ ſonô inhibuit, apud Ælian. *Hiſtor. Animalium*, *l.* 11.

PYTHOCLES, nomen ſibi aliquod paravit libris Italicorum, è quibus tertium memorat Plutarchus *Par. Min. c.* 14. quartum verò advocat Clemens. *l.* 1. *Strom.* ubi Samius appellatur. Ac ſimiliter vocatur Plutarchro *in Paral. c.* 41. ubi tertius ejus liber *de R. R.* citatur. Sed & idem Clemens *in Protrept.* tertium ejus librum celebrat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

brat περὶ ὁμονοίας, ſive de concordia, Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 410.

PYTHOCLES, Athenienſis, unus ex amicis Phocionis ejus factionis, quæ Optimatum cauſam agebat & cum Caſſandro ſentiebat; ideo cicutam bibere à populo coactus eſt.

PYTHODORIS, Polemonis, Regis Ponti, uxor, prudentiâ aliiſque virtutibus mirè ornata, quæ mortuô maritô rebus regni præfuerat.

PYTHODORUS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ nonæ annô ſecundô. Iterum Olympiadis centeſimæ undecimæ annô primô. Forſan is ille eſt, qui cum Sophocle Lacheti ſucceſſit in provincia Sicula. Vide Thucyd. *l.* 3. & 4.

PYTHODORUS, Athenienſis, vicit ſtadiô, Olymp. 103.

PYTHODORUS, ſculptor eximius, Plin. *l.* 36. *c.* 5.

PYTHOM ſeu PITHOM, vox Hebr. פיתום, a Græco *Python* leviter deflexa, genus ariolorum notat, qui ex axillis vocem emittebant, vel ſaltem emittere ſe ſomniabant. Talmudici *in Sanhedrin. c. 7. fol. 65. Baal Ob idem eſt, qui* Pithom *ſeu qui loquitur ex axillis ſuis.* Et ibi *Gloſſa, Mortuum ex terra educit, quem ſub axillis & brachiis ſuit conſtituit ut loquatur.* R. Selomo, *in Deuteron. c.* 18. *v.* 11. explicans, quid ſit שאל אוב *conſulens Ob* (ſeu Pythonem) *Hæc eſt*, inquit, *divinatio, quæ vocatur pithom, quâ loquitur quis ex axillis, mortuum ad axillarum locum evocans.* De quo ritu qui plura volet, conſulat Maimonidem, *in Tract. de Idololatria, ſtatim initiô*, 6. laudatum Bocharto, *Hieroz. Parte poſter. l. 3. c. 5. p.* 383. Vide quoque hic *infrà.*

PYTHON, Ephoro apud Strabonem, *l.* 9. homo fuit atrox, χαλεπὸς ἀνὴρ, Πύθων τοὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκων, *Python nomine, Draco cognomentô*, ab Apolline ſagittis interemtus, poſtquam cædibus & latrociniis diu fuiſſet Parnaſſus infeſtus. Unde occaſio fabulæ, de dracone hujus nominis in Parnaſſo ab Apolline peremto. Idem pro Pythone *Delphines* nominatur, à Suida in Πυθώ, poſt Apollonium, *Argonautic. l.* 3. *v.* 708. Unde Bocharto videtur is fuiſſe prædo inſignis in Phocide, cujus verum nomen erat Delphynes; *Python*, cognomen inditum à Phœnicibus in vicina tum Bœotia degentibus, ob tumultus concitatos & latrocinia commiſſa. Nimirum apud Arabes *phathana* eſt, concitare tumultus: *phithna*, ſeditio, cædes: *phatthan*, ſeditioſus, latro, graſſator: illis enim *Phe* eſt locô *Pe*, quà literâ carent. Sed idem ex graſſatore draco factus eſt, à Fabularum architectis; quia Syris *pethen* vel *pithun*, draconem ſonat. Itaque etiam *Python* dictus eſt: unde *Pythii* ludi & Delphorum urbs *Pytho*, atque ipſe Apollo *Python* vocatus. Macrob. *l.* 1. *c.* 17. *Hoc nomen* (Πύθων) *ex nece draconis inditum Deo Græci fabulantur.* Hinc Actor. *c.* 16. *v.* 16. πνεῦμα Πύθωνος, *Spiritus Pythonis*, i. e Apollinis, quô Dæmone mulier illa ἐγγαστρίμυθος, *ventriloqua* plena eſſe credebatur. Unde ipſos *ventriloquos* Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας, *olim Eurycles, nunc Pythones appellant*, ait Plutarchus *de defectu Oracul.* Quô ſenſu pro *Pythone*, Hebræos פיתום *Pithom* ſcribere diximus *ſuprà*. Vide Bochartum, *d. l.* & infrà de *Ventriloquis*.

PYTHON; ex Epigonis Alexandri M. Satrapes Mediæ, quem cùm Antigonus audiſſet, res novas moliri & defectionem meditari, ſimulabat ſe fidem nuntiantibus non habere. Ego verò, inquiens, nequaquam crediderim hoc agere Pythonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum & Thracum, nec non mille præfectura cuſtodes paravi mittendos. His auditis Python credit humanitati & feſtinat ad accipiendum auxilium. Antigonus verò eum in medium Macedonum introductum comprehendi morte puniri juſſit. Polyæn. *l.* 4. *c.* 6. §. 14.

PYTHON, vide PARON.

PYTHON, orator Byzantius eloquentiſſimus apud Philippum Macedoniæ regem; cujus meminerunt Æſchines ac Demoſthenes, Diodor. *l.* 16.

PYTHON, ſerpens miræ magnitudinis, ex putredine terræ poſt diluvium Deucalionis natus. Hic à Junone Latonæ ex Jove gravidæ dicitur fuiſſe immiſſus, nullamque ei pariendi quietem conceſſiſſe, donec illa ad Aſterium ſororem ſuam perveniſſet, non multò ante in inſulam commutatam: à quâ ſuſcepta Dianam & Apollinem peperit: quarum illa vix dum nata, protinus matri obſtetricis officium præſtitit, fratremque naſcentem excepit: qui poſteà memor injuriæ, quâ Python matrem ſuam affecerat, ſagittis ſuis eum confixit. Cujus rei memoria, ne ullô temporis lapſu obliteraretur, ſacra certamina inſtituit, quæ à nomine ſerpentis *Pythia* appellavit. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 441.

> *Hanc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis*
> *Antè, niſi in damis, capreiſque fugacibus uſus,*
> *Mille gravem telis exhauſtâ penè pharetrâ.*
> *Perdidit, effuſô per vulnera nigra venenô.*
> *Neve operis famam poſſet delere vetuſtas,*
> *Inſtituit ſacros celebri certamine ludos*
> *Pythia, perdomiti ſerpentis nomine dictos.*

Videtur idem innuere Statius, *Theb. l.* 6. *v.* 7.

> *Proxima vipereô celebravit libera nexu*
> *Phocis, Apollinea bellum puerile pharetra.*

Nomen arceſſere videtur, ab Ebræo פתן *Pethen*, quæ cognationem habet cum verbo פתה *patha*, i. e. *perſuaſit, illexit, decepit.* Cùm autem Sol radiis ſuis nubem caliginoſam diſſipat ac dimovet, Apollo ſagittis Pythonem interimere dicitur. Vide Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 17. *Pytho* etiam dicitur oraculum Apollinis, vel certè locus, ubi oraculum edebatur. Tibullus, *l.* 2. *Eleg.* 3. *v.* 21.

> *Delos ubi nunc Phœbe tua eſt? ubi Delphica Pytho?*

Lucanus, *l.* 5. *v.* 134.

> —— *Seu barbaricâ cum lampade Pytho*
> *Arſit, in immenſas cineres abiêre cavernas,*
> *Et Phœbi tenuêre viam.* ——

Ubi per *barbaram lampada* intelligit à Brenno illatas faces Delphis. Unde illud:

> *Torrida ſacrilegum teſtantur lumina Brennum,*
> *Dum petit intonſi Pythia regna Dei.*

Πνεῦμα Πύθωνος appellat Beat. Lucas in Actis, *c.* 16. *v.* 16. Plutarchus etiam, *l. de defectu Oraculorum*, ſignificat omnes homines, qui ſpiritu fatidicô correpti eſſent, *Pythones* appellari. De *Pythone* plura vide apud D. Dickinſonum, *Delph. Phœniciſſant. c.* 1. 7. 8 *Nic. Lloydius*: adde & ſuprà dicta:

PYTHON, vel PYTHONOSCOME, locus Aſiæ, ubi primô adventus ſui tempore conveniunt ciconiæ, & eam quæ ultima advenit, laniant univerſæ. Plin. *l.* 10. *c.* 23. & Solinus, *c.* 43.

PYTHONICE, meretrix Athenienſis clariſſima, ab Harpalo excita, ac dum in vivis fuit, regalibus donis culta; poſtquam exceſſit vitâ; magnificô ſepulchrô in Attica decorata. Vide Diodor. *l.* 17. *f.* 620.

PYTHONOS Come, in Aſia locus eſt *campis patentibus, ubi primò adventus ſui tempore ciconiæ advolant, & eam, quæ ultima venerit, lancinant.* Quomodo apud Gallos Cæſar, qui noviſſimus in concilium veniſſet, omni cruciatuum genere affectum, in conſpectu multitudinis necari ſolitum, refert, *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 54. Vide & *Python.*

PYTHOPOLIS, civitas Aſiæ in Myſia. Alia in Caria, *Nyſa* dein dicta. Vide *Stephan.* Urbs dicta à Pythe ſeu Pytheo ditiſſimo illo. De quo & *Pythopolide* plurima Polyænus & Plutarchus: nam uxor cùm animadverteret, Pythem maritum, neglectâ agriculturâ, populum aurifodinis attinere, eſurienti appoſuit aureos piſces, obſonia cæteraque edulia ex auro, hacque prudentiâ pervicit, ut Pythes cives ad agriculturam dimitteret. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 42. *f.* 618. Vide & *Pytheus.*

PYTILISSATIO, inter Veterum, exercitamenta, vide ſuprà *Gymnaſtica.*

PYTIONIA, Inſula parva maris Ionii, circa Corcyram.

PYTISMA, apud Juvenalem, *Sat.* 11. *v.* 173.

> *Qui Lacedæmonium* pytiſmate *lubricat orbem:*

malè *pityſma* nonnullis legitur & a πιτύζειν Græco verbo deducitur; cùm πιτύζειν Græcum non ſit, nec uſpiam apud Auctores legatur, ſed πυτίζειν & πύτισμα: atque adeò omnes libri in illo Juvenalis verſu rectè *pytiſmate* legunt. Vitruvii etiam locô, *l.* 6. *c.* 4. qui Juvenalem unus unicè explicat, *potiſmatis* habent ſcripti libri, pro *putiſmatis*, h. e πυτίσμασιν. Πυτίζειν igitur eſt *ejaculari* vel *ejicere*, a πτύω, *ſpuo*, ut Etymologicum Magnum habet. Loquitur enim Poëta de Delphica ex Lacedæmonio lapide, in qua proſtabant omne genus pocula, ac ubi *pitiſſabant*, abacum cum pavimento effuſionibus rejectionibuſque lubricantes. Hinc οἶνον πυτίζειν & ἐκπυτίζειν, *vinum ore rejicere. Alexis*,

> Καὶ τὸν μὲν ὄξιν οἶνον ἐκπυτίζομεν.

Et διαπυτίζειν, apud *Archedicum*.

> Διαπυτίσας οἶνον δὲ τοιοῦτον χαμαί.

Idem intellexit *Callimachus*,

> Τὸ τρίτον ἡ γῆ ἔπινε, τὰδ᾽ ἄνθεα φυλλοβολεῦντα
> Ταῖς δ᾽ ἐς ἀπὸ στομάτων πάντ᾽ ἐγένοντο χαμαί.

Quem morem hodieque obſervare eſt, apud eos qui vinum probant, illud enim expreſſis labris exſpuere ſolent, quod voce πυτίζειν propriè indigitari, docet Eugraphius, apud Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro, c.* 6.

PYTNA, collis montis Idæ in Creta, apud Hierapytnam, quæ hinc dicta eſt, Strab. *l.* 10.

PYXA. *Theocrit.* oppid. Co inſulæ, hodie non extat.

PYXIRATES, Euphrates fluv. verſus ſcaturigines ſuas ſic dictus eſt, Plin. *l.* 5. *c.* 24.

PYXIS, urbs in mediterranea parte Oenotrorum, *Steph.*

PYXIS, in inſtrumento Ornatricum & Coſmetarum, è qua ſupercilia depromta habes apud Petronium *loco* ſuprà *cit.* voce *Ornatrices.* Vide quoque infrà voce *Tonſor*, ubi de barba Neronis in aurea *pyxide* condita & Jovi Capitolino conſecrata. In Eccleſia Romana, dicitur vas, in quo reponuntur hoſtiæ, ut ajunt, conſecratæ ad viaticum: Πυξίον; Pachymeri *l.* 7. *c.* 15. & 28. Meminit ejus Leo IV. *de Cura Paſtorali, Super altare nihil ponatur, niſi capſæ cum reliquiis Sanctorum* —— *aut* pyxis *cum corpore Domini, ad Viaticum pro infirmis.* Quippe ſuſpenſa imminebat altari. Gervaſius Dorobern. *in Deſcript. Eccl. Cantuar. Suſcepit à Monacho quodam pyxidem cum Euchariſtia, quæ deſuper majus Altare pendere ſolebat*, qua de re pluribus agit Car. du Freſne, *in Deſcript. Ædis Sophianæ, num* 63. Pleniùs ſic deſcribitur, *in Pœnitentiali MS.* Thuanæo, *Omnis Presbyter habeat* pyxidem, *aut vas tantô Sacramentô dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus à ſeculo: quæ ſacra oblatio intincta debet eſſe in ſanguine Chriſti, ut veraciter poſſit Presbyter dicere infirmo, Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi ad ſalutem animæ ac corporis.* Conſecrandum eſſe vas hoc ſacrâ unctione, uti Calicem, volunt nonnulli: communior verò ſententia eſt, ſimplicem ſufficere benedictionem; quin imò non neceſſarium eſſe, ut deauretur inſtar Calicis. Habetur interim ex argento, auro, ſtanno, (quô caſu *fruſtulum telæ cum amylo accommodatum, uti fit in corporalibus, imponendum eſſe*, docet Suarezius) ebore inprimis. *Pyxides* enim, in quibus S. Euchariſtia ad infirmos defertur, *eburneæ* eſſe jubentur, *propter caſum*: in *Statutis* Synodal. Odonis Epiſc. Pariſ. *c.* 5. *num* 5. & *c. ult. num.* 35. apud præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* Formam pomi plerumque habet, unde πυξόμηλον Græcis dicitur, qui aliàs Ἀρτοφόριον vocant &c. Dominic. Macer *in Hierolex.* qui aliquando pro incenſi navicula vocem uſurpari, addit ex *Ord. Rom.* Vide

& Cl. Suicerum voce Πυξίον. Sed & *Pyxides reliquiariæ* occurrunt, apud Leonem Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 30.

PYXIS, in teſſerarum ludo, dicebatur turricula illa, quâ teſſeræ in tabulam fundebantur, de qua diximus ſuprà in voce *Pyrgus.* Scholiaſtes Juvenalis, *Fritillus* pyxis *cornea, quæ* φιμὸς *dicitur Græcè. Pyxides* enim dicebantur, cujuſcunque materiæ eſſent: Veteribus verò ex buxo fiebat, unde nomen. Auſonius *in Profeſſorib. Epigr.* 1. *v.* 27. de pyrgo,

> ——— *quos præcipitante rotatu*
> *Fundunt exciſi per cava buxa gradus.*

Poſteà ex cornu, vide *d. l.*

PYXIS Nautica, magnetis virtute ad Polum ſeſe convertens, navigantibus utiliſſima, Johannis Gojæ Amalphenſis inventum eſt. Unde Anton. Panormitanus,

> *Prima dedit nautis uſum magnetis Amalphis.*

Idque circa A. C. 1300. *Flavium Giram* alii, Alexander Sardus *l.* 2. *de rer. Inventor. c.* 8. eum *Flavium Campanum* vocant, ſed prius nomen tantæ rei inventori communiter tribuitur, Voſſ. *de Scientiis Mathem. c.* 4. Niſi dicamus Gojam hunc non tam inveniſſe, quàm in communem uſum, verticitatem Magnetis, produxiſſe. Gujotes enim *de Provines*, Poëta Gallus, qui vixit ac ſcripſit circa A. C. 1180. poſtquam de Polo Arctico locutus eſſet, *Pyxidis* jam hujus mentionem facit, *Marinette* eam nautis nomine Gallicanô vocari innuens: cùm ait,

> *Stella illa ſe non commovet,*
> *Ars eſt mentiri neſcia,*
> *Virtute talis Marinettæ,*
> *Lapidis tetri & nigricantis,*
> *Quô ferrum ſponte ſupplicat.*

Imò apud Arabes quoque legas, anno 670. Hegiræ, nautas Mechâ per mare rubrum in *Herdi*, ita Indiam vocant, proficiſcentes, magneticô quôdam inſtrumentô, quod Canopum ſemper oſtendebat, ſe direxiſſe: Quis tamen auctor fuerit, aut unde inventionem hauſerint, altè ſiletur. Quid quòd verba Curtii, *l.* 4. *c.* 7. de forma Jovis Hammonis, *Umbilico maximè ſimilis eſt habitus, ſmaragdô & gemmis coagmentatus*, de *pyxide nautica* interpretatur Herwart. *Nullô negotiô*, ajens, *oſtendam, oraculum Jovis Ammonis nihil aliud fuiſſe, quàm chartam, quam vocant marinam, pyxidi nauticæ ſeu magneticæ ritè junctam. Q. Curtius* inquit, Umbilico maximè ſimilis eſt (*ergo chartam marinam & pyxidem nauticam repræſentavit*) habitus ſmaragdô & gemmis coagmentatus. *Quippe lineæ illæ, earumque extremitates, circumferentiam circuli contingentes, quæ vel cardines quatuor mundi, vel reliquos octo rhombos principales, vel denique reſiduos ventos intermedios deſignabant, aliis gemmis & coloribus, ut fit, fuerant inſignita.* Hunc, cùm reſponſum petitur, navigiô auratô geſtant Sacerdotes, cum multis argenteis pateris ex utroque navigii latere pendentibus. *Cùm itaque Jupiter iſte Hammon, ut reſponſum det, navigiô fuerit geſtandus, quis jam amplius dubitabit ad rem nauticam pertinere? l. de Magnete.* &c. Quadruplicem autem Nauticæ *Pyxidis* compoſitionem refert Athanaſius Kircherus: Pro mari Mediterraneo, ubi multa declinatio: pro mari Balthico: pro Ruſſia & pro Hiſpania ac Anglia: Petrique Nonii & Medinæ compoſitionem ingentium errorum arguit. Vide eum *de Arte Magnet.* Auctorem *Sinæ & Europæ*, *c.* 43. ut & in voce *Magnes*, it. ſuprà ubi de *Nautica arte.*

PYXITES, fluvius in Themiſcyrena ad Trapezuntem, Plin. *l.* 6. *c.* 4.

PYXODORUS, ob marmoris inventum, apud Epheſios in veneratione fuit, Vitruv. *l.* 10. *c.* 7. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 21.

PYXURATES, nomen Euphratis, à fontibus ſuis; qui, ubi Taurum irrumpit, *Ommas*; tandem, perruptis Tauri montis anguſtiis, *Euphrates* dicitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 627.

PYXUS, *untis*, urbs Siciliæ à Miantho condita. Gentile *Pyxuntius*, *Stephanus.*

Q.

Q Muta hæc conſonans, non neceſſaria eſt, cùm *C.* ejus locum ſupplere poſſe videatur: fortè ab Hebræis mutuata; qui Koph ſuum vocali jungere ſolent, vocali aliâ ſequente, proin nec abſque *U.* pronuntiari poteſt. A Latinis ſæpè mutatur in *C.* Hinc *Sequor*, *Secutus*, *&c.* Tranſiit ad Latinis à Gallos, Italos, Hiſpanos, Anglos, Germanos, Hungaros & Dalmatas, qui tamen poſteriores illâ rarius, & non niſi in Latinis vocibus, utuntur. Vide Auſon. *de Litter. Monoſyllab.* Voſſium *in Ariſtarcho*, *l.* 1. *c.* 18. 19. Methodum Latin. &c.

Q. In notis antiqq. *Quartus*, item *Quintus* vel *Quintius*. Q. B. F. *quare bonum factum.* Q. B. M. V. *quæ bene mecum vixit.* Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. *Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt*; notæ, quibus Veteres in Senatuſconſultis perſcribendis utebantur. Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. D. D. D. P. F. *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo; teſtibuſque duntaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam*: formula, ex Prætoris Magiſtratuſve, qui in provinciis juri dicundo præerat, edicto; cujus in *L.* Fannia *de Coloniis deduc. in lib.* Varronis *Auctor.* exemplum extat. Q. F. *Quinti filius.* Q. L. *Quinti libertus.* Q. N. A. N. N. *quando neque ais neque negas.* Q. S. S. S. *quæ ſupraſcripta ſunt.* QAM. *quemadmodum.* QM. *quomodo.* QU. *Quartus.* QUÆS. *Quæſtor.* QUIR. *Quirites* &c. denotat.

QA. in nummis Conſtantini Jun. pro *AQ.* nota *Aquilejæ* eſt. Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus.*

QUACERNI, Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Querquerni*, *Antonin. Querquenæ*, populi Hiſpaniæ Tarraconenſ. quorum oppid. Forum Quacernorum *Ptolem.* Aquæ Querquennæ *Antonin.* à Bracara 63. mill. paſſ. Aſturicam versùs, apud Tydem; hodie non extat.

QUACKERI, in Anglia & Belgio fanaticorum genus, hoc ſeculô exortum. Gallis *Trembleurs* à tremulo corporis inter precandum motu.

QUADI, Germaniæ populi bellicoſiſſimi. Tacit. *in German. c.* 42. *Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt. Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur.* Ergo Quadi in Danubii ripâ: ſcil. infrà Marcomannos. *Ptol.* Ὑπὸ τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι, ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, καὶ ἡ Λοῦνα ὕλη, ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος, οἱ Βαῖμοι, μέχρι τοῦ Δανουβίου. Bæmos verò eoſdem eſſe, quos Marcomannos, maléque heic ultra Bojohæmum, notat clariſſimus *Cluverius.* Id tamen haud falſum, quòd ſub Hercynia ſylva, i. e. ſub Bojohæmo ponuntur Quadi. Ferri autem iſtæ ſecturæ fuerunt in eo montium jugo, quod à Moraviæ oppido Oſtia, & fluvio *Morawa* ad Viſtulæ fontem procurrit. Strabo, *l.* 7. *ex emendatione Cluverii:* Ἐν ταύτῃ δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ. (ἐν ᾧ ἐστὶ καὶ τὸ Βουίαιμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους· ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου, μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον· νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε· καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ· ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λουγίους, τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Λεμοβίους, καὶ Γούτονας, καὶ Βουργουνδίωνας καὶ Σιβινοὺς, καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν τὸ μέγα ἔθνος Σέμνωνας) πλὴν τάγε τῶν Σουήβων, ὡς ἔφην, ἔθνη, τὰ μὲν ἐντὸς οἰκεῖ, τὰ δ' ἐκτὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κουάδων, ὅμοροι τοῖς Γέταις. A Dione, *l.* 17. ubique Quadi Marcomannis, ac Jazygibus conjunguntur. Ac ſanè ſocietatem ipſis armorum contra Romanos ſemper fuiſſe etiam poſterioribus ſeculis, vel ex uno Marcellino ſatis patet, *l.* 17. *c.* 11. *Auguſto, inter hæc quieſcenti, per hiemem apud Sirmium, indicabant nuntii graves & crebri, permixtos Sarmatas & Quados, vicinitate & ſimilitudine morum, armaturaque concordes, Pannonias, Mœſiarumque alteram cuneis incurſare diſperſis.* Vide quæ ſequuntur. Unde liquebit, Quadorum gentem ad fluv. Granuam uſque tunc temporis pertinuiſſe. Quod etiam atteſtatur M. Antoninus Imperator ſub quo, Danubiô trajectô, in Imperium irruperunt, *in vita ſua*, *l.* 1. *his verbis:* Τὰ ἐν Κουάδοις, πρὸς τῷ Γρανούᾳ. Adverſùs hos Quados Marcomannis junctos, non ſine proſpero ſucceſſu bella geſſiſſe A. C. 174. Imperatorem prædictum. autores ſunt Dio Caſſius, & Jul. Capitolinus. Sed & Lucianus *in Pſeudomanti*, cujus hæc ſunt verba: Ὅτε Θεὸς Μάρκος ἤδη τοῖς Μαρκομάνοις καὶ Κουάδοις συνεπλέκετο. Eam expeditionem celebriorem reddiderunt Chriſtianæ legionis Melitinæ ſuppliciis impetrati cœlitus imbres, cùm exercitus ſiti ferè confectus jam eſſet. Meminêre Tertullian. *ad Scapulam*, & *in Apolog. c.* 5. & ex eodem atque Apollinario Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. l.* 5. *c.* 5. & *Chron. l.* 1. & 2. Nicephorus Calliſtus, *l.* 4. *c.* 12. Zonaras, *Annal. Tom.* 5. Xiphilinus *in Marco.* Oroſius, *hiſtor. l.* 7. *c.* 15. Otho Friſingenſis, *Chron. l.* 3. *c.* 25. Joh. Aventinus, *Bojor. Annal. l.* 2. aliique. Quanquam iſtud Caſſius, *loc. cit.* Arnuphis Ægyptii, vel Juliani, ut apud *Suidam* alius neſcio quis, Magicis procurationibus, *Claudianus*, Marci ipſius precibus *Capitolinus*, moribus pietatique Chriſtiano nomini iniquiores, adſcribant, Gatakerus. *in M. Antonin. Nic. Lloyd.* Fuerunt hi populi *Phil. Cluverio*, ubi nunc major pars Moraviæ, versùs Occaſum. *Sanſoni* incoluiſſe videntur totam Moraviam; erantque inter Lugios, Burios & Teracatrios ad Ortum, & Marcomannos ad Occaſum, à quibus Hercyniâ ſylvâ ſeparabantur. *Quadorum* terram à Lecho, A. C. 565. occupatam, Sileſiam & majorem Poloniam interpretatur Cromer. *l.* 1. *Hiſt. Pol.* Vide *de Marcomannorum & Quadorum in Valeriam* (quæ hodiè Croatia) deque *Sleſiorum in Quados*, migratione, B. Rhenanum, *l.* 1. cum *Notis* Cl. Ottonis JCti *p.* 151. 182. & 209.

QUADRA, in veteri Gloſſario *teſſera* exponitur: ubi tamen malè de teſſeris frumentariis, à nonnullis accipitur, ut quæ longiores, quàm latiores erant. Κύβον itaque denotat, ſeu *teſſeram aleatoriam*, de qua ſuô locô. Apud Scriptores Eccleſiæ Romanæ maximè *de quadra panis*, apud Monachos, ſumitur. Joann. Laudenſis, *in Vita Petri Damiani*, *num.* 24. *Sola panis quadra cum crudis oleribus cœnanti apponitur.* Hinc *per quadras panes partiri*, apud Gregorium M. *l.* 1. *dial. c.* 11. Vide quæ hanc in rem congeſſit Haëftenus, *Diſquiſit. Monaſtic. tract.* 3. *diſquiſ.* 4. & quæ dicemus *infrà.* Sed & panes in *quadras*, quadræ in bucceas ſecabantur antiquitus, Caſaubonus *ad Auguſt. Suetonii*, *c.* 76. cujuſmodi bucceas δήγματα Græcis eſſe dictas, videbimus *infrà* voce *Tridacna.* Sic *quadra placentæ* occurrit, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 77.

> *Nec te liba juvant, nec ſecta* quadra *placentæ.*

Nam-

Namque & placentæ apud Romanos in ſimilia fruſta ſecabantur, quorum unumquodque *quadra* vocabatur; uti etiam videre eſt ex ejuſdem *l.* 9. *Epigr.* 92. *v. ult.* At *Quadra Veſtis*, Vide infrà *Quadrata Veſtis*; uti de. *Quadris* in notis ſeu ſcutulis veſtium, *Quadratura vitreæ.*

QUADRAGENA, apud Vulgatum Interpretem 2. Corinth. *c.* 11. *v.* 24. *A Judæis quinquies* quadragenas *una minùs accepi*: pœna verberum eſt, quæ tot numerò infligi lex juſſit, Deuteron. *c.* 25. *v.* 3. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne forte laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Ne itaque in verberum numero excederetur, unam ſemper minùs infligebant, ut videre eſt latiùs infrà, ubi de *Verberum pœna.* Idem antiquitus obtinuiſſe in quibuſdam Eccleſiis Chriſtianis, diſcimus ex *Cap. nullus Clericus* 11. *quæſt.* 1. *Quòd ſi quis Clericus hoc adimplere diſtulerit, ſi minor fuerit, uno minus de* 40. *ictibus accipiat: ſi verò honoratior,* 30. *dierum concluſione mulctetur.* Vide ſuprà in voce *Carena*, it. *Quarentena.* Sed & in Hiſpania, pro qualitate delicti, reos ſponte, tricenis, ſeu pluribus paucioribuſque fuſtium ictibus ſubjicere ſe conſueviſſe, legitur *in* 5. *Decretali tit.* 39. *cap.* 36. ubi id Clericis prohibitum, Vide Dominic. Macrum *in Hierolex.*

QUADRAGESIMA, Græcis Τεσσαρακοστὴ, vectigalis ſpecies fuit, apud Romanos quod non de rebus venalibus, ſed litibus, ſummiſque controverſis, pendi ſolebat, apud Sueton. *in Calig. c.* 40. Item telonii nomen ſeu portorii Publicanis pendi ſoliti, quod cum aliis exactionum generibus ſuſtulit Nero, teſte Tacitò, *Annal. l.* 13. *c.* 51. cumque Neronis decretis reſciſſis, iterum exigi cœpiſſet, rurſus abolitum eſt à Galba, ut ex nummo ejus liquet, Vide Theodor. Marcilium *ad Veſpaſ. Suetonii, c.* 1. ubi de Sabino, Veſpaſiani patre, *publicum* Quadrageſimæ *in Aſia egiſſe*, dicit. In Eccleſia Romana ſic appellatur Jejunium 40. dierum ante Paſcha, de quo diximus aliquid, ubi de *Quadrageſimali Jejunio.* Et quidem *Quadrageſimas* tres obſervabant olim Latini, *Majorem* ſcil. de qua modo: alteram *ante Natale Domini*, quæ communiter vocabatur *S. Martini*, & initium capiens ab Octavis omnium SS. durabat uſque ad Natale; tertiam 40. dierum itidem, *ante feſtum B. Joannis Baptiſtæ.* Sed duæ hæ poſteriores, propter hominum fragilitatem, ad unam ſunt redactæ: & iterum illæ diviſæ in tres hebdomadas Adventus & tres ante Nativitatem S. Joannis, in quibus jejunatur & abſtinetur à nuptiis, Vide Durandum, *Rational. l.* 1. *c.* 9. *num.* 8. & ſuprà, voce *Adventus*, it. *Jejunium.* Omnium verò trium inſtitutum inde profluxiſſe, Viri docti exiſtimant, quòd ex pœnitentibus olim unô annô jejunandæ indici ſolerent, ex Burchardo, *l.* 19. *c.* 5. ubi, varios dandæ pœnitentibus ſatisfactionis modos enumerans, *Per ſingulos*, inquit, *annos quatuor, qui remanent* (ex ſeptenni pœnitentia) *tres* quadrageſimas *per legitimas ferias debes jejunare, primam ante Paſcha cum cœteris Chriſtianis: alteram ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ſi quid remanet pòſt adimpleas; tertiam ante Nativitatem Domini, à vino, à medone, mellita cerviſia, à carne, ſagimine & à caſeò & à pinguibus piſcibus.* Unde *Quadrageſimarum pœnitentia*, in Concilio Triburienſ. A. C. 895. *can.* 58. Vide ſuprà *Careno*, it. *Pœnitentiales Pſalmi* & *Pœnitentiarius.* In Eccleſia Græca *Quadrageſimæ* quatuor obſervatæ ſunt, prima *Major*, ante Paſcha: ſecunda *Apoſtolorum*: tertia *Aſſumtionis Deiparæ*: quarta *Nativitatis Domini.* Quarum primam à feria 2. Sexageſimæ incipiunt: ſecundam à 1. die poſt Dominicam Pentecoſtes; tertiam à Kal. Aug. ultimam à quadrageſimo ante Nativitatem die: in quibus Quadrageſimis Jejunia ab iis exiguntur hôc modô. In Majori Quadrageſima, à feria 2. Sexageſimæ, uſque ad Dominicam Quinquageſimæ, à carnibus abſtinent: ovis tamen & lacticiniis veſcuntur, vinumque bibunt. A ſecunda feria Quinquageſimæ uſque ad Paſcha, abſtinent non ſolùm à carnibus & lacticiniis, ſed etiam à piſcibus, quòd ſanguinem & carnem habeant; ovis tamen piſcium, ſquillis, limacibus, cancris, veſcuntur, vinumque bibunt, unicâ in die refectione contenti. In jejunio Aſſumtionis, bis quidem in die comedunt, non tamen piſces, præterquam in feſto Transfigurationis. Jejunium Nativitatis, eô modô quô Apoſtolorum, obeunt ſed in vigilia Nativitatis, ut in Majore Quadrageſima, jejunant. Vide Scaligerum, *de Emendat. Temp. l.* 7. Chriſtoph. Angelum, *de Hodierno ſtatu Græcorum, c.* 4. 5. 6. & 7. Joann. Bapt. Cotelerium, *Not. ad l.* 5. *Conſtitut. Apoſtol.* alioſque Auctores laudatos Car. du Freſne *in Gloſſario*, ut & Sponium *Itinerar. Græciæ*, ubi admodum exactè jejunare Græcos inter alia obſervat. His verò quatuor Græcorum Quadrageſimis quintam addiderunt Jacobitæ, ſive Suriani, *Quadrageſimam* videl. *Ninevés*, vel *Jonæ*, quæ trium dierum eſt & ab illis celebratur in hebdomada ante Septuageſimam, feriâ 2. 3. & quartâ, in memoriam pœnitentiæ Ninevitarum. Totidem *Quadrageſimas* Chaldæi ſeu Neſtoriani obſervant: Maronitæ ſex olim obiêre: Armeni 8. jejunia celebrant, quæ omnia vocant *Quadrageſimas*, quòd in ipſis quadrageſimalibus veſcantur cibis. De *Quadrageſimis* Moſcorum, Ruthenorum, Æthiopum, agit Fileſacus *de Quadrageſima, c.* 10. & 11. laudatus Carolo du Freſne *loc. cit.* ubi etiam meminit hic Auctor *Quadrageſimæ Aſcenſionis* ſeu τῆς Ἀναβάσεως, ex Liberato Diacono, *c.* 10. & *Quadrageſimæ S. Theodori*, ex Humberto Silvæ candidæ *contra Nicetam Pectoratum*, Vide quoque Macros Fratres in vocibus, *Jejunium* & *Quadrageſima*, ubi de Latinorum ritibus paulo fuſiùs: inprimis Cl. Suicerum voce Νηστεία. Addit de Normannis Italicis du Freſne, per *Quadrageſimales illos dies* à pugna ſeu præliis abſtinere conſueviſſe, ex Gregorio VII. *l.* 9. *Epiſt.* 4. Sed & *Quadrageſimæ* nomine, in eadem Eccleſia Romana venit Dominica prima Quadrageſimalis, quòd ab illa die uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini numerentur 40. dies, Macri *ubi ſuprà.* In *Foris* Bigorrenſibus art. 6. apud eundem Car. du Freſne, ſpatium ſic quoque appellatur 40. dierum, intra quod vaſſallus, qui contra dominum deliquerat, damnum reſarcire tenebatur, quô elapſô, ſi non ſatisfeciſſet, poterat Dominus feudum ipſius ſibi aſſerere, Vide eum etiam, *Not. ad Alexiadem Annæam, p.* 398. & 399. nec non intra *Teſſaracoſte.* De *Quadrageſima* verò *Redituum Eccleſiaſticorum* indicta, in Terræ Sanctæ ſubſidium, ab Innocentio III. extat epiſtola, hanc in rem conſcripta, in *Geſtis* ejus. Sed & in Eccleſia Orientali olim, ſolebant *quadrageſimô* à partu die infantes ſuos in Templum deferre, initium illorum in Eccleſias introducendorum ſic facientes, quod ἐκκλησιάζειν Græcis dictum, uti videre eſt in *Gloſſario Meurſii* &c. De quo more ſic *Euchologium*, Τῇ δὲ μ' ἡμέρᾳ πάλιν προσάγεται τῷ ναῷ (τὸ παιδίον) ἐπὶ τῷ ἐκκλησιασθῆναι, ἤτοι ἀρχὴν λαβεῖν τοῦ εἰσάγεσθαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν· προσάγεται παρὰ τῆς μητρὸς, καὶ τοῦ μέλλοντος ἀναδέχεσθαι τοῦτο κατὰ τὸ βάπτισμα. *Die verò quadrageſimô* (infans) *rurſus defertur in Templum, ut initium fiat ejus in Eccleſiam introducendi. Defertur autem à matre, & ab eo, qui eum ex Baptiſmo ſuſcepturus eſt.* Additur ibidem, poſtmodum tum pro matre, tum pro infante preces recitari; ac Sacerdotem, acceptô puerulô, crucem cum eo, præ foribus Templi, formare conſueviſſe, hâc verborum formulâ uſum, Ἐκκλησιάζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί. *In Templum introducitur ſervus hic Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper*: apud Cl. Suicerum *d. l.* voce Ἐκκλησιάζω. Simile quid de Athenienſibus habes ſuprà, voce *Luſtratio*, it. *Puerpera.*

QUADRAGESIMALIS jejunii inſtitutio Teleſphoro tribuitur, A. C. 140. verùm Irenæus, apud Euſeb. *l.* 5. *c.* 23. dicit, fuiſſe conſuetudinem ab hominibus ſimplicibus privatâ conſuetudine introductam, ac addit: *Ad unitatem veræ fidei, non opus eſſe ſimilitudine rituum in jejuniis.* Unde & variè illud obſervabatur, nec conſiſtebat in abſtinentia à carne, ut ex Ignatio ad *Heronem Epiſcopum Antiochenum*, conſtat. Mart. Chemnitius *in Exam. Concil. Tridentin. de Jejunio.*

QUADRAGINTARIÆ, nomen fœminarum quarundam religioſarum, in *Charta* Philippi I. Regis Francorum apud Carol. du Freſne in *Gloſſario. Beneficium, quod Oblationes tenebant, quas* Quadragintarias *vocabant, quia non ſatis convenienter vivebant* &c.

QUADRANGULA Veſtis, Vide infrà *Quadrata Veſtis.*

QUADRANS, quòd aſſem *quadraret*, i. e. in *quadrum* vel quatuor partes redigeret, ſic dictus, minima ærea pecunia Romanis fuit. Unde Plut *in Cicerone*, τὸ λεπτότατον χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην, dixiſſe Romanos ſcribit: quod cùm Savotus neget, *ſcriptulumque* & *ſextulam*, & quaſcunque partes æris facit Voluſius Mæcianus, formas fuiſſe ſignatæ pecuniæ exiſtimet, refellitur ſolidè, à Frid. Gronovio, *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 12. Certè pro nummis minimis *Quadrantes* ponit Phædrus, *l.* 4. *fab.* 20. *v.* 8.

Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordidô perjuriô.

Ubi ſenſus eſt, talem vel oboli nummique minimi gratiâ perjurium committere: quæ nota eſt ex characteribus Avari. Sic Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 93.

Fortè minùs locuples unô quadrante periret.

Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 8.
Nam, ſi Pieriâ quadrans tibi nullus in umbrâ
Oſtendatur &c.

Nota ejus, ut & trientis, rates erant: quemadmodum nota reliquæ pecuniæ æreæ ex altera parte erat Janus geminus, ex altera roſtrum navis, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 20. Hinc Lucilius *quadrantes ratiros*, i. e. ratis figurâ notatos & ſignatos vocat, uti adnotat Hadr. Turnebus, *Adverſar. l.* 20. *c.* 30. Vide quoque Dalechampium, *Not. ad Plin. l.* 33. *c.* 3. Solvebant autem Romæ *Quadrantem*, qui in thermis & balneis publicis lavabantur: unde rem *quadrantariam* balneum Seneca appellat, *Ep.* 86. quod tamen de viris ſolùm intelligendum. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 446.

Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Pueri enim, qui balneas ingrediebantur publicas, ante decimum quartum annum, gratis lavabant: ut idem teſtatur, *Sat.* 2. *v.* 152.

Nec pueri nòrunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Fœminæ item, ut idem, *Sat.* 6. *cit.* docet, ubi inter ea, quæ virorum tantum eſſent, *lavari quadrante* ponit. Et Gloſſ. veteres. *Quadrante virorum pretium: fœminæ verò gratis.* Nec obſtat locus Cicer. *pro Cœlio*, ubi Clodiam is *quadrantariam* vocat: Non enim, quòd balneatori mercedem ſolviſſet, ſed quòd ex amatoribus ejus perfacetus quidam *quadrantes* argenteorum locô in loculos miſerat, ſic appellatam fuiſſe, ex *Plutarcho* conſtat. Tandem verò Antoninus Pius ſine mercede etiam Viris balneum conſtituit, ut diſcimus ex Jul. Capitolino, *c.* 7. & Athenæo, *Dipnoſoph. l.* 3. Centum *quadrantes*, i. e. 25. aſſes, ſportula erat, quam tenuiores à ſuis Patronis avaris accipiebant: hanc *aridam ſportulam*, vocat Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 75. *v.* 11. Idem, *l.* 3. *Epigr.* 7. *v.* 1. dicens,

Centum miſelli jam Valete quadrantes &c.

divitum notat σμικρολογίαν & avaram ambitionem, qui levicula pecuniâ miſerorum clientulorum atque anteambulonum officia bene munerari exiſtimabant. Et quidem, Nero cœnam rectam, Clientibus exhibitam à potentioribus, redegerat ad Sportulam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

tulam, quæ calathus fuit, quo primùm obſonia dabantur: poſteà centum *Quadrantes*: donec Domitianus, antiquatô illô Neronis edictô revocavit cœnas, Suetonius *in eo*, *c.* 7. &c. Vide Ferrarium *de Re Veſtiar.* & Mercurialem *de Arte Gymn.* illum, *l.* 3. *c.* 6. hunc, *l.* 1. *c.* 10. nec non infrà *Recta cœna.* Aliter vox *Quadrans* ſumitur, in lege Voconia, quam Q. Voconius Saxa Tribun. Pleb. bis verbis tulit: *Nequi cenſus eſſet, virginem neve mulierem ſupra Quadrantem ſuorum bonorum heredem inſtitueret, pluſque cuiquam legaret, quàm ad heredem heredeſve perveniret*: cujus meminit Cicer. *Verr.* 3. Ibi enim *Quadrans* tres uncias totius Aſſis, i. e. tertiam totius hæreditatis partem, denotat, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 4. *c.* 15. *de Teſtamentis.* Sed & *Quadrans*, nomen monetæ apud Anglos minutioris, de qua Matthæus Weſtmon. *A. C.* 1279. *Quia denarius findi in duas partes pro obolis, & in quatuor partes pro quadrantibus, conſuevit: ordinatum fuit, ad tollendam occaſionem defalcationis monetæ, quod rotundi eſſent denarii, oboli & quadrantes*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* quem vide etiam *Diſſertat. de Numiſm. inferioris ævi, num.* 93. ubi de *lepto, quadrante* & *nummo.* Porrò, *Quadrans*, τὸ τέταρτον, in anno Ægyptiaco. Vide *ſuprà.* Tandem & menſuræ liquidorum ſpecies fuit. Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 95. *v.* 1.

Addere quid ceſſas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem *duplica de ſeniore cado.*

Ubi *quadrans* tres cyathos continens menſura eſt: uti docet Vir eruditus *ad l.* 1. *Epigr.* 28. Uti enim aſſem in 12. uncias, ſic in totidem cyathos ſextarium diviſêre Romani &c.

QUADRANS Catoptricus, inſtrumentum eſt, quô, ope aliorum ſpeculorum planorum, quæ in modum libri ad invicem commiſſa ſunt & circa communem verticalem axem mobilia, inter duas planas & Horizonti parallelas tabulas & ſecundùm quadrantis lineas concentrata, atque graduata ſunt, mira exhibentur. Hoc, quô magis acuitur angulus, tantô pluries objecta multiplicat; videſque, dum partes ad angulum acutiorem promoves, objecta & multiplicari & velociſſimô motu mox ad objectum accedere, mox recedere, uſque ad angulum rectum, latera reducendo, donec paulatim eorum ſpecies penitùs evaneſcant: unde & objectiva ſpecies in eo varias vultuum tranſmutationes, membrorumque mutilationes, modò in tholo pendulas, modò in aëre volitantes, exhibet: in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Vide Georg. de Sepibus *in Deſcript. ejus p.* 36.

QUADRANTAL, amphora dicta eſt apud Romanos, quæ 80. pendebat aquæ libras & duodequinquaginta ſextarios tenebat. *Africanus*, ὥςε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεςῶν μη. Rationem nominis Feſtus exponit, in voce *Quadrantal*: Sic *vocabant Antiqui amphoram, quòd vas pedis quadrati octo & quadraginta capiat ſextarios.* Duas autem urnas continebat amphora; quarum unâ opus fuiſſe ad implenda bina cornua unius capitis uri, quibus Barbari Septentrionales potare ſolebant, refert Plin. *l.* 11. *c.* 37. ad quem locum vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 231. Octava pars *Quadrantalis* erat congius. Idem, *p.* 592. Cujuſmodi *Quadrantalis* antiqui, in cubum adaptati, menſuram referunt ſex lapideæ tabulæ è ſchiſto lapide concinnatæ, in *Muſæo* Kircheriano; in quibus menſurarum ac ponderum proportionem priſcis uſitatam Auctor exhibet. Cum *Inſcr.* hac in una facie,

Quadrantal pondo LXXX.
Fannio.
Seu puros pendas latices, ſeu dona
Lyæi.

In alia,

Rhemnius Fannius.
Palæmon.
Pes longo ſpatio latoque notetur in anglo,
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex,
Quatuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora ſit Cubus, quam ne violare liceret,
Sacravêre Jovi Tarpejo in monte Quirites.

In tertia facie inciſus eſt pes Romanus antiquus, cùm his verbis:

Romana Amphora
pedalis.
Sext. XLVIII. &c.

apud Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societati Jeſu Muſæo*, *p.* 22.

QUADRAPOLÆ Veſtes, ſeu *Quadrapola* abſolutè, apud Anaſtaſium Bibliothecar. *in Vitis Pontif. paſſim*, *Bulengero* ſic appellantur, quarum quatuor angeli aurô texti ſunt aut ſericô vel tabulis aurô clavatis: ut *Octapula*, octo angulis aut ſerico intextæ. Vide in hac voce.

QUADRATA, Legio dicta eſt Romanis, cùm 4000. militum conſtaret. Vide ſuprà *Legio.*

QUADRATA, Romæ locus in Palatio, ante templum Apollinis dicitur, ubi repoſita ſunt, quæ ſolent adhiberi boni ominis gratiâ, quia ſaxô munitus eſt initiô in ſpeciem *quadratam.* Ejus loci *Ennius* meminit, cùm ait:

Et qui ſe ſperat Romæ regnare Quadratæ.

Ita author noſter. At verò Ennius non Romæ locum aliquem peculiarem *Quadratam* vocat, ſed totam Romam ſic olim vocatam perhibet. Solin. *c.* 1. *Dictaque eſt Roma primùm Quadrata*: dein Ennii verſum producit. Plutarch. *in Romulo*: Ῥωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην Κουαδράτην, ὅπερ ἐςὶ τετράγωνον, ἔκτισε.

QUADRATA, German. oppid. *Anton.* Cluverio locus Pannoniæ, nunc vicus *Wiſelburg* ad Danub. inter Flexum & Arrabonem, in Hungaria. Item Italiæ mediterraneæ urbs, *Lib. Notit.* Nunc pagus agri Aſtenſis, *Quarta*, 4. mill. paſſ. ab Aſta urbe Caſale verſus 14. à Taurinis 22. In quodam Itiner. antiq. *Quadrata* plural. eſt.

QUADRATÆ, SIVE QUADRANGULARES URBES; ALIIS VEL OBLONGIS, VEL AD ROTUNDITATEM MAGNA EX PARTE ACCEDENTIBUS:

Aquiſgranum, *Aix la Chapelle*, Juliacenſis Ducatus.
Ardra, *Ardres*, in Picardia.
Aria, *Aire*, in Arteſia.
Arlhemum, *Haerlem*, in Batavis.
Babylon, *Bagdet*, in Aſſyria.
Bapalma, *Bapaume*, in Arteſia.
Baſtonia, *Baſtogne*, in Lucemburgenſi Ducatu.
Batavia, *Batavia*, in Java inſula Indiæ.
Bommelia, *Bommel*, in Hollandia.
Breda, *Breda*, in Brabantia.
Burdigala, *Bourdeaux*, Aquitaniæ.
Calatia, *Gajazzo*, in Campania.
Caletum, ſive Icius portus, *Calais*, Galliæ Belgicæ.
Caſalenſis urbs, *Caſal*, in Liguria.
Ceſtria, *Cheſter*, in Anglia.
Cidonia, *la Canée*, in Creta inſula.
Conſtantia, *Conſtance*, in Suevia.
Cuſcum, *Cuſco*, in Peruvia.
Damaſcus, *Damaſco*, in Cœleſyria.
Delphi, *Delft*, in Hollandia.
Doncheriacum, *Donchery*, in Campania.
Dordracum, *Dort*, in Hollandia.
Ecbatana, *Tauris*, in Media.
Famaguſta, olim *Hamacoſtos*, in Cypro.
Feſſa, olim Volubilis, *Fez*, in Mauritania.
Franicheria, *Franeker*, Friſiæ.
Gallovidia, *Gallovvay*, in Hibernia.
Hailbruna, *Hailbrun*, in Suevia.
Heida, *Heyden*, Dithmarſiæ in Cimbria.
Hieroſolyma, *Hieruſalem*, in Palæſtina.
Jadera, *Zara*, in Dalmatia.
Jaurinum, olim Arabo, *Giavarin*, Pannoniæ.
Jena, *Jena*, in Thuringia.
Julia Cæſarea, *Algier*, in Mauritania.
Krempa, *Krempen*, in Holſatia.
Leovardia, *Levvarden*, in Friſia.
Lucerna, *Lucerne*, in Helvetiis.
Luneburgum, *Lunenburg*, Saxoniæ.
Mariæburgum, *Marienbourg*, in Hannonia.
Melita vetus, *la Citta vecchia di Malta.*
Meſſana, *Meſſine*, in Sicilia.
Mozambicum, *Mozambique*, in Africa.
Moſcha, *Moſkovv*, in Sarmatia, regia Moſchorum.
Novaria, *Novara*, in Inſubria.
Ovaria, *Owar*, in Hungaria.
Panormus, *Palermo*, Siciliæ.
Rensburgum, *Rensbourg*, in Holſatia.
Ripa, *Ripen*, in Jutia.
Rotomagus, *Rouen*, in Normannia.
Rupella, olim Santonum portus, *la Rochelle*, in Aquitania.
Salodurum, *Soluturn*, in Helvetia.
Sedunum, *Sien*, & *Sitten*, in Valeſia.
Senogallia, *Senigaglia*, in Ducatu Urbinate.
Stada, ſeu Statio, *Staden*, in Ducatu Bremenſi.
Stetinum, quaſi Sidenum, *Stetin*, Pomeraniæ.
Tabernæ, *Saverne*, in Alſatia.
Taurinum, *Turino*, Galliæ Subalpinæ.
Ticinum, *Pavie*, in Inſubria.
Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Trajectum inferius, *Utrecht*, in Batavis.
Tridentum, *Trente*, in Tirolio.
Tripolis, *Tripoli*, in Barbaria.
Venloa, *Venlo*, in Gueldria ſuperiori.
Vinaria, *ſeu* Wimaria, *Weimar*, Thuringiæ.
Vintonia, *Vincheſter*, in Anglia.
Visbuia, *Visbuy*, in Gothlandia inſula.
Vitteberga, *Wittemberg*, in Saxonia inferiori.

QUADRATA Moneta, una eſt ex 4. ſpeciebus monetæ, minutioris ac præmii vilioris, quæ recenſentur inter alia in Nov. Juſtiniani, quâ, ne Conſules in Proceſſibus publicis aureos nummos aut argenteos in populum deinceps ſpargant, vetatur: ita tamen, ut Ὑπάτια ſeu *miſſilia* ſua facere iis liceat, ἐν μελιαρησίοις καὶ τοῖς τοιούτοις τε καὶ μήλοις καὶ καυκίοις καὶ τετραγωνίοις συμμέτροις, ubi μελιαρήσιοι, *miliarenſes*, fuêre nummi argentei ſeu minutiores; μῆλα Cujacio fuêre nummi ærei pomi rotunditate, ſic dicti, reſpectu alterius, quam τετράγωνον ſeu *quadratam* vocat Imperator, cujuſmodi, inquit *Scaliger*, nummulos Turcicos videre eſt, quos *Aſpros* appellârunt, aut *Tartarones*, quos quadratos fuiſſe, ſcribit *Ordericus Vitalis.* De *Cauciis*, ſuprà vidimus. Vide de Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris Ævi numiſmatibus, num.* 98. uti *de quadratis Gromaticorum arcis* ſuprà; *teſſeris*, infrà.

QUADRATA Pelta Thracica, *Suidæ* ἀσπίδιον τετράγωνον, vide ſuprà *Pelta.*

QUADRATA Roma, nomen loci in Palatino colle, à Romulo ædificati in *quadratam* ſpeciem, munitique priuſquam urbi condendæ duceret ſulcum, quem Victor in X. regione urbis, h. e. in Palatio collocat. Vide Salmaſ. *ad Solin. c.* 1. ubi hunc Auctorem Romam à Romulo conditam *quadratamque* dictam, quòd ad æquilibrium foret poſita, ſcribentem refellit, ſimilem locum, in Aventino, à Remo Romuli fratre, *Remuriæ* nomine, mu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

munitum; & poſt hæc demum, avium auſpiciô, Romam abutroque conditam, addens.

QUADRATA Saxa, apud Vitruvium, *l. 1. c. 5. Sed ubi ſunt ſaxa quadrata, ſive ſilex, ſive cæmentum: aut coctus lapis, ſive crudus, his erit utendum.* Et *l. 2. c. 7. Sequitur ordo de lapicidinis explicare, de quibus & quadrata ſaxa & cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ & comparantur:* à cæmentis diſtinguuntur, quòd cæmentum lapis quidem ſit non rudis, ut vulgò ſibi perſuadent, ſed cæſus & politus ad uſum ædium, non tamen *quadratus.* Græci σύνομον λίθον vocant, quod *quadratum ſaxum* Latini, *lapidem de talia* vulgò Galli appellant; cùm cæmentum minutus ſit lapis cæſus & æquatus ad ſtructuram ædium. Neutrô horum Græcos uſos eſſe, in ædium ſtructuris, idem docet Vitruvius, *l. cit. c. 8. Non eſt contemnenda Græcorum ſtructura: non enim utuntur è molli cæmento poſita, ſed quum diſceſſerunt à quadrato, ponunt de ſilice ſeu de lapide duro ordinariam & ita, uti latericia ſtruentes, alligant eorum alternis coriis coagmenta.* Nempe non utebantur è quadrato ſaxo ſtructurâ, nec è cæmento molli poſita, ſed è ſilice, vel è duro lapide ordinariâ; i. e. ordine ſtructâ, è duro lapide æquato. Salmaſ. *ad Solin. p.* 378. Hinc *Quadratarii*, de quibus infrà.

QUADRATA Tonſura, vide infrà *Tonſura Petri.*

QUADRATA, QUADRA & QUADRANGULA Veſtis, ſæpius in Veter. ſcriptis occurrunt, ut apud Græcos τετράγωνα ἱμάτια; quæ à *rotundis* diverſa fuiſſe certum eſt. Rotundum enim eſt, quod angulos non habet; *quadratum* verò ſine angulis eſſe non poteſt: hinc veſtes, quæ angulos non haberent, cæ rotundæ fuêre atque ita dictæ ſunt. Vocabant autem angulum in veſte, partem extremam ejus, ubi aperta eſt, quæ in acumen deſinit, tam in ima veſtimenti ora, quàm in ſumma. Veſtes igitur, quæ circa imas oras apertæ non erant, ſed undique concluſæ & commiſſæ, hujuſmodi angulos nullos habebant & rotundæ propterea vocitatæ ſunt, Græcis κυκλοτερεῖς. Cujuſmodi erant olim mulierum Cyclades, quas nunc *Zupas* vocant. Sunt enim plenè planeque rotundæ & nullum habent angulum, quia undiquaque clauſæ ſunt per extremum ambitum. His vero contrariæ *Quadratæ*, à ſummo quippe ad imum apertæ, unde 4. angulos habuiſſe neceſſum eſt; duos in ima ora, duos in ſumma, inde *quadrangula* appellatæ. Tale Pallium Græcorum fuit, & pallia ferè omnia muliebria. Feſtus, *Ricinium*, *pallium muliebre quadratum.* Pallam quoque *quadrum pallium* interpretantur Grammatici. Saga item militaria & ſaga Gallica & Paludamenta Imperator. At Toga Romanorum rotunda erat, unde *Pallium teres* eam vocat Tertullian. *de Pallio.* Hæc namque nullum angulum in imo habebat, ſed cohibili circumcirca remeans ambitu & clauſa undique, omnia corporis contegebat. Quam *quadratarum* & *rotundarum* veſtium differentiam confirmat egregiè Ammonius, verbis quæ Latinè ſic habent: *Chlamys & chlæna differunt, uti pluribus demonſtravit Didymus Comment.* 2. *Iliados. Chlæna enim Heroicum geſtamen, chlamys verò Macedonicum, ſexcentis demum annis memorata Sappho, illa enim de Chlamyde loquitur. Sed & formâ differunt. Chlæna enim inquit quadrangulum veſtimentum, Chlamys verò, circa extimam oram undique circumcluſa eſt.* Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullianum de Pallio c.* 1. ubi hæc verba explicat, *Pallium extrinſecus habitus & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus* &c. ut & ſuprà ubi de veſtium *Alis*, & infrà, ubi de *Quadrato Pileo*: de *quadrangulis* verò equorum *ſtraguiis*, ubi de *Sella Equ.* Sed & tetragonô lapide Arabes Petræos olim Deum ſuum Martem ſignificâſſe, idque nullâ figurâ inciſâ, legas apud Suidam in Θεὸς Ἄρης, unde *informem lapidem* vocat Minutius Felix. Vide quoque ſuprà, ubi de Veter. *Hermis*, alibique.

QUADRATARII, Græcis Λιθοξόοι, ut eſt in *leg.* 1. *Cod. de excuſ. Artific.* Lapicidæ ſunt, qui iſtiuſmodi ſaxa cædunt, ut pares evadant anguli, licèt non paria ſint latera, ait *Philander.* Præſertim verò ſic dicti videntur, qui lapillis *quadratis* & variæ commiſſuræ *pavimenta* ſternunt; à Muſivariis diſtincti, qui *parietes* hôc modô exornabant. Sic enim *muſaum* & *quadratarium* opus diſtinguit Leo Oſtienſis, *l. 3. c. 27. Legatos prætereà Conſtantinopolim ad conducendos Muſai & Quadratarii operis peritos artifices mittit: ut alii abſidam & arcum atque veſtibulum majoris Eccleſiæ Muſivô componerent. alii Eccleſiæ totius pavimentum lapideum pulchrâ varietate conſternerent. Quàm verò periti ipſi artifices fuerint, ex opere ipſorum facilè conjici poteſt: cùm & in muſivo animatas ferè effigies & virentia quæque te putes aſpicere & in marmoribus omnigeni coloris flores pulchrâ varietate vernare videantur* &c. Vide quoque Paulum Silentiarium, *in Deſcr. S. Sophiæ, part. 2. v.* 230. & *ſeqq.* & *ſuprà paſſim*, inprimis ubi de *Lithoſtroto*, *Muſivo Teſſellato opere* & *Pavimentis.*

QUADRATUM, *Lib. Not. Radtmanſdor*, teſte *Laziô*; oppid. Pannoniæ ſuperioris, in Carniola, ad Saum fluvium, inter Vacorium ad occaſum, & Labacum ad ortum 6. leucis. Sed hoc eſt in Norico; non in Pannonia. Aliis videtur eſſe *Gurckfeldt* in Croatia, à Labaco 10. in ortum, à Celaja 4. in Euronotum. Quadrata Antonino, de qua ſuprà. Hæc oppida ſic dicta putantur ob quadratam formam, qualia ſunt ſuprà memorata.

QUADRATURÆ Vitreæ, occurrunt apud Vopiſcum *in Firmo, c. 3. De hujus divitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliiſque medicamentis inſertis domum inſtruxiſſe perhibetur.* Inter alia enim parietum ornamenta, de quibus retro diximus, ſolebant Veteres & abacorum formis ſpeculorumque orbibus ex vitro aut alio pellucido lapide parietes diſtinguere, ſed & *vitreis quadraturis* inſertis inducere. Et quidem de ſpeculis, quæ in parietes ad ornamentum inſerebantur, vide Plin. *l. 36. c. 26.* & Vitruvium, *l. 7. c. 3.* Seneca *orbes* vocat, *Epiſt.* 87. Eorum enim formæ rotundæ; ut & abacorum, eorum certè, qui miniſterium ſuſtinebant, Vide ſuprà in voce *Delphica*, item *Orbis.* At parietum abaci quadrati fuêre, uti & Logiſtici & columnarum abaci: Sicque alternatim diſtinguebantur parietes abacorum ſpeculorumque diviſionibus, h. e. figuris quadratis & orbiculatis prominentibus. Unde *Specula* & *Abaci* junctim poſiti, apud Vitruvium, parietibus decorandis *d. l.* ut & apud Plinium, *l. 35. c. 1. Non placent jam abaci nec ſpecula in cubiculo nitentia.* Immittebantur autem & inſerebantur in parietes, tum ſpecula, tum quadraturæ hujuſmodi vitreæ, ut emblemata in pocula: unde dicit Vopiſcus, *Inſertas bitumine aliiſque medicamentis* fuiſſe, i. e. immiſſas in parietem & illigatas; ſic ut in pariete bituminis aliorumque medicamentorum ope fixæ colligatæque tenerentur &c. Vide Salmaſ. *ad d. l.* Sed & *quadratura* ſeu *quadrata notæ* in Veter. veſtibus; *Virgata* enim propriè ſcutulataque Gallorum ſagula pluribus virgis, h. e. viis tranſverſim decuſſatimque ductis erant diſtincta, unde multæ in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus aut reticulatis operibus apparent. Certè maculas retium ῥαβδοειδεῖς γραμμὰς efficere tradit *Pollux*, ſi extendatur rete. Et Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. ῥαβδοειδῆ θυρεὸν vocat *ſcutum quadrangulum & oblongum*, quales erant peltæ Thraciæ, τῇ δ' εὐωνύμῳ κατέχει πέλτην Θρακίαν, ἣ δ' ἐςὶ ῥαβδοειδεῖ θυρεῷ ςενώτερον ἐχούσῃ τὰς λαγόνας ἐμφερής. Porrò *quadras* hujuſmodi & ῥαβδοειδεῖς figuras in veſtibus Gallorum, *Diodorus Sic.* πλινθία vocavit, ut animadverſum Scaligero *ad Varronem.* Scribit enim Gallos geſtare, σάγους ῥαβδωτοὺς, πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένους. Quales erant & ῥόμβοι, quos veſtibus ſuis intextos gerebant Epheſii, de quorum luxu ita ſcribit Democritus Epheſius, apud Athenæum, *l.* 12. τὰ δὲ τῶν Ἰώνων ἰοβαφῆ καὶ πορφυρᾶ καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαντὰ, h. e. *rhombis & figuris* ῥομβοειδέσι *diſtincta*, inſtar ſagorum Gallicorum. De eodem genere videntur fuiſſe veſtes *lacuatæ*, apud Iſidorum, *quæ lacus quadratos quoſdam cum pictura habebant intextos aut additos acu.* Idem namque *lacus* in veſte, quod πλινθίον. Quibus adde *ſcutulatas*, quæ & eædem, cum virgatis &c. Vide eundem Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, & *cit. loc.* infrà quoque in *Stauracinus.*

QUADRATI Lapides, quibus inſiſtebant pedes lupi vel urſi, avulſi à tibiis, pro terminis olim, apud Latinum Togatum Gromaticum, *Terminus ſive petra naturalis, ſi brancam lupi habuerit factam, arborem peregrinam ſignificat, ſi brancam urſi habuerit, lucum.* Ubi *brancam* eſſe partem extremam ſive crurum, ſive brachiorum in feris & avibus rapacibus, ait Oct. Ferrarius. apud Car. du Freſne in voce *Branca.* Vide quoque infrà Terminus. Sed & *Quadratus lapis*, pro Numine olim Arabibus. *Maximus Tyrius*: Λίθον τετράγωνον Ἀράβιοι σέβουσι μὲν, ὅντινα δὲ, οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα, ὃ εἶδον, λίθος ἦν τετράγωνος. Arnobius verò *informem* vocat, *adv. Gentes l.* 6. λίθον, *lapidem*, ſimpliciter *Clemens Alexander.* de quo vide aliquid infrà, voce *Saraceni.*

QUADRATUS Conſul cum Candido iterum munere functus eſt eô annô, quô Hadrianus Imperator Tribunus plebis eſt factus, apud Æl. Spartian. *in Hadriano, c.* 3. De utroque vetus *Inſcr.* T. JULIO. CANDIDO. II. A. JULIO QUADRATO II. COSS. qui annus erat Imperii Trajani octavus, ætatis Hadriani vigeſimus nonus. Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit.*

QUADRATUS, Apoſtolorum diſcipulus, Præſul Athenienſis, poſt Publium. Adriano, Chriſtianos perſequenti, apologiam obtulit, addiditque orationem tam inſignem, ut Imperatoris animum ad mitiora inflecteret. Hieron. *de Scriptorib.* Baron. *A. C.* 125. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 3. c.* 37. Vide etiam *Numidius.*

QUADRATUS, Romanus Hiſtoricus, cognomentô *Aſinius*, Ionicâ dialectô *Romanam hiſtoriam libris* 15. condidit. Opus autem ſuum χιλιετηρίδα inſcripſit, quia complecteretur *annos mille*, teſte *Suidâ.* Nempe hiſtoria erat ab Urbe Cond. uſque ad annum Urbis milleſimum, quô millenarius Agon à Philippis Imperatorib. maximô fuit apparatu celebratus. Quod minus perſpexit *Suidas*, qui perduxiſſe hiſtoriam ait, uſque ad Alexandrum Mammeæ filium. Puto idem opus ſignari, quando Stephan. ex Aſinio hoc Quadrato, vel ſecundum Ῥωμαϊκῆς χιλιάδος citat in Ἄνθιαν, vel decimumquartum Ῥωμαϊκῆς χιλιαρχίας in Ὀξύβιοι, vel decimumquintum Ῥωμαϊκῶν in Θαλψίπολις. Etiam *Parthyenica, ſive Parthorum origines ac bella*, in literas retulit, teſte Capitolinô *in Vero, c. 8. Quodquidem & jam Quadratus, belli Parthici ſcriptor, incuſatis Seleucenis, purgat.* Primum Παρθυηνικῶν librum Steph. advocat in Γῆλυς, tertium in Γερμανίκεια & Ταρσός, octavum in Γάζακα, nonum in Σόλυμα. Idem ἁπλῶς laudat Ἀσίνιον Κουάδρατον in Μεσσήνη. Porro Παρθενικὰ hic liber vocabatur in codicib. vulgatis; unde Xylander fecit Παρθικά; ſed ſcripſerat Steph. Παρθυηνικὰ, nam Παρθυήνη potiſſima eſt regio Parthiæ, unde ſynecdochicè Πάρθοι pro Παρθυηνοί. Vide Voſſ. *de Hiſt. Gr. l. 2. c. 16. Nic. Lloydius.*

QUADRATUS, P. *Victori* vicus Romæ in regione 14. Cujus ſit mentio in veteri inſcriptione ſub Trajano Imperatore.

QUADRATUS Mercurius, Vide ſuprà *Mercurius.*

QUADRATUS Mummius, memorator Jul. Capitolino *in Marco Antonino, c. 7. Antoninus --- Bonorum maternorum partem Mummio* Quadrato *ſororis filio (quia illa jam mortua erat) tradidit.*

QUADRATUS Panis Vide ſuprà *Buccea.*

QUADRATUS Pileus, Doctorum pleriſque locis inſigne eſt. Non enim Italis modò ea figura jam olim probata eſt, teſte Pancirollô *Var. Lect. Jur. l. 1. c.* 23. quam tamen ſuô tempore in deſuetudinem abiiſſe ait: ſed etiam Sinæ, ut ſcribit Nicol. Trigaultius, *Expedit. Sinicæ c.* 8. eam formam in Pileis Literatorum amplexi ſunt, cœteris non niſi rotundorum Pileorum uſu conceſſô. Vide Kircherum, *Chinâ Illuſtr.* ubi veſtitum P. Riccii deſcribens, ait habitum hunc omnibus eruditis, omnibuſque magni Occidentis Doctoribus proprium fuiſſe & peculiarem, ante Tartarorum irruptionem. Iconem Pilei Solerius exhibet *de Pil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſect. 10. Ratio ritûs, quia forma *quadrata* immobilitatis ac ſtabilitatis ſymbolum eſt, Gregor. *Hom.* 21. *in Ezech.* At Doctoris, qui verè id nomen impleat, doctrina facile mobilis non eſt; cùm *omni doctrinæ ventô circumferri*, in vitio ponat Apoſtolus, *Epheſ. c.* 4. *v.* 14. Idque fortè expreſſum voluit, qui Mercurium, diſciplinarum cœleſtium, juxta Manilium, *Aſtronom. l.* 1. ac etiam Eloquentiæ & Veritatis Præſidem, cubicum & *quadratum* effinxit, ut ex Leonide refertur, *l.* 1. *Anthol. Epigramm. ad Deos agreſtes*, Solerius *locô cit.* Etiam Pileus Clericalis paſſim *quadratâ* formâ viſitur, quam ad Chriſtianos derivatam eſſe, à Regibus Perſarum, Armeniorum & Medorum, affirmat Pancirollus *Var. lect. Juris l.* 1. *c.* 2. Perſas quoque & Lydos Dynaſtas pileô *quadratô* uſos, ait Caracciolus *ad reg. Theatin. part.* 2. *c.* 2. §. *Pileus*, adductô Dionyſ. Halicarnaſſeô, *l.* 3. ubi tamen hic de veſte *quadrata*, non in ſpecie de capitis tegmine, loquitur. Interim formam *quadratam*, in pileo Clericali perantiquam eſſe, ex effigie Tertulliani, picturâ antiquâ Romæ & auctoritate Pierii, *l.* 40. *c. de Pileo*, probare conatur aliquoties laudatus Solerius, *ſect.* 14. Vide quoque infrà *Tinca.* it. *Zygæna.* Quod verò modò de veſtibus *quadratis* ex Dionyſio dictum, paulo accuratiùs excutiendum. Sunt qui omne Pallium, imò veſtimenta omnia aperta, *quadrata* ſive *quadrangula* fuiſſe contendant; eò quod Athenæus tradat, Romanos in Aſia; ut Mithridatis effugerent iram, depoſitis Togis, *quadrata veſtimenta* ſumſiſſe: quod idem de Antonio Appian. *Civil. l.* 5. refert. Sed ſi omnia veſtimenta aperta *quadrata* fuêre, cur quædam peculiariter à Scriptoribus, quòd hâc formâ eſſent, notantur? Vetula apud Petronium *quadratô palliô incincta* legitur: Feſtus *ricam quadratum Pallium fœmineum fuiſſe* ſcribit: Iſidorus Sagum Gallicum *quadratum* vocat: Tertullianus, vetus Carthaginenſium pallium, quod ipſius ætate tantùm ab Æſculapii Sacerdotibus geſtabatur, fuiſſe quadrangulum refert. Non ergo omne Sagum, omne Pallium tale. Itaque in re hac admodum difficili, conjicit Ferrarius, Pallium *quadratum* non fuiſſe Græcorum, ſed Aſiaticorum & reliquarum gentium ad Orientem colentium, ideoque Romanos, qui in Aſia negotiabantur, ut ſævitiam effugerent Mithridatis, poſitis Togis, *quadrata* veſtimenta gentis illius propria ſumſiſſe: Antonium quoque, ut Cleopatræ gratificaretur, ſtolam in Ægypto quadrangulam induiſſe; Id autem Pallium tantùm poſteriorem corporis partem operuiſſe, veréque fuiſſe quadrangulum, cujus anguli ſuperiores fibulâ cervicibus adſtringerentur, duo ad latera, & infra caderent. Obſtat tamen, quòd Appianus Pallium illud ſeu ſtolam Antonii τετράγωνον Græcanicam vocat, eôdemque habitu Athenis verſatum cum Octavia, quem Alexandriæ cum Cleopatra habuerat, ſcribit. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiaria, Parte* 2. *l.* 4. *c.* 4.

QUADRELLÆ, vide QUADRIGELLÆ.

QUADRELLI, apud Guil. Britonem, *Philipp. l.* 2.

Nec tamen intereà ceſſat baliſta, vel arcus,
Quadrellos *hæc multiplicat, pluit ille ſagittas.*

tela baliſtarum ſunt brevia, ſpiſſa & forma quadratâ, unde nomen Gallis *Quarreaux*, Car. du Freſne *in Gloſſar.*

QUADRIBURGIUM, Ammian. *Quaetraedt*, teſte Orteliô, pagus Germaniæ inferioris, inter Coloniam Agrippinam & Juliacum. Aliis eſt *Woeringen*, oppid. ſeu pagus ejuſdem Germaniæ, ad Rhenum, inter Coloniam prædictam & Noveſium in medio. Eſt & Quadriburgium in *libro Notitiæ* oppid. geminum: unum in Norico Ripenſi, alterum in Valeria Ripenſi.

QUADRIFILUM Gemmarum, τετράλινον, in *Gloſſis*, eſt quod ex quaternis margaritarum filis conſtabat. Nam & *filum* & *linum* dicedant Latini, quô intricabantur margaritæ, ut videre eſt ſuprà in voce *Filum*, item *Linea.*

QUADRIFLUIS diſparata arbor, Plinio, *l.* 16. *c.* 39. ubi de abiete, *Theophraſto* τετράζοος dicitur, niſi potiùs τετράροος legas, *quæ quadrifidos habet venarum curſus*, qui in arboribus *fluvii* dicuntur Latinis, unde *fluviari arborem* iidem dixêre, quæ venis diſtingueretur. Hinc idem de abiete, *Ad fabrorum inteſtina opera medulla pectilis optima quadripartitis materiis & mollior quàm cætera.* Abies enim eâ parte, quâ terræ proxima eſt, quadruplici venarum curſu fluviatur; atque hæc pars dicta eſt *ſappinea*, à ſimilitudine Sappineæ materiei; cùm ſuperior *fuſterna* vocetur, quòd nodoſa ſit, ut fuſtes eſſe ſolent & baculi crebris nodis ut plurimùm aſperi &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1033.

QUADRIFORIS Janua, apud Vitruvium, *l.* 4. *c.* 6. *de Foribus*, *Sin autem valvatæ erunt, altitudines ita manebunt; in latitudinem adjiciatur ampliùs foris latitudo: ſi* quadriforis *futura eſt; altitudo adjiciatur:* Eſt τὸ δίθυρον, janua duplex, cujus ſingulæ tabulæ duplicantur: ſicut *valvata*, quæ & *biforis* dici poteſt, dicta eſt, quæ ſemel tantùm plicatur. Idem *ibid. p.* 927.

QUADRIFRONS, dictus eſt Janus geminus, quem ſic finxit appellavitque Antiquitas, quòd univerſa climata Majeſtate ſuâ complecteretur, Baſſus apud Macrob. *l.* 1. *c.* 9. Templum hic habuit Romæ ampliſſimum quatuor portarum, in Foro, ab Auguſto dedicatum: tranſlatuſque in Urbem legitur, Faliſcis Thuſciæ civitate captis, apud *Servium*: Simulachrum ejus in nummo veteri, & templi nomen in veteri lapide, exhibet Johann. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3.

QUADRIGA, Minervæ quartæ, quæ Jove nata & Coriphe, Oceani filiâ, ſecundùm *Ciceronem*, inventum, non quòd quatuor rotis primitus conſtaret, ſed quòd quaternis equis traheretur, dicta eſt: ut ex Lucretio contendit Licetus *de Lucernis Antiqq. l.* 6. *c.* 22. Hyginus verò *in Poët. Aſtronom. ad pedum deformitatem velandam primum* Quadrigam *inveniſſe Erichthonium*, quartum Athenienſium Regem tradit. Cui aſſentiens Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 113.

Primus Erichthonius currus & quatuor auſus
Jungere equos rapidiſque rotis inſiſtere victor.

Quod tamen ad Græcos ſolùm Freculphus, *Chronic. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 9. Æſchylus id laudis Prometheo adſcribit, Tertullian. *de Spectac. c.* 9. *Trochilum apud Argivos, in honorem Junonis, Romulum in honorem Martis ſive Quirini, Quadrigam excogitâſſe*, ſcribit. Ado Viennenſis, de Procido, ſub initium Regni Athenienſis, *Chron. æt.* 3. Fr. Laziardus, *Hiſtor. Univ. Epit. c.* 24. de Triptolemo, eadem habent. Herodotus *in Melpom. c.* 189. *à Libybus quadrijugos equos jungere Græcos didiciſſe* narrat, ut alios omittam. Earum uſus in Ludis Olympicis Græcorum & quidem præcipuus. Poſt 48. enim Olympiadem aliis ludis additum fuiſſe equorum curſum, & de *Quadrigis* victorem renuntiatum fuiſſe Cliſthenem, Sicyoniorum Tyrannum, memorat Pauſan. *in Phocaicis* cui contradicens Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 13. *c.* 17. *In Olympicis*, inquit, *certaminibus principem omnium legimus viciſſe ſtadium Licymnii filium Oeneum, i. e.* Οἰωνὸν: *palæſtram Echemum Tegeatem; at caſto primas tuliſſe Dorycium:* Quadrigis *Samum Matineum, cujus in Theſeide meminit Diphilus.* Vide ſuprà *Currus Olympici.* Idem in Circenſibus Romæ factitatum, quia, ut Lunæ biga, ita Soli *Quadriga* dedicata erat: Soli autem Circus ſacer fuit. Qua de re ſic Iſidor. *Origin. l.* 18. *c.* 33. *Quadrigæ, & Bigæ, & Trigæ & Sejugæ ab equorum numero & jugo dictæ. Ex quibus Quadrigas Soli, bigas Lunæ, Trigas Inferis, Sejuges Jovi, Deſultores Lucifero & Heſpero conſecraverunt.* Quadrigas *ideo Soli jungunt, quia per quatuor tempora anni vertitur: Bigas Lunæ, quoniam gemino cum Sole contendit &c.* Et paulo pòſt, *Ideò autem rotis* Quadrigas *currere dicunt, ſive quia mundus iſte circuli celeritate tranſcurrit: ſive propter Solem, quia volubili ambitu rotatur. Septem autem ſpatia* Quadrigæ *currunt, referentes hoc ad curſum* 7. *ſtellarum, quibus mundum regi dicunt: ſive ad curſum ſeptem dierum potentium, quibus peractis vitæ terminus conſummatur, quorum finis eſt meta, id eſt, judicium*, & quæ ſeqq. Hinc, ut notatur Pierio, *Hieroglyph. l.* 4. *fin.* Rhodii quotannis Quadrigas Soli conſecratas in mare jaciebant, quòd vulgatum eſt eum tali circumvehi Mundum. Certantes autem *Quadrigis* Aurigas, quatuor factionibus colore diſtinctos fuiſſe, Praſinô, Venetô, Roſeô, & Albô, diximus ſuprà *paſſim.* Victori *Quadrigarum* Romæ, coronæ locô præmiique ſolitum fuiſſe propinari abſinthii poculum, ſanitatis ergò, obſervavit laudatus Valerianus, ex Plinio, *l.* 27. *c.* 7. ubi ſic: *His enim feriis* (Latinis intelligit) *qui Quadrigas vicerat, abſinthium in Capitolio bibebat: idque Majores noſtri ſanitatem interpretabantur, quod magni ſatis præmii locô ſe profitebantur dare.* Tranſiit dein mos ad reliqua ſacra, ſtudiumque id ita apud Romanos excultum atque auctum eſt, ut pauca vel nulla ferè publica ſpectacula ederentur, quin curruum certaminibus honorifica propoſita ſpectarentur præmia, Hier. Mercurialis *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 10. Non aſſenſum tamen impetrat, qui ludum Equeſtrem, cui *Troja* nomen, quique deſcribitur *Æn. l.* 5. *v.* 545. & *ſeqq.* cum *Quadrigarum* ludo eundem facit, Vir eruditus. Namque bigarum *Quadrigarumque* ludus Romæ multo poſt Aſcanium Troici ludi inventorem, haberi cœpit: illoſque apertè à ſe invicem diſtinguit *in Cæſare* Sueton. *c.* 39. cùm ait: *Quadrigas bigaſque & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi Juvenes. Trojam luſit turma duplex majorum minorumque puerorum.* Porrò *Quadrigis*, quas albi vehebant equi, Triumphatores Romam ingrediebantur, teſte Serviô *ad. Æn. l.* 4. *v.* 543. *Qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor:* quod obtinuit, quamdiu ſtetit Reſp. at libertate ereptâ mutati mores, & pro equis leones juncti, ui docet Plin. *l.* 8. *c.* 16. elephantos junxêre, Pompejus, Cajus Cæſar, Claudius, Domitius, Gordianus, Alexan. Severus, alii; equas hermaphroditas Nero: tigrides Heliogabalus: imò Reges quatuor captivos Seſoſtris. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſinum*, *l.* 5. *c.* 5. Fortun. Licetum *de Gemmis annular. ſchem.* 41. *c.* 130. & Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 10. Falcatarum *Quadrigarum* meminit etiam Rhodig. *l.* 21. *c.* 31. *Falcatas*, inquiens, *in bello Quadrigas eſſe unicum nonnullarum gentium auxilium, multiplex prodit hiſtoria, & Q. Curtius non prætermiſit:* quem illas prolixè deſcribentem vide *l.* 4. *c.* 9. cui adde Xenophontem *Cyri Pæd. l.* 6. ubi Cyro inventionem earum attribuit. Sed earum jam mentionem in ſacris Literis Judicum ingerit, *c.* 1. 19. & *c.* 4. *v.* 7. Vide quoque Diod. Sic. *l.* 15. *c.* 18. Vegetium, *l.* 3. *c.* 24. Appianum *de bell. Syr. & Mithridat.* Briſſonium, *l.* 3. *p.* 304. & *ſeqq.* &c. ut & infrà in voce *Vectatio.* Apud Romanos argenteæ pecuniæ nota quoque fuêre Bigæ atque *Quadrigæ*, unde *bigati quadrigatique* Denarii; quemadmodum notam æris fuiſſe, ex altera parte, Janum geminum, ex altera roſtrum navis: in triente verò & quadrante, rates, ſuprà vidimus in voce *Quadrans.* Vide quoque Roſin. *Antiqq. l.* 8. *c.* 20. *ubi de re Nummaria:* & hic *infrà.* Sed & *Quadriga*, in annulo Plinii Sec. *Ep.* 16. *l.* 10. *Signata eſt annulô meô, cujus eſt* ἀποσφράγισμα *Quadriga.* Cujus ſigilli varias rationes eruditè reddit Fortunius Licetus *de Gemmis Annular.* Plura verò hanc in rem, inprimis de *Quadrigarum certamine*, in Olympicis Circenſibuſque, ubi plerunque equi & equæ, nonnunquam etiam muli mulæque, adhibiti, vide apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 15. ut & hîc paſſim. Addam pauca quædam. Quomodo in *Quadriga* equi jungerentur antiquitus, dictum retro, ubi de Veter. more equos *ad Currum* jungendi. Nempe cùm primitus quatuor equi ſic jungerentur, ut duplici temone equis interjectô perpetuum jugum omnibus conjiceretur, ſicque nullus jugalis, omnes funales eſſent: Primus Cliſthenes, ratione hâc immutatâ, unô temone currum fecit ac medios tantùm duos junxit, eiſque ad latera ſingulos adjunxit ex utraque parte lorô vinctos, hinc σειραφόρυς ſeu σειραίυς, item παρηόρυς, & παρασείρυς Græcis vocatos; quemadmodum τῶν ζυγίων i. e. *jugalium*, alter ὁ μέσος δεξιὸς, *medius dexter*, alter ὁ μέσος ἀριςερὸς, *medius ſiniſter*, ab eo tempore

pore dici cœpit. Ex his autem quatuor equis cum funalis ſiniſter præcipuus eſſet, ut è quo potiſſimum victoria penderet, hinc factum, ut non rarò apud Auctores unius tantùm equi mentio fiat, eôque nomine tota *Quadriga* intelligatur, ſicut retrò vidimus non unô locô, vide ubi de equis, *Bubalo*, *Panchate*, *Pompejano*, aliis, inprimis verò voce *Funalis*. *Quadrigarum* porrò *emiſſio* in Circo Olympiaco ſic habuit. Cùm duplex carcerum ordo fuerit, unus ad ſiniſtram primæ metæ, alter ad dextram: in medio utriuſque partis locus erat ejus, qui machinationem movebat, quâ non tamen ſimul ac ſemel omnia oſtia aperiebantur*, Altare videl. circa mediam Circi proram, Januæ Conſulum in Circo Romano reſpondens. Quandoquidem enim omnes currus ſtare æquô limine debebant ad dextram partem illius Aræ vel primarum metarum, ut rectô curſu ad ultimam metam circumflectendam contenderent: Si omnia oſtia ſiniſtri ac dextri lateris vel ordinis aperta ſimul fuiſſent, eveniſſet ut ex dextri lateris carceribus exeuntes, longô ſpatiô præverterent eos, qui emiſſi eſſent ſiniſtræ partis carceribus. Nam lævorum oſtiorum quadrigæ è ſuis primùm locis exire, deinde ad ea loca venire debebant, ubi carceres erant: inde enim curſus incipiebat, qui utique longus erat circuitus. Sic nec ex æquo certamen his & illis fuiſſet; quum dextri lateris quadrigæ multò antè exiliſſent. Ut itaque æqualitati æquitatique certaminis conſuleretur: motâ machinatione, quæ in medio conſiſtebat, aperiendis repagulis, dextri lateris ſive ordinis oſtia primò aperiebantur. Quadrigæ inde emiſſæ ſtabant ad eum locum, ubi carceres ſortiti fuerant currus ordinis ſecundi ac dexteri: qui ne ulteriùs progrederentur, fune omnibus oſtiis prætentô cavebatur. Ubi primi ac ſiniſtri ordinis quadrigæ ad eum locum conſtiterant, tum ſecundi ordinis oſtia pandebantur, ac ſic æquatis frontibus tam primi ac ſiniſtri, quàm dextri ac ſecundi ordinis currus, in ſpatia ſeſe addebant, uti Pauſan. *l.* 5. pluribus docet. Atque ad hanc formam ædificati ſunt carceres in Circo Romano & plures etiam tum certâſſe videntur, cùm ædificari cœpti ſunt. Eadem enim omnia Romæ fuiſſent obſervanda, duodecim quadrigis certantibus, quæ in Olympiaco Circo circa quadrigarum miſſionem obſervabantur. Poſtquàm verò quatuor tantùm committi cœperunt, nihil opus fuit duplici vice apertionem oſtiorum fieri, quemadmodum Olympiæ fiebat: ex parte quippe dextera omnes poterant emitti, æquô limite & æquatâ fronte, cùm ibi ſex oſtia eôdem ordine directa eſſent. Igitur Olympiæ emittendi currus & equi ejuſmodi linea prætentâ ſive funiculô, uti vidimus ſuprà in *Alba Linea*, cohibebantur; ne ante ſignum datum exirent, utque in æquo limite continerentur omnes, eaque linea pro repagulis vel foribus carceris fuit: At in Circo Romano Equi cum Quadrigis intra carceres continebantur, repagulis vel cancellatis foribus oppoſitis coerciti, priuſquàm ſignum daretur emittendi; ſignô verò miſſô, unô eôdemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effuſi, ſeſe proripiebant proſiliebantque. Porrò oſtia quadrigis ſorte dividebantur; quorum *primum* dicebatur, quod erat primis metis proximum & primâ ſorte dabatur: ſicut ſecunda ſecundum dabat, & ſic deinceps. Et quidem è primo exilientibus breviſſimum iter ad metas, ideoque prior ejus potiorque conditio: unde primô oſtiô miſſus ſortis ac loci beneficiô cœteros antevertebat & *occupare* dicebatur. Sed is plerunque non perferebat felicitatem ſuam uſque ad ultimas metas & extremum curriculum, ſuccedente ejus loco metamque ſeptimam circumire anticipante non rarò illô, qui ſecundô oſtiô exibat, uti ſuprà diximus in voce *Occupare*. Plura hanc in rem vide hîc *paſſim*, ut & apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 897. & *ſeqq.* ubi totam Circenſium rationem eruditè explicat. Delrium item *Not. ad Hippolytum Senecæ, v.* 1075. ubi non bigas ſolùm trigaſque, quod Philoſtratus ſcribit, *in imagine Amphiarai*, ſed & *Quadrigas*, Heroum ævo aſſerit, ex Poëta, qui vidit *Hectorem curru quadrijugô raptarier.* Hactenus *Quadriga* pro curru, quem quatuor equi trahebant. Sed & *Quadrigam* Firmicus dixit, pro quaternis equis ſine curru, quos Deſultor tranſiliebat: *Aut qui ſaltu quadrigas tranſeat*, apud eundem Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Carino, c.* 19. Vide ſuprà in voce *Deſultor*. Apud Capitolin. autem *in Gordiano, c.* 27. *His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet. Miſitheo autem* quadriga ſex equorum : *& triumphalis currus & titulus hujuſmodi* &c. pro ſejuge curru impropriè uſurpatur. Idem *ad h. l.* Nec omittendum, inter dona Diis oblata, *Quadrigas*, non rarò apud Romanos fuiſſe. Unde apud Livium, *Quadrigas aureas in Capitolio ab Ædilibus curulibus l.* 29. *c.* 38. & *Quadrigas inauratas in eodem poſitas, de mulcta damnatorum, l.* 35. *c.* 41. legimus. Imò & inter ea, quibus Viri bene meriti honorabantur. Arnob. *adv. Gentes, l.* 1. *Quadrigis & ſtatuis muneramini.* Statuis ſcil. Curulibus quæ magnis ſolùm heroibus ac bellicâ laude florentibus cùm primitus excitarentur, poſtmodum & aliis quoque inertibus, & planè ἀσυλπίγτοις, obtigêre, ut Cauſidicis.

Æmilio dabitur, quantum petet, & meliùs nos
Egimus. Hujus enim ſtat Currus aëneus: alti
Quadrijuges in veſtibuli: atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curvatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur prælia luſca.

Vide Deſid. Heraldum *Animadverſionib. ad Arnob. d. l.* &c. De *Quadrigarum eburnearum* apud Romanos luſu, vide ſuprà aliquid voce *Mandra*: uti *de Quadriga cum agitatore*, ex marmore muſcæalis cooperta ſuprà, *Marmor.*

Q. Cl. QUADRIGARIUS, vetus hiſtoricus Romanus, Siſennæ ac Valerio Antiati æqualis. Vide Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 1. *c.* 10. & in voce *Claudius.*

QUADRIGARUM Supplicium, ab Hercule excogitatum deprehenditur, qui, florente adhuc ætate, Eubœæ Regem Pyraechmen, bellum Bœotiis inferentem, vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas diſcerperetur partes, uti refert Plut. *Parall. c.* 13. Vide quoque *c.* 14. præterea A. Gellium, *l.* 20. *c.* 1. Virg. *Æneid. l.* 8. Claudianum *in Gildonem*, Alios: Hodieque læſæ Majeſtatis reis id ſupplicii in Gallia irrogari, exemplô eſt infelix Regicida Ravaillacus, qui Henrico Magno necem inferre auſus *Quadrigarum ſupplicium* Pariſiis ſubiit, annô hujus ſeculi 10. Idem in Anglia obtinere, infrà dicemus. Semel tantùm eô uſu Romani qui *Quadrigis* diſcerpſerunt Metium Suffetium, Albanorum Regem. Liv. *l.* 1. *c.* 28. *Duabus admotis* quadrigis, *in currus earum diſtentum illigat* (Tullus) *Metium, deinde in diverſum equi concitati lacerum in utroque curru corpus quà inhæſerant vinclis membra, portantes. Avertêre omnes, à tantæ fœditate ſpectaculi, oculos. Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos* &c. Simile triremium ſupplicium eſt; apud Tunquinenſes aliaſque nonnullas Orientis gentes, de quo infrà dicemus ſuô locô. Vide quoque hîc paſſim, ubi de atroci homines *Lacerandi, Secandi, Trahendi* more, nec non voce *Diſſchendone*; item *Quartenzatio*. De *Quadrigariorum* verò *luſu*, Sueton. *Nerone, c.* 19. & Caſaubonum ibi.

QUADRIGATI Nummi, à notis *quadrigarum* ſic dicti, apud Romanos, ante Victoriales, in uſu fuêre. Plin. *l.* 33. *c.* 3. *Notæ argenti fuêre bigæ atque quadrigæ: & inde bigati* quadrigatique *dicti. Mox lege Papyriâ ſemunciales aſſes facti. Livius Druſus in Tribunatu Plebis octavam partem æris argento miſcuit. Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodiâ percuſſus eſt* &c. Vide ſuprà.

QUADRIGELLÆ, vel potiùs QUADRELLÆ, à forma quadrata, vulgò *Charolies*, oppidum cum titulô Comitatus in quo Denegontium, in rebus Pipini memoratum; *Digonia*, in priſcis literis, Baroniæ titulô gaudens, vulgò *Digoins*, aliàs *Digoine*, ad Aretium, non longè ab ejus amnis & Ligeris confluentibus, inter Marcinianum & Burbonem Anſelli. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

QUADRIGEMINA, apud Plin. *l.* 8. *c.* 23. ubi *ceraſtis eminere cornicula ſæpe quadrigemina* ait, barbaris Interpretibus *octo* ſunt ſeu *quaterna geminata*. Unde Vincentius, *Doctrinal. l.* 16. *c.* 108. *Ceraſtes eſt ſerpens octo in capite cornua habens.* Et Bellonius, *Singularium l.* 2. *c.* 54. Plinio litem intendit, quaſi ceraſtem dixerit octo habere cornua, cùm bicornis ſit: quales profitetur ſe vidiſſe in Ægypto. At *bicornes eſſe*, Plinius haudquaquam negat. Tantùm in ceraſte aſſerit *eminere cornicula ſæpe quadrigemina*, i. e. *quaterna*, non octona, ut volunt. Sequitur enim Nicandrum, cujus hæc verba ſunt,

Ἄλλοτε μὲν πισύρεσι, τότ᾽ ἐν δοιοῖσι κεράσης.
Quandoque quidem quatuor, quandoque duobus cornibus (riget) *ceraſtes.*

Eôdem ſenſu legimus apud Solinum, *c.* 1. *Fauſtam quandam ex plebe partu unô ediidiſſe quatergeminos* (ubi alii legunt *quatuor geminos*) *mares duos totidemque fœminas, monſtroſâ fœcunditate portendens futuræ calamitatis indicium.* Sic *ſeptemgemini*, Græcè ἑπταδίδυμοι, ὀκτωδίδυμοι &c. Catullus, *Epigr.* 11. *ad Furium & Aurelium*, de Nilo, *v.* 7.

Sive qui ſeptem geminus colorat
Æquora Nilus.

Et Virgilius, *Æn. l.* 6. *v.* 800.

Et ſeptemgemini turbant trepida oſtia Nili.

Notum autem, Nilo amni ſolùm fuiſſe ſeptem oſtia. Similiter Claudian. *in Feſcenninis nuptiarum Honorii & Mariæ, v.* 60. Romæ tribuit *ſeptemgeminas arces*, h. e. *ſeptenas*, in totidem Romæ montibus &c. Vide quoque infrà in *Tergemini*, ut & in *Quadruplum.*

QUADRIMENSTRUI, in *rubr. C. de quadrim. brev.* dicuntur, quòd quartô quôque menſe conficiuntur. Conficiebantur ergo hi Breves à Chartulariis & ad officia Palatini aut Præfecti Prætorio tranſmittebantur. Vide Gothofredum in *dict. rubr.* & Cujacium *ad tit. Cod. de Apochis, in rubr.* laudatos Joanni Calvino *in Lexico Jurid.*

QUADRINGENTI, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 24. *v.* 5. ubi de Baſſo, purpuram & coccina, quò Eques videretur, geſtante.

——— ——— *murice tinctâ*
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.
Quadringentorum *nullæ ſunt, Baſſe, lacernæ* &c.

Equites ſunt, horum enim cenſus fuit *quadringenta* H.S. Cui ſummæ ſi quidquam deeſſet, non erat juſtus Eques, neque in *Quatuordecim* ſedere poterat ex L. Roſcia. Vide eundem Poëtam, *l.* 1. *Epigr.* 104.

QUADRINGENTUM, oppid. Lombardiæ Ciſpadanæ, in Marchionatu Montisferrati, à 40. familiis nomen habet, *Merula.*

QUADRIPORTICUS, apud Anaſtaſium *in Symmacho, Cantharum B. Petri cum* quadriporticu *marmoris ornavit*; item *in Dono*, & *Leone III.* atrium eſt, *quatuor porticibus* circumdatum, ante ædium ſacrarum veſtibula, Græcis τετράστυλον, Fortunato *quadrata porticus*, *l.* 9. *Poëm.* 15. de Atrio ædis ſacræ. Cujuſmodi atrium ſic deſcribit Paulinus, *Natal.* 9.

Ecce vides iſtam, quâ janua prima receptat,
Porticus obſcurô fuerat priùs obruta tectô,
Nunc eadem nova pigmentis & culmine crevit.
Aſt ubi conſeptum quadratô tegmine, circa
Veſtibulum, medio reſeratur in æthera campo &c.

apud Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quæ de ejuſmodi *Quadriporticibus* idem congeſſit in *Deſcr. Ædis Sophianæ num.* 20.

QUADRIREMIS, vide ſuprà *Navis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

QUADRISOMUM, in *Fragm.* Sepulchrali Romæ ad S. Agnetem viâ Nomentanâ, apud Eund.

DEPOSITUS P.....FIECT....
DN. VALENTINIANO AVE....
IN PACE ETC. VIXIT ANNUS XX.
FECIT LOCUM QUADRISOMUM,

Sepulchrum eſt, quatuor corporum capax, ut *Biſomum* duorum, vide ſuprà in *hac voce*.

QUADRIVIUM, quid propriè ſignificet, notum: Recentioris ævi Scriptoribus 4. partes Mathematicæ vox ſignificat, *Arithmeticam*, *Muſicam*, *Geometriam* & *Aſtronomiam*; quarum prima unitati, altera binario, tertia ternario & ultima quaternario numero comparatur, ut eſt ὀν θεολογȣμένοις τ̃ Ἀριθμητικῆς. Joann. Sariſberienſis, *Metalogici l.* 1. *c.* 24. *Mathematica quadrivii ſui rotis vertitur alarumque veſtigiis inſiſtens, colores & venuſtates ſuas multiplici varietate conterit.* Hinc τετρακτὺς τ̃ Μαθημάτων, apud Annam Comnenam, *l.* 1. Et *Epitaphium* Hugonis Medici, apud Naudæum, *de Antiq. Schola Medica Pariſ. p.* 34.

Quadrivium docuit, ac totum ſcire reliquit,
Annô millenô bis centum, ſed minùs unô.

Rationem nominis reddit Papias, *Quia ſe invicem complectantur & contineant, ut non bene unam noverit, qui alias non noverit*: aliam vide in voce *Univerſitas*. Plura hanc in rem reperies apud Auctores laudatos Car. du Freſne in *Gloſſar.* & apud eundem, *Notis ad Alexiadem Annæ præfata*, ut & infrà, in voce *Trivium*.

QUADRUGIÆ, Orderico Vitali, *Hiſt. l.* 13. nunc *Carroages*, oppid. Galliæ, prope rivulum in Olinam influentem, in Normannia. Inter milites vexilliferos Normanniæ, ſub Philippo Auguſto Dominus de *Carroges* numeratur. Dicitur *Caſtrum Carruca* Wilelmo Gemeticenſi Monacho, *l.* 6. *c.* 8. à Roberto I. Normanniæ Domino ſtabilitum: non procul à caſtro Danfronte. Nunc Comitatus eſt. Hujus loci dominus erat ſtrenuus miles, qui violatam uxoris ſuæ pudicitiam, in ſingulari certamine, Griſſii armigeri violatoris cæde vindicavit. Dictæ autem *Quadrugiæ*, à quadro, quòd eſſent quadratæ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

QUADRUPLATOR, apud Jul. Capitolin. *in Pio*, *c.* 7. *Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt.* Quadruplatores *extincti ſunt*: & *in Marco*, *c.* 11. *Cavit ſumtibus publicis & calumniis* quadruplatorum *interceſſit, appoſitâ falſis delatoribus notâ*; vi ſcil. legis Rhemniæ, de qua Plin. *in Panegyr. c.* 35. *Neque ut antè exſanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis & notas ſuas rideant*, idem cum Delatore eſt, vide *ibi*.

QUADRUPLI, hodie Gallis dicuntur nummi, quos *quaternarios* olim Latini vocabant, quorumque formas *quaternarias* appellat Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 39. *Formas binarias, ternarias & quaternarias ——— quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit*, Vide infrà in voce *Quaternaria*. Sic *Quadruplus Ludovicus*, Gall. *Quatruple-Louys* & ſimpliciter *Quatruple*, nummus eſt aureus valoris 20. librar. ſub Ludovico XIII. cuſus A. C. 1641. in cujus una parte, crux viſitur quatuor coronis totidemque liliis inſignita, cum Inſcr. *CHRISTUS VINCIT, REGNAT., IMPERAT*: in altera, effigies Ludovici XIII. cum verbis, LUDOVICUS XIII. D. G. FRANCORUM REX.

QUADRUPLUM, pœna ejus, *qui ovem furatus fuerit, & occiderit vel vendiderit*, Exod. *c.* 22. *v.* 1. cùm reliqua furta ex Dei Lege dupli ſolùm reſtitutione punirentur; exceptô bove, qui quintuplô rependendus erat. Nempe veſtes, pecunia, annuli monilia, & reliquus mundus muliebris, quæ inter pretioſiſſima ſunt in ſcriniis reponuntur: armenta verò & greges in communibus paſcuis oberrare conſueverunt, omnium rapinæ expoſiti, niſi Legum metus abactores coërcuiſſet. Ad quam Legem David reſpiciens, iſta ſtatuit de divite, quem pauperis oviculam Nathan abſtuliſſe dixerat, *Et pro ove ejus reddet* ארבעתים *quadruplum*, 2. Samuel. *c.* 12. *v.* 6. Ubi malè Kimchius intelligit *bis quatuor*, eò quòd vox iſta dualem habeat formam: quem proin ſequens Pagninus habet, *Agnam reſtituet bis quadruplatam*, & Munſterus *in Notis*, *Reddet bis quatuor*, i. e. *octo*. Duale enim hoc ארבעתים, quemadmodum & duale שבעתים, i. e. *ſeptuplum*, quod occurrit Geneſ. *c.* 4. *v.* 15. Pſalmo 12. *v.* 7. Eſaiæ *c.* 30. *v.* 26. non ſignificat duplicari quaternarium; nec alterum ſeptenarium: ſed utrumque rem ipſam, de qua agitur, per quaternarium aut ſeptenarium geminari ac multiplicari denotat. Cui locutioni, in lingua Romana, illa ſimilis eſt, qua de retro egimus in voce *Quadrigemina*. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 40.

QUADURCUM, nobile emporium Quadurcorum in Aquitania, hodie *Cahors*, patria poëtæ Gallici Clementis Maroti. Sunt qui *Cadurcum* ſcribunt, Vide *ibi*.

QUÆDAM Mira & prodigioſa in gratiam ſtudioſorum hîc inſerere libuit, quamvis à ſcopo noſtro aliena, & à debito ordine; quærenda enim potius erant in titulo Mira, vel Prodigioſa: cùm verò tanta ſit locorum copia ab *M.* ac *P.* incipientium, & tanta tenuitas elementi *Q.* utrique videri poſſit auctor conſuluiſſe, catalogum huic loco inſerendo.

Achemenis herba in hoſtes conjecta illos in fugam vertere traditur, teſte Pliniô, qui illam ſolitam à Regibus Perſarum contra omnia corporis incommoda, & inſtabilitatem mentis comedi & bibi ſcribit, *l.* 24. *c.* 17.

Ad aquas Cutilias inſulam viſam, quæ die nocteque locum aſſiduè mutaret, idem teſtatur, *l.* 2. *c.* 95.

Agna locuta fertur, Bocchoro dynaſtâ Ægyptum adminiſtrante. Cœlius, *l.* 27. *Antiq. Lection. c.* 27.

Agrippina Claudii uxor turdum habuiſſe fertur, qui loquendo homines imitaretur.

Alcippe mulier elephantem peperiſſe ſcribitur â Plinio, *l.* 7. *c.* 3.

Amyclæ, urbs in Latio, à ſerpentibus deletæ feruntur, teſte Pliniô, *l.* 8. *c.* 29.

Anates Ponticæ, teſte eôdem, *l.* 25. *c.* 2. venenis nutriuntur.

Anaxagoras Clazomenius nunquam ridere viſus eſt, quod & de Craſſo Craſſi à Parthis cæſi avo refert Plin. *l.* 7. *c.* 19.

Ancillam ſerpentem peperiſſe initiô belli Marſici, teſtatur Plin. *l.* 7. *c.* 3.

Anguillas, in Cabura fonte Meſopotamiæ, & Labra fonte Cariæ apud Gnidum, ita manſuefactas fuiſſe tradunt, ut non ſolùm cibos è manibus hominum caperent, ſed & in aures impoſitas deferrent.

Antipater Sidonius Poëta, quô die natus eſt, ſemper febri correptus fuit, eôdemque die defunctus traditur, teſte Pliniô, *l.* 7. *c.* 51.

Aquilarum pennas aliarum avium pennas permixtas devorare, tradit Plin. *l.* 10. *c.* 3.

Argis Areſcuſam mulierem cùm nupſiſſet, mox in marem converſam, Areſcontem dictum, viſam Mutianus teſtatur apud Plinium, *l.* 7. *c.* 4. qui ſe vidiſſe teſtatur Lucium Coſſicinum civem Thiſdritanum ex fœmina in marem mutatum nuptiarum die; & Caſini, Publiô Liciniô Craſſô & Cajô Caſſiô Longinô Conſulibus, puerum ex puella factum idem ſcribit.

Ariſtomenes Meſſenius, Athenienſibus ob calliditatem inviſus, & diſſectus, cor hirſutum & piloſum habere repertus eſt; teſte Pliniô, *l.* 11. *c.* 37.

Armorum ſtrepitus & tubarum ſonitus ante & poſt Cimbricum bellum inchoatum exauditos, armaque cœleſtia viſa, & armatos ab ortu in occaſum, & è contra concurrere, ab Amerinis & Tudertibus in Tertio Marii conſulatu viſos eſſe teſtatur Plin. *l.* 2. *c.* 57.

Aſpidem in Ægypto ad cujuſdam menſam catulos peperiſſe, idem *Plin.* refert.

Atys Crœſi Regis filius ſemeſtris, cùm quendam gladiô patris jugulum feriturum vidiſſet, locutus fertur, teſte *Herodotô*.

Aviola conſularis in rogo revixiſſe traditur, licèt à flamma, nullô opem ferente, extinctus fuerit, teſte Pliniô, *l.* 7. *c.* 52. ubi & Cælium Tuberonem à rogo relatum ſcribit.

Bajis in Campania, balnea duo vicina ſunt; in quorum unum canes conjecti, ſubitò deſtituti ſenſibus exſpirâſſe videntur; in alterum verò, ſtatim reviviſcunt, ut ipſi propriis oculis inſpeximus.

Baris herbæ tactu draconis catulum occiſum ad vitam revocatum, tradit Xanthus Hiſtoriographus, qui idem teſtatur de Thylone à dracone occiſo; Juba quoque, Pliniô referente *l.* 25. *c.* 2. quendam in Arabia ad vitam herbâ revocatum teſtatur.

Bovem locutum Plin. *l.* 8. *c.* 45. teſtatur. Ubi ait, propterea Senatum ſub dio haberi cœptum fuiſſe.

Budda, Gymnoſophiſtarum princeps, è latere virginem generatam refert apud Cæl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 1.

Caſini puella in puerum mutata traditur, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 4.

Cato & Marcus Craſſus nunquam riſiſſe feruntur.

Cea inſula fontem habet hebetes potantes facientem. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Cecina Volaterranus, quæ in bello fiebant per hirundines amicis nunciabat, quæ ad nidos ſuos redibant. Vide Plin. *l.* 10. *c.* 24.

Ceneus ſexum mutâſſe traditur: de quo Auſonius, *edyll.* 6. *v.* 20.

*Mœret in antiquam * Ceneus revocata figuram.*

* Alii libri Cœnis.

Cervus à Ptolemæo Rege ita educatus traditur, ut etiam Græcè loquentes intelligeret.

Cleon ex Daulia urbe Phocidis nunquam ſomniâſſe fertur, cùm multos annos vixiſſet, ut Plutarch. *in l. de oraculis* ſcribit.

Clitorii in Arcadia lacus eſt, cujus aqua pota vini faſtidium adfert, auctore Pliniô, *l.* 31. *c.* 2. & Andri fontem ſeptimô quoque die inebriare, idem ex Mutiano refert.

Coloſſis flumen eſt, in quo lateres conjecti, lapides extrahuntur, ut ſcribit Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Confidius funere elatus revixiſſe traditur.

Cornelius Rufus Conſul Marii collega dormiens, ut ſomniârat, excæcatus eſt.

Cornix alba proverbium eſt de re rara. Hanc viſam refert Cœl. Rodig. *l.* 17. *Antiq. lection. c.* 11.

Crotonem & Locros peſtem nunquam expertos tradunt; teſtis eſt Plin. *l.* 2. *c.* 96.

Cyzici fontem eſſe, qui potantes amorem deponere facit, teſtis *Mutianus*.

Daphidas ſophiſta Delphos petens Apollinem conſuluit, an equum amiſſum inveniret: reſponſum eſt, inventurum, ſed deturbatum iri. Rediens incidit in Attalum Regem, quem laceſſerat; à quo de ſaxo (cui equi nomen erat) præcipitatus eſt.

Delius rivus Eubœæ ſaxa irrigata in altitudinem creſcere facit, auctore Pliniô, *l.* 32. *c.* 103.

Delphinos hominis amantes eſſe multis exemplis demonſtratur à Plinio, *l.* 9. *c.* 8. In iis, pueri apud Puteolos, qui delphini, quem cibô ſibi familiarem reddiderat, dorſô exceptus, per mare ferebatur, & ad litus incolumis reſtituebatur; donec illô ex morbô

morbô defunctô, delphinus, cùm puerum in loco ſolito non reperiret, & ipſe mœrore confectus, interiit.

Demarchum Parrhaſium, cùm pueri Jovi Lycæo in Arcadia immolati exta voraſſet, in lupum converſum, poſt annos 10. priſtinam recuperâſſe formam Plin. ex Copa refert, *l.* 8. *c.* 22.

Direptina Mithridatis filia geminô dentium ordine fuiſſe traditur.

Echeneis piſciculus navem, quamvis ventorum vi delatas magnas remoratur, teſte Pliniô, *l.* 9. *c.* 25. Is remora ob id à Latinis dicitur.

Egles Samius athleta mutus, cùm quendam malâ fide victoriæ præmium uſurpare videret, indignatione commotus, locutus fertur.

Elephantem ſuper funes ambulâſſe, & litteras Græcas didiciſſe, Plin. ex Mutiano refert, *l.* 8. *c.* 3.

Epimenides Cretenſis ab Agiſarcho patre ad ovium cuſtodiam deſtinatus, 50. annis in ſpelunca dormiiſſe traditur.

Euriphæus Cyrenæus, in ſuperiori maxilla pro dentibus os habuiſſe fertur.

Euripidis ad ſepulchrum in Macedonia duo rivi confluunt, quorum unus mortifer, alter ſalubris eſt. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Euthimenis filius, trienniô ad tres cubitos excreviſſe traditur.

Fanum Veneris Paphi aream habere, in qua nunquam pluit, ſcribit inter alios Plin. *l.* 2. *c.* 96.

Fauſta mulier Oſtienſis 4. unô partu ediſſe traditur, duos mares, & totidem feminas, teſte Plin. *l.* 7. *c.* 3. Sed illud magis mirandum, quòd mulier nobilis in Batavis tot peperiſſe à Belgicis ſcriptoribus traditur, quot in anno ſunt dies.

Formicæ formicas mortuas ſepeliunt, teſte Pliniô, *l.* 11. *c.* 30.

Fortunæ muliebris ſimulachrum bis locutum refert *Titus Livius*.

Fulmina Scythiam, & alias regiones Boreales, Ægyptum, Æthiopiam, & alias regiones Auſtrales non attingunt, teſte Pliniô, *l.* 2. *c.* 50. neque feriunt lauros, neque tecta pellibus vitulorum marinorum, neque aquilam, ut Plin. ſcribit *l.* 2. *c.* 55.

Gorgias Epirota, dum mater ad tumulum in funere deferretur, ex ejus utero prodiiſſe, & vagiiſſe traditur.

Græci Æſopum, Herculem, & Glaucum revixiſſe tradunt, ſeu potiùs fabulantur.

Grillum quendam, inter alios, à Circe in brutum mutatum iidem ſcribunt.

Gyari inſulæ incolas à muribus fugatos ſcribit Plin. *l.* 8. *c.* 29.

Harpaſis in Lycia cautes erat, teſte Pliniô, nullâ aliâ vi hominis quàm unius digiti mobilis. Vide Plin. *l.* 2. *c.* 96.

Hercules triplici dentium ordine fuiſſe traditur.

Hermotini Clazomenii anima egreſſa corpore, longéque pervagata; multa nuntiâſſe, & ad corpus rediiſſe traditur, ſcribit Plin. *l.* 7. *c.* 52.

Hierapoli in Syria, in lacu Veneris piſces fuiſſe, qui vocati adeſſent, & æditui parerent, ſeque ſcalpendos præberent. Plin. *l.* 32. *c.* 2.

Iaſon Pheræus à quodam percuſſus, à vomica liberatus dicitur, à qua medicorum operâ nullâ potuerat liberari, teſte Cicerone, *l.* 2. *de natura Deorum.*

Ilias Homeri in cortice nucis incluſa mirô artificiô, narratur à Plinio ex Cicerone, *l.* 7. *c.* 21.

Inſulæ in lacu Cæcubo & Reatino fluctuant, ut ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 95. ſic in Nymphæo ſaltuares appellatæ, & ſylvæ alibi.

Inſulæ enatæ in mari de novo Delos & Rhodos, poſteà Anaphe, Nea, Thera, Theruſia, & Hiera, teſte Plin. *l.* 2. *c.* 87.

Iphis ſexum mutâſſe traditur. Dubium eſt an ſit ille pictor, de quo Plin. *l.* 35. *c.* 10.

Iris ſive arcus cœleſtis quotidie Locris, & ad lacum Velinum videtur, ut ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 62.

Lacydi philoſopho anſer comes perpetuus fuit, ab ejus latere nunquam diſcedens, uti teſtatur *Diogenes.*

Laodiceæ platanus mutabatur in oleam ad Xerxis Regis adventum, teſte *Pliniô.*

Ligna injecta in flumen Ciconum, lacum Velinum, Surium Colchidis; & Picentinorum Silarum, lapideſcunt, teſte Pliniô, *l.* 2. *c.* 103.

Limiræ fons eſt, qui cum piſcibus locum mutare ſolet: aliquid boni portendit, ſi cibum oblatum piſces accipiunt; mali ſi abigunt. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Lunas tres noctu ſimul viſas eſſe, Cnejô Domitiô & Luciô Anniô Conſulibus, teſtatur Plin. *l.* 2. *c.* 32.

Luſciniæ & ſturni Græcè & Latinè locuti feruntur. Nos ſturnum Hiſpanicè loquentem audivimus.

Lycos in India fontem eſſe, cujus aqua lucernæ ardent: quod & Ecbatanis contingere, ſcribit Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Lymiris in Lycia, piſces fontis Apollini ſacri ter fiſtulâ vocati ad augurium veniebant, ut ferunt. Plin. *l.* 32. *c.* 2.

Marcia Romæ, partu fulmine, quô icta fuit, exanimatô, ipſa tamen ſupervixit, teſte Plin. *l.* 2. *c.* 51.

Marcus Curius & Cnejus Papirius Carbo cum dentibus nati feruntur, teſte *Pliniô*; unde prior Dentatus dictus eſt. Valeria quoque cum dentibus nata eſt, quod fuit illi exitioſum. Vide Plin. *l.* 7. *c.* 16.

Maris quidam, parte anticâ homo, poſtica equus, annos 125. vixiſſe, & ter mortuus, ter revixiſſe traditur.

Memnonis ſtatuam, ad ejus ſepulchrum, oriente Sole ſonum edere ſolitam tradunt Strabo, *l.* 17. & Plin. *l.* 36. *c.* 7.

Montes duos in agro Mutinenſi inter ſe concurriſſe, Luciô Marciô & Sextô Juliô Conſulibus, ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 83.

Mortui quidam revixiſſe à Plinio referuntur, *l.* 7. *c.* 52.

Mula mulum peperit, cùm Xerxes expeditionem in Græciam pararet. Theophraſtus mulas gignere in Cappadocia ſcribit, Pliniô referente, *l.* 8. *c.* 44.

Naves è portu Carthaginis exeuntes è Lilybæo conſpectas eſſe, auctores ſunt Strab. & Plin. *l.* 7. *c.* 21. nec conſpectas ſolùm, ſed etiam numeratas à quodam oculis lynceis.

Nauſimenis Athenienſis uxor, cum liberos in inceſtu deprehendiſſet, præ nimio horrore vocem amiſit, ex *Plutarcho.*

Olachas, fluv. Bithyniæ, Briazum templum alluens, perjuros velut flamma urit, teſte Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Oleas & prata in agro Marrucino ſedes mutâſſe, viâ publicâ intercedente, ſub Nerone, adnotat Plin. *l.* 2. *c.* 83.

Oppidum in Hiſpania à cuniculis, in Theſſalia à talpis, in Gallia à ranis everſum traditur apud Plin. *l.* 8. *c.* 29.

Orchomenus, oppidum Eubœæ, duos habet proximos fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Orionis ſive Oti corpus in monte Cretæ repertum fuit, 46. cubitorum, teſte Pliniô, *l.* 7. *c.* 16.

Ovis in inſula Co leonem peperiſſe fertur, à Nicippo, cujus ovis erat, mox inſulæ principatu uſurpatô.

Partus aliquot prodigioſi à Plin. *l.* 7. *c.* 3. referuntur.

Perpereni, populi Lydiæ, fontem habent, qui rigatam terram lapideam facit, ut ſcribit Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Philetas Cous elegiographus corpore adeò tenui fuit, ut plumbum deferens incederet, ne à vento raperetur.

Philinus quidam totô vitæ tempore, nil, præter lac, guſtâſſe traditur.

Philippus Rex Macedoniæ monitus ut à quadriga caveret, omnes quadrigas ſuſtulit; ſed gladiô Pauſaniæ, in cujus manubrio cælata erat quadriga, interfectus eſt.

Pluiſſe lacte & ſanguine; Marcô Aureliô & Cajô Porciô Conſulibus; carne, Luciô Volumniô & Serviô Sulpitiô Conſulibus; ferrô in Lucania, paulò antequam Marcus Craſſus à Parthis cæderetur cum militibus Lucanis; lanâ, apud Cariſſanum caſtrum; lateribus, cùm Milo interfectus eſt, ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 58. Titus quoque Livius plura hujuſmodi prodigia multis in locis recenſet.

Pyrrhus Rex Epiri pollice pedis dextri lienoſos curâſſe fertur.

Rhodi quotidie Sol aliquâ horâ videtur, teſte *Pliniô.*

Rivus in Judæa omnibus Sabbatis diebus ſiccatur, ut Plin. *l.* 31. *c.* 2. ſcribit.

Sagunti, dum illud expugnaretur, infans in uterum reverſus traditur.

Samoſatis ſtagnum emittit imum, qui aquâ accenditur & terrâ reſtinguitur. Plin. *l.* 2. *c.* 104.

Servilii Julii ſtatua, in templo Fortunæ incenſo ab incendio ſervata traditur.

Sidem ſtagnum Indiæ, in quo omnia mergantur, eſſe tradit Plin. *l.* 31. *c.* 2. * In aliis codicibus Siderim.

Smaſnadorides Sybarita per annos 20. Solem neque orientem neque occidentem vidiſſe jactabat: quod & de Neſtico legitur.

Soles plures ſimul viſos, modò in oriente, modò in occidente, & ſemel in meridie à matutino tempore ad occaſum in Boſporo; trinos verò ſæpius, ut; Spuriô Poſthumiô & Quintô Minutiô, Quintô Martiô & Marcô Portiô, Marcô Antoniô & Publiô Dolabellâ, Marcô Lepidô & Luciô Plancô Conſulibus, tradunt Titus Livius, *l.* 29. *c.* 14. & 41. *c.* 21. & Plinius, qui ſuô tempore etiam id accidiſſe teſtatur ſub Claudio Principe, & alibi. Solem totô eô annô, quô Cæſar interfectus eſt, pallidum viſum fuiſſe ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 30. & 31.

Syracuſis Sol quotidie apparet, ſicuti & Rhodi, teſte *Pliniô.*

Tamarici fluvii Cantabriæ fontes duodecies ſiccari ſingulis diebus perhibentur, ut ſcribit Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Tarquinienſem lacum ferunt duo nemora habuiſſe, nunc formæ triquetræ, nunc rotundæ, nunc quadrilateræ.

Telephus Herculis filius à cerva in ſylva nutritus traditur.

Terra in agro Gabino & Reatino tremit, teſte Pliniô, *l.* 2. *c* 94. 95.

Theon Stoicus dormiens ambulâſſe traditur apud Diogenem Laërtium; quod & ſervo Periclis accidiſſe ferunt, ita ut tecta dormiens conſcenderet. Sed illud magis mirandum, agricolam quendam dormientem noctu boves aratro junxiſſe, atque ſomnô durante arâſſe, quod noſtrâ tempeſtate accidiſſe narratur. Vide Plinium, *l.* 31. *c.* 2. ubi plurima mira narrantur de aquis.

Timarchus, Nicoclis Paphii filius, in utraque maxilla duplicem dentium ordinem habuiſſe fertur, teſte Plin. *l.* 11. *c.* 37.

Zame, urbs Africæ, fontem habet, qui voces canoras facit, ut ſcribit Plin. *l.* 31. *c.* 2.

Zoroaſtres annos 20. in ſolitudine ſolô caſeô vixiſſe, & quô die natus eſt riſiſſe fertur: cui etiam cerebrum ita palpitabat, ut impoſitam manum repelleret. Vide Plin. *l.* 7. *c.* 16. & *l.* 11. *c.* 42.

QUÆRENTES, Independentium Genus, nonnullis iidem cum *Expectantibus*, ſed malè. Illi enim credunt Eccleſiam alicubi eſſe, ſed latere, ideoque inquirendam docent, unde illis *Inquiſitorum*, ſeu *Quærentium* nomen; hi verò ejus præſentem exiſtentiam planè negantes, in futurum exſpectant miraculoſam cœtus Chriſtiani per Apoſtolos reſtitutionem. Utrique Scepticorum propago, *Eccleſiarum nullam viſibilem eſſe*, pertinaciter aſſeverant. Quis verò primus infamis hujus ſectæ, & quæ parem ab orbe condito non habuit, auctor fuerit, non adeò liquet. Orta

videtur Hornio in Nova Anglia, &, mulierem illam fanaticam celebrem, Hutchinſoniam ſi non matrem, ſaltem nutricem habuiſſe, ac alumnam. Inde in Veterem Angliam tranſiit, & quidam Rogerus Guilhelmus, ex nova Anglia proſcriptus, eam Londini propagavit. Præcipuum caput erroris eſt. *Nullam eſſe Eccleſiam, nullum eſſe Miniſterium, nulla Sacramenta vel Diſciplinam, propterea quia nullus ſit Apoſtolus.* Itaque hi tamdiu *quæſiverunt* Eccleſiam, donec eam planè amitterent. Expectant autem Apoſtolum Johannem, quem adhuc vivere credunt, & brevì compariturum, ut Eccleſias reſtituat. Alii dicunt, eum jam in Suffolcia conſpectum: juxta alios verò in Tranſſylvania adhuc hæret; ideoque eò deſtinârunt literas, quibus illum hortantur & obteſtantur, ut in Angliam properet. Unde moris eſſe apud eos, quando peregrinum aliquem vident, inquirendi, *num is ſit Apoſtolus Johannes?* Georg. Hornius, *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſtam. Periodo III. Artic.* 3. §. 44.

QUÆSITOR, nomen officii apud Romanos, jam ab antiquiſſimis temporibus, de quo vide in voce *Quæſtor*, it. ſuprà *Parricidii Quæſtores.*

QUÆSTIO, in *Rubr. de Quæſtionibus*, tormentum eſt, quod reo ad ſcelerum & ſociorum veritatem eruendam adhibetur, vide infrà *Tormentum.* Nempe ut occulta crimina in apricum proferantur, non ut confeſſa negentur, *Quæſtiones* adhibet Judex, Ulpianus *D. de Quæſt. l.* 1. At Pagani, contra Judiciorum rationem, tenoremque Legum, admotis tormentis ad inficiationem olim, Chriſtianos, adigere ſunt conati. Tertullian. *ad Scapulam, Quid amplius tibi mandetur, quàm confeſſos nocentes damnare negantes ad tormenta revocare. Videtis ergo, quomodo ipſi contra mandata faciatis, ut confeſſa negare cogatis.* Et *Apolog. c.* 2. *Cœteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum.* Item, *c.* 7. *Carnifici longè aliud munus in Chriſtianos imperatis, non ut dicant, quæ faciunt, ſed ut negent, quod ſunt.* Cyprian. *ad Demetrian. Torquentur rei, qui ſe negant crimine----teneri ut facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc verò cùm ſponte confitear ac clamem--Chriſtianum me eſſe quid tormenta admoves confitenti. Torqueri debui, ſi negarem.* Vide quoque Arnob. *l.* 7. Hinc merito *Quæſtionem* hujuſmodi *perverſam* Octavius vocat apud Minucium Fel. *Hos nec audiendos in totum putabamus, nonnunquam etiam---crudelius ſæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes* perverſam quæſtionem, *non quæ verum erueret, ſed quæ mendacium cogeret.* Neque verò ipſi ſolùm Chriſtiani ob confeſſionem, ſed & ſervi illorum, pueri, ac è trivio quoque mulierculæ tortæ, ut faterentur, ſe Chriſtianas fuiſſe, quæque vulgò de Chriſtianis ferebantur, vera eſſe, uti diſcimus ex Juſtino Mart. *Apolog.* 1. *pro Chriſtian.* Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 1. &c.

QUÆSTIONES Conviviales, vide ſuprà in hac voce.

QUÆSTOR, ſic dicitur, quaſi *quæſitor.* Ulpianus, *l. ſingulari, de efficio Quæſtoris:* A genere *quærendi* Quæſtores initiò dictos, & Junius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt. Eandem quoque originationem ponit Beda, *de Orthographia.* Sed ut genus quærendi non unum, ita nec unum genus Quæſtorum. Primi & antiquiſſimi in Urbe *quæſtores rerum capitalium*, qui & citra συγκοπὴν *quæſitores* ſæpe dicuntur. Sic vocat Cicero *in Divinat.* ad quam ſic Aſconius: *Quæſitor eſt prætor, de pecuniis repetendis quæſtionem exercens, nam propriè quæſitores dicuntur criminalium quæſtionum, ut Virgilius: Quæſitor Minos urnam movet.* Dicitur & *quæſtor* parricidii. Feſtus: *Parricidii quæſtores* (Sic emendat Scaliger, pro quo in vulgatis *parici*) *appellantur, qui ſolebant creari causâ rerum capitalium quærendarum. Nam parricida non utique is qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcunque hominem. Id autem fuiſſe indicat lex Numæ Pompilii regis his compoſita verbis:* SI QVIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICIDA ESTO. Idem: *Quæſtores dicebantur, quòd quærerent de rebus capitalibus, unde qui talia quærunt, quæſtores paricidi appellantur.* Hodie ſimiliter in re Eccleſiaſtica dicuntur, *Inquiſitores hæreticæ pravitatis.* Proximi antiquitate ſunt *Quæſtores urbani*, qui & *ærarii*, quia præerant ærario, quod in æde Saturni erat. Hi demum creati liberâ Rep. an. Urb. Cond. 269. ut ex Dionyſio & Livio diſcimus. Nam quod Tacitus & Pomponius, eos ſcribunt ſub Regibus fuiſſe, id tantùm verum videtur de *quæſtoribus parricidii.* Munus *urbanorum quæſtorum* fuit, pecuniam publicam accipere, expendere, prædam ex hoſtibus captis vendere, ſigna militaria (erant ea vel ex auro, vel argento, velis enim non utebantur) in ærario adſervare, & Conſulibus in bellum ituris mittere, legatos qui Romam venerant, excipere, deducere, iis hoſpitium curare, ægrotantium curam gerere, mortuiſque è publico munus facere. Etiam decretô Auguſti Senatuſconſulta aſſervanda iis tradita, quæ antè penes Ædiles ac Tribunos. Tertius *quæſtor*, erat *provincialis*, qui unà cùm proconſule, vel proprætore in provinciam exibat. Munus ejus verſabatur, partim circa pecuniam attributam, partim circa vectigalem. Ejuſdem erat à publicanis ex re frumentaria, portoriis, aliiſque exigere vectigalia, Romamque in ærarium referre. Ex hiſce 3. *quæſtorum* generibus primum dictum, à *quærendis criminibus*, ſecundum, tertiumque à *quærendis pecuniis.* Erat & quartum genus *quæſtorum*, qui *principis*, ſive *Auguſti quæſtores* dicti, alioque nomine *Candidati principis* vocabantur. Hi principis epiſtolas & orationes in Senatu legebant. Vide Voſſium in *Quæſtor. Nic. Lloyd.*

QUÆSTOR Exercitus, in *Nov.* à Procopio definitur χορηγὸς τῦ τῦ ςρατοπέδε δαπάνης; rectiſſimè. Nam *Novell.* 41. ςρατιωτικὰς δαπάνας, & Juliani *Nov.* 50. annonas militum tam Comitatenſium qui per caſtra ſunt, quàm Limitaneorum, eum diſtribuiſſe legimus. Sed habuit juriſdictionem & auditorium & apparitionem, inſtar Præfecti Prætorio & Vicarium in urbe. Nam ſub eo erant provinciæ V. *Scythia* ſcil. *Myſia, Caria, Cyprus & Cyclades inſul.* quarum caput Rhodus; unde *Rhodi* appellatione *de Nov.* 41. Cyclades ſignificantur. Harum autem provinciarum unaquæque ſuum Præſidem habuit, à quo appellabatur, non ad Præfectum Prætorio, ſed ad *Quæſtorem Exercitus*, ex *Nov.* 50. cui *Novella* 41. ita derogat, ut ex Myſia quidem & Scythia appellationes apud eum inducantur, quòd is ſedem ſuam in iis provinciis habeat: ex cœteris autem provinciis, ut appellationes in Urbem inducantur apud eundem, ſi fortè in Urbe fuerit, vel apud Vicarium ejus, adhibitô Quæſtore Sacri Palatii. Idem à Judice, quem ipſe dederit in eis provinciis, putà Caria, Cypro & Rhodo, ut appelletur ad Vicarium ejus, peragi poſſe, ſi fortè eum exercitûs cauſa & neceſſitas à munere judicandi avocaverit &c. Joh. Calvin. *Lex. Jurid.*

QUÆSTOR Sacri Palatii, ſub Imperatorib. Conſtantinopolitanis is erat, qui petitionibus ſubſcribebat, vel etiam reſponſa reddebat, & ut verbô dicam, qui leges dictabat, preceſque ac reſponſa ſubnotabat, ut conſtat ex *Notitia Imper. Roman.* Sub eorum diſpoſitione etiam laterculum minus erat, ut patet ex *l.* 32. *Cod. de appell. l.* 1. *Cod. de Offic. Quæſtor. Novell. Valentiniani* III. *l. ult. C. de petit. bonor. l.* 64. & *ſeq. Cod. de Decur.* &c. Symmachus *ad Auſonium, Quæſtores, memini: conſilii regalis particeps, ſcio, precum conditor, recognoſco.* Et alibi, *Te magis Quæſturæ honos & condendarum ſanctionum uſus exercuit*, Procopius *de Bello Perſic. l.* 1. Εἰ μὴ Πρόκλος ἐκώλυσεν, ὃς βασιλεῖ τότε παρήδρευε, τὴν τῦ καλυμένυ Κυαίςωρος ἀρχὴν ἔχων, ἀνὴρ δίκαιος, διὸ δὴ ὄυτε νόμον τινὰ ἐυπετῶς ἔγραφεν. *Niſi Proclus obſtitiſſet, qui Imperatoris tùm aſſeſſor erat, Quæſtoriâ dignitate inſignis, vir juſtus, qui proin nullam unquam legem præcipitanter ſcripſit.* Et *alio locô* Τριβωνιανὸς, Βασιλεῖ πάρεδρος Κυαίςωρα τῦτον καλῦσι Ῥωμαῖοι, *Trebonianus Imperatoris aſſeſſor, Quæſtorem illum appellant Romani.* Quibus de cauſis *Quæſtor Juſtitiæ* & *Legum Cuſtos* appellatur & *Theſaurus Famæ publicæ* & *Armarium Legum in Novell. Valentiniani de homicid. caſu fact.* & Caſſiodoro ſemel atque iterum. Denique is planè videtur fuiſſe *Quæſtor*, quem in aula *Cancellarium* hodie appellitant, ut & Latini medii ævi. Nicetas *l.* 7. Τὸν οἰκεῖον ὡς ἡ Λατίνων βύλεται φωνὴ Καγκελλάριον, ὡς δὲ Ἕλληνες ... Λογοθέτην, *Domeſticum, quem Latinorum vox Cancellarium vocat, Græcorum Logothetam:* Quomodo etiam legitur *in Notitia Officiorum Conſtantinopolitanorum.* His porrò verbis Quæſtor Reſcriptis & Conſtitutionibus ſubſcribebat, QUÆSTOR LEGI, additâ die, ut *in Conſtitut. Juſtin. & Tiberii de adſcriptitiis.* Præcedebat ſubſcriptio Principis additâ etiam die; quod iis verbis ſignificatur *in Novella Valentiniani de Homicid. caſ. fact. Et manu divina: divinitas te ſervet per multos annos* &c. Dicti autem ſunt Quæſtores, *Viri illuſtres & Excellentiſſimi*, Briſſonius apud Calvinum *d. l.* plura apud Th. Marcil. ad *Titum Suetonii, c.* 6. ubi Cancellarii hodierni dignitatem, illuſtriorem longè eſſe, inter alia docet.

QUÆSTORES, item *Quæſtionarii*, Gallis *Quæſteurs*, dicuntur in Eccleſia Romana qui inter divinorum officiorum ſolennia, in Templis, pro ſe vel pro aliis, eleemoſynas depoſcunt, in Synodo Bajocenſi A. C. 1300. *can.* 41. À voce medii ævi *Quæſta* ſeu *Quæſtus*, h. e. *tributum*, quod exigitur, quæritur, petitur. Car. du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque infrà in voce *Rega.* Aliàs Quæſtionarii, apud Scriptores ejuſdem ævi, carnifices dicuntur, qui reos cruciant & quæſtionibus, ut veritas extorqueatur, ſubjiciunt. In *Gloſſis Græco-Latin.* Βασάνων ὑπηρέτης, item Ἐξεταςαὶ; in *Actis* S. Baſilii Presbyt. Martyr. *num.* 7. Κυαιςιονάριοι &c.

QUÆSTUS, communiter *Queſtus*, ſed prius melius, à quæro, terra dicitur priſcis, non quæ à parentibus accipitur hæreditariâ ſucceſſione, ſed quam ſuâ quiſque comparat labore & induſtriâ. Angl. *purchace lands*, & hujus regni Forenſibus *terra perquiſita:* Hinc quod plurium labore comparatur, *Conqueſtus* & *Conqueſtum* dicitur. Ad victoriam dein expugnationemque tranſlata vox, & *Conqueſtor* pro victore dici cœpit: fortè ex eo, quòd Guilielmus I. Dux Normanniæ, qui *Conqueſtor* nuncupatus eſt, non jure hæreditariô ſucceſſiſſet in regnum Angliæ, ſed è legato Eduardi confeſſoris, i. e. juxta vetus Gallicum idioma, *per Quæſtum & Conqueſtum:* poſteà in perquirendo jure ſuo, ſuprà malæ fidei poſſeſſorem Haraldum Regem inſignem de eodem & Saxonibus victoriam reportâſſet, & jam inde non *Conqueſtor* ſolùm, ſed & Victor Subactorque ſalutaretur: tum enim intelligi paulatim cœpit vox *Conqueſtor* pro notiori ejus attributo, Victore ſcil. & Subactore. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

QUALES-QUALES & compediti, infimæ olim & miſerrimæ conditionis inter ſervos erant, qui nervô & compedibus vincti, villarum ac poſſeſſionum ergaſtulis continebantur. Supra quos adhuc erant Mediaſtini, ſicut ſupra hos ordinarii ſervi. Quas ſervorum tres differentias docet Ulpianus, *leg.* 15. §. 44. *ff. de injur. Etenim multum intereſt, qualis ſervus ſit. bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator; an verò vulgaris, vel mediaſtinus, an qualis qualis.* Vide quoque *in Paradoxis* Ciceronem, Ariſtotelem, *Politic. l.* 1. alios, apud Titum Popmam, *de operis Servorum:* & ſuprà voce *Ergaſtulum.* Jeſuitas, cùm primùm à Parlamento Pariſienſi publicè docendi licentiam peterent, interrogatos, Clerici ne eſſent an Seculares, *Tales quales* ſcil. eſſe, reſponſi locô dediſſe, narrat E. Paſq. *des Recherches de la France c.* 37. & 38.

QUALIFICATORES, Theologi dicuntur in Eccleſia Romana, ubi Inquiſitio viget, qui, cùm in cognitione cauſarum hæreſeos in Fidei tribunali, ut vocant, quæſtio incidit, de qualitate propoſitionum, quæ ab hæreticis vel ſuſpectis reis prolatæ ſunt, judicium ferunt. Videl. *An ſit hæretica, an ſapiat hæreſin, an erronea, an malè ſonans & pias aures offendens, an temeraria, an ſcandaloſa, an Schiſmatica ſit, an ſeditioſa iterum, vel blaſphema, vel favens hæreticis, vel injurioſa?* Iidem de interpretatione

tione reorum, qui ad hæc quæſita ita reſpondere conantur, ut crimen excludant, judicare ſolent, *An ſint juſtæ ac veriſimiles, an abſurdæ & verò diſſimiles?* Hi itaque ab Inquiſitore, cùm deliberatio inſtituitur de alicujus delati captura, advocantur ſuffragiumque quòd tulerint ſcriptum & propriâ manu ſubſcriptum exhibeant, ut proceſſui inſeratur, tanquam fundamentum Juriſdictionis Inquiſitoriæ. Non tamen eorum conſilium neceſſariò ſequi tenentur Inquiſitores, cùm vota illorum deciſiva non ſint, ſed conſultiva ſolùm: itaque Inquiſitoribus liberum eſt, poſtquam eorum ſententias audiverunt, ſtatuere quod ipſis viſum fuerit, quanquàm contrarium ſit aut diverſum ab eo, quòd *Qualificatores* ſenſerint. Vide Phil. à Limborch, *Hiſtor. Inquiſ. l.* 2. *c.* 4. & *l.* 4. *c.* 10.

QUALUS ſeu UM, nomen fuit multi uſus. Nam & *Quala ſatoriæ*, & *Qualum panis* & *Qualos vindemiatorios; exceptorioſque* legimus, *vimineos* prætereà & *ſalignos*. Sunt qui Olitori, qui Agricolæ, qui Lanificis tribuant. Itali illum Fabrorum, *concham* appellant, reliquos *panieri*, totum à parte, *corbette*, *ciſtelle*. Fuêre autem, qui *Qualum* & calcem portabant, inter Fabrorum operas, & meminit eorum Ulpianus, *l.* 15. §. *de uſufr.* Vide Pignorium, *Comm. de Servis.*

QUANCHEUM, ubrs perampla Sinarum, Quantuniæ provinc. caput, ex præcipuis totius Imperii. Aliàs *Janching*, & perſæpè vocatur Cantonia & Quantunia, *Canton*, ab exteris. Sub ea ſunt 14. Urbes minores. Eſtque emporium celeberrimum, valde ab Europæis frequentatum, juxta fluv. *Tà*, qui paulò infra in Oceanum ſe exonerat; ideoque gaudet portu capaci & tutô, cum duobus caſtris probè munitis. Undique collibus vallatur, Circuitus eſt 4. milliar. Germanic. Die 20. Novemb. 1650. à Tartaris dolô capta, poſt obſidionem annuam, & fœdè vaſtata eſt, cum maxima incolarum ſtrage. Nunc tamen indies inſtauratur.

QUANGNANUM, urbs provinc. Junnanæ in Sina, ſed multis annis ſub Rege Tunchini. *Martin.* Intra colles, ad radices montium, in limite Queicheæ provinc.

QUANGSIA, urbs ex præcipuis Junnanæ, ſub qua 3. aliæ. Jam pridem ſub Rege Tunchini, cum tractu vicino.

QUANGTUM, urbs Sinarum, provinc. Nanquinenſis, ampla ſatiſque culta, ad radices montium, 80. mill. paſſ. à Nanquino in meridiem.

QUANGPINGA, Urbs Sinarum, ex præcipuis, & ſexta Pechinenſis provinc. in parte ejus meridiali verſus Nanquinenſem provinc. ſub qua 8. Urbes minores.

QUANSIA, provinc. Sinarum, in parte Meridionali inter Quantoniam ad Ortum, Junamum ad Occaſum, Queicheam ad Boream & regnum Cocinſinæ ad Meridiem, fuitque ultima à Tartaris ſubjugata. Rigua eſt admodùm, ejus urbs primaria Queilinum eſt. Decem aliæ ejus urbes præcipuæ ſunt Lieucheum, Kingiva, Pinglum, Gucheum, Cincheum, Nanninga, Taipinga, Suminga, Chinganum & Tiencheum: ſub quibus 78. Urbes. Sed quinque poſtremæ parent jam pridem Regi Tunchini.

QUANSINGA, ſeu QUANGSING, Urbs Sinæ tertia Quianſiæ provinciæ. Inter montes altiſſimos, in ipſo limite Chequianenſis provinciæ ad fontes fluv. *Xangiao*. Hîc optima charta conficitur, & ſub ipſa ſunt 7. urbes minores. Hæc omnia ex *M. Martinio*.

QUANTIA, aliis QUENTUS fluv. auguſtus Galliæ Belgicæ *la Canche* Oritur in Arteſia, ubi Lineium & Hedenum rigat; dein auctus Ternâ, per Picardiam fluens, Balbum Ramum attingit, Monaſteriolum, Stapulas, & paulo infra Cellam Jodici in mare Britannicum ſe exonerat. Hinc natum nomen loci portu & commerciô olim celeberrimi *Quentavicbi* à Normannis vaſtati. *Valeſius*.

QUANTOA, pars ampla Niphoniæ Inſul. inter Ochiam ad Ortum, & Jetſegenam ad Occaſum. In ea 9. regna ſeu principatus, in Japonia.

QUANTUNIA, ſeu QUANGTUNG, provinc. ampla, duodecima Sinarum & præcipua inter meridionales. Cui à Septentrione Chianſia & Huquania, ab Ortu Fochienſis, ab Occaſu Quanſia provinciæ & regnum Tunchinum; à Meridie irrigatur mari Eoô ſeu Sinenſi. Ejus Urbes præcipuæ ſunt decem, Nempe *Quancheu* caput provinc. *Xaocheu*, *Nauhuing*, *Hœicheu*, *Chaocheu*, *Chaoking*, *Caocheu*, *Liencheu*, *Luicheu* & *Kiuncheu*: quibus iungi poteſt *Amacao ſeu Makou*; & ex his pendent 73. urbes minores. Provincia eſt fertiliſſima & mirè rigua, aliáſque, dicta fuit regnum Nanivæ. *Martinius.*

QUARACIES, corvus Braſilianus, intenſiſſimè rubens, quales Joſepho Anchietæ, Braſiliæ Provinciali, iter per mare agenti, umbram feciſſe ferunt. Georg. de Sepibus, *in Deſcr. Muſæi Kircher. p.* 33.

QUARENTENA, apud Alexandrum III. *Ep.* 114. *inter Francicas, Hiſtor. Franc. tom. IV.* Quadrageſima eſt, in aliquot Galliæ provinciis, *la Quarantaine*; unde efficta vox *Carena*, quam vide ſuprà. Eugeſippo *de Terra* S. apud Allatium, *Symmict. l.* 1. aliiſque, etiam Deſertum ſic dicitur, in quo CHRISTUS 40. dies totidemque noctes jejunando tranſegit, Matth. *c.* 4. *v.* 1. & 2. Cujus Deſerti quoque meminêre Adrichomius *in Benjamin*, *num.* 9. & Quareſimus, *Elucidat. Terræ Sanctæ*, *l.* 6. Porrò, pœnæ ac multæ Monachicæ ſpecies ſic vocatur, atque ita deſcribitur *in Statutis* Ordinis Hoſpitalariorum Hieroſolym. *tit.* 18. §. 57. *Si verò poſitus fuerit in* quarentena, *quadraginta diebus continuis jejunabit & quartâ ac ſextâ feriis dictorum* 40. *dierum pane & aquâ tantùm veſcetur, comedens in terra. Quartâ verò qualibet & ſextâ feriis diſciplinam ſuſcipiet modô ſequenti* &c. Cùm autem ad 7. dierum ſpatium reſtringeretur mulcta, *Septena* dicta eſt. Vide ſuprà in voce *Quadrageſima*. Sed & hôc nomine veniebat ſpatium 40. dierum, intra quod eorum, qui bella indicendi jus habebant, vel revera ex qualibet cauſa indicebant; agnati ſive cognati imperi non poterant, ex Lege Ludovici IX. an Philippi fil. de qua vide Car. du Freſne *in Gloſſ.* & *Diſſert.* 29. *ad Joinvillam*, *p.* 334. Item ſpatium 40. dierum, quod ex Lege conceditur uxori, à morte mariti, intra quod dos ei debet aſſignari vel reſtitui, & donec illa fuerit reſtituta, ali debet de bonis defuncti & in illius domô manere, Vide *Statuta* Roberti III. Scotorum Regis, *c.* 20. §. 1. & ſuprà *Catallum*. Apud Gallos *le Careſme des Femmes* vocari, auctor eſt *Skenæus*. Tandem & modum agri 40. perticis conſtantem, apud Anglos dici *Quarentenam*, diſcimus ex *Monaſtico Anglic. Tom. I. p.* 313. laudato eidem du Freſne, qui plura hanc in rem.

QUARI, Galliæ Narbonenſis populi inter Salios & Vocontios. Strab. *l.* 4.

QUARIATES, Galliæ Narbonenſis populi; Plin. *l.* 3. *c.* 4. aliò nomine *Cavaræ*, quorum metropolis eſt Avenio. *Ferrario* in Provinciæ mediterraneis, inter Suetros & Adunicates, juxta Alpes maritim. fuiſſe dicuntur, quorum nullum oppid. ſupereſſe ait.

QUARIS, *Ptol.* urbs Bactrianæ provinciæ Aſiniæ, apud Oxum fluvium, cujus hodie, ſicut & multarum ejuſdem regionis, nomen ignoratur.

QUARIUS, *Straboni* fluvius Bœotiæ, apud Coroneam urbem fluens, qui & Coralius ab Alcæo nominatur: præterit & Arnem oppidum. Eſt & alius hujus nominis fluvius in Theſſalia, teſte *Strabone*.

QUARQUENI, Italiæ Tranſpadanæ populi, teſte Pliniô, *l.* 3. *c.* 19. Sed eorum nunc ſitus ignoratur.

QUARTA, vox apud Jureconſultos frequens, cujus ſeptuplicem notionem enarrat Vultejus, *Inſtitut. lib.* 2. *tit.* 23. *num.* 7. Meminit enim I. *Quartæ*, quæ debetur arrogato, ex bonis arrogatoris, ex Reſcripto D. Pii, *in §. cùm autem de adopt.* II. *Quartæ* legitimæ. III. *Quartæ* Falcidæ. IV. Trebellianicæ. V. quæ conjugi inopi eſt relinquenda. VI. quæ Curiæ municipali debetur, ex bonis Decurionis, extraneum hæredem habentis. Et VII. *Quarta*, quam nati petunt, interim dum mater uterum gerit. De quibus omnibus vide Joann. Calvin. *Lexic. Jurid.* Præter has quoque *Quarta* filiæ Majeſtatis damnati ab Imperatorib. Arcadio & Honorio inſtituta eſt. Cùm enim olim ad liberos damnati Majeſtatis bona pertinerent, *l. eorum. ff. ad. Jul. Majeſtatis*; ſic conſtituêre, ut filiis nihil omnino relinqueretur: filiabus autem, quôcunque demum numerô eſſent, *quarta* tantùm ex bonis matris, ſive teſtatò, ſive inteſtatò deceſſiſſet, attribueretur; ut haberent mediocrem potiùs filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum ac nomen hæredis, *l. quiſquis* 5. *C. eodem.* Hotomannus & Pratejus apud Eund. At *Quarta*, apud Gregorium M. *l.* 3. *Ep.* 11. redituum Eccleſiæ, pars quarta eſt, Epiſcopo, aut Clericis aut Pauperibus, aut fabricæ debita. Vide Car. du Freſne *in Gloſſario*, & laudatam ei *Chartam* Ratoldi Epiſcopi Veronenſ. apud Ughellum, ut & infrà *Teſtamentum*.

QUARTA, ſive Quartenſis, Legio, *Lib. Not.* gemina: una in Germania ſuperiori, altera in Germania inferiori. Prior 22. inter legiones, altera 23. utraque ſub Auguſto. Locus præciſus ignoratur, quòd ſub aliis Imperatoribus mutarent nomen & ſtationes.

QUARTA Feria, non minùs olim, quàm ſexta jejuniô à Chriſtianorum non paucis tranſacta, Vide infrà *Tetraditæ*.

QUARTA Luna, vide infrà itidem, ubi de *Tetraditis*.

QUARTADECIMANI, Vide infrà *Quartodecimani*, & *Teſſareſcadecatitæ*.

QUARTANORUM Legio, memoratur Jul. Capitolino *in Clodio Albino*, *c.* 6. *Egit & legionem* Quartanorum *& Primanorum*.

QUARTARII Aurei, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 39. *Tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidiſſet, tremiſſes*, (formati ſunt) *dicente Alexandrô*, *etiam* quartarios *futuros, quòd minus non poſſet*: dicti ſunt, quòd *quartam* aurei ſolidi partem appenderent. Græci τεταρτηροὺς dixêre. Memorat enim *Zonaras*, Nicephorum Phocam cupiditate & avaritiâ impulſum cùm prius aureus nummus ſextam unciæ auri partem penderet τεταρτηρὸν formari juſſiſſe, pondere longè leviore: & exactiones quidem graviore illô & juſti ponderis ſolidô celebrari, impenſas verò & largitiones illô *quartariô* tunc primùm à ſe inventô & editô. Quod & *Cedrenus* tradit, Ἠλάττωσε δὲ καὶ τὸ νόμισμα, τὸ λεγόμενον τεταρτηρὸν ἐπινοήσας. Ubi τεταρτηρὸς ad verbum *quadratarius* eſt: nam τετάρτης Græcis eſt *quarta pars* ſeu *quadrans*; τετάρτας ſiquidem dixerunt, quos *quadrantes* Latini &c. Verùm in tantum fuiſſe ſolidi pondus mutilatum ſub Nicephoro, ut ad quartam ejus duntaxat ponderis partem, quod olim habuiſſet, contraheretur, vix veroſimile. Forſan τεταρτηρὸν ille vocavit, quòd ei *quarta* pars legitimi ponderis abeſſet. Salmaſ. *Not. ad Lamprid. d. l.* Vide quoque infrà *Tetarteron*.

QUARTARIUS, menſura liquidorum, apud Gregorium Turon. *Miracul. l.* 1. *c.* 5. Heminam 2. *quartarios* & acetabula duo continuiſſe, docet Georg. de Sepibus, *in Collegii Roman.* Societatis *Jeſu Muſæo*, *Amſtelodami edito*, 1678. *p.* 22.

QUARTENSIS Pagus, *Lib. Not. Weert*, pagus Belgii, in Brabantia, in Comitatu Hornenſi, à Ruremunda urbe Geldrica 3. leucis in occaſum, Tornohutum verſus 9. Qui locus Quartum quoque nominatur. Sunt & alia hujus nominis loca: in quibus oppidum Hiſpaniæ Tarraconenſis apud Valentiam urbem, ab ea 4. mill. paſſ. Toletum verſus diſtans, vulgò etiam *Quart*. Quartum quoque caſtrum, ſive pagus in Liguria, *Quarta*, apud Aſtam urbem, in-

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

de ad 4. mill. paſſ. Alexandriam versùs recedens. De quo ſuprà in *Quadrata*.

QUARTERIZATIO, apud Thom. Walſinghamum *in Ricardo II. Auditum & confeſſum turpiſſima ſcelera, tractioni, ſuſpendio, decollationi, exterationi* & quarterizationi, *ut uſu vulgari loquar, adjudicavit*: pœna reorum eſt læſæ Majeſtatis apud Anglos, quibus capite minutis eorum corpus in quatuor partes ſecatur, eæque variis in locis publicè exponuntur. Idem A. C. 1306. *Cujus caput Londoniis in loco eminenti figitur ſuper palum, corpus verò in Scotiam transmiſſum eſt, in quartas, quæ ad aliorum terrorem in diverſis partibus ſuſpenduntur*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Paulo aliud eſt *Quadrigarum Supplicium*, de quo dictum.

QUARTINUS, cum C. Caſſio Juriſconſulto Conſul, ſed ſuffectus. Vide Joſiam Mercerum, *ad Tacit. l. 6. Annal. c. 15.*

QUARTINUS, apud Herodian. *l. 7. c. 1.* in Maximini hiſtoria Περιτυχόντες τῶν ἀπὸ ὑπατείας καὶ φίλων Ἀλεξάνδρου τινὶ (Κουαρτῖνος δὲ ἦν ὄνομα, ὃν Μαξιμῖνος ἐκπέμψας ἦν τοῦ στρατοῦ) ἁρπάσαντες ἄκοντα καὶ οὐδὲν προειδότα, στρατηγὸν ἑαυτῶν καθίστησαν, *Cùm incidiſſent in quendam virum Conſularem ex Alexandri amicis* (Quartinus *vocabatur, quem Maximinus ex exercitu miſerat*) *raptum eum invitum ac nihil tale prævidentem, Ducem ſuum conſtituerunt.* Jul. Capitolino *Titus* dicitur *in Maximinis*, *c. 11.* unde colligit Salmaſ. ei *Tito Quartino* nomen fuiſſe. Fuit autem is Tribunus Maurorum, quem, à Maximino privatum jam dimiſſum, *milites ſui & purpurâ circumdederunt regiôque apparatu ornârunt* —— *invitum quidem*, Capitolin. *d. l.* Verùm intra paucos dies, poſt vindicatam defectionem, quam Conſularis Vir Magnus Maximino paraverat, à ſuis militibus interemptus eſt, dormiens domi ſuæ, Treb. Pollio in *Vita* ejus: *c. 32. ab uno ex amicis, qui eum ſibi præpoſitum dolebat*, habet Capitolinus. Uxor ejus Calphurnia fuit, de genere *Cenſorinorum*, meliùs *Cæſoninorum*, i. e. Piſonum, ſancta & venerabilis fœmina, quam univiriam ſacerdotem inter ſacratiſſimas Romani adorârunt. Idem Pollio. Alius *Quartini* meminit *vetus Inſcr.* M. VIPSANIO QUARTINO SUCCONDITORI.

QUARTO Oſtio miſſus, in Circenſibus, raro vicit, vide ſuprà *Occupare*, it. *Oſtia*.

QUARTODECIMANI ſeu PASCHAITÆ, dicti ſeculô 2. ex Chriſtianis illi, qui Judæorum conſuetudinem ſecuti, decimâ quartâ Lunâ Paſcha celebrârunt: quod cùm prius ſaltem charitatem læderet, in hæreſin poſteà verſum eſt, à Blaſto, Valentini diſcipulo & Montaniſtis, qui ex fictitia revelatione ſui Paracleti, dictitabant, non poſſe ſalvâ conſcientiâ aliô die Paſcha celebrari, quàm 14. Et quidem Eccleſia, præſertim Orientalis, exemplô Johannis Apoſtoli, primùm eôdem more uſa fuit. In Occidentali verò Pius Epiſcopus Roman. ne quidquam ſibi cum Judæis, gente tunc ob crebras rebelliones Romanis exoſa, commune eſſe videretur, ſancivit A. C. 157. ut Paſcha, non die 14. menſis, i. e. in proximo plenilunio poſt Æquinoctium vernum, ſed die Dominicâ celebretur; cui inſtituto Succeſſores ejus adeò tenaciter inhæſerunt, ut Victor A. C. 196. omnes quartam decimam Lunam obſervantes, excommunicaret, acriter ob id objurgatus ab Irenæo Lugdunenſi, Polycrate Epheſino, aliiſque Epiſcopis, Euſeb. *Hiſt. Eccl. l. 5. c. 23. & ſeqq.* Hoc diſſidium tandem ſuſtulit Concilium Nicenum, A. C. 325. per ſequentes Canones. 1. Vigeſimus primus Martii, habeatur pro die Æquinoctii. 2. Plenilunium in 21. Martii incidens, vel proximè ſequens, habeatur pro Plenilunio Paſchali. 3. Dies Dominica hoc ſequens, ſit dies Paſchalis. 4. Sed ſi Plenilunium in ipſam Dominicam, vel Sabbatum antecedens incidat, transferatur Paſcha in Dominicam octiduo ſequentem, ne unquam cum Chriſticidis concurramus. Idem *de vita Conſtant. l. 3.* Theodoretus, *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 9.* Victorin. *in prolegom.* Tempus igitur legitimum Alexandrinus poſteà Epiſcopus, cæteris quotannis indicabat, aut ipſi per Aureum numerum 19. Ann. inquirebant: donec Dionyſius Abbas, A. C. 532. Terminos Paſchales condidit. Beda *de rat. temp. c. 45. & de 6. ætat. mundi ad An.* 4480. ut *& de æquin. verno.* Vide inſuper Tertullian. *de Præſcript.* Epiphan. *hær.* 50. Auguſtin. *hær.* 29. Baron. *A. C.* 173. 180. 198. *&c.* item Petr. Megerlinum Mathem. Baſil. *Diſp. de Chronologiæ princ. & Computo Eccleſ.* Addo ſaltem, quòd Græcis Τεσσαρεσκαιδεκατῖται: Acta Pilati corrupiſſe, unde multum auctoritatis fideique deperdiderint, legimus apud Joann. Lud. Ruel. *Hiſtor. Concil. Tom. I. p.* 692. Vide ſuprà ubi de *Pilati Actis*.

QUARTUMVIRI, apud Romanos, creabantur, quibus deducendarum Coloniarum, aut ſi quid novum nuntiatum foret, ut curarent, ne damnô afficeretur Reſp. obque varia alia negotia; munus mandatum erat. Præter quos fuêre *Quinqueviri*, agris dividundis, muris, turribuſque reficiendis, ſæpiùs ut plebem funebri pecuniâ elevarent, utque æs alienum pro his, qui ſolvendo non eſſent, de publico ſolverent, qui *Menſarii* nuncupati. Alex. ab Alexandro, *Genialium Dier. l. 3. c.* 16.

QUARTUS, nomen viri, Roman. *c. 16. v.* 23.

QUARTUS Scholæ, in Eccleſia Roman. idem cum Archiparaphoniſta, qui, ut eſt in *Ordine* Rom. *ſemper nuntiabat Pontifici de Cantoribus, adſtans ante faciem Pontificis, & nutum ejus ad pſallendum expectans.* Vide ſuprà *Archiparaphoniſta*.

QUASILLARIÆ, ancillarum Textrino inſervientium, apud Romanos, nomen, à *quaſillo* ſeu calatho. Petronius, *Nec contenta mulier tam gravi injuriâ, convocat omnes* Quaſillarias, *familiæque ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet.* Romæ olim, *Muſa. Quaſill. vix. an. 30. Cratinus. Lanipend. de ſuo.* Dicebantur autem *Lanipendii* vel *Lanipendia*, qui inter Lanificas penſa partiebantur, quando ea munera ſordere Matronis viſa ſunt. Propertius earundem meminit, *l. 4. Eleg. 7. v.* 41.

Et graviora rependit iniquis penſa Quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.

Vide quoque Hieronym. *ad Lætam*, apud Laur. Pignorium, *Comment de Servis*: & ſuprà voce *Calathi*.

QUATER, apud Statium, *Theb. l. 4. v.* 545. in ſacris infernalibus,

Lacte quater *ſparſas* ——

ritualis vox numeruſque. Eſt enim felicitatis numerus in omnibus. Val. Flaccus, *l. 1. Argon. v.* 399.

—— *vacua nam lapſus ab arbore parvum*
Te quater *ardenti tergò circumvenit anguis.*

Tibullus, *l. 1. Eleg. 10. v.* 63.

—— *quater ille beatus,*
Quô tenera iratô flere puella poteſt &c.

At de eodem numero Lutatius, *ad Statium Thebaid. l. 5. v.* 86.

—— *quater axe ſerenò*
Intonuit.

De numero, inquit, *tonitruum ratio eſt. Nam omnis impar numerus proſpera ſignificat & vivis aſcribitur. Id verò quod par, exit infectum* —— *quatuor juvencos inferis Orphei immolat* (Virgilius) *Georgic. l. 4. Quatuor tauros inferis mactat. Ideò hic quater adverſùm tonat. Et nitidè obſervavit, ut ſena hora eô tempore dividerentur à Sole, ut par numerus, quia eſt vivis contrarius, poneretur. Dicitur autem hic honor numeri à Pythagora repertus, & maſculinæ virtutis & Deorum ſuperûm propter regulam trinam divinæ rationis. Ergo hujuſmodi ſigna contigerunt. Ut, quater ipſo in limite portæ Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedêre. Non occultè Virgilius de numero ſancti equi infauſtam infernamque rem, id eſt mortem prænuntiari prædicebat.* E quibus diſcas infelix omen in prodigiis hujus numeri, quod aſſerunt & alii, etſi rari, Scriptorum. Servius tamen pro *ſæpius* tantùm accipit, in equi illius Trojani ſonitu &c. Vide Caſp. Barthium, *Animadv. ad Statium, d. l.* nec non in *Libb. Superſtitionum*, ut & infrà, in voce *Tetractys*.

QUATERE Crinem, vide ſuprà *Comam diſſipare*.

QUATERNARIÆ Formæ, apud Lamprid. *in Alexandro, Sev. c. 39. Formas binarias*---quaternarias *& denarias, etiam quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit*: non tam hîc ſunt τύποι aut τυπωτήρια, quàm nummi ipſi aurei tali formâ percuſſi, qui quaternis aureis valerent. Uti enim *Quaternarii* olim ſeſtertii dicti ſunt, poſtquàm quaternis aſſibus valere cœperunt; Innocentius Agrimenſor, *Habet decus & plumbum & quaternarios & calcem*: unde *æs quaternum* Martiali, *l. 12. Epigr.* 77.

Amphora viceſſis, modius datur ære quaterno:

Græcis τετράσσαρον & τετράνουμμον: Ita *Quaternarius* aureus dictus eſt, nummus quaternorum aureorum vulgarium pretiô ac pondere conſtans. Galli *Quadruplos* hodie vocant, τετραχρύσους Græci, & τετραστάτηρα. Hinc & apud Cyrenæos in uſu fuiſſe τετραστάτηρα νομίσματα, quæ 4. *aureos ſtateres* penderent, legimus. Salmaſ. *ad loc.*

QUATERNIO, vis Decadis, & Decas natura Numeri, Pythagoræ. Lucianus Βίων πράσει. *Pyth. Quomodo numeras? Merc. Unum, duo, tria, quatuor. Pyth.* Ὁρᾷς, ἃ σὺ δοκέεις τέτταρα, ταῦτα δέκα εἰσὶ, καὶ ἡμέτερον ὅρκιον, καὶ τρίγωνον ἐντελὲς τὰ τέτταρα, *vides! Quæ tibi videntur quatuor, ſunt decem: & noſtrum Juſjurandum; & Trigonum perfectum, Quatuor.* Et paulò pòſt, *Pythag.* Γνώσεαι τὸν Θεὸν, τὸν ἀριθμὸν ἐόντα, καὶ ἁρμονίην, *Cognoſces ipſum Deum, qui eſt Numerus & Harmonia.* Numerus ſcil. Quaternarius, qui perfectiſſimus, undiquaque ſibi par, & κατὰ δύναμιν omnem numerum in ſe continet &c. Hinc eum, Τετρακτὺν vocant, quaſi ad animæ perfectionem pertinentem, inter arcana venerati ſunt adeò Pythagoræi, ut ex eo & jurisjurandi religionem ſibi fecerint.

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
Juro tibi per eum, qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum.

Macrob. *in Somn. Scipionis, l. 1. c.* 6. Eſt autem Juſjurandum hoc δίστιχον neque ex primo verſiculo intelligendum. Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. Simul verte. *Non per* Τετρακτὺν, *qui dat animæ noſtræ fontem, in quo ſunt radices* (ſeu fundamenta) *æternæ naturæ.* Hic verò Τετρακτὺς, cùm ſit maſculini generis, non eſt ἡ τετρὰς, *quaternio*, ſed myſticum ſummi Opificis nomen (ſive is Δημιουργὸς aliàs vocetur, ſive Νοῦς, ſive ὁ Θεός) à quo motum perennem habet immortalis anima. Neque numerum quaternarium, ſed duos quaterniones eô nomine intellexerunt Pythagoræi, Joh. Marshamus, *Can. Chron. Sec. XI.* Vide quoque infrà voce *Tetractys*.

QUATERNIO literarum, in Nominibus Dei, apud pleraſque gentes memorabilis. Obſervat enim Marſilius Ficinus *Argum. in Platonis Cratylum*, quòd omnes gentes atque linguæ præcipuum Dei nomen *quatuor* ſolùm literis pronuntiare dicantur, ut qui Latinis *Deus*, Ægyptiis *Teut*, Perſis *Syre*, Magis *Orſi*, Græcis Θεὸς, Arabibus *Alla*, Mahumeti *Abdi*, Hebræis celebri nomine illô tetragrammatô appelletur. Quem equidem literarum in divino Nomine quaternionem etiam à Clemente Alexandrino animadverſum jam eſſe, deprehendit Tobias Pfannerus, *Syſtem. Theol. pur. Gentilis, c. 2. §.* 11. At apud Recentiores, *Quaterniones*, Græcè τετράδια, chartæ ſunt invicem compactæ, quas *Cahiers* vocant Galli. *Quadrata charta* Alcuino, *Poëm.* 7.

Plurima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Plurima ſic Præſul patravit ſigna ſtupendus;
Quæ nunc in chartis ſcribuntur ritè quadratis.

In cujuſmodi τετράδια diviſos fuiſſe libros Neſtorii Patriarchæ Conſtantinopolitani, docet Car. du Freſne, ex Concil. Epheſ. *part.* 2. *act.* 1. Sed & *Quaterniones* dicti Latinis ſunt nummi *Quaternarii*, de quibus diximus.

QUATUOR Dominorum regio, German. *Vier-Herriſch*, pars eſt non exigua Comitatus in Germania Cattimelibocenſis, 30. circiter pagos complexa; ſic dicta, quòd *quatuor* diverſis *Dominis* ſubſit, Haſſiæ Landgravio, Decienſi, Idſtenio & Weilburgenſi Comitibus ex Naſſovia Familia. Locus ipſe, quem Cattimeliboci peculiari nomine inſigniunt, Haſſo parens, vix oppiduli appellationem meretur; paucis circa arcem vacuam & domuum rudera ædificiis circumjectis: trium circiter horarum ſpatiô Deciis ad Meridiem diſtans. Sed oppiduli tenuitatem territorium compenſat. *Curpurg*, *Chamberg*, *Werheim*, & ipſa juriſdictionis communitate non exemptâ; venatione, piſcatione, vectigali, frugibus, pecuariâ, vinetis, aucupiis, Guilielmo Friderico Naſſov. Comiti commoda ſunt. Cyr. Lentulus *in Geneal. Principum Naſſoviæ MS.*

QUATUOR Tempora, in Eccleſia Romana quid indigitent, vide in voce *Jejunium*. Auctor *Græciſmi MS.* apud Car. du Freſne.

Dant Crux, Lúcia, Cineres Kariſmata diâ,
Ut ſit in angaria quarta ſequens feria.

QUATUOR Uxores apud Judæos & Muhammedanos licitæ, vide ſuprà *Polygamia* & infrà *Uxor*.

QUATUORDECIM, apud Senecam, *de Beneſic. l.* 3. *c.* 9. *in quatuordecim deduxiſſe*: abſolutè, pro *Quatuordecim Ordines*, ſeu *Quatuordecim Gradus*, iidem cum *Equeſtribus*, ſedes videl. ſeu gradus Theatrales, in quibus non niſi Equitibus ſpectandi jus erat. Erant illi ſcenæ propiores, unde clariùs atque expreſſiùs actores exaudiebantur. Et quidem cùm ſedendi in Theatro variâſſet ſæpiùs ratio, ſub C. Cæſare, qui non tam ex opibus natalibuſque quàm ex virtute ac meritis & in Senatum & in Equeſtrem ordinem multos legiſſet, tantum multitudinis nequivit XIV. ordinibus capi. Contrà Otho Tribunus Pleb. pro cenſu locatis civibus, excluſit à primis XIV. ordinibus eum, cui ipſi, patrique avoque quadragies ſeſtertiûm non fuiſſet. Item qui artem ludicram exercuiſſet. Idem voluntarios decoctores totô Theatrô abſtinere juſſit. Idque ut ſervaretur, per cuneos diſpoſuit, quos *Præfectos ordinum* appellabant, qui excitarent de ſede, quam quis contra legem occupâſſet. Cujuſmodi munere functus eſt Domitiani, qui legem deſuetudine mutatam revocavit, ævô, Oceanus, item Lectius, Martialis carminibus notiſſimi. Erant porrò in his Ordinibus ſubſellia. Unde Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 28. *v.* 1.

Bis ſeptena tibi non ſunt ſubſellia tanti &c.

ad quem locum vide Heraldum, plura verò de his gradibus, apud Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poëtic. l.* 1. *c.* 21. & ſuprà in voce *Equeſtria*.

QUATUORSIGNANI, dicti Tarbelli populi Galliæ Aquitanicæ apud Pyrenæi montis radices, *Strab.* quòd *quatuor* militum *ſigna* apud ſe haberent in præſidio. Sinum Aquitanicum cum Santonibus incolunt & metallis auri excellentis nobilitantur. Vide ſuprà, *ubi de Aquis Tarbellicis.*

QUATUORVIRI viarum curandarum, nomen Magiſtratûs apud Romanos, qui viis vel ſternendis præeſſent, Maxima enim cùm priſcis temporibus Senatus diligentia eſſet in faciendis ſarciendiſque viis tam intra, quàm extra Urbem: earum curandarum munus primùm Cenſoribus commiſſum eſt; qui cùm aliis rebus pro officio occupati huic muneri ſolicitè vacare ampliùs non poſſent, ex Senatus conſulto Magiſtratus ſpecialis ob eam cauſam creatus eſt: qui *Quatuorviri viarum curandarum* nominati ſunt. Eorum non multa in Scriptoribus mentio, quos habemus; in antiquis autem Epigramm. plurima, vide Barn. Briſſonium, *Antiqq. l.* 4. *c.* 12. & Roſin. *l.* 7. *c.* 29. E liberis Senatorum videntur lecti. Fuit enim liberâ Rep. vetus conſuetudo, ut populus quotannis XXVI. Viros crearet, quorum munia ſic poſteà diſtribuebantur. Fiebant ex illis Triumviri Capitales, Triumviri Monetales, *Quatuorviri Curatores viarum in Urbe*, Decemviri litibus judicandis, qui haſtam centumviralem cogebant, Duumviri Curatores vicorum extra Urbem, *Quatuorviri* in præfecturas Campaniæ mittebantur, ſed hic numerus ab Auguſto imminutus eſt, ſublatis Viocuris extra Urbem & Quatuorviris, qui in præfecturas Campaniæ mittebantur. Vide infrà ubi de *Viginti-Viris*. Idem, ut ex Equeſtri ordine eligerentur, voluit, vide Salmaſ. *Not. ad Spartian. in Didio Jul. c.* 1. & ſuprà *Quartumviri*. Plura verò de numero *Quaternario* infrà, vocibus incipientibus à *Tetra*.

QUEBECUM, vulgò QUEBEC, urbs recens Americæ ſeptentrionalis, novæ Franciæ primaria, juxta fluvium S. Laurentii, cum arce munita quadrangulari Francorum. 300. milliaribus diſtat ab ora maris Borealis in occaſum; ibique commoratur Epiſcopus Canadenſis à paucis annis.

QUEDA, vulgò QUEDA, urbs Indiæ extra Gangem, in regno Siami, cum portu & emporio in ora ſinus Gangetici, ex adverſo Sumatræ inſulæ, à qua diſtat 150. mill. paſſ. in ortum, Patanam verſùs totidem; eſtque caput regni cognominis.

QUEDELINBURGUM, vulgò QUEDELINBURG oppidum Germaniæ, in Saxonia ſuperiori, ab Henrico Aucupe, qui Mechtildem filiam primam ibi Abbatiſſam præfecit, conditum: aliàs ſub dominio Abbatiſſæ propriæ, inter ditionem Halberſtadienſem & Principatum Anhaltinum, 2. milliar. Germanicis diſtans ab Halberſtadia in meridiem. Nunc paret Duci Saxoniæ cum tota ditiuncula adjacente.

QUEI, flos Sinicus. Naſcitur in procera arbore, quæ folia habet lauri vel cinnamomi; exiguus admodum, flavi coloris, in racemulos diſperſus, ſuaviſſimi planè odoris. Apertus in ipſa arbore perſtat longô admodûm tempore integer, minimèque flacceſcit, ubi decidit, interjectô unius menſis ſpatiô, denuo repullulat arbor novumque florem gignit, autumnali tempore. Tam fragrantem autem gratumque odorem exhalat, ut regionem totam, cui arbor vicina eſt, ſuavitate recreet atque perfundat. Turcæ, limonum ſuccô maceratum, ad pilos equorum tingendos adhibent: Sinenſes verô ex eo multa bellaria, ori naribuſque gratiſſima, adornant. Nomen dat *Queilin*, metropoli Quanſiæ provinc. quod in hujus inprimis urbis territorio copiòſiſſimè proveniat, Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. c.* 33. Idem nomen eſſe herbæ, in Xenſia provinc. in monte *Nieuxeu*, quæ comeſta triſtitiam mox pellat, riſumque ac lætitiam pariat, legas apud eundem *c. præc.*

QUEICHEA, vulgò QUEICHEU, provincia eſt ampla Imperii Sinarum, inter alias decimum quartum locum obtinens in parte occidentali; ſed tota valde montuoſa. Sunt tamen in ea octo urbes præcipuæ, nempe Queyanga, *Queyang*, Sucheum, *Sucheu*, Sunanum, *Sunam*, Chinyvenum, *Chinyven*, Xecienum, *Xecien*, Tunginum, *Tungin*, Lipinga, *Liping*, & Tuchum, *Tucho*: ſub quibus ſunt ſeptuaginta quinque minores urbes aut arces. Terminatur autem hæc provincia, à ſeptentrione Suchenſi provinciâ, ab ortu Huquaniâ, à meridie Quanſiâ, & ab occaſu Junnaniâ, teſte Martiniô.

QUEICHEUM, vulgò QUEICHEU, urbs Sinarum, in Suchuenſi provincia, cujus ſexta eſt, juxta fluvium *Kiang*, in planitie, cultiſſima & mire rigua, in parte occidentali provinciæ; ſub ipſa ſunt duodecim urbes, teſte *Martinô Martiniô*.

QUEILINUM, vulgò QUEILIN, urbs ampla Sinarum & Quanſiæ provinciæ præcipua, juxta fluvium *Quiei*, ad radices montium & verſùs confinia Huquanæ provinciæ; Ab ea pendent octo urbes minores.

QUEITUM, vulgò QUEITE, urbs Imperii Sinarum, & Henaniæ provinciæ ſecunda, in planitie, prope fluvium Cium, & in limite Xantoniæ provinciæ; & ab ea pendent octo urbes minores, teſte *Martinô Martiniô*.

QUEIYANGA, vulgò QUEIYANG, urbs eſt ampla Sinarum, & Queicheæ provinciæ caput, intra colles, & ad radices montium, verſùs Suchuenam provinciam; Ab ea pendent 18. urbes ſeu arces, teſte *Martinô Martiniô*.

QUENSTEDIUS Joh. Andreas, auctor *Dialogi de patriis Virorum Doctorum.*

QUELENIUS Franciſcus, Vide *Franciſcus*.

QUENTAVICUS, oppid. Galliæ, in Picardia provincia & in Pontino tractu, ſic dictum quòd ad Quentum fluvium ſitum ſit, quaſi vicus Quenti. In eo ſitum fuit monaſterium S. Judoci, cujus hodie nomen retinet locus iſte, veteri omiſſô, vulgò *S. Joſſe ſur mer*, teſte *Baluziô*.

QUERCETUM, vulgò *le* QUESNOY, urbs parva Belgii, ſed munita, in Hannonia, Francici juris ab A. C. 1654. 3. leucis diſtat à Landrecio in Boream, Valentianas verſùs 2. & quinque à Cameraco in ortum.

QUERCULANUS, vide QUERQUETULANUS.

QUERCUS, Jovi olim ſacra, magna apud Veteres in veneratione fuit. Namque & ex ea, antiquiſſimus mortalium cibus: & inter illas Dodonæ reſponſa: & ſub illis Druidarum, qui veterum Celtarum Sapientes fuêre, præcipua ſedes. Sed & alius ejus apud Romanos uſus: *Hinc enim civicæ coronæ, militum virtutis inſigne clariſſimum: jam pridem verò & clementiæ Imperatorum, poſtquam civilium bellorum profano meritum cœpit videri civem non occidere. Cedunt his murales, vallareſque & aureæ, quanquàm pretiô antecedentes: cedunt & roſtratæ, quamvis in duobus maximè ad hoc ævi celebres: M. Varrone, è piraticis bellis, dante M. Pompejô iterumque M. Agrippâ, tribuente Cæſare è Siculis*, verba ſunt Plinii. Et paulo pòſt, *Civica iligna primò fuit poſteà magis placuit ex eſculo Jovi ſacra. Variatum & cum Quercu eſt ac data ubique quæ fuerat, cuſtoditô tantùm honore glandis. Additæ leges arctæ, & ideo ſuperbæ, quaſque conferre libeat cum illa Græcorum ſumma, quæ ſub ipſo Jove datur, cuique muros Patria gaudens rumpit: Civem ſervare, hoſtem occidere. Utque eum locum, in quo ſit actum, hoſtis obtineat eô die: utque ſervatus fateatur: aliàs teſtes nil proſunt: Ut civis fuerit. Auxilia, quamvis Rege ſervatô, decus id non dant. Nec creſcit honos idem Imperatore conſervatô, quoniam conditores in quocunque cive ſummum eſſe voluerunt. Acceptâ licet uti perpetuò. Ludos ineunti ſemper aſſurgi etiam ab Senatu, in more eſt. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipſi patrique, & avo paterno.* Subdit tandem, *ô mores æternos, qui tanta opera honore ſolô donaverint: & cùm reliquas coronas aurô commendarent, ſalutem civis in pretio eſſe noluerint: clarâ profeſſione, ſervari quidem hominem nefas eſſe lucri cauſâ. Hiſtor. Natur. l.* 16. *c.* 4. E quibus verbis patet, quid requiſitum fuerit, ut quis *Quernam* mereretur coronam, & quibus privilegiis, qui eam ritè fuerat adeptus, eſſet inſignis. Maſſurius Sabinus apud A. Gellium, *l.* 5. *c.* 6. *civicam coronam tum dari ſolitam dixit, quum is, qui civem ſervaverat, eôdem tempore etiam hoſtem pugna occidiſſet; neque locum in ea reliquiſſet*: Interim Tiberius Cæſar conſultus, an eam capere poſſet, qui civem in prælio ſervâſſet & hoſtes ibidem duos interfeciſſet, ſed locum, in quo pugnabat, non retinuiſſet, reſcripſit apud eundem, *eum quoque civicâ coronâ dignum videri: quòd appareret, tam iniquô locô civem ab eo ſervatum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

vatum, ut etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiverit. Quatuordecim iſtiuſmodi coronas, accepit Siccius Dentatus: ſex Capitolinus; & hic quidem de duce quoque Servilio: Africanus de Patre accipere noluit, apud Trebiam, Plin. ubi *ſuprà*. Eâdem L. Gellius in Senatu Ciceronem Conſulem donari è Rep. cenſuit, quòd ejus operâ eſſet atrociſſima illa Catilinæ conjuratio detecta vindicataque, apud Gellium, *loc. cit.* qui ibidem cauſam, cur è fronde *querna* civica corona, quam civis civi, à quo ſervatus eſt in prælio teſtem vitæ ſalutiſque perceptæ, dare ſolitus fuerit, conſtaret addit: *quoniam cibus, victuſque antiquiſſimus quernus capi ſolitus ſit*, qua de re vide Plinium, *l.* 16. *c.* 5. & Galen. *de Alim. fac. l.* 2. & plura, de cauſis datæ è *Quercu* coronæ, apud Plut. *Quæſt. Rom.* 92. Idque obtinuit priſcô ævô, poſtmodum etiam iſtiuſmodi ſertô exornari cœpit Imperator, qui civi, quem occidere poterat, peperciſſet, teſte Pighiô, *l. Tyrann.* Quoties autem dabatur quercea corona, rem priùs divinam ad *quercum* fieri neceſſe erat, uti colligere eſt ex Val. Maximo, *l.* 2. *c.* 8. *extr. Cæterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives ſervandos corona danda eſt.* Nec omittendum, quod Ovidius ſuggerit, ante fores Palatii, inter geminam laurum, *Quercum* ſtetiſſe: Ita enim is, *l.* 1. *Met. fab.* 9. *v.* 562.

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis mediamque tuebere Quercum.

Quô indigitatum, geminâ Principi virtute inprimis opus eſſe, fortitudine in hoſtes, & clementiâ in cives: ſed hâc præcipuè, unde in medio poſita: *Satius enim unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere.* Vide Godwyn. *Anthol. Rom. c. ult.* Sed & *Quernâ* coronâ ac draconum voluminibus olim Triviæ Dianæ, τῆς Ἐνοδίας ſive Τριοδίτιδος, quæ eadem cum Hecate credita, imaginem coronari moris fuiſſe, Sophocles in *Rhizotomis* docet, apud veterem Apollonii Interpretem, cum ait:

Ἥλιε δέσποτα καὶ πῦρ ἱερὸν — Καὶ γῆν ναίεσ᾽ ἱερὰς τριόδους
Τῆς ἐνοδίας Ἑκάτης φέγγος — Στεφανωσαμένη δρυσὶ καὶ πλείσαις
Τὸ δι᾽ Ὀλύμπου πολλὸν προφέρει: — Ἀμῶν σπείραισι δρακόντων.

Eandem, ut Inferis Diis, ſic etiam Parcis fuiſſe impoſitam, Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 307. habet:

His corpus tremulum complectens undique Quercus.
Candida purpureis ramis induxerat ora &c.

Porrò, apud Ovidium, Tmolus mons, Judex inter Pana & Apollinem redimitur quercu, *Met. l.* 11. In Capitolino agone, idem victoribus præmium, oblivâ mixtum. Athenis quoque, in ſolennibus nuptiarum, moris fuit, ut puer patrimus & matrimus geſtaret ſpinas cum fructibus *quercus*, diceretque caniſtrum ibi poſitum eſſe panibus plenum. Adde illos, qui Cereri hymnos canebant, cùm meſſis ariſtas ſpicare cœperat, non aliô ſertô fuiſſe inſignes. Virg. *Georgic. l.* 1. *v.* 347.

——— ——— *neque antè*
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri totâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos & carmina dicat.

Imò ipſi etiam Cereri *quercum* ſacram, eamque vittis, tabellis, ſertis ornatam, habet Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 744.

——— *ingens animoſô robore* quercus
Una nemus: Vittæ mediam, memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant voti monumenta potentis.

Ut de *tenea* nihil ſuper adjungam; de qua, ut & alia huc pertinentia, vide apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 7. *c.* 8. & *ſeqq.* uti de *Quercu* tum *terreſtri*, tum *qua inter majora maris virgulta*, Salmaſ. *ad Solin.* & de *Querceis virgis*, fati indicibus infrà, *Natalitiæ Virgæ.*

QUERCUS Capita, *Herodot.* & Tria capita, locus Bœotiæ, in montis Cithæronis ingreſſu, inter illum & Platæas.

QUERCUS Fletus, eſt ad radices Bethel, in tribu Benjamin, ubi Debora nutrix Rebeccæ eſt ſepulta.

QUERCUS Sichem, Græcè *Balanus*, ſub qua Rebeccæ nutrix ſepulta eſt, nominatur & Turris Sichem, in tribu Ephraim.

QUERCUS Sichem, quæ & *Therebinthus:* ſub hac condidit Jacob idola ſuorum, eſt in tribu Ephraim.

QUERFORTIA Familia, vide ſuprà *Mansfeldia.*

QUERIMBA, vulgò QUERIMBA, inſula Africæ, in ora Zanguebariæ regionis, contra ſinum S. Lazari. Parva eſt admodum.

QUERQUERNI, Plin. *l.* 3. *c.* 3. populi Hiſpaniæ citerioris, quorum nunc ſitus ignoratur; niſi quòd Gallæciæ erant finitimi.

QUERQUETULANÆ Viræ, vide *Virago.*

QUERQUETULANI, populi Latii, ex eorum numero, quos Plin. *l.* 3. *c.* 5. interiiſſe nullô relictô veſtigiô ſcribit: quos 53. in Latio antiquo fuiſſe teſtatur.

QUERQUETULANUS, mons urbis Romæ, idem cum Cœlio. Vide *ibi*, ut & infrà.

QUERQUETULANUS, à QUERCETIS dictum: ut Romæ *porta querquetulana*, quæ *querquetum* juxta ſe habuit intra muros; & *viræ querquetulanæ*, quæ Græcis *Hamadryades.* Feſtus: *Querquetulanæ viræ putantur ſignificari nymphæ præſidentes querceto vireſcenti: quod genus ſylvæ indicant fuiſſe intra portam, quæ ab eo dicta ſit querquetulana.* Nominat & Varro, *l.* 4. *de L. L. ſacellum querquetulanum.* Id quin Hamadryadum fuerit, dubitandum non eſt. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 65. *Haut fuerit abſurdum tradere, montem eum* (de Cælio ſermo eſt) *antiquitus Querquetulanum, cognomentô fuiſſe, quòd talis ſylvæ frequens, fœcunduſque erat: mox Cælium appellitatum à Cæle Vibennâ, qui dux gentis Hetruſcæ, cùm auxilium appellatum ductaviſſet, ſedem eam acceperat à Tarqu. Priſco, ſeu quis alius regum dedit.* Hæc Tacitus, ex cujus verbis ſimul diſcere eſt, unde *Cælius Mons* nomen acceperit. Voſſ. *Nic. Lloyd.*

QUIAY Lacuſa, nomen Supremi Dei apud Peguenſes, quaſi *Mille Numinum Numen*, apud Ferdinandum Pinto, *Itin. p.* 372. Vide quoque infrà *Tinagogo.*

QUIANSIA ſeu Kianſia, *Quianſi* & *Kianſi*, provincia eſt Imperii Sinarum, octavum locum obtinens, versùs meridiem. Extenditur in Chequianenſem provinciam ad ortum, Quantuniam ad meridiem, Nanquinenſem ad Boream, & Huquanenſem ad occaſum. Ejus urbes præcipuæ ſunt tredecim; nempe Nanchangum, *Nanchang*, Jaocheum, *Jaocheu*, Quanſinga, *Quanſing*, Nankangum, *Nankang*, Kieuchianum, *Nieukiang*, Kienchanum, *Kienchang*, Vucheum, *Vucheu*, Linkianum, *Linkiang*, Kieganum, *Kiegan*, Xuicheum, *Xuicheu*, Juencheum, *Juencheu*, Cancheum, *Cancheu*, & Nanganum, *Nangan:* ſub quibus ſunt ſexaginta quatuor urbes, minores, ut pluribus narrat Martinius in ſuo *Atlante Sinico.*

QUIBIARII, apud *Arnobium* pro *Cybiarii.*

QUID pro quo, Anglorum Juriſconſultis idem eſſe, quod *συνάλλαγμα*, in contractibus, docet *Cowellus.*

QUIDICI, apud Æthicum pro *Syzici.* Vide Salmaſ. ad Jul. Capitolin. *in Antonino Pio, c.* 3.

QUIES, hanc deam coluêre Romani, ut refert *Auguſtin. l.* 4. *de Civ. Dei, c.* 16. quæ dea homines faceret quietos: Extra portam Collenam ædem habuit Romæ.

QUIETINI, vide *Theotini.*

QUIETIS Fanum Liv. *l.* 4. *c.* 41. D. Aug. locus Latii via Lavicana, non longè ab urbe Roma occurrens, ubi templum SS. Petri, Pauli, & Marcellini. Ibi olim templum Quietis fuit. Cœterùm. *Quietem* hanc ad mortuos pertinuiſſe, cùm & Orcus ab antiquis *Quietalis* dictus ſit, Vives exiſtimat, *ad Auguſtin. de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 16. Meminit Fani Plin. *l.* 4. *Cùm hæc agerentur, jam Conſul Labicanâ ad Fanum* Quietis *erat.* Via hæc Labicana à porta Exquilina ſtadiis 120. h. e. 15. milliar. ducebat Labicum, vetus oppidum, ſed jam Strabonis ævô dirutum, ut legere eſt apud eum, *l.* 5. Quare Auguſtini, Fanum hoc extra portam Collinam ſtatuentis (cùm inter portam Exquilinam, quæ nunc vocatur *Divi Laurentii* & Collinam, quæ dicitur *Salaria*, interjecta eſſet porta Viminalis, quæ nunc B. Agnetæ) ſententiam Straboni poſthabendam judicat Voſſius. Ait idem Antiſtes non ſolitos eſſe *Quieti* Romanos publicè ſacra facere, cauſamque adducit, geminam, quarum una eſt, quia Populus Rom. eſſet inquies. *Num hoc voluit*, iterum Voſſ. quærit, *fuiſſe amantiorem belli, quam pacis? Utrumque eſt, cenſeo eò ſacra ejus publicè neglecta, quia ſegnium videretur, amare quietem magis, quàm laborem: tum etiam quòd quies propria ſit mortuorum. Sed veriſimile eſt, eos qui Quietem inter Numina retulerunt, illam potiùs cauſam ſpectâſſe, quâ honeſtè gravia diffinduntur negotia, ut ſic vita prorogetur & edulcetur:* de qua luculenter Seneca *de Tranquill. c.* 15. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 19. & ſuprà *Otia.* Cœterùm *Quies*, pro ſomno, paſſim. Unde Plin. *l.* 18. *c.* 3. *Quies ſomnuſque* (antiquitus) *inſtramentis erat.* Et *Quietis* hinc *Miniſtri*, de quibus infrà. De *Quiete* verò ab opere, in feſtivis diebus, etiam Gentilibus uſitatâ, dicemus ubi de *Sabbatho.*

QUIETIS Miniſtri, apud Procopium, *de bello Perſ. l.* 2. iidem, fuêre, quia aliàs *Silentiarii* appellati ſunt: quos Eunuchos fuiſſe, videtur innuere Claudianus, apud quem iſtiuſmodi hominum genus, in familia Palatina, *l.* 1. *in Eutrop. v.* 418.

——— *Præfecti gemmis veſtique dabantur*
Cuſtodes ſacroque adhibere ſilentia ſomno.

Quô munere an functi fuerint etiam, apud homines privatos, non quidem omnino liquet. Neque verò id prorſus abnuerem, cùm apud Salvianum, *de Gubern. l.* 4. mentio *Silentiariorum* extet, vide infrà *in hac voce.* Affines muneri illi fuêre, quos ad *Somnum* appellat Curtius, *l.* 6. *c.* 11. *At ne in vicinia quidem diverſorii quenquam commilitonum receptum eſſe, ſed per diſpoſitos, quos ad Somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa murmurantum inter ſe ſilentiô verius, quam ſonô excitaretur.* Vide Laur. Pignorium *de Servis.*

QUIETISTÆ, dicti in Italia, qui, auctore Mich. Molinô, Presbyterô Aragone, in *Quiete animi* felicitatem ſuam collocant: aliàs *Moliniſtæ* quoque à ſectæ fundatore. Horum verò odium & ſupplicia magis, quàm errores, noti. Quod enim Articulos 68. attinet, qui poſt damnationem eorum prodierunt Romæ, A. C. 1687. ex Decreto General. Congregationis Sacræ Rom. & Univerſal. Inquiſitionis habitæ coram Innocentio XI. Papa maximam partem illi non admittunt. Indicium fortè certius præbeat titulus libri à Cardinale Petruſſio, ut creditum, in lucem emiſſi: *Omnia de Deo trino & uno, nihil verò de creatura in actione hominis*, qui Janſenium ſapere videtur. Nec abludit alter Orationis ejuſdem nomine vulgatæ, *de Quiete & fide pura interna* &c. Cœterùm ſecta aliquandiu oppreſſa, iterum nunc gliſcere dicitur.

QUIETORIUM, in *veter. Inſcr. Quietorium hoc ſibi vivens paravit.* In aliis *Requietorium:* Eadmero in *Deſcr. Cantuarienſis Eccleſiæ, locus Quietus*, ſepulchrum eſt. Unde formula recepta in Inſcriptionib. ſepulchrorum, *Hic requieſcit* &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

QUIETUS, Macriani fil. cum Patre & fratre Macriano Juniore Baliſtæ judiciô Imperator factus eſt, principatu Gallieni: haud ita multo pòſt, unà cum Baliſta, in Oriente, ab Odenato interfectus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ſectus. Zonaras *Quintum* nominat, Κύντον, ſed in nummis QUIETUS appellatur. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Trebell. Pollionem in vita Quieti. c.* 14.

QUIETUS, vide CLUVIDIENUS.

QUILLÆUS, mons Arcadiæ, teſte *Lutatiô Placidô*. Cujus meminit Statius *in ſylvis*.

QUILOA, pulchra eſt in Africa civitas, prope regionem Zanguebariam, in inſula poſita, continenti vicina; cum arce. Mahumeticæ ſectæ Regulum ſemper habuit, ſummum Chriſtianorum inimicum. Ad hanc urbem cum Franc. Dalmaida. A. C. 1505. cum Luſitanica claſſe perveniſſet, Regem ad ſe accerſiri juſſit, qui morbum ſimulans ad defenſionem ſeſe paravit. Itaque 720. Luſitani ad civitatis oppugnationem armantur, quâ devictâ, regeque in fugam converſô, aliâque gubernationis adminiſtratione inſtitutâ, civitatem hanc Portugalliæ Regi tributariam fecerunt. *Baudrando* eſt urbs munita Africæ, in Quiloa inſula; regni cognominis caput, in Zanguebaria regione & in ora Oceani Æthiopici. Emporium eſt ſatis celebre, & ei adjacet altera urbs, *Quiloa vetus* dicta, in ora inſulæ obverſa; 150. leucis Gallicis diſtans à Mozambico in Boream, ſub dominio Luſitanorum.

QUIMPERLÆUM, vulgò QUIMPERLAY, oppid. Galliæ, in Britannia minori & in Cornubiæ tractu, ad amnem *Iſotte*. Vix 2. leucis diſtat ab ora Oceani Aquitanici, & 10. à Coriſopito in ortum, verſùs Blabiam 3. circiter.

QUINA, *Ptolem. Arrades*, teſte Marmoliô, colonia & oppid. Africæ propriæ mediterraneum, Uthinæ proximum & Themiſæ, inter Bagradam & Tritonem flumina.

QUINARII, Græcè πεντάνεμμοι, dicebantur olim Romanis, qui *quinos* aſſes pendebant. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro, c.* 39.

QUINCTIANUS, vide AFRANIUS.

QUINCTII, gens inter Albanos nobiliſſima Romam, Albâ dirutâ, à Tullo tranſlata; atque in Patricias Senatumque allecta. Romæ autem in multas ſe familias diffudit, quarum cognomina fuêre: Capitolinus, Cincinnatus, Barbatus, Pennus, Claudus, Criſpinus & Flaminus. Geſſit conſulatus, cenſuras, triumphoſque plures.

QUINCTINOPOLIS, urbs Galliæ Belgicæ, quæ & Fanum S. Quinctini, & Quinctinum, vulgò *S. Quintin*; urbs Picardiæ munitiſſima, Somonam fluvium, media ferè inter Noviomum & Cameracum: quam nonnulli Auguſtam Veromanduorum eſſe putant; ſed hallucinantur, nam Auguſta Veromanduorum à Fano S. Quinctini, 2. leucis abeſt; exciſa jacens, ubi Abbatia nunc *Vermand*, nomen antiquum retinens; niſi quis Fanum S. Quinctini novam Auguſtam Veromanduorum appellari velit, quaſi ex ruinis veteris Auguſtæ ædificatam. Vide *Veromandui. Ferrar. Baudrando Quintipolis*, vulgò *S. Quentin*, urbs eſt Galliæ, in Picardia provincia, & in Veromanduis, 6. leucis diſtat à Perona in ortum, Guiſiam verſùs 5. uti 9. à Noviduno in Boream, Cameracum verſùs 7. circiter. Crevit ex ruinis Auguſtæ Veromanduorum, & capta fuerat ab Hiſpanis A. C. 1557. ſed poſteà reſtituta eſt, A. C. 1559. pace ſancitâ ad caſtrum Cameracenſe.

QUINCTIUS Atticus, cum P. Sabino in Capitolium confugit: quem Vitelliani, umbrâ honoris & ſuâmet vanitate monſtratum, quòd edicta in populum pro Veſpaſiano magnifica, probroſa adverſus Vitellium, jecerat; catenis onerârunt & ad Vitellium deduxerunt, Tacit. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 73. Cumque à militibus ad ſupplicium poſtularetur, placavit populum, confitendo ſe Capitolium incendiſſe, eôque mendaciô evaſit, *c.* 75.

QUINCTIUS Certus, Eques Romanus, à Decimo Pacario, Corſicæ Procuratore, interfici juſſus, quòd ipſi de juvando Vitellio contra Othonem, Corſorum viribus, conſentire noluiſſet, Tacit. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 16.

QUINCUNX, apud Ciceronem, *de Senect. c.* 17. *directi in quincuncem ordines*, ubi de arboribus, hanc notam habebat ---- *Xenophon* ὀρθὰς στίχας τῶν δένδρων καὶ πάντα ἐυγώνια. Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 278.

——— *Omnis in unguem*
Arboribus poſitis ſectô via limite quadret.

Sic in delineatione quoque ac deſcriptione ſitûs urbium condendarum, quæ in ſolo areæ formabatur, ſectio viarum & directio præcipuè ſpectabatur, ut omnia rectis ordinibus dimenſa eſſent. Quam viarum directam ſectionem Ῥυμοτομίαν Græci dixêre. Unde urbes κακῶς ἐῤῥυμοτομημένας, quæ hac in parte laborabant viis malè ſectis, quod de Athenarum urbe refert *Dicaarchus*. Ut autem recta eſſet ῥυμοτομία, duæ maximæ ac latiſſimæ viæ concurrentes ducebantur ac ſeſe πρὸς ὀρθὰς invicem ſecabant: cœteræ minores utrique παράλληλοι ducebantur; quod in Veter. Coloniis & caſtris metandis Romani, atque in Urbibus ſuis condendis, Græci ſemper obſervârunt. In agrorum quoque metatione publicè facienda idem conſectati ſunt iidem Romani, per decumanos & cardines maximos, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 821. Idem poculi nomen, quod *quinque* cyathos continebat. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 28. *v.* 1.

Heſterna tibi nocte dixeramus
Quincunces *puto poſt decem peractos* &c.

Atque hinc de poculo quovis, apud eund. *l.* 2. *Epigr.* 1. *v.* 9.

Te conviva leget miſtô quincunce ———

Ad quem locum Raderum vide.

QUINDA, *Strab. Plutarch.* urbs Ciliciæ ſupra Anchialen, eadem cum Anazarbo, teſte *Suidâ*. Vide *ibi*. Anazarbus autem videtur urbs diverſa à Quinda; quæ *Straboni* non urbs, ſed caſtellum erat munitum, in quo Macedones theſaurum ſervabant.

QUINDECIMVIRI ſacris faciundis, à Sulla Felice inſtituti ſunt, Decemviris ſacris faciundis (cùm antiquitus Duumviri ſolùm eſſent) aliis quinque additis. Officium eorum, quod priùs Decemvirorum, & ante hos Duumvirorum, erat cuſtodire libros Sibyllinos, & in rebus Reip. dubiis illos inſpicere ac conſulere. Lactantius, *de falſa Relig. l.* 1. *c.* 6. *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ, cujus libri occuluntur, nec eos ab ullo niſi à* Quindecimviris *inſpici, fas habent.* Imò nec ipſi XV. Viri in juſſu Senatus id facere audebant; uti diſcimus ex Dionyſio Halicarn. *Antiqq. Rom. l.* 4. ubi de uſu Sibyllinorum carminum apud Romanos multa. Juſſi igitur, inſpiciebant libros ac referebant ad Senatum, quid in iis, Dîs Deabuſve hiſce vel illis placandis, factu neceſſarium contineretur: aut potiùs, quæ ibi, inveniri perhibebant, interpretabantur. Unde eos *Carminum Sibyllæ ac fatorum populi Interpretes* Livius appoſitè vocat, *l.* 10. Interpretabantur quippe illa, prout ſummo Romanorum Magiſtratui, Senatui aut Cæſaribus, id placere ſciebant: cujus rei exempla habemus in Cæſare, apud *Suetonium* ac *Plutarchum*; & Maxentio, apud Zoſim. *l.* 2. è quo poſteriore inprimis verſutiam horum Interpretum, callidè per ambiguitates verborum & Maxentium ludentium & ſibi ipſis, in tam lubrico atque ambiguo Reip. ſtatu, probè conſulentium, optimè diſcas. Nec verò Oraculi ſententiam iiſdem populo enuntiare, niſi id Senatus itidem decreviſſet licebat, uti ex Dione, ubi de Ægypti Rege in libris Sibyllinis promiſſo, diſcimus. Unde Cicero apud Auguſtin. *de Civ. Dei, l.* 3. *c.* 17. *In eo genere oraculorum, magis Interpretibus, ut poſſunt ſive volunt, dubia conjectantibus, credi ſolere*: vel potiùs, *omnia ab ipſis ſeu confingi ad lubitum dominantium*, ſentit. Certè Senatûs juſſu aut inſtinctu (ſaltem præcipuorum ex ipſorum numero) ſolitum injungi Decemviris, quid ex iis proferrent, haud obſcurè elicitur ex verbis Ciceronis *de Divinat. l.* 2. *Cum Antiſtitibus agamus, ut quidvis potiùs ex illis libris, quàm Regem proferant.* Nempe ubi aliæ gentes, ſic rerum Domini Romani genſque illa togata, oracula ſibi volebant eſſe propria atque in illa plenum ſibi reſervabant dominium, Carmina videl. *Sibyllina* appellata, & pro talibus à plebe habita, quorum auctoritate ſatis commodè populum per longum tempus rexêre; atque inde rariſſimè permittebant. Reip. causâ externa adiri conſulique χρηστήρια, ne exteri, vel minùs Romanis faventes, vel ab hoſtibus corrupti pernicioſis reſponſis turbas excitarent. Ipſi verò carmina hæc accuratiſſimè per Duumviros primò, dein X. Viros, tandem XV. Viros, magnæ auctoritatis viros, cuſtodiri, rariſſimè, nec ſine prævio SCto & ceremoniis variis, ſub capitis pœnâ inſpici, nec denique aliud quid, quàm quod ipſi Reip. utiliſſimum rati juſſiſſent, in vulgus inde enuntiari voluêre. Unde Oraculorum horum ingens apud populum auctoritas fuit, donec per motus inteſtinos Cæſaris & Pompeji occaſio data, quâ horribile hoc imperii arcanum cordatioribus detegeretur, uti pluribus docet Ant. van Dalen *de Oraculis, Diſſertation. II. p.* 454. & *ſeqq.* Manſit nihilominus libros præfatos conſulendi mos, & XV. Virorum Sacerdotium uſque ad Theodoſii Imperatoris tempora, quibus meliore Senatûs parte ad fidem converſâ, cum cœteris priſcæ ſuperſtitionis ſacris penitus, abolitum ipſaque dein carmina, ſub Honorio Principe, à Stilicone, combuſta ſunt. Ex 4. Cælii ad Cicer. *Epiſt.* populi ſuffragiis Sacerdotes hujus Collegii aliquando, idque per legem Domitiam, fuiſſe creatos colligitur; cùm anteà à Collegis cooptari fuiſſe ſolitos, Livius paſſim dicat. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 24. *cum Paralip.* Thom. Dempſteri. Quia autem iidem ſacra quoque procurabant, à Fl. Vopiſco Pontifices videntur appellati, qua de re Salmaſius, *in Vopiſc. Aurelian. c.* 20. conſulendus eſt. In eorundem Collegium receptum Catonem fuiſſe Plut. refert, ὁ δὲ Κάτων, inquiens, ἐπειδὴ τὴν ἱερωσύνην ἔλαβεν Ἀπόλλωνος, *Cato autem, acceptô Sacerdotiô Apollinis.* Sacerdotes enim Apollinis *Quindecimviros* fuiſſe, adeò certum eſt, ut & laureati in ſpectaculis publicis ſederent, teſte Arnobiô, *adv. Gentes, l.* 4. & inſigne Sacerdotii tripodis inſtar domi haberent. Unde intelligitur facilè illud Valerii Flacci, *l.* 1. *v.* 5.

——— *Si Cymæa mihi conſcia Vatis*
Stat caſtâ cortina domo: ———

in quo mirè laborârunt Barthius, *in Adverſ.* aliique. Significat autem Valerius ſe *Quindecimvirum* eſſe, & Phœbum ita ſibi propitium optat, ut ipſe domi cortinam ejus religioſè caſtus habeat Sacerdos. Quam interpretationem egregiè firmat Servius, *ad Æn. l.* 3. *v.* 332. *Patriaſque obtruncat ad aras. Hinc ergo & Delphinum ajunt inter ſacrata Apollinis receptum: cujus rei veſtigium eſt, quòd hodieque* XV. *virorum cortinis Delphinus in ſummo honore ponitur & pridie quàm ſacrificium faciunt, velut ſymbolum Delphinus circumfertur, ob hoc ſcil. quia* Quindecimviri *librorum Sibyllinorum ſunt Antiſtites, Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini ſacer eſt.* Quia itaque Apollinis Sacerdos fuit Cato, ſtipes autem Diis infundi ſolitas, atque adeò etiam Apollini, certum eſt (quas Sacerdotes accipiebant atque inter ſe partiebantur) per pediſſequum neſcio cujus, aut ſuæ aut domini religionis causâ, denarium in ſtipem Apollini ſolenni die dediſſe, & Catonem Sacerdotem cavâ manu accepiſſe, refert ex Varrone Appulejus, *in Apolog.* Neque enim id ſoli Auguſto uſitatum, quod ſcribit Sueton. *c.* 91. *Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certô emendicabat à Populo cavam manum aſſes porrigentibus præbens.* Vide Jo. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 11. *ſub fin.* & ſuprà *Duumviri*.

QUINDENNIUM, in Aula Romana, Datariæ, ut vocant, Apoſtolicæ terminus, ſignificat quandam unius annatæ integræ penſionem, ſeu ad minimum ſemiannatæ, quæ ſolvitur Datariæ de beneficiis unitis alicui Capitulo ſeu Communitati, quæ in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

manus mortuas tranſierint, apud Car. Macrum *Hierolex.*

QUINGENARIA Cohors, apud Spartian. *in Hadriano, c.* 17. *Hiberorum Regi elephantum & quingenariam cohortem, poſt magnifica dedit dona*: pro *Quinquagenaria* legit Salmaſius. Nullæ enim cohortes quinquagenariæ, h. e. quæ quinquaginta hominibus conſtarent; ſed *Quingenariæ* omnes, ex *quingentis*, ſcil. hominibus. Erant quidem & miliariæ, ut primæ quæque in legionibus, ſed cœteræ cunctæ *quingenariæ*, quæ *quingentenariæ* dicuntur in editionibus Veget. &c. Sic *Quingentenarii*, in L. Wiſigoth, *l.* 2. *tit.* 1. §. 26. qui *quingentis* militibus præerant. Car. du Freſne *Gloſſar.*

QUINGENTI, Græcè Πεντακόσιοι, Senatus Athenienſis. Poſtquam enim Solon conſtituiſſet, ut quotannis ſummæ præeſſet Reipublic. Quadringentorum Senatus, auctô deinde, ſive in ordinem redactô Tribuum, quæ decem fuêre (cùm antiquitus quatuor ſolùm eſſent) numerô, è Quadringentis facti ſunt *Quingenti* Senatores, qui dicti ſunt ἡ τῶν πεντακοσίων βουλὴ, vel οἱ Πεντακόσιοι. Ex unaquaque autem Tribu quinquaginta Viri ſorte ducebantur, teſte Ulpianô *in Androtianam*: Sortiebantur verò qui ætate eſſent Senatoriâ, quam an. 30. definitam fuiſſe, hinc colligitur, quòd tot annos natum fuiſſe Judicem oportuerit, ex jurejurando Heliaſtarum, *Quingenti* autem inter Judices erant; Prætereà hôc Senatu moti poterant ſorte capi in Judices, ut legimus in Græcorum Commentar. non potuiſſent autem, niſi annos minimùm 30. nati &c. Neque verò ſolùm ſorte ducebantur Quinquaginta ex unaquaque Tribu Viri, ſed etiam præter eos, quinquaginta alii ſuccedanei, in hunc finem, ut ſi primi illi Quinquaginta ſorte lecti, aut ex illis unus aliquis, vel probaretur minus, vel intra ſuæ πολιτείας annum moreretur, in illorum locum ſufficerentur iſti, quibus ſors obvenerat. Admittebantur in hunc Senatum etiam adſcripti cives, ut è Lege τῶν Δημοποιητῶν colligere eſt, fiebatque ſortitio hæc quatuor ultimis diebus de trecentis quinquaginta quatuor anni Lunaris, ut docet Ulpianus iterum *in Androt.* Quinquaginta hi ex unaquaque Tribu ſorte capti atque approbati Senatores Πρυτάνεις dicebantur, de quibus vide ſuprà in voce *Prytaneia.* Ex his, qui ſuum diem imperaret, *Epiſtates*, reliqui novem (quamque enim Prytaneiam in 5. hebdomadas fuiſſe diviſam ibi vidimus) *Proedri* dicebantur: à quibus alios quoque fuiſſe Proëdros atque Epiſtatas notant Eruditi. Nam quotieſcunque habebatur Senatus quotieſcunque aut concio, ὁ ἐν τῇ ἐφημερίᾳ ἄρχων Ἐπιστάτης, legebat novem Proëdros, è ſingulis unum Tribubus, exceptâ Tribu, penès quam erat Prytanejas imperium, ut docet Ariſt. *de Rep. Athen.* è quibus novem Proëdris unus Epiſtata quoque dicebatur, ſorte ex illis ductus, ab Epiſtata, penès quem ejus diei regnum erat. *Suid. Harpocrat.* &c. Atque hi Proëdri Senatui & Populi concioni præſidebant, unde iis nomen: ſicque per eos curabantur ea quæ περὶ τὴν βουλὴν καὶ τὴν Ἐκκλησίαν erant. Iidem relationem faciebant eorum, quorum causâ convenerant; ſiſtebantque in Judicium coram Populo: quas tamen partes fuiſſe præcipuè Epiſtatæ Proëdrorum, ex *Suida* diſcimus. Ubi verò ſorte capti fuerant *Quingenti*, qui Reip. præeſſent, inquirebatur in eorum vitam moreſque, qui cùm probati erant, jusjurandum dabant, cujus aliquot capita hæc ſunt: Τὰ βέλτιστα βουλεύσειν τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, *Optima quæque conſulam Athenienſium Populo*, apud Demoſt. *contra Neær.* Κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, *Secundùm Leges conſulam*, Xenop. Ἀπομνημ. *l.* 1. Οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθίστῃ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως, ἢ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ, ἢ τέλος πριάμενος, ἢ ἐγγυησάμενος, ἢ ἐκλέγων μὴ καταβάλῃ, *Neminem vinciam, qui vades dederit tres ejuſdem cenſus, niſi qui ad Urbem prodendam, aut popularem ſtatum evertendum conjuraverit: aut emptor vectigalium, aut ſponſor aut coactor, pecuniam non numeraverit*, Vide Demoſthenem in *Orat. Timocratea.* Καθεδοῦμαι ἐν τῷ γράμματι ᾧ ἂν λάχωσι, *Aſſidebo eô ordine, quem litera ſors attribuerit* Philochor. Καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν, ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων πλὴν φευγόντων. *Neminem niſi exſulum deferri ducive ſinam, præteritorum causâ*, apud Andocidem *de Myſter.* quod caput additum eſſe, poſt exactos triginta Tyrannos, cùm τῆς Ἀμνησικακίας Lex ſapientiſſimô conſiliô ſanciretur, ex eodem conſtat. Habendi proin Senatum Populumque in concionem vocandi jus cùm penès Prytanes eſſet, ſi quid novi in Rep. accidebat, Prytanibus referebatur, ut providerent indictô Senatu vel concione: Neque quiſquam admittebatur petitor in Senatum, niſi ab his; quorum proin avaritiam carpit Comicus *Pace*, ut qui gratis nullum admitterent, induciarum forenſium prætexentes nomen. Vulgò enim ἐκεχειρία ἐστὶν, dicebant, οὐ δυνάμεθα τήμερον εἰσάγειν, etſi non tam amarent ἐκεχειρίαν, quàm τοὺς ἔχοντάς τι ἐν ταῖς χερσὶν, Vet. Interpr. Senatus habebatur quotidie, niſi dies eſſet ἄφετος, quales feſti fuerunt, cùm univerſa civitas feriaretur, ut habet L. *de Feſtis.* Imò cautum Pſephiſmate. annô 3. Olymp. 103. Cephiſidorô Athenis Prætore, ut Senatus *Quingentorum* dies quinque feriaretur; cùm agebantur Apaturia. Porrò de publico pecuniam Senatores accipiebant, honorarium ejus operæ, quam Reip. impendebant, Ulpianus *in Timocrateam*: quod in diem erat drachma, ut *Heſychius* docet. Senatum cùm ingrederentur Senatores, Jovi atque Minervæ faciebant ſacra: quod τὸ εἰσιτήρια ἱεροποιῆσαι, Ulpian. *in Mid.* dictum. Proſcribebantque Prytaneis, de quibuſnam futura eſſet relatio in Senatu, Pollux, *l.* 8. *c.* 9. & ſumebant hi unà quotidie cibum, ſingulis ſuæ Πρυτανείας diebus, Idem, *l.* 8. *c.* 15. Cùm verò *Quingenti* in decem claſſes diſtribuerentur, quarum unaquæque erat 50. virorum ex qualibet Tribu, Quinquaginta iſti Viri in ſua claſſe ſinguli ſedebant & ſententiam dicebant, non confusè, ſed in ſua Tribu quiſque: ſedebantque claſſes & ſententiam dicebant, eô ordine, quem ſors ab ipſo anni principio unicuique attribuerat, ſic ut principem locum obtineret Tribus illa quæ tunc ἐπρυτάνευε. In unaquaque autem Tribu, præſediſſe videntur Proëdri Prytanum & Proedri illi novem, ab unaquaque Tribu electi, exceptâ illâ quæ eô die imperabat: ad cœteros quod attiner, ratio ætatis habita & illi ſententiam primò rogati eſſe videntur, qui ætate erant provectiores, Plut. in *Nicia*; quemadmodum in Concione, pro ætatis ratione primi, ſecundi, tertii & ita deinceps, orationem habebant ad Populum. Donec Glaucippo Athenis Prætore, annô 3. Olymp. 92. aliô ordine inſtitutô, uniuſcujuſque Tribus Senatores ab illo tempore, præter Proëdros ſederunt & ſententiam dixerunt in ſua Tribu, eô ordine, quem ſors unicuique adſignavit. Unde, ut viſum ſuprà, relatum inter Capita jusjurandi, *eô ordine quem literæ ſors* (per literas enim illa fiebat A. B. &c.) *attribuiſſet, in Senatu ſeſſuros.* Vide Græcum Ariſtoph. Interpretem *Pluto, ad verſ. hunc.*

Ἀλλ' οὐ λαχὼν ἔσπευσας ἐν τῷ γράμματι.

Sed & Populum in concionem cogebant Prytaneis ſtatis diebus, ſingulis nempè Prytaniis quater: & quidem prima τῶν κυριῶν ἐκκλησιῶν cogebatur, d. 11. Prytanejæ, ſecunda die 20. tertia d. 30. quarta d. 33. E quibus hæc agebat, περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων: iſta, Præcones & Legatos expediebat: Illa τοῖς βουλομένοις ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων, vacabat: In prima verò ἐπεχειροτόνουν τὰς ἀρχάς, καὶ ἀπεχειροτόνουν: εἰσαγγελίας τὰς εἰσαγγελίας, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημευομένων ἀνεγίνωσκον οἱ πρὸς ταῖς δίκαις, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων, Vide Pollucem, *l.* 8. *c.* 9. &c. Mulctas quod attinet, non niſi quingentis drachmis multandi jus erat, *Quingentorum* Senatui, ex Lege memorata Demoſtheni *contra Eureg. & Mneſib.* quòd ſi gravior mulcta irroganda eſſet, tradebant reos à ſe condemnatos τῷ Δικαστηρίῳ: quod quando fiebat, Theſmothetæ in judicium introducebant. Quia verò maximum fuit apud Athenienſes rei nauticæ ſtudium, quotannis Senatus *Quingentorum* lege tenebatur naves ædificare novas, Libaniô teſte *in Hypotheſi Androtianæ*; quam in rem pecuniam è publico accipiebat: Idque inſtitutum videtur à Themiſtoclis temporibus, vel certè factitatum, poſt nobilem illam Salaminiam victoriam, Demoſth. *in eadem Orat.* Quod ut Senatus promtiùs faceret, munere invitabatur, *Coronâ* videl. ut annotavit Ulpianus *ad Androtianam.* Tandem (ut reliqui omnes, qui Magiſtratu exibant, intra 30. ab abdicato Magiſtratu dies, rationes adminiſtratæ Reip. reddere tenebantur) ita & *Quingentorum* Senatus ὑπεύθυνος ἦν, *reddendis rationibus obnoxius fuit*, ex lege, cujus meminit Æſchines *contra Cteſiph.* Quare, ne Senatus paucorum ſcelere damnaretur, quando rationes ſuas referebat, vertente Magiſtratus ſui annô ſeverè in ſuos animadvertebat, & ſi qui munus ſuum bene non fungerentur, Senatu movebat, latis per folia, calculorum vicem, ſententiis: unde τὸ ἐκφυλλοφορεῖν ortum. Si itaque munus ſuum egregiè obiiſſent *Quingenti*, coronâ Senatus cohoneſtabatur: bonâ autem fide Remp. adminiſtrâſſe non judicabatur, niſi triremes feciſſet. Rationes verò apud Scribam & Logiſtas referebantur, Vide ſuprà in voce *Logiſtæ*, & plura hanc in rem, apud Sam. Petitum, *Comm. in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 1. cui adde Franc. Roſſæum, *Archæol. Att. l.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1.

QUINGENTIANI, in Africa tumultuantes repreſſi A. C. 295. à Maximiliano Diocletiani collega.

QUINGIUM, oppidum Comitatus Burgundiæ, ad Lupam fluvium, 6. leucis à Dola in Ortum, 3. à Salinis in Boream, Veſuntionem verſus. *Quingey.*

QUINIONES, πεντάνουμμοι, ſicut *Biniones, Terniones, Quaterniones.* Vide ſuprà.

QUINISEXTA, Græcè Πενθέκτη, dicta Synodus Trullana ſecunda, habita Conſtantinopoli ſub Juſtiniano Rhinotmeto; quòd quintæ & ſextæ Synodi defectum ſuppleverit, ὅτι τὸ ὑστέρημα τῆς πέμπτης καὶ τῆς ἕκτης συνόδου ἀνεπλήρωσε, τὴν τῶν ἱερῶν φημὶ κανόνων, verba ſunt Macarii Ancyrani. De ea pluribus agit Jo. Forbeſius, *Inſtructionum Hiſt. Theol. l.* V. *c.* 5. *toto.* Vide & Cl. Suicerum, *Theſ. Eccl.* voce Πενθέκτη. Addo, quòd in *Trullo* palatio habita, unde nomen. Cœterùm Reformatis eſt Oecumenica ultima, ſed quòd Clericorum permiſit conjugium, faſtum Eccleſiæ Romanæ nonnihil... anathematizavit, Honorium Papam cum reliquis Monothelitis anathematizavit; cùm eam tamen feriit, in hac Communione non admittitur: cùm eam tamen Concilium Nicænum II. quod pro authentico habent, & Hadrianus Papa confirmaverit. Vide Maegdeburgenſes *ad Sec.* VII. Georg. Hornium, *Hiſtoriâ Eccl.* & M. Leydeckerum, *Notis ac Obſervation. ad eam, p.* 254. *num* 50. 55.

QUINNONESIUS Franciſcus, Vide *Franciſcus.*

QUINPERCORENTINUM, urbs Epiſcopalis Britanniæ minoris *Metel.*

QUINQUAGENARII, in re militari, qui 50. militibus; in re civili, qui 50. familiis; in re monaſtica, qui 50. Monachis præerant; πεντηκόνταρχοι, apud Guilielmum Tyrium, *l.* 2. *c.* 20. Cathwylphum, *in Epiſt. ad Carolum M.* & Auctorem *vitæ S.* Alexandri Acoëmeti Abbatis, Vide quoque ſuprà *Quingenariæ.*

QUINQUARBOREUS Johannes, Vide *Johannes.*

QUINQUAGESIMA, apud Ferrarium Diac. *c.* 214. ex Synodo Sardicenſi, *tit. Ut diebus* Quinquageſimæ *genua non flectantur:* & apud Caſſianum, *de Cœnob. Inſtitut. c.* 6. 18. & *Collat.* 21. *c.* 8. ubi obſervat, in ea non cuſtoditam à ſtrictioris vitæ Monachis jejuniorum Regulam uſque ad vigiliam Pentecoſtes: eſt quæ aliàs *Pentecoſte* dicitur, ex Græco Πεντηκοστή. Spatium videl. dierum, à Paſchatis die uſque ad ipſum diem feſtum Pentecoſtes. *Quinquageſima Paſchalis*, Rabano, *de Inſtitut. Clericorum l.* 2. *c.* 41. & 34. ad diſcrimen alterius *Quinquageſimæ*, quæ Quadrageſimam præcedit. Aliquando & de ipſâ die Pentecoſtes &c. Car. du Freſne *in Gloſſar.* Quod verò attinet *Quinquageſimam*, quæ Paſcha præcedit, ſic dicta eſt Dominica, ut habet Dominic. Macer, quæ Dominicam primam Quadrageſimæ præcedit, quòd ab ea uſque ad Reſurrectionis Paſcha *quinquaginta* dies numerentur. Ordo Rom. *Quinquageſima verò, quia decurrit uſque in diem Reſurrectionis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

ctionis Dominicæ. Ab hac Dominica antiquitus jejunium incipiebat, ut adhuc Orientales Chriſtiani & inter Latinos nonnulli Ordines faciunt: unde *Dominica Carniſprivium* aliis appellata eſt. A Teleſphoro Papa inſtitutam hanc Quinquageſimam, ſed ad jejunium ejus Clericos tantùm obſtrictos fuiſſe, idem ait: qui etiam *Quinquageſimam pœnitentiæ* vocat, & *à Quinquageſima lætitiæ*, h. e. Pentecoſte, diſtinguit, *in Hierolex.*

QUINQUAGESIMA, nomen Dominicæ, in Eccleſ. Romana, de qua vide aliquid ſuprà voce *Dominica*, it. *Planetæ.*

QUINQUATRUS, ſive QUINQUATRIA, ſunt dies feſti Minervæ, quos Græci Παναθήναια vocant. Solipater, *l.* 1. *Quinquatrus pluraliter, non Quinquatria. non enim dicti ſunt quinque dies atrus (f. atri:) ſed quòd quinque dies Iduum, quas atrum antiqui dicebant: ſive à quinquando, hoc eſt, luſtrando: quòd eò die arma ancilia luſtrari ſint ſolita.* Ego (inquit Voſſ.) nec priorem opinionem ſequor)omnino enim *atrus* eſt vocis καταληξις, ut *ſimus* in *vigeſimus*) nec poſteriorem, cùm ita dicantur à *quinque*: nempe quòd ſint *poſt quinctum diem Iduum Martiarum*: quod tamen de *majoribus tantum Quinquatribus* verum eſt. Nam *quinquatrus minuſculæ* erant *Idibus Juniis.* Hanc ſententiam ſequitur Varro, *l.* 5. *de LL. Ab Tuſculanis poſt diem ſextum Eidus vocatus ſextatrus; & poſt diem ſeptimum ſeptimatrus: ſic hic quòd erat poſt diem quinctum Eidus, quinquatrus.* Item Gellius, *l.* 2. *c.* 21. *In ſeptentriones triones per ſeſe nihil ſignificare ajunt, ſed vocabuli eſſe ſupplementum: ſicut in eo quod quinquatrus dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus ſit, atrus nihil.* Eadem ſententia *Feſti*, cujus hæc verba: *Quinquatrus appellari quidam putant à numero dierum, qui ferè his celebrantur: qui ſcilicet errant, tam hercule quam qui triduo Saturnalia, ac totidem diebus Compitalia: nam omnibus his ſingulis diebus fiunt ſacra. Forma autem vocabuli ejus, exemplô multorum populorum Italicorum, enunciata eſt, quòd poſt diem quinctum Iduum eſt is dies feſtus; ut apud Tuſculanos triatrus, & ſexatrus, & ſeptenatrus, & Faliſcos decimatrus. Minervæ autem dicatum eum diem exiſtimant, quòd eô die ædes ejus in Aventino conſecrata eſt.* Hactenus *Feſtus.* Opinionem autem quam is damnat, ſecutus eſt Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 809.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ:
Nominaque à junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferrô:
Cauſa, quòd eſt illâ nata Minerva die.
Altera, treſque ſuper raſâ celebrantur arenâ:
Enſibus exſertis bellica læta Dea eſt.

Secundum quinquatruum diem natalem fuiſſe Ovidii, ait ipſe, *Triſt. l.* 4. *El.* 10. *v.* 11.

Lucifer amborum natalibus adfuit idem,
Una celebrata eſt per duo liba dies.
Hæc eſt armiferæ de feſtis quinque Minervæ,
Quæ fieri pugnâ prima cruenta ſolet.

Natus ergo eſt ſextô pòſt Martias Idus. Sed & moris erat; ut ii dies jucundè, hilariterque traducerentur. Auguſtus ad Tiberium, *c.* 71. apud *Sueton. Nos mi liberi, Quinquatrus ſatis jucundè egimus: Luſimus enim per omnes dies forumque aleatorium calefecimus.* Lipſius, *Lloydius.* Cicero pro uno die poſuiſſe videtur, *l.* 12. *Ep.* 25. Vetus Kalendarium Martiô menſe feſtum hoc ponit & *Quinquatria* appellat: celebrabantur autem 14. Kal. April. eôque tempore publica erant Oratorum ac Poëtarum certamina, teſte Xiphilinô. De pueris Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 115.

Eloquium ac famam Demoſthenis aut Ciceronis,
Incipit optare & totis Quinquatribus optat.

Vide Anton. Thyſium JCtum *Not. in Gellium. loc. cit.*

QUINQUE Calculorum ludus, vide ſuprà *Palamedis.*

QUINQUE Certamina, in Ludis olim Græcorum Gymnicis, certari ſolita, fuêre *Curſus*, *Lucta*, *Saltus*, *Jactus*, *Pugilatus*, juxta verſum Simonidis, apud Pollucem, *l.* 3. *c.* 30.

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Inter quæ quis ordo fuerit, non adeò liquet. Pugilatum primô, luctam ſecundô, jaculum tertiô, curſum quartô locô, Veterib. numeratum eſſe, docet ex Homero *Il.* ψ. ubi de funere Patrocli, & *Odyſſ.* θ. ubi Ulyſſes provocat Phæacas, Car. Paſchalius *Coronar. l.* 6. *c.* 14. Scaliger, pro motus ratione ſtatuens, Luctam putat fuiſſe poſtremum omnium inventum; utpote compoſitum ſitumque in duobus motum: Curſum autem primum, mox Saltum. Pedumque initiô (à Paſtoribus, hinc enim & horum ludorum originem arceſſit) jactum arbitratur, mox lapidem craſſum ac gravem. Qui motus fuit quaſi introrſum, contrarius autem huic jactus extrorſum, quem in diſco jaciendo exercebat &c. Vide eum, *Poëtic. l.* 1. *c.* 22. Hoc certum, Certaminum horum ordinem ſæpe inverſum fuiſſe, quô minus certi de eo quidquam tradi poteſt. In omnibus verò illis qui victoriam obtinuit, πένταθλος Græcis, *Quinquertio* Latinis dictus eſt, vide infrà in hac voce.

QUINQUE Chordarum inſtrumentum, vide ſuprà *Pentachordos.*

QUINQUE-COLLES, Græcè πεντάλοφος, locus Laconicæ, à Lacedæmone 7. ſtad. ubi vinum generoſum, *Athen. Monti di Miſitra* vulgò.

QUINQUE-DIGITUS, Græcè πεντεδάκτυλος, mons Æthiopiæ ſub Ægypto, ad Bazium promontor. deſinens, apud Berenicen urbem, vulgò *Montagne di Ceſer* dici videtur. *Ptol. Ferrar.*

QUINQUE-ECCLESIÆ, Hungariæ inferioris urbs, quæ à Turcis *Petſcheu*, à Germanis *Funfkirchen* appellatur. Ad amnem *Keoriz*, non longe à Dravo fluvio. Sub Turcis ab A. C. 1542. In Comitatu Tolnenſi. Hìc obiit Solimannus Imperator Turcicus die 4. Sept. A. C. 1566. Arcem habet munitam, 6. milliar. German. à Danubio in Occaſum, 23. à Tauruno in Circium. *Otegiazac*, Hungaris.

QUINQUEPAGICI, ex Helvetiis illi inprimis dicuntur, non qui primi fœdus fecerunt, hâc enim ratione Urania, Suitia, Underwaldia, Lucerna & Tigurum *quinque pagi* eſſent: Sed quinque illi, Lucerna, Urania, Suitia, Underwaldia & Tugium; qui Latinorum rituum mordicus retinentes, arctiſſimâ inter ſe familiaritate, forſan & peculiari fœdere, conjuncti ſunt. Hi, à quo Helvetii ob religionem diviſi, peculiares conventus inſtituunt, frequentiſſimè omnium conveniunt & proprium quendam Senatum habent. Vide Joh. Simlerum *de Rep. Helvet.*

QUINQUE-PORTUS regni Angliæ, gaudentes immunitatibus, quas alii Portus dicti regni non habent, ſunt *Haſtingus*, *Romene*, *Hethe*, *Doveria*, *Sanduicus.* De quorum ſervitiis, quæ Regi debent, vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Cœterum, In his, villiſque aliis ad eos pertinentibus, *Rye* præſertim & *Winckelſey*, qui degunt, *Barones de Quinque Portubus* dicuntur, præter antiquam nobilitatem gloriamque in Regni defenſione reportatam, non *Baronum* ſolùm appellatione, ſed ampliſſimis inſuper privilegiis, inſignes. In Regis namque coronatione quatuor ex numero ſuo electos mittunt, qui umbraculum ſupra ipſius caput deferunt, eâdemque die ſolennibus epulis coram ipſo à dextris accumbunt. In Parlamentis porrò, proximum olim à Baronibus Regni obtinuêre locum ſed hodie *Communibus* immiſcentur, quod fieri cœptum an. 4. Jacobi I. Regis &c. Quorum omnium auctor Guilielmus Nothus, qui, ut Cantium, Angliæ clavem, tantô firmius retineret, Conneſtabilem Caſtro Doverenſi, eundemque Limenarchum, ex veter. Romanorum inſtituto, *Quinque-Portubus* præfecit. Henr. tamen Knyghton A. C. 1207. Joanni Angliæ Regi id inſtituti tribuit. Quorum utrum ſit, etiamnum privilegia illa vigent & Limenarcha ſemper eſt è fidei ſpectatiſſimæ Proceribus, habetque in ſua juriſdictione, in plurimis, Admiralli auctoritatem aliaque jura. Car. du Freſne in voce *Baro.*

QUINQUE Primi, in 3. *Verrin.* Ciceron. *c.* 28. ſunt *Quinque-Viri*, qui principem in Senatu locum habebant. Hi, ut & Decemprimi (de quibus vide ſuprà) muneribus quibuſdam ac functionibus obnoxii erant, ut à Jureconſultis traditur. Pratejus apud Johann. Calvinum, *Lexico Juridico.*

QUINQUE Stellæ, vide ſuprà *Planetæ.*

QUINQUENNALES Ludi, in honorem Homeri à Chiis olim editi ſunt, exactô quôlibet quadrienniô, quibus Rhapſodorum agonem celebrabant, cum ſacrificiis & nummis eam in rem percuſſis. In nummis autem ΩΜΗΡΟϹ eſt *ſedens barbatus, diademate redimitus* & *plectrum manutenens*: in averſa parte ΧΙΩΝ nomen, & Sphinx, notiſſimum eorum inſigne. Etiam ex Hipparchi inſtituto, Athenis mos erat, καθ' ἑκάστην Πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων, *Quinquennali Panathenæorum feſto, ſolius Homeri carmina* ῥαψῳδεῖσθαι, Lycurgus *Orat. contra Leocratem.* Occurrunt porrò *Quinquennales Ludi*, apud Spartian. in *Hadriano c.* 19. Vide ſuprà *Pialia.* De *Quinquennalibus* & Ludis Neapoli actis, quæ indigitat Papinius, *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 6.

Huc me poſt patrii lætum quinquennia luſtri &c.

Vide Interpretes; iiſque adde Petrum Fabrum, *Agoniſt. p.* 645. & Marcellum Donatum *ad Suetonii Auguſtum*, *c.* 18. Sacra certè fuerunt illa, & Muſica: quem agonem Strabo ἐνάμιλλον τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα; *conferendum cum quolibet clariſſimo certamine eorum, quæ in Græcia celebrantur*, dicit, *l.* 5. Aliud certamen *Quinquennale*, cui proprium nomen Πενταετηρικὸς ἀγών, memoratur Plutarcho, in *Ariſtide*, ubi, pompam horum ludorum ſigillatim recenſens, inter alia ibi fuiſſe ait currus plenos myrti & coronamentorum. Quò referas etiam *Quinquennales Cœtus*, quos Plinius, Trajano ſcribens, *Trajanos* appellari poſſe, ait *l.* 10. *Ep.* 79. &c. De quibus omnibus vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 30.

QUINQUENNALIA Vota, vide infrà *Votivi Ludi*, & *Votivi nummi.*

QUINQUENNALIS, apud Æl. Spartian. *in Hadriano, loc. cit. Apud Neapolim Demarchus, in patria ſua* Quinquennalis: *& item Hadriæ* Quinquennalis, *quaſi in altera patria*; nomen eſt Magiſtratus, quem Πενταετηρικὸν exponunt. Gloſſæ *in cap. de Magiſtratibus, Magiſter equitum, Flamen, publicus, Quinquennalis.* Sic dicti, quòd functio tot annos duraret. Cujuſmodi *Quinquennales* in pleriſque Coloniis & Municipiis fuiſſe, conſtat, ſic varia corpora & Collegia ſimiliter ſuos *Quinquennales* habuêre. Abſens autem geſſit hunc Magiſtratum Hadrianus, uti notat *Dio*, vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad locum*: uti de *Quinquennio* relegatorum, infrà voce *Relegatio*; de primo natorum feſtivè celebrato, ſuprà in *Luſtrum.*

QUINQUERTIO, Græcè πένταθλος dicebatur olim, qui omnibus *quinque Artibus*, ſeu *exercitationibus Gymnicis*, valebat, curſu videl. ſaltu, diſcô, jaculô, luctâ: quæ Simonides, *Antholog. l.* 1. *c.* 1. complexus eſt hôc verſu,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Quemadmodum, qui in ſingulis polleret, *Curſor*, *Saltator*, *Diſcobolus*, *Pugil* &c. qui in luctu ſimul & pugilatu excelleret, *Pancratiaſtes* vocitatus eſt. Livius tamen Andronicus *Quinquertiones* appellavit Athletas, ut *Feſtus* teſtatur: apud quem etiam periodon viciſſe dicebatur is, qui Pythia, Iſthmia, Nemea & Olympia ſimul viciſſet, nomine à circuitu eorum ſpectaculorum acceptô. Apud Laërtium, Democritum legimus Philoſophum πένταθλον ſeu *Quinquertionem* dictum eſſe, quod in Juventute fortè viciſſet, ut vult Mercurialis: Voſſius tamen per tralationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

nem illum ſic vocitatum fuiſſe contendit: *Siquidem verè erat in Philoſophia* Quinquertio. *Nam & rerum naturalium, & Matheſeos* & *Liberalium diſciplinarum Orbis & Artium omnium peritiam habuit, longò uſu firmatam*, ut inquit *Laërtius*. Fuêre autem & plura certaminum genera, quibus Athletæ olim inter ſe contenderent, ſed quinque prædicta præcipua erant, in quibus plerunque, tam in ſacris Certaminibus, quàm in Ludis, Amphitheatris & publicis Spectaculis, ſed præſertim in Stadio, quod ferè ſolis Athletis propriè deſtinatum erat, certabant. Poſteà quoque *halteres*, atque nonnulla alia in uſum veniebant, ab Athletis obiri ſolita, ſed & illa in publicis Ludorum & ſacrorum Certaminum Spectaculis raró peragebantur, unâ exceptâ Monomachiâ, quam Græcos Sacerdotes æſtivô tempore in Pergamo exercere conſueviſſe, memoriæ prodidit Galenus, *l.* 3. *de Arte, c.* 13. Quanquam Monomachos ab Athletis diverſos fuiſſe apud Veteres indigitet Cicero, *l.* 7. *Ep.* 1. Niſi dicamus, quod memoriæ proditum eſt à Dionyſio Halicarnaſſeo, *Antiqq. Rom. l.* 7. *Athletas alios fuiſſe leviorum, alios graviorum certaminum, atque hos poſteriores fuiſſe Gladiatores*, Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 14. Voſſ. *de* 4. *Artibus Popul. c.* 3. §. 36. & 78. ut & ſuprà *Pentathlus.*

QUINQUEVIRI cis & ultra Tiberim, Magiſtratuum fuerunt, apud Romanos, Vicarii, de quibus ita Pomponius JCtus & eum ſequutus Dominicus Floccus: *Et quia Magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum ire inconveniens erat*, Quinqueviri *conſtituti ſunt, cis & uls Tiberim, qui poſſent pro Magiſtrantibus fungi*. Alias mentio eorum rara, niſi quòd & Livius eorum meminit, *locô jam citandô*. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 29.

QUINQUEVIRI Coloniæ deducendæ, Curatores erant, quibus coloniæ deducendæ, agrorumque dandorum cura incumbebat. Cùm enim aut lege aliquâ à Plebe ſcitum, aut Senatuſconſultô decretum eſſet, Coloniam aliquam deduci, numerô Colonorum ſcriptô, creabantur Comitiis Tributis, modò per Conſulem, modò per Prætorem Urbanum, Curatores, qùi Coloniam deducerent, interdum tres, interdum *Quinque*, ſeptem, decem, viginti etiam; qui inde *Triumviri*, *Quinqueviri* &c. *Coloniæ deducendæ*, aut *agris dandis attribuendiſve*, appellabantur. Hi poſtquàm creati erant, Colonos, qui vel ſuâ ſponte nomina dederant, vel fortè exierant, in agros lege definitos atque in Coloniam ſub vexillo, quaſi Exercitum aliquem, deducebant: eratque deductionis Dux è Curatoribus Agrariis unus, Vide *Appianum*, *Plut. Ciceronem.* Alios. Ubi verò Colonos in agris collocârant, tum aratrô Urbem & agrum circumſcribebant, uti ex iiſdem ut & Dionyſio ac Varrone, diſcimus: nummis item, quales in *Faſtis*, *Julio* & *Auguſto*, Huberti Goltzii multi cernuntur; in quorum uno vexillum, aquila, & ſignum cohortis: in alio vexillum item, aquila, aratrum, decempeda, ſive pertica agri menſoria, in alio ſacerdos agens jugum boum & ſulcum aratrô ducens, repræſentatur. Tum verò agri diviſionem ac ſuæ cuique parti aſſignationem aggrediebantur: quod proin munus difficultatis ac moleſtiæ plenum videtur fuiſſe, cùm in odium Colonorum facilè, diviſionis iſtiuſmodi cauſâ, incurrere poſſent. Atque hæc omnia fiebant auſpicatò: quâ fini Curatoribus illis Pullarius attribui ſolebat. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 47.

QUINQUEVIRI Epulonum, cùm prius *Triumviri* eſſent, epulorum ſacrorum apud Romanos agebant curam: Iis poſteà duo additi, ſeptenarium expleverunt, unde *Septemviri Epulonum* dicti. Vide Lazium *de Republ. Roman. l.* 3. & ſuprà in voce *Epulones.*

QUINQUEVIRI Menſarii, à diſpenſatione pecuniæ dicti, nomen Magiſtratûs apud Romanos. Creati illi ſunt, ut Livius tradit *l.* 7. an. Urb. Cond. 301 Conſulib. Valeriô Poplicolâ, C. Marciô Rutiliô, ex plebe. Cùm enim fœneratorum improbitati & æris alieni magnitudini, quâ Plebs premebatur, Principes Plebis ſuccurrere ſæpenumero, ſed fruſtra, tentâſſent, *hôc annô*, verba ſunt Livii, *inclinatis ſemel in concordiam animis, novi Conſules fænebrem quoque rem, quæ detinere unanimos videbantur, levare aggreſſi, ſolutionem alieni æris in publicam curam verterunt*, Quinqueviris *creatis, quos Menſores à diſpenſatione pecuniæ appellârunt. Meriti autem æquitate curaque ſunt, ut per omnium Annalium monumenta celebres nominibus eſſent. Fuêre C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publius & T. Æmilius, qui rem difficilimam tractatu & plerunque parti utrique, ſemper certè alteri gravem, cùm aliâ moderatione, tum impendiô magis publicô quàm jactura, ſuſtinuerunt. Tarda enim nomina & impedita tam inertiâ debitorum, quàm facultatibus aut Ærarium menſis cum ære in foro poſitis diſſolvit, ut Populo priùs caveretur: aut æſtimatio æquis rerum pretiis liberavit, ut non modò ſine injuria ſed etiam ſine querimoniis partis utriuſque exhauſta vis ingens æris alieni ſit*, *l.* 7. *c.* 21. Idem alibi tradit, annô 537. tempore primi belli Punici Triumviros Menſarios, propter penuriam argenti, creatos fuiſſe &c. Creabantur autem hi Comitiis Tributis. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Rom. l.* 7. *c.* 39. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 16. & Joach. Camerarium *in Orat. Cic. pro Flacco*, nec non ſuprà ubi de compoſitis ex Græco πέντε.

QUINSÆUM, urbs ampla Sinenſium. Tantæ magnitudinis *Mendezio Ponto*, *Herreræ*, *Maldonato & Trigaltio*, ut expeditus eques intra diei ſpatium vix illam circumdare curſu poſſit, utpote ambit. leuc. 130. longitud. 10. latitud. 5. Ibi portæ 470. tantæque ſpiſſitudinis muri, ut duodeni equi commodè illos tranſmittere queant. Hornio eſt *Cambalu* hodie: Sed videtur nunc *M. Martinio* eſſe Hangcheum, provinciæ Chequinenſis primar. aliàs *Kingſu*, ſeu *Kingſay* indoctis, i.e. urbs verè regia, fuit enim Regum ſedes verſus A. C. 1300. & poſteà *Lingan* etiam dicta fuit. Ad fluv. *Cientang*, vix 40. mill. paſſ. ab ora maris Eoi in Occaſum. Etiamnum perampla, ſub ſe habens 7. urbes minores. M. Paulus *l.* 2. *c.* 67. Horn. *l.* 4. *de orig. Gent. Americ. c.* 3. Martin. *Atl. Sin.* M. P. Veneti temporibus regia Sinenſium fuit, quam decimus Imperator familiæ Sungæ Koaçungus Kin, Tartaros fugiens, hic ſtatuit, atque icirco *Kingſu*, corruptè *Quinſai* vocata eſt. Nec abſcedit pontium numerus, quorum 12000. Venetus refert in Urbe reperiri; inprimis ſi pontibus Arcus jungantur Triumphales, quos ob fornicis ſimilitudinem pontium locô Auctor is habere potuit: quemadmodum idem tigrides Leones dixit, cùm tamen leones in iis tractibus nulli. Fortè & non tantùm eos pontes, qui in & extra Urbem ſunt, ſed qui in toto ejus territorio, comprehendit, quâ ratione numerum augere quoque potuiſſet. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 6. *ſect.* 2. §. 6.

QUINTA, matrona Chriſtiana, Alexandriæ, ſub Decio, pedibus per urbem rapta, A. C. 253.

QUINTA Dies cujuſlibet menſis Lunaris, olim infauſta; illâ enim Eumenides, Erinnyes, Furias perjuros in pœnam quæritare, in Theologia Græcanica creditum eſt. Heſiod. de diebus infauſtis, in Ἡμέρ. *v.* 800.

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί·
Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τιννυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

Quintas verò evitato (maximè conjugiis) *quia difficiles ſunt graveſque.*
In Quinta *enim ajunt Furias circumambulare,*
Ut juramentum (violatum h. e. perjurium) *vindicent quod Contentio genuit, exitium Perjuris.*

Ubi Moſchopulus τιννυμένας interpretatur, ἀπαιτούσας & ζητούσας, *ut rationem exigant & inquirant*. Quam diſciplinam addit Joan. Tzetzes, Heſiodum è Melampede, Poëta vetuſtiſſimo, ſumſiſſe, qui etiam ſcripſerit, perjurii die Quinta commiſſi pœnam divinitùs infligendam, fuiſſe intra quinque dies mortem. Et παρατηρησάμενός ποτε, inquit Tzetzes, εὗρον τοῦτο ἀληθές, *quod ex obſervatione nupera comperi eſſe verum*. Proclus autem ibi, juxta diſciplinam Pythagoricam τὸν Ὅρκον ſumit pro eo quod eſt, τὸν Ὅρκον θεὸν κολαστικὸν ὄντα τῶν συγχεόντων τοὺς ὅρκους ἐν τῇ πέμπτῃ γενέσθαι καὶ τὰς τιμωροὺς δαίμονας τὴν γένεσιν αὐτοῦ πενταδικὴν οὖσαν περιέπειν, *Orcum Deum, qui punit perjuros, die quintâ natum, adeoque Dæmones ultrices natalitia ejus quintana ſic obſervare*. Ita quidem ille, quaſi natum ex Eride *die quinta* ille voluiſſet Heſiodus, ideoque die illâ ita ad perjurii vindictam circumambulare, ut Orco Deo Juramentorum inſervientes Erinnyes. Certè Virgilius etiam Erinnyes, i. e. Eumenides; tunc natas, velut ex Heſiod. canit. *Georg. l.* 1. *v.* 277.

——— Quintam *fuge: Pallidus Orcus*
Eumenideſque ſata ———

Quo de loco Salmaſ. *de Annis Climactericis, p.* 828. Nempe ſive per Deum unum, plures, aut omnes, aliaſve res juraretur, pœnæ cœlitus infligendæ perjuriis expectabantur; quæ non omnino (juxta illud Ciceronis *de LL. l.* 2. *Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus*) aut rariſſimè eô nomine ſeculis vetuſtioribus irrogatæ leguntur. Poſteà verò, ſi per Principem ejuſve Genium, Venerationem, Salutem, Caput, quis pejerâſſet, *niſi ex calore quodam*, nec ex ſedati animi ſententia id *feciſſet, periculum corporis aut Majeſtatis crimen inferri placuit*, uti Alex. Sev. *l.* 2. *Cod. tit. de rebus cred. & Jurejur.* idque ex Deceſſorum conſtitutionibus. Vide Seldenum *de Syned. veter. Hebræorum, l.* 2. *c.* 11. *n.* 4.

QUINTA Hora, epulis tempeſtivis conveniens. Cicero *in Piſonem*, *Meminiſtin' cœnam, cùm ad te* quintâ *ferme horâ cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire involuto capite, ſoleatum.* Dicebantur autem *Convivia Tempeſtiva*, epulæ feſtæ ac ſumtuoſæ, quæ de die, h. e. ſolitô maturiùs inibantur, ac in multam noctem, etiam ad galli uſque cantum protrahebantur. Inde eſt, quòd Cæcilianus quidam apud Martialem, *l.* 8. *Epigr.* 67. ab ipſo invitatus, ad *quintam* venerit, quæ ſtata erat hora convivii ſumtuoſi. Juvenalis, *Sat* 11. *v.* 204.

——— *jam nunc in balnea ſalva*
Fronte licet vadas, quanquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam &c.

Vide ſuprà ubi de phraſi, *de Die epulari*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Floriano. c.* 6.

QUINTADECIMA, apud Henr. Knyghtonem A C. 1219. & Matthæum Weſtmon. A. C. 1227. redituum tributum ſingulis Civitatibus, oppidis, villis totius Angliæ ab antiquo impoſitum; auxilii vice ſolvendum certum autem ac definitum, quod tamen nec annuatim, nec ſine Parlamentario decreto exigatur, aliàs *Tallagium* & *Taxa*, Gall. *Quinziéme*, Angl. *the Tax*. Originem ſumpſit è Saxonum *Danegeldo*. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* & Car. du Freſne *Gloſſar.*

QUINTANA, ludi genus, ad experiendam juvenum ruſticanorum agilitatem, equorumque pernicitatem. Gall. *Quintaine*, & *Berſant*, Angl. *Quintane*, & *Whintane*. Ejus forma hæc: Erectæ trabi pertica incumbit verſatilis, unô fine peram demittens, arenâ gravidam: alterô tabulam affixam, quæ dum à currenti equite fortiùs haſtâ impellitur, pera violentiùs circumacta, impellentis collum, ni citatius evaſerit, fortiter verberat. Vide Matth. Paris, *in Henrico III. ad An.* 1253. & Henr. Spelm. *Gloſſ. Arch.* Carolo du Freſne decurſio fuit equeſtris ludicra, ad mεtam, hominis armati figuram exhibentem, ad umbilicum mobilem & verſatilem, ſiniſtrâ clypeum, dextrâ enſem aut baculum tenentem: quæ ſi aliter lancea, quàm in pectore, percu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

percuteretur, mox à ſcopo aberrantem baculô repercutiebat. Vide eum *Diſſertat. ad Joinvillam l. 7.* Ejus locô hodie viget *Decurſio in ſtatarium pugilem*, Gall. *la courſe au faquin* &c. Salmaſio *Quintana ludus* hodie dicitur Gallis, quem *Κυνταυὸν κόντακα* vocat Photius *Nomoc.* Vide ſuprà voce *Contacopactes.* De *quintana* à Nerone *domi inſtituta, ubi parta* (nocturnis graſſationibus) *& ad licitationem dividendæ prædæ pretium aſſumeretur*, vide Sueton. *in eo, c.* 26.

QUINTANA Porta, vide ſuprà *Porta.*

QUINTANÆ, ſunt in *Itinerario* Antonini; oppidum quondam ad Danubium fuiſſe ait *Aventinus*, quod in pagum evanuit, & *Kyntzen* hodie vocatur. Item Latii locus, in via Lavicana.

QUINTANICA, fluv. Vindeliciæ, in Bavaria ad Quintanas & Vilshovium oppid. in Danubium fluens; *Vilſſ.*

QUINTIA Prata, locus erat Romæ, trans Tiberim, apud navalia, 4. jugerum, Quintii Conſulis ſeu Dictatoris, Liv. *l.* 3. *c.* 26. Ibi Papiniana regiunc. ſeu Papinius ager.

QUINTIA Via, Româ in Sabinos ducens, Salariæ proxima, *Onuphr.*

QUINTIACUM, vulgò QUINSAY, locus Galliæ, in finibus Pictonum diœceſique Pictavienſi, monaſteriô veterrimô ejuſdem nominis nobilis. Hoc Filibertus Abbas Gemeticenſis, multorum monaſteriorum pater, regnante Theodoricô Chlodovæi filiô, monachis replevit. Item alia in Galliis loca, quibus eſt vulgare nomen ſingulis, *Quincy.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

QUINTIANÆ Aquæ, vide *Aquæ Quintianæ.*

QUINTIANUM, Ortelio *Quintiana*, pagus agri Brixienſis: ſed *Quintianum* locus erat Epiſcopalis Atticæ, *Optat. Afer.*

QUINTIANUS, adoleſcens nobilis, in Commodum, cujus ſoror Lucilla ægrè ferebat, ſibi Criſpinam Imperatricem anteferri, ſtrictô pugione irruens. *Hunc*, inquit, *tibi ſenatus mittit.* Verùm à militibus comprehenſus; amentiæ pœnas dedit, Herodian. *l.* 1. *c.* 8.

QUINTILIA, amaſia Licinii poëtæ.

QUINTILIANI, Montani ſectatores, à Quintilla, quam velut prophetiſſam ſequebantur. Quia pane & caſeô Euchariſtiam celebrabant, *Artotyritæ* dicti, fœminas Sacerdotiis & Epiſcopatibus præficiebant, Auguſt. *hær.* 27. Epiph. *hær.* 49. Baron. *A. C.* 173. *&c.* Iidem Baptiſmum quoque rejiciebant, contra quem errorem ex profeſſo diſputat Tertullian. *de Baptiſmo.* Vide Joh. Forbeſium, *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l.* 10. *c.* 5. §. 34. Sed nomine erat unum ex 3. Lupercorum collegiis olim apud Romanos, de quibus vide ſuprà *Fabiani.*

QUINTILIANUS Fabius, Rhetor Hiſpanus, ex civitate Calaguritanâ, quamobrem ipſe quoque Hiſpanos provinciales ſuos vocat. Romam cum Galba venit, brevique tempore Domitiani principis nepotes erudiit. Ludum Romæ aperuit; unde Martialis; *l.* 7. *Epigr.* 90. *v.* 1.

Quintiliane vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Primus è fiſco ſalarium tulit, eoque dives evaſit; unde Juvenalis, *Satyr.* 7. *v.* 188.

——— *Unde igitur tot*
Quintilianus habet ſaltus? ———

Incidit autem illius ætas in ea tempora, quibus inclinatio quædam ſermonis Romani ad barbariem fieri cœperat. Avum habuit Quintilianum, cujus dicuntur eſſe declamationes, quæ Quintiliani nomine extant. Plura qui volet, legat politiſſimi Politiani præfationem, Fabii Inſtitutionibus præfixam. Reliquit *inſtitutiones Oratorias.* Vide quoque Hieron. *in Chron. Euſeb.* Senec. *Proœm. l.* 10. *Controverſ.* 4. Voſſ. *Inſtit. Orator. l.* 1. *c.* 11. *& c.* 15. *de Rhetor. nat. ac Conſt.* Declamationes Hugolinus primò, dein Pithœus edidit. *Nic. Lloydius.*

QUINTILIANUS, tribunus plebis, ſub Tiberio, qui de libro Sibyllæ reperto ad Patres retulerat; ob id modicè à tribuno increpitus, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 12.

QUINTILIS Menſis ideo dictus eſt, quòd ordine *quintus* eſſet à Martio, qui apud antiquos Romulô auctore, primus anni menſis erat, ſed poſteà in honorem Julii Cæſ. Dictatoris, M. Antoniô Conſ. legem ferente, *Julius* appellatus eſt. *Nic. Lloydius.* Nempe, retinuit etiam ſub Numa hoc nomen, licèt is duobus aliis menſibus additis atque Januariô, anni principe conſtitutô, ſeptimus tum numeraretur; Donec à C. Julio Cæſare, qui eô natus ferebatur, *Julii* nomen accepit, Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 12. Dio, *Hiſtor. l.* 44. Sueton. *in eo, c.* 76. &c. Ejus Kalendis migrationes ex ædibus olim fiebant. Vide ſuprà in voce *Julius.*

QUINTILIUS, primus fuit ex his, qui Lupercalia, ante urbem conditam, celebravit, à quo *Quintiliorum* gens Patricia & Conſularis manavit. Vide & *Quintus*: it. voce *Cajus.*

QUINTILIUS Varus, vide *Marcus.* It. *Quintus*, & *Sextus.*

QUINTILIUS Cardianus; ſeu potiùs *Condianus*, & Maximus, fratres nobiliſſimi & magnæ dum viverent optimæque famæ, ſub Commodo perierunt. Æl. Lamprid. *in Commodo, c.* 4. *Et Paternum & Julianum* ——— *interfecit. Domus prætereà* Quintiliorum *omnis extincta; quòd Sextus Condiani filius ſpecie mortis ad defectionem diceretur evaſiſſe. Dio* occiſos ait, quòd magna florerent gloriâ propter eruditionem, ſcientiam regendorum exercituum, concordiam inter ſe & divitias. Omiſit honores, quibus erant functi maximis. Conſules enim fuiſſe, & quidem annis circiter triginta, priuſquàm occiderentur; diſcimus ex Faſtis. Sed & provinciarum ſimul ambo Præſides fuêre, eôdem Dione auctore *in Vita Marci*, ubi fortitudinem ipſorum iterum prædicat. Ac *Xiphilini* quidem ex verbis Pannoniæ eos præfuiſſe videtur colligi: *Philoſtratus* tamen Achajæ ait. Eruditio, quam Dio illis tribuit, utcunque apparet etiamnum in Fragm. librorum *de Re Ruſt.* quos ſub *Quintiliorum* nomine toties laudatos videmus in *Eclogis Rei Ruſticæ ſive Geoponicorum libro*: in quod corpus multa è libris Quintiliorum fratrum ſunt relata. Opes verò domus magnas fuiſſe, etiam illa hiſtoria docet, quam narrat *Dio*, de illo plano, qui, imperante Pertinace, in Sexti Condiani nomen invaſit, fortunis inhians; quæ illius fuerant. At concordia horum Fratrum planè æternâ laude digniſſima. Putes unum fuiſſe, non duos: ita ſemper conjunctim *Quintilii* nominantur à Veteribus, Conſulatum ſimul geſſerunt, provincias ſimul rexerunt, libros ſimul ſcripſerunt, ſimul ediderunt; ad Marcum Imp. ſimul literas dederunt; Marcus quoque ambobus ſimul reſcripſit, ut eſt *in l.* 15. *Dig. de bonis Libert.* Poſtremò, qui ita conjuncti longam egerant vitam, unà ſimul Commodi juſſu perierunt. Porrò non fuiſſe *Quintilios* ab antiquo cives Rom. ſed Trojanos, ſcribit Philoſtratus *in Vita Herodis Soph.*

QUINTILLA, nomen fœminæ luxurioſæ. Ita enim Rigaltius, *Notis in Phædrum, l.* 1. *Prolog. Satyrici*, inquit, *nomina ſcriptis ſuis convenientia producunt; putà ſi in mulieres luxurioſas invehuntur, nomina inſerunt, Migeles, Medullinæ, Tryphænæ*, Quintillæ, *Lyciſcæ, Phiales, Tibiæ, Floræ: Si in molles ſemiviros, Tryphæri, Trimalcianis, Hedymeles & ſic deinceps.* Fabulatores quoque moribus hominum notandis beſtias introducunt &c. Vide quoque in voce *Quintiliani.*

QUINTILLUS Marcus Aurelius, frater Claudii Imperatoris huic ſucceſſit, A. C. 270. ob rigorem nimium, decimô ſeptimô imperii die à militibus occiſus. Alii dicunt, eum, cùm Aureliano imparem ſe animadverteret, venas incidiſſe. Tribellius Poll. *in Claudio, c.* 12. Vopiſc. *in Aurelian. c.* 16. Euſeb. *in Chron.*

QUINTINI Fanum, oppid. Picardiæ, ubi tantâ clade Galli affecti ſunt ab Hiſpanis, A. C. 1557. ut Lutetiæ cives paſſim diffugerent, tanquam ad portas eſſet Annibal. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 19. & in *Quinctinopolis.*

QUINTINUM, oppid. Britanniæ minoris, 4. leuc. à Fano S. Brioci in Meridiem, 5. à Lambalio in Occaſum.

QUINTINUS Johannes, Picardus, Sartor; junctus Copino, Libertiniſmum in Hollandia & Brabantia profeſſus dicitur: Tornaci cum illo punitus A. C. 1530. Vide *Libertini.*

QUINTIUS, cognomen; unde *Quintia porta*, trans Tyberim, à Qu. Cincinnato dicta. *Quintiorum* autem familia Romæ multiplex fuit, in qua Cincinnati, Flaminii, Criſpini, Martii, diverſis temporibus claruêre, *Volaterr.* Vide *Quinctii.*

L. QUINTIUS, Prætor, de provincia reverſus, obſervatâ, quod mirum, Domitiani temporibus, præturæ maximâ caſtitate, cùm æger aſſidenti amico diceret, frigidas ſe habere manus, & renidens ille dixiſſet: *Atquin eas de provincia calidas paulo antè revocâſti*: riſit, delectatuſque eſt, quippe alieniſſimus à ſuſpicione furtorum. Contrà, ſi hoc diceretur malè ſibi conſcio, & ſua furta recolenti, exacerbâſſet auditum. Macrob. *Saturn. l.* 7. *c.* 3.

QUINTIUS, vide *Titus*, It. *Lucius.*

QUINTIUS Barbatus, Capitolinus, it. Cincinnatus Pœnus; Criſpinus, Flaminius, *Crulo*, vide *ibid.*

QUINTIUS Claudius, vide *Cajus.*

QUINTIUS Flaminius, vide *Cajus.*

in QUINTO, vel QUARTO, Advocati Eccleſiarum olim conſtituti leguntur, quibus *quinta* vel quarta pars emolumentorum & commodorum Eccleſiarum ex pacto dabatur, in *Chronico* Moſomenſi, apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

QUINTUS melius QUINTILIUS, Conſul, cum Commodo Imperatore, an Urb. Cond. 930. Item Conſul, cum Priſco, an. Urb. Cond. 911.

QUINTUS Ælius Pætus, conſul cum M. Junio Pæno, an. Urb. Cond. 587.

QUINTUS Ælius Tubero, conſul, cum P. Fabio Maximo, an. Urb. Cond. 743.

QUINTUS Æmilius Barbula, conſul cum C. Jun. Bruto Bulco, an Urb. Cond. 437.

QUINTUS Æmilius Pappus, conſul cum C. Fabricio, an. Urb. Cond. 475.

QUINTUS Antiſtius Verus, divortium fecit cum uxore, quòd *cum Libertina quadam vulgari ſecretò fuiſſet collocuta.* Sic Sulpitus Gallus, quòd uxorem *foris capite nudô converſatam*, comperiſſet: & Sempronius Sophus, quòd uxor *ſe ignorante ludos ſpectâſſet*, idem feciſſe leguntur. Vide A. Gellium, *l.* 17. *c.* 21. apud Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 33.

QUINTUS Antonius Merenda, Tribun. Milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 334.

QUINTUS Apulejus Panſa, conſul, cum M. Valer. Corvino, an. Urb. Cond. 453.

QUINTUS Aquilinus, conſul cum Aſiatico, an. Urb. Cond. 877.

QUINTUS Cæcilius Metellus, conſul cum L. Veturione Philone, an. Urb. Cond. 548.

QUINTUS Cæcilius Metellus, Achæos ad Thermopylas devicit, Pſeudophilippum in ſuam poteſtatem redegit, Macedoniam

rece-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

recepit, unde & *Macedonicus* dictus eſt. Secundô conſulatu; primum à Gallis victus, poſteà eos vicit, cæciditque ex iis 5000.

QUINTUS Cæcilius Metellus, conſul Baleares vicit, unde *Balearicus* dictus eſt, an. Urb. Cond. 631.

QUINTUS Cæcilius Metellus Celer, conſul, cum Afranio, an. Urb. Cond. 694.

QUINTUS Cæcilius Metellus Nepos, conſul, cum P. Lentulo, quibus referentibus Senatuſconſultum de Ciceronis reditu factum eſt, an. Urb. Cond. 697.

QUINTUS Cæcilius Metellus Numidicus dictus, à Jugurthâ Numidiæ rege devicto, tantæ conſtantiæ fuiſſe perhibetur, ut in exilium abire maluerit, quàm in leges per vim à Mario rogatas jurare; unde poſteà eſt à populo commoto, ob filii ejus Qu. Metelli lacrymas, (qui ob eam rem *Pii* cognomen tulit) revocatus.

QUINTUS Cæditius Longus, conſul cum L. Manlio Regulo; ann. Urb. Cond. 497. Alius conſul cum M. Valerio Corvino, an. Urb. Cond. 468.

QUINTUS Calphurnius Piſo, conſul, cum Fulvio Flacco, an. Uib. Cond. 619.

QUINTUS Caſſius Longinus, conſul, cum A. Manlio Torquato, an. Uib. Cond. 590.

QUINTUS Catulus, primus omnium vela in Theatris, umbræ faciendæ, inveniſſe legitur, apud Plinium, *l.* 19. *c.* 1. ubi ait: *Poſteà in Theatris tantùm umbram fecére* (vela) *quod primus omnium invenit Quintus Catulus, cùm Capitolium dedicaret; carbaſina deinde vela primus in Theatrum duxiſſe traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis.* Sext. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1. *v.* 15.

Nec ſinuoſa cavo pendebant vela Theatro.

Et ex illo P. Ovidius, *de Arte*, *l.* 1. *v.* 103.

Tunc neque marmoreo pendebant vela Theatro.

Vide Thom. Dempſter. *in Roſin. l.* 5. *c.* 4. ut & infrà in voce *Vela*.

QUINTUS Cervidius Scævola, laudatur Ulpiano, *in l.* 3. *ante her. ff. de libertis & poſth.* & Paulo, *in l. cum quidem ff. eod.* Vixit temporibus Marci Antonini Phil. *l.* 39. *ff. de leg. ff. ad Sc. Trebell.* Vide in voce *Cervidius* ſuprà.

QUINTUS Coponius, quòd *amphoram vini cepiſſet* ambitûs damnatus eſt.

QUINTUS Curtius, Hiſtoricus Latinus Auctor vitæ Alexandri M. Ob excellentiam ſtyli, quibuſdam Livio Vellejoque antiquior, & ille omnino creditus, cujus Cicero meminit, *l.* 3. *epiſt.* 2. *ad Quinctum.* Aliis tamen potiùs vixiſſe videtur, ſub Veſpaſiano, imo ſub Trajano: utriſque pro ſua ſententia adducentibus, locum *l.* 4. *c.* 4. ubi de Tyro, & *l.* 10. *c.* 9. ubi de ſeculo ſuo loquitur. Nonnulli etiam longævum admodum illum facientes, vel eundem, vel ſaltem filium ejus eſſe credunt, de quo Suetonius, tanquam de inſigni Oratore loquitur, *in Tiberio*, & Tacitus, *l.* 11. *Ann. c.* 20. 21. tanquam Prætore & Proconſule Africæ: cui ſpectrum quoddam apparuiſſe, refert Plin. *l.* 7. *epiſt.* 27. Quidquid horum, egregius planè auctor eſt. Opus ejus conſtat libris 10. quibus quæ deſunt, ſupplevêre Chriſt. Bruno & Freinshemius. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 28. Ràderum *in Proluſ. ad Qu. Curtium*, *c.* 1. *&c.*

QUINTUS Fabius Æmilianus, fil. Æmilii Pauli Macedonici, frater Africani inferioris, in Fabiorum familiam adoptatus.

QUINTUS Fabius Labeo, conſul, cùm M. Claudio Marcello: an. Urb. Cond. 557.

QUINTUS Fabius Maximus, Magiſter Equitum, quòd contra præceptum L. Papyrii Dictatoris pugnâſſet, ab eo penè ſecuri percuſſus, vixque tandem populi precibus dimiſſus eſt.

QUINTUS Fabius Maximus conſul Allobroges, & Bituitum eorùm regem perdomuit, an. Urb. Cond. 613.

QUINTUS Fabius Maximus Servilianus, conſul Luſitanos devîcit, ſed fidem eis datam violavit, an. Urb. Cond. 612.

QUINTUS Fabius Maximus Verrucoſus, vel Ovicula, vir tantæ prudentiæ, ut primus ex Romanis ducibus Annibalem armis invictum vicerit, non aliâ magis re, quam abſtinendo à pugnâ, adeò ut inde *Cunctatoris* cognomen tulerit.. Hinc Ennius:

Unus homo nobis cunctando *reſtituit rem.*

QUINTUS Fabius Rutilianus, vir egregiæ virtutis, Dictaturam & 5, Conſulatus geſſit, de Etruſcis, Samnitibus, Umbris, & Gallis ſæpius triumphavit. Geſſit autem quintum Conſulatum cum P. Decio filio, qui eô ſe annô devovit, an. Urb. Cond. 458.

QUINTUS Fabius Vibulanus, conſul, cum Sexto Corn. Maluginenſi, an. Urb. Cond. 269. Iterum cum C. Julio Tullo, an. Urb. Cond. 272. Alius, conſul cum T. Æmilio Mamerco, an. Urb. Cond. 287. Iterum bienniô pòſt cum T. Quinto Capitolino Æquos devicit. Alius Tribunus Milit. Conſulari poteſtate, an. Urb. Cond. 341. Iterum an. Urb. Cond. 349.

QUINTUS Fulvius Flaccus, conſul cum Appio Caudice, an. Urb. Cond. 489. Alius conſul an. Urb. Cond. 575. Ligures vicit, ac de iis triumphavit. Alius conſul cum L. Corn. Lentulo, an. Urb. Cond. 516. Iterum cum Torquato, an. Urb. Cond. 530. Bojos in deditionem accepit. Tertiò cum App. Pulchro, Pœnos ad Beneventum cæcidit. Quartò cum Fabio Maximo Tarentum recepit, an. Urb. Cond. 545.

QUINTUS Fulvius Nobilior, conſul cum T. Annio Fuſio, an. Urb. Cond. 601.

QUINTUS Fuſius Calenus, conſul cum P. Vaticano, an. Urb. Cond. 707.

QUINTUS Haterius Antoninus, conſul. cum D. Junio Syllano, an. Urb. Cond. 805.

QUINTUS Hortenſius Nepos. Vide *Hortenſius.*

QUINTUS Lecanius Baſſus, conſul cum M. Licinio Craſſo Frugi, an. Urb. Cond. 816.

QUINTUS Lepidus, conſul cum M. Lollio, an. Urb. Cond. 733.

QUINTUS Luctatius Catulus. Vide *Catulus.*

QUINTUS Mamilius Vitulus, conſul. cum L. Val. Max. an. Urb. Cond. 488. Iterum cum L. Poſthumio, an. Urb. Cond. 491.

QUINTUS Martius Philippus, conſul cum L. Æmilio, an. Urb. Cond. 488. Alius conſul à Liguribus victus, an. Urb. Cond. 569.

QUINTUS Martius Rex, conſul, Sarvios, gentem Alpinam ſuperavit, an. Urb. Cond. 636.

QUINTUS Martius Tremelus, conſul. cùm L. Cæſare, an. Urb. Cond. 690. Alius conſ. de Hernicis triumphavit, an. Urb. Cond. 448.

QUINTUS Martius Varia, conſul cum L. Metello Cretico, an. Urb. Cond. 686.

QUINTUS Maximus Eburnus, conſul cum C. Licinio Geta, an. Urb. Cond. 638.

QUINTUS Minutius Rufus, conſul, cum Cn. Corn. Cethego, an. Urb. Cond. 557.

QUINTUS Minutius Thermus, conſul, cum L. Corn. Merula, an. Urb. Cond. 571.

QUINTUS Mutius Scævola. Vide *Mutius.*

QUINTUS Nautius Augurinus, conſul cum C. Horatio Pulvillo, an. Urb. Cond. 297.

QUINTUS Niger, conſul cum T. Aproniano, an. Urb. Cond. 769.

QUINTUS Novianus, conſul cum P. Gallo Camerino, an. Urb. Cond. 787.

QUINTUS Opimius, conſul, Tranſalpinos Ligures ſubegit, an. Urb. Cond. 600.

QUINTUS Pedius, conſul cum puero Octavio in locum Hirtii & Panſæ, qui in Mutinenſi prælio occubuerant, ſuffectus.

QUINTUS Pedo, conſul cum Val. Meſſala, an. Urb. Cond. 867.

QUINTUS Petilius Spurinus, conſul, cum Cn. Scipione Hiſpalo, an. Urb. Cond. 587.

QUINTUS Pomponius Nepos, conſul cum L. Sylla, an. Urb. Cond. 666.

QUINTUS Publius Philo, conſul, cum Æmilio Mamerco, an. Urb. Cond. 317. Iterum cum L. Corn. Lentulo, an. 428. Tertiò, an. 434. Quartò, an. 448.

QUINTUS Quintilius Varus, in Germania bellum gerens ſub Octavio Cæſare, cum 3. legionibus ad internecionem cæſus eſt. Sueton. *in Aug. c.* 23.

QUINTUS Saturninus, *l.* 13. §. *Marcellus ff. de jurejur.* Vide Calvin. *Lex. Jur.* At *Quintus Limes*, apud Agrimenſores, idem cum *Quintario*, ſic dictus eſt, non qui locô quintô numeraretur à Decumano & Kardine maximis, ſed qui centurias quintus includeret; Hic quintus erat à primo centuriam includente, qui & quinque centurias includebat. *L.* antiqua, *Ut à Decumano Maximo quintus quiſque limes ſpatiô itineris ampliaretur.* Poſitô nempe Decumanô Maximô & Kardine Maximô, quinque poſteà limites dirigebantur. Horum quinque limitum, qui primam centuriam cludebat, dictus eſt etiam quibuſdam *primus*, licèt ſecundus eſſet à Decumano maximo. Hic cum noviſſimo, i. e. quinto, latior cœteris mediis linearibus & ſubruncivis fiebat, non tamen Decimanô aut Kardine maximis, qui omnium latiſſimi. Quibus quinque limitibus cùm Decumanus acceſſerat, ſex fiebant. Porrò quinque horum limitum primus & noviſſimi, h. e. *quintus*, *Actuarii* κατ' ἐξοχὴν appellati ſunt, ab actibus includendis, qui & cœteris latiores fiebant. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 679. & 680.

QUINTUS Servilius Cæpio, conſul cum Q. Martio Philippo, an. Urb. Cond. 585. Alius conſul cum C. Lælio, an. Urb. Cond. 614.

QUINTUS Servilius Fidenas, Tribunus Milit. an. Urb. Cond. 354. Iterum, an. 358. Tertiò, an. 361. Quartò, an. 366.

QUINTUS Servilius Hala, conſul cum L. Genutio Aventinenſi, an. Urb. Cond. 391. Iterum cum eodem triennio pòſt. Idem Dictator, an. 396. Tertiùm conſul. cum C. Martio Rutilio, an. Urb. Cond. 414.

QUINTUS Servilius Priſcus, Dictator, Æquos ac Labicanos vicit, an. Urb. Cond. 338.

QUINTUS Sulpitius Camerinus, Tribun. Milit. an. Urb. Cond. 354. Iterum, an. 358. Alius, conſul cum C. Poppæo Sabino, an. Urb. Cond. 661.

QUINTUS Sulpitius Coſſus, conſul, cum M. Manlio Capitolino, an. Urb. Cond. 322.

QUINTUS Verannius, conſul, cum Cn. Pompejo Gallo, an. Urb. Cond. 801.

QUINTUS Voluſius Saturninus, conſul, cum P. Cæpione, an. Urb. Cond. 808.

QUINTUS, locus Italiæ apud Sarnum fluv. ubi Vitiges Rex Theodatum interfecit, Amm. Marcellin.

QUIRI, regio eſt Terræ Antarcticæ, à Ferdin. Quiro Hiſpano detecta, verſus oram Auſtralem maris Pacifici. Sed non conſtat, ubi ſit, an prope Inſulas Salomonis, aut verſùs Novam Zelandiam; nec ulla ibi Europæorum colonia.

QUI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

QUIRINI, apud veteres Auctorem ludicri Teſtamenti, cognomen eſt ſororis porcelli, ut qui alluſit ad vocem Græcam χοῖρος & quaſi χοιρίνη: quemadmodum ipſum porcellum cognominavit *M. Grunnium Corocottam*, vide eundem, *Ibid. p.* 337.

QUIRINA Tribus, memoratur Sext. Pompejo Feſto his verbis: *Quirina Tribus à Curenſibus Sabinis videtur appellationem traxiſſe.* De eadem Cicer. Or. *pro Quinctio, c.* 6. *L. Albius Sext. F. Quirina.* Et Aſconius, *in Orat. pro Cœlio*, *Duæ ſolæ Tribus, Sergia & Quirina damnaverunt.* Cœlius quoque ad Ciceronem C. *Septimii T. F. Quirina*: & Joſephus *Jud. Antiqq. l.* 14. *c.* 17. *Papyrii Quirina*, meminerunt. Vide Jo. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 25.

QUIRINALES Salii, *Quirinalis Flamen*, vide ubi de *Flaminibus* & *Saliis*.

QUIRINALIA, vocabant diem, quô ſacra *Quirino* fiebant. Fiebant autem 12. Cal. Maji. De his Ovidius, *l.* 2. *Faſtor. v.* 513. *ſ.* & Varro, *l.* 5. *de LL.*

QUIRINALIS, collis Romæ dictus, quòd in eo *Quirini* templum eſſet, ſive quòd in eum commigraverant Sabini à Curibus venientes: & *Quirinalis porta*, quòd eâ in collem Quirinalem iretur; vel quòd proximè eam eſſet Quirini templum. Hodie Italorum vulgus à duobus equis marmoreis, Phidiæ & Praxitelis operibus in hoc colle ſitis, *Monte Cavallo* vocat. *Nic. Lloyd.* Varroni *loc. cit.* à *Quirino* Deo dictæ ſunt, *quòd ei feriæ, & eorum hominum, qui Fornacalibus ſacris non fuerunt feriati.* In Romuli igitur honorem celebrabantur, die Februarii 17. ſeu 13. Kal. Martii. Eôdem die, quia Stultorum etiam fuêre feriæ, hinc *Quirinalia* feriæ ſtultorum dicebantur; ob hanc cauſam, quòd, cùm quiſque in ſua Curia Fornacalibus, quæ Indictitiæ feriæ erant, feriaretur, & ſacra faceret, ſtulta Populi pars, quæ ſua Curia eſſet, ignorans, rem divinam Fornacalibus omiſſam, *Quirinalibus* faciebat, *Feſtus*, vide Joh. Roſin. *l.* 4. *c.* 6. Scaligero *Quirinales Ludi*, qui & *Romani*, dicti ſunt, qui peregrini haberent nihil, *Poëtic. l.* 1. *c.* 1.

QUIRINIUS, vide *Sulpicius*.

QUIRINUS, de QUIRITUM, ac QUIRINI etymo, quanquam propriè pertineat ad propria, παρέργως aliquid addemus (inquit Voſſius in *Quiritare.*) Meô judiciô à *Curibus* eſt *Quirites*, & *Quirinus*, non contrà. Nam *Quirites* propriè qui *Cures* incolebant, Sabinorum oppidum, in quo regnabat Tatius: ut Romani, qui cum Romulo Romam tenebant. Verùm poſt fœdus ictum inter Romulum ac Tatium pro eodem populo habiti *Romani* & *Qurites*: unde *Quiritari*, pro *populi Romani auxilium implorare.* Dubium verò, num *Curibus* ſit nomen à *Curis*, quæ Sabinis, Feſtô teſte, haſtam ſignificat: an *haſtæ à populo haſtato* ſit impoſitum nomen. Ovidius de *Quirini* appellatione varias eſt contentus adduxiſſe opiniones, judicium verò ſuum non interponit. Sic enim ait *Faſt. l.* 2. *v.* 477.

> *Sive quòd haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,*
> *Bellicus à telo venit in aſtra Deus:*
> *Sive ſuo Regi nomen poſuêre Quirites;*
> *Seu quia Romanis junxerat ille Cures.*

Priorem Ovidii verſum quod attinet, ei adſtipulatur Dionyſius Halicarn. *l.* 2. Ῥωμ᾽ ἀρχαιολ᾽ Κυρεῖς γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλέζι. *Nic. Lloyd.*

QUIRINUS inter Jovis cognomina.

P. Sulpicius QUIRINUS, Κυρήνιος in Hiſtor. Euangel. dictus, Conſul Rom. mox à Conſulatu, expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia Triumphi adeptus, damnatô Archelaô, in Syriam, ab Auguſto, miſſus eſt, cum duplici poteſtate, regendæ Provinciæ & censûs habendi, teſte Joſephô, *Jud. Antiqq. l.* 17. cui uſitatiùs ἡγεμὼν aliàs, ſed hîc δικαιοδότης, i. e. *jura reddens* appellatur: ut ordinario Imperio qui præerat, i. e. Præſidem, deſignaret. Iſtud enim ordinarium *Quirino* imperium demandatum fuit; negotium agendi cenſus extra ordinem & ultra conſuetum Præſidum munus. Etſi verò eum Joſephus τιμητὴν Ἰουδαίας, *l.* 20. *c.* 4. vocet, egit tamen is cenſum, non in Judæa duntaxat, verùm in tota Syria, ut ex eodem diſcimus, *l.* 7. *ſub finem.* Τιμητὴς autem minus rectè *Cenſor* à Ruffino vertitur; cùm *Cenſitores* iſti, non *Cenſores* dici ſoliti fuerint, ut ex tit. Pandect. *de Cenſibus* videre eſt. Hic itaque ab Imperatore Procurator, ut eum Juſtinus vocat, miſſus in Syriam & Judæam eſt primus: non primus Auguſtalium Procuratorum, qui communi jure in omnes provincias mittebantur; neque illorum, qui poſt Archelaum mitti ſoliti ſunt, ad Judææ adminiſtrationem (talis enim fuit Coponius) ſed illorum primus, qui ad negotium cenſus in Syriam Judæamque miſſi. Fuiſſe enim moris, ut quando viſum eſſet Imperatori, mitterentur per provincias, qui cenſus agerent, vel unicum Auguſti exemplum oſtendit, de quo Dio, *l.* 61. narratque *Suidas*, ex antiquo Scripto, 20. viros inculpatæ vitæ aliquando ad id miniſterium ab Auguſto fuiſſe delectos & per omnes provincias dimiſſos, qui & perſonas deſcriberent & fortunas. Vide de hac deſcriptione & cenſu à *Quirinio* acto, Iſaac. Caſaubon. *Exercit.* 1. *ad Appar. Annal. Baronii Num.* 30. 86. & *ſeqq.* Adde hîc de *Quirino* Deo ſequentia. Huic poſtremum inter Deos Indigites locum dedit Tullius, temporis in eo rationem ſecutus, de quo ſententiam ſuam in hæc verba adſcribit Voſſ. *de Orig. & Progr. Idolol. l.* 1. *c.* 12. *Tatius, Rex Sabinus, ſi victoriâ de Romanis potiretur, votum ſuis voverat Diis, in quibus & Quirinus, ſic dictus à Curibus, Sabino oppid. unde cives ejus oppidi Curites ſive Quirites. Victâ Urbe vel ſaltem pejus conſtitutâ, quàm quod dicitur, inter ſacrum & ſaxum, ſic interventu raptarum eſt tranſactum, ut ex Sabinis & Romanis unus fieret Populus, ac deinde paribus auſpiciis Romulus & Tatius imperarent. Quantò deterior tum fuerit Romuli, quàm Tatii, conditio, quis non videt? Romulus enim coactus recipere hoſtes in Urbem, & Tatium agnoſcere Imperii ſui conſortem. At Tatius, credo, imperium, quod Curibus habuerat, retinuit ſolus. Permiſtis ita Romanis & Sabinis, Romani etiam* Quirites *dici cœpêre, quæ appellatio antè Sabinorum duntaxat erat. Mortuô Romulô, inque Deos relatô, prævalentibus Sabinis, id nomen ei datum, quod Curibus habuerat Deus Tutelaris: indeque & ipſe* Curinus *vocatus. Fortè vetus ille Cures oppidum condiderat. Utcunque eſt, poſtquàm Sabini è Curibus Romam migrârunt, placuit, ut Deus Romæ πολιοῦχος non aliò vocaretur nomine, quôm ille oppidi, unde venerant. Imò & Romulo ſucceſſor dictus è Curibus Sabinorum Numa Pompilius.* Hactenus Voſſ. Fani, in honorem *Quirini* erecti, adyta ne Sacerdotes quidem ipſos adeundi veniam habuiſſe, innuit Horatius, *Epodon od.* 16. *v.* 13. ubi hanc in rem iſta habet,

> *Quæque carent ventis, & Solibus, oſſa Quirini,*
> *Nefas videre, diſſipabit inſolens.*

Ei, ut omnibus aliis Templis, aut certè pleriſque, adjunctam porticum, memorat Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 1. *v.* 9.

> *Vicini pete porticum Quirini.*

Claudian. *de bello Getico, v.* 100.

> —— —— *Procul arceat altus*
> *Jupiter, ut delubra Numæ ſedemque Quirini*
> *Barbaries oculis ſaltem violare profanis*
> *Poſſit, & arcanum tanti deprendere Regni.*

Nec unum modò *Quirini* Fanum Romæ, ſed plura fuêre. Unde Notitia Urbis *in* 10. *regione* collocat, Templum *Quirini prope Lupercal, ubi erat ſignum lupæ duobus pueris, Romulo & Remo, mammas præbentis.* Et tamen in 7. reg. in eadem Notitia, *Templum Quirini novum* ſtatuitur: quod fortè idem, cum eo, cujus meminit Dio, *l.* 54. Πρὶν δὲ ἢ ἀφορμᾶσθαι τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν, ἐκ καινῆς οἰκοδομηθέντα. *Ante ſuum abitum Templum Quirini de novo ædificatum dedicavit.* Ovid. *l.* 3. *Amor. El.* 8. *v.* 51.

> *Qui licèt affectes cœlum quoque, templa Quirinus,*
> *Liber & Alcides, & modo Cæſar habent.*

Vide Thom. Dempſterum, *in Roſin. l.* 1. *c.* 6. *ubi de colle Quirinali*: ut & in *Janus*.

QUIRIS Dea, Juno dicta eſt apud Romanos: in cujus tutela quòd Matronæ eſſent, hinc factum, ut celibari haſtâ, quæ in corpore Gladiatoris abjecti occiſique ſtetiſſet, nubentis virginis caput, ſub matrimonii auſpicia, comeretur. Sabinorum autem linguâ haſta *Curis*, unde ab ea ferenda Juno *Curitis* ſeu *Quiris*, appellata eſt. Roſinus, *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 17. Vide quoque Plut. *in Romulo*, & *in Quæſt. Rom. quæſt.* 87. Ratio ritûs inter alias hæc dari ſolet, quòd pleraque ad nuptias pertinentia ad Junonem referrentur; cui ſacra habebatur haſta: unde pleræque ejus ſtatuæ haſtæ innitentis, ipſaque *Quiris* nominata. Meminit priſcæ hujus conſuetudinis Ovidius, *Faſtor. l.* 2. *v.* 559.

> *Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere Matri,*
> *Comat virgineas haſta recurva comas.*

QUIRITES, cives Romani, unde appellati ſint, vide ſuprà in voce *Quirinus*: Eorum jure dicebantur donatæ Coloniæ illæ, quæ civium Romanorum erant, Latinis Coloniis oppoſitæ. Id eſt, quæ jus privatum Civium Romanorum habuerunt, quod conſiſtebat in jure privatæ libertatis, connubiorum, jure Patriô, jure legitimi dominii, ut hæreditatis, mancipii & nexus, uſucapionis & reliquorum: Item jure Teſtamentorum & tutelarum: jura verò publica civitatis Romanæ non habebant. Quare, qui *Quiritum jure* adſcripti Coloni erant, nomine quidem erant cives Romani, reverà autem coloni. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 22. Quomodo Cæſar, unicâ hac voce, *Quirites*, milites tumultuantes compellando, jam erumpentem ſeditionem compeſcuerit, narrat pluribus Mich. Montanus *in lib.* cui tit. fecit, *Eſſais*.

QUISA, meliùs *Cyiſa*, portus Carmaniæ, inter Bagia & Alabagium, promontor.

QUISQUIS es, formula in ſacrificiis Veterum uſitata. Uti enim Athenienſes *Ignoto Deo* aram extruxêre, ne fortè aliquem Deum Numenque in cultu ſuo præterirent, uti alibi dictum: Ita Romani (quorum potentiam in tantum evectam quoque ideo putat Cæcilius, apud Minucium Felicem *in Octavio, dum aras extruunt ignotis etiam Numinibus*) ſoliciti ne fortè Numen aliquod ſuô cultu fruſtarentur, cujus ope ipſis opus eſſet, hoſtiam *ſi Deo, ſi Deæ*, non additô nomine, immolabant, aut communi alloquiô, *Quiſquis es*, illud compellabant, quò non minùs ac Athenienſes illud implorabant, cujus in largiendo aut averruncando benevolentiâ indigerent. Vide Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theologiæ Gentilium purioris, c.* 11. §. 14.

QUISTORPIUS Johannes, Roſtochienſis, Nathanis Chytræi & Pauli Tarnovii diſcipulus, Theologiæ Profeſſor, poſt plurimas Academias perluſtratas, in Academia patria conſtitutus, docere cœpit A. C. 1615. Archidiaconatus ad ædem B. Virginis munere mox auctus, A. C. 1616. tandem Paſtor ejuſdem Eccleſiæ & Superintendens paulo pòſt renuntiatus eſt, A. C. 1645. Obiit A. C. 1648. ætat. 64. Pater Johannis Theologiæ itidem Profeſſoris, & Auctor *Manuductionis ad Studium* Theologicum, *Annotationum in omnes libros Biblicos, Commentarior. Analyticorum in omnes Epiſtolas Paulinas, Diſputationum plurimarum, Perpetui mobilis* German. 30. *Gewiſſens-Predigten* &c. Paulus Freherus, *Theatrô Viror. eruditione Claror.*

QUITEVA, regnum Æthiopiæ meridional. anteà pars regni Monomotapæ, versùs Zanguebariam regionem cum urbe primaria cognomine.

QUITOA, provinc. Peruviæ, in parte Boreali inter provinc. Quixorum ad Ortum & mare Pacificum ad Occaſum. urbs ejus primaria eſt *Quitum*. Longa eſt 80. leuc. lata 35. circiter. Nunc ſub Hiſpano.

QUITOA Præfectura, Hiſpanicè *Audiença de el Quito*, una ex tribus præcipuis partibus Peruviæ, versùs Boream extenſa, continens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Quixorum, Pacamorum & Quitoam propriam, inter Popajanum ad Merid. fluvium Pulomayum & Amazonum ad Ortum, Peruviam propriam ad Meridiem, & mare Pacificum ad Occaſum ſub Hiſpano.

QUITUM, urbs Peruviæ, Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Limenſi, penè ſub linea æquinoctiali. Aliter *S. Franceſco de el Quito*; in valle, intra montes, prope fontes fluv. Amazonum, 300. leuc. à Lima in Boream, 75. ab ora maris Pacifici in Ortum.

QUIVIRA, regio Americæ Septentrionalis, ad ultimum uſque Occidentis limitem pertingens, in novo regno Mexicano, cœli inclementiâ & nimiâ paupertate penuriâque cognita, ſicut Hiſtoria, quæ talis eſt, docet. Vaſquii Coronati milites, cùm in Cevola nullum auri veſtigium reperîſſent, ne vacuis manibus Mexicanas terras repeterent, fortunam tentare, & ulterius progredi ſtatuebant, ſi qua uſquam benignior ſeſe fortuna offerret, in quam ſpem à multis accenſi ſunt, cùm Tichuico Tiguexam veniſſent. Illic enim Quiviræ famâ à quibuſdam in majus celebratâ, credulis militibus perſuaſum eſt, Tatarrapum, Regem potentiſſimum, in Quivira longè latèque rerum potiri, lætis militibus, quòd tot terrarum ſpatia emenſis aliqua melioris fortunæ ſpes affulſiſſet; continuatis itaque itineribus, Cicuicam, mox Quiviram pervenêre; Cicuica 21. gradibus aut 220. penè æquinoctialibus paſs. millib. à Quivira abeſt. Totum iter altis arenis hocce eſt impeditum, perpetuâ ſterilitate infame, neq; lapidem neque herbam, aut arborem penè centeſimô milliari habet. In arenoſis hiſce deſertis, oberrante Coronatô exortâ ſubitò grandine, lapides pluit ovi anſerini magnitudine; hujus rei novitate, Hiſpani mirum in modum conſternati, ad lachrymas preceſque verſi cœleſtem iram deprecabantur. Tandem Quiviram deventum, ubi Tatarrapum ſenem, pro quo tot tantoſque labores exantlârant, nudum, æneô monili ſeu emblemate (quæ tota ipſius erat gaza) ornatum invenêre. Milites, viſô Tatarrapô cùm ſuâ credulitate ſeſe cenſerent, faſtiditis propoſitis hibernis, nihil morati, Tiguexam rediêre. Quivira, quadraginta graduum habet altitudinem: ſecundùm littus maris Regio ſatis paſcua eſt. Vaccæ, quarum hîc ingens copia, dorsô incurvô ſunt aut gibbosô, inſtar Camelorum; ingentes quoque inſtar leonem nutriunt canes, quorum operâ in tranſmigrationibus jumentorum locô utuntur, *Metel.* Sita eſt versùs Sualam montem & terminos Floridæ. Quibuſdam Quivira eſt terra perampla, inter Fretum Aniani & Fretum Eſonis. Sed quid ſit, non conſtat inter ſcriptores, *Baudrandus.*

QUIXI, vulgò *los Quixos*, populi Peruviæ, in regno Boreali conficiunt provinc. inter Quitoam ad Occaſum & Canelam ad Ortum. Detecti A. C. 1557. ibi Hiſpanorum tantùm quatuor coloniæ, Batia, Archidona, Abula & Hiſpalis aurea.

QUIZA, ſeu BUIZA, *Ptolem.* Mauritania Cæſarienſis nunc regni *Algeriæ*, urbs maritima, *Orano* hodie *Olivario*; cum arce munita in colle, in ora maris Mediterranei prope portum magnum, 75. mill. paſs. à Telenſino in Ortum versùs Tenezam, ſeu Jul. Cæſaream 90. & Algerium 200. Capta à Franc. Card. Ximenio, ſub Ferdinando Aragonio, à quo tempore Hiſpanis ſubeſt.

QUIZA, Carmaniæ portus. *Arrian.* ac *Ptol.* Vide *Quiſa.*

QUIZICUS, in veterib. libris non raró, pro *Cyzicus*, vide in hac voce, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 246.

QUOD-EXCURRIT, phraſis apud Africanos Patres, frequens pro *plus minuſve* ſeu *circiter*. Optatus Milevit. *l.* 1. *Nam fermè ante annos quadraginta & quod excurrit, per totam Africam perſecutionis eſt devagata tempeſtas.* Auguſtinus, de Donatiſtis loquens, *l.* 2. *Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas, locum, ubi colligerentur, non habebant.* Et de Baptiſmo *l.* 7. *Poſt Cypriani mortem quadraginta &* quod excurrit, *annis peractis, traditio Codicum facta eſt* &c., apud Dominic. Macrum, *in Hierolex.*

QUOD-FECIT, vetus formula in deſignandis & adſcribendis Menſium diebus. Vetus *Epitaphium* repertum in Æde S. Acheoli, prope Ambianum A. C. 1660. † *Leudelinus hic requieſcit in pace vixit annos L. defunctus eſt ubi fecit Genuarius dies XV.* † *Valdoſina hic requieſcit in pace, vixit annos XXX. defuncta eſt, ubi fecit Julius dies* XXIII. Sic *Diploma* Chilperici Regis apud Car. du Freſne ſic clauditur, *Datum quod fecit menſe Martiô, die* 10. *annô I. regni noſtri* &c.

QUOD-NON-EST, Platoni dicta eſt Materia prima. Clemens Alexandr. *l.* 5. *Strom.* juxta Interpretem, *Ita inquiunt, ſed Materiam ponunt Philoſophi & Stoici & Pythagoras, Ariſtoteles quinetiam Peripateticus, non autem unum principium —— Sciant ergo eam, quæ vocatur, Materiam, quæ ab ipſis dicitur expers qualitatis ac figuræ, audaciùs quoque à Platone appellatam eſſe,* quod non eſt. *An non vel inprimis myſticè, cùm ſciret, eſſe unum, quod verè eſt principium, in Timæo dicit his verbis: De univerſorum quidem ſive principio, ſive principiis, ſive quomodocunque de his videatur, nunc non eſt dicendum, non propter aliquid aliud, quàm quòd ſit difficile præſenti modô tractationis ea, quæ videantur, declarare.* Agit enim ibi Clemens de graviſſima quæſtione, *an Mundus*, præter cauſam Efficientem, quam *unius* illius *Principii* nomine indigitat, *habuerit Materiam aliquam præexiſtentem?* Vide Tob. Pfannerum, *Theol. Gentilis purior. c.* 5. §. 3.

QUOD-NORUNT-FIDELES, formula, quâ S. Cœnam Patres olim indigitabant. Non enim ſolùm nefas tum habitum, Myſteria literis committere, voce tantùm tradenda, ut Eraſmus docet *in Hieron. Apolog. ad Domnion verb.* Κατηχηθέις, addens, ſe in antiquiſſimo quodam Codice legiſſe, Pontificem quendam Romanum, cùm multa docuiſſet eum, à quo interrogatus fuerat de Sacramentis, ſubtraxiſse verba, quibus oleum ſacrum conſecraretur, ne myſterium literis commiſſum, aliquô modô promanaret ad profanos. Sed & vivâ voce Catechumenos informantes eâ cautione uſi ſunt, ne omnem Myſteriorum doctrinam illis præmaturè propalarent: ut ex Ambroſio apparet, qui Baptiſmatis lavacrô jam ablutos alloquens, *de his qui Myſter. init. c.* 1. *Nunc*, ait, *de Myſteriis dicere tempus admonet atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante Baptiſmum ſi putâſſemus inſinuatam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quàm edidiſſe, æſtimaremur.* Sic Auguſtinus *Tom. I. de Moribus Eccl. Cathol. l.* 1. *c.* 1. Epiſcopis, Presbyteris aliiſque Eccleſiarum Miniſtris curæ fuiſse innuit, *ut paſſim caverent nudare myſteria*: ipſe, ut Leonhardus Cocquejus *ad eum de Civ. Dei l.* 8. *c. ult.* adeò de arcano iſto ſolicitus, ut, quoties de Euchariſtia loqueretur, non facilè propriô eam vocabulô, ſed his verbis, *Quod nôrunt fideles*; plerumque deſignârit. Vide ſuprà in *Nôrunt fideles*, & plura de Veterum in ſacris ſilentio, apud Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 1. §. 9. & *ſeqq.*

QUOD VULT-DEUS, Epiſcopus Carthaginenſis, tempore urbis hujus à Genſerico captæ: quaſſatis navibus cum maxima Cleri parte impoſitus, Neapolim nihilominus tutò pervenit. Fortè is ipſe eſt, cui Auguſtinus tractatum de Hæreſibus inſcripſit. Proſper. & Marcell. *in Chron.* Baron. A. C. 439.

QUONIN, nomen idoli apud Sinenſes famoſiſſimi, cui muliebris forma: item fontis ab eo dicti, ad urbem *Xunning*, quem ignotus quidam Senex baculô elicuiſſe creditur, uti Hippocrenem Pegaſus. Auctor *Sinæ & Europ. c.* 46.

QUOTANNIS orandi pro Principis ſalute, ritus, Julii Cæſaris principatu inſtitutus, in ſolennem poſteà morem abiit, ut ſuprà vidimus, ubi de *Orandi ritibus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 A 1 vol. 3